JOH. JACOBI HOFMANNI
SS. Th. Doct. Profess. Histor. & Graec. Ling. in Academ. Basil.

LEXICON UNIVERSALE,

HISTORIAM SACRAM ET PROFANAM
Omnis aevi, omniumque Gentium;
CHRONOLOGIAM AD HAEC USQUE TEMPORA;
GEOGRAPHIAM ET VETERIS ET NOVI ORBIS;
PRINCIPUM PER OMNES TERRAS FAMILIARUM
Ab omni memoria repetitam
GENEALOGIAM;
Tum
MYTHOLOGIAM, RITUS, CAERIMONIAS,
Omnemque Veterum Antiquitatem, ex Philologiae fontibus haustam,
VIRORUM, INGENIO ATQUE ERUDITIONE CELEBRIUM
Enarrationem copiosissimam;
Praeterea
ANIMALIUM, PLANTARUM, METALLORUM, LAPIDUM, GEMMARUM,
Nomina, Naturas, Vires,
Explanans.

EDITIO ABSOLUTISSIMA,
Praeter Supplementa, & Additiones, antea seorsum editas, nunc suis locis ac ordini insertas,
UBERRIMIS ACCESSIONIBUS, IPSIUS AUCTORIS MANU
novissime lucubratis, tertia parte, quam antehac,
AUCTIOR, LOCUPLETIOR:
INDICIBUS ATQUE CATALOGIS
REGUM, PRINCIPUM, POPULORUM, TEMPORUM, VIRORUM
ET FEMINARUM ILLUSTRIUM, ANIMALIUM, PLANTARUM;
Tum praecipue
NOMINUM, QUIBUS REGIONES, URBES, MONTES, FLUMINA, &c.
in omnibus terris, vernacula & vigenti hodie ubique lingua appellantur;
Caeterarum denique rerum memorabilium,
ACCURATISSIMIS INSTRUCTA.

TOMUS QUARTUS
Literas R, S, T, V, X, Y, Z, continens.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JACOB. HACKIUM, CORNEL. BOUTESTEYN,
PETR. VANDER AA, & JORD. LUCHTMANS.
MDCXCVIII.
Cum peculiari Praepot. D.D. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae Privilegio.



R Litera, cujus pronuntiatio paulo asperior est, canina est, dicta quia horum animalium latratum imitari ejus pronuntiatio videtur. Hinc Pers. *Sat.* 1. *v.* 109.

> ---- *Sonat hic de nare canina*
> *Litera.* ———

In *S.* quandoque abit, ut *Arbos*, pro *Arbor*: *Odos*, pro *Odor.* Aliquando in *L.* vertitur. Ut à *Frater*, *Fratellus*: à *Caper*, *Capella.* Quò sine dubio allusit Ovid. *Fast. l.* 5. *v.* 481.

> *Aspera mutata est in lenem tempore longò*
> *Litera, quæ totò nomine prima fuit.*

A Romanis sæpe sola posita est, ut Romam urbem indigitaret, ut in nummis Constantii & Juliani. Sed & Nota erat, quam Veteres adponebant, ad locum, cui aliquid deesset ad sententiæ integritatem, quod *requiri* deberet & investigari: unde *Require* significat, aut *requirendum*, atque ita notatur in veterum libris ℞. Huic respondet apud Græcos nota ex ζτ & ζώ, quam adscribebant, quoties locus aliquid difficultatis haberet & ζητήσεως ἄξιον. Quod proin *R.* cùm è margine nonnunquam irrepsit in textum, Scriptorum loca varia non parùm reddidit depravata. Sic apud Plinium, *l.* 9. *c.* 17. ubi de mullo ingentis pretii, in antiquissimis & optimis codicibus, ita scriptum legitur, *Asinius Celer è Consularibus, hôc pisce prodigus, Cajô Principe unum mercatus, R. VIII. mullum.* Quod & in omnibus fermè manu exaratis libris eô locô comparet; unde & in quibusdam reperitur, *mercatus Romæ*, quod ineptum est. Nempe R. ex ora libri in contextum irrepsit. Cùm enim ita in libris locus ille mendosè conceptus esset, *mercatus VIII. mullum*, aliquis in margine adscripserat hanc *R.* notam, quâ significabat & monebat, requirendum esse, quid vellet ille numerus VIII. quomodo, aut de quo genere nummorum intelligendus esset; nomen quippe nummi aut sestertii deest. Aliquando vox *requirendum* integra sic in textum transiit. In Fragmentis Hilarii. *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius Catholicam à Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt: Narcissus, Theodorus, Basilius, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Atticus, Julius, Surinus, Simplicius & Junior, requirendum, omnes hæretici.* Ubi illud *requirendum* notaverat ad marginem aliquis, quô *requirendum* admonebat, quinam illi essent, quorum ibi nomina exposita habentur, quive inter eos Presbyteri, qui Episcopi & quarum civitatum? Vide Salmas. *Not. ad Tertullian. de Pallio, c.* 5. R. C. in notis antiqq. *Romana Civitas.* R. D. *Regis domus* &c. denotat, Fr. Gouldmannus &c. Cœterùm crepitus in lit. *R.* notus, ut in *Æn. l.* 11. *v.* 296. per quatuor fere versus, observante Barthiô:

> ——— *variusque per ora cucurrit*
> *Ausonidum turbata fremor, ceu saxa morantur,*
> *Cùm rapidos amnes, clausô fit gurgite murmur,*
> *Vicinaque fremunt ripæ, crepitantibus undis.*

Vide eum *Animadversion. ad Pap. Statium, Thebaid. l.* 1. *v.* 1. & *Adversarior. l.* 121. *c. ult.* ubi varia ex Auctore Latino *Parva Iliados*, Ennio, Tibullo, Val. Flacco, Guil. Britone, Aliis, collisu literæ hujus ingeniosè utentibus, exempla depromit.

RA. in nummis Heraclii, *Ravenna*, Car. du Fresne *de Numism.*

RAAB, meretrix Chananæa, in Jerichuntis urbis devastatione, sola servata cum tota sua familia, & omnibus quæ possidebat, quòd absconderit nuncios, quos eò miserat Josue, Jos. *c.* 6. Torniel. *An. M.* 2584. *n.* 8. 15. *&c.*

RAAB, Ægyptum esse quidam memorant. Latin. *superba*, aut *fortis*, vel *tumultuans.*

RAAJA, filius Subal, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 2. Latin. *visio Domini.*

RAAMIAS, nomen viri, Nehem. *c.* 7. *v.* 50. Latin. *tonitru Domini*, sive *malum à Domino*, aut *socius*, vel *pastor à Domino.*

RAB, seu RIBI, RABBI, & RABBAN, tituli apud Hebræos Literatorum Doctorumque, a radice רבב, *Rabab*, i. e. *multiplicatus fuit*; ut iis denotarentur οἱ πολυμαθέστατοι, cognitione ac doctrinâ multiplici instructi & præ reliquis eminentes. De his scribunt, *Rabbi* plus esse, quàm *Rab*, & *Rabban* quàm *Rabbi*; sed nomen Doctoris absque ullius tituli adjectione, ut *Haggai*, *Zacharias*, *Malachias*, adhuc magis esse, quàm *Rabban*, Aruch in voce אבור. Alii observant, titulum *Rab* iis fuisse attributum, qui in Babylonicis Academiis Magisterium consequuti essent: *Rabbi* autem illis, qui in regione Israël per impositionem manuum, *Sapientes* essent declarati: titulum denique *Rabboni*, peculiarem fuisse Sapientibus domus David. Beza *ad Matth. c.* 23. *v.* 7. *Syris* Ribbon *vocabatur vel* Rabboni, *quod Johannes, c.* 20. *v.* 16. Διδάσκαλος interpretatur: Lucas autem Ἐπιστάτην, *c.* 5. *v.* 5. *vocat eum, qui apud Danielem, c.* 2. *v.* 48. *est Rab.* Tempore Christi, cùm Eruditorum inter Hebræos tituli supra modum crescerent, etiam hic frequens admodùm, sed in plerisque non nisi vanæ ostentationis erat argumentum: unde toties à Christo atque Apostolis rejectus. Modestiùs alii se תולדי חכמה, licèt alios docerent, vocârunt: uti *Philosophi*, pro *Sophis* dicti sunt, L'Empereur *Notis ad Benjamin.* Hodie rursus, tanta Judæorum ambitio est, ut favore & pecuniâ titulum *Rabbini* sibi conciliare omnino annitantur, Munsterus, *ad Genes. c.* 21. quos, barbarò seculò, Scholastici æmulati, non nisi *Magister noster* appellari voluerunt: hôc nomine, sub renascentis literaturæ initia, à Reuchlino, Erasmo, aliisque vehementer exagitati. Vide Georg. Hornium, *Histor. Philos. l.* 7. *c.* 1. Ad veteres Hebræorum *Rabbines* ut redeam, is in eorum Academiis Scholisque mos obtinuit, ut Auditor vocaretur תלמיד, i. e. *Discipulus*; item קטן, *Katan*, i. e. *Junior*: בחור *Bachur* quoque, i. e. *electus* seu *cooptatus*: illud, quòd disceret, istud, quòd ætate minor: hoc, quòd electus seu cooptatus esset in numerum Discipulorum. Cùm aliquos jam profectus fecit, dignusque habitus est gradu aliquô, factus est, per impositionem manuum חבר *Chaber*, i. e. *Rabbini socius*: vocabant autem hanc ceremoniam סמיכה vel סמיכות *Semicha*, vel *Semicuth*, eumque ad exemplum Mosis Josuam inaugurantis adhibebant. Numer. *c.* 27. *v.* 18. hâc verborum formulâ uti soliti: *Ego Tibi impono manum, & manus tibi imposita esto*, Scalig. *Trihæres. c.* 3. Cunæus, *de Rep. Hebr. l.* 1. *c.* 21. Posteà, cùm talis idoneus habebatur, qui alios doceret, *Rabbi* vocatus est. Et quidem, quemadmodum, cùm adhuc esset *Katan*, nomine propriò suppressò, Patris solùm nomine est appellatus: dein, postquam factus esset *Chaber*, nomen ejus nomini Patris addi cœpit: sic *Rabbini* jam axiomate auctô, titulus hic utrique nomini præfigi est solitus, hôc modò: Maimonides primò *Ben Maimon*, posteà *Moses Ben Maimon*; tandem רמבם *Rambam*, i. e. *Rabbi Moses Ben Maimon*, vocitatus est. Similiter Rabbi Levi, primò *Ben Gerson*, exin *Levi Ben Gerson*, postremò רלבג *Ralbag*, i. e. *Rabbi Levi ben Gerson*, est appellatus. Ab hoc graduum discrimine, ortum apud Hebræos proverb. est, Rabbinô quôdam Auctore, qui sæpe dicere solitus: *Multa à Rabbinis, plura à Sociis, sed plurima à Discipulis meis didici*, apud P. Fagium *in Scholiis ad c.* 4. *Pirke Aboth.* In publicis Actibus, *Rabbini* sedebant in peculiari Cathedra, Matth. *c.* 23. *v.* 6. Socii in scamnis humilioribus erant dispositi, Discipulis ad pedes Doctorum suorum humi sedentibus, Actor. *c.* 22. *v.* 2. Vide quoque Lucæ *c.* 10. *v.* 39. Corporis etiam situs, pro graduum ratione, diversus erat. *Rabbinus* enim vocabatur à suo situ, יושב *Joscheb*, i. e. *sedens*: Socius מוסב *Museb*, se reclinans (in alterius sinum, qui accumbentium olim in mensa ritus) Discipulus מתאבק *Mithabek*, i. e. *in pulvere jacens*: quem morem in

in Christianam Ecclesiam introducere voluisse, Paulus, 1. Corinth. c. 4. videtur Ambrosio. Vide de his Philonem Jud. *Quòd omnis probus*, p. 679. Scaligerum, *in Trihaeres. c. 5.* Ecc. c. 1. *Beraesch*, Pirke Aboth. c. 4. Nec omittendum, in quatuor classes Discipulos suos distinxisse olim Judæorum Magistros. Quosdam enim dixerunt, habere *conditionem spongiæ*, qui absque judicio mala æque ac bona imbiberent: nonnullos *Clepsydræ*, qui salutaria monita effluere rursus facilè paterentur, aliquos *sacci fecinacei*, qui, vinô percolatô, fæces tantùm retinerent: reliquos verò *cribro* similes esse, qui paleis excussis bonum solùm triticum pietatis ac doctrinæ servarent, Pirke Aboth. c. 5. Vide Thom. Godwyn, *tr. Angl. de Ritibus Hebr. l. 1. c. 7. ubi de tit. Rabbi.* Addam. quod Casaubonus monet, *Rabbinis*, præterquam in Grammatica, parum fidendum. Unde is *Exercit. 1. ad Appar. Annal. Baronii, num. 3. Rabbinis, inquit, etiam in Historia sacra (nam in omni alia talpis ut plurimum caciores sunt) quam parum fidei sit tribuendum, ignorat Eruditorum nemo.* Et *Exercit. 16. num. 8. Rabbinis, ubi de lingua Hebraica agitur, & vocis alicujus proprietate, vel aliquo Thalmudico instituto, meritò a Christianis tribuitur non parum: ubi verò a verbis venitur ad res, aut ad historiam, vel rerum antiquarum veteris populi explicationem, nisi falli & decipi volumus, nihil admodum est fidei habendum.* Hactenus ille.

RAB & Schemuel, duo discipuli Rabbenu à Kodesch, clari sub finem Millenarii IV. juxta calculum Rabbi Ganz, quorum hic Nahardeæ, ille Souræ, qui locus est Damasiæ, docuit. Eorum tempore quoque Rabbi Josua Fil. Levi, & Rabbi Sila floruêre, è quibus prior præceptor fuit Johannis, qui Thalmud Hierosolymitanum congessit. Vide præfatum Ganz *in Chronologia Rabbinorum.*

RABA, urbs ad sinum Ionicum. *Stephan.*

RABANUS Maurus Magnentius, Archiepiscopus Moguntinus, Scriptor seculi 9. celeberrimus, Fuldensis creditur. Philosophus ingens, Theologus summus, Poëtarum sui seculi facile princeps. Alcuinô præceptore usus, primò Abbatiæ Fuldensi adhibitus est, cujus reditus cùm negligentiùs, sacris curis studiisque intentior, curâsset, Monachorum importunis querelis cedens, ad Ludovicum Germaniæ Regem se contulit, à quo Moguntinâ Infulâ ornatus est, A. C. 867. Synodos complures celebravit, Arbiter negotiorum sui temporis. Sententiæ *de Orali Manducatione Corporis Christi in cœna Domini*, jam tum spargi cœptæ, acriter restitit, diligens Augustini sectator, ejusque sententiam Bertramus Presbyter, jussu Caroli Calvi, scriptô editô defendit: eôdem tempore & Johanne Scotô, de Eucharistia dogma Augustini egregiè tuitô. Hospin. *in præf. ad libr. Conc.* Sub eo tamen Godescalcus Monachus, quòd Prædestinationem & reprobationem dari, nec Christum pro omnibus mortuum esse, ex S. Scriptura, doceret, duriter habitus est. Obiit A. C. 856. Opera ejus volumnib. 6. prodierunt Coloniæ A. C. 1627. in quorum fronte Vita ejus, à discipulo Rodolpho, & *l.* 3. alia à Trithemio conscripta habetur. Trithem. *in Cat. lib. de Scr. Eccl. & in Chron.* Annales Fuld. Lupus Ferrerius, *epist.* 40. Hermann. Marian. & Lambert. *in Chron.* Serarius *in Mogunt. Præsul.* Voss. *l. 2. Hist. Lat. c. 35.* Gesnerus. *Biblioth.* Christ. Brouverus, *in Fuld. Hist. &c.*

RABATH, seu RABBAT Moabitis, urbs Terræ S. Archiepiscopalis sub Patriarcha Hierosolymitano, hodieque *Rabath*, trans Jordanem. *P. de via.*

RABATHMOMA, urbs tertia Palæstinæ, quæ nunc *Areopolis.*

RABBA, licèt diversè à *Rabbath* scribatur, videtur tamen eadem esse civitas, in tribu Juda, Jerem. *c.* 49. *v.* 2. Latinè, *multa*, sive *magna*, aut *jurgium*, vel *impugnatio.*

RABBAH F. Nachmanis, præses Pumbeditæ, auctor *Beresit Rabba*, floruit ann. 4060. juxta calculum Rabbi Ganz.

RABBATH, quæ & *Rabba* filiorum Ammon, ob magnitudinem sic appellata, dicta & *Ammon*, *Amman*, postremùm *Philadelphia*, à rege Ægypti Ptolemæo *Philadelpho*, qui Arabiam tenuit cum Judæa. Urbs potens, regia & metropolis terræ Ammonitarum, Urbem hanc expugnavit Og, rex Basan, gigas, in qua monstratur lectus ejus ferreus, longitudinis novem, latitudinis quatuor cubitorum, est in tribu Gad.

RABBATAMMANA, urbs montanæ Arabiæ: profertur etiam in neutro genere. *Steph.*

RABBOTH, civitas in tribu Issachar, Jos. *c.* 9. *v.* 20. Latin. *fœnus*, aut *multitudo*, vel *jurgium*, sive *impugnatio.*

RABELÆSIUS Franciscus Medicus eruditus ingeniô ad jocos natô, sed plus æquô liberiori, Chinoniô Turonensis. Habitum Franciscanorum primò Pictavii sumpsit, mox illô abjectô, Medicinæ se applicuit, insignem in illa eruditionem adeptus. A Johanne Bellajo, Cardinal. cujus sanitatem curabat, Romam deductus, & in Pauli III. conspectum venire jussus, ne ipsi quidem pepercit. Scævola Sammart. *l. 1. elog.* Obiit dein, in loco prope Parisios, ubi prædiolum aliquod munificentiâ Patroni possidebat, ridens & jocatus. Cùm enim ut in Domino moreretur, adstantes hortarentur, afferri sibi cucullæ quoddam genus, quod *Domino* vocant, jussit illôque capiti inductô, in Domino se obiturum dixit, Ann. 1560. Justus *in Chron. Med.* Vander Linden, *de Script. Med. &* Paul. Freherus *Theatrô Viror. erudit. claror.* è quo linguâ patriâ, librum facetiis repletum, *Pantagruelis* nomine, edidisse, & *Hippocratis Aphorismos* castâ fide *in Latinum* traduxisse. *Epistolas* ir. aliquot nitidô stylô exaratas in publicum emisisse, discas. Domus ejus in tabernam vinariam postmodùm conversa, quod eruditô Epigrammate Jac. Aug. Thuanus exsequitur, quo illum Γελωτοποιὸν loquentem introducit, apud Ger. à Stocken *Thuano Enucleato.*

C. RABIRIUS, eques Romanus, perduellionis, i. e. læsæ majestatis accusatus à T. Labieno tribuno plebis, quòd Saturninum virum sceleratum, & hostem patriæ in tumultu occidisset; de quo extat oratio Ciceronis.

C. RABIRIUS, Poëta grandiloquus, usque adeo, ut hâc parte proximus à Virgilio crederetur. Descripsit *bellum Actiacum inter Antonium & Octavium.* Vellej. Paterc. *l. 2. c. 36.* Meminit quoque ejus Ovid. *Pont. l. 4. eleg. ult. v. 5.*

——— *Magnique Rabirius oris.*

Itemque Seneca, *l. 6. de Benef. c. 3. Egregiè mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam, cùm fortunam transeuntem aliò videbat, & sibi nihil relictum præter jus mortis, idquoque si citò occupaverit, exclamare:*

Hoc habeo, quodcunque dedi.

Maximè nostri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque. Quintilianus tamen, *l. 10. c. 1.* satis jejunè laudat: *Rabirius ac Pedo, non indigni cognitione, si vacet.* Citat Fulgentius Planciadesè Rabirii Satyra:

Abstemium merulenta fugit Methenia nomen.

Ubi mirum secundam in *abstemius* corripi: nisi placet συνίζησιν esse. Sed, credo, diversus ille Rabirius. Imò fortasse ne Rabirius quidem. Nam in libris aliis est *Rubrius*, sed quis iste Rubrius, æquè incertum. Unde aliqui *Rutilium* emendant. Quibus quo minùs subscribam, in causâ illud est, quòd Rutilii Satyrographi veterum nemo meminerit. Voss. *l. 1. Hist. Lat. c. 21.* *Nic. Lloyd.*

RABLATA, Hieronymo, *l. 2. in Ezech. c. 6.* civitas est, quæ aliàs Theopolis, vide *ibi.*

RAB-MAG, princeps quidam, Jerem. *c. 39. v. 3.* Latin. *magister*, vel *princeps excindens*, vel *demergens*, aut *liquefaciens.*

RABOINUS seu RABUINUS, apud Guil. Tyrium, *l. 22. c. 23.* ubi de forma colligendi census, pro Regno Hierosolymitano. *Si verò prædicti 4. selecti, qui ad hoc deputati sunt, cognoverint pro certo, quòd alicujus substantia non valeat centum Byzantios, accipiant super eum foagium, i. e. pro foco Byzantinum unum: quòd si non poterint integrum, accipient dimidium, & si dimidium non poterint, accipiant rabuinum:* Monetæ species est in Regno Hierosolymitano & Cyprio. Vide Car. du Fresne *in Glossario.*

RABSACES, i. e. *magister* vel *præpositus bibentium*, aut *magistri osculum*, vel *sacculus*, sive *multum bibens*, aut *osculans*, vel *magnus saccus.* Princeps in exercitu Senacherib. 2. Reg. *c.* 18. *v.* 17.

RABSARES, vel RABSARIS, magister vel præpositus Eunuchorum; princeps Babylonicus, Jerem. *c. 39. v. 3.*

RABULA, propriè dicitur multis intentus negotiis, paratusque ad *radendum quid* & auferendum: vel, qui acrior in negotiis agendis, & quasi *rabiosus*, *Fest.* vel, qui *radit*, i. e. offendit aures ac nimiâ verbositate ferit, Nonio olim hodieque Fori opprobrium: *Proclamator* & *Clamator* Ciceroni appellatus, quia *Rabulis* forensibus in more positum, vociferationibus implere Forum magnisque clamoribus ad *ravim* usque (nam & hinc quidam nominatos volunt) Judices obtundere. Ita autem Cicero, *de Orat. l. 1. Non enim Causidicum nescio quem, neque Proclamatorem, neque* Rabulam *hôc sermone nostrô conquirimus*; & *l.* 3. ubi de Pericle: *At non hunc Clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat.* Eosdem *Latratores* Quintilianus vocat *Institut. Orator. l. 12. c. 9. Super omnia perit illa, quæ plurimum Oratoris & auctoritatis & fidei affert, modestia, si à viro bono in* Rabulam Latratoremque *convertitur.* Jac. Oiselius, *Notis in Gellii verba, l. 14. c. 2. Is tamen, cum suis multis Patronis clamitabat, probari apud me debere &c.*

RABUTINUS Franciscus, vide *Franciscus.*

RACA, Matthæi, *c. 5. v. 22.* Ὃς δ' ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ῥακὰ, ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ. *Qui verò dixerit fratri suo* Raca, *obnoxius erit Synedrio*: Hieronymo denotat hominem vanum & absque cerebro, *adv. Pelagium, l. 2.* Sic Hilarius *in Matth. Raca fatuitatis opprobrium est.* Quod confirmat Eman. Tremellius Hebræus Christianus, vir linguæ suæ peritissimus, qui *in Talmud* sæpe legi ait ריקא, pro quo Syri dicant רקא & significare *hominem cerebrô vacuum*, quem etiam Galli linguâ suâ *follem* ab inanitate vocant. Quod convitium aliquanto levius est, quàm si quempiam μωρὸν, i. e. *stultum*, vocaveris. Nam ריק unde illud deductum est, *vacuum* & *inane* significat. Castellio *balatronem* est interpretatus, quàm rectè, ipse viderit. Matthæi Hebraica interpretatio legit [illegible], i. e. *malum*, quod non probant Eruditi. Majus enim est convitium, vocari *malum*, quàm stultum: de quo tamen posteà agitur, tanquam de atrociore injuria, quàm hæc sit. Beza vocem *Raca* in versione sua retinet & assentitur iis, qui volunt esse voculam inconditam hominis indignantis: ita ut tres *d. l.* constituantur gradus eorum, qui contra hominum opinionem pro homicidis apud Deum censentur. Unus eorum, qui intus duntaxat adversùs proximum commoventur; alter eorum, qui eousque effervescunt, ut iracundum aliquid evomant; Tertius denique eorum, qui in apertum aliquod convitium erumpunt, &c. Vide Theod. Bezam, *Annotat. in N. Testam.* Spanhemium, *in Matth.* Alios. Uti autem *Judicium* seu Κρίσις, in primo gradu, de consessu Triumvirali, qui de pecuniariis & minoris momenti causis cognoscebat, exponitur: Ita *Consessus* seu *Synedrium*, de quo in verbis prædictis, ubi de secundo gradu homicidarum agitur, de Synedrio XXIII. Virali accipi solet, de quo *infrà.*

RACAMAS, apud *Gallicarum Rerum* Scriptores, panni pretiosioris

floris speciem notat, olim multo in usu. Unde Hispani *Recamar*, Galli *Recamer*, h.e. *Broder*, pro opere phrygio aliquid exornare ac acu pingere usurpant. An ab Hebræo *racam*, quod est *acu pingere* seu intexere varia filia diversorum colorum; Car. du Fresne in *Glossar.*

RAGANA, apud Anastasium Bibliothec. *in Sylvestro*: *Oleum Cyprium libr. centum, papyrum* racanas *libras mille*, ubi Salmasius legit, *papyrum*, racanas *mundas mille*. Et infrà, *Possessio insula Mathabeo præstans solidos quingentos & decem, papyrum mundum* racanas *quingentas, linum saccos trecentos*: significat papyrum mundum seu mundas papyri philyras, quæ ad chartas erant paratæ & in fasciculos collectæ colligatæque. Nam *racana*, est fasciculus, Græcis ῥαχάνη, à voce ῥάχος, quæ fascem & sagma vel sarcinam significat. *Hesychius*, ῥάχος, χωλάδες, φοινικὸς, σάγματα, ἤτοι τὰς φακέλους τῶν ξύλων. Hinc *lana racanas*, dixit Ennodius, pro lanæ glomis vel fasciculis. *Epist. l.* 19. *Lana* racanas, *cujus vos volueritis coloris, rubei aut fusci, mihi sub celeritate dirigite*. Quas proin *papyri racanas* vocat Anastasius, vel auctor, unde is sumpsit, veter. Glossæ *papyrinas fasces* vocant: *Resuum opus, papyrina fasces*; βαργοί; ubi forte ῥάχοι legendum. Sed & βαργοὶ retineri potest. Significabat enim *bargus* ramum arboris vel scapum: in *L. Sal. de bargo suspendere*. Itaque fasces papyri sic colligatas, ut baculi vel scapi figuram referrent, *bargos* dixêre &c. Vide Salmas. *ad Flav. Vopisc. in Firmo*, c. 3. Sed & *Racana* significat fasciculos de papyro seu scirpo, qui cervicalium vicem præbebant, Monachis præsertim & Ascetis. Papyrô enim seu scirpô (nam non semper pro planta Ægypti peculiari hoc nomen) toros pauperes ac stramenta farciri consuevisse, diximus suprà, ubi de *Phleo*. Idem Anastasius in Vita Joannis Eleemosynarii, *Illic enim eos fecerunt, quasi tholos quosdam prolixos, ligneis tabulis pavimentô stratô, ad requiescendos eos & simul cum stereis & rachanis per totam hyemem*. Vide eundem Salmas. *ad Solin. p.* 1004.

RACATÆ, populi Germaniæ sub Quadis, ubi nunc pars Austriæ, ad Danubium. *Sansoni* autem erant, ubi pars Hungariæ Septentrionalis ad Danubium, versùs Tirnam & Neosolium.

RACEBURGUM, urbs Saxoniæ inferioris, aliàs sub proprio Episcopo inter Ducatus Megalopolitanum & Lauemburgicum juxta lacum. Nunc sub Duce Megalopolitano pace Monasteriensi, sed ejus castrum est Ducis Lauemburgici, ubi sæpe moratur, 6. milliar. German. à Suerino in Occasum. Hodie Eridos pomum inter Daniæ Regem, & Electorem Brunsuico-Hannoveranum, cui subest. Cœterùm eadem origo huic Episcopatui, idemque finis, qui Suerinensi fuit. Godescalci Obotritorum Principis operâ, vertendis ad Christiana sacra popularibus, constitutum, certâ agri parte aliisque reditibus auxit Henricus *de Badewide*, Polaborum (ita tum incolæ appellati) Comes, cui paulò ante ea provincia obvenerat, propriô ausu, ut videtur, per temporum Henricianorum (quibus ab Henrico Leone nomen) turbas occupata, inde ab Henrico Leone confirmata, in vicem Wagriæ (Oldenburgiæ terræ) Adolfo Holsatiæ Comitæ cessæ, postquam Henricus Leo, cujus invidiâ Adolfus Holsatiâ pulsus, suam suorumque rem restituisset. Henrici autem Comitis prosapiâ in pronepote emortuâ, Comitatus ad Bernardum Saxoniæ ex Gente Ascania, Ducem (cujus clientelam, post supremum Henrici Leonis casum, Bernardus fil. Henrici subierat) *Feudi*, ut vocant, *aperti* jure pervenit. Num verò Episcopatui is postea accesserit, incompertum. Cœterùm hic sacris Euangelicis & Meckelburgiæ stirpis Præsulibus jam pridem adsuetus, æquali cum Suerinensi sorte, ademtæ Wismariæ jacturam, Westphalicæ Pacis lege pensavit. Vide Tob. Pfannerum, *de præcipuis Germaniæ Principp. Gentibus*, c. 6.

RACEMUS, ab exploratoribus terræ Canaan, à Moyse emissis, portatus, de quo vide Numer. c. 13. v. 24. quantæ fuerit magnitudinis, exponit Philo, *de Vita Mosis*, l. 1. ubi Interpres. *Maximè autem admirationi iis fuit fructus vitis: Nam prægrandes erant uvæ, de palmitibus pendentes, vix credibile spectaculum. Nam unam cùm resecuissent, suspenderunt de medio vecte; cujus extrema cùm duo juvenes hinc & inde sibi imposuissent, deportârunt eam, aliis post alios succedentibus, propter pondus*. Ita is non à duobus tantùm palmitem hunc, cum uva abscissum sua, deferri necesse habuisse statuit, sed & arbitratur, his pondere fessis bajulos successisse alios atque alios. Sed metuit Vossius, ne καθ' ὑπερβολὴν ista dixerit Philo: vel si sic alios aliis succedere opus erat, id credit fuisse, non tam ob pondus uvæ, quàm ob vectis molestiam, & longitudinem viæ. Interim ingens illa ac pulchra fuit, cujus de vecte pendentis aspectu accendere volebat Moses Israëlitas suos adversùs eos, unde nobilis ille botrus afferretur: hinc quoque *Liberi* nomine Gentilibus cultus. Quousque verò nonnullis uvæ terris excrescant, docet nos egregius naturæ Mystes Plinius, *l.* 14. *c.* 1. *Uva magnitudinem infantium puerorum in interiore Africa parte exsuperant*. Quòd enim apud Steph. Byzantinum Metrophanes refert, in *Εὐκαρπίᾳ*. *Racemum* generari ejus magnitudinis, ut ab eo currus in medio sæpe rumpatur, fidem non impetrat, *nisi vel de papyro currum istum e tas fecerit puerilis, vel non magnitudine uva, sed mendacii hujus, crepuerit medius*, Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 30. *sub fin.* Cœterùm *racemi*, coronamentum Bacchi sunt apud Virgilium, *in Epigr.*

Temporaque Autumni cingunt tua, Bacche, racemi.

Unde eum non κερασφόρον, *cornutum* solùm, verùm etiam *ἰοστεφάνοις βότρυσι*, *coronatum racemis*, pingi ait Lucianus, *Bacch.* Quò spectant coronæ illæ vitigineæ, i. e. ad pampinorum vitis similitudinem effectæ, de quibus ex Horatio, Tibullo, Silio, varia congessit Car. Paschalius, *Coronar. l.* 4. *c.* 1. Hinc *Racemasio*, inter pauperum apud Hebræos privilegia, vide suprà voce *Pauperes*, ubi & *de racemis decidius*.

RACHA, iis qui Hebraicè callent, Interjectio videtur fuisse, animi indignantis: quasi dicatur, *malum tibi*, scil. eveniat, distortus & iniquus es, Augustin. *Tract. l. in Joannem Chrysostomum*, latiùs *in Matthæum* 5. *Homil.* 11. c. D. Basilius ait esse hoc verbum suæ regionis populo peculiare, levioris convicii gratiâ adversùs familiares usurpatum &c. Vide suprà *Raca*.

RACHAL, civitas, quam David suorum spoliorum participem fecit, 1. Sam. c. 30. v. 29. Latinè *susurro*, aut *aromatarius*, sive *negotiator*.

RACHAM, Hebr. רחם seu *Rachama* רחמה, cujus mentio Deuteron. c. 14. v. 17. Vultur est, aquilæ similis, seu Γυπαίετος; *vulturinâ specie aquila*; Cujusmodi avem sic describit Phile,

> Οὗ τὴν τε κεφαλὴν γε, βασιλεῦ, καὶ τὸ γένος,
> Κἂν μακρόθεν βλέπῃ τις, αἰετὸν λέγει.
>
> *Cujus caput, ô Rex, & os*
> *Si quis eminus videat, aquilam esse dicit.*

Maximè certè in aquilarum genere percnopteri ejusmodi speciem habent, unde Γυπαίετοι vocantur, apud Aristotelem, *Histor. l.* 9. *c.* 32. Plinium, *l.* 10. *c.* 3. Ælian. *Histor. l.* 2. *c.* 64. Alios. Sed & Aquilas ex diverso coitu tandem in vultures degenerare, volunt magni Scriptores. Inter quos Aristoteles, *Mirabil.* Ἐκ τῶν ζεύγους δὲ τῶν αἰετῶν θάτερον τῶν αὐγῶν ἁλιαίετος γίνεται παραλλάξ, ἕως ἂν σύζυγα γένηται, ἐκ τῶν ἁλιαιέτων φήνη γίνεται, ἐκ δὲ τούτων οἱ περκνοὶ καὶ γῦπες. οὗτοι δὲ οὐκέτι διαλλάσσουσι περὶ τοὺς γύπας, ἀλλὰ γεννῶσι τοὺς μεγάλους γῦπας, οἵτινες εἰσὶν ἄγονοι. *Ex paribus aquila unam aquilam ignobilem alternis nasci, haliætum scilicet. Et cùm bina aquilæ degeneres nata sunt*, h. e. bini haliæeti; *ex iis nasci ossifragas, ex ossifragis percnos & vultures: quorum genus non mutatur ampliùs. Hi enim alios vultures generant, sed majores & steriles*. Ob quam harum avium cognationem, sæpe eas à Scriptoribus confundi atque unam pro altera sumi videmus. Sic Promethei jecur ab aquila fuisse exesum, tradunt Hesiodus, Æschylus, Apollonius, Actius, Apollodorus, Diodorus, Philostratus, Plutarchus, Lucianus, Alii. Fulgentius verò. *Mytholog. l.* 2. nobis describit Prometheum *vulturi fero jecur perenne præbentem*: & Auctores citat Nicagoram *de Promethreo*, Aristoxenum, *in Epimetheiorum libro*, & Petronium Arbitrum, *in his Hendecasyllabis*,

> *Cui vultur jecur intimum pererrat;*
> *Et pectus trahit, ultimasque fibras,*
> *Non est, quem lepidi volunt Poëta,*
> *Sed cordis mala, livor atque luxus.*

Valerius quoque Flaccus, de herba Promethea, *Argonautic. l.* 7. *v.* 357 sic canens,

> ———— *Promethea florem de sanguine fibræ,*
> *Caucaseum tonitru, nutritaque gramina, promit*
> *Quæ sacer ille, nives inter, tristesque pruinas,*
> *Durat editque cruor, cùm gutture vultur adeso*
> *Tollitur è scopulis & rostro irrorat aperto:*

Vulturem facit, quem *aquilam* vocat Apollonius, de eadem herba verba faciens *Argonautic. l.* 3. *v.* 850. Quomodo è nostris Theophylactus, cùm aquilas, de quibus Christus Matthæi c. 24. v. 28. vult pro vulturibus haberi: Ἐπὶ πτώματι, inquiens, συνάγονται ὀξέως οἱ ἀετοί, εἰ γῦπες δηλαδή, *Ad cadaver aquilæ, id est, vultures, statim congregantur* &c. Quam in rem vide plura apud Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 21. *c.* 27. & infrà in *Vultur*.

RACHANA, vide suprà *Racana*.

RACHEL, i. e. *ovis*, filia Laban, altera uxor Jacob, è qua Josephum & Benjaminum sustulit, Gen. c. 29. v. 6. Sic autem dicta est, vel ob mansuetudinem, quemadmodum Quintus Fabius Maximus, *Ovicula à clementia morum*, appellatus est, apud Plinium, *l. de Viris illustr.* vel propter curam pecoris, *Gregem enim ipsa pascebat*, Gen. c. 29. v. 9. Ita Varro, *Res Rustic. l.* 2. *c.* 1. *Multa nomina*, inquit, *habemus ab utroque pecore, à majore & à minore: à minore, Porcius, Ovinius, Caprilius; sic à majore, Equitius, Taurus* &c. In *Lexico Cyrilli MS.* Ῥαχήλ, ἀμνὰς ἢ ποιμαίνουσα, *Rachel agna, vel pascens*, apud Sam. Bochartum, *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 43. Super sepulchrum ejus *statuam*, quæ *statua sepulchri Rachela* dicta est, statuisse legitur Jacobus, Gen. c. 35. v. 20. i. e. *columnam*, ut interpretatur Ambrosius. Illud enim in tumulis olim frequens. Unde 1. Maccab. c. 13. v. 27. Simon super monumenta Patris sui & fratrum, *statuisse septem Pyramidas & circumposuisse columnas magnas, quibus ad æternum nomen eorum arma imposita*, legitur. Sic, in sepulchro Toxaris, *super columnam vir ornatu Scythicô* sculptus fuit, apud Lucianum, *in Hospite*: in Isocratis, Siren cippo imposita stetit &c. Triplex enim earum in sepulchris usus, vel ut fulcirent aliquid, vel ut cadavera intra se continerent, vel ut simpliciter illa exornarent. Sustinebant autem vel ardentes lucernas, vel arma defunctorum, aut illorum iconas; frequenter apud Gentiles Mercurii in illis imago visebatur: in columna Diogenis sepulchrali, canis è Pario marmore excubabat. Aliquando ipsa intra se continebant cadavera, ut Dio Cassius, ubi de Domitiano, habet. Nonnunquam nuda erant ornamenta, qualis illa Rachelæ. Vide Fortun. Licetum, *de Lucernis antiqq. l.* 6. *c.* 6. *ubi multa præclara de Columnis Sepulchralibus*.

RACHELSPURGUM, seu RACLITANUM, urbs Stiriæ inferioris ad Muram fluv. permunita, 4. leuc. à confinio Ungariæ in Occasum, 6. à Græcio in Ortum, sub Austriacis.

RACHEMBURGII, item REGENBURGII, vulgò RACHENBURGERS, Judices erant apud Salicos Ripuarios nonnullosque alios Germaniæ populos, Comiti in curia sua, quam *Mallum* vocabant, assidentes, & in rebus pluribus semper adjuncti: Numerò non definiti, plerumque tamen septeni. An quasi *Sagibarones*, mutatò *S. in R.* ut sit *Racha*, pro *Sacha*. Vide Alex. ab Alex. *p.* 34. Dicti à German. *Racha*, hodie *Racht*, i. e. causa, res, argumentum: unde *Rachten*, causam agere, & *Burgus* civitas, quasi causarum civitatis judices. Aliis quasi Rectores civitatis, à prisco Saxonico *Raccen*, regere: Bignonio iidem cum Scabinis videntur. Vide illum, & Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

RACHESIS, in locum Hildebrandi, Langobardorum in Italia Rex XIX. electus, cùm contra fœdus provinciam Romanam vexaret, Zachariæ Pontificis oratione motus, non solùm humi prostratus, eum adoravit, sed unà cum filio & uxore cœnobium ingressus est, A. C. 752. alii 750. quod tum à Carolomanno quoque, Childerico, sed invito, aliisque factitatum. Successit frater Aistulphus, qui Exarchatui finem imposuit. Vide *Rachis*.

RACHIS, Foro-Julii Dux, fil. Remnonis, in locum Aldebrandi seu Hildebrandi, quem vide, nepotis Luitprandi, Longobardorum Rex electus, A. C. 744. Perusium obsedit, A. C. 750. precibus Zachariæ Pontificis inde aversus. Posteà in gratiam Aistulphi fratris regnô se abdicavit. Paul. Diaconus, *Histor. Langobard.* Vide *Rachesis*.

RACILIA, uxor fuit L. Quintii Cincinnati. Hæc togam properè è tugurio viro postulanti prætulit: cùm mandata Senatus, togatus ut audiret, rogaretur à Legatis, qui tum operi agresti intentum, nomine Senatus salutabant, Tit. Liv. *l.* 3. *c.* 26.

RACILIA, primâ nocte cum marito, in conjugali amplexu, ruinâ thalami extincta. Vide *Inscript. Antiq. p.* 268.

RACILIUS, Tribun. plebis, qui de Clodianis facinoribus questus est in Senatu. Cicer. *in Epist. ad Qu. fratrem.*

RACILIUS Volso, vide *Lucius*.

RACONICUM, urbs Bohemiæ, prope Mizam fluv. 7. milliar. German. à Praga in Occasum, Egram versus 13. & 7. à Litomeritio in Meridiem.

de RADA Johannes, vide *Johannes*.

RADACOPHANUM, oppid. agri Senensis, versus montem Tuniatum, in monte excelso, cum arce permunita, sub Magno Duce Hetruriæ, 7. milliar. à confinio ditionis Pontific. Aliàs *Castrum S. Petri*; à Friderico I. extructum; *Radicofani*.

RADAGISUS, Scytha, Gothorum Rex, A. C. 405. cum immenso exercitu Italiam ingressus, omnia longè lateque vastavit: cui Honorius se imparem sentiens, alios Gothos Hunnosque, sub Haldino & Saruso, conducere necesse habuit. Sed, antequàm ad manus ventum, Radagisus panicô terrore consternatus, quâ venerat, rediit, in fuga amissis captisque suis, tantô numerô, ut gregatim venderentur, occisus. Prosper & Marcellin. *in Chron.* Augustin. *Serm.* 29. *in Luc. & l.* 5. *de Civ. Dei*, *c.* 23. Oros. *l.* 7. *c.* 37.

RADALUS, Dux auxiliaris Persæ, contra Aeæten, frater Fidonis, apud Val. Flacc. *l.* 6. *Argon. v.* 70.

RADAUNUS seu RODAUNUS, amnis Germaniæ, qui, Dantiscum præterlapsus, sub ipsis oppidi mœnibus, tertiò à mari milliari in Vistulam fluv. influit. Ἠριδανὸν, judice *Cluveriò*, vocat Herodotus, qui ait, in extremis Europæ finibus, Ἠριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον, ἀπὸ τοῦ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾶν λόγος ἐστί, *fluvium quendam, Eridanum nomine, in Septentrionalem Oceanum exire, unde electrum venire fama est.* Nempe Græcos, vocis barbaræ sonum emollientes, ex *Radauno*, vult *Eridanum* fecisse, quod Attici fluvio nomen fuit. Atque id quidem poterat ferri. Sed in eo errârunt longè graviùs Veteres, quòd flumen Germanicum è Venedico sinu in Veneticum transtulerunt. Quid quòd Veneticum illud flumen asserit Philostratus, *in Phaëth.* ἀπάγειν τοῖς ἐν Ὠκεανῷ βαρβάροις τὰ τῶν αἰγείρων ψήγματα, *deferre ad barbaros Oceani accolas populorum ramenta*, i. e. electrum, quòd Phaëtontis sorores in arbores populos mutatas, lachrymas fundere finxerunt. Sic apud Apollonium, *Argonautic. l.* 4. Rhodanus, cum Eridano, fluvio electrifero, confluens,

——— τῇ μέν τ' ἐσερεύγεται ἀκτὰς
Ὠκεανοῦ, τῇ δ' αὖτε μετ' Ἰονίην ἅλα βάλλει,
Τῇ δ' ἐπὶ Σαρδόνιον πέλαγος, καὶ ἀπείρονα κόλπον,
Ἑπτὰ διὰ στομάτων ἱεὶς ῥόον ———
——— *magno hinc se murmure miscet*
Oceano, Ioniaque illinc defertur in ora
Littora, Sardoumque aliunde per ostia septem
In mare præcipites fluctus ———

Ad quæ verba *Scholiastes*, Ῥοδανὸς ποταμὸς τῆς Κελτικῆς τῷ Ἠριδανῷ συμμιγνύμενος καὶ σχιζόμενος, τῇ μὲν εἰς Ὠκεανὸν φέρεται· τῇ δὲ, εἰς τὸν Ἰόνιον κόλπον, τῇ δὲ εἰς τὸ Σαρδόνιον πέλαγος. Quod idem est, ac si *Rodanum* & Vistulam, Germaniæ fluvios, in Oceanum, Eridanum Italiæ in Ionii maris partem Adriam, & Rhodanum Galliæ, in Sardorum mare exeuntes, in unum compegisset. Quam fabulam ex parte Dioscorides sequitur, ex quo Avicenna, *l.* 2. *cap. de nuce Rom.* hæc habet, *Dicitur populus Romana crescere ad fluvium, Eridanum nomine, & ex illa arbore gummi fluere, quod, quamprimùm exiit, prope amnem illum concrescit & hoc esse, quod à Græcorum aliis* ἤλεκτρον, *ab aliis* χρυσοφόρον *& à nobis carabe* &c. Quæ omnia non nisi de *Radauno* Germaniæ; ubi ambarum seu succinum, intelligi possunt. Quamvis enim alibi quoque succinum proveniat, Germanici tamen succini, quod in mari Balthico, in Æstiis, circa Dantiscum & Regiomontem colligitur, ea est copia & nobilitas, ut aliorum famam facilè obscuret. Unde è Veterib. non pauci, præter Germanicum, succinum aliud nullum agnoscunt, Tacitus, *de Mor. Germ. c.* 45. Cassiodorus, *Variar. l.* 5. *Epist.* 2. Diodorus, Alii. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 6. *c.* 15. & hic passim, inprimis in vocibus *Ambarum* & *Succinum*.

FRISONUM REGES:

RADBODUS I. Frisonum Rex, post Adgillum Patrem, A. 679. regnavit Ann. 40.

RADBODUS II. successit A. C. 749. fratri Gundewaldo, per Ann. 26. *Annales Frisii.*

RADBODUS, Episcopus Ultrajectinus, nepos Frisonum Regis, in aula Caroli Simplicis educatus, ibi Nannonem, celebrem ejus ævi Philosophum, Præceptorem nactus est. Ab Arnolpho Imperatore invitus infulâ donatus, Daventriæ plerunque, quòd Ultrajectum Danorum incursionibus pateret, commoratus est. Obiit A. C. 917. Scripsit *vitas aliquot Sanctorum.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 39. Trithemius, *de Script. Eccl. & l.* 2. *c.* 38. *ac l.* 3. *c.* 255. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Joh. Beka & Guil. Heda. *de Episc. Ultraj.*

RADCLIFFUS Radulphus, vide *Radulphus*.

RADDAI, quintus filius Isai., 1. Paral. *c.* 2. *v.* 14. Latinè, *descendens*, vel *dominans*.

RADEGONDIS, Galliæ Regina, formâ & virtute inclyta. Filia fuit Berthani, Thuringiæ Regis à Clothario I. abducta, bellò, quod cum Childeberto gessit. Singulis annis solita legitur, integrum mensem in angusto & abjecto loco ad Deum preces fundere, A. C. 587. *Gregor. Turonens. Fortunatus*, &c.

RADENDI genas ritus, olim in funeribus à sequiore usurpatus sexu, à Solone apud Athenienses, atque hinc à Decemviris apud Romanos sublatus est: Ita enim XII. Tabb. *Mulieres genas ne radunto: neve lessum funeris ergò habento*, de quo more sic Servius, *ad illud Æn. l.* 12. *v.* 606.

Et roseas laniata genas.

Moris, inquit, *fuerat, ut ante rogos humanus sanguis effunderetur, vel captivorum, vel Gladiatorum: quorum si fortè copia non esset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis imago illa restitueretur.* Quid autem sit, *Radere genas*, explicat Festus, *unguibus eas cruentare & scindere.* Quod quanquam hâc lege vetitum esset, tamen id Varronis temporibus etiam factum fuisse, docet ex Servianis schedis Josephus Scaliger, *Castigat. ad Festum*, ubi eum sic scribentem adducit Servius: *Varro dicit, Mulieres in exequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostensô Inferis satisfaciant.* Adrianus Junius, *Comm. de Coma, c.* 2. XII. Tabb. interdictô, *ne Mulieres genas raderent*, cautum fuisse, ne diutinô *radendi* usu succrescentibus pilis, à natura non datis, sub ementito virilis oris honore fallerent, contendit: Sed assensum non impetrat, Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 6. Ἀμυχὰς κόπτεσθαι, id reddit Plut. *in Solone* &c. Caput verò *radebant*, è naufragio emersi. Juvenalis, *Sat.* 12. *v.* 81.

——— ——— *Gaudent ibi vertice raso*
Garrula securi narrare pericula nautæ.

Ad quorum similitudinem, servi qui manumittebantur, tanquam è servitutis fluctibus liberati, *radebantur*, teste Noniô in voce *Pileus:* sicque *rasis* Pileus imponebatur, vulgata apud Romanos libertatis tessera. Unde votum mancipii, apud Plautum, *Amphitruone, Actu* 1. *Sc.* 1. *v. ult.*

——— ——— *Quod ille faciat Jupiter,*
Ut ego hodie rasô capite calvus capiam pileum.

Hinc quoque Prusias Rex apud Diodorum, ut se Romanorum profiteretur Libertum, Legatis eorum *rasô* capite & pileatus occurrisse legitur. Contrà, quos in servitutem asserere volebant Græci, eorum *radebant* capita, Appulejus, *Milesiar. l.* 6. Briseis ad Achillem, *in Ep.* 3. *Ovidianæ Heroid. v.* 79.

Neve meos coram scindi patiare capillos &c.

Ipsi enim promissas alebant comas, καρηκομόωντες propterea toties Principi Poetarum dicti: Neque hunc capillum, nisi urgente maximô periculô exuebant, Petron. *Sat. p.* 60. Similiter victi Duces, apud Romanos, in signum servitutis, *radebantur:* veteresque olim Romani, Franci, Gothi, ut de Græcis diximus, intonsi fuêre. Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Joh. Rosin. Antiqq. Rom. l.* 10. etiam *rasa* Mimorum & γελωτοποιῶν Capita. Arnob. *adv. Gentes, l.* 7. *Delectantur, ut res est, stupidorum capitibus rasis.* Unde μωρὸς φαλακρὸς crebrò apud Epigrammatarios. Artemidorus, Ὀνειροκρ. *l.* 1. *c.* 22. ξυρᾶσθαι δὲ δοκεῖν τὴν κεφαλὴν ὅλην, πλὴν Αἰγυπτίων θεῶν ἱερεῦσι καὶ γελωτοποιοῖς καὶ τοῖς ἐξ ἔθους ἔχουσι ξυρᾶσθαι ἀγαθόν· πᾶσι δὲ τοῖς ἄλλοις πονηρόν. Vide quoque infrà *Stupidi*. *Pignorius*, Fossores, Ustores & Pistrinarios *semirasos* fuisse docet, fugitivos omnino *rasos*: Quem in finem exhibet antiquam æream icunculam Fossoris, in qua caput cœtera glabrum, nisi quà à vertice in occiput capilli, in geminum nodum constricti, dependere videntur. Unde & Cyprianus, *Ep.* 77. *ad Martyres in metallo constitutos, Semitonsi capitis capillus horrescit, sed cùm sit caput Christus, qualecunque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini insigne est.* Vide quoque Artemidorum, *Onirocr. l.* 1. *c.* 22. Columellam, *l.* 11. *c.* 1. Catullum, Appulejum, Petronium & Æneam *in Tacticis*, apud modò laudatum Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, ut & infrà in voce *Tondeo*, nec non retro ubi de *Capillis*, & voce *Mesocuros*. Sed & *Radere* Tornatorum est & Cælatorum; *radunt* enim utrique. Poeta, *l.* 2. *Georg. v.* 449.

——— *Ex torno rasile buxum*:

cùm *terere* omnium commune sit, Tornatorum, Sculptorum, Cælatorum & Rasorum. Græci γλύψαι & ξύσαι dicunt. Verùm propriè loquendo, ξύσαι vel ξέσαι, γλύψαι & τορνῶσαι differunt: Rasoresque ac Interrasores à Cælatoribus ac Tornatoribus sunt diversi, ut suô locô videre est. Porrò & in nauticis apud Poëtas vox frequens. Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 300:

Hinc altas cautes, projectaque saxa Pachyni
Radimus ———

Et *l.* 7. *Æn. v.* 10.

Proxima Circeæ raduntur *littora terræ.*

Val. Flaccus, *l.* 5. *v.* 107.

——— ——— *alta Carambis*
Raditur, *& magna pelago tremit umbra Sinopes.*

Papinius Statius, *Achilleid. l.* 2. *v.* 3. Alii: ubi semper vicinitas loci intertur, & *radi* dicitur, prope quod navis devehitur. Hinc de columba, aerem sulcante, idem modò laudatus Maro, *l.* 5. *Æn. v.* 216.

——— *mox aëre lapsa quietô*
Radit *iter liquidum* &c.

Imò & *radi* dicta Tellus Romanis, quum occabatur, uti diximus suprà, voce *Polire.*

RADESIA, vulgò RETZ, tractus Britanniæ minoris in provinc. Nannetensi, & limite Pictavensi, cum titulo Ducatus, ubi oppid. præcipuum Machicolium, versus ostia Ligeris, in Oceanum Aquitanicum.

RADEVERUM, vicus Galliæ in agro Bajocassino, vulgò *Raviers*: clarus olim Monasteriô cognomine, quod pridem dirutum est, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RADEVICUS, Canonicus Frisingensis, Sacellanus & amicus Ottonis Episcopi. Hujus vitæ Friderici Barbarossæ libros duos superaddidit. Sed illô ante Ottonem mortuô, alius quidam illam continuavit. Ab an. 1160. usque ad 1190. Addita quoque Epistola, de itinere Friderici sacro. Bellarmin. *de Scriptor. Eccles.* Possevin. *in Appar.*

RADIANTIA, fluv. Franconiæ, *Rednitz.* Oritur in limite Palatinatus superioris prope Visseburgum; dein aliquot auctus amnibus, prope Norimbergam, recipit Pegnitium; hinc per ditionem Bambergensem fluens, paulò infra Bambergam Mœno miscetur.

RADIANTIA, etiam *Pegnesus* fluv. dictus est.

RADIATUS, apud Treb. Pollionem, *in Gallienis, c.* 16. *Crinibus suis auri scobem aspersit*, radiatus *sæpe processit*; idem est ac cinctus coronâ radiatâ, quæ Numinum propria: quorum imitatione Principes Romani id capitis decus assumserunt. Certè C. Julii Cæs. simulachrum *crinitis sideris* ——— *insigni in Foro consecratum* est, apud Plinium, *l.* 2. *c.* 25. Unde coronam ei stellatam tribuit Silius, *l.* 13. fortè Jovis exemplô, quem Lycophron, in Pleiade Lyricorum celeberrimus, Κρήτης ἀστέρων ἀρχηλάτην, *Cretæ Imperatorem stellatum*, vocat *in Cassandra*: vide quoque suprà voce *Juno.* Sed & Latino Regi *tempora circùm Auratos bis sex radios* Virgilius adscribit, *l.* 12. *Æn. v.* 162. Certè istiusmodi στεφάνῳ ἀκτινωτῷ, *coronâ radiatâ*, præter lauream, mirè Romani Principes delectati sunt, omni diadematum genere abstinentes, usque ad Aurelianum, qui primus *diadema capiti innexuit, gemmisque & auratâ omni veste, quod adhuc incognitum ferè Romanis moribus videbatur, usus est*, Victor *in eo.* Hodie laureas coronas Principes retinuerunt; *radiatam* vix quisquam, præter Magnum Hetruriæ Ducem, usurpat &c. Quam in rem vide Car. Paschalium, *Coronar. l.* 9. *c.* 13. & infrà in voce *Umbella.* Aliter Carmelitæ Monachi olim *Radiati* dicti sunt, quòd videl. vestibus radiatis, quæ ex panno segmentis versicoloribus distinctô conficiebantur, uterentur. Vetus *Scheda*, ex Bibl. Cottoniana, editâ *initiô Tom. I. Monastici Anglic. A. C.* 1045. *Albertus Patriarcha fecit regulam fratribus, qui Stragulati*, Radiati, *Birrati vocabantur. Et ex pòst annô Christi* 1279. *Martinus Papa ad instantiam dictorum fratrum & nomen eorum mutavit & habitum, convertens vestes stragulatas in capas albas, dans eis nomen novum vocans eos videlicet Carmelitas*, apud Car. du Fresne, *in Glossar.*

de RADICE Johannes, vide *Johannes.*

RADICULA, Græcè Ῥίζιον, absolutè, aliter Συριακὸν ἄνθος, quòd in Syria tantùm nasceretur, φῦκος & χαμαίζηλος nomine veteribus Græcis nota fuit, quòd ex ea mulieres genis rubrô fucandis medicamentum conficerent. Plin. *l.* 19. *c.* 3. *Trans Euphratem laudatissima, caule ferulaceô, tenui, & ipso cibis indigenarum expetitô & tingenti quidquid sit, cum quo decoquatur.* Ubi tamen *Radiculam* malè confundit cum *struthio* seu radice lanaria, quam hodie *Saponariam* vocant; hæc enim minimè βαφικὴ est, & candorem tantùm lanis, non fucum, conciliat. Meliori jure Græcus Auctor hanc *Radiculam* cum *rubia* confundit, quia utraque radix tingit; quamvis & à rubia terrestre hoc φῦκος fuerit diversum. Interim φῦκος tam marinum, quò lanæ tingebantur, quàm terrestre ex Syriaca hac Radicula, quò genas fucabant mulieres, rubrum fuit ac puniceum. Unde παραφυκισμὸς & ψιμυθισμὸς Clementi Alex. & Plutarcho γυναῖκες φυκούμεναι τε καὶ ψιμυθιζόμεναι. Salmas. *ad Solin. p.* 1162. ut & *seqq.* & suprà in voce *Phucarium.*

RADIPONS, Castrum olim Galliæ nobile, ad Indellam fluv. in Veliocassibus diœcesique Rotomagensi, proximum Floriaco *Fleury.* Hoc expugnavit Philippus Augustus A. C. 1202. Vulgò *Rasepont*, prope castrum Gaillardum, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RADIS, insula sinus Aquitanici, vulgò *l'Isle de Ré.* Undecim circiter vicos continet, quos inter eminet Abbatia, *l'Abbaye*, à Duce Aquitanorum Hunoldo A. C. 744. post nonum principatus sui annum, extructa, & magnus vicus S. Martini, munimentô & adcyrobolio ejusdem nominis notabilis; quorum alterum *Fort S. Martin*, alterum *Rade St. Martin* dicitur. Mare, quô *Radis* alluitur, nautis mare Ferum, aut Silvaticum, *la mer Sauvage* appellatur. Est autem illa, ut & Uliarus, insula in finibus Santonum: ex quibus Olario diœcesi Santonicâ hodieque continetur, at Radis ei detracta est, postquam Malliacensis Episcopatus Rupellam est translatus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RADIUS, apud Virgilium, de Conone & Archimede, *Ecl.* 3. *v.* 41.

In medio duo signa, Conon: & quis fuit alter,
Descripsit totum radio *qui gentibus orbem:*

Servio, est *virga Philosophorum, quâ Geometræ lineas indicant. Inventa autem hæc Ars est tempore, quô Nilus plus æquô crescens confudit terminos possessionum, ad quos innovandos adhibiti sunt Philosophi, qui lineis diviserunt agros. Inde Geometria dicitur, cùm non tantùm terræ, sed & maris & cœli & aëris, spatia metiri consueverit.* Sed quid ille *radius* facit, quô lineas in abaco ductas indicant Geometræ, ad spatia cœli metanda? Virgâ quoque sive *radiô* circuli in sphæra solida, quam κρικωτὴν dixerunt, indicantur. Marcianus Capella, *de Astronomia, Et cum dicto prospicit quandam fœminam luculentam*, radium *dextrâ, alterâ sphæram solidam, gestantem.* Verùm nec hic *radius* siderum intervallis ac magnitudinibus signandis valet. *Totum* nempe *Orbem*, pro Cœlo Poëta dixit, ut *l.* 3. *Æn. v.* 512. Idem.

Nec dum orbem medium nox horis acta subibat.

I. e. cœlum medium. Et *medium cœli orbem*, *l.* 8. *Æn. v.* 97.

Sol medium cœli conscenderat igneus orbem.

Descripsit autem Archimedes *totum Orbem radiô*, quum totum Cœlum descripsit, qui descriptus radiô possit indicari. Nec enim hic *Radius*, diopticum organum, sed *Radius Mathematicus.* Cicero, *ex radio & pulvere excitare.* Atque hæc Cœli descriptio Archimedea ad parapegmatum disciplinam referenda est, de qua vide *suprà.* Ovidius hoc, *metari cœlum* dixit, *l.* 1. *Fast. v.* 309.

Nos quoque sub Ducibus cœlum metabimur istis,
Ponemusque vagos ad sua signa dies.

Leon Philos. μετρεῖν πόλον,

Πρόκλος μὲν τὴν γῆν, ὁ Θέων μετρεῖ πόλον
Proclus quidem terram, sed Theon metitur polum.

Qui terram metabantur, etiam metiebantur, & *Mensores Metatoresque* iidem; metam namque vocabant, unde auspicabantur metiri &c. Salmas. *ad Solin. p.* 821. & *seqq.*

RADIX Pontica, vide infrà *Rha.*

RADNORIA, provinc. seu Comitatus Angliæ in Wallia Meridionali inter Herefordiam & Salopiam ad Ortum, & Cereticam Brechochiamque ad Occidentem parvi circuitus. Cum urbecula cognomine, quæ ad amnem *Somegill*, 15. milliar. Angl. ab Herefordia in Circium, & 20. à Salopio in Meridiem abest.

RADOLIUM, Monasterium Galliæ, ad Matronam, in Meldis, sesquimilliari distans à Monasterio Jotro, vulgò *Reuil*: hodieque Cluniacensis Ordinis Prioratus. Hoc Rado, frater Adonis & Dadonis, Dagoberti Thesaurarius, condidit, si fidem Aimoinus & Sigebertus merentur. Petri & Pauli patrociniô gloriatur, estque Caritati subjectum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RADOMIA, oppid. amplum Sandomiriensis Palatinatus in Polonia superiore 20. leuc. Polonic. à Varsavia in Meridiem Sandomiriam versus 15. circiter. Caput territorii adjacentis.

RADTZIVILIUS Nicolaus, Palatinus Vilnensis, Euangelium amplexus, in aula sua Fano S. Johannis opposita sacris locum concessit: Fautor literatorum: Apostasiæ à Lippomano Pontifice Legato accusatus, doctâ apologiâ ei respondit. Vide Chytr. *Saxon. l.* 11. Joach. Bielscium *in Chron. l.* 5. Missus à Sigismundo August. juramentum fidelitatis à Valthero Plettembergio Ordinis Livonici M. Magistro exegit, privilegiique & religionis Augustanæ usu confirmatô eum Ducem Curlandiæ & Semigalliæ pronuntiavit, A. C. 1561. mox Moscum talia ægrè ferentem, magnâ clade affecit, A. C. 1564. *Lætus.*

RADTZIVILIUS Christophorus, Palatinus itidem Vilnensis, templô celeberrimô in urbe, Euangelicis hostium fraude ereptô, exercitiôque in suburbium relegatô, novam Ecclesiam erexit: Vir arte & Marte summus, obiit A. C. 1640. seniô curisque confectus. Lætus, *Comp. Hist. Univ.*

RADULPHUS, Flaviacensis Monachus, in diœcesi Bellovacensi, obiit, A. C. 1157. Scripsit *libros* 20. *in Leviticum*, &c. Alberic. *in Chron.* Trithemius & Bellarmin. *de Scriptorib. Eccles. Possevinus, Sixtus Sen. Eisingrenius, Miræus*, &c.

RADULPHUS, cognomentô *de Rivo*, Decanus Tungrensis, seculô 14. Theologiæ, Juris Canonici & Linguarum probè sciens. Scripsit *de Canonum observantia, de Psalterio observando, Historiam Episcoporum Leodicensium, Calendarium Eccles. &c.* Valer. Andr. *Biblioth. Belgic.* Obiit A. C. 1403. *Possevinus, Miræus*, &c.

RADULPHUS Actonus, Presbyter Anglus, A. C. 1320. scripsit *in Epistolas Paulinas, in Magistrum Sententiarum Homilias*, &c. Lelandus & Pitsæus, *de Scriptor. Angl.*

RADULPHUS de S. Albano, Abbas Benedictinus Anglus, scripsit A. C. 1150. *vitam S. Albani & Alexandri M.* Pitsæus *de Scriptor. Angl.*

RADULPHUS Ardentius, Picto, eruditione inclytus, A. C. 1101.

RADULPHUS Baldocus, Episcopus Londinensis, A. C. 1313. Auctor *Historiæ Anglicæ*.

RADULPHUS Bockingus, Dominicanus, A. C. 1270.

RADULPHUS Coggeshalus, Cisterciensis, A. C. 1228. Scripsit *Chronicon Terræ sanctæ*, &c.

RADULPHUS de Diceto, Decanus Londinensis, A. C. 1210. Scripsit *de Synodis, de Temporibus mundi, de Regibus Anglorum*, &c.

RADULPHUS Eleemosynarius, Benedictinus, A. C. 1160. *Homiliarum* Scriptor.

RADULPHUS de Fresburno, itinere in Orientem susceptô, Carmelitas in Angliam introduxit. Scripsit varia A. C. 1240.

RADULPHUS Marrhamus, Augustinianus. Condidit A. C. 1380. *Manipulum Chronicorum*.

RADULPHUS Niger, Auctor variorum Operum Historicorum, A. C. 1217.

RADULPHUS Radclissus, A. C. 1551. Grammaticus eruditissimus.

RADULPHUS Rediptor, Franciscanus; A. C. 1350. Scriptis celebris.

RADULPHUS Schirwinus, Presbyter Anglus, linguarum peritus.

RADULPHUS Spaldingius, Carmelita. Scripsit *Determinationes S. Scripturæ*.

RADULPHUS Strodus, Poëta, A. C. 1370. *Itinerarii Terræ S.* auctor, &c. Omnes laudati Pitsæo, *de Scriptor. Angl.* Vide *Rodolphus*.

RADUSIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

RÆTIA, vide RHÆTIA.

RÆTIARIA, Mysiæ superioris oppid. *Ptolem.* *Nicopoli Nigro.* Aliàs Daciæ Ripensis Metropolis, nunc etiam *Arezar* Bulgaris.

RAGA, urbs Mediæ fuit, in Atropatiana regione & ora maris Caspii, prope Sinum Caspium, versus confinia Hyrcaniæ, 100. circiter mill. pass. ab Arsacia in Boream & 140. ab Ecbatanis in Ortum, forsan nunc *Rasi*.

RAGABA, castrum ultra Jordanem, in Gerasinorum finibus situm, in tribu Manasse, quod Alexander Jannæus, Judæorum Rex, obsidens, naturæ concessit. Joseph. *l.* 13. *Jud. Ant. c.* 21.

RAGAU, fil. Phaleg. 1. Paral. *c.* 1. *v.* 25. qui *Reu*, Gen. *c.* 11. *v.* 19. Latinè *socius*, aut *pastor*, *malum*, vel *confractio ejus*.

RAGEJA, Mediæ oppid. à Nicanore conditum, *Strab.* Vide Bochart. *Geograph. p.* 106.

RAGES, civitas apud Medos. Tobiæ *c.* 1. *v.* 16.

RAGINBERTUS, Dux Taurinensis, Luitperto adhuc infanti, regnum Longobardorum eripuit, A. C. 701. ab Ariperto II. tertiò pòst mense depulsus. Paul. Diaconus, *Histor. Long. l.* 6. *c.* 18. Unde nonnullis in serie illorum Regum non collocatur. Item Abbas Floriacensis, A. C. 660. Auctor *Vitæ S. Walarici*, &c.

RAGINERUS I. fil. Giselberti, Mansuariæ Comitis, generi Lotharii Imperatoris, celebris Lotharingiæ Ducis, itidem Gisilberti (quem cùm Carolus Simplex Galliæ Rex pepulisset, restituit socer Henricus Imperator) pater, Hasbaniæ & Hainaci Dux fuit: Eòdem geniti sunt, Lambertus Comes Lovaniensis, Baldericus Episcopus Leodicensis, &

RAGINERUS II. cognomine *Longicollus*, quem Bruno Archiepiscopus Coloniensis, Dux Lotharingiæ, expulit. Hujus, & Adelæ Dagsburgiæ, filii, aliter *Raginerus* IV. Hannoniam recuperavit, & ad filium *Raginerum* V. (à cujus filia Richildi maritus ejus Balduinus Comes Flandriæ Comitatum nactus est suisque junxit) transmisit: sed alter, Lambertus dictus *Barbatus*, Lovaniensem Comitatum ex hæreditate propioris sobrini Ansfridi, qui dein Episcop. Ultrajectinus, obtinuit, prœlioque ad Florinas, adversus Godofredum Gibbosum, commissô A. C. 1015. cecidit. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syllog. Geneal. Historica. in Famil. Hassiaca.*

RAGLORIUS, apud Wallos, idem quod Præfectus. Vide Seldenum, *de Titulis Honorar. p.* 597.

S. RAGNEBERTI oppid. Segusianorum, ad Ligerim, olim *Occiacum*, ponte ac Monasteriô illustre, vulgò *S. Ramberti*. Fuit Radeberti, provinciarum inter Ligerim & Sequanam Ducis fil. Ebroini jussu occisus. Item oppid. Brexiæ, 3. leucis à Rhodano, ad amniculum, qui Indim auget, olim *Vallis Variromna* dictum. In ipso agri Lugdunensis montisque Juræ confinio, in eremo, cum Monasterio. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Prius *S. Rambert en Forès*; posterius *S. Rambert de Bougy*, Gallis, olim *Brede* quoque, apud Henricum Valesium.

RAGNITIA, urbs Prussiæ Ducalis ad Rusnam fluvium, in limite Samogitiæ & Sclavoniæ tractu, 16. leucis Polon. à Regiomonte in Ortum. Sub Electore Brandeb.

RAGONIUS Clarus, Præfectus Illyrici & Galliarum, sub Valeriano, cujus ad illum Epistolam *Vitæ Balistæ* inseruit Pollio, *c.* 18.

RAGONIUS Lucius, vide *Lucius*.

PRINCIPES TRANSYLVANIÆ.

RAGOZIUS seu RACOZIUS Georgius I. Princeps Pacificus & egregius, successit Betleemo Gabori, A. C. 1619. postquàm præcedente annô Moravis Bohemisque exulibus, in ditione Racoboviensi & Ledniceensi, in Ungaria, locum benignè concessisset. Quò proin tam ex Baronum, Nobilium Plebejorumque, quàm Ecclesiastico ordine, innumeri sese receperunt. Ecclesiasticorum capita tum Henricus Euanovius, Paulus Hladicius, Joannes Chodnicius, Matthias Polydorus, Tobias Junius, Consenior es: cui cœtui, post Lanecji obitum, Senior datus est Laurentius Justinus. Vide Joh. Lætum *ad annos prædictos*.

RAGOZIUS Georgius II. fil. prioris & successor, cùm bello Suedico-Polono fortiter magis, quàm prudenter, se immiscuisset, cæsus à Polonis, & à Turcis (quorum Sultana tum Polona fuerat) Principatu pulsus est, A. C. 1658. Cui post varias rerum vices successit Joannes Kemenius, qui, exercitûs Rakoziani in Polonia Generalis, inde in carcere Crimensi aliquandiu fuerat detentus. Hunc verò excepit Michaël Apafius A. C. 1661. qui hodieque Principatum tenet. Vide Georg. Hornium, *in Orbe Polit.* & Auctorem Anonymum, *Histor. Orbis Terrar. c.* 9. *ubi de Regno Hungariæ*.

RAGUEL, sacerdos in urbe Madian, socer Mosis, Exod. *c.* 2. *v.* 19. qui Exod. *c.* 3. *v.* 1. *Jethro* dicitur. Latinè, *pastor*, *amicus*, aut *confractio Dei*. Vide *Jethro*.

RAGUEL, pater Saræ, uxoris Tobiæ junioris, Tobiæ, *c.* 6. *v.* 12.

RAGUEL, Cordubensis, scripsit *vitam S. Pelagii Martyris*. A. C. 925. Ambrosius Moralis edidit, *T.* 4. *Script. Hispan.*

RAGUNDONA, *Antonin.* *Rohitsch Lazio*, oppid. olim nunc pagus cum cœnobio Pannoniæ superioris in Stiria, medius inter Celejam & Pœtovionem, 18. mill. pass.

RAGUSEUS Georgius, vide *Georgius*.

RAGUSIA, seu Ubi, Civitas libera Dalmatiæ; destructô Epidaurô, cujus rudera 6. milliar. inde in Ortum, vulgò *Ragusi vecchio*, ab Epidauritanis, in rupe maritima λᾶυ dicta conditum, unde *Lausium* primò. *Porphyrog.* Ferè tota conquassata est horrendô terræ motu, A. C. 1667. Cum arce munita, & portû in ora maris Adriatici, Emporium est celebre, & caput ditionis Ragusinæ, cujus longitudo major à Circio in Eurum est 60. mill. pass. sed latitudo vix 50. mill. pass. In qua etiam Stagnum, Hyllis peninsul. & Melita Insula in ora adjacenti. Amor libertatis efficit, ut Ducem singulis mensibus, & Præfectos singulis 6. hebdomadibus mutent: ut Nobiles gladios non gerant, neque foris insciô Magistratu pernoctent, portæ serò admodum aperiantur: ut Turcis, Venetis, Papæ, Imperatori, Hispano Regi tributa pendant, &c. Dalmatis *Dubrownick*. Sub clientela Turcarum.

de RAGUSIO Johannes, Episcopus Argentinensis, à Felice V. ob singularem eruditionem Cardinalis creatus, permultis Græcis codicibus chartaceisque suâ supellectile Bibliothecam Dominicanorum olim Basileæ auxit, qui thesaurus publico Universitatis armario illatus est, A. C. 1559. Christ. Urstis. *Epit. Hist. Basil.* Vide & *Johannes*.

RAHAB, vide RAAB.

RAHABIA, nomen viri, 1. Paral. *c.* 26. *v.* 25. Latinè, *latitudo*, vel *platea Domini*.

RAHALAJA, nomen viri, Esdr. 2. *v.* 2. Latinè, *super*, *socius*, vel *pastor Domini*.

RAHAM, nomen viri, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 9. Latinè *vulva*, sive *misericordia*.

RAHUEL, fil. Esau ex Balemath, Gen. *c.* 36. *v.* 4. Item fil. Jehaniæ, 1. Paral. *c.* 9. *v.* 8. Idem significat quod *Raguel*.

RAJA, fil. Esrom, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 2. Filius Jerameel, *ibid.* Latinè *excelsus*, *sublimis*, aut *projectus*.

RAJA seu ARGILLA, piscis ex mera cartilagine, exceptâ spinâ dorsi, absque ossibus & squamis, à natura compactus, formâ à reliquis piscibus planè diversus est: cùm omnibus suis partibus, exceptâ solâ modicâ caudulâ, quæ longa, tenuis, rotunda est, in planum corpus abeat, undique tenui pelliculâ, quæ subtus albicat, superiùs verò aliquantulum nigrescit, circumvestitus; pectibus caret, nec pinnis scatet, nisi in extremitate caudulæ, quibus se in quasvis partes natando flectit. A caudæ extremitate, usque ad corporis initium, in medio dorsi, acutissimorum aculeorum seriem habet, quæ etiam per totum corpus ad caput usque excurrit, sed ita diminuti, ac in medio dorsi sunt, ut potiùs noduli, quàm aculei, videantur. Caput itidem planum, nullô collô, eminens tamen quantum satis est. Oculos duos habet parvulos & rotundos, in superiori corporis parte, os verò latum ac denticulorum minimorum infinitâ serie instructum, quæ circa cartilagineam pellem in unum quasi ossiculum, multis denticulorum acuminibus refertum, concrescit. Corporis moles non eadem omnibus; sunt enim quos palmâ contegas, alii ad 2. & ultra palmos excrescunt in latitudinem, 3. & ultra, in longitudinem. Cujusmodi, sed factitios, nec descriptioni huic apprimè convenientes, servat Musæum Kircherianum Romæ, ut videre est in *Collegio Rom. Soc. Jesu*, *edito Amstelodami A.* C. 1678. *p.* 26. & 27. Quia verò pinnis *Raja* caret, ut quæ solô corporis flexu natat, hinc inter immundos pisces fuit in Vet. Testam. uti docet Bochartus, *Hieroz. Part. prior. l.* 1. *c.* 6. Cæterùm Oxyrynchum piscem, qui Oxyrynchitis, Ægypti populo, olim in veneratione erat, è *rajarum* genere esse, Hadr. Junius contendit, *Nomenclatore c. de Piscibus*, apud Jac. Ouzelium, *ad Minuc.*

RAIMOLANUS Jacobus, vide *Jacobus*.

RAIMUNDENSIS, dicta olim moneta Comitum Tolosæ, in Gallia, apud quos admodùm frequens *Raimundi* nomen fuit, (nam ad septem in eo stemmate recensentur) Occurrunt *Raimundenses solidi*, sub Henrico & Philippo I. Regibus Franciæ quod nomen, etiam extinctâ præfatorum Comitum stirpe, ipsoque Comitatu ad Regiam coronam devolutô, mansisse Tolosanæ monetæ, docet Car. du Fresne. Sed & sic dicta est mo-

neta Vicomitum Turenensium, apud quos Raimundi nomen non minus in frequenti usu fuit, cùm ad sex recenseantur hoc nomine insignes. In ejus facie altera crux, cum voce RAYMUNDUS, describitur; in altera binæ cruciculæ, cum voce TURENNE. Alia Vicecomitum Turenensium insignia præfert, cum voce RAYMUNDUS; in altera facie crucem, cum hisce characteribus, MON. VICECOM. apud Justellum *Histor. Turenn. l. 1. c. 14.* qui hasce monetas *Raimundo* I. Vice-Comiti, qui expeditioni Hierosolymitanæ interfuerat, adscribit. Sed non assentitur Vir eruditus prædictus, cùm familiarum insignia monetis eâ tempestate, quâ & fortè neque fixa erant, nondum apponi consueverint. Ejusdem fuisse ponderis, quo Caducensis, & 20. solidos cum semisse confecisse Raimondensem Marcam, idem docet in *Glossario.* Vide quoque eum *in Appendice.*

RAIMUNDUS I. dictus Berengarius & Arnolphus, Comes Provinciæ, etiam quartus hujus nominis Barcinonis Comes fuit. *Raimundus I.* enim Borellus, regnavit. Ann. 24. Pater Berengarii Borelli. Hic genuit, *Raimundum II.* Senior. qui regnavit Ann. 41. *Raimundus III.* Junior. huic successit: Pater *Raimundi IV.* Arnolphi. qui Comes Provinciæ evasit, ductâ Dulci, filiâ & hærede Gilberti Felicis. Obiit A. C. 1131.

RAIMUNDUS Berengarius II. Senior obiit A. C. 1162. cum ipsi ejus dubium faceret nepos.

RAIMUNDUS III. Junior occisus Nicææ, A. C. 1156.

RAIMUNDUS IV. Comes Provinciæ, donatione Ildefonsi fratris.

RAIMUNDUS Berengarius V. fortitudine & prudentiâ, apud omnes sui seculi Principes, inclytus. In bello contra Albigenses notus. Coercuit Proceres quosdam rebelles, & civitates nonnullas ad obsequium redegit. Obiit A. C. 1245. Ex Beatrice Sabaudica, pater Ludovicæ, quæ nupsit Ludovico IX. Eleonoræ, quæ Henrico III. Angliæ Regi, Sanctæ, quæ Richardo Imperatori junctâ est, & Beatricis Comitis Prov. quæ Caroli I. Andegav. Neapol. Hierosolym. & Siciliæ uxor fuit. Zurita *l. 1. & seqq.* Nostradamus & Bouchæus, *Hist. Prov.* Rufius, *Hist. Com. Prov. &c.*

RAIMUNDUS I. Comes & Marchio Tolosanus, A. C. 855. à Carolo Calvo creatus. Obiit A. C. 863. Pater Bernardi II.

RAIMUNDUS II. fil. Eudis, pater *Raimundi III.* Pontii.

RAIMUNDUS IV. S. Ægidii dictus, fil. Pontii II. aut III. Obiit in obsidione Tripolis, A. C. 1105.

RAIMUNDUS V. patri Alphonso successit: contra Henricum II. Anglum, propter Tolosam, à Ludovico Junior Rege defensus. Obiit Nemausi. A. C. 1194. Pater ex Constantia, filia Ludovici Crassi, Raimundi VI. Senioris.

RAIMUNDUS VI. Albigensium, qui ob religionem, ab Innocentio III. prædæ omnium expositi erant, hyperaspistes, à Papâ excommunicatus est, ditionibus ejus Simoni Montfortio, persecutorum Antesignano, adjudicatis, ex Concilii Lateranensis sententia, A. C. 1215. Unde gravissimi & diuturni belli origo. Hunc Papyrius Masson. *Hist. Gall. l. 3.* scribit, submisisse se Papæ legato, qui stolâ collo ejus injectâ tractum in Ecclesiam flagris compulerit, in templo verò Ægidii veste nudatum frequentissimo hominum cœtu virgis ceciderit: Moretius verò *Diction. Hist.* citra absolutionem mortuum refert, adeoque in semel agnita & fortiter defensa veritatis professione, perseverâsse innuit. Obiit A. C. 1222. Ei ex Johanna Anglica, filia Henrici II. natus est.

RAIMUNDUS VII. Junior. qui Avenione potitus, contra Almericum Simonis Montforti filium, bellum paternum strenuè diu continuavit. tandem pace cum S. Ludovico Galliæ Regi factâ, ad sacrum bellum accinctus. Obiit A. C. 1249. Ex Sanctia Arragonia, pater Johannæ, quæ nupsit Alphonso Comiti Pictav. fratri S. Ludovici. Catel. *Histor. Tholos.*

RAIMUNDUS vide quoque *Raymundus.*

RAIMUNDUS Rogerius, Comes Fuxensis, fidelium, qui tum Albigenses dicti, partes strenuè tutatus, Carcassonâ captâ, in manus hostium devenit. Obiit A. C. 1222. Vide Othagary & Marcam, *Hist. Benearn. l. 8.* Idem nomen plurimis Provinciæ, Aquitaniæ, Fuxii, Barcinonis, Arragoniæ, &c. Principibus commune fuit.

RAIMUNDUS Agilius, seu de Podio, auctor *Historiæ Francorum, qui ceperunt Hierosolymam.* Comes Raimundi IV. S. Ægidii, in expeditione sacra: ejus Sacellanus.

RAIMUNDUS de Alto Ponte, Augustinianus Gallus, Explicuit sacram Scripturam Parisiis, A. C. 1420. & scripsit *Commentar. in Epist. Paulinas*, &c.

RAIMUNDUS Feraldus, nobilis Provincialis, Prior. Versu plurima scripsit A. C. 1300. *Nostradamus.*

RAIMUNDUS Jordanes, Abbas, floruit seculô 14. tractatibus suis 16. *Idiotæ* nomen præposuit: Editi A. C. 1654. Vide *Theophilus Rainaldus.* Item Poeta Cadurcensis, A. C. 1206.

RAIMUNDUS *Lullius*, Catalanus, in Majorica natus, Philosophiæ Arabum, Chymiæ & Medicinæ peritissimus. Scripsit, *Generales Artium libros, Logicales, Philosophicos & Metaphysicos Variarum item Artium libros, Medicinæ & Juris utriusque, Libros spirituales, Prædicabiles, Quodlibeticos, & Disputationum.* Annô ætat. 40. Franciscano habitu sumptô, Saracenis in Africa Euangelium annunciavit, in Mauritaniâ lapidibus propterea obrutus, A. C. 1315. ætat. 80. Velut martyr in patria cultus.

RAIMUNDUS Lullius, Junior de Terraga, cognomine Neophytus, ex Judæo Christianus, Dominici habitum induit in Arragonia. Interim judaizare pergens, credidit Dæmonem aliquando cultu latriæ adorari posse, vi tormentorum abnegare Deum licere, omnem peccatorem hæreticum, Legem Mahometis æquè orthodoxam, ac Legem Jesu Christi esse, Deum malum non minus, ac bonum æstimare, &c. Vide de utroque Carol. Bouvillanum, *in vita Raimundi Lullii.* Wading. *in Annal. & Bibl. Min.* Andr. Schottum, *in Biblioth. Hispan. &c.*

RAIMUNDUS Pennafortius, vel Rupifortius Dominicanus Barcinonensis, JC. eximius, à Gregorio IX. compilationi Decretalium, libb. 5. adhibitus est. Generalis sui Ordinis factus, Obiit A. C. 1275. Sanctis annumeratus, à Clemente VIII. A. C. 1601. Scripsit quoque *Summam Raimundinam*, *Morer. in Dict. Hist.*

RAIMUNDUS Petrus, vide *Petrus.*

RAIMUNDUS Puteanus, M. Magister. Hierosolymitanus; nobilis Delphinas. Cum Godofrido Bullionæo in Orientem profectus, post varia fortitudinis specimina edita, pauperum & peregrinorum curæ se Hierosolymæ consecravit. Successor Gerardi, præscripsit ordini regulam Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ: & equites armis instruxit, ad peregrinos defendendos. Obiit A. C. 1160. Bosius & Balduinus. *Hist. Melit. l. 1. &c.*

RAIMUNDUS Romieu, Arelatensis, Poeta, A. C. 1355. *Nostradamus.*

RAIMUNDUS Sebunde, Hispanus. Philosophus, Medicus & Theologus. floruit, A. C. 1430. Egressus è patria, ut Lutetiæ doceret, Tholosæ à studiosis præter voluntatem defensus, ibi postmodum obiit. Scripsit *Theologiam naturalem*, seu Librum Creaturarum, titulis 330. quod opus Mich. Montanus Gallicè vertit. Trithem. *de Script. Eccles.* Gesner. *in Biblioth. &c.*

RAINALDUS, & REINERIUS. Vide RENALDUS.

RAINALDUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

RAINA. oppid. Bavariæ, prope confluentes Lichi in Danubium, in limite Sueviæ. Vix 2. leuc. à Donaverta in Ortu, Neoburgum versus paulo plus. Pluries captum & direptum.

RAINA, oppid. Stiriæ. in Comitatu Cilliensi, ad Savum flav. in limite Carniolæ, aliis *Collis* quibusdam 25. mill. pass. à Cilleja in Ortum, 22. à Merulo in Boream.

RAINERUS vide REINERUS.

RAITENSIS Theodorus, vide *Theodorus.*

RAITHI, regio cujus populi *Rathæni Ptol.* apud Arabiæ Petrææ plagam meridionalem ad montana Arabiæ Felicis circa Sinai montem Occident. versus: In mari Rubro, *Basil.* hinc in Ægypto fuisse, probat Aug. *Lubinus.*

RAIZ, sive REZ, nomen illustris in Gallia Familiæ, quæ, origine Florentina, ab Antonio Gondio descendit, qui Magister Aulæ Delfini fuerat. Hujus filius Albertus, apud Regem gratiâ valens, *Ducis de Rais* sive *Rez*, titulum ac dignitatem obtinuit: auctor ex filiis Carolo Marchione *de Bellisle* ac Philippo Emanuele Comite de *Joigny*, duarum linearum; quæ tamen iterum in unam coaluère, cum hujus filius illius neptem ac hæredem sibi matrimonio junxisset. Ex eadem Familia IV. Episcopi seu Archiepiscopi Parisiorum fuère. Vide suprà ubi de Famill. *Gondia*, ut & in voce *Ratiatensis Pagus.*

RAKOCIUS Georgius, in ditione Pauchoviensi & Ledniciensi, in Hungaria, Euangelicis è Moravia ejectis locum, A. C. 1628. concessit. Transylvaniæ postea princeps creatus, rebus gestis, toto orbe inclaruit.

RAKOCIUS Sigismundus, vide *Sigismundus*, & suprà *Ragozius.*

RALEGUS Walterus, navigationibus Indicis clarus, in Jacobum Britanniæ Regem conjuravit, A. C. 1603. infelici successu. Vide Thuan. *l. 119.*

RALLA Tunica, memorata Plauto *in Epidico Act. 2. sc. 2. v. 46.*

Tunicam rallam, tunicam spissam:

dicta est pellucida, à *raritate*: proin *rara* etiam Ovidio. *Glossæ* tamen veteres *rallam*, pro *rasa* accipiunt, de qua Vide infrà.

RAMA, nobilis civitas in tribu Benjamin, in monte sita, haud procul à Gabaon, Jos. c. 18. v. 25. quam reædificavit Baasa, rex Israel, 1. Reg. c. 15. v. 17. Latinè, *sublimis*, vel *projecta.* Nunc penè excisa. Item, civitas in tribu Aser. Hieron. *de Locis Hebr.*

RAMA, vicus in tribu Nephtalim, haud procul ab urbe Sepher in excelso collo: Item Villa, in excelso colle, juxta Thecoam, in via, quâ itur Hebron, ex qua videri poterant Jordanis, mons Abarim & mare Mortuum. In tribu Juda. Item, villa sub monte, qui à Nazareth protensus includit vallem Carmeleon, juxta viam, quæ Sephoro ducit Tiberiadem. Aliæque villæ, omnes in colle.

RAMATA, apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ dicitur *ramalium* umbraculum, cujus in processionibus Ecclesiasticis usus, dum eæ per plateas urbanas peraguntur, Car. du Fresne *Glossar.* Sed & piscationis speciem, projectis in aquam *ramalibus*, intra quæ pisces se recipere solent, sic vocari, docet idem ex *Tabulario* Prioratus de Paredo.

RAMATHA, urbs Syriæ in monte Ephraim. 1. Sam. c. 1. v. 15. Hieronymus in Tamnitica regione juxta Diospolim sitam scribit. Vocatur etiam *Ramatha*, & *Ramathaim.* Levitis data.

RAMATH *Lechi*, locus, Judic. c. 15. v. 17. *elevatio maxillæ.*

RAMBAM, contractè ex *R. Moses ben Maimon*, auctor *Commentarii Misnæ*, inter recentiores Hebræos, etiam judiciô hodiernorum Rabbinorum, facilè princeps. Nihilominus infensioribus Christianæ religionis hostibus non magnopere probatur, cùm videatur Thalmudis quoque auctoritatem convellere & Christianorum interpretationes, in locis quibusdam Propheticis stabilire. Unde factum, ut liber ejus *More Nebuchim.* Passim in Gallia flammis fuerit adjudicatus. Vorstius *Observation. ad Chronold.*

nologiam Rabbi Dav. Ganz, *ann.* 4917. plura suprà voce *Moses Ben Majemon.* De eo notus versiculus, *Primum Judaeos negari desiit inter.*

RAMBAN, contractè ex *Rabbi Moses ben Nachman*, docuit Hierosolymis, auctor *Commentarii in Legem*, sub initium Millenarii VI. juxta praefati Rabbi Ganzii *Chronologiam*. Vide suprà *Moses.*

RAMBERTI Pratum, oppid. Comitatus Forestii, *Merula.* Vulgò *Rubempré*, suos quondam ac domesticos dominos Marte claros habuit. In Ambianis ponit Joh. de Albincio Episcopus Tricassinus. apud Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RAMBERVILLERIÆ, oppid. Lotharingiae. ad Mortanam fluv. 7. leucis à Mirecurtio in Ortum, Argentinam versùs, & 9. à Marsalio in Meridiem, totidem ferè à Nancejo.

RAMBURELLI, vulgò RAMBURES, locus Galliae in Ambianis, memoratus Guarino Episcopo Ambianorum, in *Literis* A. C. 1135. ubi habet, altare de Balliolo, altare de Ardicuria & altare de Ramburellis. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RAME, seu RAMA, pagus Delphinatus, ad Druentiam fluv. juxta Alpes Cottias, prope montem *le Pertuis Rostan*, i. e. foramen Rosanense, fauces Rosanenses. Est enim iter angustum inter duos montes, à loco proximo *Rosans*: *Simlero.* 4. leuc. infra Brigantium in Meridiem, Ebrodunum versus 2. circiter. Secundùm Valesium *Rama*, vel *Roame* hodieque nomen servat, & dicitur *Rame*, vicus inter Brigantionem & Ebrodunum, solâ vetustate notabilis: inter Fraxinariam, *Freissinere*, Cantumlupae, *Chantelouve* medius, hinc pede montis, inde flumine angustatus, *Notit. Gall.*

RAMELOS, è Ducibus auxiliaribus Persae, contra Æeten, apud Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 530.

RAMENTA Auri, capitiolim aspersa, memorantur Capitolino in *Vero*, *c.* 10. & Lampridio *in Commodo*, *c.* 17. ψήγματα Graecis, & ξέσματα, item τρίμματα χρυσοῦ dicta, unde & Latini *trimmam auri* fecêre, uti discimus ex Anastasio *Bibliothecar. in Sylvestro*: de qua χρυσώσει capillorum suprà passim, inprimis voce *Flaventes.*

RAMERUDUM, vulgò RAMERU, castrum Galliae, 7. leuc. à civ. Tricassium, 1. ab Artiaco, vel Arceiis ad Albam flumen: Ejus cella seu Prioratus servat reliquias S. Balsemi, à Vandalis trucidati. Had. Vales. *Notit. Gall.*

RAMESIUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

RAMESSÆUS Obeliscus, vide *Obeliscus.*

REGES ÆGYPTI VETERES.

RAMESSES Regum in inferiore Ægypto XVIII. successit U-S, dum Musthis in Thebaide, Sesochris apud Thinitas, apud Memphitas Bicheres imperarent, Abrahamus verò Patriarcha paulo antè obiisset. Regnavit annos 29. successore Ramesse-Mene. Joh. Marshamus, *Canone Chron.* ex Syncello. Item Regum in Thebaide LII. de quo vide *Acherchres.* Item in eadem Regum serie Rex LV. Amenophis IV. successor, antepenultimus eorum Ægypti Regum, qui Imperium in Asia obtinuerunt; in Obelisco proin suo omnium maximo, tam illorum qui Romae, quàm in Ægypto visuntur, cujusque Plinius meminit *l.* 36. *c.* 8. & 9. ὁ ἐκ πάντων εὐτυχὴς βασιλεύς. *Totius universi Rex* dictus ὁ ἐφύλαξεν Αἴγυπτον, τοὺς ἀλλοεθνεῖς νικήσας, *qui servavit Ægyptum, extraneos superans*, ob servatam patriam victoriâ laetissimus. Eum excepit Ammenemes: sed post *Ramessem* hunc, nemo è Sesostris posteris in gloria fuit, nullus ultra Thebani nominis splendor. Joh. Marshamus, *d. l. ad Sec. XVI.* ubi *de Regis hujus obelisco praef.* verissimo ac illustrissimo Ægyptiacae magnitudinis monumento, prolixè agit.

RAMESSE-MENES I. in Ægypto inferiore Rex XIX. Pammo-Archonde apud Thebanos, Chenere apud Thinitas, Thamphthe apud Memphitas, regnantibus, circa tempora Jacobi Labano servientis; praefuit ann. 15. Ei successit Thusi-Mares. Vide suprà.

RAMESSE-MENES II. Rex ejusdem seriei XXII. dum Apappus Max. Thebanis, Thinitis & Memphitis imperaret unus, Josephus autem in Ægypto serviret. Regnavit ann. 19. eum excepit Ramesse-Tubaetes de quo infrà.

RAMESSE-MIAMUN, Rex Thebaidis LIII. Vide *Acherchres.*

RAMESSE-SEOS, Rex inferioris Ægypti XXI. post Thusi-Marem. praefuit ann. 23. dum Joseph Patriarcha nascitur. Ei successit Ramesse-Menes II.

RAMESSE-TUBAETES, Rex XXIII. in eâdem serie, post Ramesse-Menem II. praefuit ann. 39. Sub eo Jacobus Patriarcha à filio Josepho, paulo antè ad summam post Regem Ægypti praefecturam evecto, invitatus in Ægyptum venit, & habitare coepit in Goshen, *in terra Ramesses*. Gen. *c.* 47. *v.* 11. ibidem mortuus annô pòst 17. Successit illi *Ramesse Vaphres.*

RAMESSE-VAPHRES, in eodem regno XXIV. Rex, post priorem praefuit ann. 29. dum Israelitae valde in Ægypto multiplicarentur, in Thebaide verò Nitocris, & post eam Myrtaeus regnarent. Illum excepit Concharis, ultimus hujus Dynastiae, à Pastoribus subversus. Joh. Marshamus ubi *suprà.*

RAMESSES, i. e. *tonitru*, vel *exprobratio tineae*, aut *malum delens*, sive *dissolvens*, aut *confractus tineae*, civitas in extremis finibus Ægypti, ab Israelitis condita, olim pagus Arsenoitis dicta. *Hieronymus.* Eversa. *Ishaal Lein Alschemes* Tuklensi. Vide Joh. Marshamum.

RAMETH, civitas in tribu Issachar Jos. *c.* 19. *v.* 21.

RAMEUS, Propheta sub Jeroboam Rege Israël. Joseph. *d. l.*

RAMI, apud Virg. *l.* 5. *Æn.* *v.* 71.

——— *Et cingite tempora ramis*:

in coronarum olim usu. Nempe aut duo ramuli invicem nectebantur, ut in laurea corona, aut è fronde frondi superinducta & consuta corona texebatur, ut in aliis coronis, aut unicô *ramô* conficiebat omnis ille coronae circuitus, ut in corona Olympionicarum, quae ex oleastro seu cotino erat. Aliquando verò & diversarum arborum ramuli sociabantur, uti de hedera & lauri ramis habet Virg. *Ecl.* 8. Interdum ramuli floribus quoque sociabantur, uti apud Theocritum, *Eidyll.* 1. elichryso flori hedera: nonnunquam ramuli, foliculi & flores miscebantur, ut apud eundem hedera, foliculi & apium, *Eidyll.* 3. Qua de re vide Car. Paschalium, *Coronar. l.* 3. *c.* 1. &c. Inprimis verò de coronis Olympicis vox frequens: quas ἔρνεα Ἀλφεοῦ, *ramos Alphei*, Pindarus, *Isthmior. Od.* 1. *ramos Olympiacos*, Statius, *Thebaid. l.* 6. & *ramos* simpliciter, idem vocat, *Thebaid. l.* 4. Sed & in supplicando *rami* adhibiti. Non enim Ephesi solùm ἐποιοῦντο διὰ θαλλῶν τὰς ἱκετείας, ἱκετείας, *coronis per olea ramos supplicationes faciebant*, uti ait *Etymol.* quô habitu ad aliorum quoque Numinum aras supplices consedisse olim legimus passim: Verùm etiam manu sinistrâ *ramos λευκοστεφεῖς*, *albâ lanâ coronatos*, capiebant, dextrâ statuas Numinum tenentes, uti docet Æschylus, *Supplic.* Plut. *Theseo*, Alii. Eosdem nonnunquam movebant seu quatiebant, ut eò vehementiùs obtestarentur, Appulejus, *Metamorph. l.* 3. Cùm verò aedes sacra adibatur, Sacerdos eos sumebat & ponebat in Altari, Æschylus *ubi suprà* &c. Cujusmodi *ramos* ferebant quoque Athenis in pompa Panathenaica Seniores, unde θαλλοφόροι appellati, de quibus alibi. Vide iterum superiùs laudatum Paschalium, *l.* 4. *c.* 12. suprà voce *Oschophoria*, & de Festo *Ramorum*, apud Christianos itidem suprà ubi de *Dominica, Ramispalmarum* vulgò dicta, item in voce *Osanna.* Recentiori aevô, per *Ramum* Investitura frequens fuit, ut & per *Cespitem* & *Wasonem*, uti videre est suprà voce *Cespes*, item ubi de *Investitura.* Et quidem infigebatur *ramus cespiti* (cùm ager tradebatur) qui sic infestucatus dabatur in manus Domini seu Majoris, certâ verborum formulâ adhibitâ; hicque dein eum emtori vel donatario offerebat, certis iterum verbis pronuntiatis. Atque possessionem hôc modô conferre Gallis dicitur *par rain de baston.* Non rarò tamen investitura per *ramum* solum occurrit, uti docet Car. du Fresne pluribus, voce *Investitura*: adde quae infrà dicemus voce *Servus.* De *ramo utrinque praeciso*, vide suprà in *Clava*, infrà in Tomus.

RAMIRUS, I. Legionis Rex successit Alphonso II. Casto, A. C. 824. Fil. Vermundi I. Contra Mauros insigni praeliô victor, regnavit ann. 26. Obiit A. C. 850.

RAMIRUS II. fil. Ordonni II. fratre Alphonsô IV. in monasterium detrusô, thronum conscendit. Saracenorum 80000. stravit, A. C. 930. iterumque decenniô post eosdem vicit, Obiit tamen paulo pòst.

RAMIRUS III. fil. Sanctii I. ipsi successit, A. C. 967. Juvenis admodùm, sed ob saevitiam, & luxum mox pulsus, A. C. 980. surrogatô Vermundô II. Obiit bienniô pòst. Turquetus *Hist. Hispan.*

RAMISES, Rex Ægypti (cujus aetate captum est Ilium) Obeliscum fecit 49. cubitorum, & alium longitudine undenis pedibus, per latera cubitis quatuor, quem fecisse dicuntur viginti hominum millia. Cujus operis admiratione factum est, ut cùm Syenen oppid. expugnaret Cambyses rex, venturumque esset incendium ad crepidines Obelisci, extingui ignem juberet, molis reverentiâ. *Rhamses*, legendum, vel *Ramses*, ut est apud Plin. *l.* 36. *c.* 8. Hunc forsan intelligit Cornel. Tacitus, *Annal. l.* 2. *c.* 60. ubi sacerdos Ægyptius Germanico narrat, regem *Rhamsen*, Libyâ, Æthiopiâ, Medisque & Persis ac Bactrianâ, & Scythiâ potitum, quasque terras Syri, Armenii, & contigui Cappadoces colunt, &c. haec literis Ægyptiis ibi scripta in Obeliscis: de quibus Amm. Marcellin. *l.* 17. Idem forsan est Rampsinitus apud Herodotum in *Euterpe.* Vide suprà ubi de *Lateranensi & Pamphilio Obelisco.*

RAMMINGUS Jacobus, vide *Jacobus.*

RAMNES, vel RHAMNES, pro equitibus Romanis usurpat *Horat. in Art. v.* 341. Eos sic vocat ab illis equitibus, quos cum Luceribus ac Tatiensibus instituit Romulus. Varro, *l.* 4. *de L. L. p.* 16. *Ager Romanus primùm divisus in partes tres, à quo tribus appellata, Tatiensium, Ramnium, Lucerum. Nominata, ut ait Ennius, Tatienses à Tatio, Ramnes à Romulo. Luceres, ut ait Junius, à Lucumone. Sed omnia haec vocabula Tusca, ut Volumnius, qui Tragoedias Tuscas scripsit, dicebat.* Ascon. Pedian. *in* 3. *Verr. Tribus principiò tres fuerunt. Tatiensis una à Tatio rege, Ramnensis altera à Romulo, Luceres altera à Lucumone, sive à Lucretino, sive à Luco, quem lucum asylum vocaverat Romulus.* Plin. *de viris Illustribus*: *c.* 2. *Tres equitum centurias instituit, quas suô nomine Ramnenses, à Tito Tatio Tatienses, à Lucumone Luceres, appellavit.* Plutarchus *in Romulo*: Φυλὰς δὲ τρεῖς καταστήσαντες, ὠνόμασαν τοὺς μὲν ἀπὸ Ῥωμύλου, Ῥαμνήνσεις· τοὺς δὲ ἀπὸ Τατίου, Τατιήνσεις· τρίτους δὲ Λουκερήνσεις, διὰ τὸ ἄλσος, εἰς ὃ πολλοὶ καταφυγόντες, ἀσυλίας [illegible], τοῦ πολιτεύματος μετέσχον· τὰ δὲ ἄλση λούκους [illegible]. *A Romulo* nempe *Ramnes* dictos volunt. Robertus Titius verò putat esse à ῥάμνος, quod exponitur ὁδός, [illegible]. Sed corruptus eum decepit locus, quia legendum illic Ῥωμαίους. Vide Yvonem Villiomarum adversus Titium, *l.* 4. *c. ult.* & Casaubon. in Athen. *l.* 15. *c.* 9. Voss. *Etymol.* Propert. *l.* 4. *El.* 1. *v.* 31.

Hinc Tities, Rhamnesque viri, Luceresque coloni.

Ovidius, *l.* 3. *Fastor. v.* 131.

Quinetiam partes totidem Tatiensibus ille,
Quosque vocant Rhamnes, Luceribusque dedit.

Nir.

Nic. Lloyd. Fuêre autem Ramnenses, qui cum Romulo primo Urbem condiderunt, Pastores Albani, & Græcanici generis aliquot, qui ante Urbem conditam illa loca tenuerant; atque hi omnes habitârunt Palatinum & Cœlium montes. Tatienses verò Sabini fuerunt; cæteri adventitii: quorum illi Capitolinum & Quirinalem, isti loca coluêre, inter Palatium & Capitolium plana, atque circum Forum. Permanseruntque hæ Tribus, usque ad Tarquinii Prisci tempora. Cùm enim sub Tullo Hostilio Albani victi in *Ramnensium* Tribum ascripti, cæterique omnes populi, qui sub Regibus Romam ad habitandum venerant, præter Sabinos, Lucerum tribu inclusi fuissent, urbeque multùm adauctâ, tres hæ Tribus neutiquam sufficerent: L. Tarquinius Priscus numerum earum augere & de se & aliis amicis; nominare volens, cùm ne id faceret ab Augure Navio prohiberetur, veteres illas sub iisdem, quibus inauguratæ à Romulo erant, nominibus duplicavit, primosque & secundos Tatienses, *Ramnenses* & Luceres constituit, quod ex *Sext. Pompejo* manifestum est, cùm scribit: *Sex Vestæ sacerdotes constitutæ erant, ut Populus pro sua quaque parte haberet Ministram sacrorum. Quia civitas Romana in sex erat distributa partes; in primos secundosque Tatienses, Ramnenses & Luceres.* Eòdem modò centurias etiam Equitum Tarquinium duplicâsse tradunt, Dionys. & Livius, *l.* 1. Posteà, sublatò filiorum Anci Martii insidiis Tarquiniò, aliam Tribuum divisionem instituit Servius Tullius, sextus Roman. Rex, quatuorque earum constituit, Palatinam, Suburanam, Collinam & Esquilinam: qua de re vide Dionys. *l.* 4. Car. Sigonium, *de Antiq. jure Civ. Rom. l.* 3. *c.* 3. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 15. &c.

RAMOTH, civitas sacerdotum, atque fugitivorum in tribu Gad, non procul à monte Galaad. Jos. *c.* 13. *v.* 26. Habuit & suburbana in tribu Issachar.

RAMPHASTUS, vide suprà *Pica Brasiliæ.*

RAMSES, vide RAMISES.

RAMSTENIUM, arx agri Basiliensis, sub Baronibus olim cognominibus, quorum familia nobilissima defecit in Rodolfo, Thuringi, A.C. 1390. florentis filio; qui cùm legitimâ prole careret, mortuus A.C. 1459. filio ejus naturali Joh. Bernardo à Gilgenberg, permissu Episcopi, arces *Gilgenberg* & *Landscron* cessêrunt; castrum Zwingen ad Episcopatum rediit: Ramstenium, cum pago Breitenbach, ad Basilienses; Gilgenberg denique seu Liliomontium ad Solodurenses emtionis titulò pervenit. Vide Christ. Urstisium *Epit. Hist. Basil.*

RAMUS, pro Numine Thespiis olim, memoratur Arnobio, *adv. Gentes, l.* 6. *Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse.... ramum pro Cinxia Thespios* &c. Clementi item Alex. Καὶ τὸ Κιθαιρωνίας ἥρας ἐν Θεσπίαις πρέμνον ἐκκεκομμένον. Reliqua vide suprà in *Rami.*

RAMUS Petrus, Veromanduus, Vir doctissimus. Filius agricolæ, nepos carbonarii, qui ex nobilissima in Burgundionibus familia ortus, bellicis turbis solum vertere, & vitam carbonariam faciendo, sustentare se coactus est. Ingeniò ad studia factus, Parisios venit; ubi brevi tantopere in illis profecit, ut Professor Eloquentiæ regius, & celeberrimus Orator evaderet. Magnò apud omnes pretiò, nisi quòd animadversiones ejus in Aristotelem non paucos illi in Universitate Parisiensi hostes, inprimis Jacobum Carpentarium, Bellovacens. Anton. de Govea, Hispan. & Joach. Perionium excitârunt: Alii quoque, quibus gloria eruditionis ejus officiebat, hinc prætextu sumtò scribere contra ipsum conati sunt. Intereà & Mathematicæ eruditionis apicem nactus, partem stipendii sui decidit, ut egregiæ hæ artes peculiari in cathedra in posterum docerentur: Accessit laudum cumulo puræ religionis cultus, ob quem cùm tutum se non satis in Gallia videret, Genevam se recipere cogitaverat, ut videre est ex Bezæ, *ep.* 34. & 36. Sed aliter volente Deò, in egregia illa martyrum panegyri, quos Parisiensis laniena cruore suò tinxit, cœlebs A. C. 1572. & ipse tot adoreis jam mactus, hanc quoque coronam cœlitus impetravit: occisus à percussoribus, quos ipsi Carpentarius æmulus immiserat, Cadaver ejus à studiosis scuticis primò cæsum, dein in Sequanam projectum est. Thuanus *Histor.* Scævola Sammar. *l.* 2. *elog.* ipse *Ramus Orat. initiò Professionis suæ hab.* *Scaligeran.* du Verdier *Prosopogr.* Theod. Banosius, *Vitâ Rami*, Zuingerus, *Theatro Vitæ Hum.* Keckermannus, *Præcognit Logic.* Freigius, *Vitâ illius*, inprimis Anton. Teissier, *Elog. Part. I.* ubi & catalogum scriptorum Rami, quæ complura, habes. Ab eo *Ramæa* secta Philosophorum dicta est, non quòd ab illo sumpserit initium, jam olim enim à Peripateticis non pauci dissenserunt; inter quos Laur. Valla, & Lud. Vives, è quibus plurimas *Ramus* depromsit; sed quòd ille meliùs de rebus cogitandi hinc occasione sumtâ, sententiam illorum in lucem produxit, fortiterque propugnavit. Qua de re sic Hornius: *Ansam ei*, inquit, *dederunt Pseudoperipatetici Sophistæ Parisiis alibique, Scholasticâ barbarie & corruptissimâ Philosophiâ, in media literarum luce, delectati, nec non Interpretes Aristotelis pravi ac rudes. Quorum furias non tolerans primò in illos, mox in ipsum Aristotelem acriter invectus est & Adversariorum calumniis divexatus, longiùs processit, novamque sectam de suo nomine, plurimos in Anglia, Gallia, Germania, sectatores nactus, condidit. In Italia verò & Hispania obscurum & penè ignotum ejus nomen. Opposuerunt se plurimi, præsertim Lutetiæ Joach. Perionius: Tubingæ Jac. Schekius: è Theologis Beza & Ursinus: à quibus tria ei potissimum objecta, ἀμεθοδία, ἀντιλογία & ψευδολογία. Sectatores Aristoteli infensissimi sunt, à cujus etiam lectione illorum rigidiores abstineri volunt. Interim pomæria Philosophorum protulerunt, eam ad usum revocando: Metaphysicam exterminant prorsus, præceptorum paucitatem & usum urgent: hanc ob causam à quibusdam Philosophissimi, quâ voce Justinianus alicubi utitur, appellati.* Hactenus Georg. Hornius, *Hist. Philos. l.* 6. *c.* 11.

RAMUSIUS Joh. Baptista, vide ibi.

RANA, in sigillo Mæcenatis. Gemmarum certè icones plurimùm fuisse hieroglyphica virtutum, indicare Quintilianus videtur: dum Oratorem nullâ virtute præditum, sigillum appellat rasum atque tersum; inde significans, aliquam semper virtutis tesseram insculpi solitam annulis signatoriis. Sic itaque Mæcenas, Hetruriæ è Regibus ortus, præcipuusque Augusti amicus, usus sigillò legitur, cui *Rana* rubeta seu Seriphia insculpta erat: fortè ad taciturnitatis indicium & ad Augusti captandam gratiam. Hinc Pierius, *Hieroglyph. l.* 29. *Invenias*, inquit, *silentium significari etiam per rubetam Ranam illam grandissimam, quæ geminis veluti cornibus insignita est, propterea quòd observârunt Magi, si ea in multitudinem vociferationibus obstrepentem inferatur, silentium fieri: Eoque spectare nonnulli putant* Ranam *illam Mæcenatis celebratissimam, quâ is literas & tabellas obsignare solitus erat. Sed enim, quum Rana, non rubeta, in omnium sermone; ego eò potius rem spectare dixerim, quasi Mæcenas id in Augusti gratiam factitârit, de quo etiamnum infantulo illud fertur, quòd in avito suburbano ranas fortè obstrepentes silere jusserit: cui quidem commento adeò favit Vetustas illa, ut ex eo negentur ibi ranæ coaxare, quasi etiam adhuc tanti Principis imperio obsequantur. Voluisse igitur Mæcenatem eò schemate taciturnitatem polliceri, in iis quæ Augustus ejus fidei credidisset, non secus ac* Ranæ *ipsæ, morosâ adeò garrulitate insignes illi adhuc infantulo paruêre. Nam Sext. Aurelius & Eutropius scribunt Mæcenatem Augusto ob taciturnitatem præcipuè gratum fuisse: quam tamen in eo nonnunquam desideratam, ab Imperatore Tranquillus ait*, &c. Mutas autem *Ranas* esse in Seripho Insul. notum, idem de Cyrenaicis Plinius tradit, *l.* 8. *c.* 58. cum ait: *Cyrenis mutas fuisse ranas, illatis è continente vocalibus durare genus earum. Mutas etiamnum esse in Seripho Ins. easdem aliò translatas canere; quod accidere & in lacu Thessaliæ Sicendo tradunt.* Cujus rei causam, nimium esse aquæ humorem, vel amaritiem, proin in aquas crassiores dulcioresque translatas vocem recipere, docet Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 77. ex Theophylacto Simocatta, *Probl. phys.* 18. Etiam in frigidiores conjectas fontes obmutescere, translatas in tepidiorem paludem loquaces iterum evadere, tradit laudatus suprà Pierius, *loc. cit.* &c. Sicut verò *Ranâ* Mæcenas, pro symbolo, usus est, sic Plinius junior, qui fuit apud Trajanum eòdem auctoritatis ac gratiæ locò, usus in sigillo Quadrigâ traditur. Vide de utroque eruditè disserentem Fortun. Licetum, *de Gemmis Annular. Schemate* 27. *c.* 114. Cæterùm *Rana*, Mahometanis in pretio: unum enim hoc est ex quinque animalibus, quæ apud illos occidere non licet. Ea nempe sunt, *formica & apis & rana & upupa & surad*, i. e. lanius minor, qui passeres venatur. Cur autem *ranas* tanti faciant, causâ nituntur duplici; Unâ, *quòd*, Abdallâ teste, *illarum coaxatio est Dei laudatio*: alterâ, *quòd ranæ ad Abrahamum se contulerunt* (cùm scil. in ignem à Chaldæis conjectus est) *& ore suò aquas attulerunt, quibus illum in igne aspergerent*, ut Alkazuinius fabulatur ex Mahomete. Pari stultitiâ jam ante Christum, si Philastrio credimus, nonnulli *ranas* coluerunt, *quas sub Pharaone per iram Dei tunc temporis Ægyptiorum terra emanavit, ut putore Ægyptios defatigarent, inque eo scelere* (inquit) *adhuc perseverant, putantes Dei iram ex hac vana observantia posse placari* &c. Ubi plagam illam Ægypti respicit, quâ Deus inter alia Pharaonem populumque ejus afflixit, in ultionem inprimis infantum Israëliticorum in aquis miserè suffocatorum. Unde non desunt, qui *ranas* per domos reptitantes, coaxantes atque in stratis jacentes, infantum incessum, vagitum atque in cunis quietem volunt aliquò modò adumbrâsse, ut ipsa pœna crimen admissum illis in memoriam revocaret, de quo consule inprimis Theodoretum *in Exodum, Quæst.* 16. Utut sit, etsi *rana* non videatur animal usque adeò maleficum, cùm neque morsu, neque venenò, noceat, gravis tamen fuit hæc plaga, nec sensus corporis ullus est, cui molesta non fuerit ranarum tanta multitudo. Horrendum enim erat spectaculum, non solùm agros, sed & urbium plateas, atque ipsas domos videre tam turpi agmine scatentes. Et aures fatigabat continua coaxatio. Nec palato sapiebant cibi illarum contactu fœdati. Nocturnam tandem quietem interturbabant tam importuni contubernales; & teter mortuarum odor sævam mephitim exhalabat. Quæ incommoda graphicè describunt Judæi duo, sermonis elegantiâ Græcis neutiquam inferiores, Philo, de *Vita Mosis, l.* 1. & Josephus, *Jud. Antiqq. l.* 2. *c.* 5. quos vide, præter Historiam sacram, quæ in Exodo continetur. Sed & aliis gentibus, ab hoc reptili, gravissima incommoda. *Ab ranis enim civitatem in Gallia pulsam, Marcus Varro auctor est*, apud Plinium, *l.* 8. *c.* 29. Et de Abderitis, scribit ex Trogo Justinus, *l.* 15. *c.* 2. *Cassander ab Apollonia rediens, in Abderitas, qui propter ranarum muriumque multitudinem, relictò patriò solò, sedes quærebant.* Ubi lege, *rediens incidit in Abderitas*, ex Orosio, *l.* 3. *c.* 13. Abderitæ nempe fuerunt verè βατραχομυομάχοι. Sed inprimis memorabile est & Mosis historiæ de ranis προσεμφυής, quæ de Pæonia & Dardania referuntur à Scriptoribus pervetustis, Phœnia & Heraclide Lembo, quorum ille Aristotelis fuit discipulus & amicus Theophrasti, hic sub Ptolemæo Philometore vixit, circa Olymp. 150. Et Phœnias quidem scripsit, Deum *ranarum pluviam* immisisse circa Pæoniam & Dardaniam, quarum tanta fuerit copia, ut vias impleverint, cumque adeò eas occidendo & domos occludendo nihil proficerent, ut omnia vasa implerentur & cum cibis ranæ sequerentur, neque aquis uti liceret, neque pedes uspiam in terra figere, & mortuarum fœtor admodum gravis esset, ex ea regione homines se subduxisse.

nisse: quod forsan de Autariatis populis intelligendum, quos circa Pæoniam & Dardaniam aliquando habitâsse, Strabo refert *l.* 7. De Heraclide Lembo Vide Athenæum, *l.* 8. *c.* 2. &c. & plura hanc in rem, præter Plinium, apud Sam. Bochartum, *l.* 2. *Part. poster. c.* 1. & *seqq.* ubi hoc animal superbiæ, propter inflatas buccas; impudentiæ, propter sanguineos oculos & maledicentiæ, ob notam loquacitatem, symbolum esse addit. Ab eo, Persidis vel Susianæ fluvio maximo nomen Βατραχίτης inditum habes suprà, voce *Orvatis* ut succino inclusam *Ranam*, jucundâ oculorum admiratione, videbis infrà ubi de *Succino.*

RANCO, castrum Galliæ, vulgò *Rancon*, in alta rupe, ad Turdueram flum. in agro Engolismensi. Quibusdam *Ranconium*, aliis *Rancono.* Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RANCONETUS Æmarus, Petrocoriensis Gallus, eruditione Juris præsertim & Antiquitat. inclytus. Duareno in variis Juris nodis enodandis magno usui fuit, ut cujus veris fontibus resolvendis, ut & elegantioribus studiis, primus viam aperuit. Præterea Philosophus ac Mathematicus pereximius, magnisque muneribus tum Burdigalæ, tum Parisiis, defunctus; ad studia semper ante lucem surrexit, postque lectionem ac meditationem rursus indormiit, & valetudini & studio multum id conducere affirmans. Obiit A. C. 1559. ætat. 60. à Guisiis, hostibus suis, in publico tumultu, ad mortem adactus. Ejus nihil extat, præter librum cui tit. *Tresor de la Langue Françoise, tant ancienne que moderne*: aliis verò amplam scribendi materiam reliquit, *Notis*, in varios Auctores, suâ manu ad marginem additis nitideque adscriptis. Vide Thuanum, *Histor.* Sammarth. *Elog.* Anton. Teissier, *Elogies Part. I.*

RANDA, vicus Persiæ, ad quem Chiles 3000. Persarum, novas res cogitantium concîdit, Polyæn. *l.* 7. *c.* 39.

RANDAN, nomen illustris in Gallia Familiæ, quæ Rupifulcaudiæ Stirpis ramus est. In hac enim, cùm Franciscus II. filius primogenitus Francisci I. duos genuisset filios, Franciscum & Carolum; ille Comites reliquos (qui nunc Duces) *de la Rochefaucaud*, nec non Comites *de Roucy*; iste Comitis *de Randan*, protevit, quorum hæc series est. Joannes Dn. *de la Rochefaucaud*, ex Margaretha (filia Joannis Rupifulcaudii Dn. *de Barbesieux*) genuit Franciscum I. Comitem Rupifulcandium; maritum Ludovicæ Crussoliæ, & ex ea patrem Francisci II. quô & Annâ *de Polignac* Dn. *de Randan*, genitus Carolus Rupifulcaudius Comes *de Randan*, junxit sibi Fulviam Picam (Galeacii Pici Comitis Mirandulæ filiam) atque ex ea suscepit Joannem Ludovicum Rupifulcaudium Comitem *de Randan*: cui Isabella agnata filia Francisci III. Comitis Rupifulcaudii) peperit Mariam Catharinam *de Randan*, uxorem Henrici *de Beaufremont* March. *de Senecey*, lineæ suæ ultimam. Vide Philipp. Jacobum Spenerum, *Theatr. Nobilitatis Europea, Part. II. p.* 18. & *in Indice*, ubi de *Rupifulcaudiis.*

RANDEJA, Urbs Armeniæ, ad Arsanam fluv.

RANDERSIUM, oppid. amplum Jutiæ Septentrional. ad Cotium fluv. in Diœcesi Arhusienti. 3. leuc. Danic. ab Arhusia in Boream, Alburgam versus 5.

RANGIFER, animal Septentrioni proprium. Finnis, Lapponibusque quasi peculiare. Locis delectatur perpetuâ nive & glacie horridis, ac peculiari musci in petris nascentis alimentô gaudet: aliò autem à natalibus istis suis translatum diu non vivit. Ad figuram cervi quàm proximè accedit, sed tenerius aliquantum est ac membris gracilioribus, pilis curtis, colore griseô, duobus prædictum cornibus. Eorum multa & numerosa armenta Finni possident, maximô suô commodô. *Lac ex iis mulctum suave est, è quo caseos quoque conficiunt non ingratô sapore. Sed butyrum non præparant. carnibus eorum vescuntur, quas salequandoque condiunt, & ventô siccant; pellibus vestiuntur, pilis sellas suffulciunt, nervis vestes consuunt, atque ex iis habenas & vincula conficiunt, quibus naviculas suas quandoque colligant, absque ullo ferramento, quô destituuntur. Ex cornibus manubria cultrorum, & alia utensilia, conficiunt, sed præcipuè trahendis vehiculis suos aptant* Rangiferos, *atque celerrimè maximum conficiunt itineris spatium. Unus eorum vehiculum trahens præcedit, habenis ad cornua alligatis, rectore baculô totum negotium dirigente, alter vehiculo alligatus subsequitur, & cum prior trahendo defatigatus fuerit, in ejus locum substituitur posterior, subsequente illô atque ita operas partiuntur, donec pensum absolverint: Lassitudinis dant signum, gradum sistendo, & linguam cum anhelitu exserendo. Duodecim horarum spatiô, ultra centum mill. passuum conficiunt,* Plura in *Museo Wormiano, l.* 3. *c.* 26. Veteres Gothos ex ipso hoc animali *rhenones* suos, inde dictos, *Reen* enim id incolæ vocant, confecisse probat Loccenius, *c.* 20. iisque Sidonii locum, *Epist.* 29. *l.* 4. prolixè illustrat. Vide infrà *Rheno.* Cœterùm inter animalia, quæ è remotissimis locis sibi adduci curaverat Galliæ Rex Ludovicus XI. ut ægritudinis suæ mortisque imminentis famam falleret, *Rangiferos* quoque fuisse, legimus. Inter Suecica Insignia, *Rangifer excelsis cornibus, in solo stellis sparso*, Bothniæ provinc. *gradiens in parmâ plinthidibus sparsa*, Wermelandiæ provinc. digma est. Sed & *Rangiferi* 3. *aurei gradientes in cæruleo*, Familiæ in Gallis Grangeæ Dride Montigny insignia constituunt, vide Phil. Jac. Spenerum, *Oper. Heraldici Parte II.*

RANGONIUS Hercules, vide *Hercules.*

RANI, populi Scythiæ Caucasi accolæ, in Colchorum confinio. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

RANIMIRUS, undecimus Aragonum Rex crudelissimus: Barones regni potentissimos, se contemnentes, unô Conviviô trucidavit, &c. Vide *Ramirus.*

RANZANUS Paulus, vide *Paulus.*

RANZOVIUS Henricus, vide *Henricus.*

RAPA seu RAPORA, urbs Episcopalis Hiberniæ, in Ultonia & Comitatu Dungalensi, ad lacum Suvellium, cui unita est sedes Derriensis. Nunc vicus, 40. mill. pass. à Dungala in Cæciam, 12. à Derrio in Occasum, 45. ab Armacha in Boream, 20. à Banchorensi cœnobio in Occasum. *Rapes.* Aliàs *Rapus*, in Anglia, est Comitatûs portio major, *lasti* instar, quæ plures in se continet *hundredos* seu centurias. Omnis sic Suffexia in VI. *rapos* dividitur. Henr. Spelmanno *in Glossario.*

RAPA, inter hortensia, pluribus memorantur Plinio, qui à frumento protinus, aut certè faba, illa dicenda esse, *quando alii usus præstantior ab his non est*, ait *l.* 18. *c.* 13. Ubi, postquam quadrupedes alitesque ex iis commodum aliquod capere, dixit, addit: *In cibis quidem nostris pluribus modis commendantur, durantque ad alia, sinapis acrimoniâ domita, etiam coloribus picta, præter suum, sex aliis, purpureô quoque: neque aliud in cibis pingi decet.* Ibidem palmam in Nursino agro nascentibus, & eorum nonnullis 40. librarum pondus tribuit &c. Cæterùm *Rapis*, aut millio, aut panico, restibilem agrum faciebant Veteres. Plinius, *Si fuerit illa terra, quam appellavimus teneram, poterit sublatô hordeô milium seri. Eô conditô rapa: his sublatis hordeum rursus vel triticum, sicut in Campania.* Subjectô nempe hordeô, quod est ex genere farrei spici, milium serebatur sequente annô; iterum sequente, rapa; quibus sublatis & præparatô per annum novali rursus hordeum vel triticum. Sic quadriennium intererat inter farrei spici utramque sationem: qui ordo obtinebat, in optimis ac pinguissimis arvis, qualia erant Campaniæ. Quâ porrò superstitione seri *rapa* consueverint, docet idem, *c.* 13. *l. cit. Ferunt subtili observatione, quartâ Lunâ præcedente hyeme nix prima ceciderit, si totidem luminum die intra prædictum temporis spatium serantur, mirè provenire.* Vide de conditura illorum Columellam, *l.* 12. *c.* 54. & Dioscoridem, qui muriâ condiri scribit &c. Nec omittendum, quòd *rapa* in Vespasianum, jus in Foro dicentem, Adrumetis seditione obortâ, jacta legimus, apud Suetonium, *in eo, c.* 4. de quo contumeliæ genere suprà passim: uti de *rape è plumbo* Apollini Sacrato, infrà *Raphanus.*

RAPALLUM, oppid. ditionis Genuensis, in ora maris Ligustici, cum portu, 23. milliar. circiter à Genua in Ortum, Speciam versus, 3. à porto Delphino. Hinc Sinus parvus adjacens *Golfo di Ripallo*; estque pars oræ Orientalis Ligusticæ, inter Lavaniam ad Ortum & portum Delphinum ad Occasum. Item urbs Episcopalis Basilicatæ cum titulo Ducatus.

RAPATO, sive RATBODUS, filius major natu Lancelini vel Kancelini vel Cuonzelini. (quem alii quoque *Bezzonem* vel *Landolum* vocant) Guntramô cognomine *Divite*, Hapsburgiorum satore, geniti, Hapsburgios continuavit. Ejus enim ex Ita Lotharingica, Friderici Ducis filia Hugonis Capeti ex sorore nepte, filius præter alios Wernerus I. fuit, nepos Otto, ab Hessone *de Uffenberg* A. C. 1110. cæsus. Ottone natus Wernerus II. hôc Wernerus III. Adelberti cognomine *Divitis* pater, qui primus, Landgravii Alsatiæ titulô insignis, Rudolfum edidit, patrem Alberti Sapientis, quô natus est Rodolfus I. Imper. Frater verò *Rapatonis* junior Landolus, qui etiam *Bezelinus* & *Lancelinus* quibusdam dictus est, Duces Zeringiæ, è quibus Duces Teccii & Marchiones Badenses orti, progenuit. Phil. Jac. Spenerus *in Fam. Austr.*

RAPERSUILA, oppid. Helvet. ad lacum Tigurinum, cum ponte oblongo. Sub quinque minorib. pagis, pluries sed frustra obsessum. 5. milliar. German. à Tiguro in Eurum, Curiam versus 12. Vide *Rapertsvilla.*

RAPHA, fil. Benjamin. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 2. qui & *Echi.* Gen. *c.* 46. *v.* 21. Filius item Biana. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 37. Latinè *medicina*, vel *medicus*, aut *relaxatio*, vel *Gigas.*

RAPHA, nomen viri. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 25. Latinè *relaxatio laquei.*

RAPHAEL, nomen viri. 1. Paral. *c.* 26. *v.* 7. Latinè *medicina Dei.*

RAPHAEL Cumanus, JCtus insignis scriptis celebris. Floruit Patavii, A. C. 1429.

RAPHAEL Fulgosus, Placentinus, eôdem tempore JCtus celebris, itidem varia edidit.

RAPHAEL Lesczinius, vide *Lesno.*

RAPHEL Volaterranus, Volaterrâ Tuscus vixit usque ad initium Seculi præteriti. Scripsit *Commentarios Urbanos*, ad Julium libris 38. qui in tres divisi partes, continent Geographiam veterem, Anthropologiam seu vitam Virorum illustrium, & Philologiam, seu principia artium. Quidam ipsum Maffæum appellant & alia quoque scripsisse volunt. Paul Jov. *in elog. c.* 118.

RAPHAEL Urbinus, à patria dictus. Pictor excellentissimus seculi præteriti. Fil. Johannis Sanctii, similiter Pictoris, qui cùm maturè deprehenderet, se institutioni filii parem non fore, illum Petro Perusino magnâ cum laude eandem artem tum factitanti commisit. Sed & hic mox à discipulo superatus est, qui hinc plerisque Italiæ urbibus obitis, tandem Michaëlis Angeli opera imitando peritiam suam consummavit. A Julio II. & Leone X. adhibitus ea pinxit Romæ, quæ præcipui thesauri locô ibi hodieque habentur. Cœterùm fuit formâ virum decente, comis, affabilis, globô artis amantium perpetuô stipatus. Fidem matrimonii quidem dederat nepti cuidam Cardinal. Bibieni, sed partim Cardinalatus spe lactatus, partim pro seculi locique more, Romæ enim plerunque vixit, vagis amoribus magis delectatus, morbô hinc contractô, obiit A. C. 1520. ætat. 37. die suô natali. Vasarius *hist. Pict.* Felibien. *de Pict. Part. I.*

RAPHAJA, fil. Jesajæ. 1. Paral. *c.* 3. *v.* 21. Fil. Thola. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 2. Fil. Baana. 1. Paral. *c.* 9. *v.* 43. Latinè *medicina*, vel *relaxatio Domini.*

RAPHAIM, populi, quos Moabitæ *Emim*, Ammonitæ, *Zanzummim* vocant. Deuteron. *c.* 2. *v.* 12. In tribu Manasse. Item vallis juxta Jerusalem, Jos. *c.* 15. *v.* 8. Latinè *Gigantes, medici*, aut *relaxati.*

RAPHANÆA, seu EÆ, Civitas Chalcidis, Arcæ urbi contermina.

RAPHANE, urbe Mediæ, in confinio Parthiæ, Plin. *l.* 6. *c.* 26. *Apamia.*

RA-

RAPHANUS, in templo Delphico ex auro dicatus. Plin. *l.* 19. *c.* 5. Ut *Græca est vanitas, fertur in templo Apollinis Delphis, adeò cæteris cibis prælatus* raphanus, *ut ex auro dicaretur, beta ex argento, rapum è plumbo.* Idem verò & pæderastarum ac mœchorum olim pœna. Id enim perpeti consuevisse, ut sublatis pedibus violentam admitterent in depilatos vulsellâ podices *raphanorum* & mugilum & lignearum contorum impulsionem, Scriptores testantur: quorum primus omnium Aristophanes *in Nubibus, Act.* 3. *Sc.* 4. Justum & Injustum altercantes introducens, id pluribus exequitur. Idem confirmant, Catullus, *Epigr.* 15. Juvenalis, *Sat.* 10. Steph. *de Urbibus*, Alii. Sed & Didymus, apud Hom. *in Il.* in verbo, *ὁ Λακιάδα*, *de Adulteriis*, inquit, *legitur. Tribus enim Attica, Laciada: in qua multi raphani, quibus utuntur ad irrisionem eorum, qui in adulterio deprehensi. Utuntur verò manubriis quoque securis in anum intromissis, eis deficientibus. Suidas rem plenius sic explicat: Et raphanis in podicem injectis puniri: evulsis pilis, cinere calido aspergi, apud Aristophanem de impudicis dicitur. Sic enim Mœchos fœde tractabant: Raphanos capiebant, quos in eorum podices immittebant & eos pilis evulsis nudabant, calidosque cineres aspergebant, eos abundè sic excruciantes.* Licèt enim hæc cinerum calidorum ac propemodum urentium inspersio super depilatas & distractas ani partes, fortassis remedii locô adhiberetur, ad sanguinem sistendum vulneraque curanda, non tamen fiebat ea sine exquisito dolore: Quemadmodùm Turcæ verbera curare solent, contusas partes aceto saleque acerbè perfricantes. Idem pœnæ genus obtinuisse in Armenia, Lucianus docet *dial. de Morte Peregrin.* Vide quoque *leg. nec in ea. §. sed qui occidit. ff. ad l. Jul. de adult.* προτιμῶν ἐκείνης τὴν ἐπὶ σκόλοπος ἀνασκολόπισιν, Nicet. Choniates, pœnam hanc vocare videtur. Plura de hac aliisque Mœchorum pœnis, apud Licetum, *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 75. *ubi Lucernam ludicram Jacobi Pighetti fusè explicat*; & suprà *Paratilmus*, it. ubi de *Adulterio*.

RAPHELENGIUS Franciscus, Flander, Linguar. Orientalium peritissimus. Lutetiæ. Joh. Mercerô præceptore usus, inde in Angliam trajecit, ac Græcam Linguam professus est Cantabrigiæ. Hinc in Belgium redux, ductâ Christoph. Plantini filiâ, Bibliorum Regiorum, quæ tum à socero typis exprimebantur, corrector, *Notas* quoque addidit. Tandem Lugduni Batav. Hebraicæ Linguæ Professor, obiit A. C. 1597. ætat. 58. Scripta ejus, quæ partim ipse impressit, Typographi munere aliquandiu defunctus, partim composuit, enarrat *in Elogiis* Ant. Teissier, *Part. II.* Filium habuit cognominem, auctorem *Notarum in Senecam Trag.* & *Elogium metric. in Effigies* 50. *Viror. eruditorum.*

RAPHIA, urbs Palæstinæ prope Jordanem. *Ptol. Steph.*

RAPHIDIM, locus in solitudine non procul ab Horeb monte, ubi undecima Israëlitarum mansio fuit. Numer. *c.* 33. *v.* 14. Latinè *reclinatoria*, sive *stramenta*, aut *remissæ manus*, vel *medicina manuum*.

RAPHON, loci nomen. 1. Machab. *c.* 5. *v.* 37.

RAPINA, furtum impudenter ac vi factum, JC. definitur cujus actio simul rem & pœnam persequebatur, Justinian. Quamobrem formula erat: *Ajo Mævium vi vestem mihi eripuisse, atque, ejus rei nomine, eum quadruplum mihi dare oportere.* Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 9 *c.* 13. Idem verò tripli pœnam suggerit, *eod. l. c.* 5. Olim tamen latrocinari & prædas agere in externos, nullô bellô indictô, pro licito habebatur, quod Συλητικὸν vocat *Epiphanius*. Hinc illa, apud Homerum, *an Prædones estis?* amica interrogatio, *Odyss.* γ. ubi Scholiastes, οὐκ ἄδοξον ἦν παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ λῃστεύειν, ἀλλ᾽ ἔνδοξον, *Latrocinari apud Antiquos, non tantùm infamiâ carebat, sed etiam gloriosum ducebatur.* Cujus & Thucydides meminit *l.* 1. & in Solonis *l.* vet. Collegia ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι. Quippe, ut Justinus ait, *l.* 43. *c.* 3. ad Tarquinii tempora, *latrocinium maris gloriosum habebatur*, Hug. Grotius, *de jure Belli ac Pac. l.* 2. *c.* 15. §. 5. Sed hac de re plura diximus suprà, in voce *Piratica*. Apud Romanos *rapiundæ Virginis* (Sponsæ) *vis simulata*, inter nuptiales ritus, viguit, nec ullum habebatur connubium legitimum, nisi *simulatô raptu* perageretur: Quam legitimi Matrimonii rationem antiquissimam fuisse, & à raptu Sabinarum initium sumsisse, Jac. Rævardus JCtus arbitratur; qui quia feliciter Romulo successerat, ideo institutum ab eodem putat, ut non verò, sed simulatô *raptu*, omnis sponsa à Sponso in posterum caperetur. Sic itaque quisque Virginem è gremio Matris, aut ex proxima necessitudine, vi simulatâ raptam non aliter suam faciebat, quàm Romana pubes Sabinas olim Virgines usu suas fecerat. Quod omnino videtur voluisse Festus, cùm scribit: *Rapi simulatur Virgo ex gremio Matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cùm ad virum trahitur, quòd videlicet ea res feliciter Romulo cessit.* Eôdem respiciens Tertullian. *l. de Spectaculis*, *Deinde*, inquit, *Equiria Marti Romulus indixit; quanquam & Consualia Romulo defendunt, quòd ea Conso dicaverit Deo, ut volunt, consilii ejus scil. quò tunc Sabinarum Virginum* rapinam *militibus suis in matrimonia excogitavit: Probum planè consilium & nunc quoque apud ipsos Romanos justum & licitum* &c. Prolixè & eleganter ritum describit Appulejus *Milesiar. l.* 4. Interim nulli alii connubii contrahendi modo, quàm ei qui usu fiebat, raptum hunc convenisse, docet Rævardus, apud Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. Primi autem mulierum *Raptores* Centauri perhibentur, qui à Lapithis fortè ad convivium invitati, cùm vinô incaluissent, illorum uxores rapuêre, unde grave inter utramque gentem bellum, quod pluribus Poëtæ persequuti sunt. Ovidius inprimis *in Metamorph. l.* 9. Vide quoque Palæphatum, *l.* 1. Boccatium 9. *Gen. c.* 31. Fortun. Licetum *de Gemmis annul. Schem.* 35. *c.* 122. *ubi vel ab Euryto Hippodamen, vel à Nesso Dejaniram raptam, in Gemma, exhibet atque Comm. suô illustrat* &c. A Tritonibus non rarò fœminas formosas, si fortè incautiùs in mari se abluant, aut in litore obambulent, *rapi* sub undas testantur Lucianus, *Dial. Trit. tom.* 3. Alex. ab Alexandro, *Genial. dier. l.* 3. *c.* 8. Gyraldus *Syntagm.* 5. &c. quorum ille hujusmodi marinum hominem, mulieribus ad fontem in Epiro accedentibus insidiatum, postquam semel atque iterum solam aliquam nactus esset, sub undas detulisse, tandem cùm apud loci incolas percrebuisset, captum necatumque fuisse, refert. Similiter in Tanagræorum primarias matronas, quæ arcanis Liberi patris initiatæ, ad mare, quò expiationis causâ lavarent, descenderant, Tritonem impetum fecisse, narrat Pausan. *Bœoticis*, ut alia omittam. Quod duas ob causas maximè ab ipsis fieri, tum libidinis, tum gulæ explendæ, contendit Fortun. Licetus, *de Gemmis Annular. Schem.* 101 *c.* 61. *ubi puellæ à Tritone raptæ iconem prolixè explicat.* Cui adde, si visum est, Jul. Scaligerum *contra Cardan. Exercit.* 226. & *l.* 2. *de Histor. Animal.* Majolum, *in Dieb. Canicular. colloq. de Piscibus*, Bapt. Fulgosum, *l.* 1. *c.* 6. Theophanem Isaurum Abbatem *in Chronol.* Dam. Goës *in Olyssipones enarr.* Georg. Bruin *in Harlemo* &c.

RAPINUM, oppid. Germaniæ duplex, amne tantùm discretum: antiquum *Alt Rapin*, & novum *new Rapin*, Comitatus caput, in Media Marchia Brandeburg. 8. milliar. German. ab Havelberga in Ortum 9. à Berlino in Boream.

RAPIUM, in vetustis *Schedis MS.* quæ Honorii Scholastii nonnulla *pro clientibus acutè dicta factave* continent, *Aliqua nobilissima mulierum duo tenuia linea palladiis artibus unius in tela volumine rapiô delicatiore texuerat:* acus est à verbo ῥάπτω, unde ῥαπτὸς & ῥαπτὴν. Hinc *rapiô lintea suere*, idem quod *acu pingere* est, de quo artificio diximus suprà passim, inprimis ubi de *Plumariis*. Vide Salmas. *Not. ad Vopisc. in Carino. c.* 20.

RAPOLLA, urbs Basilicatæ, parvi circuitus, media ferè inter Melphum in Circium & Venusiam in Eurum, 5. milliar. & 20. à Compsa in Ortum, prope Apenninum, & limites Principatus Ulterioris.

RAPPERSUILA, vide RUPERTIVILLA.

RAPPOLSTENIUM, Comitatus Alsatiæ, sub proprio olim Comite, quarum Stirps *Rappolstenia* seu *Rochspoletana* seu *de Ribeaupierre*, in Alsatia, à multis seculis, rebus gestis & adfinitatibus illustrissima, floruit. Communis traditio Scriptorum Germaniæ (quibus etiam Franciscus Sansovinus, in honorem gentis Ursinæ, calculum adjecit) eam à Rocho Duce Spoleti, Italiâ circa finem IX. aut principium X. seculi pulsô, derivat. Aliquoties in diversos ramos abiit. Sed quorum, exceptô primariô truncô, nullus diuturnus fuit, qui tamen & ipse in Joanne Jacobo haud pridem extinctus est; Comitatu ad generum ejus Christianum Comit. Palatinum Rheni delatô. Series familiæ ista: Wilhelmus Dn. *de Rappolstein*, qui obiit A. C. 1475. ex Joanne Comite Novocastrensi (*de Neuenburg* seu *Neufchastel*) genuit Wilhelmum Dn. *de Rappolstein*, defunctum A. C. 1547. Huic ex Maria Comite Bipontina (*de Zweibruck & Bitsch*) genitus Ulricus Dn. *de Rappolstein*, decessit A. C. 1531. Pater ex Anna Alexandrina Comite Furstenbergica, Egenolphi Dn. *de Rappolstein*, qui defunctus est A. C. 1585. Hôc & Mariâ Comite Erpachiâ, natus Eberhardus Dn. *de Rappolstein* (qui obiit A. C. 1637.) junxit sibi Annam Ringraviam, atque ex ea suscepit Joannem Jacobum Comitem & Dn. *de Rappolstein*; maritum Annæ Claudiæ Comitis Sylvarum & Rheni, atque ex ea patrem Eberhardi Casimiri, (qui natus & denatus est A. C. 1639.) Catharinæ Agathæ, quæ nata A. C. 1648. nupsit Christiano Comiti Palatino præfato, qui nunc Comitatum tenet; Christiani Eberhardi (qui natus A. C. 1650. decessit A. C. 1651.) Annæ Dorotheæ (quæ obiit A. C. 1653.) &c. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Palat.* & *Theatro Nobil. Europ. Part. I. p.* 4.

RAPSA, oppid. in Pentapoli, sive Cyrenaica regione, Plin. *l.* 5. *c.* 5.

RAPTA, est Quiloa, emporium celebre, cum Insul. & promontor. cognomine Portum habet capacem. Vide *Quiloa*.

RAPTORES, propriè Veteribus dicti sunt, qui tigridis catulos rapiunt; quam vocem *in Latrones* non bene mutavit Solinus. *c.* 17. ubi, de tigribus loquens, inter alia ait. *Maximè potentia eorum probatur, cùm maternis curis incitantur. Cùm catulorum insistunt* raptoribus, *succedant sibi equites licèt & fugâ quantâlibet, astu quantôlibet, amoliri prædam velint, ni in præsidio maria fuerint, frustra est autem omne. Notantur frequentissimè si quando latrones suos asportatis catulis renavigantes vident, in littore irritâ rabie cernuari, velut propriam tarditatem voluntariâ castigantes ruinâ: quanquam de fœtu universo vix unus queat subtrahi.* Ubi quos *Raptores* priùs vocat, dein *Latrones* dicit. Vide Salmas. *ad loc.* Cæterùm Romanis *raptus* in nuptiis placuit, vide suprà voce *Rapina* & de communi vocis notione in *Direptio*, item *Præda*.

RAPTUM, promontorium Æthiopiæ sub Ægypto. *Ptol. Steph.* *Raptra*, & *metropolin* Barbariæ vocat. *Magalo* Mercatori. Vide *Rapta*.

RARASSA, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol. *Racang* Castaldo. Sed in Codice Græco *Cragausa* legitur.

RARENTUS, urbs Italiæ. *Steph.*

RARIA, campus in Eleusine, in qua Triptolemus primùm seminâsse dicitur. *Steph.* Ῥάριον, πεδίον ἐν Ἐλευσῖνι καὶ Ῥαρία γῆ, Ῥαρίας ἡ Δημήτηρ. Malè apud *Hesychium*: Ῥάριον, παιδίον, pro πεδίον. Nomen hoc inditum erat illi campo à *Rharo*, Triptolemi patre. *Hesych.* Ῥάρος, ὀχυρὸς, καὶ ὄνομα τοῦ Τριπτολέμου πατρὸς. Fil. hic erat Cranai, ut idem alibi: Κραναοῦ υἱὸς Ῥάρος.

RARUNGÆ, populi Indiæ, montium accolæ & perpetuò tractu oræ Oceani obtenti, Plin. *l.* 6. *c.* 20.

RAS, Rabbenu Ascher, è Germania Toletum venit, ibique composuit *Aschare* in Thalmud, it. Quæstiones & Responsiones, dictas *Teschuvot Ras*, 8. filiorum itidem clarorum pater, qui tamen omnes interierunt, solò Rabbi Jahakob. qui in Germania remansit, superstite, annò 130. Millen. VI. juxta Rabbi Ganz. Ex ejus dictis collegerunt discipuli illius librum *A gedah*, ut videre est in *Schalscheles Kabala p.* 68.

RASA Vestis, pexæ opposita, dicebatur olim recens sine villis, quales ex lana Istrica & Liburnica; quæ pilo propior, confieri solebant. Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Istriæ ac Liburniæ lanam pilo propiorem, quam lanæ & ideo pexis vestibus alienam & quam sola Ars scutulatò texta commendat in Lusitania.* Ubi obiter notandum, scutulas in vestibus quadraturas fuisse ad instar plagarum, quibus retia distinguuntur, contextas, quæ proin ex lana villosa haudquaquam poterant texi, quòd villorum densitate textura & artificium operiretur: cùm contrà in lana pilo propiore scutulatus textus, non impedientibus villis, facilè appareret. Illiusmodi itaque *Rasæ* vestes, postquàm usu obsolevère, ut idem Plinius habet, colorem quidem amittebant, sed si tingerentur, recipiebant denuo & interpolabantur novæque videbantur, nihil enim præter colorem amittebant, filorum texturam, sive veteres, sive recentes essent, facilè ostentantes: secus in pexis, ubi detrita semel fila reparari non poterant. Meminit *Rasæ* vestis Juvenalis, *Sat.* 2. *v.* 97.

Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Martialis item, ubi Togam rasam æstati judicat aptiorem, *l.* 8. *Epigr.* 85. *v.* 3.

Dona quòd æstatis misi tibi, mense Decembri,
Si quereris, rasam tu mihi mitte Togam.

Alibi videtur *levem* appellare, *l.* 7. *Epigr.* 35. *v.* 8. nisi tenui filò intelligat, ideoque pretiosam, vide Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. l.* 1. *c.* 17. Plinius, *l.* 8. *c.* 48. *Togas rasas Phrygianasque D. Augusti novissimis temporibus cœpisse*, dum scribit: Turnebus *Phryxianas* legit, sicque dictas vult, quòd Phryxæi velleris crispos & eminentes villos imitarentur, quas proin cum spissis conjungit Seneca, *de Benef. l.* 1. *c.* 3. His oppositæ *rasæ* fuerunt, id est, minimè villosæ: quemadmodum spissis rasæ. Vide eundem Ferrarium, *l.* 2. *c.* 11. Aliquando tamen *Rasa* pro *rasis* sumuntur, apud Auctores, ut visum suprà in voce *Rasa*. Sed & sericæ vestis speciem hoc nomine venire infrà videbimus, ubi de *Serica veste*.

RASALINÆ, locus in finibus Damasci, ubi Sanguinus, juratus quondam Christianorum hostis, castrametatus est; in tribu Aser. Tyr. *l.* 15. *bell. sacri*, *c.* 8.

RASARIUS Job. Baptista, Navarrus, Philosophus & Medicus insignis, jam juvenis innotuit Philippo II. ad patrem in Belgium tendenti. Venetiis Eloquentiam docuit, ut & Patavii, Conimbricam invitatus à dicto Rege, obiit A. C. 1578. ætat. 60. Censoriò funere elatus, in ægros, quibus gratis medebatur, & pauperes largus: Edidit *Orationem de Victoria ad Echinadas*, vertit *Georg. Pachymerem*, *Ammonium*, *Oribasium* &c. Ant. Teissier *Elog. Part. I.*

RASBOURG, seu RASBURG, nomen illustris in Suecia Familiæ, Comitivâ dignitate illustris, quæ Leuenhauptiæ stirpis ramus est. In hac enim cùm Steno, frater Margaretæ Reginæ, (Gustavi I. Regis uxoris) ab Erico jam jam soliò deturbando occisus esset, in liberorum solatium, à Joanne Rege, *Comes de Rasburg & Graffsinaes* creatus [illegible]; [illegible]ujus filius Falckensteniam conjugem nactus, novis titulis bonisque gentem auxit. Vide suprà in *Leuenhauptia Fam.* & Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europæa Part. III. p.* 37. nec non *Arte Herald. Tom. II.*

RASCIA, pars regni Hungariæ latè sumti; à fluv. *Rasca*, qui per eam in Moravam influit; regio est Septentrional. Serviæ; aliàs sub suis Regibus. Ibi Alba Græca, Semendria & Columba Urbes præcipuæ. Sub Turcis tota.

RASCIPOLIS, ducentorum Equitum, Macedonicorum, Pompejo auxilio missorum, Dux. Cæsar. *l.* 3. *Bell. Civ. c.* 4.

RASDI, Dea olim Hungarorum: De iis enim Jo. Tuwroczius *Chron. Hungar. Parte* 2. *c.* 39. refert, ut Janus, filius Vathæ, de castro Beli, qui primus Hungarorum Dæmoniis se dedicârat, pro Dea coluerit *Rasdi*, quæ rapta à Christiano Rege Bela carcereque conclusa fuit, usque dum proprios comedens pedes moreretur. Sed *Rasdi* quam hic vocat, eam Anton. Bonfinius, *Rer. Hungar. l.* 12. *Varasolo* appellat. Vide Gerh. Jo. Vossium, *de Idolol. l.* 3. *c.* 17.

RASEBURGUM, urbs Nylandiæ, in Finlandia, in ora Sinus Finnici, cum portu capaci, in limite Finlandiæ meridionalis.

RASI, vide Rabbi *Salomo Jarchi*.

RASIAS, nomen viri. 2. Machab. *c.* 14. *v.* 37.

RASILINE, i. e. caput aquæ, locus haud procul Tiberiade, ubi Saladinus aliquot diebus castra fixit.

RASIS, rex Syriæ. 2. Reg. *c.* 16. *v.* 5. Latinè *voluntas*, vel *voluntarius*, aut *cursor*, sive *veredarius*.

RASIS, dictus Almansor, seu Alubetre Arazi, fil. Zachariæ, genere Arabs, institutione & educatione Africanus, Philosophorum & Medicorum sui temporis facile princeps. A. C. 950. Scripsit egregia quædam, inter quæ *Continens* eminet, in quo, quidquid alibi usquam dixit, est complexus. Idem, in gratiam Miramamolini Balharabi, historiam Hispanic. condidit. Paschalis Gallus, in *Biblioth. Med.* Castellanus, *in vitis Medic.* Alb. Miræus, in Auctar. *de Scriptor. Eccl. c.* 288. Gesnerus *in Biblioth.*

RASOPHORI, Græci *Ῥασοφόροι*, novitii Monachi dicuntur, apud Balsamonem *in Syn. Constantinopolit. can.* 5. à voce *rasum*, *ῥάσον* Græcis recentioribus; quò nomine indumentum indigitatur detritum & usu defloccatum, *ὁ τρίβων ἱμάτιον κροκίδας.* Althelmus *de Laude Virgin.*

Nec laterna tibi vilescat vitrea, Virgo,
Tergora vel rasò, & ligno compacta saligno,
Seu membranarum tenui velamine facta.

Itaque *Ῥασοφόροι* seu *Ῥασοφοροῦντες* Monachi sunt ol *Ῥασενδύται*, qui *Ῥάσα* gerunt. Quâ voce citimæ ætatis Græci propriè notant Monachicum pallium, i. e. *τριβώνιον*: quod olim Philosophorum erat. Unde *Ῥασενδύται* & *Ῥασοφόροι* Monachi. Quamvis Græci quidam inter *τρίβωνα* & *τριβώνιον* distinguentes, *τρίβωνα*, Philosophi vestem exponunt, *τριβώνιον* verò *τὸ ῥάσος*. Sed hoc discrimen passim confundunt Auctores. A Philosophis igitur Christiani Ascetæ pallium acceperunt; cumque procedente ævò *ἄσκησις* ad certum genus hominum rediit, Monachos videl. exinde eorum proprium pallium esse cœpit. Unde *Ῥάσος*, i. e. *τρίβων* seu *τριβώνιον*, pro *pallio Monachico*, apud Zonaram *ad Can.* 12. *Synodi Gangrensis*. Sed & Monialium *Ῥάσος*. Nicephorus Xanthopulus *in Catalogo Patr. Constantinopolit. de Basilio Diac.* Ubi *Γυνὴ ῥίψασα τὸ ῥάσος*, est *mulier quæ habitum monialem ejuravit & abjecit*. Et Palladius, *de Taor Virg. in Lausiaca*, *Ἐκεῖνη δὲ ῥασενδυτοῦσα ἀδιαλείπτως ἐν τῇ μονῇ ἐν ἔργῳ καθεζομένη* &c. Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*, *p.* 89. & *seqq.* Cl. Suicero *Ῥάσα* sunt interius velamen corporis, cui toga talaris superinducebatur, Monachis, Sacerdotibus, Militibus etiam in usu. voce *Ῥασοφορεῖν* Facili videl. significationis prioris in istam flexu.

RASORES & *Interrasores*, Græcè *Διαγλυπταί*. Artifices quinam dicti, vide suprà *Radere*. Horum opus *rasile*. Papinius Statius, *Theb. l.* 7. *v.* 658.

——— *& fibulâ rasilis auro*
Taenariam fulvâ mordebat jaspide pallam.

Ubi Lutatius, *ad luxuriam vetulæ pulchritudinem fibulæ. Erat enim torno discriminibus multis exornata, quas vulgò interrasas vocant.* Vide Barthium *ad h. l.* ut & suprà in voce *Interrasile*.

RASTA, milliare German. leucas duas, tria milliaria continens: eò forte sensu dictum, quò hodie apud eosdem *Raste*, quietem, pensumque denotat, sic *στάδιον* Græcis, *ἀπὸ τῆς στάσεως*, à statione, vide Hieron. *Comment. in Joël. c.* 3. *v.* 18. Henric. Spelmannum, *Glossar. Archaeol.* &c.

RASTALUS, Johannes, vide *Johannes*.

RASTICES, Sclavorum Rex in angustias est redactus, à Ludovico II. Imperatore qui Suenteboldo, ejus nepoti, regnum dedit, A. C. 870. Aventin. *l.* 2.

RASTRUM, quibusdam ex veterib. Grammaticis *σκάφιον* & *σκαπάνη*, sed hoc *rutrum* potiùs, quàm rastrum: *Rastri* enim eradendæ potiùs & poliendæ terræ, quàm fodiendæ facti sunt. Hinc *rutra à rastris* secernit *Cato*; quæ perperam hodie confunduntur. Erant autem *rastri* dentati, unde à *radendo* dicti. Hinc Catoni *rastri quadridentes*. Ennius.

Rastros dentifabres capsit agri poliendi, &c.

Primum nempe in agricultura erat arare & fodere, deinde *rastris* glebas imminuere, quod & *occare* propriè dicebatur. Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 94.

——— *rastris glebas qui frangit inertes.*

In vinea *pulverationem* id dicebant, uti vidimus &c. Interim, pro fossorio instrumento vocem hanc tum Poëtæ, tum cæteri Auctores, non raro ponunt, & *rastros*, *ligones*, *bidentes*, confundunt. Sic *Plinius* ex Virgilio tradit, *oleam non desiderare rastros*, *ut vitem*: ubi per *rastros* intelligit fossionem. Idem *minimas pubescenti nuci rastros esse* dictitans, id ipsum vult. Et *Theophrastus*, *Βαρύνει καὶ τὰ πίονα ἔδη ἐργάζεσθαι καὶ τοῖς ἀρότροις καὶ τῇ σκαπάνῃ*, i. e. *vomeribus & rastris*. Et quidem *rastri quadridentes*, seu qui pluribus dentibus instructi erant, occandæ magis terræ apti fuisse videntur; *bidentes*, fodiendæ. Quæ duo genera rastrorum tangit *Varro*, non tantùm eradi terram rastris, sed & erui, docens: unde Rastri alii *Occatorii*, alii *Fossorii*. Quorum hos intelligit Solinus quoque, *c.* 28. cùm *Balsamum rastris mitescere*, dicit, h. e. *ταῖς σκαπάναις*, *fossionibus*. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 515. & 587. & suprà quoque, ubi de *Ablaqueatione*, & *Occatione*. Inter insignia Comitum *de Schwartzenburg* videtur quoque *Rastrum* seu *pecten & furca miniata*, *in solo argenteo*: quod hodierni Comites à Schwartzenburgicis Leutenbergicis, qui superiore seculò in Philippo defecerint, accepêre. Eò designari ajunt *Imperii Stabulo Præfecti* seu *Archippocomi* (Reichs Stall-Meister) dignitatem, quam illi habuerint. At *Rastra* 2. *aurea decussata*, *in rubeo*, Baronum *de Neuhaus* in Austria gentile symbolum est, fortè Liberi prædii (*Freyhoff*) in *Haggenburg*, quod inter alia Familia è Bavaria illuc profecta acquisivit. Sed & *Rastela* 3. *rubea dentata sexies in area aurea* Scuti Mantuani comparent, Retelanæ Familiæ emblema. Phil. Jac. Spenerus, *Oper. Herald. Parte II.*

RASORA, in Ecclesia Romana est incisio capillorum in modum coronæ facta, quâ Ecclesiastici insignes sunt: Germanus Patriarcha Constantinopolit. *Raditur caput medium in gyrum, ut ea corona sit pro corona Christi.* Beda *Histor. Anglic. l.* 1. *c.* 12. *Abrasio capitis Ecclesiasticorum, in coronæ formam, coronam Salvatoris nostri spineam significat* &c. Et quidem Episcopi ac Cardinales præ cæteris ampliorem *rasuram* deferunt: Pontifex autem totum caput *rasum* habet, præter

ter circulum capillorum brevem, ad formam Monachorum Benedictinorum, de quo ritu, in Concilio Toletano IX. *can.* 40. ita disponitur: *omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superiùs capite totò, inferiùs solùm circuli coronam relinquant.* Hodie verò *rasura* tam exigua in plerisque, ut vix cerni possit. Sed & Maronitæ aliique Monachi Orientales, ita *radunt* caput, ut relinquant capillorum circulum in vertice, verùm subtiliorem Monachis Occidentalibus. Quosdam tamen in modum crucis capita *rasisse.* Osorius testis est *l.* 3. *rer. Eman.* Quod hodieque observat Episcopus *Carangor.* Diœcei. Indiarum Oriental. uti legitur in libro, cui tit. *Novus Orbis c.* 133. De Christianis Georgianis memorat Roraldus Episcopus, qui floruit A. C. 1300. ac *de Successibus Terræ S.* scripsit, Clericos eorum in orbem, Laicos in quadrum, comam radere. Neque verò Clerici solùm, in præfata Ecclesia sed & Moniales *raduntur,* uti docent Macri Fratres *in Hierolex.* voce *Tonsura.* Olim verò etiam Serapidis & Isidis Sacerdotes radebantur: Hodieque Mahometani totum caput *radunt,* floccum solùm in vertice relinquentes, quod etiam, a Christianis sibi subditis, observari volunt &c. Vide suprà passim, inprimis in voce *Capillus* seu *Coma,* ut & ubi de *Radendi* ac *Tondendi ritu.*

RATÆ. *Antonino.* Raga *Ptolemæo,* Coritanorum urbs in Britannia, Vulgo *Leicester,* ut putat *Camdenus. Ratiford* verò *Talboto.*

RATÆSIS, Memphitarum Rex XIII. post Men-Cherem, ante Bi-Cherem, Usæ in inferiore Ægypto regnante, circa tempora Jacobi Patriarchæ nati. Ei successit, ut dictum Bi-Cheres, quem vide.

RATANEUM, oppid. Illyrici, apud Onæum promontor peguntio finitimum, Plin. *l.* 3. *c.* 22. *Rat.*

RATCHIS, vide RACHESIS & RACHIS.

RATENOVIA, oppid. in media Marchia Brandeb. ad Havelam fluv. 11. milliar. German. à Berlino in Occasum 10. à Magdeburgo in Cæciam sub Electore Brandeburg.

RATES, olim ad navigandum adhibitæ. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Nave primus in Græciam ex Ægypto Danaus advenit: antè* ratibus *navigabatur, inventis in Mari Rubro inter Insulas, à Rege Erythra. Reperiuntur, qui Mysos & Trojanos priores excogitâsse in Hellesponto putent, cùm transirent adversus Thracas* &c. Vide suprà *Navis.* Sic autem dici consuevêre connexarum trabium compages, an à Græco *ῥέω,* i. e. *fluo,* quòd in aquis fluant; an à *radendo,* quòd aquas *radant*; an quòd *ratæ* ac firmæ sint? Græcis *σχεδίαι,* à facili ac tumultuaria structura. Sed & sequenti ævò earum, in exercitibus inprimis trajiciendis, usus frequens. Ita Rhodanum Annibal cum exercitu superavit, apud Livium, *l.* 21. *c.* 27. *Raptim cæsa materia, ratesque fabricatæ, in quibus equi virique & alia onera trajicerentur. Hispani sine ullâ mole in utres vestimentis conjectis ipsi cetris suppositis incubantes flumen transnatavêre. Et alius exercitus* ratibus *junctis trajectus.* Et pro longa nave nonnunquam. Vide multa apud Lil. Gyraldum voce *Schedia,* ut & infrà aliquid in eadem &c. Hinc *Ratitum* seu *Ratitus,* veteribus Romanis quadrans appellatus est, quòd in illo ac triente *ratis,* sicut in asse navis, figura expressa esset.

RATHERIUS Monachus Lobiensis, in Diœcesi Cameracensi; Simplicitate, prudentiâ, eruditione nulli secundus. Ab Hilduino Abbate in Italiam deductus, Hugonis Regis favore Episcopatum Veronensem accepit: Unde paulo pòst, quasi hostibus ejus faveret, pulsus, revocatusque, secundâ quoque vice deturbatus, in Belgium rediit, Leodiensis Ecclesiæ curam ab Archiepiscopo Coloniensi nactus: sed & hinc civium morositate expulsus, Veronam rursus venit, inde tertium dejectus, rediit unde primitus venerat. Obiit A. C. 974. Scripsit *de Incarnatione Christi, de corpore & sanguine ejus,* Opus Grammat. cui mirabilem induxit titulum, *Sparadorsum,* &c. quæ à Luca Acherio edita. Sigebert. *in Cat. c.* 128. *& in Chron. ad. A. C.* 928. *&* 933. Luitprand. *l.* 3. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 29. *&* 39. Gesnerus, Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Chapevill. *de Gestis Ratheri in Episc. Leod.* Ipse sibi hoc Epitaphium fecit:

Conculcate pedes hominum sal infatuatum.

RATIASTUM, Lemovicum urbs. *Ptol.* vulgò *Limoges. Rais* verò *Bertrando.* Agesinatum caput, ad Carantonium fluv. Hodie *Inculisma* Baudrand. Vide ibi. Caput fuit Lemovicum, uti docet *Claud. Ptolemæus, ἐν τῇ μεσογαίᾳ Ἀκυϊτανίας τοῖς Πικτόνοις ὑπόκεινται Λιμοβῖκοι καὶ πόλις Ῥατίαστον.* Greg. quidem Turonensis *l. de glor. Confess. intra Pictavorum terminum, qui adjacet civitati Namneticæ, vicum Ratiatensem,* sive Ratiatum, qui pago circumjacenti nomen suum dedit, & in vetere nummo *Ratiate* inscribitur, commemorat: & Adelphius Episcopus Ecclesiæ Pictavorum in veterib. codicib. nonnullis *Adelphius de civit. Ratiatica,* & *Adelphius Episcop. de Ratiate,* nuncupatur, à Ratiato illo vel Ratiate Pictonum; Magno quoque, quem quidam è recentioribus sequuntur, caput Lemovicum Augustoritum facit. At hoc quidem Pictonum; *Ratiastum* verò Lemovicum caput esse *Ptolemæus* asserit, cui, utpote Auctori gravi ac diligenti, haud dubiè fides adhibenda est. Posteà *Ratiastum* depositâ propriâ ac vetere appellatione, nomen Gentis, cujus caput erat, ut in aliis quoque factum, accepit, ac dici cœpit *Lemovicæ.* Hinc Audoënus *de vita Eligii,* vocat *Lemovicas civitat.* Fredegarius *Lemovicas*: Fortunatus *Lemovicinam urbem.* Alii aliter: *Lemovicas* inprimis veteres nummi & Annales & Robertus quoque *in Chron.* hodie *Limoges,* quasi *Lemocas,* mutilatò Lemovicarum nomine. In *veterib. Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ Civitas Lemovicum* vocatur, & inter provinciæ Aquitanicæ primæ civitates octo sextum obtinet locum, Rutenis, Albiensibus Caducisque post posita, quibus tribus populis Lemovices olim multo superiores fuêre. Sextum locum tenet & *in Bituricensi provinc. civitas Lemovica,* apud Robertum *in Chron.* at apud Gervas. Tilleberiensem & in *Notitiis* ipsius ætate recentioribus, quinta locatur, Albiensibus vel Albigensibus in septimum locum rejectis. Ejus Episcopus Rauricius Consilio Aurelianensi IV. Basiliò V. Consule, Indict. 4. A. C. 541. per se, & Synodo Aurelianensi V. per Bantaredum interfuit. Habuit olim Amphitheatrum suum extra muros, quod *Arenas,* nomine apud Gallos usitatò, appellavêre; unde *Ecclesia S. Mariæ de Arenis,* cujus mentio in Concil. Lemovicensi II. habito A. C. 1034. quod Amphitheatro huic proxima esset, dicta est. Stephanus certè Abbas Monasterii S. Martialis VII. *Turres in Castello Martiali duas, unam contra Sentarios, nomine Orgelotum; alteram contra Arenas, nomine Fustiniam, præcipiente Rege Carolò minor. ad repellendum Guilielmum A. Ducem, Pictavinum Comitem,* fecisse legitur *in Histor. Abbatum Lemovic.* Hodieque inter septem portas, quarum duæ obstructæ sunt, una est Lemovicis, *porta Arenarum* vel *porta ad Arenas,* vulgò *la porte des Arenes,* appellata, quòd eà Amphitheatrum suburbanum ei proximum peterent Lemovicini. Ibidem est & Cœmeterium Arenarum, *le Cimetiere des Arenes,* locus incolarum ambulationibus celebratus. Monetarium Regum Galliæ, Merovingorum Principatu, hìc fuisse, & Monetam percuti, aurumque fiscale purgari fornace consuevisse, docet Audoenus, *l. cit.* nummi item veteres inscripti *Lemovicis:* & *Lemovecas F.* i. e. *Lemovecas fit.* Vide Hadr. Vales. in voce *Lemovices Aquitani* & suprà *Raiz.*

RATIATENSIS vel RATENSIS pagus, à vico *Ratensi* in finibus Pictonum, prope Namnetas, nomen habet: Hic Ligere amnea Britannia, cui tamen attribuitur, divisus est, & titulò Ducatus gaudet, vulgò *le Duché de Raiz,* aliàs *Retz.* A vico *Ratiato,* intra terminum Pictavorum. Pictavienses Episcopi etiam *Ratiatenses* dicti sunt, quia ibi aliquando sunt commorati. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RATIBORIA, urbec. Silesiæ superioris culta, caput Ducatus cognominis ad Oderam fluv. aliàs Poloniæ Regi oppignorata. 4. leuc. à Carnovia in Ortum, versus limites Poloniæ superioris, 7. suprà Oppolium in Meridiem. Hòc ut & Oppoliæ ducatu, placatus à Ferdinando II. Betleem Gabor, arma deposuit, A. C. 1619.

VIRI ILLUSTRES.

RATIBORUS, fil. fuit Mistævonis, Herulorum Regis, frater Udonis Vandalliæ & Megapolis Principum Auctoris, à quo & Boguslao, fratre ejus, Pomerani Principes ortum traxêre. Filios illius octo, Magnus Rex Daniæ in Ducatu Slesvicensi occidit, A. C. 1048. Bogusláò verò genitus Suantiborus, filios reliquit quatuor, è quibus Wartislaus & *Ratiborus* citeriorem; Suantopulcus & Bogislaus ulteriorem sortiti sunt Pomeraniam.

RATIBORUS, fil. Suantibori prædicti, unà cum Wartislao fratre, Pomeraniæ citerioris Principum fuit conditor: Rugiis Bartum, Tribsesiam & Grimmium eripuit. Pater Wartislai & Suantopulci, qui relictâ patruelibus ulteriori, Principatum citeriorem, cum Stetino sibi sumpsêre. Ex his inprimis Wartislaus Princeps fortissimus cum Danis & Henr. Leone pro libertate sua & Megapolitanorum, gessit diuturna bella: Quatuor Comites, Adolfum Holsatum, Christianum Oldenburgicum, Reinaldum Dietmarsum & Gunzelinum Suerinensem, obsidione Demmini depulit, Adolfò cæsò. Inde tamen se recipere coactus, cùm Leo Demminum & Wolgastum diriperet, hòc digressò, sua recuperavit. Verùm in ejus filio Bartholomæo linea defecit A. C. 1224.

RATIBORUS, fil. minimus natu Bogislao præfato geniti Subislai, cum fratribus Wartislao & Samboro, sua dicitur Cruciferis Borussiæ legâsse, quæ gravium bellorum origo. Vide in voce *Pomerania.*

RATIO Patrimonii, in vetere Saxo, SUPERPOSITO. MEDICORUM. EX. RATIONE. PATRIMONII. idem quod *Rationalis.* Unde *ex Ratione Patrimonii,* qui Ratio fuit patrimonii; quemadmodum *ex Consule,* qui Consul fuit. Dicebant autem, *Ratio patrimonii,* pro *Rationali*; sicut *Cura Prætorii* vel *Palatii,* pro *Curatore Prætorii Palatiique.* In *Vita* Claudii, *curam Prætorii unum,* apud Trebell. Pollionem, *c.* 14. Ovidius, *l.* 1. *Heroid. Ep.* 1. *v.* 104.

Tertius immundæ cura fidelis haræ.

Hinc *ἴδιος λόγος, Ratio privata,* Straboni pro *Λογιστής Rationalis* &c. Vide Salmas. *ad Spartian. in Severo, c.* 12. uti de Veterum more *rationem domesticam totius vitæ per dies singulos scribendi,* Casaubon. *ad Vespas. Suetonii, c.* 22.

RATIONALE, quod & *Logium,* in V. Test. quid fuerit, diximus suprà, in voce *Ephod.* In Ecclesia Romana quoque inter vestes seu ornamenta Episcoporum occurrit, quod cum Pallio idem facit Car. du Fresne, qui addit, haberi in Missa ab Illyrico editâ hanc orationem *ad Rationale,* cùm scil. illud Episcopus induit, sacra facturus: *Da nobis Domine virtutem tuam firmiter retinere, & doctrinam veritatis plebi tuæ dignè aperire,* in *Glossario.* Interim quibusdam tantùm Episcopis, non verò omnibus, *Rationale* hoc à Pontificibus Romanis concedi consuevisse, refert Ivo Carnutensis, *Serm.* 3. & certis aliquando sedibus, aliquando certis personis. De Sede Eystettensi, vide Philippum Episcopum Eystettens. in *Vita S. Willibaldi, c.* 23. De Archiepiscopo Montis regalis in Sicilia, Margarinum, *in Bullario Casin. Tom. II. p.* 199. Chappeavillus *ad caput* 40. *Ægidii Aureavallis Mon. Chartam* Innocentii II. quâ Adelberoni II. Episcopo usum *Rationalis*

tionalis certis diebus concessit, descripsit, in qua inter alia hæc habentur: *Et quoniam tanquam Aaron & locô Moysi es constitutus, eorum quoque dignitate participem constituimus*, & usum Rationalis, *postquàm in Episcopum consecratus fueris, personæ tuæ concedimus: statuentes ut eodem sacrô ornamentô intra Ecclesiam duntaxat his diebus utaris, qui in præsentis scripti serie præscribuntur, id est, Cœnâ Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, in Festo B. Joannis, in solennitatibus Apostolorum Petri & Pauli, Assumtione B. Mariæ, in Festo B. Lamberti, omniumque Sanctorum, Natali Domini, in Octavis ejusdem & Epiphania, in Purificatione B. Mariæ, in Dedicationibus Eccl. intra tuam Parochiam, & ordinationibus Clericorum, & in anniversario die Dedicationis Leodiensis Ecclesiæ*, apud eundem *in Gloss. cit.*

RATIONALIS, in veterib. *Inscriptionibus*, apud *Ammianum*, aliosque medii ævi Scriptores. Idem cum *Procuratore*: uti discimus ex Æl. Lampridio, *in Alexandro Sev. c.* 45. *Ubi aliquos voluisse Rectores provinciis dare, vel Præpositos facere, vel Procuratores, id est, Rationales*: & Commodo *in Epist. ad Albinum*, apud Capitolin. *in Claudio, c.* 2. *Super hoc ad Procuratores meos literas misi, quas ipse signatas accipies signô Amazoniæ, & cùm opus fuerit, Rationalibus dabis.* Nempe quos primi *Procuratores Principum*, eos sequens ætas *Rationales* dixit. Vide infrà in voce *Rationes.* Horum cùm duo genera essent, Procuratorem Rei privatæ seu Rationis privatæ, qui etiam *Dispensator rationis privatæ* dicitur in vetere *Inscr.* item *Ratio privata*, Græcis ἴδιος λόγος; à Severo Imperatore primùm constitutum vult Spartianus; cùm constet, jam sub Augusto rei vel rationis privatæ Procuratorem fuisse cognitum, ut superiùs ostendimus. Quod enim Strabo, *l.* 17. munus Ἰδίῳ λόγῳ hoc fuisse narrat, ἐξετάζειν τὰ ἀδέσποτα καὶ τὰ εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφείλοντα, *curare, ut bona caduca ac vacantia fisco Cæsaris advecterentur*; hoc omnino officium fuit ejus, qui *Procurator rei privatæ* dictus est, etiam posteriorum Imperator. ævô. Habuit autem hic Procurator vel Comes Rei privatæ, ut postmodùm dictus est, sub se *Rationales* & Magistros Rei privatæ, qui in singulis provinciis rem Principis privatam curabant. Unde *Rationalis Ægypti*, *Rationalis Africæ* & reliqui *provinciarum Rationales*, quos ἰδίους λόγους vocat *Strabo*, suberant Comiti & Magistro rerum privatarum; qui etiam privati Principis Ærarii administrationem obibat. Procuratores verò rei privatæ, Advocatos Fisci. *Rationales rei privatæ*, non diu in officio mansisse, sed citò mutatos fuisse, docet idem Spartian. ibid. *c.* 46. *Rationales citò mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret* &c. Vide Salmas. *Not. ad loca cit.* qui *ad Spartianum in Hadriano* etiam *Consularem rerum privatarum*, in vetere *Inscr.* occurrere pro *Rationali rei privatæ*, eosdemque Καθολικοὺς & horum officiales Καθολικιανοὺς, dictos esse, addit. Plura hanc in rem congessit Jac. Gothofredus *in Notitia Dignitatum Cod. Theodosiani.* Sed & *Rationalis*, de Monetariorum Præfecto; it. parte Mechanices, vide supra.

RATIONARIUM Imperii, ab Augusto institutum, descriptum habebat accuratissima diligentiâ, qui agri quibus colonis essent divisi, & quæ subseciva agrorum superessent, quæ dividi aliis possent. Hygenus *de Limitib. constituendis.* Vide quæ *de Tabulario Cæsaris*, & *Libro Beneficiorum*, qui pars hujus Rationarii erat, Suetonius habet & nos suprà diximus. Proin, quod diligenti Patrifamilias privatarum Rationum libri fuerunt, id sobriis & frugi Cæsaribus, quales inprimis Octavius, Vespasianus, Hadrianus, hi Commentarii fuêre. De Hadriano certè Spartianus. *c.* 20. *Omnes publicas rationes* inquit, *ita complexus est, ut domum privatam quivis paterfamilias diligens non satis novit.* Sic de Antonino Pio Capitolin. *c.* 7. *Omnium provinciarum rationes apprimè scivit & vectigalium.* Alexander verò Severus non agros tantùm, verùm & alia, quæ largiri Principes solent, habuisse descripta legitur, apud Æl. Lamprid. c. 46. &c. Vide infrà in voce *Rationes.* Simile quid in Anglia liber *Domesei* de quò suprà.

RATIONATORES, apud Belgas dicuntur, qui tam civiliter, quàm criminaliter, in tribunali Præpositi jus dicunt, vulgò *Redenaërs.* Vide Miræum *in Donationibus Belgic. p.* 549.

RATIONES, olim à Dispensatoribus diligenter exactæ. Petrus Chrysologus, *Serm.* 23. *De cœlestibus conditis, de horreis divinis rationem reddit.* Cicero *in Hortensio*, *Quid tu inquam soles, cùm rationem ab Dispensatore accipis, si æra singula probâsti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare.* Nec diligenter solum, sed & inhumaniter nonnunquam. Seneca *Ep. Audio circa horam tertiam noctis, flagellorum sonos. quæro quid faciat? dicitur rationes accipere.* Juvenalis, Sat. 6. v. 483.

Et cædens longi relegit transversa diurni,

Ubi antiquus Grammaticus *diurnum*, interpretatur *ratiocinium.* Nec aliò forsan respexit Christus Dominus. Matth. *c.* 18. *v.* 34. parabolâ usus servi, *quem herus tradidit tortoribus, quoad usque redderet universum debitum.* Quod autem Seneca nocturni temporis facit mentionem, hinc est, quòd Arcarius seu Dispensator singulis noctibus Domino seu Patrifamilias, totius diei expensas offerre tenebatur. Unde *ad Juven. loc. cit.* Scholiastes vetus, *Ratiocinium*, inquit, *diurnum accipit, in transversa charta scriptum.* Ut igitur constaret, *rationes* esse redditas, antequam cubitum iret Dominus, iis à servo sibi oblàtis subscribebat, computatis diligenter singulis & expunctis. L. Appulejus *Apolog. l.* 2. *neget eum rationibus villicorum, opilionum & equisonum solertissimè subscripsisse.* Quod usque adeo religiose observatum, ut servus, qui *à rationibus* Domino fuisset, testamentô ab eodem moriente manumissus, potuerit ab hærede in servitutem retrahi, nisi subscriptione probatas rationes ostendere potuisset. Scævola JC. *l.* 4. *ff. de statu lib.* & *l.* 41. *ff. de fideicommiss. libertat.* Et hic quidem, ut modò dictum, à *Rationibus*, item *Procurator*, sequiori ævô *Rationalis* dictus est, qui à cœteris servis *rationes* ipse capiebat. Petronius *Satyr. Jam ad Triclinium veneramus, in cujus parte* (Cella) *Procurator rationes accipiebat*: reique adeò domesticæ gerebat curam, quem proin malè Joh. Saresberiensis, *Policr. l.* 3. *c.* 12. cum *Secretario* confundit; rectiùs cum *Dispensatore.* Ita enim Suetonius, *in Galba, c.* 12. *Dispensatori breviarium rationum afferenti, paropsidem leguminum pro sedulitate ac diligentia porrexisse* &c. Transeo ad Principes, apud quos duplex horum hominum usus erat: Nam vel privatum Imperatorum censum administrabant, vel publicum provinciarum proventum. Unde notus in Historiis *Procurator* Cæsaris seu ut posteriores loqui amaverunt *Rationalis*: Constantinus Aug. scribit *Calippio Rationali trium provinciarum, l.* 5. *Cod. Theodos. de petit. & ultro datis*: Plin. *rationes Belgicæ procurare*, dixit: Æl. Lamprid. *in Alex. c.* 45. *Rectores provinciis dare, vel Præpositos facere vel Procuratores, i. e. Rationales ordinare.* Ὑπεύθυνοι isti, quasi *reddendis rationibus obnoxii, l.* 4. *C. de Cleric. & Episc.* quorum institutio prima à Constantino Cæsare, qui in universum *negotiis fiscalibus eos præesse* voluit, seu criminis illa seu rei pecuniariæ, ex Martiano colligitur, *l.* 8. *C. ad l. Jul. Maj.* & Jul. Capitolino *in Maxim.* Ausonius eorundem meminit *in parental. Carm.* 24. *v.* 9.

Scrinia Præfecti meritus, rationibus inde
Præpositus Libycis.

Atque isti quidem provinciis præerant: de privatarum facultatum *Rationalibus* Corippus, ubi *de laudibus Justini Minoris, l.* 1. *num.* 1. agit, sic:

Mente placens Dominis, sacris rationibus aptus.

Et licèt *Rationalis* appellatio, ut dictum, non nisi sequiore reperiatur ævô, res tamen vetustissimo in usu fuit. Antiquum marmor, *D. M. Abascanto. Augusti. Lib. Æditno ædis. Neptuni qui. est in. Circo. Flaminio. Flavius. Abascantius & Pallas. Coss. N. Ser. Adjutor. à Rationibus. Patr. pissimo. fecit.* Nempe in domo Cæsarum Libertus pro more huic muneri præficiebatur; ut ex veteri quoque marmore Lanuvino patet, cujus inscriptio *T. Aurelio, Aug. Lib. Aphrodisio. Proc. Augusti. à rationibus.* Vide quoque Inscript. aliam in hortis Carpens. apud Manutium *Orthogr. p.* 683. Hinc Sueton. *Claudio, c.* 28. *Sed ante omnes* (Libertos) *Narcissum ab Epistolis & Pallantem à rationibus; quos decretô quoque Senatus, non præmiis modò ingentibus, sed & Quæstoriis Prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est.* His inserviebant *Calculatores* servi, à *calculis* seu minutis lapillis dicti, quos antiqui in manu tenentes numeros componebant, de quibus, ut & tota Veterum computandi ratione, prolixè Pignorius, *Comm. de Serv.* Sed & eorum qui provinciis præerant, originem haud paulo antiquiorem esse, quàm credidit Spartianus suprà laudatus, Suetonius indigitat, cùm Augustum Principem, depositurum Imperii administrationem, *reddidisse Rationarium* ait, *c.* 28. Imò & stante adhuc Rep. sumptus annuos seu census Civitatis, positâ in Foro hastâ, à Consule exigi fuisse solitos, docet Ovid. *de Ponto, l.* 4. *Eleg.* 5. *v.* 19.

At Populi censum positam componet ad hastam,
Et minui magnæ non sinet Urbis opes.

Vide Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 5. *c.* 28. Conficiebant verò, ut & hoc addatur, *Rationes* Romani *ad denarium*, in quibus æs excurrens partibus assis notabant & appellabant: Aliquando *ad sestertium* etiam, ubi æs excurrens vocabulis minutiorum quondam argenteorum nummorum circumscribebant. Erat, ubi *ad victoriatum* quoque conficerent: in quibus nunc æris partibus, ut ad denarium; nunc argenteolorum nominibus, ut ad sestertium, æs excurrens nuncupabant. Quæ omnia Negatiatores, Nummularii, Dispensatores, imò omnes liberè educati, tam parata habebant ac prompta, ut etiam multo citiùs, quàm nos fortè simplices assium numeros, vel scriberent vel computarent. Etiam pueri ediscebant, cum primis jam literarum elementis; unde de Helvio Pertinace Imperatore Jul. Capitolin. *c.* 1. *Puer*, inquit, *literis elementariis & calculô imbutus.* Et Isidor. *l.* 1. *Orig. c.* 3. *Primordia Grammaticæ Artis, literæ communes existunt, quas Librarii & Calculatores sequuntur, quorum disciplina velut quædam Grammaticæ Artis infantia est.* Horatius lepidè *de Arte, v.* 325.

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superest? poteras dixisse, triens. En,
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?
Semis,

Quam in rem, præter Pignorium præfatum consule inprimis Joh. Frid. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 3. *c.* 12. Vide quoque suprà voce *Polipticæ*, it. *Polyptycha*, in quæ omnia ad *rationes publicas* spectantia regeri consuevêre.

RATISBONA, vulgò REGENSPURG, ad fluv. Regen, urbs Vindeliciæ Episcopalis sub Archiepiscopo Salisburgensi in Bavaria inferiore ad Danubium, libera, pervetus, populosa & ampla, ubi Imperii Comitia fiunt. Olim *Augusta Tiberii*, teste *Aventinô*, utpote à Tiberio Cæsare condita, & *Colonia Quartanorum* dicebatur, quòd quarta legio Italica hic stationem firmam haberet. Paruit olim Bojorum regibus, quorum etiam sedes fuit, sed imperante Fridericô I. libera facta, post Henricum Leonem proscriptum & Bavariam Ottoni Witelspachio concessam, vectigalia tamen portoria non asseruit, quæ hodieque partim Bojorum Principes, partim cives ex pacto obtinent. In limite est Palatinatus superioris 15. milliar-

milliar. German. à Monachio in Boream, 17. suprà Patavium in Occasum 16. ab Augusta Vindelicor. in Caeciam S. Petrum Patronum agnoscit, unde etiam insignia habet Claves decussatim positas. Ponte Danubium hic junxit Henricus V. Imperator, A. C. 1135. cui, quoad pilas altosque fornices, similem alium neque Danubius, neque Rhenus habet. Privilegiis insignibus donata est, à Friderico II. Carolo V. Rodolfo II. Imperatorib. Hic quoque Primislaus Bohemiæ Princeps, sordidò amictu victum ex gestatione lapidum, in fabrorum murariorum usum, quæsiisse, postquam duplici prœliò victus esset, A. C. 1197. refert Dubravius, *Hist. Boh.* Matthias verò Imperator, Comitiis habitis, Protestantes, ob gravamina inprimis Consilii Aulic. & Cameræ Imperial. non sublata, offendit, A. C. 1613. A Lucio Cyrenæo, Pauli Apostoli discipulo, Christianismum est edocta circa A. C. 69. dein Episcopatus hic institutus fuit, à Carolo M. de cujus in civitatem juribus, Vid. Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 46. Ibidem Concilium à Carolo M. celebratum est A. C. 792. contra Felicem Urgelitan. Elipandi socium. Vide Hundium, *in Metrop. Salisburg.* Cluver. *descripc. Germ. &c.* Colloquium ibidem inter Augustanæ Confessionis Pastores & Jesuitas, institutum est à Maximiliano Bavaro, A. C. 1601. ubi ex parte illorum Ægidius Hunnius & Jac. Heilbrunnerus; horum Albertus Hungerus & Jac. Gretserus collocutores fuère: Absolutum id 16. sessionibus, actumque tantùm de auctoritate S. Scripturæ: Sed, cùm Augustani non aliam fidei normam, aliumque controversiarum Judicem, quàm Scripturam agnoscere vellent, re infectâ discessum est. Vide Thuan. *Hist. l.* 126. Augustana hic Confessio floret.

RATOMAGUM, oppid. Galliæ Celticæ in finibus Biturigum, *Ramorantin* Ortelio. 11. leuc. ab Aurelianis Lemovicos versus, inter Bituricas & Blesas 12.

RATOSTATHYBIUS, fluv. Albionis, *Ptol.*

RATRA[illegible]US, seu BERTRAMUS, vel INTRAMUS, Monachus Corbiacensis, & Presbyter. floruit Seculò 9. sub Carolo Calvo. S. Scripturarum scientissimus, & in humanioribus quoque literis probè versatus, Tritbem. *Catal. Script. Ill.* judiciò acri, eruditione, ac pietate inclytus, Scripsit *de Prædestinatione*, *de Corpore & Sanguine Domini Nostri Jesu Christi* quò opere, Rabani Mauri sententiam, contra Oralem Manducationem in S. Cœna jam tum doceri cœptam, Imperatoris jussu tuitus est, &c. Vide scripta hac de re insignis Theologi, Claudii, Reformatæ Eccles. Parisiensis Administri, &c. Item Hospinian. *in præf. ad libr. Concord.*

RATUMENUS, auriga, qui cum in ludis Circensibus excussus fuisset, equi ejus cum corona & palma in Capitolium pervenerunt, sedemque ter lustrârunt. Ex quo factum est, ut porta, per quam intraverunt, *Ratumenia* diceretur.

RAV. in nummis Heraclii & Constantini, *Ravennæ* nota. Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus.*

RAVA, urbs & Palatinatus Poloniæ majoris tota lignea, cum arce. 11. leuc. Polon. à Plocaca in Meridiem, 15. à Varsavia in Occasum. Probè culta cum arce ad Ravam amnem.

RAVANUS Jacobus, vide *Jacobus.*

RAUBA, vide infrà *Reba.*

RAUCA Tonitrua, apud Statium, *Theb. l.* 2. *v.* 39.

> ——— *summos nec prapetu ala*
> *Plausus adit colles, nec* rauca tonitrua *pulsant.*

sunt ingentem inconditumque fragorem excitantia. Omnis enim sonus inconditus ac ingratus Poetis *raucus* est. *Rauci fluctus*, apud Horatium, *l.* 2. *Carm.* 14. *v.* 14. *rauca saxa* maris, apud Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 866. *rauca flumina*, apud Lucanum, *l.* itidem 5. *v.* 218. *raucus Aquilo*, apud Martialem, *l.* 1. *Epigr.* 50. *v.* 20. magis propriè *rauci ursi*, apud Statium eundem, *Theb. l.* 11. *v.* 29. &c. Vide Barthium. *Animadvers. ad eum d. l.* uti *de raucedine à Veterib. curatâ* suprà *Fauces.*

RAUCANUM, vide RAURANUM.

RAUCIACUM, vulgò RAUCI, locus Campaniæ Gallicæ cum titulo Comitatus, à Ragenoldo Comite olim munitus. Villa quondam regia, ubi Carolus Rex dona annua suscepit, A. C. 851: Sedet ad fluv. Axonam, ejusque Comes quartus fuit de septem Comitibus Paribus Campaniæ. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RAUDA, oppid. præclarum Hispaniæ Tarraconensis in Vaccæis, ad Durium fluv. in Castella veteri. Vulgò *Aranda di Duero.* Inter Uxamam ad Ortum 10. & Vallisoletum in Occasum 16. leuc. à Burgis 14. in Austrum.

RAUDUM Æs, imperfectum Veteribus dicebatur ac rude. Unde in venditionibus mancupi scriptum erat, *Raudusculo libram ferito* Festus; ad quem vide Scaligerum.

RAVENNA, urbs Galliæ Togatæ, Æmiliæ archiepiscopalis & metropolis apud oram litoream, ubi rhombus laudatissimus, Plin. *l.* 3. *c.* 16. inter Ferrariam 50. & Ariminum in ortum 35. mill. pass. à Bononiâ 45 ab Anconâ. 102. Ἀρχαίαν πόλιν vocat Geographus, *l.* 5. Unde Claudian. *de* 6. *Cons. Honorii*, *v.* 494.

> *Dixit, & antiqua muros egressa Ravenna*
> *Signa movet, jamque ora Padi, portusque relinquit*
> *Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus*
> *Æstuat, & pronas puppes nunc amne secundô,*
> *Nunc redeunte vehit, nudataque litora fluctu*
> *Deserit, Oceani lunaribus amula damnis.*

Silius Italicus, *l.* 8. *v.* 601.

> *Quisque gravi remo limosis segniter undis*
> *Lenta paludosa proscindunt stagna Ravenna.*

Sidonius Apollinaris, *Carm.* 9.

> *Undosa petiit situm Ravenna.*

Nempe inter marinas paludes dulcibus aquis destituebantur Ravennates: Martialis. *l.* 3. *Epigr.* 56.

> *Sit cisterna mihi, quam vinea, malo Ravennæ:*
> *Cum possim multò vendere pluris aquam.*

Ranarum, culicumque multitudinem in his paludibus, adnotavit idem Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 93. *v.* 8.

> *Meliusque ranæ garriant Ravennates,*
> *Et Hadrianus dulcius culex cantet.*

Strabo, *l.* 5. Ἐν δὲ τοῖς ἕλεσι μεγίστη μέν ἐστι Ῥάβεννα. Condita à Sabinis, *Plin.* annò post diluvium 480. Hic desidi Honorio, pugnacemque gallum urbi Romæ, tum ab Alarico captæ, præferenti, imperium victor abrogavit, A. C. 410. Dein sedes Theodorici Gothorum Regis, qui post triennii obsidionem Odoacrum ad deditionem coegit, A. C. 490. Exin postquam Viriges Gothorum Rex, victus à Belizario, & expugnatâ urbe captus est, A. C. 540. Exarchorum fuit, quos in Italiam Imperatores Orientis miserunt. Horum primus Longinus, a Justino missus huc venit, A. C. 568. Huic sucessêre Smaragdus, Romanus, Callinicus, Smaragdus iterum, Johannes Remigius, Eleutherus, Isaacus, Theodorus Calliopas, Olympius, Theodorus Calliopas iterum, alius Theodorus, Johan. Plato, Theophylactus, Johannes Rhizocopus, quem cives à Papa, qui Philippicum Bardanem excommunicaverat, excitati interemerunt, A. C. 712. Scholasticus & Paulus: Sub quo, ductu Luitprandi Regis urbs à Longobardis capta, sed recepta est, A. C. 727. Venetorum ope. Eutyches, ultimus Exarchus Paulo successit, quem totâ Italiâ pepulit Aistulphus, Longob. Rex A. C. 752. quò victò, Pipinus Exarchatum sub Stephano II. Pontificiæ sedi donavit, A. C. 756. Proin hodieque Romandiolæ caput est. Sensim deficit, insignis victoriâ Ludovic. XII. A. C. 1512. Sub Pontifice, aliàs in littore, nunc 3. milliar. ab ora recedit. *Baudrand.* Ravennates ob Fanenses cum Venetis bellum gesserunt, A. C. 1140. Episcopus urbis, quòd à Valentiniano Imperatore laneò donatus esset palliò, quali solus utebatur Imperator, Celestino Leonis M. successori, qui Primatum Papæ acriter propugnabat, eum dubium reddidit. Verùm Constantinus Pogonatus Imperator, Benedicti II. sanctitate permotus, non solùm Clero Romano pecuniam pro ordinatione Episcopi debitam remisit, sed Ravennatem etiam Episcopum, ut se ei subjiceret, jussit, A. C. 684. Vide Sigon. *Histor.* Lætum *Comp. Histor. Univers. &c.* Hic porta ex marmore, & templum præcipuum quatuor istiusmodi columnarum ordinibus innixum: Concilium quoque habitum A. C. 901. quò Lambertus Imperator, seu Italiæ Rex confirmatus est, & A. C. 967. quò collapsum Ecclesiæ statum instauraturus Otto M. Johannem XIII. gravissimorum criminum reum, deposuit, substitutò Leone VIII. Luitpr. *l.* 3. *c.* 12. & *l.* 6. *c.* 7. Sigon. *l.* 7. *&c.* Adde Leandr. Alb. *descr. Ital.* Rubeum. *Histor. Rav.* Ughel. *Ital. sacr.* Ejusdem in veterib. nummis mentio, in quibus RA. vel RAV. it. RVPS. occurrit, quòd *Ravennæ* illi cusi, ut videre est suprà.

RAVENNAS Johannes, vide *Johannes.*

RAVENNATINUS Georgius, vide *Georgius.*

RAVENSBERGA, oppid. Westphaliæ, Comitatus cognominis Caput, sub Electore Brandeburg. In colle, 13. mill. pass. ab Osnabrugo in Meridiem, Padebornam versus 32. circiter, 30. à Monasterio in Ortum, Mindam versus. Extenditur hic Comitatus ad 20. mill. pass. inter Diœceses Monasteriensem Osnabrugensem & Mindensem, ac Comitatum Eemgoviensem. Ditionem, olim hanc proprii Dynastæ Comitesque habuêre. Meminerunt enim *Juliacens. Annales* præter Ludovicum Osnabrugensium Antistitem, ex Ravenspurgiis Comitibus, Eberhardi atque Ottonis ejusdem gentis Dynastarum; quorum iste exercitum Henrici Aucupis, contra Hunnos, secutus, institutis pòst Magdeburgi A. C. 935. ab isto Equestribus ludis; alter similibus ludis Coloniæ celebratis A. C. 1179. Interfuerint. Ab hisce, defunctô sine filiis Ottone, ad Juliacenses Bergensesve devenisse referunt, Margaritæ Ottone prognatæ sive beneficiò, sive occasione saltem, ad domum istam, cui illa innupserat, Cæsaris sponte translatam. Sed alium hunc Ottonem fuisse, inde conjicere licet, quòd Elisabetham, eâdem familiâ ortam, Henrico Comiti Hennebergico Juliacensium *Annales* sociant, qui mortalitati annò demum 1261. paruerit, quod ab Ottonis istius ætate nimiùm distare videtur. Quidquid ejus sit, ab Ottone quodam ad Bergenses abiisse ditionem hanc certum est; quam posteà à Guilielmo Bergensi, adeoque antequam Juliaci quoque Bergensemque Ducatum Clivensis familia adipisceretur, Adolphus Clivensium Ducum primus obtinuit, pretium libertatis, quod victus iste, captusque ab Adolfo, victori obtulerat. Hodie cum Marcæ Comitatu & Dominio Ravenstenio, subest Electori Brandeburgico, ex formula pacti cum Principe Neoburgico initi A. C. 1666. Tob. Pfannerus, *de præcip. Germ. Principp. Gentibus*, *c.* 2. &c. *ubi inter Saxoniæ Ducum titulos etiam hos comparentes eruditè exponit.*

RAVENSBURGUM, urbs parva Imperialis, in Suevia, ad amnem *Schuss*, in valle amœna, 6. milliar. German. à Constantia in Ortum, Memmingam versus totidem, 3. à Lindavia in Boream, uti 3. à Vagena, in Algea tractu. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 48.

RAVESTEINUM, oppidul. Brabantiæ, ad Mosam, cum regiuncula adjacente, in limite Geldriæ, juris Neoburgici: Sed à Batavis servatur, 1. leucâ à Gravia in Occidentem, 4. à Sylvâ-Ducis in Ortum, Neomagum versus.

RAVENSTENIUM, German. *Ravenstein*, nomen Dominii seu Dynastiæ, in Germania, quæ quò tempore, quâ ratione & cujus

pri-

primùm Ducatus accessio facta sit, ignoratur. Memorantur falsem in Historiis Adolphus, & inprimis Philippus Ravensteinius, Cominæo maximè celebratus, at uterque ex Clivensium familia orti; quibus terra ista, ut verosimile, à patribus, fratribusque natu majoribus, sustentandæ vitæ fortè concessa. Jam cum Marcæ ac Ravenspergæ Comitatibus Electori Brandenburgico, uti modò dictum, paret. Quamvis enim post varias dissensiones, & resumpta aliquoties arma, re inter Electorem Brandeburg. & Ducem Neoburgicum compositis, A. C. 1666. *Ravensteinia* causa ad arbitros remissa esset posteà tamen & de hoc conventum, vide *suprà*.

RAUGA, vulgò ROYE, castrum diœcesos Ambianensis in Gallia. In *tabul. Theodos.* videtur *Rodium* dici. Certè & Rodium, aliàs Rode, oppid. Hainoënsium in sylva Carbonaria dicitur, vulgò *Reux*, Comitivæ titulò illustre, in Camaracensi diœcesi, extramuranâ Abbatiâ. Foillani illustre. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

RAVIUS, lacus Hiberniæ, fluvium cognominem emittens in Occident. per Connaciam fluentem, & inter Dumbrosam, ac Dungallam urbes in Oceanum labentem, *Ptol.* *Erne* ex tabulis recentiorib.

RAVOLI Versus, à *raucitate* Latinis scitissimâ voce dicti sunt, qui aliàs *streperi*, Græcis *ῥαυκοί*, quasi *queruli* aut querqueri, sunt appellati. Ut,

> *At tuba terribili sonitu procul ære canorò*
> *Increpuit* ———

De quibus vide Scaligerum, *Poëtices l. 2. c. 32.*

RAUOSIS, Thebanorum in Ægypto Rex XIII. Vide *Chronicus Guerrus.*

RAURACI, qui & *Raurici*, & *Rauriaci*, populus fuêre Galliæ Lugdunensis, nunc German. Helvetiis finitimi. Cæsar, *Comm. l. 1. c. 5. de Helvetiorum expeditione loquens: Persuadent Rauracis, & Tulingis, & Latobrigis, finitimis suis, &c.* Plin. *l. 4. c. 12.* ubi de Danubio: *Ortus hic in Germaniæ jugis montis Abnobæ, ex adverso Rauraci Galliæ oppidi*, & *c. 17. ejusdem libri: Mediomatrices, Sequani, Raurici, Helvetii.* Fuêre igitur in Rheni ripa, inter Helvetios ac Sequanos. Hi oppidis suis, vicisque exustis, unà cum Helvetiis domô emigravêre, capitum millia 23. quos C. Julius Cæsar in fines suos reverti, & oppida vicosque incensos restituere jussit: Eisdem ac Bojis 30. mill. hominum ad Alesiam obsidione liberandam esse imperata, idem Cæsar scribit: Oppida tempore Plinii Rauracos nulla habuisse, nisi unum, testis est ipse ubi supra; nam si plura fuissent, nomen huic proprium tribuisset, quô ab reliquis discerneretur. Ne Ammiani quidem ævô plura fuisse existimo. Sic enim ille, *l. 14. Prope Rauracum ventum est, ad supercilia fluminis Rheni. Ptolemæus* vocat *Αὐγοῦσταν Ῥαυρικῶν*, *Antoninus*, ac *tabula Itineraria*, *Augustum Rauracum*, ab Augusto, Coloniæ forsitan amplificatore: Plin. *l. 4. c. 7. Coloniam Rauriacam*, à L. Munatio Planco Consule deductam. Nomen *Augusta* in vulgari usu permansit. Sequanis, i. e. Provinciæ Maximæ Sequanorum attributa, ab Ammiano, *Histor. l. 15.* & quia sedes Episcopatus fuit, *Civitas Rauracensis* non immeritò in *Notit. Veter.* dicitur. Concilio Agrippinensi Justinianus Rauricorum Episcopus interfuit: posteà Basileæ vicinam urbem, ab Alanis, Suevis, Burgundionibus, Vandalis & Alamannis Gallias ingressis captam prius, ac pessimè habitam exhausit, atque Episcopatus Basileam translatus, aut potiùs ei adjunctus est. Extat etiamnum eôdem locô pagus admodùm exiguus, vulgò *Augst* dictus, 6. mill. pass. suprà Basiliam situs, ad confluentem Rheni & Egertii: ubi Rhenus primùm inflectitur, & ab Occasu cursum ad Septentrionem convertit. Hic ingentis quondam urbis & clarissimæ coloniæ Romanæ rudera visuntur, certissimum pristinæ magnitudinis argumentum. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.* Juliani tempore urbem destructam fuisse, patet ex Eunapii Sardiani historia; qui ita de Juliano: *Ἦδη δὲ ἦν πρὸς τοῖς Ῥαυράκοις ὁ ἱερὸς Ὀψίμων.* Videsis Cluver. *de Ant. Germ. p. 353.* Incolæ hodie *Basler* sunt Tschudo in territorio Basiliensi. *Baudrando* inter Arolam fluv. & Juram montem in limite Germaniæ superioris ubi nunc pagus Basiliensis & 4. urbes Sylvestres. Ejus urbes fuêre Augusta Rauracor. & Arialbinum, seu Basilea, ad flexum Rheni, ubi in Boream tendit. Vide quoque infrà in *Raurici.*

RAURANUM, seu RARAUNUM, oppid. Pictonum, in Aquitania, nunc *Rom*; oppidul. ad Divam amnem, ferè 35. mill. pass. ab Ingulisma in Boream, 5. leuc. à Fano S. Maxentii in Eurum.

RAURICI, vel RAURACI, populi veteris Galliæ Celticæ, quorum tractus *Urichia* in valle Jurassi, antiquum nomen redolet. An quasi *Rauchbracher*, quòd terra prope Rauricam August. in asperas cocat fauces? an quasi *Rauchaker*, à soli asperitate & tenacitate? Regio eorum, inter Helvetios & citeriores Sequanos, Rhenô flumine terminata, provinciæ Sequanorum magnæ à Romanis quondam attributa est: Triquetra est, namque versus Ortum & Occidentem in binos contrahitur, & quasi fastigiatur, angulos, tertiò versus Boream protenditur. Majus Austrinæ plagæ objectum latus, Jura mons repræsentat; reliqua latera, Rhenus quidem versus Septentrionem, & Ortum, Birsa verò fluv. ad Occasum claudunt. Ortivum angulum Confluentia Helvetica tenet: In Occiduo cardine, sunt Portæ rupis perforatæ, quæ Rauricos cum Aventicis committunt: Borealem angulum Basilea occupat, sub elevatione poli 47. graduum cum besse. Terra hæc omnis ferè montibus obducta est, utpote à Jurasso plurimis rupibus & collibus, ramorum instar emissis, exasperata, fertilis tamen in plurimis montium atque convallium locis & egregiè habitata. Solus tractus circa Deli oppidum, vulgò *Delsperg* ad Portam usque petræam asperior est. Flumen in mediterraneis nullum præter Ærgitiam, non tamen ratium potentem. Sub Cæsare Raurici, gens tum libera, unà cum Helvetiis, novas sedes quæsitum, ad 23000. regione flammis vastatâ emigrârunt. Victi, Romanorum passi sunt jugum: sub Augusto colonis huc missis res eorum augustiores esse cœpêre, princepsque urbs, jam pagus exiguus, amplior reddita est. Sequentibus seculis, Alemanni in has partes concessêre, quorum rebus Francicâ potentiâ obtritis, regio Austrasiæ regno contributa est. E quorum principum posteritate, ante secula aliquot terræ hujus imperium habuerunt Comites Rinfeldenses, Habspurgii, Homburgenses, Uroburgenses, Tiersteniani, & Sogerenses. Harum familiarum quas primæ duæ possederunt, ad Austriorum Archiduces: quas intermediæ, ad Basilienses, devolutæ sunt: reliquarum ditiones partim ad Episcopum Basileensem, ad Solodurenses partim pervenêre.

RAURICÆ REGIONIS URBES, ARCES, PAGI CELEBRIORES:

Augusta Raurica, caput olim gentis, nunc viculus, hodieque *Augst.*	Sacconium, *Säckingen*, oppid.
Basilea, in prioris locum successit, *Basel.*	Telimontium, *Telsperg*, oppid.
Birseck, Dorneck, Gilgenberg, Homburg. — Arces.	Silgoja, tractus in agro Basileensi.
Lauffena, Lauffenberga, Liechtstallum, — Oppida	Sougeres, vicus.
Monchenstenium, castrum cum pago.	Varnspergia arx, caput Comitatus cognominis
Ramstenium, arx.	Vroburgum, arcis rudera.
Rinfeldia, oppid.	Waldenburgum, oppid.
	Waldshutum, similiter.
	Wartenburgum, arx eversa.
	Wildenstenium, castrum fossis munitum.
	Zuingense castrum, Birsæ imminens, &c.

COENOBIA RAURICA.

Bellelagium, *Belleley.*	Rothusium.
Grandis vallis, *Menster in Granvalt.*	Olspergium.
Beinwila, *Beinwiler.*	Iglinga.
Lucela, *Lützel.*	Vallis speciosa, *Schönthal.*
Michelveldia.	Seckinga, universæ regionis antiquissimum & nobilissimum.
Arcta vallis, *Engenthal.*	

E quibus Michelveldia jam Pandochium est; Arctâ valle, Beginæ expulsæ sunt, A. C. 1411. Rothusii sodalitium aliquot eremiticam vitam profitentium jamdudum defecit: Iglinga solò curatore hodie administratur, nomine Abbatissæ Olspergensis. Vide Christ. Urstisium, *Epit. Hist. c. 1. 2. 3. 4.* & suprà *in Munatius Plancus*, Item *Rauraci.*

FAMILIÆ ILLUSTRIORES, QUARUM DOMINIA IN HOC TRACTU FUERE.

Bernovii, Bubendorfii, Efringii, Eptingenses, — Nobiles.	Monachi, Nobiles
Falcostenii, Barones	Ramstenii, Barones
Habspurgii, Homburgii, — Comites.	Rigoltschwiler, Nobiles
Kienburgii, Barones.	Rinfeldii, Sougerii, — Comites.
	Tierstenii, Vroburgii, — Comites.
	Zilempii, Nobiles, &c.

RAUSIMODUS, Sarmatarum Rex victus à Constantino M. & occisus, A.C. 321. Eutropius, *l. 10. &c.*

RAUWOLFIUS Leonhardus, Augustâ-Vindelicus, Medicus & Botanicus insignis, Senatùs permissu. Orientale iter ingressus A.C. 1573. Syriam, Judæam, Arabiam, Mesopotamiam, Babyloniam, Assyriam Armeniamque perlustravit, nec solùm mores ac sacra incolarum, sed herbas & alia ad rem Medicam facientia, observavit collegitque, editô *Hodæporicô* seu *Itinerario Orientis.* Reversus ad suos A.C. 1576. duodecenniô pòst, cùm omnibus ad Romanam Ecclesiam transire nolentibus stipendia renuntiata essent, ille utpote Reformatæ Religioni addictus Lincium commigravit, Poliatri ibi Archiducumque Archiatri officiô functurus. Floruit circa A. C. 1588. Melch. Adami, *Vitis Medicorum.*

RAX, Lyciæ insula, *Stephan.*

RAY, fluv. regni Mogor, *Natal. Metel.*

RAYME, apud Peruanos, mensis est anni primus nostro Decembri respondens, quô festum *Catapaclayme* celebrare consueverunt, ut auctor est Hugo Linschottanus, *Hist. Ind. Occid.* Vide suprà in voce *Catapaclayme.*

RAYMUNDUS de Pennaforte, Gregorii IX. Capellanus, jussu Pontificis, ex omnibus Compilationibus anterioribus, congessit *Collectionem Decretalium sextam*, quæ in Corpore Juris Canonici exhibetur: insertis quoque iis, quæ in præcedentibus omissa erant; item quæcunque ab ipso Gregorio sunt constituta: Quæ ille multa ex jure Civili hausit & non consultus respondit; quæ causa, quòd ejus Constitutiones sæpe ad neminem dirigantur. Sed & multa detraxit *Raymundus*, quod particulæ hæ in Decretalibus, ET INFRA affatim ostendunt. Fuit autem Catalaunus, patriâ Barcinonensis, ex Regibus Aragoniæ oriundus, Ordinis Prædicatorum III. Magister Generalis & Gregorii Pœnitentia-

tentiarius, cujus præter Decretalium istam Collectionem, extat *Summa de Casib.* Romæ excusa A.C. 1603. Obiit 1275. à Clemente VIII. in Sanctorum Ecclesiæ Romanæ ordinem relatus. Vide Gerh. von Mastricht, *Histor. Juris Eccl.* §. 353. & *seqq.* ut & suprà in voce *de Pennaforte*, nec non in *Raimundus*.

RAZENBURGUM, Urbs Saxoniæ inferioris, sub proprio Duce ex Familia Ducum Saxoniæ inferioris & Angriæ seu Lauenburgi: Nactus eam Augustus, filius Francisci Junioris ex Elisabetha Sophia Holsata suscepit Sophiam Margaretam, (quæ nata A.C. 1622.) Franciscum Augustum (qui natus A.C. 1623. obiit A.C. 1624.) Annam Elisabetham (quæ nata A.C. 1624. nupsit Wilhelmo Christophoro Hassiæ Landgravio) Sibyllamque Hedvigen (quæ nata A.C. 1625. uxor est Francisci Erdmanni patruelis) Spenerus, *in Theatro Nobil. Part. I. p.* 111. Vide in voce *Ratzeburgum*.

RAZIAS, ex Judæorum Senioribus unus, qui, postquàm Antiocho aliquandiu strenuè restitisset, sibi ipsi tandem, ne in hostis manum deveniret, necem conscivit, 2. Macchab. *c.* 14. *v.* 37. 41. 42. 46. Torniel. *A. M.* 3893. *num.* 5. & 6.

RAZO, fil. seu agnatus Critonis Augiorum Principis & Obotritorum Regis, Patri fraude uxoris Slavinæ occiso successit, *Razeburgum* condidit, multaque bellô præclarè gessit. Pater Jaromari, post Vinetam destructam, Stralsundi conditoris & Suantevitî idolô contemtô, Christianæ apud suos fidei Auctoris: à cujus fratribus Tetzlavo & Storislavo Putbuschii Barones derivari amant. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Histor. in Fam. Vandalica*, & de Baronibus memoratis, *in Theatro Nobilit. Europ. ubi Wolfgangi Henrici, Ertmanni & Ernesti Ludovici, Fratrum germanorum, Baronum de Putbusch, Ernestô Ludovicô & Magdalenâ Eberstenià Comitib. genitorum, προγονολογίαν exhibet, part.* 2. *p.* 119.

RAZON, fil. Eliad, 1. Reg. *c.* 11. *v.* 23. Latinè *tenuis, macilentus*, vel *secretum*, aut *secretarius*, sive *princeps*.

RB. in nummis Constantii, *Roma* nota est. Ni B. pro P. *percussam* designet, Car. du Fresne *de infer. ævi Numismat.*

R. F. E. D. *rectè factum esse dicitur*: R. F. E. V. *rectè factum esse videtur*; REG. *Regi*: REI. M. *rei militaris*: R. G. F. *Regis filius* &c. in notis antiquis denotat, Franc. Gouldmannus, *Diction. Lat. Angl.* &c.

REA, Insula Galliæ in Oceano Aquitan: & ora Santoniæ, seu meliùs Alnetensis tractus, à quo 2. leucis abest, 3. à Rupella in Occidentem extensa ad 4. leucas ab Euro in Circium. Ibi locus præcipuus Fanum S. Martini, aliàs arx munita. Sunt & aliæ in illa arces. Antiquis *Reatus* insula, Hollandis, *S^t Martin Eylant*.

REAFAN, vexillum paganorum Britannorum, *corvi* imaginem habens adpictam, qui Anglo-Saxonicè *raven* dicitur; de quo sic Asser *de Aelfredi Rebus gestis*, *Dicunt enim, quòd in omni bello ubi praecederet idem signum, si victoriam adepturi essent, appareret in medio signi quasi corvus volitans. Sin verò vincendi fuissent, penderet directè nihil movens.* Adde *Encomium* Reginæ Emmæ *p.* 169. laudatum Car. du Fresne *Glossar.* Spelmannus *Reafan* emendat.

REALES, Scholasticorum secta, Nominalibus oppositi. Postquàm enim Guilielm. *Occam* Anglus, dictus primò *Venerabilis Inceptor*, deinde *Doctor singularis*, tandem *Doctor Invincibilis*, quartam Scholasticorum sectam, quæ *Occamistarum* dicta, orsus esset; unà cum Rucelino *Universalia mera esse nomina, non res*, contra Scotistas acriter contendit, hinc duæ novæ Scholasticorum sectæ, *Nominales*, qui ejus sequebantur placita, & *Reales*, qui Scoto adhærebant, ortæ, tantis sæpe inter se concertationibus desævierunt, ut non rarò à verbis ad verbera, à syllogismis ad saxa devenirentur. Id quod Heidelbergæ contigisse, ubi contigua utrique Collegia habebant sive *Bursas*, ut tum loqui moris erat, testatur Aventinus, *Annal. l.* 4. *Quàm miserabilis id ævi Philosophia fuerit facies, volumina ab utrisque Sectæ asseclis emissa non male minùs, quàm barbarie tremenda, luculenter ostendunt*, verba sunt Georg. Hornii, *Histor. Philos. l.* 6. *c.* 5. Vide quoque suprà *Nominales*.

REAMA, urbs Arabiæ Fœlicis, distans ab Adena, unius diei itinere: Ejus ager, si lignum demas, fertilissimus est. Narrant qui superioribus annis ea loca frequentavêre, esse in eis vervecum quædam genera, quorum cauda pondus habeat quadraginta quatuor librarum, cornibusque carere, pinguesadeò, ut incedere nequeant. *Natal. Metel.*

REATE, oppid. aliàs Sabinorum, nunc Umbriæ; vocabulum ejus indeclinabile, ut *Ateste, Tergeste, &c.* nisi quòd ea habeant genitivum in *tis*. Græcis autem ὁ Ῥέατος, ut Præneste ὁ Πραίνεστος. Hinc Straboni, *l.* 5. obliquus casus est τοῦ Ῥέατου, ac Dionysio, *l.* 1. aliquoties, ἀπὸ τοῦ Ῥεάτου. At *Stephani epitomator* habet: Ῥεάτιον, πόλις Ἰταλίας, τὸ ἐθνικὸν Ῥεατῖνος. Ejus meminit Silius, *l.* 8. *v.* 365.

——— *Hunc Foruli, Magnaque Reate dicatum*
Cœlicolùm matri. ———

Hinc Reatinus ager, Plin. *l.* 2. *c.* 95. *Campo pendente*, Baccio. Oppidi vetustissima est origo; quòd Aborigines, à Sabinis urbe suâ *Listâ* pulsos, intra sese recepisse. Dionysius, *l.* 1. testatur, quod ante bellum Trojanum factum est. Quapropter Virgilio, *Æn. l.* 7. in Catalogo Sabinarum urbium, non recenseri miratur Cluverius, quem tu vide *Ital. antiqua p.* 676. *Nic. Lloyd.* Sita est prope regnum Neapolitan. in ditione Pontificis ferè media inter Narniam ad Occidentem & Aquilam ad Ortum, 25. utrinque milliar. Deficit indies, propter aëris inclementiam & adjacentes paludes, *Baudrand.*

REATINA *Palus*, nunc *Lago de Rieti*, in Umbria, inter Reate ad Ortum & Velinum lacum ad Occasum. Parva est, & in Velinum lacum se exonerat, 5. mill. pass. infra Reate, in ipso limite Sabinæ.

REATIUM, oppid. non obscurum Calabriæ ulterioris apud Choniam, inde 5. mill. pass. à Siberena 10. *Mesuraca, Barrio.*

REATUS Indumenta, in Ecclesia Romana ubi Inquisitio viget, varia sunt. Gestatio crucium in vestibus pœnitentialibus olim hodieque in Hispania & Lusitania frequentatur quàm maximè: nec levis hæc pœna, tales enim omnium ludibrio & contumeliis exponuntur, cùm per cruces tanquam ob hæresin notati significentur, sicque notati vitentur ab omnibus & tantùm non omni humanitatis commerciô excludantur. Sed, ut carcer, ita & indumenta hæc vel pecuniâ vel aliter redimi possunt. Frequens redimendi ratio in Hispania ista est: quòd Rex aulicis puellis puerisve, aliquot Sambenitorum redemptiones donodat, qui sollerter investigant, ubi & qui eâ pœnâ mulctati sint, quibus illa majoris redimendi & facultas & voluntas suppetat, cum quibus postea de pretio paciscuntur, prout possent commodiùs pluris minorisve, tum personæ coëmentis, tum etiam ipsius Sambeniti ratione habitâ. Qui enim erant irremissibiles, *carius*; qui cum carcere perpetuo erant adjuncti, *minoris*; qui ad certum tempus & Inquisitoris libitum, *viliori*; qui ad Inquisitoris libitum tantùm, *adhuc minoris* vendi solent. Alia vestis *Samarra* fuit &c. Vide Phil. à Limborch, *Histor. Inquisit. l.* 4. *c.* 32. & ubi de *Cruce signatis*, it. voce *Sanbenitum*.

REBAPTIZANTES, vide suprà *Anabaptistæ* & *Catabaptistæ*.

REBBO, villa in finibus Eleutheropoleos, in tribu Juda, ad Solis Ortum Hieronymus, *in Loc. Hebr.*

REBIDORTIUS Henricus, vide *ibi*.

REBE, Rex Madianitarum, Jos. *c.* 13. *v.* 21. Latinè *quartus, quadratus*, sive *accubans*, vel *decubatio*.

REBECCA, filia Bathuel, uxor Isaac, Gen. *c.* 22. *v.* 23. Latinè, *saginata*; sive *impinguata*, aut *contentio obtusa*, vel *impedita*.

REBELLIO, oppidul. Ducatus Megapolitani juxta lacum *Muritz*, in limite Brandeburg. 2. leuc. à Vara in Meridiem, uti 7. à Gustrovia; *Rebel.*

REBELLUM, vulgò RAVELLO, urbecula Principatus citerioris in monte, 3. milliar. ab Amalphio in Boream, Noceram versus, 10. à Salerno in Occasum, Surrentum versus.

REBETH, fluv. regni Mogor, *Natal. Metel.*

REBIUS Rebilus, vide *Amnius*.

REBLATHA, vel REBEA, inclyta urbs, in terra Emath, ac tribu Nephthalim, juxta fluvium Jordanem sita, quæ limpidissimis fontis Daphnis aquis irrigatur, Jerem. *c.* 39. *v.* 5. 6.

REBRACHIATORIUM, renum cingulum, apud Cassianum, ubi de Ægyptiis ita: *Gestant resticulas duplices, laneô plexas subtegmine, quas Græci ἀναλάβους vocant: hos verò Succinctoria seu Redimicula, vel propriè Rebrachiatoria possumus appellare. Quæ descendentia per summa cervicis & à lateribus colli divisa, utrarumque sinus ambiunt, atque hinc inde succingunt, ut constringentia latitudinem vestimenti ad corpus contrahant atque conjungant & ita constrictis brachiis impigri ad omne opus expeditique reddantur.* Isidorus *Brachiale* vocat, *Redimiculum est, quod Sanctorum sive Brachiale nuncupamus*: licenter admodum *brachialia* lumbis tribuens. Propriè enim armillæ olim sic dicebantur, totum brachii progressum cum armis complectentes; cùm *dextralia* tantùm carpum tegerent ornarentque. Vide Thom. Bartholinum, *Sched. de Armillis Veter.* Salmas. *ad Pallium Tertull. c.* 1. Alios. Sed & quosdam putare, *Rebrachiatorium* Monachorum Ægyptiorum idem fuisse, quod *Scapulare* apud Monachos Occidentales, sicque appellatum velle, quod suprà *brachia* rejiceretur, habet Car. du Fresne; qui tamen vocem à *bracéis* censet deducendam, quæ *rebrachiatorio* succingebantur. Vide quoque infrà *Redimiculum*.

REBUFFUS Petrus Monspeliensis, JCtus insignis, in patria primum, dein Parisiis Jus docuit. Scripsit *Praxin Beneficiorum, Tractatum Concordatorum*, &c. Collegitque Edicta, Statuta & Senatusconsulta Supremarum Curiarum. Gesner. *in Biblioth. &c.* Sexagenarius jam cùm esset, cupido illum Hebraicas Græcasque literas addiscendi incessit. Obiit A.C. 1557. cùm natus esset circa annum 1500. Guil. Rovillius, *Promptuariô JCtorum insignium, Parte II.*

REBULLIUS, apostata, post libellos famosos Romæ & alibi contra Protestantes editos, admirabili Dei judiciô, Pauli V. jussu, capite truncatus, illudque in Pontis S. Angeli extremo publicè ostentui expositum est, A.C. 1615. A. Rivetus *in Jesuita vapul.*

REBURRUS, vox medii ævi, gemini significatus: Valde enim *hispidum* significat, apud Isidor. ut *simus, resimus*; quemadmodum hodieque Galli hominem horridum & asperum, tetricumque & visu horrendum, *reburrum* vocant. Sed & notat eum, qui *burrus non est*, ut *reprobus* dicitur, qui non est *probus*. Inde Glossæ *reburrum* ἀναφάλαντον interpretantur, h. e. qui capillos non habet, qui calvus est. Priore notione occurrit vox in *Vitis* Abbatum S. Crispini, apud Macrum *in Hierolex. Nam in sua primæva ætate habebat capillos crispos & rigidos atque sursum erectos, ut ita dicam reburrsos, ad modum pini ramorum, qui semper tendunt sursum: quare cognominatus est Crispinus, quasi crispus pinus.* Galli dicunt tales, *qui ont les cheveux rebroussez*. A voce *birrus*, quæ inter alia & *hispidum villosumque* significat, Græcè ὁ βιῤῥὸς, *Hesychius* βιῤῥὸν, δασύ. Βιῤῥὸς autem *burrus*, ut Σικελός, *Siculus*; Βρέττιοι, *Brutii* &c. Hinc *burra* vestis, *villosa* & *hispida*. Vetus *Epigramma*,

Nobilis horribili jungatur purpura burræ.

Ubi *burram horribilem* vocat vestem villis densam & hirtam &c. Salmas. *ad Vopisc. in Carino, c.* 20.

RECANERE, apud Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Non pauci etiam (credunt) serpentes ipsas recanere; & hunc unum illis esse intellectum*: Græcis ἀντᾴδειν, apud Aristotelem de Saga Thessala, Εἶτα μιμουμένη τὴν φωνὴν τοῦ θηρίου καὶ ἀντᾴδουσα προσῆγεν. *Deinde imitatur (Saga) vocem serpentis: serpens verò recanit & accedit*; est contrariò sibi-

lò incantationem repellere & retorquere. Nempe duobus modis incantationi serpens obluctari creditus est, aut cùm *recanit*, aut cùm obsurdescit ad cantum. Et quidem serpens, in quem ideò irrita incantatio est, quia cantui sic occinit, *sil* dicitur Arabicè, h. e. *tinnulus* vel *stridulus*, i. e. qui stridore quodam editò Mago occentat & obsibilat: quemadmodum iidem *asamme*, i. e. *surdum* vocant, qui cantu non afficitur. Sive autem ad cantum obsurdescat, sive *recanat* serpens, non eluctari solùm, sed & Mago creare periculum creditur. Sic apud Aristotelem, cùm Thessalæ veneficæ faces serpens occentaret, parùm abfuit, quin in soporem lethiferum illa dilaberetur. Atque, ut testatur Alcimus, *de Peccato Orig. l. 2.*

Interdum perit incantans, si callida surdus
Adjuratoris contempsit murmura serpens.

Sive tota vis incantationis, justò Dei judiciò, cedat in perniciem auctoris; sive serpens incantatori lethale vulnus inferat. Quò pertinet celebre exemplum Saltzburgensis illius Magi, apud Delrium, *Disquisit. Magic. l. 2. Quæst. 13.* qui, cùm omnes ad unum milliare serpentes in quandam foveam cogere niteretur, tandem ab ingenti quodam & annoso, in eum insiliente, necatus est. Qui porrò serpentes *recanant*, vel ad cantum obsurdescant, vel quorum serpentum virus quòvis fasciniò credatur esse potentius, Græcorum nullus explicat: nisi quòd Ælianus id *aspidi* tribuit, *l. 1. c. 54.* quòd in illius morsum neque medicamina neque incantationes quicquam prosint. Avicenna verò, rem hanc accuratè & dilucidè exponens, *c. de Speciebus serpentum*, ad classem surdorum ac stridulorum refert, *aspidem*, *hydrum*, *regulum*, *cerastam & chersydrum*. Sed, quidni etiam regulus, aut aspis, potentiâ Dæmonis tam facilè evocetur, aut obtorpescat, aut venenò exarmetur, quàm quivis alius serpens? Et Magis hic hærere calculum quis crediderit, cùm majora in aliis artis suæ specimina videantur edere? Præterea hos quoque serpentes incantationi esse obnoxios, multi scribunt. Itaque censet Bochartus, non esse certas quasdam serpentum species, in quas Magorum carmina nil possint, sed in eadem specie posse esse diversum successum, prout variè Deus (qui non vult ut Satanæ omnia liceant) ei habenas aut adducit aut remittit. Sed nec Dæmon paredrus: à quo pendet incantationis vis tota, ad Magi nutum semper sese accommodat &c. Vide Hadr. Turnebum, *Adversar. l. 23. c. 10.* Sam. Bochart. *Hierozoici Part. poster. l. 3. c. 6.* & suprà in voce *Aspis surda.*

RECANETUM, civitas Italiæ, quæ priscis *Recinetum* olim appellata est. Vide *ibi*.

RECARANUS, cognomen Herculis: Auctor incertus, *de Orig. urbis Romæ*, ex Cassio, *Tunc Recaranus, sub Aventino Inventori patri aram dedicavit, appellavitque Maximam & apud eam decimam sui pecoris profanavit sub Aventino*: ad portam scil. Trigeminam, quæ sub Aventino fuit. Idem ex *libris Pontificalium*, *Cùm ergo* Recaranus *sive Hercules, patri Inventori, aram Maximam consecrâsset, duos ex Italia, quos eadem sacra certò ritu administranda doceret, adscivit Potitium & Pinarium.* Servius *Caranum* vocat ex *Verrio*. Vide Salmas. *ad Solin. p. 8.*

WISIGOTHORUM REGES:

Fl. RECAREDUS I. Wisigothorum, in Hispania, post Patrem Leovigildum, Rex, XIX. A. C. 586. præliò contra Guntramnum Regem prope Carcassonem, victor: ad imitationem Hermenigildi fratris, Arianismum ejuravit, variis Conciliis, Toleti, Narbonæ, &c. celebratis. Obiit, A. C. 601. regni 15. Pater Liubæ II. at *Catholici* titulò primus insignis: quem posteà repetiit Alphonsus, & Ferdinandus Aragonius ad posteros transmisit.

RECAREDUS II. successit patri Sisebuto, A. C. 621. per 3. solùm menses, à Suintilo pulsus. Joh. Biclarius & Isidor. *in Chron.* Marian. & Turquet. *Hist. Hisp.*

RECCATH, civitas in tribu Nephthali. Jos. c. 19. v. 35. Latinè *vacuitas*, *spatium*, aut *saltus*, vel *tempus*, quod pars capitis est.

RECCOPOLIS, Morali *Almonacid*, urbs Carpetanorum, à Toleto 5. leucis in Ortum, Valentiam versus, à Leowigildo Rege condita, Locus apud *Almonacid*, oppid. quod nova Reccopolis dici potest, *Ferrarius*.

RECEDERE, in *Inscript.* Ecclesiæ S. Petri in Castello Veronæ, apud Ludovicum Moscardum, *Histor. Ven. l. 4. Hic requiescit in pace S. Valens Episcopus, qui vixit annos p. m.* XXXXV. *& sedit in Episcopatu annos ..... mens. VII. & dies XVII.. & recessit sub diem VIII. Kal. Augustas* P. C. *Lampadi & Orestis VV.* CC. *Ind.* VIII. est mori, fato fungi, vitâ excedere. Sic *à corpore recedere*, in Scriptis Patrum & Conciliis, item *de seculo recedere*, frequenter pro eodem. Solinus *hominem cedere*, c. 52. & alibi, *hominem exire*, dicit. Vide Car. du Fresne *in Glossar.* & Salmas. *ad Solin. p. 1007.* Quemadmodum Astra quoque *cedere*, & *recedere*, dicuntur quæ ad occasum festinant & quæ occidunt. Manilius de Caniculæ occasu, *l. 5.*

Nec gravius cedit: namque horrida frigore sævit.

i. e. ὑποχωρίζει, ἀποποδίζει, *occidit*. Unde προποδισμὸς, motus stellarum, quò ad ortum procedunt; ἀποποδισμὸς verò, quò ad occasum recedunt, ipsa verò ortuum occasuumque momenta, ἀποχωρήσεις &c. Idem ibid. *p. 719.*

RECEM, civitas in tribu Benjamin, Jos. c. 18. v. 27. filius Hebron, 1. Paralip. c. 2. v. 43. Rex item Medianitarum, Numer c. 31. v. 8. quem Josephus, *l. 4.* scribit sui nominis condidisse urbem, à Græcis posteà *Petram* dictam. Latinè, *vacuus*, vel *vanus*, vel *pictura varia*, aut *saltus eorum*. Idem Joseph. c. 7. l. 4. Ῥεκέμ ... πόλις ... τῶν Ἀράβων ... Et rursus: Ἀρεκέμη καλοῦσι Πέτραν παρ' Ἕλλησι λεγομένην. Eusebius *de locis Hebraicis*: Ῥεκέμ αὕτη ἐστὶ Πέτρα πόλις τῆς Ἀραβίας ... Ῥεκέμ. Quin tota regio indidem *Recam*, vel *Recem* est appellata. Epiphanius *in hæresi Melchisedechianorum*: Ἐν τῇ Ἀραβίᾳ τῇ Πετραίᾳ Ῥεκέμ τε καὶ Ἐδὼμ καλουμένῃ. Vide Bochart. *de Phœnic. Colon.* p. 765. *Lloyd.*

RECENTATUM Vinum, seu *Recens*, apud Alexandrum Trallianum, *l. 2.* & Avitum Viennensem, *Ep. 65.* & 77. fuit propomatis genus, quod, ut in eò bibendò magis delectarentur, peculiari quâdam arte refrigerabant Romani: sic dictum, quòd vinum antiquum musto, vel lixivio, vel tortivo commisceretur, vel quasi renovaretur, ut censet Hieronymus Mercurialis, *Variar. Lect. l. 1. c. 7.* quod hodieque sæpe fieri novimus. *Recentare* autem veteres Romanos pro *renovare* dixisse, docet A. Gellius, *l. 15. c. 15.* Idem Mercurialis vinum *Picans* & *Recens* memorat, *l. 2. c. 13.* aitque, ita populari vocabulò vinum conditum & mixtum appellari, quod *picatum* Romanis dicitur. Solebant enim illi vasa vinaria pice oblinere, resinamque ipsam vinò commiscere, quòd talia vasa non modò gratum quendam odorem impertirent, verùm etiam vinum redderent generosius &c. Hinc *Recentarium*, vas in quod istiusmodi vinum infundebatur: inter vasa & ministeria sacra, apud Auctores laudatos Carolo du Fresne *in Glossar.*

RECEPTARORES Hæreticorum, juxta *Concilium Tarraconense* dicuntur, qui bis vel pluries hæreticos scienter in domo sua, vel in alio suo loco receperunt. *Receptaculum* autem est domus, vel hospitium, ubi hæretici bis vel pluries convenerunt ad prædicationem vel lectionem, vel ubi pluries hospitantur. Et quidem major culpa eorum, qui errores illorum sciunt, nec ignorant Inquisitores illos persequi, & nihilominus eos latenter receptant, licèt illud semel tantùm fecerint. Quare hòc ipsò se hæreseos suspectos reddunt, illisque ut suspectis *abjuratio* imponitur. Pœna eorum porrò est *excommunicatio*: quod si in crimine persistant, *banno* exponuntur & in perpetuum *relegantur*, bonis illorum *in fiscum* redactis. Pro ratione tamen graduum consanguinitatis, aut amicitiæ, pœna mitigatur vel intenditur. Nic. Eymericus Dominican. *Directorio Inquisitionis, Part. 2. Qu. 51.*

RECEPTI, alterum genus Albigensium veter. qui *Perfectis* (uti vocabatur alterum genus, qui fidem & ritus eorum profitebantur) facere solebant pactum, *la Convenensa* illis, h. e. convenientiam, dictum, quòd in fine vitæ per eos *recipi* vellent ad sectam ipsorum: quæ *receptio* in Theologia Inquisitorum *hæreticatio* dicitur passim. Quibus autem ritibus receptio hæc fieri sit solita, diximus non unò locò. Vide *Bonus Finis*, *Consolati*, *Endura*, *Melioramentum*, & ubi de *Salutandi illorum ritu.*

RECEPTOR, inter Equites Melitenses is dicitur, qui, in aliquo eorum Prioratu residens, ad *recipiendos* proventus & spolia pro communi ærario, deputatus est, & residentiæ Conventualis privilegiò gaudet, Dominic. Macer. *Hierolex.* Hinc *Receptus*, Gall. *Recepte*, proventus, reditus, apud Petrum Joffredum, *in Episcopis Niciensibus*. Item jus pastus, quod vulgò *Albergaria*, Gall. *Droit de giste*; quâ notione etiam *Receptum* dicitur. Unde etiamnum Gallo-Belgæ *Receptes* vocant convivia, quibus agnati, qui agnatorum nuptiis interfuerant, eosdem novos conjuges domi vicissim *recipiunt* & excipiunt: qua de voce plurima congessit Car. du Fresne *in Glossar.* de *Receptione verò in Ecclesiam* vide hic passim.

RECEPTOR Bonorum publicatorum, in Hispania vocatur, quem in Italia *Thesaurarium S. Officii* vocant: Qui videl. bona hæreticorum publicata *recipit*, adeoque bonorum sequestrationibus adest, ea petit, defendit, vendit, pecuniamque hinc redactam intra tres dies proximos in arcam publicam tribus clavibus occludendam (sub pœna excommunicationis & mulctâ pecuniariâ) deponit ac custodit. Idem salaria & alias impensas Officii Inquisitionis solvit. Eligitur per Inquisitores, & fide jussores idoneos dare tenetur: sed nec fisci debitoribus pecunias remittere, nec transactionem facere potest. Jac. Simancas *de Catholicis Institut. Tit.* 41. §. 4. *Tit.* 42. §. 1. &c.

RECES-VINDUS, vel RECES-WINTHUS, vide RECHESVINDUS.

RECESSUS, apud Solinum, c. 7. *Peloponnesos Pelopi regnatam nomen indicat est. Ea, ut platani folium, recessibus & prominentiis figurata, diverticulum facit inter Ionium & Ægæum mare, quatuor non amplius* &c. Se κόλπους seu *sinus*, quos faciunt prominentiæ, vide in voce *Sinus*. Etiam in Ædificiis vox usitata. Trichora enim Apsis dicitur, quæ tribus concavis *recessibus* sive sinubus recedentibus, quasi *voluris*, ut vulgò Galli vocant, constat. Κόλπους similiter dixêre Græci & κόγχας. Paulus de Concha S. Sophiæ,

Ὡς ὁ μὲν ... Κόγχα
Ὑψόθεν ... τριπλοῖς δὲ κόλποις
Νέρθεν ...

Trinò recessu sinuatam appellat Paulinus. *Epigramma* vetus de templo Polyeucti Martyris à Juliana condito

Κόλποι δ' ἀμφοτέρωθεν ἐπ' ἀψίδεσσι χυθέντες
Φέγγος ἀειδίνητον ἐμαρμαίροντο σελήνης.

Culmen nempe, quò tegebatur Sanctuarium, in formam Conchæ, structum erat, & *Concha* quoque dicebatur &c. Vide Salmas. *ad Solin.* p. 1213. & infrà in voce *Trichora.*

RECHA, nomen viri, 1. Paral. c. 4. v. 12. Latinè, *tenera*, vel *delicata*.

RECHAB, pater Jonadab. 2. Reg. 10. v. 15. Filius Remmon, 2. Sam. c. 4. v. 2. Latinè *equitatus*, vel *equitans*.

RECHABITÆ, dicti posteri Jonadabi, filii Rechabi: Abstinentes, ex instituto avito, à vino, nihilque proprii possidentes, habitabant perpetuò in tentoriis. Sub Joakimo Rege metu Nabuchodonosoris Hierosolymam se receperunt, ubi commorati, cùm vinum à Jeremia oblatum bibere recusarent, exemplo immorigeris Judæis propositi, ipsisque divina benedictio promissa est, 4. Regum c. 10.

c. 10. v. 15. Jerem. c. 35. v. 2. Torniel. *An. M.* 3151. n. 21. 3428. n. 6. & 7. &c. Vide *Jonadab.*

RECHESVINDUS, vel Reccesuintus, Visigothorum XXX. in Hispan. Rex, post Chindasvinthum, vel Cindasiuntum patrem, A. C. 649. regnavit Ann. 23. in pace. Obiit A. C. 672. Isidor. *in Chron.* Celebravit Concil. 8. 9. & 19. Toletanum. &c. Eum excepit Vamba seu Bamba.

RECHILA, Suevorum Rex, in Hispania, à patre Ermerico vel Hermerico, coronatus. A. C. 436. Vicit prælió Andevotum, occupavit Hispalim, Emeritam, Carthagenam, &c. Obiit A. C. 447. Arianus. Pater filii *Rechiarii* magis Orthodoxi, qui Aquitaniâ vastatâ, Cæsaraugustam cepit, provinciasque imperio subjectas malè habuit. Sed victus A. C. 456. à Theodorico II. Visigothorum Rege, cujus sororem conjugem habebat, & vulneribus gravis è fuga retractus, primò quidem in vinculis aliquandiu fuit, dein jussu victoris occisus est. Isidorus Hispal. *in Chron.* Mariana *Hist. Hispan.*

RECHINUS, cognomen Fulconis Andegavensis Comitis apud Guil. Malmesburium, *l.* 3. *Fulco* Rechin *dictus, quòd, germani* (Gaufridi) *simplicitati crebrò infrendens, ad ultimum honore spoliatum perpetuâ custodiâ coërcuerit:* Ob morum nempe asperitatem & morositatem sic dictus est. *Rechiner* enim & *rechigner* Galli dicunt eum, qui morosus est, rudis, vel immitis: hodieque *rech* Picardi vocant, quod asperum est, inprimis in pomis pyrisque. Vide Car. du Fresne *in Glossar.*

RECHOIS, fluv. apud Thessalonicam, ut habet Procopius *in Histor.*

RECIDIVUM, apud Senecam, *Troadibus, Actu* 3. v. 472.

Quo Troici defensor & vindex soli
Recidiva *ponas Pergama, & sparsos fugâ*
Cives reducas! ———

Virg. *l.* 4. *Æn.* v. 344. & *l.* 10. v. 58. ubi eadem phrasis: idem quod renatum est, & à casu resurgens, non verò bis captum, bis eversum & concidens, ut vocem, frustratus in hac voce Lectores, Lexicographus interpretatur. Græcè παλίσσυτον, παλιμ. Cui perinde ut *recidivus Abel*, apud *Paulinum*, alter ac renatus Abel Christus. Tractum id vult Servius, *ad Æn. l.* 11. ab arboribus, quæ sectæ repullulant. Quod etymon Mela monstrare videtur, *l.* 3. *c.* 6. *Subinde* recidivis *seminibus segetem novantibus.* Et Juvenalis, quum *Sat.* 6. v. 363. scribit:

——— *recidivus pullulat arcâ*
Nummus ——— ———

Sed modulus secundæ Syllabæ repugnat, quæ à *cado* longa esset. Melius Turnebus à *recidendo* deducit, i. e. revertendo, redeundo, ut *recidiva febris:* quod enim restituitur recidere ac redire videtur. Nempe τὸ *cadere*, etsi persæpe mori ac perire significat, tamen est, ubi eam vim habet, quam *nasci, provenire, oriri.* Et quidem in hominibus animantibusque quum *matre cadere* & *tellure cadere*, dicuntur: in rebus, quum *cadere* est *existere.* Sic *forte cadere* dicitur, quod forte comparatur & existit. *Augurum prædictis multa vera recidisse*, i. e. provenisse, *Cicer.* Hinc itaque *Recidivum*, quod iterum cadit, seu provenit ac renascitur. Atque inde *Recidivatus animarum, recidivatus carnis, recidivatus Judaici status* & similia, pro restitutione, apud Tertullianum. Maximè namque Christianis Scriptoribus hæc vox placuit, commendata ipso illo suavissimo piis nostri Sacramenti dogmate & spe melioris post hanc vitæ. Dracontius in *Hexaëmero.*

Vita gravis hominum subducitur impete mortis,
Quæ recidiva magis vivaci corde resurgit &c.

Jo. Frid. Gronovius, *ad Senecam d. l.* Vide quoque Desid. Heraldum, *Animadversionibus Arnob. l.* 3. *ad verba, Recidiva substitutio*, ubi eidem Tertulliano. *Recidivum annum* παλίσσυτον Græcis proin εἰκαῖον, dictum notat.

RECINETUM, vulgò RECANATI, urbs est Piceni Episcopalis, oblonga, in colle, ex ruinis Helviæ Recinæ crevit. 5. milliar. à Laureto in Occasum, Maceratam versus 10. prope Potentiam fluvium. Sub Pontifice Romano.

RECINUS & RECINIUM, item RICINIUM, dicitur *Servio*, quod *pallium muliebre* vocat Lamprid. *in Alexandro*, *c.* 41. Festo *Recinium* (ita enim meliores libri habent) *est omne vestimentum quadratum* ——— *vel toga, quâ mulieres utebantur, prætexta clavô purpureô.* Nempe pro toga vel pallio mulieribus fuit, sub quo tunicam vel cycladem gestabant; & *pallium* quidem dicebatur, quòd esset quadratum: *toga* verò etiam vocabatur, quòd in modum togæ à dextro latere in lævum humerum ponebatur. Unde *Ricinium* Varroni, *quòd ejus dimidia pars retro rejiceretur.* Pallium certè & ricinium idem: Hinc *ricinati* planipedes mimi Festo, qui *palliati* in *veter. Glossar.* dicuntur. Similiter Jovem *palliatum* unô locô dicit Arnobius, quem aliò *riciniatum* appellat. *Pallium simplex* interpretatur Nonius, *Ricinium, quod nunc Mafurtium dicitur, palliolum fœmineum breve. Varro* ταφῆ *Μενίππου: nihilo magis dicere muliebre, quàm de muliebri ricinio pallium simplex. Idem de vita Pop. Rom. l.* 1. *& quo mulieres in adversis rebus ac luctibus, quum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.* Ubi primùm ricinium exponebat Nonius, *palliolum fœmineum breve:* secundò locô, *simplex pallium*, quod gestabant mulieres in luctibus &c. A *rejiciendo* vocem deducit Varro; Servius à *rica: rica autem & ricinium* prope eadem res. *Ricinium* omne vestimentum quadratum, ut vidimus: *Rica* quoque Pompejo, *vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum, quô Flaminica pro palliolo utebantur;* aliter *Flammeum*, item *Venenatum.* Aliò locô idem *ricas* & *riculas, parva ricinia* interpretatur, ut palliola ad capitis usum facta. Utrumque enim & *Rica* & *Ricinium* pallium erat, quô mulieres caput operiebant; nisi quòd *rica* propriè gestamen Flaminicæ diceretur: Varro tamen etiam aliis mulieribus attribuit, cùm sacrificium facientes caput velarent. Vide Salmas. *ad Vopisc. in Vita Aureliani, c.* 45. & infrà in voce *Rica* ac *Ricinium.*

RECITATIONES Veterum, egregium Poëmatum examen. Vide suprà ubi de *Lectione Poëmatum*, item ubi *de Rapsodis.* Sed nec Poëtæ solùm, verùm & Oratores & Aretalogi & Historici suas olim publicè *recitabant* lucubrationes; ut de Herodoto, inter alios, *Musas* suas propriô ore pronuntiante, docet Scaliger, *Poëtic. l.* 3. *c.* 109. Vide quoque Casaubon. ad *Sueton. Aug. c.* 89. & hic passim, ubi de *recitationibus* Psalmorum, ad pœnitentiam redimendam, in Ecclesia Romana suprà, ubi de *Psalmis.*

RECLAUSUS, cognomen Caroli Simplicis Franciæ Regis *in Charta A. C.* 937. apud Miræum, in *Not.* Ecclesiarum Belgii; *Actum Blandiniensi Cœnobio, regnante Ludovicô filiô Regis Caroli Reclausi:* quòd in carcere detentus fuerit. Vide infrà in voce *Reclusi.*

RECLINATORIUM, apud recentioris ævi Scriptores idem, quòd ἀνακλιντήριον Græcis, de qua voce vide suprà in *Anaclinterium.* Item, Septum inferius vel cancellus brevior, inter Ciborii columnas, ubi communicabant Diaconi, Subdiaconi, alii: apud Bernardum Monach. *in Consuetudinibus Cluniac. MS.* laudatum Car. du Fresne *in Glossario.*

RECLUSI. Vide suprà *Inclusi;* item infrà ubi de *Virginibus reclusis.*

RECOCTI Senes, dicebantur Latinis, qui aliàs *passi* & *retorridi.* Græcis ὠμοὶ & πέπειροι. *Coctum* enim iidem pro *maturo* dixêre: unde *cocta ficus* & *cocta uva*, pro maturis; & *coqui*, pro maturescere, apud Virgilium, *l.* 2. *Georg.* v. 522.

——— *in apricis coquitur vindemia saxis.*

Ita ergo & *cocti senes*, quos *ævi maturos* idem alibi vocat. Similiter πέπειρα γραῖα, apud *Hesychium;* Latini *recoctam anum* & *retorridam* dicerent. Horatius, *Serm. l.* 2. *Sat.* 5. v. 55.

——— *plerumque* recoctus
Scriba ex Quinqueviro &c.

Istiusmodi seni opponunt Græci τὸν ὠμογέροντα, cujus adhuc viridis senectus, & nondum penitus cocta. Quia verò ejusmodi homines, qui longô tempore vixerunt, & qui multâ ætate cocti sunt, plerunque experientiâ & usu rerum valent; hinc factum, ut *recoctos* & *retorridos* pro exercitatis & multô rerum usu tritis usurparent. Sic *ad verba Horatii* modò citata Helenius Acro, *Recocti*, inquit, *dicuntur Scribæ, qui sæpius cum Proconsulibus ad provincias missi exercitatiores facti sunt usu ipso & frequentia* &c. Salmas. *ad Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 59. Vide quoque infrà in voce *Retorrida.*

RECOLLECTI, rigidiores Franciscani, quorum Congregatio instituta, A. C. 1530. & approbata A. C. 1531. à Clemente VII. dicti à Spiritu recollectionis, Morer. *Dict. Histor.*

RECONCILIATIO, vox Ecclesiæ. Dicebantur autem *Reconciliari* Pœnitentes, cùm tempora pœnitentiæ indicta adimplêssent; hôc enim factô in gratiam recipiebantur, præviô *Manus impositionis* ritu: cui divinæ quoque *Eucharistiæ communio* accedebat. Sed &, de rigore disciplinæ, κατ' Ἐπισκόπων διάκρισιν, *secundùm Episcoporum discretionem*, ut ait Balsamo *ad* 4. *Can.* Concilii Ancyrani, non rarò remittebatur, atque maturabatur reconciliatio, si scil. tempore exomologeseos gravi morbô pœnitens videretur de vita periclitari, si instaret persecutio, si cum multitudine negotium esset, aliæque causæ mitigationem suaderent, ut videre est apud Jo. Forbesium, *Instructionum Hist. Theolog. l. XII. c.* 7. Hic verò in duo extrema utrinque abiêre Hæretici. Uti enim pacem Ecclesiasticam pœnitentibus negabant Montanistæ, Novatiani, Meletiani, Apostolici, & quoad Episcopos ac Clericos lapsos, etiam Luciferiani, de quibus aliquid suprà diximus, in voce *Implacabiles:* ita Gnostici, eosque secuti Priscillianistæ ac Libertini, utpote inficiantes peccatum, tollebant pœnitentiam, atque unà *reconciliationem*, de quibus vide voce *Impeccabiles* &c. In Ecclesia Romana quibus ceremoniis peragatur *Reconciliatio*, docet Car. du Fresne ex *Pœnitentiali MS.* Thuanæo, *In capite Quadragesimæ omnes pœnitentes ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo Civitatis, saccô induti, nudis pedibus, vultibus in terra prostratis* ——— *Ibi adesse debent Decani vel Archipresbyteri Parochiarum, i. e. Presbyteri pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent & secundùm modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungunt. Post hæc in Ecclesiam Episcopus eos inducat & cum omni Clero 7. Pœnitentiales Psalmos, in terra prostratus, cum lachrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc* ——— *manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, priùs cinerem mittat, deinde ciliciô capita eorum cooperiat & cum gemitu & crebris suspiriis eis denuntiet, quòd sicut Adam projectus est de paradiso, ita & ipsi ab Ecclesia pro peccatis abjiciuntur. Post hæc jubeat ministros, ut eos extra januas Ecclesiæ expellant. Clerus verò prosequatur eos cum Responsorio, In sudore vultus tui &c.* ——— *In sacra autem Domini Cœna, rursus ab eorum Presbyteris Ecclesiæ liminibus repræsentantur.* Orationes verò, quæ hâc die, *ad reconciliandos Pœnitentes* recitabantur ab Episcopô, habes apud Gregorium M. *in Libro Sacram. p.* 226. & in *Ordine* Romano, quas *Ordinem reconciliandi* vocat Hincmarus. In *Ordinario MS.* Ecclesiæ

Rothomag. apud eundem Car. du Fresne is hôc modô describitur: *Finitâ Nonâ, Archiepiscopus, vel ejus Vicarius, indutus albâ, cum Diacono & Subdiacono indutis albis, cum Cantore, processione ordinatâ, ad Occidentales portas Ecclesiæ ad* reconciliandos *pœnitentes pergat & eô sedente juxta januas, Diaconus legat hanc lectionem, Adest tempus, ô venerabilis Pontifex. Finitâ lectione, Archiepiscopus vel ejus Vicarius se erigat & dicat, Venite. Diaconus ex parte pœnitentium dicat, Flectamus genua, levate. Et tribus vicibus hoc dicatur. Ad finem dicatur tota Antiphona Venite, Venite, Venite, filii. Chorus finiat & dicatur Psalmus, Benedicamus Dominum & ad quemlibet versum repetatur, Venite, Venite. Tunc Archiepiscopus vel ejus Vicarius pœnitentes intromittat in Ecclesiam cum baculo, &* reconciliati *ardentes candelas ad Altare deferant, alii autem non: Et Archiepiscopus vel ejus Vicarius, manum suam ponant super capita singulorum, dans pacis osculum & dicens, Pax tecum. His ita peractis, ad chorum redeant & sermonem ad populum faciat. Quô finitô Pœnitentes prostratos absolvat. Primò dicantur 7. Psalmi à Ne remmiscaris, Psalm. Domine ne in furore &c. Kyrie eleison, Pater noster. Salvos fac. Vers. Mitte eis auxil. Vers. Domine exaudi, Or. Dominus vobiscum, & cum Spiritu tuo. Orat. Monstra Domine quæsumus iis famulis &c. Alia Orat. Deus misericors. Alia Oratio, Absolutionem & remissionem. Iis ita peractis, processio procedat ad ignem benedicendum* &c. Uti autem singuli pœnitentes hôc modô *reconciliantur*, in Ecclesia Romana: sic tota aliqua Ecclesia, cùm scelere aliquô polluta, vel ab Hæreticis aut Paganis aliquandiu possessa est, *reconciliari* dicitur, quando rursum ab Episcopo consecratur & aquâ benedictâ aspergitur. Qua de re vide *Ordinem Roman. de Reconciliatione violatæ Ecclesiæ* & Auctores laudatos præfato Car. du Fresne in *Glossar.* De *Reconciliatione* verò nostri cum Deo sic rem totam paucis complexus Paulus 2. Corinth. *c. 5. v. 19. Deus erat in Christo Mundum* reconcilians *sibi, non imputando eis offensas eorum; posuitque in nobis sermonem illum reconciliationis.* Et *v. 20. Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deô rogante per nos, oramus Christi nomine,* reconciliamini *Deo.* De *reconciliatione* typica populi Israëlitici, in veteri Testamento, vide suprà ubi de Festo *Propitiationis.* Addo saltem, uti duo fuêre genera *κοινωνίας, communionis*, scil. *Minor*, quæ fuit omnium rerum societas & communio, exceptô Eucharistiæ & Oblationum usu & potestate; & *Major*, quæ etiam Eucharistiæ: sic duplicem *Καταλλαγὴν*, i.e. *Reconciliationem*, occurrere in *Canonibus* Conciliorum. Et quidem prioris mentio est, in *can. 45. Codicis* Eccl. Afric. *Ut scenicis atque histrionibus* ——— *reconciliatio non negetur:* quod & *καταλλάσσειν τῇ δημοσίᾳ λειτουργίᾳ* Græci dicebant. Posterioris in *c.* 8. Ancyrano, ubi *τελείως δεχθῆναι, perfectè recipi, can. 7.* Carthag. ubi *reconciliari divinis altaribus tales dicti*, quod versio Græca *καταλλαγῆναι τοῖς ἱεροῖς μυστηρίοις* reddit &c. Vide Suicerum, voce *Καταλλάσσω*.

RECREDITI, inter infames habiti, unde maximi probri locô habebatur, hôc nomine notari. *Recreditum* certè & *proditorem*, synonyma facit Johannes Villaneus, *l. 7. c. 85. Recreditum* & *ignavum*, Joinvilla, *p.* 38. Bractonus verbum hoc sic describit, *l. 3. tractatu 2. c. 34. §. 2. Non sufficit, quòd appellatus cognoscat fuisse socium suum vel latronem vel aliquid simile ad recreantiam, nisi dicat verbum illud odiosum, quòd recreantus* (h. e. recreditus) *sit.* Ranulfus de Glanvilla illud adeò turpe judicavit, ut ne nominare quidem voluerit, *l. 2. c. 7.* Significat autem vox, hominem dimicando deficientem, à verbo medii ævi *Recredere*, h. e. *reddere*, in duello seu monomachia victum se profiteri, hosti sese reddere; quod eô ævô maximè turpe habitum. Ditmarus, *l.* 3. ubi de duello Waldonis & Geronis, *Vulneratusque in cervicem bis Waldo ardentiùs insequitur hostem, percutiensque illu validô caput, prostravit eandem. Interrogatus autem Gero Comes ab eodem, si plus potuisset pugnare, coactus est, quòd jam defecisset, profiteri.... Tunc Gero jussus decretô Judicum & voce Imperatoris à carnifice quodam decollari*, apud Car. du Fresne *d. l.* More è veteri Gladiatorum, apud Romanos, arena petito, de quibus suprà diximus.

RECTA Cœna, Suetonio & *Recta* absolutè *in Aug. c. 74.* Veter. dicta est cœna, quam Clientibus, *rectô* ordine discumbentibus, Principes Viri apud Romanos, dare solebant, *ὀρθόδειπνον* Græc. Turnebus, *Adversar. l. 5. c. 10. Rectam*, interpretatur *veram, sinceram*, quemadmodum idem Græcum *ὀρθὸς* denotat, sicque dictam ait opposite ad Sportulam, munus magis tenue ac leviusculum; cùm videl. locô cœnæ calathum dabant obsoniis plenum; & hujus locô tandem centum quadrantes, de quibus *suô locô*. Ita enim divites miserorum Clientulorum atque Anteambulonum officia munerabantur. Utriusque meminit Martialis, *in illo tralatio, l.* 8. *Epigr. 50. v. extr.*

Promissa est nobis sportula, Recta *data est.*

Et Nero quidem cœnam *Rectam* Clientibus exhiberi solitam sustulit, atque ad Sportulam redegit, *Rex* proin *superbus* eidem Poetæ dictus, *l. 3. Epigr. 7. v. 5.* sed Domitianus, edictô ejus abrogatô, justæ cœnæ usum restituit. Unde idem *ibid. v. ult.*

Nihil stropharum est: jam salarium dandum est.

I. e. nihil fraudis jam faciendum est Clienti, quem sæpe invitatum, tanquam ad Cœnam *Rectam*, dimiserunt divites tandem, cum jejuna sportula: *Jam Salarium dandum est*, i. e. cœna, quæ Romanis *ἐλάχιστον*, *cibarium* (annona diurna) ex pacto debitum; ut Sportula, ex placito. Namque de ipso Tiberio Sueton. *c.* 46. *Pecuniæ parcus ac tenax, comites peregrinationum expeditionumque nunquam salario, cibariis tantùm sustentavit*, i. e. Sportulâ tenui. Interim ex Sportularum captatoribus, qui ex centum sportulæ quadrantibus, genium suum fraudantes, cellæ pensionem & vestes subtrahere soliti erant, sublatâ Domitiani edictô sportulâ, in deteriorem conditionem sibi incidisse visi sunt: cùm è cœna *Recta* justaque nihil pecuniæ ad illos redundaret. Unde ad Gargilianum idem Poeta, *l. 3. Epigr. 30. v. 1.*

Sportula nulla datur, gratis conviva recumbis,
Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
Unde tibi togula est, & fuscæ pensio cellæ?
Unde datur quadrans? unde vires Chiones?
Cum ratione licèt dicas te vivere summa:
Quòd vivis, nulla cum ratione facis.

Quasi dicat: Cur non hinc migras, nihil ulteriùs pecuniæ accipiens? Unde vivis? unde vestem comparas? unde tectum solvis, hoc enim est *pretium cellæ fuscæ.* Unde sumis, quo laves? &c. Schrevelius, *Not. in locum.* Vide quoque Meursium, *ad Lycophr.* Aliud est *Recticinium*, apud Messianum Presbyt. in *Vita* Cæsarii Arelatens. colloquium videl. quod post cœnam inter convivas peragitur, &c.

RECTA Tunica, Festo & Isidoro, *quam sursum versùm stantesque texebant:* quorum ille addit, *Recta vestimenta sunt virilia, quæ Patres liberis suis conficienda curant, ominis causâ.* Et quidem, ut constat, vetus fuit texturæ ratio, quâ mulieres stantes texebant: sed quid sit *sursum versùm* texere, non omnibus notum. Græci dixêre *ἄνω ὑφαίνειν*, quem texendi modum omnibus gentibus fuisse usitatum, præterquam Ægyptis, narrat Herodotus, *l.* 2. ubi hos *κάτω τὴν κρόκην ὠθεῖν* ait. Nempe apud cæteras gentes, cùm trama vel fila infrà essent, in superioribus texebatur westimentum, & sic trama semper pectine ad superiorem partem ducebatur & trudebatur, id quod *sursum versùs* vel *in altitudinem texere*, vocabant. Contrariô modô Ægyptii, ex superioribus, ubi erant fila, vel licia, ad inferiora procedebant, ubi vestimentum, vel tela, quæ texebatur, inerat. Prius illud *ἀνυφαίνειν* etiam dicebant Græci, & hôc modô texta *ἀνυφαντά*, ut videre est apud *Isidorum Pelusiotam* de Galilæis. Sed posteriorem rationem omnes posteà imitati Græci, vetusque illa consuetudo & in altum texendi & quæ à stantibus peragebatur (Ægyptii enim sedebant) apud solos Linteones permansit: Romanis quoque idem institutum sequutis. Utrumque genus eleganter expressit Seneca, *Ep.* 90. de quo infrà latiùs. Græci itaque *ὀρθὸν ὕφος*, ut Latini *Rectam tunicam*, dixêre, *σπαθητὸν, σπάθῃ κεκρουμένον ὕφος* h. e. *spathâ percussam, non pectine:* qui enim stantes sursum texebant, non pectine sed spathâ telam percutiebant, cùm recentiores, qui sedentes deorsum texebant, pectine eam ferirent, &c. Sed & *Recta tunica* dici potest, quam Græci *ὀρθὸν* & *ὀρθοστάδιον χιτῶνα* vocant; quæ minimè cingeretur: nam *ζωστοὺς* illi *χιτῶνας* distinguunt ἀπὸ τ' *ὀρθοστάδιον*; quas etiam *στάδιας* appellabant. Cujusmodi fuisse Pœnorum tunicas, discimus ex Tertulliano *de Pallio, Sed ne cingulô sinus dividente expedita & quadrata in Viris stabant.* Ubi *στάδιον χιτῶνα* planè expressit. Transiit vox è Latio in Græciam, unde legimus, apud *Hesychium*, Ῥικτὸς, *ἀνδρεῖος χιτὼν*, *Recta virilis tunica.* Sic apud Vopisc. Aurelianus Imperator, *c.* 46. primus *paragandas vestes militibus dedisse* dicitur, *cùm antè non nisi rectas purpureas accepissent;* ubi *purpureum*, non blatteum aut sanguine purpureæ tinctum, sed simpliciter rubrum aut russum, adeoque per *rectas purpureas*, militum *russas tunicas*, intelligendas esse monet Salmasius; addens, *Rectam* substantivè hic sumi & idem esse quod *Tunicam.* Vide *ibi* hanc in rem plura, & suprà voce *Orthostadia*, ac infrà *Regilla*, it. *Stare.* Cœterùm, *recta pars* in pannis hodie dicitur, quam *prorsam* Veteres vocavêre, item *pexam*; politis nempe floccis. Ars enim polituræ pexitatem in subtemine excitat, non in trama aut stamine; unde ab uno tantùm latere pexi illi flocci: ei *versa* opponitur. Idem *ad Solin. p.* 391. Apud Lucanum verò ubi de Marsyæ fluv. *l. 3. v.* 207.

Quâ celer & rectis *descendens Marsya* ripis
Errantem Meandron adit ——— ———

recta ripa, flexuosis ac recurrentibus opponuntur. Quales sunt præcipitantium fluminum, ut Marsyas est, cui proin *declives ripas* Ovidius tribuit. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 835. & 836.

Rector, apud Luithprandum, *l. 3. c. 7.* Constantinum Porphyrog. *de Administr. Imp. p.* 199. Scylitzem, Zonaram, alios, dignitas est in Imperio Constantinopolitano, de qua Vide Car. du Fresne *Not. ad Alex. Annæ Comnenæ, p.* 133. Apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ *Rectores Ecclesiarum*, dicuntur Prælati, Episcopi, Abbates, Presbyteri Eccles. maximè verò hôc titulô insignis est Curio: unde *Rectoria*, dignitas ejus, *vel Ecclesia Parochialis.* In eadem Communione, *Rectores Apostolici patrimonii*, dicti sunt ii ex ordine Clericali, qui à Pontificibus Romanis subinde in provincias & Regna mittebantur, ut Romanæ Ecclesiæ patrimonium curarent, i. e. *massas & familias Ecclesiasticas*, de quibus, agit Gregorius M. *l. 7. Ind. 2. Epist.* 17. census item & *denarios S. Petri* exigerent, Romamque transmitterent, apud eund. *l. 2. Ind. 11. Epist.* 32. &c. quod etiam *Defensorum* fuisse munus, patet ex *Gestis* Innocentii III. *p.* 137. Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque suprà *Pharnas.*

RECTOR Academicus, dicitur qui in Academia inter Professores primas sibi partes vendicat, ad imitationem Ciceron. qui *Rectorem Reip.* appellavit eum, qui summam in Republica auctoritatem habuit. Idem *Caput* quoque *Academiæ* vel *Collegii* appellatur, & nihilominus Collega. De quo, *an Clericus, vel Laicus esse debeat*, quærunt Doctores. In Germania uterque illius muneris capax est: ubi Rectorem Professores eligunt, vel ex suo ordine, vel Principum, Comitum, Baronumve è numero, in Academia literis operam navantium, non magnô ætatis habitô respectu. Neque verò delatum hôc modô *Rectoratum* temerè detrectare licet; Unde in Acade-

cademia Gryphiswaldensi *Statutum* habetur, si quis id fecerit & in tertium usque diem in sua sententia, absque probabili ratione persistat; tres aureos pro multa persolvere, & nihilominus Rectoris munus suscipere teneri, sub pœna amissionis privilegiorum. Idem de Academia Wittenbergensi legitur. Est autem munus *Rectoris*, Studiosos in album recipere, de negotiis suæ jurisdictioni subjectorum sive per se, sive cum Assessoribus, cognoscere, & si quæ alios in articulos juravit, ea summô observare studiô. Ad honorem ejus pertinet, quòd Principis repræsentet personam indeque omnes præcedit, Episcopos etiam, in Academia illa literis vacantes. Imò & Ludovicum Galliæ Regem, infrà subsellia Iasonis sedisse & cum Collegium perventum esset sinistrum illi adequitâsse, cum his verbis, *Nunc Iason, incipit Regnum tuum*, refert Piccartus *in Observ. Hist. Polit. Dec.* 7. *c.* 1. Carolum quoque V. in Academia Lovaniensi, Jodoco Ravenstenio Tiletano S. Theol. Licentiato, Academiæ tum Rectori, locô cessisse & latus ejus texisse, A. C. 1545. legimus. Sic Gerardus Quesbeckanus Leodiensis Episcopus & Andr. Gail, JCtus cum de pace Belgica, ex Rudolphi II. Imperatoris voluntate, acturi, Lovaniô Gandavum contenderent, A. C. 1576. *Rectoris* latera utrimque cinxerunt & inter se medium incedere voluerunt. Inprimis verò memorabile est, quod de Carolo Bellicoso seu Audace, Brabantiæ Duce in literas relatum est. A. C. 1464. mense Januariô, Antverpiam provinciarum suarum ordines evocârat, & Academiæ Rectorem, ut adesse unà vellet, missis literis monuerat. Aderant igitur Brabantiæ, Hannoniæ, Artesiæ, Namuri, Ordines, Prælati, item Nobiles, & quorundam Flandriæ oppidorum Deputati: unaque aderat Robertus de Lacu J. U. D. Academiæ Rector, quem cum aliis ex Academia Viris benignissimè excepit. Cùm autem coram Duce, qui tum in aula Cœnobii D. Michaëlis cum Consilio suo erat; comparere omnes deberent, præcepit Dux, ut Academiæ Lovaniensis Rector coram se primum dicendi locum obtineret, declarans se illum, & Academiam Lovaniensem, nobilissimum honoratissimumque totius Brabantiæ membrum habere: ipsum dein congregati ibidem Ordines dicendo sequerentur. Quam Ducis voluntatem Toparcha Bergæ ad Zomam Rectori, ut jussus erat, significavit. Neque quisquam hunc honorem Principi Academiæ invidit, quod in illo & Academicis Viris, virtutis & sapientiæ moderatoribus, honorandam esse virtutem sapientiamque omnes judicarent. Præter locum verò honoratiorem & *præcedentiam*, ut vocant, *Sceptri prælatio* ejus auctoritatem quoque commendat: & quidem aliquando unius, aliquando plurium. In Academia Lovaniensi, cùm in publicum *Rector* procedit, ante eum Accensus vadit, argenteum sceptrum præferens: Cùm verò ad Comitia egreditur, vel cùm solennis supplicatio indicta est, vel festus aliquis è primis dies imminet, octo ac nonnunquam plures Accensi præcedunt, singuli argenteum gestantes scepetrum, aurô obductum, insignia honoris amplissimi, uti habet Vernulæus *in Descript. Acad. Lovan. l.* 1. *c* 6. Tandem & suus est Rectori, in plerisque Academiis, *peculiaris* & augustus *Amictus*; Nempè ferè communiter epomis sive paludamenti genus, ex panno serico coloris purpurei & caputium ejusdem materiæ. Sed & in Academia Julia *Rector*, durante officiô, est sacri Palatii Lateranensis, Aulæ & Consistorii Imperialis Comes, ex privilegio Maximiliani I. Imperatoris apud Sagittarium, *de Comit. Palat. th.* 13. *lit. a.* Dixi, *durante officiô*: Academicus enim hic Magistratus, non perpetuus, sed ambulatorius; & Altorphii quidem, Basileæ, alibique, annus: Wittenbergæ semestris, ut & Lipsiæ; apud alios trimestris est. Titulus solennis, *Magnificus* est: in quibusdam Academiis *Magnificentissimi* elogium assumunt Comites Principesque, quibus, præter ordinarium Rectoris munus, extraordinaria hæc dignitas confertur. Vide præter Vernulæum laudatum suprà, Cothmannum, *Resp. sing. sive Academ. n.* 908. Hœppingium *Tract. de jure insig. c.* 6. *sect.* 6. *membr.* 1. *n.* 558. *p.* 109. alios, citatos Limnæo, *de Jure Publico, ubi de Academiis*: uti de *Rectore* Collegiorum sacrorum apud Persas hodiernos, *Mouderes* dicto, suprà voce *Muslimi*.

RECTOR Orbis, vide suprà *Globus*.

in RECTUM, πρὸς ὀρθὰς, apud Hyginum est *normaliter*, seu ad rectos angulos erectum. Norma enim ex angulis rectis componitur, & normalis linea est, quæ cum alia recta linea rectos angulos facit, sive ex media erigatur, sive ex fine. Vitruvius, *l.* 9. *c.* 8. *linea in planitie & ex ea media πρὸς ὀρθὰς erigatur, ut sit ad normam, quæ dicitur gnomon*. Quod formâ literæ *L.* exprimit vetus Agrimensor, apud Salmas. *ad Solin. p.* 669. Apud eosdem Agrimensores, *Rectura* limitum, aliter *rigor* dicitur, Vitali *recta series*, Græcis εὐθεῖα ἀκολουθία: vide infrà.

RECTUS, via Damasci, *Euthia* Græcis.

RECUPERATA Ditio, tractus est Galliæ, in parte Septentrionali Picardiæ provinc. ubi Comitatus Guinensis & Oisensis, cum Caleto. Sic dicta, ex quo Henricus Secundus, Galliæ Rex, eam ab Anglis recepit, A. C. 1558. Separatur à Flandria Agnionæ fluviô, à Comitatu Bononiensi montibus arenaceis S. Ingelberti. Vide *Baudrand*.

RECUPERATORES, quinam olim apud Romanos dicti, & quodnam illorum fuerit officium, inprimis ex Cicerone colligitur, *Orat. pro Cæcina, quam ad Recuperatores habuit*. Sic nempe vocabantur primùm Judices, qui inter Populum Romanum & civitates peregrinas de rebus privatis reddendis, recipiendisque cognoscebant; ea enim *Recuperatio* dicebatur. Posteà verò etiam Judices, à Prætore, post judicium constitutum, dati, qui præfecti erant recuperandis reddendisque; à *recuperando* proin, quòd per eos quisque suum *recuperare* posset, dicti. Neque verò tantùm de bonis iniquè ablatis, verùm etiam de æstimandis injuriis, cognitionem habuêre, ut è Gellio discimus, *l.* 20. *c.* 1. Crebra eorum apud Veteres mentio. Plautus, *Bacchid. Actu* 3. *Sc.* 3. *v.* 36.

> *Postquam quidem Prætor* Recuperatores *dedit,*
> *Damnatus demum vi coactus reddidit*
> *Ducentos & mille Philippûm.*

In Judicio muralis coronæ, post expugnatam in Hispania Novam Carthaginem, duobus se dignos professis, Q. Tribellio & Sext. Digitio, datos à Scipione *Recuperatores* tres: habes apud Livium, *l.* 26. *c.* 48. &c. Hinc *Recuperatorium Judicium*, de quo vide Jo. Rosinum, *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 15. & plura, de variis *Recuperatorum* generibus, apud Marcilium, *ad Sueton. Vespas. c.* 3.

RECUTITI, epitheton apud Scriptores frequens Judæorum, à circumcisione, qui præputium illis demtum: unde non pauci illorum, ad Christianismum recèns conversi, præputium sibi attrahebant, quod Apostolus prohibet. Efficacem autem ad præputia circumcisa reglutinanda aloën esse, scribit *Dioscorides*, cùm ait, ἐπαγωγὴν ποιεῖν (optimus ac vetustissimus codex hanc vocem omittit) τὰ χειρουργηθέντα προσκολλᾷ. Ubi ἐπαγωγὰ χειρουργηθέντα sunt, *præputia, quæ circumcisa sunt*. Χειρουργία enim Hippocrati idem, quod χειρουργία, *omnis operatio, quæ manu fit*, & propriè ea, quam Chirurgus exercet. Cæteri verò, ut circumcisionem inter Romanos tegerent, fulsligaculô seu thecâ ex aluta confectâ, partem illam vellicabant, ut infrà dicemus voce *Verpus*. Atque hi quidem ex circumcisione Ἀπόδερμοι seu *recutiti* sunt. Præter hos verò reperiuntur & naturâ *Recutiti*, ad quorum præputia reficienda, Θαψίαν valere, idem Dioscorides tradit, apud Salmas. *ad Solin. p.* 1050. Meminit *Recutitorum* Judæorum Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 29. *v.* 5.

> *Nec* recutitorum *fugis inguina Judæorum*.

Unde *Sabbatum recutitum*. Gentilibus dictum est Sabbathum Judæorum, per contemptum. Persius, *Sat.* 5. *v.* 184.

> *Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles* &c.

Vide quoque suprà *Præputiatus*.

RÉDA, vide infrà RHEDA.

REDÆ, oppid. olim non infrequens ac incelebre Galliæ, inter Carcassonem ac Narbonem, nunc locus obscurus & desertus: at pagus *Redensis* hodieque clarus: vulgò *le Pays & Comté de Rasez*, & Electam *Alet*, ac castrum Limosum *Limous* continet. Hadr. Vales. *Notit. Gal.*

REDÆSTUM, *Ptolem. Bisanthe, Sophiano Rodosto*, urbs Thraciæ ad Propontidem, inter Myriophytum 35. & Heracleam in Boream, 30. mill. pass.

REDARATOR, inter Divos agricolas Romanorum; qui à Flamine Cereali, quum sacrum Cereri ac Telluri faciebat, hôc ordine invocabantur: *Vervactor*, Redarator, *Imporcitor*, *Insitor*, *Obarator*, *Occator*. Sic nempe dictus est, quem secundæ arationi, quam etiam *Iterationem* vocabant, credebant præesse. Fiebat autem secunda aratio æstate; quod νεῶν dictum *Hesiodo*: Νειὸν *terram* scil. *novalem*, quæ iterata est. Et sanè hæc etiam significatio est verbi νεῶν: de novo enim fieri ac *novari* dicitur, quod secundò fit. Sed & *offringere* Latini id dicebant. Nam proscissione, h. e. primâ aratione, grandes glebæ excitantur, quæ iteratione offringuntur & rumpuntur æquanturque &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 724.

REDARII, Germaniæ populi, ab Henrico Imperatore victi, A. C. 921.

REDDERE Symbolum, vide infrà.

REDDI, dicebantur propriè, quæ prosecta Diis porriciebantur. Unde de Pinariis, qui in sacrificio Herculis ad tempus præstò non fuerant, venerantque, ἐσπλαγχνευμένων ἤδη τῶν ἱερῶν, ut ait Dionysius, h. e. *extis jam adesis*, ut vertit Livius, *l.* 1. *c.* 7. Servius exponit, *Extis jam redditis*. Nempe, ritu à Prometheo acceptô, partem hostiæ in ignem conjicere soliti sunt Veteres, cùm sacrificabant, partem ad suum victum abuti; quum anteà tota hostiarum & illibata viscera igne consumerentur. Partem igitur extorum prosicatam aræ superimponebant & Diis adolebant seu in ignem inferebant (quod ἀπαρχὰς ἱερῶν Græci dixêre) partem vescebantur, qui sacrificio intererant. Et exta quidem priùs mandebant, quàm reliquam carnem. Vide suprà in voce *Prosicia*. Idem *ad illud l.* 6. *Æn. v.* 252.

> *Et solida imponunt taurorum viscera flammis:*

Solida, inquit, *viscera holocaustum significant: quòd detractis extis aræ superimponebantur, quæ nonnunquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur*. Ubi indigitat, in holocaustis carnes immolatarum hostiarum concremari solitas tantùm, non etiam exta. Nam *viscera* sunt propriè, quidquid inter ossa & cutem est. Interdum tamen etiam exta unà cum reliquis carnibus aræ superimponi & comburi consuevisse. Idem alibi, *Reddi exta dicebantur, cùm probata* (Barthius mavult *prolata*, tam enim de adversis, quàm prosperis, commune verbum) *& elixa aræ superponebantur*. Sed & Sueton. *in Aug. c.* 1. *Cùm verò devinam Marti faceret, nuntiatâ repentè hostis incursione semicruda exta rapta focô prosecuit: atque ita prælium ingressus victor rediit. Decretum etiam publicum extabat, quô cavebatur, ut in posterum quoque simili modô exta Marti redderentur, reliquiæque ad Octavios referrentur*. Sic *exta reddi* & *prosequi* idem. Vide suprà in voce *Prosicia*. Lutatius ad Statium, *Thebaid. l.* 4. *v.* 46. verba Aruspicinæ sive Extispicii hôc ordine disponit: *Primò est sanguinem libare, deinde immolare, tertiò* reddere, *quartò litare*. Rationem vocis hanc dat Barthius: *Reddere dicebatur* (Sacerdos) *quia debita flammis ipse sumpserat, itaque*

ferali illi igni ſitum quod erat veſtitui, *Animadverſion. ad Poëtam præfatum*, *l. cit. v.* 466. At *Reddi* Flumina, dicuntur Latinis, quæ emergunt, poſtquàm aliquandiu latuerunt. Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Marſyas ibi* redditur, *ortus, ac paulò mox conditus, ubi certavit tibiarum cantu cùm Apolline Aulocrenis.* Fluvius enim hic apud Celænas oritur ex monte, mox conditur: deinde emergit ac *redditur*; paulo pòſt iterum conditur, ubi in Mæandrum cadit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 827. uti *de iis, quæ injuſtò bellò capta, poſſeſſoribus reddendis* ſuprà in *Capta*; de pecunia mutuatitia à debitoribus *redditâ*, infrà phraſi *Reſcripti ad flagrum.*

REDDINGA, urbs Bercheriæ, in Anglia, ad Tameſim fluvium, in limite Comitatus Buckinghamiæ, 20. milliar. Anglica, ab Oxonio in Eurum diſtat.

REDDITI, apud Scriptores Eccleſiæ Romanæ Monachi ſunt, Eremitæque, qui ſe in Monachos *reddiderant*. Gall. *qui ſe ſont rendus Moines*, quòd Deo *redderentur*. Propriè verò *Fratres* ſeu Seculares, qui abdicatò ſeculò, ut loquuntur, in Monaſteria ſecedebant. Cujuſmodi *Redditorum*, qui & *Laici*, & *Donati* & *Præbendarii* dicuntur, crebra mentio eſt *in Statutis* Ordinis Cartuſiani. Eſt autem ordo eorum Converſorum ordine inferior; unde, ſi Converſus deliquerit, in ordinem *Redditorum* dejicitur: in eo tamen horum conditio potior, quòd inter eos poſſit eſſe unus Clericus, qui tamen in habitu Redditi non poſſit ultra Diaconatum promoveri. Ita porrò ii ſe Monaſterio *reddebant*, ut in profeſſione, quam edebant, hanc apponerent clauſulam: *Quod ſi aliquò tempore unquam hinc aufugere vel abire tentavero, liceat ſervis Dei, qui hic fuerint, me plenâ ſui juris auctoritate requirere, & coactè ac violenter in ſuum ſervitium revocare*, apud Guigonem, *in Conſuetud. Cartuſ. c.* 74. laudatum Carolo du Freſne *in Gloſſar.* Vide quoque ſuprà, ubi de *Donatis*.

REDEMTIO Altarium, in Eccleſia Romana quid ſit, vide ſuprà. In eadem *Redemptio Pœnitentiarum*, multiplex olim fuit. Interdum enim eleemoſynâ redimebantur, quas *pœnitentias deargentatas* vocat Guigo *Vitâ* Hugonis Epiſcopi Gratianopol. *num.* 20. Nonnunquam flagellationibus, *palmatis* & Pſalmorum recitationibus. Interdum prædiorum ceſſione &c. Vide ſuprà *Pœnitentia*, alibique paſſim.

REDEMTIO Captivorum, inter præcipua, apud Hebræos olim Charitatis ac Munificentiæ officia fuit. Unde inquiunt, *Redemptio captivorum anteponenda eſt officio pauperes ſive victu ſive veſtitu ſublevandi. Neque* (in rebus hujuſmodi) *habetur præceptum æquale ei, quod de redimendis eſt captivis*, apud Maimonidem. *Halach. Mithnoth Ajajim c.* 8. Etiam officiis, erga opera publica, velut urbium muros, ſynagogas aut alia ejuſcemodi ſive extruenda ſive retinenda, antepoſita. Quin ad hoſce inprimis attinere volunt, præcepta de munificentia, clementia & charitate, erga inopes fratres, tradita Deuter. *c.* 15. *v.* 7. & *ſeqq.* Levitici, *c.* 19. *v.* 13. & *c.* 25. *v.* 53. Horum enim in numero primarium eos habere ajunt locum, quòd non modò victu egerent & amictu, ſed in horas, ex dominantium arbitrio, & vitæ & honeſtatis periculum adirent. Habebant autem rationem ſexus, dignitatis, natalium aliarumque circumſtantiarum, ſecundùm quas alii ante alios, ſi omnes ſimul commodè redimi nequirent, erant redimendi. Anteponebatur namque ut plurimum fœmina viro, Sacerdos Levitæ, Levita Iſraëlitæ, Iſraëlita profano, profanus Mamzeri, Mamzer Nathinæo, Nathinæus proſelyto, proſelytus libertino, libertinus ſervo; porrò ſapiens Regi, Rex Pontifici Max. Pontifex Maximus Prophetæ. Quòd ſi quis cum Patre ſuo & Magiſtro ſuo captivus teneretur, ipſum Magiſtro, Magiſtrum Patri, ſed utrique Matrem anteponendam judicabant, vide *Gemaram* utramque. Certè & in veteris Romæ moribus gradus fuêre, iique ex diſciplina & ordine hujuſmodi officiorum, veluti Parentibus primò, fidei tutelæque noſtræ creditis ſecundò, dein hoſpitibus, clientibus, cognatis, affinibus, præſtandorum, uti ex M. Catone, Maſſurio Sabino, aliis, monet A. Gellius, *Noct. Atticar. l.* 5. *c.* 13. De pretio verò *redemtionis*, ita ſtatuerunt Magiſtri, *in Miſna tit. Gittin, c.* 4. *Non redimendos eſſe captivos pretiò majori quàm valerent, nec in fugam pelliciendos; utrumque, ob commodum publicum.* Hoc, ne alicujus fugâ irritati cuſtodes in cæteros inde acriùs ſævirent: illud, ne ob grandioris pretii ſpem, hoſtes frequentiùs capturæ aſſueſcerent &c. Vide Joann. Seldenum, *de Jure Naturali & Gentium, juxta diſciplinam Ebræorum. l.* 6. *c.* 19. *ſub fin.*

REDEMPTIO Captivorum, Ordo Militaris & Religioſus, fundatus à Petro Nolaſco, Raimundo Rupifortio & Petro, Arragonum Rege. Præter tria conſueta vota, quarto ſe tales obſtringunt, redemptionis nempe illorum, qui ſub Barbaris captivi detinentur: in quorum vicem etiam ſuccedere neutiquam horrent. Vide *Petrus Nolaſcus.* Item, *Trinitarii.*

REDEMPTIO Pœnarum Eccleſ. in Communione Romana variè fit. In Hiſpania ea *redimenda* ratio frequentior eſſe conſuevit, quòd Rege aulicis puellis pueriſve aut aliis, quibus ob gratioſa obſequia gratificari conſtituit, aliquot Sambenitorum redemptiones dono dante, is qui accepit donum ſolerter inveſtigat, ubi & qui eâ pœna mulctati ſint, quibus illam majoris redimendi & facultas & voluntas ſuppetat, cum quibus poſteà de pretio paciſcitur, prout poteſt commodiùs, pluris minoriſve, tum perſonæ coëmentis tum etiam ipſius Sambeniti ratione habitâ: qui enim erant irremiſſibiles, cariùs; qui inmurati, minoris &c. vendi ſolent. Quâ eâdem munificentiâ conſuevit Rex uti erga nonnullos, qui ad redimendos ex Turcica aut Maurica civitate fratres aut affines ſuos eâ pecuniâ Sambenitorum juvari orant. Ei verò, qui Sambenito exui curat, ut vel apud Regem ipſum voti fiat compos, benevolentiam Inquiſitorum atque etiam Scribarum ut ſibi anteà conciliet, maximè opus eſt, ne res in irritum cadat &c. qua de re vide Phil. à Limborch. *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 4. *c.* 32. ut & hic paſſim, ubi de pœnitentiis, ut vocant, in præfata Eccleſia, reis, qui citra mortem puniendi veniunt, irrogari ſolitis.

REDICULUS, Deus extra portam Capenam à Romanis tum excogitatus, quando Annibal, dimiſſâ urbis obſidione, ex illo loco caſtra movit, quibuſdam præſtigiis perterritus. Alexand. ab Alexandro, *l.* 24. Hinc *Rediculi campi*, & *Fanum* Feſto, locus in via Appia. Malè anteà *Ridiculus* erat, cùm *Rediculus* ſcribendum eſſet. Feſtus Pomp. *l.* 6. *Rediculi fanum extra portam Capenam fuit, quia accedens ad Urbem Hannibal ex eo loco redierit, quibuſdam perterritus viſis.* Capenam enim portam maximè armis pulſaſſe Annibalem, Val. Max. refert, *l.* 3. *c.* 7. *ex.* 10. Sunt tamen, qui non Capenam, ſed Collinam portam, eum obſediſſe contendant. Prudentius, *in Symmachum, l.* 2. *v.* 685.

Aſſirmentque Libyn Collina à cardine porta
Hannibalem Jovis imperio Martiſque repulſum.

Vide quoque Sidon. Apollinarem, *Carm.* 7. Imò ad neutram caſtra illum habuiſſe, ſed tantùm Urbi fuiſſe vicinum, volunt alii. Vide Plinium, *l.* 34. *c.* 6. Unde Silius de obſidione illa, *Punicor. l.* 12. *v.* 565.

Nunc aditus luſtrat, nunc clauſas cuſpide portas
Infeſtâ pulſat, fruiturque timore paventûm.

Vide quoque Manilium, *Aſtronom. l.* 4. Claudianus tamen *de bello Gildon.* mediæ ſententiæ favere videtur. Thom. Dempſterus *in Roſin. l.* 1. *c.* 13.

REDIMICULUM, *Iſidoro* eſt, quod aliàs *ſuccinctorium* ſive *bracile*, *quod deſcendens per cervicem & à lateribus colli diviſum, utrarumque alarum ſinus ambit, atque hinc inde ſuccingit, ut conſtringens latitudinem veſtis ad corpus contrahat. Hoc vulgò bracile, quaſi brachiale vocant, quamvis nunc non brachiorum, ſed renum ſit cingulum.* Idem *Cingulum in lumbis* vocat, cùm ait, *Fibulæ ſunt, quibus pectus fœminarum ornatur, vel pallium tenetur viris in humeris, seu cingulum in lumbis.* Quod utique de cingulo Monachorum intelligit, qui *ἀνάλαβος* Græcè dicebatur, *Rebrachiatorium*, Caſſiano. Ita enim hic de Monachis Ægyptiis, *Geſtant enim teſticulas duplices, laneò plexas ſubtegmine, quas Græci ἀναλάβους vocant: nos verò ſuccinctoria, ſeu* redimicula, *vel propriè rebrachiatoria poſſumus appellare*, apud Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio, c.* 1. Vide quoque ſuprà, in voce *Mitra*, item *Rebrachiatorium.*

REDINTUINUM, Germaniæ urbs habet *Ptolemæus. Tein Lazio* dicitur: in Bohemia.

REDIPTOR Radulphus, vide *Radulphus.*

REDIRE à cœna cum pompa, honoris genus, benè meritis de Rep. viris, quoties foris cœnâſſent, olim apud Romanos permiſſum, occurrit apud Florum, *l.* 2. *c.* 2. ubi de Duillio, qui primus navalem victoriam reportavit, atque ab eo tempore, prælucentibus funalibus & præcinentibus tibiis, *quaſi quotidie triumpharet*, ſemper à cœna rediit. Sic Cornificius, ob rem in Sicilia bene geſtam, elephanto vehens *redire* ſolebat. Cæſar verò, poſt epulum triumphale, veſpere domum rediit 40. elephantis dextra atque ſiniſtra lychnuchos geſtantibus. Sueton. *in eo, c.* 37. ubi Caſaubonum vide, ut & ſuprà, voce *Foris* alibique. Similiter, poſt declamationem feliciter peractam, *redire* olim & ſpecioſiſſimò comitatu domum reduci ſolitos Sophiſtas, dicemus infrà, ubi de illis.

REDITUS à *penſione* & *mercede* qui differat, vide ſuprà *Penſio*. Athenienſium Reip. annui, ſex mille erant talenta ducentis quinquaginta minus, Polyb. *l.* 2. quæ pecunia à Quæſtoribus decem, è Pentacoſiomedimnorum numero, electis, adminiſtrabatur. Accipiebant enim illi coram Senatu, & adſervabant in Minervæ templo, quod erat in Arce, *Minervæ ſimulachrum, victoriam, alium mundum, & pecuniam publicam.* Pollux, *l.* 8. *c.* 8. *Ταμίαι τῆς Θεοῦ, κληρωτοὶ μὲν, ἐκ πεντακοσιομεδίμνων δέκα. τὰ δὲ χρήματα παρελάμβανον, ἐ βουλῆς παρούσης.* Vide etiam Suidam & Harpocrationem, in voce *Ταμίας*. Sic Lycurgum *Plut.* ſcribit, Quæſtorem fuiſſe *ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας ταλάντων μυρίων τετρακισχιλίων, ἢ ὥς τινες, μυρίων ὀκτακισχιλίων, ἑξακοσίων πεντήκοντα*; ubi tamen reponi vult *Petitus*, octoginta ſex millia ducenta quinquaginta, *reditus* nempe annorum 15. quibus ſi addas *ἑξακόσια καὶ πεντήκοντα τάλαντα*, apud Lycurgum à privatis intra illud tempus depoſita, fient octoginta ſex millia & nongenta talenta, quæ is adminiſtravit. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas, l.* 3. *tit.* 2. *De Reditib.* Reipubl. Romanæ diximus aliquid ſuprà, in vocibus *Ærarium*, & *Rationes*, uti de *Magiſtratu, reditibus colligendis præfecto*, voce *Curator*.

REDIVIVA, propriò vocabulò Architectis lapides dicuntur & Materiæ, deſtructo ædificio, ita ſalvæ exemptæ, ut ad aliud ſtruendum utiles ſint. Cicer. 1. *Verr. Utrum exiſtimatis minus operis eſſe unam columnam efficere ab integro novam nullò lapide redivivò, an quatuor illas reponere?* Et mox, *Rediviva ſibi habeto. quaſi quidquam redivivi ex opere illo tolleretur, ac non totum opus* ex redivivis *conſtitueretur.* Sic *Leg.* 19. *C. Theod. de oper. publ. Non effoſſis nobilium operum ſubſtructionibus, non* redivivis *de publico Saxis* &c. Vide Jo. Frid. Gronov. *ad Troades Senecæ, Act.* 3. *v.* 472.

REDONES, una ex civitatibus Armoricis, Cæſari, *Comment. l.* 7. *c.* 75. cui ſex millia militum à Vercingetorige imperata. Horum caput Condate Redonum ad Vicinoniam, qui inter Namnetas & Venetos oppidum in Oceanum influit, vel potiùs ad confluentem fluvioli Ilæ vel Illæ *Lile*, & Vicinoniæ; nomine Celticò confluentes ſignificante appellatur, vulgò *Rennes*. Ab hac, quæ caput Britanniæ & ſedes Ducum olim, Dux Britanniæ Comes *Redonenſis*,

nensis, apud Ivonem dicitur: ut Comes Provinciæ à capite regionis Comes Arelatensis; Dux Normanniæ Comes Rotomagensis; Comes Septimaniæ, Comes Tolosanus, &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & in voce *Rhedones*.

REDUVIÆ escarum, apud Solin. *c.* 32. *Trochilos avis parvula est, ea dum reduvias escarum affectat, os beluæ hujusce* (crocodili) *paulatim scalpit* &c. Sunt cibi reliquiæ, quæ dentibus crocodili adhæserunt. Sic supra, *reduvias conchyliorum*, exuvias vel reliquias conchyliorum, τὰ λείψανα, *fragmina conchyliorum* dicta Melæ, eô locô, quem imitatur Solinus. Propriè autem *reduvia* est ἡ παρωνυχία, cum cutis relinquit ungues, & circa illos sese resolvit. Titinnius, de servo mastigia,

Lassitudo conservûm, reduvia *flagri*:

In cujus tergo scil. reduviam pellis facit flagrum. Unde & *reduviosa*, aspera & extantia, apud Lævium,

Scabra in legendo, reduviosave offendens.

Παρωνυχίας Polluci, quæ utrinque extant in unguibus & præsecantur, Latinè *reduviæ*, ut diximus. Hinc *reduviæ*, pro reliquiis & præsegminibus: *Escarum minutias* dixit *Ammianus*, ex hoc loco. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 445.

REDUX, cognomen Neptuni de quo vide suprà.

REEM, seu *Reim*, Hebr. ראם vel רם, Jobi *c.* 39. *v.* 9. (aliis 12.) animal est procerum, αἰχμὴν, validum, ferum, indomitum, cornutum, Principum in S. Scriptura typus: quod Aben-Ezra *ibicem*, Bootius *urum*; Alii *monocerotem*, sed Arabes, Chaldæi, & veteres Hebræi communiter *capreæ speciem* esse contendunt. Et quidem Damir *c. de caprea*, *Diversi*, inquit, *coloris sunt capreæ. Nempe illarum tres sunt species: Prima earum, quæ vocantur arâm, quæ sunt sinceræ albedinis; cujus singulare est Rim. Hæ in arenis habitant. Easdem ajunt caprearum esse oves, quia plurimum habent carnis & pinguedinis.* A qua Arabem quendam Principem, Zacharum nomine, Camili Catiensis filium, qui obiit anno Hegiræ DXLVI. cognominatum fuisse *Rimicidam*, Alsamajus refert; eò quòd hujus animalis venatione maximè delectaretur. Atque ita *Reem* esset capreæ species, eaque nobilissima, tum coloris (non enim albet solùm, sed & candicat) tum pinguedinis ratione. Nec improbat sententiam Bochartus, qui voce hâc bicornem Capream, seu Orygem indigitari, pluribus it probatum, *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 27. Vide suprà in voce *Oryx*.

REEMA, regio sic dicta, à *Regma*, filio Chus, Ezech. *c.* 27. *v.* 22. Latinè, *tonitru*, *exprobratio*, aut *malum quoddam*, sive *quædam societas*, aut *confractio*.

REESIUM, urbec. probè munita, in Ducatu Clivensi, ad Rhenum, juris Brandeburg. 3. leucis à Vesalia in Boream, 3. versus Schenkii arcem, vix 3. à Clivia in Ortum.

REFECTIO, apud medii ævi Scriptores, pro cibo: Sed & *refici stomachum*, *refici vires cibis*, Latini dixêre. Unde *Refectorium*, in Monasteriis, *locus ubi insimul comedunt fratres vel Monachi*, uti habet *Joann. de Janua*. Gregorius Turon. *in Suppl. c.* 36. *Temerariò conatu Rex refectorium ingressus fuerat.* In cujus *area*, *sine mappula & mensa comedere*, pœnæ Monachicæ species est. Ei curando qui præest, *Refectorarius* appellatur, ad quem pertinet, *tempore statutô, sive ad prandium, sive ad cœnam, mensas preparare, panem & vinum & legumina apponere, & si qui fratres deforis veniant, ubi ad refectionem sedere debeant, providere & eis similiter, quæ sunt apponenda, apponere* &c. ut habetur in *libro Ordinis* S. Victoris Paris. *MS.* apud Car. du Fresne *c.* 12. Vide quoque de hoc officio Monastico, Udalricum *Consuetudin. Cluniac. c.* 21. aliosque eidem *Glossarii* Auctori laudatos. Sed & *Subrefectorarii*, qui videl. *Refectorario* in Monasteriis subest, mentio occurrit, in *Libro Ordinis* modò cit. Vide etiam Macros Fratres *in Hierolex.* & Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c.* 3. *ad verba, Jejunus scilicet semper & indefessus.*

REFERENDARIUS, Græcobarbar. Ῥεφερενδάριος, idem qui magis Latinè *Relator* dicitur. In palatio Romani Imperii *Referendarii* dicti sunt, qui supplicum desideria referunt & exponunt, jussionesque Principis Judicibus insinuant, Novell. 10. 113. 124. Officii formulam luculentam habes apud Cassiodorum, *l.* 6. *c.* 17. quâ & nominis ratio intelligitur, scilicet à referendo supplicibus responsa, Principis quasi Relator: *Referenti autem*, inquit, *non licet aliquid immutare.* In hoc quidem Magistris (apud Anglos) Requestarum non dissimilis, in aliis Cancellario proprior. Horum dignitas inter spectabiles fuit: numerus sub Justiniano 14. sed is vetuit novos sufficí, donec ad octavum usque demortui essent, eumque numerum posteà non excedi. Excrevit deinde nihilominus, sed ab Heraclio ad 12. redigitur. Erat & *Referendarius* secundæ pentadis, seu Classis Officialis in magna Ecclesia Constantinopolis cujus officium, *ad Imperatorem mitti & ad magnum Principem, Codinus.* Erat hic ex ordine Clericali. In aula Regum Francorum, *Referendarius* ideo dictus est, verba sunt Aimoini, *Hist. l.* 4. *c.* 41. quòd ad eum universæ publicæ deferrentur conscriptiones; ipseque eas annulô Regis, sive ab eo sigillô sibi commissô muniret. Sic Beatus Audoënus, qui & Dado dictus est, Dagoberti Regis *Referendarius* fuit: i. e. Cancellarius, ut in Aimoini margine annotatur. Quæ duo diversa munera erant Constantinopoli. Sed & Bignonius refert, quòd in diplomatibus primæ Francicorum Regum familiæ, cùm maximè *Referendarii* floruêre, summorum etiam Cancellariorum mentio fiat. Sic ut fortè *Referendarii* tum fuerint, quos suprà diximus *Magistros Requestarum*, seu à libellis supplicum: Et habuerint forsitan proprium sui muneris Sigillum primario cuidam creditum. Sed confunduntur plerunque à recentioribus. Innotuit etiam *Referendarii* nomen & munus apud Reges Anglo-Saxones. Vide Curopalat. *p.* 5. Aimoinum, *locô suprà citatô*, Sigebertum *ad Ann.* 637. Bignonium *in Marculf. l.* 1. *c.* 25. Gregor. Turonens. Henr. Spelmann. *Glossar. Archaiol. &c.* Adde Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano, c.* 36. ubi Ῥεφερενδαρίους, à recentioribus Græcis dictos ait, quos *Apocrisiarios*, h. e. τῶν ἀποκρίσεων μηνυτάς, item Ἀσηκρῆτας, quos Vopiscus *Notarios secretorum* vocat, quoque appellârunt. Vide eundem *in Vita Carini.* Sed & in Romana Curia, *Referendarius est Prælaturæ munus, ad quod lites & causas in signatura Justitiæ & Gratiæ coram Sanctissimo referre spectat, & ideo, utriusque Signaturæ Referendarii hujusmodi Prælati appellantur, qui ab Alexandro VI. instituti, ac multis privilegiis muniti sunt, inter quos XII. antiquiores Votantes appellantur, quia illi soli in Signatura dant vota, & in paritate votorum Cardinalis Præfectus Justitiæ Signaturæ dare potest suum votum.... In Signatura autem Gratiæ, quæ... semper coram Papa habetur, ubi nullum habet votum* &c. uti habet Dominic. Macer in *Hierolex.* ubi etiam quædam subjicit de *Referendarii* dignitate, in Ecclesia Constantinopolitana, item apud Longobardorum Reges, apud quos *oblatione annuli*, Referendarii dignitatem consuevisse conferri, narrat Auctor *Vitæ* S. Boniti Episc. &c. In Aula Francorum Regum, qui hôc nomine illustres fuêre, recensentur Carolo du Fresne isti: S. Bonitus, *Referendarius* Sigeberti Regis, Siggo, Theutarius, sub eod. Marcus, sub Chilperico Rege, Flavius, Licerios, sub Guntranno: Charimeres, sub Sigeberto fil. Childeberti; ut & Gallomagnus: Otho, *Referendarius* Childeberti Austrasiæ Regis, Baudinus, Chlotarii, ut & Charigistus: Boso: S. Audoënus, Dagoberti: Faramundus: Adoindus, seu Dudo vel Audoënus, ejusdem: H. Rotbertus, *summus Palatii Referendarius:* Chro[illegible]egangus, Caroli M. Stephanus Philippi I. qui plerumque Abbates, Episcopique facti. Sed & in veteri *Placito*, sub Chlodovæo III. inter alios memorantur Referendarii, scil. *Wlfolaicus, Arglas, Chrodeberchtus* & *Waldrammus*; edidit illud Joannes Mabillonius, *SS. Ord. S. Benedicti tomô IV.* unde, aliam ac diversam planè fuisse *Referendariorum* dignitatem, à Custode annuli Regii, eruit Car. du Fresne præfatus. Verùm sicut tres Pretorio Præfectos creavit simul Commodus, uni tamen solùm pugionem suum credidit, pignus Imperii, uti diximus suprà, in voce *Pugio*: ita plures potuêre esse *Referendarii*, quorum unus tamen annulum Regium haberet. At *Referendarii* Curiæ, apud Senatorem passim, eidem memoratum, dicuntur, qui extra ordinem referebantur à Principe in Album Curiæ & Senatoriâ dignitate hôc pactô donabantur. Vide quoque Cassiodorum, *Var. l.* 3.

REFERRE ad Deos, Plinii, *l.* 28. *c.* 2. *Quippe victimas cædi sine precatione non videtur*, referri ad Deos, *rite consuli:* aliud quid est, quàm *consulere Deos.* Non *referebant*, voluit dicere, *ad Deos*, neque consulebant eos, sine precatione. Consul quidem ad Senatum referebat de Rep. qui & *Senatum consulere* dicebatur: sed de Diis hæc distinguit. Nempe consulebantur Dii, de rebus futuris & eventuris, ut oracula Delphis; *referebatur ad Deos*, de rebus, quæ jam acciderant, ut de portentis & prodigiis, aliisque ejusmodi, quomodo expianda essent, ac depellenda. Unde sequitur statim, *Præterea alia sunt verba impetritii, alia depulsorii, alia commendationis.* Hoc est, alia erant verba precationis, cùm Deos consulturi victimas cædebant, ut extis inquirerent, quod dicebatur *impetritum*: alia, cùm solemne sacrificium faciebant, *ad Deos referentes*, quô procurabantur ostenta & prodigia, quod *depulsorium* hic vocat &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 585. & infrà, ubi de *Relationis jure.*

REFLEXUS Capillus, apud Jul. Capitolin. *in Pertinace, c.* 12. *Fuit autem senex venerabilis, immissâ barbâ*, reflexô *capillô, habitudine corporis pinguiore* &c. idem est cum eo, qui *flexus* dicitur, apud Spartian. *in Hadriano, c.* 26. h. e. οὖλος seu οὐλόθριξ, *quem in Albino, c.* 13. idem Capitolin. *crispum* appellat, & *renodem*: Quintilianus, *l.* 12. *c.* 10. *in annulum positum:* Flexi enim capilli annulos & nodos quodammodo exprimunt. Arculphus *subannellatum* vocat, *de Locis sacris:* ubi de Christi capillo. Vide suprà *passim*, inprimis in vocibus *Annulus, Flexus, Fluctus* &c.

REFORMATI, nomen priscô jam ævô in Ecclesia usitatum, quô illi insigniti, qui ab Ethnicismo ad fidem erant conversi. Unde de Octavio suo Minucius Felix: *Cæcilium superstitiosis vanitatibus etiam nunc inhærentem, disputatione gravissimâ ad veram religionem reformavit.* Sequentibus dein seculis mansit usus vocis in Ecclesia, & sæpius de *Reformatione* actum. Sic inter alia Conciliô Lugdunensi, A. C. 1274. habitô, *Reformatio* Cleri tentata; Iterum Conciliô Viennensi, A. C. 1311. tria tractata, de bello sacro, de *Reformatione* Ecclesiæ, & excidio Templariorum. Rursus quæsitam *Reformationem* Conciliô Constantiensi, A. C. 1417. Sigismundus Imperator, obtinere non potuit. Proin Basileæ Conciliô indictô, liberiùs quàm unquam aliàs: in auctoritatem Pontificis inquisitum, A. C. 1433. & Reformationis aliquod fundamentum jactum: quæ seculô 16. sequuta est, Zuingliô in Helvetia, & Lutherô in Germania, Euangelium annuntiantibus: ipsôque Adrianô VI. Reformationem Ecclesiæ necessariam agnoscente. Ita priscâ appellatione *Reformati* dicti, qui à seculi superstitione divinâ gratiâ liberati sunt, à quibus postmodum cùm illi, qui Concordiæ formulæ nomen dedêre, Lutheranorum appellatione se discretos vellent, mansit antiquum nomen iis, qui Helveticæ Confessioni sunt addicti; Cum quibus Ecclesiæ Fratrum societatem semel iterumque inierunt. Vide in voce *Fratres*; Historiam verò Reformationis exhibet *Sleidanus.*

REFRIGERATIO, olim in Theatro, quâ aquarum per semitas decursu æstivus minueretur fervor, Pompejô Auctore, memoratur Salmasio, *ad Solin. p.* 913. At *Refrigerium*, Græcè ἀνάψυχα, in *Novellis* Justiniani, pro salario sumitur. Aliam vocis notionem, vide suprà, voce *Frigus*: uti de peculiari arte vinum *refrigerandi*, olim Romanis usitatâ, aliquid suprà, ibidem ubi de vino *Recentato*, it. ubi de *Nive*.

REFUGIA, apud Ulpianum JCt l. 13. *de Usufr.* sunt porticus seu cryptæ; cujusmodi loca sibi comparabant, qui inter ambulandum, exercendum aut vescendum, neque æstatis neque hyemis ferre poterant incommoda. *Hypogæas deambulationes* vocat Vitruvius, *l.* 5. *c.* 9. item *cryptoporticus*: quas in castris destruxit Hadrianus Imperator apud Æl. Spartian. in *Vita* ejus, *c.* 10. ad quam vide Salmasium. Sed & *Refugia*, Græcè ὑποφυγαὶ, dicuntur portus non legitimi, qui aliter *stationes*, & *plagia*. Græcè ὕφορμοι, ἀκταί, ἀγκυροβόλια quoque. *Scylax.* Εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ λιμένες πάντες, καὶ ἄλλαι δὲ καταφυγαὶ ἀπὸ νηΐδων καὶ ὕφορμοι; καὶ αἰγιαλοὶ πολλοί, apud Eund. *ad Solin.* p. 820. De urbibus *Refugii* apud Israelitas, diximus suprà ubi de *Asylis*.

REGALES, item *Regales personæ*, apud citimi ævi Scriptores, Regiæ stirpis Principes sunt, quos *Principes Regii sanguinis* non semel appellat Monstreletus, *Volum.* 1. Item nummi aurei Francici, Gall. *Royaux*, sub variis Principibus cusi. ut videre est apud Car. du Fresne in voce *Moneta*. Cujusmodi monetam, quam Ludovico IX. attribuit, descripsit Hautinus. in *l. de Monetis Franc. p.* 25. in qua efficta corona, cum hisce verbis suprà & infrà. REGALIS AUREUS; in circulo, LUDOVICUS REX FRANCORUM; in aversa parte crux liliata visitur, cum solita inscript. XRC. &c. apud *Eund.* Sed & monetam auream Siciliæ hic nomenclatione habent *Chartæ* A. C. 1178. & 1180. sub Wilhelmo Rege apud Ughellum, *Ital. Sacr. Tom. VII.* Etiam *Regales Coronatos*, monetam auream veter. Provinciæ Comitum, memorat idem Car. du Fresne ex variis *Chartis* &c.

REGALIA, apud Ottonem Frisingensem, *de Gestis Friderici*, *l.* 1. *c.* 63. *Regalia Duci Friderico cum avunculo suo item Friderico commendans*, & *Staronem*, *A. C.* 1219. *Regalia quoque Heinricus*, *Palatino Rheni assignanda*, *Regi Friderico reliquit*: aliàs *Imperialia Insignia*, apud Conradum Ursperg. *A. C.* 1106. item *Imperialia* simpliciter, apud Lambertum in *Vita* Heriberti Archiepiscopi Colon. *num.* 11. & Honorium Augustodun. *l.* 1. *c.* 73. vulgò *Clinodia Imperii*. præcipua sunt Imperii insignia, scil. *Lancea*, *clavus*, *pars crucis Salvatoris*, *corona*, *gladius Caroli*, uti ea enarrat Albertus Argentin. *p.* 119. *globus* item, cujus meminit Conradus præfatus, *d. l.* ut & *petra brachii S. Annæ* & aliæ *reliquiæ*, apud Henricum Imperatorem *Epist.* ad Hugonem Abbat Cluniac. & Steronem. *l. cit. Mappam.* quâ ultimò mensa Domini strata est, addit Dubravius *Histor. Bohem. l.* 22. Vide quoque Aventinum, *Annal. Bojor. l.* 5. *p.* 353. Limnæus duas lanceas inter *Regalia* seu Clinodia Imperii fuisse reperit. Refert enim Sigebertus *ad A. C.* 929. lanceam mirandi operis, ex clavis Jesu Christi crucifixi fabricatam, quæ dicitur Primi & Magni Constantini fuisse, donatam Rudolfo Burgundionum Regi, à Sampsone Comite sed ab Henrico Rege precibus, minis, muneribus, additâ etiam parte provinciæ Suevorum, Rudolfo extortam. & ad insigne tutamenque Imperii ad posteros transmissam esse. Eandem Lupoldus de Babenberg *de Zelo Germ. vet. Princip. c.* 12. arte novâ & singulari elaboratam scribit, quæ juxta mediam spinam habuerit utrobique quasi fenestram & in media spina cruces ex clavis, manibus & pedibus Salvatoris nostri affixis. Plura qui cupit, adeat Goldastum, *in Politischen Reichshändlen, part.* 6. *tit.* 1. *p.* 104. ubi syllabus exhibetur eorum, quæ Carolo IV. Imperatori A. C. 1350. Monachii tradita sunt &c. Ex his quædam asservantur Norimbergæ, cum aliis quibusdam, ad coronationem Regis Romani pertinentibus, videl. *Corona Regalis*, intra cujus ambitum mitra Episcopalis bicorni cacumine exsurgit; *Dalmatica* vestis Caroli M. pretiosis margaritis distincta; *Cappa* Choralis, mantus seu mantellum aut paludamentum Cæsareum, cui Phrygiò opere intextæ sunt aquilæ aureæ; *Stola* aurea; *Amiculum* rubri coloris; *Chirothecæ* unionibus ornatæ; *Sandalia* aurea; *Tibialia* seu ocreæ ejusdem Caroli; *Zona* coriacea, cum retinaculo aureo; *Pomum*, à Comite Palatino gestandum; *Sceptrum* aureum & *Gladius* Caroli M. quorum illud Marchio & Elector Brandeburgicus, istud Elector Saxoniæ, in Coronatione Regis Romani præferre consuevêre. Vide Limnæum *de Jure Publico*, & Enucleatorem ejus, *l.* 1. *c.* 12. nec non *l.* 4. *c.* 39. Sed & *Regalia*, apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ dicuntur Jura regia, quæ ab Imperatoribus, vel Regibus interdum Ecclesiasticis personis concedi consuevêre. Unde *Regalia & Patrimonia B. Petri*, apud Petrum Diaconum, *Chron. Casin. l.* 4. *c.* 35. 36. & 39. h. e. dominium temporale Pontificis, quod aliter *Patrimonium S. Petri* dicitur. Sic *Regalia* Galli vocant prædia, quæ ad Ecclesias pertinent, iis olim à Regibus concessa: aliter *Eleemosyna Regis*. Cujusmodi cùm omnia ferè Ecclesiarum, Episcopatuum & Monasteriorum à Regibus dotatorum prædia sint, eôdem jure reguntur, quô beneficia militaria sive feuda, iisdemque sunt, quibus ea, servitiis obnoxia. Extinctis quippe personis Ecclesiasticis, ad Regem ipsô jure redeunt, donec alia iisdem investiatur: cujus quidem investituræ ratione juramentum fidelitatis ei præstant Episcopi. Hominium quoque iidem faciunt, cùm iis redduntur seu restituuntur Regalia; quod fit, cùm consecrationem, ut vocant, aut benedictionem accepêre. Per mortem itaque Episcopi Regalia *aperta* dicuntur, ut contrà *clausa*, cùm ea Episcopo successori redduntur. Quod ut sæpe differretur satis diu, Principes Regesque fecêre, ut Ecclesiarum Regalibus diutiùs fruerentur quemadmodum inprimis Germanicis Augustis id objectum, in controversia illa, quæ diu inter Imperium & Sacerdotium, circa investituras, fervebat. Vide Arnoldum Lubecensem, *l.* 3. *c.* 16. Anglicis item Regibus, ut videre est, apud Ordericum Vitalem, *l.* 10. ubi de Guilielmo Ruffo Angliæ Rege &c. Cæterùm non defuêre jam olim, qui tantas Ecclesiarum Ecclesiasticorumque opes ac prædia improbarent. *Libellus precum* Marcellini & Faustini, *p.* 46. *Intendite in hoc adversùs Catholicos quasi quendam triumphum Hæreticorum: & in miseram & quasi ultimam & fœdissimam captivitatem, in his Episcopis condemnatâ piâ fide & Catholicis Episcopis eorum in se dominium, delusionemque tradiderunt metu exilii, & ut Episcopale nomen apud homines retinere viderentur, quod utique jam apud Deum, post subscriptiones impias, non habebant. Sed ideo nominis istius etiam cum omni decore quærebatur auctoritas, ne illis possessiones Ecclesiæ tollerentur: quas utinam nunquam possedisset Ecclesia, ut Apostolicô more fidem integram inviolabiliter possideret* &c. At Episcopatuum, qui à *jure Regalium* immunes erant, regalia, sede vacante, servabant Archiepiscopi; ut de Monasteriorum Regalibus aliisque huc pertinentibus, nil addam, de quibus omnibus fusè agit præfatus Car. du Fresne *in Glossario*: uti de lite Ludovicum XIV. Galliæ Regem hodie feliciter regnantem & Pontificem Romanum ob eadem ab aliquo tempore fervente, moderni *Gallicar. Rerum* Scriptores. Sed & tandem. *Regalia*, dicuntur jura omnia ad fiscum spectantia: Hæc perspicuè enarrârunt Sigon. *de regno Ital. A. C.* 973. Guntherus Ligurinus, *l.* 8. Radevicus *in Frideric. lib.* 2. *c.* 5. Vide Henr. Spelman. *Glossar. Archæol.*

REGALIA Sacrificia, vide suprà *Meta*.

REGALIS Via, eadém cum Consulari, Prætoria, Militari, vide ubi de *Viis*.

REGALITAS, apud medii ævi Scriptores, titulus est Regum honorarius, de quo vide *Wittekindum* Meibomii, *p.* 219. aliosque Auctores laudatos Car. du Fresne, *in Glossario*.

REGARDATORES, apud Anglos, in Forestis regiis dicti sunt, quibus venationis cura demandatur: instituti ab Henrico II. Horum officium exhibet Spelmann. *Glossar.*

REGEBELUS, Babylonis Rex IX. Apranadio successit, Manasse in Juda & Asarhaddone in Assyria adhuc regnantibus. Sed, annô exactô, Mesessu-Mordakum successorem habuit annô Æræ Nabonassaris 56. Vide Joh. Marshamum *Can. Chron. Sec. XVIII.*

REGARIA, vulgò REGAIRES, dicuntur Jurisdictio & Feuda Episcoporum Britanniæ Minoris ab antiquo, quòd jam inde à Mauclerci seu Mali Clerici Ducis seculo, ad Regium Galliæ Senatum devolverentur provocationes, à profanis Antistitum Juridicis, non ad Ducales Magistratus. Vide Chopinum, *de Sacr. Polit. l.* 1. *tit.* 7. *num.* 21. aliosque laudatos Carolo du Fresne, *in Glossario*.

de REGE & REGINA ludi, vide suprà *Ludi de Rege* &c.

REGEMBERTUS, aliis *Ragunbertus*, aut *Ragembertus*, quod vide.

REGENDARIUS, apud Senatorem, *l.* 11. *ep.* 29. ubi *Regerendarius* Viri docti legi volunt, dictus est, qui esset à Regestis & scripta *regereret*, h. e. in Codicem referret. *Id.* Vide quoque Pancirollum *ad Notit. Imp. Orientalis*, *c.* 18. Macros Fratres *in Hierolex.* ut & hic in voce *Regestum*.

REGENERANDI, apud Leonem Episcopum Roman. *in Ep.* ad Flavialem Patriarcham contra Eutychetis errores scriptâ. *Ne ipsius quidem symboli initia comprehendit; & quod per totum Mundum omnium* Regenerandorum *voce depromitur, istius adhuc senis corde non labitur*: dicuntur, qui proximè baptizandi erant, aliter *Competentes*, ad differentiam Catechumenorum. Hi, antequàm ad Baptismum admitterentur, Symbolum priùs Fidei publicè recitare tenebantur, ut hinc videre est. C. Macer *in Hierolex.*

REGENNA, vulgò REGEANT, locus pagi Antissiodorensis, ad Episcopum Antissiodorensem pertinens, quem Bellaforestius ad Choram flum. positum esse ait.

REGENS, vulgo *Regent*, apud Gallos Gubernator Regni dicitur, qui vel absente, vel minorenni adhuc Rege, vices ejus obit. Sic post mortem Ludovici Hutini Regis Philippum M. ut, quoad Clementia Regina partum edidisset, regnum Franciæ atque Navarræ ipse intereà *regeret* & administraret, à Regni Proceribus electum, atque in magno ejus sigillo hæc verba fuisse scripta, *Philippus Regis Francorum filius*, *Franciæ & Navarræ regens Regna*, annotavit Continuator Nangii, A. C. 1316. apud Car. du Fresne *in Glossar.* Eâdem titulô & Regina vidua, Mater Regis adhuc minoris, in eodem Regno, insigniri non raro solet, quæ proin tum Gallis *Regente* dicitur, uti exempla obvia sunt. Sed & in Lusitania, haud pridem, matrimoniô Alphonsi VI. Regis cum Ludovica-Maria Duce Nemorosia & Aumalensi rescissô, Regeque ad Regnum inidoneô declaratô, & in Insulam Terceram sepositô, Regnum Petro fratri ejus delatum, isque *Regens* declaratus est, sub initium A. C. 1668. qui etiam Fratris uxorem sibi junxit, ratum id habente Clemente IX. Occurrit verò ei notione vox, jam apud Claudianum, IV. *Consul. Honor.* v. 300.

——— *nec sic inflectere sensus*
Humanos edicta valent, ut vita Regentis.

Et Statium, *Thebaid. l.* 11. *v.* 159.

——— *magnasque* Regentum
Objectare animas ———

REGENSES, vel REGIENSES, populi Galliæ Narbonensis, aliàs Albici, quorum urbs Reji Apollinarii, vulgò *Riez*, in Provincia, ad amnem Aunestram, 10. leucis ab Aquis Sextiis in Ortum Sanitium versus 6. 12. à Foro Julio in Circium; vide *Reji*.

REGES & REGERE, voces sunt à pastoribus mutuatæ: Pastor enim propriè Hebræis רועה *rege*; pascere רעה *raga*, ut Syris *rega*. Et certè in Pastorali arte Politici regiminis species non obscura cernitur: ut enim Pastor se habet ad oves, ita Rex ad subditos. Unde illud in Poëta toties repetitum,

——— Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν.

Sed & in S. Scriptura, passim *Reges* dicuntur *pascere populos suos*, & regale sceptrum confertur cum pastorali pedo, ut videre est, psalmô 78. *v.* 71. 2. Samuel *c.* 5. *v.* 2. & *c.* 7. *v.* 7. Vide quoque Psalmô 80. *v.* 2. Imò sexcentis Scripturæ locis, Ecclesia

clesia cum ovili, fideles cum ovibus & verbi Divini Præcones cum Pastoribus conferuntur: quòd loquendi genus in Novi Testamenti libris tam frequens est, ut Christianorum vulgus plurimis in locis *Pastorum* nomine vix alios intelligat, quàm eos qui Ecclesiæ præsunt; ac si Metaphorica locutio propriam penè aboleverit. Sed & alterum Pastorum apud Hebræos nomen נקד, *noked*, Regibus tributum legitur. Ita enim 2. Regum *c.* 3. *v.* 4. *Mesa Rex Moab* dicitur נקד *noked*; in qua voce cùm LXX. Interpp. hærerent, retinuerunt Hebræam vocem in versione sua. *Καὶ Μωσὰ Βασιλεὺς Μωὰβ ἦν νωκήδ.* Chaldæus verò & Arabs, *Dominum pecoris*; & Græcorum nonnulli *Ἀρχιποιμένα*, *Pastorum Principem* reddunt. Quæ versio non parùm firmatur ex iis, quæ sequuntur, *Et is solvebat Regi Israëlis centum mille arietes cum lanis.* Neque id ἀσύνηθες, ut, qui Rex erat pastorque populorum, etiam in sensu proprio Pastor esset. Tum enim non privatorum modò, sed & Regum opes pecore constitisse notum: Sic Pastor haberi potuit Job, qui inter suos habitabat, *tanquam Rex in exercitu*, Jobi *c.* 29. *v.* 25. Abraham quoque, & Israël seu Jacobus, & Moses, quos *Reges* fuisse scribit Trogus, *l.* 36. *c.* 2. Et Rex Elidis Augias, quid aliud quàm Pastor fuit? Adonis etiam, de quo Theocritus, *Idyll.* 1.

Ὡραῖος χὤδωνις, ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομεύει.

Quem imitatus Poëta, *eclogâ* 10. *v.* 18.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis:

Cinyræ Cypriorum Regis autem filius fuit. Ut Sibonis Horræorum Ducis Ana, qui *pascebat asinas patris sui*, Gen. *c.* 36. *v.* 24. Proinde Pallas Ulyssi apparet, apud Homerum, *Odyss.* ν. *v.* 222.

Ἀνδρὶ δέμας ἐϊκυῖα νέῳ, ἐπιβώτορι μήλων
Παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασι.
Viro juveni corpore similis, pastori ovium,
Planè tenero, quales Regum filii existunt.

In quæ verba Scholiastes, *Τὸ παναπάλῳ*, inquit, καὶ οἱ τῶν Βασιλέων παῖδες παναπάλοι (Meursius legit *πανάπαλοι*) ἐκαλοῦντο καὶ ἐποίμαινον. *Filii Regum olim & πανάπαλοι vocabantur (h. e. planè teneri) & greges pascebant.* Quò pertinent etiam insignia hæc Plinii verba, *l.* 18. *c.* 3. *Etiam nunc in tabulis Censoris pascua dicuntur omnia, ex quibus Populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat.* Sam. Bochartus, *Hierozoici Parte prior. l.* 2. *c.* 44. Porrò apud Veteres *Reges* absolutè, non nisi de Persidis Regibus dicuntur; quomodo eos Plinius semper vocat. Hinc Is. ubi de persicis, *l.* 15. *c.* 13. *Falsum est*, ait, *venenata cum cruciatu in Persis gigni & pœnarum causâ à* Regibus *translata in Ægyptum, terrâ mitigatâ. Id enim de Persea diligentiores tradunt.* Idem de nuce juglande, *l.* 15. *c.* 22. *Et has è Perside à* Regibus *translatas indicio sunt Græca nomina.* Ubi *Reges* absolutè sunt *Persidis Reges.* Hinc κάρυον Περσικὸν, simpliciter *Βασιλικὸν*, h. e. *Regia* dicta. Transiit vox recentiori ævò in Latium eâdem notione, uti suprà diximus in voce *Basileus.* Cùm contrà minoris dignitatis & potentiæ Principes, *Ῥῆγες* à Græcis ejusdem ævi, ex Latino *Reges*, dici consueverint: quòd apud Latinos *Rex* minor Imperatore esset: vide Salmas. *ad Solin.* & hic infrà passim, inprimis voce *Rex.* Addam saltem, *Reges* in scenam olim introductos, cum diademate & sceptro; filios eorum cum diademate, sine sceptro: in specie, Reges Latinos cum trabea & lituo, Romanos Imperatores paludatos, cum purpura & laurea, & stipatoribus & igni, Reginas cum palla & croceo velo, ut videre est apud Jul. Cæs. Scaligerum, *Poëtices*, *l.* 1. *c.* 16. De *Regum filiis*, aliquid suprà voce *Infans*, it. *Puer.*

REGESTA, apud Flav. Vopiscum, *in Probô*, *c.* 2. *Usus autem sum — libris ex Bibliotheca Ulpia — item ex domo Tiberina. Usus etiam ex* Regestis *scribarum porticus Porphyretica, Actis etiam Senatus ac populi;* in *Glossis* Nomicis, *Ῥεγεστὰ*, *ἀπογραφαί*: libri sunt, in quibus Principum Edicta, & Commentarii ac Epistolæ publicæ continentur, à *regerendo*, quòd in eos regerantur. Sic *Constitutio* Honorii 19. in *Appendice* Codicis Theodos. his verbis clauditur: *Regestum Ravennæ XV. KL. Febr. Honorio Aug. XI. & Constantio III. Coss.* Vide Cujacium, *Observationum l.* 15. *c.* 17. Petrum Fabrum, *ad leg.* 92. *de Regulis Jur.* Jac. Gothofredum, *ad l.* 14. *Cod. Theodos. de Indulg. debitorum*, laudatos Carolo du Fresne *in Glossar.* ut & Salmasium, *ad Vopisc. d. l.* Inprimis autem *Regestum* (quod posteà degeneravit in *Registrum*, ut videre est in hac voce) liber iste dicitur, in quo suas solebat describere Decretales quisque Pontifex. Quilibet enim peculiare *Regestum* habebat, in quibus integræ scribebantur Decretales, quæ in collectionibus plerumque erant truncatæ, in principio, medio vel fine. Hinc *ex Regestis Pontificum*, Gregorius XII. qui Decretum Gratiani emendatum vulgavit, etiam Decretales emendâsse ac restituisse legitur, apud Gerb. von Mastricht JC. *Histor. Juris Eccl. num.* 294. & 395. *Regestorum* origo, à more referendi aliquid in volumina singularibus officiis, vel negotiis destinata, quòd in ea res, uti dictum, *regererentur*: quod verbum hac in re proprium est. Quintilianus, *l.* 2. *c.* 12. *in fin. Similisque commentariis puerorum fit, in quos ea, quæ aliis declamantibus laudata sunt, regerunt.* Et, *l.* 3. *c.* 8. *Sunt enim velut res regestæ in hos commentarios, quos puer deduxerat Scholi* &c. Verbò, *Regesta*, fuère monumenta, actaque publica diversorum officiorum & Judicum, veluti Præfectorum Prætorio & aliorum Judicum, quà civilium, quà militarium; imò & in urbe Roma Scribarum, de quibus agit, *l.* 1. *Cod. Theod. de lucris Officior.* in quæ inter alia referebantur Constitutiones Principum, ad cujusque officium pertinentes, uti habet Gothofredus laudatus *ubi suprà.* Inde *Regerendarii* dicti, teste Cujaciô, *l.* 15. *Observ.* 37. Quemodmodum itaque actio ipsa, *regestio*; Sic libri actaque, in quæ *regerebantur* seu referebantur *Regesta* dicta sunt. Ab Imperatorib. Pontifices posteà acceperunt, ut libros, in quos suas Decretales referebant, *Regesta* primùm, post *Registra* appellarent. Eadem vocant Pontificii Scriptores *Originalia*; item dicunt esse *in integra*, nempe Decretali, i. e. Originali, cujus rei exempla vide apud Albericum Gentilem, *de libr. Jur. Canon. c.* 3. *p.* 30. & *& seqq.* Ex his porrò *Bullaria* posteà confecta sunt, quæ exhibent integras Pontificum Constitutiones ex regestis. Quale Romæ edidit Laertius Cherubinus de Nursia JCtus, quod *Magnum* vocavit, Romæ A. C. 1588. &c. Nec valde aliena hæc *Regesta* à *Diptychis* sunt, de quibus suprà diximus. Hinc *Registariani*, vide infrà.

REGETA; oppid. seu pagus Sabinorum, ab urbe Româ 35. mill. pass. distans, *Rugiate*, teste *Blondô.*

REGGIENSIS Ducatus, provincia ditionis Mutinensis, inter Mutinensem Ducatum proprium ad Ortum, Parmensem ad Occidentem, Mantuanum ad Boream, ac Carfeonianam ad Meridiem. Urbs præcipua Regium Lepidi.

REGIA, Latinis, quod *Βασίλειον* Græcis, propriè *domus Regis vel Palatium.* Hinc Urbs, in qua Rex degit; seu in qua Palatium ad habitationem constitutum habet. Solin. *c.* 26. *Cæsariensi Colonia inest, à D. Claudio deducta, Bocchi priùs Regia.* Plin. *l.* 5. *c.* 6. *Cirtha procul mari, quondam Regum domus, &, cùm foret Syphacis, opulentissima.* Et paulo pòst, *Jol ad mare aliquando ignobilis: nunc quia Juba* Regia *fuit, & quòd Cæsarea vocitatur, illustris.* Strabo Cirtham *τὸ Σόφακος Βασίλειον* fuisse dicit. Pro quo *arcem* etiam aliquando Latini dixêre. Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Bizye, quondam arx Thraciæ Regum.* Inde & cognomina Urbium, *Bulla regia*, *Hippo regius* &c. In his autem Regiis civitatibus, quantum *Regia*, seu sedes Principis, spatium olim occupaverit, discimus ex eodem Plinio, ubi de Alexandria verba faciens, *Metatus est*, inquit, *l.* 5. *c.* 10. *eam Dinochares Architectus pluribus modis memorabili ingenio XV. m. p. laxitate in sese ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyratô laciniosam, dextra lævaque anguloso procursu, jam tum tamen quintâ situs parte* Regiæ *dicatâ.* Ubi quidam *quartâ parte*, corrigunt ex Strabone, sed falluntur. Plinii mens, etiam tum, cùm Dinochares Alexandriam metatus est, quintam partem sitûs Regiæ dicatam fuisse: quibus indicat longè majorem partem occupavisse *Regias* eò tempore, quò hæc scribebat. Nam Strabonis ætate, ut ipse tradit, *quartam*, imò *tertiam* partem totius pedaturæ, detinebant Regia ædificia; singulis Regibus semper aliquid addentibus de suo & sic τὸ *Βασίλειον* amplificantibus. Quomodo plures Regiæ factæ, quæ una tantùm fuit, cùm Urbs conderetur, & multo plus spatii sub ultimis Regibus Regiæ illæ occupârunt, quàm cùm primùm est constituta. Vide hanc in rem plura, apud Salmas. *ad Solin. p.* 475. 829. & infrà in *Urbs Regia*: uti de *Regia Theatri* apud Sueton. *Aug. c.* 31. Casaubonum.

REGIA, quæ Imperatoris erant, appellata sunt. Etsi enim nomen *Regis* Imperatores Romani vitârunt, ut notum; tamen quæ ad Imperatorem pertinebant & Imperatoris erant, *Regia* vocaverunt: quâ notione vox non semel occurrit apud Aurelium Victorem Schotti. Sic *Regia animalia* apud Flav. Vopiscum, *in Aureliano*, *c.* 20. *Quemlibet sumtum, cujuslibet gentis captivos, qualibet animalia* regia *non abnuo, sed libens offero*, non tam sunt animalia de Regibus victis capta, quàm ipsius Aureliani propria, quæ ut & reliquos sumtus necessarios sacrificiis, offert Imperator hic Senatui. Sed & Regillianum milites, cùm Imperatorem facerent, *Regem* appellârunt, *Ergo potest Rex esse: ergo potest nos regere.* Quam appellationem superioribus quoque Principibus aliquando hæsisse, docet Vopiscus in *Vita* Carini, *c.* 17. *Regem denique eum plerique Illyrici vocârunt.* Vide Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano.* Quænam verò *Regia munera* olim Romanis fuerint dicta, vidimus suprà voce *Munus.*

REGIA Insula, sive *Regis scopulus*, Insula parva in territorio Traguriensi, in ora Sinus Veneti, Slavis *Kraglievac*, *J. Lucio.*

REGIA Via, vide *Via.*

REGIACUM, oppid. vicinum Ambianis, vulgò *Arras.*

REGIÆ, quoque dictæ Latinis, quæ Græcis *πύλαι βασιλικαὶ*, seu *πυλῶνες* simpliciter, vestibula nempe sive ingressus Templorum, qui post Narthecem seu Pronaum, unde in ipsam *Templi navem*, ut vulgò vocant, venitur. Anonymus *in Festum restitutionis Imag. p.* 741. *Κατῆλθον λιτανεύοντες μέχρι τῶν βασιλικῶν πυλῶν τῶν καλουμένων κιγκλίδων*, ubi Interpres, *Ad usque Palatii portas, quæ cancellariæ dicuntur, supplicantes venerunt.* At sermo est de *Regiis* ædis sacræ, quæ *κιγκλίδες*, quòd cancellatæ essent, & instar *pectinis*, seu *κτενὸς*, efficta, vide Car. du Fresne *in Descript. Ædis Sophianæ, num.* 80. Nonnunquam tamen & aliorum ædificiorum primariæ portæ sic vocitatæ occurrunt, ut idem pluribus docet. Vide quoque Macros Fratres *in Hierolex.* & de portis ædium sacrarum Salmas. *ad Solin. p.* 1218.

REGIANA, oppid. amplum Extremaduræ, ab Emerita 10. leuc. Hispalim versus, *Ellerena*; Aliis *Reyna.*

REGIATES, nunc *Reggiuolo*, castrum Italiæ, in Ducatu Mantuano, in limite ditionis Mutinensis, sex milliaria à Pado in Ortum, uti à Vastalla.

REGIENSIS Maximus, vide *Maximus.*

REGIFUGIUM, 6. Kal. Aprilis, sacrum verò 6. Kal. Julii celebrabratur in commemorationem regum exactorum.

REGILLA, apud Plautum, *Epidicô*, *Actu* 2. *Scenâ* 2. *v.* 39.

Quid erat induta, an Regillam induculam, an mendiculam?

haud dubiè, inquit Ferrarius, tunica fuit; quæ & *recta*; quòd sursum versùs a stantibus texeretur; de qua Festus, *Regillis tunicis albis & reticulis luteis, utrisque rectis, textis sursum versùs à stantibus, pridie nuptiarum Virgines olim induta, cubitum ibant ominis causa, ut etiam, in togis virilibus dandis, observari solet.* Vide præter alios Octav. Ferrarium, *de Re Vestiaria Part. I. l.* 3. *c.* 20.

REGILLÆ, Suetonio, *in Tiber. c.* 1. *Regillus* Halicarn. *um*, Livio, oppid. erat Sabinorum, apud Tiberim, 20. mill. pass. à Roma supra Tibur.

REGILLIANUS Quintus Nonius, Imperat. Roman. mirô fortunæ ludibriô ad tantæ dignitatis fastigium evectus. Nam quum fortè milites aliquot apud ipsum cœnarent, exortaque esset quæstio, unde *Regilliani* nomen deductum foret; Grammatista, qui fortè aderat, deflectere hoc nomen à *rege* exorsus est: quâ voce, velut omine quodam, exceptâ, succlamatum est protinus à militibus: *Merito itaque rex eris.* Quum itaque postridie in publicum prodiisset, ab universis Imperator contra Galienum salutatus est; postquam strenuè contra Sarmatas semel atque iterum pugnâsset: sed eôdem Fortunæ ludibriô mox à militibus vitâ regnôque est exutus. An. 262. Trebell. Poll. *de* 30. *tyran. c.* 10.

REGILLUS, cum Juliano, in locum Cleandri sub Commodo surrogatus, paulò pòst hujus jussu cum eodem interfectus est, apud Æl. Lamprid. *in Commodo, c.* 7. Vide suprà *Julianus.*

REGILLUS, est parvus lacus Plinio Latii in agro Tusculano, Livius, *l.* 2. *c.* 20. Vide Cluver. *de Ital. Antiq. l.* 3. *c.* 5. Nunc *Lago di Castiglione*, prope Columnam castrum, inter Tybur ad Boream & Montem Algidum ad Meridiem ex eo effluit Ola amnis, *Athanas. Kirchero.* Sed *L. Holstenio* Regillus parvus est lacus ille sub Columna, & lacus S. Praxedis seu Castilionis est lacus Gabinus seu Burranus antiquorum, 14. mill. pass. ab urbe Roma.

REGIMBERTUS, fil. minimus natu Theodorici Ringelhemii Comitis (geniti Walpertô, Angriæ Duce & Ringelhemii Comite, Witikindi Saxonis ex Wigperto fil. nepote) Danos cæcidit A.C. 918. Oldenburgiorum Comitum, ut traditio habet, sator: sicut ex fratribus ejus, Immodo Sabaudos; Witikindo, Ferrarienses (an Montisferratenses?) Theodorico (patre Mathildis Henrico I. Imperatori nuptæ) Marchiones Brandeburgicos veteres ortos fuisse, perhibetur. Dantur certè *Regimberto* filius Sigfridus, nepos Ulricus, Comites Oldenburgici: quorum posteriore natus Otto, cui à spectro cornu illud mirabile, de quo suprà, oblatum ajunt. Phil. Jac. Spenerus, *Sylloge Genealogico-Histor.* in Fam. *Oldenburgo-Danica.*

REGINA, cognomen Junonis, apud Romanos, quæ templum habuit, in XIII. regione, teste *P. Victore.* Sed ea appellatio, si Romanorum religionem spectemus, non aëri minùs, quàm Lunæ, quæ cùm Junone ac Diana quandoque eadem, conveniebat. Gerh. Joh. Vossius, *de Idolol. l.* 2. *c.* 27. Eadem in Oriente *Astarte* seu Α'στροάρχη est, *παρὰ τῆς τῶν ἄστρων ἀρχῆς, ab imperio in sidera.* Ut enim Luna ac Juno, ob lumen suum, *Urania*; sic ob nitorem, quô reliquas stellas superat, *Astrorum Regina*, vel, ut Horatius, *in Carm. Seculari, v.* 35. de Luna, *Siderum Regina*; aut secundùm Virgilium, qui de Junone, *l.* 1. *Æn. v.* 50.

——— Divûm (incedo) Regina:

appellata est: eadem haud dubiè cum *Regina cœli*, de qua Jerem. *c.* 7. *v.* 18. & *c.* 44. *v.* 17. Vide Thom. Godwyn. *de ritibus Hebraor. l.* 4. *c.* 6. & paulò infrà, in voce *Regina Cœli.*

REGINA, Regis uxor: quæ duo tamen distinguentes olim Saxones Occidentales in Anglia, *Regina* nomine non admissô, *Regis conjugem* appellabant; quod unde ortum, pluribus exponit Asserus, *de Ælfredi rebus gestis, p.* 3. & ex eo Matthæus Westmonaster. *A. C.* 854. *Regina* Lampridio in *Vita* Alexandri. Augusta est. Licèt enim *Regis* appellationem multum vitarent primi Imperatores, Aurelianus tamen sumsit diadema & reliqua *Regum* insignia, quô tum primùm tempore Imperator dici potuit *Rex*, Augusta *Regina*, Imperium *Regnum*, Casaubonus, *ad Spartian. in Hadr. c.* 11. Posterioribus seculis, præsertim sub Imperatorib. Constantinopolitanis prioribus, titulus hic Regum filiabus tributus est. Claudian. *Panegyr.* 2. *in Stilichon. v.* 360.

Nam domus hac utroque petit diademata sexu,
Reginasque parit, Reginarumque maritos.

Sic Atticum Episcopum Constantinopolitan. *ad Reginas Arcadii Imp. filias librum de Fide & Virginitate*, scripsisse, ait Gennadius &c. Quem etiam usum in Francia invaluisse, discimus ex Gregorio Turon. *l.* 5. *c.* 49. & *l.* 10. *c.* 15. ubi nomen hoc Riguntхi filiæ Chilperici Regis & Chrodieldi filiæ Chariberti Regis tributus. Neque aliâ forte causâ, Caroli M. filiabus coronas attribuit Anonymus *in Poëm. de eo*, ubi de Rotrude,

Namque corona caput pretiosis aurea gemmis
Implicat &c.

De Bertha,

——— Caput auratô diademate cingitur almum &c.

Inferioribus quoque paulo temporibus, atque adeò sub tertia Regum stirpe, *Reginas* itidem vocitatas esse natas Regum, passim apud Scriptores, observat Car. du Fresne, qui in Lusitania quoque hanc consuetudinem olim fuisse, durâsseque ad Alphonsum usque II. addit, ex Duardo Nonio, *l. de vera Regum Portugallia Genealogia.* Quid quòd jam, *ad illud Virgilii, Æn. l.* 1. *v.* 277.

——— donec Regina *Sacerdos*
Marte gravis. ———

Servius, *Regina*, ait, *Regis filia*, &c. Vide omnino eum *locô cit.*

REGINA, *Ptolem. Reyna*, oppid. Turdetanorum, mediterraneum haud procul ab Ana fluv.

REGINA Castra, in Libro *Præfecturar. Rom.* fortè *Reginoburgum* hodie, German. *Regensburg:* nisi *Regium* adhuc superesse dicerent, sed aliô locô B. Rhemanus, *Rerum Germ. l.* 3. ad quem Cl. Otto JCtus *Reginum* fluv. Bavariæ, prope Nabi ostium, vulgò *Regen* & *Castra* præfat. confluenti ejus in Danubii dextra ripa apposita, memorat ex Cluvero *A. G. l.* 5. *c. ult. &c.*

REGINA Cœli, apud Jeremiam, *c.* 7. *v.* 18. item *c.* 44. *v.* 16, 17. 18. *Facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus* Reginæ Cœli, *& libemus ei libamina* &c. quibusdam est Sol, nomen enim hoc apud Hebræos, uti apud Germanos, fœmininum est: plerisque Luna, seu Juno, quibus commune *Urania* nomen. Eadem *Ἀστροάρχη, Regina Siderum*, uti Lunam Horatius vocat, *in Carm. Secular. v.* 35. uti Junonem Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 50. Alii etiam Venerem hic intelligunt, quam in Babylonia, *Reginam cœlorum* indigitatam esse, Seldenus notat, *Syntagm. de Diis Syris.* Sed ad Lunam omnia Numina fœminei generis referri consuevisse, jam suô locô diximus. Hunc morem postmodum imitatæ sunt mulieres illæ Arabes, adversùs quas & earum sectatores, scribit Epiphanius, quæ B. Virgini in Christianismo, illo nomine indito, *placentas* similiter ei obtulerunt. Vide Andr. Rivetum, *Apolog. pro Sanctiss. Virgine Maria l.* 2. *c.* 2. & suprà in voce *Regina.* De libis verò illis seu placentis, ab idololatris Judæis suo illi Numini oblatis; *In Luna similitudinem formabant liba seu placentas, illasque religionis gratiâ, vel comedebant, vel adorabant*, ait Casp. Sanctius *in Jerem. c.* 44.

REGINA Sacrorum, uxor Regis Sacrorum, apud veteres Romanos, quæ & ipsa aliquot sacra obire solebat, ut videre est apud Plut. & Macrobium, *Saturnal. l.* 4. *c.* 15. Inprimis singulis mensium Kalendis Junoni porcellum, vel agnum, offerre tenebatur, Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 2. *sect.* 2. *c.* 9. Vide infrà quoque in voce, *Rex sacrorum.*

REGINA Undarum, Diana in *veter. Inscrip.* DIAN. REGINA. UNDARUM. NYMPHA. DECUS. NEMORUM. apud G. Elmenhorst. *Observationibus Arnobianis, l.* 5.

REGINA Comitatus, provinc. Lageniæ, in Hibernia inter Regis Comitatum ad Ortum, Kildariam ad Occidentem, & Kilkennium ad Meridiem. *Queenes Countye* Angl. Hujus caput

REGINÆPOLIS, Anglicè *Queenestowne*; 22. mill. pass. à Kilkennio in Boream, 18. à Kildaria in Occidentem In gratiam Mariæ Reginæ dicta.

REGINALDUS, Bononiæ Comes in pugna Bovinensi, magnam fortitudinis & prudentiæ militaris laudem retulit, sub Philippo Aug. *Arte* enim *quâdam mirabili usus erat. Fecerat namque sibi quasi vallum quoddam de satellitibus armatis & confertissimis duplici serie, in modum rota, ad instar castri obsessi, ubi patebat quidam aditus, quasi porta, quâ recipiebatur, quoties vel spiritum volebat resumere, vel ab hostibus urgebatur, & sic fecit sapissime*, uti scribit Rigordus; veteri pugnandi more sic in usum revocatô, de quo retro diximus. De eodem *Reginaldo* Guil. Brito, *l.* 11. *v.* 252.

Bolonidesque sibi simili prospexerat arte,
Inque chori speciem pedites triplicaverat ipsos;
Ut, quoties vellet, per eos invaderet hostem;
Seque receptaret, quoties opus esset, in illos.

REGINALDUS, vide RENALDUS.

REGINOBURGUM, oppid. Bavariæ inferioris. *Metel.*

REGINOGRADECIUM, aliis *Hradecium Regine*, urbs Bohemiæ, ad Albim, 12. leucis à Praga in Ortum, Glacium versus 9. *Konigingretz.* Germanicè.

REGINULA, vel REGINETTA, vulgò REINETTA, quasi *parva Regina*, ludus est, quem, præter *trictracum*, cum tesseris & calculis in tabula lusitare Galli consueverunt. Est is ingeniosus admodùm & multum habet artis, luditurque super duodecim tantùm tabulæ punctis; in quo vincit, qui omnes adversarii sui calculos capit. Quod idem olim fiebat in XII. Scriptorum ludo; & hodieque, in eo genere *trictraci*, quod *magnum* vocant. Nomen ludo ab uno ex calculis, quem *Reginulam* vocant. Salmas. *ad Vopisc. in Proculo, c.* 33. Aliud genus *Ludi de Rege & Regina*, vide suprà.

REGINUM, seu REGINA *castra*, vide *Ratisbona.* it. *Regina Castra*, & hic infrà *Reginus.*

REGINUS, fluvius German. cadit in Danubium ad Reginum, Oritur in ipso limite Bohemiæ, è duplici fonte, dein per Palatinatum superiorem labitur, *Regen.*

REGIO, à REGO, quòd, priusquam provinciæ fierent, *regiones* sub Regibus erant, atque ab iis regebantur. Posteà à similitudine earum, in quas Orbis dividitur, majores in Urbe partes *Regiones* appellari cœptæ, quæ in vicos iterum subdividebantur. Tales, Græcis *ῥύμη*, item *κλίματα* & *φρυγῶνες* dictæ, tres primitus, quot nempe Tribus fuère, à Romulo institutæ: quarum unaquæque propriam in Urbe sedem quòd occuparet, hinc *Regionum* & eis adaptari potest nomen. Fuère autem hæ tres, Ramnenses, Tatienses & Luceres, de quibus suprà

prà dictum. Tullius dein, postquàm septem colles unò complexus est murò, urbem in quatuor Tribus seu *Regiones* distribuit, duravitque illa divisio usque ad Augustum: quem primum in certas *Regiones* vicosque Urbem divisisse, tradit Suetonius, *in ejus vita*, *c.* 30. & quidem in earum quatuordecim, ut Plinius auctor est. *l.* 1. *c.* 5. à quo non dissentit Tacitus, qui *l.* 15. *Annal. c.* 40. ubi de incendio Neroniano, idem tradit: quibus addi possunt Sext. Rufus & P. Victor, qui quatuordecim illas Urbis *Regiones* pluribus descripsêre. Hos sequutus Onuphr. Panvinius idem, sed clariùs ac pleniùs longè præstitit, qui, quò ordine id fecerit, his verbis indicat; *Hinc mea Urbis descriptioni integros illos duos libellos Sexti Rufi scil. & P. Victoris inclusi, utriusque ordinem sequutus, in recensendis Urbis regionibus, quos dein ex antiquis probatisque Auctoribus sexcentis locis auxi. In iis autem enumerandis, quæ per singulas regiones erant, eorum ordinem non admisi, sed quandam mihi commentus sum rationem, quam iis tradendis rebus commodissimam esse existimavi, ut facilè legentes cognoscere poterunt. Primò enim locò* Regionis *trado nomen, dein montes, insulam, vias intra Urbem, rivos, aquas, si qua erant ponenda: clivos, vicos, Vicomagistros, Curatores, Denuntiatores, cohortes Vigilum, nomina locorum publicorum vel incertorum: dein lucos, Templa, ædes, ædiculas, porticus: Janos vel aanos, atria, areas, sacraria, sacella, delubra: nomina cæterorum locorum sacrorum, aras, signa, statuas Deorum, hominum vel animalium: hippodromos equitia, circos, obeliscos, stadia, factionum stabula, theatra, Amphitheatra, ludos, naumachias, ædificia reliqua publica, incerta, fora, cænacula, curias, basilicas, regias, comitia, septa, carceres; reliqua ædificia prophana, castra sive stationes, campos, hortos, scholas, tabernas, aquas, thermas, balnea, lymphea, nymphæa, lavacra, lacus, fontes, Bibliothecas, arcas, columnas, septizonia, sepulchra, emporia, macella, horrea, pistrina, domus, insulas & postremo* Regionis *ambitum, quem ordinem sequi decrevi.* Hæc ille. Vide quoque infrà in *Regionarius*. Sed & *Regio*, pro territorio, apud Sæculum Flaccum, *Regiones autem dicimus, intra quarum fines, singularum Coloniarum aut Municipiorum Magistratibus, jus dicendi coërcendique est libera potestas.* Πεῖρας τῆς πόλεως vocat Eusebius *in Epist.* Sabini Præfecti Prætorio Latina, quam Græcè reddidit. Hodie *banleucam* vel *bannileugam* vocant Galli, ut supra in voce hac vidimus. Hinc tractus ille, qui, urbi Romæ circumjacens, suberat jurisdictioni Præfecti Urbis, & usque ad centesimum lapidem extra Urbem sese extendebat, *Urbicaria Regio* dicitur, in *Cod. Theodos.* item *Romana Regio*, in lapide antiquo.

POLLIO. IULIO. CLEMENTIANO
SUBVENTORI CIVIUM
NECESSITATIS. AURARIÆ
DEFENSORI. LIBERTATIS.
REDONATORI. VIÆ. POPULI
OMNIUM. MUNERUM. RECREATORI
UNIVERSA. REGIO. ROMANA
STATUAM. COLLOCAVIT
CURANTE CL. PLOTIANO.

Ubi *universa Romana Regio* & *universa Urbicaria Regio* idem est; quò nomine ἡ πᾶσα περίχωρος τῆς πόλεως ἢ τῆς Ῥώμης intelligitur. Vide Salmas. *ad Treb. Pollionem in XXX. Tyrannis, ubi de Tetrico Seniore, c.* 24.

REGIO, vide REGIONES.

REGIO Annonaria, vide suprà in voce *Annonaria*.

REGIO Cœli, Favorino apud A. Gellium, item *Limes Cœli*, dicitur quod κλίμα vocat Dionysius Uticensis, *partem cœli* Plinius, *cardinem* Latini inferiores. E quibus *Regionibus* seu plagis Cœli IV. (tot enim earum sunt) Antiqui IV. Ventos Cardinales eduxerunt, uti videre est apud Salmas. *ad Solin. p.* 1239. ubi plura hanc in rem.

REGIODUNUM. oppidum Bituricensis provinciæ ad Avarum fluvium, in limite Borboniensi, 7. milliar. à Biturico in Meridiem 8. à Niverno in Occasum.

REGIOMONS, vide KONIGSBERGA.

REGIOMONTANUS, celebris Astronomus, (cujus nomen Johannes Mullerus fuit.) Regiomonte oriundus, in Franconia. Philosophiam Lipsiæ didicit, dein Viennæ, sub Georgio Purbachio, Mathematicis studiis incubuit, tanto cum successu, ut illi mortuo Professor surrogaretur. Interim amicitià Bessarionis Cardinalis & amore Græcæ linguæ permotus, in Italiam transiit, Venetiis, Romæ, Patavii clarus: Ubi, à Bessarione rogatus, epitomen Almagesti Ptolomæi, quam Purbachius orsus est, feliciter absolvit. Romæ cùm fuisset, in libris à Georgio Trapezuntio versis varios deprehendit nævos: quod ægrè ferens Georgius, Regiomontani hostem se professus est: Hic verò in Germaniam rediit, Norembergæ sede fixà. Inde precibus Sixti IV. revocatus Romam, ut Calendarii reformationi operam suam intenderet, paulo post adventum à Trapezuntii filiis trucidatus est, A. C. 1476. veritis ne gloria ejus paternam famam obscuraret. Alii peste illum obiisse dicunt, A ætat. 40. Scripsit varia, P. Jov. *in elog. c.* 144. Gassend. *in vita Regiom. &c.*

REGIONARCHA, Græcè Ῥεγεωνάρχης, vide infrà *Vicomagister*.

REGIONARIUS, apud Blondum. *Dec. l.* 5. *Sed priusquàm Pontifex* (i. e. Sylverius Papa) *respondere posset, accesserunt satellites, qui, palliò detractò, cucullam illam Monasticam induerunt; tunc egressi ad Sacerdotes Clerumque Joannes Subdiaconus* Regionarius *primæ regionis & alii factionis suæ Clerici, Vigilium proclamârunt in Romanum Pontificem subrogatum*: aliter *Regionalis*; titulus in Ecclesia Romana, à seculo V. Notarius, Diaconis, Subdiaconis & Defensoribus tribui solitus; à *Regionibus* Urbis Romæ Ecclesiastici ordinis, quas numerò VII. fuisse, quarum unaquæque Diaconos Regionarios habuerit, quibus cujusque Regionis Acolythi per manum Subdiaconorum Regionariorum subditi fuerint, habetur in *Ordine Rom.* Sed & *Regionum* munera secundùm hebdomadæ vices sic fuisse distincta, legitur *ibid. Primâ enim feriâ Paschæ ministrabat Regio tertia: secundâ feriâ, Regio quinta: feriâ quartâ; Regio sextâ: feriâ quintâ, Regio septimâ: feriâ sextâ, Regio prima: Sabbatô, secunda Regio. Ergo unaquaque Regio ordines proprios tam in processione, quàm in Ecclesia habebat* ——— *& nullus in aliquâ designatus, à ministerio Pontificis, sine excommunicationis vel animadversionis sententia deesse poterat.* Cui verò ex præfatis dignitatibus *Regionarii* titulus nudè competierit, quærunt Viri docti. Vide Car. du Fresne, *in Glossario* & Macros Fratres *in Hierolexico*, ubi & *Corregionalium* meminère, *ex can. leg.* 16. *quæst.* 1.

REGIONES, non modo provinciarum, sed etiam urbium magnarum partes sunt.

Regiones urbis Romæ quatuordecim ex Publio Victore, Sexto Rufo, et aliis.

1. Porta Capena; inter Cœliomontanam ad ortum & Aventinum montem ad occasum ac inter Piscinam publicam & viam Appiam; ambitus pedes 12222. habet: in qua templa 4. vici 9. templa Martis, Fortunæ, Isidis, & Serapidis.

2. Cœliomontana, magnam Cœlii montis partem occupans, (pars enim altera in prima regione est) 12200. pedum: in qua vici 7. templa 4. Tulli & Ostilii cum regia, Bacchi, Fauni, & Claudii.

3. Isis & Serapis Monetæ, inter Cœlium montem & Exquilias, quarum magnam partem occupabat, pedum 12450. in qua vici 8. templa 2. Serapidis Monetæ, & Concordiæ: thermæ Titi, Trajani, & Philippi Imperatorum, & amphitheatrum Vespasiani.

4. Templum Pacis, & via sacra, quæ inde incipit, inter Palatium & Esquilias, pedum 12000. vici 8. templa 9. (præter Pacis) Solis, Lunæ, Telluris, Concordiæ, Veneris, Remi, Augusti, Nervæ, & Faustinæ.

5. Exquilina, magnam partem Exquiliarum occupans, cum monte Viminali, pedum 15900. vici 15. templa 6. Jovis Fagutalis, Junonis Lucinæ, Veneris Erycinæ, Minervæ medicæ; Sylvani, & Æsculapii, regia Servii Tullii; horti Planciani, & Mæcenatis; thermæ Olympiadis; amphitheatrum Castrense.

6. Alta semita, inter montem Quirinalem, & subjectam vallem ad lævam, pedum 15600. ubi vici 12. templa 13. Salutis, Serapidis, Apollinis, Floræ, Veneris, Hortorum Sallustii, Quirini, Minervæ Flavianæ, Fortunæ Sejæ, Salutis, Fortunæ liberæ, Fortunæ publicæ, Fortunæ primigeniæ; thermæ 2. Diocletiani & Constantini.

7. Via lata, inter collem Hortulorum & Forum Trajani, attingens latus collis Quirinalis ad lævam, & dextrorsum Circum Flaminium, pedum 15600. ibi vici 10. templa 3. Spei, Fortunæ, & Quirini, præter templum Solis & Lunæ; fora 2. Suarium, & Archimonium.

8. Forum Romanum, inter Capitolium, Palatinum, & Tiberim, in plano, pedum 12867. ubi rostra populi Romani, vici 12. fora 2. Romanum, & Cæsaris Augusti; templa 4. Jani, Vestæ, Romuli, & Penatum, præter templa Jovis optimi maximi & Julii Cæsaris, Carmentæ, & Minervæ, Nemesis, Saturni, Veneris genitricis, Junonis maritalis, Augusti, & Larium.

9. Circus Flaminius, maxima omnium, continens quicquid inter montes & Tiberim, excepta Via lata, pedum 30500. in qua vici 30. templa 8. Pantheon, Jovis, Jani, Bruti Callaici Apollinis, Neptuni, D. Antonini, Minervæ Chalcidicæ, Isidis & Serapidis simul; circi 2. Alexandri, & Flaminius campus Martius, cum obelisco.

10. Palatium, totum montem Palatinum complectens, pedum 20700. ubi vici 7. templa 10. Jovis Statoris, Spei, Apollinis Palatini, Lunæ in Palatio ipso, Jovis, Augusti, Quirini apud Lupercal, Jovis purgatoris, Martis deum, & Febris in Palatio; arcus Octavii patris Augusti; Septizonium Severi; colossi 2. Jovis, & Apollinis.

11. Circus Maximus, planitiem continens inter Aventinum montem & Tiberim, ac inter Salinas & Tiberim, pedum 11500. in qua vici 8. templa 4. Mercurii, Castoris, Herculis in foro Boario, & Jani in foro Olitorio; velabra 2. majus in foro Olitorio, & minus.

12. Piscina publica, spatium continens post circum Maximum ad montis Aventini radices, pedum 12000. ubi vici 12. horti Asiniani; thermæ Antonianæ; Septizonium vetus.

13. Aventinus, totum Aventinum montem complectens præter thermas Antonianas, pedum 16200. in eo vici 17. templa 6. Lunæ, Dianæ, Bonæ deæ, Libertatis, Junonis reginæ, & Isidis; thermæ 2. Varianæ, & Trajani; forum pistorium.

14. Transtiberina, quicquid inter Tiberim & Vaticanum montem est continens, pedum 33689. ubi vici 23. templa 3. Fortunæ fortis, Fortunæ liberæ, & Apollinis in Vaticano; circus Vaticanus: thermæ 2. Septimianæ, & Hyemales; Aurelii Imperatoris moles, & sepulchrum Hadriani.

Aliæ Romæ regiones postea superioribus additæ:

1. Tabernulæ, sic à tabernis, quæ ibi erant, dictæ.
2. Suburrana, à Suburra, vico regionis 2. in quo meretrices

habitabant, nominata, usque ad Viminalem collem protensa.

3. Collina, sic à vicina porta appellata.

4. Fasciolæ, à qua titulus Ecclesiæ olim fuit.

5. Ursi pileati, qui apud portam Esquilinam (ubi nunc sacra ædes S. Bibianæ virgini dicata) erat.

Ambitus urbis 36. mill. pass. erat, suburbiis Ostiam usque perdurantibus, & domibus usque Ocriculum, teste Ammianô.

Regiones urbis Constantinopolitanæ quatuordecim.

1. In qua domus Placidiæ Augustæ, domus Marinæ, thermæ Arcadianæ, vici 29. domus 118. porticus duæ, balneæ privatæ 15. pistrina publica 4. privata 15. gradus 4.

2. Incipit ab initio theatri minoris, molli clivô sese attollens, ad mareque præcipitiis descendens. In ea Ecclesia magna & antiqua, senatus, tribunal gradibus purpureis, thermæ Zeusippi, theatrum & amphitheatrum, vici 34. domus 98. porticus magnæ 4. balneæ privatæ 13. pistrina privata 4. gradus 4.

3. Plana in superiori parte, altera parte clivo prono ad mare descendens. In ea domus Pulcheriæ Augustæ, portus novus; porticus subrotunda, tribunal fori Constantini, domus 94. vici 7. porticus magnæ 5. balneæ privatæ 11. pistrina privata 9.

4. Incipit à Milliario aureo, assurgens collibus læva, dextraque ad planitiem perducta, continens Milliarium aureum, Augusteum, basilicam, nymphæum, porticum Fanionis, liburnam marmoream, (navalis victoriæ monumentum) Ecclesiam St. Mennæ martyris, scalam Timasii, domos 475. vicos 32. porticus magnas 4. balneas privatas 7. pistrina privata 5. gradus 7.

5. Obliquior planitie producitur, in qua ædificia continentur. Ibi thermæ Honorianæ, cisterna Theodosii, thermæ Eudociæ, pryaneum, strategium, forum Theodosii, obeliscus Thebæus quadrus, horrea olearia, nymphæum, horrea Troadensia, & Valentiana, ac Constantiana, portus prosphorianus, scala Chalcedonensis, domus 84. vici 23. porticus magnæ 7. balneæ privatæ 11. pistrina publica 7. privata 2. gradus 9.

6. Modica planitie, ut plurimum in devexo consistens, quæ à claro foro Constantini ad scalam usque, sive trajectum Sycænum, extenditur. Ibi columna purpurea Constantini, & senatus, domus 484. vici 22. porticus magna 1. balneæ privatæ 9. pistrinum publicum 1. privata 17. gradus 17.

7. Superiore planior, circa mare declivior est, à parte dextra columnæ Constantini, usque ad forum Theodosii porticibus extenditur: utrinque habet Ecclesias 3. Irenes, Anastasiæ, & S. Pauli, columnam Theodosii cum gradibus; thermas Carosianas, domus 711. vicos 55. porticus magnas 6. balneas privatas 12. gradus 16.

8. Ex parte Tauri mare non attingit, angustior, sed longior: continet partem fori Constantini, porticum sinistram Taurum usque ad basilicam Theodosianam, Capitolium, domos 108. vicos 21. porticus majores 5. balneas privatas 10. pistrina privata 5. gradus 5.

9. Prona tota, in austrum deflexa, mari contermina, continet Ecclesias 2. Cœnopolim & Oneneam, horrea Alexandrina, domum nobilissimæ Arcadiæ, thermas Anastasianas, horreum Theodosianum, domos 116. vicos 16. porticus majores 2. balneas privatas 15. totidem pistrina privata, publica 4. totidem gradus.

10. In aliud urbis latus recedit, à nona platea magna, veluti fluvio, divisa, planior, nec inæqualis, nisi juxta mare, pari longitudine & latitudine constans. In ea Ecclesia Sancti Acatii, thermæ Constantinianæ, domus Placidiæ, & Eudociæ, ac nobilissimæ Arcadiæ, nymphæum majus, domus 636. vici 20. porticus majores 6. privatæ, & pistrina publica 3. privata 16. gradus 12.

11. Spatiosior, & nullâ parte mare attingens, partim plana, partim collibus inæqualis: In ea Ecclesia Apostolorum, palatium Facellianum, domus Pulcheriæ, bos æreus, cisterna Arcadiana & Modestiana, domus 503. vici 8. porticus majores 4. balneæ privatæ 14. pistrinum publicum 1. privata 3. gradus 7.

12. Inter civitatem & portam plana, à latere sinistro, ubi mari terminatur declivis, mœnium sublimitate ornata. In ea porta aurea, & porticus Troadensis, forum Theodosii, columna gradibus intus pervia, Moneta, portus Theodosii, domus 363. vici 11. porticus majores 3. balneæ privatæ 5. totidem pistrina privata, gradus 9.

13. Sicæna dicitur, sinu maris angusto divisо, & montis lateri affixa, navigiis frequentibus. Ibi platea cum planitie inter montes & littora; Ecclesia, thermæ, & forum Honorii, theatrum, navale, domus 431. porticus major 1. balneæ privatæ 5. pristrina privata 4. publica 1. gradus 8.

14. A reliqua civitate divisa, murô propriô vallatur: situ plana progressis à porta modicum est, sed latere dextrô clivosa usque ad medium plateæ; quod est pronum usque ad mare. Continet Ecclesiam, palatium, nymphæum, thermas, theatrum, lusorium, pontem sublicium, vicos 11. domus 167. porticus majores 2. balneas privatas 5. pistrinum privatum 1. & publicum 1. gradus 5.

Tota urbis longitudo à porta aurea ad mare recta linea est pedum 14076. latitudo 6150. Nonnihil sub Turcis immutata est, 18. mill. pass. ambitu patens.

REGIOPOLIS, urbs Lageniæ, in Hibern. 18. mill. pass. à Reginæpoli in Boream, 40. à Dublinio in Occidentem, Atlonam versus 20. Caput Comitatus Regis, provinc. quæ inter Connaciam ad Occidentem, Mediam Occidentalem ad Septentrionem, Kildariam ad Ortum, & Comitum Reginæ ad Meridiem.

REGIS Mons & Villa, vide in *Konigsberga.*

REGISTORIA, in *Regula* S. Cæsariæ Virg. *c.* 26. *Quod habueritis, reponite & claves de arcellis vel pressoriolis vestris* Registoria *teneat*: officium est Sanctimonialium, in Ecclesia Romana sicque dicitur Monialis *depositoria, apud quam deponitur Monialium peculium, ne sint proprietariæ*, ut ait Dominic. Macer in *Hierolex.* Car. du Fresne habet, *cui* Regesti *seu thesauri Monastici cura commissa est. Regesti* enim voce, thesaurum nonnunquam, seu fiscum, quò *regeruntur* pecuniæ, venire ait, ex Prudentio *περὶ στεφ. in S. Romano, v.* 511.

Aurum regestum nonne carni acquiritur?

REGISTRUM, meliùs REGESTUM quibusdam, Spelmanno vox orta videtur ex Normannicô seu antiquo vocabul. Gallicô *gister*, in lecto reponere, suô locô constituere. Hinc *Registrum* Cancellariæ, codex, quô brevia Regia, tam Originalia, quàm Judicialia formularum muneri inscribuntur. *Registrum* Ecclesiæ parochialis, cui seriatim inseruntur Baptismi, Matrimonia & sepulturæ; à Cromvello summa cum laude, in Anglia, institutum, A. C. 1538. regni Henrici VIII. 30. dum vices regias tum administraret. Injunxit enim Episcopis, ut non solùm hujusmodi *Registra*, sed & Biblia sacra Anglicô sermone in unaquaque Ecclesia haberentur, Henr. Spelmannus, *Glossar. Archaol.*

REGIUM, oppid. Gall. Cisalpinæ, à Lepido ædificatum; unde *Regium Lepidum* vocatur.

REGIUM, vide RHEGIUM, & in voce *Konigsberga.*

REGIUS Campus, locus prope Rhenum, inter Rysam, Arulamque Helvetiorum fluv. Æmil. *l.* 8. Vide *Campus Regius.*

REGIUS Lepidus, cujus meminit Tacit. *l.* 2. *Hist. c.* 50.

REGIUS Ludovicus, Normannus, Professor regius Parisiis, Historicus & Orator excellens; primùm *Epistolarum* quarundam dein *Vita Guil. Budai* editione, eruditi Orbis plausum meruit. Sed rei familiaris negligens, & obtrectator aliorum, Joach. Bellaji inprimis; cujus sale acetôque poeticô tam acriter perfluctus est, ut diu Parisiensium & aulæ fabula esset: obiit A. C. 1579. Ejus opera, inter quæ *Commentaria* illius *in Platonem ac Aristotelem*, magnoperè Naudæus laudat, enarrantur *in Elogiis* Teisserii, *Part. I.* Vide & *Ludovicus.*

REGIUS Mons, vide REGIOMONS.

REGMA, fil. Chus, Gen. *c.* 10. *v.* 7. Idem significat quod *Rema.*

REGNATOR, apud Papinium Statium, *l.* 4. *Sylv.* 1. *v.* 5.

Tuque regnator *Lyricæ cohortis,*
Da novi paulùm mihi jura plectri,
Si tuas cantu Latiô sacravi,
Pindare, Thebas:

Rex est quemadmodum eidem *Carm. sup.* Alexander *Pellaus Regnator* dicitur. Vide Barthium, *ad loc.*

REGNERUS, Danus, Septentr. Rex, pepulit Haraldum, huicque faventi Ludovico Pio iratus per Normannos omnia vastavit, A. C. 836.

REGNI, Angliæ populi *Ptol.* quorum oppid. *Regnum* vulgò. *Ringwood*, in agro Hantonensi, à Venta Belgarum 23. mill. pass.

REGNODUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

REGNORUM Liber, Tertulliano, Cypriano, Augustino, Lucifero Calaritano, Aliis, passim dicitur, qui aliàs *Regum* liber, vide quæ diximus *de Regum Libris.*

REGNUM, is Reip. status dicitur, in quo penes unum rerum summa est; aliquando absolutè, aliquando cum moderamine. Polybius à Monarchia sic distinguit, ut *Monarchiam* dicat, si quis robore corporis & animi viribus præstans sibi ipsi Imperium & Principatum alicujus populi sumat & obtineat, sine voluntario Populi consensu: *Regnum* verò, cum subditorum voluntate ac consensu summa potestas uni alicui conceditur, *l.* 6. Ibidem, quomodo è Monarchia *Regnum* oriatur, pluribus edisserit. Apud Romanos, defunctô Rege aliquô, Senatus à Populo accipiebat potestatem constituendæ, ad quam placeret formam, Reip. Itaque Interreges creabat, qui Virum eligebant optimum, nullô civium, sociorum, aut exterorum discrimine, quem Regem constituerent: in quem, si Senatus Populique consentirent suffragia, & addicerent auspicia, assumebat is imperium; quòd si horum trium aliquid deesset, alter nominabatur & post hunc tertius, nisi secundus ille probaretur, Deorum hominumque judiciis. Et hâc quidem ratione omnes Reges, post Romulum, imperium nacti sunt, præter Servium Tullium & Tarquinium Superbum, qui non legitimè ad *Regnum* pervenerunt. Romulus autem, cùm nullus adhuc Senatus esset, à Populo communi consensu Rex declaratus est; cui tamen populi declarationi obtemperare priùs noluit, quàm Deus auspiciô certô comprobâsset illam electionem: ac dein hunc morem instituit, *ne quis nisi auspicatò Regnum assumeret*, Magistratumque iniret, uti refert Dionysius, *l.* 2. qui etiam addit, observatum hoc apud Romanos esse longô tempore, non solùm sub Regibus, verùm etiam sublatô *Regnô*, in Consulum, Prætorum, cæterorumque Magistratuum Comitiis. Vide Ioh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 3. *ubi de officio Regis, Regnique insignibus multa addit egregia.* Regnorum ordo ex situ non magnitudine aut nobilitate, per omnes mundi partes, cum appellationibus Italicis, Gallicisque sequens est.

Regna Europæ.

Gallicum. *Regno di Francia, Royaume de France.*
Hispanum, *di Spagna, d'Espagne.*
Anglicum, *d'Inghilterra, d'Angleterre.*
Scoticum, *di Scotia, d'Escosse.*
Hibernicum, *d'Irlanda, d'Irlande.*
Bohemicum, *di Bohemia, de Boheme.*
Danicum, *di Danemarcha, de Danemarck.*
Norvegicum, *di Norvegia, de Norwegue.*
Suecicum, *di Suecia, de Suede.*
Polonicum, *di Polonia, de Pologne.*
Moschicum, *di Moscovia, de Moscovie.*
Tauroscythicum, *di Tartaria, de la petite Tartarie.*
Dacicum, *di Transilvania, Moldavia, & Walachia, les pais tributaires du Turc.*
Turcicum, *del gran Turco, l'Estat du Turc en Europe.*
Hungaricum, *d'Ongaria, de Hongrie.*
Neapolitanum, *di Napoli, de Naples.*
Lusitanicum, *di Portugallo, de Portugal.*
Siculum, *de Sicilia, de Sicile.*
Sardoum, *di Sardegna, de Sardaigne.*

Regna Africæ.

Ægyptium, *Regno d'Egitto, l'Egypte*, seu *Misr.*
Tripolitanum, *de Tripoli.*
Africum, sive Tunisium, *di Tunisi, le Royaume de Tunis.*
Numidicum, *di Constantina, de Constantine.*
Mauritaniæ Cæsariensis, & Telensinum, *di Algieri, d'Alger.*
Mauritaniæ Tingitanæ, geminum; Fessanum, *di Fez*; Marochium, *di Marocco, de Maroc.*
Nigritarum multiplex, *di Negri, de païs des Negres.*
Guineæ, *de Guinée.*
Beninum, *de Benin.*
Æthiopum juxta Æquatorem ad occidentem multiplex, *di Damut, de Damout.*
Hesperiorum Æthiopum, *di Congo.*
Agisymbæ ad occasum, *di Loanga*, ad ortum, *di Cefala*, interiùs, *di Monomotapa.*
Prassium, *di Mozambique.*
Raptium, *di Quiloa.*
Melindium, *di Melinde.*
Azanium, *di Xoa e Barua.*
Troglodyticum, *di Adel.*
Barnagassium, *di Barnagasso, de Barnagas.*

Interiora:

Garamantum, *di Garamo*, seu *de Bordoa.*
Nubarum, *della Nubia, de la Nubie.*
Meroës & Sabæ, *di Gueguera.*
Æthiopiæ, *del Prete Jani, du grand Negus, ou l'Abissinie.*
Æthiopiæ ultra Æquatorem, *di Monomugi.*
Muiacum, *de Mujaco.*
Macocum, *de Macoco.*
Giringbomba, *de Giringbomba.*
Galarum, *des Gales.*

Hæc divisio Africæ partim antiqua, & partim recens est. Sed partes Africæ hodie aliter se habent. Vide *Africa.*

Regna Asiæ:

Asiæ minoris, *regno dell' Anatolia, l'Anatolie.*
Syriæ, *della Soria, la Sourie.*
Tyrium, *della Fenicia.*
Cœlesyriæ, *di Damasco, de Damas.*
Palæstinæ, *di Terra Santa, la Terre Sainte.*
Armeniæ majoris, *dell' Armenia maggiore, de l'Armenie.*
(Quæ omnia Turcis parent, cum Colchide, & Sarmatia juxta Euxinum mare.)

Hæc regna, seu meliùs regiones istæ, Asia minor, Armenia, Syria, sub qua Phœnicia seu Tyrium, & Cœlesyria cum Palæstina, subsunt dominio Turcarum; sed non Colchis & Sarmatia ad Pontum Euxinum, quæ proprios habent Reges.

Colchidis, *de la Georgie.*
Arabiæ multiplex, *l'Arabie.*
Babyloniæ, *di Bagdet.*
Persicum, *di Persia, la Perse.*
Mauralnahariæ, *de Maurenaher.*
Scythicum intra Imaum montem, *di Zagatay.*
Scythicum extra Imaum montem, *di Cambalu.*
Sericum, *del Catayo.*
Thibeti, *du Thibet.*
Tangutum, *de Tangut.*
Niucanum, *de Niuche.*
Indiæ citerioris, *dell' Indostan*, multiplex.
Cambaicum, *di Cambaja*, seu *Guzarate.*
Decanum, *di Decan.*
Calecutium, *di Calecut.*
Onorium, *d'Onor*, cui unitum est regnum Baticalæ.
Cananorium, *di Cananor.*
Colchicum, *di Cochin.*
Colaicum, *di Coulan.*
Taprobanæ, *di Zeilan, de l'Isle de Ceylan*, multiplex.
Narsingæum, *di Narsinga*, meliùs *de Bisnagar.*
Orissæum, *d'Orissa*, meliùs *de Golconda.*
Maldivarum, *des Maldives.*
Indiæ ulterioris multiplex.
Gangeticum, *di Bengala.*
Arracanium, *d'Arracan.*
Avæum, *di Ava.*
Bermæum, *di Berma*, seu *di Brema.*
Martabanium, *de Martaban.*
Canaranum, *de Canarane.*
Tanguum, *de Tangu.*
Peguum, *de Pegu.*
Cocinsinæ, *de la Cochinchine.*
Tunchinum, *de Tunquin.*
Malacitanum, *di Malacca.*
Aureæ Chersonesi, *di Sumatra; de l'Isle de Sumatra*; multiplex.
Jabadium, *della Giava, de l'Isle de Java*, multiplex.
Borneum, *de l'Isle Borneo*, multiplex.
Macassariæ, *de Macasar ou l'Isle Celebes.*
Ternatæum, *de Ternate.*
Siamium, *de Siam.*
Cambojum, *de Camboia.*
Sinarum, *della China, l'Empire de la Chine.*
Japonium, *del Giappone, le Japon.*

Regna novi Orbis, seu Americæ:

Mexicanum, *Regno del Mexico, de la nouvelle Espagne.*
Peruvium, *del Peru, du Perou.*
Brasilium, *del Brasil, du Bresil.*
Novum regnum Mexicanum, *du nouveau Mexique.*
Apalacitanum, *des Apalaches.*
Novum regnum Granatense, *le nouveau royaume de Grenade.*
Insularum, *di S. Domingo, des Isles S. Domingue & Cuba.*
Novæ Franciæ, *de la nouvelle France.*
Ciles, *du Chili* vide quoque suô locô.

REGNUM, seu IMPERIUM *vestrum*, ἡ Βασιλεία σου, titulus erat honorarius, apud Græcos posteriores, quô illi, cùm Regem aut Imperatorem alloquebantur, uti consuevêre. Pro quo infima Græcia etiam Βασίλειον dixit. Sed & *Regnum* Latinis recentioribus, corona Regis est, quô sensu vox sæpe occurrit, apud Anastasium *de Vitis Pontificum.* Sic Innocentius, *Serm.* 3. de Sylvestro, *In signum Imperii Pontifex utitur* Regnô; *in signum Pontificis, utitur mitrâ.* Nempe coronâ Pontifices uti cœperunt, à tempore Chlodovæi Regis Francorum, qui *Regnum* (ab Anastasio Imperatore Constantinopolitano acceptum) *cum gemmis pretiosis donum B. Petro Apostolo* misisse legitur, apud eund. *in Hormisdâ:* cujus tamen usum nonnulli antiquiorem faciunt. Eam describunt *Acta* Alexandri III. apud Baronium, A.C. 1159. de Hadriano IV. *Consecratus est ——— & secundùm solitum Ecclesiæ morem* Regnô *insignitus, mitrâ turbinata scil. cum coronâ.* Cujusmodi formæ fuisse Camelaucium Constantinianeum, *Coronam* scil. cum *Mitra*, quæ caput operiret fusè docet Car. du Fresne *ad Joinvill. Dissertat.* 24. Et quidem primitùs hoc *Regnum* unicâ coronâ cingebatur, quâ, quoties ad Ædis sacræ januam venisset Pontifex, depositâ, cum mitra solùm introiisse, Cencius Camerar. refert in suo *Rituali.* Postmodùm triplici coronâ adornatum, hincque *Triregnum* dictum est, addente reliquas duas Bonifaciô VIII. *ut denotaret triplex Pontificis dominium, Regium nempe, Imperiale & Sacerdotale*, uti quidem habet *Macer.* Spondanus verò ex Nic. Alemanno *de Lateran. pariet.* & ex Rogerio Abbate, Bonifacium secundam solùm coronam, tertiam verò Urbanum V. adjecisse, contendit. Certè Joannem XXII. qui Bonifaciô fuit multò posterior, duas tantùm coronas in Regno gestâsse, ex ipsius deposito in Avenionensi Ecclesia sito liquet. Paulus tamen II. tres pretiosissimas coronas, à suis Antecessoribus prætermissas, in Camauro seu Regno, renovâsse, ac Nicolao Beneventano Archiepiscopo usum Triregni prohibuisse, legitur apud Car. Macrum in voce *Mitra.* Utitur hôc Triregnô Pontifex, *in maximis solennitatibus, eundo ad Ecclesiam & redeundo: sed nunquam in divinis*; in *Ceremoniali Rom. l.* 3. Quod cùm primâ vice novo Pontifici imponit primus Diaconus Cardinalis, his eum verbis affatur: *Accipe tiaram tribus coronis ornatam & scias te esse Patrem Principum & Regum, Pastorem Orbis in terra, Vicarium Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est honor in secula seculorum, Amen.* In eo vocem MYSTERIUM scriptam esse, sunt qui adnotent &c. Uti autem *Regnum* pro *corona* dixêre citeriores Latini, sic Βασίλεια, apud Diodorum. Sic. occurrit, pro τιάρα βασιλικὴ, quod idem est. *Biblioth. l.* 1. Ἔχουσαν δὲ τρεῖς βασιλείας ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ὡς διασημαίνουσα, ὅτι καὶ θυγάτηρ καὶ γυνὴ καὶ μήτηρ βασιλέως ὑπῆρξε. *Habentem tria* Regna *in capite, quibus significaret, se & filiam & uxorem & matrem Regis fuisse.* Vide Car. du Fresne *in Glossar.* Macros Fratres *in Hierolex.* voce *Mitra*, & Claud. Salmas. *ad Solin. p.* 475. nec non supra *Phrygium.*

REGOM, fil. Jahaddi, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 44. Latinè, *lapidans, lapidatus*, vel *purpureus.*

REGRADATIO, Græcè Καταβιβασμὸς, pœna fuit militaris, civilis & canonica, cùm quis à gradu dignitatis dejiciebatur, vide Jac. Cujacium *ad lib.* 12. *Cod. tit.* 17. *leg.* 3. If. Casaubon. *ad Aug. Suet. c.* 24. Henricum Valesium, *ad Ammian. l.* 25. Gregorium M. *l.* 1. *Epist.* 8. Alios. Car. du Fresne *in Glossar.* inter Monachos etiam simile quid obtinuisse, addit. Vide quoque hic *passim.* De militari ut pauca addam, in militia Romana sua cuique pro loco, quem obtinebat in matriculis dignitas, *degradatio* fuit; ac ut quisque fortiter fecerat, aut flagitium admiserat, ita vel præponebatur aliis, vel postponebatur. Infimus gradus erat

tironum; militiam auspicantium & caligatorum; quibus omnia ferè incumbebant militiæ munia. Qui igitur contra militarem disciplinam aliquid admiserant, ii *regradatione* puniebantur fiebantque amissô ordine, in quem promoti fuerant, pro beneficiariis munifices: uti de iis, qui apud Cannas Remp. deseruerant, postmodùm à M. Marcello in expugnatione Syracusarum adhibiti, apud Val. Maximum legimus. Sic Augustus Centuriones, ignominiæ causâ: cum decempeda stare, & cespitem portare, quorum usus in tabernaculis conficiendis, aliisque militiæ muneribus obeundis multus fuit, jussit apud Suetonium, *d. l.* De canonica, vide inprimis suprà, voce *Remotio.*

REGULA, oppid. Vasatensis tractus, in Aquitania aliàs munitum, ad Garumnam fluv. alias *Squirs* dictum, *Baud.* 9. leuc. supra Burdegalam, 4. à Vasate in Cæciam, *la Reole.* Hic Monasterium sub Abbate Floriacensi.

REGULA, Græcè *Κανὼν*, apud Papin. Statium, *Thebaid. l.* 6. *v.* 593. ubi de Cursus certamine:

Jam ruit atque aequum summisit regula limen.
Corripuère leves spatium ———

rectus est vectis, qui demissus transversim eô locô, quô procursuri constiterant, faciebat, ut, ad eum firmatô aut compositô pede consistentes, æquô spatiô cursum ordirentur. Qua de re nemo clariùs Papiniô locutus est hôc locô, quem illustrârunt, adscitis aliorum Scriptorum locis, Petrus Faber, *Agonistic. l.* 2. *c.* 7. Lipsius *ad Senecam*, *Ep.* 12. & 49. super utrumque verò Salmas. *ad Solin. p.* 922. Vide quoque infrà, in voce *Repagula:* item ubi de *Hermulis* agitur. Sed & de pertica, quæ metandis agris castrisque, apud Romanos, olim publicè serviebat, vox occurrit, apud Salmas. *ad Solin. p.* 682. Vide quoque suprà, vocibus *Decempeda* & *Pertica.* De canone seu *regula*, quæ apposita plumbum dirigebat, ad rectas lineas producendas, quibus scriptura insisteret, egimus suprà: voce *Praductal*, item *Plumbum.* Porrò, in re chartaria, *Regula* seu *Κανὼν* Græcis dictus est rutulus seu scapus chartæ, h. e. charta in rutulum seu volumen complicata. Unde verbum *ἀποργυλῶν*, apud *Hesychium*, *mensuram exaquare:* & *ῥυγλῶν*, pro eodem, apud Epiphanium *de Ponder. & Mensur.* Nempe istiusmodi chartæ volumen, baculi crassi rotundi similitudinem præ se ferebat. Dixêre autem *κανόνα* Græci *baculum rectum* vel *regulam*; hincque & textoris instrumentum licio involutum & chartarum volumen. *Hesychio* *κανὼν* dicitur, *Ἐμπλέκτης, ὁ τὰ δικαστικὰ γραμματίδια παρὰ τῶ δικαστῶν λαμβάνων ὑπτίως καὶ κόπτων εἰς τὸν κανονίδα.* *Ἐμπλέκτης*, inquit, *vocabatur, qui Judiciales libellos à Judice accipiebat & in scapum seu volumen compingebat*, &c. Idem Salmas. *ad Vopisc. in Firmo*, *c.* 3. Vide quoque infrà, in voce *Scapus.* In Ecclesia Romana vox quandoque Leges denotat, Ordini cuique Religioso à fundatoribus præscriptas: nonnunquam pro Necrologio accipitur, & *in Regula inscribi* idem valet, ac *in Necrologio:* quòd in omnibus ferè Monasteriis, maximè Benedictini Ordinis, idem Codex & Martyrologium, & *Regulam* & Necrologium contineret, & ex iis quotidie in Capitulo aliquid Monachis prælegeretur; ex Martyrologio quidem, ut oratio Sancti diceretur, ex *Regula* verò, ut memoriæ mandaretur, & ex Necrologio, ut pro defunctis hâc die tum Monachis, tum aliis, in societatem beneficiorum adscitis, oraretur. *Capitulare* Aquisgran. *A. C.* 817. *c.* 67. *Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur & dicatur versus, deinde* Regula, *aut Homilia qualibet legatur.* Et quidem, quod *annotationem nominum in Regula* attinet, refert Cardin. Bona, *Rerum Liturgic. l.* 2. *c.* 14. *num.* 2. in Monasteriis viguisse hunc morem, & in plerisque adhuc manere, ut mitterent sibi invicem fratrum, amicorum & benefactorum, defunctorum nomina, ut Diptychis inscriberentur: postquàm verò Diptychorum usus desiit, in libro, quem *Necrologium* vocabant, ea descripta, & quotidie post lectionem Martyrologii, ex ipso Codice, eorum nomina lecta, qui ipsâ die obierant, simulque pro ipsis Psalmum *de profundis*, cum oratione competenti, decantari solitum &c. apud Carol. du Fresne *in Glossar.* Vide quoque Macros Fratres *in Hierolex.* Cl. Suicerum, *Thesaur. Eccl.* voce *Κανὼν*, & plura de hac voce suprà in vocibus *Canon*, *Canonicus* &c. De investitura verò *cum Regula*, suô locô.

REGULÆ Cancellariæ, norma sunt Judicii Romani in judicando, valentque per vitam cujusque Pontificis, cum eo verò moriuntur, Pares, *de resignat. Beneficiorum*, *l.* 11. *quæst.* 2. *num.* 32. Mecinus, *Decis.* 192. *num.* 4. &c. Gomesius, *ad Regul. Cancellar. Proœm. fol.* 8. *p.* 1. *in fin.* Eas sequens Pontifex, paucissimis immutatis, initiô creationis suæ iterum proponit, teste Car. Eman. Vizzaniô, *Tract. de mand. Principum*, *in Prolegom. num.* 7. Unde Edictis Prætorum eas comparat Franc. Florens, *ad tit. de Rescript. Princ.* An leges sint generales, an particulares, latè idem Gomesius disquirit *ad d. Constitut.* sed tantùm particulares esse, & Curiam solùm Romanam tangere, extra verò eam non obligare, docet Albericus Gentilis, *de Libr. Jur. Can. c.* 2. *p.* 52. ubi addit, Constitutiones Marchiæ Anconitanæ, quæ *Ægidianæ* appellantur, jus generale facere in Statu Ecclesiastico, extra eum autem non valere. Auctor *Regularum* harum Joannes XXII. fuit, ut Lud. Gomesius testatur, *d. l.* ubi ait, *illud satis compertum esse, Regulas Cancellaria à Joanne XXII. initium & originem habuisse* ——— *nec ante ipsum alius summorum Pontificum invenitur, qui hoc priùs tentaverit* ——— *Licèt enim ante tempora illius, Vicecancellarius, Scriptores & Correctores literarum jam constituti essent, nihilominus* Regulæ Cancellariæ *nondum composita fuerant: sed primus omnium Joannes XXII. tanquam bonus domus sua Paterfamilias eas introduxit. Nec solùm* Regulas, *sed etiam, ut rem angustam domi juvaret, beneficiorum electivorum reservationes & taxas, quibus astimarentur, invenit. Collegium quoque Scriptorum Apostolicorum, antea sine ordine vagans, numeris distinxit* ——— *Quinimò beneficiorum annatas* ——— *in usum revocavit* ——— *Rotam novis & saluberrimis statutis ornavit, qua hodie apud nos etiam servantur, & quotannis initiô audientiarum publicè leguntur. Et in summa, ille primus administrationem Justitia, cujus Vicecancellarius caput est, qua in* Regulis *& Rota ordinationibus consistit, invenit. Qua quidem officia, successores Pontifices indies magis propagârunt. Nam quod ad Regulas attinet, Joannes XXII in suis Regulis hoc tantùm egit, Abbreviatores instruere, videlicet quomodo literas in Cancellaria, juxta supplicationum varias signaturas, deberent expedire; quas summi Pontifices deinde magis auxerunt, usque ad tempora Nicolai Papa V. qui omnium Pontificum primus Pradecessorum utiliores Regulas colligens, ac plures alias judiciales addens, eas omnes in eo statu, in quo nunc reperiuntur, deduxit. Quem successores usque in hodiernum diem, paucis additis vel immutatis, pro se quisque sunt secuti. Totius hujus harmonia laus Joanni debetur.* Et paulò pòst, *Illud tamen erit omnibus seculis memorandum, quòd primus omnium Cancellariam & Vicecancellarii dignitatem ac Rota tribunal illustravit, qua sunt duo in Urbe luminaria & Collegia prastantiora. Nam tres sunt gradus dignitatum principalium, in Urbe, post Papam: prima est Vicecancellarii, qui administrationem Justitia, Regularum Apostolicarum, ac Constitutionum tutelam & custodiam tenet; circa cujus potestatem speciales* Regulæ Cancellariæ *condita fuerunt. Et multi ex Doctoribus nostris de illo notabiles tractatus scripserunt. Secunda dignitas, est Camerariatus .... Tertia, majoris Pœnitentiarii .... Primam ad lucem reduxit Joannes: Secundam Eugenius auxit. Tertiam Benedictus XII. in lucem produxit* &c. Hactenus Gomesius, qui *Regulas* has *Cancellaria* Commentariis illustravit. Plura vide apud Gerh. von Mastricht JCtum, *Hist. Juris Eccl. num.* 373. & *sequentibus*; cui, si placet, adde Besoldum, *de Libris Juris p.* 47. seu *c.* 8. *sub finem.*

REGULARE Æs, *Ἐλατὸν* Græcè, Vide suprà in voce *Æs Regulare.*

REGULARES, in Ecclesia Romana, Religiosi dicuntur, de quibus vide suprà in voce *Canonici.* Apud Anastasium *in Vitis Pontificum* passim, inprimis *in Leone III. Fecit & columnas argenteas sex* --- *&* regulares *duos ex argento purissimo* --- *Atque regularem ibi superinvestitum ex argento purissimo & super ipsum regularem posuit arcum & gammadias ex argento* --- *nec non & imagines tres* &c. Bulengero & ex eo Ludovico de la Cerda, sunt virgæ ligneæ aut æreæ, quibus vela adducebantur aut reducebantur; Sed quia *Regulares* hic dicuntur sustinuisse imagines, aras, aliaque ornamenta, ad quos appensa interdum vela, quæ etiam imagines ibi stantes velarent: mavult Car. du Fresne fuisse, quæ Græci *κίονα* vocant, *cancellos fusiles* Leo Ostiensis: cùm etiam ad cancellos Altaris vela, apponerentur. Versùs Presbyterium enim fuêre, quô ferè locô *Ruga* erant h. e. viæ in Æde sacra, ante Presbyterium, quâ in illud pergit Pontifex sacra facturus. Vide Car. hunc du Fresne *in Glossar.* & *Descript. Ædis Sophiana num.* 70. Pro Bulengero verò apprimè facit locus, apud eundem Anastasium *in Hadriano Papa*, *Vela pendentia in regulari ante imagines*; adductus à Dominic. Macro *in Hierolex.* qui istiusmodi *Regularem* seu *Regulam* Italicè *ferro da portiera* dici, addit. Quid verò sit *Regula aris* vel *ferri*, diximus suprà ubi de *Ære Ductili.* In Chronologia Eccles. *Regulares*, alii *Solares* sunt, alii *Lunares. Regularis Solaris* numerus est invariabilis (unde nomen) datus Mensi, qui *concurrenti* adjunctus declarat, quâ feriâ septimanæ quilibet dies intret, cujus fuerit Regularis. Habent autem ortum hi Regulares à Martio, & hodie, *Scaligerô* judice, superflui sunt, cùm via ad inveniendum ferias longè expeditior sit, per Cyclum Romanum, seu per literas Dominicales. *Regularis Lunaris*, numerus itidem invariabilis est, datus Mensi, ad inveniendum Lunam, in Kalendis singulorum Mensium. Qua de re vide quæ ex *Cod. MS. Victorino* affert Car. du Fresne *Glossar.* plura verò hanc in rem apud Scaligerum *de Emendatione Temporum*, *l.* 7. *pag.* 749. & 777. Addo saltem versus huc facientes, ex priore,

Quem feria numerum signaverit F. elementum,
Ille sit illa tibi concurrens illius Anni.

Vel sic,

D. capias ternos, F. unum. Eque quaternos,
A. sex, F. binos, G. septem. B. quoque quinos.

REGULATORES, in *Compoto* Thesaurariæ Bononiæ urbis in Italia A. C. 1364. apud Eundem, dicti sunt Rectores Communiarum, qui videl. Rempublicam componunt, administrant & *regunt.* Vide quoque suprà in voce *Rector.*

REGULBIUM, oppid. Cantii, apud ostia Tamesis, à Londino 40. milliar. à Cantuaria 10. in Boream *Reculver.*

REGULI, apud Ammian. *l.* 18. videntur esse Reges, qui potentioribus Regibus obnoxii erant, quosque Græci recentiores *Ῥῆγας* dixêre, ad distinctionem *τῶν Βασιλέων*, qui voce Imperatorem solùm, & celebriores potentioresque Reges, appellare consueverunt, uti videre est suprà, in voce *Basileus.* In Conciliis Anglo-Saxonicis, *Regulus* Comitem, *Subregulus* Vicecomitem, aliquando verò & Comitem, imò & Comite potiorem, Saxonicè *half kinng*, i. e. *Semiregem*, denotat. Sic in *Charta* quadam veter. Wigorniensis Ecclesiæ, subscripsêre, *Offa Rex Merciorum. Mildredus Wicciorum Episcopus. Vibre Regulus* (Wicciorum) *Aldredus Subregulus fratres.* ubi Regulus Comitem notat. Alibi tamen *Subregulus* pro Comite, accipi videtur, ut apud Florentium Wigorniensem *A. C.* 1066. *Haraldus Goduini Ducis filius Subregulus.* Ubi *Subregulus* idem videtur esse cum eo, quem *Vice Regem* hodie appellamus. Vide Seldenum *de Titulis Honorariis p.* 603.

RE-

REGULI, pro talis. Coel. Rhodog. *l.* 20. *c.* 27. Veteres tribus tesseris, quatuor verò talis usos fuisse, cùm luderent, hosque nonnunquam *Vulturios Regulosque* appellari consuevisse, tradit. Rationem reddit Hadr. Turnebus, *Adversar. l.* 5. *c.* 6. *quia*, inquit, *pro numeris* (seu punctis, quibus tesseræ notatæ erant) *effigies animalium habebant, aut vulturum aut Regulorum*, Et quidem, quod de Vulturiis uterque docet, confirmatur illô Plautinô, *Curcul. Act.* 2. *Sc.* 3. *v.* 78.

Tace parumper, jacit Vulturios quatuor

De *Regulis* verò, dubitat Godwynus, existimans, cùm *Regulus* Latinis idem sit, quod *Basilicus* Græcis, talorum jactum fortunatum, sicut Venerem, ita & *Basilicum*, adeoque Latinis *Regulum*, vocitatum esse. Certè Lipsius, *Antiqq. lect. l.* 3. *c.* 1. pro uno eodemque sumit *Venerem* & *Basilicum*, auctoritate nixus Horatii & Plauti, quorum is jactum talorum, quô priscô more *Modimperator*, seu *Rex convivii*, eligebatur, *Venerem*, hic *Basilicum* vocat. Ita namque Horatius, *l.* 2. *Carm. Od.* 7. *v.* 25.

Venus arbitrum
Dicet bibendi.

Plautus, *Curcul. Actu* 2. *sc.* 3. *v.* 80.

Jacto Basilicum, propino magnum poculum.

Vide præfat. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *sect.* 3. *c.* 13.

REGULI Fanum, vulgò *Kirk-Reul*, posteà Fanum S. Andreæ, seu Andreapolis, urbs Scotiæ Archiepiscopalis in ora Fifæ Orientalis. Diei itinere ab Edimburgo in Ortum, ab Aberdonia plus duplô in Austrum.

REGULUS, & SUBREGULUS, sæpe reperiri in Chartis & Conciliis Anglo-Saxonum, & illud fortè Comitem, hoc Vice-Comitem significare, refert Spelmann. *Glossar. Archaeol.*

D. REGULUS, Dionysii Areopagitæ discipulus, primus Sylvanecti, Gallicè *Senlis*, Episcopus, ad cujus adventum omnia corruerunt idola: quô quidem miraculô magna hominum caterva ad Christi fidem statim est conversa. *Annal. Franciæ.*

M. REGULUS, bipedum nequissimus, Domitiani delator, in quem ardentiùs declamans Nerva, febri correptus est.

REGULUS, vide suprà in vocibus *Aquilius, Atilius, Levinsius*, item *Memmius*.

REGULUS, seu Basiliscus Hebr. צפע *tsepha* vel צפעני, *tsiphoni*, Isidoro *Sibilus*, quod *sibilô occidat, antequàm vel mordeat, vel exurat*; Avicennæ, *in c. de Speciebus serpentum*, est de prima specie serpentum, *quorum veneni vis tam intensa est, ut mors à tempore morsus non differatur ultra tres horas, neque ulla sit curatio*. Seu, de specie *serpentum surdorum & stridulorum*, h. e. eorum, qui vel ad cantum Magi incantatoris videntur, obsurdescere, quia illô non magis afficiuntur, quàm si surdi essent; vel etiam τῷ ἐπᾳδοῦ ἀνταδόντων, *Incantatori recanunt*; ita ut illos irrita sit incantatio, qua de re diximus suprà, ubi de *Aspide Surda*, nec non in verbo *Recanere*. Eum certè non morsu solùm, sed visu etiam & sibilô nocere, idem tradit, idque *usque ad sagittæ jactum*. Longitudinis est unius spithamæ, seu trium palmorum minorum, quorum quisque quatuor digitorum est. Nicander, *Theriacis*, *v.* 398.

Ξανθὸς, ἐπὶ τρία δῶρα φέρει μῆκός τε καὶ ὁρμὴν.
Flavus est, ad tres palmos habet longitudinem & (crescendi) impetum.

Proprium ejus, quòd *flatu adurit*: in Ægypto frequens, ut & in Libya ac Cyrenaica regione &c. de quo multa vide apud Sam. Bochart. *in Hierozoico*, *Part. poster. l.* 3. *c.* 9. & 10. ut & suprà, in voce *Basiliscus*.

REGUM Civitas vulgò *los Reyes*, seu *Lima*, vide ibi. Caput Peruviæ, in ora maris Pacifici, in valle Lima: cujus Portus *Callao*. Sedes Pro-regis Hispan.

REGUM Filii, diverbiô solenni olim universi Israëlitæ dicti sunt, ob singularem generis & Reip. sanctioris dignitatem nobilitatemque. Unde non semel occurrit in *Talmudicis* illud Rabb. Simeonis velut vulgari usu atque existimatione notissimum, *Universi Israëlitæ sunt Filii Regum*. Sic in *Misna tit. Sabb. c.* 14. §. *ult.* & in *Gemara* Babylon. *ad tit. Baba Metzia*, *c.* 9. Cujus diverbii ratio seu ansa hujusmodi est. Ubi disputatum de observatione Sabbathi, quæstio intervenit: Utrumne Judæo liceat eô die liquoribus aut oleô se perfundere seu tingere? Qua de re Misna, *Cui*, inquit; *dolent lumbi, ei non infundere licet* (Sabbatho) *vinum aut acetum, at verò oleum licet. Modò nempe minimè oleum illud sit rosaceum. Filii seu Liberi Regum in vulneribus infundere solent etiam oleum rosaceum, quoniam similiter* (delitiarum seu voluptatis causâ) *se oleô illô diebus profestis imbuere solent. At verò respondit R. Simeon, Universos Israëlitas esse Filios* seu *Liberos Regum*. H. e. tales haberi ac nuncupari &c. Atque huc respexisse volunt quidam Dominum nostrum, apud Matthæum, *c.* 17. *v.* 24. ubi cùm accessissent ii, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixissent, *Magister vester num solvit didrachma?* ipseque mox Christus intrâsset in domum, quæsiit ex ipso, *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus λαμβάνουσι τέλη ἢ κῆνσον, ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων; accipiunt tributum aut censum, à filiis suis, an ab alienis?* Vide Joann. Seldenum, *de Jure Nat. & Gentium juxta Disciplinam Ebræor. l.* 6. *c.* 18. ut & suprà aliquid, voce *Infans*.

in REGUM libros vel partes extant: Ambrosius, Angelomi *Stromata*, fol. Coloniæ, A. C. 1535. Antoninus. Archirota. Augustinus. Beda. Bonfrerii *Comment.* in fol. Paris. A. C. 1631. & Borrhai, in fol. A. C. 1565. Basileæ. Brentius. Candidus. Causini *Regnum Dei*, in fol. Paris. A. C. 1650. Crommius. Drusius, *in loca diffic.* Eucherius. Eusbotius. de Hales. Hellngius in octav. Noribergæ 1593. Hieronymi *Comment.* Isidorus Cordub. & Hispal. de Lapide. Leonhardi Ὑπομνήματα, octav. Lipsiæ, A. C. 1614. Martyr. Malvenda. Mendozæ *Comment.* in 3. Volum. Lugduni, A. C. 1646. Nezenii *Exercitat.* Jenæ, A. C. 1611. Origenis *Homiliæ*. Paulutius. Procopius. Rabanus. Rangolius, in 2. Volum. Parisiis A. C. 1621. Ribera. Rupertus. Sanctius. Serarius. Sopranes. Stephanus. Strigelius. Theodoreti *Quæstiones sel.* Tostatus. Vaterrii *Disputatio*, *in Ophira*. Antv. A. C. 1600. de S. Victore Hugo & Rich. Wellerus. Zanchii *Notationes & Quæstiones*, Romæ, A. C. 1553. &c. Vide Crowæi Elenchum.

REGYRATA, apud Cæsarium, *l.* 4. *c.* 44. *Quam ...... sorores in lecto suo ponentes & principium Evangelii Sancti Joannis super eam legentes, manè regyratam invenerunt*: est, cubito innixa. Qui enim cubito innititur, incurvari ac *regyrari* quodammodo cogitur. Dominic. Macer. *in Hierolex.*

REHOB, pater Adad-ezeris, de quo suprà. Josephus *Araum* vocat, & Adad-ezerem Ἀδάδεζερ, τὸν Ἀραὺ μὲν υἱὸν, βασιλέα δὲ τῆς Σωφηνῆς, *Adrazarum, Arai filium, Syriæ Sophenæ Regem*, *Antiqq. Judaic. l.* 7. *c.* 5.

REHUM, nomen viri. Esdr. *c.* 2. *v.* 2. Latin. *misericors*, aut Syriacè *amicus*.

REI, nomen viri. 1. Reg. *c.* 1. *v.* 8. Latinè *socius*, *pastor*, sive *confractiones*.

REI confessi, *ligantur*, i. e. pœnæ tenentur eique obnoxii fiunt. Unde illa apud Comicum, *in Eun. Actu* 4. *sc.* 7. *v.* 39. locutio, *Audin' tu, hic furti se alligat*, i. e. reum te furti efficit; furem te manifestarium probare intendit. Nempe uti innocentes absolvuntur, sic *Rei* ligantur. Quod in Foro quoque conscientiæ obtinet, & in Regimine Ecclesiastico. Ibi enim pœna delinquentibus proposita, ἀνάθεμα est, i. e. *separatio ab Ecclesia & communione Sanctorum*, cujus tempus statuitur, pro peccati qualitate & pœnitentia ejus, qui deliquerat. Unde tota ligandi & solvendi potestas, quam Dominus Apostolis suis reliquit, pendet. *Ligantur*, qui, propter aliquod delictum, Ecclesiâ ejiciuntur; rursus solvuntur ligati, quum peractâ legitimâ pœnitentiâ Ecclesiæ reconciliantur. Hinc ἀναθεματίζειν, *ligare & anathematismi vinculis constringere*, exponunt, quo propriè *extra Ecclesiam pellere* significat. Ad quam notionem pertinent *claves Regni Cælorum*, Petro & reliquis Apostolis traditæ: *Claudere* enim & *ligare* ἀνάλογα, ut *aperire* & *solvere*. Et certè, cùm sua quemque *ligent* peccata; unde σειραὶ peccatorum, apud Apostolum, & apud Sidonium Apollin.

Præceptum solvens culpâ nos perpete vinxit:

justum est, ut similiter pœnarum vinculis *Rei* irretiantur &c. De iisdem, refert Kirchmannus, eos, lugentium & ærumnosorum more, *annulos* posuisse, ex Val. Maximo, *l.* 8. *c.* 1. *ex.* 3. de Gabinio reo, *Filius namque Gabinii Sisenna consternationis impulsu ad pedes se Memmii* (is accusator erat) *supplex prostravit: inde aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus tempestatis eruperat. Quem truci vultu à se rejectum insolens repulsum: excussô è manu annulô, humi jacere aliquandiu passus est*, *de Annulis*, *c.* 22. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1091. & *suprà passim*, etiam in voce *Ambusti*, it. ubi de *Pulla veste*, de sordida infrà quoque voce *Reus*.

REJA, fil. Joel, 1. Paral. *c.* 5. *v.* 15. Latinè, *Visio Domini*.

REJECTIONES, in *Decreto* Gratiani, ab Emendatoribus Romanis adjectæ sunt. Cùm enim hi jussu Gregorii XIII. Decretum repurgarent, addiderunt *Notas*, quæ singulis capitulis solent subjici; & *Rejectiones*, quibus docent, apud quos Collectores Canonum anteriores, idem Canon inveniatur; quæ rejectiones in edit. Romana & Corpore Juris Canonici Glossati in margine leguntur, in aliis editionibus, in fine paginæ extant. Earum nota in *causa* 16. *quæst.* 7. *c.* 35. est litera *f.* in editione verò Romana vel Corpore Glossato, numerus capitis tantùm in margine notatus est: quam in rem vide Gerh. von Mastricht, *Histor. Juris Eccl. num.* 314.

REIFFERSCHEID, nomen illustris Familiæ, quæ Salmensis stirpis ramus est. Cùm enim Walramus cognomine *Paganus*, duos habuisset filios Henricum & Fridericum, ille *Reifferscheidios* sevit, hic reliquos Salmæ Ardennatis Comites, qui extincti sunt morte Henrici VIII. qui agnatam Joannam Reifferscheidiam hæredem testamentô militari dixit: unde licèt gener ejus Otto Rangravius (cui tamen nulla proles ex Henrici filia Maria) Comitatum retinere vellet, A. C. 1455. in Curia Lucenburgica latâ sententiâ eum *Reifferscheidis* restituere coactus est. Horum auctor Henricus fuit, Frederici frater, ut dictum. Ejus filius Henricus reliquos Limburgicos & dein Lucenburgicos Duces ac Comites dedit; Gerlacus verò vel Gerhardus, qui *Dominus Reifferscheidii* dictus est, & hunc titulum ad posteros propagavit. In illis sextô gradu Joannes, agnati Henrici testamentô, Salmensem in Ardenna Comitatum obtinuit, & reliquos *Comites Salmæ & Reifferscheidii*, qui nunc quoque superant, sevit. Eorum series ab aliquot seculis hæc est: Joannes Comes Salmæ & Reifferscheidii, ex Irmgarde Do. *de Wevelinghoven*, genuit Petrum, qui obiit A. C. 1505. Pater ex Regina Comite Salmensi Joannis, defuncti A. C. 1529. Hôc & Annâ Comite Hojensi genitus Joannes decessit A. C. 1556. relictô, ex Elisabetha Principe Hennebergicâ, filiô Wernerô, defunctô A. C. 1629. Huic Maria Comes Limburgia Ernestum Fridericum genuit, qui (mortuus A. C. 1629.) ex Maria Ursula Comite Leiningensi, suscepit Ericum Adolfum, Mariam Sophiam Abbat. *in Elten*, *Vreden & Borthorst*; Ernestum Salentinum, Annam Salomon Abbat. *in Essen*, Sidoniam Elisabetham

bethам, Annam Catharinam & Ferdinandum Albertum Canonicum Coloniens. qui obiit A.C. 1652.) omnes *Comites Salmæ & Reifferscheidii* &c. E quibus Sidonia Elisabetha nupsit Hartmanno Principi Liechtensteinio, & Anna Catharina Joanni Comiti Frisiæ Orientalis & Rietbergæ: Ernestus Salentinus, duxit uxorem Claram Magdalenam (filiam Philippi Theodorici Comitis *de Manderscheid in Keyl.*) maximus verò natu Ericus Adolfus junxit sibi Magdalenam Landgrav. Hassiæ (filiam Mauritii Landgrav. Hassiæ in *Cassels*) eque ea genuit Wilhelmum Henricum, qui obiit; Sophiam Magdalenam (uxorem Caroli Landgrav. Hassiæ) Annam Ernestinam (quæ nupsit . . . Comiti Truchsessio) & Catharinam Mariam Canonicam Essensem. Philippus Jacobus Spenerus, *Theatr. Nobilit. Europ. Part. III. p.* 3. & 85. Vide quoque infrà in voce *Salma.*

REJI, vulgò RIEZ, urbs Provinciæ, ad Auvestram amnem, Episcopalis sub Archiepiscopo Aquensi. Aliàs *Reji Apollinarii, Albecum Rejorum Apollinarium, Colonia Rejorum; Rejus* etiam & *civitas Rejensis*: Gregorio Turonensi aliisque *Regium* quoque & *civitas Regiensium*: antiquissima est, quod ex inscriptionibus aliisque insignibus monumentis, quæ hodieque ibi supersunt, elucet. Albiciorum olim caput, agrum habet omnium rerum feracem, situ egregia, Basilica B. Virginis similiter vetusta est admodùm, Sidonio Apollinari *ad Faustum Rejensem*, memorata, ut quidam volunt: qui Eremi quoque S. Maurini, in Paludibus, in diœcesi Rejensi, mentionem facit. Patria fuit præclarorum virorum, sedesque insignium Præsulum. 7. leuc. ab Aquis Sextiis in Ortum Sanitium versus 6. & à Segusterone 8. in Merid. Vide Plin. *l.* 3. *c.* 4. Gregor. Turonens. *l.* 4. *c.* 37. Sidon. Apollinarem, *l.* 9. *ep.* 3. & *carm. Euch. ad Faustum*, Bertelium, *in Histor. Præs. Rejens. &c.* Hic Concilium habitum est A.C. 439. contra Armentarium. Item A.C. 1285. quò inter alia, decretum est, ut publicæ preces fierent, pro liberatione Caroli II. captivi ab Aragoniis detenti. Morerius *Dict. Hist.* Vide *Regenses.*

REINECCIUS Reinerus, Steinhemius, Helmstadii Elegantiores literas diu professus, scripsit Tract. *de Methodo Histor.* in quo tamen & circa ordinem, & circa judicium ejus de Historicis, carpitur. *Commentarii* verò illius *Historici* ac *Historia Julia* Eruditis omnibus, Vossio præcipuè *de Philol. p.* 69. magni æstimatur. vide quoque Auctorem *Bibliogr. Cur.* & Anton. Teissier, *Elog. Part.* 2. ubi series scriptorum ejus. Obiit A. C. 1595.

REINERIUS, Dominicanus, A. C. 1414. Pisis in patria, Theologiam docuit. Scripsit *Pantheologiam* &c. Anton. Senens. *in Bibl. Domin.* S. Antonin. Volaterr. Leander Albertus. Idem contra Valdenses scripsit, de quibus inter alia memorat, propterea eos præ aliis perniciosos esse Ecclesiæ Rom. 1. *quia secta eorum diuturnior: quidam quippe dicunt, quòd duraverit à tempore Sylvestri, alii à tempore Apostolorum.* 2. *Quia generalior, ferè enim nulla terra hujus secta expers est.* 3. *Quòd, cùm alia in Deum blasphema sint, hujus homines justè vivant, bene omnia de Deo credant, omnesque articulos Symboli confiteantur, solam Eccl. Rom. blasphement.* Vide Biblioth. Patrum Part. 2. *edit. Paris. A. C.* 1624. *auctore Jacobô Gretserô*, & Sigon. *l.* 14. *ad A. C.* 1179. Item, Prior Monasterii S. Jacobi Leodii, obiit, A. C. 1130. Scriptor historicus: ut & Alius in Monaster. S. Laurentii. Valer. Andr. *Biblioth. Belgic.* Obiit A. C. 1010. Item Forojuliensis, JCtus A.C. 1358. Bartoli præceptor. Scripsit varia.

REINERIUS Gemma, Frisius, Medicus & Mathematicus, A.C. 1550.

REINERIUS Sachonius, Dominicanus, scriptis inclaruit, A. C. 1240.

REINERIUS Solenander, Clivensis, Medicus in Belgio & Italia clarus. Valer. Andr. *in Biblioth. Belgic.* & Vander Linden *de Scr. Med.*

REINERUS Nicolai, navis cujusdam Zeelandicæ præfectus, prælió inter Fiasciardum Hispanum & Hautenium Batavum, A. C. 1606. mari commissô, cùm recedentibus reliquis certamen per integrum biduum solus sustinuisset, nullâ spe auxilii reliquâ & fluctibus ingruentibus, cum suis flexis genibus Deum veniam precatus, nitrato pulveri flammam injecit, quâ 60. homines periêre. H. Grotius, *Belgic. Histor. l.* 15. *p.* 700.

REINFELSA, arx Hassiæ, sub proprio Principe, ex Familia Hasso-Casselana. Nactus est eam Ernestus fil. Mauritii ex Juliana Nassovia, qui in illa, cum Valeriano Magno Capucino; Petro item Haberkornio D. & Balthas. Mentzero D. Giessâ excitis, colloquiô habitô A. C. 1684. paulò pòst Coloniæ Pontificiam Religionem, cum uxore Maria Eleonora Solmensi, amplexus est. A.C. 1652. Fratri Hermanno, cui Rodenburgum obtigerat, successit: Pater Wilhelmi (nati A. C. 1648.) & Caroli (nati A.C. 1650.) Qui uterque A.C. 1669. ille Mariam Annam Comitem Lövensteniam, hic Sophiam Magdalenam Comitem Salmensem Reifferscheidiam duxit. Quarum hæc Venetiis obiit A. C. 1675. mater Wilhelmi, Friderici & Philippi, A. C. 1671. 1673. & 1674. natorum. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Genealog. Histor. in Familia Hassiaca* & *Theatr. Nobilit. Europ. Part. III. p.* 88.

REINGRAVII, vide infrà *Rheingravii.*

REINKING Theodorus, Curlandus, fil. Ottonis Teufelianorum bonorum hæredis & Heduigæ à Lampsdorff, Giessæ Jura privatim docuit. A.C. 1615. ad extraordinariam dein & publicam Juris professionem à Ludovico Hassiæ Landgrav. vocatus, A.C. 1616. Jus publicum quoque, nonnullorum amicô rogatu, tractavit. Inde Consiliarius Hassiacus & Legatus Ratisbonæ caussam successionis Marpurgensis feliciter expedivit, A. C. 1617. Consiliarius exin Joh. Friderici Archiepiscopi Bremensis. A. C. 1624. Vice-Cancellarius Hassiacus, sub Georgio Landgrav. A. C. 1627. denuo Legatus missus ad Ferdinandum II. Imperatorem, ab hoc *Comitis Palatini* axioma obtinuit, A.C. 1627. Ab Adolpho Friderico Principe Meckelburgico post hæc in Cancellarium ægrè à Georgio Landgrav. impetratus, A.C. 1631. Bellorum violentiâ Lubecam concedere coactus est. A.C. 1636. A Friderico verò tunc Archiepiscopo Bremensi pòst Daniæ Rege ad Cancellarii munus vocatus, ab ejus patre Christiano IV. mox in Consiliariorum ordinem adscitus, Friderici tandem III. per Ducatus Slesvici & Holsatiæ Cancellarius factus, A. C. 1648. Directorium quoque supremæ Appellationis in territorio Pinnenbergensi obtinuit, A.C. 1650. Nobilitate donatus à Ferdinando III. Imperatore A.C. 1656. obiit A. C. 1664. ætat. 75. beneficentiâ in pauperes inclytus. Scripta ejus, *De Regimine Seculari & Eccles. De animæ Vita in morte, Aphorismi Medico-Practici* aliaque nonnulla. Pater fuit *Ottonis Nicolai* Hæreditarii in Wellings-Buttel, *Ernesti* Regis Daniæ Tribuni, & *Friderici* JCti. Ejus Epitaphium: *Viator quisquis siste gradum & quod scriptum est, lege. Quid agam, requiris? Tabesco. Scire quis sim, cupis? Fui, fui Theodorus Reinkingius, Jurium Pater, Professor, Consiliarius, Cancellarius. Vitæ quæ fuerint condimenta, rogas? Labor, dolor, ægritudo, luctus, jugum ferre captivitatis, quos charos habeas sepelire, & Patriæ videre excidium. Hoc volebam, Viator nescius ne esses. Quæ legisti; pensita. Vale.* Freherus, *Theatrô Vir. erudit. Claror.*

REINOLDUS Erasmus, Vide *Erasmus*

REINOLDUS Johannes, Theologus Oxoniensis *Academiam in suo pectore gestâsse* dictus, scriptis omnigenam eruditionem, antiquitatis inprimis summam notitiam spirantibus, & colloquiô cum Harto Jesuita inclaruit. Obiit A. C. 1605. P. Freherus *Theatrô Viror. erudit. Claror.*

REINSIUS Nicolaus, Vide *Nicolaus.*

REINSTENII, nomen illustris Familiæ, in qua memoratur A. C. 1190. tempore Henrici Leonis, quidam Henricus Comes *de Reinstein.* Ejus pronepoti Ulrico Reusnerus dat liberos, Henricum, satorem Blanckenburgiorum (in quo fortè fallitur. Blamoncios in Lotharingiæ confiniis cum aliis Blanckenburgiis confundens.) ac Ulricum, reliquorum Comitum *Reinsteniorum* & Blanckenburgiorum auctorem. E quibus cùm ultimus extinctus esset, ditiones ad Brunsuicenses partim devolutæ sunt, partim Tattenbachiis obtigére. Series Familiæ ab aliquot seculis ista est: Ulricus Comes *de Reinstein*, ex Catharina Comite Lippiæ, pater fuit Bernhardi; qui, junctâ sibi Agnete Schwartzenburgicâ, suscepjt ex ea filium cognominem avo. Huic Anna Comes Honstenia peperit itidem Ulricum, qui obiit A. C. 1551. Pater ex Barbara Comite Mansfeldia Ernesti, defuncti A. C. 1581. Hic maritus Barbaræ Comitis Honsteniæ, ex ea genuit Martinum, qui decessit A. C. 1597. susceptô ex Dorothea Comite Solmensi Joanne Ernestô, familiæ ultimô, *Com. de Reinstein & Blanckenburg.* Idem Spener. *ibid. Part. II. p.* 81.

REISCHIUS Gregorius, Vide *Gregorius.*

REITESTE, vulgò *Retest* primò, dein *Retel*, olim vicus, nunc oppid. Galliæ, ad Axonam, in finibus Remorum, olim Comitem suum habuit, ac demum in Ducatus titulum atque Pariatûs beneficiô Henrici III. Regis adscendit. Caput novi pagi Reitestini, *Retelois*, qui olim pagi Portiani nomine & finibus continebatur ex parte, designabaturque, Vide Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

REJUS Nicolaus, Polonus, veritatis strenuus promotor. Nicolaum Olesznicium, qui primus in regno circa A.C. 1550. puriorem Religionem in Pinczovia oppido suo, doceri permiserat, ab Episcopis apud Regem gravissimè accusatum, intrepide tuitus est. *Hunc Magnum jure vocaveris, sive quis ingenium, sive Polonici carminis respiciat artes, & variò scripta referta sale, cùm delicium ingens & nobilitatis & aulæ esset.* Bielscius *Chron. Pol. l.* 5. Musæus *de Euang. in Polon. orig. & progressu.*

RELAPSI, in Communione Romana dupliciter dicuntur vel in hæresin, vel in fautoriam hæresis. *Relapsi in hæresin* sunt, qui postquam vel facti evidentiâ, vel confessione propriâ, vel testium legitimâ productione convicti sunt, hæresin publicè, abjurârunt, iterum in eam incidisse convincuntur. Atque horum iterum IV. species habent, de quibus Pegna, Eymericus, *Directoriô Inquisit.* alii, videndi. Hos, si pœniteant, *Concilium Tarracon.* ad intrusionem: *Narbonense* verò, ad traditionem in potestatem Magistratus politici, adeoque mortem, condemnat, *c.* 11. quæ sententia hodieque obtinet: Post humiliter ergo petitam, ac sumptam, Eucharistiam, talis, si sit Sacerdos vel cujuscunque Ordinis, primò *degradatur*, caputque ei raditur: dein *pronuntiatur* in eum ut relapsum *sententia*, ipseque licèt pœnitens de foro Ecclesiastico projicitur, & traditur brachio seculari, additâ hujusmodi clausulâ: *pro quo tamen Ecclesia efficaciter intercedit, ut citra mortis periculum circa eum sententia temperetur.* Ne scil. Inquisitores sanguinis effusioni consentire videantur, & irregulares fiant. Post quæ Episcopus & Inquisitor aliquos viros probos ad eum mittunt, qui sententiam, in eum pronuntiandam & mortem ei infligendam indicent, eum in fide confirment, ad patientiam hortentur, & post sententiam eum comitentur, consolentur, cum eo orent, nec ab eo recedant, donec spiritum exhalaverit. Sic itaque miser strangulatur primò, dein in ignem mittitur. Pertinaces verò & impœnitentes vivi comburuntur, vide præfatum Eymericum, *d. l. Part.* 3. *n.* 197. *Comm.* 48. it. *n.* 198. & 200. nec non Phil. à Limborch, *Historiâ Inquisit. l.* 4. *c.* 35. & 36. At *Relapsi in fautoriam hæresis*, sunt qui post abjuratam fautoriam in eam relabuntur: hi an tradendi sint Curiæ seculari, ultimô quoque suppliciô afficiendi, jura non loquuntur clarè; ideoque quidam tutiùs credunt, in tali casu Pontificem, aut Generalis Romanæ Inquisitionis Senatum consulere. Vide eund. *l.* 3. *c.* 12. ut & suprà aliquid, ubi *de Fautoribus Hæreticorum.*

RELATIONIS Jus, haud minima olim Consularis potestatis, apud

apud Romanos, pars fuit; cùm fine *relatione SC.* fieri non posset, jus autem *referendi*, præter eum ex Consulib. cujus fasces erant, nemo haberet: licèt Consulibus absentibus vel prævaricantibus ac mussantibus, *referrens* alii è principibus amplissimi Ordinis, putà Consules designati, aut Prætorum (qui jus hoc non utendo amisêre, donec ab Augusto in ejus possessionem restituerentur, an. Urb. Cond. 745. post modùm verò denuo ejus jacturâ facta) vel Tribunorum aliquis. Post sublatam libertatem, jus quidem hoc Consulibus ademtum non est, tamen & potestatis Imperatoriæ pars esse cœpit, à quo Augusto primo hic honor decretus est An. Urb. Cond. 731. ut, assumtâ in perpetuum Tribunitiâ potestate, liceret ei, quôque Senatu, unam de quacunque re vellet *relationem* facere, quamvis Consul non esset, Dio, *l.* 53. Exin, ampliatô Principum honore, inventa sunt ad similitudinem hujus decreti, *secunda*, *tertia*, *quarta*, *quinta relationis jura*, h. e. ut quôque Senatu possent de duabus &c. rebus, quas vellent cunque, etiam non Consules, *referre*, ut de eo sententiæ dicerentur. Exempla apud Capitolin. *in Pertinace*, qui *quarta relationis*; in *Marco*, cui *quinta relationis jus*, uti & Alexandro Sev. apud Lamprid. unà cum nomine *Augusti* & *Patris Patriæ*, *jure* item *Proconsulari* & *Tribunitia potestate*, *collatum* &c. Vide Casaubon. *ad Julium Suetonii*, *c.* 20. uti *de Relationibus historiis*, suprà in *Chronica* & *Historia*.

RELEGATI, dicti sunt *Festo*, quibus ignominiæ aut pœnæ causâ necesse fuit ab urbe Roma aliôve locô abesse, lege Senatusque consultô aut edictô Magistratus. Idque ad certum aliquod tempus, quinquennium fortè, ut videre est apud Cœl. Rhodiginum, *l.* 10. *c.* 5. & proin maximæ capitis diminutioni, seu Latæ fugæ aut Deportationi, hoc pœnæ genus contradistinguitur. Ita enim Ovid. *de Tristibus*, *l.* 2. *Eleg.* 1. *v.* 135.

> *Adde*, *quòd edictum quamvis immite minaxque*,
> *Attamen in pœnæ nomine lene fuit*,
> *Quippe* relegatus, *non exul dicor in illo* &c.

Delatores eâdem pœnâ affectos legimus. Apud Herodian. enim, *l.* 2. Pertinax Aug. *eos Urbe exigebat*. Et Martialis, *l. Spectac. Epigr.* 4. *v.* 1.

> *Turba gravis paci*, *placidaque inimica quieti*,
> *Quæ semper miseras sollicitabat opes*.
> *Traducta est Getulis*, *nec cepit arena nocentes*,
> *Et delator habet*, *quod dabat exilium*.

Ubi indubiè legendum,

> *Traducta est Gyaris*.

Insula namque illa, ut & in illo mari pleræque, *Relegatis* civibus receptaculô fuêre. Vide quoque *Oasis* suprà. Quod autem *Exilium* vocat Poëta, abusivè loquitur: Gordianus enim demum paulò graviùs in hanc hominum pestem animadvertens, Exiliô illos mulctâsse legitur, apud laudatum Herodian. *l.* 5. & 7. Vide Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 9. *c.* 17. Sed & servi *relegabantur*, qui dominum offenderant, *in agrum*, Ulp. *l.* 35. *ff. de hær. inst.* Ad cujus moris imitationem Livia, cara illa fœmina, inter leviores pœnas, quibus civium delicta ab Octavio castigari vult, κατάκλεισιν ἐν ἀγρῷ quoque recenset, apud *Dionem*. Vide Casaubon. *ad Octavium Sueton. c.* 24. Mitior *Relegatione* sepositio erat, de qua infrà.

RELEGATIO, inter pœnas pœnitentium, in Ecclesia Romana. *Relegantur* autem rei, non tantùm in locum subjectum jurisdictioni Inquisitoris relegantis, sed etiam in alia loca, cum omnia loca eidem subsint Pontifici, à quo inquisitores omnes delegantur. Haud absimilis multùm pœna Exilii; it. pœna detrusionis in Monasterium, quæ olim in usu frequenti, hodie rariùs usurpatur. Sic Joh. Ruchard de Wesalia superiore seculô, S. Theol. D. ad revocationem articulorum, quibus Papæ auctoritatem impugnabat, in Ecclesia Wormatiensi publicè concionari solitus, per Inquisitorem adactus; volumina illô spectante igni tradita, & ipse pro pœnitentia peragenda ad Conventum Fratrum Augustinensium ibidem *relegatus*, legitur apud Bzovium, A. C. 1479. §. 8. Articulus primus hic erat: *Quòd Prælati Ecclesiæ non haberent auctoritatem condendi*, *vel aliquid addendi ad ea*, *quæ Christus & Apostoli præceperint*, *imò quòd nec Apostoli nec summi Pontifices talem potestatem à Christo acceperunt*. Phil. à Limborch, *Historia Inquisit*, *l.* 4. *c.* 32.

RELEVATIO, in *Miraculis* S. Aigulfi Abbatis Lerinens. *c.* 6. *Postea relevatio pulsatur*: hora est, qua Monachi cubitu surgunt. Hodieque Galli horam pomeridianam, qua ex somno meridiano exsurgi solet, appellant *Heure de relevée*. Car. du Fresne *Glossar.*

RELEVATUM Opus, Gallis vocatur, toreuma πρόστυπον ἢ ἔκτυπον, quum imagines totæ & apparentes omni ex parte, in vase aliquo apparent. Cujusmodi erat caper ille in phiala expressus, pro emblemate, apud Satyricum, *Sat.* 1. *v.* 75.

> *Criminibus debent hortos*, *prætoria*, *mensas*,
> *Argentum vetus*, *& stantem extra pocula caprum*.

Vulgò *en Relief*: cui opponitur *en bosse*, cùm argentum cælatur figuris dimidiâ tantùm parte extantibus, quæ videl. ita adfixæ sunt vasis, ut unum tantùm latus ostendant, Græcis πρόστυπα, Latinis quoque *crustæ* dictæ. Utraque *signa* & *sigilla* vocat Cicero, *Actione* 6. *in Verr.* quæ plerunque poculis immittebantur & illigabantur, iterumque revelli ac eximi poterant. Cujusmodi extantes figuras, & extra corpus materiei prominentes, sive totas sive dimidiatas, ostendendi ars, *Cælatura*, dicta est, de qua vide *suprà*. Plura verò hanc in rem apud Salmas. *ad Solin. p.* 1046. ut & hic passim.

RELEVIUM, in *LL.* Malcolmi II. Scotiæ Regis *c.* 1. *Et ibi dabunt Barones concesserunt sibi wardam & relevium de hærede cujuscunque Baronis defuncti*, *ad sustentationem Domini Regis*, in *Charta* libertatum Angliæ Henrici I. in *Charta* Theodorici Comit. Flandriæ A. C. 1147. alibique, apud Car. du Fresne *in Glossar.* servitus est realis seu patrimonialis, tam ad feudum militare, quàm ad soccagium, spectans, quâ Feudatarius tenens per servitium militare, sive mas, sive fœmina, qui die mortis antecessoris sui justam ætatem complevit (ille nempe 21. hæc 14.) certam pecuniæ summam solvere tenetur. Qui verò per socam, id est, *per aratrum* tenet, quidquid annui reditus domino pendit, tantundem *relevii* nomine solvit &c. A *relevando*. Est autem *relevare Feudum*, Gallis *Relever en Fief*, feudum caducum vel possessoris morte in Domini superioris jus relapsum, illius consensu, hæreditariò jure, præviâ certæ summæ solutione, adire, seu potiùs in Feudi caduci possessionem à Domino immitti. Quippe, cùm ea primùm Feudorum fuerit conditio, ut non nisi ad vitam & usufructuariò utenda à Dominis concederentur, quâ finitâ, in donatorum jus rursum devolvebantur, uti diximus in voce *Feudum*: Factum posteà, & usû tacitô introductum, ut illa in hæredes transirent. Dominô superiore ita consentiente, pretiô certô exsolutô, quô mediante hæres caducum prædium *relevare* dicebatur. Et quidem *Relevium Comitis*, apud Anglos, quod ad Regem pertinebat, erat olim 8. equorum ephippiis & frenis instructorum, 4. loricarum, 4. galearum, totidem scutorum, hastarum & gladiorum: præterea 4. equorum, venationi aptorum & palefridorum frænis instructorum. *Baronis* seu *Thaini*, 4. equi, quorum duo sellis instructi, 2. gladii, 4. lanceæ, 4. scuta, galea una cum lorica & 50. marcæ auri. *Vavassoris* seu *Mediocris Thaini*, equus parentis, cum ejus lorica, helmo, scuto, lancea & gladio, *Villani*, optimum animal. *Feudi Militaris* seu quod debet servitium integri Militis, 100. sol. quod dimidii, 50. &c. Sed & ex peculiari Feudi singularis conditione, diversa quandoque *Relevia* sunt, nec Legi Municipali obnoxia. Alia enim debent, Relevii locô, *cyrogrillum*, *soleas*, *ferreas* alia, alia *accipitrem*, *cervum*, *calcaria aurea*, *clypeum cera*, *marcam argenti* &c. ut videre est apud Auctores laudatos Carolo du Fresne *in Glossario*: qui etiam, in plerisque Consuetudinibus municipalibus Galliæ, *relevium* Feudorum, in linea directâ, non exsolvi: in aliis, relevium esse 60. solidorum Paris. pro feudo plani hominii: 10. verò librarum, pro feudo, quod *in Pariam* tenetur; at in collaterali, fere semper esse reditus annui, addit. Apud Andr. de Isernia & Matthæum de Afflictis *in Consuetud. Neapolit.* Marinum porrò de Freccias *de Feudis Sicul. l.* 3. *tit. de Relevio*, Alios, pro *jure Relevii* aut *Racheti*, vox *Adhoa*, ut plurimùm occurrit; quæ tamen *Servitium militare* exponitur, in *Charta* Joannæ Siciliæ Reginæ A. C. 1366. quâ Margaretha Borbonia Imperatrix Constantinopolitana, Margotæ de Novavilla, Magistræ suæ, quoddam casale concedit, *movens in capite à Curia nostra*, *sub certo militari servitio*, *seu adhoa*. Vide eundem, in *hac voce*.

RELICTA, in *l.* 3. *Decretal. tit.* 17. *de émt. & vendit. c.* 4. *Prænominatô verò Milite*, *viam universæ carnis ingressô*, *relicta ejus venire contra hoc præsumpsit*: vidua est. quæ *Licta* quoque, voce simplici, dicitur in veter. *Epitaphio* in Ecclesi. S. Mariæ *de Sanctaei* Barensi, apud Beatillum, *Historia Barensis l.* 1.

> *Hic pia licta jacet* &c.

Vide Dominic. Macrum & Car. du Fresne *in Hierolex.* ac *Glossar.* Apud Agrimensores *Relicta loca*, sunt quæ sive iniquitate locorum assignari nequiverunt, sive ex voluntate conditoris, hoc est, mensoris relicta, limites minimè acceperunt, uti habet Aggenus; eadem *Soluta* dicebantur, & *in solutore mansisse*. Pingues enim tantùm agri, aut illi, in quibus culturæ exercere poterat, assignatione dividebantur ac metabantur. Virg. *Eclogâ* 1. *v.* 71.

> *Impius hæc tam culta novalia miles habebit?*

Vide Salmas. *ad Solin. p.* 682.

RELIGIO, quâ à Superstitione differat, docet Cicer. *de Nat. Deor. l.* 2. *c.* 28. ubi, *Majores*, inquit, *nostri* Religionem à *Superstitione separaverunt*. *Nam qui totos dies precabantur & immolabant*, *ut sui liberi superstites essent*, *Superstitiosi sunt appellati*, *quod nomen posteà latius patuit*: *Qui autem omnia*, *quæ ad cultum Deorum pertinerent*, *diligenter retractarent & tanquam relegerent*, *sunt dicti* Religiosi, *à relegendo*, *tanquam ex deligendo*, *diligentes & intelligendo intelligentes*. *Ita factum est in superstitioso & religioso alterum vitii nomen*, *alterum laudis*. Quæ sententia displicet Lactantio, *de vera Sap. l.* 4. *c.* 28. Vide quoque Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 3. Hanc apud Romanos Senatus decretô, stabilitam antiquitùs esse, Gellius habet, *l.* 14. *c.* 7. ubi Varro, qui Cn. Pompejo Consuli primùm designato Commentarium dederat, de officio Senatus habendi, interalia docet, *Quibus diebus habere Senatum jus non sit*, *immolare que hostiam priùs*, *auspicarique debere*, *qui Senatum habiturus esset*: *de rebusque divinis priùs quàm humanis ad Senatum referendum esse*, *& quæ seqq.* Omnia enim, quæ ad *Religionem* Cultumque Deorum publicum pertinerent, Senatûs decretô priùs stabilienda erant, cùm maxima pars Juris divini amplissimi Ordinis fidei, potestati & voluntati esset permissa. Unde est, quòd Tertullianus refert, nullum Deum Romæ cultum, nisi qui SC. ascitus esset: Imò neque ullum Sibylinum carmen vulgatum fuisse, nisi id Senatus decrevisset, tradit Dio, *l.* 39. De *Religione* autem rebusque divinis referre dicebantur Consules, cùm prodigiis & ostentis nuntiatis, de iis, quæ ad pacem Deorum & ad avertendas eorum iras pertinebant, vel quæ librorum Sibyllinorum monitu fieri debebant, Senatum consulerent. Hine Livius, de prodigiis & ostentis, quæ ex pluribus simul locis nuntia-

in erant, *l.* 22. *c.* 1. *Hic*, inquit, *sicut bruma meditata*, *compositis*, *auctoribusque in Curiam introductis*, *Consul de Religione Patres consuluit.* Cicero quoque de Marcellino Consule, *Ep.* 1. *ad Lentulum*. *Quod infirmis refervo de* Religione. *& sæpe jam retulit*, *ab eo deduci non potest.* Vide Jac. Oiselium, *Notis in A. Gellium loc. cit.* Veteris autem inprimis *Religionis* tenaces fuêre: Prolu Servius ad illud *Æn. l.* 8. *v.* 187.

> ——— *Hanc tanti Numinis aram*
> *Vana superstitio*, *veterumque ignara Deorum*
> *Imposuit:*

Cautum, inquit, *fuerat apud Athenienses & Romanos*, *ne quis novas religiones introduceret*. *& ideo Socrates damnatus est Athenis*, *& Judæi ac Chaldæi Urbe expulsi sunt.* Idem ad illud ejusdem libri in fine,

> *Omnigenumque Deûm monstra:*

Monstra dixit, *quia nedum sub Augusto Ægyptiaca sacra Romani receperant & Varro Alexandrinos Deos Romæ coli indignatur.* Sed vide illi adversatorem Lucanum, cui Suetonium adde in *Augusto*, *c.* 93. quò Caligulæ quoque comminatio pertinet, apud eundem, *c.* 22. Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Certè Tullô Hostiliô Rege prodigiô didicêre Romani, *suis locis sacra non esse movenda*, apud veterem Scholiasten Juvenalis. *Sat.* 4. *v.* 61. Interim peregrinos Deos, (qui evocatis è civitatibus obsessis invitabantur a Sacerdote Romano toto coram exercitu, Romam ne dedignarentur migrare, habituri augustiora templa, ampliora que sacrificia & magis solemnes cultus) sæpe Romam translatos fuisse constat; meminitque peregrinorum sacrorum Festus. *l.* 14. cùm ait: *Peregrina sacra appellantur*, *quæ aut evocatis Diis*, *in oppugnandis Urbibus Romam sunt conlata*, *aut quæ ob quasdam religiones*, *aut pacem sunt petita*, *ut ex Phrygia Matris Magnæ*, *ex Græcia Cereris*, *Epidauro Æsculapii*, *quæ coluntur eorum more*, *à quibus sunt accepta*, &c. Quod verò Athenienses spectat, lex apud illos Draconis fuit, Venerandos esse Deos atque Heroas patrios & indigenas, *secundum patrias sanctiones.* Id nimirum unicè observatum volebant, ne quid temerè immutaretur in sacris Deorum cerimoniis, ut ait Isocr. *in Areopagit.* Posteà tamen adsciti sunt & advecti Athenas, præter patrios, omnium penè gentium Dii, ita ut,

> Ἀθηναῖοι αὖθ' τῶν ξένων ... ἀπ' Ἀθηνῶν:

quod exprobrat alicubi Comicus, reclamantibus tamen plerisque prisci moris. M. Tullius, *de LL. l.* 2. *Novos verò Deos sic Aristophanes*, *facetissimus Poëta veteris Comœdiæ*, *vexat*, *ut apud eum Sabazius*, *& quidam alii Dii peregrini judicati*, *è civitate ejiciantur.* Interim, nullius admittebatur peregrini Numinis apud eos cultus, nisi ex Senatus consulto Areopagitarum, ut ex *Harpocratione* discimus, & Pauli Apost. historia, qui cùm videretur Deos peregrinos, ξένα δαιμόνια, *Jesum* nempe & *Anastasin*, annuntiare, ἐπιλαβόμενοι αὐτοῦ ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον ἤγαγον, Actorum *c.* 17. *v.* 19. Qui itaque ab Areopagitarum Senatu probati & publicè adsciti fuerant, coli, poterant, imò debebant, ut qui jam Civitatis essent, quanquam ἐπίθετοι, non minùs quàm ἐγχώριοι. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas*, *l.* 1. *tit.* 1. & suprà ubi de *Majorum ac Nova religione*. De *Religionis*, in hominibus in officio continendis, vi admiranda, vide si placet Jac. Oiselium, *in A. Gellium l.* 15. *c.* 22. Sed & *Religio* in Ecclesia Romana dicitur Vita Monastica, seu voto, ut vulgò ajunt, Religionis adstricta. Sugerius Abbas S. Dionysii *Ep.* 163. *Hæc duo potissimum amplexatus sum*, *videlicet de statuenda* Religione *in B. Genovefa Parisiensi & nobili Compendiensi Ecclesia.* Unde *de Ecclesia S. Martini Religionem exturbatam*, refert Hugo Flaviniac. in *Chron.* Et Ulgerius Scholasticus, deinde Episcopus Andegavens. *in Epitaphio* Marbodi Episcopi:

> *Omnes personæ*, *quæ sunt in Religione*
> *Ingemuêre nimis planctibus & lacrymis.*

Hinc *Religiosi*, apud eosdem, dicuntur ii, qui votô Religionis obstricti sunt, Anachoretæ, Monachi, Colidei &c. Guil. Brito, *Philipp. l.* 1.

> *Nil toga ruricola*, *nil frocus* Religioso,
> *Nil fragilis sexus mulieri*, *nil sacer ordo*
> *Presbytero prodest.*

Et *Religiosæ*, Moniales, apud Gregorium M. *l.* 7. *Ep.* 18. Vide Car. du Fresne *in Glossar.* & Matros Fratres in *Hierolex.* Quomodo *Religio*, pro lictore Api bovi apud Ægyptios fuerit, vide Salmas. *Not. ad Solin. p.* 307.

RELIQUA, apud Spartian. *in Adriano*, *c.* 7. *Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens*, *infinitam pecuniam*, *quæ Fisco debebatur*, *privatis debitoribus in urbe atque Italia*, *in provinciis verò etiam ex Reliquis ingentes summas remisit*, *syngraphis in Foro Divi Trajani*, *quò magis securitas omnibus roboraretur*, *incensis*: Græcis Λοιπάδες & Λοιπογραφίαι, est residuum debiti, quod nondum Fisco erat exsolutum. De qua liberalitate Adriani vide Salmas. *ad locum.*

RELIQUIÆ, Græcè λείψανα, ossa olim defunctorum, quæ post crematum remanserant cadaver. Quippe nunquam in corpus flammas, eousque sævire passi sunt, ut totum illud consumerent, sed ossa cineresque asservabant sollicitè, hos quidem in tumulum aggerentes, illa autem postquam aquâ ablota essent & unguentis delibuta, atque linteô purô involuta, sepulchrô recondentes, vide Franc. Rossæum, *Archæol. Attica. l.* 5. *c.* 29. Meminit earum Tacitus, *Annal. l.* 8. & Suet. *Domit. c.* 8. *Monumentum*, *quod Libertus ejus è lapidibus templo Capitolini Jovis destinatis filio construxerat*, *dirui per milites*, *ossaque & Reliquias*, *quæ inerant*, *mari mersit.* Idem in *Augusto*, *c.* 100. Reliquias *legerunt primores Equestris ordinis.* Ritum illas legendi egregiè exponit, in funere Miseni, Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 227.

> *Postquam collapsi cineres & flamma quievit*,
> *Reliquias vino & bibulam lavêre favillam*,
> *Ossaque lecta cado texit Chorinæus aheno.*

Et ita Suetonius, *dicto c.* paulò antè. *Legenda ossa per Sacerdotes summorum Collegiorum.* In quem finem, in pyra cremandos ita collocabant, ut cineres ossaque separata manerent, neque aut ligni cineribus, aut animalium, quæ sæpissimè simul comburebantur, ossibus commiscerentur, uti clarè docet Q. Smyrnæus *l.* 3. ubi de funere Achillei. Id quod veriùs putat, quàm quod quidam de linteo lini asbesti ajunt, Casaubonus, *ad Augustum Suet. c.* 100. &c. Urnam, in qua condebantur, *feralem* vocat Tacitus, *Annal. l.* 3. *c.* 1. Poëta,

> ——— *Quod digitis quinque levatur onus.*

Eæque extra Urbem (apud Roman.) in celebrioribus viis, recondi solebat: Unde Juvenalis, *Sat.* 1. *v. ult.* mortuos denotaturus, dicit,

> *Quorum Flaminiâ tegitur cinis atque Latinâ*, &c.

Erant autem magnæ in veneratione antiquis hæ mortuorum *Reliquiæ*, unde inconsultô Pontifice, nec refodi, nec in alium locum transferri poterant. Plinius Jun. *l.* 10. *Ep.* 73. *ad Trajanum*, *Petentibus quibusdam*, *ut sibi* Reliquias *suorum*, *aut propter fluminis incursum*, *transferre permitterem*; *quia sciebam*, *in Urbe nostra ex ejusmodi causis Collegium Pontificum adiri solere*, *te Domine Max. Pontificem consulendum putavi*, *quid observare me velis.* Vide quoque Scholiasten Juvenalis *loco suprà laud.* Inter Christianos quoque *Reliquiæ* seu corpora Sanctorum, in honore semper, ut decet, fuêre; vide Gregor. Nazianzenum *contra Julian.* & S. Ambrosium, *Serm. de S. Nazario & Celso.* Sic tamen, ut religiosus iis cultus minimè præberetur. Hieron. *contra Vigilantium*, *Quis*, *ô insanum caput*, *aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Posteà verò eæ adorari, pro gratiæ fontibus haberi, altaribus imponi, in Templis collocari, ac in processionibus gestari, cœperunt. Quâ de re consultationis Georgii Cassandri, à Ferdinando I. & Maximiliano Imperatorib. ad Ecclesiæ reformationem instituendam adhibiti, *Articulus* 22. sic sonat: *Legumus ad loca Martyrum*, *reliquiis insignia*, *vota nuncupata*, *& peregrinationes susceptas*, *quæ omnia utilia erant*, *cùm adhuc recens & certa memoria Martyrum vigeret & Deus coruscantibus miraculis eos qui mortui videbantur*, *sibi vivere declararet*; *quibus fides*, *quam ipsi professi erant*, *confirmabatur.* *Verùm in hac paulatim abusus irrepsit.* *Nam queritur Basilius hanc consuetudinem sub tempore corruptam fuisse & temporibus Augustini ac Ambrosii*, *mos ferendi epulas ad Martyrum memorias*, *ab Ambrosio interdictus erat*, *ut apud Augustinum patet.* *Posterioribus etiam temporibus*, *memoriis Sanctorum nimium indultum esse*, *cùm ab impiis hominibus falsa fiducia in cultu improbo & superstitiose collocabatur*, *qui usus reprehenditur in Concilio Cabilonensi*, *can.* 43: *Accesserant & alia mala*, *quòd avaritiâ cautâ falsæ Reliquiæ supponebantur*, *ficta miracula prædicabantur*, *superstitio inde alebatur.* *Nonnunquam illusione Dæmonis*, *hominum superstitione abutentis*, *novæ Reliquiæ in dies revelabantur*, *qui abusus damnatus in Concil. Lugdunensi*, *can.* 61. *& Concil. Carthag. V. can.* 14. *Hodie verò*, *cùm omnia Sanctorum Reliquiis plena esse videantur*, *verendum est*, *ne diligenti examinatione adhibitâ detestanda impostura pateseant*; *quemadmodum in nonnullis locis factum est*; *ut olim D. Martino accidit*, *qui in loco*, *nomine Martyris celebri*, *deprehendit non Martyris*, *sed scelerati latronis*, *monumentum.* *Multò consultius videtur*, *ut ab omni Reliquiarum ostentatione abstineatur*, *& Populus ad veras Reliquias colendas*, *i. e. ad exempla Sanctitatis*, *quæ in Scripturis*, *vel ab ipsis Apostolis vel de ipsis extant*, *imitanda provocetur.* Hactenus ille. Babylæ ossa primam colendis hoc modo *Reliquiis*, occasionem præbuisse, vide in voce *Babyla.* Porrò eas inter spinas deponendi ritus, occurrit passim apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ. Nempe, jam è primis Monarchiæ Francicæ primordiis, quoties Viri Ecclesiastici de injuriis Ecclesiis suis illatis, à Viris potentibus, justitiam extorquere non poterant, *Sanctorum Reliquias* & imagines, crucem quoque interdum, inter spinas depositas legimus, ut omnium hoc pactô odium in eos concitarent, sicque eos ad rerum ablatarum restitutionem cogerent. Audoenus in *Vita S. Eligii*, *c.* 30. *Nisi citiùs ornamenta tabernaculi hujus furata reduxeris*, *equidem spinis allatis faciam hanc januam ita obserari*, *ut nunquam tibi in hoc loco veneratio præbeatur ab hodie*: alibique passim, apud Ordericum Vitalem, *l.* 8. Rogerum Hovedenum, *A. C.* 1197. Ægidium Monachum Aureæ Vallis, *c.* 103. Jo. Hocsemium, *c.* 5. in veterib. *Chartis*, apud Car. du Fresne &c. Quod tandem prohibitum, in Concilio Lugdun. sub Gregorio X. Sed & in prædia Monasteriorum *Reliquiæ* illatæ, ut prædatores ab iis invadendis averterent, quâ de re multa congessit idem in *Glossario* & *Append.* Et de ritu eas per vicos & provincias etiam nonnunquam circumferendi, ad corrogandas pecunias, quò Ecclesiarum indigentiæ subveniretur: Item de ritu eas deferendi, ad loca, quæ Ecclesiis cedebantur, ut hoc ritu quodammodo ad possessionem eorum Sancti ipsi mitterentur: Insuper de ritu eas conferendi, cùm videl. Ecclesiæ vicinæ suas vicissim *Reliquias* ad statum & definitum locum, cum processionibus deferebant, in pacis & concordiæ symbolum: Tandem de ritu easdem in castra & prælia ferendi: de quo ultimo vide quoque suprà ubi de *Capella S. Martini*. Aliàs Sanctorum Martyrum Reliquiæ, in eadem Ecclesia, sub Altari quiescunt, ut ex ordinatione

Nunc Felicis Papæ Ep. 2. ad Episcopos Galliæ confer. Unde Paulinus.

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum
Regia purpureo marmore crusta tegit.

Cujusmodi Reliquiæ hodie sub Altariolis ponuntur, ex constitutione Concilii Tridentini Congregat. 13. Sept. 1593. Quòd si verò ex dispensatione Pontificis celebrare contigerit super Altariolum Reliquiis carens, omittunt verba illa in principio Missæ, *Quorum reliquiæ hic sunt.* De quæstione verò, *An Reliquiæ de essentia requirantur in Altari portatili*, disputat Macer in voce *Altare*, quem etiam vide de ritu consecrandi Reliquiis ædium sacrarum portas. Insigniores verò *Reliquiæ* habentur, *caput*, *brachium*, *crus*, *aliaque pars*, in qua Sanctus pro Christo tormenta sit passus &c. Namque à corporibus Martyrum, ad alia quoque ventum, qua de re vide Cl. Suicerum in Λείψανα. Plura apud eundem Macrum, *in Hierolex.* & hic passim, in vocibus *Archicapellanus*, *Brandeum*, *Capsa*, *Cinerarium*, *Cæmeterium*, *Cancellum*, *Confessio*, *Encolpium*, *Feretrum*, *Globa*, *Hierotheca*, *Lipsana*, *Loculus*, *Naufus*, *Pavo Sarcophagus*, *Tibeca* &c. item in voce *Redemta*. Contrà *reliquias* exosorum hominum post obitum spargere, atrox tyrannorum mos, cujus in Historia Ecclesiast. & SS. Martyrum, Romana item, multa mentio. Vide Casaubon. *ad Tiber. Suetonii*, c. 55. & hic passim. Sed & idem de quæstione, veterib. Philosophis tractatâ, *Cur igne crematî maneant reliquiæ, in sarcophago absumti non maneant?* videri poterit *ad Aug. ejusdem Auctoris*, c. 100. uti de more medii ævi *ad Reliquias & Tumulos SS. jurandi* Car. du Fresne iterum *Gloss.* ubi de *variis Juramenti speciebus*: de *Reliquiis* verò *ciborum*, quæ suprà dicta lemmate *Pridiana dapes*.

RELIQUIÆ Victimarum comburendi ritus, in Vet. Test. occurrit Exodi c. 12. v. 10. ubi de Agno Paschali, *Ne relinquite quicquam ex eo* (agni carne) *usque ad matutinum tempus sed, si quid reliquum erit, comburite.* Cujusmodi quoque fuêre Leges in omnibus sacris conviviis, Sic de Manna Exodi c. 16. v. 19. *Nemo ex eo quicquam relinquat usque in crastinum.* Et de sacrificio Eucharistico Levit. c. 22. v. 30. *Eodem die illud comedetis, nec ex eo quidquam reliquum facietis*, &c. Transiit inde ad Gentes, uti vidimus suprà ubi de *Pridianis Dapibus*. De *Reliquiis S. Cœnæ* vide suprà voce *Eulogia* alibique. uti *de Reliquiis conviviorum*, plura apud Cl. Rittershusium, *Lect. Sacr. l.* 6. c. 13. uti suprà, voce *Analecta*, it. *Pincerna*.

de RELY Johannes, vide *Johannes*.

REMACLUS Faschius, Limburgensis, Medicus & Canonicus Leodiensis. Scripsit vitam Medicorum illustrium, &c. Obiit A. C. 1586.

S. REMBERTUS, Flander an Friso? Episcopus Hamburgensis, tempore Caroli Calvi, & Caroli Crassi. Scripsit *vitam S. Anscharii*, Prædecessoris sui; *de Virginitate*, &c. Adam de Bremen, *l.* 1. c. 31. Alb. Crantz. *in Saxon.* Mejer. *in Annal. Flandr.* Suffridus Petri. *de Script. Fris.* Voss. *l.* 2. *Hist. Lat.* c. 27. Molanus, Valer. Andreæ &c. *Biblioth. Belgic.*

REMBERTUS Dodonæus, Mechliniensis, Medicus Maximiliani II. Imperatoris Lugduni Batavor. Professor, Obiit A. C. 1585. Botanices egregiè peritus, scripsit Opus libror. 30. &c. Castellan. *in vit. Medic.* Valer. Andr. *Biblioth. Belgic.* Vander Linden, *de Script. Med.*

REMEDIA, dicta Amuleta, apud Salmas. *ad Solin.* p. 439. Est autem *Amuletum*, omne genus remedii, inprimis verò adversùs veneficia, ab *amoliendo*. Cujusmodi *Remedium*, è sepulcris mortuorum conquirere, ad morborum scil. Magicas sanationes, ad quas ossa mortuorum Veteres colligebant, vetat *L.* Wisigothorum. Vide quoque Lindenbrogium, *ad Ammianum* p. 86. *De Remediis*, hominibus per somnia nonnunquam oblatis, dicemus infrà.

REMEJA, nomen viri, Esdr. c. 10. v. 25. Latinè *excelsus Dominus*, aut *projectio Domini*.

REMELIGO, vide infrà *Remora*.

REMEMORATORIUS, in Ecclesia Constantinopolitana olim dictus est Ceremoniarum Magister, quo de Concilium Lugdun. *in Ep.* ad Gregorium XV. apud Macros Fratres, *Hierolex.* Vide suprà in vocibus *Hypomimnescon* & *Hypomnemata*.

REMI, gens Gall. Belgicæ, Cæs. *l.* 2. *Bel. Gall.* c. 3. cujus caput Durocortorum Remorum, à Matrona, quod Celtas à Belgis dividit, non multùm abest. Ejus fines longè trans fluv. Axonam usque ad Mosam fluvium pertinent, quâ parte Maceriæ sunt atque Mosomagus Remensis Ecclesiæ parœciæ. Agros Remorum memorat idem, patentesque campos frumenti feraces, à quibus Campaniæ *Remensi* nomen, vide Plin. *l.* 19. c. 5. Præcipuò semper honore Cæsar *Remos* habuit, secundò ab Æduis locò, clarissimi ac memoratu dignissimi Straboni dicuntur; *Remi fœderati* Plinio, *l.* 4. c. 37. Hirtio *Socii & Amici* Romanorum, optimè de Rep. meriti, *l.* 8. Utebantur autem hi *Fœderati* suis legibus, & planè erant liberi. Fœdus civitatis Remorum cum Romanis initum designavit Tacitus, *Histor. l.* 4. c. 67. 68. Hirtius, *l.* 8. c. 12. equites Remorum ac Lingonum evocavisse ait Cæsarem, quibus adversus Bellovacos uteretur. Lucanus *Remos* & Leucos optimos funditores agnoscit, *l.* 1. v. 424.

Optimus excusso Leucus Remusque lacerto.

Ante Remigium Episcopum quidquid nunc Remensi diœcesi & Laudunensi continetur, ad unos Remos solamque diœcesin Remensem pertinebat: hi veteres *Remorum* erant fines. Nunc diœcesis, ut à Remigio est imminuta, à Matrona ad Mosam, seu à Sparnaco ad Macerias Castrumque Reginaldi & Rupem Regiam, leucas 25. in longitudin. patet, in latitudin. circiter 15. terminos habet ab Oriente Trevericam diœcesin, à Meridie Catalaunicam, ab Occidente & Septentrione Suessionicam & Laudunensem.

PAGI DIŒCESI REMENSI COMPREHENSI.

Argonna silva & pagus; *Argonne*.	Reitestinus.
Castrensis.	Remensis, i. e. ager Durocortori suburbanus.
Dulcomensis.	Stadinensis.
Montania, *la Montagne*.	pars Tœraciæ.
Mosomagensis.	Vongensis &c.

OPPIDA, PRÆTER METROPOLIM.

Carolopolis ad Mosam.	Maceriæ ad Mosam.
Castrum Porcense ad Axonam.	Mosomagum ad Mosam.
Culmisciacum *Cormicy*.	Reiteste ad Axonam.
Doncherium ad Mosam.	Rupes reg. in Arduenna.
Fines ad Vidulam.	Sedanum ad Mosam.

Sparnacum ad Matronam &c.

ALIA LOCA CLARA.

Avennacum *Avenay*.	[illegible]
Altus mons *Omont*.	Grande Pratum.
Attiniacum, villa regalis.	Monsfalconis in silva Argonna.
Castellum Reginaldi.	Ruminiacum.
Duciacum *Dousy*.	Sindunum, vel Senucum.
Fons Malberti *Maubert*	Vindonissa *Vendresse*.

Continet porro *Remensis* diœcesis Parœcias vicanas seu rusticas majores 469. minores 335. Abbatias cùm urbanas tum vicanas 24. Vide Marlotum, *Hist. Metropolis Rem. l.* 1. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & infrà quoque in voce *Rhemi*.

REMI, populi German. inferioris quorum locus est pagus *Rindenen* Smetio; vel *[illegible]*, in Ducatu Cliviensi inter Cliviam & Rhenum.

REMI, Urbs præcipua Campaniæ Galliæ cum titulo primi Ducatus & Archiepiscop. Antiquissimarum & pulcherrimarum Galliæ civitatum una. Ibi templum primarium elegantissimæ structuræ, in quo Reges consecrari solent, oleô, ut dicunt, divinitùs olim, tempore Clodovæi, demissô. Portæ hujus urbis Gentilium Deorum nominibus hodieque insignes sunt; caput est territorii Remensis exigui. Cæs. *de Bell. Gall. l.* 6. c. 4. Plin. *l.* 4. c. 17. Strabo, *l.* 4. Aimoin. *l.* 3. c. 6. Hincmar. *in vita S. Remigii*. Flodoard. *Hist. Eccl. Rem.* Guil. Marlotus, *Hist. Rem. &c.* De Conciliis hic habitis, consule Morer. *Diction. Histor.* Vide *Remi* & *Rhemi*.

D. REMI, seu D. Remigii, aut Remuli fanum, oppidum Liguriæ peramœnô situm est ac fertili agrô, citris, palmis, medicis, limonibus, aliisque fructiferis arboribus mirificè ornatô. Cum portu, in ora Genuensi.

S. REMIGII de Monte, *Saint Remy du Mont*, locus Galliæ: sicut & *S. Remigius* de Planis, *Saint Remy du Plain*, castellum ejusdem Regni, in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali, *Hist. l.* 10. apud Hadr. Vales. voce *Majatum*.

de S. REMIGIO Robertus, vide *Robertus*.

REMIGIUS, Episcopus Remorum, qui baptizavit Ludovicum illum regem, quem Galli *Clodovæum* vocant. Proin *Gallorum Apostolus* dictus. Illius ampulla ibidem quoque asservari dicitur; ex qua Gallorum reges inungi solent, ac deinceps diademate jam inde cingi. Obiit A. C. 535. Gregor. Turonens. *l. de glor. Confess.* c. 79. & *Hist. Fratr.* Sidon. Apollin. *l.* 9. *ep.* 7. Flodoard. *Hist. Rem.* Hincmar. *in vita Rem.* Morerius *Diction. Hist. &c.*

REMIGIUS, Archiepiscopus Lugdunensis; Eleemosynarius Lotharii Imperatoris. Scripsit *epistolam, contra Joh. Scotum Erigenam, & commentarios in epist. Paulinas.* Obiit A. C. 874. Flodoard. *l.* 2. *Hist. Rem.* c. 16. Lupus Ferrerius, *ep.* 111. Jac. Severtus, *de Archiepisc. Lugdun.* Theophilus Reinaldus, *in Indic. SS. Lugdun.* Item Antissiodorensis Monachus, floruit *Sec.* 9. A Fulcone Archiepiscopo Remensi Antissiodorum, ut studia ibi redintegraret, vocatus est: Præceptor Odonis, Abbatis Cluniacensis. Explicuit *Psalmos Davidis ex Ambrosio, Augustino, & Cassiodoro.* Edidit quoque *explicationem XI. minorum Prophetarum.* &c. Flodoard. *Hist. Rem. l.* 4. c. 19. Sigebert. c. 123. Trithem. Sixtus Sen. Bellarminus, Possevinus &c.

REMILLIUM, seu REMILLIACUM, oppid. Sabaudiæ, ad amnem Serranum, 8. leuc. à Camberio in Boream, 2. ab Annecio in Occidentem.

REMIPEDÆ Aves, Latinis, Νηξίποδες Græcis, dicuntur aves palustres seu palodicolæ, in quarum censum Meleagridas & Penelopas collocat Plin. *l.* 37. c. 2. *Mnaseas Africa locum Sicyonem appellat, & Cratim amnem effluentem è lacu, in quo fiunt aves, quas Meleagridas & Penelopas vocant.* Vide suprà *Meleagrides*: uti de *Navibus remipedibus*, lemmate *Pedes navium*.

REMISMUNDUS, Suevorum in Hispania Rex, turbis in Gallæcia finem imposuit, A. C. 463. Cum Theodorico quoque II. pacem iniit. Mariana, *Hist. Hisp.*

REMITTERE, apud Tacitum, *Annal. l.* 1. c. 8. ubi narrat, ut Patres Conscripti funus Augusti metu Tiberii adulati fuerint, *Conclamant Patres, corpus ad rogum humeris Senatorum ferendum. Remisit Cæsar arroganti moderatione*: est remittere in adversando & cedere. Nam ea vis verbi est, ut non indicet modò concessisse id Cæsarem, sed etiam post aliquod certamen concessisse, ut victus & expu-

gnatus crederetur. Sic; l. 12. *Et Cæsar adulationibus Senatus libens cessit* &c. Similiter apud Ovidium, *de Arte*, l. 2. v. 599.

——— Nihil hic nisi lege remissum.

Pro quo, l. 3. *de Ponto* El. 3. v. 691. *Nil nisi concessum.*... Sed & *dimittere*, vox notat, ut remissus adulter, l. 25. ff. *ad l. Jul. de adulteriis*, & *in Fastis*, l. 2. v. 755.

——— Inceptaque fila remisit.

Plura vide apud Gronov. *Observationum* l. 4. c. 2.

REMMIA Lex, de Calumniatoribus; *ut Calumniatoribus pœna constituto judicio imponeretur*: memoratur Ciceroni *pro Sext. Roscio.* Pœna autem erat in fronte impressa litera K. quâ indicabatur, calumniatum eum esse. Sic enim Cicer. *loc. cit. Literam illam, cui vos inimici estis, ut etiam calumnias oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis.* Quidam *Remiam* appellant. Sed Paulus Manutius, *Comm. in Cic. pro Roscio*, *Remmiam* vocat. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom.* l. 8. c. 22.

REMMON, civitas in tribu tam Judæ, quàm Simeonis. Jos. c. 15. v. 31. & c. 9. v. 7. Item petra & urbs 15. milliar. ab Hierosolym. in tribu Benjamin. Judic. c. 20. v. 47. Vallis item apud Zachariam, c. 14. v. 10. sive civitas secundum Lyranum, non procul à Megiddo, quæ à quibusdam nunc *Maximianopolis* dicitur. Item pater Baana & Rechab, servorum Ishbosheth. 2. Sam. c. 4. v. 6. Nomen idoli. 2. Reg. c. 5. v. 18. Latinè *malum gravatum*, sive *altitudo*.

REMONIUM, locus extra urbem, quem ad inauguranda templa *Remus* cepit. Alexand. ab Alex. l. 6. c. 31. *Romia* apud Halicarnasseum est. *Remurium* habet Cicero, *Phil.* 6. etsi quidam *Samurium* ibi legant.

REMONSTRANTES, dici amant, quos alii *Arminianos* vocant, à Jac. Arminio sectæ conditore, de quo vide suô locô, & plura hanc in rem in *Epistolis Remonstrantium* Amstelodami editis A. C. 1660. Item hic infrà.

REMONSTRANTIA, nomen fuit libelli supplicis, quem in Belgio Armenii sectatores, ut Synodi Nationalis vim eluderent, Hollandiæ Ordinibus exhibuerunt A. C. 1610. in quo sententiam, super *quinque* famosis illis, ut jactabant (plures enim pectore ambiguô recondebant, ut posteà apparuit) *Articulis* exponebant, petebantque ut ab Ordinibus adversùs omnes Ecclesiarum censuras in patrocinium & tutelam reciperentur. Huic Reformati opposuerunt *Contra-Remonstrantiam*: unde nomina *Remonstrantium* & *Contra-Remonstrantium* fluxêre, quæ in *Arminianorum* & *Gomaristarum* locum surrogata sunt, ac gravissima dissidia post se traxêre. Remedium quoddam malorum visa Collatio Hagiensis, A. C. 1611. Sed successu caruit: Tentata alia, sed in cassum: donec tandem Synodus Nationalis Dordraci coiit, A. C. 1618. quâ damnati errores quinque Articulorum, approbata & confirmata Belgica ac Palatina Catechesis, Versio Bibliorum nova decreta, ac quidquid hactenus turbarum Ecclesiam Belgicam afflixerat, sopitum sublatumque est. Petebant quidem *Remonstrantes* librorum Symbolicorum revisionem, sed censuras illorum vide repulsas ab Altingio, *Commentar. in Catechef.* & Maresium, *Exeg. Confess. Belg.* Ab illo tempore magis magisque ad Socinianos declinare cœperunt, per Vorstium præcipuè ac Episcopium, cui posteà suam causam concredebant. Et quidem extat hujus famosa *Apologia pro Confessione* Arminiania, adversùs censuram Leidensium, quam Walæus nomine Facultatis conscripsit; sed Apologiæ illius Socinismos feliciter detexerunt Vedelius, Triglandius, Hoornbeckius, Alii. Episcopio in Schola Amstelodamensi successit Steph. Curcellæus, qui ipse, quàm Sociniano-Arianus fuerit, *Præfatio ad Opera Episcopii*, & scripta varia testantur. Certè quòd *Remonstrantes* Vorstii omnia aut *excusant*, aut *defendunt*, inprimis quæ de Attributis Dei scripsit: quòd *plures Filiationis modos* statuunt; quòd *adorationis Spiritus S.* nec *mandatum* nec *exemplum* dari dicunt: quòd dicunt *totam Trinitatis doctrinam tantùm in theoria consistere*, *nullum*, *in praxi usum habere*, collusionis cum illis non possunt non esse suspecti, *quibus* proin & *anathema dicere* apertè *renuunt*. Georg. Hornius, *Histor. Eccl. cum Notis & Observationibus* M. Leydeckeri, p. 377. & seqq.

REMORA, Græcis ἐχενηΐς, à navibus sistendis, seu retinendis; item Ναυφάγος, ab eadem causa: Latinis aliter *Remeligo*: Plautus, *Casinâ*, *Actu* 4. *sc.* 3. v. 7. secundùm quosdam.

Nam quid illæ tam diu intus remorantur remeligines.

Pisciculus dicitur, cui naves sistendi vim Veteres tribuêre. Vide Aristotelem, *Histor. Animal.* l. 2. c. 14. Unde Plin. l. 9. c. 25. *Est parvus admodum piscis, adsuetus petris. Echeneis appellatus: hoc carinis adhærente, naves tardius ire creduntur.* Idem subjungit ut stiterit navem Periandri, ac l. 32. c. 1. simile ait usui venisse Antonio Triumviro; ad hæc Cajo Principi. Quis verò is sit pisciculus, mirè variant Scriptores. Nam, ut ibidem refert Plinius, limaci eam similem fuisse ajebant, quæ quinquéremem Caji stiterat: ac priori loco, l. 9. Mucianus ait, esse latiorem purpurâ. Trebius Niger esse pedalem & crassitudine quinque digitorum, Ælianus autem anguillæ æquat mediocri *de Animal.* l. 12. c. 45. Ut omnino videantur plura esse piscium genera, quæ vim navem sistendi habeant, ac proptereà communi *Echeneidos*, vel *Remora* nomine, appellentur. Quid mirum? quando & quasi adjectivè eâ voce utitur Æschylus *Persis*. Illa verò Æliani videtur lampetra esse nostra, quam & Oppianus intellexit Ἁλιευτ. l. 1. Sanè lampetra (à lambendis petris dicta) naves sectatur, præsertim recens pice illitas, idque ut picem exsugat: quòd si clavo se applicaverit, etiam moratur navem. Id experientiâ comprobari, ait Rondeletius, *de Pisc. mar.* l. 14. c. 4. Nam cùm Romam triremi proficisceretur unà cum Cardinali Turnonio, cursum fuisse inhibitum magnâ cum admiratione vectorum: atque his in causam inquirentibus, deprehensam esse lampetram, ore adfixam clavo; eam captam coctamque pœnas moræ dedisse injectæ: atque hujusce rei testes se habere ait locupletes, viros nobiles, & graves, qui unà vehebantur. Objicienti omnem id excedere fidem, regeruntur Pliniana illa, l. locò quo cit. *Ruant venti licèt, & sæviant procellæ, imperat furori, viresque tantas compescit & cogit stare navigia: quod non vincula ulla, non anchoræ pondere irrevocabili jactæ: infrænat impetus, & domat mundi rabiem nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo, quàm adhærendo. Hæc tantilla est satis contra tot impetus, ut vetet ire navigia.* Admiratio verò omnis est à causæ ignorantia. Doctiss. Suarezius, *eam vult esse virtutem mirabilem & occultam, quam fortè adjuvet specialis aliqua Cœli influentia*, *Metaphys. Disp.* 18. *sect.* 8. cui sententiæ favet Basilius, *Hexaëm. homil.* 7. & eum secutus Ambrosius, *Hexaëm.* l. 5. c. 10. Hier. Fracastorius, l. *de Sympt. & Antip.* c. 8. hanc rem non à *Remora*, sed à saxis vim magneticam habentibus, esse contendit: quod ridet Cæs. Scaliger, *Exercit.* 218. censens ut magneti vis inest movendi, sic Echeneidi vim esse motu privandi. Acutiùs veriusque Rondeletius, l. 15. c. 18. quia Echeneis non eam habeat vim, nisi clavo adhæreat, colligit, non esse id ab occulta quadam Echeneidos proprietate, sed à natura gubernaculi, quod se habet instar vectis, ut exiguum licèt magna moveat pondera. Nempe centrum motus ejus est in cardine gubernaculi, unde navis impellitur obliquè, dextrorsum, si clavus moveatur sinistrorsum, contra sinistrorsum, si is dextrorsum impellatur. Si igitur *Remora* clavo vel puppi se applicet, & nunc dextrorsum nunc sinistrorsum se moveat, propter ambiguum hunc ejus motum, etiam ambiguus redditur navis motus; proque exiguo motu unius extremi, alterum etiam extremum atque adeò tota moles, nutat, nec progredi idonea est, vel saltem it tardiùs. Vide quoque Aristotelem, *in Mechan. quæst.* 6. Keckermannum, *in Problem. Naut. Probl.* 11. Hug. Linschottanum, *Navig. Indic. Histor. tom.* 1. c. 48. Gerh. Joh. Voss. *de Idololatr.* l. 4. c. 11. Alios.

REMORENTIUM, urbs provinc. Blesensis, aliàs Soloniæ caput, ad Saldriam fluv. 8. leuc. à Blesis in Meridiem, Bituricum versus 14. uti ab Ambacia in Ortum. Quibusd. *Ratomagus* antiquorum.

REMORIA, locus in summo Aventino, ubi Remus de urbe condita fuerat auspicatus. *Steph.* urbs est prope Romam.

REMOTIO ab Officio, Græcè Καθαίρεσις, it. ἔκπτωσις τῆς ὑπηρεσίας. Clericorum pœna, in *Canonibus* Concil. crebrò occurrit. Formula quâ ad Nestorium usa est Synodus Ephesina, cùm καθαίρεσιν ei indicaret, hæc fuit, Γίνωσκε σεαυτὸν διὰ τὰ ἀσεβῆ σου κηρύγματα... Γινὼ μαθὼς τῆ συνόδου δευτέρᾳ καὶ εἰκάδι... καθῃρῆσθαι καὶ παντὸς ἐκκλησιαστικοῦ βαθμοῦ ὑπάρχειν ἀλλότριον, *Scias, te propter impia dogmata tua. 22. Junii... depositum esse & ab omni Ecclesiastico gradu esse alienum.* Vide *Acta* ejus, p. 135. Aliquando, propter delicti enormitatem, accedebat ἀκοινωνησία, *excommunicatio*; & tum καθαίρεσις τελεία, *plena ejectio*, è sacerdotio scil. vocabatur. Vide Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Καθαίρω & hic passim. Apud Romanos quâ specie *Remotio* velari sub Imperatoribus consueverit, vide infrà *Sepositio*, it. *Successorem dare.*

REMPHAN, Idolum, pro quo in Ebræo legitur *Chiun*. Mentio ejus Actor. c. 7. v. 43. *Imò bajulâstis tabernaculum Molochi, & sidus Dei vestri Remphanis, quas figuras fecistis, ut eas adoraretis.* Ῥαιφὰν vocatur LXX. Interpr. Amosi, c. 5. v. 26. ubi eadem verba reperiuntur, Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφὰν, τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς. Quô nomine Herculem indigitatum fuisse Godwynus censet: Quemadmodum enim is *Chiun*, ex Ægyptio *Chon*, ita enim apud hanc gentem appellatus reperitur; Sic *Remphan*, vel *Rephan*, idem dictus est, ab Hebræo, *Rephaim*, quæ vox *Gigantes* in sacris Literis notat. Herculem autem non ineptè *Solem* interpretantur Eruditi, qui sub vario schemate ab idololatris Israelitis cultus est. Namque idem & *Moloch* & *Baal* & *Chiun*, & *Remphan* & *Tamuz* fuit, aliis atque aliis ritibus, pro virtutum ejus diversitate, à gente illa, in Idololatriam maximè proclivi, consecratus. Nec desunt, qui *Herculis* nomen ex Hebr. האיר כל *Hier col*, i. e. *illuminavit* omnia, deducant: uti apud Græcos *nihil aliud est quàm* Ἥρας κλέος, i. e. *aëris gloria: quæ porrò alia est aëris gloria, nisi Solis illuminatio?* verba sunt Macrobii, *Saturnal.* l. 1. c. 20. Quid autem per *sidus Remphanis* intelligendum? Respondet Oecumenius, *ad Actor. loc. cit.* probabile esse indigitari *stellam, in fronte Molochi idoli depictam vel sculptam*: Nihil enim apud Idololatras insolens, Idola symbolicis istiusmodi additamentis insignire: Quemadmodum Suetonius de Julio Cæsare, in Deorum numerum relato, ait c. 88. *Creditumque est, animam esse Cæsaris in cœlum recepti* (loquutus autem in præcedentibus erat, de stella crinita, quæ per 7. dies ab obitu ejus fulserat) *& hac de causa simulachro ejus in vertice additur stella.* Quam etiam, in Cæsaris Augustique nummis variis, Patinus *ad Sueton.* exhibet. Vide quoque Plinium, *Hist.* l. 2. c. 25. Horatium, l. 1. *od.* 12. Thom. inprimis Godwynum, *de ritibus Hebr.* l. 4. c. 1.

REMULCUS, Græcè ῥυμουλκὸς est, unde ῥυμουλκεῖν, τῷ ῥυμῷ ἕλκειν, de navibus, quæ *fune trahuntur*, apud Auctorem *Periplí* Maris Erythr. Sic ῥυμὸς, *remus*: quomodo lorum tubæ vocâsse Veteres, Servius auctor est. Vide Salmas. *ad Solin.* p. 1116. Cæterùm *remum Cope, latitudinem ejus Platea invenerunt*, Plin. l. 7. c. 56.

REMULUS Sylvius, Latinorum Rex, qui præsidium Albanorum inter montes posuit, ubi nunc Roma est. Ob impietatem fulmine ictus traditur. Ovid. *l. 4. Fastor. v. 50.*

——— In Remulum fulmina missa ferunt.

ad REMUM damnatio, inter pœnarum, apud veteres Athenienses genera, memoratur Scholiasti Aristoph. *Ranis*, ubi illos *ἀτίμους*, i. e. *capite minutos*, fuisse ait. Nempe qui publicô judiciô eô adacti erant: quò etiam hostes bellô captos damnabant, dextrô pollice abscissô, ut hastam quidem non ampliùs ferre, remum verò ducere possent. Plut. *in Lysandro.* Alias *ad remum* mercede conducebantur Thetæ, de quibus suô locô. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l. 4. tit. 9.* Cæterùm *Remiges*, erant in bireme 160. in trireme 240. in quadrireme 320. in hexere 480. in heptere 560. in octere 640. in ennere 720. in decere 800. in viginti ordinum nave 1600. juxta proportionem quinqueremis Caji Cæs. in qua 400. fuêre. Plin. *l. 32. c. 1.* At juxta Polybium quinqueremis numerum 300. remigum, ad monerem fuêre requisiti 60. ad biremen 120. &c. Tessaraconteres Ptolemæi Philadelphi circiter 4000. habuit, apud *Athenæum*: vide suprà *Navis*, infrà *Thalamegos*, *Tensa*, alibique passim, & plura hanc in rem apud Jac. Gronovium, *Epist. ad Grævium.* Hinc *remigare* verbum, de quo vide aliquid suprà verbô *Inhibere.*

REMUNERATIONES Sacræ, *l. 20. de Palat.* ac *l. 41. de Appell. Cod. Theodos.* & Privatæ, *l. 2. eod. C. de Comm.* Vide suprà, in voce *Largitiones.*

REMURIA, sacra ad Lemures, i. e. larvas nocturnas, & terrificationes placandas instituta. A Remo, quem interfecit Celer, Romuli comes, feruntur habere nomen, quæ posteà asperiore literâ *r.* in leniorem mutatâ, *Lemuria* sunt dicta. Porphyrio Horatii interpres, vult *Lemures* nominatos quasi *Remures*, à *Remo*, cujus occisi umbram cùm frater Romulus placare vellet, *Lemuria* instituit, i. e. Parentalia, quæ mense Majô per triduum celebrari solebant.

REMUS, frater Romuli, primi Romanorum Regis, qui quòd nova urbis Romæ mœnia per ludibria transiliisset, à fratre est interfectus, aut, ut alii volunt, à Celere quodam Tribuno. Post cujus mortem obortâ pestilentiâ, consultô oraculô responsum est, placandos esse manes Remi: ob quam rem sella curulis cum sceptro & diademate, & cæteris regni insignibus, semper juxta Romulum quidvis facientem ponebantur, ut mortuus etiam Remus pariter imperare videretur. Unde est illud Virg. *Æn. l. 1. v. 292.*

——— Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt, ——— ———

Hic unà cum Romulo urbem Romam condidisse fertur. Plin. *l. 8. c. 17. Sicut de conditoribus nostris accepimus.* Marcus Manilius, *Astronom. l. 5.*

Quo genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.

Tibullus, *l. 2. eleg. 5. v. 23.*

Romulus æterna nondum firmaverat urbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo.

Mihi tamen (inquit Dempsterus) animadversum, à Remo fundamenta ejus jacta, erat enim major natu. Stat. *l. 5. Sylv. 2. v. 13.*

——— Neque enim de sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi.

Idem, *l. 1. Sylv. ult. v. 60.*

Dices culminibus Remi vagantes
Infandos domini nocentis ignes.

Propertius, *l. 4. Eleg. 1. v. 9.*

Quis gradibus domus ista Remi se sustulit olim.

Idem, *l. 2. eleg. 1. v. 23.*

Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ.

Martialis, *l. 10. Epigr. 76. v. 4.*

Sed de plebe Remi, Numæque verna.

Juvenalis, *Sat. 10. v. 73.*

Turba Remi sequitur fortunam. ———

Et ante omnes Catullus, *epigr. 59. v. 5.*

Glubit magnanimos Remi nepotes.

A fratre Romulo occisum volunt poëtæ. Propertius, *l. 4. Eleg. 1. v. 49.*

Si modò Avernalis tremula cortina Sibyllæ
Dixit, Aventino rura pianda Remo.

Idem, *l. 3. eleg. 8. v. 50.*

——— Et cæsô mœnia firma Remô.

Horat. *Od. 7. epod. v. ult.*

Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Lucanus, *l. 1. v. 95.*

Fraternô primi maduerunt sanguine muri.

Hic, ut Romulus, nomen habet à *ruma*, i. e. mammâ, quam lupa infantibus præbuit, vel ipso Pliniô teste, apud quem hactenus *l. 15. c. 19.* mendosè scriptum est *rumen.* *Nic. Lloydius.*

RENALDUS, seu REGINALDUS Aichstadiensis, in Bavaria, Episcopus Hebraicè, Græcè & Latinè doctus, Musices peritus. Successit Starhando, A. C. 965. Obiit A. C. 989. Scripsit vitas quorundam Sanctorum Voss. *de Hist. Lat. l. 2. c. 40.*

RENALDUS Belnensis, Archiepiscopus Senonensis, Henrici Magni jus contra Ligistas fortiter tuitus, interfuit Comitiis Blesensibus A. C. 1588. in quibus facundâ oratione in luxum invectus est: ad Patriarchatum Galliæ adspirare ausus, ni Pontifici cum Henrico convenisset. Obiit A. C. 1606. Thuan. *Hist. l. 106.* Vide & *Commentar. de Vita sua, l. 3. sub finem*, ac suprà *Belnensis.*

RENALDUS Clutinus, Parisiensis, Poëta excellens, seculi præteriti. Scævola Sammart. *Elog. l. 2.* Vide etiam Anton. Teissier *in Elogiis*,

RENALDUS Ferrerius, Præses Parlamenti Parisini, ad Concilium Tridentinum missus est. Inservit fideliter Francisco II. Carolo IX. & Henr. III. scriptis eloquentiâ & eruditione refertis, illustris.

RENALDUS Langhamus, Franciscanus Anglus A. C. 1410. Scholasticus celebris. Scripsit in Magistrum sententiarum, Pitseus, *de Scriptor. Anglic. p. 589.*

RENALDUS Perokius, seu Peacockius, Anglus, Episcopus Cicestriensis, floruit seculô 15. Depositus, ob scripta erudita quidem, sed quæ erroribus scatere dicebantur, A. C. 1486. Gesner. *in Biblioth.*

RENALDUS de *Piperno*, Dominic. Anglus, scriptis celebris, Pitseus. *in Append. Ill. Angl.*

RENALDUS vel REGINALDUS *Polus*, Cardinalis & Archiepiscopus Cantuariensis, fil. Richardi, ex Margareta filia Georgii Clarentiæ Ducis qui Eduardi IV. frater erat. Eruditione inclytus. Ab Henr. VIII. Angliâ pulsus, constitutô in caput ejus 50000. imperialium pretiô, Regem per literas ad unionem cum Ecclesia Romana hortatus est. Hinc, & aliis accedentibus caussis, Mater ejus & ex amicis nonnulli capite luerunt. Post Henrici mortem, Eduardum VI. filium ejus pariter retrahere ad Romanam Communionem annisus est, sed frustra. Sub Maria rediit in Angliam, Præses consilii regii electus. Obiit A. C. 1558. Epitaphium ejus, *Depositum Cardinalis Poli.* Scripsit *de Officio Summi Pontificis. De ejusdem potestate. De concilio Tridentino, &c:* cum volumine Epistolarum. Becatel. *in vita ejus.* Petramellarius & Garimbertus, *in Elog. &c.*

RENATUS in marmore veteri apud Smetium & Gruterum *Taurobolio Criobolioque in æternum renatus*, quid notet, dicemus infrà ubi de *Taurobolio*: quod sacrificii genus vicesimô quôque annô, pro sui *παλιγγενεσίᾳ* seu *regeneratione* fecisse tauroboliatos, ibi videbimus. Sic Baptismi, quem lavacrum *παλιγγενεσίας* vocat Apostolus, ad suos imitationem transtulit Satanas, quem & Eucharistiam simili imitamentô conspurcare conatum esse, suprà vidimus, voce *Mysterium.*

RENATUS cognomine Bonus, Rex Neapolis, Siciliæ, &c. Dux Andegav. Comes Provinciæ, &c. fil. Ludovici III. Neapol. Regis ex Jolanta, filia Johannis I. Arragoniæ Regis, ductâ A. C. 1420. Isabellâ, hærede Caroli I. Lotharingiæ Ducis hæreditatem aditurus, Antonium Valdemontium, fratrem Ducis hostem, feudum masculinum Lotharingiam esse caussatum. Lite Sigismundo Imperatori & Concilio Basiliensi commissâ, sententia pro Renato est lata: sed Antonius, Philippi Boni Burgundiæ Ducis armis jus suum tuitus, Renatum vicit cepitque. Qui Divione in vinculis per quinquennium detentus, auditâ dein Ludovici III. Neapolis Regis fratris sui, Johannæque II. à qua hæres scriptus erat, morte, illô contendit, sed iterum infelix, sicut & filius ejus Calabriæ Dux qui Aragoniæ regno imminebat. In Provincia ergo, quod reliquum vitæ fuit, quietus transegit. Princeps formâ egregiâ ingeniôque inclytus, picturæ & Poëseos studio deditus, Ordinem militarem Lunæ crescentis instituit Andegavi, A. C. 1464. Cùm filii ejus omnes præmortui, reliquit ditiones Carolo, suo ex fratre nepoti, Comiti Meduanio. Obiit Aquis Sextiis, A. C. 1480. ætat. 71. Rufius, *Hist. Comit. Prov.* Nostradamus & Buchæus, *Histor. Prov.* Puteanus, *Jura Regis*, Sammart. *Hist. geneal. Famil. Gall.*

RENATUS II. Lotharingiæ Dux, filius Friderici II. ex Jolanta filia Renati Siciliæ Regis, nepos Antonii I. de quo suprà, quô conjugiô lites inter Regem Neapolitan. & Lotharingiæ Ducem compositæ. Titulum & Insignia Regis Siciliæ & Arragoniæ, ex parte Matris, cepit. A Ludovico XI. & Friderico III. Imperatorib. persuasus, Carolo Burgundiæ Duci bellum intulit, sed Ducatu ab illo exutus, Helvetiorum ope restitutus est, Carolô in obsidione Nancei occisô, A. C. 1477. quô inter mortuos ægrè repertô, *He da beaux Cousins*, exclamasse fertur, *vous nous avez donné moult de maux.* Ex Philippa Geldrica, sorore unica Caroli, pater octo filiorum, è quibus Antonius successit, & quatuor filiarum. Philipp. Cominæus *Histor.* Edmondus du Boullay, *Hist. Lothar.* Mezeræus, &c.

RENATUS Benedictus, Andius, ab Henrico IV. Gall. Reg. Episcopus Turonensis declaratus, Bullas Româ obtinere neutiquam potuit. Scripsit varia. *in epist.* Morerius, *Dict. Hist.*

RENATUS Cartesius, Nobilis Gallus, Philosophus hujus seculi celeberrimus. In Turonibus natus, stirpe fuit, in Aremorica & Pictonibus, illustri: à prima juventa studiis deditus, in Philosophia & Mathematicis, stupendos fecit progressus: Arma dein in Germania & Hungaria feliciter circumtulit. Hinc Philo-

sophis & Mathematicis; stupendos fecit progressus: Arma dein in Germania & Hungaria feliciter circumtulit. Hinc Philosophiâ secessum poscente, Egmontium in Hollandiam concessit, ibi Ann. 25. commoratus: Edidit hic primò Meditationes primæ Philosophiæ, quibus cùm varia objicerentur, omnibus eruditè & solidè satisfecit: Intereà ex omnibus orbis partibus per Epistolas lacessitus, ut velut Oraculum quoddam responsa daret. Dein Parisios veniens, à Ludovico XIII. & Cardin. Richelio invitatus est, ut ibi sedem figeret: sed aulam Musis non convenientem ratus, excusavit se. Nihilominùs Christinæ Suecorum Reginæ frequenti rogatu Holmiam venit, ut singulis diebus horâ quintâ matutinâ in Bibliotheca ejus illum instrueret. Sed paulo pòst obiit Vir incomparabilis, A. C. 1650. ætat. 54. Reliqua vide benigne Lector *in Scriptis ejus.*

RENATUS Chopinus, Andius, Advocatus celebris, scripsit complura. Simler. *in append. Bibl. Gesn.* &c.

RENATUS Laurentius de Labarre, nobilis Normannus, edidit *Tertullianum* & *Arnobium*, aliaque quædam egregia.

RENATUS Profuturus Frigeridus, priscus, Historicus, laudatus Gregorio Turonensi *Hist. Franc. l.* 2. &c. Vide Morer. *in Diction. Hist.*

RENEGATI, dicuntur vulgò, qui, ejuratò Christianismô, Mahumetanam impietatem amplectuntur. His in Turcico Imperio ad summos honores aperta via est, cùm nativi Turcæ eousque non evehantur unquam. Occurrit vox jam in veterib. *Chartis*, & apud Rogerum Hovedenum *ad A. C.* 1192. nec non Joinvillam, *in Ludovico IX.* Vide Nic. Fullerum, *Miscellan. Sacr. l.* 3. *c.* 31. Car. du Fresne, *Glossar.* & Jo. Bapt. Tavernier, *Descript. Serralii.*

RENENSIS Pagus, vel RENENSIUM *pagus*, vulgò *Het landt van Ryen*, olim dictus est Brabantiæ tractus, cujus caput Antverpia vel Andoverpum, urbs ad Scaldim posita, 42. mill. pass. à mari, cujus tamen æstus eousque accedere consueverunt. In literis ante annos 670. datis *pagus Rien* & *Comitatus Rien* appellatur, sed prius nomen vetustius est. Decurrit per illum fluvius exiguus Nutta, vel Nuta, nunc *Nete* vocatus, & Liram oppidum præterlapsus *Lier*. Rupelâ accipitur. Vide Hadr. Valesf. *Notit. Gall.* in voce *Andoverpum.*

RENES, Hebr. כליות à *libidine*, cujus in *renibus* sedes, item [illegible] ab *adipe*, quò illiti sunt ac obducti: quem eorum adipem ἐπινεφρίδιον appellat Homerus, *Il.* φ. *v.* 204. rationes autem ejus varias reddit Philosophus *de partibus Animal. l.* 3. *c.* 9. Uti verò omnium viscerum *renes* pinguissimi, ita omnium animalium maximè in ovibus pinguedo exuberat. Unde *renes* inter partes sacrificiorum fuêre, quas sibi Deus olim in Altari adolendas delegit; inprimis arietum. *adipem enim renum arietum* commendari legimus Esaj. *c.* 34. *v.* 6. Sed & Meruanum Ægypti Pro-Regem, sub Imperio Saffahi Chaliphæ XXII. tostis ovium *renibus* tantopere delectatum, *ut quotiescunque in manus ejus incidisset ovis, continere se non potuerit, quin manum suam, tunica manicâ involutam, in ovis ventrem insereret, renesque acciperet ac comederet*, Elmacinus tradit *Histor. Saracen. l.* 2. *c.* 2. & 8. apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 45. ubi plura hanc in rem. Vide quoque suprà *Meruan.* Nec omittendum, quòd se esse τὸν ἐρευνῶντα νεφροὺς καὶ καρδίας, *scrutatorem renum ac cordium*, Dominus noster ait Apocal. *c.* 2. *v.* 23. Vide suprà quoque voce *Aglibolus*, inter alia voce *Rebrachiatorium*. De *cingulo renum* alibi.

RENFROANA, vulgò REINFREW, urbs Scotiæ meridionalis in Cuninghamia provinc. ad Cludam fluv. in limite Levinniæ; vix 5. mill. pass. infra Glascum in Occidentem.

RENO, vox purè Græca. Salmasio *ad Tertullian. de Pallio*. Vide suprà *Felis*, & infrà *Rheno*.

RENODATUS Crinis, apud Horatium, *Epod. Od.* 11. *v. ult.*

> *Sed alius ardor, aut puellæ candidæ,*
> *Aut teretis pueri longam* renodantis *comam:*

idem cum *cirrato* est. Erant autem cirrati pueri & puellæ innuptæ, apud Romanos & nodô religatam in vertice comam habebant: ut & pueri Græcorum, vide suprà, ubi de crinium *Nodis*.

RENOVANDI laurum quotannis ritus, in Curia & Regia Flaminumque domibus (namque hæ nunquam non laurô coronatæ aspiciebantur) apud Romanos, memoratur Macrobio, *Saturnal. l.* 1. *c.* 12. Cujus moris ratio, ut eô velut clarissimô virtutis præmiô quisque admoneretur, ne, quod in foribus *renovabatur*, in laude aresceret. Vocabant autem laurum virentem καφνάδα Græci, uti apud Etymologum legit Car. Paschalius, *Coronar. l.* 8. *c.* 17. quem vide, ut & suprà, ubi de *Lauro*.

RENSBURGUM, oppidum munitum Holsatiæ, ad Eyderum fluv. in limite Ducatus Slesvicensis. 4. leuc. à Chilonio in Occasum, Tonningam versus 6. & 4. à Slesvico in Meridiem.

RENTICA, seu RENTIACUM, oppidul. Artesiæ, ad Aguichem fluv. frustra obsessum, ab Henrico II. Galliæ Rege, A. C. 1554. *Thuan.* Nunc dirutum ab A. C. 1638. 5. leuc. à Bononia in Ortum, Ariam versus 4. in ipso limite Comitatus Bononiensis. In Comitatu quidem Atrebatensi est, sicut & Blanziacum: in pago Tarvennensi, *Blangy en Ternois*, sed in finibus Morinorum, non autem Atrebatum; cùm ambo Episcopum Bononiæ urbis Morinorum agnoscant, Hadr. Valesf. voce *Atrebates*, ut & *Rentica*.

RENUITÆ, quasi *renuentes* jugum Monasticæ disciplinæ, dicti sunt Monachi vagi qui aliàs *Sarabaitæ*, vide ibi.

RENUNCIATA, insula in Æthiopico mari, quæ, teste Plinio, ita dives est, ut equos talentis auri incolæ permutent.

RENUNCULUS, Gall. RENONCULE, flos miræ pulchritudinis, sed odore destitutus, de quo sic Fr. Pomey, *Ut primùm oculos & manum advertî in te, Renuncule speciosissime, itaque legi knaul serpentem* ——— *magnô cœpisti esse tum primùm apud me locô. Cauliculum quippe sensi tibi esse teneram ac molem* —— *Itaque carpsi ego te studiosè, nondum quidem satis explicatum, satisque comtum, splendenti tamen haud absimilem carbunculo, aut ardenti sphærula, aut glomo certè, coccinis ex serico filis. Pauca tum tibi diffusa inerant foliola, sphærulam illam venustè prætexentia. At ubi in ampullam algentis aquæ inserui te ab extremo caule sinum illico deducere sensi: & quas obvolutas gremio complicatasque continebas Veris opes & Floræ gazas, recludere cœpisti atque evolvere. Proh! quantam ego tum, ex aureo illo purpureoque textili & miniato illis foliis, tantolisque, tam mirabili consertis opere, hausi oculis voluptatem* &c. Vide eum in *Descript. &c.*

RENUNTIATIO, Quæstorum, Ædilium, Prætorum, apud Romanos, *gradus habuit*, Cicer. *pro Muræna*, eosque tres potissimùm; sic Cicero *primum Quæstorem* se factum gloriatur *pro Pompejo, in Pison. sine Bruti* &c. *Medium*, in quo alii honestiores aliis, nempe ut primo quisque proximus, sed omnes *inprimis renuntiari* dicebantur; quia ante postremum. *Ultimum* tandem, non sine rubore & quadam quasi infamia, ut de Vatinio apud Cicer. & Vespasiano, apud Sueton. *c.* 2. videre est. Fiebat autem *Renuntiatio*, ab eo qui habebat Comitia: item voce alicujus de Centuria, vel voce Præconis in Centuria. Theod. Marcilius, *ad Suet. d. l.* In Græca Ecclesia *Renuntiatio*, μήνυμα, in Patriarchæ creatione, duplex erat, μήνυμα μικρὸν, *renuntiatio parva*, & μήνυμα μακρὸν, *renuntiatio magna*, de qua utraque vide Malaxum, *Histor. Patr.* & Jo. Meursium, *Glossar.* plura verò hanc in rem hic passim, inprimis suprà voce *Præco*.

REOMAUS, locus in diœcesi Lingonicâ: pagoque Ternodorensi, à rivo præterfluente, *la Reome*, dictus, veterrimô insignis Monasteriô, hodie *Moustier S. Jean*.

REONTIUM, vulgò RIONS, castrum Galliæ ad Garumnam, supra Burdigalam. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

REORDINARE depositos, vetant *Canones* Conciliorum. Fulbertus Carnot. *Ep.* 25. apud Car. du Fresne in voce *Ordinare*, *Rebaptizationes & Reordinationes fieri Canones vetant. Propterea depositum non reordinabitis, sed reddetis & suos gradus per instrumenta & vestimenta* ——— *ita dicendo, Reddo tibi gradum ostiarii* ——— *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* " *Novissimè autem benedictione lætificabitis eum, sic concludendo, Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus S. super te descendat, ut sis confirmatus in ordine Sacerdotali & offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus Populi omnipotenti Deo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.*

REPA, apud Auctorem *Vitæ S. Eligii, l.* 1. *c.* 32. seu *Reba*, in *Chron.* Episc. Metensium, feretri operculum, umbraculum, ciborium est. In S. Guthlaci *Translatione*, apud Car. du Fresne, num. 8. *Conductis aurifabrorum & gemmariorum primoribus, ultimatæ amplitudinis artificiosâ sculpturâ* repam *in sublime suspensam construxit, quam ex diversorum metallorum lignorumque generibus compactam, auri argentique laminis vestitam, crystallis variisque gemmis adornatam ditavit* &c.

REPAGULA, apud Lucanum, *l.* 2. *v.* 295.

> ——— *quamvis jam carcere clauso*
> *Immineat foribus, pronusque* repagula *laxet.*

Alium,

> *At ubi panduntur fundantque repagula currus:*

Latinis dicuntur, quæ Ὕσπληγγας Græci vocant. Manilius, *l.* 2. *claustra* appellat,

> *Ut cùm laxatô fugerunt cardine claustra.*

Erat autem ὕσπληγξ, seu ἄφεσις, uti aliter quoque dicebatur, in Stadio, regula seu linea, quæ laxabatur & aperiebatur exituris in stadium Cursoribus. Similiter in Circo, de quo loca præfata sonant, Ὕσπληγγες carcerum *repagula* vocabantur, quibus laxatis & apertis ostiis emittebantur equi. Et quidem Dionysius Circi omnes ἱππαφέσεις, i. e. carceres, unô tempore reserari solitas, refert, διὰ μιᾶς ὕσπληγγος: quasi unum ac perpetuum repagulum omnibus Circi ostiis præduceretur, quô laxatô omnia simul panderentur. Sed melius, ut per ὕσπληγγα intelligat machinationem, quâ Circi duodecim ostia eôdem tempore pandebantur: voci enim ὕσπληγξ non unam significationem tribuunt Grammatici. In Stadio itaque, ad stadii ingressum, erat & βαλβὶς & ὕσπληγξ. Βαλβὶς, linea erat in solo depressa & modicè cavata, cui insistebant Cursores, Ὕσπληγξ, *repagulum* vel *regula transversa*, pauló altiùs à solo elata & opposita Cursoribus, quæ signô currendi datô repentè ruens in βαλβίδα incidebat, ad cujus cavi modulum ita adtemperatè erat facta, ut decidens lineæ cavitatem impleret & exæquaret. Quô factô & limine complanatô in cursum ferebantur ac pedum certamen auspicabantur Stadiodromi: uti docet Statius, *l.* 6. *v.* 593.

> *Ut ruit, atque æquum summisit regula limen,*
> *Corripuere leves spatium.* ———

Unde apud Græcos sæpe legere est, ὕσπληγγα καταπεσόντα, de signo cursoribus ad exeundum dato. Quod probè notandum contra eos, qui βαλβίδα & ὕσπληγγα confundunt. Porrò transversarium illud lignum, inter duo alia arrectaria & extantia positum, signô datô funibus laxabatur, erantque duo Hermulæ utrinque, qui fune demissô *repagulum* solverent, quæ sunt ἑρμαῖ..., quas ἐπιστάθμους βαλβίδος fuisse, ait *Hesychius*; aliter ἀφετήριοι ἑρμαῖ dicti, quorum inventum Tlepolemo Myrensi tribuit Philoxenus *in Epigramm. veter*, quem Lycium vocat Pausani-

as

... 5. & equô singulari vicisse dicit Olymp. 131. Eosdem Hermulas, ad eundem usum, in Circum traductos esse, ex Cassiodoro conjicitur, *Bissena quippe ostia ad duodecim signa posuerunt. Hæc ab Hermulis funibus demissis subitâ æqualitate panduntur, decantes totum illic, ut putatur, consiliô geri, ubi imago capitis cognoscitur operari* &c. Sed nec eadem Circi Olympiaci ac Romani ratio fuit. In Romano, equi cum curribus intra carceres continebantur, *repagulis* vel cancellatis foribus (de quibus vide infrà in voce *Transenna*) oppositis coërciti, priusquam signum daretur emittendi: signô missô, unô eôdemque tempore laxatis repagulis, è carceribus effusi sese proripiebant. At Olympiæ, emittendi currus & equi lineâ prætentâ sive funiculô cohibebantur, ne ante signum datum exirent, atque in æquo continerentur omnes, eaque linea pro *repagulis* vel foribus carceris fuit. Pausanias, [illegible] Ubi enim [illegible] i. e. *carcerum repagula*, & fores, ibi non opus erat aliô repagulô, ad equos coërcendos. Sed cùm idem paulo pòst etiam [illegible] meminerit, in dextri ac sinistri lateris ostiis aperiendis, verisimile est, priusquam ædificati essent in Circo carceres, hujusmodi funiculum prætendi solitum, in æquo limine continendis equis. Quod Lycophron Poeta [illegible] verbis hisce,

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Vide plura apud Salmas. *ad Solin.* p. 915. & *seqq.*

REPAGULA Januarum, in *Glossis* [illegible], *Hesychio* [illegible], *carculi cornei* vel ærei erant, qui foribus adfigebantur ad eas adducendas, quibusque solebant fores percuti, ut hodieque moris est. Propriè verò pessuli sic dicti sunt & obices, quibus fores intus muniebantur firmabanturque qui vel lignei, ex abiete optimi Plinio, *l.* 16. *c.* 12. Græcis [illegible], quibus primæ domus januæ, quæ in publicum aperiebantur & urbium portæ solebant obserrari, vel ferrei, Græcè [illegible], quô munimine inferiorum conclavium & cæcorum fores firmabantur. Hinc & duo genera clavium, apud antiquissimos Græcos in usu fuère, [illegible] & [illegible], quarum illæ longiores, unicô dente, in cavitatem [illegible] (quæ in foramen [illegible] immissa ita seram committebat januæ, ut nisi extractâ eâ *repagulum* removeri non posset) ita inibant, ut eam evellerent ac sursum traherent: Istæ breviores, multis dentibus & artificii solertioris, succutiendo & sursum impellendo *repagula* decutiebant, hinc [illegible] dictæ; qua de re idem pluribus agit ubi suprà, p. 815. & *seqq.* ubi cætera vocis [illegible], et quæ inter alia de istiusmodi forium claustris etiam usurpata est, significata exponit. Vide quoque hic passim, in vocibus, *Obex*, *Pessulus*, *Sera* &c. uti *de Repagulis locutoriorum*, in Monialium Cœnobiis, suprà voce *Cratis*.

REPAGULA Versatilia cavearum in Amphitheatris, occurrunt apud Ammianum, *l.* 19. *Utque detenta in caveis bestia, tetrô pædore acerbiùs efferata, evadendi spe versatilibus repagulis illiduntur.* Nempe retibus primò, totum Amphitheatri podium prætendebatur, ad arcendas feras: Posteà rutulis, i. e. versatilibus lignis obduxerunt, quæ feras adsultantes vertigine suâ excuterent. Calpurnius de Podio,

> ——— *Nec non ubi finis arena*
> *Proxima, marmoreô peragit spectacula muro,*
> *Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis,*
> *Et coit in rutulum, teres qui lubricus axe*
> *Impositos subitâ vertigine falleret ungues*
> *Excuteretque feras.*

[illegible] vocat Basilius, [illegible] *Sicut enim feræ immanissimæ postquam caveis conclusæ sunt, circa repagula fremunt, feritatem naturæ suæ testantes.* Ita enim & caveæ ferarum ex hujusmodi rutulis & versatilibus repagulis erant compositæ, ac expositæ ad lucem in medio Amphitheatro, præter quas & cavi erant specusque subterranei, in quibus quoque detinebantur nonnunquam, uti diximus suprà, in voce *Fossica*. Vide Salmas. *ad Flav. Vopisc. in Probo*, *c.* 19. & *ad Solin.* p. 236. infrà etiam aliquid voce *Rete*.

REPANDI Calcei, qui aliàs *uncinati*, i. e. *unci ad instar in altum reflexi*, & in acumen introrsum desinentes, veterum Romanorum gestamen fuère, ut patet ex M. Catonis *fragm.* & Tertulliano, *de Pallio c.* 5. *statim post princ.* quorum injuxta Scaligeri lectionem, *Qui Magistratum Curulem cepissent*, inquit, *calceos mulleos, alii uncinatos, cæteri Romani perones* &c. Iisdem Junonis Sospitæ simulachrum ornatum fuit: eundemque calceatum pleræque veteres cùm statuæ, tùm imagines ostentant: quibus etiam ex posteriorum temporum literis amplior accedit fides, ut infrà videbimus voce *Uncinati*. Adde quæ dicta voce *Aborta*.

REPARATOR ævi, epitheton Jani, apud Papinium, *l.* 4. *Sylv.* 1. v. 11.

> *Ipse etiam immensi* Reparator *maximus ævi*
> *Attollit vultus & utroque à limine grates*
> *Janus agit* ———

Ad quem locum vide *Animadv.* Casp. Barthii.

REPARIARE Vela, apud Solinum, *c.* 33. *Hac Arabia fat est, hinc ad Pelusium repariemus:* est renavigare. *Pariare* enim vela dicuntur navigantes, qui funibus & æquis velis secundô flatu cursum tenent: unde *repariare*, retro dare cursum. Vide suprà, *Pariare*.

REPENTINUS Cornelius, Præfectus urbis, in locum Sulpitiani factus à socero Didio Juliano Imperatore apud Spartian. *c.* 3.

REPERITANUM, urbs Episcopalis Mauritaniæ Cæsariens. *Vid. Utic.* Quid nunc sit, non constat.

REPERTIO, Græcè Εὕρεσις, altera pars sacrorum Adonidis; de qua vide infrà voce *Thamuz*.

REPETE, tessera conjuratorum in cædem Caji Calig. apud Josephum, *de Bello Jud. l.* 19. *c.* 1. quam tamen Sueton. in *Calig. c.* 58. *Hoc age* fuisse scribit, vide suprà.

REPETUNDÆ Pecuniæ dictæ sunt, quas sive Socii, sive cives privati, à Magistratibus aut Judicibus, aut publicis Curatoribus, judiciô *repetiverunt*, quas illi aut in provincia aut ob jus dicendum aut ob judicandum, aut ob aliud aliquid publicè curandum, cepissent. Quod genus furti, cùm exprimere vellent, pecuniam *ablatam*, *captam*, *conciliatam*, *aversam* dixère, ut videre est apud Cicer. *in accusat. Verris Repetundarum rei.* & in veter. *LL. fragm.* Atque hæc quæstio, inter quæstiones publicorum criminum; prima fuit, apud Roman. primaque Prætorem certum habuit: primùm constituta, ut videtur, Sociorum ac Provinciarum causâ, adversus Prætores, Quæstores, Legatos, cæterosque qui in Provinciis cum imperio aut potestate versarentur, unde *Lex Socialis* Ciceroni: deinde ad Urbanos etiam Magistratus, Judices, Curatoresque translata, qui aliquid pecuniæ à privatis cepissent, Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 30. Idem, *l.* 7. *c.* 42. *Proconsules*, inquit, *tenent imprimis obnoxii Legibus, ac quæstionibus fuerunt. Peculatus, Majestatis & Repetundarum, & harum quidem, Si se in Socios aut avarè aut superbè, aut libidinosè, aut crudeliter, aut injustè gessissent: quæ & maximè Socialis fuit, & salutem provinciarum continuit, quâ judiciô postulati plurimi, damnati multi, nonnulli etiam absoluti sunt.* Formula intentionis in hoc crimine talis fuit: *Ajo, te in Præturâ spoliasse Siculos, contra Legem Corneliam, atque eô nomine sestertium millies à te repeto.* Cicer. *in Verrem* &c. Qui verò hoc crimine occiderant, exiliô antiquitus puniebantur & æstimatione. Lege Juliâ postmodùm ordinem amiserunt, ut ex Tacito, Plinio Jun. aliis, discimus: & Judices ad litem æstimandam acceperunt. Casaubonus *ad Julium Suetonii*, *c.* 44. plura apud Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 30.

LEGES HUC PERTINENTES SUNT:

α. Porcia, à M. Porcio Catone, an. Urb. Cond. 506. cùm ex Prætura Sardiniam obtineret, lata, quâ is sumptus Provinciarum coërcuit. Verùm tum hæc causa adhuc privata fuit & extra ordinem cum SC. à Recuperatoribus cognita. β. Calpurnia, cujus auctor L. Calpurnius Piso an. 604. crescente indies Magistratuum in provinciis libidine, non solùm pœnâ graviore hoc munus vindicandum sanxit: sed etiam, ut certum hæc quæstio in posterum Prætorem haberet, constituit. Eadem cum Cæcilia, cujus Val. Max. meminit, *l.* 6. *c.* 9. nisi fortè ibi mendum. Vide *Julia*. γ. Junia: quam tulit M. Junius Pennus An. Urb. Cond. 627. præter litis æstimationem, exilii insuper pœnam irrogavit. Itaque C. Cato, qui Consul fuit an. 639. eâ lege Macedonibus accusantibus utraque pœnâ mulctatus est, ut testatur Vellej. Paterculus, *l.* 2. *c.* 8. Cicer. *in Verrem* & *pro Balbo*. δ. Servilia lex, post annos inde 14. lata est, à C. Servilio Glaucia Prætore, cujus fragmenta hinc inde apud veteres Scriptores sparsa collegit Carolus Sigonius, & ex eo *Antiqq.* suis inseruit Rosinus, suprà laudatus. Vide etiam harum Legum quamlibet *suô locô*.

REPOSITORIUM, apud Plinium, *l.* 28. *c.* 2. *Petronium*, *Ausonium*, discus major est, in quo variæ simul lances componebantur ad mensam, *Compositile* Ennodio, *Epigr.* 22. à *reponendo* seu recondendo; unde *Repositorium Saulicum*, apud Capitolin. in *Marco*, *c.* 17. i. e. Ærarium seu Cimeliarchium, vide Salmasium, *Observat. ad Jus Atticum & Rom.* p. 451. uti *de Repositorio sacrorum in Eucharistia symbolorum*, apud veteres Christianos, infrà aliquid, ubi de *Vimine*.

REPOTIA, convivium dicebatur, quod postridie nuptiarum maritus exhibebat amicis, Festo, *l.* 16. & ex eo Paulo, tum enim instaurabatur ac redintegrabatur potatio. Tres enim legitimi dies Nuptiarum apud Veteres erant, quorum primus dicebatur Græcis Προαύλια, Latinè *Desponsalia*, quòd in eo desponderetur virgo: alter Ἀπαύλια, Latinè *Decubatio*, in quo fiebant nuptiæ: tertius Ἐπαύλια, seu *Repotia*, quô Sponsi affines convivium instaurabant in ejus ædibus, namque nuptiæ fiebant in Soceri domo. *Repotiorum* verò die, è Patris ædibus Sponsa deducebatur in Sponsi ædes. Indigitat illa Appulejus, verbis, *Apolog. l.* 2. *ad nuptiales sportulas convolarent.* Nam honestioribus cœna cum dabatur, vilioribus sportula. Q. Symmachus, *l.* 4. *Ep.* 4. & *l.* 9. *Ep.* 96. *Non eâdem tamen facilitate purgabis, quòd filii nostri Minervii nuptias aliorum potius relatu, quàm literis tuis comperi. An veritus es, ne à te transmissam cursum desiderarem. Potuit jacturam sportula facere.* Locus elegantissimus, quô docemur, non convivium modò exhibitum, sed & pecuniam vultibus mariti aut uxoris, aut utriusque signatam, dari iis consuevisse, qui adbhas epulas condixissent. Videndi quoque Acron & Porphyrion, *ad Horat. l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 60.

> *Ille Repotia, natales aliosque dierum*
> *Festos albatus celebret.*

Ubi *Porphyrio* diem intelligit, qui nuptias sequebatur, *alii* diem septimum, quô nova Nupta ad Parentes suos redire solebat.

Excipie-

Excipiebantur hoc Epulô utriusque Neogami Amici, ut dictum. & familiares; sed & Principes interdum eidem adhibiti, ut Augusti & Caligulæ exemplô patet: de quorum posteriore Sueton. *c. 25.* inquit, *Alii tradunt adhibitum cœnæ nuptiali, mandâsse ad Pisonem contrà accumbentem, noli premere uxorem meam.* Ut autem luxurei obviam iretur, Julia Lex, *Nuptiis & Repotiis HS. mille* indulsit, ut legere est apud A. Gellium, *l. 2. c. 24.* cùm in antiquis editionibus & H. Stephani *HS. milibus* sit, quæ stupendæ luxuriæ summa esset, non patrimoniæ, quam Leges sumptuariæ præscribunt. Proin scribi vult Thysius, *Sestertu mille*, qui quinquaginta Caroleis æstimantur, *Notis ad loc.* Sed legem hanc sperni statim consuevisse, legas conquerentem, apud Tacitum, *Annal. l. 3. c. 52.* Bibulum & Ædiles, quorum querelas neglexit Tiberius, cùm videret totâ Majoribus leges, etiam illas quas D. Augustus tulerat, vel oblivione vel contemtu abolitas, securiorem luxum fecisse. Meminit *Repotiorum* Ausonius quoque, *Ep. 9. v. 47.*

> *Sed. festos quia sæpe dies partim ipse meorum*
> *Excolui, inque tuum convivia vocatus adivi,*
> *Natales si fortè fuit solemnis amico*
> *Conjugiique dapes & festa* Repotia *Patrum*
> *Audiret, memorique bonos laudare frequentes.*

Cæterùm is dies novæ nuptæ initium erat juris, quod in familiam esset habitura, quam ob causam clavis dabatur illi, dominii symbolum. Priùs autem cum donis quæ marito ferret, Græcis φερνὴ dictis, è Patris ædibus procedebat, eôdem die ad Sponsi domum: Cum quibus vas quoque (cui *Camillo* nomen) à Socero, opertum illud atque oppletum minutâ suppellectili, in quo etiam Virginis essent crepundia. Postquam verò in mariti jam esset, ecce à patre dona iterum quæ Ἐπαύλια δῶρα nominârunt. Tum claves dabantur, instaurabantur epulæ, ut dictum &c. Vide Jul. Cæs. Scaligerum, *Poëtices l. 3. c. 101.*

REPRESSALIA, Anglicè REPRISELS, à Gall. REPRISE. i. e. resumtio, repetitio, captio rei unius in alterius satisfactionem, quod cùm fieri soleret, inter duorum Regnorum finitimos, qui Marchias habitare dicuntur *Lex Marchia*, à recentioribus appellatum est. Est autem *Reprisalia* vel *Repressalia*, potestas pignorandi contra quemlibet, de terra debitoris pro injuriis & damnis. Vel elucidatiùs paulo, *Represalia* dicuntur, quando aliquis oriundus de terra una spoliatus est, vel damnum acceperit, vel debitum non impetraverit ab alio, in terra alia oriundo; dari solet potestas hujusmodi spoliato, ut sibimet ipsi satisfaciat contra quemlibet è terra illa, unde debitor vel spoliator ejus existat: dum tamen se abstineant à personis Ecclesiasticis & ipsorum bonis, hoc enim Jure Canonicô omnino prohibetur, Henr. Spelmannus, *Glossar. Archaol.* Vide & hic infrà.

REPRESSALIÆ, apud recentiores Jureconsultos seu *Repressaliarum Jus*, potestas est impignorandi contra quemlibet de terra debitoris, data creditori, pro injuriis & damnis. *l. si pignorationes, de injur. & damn. dat. l. 6.* Cujus inventum non novum esse contendit Zasius, quod Bartholus sensit, sed à vetustissimis Romanorum legibus originem sumpsisse. Concedebatur autem, ob denegatam justitiam, publicâ auctoritate & Principis superioris consensu, Jo. Calvinus, *Lex. Jur.* Ἀνδροληψία Græcè, h. e. *pignoratio inter Populos diversos*; Σύλας dixit Demosthenes, *Orat. pro Coron.* & Aristoteles, *Oeconom. l. 2.* Saxones & Angli *Witerbamium* vocant; Galli etiam, ubi à Rege impetrari id solet, *literas Marca*. Ejus vetustissimum exemplum apud Homerum est, *Il. λ.* ubi Nestor narratur, ob ereptos Patri equos, Elidensium pecora & armenta cepisse, ῥύσι' ἐλαυνόμενος, ut Poëta loquitur; ubi ῥύσια interpretatur Eustathius, τὰ ἀντὶ τινῶν ῥύσια, Ὃ ἐστιν ἐλαύνοντα ἀντὶ τῶν προαφαιρεθέντων ἁρπαζόμενα. *Quæ in vicem aliorum priùs nobis ereptorum rapiuntur.* Quô sensu vocem invenias in *excerptis Legationum* ex Polybio, 38. ubi de Achæis contra Bœotos & *excerpt.* 113. Sequitur dein in narratione, convocari edictô ad jus suum persequendum omnes eos, quibus aliquid ab Elidensibus debebatur, nimirum,

> ——— Μή τις οἱ ἀτεμβόμενος κίοι ἴσης.
> *Ne quis justâ sibi parte careret.*

Aliud exemplum est in Historia Rom. apud Livium, *l. 2.* de Romanorum navibus, quas pro bonis Tarquiniorum Cumæus Aristodemus, Tarquiniorum hæres, retinuit. *Famulos, jumenta, pecunias retenta* dixit Halicarnassensis. Et apud Aristotelem de decreto Carthaginensium, ad prehendendas exterorum naves, εἴ τις σύλαν ἔχει. *si quis jus prehendendi haberet*, uti loquitur *Oeconom. l. 2.* Non vero jus hoc locum habere ajunt Jurisconsulti, nisi ubi jus denegatur, uti dictum. Quod fieri intelligitur non tantùm, si in sontem aut debitorem judicium, intra tempus idoneum, obtineri nequeat, verùm etiam si in re minimè dubia planè contra jus judicatum sit. Nam auctoritas judicantis non idem in exteros, quod in subditos, valet: Hinc, cùm subditis executionem etiam injustæ sententiæ vi impedire, aut contra eam jus suum vi exsequi non liceat, ob imperii in eos efficaciam, exteri tamen jus cogendi habent, sed quô uti non licitum, quamdiu per judicium suum possint obtinere. Tali igitur de causâ aut corpora (cujus exemplum habemus apud Ammianum, *l. 17.* ubi de Juliano, Francorum quosdam detinente, & apud Leonem Afrum, *l. 3.* de Monte Beniguald) aut res mobiles subditorum ejus, qui jus non reddit, capi posse, non quidem naturâ introductum est, sed moribus passim receptum. Ubi tamen cavendum, ne confundantur ea, quæ juris gentium sunt propriè, & ea, quæ jure civili aut pactis populorum constituuntur. Jure gentium subjacent pignorationi omnes subditi injuriam facientes, qui tales sunt ex causâ permanente, sive indigenæ, sive advenæ: non qui transeundi aut moræ exiguæ causâ alicubi sunt: A numero tamen subditorum jure eôdem excipiuntur *Legati*, non ad hostes nostros missi & res eorum, ut jure civili populorum sæpe excipi solent personæ *Mulierum* & *Infantium*; eorum verò, qui literis operam dent & ad mercatus veniant, etiam res. Sic jure gentium singulis pignorandi jus est, ut & Athenis in ἀνδροληψίᾳ. Jure civili multorum locorum peti id solet, alibi à Potestate summa, alibi à Judicibus. Jure gentium, ipsô factô dominium rerum captarum acquiritur, ad summam debiti & sumtuum, ita ut residuum reddi debeat; Quâ æquitate Veneti usi sunt, captis in Galata Genuensium navibus, apud Gregoram, *l. 9.* Jure civili solent citari, quorum interest, res publicâ auctoritate divendi aut addici iis, quorum interest: Quæ aliaque ab his, qui, jura civilia tractant, & nominatim in hac materia, à Bartolo, qui *de Repressaliis* scripsit, petenda sunt. Illud hic addit Grotius, quod ad juris hujus satis per se rigidi emollitionem pertinet, eos qui non solvendo quod debebant, aut jus non reddendo, causam dederunt pignorationibus, ipsô naturali ac divinô jure teneri, ad resarcienda damna aliis, quibus ob eam causam aliquid decedit, vide Plut. *in Cimone* de Scyriis, & plura hanc in rem apud Chopinum, *de Domanio l. 1. t.* 25. Bretium, *de Super. Regis c. 17.* Hug. Grotium, *de Jur. Bell. & Pacis, l. 3. c. 2.* Alios, ut & suprà in voce *Clarigatio*, item *Marcha*. Literarum verò *Represalia* formulam exaravit Rolandinus *in Sum. Not. c. 9. part. 2.* uterum, laudatus Car. du Fresne, *Gloss.*

REPROBANDI mos, in Sacris Græcorum Certaminibus, indigitatur Artemidoro, *l. 1. c. 61.* Non enim ad ea unicuique descendere, nomenque suum inter Athletas profiteri licuit, sed iis solum, qui eâ spe eôque honore digni haberentur. Ita pueris primò id negatum, quæ fuit illa δοκιμασία ἡλικίας, *probatio ætatis*, eidem memorata. Hominibus dein sceleratis, quos ἐν παλαίσμασι συγγυμνάζεσθαι habere, pudendum habebatur, Xenoph. *in Rep. Lacad.* Porrò iis, qui non haberent τὴν ψυχὴν φιλότιμον παρεσκευασμένην, *animum probè paratum*, Demosth. *Orat. amat.* Sed & reprobabantur, qui nondum rationes retulissent &c. De quibus omnibus vide Car. Paschalium, *Coronar. l. 6. c. 10.* Contrà, qui admittebantur, *probati* dicebantur, uti suprà vidimus.

REPTATIO puerorum, per genua & manus, res Patribus grata & usitatissima Quintil. *l. 1. c. 12.* (aliis 20.) *Patientior est laboris natura pueris, quàm juvenibus. Videlicet corpora infantium nec casus, quô in terram toties deferuntur, tam graviter affligit, nec illo per manus & genua* reptatio, *nec post breve tempus continui lusus & totius diei discursus, quia pondus illis abest, nec ipsi se gravant.* Atque hinc est, quòd *repotia* talis concederetur pueris, uti nimirum *reptando* ire discerent: Undè in vet. *Glossario* legitur, *Abreptare, incipere iter.* Vide Barthium, *Animad. ad Pap. Statium, l. 5. Sylv. 5. v. 83.*

> *Repentemque solo, demissus ad oscula, dextrâ*
> *Erexi* ———

& *Adversar. l. 9. c. 3.* nec non voce *East Anglia.*

REPTI, genus vestis, idem cum Rhenonibus Papiæ, *Renones sunt velamina humerorum ex pectore usque ad umbilicum atque tortis villis adeò hispida, ut imbrem respuant, quos vulgò* Reptos *vocant, eo quòd longitudo villorum quasi repat.* Quò forsan pertinent *duo Repta*, quæ inter alia munera Bonifacio Archiepiscopo Moguntino Ethilbertus Rex misisse legitur in *Epist.* ejus ad Bonifacium. Car. du Fresne, *Glossar.*

REPTILIA in cibis, apud Herodotum, *l. 4. c. 183.* Σιτέονται οἱ Τρωγλοδύται ὄφις καὶ σαύρας καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ἑρπετῶν, *Vescuntur Troglodytæ serpentibus lacertisque & ejusmodi reptilibus.* Sic in Plin. *l. 6. c. 29.* Candæi, quos *Ophiophagos* vocant, *serpentibus* vesci assueti. Quin & Lacedæmonios à Pythia ὀφιοβόρους fuisse dictos, quòd serpentes avidè vorassent, famis tempore, scribit Plutarchus, *de Orac. Pyth.* Et de mure esu, legitur Esaiæ *c. 66. v. 17.* Sunt & alia *Reptilia*, quorum esum Arabum nonnulli concedunt: Nempe crocodilos terrestres, *alarbuo* (quæ muris agrestis species) mustela, chamæleontis species quædam, ericius, & hystrix, ut videre est apud Damirem, *c. de Reptilibus.* Quem tamen ultimum in reptilibus censeri mirum. E quibus patet, non frustra interdici Levit. *c. 11. v. 29.* & 30. ea animalia, quorum esu ipsa natura abhorrere videtur, cùm Judæis vicini Arabes illorum usum concesserunt. Sed utut ad esum vix utilia, non tamen incassum creata sunt, ut objicit Epicurus. *Talpæ* ad vestium usum serviunt, *viperæ* sanguis ad theriacam, *scincus* ad antidotum Mithridaticum, *stellio* ad morsum scorpionis &c. quod idem de iis statuendum, quorum usus nos latet. Aut si quæ sunt animalia solùm noxia, saltem iis utitur Deus ad impiorum supplicia. Ut cùm serpentes urentes misit in Israëlitas, qui Christum tentaverant in deserto, 1. Corinth. *c. 10. v. 9.* & mures in Philistæos, 1. *Sam. c. 6. v. 5.* Imò & virtutem suam Deus exeritin horum animalium veneno reprimendo, quò minus suis noceant, uti legimus Psal. 91. v. 13. & Es. *c. 11. v. 8.* Exemplô Apostolorum, de quibus Marci *c. 16. v. 18.* ὄφεις ἀροῦσι Pauli inprimis, cujus manui innoxiô contactu vipera se alligavit Act. *c. 28. v. 3.* Quod miraculum in Ægypti urbe Copto Diabolus æmulatus est: ubi in fano Isidis, mulieres apud Deam lugentes & humi cubantes & pedibus nudis incedentes, scorpiones immanes, qui ibi magnâ copiâ erant, calcabant illæsæ, Ælian. *Hist. l. 10. c. 23.* Sumitur autem vox *Reptilis* in Scriptura plerunque pro quovis animali, quod neque quadrupes aliquantæ molis, neque avis, neque piscis est. Sic Reptilibus accenset Moses minima quadrupedum, puta mures & talpas, *Lev. c. 11. v. 29.* & insectorum quæcunque, sive super ventrem serpant, ut *vermes*, sive quadrupedia, ut *locustæ*; sive multipeda, ut *scolopendra*, *v. 42.* adde *volucria*, ex *v. 20.* quæ ista sunt, præter locustarum nonnullas, *muscæ*, *papiliones* &c.

Itaque.

Itaque et doctrina Mosis, duo Reptilium genera sunt, Ἔναιμα, i. e. *sanguine prædita*, ut serpentes, mures & talpæ; & Ἄναιμα, *sanguine cassa*, ut vermes & insecta omnia, locusta, musca, formica, aranea, scorpio, pulex & pediculus. E quibus nonnulla quoque in cibum recepta, fuci, pediculi, formicæ, vermes, limaces; Sed & Judæis mel & locustæ concessæ. Ut de usu eorum Idololatrico apud Gentes nihil hic addam, præter locum Ezechielis, *c.* 8. *v.* 10. ubi jam ad populum Dei *Reptilium* cultum à Gentibus pervenisse legimus: *Ingressus itaque* (in Templum Domini) *aspexi; ecce autem omnes formæ* Reptilium *& jumentorum detestandorum -- expressum opus in pariete ipso circumquaque*: *v.* 11. *Et septuaginta viros è Senioribus domus Israëlis -- stantes coram illis, quemque thuribulum suum* habentem *in manu sua* &c. Porrò, homini è terra facto cùm Deus adduxisse dicatur, quæcunque animantia è terra finxerat, i. e. aves & agri bestias, hoc nomine non quadrupedes solùm, sed & *Reptilia* intelligenda. Nec obstat, quòd horum pleraque viliora & abjectiora videantur, quàm ut homini adduci debuerint, & contemplanda exhiberi. Quid ni enim hominis consideratione digna sint, quæcunque Deus creare & conservare non dedignatur. Nec minus est, quod in ape miremur, aut formica, quàm in ceto aut elephante: cùm hoc ipsum inprimis mirabile sit, quòd in tantillo corpore tot animi dotes emineant. Accesserunt autem *Reptilia* ad Adamum ipsô, quô creata sunt, die, ut colligitur ex Genes. *c.* 1. *v.* 25. & *c.* 2. *v.* 19. Quam in rem vide plura apud Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 1. *c.* 5. & 9.

REPUDIUM inter & Divortium, illud interfuisse Paulo & Modestino placuit, quòd repudium Sponsæ remitteretur, Divortium cum uxore fieret. Itaque *Repudii* formula fuit, *Tuâ conditione non utor*: sicut Divortii, *Res tuas tibi habeto.* Isidoro verò *Etymol. l.* 10. *c.* 8. Repudium est, *quod sub testimonium testium vel præsenti vel absenti mittitur*, *Divortium, quoties cumque dissolutò Matrimoniò, alter eorum alteras nuptias sequitur.* Unde *Repudium dicere*, item *Repudium mittere*, scil. *absenti*; Terent. *Phorm. Actu* 5. *sc.* 8. *v.* 35. Similiter, *Repudium scribere*, Tertullianus, *Apolog. Per annos sexcentos nulla repudium domus scripsit*: Primus enim, qui id faceret, fuisse legitur S. Carvilius Ruga M. Attiliô P. Valeriô. Consulib. Idem *renunciare* dicebatur, item *mittere vel remittere nuntium*, ut *Cajus Cæsar Pompeja nuntium remisit*: quò alludens Cicero, *Virtuti nuntium remisisti*, *Epist. Fam. l.* 5. inquit. Libellus enim *Repudii* sæpe per nuntium mittebatur, qui vel aliquis è Libertis erat, vel Procurator. Sueton. *in Tiber. c.* 11. *Comperit deinde Juliam Uxorem, ob libidines atque adulteria damnatam*, Repudiumque *ei suo nomine ex auctoritate Augusti remissum*; *& quanquàm lætus nuntiò, tamen officii duxit quantum in se esset exorare filia Patrem frequentibus literis. ut vel utcunque merita, quidquid unquam donò dedisset, concederet.* Nec mariti modò mittebant hunc libellum, sed & Patres, impudicitiâ offensi, ut ex loco apparet: at, quantò vehementiùs crudeliusque Caligula, qui, ut est apud Suetonium, *in eo, c.* 36. *quibusdam, absentium Maritorum nomine, repudium ipse misit, jussitque in acta referri*: quemadmodùm puerperia in Acta publica sive Censorum Commentarios referri consuevisse, alibi diximus. Libellò verò continebantur justæ *Repudii* causæ, quas priùs apud Censores exponi moris erat. Simul rumpebantur tabulæ dotales, restituebatur dos, repetebantur claves domus, sicque ipsa exibat ædibus Mariti. Vide Dempster. *in Rosin. l.* 5. *c.* 38. & suprà in voce *Divortium*.

REPUMICATIO & politura gemmarum, quas frigus hirtas ac retorridas reddiderit, apud Plin. *l.* 17. *c.* 26. *Gemmas, si frigus retorridas hirtasque fecerit, repumicatio & quadam politura*, scil. redditur: Græc. Ἀνέκνωσις est. Ἀποκνήσασθαι enim ἀποξέειν, *defricare, polire, pumicare. Hesychius*, ἀποκνήσαντες, ἀποξύσαντες, & ἀποκνήσασθαι idem, quod ξύειν, *radere ac pumicare.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 519. ut & suprà voce *Pumex*.

REQUIES, pro morte, in *Inscr. Salariæ* in Pannonia à Lazio editâ, *Hic positus est Florentinus Infans, qui vixit annos septem & requiem accepit in Deo Patre nostro & Christo ejus*, alibique passim. Vide Car. du Fresne, in voce *Requietorium*, ut & suprà in voce *Quies*.

REQUIRENS Pythonem, Hebr. שאל אוב, quis dictus in Sacris, vide suprà ubi de *Divinatione*. item voce *Python*.

RERIGONIUM, *Ptol.* oppid. regionis Carnictæ, *Bargeny Camdeno*.

RERO, vulgò RERONE, amnis Venetiæ, in agro Vicentino. Vicentiam rigat, ibique in Meduacum minorem influit. *Baudrand. aiσθησις*.

RES turpis, inter Veterum amuleta, vide infrà *Turpia*.

RESBACIS, torrens vel rivulus Galliæ, in saltu Briegio, ex aquis, pluviis in unum confluentibus oritur, & æstate aret. Ad hunc Audoënus, qui & Dado, Autharii Franci viri nobilissimi ac ditissimi filius, Dagoberti Regis Referendarius ex B. Columbani regula Monasterium extruxit, quod ipse *Hierusalem*, cæteri à fluvio Cœnobium *Resbacense* cognominârunt, cui Agilum, unum ex Columbani discipulis, Abbatem præfecit; vulgò *Rebes* aut *Rebais*, hodieque nobilissimum. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RESCOVIA, Urbs Moscoviæ, versùs fontes Volgæ in limite Lithuaniæ, 40. mill. pass. à Tuveria in Africum, 50. à Bielka in Ortum, cum duplici arce lignea. Caput Ducatus cognominis, qui provinc. est Moscoviæ, ad Occasum extensa, versus confinia Lithuaniæ, inter Tuveriensem & Bielskiam Ducat. Urbes ejus reliquæ Voloczka, Vielkiluchia & Toropiecum.

RESCRIPTI sub flagrum, apud Catonem, in dissuasione de Rege Attalo & vectigalibus Asiæ. *C. Licinio Prætore remiges scripti sub portisculum, sub flagrum rescripti* (vulgò legitur *conscripti*) *venière passim*: ut apud Cæsarem, *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 42. *Rescripti ad equum*, h. e. mancipati. Quemadmodùm enim milites conscribuntur, ut sequantur & audiant signa: sic socii navales, ut portisculum (qui malleus erat in manu portatus, quô signum remigantibus dabatur, Isidoro; *pertica pausarii* Douzæ) sequantur brachiis & intenti ea spectent; & servi, ut flagrum, quod illos regit non minùs: ac signa milites & portisculum remiges. Hos nempe malâ fortunâ vel vitiô præfecti classis captos ab hostibus, ait relatos in alias tabulas vel catalogos, nempe captivorum venalium, & sub corona venîsse in servitutem, cujus magistri verbera sunt & flagella. Quomodo fingit eos eleganter *rescribi vel conscribi sub flagrum.* Jo. Frid. Gronovius, *Observat. l.* 4. *c.* 26. Aliàs *Rescribere* dicebatur Princeps, ad Epistolas, ut infrà videbimus: & Debitores, cùm pecuniam reddebant; sicut *scribere* & *dictare* dicebantur Creditores, cùm credebant. Horatius, *l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 75.

> *Putidius multo cerebrum est (mihi crede) Perilli,*
> *Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.*

Et *ibid. v.* 69.

> *Scribe decem Nerio: non est satis, adde Cicuta.*

Nempe moris fuit, ut Creditores in Argentariorum, apud quos suas pecunias collocârant, tabulis expensum alieni ferrent & Argentario id nomen dictarent: Debitores autem cùm eam pecuniam reddidissent eidem Argentario, ut nomen expungeret & pecuniam in acceptum referret, dictabant. Unde Donatus *in Phorm. Rescribi*, inquit, *est reddi, seu per mensæ scripturam dari. Quoniam ad numerationem pecunia antecedit scriptura. Rescribere dicebant pro renumerare. Per scripturam, i. e. de mensa scriptura dari. Unde hodie additur Chirographis, Domo ex arca sua, vel ex mensa scriptura*: vide Jo. Calvinum, *Lexic. Jurid.* & infrà quoque in verbo *Transcribi*.

RESCRIPTUM Principis dicitur, quò ille vel ad libellos præsertim, vel ad Magistratuum absentium consultationes, quid sibi de ea re fieri placeat, respondet. Ut enim *subscribunt* libellis, sic *rescribunt* ad epistolas, h. e. *respondent*. Cujusmodi *Rescripti* forma pulcherrima & paucis admodum verbis multa complectens Pii Imperatoris extat, apud Ulpianum, *in l.* 2. *ff. de his qui sunt sui vel al. jur.* Omnium autem *Rescriptorum* sive Civilium sive Pontificiorum prima communisque lex est: *Si preces veritate nitantur*; quæ conditio etsi non subjiciatur, subaudiendam tamen eam jubet Pontifex, *in c. de Rescript.* Sed & eam adjiciendam, aut *Rescriptum* rejiciendum, esse, Zeno Imperator constituit, *in l. fin. C. de div. Rescript.* apud Eund. De *Rescriptis Pragmaticis* Principum, diximus suprà voce *Pragmaticum*.

RESCULAS, quibus quis in vita usus aut delectatus fuerat, post mortem sepulchris inferendi, aut una cum cadaveribus cremandi, veterum ritus, memoratur Plinio, *l.* 36. *c.* 17. uti vidimus suprà, voce *Mortuus*. Imò & pretiosa illata diximus voce *Pretiosa*.

RESCUSSA, vulgò RECOUSSE, apud Anglos dicitur tumultuosa & violenta ereptio *arrestati* seu capti, è manibus ejus, qui licitè eundem cepit aut arrestavit; quasi *Recuperatio*, vel potiùs *Recursus*, quòd, qui rem recuperare cupit, post eum *recurrat*, qui illam abstulit. Hinc clamor militaris, *à la Recousse* dictus, apud Froissardum aliosque: qui, cùm quis in prœlio ab hostibus captus abduceretur, continuò inclamabatur, ut omnes statim ad eum recipiendum confluerent. Vide Cowellum, *Institut. Anglic. l.* 2. *tit.* 18. §. 24. & plura de hac voce, apud Car. du Fresne, *in Glossar.*

RESECRANDI Ritus, occurrit apud Corn. Nepotem *in Alcibiade*, *c.* 6. *Restituta ergo huic sunt publicè bona, idemque illi Eumolpidæ ac Ceryces rursus resecrare* (alii legunt, *resacrare*) *sunt coacti, qui eum devoverant, pilaque illa, in quibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitata*: ubi *resecrare*, est solvere obsecratione, devotione liberare, & diras atque exsecrationes, quibus anteà defixus ac devinctus erat, mutare precibus ac benedictione. *Sacer* enim homo, in *LL.* Romanis, quæ *Sacratæ* vocantur, sæpe occurrit, pro eo, quem Germani vocant *in die Acht und Vogelfrey erklärt*, seu pro exsecrando; Imò potiùs pro eo, qui omnibus sacris prohibitus dirisque devotus cœlesti vindictæ permittitur. *Sacer esto*. i. e. *diris & imprecationibus devotus esto*. Sic apud Livium, Lex lata de *sacrando* cum bonis capite ejus, qui Regni occupandi consilia iniisset. Tum ergo cùm talis religione & diris solvebatur, dicebatur *Resecrari*. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1098. Sed & apud Israëlitas *resecrabantur* Imagines ac res Idolis priùs sacratæ, absque qua resecratione earum possessione & usu iis omnimodo fuit interdictum: quod etiam intelligendum de victimis, oblationibus, instrumentis ac vasis, veluti polubro, simpulo, ara, mensa & quæ sunt alia id genus. Quòd si verò hæc omnia resecrarentur, h. e. religione solverentur, sic ut sacra esse desinerent, antequàm in Israëlitæ possessionem devenirent; non aliter atque alia bona, in vitæ usum & commodum licitè adhibebantur. *Resecrandi* autem facultatem ajunt fuisse tantummodò Gentili, qui scil. hactenus esset ipse Idololatra, non Gentili, qui Idololatriæ renuntiaverat. Nec tamen omnigenas imagine consecratas resecrandi ei facultatem fuisse, sed eas tantùm, quæ à Gentili etiam consecratæ fuissent, ab Israëlita nondum possessæ. Nam nec ipse Israëlita resecrare potuit ejusmodi sive imaginem, sive vas, sive apparatûs sacri partem aliquam à quocunque sacratam: Nec postquàm ipse possederat, quis alius mortalium, ut volunt nonnulli, Resecratô autem Idolô ipsô, resecrata simul consequenter omnia vasa, instrumenta & apparatum ad illud spectantem asserunt, præter victimas atque oblationes, quæ nec *resecrationis* capaces: Vasis verò instrumentis aut apparatu resecratô, non simul censebatur resecratum Idolum &c. *Resecrare* nempe hic erat, non solùm liquefacere, seu resecranda animô, comminuere aut mutilare, verùm etiam, ut liquefieret seu confringeretur, alienare & usibus communibus palàm addicere, juxta illud Tertull. *Apolog. c.* 13. *Domesticos Deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis, pignorando, venditando, demutando*

mutando aliquando incitabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva; ut quisque contritus atque contusus est, dum diu colitur; ut quisque Dominus sanctiorem expertus est domesticam necessitatem. Quin item Idolum, quod tempore pacis coli desiit, exinde *resecratum* est, non itidem, quod tempore belli. Magistri, *Idolo, quod tempore pacis à colentibus negligitur seu coli desinit, uti frui fas est. Nam id resecrârunt. At verò, si id fiat tempore belli, eo sic uti frui est nefas, quoniam non ob aliam, quam belli causam, coli desiit* &c. Sed tametsi Gentilis, tam alienum, quam suum idolum, ita potuit resecrare, ut usus ejus rerumque ei antè sacratarum promiscuus inde licitus esset, non tamen vicissim rem alienam ita consecrare quibat, ut inde ejusdem usus fieret illicitus. Quam in rem vide plura apud eruditum Seldenum *de Jur. Nat. & Gent. juxta disciplinam Hebr. l. 2. c. 7.* adde Hadr. Turnebum, *Adversar. l. 18. c. 25.* & *l. 29. c. 36.* it. Pithœum *Subseciv. l. 1. c. 1.*

RESEN, civitas ab Assur ædificata inter Calnen & Nineven. Gen. c. 10. v. 12. Latinè *frænum.*

RESENDIUS Lud. Andreas, Eborensis; Poëta, Orator, Theologus & Antiquarius excellens, Dominicani Ordinis, ab Emanuele Lusitaniæ Rege liberorum educationi admotus est. Obiit A. C. 1577. jam senex, in familia Henrici Portugalliæ Infantis, annô scil. ætat 30. Scripsit complura prosâ versuque, quæ enarrata habes *in Elogiis* Anton. Teisserii, *Part I.* Liber ejus Lusitanicô idiomate scriptus, *de Antiquitatibus Ebora*, Latio donatus est, ab Andrea Schotto. Quantum in Antiquitatib. Historicis profuerit Ambros. Morali, Kebedo Tolet. & Joh. Vasæo Burgensi, nec non aliis à quibus sæpius consulebatur, vide apud Thuanum *Histor.*

RESEPH, nomen viri. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 25. Latinè *volucris*, aut *sagitta ignita.*

RESIA, fil. Olla. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 25. Latinè *voluntas*, aut *voluntarius*, sive *cursor*, vel *veredarius.*

RESIDENTES, inferioris ordinis Legati, vide suprà *Ambasciator.* At *Residentia*, quid sit in Ecclesia Romana vide suprà in voce *Mansionarius*, it. *Persona*, & Jac. Petitum post *Pœnitentiale Theodori. p.* 442. & *seqq.* ubi de *Residentia Canonicorum* complures *Chartas* collegit, infrà quoque *Stagi.*

RESINA, ut eliciatur, τὴν πεύκην, i. e. *piceam*, in cortice vulnerari & corticem ipsum auferri, ait *Theophrastus*; quô factô συῤῥεῖ εἰς τὸ ἕλκωμα τοῦτο πλείων ἡ ὑγρότης, *confluit in vulnus abundantior humiditas*: at in abiete & pinu lignum etiam ipsum delibari & in vulnus scindi, addit. Cùm enim picea multô succô abundet ac præter cœteras sit ἔνδᾳδος, non tam altè impressis vulneribus opus est, ut fluens ex ea *resina* intercipiatur. Postquàm autem humoris picei confluxus deciderat in locum vulneris ac corticis ablati, cum astula ipsa abscindebant securibus; quô abscissô, iterum alius tædæ fluxus eò conveniebat, iterumque exscindebatur, & sic tertiò (trium scil. annorum intervallô) donec arbor succisa frequentibus tædæ extractionibus everteretur. Plin. *l.* 16. *c.* 11. *Alia temperies ad crapulam: namque flos crudus* resinæ *cum multa astula tenui brevique avulsus exciditur ad cribri mixtura, dein ferventi aquâ, donec coquatur, effunditur, hujus expressum pingue præcipua resina fit, nec nisi paucis in locis Italiæ, conveniens Medicis.* Ubi *astula*, est τὸ ἐκπελέκημα. Paulinus.

> ——— *vitis brevis astula flammam:*

cum quo ἡ ἔνδᾳδος ἐπιῤῥοή, *resinæ confluxum*, eximebatur. Dicebatur autem δᾷς cum hujusmodi astulâ flos resinæ excisus. Inprimis verò resinifera radix est piceæ, quæ postquàm succisa ac eversa arbor est, uti consuevit, ad cogendam picem; quæ facaliter inde colligebatur, quàm ex codice & Ramis. Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 503. &c. ubi totam colligendi resinam, ex picea aliisque arboribus rationem, apud Veteres usitatam, accuratè persequitur. De usu *Resinæ* vario hic passim, inprimis ubi de *Aliptis* cœterisque hujus commatis, plura verò hanc in rem apud Plinium, *l.* 14. *c.* 20. & *l.* 16. *c.* 11. Inde *Resinata Vina*, apud Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 77. v. 8. h. e. corrupta & picem vasis olentia, vide eundem Plin. *l.* 24. *c.* 6. it. suprà ubi de voce *Recentari.*

RESISTON, vide REDÆSTUM.

RESPECTOR, amicitiæ Insulensis, in *vetere Charta A.* C. 1238. *in Probat. Historia Guinensis*, apud Car. du Fresne *Glossar.* est præfectus urbis (vel provinciæ) Belgis *Reward.* Idem de variis notionibus forensibus vocis *Respectus*, apud medii ævi Scriptores, multa congessit *Ibid.*

RESPECTUS Templi Hebr. נכח המקדש, plaga dicitur illa, in quam orandum Judæis, ex instituto Majorum. Nempe positionem Templi Hierosolymitani, tam ante, quàm pòst excidium ejus, imitatæ sunt tam Proseuchæ, quàm Synagogæ Judæorum. Unde Majmonides, *Non fieri debent ostia Synagoga in Orientem; juxta quod dicitur* (Numer. *c.* 3. *v.* 38.) *& qui castrametantur ante Tabernaculum, Orientem versùs, ante Tabernaculum Fœderis ad Ortum*, in *Halach. Thephila seu de Oratione*, *c.* 11. §. 1. & 2. Adjicit, *Et construendum est sacellum, in quo ponant Librum Legis. Sacellum autem hoc sic extrui debet, ut situm sit ad plagam illam, in quam precari mos est Urbis illius.* Nimirum plagam, in qua orandum, aliam fuisse atque aliam, ex avita traditione docent Magistri. Unde, dum octo inter orandum observationes, necessarias tradunt, unicam interjiciunt de *Respectu Templi*, juxta quam, extra Terram Sanctam, orantis faciem poni volunt versùs illud; ut apud Mahumedanos, versùs Meccam seu Templum ibi. Expressè enim Mahumetes sub initia Imperii sui vetuit suos, qui ritus retinerent Judaicos, adorare versùs Templum Hierosolymitanum, uti docet Gregorius Abulfarajus *de Arabum moribus, p.* 10. Judæi autem intra Terram, adorabant versùs Hierosolyma, in Hierosolymis versùs Templum, in Templo versùs Sanctum Sanctorum. Origine moris à Salomone Rege & dedicatione Templi ejus petitâ, de qua vide 1. *Regum c.* 8. *v.* 48. & *praced.* 30. 35. 38. & 40. ubi de precationibus, à Judæis, ubicunque essent, effundendis, verba faciens, de precantibus extra Terram loquitur, ut qui orarent *ad te versùs* seu *in via telluris eorum, quam dedisti patribus eorum, civitatem scil. quam elegisti & Ædes* seu *Templum, quod ego Nomini tuo exstruxi.* Ubi Levi Gersonides, *Et quanquàm non precantur intra Templum dum tamen precantur, ut obvertant se illi, quoad fieri possit.* Atque inde, quod habetur Danielis *c.* 6. *v.* 11. de Danielis ter quotidie precantis fenestris apertis versùs Hierosolymam adeoque locum Templi (ubi scil. ante Nebucadnezaris excidium steterat) intelligitur. Eadem enim post excidium, quæ antè, loci illius habita inter precandum ratio est. Verùm *Respectus* iste *Templi* sub Vetere quidem Testam. locum habuit, at Christô in carne exhibitô, cujus typus Sanctuarium Leviticum erat, is sublatus est, vide Joh. *c.* 4. *v.* 21. & *seqq.* plura verò hanc in rem, apud Jo. Seldenum, *de Synedriis Veter. Ebræorum*, *l.* 3. *c.* 15. §. 1.

RESPHA, concubina Saul, filia Ajah. 2. Sam. *c.* 3. *v.* 7. Latinè *extensio*, sive *pavimentum*, aut *calculus ignitus.*

RRESPICIENTES Dii, qualis Lucina apud Statium, *Theb. l.* 3. *v.* 159.

> *Quis steriles thalami, nulloque ululata dolore*
> *Respexit Lucina domum* ———

sunt fortunatos homines facientes, de quibus vide multa apud Brissonium, *in Formulis.* Casp. Barthius. *ad Statium d. l.*

RESPIRANDI spatium, Athletis olim in Gymnicis Ludis concessum. Ex quidem in Luctâ præcipuè, priusquàm Athletæ implicabantur, de loco & statione contendebant: mox ita pugnabant, ut aliquantulum respirarent. Quô factô πάλιν ἐπαποδύονται τοῖς αὐτοῖς ἀγωνίσμασι, *rursus inibant eadem certamina*, ut Philo ait πε. μεθ. Hinc idem alibi, Ægyptios comparans Athletis ait, διαπνεύσαντες δὲ τιμωρίας ἐπ' ὀλίγον, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἀθληταί, *Cùm verò paululum respirâssent ab ultione, quemadmodum Athleta collectis viribus* &c. Vide Car. Paschalium, *Coronar. l.* 6. *c.* 24. & infrà *Sudore uno devincere.*

RESPONSA, Oracula sunt apud Poëtas. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 799.

> ——— *Caspia Regna*
> Responsis *horrent Divûm.* ———

Ibid. v. 344.

> *Hoc uno responsô animum delusit Apollo.*

Lucretius, *l.* 1. *v.* 737.

> *Ex adyto tanquam cordis* Responsa *dedêre*
> *Sanctiùs, & multo certâ ratione magis quàm*
> *Pythia, qua tripode ex Phœbi, lauroque profatur.*

Reddebantur illa quibusdam in locis Idibus; quibusdam, Kalendis: nonnunquam die oriente, nonnunquam occidente; aliquando augescente, aliquando deficiente Lunâ solùm: Apollo sex mensibus apud Lucios, sex apud Delum vaticinabatur &c. uti pluribus docet Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 6. *c.* 21. Certè ἀποφράδων ἡμερῶν, *dierum nefastorum*, desertè meminit in hoc negotio Plut. *in Alexandro*, Βουλόμενος, inquiens, τῷ θεῷ χρήσασθαι περὶ τῆς στρατείας, ἦλθεν εἰς Δελφούς· καὶ κατὰ τύχην ἡμερῶν ἀποφράδων οὐσῶν, ἐν αἷς οὐ νενόμισται θεμιστεύειν, πρῶτον μὲν ἔπεμπε παρακαλῶν τὴν πρόμαντιν, ὡς δ' ἀρνουμένης καὶ προϊσχομένης τὸν νόμον, αὐτὸς ἀναβὰς βίᾳ πρὸς τὸν ναὸν εἷλκεν αὐτήν· ἡ δ' ὥσπερ ἐξηττημένη τῆς σπουδῆς, εἶπεν, Ἀνίκητος εἶ ὦ παῖ. τοῦτο ἀκούσας Ἀλέξανδρος, οὐκ ἔτι ἔφη χρῄζειν ἑτέρου μαντεύματος, ἀλλ' ἔχειν ὃν ἐβούλετο παρ' αὐτῆς χρησμόν. E quo loco insuper discimus, quantum etiam temporum huic delectui, in Oraculis reddendis, imposturæ subfuerit: qua de re prolixè agit Ant. van Dalen, *de Oraculis dissertat. II. p.* 429. Vide quoque Statium, *Thebaid l.* 2. *v.* 171. & Barthium, *ad eum*: nec non infrà *Tripus*, it. *Vates.* Hinc ad Viros prudentes, qui in dubiis rebus consulebantur, Principesque vox translata. Sed & *Responsa* Episcoporum, olim magni habita. Quemadmodum enim in civilibus Imperatores Sacratissimi, ita in spiritualibus & sacris consulebantur Episcopi: inter quos cùm emineret Romanus, is quoque præ aliis consultus est sæpiùs, ejusque *Responsa* majorem præ cœteris auctoritatem progressu temporis acquisiverunt & diligentiùs adservata sunt, reliquorum Episcoporum Responsis, quæ sensim negligi cœperunt, plerunque deperditis. Quæ causa movit Cresconium, quare Decretales Pontificum Romanorum Epistolas, quæ à *consulendo* originem habuêre, inter Canones retulerit primus, illisque sic auctoritatem Canonicam conciliaverit, quæ anteà cum reliquorum Episcoporum Responsis pari passu ivêre. Ad quod exemplum posteà, in Orientali quoque Ecclesia, *Responsa Patriarchalia*, valere, adservari & colligi cœperunt; imò & ad instar Ecclesiæ Occidentalis Codici Ecclesiæ Orientalis subjecta sunt adnexaque, ut videre est ex editione Parisiensi A. C. 1620. Fuit autem Codex is in Concilio VI. Oecumenico Trullano, vel potiùs in Quinti Sextæ Synodi, *Can.* 2. confirmatus ac approbatus. Vide Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl.* 187. & 188. ut & suprà, ubi de *Canon. Jure & Decretalibus*: Item *Patriarchalibus Resp.* & voce *Rescriptum.*

RESPONSALIS, qui à responsis est, *Apocrisiarius*, vox Ecclesiæ. Primitus & propriè intelligebatur de illo, qui causas Ecclesiæ ad Impe-

peratorem detulit, ejusque ad supplices responsum; vel consultus de re Ecclesiæ, responsum præbuit seu consilium, unde & *à Consiliis* appellatus est. Origo hujus ministerii à tempore translatæ sedis à Constantino M. arcessitur: quod primò exsequebantur Episcopi dein cùm hosce à suis parochiis canones abesse prohiberent, Presbyteris delatum fuit & Diaconis: sic functus est illô, cùm adhuc in Diaconatu esset, Gregorius M. Vide Hincmar. Marianum Scotum, ad A. C. 575. &c. Hâc acceptione cùm non differat Apocrisiarius à quovis Legato, qui in Aula negotia illustrioris alicujus Ecclesiæ promovebat, ipsi quidem Legati Apocrisiarii dicti sunt; nec tantùm Papæ; sed aliorum etiam Episcoporum: imo nuntios suos ad Panormitanum Archiepiscopum pallium deferentes Apocrisiarios vocat Paschalis, *cap. significavit de elect.* At in aula Regum Francorum, Apocrisiarii munus omnium palatinorum honoratissimum fuit. Post Regem enim, Reginam & prolem Regiam, primas tulit: nec solùm omnem clerum palatii, sub suo habuit imperio, adjunctumque summum Cancellarium; sed uti Comes Palatii omnibus præfuit negotiis & hominibus secularibus, ita Apocrisiarius, qui *Capellanus* quoque & *Custos Palatii* dictus est, omnibus præfuit negotiis & ministris Ecclesiæ. Vide Hincmar. *Ep. 3. c. 13. & seqq.* Meminit etiam τῦ Ἀποκρισιαρίυ in Aula Orientali, Codinus Curopalates; officium tractans τῦ πρωτοβεστιαρίυ. Sed & Apocrisiarii genus, ante Constantinum, sub Trajano & Nerone reperitur: ut è Suida constat, in voce *Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς*, quem fuisse tunc temporis asserit ab Epistolis & legationibus καὶ ἀποκρισιμάτων à responsis, i. e. Apocrisiarius. Apocrisiarius tandem sedis Apostolicæ seu *Responsalis* Apostolicus, non solùm Pontific. Romani Legatus, sed aliarum etiam illustrium Ecclesiarum vocatur. Apud medii enim ævi scriptores Apostolici omnes Episcopi dicti sunt, donec appellatio soli Romano remansit. Recentioribus Apocrisiarii dicuntur Episcoporum Cancellarii. Vide Henricum Spelman. *in Glossario Archæologico*, & infrà *ad Responsum.*

RESPONSORIUM seu RESPONSORIUS *Cantus*, apud Alcuinum, *Poëm.* 3.

> *Hymnos, ac Psalmos &* Responsoria *festis*
> *Congrua promamus subter testudine Templi:*

Cantûs Ecclesiastici in Romana Ecclesia species est, qui post Lectiones in Matutino proferri solet. Dictus à *respondendo*, quòd unô desinente alter respondeat: differt ab Antiphona, quòd in Antiphonis unus dicat versum, in *responsoriis* autem chori versibus alternent. Origo ab Italis, qui *Responsoria* primùm traduntur invenisse, sicut Antiphonas Græci. Isidoro *de Eccl. Offic. l. 1. c.* 8. *Responsoria ab Italis longò tempore ante* (Antiphonas) *sunt inventa, & vocata hôc nomine, quòd unô canente Chorus consonando respondeat.* Micrologo & Radulpho *Historia* dicitur, qua de re vide Macros Fratres in voce *Historia.* Repetit autem Chorus communiter partem *Responsorii* tantùm, quòd in aliquibus tamen solennitatibus integrè replicatur: ut post primam lectionem, in nocte Nativitatis, in Festo Resurrectionis & primâ Dominicâ Adventus. Ultimum Responsorium Dominicarum olim per annum erat, quod incipit *Duo Seraphim* & de S. Triade agit; introductô verò Hymnô *Te Deum*, translatum id est in calcem penultimæ lectionis &c. Plura apud Macros præfatos *in Hierolex.* & suprà *Graduale.* De *Responsorio* verò *Hortationis*, vide quæ suprà diximus, in voce *Invitatorium.* Hinc *Responsoriale* Hadriani Papæ de quo Amalarium vide.

ad RESPONSUM, apud Julianum Antecessorem, *Const. 17. de Prætore Pisidiæ, Habeat autem & carrucam argenteam & securim & fasces &* Adresponsum *propter milites*; Aliter *à Responsis*, apud Papiam; Græcè οἱ Ἀπόκρισιν, nomen fuit eorum, qui à Magistro militum deputabantur in provincias, ut de militibus, qui in iis degebant, eum admonerent & responsa darent inquirenti. Aliàs ad *Responsum* idem est cum Apocrisiario seu Responsali, qui negotia alicujus curat & de iis *responsa* dat; qui mittitur, *adresponsum dandum* de negotiis, pro quibus mittitur. Sed & *Responsum*, apud medii ævi Scriptores ipsum negotium significat, maximè illud quod foris peragitur, de quo *responsum* Dominus expectat. Hinc *facere responsa Episcopi*, apud Liberatum Diaconum, *c. 6.* Vide plura apud Car. du Fresne, *in Glossar.* & *de scrinio Auri ad Responsum*, Pancirollum *ad Notitiam Imp. Orientalis, c.* 80.

RESPUBLICA Bravæ, sola est in Africa, in regione Azaniæ. Quibusdam *Barraben*, juxta fluv. *Quilmancum.*

Respublicæ Europæ.

RESPUBLICA Genevensis, urbs libera suique juris, ad lacum Lemanum; quæ, ex veter. Inscriptione, *Equestris civitas* olim dicta, post eversum Imperium Roman. & novum à Francogallis in Occidente fundatum, sub ejus patrociniô diu libertatem servavit bicipitis Aquilæ, cujus imago etiamnum pro valvis majoris Templi visitur, & ad Caroli M. tempora refertur, aliis veluti defensa, quousque exortis in Imperio discordiis civilibus, cùm à Cæsaribus desereretur, ad Episcopos, quorum tunc etiam in iis, quæ ad civilem jurisdictionem spectabant, magna auctoritas erat, confugit. Nova dein inter Episcopos & vicinos Sabaudiæ Comites cùm essent discidia suborta, Urbs misera semel atque iterum incendiô vastata, variâque peste destructa est: Sabaudis jus in Urbem arrogantibus, vi inprimis Testamenti à Petro ex antiquo Genevensium Comitum stipite ultimo 1392. conditi. Sed Comites illi Genevæ, seu potiùs Genevensis territorii, cùm quidquam juris in civitatem nihil unquam habuerint, quin potiùs ipsi semper Episcopis & Ecclesiæ fidei sacramentum dixerint, & utriusque beneficiarii per 400. & ampliùs annos, Civitas autem ipsa libera semper & Imperialis fuerit, ut ex Friderici Ahenobarbi Imperatoris diplomate A. C. 1153. constat, deterior semper Sabaudorum causa habita est. (Hinc etiam præteritô seculô cùm ad Juliani fanum utriusque partis Delegati convenissent, nullâ jurium reservatione factâ Sabaudiæ Dux consensit, ut pax cum Genevensibus facta Vervinensi pacificatione comprehensa intelligeretur.) Donec mutatâ Religione Syndici, qui sub Episcopali auctoritate libertatem anteà tuebantur, supremi jus dominii quod Episcopi semper Sabaudiæ Principibus controversum reddidêre, sumentes ejectis Episcopis, sub Imperii patrocinio, cujus insignia monetæ ab eo tempore inprimunt, Remp. administrârunt, vide Thuanum, *Hist. l. 125. p. 934. edit. Aurel.* Quomodo verò A. C. 1602. die 12. Xbr. Sabaudiæ Dux nocturnis insidiis Urbem aggressus sit; idem *alibi* exponit. Sufficiat dixisse. Deum mirabili quôdam modò egregiam Urbem servâsse, dum noctu explosum ad portam novam tormentum scalas, jam mœnibus admotas, quæ etiamnum in Armamentario ostenduntur, fregit, hostesque sic, quorum jam intra Urbem non exigua manus erat, coëgit retrocedere: quam ob causam singulis annis, liberatæ Urbis die præfatô, solennes preces, cum gratiarum actione publicâ, Deo persolvunt, quod festum *l'Escalade*, seu *Ascensio scalarum* apud illos dicitur. Cœterùm, ut à Vicino adeò potenti Urbs tutior esset, cum Tigurinis & Bernatibus fœdus ferit, quod in hæc usque tempora inviolatum perdurat. Vide Limnæum Enucleatum, *l. 3. c. 22. ubi controversia hæc prolixè enarratur*, & in voce *Geneva.*

RESPUBLICA Genuensis, in Italia, *Republica di Genova* incolis, *Republique de Genes* Gallis, complectitur Liguriam maritimam à Magra fluvio & Serezana in ortum, ad Albium Intemelium in occasum, uti & Corsicam insulam. Vide *Genuensis ditio.*

RESPUBLICA Helvetiorum, *les Suisses*, aliàs in Gallia Celtica, hodie in Germania. Dividitur in tredecim pagos; quorum hic ordo est; in comitiis Badensibus:

Tigurum.	Tugium.
Berna.	Glarona.
Lucerna.	Basilea.
Uria.	Uria.
Suicia.	Solodorum.
Undervaldia.	Scaphusia.

Abbatiscella.

Ex his Uria, Suitia & Urdervaldia, debellatis Morgatensi præliô Austriacis æternum inierunt fœdus, A. C. 1315. Lucernates his accesserunt, A. C. 1332. Tigurini dein cum Glaronensibus in fœdus recepti sunt, A. C. 1351. Bernenses, eôdem annô, quô Tugeni, nempe 1352. secundùm Simlerum, aut 1353. juxta Cl. Hottingerum: Posteà Friburgenses & Solodorenses, A. C. 1481. post exactum bellum Burgundicum: Basilienses dein & Scaphusiani A. C. 1501. confectô Suevicô bellô, Abbatiscellani tandem A. C. 1513. cum prioribus in ejusdem fœderis societatem, nullô ævô dissolubilem, sunt assumti. Cum horum maxima parte fœdus quoque percusserunt, Abbas Sangallensis, Sangallum oppid. Rhæti. Vallesiani: & Mulhusium. Speciatim cum Bernensibus Biennenses & Neocomenses, cum Bernatibus & Tigurinis Geneva fœdus colit. Habent porro Helvetii varias Præfecturas imperio suo subjectas: Intra Helvetiæ limites quidem, Comitatus tres Aquensem, Turgoviensem & Sarunegaunensem: Liberas Provincias item & Rheguscos: Extra Helvetiam verò, Præfecturas Trans-Alpinas quatuor Luganensem, Locarnensem; Mendrisianam & Vallis Madiæ, ut taceam alias, quibusdam tantùm Pagis subditas. Vide in voce *Helvetii.*

RESPUBLICA Lucensis, in Italia & Hetruria regione, *Republica di Luca* incolis, *Republique de Luques* Gallis, continet tantùm Lucensem agrum versùs oram maris Tyrrheni, ubi Luca urbs. Vide *Lucensis ditio.*

RESPUBLICA Provinciarum unitarum Belgii, *les Provinces unies du Païs Bas*, pars septentrionalis Belgii Germaniæ inferioris. Vide *Provintiæ fœderati Belgii.*

RESPUBLICA Ragusina, *la Republique de Raguse*, in Dalmatia, Turcarum vectigalis est, in ora maris Adriatici; & quædam tantum loca possidet in illa ora littorali. Vide *Ragusina ditio.*

RESPUBLICA S. Marini, *la Republica di S. Marino*, est in Italia, inter Ducatum Urbinatem & Romandiolam, parva admodùm; & complectitur tantum Fanum S. Marini cum decem pagis seu villis adjacentibus. Vide *Fanum S. Marini.*

RESPUBLICA Veneta, in Italia, *la Republica di Venetia* incolis, *la Republique de Venise* Gallis, ampla & potens est, aliquot provincias habens sibi subjectas in Italia, uti partem Dalmatiæ littoralis, multas insulas in mari Adriatico, Corcyram, Zacynthum, Cefaleniam & Cytheram in ora Græciæ obversa, cum Teno & Mycone in mari Ægæo, habueratque etiam anteà Cretam, Cyprum, Eubœam, Peloponnesum, & oram littoralem Epiri & Albaniæ; sed nunc Turcici juris sunt. Vide *Veneta ditio.*

RESSA, nomen loci, in quo castrametati sunt filii Israël profecti de Lebna. Numer. *c. 33. v. 21.* Latinè *irroratio*, vel *stillicidium.*

RESSIUS Rothgerus, vide *ibi.*

RESTIBILIS Ager, qui quotannis obsitus est; sicut *Novalis*, qui alternis quiescit, & *Vervactum* quoque dicitur. Varro, *RR. c. 44. Multum interest, in rudi terra, an in ea feras, quæ quotannis obsita sit, an in vervacto, quæ interdum requièrit.* Et quidem, pinguissima humus est, quæ fit *restibilis* & quotannis fert: media, quæ alternis annorum vicibus requiescit ac feritur. Sic de Mesopotamiæ fertilitate Plinius, *l. 18. c. 17. Nec terra ipsa herbas gignit, ubertatis tamen tantæ sunt, ut, sequente annô*, restibilis *fiat seges, impressis vestigio seminibus.* In Hyrcania similiter, tantam esse fertilitatem Auctores ferunt, ut semen ex spicis cadivum sequente annô restibilem segetem reddat &c. Atque hinc *restibile* videtur Plinio dictum, quasi *restituibile*, ut restibilem dicat fieri segetem, quæ omnibus annis restituitur, quemadmodum *substitivum* Appulejus vocat,

quod

quod in locum deperditorum substituitur. Mavult tamen à *restando* vocis etymon arcessere Salmasius, quòd istiusmodi ager duret, perseveret ac resistat. Propert. *l.* 3. *El.* 7. *v.* 31.

——— *Dum restat barbarus Hector.*

Sedulò autem cavisse, veteres Agricolas, ne frumentum bienniò continuò terris ingererent, sed leguminibus, aut miliò aut paniçò aut etiam rapis *restibilis* fieret ager, discimus ex *Festo*: namque & qui diversi generis fruge seminaretur, *restibilis* dictus est. De optimis ac pinguissimis Campaniæ arvis Plinius, *Si fuerit illa terra, quam appellavimus teneram, poterit sublatò hordeò* (quod est ex genere farrei spici) *milium seri. Eò conditò rapa: his sublatis hordeum rursus vel triticum.* Qui ordo observabatur apud Veteres in omnibus agris pinguibus, ut videl. collectò frumentò bis leguminibus obsererentur, priusquam ad frumentum seu farreum spicum redirent. In minùs pinguibus ac mediocribus, sublatò frumentò legumen tertiò serebatur. Graciliores nempe terræ in tertium annum cessabant, & per id tempus necarabantur, de quibus Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 83.

Nec nulla interea est inarata gratia terra.

Quò tempore, terrâ cessante, quum herbæ succrescerent, pabulo erat pecoribus. Uti verò graciles terræ requiescunt intermissione laboris & cessatione, ita pingues renovatione arationis & frugum mutatione. Idem, *l.* 1. *Georg. v.* 82.

Sic quoque mutatis requiescunt fœtibus arva &c.

Vide Salmas. *ad Solin. p.* 731. & 732.

RESTIO & RESTIARIUS, differunt ut Linteo & Lintearius, Optimæ *Gloss. Lintearius*, ὀθονοπώλης *linteo*, λινουργός: Sic Lintearius pro linteæ vestis negotiatore, *l.* 7. *Cod. de excus. mun.* Linteo verò est, qui lintea conficit & texit. Similiter in *Glossis Restio*, σχοινοπλόκος est; *Restiarius*, σχοινοπώλης ille qui restes conficit, hic mercator seu negotiator, qui vendit. Non defuêre tamen ex antiquis Grammaticis, qui in contraria omnia irent, & *Lintearios* ac *Restiarios* acciperent pro iis qui faciunt, *Linteones* & *Restiones*, pro mercatoribus. Quam in rem vide Salmas. *ad Flav. Vopisc. in Saturnino, c.* 8. Videntur autem *Restiones* inter vilissimos olim habiti, unde M. Antonius *libertinum proavum restionem* Augusto exprobrâsse legitur, apud Sueton. *in eo, c.* 1. Et apud Græcos σχοινοστρόφου μέλος, *restionis cantilena*, Proverb. de cantilenis hominis vilis & ineptæ. Gratianus verò Valentiniani Aug. pater *funarius* dictus est: quia funes venales circumferebat &c. Vide Casaubon. *ad Suet. d. l.*

RESTIS, locus Galliæ, ad Ligerim, prope montem Sorelli, in regionis Andegavensis finibus, vulgò *Reste.* Alius à S. Petro Patrono, *S. Pierre de Rest, vel Rez*, vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RESTITUTA Julia, vide *Julia.*

RESTITUTI seu REVOCATI Nummi, dicuntur in Re Nummaria, qui ad virorum illustrium, qui prioribus seculis vixerant, revocandam memoriam ab Imperatoribus: sunt cusi; cujusmodi complures habentur ab Augusto ipso & Successoribus ejus cusi. A quibus diversi sunt nummi *Contorniati*, de quibus suprà; quippe qui primùm occurrunt post Constantini M. ævum, adeoque circa Honorii tempora, in quibus primas tenet æreus ille Medallio, in cujus postica Euthymii (cujus memoriam jam Nero editò nummò revocaverat) imago conspicitur, vide suprà in *Euthymius* & plura apud Car. du Fresne, *Dissert. de Infer. avi Numism.*

RESTITUTIO, inter pœnas Hebræis usitatas, vide suprà *Pœna.*

RESTITUTIONES Provinciarum, in nummis repræsentatæ. vide suprà *Humeri.*

RESUMTIO, Gall. RESOMPTE, terminus est Scholæ Theologicæ in Academia Parisiensi; notatque Actum publicum à 1. hora ad sextam, à Doctoræ Candidatis, statim post impetratam Licentiam, sustineri solitum, ad jus suffragii in Facultate, & cœtera privilegia Doctoralia consequenda. Et quidem in illo ex universâ S. Scriptura, Historiaque Ecclesiastica utriusque Testamenti, Locis inprimis controversis. theses ventilantur: more, postquam aliquandiu absoleviffet, in usum revocatò A. C. 1676. *Richelietus.*

RESUPINANDI Victimas ritus in Gentilium sacris celebris olim: quem αὐ ἐρύειν Homerus vocat *Il. α. v.* 460. & *β. v.* 422. ad quorum *priorem locum* Eustathium vide. Nempe cum superis Diis sacrificarent. Ita enim a Cleone, *Argonaut. l.* 1. teste Nat. Comite, *Mytholog.* proditum Veteres superis sacrificantes *resupinatarum* jugulum sursum convertisse; cùm inferis faciebant, earundem collum deorsum terram versùs deprimere solitos. Quod & Myrtilus docet, ubi de victimis Inferorum, ἐν τῇ γῇ ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλὰς de Superorum ἄνω ἀνακλίνεσθαι τὸν τράχηλον, ait. Quod & τραχηλίζεσθαι Græci dixêre: quæ vox Hebræor. *c.* 4. *v.* 13. ubi omnia dicuntur oculis Dei γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα, *nuda & intimè patentia.*

RESUS, fluv. parvus Asiæ, ex iis, qui in Mæandrum influunt. Strab. *l.* 12.

RETANA, ancilla Romana, quæ consiliò & strategemate effecit, ut Romani suarum ancillarum coitu Gallos vicerint.

RETE, Arachnes inventum, Plin. *l.* 7. *c.* 56. qui idem linum Zœlicum ex Hispania illis aptissimum judicat, *l.* 19. *c.* 1. Usus in *Venatione* maximè: unde *Retia* Dianæ, utpote venatricis Deæ, statuis olim addita: quemadmodum & venabula, lineæ versicolores, canes catenati, aliaque venatus instrumenta. Hinc & ipsa *Dictynna*, Plut. *Sympos. l.* 3. *c. ult.* & *l. de solertia animal.* Namque *Retia* δίκτυα Græcis, Jul. Pollux, *Onomast. l.* 5. *c.* 4. Ἄρκυες καὶ δίκτυα καὶ ἐνόδια; τὸ μὲν λίνον αὐτῶν αἰγύπτιος, ἢ φασιανικὸν ἢ καρχηδόνιον ἢ σαρδόνιον εἶναι δεῖ, *Retia, laquei, & cassis; horum quidem linum Ægyptium, Phasianum seu Colchicum, Carthaginense aut Sardium esse oportet.* Subdit dein, omnia quæ plicari possent, *Retia* seu δίκτυα dici, vel [illegible], *septa*, auctoritate Pherecratis. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 131.

Retia rara, plagæ, latò venabula ferrò.

L. Seneca, *in Hippolyto. Actu* 1. *Sc.* 1. *v.* 44.

——— *Alius raras*
Cervice gravi portare plagas.

Ac de lino, quod Pollux dixit, transtulit, ut videtur, ex Gratio, qui in *Cyneg.* & magnitudinem *Retis* & linum, ex quo confici debeat, præscribit, *v.* 31.

Et bis vicenos spatium prætendere passus
Rete velim, plenisque decem consurgere nodis,
Optima Cyniphia, ne quid cunctère, paludes
Lina dabunt. ———

His inter venandum præpositus quidam sedebat, seu veriùs stabat. Plin. *l.* 1. *Ep.* 6. *Apros tres & quidem pulcherrimos cepi. Ipse? inquis: ipse, non tamen, ut omnino ab inertia mea & quiete discederem. Ad* Retia *sedebam, erant in proximo, non venabulum aut lancea, sed stylus & pugillares, & Clusor statarius.* Sidonius Apollin. *l.* 2. *Ep.* 2. vocat *Subsessorem*: Seneca *in Hippol. v.* 52. *Retium custodem.* Vide quoque Xenoph. *Cyneg.* Ausonium, *Ep.* 5. Servium, *ad Æn. l.* 11. *v.* 268. &c. Paulus JC. *l.* 3. *Sent. Retia apraria*, alibi JC. *aprina*, memorat; de quorum confectione Nemesiani Carthagin. Poëtæ præceptum extat, *in Cyneg. v.* 299.

Nec non & casses iisdem venatibus aptos,
Atque plagas, longòque meantia Retia *tractu*
Addiscant raris semper contexere nodis.

Cervinorum mentionem facit Ovid. *Ep.* 4. *Phædra Hippolyto*: de leoninis, vide suprà voce *Leo.* &c. Ab his distinctæ erant Lineæ versicolores, ad concludendas saltibus feras vel ad terrendos apros, vulpes, lupos, ursos, & præcipuè cervos, adhibitæ: in quibus alternus plumarum contextus, sed vulturis & cygni præcipuè; interdum & sandycè fucabantur. Car. Rittershusius, *è sparto tortam formidinem*, vocat. Meminit Hieronymus, *Dial. Lucifer. & Orthod. Pavidorum more cervorum, dum vanos evitatis pinnarum volatus, fortissimis* Retibus *implicabimini.* Vide quoque Arrianum, *Dissertat. Epicteti*, *l.* 2. *c.* 1. *in princ.* apud Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 2. *c.* 7. nec non hic ubi de *Aucupio* & *Piscatione*, item voce *Panther* & *Venatio.* Verùm imbellis hæc venandi ratio, nobilior quæ canibus & equis peragitur. Itaque apud Macedonas olim nemini in cœna accumbere licebat qui aprum *extra Retia* non interemisset, verùm sedentes cœnâsse quoad feram confecissent: ipsum adeò Cassandrum, jam natum annos quinque & triginta, sedentem cum patre cœnâsse, quòd nondum defungi eò certamine, quamvis & validus & peritus venator, potuisset, ex Hegesandro Athenæus narrat, *l.* 1. *c.* 11. Nec feræ autem solùm, Sed & podium Amphitheatri olim *Retibus* cingebatur prætendebaturque, ad feras arcendas, quorum loco posteà ruruli successêre seu repagula versatilia lignea, de quibus retro diximus: Plin. *l.* 37. *c.* 3. *Eques Romanus missus ad id* (succinum) *comparandum, à Juliano curante gladiatorium munus Neronis Principis, qui hæc commercia & littora* (Germaniæ) *peragravit, tanta copia invecta, ut retia arcendis feris podium protegentia succinò nodarentur, arma verò & Libitina, totusque unius diei apparatus esset è succino.* Ubi non solùm arma omnia gladiatoria & vasa è succino composita, sed *retia* quoque eò nodata fuisse, i. e. nodos è succino habuisse, vel locò nodorum succinum, ait. *Nodosa* certè *retia* Tibullo, ut notum. Porrò cunas *retibus* vel velis reticulatis circumdari consuevisse; uti conopeo lectos, similiter constat. *Reticulum* vocatur Spartiano, *in Ælio Vero, c.* 5. *Nam lectum eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat, minuto reticulo undique inclusum eumque foliis rosæ, quibus demptum erat album, replebat* &c. Ubi *Reticulum* est conopeum reticulatum seu reticulatò opere confectum, cujusmodi etiam apud Ægyptios fuisse conopea legimus, Herodoto hinc ἀμφίβληστρα dicta. Paulus Silentiarius *Epigr. in Conopeum.*

Καλλιγάμοις λίκτροις περιδέδρομαι, εἰμὶ δὲ κώνωψ
Δίκτυον ἐ Φοίνης, ἀλλ' ἀπαλῆς Παφίης.

Alium usum indigitat Capitolinus in *Marco, c.* 12. *Funambulis per puerum lapsum, culcitras subjici jussit; unde hodieque rete prætenditur.* Nempe cùm funambulus puer lapsus esset, &, ut credi par est, collum fregisset: Marcus, quâ erat moderatione ac pietate, ne quid tale posteà eveniret, culcitras subjici jussit, ut, si laberentur, iis excepti nihil damni paterentur: quarum locò posteà *rete* prætendi cœpit, ut, si de fune laberentur, reti suscepti ad terram usque non devenirent, Salmas. *ad loc.* Sed & in pugnis gladiatorum *retia* adhibita, vide infra ubi de *Retiariis* uti de margaritarum piscatione *per Retia*, suprà ubi de *Margaritariis*, it. voce *Peninnim*: de succini similiter, infrà voce *Sudeni* & de *retiformi* lychnuchi genere, voce *Pharus*, ac de *retiformibus* vestium *maluchis*, in *Virga* &c.

RETEHORARIUM, ingeniosum planè ac commodissimum instrumentum, ad horologia in muris describenda, excogitatum, auctore Alex. Floravantiò Capucinô, qui floruit A. C. 1590. Vide F. Cherubinum *Thaumatolemmate de Horologiis*, Jos. Blancanum, *Chronol. Mathem.* & Gerh. Jo. Vossium, *de Scientiis Mathem. c.* 49. §. 30.

RETE.

RETELIUM, urbs Campaniæ Gallicæ ad Axonam fluv. capta à Leopoldo Archiepiscopo A. C. 1650. recepta A. C. 1653. Hispanis à Gallis grandi clade affectis; 18. leuc. à Remis in Boream, 10. à Sedano in Africum, caput tractus Retelensis, qui pars est Borealis Campaniæ inter Axonam fluv. & limites Leodiensis ditionis ac Luxemburgici Ducatus. Titulô Ducatus insignis.

RETENTURA, dicebatur olim posterior Castrorum pars. Illa enim in *Prætenturam* & *Retenturam* à Romanis distincta; qui *Prætenturam* vocabant illam partem, quæ in primore acie ante Prætorium erat, ubi Principia & porta Principalis: *Retenturam* verò, quidquid à tergo Prætorii tendebat & in posteriore parte, Salmas. *ad Solin. p.* 415.

RETHMA, locus ad quem venerunt filii Israël de Aseroth. Numer. *c.* 33. *v.* 18. Latinè *Juniperus*, sive *sonitus*.

RETHOM, in tribu Issachar. Hieronym. in *Loc. Hebr.*

RETIA Silva, in pago Galliæ Vadensi, *la forest de Rets*, ad cujus cervicem situs est locus Villaris, *Viliers Col de Rets* propterea, vulgò corruptè *Villiers Coterets* dictus. In silva est Burgus Fontis *Bourg-Fontaine*, Monasteriô illustris, & Campipratum *Champré*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RETIANUS, Præfectus legionis secundæ Parthicæ, à Severo institutæ & equitum extraordinariorum, inter conscios cædis Antonini Caracallæ, memoratur Spartiano in *Vita* hujus, *c.* 6.

RETIARIUS, Græcè Δικτυοβόλος, alter Gladiatorum, qui *reti*, quod *jaculum* vocabant, Plautus, *Asinar. Actu* 1. *sc.* 1. *v.* 87. unâ voce *Retejaculum*, pugnabat contra Secutorem, quò adversarium suum involveret, *Fest.* alterâ verò tenebat fuscinam tricuspidem, gladii locô. Juvenalis, *Sat.* 8. *v.* 203.

——— *Movet ecce tridentem.*

Hoc Gladiatorum genus perpetuò in tunica pugnabat: unde *Retiarii tunicati* Prov. Spongias secum ferebant, ad sanguinem abstergendum obstruendaque vulnera, qua de re Plin. *l.* 31. *c.* 11. Vide Lipsium, *Saturnal. l.* 2. *c.* 7. Pugnanti adversùs Mirmillonem *Retiario*, acclamari solebat: *Non te peto, piscem peto; quid me fugis Galle?* Mirmillones enim piscis effigiem in galeis gerebant. Exemplum armaturæ à Pittaco, uno ex septem Græciæ Sapientibus, &c. Vide quoque infrà, in voce *Secutor*.

RETICULI Campagi, memorantur Trebellio Pollioni *in Gallieno*, *c.* 16. *Caligas gemmatas annexuisse dicitur, cùm campagos* Reticulos *appellares*. Ubi quidem *Reticulorum* nomen adjunctum, eum, in campagis illis Imperatoriis, ornatum suggerit, quò eorum, obstragula crebris & aptè distinctis incisuris, retium ad instar, aliquando fuisse fenestrata intelligamus. Sic enim Varroni *Fenestræ reticulatæ* dicuntur *de R. R. l.* 3. *c.* 7. quæ cancellis sive reticulis objectis munitæ, B. Balduinus *de Calceo Antiq. c.* 18. *ubi de Campagis & Tzangis.* Ad quæ verba Andr. Frisius, *Siquidem verbis Auctoris*, inquit, *fides, putaverim optimam Campagorum delineationem esse, quæ inter* Romæ Elegantias, *ante annos aliquot, auctore Mathamô, prodiit. Est enim ea reticulata prorsus & frequentibus incisuris conspicua. Sed nec aliam Tzangæ figuram fuisse autumaverim, quàm quæ libellô eôdem exhibetur, propendente in summitate pedis quâdam quasi lamellâ, quæ Aquilæ repræsentat effigiem*; cujus utriusque iconem exhibet *locô cit.* Alios autem ab his *Reticulis*, calceos esse *fenestratos* dictos, ostendit idem Balduinus, *c.* 12. *de Sandaliis*, effigiemque eorum similiter Frisius præfatus, in statua Eumenio Rhetori, in illustri Clivorum oppido positâ, repræsentat, *ibid.*

RETICULUM, tegmen capitis muliebre. Varro, *in Sesqui Ulysse*: *Suspendis Laribus marinis molleis pilas*, Reticula, *ac strophia*. Cicer. *Verr.* 7. *c.* 2. *Ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo: Reticulumque ad nares sibi opponebat: tenuissimô linô, minutis maculis, plenum rosa.* E quo loco colligere est, *Reticulum* etiam dictam fuisse fasciam laneam vel lineam, ad formam retis factam, quam faciei admovebant, ne agnoscerentur, vel ut naribus suaves inspirarent odores. Sed cùm ad ornatum muliebrem spectat, tum id est, quod capillos continet. Ita enim Varro præfatus, *l.* 4. *de L. L. à Reti dictum est, quòd capillum contineret.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 35. Festus *Reticulorum rectorum* meminit, h. e. quæ sursum versùs texta erant, non secus ac tunicæ rectæ: *Regillis tunicis albis &* reticulis *luteis utrisque rectis, textis sursum versùm à stantibus, pridie nuptiarum diem, virgines indutæ cubitum ibant, ominis causâ, ut etiam in togis virilibus dandis observari solet.* Ubi *Reticula*, non sunt fasciæ pectorales, uti quidam contendunt, sed *capitales*; quæ videntur eâdem ratione, quâ κεκρύφαλοι, texi solitæ, *Reticulum de prasinis*, occurrit apud Capitolin. *in Maximino Juniore*, *c.* 1. inter arras sponsalitias Juniæ Fadillæ, *Monolinum de albis novem, reticulum de prasinis undecim, dextrocherium cum costula de hyacinthis quatuor.* Ubi observat Casaubonus, *Reticulatis* operibus inseri gemmas solitas. Sed & *reticulorum, cum dextrocheriis*, meminit Trebellius Pollio in *Vita* Quieti, *c.* 14. ubi Alexandrum in illis plerumque exsculptum refert: *Alexandrum Magnum Macedonem viri* (de Macrianorum familia) *in annulis & argento, mulieres in* Reticulis *& dextrocheriis & in omni ornamentorum genere, exsculptum semper habuerunt* &c. De *Reticulo minuto*, quô lectum suum circumdedit Ælius Verus Imperator diximus suprà, in voce *Rete*.

RETINA, locus Campaniæ apud Misenam promontor. à Calastro 3. mill. pass. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Etiam *Resina*.

RETINACULA sive *Corrigiæ*, stringendis serviebant calceamentis: Unde Sidon. Apollin. *Carm.* 2. *v.* 401. & *seqq.*

——— *Retinacula bina cothurnis*
Mittit in adversum vinctô de fornice pollex,
Quæ stringant crepidas.

*Antiquis enim non minùs, ac ævi nostri hominibus, decorum maximè visum esse, si strictim calcearentur, auctor est Festus *in Tentipellium*: Hominisque incurii ac minimè lauti indicium fuisse habitum, si pedes in laxa calceorum pelle natarent, Ovidius innuit, *in illo*, *l.* 1. *Art. Amand. v.* 516.

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Sic autem ex verbis Sidonii crepidæ pedibus adstringi consuevisse videntur, ut primùm ab uno soleæ latere ad aliud, per superiorem extremi pedis partem sive fornicem, corrigia, vel si mavis, ansula quædam, duceretur: deinde ab hujus ansulæ medio, quod pollici proximum est, duæ aliæ corrigiæ in adversum ita procurrerent, ut alteram ansulam, quæ medium pedem supernè vinciebat, per latera utrinque fissam, pervadentes ponè talum simul arctè connecterentur. Quod dum fiebat, si quando *Retinaculum* corrigiamve contingeret effringi, mali ominis locô habitum est; sic ut suscepta negotia, ad quæ prodituri erant calceati, desererentur. Id enim disertè Cicero testatur, *de Divin. l.* 2. *Quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternutamenta erunt observanda* &c. Similiter, quibus in itinere *Retinaculum* fortè rumpebatur, differebant iter. Vide Balduinum, *de Calceo*, *c.* 21.

RETINENDI Judæos jus, nemini olim erat, qui videl. alterius Domini essent, ut videre est in *Statuto* Ludovici IX. de Judæis A. C. 1238. apud Car. du Fresne, *Nec aliquis in toto Regno potuit retinere Judæum alterius domini: & ubicunque aliquis invenerit Judæum suum, ipsum licitè capere poterit, tanquam proprium servum, quamcunque moram fecerit Judæus sub alterius dominio vel in alio Regno.* Nisi societas inter duos dominos, pro utriusque subditis, esset inita, quam *Percursum* dixêre; quòd utriusque domini hominibus liceret, dominô suô relictô, ad alium Dominum, quo cum *Percursum* ille habebat, transire. Nempe glebæ adscriptis similes habiti Judæi, quos Dominorum servitio subtrahere nemini licebat, ut idem docet Car. du Fresne *in Glossar.*

RETIOLUM, apud Augustin. *Ep.* 109. *Nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ut retiola subtus appareant*: diminutivum est à *Rete*, & significat fasciam, quæ comas colligebat, κρωβύλον. Virgines namque cirratæ olim erant, & crinem in vertice concumulatum & colligatum gerebant, absque ulla διακρίσει; cùm Mulieres crines haberent, eosque à fronte divisos. Tertullian. *de Virginibus vel. Utique hoc maximè virgini insigne est, quarum & ornatus ipse propriè sic est, ut cumulata in verticem coma ipsam capitis arcem ambitu crinium contegat.* Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 760. & *seqq.*

RETORRIDÆ Mentes, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 59. *Verùm Gallicanæ mentes, ut sese habent duræ ac* retorridæ *& sæpe Imperatoribus graves, severitatem hominis---non tulerunt*: sunt asperæ ac difficiles & intractabiles inflexibilesque; metaphorâ ductâ à siccis & *retorridis* ramalibus, quæ citiùs frangas, quàm flectas. Sic Græci ξηροὺς homines propositi tenaces & nescios flecti vocant. Unde Proverb. Ἀγναμπτότερος βάτου ἀόυ, in *hominem rigidum* & αὐθάδη. Propriè autem *Retorridum*, in arboribus, Rei Rusticæ Auctores dicunt, ut *retorridos ramos*, qui non grandescunt, sed in nodos contrahuntur scabritiemque corticis & squalorem præ se ferunt, Galli *rabougri* vocant. Sed & senes *retorridos* & recoctos dixêre, qui plerumque morosi sunt & difficiles, Græcis ὠμοὶ & πέπειροι: quibus oppositi ὠμογέροντες, quorum adhuc senectus viret, necdum penitùs cocta est. Quia verò hujusmodi homines multâ ætate incocti plerumque experientiâ & usu rerum valent, hinc factum, ut recocti & *retorridi* pro exercitatis & multô rerum usu tritis quoque dicerentur. De qua voce *Recocti*, diximus suprà. *Retorridos* etiam pro exercitatis, quos Græci τρίβακας & τρίβωνας nuncupant, occurrere, videmus apud Phædrum; qui de mure vetulo & multarum rerum perito ac experientiâ Magistrâ callido facto, ait, *l.* 4. *Fab.* 2. *v.* 7.

Aliquot sequutus venit & retorridus,
Qui sæpe laqueos & muscipula effugerat.

Et A. Gellium, *Qui ab alio genere vitæ jam detriti &* retorridi, *ad literarum disciplinas serius adeunt.* Porrò, quia plerumque, qui tales sunt, incedunt vultu subtristi & ad severitatem compositô; inde *retorridum vultum*, pro severo, dixit Jul. Capitolinus *in Marco.* Vide Salmas. *ad Lamprid. d. l. ad Capitolin. in Maximo* & *Lamprid. in Commodo*, *c.* 11.

RETORTA, apud Guilielmum Brittonem, *Philippid. l.* 7. *p.* 170.

Quos multô vincit ferrô, multisque retortis:

vox medii ævi est, & superiorem virgam, quâ sepes continentur ac vinciuntur, notat, Italis *Ritorta*, Gallis *Riorte*. Cujusmodi vimineô cingulô strangulatos, patibulis olim affixos, notum. *In trivio cum retorta in pede sepeliri*, occurrit in *L.* Ripuaria *tit.* 43. Vide Car. du Fresne *in Glossar.*

RETORTORIUM, castrum Galliæ, vulgò *Ristier*, ad sinistram ripam Araris, in pago Dombensi, Villæ Francæ adversum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RETRO ambulandi, cùm Deo suo tensam duceret, ritum in Alagabalo Imperatore notavit Herodianus, *l.* 5. *c.* 6. Πᾶσαν τὴν ὁδὸν ὄπισθεν τρέχων ἔμπαλιν ἑαυτοῦ, ἀφορῶν τε ἐς τὸ πρόσθεν τοῦ Θεοῦ, πρός τε τὸ μὴ πταίειν αὐτὸν ἢ διολισθαίνειν, οὐχ ὁρῶντα ὅποι βαίνοι, γῆν τε ὡς χρυσίζουσαν παμπληθῆ ὑπέστρωτο: ubi *aurosâ arenâ viam, ne fortè, retortô vultu idolum aspiciens, sicque quà iret, non videns, laberetur, conspersam fuisse*, ait. At *retrocedendo*, rem sacram agen-

dam, *retrospiciendo* omne sacrum perdi, tradit Apollonius, *l.* 3. ubi de Hecates sacris,

> *Ξύλα τ' ἐπινηήσας θύειν μεμορημένος ἱλάσκευ·*
> *Ἂψ δ' ἀπὸ πυρκαϊῆς ἀναχάζεο. Μηδέ σε δοῦπος*
> *Ἠὲ ποδῶν ὄρσῃσι μεταστρεφθῆναι ὀπίσσω*
> *Ἠὲ κυνῶν ὑλακὴ μή πως τὰ ἕκαστα κολούσῃς*
> *Οὐδ' αὐτὸς κατὰ κόσμον ἑοῖς ἑτάροισι πελάσσῃς.*

Unde Virgilius, de iisdem sacris, *l.* 6. *Æn. v.* 223.

> ——— *Subjectam more parentum*
> *Aversi tenuêre facem, congesta cremantur*
> *Thurea dona, dapes, fusô crateres olivô.*

Sed & in aliis vetiti respectus. Ut apud eundem *in Pharmaceutria*, *Ecl.* 8. *v.* 101.

> *Fer cineres Amarylli foras, rivôque fluenti*
> *Transque caput jace, ne respexeris* &c.

Vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad Claudian. VI. Honor. Consul. v.* 329.

RETROCHORUS, apud Herbertum *de Miraculis*, *l.* 2. *c.* 21. *Quâdam itaque die, cùm in Ecclesia vespera cantarentur, & ipse stabat in* Retrochoro, *juxta quendam Monachum* &c. dicitur pars Templi post Chorum, sacella videl. Deiparæ Virgini ferè semper dicata, apud Monachos Benedictinos, unde & *S. Mariæ* nomine donantur, apud Adalbardum Abbatem in *Capitulis.* Eò Monachos infirmos & advenas Monachos, ut plurimum secedere ibique sacris interesse consuevisse, docet Car. du Fresne, ex *libro Ordinis S.* Victoris Paris. *MS. c.* 39. *Quamdiu frater in* Retrochoro *est, in tabula poni non debet. Infirmi, qui in Retrochoro sunt, ad Te Deum laudamus, ad Benedictus, ad Euangelium, debent stare, si possunt.* Sed &, qui tardiùs ad officium venerant, eódem secedebant, *Ibid. c.* 52.

RETROGARDA, nomen dignitatis & officii, apud Eund. in *Tabulario* Gratianopol. Ecclesiæ, sub Hugone Episcopo. *Et Comes misit homines suos, scilicet Joannem de Podio & Benedictum Botelarium suum & Petrum Chalnesium ministralem suum & Bernardum* Retrogardam *suam de Gratianopoli, id est, Bernardum Ruferium* &c.

RETROPRINCIPES, apud Lamprid. *in Severo* & in *Cod.* Theodos. non semel, dicuntur Principes, qui priùs regnavêre, Car. du Fresne *Gloss.*

RETZIN, Syriæ Damascenæ Rex ultimus, Achazum Judæ Regem ingenti clade affecit captivamque ab eo ingentem multitudinem Damascum abduxit, 2. Chron. *c.* 28. *v.* 5. dein junctus Pekacho Israëlis Regi cum eo Hierosolyma obsedit, sed expugnare non potuit, quippe *Virginis paritura* vaticiniô defensam, Esaj. *c.* 7. *v.* 1. & *seqq.* Eôdem tempore avertit Elatham ad Syros, & excussit Judæos ex Elothis, 2. Regum *c.* 16. *v.* 6. donec à Tiglath-Phulazere Assyriæ Rege Achazi precibus in auxilium implorato, captâ Damascô victus occisusque atque ita regno huic Damasceno (cujus conditor *Rezon* erat, ut videbimus) finis impositus est, *Ibid. v.* 9.

REU, fil. Phaleg. Gen. *c.* 11. *v.* 18. qui *Ragau* 1. Paral. *c.* 1. *v.* 25. dicitur: iisdem tamen consonantibus & punctis apud Hebræos. Latinè *socius*, vel *amicus*, aut *pastor*, sive *malum*, aut *confractio.*

REVALIA, urbs Livoniæ, à Waldemaro Dano condita A. C. 1223. sub Suecis, ab Ann. 156. cum arce munita in colle, & portu, in ora Sinus Finnici, 35. milliar. German. à Narva in Occasum. Gaudet emporiô celebri, estque Hanseatica. Vide Chytr. *Sax. part.* 1. Hujus cives, Mosci minis territi, urbem, unà cùm Hanriæ, Viriæ & Esthoniæ ditione, ob memoriam originis & Danorum antiqua in se merita Christiano III. Daniæ Regi jam seni, obtulerunt. Sed ætatem causatus Princeps animi moderati, se excusavit, atque aliquot aureorum millibus & commeatu ac pulvere tormentariô donatos amicè dimisit, A. C. 1558. Sic ad Suecos itum: quorum Rex Ericus, hâc illorum subjectione elatior, Polonicas in Livonia Danicasque ditiones lacessere cœpit: navigantes ad Narvæ emporium *Revaliam* iter flectere coëgit, onerarias naves Lubecensium detinuit, unde bellum atrox A. C. 1563. exortum, quô post varias utrinque clades, è portu *Revaliensi*, ductu Petri Munckii, triginta Suecorum naves onerariæ, abductæ sunt, A. C. 1569. ipsaque urbs à Magno, quem Livoniæ Regem Moscus dixerat, obsessa est: donec pax, Cæsare & Gallô Rege intercedentibus, Stetini est confecta, A. C. 1570. Oesiliaque & Diœcesis *Revaliensis* Friderico II. Daniæ Regi addictæ. *Revalia* verò & Wittensteonium Suecis mansit. Joh. Cluverus *Epitom. Histor. in Maximiliano II.*

REUCHLINUS Johannes, aliter Capnio dictus, Pfortzhemii, oppidô Marchionatus Badensis, natus, A. C. 1455. primus ferè literas Ebraicas & Græcas in Germaniam, socias jungente operas Rod. Agricolâ, importavit & feliciter propagavit: Juris quoque & Humaniorum literarum scientissimus. Grammaticam Græcam à se scriptam, titulô *μικροπαιδείας*, publicè Pictavii prælegit, A. C. 1480. Ibidem A. C. 1481. titulô Doctoris in Jure ornatus. Grammaticam Hebr. primus Latinè scripsit & edidit, A. C. 1506. unà cum Hebræo Lexico. A principibus magni habitus: interrogatus à Maximiliano I. Imperatore, quid de cremandis Judæorum libris sentiret? respondit, quæ blasphema exurenda, reliqua verò illorum scripta conservanda: Hinc illô famosis libellis in odium & invidiam vocatô, à Judæo Coloniæ baptizato cognominè *Pfefferkorn*, qui hoc consilium Imperatori suggesserat, ut omnes Judæorum libri, nudô Bibliorum textu exceptô, comburerentur, vel saltem igni adjudicarentur, quô grandi ære pro illis à Judæis dependô, ipse in partem lucri veniret; Liber ejus à Coloniensibus Monachis exustus, indeque magnæ utrinque lites ortæ sunt; quâ occasione tum Epistolas obscurorum virorum edidit. Scripsit quoque *de Verbo mirifico, de Cabala placitis &c.* Obiit Stutgardii A. C. 1521. ætat. 67. Testamentô libros suos Ebræos & Græcos collegio Phorcensi donavit, in templo publicè asservandos, quô ab omnibus inspici possint. Erasm. *in colloq. & adag.* Paul. Jov. *in elog. c.* 143. Melchior Adami *de Lit. Germ. &c.* Vide & *Johannes.*

REUDIGNI, populi German. quorum urbs *Reutlingen Lazio* in Sueviâ, Tubingæ finitima, inter illam 2. & Ulmam 9. leuc. *Althamerus* Cassubios, inter Pomeranos & Prussios, apud Dantiscum indigitat. *B.* verò *Rhenanus* Holsatos, vel Pomeranos. *Brietio* fuêre in Vindiliis, pars Suevorum, ubi hodie *Prignitz*, tractus Marchiæ Brandeburgensis. Dicti & *Redigni*, & *Toringi.*

REVELATIO, quâ mediante Deus voluntatem suam hominibus palàm facere dignatus est, duûm est generum, Naturæ una: Gratiæ altera. Quarum illa ad omnes homines, quibus non reliquit se *ἀμάρτυρον*, Actor. *c.* 14. *v.* 17. se extendit, hanc unicè suo populo indulsit: eamque in V. quidem Testam. multifariàm, *Multis enim vicibus multisque modis olim Deus loquutus Patribus in Prophetis*, Hebræor. *c.* 1. *v.* 1. in N. autem Test. uniformem, *Ultimis* namque *diebus hisce locutus est nobis in Filio*, Ibid. Itaque Israëlitis manifestavit se Deus, *per Somnia, per Urim, per Prophetas*, 1. Sam. *c.* 28. *v.* 6. per *Visiones, per Angelos, per voces*, &c. Vide Joël. *c.* 2. *v.* 28. extra ordinem nempe: Ordinaria enim *Revelatio*, à Moysis tempore, facta est per Verbum scriptum: quod enim Legem Moysi commissam, in monte Sinai, duplicem Rabbini faciunt, videlicet תורה שבכתב *Thora Schebiktab*, i. e. *Legem scriptam*; & תורה בעל פה *Thora begnalpe*, i. e. *Legem per traditionem datam*, quam *Kabbalam* vocare solent, illis relinquimus. Ad priores Revelationis modos ut redeam, licèt multiformes illi, ut visum est, fuerint, quatuor tamen eorum præcipuos faciunt Scriptores Hebræi, quos *gradus Prophetiæ* vocitare solent, P. Fagius *in Exod. c.* 28. Horum I. illis dictus est נבואה *Nebuah* i. e. *Prophetia*, cùm videl. DEUS voluntatem suam, per visiones & apparitiones varias, hominibus manifestavit. II. רוח הקדש, *Ruach Hacodesch*, h. e. *Inspiratio Spiritus Sancti*, cùm absque visione vel apparitione, ad Prophetiam, homo idoneus fuit redditus: quem modum à priori in eo quoque distinctum fuisse volunt, quòd in illo homines extasin passi sunt, non verò in isto, ut in Hiobo, Davide, Daniele, apparet. Ambas verò has *Revelationis* species, ut & tertiam, de qua pòst agetur, in secundo Templo, locum non habuisse ampliùs, sed cessâsse, dicunt: Unde veteres eorum Doctores dicere soliti sunt, *Post ultimos Prophetas Haggaeum, Zachariam & Malachiam, Spiritum S. ab Israële discessisse*, i. e. non ampliùs, inspiratione suâ extraordinariâ, ad munus Propheticum homines aptos reddidisse. Quò forsan respexerunt illi Discipuli, qui Paulo interroganti, *Num Spiritum S. accepistis?* responderunt, *Imò sit ne Spiritus S. ne audivimus quidem*, Actor. *c.* 19. *v.* 2. III. *Urim & Thummim*, quæ duo ornamenta erant Pectoralis Sacerdotis Summi, & in rebus magni momenti, Regi vel etiam Patri Synedrii, per Sacerdotem summum ritè sciscitanti, divinam significabant voluntatem. Quod quomodo contigerit, in abdito est. Quidam enim, per illa intelligentes quatuor illas gemmarum series, quæ in Pectorali erant, harum vel splendore vel caligine futura prænuntiata fuisse, contendunt. Vide Joseph. *Jud. Ant. l.* 3. *c.* 9. Alii iis nominibus intelligunt vocabulum *Jehovah*, in duplicatione Pectoralis positum, Exodi *c.* 28. *v.* 16. Vide R. Salomon. apud D. Kimchi *in rad.* Nonnulli per *Urim & Thummim*, nomina intelligentes XII. Tribuum, in quibus omnes Alphabeti literæ continebantur, oraculum respondisse literis supra reliquas eminentibus, vel etiam sese mutuò in syllabas vocesque jungentibus, ajunt, qua de re vide Talmud *in Joma, c.* 6. Fagium, *locô cit.* & infrà, in voce, *Urim & Thummim.* IV. & ultimus *Revelationis* modus, בת קול, *Bath Kol*, i. e. *filia vocis*, vel *Echo*, vox dicta est cœlitus audita, quam etiam secundô Templô stante Dei voluntatem populo suo subinde declarâsse, ajunt. Et certè *Φωνὴ ἐξ οὐρανῶν, vox è cælo*, CHRISTO testimonium perhibuit, Matth. *c.* 3. *v.* 17. eratque velut Prologus, Præfatio vel Typus *Verbi illius æterni*, quod Patris voluntatem hominibus patefecit, ultimis temporibus. Vide Joh. *c.* 1. *v.* 18. & plura de his apud Thom. Godwynum, *de Ritibus Hebræorum*, *l.* 4. *c.* 8.

REVERENDÆ, in Concilio Tridentino dimissoriales literæ, Dom. Macer. *in Hierolex.*

REVERENDUS, nomen proprium Viri, apud Jul. Capitolin. *in Gordiano III. in Ep.* Gordiani ad Misitheum Socerum & Præf. *c.* 25. *Quid enim facerem, quòd nos Maurus venderet, & consiliô cum Gaudiano &* Reverendo *& Montano habitô vel laudaret aliquos vel vituperaret & illorum consensu quasi testium, quod dixerat, approbarem* &c.

REVERENTIA, titulus honorarius, apud Anselmum, *l.* 2. *Ep.* 12. alibique, etiamnum inter Viros Ecclesiasticos receptus. *Reverentiæ* verò apud Odonem de Diogilo, salutationis sunt impensa officia, Gall. *Reverences.* Ita enim is *de Profect. Ludovici VII. in Orientem*, *Polychronias eorum suscipit, sed vilipendit: Sic enim vocantur* Reverentiæ, *quas non solum Regibus, sed etiam quibuslibet suis Majoribus exhibent, caput & corpus submissiùs inclinantes vel fixis in terram genibus vel etiam se totô corpore prosternentes.* Ubi *Polychronia* quid sint, diximus suprà. Eôdem ferè modô *reverentias* suas Monachi facere jubentur, apud Udalricum, *in Consuetudinibus Cluniac. l.* 2. *c.* 2. Vide quoque infrà in voce *Venia*; nam & sic dicuntur. In *Ceremoniali Rom. l.* 3. *sect.* 1.

inte-

Integrum caput extat *de Reverentiis, qua Rom. Pontifici exhibentur.*

REVERSATUS Panis, apud Isidorum, *Origin. l. 20. c. 2. Panis subcinericius, cinere coctus & reversatus. Ipse est & focatius*: est panis inter coquendum versus. Sic Hieronymus, *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur*, ubi explicat verba Oseæ, *c. 7. v. 8.* Græcis ἐγκρυφίας, ὁ μεταστρεφόμενος. Columella dixisset, *Panis qui non versatur*: ut cùm jubet aviarium *gallinarum ova manu versare, ut æqualiter calore concepto facile animentur. l. 9. c. 5.* Pro quo Florentinus. *Geopon. l. 14.* Μεταστρέφειν τὰ ὠὰ, ait. Consertur autem Oseæ, *l. cit.* Ephraim cum *pane subcinericio, qui inter coquendum non fuit versus*; ac proin partim coctus est, partim crudus, ita ut meritò dubites, sitne panis, an mera massa. Neque enim perfectè hujusmodi panis coquitur, nisi vertatur: Coquitur namque in cinere calido, in quo sepultus latet, unde ei ἐγκρυφίας nomen. Idem ἰπνίτης dictus est, à *foco*, in quo paratur. Fuit is in usu Rhodi, inter panem & placentam medius, teste Polluce, & melle condiebatur, tantæ proin suavitatis, ut eò vescentes vix satiarentur & inter edendum semper esurirent, uti ait Lynceus Samius apud Athenæum, *l. 3.* Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 24.* & hic non unò locò. De *Armis reversatis*, quorum mentio apud *Heraldica Artis* Scriptores. Vide suprà in voce *Arma.*

REUMVISIUS, pagus & mons Armoricæ, à quo Monasterium S. Gildæ, in Venetica diœcesi, vulgò *S. Gildas de Ruys* nuncupatur: Alterum enim Monasterium, S. Gildæ, in Namnetibus situm, *in Nemore* cognominatur, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

REUNCTORES, Plinio, *l. 29. c. 1.* ac Celso memorati, inter Gymnasiorum olim ministros erant, sic dicti, quòd corpora jam exercitata ungerent *resungerentve*. Illi enim, qui vel loturi, vel sese exercitaturi in Gymnasium veniebant, majori ex parte spoliabantur in Apodyterio: posteà horum nonnulli, & præsertim, qui vel luctam, vel pancratium inire intendebant, Aliptérium ingredientes, illic ungebantur, sicque ad Conisterium transeuntes, pulvere ibi conspergebantur atque hôc modò præparati in exercitationes diversas diversi prodibant. Postquàm verò sese, quantum libuerat, exercuissent, ad Alipterium seu Unctuarium redeuntes, ibi à *Reunctoribus*, strigilibus ferreis, de quibus Martialis, *l. 14. Epigr. 51.*

Pergamus has misit curvò destringere ferrò,
Non tam sæpe teret lintea Fullo tibi:

detergebantur; in qua detersione oleum, pulvis & sudor, quæ deradebantur, simul mixta in usum Medicum adservabantur, & ab Atticis κονίσαλον, ab aliis verò πάτος vocabantur, ut ex *Dioscoride, Plinio, Galeno & Aëtio* discimus. Detersi tandem iterum diligentiores aliqui, valetudinis aut deliciarum gratiâ, ungebantur, & nonnunquàm reuncti balnea adibant, ex illisque regressi denuo ungebantur, ut latiùs dicemus infrà, ubi de *Unctuario*, & *Ungendi ritu*. Alii ab his fuêre Iatraliptæ, de quibus *suò locò*: Sed & servi, qui ad præscriptum Gymnastæ, aut Pædotribæ, modò nudis manibus, modò unctis, modò cum linteis, mollibus, duris, mediocribus, prout opus erat, corpora fricabant, diversum ministrorum genus fuisse videntur. Vide eundem Mercurialem, *l. eâd. c. 12. ubi post Frictores, demum Reunctores locat.*

REUNERUS Elias, vide *Elias.*

REVOCANDI in Suffragia prærogativam Centuriam mos, apud Romanos olim, occurrit, apud Livium, *l. 24. c. 9.* subfinem Fabianæ concionis, *Lacus Thrasimenus & Cannæ, tristia ad recordationem exempla: & ad præcavendas similes Duces documento sunt* ——— *Præco, Aniensem juniorum* (cui sors prærogativa exiit) *in suffragium revoca.* Hucusque concio Fabii; sequitur: *Quum T. Otacilius ferociter eum continuare Consulatum velle vociferaretur atque obstreperet, lictores ad eum Consul accedere jussit* &c. Quibus verbis Consul denuo tribum citare præconem jubet. Nempe prærogativæ Centuriæ tanta apud Veteres auctoritas fuit, ut nemo eam unquam tulerit, quin renuntiatus sit. Quod quidem religionis specie invaluisse videtur, quando inesse principiis omnia putabant, ne principium suffragiorum vanum & irritum toti negotio malam scævam objiceret. Sed tamen, ut multa Romanorum superstitiosa, idem & inter arcana potentiæ Optimatium censeri debet atque utilissimum inventum Servii Tullii, quo comparavit, ut Comitia maxima, h. e. ipsa vis Reip. & majestas, illorum in manibus, absque tenuiorum invidia, essent, hac religiosâ observatione mirificè stabilitum est. Quoniam igitur populus ut plurimum sequebatur prærogativarum voluntatem, ut ait *Asconius*, ne quô casu tam ratum suffragium redderetur irritum; si causa intercederet, quamobrem is, qui earum punctatulisset, Magistratum cum gerere non posset, mos fuit *revocari eas in suffragium* & habitâ consultatione alios designare. Quod hîc factum Livius innuit, verbis: *Præco Aniensem juniorum in suffragium revoca.* Præcones enim apparebant Consulibus Comitia habentibus, qui tribus ad suffragia ineunda citarent & creatos Magistratus renuntiarent. Pergit Livius, *Iterum prærogativa suffragium init, creatique ab ea Consules Q. Fabius Maximus quartùm, M. Marcellus tertiùm. Eosdem Consules cætera centuria sine ulla variatione dixerunt.* Quibus verbis, quæ de secunda suffragio prærogativæ, si ratum non esset prius, diximus, apertè docet. Inprimis verò hunc morem revocandi suffragia, totamque rem, quæ plerumque cum istis solet conjungi, egregiè illustrat narratio, *l. 26. c. 22. Fulvius Romam Comitiorum causâ arcessitus, quum Comitia Consulibus rogandis haberet, prærogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium Torquatum & T. Otacilium.* Mox de Manlio, excusante valetudinem oculorum *petitque, ut pauca sua verba audiret, centuriamque, quæ tulisset suffragium, revocari juberet.* Iterum, *proinde si videretur, redire in suffragium Veturiam juniorum juberet.* Rursus, *Tum centuria & auctoritate Viri mota & admirantium circa fremitu, petiit à Consule, ut Veturiam seniorum citaret.* Denique, *citatis Veturia senioribus, datum secretò in Ovili cum his colloquendi tempus* &c. Vide eundem Livium quoque, *l. 45. c. 36. & 39.* Uti autem prærogativæ inter cæteras maxima erat auctoritas, sic apud ipsas prærogativas magna fuit eorum, qui in illis primi scivissent: unde honori quoque id illis ducebatur, atque, ut Senatusconsultis qui scribendo adfuissent, ita Legibus & Plebiscitis qui primi scivissent, eorum tanquam Auctorum nomina præ cæteris consuevisse præscribi, discimus ex Cicerone *prò Plancio*: unde toties apud Veteres occurrit, *Principium fuit, Primus scivit*, ut videre est *suprà.* Plura hanc in rem quære apud Joann. Frid. Grondv. *Observation. l. 4. c. 1.* Vide quoque in voce *Prærogativa.* Apud Athenienses verò ἀναψηφίζειν, seu *in suffragia revocare populum*, Prytanibus non licebat, ut dicemus infrà voce *Suffragium.*

REVOCATI Nummi, quinam ab Antiquariis dicantur, vide suprà *Restituti Nummi.*

REVOCATUS, vir, qui prò fide Christiana leopardis devorandus traditus est, imperantibus apud Romanos, Valeriò & Gallienò, sub Tatuntio præside.

REVOLUTIO Animarum, Hebr. גלגל נשמות, seu *Secretum revolutionis*, סוד הגלגל, dicitur Judæis modernis dogma de Animarum transmigratione, quod à Pythagora, cui id Ægyptii tradiderant, haustum, non pauci eorum amplectuntur. Unde quemadmodum de Pythagora referunt, Diogenes Laërtius, *l. 8.* & Lucianus, *Gallô*, eum dixisse, se primùm fuisse Æthalidem Mercurii filium, inde Euphorbum Panthogenitum, mox Alpasiam nobile Periclis scortum, deinde Cratetem Cynicum: vel primùm Euphorbum, secundò Callidem, tertiò Hermotinum, quartò Pyrrhum, tandem Pythagoram, ut habet Hier. contra *Ruffin. c. 10.* sic Judæi dicunt, animam Adami per secretum revolutionis transmeâsse in Davidem; Davidis verò in Messiam, qui propter Judæorum peccata adhuc lateat. Atque hoc etiam ex literis nominis Adam colligunt, quas Kabbalisticè resolvunt in אדם . דוד . משיח, *Adam, David, Maschiach.* Vide Jac. Ouzelium, *Animadversion. Minucianis, p. 202.* ubi etiam de veteribus Judæis, item de Simone, Mago, Manichæis, aliis idem sentientibus quædam, nec non suprà voce *Metempsychosi.*

REUS, Actori oppositus est. Postquàm enim privatus civis, qui privati nomen deferre in animo habuit, eum in Jus vocavit, & Prætorem in Foro adiens, dicendi potestate acceptâ, postulavit, ut sibi nomen ejus deferre liceret, re impetratâ, nomen detulit, quô receptô atque à Scribis, Prætoris jussu, in tabulas relatô, ille *Reus* est dictus; priùs verò accusator *Calumniam jurabat*, i. e. concipiebat solemne jusjurandum, se non calumniandi causâ nomen delaturum esse. Liv. *l. 44.* Cœlius apud Cicer. *Ep. ad Famil. l. 8. Ep. 8.* & Asconius, *in Cornelianam.* Receptô sic *Rei* nomine, Prætor certam diem, quâ Accusator & *Reus* ad judicium adessent, constituebat: quæ dies in aliis legibus decima, in aliis tricesima fuit. Quibus actis *Reus* vestem mutavit, i. e. Togâ albâ depositâ, atram induit, & barbam capillumque promisit, squaloreque contractô Populi misericordiam movere solitus est. Quòd enim de Scipione Æmiliano Gellius, *l. 3. c. 4.* de Macro *Plut.* de Rutilio Val. Max. *l. 6. c. 4. ex. 4.* contrarium referunt, id planè singulare fuit. Vide de hoc *Reorum* squalore, præter Veteres Jac. Cujacium, *Observat. l. 6. c. 5.* & Rad. Fornerium, *Rerum Quotidianar. l. 4. c. 5.* Unde Tertulliano, *de Anima, c. 39. Capite reatui vovere* est comam reorum more promittere; contrà *detrahere sordes*, apud Senecam, *de Benefic. l. 2. c. ult.* reum liberare est &c. Berneggerus *ad Justinum*, *l. 36. c. 4.* qua de re & nos hic passim. Inde Patronos conquisivit, de quibus *Asconius* annotavit, ante bellum civile Cæsaris rarò quenquam pluribus, quàm quatuor Patronis, fuisse usum, posteà verò, ante Legem Juliam, ad duodenos esse perventum. Imò & præter hos Laudatores quoque adhibuit: qui fuêre aut summâ auctoritate cives, qui in periculo capitis vitam *Rei* laudabant; aut ejus municipes; quos Municipia publicò nomine, ejus officii causâ Romam mittebant; aut homines provinciales, singulæ provinciarum ab eo administratarum civitates, cum publica laudatione, ab sublevandum illius periculum mittere solebant: qui minimùm decem dabantur: Accedebant & alia *Reo* auxilia, à Magistratibus, si Tribuni Plebis aut Collegæ accusatori aut alteri Magistratui intercessissent: à Populo, cùm is prò *Rei* salute supplicaret: à Lege, si qua res diem judicii aut auspiciis aut excusatione sustulisset: ab ipso tandem Accusatore, si, acceptâ excusatione, aliave de causa, aut diem produxisset, aut omnino incepto destitisset, ut apud Livium videre est in Judicio Appii, Scipionis, P. Manlii & Acilii; item, apud Ciceronem, *in Epist. ad Fr.* de Milonis judicio, intentato à Clodio: ubi formula *Rei* dimittendi fuit, *Nonmoror*, Liv. *l. 4.* &c. Quòd si *Reus* per Præconem ex Rostris citatus ab Accusatore non adfuisset, in arcem, & ante fores, per Cornicinem evocabatur. Unde Plut. *in Gracchis, Moris est Romanis, si quis capitis anquisitus non adsit, Cornicinem, summò manè ad fores ejus venientem, classicô excitare, neque priùs de eo Judices sententiam ferre.* Inde si ne ita quidem adfuisset, exilium ei sciscebatur; aut, si exilii causâ solum vertisset, et justum id esse exilium jubebatur. Liv. ubi de Posthumio & Fulvio. Si verò adesset, dum Accusator agebat, ipse, sub Rostris abjectus, Adolescentum conviciis stabat expositus: ad dicendum posteà tres ei horæ datæ; dumque Judices in dicenda sententia essent occupati, ipse ad pedes eorum jacebat prostratus. Asconius *in Orat. pro Scauro.*

&

& Val. Maximus, &c. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. toto libro 9. qui est de Judiciis:* Addo saltem, nonnunquam sub Patrono, nonnunquam supra eum, *Reum* sedisse, uti videre est suprà, voce *Populus:* & cùm *Reus* ad supplicium ducebatur, *spolia* appellata fuisse pannicularia illa, quæ indutus erat, *l. 6. ff. de bon. damnat.* unde *spoliari* dicebantur, cùm vestes eorum exuebantur, quæ à lictoribus plerunque distrahi & inter eos dividi solebant. Præses enim Provinciæ eas pro lubitu illis donabat, vel milites, qui fortiter fecerunt, aut etiam Barbaros, Legationis causâ ad se venientes, inde munerabatur, Ulpianus *d. l.* Unde obiter intelligimus, quâ juris specie Milites vestimenta nostri Crucifixi vindicaverint: haud dubiè enim à Pilato, qui pro Præside tunc Provinciis præerat, fuêre iis donatâ. Vide Anton. Matthæum, *Tract. de Crimin. ad l. 48. tit. 17. c. 6.* ut & Matthæum Euangelistam, *c. 27. v. 35.* Apud Athenienses, quicum *Reis* actum, explicat pluribus Sam. Petitus, *Comm. in LL. Attic. toto l. 4. de LL.* & *l. 7. de Sicariis,* è quo unum hoc libet adspergere: Insidebant Actor & *Reus* duobus argenteis scabellis, quorum illud, cui Actor insidebat, ὕβρεως i. e. *Contumeliæ;* alterum, cui *Reus,* ἀναιδείας, i. e. *Innocentiæ,* vocabatur. Pausan. *in Atticis* ἀργυροῦς λίθους vocat: Meliorque *Reo* & potior locus, qui dexter, & *Innocentiæ* dictus, assignabatur, ut vel hinc Actori æquaretur. Ita enim argumentatur Aristoteles *in Problem.* dextrum seu potiorem locum semper apud Judices *Reis* assignari: Διὰ τί ποτε τῷ φεύγοντι ἐν τῷ δικαστηρίῳ τὴν δεξιὰν (τὴν κρείττονα legit Gaza) τάξιν διδόασιν: ἢ διότι ἐκ παντὸς βοηθεῖν βούλονται; πλεονεκτοῦντος δὲ τοῦ διώκοντος, τὴν τάξιν τῷ φεύγοντι διδόασιν. Vide quoque Franc. Rossæum *Archaeol. Att. l. 3.* Apud eosdem mos *Reos* honoratiores Athenas mittendi, ut Magistratibus traderentur judicandi, indigitatur C. Nepoti *in Phocione, c. 3.* Quod & apud Romanos invaluisse, notat *ad Sidonium, l. 7. Ep. 7.* atque moribus his ac Senatusconsultis locum dedisse in suis Capitularibus Carolum M. docet Savaro. Vide quoque Diodorum, *l. 18.* & Plut. *in eodem Phocione.* &c. uti de more *Reos interrogandi,* suprà voce *Interrogatio:* vestes eorum, pro iis, cædendi, infrà in *Vestis.* Hinc *Reatus,* quâ voce Messallam Oratorem primum usum esse, discimus ex Quintiliano, *l. 8. c. 3.* posteriores dein crebrò usos, ostendit G. Stewechius, *Electis suis ad Arnobium, l. 6.*

REUS voti, apud Statium, *l. 6. Thebaid. v. 198.*

Jupiter, hunc crinem voti reus antè dicâram:

juxta vet. Scholiastem, *obligatus est voti servandi.* In alio libro, *Reus, qui debet votum; damnatus, qui solvit.* Macrob. *Saturnal. l. 3. c. 2. Virgilius: Constituam ante aras voti Reus. Hæc vox propria sacrorum est, ut reus vocetur, qui Numinibus suscepto votó se obligat; damnatus autem, qui promissa vota jam solvit.* Quem locum non rectè cepit Alciatus, *Comment. ad cap. VI. de verb. signif.* rectè autem sic emendavit Jos. Castalio, *Observat. l. 3. c. 9.* Vide quoque Servium, *ad Virgilium d. l.* & Barthium *ad Statium.*

REUSNERUS Bartholomæus, Uratislaviâ Silesius, ex perantiqua & viris clarissimis refertissima gente, Jus docuit Wittenbergæ, ab A. C. 1594. Theologus præterea, Mathematicus, Musicus & Poëta insignis, obiit A. C. 1629. ætat 64. Scripsit nonnulla, *Commentar. inter alia in VII. Leges difficillimas.* Alius, *Jeremias,* natus Lembergæ in Silesia, A. C. 1590. à patruo Nicolao Comite Palatino & Juris Professore Jenensi educatus, Wittebergæ Professor juris & Assessor Judicii Aulici constitutus, A. C. 1621. obiit A. C. 1652. ætat. 63. *Nicolaus* hic, à Wolphgango Comite Palatino Ducéque Bavariæ ad Scholam Lauingensem, pauló antè à Joh. Sturmio ad formam Argentoratensis emendatam, vocatus, Græcos Latinosque Auctores ibi quinquennium explicuit; Juris dein Doctor Basileæ creatus A. C. 1583. Argentorati primùm, exin Jenæ, Jus docuit; Legationibus dein variis feliciter defunctus, à Rudolpho II. Laurum Poëticam & Comitivæ dignitatem obtinuit, Insignium quoque Gentilitiorum accessione mactus. Obiit A. C. 1602. ætat. 58. Scripta ejus *Philologica* partim, partim *Juridica,* plurima sunt, ut & *Historica* non pauca. Scripsit enim *Elegias, Heroica, Odas, Philothesia, Sylvas, Epigrammata, Anagrammata, Emblemata, Paradisum libb. VII. distinctum* &c. *Monarcharum libb. totidem, Principum Germaniæ sive Electorum libb. III. Hodœporica, Germaniæ Urbes Imperiales, Icones Viror. literis seu armis illustrium* &c. *Stemmatum libb. III. Ænigmatographiam, Orationum panegyricar. Volumina II. Ethicam Philosophicam & Christianam; Tract. de Ultimis Voluntatibus, Medullam Juris* seu *Mnemonicum, Legum corpus cum Notis* seu *Brachylogum totius Juris* &c. Melch. Adami *Vitis JCtorum.* Vide quoque Paul. Freherum *Theatro Virorum erudit. clarorum.*

REUTLINGA, urbs Imperialis, sed parva, in Ducatu Wirtembergic. nomen accepit ab extirpando, *reutten, aussreutten,* quòd arbores ex sylva, quæ ibi fuerat, extirpatæ sint, & urbs condita, ad amnem præterfluentem *Echez,* & fluv. Nicrum. Imperii civitatibus ascripta est à Friderico II. Imperatore eòdem auctore murò vallòque circumdata, circa A. C. 1215. vel ut alii, A. C. 1240. vel 1282. postquam ultimus pagi dominus Rudolfus Comes Achalmensis, absque hærede decessisset: è cujus ditione vicini quidam pagi ab eodem Imperatore urbi donati sunt: quorum hæc beneficiorum memor tenaciter Friderico adhæsit, proin ab Henrico Thuringiæ Principe, Anti Cæsare, obsessa A. C. 1247. Regitur urbs purè Democraticè, aërem habet salubrem & porum, multisque insignibus privilegiis donata est. Plura suppeditabit Limnæus Enucl. *l. 4. c. 49.* Distat 2. milliar. German. à Tubinga in Ortum, Ulmam versùs 10. & 5. à Stutgardia in Meridiem.

REX, nomen proprium & gentilitium, apud Romanos: uti *Malchus,* nomen Regis Nabathæorum, apud Hirtium, *de Bello Alexandr. c. 1.* quem Μαλίχαν appellat *Periplî* auctor, item cognomen Porphyrii Philos. ab Hebr. *Melech,* quod *Regem* notat. Sic apud Horatium, *l. 2. Serm. Sat. 7. v. 1.* *Rex Rupilius* occurrit,

Proscripti Regis Rupili *pus, atque venenum*
Hybrida quo pacto sit Persius ultus ———

Et pauló pòst, *v. 9.*

Ad Regem *redeo* ———

Vide Salmas. *ad Solin. p. 1264.* Idem cognomen Jovis, cui, inter alios Deos, sacrificare olim tenebantur, qui Trophonii oraculum erant consulturi. Pausanias *Bœoticis,* θύει γὰρ δὴ ὁ κατιὼν αὐτῷ τε Τροφωνίῳ καὶ τοῦ Τροφωνίου τοῖς παισί, πρὸς δὲ Ἀπόλλωνί τε καὶ Κρόνῳ καὶ Διὶ ἐπίκλησιν Βασιλεῖ κτλ. *Immolat enim, qui huc descendit Trophonio & filiis, Apollini præterea, Saturno & Jovi, cui Regi cognomen* &c.

REX, inter Magistratus ordinarios, primis temporibus, apud Romanos principem tenuit locum: *Urbem* enim *Romam à principio Reges habuêre,* Tacitus, *Annal. initiò.* In quorum creatione qui ritus fuerint observati, diximus suprà, in voce *Regnum.* Potestas officiumque *Regis* verò erat, primùm, ut sacra curaret atque sacrificia, perque illum gereretur, quidquid ad placandos Deos attineret: Dein, ut legum ac morum patriorum haberet custodiam; utque de injuriis gravissimas causas ipse decerneret, leviores Senatoribus permitteret, providendo interim, ne quid peccaretur in Judiciis: utque Senatum cogeret, Populum in concionem convocaret, primus sententiam diceret, quodque pluribus placuisset, haberet ratum. Præter quæ summum ei in bello Imperium erat, Dionys. *l. 3.* Liv. *l. 1. Dec. 1.* &c. Insignia, quibus præ cœteris internosci & à Populo discerni possent, erant varia: Incedebant ornati purpurâ & togâ purpureâ, sedebant in sella curuli, habebant circa se lectos juvenes robustissimos 300. qui *Celeres* dicti; alios insuper ministros 12. succinctis vestibus & expeditos, ad plectendum facinorosos, *Lictores* dictos, qui ipsis Curuli sellâ vectis præferrent fasciculos virgarum, intra quas obligata securis erat, sic ut ferrum in summo fasce extaret, Plut. *in Problem.* Tarquinius Priscus insuper Togâ pictâ, sellâ eburneâ, coronâ aureâ, sceptròque itidem eburneò, in cujus apice Aquila, permissu SPQ. usus est. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 3.* &c. Post Romulum, Urbis Regnique conditorem, per sicarios à Patribus subornatos, confectum, quòd nullos ex Hersilia conjuge filios susceperat, Regnum electionis jure ad Numam delatum est; quem Tullus Hostilius excepit: post quem, nepos Numæ Ancus Marcius præfuit, qui tutorem Priscum, ab Hetruria advenientem, filiis suis post obitum Tutorem designavit. Sed hic *filiis relictis, Regnum intercepit, Aurel. Victor.* Verùm posteà, à genero suo Tullio, insidiis illorum, sublatus est: quò iterum à Prisci nepote, an filio, Tarquinio Superbo, interfectò, hic Regum ultimus aliquandiu rerum est potitus. Verùm cùm in Senatum cædibus, in Matronas libidine, in omnes superbiâ grassaretur, Brutò Collatinòque Ducibus, Populus Rom. illum expulit, *Regumque* abolitâ potestate, in libertatem se asseruit, Democratiâ institutâ. À quo tempore etiam nomen *Regis* adeò mansit exosum, ut Jul. Cæsar, cùm id reducturus quosdam subornâsset, qui illud sibi acclamarent, à populo autem non sine execratione illud accipi audisset, *Non Rex sum, sed Cæsar,* amicis acclamantibus, velut illos corrigens, regessisse legatur. Vide Sueton. *Cæsare, c. 79.* ut & in voce hac. At quam appellationem primi Imperatores abominari visi sunt, proxima ætas frequentavit. Sanè etiam apud Tacitum *Regnum* appellari aliquoties Roman. Imperium, adnotârunt Eruditi, & *Domus regnatrix* statim initiò apud eundem. Atque multum interfuit, ætate præsertim illâ, inter Imperatorem, qui *Princeps* dictus est initiò, & Regem. Unde Suetonius de Cajo Caligula, *c. 22.* *Nec multum,* inquit, *abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque PRINCIPATUS in REGNI formam converteret.* Sed quod tentavit hic furiosus, perfecit posteà sobrius Princeps Aurelianus, ut in ejus vita Latini Græcique observant. Sumsit enim diadema primus & reliqua *Regum* insignia. Imò multò ante Latini Scriptores cœperunt ita loqui, uti diximus. Sic in *Hadriano* Spartianus, *c. 23. servi Regis:* alibi apud Scriptores *Historiæ Aug. Statio regia, ornamenta Regia, Sedile regium,* & *Regale Imperium* Vopisco, ἡ αὐτοκρατορία. *Regina* Lampridio, *in Alexandro,* pro *Augusta.* Græcis verò jam inde ab initio Βασιλεῖς & Βασιλεῖα, sed per catachresin & adulationem: cùm ipsi Imperatores, ut scribit etiam *Appianus,* eam appellationem non admitterent; certè non usurparent, neque in Epistolis Latinis, neque in Græcis, uti patet ex loco insigni Synesii περὶ Βασιλείας, ubi Βασιλέας noluisse Imperatores vocari, Αὐτοκρατόρων appellatione contentos, ὁ δὲ αὐτοκράτωρ ὄνομα στρατηγίας ἐστί. *Autocrator autem nomen est Ducis exercitus,* pluribus docet. Posteà verò labefactatò Imperiò, cùm à Francis, Gothis, Vandalis, aliisque Barbaris, regna diversis locis essent constituta, *Regisque* nomen à novis Dynastis usurpatum, eviluit apud Romanos & *Regis* & *Regni* appellatio; neque illos Græci Βασιλέας, sed Ῥῆγας appellant; unâ voce in duas notiones discerptâ. Procopius, *Gothicorum l. 1.* de Theodorico, qui Romam & totam ferè Italiam obtinebat, Καὶ Βασιλέως μὲν τοῦ Ῥωμαίων οὔτε τοῦ σχήματος, οὔτε τοῦ ὀνόματος ἐπιβατεῦσαι ἠξίωσεν· ἀλλὰ Ῥὴξ καλούμενος διεβίω. οὕτω γάρ σφῶν τοὺς ἡγεμόνας οἱ βάρβαροι καλεῖν νενομίκασι. *Et Basilei quidem Romanorum* (h. e. Imperatoris) *neque habitum, neque nomen invadere sustinuit, Sed* Rex *vocatus est. Ita enim suos Duces Barbari appellandos censuerunt.* Certè apud eosdem, etiam Regum filii *Reges* appellati, unde apud

apud Gregorium Magnum, *l. 3. Dial. c. 31.* Hermenigildus Rex Leovigildi Regis filius; & apud Gregorium Turon. *l. 3. c. 22.* Theodebertus, Theodorici Regis fil. ut & *l. 14. c. 13.* Chramnus Chlotarii itidem Regis, filius, *Reges* nuncupantur. vide Casaubon. *ad Spartian. in Hadriano Imp. c. 13.* & Car. du Fresne *Glossar.* Jo. Casp. Suicerum in voce Ῥὴξ, nec non suprà, in voce *Basileus.* Redeo ad veteres Romanos. Quamvis verò tantopere *Regis* illi nomen aversarentur, quia tamen & sacra quædam per *Reges* factitata fuerant, necubi *Regum* desiderium subreperet, *Regem sacrificulum* crearunt Romani, de quo *infrà.* De regimine autem septem illorum primorum Regum, ita Florus, *l. 1. c. 8.* *Hæc est prima ætas Populi Romani & quasi infantia, quam habuit sub Regibus septem, quâdam Fatorum industriâ, tam variis ingenio, ut Reip. ratio & utilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, ut invaderet Regnum. Quid Numâ religiosius? ita res poposcit, ut ferox populus Deorum metu mitigaretur.* Quid, *ille militiæ artifex Tullus? bellatoribus viris quàm necessarius! ut acueret ratione virtutem! Quid ædificator Ancus? ut urbem coloniâ extenderet, ponte jungeret, muro tueretur. Jam verò Tarquinii ornamenta, & insignia, quantum principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus à Servio census quid effecit, nisi ut ipsa se nosceret Resp. Postremò Superbi illius importunâ dominatione factum est, ut agitatus injuriis Populus, cupiditate libertatis incenderetur.* Hodie qui *Reges Romani* in Imperio vocantur, qualis ultimus fuit Ferdinandus IV. Imperatoris Leopoldi Augusti Frater, titulum hunc, velut indubitatæ successionis Imperatoriæ pignus, habent: quemadmodum in veterum Cæsarum Historiis legimus, destinatos Imperio successores, *Principes Juventutis, Cæsares,* & *Nobilissimos Cæsares,* fuisse appellatos, Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 3.* Apud Athenienses, ab initio similiter *Reges* fuerunt, quorum ultimus Codrus, cùm fortiter pugnando occubuisset: Resp. per Archontes, perpetuos primò, dein decennales, tandem annuos, administrari cœpit. Horum novem cùm essent, quorum unus *Archon* dicebatur, signabatque Fastos, alter *Rex* vocabatur, tertius *Polemarchus*, reliqui seu *Thesmothetæ*, Pollux, *l. 8. c. 9.* Qui cùm omnes, antequam Magistratum capesserent, apud Senatum Quingentorum & Judices, vitæ morumque [illegible] subjici solerent, de *Rege* peculiariter inquirebatur, εἰ ἀφελής; *An integri corporis esset, necne?* ut scribit *Grammaticus.* quod tamen & de reliquis Novemviris intelligi vult Petitus. Hoc verò extra dubium, *Regem* non nisi uxorem civem atque virginem ducere potuisse, ex lege, perscripta in columna lapidea, juxta aram Bacchi ἐν λίμναις, τὸν τοῦ βασιλέως γυναῖκα αὐτοῦ εἶναι καὶ παρθένον γαμεῖν. Quod sancitum est, propter ea sacra, quæ cum uxore sua Rex curabat, ne quid secus & præter ritus patrios in iis fieret. Vide Demosth. *contra Neæram,* Sam. inprimis Petitum, *Commentar. in Leges Atticas, l. 2. tit. 3.* & & Franc. Rossæum, *in Archæol. Att.* ut de vocis usu, in ludo pilario, suprà voce *Pila*; alio, ubi de *Planetis*: it. voce *Sortes.*

REX, titulus fœminis quoque nonnunquam concessus. Ita enim Mariam Hungaricam Ludovici Regis primogenitam, antequàm Sigismundo Luxemburgico nuberet, *Regem,* non *Reginam,* appellatam esse à Proceribus, observat Caresinus, *Elizabetha regina uxorque dicti Regis ——— unà cum Maria filia ejus, regimen Hungariæ gubernabat, quæ quidem Maria appellabatur* Rex Hungariæ. Neque vero in illa *Regis* vocabulum commune factum, uti vocibus *Dux, Princeps* &c. contigit, sed etiam in fœmina masculinum genus retinuit. Eadem enim *Rex fœmineus* dicitur, Thwroczio, *c. 4.* Postquàm autem Sigismundo conjugi *Regis* illa titulum impertita est: jam non ampliùs *Rex*, sed *Regina*, appellari cœpit, ut constat ex ejus literis, quæ extant apud Joann. Lucium, *de Regno Dalmatiæ, l. 5. c. 2.* laudatum Car. du Fresne *in Glossar.* Vide quoque Joann. Lætum, *Compend. Historiæ Univers.* & Georg. Hornium, *Orb. Imper.*

REX Convivii, vide suprà *Magister.*

REX Florum, vide suprà *Mentana.*

REX Magnus, qui & *Rex* absolutè, appellatus est olim Persarum Monarcha, ut apud *Platonem, Isocratem,* alios, passim videre est. Hinc Aristoteles, seu si quis alius auctor *libri de Mundo, c. 6.* ubi, cùm de Providentia divina dissereus, curam inferiorum horum Deô indignam esse ostendere vult, eum cum *Rege Magno*, comparat his verbis: *Proinde id præstabilius esse censemus, Deoque tum decentius, tum magis consentaneum, ita de eo opinari, ut dicamus; potestatem illam in cœlo sedes suas habentem incolumitatis causam rebus universis præstare: iis quoque, quæ longiùs ab ea remota sunt. Nec illis assentiri, qui eam ipsam potestatem per omnia pertendentem & venientem ad ea quoque, quæ nec adire ipsam honestum est, nec dictu speciosum, sua illic opera efficere contendunt, resque terrenas administrare. Atqui hoc ex hominum quidem Principum dignitate esse dixeris, cuilibet operi incumbere, ut v. g. exercitus Ducis aut Urbis Præfecti, atque etiam domus primarii Dispensatoris, si fasciculum farcinarium componere, aut viliorem aliquam operam obire usu venerit ut necesse sit, cujusmodi munere* Magni Regis *temporibus quodvis quidem mancipium ejus fordidè obivisset.* Post quæ descriptâ Principis istius, Susis aut Ecbatanis Majestatem suam continentis, vi Regiâ & imperii per ministros expediundi modo: *Atque*, subjicit, *satis quidem cætera bene & in Deum reverenter, statuemus, Magni illius Regis fastigium, prout quidem est Dei eminentia, qui pro potestate Mundum, tanquam provinciam, obtinet, tanto esse infimum, quantò effet summum ——— si eum animante quodam vilissimo atque infirmissimo componeremus*, &c. vide quoque suprà, in voce *Regis.*

REX Mundi, vide infrà *Sabubek.*

RER Omnium, πάντων Βασιλεὺς, apud Platonem, *in Timæo,* & Ep. 2. ubi Dionysio de prima Natura interroganti Philosophus respondet, φραστέον δή σοι δι' αἰνιγμῶν; ἵν' ἄν τι ἡ δέλτος ἢ πόντου ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ. ὧδε γὰρ ἔχει, περὶ τὸν ΠΑΝΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΑ πάντ' ἐστὶ, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον πάντων τῶν καλῶν. Δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτα. *Dicendum est igitur tibi nunc per ænigmata quædam: ut si quid huic tabellæ, vel mari vel terrâ, contingat, qui eam legerit, intelligere non possit. Est autem ita, circa* OMNIUM REGEM *cuncta sunt, ipsius gratiâ omnia: ipse pulchrorum omnium causa: Circa secundum secunda, circa tertium tertia.* Quæ verba etiam à Plotino relata *Ennead. l. 8. c. 2.* magnum *de Trinitate* arcanum continere multi putant, inter quos Athenagoras, *Orat. pro Christian.* & præsertim Clemens, *l. 5. Strom.* qui, alia hanc in rem Platonis dicta afferens, Ὅταν, adjicit, καὶ ἂν εἴπῃ περὶ τὸν ΠΑΝΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΑ... οὐκ ἄλλως, ἔγωγε ἐξακούω, ἢ τὴν ἁγίαν Τριάδα, μηνύεσθαι. Τρίτον μὲν γὰρ εἶναι τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Τὸν Υἱὸν δὲ δεύτερον, δι' οὗ πάντα ἐγένετο κατὰ βούλησιν τοῦ Πατρός. *Quare &, quando dixit, circa* OMNIUM REGEM ——— *non aliter ego intelligo, quam sanctam significari Trinitatem. Nam Tertium quidem esse S. Spiritum, Filium autem Secundum; per quem facta sunt omnia ex voluntate Patris.* Sed his credere, meritò veretur Henricus Stephani, *Observationum l. 3. schediasm. 7. in Thes. Crit.* ne sit tantum mysterium profanare. Certè ipse Marsilius Ficinus, alioqui talibus captandis intentus, verba ista longè aliter interpretatur, *Argum. in d. Epist.* & *Plotinum, d. l.* Vide Tob. Pfannerum, *Theologiæ Gentilis purior. Systema, c. III. §. 2.*

REX Populi Romani, Oraculô prædictus. Memorat enim auctore Juliô Marathô Sueton. *in Augusto, c. 94.* ante paucos, quàm Octavius nasceretur, menses, prodigium Romæ factum publicè, quô denuntiabatur, *Regem Populo Romano Naturam parturire.* Unde Senatus exterritus censuerit, ne quis illô annô genitus educaretur; at eos, qui gravidas uxores habebant, ad se quemque spem trahentes, curâsse, ne SCtum ad ærarium deferretur. Verùm non Octavium, sed qui, Octaviô imperante, natus, Christum Servatorem, prodigium istud portendisse, quivis fortè Christianus consentiet. Cujus oraculi occasione & istud observari hic meretur, quod Cicero tradit *de Divinat. l. 2.* Interpretem quendam Versuum Sibyllinorum, suadere Senatui penè ausum, *Eum, quem reverà Regem habeamus, appellandum quoque esse* Regem, *si salvi esse vellemus.* Quibus utut Julium Cæsarem, Dictatoris nomine potestatem Regiam exercentem, non minùs Interpres iste, vim vaticinii ignorans, ac ipse Cicero, ea quidem Tyrannidis odiô arguens refutansque, designatum velint, altiùs tamen quid Sibyllam, ipsum videl. Christum, significâsse credi par est, supremum nempe REGEM, cui parere necesse est, qui salvi esse, quàm perire, præoptant. Vide quæ hanc in rem insigni industriâ congessit Tob. Pfannerus, præfat. *d. l. c. 1. §. 4. ubi suum de Sibyllinis Carminibus, & Ecloga quarta Virgilii, judicium exponit:* sed & Anton. van Dalen, *de Oraculis Dissertat. 2.*

REX Regum, Βασιλεὺς βασιλέων, non in Sacris solùm, sed & apud Plotinum Deus O. M. dicitur, *Ennead. V. c. 53.* *Verumtamen Rex ille supremus non tanquam alienis imperat, sed justissimum naturaleque habet Imperium, habet & Regnum verum: Quippe cùm ille sit Rex veritatis atque suâpte naturâ sit universi simul fuctus fui dreimique collegii Dominus: Rex verò Regis atque Regum, atque & pater Deorum justiori nomine nuncupatus* &c. Quod elogium etiam ad homines translatum legitur. Namque & Imperatorem *Regem Regum* dici, testatur Lansius, *Orat. pro Hispania*; & Franciæ Regem non semel à Scriptoribus, Matthæo Parisio præsertim, *Regem* itidem *Regum*, ut ab Anna Comnena Βασιλέα τῶν Βασιλέων, appellatum esse, observavit Car. du Fresne *Dissertat. ad Joinvillam 27.* Apud quem in *Glossario* quoque, ex Nicolao de Braja *in Rebus gestis Ludovici VIII. de Philippo Aug.* ista reperies.

Rex Regum Mundi venerabilis ille Philippus.

Et de eodem Ludovico.

Inclyte Rex Regum &c.

Vide quoque suprà *Chingis Kan.*

REX Sacrorum, nomen Sacerdotii, apud Romanos, Flamine Diali superioris, sed infrà Pontificis Max. dignitatem: de quo sic Livius, *l. 2. c. 2.* *Regibus exactis, & partâ libertate, rerum deinde divinarum habita cura, & quia quædam publica sacra per ipsos Reges factitata erant, necubi Regum desiderium esset, Regem sacrificulum creant; id Sacerdotium Pontifici subjecêre, ne additus nomini honos, aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret.* Et Dionys. *l. 5.* *Quoniam multa magna beneficia collata videbantur in Remp. à Regibus, volentes hoc nomen in Urbe servari perpetuò, jusserunt ut Pontifices & Augures designarent unum aliquem à senioribus, ad hoc idoneum, qui sacris tantùm præesset immunis à militia, vocareturque* Rex sacrificulus; *Primusque hunc honorem Romæ accepit Manius Papirius, vir Patricius, quietis amantissimus.* Creabatur is Comitiis centuriatis, & quidem, quamdiu religio mansit, semper ex Patriciis, Cicer. *pro Domo.* Magistratum verò alium ei gerere, aut orationem ad populum habere, non licebat, *ut sic nunquam, nisi in sacris, servire, atque in gratiam Deorum Regnum sustinere videretur.* Plut. *quæst. 62.* unde & hunc ritum à Majoribus traditum esse, scribit Idem, ut *Rex* hic ante Comitium, postquàm rem divinam fecisset, fugâ sese & in Foro proriperet. Indicebat is ferias, & quidquid ad publica sacrificia necessarium esset, procurabat: ut qui omnibus sacris præerat. Interrogantibus, qui dies sacri, quid quôlibet mense licitum illicitumve, respondebat, ac quintô Idus Januar. arietem Jano immolabat. Quia verò ei feriis opus videre religio erat, quemadmodùm & Flaminibus, ideo per Præconem denontiabat, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur,

Macrob. Saturnal. l. 1. *c.* 16. Ad eundem certâ die Virgines Vestales, pro more, isse ac dixisse, *Vigilasne Rex? vigila*, testatur Servius, *in l.* 10. *Æneid.* Aliquando & simpliciter *Rex* appellatus legitur, *quem in Sacerdotum ordine primum fuisse & maximum, & in ipsis inaugurationis conviviis solum supra omnes accubuisse*, docet Festus in verbo, *Ordo Sacerdotum.* Unde Massurius Sabinus scribit, *Super Flaminem Dialem in convivio, nisi Rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbit*, apud A. Gellium, *l.* 10. *c.* 15. qui, *l.* 15. *c.* 27. *Calata Comitia* vocat, *quæ pro Collegio Pontificum haberentur, ut* Regis Sacrorum, *aut Flaminum inaugurandorum causâ.* In quæ verba, Ottelius notat, primùm omnia Comitia *Calata* dicta fuisse, postea verò, cùm in desuetudinem hoc verbum abiisset, retentum esse nomen Calatorum Comitiorum in his tantùm, quæ modò memorata. Uxor *Regis sacrorum*, dicta est *Regina sacrorum*, de qua suprà: Mansit verò hoc Sacerdotium, usque ad Theodosii Senioris principatum, quo cum reliquis Gentilium sacris abrogatum est. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 25. De *Rege sacrorum* apud Athenienses Vide *supra.*

REZ, nomen illustris in Gallia Familiæ, de qua vide suprà in voce *Rais.*

REZANA, urbs ampla Episcopalis Moscoviæ, 8. leuc. ab Occa fluvio in Meridiem, versus fontes fluv. Tanais paulo plus. Caput Ducatus Rezanensis, provinc. versus Austrum, ubi nascitur Tanais, inter Moscoviam propriam & Wolodimiriam, ad Boream, Ukraniamque ad Meridiem. Anteà sub proprio Principe à Lithuania dependit, nunc Moscis subest. Vide *Rhezan.*

REZIN, vide RETZIN.

REZON, fil. Eljodæ, profligatò à Davide Adad-ezeris exercitu, à domino suo fugiens, *congregatis hominibus se turmæ principem effecit, cum quibus Damascum profectus, regnum ibi sibi posterisque constituit*, 1. Regum *c.* 11. *v.* 23. quod posteà Salomoni, Regibusque Israëliticis valde infestum fuit: cùm priùs Sophena ac Damascus uni Adad-ezeri subfuisset. *Hesion* vocatur, *ibid. c.* 15. *v.* 18. ubi filius *Tabremon* eum excepisse dicitur, quem vide.

REZONARE nummum, apud Nonium, *Alterum, quem in sacciperione condidissent, compito viciniali solere rezonare*, est de sacciperione promere. In *Zona* enim pecuniam portabant milites, uti constat ex Æl. Spartiano, apud quem, *c.* 10. *jussit* Pescennius Niger Imperator: *ne ampliùs in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publicè commendarent, recepturi post prælia, quod dederant.* Aliud quid erat *ventralis* seu *funda*, in qua nummi ad victum quotidianum condebantur; zonæ nempe genus, quæ, quòd ligamenta & habenas, quibus circa ventrem cingebatur, habebat & in medio receptaculum, quò nummi continebantur, *Funda* solebat dici, vide Salmas. *Not. ad Æl. Spartianum*, *d. l.* & hic passim, in vocibus *Funda*, *Ventralis*, *Zona.*

RHA, Sarmatiæ fluv. ingens in Europa, hodie *Volga*. Tartaris *Edel* dicitur. Armeni eum *Thamar* appellant, uti scribit *Gurchinus.* Pomponius, *l.* 3. *c.* 5. *Sed qui famam habent, ex Ceranniis montibus unò alveò descendit, duobus exiit in Caspium Rha.* Verùm (annotante *illic* clarissimò Vossiò) non rectè fluvium hunc ait oriri ex Ceranniis montibus, quorum situs notus est ex *Ptolemæo*, cùm remotissimis oriatur fontibus, ac plusquàm quadringentas Germanicas leucas cursu suò conficiat. Sed neque illud verum, duobus tantùm alveis in Caspium mare exire: Septuaginta enim ostia numerârunt, qui viderunt, aut etiam plura: quamvis alii viginti quinque tantùm referant, quod de majoribus forsan & permanentibus ostiis est intelligendum. Quum verò scribit, unò alveò descendere, tum quoque errat, cùm plurimi in eum amnes partim in Tartaria, partim in Moscovia nati, influant, quod hodiernâ experientiâ compertissimum. Diversi illi *Rha*, sive *Volga* fluminis fontes noti fuêre jam olim Ptolemæo. Præter duos longissimè à se invicem distantes fontes, quos ex Hyperboreis ait oriri montibus, amnibus quoque aliquot augeri ait, qui ex Rhymnicis montibus in eum influunt. Verba ejus hæc sunt, agentis de Scythia intra Imaum, & Rhymnicis in ea montibus: Ἀφ' ὧν εἰσιν ὁ τε Ῥύμμος καὶ ἄλλοι τινὲς εἰς τὸν Ῥᾶ ποταμὸν, οἳ δὴ συμβάλλοντες τῷ Δαΐκι ποταμῷ κατὰ τὸ Νήσατον ὄρος. Sic habent veteres manu exarati libri, & rectè. Vulgata enim lectio falsa est, & meras offundit tenebras. Ex Rhymnicis montibus præter Rhymnum, qui propriò ostiò in mare Caspium exoneratur, egrediuntur quoque alii amnes, quorum aliqui *Rha* fluv. subeunt, alii *Daici* conjunguntur flumini, qui vulgò *Jaick* appellatur. Hinc nomen *Rha* Ponticæ radici. Atque *Rhabarbarum* hodiernum nihil commune habet cum vero *Rhabarbaro*. Et specie & virtute plurimùm differt, hoc στυπτικὸν, illud verò καθαρτικόν. At postquam ex iisdem oris, unde prius *Rha Barbarum*, à mercatoribus allata fuit radix illa, quæ apud solos crescit Sinenses, ac *Taihoang* ab ipsis nominatur, usus obtinuit, ut in illam *Rhabarbari* appellatio transferretur. Hæc *Vossius.* *Baudrando* oritur in Moscoviæ provinc. Rescovia, versus confinia Lithuaniæ, prope Urbem Reschoviam dictam, ultra quam aliquot milliar. versus Occidentem sylva inest *Wolkonskiles* dicta, in qua jacet palus *Vurenow*, è qua exit fluv. parvus, qui 2. milliaribus Polonicis progressus in lacum *Volgo* influit; & aquis multis auctus, rursus egreditur, indeque *Volga* dicitur. Posteà auctus aliquot fluviis, Tuveriam rigat & Valitiam. Hinc in Ortum tendens, ad Jaroslaviam & Novogardiam parvam labitur, ubi recipit Occam fluv. amplum: dein juxta Basiligrodam fluens & Sabackzariam, uti & Cazanum Urbem regni cognominis primariam in Asia, sed Moscici juris, paulo infrà mutatò cursu, & ad Meridiem tendens, recipit Camam fluv. rigatisque Samard, Soratoviâ, Zarizâ & Astrachanô, paulo infra in plura brachia scinditur, & insulis aliquot effectis, tandem quamplurimis ostiis in mare Caspium se exonerat. Vide *Ad. Olearium.* Narrant ab eo ductum esse fossile, dictum *Kamenæ*, in Tanaim fluvium, quò [illegible] in Rha [illegible] ducuntur, seu vice versâ.

RHA, seu RHEON, simpliciter dicta Veteribus radix, cognominis amni, juxta quem nasceretur, supra Pontum & Bosporum: ac *Rha* quidem *Ponticum* dicentibus propterea, quòd unum tantùm genus nôssent. Postquàm verò & ex aliis locis importari cœpit radix, *Rhæ* quidem Pontico quantum ad formam similis, sed totò genere diversa ac virtute dispar, *Pontici* accessit priori cognomen, ut à recentiorum *Rha*, quod *Barbaricum* dixêre, illud patriâ distinguerent. Quod contra Isidorum notandum, qui ejusdem loci & regionis denominationem utramque facit, & recentiores Græcos, quos ille sequitur, qui *Rha Ponticum* & *Barbaricum* confuderunt. Dictum autem hoc est *Barbaricum*, à *Barbaria*, sic propriè vocata Græcis recentioribus Æthiopiæ parte, quæ Mari Rubro prætenta erat. *Stephanus*, Ἔστι καὶ χώρα παρὰ τὸν Ἀράβιον κόλπον Βαρβαρία, ἀφ' ἧς καὶ Βαρβαρικὸν ῥῆον λέγεται Arabes, quod ex Sinarum regione adfertur, *Reyvand Sini* appellant. h. e. *Rheon Sinense*: à qua regione in Indiam defertur, unde & Ῥῆον Ἰνδικὸν dicitur *Myrepso* & aliis; quod idem cum Barbarico. Nam & *Barbaricum*, Indiæ emporium celeberrimum. Ubi verò Veterum Ῥῆον, quod ex locis, supra Pontum afferebatur, στυπτικῆς erat facultatis; sic Neotericorum *Rha* seu *Rheon*, quod ex Barbaria affertur, vim planè contrariam, καθαρτικὴν scil. habet. Qua de re, ut & de *Rha* fluvio, cui vetus *Rha*, nomen suum debet, varia congessit Salmas. *ad Solin. p.* 791. & *seqq.* E quo hoc tantùm addo, *Rha Ponticum* succum habere croceum & proin inter species infectorias lutei Democrito nominari; in officinis, pro eo centaurium majus vendi, quòd ei in multis simile sit, *p.* 1163. &c. Vide quoque in voce *Rhabarbarum* infrà, ut & ubi de *Rha fluv.*

RHAEA, oppid. ad sinum Ionium, à quo *Rhabeus.*

RHABANA, urbs Sin. versus oram meridional. *Ptolem.*

RHABATHMONA, urbs Palæstinæ, quæ & *Areopolis.* Vide ibi.

RHABDOMANTIA, Græcè Ῥαβδομαντεία, *divinatio virgis peragi solita*: cujus Hieronymus meminit *ad Hoseam*, *c.* 4. *Unde & Propheta quasi stupens & mirabundus eloquitur: Populus meus, qui quondam meò vocabatur nomine, lignum interrogavit & virgam. Quod genus divinationis Græci Ῥαβδομαντείαν vocant. Unde in Ezechiele legimus, quòd virgas suas miscuerit Nabuchodonosor contra Ammon & Jerusalem, & exivit virga contra Jerusalem.* Ubi tamen, quod de Nabuchodonosore habet, βελομαντείαν potiùs fuisse suprà vidimus. Tacitus *de German. mor. c.* 10. *Sortium consuetudo simplex; Virgam frugiferæ arbori, decisam in surculos amputant; eosque notis quibusdam discretos, super candidam vestem temerè ac fortuitò spargunt. Mox, si publicè consulatur, Sacerdos civitatis; si privatim, ipse paterfamilias, precatus Deos cœlumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundùm impressam antè notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur* &c. In qua re probabile admodùm, surculos istos inter se, postquàm sublati fuerant, sibi invicem fuisse conjunctos, atque id, quod inde componeretur, pro sorte sive oraculo fuisse habitum. Apud recentiores Germanos idem divinationis viguisse genus, ex L. Frisonum patet aliisque. Sed & jam Scythas olim ῥάβδοις ἰτεΐνοις, *virgis salignis*; Enaries & Androgynos φιλύρας φλοιῷ, *tiliæ fronde*; in vaticinando usos fuisse, Herodotus narrat, *Musâ* 4. apud Alanos, *rectiores virgas* à fœminis collectas eidem fini adhiberi, est apud Amm. Marcellinum, *l.* 31. Vide quoque hic, Salix, *Tenus*, *Tilia*, *Virga*: item ubi de IX. apud Israelitas *Divinationis* generibus.

RHABDUCHI, Græcè Ῥαβδοῦχοι, dicti sunt, qui Latinis *Lictores*, item *viatores*; cujusmodi ministri ante Principum imperia in Theatro constituebantur, ad seditiones atque rixas cohibendas: quemadmodum posteà sub Imperatorib. statio cohortis eidem fini posita est, quam Nero ad speciem libertatis sustulit. Sed & à nonnullis Græcorum appellantur Ῥαβδοῦχοι Olympici Agonothetæ, qui pro numero tribuum Elidis urbis Olymp. 26. tredecim electi sunt: aliàs Ἀθλοθέται, Αἰσυμνῆται, Βραβευταὶ, Ἑλλανοδίκαι &c. appellati, de quibus vide Jul. Cæs. Scaligerum, *Poëtices l.* 1, *c.* 24. & suprà in voce *Brabenta.*

RHACELUS, urbs Macedoniæ, *Steph.*

RHACHIA, promontor. montis Pyrenæi, ad mare Mediterran. in confinio Hispaniæ & Galliæ Narbonens. *Polyb. Aphrodisium* videtur *Ptolemæo.*

RHACIUS Cretensis, *Manto* Tiresiæ filiam, cùm inter captivos in Asiam abducenda, ad Claron exponeretur & à Cretensibus, qui ibi armati occurrebant, Rhacio sisteretur; in domicilii sui societatem ejus comitatu receptò, uxorem duxit, & ex ea Mopsum genuit, qui Lelegas omnes è ditionis suæ finibus ejecit. Pausan. *l.* 7.

RHACODYTÆ, Græcè Ῥακοδύται, quinam dicti? vide suprà *Rasophori.*

RHACOTES, Alexandria priùs sic dicta. *Stephan. Strabo*: Κατοικίαν δ' αὐτοῖς ἔδωκαν τὴν προσαγορευομένην Ῥακῶτιν, ἣ νῦν μὲν τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως ἐστὶ μέρος, τὸ ὑπερκείμενον τῶν νεωρίων, τότε δὲ κώμη ὑπῆρχε. Pausanias *in Eliacis prioribus*, *ubi de Alexandria*: Λέγεται δὲ καὶ πρότερον ἔτι τοῦ ἄστεος Αἰγυπτίων ἐνταῦθα εἶναι μέγα κώμην Ῥακῶτιν. *Nic. Lloydius.*

RHADAGISUS, Gothorum Rex, Stiliconis operâ Italiam ingressus, cum CCM. Scytharum, votò factò, se omnem Romani generis sanguinem Diis suis propinaturum, postquàm longè latèque eam vastâsset, tandem in Fesolanis montibus conclusus, captus & occisus est cum multis suorum millibus, A. C. 405. P. Orosius cum à Stilicone Roman. Uldino Hunnorum, & Saro Gothorum ducibus victum tradit, *l.* 7. *c.* 26.

RHA-

RHADAMANTHUS, Jovis ex Europa fil. Rex Lyciæ, qui quòd severus fuerit justitiæ minister, fingitur à poëtis apud inferos nocentum culpas explorare. Virgil. *Æn. l. 6. v. 566.*

Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatque auditque dolos, subigitque fateri,
Quæ quis apud superos furtô lætatus inani
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Hoc ex doctrina Platonis (inquit *de la Cerda*) uti credi potest, qui *in Minoë*, potestatem Minois ac Rhadamanthi ita discriminat: *Rhadamanthus quidem vir bonus existitit, à Minoë siquidem instructus erat: nec tamen regiam disciplinam omnem, sed regi tantùm ministrare in judiciis didicit. Unde judex bonus appellatus est. Eô planè, velut legum custode, per urbem usus est Minos.* Et supra loquens de Homero: Οὐ Ῥαδάμανθυς πεπαίδευτο δικάζειν. Idem *in Gorgia* Rhadamanthum facit inferiorem Minöe, cum ait Asiaticos judicari ab Rhadamantho, Europæos ab Æaco: Minois verò esse munus injunctum, ut judicaret supra illos: ait enim ἐπιδιακρίνειν, si quid illi ambiguum reliquissent. Verum est quidem, ab eodem Platone Rhadamanthum induci judicem, *l. 12. de Legg.* Dat enim illi κρίσιν τῶν δικῶν. Quin, *l. 1. de legg.* majore adhuc dignitate illum afficit, facit enim illum dicentem, & distribuentem jus διανέμειν τὰ περὶ τὰς δίκας ὀρθῶς. Est autem longè aliud judicare, ac jus dicere. Pindarus *Od. 2. Olymp.* Rhadamanthum vocat Saturni πάρεδρον sive *assessorem*: & *Od. 2. Pyth.* ait, illum non delectari ἀπάταισιν *dolis.* Plato, *l. 1. de Legg.* δικαιότατον vocat, Aristides *2. Platonicâ*, dat ei ἐννομώτατον καὶ δικαιότατον. Idem laudans Antoninum Philosophum: τίς γὰρ Ῥαδάμανθυς, ἢ τίς Αἰακὸς οὕτω δικαίως ἑαυτὸν πρὸς ἅπαντα δικάζειν, διεφύλαξε; Demosthenes in ἐρωτικῷ, ait Æacum & Rhadamanthum amatos à Diis διὰ σωφροσύνην, non minus quàm propter fortitudinem Herculem, Castorem, Pollucem, propter pulchritudinem Ganymedem & Adonin. Unde Theognis, *in Gnomis:*

Οὐδ᾽ εἰ σωφροσύνην μὲν ἔχοις Ῥαδαμάνθυος αὐτοῦ,
Πλείονα δ᾽ εἰδείης Αἰόλιδεω Σισύφου.

Nic. Lloyd. Fratre Minoë durior habebatur. Virg. *d. l.*

Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna &c.

Unde *Rex cruentus* dicitur Statio, *Theb. l. 8. v. 27.*

——— *Juxta Minos cum fratre verendo*
Jura bonus meliora monet, regemque cruentum
Temperat ———

Ad quem locum vide *Animadversiones* Casp. Barthii.

RHADAMISTUS, Pharasmanis Iberorum Regis fil. quum Mithridatem Armeniæ regem dolô cum uxore & liberis interfecisset, ab Artabano Parthorum rege fusus fugatusque est sub A. C. 52. à Patre, quasi ipsius proditor, posteà occisus. Tacit. *l. 13. Annal. c. 37.*

RHADANUSIAS, urbs Massiliæ, *Steph.* Fortè à *Rhodani* vicinitate dicta. Vide *Rhodanusia.*

RHADATA, oppid. Syenitarum in Æthiop. in quo felis pro Deo colebatur, Plin. *l. 6. c. 29.*

RHADIÆ, fœminei calceamenti genus, vide suprà *Fœmina.*

RHADIANA, virgo quædam, de qua Strabo, *l. 8.* Item urbs non procul à Corintho, in quam Stesichorus poëma scripsisse videtur.

RHÆA, urbs inter Scythiam & Hyrcaniam, *Steph.*

RHÆBA, REBANE, urbs aliàs ampla, nunc viculus Langeniæ, ad Birgum fluv. in Comitatu Reginæ, 7. mill. pass. à Reginæpoli in Ortum, Kildariam versus 10. in Hibernia.

RHÆDA, seu RHADA, urbs mediterran. Arabiæ Felicis Ariæ regiæ finitima, ab Arabia empor. nunc *Aden*, supra 200. mill. pass. interius distans.

RHÆDESTUM, vide REDÆSTUM.

RHÆSAPHA, urbs Syriæ, apud Euphratem, Suris proxima, dein *Sergiopolis.* Vulgò *Raslafe.*

RHÆSENA, oppid. Mesopotamiæ, apud Tigrim & Duram urbem, terminum Imperii Romani & Persici: ubi Gordianus Imperator sepultus. *Aurel. Victor.*

RHÆTI, vel RÆTI, gens antiquissima fortissimaque Tuscorum proles. Hi aliquot ante Christum Natum seculis, domô pulsi à Gallis, duce Rætô, Alpes occupârunt, Plin. *l. 3. c. 20.* fusiùs Justinus *Hist. l. 20. c. 5.* quibus addantur *Livius*, *Strabo*, &c. Circa A. M. 3369. juxta supputationem Verderii, *l. 2.* Urb. Cond. 184. Olymp. 52. 4. annô 9. regni Servii Tulli Romanor. Regis secundùm Chronologiam Funccii, circiter 359. ann. ante Christum Natum, unde & aliquid de Tuscorum lingua hodieque retinent. Vide Strabonem, *l. 4.* Merulam, *p. 794. &c.* Varios olim cùm sub se populos comprehenderint, namque duas Rhæticas provincias fecêre Romani Imperatores. Vide infrà, hodie tamen vox solis *Grisolibus*, veterem illam & primam Rhætiam, i. e. circa Rheni fontes non exiguum tractum & vicinas ab utroque latere valles incolentibus remansit: qui olim quoque *Cani*, à Campis Caninis, hodieque German. *Grawpündtner* appellantur. Divisi olim in Lepontios, Nantuates, Rhegusços, Triumpilinos Camunos, Vennones, Hisarcos, Breunos, Focunates, Vennonetes, de quibus vide Joh. Bapt. Plant. *Helvet. nov. antiq.* Dicuntur autem *Grawpündner*, & simpliciter *Pündner*, Cani fœderati, vel fœderati, quia non tantùm Helvetiis fœdere juncti sunt, A. C. 1479. & 1498. sed ipsi quoque vetustis fœderibus inter se coierunt. Linguâ, quam *Romanam* vocant, maxima ex parte, cœteri in confinio Italiæ Italicâ, quidam etiam Helvetiæ propiores Germanicâ utuntur: Religio quoque non eadem omnibus, cùm magna pars Euangelicæ doctrinæ adhæreat, reliqui Latinos ritus hodieque servent. De Rhætorum fœderibus tribus, & Præfecturis eorum vide in voce *Rhætia.* Habent illa tria Fœdera Conventus 50. ex quibus Respub. Rhætica constituitur: summâ potestate penes Senatum trium Fœderum, quem ipsi vocant *ein Punds-tag*, consistente. ad quæ consilia ex singulis conventibus totius gentis legati conveniunt, & quidem si ordinarius sit Senatus, superius fœdus Legatos mittit 28. Cathedrale 23. Decem Jurisdictionum 14. nonnunquam & Consilium totius gentis convenit. Loca Senatus habendi tria sunt, Iliantium in superiore fœdere, Curia in Cathedrali, Davosium in Decem Jurisdictionibus, frequentius tamen Curiæ convenit, idque nundinarum tempore, quæ ter quotannis ibi habentur, primò mense Januar. post festum Conversionis Pauli. Secundò, Septimanâ post Dominicam Trinitatis. Tertiò, mense Novembr. Martinalibus. Monetam in gente cudunt Episcopus & Civitas Curiensis, ut & Abbas Disentinus. Vide Simlerum *de Republ. Helvet.* Joh. Baptist. Plantin. *tract. supra memoratô*, Sprecherum, *Pallad. Rhæt.* Goulerum, &c.

RHÆTI Alvei, limites Atticæ & agri Eleusinii, paludes sunt, de quibus vide Cl. Sponium, *Itiner. Parte 2. p. 276.*

RHÆTIA, regio gemina: prima inter ortum Rheni, seu inter Rhenum à capite usque ad lacum Brigantinum, Danubium, Lycum, & ortum Oeni: cujus populi Rhæti, *Grawpündner*, & Italis *Grisoni* dicuntur. Altera, teste Welserô, Vindelicia appellatur à *Ptolemæo*, à primâ Lycô fluv. divisa. Aliis verò ex *Lib. Notit.* Rhætia I. ea appellatur, quæ Italiæ contermina est, Insubriæ scil. & Cenomannis Venetiæ; in qua tota Rhætorum regio, cujus caput est Curia, urbs & Comitatus Tirolensis continentur. Rhætia autem II. à Curia usque Danubium, à Vindelicia seu Bavaria Lycô fluviô discreta; quæ Suevia Cisdanubiana dici potest. Ejus meminit Claudian. *de Bello Get. v. 330.*

Prominet Hercynia confinis Rhætia sylva.

Vide omnino Cluverium, *in Vindelicia & Norico, c. 1.* Itemque *de Ital. Antiq. l. 1. c. 16.* *Baudrando Rhætia* sumitur, vel *Latè*, & sic post divisionem Imperii Romani continebat Rhætiam propriam ad Austrum & Vindeliciam ad Boream, eratque pars Illyrici Occidentis. Posteà ad *Propriam* restricta est: quæ complectebatur totam illam regionem inter Alpes Rhæticas & Tridentinas, ubi hodie Grisones, seu Rhæti, Tridentina ditio, Tirolensis Comitatus & Vallis Telina, ubi fuêre Brigantii, Sarunetes, Rigusci, Vennones, Tridentini, Breuni, & Genauni, inter Vindeliciam ad Boream, partem Norici ad Ortum, Galliam Transpadanam ad Meridiem, Helvetios ad Occasum. Vel *Strictè*; Ita nunc continet tantùm partem Occidentalem Rhætiæ propriæ, Vulgo *Grisones*, qui post varia inter se fœdera, tandem omnes sociati sunt A. C. 1471. in loco *Watzerol*; A. C. autem 1498. perpetuò cum omnibus Helvetiis fœdere coierunt. Tota regio montibus horret, ideoque aspera & sterilis est, dividiturque, in Rhætos seu Grisones fœderatos & eorum subditos. *Illorum* partes sunt tres, *Fœdus superius*, seu *Canum*, German. *Oberpund*, Gall. *Ligue Grise*; *Fœdus Domus Dei*, German. *Gotteshauss pund*, Gall. *la Ligue de la Maison de Dieu*; & *Fœdus decem Jurisdictionum*, German. *Zehen Gerichten-pund*, Gall. *le dix Droitures.* Sed *Istorum* sunt tres, Vallis Telina, Bormiensis & Clavennensis Comitatus. Vide *Grisones*, *Rhæti*, *& quamque partem suô locô.* Hinc *Rhætica juga*, quæ & *Alpes Rhæticæ*, *Monte Braulio* Italis, & *Wurmserloch* German. quæ ad Insubrum & Cenomanorum confinia extenduntur. Thseudo *Rhætico.* Vide infrà mons altissimus, inter Alpes Rhæticas, inter Rhenum (ubi Curia) & Oenum occurrens, à Curia 6. leuc. in Ort. unde vallis Drusiana in Boream & Occidentem incipit. Inde *Rhætica vina*, quibus maximè delectatum Augustum Cæsarem scribit Suetonius. *c. 77.* *maximè*, inquit, *delectatus est Rhæticô.* Hinc forte Virgil. *Georg. l. 2. v. 96.*

——— *Et quô te carmine dicam*
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.

In explicando Poëtâ dissentiunt Seneca & Plinius. Priori enim *l. 1. Nat. Qu. c. 11.* videtur Virgilius incertus fuisse, laudaretne, an vituperaret Rhæticum vinum. Posterior, *l. 14. c. 6.* ita: *In Veronensi item Rhætica, Falernis tantùm posthabita à Virgilio.* Quæ posterior sententia Turnebo placuit, *l. 29. Adversar. c. 26.* & ad mentem Poetæ propius accedere videtur.

RHÆTICO, Tschudo *Prettigewerberg*, in Helvetia: Tacit. *l. 1. Histor. c. 70.* & Plin. *l. 3. c. 20.* *Rhætica juga.* *Cluverio* & *Sansoni* est mons Istævonum, in German. *Sibengebirge*, ad Rheni ripam, ex adverso Bonnæ, in Veteravia tractu, prope Segum fluv.

RHÆTICUS Georgius Joachimus, nomen à patriâ, Feldkircha Vallis Telinæ, quæ *Rhætica* Latinis, nactus, Mathematicus, Astronomusque excellens, publicè docuit Wittenbergæ. Inde Copernici, relictâ suâ statione, per aliquod tempus auditor, hôc defunctô scripta illius luci dedit, atque ipse juxta ejus hypotheses *Ephemerides novas* scripsit, A. C. 1551. usque; Voss. *de Mathemat. Scient. p. 190.* ut & varia alia, quæ nondum in lucem prodierunt, ut ex Simleri *Biblioth.* & Rhætici ad P. Ramum epist. discimus: reliqua, quæ impressa sunt, enumerat *in Elogiis*, Anton. Teissier, *Part. 1.* Obiit A. C. 1576. odore cubiculi recens illiti enecatus, ætat. 62. Cassoviæ in Hungaria. Vide quoque Thuanum, *Histor.* Quenstedium, *de Patria Illustr. Viror.* Melch. Adami, *Vitis Philosoph.* &c. ut & *Erasmum Reinoldum.*

RHÆTIUM, in Rhætis arx, vulgò *Retzuns*, ubi posterior Rhenus, anteriorem suscipit, qui cùm eo in Ortum prope parallelâ decurrerat lineâ: Condita à Rhæto Duce, sedes quondam nobilissimæ & antiquissimæ familiæ Baronum Rætiensium, in fœder. Cano. Hujus arcis & jurisdictionis dominus, antiquâ quâdam prærogativâ *Ratiensis* familiæ, quamvis non eâdem stirpe ortus, auctoritate ipsum totius Cani fœderis Præfectum superat. Vide Joh. Camer.

Camerteni & Solinum, c. 34. Sprecherum *Pallad. Rhet. l.* 1. Simlerum, *de Rep. Helv.* Joh. Bapt. Plantinum, *Helv. nov. &c.*

RHAGA, Mediæ urbs à Nicanore condita, quæ & *Rhage.* Olim *Europus* vocabatur, deinde *Arsace*, ab *Arsace* Parthorum. Gentile *Rhagenus.*

RHAGÆA, urbs Parthiæ, *Ptol.*

RHAGE, seu RAGE, *Nottingam*, ut aliquibus videtur, oppid. Angliæ inter Conventriam ad Occasum & Lincoln. ad Ortum *Ptol.* Aliis *Rhata Antonino* esse videtur. Vide *Rata.*

RHAGES, oppid. fuit Thessaliæ, ad Peneum fluv. 10. mill. pass. à Larissa. Liv. *l.* 2. *dec.* 4. cujus nihil superest.

RHAMA & RHAMMA, per metathesin literarum, factum ex *Herma*, locus erat seu pagus Atticæ, in quo Amphiaraistanum, teste Solinô, *c.* 7. ad quem vide Salmas. *p.* 146.

RHAMATA, vide RAMOTH.

RHAMIDAVA, *Ptolem. Lazio Repicza*, oppid. Walachiæ. Aliis Moldaviæ, ad Ordissum fluv.

RHAMNÆI, populi Arabiæ Felicis. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

RHAMNES, *etis*, Rex & augur, qui Turni partes secutus, noctu dormiens à Niso est interfectus. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 325. 359. 452.

RHAMNETES, vide suprà, voce *Ramnes.*

RHAMNIS, urbs Eubœæ erat, ubi templum Fortunæ. Alexandrinus. *l.* 6. *c.* 28.

RHAMNUS, oppid. fuit & portus Cretæ in ora occidua, inter Phalasarnen, & Chersonesum, *Ptol.*

RHAMNUS, ἀπὸ τῆς ῥάμνου, i. e. *spinoso frutice*, ibi copiosè nascente. Vide Scholiast. Aristoph. *in Plutô, Act.* 2. *Sc.* 5. Atticæ regionis vicus in tribu Æantide, Amphiarai templo, & Nemesis Phidiacæ, vide Plin. *l.* 36. *c.* 5. simulachrô insignis, quæ ab hoc vico *Rhamnusia* dicta est. Hæc indignationis Dea putabatur, ab iis pœnas repetens, qui præsentibus bonis se indignos præbuissent. Ovidius, *Trist. l.* 5. *eleg.* 8. *v.* 9.

Exigit at dignas ultrix Rhamnusia pœnas.

Claudian. *de Bello Get. v.* 601.

Sed Dea quæ nimiis obstat Rhamnusia votis.

Suidas: Ῥαμνούσιος, ἐπὶ τῶν σοφῶν, ἢ ἀλληγορικῶν. Ῥαμνοῦς γὰρ δῆμος Ἀττικῆς. ἐν ᾧ ἡ Ἀγοράκριτος ἄγαλμα κατὰ γνώμην, ἐν πολλοῖς μεμψάμενος θέλοντες παραμυθεῖσθαι ... τὸ βίῳ, ὥστε τοὺς πολλοὺς Ῥαμνουσίους καλεῖν. Cæterùm de fano Amphiarai, quòd in Rhamnunte non fuerit, vide Voss. *ad Melam. l.* 2. *c.* 3. *Hic. Nicydius.* Statua hæc Nemesis ibi collocata erat, ab Agoracrito, discipulo Phidiæ, hic occasione. Erat ei certamen cum Alcamene, ejusdem Phidiæ discipulo. uter in simulachro Veneris sculpendo palmam meriturus esset: cumque ambo summâ quâ potuerant arte opus suum perfecissent, Populo Atheniensi rei arbitrium detulêre. Qui cùm in Alcamenis, utpote civis sui, favorem, causam decidisset & alterô, qui Parius erat, rejectô, ac permittere quidem illi vellent, ut simulachrum suum Athenis venale exponeret, egit cum Rhamnusiis Agoracritus, ut statuam suam, quam *Nemesin* appellavit, in Fano collocarent: vindictam sic insignem de Atheniensibus se sumpsisse haud vanè ratus. Namque illâ in loco sacro publicè expositâ omnium oculis, facilè perspici potuit, alterius Venerem iniquè huic esse prælatam. Varro certè majoris Agoracriti hanc statuam æstimavit, quàm omnes quas vidisset unquam alias. Jac. Sponius, *Itinerar. Græcia Part.* 3. *p.* 189. Vide quoque eum, *Part.* 2. *p.* 315. ubi de ruderibus hujus vici. Idem ex Grutero, *p.* 84. hanc *Inscr.* veterem eôdem pertinentem, Athenis Patavium delatam, sic corrigit & explicat, *p.* 191. *Part.* 3. *cit.*

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΣ
ΤΗΝ ΚΟΝΙΑΣΙΝ ΤΟΥ
ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ ΚΑΙ
ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ
ΤΕ ΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΓ
ΚΑΥΣΙΝ ΤΩΝ ΘΥΡΩΝ
ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΙΧΟΙΣ
ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΠ ΑΥΤΟΙΣ ΣΑΝΙΔΑΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΙΣΙΔΙ
ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΥ.

THEOPHILUS THEOPHILI
ANTIOCHENUS MELANEPHORUS
DEALBATIONEM HUIUS
SACRI TECTORII ET
PICTURAM
PARIETUM ET
CONTIGNATIONIS ET EN
CAUSTICAM PORTARUM
ET MUTULOS IN PARIETIBUS
ET IMPOSITAS IIS TABULAS
DEDICAVIT SARAPIDI ISIDI
ANUBIDI HARPOCRATI
SUB SACERDOTE SELEUCO
ANDRONICI
RHAMNUSIO.

Vide quoque *Inscript.* Græcam Herodis, cum Casauboni Salmasiique doctissimis *Commentariis*. Barthium item *de Superstitionibus*, ut & *ad Statium*, *l.* 3. *Sylv.* 5. ubi hoc Idolum observare ac punire magnidicos homines creditum fuisse, notat. Hinc *Ædes Rhamnusiana* Patavii, in quibus marmoreum Triclinium vetustissimum visitur, cujus iconem exhibet Hier. Mercurialis, *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 11.

RHAMNUS, spinosa arbor, inter ἀειφύλλα *Theophrasto*, è qua sepes vivæ fiebant. quibusdam videtur esse Alba Spina, quâ nulla hodie sepibus faciendis communior, sed folia repugnant. Græci enim *rhamno* tribuunt folium *μακρὸν ὑπόμακρον*, *ὑπολίπαρον*, *μαλακὸν*, *parvum*, *longiusculum*, *subpingue & molle*, quod de Alba Spina dici non potest. Interim, facultatem malas noxas à foribus pellendi, quam Albæ Spinæ tribuit Ovidius, *ῥάμνῳ* veteres vindicant Græci, qui eam propterea ἀλεξίκακον appellavêre. Vide Salmas. *Exercitationib. Plin. ad Solin. p.* 271. & *p.* 525. ac 531. ubi de *Rhamni* duobus generibus, albo & nigro, ex foliis, quædam addit.

RHAMNUSIUS, mons Illyrici, Scodræ urbi imminens, *Monte di Stadari.*

RHAMPSINITUS. Rex Ægypti post Protea, qui tantam pecuniarum copiam habuit, quantam nemo regum posteriorum adæquavit. Herodot. *l.* 2.

RHAMSES. Ægypti Rex potentissimus, in Thebaeorum Regum serie LVI. eorum, qui toti Asiæ imperitârunt, secundus, successit patri Sesostri seu Sethosi: Herodoto *Rhampsinitus*, Africano Ῥαψάκης. Cum exercitu 700000. militum egressus Lybiâ Æthiopiâ, Medisque & Persis & Bactrianô & Scythiâ potitus, quasque terras Suri Armeniique & contigui Cappadoces colunt: inde Bithynum hinc Lycium ad mare imperiô tenuit. Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 60. Vide integrum locum. Rex fuit omnium ditissimus, atque avarissimus; ut qui *totam ætatem accurandis vectigalibus, & acervandis undiquaque opibus insumpsit; neque in Deos, neque in homines munificus*, Diod. Sic. *l.* 1. Vide de furtiva ærarii ejus expilatione Herodot. *l.* 2. *c.* 21. Cæterùm struxit Porticus ad templum Vulcani ab occasu, sicut Rex Mœris alias Boream spectantes exstruxerat. Idem *ibid.* Luculentissimum verò ejus monumentum, cui & nomen illius inscriptum, Thebis olim vidit Germanicus Cæsar: amplissimum sanè non tam Regis ipsius, quàm Majestatis Ægyptiacæ, testimonium apud Tacitum præfatum, *d. l.* ad quem eruditum scripsit Commentarium Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec.* XV. Inde certè, nulli unquam Imperio secundum fuisse Ægyptiacum, facilè colligas; cùm Romano illud comparare liceat, quod sub Trajano (quô tempore Tacitus scripsit) maximè splendidum fuit validumque. Sed & indidem discas, verum esse quod Diodorus. Sic. de *Rhampse*, tum *primùm indicta fuisse gentibus tributa*, ait. Sesostris enim jussit quidem devictas gentes δωροφορεῖν, *munera* quotannis in Ægyptum *perferre*. Idem, *l.* 1. Rhamses verò tributa imperavit, à qua exactione *avari* nomine aspersus est. Regnavit annos ultra 70. successore Amenophe IV. quem Græci *Memnonem* appellavêre, vide ibi, & plura de *Rhamse*, apud Marshamum, *d. l.* è quo id unum addo, nimiam Regis hujus φιλαργυρίαν fabulæ forsan ansam dedisse, *de illius descensu ad inferos, ubi cum Cerere alea luserit & reversus inde ab illa donum tulerit, mantile aureum:* quæ memoratur Herodoto, *l.* 2. *c.* 122. Ubi adjicit, *Feriantur Ægyptii à descensu Rhampsiniti ad ejus reditum; & Sacerdotes pallium quoddam eô ipsô die contextum, uni ex suis induunt, & oculos mitrâ obducunt; quem ubi in viam deduxerunt, quæ fert ad Cereris templum, ipsi redeunt, illô relictô. Hunc autem Sacerdotem velatos oculos habentem, ajunt à geminis lupis agi ad Cereris templum, quod ab urbe* 20. *stadia abest; & rursus à templo in eundem locum a lupis reduci.* Similem Ægyptiorum fabellam *de Mercurio alea ludente cum Luna & dies ἐπαγομένας lucrante*, habes apud Plutarchum, *libro de Iside*, *p.* 355. Vide & suprà *Ramises.*

RHANOSBATES, vide HANOSBATES.

RAPHANEÆ, oppid. Syrium, in Cassiotide regione. Civis *Raphaneotes*, *Stephanus.*

RHAPHIA, vide RAPHIA.

per RHAPISMATA & alapas manumittendi ritus, vide suprà *Gladius.*

RHAPPHA, urbs Indiæ extra Gangem, *Ptolem.*

RHAPSODI, Græcè Ῥαψῳδοὶ, dicebantur olim, qui epica carmina Homeri vel Hesiodi, ἐπὶ ῥάβδῳ pronuntiabant. Lauream enim hi virgam tenentes ea solebant decantare: non tamen propterea sic dicti, quasi Ῥαβδῳδοί. Nam antequam mos ille τῶν ῥαψῳδῶν aliena carmina natus notusque esset, Auctores ipsi ac Poetæ hymnos & alia carmina in honorem Deorum, à se composita, sic cum lauru in manibus pronuntiare consueverant, hinc ἐπὶ ῥάβδῳ ᾄδειν dicti. Pausanias *in Bœoticis*, de Hesiodo, qui cum cithara pictus erat: Οὐδέν τι οἰκεῖον Ἡσιόδῳ φόρημα· δῆλα γὰρ δὴ ἐξ αὐτῶν τῶν ἐπῶν, ὅτι ἐπὶ ῥάβδῳ δάφνης ᾖδε. *Nullum certè Hesiodo familiare gestamen, quod ex ipsius carmine apparet, cum virga enim laurea cantavit.* Intelligit hos versus ex *Theogonia*, *v.* 30.

Καί μοι σκῆπτρον ἔδον δάφνης ἐριθηλέος ὄζον
Δρέψασαι θηητόν, ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
Θείην, ὄφρα κλείοιμι τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

Ubi tamen sibi à Musis ex lauri ramo baculum dicit, tanquam vati futurorum, non tanquam Poetæ, datum: At Pausanias sic accepit. Et morem hunc posteà Ῥαψῳδοὶ, qui aliena pronuntiârunt, imitati sunt. Certè ῥάβδος omnium fuit communis, qui carmina quæcunque publicè privatimque pronuntiarent; at non omnes, quicunque ἐπὶ ῥάβδῳ canebant, Ῥαψῳδοὶ erant, sed

illi

illi soli, qui per ῥαψῳδίας alienis carminibus certabant. In conviviis apud antiquos jam moris fuit, ut pro lyra myrti vel lauri virga circumferretur, cum qua accumbentes, qui fidibus nesciebant, scolia, i. e. convivalia carmina cantarent, ut videre apud Athenæum, Hesychium & Aristophanis Scholiasten. Nempe & Lyrica carmina, si quis citharizare nesciret, à tenentibus virgam canebantur. Unde videmus ἀεὶ ῥάβδῳ ᾄδειν, rem esse antiquiorem Ῥαψῳδοῖς, qui postmodum, aliena opera in theatris recitaturi, nunquam id similiter sine virga vel baculo laureo fecerunt. Ἀπὸ τῆς ῥάβδου igitur potiùs *Rhapsodi* dicti sunt, quòd *aliena* carmina velut *fument* texerentque. Homeri namque Poësis per partes & membra olim cùm discerpta esset, nec in unum corpus relata; Agonistæ, qui per ῥαψῳδίας in certaminibus super ea recitanda contendebant, partem aliquam sumere consueverant, quam pronuntiarent; posteà verò partes carminis, quas uterque antagonista recitandas elegerat, invicem committebantur & veluti sartoris seu jungebantur. Quomodo quum universam Poësin percurrerent & sparsas partes conjungerent ac veluti sarcirent, dicti sunt Ῥαψῳδοί. Nam quòd Philochorus eos ἀπὸ τοῦ συντιθέναι καὶ ῥάπτειν τὴν ᾠδήν, h. e. *componendo carminibus*, dictos vult, locum proptereà habere non potest, quia ῥάπτειν ᾠδήν idem simpliciter est, ac *carmen aliquod texere* seu componere, non Epicus solùm, sed quivis etiam versificator, Tragicus, Comicus, Melicus. Ῥαψῳδοί fuissent dicti: quam tamen appellationem Epicis solis tributam videmus. Habitus illorum fuit ἐσθὴς ποικίλη, *vestis picta* seu *varia*, ut habet Plato in *Ione*; capite gestabant χρυσοῦν στέφανον. *auream coronam*, *Ibid.* sed & mutabant vestem, pro argumenti ratione, & purpuream modò alteriusque, cùm bella canenda essent; modò cœrulei gerebant coloris, cùm alia decantanda sumsissent, vide omnino *Dialogum* hunc Platonis, qui totus fermè de iis agit. Scaliger illos cum scipionibus rubris, cùm Iliadem profiterentur, hoc enim signum cædium & cruoris; croceis verò, cùm Ulysseam, quòd ejusmodi colore casus delinguarentur, prodidisse ait. In terim, cùm Tragœdi ac Comœdi Actores fabulas, quales à Poëtis acceperant, agerent, nihilque de suo illis adderent; Lyrœdi quoque & Citharœdi nomos & cantica, quæ Poëta Lyricus aut Dithyrambicus ipsis composuerat, sicut erant ab Auctore facta, cantarent: contrà *Rhapsodi*, qui Epica carmina rhapsodiabant, quia per partes ea sumebant cantillanda, quibus nec finis esset & initium aliunde sæpe penderet, ut perfecti operis haberent imaginem, iis plerumque de suo finem aliquem aut principium accommodabant ac *adsuebant*. Unde ῥαψῳδοὺς exordia sæpe à Jove sumsisse dicit Pindarus. Quô pactô verò non mediocriter Homericæ Poësi nocuêre. Certè Cynæthum Chium, qui primus tertur Homeri carmina ῥαψῳδῆσαι, multa in Homeri poësin insuisse & velut insuisse, scribit vetus Scholiastes, Ῥαψῳδοὶ ἐπιφανεῖς ἐγένοντο οἱ περὶ τὸν Κύναιθον, οὕς φασι πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας, ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν &c. Quam in rem vide plura, apud Salmas. *ad Solin. p.* 868. & 869. ut de clausula *Rhapsodorum* supra voce *Dixi*. Addam saltem, eosdem Ὁμηρίδας & Ὁμηριστάς quoque dictos, primumque à Demetrio Phalereo in Theatrum introductos esse: quamvis non Homeri solùm, sed etiam Hesiodi, Archilochi, Mimnermi & Phocylidis carmina, à *Rhapsodis* cantillata sint, vide Athenæum, *l.* 14. laudatum eidem, *p.* 807. Illustrium autem *Rhapsodorum* nomina hæc Mnasion, Cleomenes, Hegesias, Hermophantus, apud Scaligerum, *Poet. l.* 1. *c.* 41. ubi Heroicos Poëtas Romæ quernâ coronâ donari solitos, addit ex Val. Martiali, *l.* 4. *Epigr.* 54. *v.* 1. 2.

RHAPSODIA, Græcè Ῥαψῳδία, Aristoteli carmen est, ex vario versuum genere compositum, veluti cento: quemadmodum Poëma illud Chæremonis, cui titulus *Centaurus* fuit, ῥαψῳδίας habuit nomen, quòd ex variis metris, velut cento, consutum esset. Propriè verò, quod à *Rhapsodis* cantabatur, ut carmina Homerica, quibus hodieque Ῥαψῳδιῶν nomen hæret inde, quod cum olim dispersa essent & indigesta ac per partes tantùm legerentur, primi qui in ἀγῶσι publicis ea cantare cœperunt, hinc inde partem aliquam sumentes, ea veluti contexerint, consuerint & in seriem posuerint. Hoc enim propriè ῥάπτειν est, *suenta componere, conciliare & una concipere*. Unde ῥαψῳδεῖν Pindaro, quæ Ῥαψῳδοί canebant, quòd ea sparsa velut colligerent & in unum corpus suerent; quemadmodum ῥαπτοί στέφανοι, *sutiles corona*, ῥαπτὰ navigia, ῥαπτὰ περιστρώματα &c. Idem *ibid*. Sic particulatim canebant prisci, *Pugnam ad naves*, *Δολώνειαν, ubi Ulysses & Diomedes abeunt speculatum*; Ἀριστεία Diomedis, Βοιωτίαν seu *Navium catalogum*; Πατρόκλειαν, Λύτρα Hectoris, *Parentalia ad Patrocli tumulum*; Ὁρκίων ἀφάνισιν, seu *fœderis violationem*. in Iliade: In Odyssea, τὰ ἐν Πύλῳ, i. e. *Telemachi peregrinationem*. Τὰ ἐν Λακεδαίμονι; *Calypsus antrum*: *Ulyssis navigationem in rate*; *Alcinoi apologos*: Κυκλώπειαν; Νέκυιαν; Βάρβαρα, *Procorum cædes*; τὰ ἐν ἀγρῷ. Alia. Primus demum omnium universa Homeri opera ex Ionia in Græciam portavit Lycurgus Lacedæmonius; quæ in duo corpora, *Iliadem* atque *Odysseam* composuit Pisistratus, an filius ejus Hipparchus, qui in Panathenaicis festivitatibus Rhapsodos canere instituisse legitur, apud Ælianum, *Var. Histor. l.* 8. *c.* 2. & *l.* 13. *c.* 14. Vide Jul. Cæs. Scaligerum ubi suprà.

RHAPSODOMANTIA, Græcè Ῥαψῳδομαντεία & Ῥαψῳδομαντία, Divinationis genus, quod per *sortes* fiebat, *Virgilianas* plerumque, aut *Homericas*; Æl. Spartian. *in Hadriano Cæs. c.* 2. *Quô quidem tempore cùm sollicitus, de Imperatoris ergo se judicio, Virgilianas consuleret*,

> *Quis procul ille autem ramis insignis oliva*
> *Sacra ferens? nosco crines incanaque menta*
> *Regis Romani, primam qui legibus urbem*
> *Fundavit, Curibus parvis & paupere terrâ,*
> *Missus in Imperium magnum, cui deinde subibit:*

Sors excidit &c. Varii autem hujus Μαντείας modi fuêre. Interdum nobilis alicujus Poëtæ selectos versus in pittaciis describebant: quibus in situlam conjectis idem ordo servabatur, qui in aliis sortitionibus, queis urna interveniebat, & de hoc genere propriè dicebatur, *sors excidit* vel *exiit*, Græcè κλῆρος ἐξέπεσε. Interdum versus fatidicos in tabella describebant, & talorum arbitrante aleâ divinationem peragebant: & hic est πίναξ ἀγυρτικός, seu ἀγυρτικὴ τάβλα, cujus crebra in Græcorum libris mentio. Fuit & alius modus, Ῥαψῳδομαντεία, cùm temerè arreptô apertôque Poëtæ cujusdam librô, ut quidque se primum oculis objecerat, pro sorte id & oraculi loco habebatur, de quo vide Augustin. *Confessionum l.* 4. *c.* 3. Atque hoc divinationis genus, à paganis acceptum, etiam Rabbinorum curiositas frequentavit & veteres quoque Christiani nonnunquam usurpârunt, substitutô in Poëtarum locum Sacri Fœderis utrôque Testamentô. Gregorius Turon. *l.* 4. *tmem.* 16. *Positis Clerici tribus libris supra Altarium, i. e. Prophetia, Apostoli atque Evangeliorum, oraverunt ad Dominum, ut Christiano quid eveniret ostenderet*. Mox, *Apertô igitur primò omnium Prophetarum librô, reperiunt. Auferam maceriam ejus*. Et *l.* 5. *Ego verò, reseratô Salomonis librô, versiculum qui primus occurrit, arripui, qui hæc continebat. Oculum qui adversus aspexerit Patrem* ——— *Post hæc continuatô triduô in jejuniis, vigiliis atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens revolvit librum, qui erat Regum. Versus autem primus paginæ, quam reseravit, hic erat: Pro eo quòd dereliquistis Dominum Deum* &c. Vide ejusdem *librum* 5. *tmem.* 49. & Nicephorum Gregoram, *l.* 8. ubi similis Andronici Senis consultatio, aperto Psalmorum librô. Aliquando verò, qui consulebant, non aperiebant ipsi libros sacros, sed de voce Diaconi legentis in Ecclesia omen captabant, cujus rei exemplum est, apud eundem Gregorium, *l.* 8. *tmem.* 4. Vide quoque Metaphrastem in *Octobri* de B. Cypriano (qui alius est ab eo, cujus hodie scripta extant) loquentem & plura hanc in rem, apud Casaubonum, *Not. ad Spartianum, l. c.* ut & *hic passim*, inprimis voce *Prognosticum*, it. in *Psalterium aperiendi ritu*; & infrà in voce *Sortes*.

RHAPTÆ, metropolis Æthiopum, cujus incolæ *Rhapsi*.

RHAPTICE, vide infra *Sartoria*.

RHAPTON, Græcè Ῥαπτόν, promontor. Barbariæ, à quo urbs totius hujus regionis Metropolis Ῥαπτά & portus & emporium. *Stephanus*, Ῥαπτὰ μητρόπολις τῆς ἐντὸς Αἰθιόπων, οἱ οἰκήτορες Ῥάψιοι ——— ἔστι δὲ καὶ μητρόπολις τῆς Βαρβαρίας τὰ Ῥαπτά, *Rhapta metropolis interiorum Æthiopum, cujus incola Rhapsii* ——— *est & metropolis Barbariæ Rhapta*; Sed *Rhapta* & *Rhapta* idem oppidum. Erat illud haud longè à Mari, dicebaturque *Barbaria*, quidquid post mare Rubrum, inter sinum Arabicum & Persicum ad Meridiem patet versùs Austrum tendenti, in ora sinus Barbarici, qui ad Orientem jungitur Mari Indico, usque ad promontor. Rhapton. Salmas. *ad Solin. p.* 798. Alias Ῥαπτά, quum appellativum est nomen, dicuntur Græcis tapetis Babylonicô opere picta. *Xenophon*, ὑπεστόρεσαν δὲ τῶν δαπιδῶν ῥαπτά, ἐφ' οἷς κυλίζοιεν οἱ Πέρσαι μαλακῶς. *Consuta tapetia* videtur vocare Plautus, *Stich. Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 54.

> *Tum Babylonica peristromata, consutaque tapetia*
> *Advexit nimium bona rei*.

i. e. ῥαπτά, ποικίλα, ῥαπτοποικιλτά. Unde Ῥαπτοποιοί Græcis et ποικιλταί, *qui acu faciunt*, ut de Phrygibus dicit Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Insuere* enim non minùs proprium Babylonicorum plumariorum, quam *intexere*: quemadmodùm vicissim *intexere* non minùs de Phrygibus sive phrygionibus dici queat; quàm *insuere*. Vide suprà, ubi de utrisque. Quid ῥαπτὰ navigia, ῥαπτοὶ στέφανοι, vide infrà, in voce *Sutilis*, & plura hanc in rem apud Salmas. præfatum, *Not. ad Historiam Aug. passim*.

RHARIAS, cognomen Cereris, à *Rharo*, teste *Stephanô*. Fuit autem *Rharus* hic fil. Cranai, qui Cecropi, in Atheniensium regno, successit. Eô Triptolemum genitum, docet Pausanias in *Atticis*, ubi & Chœrilum auctorem laudat. *Suidas* verò patrem Celei, avumque Triptolemi facit. Quia autem sive *Rharus*, sive Celeus, Cererem hospitiô exceperat, hæc Triptolemum agriculturam docuit & à *Rharo* voluit cognominari. Sunt tamen, qui ad Pandionis tempora, quæ de Cerere, *Rharo*, Celeo ac Triptolemo modò dicta, referre malunt, Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13. Hinc *Rharius* ager, Eleusinis, à Cerere primùm consitus. Pausan. *loc. cit.* Τὸ δὲ πεδίον τὸ Ῥάριον σπαρῆναι πρῶτον λέγουσι καὶ πρῶτον αὐξῆσαι καρπούς, *Agrum Rharium consitum primò ferunt & primum fruges protulisse*. Vide *Rharium*.

RHAPTRA, portus quidam, & metropolis Barbariæ, *Steph.*

RHAPTUS, fluvius quidam, *Idem*.

RHARIUM, campus in Eleusine, unde *Rharia* regio, & Ceres *Rharias*.

RHASCUPORIS, Suetonio, *in Tiber. c.* 37. *Thrascypolis*, Vellejo, *l.* 2. *c.* 129. *Rhascupolis*, Tacito, *l.* 2. *Annal. c.* 64. 66. *Rhascuporis*, Rhœmetalcis fil. Thraciæ Rex, qui parte regni ab Augusto attributâ non contentus, invasit Cotyi data. Et cùm arma ponere Tiberius jussisset, Rhascuporis fratris filium Cotym ad convivium vocatum onerat catenis, eumque occidi jubet. Pôst, astu Pomponii Flacci, Mœsiæ proprætoris, captus, & in urbem tractus damnatusque est. Quare Alexandriam devectus, illicque fugam tentans, vel fictô crimine interficitur. Tacit. *loc. cit*.

RHATACENSII, *Ptolem. Ratach Lazio*, populi Transylvaniæ quorum locus adhuc sic dicitur.

RHATENI, vide *Arabia superior.*

RHATOMAGUS, forsan oppid. Velocassium fuit in Gallia Celtica, ubi hodie *Fleury*, oppidul. Normanniæ, ad Andolam amnem, 5. leuc. à Rothomago.

RHATOSTATHYBIUS, fluv. Albionis in Wallia. *Ptolem.* vulgò *Taff.* in Comitatu Glamorganensi, Fanum ad Taffum urbeculam præterfluens, *Camdenus.*

RHAUCUS, urbs Cretæ mediterran. Gentile *Rhaucius*, *Stephanus.* Quid nunc sit, non constat.

RHAUDUM, vulgò RHO, pagus Ducatus Mediolanensis ad Olonam amnem, 12. milliar. à Mediolano in Circium. Castrum Seprium versus 14. circit. 20. à Novaria in Ortum.

RHAVIUS, *Ptolem.* fluv. Hiberniæ, inter Boreum promontor. & Naguatam urbem, *Bamy Camdeno. Moletio Abram*, *Ferrar.* Camdeni verba sunt, Comitatus Sligoensis ad Boream, Trobis fluv. est, *Ptolemæo Ravius*, ex Erno lacu emissus. Eidem verò Banna, vel *Bann*, est fluvius Comitatus Colraniensis longissimè hinc distans. Vide *Bavinda.*

RHAURARIS, *Arauris*, *Ptolem. Arauris* Pompon. *l.* 2. *c.* 5. fluv. Galliæ Narbonens. in Occitania inferiore ex monte Cemeno in Meridiem fluens. inter Obrim fluv. & Agatham urbem, mari Mediterraneô exceptus, *l'Eraud Clusio.* Meliùs *Araurari*s Latin. Piscenas & Agatham rigat, & paulo infra in mare abit, *Baudrand.*

RHAUZIUM, vide RAGUSA.

RHAX, insula Lyciæ, *Stephanus.*

RHAZUNDA, Mediæ oppid. *Ptolem. Rhamen*, *Nigro.*

RHE, locus circa Armeniam. *Cedreno.*

RHEA, Cœli & Terræ filia, Hesiod. *in Theogon.* v. 133. ubi de Terræ filiis:

> Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα, τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,
> Κοῖόν τε Κρεῖόν θ' Ὑπερίονά τ' Ἰαπετόν τε,
> Θείαν τε Ῥείαν τε, Θέμιν τε Μνημοσύνην τε.

At Orpheus in *Hymnis* Rheam primam omnium à Deo factam fuisse, inquit. quem *Protogonum* appellant:

> Πότνα Ῥέα θύγατερ πολυμόρφου Πρωτογόνοιο.

Quæ cùm fuisset posteà Saturni uxor credita, de illa scripsit idem Orpheus:

> Πάντρε' ἀγλαόμορφε, Κρόνου σύλλεκτρε μάκαιρα.

Hanc ipsam Jovis fuisse matrem testatur *Callimachus*:

> Ἐν δέ σε Παῤῥασίῃ Ῥείη τέκεν, ἧχι μάλιστα
> Ἔσκεν ὄρος θάμνοισι περισκεπές.

Hujus sacrificia fiebant die nonô Lunæ, ut innuit Nicander in *Alexipharmacis*, magna cum vociferatione:

> Ἠέ τε κερνοφόρος ζάκορος βωμίστρια Ῥείης
> Εἰνάδι λιμφοιτῶσα ἐπιχρίμπτουσα κελεύθοις,
> Μακρὸν ἐπιρροιζεῦσα γλώσσῃ θρόον· αἱ δὲ τρίοδοι
> Ἰδαίης μεγάλην ἐπ' ἀϋτῇ ἀλαλάζουσι.

Quod autem Rhea Terra sit, vel vis Terræ, quæ ad generationem rerum pertransit, testatur Apollonius, *Argon.* l. 1.

> ——— ——— Κεῖθεν ἐς αἰεὶ
> Ῥίμφα κὲ τοσσαίην Ῥείην θεὸν ἱλάσσονται,
> Ἡ δὲ τοῦ ἀνγίνοιο ἐπὶ θρόνου θῆκε θεουδής,
> Ἀπτῶν δ' ἄμμιν τὰ δ' ἑκάστα σήματ' ἔγεντο,
> Αὐτομάτη φύε γαῖα τερείνης ἄνθεα ποίης,
> Θῆρες δ' εἰλυούς τε κατὰ ξυλόχους τε λιπόντες
> Οὐρῆσιν σαίνοντες ἐπήλυθον.

Aliò nomine *Ops*, *Mater Deûm*, & *Magna Mater*, & *Cybele* dicta. Item *Dea Phrygia*, *Idæa*, *Berecynthia*, *Dindymene*, & *Pessinuntia.* Dictam volunt *Rheam* ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quod *affluat* rebus omnibus terra. Vel potiùs *Rhea* est à verbo Ebræo רעה *Raha*, pavit. & in 2. Conjugatione *Raha*, id est, *associavit sibi commensalem.* Vide Natal. Com. *l.* 9. *c.* 5. & Fungerum in *Rhea. Nic. Lloydius.* Etiam verò Βριμὼ (quod alias Proserpinæ cognomen) appellatam fuisse, docet Theodoretus *Therapeut. Serman.* 1. Ὅτι δὲ καὶ τὴν Ῥέαν, ἢ καὶ τὴν Κυβέλην, ἢ τὴν Βριμὼ, ἢ ὅπως ἂν θέλωσιν ὀνομάζειν. Apud Orpheum in *Argonaut.* idem nomen reperitur, ubi tamen Proserpinam intelligi vult *Meursius.* Ad Canteri *Notas.* Templum ædemque habuisse nullam, observat Joh. Rosin. *Antiqq. Rom.* *l.* 2. *c.* 4. Plura vide apud Gerh. Joh. Voss. *de Idolol.* *l.* 2. *c.* 54. Nec omittendum, quòd *Rheam* Semiramidis cognomen Assyrium fuisse, notat Auctor *Chronici Alexandrini*, *p.* 85. De ejus πυργωτῇ στεφάνῃ, *turritâ coronâ* vide Car. Paschalium, *Coronar.* *l.* 3. *c.* 3. & 11. ut & *l.* 9. *c.* 10.

RHEA. Numitoris Albanorum regis filia, aliò nomine *Ilia* appellata: quam cùm Amulius patruus ejus Vestæ virginem legisset, à Marte compressa Romulum & Remum peperit. *Rheam Silviam* vocat L. Florus *Hist. Rom.* *l.* 1. *c.* 1. *Serviam* appellat Ælian. *Var. Histor.* *l.* 7. *c.* 16. *Iliam* nuncupat Scholiastes Juvenal. *ad Sat.* 9. *Calendis Martii, quibus Junoni sacra celebrantur à Romanis, quia tunc Ilia compressa est à Marte, nam tunc Matronalia sunt.* Salmasius non uspiam aliàs, apud bonos Auctores, *Rhea Silviæ* nomen occurrere, annotavit; suspicatur tamen, *ad c.* 1. *Solini*, eandem fuisse Συβελίας in τελεστηρίῳ Cyrini templi, quod Attali & Eumenis Matri dedicatum fuit. Hanc Amulius, frater Numitoris minor, Numitore pulsô filiôque ejus occisô, in Vestale Sacerdotium cepit, sicque perpetuæ Virginitati damnavit, ne qua fortè legitimus Regni hæres ex ipsa nasceretur. Sed postquàm furtivô concubitu gravidam deprehendit, sepsit eam custodiâ, ut partus enecaretur: Quæ cùm gemellos peperisset; illi Amulii imperiô, in profluentem projecti, beneficiô Faustuli, Regii Pastoris, servati sunt ac educati; Mater autem, à partu liberata, Patrui jussu, viva defossa est, vide *Salmas. Not. ad Florum loc. cit.* Et ab hujus filio Romulo Romam conditam tradunt, Solinus, *c.* 2. *Ælianus, loc. cit.* Justinus, *l.* 43. *c.* 3. Livius, *l.* 1. *c.* 6. Vellejus, *l.* 1. *c.* 8. Virgilius: Alii: à Romulo & Remo, Pomponius Mela, *l.* 2. *c.* 4. Plin. *l.* 8. *c.* 17. &c. Manilius, *Astronom.* *l.* 5.

> *Quà geminus cum fratre Remus hanc condidit urbem.*

Callias tamen, apud Dionys. Halicarn. *l.* 1. Romen, fœminam quandam Trojanam, Latino Aboriginum Regi nuptam, Remum Romulumque peperisse, Urbemque ab illa Ῥώμην appellatam esse, tradit. Etymologici Auctor, ipsius Æneæ, cum quo memorata *Rome* in Italiam delata, Romulum & Remum filios facit. Sallustius, primordia Urbis Æneæ Regi tribuit, Romuli nullâ mentione factâ. Interim, quòd Romulum ex Silvia à Marte progenitum esse crederent Romani, præcipuâ hunc veneratione, tanquam Gentis suæ conditorem, coluerunt; unde etiam in nummis quibusdam expressus videtur, Mars accedens ad *Rheam* Sylviam; quorum unum operi suo inseruit Joh. Rosinus, *Antiq. Rom.* *l.* 2. *c.* 10. Lupæ quoque imago, sub ficu Ruminali, duos puellos Romulum & Remum hactenus expositos, lactantis, est in nummis Pompejæ gentis, Commodi, Alagabali seu Heliogabali, Macrini, apud Fulv. Ursinum: *in Velum. numism.* *p.* 221. Vide quoque Bizum *in nummis Cretici Tab.* 5. *num.* 2. Abrah. Gorlæum, *Tab.* 44. *num.* 7. &c.

RHEBAS, qui & RHEBUS Valer. Flacco, *l.* 4. *v.* 698. *Rhebæus* Orpheo, *Rhebaus Apollonio*, fluv. Bithyniæ ex Olympo monte oriens & in Euxinum mare apud Psillidem labens. De hoc *Dionysius*: Bithynia læta quidem regio atque omni referta ubertate, quam *Rhebas* fluvius amœnissimus, gratissimis perfundit aquis, donec in Pontum ceciderit, quibus nec est ullus in cæteris terris amnis jucundior, neque qui magis ad voluptatem faciat. *Riba* hodie *Petro Gyllio.* Dionysius, v. 794.

> Ῥήβας οὗ ἐρατεινὸν ἐπιπροχέει ῥέεθρον,
> Ῥήβας, ὃς Πόντοιο παρὰ προμολῇσιν ὁδεύει,
> Ῥήβας, ὃ κάλλιστον ἐπὶ χθονὶ νίσσεται ὕδωρ.

Ubi *Montanus*: Cur exigui fluvii *Rheba*, seu *Rhebantis*, (nam utrôque modô inflecti *Eustathius* testatur, Ῥηβαντίας γῆς ab eo denominatæ *Arrianum* meminisse affirmans) tam solennis mentio à Dionysio facta est, adeo ut ejus nomen, veluti Thymbridis, v. 352. per Anaphoram ter repetitum sit, (cum eum *Ptolemæus* & *Strabo*, ne nominare quidem dignentur) nisi cum *Suida* leve hoc argumentum arripiamus, ad confirmandam opinionem, quòd ipse Byzantius fuerit? Plinius quidem hujus fluv. meminit *l.* 6. *c.* 1. & aliter *Rhesum* dictum refert: *A faucibus Bospori est Rhebas fluvius, quem aliqui Rhesum dixerunt, deinde Psillis.* Valer. Flaccus, *loc. cit.*

> *Litora longinqui quæ ambiunt flumina Rhebi.*

Si quis (inquit Bochartus, *l.* 3. *Phaleg c.* 10.) רפת *Riphat* malit, eò alludet *Rhebas*, vel *Rhebæus*, Bithyniæ amnis in Pontum exiens, non procul à Paphlagonia. Apollonius, *l.* 2. *Argonaut.*

> Κα' ἐπὶ Ῥηβαίοιο προχοὰς, σκόπελόν τε Κολώνης
> Παφλαγόνων τε. ——— ———

Orpheus, *Argonaut.* v. 711.

> Ῥηβαίου προχοαῖσι μέλαν θ' ἱερὸν αἶπος.

Arrianus in *Periplo*, ἀπὸ δὲ τοῦ ἱεροῦ πλέοντι ἐν δεξιᾷ Ῥήβας ποταμός. Sed & Apollonius, *l.* 5. v. 349.

> Ῥήβαν ὠκύρροον ποταμὸν, σκόπελόν τε μέλανα.

Vide *Rhesus.* *Rhebas* etiam regionis nomen, cujus populi *Rhebæi*, *Stephanus.* Ῥήβας, ποταμὸς παρὰ τῷ Πόντῳ. ἔστι δὲ καὶ χώρα, τὸ ἐθνικὸν Ῥηβαῖοι. *Nic. Lloydius.*

RHECAS, unus ex iis ducibus qui Laconas Heniochiam deduxerunt. Strabo, *l.* 11.

RHECHIUS, vide RECHIUS.

RHECIUS, vel CERCIUS & Amphitus, aurigæ Castoris & Pollucis, Dioscuriadis Auctores, urbis Colchorum, Solinus, *c.* 15. Eorum meminit Appianus quoque, *l.* 22. *Et Dioscurias nunc usque manet, cujus auctores Amphitus & Cercius Spartani aurigæ, à quibus Heniochorum natio est instituta* &c.

RHEDA, vocabulum Gallicum, Quintil. *l.* 1. *c.* 9. significabat genus leviculi currus, quô gestabantur olim nobiliores Romani in villas suas, uti de Milone legimus apud Cicer. *Orat. pro eo.* Gallis hodie *Coche.* Hinc *Rhedarii* muli, apud Varronem, *de R. R.* *l.* 3. *c. ult.* Ferè enim vulgaris hic currus Romæ fuit, sicut ἀπήνη Græcia, vide Sulpicium, *Dial.* 2. *c.* 4. Proinde Apocalypseos *c.* 18. *v.* 13. pro Græcis ἵππων καὶ ῥεδῶν, *equorum & rhedarum*, Arabs habet *equorum & mulorum.* Erant autem *mulares* hæ *Rhedæ* vel bigæ, vel quadrigæ, ut suprà videre est, voce *Muli.* At M. Donato, *rheda currus equis currus ut plurimum*: Casaubono vero quadrirotum ὄχημα. Æolibus quoque πετόρριτον, unde πετόρριτον Græcis, ut cisium birotum, *ad Julium Suetonii*, *c.* 57. Sed & servorum *Rhedariorum* mentio est apud Cicer. *d. l.* Vide quoque Pignorium *de Servis.* *Rhedarii* item *Vehicularii Fabricatoris*, apud Capitolin. *in Maximo*, *c.* 5. ubi ejus patrem nonnullis talem fuisse ait. Eam porrò Fortunatus sic describit, *l.* 3. *Poëm.* 20.

Curri-

Curriculi genus est, memorat quod Gallia Rhedam,
Molliter incedens orbita sulcat humum.
Exiliens duplici bijugô volat axe citatô,
Atque movet rapidas juncta quadriga rotas.

Vide Casaubon. quoque *ad Sueton. loc. cit.* Bochart. *in Hierozoico, Pars. prior* ubi de *Mulis*, Alios. In specie, *Rheda Fiscalis*, apud Sulpicium Severum, *l. 3. de Vita Martini, Per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis* reda *veniebat*; est cujus usus erat in Cursu publico, quem *Fiscalem* quoque vocat Spartian. *in Hadriano, c. 7.* Quæ ambo sic dicta, non quòd præstatio eorum Fisco incumberet, sed quòd res Fiscales eo transveherentur, ut aurum & argentum sacrarum Largitionum, cùm ad comitatum Principis destinabantur, vestes aliæque species, quæ *Fiscales* dicebantur. Instituit autem cursum publicum, etiam vehicularium, primus Augustus, ut, quid in provinciis gereretur, cognosceret celeriùs, quem posteà Hadrianus Imperator Magistratibus quoque, cum in suas ibant provincias, indulsisse legitur apud Spartianum, cùm priùs suis sumtibus irent redirentque, sed hac de re suprà. Eædem *Rheda cursuales* dicuntur, *l. 9. Cod. Theod. de Legatis*, de quibus vide plura apud Jac. Gothofredum, *Paratit. ad tit. Cod. Theod. de cursu pub.* nec non suprà, ubi de eadem.

RHEDÆSTUM, vide REDÆSTUM, & *Bisanthe.*

RHEDONES, Galliæ Celticæ populi, Cæsar, *l. 3. Bell. Gall. c. 34. Rennes in Bretagne.* Seu *Redones Baudrando*, populi Britanniæ minoris versus Cenomanos, quorum urbs Condate Rhedonum seu Redones, hodie *Rennes* Episcopalis, ampla & culta, ad Vidanam fluv. Parlamenti ab Henrico II. instituti, sedes, 22. leuc. à Nannetibus in Boream, Maclovium versus 16. & 22. ab Andegavo in Circium, 26. à Venetis in Cæciam. Urbs antiquissima est, sedesque olim Ducum fuit. Hic campana inter totius Galliæ maximas, &c. Vide Argentræum & Augustin. du Pas, *Histor. Brit.* Duchesn. *antiq. Urb.* De Conciliis ibidem habitis, Moreri. *in Diction. Histor.*

RHEE, Mons circa Hellespontum, *Strabo. Rhea* sedes, collis sic dictus in Thebaide Bœotiæ, Polyæn. *l. 2. c. 1. in Agesil. com. 12. Rhea* Sinus, circa Ionium mare videtur apud *Æschylum.*

RHEGIANUM, Mysiæ inferioris oppid: *Ptolem. Rosi Nigro.*

RHEGINO, Abbas Benedictinus in Diœcesi Trevirensi Condidit Chronicon à nato Christo, usque ad An. 908. quod dein continuatum est, usque ad An. 967. vel 972. Agit præcipuè de Francorum gestis. Idem scripsit *de Disciplinis Ecclesiasticis*, & *Religione Christiana.* Voss. *l. 2. de Histor. Lat. c. 39.* Sigebert. *in Catal. c. 112.* Trithem. *in Chronicis.* Sub finem secul. 9.

RHEGINUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

RHEGINUS *saltus*, *Plin.* Solin. *c. 8. Petrena* Barrio, sylva Brutiorum, ad Apenninum, in Calabria ulteriore in agro Sinopolis oppid.

RHEGIUM, oppid. in Via Æmilia, Tanneto proximum, Scribendum *Regium.* Dicebatur enim primò *Forum Lepidi*, posteà verò *Regium Lepidum*, à M. Lepido C. Flaminii collega. Straboni Ῥήγιον λέπιδον, rectiùs dicitur, quàm λεπίδιον *Ptol.* Plinio, *l. 3. c. 15.* sunt *Rhegienses de Lepido.* A Gothis, aliisque Barbaris aliquoties vastatum, Caroli M. beneficiô pristinum splendorem recuperavit. Leander Alb. & Cluver. *descr. Ital.* Ughel. *Ital sacra.* Festus, *Rhegium*; inquit, *significare oportere, ait Verrius, id municipium, quod in freto Siciliæ est: quoniam id dictum est à rumpendo, quod est Græcè ῥήγνυσθαι, eò quidem magis, quia in Gallia Cisalpina, ubi Forum Lepidi fuerat, Regium vocatur.* Discrimen voluit esse debere Verrius *in Orthographia.* Illud oppidum ad fretum Siculum, Græcò modô, scribendum esse cum aspiratione *Rhegium*; quia Græcum ejus est vocabulum: hoc verò in Galliâ Cisalpinâ sine spiritu *Regium*, quasi à *regia* cujusdam dignitatis argumento. Hinc apud Phlegontem Trallianum *in Macrob.* ubi bis nominatur πόλις Βασίλεια, putat Cluverius idem esse oppidum, quod ibidem sexies vocatur πόλις Ῥήγιον, quem sis vide *de Ital. Ant. l. 1. p. 176. Nic. Lloyd.* Vide & *Reggiensis Duc.*

RHEGIUM, extremum agri Brutii versus Occidentem oppid. cognomentò *Julium. Ptolem.* Σκύλλαιον ἄκρον, Ῥήγιον Ἰούλιον, Λευκόπετρα ἄκρα. Vulgò nunc incolis, & elegantiùs loquentibus, *Reggio* dicitur. Mela adversô itinere incedens, *l. 2. c. 4. Columna Rhegina, Rhegium, Scylla.* Ubimalè *Rhegium* ponitur inter Columnam & Scyllam, cùm Columna fuerit inter Scyllam & Rhegium. *Baudrando* nunc est caput Calabriæ ulterioris *Regio.* In ora freti Siculi, ex adverso Siciliæ & Messanæ urbis, à qua distat 9. milliar. in Ortum, Zephyrium promontor versus 28. & 90. à Consentia in Meridiem, celebre trajectu in Siciliam ex Italia. Conditum est à Chalcidensibus, quibus se Messenii, qui virgines Spartanas in Limnis stupraverant, adjunxêre, Strabo, *l. 6.* Direptum à Solimanno A. C. 1552. Vide Thuan. *Histor.* Oppidani inde fuêre *Rhegini* in quorum proin nummis PHΓΙΝΩΝ legitur: unde *Rheginis timidior*, Proverb. apud Zenodot. (*Rhegienses* enim vel *Rhegmenses* sunt incolæ *Rhegii*, vel *Regii Lepidi* in Gall. Cispadana) *Stephan.* Ῥήγιον, πόλις Ἑλλάδος, ὁ πολίτης Ῥηγῖνος. Plin. *l. 3. c. 8. Columnam Rheginam. Ab hoc dehiscendi argumento Rhegium, Græci nomen dedêre oppido, in margine Italiæ opposito.* Ejus meminit Ovid. *Met. l. 14. v. 47.*

Oppositumque petens contra Zanclæia saxa
Rhegion ingreditur, ——— ———

Dictam sic volunt ἀπὸ τοῦ ῥήγνυμαι, quòd ibi Sicilia ab Italia credatur esse *rupta* vel *avulsa.* Cui sententiæ mordicus adhærent Poëtæ:

1. Virg. l. 2. *Æn. v. 414.*

Hæc loca, vi quondam, & vastâ convulsa ruinâ
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, quum protinus utraque tellus
Una foret: venit medio vi pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque & urbes
Litore diductas angustô interluit æstu.

2. Ovidius, *Met. l. 15. v. 290.*

——— *Zancle quoque juncta fuisse*
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
Abstulit, & mediâ tellurem reppulit undâ.

3. Lucanus, *Pharsal. l. 3. v. 59.*

Curio Sicanias transcendere jussus in urbes,
Qua mare tellurem subitis aut obruit undis,
Aut scidit, & medias fecit sibi litora terras:
Vis illic ingens pelagi, semperque laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes.

4. Valerius Flaccus, *Argonaut. l. 1. v. 587.*

——— *Neque enim tunc Æolus illis*
Rector erat, Libycâ cùm reperet advena Calpen
Oceanus, cùm flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus undæ.

Idem, *l. 2. v. 617.*

Has etiam terras, consertaque gentibus arva,
Sic pelagô pulsante, reor, Neptunia quondam
Cuspis, & adversi longus labor abscidit ævi;
Ut Siculum Libycumque latus: stupuitque fragorem
Janus, & occiduis regnator montibus Atlas.

5. Silius Italicus, *de bello Punico 2. l. 14. v. 11.*

Ausoniæ pars magna jacet Trinacria tellus,
Ut semel expugnante Notô, & vastantibus undis
Accepit freta cæruleô propulsa tridente.
Namque per occultum cæcâ vi turbinis olim,
Impactum pelagus laceratæ viscera terræ
Discidit, & mediô perrumpens arva profundô
Cum populis pariter convulsas transtulit urbes.

6. Claudianus, *de Raptu Pros. l. 1. v. 140.*

——— ——— *Trinacria quondam*
Italiæ pars una fuit: sed pontus, & æstus
Mutavêre situm: rupit confinia Nereus
Victor, & abscissos interluit æquore montes.
Parvaque cognatas prohibent discrimina terras.

7. Statius, *Theb. l. 3. v. 593.*

——— ——— *It clamor ad auras,*
Quantus Tyrrheni gemitus salis; aut ubi temtat
Enceladus mutare latus; procul igneus antris
Mons tonat, exundant apices, fluctusque Pelorus
Contrahit, & sperat tellus abrupta reverti.

Idem, *l. 1. Sylv. 3. v. 32.*

——— ——— *Sic dissociata profundo*
Brutia Sicanium circumspicit ora Pelorum.

8. Dionysius in περιηγήσει, *v. 467.*

Τρινακρίη δ' ἐπὶ τῇσιν ὑπὲρ πέδον Αὐσονίοιο
Ἐκτέταται, πλευρῇσιν ἐπὶ τρισὶν ἑστηυῖα, &c.
Τῆς μὲν πρὸς βορέην ἁλὸς αὐτῆς κέλευθος,
Στεινή τε, σκολιή τε καὶ ἄγχιος, ἧχι θάλασσα
Συρομένη ῥηχίῃσι περιθύμαινει σκοπέλοισι,
Ἀείῃ τρηχεῖαν πολυγλώχιν' ἀϊσσει.

Vide sis illic Eustathium. Hactenus poëtæ; reliquos auctores sententiam hancce confirmantes videat, si velit, lector apud magnum Cluver. *de Sic. Ant. l. 1. c. 6.* de quo etiam nos plura in *Sicilia. Nic. Lloydius.*

RHEGIUM, locus Thraciæ, circa Byzantium, juxta quem lacus *Myrmex*, juxta quoque est Urbs Abyras.

RHEGIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

RHEGMA, civitas quædam Ciliciæ. Item sinus juxta sinum Persicum: Gentile *Rhegmatites*, *Steph.* Item lacus post Anchialam urbem, ubi navalia multa, quà parte Rhodios spectat, *Strab.*

RHEGUSCI, Plinio, *l. 3. c. 20. Rugusci*, *Straboni Rugantii*, vel *Rucantii*, gens Alpina, seu Rhetica. *Ptolemæo* Australia Rhætiæ cum Suanetis: recentioribus supra lacum Acronium, utrinque ad Rhenum habitant; regio Vallis Rheni, Germanicè *Rheinthal* dicitur. Eorum mentio, in trophæo Augusti, apud Plin. *loc. cit.* Horum illi, qui dextram ripam tenent, sub Austriis; ab altera parte, ubi Rhineggum & Altestettum oppidula, ut & vallis versus Werdenbergios porrigitur, sub Helvetiis sunt. Agnovit diu totus hic tractus Austriorum imperium, à quibus nobilibus Juniis oppignoratus est. Fridericô dein Austriô, tempore Concilii Constantiensis à Sigismundo Imperatore proscriptô, Fridericus Toggius Comes Rheguscos, inter alia, Imperatore consentiente, occupavit, satisfaciens illis, quibus loca hæc oppignorata fuerant. Postmodùm à Toggio *Rheguscorum* regio nobilibus Ulrico & Conrado Beyereris fratrib. rursus pignori est data: quorum hæres Jacobus Beyeretus, cùm vereretur, ne adversus Abbatiscellanorum vim, cùm quibus ipsi res erat, tueri hæc loca non posset, ultro sua jura illis vendidit A.C. 1490. iisque pignus hoc resignavit. Ita sub Abbatiscellanis mansêre *Rhegusci* per annos 30. Bellô dein inter Abbatem Sangallensem & Abbatiscellanos, qui Cœnobium Rosacense destruxerant, exortô, Helvetii, qui subsidio

Ab-

Abbati venerant, Abbatiscellanos tum pecunia, tum Rhegusorum imperio mulctavere: possessio autem horum in sumptus & stipendia belli cessit Pagis, Tiguro, Lucernæ, Suitiæ, Glaronæ: qui postea Urios, Underwaldios & Tuginos, ut & veteres dominos Abbatiscellanos in communionem hujus imperii admisere: Itaque nostrâ ætate octo hi pagi Rhegusscis ex ordine dant Præfectos, quorum sedes Rhyneggi est, vetusto oppidulo, sito in finibus Rhegusorum, supra eum locum, qua Rhenus lacum Acronium ingreditur. Tota autem præfectura dividitur in partes certas, quas *Hoof*, villas, nominant, quarum nomina: Altestetium oppid. Marpachium, Bernangum, Taal, ad quam villa Rhyneccum pertinet, & Oberrieda. Harum villarum quælibet propriam jurisdictionem habet, & duos Ammanos, quorum unum Præfectus Helvetiorum, alterum Abbas S. Galli constituit. Culturæ vinearum & nendo lino incolæ dediti sunt, &c. Vide Simler. *de Rep. Helvet. Stumpf. Plantin.* &c.

RHEINGRAVII, seu *Comites Rheni*, illustris in Germania Familia, quæ à pluribus seculis in tractu Rhenano viret. Adelhelmi certè jam circa A. C. 670. mentio fit, qui Auctor esse creditur. Accessit deinceps Comitum Sylvestrium, seu Wildgraviorum successio ac titulus. In filiis Joannis, Joannæ Sarwerdensis mariti, qui exeunte seculo XV. vivis excessit, rami diversi cœpere. Nam Joannes quidem *Merchingensem* seu *Kirchburgium* procreavit, qui nunc in Joanne (ad quem Merchinga spectat) atque Georgio Friderico (qui Kirnæ seu Kirchburgi habitat) subsistit. Sed Philippus, alter Joannis ex Joanna filius, *Daunium* emisit, qui iterum tres præcipuos palmites habet. Primus est Principum *Salmensium* seu *de Neuville*; alter eos complectitur, qui *Grumbachii* habitant; tertius *Daunensium* est. De quibus omnibus vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatr. Nobil. Europ. Part. I.* & *hic passim.*

RHEMI, vulgò REIMS, populi & urbs Galliæ Belgicæ Archiepiscopalis & Campaniæ metropolis, à *Rhemo* Galliæ rege, ut quidam volunt, dicta, ubi Galliæ reges inaugurantur; Populi *Rhemenses*, & *Rhemi*. *Baudrando* verò meliùs *Remi* dicuntur. Vide ibi, quorum urbs etiam *Durocortorum* dicitur, ad Vidulam fluv. ampla, elegans, culta, & Academiâ, ab Henrico II. institutâ, insignis, cum titulo Ducatus. Hujus Archiepiscopus est primus Dux & Par Franciæ, à quo Reges consecrari solent, 32. leuc. à Lutetia, versus Ortum æstiv. 12. à Suessione in Ortum, 9. à Catalauno in Circium, 5. à Matrona fluv. in Boream, tot ferè 14. à Viroduno in Occasum. Tractus adjacens *le Remois*, inter Treviros & Virodunos ad Ortum, Catalaunos ad Meridiem, Suessiones ad Occasum, & Arduennam sylvam ad Boream. Hic à Carolo M. Concilium habitum, A. C. 806. Aliud A. C. 1131. in quo Bernardus vitia Cleri & Pontificum summâ oris libertate reprehendit. Lucanus, *l.* 1. *v.* 424.

Optimus excusso Leucus, Rhemusque lacerto.

RHEMNIUS Palæmon, Grammaticus, qui gloriabatur secum natas esse literas, ac secum demum morituras. Idem M. Varronem porcum appellare non est veritus.

RHEMUS, XXII. Gallorum Rex, Namnetis filius. Ultimus Herculiæ stirpis, Remorum conditor: si auctoribus fides constat, Dupleix *Commentar. Gall. l.* 2. *c.* 23.

RHENANUS Beatus, fil. Anton. Bildii, qui cùm Selestadium concessisset, à loco natali Rhenaco nomen nactus est; eruditione inclytus, sed paulò in rem suam intentior, unde vulgatum de illo, *Beatus est, beatus attamen sibi.* In religionis negotio Erasmi consilium probavit, quos ambos sæpius in ore habuisse, *Lutheranos bonam causam malè agere*, traditur. Obiit Argentorati, cùm è thermis reverteretur, A. C. 1547. ætat. 62. Edidit primus Vellejum Paterculum, scripsitque varia, quæ enarrat Anton. Teissier, *Elog. Part. I.* Vide quoque Joh. Sturmium, *Vitâ Rhenani*, Thuanum, *Histor.* Bezam *Iconibus*, Ejus *Rerum Germanicarum libros* 3. eruditò *Commentariò* nuperrimè illustratos edidit Ulmæ, Vir illustris, Jac. Otho S. Cæs. Lateranensis Palatii Comes, & Reip. Ulmensis Consiliarius, Societatis Historico-Cæsareæ membrum celebre.

RHENE, ex qua Mercurius Saum genuit.

RHENE, seu RHENEJA *Straboni*, *Rhenii Stephano*, quæ & *Artemitis* & *Celadussa* priùs, teste Plinio, *l.* 4. *c.* 12. dicta est, *Fermene* hodie *Sophiano*, insula parva maris Ægæi, una Cycladum, inter Ceam & Delum, ad Occasum; *Baudrando* meliùs *Rhenia*. Cum Delo vulgò *Sdille* dicitur, ei enim ferè adjacet. Nunc paucis constat incolis.

RHENI, populi juxta Rhenum incolentes, inter Helvetios ac Rhætos. *Rhyngower*, *Thscudo*. Regio Rhingovia, *Rhynthal* vulgò. Persius, *Sat.* 6. *v.* 47.

Essedaque ingentesque locat Cæsonia Rhenos.

Ubi, *Rhenorum* appellatione, intelligit Hadr. Valesius Germanos Trans-rhenanos, statuens, Cæsoniam certâ pecuniâ undique conquiri jussisse viros proceritatis eximiæ, cùm Gallos tum alios, qui Caji Caligulæ, mariti sui, Germanicum instruerent triumphum, & pro captivis Germanis haberentur ac ducerentur, quod & Sueton. de Cajo affirmat: & ita Gallienus mimicum olim triumphum egit. In panegyrico *de laudibus Berengarii Aug.* pro Gallis Lotharienfibus & pro Germanis Trans-rhenanis, utpote accolis Rheni, *Rhenos* sumi, idem statuit, *in Notit. Gall. in verba hæc*:

Nec detet ulterius focios deducere Rhenos.

RHENI Nodi, apud Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 39. *v.* 7. de Erotio puella,

Quæ crine vincit Batici gregis vellus,
Nodosque Rheni, aureamque nitelam:

cirri sunt Germanorum, in nodos substricti. Nempe illi non quidem crines calamistrò torquebant ac rotabant, quod quidam volunt, cùm Phrygum hoc fuerit proprium & effœminatarum gentium, quibus hoc probrum passim objectum, quòd haberent comas

Vibratas calidò ferrò murrâque madentes:

Sed, qui simpliciter fuit crines torquendi modus, eos in nodum cogebant vel nodò substringebant. Tacitus, *de Moribus Germanor. c.* 38. *Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 761. & suprà in voce *Nodus.*

RHENO, seu RENO, *Savaroni* à *Rheni* accolis, Loccenio, *Antiqq. Suecic. l.* 2. *c.* 20. à voce Gothica *Reen*, adhuc Suecis usitatâ, quâ animal illud appellant, quod aliàs *Rangiferum* dicitur; Salmasio *ad Tertullian. de Pallio*, vox merè Græca, ex ῥὴν, i. e. *agnus*, vestis fuit ex pellibus confecta, quæ humeros & latera tegebat. Certè ῥηνικὰς seu ἀρνακίδας, i. e. *agninas pelles*, unà cum lana, in vestium usum maximè commendant Medicorum filii, ut quæ non solùm plus caloris, quàm ovillæ, conferant, sed & dorso & renibus plurimum prosint, Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 43. Meminit *Rhenonis Gallici* Cæsar *de Bello Gall. l.* 6. *c.* 34. ut & Sallustius. Ex medii ævi Scriptoribus vocem usurpavit Sidonius Apollinar. *l.* 4. *Ep.* 20. *Viridantia saga limbis marginata puniceis, penduli ex humero gladii baltheis supercurrentibus strinxerant clausa bullatis latera Rhenonibus.* In specie *Rhenonis agnini*, mentio est in vet. *Charta* apud Car. du Fresne, quæ propria vocis notio est, ut dictum; sed latiùs, quod & in aliis usu venit, ea postmodùm extensa. Namque *Rhenonem de pretiosis pellibus peregrinorum murium*, (Moscicorum sine dubio, vide *suprà*) habes apud Ordericum Vitalem, *l.* 4. & *Renonem ex arietinis pellibus*, *l.* 12. &c.

RHENOBERGA, urbs probe munita German. ad Rhenum, in ditione Electoris Coloniensis, & limite Ducatus Clivensis; à Batavis ultimò capta, A. C. 1633. Sed A. C. 1672. proditione Gallis dedita, 2. leuc. à Vesalia inferiore in Meridiem, 3. à Geldria in Ortum. Nunc electori reddita est.

RHENOFELDA, urbs munita Sueviæ, ad Rhenum, una ex 4. Urbibus Sylvestrib. sub Austriacis, vix. 2. milliar. Germanic. supra Basileam in Ortum, Sanctionem versus totidem. Pluries capta bellò German. In ipso limite Helvetiorum, & Brisigaviæ provinc. *Rheinfelden.* Vide quoque *Rinfeldia.*

RHENOGAVIA, tractus parvus German. sub Electore Moguntino, juxta Rhenum, è regione Moguntiæ & Bingii; *Rheingaw.* Vide infra.

RHENUS, German. *der Rhein*, vel *Rhyn*, Gall. *le Rhin*, Batavis *de Rhyn*, notissimus, & maximus Germaniæ post Danubium fluvius, illam à Gallia disterminans, à lacu Constantiensi Basileam usque, postquàm priùs Rhetos ab Helvetia, à fontibus nempe usque ad lacum Constantiensem, dispescuit. Inter hunc & Mosam Corbulo Rom. Dux, ne miles otiò torpesceret, fossam perduxit, A. C. 47. Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 20. Hispanos verò Mosam ei infundere molitos, disturbavit Henricus Fridericus Arausionensis, A. C. 1625. Primus auctorum, quorum monumenta nobis supersunt (nam qui Aristotelis operibus nomen ejus immiscent, oppidò quàm imperitè faciunt) Rhenum, retulit Julius Cæsar, *in Comment. de bello Gallico.* Describit autem eum sic, *l.* 4. *Bell. Gall. c.* 10. *Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt: & longò spatiò per fines Nemetum, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribocorum, Trevirorum, citatus fertur; & ubi Oceano appropinquat, in plures diffluit partes, multis ingentibusque insulis effectis (quarum pars magna à feris barbarisque nationibus incolitur; ex quibus sunt, qui piscibus, atque ovis avium vivere existimantur) multisque capitibus in Oceanum influit.* Post Cæsarem omnes ferè auctores, Græci juxta atque Latini, scriptis suis eum celebrârunt. Tacitus, *Annal. l.* 2. *c.* 6. *Rhenus uno alveò continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur; servatque nomen ac violentiam cursûs, quà Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens. Versò cognomentò, Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosâ flumine; ejusque immensò ore eundem in Oceanum effunditur.* Idem *libro de Germania*, *c.* 1. *Rhenus Rhæticarum Alpium inaccessò ac præcipiti vertice ortus, modicò flexu in occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur.* Mela, *l.* 3. *c.* 2. *Rhenus ab Alpibus decidens, prope à capite duos lacus efficit, Venetum, & Acronium; mox diu solidus, & certò alveò lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur.* Dio, *l.* 39. Ὁ δὲ Ῥῆνος ἀναδίδωσι μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων τῶν Κελτικῶν, ὀλίγον ἔξω τῆς Ῥαιτίας. Προχωρῶν δὲ ἐπὶ δυσμῶν, ἐν ἀριστερᾷ μὲν τήν τε Γαλατικὴν, καὶ τοὺς ἐποικοῦντας αὐτήν, ἐν δεξιᾷ δὲ τοὺς Κελτοὺς ἀποτέμνεται· καὶ τελευτῶν ἐς τὸν Ὠκεανὸν ἐκβάλλει. Herodian. *l.* 6. *c.* 7. Μέγιστοι γὰρ δὴ οὗτοι ποταμῶν ὑπ' ἄρκτῳ ῥέουσι Ῥῆνός τε καὶ Ἴστρος· ὁ μὲν Γερμανοὺς, ὁ δὲ Παίονας παραμείβων· οἱ θέρους μὲν ναυσίπορον ἔχουσι τὸ ῥεῖθρον, διὰ βάθος τε καὶ πλάτος. Τοῦ δὲ χειμῶνος, παγέντες ὑπὸ τοῦ κρύους, ἐν πεδίου σχήματι καθιππάζονται· ἀντίτυπος δὲ οὕτω καὶ στερρὸν γίνεται τὸ ποτὲ ῥεῖθρον, ὡς μὴ μόνον ἵππων ὁπλαῖς καὶ ποσὶν ἀνθρώπων ἀντέχειν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀρύσασθαι θέλοντας, μὴ κάλπεις ἐπ' αὐτῷ μηδὲ κοῖλα σκεύη φέρειν, πελέκεις δὲ καὶ δικέλλας, ἵν' ἐκκόψαντες, γυμνοῦ τι σκεύους ἀράμενοι τὸ ὕδωρ, φέρουσιν ὥσπερ λίθον· φύσις μὲν δὴ τῶν ποταμῶν αὕτη. Ejus meminit Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 258.

Hesperiosque amnes, Rhenum, Rhodanumque Padumque.

Itemque Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 727.

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.

Ubi

Ubi duo tantum Rheno ostia tribuit, uti & Claudianus, *de Bello Getic.* ubi de Alarici victoria, v. 336.

> ——— ——— *Te Cimbrica Tethys*
> *Divisum bifido consumpsit Rheno meatu.*

Hodie verò tria celebrantur. Vide Cluver. *de tribus Rheni alveis*, & *l.* 2. *de Germ. Ant. c.* 40. ut & infra Horatius, *de Arte Poetic.* v. 18.

> *Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.*

Non ἀπὸ τοῦ ῥεῖν (inquit *Fungerus*), quod est *fluere* Latinis, etsi aliquibus verisimile id queat videri, nec à *Rhodani* societate, secundum *Isidorum*, sed ejus etymon quibusdam, ab illo decursu petendum videtur, quasi hunc versum fluens, quod Germani dicunt *Reyn*. Sicut contra dici potuit Danubius sursum fluens *Danuf*. vel potius à voce Germanica *Rein*, quæ *nitorem*, *puritatem*que significat, quod claritatis quidam prærogativâ polleat, dum clarissimas perlabitur gentes: sive quod arbiter olim & velut vindex fuerit puritatis conjugii. Quippe solebant Germani liberos recens natos, clypeo impositos, committere fluminis alveo, qui si fluitasset, legitimi partus indicium dabat; sicut adulterini, cum subsidebant, fundum petens, teste quoque Galeno. Unde Claudianus:

> *Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.*

Hinc in Anthologia legimus. *l.* 1.

> Θαρσαλέοι Κελτοὶ ποταμῷ ζηλήμονι Ῥήνῳ.

Et ibidem:

> Κεκριμένοι λύτροισιν ἐλέγχουσιν ποταμοῖο.

Divus quoque *Nazianzenus*:

> Ἐς ῥόον ἀγνεύσας Ῥῆνοι κρίνουσι [illegible].

Nonnus *in Bassaricis*:

> Ῥῆνος ἀκρ[illegible] ποταμοῖο.

Idem testantur Theophylactus & Eustath. *in Dionys. Alexandr.* Cluverius tamen id figmentum credit: interim certum, Helvetios aliosque suos liberos in Rhenum immersisse, ad cosindurandos. Vide Cluver. *l.* 1. *c.* 21. Vadianum *in Melam*, *l.* 3. *Gallicum Rhenum* dixit Catullus, *Epigr.* 11. *v.* 11. ad distinctionem Bonniensis. Lucanus, *l.* 1. *v.* 371.

> *Pergis & Arctoô spumantem vertice Rhenum.*

Spumat enim quibusdam in locis, ubi aqua per rupes & cataractas præcipitatur. De cataractis ejus infra Scaphusiam vide Munster. *lib.* 3. Frey. *c.* 4. *adm. Gall.* Statius, *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 89.

> *Non vocat Arctoas acies, Rhenumque rebellem.*

Claudianus:

> ——— ——— *Rhenumque minacem*
> *Cornibus infractis adeo mitescere cogis.*

Seneca in *Hercule insano*: *Actu* 5. *v.* 1324.

> *Violentus undâ Tigris, aut Rhenus ferox.*

Conradus Celtes:

> ——— *Rapidus gelata flumine Rhenus.*

Quamvis enim magnus rapidusque, tamen sæviente frigore congelatur, Herodian. *loc. cit.* Ob quam causam Ausonio *gelidus*, *in Mosell.* v. 344. & Prisciano *glacialis* dicitur. *Aurifer* etiam quibusdam, quod metalli hujus ramenta non rarò fabulis interalentis reperiantur. De Salmonibus Rheni vide Freyum præfatum, *l.* 7. Est autem celeberrimus hic Europæ fluvius, antiquus Galliæ & Germaniæ terminus, à fontibus ad ostia. *Nic. Lloyd.* Secundùm *Baudrandum*, *Joann. Baptistam Plantinum*, alios, non procul à Danubii & Padi fontibus & quidem in monte Adula, qui pars Orientalis est summarum Alpium sive S. Gotthardi, oritur ex Alpibus in parte occidentali Rhætiæ ex duplici fonte, quorum major & magis ad Boream *Vorder Rhyn* dicitur, seu primus Rhenus, & è monte Crispalto: minor verò *Hinder Rhyn*, seu secundus, magis ad meridiem ex S. Bernardi monte, ubi in loco scaturiginis sacellum quondam Nymphis dicatum, cujus adhuc vestigia cernuntur, referente *Sprechero*, oritur. Tertium fontem Vigenerius *in Cæs.* post Simlerum *Comment. de Alpibus*, tradit. Rheni nempe medii, ex monte Lucumonio, ubi è rupis cacumine, *Cadelin* dicto, nascitur amnis *Erede*, qui progrediens montem S. Barnabæ versus, exinde Rhenus medius, *Mittel Rhyn* dicitur, è quibus medius cum anteriori infra Ilantium miscetur, anterior verò & posterior infra Rhætium concurrunt. Deinde simul unitis, Rhenus prope Curiam fluit, & Magiam rigat; inde limites Helvetiorum tangit, & per lacum Constantiensem seu Brigantinum transiens, ac Sueviam ab Helvetia separans, Constantiam rigat, uti Scaphusiam. Hinc Arolà auctus, juxta quatuor Sylvestres, Valdhusiam, Laufenburgum, Sanctionem, & Rhenofeldam labitur, uti & postea ad Basileam, à qua in Septentrionem, quandoque in Occidentem parum profluit, cum à fontibus suis ad anterioris & posterioris confluxum magis Ortum versus respiciat, postmodùm ad Septentrionem incurvetur, donec lacum Cellensem egressus, ad Occidentem cursum dirigat Basileam versus, auctus priùs ut dictum Arolà, ad Confluentes *Coblentz*. Deinde per Alsatiam tendens in Boream fluit juxta Novoburgum & Brisiacum, uti & propè Argentoratum. Postea Hellelò fluviò auctus, Stolhoffam rigat, Philippoburgum, & Spiram ab amniculo Spira, qui ibi Rheno confunditur, dictam. In Palatinatu Rheni dicto seu inferiori, ubi etiam ex altera parte, quæ dextra vel Germaniæ ripa est, Nicrò fluviò receptò ad Manheimum juxta Wormatiam & Oppenheimum fluit. Hinc ad Moguntiam, ubi olim Carolus M. per annos decem labore ingenti & opere mirabili pontem in Rheno ligneum fecit, 500. passus longum, qui unò ante obitum ejus annò, intra horas tres fortuitò incendiò conflagravit, recipit Mœnum fluvium; quò auctus juxta Ingelheimum, Bingium, apud quod Nava, *Nab*, & *Neck*, fluv. celer ac nebulosus in eum decurrit, Baccharacum, ac Vesaliam superiorem fluens, per Trevirensem ditionem labitur; ubi auctus Lanò fluviò, mox etiam & Mosellà, ad Confluentes ad Antenacum tendit, deinde Montensem Ducatum à Coloniensi ditione separans, Bonnam rigat, hinc Coloniam Agrippinam, ubi Constantinus M. pontem in Rheno inchoavit, ut Francis terrorem incuteret, Novesium, Dusseldorpium, & Ordingam. Postea per Clivensem Ducatum fluens juxta Duisburgum, ubi recipit Ruram, & propè Orsoyium, Rhenobergam, Vesaliam, ubi recipit Luppiam, Reesium, & Emmericum, tandem in limite Geldriæ & ad Schenchiam arcem in duo brachia scinditur, quorum alterum ad sinistram tendens, Vahalis dictum, *le Vahal*, Noviomagum rigat, & paulò post Mosæ miscetur: alterum ad dextram prope Arenacum fluit, ubi per Drusum fossa Rhenum inter & Salam egesta partem Rheni per Isalam & Flevum lacum in Oceanum effundit. Sed altera pars ad occasum tendens per Batavos, Trajectum inferius seu ad Rhenum dictum rigat, ut & Lugdunum Batavorum, ubi & sensim deficit, quanquam eò olim exolvebatur unicò ostiò inter vicos *Catwick*, & *Nortwick*. Sed Oceanus aliquando violenter irrumpens cum ejus fluxum impedivisset aqua retroacta, sinistram ripam scindens Anno 860. alveum sibi novum paravit, qui Lecus dicitur, *le Leck*; ut medium illum & antiquum Rheni alveum arenarum tumulis obductum nullò labore potuerint Lugdunenses aperire. Ab antiquis autem numerantur duo Rheni fluminis ostia: medium illud quod & verum & antiquum Rheni ostium prope Lugdunum Batavorum, & occidentale Rheni ostium, quod & Helium & Mosæ ostium, *die Maes* incolis, prope Brilam: quibus addunt aliqui dextrum Rheni ostium, quod & Flevo nunc *Vecht* incolis à fluvio cognomine, quia Trajecto inferiori deductus, in mare Austrinum cadit prope Amsterodamum. Ita per fines Rhætorum, Helvetiorum, Sequanorum, Rauricorum, Nemetum, Vangionum, Tribocorum, Trevirorum, Ubiorum, ac Batavorum fertur: quinque urbes Episcopatuum, vel olim vel hodieque sedes, Constantiam, Basileam, Argentoratum, Spiram, atque Wormatiam: Metropoles tres Moguntiacum, Coloniam Agrippinam ac Trajectum prætérlapsus. Nomen dedit pago *Rhenensi*, in quo Laureshamum ad fluv. Wisgoz fuit, locus sal. gum monasteriò Laureshamensi, quod & Monasterium S. Nazarii dicitur: conditum à Willisvinda & ejus filio Cancrone, Rhenensis pagi Comite, Hadr. Valesiò referente, *in Notit. Gall.* De Rheno vide pluribus Petrum Bertium *in ejus Germania Antiqua*. Addam solum, quod ejus simulachrum memoratur Statio, *l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 51. ubi de *Equo Max. Domitiani*.

> ——— *vacua pro cespite terra*
> *Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni:*

quod suâ ætate, ante annos hos centum & quod excurrit, Romæ superfuisse, scribit Barthol. Marlianus, *Topogr. Urbis*, *l.* 3. *c.* 3. Fingebantur autem hôc modô domitarum provinciarum simulachra pedibus subjecta Victorum Romanorum. Sic apud Claudian. *fine VI. Consul. Honorii*, v. 648.

> *Colla triumfati proculcat Honorius Istri &c.*

Vide Casp. Barthium, *Adversar. l.* 44. *c.* 18. & *Animadversion. ad Statium* ac *Claudianum d. l.*

RHENUS Alter, Plin. *l.* 3. *c.* 16. fluvius Italiæ, ex Apennino monte oriens, ac per Galliam Togatam in Romandiola, per agrum Bononiæ, ab ea non longe fluens, in Padum supra Ferrariam labens: qui *il Rheo* etiam vulgò & *Reno* nominatur. De quo Silius, *l.* 8. *v.* 600.

> ——— *Parvique Bononia Rheni.*

RHEOMITRES, à defectoribus reliquis, ad Tachum Ægypti Regem, missus, acceptis quingentis argenti talentis & quinquaginta triremibus, navigavit in Asiæ urbem, Leucas. Quò præcipuos è deficientibus evocavit, multosque eorum comprehendit ac vinctos ad Artaxerxem misit: atque hâc proditione veniam suæ perfidiæ impetravit. Diodor. Sic. *l.* 15. *fol.* 505.

RHEOMITHRES, Persici Prætoris, in prælio ad Isson cæsi, nomen. Curt. *l.* 2. *c.* 5. *in Supplem.*

RHESALA, urbs Umbrorum, *Stephan.*

RHESUS, Strymonis & Euterpes Musæ fil. Rex Thraciæ, qui albis equis in auxilium Trojanorum venit. Sed prodente Dolone speculatore Trojano, à Diomede & Ulysse, primâ nocte occisus est. Virg. *l.* 1. *Æn.* v. 473.

> *Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis*
> *Agnoscit lachrymans; primo quæ prodita somno*
> *Tydides multâ vastabat cæde cruentus,*
> *Ardentesque avertit equos in castra, priusquam*
> *Pabula gustâssent Trojæ, Xanthumque bibissent.*

Catullus, *Epigr.* 56. *v.* 16.

> *Nec Rhesi niveæ citæque bigæ.*

Claudianus de Rhesi equis:

> *Gratæque remeant raptos ad castra jugales;*
> *Quorum, si qua fides augentibus omnia Musis,*
> *Impetus excessit Zephyros, candorque pruinas.*

Apud Virgilium, *l. 4. Georg. v. 462. Rhesi Mavortia tellus* ponitur pro Thraciâ. Mela *l. 2. c. 2. Tum Rheso regnata quondam pars Thracia. Nic. Lloyd.*

RHESUS, fluv. RHEBAS; hic heptaporos & polyporos *Strab.* quia 7. vadis in eadem via transvadari potest.

RHETI, vide RHÆTI: & plura de iis apud B. Rhenanum, *Rerum Germ. l. 1.* cum *Notis* Cl. Ottonis.

RHETICO, mons in Rhætiis. Pompon. *l. 2. c. 3.* Vide *Rhætia & Rhætico.*

RHETIGONIUM, *Ptol. Girgony Camdeno*, vide in *Retigonium.*

RHETOR, per excellentiam Demosthenes dictus est. Harpocration in Οἶνε καὶ Οἰνόης, Μνημονεύει δ' ἂν νῦν ὁ Ῥήτωρ τῷ πρὸς Ἐλπιδίσην, καὶ Οἰνοῦλάδης ἐν τῷ δευτέρῳ. Et in *Sirrina*, Ἔστι δὲ καὶ Σίρις πόλις Ἰταλική· καὶ τάχα τὰ ὑπὸ ὑφάσματα, ἢ τινα ἄλλα Σίριτα εἶπεν ὁ Ῥήτωρ. Vide Barthium *ad Statium Theb. l. 4. v. 464* Aliàs vox appellativa, ut notum. Et quidem *Rhetores*, & Grammatici, à quo primus è Sophistis (de quorum à *Rhetoribus* Philosophisque differentia, vide infrà ubi de iis) Protagoras mercede docuit, ut docet Philostratus, ampla, modò disciplinâ & assiduitate Scholas tuerentur, emolumenta habuêre. M. Antonius Gnipho de mercedibus non paciscebatur, eoque plura ex liberalitate discentium consequebatur. Remmius Palæmon ex Schola quadragena annua capiebat. Tantidem docendum conduxit Calvinum Eficium Equit. Roman. L. Appulejus. Verrius Flaccus habitationem in Palatio, & centena sestertia in annum ab Augusto meruit. Jul. Cæsar honorem addidit, omnes civitate donando: quos tamen extra classem projecisse, & non nisi capite censos fecisse, videtur Ovid. *Fastor. l. 3. v. 829.*

Nec vos turba feri censu fraudata Magistri
Spernite: Discipulos attrahit illa novos.

Vespasianus *Rhetoribus*, quum ingenia & artes maximè foveret, primus ex fisco annua centena constituit: & M. Fabium Quintilianum ex Hispania Romæ inquilinum, stipendium è Fisco accepisse, testis est *Eusebius*. Ab Trajano honor & dignatio tanta dicendi Magistris & Sapientiæ Professoribus, ut per eum spiritum & sanguinem, & Patriam recepisse dicerentur. Hadrianus eosdem honoravit, & divites fecit: in summa familiaritate Epictetum & Heliodorum Philosophos, tum Grammaticos & *Rhetoras* habuit. Antoninus Pius iisdem per omnes etiam provincias & honores & salaria detulit: finivitque numerum, quot quibus in Civitatibus exhiberi publicè deberent: Metropoles gentium quinque ut tuerentur *Rhetores*, Grammaticos totidem: Juridici conventus quatuor, qui docerent utramque doctrinam: reliquæ minores Civitates tres Sophistas & Grammaticos totidem, &c. Salaria quæ ex Fisco iis decreta, μυρίας δραχμὰς, statuunt Lucianus *in Eun.* Philostratus *in Theodoto & Chresto*, ut alios omittam, quæ, sive Pius, ut Capitolinus: sive Marcus, ut Philostratus videntur velle, primus ipsis contulerit, efficiunt Romanæ monetæ sestertia quadraginta, aureos quadringentos, at nostræ coronatos mille, verba sunt Gronovii. Sic rectè Salmasius *ad Histor. Aug. Tatianus* Rhetor *ἑξακοσίους χρυσοῦς ἐξακοσίους eos in stipendium accepisse dicit, quæ sexcentorum aureorum summa, non μυρίας δραχμὰς, sed μυρίας δηναρίους continet*: ad quæ verba quid annotaverit modò laudatus Joh. Frid. Gronov. vide *in de Pecun. Vet. l. 4. c. 11.* Agones, in quibus decertarent *Rhetores*, instituti à Caligula, & Domitiano, celebres admodùm: de quorum illis sic Valesius, in voce *Atanacum*: *In eo ante Urbem* (Lugdunum) *loco, an. Urb. Cond. 744. ara Augusto Cæsari cum Templo, ad confluentem Araris & Rhodani dedicata est, à 60. Galliæ civitatibus: Ibidem & ludos miscellos & certamen Græcæ Latinæque facundiæ edidit C. Cæsar Caligula*, vide quoque in voce *Lugdunum.* Ibidem enim & Professores Græcos Latinosque Grammaticæ & *Rhetoricæ* Scholas publicas, & è Fisco salaria annua, Romanis imperantibus, habuisse, docet ex Ausonio *grat. act. ad Gratianum*, & literis Friderici Aug. datis A. C. 1157. Lege item Imperatorum, Valentis, Gratiani & Valentiniani A. A. A. ad Anton. Præf. Præt. Galliarum, quæ est in *Cod. Theod. lib. 13. tit. 3.* Nec verò annua solùm ex Fisco salaria, sed & strenas Kal. Januariis ab Imperatorib. accepêre, fuêreque tales Scholæ, ut de sola Galliâ loquar, Treviris, Narbone, Lugduni, Burdigalæ, Vesontione, aliisque in urbibus, quæ Metropoles erant, de quibus præ cæteris vide *Ausonium.* Sed & Augustoduni, ubi *nobilissimam Galliarum juventutem* liberalibus studiis *& ingenuis Artibus erudiri*, Diocletianus & Maximinianus Augg. scripsêre, & Auditorio loci Eumenium, Latinum *Rhetorem*, præfecêre. Jam Arborius, Exsuperius & Sedatius *Rhetores* Tolosæ fuêre, Eusebius *in Chron.* Statii Ursuli Tolosensis meminit, qui *celeberrimè in Gallia Rhetoricam docuit*, sub Nerone: Rufi *Rhetoris* Pictavici, mentionem injicit Ausonius, eumque, ceu infantem ac elinguem, non unô Epigrammate deridet. Omitto quod Hieron. *in Chron.* tradidit, *Arnobium*, Rhetorem *in Africa clarum, Siccæ juvenes ad declamandum erudisse.* Habitus *Rhetorum* colligitur, ex statua iconica, in illustri Clivensium oppido, ad portam mediastinam Eumenio præfato posita, cujus hæc Inscr. *Eumenius. Rhetor. Temporibus. C. Jul. Cæs. Dict. arcis. Clivensis. fundatoris. Octav. Augusti. success. qui. præsidio. munivit. Ulp. Trajani. qui. in. Colon. redegit. Æl. Hadriani. qui. in. formam. Urbis. ampliavit. Hic. Eumenius. Rhetor. qui. in. hoc. august. Cliviensium. oppido. ad. Præsidem. Galliarum. post. eorum. in. Bataviam. ingressum. oratione. Panegyricâ. habitâ. scholis. præfect. annuo. sexcent. sestert. stipendio. Gallicam. Juventutem. instituit. hac. statua. iconica. tripedanea. id est. vestitu. sui. temporis. tunicâ. talari. comâ. decurt. vittâ. constrict. baltheo. bullato. calceis. fenestratis. massâ. aureâ. ad. liberalit. præsentat. &. ferula. Magisterii. insigni. ad. antiquit. monument. Urbis. &. hujus. portæ. renovatio. posteritat. pos.* apud Teschemacherum *in Annal. Cliviæ.* Olim vero purpuratos fuisse, diximus suprà, ubi de *Purpura.* Addatur Proverb. *Logicam victam esse à Rhetorica*, quod in Germania percrebuit, postquam Magnus Brunsuicensium Dux & Albertus Halberstadiensis, subtilis Logicus, à Gerhardo Barone *à Berg*, qui dicendi Arte pollebat, prælio superatus esset, circa A. C. 1364. ut refert Georg. Hornius, *Histor. Philosoph. l. 6. c. 5.* &c.

RHETORII, Hæretici, in Ægypto & Alexandria; à *Rhetorio* autore sectæ, nomen habuêre, qui omnes laudabat hæreses, dicens *omnes bene sentire & neminem ex iis errare*, uti narrat Philastrius, *Catal. Hæres. c. 44.* Quod Augustinus dicit ita absurdum esse & nimiùm mirabilis vanitatis, ut ipsi incredibile videatur, *Hær. 72.* Vide Jo. Forbes. *Instructionum Historico-Theologic. l. 3. c. 20. §. 38.*

RHETRA, Lycurgi leges. Vide suprà *Axones.*

RHEUBARBARUM, Sinis *Taihoang*, in Xensia provinc. copiosè provenit, diligenti culturæ arte. Radix est sat solida, tuberibus hinc inde prominentibus, foliorum formâ haud ita procul à caulibus nostratibus, quos tamen magnitudine superant. Has radices pertusas incolæ in umbra suspendunt ac siccant: nam in Sole suspensæ vim amittunt. Inde postmodùm, uti & ex provinc. ejusdem Imperii Suchuena, magna ex parte est *Rheubarbarum* omne, quod ad nos in Europam defertur, nimirum per mare Indicum; vel Casan, Astracaniam & Russiam; vel per Tibethum, Mugor & Persidem &c. Auctor Anonymus *Sina & Europ. c. 31.* Vide quoque suprà in voce *Rha.* Jo. verò Bapt. Tavernier omne *Rheubarbarum*, ex magna Tartaria ad nos deferri, optimum autem in Regno *Boutam*, ultra Gangem, Septentrionem versùs, provenire, sed ob itineris diuturnitatem & pluviarum madorem, radici inimicum, inde in Europam non advehi, docet in libro, cui titulum fecit *Observations sur le Commerce des Indes Orientales.*

RHEUCUS, mons Arcadiæ, ubi & vicus Rheunus. Pausan. *l. 8.*

RHEXENOR, Nausichoi fil. frater Alcinoi, pater autem Aretes, quam Alcinous, fratre ab Apolline interfectô, uxorem duxit. Homer. *Od. 7.*

RHEZAN, provinc. Moscoviæ fertilissima: in ea quippe singula grana frumenti binas quandoque, pluresque spicas proferunt, ut nec equi facile transire, nec coturnices inde evolare possint. *Metel.* Merc. Vide *Rezana.*

RHIANUS, Poëta Epicus, inter Auctores raræ ac reconditæ lectionis, nec omnibus protritæ, qui profanum vulgus arcebant obscuritate suâ, numeratur Salmasio *ad Solin. p. 856.*

RHIDAGO, fluv. Hyrcaniæ, in quem Zioberis effunditur. Curt. *l. 6. c. 4.*

RHIEVALIUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

RHIGIA, oppid. geminum Hibern. *Ptol.* unum circa umbilicum Insul. *Lymburg* Nigro, *Ters* Moletio; locus aliuuts non procul à *Lough Regith* Camd. alterum *Reglis* Camd. seu Purgatorium S. Patricii.

RHIGINA vel RHIGINIA, fluv. Macedoniæ, *Strab.*

RHIGODUNUM, vulgò RIPPON, teste *Lhuydo*: sed aliis *Warrington*, oppid. Albionis in ora Angliæ occidental. medium inter Cestriam & Lancastriam. Ejus meminit *Ptol. Baudrando* oppid. Brigantum. Nunc *Riblecester*, oppidul. tenue Lancastriensis Comitatus ad amnem *Ribbil*, in limite provinc. Eboracens. 14. milliar. Angl. à Lancastria in Eurum 10. milliar. ab ora maris Hibernici in Ortum.

RHIGUSCÆ, populi Rhætorum, ad Rhenum, quorum regio *Reynthal*, vide in *Rheni*, & oppid. *Ragatz*, è regione Lupini oppidi, quod aliter *Campus Maji*, Saruncetibus finitimi, à Curia 7. leuc. in Boream. *Ptolemæus* inter Rhætos Australiores illos locat. Vide & *Rhegusci.*

RHIMOTACLES, Thracum Rex, qui ab Antonio ad Augustum Octavium transierat. Hic cum Cæsari petulantiùs, crebriùsque inter pocula societatem & convictum exprobraret, illud ab indignato Augusto reportavit: *Amo proditionem, proditores verò odi Plut.* Vide & *Rhœmetalces.*

RHINGUS, ab Hunnis Regia dicta est, quæ Longobardis *Campus*, Sic Aimoinus, *Franc. l. 4. c. 86. Pippinus Hunnis trans Tizam fluv. fugatis, eorumque regio, quæ ab eis dicta est* Rhingus, *tota destructa.* Vide in voce *Campus.*

RHINOCEROS, quasi *naricornis*, quòd in *nare cornu*, idque prævalidum habeat; speculum divinæ Providentiæ: apud Hiob. est *c. 39. v. 12.* ubi tamen alii malunt *Monoceros* reddere. Cum elephanto, viribus licèt impar, congressus si ventrem ejus attingat, cornu illum suo aperit. Plin. *l. 8. c. 20. Cornu ad saxa limatô præparat se pugnæ, in dimicatione alvum maximè petens, quam scit esse molliorem, longitudo ei par, crura multa breviora, color buxeus.* Vide quoque Diodor. Sic. *l. 14.* & Strabonem, *l. 10.* Georg. de Sepibus, *Descript. Kircheriani Musæi, p. 30.* sic de eo: *Animal est grande, durissimô & solidissimô coriô seu thorace ferreô loricatum. Corporis mole elephanto non impar, nisi quòd breviores habet pedes. Caput ad modum suum in rostro acutius, & usque ad frontem productius, grossissimi & robustissimi colli, os repandum, inter nares excrescit cornu rotundum & robustissimum, paruumque versùs frontem incurvatum, ferrugineô nigrore; cauda more boum. Nonnullis duo cornua, majus inter nares, minus suprà: feritate, dolo, robore animalium nulli cedit. —— Habet Musæum tria cornua, duo minora bipalmaria in longitudine & 7. unciarium, in eâdem radice diametrum. Tertium subtilius, cùm in calce semipalmarem solùm expleat diametrum indeque ultra 3. palmos in acumen decrescat, prioribus acutius.* Sed quod de magnitudine ait refellitur ex Strabone, *l. 16.* ubi bove vel taurô rhinocerotem majorem non esse, docet. Nec geminum cornu, quod ex Martiali, *l.*

Spectac.

Spectac. Epigr. 22. Pausania & Scaligero adfert, dubiò caret. Annò certè Christi 1515. ex India in Lusitaniam advectum *rhinocerotem*, accuratè depinxit Alb. Durerus, sui temporis Apelles: è cujus prototypo expressa ἐκτυπα per totam Europam sparsa sunt, quæ cornu nullum exhibent in fronte, ubi pusillum eminere ait Scaliger. Sed supra cornu, quod est in nare infima, quatuor tubercula, quorum summum frontem, cœtera glabram in ima parte attingunt, Sam. Bochartus, *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 26. ubi *de gemino cornu rhinocerotis*, apud Martialem, *d.l.* varia affert, ut & *c. seq.* Cœterùm animal hoc Aristoteli notum non fuit; primus illud descripsit Agatharchides, sub Ptolemæo VI. post quem Artemidorus, Diodorus, Strabo qui viderat. Plinius, Solinus, Ælianus, Oppianus, Philostratus, Dio, Pausanias, Alii. In spectaculo primus exhibuit Cn. Pompejus M. teste Pliniò & Solinò, *c.* 33. Dein Domitianus non semel, ubi elephantos, leopardos, leones, tauros, ursos aliasque feras in arena devicit, ut ex parte apud Martialem ubi suprà legimus. Inter Sueciæ Reges, Suercherus III. in gentilitio scuto, leone usus est, utrinque tamen *Rhinocerote* erectò, & hastam vexillatam cum insignibus Suecorum Gothorumque præferente, ac unà clypeum apprehendente, collòque diademate redimitò. Spenerus *Oper. Heraldic. Parte* 2. ubi de *Suecia Rege*. Aliud ab eo *Monoceros*, de quo vide infrà, ubi de *Unicornu*. Sed & *Rhinoceros*, avis nomen est, quæ eadem cum *Pica Brasilia*, vide suprà.

RHINOCORURA, urbs Palæstinæ maritima, in confinio Ægypti, sic ab antiquis incolis dicta, quorum *nasi* erant *mutilati Steph.* Distat à Gaza 38. mill. pass. *Antonin.* in tribu Simeonis, apud quam fluv. in mare delabitur; qui terminus est regni Israël. *Rhinocolura* Straboni ac Plinio, *l.* 5. *c.* 13. *Faramida* verò hodie *Nigro*, oppid. Ægypti, in ipso limite, in ora Maris Mediterranei *Baudrando.*

RHINOTMETUS, cognomen Justiniani II. Imperatoris ex Græco Ῥινότμητος, h. e. *naribus truncatus*, vide *Justinianus II.*

RHINTON Tarentinus, Φλυακογράφος· τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων εἰς τὸ γελοῖον *Hesych.* sicque Auctor fuit ejus mimilogiæ, quæ Ἱλαροτραγῳδία appellata est, item Φλυακογραφία, vide suprà.

RIOCHARUS, fluv. Colchidis, haud procul à Dioscoriade Urbe, & in Euxinum labens, *Strab.*

RHION, Ætoliæ promontorium. Plin. *l.* 4. *c.* 2. è cujus regione aliud promontor. est quod *Antirrhion* vocant. Mela, *l.* 2. *c.* 3. ex emendatione Vossii: *Rhion deinde, id maris nomen est, angustè & velut fretò, litus oræ sequentis incidens.* Ubi quòd *Rhion* maris sive freti nomen esse inquit, id ex usu vulgari fecit, cùm Livius, *l.* 7. item *l.* 8. *decadis tertiæ*, fauces sinûs Corinthiaci ab accolis *Rhion* vocari scribat.

RHIPE, urbs Arcadiæ. *Stephan.* Ἀρκαδικὴ πόλις βαρυτόνως. τὸ ἐθνικὸν Ῥιπαῖος. Vide Casp. Barthium, *ad Statium, Theb. l.* 4. *v.* 286.

RHIPHA, vel RIPHE, urbs Arcadiæ. *Stephan.* Ejus meminit Papinius, *l.* 4. *Theb. v.* 286.

Ripheque & Stratie, ventosaque donat Enispe.

RHIPHÆI, montes Septentrionales in Scythia, ut vulgò creditur, quos ἀπὸ τῆς ῥιπῆς, h. e. *à flatuum* vi sic dictos quidam putant. Ubi nunc Petzora provinc. Moscoviæ Borealis. Dicunturque *montes Stolp*, versus Obdoram & Obium fluv. in limite Asiæ ac Tartariæ desertæ, *P. du Val. Brietius.* Vide *Riphæi.*

RHIPHÆORMA. Arabiæ oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

RHIPHEUS, unus ex Centauris. Ovid. *l.* 12. *Met. Fab.* 5. Alius Trojanus ob justitiam à Virgilio laudatus, *Æn. l.* 2. *v.* 426.

——— *Cadit & Ripheus justissimus unus,*
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.

RHIPIDIUM, Græcè ῥιπίδιον tabella, cujus motu ventulum sibi faciebant in æstu mulieres. *Tabellam* appellat Ovidius, *l.* 1. *Artis, v.* 161.

Nec pudeat ventum motâ fecisse tabellâ.

Et, *l.* 3. *Amor. El.* 2. *v.* 38.

Ut faciat ventos mota tabella manu.

Aliàs *flabellum* vocabatur, quod tabella erat vel πλέγμα aliquod; undè ῥιπίς, instrumentum quo ignis ventilatur, Salmas. *ad Solin. p.* 253. Vide suprà ubi de *Flabello.* Sed & in sacro usu ῥιπίδια, ut videbimus suô locô, ubi de *Vimine.*

RHISPIA, oppid. Panoniæ superioris in Stiriæ & Hungariæ confinio. *Ptol. Rekaspurg* Lazio, oppid. Stiriæ inferioris seu *Foring* oppidul. vix 2. mill. pass. ab eo, ad Arrabonem fluv. 2. leuc. à limite Hungariæ in Occasum, & totidem à Rachelspurgo in Boream *Sansoni* fuit, ubi hodie *Pons ad Muram.* oppidul. Stiriæ superioris.

RHITTIUM, oppid. Pannoniæ inferioris ad Danubium. *Ptol.* inter Bononiam, & Taurunum. *Ratza Lazio. Salankemen Simlero.* à Tauro 6. leuc. in Occasum Petrovaradino proximum.

RHITUM, locus ad Isthmum Corinthiacum, à Corintho 2. mill. pass. distans.

RHITYMNA, vel RHITHYMNA, urbs Cretæ. *Ptol.* & *Steph. Retimo Sophiano.* Episcopalis sub Archiepiscop. Candiæ, cum portu capaci, in ora Boreali. Nunc sub Turcis. 40. mill. pass. à Cydonia in Ortum, Mariam seu Candiam versus 53. circiter. Agrum habet peramplum, à quo quarta pars Insulæ denominatur, inter territoria Candiæ ad Ortum, & Cydoniæ ad Occasum.

RHIUM, vel RHION, quod & *Drepanum Strab.* ac *Ptol.* & *Molycrium Straboni*, promontor. & oppid. apud *Steph.* Peloponnesi in Achaja ad fauces sinûs Corinthiaci contra Antirrhium promontor. Ætoliæ. *Trapani Nigro*, aliis *Capo Patras*; ubi Peloponnesii ab Atheniensibus navali prælio victi, teste *Xenophonte*. Est & *Rhium* promuntorium Corsicæ apud Urcinium urbem, *Ptol.* vulgò *Capo d'Ajazzo.*

RHIUM fretum, est *le bocche del Golfo di Lepanto*; in cujus viciniis præliò Naupactinò, Turcæ à Christianis, ingenti clade sunt affecti, A. C. 1571. *Fretum Caledonium Heliodoro.* Inter *Rhium* & *Antirrhium.*

RHIUSIAVA, German. urbs *Ptol. Gengen Villanovano* in Suevia, inter Ulmam & Nerolingam. Aliis *Rosenfeld*, oppidul. Ducatus Wirtemberg. vix 4. milliar. German. à Tubinga in Meridiem.

RHIZANA, oppid. Dalmatiæ mediterran. inter Naronam & Scodram. *Rudine Moletio.* Forsan idem cum *Rhizinio*, *Baudrand.*

RHIZENIA, urbs Cretæ. *Steph.*

RHIZES, barbarum animalis nomen, quod Græci *taurelephantem* dixêre. Strabo, *l.* 17. in descript. Æthiopiæ, quæ supra Mauritaniam est, Ἐνταῦθα δὲ καὶ καμηλοπαρδάλεις φησὶν Ἰφικράτης γεννᾶσθαι καὶ ἐλέφαντας καὶ τοὺς καλουμένους Ῥίζεις, οἳ ταυροειδεῖς μὲν εἰσι τὴν μορφὴν κατὰ δὲ τὴν δίαιταν καὶ τὸ μέγεθος καὶ τὴν ἀλκὴν τὴν πρὸς μάχην, ἐλεφάντων ἐοίκασιν. *Auctor est Iphicrates hoc in loco, camelopardales gigni & elephantes & Rhizes quos vocant, formâ quidem tauris similes; victu verò & magnitudine & viribus ad pugnam elephantis pares.* An hi sunt Æthiopici tauri vulgaribus duplò majores, quos describit Ælian. *l.* 17. *c.* 45. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 23. & infrà in voce *Taurelephantes.*

RHIZINIUM, urbs Dalmatiæ, nunc *Risano*, ferè vicus nunc, sub Turcis. Ibi aliàs *Rhizunitæ* populi. Aliis fuit in ora Sinus Adriatici, ubi nunc castrum *Melantopiccolo.* Vide *Rhizon.*

RHIZIS, promontor. ingens Troglodytarum, *Steph.* Incolæ *Rhizitæ.*

RHIZIUS, seu RHIZUS *Ptolemæo*, portus circa mare Euxinum. Vide Stuckium *ad Arriani Periplum.*

RHIZON, Polybio, *l.* 2. *c.* 11. *Rhizinium* Plinio, *l.* 3. *c.* 22. *Rhisinum* Ptolemæo, urbs Dalmatiæ ad sinum Rhizonicum, *Golfo di Cataro*, qui pars maris Adriatici ab Epidauro 20. mill. pass. ad ortum, ab Ascrivio 10.

RHIZOPHAGI, populi Æthiopiæ inter Astapum & Astaboram fluv. in Moroe insula, *Elii* Straboni. Apud Ælianum in India ad Astaboram ponuntur. Sed ibi *Meroe* legendum. *Nic. Lloydius.* Eos è paludibus suis aliò migrare coëgisse κώνωπας τινὰς ἐκπληκτικὰς, *culices quosdam terribiles*, totamque regionem mansisse desertam, docet Ælian. *l.* 10. *c.* 40. Quod Myusiis quoque accidisse, legas apud Pausaniam *in Achaicis.*

RHIZOTOMI, dicti qui simplicia tantùm medicamina vendebant herbarum ac radicum, quas ipsi conquirebant ac colligebant. Eorum cum *Pharmacopolis* junctim meminit Theophrastus, *l.* 9. Ὡς οἱ φαρμακοπῶλαι καὶ ῥιζοτόμοι. *Firmicus Herbarios* vocat, ut & Plinius, *l.* 22. *c. ult.* quòd *herbas* legerent venderentque. Hinc qui simplicium herbarum potestates tantùm olim descripserunt, libros suos τῶν ῥιζοτομουμένων inscripserunt, ut Micion apud eundem Plinium. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1051.

RHIZUS, seu RHIZEUS, portus & urbs parva Cappadociæ in ora maris Euxini ad ostia Rhizæi fluvii. Quibusdam in Colchidis parte, ubi Macrones populi olim, 130. mill. pass. à Neo-Cæsarea in Cæciam. Alia in Magnesia apud Melibœam oppid. teste Pliniò, *l.* 4. *c.* 9. seu Thessaliâ, ut est apud *Stephan.*

RHOAS, Græcè Ῥοιὰς vel Ῥοὰς, dicta est Laodicea ad Lycum, cùm priùs *Diospolis* nomen haberet, tandem *Diocæsarea* dicta. Nempe *Laodicea* dicta est, ab uxore Antiochi Stratonice gentili, qui illam condidit; Διόσπολις, Oraculi jussu; *Rhoas* verò, διὰ τὸ σείεσθαι, quòd terræ motibus frequenter quateretur, quasi *fluidam* dicas & in lubrico sitam. Uti ῥοιὰς ῥοὰς vel ῥοιὰς Græcè genus papaveris est, fluidum habentis florem & protinus deciduum; & genus vitis ῥοιὰς, quòd citò folia amitteret. Folia quippe ῥεῖν & ἀποῤῥεῖν dicuntur, quæ decidunt, ut & capilli. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 828. & 829. ut & in voce *Laodicea.*

RHOAS, fluv. Colchidis ex Caucaso monte in Euxinum mare labens. Plin. *l.* 6. *c.* 4.

RHOBOGDII, populi Hiberniæ *Ptol* ad Rhobogdium promuntor. (quod *Capo Versoda* Moletio, *Fair Foreland* Camdeno dicitur) in ora Boreali: ubi pagus *Rebogh* hodie nomen retinens. *Baudrando*, ubi hodie Comitatus Antrimensis, Colranensis, & Tironensis, in Ultonia, in ora litorali contra Scotiam.

RHODA, oppid. geminum: unum Hispaniæ citerioris in ora Catalauniæ in finibus Indigetum, inter Gerundam & Ruscinonem. *Roses* hodie, *Rhodope* olim. *Strab. Rhodipolis* verò *Ptol.* à Rhodiensibus conditum: *Baudrando* etiam *Rhode* & *Rhodopolis*, Hispanis *Rosas.* urbs aliàs Indigetum, in Hispania Tarraconensi nunc Cataloniæ, in tractu Ampurdanensi. Permunita, cum portu capaci; in ora maris Mediterranei. Capta à Gallis A. C. 1645. sed reddita pace ad Pyren. 10. leuc. Hispan. à Ruscinone seu Perpiniano in Meridiem, 7. à Gerunda in Boream, vix 40. à Confinio Galliæ Narbonensis. Alterum Galliæ Narbonensis apud ostium Rhodani, *Foce di Rhone* hodie *Dalechampio. Brietio* est *Becais*, oppidul cum arce, ubi salinæ celebres, prope Aquas mortuas, in Occitania, ad ostium Occidental. Rhodani, in ipso limite Provinciæ, vix 2. leuc. ab ora maris Mediterranei, 5. à Nemauso in Meridiem.

RHODA, nomen puellæ. Actor. *c.* 12. *v.* 13.

RHODANUS, Gallis, *le Rosne* accolis verò nascentis fluminis *le Ros*, fluv. maximus Europæ, post Danubium primò, dein Rhenum; in

Gallia Narbonensi; ex Adula monte è regione Rheni oriens, ac per Sedunos in Occasum fluens, in Lemannum lacum ingrediens, & ad Genevam urbem egrediens, donec ad Lugdunum, Arari acceptô, in Meridiem conversus. Viennam. Valentiam, Avenionem & Arelatum urbes attingit. Hunc M. Varro, teste A. Gelliô. *l.* 10. *c.* 7. tertium Europæ fluvium haud Istrô minorem scribit. *Ortelius* illum non longè à Danubio oriri ait, cùm fontes illius à fontibus Danubii supra 110. mill. pass. distent, Græci pro *Eridano*, *Rhodanum* dixêre, imò & antiquioribus Græcis is amnis, qui in Vistulam apud Gedaniam oppid. defluens vulgò dicitur *Reddaune* vel *Reddune*; sic dictus est, maxima enim apud illos Rhodani, Eridani & Vistulæ confusio. de quo vide Cluver. *Germ. Ant. l.* 3. *c.* 34. & 49. Vide & Isidor. *Origin. l.* 14. *c.* 6. Ostia ejus quod attinet, *Diod. Sic.* cum Timæo affirmare ausus est Rhodanum esse πεντάστομον. Ἀρτεμίδωρος δὲ τρίστομον λέγει, teste Strab. *l.* 4. Etiam Plinius, *l.* 3. *c.* 4. Rhodani 3. ostia agnoscit. *Ptolemæus* cum Polybio, 2. tantum. Livius, *l.* 21. *c.* 31. autem scribens Rhodanum pluribus ostiis divisum in mare decurrere, sibi, ne mendacii argui posset, cavit. Scribit de eo Marcellin. *l.* 15. *c.* 11. hôc modô. *A Pœninis Alpibus effusiore copiâ fontium Rhodanus fluens, & proclivi impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi se ingurgitat nomine Lemanô, eamque intermeans nusquam aquis miscetur externis, sed altrinsecus summitates undæ præterlabens segnioris, quæritans exitus, viam sibi impetu veloci molitur. Unde sine jacturâ rerum per densa paludium fertur, & Sequanos, longeque progressus Viennensem latere sinistrô perstringit, dextrô Lugdunensem: & emensus spatia flexuosa, Ararim, quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem, suum in nomen adsciscit, qui locus exordium est Galliarum. Exinde non millenis passibus, sed Leucis itinera metiuntur, ubi auctus Rhodanus aquis advenis locupletior vehit grandissimas naves, ventorum flatu jactari sæpius assuetas, finitisque inter valles, quas ei natura præscripsit, spumeus Gallico mari concorporatur per patulum sinum quem vocant*, Ad gradus, *ab Arelate octavo-decimô fermè lapide disparatum.* Vide infrà. Ejus meminit Horatius, *l.* 2. *Carm. Od. ult. v.* 18. cùm ait.

——— —— Me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.

I. e. Rhodani accola: ut alibi; *l.* 4. *Carm. Od. ult. v.* 21:

Non qui profundum Danubium bibunt.

Quô sensu etiam Martialis voce istâc usus est, *l. de Spectac. Epigr.* 3. *v.* 5.

Et qui primus bibitur deprensi flumine Nili.

Silius, *l.* 3. *v.* 445.

——— ——— Tumidique minaces
Accedit Rhodani festinô milite ripas.
Aggeribus caput Alpinis, & rupe nivali
Proſilit in Celtas, ingentemque extrahit amnem
Spumantis Rhodanus proscindens gurgite campos,
Ac properè in pontum latè ruit incitus alveo.

Vide *Aras. Rhodanios*, (inquit vir magnus, *l.* 3. *Phaleg. c.* 6.) sive *Rhodanitas*, nam id populi nomen est, non in insulam *Rhodum*, sed in Galliam appulisse putamus. circa ostia *Rhodani*, quem de suo nomine nuncupaverint. Certè si de voce certetur. *Rhodanim* ad *Rhodani* nomen accedit propius quàm *Rhodi*, vel *Rhodiorum*. Præterea videtur Rhodus cum vicinis insulis in Elisæ sortem cecidisse. Sed objectio in promptu est, *Rhodanum* non à *Rhodanim*, sed à *Rhodo* oppido dici. quod à *Rhodiis* conditum posteà Massiliensium fuit. Ita Plinius, *l.* 3. *c.* 4. *Agatha quondam Massiliensium, & regio Volcarum Tectosagum, atque ubi Rhoda Rhodiorum fuit, unde dictus multò Galliarum fertilissimus amnis Rhodanus.* Et Hieronymus, *in Ep. ad Galatas*, *Oppidum Rhoda coloni Rhodiorum locaverunt, unde amnis Rhodanus nomen accepit.* Hæc illi. At illorum sententiæ cur non accedam, has habeo rationes. Primò amnis à *Rhodâ*, non *Rhodanus*, vel *Rhodius* dictus fuerit. cujus nominis fluvium in Troade *Homerus* & alii recensent. Præterea *Rhodam* nomen qui novitatis arguunt, debuerant priscum indicare: Neque enim ante Rhodiorum coloniam eò translatam, sine nomine fuit fluv. ingens, quem inter tres Europæ maximos computant *Scylax*, *c.* Λίγυες. & Solinus, *c.* 8. *Rhodanum* certè constanter vocant hunc fluv. non solùm Apollonius, *Argonaut. l.* 4. apud Strabon. *l.* 4. Timæus, Polybius, Artemidorus, aliique sine numero, sed & his longè vetustiores Æschylus & Euripides apud Plinium, *l.* 37. *c.* 3. Hoc potissimum, quòd, ut à *Rhoda* nomen sortiretur *Rhodanus*, debuit esse Rhodæ vicinus. At à *Rhodano Rhoda* distat immensum quantum; ut quæ in Hispania sit, non in Gallia, procul à *Rhodani* ostiis terrestri itinere mill. pass. ferè 150. Strabo, *l.* 14. ubi de Rhodiis: μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν κατὰ μὲν τὴν Ῥόδην (Ῥόδην legit Casaubon) ἔκτισαν, ἣν ὕστερον Μασσαλιῶται κατέσχον. Mela, *l.* 2. *c.* 6. *Proxima est rupes quæ in altum Pyrenæum extrudit, dein Ticis flumen ad Rhodam.* Ptol. *in descript. Hispania Tarraconens.* Ἐνδιγετῶν Ῥοδίπολις, vel, ut est in emendatis exemplaribus, Ῥόδη πόλις. *Stephan.* Ῥόδη, πόλις Ἰβηρίας. Livius, *l.* 34. *c.* 8. *Inde Rhodam ventum & præsidium Hispanorum, &c.* Ex his abundè liquet, illam ipsam Rhodam, quam condidêre Rhodii, & Massilienses tenuerunt, in Hispania fuisse, non in Gallia. Jam verò, quis in media Gallia fluv. credat traxisse nomen ab Hispanica urbe trans Pyrenæos. Sed quid viris magnis imposuerit, puto mihi esse compertum. Ad *Rhodanum* fuit *Rhodanusia* Massiliensium urbs, quam acceperunt illi pro *Rhoda*. Marcianus Heracleota.

Οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔχον Φωκαεῖς
Ἀγάθην, Ῥοδανουσίαν τε Ῥοδανὸς ὃν μέγας
Ποταμὸς παραρρεῖ. ———

Steph. Ῥοδανουσία, πόλις ἐν Μασσαλίᾳ. Hujus ita meminit. Sidonius Apollinaris; *l.* 5. *ep.* 5. *Egressô mihi Rhodanusia nostra mœnibus:* ubi Lugdunum videtur significare. Hinc & ipsa regio *Rhodanusia* vocatur. & incolæ *Rhodanenses*. Irenæus Lugdunensis Episcopus, *l.* 1. *c.* 9. Εἰ τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι, τῆς Ῥοδανουσίας πολλὰς ἐξηπατήκασι γυναῖκας. Vide Epiphan. *Hæres.* 34. Itaque firmum hoc manet. nihil obstare, quò minus à *Rhodanim* nomen *Rhodani* deducatur. *Bochart. Nic. Lloyd. &c.* Henr. Valesius credit, Massilienses, Græcos ex Asiana Phocæa advenas, qui plerisque oræ provinciæ Narbonensis loca ac plerasque insulas Græcis appellavêre nominibus, fluvium hunc, quòd maximè rapidus esset & torrens, linguâ patriâ *Rhodanum* seu ῥοδανὸν vocisse. Sic iidem Libyca appellârunt duo Rhodani ora modica. & tertium idemque amplissimum, Massilioticum, urbis suæ nomine; Sic promontor. Citharistam, tres Stœchadas, Proten, Mesen, Hypæam, nec non Phœnicen, Philam, Leronem & Lerinam insulas Gallicis veteribusque nominibus abolitis, Græcis nominibus nuncupârunt. Non desunt tamen, qui *Rhodani* nomen Gallicum potius seu Celticum esse putent, cùm & alii quidam Galliæ fluvii eâdem appellatione censeantur. Certè Fortunatus, ante annos 1070. Mediolanum castellum Nicetii Trevirici Episcopi ad Mosellam & parvi *Rhodani* confluentes positum in monte fuisse tradit, *l.* 3. *carm.* 12. Vulgò *die Droan*, aut *Dron*. Imo & alterius fluvii, in pago Parisiaco, nomine *Rodani*, mentio fit in literis Odonis Regis ante ann. 790. vulgò *Rône* aut *le Rone*. Sunt etiam qui absque aspiratione *Rodanum* scribant, & hi à *rodendo*, quòd ripas suas rodat, illum sic vocitatum volunt. *Baudrando* Rhodanus oritur ex duplici fonte in limite Helvetiorum ex Adula monte, *Mont S. Gothard.* ferè 2. milliar. Germanicis à fontibus Rheni fluvii. & dimidiô tantùm à fontibus Ticini & Ursæ fluviorum, *Munsterus*, *Stumpfius* & *Vigenerius*, illius fontes in monte Furcæ collocant. *Joh. Bapt. Plantinus* varios ejus fontes esse notat, inter quos maximè conspicui tres in extremis Vallesianorum finibus, in conventu Gomesiano. Vallesiani limpidissimum in Meridionali loco è terra scaturientem fontem, pro vera Rhodani origine, demonstrant. Siml. *descr. Valesia*, *l.* 1. A sua origine procedens, Occidentem versus fertur; deinde per Sedunos seu Vallesiam fluens, Naterium, Sedunum, Agaunum, & Octodurum rigat. Hinc in Lemanum lacum ingrediens, Bibiscum ac Nojodunum alluit, & ad Genevam urbem post 18. leucas egrediens, Galliam à Sabaudia separat. 5. leuc. infra Genevam terræ visceribus se condit, & paulò infrà iterum erumpit. vix dimidiâ leucâ ab oppidulo Castillioneo cognomentô *de Michaille*, ut ego vidi cùm illas partes lustrarem annô proximè elapsô. Hinc per Sabaudiam & Bressiam, seu veriùs Beugesiam, fluens, juxta Sesselium & Bellicum, posteà Sabaudiam relinquens, Delphinatum à Bressia dirimit; donec ad Lugdunum auctus Arari fluviô, & Lugdunensem provinciam à Delphinatu separans, rigat Viennam, ubi ponte jungitur; Condriacum oppidum vinô suô celebre, Andajam in Occitania, Fanum S. Valerii, & Turnonium è regione Tini. Hinc auctus Isarâ fluviô, juxta Valentiam labitur. uti prope Vivarium seu Albam Helviorum, & ad Pontem S. Spiritus; ubi nobili ponte jungitur. Deinde inter Occitaniam & Provinciam fluens. ad Avenionem, ubi etiam ponte jungitur, paulò pôst auctus Druentiâ fluviô, infra Belloquadrum in duo brachia scinditur juxta Arelatem, quorum occidentale iterum in duas partes divisum, duplici etiam ostiô, *Gras neuf & Gras d'Orgon* dicto, in mare Mediterraneum cadit: Brachium autem orientale paulò infra Arelatem in duo etiam scissum, posteà in Mediterraneum mare etiam labitur quinque ostiis, *Gras du Midy*, *Gras de Paulet*, *Gras d'Enfer*, *Grand Gras*, & *Gras de Passon*. dictis, & sic ab Occasu in Ortum. Fluvius est autem totius Galliæ rapidissimus. Hinc Silius,

——— ——— Rhodanumque furentem.

Et, *l.* 3. *v.* 446.

——— ——— Tumidique minaces
Accedit Rhodani festino milite ripas.

Fertilissimum quoque Galliæ fluviorum ex Plinio Simlerus vocat, *descr. Valles. l.* 1. Maximæ in illo truttæ: & mirabile est, quòd *Lemanô lacu acceptus tenet impetum, seque per medium integer agens, quantus venit egreditur*, ut ait Mela, *l.* 3. *c.* 5. Duæ in ostio fluminis insulæ Anguillaria, *l'Anguillere*, & hâc longè minor *Oder*, quarum prior fortè Metina Plinii est. Vide inprimis de celebri hoc flumine Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RHODIA, Nympha, Oceani & Tethyos filia. Hesiod. in *Theog. v.* 351. Item urbs Lyciæ. *Stephan.*

RHODIA seu RHODEOPOLIS, urbs Lyciæ, prope Limyrum fluv. 30. mill. pass. ab ora maris Pamphylii in Boream, uti & 10. à Myra.

RHODIA Ducis, oppid. munitum Ducatus Limburgici sub Hispanis 1. milliar. German. ab Aquisgrano in Boream, 6. à Trajecto ad Mosam in Ortum ad Voranum amnem, in limite Ducatus Juliacensis *Rolduc* Gall. *Hertogen Raide* Belg.

RHODIA Lex, quæ memoratur in celeberrima, *l.* 9. *D. ad L. Rhod.* ex Volusio Mæciano, ubi porrectis Antonino Augusto libellis supplicibus, à quibusdam, qui in Ægeo Mari naufragium erant passi & à Cycladum Publicanis expilati fuerant. Imperator hæc verba subintulit: *Ego quidem Dominus, Lex verò Maris*; rerum maritimarum eô tempore regula fuit ac norma, quâ omnes istiusmodi controversias dirimi voluêre Imperatores. ubi Imperii Legibus contrariæ non essent. Nomen ei ab Insul. *Rhodo* urbeque cognomine.

ne, quæ olim & opportunitate situs & operum nobilitate & navigandi solertiâ, navalibusque victoriis celebrata, atque adeò omnibus ornamentis tantopere cæteras civitates superabat, ut nulla legum præstantiâ æqualis putaretur & navalis rei peritiâ adeò valuit, ut multis annis imperiô maris potiretur, & piratarum latrocinia longè lateque sustulerit, quod latissimè Strabo docet *l.* 12. Vide quoque A. Gellium, *Noct. Atticar. l.* 7. *c.* 3. Cùm igitur Mercatorum mari se exercentium in ea Insula frequentissimus numerus esset, ac de re navali indies lites jurgiaque exorirentur, *Rhodiæ Leges* latæ sunt, quibus altercationibus, de re nautica exortis, ac præcipuè, si exonerandæ naves essent, provideretur, *l. fin. dist.* 1. Joann. Calvinus, *Lexic. Jurid.* Ita Imperator prætatus controversiam de naufragorum bonis Lege Rhodiâ dirimi jussit. Nempe quum introductus passim in naufragiis abusus, quò, quidquid navis naufraga contineret, Publicani ad se rapiebant, tanquam ad Fiscum pertinens, aboleri non posset, ut quòd apud omnes ferè gentes obtineret, factum inde, ut pro Lege in mari recepta haberetur. Atque hoc unum ex præcipuis Legis Rhodiæ capitibus fuit, de qua vide Alciatum, *Disput. l.* 2. *c.* 5. Sam. Petitum, *Miscellan. l.* 3. *c.* 11. Jo. Seldenum, *de Maris dominio, l.* 1. *c.* 25. Isaac. Pontanum, *Discussion. Histor. l.* 2. *c.* 15. Jo. Bapt. Burgum, *de Dominio Maris Ligustici, l.* 2. *c.* 14. Claud. Salmas. *de Modo usurar. c.* 5. Alios. Certè *Lagan* seu *Laganum* apud recentiores passim appellatur jus illud, quò naufragorum res ac bona in dominorum potestatem cedebant; quæ quidem vox idem notat, quod *Laga*, h. e. *Lex*, & aliquando simpliciter, aliquando cum *maris* adjuncto, scripta occurrat, ut videre est suprà in hac voce. Porrò *Rhodus* Cycladum caput fuit, quæ *Rhodi* proin appellatione significantur *Nov.* 41. Vide ubi de *Quæstore Exercitus*, & plura de hac Insula ac civitate suô locô.

RHODIACÆ, Rhodiorum calcei, quibus à gente & regione nomen. Sic *Argiæ*, apud Argivos; *Thessalides*, apud Thessalos, celebres fuêre, Lysippus, *in Bacchad.* laudatus B. Balduino, *de Calceo Antiquo c.* 20.

RHODIGINA Jacoba, mulier quædam malô geniô correpta, à Cælio compatriota suo deprehensa est mendax, in futurorum admonitionibus. Dæmoni nomen erat Cincinnatulus. Cæl. Rhodig. *l.* 8. *c.* 10. *Antiq. Lection.*

RHODIGINA peninsul. *Il Polesine di Rovigo*, provinc. Longobardiæ insul. aliàs pars Ducatus Ferrariensis, nunc sub Venetis; Ab Ortu ad Occasum extensa inter Padum & Athesim, seu inter Patavinum agrum ad Boream & Ferrariensem Ducatum ad Meridiem. Ibi *Rhodiginum*, provinciæ caput, & *Hadria*, urbs ferè diruta.

RHODIGIUM, oppid. Venetiæ amplum, patria Cælii Rhodigini viri doctissimi, a Ferraria in Boream, 25. mill. pass. Patavium versus totidem, ad Hadriæ 20. in Occasum.

RHODINUS Color, Græcis Ῥόδινος, apud Anastasium Bibliothecar. *in Benedicto* III. *Vestem rubeam de rhodino*: roseus color est, quem in serico tingendo olim ex tuberculis adnatis radici pimpinellæ confici consuevisse, tradit Salmasius; hodie fit è quibusdam seminibus ex India Occidentali allatis, quæ similia sunt cimicibus quibus demptum caput. Democritus certè *in Physicis*, inter colores τὸ ῥόδινον recenset, & apud Æginetam pigmenti genus memorat τὸ ῥοδινόν. Hinc *Diarhodinum*, apud Leonem Ostiens. *Chron. Casin. l.* 2. *c.* 44. & *l.* 3. *c.* 19. h. e. rhodinus color intensior; *Leucorhodinus*, alibi, roseus dilutior; *Rhodomelinus*, color partim luteus, partim rosaceus, apud Car. du Fresne *in Glossar.* Vide quoque Dominic. Macrum, *in Hierolex.* & suprà *Cocheniella.*

RHODIOPOLIS, oppid. Lyciæ, quod aliis *Rhodia* quoque Ῥοδία. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 785. ut & in voce *Rhodia.*

RHODIORUM Colonia, Lyciæ regionis oppid. quod nunc *Macri*, sic *Niger* eam vocat, quam *Ptol. Rhodiam*, Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Rhodiopolim*, & Appianus, *l.* 4. *Civil. Rhodiorum castellum* vocat.

RHODIUM Numisma duplex, alterum Romæ in Æde S. Crucis in Hierusalem, alterum Parisiis in æde S. Joannis Lateranensis, ostentatur, velut ex argenteis illis triginta, quibus, ut monetâ ibi tum in usu promiscuâ, divenditus est à Juda proditore Dominus noster. Sed veterum Rhodiorum hæc numismata esse, non Judæorum, Inscr. docet, ΡΟΔΙΟΝ (juxta veter. morem ο. pro ω. scribendi) unde & *Rhodium* & *Rhodiense* Scriptoribus dici solet: Flos item additus, qui aut *rosa* habetur aut heliotropium. Facies in parte altera pro Solis Phœbi vel seu colossi Rhodiensis facie sumitur, vel capite, quod non minùs radiatum, quàm capillatum est. Et nota Insulæ ac Solis, in scriptis Veter. conjunctio, tum Rhodi nomen à *rosis* deductum, quæ ῥόδα Græcis. Accedit, quòd nummi figurâ simili utrinque insigniti habeantur inter Rhodiorum nummos, apud Hub. Goltzium, *in Numism. Insul. c.* 23. ut & alii, apud Antoninum Pisonem, *Discours sur les Medailles, c.* 8. Alios. Vide de duobus his numismatis plura, apud Cæs. Baronium, *ad A. C.* 34. Octav. Panciroslum, *Tesori nascosti dell' alma città di Roma, Roma* 1625. Antonium Augustin. Episcopum Tarracon. *Dialog. de Numism.* 2. Andr. Schottum, *in Tab. Numism.* 68. Guil. Budæum, *de Asse. l.* 5. Marquardum Freherum, *Differtat. de Numismate Census à Pharisæis in quæstionem vocato*, Casparum Waserum, *de Antiquis Hebræorum Nummis*, *l.* 2. & qui hos laudat, Joann. Seldenum, *de Jure Nat. & Gent. juxta Discipl. Ebr. l.* 2. *c.* 8.

RHODODAPHNE, Hebr. חרדופני *Chirdophnia*, aliàs *rhododendron*, inter herbas est, quas Paschalibus herbis cum agno comedi solitis, Exod. *c.* 12. *v.* 8. de suo inserciunt Gemaristæ. Crescit secus amnes & habet τὸ ἄνθος ῥόδινον, *florem rosæ similem*, uti ait *Dioscorides*. Qui proin flos, si credimus, *Appuleio* propè imposuit, qui, in asinum mutatus, cùm rosas quærens, quarum esu pristinam formam recuperaret, in rhododendri flores incidisset, illud venenum rosarium sumere gestiebat, quod fuisset illi lethale. Hinc Lucianus *in Lucio*, de hoc eodem arbusto, Κακὸν ἄριστον, inquit, ὄνῳ τοῦτο καὶ ἵππῳ· φασὶ γὰρ τὸν φαγόντα αὐτίκα ἀποθνήσκειν. *Malum hoc est prandium omni asino & equo, ajunt enim eo vescentem illico mori.* Quam ob causam *Herba Asinaria* dicitur, in *Gloss.* uti rescribit Bochartus, pro *Herba simaria.* Strabo certè, *l.* 15. in Ariana, multa Alexandri jumenta hujus plantæ esu periisse scribit. Quanquàm non solis jumentis, sed & pecori mortiferam esse, referat *Dioscorides.* Unde Plin. *l.* 16. *c.* 20. *Jumentis caprisque & ovibus venenum est.* Quod ut à primi hominis labe derivet Prudentius *in Hamartigenia*, cicutam ante peccatum & *rhododaphnem* innoxias fuisse, his verbis docet, *v.* 234.

Cùm prius innocuas tulerit Natura cicutas,
Roscidus & viridem qui vestit flos rhododaphnem,
Fabula lascivis dederit sincera capellis.

Sed in hac planta inprimis Veteres mirantur (quàm verè, jam non quæritur,) quòd, quæ bestiis venenum est, non modò homini non nocet, sed & plurimùm prodest, uti apud *Dioscoridem* & Plinium, *l.* 24. *c.* 11. legimus: quibus similia habet *Isidorus*, qui *rodandarum* corruptè vocat. Id verò Hebræis peculiare, quòd hujus arbusti ramô in aquas *Mara* injectô, volunt eas edulcuisse: miraculum scil. ut esset illustrius, Deum contrariis mediis usum esse sibi fingunt & amari ligni injectione amaras aquas edulcavisse. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50. Eadem porrò in coronas adhibita, legitur apud Poëtam,

——— *hic* rhododaphne
Liliaque & roris non avia cura marini.

Cæterùm mirum illius ingenium, ut rami terræ impacti ab omni peste legumina protegant, refert Constantinus Cæs. *l.* 2. *c.* 42. Sed & hac voce ima quædam fœditas significata à Syris est, qui nescio quem probri causâ Ῥοδοδάφνην vocavêre, teste Lucianô in *Pseudol.* Vide Car. Paschalium, *Coronar. l.* 3. *c.* 17.

RHODIUS Hieronymus, vide *Hieronymus.*

RHODOE, urbs Indiæ. Gentile *Rhodoetes. Steph.*

RHODOGANA, filia Darii, quæ post mortem viri, nutricem quæ illi secundas nuptias suadebat, occidit.

RHODOGYNE, filia Phraatis, Parthorum Regis quæ nupsit Demetrio Nicanori, Syriæ Regi apud Patrem captivo. Unde immanes turbæ, cùm Cleopatram uxorem captivus Rex jam antè haberet. Vide *Cleopatra*, *Demetrius*, *&c.* Addo, quòd & meminit *Rhodogynes* Polyænus, *l.* 8. *c.* 27. ubi ejus, disjectis capillis ad hostes properantis, imaginem in sigillo Persiæ Regum sculptam fuisse, narrat; quale quid de Semiramide aliàs legitur. Vide Jo. Kirchmannum, *de Annulis*, *c.* 13.

RHODOPA, provinc. Thraciæ, apud Amm. Marcellin. *l.* 27. Rhodopa *huic annexa Maximianopolim habet & Maroneam & Ænum*, alibique. Ubi observatione dignum, cùm de monte loquitur, unde huic provinc. nomen, *Rhodopen* vocare; cùm de provincia, *Rhodopam.* Ejusdem, ut & Hæmimonti provinc. meminit *Notitia* Imperii. Sic Festus Rufus *Ita ditioni Resp. sex Thraciarum provinciæ sunt acquisitæ, Thracia, Æmimontus, Mœsia inferior, Scythia, Rhodopa, Europa, in qua nunc secundæ arces Romani Imperii sunt constitutæ.* Vide Salmas. *ad Flav. Vopisc. c.* 31. *in Aureliano.*

RHODOPE, sive RHODOPIS, meretrix nobilissima ex Thracia, Æsopi fabulatoris aliquando conserva, & posteà à Charaxo Sapphûs poëtriæ fratre, qui ejus amore tenebatur, ingenti pecuniâ redempta est, teste Herodot. *l.* 2. Sappho ad Phaonem apud Ovidium, *Ep.* 15. *Heroid. v.* 73.

Arsit inops frater victus meretricis amore,
Mistaque cum turpi damna pudore tulit.

Tantas opes meretriciò quæstu corrasit, ut Pyramidem insignem suis sumptibus extructam reliquerit. Plin. *l.* 36. *c.* 12. Alia fuit ejusdem nominis tempore Juvenal. Sic enim ille *Sat.* 9. *v.* 4.

Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes, &c.

RHODOPE, Ioniæ civitas. Gentile *Rhodopeus. Steph.*

RHODOPE, mons Thraciæ, ex quo Hebrus & Arzus, aliaque flumina prodeunt, usque ad Euxinum extensus, ad Apolloniam urbem desinens, à *Rhodope* Thracum Reginâ in hunc montem, ut Ovidius fabulatur, conversâ; vel, ut placet, ibi sepultâ. Vel à *Rhodope* Strymonis amnis filiâ, ex qua Neptunus Athon Gigantem genuit, qui & ipse monti nomen dedit. Thraciam ferè bifariam secat. Hodie *monte Argentano* Ital. & *Basilissa* Græcis, quasi montium regina. A fodinis nomen accepit, hodie adhuc incultus; *Brietius.* Virgil. *Ecl.* 8. *v.* 44.

——— *Duris in cotibus illum*
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

Idem, *l.* 1. *v.* 332.

——— *Ille flagranti*
Aut Atho, aut Rhodope, aut alta Ceraunia telo
Dejicit. ——— ———

Ubi alii *Athon*, sed exprimere voluit illud *Theocriti*,

Ἢ Ἄθω, ἢ Ῥοδόπαν, ἢ Καύκασον ἐσχατόεντα,

Idem, *l.* 3. *Georg.* v. 351.

Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.

Mons hic eò est situ, ut veluti avulsus ab Æmo videatur, redeatque sub Septentrionem, quod Ovidius, *in Epist.* 2. *Heroid.* v. 113. ita videtur explicuisse.

Quà patet umbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum.

Patet, inquam, ea parte, quâ avulsus ab Hæmo. Idem, *l.* 6. *Met.* v. 87. rem *angulo* nomine explicat.

Threiciam Rhodopen habet angulus unus & Hæmum.

Hinc *Rhodopejus*. Virg. *l.* 4. *Georg.* v. 461. *Flerunt Rhodopejæ arces*, sic *Rhodopeja regna*, *Rhodopejus Orpheus*, & *Rhodopeja Phyllis*. Marti sacer fuit hic mons cum fluv. illius quòd ibi natus putatur. Claudian. *de* 4. *Cons. Honor.* v. 526.

Flumina laverunt puerum Rhodopeïa Martem.

Nic. Lloydius.

RHODOPHONE, Syriæ pars quà transit Taurum montem.

RHODOPOLIS, urbs German. maritima in ora maris Baltici, vulgò *Rostock*. In Ducatu Megalopolitano, Hanzeatica, sui penè juris, cum Academia, & portu ad ostia Warnæ fluv. quanquàm 1. cum dimid. leuc. ab ora maris Baltici, 7. milliar. Germ. à Wismaria in Ortum, Sundim versus 9. & 4. à Gustrovia in Boream. *Baudrandus.* Vide *Rostochium.*

RHODOPOLIS, Urbs Colchidis, in Lazica regione *Guil. Sanson.*

RHODUMNA, oppid. Galliæ amplum, sed sine mœnibus, ad Ligerim, ubi primùm lintrium est capax, in provinc. Forensi; *Romane* seu *Roane*, 12. leuc. à Lugduno in Circium, 18. à Molino in Eurum, Regiuncula adjacens *le Roanez* dicitur, & Ducatus titulò gaudet.

RHODUNTIA, regio prope Oetam. *Steph.*

RHODUS, insul. nobilissima in mari Carpathio, Cariæ adjacens, inter Asiaticas insulas tertia numeratur, nam Lesbus & Cyprus majores habentur. *Baudrando* est Insul. Asiæ minoris in ora Cariæ, 280. mill. pass. à Cypro in Occasum, ut & ab Alexandria Ægypti in Boream, Constantinopolim versus 500. circiter; Circuitus tantùm 100. mill. pass. A Muhavia Sultano Ægypti A. C. 655. colossò de quo vide in voce *Rhodus* urbs, disjectò, occupata, rediit posteà ad Christianos; illam post amissam Hierosolymam & Acram, Saracenico jugo eripientibus Equitibus S. Johannis: duce Falcone Villareiò Gallò, Magni Ordinis Magistrò, A. C. 1300. vel 10. donec à Turcis denuo capta est, sub Solimanno, A. C. 1522. postquàm Mahometes II. Insulam magnâ quidem vi, sed frustra, oppugnâsset, A. C. 1480. virtute Petri Aubussoni Magni Magistri inde repulsus. Sed neque in Solimanni pervenisset manus, ni ab Andrea Amarato, Ordinis Cancellario, qui Philippum Villerium de Insul. Adami in Magisterio Magno sibi prælatum ægrè ferebat, per Judæum quendam Medicum, hostibus fuisset prodita: proditore tamen adhuc ante expugnatam Insulam capite plexò. Ab eo tempore Turcæ ibi Bassam habent. Jac. Bossius, Petr. Boissatus & Joh. Balduinus. *Hist. Melit.* Jac. Burbonius de *obsid. Rhod.* &c. Equitibus verò, postquam illi duce Villeriò in Cretam primò, dein in Italiam se recepissent, Melita Insul. à Carolo V. concessa est, A. C. 1530. Vide ibi. Solinus, *c.* 17. author est, nullum totò annò diem tam nubilum esse, quò in hac insula Sol non cernatur. Inde forsan *clara* Horatio, *l.* 1. *Carm. Od.* 7. v. 4. dicitur: *Laudabunt alii claram Rhodon.* Lucan. *l.* 8. v. 247.

——— *Gnidon inde fugit, claramque relinquit*
Sole Rhodon. ——— ———

Idem, *l.* 5. v. 50.

——— ——— *Phœbeia donis*
Exornata Rhodus. ——— ———

Ovid. *l.* 7. *Met.* v. 365.

Phœbeamque Rhodon & Ialysios Telchinas.

Statius, *l.* 1. *Sylv.* 1. v. 104.

Lumina contempto mallet Rhodos aspera Phœbo.

Ejus meminit Catullus, cùm ait, *Epigr.* 4. v. 8.

Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam.

Nomen ejus quod attinet, ita Grammatici: παρὰ τὸ πολλὰ ῥεῖν αὐτὴν, ἀνιέναι, πρὶν φανῆναι τῶν ὑδάτων. Alii ἀπὸ τῆ ῥόδου, *à rosis* potiùs, quæ ibi magnâ copiâ succreverint: ut ab hortensi rosâ Rhodus nominata sit, quomodo à sylvestri vicina insul. *Cynorrhodusa*. Ita nonnulli veterum in Pindari Scholiaste, *Olymp.* 7. Τινὲς δέ φασι κληθῆναι αὐτὴν διὰ τὸ ἐξαίρετα ἔχειν ῥόδα, i. e. *quidam Rhodum vocari ajunt, quia eximias habet rosas.* Vide & Isidor. *Origin. l.* 14. *c.* 6. Bochartus verò nomen hujus insulæ putat esse Phœnicium: ירד *Jarod*, inquit. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 7. Syris & Chaldæis est *draco*. Phœnices per aphæresin רד *Rod* vocârunt. *Rhodi* nimirum priscum nomen erat *Ophiusa*. *Strabo*: Ἐκαλεῖτο δ' ἡ Ῥόδος πρότερον Ὀφιοῦσσα. Causam addit *Hesych.* Διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐκεῖσε ὄφεων. Rem pluribus narrat Diodor. Sic *l.* 5. *fol.* 328. Μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς Ῥοδίους φασὶν ἀπολέσαι ὄφεις ὑπερμεγέθεις, συμβῆναι πολλοὺς τῶν ἐγχωρίων ὑπὸ τῶν ὄφεων διαφθαρῆναι. Dionys. v. 504.

——— Ἄντα δὲ νήσων
Αἰγυπτίας Ῥόδος ἐστὶ Ἰαλυσίου τ' ἐδὲ ἀνδρῶν.

Etiam *Asteria*, *Æthrea*, *Trinacria*, *Corymbia*, *Poëessa*, *Atabyria*, dein *Macaria*, atque etiam *Colossa* dicta. Notandum hic, Rhodum ferè solitos Romanorum proceres, qui præsenti rerum statu non lætarentur, secedere. Sueton. *de Tiberio*, *c.* 11. *Rhodum enavigavit, amœnitate & salubritate insulæ jam inde captus.* Manilius, *l.* 4.

Virgine sub castâ felix terraque marique
Est Rhodus, hospitium recturi principis orbem.
Tuque domus verè Solis, cui tota sacrata es,
Cùm caperes lumen magni sub Cæsare mundi.

D. Brutus, *in ep.* 1. *ad M. Brutum & C. Cassium*; *l.* 11. *Famil.* Ciceronis: *Quid ergo est inquis; Dandus est locus fortunæ; cedendum ex Italia, migrandum Rhodum.* C. Marius Ciceroni; *Mihi quidem si optata contingent, quod reliquum est vitæ, in otio Rhodi degam.* Olim Deo Soli seu Apollini sacra fuit atque divitiis navalisque rei gloriâ, inter cæteras maris insulas, principatum quondam obtinuisse legitur. Fœlicitatem ejus indicavit Pindarus, quum aureum imbrem in ea pluisse dicit, *Olymp. Od.* 7. *Epod.* Κὰλ. ιγ. ἔνθά ποτε βρέχε θεῶν βασιλεὺς χρυσαῖς νιφάδεσσι πόλιν. In eâ fuerunt urbes *Rhodus*, vide infrà, *Lindus*, *Camirus* & *Jalysus*. Gymnasium habuit Rhodus Asiaticæ eloquentiâ & Mathematicis studiis clarissimum. Ideo Aristippus Philosophus Socraticus, cùm, naufragiò ejectus in Rhodiensium litus, animadvertisset Geometrica schemata descripta, exclamâsse ad comites ita dicitur: *Bene speremus, hominum enim vestigia video.* Vitruv. *l.* 7. In ea fuit admirandæ magnitudinis Colossus 70. cubit. altus. Vide *Colossus*. Incolæ *Rhodii*, qui, ut *Diogenianus* refert, cùm Minervæ Lindiæ sacrificarent, & ibi plures dies agerent, Oraculum consuluerunt; an matulam liceret inferre: quò, *bene* respondente, rursus quæsiêrunt, an æream, vel testaceam; quibus Deus indignatus, *neutram*, respondit: hinc proverbium *Rhodiorum oraculum*, in scrupulosos, nimisque de re minuta sciscitantes. *Hic Rhodus, hic saltus*: proverbium in vanitatem eorum, qui factò ostendere potiùs, quàm verbis jactare sua debebant, petitum ex fabulis Æsopi. Quidam enim cùm domum rediisset peregrè inter alia, quæ gloriabatur, jactabat se Rhodi se saltum saltâsse, quem nemo alius ibi potuisset saltare, testesque se habere affirmabat. Tum ex astantibus unus: Ἰδοὺ Ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα. Hic Diagoras, cùm tres filios athletas eòdem die in certamine omnes vicisse & coronari vidisset, præ gaudio expiravit. Gell. *l.* 3. *c.* 15. Rhodi 3000. signorum esse, habet Plin. *l.* 34. *c.* 7. Et apud Rhodios Timocreon gulæ notatur; Xenarchus quoque *Metretes* ob bibacitatem est dictus. *Nic. Lloydius.*

RHODUS, vel RHODOS, urbs Archiepiscopalis permunita in Carpathio mari, in Insul. ad ortum solis cognomin. sita est, partim in acclivi colle, partim juxta maris littus, inque gremio portum recipit nobilissimum ac tutissimum, Emporium insigne. Olim admodùm celebris fuit, dicta à Rhodia puella, ab Apolline adamata, ut fabulatur Diodorus, *l.* 5. sive ab eo, quòd capulò rosæ illic inventò sit ædificata. Duplicibus muris, altissimis turribus 13, arcibusque quinque scalis propugnaculis munita exornataque admodùm est. Ipsa olim opportunitate situs & operum nobilitate clara erat, ejusque incolæ navigandi solertiâ ac navalibus victoriis inclyti fuêre, longè magis, sub militibus D. Johannis Baptistæ, à quibus capta est A. C. 1300. sub Fulcone Villaretio Gallo, Magno Magistro Ordinis Hierosol. quàm hodie, sub Turcarum tyrannide. Superiori seculò & postquàm Christiani dominium Terræ sanctæ amiserunt, fuit hæc urbs, unà cum universa insula, militibus D. Joannis ab Imperatore Constantinopolitano, A. C. 1308. concessa adeoque potentiâ crevit, ut Turcis & piratis sæpius terrori fuerit. Veruntamen A. C. 1522. urbem ipsam toties & quidem anteà, à Mahomete II. post triduanam obsidionem frustra à Turcis, petitam & obsessam, tandem Solymannus per vim, aut potiùs, proditionem, vide *Philippus Villerius*, cepit, ac proinde totam obtinuit insulam, migrantibus tamen absque ulla omnino noxa Rhodiensibus militibus, qui bello illi cruento superstites fuerunt, in Melitam insulam in quam translati fuerunt. Asserit prætereà *Bellonius*, omnia equitum Rhodiorum ædificia integra adhuc à Turcis conservari, illæsis insignibus, picturis, sculpturis, ac inscriptionibus omnibus, similiterque mœnia in eodem adhuc statu permanere, quò fuerunt, cùm à Turcis capta fuit Rhodus. Gymnasium habuit clarissimum. Ideò Aristippus, Philosophus Socraticus clarissimus, ut suprà annotatum, cùm naufragiò ejectus animadvertisset, Geometrica in littore schemata descripta, comites benè sperare jussit, quòd hominum vestigia cerneret. Fuit olim hic famosissimus ac magnitudine admirandus Solis Colossus, à Charete Lyndio ex ære fabrefactus, qui inter septem mundi mirabilia recensetur, à quo posteà Rhodii appellati sunt *Colossenses*. Pollex Colossi adeò magnus erat, ut nemo brachiis eum amplecti potuerit, Colossique altitudo traditur à scriptoribus 70. cubitorum, qui post 56. annum Ptolemæô III. apud Ægyptios regnante, terræ motu fractis genubus collapsus quoque miraculo fuit; eum posteà sub Constante II. Imperatore Ægyptii seu Saraceni demoliti sunt, ex cujus Judæo cuidam venditi ære nongentos camelos oneratos fuisse dicitur. Hic Colossus duodecim annis effectus est, trecentis talentis: magnæ molis saxa intus disposita fuêre, quorum pondere opus stabiliretur, ne ventorum impetu concussus humi corrueret, Merel. Merc. Bert. Borbonius, *de obsidione Rhodi*, Petrus Boissat. & Joh. Balduin. *Hist. Melit.*

RHODUSSA, urbs Argivæ terræ, unde *Rhodussius*, & *Rhodussans*, *Stephan.* Item Insul. Rhodiorum ante Caunum urbem Cariæ proximam. Item duæ Insulæ in Bosporo Thracio, Plin. *l.* 5. *c.* 32. *extr.*

RHO-

RHOE, fluv. apud Arrianum, *in Periplo*, ubi Bosphori fauces ponit ad sacrum Jovis Urii; dein Melænam promontor. mox Artanen, deinde Psilin, posteà Calpes portum & inde *Rhœn* & *Chelas* & Sangarium fluv. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 879.

RHOEBUS, equus Mezentii. Virgil. *Æn. l.* 10. *v.* 861.

Rhœbe diu (res si qua diu mortalibus ulla)
Viximus. ———— ————

RHOEDIAS, fluv. Macedoniæ in Axium fluens, Plin. *l.* 4. *c.* 10.

RHOEMETALCES, Bosphoranorum Rex, Græcè Ῥοιμητάλκης sive Ῥυμητάλκης; utrûque enim modò scriptumque nomen occurrit, utrumque è veteri consuetudine. Sic enim *Rœmetalcas* Hesych. qui *Rytus* Suidæ, Rex ille, qui dedit proverbio originem, Ῥοίκου χρυσοτρωξία. Meminit hujus *Rhœmetalcis* Jul. Capitolin. *in Pio*, *c.* 9. ubi *Rhimetalcem* vocat, *Rhimetalcem in Regnum Bosphoranum, auditò inter ipsum & curatorem negotiò, remisit*. Vide Casaubon. *ad l.*

RHOETARUM littus seu *Rhœticum* littus, in quo tumulus vel fanum Ajacis, Αἰάντειον, à *Rhœteo* promontor. vel oppido nomen habet; de quo vide Salmas. *ad Solin. p.* 870. ut & voce *Rhœteum*.

RHOESUS, vide RHESUS. & RHEBAS.

RHOETACES, fluv. Armeniæ, *Strabo*.

RHOETEUM, sive RHOETUS, *Leuncl. Pesbiam* Turcis; Trojæ promontor. in quo sepultus fuit Ajax Telamonius. Quòd à Sigæo non longè abfuerit, Ovid. testatur, *l.* 11. *Met. v.* 197.

Dextera Sigei, Rhœtei læva profundi.

Idem, *l.* 4. *Fastor. v.* 279.

Rhœteumque capax, Sigæaque litora transit.

Nic. Lloydius.

RHOETEUM, Ῥοίτειον, Diod. *l.* 17. Urbs Troadis ad Hellespont.

RHOETI, vide RHÆTI.

RHOETIA, urbs Bactrorum. Gentile *Rhœtianus*, vel *Rhœtinus*, *Stephan.*

RHOETIUS Mons, *Monte di Mezzo*, in Corsica, circa umbilicum, in oram Occidentalem desinens. *Ptol. Justinian.*

RHOETUS, Marrubiorum Rex in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam; hanc privignus stupravit. Quô cognitô, cùm eum pater persequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens ille se ad Turnum contulit. Servius in illud Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 388.

Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetustâ
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.

RHOETUS, gigas, qui cùm Jovem de Cœlo dejicere conaretur, à Dionysio, in Leonem converso, interemptus est. Lege *Rhœcus*. Horat. *l.* 2. *Od.* 19. *in Bacchum, v.* 21.

Tu, quùm parentis regna per arduum
Cohors gigantum scanderet impia:
Rhœtum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique malâ.

RHOEXUS, navale Ciliciæ, ad ostia Sari fluv. Gentile *Rhœxius*, aut *Rhœxites*, *Stephan.*

RHOGANE, urbs Indiæ, *Idem.*

RHOGE, insula juxta Lyciam, *Idem.*

RHOGMI, navale Ciliciæ, *Idem.*

RHOGOMANES, Ῥογόμανις, *Marciano* & *Ammiano* Ῥώγανις, fluvius Persidis est, juxta quem Persæpolis; fortè idem cum Araxe; quem ad ipsam Persæpolim transiisse Alexander legitur, apud *Strabonem*, quique alius omnino erat è nominatissimo Armeniæ Araxe. Certè Ῥώγανιν hunc quidam videntur Ἀράξην vocasse græcatiore, ut ille loquitur, appellatione. Si enim sonum spectes vocabuli, idem Ῥώγανις significat; quod Ἀράξης: cùm Græcis ῥωγὴ idem sit, quòd ῥῆξις, *ruptura*; unde ῥωγάδης, & ῥωγαλέον. A *perrumpendis* autem obicibus, Rhoganis nomen fortè habuit; quem Alexandri comites aliô nomine, sed idem significante, Ἀράξην appellâsse videntur. Nam Ἀράξης, ἀπὸ τοῦ ἀράσσειν, quod itidem *perrumpere* notat. Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 1202. ut & in voce *Rhogomanis*.

RHOGOMANIS, Arriano *Rhoganis*, ex *tabulis recentior. Sirt*, fluvius Persidis, in sinum Persicum juxta Susianæ confinia influens. *Ptolemæo*, *Ammiano*, vide suprà.

RHOILUS, Scytha, Constantinopolim, sub Theodosio Minore oppugnans, fulmine ictus est, circa A. C. 424.

RHOLDUCUM, vide RHODIA *Ducis*.

RHOMBITES magnus, seu *Rombites*, Sarmatiæ Asiaticæ fluv. *Ptol. Copa Georgio Interianio*, Hodie *Kuban*, *Sansoni* in Circassia regione.

RHOMBUS, piscis, inter immundos erat in veter. Lege, quòd pinnas quidem habet, sed squamis caret, vide Levit. *c.* 11. *v.* 9. & 10. & Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 1. *c.* 6. inprimis verò Vossium, *de Idolol. l.* 4. *c.* 16. 17. & 26. ubi inter alia Proverb. *nihil ad rhombum*, de junioribus inprimis capiendum docet. De eo sic Martialis, *l.* 13. *Epigramm.* 81. cui titul. *Rhombus*.

Quamvis lata gerat patella rhombum,
Rhombus *latior est tamen patella.*

Unde *Rhombi spatium*, de amplissimo rhombo, apud Juvenalem, *Sat.* 4. *v.* 39.

———— *spatium admirabile rhombi* &c.

Apud eundem Martialem, *l.* 9. *Epigr.* 30. *v.* 9.

Quæ nunc Thessalicô Lunam deducere rhombô,
Quæ sciet hos illos vendere lana thoros?

Et *l.* 12. *Epigr.* 57. *v.* 16.

Dicet quot æra verberent manus urbis,
Cùm secta Colcho Luna vapulat rhombô &c.

vox hæc vertiginem seu girgillum notat, cui involvebant filum, quô Lunam torqueri & è cœlo deduci posse sagæ jactitabant, qua de re vide quæ Farnabius habet *ad Senecam, Hippolyto, v.* 420. *Turbinem* vocat Horatius, *in Epodis*; *Od.* 17. *v.* 7. ubi totam ferream seu æream intelligunt, cui fila & stamina, quibus se viros illigare credebant, Sagæ intorquere solebant. Aliàs *Rhombus* figura est quadrata, quæ in vestibus idem quod ῥάβδος, *virga*, & πλινθίον, *laterculum*. Unde de Ephesiis Democritus Ephesius, apud Athenæum, *L.* 12. Τὰ δὲ τῶν Ἰώνων ἰοβαφῆ, καὶ πορφυρᾶ καὶ κρόκινα ῥόμβοις ὑφαντά; ubi ῥόμβοις ὑφαντὰ vestimenta dicuntur, quæ ῥόμβοις seu figuris ῥομβοειδέσι distincta erant ac virgata; qualia fuisse Gallorum sagula Veteres scribunt. Vide hîc passim, & plura hanc in rem apud Salmas. *ad Vopisc. in Carino*, *c.* 20.

RHON, urbs Scythiæ Gandaricæ. Gentile *Rhonius*, vel *Rhonites*, *Stephan.*

RHONDÆI, populi Thraciæ, *Idem.*

RHOOB, mansio Israëlitarum, in Palæstina, apud Scythopolim, inde 4. mill. pass. *Hieron.*

RHOOBOTH, oppid. Galilææ, in regione Gabalena, apud Jordanem.

RHOPALICI Versus, dicti à Græca voce ῥόπαλον, *clava*, quam *massucam* Galli vocant, à monosyllabo incipiunt, quod est veluti caput massucæ. Ut in hoc versu,

Spes Deus æternæ est stationis conciliator.

Et apud Homer. *Il.* γ. *v.* 182.

Ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενὲς ὀλβιοδαῖμον &c.

Vide Salmas. *ad Solin: p.* 1317. Hujusmodi metrô scripta oratio adjicitur Ausonianis operibus: quam licèt illi non vindicet, indignam tamen vel illius ingeniô, seriô tandem Christianô, non putat Barthius, quòd curiosum fuit Grammaticas res versibus commendare & immiscere. Itaque vel animi gratiâ, vel ad exemplum ludentium aliorum potuit & tale quid otiosus scripsisse, cùm licentiæ etiam Poëticæ generosum Christi præconem agnoscant. Hactenus ille, *Animadv. ad Statium, Thebaid l.* 2. *v.* 242.

RHOPENSES, populi quidam *Steph.*

RHOPOGRAPHI, Græcè Ῥωπογράφοι, dicebantur olim, qui belluas, arbores, homines; insuper, antra, portus & alia id genus, variaque & minuta opere topiariô exprimebant, Ῥῶπος enim varia & minuta merces est, ut infrà videbimus. Inde *Rhopographiaripula*, apud Ciceronem, *ad Attic. l.* 15. *ep.* 16. *Et tamen hæc ῥωπογραφιaripula videtur habitura celerem satietatem*: & Ῥωπογράφος, pictor ille dictus est apud Plinium, *l.* 35. *c.* 10. quòd humilia tantùm pingeret, ut asellos, obsonia & similia ῥωπικὰ, ubi alii perperam legunt, ῥυπαρογράφος: *Proposito nescio an destruxerit se, quoniam humilia quidem sequutus, humilitatis tamen summam adeptus est gloriam, tonstrinas, sutrinasque pinxit & asellos & obsonia ac similia, ob hoc cognominatus Rhopographos.* Ei *megalographiam* Vitruvius opponit, *l.* 6. *c.* 4. quæ in rebus magnis & argumentis nobilibus exequendis versatur, ut sunt Deorum simulachra, ædes, heroës bellorum historiæ veteres & alia id genus. Vide Salmasium *ad Spartianum in Hadriano Cæsare*, *c.* 10.

RHOPOPOLA, Græcè Ῥωποπώλης, Gallicè *Espicier*, qui merces omnes mixtas ac minutas vendit, quæ Medicis, Pictoribus, Tinctoribus & Myrepsis conducunt. Latinis *Seplasiarius*, παντοπώλης. Marcellus,

Quodque ab Idumæis vectum seplasia vendunt,
Et quidquid confert Medicis Lagan Cataplus.

A ῥῶπος, quâ voce merces ejusmodi minutas ac mixtas, Græci appellabant, *Hesychius*. Ῥῶπος, ὁ λεπτὸς φόρτος, ὅτι ζωγράφοις, βαφεῦσι, μυρεψοῖς, χρήσιμοις; pleraque enim horum & ferè omnia, quæ Pictoribus, Tinctoribus & Myrepsis usui sunt, Medicis quoque utilitatem præstant, ac Medicinæ inserviunt. Plures ejusmodi merces enumerat Vopiscus *in Aureliano*, *c.* 45. *Vectigal Ægypto urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stupæ, atque anabolicas species æternas constituit.* Quæ omnia Αἰγυπτίαν ἐμπολὴν vocabant Veteres. *Hesychius*, Αἰγυπτία ἐμπολὴ ὁ ῥῶπος; ex Ægypto enim istiusmodi merces advehebantur, quas γέλγη quoque Græci, item γρύτη, appellavêre. Lucilius *mistam* vel *mistilem mercem* vocat.

Pulmentaria, ut intybus, aut aliqua id genus herba,
Et jus mænarum, bene habet se, mictiris hæc est
Merx, &c.

Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1050. & *Not. ad Vopisc. d. l.* ut & suprà ubi de *Anabolicis Speciebus*.

RHOS, vide infrà *Rosica Classis*.

RHOSACES, frater Spithrobatis, Satrapes Persicus, cui, Alexandro, apud Granicum amnem nudô capite dimicanti, imminenti, dextra amputatur à Clyto. Curt. *l.* 8. *c.* 1. A septem Persis, qui Magos interemerunt, oriundus exstitit; sub Artaxerxe Ochô, Ioniæ & Lydiæ Satrapes, in expeditione, contra Ægyptios, Equitatûs præfectus. Diodor. Sic *l.* 16. Vide eundem, *l.* 17. *fol.* 572. *f.*

RHOSOITA, Monialis, Latinè Græcèque docta, claruit sub Othone I. & II. Augg. de quorum rebus gestis *Panegyricum* scri-

scripsit. Ejusdem prodière *Comœdiæ sex*, *Laudes B. Virginis*, *versu Elegiacò*, ut & B. *Dionysii Vita*, aliaque. Vide Gerh. J. Vossium, *de Philolog. c.* 2. §. 3. & *l.* 2. *de Hist. Lat. c.* 41. nec non *l. de Poëtis Lat.*

RHOSPHODUSA, insula in Carcinite sinu, Plin. *l.* 4. *c.* 13. *Saline Pineto*, *Steph.* eam *Rhodussam* nominat, auctore *Pintianò.*

RHOSUS, nominatur à *Stephano*, nec explicatur. Gentile *Rhosius*, vel *Rhoseus*, possessivum *Rhosicus*, ut *scopulus Rhosicus*, Strabo, *l.* 14. *Rhosum* scribit civitatem esse in Issico sinu. Cæterùm *Rhosicus*, vel *Rhossicus scopulus*, Issico sinui imminet, & *Coryphæus* à Polybio, *l.* 5. dici videtur, ubi Seleuciam huic scopulo adjacentem describit. *Capo Ganger Nigro. Baudrando Rhosus*, seu *Rhossos*, urbs est Syriæ, in ora maris Syriaci & Sinus Issici in Pieria; 50. mill. pass. ferè à limite Ciliciæ, Antiochiam versus.

RHOTALA, vicus Jordani finitimus, ubi longitudo Galilææ superioris habet initium. Hegesippus, *l.* 3.

RHOTANA, Indica urbs, *Stephan.*

RHOTANUS, Corsicæ insulæ fluv. *Ptolem. Tavignani* Leandro. *Aleria* Moletio. *Baudrando Tavignano.* Oritur in medio Insulæ, dein prope & intra Aleriæ rudera, in mare Tuscum se exonerat, prope stagnum Dianæ, in ora Orientali Insulæ.

RHOTOMAGUS, urbs Archiepiscopalis Galliæ Celticæ Normanniæ caput, *Rouen* Gallis, *Roan* Italis dicitur, à Lutetia Parisiorum 28. leuc. in Circium. Ampla, elegans & populosa valde. Emporium celeberrimum, & Parlamenti sedes, ad Sequanam fluv. qui ibi ponte jungitur, aliàs lapideò, nunc ligneò, sed miræ structuræ. 26. leuc. ab Ambiano in Occasum, 16. à Bellovaco & 9. ab Ebroico in Boream, Velocassium olim caput. Vide *Rotomagus.*

RHOTOMANUS, Christophorus, vide *Christophorus.*

RHOXALANI, populi Scythiæ, Plin. *l.* 4. *c.* 12.

RHOXANE, amasia Alexandri, Satrapis barbari filia, quam Alexander totius penè Orientis victor & Imperator, ob solam ejus pulchritudinem, matrimonio sibi junxit. Dicitur & *Roxana.* Vide Q. Curtium, *l.* 5.

RHOXIA, regio Septentrionalis, quam Poloni & Sarmatæ suam esse dicunt.

RHOXOLANI, populi Scythici ultra Danubium, quos quidam *Ruthenos* esse putant. Eorum tumultum, sub Hadriano, memorat Spartianus, *c.* 6. *Auditò dein tumultu Sarmatarum &* Roxolanorum, *præmissis exercitibus, Mœsiam petit. Martium Turbonem, post Mauritaniæ præfecturam, infulis ornatum Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit. Cum Rege Roxolanorum, qui de imminutis stipendiis querebatur, cognitò negotiò, pacem fecit.* Vetus enim in Romano Imperio malum, annuis muneribus barbararum gentium pacem redimere: quod à Domitiano primùm factum, & dein retentum à successoribus, qui consulturi utcunque existimationi suæ pensionem hanc annuam, quæ verè tributum erat, honestiore vocabulò *stipendium* nominàrunt, aut *munus*, Herodianus, *l.* 1. *c.* 6. συντάξεις; ipsi verò Barbari μισθὸν εἰρήνης, *pretium pacis*, apud Synesium, *Orat. ad Arcadium.* Sed cùm querelam Regis Roxolanorum facili negotiò compositam dicat Spartianus; ob tumultum verò *Roxolanorum* exercitus mitti fuisse necesse; hæc disjungenda esse judicans, lectionem in omnibus libris repertam, *Cum Rege mox Alanorum* &c. reponi vult Salmas. *ad loc.*

RHOXONOCÆA, civitas quædam, *Stephan.*

RHUADA, vide RHÆDA.

RHUBRA, oppid. Corsicæ, in ora Orientali versus Meridiem, quibusdam nunc *Porto nuevo.* Scribitur & *Rubra.*

RHUBRICATA, vide RUBRICATUS.

RHUCANTHII, *Straboni* Rhætica gens, in Helvetiis, ubi hodie *Aspermont Scudo.* Aliis illorum oppid. est *Ragatz.*

RHUNCUS, Nævio dicitur, qui aliis *Rhœcus* ex Græco Ῥοῖκος. Vide *suprà.*

RHUS, Atticæ vicus, sic dictus, quòd ex imminentibus loco montibus aqua in eum defluebat, Pausan. Hodie *Palæo chorio* incolis dici, quasi *veterem vicum* & in ruinis esse, docet Jac. Sponius, qui ibi *Inscriptiones* aliquot superstites notavit, unam inprimis Niciæ Hermiageniti, cui fulloniæ artis inventionem tribuit Plin. *l.* 7. *c.* 56. Vide eum *Itiner. Græciæ*, *l.* 2. *p.* 291.

RHUSPINA, Africæ propriæ urbs in litore maris, in Byzacena regione *Ptolem.* Nunc *Sousse*, urbs munita regni Tunetani, in Ora Syrtis majoris. Vide *Ruspina.*

RHUSUCCORÆ, Mauritaniæ, Cæsariensis urbs, *Ptol.* quæ *Rusucurium* fortasse Plinii, *l.* 5. *c.* 2. Hodie *Alger.* Vide *Rusucurium.*

RHUTENI, seu RUTENI, populi Germano-Sarmatiæ, ubi nunc *Russia nigra.* Vide ibi.

RHUTENI etiam populi Sarmatiæ, qui aliàs Roxolani, hodie *les Roux*, in parte Meridionali Moscoviæ, cujus populi sæpe etiam Ruteni dicuntur.

RHUTENI, & RUTHENI Cæsari, *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 45. & *l.* 7. *c.* 5. *Ruteni* Plinio, *l.* 4. *c.* 19. *Rhutani Ptolemæo*, populi & urbs Episcopalis Galliæ Aquitanicæ ad montem Cemmenum, inter Velaunos & Helvios. Regio *Rovergue*, urbs autem *Rodez* appellatur. Lucan. *l.* 1. *v.* 402.

Solvuntur flavi longâ statione Rhuteni.

Sunt hi populi in parte Orientali Aquitaniæ, inter Gabalos ad Ortum, Arvernos ad Boream, Cadurcos ad Occidentem, & Heleuteros ad Austrum. Eorum caput est Segodunum seu Ruteni, *Rodez*, urbs culta ad Veronium fluv. 12. circiter leuc. à Commeno monte in Circium, 15. à Mimate in Occasum, Cadurcum versus 16. ab Albigia in Cæciam 10. leuc. Floriopolim versus 12, *Baudrand.*

RHYBDUS, castellum Siciliæ, Gentile *Rhybdius*, *Steph.*

RHYMNICI montes Scythiæ, hodiè sunt in Tartaria deserta ad fontes Rhymnici fluv. in limite Moscoviæ Borealis versus Obium fluv.

RHYMNUS, fluv. Scythiæ, à quo populi & montes *Rhymnici*, hodie *Jayck.* Oritur ex Rhymnicis montibus, & in mare Caspium se exonerat 250. mill. pass. à Jaxartis ostiis in Occasum.

RHYNCHE, parva regio Eubœæ. Gentile *Rhynchæus*, *Steph.*

RHYNDACUS, fluv. (& oppid. *Stephano*) Mysiæ Asianæ magnus, qui *Lycus* Plinio, *l.* 2, *c.* 103 ex Artynia stagno ad Olympum montem effluens, & in Propontidem inter Ascanium fluv. & Cyzicum urbem prolabens, variè indigitatur: *Mica* Moletio, *Lartacho* Nigro, *Lupadi* Castaldo, *Ulubat* Turcis, teste *Leunclavio.* Apud illum angues immanes nascuntur, qui aves prætervolantes absorbent. Mela, *l.* 1. *c.* 19. & Plin. *l.* 8. *c.* 14. Valer. Flacc. *l.* 3. *Argon.* *v.* 35.

Et te jam media flaventem Rhyndace Ponto.

RHYNECCUM, vide RINECUM.

RHYNITACLUS, vir Thracius, cujus exemplò, Cæsar dicere solebat, *Amare quidem se proditionem, sed proditores magnopere abhorrere*, Plutarchus.

RHYNTHON, Tarentinus, nugator vilissimus in agendis præcipue fabulis. Alii verò Poëtam fuisse volunt, qui 38. reliquit fabulas, partim Comicas, partim Tragicas. Nonnulli *Rhinthon* scribunt. Meminit ejus Athenæus, *l.* 3. fabulæque *Amphitruo* ab eo compositæ. Vide Jul. Cæs. Scaligerum, *Poëtices l.* 1. *c.* 7. ubi de *Comœdiæ Speciebus*, & suprà in voce *Rhinthon.*

RHYPÆ, urbs Achaica, unde *Rhyps*, *Rhypæus*, & possessivum *Rhypicus*, *Stephan.*

RHYPARA, Insula parva maris Ægæi, Samo adjacens, Plin. *l.* 5. *c.* 31.

RHYPAROGRAPHOS, cognomen Pyreici pictoris, de quo sic Plin. *l.* 35. *c.* 10. *Pyreicus, arte paucis postferendus —— humilia quidem secutus, humilitatis tamen summam adeptus est gloriam. Tonstrinas sutrinasque pinxit & asellos & obsonia ac similia, ob hæc cognominatus* Rhyparographos, *in iis consummatæ voluptatis. Quippe eæ pluris veniere, quàm maxima multorum.* A Græco ῥυπαρὸς, *humilis*, *sordidus.* Salmas. tamen *Rhopographos* legi vult, vide ibi.

RHYPICA, vide RHIPHA.

RHYSADIUS, mons Lybiæ interioris, ex quo Stachir fluv. oritur, Cloniam paludem creans, *Ptol.*

RHYTHMUS, Bedæ videtur *metris esse consimilis, qui est verborum modulata compositio non metricâ ratione, sed numerò syllabarum ad judicium aurium examinata, ut sunt Carmina vulgarium Poëtarum.* Nempe omnis structura & copulatio vocum aut *rhythmus* est, aut *metrum*. Rhythmus spatiò temporum constat, metrum etiam ordine: in illo quantitas tantùm, in isto qualitas quoque observatur. Parvi pendit Rhythmicus, dum ipsi constet temporum ratio, quò pedes ordine collocet; at Metricus non satis est securus, nisi & rationem ordinis servet. Rhythmico indifferens est dactylus & anapæstus, jambus & trochæus, sunt enim ἰσόχρονοι hi pedes: Metricus verò eos neutiquam confundit, licèt temporis spatiò sint æquales. Unde longè major licentia in Lyricis cantionibusque & Musicorum canticis, quàm in metris. Quæ causa, quòd Lyricos veteres *numeris lege solutis ferri*, dixit Horatius; *l.* 4. *Card. Od.* 2. *v.* 9. 10. Solutiori tamen pede ambulârunt plebeji illi Poëtæ, de quibus Vopiscus, *in Aureliano*, *c.* 6. & nos suprà, in voce *Ballistea.* Imò nullâ penitùs lege teneri se passi sunt, nec ulla syllabis tempora assignantes, nec brevium longarumque agnoscentes differentiam. Unde genus quoddam, inter rhythmum & metrum medium ortum; sic tamen, ut magis ad rhythmum accedere videatur, solò licentiæ nomine, quam imperitiâ, non ratione affectârunt. Numerum sanè syllabarum & pedum satis anxiè custodiêrunt, quod veteres Rhythmici magnoperè negligebant, quibus in usu & more fuit, duas plerunque syllabas breves locò longæ ponere, quia idem utrobique tempus esset. Interim obtinuit, ut talium quoque Poëtarum compositio *Rhythmus* diceretur, ipsique *Rhythmici* vocarentur. Rhythmi enim proprium est, breve tempus plerunque longum efficere & longum contrahere, quod Metricò non licet: unde rhythmus etiam illis inesse potest, quæ metricâ ratione facta non sunt; cùm contrà metrum absque rhythmo esse non posset. Sic versus in puerili cantilena de Aureliano, apud Vopiscum, *loc. cit.*

Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis

rhythmum trochaici metri habet, contra legem tamen ac rationem metri factus est; sed, cùm totidem syllabis constet, quot legitimum metrum, rhythmus eadem illis temporum spatia accommodat, quæ requiruntur in legitimo metro. Vide Bedam pluribus. *d. l.* Atque hoc inprimis metrum, utpote saltationibus cantionibusque accommodum, & proin vulgi captui maximè familiare, Rhythmicis ad imitationem placuit. Unde Joci militum, à tripudiantibus exultantibusque in triumphantes Duces jactari soliti, istò metrò ut plurimùm concepti, cujus exemplum rei habes apud Suetonium, *in Cæsare*, *c.* 51. Vulgaria quoque dicteria, quæ populus ipse in aliquem jlocaliter jactitata canebat, modulis trochaicis decurrebant, ut videre est apud veterem Juvenalis Interpretem, *in Sat.* 5. *v.* 3. de Sarmento quodam. Cantilenæ tandem & saltatiunculæ omnes vulgares non aliò metrò constabant, vel *rhythmis* ad ejus imaginem commodulatis. Quò factum, ut Græca quoque Poësis vulgaris numeris trochaicis tota constaret & Latina

tina etiam magna ex parte, uti suprà, ubi de *Politicis versibus*, vidimus. Similiter hodie tota Poësis vernacula rhythmica est, certò syllabarum ad rhythmum copulatarum numerò, libero scribentis arbitriò currens, nec enim propriè pedum dimensione graditur. Sed *Rhythmum* malè vocamus in nostra Poësi syllabarum ad finem cujusque versus, in eundem sonum recidentium, κατάληξιν. *Rhythmum* in cantione Veteres vocavère, quam Galli hodie *aram cantionis* vocant: Latini *numerum* dixère. Virgil. *Ecl.* 9. *v.* 45.

——— Numeros memini, si verba tenerem.

Hinc Canticum Plotino dividitur, εἰς τοὺς ῥυθμοὺς καὶ τὰ ῥήματα: *in numeros & verba*. Idem Virgilius, *Ecl.* 6. *v.* 27. *in numerum ludere* dixit, quod Servius interpretatur, *ad Rhythmum saltare & cantilena modum*. Idem verò *Æra*, quod *numerus*, ut alibi diximus. Vide Salmas. *ad Vopisc. loc. cit.* Sed & in oratione *Rhythmi*, ut videre est apud Quintilian. *l.* 9. *c.* 4. ubi orationem numeris contortam ferri vult, non rhythmis. *Neque enim Demosthenes fulmina tantopere vibrâsse diceretur, nisi numeris contorta ferrentur; in quo si hoc sentimus, rhythmis contortæ, dissentio. Nam rhythmi --- neque finem habent certum, neque ullam in contextu varietatem, sed quâ cœperunt sublatione ac positione ad finem usque decurrunt. oratio non descendit ad strepitum digitorum.* Dicere vult, orationem quæ rhythmis non alligari desiderat, nec syntonorum modis saltitare debet, in strepitum digitorum ac pedum crepitum non descendere, quemadmodum Rhythmi solent, quorum tempora Musici pedum digitorumque ictu metiuntur ac signant. Uti verò *Rhythmi* iisdem semper eunt numeris, ac, quò cœperunt modò, ad finem usque decurrunt: sic in scabellis, ac cymbalis & testulis percutiendis, quibus histriones olim usi, perpetuus quidam numerus servabatur, adeò ut finis nullus appareret, &, si tibias non audires, notare ibi non posses, quousque procurreret connexio pedum, & unde rursus ad caput rediretur, ut ait *Augustinus*. Atque hinc omnia crepitaculorum genera, ut scabella, cymbala, crotala, testulas, solis rhythmis constitisse & in ea Musicæ parte positas esse, quam *Rhythmicam* Veteres dixère, adeoque *syntonorum* nomine censeri posse, ait idem Salmas. *ad Vopisc. in Carino*, *c.* 19. Vide quoque Scaligerum, *Poëtices l.* 2. *c.* 2. & hic passim, inprimis infrà, in voce *Syntona*.

RHYTIUM, seu RHYTUM, vas ab angusto fundo in latum surgens, instar cornu, memoratur Athenæo, *l.* 10. *c.* 13. & *l.* 11. *c.* 1. 5. & 26. nec non Martiali, *l.* 2. *Epigr.* 35. ubi in Phœbum quendam, cui diducebantur poplites, tali verò seu plantæ coibant, hôc pactô jocatur,

Cùm sint crura tibi, simulent quæ cornua lunæ,
In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

Ubi nota lusum in paribus, *cornu* & *rhyto Luna*, & *Phœbo*. Farnabius *ad l.*

RHYTINNA, *Ptolem.* Vide ibi. *Rhœteum* Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 505. *l.* 10. *v.* 397. Hinc *Rhyticus*.

RHYTIUS, Cretæ civitas, Hom. *Iliad.* 2. Ῥύτιον, *Steph.*

RIBAGORTIA, vide RIPACURCIA.

RIBAI, pater Ithai, 2. Sam. *c.* 23. *v.* 29. Latinè, *pugnans, objurgans*, sive *multiplicans*.

RIBAS, contractum ex *Rabbi Izaac Schefack*, Philopoli fecit *Theschuvot bar Schesat*, circa ann. 5134. juxta Rabb. Dav. Gantz.

RIBALDI, apud Rigordum *A.C.* 1189. *Dum Rex circumquaque immunita civitatis consideraret,* Ribaldi *ipsius, qui primos impetus in expugnandis munitionibus facere consueverunt, eò vidente, in ipsam civitatem impetum fecerunt.* Guil. Brittonem, *Philipp. l.* 3.

Et Ribaldorum *nihilominus agmen inerme.*

Alibique passim, apud citerioris ævi Scriptores, Velites sunt, Gall. *Enfans perdus*; inter vilissimos hominum, quorum vita nullius esset momenti, habiti. Deligebantur ferè semper ex calonibus, quorum & in castris vicem persæpe agebant, impedimenta curando cœteraque viliora officia obeundo. Quare, cùm id hominis genus ex ganeonibus potissimum conflatum erat, factum posteà, ut vox hæc de vilissimis, abjectis, perditis, scortatoribus &c. usurparetur. Apud P. Mariam Campum, *in Histor. Eccl. Placent.* habetur, *Revocatio facta per D. Gregorium P. X. de consuetudine, quòd solis* Ribaldis *dabatur eleemosyna, in domo Papa, in Festo Carnisprivii, quâ statuit idem Gregorius, quòd ejusmodi eleemosyna erogaretur pauperibus aliis communiter, & ipsis ribaldis ad domum Papa, in festo Carnisprivii suprà dicto, circa horam vesperam.* Ubi *Ribaldorum* nomine eos intelligit Car. du Fresne, quos *Vagabonds* Galli vocant, vide eum *in Glossario* & *ejus Appendice*, ut & Auctores, quos *ibidem* laudat, Albertum Stadensem 1224. Ericum Upsaliensem, *Histor. Suecor. l.* 1. *p.* 8. Mich. Scotum, *Mensa Philosoph. l.* 4. *c.* 6. 37. &c. Quia porrò *Ribaldorum* cohors in Franciæ Regum Aula instituta est, ut in ganeones & scorta publica, quæ Regium Comitatum sectabantur, inquirerent, ipsi verò cùm lupanaria ingrederentur, ad capiendas meretrices, ipsasmet sibi non rarò conciliabant, lenonumque vices agebant, inde factum ut *Ribaldi* etiamnum Gallis dicantur homines in libidines & luxum projecti. Habebant hi præfectum, *Regem Ribaldorum* dictum, qui in Comitatu Regio in crimina, quæ in eo perpetrabantur, inquirebat ac de iis judicabat: cujus quidem officii nomenclatura desiit, regnante Carolò VI. sub quo, qui *Rex Ribaldorum* anteà dicebatur, *Præpositus Hospitii Regii* appellari cœpit. De illius in scorta inprimis publica jurisdictione, insigne hoc monumentum idem Car. du Fresne exhibet, ex *vetere Charta A. C.* 1380. *Remissio pro Petro & Stefano Calce fratribus ac Cola dicti Petri uxore, de terra Bellijoci, exponentibus quòd Antonius de Sagiano se gerens pro* Ribaldo *& se dicens de ordine seu de statu Goliardorum seu Buffonum, & ad causam hujusmodi super qualibet muliere uxoratâ adulterante, sibi competere & posse exigere quinque solidos & pro eisdem dictam talem mulierem de suo tripede pignorare, de talique & alio vili questu, quem sub umbra ribaldia, goliarata seu Buffonia hujusmodi, à simplicibus mulieribus, licèt probis, ac in tabernis, quas frequentabat & alias inhonestè petebat & procurabat sibi dari, vivebat, die quâdam venit ad Colam prædictam & econtra veritatem imponens, quòd ipsa cum alio, quàm viro, accubuerat, petit ab ea quinque solidos hâc occasione sibi. alioqui pro eis ipsam pignoraret de suo tripede, ut dicebat. Anno* 1380. *mens. Aprili post Pascha.* Vocis origo incerta: quidam à *Baud* Angl. i. e. Leno; alii à Germ. *Raub*, i. e. præda; alii aliunde arcessunt, vide Octav. Ferrarium *de Orig. Ital.* & præfatum Car. du Fresne *d. l.* ubi genus quoque vehiculi *Ribaud* appellari cuidam Scriptori Gallico, adnotat.

RIBADENEIRA Petrus, Toletanus, A. C. 1540. ad Societatem Jesu tunc nascentem Romæ puer adductus & ab Ignatio Lojola, Societatis fundatore admissus, ei semper charissimus fuit. In Societate hac multis & magnis perfunctis laboribus, *Catalogum Scriptorum ejus illustrium* ad finem perduxit, A. C. 1607. extinctus A. C. 1611. religion. 71. ætat. 84. Scripsit præterea alia multa, de quibus vide Catalogum ejus sub finem. Paul. Frerus *Theatrò Viror. eruditione clarorum.*

RIBBETIUS Philippus. vide *Philippus*.

RIBEAUPIERRE, nomen illustris in Alsatia Familiæ haud pridem extinctæ, quæ German. *Rappolstein*, Latinè *Roch-Spoletana* dicta est, vide Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in Ind.* suprà voce *Rappolsteinium*.

RIBERA Franciscus, Hispanus, patriâ Villacastinensis in Castella, Soc. Jesu, ut vocant, Theologus inter suos insignis. Obiit Romæ, A. C. 1591. ætat. 57. Ejus extant: de *Templo*, aut *ad Templum pertinentibus libri* 5. *Commentar. in XII. Proph. min. In eosdem Hist. selectiores: Comm. in Johann. in ad Hebr.* ad cujus *c.* 5. *v.* 5. cùm pervenisset, morte præventus est, reliquumque à Fratribus suppletum, Possevin Vide Guil. Crowæum *Elencho Script. in S. Scripturam*, ubi & *Commentar. in Apoc.* ab eodem Auctore editi, meminit. *Vir fuit egregiè doctus & pius, ingeniò excellenti, judiciò acri, tenaci memoriâ, S. Patrum lectione atque observatione instructus; singulari modestiâ, animi candore, cœterisque Virtutibus commendatus*, Alegambis Bruxellensis *Bibl. Script. Soc. Jesu.* Cœterùm *Ribera*, familia illustris, è Gallicia oriunda, à Ramiro, ultimo Overensi ac Legionensi Rege per masculos descendere gloriatur. In qua Ruis Lopezius de *Ribera*, meritis sub Alphonsò ultimo, inclaruit: filius autem Perafanus I. *Adelantado*, i. e. *Judex major*, Andalusiæ fuit. Eundem honorem filius Didacus Gomesius & nepos Parafanus II. gessère: hic verò *Comit. de los Molares* titulum prioribus adjecit, pater Beatricis & Catharinæ, quæ Petro Henriquezio Dn. *de Tarifa* nuptæ, successionem & nomen *Riberarum* Henriqueziis intulerunt, qui & retinuère hæc decora & Duc. *Alcala* ac March. *de Tarifa* & *Villanova*, dignitate auxère. Sed & præter præcipuam hanc lineam, Perafani I. præfati filii etiam ac Did. Gomesii fratres fuère, Rodericus (è cujus posteris Perafanus Comes *de la Torre* creatus est) Consalvus *Marqmo* & Mich. Lopezius, singuli peculiarium linearum Auctores: Inprimis *Payo* sive Paganus *de Ribera* Dn. *de Malpica* & *Valdipusa* atque Marescallus Castellæ. Verùm cùm hujus filii prole carerent, per filiam Aldonciam successio & nomen *Ribera* ad Barrosios translatum est, namque Petro Gomesio nuptam; cujus posteritas hucusque duravit, nomine Marchion. *de Malpica* impetratò. Imò & præter hosce, Marchiones de Monte majore familiæ *de Sylva*, nomen *Riberarum* gentili sub adjicere solent, ob matrimonium Joh. I. C. *Cifuentes* & Agnetis *Ribera*. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatr. Nob. Eur. part.* 2. *ubi Balthasaris Comit. de Navamoraz, Catharina, Maria & Agnetis Germanorum, nominis de Ribera Barroso,* γενεαλογίαν *exhibet.*

RIBODIMONS, locus Galliæ in diœcesi Laudunensi, Monasterio Abbatiali insignis, vulgò *Ribemont*: estque castrum ad Isaram, inter Faram & Gusiam situm, pontem habens amni impositum. Anselmus *de Ribodi Monte*, insignis inter Galliæ Proceres, Hierosolymam A. C. 1096. profectus, obiit in obsidione castri Archæ. Loco mons, in quo situs est, nomen dedit, & *Ribodus*, qui illum possedit. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RIBUARIUS, pagus Campaniæ Gallicæ in territorio Rhemensi, ad Ruram fluv. nunc *Ribemont*.

RICA, Festo *palliolum est, ad usum capitis factum*: quasi *parvum ricinium ad caput velandum*. Jac. Oiselius *Not. ad A. Gellii*, *l.* 6. *c.* 10. *de Euclide verba hæc. Tunicâ longâ muliebri indutus & palliò versicolore amictus, & caput* Ricâ *velatus, è domò suâ Megaris Athenas ad Socratem commeabat.* Ejusdem meminit, in catalogo vestium sequioris sexus, Plautus, *Epid. Actu* 2. *Sc.* 2. *v.* 48.

Supparum, aut Subminiam, Ricam, *Basilicum aut Exoticum.*

Ubi Ferrarius ista habet, *de Re Vestiar. part. I. l.* 3. *c.* 20. *De Rica hæc Nonius, Rica est, quod nos sudarium dicimus: Novius Pedio, Mollicinam crocotam, chiridotam Ricam, ricinium Lucil. Sat. l.* 2. *Ricini aurati, Rica & oraria mitra. Turpilius Etera, Ducis me secum, postquam ad ædem venimus, veneratur Deos: Intereà aspexit Virginem, injectam in capite Riculam indutam ostrinam. Pius in libris suis,* pro Injectam Instantem *repperit & pro* Ostrina, Mustelinam, *Varro Prometheo l.* 1. *Alia mitram ricinam aut mitram Melitensem. Festus vestimentum quadratum & fimbriatum interpretatur, quò Flaminica pro palliolo utebantur. Varro de L. L. l.* 4. *à ritu dictam vult, quòd Romanò ritu sacrificium fœmina cùm faciunt, capita velant.* Ad quæ Varronis verba facit, quòd Romanos omnibus Diis, Saturnò, Honore ac Hercule exceptis, apertò capite sacrificâsse docet Plut. *Quæst. Rom.* 11. & 13. unde tutuli, apicesque sacrificantium tegmina: de fœminis in specie, Propert. *l.* 2. *Eleg.* 28. *v.* 44.

Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta jacebit.

Gravius muliebre cingulum capitis fuisse ait, quò pro vitta Flaminica utebatur. A. Gellius, *l. 10. c. 15.* ubi de Flaminica, *Et quòd in* Rica *surculum de arbore felici habet.* Idem cum Flammeo facit Thom. Dempsterus, *in Rosin. l. 5. c. 37.* nixus auctoritate Cæs. Germanici *in Aratæis*, de Virgine dicentis;

——— *Tristesque genas abscondit* Rica:

Licetus quoque *Recam* vocat, & cum *Ricinio* confundit, vide hic *infrà*, ut & Salmas. qui *Ricam Flammeum*, *Venenatum*, *Tufam*, synonyma facit *Not. ad Vopiscum in Aurel. c. 45.*

RICCIACUM, vicus Lotharingiæ, haud procul à Mosella fluv. & ab oppido Sirco, 21. mill. pass. supra Treviros in Boream, 7. à Sirco in Ortum. Cluverius, *Riczingen*.

RICCIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

RICCIUS Paulus, vide *Paulus*.

RICH Johannes, è familia nobilissima, Consul Basiliensis, A. C. 1421. pacis bellique temporibus strenuam Reip. navavit operam. Aurantium Principem Burgundionum, Suntgoviæ imminentem, cum tribus Basiliensium millibus, in gratiam Catharinæ Burgundicæ, Leopoldi Austrii viduæ, fortiter repressit A. C. 1424. Obiit A. C. 1448. Christ. Urstisius, *Hist. Basil.*

Angliæ Reges, aliique Viri-Principes.

RICHARDUS I. Angliæ Rex, *Cor Leonis* dictus, erat quoque Comes Pictaviensis & 4. hujus nominis Normanniæ Dux, fil. Henrici II. ei successit, A. C. 1189. præmortuò fratre majore Henricò, A. C. 1183. cum Philippo Augusto Francorum rege sæpius bellum, pacemque fecit; aliquando verò ex fœdere in Asiam cum eo profectus, cùm non satis se ei fidum præstaret, meritò suspectus, regem optimum naves conscendere coëgit. Ipse autem post captam Cyprum, & victum Saladinum A. C. 1192. rediens, tempestate in Austriam delatus, ibi à Leopoldo duce, quem in obsidione Acræ offenderat, captus est, diuque in vinculis habitus, vixque tandem pecuniâ numeratâ dimissus, A. C. 1194. ab Henrico Imperatore æmulo ejus. Dein cum Philippo rem iterum habuit, quòd Normanniam invasisset, illumque vicit: Episcopum quoque Belluacensem cepit, Papæ eum reposcenti loricâ missâ, cum dicto: *Vide an tunica filii sit tui!* Tandem in obsidione castelli cujusdam in Lemovicibus, induciis factis, Ducem Aquitaniæ oppugnans, ex vulnere, obiit A. C. 1199. Alii dicunt, illum thesauri cujusdam potiundi spe hoc castrum aggressum esse. Ei successit Johannes sine Terris, frater Paul. Æmil. *l. 6.* Matth. Paris. *in Hist. Angl.* Polydor. *l. 14.* Duchesn. *Hist. Angl.*

RICHARDUS II. Angliæ Rex, A. C. 1377. filius Eduardi Walliæ Principis, successit Avo Eduardo III. Turbas, se per ætatem adhuc infirmiore, exortas sedavit, bellò Gallis illatò, quòd in inducias sæpius mutatum. Felix contra Scotos, Hiberniam captis quatuor Regulis sibi subjecit, seditione ingenti, ob nimias exactiones, vexatus: Thomam Glocestriæ Ducem, patruum, sibi insidias parantem, strangulari jussit, A. C. 1397. complicesque ejus Comites Arundelium & Warvicensem, illum vitâ, hunc libertate mulctavit. Henricum Joh. Lancastrii alterius patrui filium, ob quædam in sedicta, bonis fisco adjudicatis, in exilium conjecit: qui à Baronibus paulò pòst revocatus, Richardum captum fame, in abundantia, enecuit: ejus locò coronatus. A. C. 1399. ætat. 33. regni 22. Decessit improlis. Polydor. Virg. *Hist. l. 20. & 21.*

RICHARDUS III. Dux Glocestriæ, filius Richardi, Ducis Eboracens. occisi sub Henrico VI. & Eduardo IV. Anglorum regnum, quod dolò adeptus est, fratris Eduardi IV. filiis, Eduardò V. & Richardò trucidatis, eâdem pene fortunâ amisit, victus, interfectusque ab Henrico Richmondiæ Comite, A. C. 1485. qui nomine Henrici VII. sumptò successit. Thomas Morus, *Hist. Rich. 3.*

RICHARDUS, Romanorum Rex, Comes Cornubiæ, filius Johannis Sine-Terris, Angliæ Regis, itinere in Syriam susceptò A. C. 1240. infelix, postquam & in Aquitania priùs victus esset. Contra fratrem Henricum III. insurgens, remotis incentoribus, coërcitus est. A quibusdam, cùm Pontifex Conradinum, Conradi fil. eligi prohiberet, Romanorum Rex creatus, A. C. 1257. & coronatus Aquisgrani, Urbes Imperii oppigneratas redemit: Sed Alphonsum X. ab aliis electum hostem expertus, dilapidatis opibus, cùm sibi ob exercitam crudelitatem timeret, in Angliam rediit. Ingeniò pollens, & poëseos non rudis erat. Ex Sanctia, filia Raimundi Berengarii V. Comit. Provinciæ, pater Eduardi & Henrici, quem Guido Montfortius, Viterbii, cùm ex Oriente rediret, interfecit. Matt. Paris. *in Henr. 3.* Duchesn. *Hist. Angl.* Nostradam. *de Poët. Provinc.*

RICHARDUS, Walliæ Princeps, & Aquitaniæ dux, Anglorum regis Eduardi fil. vir bellò clarissimus, multis egregiis victoriis celebratus, inter quas ea nobilissima fuit, quâ Joannem Franciæ regem cepit; periit Burdigalæ aquâ intercuti diu vexatus.

Normanniæ Duces. &c.

RICHARDUS I. Normanniæ Dux Senior dictus, pater Guilielmi I. Obiit A. C. 1002. Pietate & fortitudine inclytus.

RICHARDUS II. Intrepidus. Patri Richardo I. successit, usque ad A. C. 1026. Ex Judita filia Conani, & sorore Godofredi Comitis Britanniæ, natus illi est.

RICHARDUS III. qui venenò propinatò, obiit. Vide Auctores Normanniæ, à Duchesnio editos.

RICHARDUS, cognomine Justitiarius, Burgundiæ Dux, Comes Augustodunens. filius Bovonis, frater Bosonis, qui ipsi has

terras concessit, in quarum possessione ab Hugone Abbate defensus est. Pro Carolo Simplice cepit Senonum urbem, A. C. 896. priùs A. C. 888. Normannis victis, ut & 911. cum Roberto, fratre Regis Eudis. Obiit A. C. 921. Ex Adelaide, filia Conradi II. Comitis Parisini, pater Rodolphi, qui Galliæ Rex coronatus est, &c. Flodoard. *in Chron. Duchesn. Sammartan. Mezeray*, &c.

RICHARDUS, liber Baro à Strein, scriptor *antiquitatum Roman.* seculò præteritò.

Viri Illustres.

RICHARDUS Armachanus, Archiepiscopus Primas Hiberniæ: Dictus quoque Titz-Rafe. quasi Filius Rodolphi. Oxoniensem Universitatem, cujus Cancellarius erat, contra Fratres Mendicantes tuitus, horum odium in se concitavit: ab iis coram Innocentio IV. Avenione tum sedente accusatus comparuit, sed videns præoccupatò Pontifice se condemnatum iri, in patriam Hiberniam reversurus, obiit in via, A. C. 1359. Scripsit *Defensionem Curatorum*, *adversus Mendicantes*, *Volumen contra Armenios*, &c. In casu necessitatis statuens, Presbyterum simplicem Episcopali munere defungi posse, à quibusdam pro hæretico habitus est. Harpsfeld. *in Hist. Eccl. Angl. Secul. 14. c. 28.* Baleus, *de Script. M. Britanniæ*, *&c.*

RICHARDUS Barbesius, Poëta & Mathematicus, A. C. 1383. Nostradam. *de Poët. Provinc.*

RICHARDUS Burius, vel Aungervillanus, Anglus, Benedictinus, Cancellarius Eduardi III. Episcopus tandem Durhamius: pietate & eruditione inter suos clarus, Mæcenas literatorum, liberalitatis suæ rivos in omnes Angliæ Academias deduxit. Bibliothecæ consummatæ colligendæ cupidus, *Philobiblon* edidit. Scripsit alia quoque cum *volumine epistol.* è quibus ejus cum Petrarcha commercium clarissimè elucet, An. 1349. Pitseus *de Ill. Angl. Scriptor.*

RICHARDUS Fournivalius, Cancellarius Ambianus, scriptis inclytus. Claud. Fauchetus, &c. A. C. 1250.

RICHARDUS de Hampolo, seu Rollus, Anglus. Scripsit in secessu suo, dicto *Hampoll*, in diœcesi Eboracensi, *in Hiobum*, *Psalmos*, &c. Obiit A. C. 1349. Sixtus Senens. *in Biblioth. S.* Pitseus & Baleus *de Ill. Angl. Scriptoribus.*

RICHARDUS Midletonus, Franciscanus Anglus, *Doctor solidus & copiosus*, *fundatissimus & authoratus* dictus. Doctrinam Petri Johannis, tanquam Orthodoxiæ contrariam, condemnavit. Scripsit *in Evangelia*, *in epistolas Paulinas*, *Magistrum Sententiarum* &c. Obiit in Anglia A. C. 1300. Baleus, Dempsterus, Pitseus, Wading. *in Annal. & Bibl. Minor.* Henr. Willotus, *Athen. Angl.*

RICHARDUS de S. Victore, Scotus, Prior Canonicorum Regular. S. Augustini, in Abbatia S. Victoris, prope Lutetiam. Obiit A. C. 1174. Scriptis inclytus, quæ prodierunt Venetiis A. C. 1592. Coloniæ A. C. 1621. & Rothomagi, A. C. 1650. cum vita illius, conscripta à Johanne Tholosano. Morerius, *in Dict. Hist.* Plurimos alios hôc nomine insignes, vide apud *Baleum*, *Pitseum*, *Walsinghamum*, *Bucholcer. Wareum*, *Harpsfeldium*, *Gesnerum*, *Possevinum*, &c.

RICHELEUM, seu RICOLOCUS, urbs nova & culta, in provinc. Pictavensi, cum arce splendidissima, & titulo Ducatus à Cardinale Richelio excitata. Vix 1. leuc. à limite Turoniæ, 4. à Loduno in Ortum, 5. à Mirabello in Boream, 11. à Cæsaroduno Turonum in Africum.

RICHELIUS Bernardus, inter primos Basiliensium typographos, excudit A. C. 1478. Hugonis Cardinal. *postillam grandem*, *Bergomum super Thomam Aquinatem*, &c. Christ. Urstisius *Histor. Basiliens.*

RICHENSIS, lacus parvus Argoviæ, ad cujus caput locus est *Baldeck* dictus: Ubi effluit per rivum *Aa*, jacet vicus *Richensee*, unde lacui nomen, jungiturque majori lacui Hallvilensi, ab oppid. *Hallwyl*, quod ad effluxum fluv. *Aa* situm est, dicto. Joh. Bapt. Plantinus, *Helv. nov. antiq.*

RICHERIUS, vide *Petrus Richerius*.

RICHERUS Johannes, vide *Johannes*.

RICHINUS, cognomen Fulconis Comitis Andegavensis, apud Wilhelm. Malmesburiensem, *l. 3.* Vide suprà *Rechinus*.

RICHMONDIA, oppidum Angliæ Borealis cum titulo Ducatus ad fluvium *Swale*, in provinc. Eborac. & limite Dunelmensi, 30. milliar. Anglic. ab Eboraico in Circium, 45. à Carleolo in Eurum, 18. à Dunelmo in Meridem. Hic secessus regius, in quo Elisabetha Angliæ Regina obiit, sub initium hujus seculi, de qua sic celeberrimus Grotius, *Epigrammatum l. 1.*

In Ricemontano jam jam moritura cubili,
His adiit votis Elisabetha Deum.
Heredi moresque suos, mentemque relinque,
Fortunam atque annos da Pater alme meos!

Hinc nomen quoque familiæ Ricemontanæ, è qua Henricus Richardo III. successit, Septimus cognominatus. Vide suprà in *Richardus III.*

RICHTANIS, summus incolarum Novæ Angliæ in America Deus; à quo Increato & Invisibili, tum cæteros Deos, tum cœlum, terram & mare, omniaque quæ istis continentur, condita credunt. Rich. Waitborn, *Descript. Nov. Angliæ*, *Part. 1. c. 4.*

RICHTERUS Christophorus, vide *Christophorus*.

RICI Homines, dicti apud Aragonenses præcipuæ nobilitatis Proceres, quos *Barones* alii vocant. Vitalis Episcop. Oscensis, *Barones*---*qui etiam* Rici, *i. e. Divites sunt vocati. Horum talis est conditio. Quòd quàm citò aliquis Mesnadarius à Domino Rege bonorem*

fuerit

fuerit confectus, ad numerum Militum sustentandum, Ricus homo sit postea sive Baro. Gall. *Riches hommes*; in *LL.* Edwardi Confessoris, *c.* 19. *Divites*, appellantur. Nominis origo à Septentrionalibus Populis, qui illustrium virorum nominibus syllabam *ric* vel *rich* adnectere consueverunt, ut *Alaricus*, *Henmericus*, *Theodoricus* &c. quæ nonnullis *fortem*, aliis *divitem*, notat. Hodièque certè *Reich* Germanis *divitem*, item *regnum* notat. Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque suprà *Mesradarius*.

RICINIATI planipedes, Mimi *Festo*; qui *Palliati* dicuntur in *Gloss. palliati* εἰχαλόγοι. Sic *Jovem palliatum* uno loco dixit Arnobius, quem aliò *riciniatum* appellavit. Nempe *Ricinium* vel *Ricinum*, toga erat seu pallium muliebre, sub quo tunicam seu cycladem gestabant, & *pallium* quidem dicebatur, quòd esset quadratum; toga verò quòd in modum togæ à dextro latere in lævum humerum ponebatur: Origo vocis à *rica*, cum qua fermè idem sonat utrumque enim pallium erat, quò caput mulieres operiebant; nisi quòd *Rica* proprium gestamen Flaminicæ, quod & purpureum erat, atque etiam *flammeum* vocabatur, esset. Varro etiam aliis mulieribus tribuit, quas ea sacrificium cùm facerent, capita velare solitas scribit. *Ricinium* tamen id etiam & *Pallium* vocavêre Veteres quò nomine & pileos & mitras & diademata & sudaria & tiaras & capitis vincula & tænias & lora & fascias & quidquid est stringendo, alligando regendoque capiti & capillis colligandis stringendisque comis, eos comprehendisse, docet Salmas. *Not. ad Vopisc. in Aurel. c.* 45. Vide eundem *ad Tertullian. de Pallio*, & hic infrà.

RICINA, *Ptol. Ricnea*, Plin. *l.* 4. *c.* 16. *Riduna*. *Antonin.* insul. Albionis Scotiæ adjacens ad Occasum inter Ebudas. *Racline*, *Camdeno*. Aliis *Skye* contra Iris fluvii ostia. *Baudrando* hodie *Raglins*. insula Hiberniæ, in ora Borealis Ultoniæ, à quo angusto fretò distat. Cum castro è regione Comitatus Antrimensis, 8. milliar. à Robogdia promontor. in Occidentem. Quibusdam tamen inter Hebrides est.

RICINENSES, Populi in Piceno, Plin. *l.* 3. *c.* 13. quorum urbs *Helvia Ricina* fuit, vulgò *Recanati*, ut indicat inscriptio vetusta quæ Maceratæ asservatur.

RICINIUM, vel RECINIUM, tegmen capitis muliebris. Isidor. *l.* 19. *c.* 25. *Stola, Matronale operimentum, quod cooperto capite & scapula à dextro latere in Levum humerum mittitur. Stola Græcè, quòd superemittatur:* Ricinium *Latin. quòd dimidia ejus pars retro rejicitur, quod vulgò Mavortem dicunt.* Licetus *de Lucernis*, *l.* 6. *c.* 12. *Ricinium* cum *Reca* confundens. *Est autem*, inquit, *Ricinium sive Recinium vel etiam Reca. Varroni Festoque, vestis antiquissima quadrata, inde dicta, quod ejus mediam partem retrorsum jaciebant; hanc extitisse purpurei colore plerique statuunt, & innuit Cicero. Unde Reciniati Mimi.* Gesnerus in *Onomast. Reca, quadratum vestimentum, fimbriatum & purpureum, quo pro Palliolo sive vitta utebantur Flaminica. Alii dicunt, quòd ex lana fiebat succida alba, quod ingenuæ confecerint Virgines, patrimæ, matrimæ, cives & infecerunt cæruleo colore: ex Festo.* Vide quoque Voss. *de Vitiis Serm.* in voce *Mafurium*. Commune id Mulierum Roman. pallium fuisse, quidam colligunt ex Servio *ad Æn. illud l.* 1. *Gentemque togatam.* Sed Nonius *Ricinium*, modò *Palliolum breve* appellat, modò *Pallium quo Mulieres in adversis rebus & luctibus induebantur.* Idem *de Vita Pop. Rom. l.* 1. *Ex quo Mulieres*, inquit, *in adversis rebus ac luctibus, cùm omnem vestitum delicatiorem, ac luxuriosum postea institutum ponunt.* Ricinia *sumunt.* Imò nec Festi ætate, quid ea vox significaret, planè constabat. Ait enim *Recinium omne vestimentum quadratum ii, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt. Alii virilem togam, quà Mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo.* Ubi Ferrarius legi vult, *Alii togam quà Mulieres utebantur:* nec tamen improbat Lipsii conjecturam, qui *Ver.* legit, i. e. *Verrius togam esse vult.* In hac opinione ergo fuit Serv. *ad l. c. Recinium* fuisse togam, vel togæ simile; Nam ex eo & cycladum, quæ rotundæ erant, usu, à Mulieribus Togas olim gestatas ibi contendit: quòd si Recinium commune pallium fuisset, frustra ex usu Pallii Togæ usum demonstrâsset. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Vestiar. l.* 1. *c.* 25. In illis mortuos olim humari solitos legimus. Vestimenta namque cum mortuis condere vel urere consuevisse Veteres docet Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 221.

> *Purpureasque super vestes, velamina nota,*
> *Injiciunt.*

Et Suetonius. *in Cæs. c.* 84. *Scenici Artifices vestem, quam ex Instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi atque discissam, injecêre flammæ.* Quem sumtum sustulit Solon, nolens tribus plus vestibus. *Riciniis* dixêrunt Decemviri Rom. mortuum componi aut condi, *Μὴ ἐντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν*, *Plus tribus Riciniis mortuum ne humato:* quam Legem in suas Tabulas Decemviri retulerunt teste Cicer. *l. de LL.* ubi Jac. Ravardum, Hadr. Turnebum, Junium *in Nomencl.* Alios, per *Ricinia*, intelligentes vestes lugubres, quibus Mulieres in funeribus uterentur, refellit Justus Lipsius *Epist. Quæst. l.* 4. *Epist.* 7. quem vide.

RICINUS, seu *Kiki* frutex est æstivus, frigoris impatiens, succrescit quotannis ex grano cinericeo in rufum declivo, mense Aprili; id caninum insectum rotunditate & crassitie refert, etiam colore: hinc germinant bina rotundæ formæ coloris rufi foliola. in medio consurgit caulis altus & fragilis, cujus folia superiùs maxima sunt & latissima, instar pedis anserini, septenis, plerunque etiam novenis partibus, quas folia diceres, nisi cohærerent, ex uno pediculo propendentibus, adeò ut exterior una sit maxima, proximiores verò minores, &, quæ caulem spectant, minimæ. Eriguntur ex sponte ad excipiendam pluviam vel solem, omnia serrata dentibus. Caulis albicat & fuscatur, non rarò duodenûm & quindenûm pedum; emittit alios caules, qui in cacumen sterile desinunt, dum flos & luteus & ruber ex gemma prodit; cauli affixa. Horum prior decidit; posterior generat grana aculeata triangularia: quæ ubi maturuêre, dissilit folliculus & illa decidunt; caulis verò quantuscunque cum universa disperit substantia. Ex iis granis Sacerdotes Ægyptii oleum exprimebant, aliò uti nefas habentes: Et quidem inde nostris illatus frutex hortis videtur. Auctor Anonymus *Sina & Eur. c.* 32. Cum *Kikajon* Jonæ idem Eruditis. Sed & *Ricinus*, apud Plinium, *l.* 11. *c.* 34. *Est animal ejusdem* (cum pediculis) *turpitudinis, infixo semper sanguini capite vivens, atque ita intumescens, unum animalium, cui cibi non sit exitus: dehiscitque nimià satietate, alimento ipso moriens. Nunquam in jumentis gignitur, in bubus frequens, in canibus aliquando, in quibus omnia: in ovibus & in capris hoc solum.* Græcè ὁ κρότων; de quo, ut & aliis hujus furfuris animalculis, quæ omnia sub Hebr. nomine כנים *cinnim* comprehendi ait, disserit clariss. Bochartus, *Hieroz. Part. poster. l.* 4. *c.* 18.

RICOBONUS Antonius, Rhodiginus, Pauli Manutii, Car. Sigonii, & Ant. Mureti discipulus, adhuc juvenis admodùm summo cum plausu in patria docuit, *Commentariosque Historiæ suæ*, cum *Fragmentis veterum Historicorum* edidit, An. ætat. 28. Inde Patavium vocatus, post obitum Robortelli, Eloquentiam ibi professus est, per annos 30. Obiit A. C. 1599. ætat. 58. inter Scaligeri inimicos, ab hoc proin *porci Ricoboni* convitio passim aspersus. Edidit complura, quorum catalogum habes in *Elogiis* Anton. Teissier *Part.* 2. Vide quoque Pac. Phil. Thomam, *Elog.*

RICOMAGUM, vel US, oppid. in colle amplum vetustum & præclarum Galliæ Aquitanicæ in finibus Arvernorum; Amabilem, *S. Amable* patronum habet. Patria Jacobi Sirmondi, antiquitatis peritissimi, Sirmondi Poetæ & Amabilis Burzæi, viri doctrinà clarissimi. Et hic *Ricomagus* quidem in inferiore Arvernia est, vel in Lemane: at alter ejusdem nominis vicus est in superiore Arvernia, vel in Cebennis montibus, Gall. *Riom de Montagnes*. Nomen est Gallicum vetus, ditem mansionem significans: *Ricus* enim dives Gallis fuit. *Magus* mansio. Prior distat 2. leuc. à Claromonte in Boream; *Riom. Vales. Duchesn. Antiq. Urb.*

RICTARE, leopardorum est, apud Spartian. in *Geta*, *c.* 5. à *rictu*; Est autem *rictus* propriè ea oris conformatio, quà labia diducuntur, ut solent fictè ridentes aut verè ringentes, quod Græci dicunt σεσηρέναι τοὺς ὀδόντας, quod canes irritatæ faciunt. Hinc & pro *labiis* ipsis & pro toto ore *rictus* usurpatus est, quod in bestiis φάρυγξ. Solinus, *c.* 4. ubi de herba Sardonia, *Huic incommodo accedit & herba Sardonia, quæ in defluviis fontaneis provenit justò largiùs. Ea si edulio fuerit nescientibus, nervos contrahit, rictu diducit ora, ut qui mortem oppetunt, facie ridentium intereant*, vide Salmas. *ad Solin. p.* 163. Sic de eadem herba Sallustius, *hominum* rictus *dolore contrahit.* Ubi *rictus* pro labiis est, quæ esu Sardoniæ contrahuntur. Dioscorides. *Καὶ σπάσματα τῶν χειλῶν* &c. *Ibid.*

RICULFUS, Archiepiscopus Moguntinus, gente Hispanus, Carolo M. pergratus. Ex Hispania novum volumen Iuris Canonici attulit, illudque cum laude interpretatus est. &c. Obiit A. C. 814. Alcuin. *epist.* 41. *Hincmar. Remens.* &c. Vide Serarium, *in Hist. Mogunt.*

RIDICULUS Deus, meliùs *Rediculus*. vide ibi.

RIETBERGA, castrum Frisiæ, sub proprio Comite è stirpe Comitum *Ost-frisiæ* seu *Frisiæ Orientalis*. Edsardo enim II. cùm duo essent filii, Frisiæ linea in duos ramos abiit & quidem ipsa *Frisiæ* lineæ propagatorem habuit Ennonem III. *Rietbergius* verò ramus, auctore Joanne cœpit. Qui genitus Patri ex Catharina Suecica (filia Gustavi Regis *Comes Rietbergæ & Ostfrisiæ* dictus. Sabinam Catharinam Frisiam agnatam sibi junxit, atque ex ea suscepit Joannam, cum fratribus ejus & sororibus. Hic ex Anna Catharina Comite Solmæ & Reiferscheidii, genuit Mariam Leopoldinam Catharinam (Canonicam) Fridericum Wilhelmum, Franc. Adolfum Wilhelmum Canonicum Coloniensem & Argentinensem, nec non Paterbornensem & Osnabrugensem, Ferdinandum Maximilianum natum A. C. 1613. Canonicum Coloniensem & Argentinens. & Bernardinam Sophiam, omnes *Comites Frisiæ & Rietbergæ*. Phil. Jac. Spenerus, *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 107. & *Part.* 3. *p.* 87.

RIEZIUS Petrus, vide *Petrus*.

RIFFO, in *Charta* vetere A. C. 1195. apud Nic. Chorserium, Carolo du Fresne laudatum, monetæ species est, quorum 100. 7. libræ ei confecisse videntur, vide eum *in Glossar.* ubi *Ruffonem* fortè legendum, & hanc monetam Monasterii S. Ruffi Valentiæ Cavarum fuisse, conjicere se, addit.

RIGA, urbs Hanzeatica, permunita & ampla, primaria totius Livoniæ: Olim Magistri Equitum Livoniæ sedes, & Archiepiscopalis, in planitie sita cum portu capaci, ad fluvium Dunam, qui paulo infrà se in sinum Rigensem & mare Balticum, exonerat. In ipso limite Curlandiæ. Colonia hæc Bremensium est, murò fortissimò, propugnaculis, turribus & bellicis tormentis, contra omnem vim instructa, fossis insuper duplicibus & acutis stipitibus munita: estque Emporium celebre, unde navibus onerariis multæ merces transvehuntur. *Merul.* & *Mercator*, 7. leuc. Suecic. à Mittavia in Boream, 29. à Revalia in Meridiem, 25. infra Duneburgum in Occasum, 45. à Regiomonte in Cæciam, 40. milliar. Germanic. à Vilna. Frustra à Carolo IX. Sueciæ Rege tentata, sed fortiter à filio ejus Gustavo Adolpho capta. Haud pridem à Moscis obsessa, sed magna ipsorum strage. Sedem Episcopalem hic Minardus. Livoniâ ad fidem perductâ, erexit, A. C. 1190. Calendarium Gregor. cives cùm recipere nollent, A. C. 1585. iratus illis Stephanus Rex in morbum incidit lethalem. Vide Thuan. *l.* 84.

RIGA, apud Marculfum, *Formul. l.* 3. *c.* 36. liber in quo tributa notabantur, à German. *Rige*. Dominic. Macer. *in Hierolex.*

RIGABELLUM, apud eundem, instrumentum est Musicum, cujus in Ædibus sacris, antequàm organa Italis omninò familiaria essent, usus erat. Vide Sansovinum, *in Descript. Venet.* 2. *edit. p.* 170.

RIGALTIUS Nicolaus. vide *Nicolaus*.

RIGENSIS Sinus, aliàs *Chilipenus*, pars est maris Baltici inter

Livoniam & Gurlandiam excurrens; clauditur ferè Osilia & Dagho insulis Suecici juris.

RIGETIUS, vel RIHETIUS saltus, *la Forest de Reuse*, sylva Galliæ in Campania Remensi, memoratur Frodoardo, *Histor. Rem. l. 1. c. 3.* ubi de S. Basolo scribens, *In vico*, inquit, *Virisiaco, ad radices montis Remorum, quem nemus inde incipiens obumbrat, Rigetium.* Ubi *Virisiacum* est *Verzy* ad sylvam *Rigetiam* in planicie: à quò non procul abest Monasterium S. Basoli *S. Basle*, in monte. Hadr. Vales. in voce *Virisiacum.*

RIGIACUM, Atrebatum civitas, *Ptol.* vulgò *Arras.* Corruptè pro *Origiacum*, teste *Ferrarii.*

RIGMUNDIA. Vide ANDREAPOLIS.

RIGODULUM, pagus Trevirensium ad Mosellam, vulgò *Rigol*, vel *Reole*, Valentini Treviri clade illustris. Item *Rigodulum* apud Confluentes ab *Ammiano* memoratur. Hic Julianus Imperator pacem cum Francis iniit, teste eôdem *Ammianô.* Colerus mallet *Rigolodunum* legere. Tacit. *Histor. l. 4. c. 71. Rigodulum montibus aut Mosellâ amne septum;* in Treviris commemorat: cujus loci situm ita describit Amm. Marcellin. *L... Apud Confluentes, locum ita cognominatum, ubi Mosella confunditur Rheno*, Rigodulum *oppidum est.* Nunc vicus est è regione Palatii *Pfaltz*, nihil *præter* nomen antiquum servans: *Rigol* enim aut si *Browero* fides, *Reoll* nuncupatur. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RIGODUNUM, oppid. Angliæ in Comitatu Eboracensi, vulgò *Richmond.* Aliis *Rippon* dicitur. *Camdeno* autem est *Ribchester* in Comitatu Lancastrensi. Vide *Bremetonacum*, & *Rhigodunum.*

RIGOMAGUS, in *tabul. Theodos.* ponitur inter Bonnam & Autunnacum, à Bonna 8. ab Autunnaco totidem milliar. distans. Item, inter Ticinum & Taurinos, illinc 69. hinc 38. milliar. dissitus. Est etiam civitas *Ricomagensis*, in provinc. Alpium Maritima tertium locum obtinens: & vicus *Ricomagensis*, in Arvernis. Viculus *Rigemach* inter Confluentiam & Coloniam Bernardo Claravallensi, *l. rer. memor.* vocatus, noster *Rigomagus* est in provinc. Germaniæ secund. hodieque *Rimagen*, aliàs *Rhinmegen*, & *Remmegen*, Bonnæ proximus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & suprà in *Ricomagum.*

RIGOMAGUS, oppid. seu castrum Cisalpinæ in finibus Ligurum, *Amm. Marcellin.* vulgò *Rinc.* An *Rio*, vel *Regen*, locus ad Isoletum, qui in Druentiam effluit, haud procul Sanitio?

RIGOR, apud *Frontinum*, *Hyginum*, alios veteres Agrimensores, propriè dicitur, quidquid inter duo signa rectum perspicitur. Signum autem aut capiebatur longinquo conspectui oblatum, vel arbor vel saxum, vel aliquid tale eminens, vel manu ponebatur. *Hero*, τὸ λαμβανόμενον σημεῖον, Galli hodie *Jaiones* vocant. At metæ in uno *rigore* si fortè plures dictabantur, *rigor ipse* dicebatur *dictari* &c. Hinc *Rigoris incessus*, apud eosdem Auctores. Dicuntur verò *incedere limites seu rigores*, qui recturâ suâ pergunt. Arcerii liber vetus. *Cujus* rigoris incessum, *ut fit in contrario, æquè adplicitâ ante lineâ ad capitulum pertica, æqualiter ad perpendiculum cultellare debemus.* Ait nempe, rigoris illius incessum, qui per vallem positis metis dictatur, æqualiter ad perpendiculum esse cultellandum, adplicitâ antè lineâ ad capitulum perticæ: quæ linea funiculus est, quò perpendi rigor consuevit & ad perpendiculum cultellari &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 680. & *seqq.*

RIGORDUS, Rigoldus, vel Rigotus, Clericus vel Monachus S. Dionysii in Gallia, Medicus Philippi Augusti, *cujus historiam* condidit, Gente Aquitanus.

RIGUA, apud *Plin.* Latinis illud propriè irrigationis genus, quod ἀρδείαν Græci vocant. Ὑδρεία enim, i. e. *aquatio*, in arborum cultu, generale nomen est, comprehendens τὸν βροχὴν καὶ τὴν ἀρδείαν. Illa propriè aspersio est & affusio aquæ ex alto; unde βρέχεσθαι, quæ deciduâ aquâ conspergantur. Phædrus, *l. 2. Fab. 5. v. 13.*

Alveolo cœpit ligneo conspergere
Humum æstuantem.

Ἀρδεία verò significat eam aquationem, quæ rivis factis ducitur: Quæ enim plantæ aquâ ductâ per rivos, è fluvio vel ex fonte rigabantur, ἀρδεύεσθαι Græcis, non βρέχεσθαι dicuntur. Virg. *Ecl. 3. v. ult.*

Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

Cujusmodi rigationem quæ rivô & sulcô fit, etiam ποτισμὸν Græci dicunt: *Glossa, Riguus*, ἐκποτιστος, ὑδρηλὸς &c. Hinc *Rigua Nili*, eidem *Plinio*, sunt rivi & διώρυγες è Nilo ductæ: & *rigua aquæ dulcis*, apud eund. derivationes ex aqua dulci. *Rigua* porrò Græcis τὰ ἐπίῤῥυτα, τὰ ἐποχετευόμενα. Non solùm autem *Riguus locus* dicitur, qui rigatur; sed etiam *riguus amnis* vel *rivus*, qui rigat. Hinc *aqua irrigua* Ovidio, *l. 2. Amor. El. 16. v. 2.* & *irriguus hortus* Horatio, *l. 2. Serm. Sat. 4. v. 16.* Virgilius iterum, *l. 2. Georg. v. 485.*

Arva mihi & rigui placeant in vallibus amnes.

Et *rigua*, οἱ ὀχετοὶ & rivi, qui inducuntur. Idem Plin. *l. 17. c. 27. In eodem agro brumâ tanto magis, si nives jaceant gelentve, ne frigus vites adurat, circumfundunt riguis, quod ibi trepidare vocant, memorabili naturâ in amne: fovet idem æstate vim tolerandi rigoris* &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 588. & infrà in voce *Rosa.*

RIGULIACUM, villa Galliæ, ad Axonam, in pago Vongensi, vulgò *Rilly*, à Vongo *Vouzi*, capite pagi Vongensis 2. leuc. distans, ... *Von* dicto opposita, inter Condate & Attiniacum: nunc pago Reitestino attribuitur. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RIGUSA, oppid. Hispaniæ Tarraconens. in Nova Castella inter Toletum, & Mantuam, *Orgaz* ex *tabul. recentior.*

RIMARI, aratorum verbum, qui terram aratrò & castrò rimantur. Virg. *Georgic. l. 3. v. 534.*

Ergo ægrè rastris terram rimantur. ———

Ubi Servius, *rimantur, i. e. in rimas agunt.* Hinc ad arcana translatum, *rimari* est perscrutari. Quò pertinet, quòd Samsonis verba, Judicum, *c. 14. v. 18. Nisi arâssetis vitulâ meâ, ænigma meum non invenissetis;* Chaldæus Interpres ita reddit, *Nisi per uxorem meam rimati, aut scrutati essetis.* Dicere vult Samson, Philistæos arcanum suum, quasi sub terra latens, uxoris operâ eruisse, quemadmodùm aratores arvum, bovis arantis operâ *rimantur* scrutanturque. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. priore, l. 2. c. 41.*

RIMETHALCES, Rex Bospori. Jul. Capitolin. *in Ant. Pio. c. 9.*

RIMICIDA, cognomen Zacchæi, Arabum Principis, de quo vide suprà voce *Roam.*

RIMINALDI Johann. Maria, vide *Johannes Maria.*

Comites et Duces Geldriæ et Zutphaniæ, ex Famil. Nassovica.

RINALDUS I. primogenitus fil. Ottonis cognomine *Claudi*, qui obiit, A. C. 1271. ex Philippa seu Philippina (filia Comitis S. Pauli) *Bellicosi* cognomen meruit; quamvis gerendo bello promtior, quàm felicior. De Limburgensis ditionis hæreditate, quam matrimonii jure sibi vindicatum iit, cruentò bellò Joannem I. Brabantiæ Ducem excepit; à quo prælió superatus & unà cum Adolfo Nassoviæ Comite (qui posteà Imperator factus est) ac Sigfrido Archiepiscopo Coloniensi captus, belli præmiis victori cessit. Nec pater, quàm maritus aut Dux belli, fortunatior; à filio cognomine miserandâ captivitate detentus, sextò miseriæ domesticæ annô ibidem defunctus est. Cæterùm & Tielam vi expugnatam munitione cinxit, & Monasterium Zutphaniæ Prædicatorum ordini struxit. Idem privilegium cudendæ monetæ 3. in oppidis Arnhemii, Ruræmundæ & Hardervici, à Rodolfo I. Imperatore impetravit. Obiit A. C. 1326. regiminis 54. Pater ex Irmgarde (Valravii Limburgi Ducis filiâ) Margarethæ, (quæ Diederico X. Cliviæ Comiti nupsit) ex Margaretha verò, Guidonis Dampreti, Flandriæ Comitis filia, Guidonis, Philippi, *Rinaldi* II. Isabellæ (quæ primis nuptiis maritum habuit Adolfum Montium Comitem alteris Fridericum Pulchrum Romanum Imperatorem) & Philippæ, quæ Coloniæ Agrippinæ Monialium Ordini est adscripta.

RINALDUS II. cognomine *Rufus* seu *Niger*, prioris filius, atrox erga Parentem facinus variis virtutibus induxit; supra Majorum claritatem hinc evectus. Mutatò quippe *Comitis* nomine, *Geldriæ Dux* primus, magnô Procerum Germaniæ Conventu, Francofurti ad Mœnum salutatus est. Ad Hasseltam Leodienses Brabantis junctos acie vicit, paternæ cladis ignominiâ extinctâ. In literatos magnificus, Ædes sacras non paucas magnis impensis extruxit; obiit A. C. 1343. regiminis post obitum Patris 17. Primis nuptiis sibi junxerat Sophiam Florentii Bertholdi, postremi Machliniæ Dynastæ, filiam; è qua suscepti Margareta, quæ diversis maritis juncta sterilis mansit) Rinaldus III. Eduardus, qui & ipse regimen degustavit. Alteris nuptiis, ex conjugio Eleonoræ (Eduardô II. Angliæ Rege & Isabellâ Franciçâ Philippi Pulchri filiâ genitæ) suscepit Mariam (nuptam Guilielmo IV. Juliaci Duci, Ducumque ex eo Comitumque fœcundam matrem & aviam) Machtildem, Monialium numero Graventhalæ adscriptam) & Isabellam (novi Graventhalæ Monasterii Antistitem.)

RINALDUS III. cognomine *Crassus*, Geldriæ & Zutphaniæ Dux, Patrem Avumque ut nomine, ita & Fortunâ retulit. Bellum cum fratre Eduardo, qui jurisdictionem armis raptum ibat, decennium, varia fortunâ satis acre gessit; donec infelici ad Tielam prælió ab eo captus & in decennalem carcerem conjectus est. A quo tandem ægre liberatus, paulò pòst Fatò functus est, A. C. 1371. nullâ ex Maria Joannis III. Brabantiæ Ducis filia sobole susceptâ. Ei successit frater Eduardus, qui distinctâ tum in duas factiones, *Heckeranorum* & *Bronchorstiorum*, Nobilitate, horum factione adnitente gubernaculum decenniò illò, quò Frater in captivitate fuerat detentus, rexit: decenniò aliò postmodùm, contra Brabantos, bellò non admodum infelix. Tandem verò à quodam è famulitio suo sclopeti ictu trajectus decessit, sponsus Catharinæ Alberti Bavariæ Ducis filiæ, sicque Familiæ suæ finem imposuit. Post eum Geldria ad Juliacenses translata est, Guilielmô Duce, qui Mariam Rinaldo II. genitam sibi junxerat, hæreditatis titulô eam sibi asserente. Cyr. Lentulus, *Geneal. Principum Nassovia MS.*

RINCTUS, vel RINCTIUS, fluv. Gall. *Rance*, memoratur in *Vita* B. Maclovii, à Joanne Mabilione edita, *Antiquissima civitas Aletis, à meridiana parte* Rinctiô *fluviô illic mari influente lavitur; ab Aquilone, fretô interrumpente ab Insula separatur, populis & novalibus commerciis frequentata.* Nempe Galliæ fluvius est, in provinc. Lugdunensi III. quæ *Turonica* à Metropoli appellatur; ad quem Aletum civitas olim non ignobilis, nunc verò diruta, sita erat. Auctor *Vitæ* Machutis seu Maclovii, Aletensium Episcopi, *Rinctum* vocat, sed *Rinctium* legendum, docet Vales. in *Aletum.*

RINECCUM, oppid. parvum Helvetiæ, caput Rhegusceorum, in vallis inferiore parte situm. Hic Præfecti octo veter. Helvetiæ pagorum sedes est. Vide Jos. Simlerum, *de Rep. Helv.* & suprà in *Rhegusci.*

RINFELDIA, quasi campus Rheni, elegans Rauracorum oppidum, supra veteris Augustæ ruinas unò milliariò. Olim sub Comitibus cognominibus, è quibus Rodolfus Sueviæ Dux, contra Hen-

Henricum IV. Roman. Rex electus, prodiit. Hi Castrum per ea tempora munitissimum Rheni undis circumfluum German. *der Stein Rheinfelden*, tenebant, A. C. 1445. a Basiliensibus captum atque dirutum. Mœnibus cinctum est oppidum à Ducibus Zeringentibus, ad quos Comitatus hic matrimonii jure devenit, cùm Conrado Duci, Rodolfi Regis postremi Rinfeldiorum Comiti filia nupsit. His A. C. 1218. deficientibus ad Imperium rediit, à Rodolfo posteà Habspurgiis vindicatum, donec posteri ejus Austriæ Principes, urbem quoque hanc sui juris effecerunt. Huic olim cum Basiliensibus multum negotii fuit, & ab his bellô Germanicô insigni strategemate capta est: hodie utrinque pax alma & amicitia. Vide Christ. Urstisium, *Histor. Basil.* præter B. Rhenanum, *Rer. Germ. l.* 3. nec non supra *Rhenofelda*.

RINGA, vel RINCA, apud medii ævi Scriptores, baltheus est seu cingulum militare: à *ringus* seu *bringus*, i. e. circulus, hodieque *ring* Germanis, Spelmanno *Renga*. Unde in *Lexico* Græco *MS.* Reg. Ῥίγγα ζώνη, λέγεται δὲ οἱ βασιλεῖς διαζωννύονται, *Renda, zona, lorum, quô Reges cinguntur*; legi *Renga* vult Car. du Fresne in hac voce.

RINGELHEMIUM, German. RINGELHEIM, nomen Comitatus in Germania, sub proprio olim Comite; è qua familia Sigefridus, ab Henrico Aucupe Imperatore, cujus profrater erat (post debellatos Vandalos Henetosve, qui terras, quibus nunc Marchiæ Brandeburgicæ nomen, possederant) *Marchionis* titulô iis impositus est, A. C. 927. Cui subrogatus Gero Comes Altenburgi & Mersburgi, GeronemBrunonem, Wettini Comitem, successorem habuit A. C. 659. Vide Tob. Pfannerum *de præcipuis Germ. Principum generibus, c.* 4.

RINGOVIA, vide RHENOGAVIA an à RING circulo, & Gou agro? *Metel.*

RINGSTADIUM, oppid. in meditullio Selandiæ, in Dania, 3. leuc. à Roschildia in Meridiem; 6. ab Hafnia in Occidentem.

RINGUS, *Lazio Guzzing*, pagus Pannoniæ primæ.

RINGUS, apud Eginhardum *in Annalibus Spoliata Hunnorum regia, quæ Ringus dicitur*: quid sit, diximus in *Hringus*.

RINKIOPIA, oppid. Jutiæ Septentrionalis cum portu, in ora Oceani Germanici. 10. leuc. à Ripa in Boream, 13. ab Arhusia in Occasum.

RINNA, filius Simeonis. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 20.

RINOVIUM, oppid. Helvetiæ pervetus, in Turgea, ubi Abbatia celebris, in Rheni insula, ex vetustissimis Helvetiæ. Hujus Præsul merum in oppido imperium habet, veruntamen in criminalibus, reus Præfecto traditur, ac bona damnati à VII. pagis confiscantur. Habent cives peculiare vexillum, sub quo Helvetiis militant. Hic Romani castra quondam adversus Alemannos habuisse creduntur. Simlerus *de Rep. Helv.* Prope Rheni insulam.

RINUCI, Plin. *l.* 4. *c.* 17. quorum tractus *Runcherland*, inter Batavos, Frisios ac Betasios, Huberio Leodiens.

del RIO Martinus Antonius, Antverpianus, patre Antoniô Hispanô natus, A. C. 1551. Societati Jesu nomen dedit A. C. 1580. cùm Brabantiæ tum Consiliarius Regis esset. Linguam Hebraicam in Societate professus est, Philosophiam exposuit, Quæstiones de moribus explicuit, & S. Scripturam variis in locis est interpretatus: *Ævi miraculum* Lipsio dictus. Dum ex Hispania valetudinis causâ in Belgium rediit, obiit A. C. 1608. ætat. 57. Scripsit *Notas in Claudianum & Solinum, Adversaria in Senecam Tragic. Miscellanea in totum Jus Civ. Commentar. in Cantic. Cantic. in Threnos, Disquisitionum Magicarum Tomos III. Adagia Sacra* &c. Franc. Sweertius *Athenis Belgicis*.

RIONAVA, vicus Galliæ, ad ripam Vincennæ, seu Vigennæ, quò Brunechildis & neptis ejus captivæ ad Chlotarium adductæ sunt. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RIONUM, oppidul. Aquitaniæ, ad Garumnam, in tractu Burdigalensi 3. leuc. supra Burdigalam in Ortum, *Rions*.

RIOTHIMUS, Britonum Rex victus ab Eorico, A. C. 464. Jornand. *reb. Goth.*

RIPA, urbs Episcopalis Jutiæ Meridionalis cum portu, in ora maris German. ad Nipsicum fluv. 5. leuc. ab Halberstadia in Occasum, 8. à Flensburgo in Circium cum arce satis munita. Capta à Suecis, A. C. 1645. sed recepta. Ejus diœcesis continet 30. Præfecturas, 282. Parœcias, 10. arces regias, & 7. Urbes, Ripam, Coldingam, Weelam, Wardam, Ringcopiam, Holstebroam & Lemvicum, in Germani maris vicinia; *Ripen*.

RIPA, oppid. Suffexiæ, ad ostia Rotheri fluv. in ora maris Britannici prope confinia Cantii, 26. milliar. Anglic. à Roffa in Meridiem, 22. à Dubri in Africum. *Rye*.

RIPA *Alta, Lazio Pentole*, oppid. Hungariæ ad Danubium medium inter Budam & Altinum in Euronotum 7. leuc. Item, urbs Scotiæ meridional. in Teviotia provinc. ad Teviotam fluv. 25. milliar. Anglic. ab ora littorali & Barvico in Occasum. *Roxburg*, vide *Roxburgum*.

RIPA Alta, in Valeria Ripensi. Item *Rivalta*, castrum Ducatus Mediolanensis ad Adduam, celebre victoriâ Ludovici XII. Francorum Regis contra Venetos.

RIPA Curtia, seu RIBAGORGA, tractus Aragoniæ, inter Cincam & Sicorim fluv. in limite Cataloniæ, ubi Benavarium oppid. præcipuum.

RIPA Dextra, ora Galliæ Narbonensis in lingua Occitana, inter ostia Rhodani & Narbonem. Auson. *Mosell. Edyll.* 10. *v.* 481.

RIPA Prima, vide *Summuntorium*.

RIPA Transona, urbecul. Episcopi Piceni. Crevit ex ruinis Cupræ montanæ; vix 5. milliar. ab ora maris Adriatici in Occasum. Asculum versus 16. à limite regni Neapolitani in Boream 5. Firmum versus 10.

RIPÆ Rectæ, vide supra *Recta Ripa*.

RIPAGORCA, Hispaniæ olim inter regna. Cùm enim Garsias Ximenius seu Innicus magnâ clade Mauros affecisset, Regnum ortus est, sede in oppido Insæ constitutâ. Titulus Regni *Suprarbia erat & Ripagorça*, insignia rubra parma nulla picturâ distincta, ut habet Hornius, *Orb. Imper.* Contrà Rittershusius, *Exeg. Geneal.* 66. arborem viridem Regis hujus insignibus insertam esse ait, ut latiùs dicemus infrà in voce *Suprarbia*. Deinde verò sub Garsia Innico II. sedes Pompejopolim translata: donec nuptiis Garsiæ Innici, cum Urraca Fort. Arag. ult. fil. Ximenii Comit. Aragonia Suprabriæ juncta, & sub ejus successore Sanctio Kæsâ Abarca *Regni Aragoniæ* nomen & *Navarræ* assumtum est, circa A. C. 885. à quo tempore *Suprarbia & Ripagorça* nomen extinctum est. Usque ad A. C. 1034. quô Sanctius Major Rex Navarræ, qui omnia Regna Hispaniæ, quæ tum Christianorum erant, in potestate habuerat, decessit. Ejus enim obitu divisâ inter 4. filios hæreditate, quatuor iterum Regna emerserant, *Regnum Aragoniæ, Navarræ, Castellæ & Suprarbiæ ac Ripagorças*; quod ultimum tamen Regnum mox ad Castellam pervenit, neque ab eo tempore nomen ejus ampliùs auditum est. Vide præfatum Hornium, *d. l.*

RIPANI, in veter. *Inscr.* Caradunî, vulgò *Carden*, viculô ad Mosellæ ripam sinistram, haud procul Monasterio, VC. I. GENIO. VICANO. OMNIBUS. OB. MEMORIAM. RIPANORUM. MARIANUS. RIPANUS: Browero *in Præparatione Annal. Trever. p.* 68. 95. *prima edit.* iidem sunt cum *Ripariolis* Jornandis, *de Reb. Getic. p.* 1198. & *Ripuariis* aliorum, populi videl. qui ad Rheni ripas cis fluvium consederant, maximè qui ad Rheni, Scaldis & Mosæ: quales sunt Hollandi, Luxemburgenses, Geldrenses, Juliacenses, alii, uti habet Isaac. Pontanus, *Originum Franc. l.* 2. & Francis æquiparantur *in Lege Ripuari. tit.* 22. Eorum regio, *Ribuaria*, dicitur in *Chronico* Trudon. *Part. I. l.* 2. *Est autem Ribuaria terra victualibus abundans, sub quâ Comitatus Juliacensis aliorumque Principum fortalitia continentur*, apud Marianum Scotum A. C. 875. *Ripuaria arva* apud Guntherum, *Ligurini l.* 6.

His bene compositis Ripuaria *Cæsar in arva*
Tendit & extremos Rheni percurrere fines
Accelerat ——— ———

Ducatus Ripuariorum, in eod. *Chron. Part. I. l.* 5. &c. Qui constabat Comitatibus quatuor, ut est in *divisione* Regni Lotharii, in *Capitul.* Caroli Calvi, qui apud Nithardum, *l.* 1. *A. C.* 838. ita nominantur: *Et per fines* Ribuariorum *Comitatus Meilla, Halt, Trabammolant, Masagowi*. Pagi Meginensis, nomine *Ripuariæ*, meminit idem Scotus ubi supra; *Qui quoque Carolum Seniorem* 8. *Id Octobr. bello in pago Meginensi, nomine* Ripuaria, *non longè ab Andernach. Castello juxta Rhenum, pugnantem ultra* 50000. *superavit*. Inter Duces Ribuariorum *Gozelo* occurrit apud Wipponem *in Conrado Salico*. Vide quoque Marquardum Freberum, *Origin. Palatin. l.* 2. *c.* 8. & 9. Cæterùm, quos *Ripuarios* Latini, Galli *Ruiers* & *Rives* appellabant. Hinc cùm Duces Burgundiæ plures haberent Feciales seu Heraldos, eorum alii *Poihiers*; alii *Riviers* dicti sunt: quorum illi Gallicis provinciis, isti intra Imperii fines, munus suum exercebant. Ita nempe *Poheri* Ducum Burgundiæ subditi, qui Gallicè; contrà *Ripuarii*, qui Teutonicè loquebantur, appellati sunt, uti ex Car. du Fresne diximus suprà in voce *Poheri*. Vide eundem in voce *Ripuarii*, & Auctores illi laudatos Chapeavillum *in Erardo à Marka Episcop. Leod. c.* 18. & 19. ac Ægidium Bucherium *in Belgio Romano*.

RIPARIENSES, apud Fl. Vopisc. *in Aureliano, c.* 38. *Hi* (nempe Monetarii) *compressi sunt septem millibus Hiberorum*, Ripariensium *& Castrianorum & Dacisconum interemptis*: Aliter *Ripenses*, milites dicti sunt, apud Romanos, qui in ripa per cuneos dispositi eam tuebantur; Sicut *Castriani* seu *Castriciani*, qui in præsidio castrorum erant per limites extructorum. Utrorumque etiam meminit, *l.* 18. *Cod. Theod. de re milit.* Præter hos *Lembarii* erant, milites scil. classici, qui lusoriis navibus huc illuc ferri ac tuta à prædonibus flumina præstare solebant. De Lembariis & *Ripariensibus* vel etiam Castrianis, intellexit auctor *Panegyrici* Constantino dicti, per hæc verba: *Cùm tamen hæc tu magis ad gloriam Imperii tui & ornatum limitis facias, quàm ad facultatem quoties velis in hostem transeundi, quippe cùm totus armatis navibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles immineat*. Fuêre autem *Riparienses* hi milites minoris dignitatis, quàm *Comitatenses*, quibus etiam opponuntur. Vide *legem ult. Cod. Theod. de re Mil.* & Jac. Godofredum *ad illam*; nec non Salmas. *ad Vopisc. d. l.*

RIPARII, vel RIPARIOLI, vulgò RIBAROLLES, aut RIBEROLS, videntur nonnullis ex variarum gentium Transrhenanarum adunata multitudine coaluisse, qui in Gallica Rheni ripa sedes ceperint. Sic à ripa Rheni dextra, seu Germanica, quam accolebant *Riparios* cognominatos putat Hadr. Valesius, & posteà transgressos in Galliam, inter Rhenum, Ruram & Mosam consedisse, ubi Novesium, Colonia Agrippina, Bonna, Tolbiacum, Macrodurum, Juliacum atque Antonnacum sunt: quæ provincia ipsis cognomin. Ducatûs titulô posteà donata, ac in quinque Comitatus divisa est. Nomina quidem German. Legi *Ripariorum*, quæ Legi Salicæ in plerisque similis est, haud pauca inserta apertè docent, eam nationem è Germania esse profectam. Pagus *Ripariensis*, inter Rhenum, Ruram & Mosam jacebat. Jodocus Coccius Alesatius *in Rege Dagoberto*, a-

lios memorat *Riparios*, finitimos Alesatiæ sic à ripis trium fluminum Blesæ, *Bliess*, Saravi ac Mosellæ, quibus clauduntur, hodie Australios vel Westerichios appellatos: Sic duplices erunt *Riparii*, superiores & inferiores. Mavult tamen Valesius unicum agnoscere *Ripariorum* ducatum, existimans *Riparios* à Novesio usque ad Saletionem pertinuisse, & ad ripam Rheni 146. mill. pass. patuisse: adeoque ibi ponit Novesium, Coloniam, Bonnam, Autunnacum, Confluentes, Vosaviam, Bingium, Mogontiacum. Borbetogamum, Noviomagum, Tabernas, Saletionem: & superiores quidem *Riparios* non ripam modò Rheni, sed etiam interiora, i. e. ripas Blesæ, Saravi ac Mosellæ obtinuisse in Germania prima aut superiore, inferiores verò etiam interiora provinciæ Germaniæ inferioris vel secundæ circa ripas Ruræ & Mosæ occupavisse vult. Sub Ludovico Pio erat adhuc in Germania trans Rhenum regio, *Riparia*, vel *a*, dicta, *Ripariorum*, qui in Galliam transierant, patria: cujus meminit Ludovicus Aug. in divisione Regni sui inter tres filios, *Ribuarias* corruptè illam appellans, inter Thoringiam & Saxoniam: *Notit. Gall.* Vide etiam in voce *Ripariolì*.

RIPARIOLI, *Jornandi*, *Ripuarii Reginoni*. Vide ibi, aliis *Ripuarienses*, & *Austrasii*, populi Galliæ Belgicæ inter Mosam, Rhenum, & Mosellam. Quorum regio Lotharingia & Westrichia, *Baudrand.* Vide *Riparii*.

RIPATORIUM, nunc *la Riveur*, locus Galliæ, non procul à Barro ad Sequanam, 2. leuc. ab urbe Augustobona Tricassium, Monasteriò Abbatiali illustris, *Hadr.* Valesius *Notit. Gall.*

RIPAVIA, seu RIVADAVIA, urbec. Gallæciæ, ad Minium fluv. versus confinium Portugalliæ. 8. leuc. à Tyde in Cæciam, 14. à Braga in Boream, totidem à Compostella in Meridiem.

RIPENSES, vide suprà.

RIPEPORA, civitas in Cordubensi conventu, populo Romano fœdere conjuncta, Plin. *l.* 3. *c.* 1.

RIPHÆI, montes. Ῥιπὴ Græcis *impetus* est, unde dicti *Riphai* vel *Rhipai* montes Scythiæ à ventis inde cum impetu flantibus. Dalechampius *in notis* ad Plinium, *l.* 5. *c.* 27. ubi fit mentio horum montium: *Fallitur* (inquit) *Plinius*, *nulli enim existunt Riphai montes.* Ubi non solùm negat hos montes ullibi gentium esse, sed putat omnes montes dici posse *Riphaos*, in quibus venti flant cum impetu. Itaque *Riphai* montes nullibi sunt signatè. *Ptolemao* ita vocantur montes, ubi oritur Tanais. Ita Virgil. *l.* 4. *Georg. v.* 517.

> *Solus Hyperboreas glacies, Tanaimque nivalem,*
> *Arvaque Riphais nunquam viduata pruinis*
> *Lustrabat.* —— ——

Damastes ultra Arimaspos eos submovet. Ait enim ille, ἐν τῷ περὶ ἐθνῶν· Ἄνω Σκυθῶν Ἰσσηδόνας οἰκεῖν, τούτων δ' ἀνωτέρω Ἀριμασποὺς, ἄνω δ' Ἀριμασπῶν τὰ Ῥίπαια ὄρη ἐξ ὧν τὸν βορέαν πνεῖν, χιόνα δ' αὐτὰ μή ποτε ἐκλείπειν· ὑπὲρ δὲ τὰ ὄρη ταῦτα Ὑπερβορέους καθήκειν εἰς τὴν θάλασσαν. Unde Catullus *in Carm. penultimo*, *v.* 6.

> *Usque ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.*

Dionysius, ubi gentes enumerat inter Istrum, Pontum Euxinum, Mæotimque paludem, & inter glacialem Oceanum, incolentes:

> Καὶ δὴ καὶ Ἀλδήσκοιο καὶ ὕδατα Παντικάπαο
> Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσι διάνδιχα μορμύρουσι.
> Τῶν δὲ παρὰ προχοῇσι πεπηγότος ἐγγύθι πόντου
> Ἠδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται.

Ubi *Eustathius* ait, eum non ostia sed fontes horum fluminum intelligere: quod etiam ex *Festo Avieno* hujus Poetæ interprete planè patet. Sic enim ille:

> —— *Tunc aquora Panticapai*
> *Aldescique tibi caso de vertice surgunt*
> *Riphai montes: ibi durâ sape sub Arcto*
> *Densa pruinosos eructant nubila nimbos.*

Priscianus perperam per πεπηγότα πόντον *mare Euxinum* intelligit. Verba ejus hæc sunt:

> *Hic sunt Aldesci quoque Panticapique fluenta:*
> *Dividui currunt Riphais montibus ambo.*
> *Immiscent quà se Ponti glacialibus undis,*
> *Nascitur electrum prafulgens luce nitenti.*

Nemo enim unquam electrum ad Pontem Euxinum nasci, vel legi tradidit. Mela, *l.* 1. *c. ult. Ultra surgit mons Riphaus, ultraque eum jacet ora, qua spectat Oceanum.* Eundem Riphæis montibus tribuit situm *Æthicus Cosmographus*: *Europa incipit initium sub plaga Septentrionali, à fluvio Tanai, quà Riphai montis ardua Sarmatico adversa Oceani, Tanaim fluv. fundunt.* (Unde Lucan. *l.* 3. *v.* 273.

> —— *Vertice lapsus*
> *Riphao Tanais.*) ——

Ptolemaus eôdem hôc situ *Hyperboreos* describit *montes*: perperam eos ac falsò à Riphæis, quos malè adversum Tanais collocat ortum, diversos faciens; quum fuerint iidem. *Æthicus* aliò locò utrumque nomen confundens, *Fluvius*, inquit, *Tanais nascitur de monte Hyperboreo, quà sunt Riphai montis ardua.* Horum montium juga dicta fuisse *Obia*, jam inde ab antiquis seculis ex Athenæo, *l.* 6. *c.* 4. colligit *Cluverius*; quanquàm ibi mirificè tum res tum rerum nomina confunduntur. Verba ejus hæc sunt: Καὶ τά τε πάλαι μὲν Ῥίπαια καλούμενα ὄρη, εἶθ' ὕστερον Ὄλβια προσαγορευθέντα· νῦν δὲ Ἄλπια. *Alpes* quidem antiquis Græcis *Riphaos* fuisse appellatos *montes*, testatur *Protarchus*, vetus auctor. *Stephan.* ex emendatione magni Cluverii: Πρώταρχος δὲ τὰς Ἄλπεις Ῥίπαια ὄρη οὕτω προσαγορεύεσθαι, καὶ τοὺς ὑπὸ τὰ Ἄλπια ὄρη κατοικοῦντας πάντας, Ὑπερβορέους ὀνομάζεσθαι. Huic adsentiuntur Æschylus & Apollonius; hujus verba *in* 4. *Argon. de Istro fluv.* hæc sunt:

> —— Πηγαὶ γὰρ ὑπὲρ πνοιῆς βορέαο
> Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσιν ἀποτηλοῦ μορμύρουσι.

Ubi *Scholiast.* Τὸν Ἴστρον φησὶν ἐκ τῶν Ὑπερβορέων καταφέρεσθαι, καὶ τῶν Ῥιπαίων ὀρῶν. Οὕτω δὲ εἶπεν, ἀκολουθῶν Αἰσχύλῳ, ἐν λυομένῳ Προμηθεῖ λέγοντι τοῦτο. Vide plura apud Cluver. *de Germ. Antiq. l.* 1. *c.* 1. Doctissimus Is. Vossius *ad ista verba Mela l.* 1. *c.* 19. *Tanais ex Riphao monte dejectus*: hæc notat. E lacu, quem vasta undique cingit planities, oritur Tanais. Montes isti Riphæi æquè sunt fabulosi, ac Hyperborei. Observatione dignum, in toto Septentrione non esse montes, qui insignem habeant celsitatem. Nam quæ de monte Sloto, qui sit sub ipso Polo, aut aliis in Septentrione excelsis narrantur montibus, meræ sunt fabellæ, quibus miror Scaligerum, & alios seculi nostri Philosophos, aurem accommodâsse. Norwagici montes omnium, qui sunt in Septentrione, altissimi esse creduntur, attamen illorum nullus est, qui ad 2. stadiorum perpendiculum assurgat. In reliquo Septentrione rarò vel unicum æquant stadium, quantòque polo viciniores fiunt, tantò magis decrescunt. Contra verò torridæ zonæ montes, ac huic vicini omnium sunt celsissimi. Hujus rei causa hæc est. In regionibus zonæ fervidæ subjectis, ubi nulli sunt montes excelsi, qui nubibus caput inferant, ibi etiam nullæ pluviæ usque ad terram perdurant. Sic itaque disposuit naturæ Auctor, ut plurimi in calentibus & siccis regionibus montes sint, in quorum sinubus aqua collecta ad terram perveniat, quæ absque illa mortua & inhabitabilis sit futura. At verò in frigidis regionibus, ubi non est tantus æstus, ut pluviæ, antequam in terram decidant, consumantur, aut lapsæ deficiant; ideò opus non fuit, tam vastas erigere moles, ad aquam, tam altè excipiendam, quæ etiam absque illis satis copiosè, & quandoque nimium descendit. Hinc fit, ut in Septentrione flumina non è montibus, sed è lacubus, & aquis in plano stagnantibus plerumque profluant, quod in regionibus fervidis aut nunquam, aut quàm rarissimè contingit. *Nic. Lloydius.* Vide *Rhiphai.* Ex his montibus Aldescum & Panticapen fluere Dionysius Afer testatur. *Ferrar.*

RIPHAT, fil. Gomer, Gen. *c.* 10. *v.* 3. Latinè, *medicina*, sive *relavatio*, sive *bovile*.

RIPHEARMA, Plin. *l.* 6. *c.* 28. *Reama Pinteo*, urbs Arabiæ Felicis.

RIPHEIS, scopulus Græciæ, Ovid. *l.* 2. *de rem. Am. v.* 737.

> *Prateritâ cautus Ripheide navita gaudet.*

Ubi alii legunt *Niseide*,

RIPLAJUS Georgius, vide *Georgius*.

RIPUARII, vocantur Germaniæ inferioris populi, qui trium fluviorum *ripis* clauduntur, Rheni scil. Mosellæ, & Mosæ, *Ribuarii* quibusdam vocantur. *Ripariolos* habent *Canalis* & *Jornandes*. Vide ibi. Hi aliò nomine *Austrasii* vocantur.

RIRA, Thraciæ fluvius. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

RISAMORI, populi Hispaniæ Tarraconensis in Celtiberis, Martial. *l.* 4. *Epigr.* 55. *v.* 16.

RISARDIS, portus in Mauritania è regione Gaditani freti, Plin. l. 5. *c.* 1.

RISBA, seu Rabbi *Salomo ben Aderath*, scripsit *Thorat abeit*, h. e. Lex templi, & quædam in Talmud. It. *Avodat akodesch*, h. e. Cultus sanctus: elucidatus à Rabbi Jadiha auctore *Mabachar Pheninim*. Vixit circa ann. 40. Millen. VI. juxta Rabbi Ganz.

RISBROUKIUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

RISCO, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ stirpis Davilex ramus est. Cùm enim hujus duæ præcipuæ lineæ sint, in priore Petrus Davila, Comes *del Risco* creatus est A. C. 1475. Ejus filius Stephanus, per alterum filium, Petrum Marchionem *de las Navas*, reliquorum Marchionum & Comitum *del Risco de las Navas* auctor fuit, quorum series ista ab aliquot seculis: Petrus *Davila Dn. de las Navas & Villa franca*, ex Maria *de Bracamonte*, genuit Petrum Comitem *de Risco*: qui juncta sibi Elvirâ *de Toledo*, genuit Stephanum Comitem *de Risco*: maritum Elviræ *de Zuniga*, exque ea patrem Petri I. Marchionis *del las Navas* Comitis *del Risco.* Quò & Mariâ *de Corduba*, genitus Petrus II. Marchio *del las Navas* & Comes *del Risco*, junxit sibi Hieronymam Gusmannam, atque ex ea suscepit Petrum Stephanum Marchionem *de las Navas* & Comitem *del Risco*, cui uxor Joanna Manricia genuit Antonium *Davila Comitem del Risco*, Petrum Stephanum *Davila*, Garsiam *Davila* & Hieronymam (uxorem Hieronymi *Ruiz de Corella* Comitis, *de Cocentayna* Marchionis *de Almenara*) Phil. Jac. Spenerus, *Theatr. Nobil. Eur. Parte II.*

RISCUS, apud Terentium, *in Eun. Actu* 4. *sc.* 6. *v.* 17. *In risco est, odiosa cessas. Donato*, cista est pelle contecta, qui Phrygium id nomen esse ait. Sed Græca vox ῥίσκος est, arca seu cista, in qua vestimenta reponuntur. Hinc δερμάτινοι ῥίσκοι, quòd *pelle essent contecti*. *Hesychius*, Θαλασσαῖοι οἱ τὰ ἐνσπέρματα κλείοντες καὶ τοὺς δερματίνους ῥίσκους ἐργαζόμενοι. Ubi θαλία itidem pro *risco* vel cistula: Saccum verò etiam & marsupium ita vocabant. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 241. Bocharto verò ipsa vox Græca ex Syriac,

Syriaco, *targa*, orta videtur. hoc autem ex Philistæorum vocabulo ארגז *argaz*, quod unô solùm locô in Sacris occurrit, 1. *Sam. c.* 6. *v.* 8. ubi saccos significat ex utraque Arcæ parte pendulos, in quibus illi murium & mariscarum ex auro imagines, Deo Israëlis votas, recondiderunt. Cùm namque famâ vel propriô periculô edocti essent, Dei Arcam absque periculo non posse aperiri, munera sua in ipsa Arca non reponebant, sed *in argaz*, seu *capsa à latere pendula*. Cui voci apud Arabes respondet vocabulum *rigiaza*, quô denotatur clitellæ camelinæ genus, ex qua utrinque pendent sacci cilicini lapidibus oppleti, qui illi pro saburrâ, ut in æquilibrio maneat. Hinc ergo *ῥίρκας* Græcorum, unde Latinis *riscus*. Vocem certè recentioris Græciæ non esse, vel hinc patet, quòd eam Pollux ex Antiphanis *Alexoribus* citat, *l.* 10. *c.* 31. eâdemque utitur Terent. *loc. cit.* Unde *Donati* conjectura ratione non caret: multa etenim Phrygum vocabula ex Palæstina fuisse sumta, certum est. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 36.

RISILE, apud Mediberdum *de Mirac. Walpurgæ Virg. l.* 2.

Matrona felicitata — *Misit ad Cœnobium,*
Perditum restituit — *Conservaretur ut ibi*
Risile, *quod illa statim* — *Hoc in testimonium.*

Car. du Fresne reticulum videtur esse, quô fœminæ capillos continebant, Gall. *Rezeau*. Vide suprà, Dominico Macro acus est, quô velum mulieres capiti affigunt, in *Hierolex*.

RISELA, fluv. Galliæ, vulgò *Rille*. Oritur non procul ab urbe Sajis, & à fonte Olinæ, ac inter Eburovices & Lexoviosfertur. Alluit castrum Aquilam, Rugulas *Rugles*, castellum Liram, Ferrarias, Boscum Rogerii, *Bosc le Roger*: Bellum Montem Rogerii, *Beaumont le Roger*, Alnetum, *l'Aunay*. Inde Carentonâ auctus attingit Theboldi Villam, *Thibouville*, Briosiam oppid. Becum Herluini, ad rivuli confluentem situm, & inde dictum Monasterium nobile *le Bec*, Montem fortem, Condâte, Corneliâs, in Lexoviis Abbatiâ Benedictinorum illustres, ac ibidem Pontem Audomari, infra quem in Sequanam, jam totum velut æquoreum, effluit, ad Rupem Ridulam, vulgò *Roquedrille*, à fluvio, cujus ostio proximus est mons hic saxeus, denominatam. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RISHANGERUS Guilielmus, vide *ibi*.

RISINUM, Liburniæ urbs, *Ptol.* Hodie *Rhizinium*.

RISNERUS Fridericus, vide *Fridericus*.

RISSWICH Hermannus, vide *Hermannus*.

RISTRONOMANICE, vide ROSTRUM NEMAVIÆ.

RISUS simulachrum, ut Dei, Lycurgum apud Lacedæmonios erexisse, testis est *Plutarchus*. Putabat enim ille, Risum laboris & modesti victus esse condimentum. Hypatenses Thessali huic Deo quotannis rem divinam, in summa lætitia, faciebant. Eidem sacrum diem multis describit Appulejus. Alius erat *Ridens Jocus*, memoratus Papinio, *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 6. hoc enim spectrum peculiariter coli consuevisse, diximus suprà in voce *Jocus*. Aliàs *Risus* homini proprius; quem in 40. diem infantibus differri, habet Solinus, *c.* 1. *Nascentium vox prima vagitus est: lætitiæ enim sensus differtur in quadragesimum diem.* Quibus *risum* indigitari, palam est. Sed & infra quadragesimum diem infantibus accidere, tradit Aristoteles, ut rideant, verùm dormientibus, *Historia Animal. l.* 7. *c.* 10. quam in rem vide Salmas. *ad Solin. c.* 33. Sedes ei præcordia; hinc in præliis, gladiatorumque spectaculis, *mortem cum risu præcordia trajecta attulisse*, apud Plin. legitur, *l.* 11. *c.* 37. Per catachresin equo tribuitur, Jobi *c.* 39. *v.* 22. *Ridet pavorem nec consternatur*: ubi risum distinguit, in *risum lætitiæ*, Hebr. שמחה, & *risum derisionis*, Hebr. שחק; quem posteriorem hic intelligi addit, uti Jobi, *c.* 39. *v.* 10. ubi de onagro, *c.* 39. *v.* 18. aliis 21. ubi de struthione, & *c.* 41. *v.* 20. aliis 21. ubi de Leviathane, Sam. Bochartus, *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 8. Plura *de Risu* vide apud Gerh. Jo. Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 46. uti de *Risu* inter Veterum exercitamenta, infrà *Vociferatio*.

RITHABA, seu *Rabbi Jom tob bar Abraham*, auctor *Migdal hoz*, h. e. Turris robusta. it. novarum Annotationum in Gemaram: ut & Rabbi *Jom tob*, auctor *Magid Mischna*, h. e. Interpres secundus, fuêre ann. 5135. juxta Rabbi Ganz.

RITHEIMERUS Georgius, vide *Georgius*.

RITHOVIUS Balduinus Martinus, vide *ibi*.

RITHRUS, portus Ithacæ, sub Nejo monte, *Homer*.

RITIGERUS Germanus, Vendæ Polonorum Reginæ nuptias ambiens, cùm nec precibus nec armis obtinere posset, in gladium incubuit: quô successu læta Venda, Cracoviæ, de ponte in Vistulam desiliit, A. C. 760. Cromerus, *l.* 2.

RITIUS Michael, vide *Michaël*.

RITTERSHUSIUS Conradus, Brunsuicensis, fil. Balthasari JCti, nepos Henrici, Ducibus Brunsuicensib. & Luneburg. à Secretis, Basileæ Juris Utr. Doctor creatus A. C. 1591. Jus Altorfii docuit, Wesenbecii collega: ac in ordinem Consiliariorum Noricorum ascitus, ad summum famæ culmen progressus est. Obiit A. C. 1613. ætat. 63. lue tabificâ penitissimè consumtus, ut de attenuato ejus corpusculo verè dici potuerit: *Pelliculâ indutum sceleton, vix ossibus hærens.* At animi dotes si spectes, alter sui seculi Scævola, Orator, Poëta, Philologus & Philosophus eximius, Græcè Latinéque doctissimus: insignis porrò *Psalmorum Davidicorum* paraphrastes, in Patrum lectione versatissimus, JCtus consummatus. Collegit *Lexicon ex Patrum Græcorum & Latinorum scriptis collectum*, *Jus Justinianeum absolutissimâ methodô* elaboravit, cum *Novellis*: *Partitiones Feudales* edidit: *Fulgosi Consilia* limâ accuratiori postuma Senatui Veneto dedicata transmisit: de *Isidoro*, *Oppiano*, *Salviano*, *Gunthero Ligur.* *Phædro*, *Porphyrio*, *Maxim. Margunio*, *Nemesio*, *Antonino Imperatore* &c. optimè meritus. Freherus *Theatri Viror. erudit. clar.*

RITTERSHUSIUS Nicolaus, fil. prioris, similiter in inclytâ Altorphina Juris Professor, & Consiliarius Norimbergensis, tantô patre dignus filius, Vir totâ vitâ religiosus; Gerhardi *Meditationes Sacras* & Molleri *Manuale de Præpar. ad mortem* è manibus nunquam dimisit, illisque inter alia Orationem Dominicam hoc disticho comprehensam inscripsit:

Sanctificare, Pater, Regn, quod places effice, Nutu,
Da veniam, Labi ne sine, Tolle mala.

Obiit A. C. 1670. ætat. 73. Auctor *Genealogiarum Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum* &c. *usque ad A. C.* 1664. Freherus *d. l.*

RITUALES Libri, Hetruscorum olim celebres teste *Festô*, in quibus scriptum erat, quô *ritu* urbes condantur, aræ ædesque sacrentur; Curiæ, Tribus & Centuriæ distribuantur, Cicer. *de Div. l.* 1. Nempe *ritibus* maxima parte Gentilium Sacra constabant, cacozeliâ Israelitarum, quibus Lex Ceremonialis divinitus inculcata est eô fine, quem diximus suprà. Vide Ephes. *c.* 2. *v.* 15. ubi hæc lex dicitur *νόμος ἐντολῶν ἐν δόγμασιν*, *lex mandatorum in ritibus posita*. At Christiana Religio initiò solâ simplicitate veneranda ac potens erat, ut quæ *Deum in spiritu & veritate colit*. Joh. *c.* 4. *v.* 24. quæque gestus ac *ritus* significativos paucissimos habet, eosque minimè affectatos & maximè naturales, sine quibus vix pia potest esse in homine cogitatio; vel qui ab ipsa cogitatione pia procedunt, eamque fovent & excitant: quales in precibus præcipuè videre est. Ac præter *Sacramenta*, quæ simpliciter peragebantur, *Sermones* ad populum linguâ vulgari instituebantur, ac *Precibus* denique, *Benedictionibus* & *Hymnis* absolvebantur. Matth. *c.* 26. *v.* 26. 27. 30. *c.* [illegible]. *v.* 19. apud eundem. *c.* 13. *v.* 34. 35. Luc. *c.* 24. *v.* 30. Joh. *c.* 14. & 15. & 16. & 17. Nec alterius cultus in Historia Euangelica mentio. Iidem Apostolicæ Ecclesiæ *ritus* erant, uti ex Actis illorum & Epistolis liquet: sine ulla superstitione locorum temporumque Act. *c.* 13. *v.* 46. 1. Tim. *c.* 2. *v.* 8. Coloss. *c.* 2. *v.* 16. 17. &c. Cùm verò ad Ecclesiam aggregarentur diversa hominum genera, Judæi, Gentiles; illi veterem ac investem illum colendi Dei modum dedignari, patriisque ceremoniis divinum cultum instruere, ac Sacris majestatem quandam circumdare, non malô ut videtur, consiliô cœpêre: Episcopis præcipuè Romanis auctoribus. Ulteriùs dein itum & liberi primùm cultus in legem versi tantumque ceremoniarum choragium superadditum, contra doctrinam Apostoli Coloss. *c.* 2. *v.* 22. ut spiritualis ille ac simplex Fœderis Novi cultus in *γυμνασίαν σωματικήν* exierit, & inter istam elementorum, rituum ceremoniarumque molem nudus & egenus Christus tantùm non omni suâ vi spoliatus sit. Fr. Burmannus *Synopsi Theol. Christ. Part. II. l.* 7. *c.* 17. Vide quoque suprà ubi de *Ceremoniis*. Ut de voce *Δόγμα* aliquid addam. Præter significatum, de quo diximus, *placitum* notat in Scriptura, ex auctoritate Verbi Dei in legitima Synodo decretum & statutum, vide Act. *c.* 16. *v.* 4. Apud Græcos Patres, nonnunquam *doctrinam* designat; inprimis autem eam Doctrinæ Christianæ partem, quæ *Ritus* complectitur. Sic Basilius M. *de Spiritu S. c.* 27. Doctrinæ Christianæ duas partes faciens, *Κηρύγματα* & *Δόγματα*, illô nomine indigitare voluit capita Religionis Christianæ catholica & perpetua; istô ritus & ceremonias, quæ, quòd ratio ipsorum non omnibus constat, aliis *τὰ Ἀπόῤῥητα* sunt appellata, item *τὰ Μυστικὰ* & quia non in Scriptura reperiuntur, *τὰ Ἄγραφα τ̃ ἐθῶν*, *Ibid.* Vide quoque Eulogium Archiep. Alexandr. *Biblioth.* Photii, *c.* 230. *p.* 833. uti de *Ritualibus Libris* Ecclesiæ Latinæ Lindanum Episcop. *de optimo gen. interpr. Scripturæ*, *l.* 3. *c.* 3. Pererium, *Præf. l.* 16. *Comment. in Danielem*, Petrum Cluniac. Aliacensem Cardin. Comitem Mirandul. Claudium Espensæum Doct. Sorbon. *in ad Ephes.* Alios.

RITZIUS David, vide *Ritzius*.

RIVA, oppid. German. in ditione Tridentina, ad oram lacus Benaci Septentrion. in ipso limite ditionis Venetæ, 20. milliar. à Tridento in Africum, 28. à Verona in Circium *Reiff.*

RIVA, oppid. Helvetiæ, *Wallenstatt*, ad caput lacus *Rivarii*, vulgò *Wallenstatter-see*, in ditione Glaronensi. Hic *Wesenius* quoque dictus, ab oppidulo Wesena, ubi Limagus effluit, ut deinde in lacum Tigurinum fluat, tempestatibus plerumque agitatus non sine periculo navigatur. Ad ejus litora sunt pagi *Terzen*, *Quarten*, & *Quinten*, à stationibus Romanorum, dicti. Vide Joh. Bapt. Plantinum, & infrà in voce *Sarunetes*.

RIVADIUM, urbs Gallæciæ, in ora Oceani Cantabrici, in limite Asturiæ, satis parva, ad ostia Navii fluv. 14. leuc. Hispanic. ab Oveto in Occasum, Mindonium versus 7. & 10. à Luco Asturum in Boream, *Rivadeo*.

RIVALIUS, vel RIVOALTUS, Scriptoribus Venetis ostium fluminis est, ubi hodie Venetiæ; quò erant quædam Insulæ angustiores, parùm inter se distantes, quas placidissimi amnium meatus, sinuosô ambitu in mare decurrentium, pelagi sic æstu alternante, discriminabant. Ipsi loco postea *Rivalti* nomen mansit, à *rivis altioribus*, qui exundantem in fluvium pelagus continebant; Italicè *Realto*. Sed & meminit jam vocis Constantinus Porphyrogenitus *de Administr. Imp. c.* 27. cui locus is *Καστρον Ῥιβαλτον* dicitur, apud Car. du Fresne: *Rivalti Veneti* imitatione, castructum Castellum *Risbani* Calesianum in Morinis, quod in terræ lingua, quæ in Oceanum aliquot passibus excurrit, ædificatum, portum munit clauditque, ab Aimerio Papiensi Lombardo, primo ejus Gubernatore, facto ab Anglorum Rege, statim atque in ejus potestatem concessit, suspicatur, ut videre est in ejus *Glossar.* Vide quoque in voce *Venetia*.

RIVARIUM, seu US, lacus Rhætiæ, vulgò *Valtnsee*, Glareano *ad Cæsarem*, *Vesenius*. Vide suprà in *Riva*.

RIVELLUM, oppidum Lucaniæ.

RIVERIUS Massonius, summæ pietatis & eruditionis vir, Ecclesiæ Parisinæ Reformatæ prima jecit fundamenta: quibus superædificârunt Jacobus Riparius, Andegavensis, tum Colongius, qui cœtu auctô Collegam sibi legit Antonium Sadeelem Baronem, Juvenem non multum 20. annos egressum, sed eruditione & zelô admirabilem. Tempore lanienæ Carolinæ seu Parisiensis, à Moserello, Andegavi peremptus, obiit A. C. 1572. Comment. *de stat. Relig. in Gall.* Lectius *in vita Sadeelis*.

RIVETUS Andreas, Pictavus San-Maxentinus, S. T. D. & in Acad. Lugd. Batav. Professor celeberrimus. Ejus extant *Exercitationes in Genesin & Exodum: Prælectiones in Decalogum, &c.* 3. Volum. in fol. Hunc, *Virum Clarissimum & nunquam satis laudatum, Belgicæque Ecclesiæ micantissimum lumen*, vocat Garissolius. Symbolô usus est: ἁπλῶς καὶ εμφῶς. Vixit A. C. 1650. ætat. suæ 79. currente, ipsô teste *in Præfat.* Vide Paul. Freherum *Theatrô Viror. eruditione clarorum*.

RIVI, urbs Occitaniæ, ad Garumnam, in limite Consoranorum, 7. leuc. supra Tolosam in Meridiem, ferè 8. à Fuxio in Boream, Auscios versus 10. & 8. à Lugdunô Convenarum in Ortum, *Rieux*. A re nomen habet, nimirum à Risæ rivo vel amniculo, *la Rize*, qui oppidum pæne undique cingit, & in Garumnam supra Tolosam cadit, non longè à *Rivis*; quod castrum Galli *Rieux* vocant, nomine à *Rivulis* aut *Rivolis* deductô, & his in regionibus frequenti. Episcopalis est, & penultima inter sedes Episcopali Metropoli Tolosæ subjectas, *Rivensi* Monasteriô in id dignitatis evectô: quâ diœcesi quænam loca contineantur, vide hic paulo *infrà* & plura de hoc loco, apud Valesium in voce *Apamia*.

LOCA DIOECESI RIVENSI, IN VOLCIS TECTOSAGIBUS COMPREHENSA.

Arbustum *l'Arbouss*.	Mons altus *Montaut*.
Carbo *Carbonne*.	Rivi, civitas nova, *castrum de Rivis*: Item *villa de Rivis*, in *veterib. Tabulis* dicta.
Galliacum castrum, *Gailhac*.	
Mariniacum *Marinhac*.	
Mons acutus *Montagut*.	Serræ *Serres*. Turris *la Tour*. &c.

RIVIERA, una ex tribus præfecturis ditionis Bilitionensis: quæ cùm exiguos habeat proventus, hinc plerunque is, qui Bilitiono præfuit, postmodùm Rivieræ præponitur. Vide in voce *Bilitionum*.

RIVIUS Johannes, Altendorn-Westphalus, quô locô Albionem & Witikindum Saxoniæ clarissimos Duces, jussu Caroli M. Baptismate tinctos tradunt, docuit magna cum laude ac fructu juventutem studiis dicatam annos 25. Coloniæ, Zuiccaviæ post Georg. Agricolam, & Ambergæ, ad lectionem imprimis Terentii, quem *Notis* illustravit, illos adhortatus, si Latinæ puritatis studiô tenerentur. A Georgio dein Saxoniæ Duce in consiliariorum numerum receptus ac institutioni Augusti, postmodùm electoris adhibitus est: sed vitæ aulicæ pertæsus, Inspectionem Scholæ Misnensis suscepit, defunctus A. C. 1553. ætat. 53. Scripta ejus, quæ complura, enarrat in *Elogiis* Teislier, *Part. I.* Cognomen *Altendorensis*, ut se à Veneto viro docto, qui *præfationes in Diomedem Grammat. aliosque* adornavit, sibi cognomine, distingueret, assumpsisse refert successor ejus G. Fabricius *Vitâ Joh. Rivii*.

de RIVO Radulphus, vide *ibi*.

RIVOGIA, provinc. aliàs Navarræ, nunc Castellæ veteris *Rioja*. Separatur ab Alava provinc. Iberô fluviô. Inter Navarram ad Ortum, & Castellam veterem ad Occasum & Meridiem. Ejus urbs præcipua Calceata.

RIVOLIUM, oppidul. Pedemontii, in colle, ad Duriam fluv. cum castro Ducum Sabaudiæ, 5. milliar. à Taurino in Occidentem, Segusium versus; *Rivoli*.

RIUSIAVA, Germaniæ urbs, *Ptolemæo*, vulgò *Gengen*. Aliàs *Rhinsiava*.

RIVULI Puellarum, urbs Transylvan. 6. leuc. à Bistricia in Occidentem, etiam *Rivulus dominarum*, vulgò *Banya*.

RIVUS, vulgò RIZ Monasterium Galliæ in Arvernis diœcesique Claromontensi, quemadmodùm & Celsinariæ *Ceusilanges* aut *Ceausilanges*: quæ ambo, ut & Romanum Monasterium *Roman Monstier*, Carum Locum, Ambertam *Amberte* in Lugdunensi parochia, ac Silviniacam, partim instaurata, partim à fundamentis extructa esse, à S. Odilone, prodit *vita ejus* Scriptor, apud Hadr. Vales. in voce *Celsinaria*.

RIVUS Francorum, castrum Liguriæ, in Ducatu Mediolanensi inter Alexandriam 12. & Astam 6. milliar. *Refrancore*.

RIVUS Morentini, vulgò *Romorantin*, castrum vel oppidulum Galliæ, ad Saleram majorem in Secalonia, cujus caput habetur, in uno de sex Archidiaconatibus Ecclesiæ Aurelianensis: qui Archidiaconatus Secaloniæ vocatur, & *Rivum Morentini*. Tauriacum in Secalonia *Toury*, Castellionem ad Carum, & Calvum Montem præcæteris complectitur. Dicitur à Morentino *rivo*, seu amniculo, qui ibi loci Saleram auget. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RIXA, Ottonis III. Imperatoris è sorore neptis, nupsit Boleslai Poloniæ Regis ab Imperatore creati filio Mieczislao, circa A. C. 1000. Vide Crantz. *Vandal. l. 2. c. 36.* qui cùm omnia ex uxoris consilio administraret, hæc Polonis exosa, post mariti mortem, è regno profugit, cum Casimiro filio, A. C. 1033. Vide Cromer. *Histor. Polon. l. 3.* Sequutum est interregnum 7. annorum, cædibus & latrociniis plenum, quibus fatigati Poloni Casimirum è Monasterio Cluniacensi, in quod se abdiderat, revocârunt, duris conditionibus à Benedicto IX. tum Pontifice Romano ipsis impositis. Vide quoque Auctorem Anonymum *Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ. c.* 8.

RIXAMARÆ populi Celtiberiæ, apud Martialem, *l. 4. Epigr. 55. v. 16.* quò Licinum, Hispanum Poetam, hortatus ad celebranda Celtiberiæ loca, ea quàmvis duriùs sonantia carmine comprehendit: memoratque inter alia,

> *Tutelamque chorosque* Rixamarum
> *Et convivia festa Carduarum* &c.

Ubi alii *Rixamorum* vel *Risamorum* legunt. Vide *Risamori*.

RIZON, urbs & fluv. Illyriæ.

RIZONITÆ, populi Illyrici, Liv. *l. 45. c. 26.*

RIZONICUS, sinus Liburniæ, *Ptolem.* Hodiè *Catharum*.

RM. in nummis Honorii & Severi, *Roma* notat, Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus*.

RO. in Gratiani nummis idem notat, quod RM. vide *suprà*.

ROAGA, filius Somer, 1. Paral. *c. 7. v. 34.* Latinè *saturatus*, vel *inebriatus meditatione*, vel *eloquiô*, aut *abstractione*, sive *separatione*.

ROALDENSIS Franciscus, Marsilliacô Gallus, Jus docuit Cadurci, cum Ant. Govea; dein Valentiæ, tandem Tolosæ, velut commune Oraculum undique consultus, ipsique Cujacio ac Hottomanno tanti habitus, ut eum arbitrum litis, circa explicationem *L. frater à fratre ff. De condict. Indebiti*, eligerent. Obiit A. C. 1589. ætat. 70. ann. mœrore ex Joh. Steph. Durantii Parlamenti præsidis cæde conceptô. Moriens, hujus unius se pœnitere dixit, quòd aliquandiu in urbe versatus esset, in qua nullus bonis Literis honor haberetur. Thuanus *Histor.* Sammarth. & Anton. Teissier *Elogiis*. Vide & *Franciscus*.

ROAME, meliùs RAME. Vide ibi. Inter Ebrodunum & Brigantium.

ROANA, vide RHODUMNA; Item, RHOTOMAGUM.

ROANNOIS, nomen illustris in Gallia Familiæ, Latin. *Rodumnii*: ramus est stirpis Gussieriæ. In hac enim Guilielmus, primus Cubicularius Caroli VII. pater fuit itidem Guilielmi, qui genuit Artum & Guilielmum, illum Dn. *de Boisy* ac Magnum Magistrum, hunc Dn. *de Bonnivet* & Admiralem Franciæ. In quorum illius ramo nunc sunt tituli *Ducum Rodumniorum* seu *de Roannois*. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatr. Nobilit. Europææ, Part. 2. p.* 34.

ROATIUS, Johannes, vide *Johannes*.

ROBA, vestis seu tunica, apud citimæ ætatis Scriptores, Gallis *Robe*. Inprimis verò sic dictæ sunt vestes, quibus Reges ac Principes Palatinos proceres donare consuevêre, hinc *festiva indumenta* vocatæ Matthæo Westmonasteriensi & Matthæo Parisio *A. C.* 1201. Ex iis verò quædam *Robes dei Compaignie* dictæ leguntur, fortè quod eminentioris conditionis personis darentur, quæ in comitatu Regis vel Reginæ morabantur. Qui itaque *Robas* accipiebant ab aliquo, de ejus familia censebantur. In *Statutis Secundis* Roberti I. Scotiæ Regis, *c. 34. §. 2. Repelluntur etiam ab acquietatione, inquisitione & assisa — Dominus, Ballivus, nec aliquis gerens* Robas *Domini* &c. Vide quoque suprà *Liberatio*, & *Pallium*. Unde *Robare*, in *LL.* Burgorum Scoticorum *c. 91. §. 1. robam* auferre, Gallis hodieque *Desrober*. Vide plura hanc in rem, apud Car. du Fresne *Glossar.* & *Dissertat. 5. ad Joinvillam p.* 160.

IMPERATORES ROMANI.

ROBERTUS, Imperator Occidentalis cognomine Parvus, Princeps Palatinus, Dux Bavariæ fuit. In locum Wenceslai ignavi substitutus, A. C. 1400. Aquisgranenses proscripsit ac ad obsequium perduxit, Venceslao bellum movit. Italiam, ut Galeatium dominatum invadentem, compesceret, intravit, sed, Italorum perfidiâ, clade in agro Brixiano affectus, domum rediit; Germaniam pacavit, Obiit Oppenhemii A. C. 1410. Heidelbergæ, ubi Academiam fundaverat, sepultus. Trithem. *in Chron.* Cuspinian. *in Ruperto, &c.*

ROBERTUS Cortenæus, Imperator Constantinopolitanus, Petro Patri, ex Jolanta Hannonica, successit, A. C. 1224. Hic, cùm nobili cuidam Burgundo uxorem rapuisset, ille aulam ingressus, auribus naribusque hanc truncavit, matrem verò, rei consciam, in mare dedit præcipitem. Obiit in Achaja, reversurus ex Italia, ubi coronatus fuit a Gregorio IX. Constantinopolim, A. C. 1234. Sanut. *Histor. Orient. l. 2. Part. IV.* Sabellic. *Historia Constantinop. Blondus, Spondus*, &c.

GALLIÆ REGES, VIRIQUE PRINCIPES.

ROBERTUS Galliæ Rex, primus hujus nominis, secundùm quosdam, unus est ex majoribus Galliæ Regum, qui à Childebrando, filio Pipini Crassi, descendunt. Pater Nebelongi, Avus Theodeberti, qui genuit *Robertum I.* Comitem & Marchionem, Dominum Saissii, in Biturigibus. Hic ex Agane, filia Vicfredi Comitis Bituricensis, suscepit *Robertum II.* Fortem, Ducem & Marchionem Franciæ, qui Infidelibus generosè, pro Patria, se opposuit: *Maccabæus* sui temporis dictus. Obiit in prælio, contra Normannos, in Andibus, A. C. 867. Ex Adelaide, filia Ludovici Pii, Eudis & Roberti pater: quorum ille, Rex Galliæ coronatus, regnum Carolo Simplici reddidit: cujus bonitate abusus Hagano, Procerum odium in eum concitavit, qui A. C. 920. eum thronô deturbare decreverunt. Horum caput Robertus, A. C. 922. coronam sibi vindicavit, sed à Carolo in Suessionibus victus & propriâ hujus manu occisus est, A. C. 925. Ex Beatrice Veromandua, filiâ Herberti I. pater Hugo-

Hugonis M. qui Hugonem Capetum genuit, & Emmæ, quæ Rodolpho, post mortem Roberti, coronato, nupsit, Flodoardus *in Chron. &c.*

ROBERTUS, Galliæ Rex, cognomine Sanctus, Devotus, & Sapiens, filius Hugonis Capeti, vivò Patre coronatus, A. C. 988. ei successit, A. C. 997. Maritus Berthæ, matris suæ lustricæ, & consobrinæ, filiæ Conradi Burgundiæ Regis ex Mathilde Francica, eam sententiâ Gregorii V. dimittere coactus, duxit Constantiam Blancam, filiam Guilielmi, Comitis Arelatensis & Provinc. quæ superba admodùm & ferox, prudentiâ mariti coërcita est. Eundem Campaniæ Comit. turbas daturum compescuit. Ottonem Guilielmum, Comitem Trans-Ararinum, Burgundiæ Ducatum invadere parantem, vicit: Senonum urbem, Renardo Comiti, quòd Archiepiscopum duriùs tractâsset, eripuit: Paceque regno datâ, literas fovit, templa extruxit, &c. Coronari dein Hugonem primogenitum suum curavit, A. C. 1016. quò A. C. 1026. defunctò, Henricum Juniorem ei surrogavit, frustra obnitente reginâ, quæ minimum natu Robertum, Burgundiæ Ducem, promotum ibat. Obiit Meloduni, A. C. 1031. ætat. 60. Glaber *in Hist.* Helgald. Fleuriacensis, *in vita Rob.* Dupleix & Mezeray, *Hist. Gall.*

ROBERTUS I. Burgundiæ Dux, Caput Lusitaniæ Regum, filius fuit Roberti Galliæ Regis ex Constantia, quæ illum ad Galliæ regnum frustra evehere conata est. Magni suò ævò nominis, obiit A. C. 1075. ex Adelaide, pater Henrici, cujus filius Henricus Comitum & Regum Lusitaniæ stirps fuit, &c.

ROBERTUS II. Rex quoque Thessalonicæ titularis, tertius filius Hugonis IV. huic, exclusis sororibus, successit. Obiit A. C. 1309. Successit ei Eudes IV. Duchesnius *Histor. Burgund.* Sammart. *Hist. Geneal. Gallic.*

ROBERTUS, filius Ludovici VI. ex Adelaide Sabaudica, stirps familiæ regiæ Druidensis; Hanc enim urbem & Comitatum appennagii locò accepit. Ex vidua Molonis, Pater *Roberti II.* qui obiit A. C. 1218. Pater ex Jolanta *Roberti III.* qui genuit, inter alios, Johannem I. patrem *Roberti IV.* mortui, A. C. 1282. &c. Vide Sammart. *Hist. Geneal. fam. Gall.*

ROBERTUS, filius Ludovici VIII. ex Blanca Castellana, stirps Comitum Atrebatensium & Eusianorum. Cognomine *Bonus* & *Strenuus.* Fratris in expeditione sacra comes, occisus est Massuræ, A. C. 1250. Ex Mathilde Brabantina, pater *Roberti II.* Nobilis, qui in prælo Guetraceensi obiit A. C. 1302. ætat. 54. Hic ex Amicia Cortenæa, suscepit Philippum, Robertum & Mathildem, quorum primus *Robertum III.* genuit, qui ab amita in foro victus, miris modis Galliam turbavit. Eduardi III. partes amplexus. Hic pluribus vulneribus in Armorica, cùm Venetjas Galli recuperarent, acceptis, obiit Londini. A. C. 1343. ætat. 54. Ex Johanna, filia Caroli Valesii, pater Johannis, Comitis Eusiani, Caroli Comitis Longavillani, &c.

ROBERTUS, filius sextus Ludovici IX. ex Margareta Provinciali, Comes Claromontanus, Caput familiæ Borboniæ. Ex Beatrice Burgundica, fil. Johannis & Agnetis Borboniæ, pater Ludovici I. Ducis Borbonii, &c. Pietate & clementiâ inclytus, obiit A. C. 1318. Pet. Matthæus *Hist. S. Ludovic.* Sammart. *Hist. Geneall. Gall.*

ROBERTUS, cognomine Sapiens & Bonus, Neapolis, Hierosolymæ & Siciliæ Rex, Comes Provinciæ, tertius filius Caroli II. Claudi, prælatus à Clemente V. Carolo II. Chariberto Hungariæ Regi suo ex Carolo Martello, majori natu fratre, nepoti. Cum Henrico VII. Imperatore à Papa in illum concitatus, rem habuit, sed inde feliciter se explicuit. Obiit Neapoli, A. C. 1343. ætat. 64. regni 33. Literatorum Mæcenas, à Petrarcha, Epitaphiò ornatus. Cùm hæredes non haberet ex se natos, præmortui enim sunt, neptem suam Johannam, ex Carolo genitam, hæredem instituit. Petr. *lib. 2. rer. memor.* Summoneta *Hist. Neapol.* Nostradam. & Bouchæus, *Histor. Prov. &c.*

SCOTIÆ REGES.

ROBERTUS Brussius I. Scotiæ Rex, ex posteris Davidis I. ad successionem vocatus, æmulum sensit Johannem Balliolum, qui regnum, Anglorum ope, occupavit: inde à Brussio pulsus, qui obiit A. C. 1329. regni 23. Pater Davidis II.

ROBERTUS II. Davidi II. improli successit, filius Walteri Stuardi, Magni Scotiæ Seneschalli, ex Maria filia Roberti Brussii Regis, Obiit A. C. 1390. regni 20. Ei natus est, ex Isabella Murth

ROBERTUS III. qui, nomine Johannis, ob odium Johannis Balioli, omissò, Patris nomen assumere à Scotis compulsus, obiit A. C. 1406. regni 16. ex mœrore, quòd filius ejus, qui postmodùm Jacobus I. fuit, in Anglorum manus pervenerat, Lesleus & Buchanan. *Hist. Scot.* Duchesn. *Hist. Angl.*

NORMANNIÆ DUCES.

ROBERTUS I. Normanniæ Dux, in baptismo hoc nomen accepit, cùm prius Rollo, seu Rodolphus vocaretur. Caput Danorum, seu Normannorum, qui seculis 9. & 10. Galliam tantoperè afflixerunt: his Carolus Simplex partem veteris Neustriæ, postmodùm Normanniam vocatam, concessit, simulque Gislam filiam Rolloni elocavit. Obiit A. C. 917. vel 920. Pater ex Popa, uxore priore, Guilielmi I. Longi Ensis.

ROBERTUS II. filius Richardi II. successit fratri Richardo III. Obiit Nicææ, ex itinere Orientis rediens. A. C. 1035. pater ex Helleva, nobilis cujusdam uxore, Guilielmi Nothi, Angliæ Regis; cui ex Mathilde Flandrica genitus est

ROBERTUS III. quem Normanniæ Ducem creavit, A. C. 1087. Angliâ alteri filio, Guilielmo II. Rufo concessâ: Robertus, in Oriente acceptò de morte fratris nuntiò domum rediit, hæreditatem aditurus, sed ab Henrico, fratre minore, qui regnum jam invaserat, victus, A. C. 1106. captus, & in vinculis, occisus est. Polydorus Virg. Duchesnius *Hist. Angl.*

ROBERTUS, Guischardus, Normannus, Apuliæ & Calabriæ Dux. Cùm enim Tancredus Hautevillanus, Normannus nobilis, numerosam haberet familiam, non verò æquè magnas opes: filiorum duos in Italiam misit, *Fierebras*, & *Druis*, dictos, qui Pandulfo, Capuæ Domino, se addicentes, aliis postmodùm juncti, Saracenis in Sicilia bellum movere inceperunt, quod cùm feliciter succederet, fratres suos amicosque è Normannis, ad periculi gloriæque societatem vocârunt. Inter quos Robertus eminens, victis sæpiùs hostibus, post varias fortunæ vices, obiit, A. C. 1085. ætat. 62. Pater Boëmundi in bello sacro celeberrimi, & Rogerii, qui Apuliam & Calabriam nactus est. Andr. Duchesnius, *in T. Script. Norm.* Baron. *in Annal.* Vide etiam in voce *Wischardi.*

FLANDRIÆ COMITES, ET NASSOVIÆ.

ROBERTUS I. Flandriæ Comes, dictus Friso, secundogenitus Balduini V. ex Adelaide, filia Roberti Galliæ Regis, frater Balduini VI. Hujus demortui A. C. 1070. filiorum Arnolphi & Balduini Tutor constitutus, matre eorum Richildâ Hannonicâ expulsâ, ditiones ipsemet occupavit. Arnolphum III. Infelicem, Philippi I. Galliæ Regis copiis suffultum vicit & occidit, A. C. 1071. Dein, cum Philippo pace factâ, victò quoque Balduinò, hunc Hannoniâ contentum vivere coëgit. Ex Gertrude Saxonica, natus ei

ROBERTUS II. qui Hierosolymitanus dictus, expugnationi Urbis hujus, sub Godofredo Bullionæo, interfuit. Obiit, ab equis conculcatus, in prælio, inter Ludovicum Crassum Galliæ Regem & Theobaldum Comitem Campaniæ, commissæ, A. C. 1111. Ex Clementia, filiâ Guilielmi, Comitis superioris Burgundiæ & sororis Calixti II. pater Balduini VII. Ordericus Vitalis, *Hist. l. 11.* Dionys. Salvagus, *Annal. Flandr. &c.*

ROBERTUS, fil. Walravii Comitis Nassovii, rami Dilleburgensis, patri defuncto A. C. 1110. in ditione successit; arcem Nassoviam instauravit, obiit A. C. 1120. Pater Walravii & Friderici, qui vivò adhuc Patre interfectus est. Cyriacus Lentulus *in Geneal. Principum Nassovia MS.* Vide quoque infrà *Rupertus.*

VIRI ILLUSTRES ET CLARI.

ROBERTUS, Episcopus Namnetensis, Patriarcha Hierosolymitanus, ibi A. C. 1227. usque ad A. C. 1247. præfuit: Successit ipsi Jacobus Pantaleo.

ROBERTUS, Fundator Ordinis Cisterciensis, A. C. 1098. Ab Honorio III. inter Sanctos receptus. Chrysostomus Henriquez, *in Fastic. & Menol. Cisterc.*

ROBERTUS Antissiodorensis, Monachus. Composuit *Chronicon, à Mundo condito, usque ad A. C. 1200. à Nicolao Camusato editum, A. C. 1608. Trecis.*

ROBERTUS Arbrissellus, fundator Ordinis pontis Everardi, A. C. 1100. Obiit A. C. 1117. Moreri[illegible] *in Dict. Historico.*

ROBERTUS Baconus, Presbyter Anglus, Theologiam Oxonii docuit, magna cum laude. *Glossas in universam Scripturam* edidit; porro commentatus est *in Psalmos*, scripsitque *homilias*, & *vitam Edmundi Cantuariensis, Præceptoris sui.* Obiit A. C. 1248. Matth. Paris. *in Histor.* N. Trivetus, *in Chron.* Brianus Twynus, *l. 3. de antiq. Acad. Oxon.* Middendorp. *de Acad. l. 2.* Pitseus, *de Illustr. Angl. Script.*

ROBERTUS Balæus, JCtus insignis Londinensis. Scripsit *Urbis hujus Chronicon, tractatum de ejus privilegiis & Consulibus: Alphabetum Sanctorum Angliæ & Historiam Eduardi III.* Alius, dictus Junior, Carmelita Anglus: Condidit *Annales sui Ordinis, vitam Eliæ, Simonis Stockii*, Obiit, A. C. 1505. Pitseus, *de Illustrib. Angl. Scriptor.*

ROBERTUS Bastonus, vel Bestonus, Carmelita Anglus, Principibus gratus, Eduardo I. inprimis, à quo in Scotiam deductus est, cùm Rex hic Johannem Balliolum regnò exueret. Hujus postmodùm victorias carmine prosequi, coronatus enim Poëta fuit, jussus est, A. C. 1304. Sed, paulo pòst, à Roberto Brussio captus, aliud in Scotorum laudem componere est coactus. Obiit A. C. 1310. aliis quoque scriptis inclytus, Baleus, *in Script. Britann. Cent. 4. c. 92.* Pitseus, *de Illustr. Angl. Scriptor. &c.*

ROBERTUS Capito, seu Greathead, Anglus, Theologorum & Philosophorum sui seculi facilè princeps, ad Episcopatum Lincolniensem evectus est. Literatorum Mæcenas; Scripsit *Commentarios in S. Biblia, tractatus Theologicos, Epistolas*, &c. Obiit A. C. 1253. Matth. Paris. *in Histor.* Possevin. *in Apparat.* Pitseus & Baleus, *de Scriptor. Angl.*

ROBERTUS Clemens, Vastiniensis Gallus, à Ludovico Juniore filii sui Philippi Augusti educationi admotus, huic postmodùm à consiliis & arcanis fuit. Obiit A. C. 1182. Frater Ægidii Clementis, qui similiter Minister status fuit, & Garmondi Abbatis. Pater Alberici & Clementis, Marescallorum Galliæ. Vide Autueil. *Hist. Min. Stat.*

ROBERTUS Cœnalis, Episcopus Abrincensis, magno in pretio, apud Franciscum I. Composuit *Historiam Gallicam*, quam Henrico II. inscripsit: *Historiam item Ecclesiar. Normanniæ.* Porrò scripsit contra Formulam *Interim*, à Carolo V. Imperatore publicatam: opus *de ponderibus & mensuris*, &c. Obiit A. C. 1560. Parisiis, Morerius *in Histor. Diction.*

ROBERTUS Garnerius, Gallus, in Poësi patria excelluit, Scævola Sammart. *l. 4. elog.* Vide *Garnerius.*

ROBERTUS Holkotus, Dominicanus Anglus, Theologiam Oxo-

Oxonii docuit, *Commentariis in S. Scripturam*, &c. inclytus. Obiit peste A. C. 1349. Leand. Alb. & Antonius Senensis, *de Vir. Illustr. Ord. Domin.* Alphonsus Fernandesius, Pitseus. &c.

ROBERTUS Leicestriensis, Franciscanus. Philosophus, Theologus & Orator insignis, obiit A. C. 1348. in Anglia. Scripsit *Comment. in Magistrum Sententiarum*; item *de Ratione temporum*; *de Computo Hebraeorum*: *de Computo Latinorum*: *de Paupertate Christi*, *&c.* Willot. *Athen. Franc.* Leland. & Pitseus. *de Scr. Ill. Angl.*

ROBERTUS de Monte. Abbas Montis S. Michaelis in Normannia. Principibus Magnatibusque gratus. Ab Henrico II. Angliæ Rege & Normanniæ Duce maximis negotiis adhibitus, jussu Alexandri III. Pontificis Concilio Turonensi interfuit. Scripsit *Historiam sui Monasterii*, aliaque plurima, quorum pauca quædam supersunt. Obiit, A. C. 1186. Idem forte fuit qui continuavit *Chronicon Sigeberti*, quod Vossio non videtur. Possevin. *in appar.* S. Voss. *in Hist. Lat. l. 2. c. 52. & 55. &c.*

ROBERTUS Pullus, Cardinal. Anglus, floruit A. C. 1146. Civilibus bellis pulsus in Galliam venit, ubi magno cum successu studiis incubuit. Dein in Angliam redux, Restaurator Academiæ Oxoniensis dici meruit, novis eò Professoribus vocatis. Scripsit *Sententiarum de Trinitate libros* 8. *In Apocalypsim*: *In aliquot Psalmos*: *de Contemptu Mundi*, *&c.* Joh. Rossius, *de Acad.* Leland. & Pitseus, *de Ill. Angl. Scriptor.* Possevin. *in appar.*

ROBERTUS de S. Remigio, Monachus Abbatiæ S. Remigii Remensis, floruit seculò 12. Itinere in terram sanctam susceptò, scripsit *historiam belli à Gallis, sub Godefredo Bullionæo, contra Saracenos gesti*: Ortus à tempore Concilii Claromontani, cui Auctor interfuit, usquead captam Hierosolymam, & ulterius usque ad A.C. 1099. *Acta* etiam *Conciliorum* collegit. Vixit adhuc A. C. 1120. Trithem. *de Scr. Eccl.* Possevin. *in appar.*

ROBERTUS Sorbonus, Fundator Collegii, à nomine suo dicti, Parisiis. Canonicus Ecclesiæ Parisiensis. Eleemosynarius & Confessionarius Ludovici IX. ab hoc magno in pretio habitus est. An. dein 1253. instituit Collegium Sorbonicum, in Universitate Parisiensi, ubi Theologia doceretur, celeberrimum. Scripsit *de Conscientia*, *de Confessione*, & *Iter Paradisi*. Obiit A. C. 1271. Joinvilla, *in vita S. Ludovici, c.* 94. Tillet. *in Chron. &c.*

ROBERTUS Stephanus, Parisiensis, Typographus sui seculi celeberrimus, tum impressis nitidissimè, tum editis propriò Marte scriptis, de re literaria, præclarissimè meritus. Hebraicè, Græcè & Latinè doctissimus; Auctor *Thesauri Linguæ Græcæ*, operis excellentis, *Grammaticæ*, & *Commentariorum in Evangelia*: *Novam* quoque *Bibliorum versionem* adornavit, &c. Ob purioris religionis cultum, in Gallia parum tutus, Genevam se recepit, A. C. 1547. ibique obiit, A. C. 1559. ætat. 56. Parisiis in effigie exustus. Frater Caroli, celebris Medici Parisiensis, pater Henrici & *Roberti*: quorum ille Franciscum & *Robertum* genuit, qui Græcæ & Latinæ poëseos peritissimus, commerciò virorum literatorum, sub initium hujus seculi, celebris fuit, Gesner. *in Biblioth.*

ROBIGO, sive RUBIGO. Dea Romanorum, quæ ideo colebatur, ut vitium segetum, quod *robiginem*, sive *rubiginem* vocant, averteret. Varro *l.* 1. *de R. R. c.* 1. *Robigum* Deum facit, vide infrà, eumque Floræ conjungit, cui etiam *Robigalia* festa publicè instituta asserit. Horum meminit Columella, *l.* 10. qui totus constat ex carmine:

Hic mala rubigo virides ne terreat herbas,
Sanguine lactantis catuli placatur, & extis.

Plin. *l.* 18. *c.* 29. Hæc sacra à Numa Pompilio fuisse instituta, annò regni ejus undecimò tradit, eaque ait ad 7. Cal. Maji celebrari solita, quò tempore segetes rubigini maximè sunt obnoxiæ.

ROBIGUS, Deus apud Romanos, qui *robiginem* à segete averruncare credebatur, teste Varrone *de L. L. l.* 5. memoratur A. Gellio, *l.* 5. *c.* 12. his verbis: *In istis autem Diis, quos placari oportet, uti mala à nobis vel à frugibus natis amoveantur, Averruncus quoque habetur & Robigus.* Rubigo autem tum segetes lædit, cùm udos imbre culmos Sol ardens torret, sicut Plut. *de prim. frig.* testatur, Contrà tamen Plin. *l.* 18. *c.* 28. *Plerique dixêre rorem inustum Sole acri, frugibus rubiginis esse causam, & carbunculi vitibus: quod ex parte falsum arbitror omnemque uredinem frigore tantum constare, Sole innoxiò.* Vossius hac de re ita habet, *Idolol. l,* 3. *c.* 11. *Huic Lunæ filia* (Rorem intelligit) *sua quoque sunt incommoda. Nam si in segetem impluerit, nec defluxerit calore Solis, in ea putrescit, unde vitium segetis robugo: cui averruncando præfectus à Gentilibus Robigus*: quem alibi *Rubigum* idem vocat. Ei sacra instituit Numa Pompilius, canisque & ovis extis sacrificari voluit. Ovid. *Fast. l.* 4. *v.* 907.

Flamen in antiqua lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Lucum & ædem in regione V. ponit *Panvinius*, ædem viâ Nomentanâ, extra portam Catulariam. De cane cæso, & quidem lactente, etiam Columella, *l.* 10. sic loquitur,

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.

Rufi debuisse esse coloris, indicat *Festus*: *Catularia porta Romæ dicta est, quia non longè ab ea ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur.* Diem sacrorum, vide in voce *Robigo*. Ad Imitationem Romanorum Rhodii quoque Deum habuêre, qui *rubiginem* propelleret. Templum enim iis Apollinis *Erythibii*, quò nomine Græcos rubiginem denotare notum. Anton. Thysius JCtus *Not. in Gell. loc. cit.* Vide hanc in rem plura apud Salmas. *ad Solin. p.* 433.

ROBINSON Hugo, Anglus, Archididascalus Scholæ Wintoniensis primùm exin Theologiæ Professor, Ecclesiæ Wellensis Canonicus, & Archidiaconus Glocestriensis, Theologus eruditus & in Historiis antiquis optimè versatus. Obiit A. C. 1655. Edidit *Preces, Rhetoricam*, *Antiquæ Historiæ Synopsin*, *Fœderis solennis Vindicias.* Ant. à Wood *Histor. & Antiqq. Academiæ Oxoniensis.* Memoratur & *Robinsonus* Henrico Pastor Leidensis, qui omnium Separatistarum doctissimus ac modestissimus, optimam operam navâvit in refutandis Arminianis, atque ab Amesio & Parkèro in viam revocatus, rigidam Separatistarum opiniones mitigaverit, & *Semi-Separatismum* fundaverit Unde *Semi-separatistæ* orti, qui & ab illo *Robinsoniani* primùm, dein & *Independentes* sunt dicti; de quibus hoc in universum tenendum esse ait: *Eos in doctrina nihil vel parùm, in nullo saltem fundamentali articulo, discrepare ab aliis Reformatis Ecclesiis. Ceterùm majorem puritatem, vitæ sanctitatem & perfectionem præ se ferre.* Vide illum *Historiâ Eccles. Novi Testam. Periodò III. Artic.* 3. ut & suprà, voce *Independentes.*

ROBIUS, in *veter. Inscr.* bovis vituli que epitheton, à rufo colore, quem ξουθὸν appellant Græci. Vide infra *Succidanea.*

ROBOAM, fil. Solomonis, huic in regno Israelis successit, A. M. 3060. cujus cùm avaritiam & crudelitatem Judæi, quibus imperabat, ferre nullò modò possent, ab eo defecerunt ad Jeroboam, præter 2. tribus. Judæ scil. & Benjamin, quæ regni divisio in posteris etiam regibus duravit. Obiit, postquàm à Sisaco quoque Ægypti Rege victus & omnibus thesauris exutus esset, A. M. 1076. regni 17. ætat. 58. Vide Historiam ejus, 1. Regum *c.* 14. *v.* 21. *s.* 2. Paralip. 12. *v.* 13. *s.* adde Torniel. Salianique *Chronol.* Latinè, *dilatans populum*, aut *latitudo*, vel *platea populi*, sive *odor*, vel *odorans cum populo.* Joseph. *l.* 8. Τὸν τρίτον ἀλλάξαι αὐτῷ καὶ αἰτοῦντος, καὶ διὰ τὸ μὴ προέχειν τοῖς πατρῴοις φίλοις, τὴν ἀρχὴν ἀπολέσαι. Ideoque οὐκ ἄξιος τῆς ἀρχῆς *Suida* dicitur.

ROBORA, vicus Belsiæ, ad Vegram amnem; *Rouvres.* Aliàs oppidul. satis cultum & antiquum, ubi Druidæ sacra faciebant. Vix dimid. leuc. ab Aneto castro & ab Ebura fluv. 3. à Drocis in Ortum, ferè 2. ab Hodano, 14. à Lutetia in Occasum.

ROBORARE, apud Flav. Vopisc. *in Aureliano*, *c.* 33. *Templum solis fundavit & Pontifices roboravit*; est munire & dotare salariis, privilegiis & opimis annuis reditibus. Sequitur enim *Decrevit etiam emolumenta Architectis & Ministris.* Eâdem notione *solidare* dixit Cassiodorus, *Variar. l.* 3. *Ep.* 31. unde *solidum*, pro mercede apud recentiores, hodieque Germanis *sold* & *solidati* milites Gallis *soldats*, *Fulcire* legitur, in *Cod.* Theodos. *de filiis militar. Apparitor. & veterator. l.* 11. & vide Salmas. *ad Vopisci locum*, & *ad Solin. p.* 156.

ROBOREA Familia, vulgò *de Roviero* seu *de Rouvere*, inter Italiæ illustres, multum incrementi debet Sixto quarto & Julio II. qui ex ea Pontifices lecti sunt. Hujus frater Joann. Dux Soræ, duxit Joannam Monfeltriam, Guidi Ubaldi qui Monfeltrios morte suâ clausit A. C. 1508. sororem, & ob eam Ducatum Urbini in domum suam intulit, quam ultima terminavit Victoria, Ferdinando II. Mediceo, Magno Duci Florentiæ, qui tamen Ducatum, Pontificiæ Cameræ ob defectum masculorum adscriptum, uxoriò nomine obtinere nondum potuit, nupta. Ejus Majores vide apud Spenerum, *Theatrò Nob. Eur. Part. III. p.* 37.

ROBORETUM, oppidul. ditionis Tridentinæ; *Roboreid*, sub Venetis, 26. mill. pass. à Verona in Boream, Tridentum versus, 12. à Benaco lacu in Ortum. Item, urbs Episcopalis Ultoniæ, ab Armaca 40. mill. pass. Hibernic. Boream versus, *Dury*, seu *Derry*: quæ & novum Londinium, vulgò *London Derry*, ob Anglorum Coloniam eò deductam.

ROBORTELLUS Franciscus, Utinensis, literas Humaniores docuit Lucæ, ubi homicidii convictus solum vertere jussus est. Dein Pisis, Venetiis, Bononiæ ac tandem Patavii, tanta cum laude idem munus obiit, ut Lil. Greg. Giraldi elogiò *Pater elegantiarum & Decus novem sororum* meruerit appellari, Poësi Græcâ Latinâque, & enarratione præcipuorum utriusque LL. Scriptorum inclytus. Verùm superbus, vanus, obtrectator, tum aliorum, tum Sigonii, Alciati & Egnatii inprimis. Cùm insignis aliàs Orator esset, parentaturus tamen Carolo V. in exordio statim orationis obmutuit, neque ullatenus eam continuare potuit. Obiit A.C. 1567. æt. 51. Scripsit plurima, quæ inter Tract. ejus *de Historia* mirè placet Keckermanno *de Histor.* reliqua vide sis in *Elogiis* Anton. Teissier *Part I.*

ROBUR, Ammian. munimentum in suburbio Basileæ: *Rotthauss*, Simlero. Sic autem castrum vocatum est à Valentiniano Aug. contra Alamannos, ædificatum. Quod in loco fuisse Urbis Basileæ, ubi nunc summum Templum, contendit Chr. Urstisius *in Epit. Hist. Basil.* eòque, sive à primis sive à posterioribus Hunnis destructò, aut aliâ quâdam temporum injuriâ deletò, tum demum Basilicam majorem illius Ecclesiæ ibi erectam, Basileam enim tum eum occupâsse tractum fontium scatebris irriguum, qui in convalli juxta Birsicum torrentem, à Sallina turri *Saltzthurn* versùs inferiores Spalas atque ultra protenditur, facilè ostendi potest: Propinquum igitur castrum hoc Basiliæ fuit, quod ab accolis, i. e. Basiliensibus, *Robur* dictum fuisse, *Marcellinus* testatur. Nec abludit hodierna appellatio, quâ Cathedralis Ecclesiæ arcam, Germanicò idiomate *auff Burg* nuncupant: in Episcopalibus quoque diplomatis idem locus *in Castro* vocatur. Sic enim Petrus Episcopus synodò habitâ A. C. 1297. pro conservanda libertatis Ecclesiasticæ immunitate, vetans, *ne intra terminos Castri sive Atrii Ecclesiæ Basil. alicui Canonicorum vis fiat,*

fiat, *Castri* talem determinationem assignat, *A porta Rodolfi Craftonis Canonici, usque ad Curiam Prabendalem Bertoldi de Weissenberg in longitudinem & ab hac in latitudinem, usque ad Curiam Prabendalem Joh. de Diessen ab una parte. In alia verò parte à Curia D. R. Craftonis, usque ad extremitatem Curiæ Prabendalis D. de Gundelzheim.* Adde, quòd annô 1576. cùm cella vinaria eô locô effoderetur, numismata aliquot ænea Romanor. Imperator. imaginibus signata, reperta sunt, qualia apud Augustanos Rauricos reperiuntur, quæ significationem aliquam priscæ habitationis dare potuêre. Hactenus *Urstisius.*

ROBUR, teste *Festô*, in carcere is locus, quò præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur. In Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 29. *Robur* videtur potius supplicii locus, quàm custodiæ. Calpurnius declamator, *Decl.* 5. *Video carcerem publicum saxis ingentibus structum angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem. In hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt: & quoties jacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur, & alienum supplicium aspectando suum discunt.* Ex quo clarè discitur *Robur* hoc in Tulliano fuisse, i. e. carceris inferiore loco. Nempe una fuit, ex Carceris præcipuis partibus, sicut altera Tullianum, utraque supplicii locus. Strangulatio quippe, quæ laqueô fiebat, in Tulliano; præcipitatio, in *Robore.* peragebatur: quorum illud *Dungeon*, hoc *strong hold* Anglicè dicas: Et sicut communiter *Robur*, ita quandoque *Codex robustus*, Plaut. *Pœnulô, Actu* 5. *Sc.* 3. *v.* 53. aliquando *Custodia lignea*, *Ibid. Sc.* 6. *v.* 28. nonnunquam *Italum robur*, Horat. *l.* 2. *Od.* 13. *v.* 18. appellatur. In eo stipes erectus, è quo rei in præcepsdati, ut colligitur ex verbis Tullii, *Quæro, fregeris ne cervices in carcere illi ipsi Vectio:* Plauti item *Curcul. Act.* 5. *Sc.* 3. *v.* 14. *At ego faciam vos ambos in robusto carcere ut pereatis.* Vide quoque Hadr. Turnebum, *Adverf. l.* 23. *c.* 21. Fiebat vèro tum strangulatio in Tulliano, tum præcipitatio in *Robore* per Carnificem. idque Triumviri Capitalis jussu. Vide Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 31. & Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 3. *sect.* 3. *c.* 5. Aliàs *Robur* & Quercus passim Auctoribus confunduntur, Poëtis plerumque; cùm tamen arborum hæ species diversæ & materie differant apud Architectos: imò & glande, quæ in quercu grandissima est, in *robore* parva, si Plinio credimus; *Glossa*, *Robur*, εἶδος ξύλου μαλακώδους, scribe μιλακοδρυός. Ubi tamen non certum genus arboris glandiferæ intelligitur, sed lignum quercinum mediale, quod est firmissimum & robustissimum. Græci, μίλαξ δρυὸς ἡ ἐν τοῖς δένδρεσι ἀσαπὴς καὶ ἡ τῶν ξύλων ἐντεριώνη. Unde & speciem quercus, quæ fortissimum habet lignum, *Robur* appellavêre: quam nempe δρῦν ἀιγιλώπα vocat *Theophrastus.* Quercus enim propriè est ἡ ἥμερις. Imò ea ipsa, quam Idæi ἡμερίδα, Macedones ἐτυμόδρυν appellabant, Latini simpliciter *Quercum* dixêre. At *Robur*, est sylvestris quercus; cujus lignum robustius est lignô quercus ἡμέρις &c. *Roborum luci* apud *Plinium* δρυμοὶ sunt; *Lucus* namque de grandioribus tantùm arboribus & consecratis propriè sumitur: at sylva minorum est, uti Græcorum ὕλη. Salmas. *ad Solin. p.* 507. & 585. Plura de voce hac vide infrà in *Valentia:* uti de prægrandibus *roborum* vermibus, qui in deliriis veter. voce *Vermis.*

ROBUSTA Maria, vide *Maria.*

ROCCA, vicus Liguriæ.

ROCCA, vide hic infrà *Rocha.*

ROCCA Papæ. Vide infrà *Rota Porphyretica.*

ROCCAMELTIS, vulgò ROCHEMEAU, castrum fuit Galliæ, Carrosso vicinum, quod Guilielmus Dux Aquitaniæ obsedisse legitur, *in Hist. Aquitan.* Nunc vicus ad Carentonum, S. Carrosso (*Carrof*) proximus; qui ab urbe Lemovicis Monasterium Johannis Baptistæ Ingeriacum petentibus occurrit, Hadr. Valef. *Notit. Gall.* voce *Carroffum.*

ROCOMACORUS, oppid. Galliæ Aquitanicæ, fortè *Roquemadour*, in Caburcensi provinc. prope Dordonium fluv.

ROCCUS, apud Monachum S. Galli seu Notkerum *de Carolo M. l.* 2. *c.* 27. *Carolus habebat pellicium berbycinum, non multum amplioris pretii, quàm erat* roccus *ille S. Martini, quò pectus ambitur nudis brachiis* &c. vox German. *Rock*, hodieque in multo usu, supremam vestem seu ἐπενδύτην notat. Cujusmodi *Roccos* etiam Monachis attribui passim, docet Car. du Fresne *in Glossar.* Ῥόχον Græci recentiores vocant, *Histor.* Apollonii Tyrii, Nicetas Choniates, Codinus *de Officiis*, Alii. Inde *Rochetum* diminutivum de qua voce mox.

ROCHA, in ludo latrunculorum Persis dicitur, quæ Gallis *Rocca* est, infimæ nempe Latinitatis vocabulum, pro rupe, *Roc:* Alii *elephantem* vocant. Iidem *Piada*, in eodem, pro pedite dicunt. Quæ non magis sont origine Persica, quàm ipsius ludi appellatio, quem *Xatreng* nuncupant, ex Græco *Zatricium.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1130. ubi è Græca lingua in Persicam multas voces migrâsse, docet. & infrà, in voce *Zatricium.*

ROCHEFORD, ROCHEFUCAUD, ROCHEPOSAY, nomina illustrium in Gallia Familiarum. vide infrà *Rupifortii*, *Rupifulcaudii*, *Rupiposai.*

ROCHETUM, diminutivum, à *Rochus* seu *Roccus*, in Ecclesia Romana vestis linea Episcoporum peculiaris olim. posteà etiam Abbatibus aliisque concessa est. *Ceremonial. l.* 1. *c.* 4. *Utuntur croceis obscuris & subtus parvò caputiò supra rochetum.* Olim longum erat atque talare, ut ex antiquis picturis & relatione Mucantii de Bonifacio VIII. refert Car. Macer. Cum enim Bonifacii hujus sepulchrum apertum esset, A. C. 1605. corpus integrum adhuc repertum est, indutum omnibus Pontificalibus indumentis, *caligis, sandaliis ex tela aurea, in summitate acutis, sine cruce*, Rochettô *longô albô, stolâ, cingulô, dalmaticâ, tunicellâ, planetâ amplâ sericeâ coloris nigri, phanone & palliô* &c. uti habet præfatus Jo. Paulus Mucantius, apud Torigum *de Cryptis Vaticanis, p.* 372. Habet autem manicas strictiores, quò significari dicunt, Prælatis ad eleemosynam largiendam manus promtas & expeditas esse debere &c. Ejus usum qui habet Prælatus, in obsequio alicujus Cardinalis, tenetur illud deferre, dum Cardinalis illud defert; cùm verò Cardinalis illô non utitur, nec Prælatô illo uti concessum. Sed & *Rochettô* induitur Prælatus, dum Regiis Oratoribus obsequium præstat, item in audientia Pontificis, in visitatione Cardinalis recèns creati, sive à legatione redeuntis, vel cùm salutat aliquem *Serenissimi* titulô insignem. Prælati verò Regulares *Rochettum* non gerunt, sed in Missa utuntur superpelliceô, Inter quæ duo quodnam discrimen sit, docet apud Car. du Fresne, Lindwodus *ad Provinciale Ecclesiæ Cantuar. l.* 3. *tit.* 27. *Rochettum differt à superpellicio, quia superpellicium habet manicas pendulas, sed* Rochetum *est sine manicis, & ordinatur pro Clerico ministraturo Sacerdoti, vel forsan ad opus ipsius Sacerdotis. in baptizando pueros, ne per manicas ipsius brachia impediantur.* Vide eundem de *Rocheto Canonicorum Regularium*, & plura hanc in rem apud Macros Fratres *in Hierolex.*

RODEBECCUS, vel ROTOBECCUS, vulgò ROBEC, rivus Galliæ, Monasterium S. Audoëni alluens, à quo *Rotomago* nomen. Utriusque meminit Ordericus Vitalis, *Hist. l.* 5. cùm ait: *Super Sequanam fluvium, urbem Rotomagum construi præcepit C. Julius Cæsar in loco aptissimo: ubi ad Orientale caput Urbis Albula fluv. cum* Rodebecco *& ab Occasu Marrona in Sequanam influit.* Ubi *Albula*, à colore aquarum sic dictus, vulgò *Aubette*, nuncupatur: *Rodebeccus*, aliis *Rodiis* seu *Rotus*, similiter voce Celticâ à colore, quasi *ruber rivus* dicitur. *Roth* enim Germanis rubrum denotare, notum ejus linguæ peritis: unde & Græci, inprimis *Theophanes.* Caroli M. filiam *Rotruden* vel *Rothdrudem* Ἐρυθρὰ, i. e. *rubram* vocavère. *Bec* autem seu *Bach* hodieque rivum significavit. Hadr. Valef. in voce *Rotomagus.*

RODEMACHERA, castrum Germaniæ, in Marchionatu Badensi, sub Principe propriô, ex familia Badensium Marchionum. Cùm enim Bernhardus, qui Badensem ramum condidit, duos habuisset filios, Philibertum & Christophorum, ille Patri successit, huic *Rodemachera* concessa est. Natus is A. C. 1537. ex Cæcilia Suecica (filia Gustavi Regis) numerosam suscepit prolem: in qua eminet Eduardus Fortunatus, qui in Anglia genitus A. C. 1565. Patri successit Religionem Pontificiam amplexus, ex conjuge Maria ab Eicken (filia Jodoci Dn. de Riviere Gubernatoris Bredæ) reliquit A. C. 1600. filios, Wilhelmum & Hermannum, novarum linearum auctores. E quibus ille natus A. C. 1596. *Rodemachera* habitavit & ex Antonia Elisabetha Comite Criechingia, genuit Carolum Wilhelmum Eugenium & Mariam Sidoniam Philippo Principi Hohenzollerano nuptam A. C. 1662. ex Maria verò Sidonia Comite Falckenstenia, Philippum Balthasarem & Mariam Eleonoram Sophiam, Joanni Francisco Desiderato Comiti Nassovio sociatam A. C. 1665. Patre verò A. C. 1664. & dein utrôque filiô extinctis, linea defecit. Phil. Jac. Spenerus *Syllog. Geneal. Hist. in Familia Badensi.* Vide quoque eum *Theatr. Nob. Europ. Part. III. p.* 23. & 27. & plura de Principibus hisce suô locô.

RODENIUM, urbs & arx Comitatus Waldeccensis *Metel.*

RODERICUS, Theof. filius, Recefwinthi nepos, Helvico, ultimus Rex Wisigothorum, in Hispania. Junctus fratri Cossæ, in Vitizam Regionem insurgens, eum visu regnôque exuit: A. C. 710. sed cum ambo insolenter admodùm præessent, Mauri, à Vitizæ filiis, Comite Julianô, cujus uxorem vitiaverat Rodericus, comitatis, incitati, ex Africa in Hispaniam trajectione factâ, partem ejus sibi subjecerunt: Regemque A. C. 713. vitâ & regnô similiter privârunt, præliô victum. Isidor. *in Chronol. Rodericus, Mariana, Vasæus, &c.* Quô pactô Mauri in Hispania rerum potiri cœperunt, donec sub Pelagio, è Gothorum sanguine, Christiani lacertos iterum moverunt. Vide *Pelagius.*

Principes Viri.

RODERICUS, filius Julii Friderici, Ducis Wirtenbergici, Julianæ seu Brentianæ lineæ auctoris, ex Anna Sabina Holsata, literis & linguis (quarum prima & vernacula ei Hispanica fuit) operam dedit, tum militare vitæ genus sub Suecis sectatus, Fratrem habuit, Sylvium Nimrodum, qui Elisabethâ Mariâ Monsterbergensi hærede ductâ, Ducatum in Silesia Oelsensem nactus est, & stemma propagavit, extinctus A. C. 1664.

RODERICUS Inicus, Dn. *de los Molinares*, pater Diasii *Sanchez* avus Mendi *Roderici de Viedma*, quem Alphonsus Benavidius Joh. Alphonsô, filiô naturali Alphonsi VII. Hispaniæ Regis genitus, cum onere suscipiendi nominis, hæredem instituit. Hic itaque Diasium *Sanchez de Benavides*, Dn. *de Santistevan del Puerto* genuit; avus ex illo Mendi *Roderici* Benavidii, Comitum *de Santistevan del Puerto*, & Manuelis Benavidii, Marchionum *de Flomesta*, *de Jabalquinto* &c. Auctorum. De quibus vide Spenerum *in Theatro Nobilit. Europ. part.* 1. *in Indice.*

RODERICUS Johannes, vide *Johannes.*

RODERICUS Lopezius, filius minor natu Garsiæ Lopezii, familiæ Cardeniæ, in civitate Ocanna habitans, Gutierium & *Rodericum*, cujus posteritas in civitate Lerena superfuit, genuit, Gutierio natus est Didacus, primus Dux Maquedæ: Pater Bernardini atque Gutierii, Dominorum *de Terralva* & *Beteta*, cum cognomine *Carillo de Albornoz*, Satoris. A Bernardino autem reliqui Duces propagati sunt, quibus Idem *ibid.* consecravit, *p.* 41.

RODERICUS Manricius, filius Petri (Judicis Legionis, ex Leonora Castellana) minor, beneficiô Johannis II. Regis Comes *de Paredes de Nova* creatus est. Ex cujus primogenitis orta Agnes ad maritum Henricum Mauricium agnatum successionem transtulit.

ftolit. De reliquis ex eodem genitis, vide iterum Spenerum, *l. praef.* ubi in Familiis praesertim Hispaniae celebrioribus *Roderici* nomen frequenter reperies.

RODERICUS Sanctius d'Arevalo, Episcopus Palentiae in Hispania floruit A.C. 1468. prius Henrici IV. Eleemosynarius & Consiliarius. Scripsit *Histor. Hispanic:* quae 3. volumine *Hispania illustrata* continetur. Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 7. *extr.* Vasaeus *in Hisp. Chr. c.* 4.

RODERICUS Ximenius, Navarraeus, Archiepiscopus Toletanus, A.C. 1208. Scripsit *Historiam Hispaniae libris* 9. quae cum Andr. Schotti eruditis notis prodiit: usque ad A.C. 1281. *Aerae* Hispanic. seu 26. regni Ferdinandi. Lugdunum A.C. 1245. venit, ut coram Innocentio IV. in Concil. ibi habito, Ecclesiae suae jura & privilegia contra Petrum, Archiepiscopum Tarraconensem tueretur. Obiit in Rhodano, cum reditum in patriam pararet. Epitaphium ejus in Monasterio *Horta*, inter Castellam & Arragoniam tale: *Mater Navarra, nutrix Castella, Schola Parisius, sedes Toletum, Hortus Mausoleum, requies Caelum.* Vasaeus, *in Chron. Hisp. c.* 1. *&* 4. Andr. Schottus *in not. ad Xim.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 57. *&c.*

RODICOFANUM, vide RADACOPHANUM.

RODIUM, *Antonin. Roje*, urbecula satis culta Picardiae, in tractu Sanguitersa, ad amnem *Auwergne*, 4. leuc. à Novioduno in Occasum, Ambianum versus 9. & 7. à Compendio in Boream.

RODNECCIA Familia, inter Germaniae illustres, Wolckensteniae stirpis ramus est. In hac enim Fridericus, per filios Michaelem & Oswaldum, duarum linearum, *Trostburgiae & Rodneccia*, communis pater fuit; de quibus, vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatro Nobilit. Europea Part.* 3. *p.* 61.

RODOALDUS, vel CHRODOALDUS, Longobardorum in Italia Rex VIII. successit Rothari Patri, A.C. 653. A Longobardo quodam, cujus uxori illuserat, in adulterio deprehensus & interfectus. An. 657. an 59? Paul. Diaconus. *de gest. Long. l.* 4. *c.* 49. Successit Aripertus.

RODOLFUS, vide RUDOLPHUS.

RODOLPHIVERDIA, urbs recens & munita German. in Vindorum Marchia, ad Gurchium fluv. 3. milliar. German. à Savo in Meridiem uti 6. à Cilleja, 5. à Corolostadio in Occasum, in limite Carniolae.

IMPERATORES ROMANI.

RODOLPHUS I. Imperator. Comes Habspurgicus fuit, quod castrum est, inter Basileam & Tigurum, in Argovia, ditionis Bernensis: è Comitum Alsatiae familia oriundus, omnium consensu Imperator Francofurti electus est, A.C. 1273. cùm in obsidione Basileae, cum qua multum ipsi negotii fuit, haereret. Marchionem Badensem, & Wirtembergicum Comitem rebelles compescuit: Ottocarum Bohemum, Austriâ recuperatâ, vicit, hancque Alberto filio donavit. Burgundiam Imperio adjecit: Erfortensem seditionem compescuit. Interim multa ab Imperio abalienavit, Papaeque multa donavit, multa Italiae Principibus vendidit. Italiam tamen adire noluit, dictitans: *Vestigia Italiam advenientium videre se, non cernere redeuntium.* Tilonem porro, se pro Friderico II. venditantem, combussit. Spirae tandem in vicinia cùm dixisset, multos ibi Reges conveniendos sibi esse, obiit, A.C. 1291. Germershemii. Imperii An. 18. Serrarius, *l.* 5. *Histor. Mogunt.* Stero & Argentina, *in Chronol.* Ut is Fridericum II. excepit, ita successit ei Adolphus Nassovius.

RODOLPHUS II. primò Hungariae, dein Romanorum Rex, successit patri Maximiliano II. A.C. 1576. Imperium pacificè administravit, motus de Argentinensi Episcopatu auctoritate suâ composuit: Bellum Turcicum cum foedifragis Barbaris: per fratrem Matthiam, Carolum Mansfeldium & fratrem Maximilianum, satis feliciter gessit, aliquot locis occupatis, illisque ad Javarinum valde attritis: sed propugnaculum hoc munitissimum, prodente Comite Hardeckiô, amisit. Sigismundum Bathorium Transylvanum sibi junxit, Strigoniô Vysegradôque captis, Haivanum quoque occupavit, mox tamen dein majori damno, cum Agria, urbe quondam invictissimâ, amisit: Victus exin avaritiâ suorum, qui jam victores nimis avidè praedae inhiabant, per Adolphum Suartzenburgicum, clade regestâ, Rabam recepit, Pappam item per Melch. Redderum, Albamque Regalem, per Ducem Mercurium, Gallum: Pace tandem, operâ Stephani Botscaji Transylvani, cum hostibus ad 15. annos initâ. Haec foris. Domi Calendarium Gregorianum inter suos introduxit, Protestantibusque frustra obtrusit: à Matthia fratre vexatus, regnô Hungariae & Austriae cessit, Bohemiam quoque eidem resignavit. Bohemis, Moravis, Silesiis, privilegia confirmavit. Obiit A.C. 1612. aetat. 59. Imperii 36. In Larario suo gemmarum, adamantium, unionum, auri, argenti, &c. immani vi, ut pretiô 17. auri milliones excederet, relictâ. Successit Matthias.

REGES BURGUNDIAE.

RODOLPHUS, filius Richardi, Burgundiae Ducis, Comitis Augustodunensis, &c. usurpavit Galliae regnum, sub Carolo Simplice. Ductâ Emmâ, filiâ Roberti, in praelio occisi, ad partes vocatus: Carolô in carcerem detrusô, coronam accepit, A.C. 923. Normannos Aquitaniâ expulit, sed Comitis Veromandui, Comitisque Parisiensis turbis agitatus, obiit A.C. 936. Aimoin. Flodoard. Guilielm. Nangius, *Histor.*

RODOLPHUS I. filius Conradi II. Comitis Parisiensis, regnum quoddam exiguum constituit, inter Alpes, Galliam, Italiam & Germaniam, secul. 9. cùm bella Galliae, & calamitates depositionem Caroli Crassi Regis insecutae variis principibus jugi excutiendi ansam praeberent. Dedit regno suo nomen Burgundiae *Transjuranae*, illudque fortiter tuitus est, contra Arnolphum, qui heredem se Caroli fecebat. Obiit A.C. 911. Viguerius & Duchesn. *Hist. Burg.*

RODOLFUS II. patri successit Rodolpho I. A.C. 911. A Proceribus quibusdam, in Italiam vocatus, vicit Berengarium, in praelio occisum, A.C. 924. sed post 2. vel 3. imperii annos, ab Hugone Rege Arelatensi coactus, in paternam ditionem rediit. Obiit A.C. 937. relictô Conradô filiô admodum juvene. Duchesn. *Hist. Burg.* Chorer. *Hist. Delph.* Bouchaeus, *Hist. Prov.*

RODOLPHUS III. Ignavus, successit Patri Conrado, I. A.C. 994. Ob ignaviam, multis in eum proceribus insurgentibus, Henricum Imperatorem haeredem, eôque mortuô Conradum Salicum scripsit: sub finem vitae, sceptrô, coronâ, & lanceâ S. Mauritii ipsi transmissis. Obiit A.C. 1032. regni 38. Delbenius, Paradinus, Duchesnius, *Histor. Burgund.*

VIRI ILLUSTRES.

RODOLPHUS Agricola, Groninganus, inter eruditissimos sui temporis, obiit Heidelbergae, A.C. 1485. aetat. 42. ab Herm. Barbaro hôc elogiô commendatus:

Sidicet hôc unô meruit Germania laudis
Quidquid habet Latium, Graecia quidquid habet.

Suffrid. Petri *de Scripi. Frisiis Dec. VIII. c.* 4.

RODOLPHUS Brugensis, Mathematicus, floruit A.C. 1444. Vertit Tholosae, ubi commoratus est, *Planisphaerium* Ptolemaei ex Arabico, illudque Theodoro Platonico, Praeceptori suo dedicavit. Valterus edidit Basileae A.C. 1530. Simler. *in Epit. Biblioth. Gesn.* Voss. *de Scient. Math. c.* 63. §. 5. Valer. Andr. *Biblioth. Belgic.*

RODOLPHUS de Bucella, vel Brucella, Sueviae pago, scripsit varia, A.C. 1430. Gesner. *Biblioth.*

RODOLPHUS Campegius, Bononiensis, Comes Italus, insignis Poeta, Laur. Crassus *in elog. Part.* 2.

RODOLPHUS Fleuriacensis, Auctor *Historiae metricae, & martyris S. Mauri.* Saussaeus *Annal. Aurelian. l.* 4. *c.* 10.

RODOLPHUS de Frameinsperg, nobilis Bavarus, scripsit *Itinerarium terrae sanctae*, seculô 13.

RODOLPHUS Fuldensis, Monachus, *vitam S. Liobi*, &c. condidit, seculô nonô.

RODOLPHUS Langius, Canonicus Monasteriensis, scripsit *librum de urbe Hierosolyma*, item *de tribus Regibus poëma*, &c. Gesner. *in Biblioth.*

RODOLPHUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

RODOLPHUS Preslius, Advocatus Parlamenti Parisini floruit sub Carolo V. A.C. 1315. hujus Confessionarius, Historicus & Poëta. Fundator Collegii cognominis Lutetiae. *Augustinum de Civ. Dei transtulit*, scripsit *Compendium Historicum*, Gall. &c. Vide Morer. *Diction. Histor.*

RODOLPHUS de Rudesheim, Episcopus Vratislaviensis, A.C. 1470. scripsit in varios Scripturae libros, &c. Simler. *in Epit. Biblioth. Gesneri.*

RODOLPHUS Sfortius, Patavinus, Polae in Istria Episcopus, JCtus insignis. Obiit A.C. 1626. Jac. Phil. Thomasinus, *in elog.*

RODOLPHUS de S. Trudone, Abbas hujus monasterii, in Dioecesi Leodiensi. Scripsit *Chronicon*, &c. Obiit A.C. 1138. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Swert. *in Athen. Belg.* Voss. *l.* 2. *de Hist. Lat. c.* 48. Possevin. *in Appar.* &c.

RODOMENSES, apud Ordericum Vitalem & Alexandrum Abbat. Celesinum *Rerum à Rogerio Sicil. Rege gestarum c.* 8. *l.* 4. laudatos Car. du Fresne *in Glossario*, monetae sunt Archiepiscoporum Rotomagensium, in Gallia.

RODONIUM, aliàs RONETUM, locus Galliae, 1. leuca à Medunta, Prioratu Marchiâque insignis in Carnutibus, inter Meduntam & Vernonem ad Sequanam, hodie *Rosny*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RODRINA, vide RODIUM.

RODUMNA, vide RHODUMNA.

ROECUS, *Hesychio*, *Rycus Suidae*, nomen Regis, qui dedit proverbio originem, *Ῥοίκου ὑψηλοτέρα*, vide Salmas. *Not. ad Jul. Capitolin. in Antonino Pio*, *c.* 9. Meliùs *Rhoecus* & *Rhycus.* Vide quoque suprà *Rhemetalces.*

ROECUS, vel potiùs *Rhoecus*, plastes Samius, quem in Samo primum omnium plasticen invenisse, refert Plin. *l.* 35. *c.* 12.

ROELEWINCK Laërius, vide *Vernerus.*

ROETACES, fluvius Armeniae majoris, in Cyrum influens, *Strabo.*

ROETIUS, mons Corsicae insul. *Ptol. Capo di mare Leandro, Monte di Mezzo Pinto.* Ex tabulis verò *Monte Rosso* videtur.

* ROFFA, urbs Cantii, ad Meduvacum fluvium, qui 5. milliar. infra, in Thamesis aestuarium se exonerat, media inter Cantuariam ad Ortum, & Londinum ad Occasum, 20. utrinque milliarib. *Rochester.*

ROFFIACUM, & RUFIACUM, vulgò RUFFEC, urbecula dioeceseos Pictaviensis, 6. leucis Engolismâ distans. Hic Concilium A.C. 1256. 1304. & 1326.

ROFRANCUM, oppidum Lucaniae.

ROGA, apud Scriptores recentioris aevi, donativum est, honorarium, seu munus, Proceribus & Magistratibus atque adeò etiam populo, ab Augustis, vel Clero, à Pontificibus Romanis aut Patriarchis *erogari* solitum: unde voci origo. Sunt tamen, qui ex Graeco *ῥογὸς*, i.e. *frumentum*, quòd olim Militibus frumentum distribui soleret: vel à verbo *roga*, quòd *rogando* istiusmodi donativum impetraretur, unde *Precarium* dictum Gregorio M. *l.* 10. *Ep.* 6. cum arcessant. *Anna Comnena* vocem usurpat, de stipendio seu honorario, quod Magistratibus quotannis ab Imperatore erogabatur: Anastasius Bibliothecar. in *Vitis* Pontificum passim, de donativo, quod Pontifex Clero impertiebatur. Cujusmodi donativa

donativa septimanâ Passionis Clericis Patriarchas, scribit Balsamon; quemadmodùm Imperatores Officialibus suis, erogâsse, tradit Luithprandus, *l. 3. c. 5.* Olim verò fiebant maxime Calendis & Imperatorum Urbiumque Imperialium natalitiis, ut est apud Nicephorum Call. *l. 10. c. 23.* ubi per Kalendas, Januarias intelligit, quæ *dies largitionum* dicuntur, in *L. Laudabile Cod. de Advocat. div. Jud.* Atque hinc mensem Januarium, *μῆνα χρυσοχίτωνα* appellari, à Paulo Silentiario observavit Car. du Fresne in *Descript. Ædis Sophianæ, n. 21.* Originem hujus moris arcessit Dominic. Macer à more Tribunorum apud Romanos, qui, populum in assensum pertracturi, eum muneribus ac donativis demulcere solebant, sicque votum illorum quasi *rogare*: qua de re sic Plin. *l. 33. c. 2. extr.* ubi de auro, *Sunt adhuc aliqua non omittenda in auro differentia. Auxiliares quippe & externos torquibus aureis donavêre, at cives non nisi argenteis; præterque armillas civibus dedêre, quas non habent externi. Iidem (quod magis miremur) coronam ex auro dedêre civibus. Quis primus donatus sit eâ, non inveni, sed quis primùm donaverit, à L. Pisone traditur. A. Posthumius Dictator apud lacum Regillum, castris Latinorum expugnatis, ei, cujus maximè operâ capta essent, hanc coronam ex prædâ dedit* &c. Vide eum quoque, *l. 16. c. 4.* & A. Gellium. *l. 5. c. 6.* Hinc ad Imperatores consuetudo transiit. Sed & pro stipendio, quod militibus (qui hinc *ῥογάτορες*, ut infra videbimus) erogabatur, vox usurpata occurrit, apud Byzantinos Scriptores inprimis, Leonem Tacticum, Constantinum Porphyrog. *in Basilio, c. 27. Scylitzem, Pachymerem, Alios,* quos laudant Meursius, Fabrotus *in Gloss.* & Dionysius Gotofredus, *ad Harmenopulum.* Quò pertinet ratio etymi, a *frumento* petiti à Macro, uti vidimus. Atque hinc *Ῥογάτορες*, stipendiarii milites, apud Codinum *de Officiis*: ut alias vocis notiones, quæ secundariæ sunt, & processu temporis ei impositæ, omittam. Vide præfatum Car. du Fresne *in Gloss.* quoque, & Dominicum Macrum, *in Hierolex.* ut [illegible] in vocabulis synonymis, *Donativum, Donum, Precarium, Presbyterium* &c. nec non ubi de nummis *Tricipitinis*: De *Rogis* verò à Pontifice Rom. in distributione candelarum fieri solitis, vide suprà.

REGALIA, Feriæ dictæ sunt, in quibus *roga* distribuebatur; item libri, seu acrosticha, in quibus tum virorum nomina, ordine, quò præcedere deberent, pro cujusque officii dignitate, dum vocarentur; tum quantitas rogæ aliaque donativa, descripta fuêre, ne turbæ litesque inter id genus clientum orirentur, Balsamo *de maons. Patr. die Catechef.* Vide de priore vocis notione, Jo. Meursium, *Glossar.* cui adde Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce *Ῥογάλια.*

ROGATIANUS, senator Romanus, qui semel tantùm in die cibo operam dabat. *Volaterranus.*

ROGATIO, apud Romanos, nomen fuit omnibus actionibus cum populo commune; unde Leges, Plebiscita atque id generis alia decreta, *Rogationes* appellatæ. Si enim Legum e. g. Comitia essent, antequàm Populus in suffragium mitteretur, primùm Lex recitabatur à Præcone, subjiciente Scribâ: tum oratione docebatur Populus; denique *rogabatur*, ut eam Legem acciperet & suffragiis suis jubere vellet, testibus Asconiô, *in argum. Orat. pro C. Cornelio*, Appianô, *bell. civ. l. 1.* & Plut. *in Catone Utic.* Formula *rogandi* erat, *Velitis Jubeatis Quirites*, quod omnium actionum cum Populo commune fuisse principium, ex Cicer. & Livio intelligi potest. Cùm itaque hic responderet, *uti rogatis*: Lex erat. Vide Brissonium, *de formulis l. 2. p. 179. & seqq.* Quò ordine verò in Senatu sententiæ *rogata* sint, pluribus exequitur A. Gellius, *l. 4. c. 10.* ubi ait: *Ante Legem, quæ nunc de Senatu habendo observatur, ordo rogandi sententias varius fuit. Aliàs primus rogabatur, qui à Censoribus princeps in Senatum lectus fuerat; aliàs qui designati Consules erant. Quidam è Consulibus studiô aut necessitudine aliquâ adducti, quem iis visum erat, honoris gratiâ, extra ordinem sententiam primùm rogabant: observatum tamen est, quum extra ordinem fieret, ne quis quenquam, ex alio, quàm ex Consulari loco, sententiam primùm rogaret. C. Cæsar in Consulatu, quem cum M. Bibulo gessit, quatuor solos extra ordinem rogâsse sententiam dicitur, ex iis quatuor principem rogabat M. Crassum, sed, postquàm filiam Cn. Pompejo desponderat, primum cœperat Pompejum rogare.* Dionysius Halicarnassæus variis in locis testatur, olim apud Romanos moris fuisse, ut primi seniores, dein minores natu interrogarentur: idque ita, ut secundùm Magistratuum ordinem sententiam dicerent; Consulares primò, Prætorii secundò, Ædilitii tertiò, Tribunitii quartò locô, & Quæstorii quintò. Post Comitia Consularia designatos Consules primò fuisse rogatos, indicat Cicero, *Philipp. 5. Qui ordo in sententiis rogandis servari solet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. A Bruto igitur Consule designato, more Majorum, exordium capiamus.* Qui autem priore locô Consul designatus erat, primus rogabatur, sicut primus quoque Consul rogabat sententias: Itaque honor erat, primum Consulem creari. Unde refert Plutarchus M. Lepidum, ante Q. Catulum, Cn. Pompejô adnitente, Consulem esse renuntiatum. Quare autem Consules designati primi rogarentur, vide Appian. *Histor. Civil. l. 2.* &c. Apud Athenienses, quò ordine οἱ *Πεντακόσιοι* sententiam fuerint *rogati*, vide suprà in voce *Quingenti.* In concione apud eosdem, convocatô Populô peractisque sacris, quæ *Καθάρσια* dicebantur, Præco solenni formulâ, ex Lege, adprecabatur omnia fausta & prospera toti Atheniensium Populo, orareque jubebat, quibus liceret (uti & suprà alicubi dictum) Itaque primi verba faciebant seniores, deinde minores, pro ætatis uniuscujusque ratione ac ordine: atque ad id invitabantur Præconis voce, *τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων*; Idem *λέγειν τῶν ἄλλων Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον*, ὡς ἔθος. Licebat autem omnibus *δημηγορεῖν*, qui erant Famæ integræ, jamque antè Lexiarchico inscripti, quod fiebat annô ætatis 20. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l. 3. tit. 1.* ut & infrà, voce *Suffragium.*

ROGATIONUM Dies, ante Ascensionem Christi, precibus & jejuniô celebrandi, instituti sunt, ob terræmotum & ferarum incursiones, à Mamerto, Episcopo Viennensi, A. C. 446. Calvisius, *in Chronolog.* Tres eorum sunt, qui celebrantur ante Ascensionem Domini, juxta morem Ecclesiæ Gallic. Feræ, quibus tum Galli infestabantur, lupi inprimis fuêre, qui cùm acerrimè in Gallos sævirent, neque hujus flagelli aliquod remedium inveniretur, congregati apud Viennam Galliarum Episcopi, in commune statuerunt, ut triduanô jejuniô misericordiam Dei implorarent. Quod cùm feliciter successisset, factum est, ut hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venirent, qui hodieque pro diversis calamitatibus, per Galliarum provincias, solicitè coluntur. Vide Car. du Fresne *in Glossar.*

ROGATORES, apud Romanos, dicti sunt, qui in Comitiis civibus Centuriatim vel Tributim Ovile ingredientibus, cistam proponebant, in quam conjicerent, quam vellent, tabulam. In Legum enim Comitiis duo erant tabellarum genera, unum in quo scriptum, U. R. i. e. *Uti rogas*: alterum, in quo A. i. e. *Antiquo.* Has tabellas qui ministrarent Populo, *Diribitores* dicti sunt: Itaque sortitione de prærogativa factâ, Magistratus in Tribunali sedens, per Præconem vocabat Prærogativam Centuriam ad suffragium; quæ per pontes dispositos Ovile ingressura, in pontis initio, tabulas à Diribitoribus accepêre, inque ejus fine, in alterutram cistarum a *Rogatoribus* propositarum conjicere solebat. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 6. c. 14.* & infra *Sitella*, Sed & *Rogatores*, Græcorum citerioris ævi vox, *Ῥογάτορες*, de militibus stipendiariis, quòd *rogam*, h. e. stipendium acciperent, apud Leonem, *in Tacticis c. 6. §. 15* in *Miraculis* Anastasii Persæ, *c. 13.* & apud Codinum *de Offic.* Vide suprà *Roga.*

ROGATUS, Donatista Afer, schisma in Mauritania Cæsariensi ortus, sub finem seculi 4. Ejus sectatores *Rogatistæ* dicti. Exigui admodùm momenti, Augustin. *ep. 48. & contra Parmen.* Baronius *A. C. 394. n. 41.*

ROGEL, fons prope Jerusalem in tribu Judæ ad Septentr. Jos. *c. 15. v. 8.* Latinè, *pes*, sive *pedestris*, aut *explorans*, vel *delator*, sive *accusator*, aut Syriacè *consuetudo.*

ROGELIM, oppid Galaad non procul à Mahanaim. Hinc Barzillai, amicus Davidis, 2. Sam. *c. 17. v. 27.* Idem plural. numeri quod *Regel.*

ROGERIUS, Dux & Comes Apuliæ & Calabriæ, filius Roberti Guichardi, frater Boëmundi. Horum patruus *Rogerius I.* cognomine Gibbosus, Siciliâ totâ Saracenis pulsis, illam occupavit. Obiit A. C. 1101. summo cum suorum luctu. Pater Simonis & *Rogerii II.* qui occupatâ Apuliâ & Calabriâ, partim vivente, partim mortuô Guilielmô, filiô Rogerii & nepote Boëmundi, A. C. 1129. Panormi Siciliæ Rex coronatus est, ab Anacleto II. cui favebat, confirmatus. Posteà pace cum Innocentio II. initâ, bellum Græcis intulit, ereptô illis Ludovicô VI. Juniore Rege, quem in reditu è terra sancta interceperant, A. C. 1149. Obiit A. C. 1152. Ensi suo hunc versum insculpi curavit:

Apulus & Calaber, Siculus mihi servit & Afer.

Pater Guilielmi I. Mali, Avus Guilielmi II. Boni, qui sine prolè mortuus, successorem habuit Tancredum, Rogerii filium nothum: Hujus filius *Rogerius*, ab Henrico II. effossis oculis, in carcere detentus est, Baron. *in Annal.*

ROGERIUS, Abbas Crucis S. Leufridi, in diœcesi Ebroicensi, floruit A. C. 953. Scripsit *vitam Brunonis Archiepiscopi Coloniensis.* Sigebertus A. C. 131. *in Chron.*

ROGERIUS de S. Albano, Carmelita Anglus. Scripsit *epitomen Historiæ Biblic.*; Item *Angliæ Regum.* Obiit A. C. 1450. Lucius, *in Biblioth. Carmelit.*

ROGERIUS Baconus, Anglus, Franciscanus, *Doctor mirabilis* dictus. Quod Mathematico inprimis studio vacaret, magiæ accusatus & à Generali suo Romam citatus, ibi aliquandiu in vinculis fuit. Inde liber in Angliam ut rediit, misit Clementi 4. varia à se inventa, quæ Papa magni æstimavit. Scripsit plurima, quorum pars prodiit. Pitseus, Lelandus & Baleus, *de Script. Angl.* Willot. *in Athen. Francisc.* Naudæus, *apolog. c. 17. &c.* Obiit A. C. 1284.

ROGERIUS Cestriensis, Benedictinus Anglus. Scripsit A. C. 1340. *Polycratiam temporum, libris 7.*

ROGERIUS Computista, Benedictinus Anglus, Scripsit *Expositiones vocabulorum totius Bibliæ, Postillas in Evangelia &c.* A. C. 1360.

ROGERIUS Connovius, Franciscanus Anglus. Scripsit *contra Richardum Archiepiscopum Armachanum.* Obiit A. C. 1360.

ROGERIUS Domacus, Anglus Jacobinus. Scripsit *libris* 12. *contra Lolhardos.* A. C. 1390.

ROGERIUS Glactonos, Provincialis Augustinianorum in Anglia. Scripsit *Homilias, Epistolas* &c. Obiit A. C. 1340.

ROGERIUS Herforrius, Mathematicus Anglus, A. C. 1170. Baleus & Pitseus, *de Scriptor. Angl.*

ROGERIUS Hovedenus, Eboracensis, floruit A. C. 1200. Stirpe nobili ortus, in aula Henrici II. magni æstimatus est, ob insignem inprimis utriusque Juris notitiam. Post Regis mortem, studio Historico intentus, *patriam* condidit *historiam*: Scripsit item *Commentarios juris, Poëmata* &c. Baleus & Pitseus, *de Scriptorib. Anglic.* Brianus Tuvinus, *l. 2. de antiq. Oxon. Acad.* Voss. *de Hist. Lat. l. 2. c. 56.*

ROGERIUS de S. Ivone, A. C. 1420.

ROGERIUS Raimundus, vide *Raimundus.*

ROGERIUS Petrus, vide *Petrus.*

ROGERIUS Saluburius, A. C. 1160.

ROGERIUS Suitetus, cognomine Calculator, celebris Mathema-

thematicus. docuit Oxonii, A. C. 1350. Scripsit in *Magistrum Sententiarum. Ethicam Aristotel.* & *quadam Astrologica.*

ROGERIUS Tulfortus, A. C. 1390.

ROGERIUS Walthanus, Canonicus Londinensis. A. C. 1250. Scripsit *Compendium morale*, *Imagines Oratorum &c.*

ROGERIUS Welpedalius, Mathematicus, A. C. 1368.

ROGERIUS Windeshorius, A. C. 1235..

ROGERIUS Windoverus, A. C. 1217. qui ambo *Chronica* scripserunt: Aliique plures memorantur Balæo & Pitseo, *de Illustr. Angl. Scriptor.*

ROGERSIUS Johannes, Sacerdos Antverpiensis, purioris doctrinæ luce haustâ, Wittenbergæ Euangelii Præcofuit A. C. 1536. Londini dein Concionator ad S. Paulum sub Eduardo VI. post hujus obitum, jussu Mariæ Regis in carcerem conjectus, & post triplici colloquiô cum Steph. Gardinero Episcopo Vincestriensi fidei suæ confessionem editam, ad ignem condemnatus est, primus sub Maria Martyrum. Londini in campô *Smitsfyld.* crematus, *d.* 4. Febr. A. C. 1555. Auctor *Herologia Angliæ.*

ROGOMMELECH, princeps Darii Regis. Zachar. *c.* 7. *v.* 2. Latinè *lapidans regem*, aut *Consiliarium*, vel *purpura regis*, aut *consiliarii.*

ROGORETUM, oppid. Lombardiæ Transpadanæ.

ROGUS, Pyra, Bustum, quid differant, Servius docet: *Pyra est lignorum congeries:* Rogus, *cùm ardere cœperit, dicitur; Bustum verò jam exustum vocatur, quasi bene ustum.* Lex tamen XII. Tabb. sic habens, *Rogum Bustumve novum, ne propiùs ades alienas 60. pedes invitô Dominô adjicito; neve forum sepulchri bustumve usu capito:* aliud esse *Rogum* demonstrat, aliud *Bustum* sive τύμβον, atque, ut in *Rogis* incendium verebatur, (quod Tullius annotavit) sic in Bustis tetrum cadaverum odorem & aëris pestilentiam cavere voluit. Solebat autem Pyra in modum aræ lignis construi eique intexi larix, picea, taxus, aliæque arbores: circa eam constituebantur cupressi, quod Servius ex Varrone docet factum fuisse, propter gravem ustrinæ odorem, ne eô Populi circumstantis offenderetur corona; quæ tandiu stabat, respondens fletibus Præficæ. (de quibus vide suprà suô locô, ut & voce *Nenia*) quandiu consumtô cadavere & collectis cineribus, dicebatur novissimum verbum. *Ilicet.* Porrò pyram sive *Rogum* (quem ne ascia poliret XII. Tabb. vetabant) & cadaver, liquoribus quibusdam pretiosis perfundere, & aurum multaque alia pretiosa, vestes, arma, quæque alia defuncto chara erant, injicere, vetus consuetudo erat, sed iisdem legibus coërcita. Itaque, qui cremandus fuit (hoc enim cuique liberum erat) postquàm ad pyram fuisset delatus, digitus ei incidebatur, ad quem servatum justa fierent, reliquô corpore combustô; quod, teste *Festô, membrum abscindi mortuo dicebatur:* quanquàm ne id semper liceret. sæpiùs jam laudatarum Tabb. Legibus cautum fuit, *Homini mortuo ne ossa legito* (i.e. adimito, auferto) *quo post funus facias: extra quàm si militia aut peregre mortuus sit.* Posteaquàm cadaver *Rogo* impositum supinum, oculis quantum pote apertis, ori naulum Charontis inditum est, atque is, qui defuncto maximâ necessitudine junctus erat, *Rogo* aversâ facie subdebat facem: quem morem Virgilius innuit, *Æn. l.* 6. *v.* 422. *ubi de funere Miseni*, inquit,

> ——— ——— *& subjectam, more Parentum,*
> *Aversi tenuêre facem.*

Simulque humanus sanguis effundebatur vel captivorum, vel Gladiatorum, qui à Bustis *Bustuarii* dicti sunt, idque *Inferiæ* appellavêre. Sin horum copia non esset, laniantes genas, qui lugebant, suum sic effundebant cruorem, ut *Rogis* illa imago restitueretur, quod iterum Lege XII. Tabb. *Mulieres genas ne radunto*, interdictum. Mox ubi ustulatum cadaver fuit, *Rogus* dicebatur *Bustum*, cineresque & ossa cadô sive urnâ colligebantur ab amico, & sepulcro inferebantur, ante quod arâ constitutâ, quam *Acerram* Festus dictam fuisse scribit, odores incendebantur. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Alexandrum ab Al. *Genial. dierum l.* 3. *c.* 7. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *Sect.* 2. *c. ult.* &c. Fr. Rossæus, *Archaol. Att. l.* 5. *c.* 29. non unius generis ligna pyram composuisse docet: Euripides enim *in Herc. Fur.* quercum, Sophocles *in Trachin* oleam. *Athenaus* pinum aliquando adhibitam, refert: hancque inprimis in Virginum *Rogis.* Cùm quis naufragiô periisset, tabulas concrematas fuisse, ostendit ex Manilio, *l.* 1.

> ——— *Ut corpus sepeliret naufragus ignis*
> *Et collecta* Rogum *facerent fragmenta carina* &c.

Plura suprà *passim*, *ubi de funebribus ritibus*, inprimis ubi *de Cremandi cadavera consuetudine*, & *Cœna ferali.* In funere Imperatorum, *quos omnes post mortem inter Deos referri solitos* fuisse, discimus ex Servio. *ad illud* Virgilii Georg. *l.* 1. *v.* 24.

> *Tuque adeò, quem mox, qua sint habitura Deorum*
> *Concilia, incertum est:*

ut pompa magnificentior, sic alia longè *Rogi* species fuit. Postquàm enim extra Urbem in Campum-Martium perventum est, ibi quà latissimè campus patebat, *Rogus* sive suggestus quidam, specie quadrangulâ, lateribus æquis assurgebat, nullâ, præterquàm lignorum ingentium, materiâ compactus in Tabernaculi formam; quod quidem interius totum erat aridis fomitibus oppletum, extra autem, intextis auro stragulis, atque eboreis signis variisque picturis exornatum. Suprà verò minusculum alterum tabernaculum positum erat, formâ & ornatu persimile portis januisque patentibus; Tertium item & quartum, semper inferiori contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod omnium brevissimum, perveniebatur. In hujus summo currus inauratus, quô mortuus Imperator olim vehebatur, constitutus erat: ut istiusmodi tabernaculi formam videre est, in nummis Antonini Pii, M. Aur. Antonini, L. Aur. Veri, P. Helvii Pertinacis, L. Septimii Severi; Sabinæ item Augustæ, Faustinæ, Juliæ Piæ, consecratorum, apud *Hubertum Goltzium.* Sic itaque lectô in secundum tabernaculum sublatô, aromata & suffimenta omnis generis, fructus, herbas succosque odoratos, acervatim effundebant; quorum copiâ magnâ aggestâ locôque omni oppletô, post varias ceremonias, facem capiebat Imperii successor, eamque tabernaculo admovebat: tum Consules primò, cœterique omnes Magistratus & alii ordine ignem undique subjiciebant cunctaque ilico igni validô corripiebantur. Tandem à supremo minimoque tabernaculo, tanquam è fastigio quodam, simul cum subjecto igni Aquila dimittebatur, quæ Augusti: vel pavo, qui Augustæ animam in cœlum subvehere credebatur, ut iterum in nummis conspicitur, ubi ab una parte tabernaculum cum voce *Consecratio*, ab altera Aquila, vel pavo, animam vehens, cum eadem inscript. expressus est. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 18. ut & suprà in vocibus *Apotheosis* & *Consecratio.* Nec omittendum, in *Rogis*, non nisi adultorum corpora arsisse. *Hominem enim, priùs quàm genitô dente cremare, mos non erat*, Plin. *l.* 7. *c.* 16. Proin Infantum nulla Busta, sed suggrundaria tantùm fuisse, observavit Thom. Bartholinus, *l. de Puerperio Veter.* Vide quoque *infra.* Facta est autem Rogorum apud Veteres lustratio in decursionibus funebribus, ut & hoc addam, sinistratione. Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 936. Casp. Barthium, *ad Statium Thebaid. l.* 6. nec non suprà, voce *Dextratio* &c.

ROGUS Dei, in Ecclesia Romana est precatio, λιτανεία, Κύριε ἐλέησον. In *Regula* Magistri, *c.* 33. *Extra lectiones, versum & rogus Dei.* Et *c.* 33. *Psalmi tempore matutini, responsorium unum, versum, lectionem Apostoli & Euangelii, quam semper dicit Abbas & rogus Dei:* ubi non *Kyrie eleison* tamen, sed collecta & oratio ultima, est Dominico Macro. Nempe *Rogus*, apud citimæ ætatis Scriptores precatio, deprecatio est; unde *rogum emittere*, crebrum in formulis *precariorum.* de quibus vide suprà, & plura hac de voce, apud Car. du Fresne in *Glossar*, & Macrum, *d. l.*

ROHACZIUS Johannes, vide *ibi.*

ROHACZOVIA, oppid. amplum Lithuaniæ, caput tractus cognomin. prope Borysthenem, ubi Odruczum recipit. 20. leuc. Polon. à Mobilovia in Meridiem, Kioviam versus 40. circiter.

ROHAN, nomen Familiæ in Gallia perillustris, quæ in Armorica Britannia à pluribus seculis floruit, & facilè in reliquis primas tenet. In ea Alanus VI. *Rohaneus* duos suscepit filios, Alanum VII. & Eonem; à quorum isto linea Dominorum *du Gué de l'Isle & Pouldu* descendit & nunc quoque, sed in Fortuna tenuiori, pro illo domus splendore, superest. Alanô genitus Joannes II. gener Philippi Eburovicensis Navarræ Rex obiit A. C. 1395. communis pater duarum iterum linearum. Nam ex Alano VIII. primogenito reliqui *Vicecomites de Rohan*, *Comites de Porhoet*, & *Principes de Leon* descenderunt; donec priori seculô deficerent. Ex Carolo verò filio minori, omnes reliqui descendunt; ita quidem, ut observetur, Ludovicum, Caroli filium, genuisse Ludovicum cognomine Magnum (à quo Domini, vel, uti nunc vocant, *Principes de Guimené*, *Duces de Monbazon*, & *Comites de Rochefort*, qui nunc quoque florent, derivantur) & Petrum Dn. *de Gié*, Marescallum Franciæ, patrem Dn. *de Gié*, *& du Verger*, cujus posteritas in neptibus defecit & Petri Domini, *de Frontenay*, maritum Annæ; quæ hæres primarii fuerat rami. Unde in hujus posteris iterum *Vicecomitum de Rohan*, *Principum de Leon & Dn. de Soubize* titulos continuatus est, ac demum Ducalis corona accessit. Ultimus ex ea masculus vitam clausit, seu Henricus Dux A. C. 1638. ex vulnere in prælio Reinfeldensi accepto; seu filius ejus (de cujus natalibus magnâ contentione disputatum est) Tancredus, in Parisiensibus motibus extinctus, successione, per Margaretam Henrici filiam in Domum Chaboticam illatâ, vide supra in voce *Chabotia.* Phil. Jac. Spenerus, *Theatr. Nobilit. Europ. Parte I. in Indice*, ubi Familiæ hujus illustris dispositionem exhibet. De Montbasonio verò ramo, unde Duces *de Montbason*, & Princeps *de Soubize*, ad quem Ducatus Rohaneus, per conjugem Chabotiam, delatus est, suô locô.

ROHANIUS Hugo, vide *Hugo.*

ROHOB, civitas Levitarum in tribu Aser. 1. Paral. *c.* 6. *v.* 75. Rex Sobæ. 2. Sam. *c.* 8. *v.* 3. Latinè *latitudo*, sive *dilatatio*, aut *platea.*

ROHOBIA, fil. Eliezer filii Moysis. 1. Paral. *c.* 23. *v.* 17.

ROHOBOTH, civitas Idumææ prope fluv. patria Saulis, Idumæorum regis. Gen. *c.* 36. *v.* 47. Idem pluralis numeri quod *Rohob.*

ROJA, vide RODIUM.

ROJAS seu ROXAS, nomen illustris in Hispania Familiæ: In qua Joannes *de Roxas* Regis Sanctii IV. amicitiâ singulari claruit & Martinum genuit atque Joannem Rodericum. Ille domûs *de Poza*, hic *de Mora* auctor est. Martinus Didacum Martinum & Sancium *Sanchez*, filios habuit; Didacus Lupum Diazium, iste Sanctium Sanchez Do. *de Poza*, cujus filia Sancia successionem attulit marito Didaco Fern. *de Cordubo* Do. *de Baena*; unde hujus filius Joann. Rodericus *de Roxas* dictus Pozam tenuit, pater Didaci & Gomesii Manricii *de Roxas*, Dominorum *de Requena* satoris. Verùm à Didaci filia Elvira, uxore sua, Pozam recepit agnatus, ex Sancii *Sanchez* prioris posteris, Didacus *de Roxas*, Dn. *de Monzon* & *Gabia.* Joannis *de Roxas*, primi Marchionis *de Poza* & hujus successorum pater (Familiæ hereditate demum, Marianæ *de Roxas* conjugiô, ad Ludovicum Ferdin. *de Corduba* & *Cardona* Dn. *de Sesa* devolutâ) Ex Monzonensi linea etiam

fuit

fuit Agnes *de Roxas*, Fernando *Gutierez de Sandoval* nupta, à qua cognomen illi genti, quam suô locô vide. Ulteriùs, Lopus Diazius prædictus, præter Sancium *Sanchez*, Ruilium Diazium genuit Dn. *de Sautacruz del Campezo*, quorum hæreditatem adiêre Mendozio-Guzmanoi *de Orgaz*. Alterum arbôris ramum quod concernit, qui in Joanne Roderico cœpit, exaruit immaturiùs. Siquidem Joannis neptis, Teresia Gomesia de *Roxas*, Francisco Vasquezio *de Toledo* Dn. de Villa majore nupta, nomen gentilitium intulit huic familiæ, inde iterum per fœminam delatum, ad familiam *de Cazeres & Estebar*, quorum posteri *Comites de Mora* dicuntur. Idem Spenerus *ubi supra*, *Part. 2. in Indice*, *ubi historia illustris hujus Familia.*

de ROJAS Johannes, vide *Johannes*.

ROKOSZANI, in Polonia, dicti confœderati, à conventu *Rokosz*: His decretum nisi Rex Sigismundus III. postulatis satisfaceret, alium Regem sibi præficere, plerisque nobilium suffragiis in Vincentium Mantuæ Ducem inclinantibus: Regem à Petro Skarga Jesuita obfirmatum vicerunt; Hinc Varsaviæ in Comitiis de pace actum. Hic dum Fœderati partem bonorum Ecclesiastic. inter Nobiles distribui, & Jesuitas regnô pelli aut scholis coerceri petunt, in securos impressione factâ, castris exuti dissipatique sunt, A. C. 1607. Thuan. *Hist. l.* 136. 138. Aliquando universi Nobiles contra Regem & Senatum coeunt, *Rokoff* indicunt, quod famosum in unum concurrendi symbolum est. Genuinum nominis etymon dari vix potest, interim sonat terminum statô tempore controvertendi & Symbolum est in ista gente usitatum, quô tota Nobilitas, cujus amplissima sunt jura, ad consurgendum contra Regem & Senatum, pro vindicandis privilegiis suis, convocatur: Formidolosum quondam Regibus, idque eo magis, quòd Nobiles etiam Regi & Proceribus familiares, tunc heros suos deserere & in commune opem suam conferre adstricti sunt. Cujus exemplum, præter id, quod de Sigismundo III. memoratum, sub Sigismundo I fuit, A. C. 1537. cùm coactâ totius Equestris Ordinis manu Moldaviam petens castra ultra Leopolim, prope oppidum *Glinany* posuisset; Tum enim, acclamatâ hac tesserâ *Rokoff*, Nobiles omnes Rege, Proceribusque rellictis, invicem conjuncti severiorem administratæ Reip. rationem ab ipsis requirebant, ac Senatores quosdam, pravorum consiliorum Auctores, tumultu populari pene oppresserunt. Aliud sub Ludovico Rege, A. C. 1380. in Histor. videre est. Auctor. Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civil. c.* 8. §. 8. *ubi de Juribus Nobil.*

ROKUS, apud Turcas, dignitas secunda post Sultanum, de qua vide Matth. Parisium A. C. 1250.

ROKYTA Johannes, à Raphaële Lescinio ad Magnum Ducem Moscoviæ Legato, assumptus in comitatum, cum Basilio Duce de capitib. doctrinæ Protestantium magnô animô disputavit, A. C. 1569. Colloquium edidit Joh. Lasicius, & à frivolis exceptiunculis Mosci vindicavit. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

ROKYZANA Johannes, vide *ibi*.

ROLANDINUS Patavinus, cognomine Grammaticus, floruit seculô 13. Scripsit *Historiam tyrannidis Eccelinorum libris*, 12. Ab A. C. 1200. usque ad an. 1263. P. Gerardus edidit, seculô præterito Scardeonius, *de Clar. Patavin.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 8.

ROLANDUS, Comes Andegavensis, Caroli M. necessarius, fortitudine, rebus gestis, & excelsô animô illustris. Occisus in reditu ex Hispania, A. C. 778. à Vasconibus. Hujus historia multis fabulis ab aliis involuta est. Eginhartus, *in vita Caroli M.* Baron. *A. C.* 778. & 812.

ROLEWINCK de Laer Wernerus, Westphalus, Monachus, Carthusianus, Theologus Coloniensis, Vir in divinis Scripturis studiosissimè versatus: floruit circa A. C. 1495. quô annum ætatis egit 70. Scripsit *Doctrinale Pauli*, *Vitam Pauli*, *Fasciculum temporum*, *Paradisum Conscientiæ* &c. Abbas Trithemius, *Catal. Illustr. Viror.*

ROLFINKIUS Guernerus, Hamburgensis, Anatomic. Chirurgices & Botanices Jenæ Professor, Chymiam ibidem primus orsus est, ac Hortum Medicum instruxit, *Præfecti* hinc titulum nactus: multorum Principum Archiater, & complurium scriptorum auctor, obiit A. C. 1673. ætat. 74. Paul. Freherus, *Theatro Viror. eruditione claror.* ubi & 108. Doctores ab illo creatos, addit.

ROLIM, Peguanorum Papa, vide *Papa*.

ROM. in nummis Justini, Mauritii & Heraclii: uti ROMA. in Joviniani & Justiniani, *Roma* nota est. Car. du Fresne *Dissertatione de infer. ævi Numismatibus*.

ROMA, mulier Trojana fuit, quæ unà cum Ænea in Italiam devenit, & nupta Latino, Aboriginum Regi, Romulum & Remum peperit, qui cùm Urbem condidissent, *Romam* eam à Matris nomine dixêre. Ita Callias, qui Agathoclis gesta memoriæ mandavit, apud Dionys. Halicarnass. *l.* 1. Meminit ejusdem, Lycophron, *in Cassandra*.

> Τοιούς δ' ἐμοί τις σύγγονος λείψει διπλοῦς
> Σκύμνους λέοντας, ἔξοχον ῥώμῃ γένος.
> *Tales relinquet consobrinus duplices*
> *Meus Leones, maximum* Romæ *genus.*

Communis verò opinio est, Romulum Remumque è Rhea Sylvia, vel Ilia, progenitos esse, ut vidimus supra, in voce *Rhea*. Interim, si non mulieris, saltem Deæ nomen quoque *Roma* fuit. A Romanis enim ac Græcis *Romam* pro Numine habitam esse, docet Martialis, *l.* 12. *Epigr.* 8. v. 1. 2.

> *Terrarum Dea, gentiumque Roma,*
> *Cui par est nihil, & nihil secundum.*

Et Frontinus, *de Aquæduct. l.* 2. *Regina & Domina orbis, quæ terrarum Dea gentiumque consistit, cui par nihil & nihil secundum.* Quod non κατὰ μεταφορὰν solùm, sed propriè etiam accipere possumus: cùm sit, ut Claud. Rutilius, *Itiner. sui primò.* v. 48. ait;

> *Inter sidereos* Roma *recepta polos.*

Itaque & Templum Deæ *Romæ* fuit: cujus meminêre Livius & alii multi, uti pluribus dictum Vossio, *Institut. Orator. l.* 4. *c.* 6. *sect.* 5. Vide eundem, *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 62. & in voce *Roma* Urbs.

ROMA, Latii in Italia urbs, de cujus origine & conditore diversa legimus apud auctores. Recepitissima opinio est, à Romulo & Remo fratribus conditam fuisse, unde & nomen acceperit, an. primô septimæ Olympiadis, teste *Dionysiô Halicarnassiô*, quâ tempestate Achas Judæorum rex regnavit A. M. 3118. Aprilis 21. Alii verò ante Romulum conditam volunt, & appellatam *Valentiam* initiô, quod nomen in arcano olim erat, nec efferri licebat, deinde *Romam* ab Euandro Arcade, à Græco Ῥώμη *Robur*, quod nomen servavit, licet Commodus Imperator eam *Coloniam Commodianam*, Gothus quidam R. *Gothiam* &c. voluerint appellare. Vid. Gloss. Ῥώμη *Valentia*: *Romam* alii sic vocant à muliere *Roma*, quam quidam Telephi filiam, Æneæ nuptam; alii Ascanio natam, Æneæ neptem; alii Æsculapii filiam, uti tradit Marinus, sive Marianus Lupercaliorum poeta, cujus ■ versus, qui apud Servium leguntur *ad Eclog.* 1. ita digerendi sunt, & concipiendi.

> *Roma ante Romulum fuit*
> *Et ab ea nomen Romulus*
> *Adquisivit.* ——— ———
> *Sed Dea flava & candida Roma Æsculapi filia.*
> *Novum nomen Latio facis, Hanc conditricem nomine*
> *Ab ipso omnes Romam vocant.*

Nonnulli & appellationem & originem urbis ab *Romo*, seu *Remo* Æmathionis filio; alii à Latinorum quodam tyranno ejusdem nominis deduxerunt. Vide Plut. in *Romulo*, & Solinum, *c.* 1. Topographiam Urbis Marlianus dedit. Vide & Onuphrium Panvin. *l.* 1. *Com. Reip. Rom. Admiranda Romæ* peculiari libellô recensuit Lipsius, qui & *De magnitudine Romana* inscribitur. Pauca, ex immensô dicendorum penu deprompta hic aspergam. Urbs Roma sedes olim Imperii, diu in Gentilismi tenebris mersa, sub Tiberio I. Euangelii luce collustrata, an à Barnaba, an ab Andronico & Junia, cognatis Pauli, an ab Urbano, cujus Paulus meminit, an à spectatoribus miraculosæ Spiritus S. effusionis, die Pentecostes factæ, domum reducibus &c. Vide Pareum in ad Rom. *c.* 1. *dub.* 8. & *c.* 16. Euseb. *l.* 2. *c.* 2. Tertullian. *Apolog. c.* 5. *&c.* à Paulo Apostolo magnoperè prædicante Romanorum fidem, epistolâ insigni honorata est: post aliquem dein temporis decursum sensim à primæva puritate ita descivit, ut cùm sub Imperatorib. Gentilibus dici potuerit:

> *Sancta est Sanctorum pretiosô sanguine Roma,*

ab adversariis postmodùm, sub Pontificibus posterioribus, appellari solita sit,

> *Ebria Sanctorum pretiosô sanguine Roma.*

Non adversariis solùm, sed & in sinu ejus natis, Franc. Petrarchâ, Hier. Savanarolâ, Joh. Baptistâ Mantuanô &c. id partim objicientibus, partim agnoscentibus & conquerentibus. Condidit eam Romulus quadratam, in montibus Capitolino & Palatino, cum portis 4. Trigonia, Mugonia, Jandina & Carmentali, Postmodùm, & reliqui 5. montes intra urbem recepti, ut verè evaderet ἑπτάλοφος. Tarquinius Superbus ex vivo lapide muros struxit, qui anteà solùm lateritii fuerant. Ambitus urbis erat 50. milliar. nunc pars ejus decima cecidit, Apocal. *c.* 11. *v.* 13. Portæ dein 25. fuerunt, vide Potter. *de numer.* quarum illa, quæ hodie Spiritus S. dicitur, olim Triumphalis nomen habuit, quòd ex Vaticano in Capitolium per hanc Triumphatores vecti sunt: Eâdem viâ Carolus V. Imperator urbem captam ingressus est, sub tempus renascentis in Germania, alibique Euangelii. Ex his portis per totidem vias magnô sumptu stratas exitus paruit, nempe Appiam Campaniam, Valeriam, Casliam, Tiburtinam, Latinam, Prænestinam, Laurentinam &c. aquæductibus insignibus conspicuas, ut & monumentis demortuorum; cùm lex 12. tabb. *in urbe ne sepelito, neve urito*, rigidè fuerit observata. Pontes hic olim S. Sublicius, fortitudine Coclitis & præcipitiô Heliogabali memorabilis: Triumphalis seu Vaticanus, qui ambo hodie destructi: Ælius, hodie S. Angeli: Aurelius seu Janiculensis, hodie S. Bartolomæi, Fabricius seu Tarpejus, nunc *Quatro capi*: Senatorius, seu Palatinus, hodie S. Mariæ Ægyptiæ, inundatione Tiberis destructus: Milvius, victoriâ Constantini M. contra Maxentium inclytus, hodie *Mole*. Octodecim ibidem olim fontes, quorum 3. præcipui, Virgo, Felix ex Paulina: Columnæ & obelisci innumeri, quarum rudera, Trajani inprimis & Adriani, omnibus admirationi sunt: horum autem, cùm anteà 45. essent, octo supersunt. Ut de palatiorum, templorum, Amphitheatrorum, imò & cloacarum magnificentia nil addam. Primò sub Regibus, usque ad an. 221. Urb. Cond. dein sub Consulibus, qui Prætores, Tribunos, Quæstores &c. infra se habebant, regimine sæpius immutatô, tandem sub Imperatoribus esse cœpit, cum Julius Cæsar, ad Pharsaliam, victor, seipsum Dictatorem perpetuum, An. 709. Urb. Cond. qui primus est Æræ Julianæ, appellavit. Numerus, sub Augusto, civium, immensus; sub Tiberio 1690291. fuit: Exercitus terrestris Imperatorum, *Appianô* & *Plutarchô* teste, fuit ordinariè peditum 200000. equitum 40000. elephanti 300. currus 2000. Maritimus verò triremium 1500.

narium

navium reliquarum 2000. Imo tantæ civium opes, ut ultra 20000. essent, quorum quisque justum exercitum propriis sumptibus alere potuit: &c. Reip. nomen sic in nomen Imperii mutatum, cujus sedem Constantinus M. ὁ κάτεχων, 2. Thessal. c. 2, v. 7. Constantinopolim transtulit: Imperiò post eum, in Orientale & Occidentale divisò: quorum hoc ab Hunnis, Gothis, Vandalis aliis 4. & 5. seculò miserè raptatum & discerptum est. Francis in Gallia, Longobardis in Italia, Gothis in Hispania &c. rerum potitis: dum illud, post varias vicissitudines, tandem sub Turcicum jugum est redactum. Interim splendorem ejus Carolus M. in Occidente restituit: rebus postmodùm denuo in deterius prolapsis. Sedes Paparum fuit omnium, exceptis Clemente V. Johanne XXIII. Benedictò XII. Clemente VI. Innocentiò VI. Urbanò V. & Gregoriò XI. qui à Christi A. 1305. usque ad 1376. Avenione degerunt. Secularibus hi bonis potiti sunt, non ex donatione Constantini, quæ fabulosa, sed Pipini, Caroli M. Maroziæ, &c. Pontifices, & hodie satis amplam ditionem possident, de Imperii jure diu colluctati cum variis Imperatoribus, donec supra omnem cognominatum Deum, vel Numen, 2. Thessal. c. 2. v. 4. emerserunt. Hic (ubi carne pluit, Serviò Sulpitiò Consule, teste Liviò, l. 3. dec. 1.) plures sub Consulibus in literis, versu præsertim, floruêre. In his Andronicus Epicus, qui *fabulas Latinas* primus scripsit, Ennius Salentinus, Plautus Sarsinas, Nævius Campanus, Pacuvius (nepos Ennii) Brundusinus, Cæcilius Gallus. Ennii & Terentii amicus, Comœdiographus. Accius Tragœdus, Terentius Comicus, Lucilius Satyrographus ex Aurunca urbe, Turpilius Comœdiographus, Terentii synchronus, Afranius Comicus Terentii ætate. Attilius Tragœdus, Trabeas octavus inter Comicos, Syrius Mimographus libertus sub Cicerone, Licinius Epigrammatista. Quintus Catullus synchronus Varronis, Licinius Gallus, Quintus Cornificius, Furius Bibaculus natus Cremonæ, Terentius Varro Attacinus synchronus Ciceronis & Hortensii, cum aliis. Ibidem quò die Christus Dominus noster natus est, in Vaticano fons olei erupit, & totò die manavit. Capta Urbs est à Brenno, An. 364. Urb. Cond. Ab Alarico A. C. 410. exitiabili 300. Juvenum munere, Genserico 455. quò tempore prædictio Vectii Valentis Auguris impleta videtur, de 12. vulturibus Romuli, tot seculorum, quibus Roma statuta esset, prænunciis. Tum etiam Regum in vetere territorio Romano numerus in denarium excrevit: Nam Britanni Vortimerum, Saxones Hengistum, Franci Childericum, Burgundiones Gunthericum, Visigothi Theodoricum: Suevi & Alani Riciarium in Galicia & Lusitania. Vandali Gensericum, Alemanni Sumanum, Ostrogothi Theodomirum, Græci Martianum Reges habuêre. Ab Odoacro 465. Totila 546. Sed & ab eodem reparata, monitu Theodeberti Franci, qui illi filiam suam petenti respondit, *Regem Italiæ non videri, qui Romam vastâsset.* Obsessa est à Longobardis, A. C. 577. quæ causa fuit, cur Pelagius II. insciò Imperatore esset electus. Iterum ab Agilulpho, quem Exarchus Callinicus irritaverat, A. C. 593. A Leone IV. ampliata, A. C. 852. iterum capta est ab Arnulpho Imperatore lepusculi occasione. A. C. 896. amissa ab Hugone Italiæ Rege ob alapam Alberico privigno impactam, A. C. 933. Fame pressa ab Ottone M. ut Leonem à Johanne pulsum reciperet. A. C. 964. Denuo capta ab Henrico IV. Imperatore custodum negligentiâ A. C. 1084. Pontifice in mole Hadriani obsessò. Intestinis dissidiis quassata A. C. 1146. cùm Romani, sacrorum curâ Pontifici relictâ, sibi Patritium crearent, Rempubl. in pristinum statum reducturi: quæ lites usque ad Clement. III. durârunt. Territa à Friderico II. qui armatus accedens Pontificem, à quo ob Sardiniam Ecclesiæ Romanæ negatam excommunicatus fuerat, in summas conjecit angustias, A. C. 1242. Occupata rursus & muris nudata est à Ladislao Apuliæ Rege, A. C. 1408. Accedente postmodùm Carolò VIII. Galliæ Rege, muri Urbis & Arcis Adriani suâ sponte conciderunt, A. C. 1494. Denuò capta à Cardin. Pompejo Columna, 1526. & Carolo V. A. C. 1527. per Connestabilem Borbonium, ubi id mirabile observatum: quòd *quoties oppugnatio iteraretur, toties nebula caderet, prospectum Pontificiis adimens, ut nescirent, quâ maximè parte hostis irrueret*, Camerar. *in Hist. Romæ captæ*: Direpta tum penitùs est ab Hispanis inprimis, qui ne sepulchris quidem Pontificum pepercerunt: vide Paul. Jovium *in vita Pomp. Columnæ.* Obsessa quoque posteà à Philippo II. per Albanum, qui, ne illa caperetur, transactionem maturavit: Certè prodigio imputatum, quòd eâdem nocte Tiberis alveò egressus Mausolæi Adriani propugnacula magna ex parte disjecit. P. Suavis, *in Hist. Concil. Trid.* Thuan. l. 18. &c. Nihilominus hodieque ampla, opulenta, pulchra & magnifica est. Valdensium hic Ecclesia, sed clam fuisse A. C. 1485. legitur: Cùm enim Bohussa Kostca Baro Bohemus, propriis sumptibus Legatos per orbem dimisisset, qui inquirerent, an alicubi Ecclesiæ puræ reperirentur, nullibi ferè reperiri retulerunt, exceptis in Gallia & Italia Ecclesiis Valdensium, ut & in ipsa urbe Roma cœtibus occultis, cum quibus à Legatis unio inita, Camerar. *in Histor. Fratr.* Lætus *Comp. Hist. Univ.* Numerantur ibi hôc tempore 300000. homines, præter 8000. Judæos, qui separatim habitant, singulisque diebus Sabbathicis concionem audire coguntur: Divisa est nunc in 14. regiones, familiæque ejus nobilissimæ sunt, Ursini, Columnæ, Contii, Savelli, Farnesii, Cajetani, Baglioni, Vitellii, Sfortiæ, Perreti, Aldobrandini, Boncompagni, Cæsii, Altaempsii, &c. Palatiorum elegantissima, Vaticanum, S. Johannis Lateranensis, Montis Eq. & Moles Adriani seu Castrum S. Angeli Acropolis urbis est, domus 22000. Parœciæ 92. Templa nationalia 41. monasteria virorum 64. virginum 40. Nosocomia 30. &c. Templa autem præcipua, S. Johannis Lateranensis, quod primarium est. S. Petri Basilica in Vaticano totius orbis facilè pulcherrima & sumptuosissima, ad miraculum usque exornata, cui Palatium Pontific. Vaticanum superbissimum adjacet, S. Pauli extra mœnia, S. Mariæ Majoris, S. Laurentii extra muros, S. Sebastiani, & S. Crucis Hierosol. Inter quæ templum D. Petri aurò, argentò, gemmis, marmore, &c. radiat. Concilia Romæ habita, vide apud Morer. *Diction. Hist.* Ejusdem creberrima mentio in veterib. nummis Imperatorum medii quoque ævi, ut apparet ex notis PERP. PR. PROM. R. RB. RM. RO. ROM. ROMA. ROMB. ROPS. RP. RPS. RS. RT. SMRB. SMRP. quæ in iis occurrunt, quòd ibi cusi essent, ut videre est hic *passim*. Cæterùm cur Latinum Urbs nomen ignotum esse voluerint Romani olim, ratio hæc. Cùm omnes urbes in alicujus Dei essent tutela, mos Romanis fuit arcanus, & multis ignotus, ut cùm obsiderent urbem hostium, eamque jam capi posse confiderent, certò carmine evocarent tutelares Deos, quòd aut aliter Urbem capi posse non crederent, aut etiamsi posset, nefas existimarent, Deos habere captivos: Quare ipsi Romani, tum Deum, in cujus tutela Urbs *Roma* fuit, tum Urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt, hôc pactò caventes, ne, quod ipsi sæpe adversùs hostium Urbes fecisse se noverant, idem ipsi quoque hostili evocatione paterentur, si Tutelæ suæ nomen divulgaretur, Ita Macrobius, *Saturnal.* l. 3. c. 9. Vide quoque Sylvium, *in Epistol. Virorum illustr.* uti *de imagine Romæ magica*, suprà *Colisæum.* Sed *Romam* antiquam pluribus nuper & doctissimè Famianus Nardinus, uti etiam anteà Jocobus Lauros, Philippus Cluverius, præter suprà laudatos: Recentem autem Floraventes Martinellus aliique plurimi prolixè descripserunt. Elogia veteris urbis penè sunt infinita. Dionys. v. 354. *ubi de Tybride*:

> *Θύμβριν, ὃς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην,*
> *Ῥώμην τιμήεσσαν ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων,*
> *Μητέρα πασάων πολίων, ἀφνειὸν ἔδεθλον.*

Vult Romam fuisse totius mundi Metropolin. Sic Horat. *l. 4. Od. 3. v. 13. Roma, principis urbium.* Ab Ammiano, *l. 4. Urbs Æterna* dicitur; Sic etiam locis infinitis alibi appellatur, non solùm ab Ammiano, sed ab ipsis quoque Imperatorib. ut ex illorum constitutionibus notum. In nummis quoque antiquis insidens scuto Roma Victoriam dextrâ, scipionem sinistrâ gerens cum hac inscriptione videtur, ROMÆ ÆTERNÆ. Polemon apud *Athenæum*: *Ἐπιτομὴ τῆς ὅλης οἰκουμένης. Marcianus Heracleota Ἄστρον τι κοινὸν τῆς ὅλης οἰκουμένης.* Eunapius Sardianus *in Proæresio*: *Βασιλεύουσα Ῥώμη.* Rutilius Numat. *l. 1. v. 48.*

> *Regina* ——————
> —————— *pulcherrima mundi*
> *Inter sidereos Roma recepta polos.*

Virg. *l. 2. Georg. v. 534.*

> *Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma.*

Æthicus: *Domina totius orbis Roma.* Solin. *c. 1. Caput orbis.* Julius Frontinus: *Regina & Domina orbis.* Tityrus apud Virgilium, *Eclog. 1. v. 25. de urbe Roma.*

> *Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit urbes,*
> *Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Juvat hîc ad Virgilii imitationem dixisse Vellejum, *l. 2. c. 4. Super totum terrarum orbem Roma extulerat caput*: & Vopiscum *in Caro, c. 3. de eadem Româ: Passa deinceps tot Nerones post Vespasianum caput extulit.* Ovidium quoque, *l. 1. Fast. v. 209.*

> *At postquàm fortuna loci caput extulit hujus,*
> *Et tetigit summo vertice Roma Deos.*

Et, *l. 4. v. 255.*

> *Post, ut Roma potens opibus jam secula quinque*
> *Vidit, & edomitò sustulit orbe caput.*

Eôdem elogiò illam afficiunt Plin. *l. 3. c. 5.* Justin. *l. 43. c. 3.* Idem Justin. *l. 18. c. 2. Cyneas à Pyrrho interrogatus, qualis Roma esset, respondit: Regum urbem sibi visam.* Propert. *l. 3. eleg. 21. v. 16.*

> *Omnia Romanæ cedant miracula terræ;*
> *Natura hîc posuit quicquid ubique fuit.*

Cum quo Propertii encomio consonant verba ista Aristidis, in oratione, quæ tota est *de laudibus Romæ*: *Ὡς ἐοικέναι τὴν πόλιν κοινῷ τῆς γῆς ἐργαστηρίῳ.* Et posteà pulcherrimè: *Ὅ, τι δ' ἂν μὴ ἐνταῦθα ἴδῃ τις, οὐκ ἔστι τῶν γενομένων, ἢ γιγνομένων.* Martialis, *l. 12. Epigr. 8. v. 1. 2.*

> *Terrarum Dea, gentiumque Roma,*
> *Cui par est nihil, & nihil secundum.*

Compendiò hoc Martialis; sed pulchrè item & ubertim Claudian. *de 2. Consul. Stilich. v. 131.*

> *Quâ nihil in terris complectitur altiùs æther,*
> *Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,*
> *Nec laudem vox ulla capit, quæ luce metalli*
> *Æmula vicinis fastigia conserit astris:*
> *Armorum legumque parens: quæ fundit in omnes*
> *Imperium, primique dedit cunabula juris:*
> *Hæc est, exiguis quæ finibus orta, tetendit*
> *In geminos axes, parvaque a sede profecta*
> *Dispersit cum Sole manus, &c.*

Erinna etiam Poëtria audienda est: Ea igitur sic ad urbem Romam:

Χαῖ;

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος,
Χρυσεόμιτρα, δαΐφρων ἄνασσα,
Σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς Ὄλυμπον
Αἰὲν ἄθραυστον.
Σοὶ μόνᾳ πρέσβειρα δέδωκε μοῖρα
Κῦδος ἀῤῥήκτω βασιληΐου ἀρχᾶς,
Ὄφρα κοιρανήιον ἔχοισα κάρτος
Ἁγεμονεύῃς.
Σᾷ δ᾽ ὑπὸ ζεύγλᾳ κρατερῶν λεπάδνων
Στέρνα γαίας καὶ πολιᾶς θαλάσσας
Σφίγγεται, σὺ δ᾽ ἀσφαλέως κυβερνᾷς
Ἄστεα λαῶν.
Πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰὼν
Καὶ μεταπλάσσων βίον, ἄλλοτ᾽ ἄλλως,
Σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς
Οὐ μεταβάλλει.
Ἦ γὰρ ἐκ πάντων σὺ μόνα κρατίστους
Ἄνδρας αἰχματὰς μεγάλους λοχεύεις,
Εὔσταχυν Δάματρος ὅπως ἀνεῖσα
Καρπὸν ἀπ᾽ ἀνδρῶν.

Petronius Arbiter :

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Quà mare, qua terra, qua sidus curris utrumque.

Horatius, *l.* 4. *Od.* 15. *v.* 15.

Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

Idem, *l.* 3. *Od.* 3. *v.* 45.

Horrenda latè nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Quà tumidus rigat arva Nilus.

Et post pauca, *v.* 53.

Quicunque mundi terminus obstitit,
Hunc tangat armis visere gestiens;
Quâ parte debacchentur ignes,
Quâ nebula pluviique rores.

Tibullus, *l.* 2. *eleg.* 5. *v.* 57.

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Quâ sua de cælo prospicit arva Ceres.
Quaque patent ortus, & qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Dionys. Halicarn. Ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς, ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἀνθρώπων κατοικεῖται· πάσης δὲ κρατεῖ θαλάσσης, οὐ μόνον τῆς ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν ἀλλὰ καὶ τῆς Ὠκεανίτιδος, ὅση πλεῖσθαι μὴ ἀδύνατός ἐστι, πρώτη καὶ μόνη τῶν ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος μνημονευομένων ἀνατολὰς καὶ δύσεις ὅρους ποιησαμένη τῆς δυναστείας. Idem, *l.* 1. Romam vocat τὴν ἡγεμόνα τῆς γῆς καὶ τῆς θαλάσσης πόλιν *Cedrenus* de ea: *Πᾶσαν δουλωσαμένη τὴν οἰκουμένην*. Philo, de legatione ad Cajum loquens, de Imperio Augusti: διὰ γῆς καὶ θαλάττης ἄχρι τῶν τοῦ κόσμου περάτων. De nomine, præter supra dicta, audiamus B. Hieronym. ævô jam inclinante: *Urbs potens*, inquit, *urbs Domina*, *urbs Apostoli voce laudata*, *interpretare nomen tuum*; *Roma aut* FORTITUDINIS *nomen apud Græcos est*, aut SUBLIMITATIS *apud Hebræos*; nempe à רום *exaltare*. Vide *Septimontium*. Populi *Romani*, de quibus Cicero: *Semper appetentes gloriæ præter cæteras nationes sunt Romani.* Plutarchus: Ῥωμαῖοι προθυμότατοι τοῖς φίλοις. Vide de la Cerd. *ad Virg. Æn.* 6. *v.* 784. Dicuntur etiam *Romulidæ*. Persius *Sat.* 1. *v.* 30.

——— Ecce inter pocula quærunt,
Romulidæ saturi quid dia poëmata narrent.

ROMÆ ÆDIFICIA ANTIQUA, ALIAQUE, EX QUIBUS URBIS SPLENDOR OLIM, ET MAGNITUDO DEPREHENDITUR, EX SEXTO RUFO, PUBLIO VICTORE, ET ALIIS.

Ædes sacræ 102.
Ædiculæ 424.
Ærarium ingens in octava regione.
Amphitheatra 3.
Antra ingentia 2.
Aquæ 24.
Aquæductus 14.
Aræ 32. præcipuæ.
Arcus 36.
Areæ 19.
Armamentarium in undecima regione.
Asylum in sexta regione, alterum in octava regione.
Atria 6. in octava regione, & alia alibi.
Balnea 909. alia privata 82.
Basilicæ 21.
Bibliothecæ publicæ 40.
Campi 17.
Capitolia 2. novum, & vetus.
Carceres plures: in iis Tullianum, & Centum virorum.
Carinæ in tertia regione.
Castellum aquarum trium, Marciæ, Juliæ, & Tepulæ, in quinta regione.
Castra 9.
Circi 8. aliis 9.
Clivi 4.
Clypei aurati 12.
Cohortes prætoriæ 14.
Cohortes vigilum 6.
Cohortes urbanæ 6. aliis 12.
Colles 7.
Colossi 2.
Colossi ænei 37.
Colossi marmorei 51.
Columnæ Cochlides 2.
Columnæ aliæ plures: in iis Lactaria, ubi lac infantibus præbebatur.
Curatores 28.
Curiæ 30.
Delubra multa, sed præcipua 10.
Domus 2117. aliis 2097.
Emporium ingens in duodecima regione.
Equi ænei 84. eburnei 124. magni 23.
Excubitoria 14.
Fontes duo præcipui, Scipionis, & Sylvani.
Fora 19. ex quibus Forum Romanum regio est.
Horrea publica 327.
Horti plures, memoratiores 15.
Jani quadrifrontes 36.
Insulæ 46602.
Lacus 1352.
Latrinæ publicæ 144.
Lavacra publica plura, duo præcipua.
Lucus 31.
Ludi plures, in iis litterarii in octava regione.
Lupanaria 46.
Lymphæa. Vide *Nymphæa*.
Marcella plura; sed præcipua, Magnum, & Livianum.
Mansiones aliquot, in quibus Albanæ in secunda regione.
Mensæ oleariæ 24000.
Montes in urbe 7. trans Tiberim 2.
Naumachiæ 6.
Nosocomium ingens in insula.
Nymphæa 12.
Obelisci magni 6. parvi 42.
Pilæ 3.
Pistrina publica 329. aliis 254.
Pontes 8.
Portæ 37.
Porticus 52.
Prata 2.
Pyramides aliquot, magna ex parte confractæ.
Regiæ 3. Numæ, Tullii, & Hostilii.
Regiones 14. quibus additæ 5.
Rostra 2. nova, & vetera.
Sacella plura, memoratiora 15.
Sacraria plura, præcipua 4.
Salinæ in undecima regione.
Scalæ Gemoniæ in regione decima tertia.
Scholæ memorabiliores 5.
Senatula 4. tria virorum, unum matronarum.
Septizonia 2. novum, & vetus.
Sepulchra plurima, sed famosiora 20.
Signa Deorum, & statuæ, sine numero.
Simulachra virorum illustr. 40.
Spelunca Caci in regione decima quarta.
Stationes plures, cohortium & municipiorum.
Statuæ plures, memorabiliores 15. partim Deorum, partim hominum.
Tabernæ plurimæ, in quibus tres præcipuæ.
Templa 133. in iis 2. Fortunæ, plura Jovis, Junon, & Veneris.
Theatra quatuor.
Thermæ 20.
Tribus 35. additæ 14.
Velabra duo, novum, & vetus.
Vexilla publica 2.
Viæ 31.
Vici 424.
Vicomagistri 340.
Villæ publicæ aliquot.

Hic lectorem admonendum duxi, ne urbem Romam minorem ipsâ famâ æstimet, dum hic domos & statuas adeò paucas legit; nam hic domus tantùm censentur, quæ nos hodie palatia vocamus. Quòd si incolarum numerum, sive ædium multitudinem conjectura quis assequi velit, insularum numerum cogitet. Quod ad statuas attinet, sciat eas innumeras fuisse; cùm Romani urbe Volsiniensium captâ & direptâ, inde supra duo millia statuarum Romam, teste *Liviò*, asportarint.

ROMANÆ FAMILIÆ SEU GENTES PATRICIÆ, EX TITO LIVIO, DIONYSIO, TACITO, DIONE, PLUTARCHO, TRANQUILLO, ET ALIIS.

Æbutia: in qua 1. Titus Æbutius Helua Consul cum Publio Veturio an. 254. ultimus, Posthumus Æbutius Helua Cornicen Consul cum Marco Fabio an. 311.

Æmilia, ab Æmilio Ascanii filio, vel à Mamerco Numæ filio, teste *Plutarchô*. In ea Mamercini, Lepidi, Pauli, Barbulæ, Papi, & Scauri. Paulus Æmilius Persen Macedoniæ Regem vicit. Marcus Scaurus & Consul, & Censor, & Princeps Senatus fuit. Marcus Æmilius Lepidus triumviratum ab Augusto renunciare coactus est. Alii Æmilii Barbulæ, & Papi Consules fuêre. Ultimus, Marcus Scaurus Sardiniam sortitur, & repetundarum postulatus, à Cicerone defensus est, & absolutus.

Antonia, ab Antone Herculis filio. Hinc Marcus Antonius Triumvir, qui ab Augusto victus apud Actium, Alexandriæ se interemit, Luciô Antoniô filiô relictô, qui Massiliæ moriens genti finem fecit.

Aquillia: in qua 1. Cajus Aquillius Sabinus Consul cum Tito Sicinio an. 266. Alii Flori, Corvi, & Galli; nam Marcus Aquillius Gallus Consul fuit cum Cajo Mario an. 652.

Cassia: in qua 1. Spurius Cassius Viscellinus Consul cum Oppio Virginio an. 251. ultimus, Cajus Cassius Consul cum Marco Terentio an. 680.

Claudia, ab Actio Clauso Sabino ex oppido Regillo. Hic posteà Romæ in Senatorem cooptatus Appius Claudius dictus est. In qua 1. Appius Claudius prædictus Consul cum Publio Servilio an. 258. ultimus, Appius Claudius Pulcher Consul cum Lucio Porcio an. 569. Appius Claudius Pulcher operâ Cæsaris factus Tribunus plebis, Ciceronem in exilium ejecit.

Clœlia, à Clœlio Æneæ comite.

Cornelia, amplissima omnium, quatuor familias complectens, Maluginensium, Scipionum, Rufinorum, & Lentulorum. 1. Maluginensis fuit Servius Cornelius Consul cum Quinto Fabio an. 268. ultimus, Publius Cornelius Consul cum Quinto Marcio an. 447. 1. Scipionum fuit Publius Cornelius Magister equitum cum Marco Furio Camillo an. 357. ultimus, Publius Cornelius Consul cum Lucio Domitio an. 727. 1. Rufinus, Publius Cornelius Dictator an. 419. ultimus, Lucius Cornelius Sulla Consul cum Cajo Julio an. 748. 1. Lentulus Servius Cornelius Consul cum Lucio Genucio an. 450. ultimus, Publius Cornelius Consul cum Gnejo Cornelio an. 735.

Fabia, à Fabio Herculis filio. Hinc Fabii Vibulani, & Maximi, & Pictores, & Ambusti, & Buteones, & Rulliani: ex quibus Maximi diù perdurârunt.

Furia: in qua 1. Sextus Furius Fusus Consul cum Spurio Nautio, an. 265. cum aliis Fusis; Lucius Furius Medullinus Consul an. 321. cùm aliis Medullinis; Marcus Furius Camillus Censor cum Marco Posthumio an. 350. cum aliis Camillis; Cajus Furius Pacilus Consul cum Marco Papirio an. 312. cum aliis Pacilis.

Gegania, à Gia comite Æneæ: unde Geganius Macerinus 1. & postremus, Marcus Geganius Macerinus Tribunus militum consulari potestate, an. urb. cond. 283.

Horatia, ab Horatiis, (qui Curiatios & Albanos subegerunt) in tres familias divisa, in Pulvillos, Barbatos, & Coclites. Horatius Pulvillus auctor fuit.

Hortensia: in qua 1. Quintus Hortensius Dictator ann. 457. ultimus, Marcus Hortensius Ortalus; de quo Sueton. *in Tiber. c.* 47.

Hostilia, ab Hostilio ex urbe Medullia. Hinc Tullus Hostilius 3. Romanorum Rex.

Julia, ab Julo Æneæ filio, qui & Ascanius; vel ab Julo Ascanii filio, ut aliis videtur. Hinc Cajus Julius Cæsar, toties Consul, qui subactâ Galliâ, Britanniâ, Hispaniâ, victô Pompejô, Rempublicam Dictator perpetuus occuparit, à Cassio & Bruto interfectus. Ab eo Octavianus adoptatus I. Imperator fuit Augustus, post quem Tiberius II. Claudius III. Nero IV. postremus de hac familia. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 292. ...

Julius, à magno demissum nomen Iulo.

Junia, à Junio Æneæ comite. Hinc Lucius Junius Brutus, qui Tarquinium Superbum Regem expellendum curavit, & Consulibus principium fecit Reipublicæ.

Lucretia: in qua 1. Spurius Lucretius Tricipitinus Consul cum Publio Valerio an. 244. ultimus, Lucius Lucretius Tribunus Militum an. 373.

Manlia; in qua 1. Gnejus Manlius Consul cum Marco Fabio an. 273. ultimus, Titus Manlius Torquatus Consul cum Gneio Octavio an. 588. Primi enim Vulsones, medii Capitolini, posteriores Torquati dicti sunt.

Marcia, à Marcio Sabino, qui à Numa Rege primus Pontifex maximus creatus est. Hinc Ancus Marcius 4. Romanorum Rex.

Menenia: in qua 1. Agrippa Menenius Lanatus Consul cum Publio Posthumio an. 250. ultimus, Marcus Menenius Tribunus militum an. 376.

Minucia, in qua 1. Marcus Minucius Augurinus Consul cum Aulo Sempronio an. 256. ultimus, Quintus Minutius Augurinus Consul cum Cajo Horatio an. 296.

Nautia, à Naute comite Æneæ. Hinc Spurius Nautius Rutilius Consul cum Sexto Furio: postremus, Cajus Nautius Consul cum Marco Claudio an. 466.

Octavia, à Velitris originem duxit: in qua 1. Gnejus Octavius Rufus Quæstor: inde plures Consules, ultimus, Gnejus Octavius Consul cum Marco Scribonio an. 677. Hinc Cajus Octavius à Julio Cæsare adoptatus, & posteà Imperator Augustus.

Papisia, posteà Papiria: in qua Papisii Mugilani, & Papirii Crassi. Eorum 1. Lucius Papisius Mugilanus Consul cum Lucio Sempronio an. 309. ultimus, Marcus Papisius Musilanus Consul cum Cajo Nautio an. 342. Horum 1. Marcus Papirius Crassus Consul cum Cajo Furio an. 312. ultimus, Lucius Papirius Crassus Dictator an. 433. Item fuêre Papirii Cursores: 1. Lucius Papirius Cursor Censor cum Cajo Julio an. 361. ultimus, Lucius Papirius Cursor secundùm Consul cum Spurio Carvilio an 481.

Pinaria, à Pino Numæ Regis filio, unde 1. Publius Pinarius Rufus Consul cum Cajo Julio an. 264. ultimus, Lucius Pinarius Natta Dictator an. 350.

Pompilia, à Pomponio Sabinorum Rege: à quo Numa Pompilius 2. Rex Romanorum.

Posthumia, in qua 1. Publius Posthumius Tubertus cum Marco Valerio Consul an. 248. postremus, Lucius Posthumius Megellus Consul cum Quinto Manilio an. 491.

Quinctia tergemina. In 1. Quinctii Capitolini: 1. Titus Quinctius Capitolinus Barbatus Consul cum Appio Claudio an. 282. ultimus, Titus Quinctius Capitolinus Barbatus Tribunus militum an. 348. In altera Quinctii Flaminii: 1. Titus Quinctius Flaminius Consul cum Sexto Ælio an. 555. ultimus, Titus Quinctius Flaminius Consul cum Quinto Cæcilio an. 620. In tertia Quinctii Cincinnati: 1. Lucius Quinctius Cincinnatus Consul cum Cajo Claudio an. 293. ultimus, Titus Quinctius Cincinnatus Consul cum Cajo Sulpitio an. 402.

Quinctilia: in qua 1. Sextus Quinctilius Varus Consul cum Publio Curiatio an. 300. ultimus, Gnejus Quinctilius Varus Dictator an. 422.

Sempronia: in qua 1. Aulus Sempronius Atratinus Consul cum Marco Minucio an. 256. ultimus, Aulus Sempronius Atratinus Magister equitum an. 374.

Sergia, à Sergesto comite Æneæ. De quo Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 121.

Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen.

Hinc Lucius Sergius Catilina; qui, cùm contra Rempublicam arma sumpsisset, in agro Pistoriensi deletus est.

Servilia, à Publio Servilio Prisco ex Alba excisa Romam translato ortum habuit. In qua Servilii Cæpiones, Vatiæ, & Gemini. 1. Cæpio Gnejus Servilius cum Cajo Sempronio Consul fuit an. 500. 1. Vatia fuit Publius Servilius Censor cum Lucio Aurelio an. 689. 1. Geminus Publius Servilius Consul cum Lucio Aurelio an. 501. cum aliis.

Silvia, ab Ænea Silvio, 1. Latinorum Regum familiæ, cujus fuêre Romulus & Remus.

Sulpicia: in qua 1. Servius Sulpicius Camerinus Consul cum Publio Volumnio an. 292. posteà Servius Sulpicius Camerinus Consul cum Marco Fabio an. 408. hinc Publius Sulpicius Galba, Consul cum Gnejo Fulvio an. 543. & Servius Sulpicius Galba Consul & Imperator ab Othone occisus; & Servius Sulpicius Galba Calpurnius à Galba Imperatore adoptatus, postremus gentis.

Tarquinia, à Damarato Corinthio Tarquiniis exulante: à quo Lucumo, qui Tarquinius Priscus dictus est, 5. Romanorum Rex à Marciis occisus. Hinc etiam Lucius Tarquinius Superbus, 7. Romanorum Rex, ob stuprum Lucretiæ illatum regnô pulsus.

Tullia, à Tullio Corniculano. Hinc Servius Tullius 6. Romanorum Rex, Tarquinio occisô.

Valesia, posteà Valeria, à Sabinis, sive à Tatio Rege ortum duxit, pacemque inter Sabinos & Romanos composuit. In ea sunt Publicolæ, Maximi, Potiti, & Messalæ. Auctor gentis Valerius Volusus. 2. Familia hujus gentis est Flacca; in qua 1. Lucius Valerius Flaccus fuit. 3. Falconum, & 1. Quintus Valerius Falco. 4. Lævinorum, & 1. Publius Valerius Lævinus.

Vetusia, & Veturia: in qua 1. Publius Veturius Geminus Cicurinus Consul cum Tito Æbutio an. 254. ultimus, Cajus Veturius Crassus Cicurinus Tribunus militum an. 384.

Virginia: in qua 1. Aulus Virginius Tricostus Consul cum Tito Veturio an. 259. ultimus, Lucius Virginius Tricostus Consul an. 365.

GENT[illegible]LEBEJÆ, EX QUIBUS AD AMPLOS HONORES PLURES EVECTI SUNT.

Acilia à Trojanis ortum habere fertur. In ea 1. Marcus Acilius Curulis fuit an. 557. item Marcus Acilius Glabrio Consul cum Publio Cornelio an. 562. ultimus, Marcus Acilius Glabrio Consul cum Cajo Calpurnio an. 686.

Ælia (quam alii inter patricias numerant) plures continet; Pætos, Tuberones, Ligures, Catos, & Lamias. Publius Ælius Pætus 1. Consul cum Cajo Sulpicio fuit an. 416. Quintus Ælius Tubero 1. Consul cum Paulo Fabio an. 742. Sextus Ælius Catus Consul cum Tito Quinctio an. 555. Publius Ælius Ligus Consul cum Cajo Popilio an. 581. Lucius Ælius Lamia Consul cum Marco Servilio an. 754. De his Horatius, *l.* 3. *Ode* 17. *v.* 1.

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos)
Auctore ab illo ducis originem.

Atilia: in qua Atilii Reguli, quorum 1. Lucius Atilius Vulso Tribunus militum an. 354. cum aliis Consulibus, quorum ultimus, Cajus Atilius Regulus Serranus Consul cum Quinto Cæpione an. 647. & Atilii Calatini, quorum 1. fuit Aulus Atilius Calatinus Consul cum Quinto Sulpicio an. 495. inde Cajus Atilius Calatinus Bulbus Consul cum Marco Fabio an. 508.

Aurelia, à Sabinis orta, priùs Auselia, à sole vel auro dicta: in qua 1. Cajus Aurelius Cotta Consul cum Publio Servilio an. 501; ultimus, Lucius Aurelius Cotta Consul cum Lucio Manlio an. 688.

Cæcilia, quæ à Cæculo Prænestis conditore derivari putatur. In ea 1. Lucius Cæcilius Metellus Consul cum Cajo Servilio an. 469. ultimus, Quintus Cæcilius Metellus Consul cum Aulo Licinio an. 758.

Calpurnia, à Calpo filio Numæ Regis orta teste Plutarchô traditur. In ea Pisones & Frugi, duæ familiæ sunt. Primæ 1. Consul cum Aulo Posthumio fuit Cajus Calpurnius Piso an. 572. cum aliis. Alterius 1. Consul fuit cum Aulo Gabinio an. 695. Lucius Calpurnius Piso Frugi; cujus meminit Cicero *pro Sextio*. Auctor Panegyrici de Pisonibus sic, *ad Pisonem*, *v.* 17.

Claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
Humida callosa cùm pinseret hordea dextra.

Claudia Marcellorum: in qua 1. Marcus Claudius Marcellus Consul cum Cajo Valerio an. 422. ultimus, Marcus Claudius Marcellus Consul cum Lucio Aruntio an. 731.

Curii, Fabricii, & Coruncanii potiùs inter municipes quàm inter gentes numerantur.

Decia, à Publio Decio, qui se pro patria devovit, ortum ducens; in qua 1. Publius Decius Mus Consul cùm Tito Manlio an. 413. ultimus, Publius Decius Mus Consul cum Publio Sulpicio an. 474. Hujus meminit Juvenalis, *Satyr.* 8. *v.* 254.

Plebeja Deciorum anima, plebeja fuerunt
Nomina. ——— ———

Domitia, Gemina; Calvinorum, & Ahenobarborum. In 1. Gnejus Domitius Calvinus Censor cum Quinto Fabio an. 474. In altera Gnejus Domitius Ahenobarbus 1. Consul cum Lucio Quinctio an. 561. Hinc Gnejus Domitius Ahenobarbus, à Claudio Imperatore adoptatus, Imperator fuit, Nero Claudius Domitianus dictus.

Fulvia: in qua Lucius Fulvius Curvus 1. Consul cum Quinto Fabio

Fabio an. 431. Gnejus Fulvius Centumalus Consul cum Lucio Cornelio an. 455. Marcus Fulvius Petinus Consul cum Tito Manlio an. 454. cum aliis; Marcus Fulvius Nobilior Consul cum Gnejo Manlio an. 564. cum aliis; Marcus Fulvius Flaccus Consul cum Appio Claudio an. 489. cum multis aliis ultra annum 628.

Junia: in qua Didius Junius Brutus 1. Consul cum Lucio Furio an. 428. ultimus, Marcus Junius Brutus Consul cum Marco Æmilio an. 676. Fuêre ejusdem gentis Junii, Penni plures, & Silani. Nam ultimus Pennus cognomentô Callaicus Consul fuit cum Publio Cornelio an. 615. ultimus Silanus. Marcus Junius, Consul cum Cajo Julio an. 728. Item Lucius Junius Pullus Consul cum Publio Claudio an. 504.

Licinia: in qua 1. Publius Licinius Calvus Tribunus militum & consularis potestatis an. 353. ultimus, Marcus Licinius Crassus Consul cum Gnejo Cornelio an. 729. Ex eadem Lucius Licinius Lucullus Consul cum Aulo Posthumio, an. 602. cum aliis; & Lucius Licinius Muræna Prætor an. 670. Fuit & Lucius Muræna Consul cum D. Silano; de quo Cicero *in oratione pro Murena*.

Livia: in qua 1. Cajus Livius Denter Magister Equitum an. 405. Primus Consul cum Lucio Æmilio an. 534. fuit Marcus Livius Salinator. Hinc Cajus Livius Drusus Consul cum Publio Cornelio an. 606. ultimus, Lucius Livius Drusus Consul cum Lucio Calpurnio an. 738.

Lutatia: in qua 1. Pontifex Maximus & Consul cum Aulo Posthumio an. 511. fuit Cajus Lutatius Catulus; postremus, Quintus Lutatius Catulus Consul cum Marco Æmilio an. 675.

Marcia: in qua Cajus Martius Rutilus Pontifex & 1. Consul cum Gnejo Manlio an. 396. ultimus, Cajus Marcius Censorinus Consul cum Cajo Asinio an. 745.

Maria à Cajo Mario municipe Arpinate initium habuit, qui septies Consul fuit, qui armis Syllanis ejectus, Minturnis vitam finiit. Ultimus, Cajus Marius Consul cum Gnejo Papirio an. 671.

Mucia, in qua Quintus Mucius Scævola 1. Consul cum Spurio Posthumio an. 579. ultimus, Quintus Mucius Scævola Pontifex & Consul cum Lucio Crasso an. 658.

Plautia: in qua 1. Consul cum Marco Fabio fuit Cajus Plautius Proculus an. 395. ultimus, M. Plautius Silvanus Consul cum Cajo Julio an. 751.

Pompeja, gemina. In 1. Aulus Pompejus Rufus, à quo Quintus Pompejus Rufus Consul cum Gnejo Servilio an. 642. ultimus, Sextus Pompejus Rufus Consul cum Sexto Apulejo an. 766. Altera Gneorum est: ex qua Gnejus Pompejus cognomine magnus, à Cæsare victus in Pharsalia, cùm anteà pluries triumphâsset.

Popilia: in qua 1. Consul cum Cajo Manlio an. 394. fuit Marcus Popilius Lænas Flavius Carmentalis; postremus, Publius Popilius Lænas Consul cum Publio Rupilio an. 621.

Porcia à Cære oppido ortum habet: cujus princeps fuit Marcus Porcius Cato Censorinus Augur, Quæstor, Consul cum Lucio Valerio an. 558. Hinc Marcus Porcius Cato, qui se Uticæ interemit, partes Pompeji secutus.

Sempronia: in qua Sempronii Sophi, quorum 1. fuit Publius Sempronius Sophus pontifex & Consul cum Publio Sulpicio an. 449. Longi, quorum 1. Titus Sempronius Longus Consul cum Publio Cornelio an. 535. Tuditani, quorum 1. Consul cum Marco Cornelio an. 549. fuit Publius Sempronius Tuditanus; & Gracchi, quorum 1. Consul cum Publio Valerio an. 515. fuit Titus Sempronius Gracchus quæstor an. 630. de quo Cicero *in Bruto*.

Tullia ortum à Tullo, Volscorum Rege, habet ex municipio Arpinate: in qua Cicerones. Quorum splendor Marcus Tullius Cicero fuit, cùm ad Consulatum perveniret, eloquentiæ Latinæ pater. *Nic. Lloydius.*

ROMA, Insula Daniæ, in ora Jutiæ Meridionalis seu Ducatus Slesvicensis, in mari Cimbrico. 1. leuc. à Ripa in Meridiem Siltam versus, 3. à Tundera in Circium. Oblonga est, vixque 1. leuc. ab ora, cum uno alteroque vico; *Rom.*

ROMA, Insula regni Congi, in fluv. *Zaire*, prope ejus ostium, ubi colonia Francorum, paucis ab hinc annis.

ROMA Gallica, civitas Arelatensis. Auson. *Carm. de nobil. Urb.*

ROMA Nova, à Constantino M. Constantinopolis dicta est, in *Can. generaliter* 16. *quæst.* 1. & apud Baronium, *ad A.C.* 330. *num.* 37. quam appellationem durâsse, ad ultimam Imperii Græci ætatem, patet ex *Confessione Fidei*, quam in ipso mortis articulo Florentiæ, ubi tum Concilium habebatur, exhibuit Josephus Patriar. Constantinopolitanus. *Joseph miseratione divinâ Constantinopolis &* novæ Romæ *Archiepiscopus & Oecumenicus Patriarcha; Quoniam ad extremum vitæ perveni, idcirco pro meo munere dilectis filiis benignitate Dei meam sententiam his literis palàm facio* &c. apud Dominic. Macrum, *in Hierolex.* Vide quoque Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ῥώμη, & suprà *Aqua Grani.*

de ROMA Paulus, vide *Paulus.*

ROMÆI, Græcè Ῥωμαῖοι, Græci dici cœperunt, à quo Imperii sedes à Constantino Magno Constantinopolim translata est: uti docet Sponius ex *Inscr.* Græca, in Templo Monasterii S. Lucæ, quod in Parnasso est, superstite,

ΠΑCΙ ΡΩΜΑΙΟΙC ΜΕΓΑC ΕΓΕΙΡΕ
ΡΩΜΑΝΟC
ΝΕΟΝ ΠΑΜΜΕΓΙCΤΟΝ ΚΑΙ ΠΥΡ-
ΓΟΝ ΕΚ ΒΑΘΡΩΝ.

Hodieque se *Romæos* Græci vocant dicentes: *imé Romæos*, h. e. Græcus sum; *milo Romaika*, Græcè loquor &c. Vide Jac. Sponium, *Itinerar. Græc. Part.* 2. *p.* 76. Atque hinc Calo Joannes Bulgarorum Rex Ῥωμαιοκτόνος, quasi *Græcorum occisor*, dici amavit, ut infrà videbimus, in voce *Romæoctonus.*

ROMANA, apud Flav. Vopisc. *in Probo*, *c.* 23. *Posteri Probi, vel odiô invidiæ vel timore* Romanam *refugerunt: & in Italia circa Veronam ac Benacum & Larium ——— Larem locaverunt:* est *Romana regio*, quæ & *Urbicaria Regio* dicebatur. Unde ROMANA UNIVERSA REGIO in *vetere Inscr.* quæ urbicarias regiones omnes, intra centesimum ab Urbe lapidem, complexa, ab Italia separabatur, uti multis testimoniis it probatum Salmas. *ad Vopisc. in Tetrico*, *c.* 24. & ex hoc ipso loco clarissimè liquet. Dicit enim Vopiscus, Probi posteros odiô invidiæ vel timore non urbe Româ tantùm cessisse, sed etiam omnem Romanam provinciam refugisse & ultra centesimum in Italiam longè recessisse, ac circa Veronam Larem collocâsse. Sic infimis temporibus sublatô discrimine Annonariæ & Urbicariæ regionis, *Ducatum Romanum* à provincia Italiæ ita separarunt, ut olim Urbicaria vel Romana Regio, ab Italia vel Annonaria Regione, distingui solebat. Anastasius *in Zacharia*, *Hic invenit totam Italiam provinciam valde turbatam, simul &* Ducatum Romanum, *persequente Luithprandô Longobardorum Rege.* Salmas. *ad Vopisc. d. l.*

ROMANA Ditio, tractus agri Bernensis, inter montem Jurassum, lacum Lemanum, & pagum Friburg. Ubi Lausanna, Minnidunum, Nevidunum, Ebrodunum, & Viviacum; *le pays de Vaux.* Olim sub Sabaudis.

ROMANA Lex, dicitur Cathwlpho, *in Epistola ad Carolum M. totius Mundi prima*; quô nomine posteà Codicis Theodosiani *Breviarium*, quod Tolosæ annô Alarici 20. collectum, bienniô pòst per Anianum Aduris editum fuit: qui quidem Codex interdum in *MSS. Auctoritas Alarici Regis*, interdum *Liber Legum*, sed crebriùs *Lex Romana* appellatur, ut in Codice Bibl. Regiæ, apud Car. du Fresne, *Incipit Lex Romana. In hoc corpore continentur libri Legum Romanarum l.* 13. *Novellarum l.* 5. &c. Eâ verò utebantur Galli, præsertim *Romani*, qui à veterib. Gallis, qui sub Imperio Romanorum erant, antequàm Franci & Burgundiones eâ potirentur, originem duxêre. Provinciæ item Galliæ, quæ Gothis parebant. Vide *Legem* Wisigothorum, *l.* 2. *tit.* 1. §. 9. Sed & in Ecclesiasticis causis eam observatam potissimùm, docent varii Auctores laudati præfato Car. du Fresne *in Glossar.* inprimis Innocentius Cironus, *ad* 5. *Compilat. Decretorum*, *l.* 5. *tit.* 12. *c.* 3. & Steph. Baluzius, *Not. ad Capitul. Reg. p.* 995.

ROMANA Lingua, vide *Wallenses*, & suprà *Latina lingua.*

ROMANA, oppidum Arragoniæ, ad amnem *de Aguas*, paulò antequam cadat in Iberum, 9. leuc. Hispanic. infra Cæsar-Augustam, in Merid. Dertusam versùs 16.

ROMANÆ Kalendæ, apud Lamprid. *in Commodo*, *c.* 12. *Datus in perpetuum ab exercitu & Senatu, in domo Palatina Commodiana conservandus, XI. Calendas Romanas:* vide suprà in voce *Mensis.*

ROMANATI, apud Joannem Lucium, *in Histor. Dalmatiæ*, *p.* 433. *Solvat nomine pœnæ Comiti præfato* 1000. *Romanates:* nomen nummorum aureorum, qui *Romani* Diogenis Imperatoris Constantinopolit. imagine signati sunt. De eadem moneta Anna Comnena, *l.* 2. *Alexiad. p.* 94. Καὶ τὸ ῥόγιν [illegible] διὰ τε [illegible] ἀργυρίου καὶ Ῥωμανάτων παλαιῶν [illegible], apud Car. du Fresne, *in Glossar.* Sic suprà habuimus *Constantinatos*, *Manuelatos*, *Michalatos*, Constantini Ducæ, Michaëlis Ducæ & Manuëlis Comneni Imperatorum imaginibus insignes.

ROMANDII, vel ROMANDUI *Ptolem.* populi sub Rhotomago, quos Northmannos esse scribit *Volaterranus.* Hodie *Vermandois.*

ROMANDIOLA, provincia Italiæ, sub Pontifice *la Romagna*, ubi aliàs Æmilia. Fertilis, salinisque & metallis referta. Anteà etiam agrum Bononiensem complexa, nunc arctior est. Habet hunc ab Occidente, à Septentrione Ducatum Ferrariæ, ab Occidente & Meridie Ducatum Urbinatem & Hetruriam. Ejus pars Meridionalis & minor, Apenninum versus Magno Duci subest, diciturque *Romandiola Florentina*, ubi Civitas Solis. Veræ autem seu Pontificiæ Romandiolæ urbes sunt Ravenna caput provinc. Faventia, Imola, Forum Livii, Britinorium, Ariminum, Cervia, Cesena, & Sarsina, cum aliquot minoribus. Vide Leandr. *descript. Italiæ.*

ROMANENSES, Monachi Abbatiæ Romanæ, & incolæ loci, qui *de Romanis*, seu *Romanum* dicitur. Vide *Romanum.*

ROMANENSES Ecclesia, apud Tertullian. ejusdem est cum Romana fidei, aliâ notione *Hispanensis* occurrit, apud Æl. Spartian. *Hadriano*, *c.* 1. *Origo Imperatoris ——— posterior ab Hispaniensibus manat:* ibi enim, qui in Hispania quidem natus, sed aliunde oriundus, intelligitur; cùm *Hispanus* sit ὁ αὐτόχθων, & cujus majores aliunde orti non dicantur. Salmas. *Not. ad Spartian.*

ROMANI, Cœtus fidelium, in urbe Roma, jam Tiberii Imperatoris tempore, à Christo, ministeriô Barnabæ an Andronici & Juniæ? Vide in *Roma*, collectus: ad quem D. Paulus Epistolam divinam scripsit, quæ 16. capitibus constans, Religionis Christianæ absolutissimum compendium est. In hanc prostant: Abelardi *Scripta*, inter opera. Ægidii *Lectiones*, inter opera. Alesii *Commentarius*, Genevæ. Amyraldi *Paraphrasis*, Gall. in octav. Salmuri, A. C. 1644. Arminii *Analysis c.* 9. *& Sensus genuinus c.* 7. Inter opera. Augustini *Expositio inchoata.* Bockstadii *Idea Concionum*, in 4to. Francof. A. C. 1619. Brentii *Commentarius*, inter opera. Bruchii *Enarrationes*, in 8t. Coloniæ 1556. Buceri *Commentar.* in fol. Basileæ A. C. 1562. Tubin-

gæ 1572. Calixtus. Calovius, in 4to. Dantisci, A. C. 1648. Castellionis *Annotationes in c. 9.* in 8t. Jenæ, A. C. 1613. Coccejus. Cooperus *in c. 8.* inter opera. Angl. in fol. Londini A. C. 1619. Corneri *Commentar.* in 8t. Heidelbergæ, A. C. 1583. Corrani *Explanatio Dialogistica*, in 8t. Londini A. C. 1574. Francof. A. C. 1588. Crellii Socin. *Paraphrasis.* Crucigeri *Comment.* Witteberg. A. C. 1567. de Dieu *Animadversiones.* Draxi *Clavis cœli, in c. 8.* Idem, *Comment. in c. 11.* in 4to. Angl. 1609. Eltoni *Expositio in c. 7. 8. 9.* in fol. Londini A. C. 1654. Episcopius Socin. Faji *Commentar.* Genevæ, A. C. 1608. Feurbornius. Foxii *in c. 11. Enarratio.* Gerhardi *Annotat. posthuma.* Gomari *Explicatio locorum diffic.* Gryonæi *Exegesis*, in 8t. Basileæ, 1580. 1591. Huberi *Explicatio c. 9. 10. 11.* Urfellis A. C. 1597. in 8t. Loniceri *Vet. Theol. Græc. ἐξηγήσεις.* Basileæ, A. C. 1537. in 4to. Lossii *Comment.* in fol. Francof. A. C. 1579. Lutheri *Enarratio.* Martyris *Commentaria*, in fol. Basileæ, A. C. 1570. in fol. Heidelb. A. C. 1613. Mentzeri *Analysis, c. 9. 10. 11.* in 8t. Francof. A. C. 1610. Musculi *Commentar.* in fol. Mylii *Prodromus Disputationum*, in 4to. Jenæ, A. C. 1594. Alterius Mylii *Expositio*, in fol. Tiguri, A. C. 1583. Nahumi *Explicatio Analyt.* in 8t. Hanoviæ A. C. 1598. Neheimeri *Analysis Logica*, in 8t. Hanoviæ A. C. 1608. Oecolampadius *in ad Rom.* Basil. A. C. 1526. Olevian. *Notæ*, in 8t. Genevæ A. C. 1584. Origenis *Tractatus.* Pareus. Pererius. Pouchinaire. 1. in 8t. Oxoniæ A. C. 1615. Ragerus. Reudenii *Analysis*, in 2. Vol. Jenæ & Hanoveræ, A. C. 1603. Rolloci *Comm.* in 8t. Genevæ, A. C. 1595. Lugd. Bat. A. C. 1608. Rungii *Disput.* 18. Sculteti *Idea Concion.* Stresonis *Technologia Theolog. in c. 1.* in 4to. Lugduni Batav. A. C. 1634. Wolzogenius Socin. Vorstius hæretic. Weinrichii *Commentarius*, in 4to. Lipsiæ, A. C. 1608. Welleri, & Wigandi *Annotationes*, in 8t. Francof. Willetus, in fol. Cantabrigiæ. A. C. 1610. Winckelmanni *Notationes* in 8t. Giessæ A. C. 1614. Zuingeri *Analysis & Quæstiones*, in 4to. Basileæ, A. C. 1655. Zuinglii *Annotationes*, &c. Plures exhibebit Guil. Crowæi *Elench. Scriptorum.*

ROMANI, & *Cives*, appellati sunt uniuscujusque gentis populi Romani Imperii provinciales, post constitutionem Antonini I. in Orbe. *De statu homin.* Et inde, everso Imperio, veteres provinciarum incolæ civium Romanorum nomine, ab irrumpentibus Barbaris distinguebantur. Sic Britanni *Romani* appellati, apud Spartian. *in Hadr. c. 5.* sic in antiquis legib. A mediæ ætatis scriptoribus *Romani* dicuntur Allobroges & Sabaudiæ populi, quin & lingua eorum *Romanica.* Henr. Spelmann. *Glossar. Archaeol.* Plura vide infra in voce *Wallenses.* Fuêre autem *Romani cives*, definiente Sigonio, *homines liberi, qui urbem agrumve Roman. inhabitarent*; quod potissimùm de iis, qui sub Regibus fuêre, intelligit. De illis verò, qui liberâ Rep. optimâ lege nomen id habuerunt, sic pergit: *Optimâ lege is mihi civis Romanus videtur, qui domicilium, qui Tribum, qui honorum potestatem est adeptus*, *de antiq. jure Civ. Rom. l. 4. c. 1.* Et talis non nisi Romanam ducere poterat; ut Justinianus *in Institut.* indicat: quod tamen quomodo intelligendum sit, vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 37.* Tandem verò nomen hoc latiùs extensum est: ut dictum *suo loco.* Vide & infrà, *Sordidi.*

ROMANI Ludi, à Tarquinio Prisco instituti, in honorem Jovis, Junonis & Minervæ, mense Septembri celebrabantur, teste Paulô Manutiô. De iis ita Asconius Pedianus, *in Verr. I. Romani Ludi sub Regibus instituti sunt, Magnique appellati, quòd magnis impensis dati sunt: tunc enim primùm ludis impensa sunt ducenta millia numûm. Alii ideò magnos Ludos dictos putant, quòd Conso consiliorum secretorum Deo, i. e. Neptuno Latinum Regi & rerum conditarum, & Diis magnis, i. e. Laribus urbis Romæ, dati sunt: quibus ajunt raptas Sabinas esse; ut videatur propter hoc dicere Virgilius, l. 8. Æn. v. 636.*

——— *Magnis Circensibus actis.*

Nam & Magni, & Circenses iidem sunt. Ubi, quòd *Conso hos ludos datos esse* scribit, nescio quàm verum sit, inquit, Rosinus, cùm Livius eos ludos, *Consualia* appellatos, *l. 1. c. 9.* dicat, cui etiam Varro, *de L. L. l. 4.* Tertullian. *de Spectac.* & Sext. Aur. Victor. *c. 2.* assentiuntur. Livius de illis ista habet, *l. 1. c. 35. Bellum primum cum Latinis gessit* (Priscus) *& oppidum Appiolas vi cepit: prædâque inde majore, quàm quanta belli Fama fuerat, revectâ, ludos opulentiùs instructiùsque, quàm priores Reges, fecit. Tunc primùm Circo, qui nunc Maximus dicitur designatus locus est, loca divisa Patribus* &c. Unde patet, Ludos hos, à Romulo, ut quidam volunt, institutos, à Tarquinio verò Prisco magnificentiùs instructos fuisse, quæ causa, quòd Auctorem eorum hunc Manutius facit, ut dictum. *Ludicrum fuit, equi Pugilesque ab Hetruria maximè acciti, solemnes dein annui mansêre Ludi, Romani Magnique variè appellati.* Idem Liv. ibid. Atque hi quidem primùm à Regibus edebantur; tum à Consulibus, inde ab Ædilibus Plebejis, tandem à Curulibus: quod vel ex Cicer. *l. 5. Act. 2. in Verrem*, constat, ubi ista habet: *Nunc designatus Ædilis habeo rationem, quid à Populo Rom. acceperim. Mihi ludos sanctissimos, maximâ cum ceremoniâ Cereri, Libero Liberaque faciendos: mihi Floram matrem Pop. Plebique Rom. ludorum celebritate placandam; mihi ludos antiquissimos, qui primi* Romani *appellati sunt, maximâ cum dignitate ac religione Jovi, Junoni Minervæque esse faciendos.* Fuêre verò illi primùm Circenses, dein etiam Scenici, ut idem docet Livius, *l. 31. c. 4.* & cùm primùm unô die, posteà biduô, item triduô peragerentur, tandem plures dies iis tributi sunt. Fasti veteres novem continuos dies, à pr. Nonas Sept. usque ad pridie Idus eos fuisse celebratos docent: post quos biduô interjectô, alios Ludos *Romanos* in Circo per quinque dies habitos iidem testantur. Sed Paul. Manutius, *Comm. in 1. Verr.* hos post illud demum tempus, quô Verres à Cicerone accusatus est, fuisse habitos contendit. Vide Scaligerum, *Poët. l. 1. c. 28.* Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 19.* Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l. 2. s. 3. c. 6.* Alios.

ROMANIA, pars Græciæ, aliàs Thraciæ dicta. Vide ibi. Sede Imperiali Constantinopoli, quæ *nova Roma*, celebris, hinc nomen accepit. Quanquam non Thraciam modò, sed & Græciam eô nomine appellari videas, in Asia quoque magnam partem Asiæ minoris, seu Anatoliæ; Græcis sibi hoc nomen ambitiosissimè vindicantibus, quibus ea propter & à Turcis *Rumilorum* & Romaniæ *Rumilia* appellatio tribuitur. Est hic inter Beglerbegatus Imperii Turcici, numerô decimus octavus, à quo dependent 24. Sangiaci. Tractus enim provinciarum Turcis subjectarum distributos primùm inter Beglerbegos, quos & *Bassas* sæpè vocant possentque Ducibus aliorum Regnorum comparari; dein *Sangiacos*, quos Comitibus assimiles, notum est: quorum ordinem diligens Auctor *descr. Imp. Ottomannici, l. 1. c. 12.* exhibet. Præter Constantinopolim, urbes *Romaniæ* extantiores sunt. Callipolis *Gallipoli* & Cordia, nunc *Cordea*, quæ in illa parte *Romaniæ*, quæ ad Hellespontum porrigitur, olim *Chersoneso Thraciæ*, sitæ sunt. Ibidem & Sestus est, una ex Dardanellis, Adrianopolis hodie *Andrinopoli*, Urbs Mediterranea olim Imperii sedes &c. Vide Auctorem Anonymum, *Histor. Orbis Terr. Geogr. ac Civil. cent. 6. s. 1. de Regionibus Eur.* §. 19. Car. du Fresne eam Asiæ partem, quæ Græcis Byzantinis parebat, alterius partis respectu, quam invaserant Turcæ, quæque hinc *Turcia* dicebatur, hôc nomine indigitatam propriè fuisse, docet *Not. ad Villhardninum.* Quô sensu Guil. Apuliens. *de Gestis Normannorum, l. 2.*

Horum temporibus Turcis Orientis ab orb
Ingressos fugit gens territa Christicolarum,
Qui Romaniæ *loca delitiosa colebant.*

Sed & totum Imperium Orientale seu Byzantinum, *Romaniam* dictam esse, docet Jornandes, *de Rebus Geticis, c. 25.* ubi à Wesegothis Legatos, *ad Romaniam*, ad Valentinianum Imperatorem missos esse, ait. Etiam pro *Romandiola* alicubi; & tandem pro ea Galliæ parte, quæ Romanis parebat, aut paruerat, vox nonnunquam occurrit. Vide præfatum Car. du Fresne in *Glossario*, & in voce *Wallenses*, ut & in *Romanitas*, hîc infrà.

ROMANIANUM, pagus agri Novariensis, in Ducatu Mediolanensi, in ipso limite Pedemontii, prope Gattinaram vicum, 14. milliar. supra Vercellas in Boream, Varallum versus totidem. Ibi Cimbri à Romanis victi.

ROMANINUS, monetæ species, *Extravag. Joannis XXII. de sentent. excommunic.* quam *Romanatum* vocat Falco Beneventanus *in Chron. ad A. C.* 1630. & *Romesinum A. C.* 1139. à Rogerio Siciliæ Rege sublata, *Ibid. A. C.* 1140. Vide infrà in voce *Romesina.*

ROMANITAS, apud Tertullian. *de Pallio c. 4.* est Romanus Orbis seu Romanum Imperium, Barbariæ oppositum. Terram enim dividunt Romani Scriptores, in *Orbem Romanum* & *Barbariam*; quô posteriore nomine intelligunt, quidquid alienum erat Imperio Romano, seu quidquid erat ultra limitem Romanum quaquaversum, ut videre est apud Amm. Marcellinum, & alios. Huic itaque Tertullianus *Romanitatem* opponit. Græci Scriptores Ῥωμανίαν. Sic Epiphanius de Manete, καταλιπὼν τὴν τῶν Περσῶν χώραν τῇ Ῥωμανίᾳ προσέβαλε, *relictâ Persarum regione, in Romanum orbem pervenit.* Idem alibi de Ario, Καὶ ἐβόησεν ἐξ αὐτοῦ πῦρ ἡ τυχὴ, ἐπενείματο πᾶσαν τὴν Ῥωμανίαν σχεδὸν &c. Alii Græci interdum τὸ Ῥωμαϊκὸν ἔθνος, vel τὴν πολιτείαν τῆς Ῥωμαϊκῆς ἐπικρατείας. Salmas. *ad Lamprid. in Alex. c. 58.*

ROMANIUS Joh. Baptista, vide *ibi.*

ROMANOPOLIS, Armeniæ oppid. *Curopal.*

ROMANUM, oppid. Delphinatus, in Allobrogibus, & diœcesi Viennensi, ad Isaram fluv. qui 3. leuc. infra cadit in Rhodanum, 3. leuc. à Valentia in Cæciam, 10. à Vienna in Meridiem: à Romo XVI. Rege, ut traditio est, extructum. Vulgò S. *Romans*, locus est Abbatiâ seu Monasteriô nobilis, ad ripam Isaræ, in Rhodanum decurrentis. Ejus meminit Gregorius VII. Pont. Rom. *in Epist.* scriptâ *Fratribus consistentibus in Abbatia Romana super fluv. Isaram constitutâ.* Item in altera, *Clericis Romanensibus* inscripta. In Actis S. Bernardi Episcopi Viennensis, quæ servantur in Archivis Monast. Ambroniaci *Ambernay*, B. Bernardus vocatur *Patronus Romanensium*, diciturque construxisse *Monasterium in loco, cui Romanis nomen imposuit, conditâ ibi Ecclesiâ in honore B. Petri Monachis cum Abbate collocatis, in ipso loco sepeliri desiderantem trium Martyrum reliquias, quas fidei suæ primitias Vienna primùm habuerat, eò transtulisse reverenter, scil. Severini, Exsuperii & Feliciani*, principatu Karoli M. Liber de Vita ipsius, *Bernardum* eum vocat, meminitque *loci solitarii, ubi Monasterium S. Apostolorum Petri & Pauli construxit nomenque* de Romanis *ab eo, pondo quem jus loci spectabat, indidit.* Ibidem *loci de Romanis* dicti, & *loci cui Romanis nomen imposuit.* Ubi quoque locus semper *Romanis* dicitur, & Monachi atque incolæ loci *Romanenses.* Vide Hadr. Valef. *Notit. Gall.* Est & *Romanum* Monast. *Roman Monstier*, in diœcesi Lausonensi; quod unà cum aliis, ab Henrico Abbate Cluniacensi, vel potiùs à S. Odilone, vel instauratum, vel à fundamentis extructum esse, Monachus quidam *vita ejus* Auctor refert, apud eundem Valesium in *Celsinaria.*

ROMANUM Collegium, vide infrà *Senatores*, ut & suprà *Collegium*: uti de Romani Imperii, cum animali, *leænis os, pardi corpus*, & *pedes ursi* habente, comparatione, in Apocalypsi, infrà voce *Ursus.*

IMPERATORES BYZANTINI &c.

ROMANUS I. Lecapenus, Imperator Orientis. Dux copiarum

rum fuit Constantini Porphyrogennetæ; cui persuasit, ut Zoën matrem in monasterium detruderet: quô factô ei filiam suam junxit, effecitque, ut Cæsar primò, A. C. 919. dein Augustus ab ipso crearetur. Hinc elatior, Acta publica nomine suô, ante Imperatorium positô, signari voluit, filiosque Augustos, minimum quoque Patriarcham effecit. Sed à filiorum uno, Stephano, rasus & in exilium pulsus est. A. C. 944. dumque hic de præcedentia, cùm Constantino fratre, contendit, Imperator veternô excussô, utrumque in Insulam relegavit. *Curopalates*, *Liutpr. Baronius*, &c.

ROMANUS II. Junior, filius Constantini Porphyrogennetæ, patri successit, A. C. 959. cui venenum propinâsse dicitur. Matremque Helenam & sorores expulit: Obiit A. C. 963. an venenô, an luxu perditus? Sub eo Nicephorus Phocas, Cretam Saracenis eripuit. Joh. Curopalat. *in Comp. Hist.* Cedrenus; &c.

ROMANUS III. Argyropylus, ductâ Zoë, filiâ Constantini, Imperator, A. C. 1028. Pius primò, & magnificus, post acceptas verò aliquot à Saracenis clades, avarus: à Michaële, impulsu Zoës, venenô petitus, posteà uxoris manibus in balneo strangulatus est, A. C. 1034. ætat. 46. *Idem.*

ROMANUS IV. Diogenes, successit Constantino Ducæ, qui cùm tres filios reliquisset, Eudoxia horum mater; contra quod pollicita erat, Romano tum exuli nupsit, qui coronatus est, A. C. 1068. Contra Turcas hic primò felix, postmodùm in Azanis, qui Dux infidelium erat, manus devenit: A quo cùm interrogatus, quid sibi victo facturus fuisset, respondisset liberè, lancearum ictibus illum se confixurum fuisse; generosè Azan, non imitabor, inquit, sævitiam hanc Christi tui monitis parum convenientem: honestéque illum remisit. Sed nuntiô ejus captivitatis in urbem perlatô, jam Michaël filius Constantini Ducæ, Eudoxiâ pulsâ, Imperium occupaverat: proin Romanus, veste pullâ, in asino, ad Imperatorem deductus, oculisque orbatus est, quod vulnus cùm à nemine sanaretur, intumuit mirum in modum caput, puréque & vermibus totum scatere incepit; tantam calamitatem admirabili constantiâ ferente Romanô, qui tandem obiit, A. C. 1071. Iidem.

ROMANUS, Exarchus Ravennensis, præfuit an. 10. vel 12. A. C. 953. Perusium aliaque loca eripuit Longobardis, moxque iterum amisit, an proditione, an occultô amicitiæ cum Agilulfô, Longobardorum Rege, commerciô? Paul. Diac. *Hist. Longob.*

Pontifices Roman. et Viri Clari.

ROMANUS, post Stephanum VI. Pontifex Roman. A. C. 900. an legitimè, an à populo per tumultum electus sit, ignoratur: unde inter Antipapas illum sunt qui locent. Severitate Stephani improbatâ, acta ejus rescidit. Obiit 4. pòst mense. Onuphr. &c. Genebr. *Chron.* Baron. *in Annal.*

ROMANUS Diaconus, vir nobilis, Cæsareæ, sub Diocletiano sævissima passus, ad Asclepiadem Præfectum monentem lictorem, tractaret ut civem Rom. dixit: *Absit, ut me Nobilem sanguis parentum præstet, aut lex Curia: generosa Christi secta nobilitas vires*, circa A. C. 304. Prudentius *in martyrio ejus.* Alius ejusdem nominis, doluit, quòd dignus non esset, qui Christi martyr vocaretur: Sub Juliano Apostata. Socr. *l.* 2. *c.* 13.

ROMANUS Adrianus, vide *Adrianus*, it. *Hadrianus.*

ROMANUS Hispo, vide *Hispo.*

ROMANUS Jacobus, vide *Jacobus.*

ROMARICUS Mons, vulgò *Remiremont*, oppid. Lotharingiæ, olim villa publica seu fiscalis, ad Mosellam, ad radices Vosagi montis, ubi Abbatia Monialium nobilis. *Baudrand.* à Romarico Franco, hortatu Amati Monachi, fundata: Is enim Palatium Luxoviô Monasteriô mutavit, servis manumissis ac plerisque detonsis & sibi adjunctis, multisque rebus loco donatis, atque in sylva Vosago, *le bois de la Voyge*, non longè à Mosella, adjutore Eustasiô Monasterium hoc in Castello suo Abbas extruxit, A. C. 630. quod à loco, in quo conditum, Habendense, dictum. Fuit autem id duplex olim, Monachorum ac Virginum; Castellô posteà Monasteriôque Habendensi ab Hungaris dirutô, à Ludovico Arnulfi Aug. filio, non eôdem locô, sed ad radices montis trans Mosellam instauratum Monasterium ajunt: quod unà cum oppido suo prioris conditoris nomine, ut dictum, Germani *Romberg* vocant, nunc nobilium Virginum Canonicarum illustre Collegium. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* 1. leuc. à confinio Comitatus Burgundici, 5. à Fontenaco in Ortum, Colmariam versùs 11. à Falconio oppid. Comitatu Burgundico, 4. in Boream.

ROMASCOT, aliàs *Romepenny* Angl. *Denarius Petri* Latin. ab Offa Rege Anglorum, seu Merciôrum pendi cœpit. Hic enim cùm regnâsset annos 36. votumque concepisset, de Cœnobio Britannorum Protomartyri St. Albano magnificentissimè statuendo, ad Adrianum I. Romam profectus est: à quo cùm humaniter exceptus esset, postridie scholam Anglorum, quæ tunc Romæ floruit, ingressus; destinavit ad sustentationem gentis suæ illic viventis singulos argenteos de familiis singulis, quibus mediocres essent opes, singulis annis, in perpetuum pendendos: exceptâ terrâ S. Albani Monasterio conferendâ: quâ libertate obtinuit, ut de regno Angliæ nullus publicè pœnitens, pro exsecutione sibi injunctæ pœnitentiæ, subiret exilium. Appellatus est autem *Petri denarius*, iste nummus, quia præfatus Rex die S. Petri, qui dicitur, Ad vincula, S. Albani reliquias invenit, & annuum hunc reditum ipsô die Romanæ Ecclesiæ, pro redemptione animæ suæ, ad sustentationem videlicet scholæ memoratæ, contulit. Duravit ejus solutio, usque ad Henricum VIII. qui illam statutô 25. abrogavit. Restituta quidem An. 1. & 2. Philippi & Mariæ, sed denuo abrogata est An. 1. Elizabethæ. Item *Denarius Petri*, Anglicè *Romescot*, *Romfeoh*, & *Romepenny*; census annuus unius denarii, è qualibet familia, Romæ persolutus, ad festum S. Petri; Hunc instituit primò Inas Occidental. Saxonum Rex, Malmesber. *in Hist.* nonnullis id Offæ Regi adscribentibus. Illum Eduardus III. A. C. 1365. regni 39. deinceps pendi aut ab Anglis ampliùs colligi prohibuit: Fuit autem summa 300. marcarum. De Atelwlfo, patre Alvredi Regis primo Monarcha, quod *Denarium Petri* spectat, in Chronicis, circa A. C. 858. scriptum reperisse se refert Spelmannus, eum concessisse solvi Romæ 300. marcas singulis annis, quæ tali modô dividerentur: videlicet centum in honorem S. Petri, specialiter ad lumen Ecclesiæ ejus; centum in honorem S. Pauli, eadem de causa; præterea centum Papæ, ad suas Eleemosynas ampliandas, *Glossar. Archaol.* Vide quoque Malmesber. Matth. Westmonasteriensem, ad A. C. 794. & supra in voce *Anglia.*

Dioeceses Angliæ ad Denarium Divi Petri olim conferentes

Bathoniensis solvebat libras 12. solidos 5.	Herefordensis, l. 6.
	Lincolcensis, l. 42.
Cantuariensis, l. 7. s. 18.	Londinensis, l. 16. s. 10.
Cicestrensis, l. 8.	Norwicensis, l. 21. s. 10.
Coventrensis, l. 10. s. 10.	Roffensis, l. 5. s. 12.
Eborum, l. 11. s. 10.	Sarum, l. 17.
Eliensis, l. 5.	Wigorniensis, l. 10. s. 5.
Exoniensis, l. 9. s. 5.	Wintoniensis, l. 17. s. 5. denar. 8.

ROMATIANA, urbs Carnorum, *Concordia Ortelio* seu *Portus Romatinus*, sic à fluvio dictus.

ROMATINUM, Carnorum fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 18. hodie Venetæ ditionis esse, & *Limine* dici, scribit *Leander.*

ROMB. in nummis Aviti, *B.* pro *P.* posito, *Roma percussa* designat. Car. du Fresne *de infer. avi Numismatibus.*

ROME, fœmina nobilis, à qua urbi Romæ nomen, juxta nonnullos. Et quidem, *Heraclidi*, apud Solinum, *c.* 1. *placet, quosdam ex Achivis in ea loca, ubi nunc Roma est, devenisse per Tiberim; deinde suadente Rome, nobilissimâ captivarum, quæ his comes erat, incensis navibus, posuisse sedes, struxisse mœnia & oppidum ab ea* Romen *vocavisse. Agathocles Romen* non captivam sed Ascaniô natam scribit, ut adstipulantur Dionysius *l.* 1. & *Festus.* Vide quoque suprà *Roma.*

ROMECHIUM, locus Magnæ Græcæ inter Locros & Caulonem. Ovid. *l.* 15. *Metam. v.* 705.

Romechiumque legit, Caulonaque Narytiamque.

ROMELIA, pater Phace regis Israël. 2. Reg. *c.* 15. *v.* 27. Latinè, *excelsus*, vel *celsitudo Domini*, aut *projectus à Domino.*

ROMEOCTONUS seu ROMÆOCTONUS, Græcè Ῥωμαιοκτόνος, cognominari voluit Calo-Joannes Bulgarorum Rex, quasi *Græcorum occisor*: nam Græci *Romai* dicti sunt. Idque ut paria faceret cum Basilio Græcorum Imperatore qui, ob stragem Bulgaris illatam, *Bulgaroctonus*, h. e. *Bulgaricida*, fuerat cognominatus, apud Macrum *in Hierolex.*

ROMERSVALLIA, oppid. Zelandiæ, juxta brachium Orientale Scaldis fluv. 1. leuc. à Bergis ad Zomam, in Occasum.

ROMESINA, apud Falconem Beneventanum A. C. 1139. & 1140. monetæ Romanæ species, quâ Barenses in Apulia tum utebantur. Fortè sic dictæ sunt viliores ac æreæ Augg. Constantinopolitanorum monetæ Car. du Fresne. Vide suprà, *Romaninus.*

ROMEUS, seu ROMÆUS, in *Bullario* Casin. *Secundùm stratam Romeam*, idem cum *Romano*: Apud Odonem Abbatem *Cluniac.* qui ad S. Petrum religiosam peregrinationem suscipit: *Romipeta* Guil. Brittoni, quales Provinciales Galliæ *Romieux* vocant: unde *Romai* Arelatenses, quibus *pera* pro insigni, item Hispaniæ nobiles &c. Car. du Fresne *Glossar.*

ROMIÆA Maria, vide *Maria.*

ROMIÆUS Raimundus, vide *Raimundus Romiaus.*

ROMILDA, vidua Gisulphi, maritô victô ac cæsô, prodidit Foro-Julium Cagano, hostis amore capta: sed perfidiæ lasciviæque pœnas ilico dedit. Filiæ autem matri dissimiles, ascitô fœtore, pudorem conservârunt, A. C. 612. Vide Varnefrid. *l.* 4. *c.* 38. Aimoin. *l.* 4. *c.* 5.

ROMILIA, Tribus Romana, prima inter Rusticas seu nobiliores, sic dicta est, quòd sub *Roma* esset, teste *Varrone.* Sext. Pompejus sic de illa, *Romilia Tribus dicta, quòd ex eo agro censebatur, quem Romulus ex Vejentibus ceperat.* E quo loco Onuphrius *Comm. Reip. Rom. l.* 2. colligit, hanc Tribum eam agri Romani partem obtinuisse, quæ in Tuscia, prope Urbis mœnia, inchoans, secundùm flumen usque ad maris ostia trans Tiberim extendebatur. Meminit ejus quoque Cicero, *Orat.* 2. *Agrar.* item 2. *Verr. Fortem virum ex eadem familia, Q. Verrem, Romiliâ* &c.

ROMILIUS Marcellus, centurio duodevicesimæ legionis, in Germania inferiore cùm protegeret Galbæ imagines, impetu militum abreptus vinctusque est. Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 56. posteà initiô Imperii Vitellii occisus, *c.* 59.

ROMONUM, vide ROMANUM.

ROMUALDUS, Fundator & primus Abbas Ordinis Camaldulensis, Ravennas. Obiit A. C. 1027. ætat. 120. quorum 100. in solitudine transegit. Petr. Damianus, *in ejus vita.* Baron. *in*

Annal. Lucas Hispanus, &c. Item. Archiepiscopus Salernitanus, Auctor *Chronici*, Baronio ad *A.C.* 1084. & 1177. laudati: in quo agit de rebus à M.C. usque ad A.C. 1177. gestis, quò ille unus fuit ex Legatis Venetias missis, ad litem inter Fridericum Barbarossam & Alexandrum III. componendam.

ROMULA, *Antonin. Lazio Radtschach*, pagus Liburniæ, quasi medius, inter Seniam ad Meridiem & Sisciam ad Arctos & Cæciam supra 45. mill. pass. à Bibio 10.

ROMULA, arbor sub quâ Romulus & Remus pueri inventi sunt, erat autem ficus, Ovid. *l.* 2. *Fastor. v.* 411.

Arbor erat, remanent vestigia, quaque vocatur
Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.

ROMULEA, *Ῥωμυλία* Stephan. urbs Samnitum in Italia, à Decio capta & direpta.

ROMULEJUS Titus, vide *Titus*.

ROMULEUS Mons, *Palazzo maggiore*, idem cum Palatino.

ROMULIANUM, *Lazio Ramzaret*, pagus Daciæ Ripensis, ad Tibiscum, apud Segedinum Urbem, ubi Galerius Imperator sepultus: sic à Romula matre dictus. Hic Imperator Geroicæ natus & Callinici occisus est. Aurel. Victor, *in Epit. c.* 40.

ROMULIUS Pollio, quum centesimum ætatis annum excessisset, rogatus ab Augusto Cæsare, quâ ratione vigorem illum animi corporisque custodisset, *Intus* (inquit) *mulsó, foris oleó*, Plin. *l.* 22. *c.* 24.

ROMULUS, Martis & Iliæ filius, Numitoris nepos, Remi frater, eodem cum illo partu editus. Erat enim Numitori frater nomine Amulius præferoci ingeniô, qui non contentus, fratri natu majori imperium præripuisse, ut posteritati quoque suæ tyrannidem stabiliret, Lausum, prolem illius masculam, interemit. Iliam quoque, ut spem omnem nepotum fratri eriperet, sub specie honoris Virginem Vestalem legit, eôque modô perpetuâ virginitate damnavit. Hæc tamen posteà ex Marte (ut Romani credi voluerunt) gravida deprehensa, gemellos peperit, quos Amulius in Tyberim abjici jussit, matrem autem vivam in ripa fluminis defodi. Verùm cùm id temporis Tyberis extra ripas restagnâsset, nec adire usquam ad justi amnis cursum posset, qui mergendorum puerorum negotium susceperat, proximâ eos alluvie, ubi posteà Ruminalis ficus fuit, expositos reliquit. Quo in loco à Faustulo regii pecoris magistro inventi sunt, & Laurentiæ uxori educandi traditi; quæ quòd vulgatô corpore quæstum faceret, ideoque *Lupa* inter pastores vocaretur, factus est locus fabulæ, Romulum & Remum à *lupâ* educatos fuisse. Lactantius, *l.* 1. *c.* 10. *Romuli nutrix lupa honoribus est affecta divinis. Et ferrem, si animal ipsum fuisset, cujus figuram gerit. Author est Livius Laurentia esse simulachrum, & quidem non corporis sed mentis ac morum. Fuit enim Faustuli uxor, & propter vulgati corporis vilitatem Lupa inter pastores, i. e. meretrix, nuncupata est.* Hæc ille. Non desunt tamen, qui veram belluam Romuli nutricem velint fuisse, non autem prostitutam Laurentiam. Strabo, qui Tiberii temporibus, è Ponti Regibus oriundus, clarissimus fuit, *l.* 5. *Μυθεύοντας μὲν ἐξ Ἄρεος γενέσθαι τοὺς παῖδας, ἐκτεθέντας δ' ὑπὸ λυκαίνης ὁρᾶσθαι σκυλακευομένους.* Justinus, *l.* 38. *c.* 6. ex emendatione Dempsteri: *Ipsi ferunt conditores suos lupa uberibus alitos.* Plin. *l.* 8. *c.* 17. *Quæ de infantibus ferarum lacte nutritis, cùm essent expositi, produntur, sicut de conditoribus nostris à lupa, magnitudini fatorum accepta ferri æquius quam ferarum natura arbitror.* Adscribam in tyronum gratiam celebriores poëtas. M. Tullius, *l.* 1. *de Divinatione, c.* 12.

Hic sylvestris erat Romani nominis altrix
Bellua. ——— ———

Propertius, *l.* 2. *eleg.* 6. *v.* 19.

——— ——— *Tu criminis auctor*
Nutritus dura, Romule, lacte lupa.

Idem, *l.* 3. *eleg.* 8. *v.* 51.

Eductosque pares sylvestri ex ubere Reges.

Et *l.* 4. *eleg.* 1. *v.* 55.

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creverunt mœnia lacte tuó.

Et *ejusdem libri eleg.* 4. *v.* 53.

——— *Quem non sine matris honore*
Nutrit inhumana dura papilla lupa.

Ovid. *l.* 3. *Fastor. v.* 53.

Lacte quis infantes nescit crevisse ferinô?

Martialis, *l.* 2. *epigr.* 75. *v. ult.*

A nostrâ pueris parcere disce lupâ.

Juvenalis, *Satyr.* 11. *v.* 104.

Romulea simulachra fera mansuescere jussa.

Claudianus:

Hic patrius Mavortis amor, partusque notantur
Romulei, post amnis inest, & bellua nutrix.

Sidonius Apollin. *Carm.* 2.

Præbuit intrepido mammas lupa fœta Quirino.

Hi posteà cùm adolevissent, an. ætat. 15. Festum *Lupercalia* instituerunt, posteàque de genere suo à Faustulo edocti Amulium trucidârunt; avumque Numitorem in regnum restituerunt. Nec ita multo pôst collectâ magnâ pastorum manu, urbem novam in Palatino monte, ubi educati fuerant, ædificant. Et quoniam fratres gemini erant, nec ætatis verecundia differentiam facere poterat, ortâ inter eos contentione, uter novæ urbi nomen daret, & conditam imperio regeret, placuit rem avium judicio permitti. Cumque Remo in Aventino vultures 6. priores, Romulo autem in Palatino 12. sed posteriores apparuissent; illô tempore, hôc numerô se priorem esse asserente, exorta inter pastores primùm altercatio est, quæ deinde ad manus pervenit. Ibi Remus ictus cecidit. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum novos muros transiluisse: inde à Romulo, sive à Celere quodam militum tribuno, Romuli jussu, fuisse interfectum.

Mœnia conduntur, quæ quamvis parva fuêre,
Non tamen expedit transiluisse Remum.

Solus itaque regnô potitus Romulus, ut urbem incolis frequentiorem redderet, Asylum aperuit. Senatores centum, quos ab honore Patres appellavit, conscripsit. Vicinis connubia negantibus, virgines, quæ ad Consualium spectaculum convenerant, rapuit. Cecinenses bellum inferentes præliô vicit, regeque obtruncatô, Jovi Feretrio, opima spolia obtulit. Antemnates deinde & Sabinos præliô superatos in civitatem recepit. Fidenates acie fudit, & ad oppidum fugientes insecutus urbem eôdem impetu cepit. Vejentibus quoque, post adversam pugnam pacem petentibus, centum annorum inducias concessit. Hisce rebus gestis, legibusque egregiis conditis, cùm ad Capreæ paludem concionem haberet, ingente coortâ tempestate, repente nusquam comparuit, Patrum, ut creditur, manibus discerptus, an. regni 38. Vide Liv. *Hist. l.* 1. Florum, *l.* 1. Vellejum Paterc. Eutropium, Plutarchum, &c. *Romulus* autem & *Remus* à *Rumâ*, i. e. *mamillâ* dicti sunt, teste *Festó*. Idem tamen alibi, *Romulus & Remus à virtute hoc est robore appellati.* Hinc *Romulus* adjectivum: ut *Romula tellus* apud Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 876. & *Gens Romula* apud Horatium, *in Carm. Seculari v.* 47. Item *Romuleus*, ut *urbs Romulea*, apud Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 625. *Nic. Lloyd.* Addo, quòd idem Triumphum invenisse, Quadrigam in honorem Martis seu Quirini excogitâsse, bellicrepam saltationem instituisse, primum Anni mensem genitori suo dedicâsse aliaque egregiè fecisse, legitur. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. passim.* Quanta ejus fuerit potestas, Tacitus indigitat *Annal. l.* 3. *c.* 26. *Nobis* Romulus, *uti libitum, imperaverat:* ob austeros tandem mores, per sicarios à Patribus subornatos, interemtus. Apud *Festum* unius tantùm *Romuli* legis mentio est, quæ tamen, an ei adscribenda, jure dubitat; quum Auctor is dicat (secundùm lectionem Scaligeri) in legibus Regis Romuli & Tatii & Servii Tullii eam extare. Est autem hæc, *Sei. Parentem. puer. verberit. ast. oloe. plorassint. puer. Diveis. parentum. sacer. esto. sei. nurus. sacra. Diveis. Parentum. esto.* Meminit tamen ejusdem Regis Legis de Judicibus Dionys. Halicarn. inquiens, *Romulus, postquam discrevit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit, quid utrisque faciendum: Ut Patricii sacra curarent, Magistratus gererent, jus redderent, secum Remp. administrarent, res urbanas obirent.* Similiter Legis de Toga, à *Romulo*, latæ, mentio apud Auctores priscos, *Quisquis demissam ad tales Togam in urbe habeto.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 32. & *alibi.*

ROMULUS Sylvius, aliis *Alladius*, decimus Rex Albanorum, ab Ascanio Æneæ filio: successit Agrippæ, regnavit annos 19. eique defuncto subrogatus est Aventinus, *Dion. Halicarnass.*

ROMULUS, Consul cum Placido, an. Urb. Cond. 1095.

ROMULUS, Poëta. Auctor aliquot *fabularum*, ad imitationem Æsopi, quas Tiberino, filio suo, inscripsit.

ROMULUS Amaseus, Bononiæ docuit. Græcè doctissimus, Xenophontem, Pausaniam &c. Latiô donavit seculô præteritô vide Anton. Teissier, *in Elogiis Volum.* 1.

ROMULUS Momyllus, natus patre Oreste Gotthô, postremus Occidentis imperator, *Augustulus* dictus. Vide Car. Sigonium *de Imper. Occidens.* & *Onuphr. Panvin.* Apud *Michaëlem Glycam* hæc de Romulo isto legimus: *Hic mihi notabis illud ipsum imperium, quod sub Romulo initium habuerat, post M. CCC. III. annos iterum sub Romulo principe defecisse.*

ROMUS, Ulyssis & Circes filius. *Steph.*

ROMUS, Æneæ ex Lavinia fil. à quo Roma denominata; secundùm Apollodorum, *in Euxenide.* Antigonus, rerum Italicarum scriptor, *Romum* ait quendam, Jove conceptum, urbem condidisse in Palatio, eique dedisse nomen *Romæ*.

RONCALIA seu RONCALIÆ, locus Galliæ Togatæ ad Padum, apud Placentiam Urb. *Sedes Curiæ Gen.*

RONCHUS, apud Martialem, *l.* 1. *Epigr.* 4. *v.* 5. ubi de Roma.

Majores nusquam ronchi ———

derisor est, censor superbus, seu derisio, censura. Ut apud eum idem *l.* 4. *Epigr.* 87. *v.* 7.

Nec ronchos metuas malignorum.

Aliàs stertentis sonus. Nasum enim, per quem is editur, irrisioni ac censuræ dicatum esse, diximus suprà.

RONCILIO, oppid. Patrimonii S. Petri, tractus cognominis caput, ad Faliscum amnem 30. milliar. à Roma, Viterbium versus 10. anteà sub Parmæ Duce, nunc Pontifici subest; *Ronciglione.*

RONDA,

RONDA, vulgare vocabulum, quid hodie denotet, nemini ignotum. *Aristophanes in Avibus*, ubi de ridicula illa civitate agit, jubet *Κωδωνοφόρον*, i. e. *tintinnabuli gestatorem*, circumcurrere: Inquit enim, *Κωδωνοφορῶν περίτρεχε*. Ad quæ verba Scholiastes Græcus scriptum reliquit, eos, qui circumibant Urbem nocturnô tempore seu phylacas, i. e. *excubias* ac *vigiles*, gestare consuevisse tintinnabula, ut, num vigiles vere vigiles essent, deprehendere possent, quod ipsum & ab Hesychio, voce *Κωδωνοφορεῖν*, proditum. Quô pactô autem id tintinnabulô deprehenderint, non annotârunt. Fortè Codonophorus circumcurrens (hodie *Ronda*) tintinnabulô personare solitus est: cui si non statim occurrissent aut assurrexissent vigiles, eos minimè vigilâsse, sed *κώδωνος* tinnitu è somno excitatos fuisse, apertum erat. Romanos verò, dum vigiles mutarent, buccinâ canere, non tintinnabulô uti consuevisse, constat ex Lucano,

Et jam quarta canit venturam buccina lucem.

Germani hodie tympanum pulsant & tibias canunt &c. Hieron. Magius *de Tintinnabulis*, *c.* 10.

RONDELETIUS Guilielmus, vide *Guilielmum.*

RONDELLUS seu ROTUNDELLUS, apud Joh. Andreæ *ad Clementin. Ne in agro*, capa , sine caputio, vide infrà *Rotundellum.*

RONDINIUS Paulus, vide *Paulus.*

RONICE, filia Hengisti, cujus formâ Vortigernus Britonum Rex captus est. A. C. 452. Polydor. *Hist. l.* 3.

RONSARDUS Petrus, Princeps Poëtarum Gallorum. Filius fuit Ludovici, equitis Ordin. S. Michaëlis, in Vindocino tractu natus, A. C. 1524. Studiis applicitus, Parisiis, in Collegio Navarreno, illa mox fastidiit, unus ex ephebis, Ducis Aurelianensis primò, dein Jacobi Stuarti Scotiæ Regis factus. Post biennium, in patriam reversus, variis negotiis à prædicto Duce adhibitus, Lazarum Baifium, libellorum supplicum Magistrum, ad Diætam Spirensem missum, comitatus. Viri tam eruditi commerciô ad literarum amorem denuo succensus est: & cùm Doratus Legati filium Johannem Antonium, in Græcis, erudiret, sic cum ipso noctis tempora partitus est, ut Ronsardus usque ad secundam noctis intempestæ horam, Baifius verò dein surgens, reliquum ejus studendo exigeret. Post hæc totum se Poësi dedit, omnivariis generibus carminum excogitatis, Scripsit *Franciadem*, *Odas* &c. Magno in pretio, apud Henricum II. Franciscum II. Carolum IX. à quo versibus sæpenumero provocatus est, & Henricum III. Obiit Augustæ Turonum, A. C. 1585. Epicedia ei facta Claudius Binetus collegit. Vide quoque Scævolam Sammartan. *in elog. l.* 3. It. *Perroniana.* Thuanum *Histor.* Alios. Balsacus tamen *Lettres à Chapel. lettr.* 10. *liv.* 6. & *Lett.* 27. *ibid.* nec non *aux Entretiens*, Auctor item *Clelia*, *Tom. VIII. p.* 852. Menagius porrò, in Ronsardi poësi varios defectus notant, ut observat Anton. Teissier *in Elogiis*, *Part.* 2. ubi Ronsardum surdastrum fuisse, non minùs ac Bellajum & Doratum, adeoque, uti cæcitatem Poëtis Græcis, sic surditatem sui ævi Poëtis excellentibus fatalem velut obtigisse, ex Bineto cit. addit.

RONVILLIUS Guilielmus, edidit *Promtuarium Iconum Insigniorum.*

ROOB sive ROHOB, potens urbs est tribus Aser, Levitis cum suis suburbanis ad inhabitandum data: à qua & circumjacens terra, quæ Cæsaream Philippi usque extenditur, *Regio Roob* nominatur.

ROOBA, vicus Levitarum, usque ætatem Hieronymi perduravit, in quarto lapide Scytopoleos, in tribu Issachar, Hieronym. *in Loc. Hebr.*

ROPERA Maria, vide *Maria.*

ROPICUM, Corsicæ oppid. Ptol. *Rogela* Pineto.

ROPS. in nummis Honorii, *Roma pecunia signata est.* Car. du Fresne de infer. ævi *Numismatibus.*

RORA, arx Helvetiæ, Comitum olim sedes, & caput Comitatus cognominis qui hodie *libera Provincia* appellari amat, & in potestatem à Lucernatibus redactus est, jussu Sigismundi Imperatoris & Concilii Constantiensis. Subest ditio hæc septem Helvetiorum pagis. Vide in voce *Libera provincia.*

RORA. fluv. Belgii. vide *Rura.*

RORARII, militum genus, vide suprà *Milites.*

ROS, fil. Benjamin. Gen. *c.* 46. *v.* 21. Latinè *caput*, *vertex*, aut *summitas*, sive *principium.*

ROS, vide infrà *Rosica Classis.*

ROS, Solino *lunaris aspergo*, Alcmani *ἀέρος θυγάτηρ καὶ σελάνας*, *Aëris filia & luna.* Unde vetus Poëta *in Pervigilio*;

Humor ille, quem serenis astra sudant noctibus.

Et *rorifera Luna*, in veter. Poëtæ *Fragm.*

Quam nos roriferam fallemur carmine Lunam.

Quæ, judice Salmasiô, importuna cacozelia est, & nimis Poëtica locutio. *Ros* enim matutinô ac vespertinô tempore maximè cadit & quidem sæpe, quum Luna nondum supra terram conspicitur, & quum jam sub terram in occasum abit. Eundem *margaritarum maritum* vocat idem Solinus, *c.* 53. *Margaritas legunt plurimas maximasque; concha sunt, in quibus reperiuntur, quæ certo anni tempore luxuriante conceptu sitiunt rorem velut maritum*: quæ, ut Solinus è Plinio, sic è Solino Ammianus mutuatus atque imitatus est. Sic Isidorus de margaritariis conchis, *De quibus tradunt* —— *quòd nocturnô tempore littora appetunt & ex cælesti rore margaritam concipiunt, unde & Cœla nominantur.* Sed, quomodo conchæ, in medio mari conditæ totæ intra aquam, rorem illum cupitum haurire queant, qui de cœlo cadit, percipi vix potest. Per noctes [illegible] eas ait *Isidorus.* Verùm non in summo natant æquore, nec extra aquam totas se pandunt, ut illis influere possit humor ille nocturnus: pleræque saxis & scopulis adhærescunt, fixæque radices agunt, totæ mari tectæ: ad quas quomodo ros pervenire possit, ut inde conciperent? Atqui illæ, quæ *ῥιζοβολοῦσι*, plurimum & maximum nutriunt margaritum, eôdem auctore. Imò in penitis ac profundis marium conchæ hæ sedes sibi collocant, ut ad eas exquirendas urinatores sæpe in mare descendant viginti orgyarum altitudine. Quod verò scribit idem *Isidorus*, per tonitrua frequentia & imbrium effusionem, magis parere concham & plurimum gigni margaritum, non inde fit, quòd imbres illos hauriant conchæ atque humore inde acceptô gravidæ fiant, sed quadam occultâ naturæ vi ac proprietate: quâ & tubera tum maximè nasci ac grandescere traditum est, quum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, & præcipue à tonitribus. Hinc Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 116.

—— tradentur tubera, si ver
Tunc erit & facient optata tonitrua cœnas
Majores &c.

Quâ de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 1128. *& seqq.* ut & suprà, in vocibus *Margarita*, *Pinnium* &c. Utut autem se res habeat de conjugio *Roris* & Margaritarum, certum est, *rorem* pinguem ac melleum, qui de cœlis cadit, matutinis temporibus & ubique ab apibus colligitur, purum putum mel esse, nihil h[...] cientibus apibus, quàm quod cum excipiant & in favos refundant. Aristoteles, *Hist. Animal. l.* 5. *c.* 22. *de Apibus*, *Κήρωσιν δὲ φέρουσιν ἀπὸ τῶν δακρύων τῶν δένδρων, μέλι δὲ τὸ πίπτον* [illegible] *τοῦ ἀέρος καὶ μάλιστα τῶν ἄστρων ἐπιτολαῖς καὶ ὅταν κατασκήψῃ ἡ ἶρις.* Ubi *ceras fieri ex floribus* ait, *κήρωσιν ex arborum lachryma* (unde *κήρωσιν* alii hic legunt) *mel* verò *ex aëre* seu de cœlo cadens, *excipere* & inde favos suos stipare. Itaque ceram ex floribus facere; mel non facere, sed afferre tantùm purum putum, sicut ex cœlo defluxit, de iisdem in *seqq.* scribit. Quem secutus Cornelius Celsus, apud *Philargyrum*, *Apes*, inquit, *ex floribus ceras faciunt, ex rore matutino mel.* Hic autem ros, ex quo apes mel suum conficiunt & qui ubique locorum cadit, in quibusdam locis coit in grumulos ac densatur, ac pro Manna colligitur. Seneca, *Ep.* 84. *Ajunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cœli, aut ipsius arundinis humor dulcis, & pinguior gignat. In nostris quoque herbis vim eandem, sed minùs manifestam & notabilem poni, quam persequatur & contrahat animal huic rei genitum.* Dicere vult, Rorem illum matutinum in foliis ubique madentium arborum & herbarum inveniri, quem apes legant & contrahant ad mel faciendum: at apud Indos, eundem rorem notabilem ac manifestum deprehendi in arundinum foliis. Quæ veter. *Manna* est, eorumque *Mel calaminum*, & Dioscoridis ac Plinii *saccharum*; de quo hodiernoque sacchato aliisque huc facientibus, vide eundem *ibid.* Sicut de miraculo duplici, quod in *rore* Deus exhibuit Gideoni, Judici Israelis, aliisque, Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 49. & *de more lavandi rore infantes* Græcis usitato suprà voce *Infans.*

ROSA, urbs Episcopalis Dalmatiæ, sub Archiepiscopo Raguseo, excisa, Ascrivio proxima; *Roxa.*

ROSA, in delitiis Veterum. Unde de Verre Cicer. *Oration.* 10. *in lectica pulvinus erat pellucidus, Melitensi rosâ fartus: ipse autem coronam habebat, unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi admovebat, tenuissimô linô minutis maculis, plenum rosa.* Similes Thorii Epicurei, in *rosa* potantis, delitias perstringit idem *de Fin. l.* 2. Crinibus enim implicitas, ex Euripide *in Medea* aliisque constat, iisque, qui luxuriosiùs epulari solebant, inprimis placuisse. Unde Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 95. *v.* 3.

Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calatisse, Deorum,
Sex jubeo cyathos fundere, Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies Rosa *crinibus & sit,*
Qui posuit sacra nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da suavia, fiat ut illud,
Victor ab Odrysio quod Deus orbe tulit.

Ubi cyathorum, *Rosarum*, suaviorum numerus, respondet his tribus nominibus, *Cæsar*, *Domitianus*, *Dalmaticus.* Idem *Rosarum sutilium*, i. e. coronarum è meris rosarum foliis consutarum, meminit, *l.* 5. *Epigr.* 65. ad quæ verba Farnabius: *Florum*, inquit, *fasciculis coronisque capita revincti, in conviviis potare soliti erant: primùm quidem hederaceis & ex apio, mox myrteis, quippe quæ adstringunt, & vini exhalationes arcent: tum à* Rosis, *quæ & gravitatem capitis sedant & potione æstuantes refrigerant. Corona insuper plenitudinis & libertatis symbolum, festis, convivüsque competit, ut & capiti, quod Animæ sedes.* Nec verò crinibus solùm *Rosas* implicabant Prisci, sed & mensas ad conviviis structas *Rosarum* foliis contexere, & epularum ea ferculis inspergere, tutâ & minimè noxiâ voluptate, solebant. Mensas insuper citreas, in summis delitiis habitas, *Rosarum* inungebant succô, qui ob amarorem intactas eas & illæsas à carie tineisque servaret. Imò Heliogabalus in recumbentes convivas per laquearia, veluti per impluvium, *rosas* effundi jussisse legitur. Vide Plinium, *Histor. Natur. l.* 21. *c.* 4. In auribus easdem gestatas fuisse, monet Josephus Laurentius, *Polymath. l.* 1. *Dissert.* 36. & confirmat ex Athenæo, *Deipnosoph. l.* 12. *Molle fysimbrium, aut* Rosa *aut lilium auri insidebat.* Quò forsan respiciens Calphurnius, *Eclog.* 6;

—— potat.

——— ramosaque tempora mollis
Implicuêre Rosæ. ———

Nisi de coronis hoc intelligi malimus. Vide Casp. Bartholin. *de Inauribus.* Porrò in cubiculis *rosæ* suspensæ, Plin. & lecti amantium iisdem respersi, uti legimus, apud Lucianum *Asin. aur.* Vide quoque infrà ubi de *Rosis purgatis.* [illegible] & antiquæ Majorum inscriptiones defunctorum urnas *rosis* spargi, ornarique quotannis ex testamento jubebant, de quo more vide Hieronym. *ad Pammachium.* Cœteri mariti super tumulos conjugum spargebant violas, *rosas*, lilia, purpureosque flores & dolorem pectoris his officiis solabantur. Et quidem tum sertis tum solutis rosis sparsum funus Menecœi legimus, apud Papinium Statium, *Theb. l.* 10. *v.* 788.

——— hi sertis, hi verno honore solutô
Accumulant artus patriaque in sede reponunt
Corpus adoratum.

Ubi *verna honor*, est omne genus florum, præcipuè tamen *rosa*, cujus encomium super omnes cœteros illustre est, vide *Scholiast.* sive Sapphus, sive Achillis Tatii, *Anacreontem*, Alios &c. Sed ut delicata & fastidii plena res luxus est, seræ maximè, & hybernæ *Rosæ* expetebantur, quibus ut nihil suavius, sic nil magis caducum. Unde Horatius, *l.* 1. *Od.* 38. apparatum mensæ puero suo præscribens, inter alia, ait, *v.* 3.

Mitte sectari, Rosa quo locorum
Sera moretur.

Itaque, cùm earum copia non esset, ex Ægypto primùm peti consuerêre: donec Domitiani ævô Romæ quoque educari cœperunt, Plin. *l.* 21. *c.* 3. 4. Hinc Mercatoribus Ægyptiis, sese ob hybernarum *Rosarum* advectionem jactantibus, monet, ut ipsi nunc rosas ex Italia petant, Italis autem vicissim mittant frumentum *l.* 6. *Epigr.* 80. Martialis, *v.* 1.

Ut nova dona tibi, Cæsar, Niliaca tellus
Miserat hibernas ambitiosa Rosas.
Navita derisit Pharios Memphiticus hortos &c.

Et paulo pòst, *v.* 9.

At tu, Romana jussus jam cedere Bruma,
Mitte tuas messes; accipe, Nile, Rosas &c.

Vide plura de *Rosa*, apud Plinium passim, inter alia; *l.* 21. *c.* 19. ubi de iis in cibos condiri solitis; *l.* 14. *c.* 16. ubi de vini, è floribus illarum conficiendi, ratione, inprimis verò apud Car. Paschalium *in Coronarum libb.* & Franc. Pomey *in Descr. Deo.* Addam saltem aliquid de *Rosa Sinica*, quæ diebus singulis bis colorem mutat, purpureaque modò tota, modò rursus omnino alba evadit, sed odore destituta. Quæ mutatio colorum arcanum fuerit naturæ mystis illis discutiendum, quibus novas jam de colorum natura, lucisque incidentia & reflexione sententias cudere allubescit. Auctor Anon. *Sina & Eur. c.* 33. Hinc *Roseus color*, nonnullis, quem in factionibus Circi numerat Cassiodorus, *l.* 3. *Var. Ep.* 51. Isidorus item, *l.* 17. *c.* 41. Sed non à *rosa* hunc colorem denominari, verùm eundem cum *russato* esse seu *russeo*, quem Martialis *coccinum*, Sidonius simpliciter *rubentem* vocat, dicemus infrà, ubi de *roseo colore.* Vide quoque *Rosa purgata, Rosarium, Rosatum* &c.

ROSA Alba & *Rubra*, in Anglia, factionum nomina, quæ Angliam diu graviterque afflixerunt. Post obitum enim Henrici III. cùm Eduardus I. ei surrogatus esset, posthabitô fratre ejus majore Edmundô, Lancastriæ Duce, quòd & gibbô deformis & Regno non adeò aptus crederetur; hinc feralia illa dissidia, inter Lancastrenses, qui *Rosam rubram* pro insigni habebant, & Eboracenses, qui *albam*, originem sumsêre: quæ inprimis recruduerunt circa A. C. 1455. sub Henrico VI. ex Lancastrensibus, quem Eduardus IV. *Rosæ albæ* Princeps seu Dux Eboracensis Regnô depulit A. C. 1460. Sed intra decennium Henricus è carcere liber, æmulum in Flandriam fugavit, paulo pòst à Carolo Audace, cujus sororem duxerat, restitutum A. C. 1471. Atque tunc Henricus in carcere necatus est. Post mortem Eduardi, cùm frater ejus Richardus flagitiosissimæ vitæ tutorem ageret Eduardi V. Regis minorennis, eô unà cum fratre nefariè occisô, atroci tyrannide Regnum occupavit, & occasionem præbuit *Rosæ rubræ* seu Lancastrensibus repetendi jura Regni. Erat autem caput tum Lancastrensium Henricus Comes Richmondiæ, qui victô ad Lecestriam & occisô Richardô III. thronum conscendit, A. C. 1485. dictus *Henricus* VII. Cumque unica tantùm filia ex Eboracensium factione superesset, Elizabetha, illâ in uxorem ductâ, *utramque Rosam* conjunxit ac dissidiis bis adeò diuturnis ac cruentis, ut intra non multos annos 80. è regio sanguine Principes iis consumtos, referat Cominæus, finem imposuit: unde hodieque inter Angliæ Regum insignia duplex *Rosa, alba* & *rubra* conspicitur. Ut autem Regnum familiæ suæ durabilius redderet Henricus, Eduardum Warvicensem Clarentiæ Ducis filium, Eduardi IV. Regis ex fratre nepotem, adhuc puerum, Londini in Foro publicè securi percussit: & consobrinô suô Richardô Polô junctô cum Margareta Clarentiæ Ducis filiâ, reliquias generis sui fœcundâ prole auxit. A quo tempore regnum mansit pacatum. Interim nec Henricus Elisabethæ maritum nimis indulgentem per omnem suam vitam exhibuit; quamvis ea esset & formâ commendabilis & obsequio facilis & puerperiis quoque fœcunda. Nempe pertinax illa animi à domo Eboracensi aversio tantum apud eum poterat, ut non in bellis solùm ac consiliis, sed etiam in cubili & thoro locum repererit. Vide Franc. Baconum à Verolamio in *Vita Henrici*, & Hornium *Orb. Imper. cum Animadvers.* Joach. Feller. *p.* 326. & *seqq.* Similes factiones, & ferme circa eadem tempora, alibi quoque viguerunt, *Gibelinorum*, videl. & *Welforum* in Italia, *Morosinorum* & *Caprinorum* in Rep. Veneta, *Cabeljaviorum* seu *Asellatorum* & *Hoeckiorum* seu *Hamatorum*, in Belgio &c. Uti verò Henricus VII. prælatus *Rosas*, sic postmodùm Jacobus, *Regna* junxit, cusô in æternam rei memoriam nummô, cum memorabili hac inscriptione, HENRICUS ROSAS, REGNA JACOBUS &c. uti diximus in *Jacobo I. M. Britanniæ Rege.*

ROSA Aurea, Dominicâ *Lætare*, i. e. IV. Quadrages. solenni ritu benedicta à Pontifice, comitatô Cardinalibus, in lætitiæ signum rosei coloris vestibus indutis, eundô ac redeundô à Capella, manu ferri consuevit, quam is deinde magno alicui Principi, si adsit in Curia Romana, concedit, vel ad alium Regem Principemque, ut eidem Pontifici cum consilio Purpurati Collegii visum fuerit, mittit, ut inter alia factum ab Alexandro III. Ludovico VII. Regi Franciæ cùm Parisios ad eum venisset. Idem Pontifex, cùm Venetiis moraretur in eadem Dominica, indutus sacris vestibus & de consuetudine *auream* ferens *rosam*, cum Episcopis & Cardinalibus ad Altare majus (*Eccl. S. Marci*) processit: & completis Missarum officiis, Rosam, quam detulerat, Duci Venetiarum, in signum gratiæ Sedis Apostolicæ contulit, ut habent Acta ejusdem Alexandri, apud *Baronium.* Tradit præterea Auctor *Vitæ* Urbani V. Joannam Reginam Siciliæ & Petrum Regem Cypri Romam venisse, & cùm tunc occurreret Dominica Lætare Jerusalem, in qua consuevit dari per Papam *Rosa* —— dictam *Rosam* memoratæ Joannæ —— dedisse ——— quæ more solitô demum cum Cardinalibus & aliis Nobilibus per urbem equitavit &c. Orationes ad benedictionem pertinentes, exhibet *Ceremoniale Rom. l.* 1. *sect.* 7. Antiquitùs verò solebat hæc ceremonia fieri Romæ in Æde S. Crucis in Hierusalem, ubi concionem ad Populum habere solebant Pontifices, quorum exemplum secutus Pius II. rosam posteà à se consecratam, Senas natale suum solum misit, cujus locô Sixtus IV. in signum gentilitii stemmatis, quercus aureæ ramum Cathedrali Savonæ, itidem Patriæ suæ, transmisit &c. Ritus origo, in incerto; viguisse jam ævô Leonis IX. qui præfuit A. C. 1050. Cencius Camerarius refert, qui etiam Pontificem hunc Monasterio S. Crucis in Lotharingia, in Rosæ hujus impensas, certi quiddam imposuisse, scribit. Nec de causa magis liquet, aliis aliam prætexentibus. *Rosa* verni temporis filia, lætitiæ symbolum est: Sed & veteres Christianos *rosæ* imaginem sepulchris inscripsisse, in signum fugacis hujus ac transitoriæ vitæ, legimus. Imò jam prisci Romani, in Testamentis suis, sepulchra rosis spargi voluêre, ut in antiquis monumentis scriptum legitur, hâc fere verborum formulâ: *Ut quotannis rosas ad monumentum ejus deferant.* Seu, *Ut quotannis tempore Julii rosæ illis ponantur.* Seu, *Rosâ quotannis ornandum* &c. Quam in rem faciunt illa Poetæ:

Mirabar celerem fugitivâ ætate rapinam,
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.

Sed & *rosas* olim, in hominis natali præbitas, donatasque, docet vetus *Inscr.* 636. 12. Plura vide *suprà*, & de *Rosa* hac *Aurea* Durandum *Rationalis*, *l.* 6. *c.* 53. *n.* 8. 9. 10. 11. Petrum Blesensem *Serm.* 15. Ughellum *Italiæ Sacræ Tomô I. Part. I. p.* 267. aliosque Auctores, laudatos Car. du Fresne *in Glossar.* & Macris Fratribus *in Hierolex.*

ROSA Crucis, nomen Congregationis, quæ sub initium seculi hujus, in Germania, emersit. Huic qui nomen dant, Fratres Rosæ crucis dicti, jurant se secretum non propalaturos, ænigmaticè sibi invicem scribunt, & Societatis leges se servaturos sanctè pollicentur. Jactant se omnium Disciplinarum scientiarumque, Medicinæ inprimis, quam hactenus ignotam incultamque jacuisse dicunt, Restauratores: Arcana varia maximi momenti se nôsse, inter quæ minimum sit Philosophicus lapis, illamque notitiam per Traditionem, ab antiquis Ægypti Philosophis, Chaldæis, Magis & Gymnosophistis hausisse se gloriantur. Dicunt insuper, A. C. 1378. nobilem quendam Germanum, cujus nomen per *A. C.* exprimunt, postquam in monasterio quodam Græcam Latinamque linguam addidicisset, in Palæstinam profectum, cumque Damasci æger Sapientes Arabiæ consuluisset, ab illis admirandam hanc artem edoctum, post reditum in Patriam, sociis allectis, illos tantorum secretorum participes reddidisse, Obiisse autem huncce, A. C. 1484. Fratres hi successores habuerunt, usque ad A. C. 1604. quô unus ex illis, in sepulchrum Fundatoris, variis emblematis, characteribus & inscriptionibus variegatum, cum literis *A. C. R. C.* incidisse dicitur: ibi librô repertô, in charta pergamena aureis literis scripto. Hi, quia vitam hominis communiter ad an. 140. se extensuros promittunt, *Immortales*; quia tam sublimia jactant, *Illuminati*, sed quia ab aliquo tempore, post tot fraudes deprehensas, non in publico comparent, *Invisibiles* dicuntur: Empiricorum abortus hæc secta est. Quod Illuminatos Hispaniæ attinet, quidam similis farinæ homines illos, alii verò longè melioris notæ esse, existimant. Vide *Illuminati.*

ROSA Hierosolymitana seu *Hierichuntina*, vide in voce *Arabia*, item *Jericho*, & apud Salmas. *ad Solin. p.* 401. ubi illorum sententiam qui *Rosam* hanc cùm amomo confundunt, refellit.

ROSACETUM, seu ROSÆ *lignum*, odoriferi ligni species est, quod in Quantonia Sinensis Imperii provincia, Chaokina producit, ad capsulas, mensas, sedes similiaque conficienda aptissimum, quôque vix aliud est præstantius, coloris ex nigro rutilantis, venis quibusdam intercisum & artificiosâ benignè obstetricantis naturæ quasi manu depictum. Idem in montibus,

urbi

urbis *Ximicheu*, quæ metropolis est insul. *Hainan*, provenit, uti refert Auctor Anonymus *Sina & Europa. c. 34.* qui etiam liquoris suavissimi in regnis *Gannan* ex arboribus stillantis, quem Lusitani *Rosamalham* vocant, meminit *ibid.*

ROSÆ purgatæ, apud Spartian. *in Ælio Vero, c. 5. Jam illa frequentantur a nonnullis, quod & accubationes ac mensas de rosis ac liliis fecerit, & quidem purgatis:* sic dicebantur, quibus demtum erat album; quòd ea pars minimè tenera sit ac delicata. Ita enim idem paulo supra, *eod. c. Lectum ——— fecerat minuto reticulo inclusum, eumque foliis rosæ, quibus demtum erat album, replebat, jacensque ——— velamine de liliis facto se tegebat, unctus odoribus Persicis.* Quod autem hic de Mensis ait, sic intelligendum, uti cum Trebellius de Gallieno ait, *c. 16. Veris tempore cubicula de rosis fecit*, h. e. cubicula rosis stravit. Itaque Verus *mensas de rosis fecit*. h. e. rosas in mensam sparsit & mensam rosis stravit ac operuit ita, ut tota de rosis facta videretur. Ovid. *l. 5. Fast. v. 335.*

Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,
Et latet injecta splendida mensa rosa.

Salmas. *ad Spartian. loc. cit.*

ROSARIA, erogatio dicta est *rosarum* in convivio, seu coronarium è rosis erogatis, quemadmodum *Mitellita*, vel *Mitellica*, apud Suetonium *in Nerone, c. 27.* mitellarum similis erogatio. Ita autem is, *Indicebat & familiaribus cœnas, quorum uni mitellita quadragies sestertio constitit, alteri pluris aliquanto rosaria.* Coronarum certè apud Veteres in conviviis multus usus & è *rosis* sutilium præcipuè; posteà luxuria invenit, è nardi folio: & veste Serica versicolore fuêre, quas unguentis spergebant pretiosissimis. Plinius, *l. 21. c. 3. Summaque auctoritas pactili corona, uti Saliorum sacris invenimus solennes cœnas. Transiêre deinde ad* rosaria *eoque luxuria processit, ut non esset gratia, nisi è mero folio sutili, mox petitis ab India, aut ultra Indos. Lautissimum quippe habetur è nardi foliis eas dari aut veste versicolori Sericâ unguentis madidas.* Vide Salmas. *ad Solin. p. 557.*

ROSARIUM, dicitur in Communione Romana liber Ecclesiasticus preces ad B. Virginem directas continens: cujus auctor fuit Dominicus Calagurritanus, parens Fratrum Prædicatorum. Qua de re *Bulla* Pii V. qui usum ejus auctoritate suâ confirmavit, data A. C. 1596. ita sonat: *B. Dominicus Spiritu sancto (ut piè creditur) afflatus, occasione, quâ Albigensium hæresis per partes Galliarum & Italiæ miserè grassabatur ——— levans in cœlum oculos ——— admodum facilem & omnibus pervium & admodum pium orandi & precandi Deum*, Rosarium *seu Psalterium, Beatæ Virginis nuncupatum, quo eadem Beatissima Virgo, salutatione Angelicâ centies & quinquagies, ad numerum Davidici Psalmi repetitâ & oratione Dominicâ ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus, totam D. N. Jesu Christi vitam demonstrantibus, interposita veneratur, excogitavit & excogitatum per sanctæ Ecclesiæ partes propagavit* &c. Ubi quod de Albigensibus dicitur, locum non habet, apud Alanum de Rupe, Psalterii restitutorem, qui Fraternitatis hujus (namque mox *Fraternitas de Rosario* instituta) ortum, non ab occasione Albigensium, sed Saracenorum piratarum, in quorum manus prope Compostellam incidisset Dominicus, arcessit. Sic autem habet *Bulla* Sixti IV. A. C. 1475. quâ approbat *Fraternitatem de Rosario* nuncupatam, renovatam Coloniæ per Fratres Ordin. Prædicator *Omnibus & singulis utriusque sexus, dictæ Fraternitatis confratribus & sororibus, in quinque præcipuis B. Virginis festivitatibus, scil. Annuntiationis, Visitationis, Assumtionis, Nativitatis & Purificationis, C. dies indulgentiarum, in qualibet dictarum festivitatum die, atque quotiescunque per se vel per alium*, Rosarium *B. Virginis, quod quinquaginta Ave Maria cum quinque Pater noster continet, legerint seu legi fecerint ——— misericorditer relaxamus.* Accessêre posteà ab Innocentio VIII. Pio V. prælato, aliisque Pontificibus indulgentiæ aliæ, eæque adeò amplæ, ut Paulus V. A. C. 1608. *revocatis omnibus indulgentiis à prædecessoribus suis concessis, tam fraternitatis Rosarii confratribus, quàm aliis, novas indulgentias voluerit concedere, quibus deinceps fruerentur*, uti habetur in *Bulla* ejus Romæ data dictô annô &c. Quòd verò Petrum Eremitam, modum orandi per calculos 55. *ita ordine distinctos, ut post denos singuli majusculi affigantur filo ——— & quot hi sunt, toties Dominicam precem; quot illi, toties Angelicam salutationem, ter numerum ineundo recitent, terque symbolum brevius inferant: quod Deiparæ Virginis Psalterium nuncupant*, circa A. C. 1090. jam invenisse, dicit Polydorus Virgilius, *de Invent. rerum, l. 5. c. 9.* cum iis, quæ diximus de Dominico, sic conciliat Alphonsus Fernandes Placentinus Dominicanus *in Concert. Prædicator. Fam. ad A. C. 1213.* ut dicat: *De Rosario posse loqui dupliciter, unô modô, ut est Orarium per calculorum supputationem. Aliter, ut est devotio cultus B. Virginis Mariæ, complectens potissima vitæ & mortis filii Dei & ipsius Matris mysteria. Primô modô Rosarium accipientes, fatendum Petrum Eremitam illud adinvenisse, & per calculos filô introducto orare docuisse. Secundô verò modô, ut* Rosarium *centum & quinquaginta salutationum Angelicarum & quindecim Orationis Dominicæ repetitionibus conflat, à B. Patre Dominico ——— institutum est.* Qua de re vide A. Rivetum, *Apolog. pro Sanctissima Virgine Maria, l. 2. c. 12.* infrà etiam aliquid, ubi de *Salutatione Angelica.*

ROSARIUS, monetæ adulterinæ species, prohibita in Anglia A. C. 1299. & 1300. Vide suprà in *Crocardus.*

ROSARUM Urbs, vide *Rhodopolis* & *Rosttochium.*

ROSATUM, apud Æl. Lamprid. *in Heliogabalo, c. 19. Nam* rosatum *ab aliis acceptum, pinearum etiam attritione odoratius reddidit:* an poculi, an potionis nomen? Sequitur certè, *Denique hæc genera poculorum* (namque & *mastichati* quoque ac *pulegiati* paulò antè meminit Lampridius) *ante Heliogabalum non leguntur:* ut intelligamus, nova genera potoriorum vasorum ab Heliogabalo fuisse excogitata, quæ etiam odore oblectarent. Verum potiùs videntur his nominibus potionum genera diversa intelligi, è vino variè condito: sicut in *Geta* dixit Spartianus, *c. 4.* cum fuisse cupidum vini, variè conditi. Sequitur non longè, *c. 21. Conditô piscinas & solia temperavit & rosatô atque absinthiatô.* Etiam Capitolinus *mastichati & rosati & absinthiati* simul meminit in *Gordianis, c. 19. Fuit vini cupidus, semper tamen undecunque conditi, nunc rosâ, nunc mastiche, nunc absinthio, cæterisque rebus, quibus gula maximè delectatur.* Latini Græcâ formatione dixêre, *mastichiten* vinum, *rhoditen* & *absinthiten* &c. Adhibebantur autem, ad alias species odoratas, quæ in pila teræ rosato condiendo inserviebant, ab Heliogabalo, & pineæ; quarum attritio Græcis *ἀποψιστικὸν* est. Vide Casaubon. *Not. ad loc. cit.* Apud Anastasium verò in *Leone III. Rosata vela*, sunt *rosis* distincta & ornata.

ROSBURGUM, urbs Teviotiæ, ad fluv. Teviotam, qui paulò infra in Tuedam abit. 15. milliar. Angl. à Bervico in Occasum, 5. à limite Anglic. in Scotia meridionali.

ROSCHILDIA, Urbs Daniæ Episcopalis sub Archiepiscopo Lundensi in Zelandia insul. Regum tumulis nobilis, paceque ibi inter Succiæ Daniæque, reges initâ, A. C. 1658. 4. leuc. ab Hafnia in Occasum, 5. à Coronæburgo in Africum, cum portu satis capaci ad Sinum Isoram, 4. leuc. à sinu Codano in Meridiem.

ROSCIA Lex, an. Urb. Cond. 685. Metellô & C. Martiô Consulib. lata, à L. *Roscio* Othone, in Spectaculis, *Equitem à Plebe distinxit*, cùm anteà promiscuè spectarent: Sic tamen, ut, qui ex Equite vel vitiô vel fortunâ decoxissent, ab aliis separarentur & remotiori locô considerent. Meminêre hujus Legis Horatius, Juvenalis ac sæpe Cicero, præsertim *Philipp. 2.* qui natos hinc se Consule, odiô prælati Roscii, tumultus non solùm compescuit, verùm etiam effecit, ut errorem suum Plebs agnosceret, neque se notari sedis discrimine iniquò animò ferret. Vide Plut. *in vita ejus* & Plinium, *l. 7. c. 30.* Verùm lex *Roscia* nihil, nisi de XIV. ordinibus sanxit: Sequutus verò Augustus, tum illam moderatus est: tum alia quædam addidit, de quibus Læv. Torrentius consuli potest *Comm. in Suetonii Neronem*, vide quoque Rosin. *l. 5. c. 4.*

ROSCIANUM seu RUSCIANUM, urbs Archiepiscopalis Calabriæ citerioris cum titulo Ducatus 16. milliar. à Besidiano in Ortum, 12. à Thurio in Meridiem: ferè 30. à Cosentia in Boream *Rossano.*

ROSCIUS, Histrio insignis, in arte sua usque adeò absolutus, ut si quem significare velimus cæteris sui generis hominibus præcellere, *Roscium κατ' ἐξοχὴν* appellamus. Hic cùm obliquos haberet oculos, turpique esset aspectu, primus personâ in scena usus est: populus tamen eum sine persona intueri malebat, ob pronunciandi dulcedinem. Cicer. *l. 1. de Oratore.* Item *Roscius* Amerinus, qui in causa parricidii defensus est à Cicerone.

L. ROSCIUS, legatus Cæsaris, cui tertiam legionem hibernatum in Essuos ducendam dedit, Cæsar. *l. 5. Com. c. 24.*

ROSCIUS Cœlius, legatus vicesimæ legionis, maximas discordias & simultates cum Tribellio, in Britannia, exercuit, adeoque militem odiô in Consularem legatum accendit, ut ad Vitellium profugere coactus sit. Tacit. *l. 1. Hist. c. 60.*

L. ROSCIUS Fabatus, Prætor, cujus meminit Cæsar *initiô l. 1. de bello Civili, c. 3.* qui Lanuvio oriundus esset, Junonis Sospitæ simulacro, quæ Lanuvii colebatur, & Lanuvini serpentis notâ nummos signavit.

ROSCIUS Otho, in tribunatu suo legem tulit, quâ equestrem ordinem à plebe distinxit, equitibus 14. gradus seorsim assignans, in quos nemo reciperetur, nisi qui 400. sestertiorum censum expleret. Hæc lex à latore *Roscia* dicitur. Unde Horatius, *l. 1. Ep. 1. v. 61.*

Roscia dic sodes melior lex, an puerorum
Nænia, quæ rectè regnum facientibus offert?

Juvenal. *Sat. 3. v. 153.*

——— ——— *Exeat, inquit,*
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, & sedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati, &c.

v. 159.

Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Vide & *Otho.*

ROSCOMENUM, oppid. Connaciæ; in Hibernia prope Succum fluv. vix 5. milliar. à Rea lacu, 12. ab Alona in Boream. Caput Comitatus Roscomensis, qui inter Longofortiensem & Letromensem Comitatum ad Ortum, & Mayconsem Galliviensemque Comitatum ad Occasum est.

ROSCOVIA, vide ROSTOVIA: A. C. 1565. à Moscoviæ Duce subacta.

ROSEÆ campus, *Rosia* Ciceroni, *l. 4. ep. 15. ad Attic.* ager Sabinorum in territorio Reatino, apud Velinum lacum. Virg. *l. 7. Æn. v. 712.*

Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini.

ROSELLANUS ager, territor. Rusellarum urbis Hetruriæ excisæ Liv. *l. 10. c. 37.*

ROSERA Elizabetha, vide *Elizabetha.*

ROSERIÆ, oppid. Lotharingiæ, ad Murtam fluv. Salinis nobile: Hinc *Rosieres aux Salines* dicitur. 3. leuc. à Nancejo in Eurum, 6. à Tullo in Ortum.

ROSETUM, urbs agri Senensis versus Maritimum tractum, vix 6. milliar. ab ostiis Umbronis in Boream, 12. à Tela-

mone in Circium 30. à Plumbino in Ortum. Sub Magno Duce: *Grosseto*.

ROSEUS Color, apud Lamprid. *in Antonino Diadumeno*, c. 2. *Paraverat sanè penulas populo* rosei *coloris dare Macrianus Imperator* &c. non est à rosa, sed pro *rosseus* vel russeus scriptum est. Quæ vitiosa scribendi consuetudo non infrequens occurrit in veteribus libris; ubi imperiti à *rosa* deductum arbitrantur, ut facilè patebit hôc exemplô Corippi, *l.* 1. de 4. coloribus factionum Circi, de quibus suprà.

Aurigæ totidem, totidem posuêre colores,
Et fecêre duas studia in contraria partes,
Ut sunt æstivis contraria frigora flammis.
Nam viridis vernis campus, ceu concolor herbis,
Pinguis oliva comis, luxu nemus omne virescit:
Roseus, *æstatis rubrâ sic veste refulgens,*
Ut nonnulla rubent ardenti poma colore.

Ubi *roseus* primam productam habet. Quod is, qui nobis editionem illam Corippi adornavit, à *rosa* putans deductum, perperam sic mutavit,

Æstatis roseus &c.

Similiter apud *Isidorum* de equis, *Color hic præcipuè spectandus, badius, aureus*, roseus, *mirteus, cervinus, gilvus, glaucus* &c. *roseus* est pro *russeo*, qui Græcis πυῤῥὸς, Latinis quoque *burrus*. Quandoque & *rusens* scribebatur, unde & Græci ῥούσιον dixerunt, non ῥόσιον. Vide Salmas. *ad Lamprid. loc. cit.* & infrà in voce *Russeus*.

ROSHEMIUM, German. *Rosheim*, Civitas Imperialis in Alsatia, prope Oberehenhemum & Molshemum. In hac Prætoris officium penès familiam Rumeliorum est, jure hæreditariò, ac feudi Imperialis titulô. Vide Limnæum *de Jure publico*.

ROSICA Classis, στόλος Ῥώσικος vel ὁ τῶν Ῥῶς στόλος, apud Cedrenum *in Michaële Theophili filio, circa A. C.* 850. τὸ δὲ αὐτὸς Εὐξείνου καὶ πάσας τὰς αὐτοῦ παραλίους ὁ τῶν Ῥῶς ἐπέδραμε καὶ κατέτρεχε στόλος. Ἔθνος δὲ οἱ Ῥῶς Σκυθικὸν πρὸς τὸν Ἀρκτῷον Ταῦρον κατῳκημένον, ἀνήμερόν τε καὶ ἄγριον, *Quod est intra Euxinum Pontum, & totam maritimam regionem, classis eorum qui Ros (seu Rhos) dicuntur (Rosica classis* vertunt alii) *incursionibus vexabat atque pervagabatur. Gens autem est* Ros *Scythica, ad Taurum Aquilonarem sita, fera & agrestis*. Quod idem legitur apud Joannem Curopalatem. Vide quoque Zonoram aliosque Græcorum Scriptores recentiores, qui passim meminêre τοῦ & τῶν Ῥῶς *gentis Ros*, quam Scythicam esse, *Ortelius* ait. Pro iisdem sumuntur, qui *Ptolemæo* in Sarmatia Europæa *Roxolani* dicuntur & recentioribus *Russi* ac *Rutheni*. Joannes Tzetzes caput habet *Chiliad.* 11. *c.* 396. περὶ τοῦ τίνιτο οὐ Ῥῶς, ἀλλὰ τῷ γένει Μυσός, *De eo quod est, Quartò non Ros, sed genere Mysus est*: ubi plurima more suô de Mysia & Mysis congerit; nihil tamen de *Ros*, tametsi paulo antè Tauros, populum Scythicum, eosdem faciat cum *Ros*, *ibidem*, c. 393.

Σαφέστερον ἔδειξεν ταύρους τοὺς Ῥῶς καλεῖσθαι,
Clariùs indicavit Tauros Ros *nuncupari* &c.

Occurrit vox in Græca versione Ezechielis; *c.* 38. *v.* 2. & *c.* 39. *v.* 1. ubi de Gog & Magog verba fiunt ἐπὶ τὴν γῆν τοῦ Μαγὼγ ἄρχοντα, Ῥῶς, Μοσὸχ καὶ Θοβέλ, *super terram Magog Principem*, Ros, *Mosoch & Thobel*; ubi ראש Aquilæ est κεφαλὴ, uti & Theodoreto, aliisque tam priscis, quàm recentioribus. Hinc Hieronymus. *Primam gentem illam Ros* (namque non desunt Rabbini, qui hîc gentem intelligant) *Aquila interpretatur Caput, quem & nos sequuti sumus, ut sit sensus, Principis Mosoch & Thubal. Et revera nec in Genesi, nec in Josepho quidem —— hanc gentem potuimus invenire*. Atque apud Arabas, etiam inter gentes, ex dispersione ac Noachidarum propagine, natas habetur *Al Ros*. Sic Eutychius Patriarcha Alexandrin. de posteris Japheti agens, eorum quosdam fuisse ait, qui habitarent à Tigri, *usque ad extremas Septentrionis partes*. Et dein præter gentes complures alias, Græcis, Romanis, Byzantinis memoratas, subjungit, & *Al Ros & Al-Dilam & Bulgari & Sclavi* &c. Qua de re vide Joann. Seldenum, *de Synedriis veter. Ebræorum*, *l.* 2. *in Addendis*.

ROSIEMA, urbs Samogitiæ, ad Dubissam fluv. 30. leuc. Polonic. à Riga in Meridiem, Counam versus 12. & 28. à Vilna in Occasum.

de ROSIERES Franciscus, vide *Franciscus*.

ROSIMUNDA, Longobardorum Regina. Filia fuit Cunimondi, occisi ab Alboino: qui hanc sibi junctam, cùm in convivio quodam è cranio paterno bibere coëgisset, decrevit illa secum contumeliam hanc ulcisci. Re igitur cum Helmigo, stabuli præfecto Regis, communicatâ, hic ut Peredæo quoque rem aperiret, petiit, quò eò tutius facinus patraretur. Adit Peredæum, virum insignem, Regina, quem ut aversari videt tantum scelus, locô uxoris, cum ipso inscio concubuit, crimen dein fassa, minata est ipsi mortem, nisi cædem patraret. Ita hic, Regicidium commisit, illa autem unà cum Helmigo, cui nupsit, Ravennam se recepit. Ubi Exarchi Longini nuptiis inhians, novô scelere Helmigum tollere decrevit: sed ille venenum sibi è balneo exeunti oblatum, ipsam haurire, strictô pugione, coëgit; sic pœnas tandem Rosimunda meritas luit, A. C. 574. Paul. Diac. *l.* 2. *de gestis Longob.* Gregor. Turonens. &c.

ROSINUS Johannes, vide *Johannes*.

ROSIUS Jacobus, vide *Jacobus*.

ROSIUS Portus, Ciliciæ apud Polyæn. *l.* 4. *c.* 6. *in Antigono*, *Comm.* 9. Φυγόντας τοὺς ἡμετέρους Κιλικίας ὑπὸ τῷ ῥωσίῳ λιμένι χειμάζοντι ἡμᾶς ἄγειν. Scribe *Rhosius*.

ROSMADECCIA Familia, inter Galliæ illustres. Floret illa in Britannia Armorica, quam aliquià Comitibus *de Crozon*, ac ita inferioris Britanniæ Principibus; alii à Guilielmi *de Rostrenam*, Connestabilis Franciæ A. C. 840. filio, qui antiquioris domus *de Rosmadec* hæredem duxerit & nomen assumserit, deducunt. A Rivalône Equite A. C. 1191. series continua ostendi potest. Linearum diversarum primordia concurrunt, in Joanne III. Dn. *de Rosmadec*, mortuo A. C. 1515. Hujus enim filius Joannes Dominos *du Plessis*, nunc quoque superstites sevit. Major autem frater, Alanus Baro *de Molac*, iterum communis pater est Baronum *de Gael*, *de S. Jovan*, & *de Compes*; ex filio Claudio, inprimis autem, ex filio primogenito Tanaquile Marchionum *de Rosmadec & Molac*, Comit. de *Chappelles & de Crozon*; quorum series ab aliquot seculis hæc est. Joannes III. præfatus, qui obiit A. C. 1515. ex Joanna (filia Alani Dn. *de la Chappelle* & *Molac*) pater fuit Alani II. Dn. *de Rosmadec*, qui obiit A. C. 1560. relictô ex Joanna *du Chastel*, filiô Tanaquile Dn. *de Rosmadec*, Barone *de Molac*, defunctô A. C. 1574. Hôc & Margaretâ *de Beaumanoir*, genitus Sebastianus I. *Marchio de Rosmadec*, decessit A. C. 1613. pater ex Francisca Montmorantia, Sebastiani II. qui junxit sibi Renatam, *de Kercoent* Dn. *de Kergournadec*, atque ex ea suscepit Sebastianum III. (cujus uxor Renata filia Ivonis de *Budes*, Baronis *de Sacé*, ducta A. C. 1655.) Bartholomæum Renatum Comitem *de Chappelles* (natum A. C. 1635.) Ludovicum Corentinum (natum A. C. 1636.) Mariam Annam & Mariam Renatam omnes nominis *de Rosmadec*. Vide Philippum Jacobum Spenerum, *Theat. Nobil. Europ. Part. I. p.* 154.

ROSMARINUS, λιβανωτὶς est coronaria Veterum Salmasio *ad Solin. p.* 405. Aliquando *Ros* simpliciter, ut apud Ovidium, *Fast. l.* 4. *v.* 440.

Pars thyma, pars rorem, *pars meliloton amant.*

Eo Lares coronatos, docet Horatius,

Parvos coronantem marinô
Rore *Deos, fragilique myrtô,*

Carm. l. 3. *Od.* 23. *v.* 15. ubi myrto illum jungit. Aliàs floribus vernis omnium lectissimis miscebatur. Idem Ovid. *Metamorph. l.* 12. *v.* 410.

Ut modò rore maris, *modò se violave rosave*
Implicet, interdum canentia lilia gestet.

Pindarus quoque secundùm nonnullos lilio miscet *Nem. Od.* 7. cùm ait, Musam plectere coronam Olympicam, cui

Κολλᾷ χρυσόν, ἔν τε λευκὸν ἐλέφανθ᾽ ἁμᾶ,
Καὶ λείριον ἄνθεμον πον-
τίας ὑφελοῖσ᾽ ἐέρσας.
Glutinat aurum, asque, eburque simul,
Et lilium floridum à ma-
rino avulsum rore.

Sed hic *rorem marinum*, non pro flore coronario, sed pro corallio, quod in imo maris nascitur, accipiendum, monet Car. Paschalius, *Coronarum l.* 6. *c.* 20. Vide plura hanc in rem, apud Plin. *l.* 24. *c.* 11.

ROSOLEA Panormitana Sancta, apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* Vide quoque infrà *Ruriacia*.

ROSOMACHA, hyænæ species Sclavis, in Septentrione frequens, Suecis *Jerf*, Germanis *Wilfra*, de qua sic Olaus: *Petuntur*, inquit, *à venatoribus, pellis solùm gratiâ, quæ apud nobiles & ditissimos ad vestimenta in pretio est, utpote splendidis & florum instar distincta coloribus, quales in Damascena veste spectantur. Item, candet fuscâ nigredine, instar panni Damasceni, diversis ornata figuris. Cujusmodi colorum varietas & mixtura quoque est in* ginetta *animali in Hispania vulpis magnitudine, de quo Cardanus, Pelle variâ est & nigro ac cinereo alternantibus maculis distincta*. Et Scaliger, *Admirabili pulchritudine est. Macularum crebritas, ordo, vegetus splendor nulli cedit*. Unde *ginettam*, vel *jinettam*, vel *hyænettam* dici vult Salmas. quasi *hyænulam* ὑποκοριστικῶς, quia utrumque animal similibus maculis pellem habet variegatam. Certè de hyæna, quam propterea στικτὴν, i. e. *maculosam* appellat, ita Oppianus, *Cynegeticōn l.* 3.

—— ὄξυπτος δέμας αὐτὴ,
Κυανέαις ἐκάτερθεν ἐπίτριμος ταινίῃσιν.

—— *cutis horrida corpore totô*
Cæruleis densè conspergitur undique vittis.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior l.* 3. *c.* 11. præter alios qui de *Animalibus* scripserunt.

ROSONUM, uide RHICINIUM.

ROSSA, urbs Lageniæ, in Vexfordiensi Comitatu Hiberniæ ad Pirgum fluv. olim ampla, nunc raros habet incolas, 17. mill. pass. ab ora littorali maris Verginii in Boream, 20. à Vexfordiâ in Occasum.

ROSSÆUS Alexander, Anglus. Ejus extant, *Virgilius Christianizans*, Πανσέβεια, *Mystagogus Poëticus*, &c. Floruit nostrô seculô.

ROSSIA, provinc. ampla Scotiæ Borealis, sub qua Armanothia & Assinus Comitatus. Habet à Septentrione Naverniam & Sutherlandiam, à Meridie Abriam & Moraviam, ab Ortu mare Germanic. ab Occasu Hibernicum. Ejus urbes præcipuæ Chanonricum & Cromartium, in parte Orientali.

ROS-

ROSSIA, urbs Hiberniæ in Momonia & Comitatu Corcagiensi, ad ostia Finci fluv. cum portu capaci. Episcopalis sub Archiepiscopo Cassiliensi, 30. mill. pass. à Carcagia in Meridiem, & 22. à Kinsalia in Africum.

ROSSIUS Regulus, sub Vitellio, unum Consulatus diem, qui in locum Alieni Cæcinæ supererat, eblanditus est. Nam pridie Kal. Novembr. iniit ejuravitque. Tacit. *l.* 3. *Hist. c.* 37.

ROSSONTIUM, hodie *Rossontum Longum*, Gall. *Rosson le Long*, vicus Galliæ, ad Axonam, inter Augustam Suessionum & Vicum ad Axonam, *Vic sur l'Aisne*, caput olim pagi cognominis. Item locus in Bellovacis, vulgò *Rosson*, unus est ex 9. Archidiaconatibus Ecclesiæ Bellovacensis, adjacetque Aronæ fluv. à quo & *Rosson sur Aronde* cognominatur, Arona autem decurrit in Isaram, è regione Compendii. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

ROSTOCHIUM, quod olim *Lacinum*, & corruptè *Rhodopolis & Lacoburgium* vocitatum. urbs est Vandalica Anseatica, maritima, & Megapolitana, & præ multis aliis Germaniæ, cujus hæc ad Boream limes, urbibus præcipuis, literariò simul & mercatoriò emporiò clarissima. Megapoleos Principibus semper paruit, à quorum majoribus. circa epochæ Christianæ annum 329. levibus initiis, instar pagi, ad Varnam amnem condi incepta, & posteà à Godescalco, Obotritarum rege, in oppidulum conversa, ac demum ann. 1160. à Primislao secundo, Nicolotti filio, & Obotritarum seu Herulorum rege quadragesimo & ultimo, ex viciniæ, & tum ab Henrico Leone desolatæ urbis Kessini ruderibus, murò cincta, fossis munita, inque urbis formam instaurata est. Nomen urbis Vandalicum est, divisionem seu dissolutionem aquarum significans, & *Rostzoch*, vel *Rotzoch* olim fuit appellatum, ut Poloniæ Historiographi, qui terram uliginosam vocabulum illud interpretantur, & sigillum urbis majus adhuc attestantur: alii à vicino urbi Rosarum horto, & fragrantibus rosis nomen deducunt, ut esset *Rostock*, quasi *Rosenstock*: alii alias vocabuli comminuscuntur interpretationes. Rostochiensem ditionem occupavit Ericus VI. Danorum Rex A. C. 1286. sed Christophorus III. Erici VII. successor eam Megapolitano Principi restituit, A. C. 1322. Valdemarus item IV. Alberto Megapolitano tractum hunc contulit, A. C. 1360. Partes urbis tres sunt, *Antiqua*, quæ tribus templis, nimirum D. Petri. D. Nicolai. & D. Catharinæ. necnon Jurisconsultorum collegiò insignis est. *Media*, quæ brachiò Varnæ ab antiqua separata, templis D. Mariæ, D. Johannis, nec non Curiâ & Graphæô, pulcherrimisque ædificiis & civium flore resplendet: Et *Nova*, quæ collegiata D. Jacobi Ecclesia, tribusque aliis Spiritui Sancto, D. Michaëli, & S. Cruci dicatis templis, nec non Academiæ à Johanne filiò Magni, & patruele ejus Alberto, Ducibus Megapolitanis fundatæ A. C. 1415. sed plenè demum introductæ, A. C. 1419. à Joh. Alberto verò & Ulrico posteà dotatæ, Collegiis octo exornatur. Longitudo urbis 2166. passuum est, latitudo 825. ambitus 5500. si passum ulnæ æquipares: ac parum distat longitudine suâ ab Imperiali Lubeca, quæ 2150. passus longa, & 1300. fermè lata est. *Merel.* Frequentibus seditionum motibus & incendiò, aliisque malis sæpiùs est devastata. Inter alia enim, ortò dissidiò inter cives & Senatum, cùm Cæsar causæ disceptationem Joh. Alberto Duci, qui Principatum omnem ad normam August. Confess. reformaverat, mandâsset, ipse armatus in urbem intromissus, Senatum graviùs habuit, atque, quæ extrueretur, designata est, A. C. 1573. Iterum res ad bellum spectavit, civibus se adversus arcem palis ligneis munientibus, Megapolitanis autem, quos Dani juvabant, portum obsidentibus, donec interventu Nobilitatis lite compositâ cives Principi jurârunt. Ut recentiora omittam. Hic Georgius Rikenlus Pastor, Reformatis Mariâ apud Anglos dominante in exilium inde ejectis & hospitiò Rostochii excipi petentibus acerrimè se opposuit, circa A. C. 1554. Vide *Rhodopolis*.

ROSTOVIA, urbs ampla Moscoviæ, Ducatus cognominis caput, clara sede Archiepiscopali ad Coroneam amnem, 26. milliar à Rha fluv. in Meridiem, cum arce lignea. 34. milliar. Polonic. à Moscua. Ducatus hic inter Sardaliam est ad Ortum, & Tuveriam ad Occasum. Post Novogardiam magnam inter Russiæ Principatus olim præcipuus habebatur, & secundogenitis Ducum Russiæ tribuebatur. Quorum posteri à Joanne Basilide, novissimô hærede A. C. 1565. indignè trucidatô, & stirpe penitus deletâ, spoliati sunt.

ROSTRA, templum Romæ in foro ante Curiam Hostiliam, in quo erat suggestus, è rostris navium Antiatum; ex quo concionabantur. Erat autem Antium, Volscorum Metropolis, maritima, quam in suo Consulatu expugnavit C. Mænius, an. Urb. Cond. 416. L. Ann. Florus, *l.* 1. *c.* 11. *Extant & parta de Antio spolia, quæ Mænius in suggestu Fori, captâ hostium classe suffixit; si tamen illa classis: nam sex fuêre rostratæ.* Livius item, *l.* 8. *c.* 14. *Naves Antiatium, partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ: rostrisque earum suggestum, in Foro extructum, adornari placuit*, Rostraque *id Templum appellatum*: quod prope Comitium, partem Fori, quæ à Palatii porta incipiens finiebat ad templum D. Mariæ Novæ, ut *Martianus* docet; erat. Eorum crebra in Livio, Cicerone, aliis, mentio. Ferebantur in illis leges, agebantur causæ, & conciones habebantur. Hinc Rosinus *l.* 6. *c.* 5. *Antiq. Rom.* locô sacrô Leges ferri consuevisse asserens, in *Rostris* ait, *qui locus erat auguratus, Templumque dicebatur, sæpe à Magistratibus ferebantur.* Ex iisdem defunctos laudare, priscus mos fuit, quem Polybius, *l.* 6. sic describit, *Si quando apud eos*, (Romanos) *quispiam ex Illustribus viris ex hac vita decesserit, elatô funere portatur cum reliqua pompa ad Rostra, sic dicta, in Forum & nunc stans conspicuus, nunc obvolutus, idque verò universâ plebe circumstante.* Rostra *adscendit: siquidem filius adultus superfit, ac præsens existat, sin verò, alius quispiam ex ipsius genere, ac demortui virtutes, & quæ in vita præclarè gessit, deprædicat.* Et paulo pòst, *Ubi autem præclarus aliquis ex domesticis ultimum diem obiit, instituunt funeris elationem, & circumfusi, qui simillimi magnitudine & reliqua staturâ videntur, vestitum usurpant: si vel Consul vel Imperator fuerit, purpureum: si triumphum egit, vel tale quid perfecit, aurô contextum. Igitur isti curru vecduntur. Fasces verò & secures ac reliqua Principatus consueta, secundùm dignitatem cujusque, præcedunt, quâ, dum in vivis esset, in Republ. eminuit. Ubi ad* Rostra *venitur, cuncti ex ordine sellis elephantinis sedent, quô spectaculo haud facilè poterit spectari pulchrius.* Hinc de Q. Metello Prætore, qui à devictis Macedonibus *Macedonici* cognomentum tulit, Vellejus Paterculus *Hist. Rom. l.* 1. *c.* 11. *Mortui*, inquit, *ejus Lectum pro* Rostris *sustulerunt quatuor filii.* Nec pigeat obiter referre, primum Poplicolam supremè laudâsse Brutum, qui ritus inde ad fœminas, & Imperatorum ævô ad Juvenes, est progressus. Sed *hoc Fori decus, hæc veluti Populo Rom. imposita corona*, verba sunt Plinii, *l.* 16. *c.* 4. sequiore ævô Tribunitiis seditionibus calcari ac pollui cœpit. Unde de Tiberio Graccho, qui primam certaminum facem accendit, Florus, *l.* 3. *c.* 14. *Postquàm rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine* Rostra *conscendit* (ubi nempe sedentes Magistratus jus dicebant, Leges ferebant, concionem habebant, *Stadius*) Et paulo pòst; *Sed ubi intercedentem legibus suis Cn. Octavium videt, injectâ manu depulit Rostris.* A quo ulteriùs itum, & proscriptorum Civium capita pro *Rostris* exposita; uti Octavio Consuli fecit Marius; & inprimis in Triumvirali proscriptione: de qua sic idem Auctor, *l.* 4. *c.* 6. *Romæ capita cæsorum proponere in* Rostris *jam usitatum erat; verùm sic quoque Civitas lachrymas tenere non potuit, cùm recisum Ciceronis caput in illis suis* Rostris *videretur, nec aliter ad videndum eum, quàm solebat ad audiendum, concurreretur.* Namque Antonius præcisum Oratoris caput ad se allatum in illustri illo loco, ubi ille eô ipsô annô adversùs eum dixerat, poni curavit, ut præter Florum testantur Livius, Plut. *in Cicer.* Dio, *l.* 47. Alii. Tandem itaque, postquàm indignum avitâ libertate se Populus Rom. reddidit, pro *Rostris* oblata Cæsari regni insignia, ipsis Lupercalibus, seu 16. Kal. Mart. quæ is pro *Rostris* in aurea sella sedens, amictusque togâ purpureâ cùm spectaret, Antonius Consul. unus ex Lupercis accedens, capiti ejus diadema imposuit, ut apud eundem Florum, *l.* 4. *c.* 2. videre est. A *rostris* porrò navium, *Rostrata* corona nomen habuit, quæ inter præcipua olim militaria præmia, de qua sic Plinius, *l.* 16. *c.* 4. *Anteà rostra navium tribunali præfixa, Fori decus erant, veluti Populo Rom. ipsi corona imposita. Postquàm verò Tribunitiis seditionibus calcari ac pollui cœpêre, postquàm vires ex publico in privatum magis singulisque civium quæri, sacrosancta omnia profana fecêre, tum à pedibus eorum subiêre in capita civium Rostra. Dedit hanc Augustus coronam Agrippæ* &c. Vide Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 5. *ubi novorum quoque, quæ ad Palatii radices, Rostrorum mentionem facit.* & suprà in voce *Navalis* it. *Quadrans*, ubi rostrum navis in vetere pecunia Roman. in cujus altera parte Janus geminus, sculptum fuisse diximus. Addidit autem primus *rostra* navibus Piseus Tyrrhenus teste Pliniô, *l.* 7. *c.* 56. *circa fin.* &c.

ROSTRA apud Adalberonem Laudun. *in Carmine ad Robertum* Regem.

Cœpit summa pedum cum tortis tendere rostris:

calceorum sunt acumina, quæ Annæ Comnenæ *in Alexiade* dicuntur πεδίλων ἀκρώματα. Ita enim Scriptores vocant prominentes & ultra pedum longitudinem prosilientes extremas calceorum partes, in acumen desinentes, uti pluribus observavit Car. du Fresne, *Not. ad Alexiadem.* Meminit *Calcei, ad aquilini rostri speciem*, Petrus Damianus, *l.* 5. *Ep.* 16. Cujusmodi *Sotularium rostratorum* usu interdicitur Sacerdotibus in Concilio Parisiensi A. C. 1212. *part.* 2. *c.* 9. &c. Vide suprà quoque in voce *Pigacia*, it. *Poulaine*, & de *rostris calceorum*, apud veteres Romanos, ubi de *Calceo*. Joh. Archithrenius, apud eundem Car. du Fresne, *Rostra* hujusmodi sic describit, *l.* 2. *c.* 3.

——— Solea substringitur arcu
Calceus obliquô, pedis instar factus, ut ipsos
Exprimat articulos, cujus deductior antè
Pinnula procedit pauloque reflexior exit,
Et fugit in longum tractumque inclinat acumen &c.

Propriè autem *Rostrum* de avibus, inter quas Picæ Brasiliæ, de qua suprà, *rostrum* ingens, colore glaucescente, antidotum adversùs omnia venena optimum, Indiæ Principibus inter præcipua cimelia habetur. Græcè ῥάμφος, it. ῥύγχος, quod posterius tamen porcorum propriè. Per lusum verò καὶ ἐπὶ τοῦ προσώπου inquit Athenæus, *l.* 3. *etiam de persona*, h. e. larva histrionica, propter deformitatem scil. ut quæ *fremebunda hiatibus torvidis*, uti ait Arnob. *l.* 6. Hinc in *Acharnensibus* Aristophanes Megarensis filias, quas prò porcis venire volebat, ita affatus,

Ἀλλ' ἀμφίθεσθε καὶ τάδε τὰ ῥυγχία,
Κᾆπειτα ἐς τὸν σάκκον ὧδ' ἐσβαίνετε.

vocem ῥυγχία opportunè adhibet. Nam & larvam, quam iis imponebat, ῥυγχία appellat propter similitudinem, & ῥυγχία etiam dicit verâ significatione. Idem in *Avibus*, versu hôc, ποῖον χρὴ τὸ ῥύγχος θεῖναί σε τὸ λοιπόν quasi avi tribuit ῥύγχος, & simul, metaphoricam significationem alludens, facetè significat, larvam histrioni cibum suppeditare, ut rostrum avi. Vide Desid. Heraldum in *Animadversionibus Arnobianis* *l.* 6. *p.* 243. & infrà *Terricula*.

ROSTRATA Domus Cn. Pompeji, memoratur Jul. Capitolino *in Gordianis*, *c.* 2. *extat silva ejus* (Gordiani Imper.) *memorabilis*,

quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeji, quæ ipsius & patris ejus & proavi fuit, quam Philippi temporibus vester fiscus invasit. In qua pictura etiam nunc continentur cervi palmati ducenti &c. Qui pingendi mos eô seculô frequentissimus fuit, cujus originem indicat Plin. *l.* 35. *c.* 7. Vide Casaubon. *ad Capitolin.*

ROSTRATA Villa, locus Tusciæ, in villa Flaminia, inter Romam & Otriculum, 24. mill. pass. *Antonin.* cujus hodie nihil extat.

ROSTRUM Nemaviæ, oppid. Rhætiæ inter Augustam Vindeliciæ & Campodunum. *Antonin. Roskopfern Lazio, Memmingen Simlero, Baudrando Mindelheim* oppidul. cum castro, ad Mindelam fluv. in Suevia, sub Bavariæ Duce.

ROSVIDA, vel HUROSVITHA, monialis in cœnobio Gandesheim, in Germania, floruit seculô 10. Stirpe & ingeniô inclyta, Græcè & Latinè pereruditа, versu prosâque prompta: Hortatu Ottonis II. Imperatoris scripsit carmine, *vitam Ottonis I.* Eadem *poëma de martyrio S. Pelagii* &c. edidit; quæ Conradus Celtes imprimi curavit Norimbergæ, A. C. 1501. Possevin. *in appar.* Voss. *de Hist. Lat l.* 2. *c.* 41.

ROSULUM, vicus Etruriæ, Sutrio & Nepitæ urbibus proximus, medius inter urbem Romam & Viterbium, 20. mill. pass. utrinque. *Monte Rosi Leandro.*

ROT, nomen familiæ, apud Basilienses, nobilissimæ, quos *Russos* Latinè dicas. Ex hac Hartmannus A. C. 1374. summô Magistratu functus est, eô tempore, quô Johannes Episcopus civitatem obsedit & atroci bellô afflixit, quôque Ferretum, Beaufortium, Porrentrutum oppida cum castris villisque plurimis flammis vastata sunt. Johannes dein A. C. 1444. civibus consiliô præfuit. *Fabius Basiliensium* dictus, eô quòd bellô Armeniacô urbem infinitis Gallorum obequitantium copiis in summum discrimen adductam, ab imminenti interitu prudentiâ suâ vindicavit. Post hunc Petrus Consul Hierosolymitanus eques, bellô cruentô & funestô, quod magni fœderis socii contra Carolum Burgundiæ Ducem gessêre, in Grandissonensi primùm pugna, A. C. 1476. octingentorum Basiliensium doctor fuit: in Moratensi verò clade decimô Kal. Julii pòst insecuta, 2000. peditum & 100. equitum fortissimum felicissimumque Imperatorem egit. Vide Christ. Urstisium *Hist. Basil.*

ROTA, apud Plinium, *l.* 19. *c.* 4. *Hortos villæ jungendos non est dubium, riguosque maximè habendos, si contingat profluô amne, si minùs, è puteo rota organisve pneumaticis, vel tollenonum haustu rigatos:* quâ ex puteo hauritur aqua, non est τροχιλία *Pollucis*, cujus quidem etiam usum ad hauriendum è puteis accommodatum, docet. Sed machina, quam *Plinius* idem describit cum tympano, ubi *tympanum* quidem priùs nominat, deinde & *rotam*. Altiùs autem aquam tollebat *rota*, quàm tympanum. *Ita suppositô*, inquit, *labrô ligneô, habente unum secum conjunctum canalem & hortis ad irrigandum & salinis ad temperandum præbetur aquæ multitudo.* Nempe inter tympanum & rotam plaustrorum hæc erat differentia, quòd tympana ex solidis tabulis erant contexta, rotæ ex radiis. Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 444.

Qui radios trivêre rotis aut tympana plaustris.

Ad quam similitudinem *rota* ac *tympana* haustoriæ machinæ factæ sunt, quæ versabantur hominibus calcantibus, & aquæ è puteis varios in usus extrahendæ inserviebant. Aliæ ab his *rotæ* erant, quibus eosdem in usus è fluminibus aquæ hauriebantur: fluminis ipsius impulsu, affixas circa earum frontes pinnas percutientis, versari solebant. Cujusmodi *rotarum* meminit Lucrètius, cùm ait, *l.* 5. *v.* 517.

Ut fluvios versare rotas atque haustra videmus.

Ubi vocat *haustra*, modiolos rotis illis affixos, quibus aqua hauriebatur ac fundebatur. Vitruvius, *l.* 10. *c.* 10. *Circa earum frontes affiguntur pinnæ, quæ cùm percutiuntur ab impetu fluminis, cogunt progredientes versari rotam & ita modiolis aquam haurientes & in summum referentes, sine operarum calcaturâ, ipsius fluminis impetu versata, præstant, quod opus est ad usum.* Sed & aliæ iterum erant molendinorum *rotæ*, quarum idem Vitruvius *ibid.* meminit. *Eâdem ratione*, inquiens, *versantur hydromylæ.* Ὑδραλέτας Græci vocant, verùm de his infrà. Etiam alia machina fuit, quâ Ægyptii aquam è Nilo hauriebant rigandis agris, Κοχλίαν Græci. Latini *Cochleam* dixêre, cujus descriptionem ex eodem Vitruvio disces &c. Atque hôc pactô, aquâ nempe è puteis haustâ & manibus infusâ, non riguis aut rivis inductâ quum irrigatio fit, *βρέχειν Theophrastus* appellat, cujusmodi *βροχὴν* non minimam cultus partem esse, quæ sumitur circa balsami arborem inprimis, idem ait ubi de balsamo. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 589.

ROTA, petauro impacta, cujus meminit Martialis, *l.* 11. *Epigr*[illegible]. *v.* 3.

Quàm Rota *transmisso totiês impacta petauro:*

Ubi alii legunt, *intacta*, ludi apud Romanos species fuit, nobis non satis cogniti. Turnebus enim *Petaurum* putat lignum fuisse per rotam à Petaurista trajectum, *l.* 8. *c.* 4. Corn. Vitellius contra Georg. Merulam, *c.* 13. contendit Petaurum ipsum fuisse Petauristam, qui se per rotam, quasi in aëre volantem, transmiserit, unde & nomen vult inditum. Aliter Hieron. Mercurialis *de Arte Gymn. l.* 4. *c.* 8. ubi Petaurum vult fuisse, *machinam quandam ligneam, quâ homines rotis quibusdam in aërem jactabantur*: fortè assimilandam asseri funibus quatuor ad laquearia suspenso, cui pueri puellæque insidentes per aerem jactari solent. Sed hoc genus, sub *Oscillarum* appellatione à Veteribus indigitatum, vide suprà in voce *Petaurum*. Curruum *Rotas* quod attinet, quarum axibus ilicem, fraxinum atque ulmum, idoneam judicat Plinius, *l.* 16. *c.* 43. Homeri temporibus stannô ornabantur, posteriori verò ævô, ut & tota vehicula, ebore obductæ sunt, Plautus, *in Aulul. Actu* 2. *sc.* 1. *v.* 46. sicut Plinii tempestate, tota esseda atque vehicula aurô ac argentô insignita conspiciebantur, Plin. *l.* 34. *c.* 17. Et priscis quidem temporibus, duabus tantùm *Rotis* construebantur currus, alias duas posteà addiderunt Phryges, teste eôdem, *l.* 7. *c.* 56. Scythas dein sex rotis construxisse, memoriæ tradidit Hippocrates, *lib. de aëre, aquis & locis.* Vide Hier. Mercurialem, *de Arte Gymnast. l.* 3. *c.* 10. & suprà in vocibus *Currus*, *Curulis vectatio* & *Quadriga*.

ROTA, apud Anastasium in *Leone III. Fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de Tyrio, cum historia Crucifixi. Nec non rotas de chrysoclavo ornatas in circuitu de quadrapulo* &c. pallii est Ecclesiastici species, in *rotæ* formam effecti, vel pallium *rotarum* figuris distinctum, Alia fuit *Rota Judæorum*, apud medii ævi Scriptores, nota videl. in vestibus, quâ à Christianis discernerentur, uti videre est suprà, ubi de *Judæis*. At apud Adamnanum, *de Locis Scriptura*, *l.* 1. *c.* 6. *Cujus* (Templi) *in superioribus grandis quædam ærea cum lampadibus rota in funibus pendet:* lychnuchus est in *rotæ* formam de fornice pendulus, in sacris ædibus, quam *coronam* vocari aliis, notat Car. du Fresne *Glossar.* In Monasteriis porrò Monialium, sic dicebatur turricula lignea versatilis, qua necessaria in Monasterium inferuntur, Gall. *Tour.* Sed & instrumenti Musici species eôdem nomine occurrit, apud Sanutum, *l.* 2. *parte* 4. *c.* 21. & *in Epist.* 85. Bonifacii Archiepiscopi Moguntinensis, ubi inter citharæ species recensetur: *Rotta* aliàs, quam vocem vide apud Car. du Fresne ubi suprà. Vide quoque in phrasi *Crucem assumere.*

ROTA, Lusitanis dicitur, vimen illud mirabile, quod in Quantonia provinc. Sinici Imperii crescit & incolis *Teng* vocatur. Funem à natura contortum, credas, quòd in maximam extendatur longitudinem, ac veluti funis per terram ac montes prorepat. Spinis horridum est; fortisque oblongioribus viret, crassitie vix digitum æquat & tamen sæpe ad integrum stadium diffunditur, tantâ per montes copiâ, ut inter se intricatæ stirpes etiam cervis iter impervium reddant. Lentissimum porro est, & frangi nescium; quamobrem ex eo rudentes funesque pro navibus confieri solent. Imò illud in licia vittulasque remissimas minutissimè partiri solent, ex iisque corbes, crates, sedilia, aliaque contexere; maximè verò subtilissimas ac mollissimas illas storeas, in quibus Sinenses plerique nudi, dum somnum capiunt, decumbere consueverunt. Ex iisdem ipsos quoque lectulos efformant & pulvinaria, quæ rebus quibusdam odoratis ad delitias inferciunt. Insula *Hainan* tota hoc vimen profert atque illud præcipuè præstantissimum, quod *Rotam album* dicunt Auctor Anonymus *Sina & Europa c.* 32.

ROTA Bernardinus, Neapolitanus, genere ingeniôque nobilis, Poëta Latinus Italusque eximius, veteribus Latinis conferendus, omnibus autem Italicis, post Petrarcham, ante ponendus. Primus *Halieutica* vernaculô sermone scripsit. Obiit A. C. 1575. ætat. 66. Ejus Poëmata enarrat Anton. Teissier. *Elog. Part. I.* Vide quoque Auctorem *Theatr. d'homm. Letter.* & Laur. Crassum, *Elog.*

ROTA Porphyretica, apud Petrum Diac. *Chronici Casin. l.* 4. *c.* 37. *Cùm in* Rotam Porphyreticam *venisset* (Imperator Henricus) *positis utrisque sedibus, consedêre.* Aliàs *Rota Romana*: & simpliciter *Rota*, dicta est Camera Romæ, cujus pavimentum ex marmore Porphyretico in *Rotæ* figuram efformatum est; in qua agitantur publica judicia, quorum Decisiones circumferuntur. Seu Tribunal Romæ est, ex XII. doctissimis Prælatis compositum, ad decidendas lites; *Papæ Capellani* & *Rotæ Auditores* appellantur. Sunt illi ex variis nationibus selecti, nimirum tres Romani, unus Germanus, unus Gallus, unus Castellanus, unus Aragonensis, unus Venetus, unus Mediolanensis Senensis & Perusinus per vices, Bononiensis item & Ferrariensis, qui *in gradu Apellationis* cognoscunt omnes lites beneficiales totius Orbis Romanam Religionem amplexi, ac causas civiles totius Ecclesiastici Senatus. *Erexit hoc tribunal Joannes XXII. Petrus And. Gammarus Rotæ Auditor Scholiis ad Extravag. Julii II. Inter hæc Rotam novis & saluberrimis statutis ornavit, quæ hodie apud nos etiam servantur & quotannis initiô audientiarum publicè leguntur; Et in summa ille primus administrationem justitiæ, cujus Vicecancellarius caput est, quæ in Regulis & Ordinationibus* Rotæ *consistit, invenis* &c. Vide suprà, ubi de *Regulis Cancellariæ.* Posteà Clemens VIII. multis illud privilegiis cumulavit; Alexander porrò VII. *Auditoribus Rotæ* vestes & cingulum in pileo violacei coloris concessit, eosque *Subdiaconos Apostolicos* declaravit: qui proin Papâ solenniter celebrante, canunt Epistolam, & in Capella Papali Clericos Camerales præcedunt; sed & Decanus eorum Cruciferi officium, in publicis functionibus, gerit &c. Vide Car. du Fresne *in Glossar.* inprimis verò Macros Fratres *in Hierolex.* ubi à *Rota Romana*, distinguentes *Rotam Porphyreticam*, hanc fuisse lapidem rotundum, in pavimento Lateranensis Basilicæ positum, in quo Romanus Pontifex diversas functiones olim obierit, *Ptolemæo Lucensi* etiam *Roctam* dictum, ajunt.

ROTA Romana, vide hic *suprà*.

ROTABILIS Via in *Inscr.* veteri *p.* CXLIX. I. C. JULIUS. CÆSAR. VIAM. INVIAM. SOLERTIA. SUA. ET. IMPENDIO. ROTABILEM. REDD. est quæ *rotas* non malignè patitur: cui opponitur inæqualis, fallens & maligna, uti vocat Statius, *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 29.

Radebatque rotas maligna tellus.

Ubi

Ubi *rotas corrosas* à tellure dicit, modò subsidente lacunis, modò extante apicibus, ut rotæ nullibi sine detrimento verti possent. Vide Barthium, *ad loc.* Unde *rotaticum*, tributi genus, apud Car. du Fresne *Glossar.*

ROTÆ supplicium, apud Græcos jam olim in usu. *Suidæ* Ὄργανον fuit βασανιστήριον καὶ διατεῖνον τὰ σώματα, instrumentum hominibus excruciandis inventum, corpora distendens. Et *alibi* ξύλον τι, ἐν ᾧ δεσμούμενοι οἱ οἰκέται ἐμαστίζοντο, lignum quoddam, in quo servi vincti castigabantur. Vide Apulejum, *Metamorph. l.* 3. & 10. quorum illô, *ritum Græciensem*, istô *morem Græcorum*, hôc modô reos, cùm de criminibus quæstiones haberentur, torquere, vocat. Desid. Heraldus, sic de eo: *Rota pœnalis, olim pœna servorum propria: sed posteà ad eruenda crimina in quæstionibus adhibita. Alligabantur autem rotæ, & distendebantur: atque ea contorta flagris cædebantur. Unde τροχίζεσθαι propriè & torqueri.---Philo Commentario de Caïn:* Οὕτω καὶ τὸ τίκτεσθαι, τῷ μὲν τροχιζόμενος πληγῶν ἄξια ἀδικηθεὶς, ἢ ἐλευθέρων διὰ μαλακίαν ἐπὶ τροχῷ κατατεινόμενος. *Exempla passim apud Plutarchum, & alios, Animadversion. ad Arnobium, l.* 2. Vide quoque Aristophanem, *Pace*, item *Pluto*, & utrobique Scholiastem. Sed & inter Veterum supplicia fuêre *rotæ*, quibus alligati rotabantur per ignem, aut membratim [illegible]gebantur, ut videre est apud Joseph. ubi de Maccabæis fratribus. Basilium, *Hom. in Gordium Mart.* Alios, nec non in iis, quæ mox dicemus. Aliud fuit supplicium, quod Franciscus I. Galliæ Rex A. C. 1535. in grassatores constituit, ubi fractis membris semianimes in altum elatis rotis supini imponuntur, cùm in supplicio illo Veterum *rotæ* alligati crudeliter torquerentur ac distenderentur: de quo quidem ita legitur in *Actis* S. Julianæ Virgin. & Martyr. *c.* 3. *num.* 14. *Tunc Præfectus jussit afferri* Rotam *ferream & figi in ea gladios acutos & super ipsam rotam imponi Virginem, ut staret rota in medio duarum columnarum & quatuor ex alia parte & milites trahebant rotam* ——— *Trahentes autem machinam tangebant & nobile corpus --- omnibus membris findebant & medulla de ossibus ejus exibant & tota rota tingebatur de illa* &c. Vide Anton. Gallonium, *de Martyrum cruciatibus, c.* 2. Non tantùm autem à *Rota*, sub Francisco invecta, differebat *Rota suppliciums*, sub primâ Galliæ Regum stirpe atque adeò posterioribus seculis, cùm rei confractis ossibus morituri vel post suspendium aut decollationem, *rotæ* ad spectaculum ac ludibrium innecterentur. Phil. Galtherus, *Alexandreidos l.* 8. *de cæde Caroli Com. Flandriæ p.* 64.

Hôc habitu quondam Buchardum Flandria vidit
Solventem meritas, occisô Principe, pœnas,
Quem Rota *pœnalis pro tanto crimine torsit,*
Totaque confregit, Ludovicô vindice, membra &c.

Imò jam apud veteres Gallos *rotæ* suppliciô in grassatores animadversum fuisse, discimus ex *vetere Glossario* Græco-Lat. ubi *rotam* invenias *Gallicularn* dictam: Τροχὸς, *Gallicula.* Cujus similitudine pœnæ, adolescens Plautinus, *in Cistellar. Actu* 2. *sc.* 1. *v.* 4. *in amoris se rota versari* ait &c. Vide Car. du Fresne *in Glossar.* ex Joh. Calvino, *Lex. Jur.* & Auctores ipsi laudatos, inprimis Jac. Cujacium, *Observat. l.* 3. *c.* 28. Hadr. Turnebum, *Adversar. l.* 7. *c.* 16. Hadrianum Junium, *Animadvers. l.* 3. *c.* 12. *p.* 145. & Joh. Casp. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Τροχὸς.

ROTÆ Aquariæ, apud Lamprid. *in Heliogabalo, c.* 24. Vide infrà *Rotæ Molendinorum.*

ROTÆ Haustoriæ, vide *suprà.*

ROTÆ Molendinorum aquariæ, quarum hodieque multus usus in Aquæmoliniis & ὑδραλέταις; memorantur Æl. Lampridio, *in Vita Heliogabali, c.* 24. *Parasitos ad rotam aquariam ligabat & cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat: eosque Ixionios amicos vocavit.* Earum inventio ad Ciceronis ævum refertur, uti docet apud Salmasium, Antipater in elegantissimo *Epigrammate* nondum edito, quò suâ demum ætate illas excogitatas tradit:

Ἴσχετε χεῖρα μυλαῖον ἀλετρίδες, εὕδετε μακρά,
Κὴν ὄρθρον προλέγῃ γῆρυς ἀλεκτρυόνων.
Δηὼ γὰρ νύμφαισι χερῶν ἐπετείλατο μόχθους;
Αἱ δὲ κατ' ἀκροτάτην ἁλλόμεναι τροχιὴν,
Ἄξονα δινεῦσιν· ὁ δ' ἀκτίνεσσιν ἑλικταῖς
Στρωφᾶται στείρων κοῖλα βάρη μυλάκων.
Γευόμεθ' ἀρχαίου βιότου πάλιν, εἰ δίχα μόχθου
Δαίνυσθαι Δηοῦς ἔργα διδασκόμεθα.

Fuit is Antipater Thessalonicensis, qui Ciceronis temporibus vixit & Pisonis, in quem extat Ciceronis oratio, quique Macedoniam proconsule obtinuit, familiaris. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 589. & *ad Lamprid. d. l.*

ROTANUS, *Ptol. Tavignani*, aliis *Aleria*, fluv. Corsicæ apud Aleriam in Ortum profluens ex medio Insulæ.

ROTARE Arma, apud Auctorem *Panegyrici ad Pisonem;*

Arma *tuis etiam si forte* rotare *lacertis,*
Inque gradum clausis libuit consistere membris;
Et vitare simul, simul & captare petentem:

Vegetiô est, *Scutum rotare, l.* 2. *c.* 14. *Præterea, sicut Centurio eligendus est, qui sit magnis viribus, & procerâ staturâ, qui hastas vel missilia peritè jaculetur & fortiter, qui dimicare gladiô &* scutum rotare *doctissimè no*[illegible], *qui omnem artem didicerit armaturæ;* alibi *Arma tractare*, apud *Spartianum* & *Senecam.* Quibus intelligitur id exercitii genus, quod *Armatura* dictum est, de quo egimus *suo locô.* At *rotare caput*, apud Lucanum de cæde Pompeji, *l.* 8. *v.* 672.

Tunc nervos venasque secat, nodosaque frangit
Ossa diu; nondum artis erat caput ense rotare:

est unô ictu decutere. Cujusmodi *rotatio* haud dubiè intelligitur in artificio decollandi, apud Sueton. *Caligulâ, c.* 32. uti Casaubono notatum. Aliter verò dicuntur Vates Gentilium *caput rotare*, apud Hieronymum *in Epitaph. Paul. Alios rotare caput variorum oraculis.* Et simpliciter *rotare*, apud Prudentium,

Furere ac rotare jus putatur mysticum.

Item *rotari*, apud Minucium Felic. *Hi sunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates & ipsi absque templo, sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur.* Nempe quia *caput rotabant*, h. e. ut Ulpianus interpretatur, *jactabant.* Τὴν κεφαλὴν περιδινεῖν vocat Chrysostomus, *Orat.* 1. *de Regno;* τὴν κεφαλὴν κάτωθεν ἐκ τοῦ αὐχένος ἐλίσσειν, Lucian. *Asinô. Capillos rotare*, de Gallis Cybeles, dicit Apulejus, *Miles.* 8. *Diuque capite demissô cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos* rotantes in *circulum.* Sed & *colla rotare* dicitur, apud Statium, *l.* 4. *Sylv.* [illegible] *v.* 121. *in via Domitiani*, Sibylla,

En & colla rotat; novisque latè
Bacchatur spatiis ———

Ut nempe vaticinaturam intelligas. De cujusmodi Numine afflatis eorumque gestibus, vide Virg. *Æn. l.* 6. Lucanum, *l.* itidem 6. Ruffinum, *Histor. Eccl. l.* 2. *c.* 4. Joh. Meursium, *initiô Commentar in Lycophronis Cassandram.* Alios, & hic passim.

ROTANUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

ROTEJACUM, villa Parisiacæ Ecclesiæ, in pago Amoniensi, aut ab eo non procul, Parisiis Augustodunum petenti obvia, Fortun. Presbyter *de vita Germani, c.* 37. Erat autem pagus hic *Amaus.* Amansusve vel Amoniensis in Burgundia, inter pagos Cabillonensem & Attuariorum ab Arari, Oscara ac Vincenna & Tila fluv. haud procul: hodie vetus nomen amisit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

ROTELIA, German. *Rötele*, arx Germaniæ in Marchia Dutlacensi; nuperô bellô penitus destructa: Hanc, sive donô, sive testamentô Leopoldi, ultimi ejus Dynastæ, Henricus Hochbergius Marchio, accepit A. C. 1315. vel 1310. obitu Philippi in Badenses translatam. Nata tamen de ea Badensibus, adversùs Duces Longavillanos, hac de causa contentio, quòd Joanna Philippi filia A. C. 1504. post mortem Patris Ludovico Duci Longavillano nupta, hæreditatis jure terram istam mariti domui intulisse videbatur, quam jam Rodolphus Philippi parens filii è primo matrimonio liberis, veluti præcipui quôdam jure, addixerit. Cujus litis molestias redemêre Badenses, exsolutis 250. sive, ut alii 225. aureorum millibus. Ita securior atque sola his possessio mansit; quanquàm titulô Marchionum Rotelensium ne nunc quidem Longavillani abstineant. Vide Tob. Pfannerum, *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus, c.* 9. *p.* 281. & 289.

ROTENBIUM, oppid. Blekingiæ, in ora maris Baltici 7. leuc. à Christianopoli in Occasum Albusium versus 6.

ROTENBURGUM, elegans Franconiæ oppid. Imperiale, ad Tubarum fluv. in colle satis parvi circuitus, ab A. C. 1463. à turrium & tegularum rubore dictum: quasi Erythropolis. Paruit olim Francorum Ducibus, Lehmannô Sueviæ priscis Ducibus illud asserente, cùm Fridericum I. Sueviæ Ducem Historici Ducem in Rotenbergo nominent. Post Friderici I. verò tempora Imperii urbibus accensitum, Franconiæ cella penaria habetur. Regitur Democraticè, habetque in Comitiis sessionem post Nerolingam & ante Hallam. Privilegia accepit amplissima à Rodolfo I. Ludovico, Alberto, Henrico, Ruperto, Sigismundo, Friderico III. Maximiliano I. Carolo V. Maximiliano II. Imperatorib. Fuerunt quoque olim Burggravii, Duces & Comites Rotenburgenses, ut ex Gylmanno, *tom.* 1. *Symph. part.* 3. *vot.* 23. *n.* 70. constat: sed iis extinctis, Friderici præfati beneficiô, urbs Imperio accessit. Judicium verò hoc provinciale, cum præfectura Imper. tempore Ruperti Regis civitati oppignoratum, imo tandem venditum est. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 50. & Simler. *de Rep. Helv.* 19. leuc. à Norimberga in Occasum paulo minus ab Herbipoli in Meridiem, Nerolingam versus.

ROTENBURGUM, urbec. Sueviæ, ad Nicrum, qui mediam secat. Sub Austriac. in ipso limite Ducatus Wirtembergici 1. leuc. à Tubinga in Occasum.

ROTERODAMUM, urbs Batavorum litorea, à canali, *Rotter*, dicta, elegans, & longa, inter Dordracum & Delphos: Emporium percelebre ex præcipuis Belgii fœderati. Patria Erasmi. 5. leuc. ab ora maris German. in Ortum, 4. à Lugduno Batav. in Meridiem. Vide Guicciard. *descr. Belg.*

ROTEVILLA, urbec. Imperialis Sueviæ, ad Nicrum, Helvetiis fœderata: Dicta à voce German. *Rott*, i. e. cohorte, & *Vile* villa, quasi dicas, cohortium Cimbricarum mansionem: hæ enim ibi consedisse dicuntur, postquàm à Romanis fusi essent. Pagus primùm fuit & villa exigua, dein civitas facta, aliquoties sedem suam mutavit: primò quidem trans Nicrum, dein ob Preimii torrentis crebras inundationes, in alteram ejus ripam translata, quæ *vetus Civitas* hodie appellatur, denique postquàm conflagravit, paulo editiore in loco collocata est. 16. leuc. à Brisiaco in Ortum, 6. à Scaphusia in Boream. Hic olim Juridica sedes totius Sueviæ; instituta à Conrado Suevo Imperatore A. C. 1147. quando cum Lothario Saxone de imperio decertavit, ubi egregiam civium in se fidem expertus, Imperialis hujus Judicii axiomate illam compensavit. Assessores XII. ex ordine equestri vel Senatu legi soliti, sed Electores ad tractum Rheni & Comites Zollerii ab eo exemti sunt: Interim ab hoc ju-

dicio ad Cameram appellatum. In diæta pacis Monasterienſ. de eo abolendo actum. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 47. Capta urbs fuit bellô Germanicô à Gallis, ſed reddita, & Mareſchallus Guebrianus, victis prius Imperialibus, ex vulnere, obiit A. C. 1643.

ROTH, civitas munita, in tribu Gadibi, Hebraicè eſt Ataroth, & jungitur aliquando ſequenti dictioni *Sophan*, *Ataroth ſophan.*

ROTHARIS, Longobardorum Rex in Italia VII. & ipſe Arianus, fil. Aionis, Ducis territorii Breſciani. Succeſſit Arioaldo, A. C. 638. ope Gundobergæ, fil. Agilulphi ex Theodelinda; cui juratò promittere coactus eſt, ſe, priore uxore repudiatâ, Gundobergæ indivulsè adhæſurum. Sed conſcensô ſemel thronô, illam in carcere quinquennali detinuit, Procerumque non paucos ſibi adverſantes è medio ſuſtulit: interim à Clodoveo II. Galliæ Rege petitam, dimiſit. Cepit dein Genuam, Albengam, Savonam, aliaque Imperii loca, quæ vaſtavit, ut & Tuſciæ urbes non paucas, hinc *Poliorceta* dictus. Leges Longobardicas ſcriptô conſignari curavit, ſub nomine *Edicti.* Obiit A. 653. an. 654. Rodoaldô filiô ſucceſſore. Paul. Diaconus, *de geſtis Longobard. l.* 5.

ROTHERUS, fluv. Angliæ. Oritur in Suſſexia provinc. dein per Cantium fluens, tandem ad Ripam oppid. Suſſexiæ in mare Britannicum ſe exonerat.

ROTIANUM, oppid. Apuliæ Peucetiæ.

ROTNACUM, Gall. *Ernay.* Flandris *Roncen*, amplum Flandriæ municipium, in Diœceſi Maalinenſi, Canonicorum collegiô inſigne, ut Sonegiæ & Condate, ad Hainæ & Scaldis confluentes, in Halinoo. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ROTO, locus Galliæ, ad flumen Vicinoniam in Venetis, vulgò *Redon*, ubi Benedictinum Monaſterium S. Servatoris: inter duo flumina Dutulum & Vicinoniam prædictam. Hic Covojonus quidam Britannus Monaſterium condidit, cui Ludovicus Pius *locum Rotonenſem* omnium onerum immunem donavit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ROTOJALUM, vulgò RUEUIL, Rotomagenſis in Gallia territorii caſtrum, in valle, quò Fregedundis, poſt Chilperici mariti mortem, ſecedere compulſa eſt, à Guntchramno & Optimatibus: non procul à confluentibus Auturæ & Sequanæ. Item vicus agri Pariſiaci: à rubore ſoli nomen utrumque accepit, *Roth* enim Celtis rubrum notat. Hinc Vallis Rodolii & Rodolia Brittoni memorata, *l.* 5. vitifera ac fœnifera, longa aliquot mill. paſſ. nomen habet, *le Val de Rueil*, vel *Vau de Reueuil.*

ROTOMAGENSIS Pagus, ad utramque Sequanæ ripam, ex majore parte cis, ex minore trans illam, jacet: quarum hæc *Rodomenſis* pagus, dicitur, in capitulis Caroli M. A. C. 770. latis: illa *Rotmenſis* à Rotomago, in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum A. C. 853. editis. Hodieque pagi Rotomagenſis pars ea, quæ trans Sequanam in Nortmannia propriè dicta eſt poſita inter Sequanam & Riſelam fluvios, *le Romois* vocatur, & Burgum Theroldi, Pontem Audomari, Brioniam, aliaque loca complectitur. Pagi autem *Rotomagenſis* nomine tantùm ager ſuburbanus deſignatur, non autem Veliocaſſes & Caleti, qui ambo pro capite Rotomagum habent, & parœciæ ejus finibus continentur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ROTOMAGUS, Normanniæ metropolis, antiqua, ampla, opulenta, populoſa: Archiepiſcopalis ſex ſedes Epiſcopales ſub ſe continens, & Parlamenti ſedes. Dicta quibuſdam Celticè quaſi *Roti urbs*, à *Rotho* vel *Roth* idolo, quod ibi olim cultum: A Julio Cæſare, teſte Ordericô Vitali, *Hiſt. l.* 5. condita in loco aptiſſimo, ubi ab Ortum caput urbis Albula fluvius *Aubette*, cum Rodebecco *Robec*, & ab Occidente Marrona *Renelle*, in Sequanam influit. A quorum medio, Monaſterium S. Audoëni alluente, qui *Rodobeccus*, quaſi *ruber rivus* voce Francogermanicâ dictus, urbem potiùs appellatam docet Hadr. Valeſius: qui Vitalem quoque de conditore corrigit, unam ex vetuſtiſſimis Galliarum urbibus, à Gallis multò ante Jul. Cæſarem extructam eſſe oſtendens. Caput Veliocaſſium, & Caletorum, in *veter. Notit.* provinciæ Lugdunenſis ſecundæ primaria, cùm potiùs Belgicæ adſcribenda eſſet, utpote ad dextram ripam Sequanæ poſita, quò flumine à Belgis Gallos dividi Julius Cæſar, *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 1. & Geographi docent. Jam ſub Theodoſio M. celebris, ſitu ſupra aliàs Galliæ urbes inſigni. Non procul à mari ab una parte, ab altera Sequanam, ut dictum, habet, navium magnarum patientem. Emporium proin celeberrimum. Sedes olim Ducum. Monaſterium veterrimum SS. Petri & Pauli, poſteà S. Audoëni, à ſepulto ibi Epiſcopo dictum, & puellare cœnobium S. Amandi, quæ olim extra muros, pòſt prolatô pomœriô, mœnibus ſuis hodie complectitur. Ex portis ejus, Caletica dicitur, *la porte Cauchoiſe*, quæ pagum Caleticum ſpectat; Bellovacenſis, quæ Bellovacos ducit. Amphitheatrum olim ſuum habuit, cujus ut & Caveæ veſtigia clara adhuc ſuperſunt. Tria hic loca munita ſcribit Alanus Carterius, Palatium, arcem ſeu Caſtellum, quod à ſitu & monaſt. Abbatiali S. Catharinæ Mons vocatur, item munimentum S. Catharinæ, & Pontem. Baſilica S. Martini ſuper muros civitatis ligneis tabulis fabricata, quæ Meroveo & Brunſchildi inceſtæ perfugium, ſub Chilperico, præbuit, A. C. 575. hodieque Baptiſmalis ſeu Parœcialis Eccleſia eſt, muris urbis etiamnum proxima, ad Marronam ſeu Renellam amniculum, vulgò *la Cure de S. Martin ſur Renelle*: præter quàm & Parœciæ S. Laudi & S. Johannis ſuper Renellam ibidem ſunt. 125. habet vicos, quorum aliqui ſupra modum egregii. Præſulem primum Nicaſium habuit, Diœceſis ejus ampliſſima eſt & tertiam minimùm partem Nortmanniæ complectitur: ab Ortu Iſarâ, ab Occaſu Oceanô, à Septentrione quoque magna ex parte, inſuper Aucô flum. & Albamarlâ: à Meridie Sequanâ terminata, ſic tamen ut ad 2. aut 3. leuc. à Rotomago Sequanam tranſeat, uſque ad Riſelam amnem, Burgum Theroldi *Bourgtheroude*, & Pontem Audomari Brioniamque *Brioſne* continens. Includit finibus ſuis à Ponte Audomari ad Angam, vel à Brionia ad Albam Marlam parœcias 1388. Principatum unum Ducatus tres, Marcas complures, ſex ſub ſe Archidiaconatus, Rotomagenſem, Angenſem, majorum Caletorum, Velocaſſium Francicorum, Velocaſſium Normannicorum, & minorum Caletorum: Comitatus ſeptem, Abbatias 31. in quibus eminent Fiſcamnus, Fontanella, Gemeticum, Beccus, S. Petri vel S. Audoëni Rotomagi. Monaſteria utriuſque ſexus 24. In templo ejus præcipuo Campana viſitur, dicta *la George d'Amboize*, ex totius mundi maximis. Portu gaudet celebri, ſed imprimis admirandô ponte, quô Sequana jungitur, ex navibus conſtante, qui æſtu accedente & recedente, ſurgit & deſcendit. Parlamentum hic inſtitutum, A. C. 1286. à Philippo Pulchro; fixum autem & perpetuum redditum eſt, à Ludovico XII. A. C. 1499. precibus Cardinalis Amboſiani. Interim & varias calamitates inclyta hæc urbs diverſis temporibus ſenſit. Horribili arſit incendiô, A. C. 1019. Capta eſt à Normannis, A. C. 841. ab Anglis A. C. 1418. recepta à Carolo VII. A. C. 1449. Iterum à Reformatis, bellô inteſtinô, occupata, ſed recuperata & direpta eſt, A. C. 1562. ſub Carolo IX. mortuô Antoniô Borboniô Navarræ Rege, vulnere in obſidione ejus lethali acceptô: Denuo Ligiſtis, in quorum poteſtatem venerat, ab Henrico magno erepta eſt, A. C. 1594. poſtquàm illam fruſtrà tentâſſet, A. C. 1593. Mare *Rotomagenſe* id vocatur Fortunato, *l.* 6. *carm.* 7. *de Geleſvintha*, in quod Sequana effluit:

Pervenit, quâ ſe piſcoſô Sequana fluctu
In mare fert juncto Rotomagenſe ſinu.

Talepied. *Antiq. Rotomag.* Job. Dadræus, & Job. Prævoſtus, *de Arch. Rotomag.* Job. Nagarellus, *deſcr. Normanniæ.* Ducheſnius, *Antiq. Urb.* Sincer. *Itin. Gall.* Papyr. Maſſon. *de flum. Gall.* &c. De Senioribus hujus urbis vide in voce *Seniores.*

Pagi Diœceseos Rotomagensis.

Augenſis, *le pays d'Eu.*	Rodomenſis, *Rommois.*
Brajum, *Bray.*	Tellau, *le Talou.*
Caleticum, *le Caux.*	Veliocaſſinus, *le Vexin. &c.*

Oppida clara.

Alba Marla.	Giſortium.
Andelejum.	Gornacum.
Auga.	Magniacum.
Brangiacum.	Meſſentum.
Briva Iſaræ.	Monaſterium Villare.
Caldebeccum.	Novum Caſtellum.
Calvus Mons:	Pons Audomari.
Deppa.	Portus Gratiæ.
Elbodium.	Quellebodium.

ROTULA, *us*, & *um*, tabulæ publicæ, è quibus actus & reſponſa Curiarum recitantur: imo & alia quævis pagina, quæ *rota* inſtar involvitur: à quo Romanis *volumen* dicitur. Item Matricula, Catalogus &c. Angl. *a roul*, Germ. *Rodel.* Fuit quidem Romani moris forenſia geſta codicibus mandare, ſed inclinatô jam Imperiô, *Rotulorum* uſus reperitur inter inſignia Magiſtratuum, in utriſque Notitiis. Vide Ingulphum Saxonem in voce *Domeſdei*. Hincmarum *Epiſt. ad Nicol. P. P.* Flodoard. *l.* 3. *c.* 14. *&c. Rotulus Wintoniæ* apud Anglos dicta eſt illa Angliæ deſcriptio, quæ ab Alvredo Rege facta aliàs *Domeſdei* eſt appellata: Wintoniæ enim illa tum repoſita fuit; inter cœtera regni ſcripta & monimenta. Henr. Spelmannus, *Gloſſ. Archæol.* Reperitur item *Rotulus Cancellariæ*, apud Bractonum & Lambertum, *de antiq. Curiarum.* Idem: Hinc *Magiſter Rota*, hodieque in aula Pontificia, dignitatis nomen. Vide & voce *Rotulus.*

ROTULA, vel ſphærula, à *rotunditate*, Inaurium ſpecies (Hebr. עגיל) nomen accepit, veluti teres quoddam ornamentum, ut Numer. *c.* 31. *v.* 50. & apud Rabbi Dav. *in lib. Radic.* notante *Mercerô.* Sic & apud *Pollucem* βοτρύδια pro Inaure. Aurium verò fuiſſe ornamentum, liquet ex Ezech. *c.* 16. *v.* 12. Et *ornavi te ornamentô, & dedi Inaurem ſuper os tuum &* Rotulas *auribus tuis & coronam decoris in capite tuo.* Ex *Rotulis* iſtis vel Circulis auri perforatæ inſertis, margaritæ dependebant; de quo eruditè differentem vide Caſp. Bartholinum, *l. de Inauribus Veterum.*

ROTULA Ludicra, vide infrà *Trochus.* Arnobius in Corybantum Sacris, præter talos, ſpeculum, turbines & teretes pilas, *rotulas* quoque *volubiles* memorat, velut Jovis παίγνια, *adv. Gentes*, *l.* 5. ex *Protreptico* Clementis Alex. quem vide.

ROTULUS, apud infimæ Latinitatis Auctores, eſt ſcapus chartarum, h. e. chartæ in volumen corrotundatæ: ex voce *Rutulus. Rutulus* autem erat baculus rotundus, quô cumulus menſuræ derui & exæquari conſuevit. *Gloſſa*, *rutulum* exponunt ἀπαψήκτιον. *Corrippus*,

Et coit in rutulum.

Regulam etiam appellârunt, unde verbum ἀπαιργλῶ, apud *Heſychium*, *menſuram exæquare.* A ſimilitudine *rutuli* itaque, ſcapum chartarum etiam *rutulum* vocârunt, chartam videl. in rutulum convolutam; quæ ob eandem rationem *ſcapus* quoque, item

item *regula* dicta est. Græci recentiores *εἰλητάριον*, Latini *volumen*, Galli *un rouleau* vocant; à qua voce iidem *roolle* dicunt, unde & *Contrarotulator*, *Ἀντιγραφεὺς* &c. Salmas. *ad Vopisc. in Firmo*, *c.* 3. Cujusmodi chartarum volumina, cùm, inter insignia Magistratuum, in utriusque Imperii *Notit.* conspiciantur, inde colligit Car. du Fresne, eâ tempestate obtinuisse, h. e. circa tempora Theodosii Junioris, in quæ Acta Judiciaria referebant, licèt etiam codicibus, qui hic effinguntur, uterentur. Sic *cum rotulis* vel *libris* Prophetas & Apostolos depingi solere, ait Durandus, *Ration. l.* 1. *c.* 3. *num.* 11. Vide quoque in voce *Rotula*. In Ecclesia Romana hodieque *Rotulus* dicitur, scheda, seu index, in formam voluminis complicatus, in quo Magister Ceremoniarum, omnes ceremonias in aliqua functione observandas, annotare solet. Item scheda, quam Collegii Cardinalium Computista, ad singulos Cardinales mittere solet, in quo notatæ sigillatim portiones, in distributionibus ad quemque eorum pertinentes. Vide Macros Fratres, *in Hierolex.* &c. Sed & *Rotulum* pro libro dixit Baldricus Burgul. Abbas, *Histor. Franc. Tom. IV*:

In Rotulo *multi cum sollicitudine quadam*
Dicendi seriem semper metantur ab Adam.

Etiam pro Epistola, Idem,

Venit ad extremum Rotulus *de Principe magno.*

Quæ notiones impropriæ sunt & tralatitiæ. Vide præfatum Car. du Fresne *in Glossar.* it suprà *Rotula*.

ROTUMNA, aliàs ROTONNA, fluv. Galliæ, nunc *Retourne*: à colore aquarum, aut potiùs à rubore arenæ suæ dictus. Ejus meminit Frodoardus, *in Hist. Eccles. Remensis.* Alluit Villam super Rotumnam *Ville sur Retourne*, Genevillam seu Janivillam *Jenville*, Novam Ecclesiam, *Neuvelise*, Castellum, *le Chastelet*, Scalam, *l'Estaille*, Salicem S. Remigii, *Saux St. Remy*, vicum ad Remense Monaster. S. Remigii cum Villa super Rotumnam pertinentem; Pauli curtem, *Poilcour*, ac Briennam: atque ad Novum Castellum in Axonam decurrit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

ROTUNDA Figura, uti omnium reliquarum capacissima, ita & perfectissima est: proin aliæ eò capaciores, quòd ad *rotundam* propiùs accedunt. Hinc facilè apparet, cur cœlum cœlestiaque corpora; item elementa & mixta, uti plantæ ac animalium membra, testæ etiam cochlearum, *rotunda* sint figuræ. Cur item animalia pleraque opera sua faciant *rotunda*, vel figurâ ad eam proximè accedente: ut aves nidos suos, araneæ telas; & apes hexagonâ figurâ cellulas suas figurant. Interim, sicut exquisita rectitudo, ita perfecta *rotunditas* in nulla re est. Licèt enim Aristoteles, *de Animal. l.* 3. *textu* 13. lineam rectam sphæram æneam in puncto tangere dicat: ut non est in rerum natura ulla sphæra, quæ solum tangat *κατὰ στιγμὴν*, seu *in puncto*, verùm semper parte aliquâ quæ superficiei subjectam lineam planam attingit; quemadmodùm Geometris objiciebat olim Protagoras, apud Aristotelem, *Metaphys. l.* 3. *c.* 2. &c. Verùm, *quam non est cernere oculis corporis, hanc Mathematicus, ope abstractionis, videt oculis mentis*, Vossius, *de Scient. Mathemat. c.* 1. §. 10. Et hinc est, quòd in rebus plurimis in perfectionis symbolum *Rotunditas* assumta sit, in Templis, Pileis Doctoralibus, aliisque. Uti enim de *Pileis* aliquid aspergam, licèt Pilei, Doctoribus in Academiis imponi soliti, apud nonnullos quadratæ figuræ sint, ut suprà vidimus, *Rotundum* tamen suô tempore fuisse, notat Petrarcha *de Remed. dial.* 12. *l.* 2. quod similiter de suis Cadomensibus, scribit Petrus Lenaudiere, *tr. de privil. Doctorum part.* 1. *quæst.* 3. ubi hanc tradendi Pilei formulam refert: *Accipite Biretum* rotudum, *ad modum corona, in signum sanctitatis & veritatis ac doctrinæ, ut tales sitis in mente, quales fueritis in conversatione, nec à docendo cessaveritis, quia non coronabitur in regno cœlorum, nisi qui legitimè certaverit.* Vide Anselm. Solerium, *de Pileo, sect.* 10. & suprà *Pileus*. De *rotundis* Mensis, vide suprà *Delphica*, item *Mensa rotunda*: de *rotundis* Vestimentorum generibus, qualia fuêre Toga, Pænula aliaque, vide Octav. Ferrarium, *de Re Vestiaria*, & suprà, ubi de *Quadrato* actûm, ut & hic infrà. Sed & *rotundis* Navibus, antequàm Iason longas excogitâsset, Veteres usi sunt: ideoque illarum pluribus nomina à rotundis vasis imposita legimus, quales erant *Γαυλοὶ*, *Κάδιτοι*, *Κύμβαι*, *Κελέβαι* & aliæ id genus. Vide Anton. Thysium JCtum, *Notis in A. Gell. l.* 10. *c.* 25. uti de aliis huc facientibus, suprà in *Circuli*.

ROTUNDÆ, locus Galliæ ad Axonam, vulgò *Rotonde*, 144. stadiis ab urbe Suessionum, densissimis saltibus altrinsecus stipatus: Cotiâ videlicet & Lisicâ, in quo Cœnobium Drausius Episcopus Suessionum exstruxit: à forma Latinum cognomen nactus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

ROTUNDULUM & ROTUNDELLUS, Gall. *Rondeau*, genus vestis, in orbem desinentis; cujus usu Monachis interdictum, à Benedicto XII. legitur, *in Constitutionibus ejus*, *c.* 23. Olim *Cyclas*: aliter *Rondellus*, vide quoque suprà in voce *Cloca*.

ROTUNDUM Vestimentum, Veteribus dicitur, quod angulos non habet; significat autem *angulus* in veste partem extremam vestis, ubi aperta est, quæ in acumen desinit, tam in ima vestis ora, quàm in summa, cujusmodi anguli in vestibus quadratis conspicui. Quæ itaque circa imas oras apertæ non erant, sed, undique conclusæ & commissæ, hujusmodi angulos non habebant, *rotundæ* propterea dictæ sunt, Græcis *κυκλωτικαί*. Quales olim fuêre mulierum cyclades, quas nunc *Zupas* Galli vocant. Sunt enim planè plenéque rotundæ & nullum habent angulum, quia undiquaque per extremum ambitum sunt clausæ. Talis itidem fuit Toga Romanorum, quam proin *Pallium teres* vocat Tertullian. *de Pallio*. Hæc nullum angulum in imo habebat, sed cohibili circumcirca remeans ambitu & clausa undique, omnia corporis contegebat. Quam quadratarum & rotundarum vestium differentiam, disertè docet Ammonius, ubi vestimentum, quod *περὶ τὰ κάτω συνῆπται*, i. e. *circa extimam oram undique circumclusum est*, quadrangulo amictui opponit &c. Cùm igitur angulis nullis istiusmodi vestimenta constarent, hinc nec alas habuêre, de quibus suprà diximus. Vide quoque in voce *Pterygia*; & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 1. *p.* 2. Aliàs *Rotundum* Latini pro *globoso* & *σφαιροειδεῖ* usurpârunt, à *rota*; quod nempe ab omni parte undique rotundum est. A quo diversum id, quod *teres* dicitur, hoc enim propriè significat in oblongo rotundum. Plinius de cupresso, *l.* 16. *c.* 33. *gracilitate perpetuò terete*: à verbo *tero*; denotat enim *τὸ ἐν τόρνῳ στρογγύλον*, *quod tornô tritum ac rotundatum est.* Unde *teretia ligna*, *teretes cupressi*, *ramiteretes* &c. Quæ duo proin etiam Horatius distinguit, cùm de viro bono ait, *l.* 2. *Serm. Sat.* 7. *v.* 86.

——— *in seipso teres atque rotundus*, &c.

Vide Salmas. eundem *ad Solin. p.* 713. ut & suprà: sicut de more Veterum omnia sua oppida *in rotundo* commœniendi, eundem Salmas. *ibid. p.* 15. nec non hic passim.

ROTUNDUS Mons, vulgò *Remmont*, oppid. vel castellum Helvetiæ, in rotundo monte situm, cum titulo Comitatus: in hoc Castrum est Murtena, à Conrado Imperatore A. C. 1033. hyeme frustra obsessum, *Murten* Helvetiis, Gallis *Morat*, prope lacum Moratensem: sed A. C. 1034. cum Geneva, & Lugduno in potestatem ejus redactum est, expulsô Odonis Campaniæ Gall. Comitis præsidiô: posteà Caroli Burgundionum Ducis clade inclaruit. Vide *Moratum*. Item castrum Galliæ, in Biturigibus Cubis, munitum admodùm & validum, hodie *Montrond*, & corruptè *Mouron*: in monte rotundo, Cari ripis imminenti, à Ludovico XIV. Galliæ Rege ne latronibus receptaculum præberet, ante aliquot annos, dirutum. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

ROVERITUM Nemus, silva pagi Parisiaci, ad Sequanam, quæ vicum Rotulum, *le Roule*, ab Oriente proximum habet, ab Occidente Sequanam: A robore, quô abundabat, corruptè ex *Roboretum*. Olim *la Forest de Rouvray*, hodie à duobus vicis ei adsitis, modò Silva St. Chlodoaldi, *la Forest de S. Cloud*; modò, idque sæpiùs, Silva Bononiensis, *le Bois de Boulogne. Idem.*

ROVESIUM, Velaunorum oppid. in Gallia Aquitanica, *Ptol.* *S. Flour*, Villanovano.

ROVILIASCUM, oppid. Pedemontii.

ROVINIUM, oppid. Istriæ, in ora sinus Veneti, cum portu, 20. milliar. à Pola in Circium. Sub Venetis.

ROWSEUS Johannes, vide *Johannes*.

ROXANA, an Oxyartis, an Darii filia, Alexandri concubina, quæ cùm prægnans esset, à sorore Satura in puteum demersa est, quòd eam præcipuè honoribus Macedones cumularent. Plut. *in Alex.* Justinus verò à Cassandro Macedoniæ regnum affectante, simul cum filio Alexandro, interfectam vult, *l.* 15. *c.* 2. Vide Curt. *l.* 8. *c.* 4. *l.* 10. *c.* 6. Arian. *l.* 4.

ROXANI, popul. cujus satrapam Gaurum 300. annis vixisse scribit Plutarch. *de flum.* circa Tigrim fluv.

ROXICUM, Corsicæ civitas, *Ptol.* vulgò *Rogebo*.

ROXOLANI, qui *Rossi Cedreno*, *Bastarna* Tacito, *l.* 2. *Annal.* *c.* 65. & *German. c.* 46. teste *Willichió*, populi Sarmatiæ Europææ quorum regio *Ruthenia*, & *Russen* in regno Polonico, inter Poloniam minorem ad Occasum, & Podoliam ad Ortum, inter Daciam ad Meridiem, & Lithuaniam ad Arctos. Ejus metropolis *Leopolis* dicitur *Sansoni*, ubi hodie pars Septentrionalis Tartariæ minoris, & pars quædam Moscoviæ Meridionalis versus Ucraniam seu confinia. Vide & *Brittium*.

ROYANUM, oppid. Santoniæ, aliàs munitum, nunc disjectum, ad æstuarium Garumnæ, 14. leuc. à Brosgio in Meridiem, infra Blabiam in Circium. Hic argentifodina ferax, *Mersel.*

à ROYAS Johannes, Iuris utriusque Licentiatus, Inquisitor hæreticæ pravitatis Valentinus, scripsit *de Hæreticis eorumque impia intentione & credulitate.*

RP. in nummis Constantii Chlori & Constantini M. *Roma percussa.* RPS. in Magnentii, *Roma pecunia signata.*

RS. in Licinii & Nepotiani, *Roma signata*: RSLC. in Juliani, *Pecunia signata Lugduni.*

RT. in Constantii, *Roma signata*, notat Car. du Fresne *de Numism.*

RUA, seu FANUM *S. Spir.* oppid. munitum Picardiæ, in Pontico tractu, intra paludes, ad Moyum amnem, 1. leuc. ab ostio Somonæ in Ocean. Britannic. 4. ab Abbavilla in Boream.

RUARDUS Tapperus, Enchusâ Hollandus. Lovanii Theologiam docuit, Universitatis Cancellarius, Concilioque Tridentino interfuit. Redux inde, obiit Bruxellis A. C. 1559. ætat. 71. Bibliothecâ suâ Academiæ, bonis inopi turbæ legatis. Hic, Inquisitionis in Belgio munere functus, Reformationi jam A. C. 1521. erumpenti, quâ potuit restitit: Sed fidelium scripta adeò ineptè Monachi refutabant, ut ipsi occasionem à Papatu deficiendi prolixiorem præberent. Proin Præses ad Tapperum, *quarum hæresium*, inquit, *lectione nos interdicimus, eas vos in libris vestris privilegiis munitis*: Respondenti huic, *addi à se refutationes*: Regessit, *Lectores in adversariorum argumenta intentos, aut oscitantiùs refutationes legere, aut non satis intelligere*, minùs solidas esse dicere non ausus. Lætus *in Compend. Hist. Univ.*

RUA-

RUARIUS, in Æde Collegiali S. Quintini in Viromanduis, Galliæ regione, officium fuit, cui ista Ædis pars commissa videtur, quam *Rugam* seu *Rue* vocabant, vestibulum videl. Presbyterii seu Bematis. quod plateæ inter Presbyterium & Chorum formam referebat. *Ryers* certè, in aliquot *Consuetudinibus* Belgicis iidem sunt, qui aliis *Vojers*. quibus scil. viarum seu *rugarum* jurisdictio competit. *Inter Canonicos sortem invenisse*, i. e. in Canonicorum Collegio sedem habuisse, auctor est Hemereus *in Augusta Viromanduor. ann.* 1260. Quod officium à Capitulo primò conferri consuevisse, constat ex *Bulla* Clementis IV. apud Eund. Vide Car. du Fresne *in Glossar.*

RUBÆUS Hieronymus, vide *Hieronymus Rubeus.*

RUBEÆ, promontor. cujus Plin. *l.* 4. *c.* 13. meminit. *Mercatori* Livoniæ promuntorium est ad mare Balticum, *Dagerort* nomine. *Becano* autem Scandinaviæ promuntor. Septentrionale est versus Boream ultimum, quod hodie *Wardhuis* vocant. Idem scribit à Plinio *Duarma* dici. Hodie *Nort Kaep*, in Lapponia, maximè ad Boream, juxta Oceanum Septentrionalem *Saulo*, *Briet.*

RUBEAGUUM, vulgò RUFACH, antiquissimum Alsatiæ superioris oppidum: nomen ei impositum ferunt à fluviolo *Ombach*, qui ab aqua, ex alvei colore rubra apparente, *Rotbach* olim dictus fuit: oppidum ipsum magnificis primùm ædificiis ac duplici suburbiò extructum, Romanæ nobilitatis diu hospitium, ab eisque, ob soli fertilitatem, omniumque rerum humano usui necessariarum copiam, ad annos ferè 500. inhabitatum fuit. *Metel. Mercat.* Patria fuit Conradi Pellicani, &c. 2. leuc. à Mulhusio in Boream, 3. à Brisaco. *Rufiana* olim.

RUBELLIUS Blandus, cujus Pater Consularis, avus Tiburs eques Roman. Juliam Drusi filiam, quondam Neronis uxorem, Ser. Galbâ, L. Sullâ Consulib. in matrimonium accepit. Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 23. 51. *l.* 6. *c.* 27. & 45.

RUBELLIUS Geminus, An. Urb. Cond. DCC XXXII. cum Fusio Gemino Consul. Vide & *Cajus.*

RUBELLIUS Plautus Rubellii Blandi fil. L. Veteris gener, per maternam originem pari ac Nero gradu à D. Augusto distans. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 19. Effulgente Comete & inde vulgò mutationem ominante Imperator omnium ore destinatus est. Quare Nero eum in Asiam removit, ut in avitis agris tutâ & inturbidâ juventâ frueretur, *l.* 14. *Annal. c.* 22. Verùm instinctu C. Ofonii Tigellini à Nerone jussus est mori, P. Mariò, L. Asiniò Consulib. Ibid. *c.* 57.

PATRIARCHA.

RUBEN, primogenitus Jacob, ex Lea uxore, cùm quasi aqua, quæ vasculò non continetur, voluptatis effusus esset impetu, & cum Bala, patris sui concubina, stupri commercium habuisset, perdidit ordinem nativitatis suæ, regnum scilicet & sacerdotium, quod primogenitis jure debebatur, in fratrum tantùm manens numero: procedente verò tempore ita progeniem suam auxit, ut de tribu ejus, apud montem Sinai, recensiti & inventi, viri bello apti, quadraginta sex millia, quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filii quadraginta tria millia & 730. ultra Jordanem versus Austrum, pro sua possessione acceperunt, in regione Moab, terram, optimis herbis uberem, pascendisque gregibus commodam.

RUBEN Tribus, una ex 12. Israëlitarum, inter Jordanem fluv. & mare Mortuum ad Occasum, Arabiamque Petræam ad Ortum, inter eas, quæ trans Jordanem, Australissima.

PICTORES ET VIRI INSIGNES.

RUBENIUS Petrus Paulus, Pictor famosus seculi hujus. Antverpiæ natus est, A. C. 1577. Discipulus Octavii Van Veen Leidensis, qui Duci Parmæ & Archiduci Alberto ministrabat, brevi insigniter profecit. In Italiam dein profectus, Mantuæ, Romæ, Genuæ, Venetiis inclaruit: imitatus, in harum ultima, Titianum inprimis, Paulum Veronensem & Tintoretum. Reversus in patriam, ea artis suæ specimina exhibuit, quæ Famam ejus longè latéque dispergerent. A Maria de Medicis, à Philippo III. Hispaniæ Rege, &c. sæpè adhibitus. Obiit A. C. 1640. relictò filiò Albertò, Sanctioris Consilii Flandrici commentariense. Scripsit de arte sua opus, Antverpiæ editum, A. C. 1622. Epitaphium sic habet:

Ipsa suos Iris, dedit ipsa Aurora colores,
Nox umbras, Titan lumina clara tibi.
Das tu Rubeni vitam, mentemque figuris,
Et per te vivit lumen, & umbra, color.
Quid te, Rubeni, nigrò mors funere volvit?
Vivis, vita tuò picta colore rubet.

Ex ejus schola, inter alios, prodiit Antonius Van Dijck, &c. Joh. Per. Bellonius, *vita pictor. modern.*

RUBENIUS Philippus, fil. Johannis Senatoris Antverpiensis, prioris frater, JCtus eximius, Reip. patriæ à Secretis, scripsit *Electorum libros II. Poëmata varia, Epistolas, B. Asterii Amasai Episcopi Homilias ex Græco Latinè vertit*; Obiit A. C. 1611. ætat. 37. insigni elogiò à Justo Lipsio honoratus, quod vide apud Franc. Sweertium, *Athenis Belgicis*, & Paulum Freherum, *Theatrò Viror. Claror.*

RUBER Color, modestiæ & ingenuitatis, sicut pallor impudentiæ, signum, vide suprà *Pallidi*: in Circi factionibus olim insignis; quem enim nonnulli *coccinum*, alii *russatum*, eum Sidonius Apollinaris simpliciter *rubentem* vocat, uti vidimus suprà in voce *Rosa*, Idem in vestitu olim Imperatorum ac Ducum, calceis item Patriciorum, obtinuit, ut visum in vocibus *Pileus*, *Purpura*, item *Mulleus*. Pilei *rubri* usum, etiam antequàm Cardinales purpurâ donarentur, ab Innocentio IV. in Concil. Lugdunensi A. C. 1245. in Ecclesia Romana, & quidem initiò omnibus Episcopis communem fuisse, sunt qui tradant. apud Anselm. Solerium, *de Pileo sect.* 13. In quibusdam quoque Academiis Pileum Jurisconsultorum *rubrum* esse, eò quòd adsint Regibus & Principibus terræ, quorum præcipuum ornamentum purpura est, notant Middendorpius, *de Academ. l.* 1. *c.* 13. & Maxim. Sandæus, *in Theolog. Jurid. Comment.* 50. Apud Nicetam Choniatem, *Histor. Alex. l.* 1. datis purpureis calceis designatus hic Imperator: similiter apud Niceph. Gregoram, *l.* 4. Irene Alexii filia, quia destinata hæres Imperii fuerat, *rubros* inducere jussa est. Sic & literæ *rubrò* sigillò ac sericò munitæ, & conchæ sanguine pictæ, Imperator. Constantinopolitanorum propriæ fuére, uti idem Choniates *de gest. Manuel. l.* 1. refert, cui adde, si placet, Georg. Logothetam *in Chron. Constantinop.* Ipsos domesticos Imperatorum, ut spectare ad eorum familiam agnoscerentur, *clavò purpureò vestem maculâsse*, affirmat S. Dorotheus, *doctr.* 1. Vide quoque suprà *Passio*, *Phylacteria*, *Pudor.* Cœterùm his gradibus *rubrum colorem*, Græcis vocabulis, percensuit A. Gellius, *l.* 3. *c.* 9. ξανθὸν, ἐρυθρὸν, πυῤῥὸν, φοίνικα, quem postremum vigore & exsuperantiâ rubri coloris cœteris omnibus præstare innuit. Vide suprà, ubi de colore *Puniceo.* In Arte Heraldica *gulam* vocari, dictum suò locò.

RUBERE, pro *eximiè candere.* Vide infrà *Rutilare.* Apud Senecam, *Hippolytò*, *v.* 788. ubi de Luna,

Et nuper rubuit ——

indigitatur Veterum superstitio, qui Lunam magicò carmine sollicitatam rubore suffundi existimârunt; vel ob magarum imprudentiam & scelera; vel laborantem, vi carminis. Horat. *l.* 1 *Sat.* 8. *v.* 35.

—— —— *Lunamque rubentem,*
Ne foret his testis post magna latere sepulchra.

Sed & in defectu idem illi à veneficiis evenire putabant; qua in re tam superstitiosi Athenienses, ut eos, qui veram eclipseos causam afferebant, vivos exusserint, teste Plut. *in Pericle*, ubi hanc in rem multa. Meminit ejusdem *ruboris* Papinius, *l.* 1. *Theb. v,* 105.

—— *qualis per nubila Phœbes*
Atraciâ rubet *arte labor* ——

Tuendæ igitur Lunæ, quosdam tinnitum dedisse, alios clangorem tubarum adhibuisse, nonnullos copiosò fletu Lunam prosequi solitos, legimus apud Auctores passim. Vide quoque infrà voce *Tinnitus*, it. *Vince Luna.*

RUBEUS Joh. Antonius, vide *ibi.*

RUBEUS mons, vicus suburbanus pagi Parisiaci, Gall. *Mont-Rouge.* Item locus Gall. non procul à Sinemuro, vulgò *Regement*: à situ & colore soli dictus, Hadr. Vales. *Notit Gall.*

RUBI, urbs Apuliæ Peucetiæ, inter Canusium & Barium, Horat. *in Hodœporico*, *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. *v.* 94.

Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter. —— ——

Hinc, *Rubeus.* Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 266.

Nunc facilis Rubeâ texatur fiscina virgâ.

Ita *Servius*, nec ineptè, videtur enim Poëta voluisse conjungere duo oppida Italiæ. Alii tamen volunt vocem à *rubo* denominatam, quem fruticem inter vitilia enumerat Plinius; facilè enim flectitur, & apta est texendis fiscinis. Hodie Episcopalis est, sub Archiepiscopo Barensi, in regno Neapolitano. *Nic. Lloydius.*

RUBIA, à Græco Auctore, apud Salmas. *ad Solin. p.* 1165. cum radicula Syriaca, ex qua mulieres olim genis rubro fucandis medicamentum conficiebant, confunditur; cùm & ipsa tingat: sed diversam ab illa esse, habet *d. l.* Vide quoque suprà in voce *Radicula.* Est autem *Rubia*, Græcis veterib. ἐρυθρόδανον καὶ ἐρευθέδανον; recentioribus ἀλυξίδιον καὶ λυξίδιον; infimæ Latinitatis Auctoribus *Varantia*, pro *Verantia*, quòd ejus radix verò colore, h. e. rubrò, inficiat. Prisci enim Latini *verum colorem*, de rubro & coccineo dixêre, ut Græci ἀληθινόν. Hinc Myrepso *Rubia* τὰ ἀληθινὰ βάπτει, & apud veterem Interpretem Aristotelis *Rhetoricorum*, ῥάκος ἀληθινὸν, *pannus ruber* est. Inde ergo *verantia*, tinctura verantis (namque & hoc verbum, pro ἀληθινοῦν occurrit, apud veterem Poëtam) vel veri coloris, de *Rubia* tinctura. Hodie *Garantiam* hunc colorem vulgus Infectorum vocat. Vide eundem, *p.* 1152.

RUBICON, fluv. in octava Italiæ regione, in Apennino monte nascens, & inter Ariminum & Ravennam in mare Adriaticum influens, antiquus Italiæ & Galliarum terminus. Lucan. *l.* 1. *v.* 213.

Fonte cadit modicò, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cùm fervida canduit æstas,
Perque imas serpit valles, & Gallica certis
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.

M. Tullius, *Philippicâ* 6. *Flumen Rubiconem, qui finis est Galliæ.* Apud ortum *Rugon*, inferiùs verò *Pisatello* vocatur. Vide Cluver. *Ital. Antiq. p.* 296. *Nic. Lloydius.* Hunc cùm armis exercituque transire, nefas fecit Lex vetus Senatus Populique Rom. morte piandum, proin Cæsar Remp. invasurus, cùm è Galliis ad flumen

men cum copiis accessisset, aliquandiu anceps hæsisse, donec ostentô spectri, classicum ad ripam canentis, incitatus pergeret, legitur apud Sueton. qui hac de re sic. c. 31 inquit: *Consecutus cohortes ad* Rubiconem *flumen, qui provinciæ ejus finis erat, paulum constitit; ac reputans, quantum moliretur, conversus ad proximos; & etiam nunc, inquit, regredi possumus: quòd si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt. Cunctanti ostentum tale factum est. Quidam eximiâ magnitudine & formâ in proximo sedens, repentè apparuit, arundine canens: ad quem audiendum quum plurimi ex stationibus milites concurrissent, interque eos & æneatores, raptâ ab uno tubâ prosilivit ad flumen, & ingenti spiritu classicum orsus, pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, eatur, inquit, quò Deorum ostenta & inimicorum iniquitas vocat: Jacta est alea; atque ita trajectô exercitu, adhibitis Tribunis Pl. qui pulsi supervenerant, pro Concione fidem militum flens, ac veste à pectore discissâ, invocavit & quæ seqq.* Pro qua liberatione, à trajiciendi fluminis metu, contra publicum Patriæ decretum, lucernam Opt. Max. Jovi sacravit, in qua gestorum exhibuit icones, utrinque tubâ canentem cum tripudio Nympharum efformans, cum Inscr. L. G. I. C. I. C. I. O. M. S. quam sic exponit Licetus. *Lerna. Classico. Imperator. Cajus Julius. Cæsar. Jovi. Optimo. Maximo. sacravit.* Quidam Legem illam contra Cæsarem à Senatu latam, descriptam in marmore suprà columellam erectô, prope Rubiconem fluv. hisque verbis, ut Gruterus descripsit, conceptam fuisse, referunt ex Blondo: *Jussu. mandatuve. P. R. Cos. Imp. mil. tyro, commilito, manipularisve. Cent. turmæve. Legionaria. armat. quisquis. es. hic. sistito. vexillum. sinito. nec. citra. hunc. amnem. Rubiconem. signa. arma. ductum. commeatum. exercitumque. traducito. si. quis. hujusce. jussionis. ergo. adversùs. ierit. feceritve. adjudicatus. esto. hostis. P. R. ac. si. contra. Patriam. arma. tulerit. sacrosque. Penates. è. penetralibus. asportaverit. sanctio plebisci. Senatusve. consulti. ultra. hos. fines. arma. proferre. liceat. nemini. S. P. Q. R.* Cæsenæ, ad secundum lapidem in ripa *Rubiconis.* Sed & Gruterus, cum aliis, non paucis ac, ut ipse dicit, cum Senatu Critico sententiæ melioris, in quam ivit etiam Cluverius, *l. 1. c. 28. Ital. antiq.* Inscriptionem istam adulterinam suspicatur ac supposititiam. Vide Fortun. Licetum, *de Lucernis Antiqq. l. 6. c. 2.*

RUBIGO, vide ROBIGO, Dea apud Romanos, cujus lucus erat in Latio prope urbem Romam. Ovid. *l. 4. Fast. v. 907.*

Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat.

RUBIGUS, vide suprà *Robigus.*

RUBINUS, quibusdam *Robinus*, Gallis *Rubis*, Italis *Robino:* Salmasio, *ad Solin.* ubi de hyacintho, est hyacinthus Veterum, ex eorum genere, quos Græci *ἰώδεις* vocabant, unde ei & nomen. Idem ἐξ *ἀνθράκων*, i. e. *ardentium gemmarum*, quæ ex India mittuntur, genere *Rubinum* esse, ait, *Ibid. p. 1093.* Profert autem optimæ notæ *rubinos* Insula Ceilana; minoris pretii Calicutum, Corea, Cambaja, Bisnagaria. Vide suprà, ubi de *Commerciis, Gemmis*, voce *Naxiwus*, & Sam. Bochart. *Hieroz. Parte Poster. p. 719.*

de RUBIONE, Guillielmus, vide *Guilielmus.*

RUBIUS Claudius, vide *Claudius.*

RUBO, Sarmatiæ Europææ fluv. per Livoniam fluens ac mare Balticum ad Rigam urbem subiens. *Ptolem. Duna*, vel *Duna*, teste *Peucerô. Baudrando Dwina*, seu *Dzwina*, fluv. amplus. Oritur in Moscovia Occidentali vix 4. leuc. à fonte fluv. Rha. Dein per Lithuaniam fluens, ibi Vitepscum & Poloskam Urbes rigat; auctusque Oboli, Drissa, Dziesnâ fluviis aliisque minoribus per Livoniam labitur, juxta Duneburgum & Kakenhusum: tandemque prope & infra Rigam in sinum Rigensem & mare Balticum se exonerat.

RUBRA, oppidum seu pagus Corsicæ in ora Australi, inter Bonifacium, & Graniscum promontor. 4. mill. pass. *Ptolem.* Hodie *Solensara Ferrario.*

RUBRA Cera, vide suprà *Bulla.*

RUBRA Gleba, Græce *Ἐρυθρὴ Βῶλος*, urbs Ægypti, Pheronis Regis jussu flammis exusta, hâc occasione: Rex hic, cùm, copiosissimè exundante fluviô, ita ut XVIII. cubitos rura transcenderet, & ingruente ventô fluctus ciente, *protervitate quâdam spiculum in medios fluctus contorsisset, statim ex oculis laborans visum amisit. Decennio post* ——— *advenit ei ex urbe Buti oraculum visum ei rediturum, si oculos abluisset urinâ mulieris, quæ ad suum solius virum accessisset, aliorum virorum expers. Ille uxoris suæ urinam primùm...dein aliarum mulierum, frustra expertus, tandem vidit. Tum reliquas omnes, præter eam, cujus urinâ lotus visum recepit, in urbem coëgit, quæ Rubra gleba dicebatur, easque omnes cum ipsa urbe concremavit: eam verò, cujus urinâ sanatus est, uxorem duxit*, Herodot. *l. 2. c. 111.* Vide quoque suprà *Pheron.*

RUBRA Saxa, locus Hetruriæ in agro Vejentum in via Flaminia, ab urbe Roma 8. mill. pass. circa Cremeram. *Grotta Rossa* Celso Cittadino; *Rubra* Martial. *l. 4. epigr. 64. v. 15.*

Fidenas veteres, brevesque Rubras.

RUBRENSIS Lacus, hodie *le lac de Narbonne*, lacus Galliæ Narbonens. seu stagnum per quod Atax fluv. labitur. *Rubresus* Melæ, *l. 2. c. 5. Narbonensis* Straboni, Steph. & Suidæ. *Baudrando* hodie *l'estang de la Rubine*, oblongus est & ferè 3. leuc. versùs stagnum, per quod deductum fuit olim à Romanis brachium Atacis fluv. quod Narbonem rigat, vulgò *la Rubine* dictum, & cum stagno posteà in mare Mediterraneum, se exonerat. *Rubresus* Valesio, ex Mela; *Robanus* & *Rubina* posterioribus dictus. Spatiosus admodùm est lacus, sed, quà mare admittit, tenuis aditu, vulgoque *Sijmianensis* vocatur. Emittebat olim Atacem acceptum in mare, nunc Atax, postquàm Narbonem alluit, lacum non permeat, sed fossæ per Narbonem ductæ, quam *Robinam* vocant, immissus, in mare Gallicum effunditur ad 7. ab urbe lapidem. Meminit utriusque Fortunatus, cujus ætate adhuc *Rubresum* Atax ingrediebatur,

Mitis Atax Rubani mollitèr intrat aquas.

Vide Hadr. Valesf. *Notit. Galliæ*, in voce *Atax.*

RUBRIA Lex, post captam Carthaginem, *de agris in Africa dividendis*, ut & Livia de Decemviris, qui dividerent, lata est: quarum Legum in tabula ænea mentionem se vidisse, affirmat Manutius, apud Joh. Rosinum, *Antiqq. l. 8. c. 8.*

RUBRICA, inter austeros colores Plinio, *l. 35. c. 6.* h. e. qui minùs lucidi floridique nec tam vegeti intentique luminis, adeoque obtusiùs pinguiusque relucent. Ægyptia & Africana fabris utilissima, quia *maximè sorbetur picturis*, ut habet *Idem:* miliùs *directuris*, habet *Salmasius.* Nam funiculô *rubricâ* tinctô dirigebant ligna secanda Fabri. Vetus *Epigr. ὑπὸ τεκτόνων*

——— *μιλτοφυῆ τε*
Σχοῖνον ἐπ' ἀκρονύχῳ ψηλλομένην κανόνι:

In ferrariis eam metallis nasci, ait porrò Plinius, Theophrastum sequutus, & ex ochra exusta fieri, qua de re vide Salmas. *ad Solin. p. 1156.* & suprà, ubi de *Lemnia rubrica*; *Σινώπη* & *Σινωπὶς* generale ejus nomen est. Eâ Veteres interdum, uti & miniô, librorum indices, id est, titulos, notabant; inde factum, ut & pro titulo ipso *Rubrica* capiatur. Paulus, *l. 1. §. recup. ff. de interd. Recuperandæ possessionis causâ interdicta proponuntur sub rubrica, unde vi.* Hinc illud Juvenalis, *Sat. 14. v. 192.*

——— *perlege rubras*
Majorum leges.

Et Persius, *Sat. 5. v. 90.*

Exceptò si quid Masuri rubrica vetavit &c.

De quo *Rubricæ* usu notat Hadr. Turnebus, *Adversar. l. 4. c. 5.* *Rubricam* Veteres tantùm posuisse in publico legitimoque jure, ut Majestas Legibus accresceret, capitibusque earum sinopide insignitis & sanguineum quiddam & cruentum fortasse etiam minantibus, nec ad Prætoris album pertinuisse: tum etiam Jurisconsultorum libros rubricâ notari non solitos; quod tamen cum superiorum Auctorum sententia minùs convenit. Idem addit, Democritum Physicum gravissimum ea, quæ expertus ipse erat, consignâsse rubrâ cerâ annulô impressa, & posteà Commentariis commisisse, ex Vitruvio, *l. 9. c. 3.* Vide suprà in voce *Chirocmeta* & plura hanc in rem apud Joann. Calvinum, *Lexic. Jurid.* it. aliquid, voce *Plastica*, nec non infrà ubi de *Signandi ritu.* In Ecclesia Romana, *Rubrica* appellatur norma illa, quæ modum recitandi divinum Officium ac aliarum functionum Ecclesiasticarum, præscribit; solet enim & illa *rubris* characteribus formari. Cujusmodi *Rubricas* Joannes Buchardus Papæ Ceremoniarum Magister collegisse fertur; Theologi Communionis illius in *præceptivas* & *directivas* distinguunt, ut videre est apud Dominic. Macrum, *in Hierolex.*

RUBRICATUS, fluv. geminus: unus Hispaniæ Tarraconensis in Catalaunia apud Barcinonem urbem fluens cum oppido cognomine quod interiit, *Lobegrat* Clusio. Alter in Africa propriè. *Armua* Plinio, *l. 5. c. 3.* *Ardalio* Orosio, ac Diacono. *Ladeg* Castaldo, *Jadig* Leoni. Moletio verò *Quadilbalbat*, inter Hipponem Regium, & Tabracam fluens. Utriusque meminit *Ptol.* Prior Melæ, *l. 2. c. 6.* *Rubricatum* dicitur.

RUBRIDUM, seu ROBORETUM, vulgò ROUVROY *en Beausse*, locus Galliæ in Belsia, inter villas S. Dionysii in hoc tractu sitas, commemoratur in *Litteris* Roberti Regis apud Hadr. Valesf. *Notit. Gall.* voce *Tauriacum.*

RUBRIUS, modicus eques Romanus, sub Tiberio, criminè Majestatis postulatus, quòd perjuriô nomen Augusti violâsset. Tacit. *l. 1. Annal. c. 73.*

L. RUBRIUS, Corfinii à Cæsare interceptus ac dimissus, Cæsar, *l. 1. Bell. Civ. c. 23.* In argenteis denariis, ab eo cusis, dicitur *L. Rubrius Dossen.*

RUBRIUS Fabatus, tanquàm desperatis rebus Romanis, Parthorum ad misericordiam fugit; cui eô nomine custodes additi. Sanus repertus, apud fretum Siciliæ, retractusque per centurionem, nullâ probabili causâ longinquæ peregrinationis adlatâ; mansit incolumis oblivione magis, quàm clementiâ Tiberii. Tacit. *l. 6. Annal. c. 14.*

RUBRIUS Gallus, tulit cohortium, quæ in partibus Othonis egerant, preces ad Vitellianos, statimque veniam impetravit. Tacit. *l. 2. Hist. c. 51.* Idem à Sabino subornatus concussit Cæcinæ mentem, promittens, apud Vespasianum rata fore pacta transitionis. Ibid. *l. 2. c. 99.*

RUBRUM Mare, aliàs *Erythræum*, *Uranio* vetustissimô Scriptori, apud Stephanum *περὶ πόλεων*, à montium *rubentium* & imbrium inde in mare decurrentium colore, nomen habet. Nec colorem negant Veteres alii, quamvis in causa hæreant. Ex recentioribus Alfonsus Albuquercius se *rubentem* vidisse aquam, & ab incolis, ab arena rubra, quæ mota ex imo mari non admodùm profundo misceatur undis, rubens illud fieri se edoctum, refert apud J. Banium, *Asia Dec. 2. l. 2. c. 1.* A littore rubri coloris contrà appellationem accessit Odoardus Barbossa, in hujus maris littoribus Arsinoem (vulgò *Suez*) versùs terram rubescere videri ajens, *Summar. Regnor. Oriental. Tom. 1. Navigat. Rhamusi.* Imò Joachimum Frencelium Cotbeno-Anhaltinum sibi retulisse Becmannus scribit, *se A. C. 1622. mare hoc ingressum, arenam rubram in littoribus sparsam ipsum suis manibus oculisque usurpâsse, de Origg. L. L. in Erythræum.* J. Castrius verò, apud Banium suprà laudatum, vidisse se maximas rubri coloris maculas in eo mari, sed aquam inde extractam claram atque pellucidam, nec rubeô colore infectam:

urinatores autem suos è profundo materiam quandam rubram corallio similem protulisse & aliam sanguino fulvi coloris coopertam; alibi autem, ubi virides apparebant fluctus, extraxisse lapides quosdam viridis coloris, ubi autem aquæ videbantur albæ candidissimas arenas: nullum verò littus, aut promontorium, saltem quod relatu dignum esset rubri coloris ibi locorum vidisse testatur. Ubi quod de claro aquæ colore ait, confirmat Curtius, sed aliunde vocis originem arcessit, *l.* 8. *c.* 9. *Mare* (hoc) *ne colore quidem abhorret à cæteris, ab Erythra Rege inditum est nomen: propter quod nomen ignari rubere aquas credunt.* Idem tradit Agatharchides, apud Strabonem, Ctesiam & Photium *p.* 458. Stephanus περὶ πόλ. Philostratus, *de Apollon. l.* 3. *c.* 15. Arrianus, *Rerum Indic. l.* 6. *c.* 19. Xiphilinus *in Trajano* Alii. Optimè omnium Fullerus *Miscellaneor. Sacror. l.* 4. *c.* 20. ab Esavo, qui & *Edom*, i. e. ruber, seu ἐρυθρὸς, mari nomen inditum, docet, quòd eousque potentiam suam extendisset. Memorabile hoc mare transitu inprimis Israëlitarum & Ægyptiorum clade, quorum ultimus Pharao, spectatô priùs suorum interitu, in illo suffocatus est, unde *Pharaonis mare* hodieque Turcis dicitur. Transierunt autem per medium mare Israëlitæ, & adversum in littus Arabicum evaserunt, Ps. 135. *v.* 13. ingenti miraculô, nec Gentilibus ignotô, uti ex Herodoto, *l.* 1. Dionysio Alex. Festo Avieno, aliis, discimus. Imò *extare etiam nunc certissima horum monumenta gestorum: Nam tractus curruum atque rotarum orbitas non solùm in litore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur perviderі, tradit* Orosius, *l.* 1. *c.* 12. Plinius quoque scribit, fundum maris herbidum, oleæque ac lauri feracem esse, *l.* 13. *c.* 25. quod miraculô effecisse Deum, ut idem alveus subito germinaret & vernaret instar amœnissimi campi, existimat *Sanchez.* Interim omnibus modis transgressum hunc miraculosum obscurare conati Gentiles, reciprocationi maris illum adscripserunt, ut de Memphitis leges apud Eusebium Πρæπ. *l.* 9. Ipse Josephus dubitat, an divisio hæc naturalis fuerit, an miraculosa? *Nam & Alexandri M.* inquit, *ductu mare Pamphylium cessit, cum Deus ejus operâ ad destruendum Persarum Imperium uti decrevisset.* Sed hæc incomparabili isti miraculo frustra opponuntur. Siquidem fabulam sapit, quod de Alexandro jactant: ut qui, teste Strabone, *l.* 14. maris Pamphylii littora, observatô æstu, temerariô quidem, sed felici ausu, immissis, umbilico tenus militibus, obliquè legit & superavit: cujusmodi motus aquarum inter Tyrum & Ptolemaidem, item apud Casium, accidere, idem prodit *l.* 16. Hinc breviter Curtius, *l.* 5. *c.* 3. *Mari novum iter in Pamphylium aperuit* Alexander: quale nempe Strabo prodidit. Id verò in *Rubro mari* contingere nullâ ratione potuit &c. Hornius, *Not. ad Justin. l.* 36. *c.* 2. Videatur & Freinshemius, *ad Curt. l.* 8. *c.* 9. Est autem inter Arabiam Felicem ac Petræam ad Ortum & Æthiopiam ac Ægyptum ad Occasum. A Septentrione in Meridiem, 200. mill. pass. longum, latum vix 250. mill. Separaturque ab Oceano Arabico fretô *Babelmandel.* Vide quoque *Erythraum mare*, it. *Mare Rubrum*, & *Sinus Arabicus.*

RUBUS, vide RUBI. Populi *Rubustini*, *Plin.*

RUBUS, Græcè βάτος, inter spinas, è quibus vivæ sepes fieri consuevêre, vide infrà *Sepes:* uti de pecore coloniæ quod *rubis* pascitur, suprà voce *Pecus*; de ritu Judæorum *rubô lumbos cingendi*, cùm jurabant, suprà voce *Juramentum.*

RUCEJUM, vulgò ROUESSE, locus Galliæ in Cenomanis, Order. Vitalis, *Hist. l.* 10.

RUCELLARIUS Bernardus, vide *Bernardus.*

RUCH, inter fabulosas Arabum aves, in extremis Sinarum insulis degit, & alas habet, quarum singulæ patent *decem cubitorum millia.* Unde mercatorem quendam, qui inter Sinas diu vixerat, radicem pennæ ex alis pulli ejus, novem aquæ utres continentem, in Africam Occidentalem detulisse, addunt. Referebat idem, se aliquando venisse ad magnam Sinensis maris Insulam, cum sociis, quò cum appulissent, ut lignum & aqua ex ea sumerent, vidisse tentorium magnum, altum suprà centum cubitos, *in quo fulgor erat ac coruscatio.* Quod mirati cùm accessissent, deprehendisse, esse ovum avis *Ruch*: quod lignis & securibus & batillis & lapidibus percutere non desiisse, donec à pullo divisum esset, qui fuerit instar montis; & quæ alia hanc in rem habet *Damir.* Ut jam modestus videri possit Paulus Venetus, qui de eadem ave hæc scribit, *l.* 3. *c.* 40. *Sunt & alia Insulæ ultra Madagascar, versùs Meridiem, sed quæ difficilimè adiri possunt, propter velocissimum maris cursum. Et in illis certô anni tempore apparet mirabilis speciei avis, quæ* RUC *appellatur, aquilæ quidem habens effigiem; sed immensæ est magnitudinis. Ajunt, qui illas viderunt aves, plerasque alarum pennas in longitudine continere duodecim passus, spissitudinem verò ejus proportionem tenere longitudinis & totum avis corpus proportione respondere. Avis verò ipsa tantæ fortitudinis est ut sola sine ullo adminiculo elephantem capiat & in sublime sustollat, atque rursum ad terram cadere sinat, quò carnibus ejus vesci possit.* Paulo nimirum id affirmaverat nuntius quidam Magni *Cham Cublai*, qui in illis Insulis diu fuerat detentus. Potuit Græculus aliquis hujus fabulæ architectus esse, qui avem ita vocaverit ἀπὸ τῦ ῥύγχυς, à *rostri* magnitudine, quomodo piscis Ægyptius ὀξύρυγχος, ab *acuto rostro* nomen habet. Et trochi species κλαδαρόρυγχις, à *mobilitate rostri.* Propriè quidem, *Athenæô* teste, ῥύγχος de *suibus* dicitur: sed & apud eundem meleagris avis ῥύγχος habere legitur. Sam. Bochartus, *Hieroz. Part. poster. l.* 6. *c.* 14. *ubi de Avibus fabulosis apud Arabes.*

RUCHARIUM, i. e. *Vestiarium*, ex voce recentioris Græciæ ῥῦχος seu ῥυχίον, quæ vestis quoddam genus notat, de quo Curopalata agit, ubi de vestibus Græcorum Imperatorum, Car. Macer. *in Hierolex.* Sed & Latinis medii ævi *Rucus* vel *rocus*, pro quovis operimento; unde *subruci*, quasi *subi ruci*, ruborum scil. *ruci*, h. e. tuborum vel tubulorum operimenta, de quibus vide infrà in hac voce, plura verò hanc in rem apud Salmas. *ad Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 40.

RUCONES, & ROCCONES, populi Hispan. Tarraconens. Quorum regiola *Rioja*, seu Rivogia *Latin.* frumenti maximè ferax: Præcipua Urbs *S. Domingo de la Calzada*, inter Burgos ad Occasum 14. milliar. & Logronium in Ortum. *

RUCONIUM, Daciæ urbs, *Ptolem. Regen Lazio.*

RUDCOPIA, oppid. Daniæ, in Langelandiæ Insulæ parte Occidentali, 5. leuc. à Nascoa in occasum, 9. ab Ottonia in Eurum.

RUDELSTADIUM, nomen loci in Thuringia provinc. Germaniæ, vulgò *Rudelstatt*, quasi *Rudolphopolis*, sub proprio Comite, ex familia Schwartzenburgica. In qua cùm lineæ tres essent superiori seculô, ad mediam iterum successio devoluta est; atque in hac communem Patrem omnes, qui hodie supersunt, agnoscunt Guntherum, mortuum A. C. 1552. Hujus minor natu filius Albertus *Rudelstattensem* ramum produxit; sicut *Arnstattenses* à majore Joanne Günthero descendunt. Illorum series hæc: Henricus Comes Schwartzenburgi, qui obiit A. C. 1488. ex Elisabetha Cliviaca (filia Adolphi I. Ducis) genuit Guntherum, qui ante Patrem defunctus A. C. 1482. reliquit ex Catharina Querfortia Henricum, qui decessit A. C. 1522. Pater, ex Magdalena Comite Honstenia, Guntheri præfati: quô & Elisabethâ Comite Isenburgicâ, natus Albertus, Comes Schwartzenburgi *in Rudelstatt*, decessit A. C. 1605. Ei peperit Juliana Comes Nassovia Ludovicum Guntherum A. C. 1646. Patrem, ex Æmilia Oldenburgica, Sophiæ Julianæ (natæ A. C. 1639.) Ludimillæ Elisabethæ (natæ A. C. 1640.) Alberti Antonii (nati A. C. 1641.) Christianæ Magdalenæ (natæ A. C. 1642.) & Mariæ Susannæ (natæ A. C. 1646.) Phil. Jac. Spenerus, *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. p.* 41. E quibus Alberto Antonio, nati sunt ex Æmilia Juliana Barbiens— Comites Schwartzenburgi, Lineæ *Rudolphipolitanæ* seu *Rudelstattensis.*

RUDENHAUSIA Familia, inter Germaniæ illustres, ramus est stirpis Castellensis: quæ tota in duabus lineis *Remlingensi* & *Rudenhausia* jam consistit, quas Wolfgangus & Gotfridus, Georgii sub finem superioris seculi filii, cœperunt. Et quidem lineæ *in Rudenhausen* probatio hæc est. Fridericus Comes *de Castel*, qui decessit A. C. 1498. suscepit ex Elisabetha *de Reitzenstein* Wolfgangum, extinctum A. C. 1546. Hôc & Marthâ Comite Wertbemiâ genitus Georgius, junxit sibi Sophiam Dnam Limpurgiam, & obiit A. C. 1597. relictô filiô Godfridô, defunctô A. C. 1635. quô & Annâ Dna Limpurgia genitus Georgius Fridericus, qui decessit A. C. 1053. numerosam progenuit sobolem, ex Anna Luisa Dna itidem Limpurgia; Pater quippe ex ea Philippi Godofredi (nati A. C. 1641. & mari Annæ Sibyllæ Florentinæ Comitis Sylvarum & Rheni) Friderici Ludovici (nati A. C. 1642.) Henrici Alberti (nati A. C. 1643.) Sophiæ Christinæ (natæ A. C. 1644. denatæ A. C. 1647) Julianæ Luisæ (natæ A. C. 1646.) Mariæ Magdalenæ (natæ A. C. 1647. denatæ 1649.) Eberhardi (nati A. C. 1650.) Joannis Friderici (nati & denati A. C. 1651.) & Dorotheæ Elisabethæ (natæ A. C. 1652.) omnium *Comitum de Castel in Rudenhausen.* Idem Spenerus, *ubi suprà, Parte* 2. *p.* 68.

RUDENTES, crinibus mulierum facti, in obsessa Byzantio, memorantur Dioni *in Severo.* Cui simile, quòd Aquilejenses cùm contra Maximinum acerrimè se obsessi tuerentur, nervique deficerent ad sagittas emittendas, funes de capillis mulierum fecisse leguntur, apud Jul. Capitolin. *in Maximino Jun. c.* 7:

de RUDESHEIM Robertus, vide *Robertus.*

RUDIÆ, urbs Calabriæ in Salentinis, à Græcis condita, patria Ennii poëtæ, quem idcirco *Rudium hominem* vocat Cicero, *pro Archia poëta.* Ejus meminit Sil. *Ital. l.* 12. *v.* 396.

> ——— *Rudiæ genuêre vetustæ.*
> *Nunc Rudiæ solô memorabile nomen alumnô.*

Ptolomæo singul. num. Ῥωδία, itemque *Rhudia* Plinio, *l.* 3. *c.* 11. Reliquis auctoribus plural. *Stephano* Ῥωδιαὶ, *Straboni* Ῥωδίαι, *Ruia* hodie, teste Cluveriô. *Nic. Lloyd.*

RUDIMENTA Litterarum, vide suprà ubi de *Calculonibus*, *Edomatore primo vocis*, alibique passim: uti *de Rudimentis Religionis Christianæ* ubi *de Catechumenis.*

RUDINUS Jacobus, Philosoph. Basileens. Natus A. C. 1633. Stirpe Tribunitiâ, Rhetorices primùm A C. 1669. inde Philosophiæ Practicæ Professor dictus A. C. 1677. Academiam patriam eruditione multijugâ illustrat. Ad prælum paratum habet, *Theatrum Academicum Professorum Basiliensium:*

> *Auctor Academici, parsque ipse haud parva, Theatri,*
> *Vivere Rauriacos quo facit usque Sophos.*

RUDIS, virga *rudis* ac impolita, seu baculus gladiatorius, quô prima pugnæ *rudimenta* Gladiatores olim meditabantur, unde & nomen: Certaminis enim initiô, ubi prælusoriis armis utebantur, postquàm inter se *Rudibus* batuissent, ad decretoria dein tela nudumque ferrum sese accingebant. Quòd si triennium integrum (de damnatis in Ludum loquor) victi non essent, hôc baculô, propter fortitudinem, donabantur, in signum immunitatis ab istiusmodi cruentis pugnis: quemadmodùm si quinquennii spatiô superiores semper evasissent, Pileum, cum libertate omnimoda ac civitatis jure, adepti sunt. Unde *Rude donari*, apud Horat. *l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 2. Vide Lipsium, *Saturnal. l.* 2. *c.* 23. & *Rudiarii*, hôc modô liberati. Alii tricesimô ætatis annô Gladiatoribus *Rudem* concedi consuevisse, dicunt. Aliud autem erat Missio, item Palma, de quibus *suô locô* dictum est. Vide quoque Thom-

Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 2. *sect.* 3. *c.* 10. & suprà, voce *Battualia*. At *Rudis* Terra, quæ nunquam proscissa est, cui *Novalis* opponitur, seu *navium*, quæ, ubi primâ aratione denuo proscissa est, jam arata fuit & contrita. Ita enim vocari ait Varro, *l.* 1. *RR. c.* 44. priusquam secundâ aratione *novetur* rursus. Sic idem est *Novale* ac *Vervactum*. Sicautem is, *Illudquoque*, inquit, *multum interest in rudi terra, an in ea feras, quæ quotannis obsita sit, quæ vocatur restibilis: an in vervacto, quæ interdum requierit*, i. e. in terra proscissa ac novali &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 714. uti de *Ruditatis* convitio, quô Christiani olim à Gentilibus aspersi, suprà voce *Agrestes*.

RUDOLPHOPOLIS, German. *Rudelstat*, oppid. Germaniæ in Thuringia, sub proprio Comite ex Familia Schwartzenburgi Comitum, vide suprà. in voce *Rudelstadium*.

Principes Viri.
Ex Familia Austriaca.

RUDOLPHUS I. Imperator. Vide *Rodolphus*.

RUDOLPHUS, filius prioris, à Patre Sueviæ Ducatum accepit (quem is, tanquam caducum, fisco addixerat, A. C. 1283.) & ad filium, Johannem, patrui sui Alberti Imperatoris cæde infamem, ac demum Pisis monachum, transmisit: cujus extincti hæreditatem crevêre patrueles.

RUDOLPHUS, cognomine *Ingeniosus* vel *Fundator*, filius Alberti cognomine *Sapientis* vel *Contracti*, Albertô Imperatore geniti, cum fratre Friderico, cognomine *Splendido* vel *Liberali*, à Patre cœptam A. C. 1384. Academiam Viennensem & S. Stephani Basilicam absolvit, aliaque fundavit: Maritus Margaretæ Maultaschiæ Carinthiam, anteà ab Imperatore Ludovico Bavaro Imperatore jam Alberto Contracto datam, plenô jure domui intulit: absque prole extinctus.

Ex Familia Palatina.

RUDOLPHUS I. primogenius filius Ludovici I. Electoris Palatini; cognomine *Severi*: à Patre Electoralem dignitatem cum Palatinatu; sicut frater ejus minor. Ludovicus, Imperator posteà factus, Bavariam, accepit: *Rudolphina* lineæ, sicut Frater Bavaricæ, utriusque etiamnum florentissimæ, conditor. Adstitit socero Adolpho, Comiti Nassovio, Imperatori electo, contra Albertum Austriacum æmulum, cumque hic prælio ad *Gellenheim* A. C. 1298. Alberti manu cecidisset, vix fugâ Wormatiam elapsus est. Nectamen minùs Alberto se opponere, initô cum Ecclesiasticis Electoribus fœdere, perrexit, donec devastatô Palatinatu supplex fieri cogeretur. Inde Henrico VII. Imperatori fortem in expeditione adversùs Ursinos operam navavit. Demum à Ludovico fratre, contra quem suffragium in eligendo Imperatore Friderico Austriaco dederat, ditione suâ exutus, A. C. 1317. extorris in Anglia decessit A. C. 1319. cum Patre Heidelbergæ sepultus: Pater Adolphi cognomine *Simplicis*, Rudolphi II. & Ruperti cognomine *Senioris*, quibus Palatinatum Ludovicus patruus restituit, eâ conditione, quæ Ticini eis dicta A. C. 1329. ut in alternationem Electoralis dignitatis, Inter lineam utramque servandam, consentirent. Sed transactio ea, tanquam minorennibus vi extorta irrita est reddita, Comitiis Ratisbonensibus A. C. 1339.

RUDOLPHUS II. cognomine *Cæcus*, fil. secundo genitus prioris, fratre Adolphô sponte cedente, Electoratum nactus, tenuit eum annis 26. & relictâ filiâ Annâ, uxore dein Caroli IV. Imperatoris, obiit A. C. 1353. Eum in Electoratu excepit frater minimus Rupertus I.

Ex Familia Badensi.

RUDOLFUS, fil. Conradi Zeringiæ Ducis, ex Clementia, filia Godfridi C. Lucelburgii & Namurcensis, Episcopus Leodicensis (aliis Lausannæ) electus, etiam ad Archiepiscopatum Moguntinum aspiravit; in quo cùm prævaluisset Conradus Comes Palatinus, ipse Fridericum I. Imperatorem in Palæstinam sequutus, in reditu decessit, A. C. 1190. Frater Bertholdi IV. & Adelberti, quorum is Zeringiam lineam continuavit, iste novam Teccensem orsus est.

RUDOLPHUS I. fil. major natu Henrici, Hochbergicæ lineæ conditoris, extincti A. C. 1221. Pater fuit Henrici II. frater Hermanni, quô geniti Henricus III.

RUDOLPHUS II. & Fridericus fuêre.

RUDOLPHUS III. fil. Henrici II. prædicti, cum fratre Henrico majore natu ditiones partitus est qui Hochbergam obtinuit: Pater filii cognominis. Ipse autem Susenbergii rami auctor extitit.

RUDOLPHUS IV. fil prioris, minor natu, eques fuit Rhodius: frater Henrici, qui auctus dominiô Rœtelensi. A. C. 1315. donô Leopoldi, ultimi Dynastæ, illud filiis suis reliquit, Ottoni & *Rudolpho* V.

RUDOLPHUS V. modò memoratus, ante fratrem obiit A. C. 1356. Eô genitus

RUDOLPHUS VI. ex Catharina Thierstenia, à Patruo Tutore hæres relictus, obiit A. C. 1428. plurium filiorum Parens. Inter quos,

RUDOLPHUS VII. elogium meruit, ut *Flos pietatis ac Justitiæ* denominaretur. Frater Ottonis, qui ab A. C. 1431. Constantiensem Episcopatum rexit, & Guilielmi, qui stemma propagavit.

RUDOLPHUS VIII. præfati Guilielmi, ex Elisabetha Montfortia, filius, ductâ Margaretâ Viennensi, ultimum Hochbergiæ lineæ Philippum genuit. Cujus filia Johanna cùm Ludovico Aureliano Duce de Longavilla nupsisset, hinc de Rœtelano dominio jure disceptatum: ut videre est in voce *Philippus*.

RUDOLPHUS I. cognomine *Senior*. fil. minor natu Hermanni IV. Badensis rami Auctoris, cum fratre Hermanno V. initiô communibus auspiciis patrias ditiones rexit, donec ille, ob uxorem Gertrudim, filiam Henrici Medlingensis, hæredem Austriæ, hinc & Stiriæ Principatus adiit: quô in Austriam secedente, *Rudolphus* regimen solus gessit: Hermanno Thuringo, adversùs Conradum IV. Imperatorem in Richardo Anglo adhæsit, & cum aliis in Suevia, cujus possessionem tempore Interregni invaserant, à Rudolpho I. Imperatore armis petitus est. Vivendi finem cepit A. C. 1288. Pater ex Cunigunde Eberstenia Hermanni VI. qui stemma continuavit, *Rudolphi* II. III. & Hessonis.

RUDOLPHUS II. fil. Rudolphi I. cognomine *Junior*, decessit A. C. 1295.

RUDOLPHUS III. prioris frater, Stolhofiô emtô, & bellô adversùs Episcopum Argentinensem clarus, obiit A. C. 1332.

RUDOLPHUS IV. Hesso, fil. minor natu Hessonis prædicti, de Ludovico Bavaro Imperatore bene meritus, aliqua ab ipso impetravit: ab uxore autem Johanna, filia Reginaldi Comitatus Montbelg. hærede, vidua Ulrici Comitis Pfirretarum, dominia Hericuriæ & Bellifortii tenuit. Sed absque liberis extinctus est A. C. 1332.

RUDOLPHUS V. fil. secundo genitus Hermanni VI. Pfortzhemium tenuit; frater Friderici II. majoris natu, qui, vetus Eberstenium Castrum nactus, novi auctor fuit rami. Ipse Ludovico Imperatori gratus, A. C. 1348. successionem transmisit, ad filios ex Maria Oetingensi susceptos, Fridericum III. & *Rudolphum* Weckerum.

RUDOLPHUS VI. Weckerus, Carolo IV. Imperatori ob fidem acceptissimus, patruelis Hermanni VIII. successione auctus, sine liberis obiit A. C. 1361.

RUDOLPHUS VII. cognomine *Magnus*, à statura, quæ 12. pedum dicitur fuisse, filius ex Ursula Teccensi Friderici III. præfati diversarum linearum collegit bona, & in Caroli IV. aula educatus, in ejus gratia floruit, ab eo proin Comitatus etiam Lœwenstenii feudum nactus A. C. 1365. Bellum dein, cum Eberhardo Wirtenbergico gessit A. C. 1370. quod Cæsaris auctoritate sopitum est: Ex Mechtilde, filia Johannis Cœci Comitis Spanhemii, quæ Comitatus hujus partem domui illius intulit, pater gemini *Rudolphi* & Bernhardi.

RUDOLPHUS VIII. fil. minor natu Hermanni VIII. unà cum fratre Friderico IV. ante Patrem turbatô ordine, elatus A. C. 1353. lineam à Friderico II. cœptam terminavit. Fuit etiam *Rudolphus*, inter posteros Bernhardi paulò suprà memorati, frater Bernardi & Ernesti, Badensis ac Durlacensis rami conditorum.

Ex Familia Ascania.

RUDOLPHUS, fil. Alberti II. Saxoniæ Electoris, ex Agnete, Rudolphi I. Imper. filia, Patri A. C. 1297. in solennitate coronationis Alberti I. Imperatoris oppressô, successit: Burggravius Magdeburgicus, Comitibus exauctoratis, à Schrapela, ut quidam volunt, factus: Bellum à Patre contra Guntherum Archiepiscopum Magdeburgicum cœptum continuavit, demum pace factâ, Fridericum dein Austrium cùm suffragiô juvisset, adversùs Ludovicum Bavarum, hujus odium incurrit; Tum contra ejus filium Ludovicum, defunctô agnatô Electore Brandeburgicô, Marchiam invasit, atque Francofurtum obsedit, sed repulsus est; Demum Cæsari reconciliatus, Marchionatum Landsbergium, in veteri Marchia, ab eo obtinuit: Carolo posteà IV. Imperatori acceptissimus; Tandem, cùm trium Imperatorum electioni interfuisset, valde senex naturæ concessit A. C. 1356. genitis ex Juditha Brandeburgica Albertô, *Rudolphô* II. Ottone; ex Cunigunde Polona, Meticone; ex Agnete Lindaviensi, Wenceslaô & Wilhelmô filiis.

RUDOLPHUS II. Patris in Electoratu successor. Adolescens in Gallia exercitum, non sine laude, duxit. Ottone fratre mortuô, cùm is uxorem habuisset Agnetem, ultimi Ducis Luneburgici Wilhelmi filiam, & filium ex ea reliquisset Albertum, pro hoc, quem initiô ipse Avus hæredem esse jusserat, successionem Luneburgicam petiit, quæ demum A. C. 1370. *Rudolpho*, fratri Wenceslaô & alterius filio, memorato Alberto, à Carolo IV. collata est: Unde inter hos & Brunsuicenses, illorum Agnatos, gravissimum bellum, quô Albertus, in oppugnatione arcis Pielingensis, à nobili Mandeslloô saxô ictus, interiit, A. C. 1385. Nec minùs qui *Rudolpho* fratri successit Wenceslaus Elect. cùm arcem obsideret Cellensem, lethale vulnus accepit, A. C. 1388. donec filiabus ejus in Brunsuicensem familiam enuptis lis terminata. Eum in Electoratu excepit

RUDOLPHUS III. fil. gravitate ac prudentiâ insignis; in comitatu affinis Friderici Brunsuicensis, cùm ab electione rediens cæderetur, captus ac vulneratus, tandemque in Legatione Bohemica venenô sublatus est, A. C. 1418. Cùm nullos filios, hi enim ruinâ in arce Sueinicia oppressi perierant, (filia autem Barbara Johanni Alchymistæ Marchioni Brandeburgico nupsit) superstites haberet, successit ultimus frater Albertus: quô sine prole extinctô A. C. 1422. Misniæ Marchionibus Electoralis dignitas est collata, in quorum familia adhuc durat. Fuit quoque *Rudolphus*, filius Alberti I. rami Saxonici in Familia Ascania auctoris, frater Alberti II. Electoris, de quo suprà.

RUDOLPHUS, Princeps Anhaltinus, fil. quarto-genitus Joachimi Ernesti, qui post plura secula totius Principatus unus fuit possessor, Servestanam lineam condidit: Pater ex secunda uxore Magdalena Oldenburgica Johannis, qui solus ex sua gente Augustanam Confessionem amplexus, ex Sophia Holsata, numerosam suscepit prolem, &c. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Histor. in Fam. Ascania.*

RUDOLPHUS, vide quoque *Radulfus.*

RUELLIUS Johannes, è Suessionibus, Medicus celebris: varios auctores Græcos vertit, *Aquila interpretum* à Budæo dictus. Studiis addictus adeò, ut à Francisco I. & Ludovica Sabaudica, in aulam vocatus, sese enixè excusaverit: Parisios tamen invitanti Stephano Poncherio, Episcopo paruit. Scripsit varia. Obiit A. C. 1537. ætat. 63. Paul. Jov. *in elog. doct. c.* 93. Scævola Sammart. *in Elog. l.* 1.

RUESIUM, seu O, urbs Aquitaniæ, posteà *Anicium*, vide ibi, inter Tolosam & Convenarum urb. *Ptolem. Rieux Mercatori.* Sed Villanovano est *S. Flour*, urbs in finib. Arvernorum inter illos & Ruthenos. *Sansoni* & *Brietio* hodie Podium, *le Puy*: Velaunorum caput. Nunc in Occitania, in colle, prope Ligerim.

RUFA Vacca, immolari jubetur Numer. *c.* 19. *v.* 2. *Edic filiis Israëlis, ut accipientes adducant ad te juvencam rufam, perfectam, in qua non sit vitium, cui jugum nondum impositum sit*: cujus rei rationem aliis disquirendam relinquit Bochartus; hoc saltem observat, Judæos hæc duo copulâsse, *rufam perfectam*; quasi his verbis vetuerit Deus ullam juvencam sibi offerri, quæ non esset perfectè *rufa*. Proinde, *Si duos solùm pilos albos, aut nigros, sibi mutuò incumbentes, habuit in medio loci depressi, aut inter duos poros, habebatur pro polluta, i. e. ad sacrificium inepta*, ait Maimonides, *in Tractatu de Vacca rufa c.* 1. §. 2. Et multo plura Talmudici, in *Tr. Para, fol.* 94. Quâ ipsâ superstitione imbuti Ægyptii, τῶν βοῶν τοὺς πυῤῥοὺς καθιερεύοντες, οὕτως ἀκριβῶς ποιοῦνται τὴν παρατήρησιν, ὥστε κἂν μίαν ἔχῃ τρίχα μέλαιναν ἢ λευκήν, ἄθυτον νομίζειν, *boves rufos immolant, hoc tam accuratè observantes, ut, si bos vel unum pilum nigrum aut album habeat, putetur esse profanus*, Plut. *in Iside.* Cæterùm *rufus* in boum coloribus vulgatissimus est. Unde Iason Peliæ dicit, Pindari *Pythiâ quartâ*,

> *Μῆλά τε γάρ τοι ἐγὼ, –*
> *Καὶ βοῶν ξανθὰς ἀγέλας ἀφίημι.*
> *Pecudes enim tibi ego,*
> *Et boum rufa armenta relinquo.*

Et, cùm idem Neptuno sacrificavit,

> *Θύσατο δ' ἐν Θρηϊκίων ἀγέλαν ταύρων*
> *Υπαίχχιν* ——
> Rubrum *Thraciorum armentum taurorum*
> *Adfuit.*

Et Theocriti, *Idyll.* 4.

> *Λεπτὸς μὰν χ' ὡ ταῦρος ὁ πυῤῥιχος —*
> *Macer quidem & iste taurus* rufus *est.*

Ubi *Scholiastes*, Πυῤῥιχος, ὑπόπυῤῥος: quod *πυῤῥιχος* palàm factum ex *πυῤῥός*, ut est *burrus, burrichus* vel *burricus*. Tamen apud Theocriti Scholiastem nonnulli τὸν πυῤῥιχον, pro *Epirotico* dici volunt, ἀπὸ Πύῤῥου τοῦ ἐκεῖ βασιλεύσαντος, *à Pyrrho Rege, qui ibi regnaverit.* Cui sententiæ favent hæc Plinii, *l.* 8. *c.* 45. *in nostro orbe Epiroticis bubus laus maxima, à Pyrrhi, (ut ferunt) jam inde Regis cura.* Omnino enim intelligit ἐν τῇ Ἠπείρῳ τὰς καλουμένας Πυῤῥιχας βοῦς, quas memorat Philosophus. *Histor. l.* 8. *c.* 7. Verùm non à Rege, sed à colore, eas ipsas nomen traxisse, certissimum. Quò facere videtur, quod illi ipsi boves ex eorum genere esse crediti sunt, quos ex Erythia Insul. abduxerat Hercules. Cùm enim à colore dicerentur ἐρυθραῖ, vel ἐρυθαῖ, id ita sumtum à Mythologis, quasi fuissent ex Erythia Insul. quæ ultra Gades est: à qua tamen Ἐρυθεῖς vel Ἐρυθεῖαι potiùs dicendi essent. Vide Sam. Bochart. *Parte prior. l.* 2. *c.* 29. Est autem *Rufus*, idem cum luteo dilutiore, qui Latinis antiquis *Russeus* & *Russus*, Græcis Πυῤῥός, ἐρυθρὸς, ξανθὸς: Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1154. & 1155.

RUFACUM, vide RUBEACUM, & plura apud B. Rhenanum, *Rerum Germ. l.* 3. cum *Notis* Ottonis JCti, *p.* 525. Item, oppid. Galliæ Aquitanicæ inter Pictavos 14. & Engolismam 6. leuc. *Ruffec.* Vide *Rufiacum.*

RUFÆ, oppid. Campaniæ in Samnii confinio sive è contrà, Eserniæ finitimum. Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 739.

> *Quique Rufas Batulumque tenent, atque arva Celennæ.*

Rufrium Livio dicitur, *l.* 8. *c.* 25. *Rufra* autem Silio, *l.* 8. *v.* 567. pluralis numer.

RUFFÆ, meretrices dictæ, quòd capilli illis essent flavi vel rufi, cùm matronarum nigri essent, ut observatum Franc. Pithœo & Woverio *ad Petronium*; qui hinc *Ruffiani* nomen arcessunt: quò Itali Lenonem indigitant, seu *Institorem libidinis*, uti vocat Val. Max. *l.* 6. *c.* 1. *num.* 6. Aliter tamen de vocis origine Ferrarius, *in Orig. Ital.* quem vide. Sed & *Rufi* homines Ægyptiis olim exosi; Τοὺς ἀνθρώπους τοὺς πυῤῥοὺς προπηλακίζουσι, *Rufos homines probris insectantur*, Plut. *de Iside* & Diodor. *l.* 1. qui proin paucos Ægyptiorum rufos, inveniri, addit. Imò mactari illos ad Osiridis sepulchrum solitos: odiique causam, quòd τῷ Τυφῶνι ὁμοιοχρώματοι, *ejusdem coloris cum Typhone*, essent, ibidem legas. Quare *Rufos* tantùm boves iidem ad victimas adhibuêre, uti diximus suprà. De *Typhone* verò suô locô.

RUFFINUS, Asiaticus & *Fabius*, duces Galliarum, concionante Vitelliô, ad supplicium postulantur, quod pro Vindice bellâssent. Tacit. *l.* 2. *Hist. c.* 94.

RUFFUS, Consul cum Orphito, sub Commodo, apud Lamprid. *in Commodo, c.* 12.

RUFFUS Crispinus, alter prætoriarum cohortium, sub Claudio, præfectus, quem Agrippina, tanquàm Messalinæ memorem & liberis ejus Britannicô atque Octaviæ devinctum, depulit. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 42. Uxor ejus fuit *Poppæa Sabina*, ex quo filium sustulit *Ruffinum Crispinum*: Ideò occasione conjurationis Pisonianæ in Sardiniam exactus, acceptô jussæ mortis nunciô semet interfecit. Idem, *l.* 16. *Annal. c.* 17.

RUFFUS Helvius, gregarius sub L. Apronio Proconsule Africæ miles, qui in bello contra Tacfarinatem, servati civis decus retulit, donatusque ab Apronio torquibus & hastâ. Tiberius addidit civicam coronam. Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 21.

RUFFUS Vibullius; vide *Vibullius.*

RUFIACUM, villa olim regia Galliæ, in agro Encolismensi, nunc vicus, vulgò *Rufec*, Carantono fluv. ac Montiniaco castro proximus, 5. leuc. ab Encolisma. Aliud in Lemovicibus est. Item castrum quondam 10. mill. pass. à Vesontione, hodieque vicus in Sequanis, *Ruffei* vulgò, adpositus Unioni fluv. *l'Ongnon*, vel *l'Oignon*, qui Arari recipitur. *Rofiacus* quoque villa in Biturico pago à Leone VI. & Benedicto Papis ætate Hugonis Ducis Francorum, nec non in literis Hugonis Regis, inter villas Eccles. Aurelianensis S. Crucis numerata. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RUFIANA, Nemetorum urbs in Gallia Belgica *Ptolem. Oppenheim* ad Rhenum est, auctore *Heroldô. Cluverio* Rubeacum videtur. Vide *Rubeacum.*

RUFINUS, Præfectus prætorio & Patricius, unà cum Stilicone & Gildone relictus à Theodosio seniore imperii administrator pro tutela Arcadii & Honorii filiorum; Gildo in Africa, Stilico in Occidente, Rufinus verò in Oriente: Qui omnes cupiditate regni incensi in suos principes arma converterunt, ex quo diversis modis oppressi periêre. Rufinus enim, ex infimo loco ab Imperatore evectus, Gothis aliisque barbaris vocatis, præcipua munera suis distribuit. Gothis Constantinopolim obsidentibus, quò minus resisteretur, impedîit: exercitu ex Oriente appropinquare jussô, ut Imperator ab illo salutaretur, sed detectâ perfidiâ inter medios milites, ad quos occidendum Arcadium deduxerat, interfectus est: Caput in hastâ ostentui circumlatum, grato cunctis spectaculo fuit, sævitiam & avaritiam ejus exosis. Zosim. *l.* 5. Niceph. *l.* 15. Claudian. *in Rufino*, *Volaterran.*

RUFINUS, Consul cum Eusebio, ann. Urb. Cond. 1100. Alius Consul cum Laterano, an. Urb. Cond. 949.

RUFINUS, Consularis à Fabricio Censore damnatus, quòd decem pondo argenti apud eum inventa essent.

RUFINUS, Presbyter, floruit A.C. 390. inter omnes Monachos Aquilejenses, secundùm Hieron. *ep.* 41. juxta Bonosum & Florentium, celeberrimus, cum quibus hic Aquilejæ amicitiam iniit. In Ægyptum profectus, dein Hierosolymam venit, ubi ann. 25. commoratus est, variis operibus in publicum edendis ibi intentus. Romam rediit A. C. 397. Sed quòd nimium Origenis scriptis tribueret, hoc primùm cum Hieronymo ipsum collisit, non sine insigni scandalo. Lis à Theophilo utcunque composita, paulò pòst acriùs recruduit, cùm Rufinus Romæ librum Origenis de Principiis ederet, In quo nomine suô suppressô, Hieronym. pro Origene testem advocabat, qui sic in suspicionem venit Origenismi: Hinc acerbissimæ utrinque invectivæ. Tandem Ruffinus, ab Anastasio Episcopo condemnatus, obiit in Sicilia. A. C. 410. E Græco vertit *Josephum*, *Eusebii Historiam Eccl.* & alia, illique duos adjecit libros, à S. Paulino rogatus. Scripsit quoque *in Hoseam, Joëlem, Amosum*, &c. Edita ejus opera, A.C. 1580. Augustin. *ep.* 93. Cassian. *de Incarn. l.* 7. *c.* 27. Valesius, *annot. in Euseb.* Rosveidus, *Proleg.* 4. & 5. *in vit. Patrum &c.* Multum operæ contulit ad historiam illustrandam. Vide Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 11. *Nic. Lloydius.*

RUFIUS Festus, Proconsul Græciæ, *Areopagita* titulô ab Atheniensibus insignitus est, cujus memoriam servat *Inscriptio* Athenis & Epitaphium Vulsinii, in Italia, quæ patria ejus erat. Sed & sub nomine Festi Avieni ejus quædam extant, vide Jac. Sponium, *Itinerar. Græcia, l.* 2. *p.* 143.

RUFIUS Volusianus, Consul an. Urb. Cond. 1066. *Rufius* Albinus, Consul cum Constantino Cæsare, an. Urb. Cond. 1087. *Rufius* Posthumianus, Consul cum Zenone, an. Urb. Cond. 1201.

RUFULI, dicti sunt Tribuni Militum, qui non à Populo, sed à Consule facti sunt, quòd de eorum jure Rutilius Rufus Legem tulerit. Posteà *Rutili* dicti, mutatione unius literæ. *Festus.* Vide Livium, *l.* 7. *c.* 4. & Joann. Frideric. Gronov. ad *illum.* Apud Arnobium, *quum in Albano antiquitus monte nullos alios liceret, quàm nivei tauros immolare candoris, posteà ut rutulos liceret dari, Senatus constitutum sanctione*, legimus, *adv. Gentes, l.* 2. ubi vox colorem notat, de quo vide paulò pòst.

RUFUS, vide JULIUS.

RUFUS, Consul, an. Urb. Cond. 934. Alius Consul cum Constantio, an. Urb. Cond. 1210.

RUFUS, Centurio sub Scipione Africano, cujus resgestas scripsit Appianus.

RUFUS, Corinthius Sophista, quanquàm divitiis & generis nobilitate pollebat, plus tamen ad ejus laudem dicendi gloria, linguæque gratia contulit *Philostratus.*

RUFUS, Cyrenæus, Simonis Cyrenæi, qui crucem Salvatoris nostri portavit, filius, quique posteà verbi divini felicissimus & illustrissimus disseminator extitit. Marc. *c.* 15. *v.* 21.

RUFUS, D. Pauli discipulus, Roman. *c.* 16. *v.* 13. p[...]

mus

mus Avenionis Epiſcopus. Anton. *part.* 1. *tit.* 2. *c.* 28.

RUFUS, auctor Græcus, ſcripſit *Hiſtoriam Dramaticam & Muſicam.* Photius, *cod.* 161. ubi de variis dramatum, chorearumque generibus agit. Munatius *Rufus*, Hiſtoricus Latinus à Valer. Max. *l.* 4. *c.* 3. *ex* 2. laudatus. Vide *Cluvius Rufus*, *Rutilius & Sextus Rufus.*

RUFUS, Medicus ſub Trajano principe, cujus extant *libri* 3. *de appellationibus partium corporis humani*, ubi & ſitum, & figuram, facultatem, & uſum earundem declarat.

RUFUS, Poëta Bononienſis, cujus meminit paſſim *Martialis.*

RUFUS, in *vetere Charta* apud Columbum, herba eſt inficiendis rubrô colore veſtibus, quæ *Roux* dicitur in alia Guidonis Fulcodii, apud eundem, *de Epiſcopis Vaſion. l.* 3. *num.* 5. *Ros*, *in Gloſſis MSS.* ad Alexandrum Iatroſophiſtam, *l. Paſſion. c.* 66. *ad hæc verba, Rore, quô Gothi utuntur* ——— *Ros quô Goti utuntur, eſt herba, cum qua cordeanum paratur.* Ubi per *Gothos*, Occitani intelliguntur. Sabaudi *Fuſtet* vocant, alii *Rhu*, propter uſum in tinctura, Itali *Roſa* & *Scotano*, atque *Roſolo*, in Apennino, quia corticis uſus, conchylii vice; ramorum verò, quia ligni interioris aureus color, ad lutei tincturam &c. *Cotinum* Plinii eſſe quidam volunt, de qua is ſic, *l.* 16. *c.* 18. *Eſt & in Apennino frutex, qui vocatur Cotinus, ad lineamenta modò Conchylii colore inſignis*, vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & infrà aliquid voce *Ruſſeus.*

RUFUS Color, Græcè *πυῤῥός*, vide ſuprà ubi de *Robigo Deo*, *Rufa vacca*, & alibi *paſſim.* Inter ſpecies eſt dilutioris rubri, his autem gradibus ac numeris ab infimo *rufo* ad ſummum progrediuntur Græci, *Υπωχρὸν, ὠχρὸν, ὑπόπυῤῥον, πυῤῥὸν, ὑπέξανθον, ξανθὸν ὑπέρυθρον, ἐρυθρὸν, ἐρευθὲς, πελιδνὸν.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1155.

RUFUS Minucius, vide *Minucius.*

RUFUS Pomponius, vide *Pomponius.*

RUFUS Publius Rutilius. Vide *ibi.*

RUFUS Purpureo, legatus Roman. in Concilio Ætolorum, Liv. *l.* 32.

RUFUS Sextus, vide *Sextus.*

RUFUS Sulpitius, vide *ibi.*

RUFUS Virginius, orator egregius, interfectus à Nerone. Hujus villa apud Comum, *Vico* ſuburbium. *Volaterran.*

RUFUS. vide RUFFUS.

S. RUFUS, Abbatia Valentiæ, in Delphinatu, Caput Ordin. Canonicorum Regularium S. Auguſtini. Ab Abbate Remondo magno cum ſumptu in inſula exſtructa, poſtquàm ab Albigenſibus alterum hujus nominis monaſterium, prope Druentiam, A. C. 1039. conditum, everſum eſſet. Sed & hæc A. C. 1562. bellô civili deſtructâ: In urbe poſtmodùm Abbas Generalis ſedem fixit. Morer. *in Dict. Hiſt.*

RUGA, apud recentioris ævi Scriptores, platea ſeu vicus eſt, Græcè *ῥύμη*, Gallis *Ruë*, à *rugis* ſeu ſulcis in fronte, quòd id efficiant in urbibus, quod rugæ in fronte. Ut autem bene eſſet urbs *ἐῤῥυμοτομημένη*, ſeu *in rugas ſecta*, duæ maximæ ac latiſſimæ viæ ducebantur olim ac ſeſe *πρὸς ὀρθὰς* invicem ſecabant; cæteræ minores utrique parallelæ delineabantur. Quod in veteſib, Coloniis & caſtris metandis Romani; ut & in urbibus ſuis Græci condendis, ſemper obſervârunt. Imò in agrorum quoque metatione ac diviſione publicè facienda idem conſectati ſunt iidem Romani, per Decumanos & Maximos cardines. In metanda verò ſic urbe, *rugæ* ſeu viæ vulgò cretâ ſolebant deſignari; in Alexandria, polentâ ſparsâ id factum; Romani viarum ſectionem ſulcô videntur delineâſſe, quô etiam veſtigia murorum imprimebant &c. Quæ ſecus ſectæ eſſent urbes, ut inter alias Athenæ, *κακῶς ἐῤῥυμοτομημέναι* dictæ ſunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 821. In *Ordine* Romano & apud Anaſtaſium *in Vitis* Paparum, vox *Ruga* frequens, ſed quid ibi notet, non ſatis liquidum eſt. Vide ſuprà ubi de *Ruario*, & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne *in Deſcr. Ædis Sophianæ, num.* 73.

RUGÆ, in veſtibus, aliæ caſu fiunt, quæ ex ipſa veſtis redundantia variis modis complicatâ naſcuntur, inconditæ ac inordinatæ; aliæ arte conſtant, quæ ex induſtria ſtruuntur, ad aliquem veſti ornatum conciliandum; de quibus poſterioribus Tertullian. *de Pallio c.* 5. *Pallium* ——— *nullô tædiô conſtat, adeò nec artifice neceſſe eſt, qui pridie* rugas *ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum, cuſtodibus forcipibus adſignet: dehinc diluculo tunica* &c. *Στολίδας* Græci vocant, quas in fine tunicarum certô modô atque ordine invicem nexas, vinculum retinebat; unde *στολιδωτοὶ χιτῶνες*, qui *rugis* hujuſmodi & plicis ſtriabantur: Item *ῥαφίδες*, & *σωλῆνες*, h. e. *tubulos*, quòd in ſtrias, velut tubulos, deducerentur & ordinarentur. Inde *dependula contubulatio*, in veſte Iſidis, apud *Appulejum*; & *σωληνωταὶ στολαὶ*, apud *Cedrenum*, quaſi *canaliculata* aut *ſtriglata* &c. Et quidem Romani in Toga priùs *rugas* formabant, deinde deducebant in *tilias*, inquit *Afer*: potiùs *talias* (quam vocem vide infrà) reponit Salmaſius; quô nomine ait venire rugarum in veſte parte eminentem & protuberantem, quæ & *ſtria* Latinis & Græcis *ῥάβδος* dicebatur. Omnem poſteà *rugarum* ſtructuram antè & retro nodô quôdam retinebant, qui in medio, tanquam umbilicus aliquis tabulas omnes colligebat, & conſtringebat, inde *umbilicus togæ* & *umbo* dictus; de quo ſic Macrobius, ubi de Toga Hortenſii ei ſermo: *Fuit veſtitu ad munditiem curioſo, &, ut bene amictus iret, faciem in ſpeculo ponebat: ubi ſe intuens Togam corpori ſic applicabat, ut rugas non fortè, ſed induſtriè locatas, artifex nodus (ita umbonem vocat) conſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens nodum lateris ambiret. Is quondam cùm elaboratus incederet ad ſpeciem, collega de injuriis diem dixit, quòd ſibi in anguſtiis obvius offenſu fortuitô ſtructuram Togæ deſtruxerat, & capital putavit, quòd in humero ſuo ruga locum mutâſſet.* Ubi autem deſinebat rugarum complicatio, ibi ſinus incipiebat; quem ab umbone diverſum fuiſſe, videbimus infrà. Plura hanc in rem vide apud Salmaſ. *ad Tertullian. d. l.*

RUGII, populi Germaniæ in ora maris Baltici, quorum regio *Rugia*, inſula *Rugenlandt*, continenti Pomeraniæ pene juncta, contra Sundim urbem, ubi *Rugium Ptol.* urbs, quæ & Vineta *Holmurg Villanovano.* *Althamerus* verò *Caminum* interpretatur Pomeraniæ urbem Epiſcopalem. *Baudrando* hæc Inſula in ora maris Baltici cum titulo Principatus ſub Suecis, pace Monaſterienſi. Ibi aliàs Arcona, Urbs ampla, nunc diruta: Hodie ejus oppidum præcipuum eſt *Bergen.* Olim multo major, verſùs Auſtrum, & inſulam Rudenam *Peene* fluv. oſtio oppoſitam continebat. Nunc 7. ferè milliar. German. longa & lata, in aliquot peninſulas dividitur. Aliquando Danici Juris, verùm A. C. 1438. Ericus Daniæ Rex eam Pomeraniæ Duci reliquit poſſidendam. Sed populi *Rugii* fuerunt, in ora maris Baltici, ubi hodie pars Pomeraniæ ulterioris verſùs fluv. Rugium & Vipperam. Eorum oppid. fuit Rugium, hodieque *Rugenwalde*, ad oſtia Vipperæ fluvii in Baltic. mare. An dein tranſierint in Rugiam Inſulam, forſan ab eis dictam, incertum. De his ita Eruditus quidam: Fuêre hi olim ſtrenui Mileſii, proximi *Quadis.* Genera eorum *Etelingi* & *Tyrelingi.* Sed hi à Theodorico Bernenſi penitus abſumpti ſunt. Rex eorum fuerat *Ottocarus.* Hodie parvam inſulam incolunt non ita pridem ad eam fortunam redacti *Rugii.* Helmoldus, *l.* 1. *Altera inſula longè major eſt contra Witkos poſita, quam incolunt* Rani, *qui &* Rugiani, *gens fortiſſima Sclavorum, qui ſoli Regem habent.* Vox *Rugiorum* eſt Germanica, & ſignificat quietos. Nam *Ruga* quies eſt. *Cedrenus* & *Zonaras* non dubitârunt hanc vocem è Germania arceſſere, eaque emeritorum ſtipendia quietæque vitæ ſubſidia appellitare, nimirum *Ῥογάς.* Simile vocabulum Germanicum legas, apud *Nicetam Choniatem.* De coborte loquitur, *ἐν Ῥῶται ὠνόμαζεν*, inquit. Non ignotum quid apud Germanos *Rotta* ſit. Aliis *Rugia* Rex, à Matre Rugilandus, Anthyrii III. frater, antiquiſſimis temporibus fuiſſe dicitur. Poſtmodùm Buthuen, filius Godeſcalci Herulorum Regis, A. C. 1066. occiſi à Critone Rugia, Grimmi filio Miziſlai nepote pulſus, & per inſidias ſublatus eſt: cujus frater Henricus cùm Critonem aliquoties victum, tandem occidiſſet, Rugios etiam Principis ſui morte irritatos bis debellavit, ubique ſubjecit: qui tamen poſteà Henrici filium Waldomarum, ſibi præfectum, peremerunt. Pribiſlaum etiam Buthueni filium ceperunt, qui in captivitate obiit. Rugiam dein juri Danorum aſſeruit Chriſtophorus II. Rex, circa A. C. 1322. ſed Wartiſlaus IV. Pomeraniæ Dux, extinctô avunculô Wizlaô, A. C. 1325. Rugiæ principatum, victô Danô, obtinuit. Albertus poſtmodùm Dux Megapolitan. ob Rugiam, adverſus Barnimum, Bogiſlaum, & Vratiſlaum Pomeranos, quibus Valdemarus IV. Daniæ Rex, principatum contulerat, bellum feliciter geſſit. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hiſt. in famil. Vandalica*, ad quam Reges Herulorum, Principes Vandaliæ, Duces Megapolit. & Pomeraniæ, Principes tandem Rugiæ refert. Corbienſes ex Saxonia Monachi, religionem Chriſtianam in Rugia plantârunt, mox à Barbaris pulſi, reliquerunt ibi templum S. Viti, quod incolis turpis idololatriæ occaſio fuit, A. C. 875. Baron. *in Annal.* Razonis poſtmodùm, qui Critoni retro memorato, Lubecæ conditori, ſucceſſit, filius Jaromarus, Stralſundæ fundator, contemptô Suanteviti ſtupendæ magnitudinis idolô, Chriſtianæ fidei apud ſuos auctor fuit: cujus nepos Wizlavus in Livonia idem præſtitit, pronepos Jaromarus Damgartum exſtruxit, abnepos Wizlavus Danis ſe ſubtraxit, Imperio aſſociatus: abnepos Wizlavus A. C. 1325. lineam terminavit, poſt quem ad Pomeranos Rugia, fruſtra Megapolitanis & Danis obnitentibus, pervenit. Vide ſuprà. Waldemaro tamen Dano, qui idolum prædictum planè ſuſtulit, circa A. C. 1161. Rugiæ, penitus converſæ, gloria tribuitur à Crantzio, *Hiſt. Dan. l.* 6. *c.* 28. & Vand. *l.* 5. *c.* 11. Vide quoque B. Rhenanum, *Rer. Germ. l.* 1. cum *Notis* Ottonis JCti, *p.* 220. Addam ſaltem, quòd Numinis locô hi populi olim S. Vitum, ut dictum, adorârunt, hâc occaſione. S. Vitus, circa A. C. 300. temporibus nempe Diocletiani, martyr obiit cum Modeſto & Creſcentia, quod paucis refertur in *Martyrologio* Bedæ, Uſuardi, Adonis & Romano 15. *Jun.* fusè autem deducitur, apud Surium *in vita ejus.* Hujus corpus à Fulrado; Abbate S. Dionyſii, Româ ſub Pipino Rege tranſlatum fuit Pariſios, ut Sigebertus in *Chron.* annotavit ad A. C. 757. Annò autem 836. ſub Imperatore Ludovico Pio, ut idem refert, reliquiæ Martyris hujus Pariſiis *ad Corbejam Saxoniæ tranſlatæ: unde ipſi Franci teſtati ſunt, quòd ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones tranſlata ſit.* Vide & Witichindum *Saxon. geſt. l.* 1. Porrò *Rugii*, qui à Saxonibus, & Corbeienſibus inprimis, religionem hauſerant Chriſtianam, eorum exemplô, ſummo in pretio habuêre S. Vitum templumque magnificum ab eo *Viti* vocitârunt. Poſteà verò reverſi ad Religionem gentilem, cùm nihilominus in S. Viti cultu perſiſterent, eum in ſupremi Numinis evexêre locum, qua de re pluribus agit Helmoldus *in Annal. Slavorum*, *l.* 1. *c.* 6. ubi inter alia, *Solô*, inquit, *nomine S. Viti gloriantur, cui etiam Templum ac ſimulachrum ampliſſimô cultu dedicaverunt, illi primatum Deitatis ſpecialiter attribuentes; De omnibus quoque provinciis Sclavorum illic reſponſa petuntur, & ſacrificiorum exhibentur annua ſolutiones. Sed nec Mercatoribus, qui fortè ad illas ſedes appulerint, patet ulla facultas vendendi vel emendi; niſi priùs de mercibus ſuis Deo ipſorum pretioſa quæque libaverint: & tunc demum mercimonia Foro publicantur; Flaminem ſuum, non minùs quàm Regem, venerantur.* Atque iterum, *c.* 53. *Inter multiformia Sclavorum Numina præpollet Zuante*

ante Vith (h. e. *sanctus Vitus*: uti nunc Polonicè *Swiety Wit*) *Deus terra Rugianorum: cui in peculium honoris annuatim hominem Christicolam litare consueverunt*, similia habet, *l.* 2. *c.* 12. ut & Alb. Crantzius, *Vandal. l.* 3. *c.* 37. ac Saxo Grammaticus, *l.* 14. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idololatria*, *l.* 1. *c.* 41. nec non infrà *S. Vitus*. Et hoc fuit Idolum illud Suanteviti.

RUGULÆ, vulgò RUGLES, locus Galliæ, ad Riselam fluv. inter Aquilam castrum & castellum Liram. Hadr. Vales. in voce *Risela*.

RUGUSCI, seu RHIGUSCÆ *Ptolem. Rheni Steph.* populi Rhætiæ ad Rhenum fluv. incolentes. *Rhynthaler*, & *Rhyngower*, *Scudô* & *Simlerô* testibus. Vide *Rhegusci*.

RULANDUS Martinus, Frisingensis, Medicus celebris. Artem hanc in Academia Lavingana publicè docuit, edidit varia, jam annô ætat. 22. scribere exorsus, quæ enumerat accuratè *in Elogiis* A. Teissier, *Part.* 2. Obiit seculô, præteritô, pater filii cognominis, de quo mox.

RULANDUS Martinus fil. prioris, natus Ratisbonæ, Imperatori à cura valetudinis fuit, extinctus A. C. 1611. lue Hungaricâ, de qua paulò antè Tractatum ediderat. Opera ejus vide apud eund. Adde Lindanum *de Scriptor. Med.* Conradum *Prosap. Millen.* 1. Thuanum *Histor.* Alios.

RULLATUS Felix, vide *Felix*.

RULLUS, solidum aprum Romanorum primum in epulis apposuit, & Ciceronis consulatu legem Agrariam promulgavit, neque tamen pertulit, resistente Cicerone.

RUMA, civitas in tribu Juda, 2. Reg. *c.* 23. *v.* 36. Latinè *excelsa*, vel *projecta*. Item. civitas in tribu Ephraim, ubi Abimelech sedit. In finibus Diospoleos, nunc *Arimathia* plerisque; aliis *Ramphtis*. Item. vicus Galilææ, patria Netiræ & Philippi, fortissimorum Ducum. Joseph. *l.* 3. *bell. c.* 9.

RUMANEA, pagus Germaniæ inferioris apud Juliacum urbem, in illius suburbio. *Rumanheym*, *Pighio*.

RUMBELITTUM, castrum Galliæ, olim in Comitatu pagoque Madriacensi, nunc Hurepensi, vulgò *le Chasteau de Rambouillet en Hurepois*, Est in sylva Aquilina, *la Forest d'Iveline*, ut & Mons Fortis Amalrici, cum quo, & Sparnone, Carnutinæ diœceseos finibus continetur: Marchiæ titulô, sed multò magis Francisci I. morte illustre. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RUMBULA, apud Cæsarium Heisterbacens. *l.* 7. *c.* 45. *Ipsam iconam* (Deiparæ) *respiciens* ——— *indignans ait, Ut quid hic stat vetus hæc Rumbula?* Et mox, *Quia Domina illa me vocavit veterem Rumbulam*: contumeliosum nomen, quô vetulas appellabant contemtim. An à *rumbolo*, quâ voce in Insul. Melita venit trochus puerilis, quem *turbinem* dicunt Latini, & tralatitiè, homo parvæ staturæ: quòd in senio homines repuerascant? An *Rumbula* idem, quod venefica, à *rhombis*; quibus istiusmodi mulieres olim utebantur, ad deducendam Lunam, ut videre est apud Ovidium, *Amorum l.* 1. Martialem, Alios. Unde, Propertius, *l.* 2. *El.* 28. *v.* 35.

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi &c.

Vide Dominic. Macrum *in Hierolex.*

RUMIA, Dea, quæ *rumis*, i. e. *mammis*, h. e. *pueris lactantibus* præsidebat. Varro *de R. R. l.* 2. *c.* 11. Dicitur & *Rumilia*: sed melius *Rumina*, de qua sic Augustin. de *Civ. Dei*, *l.* 4. *c.* 2. *In Diva* Rumina *mammam pueri immulgeant, quia rumam dixerunt Veteres mammam.* Cato apud Nonium. *His Sementibus* (ut emendavit Lipsius. *Antiqq. Lect. l.* 3. *c.* 18.) *lacte fit, non vinô. Cunina, propter cunas*; Ruminæ, *propter rumam, i. e. mammam, à quo subrumi agni* &c. Hinc *Rummalis* Ficus, vide suprà *Ficus Ruminalis*. *Germalus*. *Navia Ficus*.

RUMINALIS Ficus, vide *Romula*.

RUMINATIO, in quadrupedibus olim mundis requisita, Levit. *c.* 11. *v.* 3. est cibi à *rumine*, eminente gutturis parte, in os revocatio. Græcè *μηρυκισμός*. Cujusmodi animalia quatuor habere ventriculos, hosque supplere dentium, qui illis desunt, vicem, cùm non sint *ἀμφώδοντα*, asserit Philosophus, uti infrà videbimus ubi de *Ventriculo victima*. Sola autem hæc in esum Israelitis divinitus permissa, ut hôc pactô à Gentilibus, Ægyptiis præsertim, qui pro Numinibus illa habebant, discriminarentur; & mansuetudinem eorum moribus ac vitâ; *ruminationem* verò pabuli, repetitione attentâ & meditatione quotidianâ verbi Divini, imitarentur. Sed & sanitati Israelitarum hâc Lege consultum voluit Deus, utpote saluberrimâ horum animalium & homini maximè idoneâ carne, Franc. Burmannus *Medit. ad loc. cit.*. Morte postmodùm Servatoris nostri, unà cum aliis V. T. ceremoniis hæc quoque abrogata, & ex tempore ipso ascensionis ejus, post confirmatum Euangelium, Actor. *c.* 10. *v.* 15. usu obliterata est penitus quando jam assertô in gloriam Capite, beneficia illius plenô alveô in membra redundabant, Idem, *Synopsi Theol. Christ. Parte prior. l.* 4. *c.* 21. §. 10. De altero munditiei in his animalibus signo, infrà voce *Ungula*.

RUMINUS, Jupiter sic dictus, quod *rumam*, i. e. *mammam* animalibus cunctis præberet.

RUMON, præceps in Tiberi locus. Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 26.

RUMOR, apud Lamprid. in *Heliogabalo*, *c.* 3. *Erat præterea etiam rumor, qui novis post tyrannos solet donari Principibus, qui nisi ex summis virtutibus non permanet & quem multi mediocres Principes amiserunt*: novè dicitur favor ac studium, quô ferri vulgò solent homines in eos Principes, qui tyrannis succedunt. Casaubon. *ad loc.*

RUMORIDIS, Consul cum Theodosio Augusto, an. Urb. Cond. 1156.

RUNÆ, teste Olaô Wormiô, *in Monumentis Danicis*, *p.* 514. & 523. *in Literatura Runica*, *c.* 3. & *in Fastis Danicis*, *l.* 1. *c.* 1. & *l.* 3. *c.* 3. literæ Danis dictæ sunt, figurarum ductibus à cæteris discrepantes; quarum quibusdam ad res gestas consignandas & ad scribendum: aliis Magi in incantationibus ac præstigiis suis, olim usi fuêre. Unde *Alruna*, Maga vocatur; quas corruptè alii *Alirumnas* & *Aliorumas* dixêre. Sed & omnibus Danorum literis id nomen tributum; quas quidem in oblongioribus baculis eos scribere consuevisse, testatur, præter Fortunatum, Saxo Gramm. *l.* 4. ut & varia ligna inscripta, ab eodem Wormio allata, *Fastorum Danic. l.* 2. Hinc Brynolphus *in Notis in Saxonem MSS. Antiqui autem suas Runas* ——— *tabellis ligneis, quas* Spioldkefle *nominârunt, commiserunt, non atramentô, pigmentô aut colore illitas, verùm cultellis incisas* &c. Quam porrò vocabuli vim inprimis Fortunatus firmat, *l.* 7. *Poëm.* 18.

Barbara fraxineis pingatur Runa *tabellis*,
Quodque papyrus agit, virgula plana valet.

Istiusmodi characterum tabellam exaravit idem Wormius, in *Literatura Runica*, *p.* 60. censetque, literas aut characteres, quos Chilpericum Francorum Regem Francicis addendos statuisse, narrant Gregor. Turonens. *l.* 5. *c.* 45. & Aimoinus *Historia Franc. l.* 3. *c.* 41. non Græcos *sed Runicos, i. e. Gothicos fuisse*; quem si placet vide, & præter eum Loccenium, *Antiqq. Sueciearum l.* 2. *c.* 14. Auctor literarum harum, secundùm quosdam Ulphila fuit, Gothorum Episcopus; sed idem Wormius, non illum eas invenisse, verùm saltem ad exteros protulisse, pluribus docet *d. l.* Hinc *Runen*, insusurrare, quod Magi Sagæque solent, unde *susurrus Magicus*, de quo Car. du Fresne *Notis ad Cinnamum*. Vide quoque eum in voce *Alyrumna*, ut & Auctorem Anonymum *Historia Orbis Terr. Geogr. & Civ. in c. de Linguis*, nec non in voce *Runica litera*.

RUNCALIÆ, locus campestris ad Padum haud procul à Placentia. Hodie *Romandiola*. Vide & *Roncalia*.

RUNCANA, vide RUNCINA.

RUNCARII, inter alia, quoque dicti sunt, ii, qui Valdensium Patarinorumque doctrinæ adhærebant: an à *Roncalia*, de qua suprà, quòd ibi primùm visi; an à *Runcaria*, villâ sic dictâ; an quòd in *runcarus*, h. e. locis incultis & senticosis, ut plurimum degerent? Car. du Fresne *in Glossar.* Est autem *Runcaria* vox medii ævi, à verbo *runcare*, quod Latinis est malas & noxias herbas exstirpare; sicut *rustare*, rubos & sentes, h. e. *rusta* evellere. Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 2.

RUNCINA, Dea, quæ frumento runcando, i. e. à terra auferendo, præesse ab antiquis credita est. Lil. Gyrald. *Synt.* 2. *Hist. Deorum.*

RUNCINUS, apud Bernhardum in *Vita S. Malachiæ*, *Hoc solum dolere se inquiens, quod esset* runcinus *durè portans*; Gallis *Roncin*, Italis *Ronzino*, equus minor, gregarius, non delicatè ac molliter sessorem ferens: quibusdam sic dictus est à Germanico *Ros*, vel *ruynen*, castrare, quòd *runcini* fuerint equi castrati. Erat autem propriè *Roncinus* scutiferorum, ut *palafridus* Militum, sicut observat Car. du Fresne ex *Stabilimentis* Ludovici IX. *l.* 1. *c.* 54. Occurrit vox etiam apud Guilielmum Brittonem, *Philippidos l.* 12. *p.* 242.

Ill præda placet dextrarius Ardinis, illi
Runcinus *capas ignoto dat fune ligandum.*

Vide præfatum Car. du Fresne *in Glossar.* & Dominic. Macrum *in Hierolex.*

RUNCONIA, pagus agri Engolismensis, ab Engolisma 3. leuc. apud oppid. Rupem Focariam. *Ronceigne.*

RUNICÆ, dictæ sunt priscæ Danorum & Gothorum literæ, quòd essent mysticæ & occultæ, Sacerdotalium illarum Ægyptiacarum instar, quas in simulachro Canopi, Antverpiam aliquando allato, Goropius exhibet, *Hieroglyph. l.* 7. *p.* 109. Nec vulgatum olim nomen, *Runica*: Hinc Isidorus *Chron. Goth. sub Æra* 45. dicit, Galfilam eorum Episcopum, Gothicas literas (non *Runicas*) invenisse: sed dum idem subjungit, ipsum etiam Scripturas sacras in eandem linguam convertisse: ansam videtur præbuisse, cur dicerentur *Runica*, scil. quod rebus sacris, mysticis & occultis conservandis essent jam adhibitæ. Præterea *Runica* nuncupentur, sive mysticæ & occultæ, tum quòd ab aliarum gentium literis mirâ discrepant insolentiâ, tum quòd in occultis suis scientiis, porrò magicis & præstigiatoriis, quibus Borealis ista mundi pars præ cæteris pollet, hujusmodi literæ & characteres maximè claruêre. Dicantur & perinde harum literarum & scientiarum professores *Runici*, quasi Mystagogi: habeanturque iidem apud Danos & Gothos, qui Britannis ac Gallis Druides: Magi apud Persas: Gymnosophistæ apud Indos, & in quavis penè gente similes. Origo vocis est à Saxonico *ryne*, quod mysterium & rem occultam denotat, Henr. Spelmann. *in Glossar. Archaeol.*

de RUPE Scissa Johannes, vide *Johannes*.

de RUPE Veteri, adamantes optimi vide *Adamas*.

RUPEFULCAUDUM, oppid. provinc. Inculismensis, cum titulo Ducatus, 4. leuc. ab Inculisma in Ortum, ad Tardueram amnem. *La Rochefoucaut.*

RUPELLA, à rupe cui insidet, dicta, portus Santonum. *Ptolem.* urbs Galliæ Aquitanicæ maritima, contra Normannorum incursiones condita. Ejus nemo ante Ann. 600. meminit. Wilhelmus Britto, *l.* 9. *Philippidos*:

Cum vasibus vinô plenis, Vasconia quale,
Vel Rupella parit. ——— ———

Primò

Primò proprios habuit dominos, dein sub Anglis fuit, quorum Rex Johannes huc appulit, A. C. 1205. & A. C. 1213. cum magno exercitu, posteà sub Galliæ Regis potestatem rediit Asylum Reformatorum, seculò præteritò. Obsessa A. C. 1572. à Carolo IX. sed miraculosè defensa est. Vide Thuan. *Hist.* Vulgò *la Rochelle*. Clara suis malis, Alnetensis tractus, seu, ut Valesius vult, Avedonacensis, caput. In ora Oceani Aquitanici *Baudrand.* in Pictonibus habet *Rigordus*, fortè quia Diœceseos quidem erat Santonicæ, sed Pictavensis Comitatus. Ampla, cum portu & emporio celeberrimo, in regione perferaci, aliàs permunita & sæpe frustra tentata: A. C. tandem 1628. a Ludovico XIII. post longam obsidionem muris nudata est. Ejus Portus, Villæ, Præposituræ, vel Præturæ, Majoris & Juratorum. Monetæ quoque mentio fit in priscis tabulis, ubi nomine Juratorum vel Consilii communis Scabini Paresque designantur. Hodieque enim Rupellæ 24. Scabini & 76. Pares sunt, qui Centumviri vetus Collegium & corpus Urbis componunt, ac quotannis unum è suis Majorem deligunt. Impetrârunt autem privilegia juraque hæc ab Henrico II. Angliæ Rege & Comite Andegavorum, quæ Richardus & Johannes filii ejus confirmârunt. Olim hic Ecclesia S. Mariæ usque ad A. C. 1145. posteà S. Bartholomæi primaria fuit. Nunc Episcopatus Malliacô Pictonum Rupellam, quæ priùs Santonica Diœcesi attribuebatur, jussu Ludovici XIV. translatus, & urbs hæc cum 70. parœciis ac inprimis insul. Radi Santonibus adempta est, 7. leuc. à Broagio in Boream, 2. à Rea Insula in Ortum, 4. ab Uliaro Insula, 3. à confinio Pictaviæ in Meridiem, à Mediolano Santonum in Circium. De hac Urbe Nicolaus de Braja, *in gestis Ludovici VIII.* sic canit:

——— ——— Declivi litore ponti
Nobilis & famâ totô celeberrima mundô,
Divitiisque potens priscis & gente superba
Est Rupella. ——— ———

RUPELMUNDA, vulgò RUPELMONDE, oppid. Belgii cum castro antiquo sed firmo, in Flandria, ad Scaldim fluvium, ubi recipit Rupelam è regione Brabantiæ, 2. leuc. supra Antverpiam.

RUPERA, Script. Belg. *Rupel*, fluvius Belgii parvus, in Brabantia, in Scaldem ad Rupelmundam oppidum influens, inter Machliniam & Antverpiam. Dicitur etiam *Rupela*.

RUPERTIVILLA, vulgò RAPPERSWILL, oppid. Helvetiæ; inter utrumque lacum superiorem & inferiorem Tigurinum, in prominente cornu, ad instar peninsulæ conditum, locô amœnô, formâque eleganti, 20. ferè mill. pass. supra Tigurum. Dictum est à quodam Ruperto, militiæ sub Ludovico Rege duce, qui, amœnitate loci captus, arcem ibi condidit, teste *Guillimannô*. Fuit olim Comitum cognominum sedes, quorum successores Habspurgii deinde ibi præfuerunt. In Helvetiorum potestatem pervenit A. C. 1456. ab Uriis, Suitiis, Underwaldiis & Glaronensibus, bellô cum Constantiensibus finitô occupatum, quibus etiamnum subest, servatâ tamen civibus, quam sub Austriis habebant, libertate. Loci antiquitatem arguere videtur tum ejus opportunitas, tum lapis in aræ speciem formatus, qui nunc *Jonæ* in proximo vico ostenditur, pone templi ostium, cum paucis his literis.

C. OCT. PROVIN.
S.
L. D. D. D.

Vide Simler. *de Rep. Helv.* Jo. Bapt. Plantin. *Helv. Not. antiq. &c.*

VIRI PRINCIPES, EX FAMILIA PALATINA.

RUPERTUS I. cognomine *Senior* & posteà *Prasenior*, filius tertiogenitus Rudolphi I. Electoris Palatini, *Rudolphinæ* lineæ conditoris, fratre Rudolphô II. Electore defunctô Electoratum gessit, quô vivô etiam curis admotus fuerat: Quam dignitatem cùm Stephanus Bavariæ Dux sibi vindicaret, Electoralis Collegii & Caroli IX. Imperatoris auctoritate rejectus est. Academiam Heidelbergensem fundavit filiæque nomine nuncupavit, extinctus A. C. 1390. Successit ei nepos ex Adolpho cognomine *Simplice* Electoris fratre,

RUPERTUS II. cognomine *Prajunior*, vel *Clemens* dictus, qui Bopardiæ, ab Electoribus, cùm Wenceslao Imperium abrogâssent, A. C. 1400. die 21. Aug. electus Imperator, ac Coloniæ coronatus; cùm ab Aquisgranensibus non admitteretur, proscriptione illos punivit. Coegit insuper Wenceslaum Ordines juramentô solvere, nec tamen Regnum à Bohemis oblatum accepit: Cùm dein adversùs Galeacium Ducem Mediolanensem, turbas moventem, profectus esset, desertus à Pontifice & Florentinis, Moguntinô etiam ei adversante, rem minùs è sententia gessit. Obiit A. C. 1410. communis linearum Palatinarum universarum, quæ posteà prosatæ, Parens. Epitaphium ejus Heidelbergæ in templo Spiritus S. sic habet: *Robertus Bavariæ Dux, Comes Palatinus Rheni, Romanorum Rex justus, pacis & Religionis amator, dignus Deo visus, qui pro justitia pateretur, hujus sacræ ædis & Collegii institutor, hic cum castissima conjuge Norici montis Burggravia quiescit, vitâ functus A. C. 1410. Kal. Jun.* 15. Inter filios ejus 4. Ludovicus Electoratum, Johannes Neoburgum, Sultzbacum & alia tenuit, Stephanus Simmerensem & Bipontinum tractum sortitus; demum Otto, Mosbacum inhabitavit. Vide quoque in voce *Robertus*.

RUPERTUS, filius minor natu Ludovici præfati, electus est Archiepiscopus Coloniensis, Sed oppositus ei Hermannus Hassus, in obtinendo Archiepiscopatu, prævaluit, licèt pro *Ruperto* Elector frater & Carolus Dux Burgundiæ facerent. Unde exul demum obiit A. C. 1480.

RUPERTUS, cognomine *Virtuosus*, fil. Philippi Electoris, ductâ Elisabethâ, filiâ unicâ Georgii cognomine *Divitis*, Bavariæ Ducis, à socero omnium ejus bonorum ac ditionum hæres Testamentô scriptus est, cui executores destinati Vladislaus Bohemiæ Rex Ludovicus Gallus & alii magni Principes. Quod cùm probaret Pontifex, probare verò nollet Imperator, ut in fraudem agnati Bavari Alberti cognomine *Sapientis*, contra leges Imperii, factum, duæ primò trientes ditionum Georgii, nomine tum dotis, tum etiam prætensionum, quas ab antiquo adversùs Bavaros habebant Palatini, ut res sine bello posset perfici, *Ruperto* oblatæ sunt: sed cùm fiduciâ Bohemorum & Regis Galliæ, qui stimulâsse dicitur, conditiones is recusâsset, à Maximiliano I. Imperatore ipse & mox Pater A. C. 1504. proscripti sunt. Inde omnibus in Palatinos irruentibus, acrique prœliô ad Ratisbonam *Rupertô*, qui strenuè dimicaverat, victô, Wirtenbergensis Dux Winsbergam, Maulbronnam, alia: Norimbergenses Altorfium, Heresburgum, Lauffenam: Bavarus Ingolstadium, rapuerunt; alibi quoque carpentibus ditiones Bipontinô, Hassiæ Landgraviô, Comitibus Leiningensibus. Cæsar insuper, quæ ab Imperio oppignorata erant Palatinis, sine cæde recuperavit, & Advocatiam provinciæ Alsatiæ suæ adscripsit genti. Dum intereà solus ex vicinis Christophorus Marchio Badensis non tantùm nihil adversùs *Rupertum* movit, sed omni potiùs ope ejus cum Cæsare reconciliationem quæsivit, excelsi animi elogiô ad omnem posteritatem dignissimus. Sic, qui sub Philippo viris, opibus, literis mirè florebat Palatinatus, mox bellô hôc Bavaricô omnigenæ calamitatis theatrum factus est. Tandem, in gratiam receptus Pater, & *Ruperti* filiis pars aliqua avitæ hæreditatis, inter Nabum & Danubium, qui *Neoburgensis Principatus*, aliis *Palatinatus junior* dicitur, est concessa. Fassus autem dicitur Imperator A. C. 1518. Palatinis injuriam se fecisse, & pollicitus restitutionem, vectigal *aureum* appellatum illis attribuit. Descripsit *bellum carmine* Richardus Bartholinus *libris* 12. quos Commentariis Spigelius illustravit: ipsô autem adhuc durante, *Rupertus* seu mœrore, seu venenô, vitam finiit. Pater Ottonis Henrici, post Fridericum II. Electoris, cognomine *Magnanimi*, & Philippi cognomine *Bellicosi*, Viennæ contra Solimannum Turcarum Imperatorem defensione inclyti: quô utrôque sine prole defunctô, defecit Ludovici I. cognomine *Barbati* linea, & in Simmerensem, quæ hodieque superest, lineam Electoralis dignitas transiit.

RUPERTUS, fil. Friderici V. Electoris, Bohemiæ Regis electi, post fratres Fridericum Henricum, & Carolum Ludovicum ultimum Electorem, Patre Rege (quod ipsi primùm contigit) natus, in Belgio educatus est. Captus in Westphalia A. C. 1638. ad Cæsarem Viennam est deductus: inde liber A. C. 1642. cum fratre Mauritio, auxiliô Carolo I. M. Britanniæ Regi avunculo venit, & ad *Kingston* Parlamentariorum cornu sinistrum in fugam conjecit: sequente annô Bristolium deditione cepit, sed A. C. 1644. ad Eboracum à Cromvellio victus est, cùm alterum Fairfaxii cornu penè esset deletum. Hinc cum fratre & Rege Oxonii obsessus, hôc ad Scotos profugô, in manus hostium venit, atque cum fratre regnô excedere jussus est. Mari itaque Parlamentariis infestus, cùm isti classem contra ipsum instruerent, A. C. 1650. magnas secum opes in Lusitaniam detulit, ob quod Angli Olyssiponem aggressuri ferebantur. Demum trienniô fere in Oceano actô, cum 4. navibus in Gallia Namnetas appulit, inde in Germaniam ad Fratrem profectus. Auspiciis posteà Cæsaris expeditionem in Pomeraniam suscepit A. C. 1660. inde post Angliæ Regem restitutum ad eundem reversus. A quo tempore, bellô geminô contra Belgas, semel atque iterum regiæ classi præfectus, magna cum fortitudinis laude egregias res gessit, hodieque aulæ præcipuum decus &c.

EX FAMILIA PIASTEA.

RUPERTUS, Dux Lignicensis fil. Wenceslai, ex conjuge Teschinensi, Patri A. C. 1364. extincto, successit: Frater Wenceslai Episcopi Lebusiensis & Vratislaviensis, cui, ab Vratislaviensibus alium Episcopum sumi desiderans, infestus fuit Wenceslaus Imperator. Cùm itaque ei à fratre *Ruperto* aliquot dolia Suidniciæ cerevisiæ donô mitterentur, Senatus urbanus, Regi addictior, vehicularium prætextu privilegiorum civitatis sistit, Episcopumque Canonici excommunicârunt. Unde motus, in quibus Ecclesiasticorum, qui ejecti ac spoliati, ægreque reconciliati, deterior fuit conditio. Obiit *Rupertus* A. C. 1406. successore fratre præfatô, qui Imperatori Wenceslao Ducatum Goldbergensem vendidisse dicitur. &c. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syllage Genealogico-Historicâ*, ut & *Theatrô Nobilit. Eur.*

RUPERTUS, primus Episcopus Salisburgensis, Obiit A. C. 623.

RUPERTUS, Abbas Tuitiensis, scientiâ & pietate celebris, Obiit A. C. 1135. scripsit *libros* 42. *de Trinitate*, *Commentarios*, *tractatus Theologicos*, & *aliquot Sanctorum vitas*. quæ omnia duob. voluminibus prodierunt, Coloniæ, Lovanii & Parisiis, A. C. 1638. Voss. *l.* 2. *de Hist. Lat c.* 49. Val. Andreas, *in Bibliotb. Belg.* Trithem. & Bellarm. *de Scr. Eccles.* Molanus, Hugo, Menardus, &c. Item è Russia, Franciscanus, floruit seculô 13. scripsit in *Magistrum Sententiarum*, &c. Item, Monachus S. Remigii Remensis, condidit *historiam bellorum à Christianis, contra Saracenos gestorum libb.* 10.

RUPERTUS Michaël, vide *Michaël*.

RUPERTUS, vide ROBERTUS.

RUPES, vulgò dicta *la Roche*, oppid. Petrocorii: in contiguo ejus ædium, in rupe est Crypta larga & spatiosa, è qua effoditur terra subrubra, ejusdem coloris, virtutis & efficaciæ, cujus est Bolus Armenus Medicis dictus. *Merul. Merula.* Vocârunt autem *Rupes*, ac *Roccas*, & *Petras*, Galli castella rupibus imposita. Hinc Pipinus in Aquitania, inter Bituriges Cubos & Garumnam flum. multas *Roccas* & speluncas conquisivisse dicitur, in Annal. Bertinianis, circa A. C. 767. & Florus *l.* 3. *c.* 10. de Julio Cæsare, in Aquitania bellum gerente, refert: *Aquitani, callidum genus, in speluncas se recipiebant: jussit includi.* Prosper quoque de Aquitania sua loquens, *in prolog. libr. de Provid.* canit:

> *Non castella petris, non oppida montibus altis*
> *Imposita, aut urbes amnibus æquoreis, &c.*

Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

RUPES, vulgò *la* ROCHE, seu *la* ROCHE *en Ardenne*, oppidum munitum Belgii, in Ducatu Luxemburgico, ad Urtium fluvium. Distat 9. leucis à Leodio in Meridiem, Bastonacum versùs 3.

RUPES, vulgò *la* ROCHE, oppidum munitum Sabaudiæ, in Genevensi tractu, in colle, prope Arvam fluvium, 4. leucis distat ab Annecio in Cæciam, & 5. à Geneva in Meridiem.

RUPES ad Yonem, vulgò la ROCHE *sur Yon*, oppidum Galliæ, in Pictavia inferiori, Principatus titulò insigne, 12. leucis distat à Nannetis in Meridiem. Lucionum versus 5.

RUPES Amatoris, castrum Galliæ, in Cadurcis, ad fluviolum, qui in Duranium defluit; vulgò *Roquemadour*, inter silvas & montes in eremo positum, à *rupe* sua & *S. Amatore*, qui ibi piè vixit, ita cognominatum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

RUPES Cavardi, vulgò *Roche Chouart*, in Lemovicibus castrum, ad fluviolum, qui Vingennam auget, agri cognominis caput.

RUPES Fergusii, vulgò *Knocfergus*, urbs Hiberniæ, in Ultonia regione & Comitatu Antrimensi, cum portu amplo, è regione Scotiæ, 15. millib. pass. distans ab Antrimo in Ortum, & 25. à Duno in Boream.

RUPES Fidelis, vulgò *Pennafiel*, oppidum Hispaniæ, in Castella veteri, ad Durium fluvium, 10. leucis distans à Segovia in Boream, & 9. à Pintia in Ortum, cum castro aliàs munito.

RUPES Fulcaudi, vulgò *Roche Foucaut*, castrum est Galliæ, in Diœcesi Encolismensi, ad amniculum, qui Carentonô recipitur, & Cellam seu Prioratum non ignobilem habet, ac Ducatûs titulò censetur. Nomen accepit à rupe & Fulcaudo olim suo domino. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

RUPES Magdalenæ, vulgò *la Sainte Baume*, locus Galliæ in Comitatu Provinciæ, & secessus in monte arduo, in quo sancta Maria Magdalena ultimos vitæ annos solitariè egit; estque ferè medius inter Aquas Sextias & Telonem. Dicitur aliter mons Balmæus.

RUPES Maura, vulgò *Roque Maure*, in diœcesi Nemausensi, Castrum Galliæ, rupi Rhodano imminenti impositum, inter Castelum novum & Villam Novam Avenioni adversam, prope Rupem Fortem, *Roque-fort.* Altera est ad eandem Rhodani ripam dextram, in pago Vivariensi vel Helvico, vulgò *Rochemore.* Uterque locus à Mauris nomen accepit, qui utramque Rhodani ripam, ac Provinciam ipsam, ætate Caroli Martelli, & posteà incursionibus vexaverunt. His ergo opposita rupibus castella Galli *Rupes Mauras* dixêre. *Rupes Maura* ad Rhodanum, à Ludovico IX. deditione capta est. A. C. 1248. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

RUPES Monachi, castrum pagi Andegavensis, à Johanne Angliæ Rege obsessum A. C. 1214. Vulgò *la Roche au Moyne.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

RUPES Papalis, vulgò *Rocca del Papa*, aliter Arx Papalis, castrum est ditionis Pontificiæ, in Campania Romana, & in Diœcesi Tusculana, in colle, 14. milliar. distans à Roma in Ortum.

RUPES Poseji, vel de Posejo, castrum Galliæ in finibus Pictonum, ad flumen Crosam, *la Roche Posay*, aliàs *la Roche Pozé.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

RUPES Regia, vulgò *Rocroy*, oppid. munitum Galliæ, in Campania provincia & in Retelensi tractu, juxta Arduennam sylvam, in limite Hannoniæ, ubi Hispani victi & grandi clade affecti fuêre à Gallis A. C. 1643. Distat 11. leucis à Retelio in Boream, 4. à Maceriis & Carolopoli in Circium, 14. à Mariæburgo in Meridiem, uti 6. à Philippovilla.

RUPES Ridula vel *Rupes* Ridulæ, *Roquedrille*, pro *Roque de Rille*, locus Galliæ, ad flumen *Risselam*, quod in enumeratione MS. fluminum Galliæ ante annos 400. compositâ *Ridula* vocatur, *Ridula in partibus Montis Fortis & Pontis Audomari currit:* Ejus ostio proximus. Hadr. Valeſ. in *Risela*.

RUPES Tarpeia, vide infrà *Tarpeia rupes.*

RUPES Wildonis, vel Guidonis, castrum Galliæ, ad Sequanam, vulgò *Roche Guion*, à Guidone, domino suo, sic appellatum. Sed quis *Rupes* omnes, i. e. loca in *Rupibus* condita, & varia eorum cognomina, vel in uno regno, enarrare possit? Ut de sola loquar Gallia, tradunt Annales Bertiniani A. C. 767. Pippinum, in Aquitania, inter Bituriges Cubos & Garumnam fluvium *multas Roccas & speluncas* conquisivisse. Idem cisdem verbis in 2. vetertimis Annalib. alteris ad A. C. 800. alteris ad Caroli M. mortem deductis, reperitur. Istas verò *Roccas*, seu *Rupes*, quæ erant castella rupibus imposita, Eginhardus in eod. anno *Petras* appellat. Florus, *l.* 3. *c.* 10. de Julio Cæsare in Aquitania bellum gerente, eadem penè habet; *Aquitani callidum genus, in speluncas se recipiebant, jussit includi:* quæ verba, cùm soli Aquitaniæ Julii Cæsaris, inter Garumnam & Pyrenæum, convenire debeant, tamen & de gentibus, usque ad Ligerim, multo ante Flori ætatem, ab Augusto Aquitaniæ attributis, accipi possunt, apud quas multæ ejusmodi Roccæ, Petræ atque Speluncæ fuerunt. Prosper *in prolog. libb. de Provid.* de Aquitania sua loquens, *castella petris imposita* memorat, quæ *Rupes* posteà:

> *Non castella Petris, non oppida montibus altis*
> *Imposita aut Urbes amnibus æquoreis.*

Addam saltem *Rupibus* jam memoratis, *Rupem* Bertoaldi *Roche Baritaud*: *Rupem* Canderici, *Roche Chandry*: *Rupem* Corbonis, *Roche Corbon*: *Rupem* Fortem, in Andicavis, ad Ligerim, *Rochefort*: in Aquilina sylva *Rochefort en Iveline*: in Nemausensi agro, non longè à Rhodano, *Roquefort* &c. Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ.*

RUPEX, apud Tertullian. *de Pallio c.* 4. ubi de Chirone Centauro, qui Achillem educaverat, *Naturam itaque concussit Larissæus Heros, in virginem mutando: ille ferarum medullis educatus ---- ille apud rupicem & sylvicolam, & monstrorum eruditorem, scrupeâ scholâ eruditus: homo* rusticus est, agrestis ac durus, quasi à *rupium* asperitate. Quô sensu *Petronem* etiam Latini veteres dixêre. Atque ita quidem Tertullianus vocem sumpsit; aliàs alia ejus cùm ratio, tum significatio est. Nec enim à rupibus *rupex*, cùm prima in *rupex* brevis sit, quæ in *rupe* longa est. *Lucilius*,

> *Varonum ac rupicum squalosa incondita rostra.*

Itaque *rupex*, purum putum Græcum est, ὁ ῥύπαξ, h. e. *inculsus ac sordidus.* Salmaſ. *ad locum.*

RUPICAPRA, Hebr. זמר *Zamer*, à *salto*, colore est inter fuscum & rufum, sed qui æstate magis ad rufum, hyeme ad fuscum vergit. Meminit tamen Gesnerus *de Rupi-capris p.* 292. *partim albam partim nigram, distinctis coloribus se vidisse.* Qui, *colorem eis per anni tempora mutari, totasque albas interdum, sed rarissimè conspici*, addit *ibidem.* In monte Carpatho Rupicapræ genus unicorne, Polonicè *Skalnakoza*, quasi *rupea capra*, reperiri, indeque sæpe à venatoribus Cracoviam, in Aulam, adferri, Gesnerus idem docet, unde de monocerote quibusdam fabula. Quod animal pugnax admodùm esse, & omnia alia impetere, refert Bochartus *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 27. ubi vocem ראם *reem*, explicat.

RUPICHOUARDI seu RUPICHOVARTII, Gall. ROCHECHOUART, nomen familiæ illustris in Galliis; quæ ex priscis Lemovicum Vice-Comitibus deduci amat, & in plures ramos distincta est. Primus omnium *Vicecomitum de Rochechouart*, defecit in Anna, quæ hæreditatem transtulit ad maritum Joannem *de Pontville* Dominum *de Breuilhez*, cum nominis onere, unde nova Vicecomitum progenies: Reliqui rami fuêre Dominorum *du Bastement*, Comitum *de S. Oven*, Dn. *de Bourdet & Chandenier*, *de Faudoas*, *de Jars*, *de la Brosse*, *de Chastillon le Roy*, *de Montpipeau*, *de Bonnivet*, Inprimis verò Dominorum *de Mortemar*, qui ramus nunc quoque floret. Vide suprà in voce *Mortemar* & plura hanc in rem, apud Ph. Jac. Spenerum, *Theatrô Nobil. Europ. Part.* 3. *p.* 8. & *in Indice*; ubi stirpis hujus historiam exponit.

RUPIFORTIA Familia, Gallicè *Rochefort*, inter illustres Germaniæ, Leonsteniæ stirpis ramus est. Ludovicus enim Comes Leonstenius, filius minor natu Ludovici primi Comitis Leonstenii, Werthemiæ lineæ auctor, à conjuge Anna (filia Ludovici Comitis Stolbergii & Walburgis Comitis Wiedanæ) accepit Comitatus Wertheimensem, *Rupifortensem* & Montacutensem; Dynastias Breubergensem, Herbimontanam & Chaspirensem. E quibus jus ad *Rupifortium* & Herbimontium à Ludovici Stolbergensis matre Anna Königstenia arcessitur, cujus mater Luisa è Marcanis *Rupifortiis* & Herbimontiis fuit. Hôc editi, præter alios, qui improles obiêre, Christophorus Ludovicus & Joannes Theodoricus, duarum linearum, *Virnenburgica* & *Rupifortia*, auctores fuêre: divisione inter illos A. C. 1611. sic institutâ, ut prior Lœnenstenium Comitatum, posterior Breubergensem Dynastiam & Belgicas ditiones haberet. Hic itaque, natus A. C. 1584. post varia in bello, in Ungaria contra Turcas, in Germania contra Herbipolenses, in Belgio contra Batavos, iterum in Germania contra Fridericum Bohemiæ Regem, alibique fortiter gesta; obiit A. C. 1644. ex Josina Marcana (filia Philippi Comitis Marcæ & Catharinæ Comitis Manderscheidiæ) pater, præter filios, Josinam Walpurgim (quam, natam A. C. 1615. Hermannus Comes Bergensis è Cœnobio abduxit) & Dorotheam Catharinam (quæ genita A. C. 1618. Ferdinandum Comitem Manderscheidium maritum accepit) Philippi Ernesti (nati A. C. 1612. denati A. C. 1635.) Ernesti Theodorici (nati & denati A. C. 1613.) Friderici Ludovici (nati A. C. 1614. denati A. C. 1615.) Ferdinandi Caroli, & Joannis Theodorici (nati A. C. 1623. denati 1645.) *Comitum Lœnenstenii & Werthemii, in Rochefort* &c. E quibus Ferdinandus Carolus (natus A. C. 1616.) Patri successit, Camerarius Ferdinandi III. & Assessor Consilii Aulici Imperialis: Pater verò ex Anna Maria Furstenbergica, ductâ A. C. 1651. numerosæ prolis. His enim Parentibus nati sunt A. C. 1652. Maria Anna, uxor Wilhelmi Hassiæ Landgrav. Eleonora, conjux Erici Adolphi Comitis Salmæ & Reifferscheidæ; A. C. 1654. Ernestina Barbara Dorothea; A. C. 1656. Maximilianus Carolus; A. C. 1657. Philippus Eberhardus Josephus, Canonicus Argentinensis; A. C. 1659. Amalia & A. C. 1661. Franciscus Leopoldus. Ipse Pater haud pridem decessit. Vide eundem Spenerum, *Sylloge Geneal. Histor. in Appendice Familiæ Palatinæ*, & *Theatro Nobilitatis Europæa Part.* 2. *p.* 59.

RUPIFORTIUS Guido, vide *Guido*. It. *Johannes*.

RUPIFORTIUS Raimundus, vide *Raimundus*.

RUPIFULCAUDIA Familia, sive *de la Rochefoucaut*, antiquissima inter illustres Galliæ familias, in qua memoratur Fulco A. C. 1026. Seculò XIV. Emericus III. Guidonis & Raymundi pater fuit; quorum hic Dominus *de Vertueil* genuit Joannem Dn. *de Barbesieux*, cujus filia Maria; adgnato Joanni nupta, huic hæreditatem attulit. Ille (Guido) ex Margareta Craonia hærede, pater erat Fulconis & Aymari; cujus posterioris filia Joanna dominium *de Montbason* attulit marito, Joanni *du Fou*, à quo ad Rohaneos delapsum est. Nova divisio cœpit, cùm Fulconis nepos Franciscum II. Antonium & Ludovicum genuisset. A Ludovico descendunt Barones *de Montendre*; ab Antonio *Domini de Barbesieux & de Chaumont*. Franciscus autem primogenitus, ex filiorum altero Francisco III. reliquos Comites (qui nunc Ducali dignitate aucti) *de la Rochefoucaut*, nec non Comites *de Roucy*; ex altero Carolo Comites *de Randan* prosevit. Vide iterum Spenerum, *Theatrò suprà cit. Part. 2. in Ind.* ubi Familiæ dispositionem, & *Part. 3. p. 77.* ubi hanc Rupifulcaudiorum seriem exhibet. Franciscus Comes *de la Rochefoucauld*, ex Silvia Pica (filia Galeotti Comitis Mirandulæ) genuit Franciscum, qui decessit A. C. 1591. Pater ex Claudia *d'Estissac*, Francisci I. Ducis, defuncti A. C. 1650. Hôc & Gabrielide *du Plessis de Liancourt*, genitus Franciscus II. junxit sibi Andream *de Vivonne*; atque ex ea suscepit Franciscum *de la Rochefoucaud*, Principem *de Marsillac*, maritum Joannæ Carolæ *du Plessis Liancourt* (filiæ Henrici *du Plessis Liancourt* Comitis *de la Rocheguyon*) & ex ea patrem Francisci Comitis *de la Rocheguyon, nomine de la Rochefoucauld*.

RUPIPULCAUDIUS Franciscus, vide *Franciscus*.

RUPILIA Faustina, Rupilli Boni Consularis filia, avia paterna Marci Antonini Philosophi, memoratur Jul. Capitolino, in *Vita* hujus Imperatoris; *c. 1.* fuit autem *Rupilius* hic & nomine & cognomine homo obscurus, fortè Consul suffectus, aut saltem Consularibus ornamentis honoratus. Casaubono *Not. ad Capitolin.*

RUPILIUS Bonus, vide hic *Rupilia*.

RUPIPOZÆI, Gall. *de la Rochepozay*, in eodem Regno illustris Familiæ nomen est; Ramus hæc stirpis Castaneæ, sive *Chastengners*. Cùm enim seculò XII. Theobaldus tres filios genuisset, Theobaldum, Joannem & Wilhelmum; primus auctor fuit Dominorum *de la Chastaigneraye*, alter Dominorum *de la Meilleraye & Reaumur*: tertius Dominorum *du Breuil de Challons*. Quorum medium quod concernit, is denuo in tres palmites excrevit: quorum tertius Dominorum *de Reaumur* proximè elapsò seculò exaruit; nec non alter Dominorum *de Avaux*. Præcipuus verò fuit Dominorum *de S. George de Rexe*; è quibus descendunt Domini *de Verger, de Andonville, de* [illegible] *Gabillere, des Touches*: Primogeniti verò sunt, Domini *de la Rochepozay* atque *de Abain*; post quos Comites *de Chausé*. Illorum hæc series: Petrus *Chasteigner* Dn. *de la Rochepozay*, qui obiit A. C. 1474. pater fuit, ex Joanna *de Varezé*, Guidonis Castanei, defuncti A. C. 1506. Hôc & Magdalenâ Puteanâ, genitus Joannes Castaneus III. Dn. *de la Rochepozay*, obiit A. C. 1567. relictò ex Claudia *de Monsleon* Dna *de Tauffu* & *Talmond*, Ludovicò Castaneò Dn. *de Abain*, Barone *de Malval & Preuilly*, defunctò A. C. 1595. Ei Claudia Puteana genuit Joannem Castaneum IV. Dn. *de la Rochepozay* Baronem *de Preuilly & Malval* (fratrem Henrici Ludovici Castanei doctissimi Episcopi Pictaviensis) qui ex Diana *de Fonseque* genuit Carolum Dn. *de Rochepozay & Abain* (natum A. C. 1608.) Ludovicum (natum A. C. 1613.) Abbatem *de Beauport* Joannem (defunctum A. C. 1615.) Annam (natam A. C. 1613.) Mariam, Mariam Luciam & Dianam, omnes *nominis & familiæ Castanea Rupipozæa*, vide eundem Spenerum, *Part. 2. Theatr. p. 33.*

RUPITANI, seu Rupitæ, contemtim ab Augustino appellati sunt Donatistæ, qui Romæ morabantur, *lib. de Unit. Eccles. 3.* & *de Hæresibus c. 69.* quod in rupibus & montibus (unde iidem *Montenses* quoque) conventicula sua haberent. Vide suprà *Montani*.

RUPS. in nummis Honorii & Johannis, *Ravenna peramia signata*, notat, Car. du Fresne *Dissertatione de infer. ævi Numismatibus*.

RUPTARII, seu **RUPTURARII**, apud Gallos (qui eos *Roturiers* vocant) homines sunt ignobiles ac obnoxiæ conditionis, cujusmodi sunt coloni ac rustici, quibus viri Nobiles ac ingenui opponuntur: *Rupturarius* enim propriè colonus, apud medii ævi Scriptores, quòd agrum seu terram *rumpit*, proscindit, colit: Postmodùm *Ruptarii* quoque dicti sunt prædones quidam sub XI. seculum, ex rusticis potissimùm collecti ac conflati, qui provincias populabantur & interdum Principum militiæ se addicebant. Matthæus Paris. *A. C. 1250. Ubi est ille* ruptarius *percussor impius … In civitate igitur accubuit Oliverius de Termes, cum suis omnibus, quos* Ruptarios *vocamus, pugnatoribus* &c. Eorum cohors *Rupta*, apud Guil. Britonem *Philipp. l. 5. p. 152.*

Quos Marchaderi sic clausit rupta ——

Idem *l. 7. p. 171.*

—— *Totam Lupicarius rupta*
Fac erat, &c.

Unde hodieque *Ruta*, vulgò *Route*, Gallis usurpatur, pro quavis turma militari. qua de voce agit Nicetas Choniates *in Balduino*, *num. 5.* & qui hunc laudat, Car. du Fresne *in Glossar.* ut & *ad Villhardinum*. Vide quoque suprà *Compagnia*, *Cotereллus*, & infrà in *Rutta*.

RURA, Scripturâ Belgic. *Roer*. fluvius Germaniæ inferioris; ex Eyfalia regione in Mosam per Duram, Juliacum, & Linnicum, urbes Ducatus Juliacensis fluens, ad Ruremundam urbem Geldricam. *Ferrarius*. *Valesio* alluit Sleidanum, *Sleyden*, Nidacum, *Nideck*, Marcodurum, *Duren*, Hambacum, Juliacum Ducatus caput, Hembergam, Wassenburgum, & apud Ruræmundam dextrum Mosam ingreditur.

RURADENSES, *Vet. Inscr.* populi Hispaniæ Bæticæ, quorum pagus adhuc durat, *Rus* dictus, apud Biatiam Vandalitiæ, 3. mill. pass. distans, teste *Morali*.

RUREMUNDA, Scripturâ Belgicâ *Roermond*, urbs Belgii extrema Geldriæ, ad Mosam, ubi Ruram (unde ei nomen) fluvium excipit, Episcopalis, sub Archiepiscopo Machliniensi, sub Philippo II. Hispaniæ Rege, & Belgii domino Episcopalis effecta, inter Leodium ad Meridiem & Noviomagum urbem primariam Geldriæ ad Boream, 10. leucis, quot à Colonia Agrippina, ab Aquisgrano, & Trajecto, & Juliaco 6. *Ferrarius*. *Baudrando* urbs est Hanzeatica Belgii, in parte superiori Ducatus Gueldriæ, sub dominio Hispanorum, quanquam anteà capta fuerat à Batavis, qui inde ejecti fuere. 2. mill. pass. distat à Venloa in Meridiem.

RURIACIA, Dominico Macro, appellata est Rosolea, quam Panormitani pro Sancta habent, vide eum *in Hierolex.*

RURICIUS, Episcopus Lemovicensis, ex illustri Aniciorum familia: cujus nuptiæ cum Iberia, Ommaci filia, à Sidonio Apollinari, insigni epithalamiô celebratæ sunt. Floruit A. C. 506. Ei *Ruricius* nepos successit. Vide Fortunat. *l. 4.* Sidon. Apollin. *l. 4. ep. 16. l. 5. ep. 15. l. 8. 10. & car. 10. & 11.* Savaro & Sirmondus, *notis in Sidon. &c.*

RURICUS, conditor Monarchiæ Russicæ. Ex Waregis enim (quò nomine intelliguntur, qui mari Balthico adjacent populi, Finni, Sueci, Livones, *Russi*, Wandali) delati circa A. C. 753. tres fratres, *Ruricus* Novogardiam, Scianus *Biale-Gesiero*, & Truborus Plescoviam, tres celebres Ducatus condidêre. Quorum duobus postremis absque prolè extinctis, solus *Russiæ* Monarcha factus est *Ruricus*, conditor familiæ Ducum, quam *Belam* vocant; unde Fletcherus, Elisabethæ Angliæ Reginæ Legatus, Ruricum hunc ex Hungaria oriundum fuisse, ubi Belæ nomen frequens, conjecit, sed nullò fundamentò. *Rurico* successit Ihor filius sive Jebor, quem *Cedrenus* & alii Græcorum Historici vocant *Inger* Regem Russorum, quò intra juventam defunctò mater ejus Olha, seu Helena Principatum suscepit, vera Russorum Semiramis. Post illam regnavit Stoslaus seu Suatoslaus, Græcis *Sphendosthlabus*; qui, domitâ Bulgariâ Imperium Russiæ, usque ad Pontum Euxinum Thraciamque extendit. Eò mortuò Russia, pro numero filiorum, in tres abiit Ducatus, Xioviensem, Pazinacensem & Novogardiensem, donec solus fratribus superstes Uladimirus, eos iterum junxit A. C. 976. & ductâ Annâ, Basilii Imperatoris Constantinopolitani filiâ religionem Christianam, secundùm fidem & ceremonias Ecclesiæ Græcæ, in Russiam introduxit, A. C. 987. Urbem insuper Uladimiriam exstruxit, & Imperii in ea sedem posuit. Obiit A. C. 1005. relictis XII. filiis; unde Russia in totidem Ducatus divisa est, è quibus præcipui, *Novogrodensis*, *Rostoviensis* & *Woladimiriensis*. Sed A. C. 1033. Jaroslaus, qui solus mansit superstes, Russiam universam iterum conjunxit: donec in 5. partes ea denuo discerpta est, A. C. 1052. Ducatum videl. *Smolenscensem*, *Vladimiriensem*, *Kioviensem*, *Czernicoviensem* & *Vereasiaviensem*, à quo tempore variis dissidiis Russia collidi cœpit. Duo autem præcipui Ducatus fuêre, *Kiovienses & Vladimiriensis*, quibus qui potiebantur, ii veluti Russorum Monarchæ erant; Kioviâ quidem Russiæ Nigræ, Vladimiriâ verò Russiæ Albæ sede existente. Verùm dum inter se ita disceptant Russi, Tartaris Zavolhensibus in prædam cedunt; qui A. C. 1224. & seqq. effusi è Scythia, sub *Batti* Ducis auspiciis, universam Russiam in potestatem suam ac servitutem miserrimam redegêre, de qua legere est Baronem Herberstenium, Petrum Petræum, aliosque *Rerum Moscoviticarum* Scriptores. Duravit autem illa per tria circiter secula, usque ad tempora Basilii & A. C. 1500. Intereà Russia Nigra Poloniæ accessit, captâ devastatâque Kioviâ A. C. 1300. Albæ verò caput Moscua evasit A. C. 1325. quò Georgius sedem Imperii, ex urbe Vladimiria, eò transtulit: obtinet tamen hodieque Vladimiria primum locum in Magni Ducis titulo, sequente demum Moscuâ. Postmodùm Joannes Basilides I. excussò Tartarorum jugò, omnibusque Russiæ Regulis subactis, primus *Magni Ducis* nomen assumsit, & Russicum Imperium ad summum potentiæ fastigium evexit. Cujus successor Basilius, initiò contra Tartaros Precopenses infelix, posteà extensis longè latèque finibus, *Tzarum* seu Imperatorem se primus dici voluit: pater Joannis Basilidis II. qui duobus regnis Tartaricis, Casanensi & Astracanensi, auctior, usque ad Mare Caspium Persiæque fines, Imperium promovit; primusque, veluti Romani Imperii æmulus, duplici Aquilâ, sed alis in terram versis, in insignibus suis uti cœpit. Post excessum filii ejus Theodori, novam Magnorum Ducum familiam condidit Michael Fedrovitius, post varias turbas à quatuor Pseudodemetriis motas, de quibus vide suprà: A quo hodierni Duces descendunt. Vide Georg. Hornium, *Orbe Imper. cum Not.* L. Joachimi Felleri, *p. 372. & seqq.* Idem tamen *in Orbe Polit. part. 1.* Fratres tres fuisse, Zechum, Lechum & *Russ*, atque à duobus prioribus Bohemos & Polonos, à tertio verò Russos conditos ait, quod Fellerus *Animadvers. 51. ad Orb. Imp.* confirmat Vide infrà quoque in voce *Russia*.

RURUCCIUS Danus, profugus à Lodovico II. Imperatore adjutus. Rhegino, *l. 2. Annal. Fuld.* &c.

RUSA, olim *Ursa*, fluv. Helvetiæ. Oritur ex monte, quem *Furcam* appellant, fluitque per loca confragosa; donec non procul à

Vetere pago. In lacum Lucerinum, hodie *Lucernerſee*, & *Waldſtetterſee* ingreditur; inde Lucernam pertranſiens, ac in multos circumductus gyros Arolam intrat, non multum ſub Brugis Herogeæ oppidulo. Vide *Urſa*.

RUSAZUS; ſeu RUZASUS Plinio, *l.* 5. *c.* 2. *Ptolem. Carbon*, teſte *Moletiô*, oppid. & colonia Mauritaniæ Cæſarienſis maritima, inter Ruſuccoras ad Occaſ. 55. & Saldas in Ortum 35. mill. paſſ. In Theſauro Linguæ Latinæ, malè pro Ruſazus, Ruzatus ſcriptum legitur.

RUSBROCHIUS Johannes, Brabantinus, Prior Canonicorum Regularium S. Auguſt. in monaſterio Vallis viridis: *Doctor contemplativus & divinus*, ob aſſiduas meditationes, dictus. Opera ejus pietate & zelô plena, è Belgico latinè verſa, à Dionyſio Carthuſiano, prodierunt, Coloniæ, A. C. 1609. Præcipui tractatus ſunt, *Summa vitæ Spiritualis: Speculum ſalutis æternæ: Commentaria in tabernaculum Moſis, &c.* Item *libri* 3. *de Nuptiis Spiritualibus*, in quos Gerſon cenſoriam virgulam ſtrinxit. Obiit A. C. 1381. ætat. 88. Marc. Maſtelinus, *in Necrol. vallis viridis*, & P. Freherus Theatrô *Viror. eruditione clarorum*.

RUSCIA, urbs magnæ Græciæ, *Procop.* Vide *Roſcianum*.

RUSCINO, *Strab.* Plin. *l.* 3. *c.* 4. *Tacit.* & aliis, *Ruſino Ptolemæo*, *Ruſcinum Avieno*. *Rouſillon*, colonia & urbs exciſa apud Parpinianum, (quod nova Ruſcino dici poteſt) inter Narbonem ad Boream 12. & Gerundam urbem Hiſpaniæ in Ortum 13. leucis. Comitatus in Gallia Narbonenſi ſub Hiſpanis, nomen adhuc antiquæ urbis retinens: cujus urbis nil exſtat præter turrim, *la Tour de Rouſſillon*. *Ferrar.* *Baudrando* urbs fuit Sardonum Galliæ Narbonenſis, & Colonia exciſa, manet tantùm turris, dicta *Tour de Rouſſillon* Gall. *Tur Roſſelle* Hiſpan. dimid. leuc. à Perpiniano in Ortum, ad Thetim fluvium, 10. leuc. à Narbone in Meridiem Gerundam versùs 15. Erat in colle; & ab ea tractus adjacens dictus fuit Comitatus Ruſcinonenſis. Vulgò *la Comté & Viguerie*, i. e. Vicariatus *de Rouſſillon*, cui Comitatum & Vicariatum Confluentinum, *de Conflans* vulgò jungunt. Comitatus Cerretaniæ, *de Cerdagne*, qui aliàs ipſi adjungi ſolet, trans Pyrenæos poſitus eſt & ad citeriorem Hiſpaniam Tarraconenſem ſpectat. Vide infra *Ruſcinonenſis Comitatus*.

RUSCINO, fluvius Galliæ Narbonenſis, Latin. *Telis*, hodie *la Tet*. A quibuſdam *Thetis* dicitur. Perpinianum Comitatus Ruſcinonenſis caput rigat, & 2. leucis in mare Mediterran. cadit. An *Vernodubrum*. Plinii *l.* 3. *c.* 4. Græcis Geographis, Straboni *Ruſcino Ῥουσκίνων*, Ptolemæo *Ruſcio Ῥουσκίων*, Athenæo *Roſcynus Ῥοσκυνος*; Avieno *Roſchinus* dicitur, *in ora Maris*. *l.* 1.

——— Poſt Pyrenæum jugum
Jacent arena littoris Cynetici:
Eaſque latè ſulcat amnis Roſchinus.

RUSCINONENSIS Comitatus, vulgò *le Comte de Rouſſillon*, tractus Galliæ Narbonenſis, inter Occitaniam & Catoloniam, aliàs adjectus Hiſpaniæ, & effectus pars Cataloniæ. Sed Joannes Aragoniæ Rex illum vendidit Ludovico XI. Regi Galliæ. Reſtituit cum Ferdinando Aragonio Carolus VIII. eâ conditione, ut Neapolitanos non juvaret; ſed promiſſis non ſtetit, & quod offerebatur accepit. Noſtrâ tempeſtate à Ludovico XIII. fortiter recuperatus eſt Comitatus ille; & poſteà A. C. 1659. Franciæ regno conjunctus fuit pace ad Pyrenæos confectâ. Comitatus hic Ruſcinonenſis extenditur ad 18. leucas Hiſpanicas ab Ortu in Occaſum. Terminatur ab Ortu mari Mediterraneô, à Septentrione Occitaniâ, ab Occaſu Ceretaniâ, & à Meridie Cataloniâ, à qua ſeparatur Pyrenæis montibus. Ejus primaria urbs eſt Perpinianum, propè ruinas veteris urbis Ruſcinonis, à Guinardo Comite Ruſcinonenſi, A. C. 1068. extructum, à quo tempore pagus is nunc Comitatus Ruſcinonenſis, nunc Parpiniacenſis dictus eſt. Sunt etiam in ea provincia urbes Helena, Caucoliberis, Ceretum, Francavilla ad Confluentes, & Salſulæ arx munita.

RUSCONIA, RUSCINON Livio, *l.* 21. *c.* 24. *Ruſconium Ptolem.* *Rungome Antonin.* colonia & urbs Mauritaniæ Cæſarienſis maritima inter Icoſium ad Occaſum & Ruſucurrum ad Ortum, à Julia Cæſarea 78. mill. paſſ. in Ortum. *Moraſus*, & *Temem de Fuſt Marmolio*.

RUSCURIUM, ſeu RUSCURRUM. *Antonin. Rhuſuccora Ptolem Garbel*, teſte *Moletiô*, urbs & Colonia Mauritaniæ Cæſarienſis inter Ruſconiam ad Occaſum & Saldas ad Ortum. *Sanſoni Alger* hodie, urbs ampla Barbariæ, regni cognominis caput, cum portu capaci & arce munita: ſed piraticâ infamis. 100. mill. paſſ. à Burgia ſeu Saldis in Occaſum, & 110. à Teneſa in Ortum, uti 40. à Sarſela.

RUSELLÆ, Thuſciæ oppid. mediterraneum *Ptol.* & Liv. *l.* 28. *c.* 45. hodie *Roſella*, teſte *Leandrô*. *Ruſellana Colonia* Plinio, *l.* 3. *c.* 5. *Roſella Antonino*. Ejus rudera nunc *Roſella*, vix 2. milliar. à Roſſeto versùs Senas 3. à lacu Caſtellionæo in Ortum in maritimo tractu Senenſi. *Baudrand.*

RUSELLUS, de quo Brito Armoricanus, *Philippid. l.* 1.

Terra Bienſis habet caſtellum, nomine Brajam,
In quo Judæos plures Comitiſſa Brenenſis,
More ſuô nummos dantes & fœnus, habebat.
Contigit, ut fidei noſtræ confeſſor agreſtis
Quidam, quamplures ſolidos deberet iiſdem,
Qui cùm non eſſet ſolvendo, contulit illis
Arbitriô Comitiſſa ſuô punire Ruſellum,
Præcipuè quoniam Judæis probra tuliſſet &c.

Hunc Judæi vinctum flagellatumque crucifixerunt, latere etiam ejus haſtâ perfoſſô: quam ob rem à Philippo Rege omnes combuſti ſunt. An *Ruſellum* cum Brito vocavit à Gall. *ruſer*, i. e. decipere, fraudare, ac ſi Comitiſſa eum, uti Judæorum fraudatorem, tradidiſſet, quòd pecuniam debitam non perſolverat? Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archaeol.*

RUSIBIS, ſeu RUSUBIS *Vict. Uticenſi*, *Ruſubis* Plin. *l.* 5. *c.* 1. portus & oppid. Mauritaniæ Tingitanæ ad Cuſæ oſtium in mare Atlanticum labentis. *Omirabi* Marmolio.

RUSICADA, oppid. Africæ propriæ maritimum apud Cullu urbem. *Eſtora*, ſive *Stora Marmolio* & *Moletio*.

RUSICIBAR, meliùs *Ruſubricari*, eſt *Sarcelle*, ſeu *Sercelle*, oppid. amplum regni Algerii, in ora maris mediterranei cum arce & portu capaci, 28. milliar. à Ruſucuro ſeu Algerio in Occaſum.

RUSINA Dea fuit, cui rura committebant antiqui, ut ait *D. Auguſtin. l.* 7. *de Civ. Dei*, *c.* 23. Quidam hanc potiùs *Rurinam* appellârunt.

RUSIPISIS, hodie *Tedeles*, oppid. regni Algerii, in ora maris Mediterranei cum portu, 18. leucis ab Algerio in Ortum, Saldas verſus paulo plus. Dicitur & *Sadeles*.

RUSIUM, *Cedreno*, *Topirus Ptolemæo*, *Doberus Thucyd.* *Topyrus Procopio*, urbs Thraciæ cis Rhodopen, inter Philippos & Maximianopolim: hodie *Ruſio*, 90. milliar. ab Adrianopoli in Africum, 8. ab ora maris Ægæi in Boream *Baudrand*.

RUSNA, fluv. Pruſſiæ Ducalis olim Chronus. Oritur in Lithuania, ubi *Niemen* dicitur; recipitque Sezaram & Viliam: dein Samogitiæ partem Auſtralem rigat; & tandem *Ruſſe* dictus, in Curonenſem Sinum ſe exonerat 5. oſtiis.

RUSO, vide *Abudius*.

RUSOR, cognomen Orci ſeu Plutonis, apud Romanos, quòd *rurſus* cuncta eodem revolvantur. Joh. Roſin. *Antiqq. l.* 2. *c.* 15.

RUSPÆ, *Ptol.* Africæ propriæ urbs maritima. *Stella* ſcribit eam *Alfaques* hodie vocari. *Baudrando* urbs Byzacenæ, hodie *Aſfachus*, in regno Tunetano, in ora Syrtis minoris, ſeu Capſi ſinus, 70. mill. paſſ. à Ruſpina in Meridiem.

RUSPINA, urbs Africæ maritima inter Hadrumetum & Ruſpas. Silius, *l.* 3. *v.* 260.

Quæque procul cernit non æquos Ruſpina fluctus.

In Byzacena regione hodie *Souſe*, *Sanſoni*, urbs ampla regni Tunetani in ora littorali maris Mediterranei cum portu, media inter Mercurii promontor. in Boream, & Syrtim minorem ad Auſtrum 40. mill. paſſ. ab Adrumeto in Ortum, totidem à Thyſdro in Boream.

RUSS, Imperii Ruſſici conditor, vide ſuprà *Ruricus*.

RUSSADIUM, promontor. Africæ, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 305.

RUSSARDUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

RUSSATI, una ex quatuor factionibus Circenſibus, quæ in Circis inprimis, tum in Ludis, ac aliis equeſtribus certaminibus, adhibitis equis, ſive ad equitationem ſive ad aurigationem, ſemper certabant, tantumque ſtudium equis optimis eligendis ac parandis exhibebant; ut Galenus ſcribat *Method.* 7. Venetæ ac Praſinæ factionis homines, etiam ſtercora equorum odorari ſolitos, quò ex illis animalium habitus, atque temperamenta internoſcere & cognitis inde melioribus uti valerent. Siquidem harum factionum contentiones tantæ erant, ut nullis ſumtibus ſtudiiſque parcerent, quo victoriâ potiti favorem Populi, quem quadripartiti, ob ſtudium hujus vel illius factionis, ſibi conciliarent. Aliàs *Ruſſata*, *Rubens*, *Rubra* eadem factio dicta, de qua ſic Tertullian. *de Spectac.* *Ab initio duo ſoli fuêre colores, albus & ruſſus: Albus hyemi ob nives candidas, ruſſus æſtati, ob Solis ruborem, voti erant: Sed poſtea tam voluptate, quàm ſuperſtitione provectâ, ruſſum Marti, album Zephyris conſecraverunt.* Alii colorum alias reddunt rationes, ut alibi viſum. Hier. Mercurialis *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 9. has in favendo diverſis factionibus hominum acerrimas contentiones inde ortas exiſtimat, quòd Romanorum veſtimenta quatuor duntaxat coloribus texerentur, rubeô, albô, venetô, ſed præcipuè rubeô magis fuſcô, ut Martialis indicat, *l.* 14. *Epigr.* 129.

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia ruſſis.
Et placet hic pueris militibuſque color.

Proin ei factioni quiſque favebat, quæ ſibi ſimilem colorem profitebatur; niſi quòd in Amicarum gratiam quandoque aliter agerent, juxta præceptum Ovidii *de Arte*, *l.* 1. *v.* 145.

Cujus equi veniant, facito, ſtudiosè requiras.
Nec mora; quiſquis erit, cui favet illa, fave.

Meminit *Ruſſatæ* factionis *antiqua Inſcr.* C. *Appulejo. Dioclí. Agitatori. primo. factionis. Ruſſatæ. natione. Hiſpano. Fortunæ. primogeniæ. d. d.* Et alia, *Cl. Aurelio. Polyphemo. domino. &. Agitatori. factionis. Ruſſatæ. Togati. Cæſareo. ſui. temporis. primo. &. ſoli. factionario. ob. gloriam.* Unde liquet, numerum victoriarum, quas retuliſſent, conſuetas inſcribi tumulorum cippis, aut ſtatuarum elogiis, unà cum Factionis mentione, in qua circiſſare contigiſſet; genus item, gentemque exprimi, dignitatis tandem inter Agitatores fuiſſe gradus. Medici factionis *Ruſſatæ* in *alia Inſcr.* mentio: *Diis. Manibus. M. Antonio M. F. Aniensi. Marrinio. Evok. Aug. vixit annos* 38. *Medicus. factionis. Ruſſatæ. fratri. ſanctiſſimo. fec.* apud Roſinum, *Antiqq. l.* 5. *c.* 5. Vide & ſuprà in *Roſeus*. At *Ruſſa Tunica*, apud Treb. Pollion. *in Claudio*, *c.* 14. *Tunicas ruſſas militares duas annuas, ſagochlamydes annuas duas* &c. *Φοινικίδες* exponuntur Turnebo, quem ſequutus eſt Caſaubonus; ſed *Φοινικίδα*, appellant Græci *τὴν ἐφεστρίδα*, h. e. *paludamentum* vel chlamydem, quæ ſupra tunicam accipiebatur. Tunica verò militaris interior veſtis, ſupra quam ſagochlamys aſſumebatur, unde *tunicas militares* & ſagochlamydes jungit Trebellius. Sunt igitur hic *Tunicæ ruſſæ φοινικοῖ χιτῶνες*, *φοινικᾶς ὑποδύτας* vocat Plut. *in Philopœmene*. *Ruſſatas* appellat *Iſidor.* *Ruſſata*, inquit, *quam Græci phœniceam vocant, nos coccineam, reperta eſt à Lacedæmoniis, ad celandum coloris ſimilitudine ſanguinem.* Addit.

Hæc

Hâc usi sunt milites Romani, sub Consulibus, unde etiam russati vocabantur. Sequitur apud eundem: *Solebat enim pridie quàm dimicandum esset, ante principia poni, admonitio & indicium futuræ pugnæ.* Quod insigne, ante Ducis tentorium erigi solitum, cùm ad arma concurri oporteret. χιτῶνα κόκκινον & χιτῶνα φοινικοῦν itidem Græci dixêre, h. e. *Tunicam russam* &c. Porrò *russas* istas militares *camisinas russas* vocat Martialis, *l. 14. Epigr. 129.*

Roma magis fuscis vestitur, Gallia russis,
Et placet hic pueris militibusque color.

Ubi intelligit *tunicas russas camisinas*, quæ servis militibusque in usu fuêre: vel certè *pænulas russas*; vel utrumque. Namque & pænulas & tunicas russas milites habuisse videntur &c. Uti autem *purpureum* seu φοινικοῦν hîc non blatteum aut sanguine purpuræ tinctum designat; (solis enim Imperatoribus purpureis tunicis uti concessum) verùm simpliciter rubrum: Sic vicissim *russum*, Græcè ῥούσσιον, plerunque & ξανθὸν & φοινικοῦν [illegible] comprehendit; adeoque omne id quod vel rubrum est vel flavum vel croceum aut luteum, coccinum & purpureum, significat. Vide Cl. Salmasium *ad Trebellium d. loc. & Vopisc. in Aureliano, c. 46.*

RUSSETUM, in *Monastico Angl. Tom. II. p. 419. Sex ulnæ de russeto, & decem virgæ de linea tela* &c. pannus est vilior, russei seu rufi coloris, quem Galli *Roux*, Angli *Russet* dicunt. Vide Car. du Fresne *in Glossar.*

RUSSEUS, inter equorum colores, Græcè ῥούσσιος; potiùs quàm rufus, Palladius, *l. 4. c. 13. Colores* (equorum) *hi præcipui, badius, aureus, albineus, russeus* &c. Unde *roux* Gallicum. *Roseum* Isidorus perperam scribit *Origin. l. 12. c. 1.* Vide suprà ubi de colore *Roseo.* Idem Græcis πυρρός, ut videre est apud Philosophum, *Hist. l. 9. c. 45.* sed ῥούσσιος magis in usu. Sic in Theocriti *Syracusiis*, Praxinoë de equo rufo in posteriores pedes assurgente,

'Ορθὸς ἀνέστα ὁ πυῤῥός. ἴδ' ὡς ἄγριος [illegible].
Burrus ut erigitur, quamque ferus est ac protervus.

Inferiores Græci, cùm scriptum apud Latinos *russeum* passim invenirent, ῥούσιον quoque dixerunt. Sed & hinc *russatam factionem*, de qua vide suprà, Poëtæ Græci citimæ ætatis, ῥούσιον appellant, *l. 4. Epigramm.* εἰς Ἰουλιανὸν ἡνίοχον ῥουσίου, in Julianum, agitatorem Russatæ factionis:

Ἔλλαπε, [illegible] ῥουσίς νίκας ἰδίας
Ἰουλιανὸς [illegible] ῥουσίς
Ἔχων, [illegible] &c.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 7.* & Salmas. *ad Lamprid. in Antonino Diadumeno, c. 2. & Exercitat. Plin. ad Solin. p. 1155.* ubi *Rosseum* & *Russum* antiquis Latinis, idem & *Rufum*, quod Græcis πυῤῥόν, hodieque *Russum* Italis Gallisque dici colorem luteum vel flavum, ait. Interim *russeum* potiùs, quàm *rufum* de equis dici, vidimus suprà ex Bocharto. Quod verò de *Russata* factione dictum, non sic accipi debet, quasi ab equorum colore sic esset dicta, panni enim hic color erat. Unde & *versi pannis agitâsse* Aurigæ dicebantur, quum ab unius factionis panno ad alterum transferrentur. Idem, *p. 903.*

RUSSIA, quæ *Roxolania* etiam dicitur, & *Ruthenia*, unde nomen acceperit, variæ extant opiniones: inter quas verisimiliter est, eam antiquitùs *Rossetam* appellatam fuisse, quasi gentem disseminatam & dispersam: *Rosseja* enim, Ruthenorum linguâ, disseminatio seu dispersio explicatur: eò quòd hi populi totam Sarmatiam Europæam, & Asiaticæ partem occupârunt, atque ab Oceano glaciali ad Mediterraneum usque mare, & Sinum Adriaticum, necnon, à Ponto Euxino ad Balthicum Oceanum usque, suas colonias extenderunt: omnes itaque populi, qui linguâ Sclavonicâ utuntur, atque ritum & fidem Christi, Græcorum more, sequuntur, communi vocabulô *Russi*, seu *Rutheni* appellantur. Duplex autem est Russia, Meridionalis, quæ & *Nigra* dicitur: & Septentrionalis vel *Alba*. Russia *Nigra*, sub Poloniæ regno continetur, versus Austrum, & clauditur à Meridie Sarmaticis montibus, qui Carpates etiam & Tatri dicuntur, ab Ortu habet Volhiniam, & Podoliam inferiorem conterminas: à Septentrione Polesiam, ab Occasu verò Poloniam superiorem contingit: ejus metropolis est Leopolis, sæpe German. *Russelemburg.* Aliæ urbes Belza, Chelma, Premillia, Jaroslavia, & Zamoscia. Ibi aliàs Peucini ex parte. *Alba* verò Russia Duci Moscoviæ páret: Estque regio perampla, aliàs Sarmatia, inter Oceanum Septentrionalem ad Boream, & Tartariam minorem ad Meridiem. Ejus primaria Moscua. Vide *Moscovia.* Cromerus *in Chron. Poloniæ, Metel.* Videatur & Ægidius Fletcher, *in Russorum Republ. c. 1.* ac *Baudrand.* Obsederunt Russi Michaëlem Imperatorem Orientis in urbe Constantinopol. A. C. 861. sed re infectâ discessêre, interim ex captivis religionem Christianam hauserunt. Accessit postmodùm Basilii Imperatoris opera, & miraculum non exusti codicis sacri, cùm Episcopus precaretur: *Glorifica nomen tuum Christe Deus!* A. C. 866. Iterum, sub Rege Ingero, cum classe Urbem oppugnantes, imperante Constantinô, A. C. 944. classe dissipatâ, frustra fuêre. Sedati posteà à Zimisce, A. C. 971. Vlodomirus dein Russiæ Dux, ductâ sorore Basilii Imperatoris Annâ, fidem Christianam suscepit, circa A. C. 980. Russiam subjugavit Boleslaus Poloniæ Princeps, quòd Isaslaum pulsum restitutumque denuo ejecissent, A. C. 1058. Boleslaus posteà alius A. C. 1123. Jaropelcum Ducem Russorum cepit, rebellem bellô petiit, in quo Palatini cujusdam fugâ immaturâ victus est, A. C. 1128. Casimirus quoque Rex bellum Russicum gessit, A. C. 1177. & Lescus insigni clade illos superavit, A. C. 1205. Vastata sequentibus temporibus Russia est, à Battone, Changii Tartarorum Regis filio, cui Septentrio obvenerat, A. C. 1241. Iterum Russorum Dux Suarnomes à Boleslao Pudico, Poloniæ Rege per Petrum Palatinum Cracoviensem victus est, A. C. 1267. Lescus quoque Niger Boleslai successor Leonem Ducem, Leopolis conditorem, duplici clade affecit, ob incursiones in Poloniam factas, A. C. 1280. Carolus post hæc Ungarorum Rex, præter alias regiones, Russiam quoque subegit, A. C. 1310. Casimirus autem M. iisdem victis, Russiam in provinciæ redegit formam, eôdem cum Polonis jure, veteri tamen Religionis ritu concessô, A. C. 1342. Etiam Vladislaus, filius Vladislai Jagiellonis, Russicam & Podolicam nobilitatem, cum Polonica omni jure exæquavit, A. C. 1434. &c. Vide Cromerum *Hist. Polon.* Lætum *Comp. Hist. Univ.* Alios. Nomen ejus à veteribus Roxolanis, à quibus & gentis origo fortè petenda, deducit Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr.* triumque generum *Russiam* facit, *Albam, Rubram* & *Nigram*, quæ nomen videntur à colore, quô incolæ olim usi, accepisse: nisi etiam priores discriminis causâ ita appellatas dixeris, ut à Russia Nigra, quæ Moscovia est, discernerentur. *Alba*, ad M. Ducatum Lithuaniæ pertinet; *Rubra*, aliàs *Roxolania*, & quoad extimiores potissimùm oras, *Ucraina* dicta, ab Austro Hungariam, Moldaviam & Bessarabiam habet, ab Ortu Tartariæ & *Russiæ* tractus, à Borea Albam Russiam Stirô & Pripeciô fluminibus disjunctam, ab Occasu Poloniam minorem. De utraque vide in vocibus *Polonia*, item *Lithuania*. *Nigra* verò, alias *Moscovia* dicta, à Borea habet Mare Glaciale ab Ortu fluv. Boream & extremam Volchdam, ab Austro, sunt Tartari Crimenses & Lithuania, ab Occasu Livonia & Suecia, de qua vide in *Moscovia.* Vitibus *Russia* caret, æquè ac aliæ ad Septentrionem sitæ regiones, quarum defectum vinis Archangelum allatis facilè supplet. Feris sylvæ abundant, cervis exceptis, quos non habent, veluti nec in re piscaria carpiones; ex vulpinis verò Hermelinis & Zebellinis pellibus, commercia ejus non leve augmentum capiunt. Frigus ibi ingens, quod peregrinantes pellibus & opertis trahis utcunque declinant. Imperii *Russici*, quod planè despoticum est, historiam, seriem Imperatorum aliaque huc pertinentia, vide in *Czar*, item *Moscovia*. De *Russorum, Moscovitarum & Tartarorum religione, sacrificiis* &c. unô volumine prodiêrunt Scriptores varii, Francofurti in fol. A. C. 1600. Apud Anglos, melioris notæ Scriptor, de *rebus Russicis*, prostat Giles seu Ægidius Fletcher *de Orthographia Ruthenica*, editus est tractatus insignis Adami Bohorizii &c. Vide quoque præfatum Auctorem *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. passim, præcipuè c. 7. ubi de Imperio Russico prolixè agit.* Addam saltem, quæ de *Russorum* Imperatoris, vulgò *Magni Ducis Moscoviæ*, pileo Sigismundus Baro *Comm. rer. Moscov.* in hæc verba refert. *Pileus ipsorum linguâ*, Schapka, *dictus, quô Wolodimerus Monomach usus est, & quem gemmis ornatum, aureis item laminis, quasi quibusdam spirulis subinde se vibrantibus, mirè concinnatum reliquit.* Vide quoque suprà in *Ruricus.*

RUSSUS Johannes, vide *Johannes.*

RUSTICÆ, unum ex tribus gallinarum generibus, Varroni *de Re Rust. l. 3. c. 9.* ubi recenset *Villaticas, Rusticas, Africanas*: Græcis vertuntur Ἀτταγῆνες; hodie Italis *Francolini*, Gallis *silvestres Gelinottæ*. Nam & silvas amant & nomen respondet. *Rusticulas* unô verbô etiam dixêre Latini, atque ita in *lemmate* Martialis, *l. 13. Epigr. 76.* ubi sic canit,

Rustica sim, an perdix, quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix, sic sapit illa magis.

Certè nullam hodie avem habemus, quam dicere possimus æquè benè respondere ac convenire Attagenis formæ & descriptioni, ut hanc *Rusticulam* Gallorum sive *gelinottam*; namque & colore qui ὑποποικίλος est, & rostri longitudine atque acumine ei omnino similis est. Nec obstat, quòd Plinius & Martialis Attagenem à *Rusticula* diversam faciant. Attagenem nempè Ionicum maximè celebrant; & sapore inter omnes aliorum locorum attagenas commendatum prædicant. Nec mirum aut novum, gustu & formâ differre idem genus pro patriæ diversitate, &c. Interim *Gallinas rusticas* in Urbe raras fuisse, & in ornatibus publicis spectandas exhibitas, simul cum psittacis & merulis albis, atque aliis id genus insolitis, idem indigitat Varro, ubi suprà. Vide Salmas. *ad Solin. p. 149. & 150.*

RUSTICÆ Tribus, apud Romanos, hanc habuêre originem. Servius Tullus, auctâ mirum in modum adventitiâ multitudine, quam in tertiam Tribum; Lucerum scil. Romulus conjecerat; auctâ etiam Urbe, quam fecerat ampliorem, totam urbanam multitudinem, in quatuor partes, secundùm loca habitationum, destribuit, quas à tributo *Tribus* appellavit, neglectis illis Tribubus generalibus tribus à Romulo institutis, iisque nomina indidit *Suburana, Palatina, Esquilina* & *Collina*, atque eas *Urbanas Tribus* appellavit. Posteà idem universam multitudinem *Rusticam* in quindecim Tribus divisit, illisque similiter nomina à locis inposuit: quarum tamen multæ posteà, in libertatem Civitate vindicatâ, illustrium aliquot familiarum nomina sibi ascivêre. Accessêre tandem Tribus aliæ, donec numerus 35. expleretur, qui integer usque ad extrema Reip. tempora permansit, Carol. Sigonius *de antiq. jure civ. Rom. l. 3. c. 3.* Vide quoque Rosin. *Antiqq. Rom. l. 6. c. 15.* & in voce *Tribus.* Hæ omnes divisæ fuerunt in Urbanas & *Rusticas*, quæ sic dictæ ideò sunt, teste Dionysiô, *l. 4.* quòd primis quidem temporibus Urbanis ii qui urbem: *Rusticis* illi, qui rus haberent, comprehenderentur. Posterioribus verò temporibus hoc discrimen inter utrasque tribus fuit, quòd *Rusticæ* Urbanis longè præferrentur, & ita optimus ac præstantissimus quisque in illis censeri vellet, ac tum Tribus, non Urbis, sed Civitatis, partes haberentur. Cujus rei causas duas fuisse laudatus Sigonius refert vitæ nimirum *Rusticæ* commendationem, & Censoriam notam,

tam, de qua utraque. Vide Varronem *de Re rust. l.* 2. *c.* 3. Plinium, *l.* 18. *c.* 3. Livium, *l.* 8. è quibus discimus, in Urbanas Tribus transferri ignominiæ, dedidiæ & probro fuisse. Fabiumque Censorem in duas partes divisâ civitate, cùm aliud integer populus. fautor & cultor bonorum; aliud forensis factio teneret, omnem forensem turbam, ne humilimorum in manu essent Comitia, excretam in quatuor Tribus conjecisse, *Urbanasque* eas appellitâsse. Vide iterum Rosin. *loc. cit.*

Rusticarum XV. Tribuum antiquarum, nomina.

α. Æmilia, antiquô nomine, quod à loco petitum erat, relictô, ad imitationem Claudiæ, à gente seu familia cognomine illustri, appellari maluit: quod tum videtur factum, cum forensi turbâ, in Urbanas Tribus conjectâ, viles eæ haberi, & illustres familiæ in *Rusticas*, in quibus agros suos habebant, concedere inciperent. β. Claudia, ab Appio Claudio denominata, vetus nomen primadeposuit, quam dein multæ aliæ sequutæ. γ Cornelia, à gente Cornelia. δ. Fabia, à gente cognomine ε Galeria, antiquum nomen retinuit, à loco nobis ignoto; an à fluvio Thusciæ Galeso dicta, quasi *Galesia*. ζ Horatia, à gente. η. Læmonia, à vico Lemonio. θ. Menenia, à gente. ι Papiria, à gente. κ. Pollia, à loco, cujus nomen ac memoria intercidit. λ. Papinia, ab agro Papinio. μ. Romulia, vel Romilia, ab agro quem Romulus Vejentibus eripuerat. ν. Sergia, à gente. ξ. Veturia, priùs *Vetusia*, similiter à gente. ο. Voltinia, à loco nobis hodie ignoto nomen accepit. Vide quamque harum *suis locis*.

RUSTICI, apud veteres Romanos, in rebus sacris perficiendis, placabant sua Numina, nomine familiæ & liberorum. Commeabant autem in Lucos festis diebus & ibi perpotabant. Tibullus, *l.* 1. *Eleg. ult. v.* 51.

Rusticus è luco revehit, malè sobrius ipse,
Uxorem plaustrô progeniemque domum.

Uxor nempe & liberi *Rustici* festô die in loco perpotaverant & saltando ludendoque fessi pedibus non poterant casam repetere. Ergo rusticus Paterfamilias consulit illis plaustrô impositam familiam revehens, non minùs & ipse interim florè Liberi saucius. Ita Lucum collucans Paterfamilias precabatur, ut præscriptum ad Romanum morem est à Catone *de R. R. c.* 139. *Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando, bonas preces precor, ut sies volens propitius mihi*, DOMO FAMILIÆQUE *meæ* LIBERISQUE *meis*. Vide Barthium *Animadv. ad Statium Theb. l.* 9. *p.* 103. & de festo maximâ *Rusticis* curâ, celebrari solito, infrà voce *Thalysia*, ex Menandro Rhetore. At *Rustici* apud Hieronymum *ad Pammachium*. de optimo genere interpretandi. *Sufficit in præsens nominâsse Hilarium, Confessorem, qui Homilias in Job & in Psalmos tractatus plurimos in Latinum vertit è Græco; nec assedit literæ dormitanti & putridâ* rusticorum *interpretatione se torsit, sed quasi captivos sensus in suam linguam victoris jure transposuit*: Sunt indocti & indiserti; quomodo vocem idem frequenter usurpat, *ad Minervium & Alexandrum, ad Paulinum Præfat in Esaiam, in Hieremiam, in Ezechielem* &c. Qui, cùm in alium sermonem quidquam transferre volunt, verbum de verbo solent interpretari. Cicer. *de Finib. l.* 3. *Nec tamen exprimi verbum è verbo necesse erit, ut Interpretes indiserti solent.* Quos ipse *ad Algasium* scribit, verbum de verbo exprimere conantes obscuriores facere sententias & veluti herbis crescentibus frugum strangulare ubertatem. Quare interpretationem illorum *putidam* vocat, h. e. anxiæ stultæque diligentiæ. Ut Cicer. *de Oratore, l.* 3. *Nolo exprimi putidiùs, nolo obscurari diligentiâ.* Atque eò magis hôc nomine pravos appellat interpretes, quòd ipsi eorumque sectatores, veluti in invidiam doctrinæ Hieronymi, *rusticitate* suâ gloriabantur, velut tum demum Apostolici, si in sermone maximè rudes & barbari essent. Hinc *in eodem libello, Venerationi mihi semper fuit non verbosa* rusticitas, *sed sancta simplicitas. Qui in sermone se dicit imitari Apostolos, priùs imitetur virtutes & vitam illorum. In loquendo simplicitatem excusabit sanctimoniæ magnitudo. Cæterùm ridiculum, si quis è nobis manens, inter Crassi opes & Sardanapali delitias, de sola rusticitate se jactet.* Vide Jo. Frid. Gronov. *ad Scriptores Eccl. c.* 19. suprà *Agrestes*. ut & infrà.

RUSTICI Dii, agrorum habebantur Præsides & agriculturam censebantur promovere. Eorum XII. numerat Varro, quos *Deos consentes* quoque vocat, sed ab iis, qui à Jove in consilium adhiberi credebantur, distinctos. Ita enim is, *l.* 1. *de Re rustica c.* 1. præcepta conscripturus, *Quoniam*, inquit, *(ut ajunt) Dii facientes adjuvant, priùs invocabo eos: nec, ut Homerus & Ennius, Musas, sed XII. Deos consentes. Neque tamen eos Urbanos, quorum imagines ad Forum aurata stant, sex mares & feminæ, totidem, sed illos XII. Deos, qui maximè Agricolarum Duces sunt.* Paulo pòst dein illos recenset; *Jovem Patrem*, & *Tellurem Matrem: Solem* & *Lunam: Cererem* & *Liberum: Robigum* & *Floram: Minervam* & *Venerem: Lympham* denique ac *Bonum eventum*. Præter quos innumera minorum Deorum turba fuit, è qua notiores infrà recensentur, è Rosino, *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 20. & Vossio, *de Idolol. l.* 2. *c.* 61. Priùs autem de Rusticis, altero hominum genere, à colendo rure dictis, addam pauca. Apud Romanos, *quum vera Romuli proles*, ut ait Columella, *l.* 1. *præfat. assiduis venatibus, nec minùs agrestibus operibus*, exercitaretur, *Rustica* plebs urbanæ est præposita. Namque & Proceres civitatis in agris morabantur, inde, ubi consilium desideraretur publicum, è villis in Senatum arcessiri soliti, per Viatores. Proin honestum nomen plebeji ordinis, *Rustici Romani*. Cicer. *pro Sextio*, in Optimatum, h. e. qui consilia sua optimo cuique probari vellent, secta collocat *Municipales Rusticosque Romanos*: Idem de Senectute, *c.* 7. *Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos & familiares meos.* Idem *de Divin. l.* 1. *Enim cuidam Rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret, præsultorem sibi non placuisse ludis.* Tib. Atinium *de Plebe* hominem vocat Liv. *l.* 2. *c.* 36. Marcus fil. *ad Tiron. Habes ubi deponenda sunt urbanitates*, Rusticus Romanus *factus es.* Meminit & Varro apud Fest. *in Re R. l.* 3. *c.* 1. Atque hinc conquerebatur Varro, Patresfamiliâs *falce & aratrô relictis, intra murum correpsisse.* Vide Joh. Frid. Gronov. *de Pecun. Vett. l.* 4. *c.* 9. His apud Athenienses videntur respondisse Γεωμόροι, in tripartita illa Populi, in Eupatridas, Geomoros & Demiurgos, divisione, à Cecrope factâ, de quibus alibi. Apud Germanos, Henrici Aucupis tempore, nonô quôque virô ex agro in oppida hinc inde noviter condita ac munita translatô, reliquorumque laboribus in urbana horrea conditis, discrimen factum est inter plebem Urbanam ac *Rusticam*, atque hi *Bauren*, à rure colendo, quod Germanis est *bauren*; illi verò *Burger*, à *burgis*, h. e. locis murô vel aliô sepimentô firmatis, appellari cœperunt. Vide Limnæum Enuclear. *l.* 4. *c.* 1. §. 3. De *quatuor Imperii Rusticis*, inter quos Colonia Agrippina est. hinc in medio nigræ crucis colonum, flagellô instructum, in insignibus gerens. Vide Zeilerum *Continuat Itiner. Germ. c.* 21. *p.* 265. Senes *rusticos* in Græcia διφθέρᾳ sive pelle indui consuevisse, liquet ex Aristophanis Νεφέλαις, *Actu* 1. *Sc.* 1. & Polluce, *l.* 4. *c.* 19. *sect.* 3. unde hi Comicis Διφθερίαι dicti, de quo Petrus Victorius, *l.* 26. *c.* 23. Fuit autem *Diphthera*, secundùm veteres Grammaticos, vestis ex corio seu pellibus, Pastorum ac Agricolarum propria; sagum scil. ex pellibus, quod exomidi injiceretur, palliô brevius indumentum, περιβόλαιον ποιμενικὸν in Νεφέλαις Scholiastæ Aristophanis. Aliàs Βαίτη, ut videre est apud Theocritum *Idyll.* 3. & 5. quam *vetus Scholiastes Meloten* & *Diphtheram* reddit. E pellibus verò caprarum fuisse, docet Varro, *de Re Rustica l.* 2. *c. ult.* Calcei eorum perones fuêre, vide suprà in hac voce: & quia caligæ clavis suffigi olim cœpêre, à militibus, hinc mos calceamenta eôdem modô muniendi, ad *Rusticos* transiit, quod Theophrastus in Græcia se observâsse scribit, hodieque plurimis in locis obtinet. Vide Bened. Balduinum *de Calceo* & Jul. Nigronium *de Caliga*. Familiam *Rusticarum* pluribus persequitur Laur. Pignorius, *Comm. de Servis*. Vide infrà.

DII RUSTICI, APUD VETERES MINORUM GENTIUM.

α. Bubona, Dea Boum. β. Colline, collibus præerat. γ. Deverrona, à *deverrendo* dicta, quò in frugibus coacervandis opus. δ. Fauna seu Fatua, cum Tellure eadem. ε. Fornax, Dea frumento, in fornacibus torreri solito, præfecta. ζ. Fulgor, ne fulgura fierent, invocatus. η. Hippona, equarum stabulique præses. θ. Hostilina, faciebat, ut in segete aristæ novæ aliæ aliis hostirent, i. e. æquarent. ι. Jugatinus, jugis montium præsidebat. κ. Lactucina vel Lactens Deus, lactenti favebat frumento. λ. Mellona, mellificationem curabat. μ. Nodinus vel Nodotus, à *nodis* geniculisque plantarum nomen habuit. ν. Pales, pabuli Dea. ξ. Pan, Pastorum Numen. ο. Patalena, segetes & folliculos promovere credebatur, ut patescerent. π. Picumnus & Pilumnus. is stercorandis agris, hic pinsendo præerat frumento. ρ. Pomona, pomis præfecta fuit. σ. Populonia, populationes arcebat. τ. Priapus, Hortorum erat custos. υ. Puta, ab arboribus putandis dicebatur. φ. Runcana, runcandis frumentis præsidebat. χ. Rusina, à *rure* habuit nomen. ψ. Segesta, seu Segetia, à *segete* dicta: Ejus simulachrum in Circo & in nummo Saloninæ, uxoris Gallieni Cæsaris, conspicitur. ω. Seja & Sera, à *serendo*: ejus simulachrum itidem in Circo; cum priore à Numa consecrata est. αα. Spinensis Deus, ab expellendis spinis. ββ. Stercutius, stercorandis agris præfectus. γγ. Sylvanus, Deus pecorum & agrorum. δδ. Terminus, agrorum fines tutelæ suæ commissos habebat. εε. Tullina vel Tutelina, frumentis collectis atque reconditis, ut tutò servarentur, præfuit. ζζ. Tutanus & Tutilina, eadem tutati sunt. ηη. Vallonia, vallium Dea. θθ. Vertumnus, rebus permutandis præerat. ιι. Volutrina involucris segetis præfecta &c.

RUSTICIANA, *Antonio. Galisteo Delgado*, oppid. Vettonum apud Placentiam Urbem, ab ea 3. leuc. inter Emeritam ad Austrum 23. & Albam Torrensem in Borream, versus Salmanticam 21. in regno Castellæ Veteris. Aliis videtur *Ciudad Rodrigo*.

RUSTICULÆ, vide RUSTICÆ.

RUSTICUS, Consul cum Olybrio, an. Urb. Cond. 1217. Alius Consul cum Vitali, an. Urb. Cond. 1273. Item Præfectus Urbis, sub Antonino Philos. Sævus in Christianos, Lætus *Comp. Hist. Univers.*

RUSTICUS Aruleñus, tribunus plebis flagrans juvenis, qui, cupidine laudis, offerebat sese intercessurum Senatus consulto, contra Thraseam, jussu Neronis, facto, Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 26. Prætor sub Vitellio, legatus ad Vespasianos, violatus ac vulneratus à militibus, *Histor. l.* 3. *c.* 80. Vide Plinium, *l.* 1. *Ep.* 5. Suetonius hunc, *in Domitiano, c.* 9. *Junium Rusticum* appellat, narratque occisum à Principe, quòd Pæti Thraseæ & Helvidii Prisci laudes edidisset. Nomina illi fuerunt *L. Junius Arulenus Rusticus*. Plinius ipse hunc, velut doctorem monitoremque habuit, & in laudes ejus erumpit, *Ep.* 14. *l.* 1. Etiam Plutarchus, *extremo libello de Curiositate*, factum ejus plenum constantiæ recensuit. Et Antoninus Epistolam inseruit, *l.* 1. Janus Gebhardus censet ejus patrem fuisse *Junium Rusticum*, à Cæsare Tiberio componendis Patrum actis dilectum: de quo Tacit. *Ann. l.* 5. *c.* 4 Vide quoque *Junius Rusticus*.

RUSTICUS Bolanus, Consul. cum Calphurnio Pisone, an. Urb. Cond. 863.

RUSTICUS Elpidius, stirpe nobilis, Medicus Theodorici Gothorum Regis, scripsit *versibus hexametris Historiam Utriusque Testam.* Item *tractatum de Beneficiis* JESU CHRISTI: Georgius Fabricius edidit. Item, Narbonensis Præsul celebris, seculô 5. Leon. ep. 91.

ep. 91. Item Diaconus Ecclesiæ Romanæ, qui, cùm indignaretur tria capitula à Vigilio Episcopo damnata, junctus Stephano Diacono, schismatis auctor extitit, & in Vigilium, tanquam desertorem Concilii Chalcedonensis, invectus est; Baron. in Annal. &c.

RUSTICUS, vide FABIUS. It. Julius & Junius.

RUSTICUS Petrus Antonius vide ibi.

RUSTICUS Sermo nonnullis, Ruralis Dinamio Patricio Præfat. ad Vitam S. Maximi, Quotidianus Suetonio, in Aug. c. 86. Pedester Vopisco, Vulgaris Sereno Sammonico, c. 19. Simplex, Honorato Massiliensi in Vita S. Hilarii, aliisaliter appellatus, Car. du Fresne sermo est simplex, nec affectatis Rhetorum ornamentis calamistratus. Quoties enim ejusmodi stylô quidquam chartæ mandare volebant Veteres, id se rusticè scribere profitebantur, ut qui ad rusticorum seu popularium sermonem proximè accederet. Quomodo Hieronymus scribit, Fortunatianum gente Afrum, Aquilejensem Episcopum, in Evangelia brevi & rusticò sermone scripsisse Commentarios: Inprimis vero progressu ævi & barbarie per Gothos invectâ, sic dici cœpit non humilior modò & qui sublimi opponitur sermo, sed qui magis reperet barbarismis soloecismisque refertus, quem apposite Sidonius squamam Sermonis Celtici; alibi rubiginem trivialium barbari morum vocat, l. 3. Ep. 3. & l. 4. Ep. 10. rusticum scilicet & impolitum sermonem, ut est in Epist. Eadburgæ apud Baronium A.C. 725. num. 23. & qualis describitur ab Anonymo, in Miraculis S. Agili, l. 1. Sed & si quis movetur rusticitate sermonis, soloecismorumque inconcinnitatibus, quia minimè vitare studui, audiat: quia regnum Dei non est in sermone, sed in virtute, neque apud homines bonos interesse, utrum vina vase aureo, an ligneo propinentur. Itaque Rusticum ab eo tempore ferè semper appellabant, qui nullis Grammaticæ legibus esset astrictus: in cujusmodi insulsi sermonis specimen varia Epitaphia adfert Car. du Fresne Præfat. ad Glossar. Vide quoque supra Limosina lingua, in voce Russus, ut & Maresium. Dissert. quâ varios in Ecclesiam errores ex vitiosa Grammatica irrepsisse docet.

RUSTONIUM, vide RUSCONIA.

RUSUBRICARI, vide RUSICIBAR.

RUTA, in insignibus Saxoniæ Ducum. Ut enim Serenissimus Elector peculiaria Ensem & Aquilam: Sic communia cum reliquis ejusdem Familiæ Ducibus habet, Stratoria ligna cum Serto Rutaceo, vel potiùs serti rutacei parte, cujus diversa affertur origo. Communior opinio sertum id deducit à tempore Bernhardi Ascanii. Alberti Ursi filii Saxoniæ Principis: cui à Friderico I. Imperatore suppliciter petenti, ut aliquô à fratribus discrimine Ducatus sui (quem in Comitiis Herbipolitanis, exauctoratô Henricô Leone obtinuerat) insignia distinguerentur, Imperator rutaceum sertum, quô tum per æstum utebatur, capiti suo detractum, donâsse, clypeoque ejus ex obliquo injecisse dicitur Limnæus Enucl. l. 3. c. 23. Brotuff. autem Alberto filio id ascribit, l. 4. c. 1. uti notat Spenerus, in Familia Ascanio-Saxonica. quem vide pluribus, de Arte Heraldica.

RUTA seu RUITA, apud medii ævi Scriptores pro Cohorte militum, ex Ruptariis, de quibus supra, uti quidem vult Car. du Fresne, [illegible] Germanica voce Reit, idem omnino significanti, uti statuit Dominic. Macer. in Hierolex.

RUTABER, apud Varronem, de L. L. l. 4. Rastri; quibus dentatis penitùs eradunt terram atque eruunt, à quo & rutabri dicti, idem quod rutabulum est, Græcè ὀρυκτὴς, de qua voce vide Salmas. ad Solin. p. 514.

RUTELLUM, lignum dictum est, quô cumulus mensuræ deruitur; aliter Rutlus, ex Rutulus. Græcis ἀποψήκτριον, uti exponitur in veter. Glossario. Regula nempe lignea, quâ cumulum mensuræ frumentarii ruebant vel deruebant & exæquabant. Ἀπόμακτρον Græci etiam vocant, & ξύστρον, & κανονίας, & κατακλεὶς & ἀπομακτήρ: recentiores quoque ψύκτης, h. e. regulam, ἀπομυκτὴρ apud Hesychium, regulâ mensurâ cumulum deruere; & modio exæquare. Meminit & Lucilius,

> Frumentarius hic modium secum, atque rutellum,
> Adfert.

Ad cujusmodi regularum similitudinem, rutulos Calpurnius vocat repagula versatilia in cardines cavearum, quæ in Romanorum Amphitheatris vertendo bestias adsilientes excutiebant; uti diximus supra, in voce Repagula. Vide Salmas. ad Flavium Vopisc. in Probo, c. 19.

RUTENI, Cæsaris ætate in duas divisi partes, alii provinciæ Narbonensi, alii Galliæ Celticæ, & paulò pòst ab Augusto Aquitaniæ attributi sunt: quorum hi à Lucterio Arvernis rebellibus & Vercingetorigi sunt conciliati, Cæsar. l. 7. c. 7. Idem ad se in Hispaniam venisse ait Sagittarios ex Rutenis, Comm. de bello Civil. l. 1. c. 51. Provinciales Rutenos in diœcesi Vabrensi quidam hodie collocant, sive in inferioribus Rutenis; alii in finibus Albigensium, qui tamen nunquam provinciæ Narbonensis fuêre. Rutenos autem Aquitanicos pro Rutenis superioribus montanisve habent, apud quos Segodunum, caput gentis, in veterib. Notit. inter provinciæ Aquitanicæ primæ civitates 8. tertia, vulgò Rodes, aliàs Rodais, aut Rodez. ad Avarionem fluv. Dicuntur Ruteni argenti metallis dites Straboni, & annumerantur 14. gentibus Garumnam inter & Ligerim habitantibus, Lucanus flavum illis capillum tribuit. l. 1. v. 402.

> Solvuntur flavi longâ statione Ruteni.

Clari inter Episcopos Ecclesiæ Rutenicæ Amantius, Quintianus, Dalmatius, &c. Pagus Rutenicus, nunc duas Diœceses continet, Segodunensem veterem ac Vabrensem recentiorem, ac in superiorem, seu montanum, le Haut Rouergue, & inferiorem seu planum, le Bas Rouergue dividitur. Incolæ les Rouergois. Avario fluv. cujus supra mentio, vulgò Aveiron, oritur ex fonte cognomine Veyron, alluitque Calliacum, Aginnum vicum, Segodunum, Lucum, Bellum Castellum, Villam Francam, Bastitam, Monticulos, Maceriolas, Salvitatem, Castrum S. Marcelli, Saint Marsau, Bellum Podium, Belpuech, Castrum Guespiam, la Guespie, Castrum S. Antonini, Casalia, Nigrum Palatium, Negrepelisse, & Regalem Villam: ac demum Viauro & Biauro amne le Biaur, qui Lauternam recipit Lezert, ac 4. aliis fluviolis auctus, in Tarnem defluit. Vide Hadr. Vales. Notit. Gall.

RUTENI, etiam Russi nonnunquam dici solent, vide in Russia, & infrà Stephanus Episcop.

RUTENI, German. Reussen; gens in Germania illustris, à Columniis, ut quidam volunt, & a Druso aliquo, devictæ provinciæ Advocati titulô præfecto, originem trahens. Certum verò est, à plurimis seculis Advocatos S. Romani Imperii. German. Voigte, nec non de Weida, de Plauen, de Gera, de Graz, de Greisberg, appellatos esse. Lineas stirpis, cùm omnibus Henrici commune nomen sit, distinguere difficile est. Defecère autem superiori seculô tres nobiles rami, nempe præter Advocatorum de Weida, nec non de Gera stirpem. inprimis in Henrico VII. A. C. 1572. ramus Burggraviorum Misniæ &c. qui titulus cum Principali axiomate, à Sigismundo Imperatore A. C. 1411. familiæ collatus, &, quamvis hodiernæ lineæ usu illius ex certis causis abstinuerint, ex eo, ad hunc usque diem, singulorum Cæsarum investiturâ confirmatus est. Qui hodie sunt, in duas lineas, Seniorem & Juniorem dispescuntur, quæ autem media fuerat, defecit. Priori lineæ annumerantur, qui in Graiziæ utraque domo & Burckii habitant. Ad Juniorem X. filii Henrici & Magdalenæ Schwartzenburgicæ (quibus in Gera, Salburg, Schleiz & Lobenstein sedes) spectant: quorum genesin, spectatim autem Henrici I. in Salburg, qui tertius ex X. illis natus erat, γενεαλογίαν exhibet Spenerus, Theatr. Nob. Europ.

RUTGERSIUS Janus, Dordracensis Consiliarius & Legatus Suecicus, obiit in ipso ætatis flore, Hagæ Comit. A. C. 1625. cum omnium bonorum luctu & Literarum summa jactura. Bibliothecam legavit Dan. Heinsio, Scripsitque Variarum Lectionum libros VI. Notas in Martialem & Horatium, Epithalamium dictum Pompejo Roverio & Annæ Casimbrotæ. Ex ejusdem Bibliotheca prodierunt Demetrii Baudii Orationes. Franc. Swertius, Athenis Belg.

RUTH, uxor Mahalon, dein Boozo nupta, peperit Obedum patrem Isai avum Davidis, è quo secundùm carnem natus est SERVATOR MUNDI. E gente Moabitarum fuit, vide historiam ejus in libro Canonico S. Scripturæ, ab ea denominato. Creditur illa contigisse, sub Judice Baraco, A. M. 2748. Liber autem Ruthæ à Samuele Propheta compositus quibusdam videtur. Vide Comestorem, Liranum, Jansenium, &c. Latin. saturata, vel inebriata. In librum hunccee sacrum Ruth, extant quoque Acostæ Commentar. in fol. Lugd. A.C. 1641. Balduini Conciones Germanic. Witeb. in 4to. A.C. 1620. Beda. Bonfrerius. Borrhai Comm. in fol. Basileæ A. C. 1565. Brentius. Calovius. de Celada Comm. Lugduni A.C. 1651. Crommius, Lovanii A.C. 1631. Chytræus. in fol. A.C. 1590. Witeb. Cuperus. Drusii Comment. in 4to. Amstelodam. A. C. 1632. Fevardentius. Fontanus. Fulleri Comment. Angl. in 8o. Londini A. C. 1654. Gualterus. Heidericus. Hielingii Periocha, in 8o. Norib. A. C. 1593. Don Joseph Aben Jechija, Hebr. Isaac ben Arama. Isidorus Hispal. Lavateri Homiliæ, in fol. 1576. Heidelbergæ. de Lapide. Lechem Sethorim. Hebr. Malvenda. Merceri Interpretatio Syr. cum Scholiis, Paris. A. C. 1564. Nezeni Exercitationes, Jenæ A. C. 1611. Paulutius. Piscatoris Comment. in 8o. de Ponte. Procopius. Rabanus. Rupertus. Sanctii Comment. in fol. Lugd. A. C. 1627. Savanarolæ Homilia, Salmant. A.C. 1576. Serarius. Theodoreti Quæstiones Selecta. Tostatus. de S. Victore. Wolfii Sermones, in fol. A. C. 1589. Tiguri, &c. Vide Crowæi Elenchum.

RUTHARDUS, Monachus Hirsaugensis, in Diœcesi Spirensi, floruit seculô 9. Scripsit vitam S. Bonifacii, &c. Obiit A. C. 865. Tritthem. in Chron. Hirsaug. Meginfridus, in Chron. Voss. l. 2. de Hist. Lat. c. 35.

RUTHENI, alii sunt in Narbonensi provinc. de quibus Plin. l. 3. c. 4. Alii in Aquitania, de quibus Plin. l. 4. c. 19. Ptolemæo Ρουτανοὶ. Vide Ratheni, & Ruteni.

RUTHGERUS Ressius, JCtus docuit Lovanii. Edidit Aphorismos Hippocratis Græcè, libros Platonis de Legibus, Obiit A. C. 1545. impensè laudatus ab Erasmo, l. 17. ep. 12. 13. & 31. Valer. Andr. Biblioth. Belgic. &c.

RUTHGERUS Venrava, Canonicus Regularis St. Augustini, doctrinâ clarus. A. C. 1494.

RUTILÆ Canes, apud Romanos, Caniculæ sacrificabantur, die 7. Kal. Aug. i. e. non procul à rubro colore, ait Attejus Capito. Dies tamen incerta Rosino, l. 4. Antiq. Rom. c. 4.

RUTILÆ Coronæ, apud Prudentium, in Hamartig. v. 934.

> . Justorum dirimente Choro, rutilasque coronas.
> Eminus ostendit pœnarum carcere mersis:

aureæ sunt. quibus ad imitationem militum, qui præclarè contra hostes rem olim gesserant, Martyres, utpote tyrannicæ impietatis victores, à Poëta donari. ait Paschalius, Coronar. l. 8. c. 5. Cæterùm rutilare apud Latinos, sicut אדם adam, apud Hebræos, etsi propriè rubere significet, sæpe tamen aliud quidquam, quàm splendere est. Ut, l. 8. Æn. v. 528.

> Arma inter nubem cœli regione serena
> E cœlo rutilare vident. ———

Hinc Philoxeni *Glossæ*, *Λάμπω*, *niteo*, *splendeo*; *rutilo*. Et passim in Poëtis *rutilare* dicuntur Luna & stellæ, splendoris certè ratione, non rubedinis, quæ in iis vix ulla apparet. Eôdem exemplô ab iis *purpurea* vocantur, quæ eximii candoris sunt, ut nix & cygni. Nempe utrique colori hoc commune est, ut admixti luminis multum habeant &c. Qua de re vide eruditè disserentem Sam. Bochartum, *Hierozoïc. Part. poster. l. 5. c. 6.* ubi locum explicat Threnorum, *c. 4. v. 7.* in quo *Peninim*, h. e. margaritæ, *rubere* dicuntur, ut & *suprà*.

RUTILIA, Romana mulier, quæ constans usque adeo fuit, ut post amissum filium Cottam, quem in exilium fuerat sequuta, lachrymas nullas emiserit.

RUTILIUS, è territorio Vincentino, Grammaticus insignis. Paul. Jovius *elog. c. 96.*

RUTILIUS Bernardinus, vide *Bernardinus*.

RUTILIUS Claudius, Numantianus Gallus, Itinerarium metrô scripsit *libr. 2.* in quo graviter in Christianos & Judæos invehitur, ingens Paganismi hyperaspistes: sed posterioris libri pars melior periit. Opus hoc in Monasterio quodam Italiæ repertum, Volaterrani tempore, sæpius editum est. Fuit vir Consularis præfectorius Urbis, tribunus militum & prætorio præfectus. Floruit sub Theodosio, seu post Romam ab Alarico captam, A. C. 410. Vide Voss. de. *Hist. Lat. l. 2. c. 15. l. 3. c. 2.*

RUTILIUS Crassus, vide *Spurius*.

RUTILIUS Flaccus, scripsit *historiam Theodosii & Honorii*.

RUTILIUS Geminus, *libros Pontificales* fecit. Vide Voss. *de Hist. Lat. p. 718.*

RUTILIUS Lupus, Prætor Tarracinâ, cum III. cohortibus profugit, Cæsar. *l. 1. Bell. Civ. c. 24.*

RUTILIUS Lupus, Rhetor, cujus meminit Quinctilian. *l. 3. c. 1. l. 9. c. 2.*

P. RUTILIUS Rufus, Consul cum Cn. Mallio, an. Urb. Cond. 649. Tum *de vitâ suâ*, tum *Numantini belli historiam* in exilio, vide infra, scripsit. Prioris operis meminit Tacitus. *initiô l. de vita Agricolæ: Plerique* (inquit) *suam ipsi vitam narrare, fiduciam potiùs morum, quàm arrogantiam arbitrati sunt. Nec id Rutilio & Scauro citra fidem, aut obtrectationem fuit.* De altero opere ita Athenæus, *sub finem l. 6.* Καὶ Ῥουτίλιος Ῥοῦφος ὁ τὴν πάτριον ἱστορίαν γεγραφώς. Hanc historiam Græcè signavit, teste eôdem Athenæô, *l. 4.* At vitam suam Latinè prodidit. Aliter si esset, non hujus operis laudarent auctorem Sosipater, & Diomedes, imò & Isidorus, *l. 20. Originum.* Vir hic summus in jure P. Scævolam, & M. Manilium audivit, in Philosophia Panætium. Exemplum innocentiæ fuit; neque in urbe alter eô sanctior, vel integrior erat, teste *Cicerone*. Hic actus in exilium à patribus Syllanis, Smyrnæ vixit, ab omnibus Asiæ urbibus, per legatos, cultus. Tacit. *l. 4. Annal. c. 43. Publ. Rutilium legibus pulsum civem sibi Smyrnæi addiderunt.* Deinde verò à Sylla redeundi potestate factâ, respondit illud quod à Seneca, *in l. 6. de Beneficiis, c. 37.* ponitur: *Malo ut patria mei exiliô erubescat, quàm reditu mœreat.* Ovid. *l. 1. Ep. 3. ex Pont. v. 63.*

Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non usi reditus conditione dati:
Smyrna virum tenuit, non Pontus & hostica tellus.

Vide Cicer. *in Bruto*, Senec. *Ep. 67. 79.* Liv. *l. 70.* Valer. Max. *l. 2. c. 3. ex. 2.* & *c. 10. ex. 5. 6. c. 4. ex. 4.* Vellejum, *l. 2. c. 9.* & *13.* Plut. *in Mario.* Agellium, *l. 7. c. 14.* Plurima de eo habes apud Voss. *de Hist. Gr. l. 1. c. 22.* & *de Hist. Lat. l. 1. c. 9. &c.* Vide & *Publius. Nic. Lloydius.*

RUTILIUS Taurus, vide *Palladius*.

RUTILUS, rufum significat *Festo, cujus coloris*, inquit, *studiosæ etiam antiquæ mulieres fuerunt:* in crinibus videl. quamvis posteà inter mali animi *argumenta* is repositus, in Martialis *distichô notissimô 54. l. 12.*

Crine ruber, niger ore &c.

Certè & de Davide legimus, 1. Sam. *c. 16. v. 12. Erat rufus & pulcher aspectu.* Sic apud Eusebium, *de Præparat. l. 9.* Artabanus de Moyse ait, γεγονέναι τὸν Μωϋσῆν μακρόν, πυῤῥάκην, &c. *Mosen fuisse procerum, rufum* &c. Qui tamen pulcher vocatur Exodi *c. 2. v. 2.* & ἀστεῖος τῷ Θεῷ, *venustus Deo*, phrasi Hebræâ, i. e. maximè venustus, Actor. *c. 7. v. 20.* Vide Bochartum suprà laudatum, *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 34.* & hîc suprà.

RUTIMANNA, quibusdam aurigæ nomen, cujus equi sessore excussô in Circensibus, in cursu nihilominus pergentes, palmas reportârunt, uti legimus apud Solinum, *c. 45.* Aliis *Rutumanna*, pro *Ratumena* vel *Ratumenna*, quod vide.

RUTINA & RUTINENSE Monasterium vetus in pago Trevirico, memoratur, *l. 4. de vita Bernardi.* Aliis *Rutila*: vulgò *Retil*, vel *Rettel*, locus non longè à Treviris distans, Sircæ castro ad Mosellam *Sirck* proprior. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

RUTLANDIA, provinc. parva Angliæ, inter Licestriam ad Occasum, Lincolniam ad Ortum, & Northantoniam ad Meridiem. Ibi tantùm castrum *Oukam*.

RUTRUM, non idem cum rastro, ut plurimis visum. Cato, *c. 11. RR. rutra, rastri quadridentes.* Græcè σκαπάνη vel σκάφιον. Festum, *Rutrum tenentis juvenis est effigies in Capitolio, ephebi more harenam ruentis exercitationis gratiâ.* In quo athletico exercitio Græci Auctores σκαπάνην dicunt. Pomponius *apud Nonium*.

Sarculum hinc ille profectus, illinc rediisti rutrum.

Elegans versiculus de homine ἀναποδίζῳ & cui res retro currunt. Cùm hinc profectus es, dicere vult, segetes tuæ jam in herba erant, & sarculum spectabant: ac cùm illinc rediisti, *ad rutrum* tibi res rediit & ad carceres revocatus es, jam metæ cùm esses propinquus. *Rutrô* enim terram vertere primum est; tum sementem jacere; deinde occare, quod rastrô fieri solet, posteà sarrire. Interim, utut rastri eradendæ potiùs terræ & poliendæ, quàm fodiendæ & eruendæ, facti sint; Auctores tamen plurimi pro fossorio instrumento passim ponunt, uti suprà vidimus. plura apud Salmas. *ad Solin. p. 515.*

RUTTIS, Sylva apud Trajectum ad Mosam.

RUTUBA, fluv. Liguriæ ex Apennino monte in mare Ligusticum descendens, vulgò *la Rotta*. Ejus meminit Lucan. *l. 2. v. 421.*

Dexteriora petens montis declivia Tybrim
Unda facit, Rutubamque cavum. ——

RUTUBIS, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ. Vide *Rubibis*.

RUTULI, Latii popul. quorum Ardea metropolis fuit: *Strabo*, Plin. *l. 3. c. 5.* Liv. *l. 1. c. 2.* & *57.* Virg. *l. 10. Æn. v. 108.*

Tros Rutulusve fuat, nullô discrimine habebo.

RUTULI, in Amphitheatris apud Romanos, clathri erant; seu lignea repagula versatilia, quibus feræ assilientes excutiebantur. Vide suprà in voce *Rutellum*. Aliàs *Rutulus* idem, quod *Rotulus*, de qua voce itidem retrò diximus.

RUTUNIUM, quod *Routon* adhuc teste Camdenô, oppid. Angliæ in comitatu Salopiensi. *Antonin.* ——

RUTUPÆ, Ῥουτουπίαι Ptolemæo, *Repchester Lloydo*, *Richborow Talboto* & *Camdeno*; portus & oppid. Albionis in ora Angliæ excisum apud Sandovicum portum & oppidum. Hinc *Rutupinus*. Lucan. *l. 6. v. 65.*

—— *Veluti mediis qui tutus in arvis*
Sicaniæ, rapidum nescit latrare Pelorum:
Aut vaga cùm Tethys, Rutupinaque litora fervent.
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

Juvenal. *Sat. 4. v. 141.*

—— *Circæis nata forent, an*
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea. —— ——

Ausonius, *in Catalogo Urb. n. 7. v. 9.*

Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.

Vide Guil. Burtonium, *ad Antoninum*, *p. 20. &c. Nic. Lloyd.*

RYFFIUS Petrus, Basiliensis, è Tribunitia Familia, fil. Danielis Senioris, Medicus peritus, Mathematicus insignis. Artium harum in Academia patria Professor, in usum Studiosorum, varii Ingenii sui monumenta luci dedit: extinctus A. C. 1629. ætat. 77. Paul. Freherus, *Theatrô Virorum eruditione clarorum.*

RYPHÆI, vide RIPHÆI.

RYSSADIRUM, Mauritaniæ Tingitanæ urbs ad mare Ibericum. *Ptol. Deyrat Milila* incolis, teste *Marmoliô*.

RYSSADIUM, Libyæ promontor. *Ptol. Capo de Verde Nigro. Baudrando Capo de Riogrande*, in Nigritia, inter Arsinarium promontor. in Circium & Hesperi Cornu in Eurum, propè ramum Nigri fluv. *Rio grande* dictum.

RYTHMICI Versus, meliùs *Rhythmici*, vide suprà ubi de *Rhythmis*, ut & in vocibus *Leonini* & *Politici versus*.

RZECICA, oppid. amplum Lithuaniæ, caput tractus cognominis ad Borysthenem, 10. leuc. Polonic. à Rohaczovia in Merid. 14. à Czernihovia in Occasum.

RZEHORZ Gregorius, vide *Gregorius*.

RYSVICUM, i. e. RYSWYK, pagus celebris, & peramœnus Hollandiæ, suburbanus Hagæ Comitum, *Potentissimi, Augustissimi, Felicissimi, Serenissimi* VILHELMI III. *Magnæ Britanniæ Regis*, Castro sumptuosissimo, magnificentissimo nobilitatus; in cujus perennem cedat gloriam & pacis fœderis ibi percussi memoriam immortalem. Non incongruum duximus, ut lux & notitia major orbi erudito & posteris affulgeat, operi huic, doctorum manibus evolvendo, verbotenus inseruisse vim, & contextum Articulorum, Tractatuum Pacis (faxit Jehova pacificus) in ævum duraturæ, ad quam concludendam *Sacratissimæ Cæsareæ Majestati, Augustissimis Regibus, Præpotentissimis* D. D. *Ordinibus Generalibus Celsissimisque Principibus* inter se mutuò discrepantibus, operam Mediatoriam instanter petentibus ultrò obtulit *Pacis amantissimus, Clementissimus Princeps Sueciæ Potentissimus Rex* CAROLUS XI. præclaris Heroicis infinitis gestis æternæ & gloriosæ commendatus memoriæ, indefessis inhians sudoribus, placidæ, & securæ Europæ quieti. Proh dolor! in medio Pacis negotiorum curriculo toti Europæ, & subditis suis *desideratissimus Princeps, magnis, & victoribus editus Regibus, lumen coruscans, Præsidium suorum tutissimum, seculi sui Decus præcipuum, Amor populi, summus* præmaturo fato, Parcarum invidiâ in flore ætatis raptus, extinctus.

——— *Omni jam cognitus ævo,*
Luctus erit. ——— ———

Omnium subditorum oculis lacrymæ uberrimæ emanârunt abeuntem Regem non secus ac obeuntem Patrem, portum, & aram suis flebili planctu gementium.

Ivit ad Heroas, quos superavit avos.
——*plorant in funere gentes.*

Nostram siluisse musam nefas esset. Principis hujus effigiem & memoriam perpetuâ veneratione celebrate Sueci, simul celebrate Europæi. Damnum hoc acerbissimum mundi, & rerum Arbitro Deo brevi resarcire placuit, Orientisque sideris tempora regio ornando diademate pretiosissimis, fulgentissimis distincto gemmis, in Parentis Defuncti locum surrogando regnique administrationi præficiendo *Filium* CAROLUM XII. *paternis virtutibus ornatum, Juventutis Principem, Gloriam Pieridum, & Regum maximam, Carolus Felix, Sanus,* Suecis vivat suis, suo Regimini, Consiliis & Armis benedicat, votaque secundet, summi Rector Olympi, qui indefessâ suâ virtute, magnanimitate & vigilantiâ multum contulit conciliandæ paci universæ, quâ

Nomen ab æterna posteritate feret.

Et famam suam longè latèque hoc memorabili facto extendet, quam Pacem nomine suo ad optatissimum, desideratissimum & felicissimum perduxit finem *Illustrissimus, Excellentissimus* D. D. NICOLAUS à LILLIEROOT, *Oratorum suorum Delegatorum primicerius* arduis hisce Pacis negotiis summâ diligentiâ, & prudentiâ incumbendo, nomen suum & Nepotum suorum omni cum posteritate adæquavit.

Pacis Tractatus omnes, Oratorum, Sacratissimi Imperatoris, Serenissimorum Regum, Præpotentissimorum D. D. Ordinum Generalium, & Celsissimorum Principum suorum nomine propriis signatos, firmatos manibus, benivolus lector, si velit, consulat, & nostris laboribus faveat.

TRACTATUS PACIS.

Die Vigesimo Septembris Anni Millesimi Sexcentesimi Nonagesimi Septimi, Serenissimum inter & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Gulielmum Tertium Magnæ Britanniæ Regem ab una: & Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Ludovicum Decimum Quartum Galliæ Regem & Navarræ, ab altera parte conclusa.

I.

PAx sit universalis perpetua vera, & sincera Amicitia, inter Serenissimum ac Potentissimum Principem Gulielmum III. Magnæ Britanniæ Regem, & Serenissimum ac Potentissimum Principem, Ludovicum Decimum Quartum, Christianissimum Regem, eorumque hæredes, & successores, nec non utriusque Regna, Status & subditos, eaque ita sincerè & inviolatè servetur & colatur, ut alter alterius utilitatem, honorem, ac commodum promoveat, omnique ex parte fida vicinitas, & secura pacis atque amicitiæ cultura revirescat in dies, atque augeatur.

II.

Omnes inimicitiæ, hostilitates, discordiæ & bella, inter dictum Dominum Magnæ Britanniæ Regem, & dictum Dominum Christianissimum Regem, eorumque subditos, cessent & aboleantur, ita ut uterque ab omni direptione, depredatione, læsione, injuriis, ac infestatione qualicunque, tam terrâ quam mari, & aquis dulcibus, ubivis gentium, ac maximè per omnes alterutrius Regnorum, Ditionum, ac Ditionum tractus, Dominia, Loca, cujuscunque sint conditionis, temperet prorsus, & abstineat.

III.

Omnes offensæ, injuriæ, damna, quæ prædictus Dominus Magnæ Britanniæ Rex ejusque subditi, vel prædictus Dominus Christianissimus Rex ejusque subditi, durante hoc bello, alter ab altero pertulerint oblivioni tradantur, ita ut nec earum, nec ullius alterius rei causâ vel prætextu, alter alteri, aut alterutrius subditi, posthac quidquam hostilitatis, inimicitiæ, molestiæ vel impedimenti, per se vel per alios, clam vel palam, directè vel indirectè, specie juris aut viâ facti, inferant vel inferri faciant aut patiantur.

IV.

Et quoniam Christianissimus Rex nihil unquam in votis potius habuit, quam, ut fiat firma & inviolabilis Pax, promittit prædictus Rex & spondet pro se & successoribus suis, quod nullâ omnino ratione perturbabit prædictum Dominum Magnæ Britanniæ Regem in libera possessione Regnorum, Regionum, Terrarum aut Dominiorum, quibus in præsenti fruitur, honorem suum idcircò oppignorans, sub fide & verbo Regis, quod nec directè nec indirectè, alicui aut aliquibus ex inimicis prædicti Domini Magnæ Britanniæ Regis auxilium dabit, aut administrabit, nec quoquo modo favebit, conspirationibus aut machinationibus, quas contra Regem prædictum ubivis locorum, excitare aut meditari possunt Rebelles & Malevoli, eum itaque ob finem spondet & promittit, quod non assistet armis, Instrumentis belli, Annonâ, Navigiis aut pecuniâ, aut alio quocunque modo, quamvis personam aut quasvis personas, vel mari vel terrâ, qui poterint in posterum, sub ullo prætextu turbare aut inquietare prædictum Dom. Magnæ Britanniæ Regem in libera & plena Regnorum possessione, Regionum, Terrarum aut Dominiorum suorum, idem quoque vicissim spondet & promittit Dominus Magnæ Britanniæ Rex se facturum & præstiturum, erga prædictum Dominum Christianissimum Regem, & Regna, Regiones, Terras & Dominia ejus hoc itidem inviolabiliter pro se & successoribus suis Magnæ Britanniæ Regibus.

V.

Liber sit usus Navigationis & Commercii inter subditos utriusque dictorum Dominorum Regum, prout jam olim erat tempore pacis & ante nuperrimi belli denunciationem, ita ut quivis eorum alterutrius Regna, Provincias, Emporia, Portus & Flumina, liberè cum Mercibus suis adire, ibique versari, ac negociari citra molestiam possit, omnibusque libertatibus, immunitatibus, & Privilegiis per solennes Tractatus & vetustam concessis consuetudinem, ibidem uti & frui.

VI.

Redeat & aperiatur ordinaria Dispositio Justitiæ per Regna & Dominia alterutrius Domini Regis, ita ut liberum sit omnibus utrinque subditis allegare & obtinere jura, Prætensiones & Actiones suas, secundùm Leges, Constitutiones, & Statuta utriusque Regni.

VII.

Restituet Dominus Christianissimus Rex, Domino Magnæ Britanniæ Regi omnes Regiones, Insulas, Arces & Colonias ubivis locorum sitas, quas possidebant Angli ante hujus Belli præsentis declarationem, & vice versa Dominus Magnæ Britanniæ Rex restituet Domino Christianissimo Regi, omnes Regiones, Insulas, Arces & Colonias ubivis locorum sitas, quas possidebant Galli ante dictam ejusdem Belli declarationem, atque hæc restitutio utrinque fiat intra spatium sex Mensium, aut citiùs si fieri possit. Et eum in finem statim ab hujus Tractatûs Ratihabitione alter dictorum Dominorum Regum alteri Domino Regi, aut Commissariis, ejus nomine, ad id delegatis, omnia acta cessionis, instrumenta & mandata necessaria, ritè & secundum debitam formam confecta, tradat, aut tradi jubeat, ita ut effectus sequatur.

VIII.

Constituentur ab utraque parte Commissarii, qui possint examinare, & determinare Jura & Prætensiones, quas affert uterque Dominorum Regum, in Loca in Hudsoni sinu, quorum quidem Locorum à Gallis captorum, durante pace præcedente hoc præsens bellum, ab Anglis verò recuperatorum durante præsente Bello, possessio Gallis ceditur vigore Articuli proximè superioris Capitulatio ab Anglis facta, die 5. Septembris A.C. 1696. observabitur secundùm formam & tenorem suum, restituentur Mercimonia ibidem memorata: Præfectus Arcis ibidem Captus libertatem obtinebit, si illud adhuc non factum sit. Lites super executionem ejusdem Capitulationis ortæ & valor ibidem bonorum perditorum à dictis Commissariis adjudicabuntur, & determinabuntur. Porro dicti Commissarii immediatè post Ratihabitionem præsentis Tractatûs Autoritate sufficienti munientur definiendi Limites, & confinia terrarum utrinque restitutarum vigore, articuli præcedentis, commutandi quoque terras sicut illud possit conducere in rem & utilitatem mutuam alterutrius Domini Regis.

Et eum ob finem dicti Commissarii nominabuntur, qui in Urbe Londini, intra spatium 3. Mensium proximè sequentium Ratihabitionem præsentis Tractatûs convenient, & intra spatium (sex mensium post eorum primam Conventionem numerandorum) determinabunt omnes Lites & processus, qui super hac re oriri possunt. Et deinde Articuli super quos consentient dicti Commissarii, ratihabebuntur ab alterutro Domino Rege, eandemque vim & vigorem habebunt, ac si præsenti Tractatu ad verbum inserti fuerint.

IX.

Omnes Literæ, tam repræsaliarum quam Marcæ, & contra Marcæ, quæ hactenus quavis de causa utrinque concessæ fuerint, nullæ, cassæ & irritæ maneant, & habeantur, nec ullæ in posterum hujusmodi Literæ ab alterutro dictorum Dominorum Regum adversùs alterius subditos concedantur, nisi prius de juris denegatione manifestè constiterit, nisi illius, qui repræsaliarum literas sibi concedi petit, Libellus supplex Ministro (Regis illius nomine) contra cujus subditos illæ Litteræ postulantur ibidem degenti editus ac ostensus fuerit, ut is intra quatuor mensium spatium aut citiùs in contrarium inquirere possit, aut procurare, ut ex parte rei Actori quamprimùm satisfiat, si verò Regis illius contra cujus subditos repræsaliæ postulantur, nullus Minister ibi degat, repræsaliarum literæ non concedantur nisi post spatium quatuor mensium, computandorum à die quo Libellus supplex Regi contra cujus subditos repræsaliæ petuntur, aut privato ipsius Consilio, editus ac oblatus fuerit.

X

Tum ad præcidendam omnem litis & contentionum materiam, quâ oriri posset ex causa restitutionis Navium, Mercium aliarumque

rerum mobilium, quas in regionibus, & oris longè dissitis, post sancitam pacem, & antequam ibidem innotescat, captas & occupatas fuisse alterutra pars ab altera conqueri posset. Omnes Naves, Merces, aliaque bona mobilia, quæ post subscriptionem, & publicationem præsentis Tractatûs utrinque occupari poterunt, intra spatium duodecim dierum in Maribus Britannicis, & Septentrionalibus intra spatium sex hebdomadum, à dictis Maribus Britannicis & septentrionalibus usque ad sancti Vincentii promontorium, tum intra spatium decem hebdomadum ultra dictum Promontorium eis lineam Æquinoctialem, vel Æquatorem tam in Oceano, in Mari Mediterraneo, quam alibi, denique intra spatium sex mensium trans terminos prædictæ Lineæ per universum Orbem sine ulla exceptione, vel ulteriore temporis locive distinctione, ullave restitutionis aut compensationis ratione habenda, occupantium sint & maneant.

XI.

Si verò accidat per incogitantiam aut imprudentiam, aut aliam quamlibet Causam, ut quivis subditus alterutrius prædictorum Dominorum Regum, faciat aut committat aliquid, terrâ mari aut aquis dulcibus, ubivis Gentium, quo minus observetur præsens Tractatus, aut quo particularis aliquis Articulus ejusdem effectum suum non sortiatur, hæc Pax & bona correspondentia inter prædictos Dominos Reges, non idcircò intertempetur, aut infringetur, sed in pristino suo robore, firmitate & vigore manebit, sed subditus iste solummodò de suo facto proprio respondebit, & pœnas persolvet, inflictas per leges & præscripta Juris Gentium.

XII.

Sin autem (quod Omen Deus Optimus Maximus avertat) sopitæ simultates inter dictos Dominos Reges aliquando renoventur, & in apertum Bellum erumpant, Naves, Merces ac Bona quævis Mobilia, alterutrius partis, quæ in Portubus, atque in Ditione partis adversæ hærere atque extare deprehendentur, fisco ne addicantur, aut ullo incommodo afficiantur, sed subditis alterutrius dictorum Dominorum Regum, semestre spatium integrum hinc inde concedatur, quo res prædictas ac aliud quidvis ex suis facultatibus, quò libitum erit, citra ullam molestiam, inde avehant ac transferant.

XIII.

Quantum ad Principatum Arausionensem, aliasque Terras, & Dominia quæ pertinent ad prædictum Dominum Magnæ Britanniæ Regem Articulus separatus Tractatûs Neomagensis, inter Christianissimum Regem, & Dominos Ordines Generales fœderati Belgii Provinciarum, decimo die Augusti A. C. 1678. conclusi, secundùm formam, & tenorem suum effectum plenum sortitur, atque ita omnes innovationes, & immutationes resarciantur omnia arresta, edicta, & alia acta, cujuscunque sint generis, absque ulla exceptione, quæ dicto Tractatui ullo modo contraria sint, aut post conclusionem ejusdem intervenerint, pro infectis & annihilatis habebuntur, absque omni reversione, & consequentia in futurum, atque ita omnia restituentur prædicto Domino Regi eodem statu, & eodem modo, quibus iis utebatur, & fruebatur priusquam de possessione eorum dimotus esset, in tempore Belli per dictum Tractatum Neomagensem compositi, aut quibus per eundem Tractatum frui aut uti debet, & ad imponendum finem omnibus molestiis litibus processibus, & casibus qui super hæc moveri possint, alteruter prædictis Dominorum Regum Commissariis nominabit. Qui plenâ & summariâ potestate illa omnia componere & expedire possint: Et in quantum, per Auctoritatem Domini Christianissimi Regis Dominus Magnæ Britanniæ Rex impeditus fuerit, quò minus frueretur reditibus juribus, & commodis tam Principatûs sui Arausionensis quam aliorum suorum Dominiorum, quæ post conclusum Tractatum Neomagensem, usque ad Declarationem Præsentis Belli sub Dominatione prædicti Christianissimi Regis fuerunt, prædictus Christianissimus Rex Magnæ Britanniæ Regi restituet, & restitui efficiet realiter, cum effectu & cum interesse debito, omnes istos reditus, jura, & commoda, secundùm Declarationes, & Verificationes coram dictis Commissariis faciendas.

XIV.

Tractatus Pacis Christianissimum inter Regem, & defunctum Electorem Brandeburgicum, ad Fanum Sancti Germani in Laye die 29. Junii A. C. 1679. conclusus, restituetur in singulis suis Articulis & in pristino suo vigore manebit, inter Sacram Christianissimam Majestatem, & Serenissimum Electorem Brandeburgicum.

XV.

Cum maximè conducat ad Tranquillitatem publicam ut Tractatus observetur, qui inter Sacram Christianissimam Majestatem, & Celsitudinem Regalem Sabaudiæ die nono Augusti A. C. 1696. conclusus erat, conventum est ut confirmetur idem Tractatus per præsentem Articulum.

XVI.

Sub hoc præsenti Pacis Tractatu comprehendentur illi, qui ante Ratihabitionum permutationem, vel intra sex menses postea ab una alteraque parte ex communi consensu nominabuntur; Interim tamen quemadmodum Serenissimus ac Potentissimus Princeps Gulielmus Magnæ Britanniæ Rex, & Serenissimus ac Potentissimus Princeps, Ludovicus Christianissimus Rex, gratè agnoscunt sincera Officia, ac indefessa studia quibus Serenissimus ac Potentissimus Princeps Carolus Sueciæ Rex, interpositâ suâ Mediatione hoc salutare Pacificationis Opus, Divino juvante auxilio, ad exitum optatum promovit, ita ad testandum parem affectum communi partium omnium consensu, sancitum & conventum est, ut altissimè memorata Sacra Regia Sueciæ Majestas cum omnibus suis Regnis, Ditionibus, Provinciis, ac juribus huic Tractatui sit inclusa, & præsenti Pacificatione omni meliori modo comprehensa.

Denique hujus præsentis Pacti ac Fœderis solennis ac ritè confectæ ratihabitiones intra trium hebdomadum spatium, à die subscriptionis computandum vel citiùs si fieri possit, in Domo Ryswicensi in Provincia Hollandiæ utrinque exhibeantur, & reciprocè ritèque commutentur.

In quorum omnium, & singulorum supra memoratorum fidem, majusque robur, & ad iis donandum debitum vigorem atque plenam auctoritatem, infra scripti Legati Extraordinarii, & Plenipotentiarii, unà cum Illustrissimo, & Excellentissimo Domino Legato Extraordinario Mediatore, præsens Instrumentum Pacis subscriptionibus, sigillisque propriis munivêrunt. Acta hæc sunt in Ædibus Ryswicensibus in Provincia Hollandiæ die 20. Mensis Septembris, A. C. 1697.

N. Lillieroot.	*Pembroke.*	*De Harlay Bonneuil.*
(L. S.)	(L. S.)	(L. S.)
	Villers.	*Verjus de Crecy.*
	(L. S.)	(L. S.)
	G. VVilliamson.	*N. Callieres.*
	(L. S.)	(L. S.)

ARTICULUS SEPARATUS.

Præter ea omnia, quæ conclusa, & concordata sunt per Tractatum Pacis, factum hoc præsenti die 20. Septembris A. C. 1697. conventum insuper est per præsentem articulum separatum, qui eundem vigorem, & effectum habebit, ac si verbotenus in eodem Tractatu insertus fuerit, quod Christianissimus Rex pacificatur, & spondeat, sicut per præsentem articulum pacificitur, & spondet quod liberum sit Imperatori, & Imperio usque ad primam diem Mensis Novembris proximè sequentis, conditiones pacis à Christianissimo Rege nuperrimè propositas accipere, secundùm declarationem primâ die hujus præsentis mensis factam, nisi aliter conventum fuerit intra Cæsaream Majestatem & Imperium inter, & Christianissimam Majestatem: & si intra præfixum tempus Majestas Cæsarea non accipiat eas conditiones, nec aliâ ratione Majestatem Cæsaream, & Imperium inter & Christianissimam Majestatem conventum fuerit, prædictus Tractatus effectum suum plenum sortietur, & executionem debitam habebit secundùm formam, & tenorem suum, nec licitum erit Magnæ Britanniæ Regi vel directè vel indirectè sub qualicunque ratione aut causa eidem Tractatui contravenire.

In quorum omnium fidem nos infrascripti Legati Extraordinarii, & Plenipotentiarii Sacræ Regiæ Magnæ Britanniæ Majestatis, & Sacræ Christianissimæ Majestatis, vigore Plenipotentiarum nostrarum præsentem articulum separatum subscriptionibus, & Sigillis propriis muniri curavimus. Actum in Ædibus Ryswicensibus in Provincia Hollandiæ 20. Mensis Septembris A. C. 1697.

(L. S.)	*N. Lillieroot.*		
(L. S.)	*Pembroke.*	(L. S.)	*De Harlay Bonneuil.*
(L. S.)	*Villers.*	(L. S.)	*Verjus de Crecy.*
(L. S.)	*J. VVilliamson.*	(L. S.)	*N. Callieres.*

PACTUM de PACE

Catholicum inter & Christianissimum Reges absolutum & statutum in Palatio Ryswicensi die 20. Septembris A. C. 1697.

I.

Convenit & pactum est ut in posterum bona, firma & stabilis Pax, Societas, perpetuum Fœdus & Amicitia Catholicum inter & Christianissimum Reges, eorum Liberos præsentes & futuros, successores & hæredes, eorum Regna, Dominia, Regiones & subditos, ut se invicem fraterno amore prosequantur, pro viribus utriusque utilitatem, honorem & famam promovendo, bonâ fide, & quantum fieri poterit, quidquid ipsis damnum afferre posset vicissim fugiendo.

II.

Propter hanc Pacem & Concordiam inter supra laudatos Dominos Reges, eorumque subditos & Clientes, sive mari, aliisque aquis, sive terrâ, sive ubicunque bellum ab utriusque Regis exercitibus geritur, sive inter eorum copias, arciumque Præsidiarios, nihil amplius hostiliter fiet: sin autem aliquid contra fieret, unius aut plurium Oppidorum seu vi, seu dolo, seu clandestino commercio occupatorum. Quinetiam si aliqui caperentur, vel si quædam alia, fortè aut secùs, hostilia facta patrarentur, infractio bonâ fide, sine mora, facilèque utrinque emendabitur, absque ulla omninò imminutione quod occupatum fuerit restituendo, & captos sine redemtionis pretio sumptuumque solutione liberos dimittendo.

III.

Simultatis & dissidii argumenta omnia penitùs è memoria delebuntur. Utrinque oblivio perpetua eorum erit & obliteratio, quæ per præsens hoc bellum, hujusve causa facta sunt, adeò ut nec in posterum quovis prætextu, directè vel indirectè eorum sub specie juris, vel aliter inquisitio fiat, neque supra laudati Domini Reges, nec eorum subditi, ministri, & fautores iis commoveantur, eorumque emendationem ullo modo sibi vindicent.

IV.

Urbes Girona, Rosa & Belvera eodem in statu in quo occupatæ sunt, ut & Tormenta bellica eodem tempore in iis reperta, aliaque Oppida

Oppida, Castella, Loca, & Dominia quæcunque tandem illa sint, quæ Christianissimus Rex per hoc idem bellum, imo & ex Pace Neomagensi, in Principatu Catalaunensi, vel alibi in Hispania, suis invasit copiis, cum omnibus eorum accessionibus, subjectionibus & annexis restituentur, & Possessioni, Dominio summoque Catholici Regis permittentur imperio, quo in statu nunc existunt, nihil ex illis retinendo, reservando, imminuendo, pejoreque in statu collocando. Itidem Potestati, Dominio, Summoque ejusdem Catholici Regis Imperio Urbs Barcino cum Arce & Munitionibus ei adhærentibus, omnibusque Machinis bellicis quo in statu, ipsâ expugnationis die extabat, cum omnibus ejus accessionibus, subjectionibus & annexis, restituetur.

V.

Oppidum & Castellum Luxemburgum, haud dirutum, immutatum, minutum, debilitatum, ejusque Operibus, Arcibus, & Munitionibus pejore in statu non positis, cum Machinis bellicis ipsâ die ejus expugnationis in eo repertis, eo in statu in quo nunc habetur: ut & Provincia & Ducatus Luxemburgicus, cum Chiniacensi Comitatu, uterque cum tota sua extensione, iisque omnibus, quas complectuntur, accessionibus, subjectionibus, & annexis, Potestati, Dominio summoque Catholici Regis bona fide restituentur ac submittentur Imperio, ut iisdem Rex idem Catholicus potiatur, prout iis potitus est, aut potiri potuit tunc, & ante Pactum Neomagense, nihil ex illis retinendo neque reservando, præterquam id, quod præcedentibus de Pace Tractatibus Christianissimo concessum est Regi.

VI.

Arx Carloregium in Dominium summumque Catholici Regis Imperium cum omnibus ejus annexis nihil ex ea rumpendo, diruendo, debilitando, aut pejori in statu collocando, unà cum Tormentis bellicis, ibi tempore expugnationis ejus existentibus, pariter restituetur.

VII.

In Dominium, Possessionem, Summumque Catholici Regis Imperium Oppidum Montes Hannoniæ Provinciæ Caput restituetur, cum omnibus ipsius munimentis, eo in statu in quo nunc sunt, non ruptis, non dirutis, debilitatis, aut pejore in statu collocatis unà cum Machinis bellicis inibi die ejus expugnationis repertis, ejusdem Oppidi Suburbana Jurisdictio & Capitalis Tribunatus, accessiones & subjectiones cum tota sua extensione, prout ea potitus est, aut potiri potuit tunc & ante supra laudatum Pactum Noviomagense Catholicus Rex: itidem Oppidum Ath, quo in statu ultimæ illius occupationis tempore erat, in munitionibus non diffractum, dirutum, debilitatum, nec pejore in statu collocatum, cum Tormentis bellicis ibi dictâ die repertis, unà & Suburbana Jurisdictio, Castellana Ditio, accessiones & subjectiones, eidem Oppido annexæ, prout Tractatu Neomagensi concessa sunt, exceptis sequentibus locis, nempe Pago Anthoinio, Vauxo, Guavrainio, Ramecrucio, Bethomo, Constantino, Prædio Paradisiensi, his dictis ultimis Tornacensi Dominio inclusis laudatoque Prædio Paradisiensi, quatenus pro parte imperiis cum Vicokainensi, Havinis, Mêlis, Morcourtio, Kaino, Monte S. Adelberti dicto Trinitatis, Fontenoyo, Maubraio, Hernieriis, Calnella, & Vietis, cum eorum Parochiis, accessionibus & subjectionibus nihil ex iis reservando, quæ in Possessione summoque Christianissimi Regis permanebunt Imperio: Hannoniâ Provinciâ quoad reliqua, salvis tamen, quæ ex ea Christianissimo superioribus Pactis permissa sunt Regi, summo Catholici Regis subjecta Dominio.

VIII.

In Potestatem, Dominium, Possessionem, summumque Catholici Regis Imperium, Cortracum Oppidum, quo in statu nunc extat cum Machinis bellicis inibi ultimæ ejus expugnationis tempore occurrentibus, unaque cum Castellana Ditione, accessionibus, subjectionibus & annexis ejusdem oppidi, secundùm Pactum Neomagense, restituetur.

IX.

Reponenda quoque Catholico Regi Christianissimus Rex curabit omnia Oppida, Loca, Arces, Castella, & stationes, quas ejus copiæ occupavêrunt vel occupare potuissent ad diem usque Pacis, imò & posteà, ubicunque sitæ sint: ut & vice versâ Catholicus Rex Christianissimo Regi omnia Loca, Arces, Castella & Stationes, quas ejus copiæ per hoc bellum, ad promulgatam usque Pacem occupâssent, ubicunque sitæ sint, restituenda curabit.

X.

Omnia Loca, Oppida, Pagi, Vici, quos Christianissimus Rex à Pace Noviomagensi occupavit sivove Dominio adjunxit in Luxemburgo, Namurco, Brabantia, Flandria, Hannonia, aliisque Inferioris Germaniæ Provinciis, juxta supradictarum adjunctionum recensionem à Catholico Rege in Actis hujusce Negotiationis exhibitam, & quorum exemplar huic præsenti Pacto adhærebit, summo cum Imperio & in perpetuum penes Catholicum Regem erunt, exceptis Oppidis, Pagis, Locis & Vicis, in exceptionis recensione habitis, quam quoque exhibuit Christianissimus Rex, & quos, ut Oppidorum Carlomontii, Malbodii aliorumque ab Aquisgranensi & Neomagensi Pactis Christianissimo concessorum Regi, subjectiones sibi vindicat, quorum tantummodo 82. Locorum, in fine hujusce præsentis Pacti recensendorum, respectu, convenit ut utrinque post obsignatum hocce Pactum absque mora nuncupentur Præfecti definituri, tum cui amborum Regum prædicta 82 Oppida, sint subjicienda, Pagi, Loca, aut Vici, vel horum aliquis; cum ut de Locorum & Vicorum Ditioni utriusvis Dominii inclusorum permutationibus faciendis conveniant: Sin autem de istis inter supra laudatos Præfectos non conveniat, Catholicus ut & Christianissimus Reges Fœderati Belgii Ordines arbitros admittere mutuò consenserunt, qui controversiam pro sua ipsorum sententia tandem & ultimò dirimerent, nisi priùs de istis inter utriusque Regis Catholici & Christianissimi Legatos, Plenipotentiarios amicè & benevolè, quin etiam si fieri possit, ante ratum & confirmatum hocce Pactum, convenerit; tuncque omnes difficultates, tum dictarum adjunctionum respectu, tum respectu finium & subjectionum utrinque sedabuntur & planè definientur: ex quorum consecutione desinent omnes prensationes, sententiæ, separationes, incorporationes, Commissa, Jussa, bonorum fisco Addictiones, Adjectiones, Declarationes, Præscriptiones, Edicta, & omnia generatim quæcunque Acta, quæ nomine & verbis Christianissimi Regis dictarum adjunctionum ergò data sunt, sive à supremo Senatu, & Curia Metis posita, sive ab aliis Justitiæ Sedibus, Forensibus Præpositis, Jussis aut Delegationibus adversùs Catholicum Regem, ejusque subditos, & rescindentur, & quasi nunquam extitissent, in perpetuum abrogabuntur; & quoad reliquum dictarum Provinciarum Universitas in summo Catholici Regis permanebit Dominio, exceptis omnibus Oppidis, Castellis & Locis cum omnibus eorum adjectionibus & subjectionibus, à Superioribus de Pace Pactis, Christianissimo concessis Regi.

XI.

Omnia Loca, Oppida, Pagi, Vici, Accessiones, Subjectiones & Annexæ, de quibus suprà à Christianissimo Rege, nihil ex illis excipiendo nec retinendo, in Catholici Regis possessionem redibunt, ut iis ipsemet ille fruatur, ut & omnibus prærogativis, commodis, fructibus & redditibus ab illis pendentibus, cum eadem extensione, eodemque mancipii, Dominii, Summique Imperii Jure, quo ante ultimum bellum tunc fruebatur, imo & ante Aquisgranense & Neomagense Pacta, prout que iis debuit, potirique potuit.

XII.

Realiter & bonâ fide absque cunctatione & dissidio, quacunque tandem de causa & occasione, Nomine Christianissimi Regis supra memoratorum Locorum restitutio fiet illi vel illis, qui ad id à Catholico Rege nuncupabuntur, immediatè post ratum & obsignatum hocce præsens Pactum nihil diruendo, infirmando, imminuendo, damnumque ullo modo inferendo supra dictis oppidis, nullamque pecuniæ impensæ compensationem in munimentis & ædibus publicis & ædificiis in dictis Urbibus adstructis sibi vindicando, nihilque in militum, aliorumque militiæ inservientium, ibi tempore restitutionis existentium, solutionem debitam repetendo & exigendo.

XIII.

Ex omnibus locis, quæ Catholico Regi Christianissimus Rex restituit, omnes bellicas Machinas, quas supra laudatus Christianissimus Rex in prædicta Oppida à tempore illorum expugnationis portari curavit, Pulverem catapultarium omnem, muralis Tormenti Globos, arma, commeatus & bellica instrumenta, & apparatus alios ibi occurrentes, quum Catholico restituentur Regi, removebit & deducet & quos huic rei Christianissimus præfecerit Rex, iis per duos menses regionis illius carris & navigiis uti licebit, illisque per aquam, tum per terram, via aperta erit ad prædictos bellicos apparatus in proxima Christianissimi Regis Oppida transportandos. In dictarum Machinarum, bellicorumque instrumentorum, subvectionem & ductum, Oppidorum & Regionum hoc modo restitutarum, Duces, Præfecti, & Magistratus quodquid penes ipsos erit, ut id faciliori commodiorique fiat negotio, conferent; Dictis Locis exeuntibus Præfectis militibus aliisque rei militari inservientibus, ex iis etiam bona sua mobilia removere & secum abducere licebit, ita tamen, ut nihil omnino ex Oppidorum & Campestrium incolis requirant, nec ædibus damnum inferant, nihilque planè, quod incolarum est, secum auferant.

XIV.

Statim post ratum & obsignatum hocce Pactum, Captivi cujuscunque tandem generis sint & conditionis, ab utraque parte liberi dimittentur, & sine redemtionis pretio & sumptum suum, & quodcunque æs alienum aliunde legitimè contraxissent, solvendo. Si verò quidam à supra laudatis Regibus, horum bellorum tantummodo causâ, ad triremes missi fuissent, quacunque tandem de causa illico nullum ab iis vel redemptionis vel sumptûs precium exigendo, in libertatem asserentur.

XV.

Istius Pacis arctissimæque amicitiæ beneficio, utriusque Partis subditis, quicunque tandem illi sint, legibus regionis, usibus & consuetudinibus observatis, licebit ire, venire, habitare, negotiari, & in utriusque Dominium tanquam eximiis & fidelibus mercatoribus, reverti, tum terrâ marique aliisque aquis agere, & inter se societatem inire quæ tum subditorum protectio & defensio in utriusque Dominio tanquam propriorum & nativorum subditorum suscipietur, dummodo in locis, ad id pro more constitutis, quod ratio postulat, id quod æquum est, pendant, & aliud, quod supra dicti Reges, eorumve successores præscribent.

XVI.

Omnes Commentarii, Epistolæ, Documenta de regionibus, agris & Dominiis, ab hocce præsenti de Pace Pacto laudatis Regibus concedendis & restituendis, ubicunque existant dicti Commentarii & Documenta, quin etiam quæ ex Arce Gandavensi, & ex suprema Rationum Curia Insulana, tribus mensibus post permutatas præ-

præsentis Pacti confirmationes utrinque bonâ fide suppeditabuntur, atque tradentur.

XVII.

Tributa utrinque imperata, vel postulata, Pignerationes, Pabulorum suppeditationes, tritici Grana, Ligna, Pecudes, Vasa, & quæcunque tandem sint Impositiones, utriusque Domini imperati Dominio, post ratum & obsignatum hocce Pactum efflagitari desinent, ut & nec æris alieni Reliquiæ, ejusque portiones, si quædam solvendæ essent, quovis jure & obtentu mutuò repetentur.

XVIII.

Omnes utrinque subditi Ecclesiastici & Seculares, Corpora, communia Consilia, Academiæ, & Collegia tum in honorum, Dignitatum & Beneficiorum in ipsos ante bellum collatorum, possessionem restituentur, tum in possessionem omnium ipsorum & quorumcunque jurium, bonorum mobilium & immobilium, redimendarum pensionum, quarum capita existent, pensionumque ad vitam concessarum, quæ à constituto tempore, tum belli causâ, tum quod ab hostium partibus steterint, apprehensæ & occupatæ fuerint, ut & ipsorum jurium, actionum & successionum, quæ ipsis, imo & ante belli principia obtigerint, ita tamen, ut ex fructibus & reditibus, à dictorum bonorum immobilium, pensionum, & beneficiorum occupatione, perceptis, & quorum solutio obtigerat, nihil ad promulgatum hocce præsens Pactum expostulare, nec sibi vindicare possint.

XIX.

Nihil pariter ex debitis, exstantibus reipsâ bonis, & suppellectilibus ante dictam diem fisco addictis, expostulare & sibi vindicare poterunt, adeo ut nec ejusmodi debitorum creditores, hujusce modique bonorum exstantium sequestri, eorumque hæredes, vel illi, ad quos quocunque nomine pertinetet, eorum procurationi insistant, nec sibi recuperationem vindicent, quæ restitutiones, formâ supra dictâ futuræ, in gratiam eorum, qui aliorum partes secuti fuerint, intelligentur, ita ut, mediante hocce Pacto in Regis sui & summi Domini benevolentiam, ut & in suas facultates, quales concluso & obsignato hocce Pacto existent, restituendi sint.

XX.

Subditorumque utriusque Partis dicta restitutio fiet secundùm Articulorum vim & contextum 21. & 22. Tractatûs Neomagensis, non obstantibus quibusque Donationibus, Concessionibus, Declarationibus, fisco addictionibus, Commissis, Sententiis Præparatoriis & Definitivis, contumaciter, absentibus, neque auditis partibus, datis, quæ sententiæ, earumque judicia nulla, nulliusque effectûs, & quasi non latæ & prolatæ censebuntur, cum plena & omnimoda potestate, dictis partibus, in eas redeundi ac remigrandi regiones concessa, ex quibus antea decesserant, ut ipsimet bonis suis & supellectilibus, pensionibus, & reditibus fruantur, vel habitationem suam extra prælaudatas regiones constituendi, ubicunque, etiam id eligere penes ipsos sit, lubebit, adeò ut hac de causa nulla in ipsos vis aut coactio adhibenda sit; si verò alibi habitare ipsos juvet, quosvis non suspectos commendare & præficere licebit, qui ipsorum facultatibus, pensionibus, & reditibus nomine eorum fruantur, eosque administrent, quod non intelligetur de Beneficiis assiduam Sacerdotis præsentiam requirentibus, quæ personaliter administranda erunt.

XXI.

Stabunt Articuli 24. & 25. supra laudati Pacti Neomagensis de beneficiis, ideoque in possessionem fructusque dictorum beneficiorum alternabuntur ii, in quos ea contulerit alteruter Regum, cui tempore collationis, Oppida & Regiones, in quibus dicta beneficia sita sunt, subjiciebant.

XXII.

Licebit utrinque, & plane omninò erit subditis vendere, permutare, distrahere, aliove modo, tum literis publicis inter vivos, tum testamentis disponere de facultatibus, & bonis reipsâ exstantibus mobilibus & immobilibus, quæ possident aut possidebunt, sita sub ditione alterius supremi Domini, unusquisque autem subditus aut non subditus ea illic sibi comparare poterit, cui venditioni aut emptioni nullâ ulli, præter hocce Pactum, concessione, permissione, aliisque, quæcunque sint, literis, opus erit.

XXIII.

Cùm Pensiones in universitatem quarundam Provinciarum assignatæ sint, quarum pars altera Catholico, altera Christianissimo dedita est Regi, convenit & pactum utrinque est, ut quisque suum pendat caput, quam in rem nuncupabuntur Præfecti, portionem moderaturi quam quisque supra laudatorum Dominorum Regum præstiturus est.

XXIV.

Pensiones annuæ legitimè constitutæ, aut quibus, regionum superioribus Pactis concessarum Dominia, tenentur, & de quarum solutione ex rationibus ab utriusque Catholici ac Christianissimi Regis quæstoribus, ante easdem concessiones apud supremam rationum Curiam exhibitis, constabit, cujuscunque tandem sint Ditionis Creditoribus Hispanis, Gallis, aliusve Gentis, sine ulla distinctione à dictis Regibus persolventur.

XXV.

Et quandoquidem hoc præsente Pacto, Pax bona & firma, terrâ marique inter dictos Dominos Reges, in omnibus ipsorum Regnis, Regionibus, Agris, Provinciis, & Dominiis statuitur, cumque omnis cujuscunque hostilis facti finis in posterum faciendus sit, stipulatu & restipulatu pactum est, ut si quæ prædæ intra quatuor septimanas utrinque fiant in Mari Baltico, vel in Oceano, Septentrionali, a Ternuso in Norwegia ad extremum usque Fretum Britannicum; ab extremo dicto Freto Britannico ad Sacrum usque Promontorium, intra sex Septimanas; indeque intra decem Septimanas in Mari Mediterraneo & usque ad Lineam Æquinoctialem; trans dictam Lineam & ubicunque locorum sit intra octo menses numerandos ab ea die, quâ promulgabitur hoc præsens instrumentum, dictæ prædæ, quæ post statutam diem utrinque fient, reparatis omnibus, quæ inde contigerint, damnis, restituantur.

XXVI.

Infractâ (quod Deus omen avertat) Pace, sex mensium spatium præfinietur, intra quos subditis utriusque Regis integrum erit se recipere, & quocunque voluerint & se & bona sua reipsâ extantia transportare, quod ipsis omni cum libertate exequi licebit, adeò ut nullum hac in re iis impedimentum interponatur, neque per dictum tempus, dicta reipsâ exstantia bona, nimirùm vero omnium ipsi homines in custodia manum deponi possint.

XXVII.

Utrinque Copiæ se, post ratum & obsignatum hocce Pactum, in Ditiones & Regiones suorum Dominorum, inque Oppida & Loca suis vicissim Regibus cedenda & subjicienda post præsens Pactum recipient, ita ut quovis jure & prætextu in Regionibus alterius supremi Domini, nec in Locis et demum cedendis & subjiciendis permanere non possint; statimque post obsignatum hocce Pactum ab armis, & hostilibus factis in omnibus prælaudatorum Dominorum Regum Ditionibus, tum Mari, aliisque aquis, tum terrâ, cessabitur.

XXVIII.

Convenit quoque, ut eorum jurium, quæ supra laudatus Dominus Christianissimus Rex possidet in omnibus Regionibus, quas prædicto Domino Catholico Regi reponit vel restituit, perceptio, ad actualem Oppidorum, quibus dictæ regiones subjacent restitutionem, continuetur, utque reliquum, quod tempore dictæ restitutionis debebitur, bonâ fide Conductoribus persolvatur; Ut & silvarum & nemorum Domini, fisco addictarum in subjectionibus Oppidorum Catholico Regi restituendorum, facultates suas, nemoraque omnia ibidem reperta recuperent: tutè tamen hoc percepto, cæsuras arborarias omnes à die obsignationis hujusce præsentis Pacti cessaturas.

XXIX.

Pactum Neomagense & superiora pro sua formula & argumento effecta dabuntur, exceptis iis capitibus & Articulis, quibus antea derogatum iis fuerit, vel quidpiam posteà Præsenti hocce Pacto ultimo immutatum.

XXX.

Omnes Litis actiones, judiciaque quæ inter privatos Judices aliique Magistratus quos Christianissimus Rex præfecit, tum iis Oppidis & Locis quibus vi & auctoritate Pacti Aquisgranensis potitus est, quæque postea Catholico Regi concessit, tum iis, quæ vi & auctoritate Pacti Neomagensis possidet Christianissimus Rex, vel quibus ex eodem Pacto potitus est; ut & pariter Decreta à supremo Tornacensi Senatu facta in disceptationes & lites à dictorum Oppidorum, eorumque subjectionum incolis, toto illo tempore, quo Christianissimo subjecta sunt Regi, procuratas, stabunt plenumque & integrum effectum consequentur, quasi supra dicto Domino Regi dicta oppida & Regiones in perpetuum subjacerent, nec dicta Judicia & Decreta in dubium revocabuntur, irritaque fient, neque eorum executioni mora & impedimentum interponetur: re quidem verà partibus sibi causæ dijudicatæ in novam disceptationem revocatione consulere licebit, secundùm ordinem & dispositionem Legum & Decretorum, stantibus intereà judiciis & sententiis, salvis iis, quæ stipulatu & restipulatu pacta sunt Articulo 21. supra dictæ Pacis Neomagensis.

XXXI.

Oppidum & Castrum Dinantum Episcopo & Principi Leodiensi Christianissimus restituet Rex, eo in statu quo ab ejus copiis expugnata sunt.

XXXII.

Desiderante Christianissimo Rege Insulam Pontiam, in Mari Mediterraneo sitam, in Ditionem Domini Ducis Parmensis restitui, officiorum Christianissimi Regis gratiâ edidit Catholicus Rex se milites suos inde remoturum, hancque Insulam in Domini Ducis Parmensis potestatem & possessionem statim post ratum & obsignatum hocce Pactum, repositurum.

XXXIII.

Quandoquidem quietis publicæ interest, ut Pax, quæ Taurini die 29. Augusti 1696. inter Christianissimum Regem, Regiamque Sabaudiæ Celsitudinem, decreta est, cautissimè observetur, illam confirmare, & hocce præsenti Pacto quoad omnia ejus capita complecti, qualia habentur in Exemplari à Plenipotentiariis Sabaudiæ obsignato & munito sigillo, præsentique Pacto infra adjungendo, in cujus & præsentis Pacti conservationem se ejus Regiæ Celsitudini auctores præstant laudati Reges, illiusque vicissim auctoritatem admittent.

XXXIV.

XXXIV.

Officiorum & studiorum, quibus sine ulla intermissione Suecorum Rex Pacem procuravit & promovit, memores prædicti Reges, convenerunt ut Suecorum Regem, ejus Regna & Dominia nominatim præsens hocce Pactum, optimo, quo fieri possit, modo & formulâ complectatur.

XXXV.

Hujusce Pacis, Fœderis & Amicitiæ consortes fient ii omnes, qui communi omnium consensu, utrinque ante ratum & obsignatum hocce Pactum, & permutatum, imo & sex mensibus postquam permutatum fuerit, nuncupabuntur.

XXXVI.

Conveniunt laudati Domini Catholicus & Christianissimus Reges, ut Suecorum Rex quatenus Mediator, omnesque alii Reges, Principes & Respublicæ, quibus se simili pignori obligare cordi erit, obstringant se apud supra laudatos Dominos Reges, ut quidquid hocce præsenti in Pacto continetur, præstituros se polliceantur.

XXXVII.

Ut autem hocce Pactum, omniaque ejus membra & capita tutiora & firmiora evadant, promulgatum, confirmatum & commentariis adscriptum erit hocce præsens Pactum, tum in Majori aliisque Consiliis, & suprema Rationum Curia laudati Domini Regis Catholici, in Germania Inferiore, tum in aliis Consiliis Castiliæ & Arragoniæ Regnorum, Omnia juxta formulam in Instrumento Neomagensi A. C. 1678. observatam: Ut & pariter hocce Pactum promulgabitur, confirmabitur, & commentariis adscribetur in supremo Senatu Parisiensi, aliisque Regni Galliæ supremis Senatibus, Supremaque Rationum Curiâ Parisiis habitâ; quarum promulgationum & commentariis adscriptionum expeditiones, utrinque tribus mensibus post promulgatum hocce Pactum, suppeditabuntur & proferentur.

XXXVIII.

Hæc autem Capita & Articuli prædicti, ut & id, quod eorum unumquodque complectitur, commemoratos inter Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios Catholici & Christianissimi laudatorum Dominorum Regum, eorum nomine acta, concessa, transacta, & stipulatu restipulatuque pacta sunt, hi verò Plenipotentiarii vi & auctoritate facultatis sibi demandatæ, cujus exemplaria ad calcem hujusce Pacti exhibebuntur, polliciti sunt & pollicentur, in id obstringendo omnia & quæcunque bona, & Ditiones præsentes & futuras Regum Dominorum suorum, fore ut ea sanctè religioseque observentur & executioni mandentur, eaque purè & simpliciter, nihil iis addendo comprobanda curent, earumque comprobationes intra sex septimanas, à die & inscriptione præsentis Pacti incipiendas, vel si fieri possit, citiùs, scriptis & testimoniis certis & sigillo munitis præbeant, quibus præsens hocce Pactum verbo ad verbum intersereretur. Præterea polliciti sunt & pollicentur eorundem Nomine supra laudati Plenipotentiarii, fore ut, simulac testimonia & scripta comprobatoria expedita & exhibita fuerint, prædictus Dominus Catholicus Rex, quàm citissimè fieri ab ipso poterit, præsente vel præsentibus hoc vel his viris quos, Christianissimum Regem nuncupare juvabit, in Crucem, Euangelium, Missæ Canones, & honorem suum, se plenè, realiter & bonâ fide omnia Capita, quæ præsens Pactum complectitur, observaturum & executioni mandaturum, ex usu, rituque solenni juret, idemque præsenti vel præsentibus hoc vel hisce viris, quos Catholicum Regem nuncupare juvabit quàm citissimè à Christianissimo Rege fieri poterit præstabitur. In quorum fidem supra laudati Plenipotentiarii præsens hoc Pactum propriis manibus subscripsêrunt, suisque sigillis munivêrunt. Actum Ryswici in Hollandia vigesimo die Septembris A. C. 1697. sic in Archetypo subscriptum.

Lillieroot. (L.S.)	*Don Francisco Bernardo* (L.S.) *de Quiros.*	*De Harley Bonneuil.* (L.S.)
	Le Comte de Tirimont. (L.S.)	*De Crecy Verjus.* (L.S.)
		De Cailieres. (L.S.)

ARTICULUS SEPARATUS.

PRæter ea, quæ inter Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios Catholici & Christianissimi Dominorum Regum hodie 20. Septembris 1697. constituta & Decreta sunt; Convenit quoque ac hoc præsenti Articulo Separato, cujus eadem vis & auctoritas erit, ac si verbo ad verbum dicto Pacto intersereretur, ut Christianissimus Rex concedet, ut hocce Articulo concedit, Imperatori & Imperio ad primam usque Novembris proximi diem, quò ad conditiones ultimò à Christianissimo Rege juxta ejus primæ hujusce mensis Septembris denunciationem, oblatas adducantur, nisi de iis alio modo Imperator & Imperium cum Christianissimo convenire possent Rege. Quod si intra dictum tempus ad conditiones supra dictas non accedant, neque alio modo de iis cum Christianissimo conveniant Rege, dictum de Pace Pactum ad usum planè & perfectè educetur, & juxta ejus formulam & auctoritatem executioni mandabitur, adeò ut contra hasce Pactiones, nihil Catholicus Rex, quovis obtentu directè vel indirectè, facere possit.

In quorum fidem Nos Legati Catholici & Christianissimi Regum, vi & auctoritate facultatum nobis vicissim demandatarum, eorundem nomine Articulum hunc separatim propriis manibus subscripsimus, sigillisque nostris munivimus. In Palatio Ryswicensi in Provincia Hollandiæ 20. Septembris 1697.

Lillieroot. (L.S.)	*Don Francisco Bernardo* (L.S.) *de Quiros.*	*De Harlay Bonneuil.* (L.S.)
	El Conte de Tirimont. (L.S.)	*De Crecy Verjus.* (L.S.)
		De Cailieres. (L.S.)

Recensio & Declaratio Accessionum vel occupationum, quas à Pace Neomagensi in Catholici Regis Inferioris Germaniæ Provinciis, occupavit Christianissimus Rex.

Luxemburgensis Provincia.

OOppidum Luxemburgum Provinciæ istius Caput, ut & triginta quinque Vicos & Viculos, qui Tribuni Capitalis Vici dicuntur, Gallia invasit.

Ut & Tribunatum Capitalem Luxemburgicum ex tribus Jurisdictionibus constantem, nempe Kundzigh, vel Clemencio, Putlango, & Pettingo.

Tres Ditionalis Prætorii Præfecturas, quæ sunt Bettemburgum, Santweileta, & Recklinium, tresque Prætorii Præfecturas, Steinsellum, Lingegenium, Schiteringenium, ut & Vicos & Viculos unum & septuaginta conficientes.

Castellum, Pagum, & Dominium Rodomacherense cum viginti Vicis ei affixis:

Castellum & Dominium Hesperangense cum quatuor Vicis.

Ravillam ejusque accessiones ex septendecim Vicis constantes.

Castellum Comitatumque Russiensem undecim Vicos complectentem.

Dominium Russiense cum quinque Vicis.

Castellum, Jurisdictionemque Putlangensem, cui quindecim Vici adhærent.

Castellum Dominiumque Preischiense cum duobus Vicis.

Castellum Agimontium cum duobus Pagis, Givetis, Viculisque iis annexis.

Dominium Viltieuxo Waltandum.

Agros ac Dominia Comitatûs Rupisfortis cum quatuor Viculis.

Castellum Tribunatumque Capitalem Dotcymontensem, Viennam, vigintique alios Viculos, decemque iis inclusa Dominia complectentem.

Ditiones Chasse-Petram, Riviero-Fontanoillam, S. Ceciliam, Lescho-Manilas, Lugnonem-Bertriffum, Jurisdictionem Orionensem, Marponum, Dochampum, Herbemontium, Jurisdictionem Butollensem, Jurisdictionem Mussonensem.

Comitatum Montacutium cum tredecim Vicis, Viculisque.

Ducilocum, Capitalemque sanctæ Mardæ Tribunatum cum sexdecim Vicis.

Castellum & Dominium Lathurense, Montemquintinum, Vallem, Gommerium, Bassalium, Rouettam, Villerumque Lupense.

Oppidum Comitatumque Chiniensem cum viginti ac septem Vicis, Viculis & Ustrinis ferreis.

Baroniam Jamamensem ejusque Vicos & Viculos quinque.

Dominium Novecastellense ex sex & quadraginta Vicis & Viculis constans.

Pagum Franchisam, seu Immunitatem, Prætoriique Præfecturam Remichiensem, ejusque Vicos & Viculos viginti quatuor.

Dominium Walbredimusum.

Jurisdictionem Mackerensem Comitatum, Oppidum cum quatuor & triginta Vicis & Viculis complectentem.

Dominium Wasser-Billichium.

Echternacensem Capitalem Tribunatum, Oppidum tres & triginta Vicos Viculosque complectentem, quatuor Prætorii Præfecturis, scilicet Olweillero, Ivello, Crehemo, & Bollendorfio distinctum.

Oppidum & Capitalem Tribunatum Bidburgensem, immunitatem Dudeldorfiensem. Vicosque triginta quatuor complectentem.

Oppidum Capitalemque Tribunatum Dickrichensem, Oppidum unum, & viginti sex Vicos & Viculos habentem.

Oppidum Capitalemque Tribunatum Arlonensem constantem ex Oppido ipso, centumque & viginti novem Vicis & Viculis, ut & ex Jurisdictionibus, vel Prætorii Præfecturis quindecim, Ustrinis ferreis, nec Fornacibus haud computatis.

Dominium Pontem-Ausetum, duos Vicos, Viculos & Ustrinas ferreas complectens.

Oppidum & Capitalem Tribunatum Bastoniam, consistentem ex Oppido ipso, & centum & quadraginta quinque tum Vicis tum Viculis, ex decem Prætorii Præfecturis constantem.

Oppidum, Prætorii Præfecturam, Capitalemque Tribunatum Marcham, Oppidum ipsum & novendecim Vicos & Viculos continentem.

Oppidum, Capitalemque Tribunatum Durbutum, quod consistit in ipsomet Oppido, sex & septuaginta Vicis & Viculis, in quatuor Curias, Dominiaque nobilia novendecim divisis.

Comitatum Rochianum, cum Arce, Oppido, unum & quinquaginta Vicos, Viculosque in quatuor Prætorii Præfecturas divisos continentem.

Dominium Belsanctum, cum Ditione Bertoniensi, duobusque Vicis ei annexis.

Comitatum Salmensem cum Castello, Pago, duobusque & triginta Vicis & Viculis.

Comitatum Viandencem, Arcem, Oppidum & quadraginta novem Vicos & Viculos, in Prætorii Præfecturas sex divisos, complectentem à quibus multa alia dependent Castella & agri, secundariarum Clientelarum conditione.

Sancti Vithi agrum & Dominium Oppidum unum complectentem, & quadraginta septem Vicos & Viculos in sex Curtas divisos.

Dominium Monasteriense sub quo Vici & Viculi viginti quatuor.

Montis S. Johannis Dominium, cui subsunt quatuor Vici Viculique, ut & vetustissimum Castellum dirutum.

Castellum & Dominium Differtangium & Solluerum cum tribus & viginti Vicis, Villis, & Viculis iis annexis.

Castellum & Dominium Bertrangense.

Castellum & Dominium Dansemburgense tresque Vicos eis adhærentes.
Castellum & Dominium Hollenfelze cum duodecim Vicis & Viculis.
Marschum Castellum & Dominium eorumque quatuordecim Vicos & Viculos.
Prangium Castellum & Dominium eorumque sexdecim Vicos & Viculos.
Helperdangium Dominium.
Atloncurtium Dominium cum tribus Vicis.
Dominium Meislemburgum cum quinque Vicis & Viculis.
Castellum & Dominium Fusback tresque Vicos.
Linter, S. Lisferense Castellum & Dominium ejusque Vicos & Viculos novem.
Effinguense Castellum & Dominium.
Rochetum Dominium cum vetustissimi Castelli parietinis, Vicisque & Viculis quindecim.
Dominium Keringense ejusque duos Vicos aut Viculos.
Castellum & Dominium Bellifortium undecimque Vicos & Viculos.
Berburgium Castellum & Dominium undecimque Vicos & Viculos.
Dominium Herberennum & Montispachium.
Castellum & Dominium Reulandum, vigintique Vicos & Viculos.
Castellum & Dominium Ooren, cum sex Vicis Viculisque.
Castellum & Dominium Clara-Vallense ejusque quadraginta quatuor Vicos Viculosque.
Castellum & Comitatum Wiltzieusem cum tribus & viginti Vicis & Viculis.
Castellum & Dominium Eschiense vel Aissense constans ex duobus & viginti Vicis Viculisque.
Castellum & Dominium Burgscheittum, duodecim Vicos & Viculos.
Oppidum, Castellum, & Dominium Nuwerburgense cum suis Vicis & Viculis quinquaginta duobus.
Immunitatem Waswilleram.
Castellum & Dominium Brandenburgicum sexque Vicos & Viculos.
Castellum & Dominium Kayllium, tresque Vicos.
Castellum & Dominium Falkensteinium cum tribus Vicis & Viculis.
Castellum & Dominium Bettingense cum novem Vicis & Viculis.
Hamum Castellum & Dominium cum quatuor Vicis & Viculis.
Dominium Brouch cum duodecim Vicis Viculisque.
Dominium Malberghense ejusque tres Vicos & Viculos.
Dominium Rolportum ejusque sex Vicos & Viculos.
Mirwartum Castellum & Dominium unumque & viginti Vicos Viculosque.
Focanum Castellum & Dominium ejusque tres Vicos & Viculos.
Rachamps Dominium uno cum Vico & Viculo.
Ayvallium Dominium octo cum Vicis Viculisque.
Harzetum Dominium cum tribus Vicis Viculisque.
Batellum Dominium.
Quercetanum Dominium ejusque tres Vicos & Viculos.
Wittiacum Castellum & Dominium cum quatuor Vicis Viculisque.
Ulfeldangium Castellum & Dominium, cui subsunt octodecim Vici & Viculi.
Authelum Castellum & Dominium cum sex Vicis & Viculis.
Girschum Castellum & Dominium cum quindecim Vicis Viculisque.
Koerichum Castellum & Dominium sexque Vicos & Viculos.
Septifontanam Castellum & Dominium cum Vicis Viculisque decem.
Winckringen Dominium sexque Vicos & Viculos.
Agrum & Dominium S. Huberti uno cum Pago, sexque Prætorii Præfecturis.
Dominium Waltingense, & Lanzense.
Oppidum, Castellum & Dominium Schleidense cum triginta sex Vicis & Viculis.
Castellum & Dominium Cronemburgense cum tredecim Vicis & Viculis.
Manderscheit Castellum & Dominium Vicosque ei annexos.
Schinfletum Castellum & Dominium duobus Vicis & Viculis constans.
Curiam Tummensem duos & viginti Vicos Viculosque complectentem.
Hachevillam à qua tres Vici pendent.
Castellum & Dominium Muritorsense, ejusque tres Vicos.
Castellum & Dominium Holzemburgense cum Vicis duobus.
Sterpignium.
Castellum & Dominium Apsburgense, cui quatuor & triginta Vici & Viculi subsunt.
Sinsfeldtum Castellum & Dominium quatuor constans.
Scharffiltchen & duodecim Vicos & Viculos.
Dominium & Dentsburgum Castellum & Dominium quatuor Vicos & Viculos complectens.
Mehrer-Bettenfelt.
Castellum & Dominium Sohyet.
Jurisdictionem Deslassiu, sub se tres Vicos & Viculos habentem.
Redu.
Esclave.
Castellum & Dominium Belvin ex quinque Vicis & Viculis constans, ibi complexâ Dionvalle, quamvis eam Gallia Agro Agimontio annexuerit.
Hannum ad Lessam tres Vicos Viculosque complectentem.
Hoffalizium Castellum & Dominium à qua tres Vici & Viculi pendent.
Dominium Wibrense cum duobus Vicis.
Humanum.
Waham Castellum & Dominium, cui duo subjacent Vici.
Bandum Dominium.
Castellum & Dominium Soyense sex Vicos & Viculos continens.
Diverdis Castellum & Dominium.
Jeneppum Castellum & Dominium.
Dochain Castellum & Dominium, cui sex Vici & Viculi parent.
Rolletum Castellum & Dominium, cui novem subjacent.
Montem Hottensem Castellum & Dominium.
Javigni Castellum & Dominium sex constans.
Mabonpratum Dominium.
Lavallum Castellum & Dominium tribus constans.
Villers Lupanum.
Chesnoyum.
Cuestum Magnum Castellum & Dominium.
Castellum & Dominium Soigneullum S. Remigii, cui duo subjacent.
Dominium Vill-Haimontium novem Vicis & Viculis constans.
Villers ante Orvallum Castellum & Dominium.
S. Mariæ Dominium.
Orvallum Dominium cum quatuor Vicis & Viculis.
Porcheressam Castellum & Dominium.
Vancium duobus Vicis constans.
Belonam Castellum & Dominium quinque complectens.
Herbumontium Castellum & Dominium, sub quo septem.
Castellum & Dominium Everlangium novem Vicos & Viculos continens.
Naslonium Dominium.
Castellum & Dominium Grunense.
Capitalem Tribunatum Estallensem quatuordecim Vicos & Viculos, in tres Prætorii Præfecturas divisos, complectentem.
S. Huberti Agrum & Dominium, in sex Prætorii Præfecturas, consistens cum multis Vicis ab iis pendentibus.

Namurcum.

A supradicta Pace Noviomagensi in Provincia Namurcensi Gallia occupavit.
Pil-Vaccam Capitalem Tribunatum, Prætorii Præfecturas Jurisdictiones, Agros, Vicos & Viculos sequentes complectentem.
Rendarcham Prætorii Præfecturam constantem ex Vicis,
Lustino, Malieno, Lutio cum suo Castello, Sorinna Longa, Affella, Jassonio, Walremonrio cum Castello suo,
Viculisque Castello Roncinnâ Ivorensi, Castello Affesâ, Castello Estroyo, Corsullo, Porino, Affesâ, Brochavio, Millieto, fundis Jassonensibus.
Emptinas Prætorii Præfecturam Vicos Emptinas, Emptinellam, Natoiiam complectentes.
Viculosque Franceslam, Gaillardum, Fontes, Champillonem-Sartum.
Prætorii Præfecturam Falmaniam unum complectentem-Vicum.
Falmaniam, Castellum Thirium ab ea dependens, quodque dirutum est, & Hulsonaxum.
Jurisdictionem Lignonensem, quæ constat ex Vicis & Viculis
Lignonensi, Chapoyo, Onchipo, Ronvalli, Corbiono, & Barsinablo.
Soyam Jurisdictionem, Vicum scilicet Soyam & Mohivillam ei submissum.
Agrum & Baroniam Gesvensem.
Viculos Hojuxum, Ustrinas, Fundum Calmuntium, Putrinum, Preit-Hamidam, Hudam, & Franceslam, omnes à dicto Agro Gesvensi pendentes.
Vici peculiares, qui quoque dicto Capitali Tribunatui subjacent.
Ohayum & Reppa, ei subsunt, Wallaium, Halliotum, Chaltinum cum Viculis, Maibo & Frisea iis subjecta, Valmum, Houra in famine, Sorinna supra Dinantium, Borsalla Vicus, Castellumque Spontinum, Vicique Durnallum, Mianoyum, & Dominum iis subjecta, Joefnum, Filecum, Hodomontium cum Viculo Julleto pendentibus ab eo Harnus, duobus Bursenis, novo & vetere, Maisnillo Sancto Blasio, Haibis, & Pondromo.
Silvas Aluwesiam, Comissam, Lacham, Lerboisam, majorem, minoremque Falliam, complectentes septingentos vel octingentos Bonnillos ad Catholicum pertinentes Regem, ut & quasdam Villas, Decimas, annuas pensiones, Census, aliosque Domini ipsiusmet reditus mensibus Novembri & Decembri A. C. 1681. occupatos.
Præterea A. C. 1682. superioris & inferioris Arcæ invasit Silvas.
Et circa mensem Aprilem A. C. 1680. Prioratum Hastierum ad Mosæ ripam situm occupavit.
Prætorii Præfecturam Huram Vicos Huram infra Pil-Vaccam, Iwarum, Eurehallam, Jodinnam Lisoniam, Purnottum, Awanam, Viculosque Balcum, Jayolam, Futvoyum, Venattam, Campallam, Hugomontium, Blomontium, Montem cavum, Frapullum, Fresnam, Talsetum, Segniellum, & Loysum & Loyersum complectentem.

Præ-

Prætorii Præfecturam Bovinienſem complectentem.

Oppidum, Immunitatemque Bovinenſem ipſam, ex utraque parte ædes aliquot, magna cum Metenſi Villa, & quindecim aut ſexdecim ædes, ex regione dicti Oppidi, Dinantium versùs, ſitas.

Antheam Prætorii Præfecturam conſtantem ex Vicis

Anthea, Superiore Vaſtia, Riviera, Sommieri, Melino, Marinna & Orhaja.

Viculiſque parvæ Metenſis Villæ, Granga Roſtenna, Ohcito, Hentorio, cum Caſtello ſuo Cheſtrevino, Weſpino, Flunuro, Welino, & Serenna.

Bovinenſem Balliviatum, Sabim inter & Moſam nuncupatum, ſequentes complectentem Juriſdictiones, Agros, Abbatias, Caſtella, Vicos & Viculos.

Walſeram Juriſdictionem, ad quam pertinent Pagi & Abbatiæ Walſerenſes, Ulmus, Haſtizum, Vallis, Haſtizumque trans Gerinum.

Viculique Ermetto ad Moſam, Mons Oſtemtius, Staira, & Ponsenna.

Antheam Juriſdictionem cui ſubſunt

Anthea, Mianoya, Morvilla, & Fontana cum Caſtello ſuo.

Agrum & Immunitatem Bieſino-Colomenſem, Vicos Bieſmam, Heverſiam, Pratam, Wagnias, Oreltum, Sartum, Aſtacham, & Gognias complectentem.

Agrum Gerpinium, ex Vico ad pagum Gerpinium, conſtantem.

Viculoſque tres Alleſlagium, Fromignium, & Imiguium.

Ager Thienſis.

Sub quo continentur Vici, Thium ipſum, cum Caſtello ſuo, Sanſium, Chaſtrerum, Jordinna, Turſinna, Ferolla.

Et Viculi Maiſnillum, Lepus, Rabuſiaque Vaëria.

Vici peculiares à dicto Balliviatu Bovinenſi pendentes.

Flavio, Roſea cum ſuo Juſennenſi Viculo, Bieſmeria, Ermetto ad Bierram, Stavia, Steira, Mertienna, Fontanella, Caſtillonii Matrignoli portio, Romria, Feppinum, Berſia cum Caſtello ſuo, Acos cum Caſtello ſuo, Villerum Figlinum, Jonereſtum Fornax, Servillia, Aveloijum, Arbor, Profunda-Villa, Leſvæ, Biolzum, Grauxum, Rominia, Meſſus, Reſella, Roſiera, Nemuſque Villerum.

Monſaquila Balliviatus ex Vicis & Viculis ſequentibus conſtans.

Veteris Caſtelli Montiſaquilæ Parietinis, Falleano, Montaquilâ Urbana, ad Montaquilam Uſtrinâ ferreâ, Saletto, Fainio, Corbayo, Henemontio, Watnantio, Hunnio, Envoya, Rollio-fornacibus, Uſtrinis Ferreis, Fuſutiſque Molini & Abbatiæ.

Sancti Gerardi Prætorii Præfectura.

Quæ complectitur Vicum Bronienſem cum Monaſterio.

Viculos ædis, Gonoiſum, Soſoyam, Maredrettum, Villas Montiniacas, Libinnam, Beholdam & Heraldam.

Juriſdictio Sabim inter & Moſam.

Vicus Folzienſis, Viculi Hagæ Afolz, & Wepis.

Sabim inter & Moſam, Acceſſionibuſque iſtius Provinciæ includuntur quoque Silvæ ſuperioris & inferioris Marlaniæ, ex quater mille & trecentis, & amplius Bonnillis conſtantes, Sylvæ Bierrenſes, earumque Acceſſiones, ex 1590. Bonnillis, Nemora Bieſmenſia, cum Halloiio, vetereque Fornace, aliiſque Annexis, ex quingentis & quadragenta Bonnillis, Villiſque, Decimis, Cenſibus & annuis Penſionibus, aliiſque Dominiis & reditibus ad Catholicum Regem pertinentibus, multiſque aliis Prædiis Arci Namurcenſi beneficiario jure adſcriptis.

Gallia à Tractatu Noviomagenſi, imo & poſt inducias ut Oppidum Walcurtium, & vicum Biolzium occuparet, in vicinia Arcis Namurcenſis palos erigendos curavit, ſub prætextu ſe ante, eaſdem inducias ad dictum uſque Vicum occupationes ſuas protuliſſe. Ut hi pali auferrentur, limiteſque ponè ad villam Parellam ponerentur, eò, conventione 1. Jan. 1687. Philippoli tranſactâ, adductum eſt, ut occupatione dicti Oppidi Walcurtii, dictique Vici Biolzii potiretur, iiſdem argumentis, formulis, & conditionibus, quibus eodem Induciarum Pacto potita eſt Gallia omnibus iis Locis, quæ à Pace Noviomagenſi occupaverat: qui peculiaris Tractatus per eam dictâ Philippopoli tranſactus hoc propoſito de pace Pacto deſinit.

Hannonia Provincia.

Chimæum Principatus & Capitalis Tribunatus, cum Vicis, Viculis, Juraque ei ſubmiſſa, nempe	Balluxum.
	Uſellæ.
	Lompretum.
Chimæum Oppidum.	Stroimium, Cauchia, ejuſque Viculi, Feron, Roulium.
Sanctus Remigius.	Belmontium Capitalis Tribunatus cum ſuis Acceſſionibus & Subjectionibus, quæ ſunt
Uſtrinæ.	
Burlezius.	
Butonvilla.	Oppidum Belmontium.
Bailievra.	Berſiliæ.
Villerum-Turris.	Levallum.
Scelonia.	Thirimontium.
Robechiæ.	Solrum S. Gery.
Balwezum.	Grandriellium & Fralii.
Monſminium.	Sivry.
Matiſſonum.	Frigid-Capella, & Furbechiæ.
Imbrechiæ.	Ranſum.
Moncellum.	Monsbliardus.
Sallæ.	Cerviſons.
Ferieræ majores.	Grandrengium.
Ferieræ minores.	Rocqua.
Roſierum.	Luniæ.
Belfortium & Robechiæ.	Oppidum Chiurium.

Vici Occupati.

Portio Pagi Antonii, Fontanoyum, Veronum, Vallis Mombracum, & Bramanillum.

Vici Maldis, Pipax, Giſſiniæ in Pipace. Rocurtium, Wormæ, Wierræ Parochia, Ogimontium, Dominiolum, Queſnoy parvum à Portis, Burgonium, Parochia Fonteniaci, Gramellum, & Fermontium Parochia Thiulanii, Portia Antonii Immunis Ager reputatâ, Bruchſilvanum, Morcurtium, Herinæ, Waſmæ, & Lignetrum.

Oppidum & Fons Epiſcopalis, Vicus Thiverellii, pratorumque ſexcenti vel circiter Bonnilli.

Vici Anderluenſes, Abbatia Almontia, & Buſſiera, cum Locationibus Warnentiellis, ſilva, & Villa ad Nemus.

Flandria.

Oppidum Renaxium.

Oppidum Loo.

Oppidum Roulers.

Vicique Muregemium, Watervlit, Vendevilla, Templum martis, Billavium, Caſtellumque Glebæ ad Nemus ſuis cum annexis.

Nemus Nippenſe.

Nemus Ooſthulſt.

Brabantia.

Ager Ayſealis cum ſuis Acceſſionibus multos Viculos complectentibus, inprimis Viculum Oignies cum ejuſdem nominis Cœnobio, Vicique Moncelli portione.

Legatus Catholici Regis poſtulat ut Chriſtianiſſimus Rex ab occupatione deſinat earum & ſingularum partium, quas à Pacto Noviomagenſi invaſit, aliaſque, quas à prædicto Pacto occupare potuerit, etſi hic non allatæ nec ſpecificatæ fuerint, utque Catholicus Rex in earum realem & actualem poſſeſſionem reſtituatur, ut iis ante dictum Noviomagenſe Pactum fruebatur, omnia ſalvo jure Catholici Regis in alias Galliæ uſurpationes, quæ laudato Chriſtianiſſimo, nec a Pacto Noviomagenſi, nec ab ullo præcedente, conceſſæ fuërunt Regi.

Recenſio exceptionis locorum, quæ Legati Galliæ ſibi reſervanda aſſumunt.

Oppidum Chiurium.		Breuchum ad Foreſtas.
Portio Antonii.		Marcurtium.
Fontenoijum.	Antonii Subjectiones.	Herinnæ.
Vezonium.		Wames.
Vallis.		Lignetta.
Malbraijum.		Thiücelli & ſexcenti vel circiter Pratorum Bonnilli.
Bramenillum.		
Maldis.		Renaxium.
Pipayum.		Oppidum Loo.
Giſſiniæ in Pipayo.		Oppidum Roulers.
Rocurtium.		Vicus Murgemium.
Wermes, Vieræ Parochia.		Pagus Watervlit.
Ogimontium.		Pagus Templum martis.
Dominillum.		Viculus Wandevilla.
Queſnoy minus ad Portas.		Billavium.
Burgeonum, Fontenoii Parochia.		Caſtellum Glebæ ad Nemus, ſuis cum annexis.
Granmettum.		
Fermontium Thiulanii Parochia.		Nemus Nippenſe.
		Nemus Ooſthulſt.

Carlomontii Subjectiones.

Agimontium.	Herrum.
Givetum, S. Hilarii Oppidum.	Herletum.
Givetum, Noſtra Domina.	Liſicurtium.
Voſneſchium.	Ranſenna.
Felainum.	Mahuxium.
Dio-Mons.	Domus Sallia.
Dio-Vallis.	Manillum S. Blaſii.
Winenna.	Vireuxum Wallerandum.
Landticampus.	Villerſiæ.
Finevallis.	Rienna.
Feiſcalx.	Burſonia Vetus.
Feroxa.	Burſonia Nova.
Javingum.	Hargniæ.
Avietta.	Hebbæ.
Carnuxium.	Vaſſortium, Abbatia ambæque Haſtiræ.
Flohimontium.	
Fromelana.	Ermeton ad Moſam.
Felix Pretta Virginum Abbatia.	Matignollium.
Remetho ad Bierram.	Romeræa.
Sevryum.	Berræa.
Galchenæa.	Feſtinum.

Loca à Malbodii Capitali Tribunatu pendentia.

Tirimontium.	Feronium.
Berſilliæ, Abbatia.	Vollia.
Vallis ſub Belmontio.	Belfortium.
Cerviſons.	Almontium Abbatia.
Roca ad Sabim.	Boſſeria.
Eſtrunnum.	

PACTUM de PACE.

Actum, definitum & decretum Ryswici in Hollandia 20. Septembris, A.C. 1697. inter Legatos & Plenipotentiarios Christianissimi Regis ab una & Legatos Plenipotentiariosque Dominorum Ordinum Belgii, Provinciarum Confœderatarum ab altera parte.

I.

IN posterum Christianissimum inter Regem, ejusque Successores Galliæ & Navarræ Reges, ejusque Regna, ab una, & Dominos Belgii Provinciarum Confœderatarum Ordines, ab altera parte, bona, firma, fidelis & minime violanda Pax erit, desinentque postea, & deponentur omnia, cujuscunque tandem sint generis, hostilia, tum mari aliisque aquis, tum terrâ, facta inter supra laudatum Dominum Regem, laudatosque Dominos Ordines, in omnibus suis Regnis, Regionibus, Provinciis ac Dominiis, & in gratiam omnium illorum Subditorum, & cujuscunque tandem sint generis & conditionis, Incolarum, nullis locis, nec hominibus exceptis.

I I.

Utrinque oblivio & generalis Amnestia erit eorum omnium, quæ hujus ultimi belli causâ perpetrata sunt, sive ab illis, qui cùm nati sint Galliæ subditi, deque Christianissimo Rege, muneribus, facultatibusque, quas in Gallia, quanta est, possidebant, promerentes, apud Dominos Fœderatos Ordines hærent, merentque, sive ab illis, qui cùm nati sint Dominorum Provinciarum Confœderatarum Ordinum Subditi, vel sub illis, muneribus & facultatibus, quas in Belgio Fœderato, quantum est, possidebant, promerentes, apud Christianissimum Regem hærent, merentque, qui supradicti Homines, cujuscunque tandem generis & conditionis sint, nullo excepto, redire poterunt, redibunt, & reipsâ relinquentur & in suarum facultatum, honorum, dignitatum, prærogativarum, immunitatum, æquorum, exemptionum, constitutionum, & libertatum possessionem & fruitionem restituentur, adeò ut nec in genere, nec in specie, quacunque tandem de causa, vel obtentu, ob ea, quæ ab incepto bello gesta sunt, inquirendi, perturbandi, & molestiâ afficiendi sint, & ex vi & auctoritate præsentis Pacti, & postquam, tum à Christianissimo Rege, tum à Dominis Provinciarum Belgii confœderati Ordinibus ratum & obsignatum fuerit, Omnibus & singulis privatim, nullo ad id abolitionis & veniæ usu interveniente, ipsismet ædes suas repetere, in suorum Agrorum omniumque suarum facultatum possessionem reverti, deque iis, quomodo ipsis arridebit, disponere licebit.

I I I.

Si verò quædam utrinque fiant prædæ in Mari Baltico, vel Oceano Septentrionali, intra quatuor Septimanas, Ter-Nuso in Norwegia ad extremum usque Fretum Britannicum, vel ab extremo dicto Freto Britannico, ad Promontorium usque Sacrum, intra sex Septimanas, indeque in Mari Mediterraneo & usque ad Lineam Æquinoctialem, intra decem Septimanas, & trans Lineam Æquinoctialem & ubicunque Orbis Terrarum intra octo Menses, numerandos à die, quâ Parisiis & Hagæ Comitum Pax promulgabitur, dictæ prædæ, damnaque utrinque post dictam diem immissa rationibus adscribentur, & quidquid direptum fuerit, cum compensatione damnorum, quæ inde processerint, reddetur & restituetur.

I V.

Præterea inter commemoratum Dominum Regem, & commemoratos Fœderati Belgii Ordines, vicissim, eorumque Subditos & Incolas, Sincera, firma, & perpetua, conspiransque & continuata, terrâ marique in omnibus & per omnia, tum intra & extra Europam, mutua cognatio erit nullis offensionibus aut damnis, tum ob præterita, tum horum bellorum causâ, animo ipsorum infixis.

V.

Et ex vi & auctoritate amicitiæ illius mutuæque conspirantis continuatæque cognationis, tum Christianissimus Rex, tum Domini Belgii Fœderati Ordines utriusque bonum, & prosperum successum, omnimodâ gratiâ, auxilio, consilio, omnique operâ ac studio, in omnibus occasionibus & opportunitatibus collatis, procurabunt & promovebunt; nec in posterum se adduci patientur, ut ulli Pacto aut Negotiationi assentiantur, unde uterque damnum percipere posset, sed ea contrà repriment, vicissimque de iis, summâ curâ, studio, ac candore, statim ac ipsis cognita fuerint, monitos se facient.

V I.

Quorum bona quædam occupata, fiscoque hujus Belli causâ addicta sunt, eorum Hæredes, vel ad quos, cujuscunque tandem sint generis aut Religionis, quocunque nomine pertinebit, istis bonis potientur, privatâque auctoritate, & secundum vim præsentis Pacti, eorum possessionem sibi vindicabunt, nullâ actione justitiæ subsidiariâ interveniente, non obstantibus omnibus Fisco addictionibus, pignoris obligationibus, dono datis, sententiis præparatoriis aut definitivis, indictâ causâ, vel per contumaciam datis, absentibus partibus, iisque non auditis, Pactis, Conventibus, & Transactionibus, quibuscunque renuntiationibus dictis transactionibus insertis, ut à portione dictorum bonorum ii excludantur, ad quos pertinere debent, omniaque & singula bona & jura, quæ secundùm hocce præsens Pactum restituenda sunt, vel vicissim primis dominis, hæredibus, vel iis, ad quos, quocunque nomine pertinet, restitui debent, ab ipsis prædictis dominis, nullo consensu privato ad id interveniente, venundabuntur. Posteaque annuarum pensionum Dominis, qui à Fiscis in locum bonorum venundatorum, ut & annuarum pensionum & actionum Fiscorum curæ vicissim demandatarum constituentur, de earum, ut & aliarum ipsorum facultatum annuis pensionibus aliove modo disponere licebit.

V I I.

Et quandoquidem Marchionatus Berga ad zoomam, ejusque Jura & Reditus ab eo pendentes, ut & in genere omnes agri & bona, quæ ad Domini Arverniæ Comitis, Galliæ Levis armaturæ Equitatus Magistri ditionem & dominium spectant, & quæ potestati Dominorum Fœderati Belgii Ordinum subjiciuntur, hujusce Belli causâ, cui hocce præsens Pactum finem feliciter imponit, occupata Fiscoque addicta sunt, convenit ut Dictus Dominus Arverniæ Comes in dicti Marchionatus Bergæ ad zoomam, ejusque accessionum & subjectionum, ut & jurium, actionum, privilegiorum, usuum & prærogativarum, quibus tempore Belli indicti fruebatur, possessionem & fruitionem restituatur.

V I I I.

Omnes Regiones, Oppida, Loca, Agri, Arces, Insulæ & Ditiones, cùm intra, tum extra Europam, quæ ab ineunte præsente Bello invasa & occupata fuissent utrinque in eum restituentur statum, in quo quoad Munimenta tempore occupationis extabant; quoad verò spectat alia ædificia, restituentur in eum statum, in quo existent, nihil in illis diruto, nec pejori in statu collocato, nullaque à damno pro iis quæ diturbata fuissent, cautione expostulatâ: imprimis Arx & Sedes Ponticherry, supra dictis conditionibus Gallicæ Indiarum Orientalium Societati restituetur. Ad Machinas verò bellicas quæ, ab Indiarum Orientalium Fœderati Belgii Societate transportatæ fuerint, quod spectat, penes ipsam, ut & Commeatus, & bellicus Apparatus, Servi, omniaque alia reapse exstantia bona, manebunt, ut de iis pro suo lubitu, ut & de Agris, Juribus, & Prærogativis, quæ sibi, tum à Principe, tum à Regionis Incolis, comparavit, disponat.

I X.

Omnes in Bello Capti, nullâ distinctione, aut exemptione adhibita, nulloque redemptionis pretio expostulato, liberi utrinque dimittentur.

X.

Tributorum impositorum Coactio, utrinque, die obfirmationum hujusce præsentis de Pace Pacti permutationis, desinet, nullæque dictorum Tributorum impositorum, & concessorum reliquiæ exigentur, sed quæcunque hujusce rei argumenta, quæ vindicari quovis jure & obtentu possent, penitùs utrinque extinguentur; ut & dictis obfirmationibus præsentis hujusce Pacti permutatis, omnia utrinque Tributa imposita, respectu, Christianissimi & Catholici Regum, Regionum, cessabunt.

X I.

Ut eò magis stet & permaneat hocce Pactum, convenit præterea inter Christianissimum Regem, Dominosque Fœderati Belgii Ordines, ut, quum huic Pacto satisfactum fuerit, tum in genere, tum in specie, sicut nunc fit, discedatur ab omnibus iis argumentis, cujuscunque tandem generis illa sint, quæ tam ob præteritum, quàm ob præsens tempus pars altera adversùs alteram movere posset, quò in posterum omnium suscitandarum & concitandarum litium & quæstionum ansa præcidatur.

X I I.

Justitiæ ordinariæ viæ & rationes patebunt, liberrimeque vicissim exercebitur, & utrinque subditis suis juribus, actionibus & argumentis, secundùm Leges & Statuta cujusque Regionis insistere licebit, ut ibi, sine ullo discrimine, quod sibi legitimè debitum fuerit, quisque consequatur; Si verò vel ante, vel post indictum Bellum hocce ultimum pignorationis rescripta & diplomata utrinque concessa & demandata fuerint revocabuntur, & nullius planè usus habebuntur, ita tamen, ut litigatoribus, quibus illa concessa fuissent, sibi per solitas Justitiæ rationes consulere, integrum sit.

X I I I.

Si imprudentia aliove modo, Præsenti huicce Pacto, vel à Christianissimo Rege, vel à Dominis Confœderatarum Belgii Provinciarum Ordinibus, eorumque Successoribus, vis aut incommodum quid afferretur; nihilo tamen minus hæc Pax, hæc Confœderatio pro omni sua vi & auctoritate stabunt, adeo ut hac de causa nec amicitia nec societas infringantur. Verum promptè & celeriter dictæ infractiones resarcientur; si verò à quibusdam privatis subditis oriantur, soli illi pœnas dabunt.

X I V.

Ut autem in posterum Commercium & amicitia inter Domini laudati Christianissimi Regis, Dominorumque jam memoratorum Confœderatarum Provinciarum Ordinum subditos stent, stabiliantur & constituantur, convenit & pactum est, ut postea intermissione quadam, & abalienatione inter Galliæ Regnum, jamque memoratos Confœderatarum Provinciarum Dominos Ordines, (quod Deus avertat) interveniente, semper per novem menses utriusque Partis licebit subditis, post jam memoratam intermissionem & abalienationem se & bona sua reapse exstantia ad se recipere, eaque quocunque lubuerit transportare. Quod ipsis exequi licebit, ut & libertimè venundare, & transferre sua bona & mobilia, nullo ipsis impedimento allato, neque ullâ per novem jam memoratos menses, adversùs illos, sive bonorum ipsis reapse exstantium occupatione, ipsorumque hominum detentione, lite promotâ.

X V.

Pactum de Pace Christianissimum inter Regem, defunctumque Electorem Brandenburgicum Sangermani in Laya die 29. Julii mensis A.C. 1679. decretum, Christianissimum inter Regem, Celsitudinemque Electoralem Brandenburgicam hodiernam, in omnia sua momenta, argumenta & Articulos, restituatur.

XVI.

XVI.

Quandoquidem verò quietis & tranquillitatis publicæ interest, ut Pax Christianissimum inter Regem, & Celsitudinem Regiam Sabaudiæ Ducem die 9. Augusti mensis A. C. 1696. decreta, accuratissimè observetur, eam hocce præsenti instrumento confirmare utrinque lubuit.

XVII.

Cum autem Christianissimus Rex Dominique Confœderatarum Belgii Provinciarum Ordines, præpotentium & amplissimorum beneficiorum, quæ Succorum Rex consiliis & monitis suis in salutem & quietem publicam contulit, optimè memores sint, utrinque pactum est, ut supra jam laudatus Succorum Rex unà cum ejus Regnis, validissimâ, quâ fieri poterit, formulâ, nominatim huicce præsenti de Pace Pacto includatur.

XVIII.

Hocce præsens de Pace & Confœderatione Pactum, ex supra jam memorati Christianissimi Regis parte, complectetur quoscunque, qui ante fœderis obfirmationes permutatas, imo & intra sex menses post earum permutationem, nuncupabuntur.

XIX.

Et à jam memoratorum Dominorum Confœderatarum Belgii Provinciarum Ordinum parte complectetur Magnæ Britanniæ & Hispaniæ Reges, Omnesque alios Fœderatos, qui intra sex Septimanas, à permutatis illius Pacis & obfirmationibus numerandas, acceptam gratamque se habere illam Pacem perhibebunt, ut & tredecim laudandos Helvetiarum Societatum Pagos, eorumque Socios & Confœderatos, nominatim verò, optimâ, quâ fieri poterit, ratione & formulâ, Respublicas & Pagos Euangelicos, Tigurinum, Bernensem, Glarizium, Basileensem, Scaffosianum, & Appensellium, cum omnibus eorum Sociis & Confœderatis, maximè verò Republicâ Genevensi, ejusque Subjectionibus, Oppido & Comitatu Neocomiensi, Oppidis, Sancto Gallo, Milhausio, & Bienna; item Canis Rætis, eorumque Subjectionibus, Oppidis Bremensi & Embdensi, præterea que Omnibus Regibus, Principibus, & Ordinibus, Oppidis, virisque privatis, quibus Domini Fœderati Belgii Ordines ad id postulati, hanc facultatem concedere lubuerit.

XX.

Dominus jam memoratus Christianissimus Rex, jamque memorati Confœderatarum Belgii Provinciarum Domini Ordines auctores sunt, ut Succorum Rex, quatenus Mediator Omnesque alii Reges & Principes, quibus ejusecmodi Societatem gratam acceptamque admittere integrum erit, apud Christianissimum Regem, Fœderatique Belgii Dominos Ordines se præstituros pollicèantur quodcunque hocce præsenti Pacto spoponderint.

XXI.

Dominus Christianissimus Rex, Dominique Fœderati Belgii Ordines præsens hocce Pactum ratum & obfirmatum habebunt, Obfirmationisque rescripta & diplomata intra tres Septimanas, vel si fieri possit citiùs, ab obgnationis die numerandas, perhibebuntur.

XXII.

Ut verò major huicce de Pacto, omnibusque, quæ complectitur, momentis, argumentis & Articulis auctoritas, vis & asseveratio concilietur, præsens hocce Pactum in Suprema Senatûs Parisiensis Curia, aliisque Galliæ Regni Supremis Curiis, Rationumque memoratorum Parisiorum summâ Curiâ, promulgabitur, comprobabitur, & in Commentarios referetur, ut & similiter præsens hocce Pactum, in Curiis, aliisque Locis, in quibus promulgationes, comprobationes, & in acta relationes fieri solent, à Confœderatarum Belgii Provinciarum Ordinibus promulgabitur, comprobabitur, & in Commentarios referetur.

In quorum fidem & asseverationem Nos Christianissimi Regis, Dominorumque Confœderatarum Belgii Provinciarum Ordinum Legati vi facultatum nobis in id vicissim demandatarum, supra memoratis Nominibus; manibus nostris præsens hoc Instrumentum subsignavimus, sigillisque nostris munivimus. Rysvici in Hollandia vigesimo die Septembris Anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo.

signatum erat

(L.S.) *N. Lillierot.* *N. A. de Harlay Bonneuil.* (L.S.) *A. Heinsius.*
(L.S.) (L.S.) *E. de Weede*
(L.S.) *Verjus de Crecy.* (L.S.) *W. van Haren.*
(L.S.) *De Callieres.*

ARTICULUS SEPARATUS.

Præter ea, de quibus in Pacto de Pace, acto Christianissimi Regis Extraordinarios & Plenipotentiarios Legatos inter, & Dominorum Confœderatarum Belgii Provinciarum Ordinum Legatos, definitum & decretum est, hodie 20. Septembris die A. C. 1697. hocce Articulo Separato, cui eadem vis & auctoritas addicetur, ac si totidem verbis jam supra memorato Pacto interseretur, convenit & pactum adhuc est, ut Christianissimus Rex dabit, prout hocce præsenti Articulo Separato dat, Imperatori & Imperio usque ad primam proximi Novembris diem, quò Pacis leges & conditiones, ultimo à Christianissimo Rege propositas admittant, prout se de istis, primâ die hujusce præsentis mensis Septembris, explicuit, nisi Imperatori & Imperio de iis allo modo cum Christianissimo Rege conveniat; Si verò intra jam memoratam diem Imperator & Imperium jam supra memoratas leges & conditiones non admittant, neque alio modo ipsis de iis cum Christianissimo conveniat Rege, supra jam memoratum de Pace Pactum planum & plenum effectum allequetur, nolloque adhibito impedimento, quovis jure, & obtentu, directè aut indirectè, à memoratis Confœderatarum Belgii Provinciarum Ordinibus, pro argumento & formula sua, executioni mandabitur.

In quorum fidem & confirmationem Nos Christianissimi Regis, Dominorumque Confœderatarum Belgii Provinciarum Ordinum Legati, vi facultatum nobis in id vicissim demandatarum, supra memoratis Nominibus, hunc Articulum Separatum manibus nostris, pro more, subsignavimus, Sigillisque nostris muniri curavimus. Rysvici in Hollandia vigesimo die Septembris, Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo.

Signatum erat.

(L.S.) *N. A. de Harlay Bonneuil.* (L.S.) *A. Heinsius.*
(L.S.) *Verjus de Crecy.* (L.S.) *E. de Weede.*
(L.S.) *De Callieres.* (L.S.) *W. van Haren.*

INSTRUMENTUM PACIS CÆSAREM ET IMPERIUM INTER ET GALLIAM,

Conclusæ in Palatio Rysvicensi in Hollandia 30. Octobris 1697.

I.

Pax sit Christiana, Universalis & perpetua, veraque amicitia inter Sacram Cæsaream Majestatem, ejusque Successores, totum Sacr. Romanum Imperium, Regnaque & ditiones hæreditarias, Clientes & subditos ab una, & Sacram Regiam Majestatem Christianissimam, ejusque Successores, Clientes & subditos ab altera parte: eaque ita sincerè servetur & colatur, ut neutra pars in alterius perniciem vel detrimentum sub quolibet colore quicquam moliatur, aut molientibus, seu quodvis damnum inferre volentibus ullum auxilium, quocunque nomine veniat, præstare, alteriusve subditos Rebelles, seu refractarios recipere, protegere, aut juvare quavis ratione possit aut debeat, sed potiùs utraque pars alterius utilitatem, honorem ac commodum seriò promoveat, non obstantibus, sed annullatis omnibus in contrarium facientibus promissionibus, tractatibus & fœderibus quomodocunque factis aut faciendis.

II.

Sit perpetua utrinque Amnestia & oblivio omnium eorum, quæ quocunque loco, modove, ultrò citròque hostiliter facta sunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei causâ vel prætextu alter alteri quicquam inimicitiæ aut molestiæ, directè vel indirectè, specie juris aut viâ facti uspiam inferat, aut inferri patiatur, sed omnes & singulæ hinc inde verbis, scriptis, aut factis illatæ injuriæ & violentiæ absque omni personarum, rerumve respectu ita penitus abolitæ sint, ut quicquid eo nomine alter adversùs alterum prætendere possit, perpetuâ sit oblivione sepultum. Gaudeant etiam hac amnestiâ ejusque beneficio & effectu omnes & singuli utriusque partis Vasalli ac subditi, ita ut nemini eorum noxæ aut præjudicio sit, has vel illas partes secutum esse, quò minùs pristino, in quo ante bellum immediatè fuit, statui, quoad honores & bona, plenè restituatur, servatis tamen iis, quæ ratione Beneficiorum Ecclesiasticorum, mobilium & fructuum articulis sequentibus speciatim definita sunt.

III.

Pacis hujus basis & fundamentum sit pax Westphalica & Neomagensis, eæque statim à commutatis ratificationum formulis in Sacris & profanis plenè executioni mandentur, & posthac sartæ tectæ conserventur, nisi quatenus nunc aliter expresse conventum fuerit.

IV.

Restituentur inprimis Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio, ejusque statibus & membris, à S. R. Majestate Christianissima quævis tam durante bello & viâ facti, quàm unionum seu reunionum nomine occupata loca & jura, quæ extra Alsatiam sita, aut indice reunionum à legatione Gallica exhibito expressa sunt, cassatis, quæ ea de causâ à Cameris Metensi, & Vesontina, ut & Consilio Brisacensi, edita sunt, decretis, arrestis, & declarationibus, omniaque in eum statum reponentur, quo ante illas occupationes, uniones, seu reuniones fuerunt, nullo deinceps tempore ampliùs turbanda seu inquietanda, Religione tamen Catholicâ Romanâ in locis sic restitutis, in statu quo nunc est, remanente.

V.

Et quamvis ex generalibus hisce regulis facilè dijudicari queat, qui & quatenus restituendi sint, nihilominus ad aliquorum instantiam, accedentibus peculiaribus rationibus, de quibusdam causis specialem mentionem fieri placuit, ita tamen, ut expresse non nominati pro omissis non habeantur, sed pari omnino cum nominatis loco, & eodem jure fruantur.

V I.

Nominatim restituendus Dominus Elector Trevirensis & Episcopus Spirensis in Urbem Trevirensem, in statu, quo nunc est, absque ulteriore demolitione, ullave ædificiorum publicorum aut privatorum deterioratione, cum Tormentis bellicis, quæ ibidem tempore postremæ occupationis reperta fuêrunt. omnia quoque de occupationibus, unionibus & reunionibus jam præcedenti articulo quarto statuta, in commodum Ecclesiarum Trevirensis & Spirensis speciatim repetita censeri debent.

V I I.

Fruetur etiam omnibus emolumentis pacis hujus, ejusque assertione plenissimè comprehendetur Dominus Elector Brandeburgicus, cum omnibus ditionibus, possessionibus, subditis & juribus, nominatim iis, quæ ipsi ex tractatu 29. mensis Junii Anno 1679. inito competunt, ac si singula speciatim relata essent.

V I I I.

Restituentur à Christianissimo Rege Domino Electori Palatino occupatæ omnes ditiones, sive ad illum solum pertineant, sive cum aliis communes sint, quocunque nomine veniant, speciatim verò Civitas & Præfectura Germersheimensis, illaque comprehensæ præposituræ, cum omnibus arcibus, Urbibus, oppidis, pagis, Villis, fundis, feudis & juribus, prout per pacem Westphalicam restitutæ fuêrunt, omnibus etiam documentis literariis ex Archivo, Cancellaria, Curia feudali, Camera rationum, Præfecturis, aliisque officiis Palatinis ablatis, nullo loco, re, jure, aut documento exceptis. De juribus verò seu prætensionibus Dominæ Ducissæ Aurelianensis convenit, ut præviâ restitutione supradictâ res secundùm formulam compromissi à Sacra Cæsarea Majestate & Sacra Regia Majestate Christianissima tanquam Arbitris juxta leges & constitutiones Imperii decidatur: illis verò in sententia discordibus, Papæ tanquam super-arbitro decidenda deferatur. Non minùs tamen interea amicabilis compositio inter partes tentetur, & donec res finem accipiat, annua summa ducentarum millium librarum Turonensium seu centenorum millium florenorum Rhenensium à Domino Electore Dominæ Ducissæ Aurelianensi eâ ratione & conditione solvatur, prout peculiari articulo, ejusdem cum pace hac vigoris expressum est, utriusque partis tam in possessorio, quàm in petitorio, uti & Imperii jure undiquaque integro.

I X.

Restituatur Serenissimo Sueciæ Regi, ut Comiti Palatino Rheni, Comiti Sponheimii & Veldentiæ, avitus Ducatus Bipontinus liber & integer cum appertinentiis & dependentiis, iisque juribus, quibus Sacræ Regiæ Majestatis prædecessores Comites Palatini & Duces Bipontini gavisi sunt, aut gaudere potuêrunt, ad normam Pacis Westphalicæ: ita ut omnia sub quocunque titulo à Corona Galliæ hactenus ex toto, vel parte istius Ducatûs prætensa, occupata & reunita pleno jure ad Sacram Regiam Majestatem Sueciæ ejusque hæredes Comites Palatinos Rheni redeant. Reddantur quoque documenta literaria, ad dictum Ducatum spectantia, unà cum Tormentis bellicis, quæ tempore occupationis ibidem exstiterunt, cunctaque alia, de quibus in favorem restituendorum, præcedentibus articulis conventum est.

X.

Quantum ad Principatum Veldentiæ, & quæ sub nomine dicti Principatus aut Lauterecceensis defunctus Princeps Leopoldus Ludovicus Comes Palatinus Rheni possederat, restituentur juxta §. quartum & indicem à Legatione Gallica exhibitum, salvis cujuscunque prætendentium tam in possessorio, quàm petitorio juribus.

X I.

Magno Ordinis Teutonici Magistro & Episcopo Wormatiensi Domino Principi Francisco Ludovico Palatino reddentur plenè ablatæ à Gallia inclito Ordini antiquitùs dicatæ seu possessæ Commendæ, loca, reditus, & jura, fruetùrque dictus Ordo ratione Commendarum & bonorum sub Domino Gallico sitorum tam circa collationem, quàm administrationem iisdem usibus, privilegiis & immunitatibus, quibus antehac juxta statuta & regulas suas gavisus est, & Ordo Sancti Joannis Hierosolymitani gaudere consuevit. Locum etiam habebunt ratione Episcopatûs Wormatiensis reliquarumque Domini Principis Ecclesiarum, quæcunque pace hac de restitutione locorum, contributionibus, aliâsve conventa sunt.

X I I.

Reddetur Domino Electori Coloniensi tanquam Episcopo & Principi Leodiensi Castrum & oppidum Dinantense in statu, quo tempore occupationis fuit, cum omnibus juribus & dependentiis, Tormentis quoque bellicis & documentis ibi tum repertis. Omnia porrò de occupationibus, unionibus & reunionibus supra articulo quarto statuta in commodum Ecclesiarum Coloniensis & Leodiensis speciatim repetita haberi debent.

X I I I.

Restituatur Domus Wurtembergica & nominatim Dominus Dux Georgius pro se & successoribus ratione Principatûs seu Comitatûs Mompelgardensis in eum statum, jura, prærogativas, ac in specie in eam immedietatem erga Sacrum Romanum Imperium, quâ antea gavisus est, & quâ cæteri Imperii Principes gaudent, vel gaudere debent, annullatâ penitus Vasallagii recognitione, Coronæ Galliæ Anno 1681. Fruanturque deinceps dicti Principes liberè omnibus eodem pertinentibus reditibus, tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, quibus ante pacem Neomagensem fruebantur, non minùs ac feudis, quæ tempore detentionis Gallicæ vel aliâs iis aperta, nec ab ipsismet aliis concessa sunt, excepto Pago Baldenheim cum appertinentiis, quem Rex Christianissimus Commendatori de Chamlay Regiorum Castrorum Metatori Generali contulit, quodque ratum manere debet, ita tamen, ut Domino Duci Wurtembergico, velut Domino directo, ejusque successoribus homagium præstare, ab eoque feudi hujus renovationem petere teneatur. Restituantur quoque in plenariam & liberam possessionem, tam feudorum suorum Burgundicorum, Clereval & Passavant, quàm Dynastiarum Granges, Herricourt, Blamont, Chatelôt & Clemont, cæterarumque in Comitatu Burgundiæ & Principatu Mompelgardensi sitarum cum omnibus juribus & reditibus eo planè modo, prout ante pacem Neomagensem possederant, abolitis penitus iis, quæ quocunque titulo, tempore ac modo in contrarium facta vel prætensa fuêrunt.

X I V.

Gaudeat etiam Domus Marchica Badensis omni jure & beneficio pacis hujus, adeoque etiam Westphalicæ & Neomagensis inprimis verò articulorum 4. & 5. hujus tractatûs.

X V.

Restituantur eodem modo Principes & Comites Nassovienses, Hanovienses, & Leiningenses omnesque cæteri Sacri Romani Imperii Status, qui per articulum quartum hujus tractatûs aliosve restituendi veniunt, in omnes & singulas suas ditiones eoque pertinentes proventus & reditus, aliaque omnia jura & beneficia, quocunque nomine insignita sint.

X V I.

Cùm verò pacis meliùs stabiliendæ ergò, placuerit loca quædam hinc inde permutari, Sacra Cæsarea Majestas & Imperium cedunt Sacræ Regiæ Majestati Christianissimæ ejusque in Regno successoribus Urbem Argentinensem & quidquid ad illam civitatem, in sinistra Rheni parte pertinet, cum omni jure, proprietate & supremo Dominio, quod sibi & Romano Imperio hactenus in ea competiit, aut competere poterat, eaque omnia & singula in Regem Christianissimum ejusque successores transferunt, ita ut dicta Urbs cum omnibus suis appertinentiis & dependentiis in sinistra parte Rheni sitis, absque ulla reservatione cum omnimoda jurisdictione & superioritate, supremoque Dominio à modò in perpetuum ad Regem Christianissimum ejusque successores pertineat & Coronæ Galliæ incorporata intelligatur, absque Cæsaris, Imperii vel cujuscunque alterius contradictione. Ad cujus cessionis alienationisve majorem validitatem, Imperator & Imperium vigore præsentis transactionis expressè derogant omnibus & singulis prædecessorum Imperatorum Sacrique Romani Imperii Decretis, constitutionibus, statutis & consuetudinibus etiam juramento firmatis aut in posterum firmandis, nominatimque capitulationi Cæsareæ, quatenus alienatio omnimoda bonorum & jurium Imperii prohibetur, quibus omnibus expressè renuntiant, dictamque Urbem unà cum Magistratibus, Officialibus, Civibus & Subditis omnibus, à vinculis & sacramentis, quibus hucusque Imperatoribus & Imperio obstricta fuerat, exsolvunt, eamque ad subjectionem, obedientiam & fidelitatem Christianissimo Regi ejusque successoribus præstandam remittunt, atque ita Chistianissimum Regem in plena justaque proprietate constituunt, omnibusque in ea juribus ac prætensionibus ex nunc in perpetuum renuntiant, inque hunc finem dictam Urbem Argentinensem ab Imperii matricula expungi placet.

X V I I.

Liberum tamen maneat omnibus & singulis ejus urbis & appertinentiarum incolis, cujuscunque conditionis sint, qui emigrare voluerint, inde domicilium alio, quocunque libuerit, unà cum mobilibus bonis, sinè ullo impedimento, detractione aut exactione, intra annum à ratihabita Pace, post quinquennium verò præstitis præstandis secundùm conditiones in ejusmodi casibus illic olim usitatas transferre, immobilia verò aut vendere, aut retinere, & per se, vel per alios administrare. Eadem quoque facultas retinendi & per se, vel alios administrandi aut alienandi omnibus aliis Imperii membris aut subditis mediatis vel immediatis maneat, qui bona, reditus, debita, actiones, vel jura in dicta urbe, ejusque appertinentiis habent, sive semper retinuerint, sive durante bello, aut ante illud confiscata seu adempta aliisque concessa fuerint, per conventionem hanc restituenda, quocunque nomine veniant, aut ubicunque degant. Salva etiam sit jurisdictio Ecclesiastica iis, ad quos antiquitùs spectavit, nec eam, ejusve exercitium impedire unquam liceat.

X V I I I.

Vicissim Sacra Regia Majestas Christianissima restituet cum omnibus juribus & dependentiis intra 30. dies à commutatis Ratificationum formulis Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio munimentum Kehl à se exstructum in dextra Rheni parte situm integrum. Munimentum verò de la Pile cæteraque in ipso Rheno seu Rheni insulis exstructa intra mensem sequentem aut citiùs, si fieri poterit, sumptibus Regis Christianissimi solo planè æquabuntur, à neutra parte posthac reædificanda. Fluminis autem navigatio, aliusve usus utriusque partis subditis, aut qui alias illac commeare, navigare aut merces transvehere volent, æquè patebit: nec quicquam ab alterutra parte illic aut alibi unquam fiet, quo flumen divertatur, aut ejus cursus seu navigatio aliusve usus difficilior quavis ratione reddatur, multò minùs nova telonia, portoria, aut pedagia exigentur, aut vetera augebuntur, navesve, quæ transeunt, ad unam magis quam alteram ripam appellere, aut onera, seu merces exponere, vel recipere cogentur, sed id libero cujusque arbitrio relinqui semper debebit.

X I X.

Cedit quoque Sacra Regia Majestas Christianissima Sacræ Cæsareæ Majestati & Serenissimæ Domui Austriacæ Urbem & Arcem Friburgensem, nec non fortalitium S. Petri, fortalitium item Stellæ nuncupatum, & quæcunque alia munimenta ibidem aut alibi per Sylvam Hercyniam vel reliquum Brisgowiæ districtum noviter erecta,

aut

aut restaurata in statu, quo nunc sunt, absque ulla demolitione aut deterioratione, cum Villis Leben, Merzhausen, & Kirchzarth, cumque omni jure, prout suæ Regiæ Majestati per Pacem Neomagensem cessa aut ab illa possessa & exercita fuerunt, uti & archivo, omnibusque scripturis seu documentis literariis tempore occupationis illic repertis, sive ibi adhuc existent, sive aliorsum translata sint, jure diœcesano aliisque juribus & reditibus Episcopatus Constantiensis semper salvis.

X X.

Transfert similiter in Sacram Cæsaream Majestatem & Domum Austriacam Sacra Regia Majestas Christianissima Brisacum integrum in moderno statu, cum Granariis, armamentariis, munimentis, Vallis, muris, Turribus, aliisque ædificiis publicis ac privatis, atque omnibus dependentiis in dextra parte Rheni sitis, iis, quæ in sinistra Rheni parte sunt, interque ea fortalitio *le Mortier* dicto, Christianissimo Regi relictis. Urbs tamen, quæ nova dicitur, in eadem sinistra Rheni parte sita, uti & pons, ac munimentum insulæ Rheni inædificatum omninò destruetur & solo æquabitur à neutra parte ullo tempore reædificanda. Cæterùm eadem libertas Brisaco migrandi hîc repetita censebitur, quæ ratione urbis Argentinæ conventa est.

X X I.

Præfata loca, Urbes, Castra & Fortalitia cum omni districtu, appertinentiis & dependentiis Sacræ Cæsareæ Majestati à Sacra Regia Majestate Christianissima retrocessa restituantur & tradantur absque omni reservatione, exceptione aut retentione bonâ fide & sine ullâ dilatione, impedimento vel prætextu, iis, qui post ratihabitas Pacis tabulas à Sacra Cæsarea Majestate ad id constituti & specialiter deputati fuerint, eaque de re locorum evacuandorum Præfectis, Gubernatoribus aut Officialibus Gallicis fidem fecerint, ita ut dictæ Urbes, Arces, Fortalitia & loca cum omnibus prærogativis, utilitatibus, proventibus & emolumentis ac quibuscunque ibidem comprehensis, in jus, possessionem actualem & omnimodam potestatem ac superioritatem Sac. Cæs. Maj. & Domûs Austriacæ redeant, & apud eandem perpetuis temporibus permaneant, quemadmodum antehac ad eam spectârunt, & à Sacra Regia Majestate Christianissima hactenus possessa fuêre, nihilque omnino juris aut prætensionis in loca præfata & eorum districtus Coronæ Galliæ remansisse, aut reservatum fuisse, intelligatur. Nec quicquam porro exigatur pro sumptibus & expensis in Munimenta aut alia ædificia publica vel privata insumptis, nec alia quacunque de causa retardetur restitutio plenaria intra triginta dies à pace ratihabita executioni demandanda, adeo ut præsidia Gallica inde protinus abducantur, absque omni molestia, damno vel gravamine, civibus & incolis, aut aliis quibuscunque subditis Austriacis titulo debitorum aut prætensionum quarumlibet inferendo. Neque fas sit militiæ Gallicæ in locis evacuandis, aut aliis quibusvis ad Sacram Regiam Majestatem Christianissimam non spectantibus diutiùs commorari, hyberna, vel stationes figere, sed in proprias Coronæ Galliæ ditiones illico commigrare teneantur.

X X I I.

Eadem ratione reddetur Sacræ Cæsareæ Majestati, Sacroque Romano Imperio Philippiburgum illæsum cum munimentis ei in dextra parte Rheni junctis, omnibusque Tormentis bellicis, quæ tempore ultimæ occupationis ibidem exstitêrunt, Episcopatûs Spirensis jure undiquaque reservato, atque eo nomine articulus quartus Instrumenti Pacis Neomagensis expressè repetitus habebitur. Munimentum verò, quod in sinistra ripa ædificatum est, unà cum ponte à Christianissimo Rege post occupationem facto, destruetur.

X X I I I.

Curabit Christianissimus Rex suis impensis solo æquari munimenta è regione Huningæ in dextra ripa & in Insula Rheni exstructa, fundo cum ædificiis Domui Badensi reddendo: pons quoque illic Rheno superstructus destruetur.

X X I V.

Destruendum similiter Munimentum, quod in dextra parte Rheni ædificatum est, è regione fortalitii, *Fort-Louis* nuncupati, ipso fortalitio & Insula penes Regem Christianissimum remanentibus, solum verò Munimenti destructi Domino Marchioni Badensi cum ædificiis restituendum.* Destruetur etiam ea pontis pars, quæ illuc ab Insula pertingit, à neutra parte deinceps reparanda.

X X V.

Demolienda præterea à Rege Christianissimo Munimenta post pacem Neomagensem Castro Trarbacensi addita, nec non Fortalitium Montroyal ad Mosellam, à nullo posthac reædificanda, relictâ tamen in pristino statu arce Trarbacensi & unà cum Urbe & appertinentiis prioribus possessoribus plenariè restituenda.

X X V I.

Eadem quoque demoliendi ratio obtineat in Munimentis arci Kurburgensi à Rege Christianissimo additis: post quæ destructa, arx hæc cum integra relicta Urbe Kirn non minus ac reliqua ad Principem Salmensem ejusque Agnatos, Rheingravios & Wildgravios spectantia bona, nominatim etiam Principatus Salmensis, cæteraque illis reddentur, eodem omnino modo & jure possidenda, quo ea ante destitutionem possederunt, & pace hac conventum est.

X X V I I.

Idem etiam de destruendis novis Munimentis arci Ebernburgensi à Rege Christianissimo adjectis, eaque Baronibus de Sickingen cum reliquis ad illos spectantibus bonis ab utraque parte reddendis cautum esto.

X X V I I I.

Cùm Dominus Dux Lotharingiæ hoc in bello cum Sacra Cæsarea Majestate conjunctus sit, & præsenti tractatu comprehendi voluerit, restituetur pro se, hæredibus & successoribus suis in liberam & plenariam possessionem eorum Statuum, locorum & bonorum, quæ Patruus ejus Dux Carolus anno millesimo sexcentesimo septuagesimo (cum à Christianissimi Regis armis occupata fuêrunt) possidebat, exceptis tamen mutationibus, articulis sequentibus explanandis.

X X I X.

Restituet in primis Sacra Regia Majestas Christianissima Domino Duci Urbem veterem & novam Nanceï, cum omnibus appertinentiis, cumque Tormentis bellicis, quæ in Urbe veteri tempore occupationis reperta fuêrunt, eâ tamen conditione, ut integris relictis omnibus Vallis & Propugnaculis Urbis veteris, uti & portis Urbis novæ, hujus Valla & Propugnacula non minùs ac omnia utriusque Munimenta exteriora, impensis Sacræ Regiæ Majestatis solo planè æquentur, nullo deinceps tempore reparanda, nisi quod Dominus Dux ejusve successores Urbem novam simplici & æquali muro absque angulis claudere possint, quandocunque libuerit.

X X X.

Evacuabit quoque S. R. M. Christianissima castrum Birsch cum omnibus appertinentiis, uti & castrum Homburg, destructis prius Munimentis ampliùs non reparandis, ita tamen, ut ipsis castris, & quæ illis juncta sunt, oppidis nullum damnum inferatur, sed ea omnino illæsa conserventur.

X X X I.

Suffragabuntur porro Domino Duci omnia de unionibus seu reunionibus articulo quarto statuta, ac si hîc verbotenùs repetita essent, ubicunque aut quomodocunque factæ seu decretæ fuerint.

X X X I I.

Reservat sibi verò S. R. M. Christianissima Fortalitium Saarloüis cum dimidia leuca in circuitu à Commissariis Regiis & Lotharingicis designanda, cumque omni superioritatis & supremi Dominii jure perpetuò possidendum.

X X X I I I.

Urbs quoque & Præfectura Longvicensis una cum suis pertinentiis & dependentiis cum omni superioritate, supremo Dominio & proprietate maneat in perpetuum penes Dominum Regem Christianissimum ejusque hæredes & successores: nihilque juris in posterum in iis prætendere possit Dominus Dux ejusque hæredes & successores: sed in prædictæ urbis & præfecturæ permutationem Sacra Regia Majestas Christianissima, aliam Domino Duci cedet, in uno ex tribus Episcopatibus ejusdem amplitudinis & valoris præfecturam, de qua bonâ fide inter eosdem Commissarios conveniet: eâque sic cessâ, & in Dominum Ducem à Rege Christianissimo translata, tam ipse Dux, quam ipsius hæredes & successores fruentur in perpetuum cum omnimodis superioritatis, supremi Dominii & proprietatis juribus.

X X X I V.

Pateat semper Regio militi ad loca limitanea pergenti aut inde redeunti sine obstaculo aut impedimento transitus innoxius per ditionem Domini Ducis, prævia tamen semper notificatione tempestivâ, & ut transiens miles non evagetur, nec diverticula quærat, sed via ordinaria & brevissima utatur, & iter absque mora debitè acceleret, nullam vim, nullumque damnum locis vel subditis Ducis inferat, annonamque ac alia necessaria à Commissariis Lotharingicis subministranda paratâ pecuniâ solvat, abolitis vicissim & in potestatem Domini Ducis sine exceptione plenè redeuntibus viis & locis quæ Sacræ Regiæ Majestati Christianissimæ per pacem Neomagensem reservata fuêrunt.

X X X V.

Beneficia Ecclesiastica usque ad diem præsentis tractatus à Rege Christianissimo collata, penes modernos possessores, qui ea à S. M. R. consecuti sunt, quieta relinquantur.

X X X V I.

Sancitum prætereà fuit, ut omnes processus, sententiæ atque decreta lata per Consilium, Judices aut alios Regiæ Majestatis Christianissimæ Officiales in controversiis & actionibus ad finem perductis, tam inter subditos Ducatus Lotharingiæ & Barri, quàm alios, tempore, quo Rex Christianissimus hosce Status possedit, locum habeant, ac plenum integrumque suum sortiantur effectum, non secus ac si S. R. Majestas eorum possessor mansisset, neque dictas sententias & decreta in dubium vocare, annullare, aut executionem illorum retardare aut impedire integrum erit. Partibus quidem licitum erit juxta ordinem & dispositionem legum atque constitutionum confugere ad revisionem actorum, interim tamen sententiæ suo in robore & vigore maneant.

X X X V I I.

Restituentur mox à ratihabita pace Domino Duci, archiva & documenta literaria, quæ in Gazophilacio Nanceano & Barrensi, atque in utraque Camera Computorum sive alibi locorum habeantur & ablata fuêrunt.

X X X V I I I.

Poterit statim à ratihabita pace Dominus Dux in Ducatus Lotharingiæ & Barri Commissarios mittere, qui rebus illius attendant, justitiam administrent, Teloniorum, Salinarum, aliorumque jurium curam gerant, cursum publicum disponant, cæteraque agant, quæ ad Regimen à Domino Duce eodem tempore plenè suscipiendum pertinere queant.

X X X I X.

Ratione vectigalium seu teloniorum, eorumve immunitatis in vectura salis, & lignorum, sive terrâ, sive per flumina, servetur status seu consuetudo anni 1670. nullâ innovatione permissâ.

XL.

Maneat antiquus usus & libertas commerciorum inter Lotharingiam & Ditionem Metensem, Tullensem & Virodunensem, mutuoque utriusque partis beneficio in posterum exactè servetur.

XLI.

Serventur similiter in pristino suo vigore & robore concordata illæsa inter Christianissimos Reges & Duces Lotharingiæ inita.

XLII.

Domino Duci, ejusque fratribus post restitutionem integrum erit, jus, quod sibi in diversis causis competere asserunt, viâ ordinariâ persequi, non obstantibus sententiis, quæ ipsis absentibus & non auditis latæ dici possint.

XLIII.

In iis, quæ hic aliter expressè conventa non sunt, observentur quoque ratione Domini Ducis ejusque Ditionum & subditorum ea, quæ hoc tractatu maximè §. *Restituentur utriusque partis Vasalli*, *&c.* § *Simul atque Instrumentum Pacis*, *&c. &* §. *Et ut ad Subditos*, *&c.* cauta sunt, ac si hic specialiter enunciata essent.

XLIV.

Dominus Cardinalis de Furstenberg restituetur in omnia jura, bona feudalia ac allodialia, beneficia, honores & prærogativas, quæ Sacri Imperii Principibus & membris competunt, tam ratione Episcopatûs Argentoratensis à dextra parte Rheni, quam Abbatiæ Stabulensis, aliâsve, frueturque cum Agnatis seu Cognatis, qui illi adhæserunt, & domesticis, plenâ amnestiâ & securitate omnium factorum dictorumque & quorumlibet contra illum illosve decretorum, nec ipse, illiusque hæredes, aut Agnati seu Cognati & domestici, ob hæreditatem defuncti Domini Electoris Maximiliani Henrici à Dominis Electoribus Coloniensi & Bavariæ, eorumque hæredibus aut quibuscunque aliis conveniri unquam poterunt, uti nec vicissim ex illa hæreditate seu ob legata sibi relicta vel res donatas Dominus Cardinalis ejusque Agnati seu Cognati & domestici, aut causam ab iis habentes quicquam quovis modo à Dominis Electoribus petere debebunt, omni jure, prætensione seu actione personali ac reali penitus extinctâ. Eâdem amnestiâ & securitate gaudebunt, eodemque omnino jure utentur ex Canonicis Coloniensibus ii, qui partes illius secuti & Canonicatibus ac beneficiis privati fuerunt, restituenturque cum omnibus Canonicorum, beneficiorum & dignitatum juribus in eum Capituli Cathedralis & Collegiatarum Ecclesiarum locum & ordinem, quo ante depositionem fuerunt, ita tamen, ut reditibus penes modernos possessores manentibus, hi æque ac restituti communibus dignitatum & beneficiorum titulis & functione, priore tamen loco restitutis delato, fruantur, post possessorum verò obitum aut voluntariam resignationem, restituti soli dignitates & reditus protinus occupent, interea quoque pro ordine, quem inter se habent, singuli novas præbendas proximè vacaturas, consequantur. Hocque etiam superioribus Ecclesiasticis, ad quos res pertinet, grata fore nullatenus dubitatur. Hæredes quoque illorum Canonicorum, qui pariter destituti durante bello decesserunt, quorumque bona, reditus & jura sequestrata aut fisco addicta fuerunt in hisce recuperandis beneficio §. *Restituentur omnes utriusque partis Vasalli*. . . . plenè gaudebunt eâ expressè additâ conditione, ut legata à defunctis ad pias causas relicta juxta eorum dispositionem ex censibus assignatis absque mora solvantur.

XLV.

Amnestiâ quoque comprehendantur specialiter Landgravii Hassiæ Rheinfelsenses, & in eum statum, quoad Arcem Rheinfels totumque Comitatum inferiorem Cattimelibocensem cum omnibus juribus ac dependentiis reponantur, in quo eorum Pater Landgravius Ernestus ante initium hujus belli extitit, salvis tamen ubivis juribus Domino Landgravio Hasso-Cassellano competentibus.

XLVI.

Restituentur omnes utriusque partis Vasalli & subditi, Ecclesiastici & sæculares, Corpora, Universitates & Collegia honoribus, dignitatibus & beneficiis, quibus ante bellum gaudebant, uti & in omnia jura, bona, mobilia, & immobilia, censusque seu reditus, etiam quiredimi possunt, & qui vitâ terminantur (dummodo sors extincta non sit) tempore & occasione belli occupata seu detenta, unà cum juribus, actionibus & successionibus, quæ ipsis, durante bello, evenerint, ita tamen, ut nihil ratione fructuum seu proventuum post occupationem seu detentionem ad diem usque ratihabitæ pacis perceptorum, aut pensionum cessarum petere possint. Similiter peti amplius non poterunt debita, merces & mobilia tempore & ratione belli fisco addicta vel autoritate publicâ in alios usus conversa, adeoque nec creditores ejusmodi debitorum, nec Domini earum mercium aut mobilium, eorumque hæredes aut causam ab iis habentes, ea persequi aut restitutionem seu satisfactionem prætendere unquam debebunt. Restitutiones hæ ad eos quoque extendentur, qui partes contrarias secuti sunt, quive eo nomine suspecti fuerunt, & quibus post Pacem Neomagensem bona, reditus aut jura ideò, quòd alibi habitaverint vel hommagium non præstiterint, aut similes ob causas, seu prætextus ablata fuerunt, quique proinde virtute Pacis hujus in Principis sui gratiam redibunt, sicut & in pristina jura & quævis bona, qualia hæc tempore conclusionis & subscriptionis hujus Tractatûs fuerunt. Atque omnia isthæc statim à ratihabitâ Pace executioni mandabuntur, non obstantibus ullis donationibus, concessionibus, alienationibus, declarationibus, confiscationibus, commissis, impensis, meliorationibus, sententiis interlocutoriis & definitivis ex contumacia, partibus & non auditis latis, quæ sententiæ & res judicatæ nullæ erunt, & perinde habebuntur, ac si judicatæ aut pronunciatæ non essent, plenâ libertate & integrâ manente iis omnibus in Patriam, seu ad bona ista redeundi, utque iis non minus ac censibus & reditibus, vel ipsi frui, aut alibi, ubicunque ipsis visum fuerit, domicilium figere seu morari possint, prout elegerint, omni violentiâ seu coactione penitus exclusâ. Tumque ipsi illis erit per procuratores non suspectos bona & reditus administrare, iisque uti frui, exceptis tamen beneficiis Ecclesiasticis residentiam requirentibus, quæ personaliter administrari, & obiri debebunt. Omnibus denique utriusque partis subditis libera facultas erit, bona mobilia, & immobilia census & reditus, quæ sub alterutrius ditione habent, vendendi, permutandi, alienandi & transferendi, aliterve de iis inter vivos & per ultimam voluntatem disponendi, ita ut quilibet, subditus vel extraneus, ea emere seu acquirere possit, nullâ aliâ seu ulteriori permissione superioris requirendâ præter eam, quæ hoc articulo continetur.

XLVII.

Si aliqua beneficia Ecclesiastica mediata vel immediata, durante hoc bello, ab una alterave parte in Terris seu locis sibi tunc subjectis juxta primævæ institutionis ac generalium vel particularium de iis factorum statutorum legitimorum normam aut aliam quamvis à summo Pontifice canonicè factam dispositionem capacibus collata fuerint, ea non minùs atque illa beneficia Ecclesiastica quæ ante præsens bellum in locis ex hac Pace restituendis tali modo collata fuerunt, præsentibus possessoribus relinquantur, ita ut nec in illorum possessione vel legitima administratione, nec in fructuum perceptione, à quocumque turbari aut impediri vel eorum nomine seu causâ præteritâ aut præsenti in jus vocari, conveniri, aut quavis ratione inquietari seu molestari unquam possint aut debeant, ut tamen ea præstent, quæ sibi ratione illorum beneficiorum incumbunt.

XLVIII.

Cum tranquillitatis publicæ intersit, ut pax conclusa Augustæ Taurinorum 29. Augusti 1696. inter Sacram Regiam Majestatem Christianissimam & Dominum Sabaudiæ Ducem exactè observetur, illam quoque Pace hac comprehendi & confirmari placuit, ut ejusdem cum Pace hac vigoris sit & perpetuò maneat. Confirmantur præterea sigillatim, quæ Pace Westphalicâ & Neomagensi superius restabilitâ pro Domo Sabaudica cauta sunt, & hic nominatim repetita censentur, ita tamen ut per factam restitutionem Pinarolis ejusque dependentiarum nulla in parte minui aut alterari queat obligatio, quam Sacra Regia Majestas Christianissima in se suscepit solvendi Domino Mantuæ Duci, quadringenta nonaginta quatuor millia aureorum, in liberationem Domini Ducis Sabaudiæ, prout in Instrumento Westphalicæ Pacis fusiùs declaratum est. Atque ut ea pleniùs & firmiùs corroborentur, omnes & singuli Principes Pacis generalis consortes, quas inter se pro majori securitate stipulantur sponsiones seu guarantias, easdem Domino Duci Sabaudiæ præstant, & ab eo vicissim accipient.

XLIX.

Redditione verò seu restitutione quacunque locorum, personarum, rerum aut jurium à Gallia factâ aut facienda, redintegratis seu redintegrandis nihil novi juris acquiretur. Si vero aliorum contra illos prætensiones fuerint, hæ post factam restitutionem, quæ propterea nullatenus differri debet, loco convenienti proponendæ, examinandæ & decidendæ erunt.

L.

Simul atque Instrumentum Pacis hujus à Dominis Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis subscriptum & signatum fuerit, cesset omnis cujuscunque generis hostilitas ac violentia, ædificiorumque, Vinearum & Silvarum vastatio aut arborum excisio: deducanturque illicò post ratihabitiones commutatas utrinque copiæ ex locis non munitis ad alteram partem pertinentibus. Loca verò munita ex pace hac restituenda tradantur intra triginta dies à ratihabita Pace, aut citiùs, si fieri potest, iis, qui præcedentibus articulis nominati sunt, vel si expressi non fuerint, illis, qui immediatè ante destitutionem in possessione fuerunt, absque ulla munimentorum aut ædificiorum publicorum vel privatorum destructione, aut status, in quo nunc sunt, deterioratione, vel quarumvis impensarum in vel ob ea factarum repetitione, ullâve militum aut eorum nomine vel alia de causa facienda exactione, aut rerum ad incolas spectantium vel ex hac Pace relinquendarum ablatione. Demolitio autem qualiscunque destruendorum, de qua supra convenit, absque impensis & molestiis alterius partis, minorum quidem intra mensem, majorum verò intra duos menses, aut citiùs, si fieri poterit, plenè perficiatur. Reddantur præterea bonâ fide statim à Ratificationibus commutatis omnia Archiva & documenta literaria, non ea tantùm, quæ ad loca Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio ejusque statibus & membris restituenda aut relinquenda pertinent, sed & omnia illa, quæ ex Camera & urbe Spirensi, alibique in Imperio ablata sunt, etsi eorum mentio specialis in hac conventione facta non sit. Captivi quoque utrinque facti ratione belli plenæ libertati absque lytro restituantur, maximè ii, qui remis addicti aut aliâs ad opus publicum damnati fuerunt.

L I.

Et ut ad subditos utriusque partis plenior Pacis fructus mox pervenire possit, convenit, ut quæcunque contributiones pecuniæ, frumenti, vini, fœni, lignorum, pecudum, aut alterius nominis, licèt alterutrius subditis jam imperatæ aut per pacta stabilitæ fuerint, uti & pabulationes omnis generis in alterius ditione statim à die ratihabitionis omnino cessent, & quod tum ex ejusmodi ainsque contributionibus, indictionibus aut exactionibus residuum debebitur, penitus abolitum sit & maneat, obsides etiam ex quacunque causa hoc bello dati aut abducti sine mora absque ære reddantur, liberèque in Patriam dimittantur.

L I I.

Redeant quoque mox à subscripta pace commercia inter Sacræ Cæsareæ Majestatis Imperiique & Sacræ Regiæ Majestatis Christianissimæ, Regnique Galliæ subditos durante bello prohibita, in eam, quæ ante bellum fuit, libertatem, fruanturque utrinque omnes & singu-

singuli, nominatim Urbium Imperialium & Emporiorum Hanseaticorum cives & incolæ terrâ marique plenissima securitate, pristinis juribus, immunitatibus, privilegiis & emolumentis per solemnes tractatus aut vetustam consuetudinem obtentis, ulteriori conventione post pacem remissâ.

L I I I.

Omnia per hanc pacem conventa valeant, ac perpetuâ firmitate nitantur, observenturque & executioni mandentur, non obstantibus sed abrogatis & cassatis omnibus, quæ contraria credi, allegari, aut excogitari unquam possint, etsi talia sint, ut eorum specialior, seu amplior mentio fieri debeat, aut abrogatio, seu annullatio nulla seu invalida dici posse videatur.

L I V.

Utrique contrahentium parti liceat pacem hanc ejusque observationem fœderibus, munimentis in proprio solo, extra loca tamen superiùs nominatim excepta, pro arbitrio extruendis & ampliandis, præsidiisque & stationibus, atque aliis mediis ad defensionem comparatis firmare: cùm aliis quoque Regibus, Principibus & Rebuspublicis, tum in primis Sueciæ Regi, ceu Mediatori, æquè ac virtute pacis Westphalicæ eam asserere, Sacræque Cæsareæ Majestati, Imperioque, & Sacræ Regiæ Majestati Christianissimæ guarantiam præstare semper fas erit.

L V.

Et cùm Sacra Cæsarea Majestas, Imperiumque, & Sacra Regia Majestas Christianissima grato animo agnoscant indefessa studia & officia, quæ Serenissimus Sueciæ Rex tranquillitati publicæ reducendæ impendit, utrinque placuit, eum cum Regnis & Provinciis suis præsenti hoc tractatu omni meliori modo nominatim comprehendi.

L V I.

Porrò quoque Sacræ Cæsareæ Majestatis & Imperii nomine pace hac comprehenduntur præter nominata jam Imperii membra etiam reliqui Electores, Principes, Status & membra Imperii, interque ea sigillatim Episcopus & Episcopatus Basileensis, cum omnibus eorum ditionibus, prærogativis & juribus: tum & Tredecim Helvetiorum Cantones cum eorum fœderatis, nominatim cum Republicâ & Civitate Genevarum & dependentiis, Urbe & Comitatu Neocomensi ad Lacum, Civitatibus Sancti Galli, Mulhusæ & Biennæ, tribus Ligis Rhæticis seu Grisonibus, Septem Decimis Valesianis & Abbate Sancti Galli.

L V I I.

Nomine Sacræ Regiæ Majestatis Christianissimæ comprehenduntur pariter tredecim Cantones Helvetiæ eorumque Fœderati, & nominatim Respublica Valesianorum.

L V I I I.

Includentur etiam paci omnes illi, qui ante permutationem ratihabitionum, vel postea intra sex menses ab una vel altera parte ex communi consensu nominabuntur.

L I X.

Pacem hoc modo conclusam promittunt, Legati Cæsarei & Regii, Deputatorumque Imperii Ordinum Plenipotentiarii ab Imperatore, Imperio, & Rege Christianissimo ad formam hic mutuò placitam ratihabitum & ratificationum Instrumenta intra sex septimanarum spatium ab hodierno die computandarum, aut citiùs, si fieri queat, hîc reciprocè commutatum iri.

L X.

In quorum fidem roburque tam Cæsarei quam Regii Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, unà cum Electorum, Principum & Statuum Imperii ad hunc actum Deputatorum Plenipotentiariis tabulas has propriis manibus subscripsêrunt & sigillis suis munivêrunt. Acta hæc sunt in Palatio Risvicensi in Hollandia, trigesimâ die mensis Octobris Anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo.

(L.S.) *D. A. C. à Caunitz.*
(L.S.) *Henr. C. de Stratman.*
(L.S.) *J. F. L. B. à Seilern.*

(L.S.) *de Harlay Bonneüil.*
(L.S.) *Verjus de Crecy.*
(L.S.) *de Callieres.*

Nomine Em. Elect. Mogunt.

(L.S.) *M. Fridericus Baro de Schönborn Legat.*

Nomine Seren. Bavariæ Elect.

(L.S.) *de Prielmayer, Legatus Extraordinarius & Plenipotentiarius.*

(L.S.) *Ignatius Antonius Otten. Plenipotentiarius.*

(L.S.) *Georgius Vilhelmus Moll Plenipotentiarius.*

Nomine Domus Austriacæ.

(L.S.) *Franc. Rudolphus ab Halden L. Baro de Trazberg &c.*

Nomine Magni Ordinis Teutonici Magistri.

(L.S.) *Carolus B. à Lor, Ordinis Teutonici Eques.*

Nomine Celsissimi Principis & Episcopi Herbipolensis.

(L.S.) *Joannes Conradus Philippus Ignatius de Tastungen.*

Nomine Eminentissimi & Celsissimi Electoris Trevirensis ut Episcopi Spirensis.

(L.S.) *Joannes Henricus de Kayserfeld Plenipotentiarius.*

Nomine Celsissimi Principis & Episcopi Constantiensis.

(L.S.) *Fridericus à Durheim.*

Nomine Reverendissimi & Celsissimi D. Episcopi & Principis Hildesiensis.

(L.S.) *Carolus Paulus Zimmerman, Celsitudinis suæ Cancellarius, Consiliarius intimus, & Plenipotentiarius.*

Nomine Sereniss. & Reverendissimi Electoris Coloniensis tanquam Episcopi & Principis Leodiensis.

(L.S.) *Joannes Conradus Norff deputatus Plenipotentiarius.*

Nomine Reverendissimi & Celsissimi Episcopi, & Principis Monasteriensis.

(L.S.) *Ferdinandus L. B. à Plettenberg ex Lenhausen, Ecclesiæ Cath. Paderb. Monast. & Hildes. respec. Decan. & Capit.*

Nomine Serenissimi Electoris Palatini, ut Ducis Neoburgici.

(L.S.) *Joannes Henricus Hetterman Plenipotentiarius.*

Nomine Serenissimi Ducis Wurtenbergici.

(L.S.) *Jo. Georgius Nobilis de Kulpis S. R. Imp. Eques Consil. Status intimus & Consil. Director.*

(L.S.) *Antonius Gunterus de Hespen Consiliarius in Consilio superiori & Plenipotent. Serenissimi Domini Ducis.*

Nomine Serenissimi Principis Badæ Badensis.

(L.S.) *Carolus Ferdinandus L. B. de Plittersdorff salvo alternationis ordine.*

Nomine Collegii Abbatialis Sueviæ.

(L.S.) *Joseph. Anton. Eusebius ab Halden in Neidberg L. B. de Autenried Plenipotentiarius.*

Nomine Comitum Scamni Wetteravici.

(L.S.) *Carolus Otto Comes à Solms.*

(L.S.) *F. C. ab Edelsheim Consiliarius Hanoviensis & Plenipotent.*

Nomine liberæ & Imperialis Civitatis Coloniæ Agrippinæ.

(L.S.) *Herman Joseph Bullingen Syndicus & Plenipotentiarius.*

Nomine Civitatis Augustæ Vindelicorum.

(L.S.) *Joannes Christophorus à Dirheim Plenipotentiarius.*

Nomine Civitatis Imperialis Francofurti.

(L.S.) *Joannes Jacobus Müller Plenipotentiarius.*

(L.S.) *Joannes Melchior Lucius J. U. L. Syndicus & Plenipotent.*

ARTICULUS SEPARATUS.

AD majorem elucidationem articuli *Restituentur à Rege Christianissimo Domino Electori Palatino &c.* 8. Instrumenti pacis hodie subscriptæ hic ampliùs statuere placuit, ut in proponendis & decidendis D. Ducissæ Aurelianensis adversùs D. Electorem Palatinum prætensionibus seu juribus hæc servetur ratio. Ubi de loco congressûs inter utrumque Arbitrum intra tempus ratihabitioni pacis præfixum convenerit, parti utrique ille locus significabitur, illucque intra bimestre spatium à plenaria restitutione Domini Electoris Palatini juxta allegatum articulum factâ numerandum Delegati Dominorum Arbitrorum mittentur. Exhibeatur tùm illic intra mensem sequentem, à Domina Ducissa, integra designatio prætensionum, seu petitionum adversùs Dominum Electorem, illaque intra octiduum Domino Electori communicetur. Deducantur inde & Dominorum Arbitrorum Delegatis ibidem tradantur, inter alios quatuor menses, eâdem die ab his nominanda, utriusque partis fundamenta in quadruplo; ex quibus singuli Arbitri unum exemplar penes se retinebunt, tertium ad acta communia arbitrii reponetur, quartum verò partibus hinc inde intra octiduum communicabitur. Respondeatur pari ratione, & Dominorum Arbitrorum Delegatis eâdem die in quadruplo exhibeatur utriusque partis responsio, partibus rursum vice mutuâ intra octiduum extradendâ. Intra quatuor subsequentes menses ad conclusionem causæ utrinque procedatur, & Arbitrii sententiæ simul submittatur, atque hæc conclusio & submissio, partibus ad notitiam communicetur, actaque præsentibus partium Procuratoribus, quod dici solet, inrotulentur. Viso dein & examinato utriusque partis jure intra sex menses à Dominis Arbitris eorumve Delegatis juratis in loco congressûs sententia secundùm Leges & Constitutiones Imperii publicè feratur, & ubi concors fuerit, executioni plenè mandetur. Sin Domini Arbitri eorumve Delegati in sententia discordes fuerint, acta Arbitrii communia intra bimestre spatium à die sententiæ inchoandum, communibus partium sumptibus Romam deferantur, & summo Pontifici, tanquam Super-Arbitrio exhibeantur, quò tum iterum

examinandam, Delegatis neutri partium suspectis, & juratis intra binos menses committat, hique super actis prioribus, nullâ ulteriore deductione partibus permissâ, intra sex menses proximè secuturos, uti dictum est, juxta Leges & Constitutiones Imperii ultimam sententiam proferant, nullo modo convellendam, sed absque ulla mora aut contradictione à Dominis Arbitris executioni demandandam. Quod si alterutra pars in proponendis, deducendis aut probandis prætensionibus, & juribus moram fecerit, licebit nihilominus alteri parti in terminis constitutis, qui extendi nunquàm debebunt, jura sua deducere & exhibere, atque Arbitris æque ac Super-Arbitro eâ quâ expressum est ratione procedere, sententiamque juxtà exhibita acta, & probata pronunciare & exequi. Processu tamen hoc non obstante cum ab utrisque partibus tùm à Dominis Arbitris via amicabilis compositionis tenetur, nihilque omittatur, quod ad terminandam amicè controversiam pertinere possit. Cum etiam articulo pacis jam allegato convenerit, ut donec hæc controversia finem accipiat, annua summa ducentarum millium librarum Turonensium, seu centenorum millium Florenorum Rhenensium, à Domino Electore Palatino, Dominæ Ducissæ Aurelianensi exsolvatur, ratione hujus solutionis & termini, à quo inchoare debeat, porrò specialiter conventum est, ut ista præstatio tunc demùm incipiat, postquàm juxta tenorem dicti articuli mentionatæ ibi Ditiones & loca, Domino Electori plenariè restituta fuerint. Ut autem Domina Ducissa Aurelianensis de solutione præfatæ summæ tantò securior esse possit, Dominus Elector tot ex administratoribus seu Collectoribus Præfecturæ Germersheimensis aliorumque locorum Palatinorum quot sufficerint, ante ratihabitam pacem nominabit, qui eam Dominæ Ducissæ, vel ejusdem Mandatario Landaviæ singulis annis, dimidiâ parte quovis semestri solvendâ, præstandam in se suscipiant, quique si non satisfecerint, viâ juris ordinariâ, & si ulterior necessitas urgeat, vel ab ipso Rege Christianissimo executione militari ad solvendum cogi possint. Fiet autem hæc solutio eâ lege, & conditione, ut ea, quæ ratione dictæ annuæ præstationis Dominæ Ducissæ Aurelianensi, decisione coram Arbitris pendente soluta, cum prætensionibus, si quæ ab Arbitris eidem adjudicarentur, compensanda, vel si nihil, aut minus illi deberi decideretur, restituenda remaneant, hæcque compensatio vel restitutio non minùs, quàm ipsa controversia per sententiam arbitralem determinetur. Si verò Domina Ducissa Aurelianensis formulæ compromissi in exhibenda designatione prætensionum, instructione causæ, & Responsione ad exhibita Palatina non satisfecerit, sed in mora fuerit, cursus dictæ præstationis annuæ pro isto solùm temporis spatio sistetur, ipso causæ processu juxta eandem compromissi formulam progrediente. Acta hæc sunt in Palatio Risvicensi 30. Octobris 1697.

(L.S.) *D. A. C. à Kaunitz.* (L.S.) *De Harlay Bonneuil.*

(L.S.) *Henr. C. à Stratman.* (L.S.) *Verjus de Crecy.*

(L.S.) *J. F. L. B. à Seilern.* (L.S.) *N. Callieres.*

Nomine Em. Elect. Mogunt.

(L.S.) *M. Fridericus Baro de Schonborn Legat.*

Nomine Seren. Bavariæ Electoris.

(L.S.) *De Prielmeyer, Legatus Extraordinarius & Plenipotentiarius.*

(L.S.) *Ignatius Anton. Otten. Plenipotentiarius.*

(L.S.) *Georgius Wilhelmus Moll, Plenipotentiarius.*

Nomine Domus Austriacæ.

(L.S.) *Franciscus Rudolphus ab Halden L. Baro de Trazberg.*

Nomine Magni Ordinis Teutonici Magistri.

(L.S.) *Carolus B. à Loë, Ordinis Teutonici Eques.*

Nomine Celsissimi Principis & Episcopi Herbipolensis.

(L.S.) *Joannes Conradus Philippus Ignatius de Tastungen.*

Nomine Eminentissimi & Celsissimi Electoris Trevirensis ut Episcopi Spirensis.

(L.S.) *Joannes Henricus de Kaysersfeld Plenipotentiarius.*

Nomine Celsissimi Principis & D. Episcopi Constantiensis.

(L.S.) *Fridericus à Durheim.*

Nomine Celsissimi ac Reverendissimi Principis & Episcopi Hildesiensis.

(L.S.) *Carolus Paulus Zimmerman, Celsitudinis suæ Cancellarius, Consiliarius intimus, & Plenipotentiarius.*

Nomine Serenissimi & Reverendissimi Electoris Coloniensis, tanquam Episcopi & Principis Leodiensis.

(L.S.) *Joannes Conradus Norff Deputatus Plenipotentiarius.*

Nomine Reverendissimi & Celsissimi Episcopi & Principis Monasteriensis.

(L.S.) *Ferdinandus L. B. à Plettenberg ex Lenhausen, Ecclesiæ Cathedral. Paderborn. Monast. & Hildesh. respectivè Decan. & Capit.*

Nomine Serenissimi Electoris Palatini tanquam Ducis Neoburgici.

(L.S.) *Joannes Henricus Hetterman, Plenipotentiarius.*

Nomine Serenissimi Marchionis Badæ-Badensis.

(L.S.) *Carolus Ferdinandus L. B. de Plittersdorff, salvo alternationis Ordine.*

Nomine Collegii Abbatialis Sueviæ.

(L.S.) *Joseph Anton. Eusebius ab Halden in Neidberg L. Baro de Autenried. Plenipotentiarius.*

Nomine liberæ & Imperialis Civitatis Coloniæ Agrippinæ.

(L.S.) *Herman Joseph Bülingen, Syndicus & Plenipotent.*

Nomine Civitatis Augustæ Vindelicorum.

(L.S.) *Joannes Christophorus à Dirrheim Plenipotent.*

Nomina & Tituli Excellentissimorum

Dominorum

LEGATORUM, PLENIPOTENTIARIORUM, MINISTRORUM PUBLICORUM DEPUTATORUM &c.

Qui Concilio Pacis Generalis interfuerunt Rysvici, in Palatio, Ædes Neuburgensis, dicto.

Aliorumque, qui actu Hagæ-Comitum existunt.

Omnia secundùm Ordinem cujusque Regni aut Ditionis Alphabeticum.

Anglia.

Excellentissimus Dominus *Thomas* Pembrochiæ & Montgomerici Comes, Baro Herbert à Cardiff, privati Angliæ Sigilli Custos, Regi Britannico ab intimis Consiliis, Unus ex Dominis Regni Angliæ Administratoribus, Primus Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Legatus.

Excellentissimus Dominus *Edwardus* Vice-comes Villiers à Darford, Baro in Hoo, Eques Angliæ Mareschalli dignitate ornatus, apud Ordines Belgii Fœderati Regis Magnæ Britanniæ nomine Legatus, unusque ex Dominis Hiberniæ Regni Gubernatoribus, Extraordinarius, & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Legatus.

Excellentissimus Dominus *Robertus*, Lord Lexington, Averæ Baro, Nobilis ab intimis Regis cubiculis, Legatusque ejus apud Cæsaream Majestatem Extraordinarius, dictusque Magnæ Britanniæ Regis Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Legatus, Utpote qui tunc temporis Austriorum Viennæ degeret.

Excellentissimus Dominus *Josephus Williamson*, Eques, ab intimis Regis Consiliis, Tabularii Custos & Curator, Unus ex Supremi Angliæ Senatûs Patribus, Extraordinarius & Plenipotentiarius Magnæ Britanniæ Regis nomine ad Pactum de Pace Legatus.

Dominus *Prior* Nobilis ab intimis Regis Cubiculis, primusque Hiberniæ à Secretis nuncupatus, Legationi ad Pactum de Pace à Secretis.

Bavaria.

Excellentissimus Dominus Baro de *Prielmeyer*, Celsitudinis Bavariæ Electoralis Publici Status gubernator, ejusque Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Legatus

Dominus *Richard* Legationi à Secretis.

Brandenburgum.

Excellentissimus Dominus à *Schmettau*, Electorali Celsitudini Brandenburgicæ à Secretioribus Consiliis, & Primus ejus Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Legatus.

Excellentissimus Dominus à *Dankelman*, Celsitudini Electorali Brandenburgicæ à Secretioribus Consiliis, ejusque ad Pactum de Pace Extraordinarius & Plenipotentiarius Legatus.

Dominus *Carolus Adolfus Hus* Legationi à Secretis.

Bran-

Brunſwic-Lunemburg-Hanover.

Excellentiſſimus Dominus Baro à *Bodmar* Reipublicæ Adminiſter, ab intimis Conſiliis Statûs, Celſitudinis Sereniſſimæ Electoris Brunſwic-Lunenburg-Hanoverenſis, & Extraordinarius Plenipotentiariuſque ad Pactum de Pace Legatus.

Dominus *Stambke* Legationi à Secretis.

Colonia.

Excellentiſſimus Dominus Baro in *Mean* Canonicus & Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis Beneficiarius Dominus, à Sanctioribus Conſiliis, & Celſitudinis Electoralis Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Legatus.

Dania.

Excellentiſſimus Dominus *Chriſtianus Sigfried de Pleſſen*, Dominus in Parin & Hukendorf, Teſſeræ Elephantis Eques, à Secretioribus Conſiliis, Ærarii Cameræ Præpoſitus, Wardenburgo, & Junghoffio Præfectus, Primicerius, Extraordinariorum & Plenipotentiariorum Regis Daniæ Norwegiæ &c. ad Generale de Pace Concilium Legatus, Magnuſque Celſitudinis Regiæ Principis Georgii Daniæ Cubicularius.

Excellentiſſimus Dominus *Chriſtianus à Lente*, Dominus in Sarlhauſen, Teſſeræ Dannebrogicæ Eques, à Secretioribus & Sanctioribus Conſiliis, Magnus Cerimoniarum Magiſter, Extraordinarius & Plenipotentiarius Regis Daniæ, Norwegiæ &c. ad Generale de Pace Concilium Legatus.

Dominus *Pauwelſe* Legationi à Secretis.

Dominus *Vermehren* Legationi à Secretis, qui cum Excellentiſſimo Domino de Pleſſen venit.

Imperator.

Excellentiſſimus Dominus *Dominicus Andreas*, Sancti Imperii, Comes à Caunitz, Velleris Aurei Torquatus Eques, à Sanctioribus Conſiliis, Imperii Cubicularius & Vice-Cancellarius, Hæreditarius Auſterliz & Ongerisbrod Dominus, Primicerius Extraordinariorum & Plenipotentiariorum Cæſareæ Majeſtatis ad Generale de Pace Pactum Legatus.

Excellentiſſimus Dominus *Henricus*, Sancti Imperii, Comes à Stratman & Burbach, Cubicularius, Conſiliarius Imperialis Aulicus, & Extraordinarius, Plenipotentiariuſque Cæſareæ Majeſtatis ad Generale Pactum de Pace Legatus.

Excellentiſſimus Dominus Baro à *Seilern* &c. Conſiliarius Imperialis Aulicus, Extraordinarius & Plenipotentiarius Cæſareæ Majeſtatis ad Generale de Pace Pactum Legatus.

Dominus *Hayeck* Cæſareæ Majeſtatis Legationi à Secretis.

Hiſpania.

Excellentiſſimus Dominus Don *Franciſco Bernardo de Quiros*, Divi Jacobi Teſſeræ Eques, Regi in Conſilio Regio Caſtiliæ à Conſiliis, Primiceriuſque Catholici Regis Extraordinariorum & Plenipotentiariorum ad Generale de Pace Pactum Legatus.

Excellentiſſimus Dominus *Ludovicus Alexander de Schockard*, Comes in Tirimont, Baro à Gaesbeck, & à Sanctioribus Flandriæ Conſiliis Supremis, Madriti Sedentibus apud Regem, à Sanctioribus & Secretioribus in Belgio Conſiliis, ejuſque Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pacis Generalis Pactum Legatus.

Dominus *Brulé* Scutarius Nobilis, Catholico Regi à Secretis.

Confœderatarum Belgii Provinciarum Ordines.

Excellentiſſimus Dominus *Jacobus Boreel*, Dominus in Duynbeeck, Weſthaven & Mereſtein, Senator & Conſul Civitatis Amſtelædami Conſiliariuſque Provinciæ Hollandiæ Deputatus, Extraordinarius & Plenipotentiarius Nomine Illuſtriſſimorum & Præpotentium Belgii Fœderati Ordinum ad Pactum de Pace Legatus. Ante Pacem obſignatam obiit.

Excellentiſſimus Dominus *Antonius Heinſius*, Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ Senator Syndicus, Magni Sigilli Cuſtos, Summus Prædiorum Tribunus, Societatiſque Indiarum Orientalium Director, Extraordinarius & Plenipotentiarius, Nomine Illuſtriſſimorum & Præpotentium Fœderati Belgii Ordinum ad Pactum de Pace Legatus.

Excellentiſſimus Dominus *Everardus à VVede*, Dominus in Wede, Dyckvelt, Rateles, &c. Oppido Oudewater Prædiatorius Dynaſta, Decanus & Præſes Capituli Imperialis Sanctæ Mariæ Ultrajectinæ, Fluvii Rheni in Ditione Ultrajectenſi Præfectus Aggerum, Ordinum ejuſdem Provinciæ Præſes, Provinciæ Ultrajectinæ Deputatus, Extraordinariuſque & Plenipotentiarius, Nomine Illuſtriſſimorum & Præpotentium Fœderati Belgii Ordinum ad Pacem Legatus.

Excellentiſſimus Dominus *VVilhelmus ab Haren*, Grietman in Bild, ad Friſiæ Ordines Nomine Nobilium Deputatus, Athenæi Franekerani Curator, Friſiæ Provinciæ Deputatus, Extraordinarius & Plenipotentiarius, Nomine Illuſtriſſimorum & Præpotentium Fœderati Belgii Ordinum, ad Pactum Pace Legatus.

Dominus *Hamel Bruninx* Legationi à Secretis.

Gallia.

Excellentiſſimus Dominus *Nicolaus Auguſtus ab Harlay*, Eques, Dominus in Bonneüil, Conſiliarius Ordinarius Chriſtianiſſimi Regis in omnibus Conſiliis Statûs, Extraordinariorum & Plenipotentiariorum Primicerius Chriſtianiſſimi Regis nomine ad Pacem Generalem Legatus.

Excellentiſſimus Dominus à *Verjus*, Comes à Crecy, Marchio à Freon, Fort-Iſle, Baro à Courcy, Dominus in Boulay, Duabus Eccleſiis, Menillecto, &c. Regis Conſiliarius Ordinarius omnibuſque Conſiliis Statûs, Chriſtianiſſimi Regis Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pacem Generalem Legatus.

Excellentiſſimus Dominus de *Callieres*, Eques, Dominus in Rochechellay, Gigny, Regi Chriſtianiſſimo à Conſiliis, Extraordinarius & Plenipotentiarius Chriſtianiſſimi Regis ad Pacem Generalem Legatus.

Moguntia.

Excellentiſſimus Dominus Baro à *Schonborn*, Celſitudinis ejus Electoralis Frater, Curiæ Magni Mareſchalli dignitate ornatus, Cæſareæ Majeſtati à Sanctioribus Conſiliis, Extraordinarius & Plenipotentiarius memoratæ Celſitudinis ad Pacem Legatus.

Palatinatus.

Excellentiſſimus Dominus Comes à *Vehlen*, Prætorius Legatus, Celſitudinis Electoralis Palatinæ ad Pactum de Pace Extraordinarius & Plenipotentiarius Legatus.

Saxonia.

Excellentiſſimus Dominus Baro à *Boſen*, Ærarii Imperialis pro Superioris & Inferioris Saxoniæ Circulo Præfectus, Armaturæ Militaris Inſpector & Arbiter generalis, & à Secretioribus Conſiliis, Teſſeræ Sancti Johannis Eques, Extraordinarius & Plenipotentiarius Celſitudinis Electoralis Saxoniæ ad Pacem Legatus.

Dominus *Kirchner*, Legationi à Secretis.

Suecia.

Excellentiſſimus Dominus *Carolus Bonde*, Comes à Bœrnœe, Dominus in Hesleby, Tyreſiæ, Toſtaholin, Græſteen, Guſtafsberg, & Rezirza, Suecorum Regis Senator, Supremi Senatus Dorptenſis in Livonia Præſes, ejuſque Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pacis Generalis Mediatoriam operam Legatus.

Excellentiſſimus Dominus *Nicolaus* Baro à *Lillieroot*, Regi Suecorum à Secretis, Ejuſque ad Illuſtriſſimos & præpotentes Belgii Fœderati Ordines Extraordinarius Legatus, & Plenipotentiarius ad Pacis Generalis Mediatoriam operam Legatus.

Dominus *Carolus Guſtavus*, Baro à Friſendorf, Legationi Suecicæ à Secretis.

Auguſta Trevirorum.

Excellentiſſimus Dominus Baro à *Leyen*, Dominus in Saffig, Efferen, & Weſſeling, Conſiliarius Intimus, Magni Mareſchalli dignitate ornatus & Ballivius Monaſterienſis, Cobern, & Alcken, Extraordinarius & Plenipotentiarius Celſitudinis Electoralis Trevirenſis ad Pactum de Pace Legatus.

NOMINA
Miniſtrorum, Plenipotentiariorum, Deputatorum & Legatorum, &c.

Auguſta Vindelicorum (Imperiali Civitate.)

Dominus *Johannes Chriſtophorus à Dierheim*, Auguſtæ Vindelicorum Civitatis Cæſareæ Senator, ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Ex Auſtria.

Dominus *Franciſcus Rudolphus*, Baro ab Helden, Dominus in Trasberg, &c. Superioris Auſtriæ pro Cæſarea Majeſtate Senator Regens, Ejuſque pro Familia Auſtriaca ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Ex Baden-Badenſi.

Dominus *Carolus Ferdinandus*, Baro à Plittersdorf, Dominus in Waleſteeg & Neükaz, Sereniſſimæ Celſitudini Marggravio Ludovico Badenſi & Hochbergenſi à Secretis, Ejuſque ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Bremâ & Bipontio.

Dominus ....: *Snoilsky*, Regi Suecorum à Conſiliis, Ejuſque Extraordinarius ad Comitia Dynaſtarum Imperii, Auguſtæ Vindelicorum Sedentia Legatus, Nomine Bremenſis & Bipontini Ducatuum ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Brunſwick-Lunenburg.

Dominus *Haucken*, Celſitudini Electorali Brunſwick-Lunenburgenſi à Conſiliis, Reſidens, ad Concilium Illuſtriſſimorum Confœderatorum Plenipotentiarius.

Brunſwick-Wolfenbuttel.

Dominus Baro *Fredericus à Steinberg*, Conſiliarius Intimus, Curiæque Mareſchallus, Sereniſſimæ Celſitudinis Ducis Brunſwick-Wolfenbuttel Plenipotentiarius.

Brunſwick Lunenburg-Zell & Wolfenbuttel.

Dominus *Siegel*, Conſiliarius & Reſidens Sereniſſimarum Celſitudinum Ducum Brunſwick Lunenburg-Zell & Wolfenbuttel, ad Illuſtriſſimorum Confœderatorum Concilium Plenipotentiarius.

Colonia (Civitate Imperiali.)

Dominus *Hermannus Joſephus Bullinger*, Civitatis Imperialis Coloniæ Syndicus, ejuſque ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Ex

Ex Dania, pro Holsteinensi Ducatu.

Dominus *Detlef Nicolaus à Lewencron*, Regi Daniæ, Nortwegiæ &c. à Consiliis, ad Comitia Generalia Imperii Legatus, & ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Egmontio.

Dominus *Michael à Ghillet*, Scutarius, Dominus in Feppin, Comiti Egmontio à Consiliis, Rei Domesticæ Dominorum negotiorumque Procurator, Ejusque Principis Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Legatus.

A Cæsare.

Dominus Comes *ab Aversperg*, Cæsareæ Majestatis Cubicularius, Consilii Imperialis Aulici Membrum, Ejusque ad Magnæ Britanniæ Regem Legatus Extraordinarius.

Ex Franconia.

Dominus Baro *Wolfganck Philippus à Schrottenberg*, Curiæ Episcopalis Bambergensis Minister & Consiliarius, ad Pacem Nomine Circuli Franconici Plenipotentiarius.

Dominus *Erdmannus*, Baro à Stein, Tesseræ Teutonicæ Eques Torquatus, Nurimbergensis Burggravius, Hæreditarius Aulæ Celsitudinis Brandenburg Bareith Scutarius & ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Francofurto (Civitate Imperiali.)

Dominus *Johannes Jacobus Muller*, Francofurti Civitatis Imperialis ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Dominus *Johannes Melchior Lucius*, Jurisconsultus, Francofurti Civitatis Imperialis Syndicus & ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Hamburgo urbe.

Dominus à *Bostel*, Civitatis Hamburgi Senator & Syndicus, ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Ex Hannonia.

Dominus *F. C. ab Ecielsheim*, Principis Hannoniensis Consiliarius, Ejusque ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Hesse- Cassel.

Dominus Baro à *Goerz*, Dominus in Schlitz, Friedbergii Burggravius, Cæsareæ Majestati Magnæque Britanniæ Regi à Sanctioribus Bellicisque Consiliis, Serenissimæ Celsitudinis Land - Gravii Hesse-Cassel Curiæ Præses, & ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Hildeshemio.

Dominus *Carolus Paulus à Zimmermans*, Serenissimæ Celsitudini Hildesiensi ab intimis Consiliis, Conclavis Cancellarius, Reverendissimæque Celsitudinis Hildesiensis Præses, Imperii ad Pactum de Pace Legatus.

Leodio.

Dominus *Joannes Conradus Norf*, Celsitudinis Electoralis Coloniensis, Leodii Principis, Senator, Ejus apud Fœderati Belgii Ordines Ordinarius Residens, Ejusque Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Legatus.

Ex Lotharingia.

Dominus *Claudius Franciscus Canon*, Baro, Consiliarius & Sanctioris Consilii Commentariensis, Supremæ Curiæ Lotharingiæ & Barresii Præses, Celsitudinisque Serenissimæ Ducis Lotharingiæ ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Lubeco.

Dominus *Georgius Radau*, Cathedrali Præfectus, Civitatisque Lubeci Syndicus, ejusque ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Moguntia.

Dominus *Ignatius Antonius Otten*, Celsitudini Electorali Moguntinæ & Bambergensi à Consiliis Aulicis & Administratione, Ejusque ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Dominus *Georgius VVilhelmus Moll*, Celsitudini Electorali Moguntinæ & Bambergensi à Consiliis Aulicis, & Administratione, Ejusque ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Monasterio.

Dominus Baro à *Plettenburg*, Lenhausen, Consiliarius Intimus, Decanus, Canonicus, & Cathedralium Paderborn, Munster, & Hildesheim, Capitularius, ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

A Nemorosii Ducissa.

Dominus *Bourret*, à Consiliis & Thesauris generalibus Serenissimæ Celsitudini Nemorosii Ducissæ, Neocomii & Valengini in Helvetia supremæ Principi, ad Pactum de Pace Extraordinarius Legatus.

Ab Aureliæ Duce.

Dominus Abbas *Theseu*, Celsitudini Regiæ Domini Aureliæ Duci à Consiliis Ordinariis, ejusque Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Legatus.

Ex Palatino Neoburgico.

Dominus *Johannes Henricus ab Hetterman*, Celsitudini Electorali Palatinæ à Consiliis, & nomine Neoburgi ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Ex Portugallia.

Dominus *Pacieco* Nomine Portugalliæ Regis ad Dominos Fœderati Belgii Ordines Legatus Extraordinarius.

Ex Superioris Rheni Circulo.

Dominus à *Savigny*, Excellentissimo Domino Comiti Nassoviæ Weilburgensi à Consiliis, & ex Superioris Rheni Circulo ad Pactum de Pace Legatus.

Salmo.

Dominus ab *Uffling*, Celsitudini Reverendissimæ, Domino Principi & Abbati Fuldensi à Secretis, Celsitudini Serenissimæ Salmensium Principi à Secretis, Ejusque ad Pactum de Pace Legatus.

Ex Sabaudia.

Dominus *Philibertus* Comes à Turri, Baro à Bourdeaux, Celsitudini Regiæ Sabaudiæ à Secretis, Summus ipsius Ærarii Tribunus, Rei ipsiusmet domesticæ Procurator, Ejusque ad Pacis Generalis Concilium Plenipotentiarius.

Dominus *Petrus Franciscus à Frichignono*, Comes à Castellengo, Celsitudini Regiæ Sabaudiæ à Consiliis, Patronus ejus in Pedemontio Generalis, Plenipotentiariusque ejus ad Pacis Generalis Concilium.

Ex Saxonia Coburg.

Dominus Baro ab *Hagen*, Celsitudini Serenissimæ Saxoniæ Coburgensi à Consiliis Intimis, Præses, à Secreti, Familiarumque Serenissimarum Saxen, &c. Armaturæ Militaris Inspector Generalis, ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Ex Saxonia Gotha.

Dominus ab *Aveman*, Celsitudini Serenissimæ Duci Saxoniæ Gothæ à Sanctioribus, Bellicisque Consiliis, ejusque Familiæ Serenissimæ ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Ab Episcopo Argentoratensi.

Dominus *Hermannus ab Halveren*, Jurisconsultus, Celsitudini Eminentissimæ Cardinali Landgravii Furstembergensi, Argentoratensi Episcopo & Principi à Consiliis intimis, & Vice-Cancellarius, ad Pactum de Pace Legatus.

Ex Suevia.

Dominus *Fredericus à Durheim*, Reipublicæ Administer, Eminentissimæque Celsitudinis Domini Episcopi Constantiensis Cancellarius, ad Pactum de Pace Minister Plenipotentiarius.

Dominus à *Kulpis*, Imperii Nobilis, Reipublicæ Administer Ecclesiastici Consilii Celsitudinis Serenissimæ Domini Ducis Wirtembergensis Director, Circuli Suevici ad Pactum de Pace Minister Plenipotentiarius.

Ex Sueviæ Præsulibus.

Dominus *Antonius Eusebius*, Baro ab Helden, Neidberg, & Autentied, Sueviæ Præsulum Plenipotentiarius.

A Principe Tremollio.

Dominus *Johannes Gabriel Sanguiniere*, Dominus in Charansac, Christianissimo Regi in Castellaua Parisiorum Curia à Consiliis, Procurator Generalis, Celsitudinisque Domini Principis Tremollii, ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Treviris.

Dominus *Johannes Henricus Keifersvelt*, Senator, Hagæque Comitum Residens, Celsitudinis Serenissimæ Electoris Treviteensis ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

A Tessera vel Ordine Theutonico.

Dominus *Carolus à Loë*, Baro à Wissen, laudatæ Tesseræ Eques, Pitzenburgensis Mechliniæ Commendator, à Consiliis intimis, Primicerius missus Extraordinarius, & Plenipotentiarius Celsitudinis Palatinæ Serenissimæ, Tesseræ Theutonicæ Magistri, ad Pactum de Pace Legatus.

Dominus *Victor à Beughem*, Celsitudini Serenissimæ Principi Palatino, Tesseræ Theutonicæ Magistro à Consiliis, Ejusque Residens apud Fœderatos Belgii Ordines Ordinarius.

Ex Wetteraviæ Comitibus.

Dominus *Carolus Otton*, Comes Solmensis, Comitum Wetteraviæ ad Pactum de Pace Plenipotentiarius.

Ex Wirtembergio.

Dominus *Anthonius Gunther ab Hespen*, in supremo Senatu Wirtembergensi Senator, & ad Pactum de Pace Plenipotintiarius.

Ex Wirtzburgio.

Dominus *Johannes Conradus Philippus Ignatius*, Baro à *Taslungen*, à Celsitudine Regia Episcopo Wirtzburgensi Magni Mareschalli dignitate Ornatus, Ejusque Legatus Extraordinarius & Plenipotentiarius ad Pactum de Pace Missus.

S. SA. SAA. SAB.

S Semivocalis, à sequente vocali vim sonumque suum sumit: præcedenti tamen *M. P. & T.* jungitur, in *Cosmus*, *Prosper*, & *Testis*. Sæpe in *M.* transit, ut *Rursus*, *Rursum*: item in *N.* ut *Sanguis*, *Sanguinis*: ut & in R. ut *Flos*, *Floris*: In *T.* quoque sæpissimè convertitur, variis in linguis. Planè evanescit in *Numerus*, ex *Nusmerus*; *Dumosus*, ex *Dusmosus*; *Camœna*, & *Camillus*, ex *Casmœna* & *Casmillus*. Varro quoque *l. 5. de LL.* affirmat, *Omen* ex *Osmen*, & *Idem* ab *Isdem*, factum esse. Hinc Virg. *Æn. l. 11. v. 542.*

——— ——— Matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte, Camillam.

In nummis Constantini M. *S. Siscia* nota est: *S. ARL.* in ejusdem, *signata Arelate*, notat Car. du Fresne, *Dissertatione de infer. ævi Numismatibus.*

S. C. intra coronam, in nummis quibusdem Othonis, de quibus vide Jac. Sponium, *Itiner. Græc. Part. 3. p.* 166. S. F. S. h. e. *sine fraude sua*, inter Veterum notas apud Valer. Probum. Sic in *L. Julia de Adulteriis*, *Retinere adulterum horas viginti sine fraude sua jure liceat.* Vide Ulpianum, *in l. 5. ff. de adulter.* laudatum Calvino, *in Lexico Jurid.*

SA, in Licinii nummis, *signata Antiochia* est, Car. du Fresne, *loc. cit.*

SA, in lingua Persarum *Regem* notat; quò nomine plerosque è Sultanis donari mos est. Vide Guil. Tyrium, *l. 2. c. 1.* Reineccium *in Stemmate Persicorum Sultanorum in Append. ad Aimoinum*, Scaligerum, *Canonum Isagogic. l. 3.* Seldenum, *de Titulis Honorar. Parte 1. c. 6. §. 5. 6. 7.* & Henr. Vales. *ad Amm. Marcellin. l. 19. c. 2.* laudatos Car. du Fresne *in Glossar.* Idem cum *Scach*, unde ludo *Scacorum* vel *Scachorum* quidam nomen inditum volunt; quòd præcipua in illo persona Rex sit: uti eidem Auctori observatum, *Not. ad Jomvillam, p. 59.* & *ad Alexiadem, p.* 383. & 384. Hinc apud *Thuanum* legimus, *Schachus Schacho opponendus est* &c.

SAAB, Patria Eleazari, filii Samæ, viri præclari, Joseph. *l. 3. Bell. Jud. c. 6.*

SAADA, urbs Arabiæ Felicis in Mediterraneis aliàs forsan *Sabbatha*, 300. milliar. ab Adeno in Boream.

SAAL, nomen viri, Esdr. *c. 10. v. 29.* Latinè, *postulans*, sive *postulatus*, aut *commodatus*; sive *sepulchrum*, vel *infernus*, aut *fovea.*

SAALIM, oppidum fuit Judææ, apud Eleutheropolim, inde 7. mill. pass. in Occidentem.

SAANANIM, civitas, limes tribûs Nephthali, Jos. *c. 19. v. 33.* Latinè, *motiones*, vel *motus dormientium.*

SAAPH, fil. Jahaddai, 1 Paral. *c. 2. v. 47.* Latinè *cogitans*, aut *pravolans.*

SAARAIM, civitas in tribu Juda; in qua posteri Simeonis habitaverunt, Jos. *c. 15. v. 36.* Latinè, *porta*, sive *æstimationes*, aut *appreciationes*, vel *capilli*, sive *hordeum*, aut *tempestates*, sive *dæmones*, aut *pilosi*, vel *hirci.*

SAAVEDRA, Familia Hispaniæ illustris, quæ ex Gallicia in Andalusiam transiit. Tituló usa est Dominorum *del Viso* & *Castellar*, donec Joannes Arias *de Saavedra*, à Carolo V. honorem Comitis *de Castellar* obtinuit, qui hactenus in eius posteris, per filium Ferdinandum Ariam continuatus est. Reliqui verò Comitis illius filii Rodericus, Johannes, Franciscus & Ludovicus, singuli peculiares lineas ex se dedêre. Prætereà dicti Comitis patruus magnus Gonsalvus Arias de *Saavedra*, Marescallus Castiliæ, longam posteritatem sevit, cujus partem Domini *de Alcala*, *de Juana*, *de Orta*, constituunt. Ferdinandi Ariæ Comitis de Castellar (cui uxor Beatrix Mendozia) & Teresiæ, utriusque de *Saavedra*, progenitores exhibet Phil. Jac. Spenerus, *in Theatro Nobilit. Eur.*

SABA, vel SEBA. Ex Scriptura, inquit, Bochart. ὁ μέγας, *l. 2. Phaleg. c. 25.* scimus 4. esse populos Seba nomine, quia totidem gentium conditores hujus nominis recenset Moses. Primum Chusi filium. Secundum nepotem ex Rhegmâ, Gen. *c. 10. v. 7.* Tertium filium Joctan, Gen. *c. 10. v. 28.* Quartum denique filium Jocktan, Gen. *c. 25. v. 2.* Primi nomen per ס *sameeh*, reliquorum per ש *shin* scribitur. E primis tribus nati populi commerciis, & ex quarto latrociniis dediti. Primus & secundus è Chami stirpe, tertius & quartus è Semi posteris. Primus, secundus, & quartus mari Persico, tertius Arabico propior fuit. Inde est quòd Sabæos scribit Plin. *l. 6. c. 28.* ad utrumque mare habitare: *Sabai*, inquit, *propter thura clarissimi, ad utraque maria porrectis gentibus.* Nam quatuor hi populi, quantumlibet diversi, sub uno tamen Sabæorum nomine continentur. Nos ex Viro magno *loc. cit. c. 26.* singulis propriam sedem assignabimus, & primum de *Sabais* filiis *Joctan*. Cùm autem de his agitur, eorum quoque nomen non caret homonymiâ. Sæpe enim sacri scriptores, & post Agatharchidem, *loc. jam citando*, Diodor. *l. 17.* & Artemidorus apud Strab. *l. 16.* atque alii veterum Sabæorum nomine, quatuor illos populos complectuntur, qui Arabiæ πίζαν occupaverunt, Minæos nempe, Catabanos, & Chatramotas. Hic verò agimus de *Sabais* propriè dictis, quorum pater fuit שבא *Seba*, vel *Saba* fil. Joctan. De his Eratosthenes, qui primus veterum Sabæos distinguit à reliquis Arabiæ odoratæ gentibus: Ἐχόμενοι δὲ τούτων Σαβαῖοι. Μητρόπολις δ᾽ αὐτῶν Μαριάβα. Locum inspicienti apparebit, his verbis poni Sabæos ad mare Rubrum inter Minæos & Catabanos, qui Arabici sinûs fauces occupant. Dionysius Periegetes:

——— ——— Γαῖαν
Χατραμιὸς ἐναίει κατεναντίον Περσίδος αἴης.
Αὐτὰρ Ἐρυθραίης πλησίον ναίουσι θαλάσσης,
Μιναῖοί τε Σάβαι τε, καὶ ἀγχίγυοι Καταβανοί.

Sabæorum metropolis *Sabo*, vel *Sabas*, Agatharchides, *c. 50.* Τὸ δὲ τῶν Σαβαίων ἄστυ τοῦ παντὸς ἔθνους προσηγορίαν δηλοῦν ἐπ᾽ ὄρους ἐστὶ οὐ μεγάλου, πολὺ κάλλιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, ὃ καλεῖται Σαβάς. In *Diodoro* autem, quem palam est *Agatharchidem* sequi, meliùs legitùr Σάβα. Verba sic habent: Τοῦ δὲ ἔθνους τούτου μητρόπολις ἐστὶ, ἣν καλοῦσι Σάβαν, ἐπ᾽ ὄρους ᾠκισμένη. Ita Philostorgius, *l. 3.* Felicem Arabiam, in qua Sabæi, tradit καθήκειν ἐπὶ τὸν ἐξώτατον ὠκεανὸν, ἧς μητρόπολις ἡ Σάβα. Et cùm *Theophrastus* aromata gigni scribit περί τε Σάβα καὶ Ἀδράμυτα, intelligit Saba Sabæorum metropolin, & regionem ei cognominem. Saba *Ptolemæo* est Σαβη, *Stephano* Σαβαί, & Σάβαι. Σαβαί, inquit, πόλις μεγάλη, πλησίον τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, καὶ Φερέριον. Idem *alibi*: Σάβαι, πόλις μεγάλη, πέραν τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, οἱ πολῖται Σαβαῖοι. Ejusdem urbis aliud est nomen ab isto planè diversum *Mariaba*. *Eratosthenes* de Sabæis: Μητρόπολις δ᾽ αὐτῶν Μαριάβα. *Artemidorus*: Ἡ δὲ πόλις τῶν Σαβαίων, ἡ Μαριάβα, κεῖται μὲν ἐπ᾽ ὄρους εὐδένδρου. Nomen *Mariaba*, Plin. *l. 6. c. 28.* *Dominus omnium* interpretatur, nempe à verbo רבא *rabba*, quod *dominari* significat formatur nomen *Marab* pro loco vel tempore dominationis. Tres metropoles in Arabia hujus nominis enumerat Plin. *loc. cit.* Cæterùm Saba Græcorum alii mysterium explicant, ut in Plinio habetur, *l. 12. c. 14.* alii ridiculè deducunt ἀπὸ τοῦ σέβειν, eò quod in cultu Deorum præcipuus thuris usus est. *Hesychius* multò verius Σαβα, αἰχμαλωσία. Nam Ebraicè שבה Chaldaicè & Syriacè שבא, & Arabice סבי est *captivum ducere.* Tamen *Saba* refert Bochartus, *loc. cit.* potiùs ad Arabicum שבא, quod *eminere* significat. Id enim in Sabæos apprimè quadrat, sive situm respicias urbis metropoleos, quæ fuit in monte sita, ut suprà ostendimus, sive staturam corporum incolarum, de quibus *Agatharchides*: Τὰ σώματά ἐστι τῶν κατοικούντων ἀξιολογώτερα. Prætereà si mores hominum spectes, Geographus Arabs ita describit, *clim. 2. part. 6.* *Fastu, jactantiâ, & superbiâ reliquos populos superabant.* Denique dignitate etiam & numerô, & potentiâ videntur cæteris præcelluisse. In Agatharchide: τὸ τῶν Σαβαίων ἔθνος μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, καὶ παντοίας κύριον εὐδαιμονίας. In Strabone, *loc. cit.* Ἡ τῶν Σαβαίων εὐδαιμονεστάτη μεγίστου ἔθνους. In Diodoro Sic. *l. 4.* Sabæi sunt πολυανθρωπότατοι τῶν Ἀραβικῶν ἐθνῶν. Divitiæ Sabæorum partim balsamô, & casiâ constant, & myrrhâ, & thure, & cinnamomô, & palmâ & calamô odoratis, & cæteris id genus tantâ ubertate, ut in igne quotidianô non aliud lignum adhibeant, quàm ex casiâ & cinnamomo. Plin. *l. 12. c. 17.* *Non alia ligni genera in usu sunt, quàm odorata: cibosque Sabæi coquunt thuris ligno, alii myrrha.* Unde Virg. *l. 1. Georg. v. 57*

——— Molles sua thura Sabæi

Et rursum, *l. 2. Georg. v. 117.*

——— *Solis est thurea virga Sabaeis.*

Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 138.

——— *Thuriferos, felicia regna, Sabaeos.*

De Regina Seba, vel Saba, vide Bochart. *l.* 2. *c.* 26. De שבא *Seba*, vel *Saba* filio Rhegma, vide eundem, *Phaleg. l.* 4. *c.* 7. Sabaei, inquit, ex stirpe Chusi, ubi locorum sedes fixerint, conabimur hic aperire. Sabaeos dicit Pomponius, *l.* 3. *c.* 8. Arabiae Felicis tenere partem ostio maris Persici proximam & Carmanis. Et in illo ipso ostio Carmanis proximo recenset Arrian. *in Peripl.* ὄρη μέγιστα λεγόμενα Σαβὼ, tanquam à *Saba*. *Ptol.* scribit *Asabo*, & *Martian. Pasabo*. Sed utrobique manent vestigia nominis *Saba*. Hos Sabaeos, ut putem patrem habuisse Sabam Rhegmae filium ac Dedanis fratrem, facit locorum vicinia. Nam urbs *Dedan*, hodie *Dadan* proximè abest ab illo freto, & prope Dedan erat Rhegma. Eosdem verisimile est per freti angustias trajecisse in vicinam Carmaniam, in qua *Sabin* urbem describit *Ptol.* & Plin. *l.* 6. *c.* 23. *Sabin* fluv. *Dionys. Perieg. Sabas* populos vicinos Pasargadis. Sic enim ille: *v.* 1069.

Πρῶτα Σάβας, μετὰ τοὺς δὲ Πασαργάδας.

De altero *Seba* filio Chus, ac de *Seba* Abrahami nepote, vide Bochart. *Phaleg. l.* 4. *c.* 8. *&* 9. *Nic. Lloydius.*

SABA. Insul. parva, ex Antillis, sub Hollandis, vix 20. mill. pass. à parte Occidentali Insulae Christophori.

SABA, urbs Aethiopiae Reginae *Scheba*, quae maximò & difficillimò itinere susceptò, audivit Salomonem, historia lectu memorabilis, extat 1. Reg. *c.* 10. Nam *Nicaunam* Cedrenus, *in Hist. Eccl.* & Sabellicus, *l.* 1. *c.* 5. *Makedam*, Annales Aethiopiae vocant: *Sabam* seu *Sabeam* Metropolim ejus, in extremo Arabiae Felicis littore, non procul ab ipsis sinus Arabici faucibus, sitam esse tradentes: aliis aliter statuentibus. In quo Regno quanta fuerint Sapientiae incrementa, inde constat, quòd Regina haec ideo Hierosolymam ascenderit, ut cum Salomone de quaestionibus abstrusissimis, quas S. Scriptura חידות appellat, disputaret, & referunt hinc quidam, Aethiopes sive *Sabaeos*, libros Mosis ab usque Salomonis aetate, à Regina sua in patriam allatos, habere. Sanè Josephus meminit eam duodecim millium Judaeorum coloniam, Regis permisse, in sua regna abduxisse, quod niti videtur locò 1 Regum *c.* 10. *v.* 13. Iisdem ex locis Magos venisse Christum adoraturos sunt qui contendant, ex Psalmo 72. *v.* 10. alii tamen ex Perside sive Babylonia & Susis eos arcessunt. Vide Georg. Hornium, *Histor. Phil. l.* 5. *c.* 2. Solem à *Sabais*, Arabiae incolis, antiquitus adorari consuevisse, eique thus quotidie adoleri in ara tectò imposita, Strabo docet, *l.* 6. De iisdem Theophrastus, *Hist. plantar. l.* 9. *c.* 4. Συνάγεσθαι πανταχόθεν ἥ σμύρνα καὶ λιβανωτὸς, εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ ἡλίου, τοῦτο δ᾽ εἶναι μὲν τῶν Σαβαίων, ἁγιώτατον δὲ πολὺ τῶν περὶ τὸν τόπον, τηρεῖν δ᾽ ἐκεῖ τοὺς Ἄραβας ἐνόπλους, *Coenobi undique myrrham ac thus ad delubrum Solis: hoc* Sabaeorum *quidem esse; sanctissimum verò locorum omnium circumjacentium? custodesque habere Arabes armatos.* Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 2. *c.* 7. Vide quoque Salmas. *ad Solin. p.* 500. & infrà.

SABA, metropolis Sabaeorum, caput regionis & gentis cognominis, in monte condita, ἐπ᾽ ὄρος ἐνκειμένη, secundùm Agatharchidem *in Descr. Arab.* Aliter *Sabatha* & *Sabotha* Plinio; qui à Salmasio refellitur. A *Saba* enim *Sabai* populi, à *Sabbatha*, *Sabbatha* Avieno,

——— *rutili contermina Ponti*
Minnai Sabbathaeque *tenent, super impiger ampla*
Aequora desulcat gleba ditus Clitaboeus.

In ejus locum successit Μαρίαβα, ut habet Agatharchides idem apud Strabonem, laudatum Claud. Salmasio, *ad Solin. p.* 492. & *seqq.* Vide quoque infrà *Sabota*, item in voce *Sabu*.

SABA, castellum, à quo Campus magnus *Campus Saba* dicitur; in tribu Issachar.

SABA, Julianus, vide *Julianus*.

SABACHUS, seu SABACON, Aethiopum Rex, pulsò Anisi, interemptò Necho, hujusque filiò Psammitichò in Syriam fugatò, captò & exustò Bocchoride, caeterisque Aegypti Regulis oppressis, sub initium Olympiadum, Aegypto per ann. 50. praefuit. Dicitur non aliam reis poenam inflixisse, quàm ut certam terrae portionem conferrent; quò pactò Urbes, quae prius plus aequò humiliores erant, ad justam altitudinem perduxit. Herodot. *Musâ* 2. *c.* 127. Sub adventum tamen crudelitate barbarus erat, & postmodùm εὐσεβείᾳ καὶ χρηστότητι πολλὺ διαφέρων τῶν πρὸ αὐτοῦ, *pietate & benignitate antecessoribus superior*. Diodor. *Sic. l.* 1. Humanitatis argumentum jam dedimus, Summa pietatis illius ex eo colligitur, quòd somniò monitus ultro concessit ex Aegypto tandem, Herodot. *d. l.* post cujus decessum, Aegyptus rursum inter Regulos dispertita, & Δωδεκαρχία instituta est. XII. enim praecipui Praesidum seu Nomarchae, omnem Aegyptum in totidem partes diviserunt, &, Consilio Memphi institutò, junctis inter se affinitatibus, amicè regnârunt, annos 15. Diodor. Sic. *l.* 1. Et quidem ex XII. istis Regulis quorundam nomina conservata sunt: duo scil. Aethiopicâ clade superstites, *Amysis* caecus, & *Psammitichus*, quibus adnumerari potest *Tennephes* & *Sethon*, de quibus suis locis. Posteà, ortis jurgiis turbisque civilibus, summa rerum ad unum rursus, Psammitichum scil. devoluta est: quas Regulorum discordias respicit, Esajas, *c.* 19. *v.* 2. Caeterum in Aethiopum hac Dynastia, subjungit Africanus *Sabaconi* Sevechum fil. & *Tarachum* quibus *Eusebius* & *Syncellus* addiderunt quartum, *Merrem Aethiopem*. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chronicô Sec. XVI.* & *XVII.* & hic passim, inprimis vocibus *Dodecarchia*, *Psammitichus*, *Sous*, (qui idem cum *Sabacone*) &c.

SABADIBAE, Anthropophagorum insul. 3. in mari Indico, sive Eoo, *Ptol.*

SABAE, Indiae populus, vulgò putantur apud Dionysium, cujus verba sunt:

Τῶν δὲ μέσοι ναίουσι Σάβαι.

i. e. *horum autem* (fluminum) *medii habitant Sabae*, scil. inter Acesinem, Hydaspen, & Cophetem, de quibus proximè egerat. Atqui hôc locô pro Σάβαι legendum Σίβαι, rectè monuit vir magnus, Salmas. *in Plinianis, c.* 33. *p.* 349. Quippe in Indiâ Sabas nemo alius nominavit. Sed *Sibarum* meminit Strabo, *l.* 15. Diodor. Sic. *l.* 17. Arrian. *in Indicis*, Nonnus, *in Dionysiacis*, *l.* 26. *v.* 218. Stephan. in Σίβαι. Bochart. *l.* 2. *Phaleg. c.* 15. *Nic. Lloydius.*

SABAEI, vide SABA.

SABAGENA, urbs Armeniae majoris, in Praefectura Laviniamensi, *Ptol.*

SABAJA, unde SABAJARIUS, apud Amm. Marcellin. *l.* 26. *c.* 3. *Cujus à muris probra in eum jaciebantur, & injuriosè compellabatur, ut Sabajarius.* Est potus ex hordeo vel frumento confectus apud Illyrios. Cujus quoque Hieronym. meminit in „ *Esaj. c.* 19. de Zytho: Genus potionis ex frugibus à quo con„ fectum & vulgò in Dalmatiae Pannoniaeque provinciis gentili „ barbaròque sermone appellatur Sabajum, apud Car. du Fresne „ *in Glossar.*

SABAISMUS, Idololatriae antiquissima species. Post Diluvium enim, cùm per varias corruptelas sensim invecta esset à Chami posteris universalis Apostasia, speciatim Idololatria emersit, cujus primam mentionem invenimus in cognatione Abrahami, Gen, *c.* 31. *v.* 19. quanquàm etiam ante illius tempora jam invaluisse videatur. Duplex autem illa erat; Una, quâ verus Deus colebatur in imagine qualicunque, cujus exemplum est Gen. *c.* 31. *v.* 19. Altera, quâ vagus Deus colebatur, quando nimir. genus humanum, Dei sui incertum, rebus creatis divinam primò virtutem, tandem verò Deô prorsus relictô, divinitatem ipsam vel majorem vel minorem assinxit. Ubi primus *Sabaeorum* fuit cultus; qui Solem, Lunam & stellas, coluerunt, qui inde *Sabaismus* dictus est: cui hominum defunctorum & daemonum venerationem addidit *Hellenismus*. Quae cultus Idololatrici, qui totum orbem posteà, immani generis humani crimine & in Creatorem contumeliâ, defoedavit, duo fuêre genera, non longò intervallò se invicem excipientia: Simulachrorum autem & imaginum dedicatio ac veneratio utrique communis fuit: Itaque prima & antiquissima Idololatria coepit à Coeli, Solisque praecipuè, totiusque illius coelestis chori, cultu; qui, prout videtur, mox à dispersione Babylonica mundum occupavit, antequàm Idola, quae coluit Hellenismus, vel nota fuerunt, vel nata:

——— *cùm nondum sub Jove mundus.*

Cujus rei memorabile extat testimonium, Jobi *c.* 31. *v.* 26. 27. ubi primae illius Idololatriae universam rationem pandit vir sanctus. *Sabaismo* successit hominum demortuorum cultus; circa quem cùm Graeci maximè superstitiosi extiterint, qui tantam Numinum turbam invexerunt, ut major ferè inveniatur populus quàm hominum, Plin. *l.* 4. *c.* 7. inde *Hellenismi* nomine venit. Vide Franc. Burmannum, *Synops. Theolog. Christ. Part.* 1. *l.* 3. *c.* 8. *num.* 24. 25. & 26.

SABAITICUMOS, *Ptol.* Sebasticum, in *MS.* Seldeni Σαβαιτικὸν, locus Aethiopiae ad fauces Sinus Arabici. *Strab.*

SABALASSA, unum ostiorum Indi fluv. *Ptol.*

SABALINGII, populi German. inter Cimbros, quos *Jutlander*, cum *Gutis* & *Vitis Peucerus* interpretatur.

SABAMA, civitas validissima, quam aedificaverunt filii Ruben, Josuae *c.* 13. *v.* 19. Latin. *conversio*, sive *captivitas nimia*, aut *canities*, vel *sessio multa*. Vineis abundabat: 500. pass. ab Hesbon. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

SABANA, Aureae Chersonesi urbs, *Ptol. Samdabar Mercator* vocat, & in insula Japan locat.

SABANIA, viri nomen Nehem. *c.* 9. *v.* 4. Latinè, *convertens*, vel *captivans Dominus*, aut *intelligens*, vel *aedificans Dominus*, vel *intellectus*, aut *filiatio Domini*.

SABANUM, vox Hebraeis, Graecis & Latinis posterioribus in usu, inprimis in *Basilicis* frequens, lintea significat, quibus in balneis lori siccarentur, Marcellus Exmagister Officiorum, *l. de Medicam. Caput laves, & crassò sabanô diligenter siccabis spongiis demersis & linteô* Sabanô *intorto utrinque expressis.* In Glossis ad Alexandrum Iatrosophistam, *de Passione l.* 1. *pannus subtilis* dicitur. Alibi *pannus factus de cottone* &c. Vide praeter quamplurimos Auctores hanc in rem laudatos Car. du Fresne, *in Glossar.* Cujacium, *Observat. l.* 9. *c.* 2. Casaubon. *ad Aug. Suetonii c.* 83. & Sulcerum, *Thes. Eccl.* in hac voce.

SABAOTH, unum ex Dei nominibus, de quo vide infrà in voce *Zebaoth*.

SABARACUS, Sinus Indiae ulterioris, hodie *Golfo de Pegu*, seu *de Martavan*, ab urbibus adjacentibus: estque pars Sinus Gangetici; versus auream Chersonesum.

SABARCAE, Indiae populi, qui populi, non regum imperiò regebantur, Curtius. *l.* 9. *c.* 8.

SABARIA, hujus meminit Amm. Marcellin. *l.* 19. *c.* 5. & *Antonin.* Plin. *l.* 3. *c.* 24. eam Norico annumerat, & Coloniam D. Claudii

dii nominat. *Lavio* Austriæ oppid. est ad Angrum fluv. nomine *Stain*, Patria S. Martini. *Baudrando* urbs est Pannoniæ, *Ciujo* & *Lazio*, *Stain am Angern*, oppid. Hungariæ in Comitatu Castriferrensi, in limite Austriæ inferioris 6. leuc. à Soprono in Eurum, Vespimium versus 12. & 8. ab Arrabone in Meridiem. *Cluverio* autem est hodie castrum *Sarwar*, German. *Rothentum*, 3. leucis infra prius in Eurum, ad confluentes Sabariæ fluv. in Arrabonem. *Bruschius* dicit Sabariæ, A. C. 1508. sepulchrum Ovidii Nasonis inventum, celsitudine magnificum, & hôc Epitaphiô ornatum:

> *Fatum necessitatis lex.*
> *Hic situs est Vates, quem Divi Cæsaris ira*
> *Augusti patriâ cedere jussit humo:*
> *Sæpe miser voluit patriis occumbere terris,*
> *Sed frustra, hunc illi fata dedere locum.*

SABARIA, vulgò *Gunß* Germanis, *Benges* Hungaris, fluv. Pannoniæ, Sabariam urbem alluens & in Arrabonem influens.

SABARIM, Civitas aut villa, inter terminum Damasci & confinium Emath, ad Septentrionem terræ promissæ limes, in tribu Nephthalim, Ezech. c. 47. v. 17. Hieronym. *de Locis Hebr.*

SABARIM, locus trans Jordanem in terra Amorrhæorum, qui à *frangendo* hoc nomen invenit; siquidem ibi Israëlitarum acies fracta est. Jos. c. 7. v. 5. In tribu Benjamin.

SABAS, unus ex Palmyrenorum Ducibus, memoratus Trebell. Pollioni, *in Claudio. c. 11. Sed* [illegible] *à Divo* [illegible] *agetur, Palmyreni Ducibus Saba & Timogene contra Ægyptios bellum junxerunt atque ab his Ægyptia pervicacia & indefessa pugnandi continuatione vincuntur.* Zosimo *Zabdi* dicitur. Vopisco, in *Aureliano*, c. 25. *Zaba*, quem vide. In *Hist.* Concilii Florentini *sess.* 6. c. 8. Σαβαὶ vox est triumphantis, cum lætitia applaudentis & approbantis, ex veteri σαβοῖ & σαβάζειν. Vide Aristophanem *Vespis Sc.* 1. & infrà *Sabazius.*

SABATA, Liguriæ urbs, quæ & *Vada Sabatorum*, & *Vada Sabatia.* *Ptol.* [illegible Greek] Σαβάτα, Πολλεντία, Ἄστα, Ἄλβα Πομπηΐα, Augusta Bagiennorum. Imperitè oppidum maritimum in mediterraneis posuit. Jul. Capitolin. *in Pertinace*, c. 9. *Avaritiæ suspicione privatus non caruit, quum apud Vada Sabatia oppressis fænore possessoribus, latiùs suos terminos extenderet.* Strabo l. 4. *in descriptione Alpium*: [illegible Greek] Σαβάτων Οὐάδα, [illegible Greek], &c. Vide Cluver. *Ital. Antiq.* p. 68. Sil. l. 8. v. 491.

> *Quique tuos Flavina focos; Sabatia quique*
> *Signa tenent.* —— ——

Nic. Lloydius.

Hodie *Vadi*, seu *Vade*, oppidul. cum portu & arce permunita in clivo: Sub Genuensibus. *Ferrar.*

SABATA, seu SABATE. Vide *Brygianon* & *Arcennum.* *Baudrando* oppid. Hetruriæ nunc excisum, ubi templum S. Marciani, 3. milliar. in Circium, à Bracceno seu Braciano, quod ex ejus crevit ruinis, & vix 1. à lacu Sabatino ab eo dicto: hinc etiam *Sabatia* tractus adjacens.

SABATATI, item *Insabatati*, inter alia dicti sunt, qui Valdensium doctrinæ adhærebant, quod, ut ait *Prateolus in Elench. Heres. qui inter eos perfectiores erant, signum quoddam in superiori parte sui sotularis*, Sabbatem *appellabant, deferre solerent.* In Hispania uspiam viguisse patet ex Concilio Tarraconensi A. C. 1242. in quo *Insabattati* perpetuò appellantur, illisque tributum, quod dicerent [illegible] *bus non esse obediendum & pœnam corporalem non esse infligendam* [illegible] *& similia.* Gropperus *Insabbatos* vocat, apud Car. du Fresne in *Glossar.* qui eos ab ea calceorum specie, quos Galli *Sabots* vocant; i. e. calceis ligneis, quibus potissimum utebantur, hanc appellationem sortitos fuisse contendit.

SABATHA, filius Chus, Gen. c. 10. v. 7. Vide Bochart. *Phaleg.* l. 4. c. 10.

SABATHA, Plinio l. 6. c. 27. oppid. in ora Maritima Rubri maris, quod μεσόγειον, *mediterraneum* facit, *Ptol.* æquali ferè spatiô distans ab utroque Sinu, Persico & Arabico, ut ex gradibus longitudinis patet, quos illi assignat. Arrianus vel Auctor Erythræi *Peripli*, supra Canen Emporium Rubri maris, in mediterraneo ponit: ad quod emporium thus omne, quod in illa regione nascebatur, utribus vel navigiis ex utribus factis deferri solebat. Plin. tamen l. 12. c. 14. id *Sabatæ* vel *Sabothis* tribuit. *Thus collectum Sabotam camelis convehitur, porta ad id una patente, digredi via capital leges fecêre. Ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, mensurâ, non pondere, Sacerdotes accipiunt.* Caput fuit thuriferæ Regionis Arabiæ, seu τῆς λιβανωτοφόρου, quam ad Sachaliten sinum fuisse sitam, ex *Ptolemæo* & *Arriano* constat vide Salmas. *ad Solin.* p. 498. & *seqq.* ubi, cum Sabæorum metropoli, ab aliis eam civitatem malè confundi, inter alia hinc probat, quod in Atramitarum regione fuerit, & alium quoque Regem habuerit. Arriani namque temporibus, Charibael Homeritarum & Sabæorum regnum possidebat, at Eleazar regnabat ἐν τῇ λιβανωτοφόρῳ. &c. Sed errorinde ortum, quod cum apud Sabæos thura & myrrham, aliaque aromata Mercatores Ægyptii emerent, ibi etiam nasci putaverint: Thuriferam regionem in Sabæis collocantes. Vide quoque infrà in voce *Thurifera Regio.*

SABATHACA, fil. Chus, Gen. 10. v. 7. Vide Bochart. *Phaleg.* l. 4. c. 4.

SABATHIUS, Judæus, dein Episcopus hæreticus. Postquam enim Judaismum reliquit, à Marciano Novatianorum Præsule, presbyter ordinatus est: dein Judaismum in Sectam suam introducere conatus, Theoctistô & Macariô, presbyteris in suas partes pertractis Paschatis celebrationem ad 14. diem Lunæ reducere voluit: Post quæ, sub prætextu purioris vitæ, cœtus & greges habere & schisma formare cœpit, cujus ipse Episcopus fieret. A Marciano proptereà reprehensus, & jurare coactus, ad Insulam se nunquam adspiraturum, nihilominus fidem non servavit, sed à *Sabbatianis*, sectatoribus suis, Episcopus creatus est. Socr. l. 7. Baron. A. C. 391. *num.* 17. Hodie autem *Sabbathiani*, vel *Sabbatharii* dicuntur, qui, diem septimum hebdomadis colendô, Judaizant. Sander. *Har.* 195. Florimund. l. 2. c. 15. n. 3.

SABATHRA, urbs Arabiæ Felic. Plin. l. 6. c. 28. Forsan *Saada* hodie. Item colonia & oppid. Africæ maritimum, *Sarambis Adolenis*, *Rakhanabes Villonovano.* Melius *Sabrata*, hodie *Tripoli Vecchio*, ferè in ruinis, cum portu capaci, in ora maris Mediterranei 70. mill. pass. à Tripoli novo, olim, *Oea*, in Occidente Tacapam versus: 80. in regione Tripolitana. *Baudrand.*

SABATIA, regiuncula Tusciæ, circa lacum Sabatinum, inter urbem Romam ad Ortum, & Tarquinios ad Occasum, hodie *Paësa di Anguillara.* Baudrando *il Ducato di Bracciano*, tractus est Patrimonii, cum titulo Ducatus gentis Ursinæ, versus oram maris Tyrrh. & lacum Sabatinum, ubi oppid. Braccenum & Anguillaria, ac Palum Castrum, cum plurimis villis; ad aliquot milliar. extensus. Ibi aliàs Sabata oppid. præcipuum & populi Sabatinenses.

SABATIA, Vada, apud Jul. Capitolin. *in Pertinace* c. 13. *Tam parcus autem & tam lucri cupidus fuit; ut apud vada Sabatia mercaturas exercuerit Imperator, per homines suos non aliter, quàm privatus solebat*, vide *Sabatia.* Hinc *Sabatina* Tribus, memorata Liv. l. 6. c. 5. *Tribus quatuor ex novis civibus additæ; Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narniensis: eæque viginti quinque tribuum numerum explevêre.* Idem *Sabatinorum*, Campaniæ populorum meminit l. 26. c. 33. Hodie in Academia Parisiensi *Sabatine* Gallis vocatur disputatio, diebus *Sabbatinis* olim solum, jam verò etiam aliis diebus haberi solita, in qua ex Logica & Ethica theses ventilantur, *Rich.*

SABATINCA, *Cluverio* vicus est *Sunebenkirch*, in Stiria, 7. mill. pass. ab oppido *Muravv* in Meridiem, in ipso limite ditionis Salisburgensis & Carinthiæ.

SABBATINUS *Lacus* Hetruriæ, etiam *Triangularis* dictus est olim, nunc *Lago di Bracciano*, ab oppido adjacente, ex eo effluit Elaro fluv.

SABAUDIA, regio ampla Galliæ Narbonensis ubi olim Allobrogum pars Borealis & Centrones. Habet à Septentrione Lacum Lemanum, & Rhodanum, ab Occidente Rhodanum, à Meridie Delphinatum, ab Ortu Pedemontium & Valesiam, à quibus Alpibus separatur. Sub proprio Duce; in Ducatum enim erecta est à Sigismundo Imperatore A. C. 1417. cui etiam Pedemontium paret. Tota ferè [illegible] referta est montibus. Habetque partes sex: nempe Sabaudiam propriam, Principatum Gebennensem, Maurianam, Tarentasiam, Foliniacum & Caballicum tractum. Caput totius regionis est Camberiacum. Sed Monmelianum arx est munitissima. *Baudrand.* Olim habitata à Centronibus, Brannoviciibus, Antuatibus, Latobrigis, Allobrogibus & Sabaudis. Non enim nova vox Sabaudia est, cum Prosper Aquitanus, jam ante mille annos, Sabaudiam, ab Aëtio Patritio Galliæ, Burgundionibus concessam scripserit. *Sapaudia* Amm. Marcellino, l. 15. c. 11. & *Ennodio* dicitur: montosa admodum, frugum tamen haud parcè ferax, metallifera quoque alicubi: incolas simplices habet. Olim pars Galliæ Narbonensis, parsque Celticæ, seu Lugdunensis fuit, dein Romanis paruit, donec ad interitum vergente imperiô, variis barbaris gentibus, sub Honorio, prædæ fuit. Postea regni Burgundici fuit pars, tandem sub Principibus, qui hodieque illam tenent, esse cœpit: Cujus familiæ Caput Bertoldus seculô 11. ex prisco Saxoniæ Duce Witikindo originem traxit. Hujus enim fil. Wigbertus, Dux Angriæ, pater fuit Immedi, qui ex Hinna Comite Schitensi, suscepit Hugonem, Marchionem Italiæ, Berchtoldi Comitis Sabaudiæ & Maurianæ, Patrem: Huic successit Humbertus *candidis manibus*, &c. Cujus successores variis accessionibus avitâ possessione auctâ, late hodie imperant. Sub Amadeo VIII. Ducatus titulô nobilitata est, vide Lud. Chiezam. *Hist. Pedem.* Philibertum Pingon. *Saxon. Sabaud. Princ. Arbor gentil.* &c. Addantur Guicheno & Paradinus. *Hist. Sabaud.* Papyr. Massonius, *Elog. Ducum Sabaud.* Thomas Blancus, *Epit. Hist. Sabaud.* Duchesnius, *Hist. Burgund.* &c. Paulo aliter de familia hac Serenissima Enucleator Limnæi, l. 3. c. 22. Ita enim ille: *Bertholdus ex Amadeo I. Witikindi M. pronepote genitus, cum patrium solum vertere cogeretur, in eam Burgundiæ Transjuranæ partem concessit, quæ Comitatus Mauriennæ, nunc Sabaudia vocatur.* Hôc natus Humbertus I. ab Henrico III. Imperatore Comes Mauriennæ creatus est, quô titulô usa familia fuit, usque ad Amadeum VIII. quem Sigismundus Imperator A. C. 1416. in Concilio Constantiensi Ducem creavit. Amadeus II. fuit primus Comes Sabaudiæ, Marchio Taurinorum, & Segusianorum, occupator Rhodi Insulæ, ab Henrico IV. Imperatore primus Imperii vicarius creatus. Thomas deinde, qui A. C. 1233. obiit, Pedemontium bellô acquisivit: post eum Amadeus III. Vallis Augustæ pertam & Chablasii Principatum avitis ditionibus junxit. Amadeus postea VIII. jam semel atque iterum memoratus, Gebennensem, sive Comitatum Genevensem, sive Niceæ Insubriæ Principatum obtinuit, A. C. 1454. mox Eremitæ habitu indutô, Ripariæ delituit: gubernaculô filio relictô. Dein Eugenio IV. oppositus Felicis V. assumsit nomen, novennio pôst Nicolao V. cedens: Post hæc Ludovicus, Amadei IX. frater, uxoriô nomine Cypri Rex evasit: quâ à Turcis occupatâ, jus in Insulam inter Venetos Principesque Sabaudiæ dubium mansit. Carolus I. dein Marchionatum Salutiæ occuparit, sed ejus locô Carolus Emanuel I. Henrico IV. Galliæ Regi Bressiam cedere coactus est. Olim quoque sub Principibus hîs egregia regio Vaudi, *Pais de Vaud* fuerat, sed eam hodie jure belli tenent Bernenses. Pina-

tolum quoque cum Comitatu annexo, in dicta Monasterienfi ab Imperio Gallis cessum est. Secundum eundem tenet Sabaudiæ Dux feudi nomine ab Imperio quinque Ducatus, Sabaudiam, Augustam, Caballicum tractum, Genevensem, & partem Montferrati: Tres Principatus, Pedemontium, Onelium, & Barcillonetam: Quatuor Marchionatus, Susam, Juream, Salutium & Cevam: Sex tandem Comitatus, Maurienam, Tarentasiam, Nicæam, Vercellas, Astum, & Tendam. Præter quæ possidet quoque Rocheveranum Olmum & Cæsola. Idem ante omnes Italiæ Principes, ipsum etiam M. Florentiæ Ducem sedendi jus habet; Symbolum ejus annulus est Divi Mauritii Thebaræ legionis Ducis & Martyris, quem Ieterum, primus Allobrox impetravit à Cœnobiarcha Mauritiano. Amadeus dein IV. Magnus dictus, Rhodô insulâ liberatâ A. C. 131. accepit ab Episcopis Hospitalariis scutum & crucem albam, cum quatuor istis literis *F. E. R. T.* i. e. Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit: à Venetis quoque confœderatus suscepit alas victrices & S. Marci signum, ad ornatum galeæ: Scuti porro insignia cum Saxonicis mixta, nempe Sertum rutaceum. Tandem A. C. 1633. Sabaudiæ Dux, postquam per præconem publicè promulgari curavit, Cypri regnum ad se pertinere, coronam Ducalem apertam claudi atque in regiam converti curavit. Carolus Emanuel II. qui nuper præfuit, A. C. 1675. paulo post finitum bellum Genuense, quod ipsi non usque adeò feliciter cessit, obiit non sine veneni suspicione, relictô filiô novenni, Victore Amadeo II. Principe magni animi, & Principum Statuumque contra Galliam Fœderatorum magna parte, qui magnâ licèt ditionum parte exutus, pacis à Galliæ Rege jam non semel oblatæ conditiones ut, Fœderatos deserat, constantissimè recusat admittere. De prætensione Principum Sabaudiæ in Rempubl. Genevensem, conatibusque eorum hactenus irritis, vide Thuan. *Histor. ad A.* C. 1602. De eadem ut & eorundem prætensione in Ducatum Montferratensem, Marchionatum Salutiarum, Achajam, Cyprum, Mediolanum, Vide Limnæum Enucl. *tom.* 5. *c.* 22. de rebus inter Sabaudos & Helvetios, Bernenses imprimis gestis, Simler. *de Republ. Helvet.* Stumpf. *Chron. &c.* Quære etiam in voce *Sapaudia.* Addo his, quod Principum horum Familia, inter Europæas potiores jam diu numerari meruit. In qua Patrum memoriâ, præcipuè duo rami, *Nemorosius*, Gall. *de Nemours*, à Philippo (qui fil. erat Philippi Ducis Sabaudiæ, extincti A. C. 1497. & Claudiæ Pentheuriæ) marito Carolæ Aurelianensis (Ludovic. Aureliô Duce Longavillanô & Joanna Roselanâ genitæ) qui fortunarum suarum sedem in Gallia collocavit, derivatus, sed, nisi quod fœminas attinet, in Henrico ejus pronepote, excisus A. C. 1659. Et principalis Ducum Sabaudiæ, à Carolo, præfati Philippi Nemorosii fratre, propagatus, floruêre. Nunc iterum duo palmites sunt: quorum alterum Dux constituit, alterum Francisci Thomæ Principis Cariniani liberi, ad quos Suessionum nunc Comitatus in Gallia spectat, constituunt. Ducis Majores hi fuêre; Ludovicus Dux Sabaudiæ, extinctus A. C. 1465. ex Anna (filia Jani Lusignani Cypri Regis) genuit Philippum Ducem prædictum, cui Claudia Britanna seu Pentheuria genuit Carolum Ducem, qui decessit A. C. 1554. Hôc & Beatrice Lusitanâ (Emanuelis Lusitaniæ Regis filia) natus Emanuel Philibertus, junxit sibi Margaretham Franciscam (Francisci I. Regis filiam) & obiit A. C. 1580. relictô filiô Carolo Emanuele I. qui fato functus est A. C. 1630. Hujus ex Catharina Michaëlide Austriaca (filia Philippi II. Hispaniæ Regis) fil. Victor Amadeus, obiit A. C. 1637. Pater; ex Christina Francica (filia Henrici IV. Galliæ Regis) Luisæ Mariæ (quæ nata A. C. 1629. Mauritio Ducis Sabaudiæ patrui sui uxor evasit) Francisci Hyacinthi (nati A. C. 1632. denati 1638.) Caroli Emanuelis II. qui Patri successit: Iolanthæ Margaretæ (quæ nata A. C. 1635. Rainutio Parmæ Duci nupsit, denata 1663.) Henricæ Adelheidis (quæ nata 1636. Ferdinandum Mariam Electorem Bavariæ maritum nacta est, denata haud pridem) & Beatricis (quæ obiit A. C. 1637.) E quibus Carolus Emanuel II. Patris successor, natus A. C. 1634. ex Maria Joanna Baptista Sabaudica (filia Caroli Amadei *de Sabaudia*, Ducis Nemorosii & Elisabethæ Vindocinæ) suscepit A. C. 1666. Victorem Amadeum Franciscum hodiernum Ducem, sponsum Elisabethæ-Mariæ-Ludovicæ-Josephæ Lusitanæ (filiæ Regentis Lusitaniæ Don Petri & Ludovicæ-Mariæ-Franciscæ-Elisabethæ Sabaudæ, Ducis Nemorosii Carolo Amadeo præfato natæ) & in Lusitaniæ Regno successorem, ut fertur, destinatum. Alterum ramum quod concernit, Franciscus Thomas Sabaudus, Princeps Cariniani (fil. minor natu Caroli Emanuelis II. ex Catharina Hispanica, decessit A. C. 1656. Pater ex Maria Borbonia (filia Caroli Borbonii Suessionum Comitis) Emanuelis Philiberti Amadei *de Sabaudia* Principis Cariniani, Eugenii Mauritii *de Sabaudia* Comitis Suessionum & Luisæ Sabaudicæ (Ferdinando Maximiliano Marchioni Badæ nuptæ) E quibus Eugenius Mauritius, junctâ sibi Olympiâ Mancinâ, nepte Julii Mazarini Cardinalis, genuit Thomam Ludovicum *de Sabaudia* Comitem Suessionensem. Philippum & Julium, omnes *Duces Sabaudiæ lineæ Sabaudo Carinianæ.* Vide Philippum Jac. Spener. *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag.* 10. & 91. ut & *Arte Heraldic. Tom. II.* ubi de Familiæ insignibus.

Sabaudiæ urbes:

Annecium, *Annecy.*
Cambericum, seu Camberiacum, *Chambery.*
Clusæ, *Cluses.*
Fanum Sancti Joannis, *Saint Jean*, in Mauriana valle.
Monmelianum, *Montmelian.*
Monasterium, *Moustiers*, in Tarentasia.
Thononium, seu Tunonium, *Thonon.*

SABAZIUS, Bacchi cognomen, à *Sabis* gente Thraciæ ei indictum, teste Eustath. *in Dionys.* cujus sacra *Sabazia* dicta. Vide Seldenum *de Diis Syris Prolegom. c.* 3. & Heinsium in *Aristarch. Sacr. c.* 6. In Thracia, idem celebabatur Sol & Liber, quem illi Σαβάζιον dixêre. Meminit ejus Aristophanes *initio Vesp.* ut & *in Avibus* & *Lysistrata*, Diodor. item Sic. *l.* 36. Lucianus *in Conc. Deorum*, Harpocration in Σαβοί, & Eustathius *in Dionysii περιήγησιν*. In veteri quoque *Inscr.* apud Gruterum *p.* 22. *num.* 5. legimus Q. *Nonius Alexander, donum dedit. Jovi. Sabazio*: & similiter in aliis Inscriptionibus, ibidem *num.* 4. & 6. Pro eodem tamen & *Sabadius*, reperitur in veteribus membranis, Appulej. Met. *l.* 7. Bibl. Voss. Nec tamen mutandum, quia, ut in *Cratylo* Plato ait, Ζ, & Δ. *μεταπίπτει*, i. e. *convertuntur*. In ejus sacris serpentem initiatis in sinum immitti solitum fuisse, docet Arnobius *l.* 5. *Ipsa sacra & ritus initiationis ipsius, quibus Sebadius* (namque & hoc tectum est) *nomen, testimonio esse poterunt veritati, in quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis & eximitur rursus ab inferioribus partibus*: quod confirmat Jul. Firmicus Maternus *de error. profan. religion.* Serpens is symbolum erat Dei, ut in plerisque aliis Gentilium sacris: immissio in sinum eductioque à partibus inferioribus, rerum omnium generationem ac productionem in lucem, quæ Soli debetur, denotabat. Didicêre autem Numen hoc Græci à Thracibus. Thraces ab Orpheo, Orpheus ab Ægyptiis vel Syris: nam peregrinum fuisse, indicat Aristoteles in deperdita Comœdia, & ex ea Tullius *l. 2. de Legib. c.* 15. *Novos verò Deos & in his colendis nocturnas pervigilationes, sic Aristophanes facetissimus Poeta veteris Comœdiæ vexat, ut apud eum Sabazius & quidam alii Dii, peregrini judicati, e civitate ejiciantur.* Est vero Σαβάζιος, à צבא *militia, exercitus*: unde 2 Sam. c. 5. v. 10. Ps. 24. v. 10. & Ps. 59. v. 6. יהוה צבאות uti & Rom. c. 9. v. 29. & Jac. c. 5. v. 4. Κύριος Σαβαώθ, i. e. *Exercituum*, stultæ nationes ei creaturæ, quam pro summo Numine haberent, putà Soli cœloque id nomen tribuerunt. Quod autem Græci ad veram causam non penetrârunt, id linguarum rerumque Orientalium factum inscitiâ. Itaque Stephanus in *Ethnicis* & Eust. in περιήγησιν, persuadere aliis conati, Σαβάζιον nomen dedisse Σαβοὺς, gentem sive Phrygiæ, sive Thraciæ, Phrygiâ dialectô Σαβάζιον dici contendunt: cùm nulla ejusdem nominis in alterutra gens fuerit. Utrobique potiùs Σαβοὶ dicti sunt, cum homines, qui his sacris initiabantur; tum loci, *Sabazio* consecrati, ut ex Harpocratione discimus: & fuisse in sacris his nomen Σαβοῖ vel simile vocabulum acclamari solitum est, unde σαβάζειν pro *διάζειν* & σαβακτὴς pro *ἰακχιός*, Gerh. Joh. Vossius *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 14. Vide quoque Georg. Hornium *Histor. Philosoph. l.* 2. *c.* 9. ut & paulo infrà, in voce *Sabbat.*

SABBA, Berosi filia fatidica, in numerum Sibyllarum à quibusdam relata, Justino Martyri cum Cumana eadem est. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 647.

SABBATARII, dicti Martiali sunt Judæi, à *Sabbati* cultu, *l.* 4. *Epigr.* 4.

Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod jejunia Sabbatariorum
Mastorum quod &c.

At *Sabbatiani*, Hæretici à *Sabbato*, qui principatu Diocletiani vixit, dicti sunt, qui aliàs *Quatuordecimani*, seu *Tessarescadecatitæ*, quos vide. Ἀσαρίους eosdem appellatos, monet Cl. Suicerus *Thesaur. Eccl.* in voce hac. Nempe non die Dominicâ, ut reliqui Christiani, sed quartâ decima Lunâ Pascha cum Judæis celebrabant, unde Τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν appellatio. Iidem quod sinistram manum abhorrentes, per eam nihil penitus reciperent, Ἀριστεροὶ quoque, i. e. *Sinistri*, sunt dicti. Vide eundem Suicerum voce Πάσχα, *num.* I. 2. & *num.* II. 3. ut & infrà, in voce *Sinistri.*

SABBATHAI, nomen viri, Nehem. *c.* 11. *v.* 16. *Latinè*, *Requies*, aut *Cessatio mea.*

SABBATIA, vicus Celticus, *Stephan.*

SABBATICUS Amnis, de quo sic Josephus *Bell. Jud. l.* 7. *c.* 25. Τότε δὲ Καῖσαρ, χρόνον μέν τινα διέτριψεν ἐν Βηρυτῷ, κατὰ στρατήγημα. Θέαμα δὲ κατὰ τὴν πορείαν τι ἀκοῦ φύσει ἀξιοϊστορήτου. Ῥεῖ μὲν γὰρ μέσος Ἀρκέας τῆς Ἀγρίππα βασιλείας καὶ Ῥαφανέας, ἔχει δὲ θαυμάσιον ἰδιότητα. Πολὺς γὰρ ὢν ὅτε ῥεῖ, καὶ κατὰ τὴν φορὰν οὐ χαλαρός, ἔπειτα δὲ πᾶσα ἐκ τῶν πηγῶν ἐπιλείπων, ἐξ ἡμερῶν ἀριθμὸν ξηρὸν παραδίδωσι ὁρᾶν τὸν τόπον. Εἶθ' ὥσπερ οὐδεμιᾶς γεγενημένης μεταβολῆς, ὅμοιος κατὰ τὴν ἑβδόμην ἐκδίδωσι, καὶ τοιαύτην αἰεὶ τὴν τάξιν ἀκριβῶς τετήρηκε διαφυλάττων, ὅθεν δὲ καὶ Σαββατικὸν αὐτὸν κεκλήκασι, ἀπὸ τῆς ἱερᾶς τῶν Ἰουδαίων ἑβδόμης οὕτως ὀνομάσαντες. Hæc ille. Hic verò de Sabbatis Judæorum nonnihil annotare liceat. Ipsa enim observatio hebdomadum, quæ hodie obtinet ante tempora Theodosii vulgò recepta non fuit, Græcos tamen & Asiaticos in functione vitæ quotidianæ tale aliquid observare solitos accepimus. Quod quia imitatione Judæorum, qui jam tum per orbem sparsi erant, institutum est, etiam Sabbati nomen multi retinuerunt. Ejusmodi est, quod Sueton. *in Tiber. c.* 32. ait, *Diogenem Grammaticum solitum Rhodi Sabbatis disputare.* Sic septimô quoque die feriæ pueris solitæ in scholis concedi. Lucian. *in Pseudologista*: Καὶ ὁ μὲν Κολοφώνιος οὗτος, ὁ δὲ Ἑβδομαῖος, ὥσπερ οἱ παῖδες ἐν ταῖς ἑβδόμαις, [illegible] ἐν ταῖς [illegible] παίζει καὶ διηγεῖται. Gellius *l.* 15. *c.* 2. *Is in conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus Lunæ solenne nobis fuit, simulatque modus epulis factus, & utiles, delectabilesque sermones cœperant; tum silentio ad audiendum petito, loqui cœptabat.* Ubi notandum, quod Ἑβδόμη festum erat publicum Athenis, quod Septimô quoque die Lunæ celebrarent in honorem Apollinis, cui dies ille sacer. Suidas: Ἡμέρας ἱερὰς ἐνόμιζον [illegible], Νουμηνία, καὶ Ἑβδόμη Ἀπόλλωνος. Hesiodus Ἡμέρ. v. 6.

Καὶ-

------ Καὶ [illegible] ἱερὸν ἦμαρ,
Τῇ [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Idem servatum etiam in aliis rebus. Vulcatius Gallicanus *in Avidio Cassio c. 6. Exercitium septimò die fuit omnium militum, ita ut sagittas mitterent, & armis luderent.* Lamprid. *in Alexandro Severo c. 43. Capitolium septimò die cùm in urbe esset, ascendit, templa frequentavit.* Disputat etiam Clem. Alexandr. *Strom. l. 5.* [illegible]. Sed ante eum scripsit Josephus, jam suâ ætate adeò increbuisse septimi diei observationem ex Judaico ritu, ut neget urbem ullam, aut Græcorum, aut Barbarorum, h. e. non Græcorum posse reperiri, quæ cessationem ab opere diei septimi in suos mores non recepisset. Insignis planè locus, ideoque verba ipsa proferam: Οὐδ᾽ ἐστιν ὁ πόλις Ἑλλήνων, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Hæc ille *l. posteriore contra Apionem.* Utcunque hoc sit; illud interdum pro certo habetur, Ethnicos Judæorum Sabbata contemptui ac ludibrio semper habuisse, secundùm Ecclesiæ querimoniam Threnor. c. 1. v. 7. *Viderunt eam hostes ac Sabbata ejus deriserunt.* Seneca apud *Augustin. l. 6. de C. D. c. 11.* Judæis vitio vertit, *quòd septimam ætatis suæ & vitæ partem otiando perderent.* Juvenal. quoque *Sat. 14. v. 105.*

------ *Cui septima quæque fuit lux*
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.

Idem alibi *Sat. 6. v. 159.*

Observant ubi festa mero pede Sabbatha reges.

Tacit. *l. 5. Hist. c. 4. Septimò die otium placuisse ferunt, dein blandiente inertia, septimum quoque annum ignaviæ datum.* Claud. Rutilius *Itinerar. v. 389.*

Radix stultitiæ, cui frigida Sabbata cordi,
Sed cor frigidius relligione suâ est,
Septima quæque dies turpi damnata veterno,
Tanquam lassati mollis imago Dei.

Plura inveniri possunt huc spectantia in Dione Cassio, Justino, aliis. Sed hoc obiter. *Nic. Lloydius.* Josephi verba superius indigitata sic habent Latinè, *Titus conspicit in itinere fluvium, cognitione dignissimum. Is fluit medius, inter Arcas & Raphaneas, Agrippæ regni civitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam cùm sit, quando fluit, plurimus, neque meatu segnis, tamen interpositis sex diebus, à fontibus deficiens, siccum exhibet locum videre. Deinde, quasi nullâ mutatione factâ, septimò die similis exoritur: atque hunc ordinem semper eum observare pro certo compertum est. Unde etiam Sabbaticus est appellatus, à sacro Judæorum, septimo die sic denominatus.* Confer Plin. *l. 31. c. 2.* Idem confirmat judiciosissim. Kircherus, fide ocularis testis, id sibi asserentis, Dominici Magrii, *Mund. Subt. l. 4. c. 4.* Sed causam cum eodem, non tam in miraculoso Hebraizantium, quàm physico, effectu; tali nempe, qualem in irregulari æstu aliorum fluminum, lacuum, fontium reperire est, quærit Auctor Anonymus *Hist. Orbis Terrar. c. 3. de Hydrogr. §. 14.* Namque & lacus *Bollerbrun*, juxta vicum *Altenbeck*, in Westphalia, aquam bis interdiu in sabulosam planitiem insigni cum impetu emittit, post eandem resorpturus: & Balneum Favariense *Pfeffersbad*, in Curiensi territorio, prope Helvetios, circa d. 3. Maji, aquis intumescit, usque ad diem 14. Sept. postea easdem retrahit, locumque omni destitutum aquâ relinquit. Quorum & similium causa in canalibus subterraneis sita videtur, qui, velut occasione intumescentis maris aut dissolutæ nivis, oppleti, eam aquæ copiam eructant. Pari ratione dici potest, in viciniis *Sabbatico* subterraneis meatibus Syriæ tantum aquæ cogi quæ fluvio in sex dies sufficiat, septimo autem deficiens eâ fluvium privet. Sed fabula est quod post amnem hunc hærentes Tribuum Israeliticarum reliquiæ, longeque ac latè dominentur, ut somniant Judæi, librumque *de moribus Trans-Sabbaticarum harum Gentium*, consarcinare ausus est Eldad Haddani seu Danita, quem Latio transcripsit Genebrardus. Similis alius est *Megilath* Rabbi Mejer, confer Rabbi Azarjah *in Meor Menajim c. 12.* &c.

SABBATOS, populos hodie Sabaudienses esse, scribit *Volaterranus.*

SABBATUM, vox à *quiete*, Hebr. שבת deducta, vel septimum diem Gen. c. 2. v. 2. Exod. c. 20. v. 10. vel septimi anni otium, Lev. c. 25. v. 4. 5. 6. denotat. Longior translatio est, cùm ipsam septimanam comprehendit, ut in illo, *Jejuno bis in Sabbato*, Luc. c. 18. v. 12. & μία σαββάτων Matth. c. 28. v. 1. nonnunquam omni festo denotando adhibetur, ut *Vos polluitis mea Sabbata.* Ezech. c. 20. v. 21. Prima tamen significatio maximè propria est, cùm diem denotat septimum, quem hominum quieti, suoque cultui destinatum sanctificari præcepit in Decalogo unicus noster Νομοθέτης. Erat autem hic dies sanctus, vel sanctitate simplici, quia septimus, vel duplici, quia Festum in eundem incidebat, & tunc *Sabbatum magnum* solebat appellari, Joh. c. 19. v. 31. Reliqui vero hebdomadis dies *Cholim*, i. e. *profani dies*, Græcis [illegible] i. e. [illegible], aliquando τὸ μεταξὺ σαββάτων, ut Actorum c. 13. v. 42. dicebantur. Incipiebat *Sabbatum* horâ sextâ noctis præcedentis, quod Hebræi *Biath haschabbath*, Græci [illegible] i. e. *introitum Sabbati* dixêre. Præparatio ad sanctificationem ejus tertiâ meridianâ incipiebat, quam Hebræi appellabant *Gnereb haschabbath*, i. e. *vespertinam Sabbati*: prisci vero Patres, nomine à Gentilium sacris mutuato, *Cœnam puram.* In ritibus enim Paganorum *Cœna appellatur, cœna illis apponi solita, qui in castu erant, quod Græci dicunt* [illegible] *vel* [illegible]. Is. Casaubon. *Exercit. Bar.* Evangelistæ παρασκευὴν i. e. *præparationem* simpliciter nominant, Marci c. 15. v. 42. cujus diei pars prior [illegible] distinctionis causâ dici potest: Tota enim dies in præparatione consumebatur, unde illâ nec Judex de capite sententiam ferre, nec ullus plus tribus *Parsah*, (quæ vox itineris denotat spatium certum) conficere poterat; Imò Artifices omnes, Sartoribus, Sutoribus & Scribis exceptis, ab opere quiescere tenebantur. Ut autem ἡ [illegible] promoveretur, ipse Paterfamilias, licèt opulentus & numeroso stipatus famulitio, evellendo herbas, verrendo domum, ligna findendo, accendendo ignem aliaque similia faciendo, manum admovebat. Et quidem olim *Parasceve*, tubarum cornuumque clangore proclamabatur, postea vero id fieri cœpit per Æditum, *Schaliach tsibbur*, i. e. *Nuntium congregationis*, vocitatum. Ipsius *Sabbathi* sanctificatio in quiete, & recto ejus usu, consistebat. Quies rigidè olim exigebatur, ita, ut opus facere capitale foret, exceptis iis, de quibus infrà. Vide Exod. c. 31. v. 14. & Numer. c. 15. v. 32. 35. Præsertim requirebatur bonus sacræ quietis usus: Unde illo die in colloquia & cœtus ibant: quietis istius mysterium revolvebant, & precibus ac reliquo cultu Deum propitiabant seque Deo exhibebant dignos, 2 Reg. c. 4. v. 22. 23. Vide de sacrificiis eodem die præscriptis, Numer. c. 28. v. 9. 10. & adhibito cantu sacro, Ps. 92. v. 1. Judæi verò addictius servire sueti, præcepti rigorem ac severitatem etiam adauxêre, & multa alioqui licita die illo nefasta esse jusserunt, inter quæ *Sabbati iter* est, quod ad 2000. cubitos restrinxerunt. Sed &, cum unicum diem sacrum jussisset Deus, illi *Sabbatulum* addiderunt, quo nomine additamentum *Sabbati* divinitus præcepti vocare sunt soliti. Tiberiadis enim incolæ *Sabbatum* reliquis citiùs ordiebantur; qui verò Sephoram incolebant, illud diutiùs continuabant, & sic utrique *addebant de profano ad sacrum.* Unde votum Rabbi Jose, *ut portio sua esset cum iis, qui Sabbatum inciperent more illorum qui Tiberiadem: & finirent more eorum, qui Sephoram inhabitarent.* Dein præceptum, *quod cocturi essetis, coquite: & quod elixaturi essetis, elixate*, Exod. c. 16. v. 23. cum *mannæ* solùm spectaret, & tempus, quamdiu illud cœlitus cadebat: isti extenderunt ad sequentia quoque tempora, adeoque nunquam *Sabbati* die cibum ceperunt. Vide Sueton. *Aug. c. 76.* ut & Martialem *l. 4. Epigr. 4.* quorum is: *Ne Judæus quidem, tam diligenter Sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi, qui in balneo, demum post horam primam noctis, duas buccas manducavi priùs quàm ungi inciperem.* Hic memorat,

------ *Jejunia Sabbatariorum.*

Unde & Judæi, ob hæc jejunia, *fœtentes* vocati. Amm. Marcellino *l. 20.* Porrò, prohibitionem *de igne non accendendo*, Exod. c. 35. v. 3. Item *de opere non faciendo*, nimis scrupulosè interpretati sunt: donec, post geminam cladem eo die acceptam, Mattathias decrevit, *Licere Sabbato hosti resistere & vim illatam armis repellere*, Joseph. *l. 12. Jud. Ant. c. 8.* quod ipsum, cùm sequente ævo Judæi tantùm exponerent, de defensione, si vis reipsa inferretur: illicitum verò judicarent, ad imminentem vim debito modo se præparare, denuo hoc die superati sunt à Pompejo. Posteriores contra Judæi, epulis ac carnalibus voluptatibus diem istum celebrare cœperunt, in quo tamen cultu, qui ab una parte minutis quibusdam ceremoniis ac tricis, ab altera parte, conviviis ac voluptatum usu, constat, omissi seriâ pietate neglectâ, maximam religionis suæ partem constituunt, taleque *Sabbatum* universæ legis observationi æquant, Burmann. *de tempp. Jud.* Quænam itaque opera illo die non illicita, brevibus subjungam. 1. *Opera charitatis*, eo die fieri poterant impunè, Lucæ c. 13. *Unusquisque vestrùm Sabbatò nonne solvit bovem suum, aut asinum à præsepi, & ducit aquatum?* v. 15. Quæ Christi erat interrogatio opposita Adversariis quærentibus, cur in Sabbato ægros curaret? 2. *Opera pietatis* & cultus divini: Namque & mactabant hodie victimas, & circumcidebant infantes, & tubarum cornuumque sono Sacerdotes convocabant populum, Numer. c. 20. v. 2. 3. *Opera absolutæ necessitatis*, ut propugnatio publicæ salutis contra ingruentes hostes, aliaque huic similia. Unde Proverb. Judæorum *Vitæ periculum removet Sabbatum*, & Christianorum, *Necessitas non habet ferias.* Vide Jos. Scaligerum *de Emend. Temp. l. 6.* Bezam *Notis in Actor. c. 13. v. 42.* Josephum *Jud. Ant. l. 16. c. 10.* Buxtorfium *Synagog. Jud.* Hospinianum *de origine Festorum c. 3.* & *alibi.* Thom. Godwynum *de ritibus Hebr. l. 3. c. 3.* Alios uti de Pœna profanationis *Sabbati*, suprà voce *Lapis*: at de Translatione *Sabbati*, consule Theologos. A' *Sabbato*, septimus quisque annus in Vet. Testam. apud Israëlitas, *Sabbatici* nomen habuit, aliàs *Sabbatismus annorum* nuncupatus, de quo Levitic. c. 25. *toto.* Ejus sanctificatio in duobus præcipuè consistebat: Primò, in cessatione terræ, *cum nec agrum seminare, nec vineam suam cuiquam putare liceret*, quod vocabatur, *Schabbath Haarets*, i. e. *Sabbatum terræ*, *cit. c. v. 6.* Dein in intermissione, cùm creditor debita à proximo exigere non posset, quod dicebatur *Schemita jahova* i. e. *intermissio Jehovæ*, Deuteron. c. 15. v. 2. Plura vide apud præfatum Godwynum *l. 3. c. 9.* & Seldenum *de Jure Nat. & Gentium l. 3.* Ad *Sabbati* porrò Judaici imitationem, aliqua quoque ab operibus quotidianis cessatio apud Gentiles occurrit, in celebrandis festis diebus. Hinc in imperandis feriis, *ut litibus & jurgiis abstinerent*, per Præconem edici solitum, Cicero testis est *de Divin. l. 1.* Quò respiciens Ovid. ubi de feriis Calendis Januariis apud eosdem Romanos celebrari solitis, agit *Fastor. l. 1. v. 73.* sic canit,

Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Jurgia, differ opus livida lingua tuum.

Unde & Livius *l. 5. c. 13.* in primis, quæ Romæ per octo dies habebantur, lectisterniis, *jurgiis ac litibus temperatum* dicit. Atque apud eundem Scipio, *Hoc die, ad Populum inquit, cum Hannibale & Carthaginensibus, signis collatis in Africa benè ac feliciter pugnavi. Itaque hodie, cùm litibus ac jurgiis supersederi æquum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Jovem Optimum Maximum*

Junonemque ac Minervam, cæterosque Deos, qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo. Cicero proin, inter alias, quas suæ Reipublicæ præscribit, Leges, *de Legg. l. 2. c. 8.* etiam hanc habet: *Feriis jurgia amovento.* Quibus judiciales maxime disceptationes, feriarum tempore prohibitas, quivis facilè, animadvertet. Quam in rem Imperatorum quoque Christianorum extant *Constitutiones, l. 2. 3. 7. & 11. Cod. de Fer.* Imò & ante hos jam, Tiberiô imperante, Calpurnio Silano exilii causam fuisse, quod Feriarum Latinarum diebus, Præfectum Urbis Drusum auspicandi gratiâ Tribunal ingressum, in Sex. Marium adierit, Tacitus auctor est, *Annal. l. 4. c. 36.* Neque verò minùs ab aliis operibus negotiisque cessatum. Sextus Pompeius *l. 14. Præciamitatores*, vel, ut alii, *Præclamitatores dicuntur, qui Flaminibus Diali, Quirinali, Martiali, antecedentes exclamant, Feriis publicis ut homines abstineant se opere; quia his opus facientem videre, irreligiosum est.* Et rursum, *Præciæ dicebant, qui à Flaminibus præmittebantur, ut denotent opificibus manum abstinerent ab opere.* Apud Servium quoque *ad Georg. l. 1. Pontifices sacrificaturi præmittere Calatores suos solent, ut, sicubi viderint opifices adsidentes, opus fieri prohibeant, ne pro negotio suo & ipsorum oculos, & Deorum ceremonias attaminent. Feriæ enim operæ Deorum creditæ sunt.* Quod institutum ad Numam referens Plut. in *Vita* Numæ c. 16. ait, ἐν δὲ ταῖς πομπαῖς καὶ ὅλως τῶν ἱερέων ταῖς πομπαῖς, προηγοῦντο κήρυκες ἀνὰ τὴν πόλιν, --- τὰ ἔργα καταπαύοντες. In profestis autem & omnino in Sacerdotum Festis, per Urbem Præcones præcedebant, qui ---- ut ab operibus cessaretur, jubebant. Adjectâ instituti altius satis piâ ratione, quòd, uti Pythagorici dicantur, *non sinere homines per transitum adorare Deos ----- sed continuò ex ipsa domo mente ad id paratos pergere: Ita & Numa decere cives existimaverit, neque audire quicquam rerum divinarum, neque aspicere per desidiam, atque negligentiam, sed vacare a cæteris oportere mentemque adhibere, perinde ut rei ad pietatem maximæ.* Quibus ut egregiè indicatur, quâ animi intentione atque ab aliis negotiis cessatione sacris opera danda; ita & aliam, cui *Sabbathi* feriatio à Deo quoque destinata, causam videtur subindicare Cicero de *LL. loc. cit. c. 12. Feriarum*, inquiens, *festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium & jurgium, in servis operum & laborum* &c. Qua de re plura vide apud Brissonium, &, qui hunc laudat, Pfannerum *Systematis Theologiæ Gentilis purioris c. 11. §. 20.* Joannem Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Disciplin. Hebræor. l. 3.* Alios, ut & infrà, ubi de *Septimo die.* Apud recentiores Scriptores, *Sabbatum* quodvis Festum notat; unde *luxum Sabbatarium* dixit Sidonius *l. 1. Ep. 2.* qui diebus potissimùm festis obtinebat. In Communione Romana *Sabbata* quædam, peculiari quodque epithetô insignita, adnotavit Car. du Fresne in *Glossario*, quæ hic subjungere libet.

Sabbata quædam peculiari epithetô insignita, in Ecclesia Romana & Græca.

α. SABBATUM IN ALBIS, quod præcedit Dominicam primam post Pascha, sic dicitur, quòd hâc die Baptizati in Sabbato sancto, de quo infrà, deponebant albas stolas seu vestes, quas in Baptismo susceperant. Durandus *Ration. l. 6. c. 81. num. 16.* β. *Sabbatum Enoch*, in Kalendario Christianorum Æthiopiæ, Jos. Scaligero dicitur decima pars periodi annorum Solarium, septem millia annorum continentis, quòd Vir ille sanctus natus fuerit annô ab Orbe conditô 700. Vide eum *de Emendat Temporum l. 7.* Aliis probabilius videtur, quod uti Sabbatum est septimus hebdomodis dies, & generatio Enochi septima fuit ab Adamo, Enoch habitus sit æternæ quietis ac beatitudinis typus, ut Schola Rabbinica docet: à quibus postmodum Æthiopes, cum aliis quibusdam Judæorum ritibus, hoc festum acceperint, tum Reginæ Sabæ, tum Candaces Reginæ Eunuchi cum Judæis commercio. Unde hodieque Circumcisionem & *Sabbatum*, cum aliis nonnullis ceremoniis Mosaicis, Æthiopes retinent. Domin. Macer in *Hierol.* γ. *Sabbatum XII. Lectionum*, idem est cum *Sabbato IV. Temporum*, Amalarius *l. 2. c. 8.* δ. *Sabbatum Luminum*, in *Chron.* Orientali *p. 125.* dictum est, quod in eo Baptismi fierent, quos Græci φωτισμοὺς i. e. *illuminationes*, appellant. ε. *Sabbatum Magnum*, quod Dominicam Paschæ præcedit, idem cum *Sabbato Luminum*. Extat Amphilochii Iconiensis Episcopi *Sermo*, dictus τοῦ μεγάλου Σαββάτου. ζ. *Sabbatum quatuor Temporum* Amalarius d. *l.* η. *Sabbatum Sanctum*, illud dicitur, quod Pascha præcedit: *maximè propter hoc, quod --- nova Ecclesia sacrô Baptismi fonte sacratur.* Rupertus *de Divinis Officiis c. 35.* ϑ. *Sabbatum Vacat*, dictum Sabbatum ante Palmas seu Diem Dominicum, qui Pascha præcedit; in *Sacramentario* Gregoriano, quia propriô officiô *vacat.* Idem Amalarius *de Eccl. Off. l. 1. c. 9.*

SABBATUS, Italiæ fluv. *Antonino* geminus: Unus Hirpinorum; juxta Beneventum, cum Calore, cui adjungitur, fluens in Vulturnum, etiam vulgò *Sabbato.* Alter est in Samnitibus, quem *Leander* nunc *Fiume die Benevento* ait vocari, & *Samnium* à *Floro* dictum addit. *Ferrario* alter Brutiorum est, per Calabriam citeriorem in Sinum Terinæum, inter Martoranum & Lameliam labens. *Ocinarus Lycophr.* vulgò *Savito*, cum pago cognomine.

SABBI populi qui & *Mendaji*, vulgo dicuntur *Christiani S. Johannis*, in Persiâ, ubi Tigris & Euphrates confluunt, prope Bassoram Urbem & Sinum Persicum.

SABE, urbs Arabiæ Felicis, in ora Sinus Arabici hodie *Dhafar*, seu *Tacfeb*, regni Thamæ caput, *Sanso.*

SABE, Syrorum linguâ mensis Februarius dicitur.

SABEC, Hebr. סבך. Gen. c. 22. v. 13. ubi de Ariete, qui pro Isaaco postmodum immolatus, *Ecce arietem, qui retrorsum detinebatur* בסבך: Septuaginta Senioribus est arboris aut fruticis peculiaris species, in qua hæserit aries; Quod *Hesych.* σαβὲκ explicat, *Cyrillus* & *Favorinus*, χαυνόγειον: meliùs locus perplexus seu *densitas* aut *perplexitas* sylvæ, in qua detentus ille aries, uti docet Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 49.*

SABEE, civitas in tribu Simeon, Jos. *c. 19. v. 2.* Latinè *septem*, vel *septimus*, aut *saturitas*, sive *juramentum.*

SABELLI, populi Italiæ, à Sabinis oriundi, inter Sabinos & Marsos incolentes. Hinc *Sabellus.* Horat. *l. 3. Od. 6. v. 37.*

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, ----

Itemque *Sabellicus.* Virg. *Georg. l. 3. v. 255.*

Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus.

SABELLICUS, Vide *Marcus Antonius Coccius Sabellicus.*

SABELLINÆ Pelles, apud Hovedenum *p. 758. Petiit ab Episcopo Lincolniensi, singulis annis unum mantelium furratum de Sabellinis*, à *Sabelo*, nomen habent. Est autem *Sabelum* martes, Gallis *Marte*, mustelæ species, nobili pelle insignis: Anglis iisdemque Gallis olim, *Sable*; tametsi martes à *Sabelo* distinguant fermè Scriptores omnes. Hinc Alanus de Insulis *in Planctu Naturæ, Illic martes & sabela semiplenam palliorum pulchritudinem eorum postulantem subsidia, suarum nobilitate pellium ad plenum deducebant* &c. De vocis etymo, & plura hanc in rem vide apud Car. du Fresne *in Glossar.* & *Dissertat. I. ad Joinvillam p. 137.* nec non Henschium *ad Vitam* S. Guthlaci *num. 17.* Infrà quoque ubi de pellibus *Zebellinis.*

SABELLIUS, Hæreticus, Ptolemaide, Lydiæ urbe, oriundus. Discipulus Noëti Smyrnii, errores suos disseminare cœpit, A. C. 260. Confundens Naturam cum Personis SS. Trinitatis, unum idemque Suppositum esse, sicut Anima & Corpus unum efficiunt hominem, adeoque πατροπάσχης Θεός, asseruit. Hinc Patrem & Spiritum Sanct. cum Filio passos esse. post Noëtum docuit: quem errorem Praxeæ Tertullianus tribuit, & S. Ignatius Antiochenus suô ævô à quodam disseminatum refert. Addit Epiphanius, *hæres. 57. & 62.* deliria sua hausisse Sabellium, ex Euangelio Ægyptiorum, libro Apocrypho. Contra hunc eruditè scripsit Dionysius Alexandrinus, & hæresis in variis conciliis damnata est. Hanc tamen incrustavit Roscellinus, sec. 11. & Hispanus quidam, in Anglia, sub initium seculi hujus. Vide Augustin. *hær. 36. & 41.* Euseb. *de Præp. Ev. l. 7.* Baron. *A. C. 260. n. 61. & seqq. &c.* Addatur his *Socr. l. 6. c. 12.* Athanasius *Apologia pro Dionysio præf. contra Arianos*, Forbesius, G. Hornius *Histor. Eccl. cum Notis & Observat.* Leydecker. Alii.

SABELLUM, vulgò *Savello*, castrum Campaniæ Romanæ nunc semidirutum, incolisque omnino vacuum, in colle. Hinc *Sabella* familia Romana.

SABELLUS, Poëta Latinus, sub Domitiano & Nerva: obscurus planè. Martial. *l. 12. epigr. 43.*

SABER, fil. Caleb ex Maachâ concubinâ, 1 Paral. *c. 2. v. 48.* Latine, *confractio*, *spes*, vel *juramentum.*

SABI, populi Phrygiæ. Phrygii etiam Bacchos appellant *Sabos*, *Steph.*

SABIDIUS, vir Romanæ gulæ deditus, plus vorabat, quàm posset concoquere: quocirca ita fœtebat ejus halitus, ut nemo posset cum eo loqui. Hunc Martial. epigrammate insectatur, *l. 3. Epigr. 17.*

SABIN, Arabes Deum appellant, & illi decimas mensurâ non pondere persolvunt. Vide *Sabis*, & Turneb. *in Cic. de LL.*

SABINA, Imperatrix, Adriani Imperatoris Romani uxor, quæ servilibus injuriis ab eo affecta, adiit mortem voluntariam. *Sext. Aurelius.* Spartianus verò *c. 11.* ait: Hanc si privatus vixisset, & morosam, & adulterii suspectam, dimisisset; nec sine rumore dati ab eo veneni, obiit hæc. Vide Æl. Spartian. *c. 23.*

SABINA, Joannis II. Ducis Simmerensis A. C. 1557. extincti filia, uxor fuit Lamoralli, Comitis Egmondani, quem Albanus Belgicorum tumultuum victimam esse voluit, A. C. 1568. ducta in Comitiis Spirensibus, magnâ solennitate, A. C. 1544. Ipsâ viduâ, cum XI. liberis in summa egestate relictâ, tantò miserabiliorem Mariti mortem reddidit. Soror Friderici III. Electoris Palatini, de quo vide suô locô.

SABINA Herba, hodie *Savinana*, Plinio *l. 12. c. 17. arbor Bruta*, Græcis Βράθυς, memoratur Virgilio in *Culice*,

Herbaque thuris opes priscis imitata Sabina.

Nempe Græci veteres ante thuris notitiam & usum, hanc maximè ad suffitus adolere soliti erant. Plin. *l. 24. c. 11. A multis in suffitus pro thure assumitur. Hesych.* Βράθυ (hoc enim proprium ei nomen fuit) πόα τοῖς θεοῖς θυομένη, *Brathy, herba Diis adoleri solita*: quod idem Dioscorides confirmat. Sic idem Plin. Arabes eam in Elymos petiisse, ad fumum odoratum ex ea accensa faciendum, *loc. cit.* narrat. Hinc θύον per excellentiam vocata: cujus odorem cedro proximum, tradit idem. Homerus quoque cum cedro una uri ait, in specu & foco Calypsus, *Od. ε. v. 60.*

Κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

Quam vocem utut alii aliter explicent, hoc certum, non ex alio magis frutice, quàm ex hoc, vetustissimos Græcos in sacris convolutum nidorem odoremve novisse; quemadmodum Hammoniacâ Libyes utebantur, quod similiter θυμίαμα absolutè inde appellatum est. Cæterùm, non tam herba, quàm arbor pumila est, quam *Herbam Sabinam* Latini dixêre. Inter arbores certè perpetua comâ virentes Plinio recensetur *l. 16. c. 20. Harum generi non decidunt, oleæ, lauro, myrto, cupresso, pinis, hederæ, rhododendro, & quamvis herba dicatur, Sabinæ.* Ad ejus similitudinem Græci Theræi qui coloniam in Africam deduxerunt & Cyrenas condiderunt, genus arboris ibi repertæ, quæ & cupresso fere similis in omnibus esset, notô sibi nomine θύον nuncupavêre, quòd videl. θύω h. e. *Herbæ Sabinæ*, responderet: Interim inter hoc θύον Cyrenaicum vel Libycum, h. e. *citrum*, ut infrà videbitur, & *Her-*

Herbam Sabinam, non exigua differentia, quippe procera arbor & grandis Θύον Cyrenaicum, è cujus radicibus solidæ mensæ fierent & contignationes ex reliqua materia &c. Vide *Salmas. ad Solin.* p. 954.

SABINA Poppæa, vide *Poppea*.

SABINI, populi in 4. regione Italiæ, non procul à Roma, quorum caput olim Cures, unde Romani *Quirites* dicti: hodie Episcopatus Sabinus, Monasterium solum est, cum priscæ urbis ruderibus. Dein Reate, *Rieti* hodie in Umbria. à religione & cultu Deorum cognominati, ut vulgò volunt, quasi ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. Plin. *l.* 3. *c.* 12. *Sabini, ut quidam existimavere, à religione & Deorum cultu Sebini appellati*. Ex *Festus Pompejus*: *Sabini dicti, ut ait Varro Terentius, quod ea gens præcipue colat Deos*, i.e. ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. Etenim verò credibile fiet, Italam gentem inprimis antiquam nomen sibi imposuisse è Græca lingua quæsitum? Itaque longè aliter senserunt alii auctores: à quibus Isidorus *Origin. l.* 9. *c.* 11. habuit ista: *Ab Italo Itali, à Sabino Sabini*, … *Sicani*. Hæc haud dubiè, inquit *Cluverius*, habuit è Porcii Catonis Originibus gentium, civitatumque Italicarum. De hoc quippe ita tradit Halicarnass. Dionys. *l.* 2. Ζηνόδοτος ὁ Τροιζήνιος συγγραφεὺς Ὀμβρικὸν ἔθνος … [illegible] … Σαβίνους ἐξ Ὀμβρικῶν … [illegible] … Κάτων δὲ Πόρκιος … [illegible] … Σαβίνου τοῦ Σάγκου … Hunc Sabinæ gentis conditorem Sil. Italicus non *Sabinum*, sed *Sabum*, pronunciat: à qua quidem primitiva voce rectius derivatum provenit genus vocabulum *Sabini*. Sic enim ille *l.* 8. *v.* 419.

> *Conclas hasta decus, clypeusque refertur in orbem,*
> *Ventre & impliciti, ac levi tegmine crura*
> *Ibant, & laeti, pars, Sancum voce canebant,*
> *Auctorem gentis: pars laudes ore ferebant,*
> *Sabe, tuas; qui de patrio cognomine primus*
> *Dixisti populos magnâ ditione Sabinos.*

Sabinos *fortissimos, & florem Italiæ, adeo ac Reipubl. robur* Cicero vocat Orat. pro *Qu. Ligario*. Laudati iidem gravitate morum & sanctitate inprimis fuerunt. Sane *tristem ac tetricam disciplinam* antiquis Sabinis Liv. tribuit: *illoque genere nullum aliud incorruptius fuisse* dicerté scribit *l.* 1. *c.* 18. Hinc libenter Poëtæ cum matronas castas, pudicas, sedulas, viri, familiæque magis, quàm formæ studiosas laudare volunt, cum Sabinis conferunt. Horat. *Epod.* 2. *v.* 39.

> *Quòd si pudica mulier in partem juvet*
> *Domum, atque dulces liberos,*
> *Sabina qualis, aut perusta Solibus*
> *Pernicis uxor Appuli, &c.*

Quem totum locum Stat. *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 121. sic expressit:

> *Ipsa dapes modicas, & sobria pocula tradit,*
> *Exemploque ad herile monet, velut Appula conjux*
> *Agricolæ parci, vel Sole infecta Sabino,*
> *Quæ videt emeritis, jam prospectantibus astris,*
> *Tempus adesse viri, propere mensasque torosque*
> *Instruit, expectatque sonum redeuntis aratri.*

Martial. *l.* 1. *epigr.* 63. *v.* 1.

> *Casta nec antiquis cedens Levina Sabinis.*

Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 163.

> ----- ----- *Intactior omni*
> *Crinibus effusis bellum dirimente Sabinâ.*

Idem *Sat.* 10. *v.* 299.

> ----- *Veteres imitata Sabinas.*

Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 524.

> *Casta pudicitiam servat domus*, &c. dein subdit *v.* 532.
> *Hanc olim veteres vitam coluêre Sabini.*

Inter Sabinos Clodius excelluit, à causis forensibus, ad scribendas Elegias conversus. Scripsit & de bello Trojano versibus, immaturâ morte sublatus, *Ferrarius*. Vetus adagium de iis fuit: *Sabini quod volunt, somniant*. De quo *Festus* & ad eum *Scaliger*. Vide Cluver. *Ital. Antiq. l.* 2. *c.* 8. *Nic. Lloydius*. Raptum, sub Romulo Sabinarum, vide apud Liv. *l.* 1. *c.* 9. Florum, *l.* 1. *c.* 1. &c. & in voce *Romulus*. *Ramdrando* Sabini, ab Apennino ad Boream usque ad Tiberim & Anienem fluv. ad Meridiem extendebantur, ubi hodie Sabina provinc. pars Orientalis Umbriæ, & aliqua pars Aprutii ulterioris, eratque divisi in duas partes Velinô fluvio. Nunc Sabina arctior est, restringitur enim ad Occasum Tiberi, ad Meridiem Aniene, ad Boream Nare ac Velinô fluviô, & Aprutiô ulteriore ad Ortum. Præcipua ejus urbs Magliana est, ad Tiberim. Sub Pontifice. Addo quòd *Sabinarum* raptus, de quo suprà, quia feliciter Romulo cesserat, hinc institutum ab eo Jacobus Ræuvardus JCtus putat, ut non verô, sed simulatô quodam raptu, omnis legitimi connubii ritus peragerentur, quem eleganter exposuit de *Asino aur. l.* 4. Appulejus his verbis: *Tunc me gremio suo mater infelix tolerans mundo nuptiali decenter ornabat, mellitisque suaviis crebriter ingestis, jam spe futurâ liberorum votis anxiis propagabat, cùm irruptionis subitæ gladiatorum impetus, ad belli faciem sæviens, nudis & infestis mucronibus coruscans, non cædi, non rapinæ, manus afferunt, sed densâ conglobataque cuneo cubiculum nostrum invadunt protinus, nec ullo de familiaribus nostris repugnante, ac ne tantillum quidem resistente, me miseram, exanimem, sævo pavore trepidam, de medio matris gremio rapuêre*. De eodem sic Tertullian. *l. de Spectac.* De hinc *Equiria Marti Romulus dixit: quanquam & Consualia Romulo defendunt, quòd ea Conso dicârit, Deo, ut volunt, consilii: ejus scil. quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitavit. Probum plane consilium, & nunc quoque apud ipsos Romanos justum & licitum, ne dixerim penes Deum* &c. Vide Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. *de Nuptiis*. Quàm fortiter verò, quamque feliciter, raptum hunc, *Sabini* sint ulti, vide suprà in voce *Quirinus*, & apud Vossium *de Idolol. l.* 1. *c.* 12.

SABINIANI & *Proculejani*, sectæ & familiæ erant Jurisconsultorum inter se pugnantium, cum priùs jam variùm, tamque controversum jus esset, ut, quod uni placeret, alteri ingratum esset, teste Cicerone variis in locis. Eorum mentio in §. *cùm ex al. Inst. de rerum divis.* Barn. Brissonius.

SABINIANUS, à Carthaginensibus Imperator electus, A. C. 240. ab iisdem postea Mauritaniæ Præfecto deditur, Gordiano se submisit. Zosimus & Julius Capitolin. *in Gordian. c.* 23.

SABINIANUS, Proconsul Augusti, in antiqua *Inscr.* APOLLINI. GRANNO. Q. LUCIUS. SABINIANUS. PROCOS. AUG. quæ in Britannia reperta est, dicitur. Sed lectio hæc Salmasio suspecta, quippe *Legati pro Prætore*, & *Legati Prætorii*, quidem vocabantur ii, qui Cæsaris jussu in provincias prætorias ibant; at *Proconsules* quoque dictos & *Proconsulares Augusti*, nullibi reperisse. Hoc enim iis nomen, qui in provincias Populi Romani mittebantur. Putat itaque in lapide illo scriptum fuisse PROC. AUG. i. *Procurator Augusti*, vel PROCOR. & perperam lectum esse, PROCOS. Procuratores autem in provinciis fuisse, tam in Cæsaris, quàm in Populi provinciis, qui *Procuratores Cæsaris* dicerentur, constat. Vide eum ad *Spartian. in Vita Hadriani Cæsaris, c.* 1.

SABINIANUS, Volaterris oriundus, Gregorio M. successit, A. C. 604. ob avaritiam, à prædecessore, in somnio increpitus, quod fame grassante, pauperibus frumenti nihil distribueret. Obiit, A. C. 605. Anastas. *in vita Pontif.* Baron. *in Annal.* Campanarum usum in Templa invexisse memoratur Patriarchis, Panvinio, Polyd. Virgilio *l.* 6. *c.* 13. Vide ubi de *Campanis* ac *Tintinnabulis*.

SABINIANUS, Consul cum Manlio Theodoro, An. Urb. Cond. 1018.

SABINUS, Consul cum Messala, An. Urb. Cond. 966. Iterum cum Anulino biennio post.

SABINUS, Vespasiani frater, à Vitellio interfectus, qui Vespasianô res contra Judæos gerente, post Othonis mortem, Capitolium cum æde Jovis occupaverat.

SABINUS, Episcopus Heracleæ, Sectâ Macedonianus, sub Theodosio M. Edidit syntagma diversorum Conciliorum, Socr. *l.* 1. *Hist. c.* 8. *l.* 2. *c.* 11. *& seqq.* An idem cum Monacho, omnium Synodorum epitomatore? Possevin. *in Appendic. ad Appar. Sacr.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 3. *Nic. Lloydius*. De eo Socr. *Histor. Eccl. l.* 1. *c.* 5. Σαβῖνος … συναγωγὴν τῶν διαφόρων συνόδων … [illegible] … κ. τ. λ. *Sabinus* … *cum ea, quæ a variis Episcoporum Conciliis scripta ediderant, in unum volumen cum collegisset* &c. Quod tamen non ex fide fecisse, idem paulo post ait: *Quia etiam nonnulla deditâ operâ prætermisit, quædam etiam pervertit; quæ autem ad eum exitum, quem sibi proposuerat, facere videbantur, omnia diligenter excerpsit*. Sic *l.* 2. *c.* 13. cum in sua Collectione, Epistolam quidem Episcoporum Antiochiæ convocatorum ad Julium scriptam, minimè prætermisisse; at Epistolas ipsius Julii in eadem neutiquam intexuisse, refert. Vide Gerh. von Mastricht *Hist. Juris Eccl. num.* 143.

SABINUS, Consul cum Venusto, sub Gordiano III. apud Jul. Capitolin. in *Vita* hujus c. 23. quibus Magistratum gerentibus, mota factio est in Africa, contra Imperatorem, duce Sabinianô, ut idem refert.

SABINUS, Episcopus Placentinus, pietate & doctrinâ clarus. Interfuit Concilio Aquilejensi, A. C. 381. Hunc scriptorum suorum arbitrum Ambrosius esse voluit.

SABINUS, JCtus celebris sub Heliogabalo, secul. 3. Cato sui seculi dictus: cui Ulpianus librorum suorum 51. dedicavit. Hic occidi jussus ab Imperatore, mirè servatus est. Æl. Lamprid. in *Vita* Heliogabali *c.* 16. *Sabinum Consularem virum, ad quem libros Ulpianus scripsit, quòd in urbe remansisset, vocato Centurione mollioribus verbis, jussit occidi. Sed Centurio aure surdior imperari sibi credidit, ut Urbe pelleretur: itaque fecit, sic vitium Centurionis* Sabino *saluti fuit*. De eodem Vide in extrema *Vita* Alexandri Severi.

SABINUS, Præfectus Urbis, sub Maximino Imperatore interfectus est, unà cum amicis Maximini, fuste percussus. Vide Jul. Capitolin. *in Maximinis c.* 15. & Herodian. *l.* 7. *c.* 7.

SABINUS, Sophista sub Adriano principe, scripsit Isagogen ad materias, & hypotheses, declamationum libros 4. præterea in Thucydidem enarrationem, *Suidas*.

SABINUS, Syrius memorandæ fortitudinis, qui, tempore Titi primus Hierosolymæ muros ascendit, Joseph. *Bell. Jud. l.* 6. *c.* 1.

SABINUS Ælius, Vide Jul. Capitolin. *in Maximino jun. c.* 6.

SABINUS Afidius, declamator lepidô ingeniô, quum sententiam Leonidæ ad trecentos retulisset, Ego, inquit, *illi ad prandium promisissem, ad cœnam renuntiâssem*. Seneca *Suasor.* 2.

SABINUS Calvisius, sub Tiberio majestatis postulatus, sed per Celsum, urbanæ cohortis tribunum, tum inter indices, discrimine exemptus. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 9.

SABINUS Georgius, Brandeburgicus, natus A. C. 1508. genere honestô, in teneris annis, quoties doctum aliquod legebat carmen, lacrymas non tenuisse dicitur, quòd desperaret, simile quiddam se aliquando producturum. Wittenbergam missus annô ætat. 15. & à Melanchthone educatus, brevi Orator & Poëta insignis ipse evasit, ut *Sabini* hinc ei nomen, cum antea *Schulerus* dictus fuerit, à Poëta cognomine imponeretur. Edidit jam annô ætat. 20. *Res gestas Cæsarum* carmine, Latinâ. Post decennium apud Melanchthonem exa-

ctum, in Italia Cardinali Bembo innotuit, à quo de Melanchthone interrogatus aliquando varia, scitè respondit, uti videre est apud Melch. Adami *Vitâ Melanchth.* Gener post reditum hospitis sui factus, in Viadrina Academia primum docuit, dein Academiæ Regiomontanæ recens excitatæ Rector à Duce Prussiæ creatus est. Francofurtum reversus, à Consiliis Electori Brandeb. fuit, variisque Legationibus adhibitus est. Obiit A. C. 1561. ætat. 53. horâ natali. Scripta ejus enarrat. Anton. Teissier. *Elog. p.* 1.

SABINUS, aliô nomine *Julius*, Lingo, falsâ stirpis gloriâ proaviam suam D. Julio per Gallias bellanti corpore atque adulteriô placuisse jactabat. Miscuit se factioni Civilis & Classici. Tacit. *Hist. l.* 4. *c.* 55. de exitu *c.* 67.

SABINUS Marcius, vide *ibi.*

SABINUS, Masurius, JCtus scripsit Fastorum & memorabilium libros. Persius *Sat.* 5. *v.* 90.

Exceptô si quid Masuri rubrica notavit.

Ejus in Digestis apud *Athenæum* & *Agellium* crebra mentio. Vide *Masurius.*

SABINUS Ostorius, vide *ibi.*

SABINUS, Poppæus, vide *Poppæus.*

SABINUS, prænomine *Publius*, Præfectus cohortis; dein cum Julio Prisco Prætorianis præpositus à Vitellio, Tacit. *l.* 11 *Hist. c.* 92. Idem postea detectâ Cæcinæ proditione ob ejus amicitiam vinctus, substitutô in locum ejus Alfenô Varô. *l.* 3. *Hist. c.* 36.

SABINUS, prænomine *Titus*, secundùm Plinium, vel *Titius* secundùm Cornel. Tacitum, illustris Eques Romanus, ob amicitiam Germanici, & quia non omiserat conjugem Agrippinam liberosque ejus percolere; sceleratè à Latinio Latiari, Portio Catone, Petitio Rufo, M. Opsio Præturâ functis, cupidine Consulatus, adnuente sceleri Sejanô, subversus, Juniô Silanô & Siliô Nervâ Consulib. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 68. Vide & *Titurius.*

SABINUS, Tyro, scripsit περὶ κηπουρικῶν, i. e. *de hortensibus.* Plin. *l.* 19. *c.* 10.

A. SABINUS, Poëta, quæ scripserit docebit Ovid. cujus erat σύγχρονος, *Amor. l.* 2. *eleg.* 18. *v.* 27.

Quàm citò, de toto rediit celer orbe Sabinus,
Scriptaque diversis rettulit ille locis.
Candida Penelope signum cognovit Ulyssis,
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo.
Jam pius Æneas miseræ rescripsit Elisæ:
Quodque legat Phyllis, si modò vivat, habet.
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone litera venit:
Dat votam Phœbo Lesbis amica lyram.

Vide eundem *de Pont. l.* 4. *eleg.* 16. Scripsit igitur epistolam Ulyssis ad Penelopen, Hippolyti ad Phædram, Æneæ ad Didonem, Iasonis ad Hypsipylen, & illam Sapphûs extremô locô memoratam. Harum verò omnium extat nulla. Scio sub nomine *Sabini* legi ternas, Ulyssis ad Penelopen, Demophoontis ad Phylliden, & Paridis ad Oenonen. Sed indignæ prorsus Sabinô, vel aliquô illius temporis Poëtâ: quin neque nostrô si ævô scriptæ forent, multum laudis mererentur. Sed non dubium, quin, si non omnes, saltem aliquæ ex sex istis Sabini sunt, quæ inter Ovidianas leguntur: Paridis ad Helenam, Helenæ ad Paridem: Leandri ad Heronem, Herûs ad Leandrum: Acontii ad Cydippen, Cydippes ad Acontium. Plura verò Sabinum scripsisse indicat idem Ovid. *Ponticorum l.* 4. *Ep.* 16. *v.* 15.

Quique suam Trœzen, imperfectumque dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus.

Unde cognoscimus, eum obiisse ante Ovidium. Quidam *Trœzena* legunt, unde colligunt *Trœzenia* scripsisse. Alii verò *Trisenen*, quam fuisse ajunt amicam. *Dierum opus* verò interpretantur Fastos, vel opus quale Hesiodi Ἡμέραι, *Voss. Nic. Lloyd.*

SABIONA, seu SABONA, urbs fuit Rhætiæ, hodie pagus Comitatus Tirolensis, 10. mill. pass. suprà Brixiam, ad Eylocum fluv. ubi aliàs Sebatum, *Simler. P. Diaconus.*

SABIS, fuit Deus apud Arabas, de quo Plinius *l.* 12. *c.* 14. de thure agens: *Thus*, inquit, *collectum Sabotam camelis convehitur, portâ ad id patente, digredi via capitale leges fecêre: ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, mensura, non pondere sacerdotes accipiunt.* Hunc cum *Sabazio* & *Sabo* eundem facit G. Hornius, à *Sufes*, voce Punicâ, nominis originem arcessens, unde & Græcorum Σαβοὺς derivat, *Histor. Phil. l.* 2. *c.* 9.

SABIS, fluv. est inter Belgas, Cameracenses & Nervios irrigans, quos trans illum consedisse, adventumque ibi Romanorum expectâsse unà cum Atrebatibus & Veromanduis finitimis suis, scribit Cæsar *Commentar. l.* 2. *c.* 16. Fortunato *l.* 7 *Carm.* dicitur *Saba:* Arnulfo Marchioni ejus nominis primo Flandriæ Comiti in literis suis, *Savus:* Aigrado Monacho jam ante 1000. annos. *Sambra.* Oritur in Teoracia sylva & Oisiacum *Oisy*, Castellionem, Landericiacum, Malbodium, *Maubeuge*, Fontanas, Castellum, Frigidum Montem, *Fromont*, Hammum, Monasterium *Monstier*, Floreffiam Abbatiæ titulô illustrem locum attingit, atque in Mosam fluvium penes Condrusios, seu Mamurcium oppidum Leodiensium, *Valesius* habet, apud Namurcum, influit. *Sambre* Lessabæo: Hinc pagus *Sambrensis*; vel *Sambræus* nomen accepit. Item fluv. Carmaniæ in sinum Persicum influens: Cujus ostia 100. mill. pass. à Persidis confinio. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

SABIS, Carmaniæ fluv. Plinio *loc. cit.* Carmaniæ urbs *Ptolemæo*, in mediterraneo sita; ad fluvium cognominem, versus Occidentem ubi Carmania culta esse incipit vineis & arvis. Inde populi *Sabæ*, quos in ora maritima Carmaniæ ponit *Dionysius.*

Πρῶτα Σάβαι μετέπειτα Πασαργάδαι —
Primùm Sabæi, post hos Pasargadæ —

Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1188.

SABIUSA, porta dicebatur, quæ rectâ in Sabinos ducebat.

SABLESTANIA, provinc. Persicæ in Mediterraneis ubi olim Caramania deserta seu Borealis intra montes: estque inter Chorazaniam ad Arctos & provinc. *Khermon*, seu Caramaniam propriam ad Meridiem. Urbes ejus sunt *Zarans*, *Bost.* & *Nebesart. Joh. Persa.*

SABLOLIUM, vetus oppidulum Galliæ in Cœnomanico pago, Andicavorumque confinio: à sabuloso agro, in quo conditum est, dictum. Una est ex duodecim villis magnis, quas Alanus quidam matri Ecclesiæ civitatis Cœnomanorum olim dedit, ad Sartam fluvium, qui ibi divisis aquis parvam insulam facit, habetque Prioratum S. Nicolai, & Ecclesias duas S. Mariæ, & S. Martini, quæ sunt Parœciæ. Johanni Mazori, *Sabolium*, & *Sabloium*, Ivoni *Sabsuletum:* vulgò *Sableuil*, tum *Sableil*, tandem *Sablé.* At *Sablonariæ*, vulgò *Sablonieres*, locus est, in quo A. C. 862. Indict. 11. dominus Karolus Rex conventum habuit, & Capitula edidit. *Saponariæ* verò in suburbio Tullensi, *Savonieres*, ubi Synodus Episcoporum Galliæ & Germaniæ sub eodem habita est: ambæ villæ regiæ, quarum altera à sabulo vel arena, altera à sapone, qui ibi conficiebatur, nomen accepit; ut Argillariæ, à solo argilloso, vulgò *Argilly*, non procul à Dorunamanto *Dormans.* Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & infrà voce *Sabolium.*

SABLONES, *Antonin. Sambeck*, vicus *Simlero*, circa Mosam prope Trajectum superius. *Baudrando* oppidulum fuit Menapiorum, inter Mosam & Ruram, ubi nunc vicus *Intsand*, prope oppidum *Stralen*, in Geldria superiori, inter Geldriam ad Ortum, & Venloam ad Occidentem.

SABOLIUM, urbecula provinc. Cœnomanensis, ad Sartam fluv. 8. leuc. ab Andegavo in Boream, Cœnomanum versus totidem. In Gallia; *Sablé.* Vide *Sablolium.*

SABONAM, vocat *Bruschius Brixon*, Germaniæ urbem in Alpibus sitam & Episcopali sede decoratam. Hanc *Niger* tradit *Bretina Ptolemæi* esse. *Sabiona* legit *Simlerus*, & *Sebatum Antonini* esse dicit, atque *Brixinam minorem* designari, ubi olim Episcopi sedes fuit.

SABOTÆ, Gallica vox, *Sabotz*, calcei sunt lignei, qui apud rusticos in usu. Eorum jam Philostratus meminit *l.* 9. *c.* 2. ubi vitam Apollonii enarrans, inter cætera, quæ de Indorum edisserit moribus, eos ex arborum corticibus sibi calceos conficere solitos fuisse testatur. Ab iis dein ad alias gentes, ut credere par est, mos transiit: ita ut alii rudioribus & omnino ligneis usi sint (quemadmodum de Germanis priscis refert *Cluverius:* Polonique agrestes etiamnum gerunt) alii paulò eruditioribus, quorum nempe soleæ tantùm è ligno, cætera è corio vel è quavis alia materia molliore essent. De prioribus intelligi Petronius potest *in Sat. Anus præcipuè lippa, sordidissimô linteô præcincta, soleis imparibus ligneis imposita, canem ingentis magnitudinis catenâ trahit.* Quô sensu soleæ quoque illæ fortè sumantur, quas damnatis ad culeum induci moris erat, de quibus ita Auctor ad Herennium, *Si quis Parentes occiderit, vel verberarit, ei damnato obvolvatur os folliculo lupinô, soleæ ligneæ pedibus inducantur.* &c. Soleas enim, quæ propriè sumtæ imas tantùm pedum plantas tegunt, pro alia calceorum specie interdum sumi, nihil novum: Rursusque sordes illius vetulæ, ut & parricidarum enorme crimen, non aliud quidem, quàm vilissimum calcei genus, postulant. Unde & viliores quique tenuiorisque fortunæ homines, sive urbium, sive ruris incolæ, passim hodieque istiusmodi calceamenti genus in usu habent. De posterioribus verò, accipi possunt tibicinum illa crupezia, quorum meminit Jul. Pollux *Onomast. l.* 7. *c.* 22. Τὰ δὲ κρουπέζια ξύλινον ὑπόδημα πεποιημένον εἰς ἐνδόσιμον χορῷ, *Crupezia, ligneum calceamentum est, factum ad auspicationem chori.* Unde ab ejusmodi calceorum usu Bœotos *Crupeziphoros* esse dictos, refert Tiraquellus *ad Alex. Neapolitan. l.* 5. *c.* 18. Sic etiam de calceis illis, qui soleis tantùm ligneis constant, intelligi possunt Caligæ seu Gallicæ, quæ diminutiva voce *Caligulæ* & *Gallicula*, Gallicè verò *Galloches* appellantur, quibus non tantùm milites, sed & plerique alii, pluviô hybernôque tempore, uti consueverunt. Earum enim soleas è ligno fuisse, colligere est ex ipsa Caligarum appellatione, quæ potius ἀπὸ τῶν κάλων, à *lignis*, quàm à *callo* pedum, ut vult *Isidorus*, dictæ omnino videntur. Hinc & Gallicarum, quibus hodie Galli utuntur, compositio è ligno talis est, ut soleæ ad minimum hâc materiâ constent. Adde, quod *Calceamenta militum fortia esse debent*, ut Aurelianus apud Flav. Vopisc. *c.* 7. ait, & altiùs à solo edita, ut iis firmiùs tutiusque per loca fimô infesta lutôque incedant, ad quod crassiores è ligno soleæ aptissimæ sunt. De soleis ligneis, quibus Scricfinni atque his conterminæ gentes utuntur in transmittenda glacie altissimisque nivibus, Calopodiis item Belgarum, quæ *Schaatsen* appellant, vide Ben. Balduin. *de Calceo c.* 5. & suprà in voce *Narta*; item *Sabatati.*

SABOTHA, Græcè Σάβωθα, Atramitarum metropolis, caput Thuriferæ regionis in excelso monte condita, quò thus omne camelis devehi solitum, diximus in *Sabatha*, namque & sic vocata est. Ibi *Sabis* Deus cultus, cui decimas thuris capi à Sacerdotibus consuevisse, apud Plinium habes *l.* 12. *c.* 14. *Theophrastus* verò tertiam pretii idolo sacram fuisse refert. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 492. & *seqq.*

SABRACÆ, Indiæ gens valida, Curt. *l.* 9. *c.* 8. qui eam post Mallos describit. Vide *Sambasii.*

SABRINA, fluv. Albionis ingens Angliam à Wallia separans, & in sinum Sabrianum ad Bristolium urbem influens, aliquot urbibus irrigatis, in quibus Salopia. Vulgò *The Severn. Sabrina* Tacito.

cīto dicitur. Sic enim ille *Annal. l.* 12. *c.* 31. ubi de P. Ostorio: *Cinctosque castris Antonam & Sabrinam fluvios cohibere parat.* Oritur fluv. hic celeberr. Angliæ, in Wallia Boreali in Comitatu Mongomeriensi, ex monte *Plymllimon*; & paulo post aliquot fluviis auctus, & per Angliam fluens, Salopiam rigat & Vigorniam. Hinc paulo infra auctus Tendô fluviô uti & Avonâ, ad Theocicuriam, juxta Glocestriam labitur; & receptis Vagâ fluviô Walliæ & Avonâ fluviô qui Bristolium rigat, Sinum Sabrianum efficit, *Severne fiud*, inter Walliam & Cornubiam, ubi etiam paulo infra *Manche de Saint George* dicitur, *Baudrand.* Statim autem à fonte tam crebris incurvus flexibus agitur, ut sæpe reverti credatur. *Metel.*

SABRITÆ, seu SEBRITÆ, h. e. *Advenæ*, incolæ Æthiopiæ, quorum origo talis: Cùm Psammitichus I. Ægypti Rex contra æmulos sibi Regulos, collatâ ad Momemphin acie, victor evasisset: Regum alii ceciderunt, alii in Libyam fugerunt; etiam in Æthiopiam non pauci se contulerunt. Unde Aristocreon, apud Plin. *l.* 6. *c.* 30. *Esf*, inquit, in illo *Libyæ latere, à Meroë dierum* 12. *itinere, Esar, Ægyptiorum oppidum: qui Psammeticum fugerint, in eo produntur annis trecentis habitasse; Bion autem Sapen vocat, quod ille Esar, & ipso nomine* Advenas *ait significari.* Iisdem in locis est *Tensis Regio*, Strabo *l.* 16. *quam Ægyptii, habent, qui Psammetichum fugerunt vocantur Sebritæ, i. e.* Advenæ, *Reginam habent, sub qua est Meroë.* Neque diversa est illa *supra Meroen insula, quam incolunt Ægyptiorum exules qui desciverunt à Psammeticho. Vocantur Sabritæ* &c. apud eundem *Ibid.*

SABUL, aliàs CABUL, Saracenis ZABUL, castrum munitum, in tribu Nephthalim.

SABULONETA, oppid. munitum Longobardiæ, cum arce valida & præsidio Hispan. Est inter Ducatum Mantuanum ad Ortum & agrum Cremonensem ad Occasum; 25. milliar. à Cremona in Ortum & 15. à Parma in Boream, Mantuam versus; *Sabioneta.* Antea sub Duce è gente Caraffa, cum tractu parvo; nunc è Gente Guzmanorum Ducem Hispan. habet.

SABURA, Jubæ Numidarum Regis præfectus, & secundum ab illo locum obtinens, præmissus fuit cum parvis copiis, ut Curionem illiceret ad pugnam, simularetque sibi commissum bellum fuisse, regemque recessisse, qui tamen cum omnibus copiis insequebatur. Lucan. *l.* 4. *v.* 720.

Mittitur exiguâ qui prælia prima lacessat
Eliciatque manu, Numidis à rege secundus
Ut sibi commissi simulator Sabura belli.

Vide Cæs. *de Bell. Civ. l.* 2. *c.* 38. A. P. Sitio interfectus est, teste Hirtio *l. de bello Africano. c.* 95.

SABURRA, in naves firmamenti gratiâ recepta est. Græci eam ἕρμα vocant. *Hesych.* Ἕρμα, τὸ τῶν νεῶν ἔρεισμα στηρίζον. *Festo* hinc *Herma* quoque: *unde etiam*, inquit, *Mercurii nomen inventoris, ut putabant, firmæ orationis dictum.* Sed & κεφαλίς, & κίφαλον, eôdem *Hesychiô* teste, vocabatur. Lycophron ἑρμαλιστῆρα πίτυν appellat, in *Cassandra*,

Τὸν ἑρμαλιστὴν νηὸς ἐκβαλὼν πίτυν.
Saxis, saburrâ, *navis*, *ejectis foràs.*

quia erant ut plurimum lapides. Aliquando tamen etiam saccos habebant sabulô repletos, quibus in aquam demissis, naves à vi ventorum impetuque fluctuum defendebant. Hodie in Indicis Belgarum Hispanorumque navigationibus, pipere & aromatibus, imò aurô argentôque, ac aliis rebus pretiosissimis, naves nonnunquam *saburrari* notum. Vide Joh. Meursium *ad Lycophronem d. l.* communis verò *sabuli* intra navem recepti, in hunc finem usus est.

SABURRANUS, Præfect. à. M. Ulpio Trajano Imperatore creatus, gladium etiam adversum se, si opus esset, stringendum, accepit, cum verbis: *Accipe hunc gladium, eoque si rectè imperavero, pro me: si malè, contra me utitor. Aurelius Victor.*

SABUS, Sabatii à Saturno ejecti fil. primus Aboriginum Rex, à quo *Sabini* dicti. Eum cum *Sabazio* confundit Hornius *Hist. Philos. l.* 2. *c.* 9. Sed distinctum ab hoc Numen fuisse idem paulo pòst ipsemet suggerit, cùm *Sabazium*, utpote peregrinum, à Romanis civitate pulsum fuisse memorat, auctoritate Valerii Max. *l.* 1. *c.* 3. ex. 2. qui ait, *Iidem, qui Sabazii Jovis cultu mores Romanos inficere conati sunt.* &c. Sabinos autem, quorum *Sabus* primus Rex, cum Romanis in eandem gentem coaluisse, extra dubitationis aleam est. Licèt enim B. Augustin. *de C. D. l.* 18. *c.* 9. Sangum gentis Sabinæ primum dicat Regem; Vossius tamen Saugum à *Sabo*, conditorem auctoremque gentis à primo ejus Rege, distinguendum esse censet, testimonio nixus Silii, utrumque apertè discernentis. Cùm namque dixisset, patri cantatum esse Sanctum, gentis Auctorem: continuò subjungit, *l.* 8. *v.* 422.

------ *Pars laudes ore ferebant,*
Sabe, *tuas: qui de patrio cognomine primus*
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Sanctus verò ille quomodo gentis auctor fuerit, infrà dicetur. Vide Dionys. *l.* 2. ubi Sabinos Lacedæmoniorum ἀποίκους, *Sabumque* coloniæ Ducem ac Principem fuisse, indigitat, & Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 12.

SABUTA seu SAMBUTA, aut etiam SAMBUCA, apud recentiores Scriptores, currûs, quô nobiles fœminæ vehebantur, species est. Ordericus Vitalis *l.* 8. *Mannos & Mulas cum* sambucis *muliebribus prospexit.* Vincentius Bellov. *Cambucam* habet *l.* 30. *c.* 85. ubi describit ornatum mulierum Tartariæ, *Palefridos equitant magnos & pingues, habentque cambucas de corio diversis coloribus picto, cum auro multo inserto, ex utroque equi latere dependentes*, apud Car. du Fresne *Glossar.*

SACA, vide infrà *Seca.*

SACABUTA, apud *Rerum Francicarum* Scriptores, lanceæ species est, quam Johannes Abbas Laudunensis *in Speculo Historiali MS. l.* 10. pluribus describit, apud Car. du Fresne *in Glossar.*

SACADAS, Poëta Græcus, Chori Dorici & strophatum in carminibus auctor. *Pindar. Plutarch. Pausan. Suidas*, qui *Sacæ* quoque Poëtæ meminit. Tribus modis, Doriô, Phrygiô & Lydiô, ita ut ne miscerentur, Choros eum canere potuisse, atque hinc eam legem τριμερῆ sive τριμελῆ dictam esse, quod inventum Clonæ alii tribuant, habet J. Cæsar Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 20.

SACÆ, populi Asiæ inter Scythiam citeriorem ad Boream & Indiam citeriorem ad Meridiem. Sogdianis ad Occidentem finitimi (quorum regio *Belor Mercatori*) sine urbibus, unde Nomades per deserta habitantes appellantur. Dionys. *v.* 749.

Τὸν μετ᾽ ἐπὶ προχοῇσιν Ἰαξάρταο νέμονται
Τέξα Σάκαι φορέοντες, ὧν μὴ κέν τις ἄλλος ἐλέγχοι
Τοξότης. οὐ γάρ σφι θέμις ἀνεμώλια βάλλειν.

Hi cum Massagetis adeò celebres præ cæteris Scythis fuêre, ut omnes Scythæ Asiatici Massagetæ & Sacæ ab antiquis dicti fuerint, teste *Strabone.* Imò *Persæ Scythas in universum Sacas appellavêre à proximâ gente*, uti loquitur Plin. *l.* 6. *c.* 17. De Sacarum, qui sævi & barbari, incursionibus in Hyrcaniam & alias regiones ad Armeniam usque, ubi regionem occupârunt *Secasenam* ab illis appellatam, quæ *Ptolemæo* est *Sacapene* (unde *Sagapenum* affertur) vide Strab. *l.* 11. *Montanus. Nic. Lloyd. Sansoni* fuêre populi Scythiæ intra Imaum montem, inter Alanos Scythas, Jaxartas & Orgasos, ubi nunc Chazalgitæ, populi Tartariæ magnæ.

SACÆA, Græcè Σάκαια, festum Anaitidi, in Persia olim ac Babylonia, sacrum, quô Domini servos suos procurabant, ut Romæ Saturnalibus: uni etiam ex vinctis morti adjudicatis permittebatur, ut priusquam duceretur ad supplicium, nullô non voluptatis genere animum expleret. An à *Sesach* Babyloniorum Numine? An à Babyloniorum & Armeniorum de *Sacis* victoria? Vide Gerhard. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 22.

SACAJA, urbs ampla Niphoniæ insulæ in Japonia, in regione *Jetzena*, cum portu capaci, 45. mill. pass. circiter à Meaco in Meridiem. *Brietius.*

SACAL, olim electrum Ægyptiis. Plin. *l.* 37. *c.* 3. *Quod succum esse prisci nostri credidêre; inde succinum appellantes.* Et, *Nicias in Ægypto nasci simili modò* (voluit) *& vocari sacal.* Nempe resinæ vel gummi genus, succinum seu electrum Antiquis creditum est; unde illi nomen inditum, quòd arboris *succus* esset. Hodieque Arabibus *Sachol*, Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 6. *c.* 17. & hîc in vocibus *Electrum* ac *Succinum.*

SACALA, locus Indiæ citerioris circa ostium Indi Occident. *Arrian.*

SACAPENA, regio Armeniæ majoris apud *Ptolomæum*, quam is ad Paryadrem montem, unà cum Sibacene ejusdem Armeniæ provincia, collocat. Vide Salmas. *ad Solin, p.* 621. & 624.

SACAR Mambu, sponte nascens in harundinibus dictis *Mambu*, Indicâ voce, & amyli modò crassum ac fragile; Persis & Arabibus *Tabaxir*, idem est cum *Sacchāro Veterum*, quod cum aërio melle, quæ manna est nostra, idem facit Isidor. *Origin. l.* 20. Sunt autem arundines illæ tam magnæ, teste *Christophor. à Costa*, ut cymbam inde faciant ibi homines, quæ binos ac ternos etiam vehant. Aliæ sunt arundines Isidoro eidem memoratæ; è quibus succus ad potum dulcis exprimebatur, ut is alibi habet: *In Indicis stagnis nasci arundines calamique dicuntur, ex quorum radicibus expressum suavissimum succum bibunt.* Subjicit dein versus *Varronis*, quibus describitur hodierna Saccharina canna, quæ modica est, & papyro similis:

Indica non magna nimis arbore crescit arundo,
Illius è lentis premitur radicibus humor:
Dulcia cui nequeant succô contendere mella.

Nempe cannas Indicas. unde hodie succus exprimitur, qui cogitur in saccharum, notas quidem habuêre Veteres, sed hactenus tantùm, ut succum ex iis ad potum exprimerent. Posteà verò demum ratio inventa est succi hujus excoquendi, & coctionibus cogendi in lapideam penè duritiem: quod Arabes primi monstravêre; fortasse ab ipsis Indis, sed longô pòst tempore, proditum. Quô modô succum coctum & coactum *Sachar* vocârunt, veteri nomine, quô mellis aliud genus in harundinibus collecti Veteres appellârunt. Idem nomen est multis aliis succis tributum, sed non nisi congelatis ita dixerim ac coagulatis &c. Ita autem hodiernum *sacharon* quod factitium est conficitur: Secant ejus harundinem, tundunt & molunt premuntque ad succum eliciendum; hunc deinde excoquunt ad eam spissitudinem ac candorem, quem videmus. *Sacar Mambu* verò arti nihil debet, sicut nec Veterum manna seu mel calaminum aut arundineum, cum quo idem est, & cùm reliqua sali vel cineri in se coacto similia sint, ipsum naturâ coloris lactei est, fragile dentibus, itidem dulce, sed in Medicinæ solùm usus adhiberi solitum. Reperitur modò in parvis, modò in majusculis grumis concretum. Præter hoc verò & *Sacar Tengæ* habent Indi, quod verò similiter factitium est, & ex liquore quodam palmeô consit. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1018. & *seqq.* nec non infrà plura in voce *Saccharum.*

SACARAUZÆ *Oros. Sagarauca Ptol.* populi Scythiæ citerioris.

SACARBANTIA, vide *Scarabantia.*

SACASENE, regio Sacarum Scytharum *Isidoro*, eadem cum Paraetacene. *Straboni* regio Albaniæ vicina & Cyro fluv. *Ptolomæo* regio ad montem Paryedrem. Aliis provinc. Regni Parthici. Vide Salmas. *ad Solin. passim.*

SACAZAMA, pagus Africæ ad Syrtim magnam. *Zedic Marmolio.*

SACCA, urbs in ora Australi Siciliæ, in valle Mazaræ, veter. *Thermæ Selinuntiæ*, cum portu, 22. milliar. à Mazara in Ortum Agrigentum versus 40. Cum arce satis instructa.

SACCANIA, tractus Moreæ, circa Argos.

SACCARE, Græcè σακκίζειν, vel διασακκίζειν est *saccô exprimere, per saccum colare*, apud *Joh. de Janua*: Hinc vox ab *Hesychio* ad asturcones & tolutarios equos translata, quos σακκάζειν dicit; quòd eorum gradus in ambulando perinde minutus sit ac creber, quasi *saccô* colatus esset & eliquatus. Liquores enim per saccum dum exprimuntur, crebris & minutis guttis eunt. Cui non absimili, imò prorsus eâdem metaphorâ, de minutissimo ac spississimo gradu, dixit Plautus, *in Panul. Actu.* 3. *sc.* 1. cum *succretum esse cribrô pollinariô*. Vegetius de Persicis equis *l.* 4. *c.* 6. qui *traquenariis* Gallorum similes erant, *Persici*, inquit, *& staturâ & positione à cæteris equorum generibus non plurimùm differunt, sed solius ambulaturæ quâdam gratiâ discernuntur à cæteris --- gradus est minutus & creber, & qui sedentem delectet & erigat* &c. Idem aliô locô de Parthicis, qui tolutim docebantur, *Præterea minutos gressus imitatur, ut inter ancices* [?] *singulas ponat, nam si extendere voluerit, offendet in cumulum, minutim autem equus ambulans commodiùs vehit, & pulchriùs videtur incedere.* Sic *triciniarii* ii appellati, à *tricino* & spisso minutatimque fracto & mollito gradu. Quòd itaque minutissimè & quasi per colum gressus *saccarent* & eliquarent, vel quòd viam minutim carperent & quodammodo percolarent, σακκάζειν vel σακκίζειν dicebantur. Ita ὑποσακκίζειν τὴν ὁδὸν Græcis dictum de iis, *qui gradum movent* & promovent & eundo subinde aliquid de via subtrahunt & eam sensim quasi eliquant, ac consumunt, haud secus ac si colo vel sacco eam transmitterent. Vide Eustathium *ad Homer.* & *Hesychium*. Quam ob causam iidem equi *colatorii* sunt appellati, h. e. σακκιστοὶ vel σακκιστικοὶ, quos à *guttonariis* distinguit Vegetius, simili metaphorâ à *gutto* vel *guttone* dictos, uti in hac voce suprà vidimus. Vide Salmas. *Not. ad Jul. Capitolin. in Maximinis c.* 3. & *ad Solin. p.* 520. nec non hîc passim, in vocibus *Acupedes*, *Asturcones*, *Tolutarii* &c. Porrò ab hoc verbo *Saccatum* vinum nomen accepit, cujus mentio, apud Agobardum Abbatem *de privil. & jure Sacerd. c.* 11. *Ita ut plerique* (loquitur de Sacerdotibus domesticis) *inveniantur, qui aut mensas ministrent, aut saccata vina misceant, aut canes ducant aut caballos, quibus fœminæ sedent, regant, aut agellos provideant*: Nempe vinum est sacco expressum & per eum colatum. Isidor. *l.* 20. *c.* 3. *Saccatum, liquor est aquæ, faci vini admixtus, sacco expressus* &c. Vide Carolum du Fresne *in Glossario* & Dominic. Macrum *in Hierolex.*

SACCARII, apud Ulpianum *l.* 4. §. 3. *D. de contrahenda emptione*, & *Saccarii portûs Romæ*, de quibus est titulus *in Codice* Theodos. 22. *l.* 14. sunt, qui species aliunde advectas comportant, & saccis gestandis operam suam mercede locant. *Id.*

SACCATI, cognomen Ammiano, Origenis præceptori, attributum; quod, antequam sub disciplina Clementis Alexandrini literis operam navaret, unde postmodum Præceptoris sui successor & Origenis Præceptor evasit, gerulus esset seu bajulus. Græcè enim Σακκᾶς *saccarius* est seu *saccigerulus*. At *Saccati*, apud Matth. Parisium, *A. C.* 1257. *Eodem tempore novus Ordo apparuit Londini: de quibus fratribus ignotis & non prævisis, qui, quia saccis incedebant induti*, Fratres Saccati *vocabantur*: *Saccini* aliter, item *Saccitæ* & *Sacci*, Monachi quidam appellati sunt, quòd *saccis* pro veste uterentur. Iidem *de Pœnitentia Jesu Christi*, vel *de Saccis*, vocitantur in *Bulla* Joannis A. C. 1319. qui in Gallia frequentes, inde in Angliam transiêrunt, annô prædictô. Nec Fratres solùm, sed & *Sorores de Sacco* occurrunt, apud Raymundum de Capua in *Vita* Agnetis *num.* 7. Proscripti in Concilio Lugdunensi A. C. 1275. Thom. Walsinghamus, *Aliquos status de ordinibus mendicantium approbavit --- aliquos reprobavit, ut* Saccinos, *qui intitulantur de Pœnitentia seu de Valle viridi*. Galli *Sacs* & *Sachez* vocarunt, Car. du Fresne in voce *Sacci*. Vide & Macros *Hierol.*

SACCATUM, vide suprà *Saccare*.

SACCELLARIUS, aliàs SACELLARIUS, (quod vide) illud à Latino *Sacellus*, illud à Græco Σακέλλιον, quod utrisque *marsupium* significat, vel *sacculum*. Hincmari, imo & Augustini ævo sic dictus, qui pecuniarum sacello præpositus, in aula Regia, militibus, operariis, ministris: in Ecclesia, pauperibus & sacræ functionis clientibus, stipendia ac munera erogabat. In quibusdam Monasteriis *Bersarius* posteà dictus, & *Bursarius*, hodie *Thesaurarius*. *Hincmarus* tamen *Saccellarium*, & *Bersarium*, diversos numerat, in Aula Francica, sed neutrum inferioris facit conditionis, quam præcipuos ipsos Palatii Ministros, *Ep.* 3. *c.* 17. Vide Henricum Spelmannum *Glossar. Archæol.*

SACCHARUM, *Dioscoridi* Σάκχαρον, *Arriano* Σάκχαρον, recentioribus Græcis Σάχαρ & Σάχαρις, Indis *Sachar*, aliud *nativum* est, aliud *factitium*. Illud *Saccharum Mambu* hodie vocatur, & cum Saccharo Dioscoridis ac Plinii, *l.* 12. *c.* 1. mannaque Veter. idem est, & *Tabaschir* seu *Tabaxir* Arabibus dicitur, de quo suprà aliquid dictum in voce *Calaminum* mel item *Sacar*. Addam hîc saltem, quòd in Prasiis, Indiæ gente circa Gangem, pluere mel quoddam liquidum scribat Ælian. *Histor. l.* 15. *c.* 7. ὅπερ ἐμπῖπτον ταῖς πόαις, καὶ ταῖς τῶν ἑλείων καλάμων κόμαις, νομὰς τοῖς βουσὶ καὶ τοῖς προβάτοις παρέχει, *quod in herbas & palustrium arundinum comas incidens, mira bobus & ovibus pabula præstet*; unde suavissimum lac à Pastoribus exprimi addit: Quod ipsissimum esse hoc *Saccharum nativum*, & idem omnino cum manna Deserti, Bochartus asserit *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 46. Vide suprà in voce *Manna*. Atque hujus Sacchari nullum in cibis, in Medicina saltem, usum fuisse, Plinius docet. Illud nempe *factitium* & hodiernum, succus est ex cannis expressus & igne concretus, adeoque ex arundinibus fit sectis, tusis & molitis, uti suprà innuimus; quæ ars ignota Veteribus licèt ipsæ hæ saccharinæ arundines illis non fuerint incognitæ. Ut patet ex versibus Varronis suprà laudatis, & illis Statii Papinii, *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 15.

Et quas præcoquit Ebosiâ cannas.

Sed & Lucan. de fluido saccharo, *l.* 3. *Pharsal. v.* 237. sic canit.

Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos &c.

Verùm succum tantùm inde potui exprimebant, non verò eâ arte conficere illud nôrant, quam Arabes primi tradidêre, inde ad hæc secula delatam, quibus non solùm multô labore excoquitur, sed & conditur insuper spissaturque. Quod sic solet fieri; Accipe viginti aut quot volueris, libras sacchari, quod ad manum fuerit, sive Canarium, sive Thomasinum (Maderense omnino præstat) electum, comminue, contunde, in ahenum aut aliud quodpiam vas ingere, adde paululum aquæ fontanæ, ut faciliùs liquescat saccharum, impone prunis donec saccharum liquefactum tantillum bulliat, idque velociter, ne lentorem & flavedinem contrahat; itaque pauculâ opus est aquâ, ut candidius evadat inque syrupum spissum convertatur. Tum paratam habe oblongam, quadratam figlinique operis arcam, vitrô obductam, ab imo interstitiis per duos digitos transversos distinctam, adeò ut arca ab angustiis fundi dilatetur ad superiora: interstitiis impone tenuia, quadrata, longa bacilla, tribus digitis transversis ab invicem distantia, ab imo fundo usque ad superiora. Sic infunde calidum saccharum ad summum, operi arcam, asserique impositam admove fornaci, per senos denos adeoque vicenos dies. Remotô postmodum operculô si videas saccharum baciliis adhærere, instar crystalli, refundes cautè quod reliquum est syrupi, ut denuo fervidum, sed paululum remissius, in eandem arcam refundatur, & octo decemve diebus in loco calente reponatur, ut Candum saccharum tanto fiat splendidius. Bacilla autem in hoc amplexu saccharum pinea amat, cætera respuens, unde in pineis doliolis omnia condiuntur. Veneti hic fucum faciunt; ad morem Valentinorum, de quibus hîc infrà aliquid. Aliquando additur locô fontanæ cinnamomi aqua distillata, ad majorem virtutem &c. Vide hanc in rem plura apud Salmas. *ad Solin. p.* 115. & *sequentibus*, Item peculiari *l. de Manna & Saccharo*, Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 34. Cl. Sponium *Itiner. Græciæ Parte* 1. *p.* 24. ubi *Officinam Saccharinam*, à Societate Indica Orientali Fœderati Belgii Massiliæ erectam, & postmodum civi cuidam Massiliensi venditam, pluribus describit; Alios, nec non de variis *Sacchari* speciebus, hîc infrà. Maxima *Sacchari* copia ex America, Brasilia inprimis advehitur &c.

Sacchari variæ species ac nomina.

α. *Albusar*, *Avicennæ*, dicitur saccharum, quod aliis *Hoaser*; item *Tigala* resudat ex herba Tigala, à qua exturgescit, & concrescit in minutas grandines, ut habet Scaliger *Exercit.* 165. De eo dicit Bellonius, *Observation. l.* 1. *c.* 76. ubi exponit, quæ species quibus nominibus in officinis Pigmentariorum Constantinopoli vulgò appellentur, pro saccharo *Albusar*, petendum esse *Tigala*. Verum hoc *Tigala* quidem, non verò ipsam herbam, dici, ait *Salmas.* Subamarum autem est, & à manna è cœlo cadente super fruticem *Albusar* originem ducit, secundùm plerosque Arabes. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1312. β. Canariense, ab Insul. Canariis dictum, inter sacchari species Tabernæmontano recensitas, secundum tenet locum: quod albô colore gaudens quomodo condiatur, ac spissetur, diximus. γ. *Saccharum Candi* nativum, longè præstantius illô, quod arte fit, ex cannis saccharinis exit, & densatur calore, ejusdem planè facultatis, imò aliquanto majoris, quàm succus ipse cannæ, quô expressô & decoctô factitium saccharum paratur. Salmas. *d. l. p.* 1313. δ. *Saccharum Candum* factitium, non à *candore*, nec à *canna*, sed à recentioris Græciæ voce Κάνδι vel Κάνδιον & Κάνδιον, nomen habet, quòd *angulosum* fit, &, quum frangitur, in partes semper dissiliat angulatas; id enim Græci vulgares κάνδιον appellant. Idem *ibid. p.* 1022. ε. Fluidum *saccharum*, jam *Straboni* ac *Solino* memoratum, qui ex cannis & arundinibus quibusdam Indiæ succum mellei saporis exprimi scribunt: vide suprà. ζ. *Hoacser* Arabum, idem cum saccharo *Albusar*. η. *Jagara* aut *Jagra*, species sacchari apud Indos, quod ex liquore Tengæ conficitur. Salmas. *Ibid. p.* 1313. θ. Maderiense, ab Insula Madera, omnium præstantissimum est; ι. Maltanum, *Melsium* seu *Melitaeum*, ex Insula Malta seu Melite, Canariensi densitate par, & bonitate secundum est, Resinatô præstantius. κ. *Saccharum Mambu*, vide suprà in *Sachar*. λ. Miscellaneum, sexta species inter recensitas à Tabernæmontano, syrupis & cibis inserviens, minutiæ sunt cujusvis sacchari, unde ei nomen. μ. Panormitanum; vide suprà in voce *Cannamellæ*. ν. Penidium, ex pyramidali, maximè Thomasino, & rectiùs Cassaunio conficitur, admistô albumine ovi, ut sordes contrahantur in superficiem & iis sublatis pannum transmeet, donec in clavum parieti impactum massa conjiciatur & validis lacertis, instar picis redactæ, diducatur. Tum digitales accipit formas, instar lapidis & constringitur instar vitri, imò friabile evadit. Anonymus Auctor *Sinæ & Europæ c. cit. sub fin.* ξ. Resinatum, seu Valentium, ab urbe Valentia Hispaniæ, officinis Arabicè *Tabarzeth*, quod *optimum* denotat *saccharum*, tertiô locô memoratur Tabernæmontano. Fraus in eo manifesta, cùm pro prima specie obtrudatur tertia, quæ marmoris & alabastri candorem induit, & superiores superat, lixiviô sic fucatum; unde à remediis propter acrimoniam arceri debet. Accedit nonnihil farinæ fuco, imò calcis, ut densitate quoque optimum mentiatur. Idem *Ibid.* ο. *Tabarzed*, apud Arabes, optimum Saccharum dicitur. Aliud est π. *Tabaxir* seu *Tabaschir*, quod idem est cum *Sacchar Mambu*, &

Sac-

Sacchero priscorum ε. Saccharum Tengæ, Indis *Jagara* seu *Jagra*; quod ex liquore Tengæ conficiunt. Salmas. *ad Solin. p.* 1313. Vide quoque suprà in *Sachar Mambu*. *v. Tigala*, in officinis Constantinopolitanis dicitur, quô Arabes Saccharum *Albusar* vel *Alhasser* vocant. Vide *suprà*. *v.* Thomasinum, ex Insul. Thomæ allatum, quintô locô inter sacchari species memoratur Tabernæmontano; rubrum est & vilissimum. Ex eo saccharum Penidium fieri, diximus retrò. *v.* Valentinum, ab Urbe Hispaniæ Valentia, idem cum Resinato est, & non unâ fraude præstantissimæ notæ saccharum imitatur, &c. Est & Diapenidion, trochisci scil. hecticis & pectoris obstructione laborantibus apprimè utiles, apud eund. Auctorem Anonymum.

SACCEHENI, Arabiæ populi *Steph.*

SACCHURAS, Babylonius ventriloquus, qui Græcis Πύθων & Εὐρυκλῆς dictus est. Photius Auctore 94. ex Jamblicho de amoribus Rhodanis & Simonidis, Καὶ ἐγγαστρίμυθον, ὃ καὶ φησιν, ὥσπερ Ἕλληνες μὲν Εὐρυκλέα καλοῦσι, Βαβυλώνιοι δὲ Σακχούραν. Fortè ex Arabum *sachir*, vel *sachar*, quâ voce Magum illi vocant; unde *sachara* i. e. *incantare*, in Nubiensi Geographo *Clim.* 1. Vel potius ex זכורו Zacchuru vel Zechuru, quomodo à Chaldæis & Syris *ariolum* appellari constat. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 3. *c.* 5. ubi de voce Hebr. *pethen*.

SACCI, seu DE SACCO Fratres ac Sorores, in Communione Romana, vide suprà in voce *Saccati*.

SACCI, cibicidæ, Græcis σάκκοι, item μάρσιπποι. *Hesych.* μαρσιπποι, γαστρίμαργοι, σάκκοι. Sunt homines gulosi, qui *Phagones* Flav. Vopisco in *Aureliano*, *c.* 50. *vehementissime autem delectatus est Phagone*; *Polyphagi* Suetonio *in Neron. c.* 37. &c. Vide suprà *Phago*. At *Saccibucces*, apud Arnob. *l.* 3. *Hos displosis naribus, illos resimos: nonnullos turgentibus malis aut buccarum cumulatione saccibucces*: Græcis φυσίγναθοι, sunt qui buccas naturaliter tumidas ac inflatas habent. Tralatitiè verò, scurræ sic dicti sunt & *buffones*, uti hodie Galli vocant, imò & Adamantius jam Martyrius, quòd buccas inflarent in mimo alapis accipiendis, ut validius sonarent; aliter φυσίγναθοι. Item, inflati, jactanticuli & futiles, de quibus vide Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c.* 4. & hìc passim, inprimis in vocibus *Copriæ*, *Scurræ*, item *Aretalogi* &c.

SACCOMUSA, aliis *Utricularia tibia*, Romano Emanueli apud Politianum *Hebraico Comment. in Psalmos Nevel*, unde Latin. *Nablium*, instrumentum Musicum, cui ventriculum humanum figuræ similitudine comparare Anatomicos, ait Casp. Bartholinus. Usus ejus, ut quoties sonus eliciendus est, Utricularii inflent utrem, & retineant manu calamos, ac pressum utrem cubito quatiant, ita ut calami ex jactatione assidua vibrentur. Vide Virgilium *in Copa*, Citeriori ævô Mantuanus Poëta Tonicum quendam, Utricularium paganum, *Saccomusa* ludentem, eleganter ita depingit *in Bucolicis*.

> *Et cum multifori Tonius cui tibia buxo,*
> *Tandem post epulas, & pocula multicolorem,*
> *Ventriculum sumpsit, buccasque inflare rubentes,*
> *Incipiens oculos aperit, alisque levatis*
> *Multotiesque alto flatu e pulmonibus hausto*
> *Utrem implet, cubito vocem dat tibia presso*
> *Nunc huc, nunc illuc, digito saliente* &c.

Vide laudatum Bartholinum *de Tibiis Veter. l.* 3. *c.* 7. & hìc passim, vocibus *Ascaules*, *Musa*, *Utricularius*, *Utriculus* &c.

SACCONIUM, vide *Seckinga*.

SACCOPHORI, vide *Messaliani*.

SACCULARII, qui vetitis & Magicis artibus, ex alienis sacculis aut subducunt pecuniam, aut subtrahunt, Ulpiano *leg.* 41. §. 17. *ff. de fidei comm. libertat.* censentur, *plus quàm fures puniendi*. Est autem *subducere*, pecuniam arte ad se elicere, vel quâ aliâ ratione illicitâ; *subtrahere* est, manu auferre. Cujusmodi præstigias Synesius *in Ep. Euthalii* describit, quem & βαλλαντιοτόμον, i. e. *sacculariam*, vocat: qui cùm, in mulcta solvenda, unum *sacculum* ostentâsset, in quo aurei erant nummi, & alium huic simillimum occultaret, in quo ærei, numeratâ pecuniâ aureâ & suo redditâ *sacculo*, mox clam alterum pro altero supposuit & tradidit. Vide Tit. Popmam *de Operis servorum*, & infrà voce *Zona*.

SACCULI, item *Folles*, Græcis κώρυκοι & σάκκοι, inter vasa seu instrumenta, quibus olim Athletæ exercebantur, numerantur *Polluci*, cùm κώρυκον, σακκίον & σάκκον in eorum censu locat. Erant illi, vel tomento farti, vel aliâ re pleni, quæ gravem ictum non facerent; putâ ficorum granis vel farinâ aut furfuribus; interdum & arenâ. Chrysostom. *Hom.* 20. *in ad Hebr.* Ἆρον τὸν ἀνταγωνιστὴν, καὶ ἀνεῖλες τῶν στεφάνων τὴν ἀφορμήν. οὐχ ὁρᾷς τοὺς ἀθλητὰς πῶς θυλάκους ἄμμου πληρώσαντες οὕτω γυμνάζονται; *Tolle adversarium, & tollis coronarum occasionem. Nonne vides, uti Athletæ folles sabulò referscientes sic exerceantur*; Vide suprà, ubi de *Corycomachia*. Atque hujusmodi *sacculos* Casaubon. intelligit, apud Treb. Pollionem *in Gallienis*, *c.* 7. ubi legit: *Processerunt --- carpenta cum mimis & omni genere histrionum: pugiles, sacculis, non veritate, pugilantes*. Salmas. verò *facculis* legendum & pugiles, ludicri gratiâ pugillantes, ἐπισφαίροις quidem seu *pugillis*, locô cæstuum, non verò *sacculis* usos fuisse, docet: inter quæ discrimen haud exiguum. Namque ista ἐπισφαῖρα manibus alligata gerebant; at sacculos illos follesque mittebant, manibusque inter sese expellebant: vide eum *Not. ad Pollionem*, nec non suprà, in voce *Pugilla*. Sed & *Sacculi* & *Sacci*, in ministeriis Ecclesiasticis recensentur, apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ. Unde *Acolytos ante Pontificem Euangelia, sindones & sacculos & aquammanus portare* consuêsse, legitur in *Ordine* Romano ubi de Pontifice, è Secretario ad altare procedente. Ibidem, quo fine adhibiti sint, innuitur, *Post expletum, Agnus Dei: & accedentes Subdiaconi sequentes cum Acolytis, qui saccula portant à dextris & sinistris altaris, extendentibus Acolytis brachia cum sacculis, Subdiaconi sequentes stant à fronte, ut parent sinus* sacculorum *Archidiacono, ad ponendas oblationes, priùs à dextris, deinde à sinistris*. Mox enarratur, ut ex oblationes ab Acolytis confringantur & ex iis populus communicet: apud Car. du Fresne in *Glossar.*

SACCUM, opp. Lombardiæ Transpadanæ.

SACCUS, Hebræi sermonis dictio, Latinis quoque cum Græcis communis, varia significat. Pro marsupio, loculis, crumena, repositorio & reconditorio nummorum passim occurrit, apud Jurisconsultos. Sic Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 148.

> *--- --- Mensam poni jubet atque*
> *Effundi saccos nummorum.*

Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 138.

> *Interea pleno cùm turget sacculus ore,*
> *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit* &c.

Vide hìc passim, ubi de *Crumena*, *Marsupio*, *Ventrali* &c. Unde *Saccus*, pro ipso Fisco seu Thesauro, apud Isidor. *Origin. l.* 20. *c.* 9. *Fiscus, saccus est publicus*. Item *Sacculus*, *Sacellum* & *Sacellum*; à qua voce *Sacellarii*, h. e. Sacelli seu Fisci Custodes, Βαλαντιοφύλακες. apud Imperatores Constantinopolitanos, Imperatores Occidentis, Reges Anglo-Saxonum, Alios. Etiam in Ecclesia Romana ubi *Sacellarii* dicti, quibus Fisci Ecclesiastici cura incumbebat, apud Anastasium *in Constantino Pontif.* & *Gregorio* II. Sed & *Sacellarii* dignitatem in Ecclesia Constantinopolitana magnam fuisse, patet ex Guilielmo Bibliothec. *in Hadriano* II. de qua vide quæ adnotavit Car. du Fresne *in Constantinopoli Christ.* ubi de Secretis Ecclesiasticis, ut & infrà. Porrò *saccus*, apud Hebræos, lugubris vestimenti genus fuit, cujus toties in S. Scriptura mentio, Hebr. שק, quam vestem fuisse è villis hircorum & caprarum contextam sunt qui velint. Vide Causaubon. *Exercit.* 13. Eodem nomine tunica appellata olim est Monachorum Ægyptiorum, quòd *sacco* similis esset, utpote manicis carens & corpus pressulè constringens, quam & *saccineam tunicam* dixêre. Ruffinus de Monachis Tabennesiis, quos ingentis abstinentiæ viros vocat, *quibus usus*, inquit, *indui colobiis, quasi saccis lineis & pelle confectâ*. Hieronym. in *Vita* Hilarionis, *Igitur octogesimô ætatis annô cùm absens esset Hesychius, quasi testamenti vice brevem manu propriâ scripsit epistolam, omnes divitias ei suas derelinquens, Euangelium scilicet, & tunicam saccineam, cucullam & palliolum*. Nempe præceptum Domini, de una tunica habenda, moremque Apostolorum ei consentaneum, studiosè observârunt Monachi antiqui, Ægyptii præcipuè, quibus in locis hyemes mitiores sunt & major aëris temperies; Europæis verò, propter hyemis rigorem, una tunica non sufficiebat, ideoque plures usurpabant, easque manicatas, uti discimus ex Cassiano *de Habitu Mon. l.* 1. *c.* 11. Præter tunicam autem illam, pallium ferebant, & cucullum parvum cum melota, Ægyptii Monachi, ut vidimus suprà. Τραχὺν σάκκον, *saccum asperum*, illam tunicam vocat Basilius *Ep.* 120. σάκκον τρίχινον, *saccum pilosum*, Gregorius Decapol. *de Mirac. S. Gregorii num.* 47. δυσώδη, *male olentem*, Idem *num.* 49. quippe *de capris & hœdis confectum*, ut ait Augustin. *in Psalm.* 29. *Enarr.* 2. &c. Vide Socr. *l.* 7. *c.* 22. aliosque Auctores laudatos Car. du Fresne in hac voce, ut & Salmas. *Not. ad Tertulliam. de Pallio*. Sed & *Saccus* apud Græcos, vestis dicta est Patriarcharum vel Episcoporum, cujus inventor Joannes Chrysostomus vulgò fertur, qui proin cum istiusmodi veste pingi solet. Habet illa formam Diaconalis Dalmaticæ in Ecclesia Romana, nisi quòd sit aliquanto longior, & in lateribus fibulata; concessa solis Patriarchis ac Metropolitanis, cùm sacra celebrant, idque non nisi ter in anno, nempe in Paschatis, Nativitatis ac Pentecostes festivitatibus. Licèt enim Jejuniorum quoque tempore & in mortuorum commemorationibus ferretur, illa tamen rubri coloris fuit, qui pro lugubri Græcis habetur; aliàs albô colore fulget. Vide Dominic. Macrum *in Hierolexico*; ubi *Sacci* usum Patriarchis eximium, nec nisi per abusum à Metropolitis quoque processu temporis adhibitum esse, addit ex Balsamone *de Jure Græco Rom. l.* 1. Imò & inter Regias vestes, *Saccus* occurrit, in *Ordine* ad consecrandum Regem Franciæ, apud Car. du Fresne: quam vocem Renatus Benedictus ibi vertit, *un sac, ou manteau* &c. Σάκκον quoque seu *Saccum*, induisse Imperatores Constantinopolitanos, est apud Codinum *de Officiis c.* 6. *num.* 35. Ὅτε γοῦν ὁ Βασιλεὺς τὸ στέμμα φορεῖ, ἕτερόν τι ἔνδυμα οὐ φορεῖ, εἰ μὴ τὸν σάκκον καὶ τὸ διάδημα, *Cùm igitur Imperator coronam gestat, aliud indumentum non fert, quàm Saccum & diadema*. Ubi Goarus, *Talaris tunica ex villoso serico totum corpus obtegens, nullisque sinuum undis circa illud ludens, aut mota, verùm nonnihil angusta, liberos, ut videtur, incessus non permittens, ac denique sacci figuram referens*, saccus est. Quibus verbis innuit eas vestes, cum quibus Theodorus Lascaris, Michaël Palæologus, aliique Imperatores vulgò effinguntur, *in editione* Nicephori Gregoræ Wolphiana, Willharduini *edit. Lugdun.* Rhamnusii *Histor. Constantinopolit.* &c. Vide præfatum Car. du Fresne *in Glossar.* & Macrum ubi suprà, qui de *Sacco Patriarchali* agens Imperatorem Constantinopolitanum in solemnioribus quoque processibus *Saccum* gerere solitum, ait: quæque retro dictâ in *Acacia*. Occasione ritûs ab Hebræorum *sacco*, pœnitentiæ, humilitatis ab submissionis indice petitâ, ut cuivis attentiùs ista consideranti facilè constat. &c. De *Saccis* Saburræ olim vice adhibitis, vide suprà *Saburra*; uti de aliis hìc facientibus, in vocibus *Saccare*, *Saccarii*, *Saccati* &c.

SACCUS Benedictus, vulgò *Sambenito*, vestitus in Ecclesia Romana crocei coloris atque in pectore & tergo crucem S. Andreæ coloris rubei ostentans, quô supra vestem nigrâm albis lineis distinctam superinduuntur Hæretici pœnitentes, aut de hæresi vehementi suspecti. Ab illo diversa est *Samarra*, vide infrà, quæ tamen nonnunquam *Sambenito* dicitur, quòd eadem formâ est, alterius verò coloris, ac flammis conspersa. De utroque vide Phil. à Limborch *Historiâ Inquisit. l.* 4. *c.* 41. ubi & harum vestium figuram æri incisam habes. Vide *Sanbenito*.

SACELLARIUS, Ecclesiæ Romanæ ex præcipuis olim erat Pontificalis Palatii Ministris, thesauri custodiam sibi com-

missam habens, ex voce *Sacellum*, de qua vide suprà, in *Saccus*. Ejus, in processione Pontificis, meminit *Ordo Romanus* hôc ordine, *Post equum verò* (Pontificis) *hi sunt qui equitant*, *Vice dominus*, *Vestiarius*, *Nomenclator atque Sacellarius*. Quos postremos duos etiam supplicationes eorum, qui Papæ in via occurrebant, audiisse *ibid.* legitur: *Expectat, usque dum possit audiri, & petitâ benedictione discutitur à Nomenclatore vel* Sacellario *causa ejus, & ipsi indicant Pontifici & finiunt*. Duravit id officium usque ad Hadrianum I. uti innuit Blondus, qui ab hoc Pontifice Paulum Romanum & Stephanum Sacellarium, ad Desiderium, Italiæ Regem, missos fuisse, ait *Decad.* 2. *l.* 1. Vide quæ de voce hac suprà diximus, ut & in voce *Sacellarius*. At à *Sacello*, nomen Officii in Ecclesia olim Constantinopolitana, distincti à *Sacellarii* munere; quippe cui Patriarchales carceres & Monialium *clausuræ* seu *sacella* curæ erant, Dominic. Macer *in Hierolexico*. ex Anastasio Synaita *in Itinerar. Syriaco*. Certè *Sacellum* primitus *sacculus* erat, seu marsupium, Græcis quoque σακέλλιον dictum. Vide Cæsarium *Homil.* 2. *de Eleemos*: Hinc pro thesauro; tandem pro loco sacro, sicut suprà diximus in voce *Capella*: eo quòd thesauri Principum in locis sacratioribus essent reconditi. &c. Jam tamen apud Festum, *Sacella dicuntur, loca Diis sacrata sine tecto*; Græcis σηκοί. Latinis quoque *Consepta*; murô enim tantùm claudebantur. Sic à *sacer*, erit *sacellum*: quæ tamen duæ notiones sequenti ævô in unam coaluisse videntur. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 147. ut & suprà, in voce *Conseptum* item *Oratorium*. Hujusmodi *Sacella* coronari olim, h. e. flore conspergi in sacris festivitatibus, consuevisse docet Propert. *l.* 4. *Eleg.* 4. *v.* 60.

Flore sacella *tego, verbenis compita velo,*
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

Quemadmodum & Templa, & antrum illud, unde Apollinea edebantur oracula, uti pluribus docet Car. Paschalius *Coronar. l.* 4. *c.* 18.

SACELLUM Sibyllæ, cujus *thalamus* Aristotel. *Antrum* Virgil. *la Grotta della Sibylla* vulgò, Spelunca Campaniæ, apud Avernum lacum inter Puteolos & Cumas, quasi 3. mill. pass. in saxo durissimo excavato: Ibi Sibylla Cumana morabatur.

SACER, inter accipitrum aut falconum hodie species, Gall. *sacre*; quæ vox Latina non est (licèt *sacer* olim Accipitris cognomen fuerit, uti posteà videbimus) sed Arabica; à verbo *sakara*, quod *acutè videre* sonat. Et quidem primò significat hæc vox omnem avem aucupatoriam Arabibus. Secundò unam è quatuor avium rapacium speciebus; quæ sunt, *Sacer*, *Sahin*, *Okab* & *Bazi*: è quibus *Sacer* iterum in alias tres subdividitur, nempe *in Sacrum propriè dictum*, *Chaunig & Jupi*. Sacrum propriè dictum, aliter *agdal* vocant i. e. *robustum*, & *achdar*, i. e. *fuscum* & *kumati*, i. e. *carnis avidum*, ac sic describit *Damir*: *Se habet ad alias aves rapaces, ut mulus ad reliqua jumenta. Est enim viribus fortior & aptior ad ferendas graviores læsiones & occursu melior & pedibus firmior, contra omne gruum genus ---- Frigidioris est temperamenti atque etiam humidioris ---- Ac proinde instituitur ad caprearum & leporum venationem. Et τῷ bazi (seu Accipitre) docilior est & ab hominibus citiùs cicuratur & faciliùs illi satis fit. Propter temperamenti sui frigiditatem aquam non bibit unquam ---- In manu sua volas habet ferarum instar, quibus in id involet, quod capit & illud teneat.* Nullius avium rapacium aucupium tam mirabile esse, scribit Alkazuinius, cùm *Sacri* duo in capreæ oculos involantes, aut eam alis diverberantes, detineant, donec in venatorum manus veniat. Idem miratur, quòd tantula avis in gruem insilire audeat, quæ molis est tanto majoris: primum autem aucupii hujus apud Arabes auctorem Alharitz fuisse, Muhaviæ filium, addit. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 12. *c.* 19.

SACER, collis & mons, locus ad tertium milliarium supra Anienem, quem plebs Romana post reges exactos, cum à potentioribus premeretur, occupavit, Cic. *in Bruto*. Ibi creati sunt Tribuni plebis. Ovid. *Fastor. l.* 3. *v.* 663.

Plebs vetus & nullis etiam tunc tuta Tribunis
Fugit, & in Sacri vertice montis erat.

Jovi sacer erat. Item fluv. Corsicæ, vulgò *Orbe*, Gall. Aliàs *Hierus*.

SACER Ales, apud Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 721.

Quàm facilè Accipiter saxo sacer *ales ab alto*:

Accipiter est Græcè Ἱέραξ, unde illi hoc nomen potiùs, quàm à verbo ἵεσθαι, ut vult Eustathius *in Od.* O. Ἱέραξ ἱερὸς Ἡλίῳ Ἀπόλλωνι διά τι τὸ ὀξὺ τῆς κινήσεως· ὠκυπέτης γὰρ ὁ ἱέραξ, καὶ ὁ Ἥλιος ὀξυκίνητος, καὶ διὰ τὴν ἐξ ἐτυμολογίας συγγένειαν, καὶ γὰρ ἵεται ῥᾷον ὁ Ἥλιος. ἐντεῦθεν δὲ καὶ ὁ ἱέραξ ὠνόμασται, *Accipiter Soli Apollini sacer est, propter motus celeritatem, pernix enim est accipiter, ut Sol est velocis motus, & propter etymi affinitatem. Sol enim it facilè, unde accipitri nomen est.* Certè apud Demetrium *in Præfat. ad Hieracosophiam* legimus, Τῷ τῶν ἱερῶν ὀρνίθων γένει πρὸς σωτηρίαν ἐπιπορίσασθαι μηχανήν, *Sacrarum avium generi ad salutem aliquam artem invenêre.* Et rursus; Ἐσπούδασά τινα χρήσιμα θεραπείας πρὸς σωτηρίαν τῷ ἱερῷ τῶν ὀρνίθων γένει καταλιπεῖν, *Utilem aliquam ad salutem curationem sacro avium generi relinquere conatus sum.* In quibus verbis, per *sacras aves*; & *sacrarum avium genus*, τοὺς ἱέρακας, i. e. *accipitres*, designari palàm est. Et cur Accipiter Græcè ita dictus sit, inquit *Servius*, *ratione non caret, quæ nota est sacrorum peritis*. Fortè id natum ex Ægyptiorum superstitione, quibus ex sacris animalibus nihil fuit tam sacrum, quàm Ibis & Accipiter. Itaque; si quis aliud animal invitus necâsset, ad Sacerdotum arbitrium mulctabatur: Ὃς δ' ἂν ἶβιν ἢ ἱέρηκα ἀποκτείνῃ, ἤν τε ἑκὼν ἤν τε ἀέκων, τεθνάναι ἀνάγκη. *At quisquis ibin, aut accipitrem necaverat, sive volens, aut invitus necasset, eum mori necesse erat*; ut habetur in *Euterpe* Herodoti. Vide eundum Bochart, ubi suprà.

SACER, Ignis, qui super Altari in V. T. erat & victimas depascebat sanctificabatque. Et quidem Igne cælesti Sacrificia consumta fuisse, sæpius in sacris legimus, ubi de Abele, Noacho, Abrahamo, Gideone, Manon, Davide Elia &c. quorum Sacrificia eô modô flammata constat. Bis autem præcipuè ille erupisse legitur, 1. in dedicatione Tabernaculi, Levit. *c.* 9. *v.* 23. 24. 2. Templi, 2 Chron. *c.* 7. *v.* 1. 2. 3. (ceteroquin ordinarius ille ignis, qui in Altari diu noctuque excubabat, naturalis potius videtur fuisse, à Sacerdotibus eò allatus & summâ curâ custoditus, Levit. *c.* 1. *v.* 7. coll. cum *c.* 6. *v.* 12. 13. & *c.* 9. *v.* 20. ubi præceptum de struendo & conservando igne præcessisse videmus descensum ignis è cœlo, qui demum memoratur *c. hujus v.* 24. Erat verò hic Ignis divini Spiritus symbolum, qui ædem istam incolebat, ibique pervigilem ac æternum focum habebat, inque isto Sacrificiorum cultu etiam adorabatur. Atque hôc modô *Altare dona consecrabat* Matth. *c.* 23. *v.* 19. propter ignem videl. nunc factum qui visibile Spiritus S. dona nostra accipientis & consecrantis signum erat. Eodem divina Christi natura, Hebr. *c.* 9. *v.* 14. & immensæ charitatis ardor, Ps. 69. *v.* 10. designabatur. Sed & notabat, sedere oportere intra nos S. Spiritum & charitatis illum ignem exardere semper, æternasque flammas volvere debere: Utque is novô pabulô quotidie alebatur ita nostri esse officii Spiritus donorumque ejus scintillas perpetuò ἀναζωπυρεῖν, & novô flatu identidem animare &c. Franc. Burmannus *Synopsi Theol. Christ. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 11.

SACER Ignis, apud Virgilium *Georgic. l.* 3. *sub fin.*

---- *contactos artus* sacer ignis *edebat*:

Servio, est quem Græci ἱερὰν νόσον, *sacrum morbum* vocant. Sed ἱερὰ νόσος, teste Hier. Mercuriali *in Var. Lect.* nihil aliud, quàm epilepsia est: *Ignis* verò *sacer* apud Latinos idem, quod apud Arabes *formica*, apud Plin. *Zoster* & *circinus*, apud Scribonium *Zona*, apud Græcos ἕρπης, de quo Plato *de LL. l.* 2. & fusè *Gorræus* ubi illius genera varia enumerat. Vim ejus optimè declarat Lucretius *l.* 6. *v.* 660.

Exurit sacer ignis *& urit corpora serpens*
Quamcunque arripuit partem, repitque per artus.

Et quia humor est è ferventi sanguine ortus, pro peste vel pestis comite ponitur Senecæ *Oedipo v.* 157.

----- ----- *Et sacer ignis.*
Pascitur artus -----

ad quem locum vide M. Anton. Delrii *Notas*.

SACER Lucus, apud Dionysium *l.* 1. Ἡ δὲ λύκαινα οὐ πάνυ ἀγριαίνουσα τῶν ἀνθρώπων τῇ προσόψει, ἀλλ' ὥσπερ ἂν χειροήθης, ἀποστᾶσα τῶν βρεφῶν ἠρέμα καὶ σὺν πολλῇ ἀλογίᾳ τοῦ ποιμενικοῦ ὁμίλου ἀπῄει. ἦν γάρ τις οὐ πολὺ ἀπέχων ἱερὸς χῶρος ὕλῃ βαθείᾳ συνηρεφής. *Lupa autem non multum accessu hominum efferata, sed velut cicurata, sensim ab infantibus absistens ---- abiit. Erat enim haud procul sacer lucus densâ sylvâ obumbratus*: Josepho Scaligero idem fuit cum ficeto, quod ex Ficu Navia propagatum esse, dicit Festus *in Fragmento*; ubi ait, plures ficus fuisse enatas, ex illa ficu, quæ ad Comitii aram à Navio sata est. Sed situs repugnat, & malè confunditur Ficus Ruminalis, sub qua inventa lupa ubera felitanda præbuit Romulo & Remo, cum Ficu Navia, ab Atio Navio Augure satâ. Illa enim in Tiberis littore, quousque hiberna ejus alluvies pervadit; unde non procul *Sacer Lucus*: hæc in Comitio fuit. Vide Varronem *de L. L. l.* 4. & Liv. *l.* 1. *c.* 4. ut & Salmas. *ad Solin. p.* 1137.

SACER Lucus, *Strab. Selva de Hami* scil. *Mazzella*, sylva Campaniæ, apud ostia Liris, 3. mill. pass. à Minturnis.

SACER Mons, Æmiliæ, Cesenæ urbi imminens, hinc *Monte di Cesena*, vitifer & olivifer.

SACER Mons, Morali *Pico Sagro*, mons Hispaniæ Tarraconensis in Callaicis, inter Compostellam & Auriam: ubi aurum fulgure detegi, ait Justinus, *l.* 44. *c.* 3. instar pyramidis. Item, ad Euxinum mare: circa Thracium mare etiam, inter Byzantium & Chersonesum Thraccan videtur. Polyæn. *l.* 3. *in Iphicr. comm.* 33.

SACER Mons, apud Justinum *l.* 12. *c.* 7. *Alexander ---- cùm ad Nysam urbem venisset ---- ad Spectandum* sacri *montis duxit exercitum* &c. Meros dicitur Curtio *l.* 8. *c.* 10. & cum urbe vicina Nysa malè, fortè ex Scriptorum vitio, confunditur Plinio *l.* 8. *c.* 6. Nomen ei, quòd Bacchum ibi nutritum finxit antiquitas, unde ingens ejus religio. Ipse Alexandri miles, *ubi ad montem accessit, repentinô incitu mentis, in sacros Dei ululatus instinctus, cum stupore Regis, sine noxa, discurrit*, Justinus *Ibid.*

SACER Portus, vel *Sacriportus*, locus in Italia Syllæ & Marii Junioris præliô nobilis. Vellejus *l.* 2. *c.* 26. *C. Marius septies Consulis filius apud Sacriportum pulsus à Syllâ.* Lucan. *l.* 2. *v.* 134.

Jam quot apud Sacri cecidêre cadavera portum.

Ἱερὸς λιμὴν dicitur Appiano Ἐμφυλ. α.

SACER Portus, locus Galliæ, in finibus Senonum, nobili Monasteriô ejusdem nominis insigne: patriô olim sermone, *Bar-Beel*, nunc *Barbeau*. In hoc cœnobio, & quidem in Eccles. S. Mariæ de sacro Portu, quam fundaverat, Ludovicus Rex sepultus est, A. C. 1190.

SACER,

SACER Serpens, memoratur Aristoteli, aut quisquis *Mirabilia* scripsit; quem ut examinaret Thessala mulier, in urbe Teno, Κύκλον γράψασα καὶ τὰ φάρμακα θεῖσα, εἰσῆλθε εἰς τὸν κύκλον αὐτὴ καὶ ὁ υἱός. *Cum circulum descripsisset, & pharmaca in eo posuisset, in eum circulum cum filio ingressa est.* Sed cùm is occentaret, quin illa in soporem lethiferum daretur, abfuit parum. Vide Bochart. *d. Opere*, *l.* 3. *c.* 6. ut & suprà, in voce *Ketanere*: item ubi de *Aspide Surda*.

SACERDOS, nomen officii Ecclesiastici, apud Israëlitas. Quemadmodum enim in Ecclesia N. T. institutos legimus Episcopos seu Ministros Verbi, Diaconos & Subdiaconos, sic in Veteri Ecclesia fuére *Sacerdotes*, Levitæ ac Nethinæi: quorum omnium caput Pontifex, erat, seu *Sacerdos* summus, Pontificis nostri Summi, CHRISTI JESU, illustris typus. Habebant *Sacerdotes* vulgares multa cum Pontificibus communia, sed & non pauca ab iisdem diversa. De ritu initiationis utrorumque vide Exod. *c.* 29. & Levit. *c.* 8. & 9. ubi discrimen ferè in his duobus situm erat. 1. Quod omnes & singuli Pontifices, in novi honoris exordio, ungebantur, ut infrà videbitur: *Sacerdotes* autem reliqui, in prima consecratione filiorum Aaronis inuncti & consecrati censebantur. 2. Quod Pontifices, oleô in capite perfundebantur, Exod. *c.* 29. *v.* 7. conf. Levit. *c.* 8. *v.* 12. & *c.* 21. *v.* 10. *Sacerdotes* verò, admixto victimarum sanguine, in sacra veste, leviter tantùm adspergebantur. Exod. *c.* 29, *v.* 7. & 21. Levit. *c.* 8. *v.* 12. & *c.* 21. *v.* 10. Adde, quod & in vestitu discrimen fuit: Nam cùm ex octo distinctis vestium generibus *Sacerdotis* summi habitus constaret; quatuor tantùm illorum adhibebantur à *Sacerdotibus* reliquis, functioni suæ vacantibus: *Femoralia* nempe *linea*, *tunica* item, *baltheus* & *tiara*, ex eadem materia Exod. *c.* 28. *v.* 40. 41. Differebant quoque in conjugio, quod cùm *Sacerdotes* contrahere possent cum vidua, si nec meretrix, nec repudiata, aut profanata esset. Levit. *c.* 21. *v.* 7. Pontifici prætereà viduâ interdicebatur, *c. eod. v.* 14. Quintum discrimen concernebat ipsam muneris administrationem: Pontifici enim soli, idque non nisi semel in anno, Sanctum Sanctorum licebat ingredi, Exod. *c.* 16. *v.* 34. Sexto, *Sacerdotibus*, in proximorum obitu, luctus permittebatur. Levit. *c.* 21. *v.* 2. cùm Pontifici, qui unicus erat, & semper in atrio versari tenebatur, omnia luctus signa, quocunque in funere, prohiberentur. *v.* 10. 11. Conveniebant vero, ratione initiationis seu consecrationis in hisce; Primò *absque omni corporis vitio esse* tenebantur, Levit. *c.* 21. *v.* 17. Dein *accedere jubebantur ad tentorium conventus.* Porrò, *lavabantur aqua*, Exod. *c.* 29. *v.* 4. Prætereà, consecrabantur oblatione certarum victimarum, *c. eod. v.* 11. 15. &c. Tandem *sanguis arietis imponebatur infimæ auriculæ, & pollici manus eorum dextræ pollicique pedis illorum dextri*, *v.* 20. Tempore autem consecrationis, quod partes quædam sacrificii imponerentur manibus Sacerdotum, (cui ritui in Ecclesiis quibusdam S. Biblia initiando porrigendi mos respondet) hinc consecratio ista Hebræô styló, dicta est *impositio in manus.* Officium utrorumque quod attinet, ea, in quibus iterum conveniebant, erant ista: Primò, utrique sacrificia offerebant, & odoramenta adolebant, 1 Chron. *c.* 6. *v.* 49. Cæteri quidem *Sacerdotes*, per vices stationesque suas, & factâ primùm inter sese sortitione; Pontifex verò, quoties & quando ipsi libitum esset, absque sortitione, cùm ipsi omnia sacra omni tempore obire fas esset. 2. Utrique nomine Dei populo benedicebant, Numer. *c.* 6. *v.* 23. Pontifex quidem, solennem in modum, in Templo, in anniversario sacro, expressa cum nuncupatione sacratissimi nominis, juxta formulam Numer. *c.* 6. *v.* 23. 26. Ordinariam verò benedictionem peragebant quoque *Sacerdotes* gregarii. Porrò utrique jus habebant clangendi tubis, seu populus convocandus, seu classicum canendum esset, Num. *c.* 10. *v.* 2. Utrique jugulabant victimas, 2 Chron. *c.* 29. *v.* 22. Utrique instruebant populum, Malach. *c.* 2. *v.* 7. Utrique pariter de lepra judicabant, Levit. *c.* 13. *v.* 2. Succedebant verò *Sacerdotes* hi in Sacerdotium, natalium jure, (Aaronis posteris divinitus concessô) prævió tamen Senatorum magni consessus examine, si quibus fortè familiæ aut generis mota controversia, vel vitiis morbisque corporis alii&que modis probrosi, ac sacro muneri impares essent: Et ne illorum pollueretur genus, tabulas habebant Genealogicas, in quibus Parentum nomina, genus, alia, recensebantur, ex quibus de puritate natalium constaret. Esra *c.* 2. *v.* 62. conf. Neh. *c.* 7. *v.* 64. Ministrabant illi in templo stantes, ut colligere est, ex loco Deuter. *c.* 18. *v.* 5. cùm nemini in loco sancto sedere fas foret, nisi soli Regi; ac primùm loti, ex lege ibs dictâ, Exod. *c.* 30. *v.* 19. 20. quod, sub comminatione mortis institutum, strictè adeò servabatur, ut, si vel anteà lavissent, tamen Templum ingressuri iterum lavarent. Quô factum, ut, dum stantes ac nudis pedibus rem divinam, tenui lino induti, quod sæpius de die sumere ac ponere necesse erat, faciebant, dumque identidem lavare vel ministerium mutare opus habebant, ac solis ferè sacrificiorum carnibus vescebantur, frequentibus morbis obnoxii essent. Sunt autem *Sacerdotes* ordinarii distributi in varias classes, partim à Mose, partim à Davide; qui in 24. ordines eos redegit, quorum sexdecim erant Eleazaridæ, octo Ithamaridæ, 1 Chron. *c.* 24. qui numerus sub secundo quoque Templo duravit: quanquam non eædem familiæ semper manserint incolumes, sed novæ quædam, post reditum ex Babylone, in ordinem istum sacrum fuerint ascitæ, Nehem. *c.* 7. *v.* 30. & *c.* 10. *v.* 1. & *c.* 12. *v.* 1. Veniebantque istæ classes per vices Hierosolymam, singulæque in templo hebdomadem unam sacris operabantur, adeò ut bis in anno ad unamquemque ordo rediret. Unaquæque autem classis rursus in 7. ordines dispescebatur, juxta 7. hebdomadæ dies, quibus illi ministrandum foret. Officia illorum specialia, præter jugis sacrificii aliarumque seu solemnium seu votivarum & spontanearum victimarum oblationem, erant: *quolibet die bis in altari aureo suffitum facere*, Exod. *c.* 30. *v.* 7. 8. *Lampades in Templi atrio instruere & accendere*, Exod. *c.* 27. *v.* 21. *Ignem sacrum curare, ne extingueretur.* Levit. *c.* 6. *v.* 12. 13. *Aram emundare, cineresque everrere*, Levit. *c.* 1. *v.* 16. *Quolibet Sabbato panes sacros recentibus permutare*, Exod. *c.* 25. *v.* 30. *Prophanos denique & impuros a Templi limine arcere*, Numer. *c.* 5. *v.* 2. Præter quod Altaris Tabernaculique seu Templi ministerium, ad docendum etiam, constituti erant, Deuteron. *c.* 17. *v.* 9. Malach. *c.* 2. *v.* 7. ut alia eorum munera, quibus in Synedrium cooptati fungebantur, omittam: Sed & iis cum Levitis commune erat, *excubare circa Templum*, dispositis quaquaversùm in Templi ambitu custodiis, ac de nocte vigiliis: quæ 24. stationum erant, quarum unaquæque denorum hominum, ut sic universa custodum cohors 240. capitum esset, ut videre est, Numer. *c.* 18. *v.* 2. & 4. Secundum quæ omnia munera *Sacerdotum*, Templo speciatim secundo inservientium, varii erant gradus ac genera, quæ *infrà* subjiciemus. Verùm, quemadmodum, non nisi post Μοσχολατρείαν in Deserto ab Israëlitis commissam, rejectâ à sacrorum administratione totâ gente, Levitæ à Deo sacro ministerio adhibiti, & Aaronidæ, in locum Primogenitorum ac Patrum familias, qui primis temporibus sacra curabant, sunt suffecti: sic totum hoc veteris Hierarchiæ, sub Novo Testamento, sublatum est imperium atque discrimen, cedente hac umbrâ, cum adventare corpus, CHRISTUS, *Sacerdos* noster unicus ac perpetuus, sub quo, tanquam Duce suo, descripti omnes Fideles, spirituali omnes *Sacerdotio* defunguntur, quod *Sacerdotum minorum* turba adumbrabat; ac spirituales hostias Deo offerunt, *facti per Christum Sacerdotes Deo & Patri.* Apocal. *c.* 1. *v.* 6. & *c.* 5. *v.* 20. In quo ministerio, qui alios ad Deum adducunt, ii speciatim *Sacerdotes* sunt, ut apparet ex Esai. *c.* 66. *v.* 20. 21. Sicut ita Paulus Rom. *c.* 15. *v.* 16. se dicit, *Ministrum esse Christi ad Gentes*, ἱερουργοῦντα τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *ut oblatio Gentium sit accepta.* Vide Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 5. & Franc. Burmannum *Synopsi Theologiæ Christ. Part.* 3. *l.* 4. *c.* 8.

Sacerdotum, Templo inprimis secundo, diversi gradus.

α. Pontifex Maximus, Sacerdotum omnium Princeps, ac Sacrorum veluti Rex: de quo vide infrà, in voce *Sacerdos summus*. β. Pontificis Vicarius סגן *Segen*: sub cujus imperio reliquæ *Sacerdotum* familiæ. γ. Duo, qui eandem operam huic Vicario, quam ille Pontifici, præstabant: קתיקלין vocati. δ. His 7. suberant, qui Templi asservabant claves: appellati אמרכלין. ε. Tres sub prioribus, sacro Ærario præfecti, גזברין i. e. *Thesaurarii*, dicti. ζ. Hos sequebatur ראש המשמר, h. e. *custodiæ Templi præpositus.* η. Tum ראש בית אב i. e. *caput paternæ domus.* θ. Reliqui omnes, de *Sacerdotum* plebe ac vulgo erant; quos *Sacerdotes Idiotas* Hebræi indigitant. ι. Præter hosce ordines, 15. enumerantur specialia munera, quorum singula suos habebant Præfectos, quibus iterum magna suberat Sacerdotum turba: Horum 1. Præfectus temporum sacrificiorum. 2. Portarum templi, qui signum dabat eas aperiendi claudendive. 3. Custodiarum Templi. 4. Cantorum. 5. Instrumentorum Musicorum. 6. Sortium jaciendarum super Sacerdotibus, illô die ministraturis. 7. Columbarum & avium, quæ in Templi ambitu divendebantur sacrificaturis. 8. Tesserarum, quibus opus erat, ut vina ad libamina acciperentur. 9. Vinorum, qui ipsa depromebat. 10. Aquarum urbis & Templi, quibus ad sacrificia erat opus ne unquam illarum esset defectus. 11. Valetudini *Sacerdotum* præpositus seu Archiater. 12. Panum propositionis præfectus. 13. Suffimentorum conficiendorum. 14. Velorum & cortinarum templi. 15. Vestium Sacerdotalium, de quibus suprà dictum. Vide de his omnibus, præter alios, Burmannum *loco præfato.* Ut & de Gentilium *Sacerdotibus*, quos, ad imitationem verorum Israëlis *Sacerdotum*, Simia Dei inter suos instituit, aspergam pauca: Nobilissimæ semper apud Romanos Græcosque familiæ sacris præfici solitæ sunt: Unde Patriciis, inter alias prærogativas, à Romulo injunctum, *ut sacra curarent*, Dionys. *l.* 2. & nota Ceryoum, atque Eteobutadarum, apud Athenienses, privilegia. Apud Ægyptios similiter summa in veneratione *Sacerdotes* fuisse, diximus in voce *Hierogrammatei*, ut de aliis taceam. De Romanorum *Sacerdotiis* fusè agit Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 24. & *seqq.* complexusque est fermè illa omnia Lucanus *Pharsal. l.* 1. *v.* 595. *his versibus*,

Pontifices, sacri quibus est permissa potestas,
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam;
Tum qui Fata Deûm, secretaque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybelen;
Et doctus volucres Augur servare sinistras;
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales;
Et Salius læto portans ancilia collo,
Attollensque apicem generoso vertice Flamen.

Fratres solùm Arvales omisit, nisi fortè de iis secundum versum intelligamus, quod tamen Dempstero *in Rosinum* non placet. Hos stipem Diis infundi solitam, inter se divisisse, diximus suprà ubi de *XV. viris.* Quirini verò adyta ne *Sacerdotibus* quidem adiri licuisse, voce *Quirinus.* Apud Athenienses *Sacerdotes* ac Sacrorum Ministri itidem varii erant, de quibus quædam subjungam, ex Franc. Rossæo *Archæol. Attic. l.* 2. *c.* 8. postquam addidero, Gentilium Sacerdotes, vittatos, infulatos & coronatos, plerumque oleâ, nonnunquam & auro, sacra obiisse, qua de re agit multis Car. Paschalius *Coronar. l.* 4. *c.* 14. ritus originem, apud Romanos, ex his Plinii *l.* 18. *c.* 2. arcessens: *Huic certe* (Romulo inter XII. arvorum Sacerdotes uni) *ab Acca Laurentia nutrice sua spicea corona, quæ vittâ albâ colligaretur, in Sacerdotio pro religiosissimo insigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona. Honosque is non nisi vita finitur; & exules etiam captosque comitatur.* Cæterum iisdem vestis talaris, longa Virgilio *Æn. l.* 6. cui niveus color, Statio *Theb. l.* 6. *v.* 330. &c. Nec de contractibus omittendum, qui *Sacerdotum* nominibus insigniti

gniri olim soliti sunt. Sic Sacerdos Augustalis Nicopoli instituus & anno nomen dabat, & in scribendis publicis aut privatorum *contractuum* instrumentis, ad tempus notandum, nomen ejus ascribebant: quod & in plerisque Græciæ civitatibus factum. Vide Arrianum *Dissertat. Epicteti l.* 1. *c.* 19. Multæ enim civitates sub Imperio Romano proprios annorum characteres habuerunt, & neque Consules Romanos indices cujusque anni scripserunt, neque Julianam rationem sunt secutæ: ut, præter Nicopolitanos, etiam de Alexandrinis legimus, qui similiter Augustalem suum, anni indicem, & τῆ ἐπωνύμῳ ἀρχῇ, ut loquitur *Theodoretus*, habuêre. Donec Justiniani edictô omnes omnium partium Imperii Romani Συμβολαιογράφοι, in scribendis instrumentis annum Imperatorum & Consulum annotare jussi sunt, ut ex *Novellis* ejus apparet. Magnum autem fuisse eum honorem, & inter alios summis Sacerdotibus deferri solitum, ut *Contractibus* nomina sua commodarent, discimus ex Maccab. *l.* 1. *c.* 14. ubi, postquam de Simone in Ducem & Sacerdotem summum electo actum esset, additur *in fine* ejus honori datum, ὅπως γράφωνται ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ πᾶσαι συγγραφαὶ ἐν τῇ χώρᾳ. *Ut scribantur de nomine ejus omnes syngrapha in regione* &c. Vide Casaubonum *ad Suetonium l.* 2. *c.* 18. ubi & de *coronis aureis Sacerdotum Augustalium, impensis item in Ludos atraque ingentibus*; uti *de more Imperator. Sacerdotiorum introitus vendendi, ad Claudium ejusdem c.* 9. In Ecclesia Christiana nomen *Sacerdotis*, post Apostolorum tempora, Episcopis primùm, inde Presbyteris, dari; illosque *primi*, istos *secundi ordinis Sacerdotes*, appellari cœpisse, docet ex Patribus Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* voce Ἱερεύς. Vide quoque eum in vocibus Θυσία, item Θυσιαστήριον ut & hic non unô locô.

Varia Sacerdotum apud Athenienses genera.

α. Βασίλισσα, Sacrorum Regis uxor, cui apud Romanos respondebat, Regina sacrorum. β. Ceryces, an à κήρυξ i.e. præco; an ἀπὸ τοῦ κηρύκειν ut vult Casaubon. *in Athenæum l.* 15. *c.* 23. *hostias mactabant adolebantque* &c. Verbô εὐφημεῖτε, σιγᾶτε πᾶς ὁ λαὸς, sacrum imperabant silentium: populum tandem, voce λαοῖς ἄφεσις, i.e. *missa est*, post peracta sacra dimittebant. Iis lingua victimarum cessit. γ. Hierophantæ, iidem cum Mystagogis, ad sacra accedere volentes, certis ritibus initiabant, παρὰ τὸ τὰ ἱερὰ φαίνειν. Sic à Nazianzeno Moses *Israelitarum* dicitur *Hierophanta*. δ. Ἱερεῖς, erant *Sacerdotes*, Numini perpetuô vacantes, qui olim sacrificaturis preces præibant; His quædam victimarum, cum exuviis, cessêre. ε. Ἱεροποιοὶ, dicti sunt Sacerdotes, numero X. in Magnis Mysteriis. ζ. Κανηφόροι Virgines quibus apud Romanos Vestales respondebant, Dionys. Halicarn. *l.* 2. *num* 3. η. Mystagogi, iidem cum Hierophantis. θ. Νεωκόροι & Ἱεροφύλακες, ædem sacram mundam & immunem à sordibus: sartam item tectamque conservârunt. ι. Parasiti, reditus curabant sacros, vide suprà *in hac voce*. κ. Ἱεροπόλοι, *Aristophani* dicuntur, qui aliàs Ἱερεῖς. λ. Πυρφόροι, in aris accendebant ignes; & in bello faces præferebant, sacri & inviolabiles etiam ab hostibus habiti. Unde Proverb. οὐδὲ πυρφόρος, de internecione totali, &c. Hi omnes, antequam eligerentur, examini subjiciebantur, ut appareret, eos ἀφελεῖς, i.e. *integro corpore*, esse, Vide Christian. *in Aristoph.*

SACERDOS Summus, in Hebræorum Republica inter personas sacras sacratissimus, dignatione maximus, Regisque solio proximus erat, sub quo reliquus Sacerdotum ordo: Ejus electio primò jussu ac designatione Dei peracta est, in Aârone ac filio ejus Eleasare, Exod. *c.* 28. *v.* 1. & Num. *c.* 20. *v.* 26. deinceps, juxta Judæos, pene Consessum LXX. senum & Reges permansit. Primus itaque *Sacerdos* Summus seu Pontifex fuit Aâron, ex tribu Levi: cujus duo filii, Eleasar & Ithamar, binas constituerunt familias Sacerdotales; quarum prior tantùm Pontificalis fuit. Vide Num. *c.* 20. *v.* 18. Postea, cùm turbata videretur successio, in Heli Sacerdote, qui Ithamarides fuisse creditur, posteris ejus Salomonis tempore rursus munere excidentibus & Abjathare remotô, ad veram stirpem postliminiô illud rediit, Zadoco Eleasaride in *Sacerdotem summum* electô, 1 Regum *c.* 2. *v.* 26. Consecratio vero tribus rebus constabat, Vestitu, Unctione & Sacrificiô. Vestibus sacris, quibus in Templo ministrare mos erat, per dies septem continuos manè induebatur & vesperi rursus exuebatur *Summus Sacerdos*, quem ritum erga Aâronem administravit Moses, Levit. *c.* 8. *v.* 7. & *seqq.* erantque illæ vel *Aurea* vel *Albæ*. *Aurea* dicebantur, non quod totæ aurô constarent vel omnes aurô illusæ ac interstinctæ forent; sed, quòd quibusdam ex iis aurum variè intextum reliquæ autem cæteris ejus vestibus ornatiores erant ac splendidiores. Quæ Rabbinis *Bigde Zahab* dictæ erant octo: *Femoralia, Tunica, Baltheus, Cidaris, Pallium. Ephod, Pectorale* & *Frontale*, de quibus legere est, Exod. *c.* 28. *v.* 2. 3. 4. Ex his quatuor priores etiam reliquis Sacerdotibus cùm essent communes, reliquæ ad solum Pontificis cultum spectabant: omnes autem è lino purissimo ac pretiosissimo erant contextæ. Atque in sacro hoc ornatu ministrabat his quotidie in Sanctuario; juxtaque cum Sacerdotes suô ordine: Sine illo enim sacris operari adeò non licebat, ut si vel minimum deesset, Pontifex *defectus vestibus* diceretur habereturque profanus. Non autem facilè extra templum his vestibus utebatur; quanquam & hoc accidisse nonnunquam constet: extra verò Hierosolymam iis uti prorsus nefas erat, nisi extremâ necessitate urgente. Quod factum, cùm Simeon cognomine *Justus*, Alexandro M. gravia Hierosolymis minitanti, obviàm processit, vide Mosem Kotsensem *præc. affirm.* 173 *fol.* 212. *col.* 3. &c. *Albæ*; Hebræis *Bigde Laban*, appellitatæ, quatuor erant, quatuor prioribus aureis cognomines, *Tunica* videl. *Braccæ*, *Cingulum* & *Pileus* seu *Cidaris*, è lino contextæ, quibus solus utebatur Pontifex, semel in anno, cùm piaculare sacrum administraturus, interius adytum intraret: quô peractô illas deponebat, sequenti annô novas rursus accepturus. Vide Levit. *c.* 16. *v.* 4. 32. Unctio per totidem dies fieri solebat, antequam sacrum oleum amissum erat. Illud enim, semel à Mose confectum, Exod. *c.* 30. *v.* 22. 23. nongentos ferè annos durâsse dicitur, quô tempore *Sacerdos Summus*, *Mithrabe Mischa*, i.e. *Auctus unctione*, apud Talmudistas, dictus reperitur: deinde autem, sub Templo nempe secundo, Pontificis inauguratio solô vestitu peracta, atque adeò is ab iisdem, *Mithrabe begadim*, h.e. *Auctus vestibus*, dictus est. Linebantur verò oleô sacrô omnes & singuli Pontifices, cùm officio suo inaugurabantur, hinc *Sacerdotes uncti* appellati, Levit. *c.* 4. *v.* 5. & *c.* 6. *v.* 22. Ubi Lyranus, *Sacerdos unctus*, inquit, *est Sacerdos magnus, quia inferiores Sacerdotes non ungebantur*: Cùm Reges, quos eodem cum Pontificibus oleô quidam inauguratos volunt, non omnes, sed ii tantùm, qui rebus turbidis, & successione ob tumultus ac seditiones incertâ, in Davidis solium evehebantur, ungerentur, ut in Salomone ac Joa factum, 1 Regum *c.* 1. *v.* 39. & 2 Reg. *c.* 11. *v.* 12. Porrò, sic inunctus & vestitus ritè Pontifex, sacrificium in muneris auspicium offerebat; quemadmodum & quisque Sacerdos gregarius, ut dictum suprà, ex Levit. *c.* 6. *v.* 20. ubi simul videre est, quid omnibus commune, quidque utrisque peculiare fuerit. Repetam hîc paucis; *Sacerdotem Summum* debuisse esse absque omni probro corporisque vitio; non nisi illibatæ Virginis, vel Antecessoris viduæ, maritum; à mortuorum non contactu solùm, sed & approximatione, exceptô casu, de quo infrà ubi de *Sepeliendi jure*, ac omni luctu (cùm unicus esset, semperque in atrio versaretur) abstinere jussum, quia *corona Dei & sacra unctio super ipsum erat*: in specie ipsi injunctum, ne *caput denudaret*, Levit. *c.* 21. *v.* 10. neve *vestimenta laceraret*, Ibid. &c. Cumque eidem ministeria varia cum reliquis Sacerdotibus essent communia, hoc inprimis nobile ac primarium ejus munus erat, quòd semel quotannis piaculare offerre sacrum, & templi adytum intrare, solebat: quô solemni die ipse omnia sacra, etiam quæ illius Festi propria non erant, solus obibat. Vide Levit. *c.* 16. *v.* 2. & Hebr. *c.* 9. *v.* 7. Verùm cùm periculum foret, ne qua res fortuita illum contaminaret ac solemni prohiberet sacrô; illud si fortè accideret, quotannis sub diem jejunii Vicarium creabant: qui, si quam pollutionem sub illud tempus Pontifex contraxisset, vel immundo fortè visu per noctem sese inquinâsset, eâ die rem faceret sacram. Vocabatur is sub primo Templo, כהן משנה 2 Reg. *c.* 25. *v.* 18. & Jerem. *c.* 52. *v.* 24. sub secundo, סגן *Sagan*, eratque ordinariò ille, qui dignitate ac successione Pontificatui erat proximus: Quemadmodum in Ecclesia Græca, Patriarcha suum Protosyncellum, in Latina Episcopus suum Suffraganeum & apud Romanos olim, Centurio suum habebat Optionem, &c. Vide Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 5. & Franc. Burmannum *Synops. Theol. part. prior. l.* 4. *c.* 8. nec non suprà, ubi de *Pontificali dignitate*. Alius erat *Sacerdos Summus* hujus vel illius classis, de quo pauca hæc subnectenda. Postquam Rex David Sacerdotes, ut dictum, in 24. Classes, Græcè ἐφημερίας, i.e. *turmas*, *vices*, digessisset, produissetque prima sors Jehojaribo, Jedahiæ secunda &c. quælibet harum hebdomadatim munere defungebatur, capiebatque nomen à capitibus familiarum: Classis verò cujusque Princeps, *Summus Sacerdos istius Classis* appellabatur, unde *primariorum Sacerdotum* mentio, Marci *c.* 14. *v.* 1. Quòd duorum Ἀρχιερέων Annæ & Cajaphæ, meminit Historia Evangelica, ex præcedentibus facilè solvitur. *Summo* enim *Sacerdoti*, non rarò substitutum esse suum Vicarium, rectè Theod. Beza observavit Marci *c.* 1. *v.* 44. quorum is (præter dicta) כהן ראשון, *Pontifex primus* vel כהן גדול i.e. *Pontifex magnus*: Alter, כהן משנה, Ἀρχιερεὺς ὁ δεύτερος *Pontifex secundarius*, sive *vicarius* dicebatur: ut 2 Regum *c.* 25. *v.* 18. & 2 Paral. *c.* 24. *v.* 1. Nadab & Abihu conjunguntur: Idem Eleazar & Ithamar, alibique alii; quam consuetudinem durâsse ad postrema usque tempora, docet Jos. Scaliger *in Prolegom. Eusebian.* Ita ergo Annas & Cajaphas se habebant, ut *Cohen Gadol*, & ejus *Sagan*: quemadmodum & in Cœnobiis Præfecti Monachorum suos semper habebant paratos vicarios & δευτέρους ἐπιστάτας, ut appellat Basilius M. vide Casaubon. *Exerc.* 9. De *Sacerdotio* apud Romanos veteres *Summo*, vide suprà, in voce *Pontifex*: ubi & quædam de aliarum quoque gentium ΑΡΧΙΕΡΕΥΣΙ seu *Sacerdotibus summis*. Quem titulum, Episcopis postea Christianorum datum, ut ex Tertulliano patet *de Baptismo c.* 17. cùm successu temporis sibi solis arrogarent (ad imitationem fortè Archiæreon Asiæ minoris Achajæ aliarumque regionum) Metropolitani ac Primates, eique sibi etiam majus aliquod imperium in alios Episcopos ac Clericos, superstruere conarentur, huic ausui ut occurreretur, factus videtur *Canon* 26. Concilii Carthagin. III. *Ut primæ sedis Episcopus, non appelletur Princeps Sacerdotum aut Summus* SACERDOS, *aut aliquid hujusmodi; sed tantùm primæ sedis Episcopus.* Vide Anton. van Dalen *de Oraculis Dissertat.* 1. *p.* 174. & 175. aliquid etiam ubi suprà.

SACERDOTALES Literæ, apud Papiam Car. du Fresne in *Glossario* laudatum, Græcè Ἱερατικαί, sunt Epistolæ Canonicæ seu Formatæ; de quibus retro actum. At *Sacerdotalis* Liber, in Communione Romana appellatus olim est liber, quem nunc *Rituale* appellant; quòd in eo ritus ad *Sacerdotem*, uti vocant, pertinentes, descripti essent. Apud Præmonstratenses verò Monachos, sic dicitur versiculus in Officio divino, quem illi recitant, in principio *ad Laudes*, uti habet Dominic. Macer *in Hierolexico*.

SACERDOTES Munerarii, vulgò *Flamines*, Græcè Ἱεράρχαι, & Πρυτάνεις, & Ἱερονίκαι, dicebantur illi, qui in singulis oppidis & municipiis olim capiebantur ad ludos edendos: Quemadmodum in provinciis Asiæ & Syriæ itidem ex primoribus & opulentissimis Civium eligebantur, ad munera edenda; in Asia hinc *Asiarchæ*, in Lycia *Lyciarchæ* dicti &c. Uti enim, qui in provincia ad hoc munus eligebantur, *provinciæ Principes* habebantur, ita qui in singulis oppidis & municipiis, *primores* & *principes Urbis* itidem audiebant. Hinc *Principes Sacerdotum* Firmico dicti, *l.* 3. *Faciet Sacerdotum Principes & qui in ipsis sacerdotiis, purpureis aut auratis vestibus induantur.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 805. & hîc passim. ubi de *Asiarchis*, *Lyciarchis*, *Phœniarchis*.

SACERDOTIUM, titulus honorarius Episcoporum, Augustin. Ep. 143.

SACESPHARES, unus ex Saccarum Regulis, de quibus Polyæn. l. 7. in Dario.

SACHALITÆ, Indiæ popul. unde Sachalites sinus, in quo Pelagiæ 7. insulæ jacent, Steph. Golfo di Sachalat, ex tabul. recent.

SACHAR, nomen viri, 1. Paral. c. 11. v. 35.

SACHAR, Arabibus in specie succus est, ex cannis Indicis expressus, dein coctus & coactus, de quo dictum in voce Saccharum. Sed & nomen iidem tribuunt aliis quoque succis, qui congelati ac coagulati sunt, uti ei, quem Sachar Mambu (cui primitus id nomen fuit) & Sachar Tenga vocant. Vide suprà in Sacar. Hinc Sacharicum, γλύκασμα, apud Achmetem, placenta vel dulcia ex saccharo facta Salmas. ad Solin. p. 1023. Postquam enim sacchari conficiendi ratio innotuit, ex eo placentæ confieri cœperunt; cum prisci mel solum iis adhiberent &c.

SACHONIUS Reinerius, Vide Reinerius.

SACHRON, civitas in tribu Dan, Jos. c. 15. v. 11.

SACIANI, Hæretici, qui & Anthropomorphitæ, de quibus Facundus Hermianensis l. 8. c. 7. ad quem vide Sirmondum, ut & suprà.

SACILI Plin. l. 3. c. 1. Sacilis Ptol. Alcorrucen Morali, oppid. regni Granatæ, in finibus Turdorum.

SACILINIUM, vel SACLINIUM, vulgò SECLIN, locus Brabantiæ, caput olim Medenantensis pagi, ad fluv. Scaldim, Collegio Canonicorum & S. Piatonis Martyris reliquiis, ut vulgo creditur, nobilis: Vicus Saclinius Audoëno in vita S. Eligii l. 2. c. 7. ubi sic habet: Simili modo, grandi labore & instantiâ invenit in territorio Medenantense, vico Saclinio S. Martyrem Piatonem, cui clavos prolixos ex corpore abstratos, populis in argumentum monstravit: corpus, suus Martyrem decuit, eleganter composuit, ac Mausoleum urbane desuper fabricavit.

SACILUM, oppid. agri Tarvisini, sub Venetis in ipso limite Foro-Julii, 23. milliar. à Tarvisio in Boream 36. à Venetia.

SACLES, nomen malo Deo seu Principi tenebrarum, à Manete tributum; Hic enim veterum Philosophorum, de duplici Principio bono & malo errorem (qui etiam Christianæ primæ ætatis Ecclesiæ negotium facessivit, inventis Gnosticis aliisque Deum geminum bonum & malum statuentibus, in iis tamen oppressus est) ex Orco revocavit, ac Deo bono suum quasi æmulum tenebrarum Principem, cui Sacle nomen indidit, ad latus constituit, de quo vide Euseb. Histor. Eccl. l. 7. c. 30. Socr. l. 1. c. 17 Athanasium contra Haeret. p. 850 Basilium M. in Hexaem. Homil. 2. Epiphanium, & præsertim Augustin. de Vera Relig. c. 9. Vide quoque infrà in voce Zevulboth.

SACONÆUS Gabriel, Vide Gabriel.

SACOS, vicus Pieriæ in Lacedæmone: sic dictus, quòd incolæ scutum, σάκος Græcis dictum, primi invenerint. Gentile Sacius, Stephanus.

SACRA, apud Augustin. adv. Donatistas c. 31. Illi multorum Imperatorum Sacras; nos sola portamus Evangelia: Epistola est seu Diploma Principis; Græcis recentioribus quoque Σάκρα. Hinc Θεῖα Σάκρα, in Chronico Alexandr. p. 772. quæ Θεῖα γράμματα, in Concilio Ephesino part. I. Quâ notione vox sæpius occurrit in Conciliis, & apud Scriptores medii ævi, ut videre est, apud Meursium in Glossario & Fabrotum ad Cedrenum. Adde Cl. Juretum Miscell. ad Symmach. l. 7. Ep. 59. & 94. & Suicerum in Thesauro voce Σάκρα.

SACRA, apud Romanos publica erant, & privata. Illa quidem, ut ait Festus, quæ (noctu plerumque vel primâ luce, ut suprà vidimus, verbo Evigilare) publicô sumtu, pro Populo fiebant: quæque pro montibus, pagis, curiis, sacellis: Ista verò, quæ pro singulis hominibus, familiis gentibusque. Idem alibi, Quod, inquit privata sua Religionis causâ Deo dedicarunt, id Pontifices Romani non existimant sacrum: at si quà privata sacra suscepta sunt, quæ ex instituto Pontificum statô die, aut certô locô, facienda sint, ea sacra appellari, tanquam sacrificium. Ille locus, ubi illa sacra, facienda sunt, vix videtur sacer esse. De iisdem sacris Macrob. Saturnal. l. 1. c. 16. Sunt præterea feriæ propriæ familiarum, ut Claudiæ familiæ, ut Æmiliæ, sive Juliæ, sive Corneliæ: & si quas ferias proprias quæque familia, ex usu domesticæ celebritatis, observat, sunt singulorum, ut natalium fulgurumque susceptiones: item funerum atque expiationum. Erant autem hæc Sacra propria eorum Deorum, quos Penates, itemque Lares nominabant: & quia gentis alicujus propria certis ritibus & ceremoniis colebantur; dicebantur Gentilia, de quibus Lex XII. Tabb. Sacra privata perpetuò manento: cujus sententiam eam vult esse Cicer. de Legg. l. 2. ut quæ Sacra gens aliqua, sive patricia sive plebeja sit, asciverit, ea deinceps ab iis, qui ejusdem stirpis futuri essent, colerentur & conservarentur. Unde etiam illud institutum constat, ut & mulieres in uxorium & adoptati in Parentum & heredes in defunctorum sacra transirent: qua de re prolixè Hotomannus. Similiter apud Athenienses publica erant Sacra & privata: illa Δημοτελῆ Demostheni dicta contra Neæram, quibus cum non omnes interesse permitterentur, peregrinis tamen & supplicibus datum est, ex Lege. Erant nempe, in quibus sacra fiebant publicis totius Civitatis impensis, ut optimè explicat Hesychius; quemadmodum τὰ δημοτικὰ erant, in quibus sacra unius tantùm Atheniensium Demi impensis fiebant: præter quæ & ὀργεωνικὰ & Γεννικὰ de quibus Harpocration. An verò sivemplo lege jus esset peregrinis & servis, tria posteriora Templorum genera ingredi, sicut iis permissum erat εἰς τὰ Δημοτελῆ εἰσιέναι, compertum non est. Vide Sam. Petitum Comm. in LL. Atticas l. 1. tit. 1. toto, ubi de Deorum cultu, sacris ædibus &c. & tit. 2. ubi de Sacrorum ministris: ut et de verbis, quibus incipiebant claudebantque sua Sacra, suprà aliquid voce Missa. At Sacris, apud Gentiles, excesse jubebantur olim, qui sibi alicujus sceleris essent conscii. Unde in sacris Eleusiniis clamabat sacer Præco, ἑκὰς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός, procul este profani; vel, ut ait Lamprid. in Alex. Sev. c. 18. Nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem novit. Imo & in aliis sacris idem factum, quod sic eleganter à Gratio describitur in Cyneget. v. 446.

--- ipse manu ramum pallente Sacerdos,
Termiteum quatiens, procul hinc extorribus ire
Edico, præsente Deo, præsentibus aris,
Queis scelus aut manibus sumptum, aut in pectore motum est,
Inclamat, cecidere animis trepidantia membra.

Atque hæc prioribus temporibus erat ἡ προρρήσεως formula. Postea fuit alia: Nam tria nominatim hominum genera arcebantur, Athei, Christiani, Epicurei, ut suprà visum, voce Prorrhesis. Maximâ enim castimonia Sacra tractanda esse, & illi agnoverunt, ut diximus suprà, in Castus, item voce Lotio, ac inprimis Mysterium: ubi, inter alios ritus, Confessionem peccatorum, humi cubitionem, abstinentiam à certis cibis, σαρκοφαγίαν, multaque instituta rigidissimè observata; vestem, quin etiam ac comæ compositionem peculiarem requisitam fuisse, vidimus; item infrà ubi de Secubitu sacrorum causâ. Vide quoque Victima, ubi alia iterum προρρήσεως formula. Neque vero castè, sed & summâ religione atque εὐλαβείᾳ cautissimâ in animo esse continenda nec sine magno peccandi metu vulganda, sua sacra existimabant iidem. Quod de mysteriis inprimis, non sine honore atque reverentia attonita spectari solitis, notat Plut. de signi progressus in Philosophia, ubi τοῖς εἰς [illegible] tribuit σιωπὴν καὶ θάμβος, silentium ac stuporem. Imò generaliter in omnibus Sacris metus aliquis & pavida observatio. Unde jubebantur εὐφημεῖν, nec solùm favere linguis; sed mentem ipsam tacitam custodire. Quintilianus Declam. In templo verò, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo etiam tacitam mentem nostram custodimus, pulsare, velut in solitudine, velut in secreto quodam, non est ferendum. Ita profectò Sophocles, Oedipode Coloneo,

--- [illegible] ---
[illegible]
Τὰνδ' ἀμμαιμακετᾶν κορᾶν,
ἃς τρέμομεν λέγειν,
καὶ παραμειβόμεσθ' ἀδέρκτως
ἀφώνως, ἀλόγως, τὸ τᾶς
εὐφήμου στόμα φροντίδος
ἱέντες.

Ubi Chorus ostendit tremorem suum & pavidam religionem, quâ corripiebatur, quum Furiarum prætergrederetur ædem atque transire se absque murmuratione ulla, & quàm maximo fieri poterat silentio, solùm εὐφήμου φροντίδος στόμα ἱέντες, i. e. in mente sua bona verba trepidè religiosè versantem, ac mentem ipsam comprimentem, Des. Heraldus ad Arnobium l. 5. p. 221,

SACRA Anchora, dicitur cujus ejiciendæ cura soli Magistro imminente tempestate, utpote in re Nautica magis versato, incumbit. Vertitur enim in clavo & anchora hac totius navis salus, quæ sine his vix est ut periculum evadere queat. Duplex nempe anchora in omnibus navibus bene instructis, ut Pindarus in Olym. ait, ἀγαθαὶ δὲ πέλοντ' ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀπεσκίμφθαι δύ' ἄγκυραι, Bonum est hiberna in nocte, duas de navi anchoras esse suspensas, quarum maximam & validissimam Sacram Anchoram vocant, non adhibendam, nisi extrema urgente necessitate. Unde Lucretius in Drapetis, Visum est igitur, inquit, re perpensa extremam ancoram, quam nautæ sacram nominant, dimittere. Vide Erasmum in Adagiis, ubi de Proverb. sacram ancoram solvere. Alterâ verò, etiam serenô cœlô & ubi ob recessum maris fluctuumque dimissô velô quiescendum est, utuntur. Peckius l. 1. ad edictum, §. Magistrum navis, n. 2. tit. de exercitor. act.

SACRA Certamina sunt, quæ Diis olim dedicata, l. 4. ff. de his qui not. infam. qualia erant apud Romanos Jovis Capitolini, Apollinares Ludi, Romani Ludi & Magnæ Deûm Matris. Quintilian. l. 3. c. 7. Ac laudes Capitolini Jovis perpetuæ sacri certaminis materia, vel dubiæ sunt, vel in Oratorio genere tractantur. Inde Firmicus Mathes. l. 3. c. 12. Sacris quoque faciet certaminibus præpositos. In antiqua Græcia Sacra certamina quatuor erant lege vetustissimâ, Olympia, Pythia, Isthmia & Nemea, in quibus præmium corona erat. Vide suprà passim, ut & in voce Agones. Græcis dicta sunt Certamina hæc, Ἀγῶνες ἱεροὶ, item [illegible], [illegible] & [illegible]: quibus oppositi οἱ ἀργυρῖται, seu χρηματῖται, seu δωρῖται, in quibus præmii ergò decertabant. De quo præclaro discrimine extat insignis locus apud Plutarchum, quo docemur, præmia Sacrorum Certaminum, præter Coronam, fuisse Inscriptionem, Tabulam, Decretum & Ramum oleæ, h. e. victoribus eorum proponi consuevisse præmia honoris, laudis, gloriæ & famæ perennis: cùm aliis certaminibus, quæ tanti non essent, dona darentur ex argento, ære, ebore, talibusque, quæ veriùs sunt compendii, quàm illius celebritatis, quæ generosissimi cujusque pectus acuit. Vide eum πολιτ. Παραγγ. Atque hinc Sacrorum illis cognomen additum, non tam, quòd in Deorum honorem instituta essent (hoc enim iis cum aliis certaminibus commune fuit) quàm quòd eorum præmia consisterent ἐν στεφάνῳ μόνῳ, in corona sola, uti Pollux ait l. 3. c. 30. iisque adde, quæ modò diximus: Unde & στεφανῖται quoque & φυλλῖται, coronarii, ac foliacei sunt appellati. uti autem hæc certamina Sacra dicta, sic & Sacras coronas memorat lex 40. ff. de re Jud. quæ videl. in Sacris his certaminibus paratæ sunt, de quibus, aliisque huc pertinentibus, vide C. Paschalium Coronar. l. 6. toto, & infrà.

SACRA Cohors, apud Thebanos dicta est cohors CCC. militum, qui, quòd arctô inter se amicitiæ nexu juncti acerrimè pugnare solerent, hinc nomen id meruere. Dilectam manum vocat C. Nepos Pelopida c. 4. Pelopidas --- in Leuctrica pugna --- fuit dux delectæ manus, quæ prima phalangem prostravit Laconum. Auctor istius

fuit Gorgias, πρῶτος ἐν Θήβαις, ut tradit Polyænus *l.* 2. de qua pluribus differentem *Plutarchum* vide. Et non absimilis apud Macedones fuit ala Equitum, ab amicitia & sodalitate *Hetærice* appellata, apud eundem Nepotem *Eumene c.* 1.

SACRA, Cryphia, seu *Opertanea*, apud *Petronium* ubi alii *crypta* legunt, dicebantur Veteribus illa, ad quarum inspectionem, non nisi post variorum annorum moram & per difficiles plurimarum ceremoniarum ambages, homines admittebantur. Qualia erant *Eleusinia, Mitriaca, Cotyttia Samothracia* & alia id genus: in quibus ἐποπτεῖαι & *ostensiones* præcipuè locum habebant. *Secreta* quoque vocat idem *Petronius* & *nocturnas religiones*: *Precoque & oro, ne nocturnas religiones jocum risumque faciatis, neve traducere velitis tot annorum secreta, quæ mille vix homines nôrunt.* Sacra *operta* Val. Flaccus, ubi de Samothracitis sacris loquitur, *l.* 2. *v.* 439.

> *Hactenus in populos vates Samothraca, Deûmque*
> *Mysta vale*, sacrisque *metum servemus* opertis.

Occulta Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 7. *v.* 58.

> —— *& occultis conscia cista sacris.*

Ipsa verò vox *Cryphia*, in *veter. Inscr.* occurrit, OSTENDERUNT. CRYPHIOS. &c. Vide quæ de *Silentio* in sacris infrà dicemus, ubi inter alia & religionem Christianam κρύφιον δόγμα Gentilibus dictam esse videbitur, ut & quæ retrò dicta, in voce *Mysterium*.

SACRA Ficus, apud Dionysium, ubi de statua Navii Auguris, quam ex ære in Foro Romano positam ait ante Curiam, juxta Sacram ficum, Καὶ εἰκὼν αὐτοῦ τυγχάνει πρὸ τῆς ἐπιγινομένης, ἐκεῖνα καταπεσοῦσα αὐτοῦ χαλκοῦ διέστεν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, ἡ καὶ εἰς ἐμὲ ἦν ἔτι πρὸ τοῦ βουλευτηρίου κειμένη πλησίον τῆς ἱερᾶς συκῆς. *Et ut æterna hujus rei extaret memoria, statuam confecit ex ære eamque in Foro erexit, quæ & ad mea tempora adhuc ante Curiam perdurat, haud procul à Sacra Ficu*; Plinio *l.* 15. *c.* 18. est Ficus Ruminalis, sub qua Lupa Romulum Remumque lactâsse deprehensa est: sed factum id non in Comitio, ubi *Ficus Sacra* erat, verùm in Germalo haud procul, à Sacro Luco, de quo suprà.* Itaque potiùs Ficus fuit, quæ ad aram, sub quæ novacula ac cos Navii defossa, enata est. Hanc magnâ religione coluêre Romani, Navii monitu: quæ proin, ubi exaruerat, rursus serebatur à Sacerdotibus, donec Neronis Imperiô anno Urb. Cond. 811. totum hoc ficetum, cujus Festus *in Fragm.* meminit, penitùs exaruit, uti Tacitus narrat *Annali* 13. *c. ult.* postquam super octingentos & quadraginta annos viguisset: Populus tamen hanc Ruminalem fuisse, credidisse videtur: unde & Tacitus, aliique Auctores, præter Plinium memoratum, eam *Ruminalem* vocant; sed refragante Liviô *l.* 1. *c.* 4. & Varrone, *l.* 4. *de L.L.* qui exactiùs de ea scripsêre. Salmas. *ad Solin. p.* 1137.

SACRA ficus, suburbium Atheniense, qua Eleusin ibatur: *Philostr.*

SACRA Insula, circa Hispaniam est. *Avieno* in Ora maritima. Et nunc *Isola sacra*: Insula parva Latii, in limite Hetruriæ, inter duo ostia Tiberis, in ora maris Tyrrheni ad 2. milliar. extensa. *Baudr.*

SACRA Peregrina, apud Spartian. *in Hadriano c.* 22. *Sacra Romana diligentissimè curavit; peregrina contempsit*: non sunt Græca sacra, ut Eleusinia, cùm ipse tantô rerum literarumque Græcarum studiô teneretur, ut inde vulgò *Græculus* audiret. Unde Aur. Victor *in Hadriano, Pace ad Orientem compositâ Romam regreditur, ibi Græcorum more seu Pompilii Numæ, cærimonias, leges, gymnasia doctoresque curare occepit, adeò quidem ut ludum etiam ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, constitueret, atque initia Cereris Liberæque, quæ Eleusina dicuntur, Atheniensium modo Romæ percoleret.* Sed Ægyptiaca, quæ non huic solum, sed & multis aliis Principibus, inter quos Augusto inprimis, spreta legimus. Salmas. *ad Spartian.* Vide quoque in vocibus *Anubis & Isis.*

SACRA Solis, Arabiæ Felicis Promontorium *Ptolom.*

SACRA Via vocabatur, quæ Eleusinem Athenis ducit, *Athen. l.* 12.

SACRA Via, in Urbe Roma vocata est, quod in ea ictum sit fœdus inter Romulum & Tatium. Hàc triumphantes in Capitolium ibant. *Sacer clivus* Horatio *l.* 4. *Carm. Od.* 2. *v.* 35. dicitur. Idem Sermon. *l.* 1. *Sat.* 9. *v.* 1.

> *Ibam fortè Viâ Sacrâ (sicut meus est mos)*
> *Nescio quid meditans, &c.*

SACRA suscipere, apud eundem Spartian. *ibid. c.* 13. *in Adriano. Post hoc — ad Achajam navigavit & Eleusinia sacra exemplô Herculis Philippique suscepit*: & Ciceronem *in Vatinium, Ut cùm inaudita ac nefaria* Sacra susceperis, *cùm inferorum animas elicere, cùm puerorum extis Deos Manes mactare soleas*; Græcis est λαμβάνειν & παραλαμβάνειν τὰ ἱερὰ καὶ τὰ μυστήρια item μυεῖσθαι. Latinis aliter *percipere*, in *veteri Inscript. Perceptô criobolió taurobolioque.* Item *accipere*, in alia *Inscript. Acceptô taurobolió*: *Sumere* quoque, apud Tibullum, *l.* 1. *Eleg.* 5. *v.* 11.

> *Hoc solenne sacrum multos hoc sumet in annos &c.*

Et de prima initiatione dicebatur: quemadmodum qui initiabant Sacerdotes, dicebantur ea *tradere*. De secunda verò initiatione, quæ ἐποπτεία dicebatur, quæque communiter, interjectô demum quinquenniô, ut quidam; vel annô, ut Salmas. & non nisi per variarum ceremoniarum ambages conferebatur, *visere* seu *invisere sacra*, dictum: sicut Sacerdotes tum *ostendere* dicebantur. Quamvis non rarò ista confundant Auctores, inter quos Tertullian. *contra Valentin. epoptas* vocat, qui *mystæ* tantùm erant: Alii quoque Scriptores *visere & invisere mysteria*, pro simpliciter μυεῖσθαι, seu *suscipere*, passim scribunt. Sed & primam ac secundam ἐποπτεύειν dici solitam, colligit Salmas. ex Seneca, ubi *revisere* dicit de iis, qui ad Eleusiniorum inspectionem fuerunt admissi &c. Utrumque certè, in Principibus saltem, unâ eâdemque vice factum, Hadiano, Marco Antonino, aliis, qui sibi hunc honorem deferri voluerunt, ut non diversis vicibus *Susciperent initia* & in sacrarium intimum admitterentur, sed unô eôdemque tempore utriusque participes redderentur. Quod primùm Demetrio concessum esse, narrat Plut. in *Vita* ejus. Salmas. *Not. ad Spartian. loc. cit.*

SACRÆ, nonnunquam absolutè dicuntur Largitiones Principis privatæ; unde qui iis præerat, *Comes Sacrarum in l.* 120. *Cod. Theodos. de Decurion.* quemadmodum & *Palatini sacrarum* occurrunt, *l.* 13. *de Indulg. debitor.* Vide suprà in voce *Largitiones*.

SACRÆ Coronæ, tum quas Numinibus suis olim Gentiles imponebant, tum quas honoris causâ eorum tholis appendebant, tum quas ipsi in re sacra gestare solebant, dictæ sunt. Et quidem, vix ullum simulacrum Numinis, aliquam celebritatem adepti, incoronatum: textaque unicuique ex ea materia corona fuit, quæ ei grata in ejusque tutela esset. Sic Fluminibus ex arundine nectebatur, quâ tamen & Dioscuros & Apollinem quoque cingi solitos legimus. Autumnus coronabatur pomis; corymbis racemisque Bacchus; ficis recentibus Saturnus; floribus Jupiter; populo albâ Hercules; pinu & ebulô Pan; oleâ Pallas; fœnô Vertumnus; pyleone Juno; rosis Gratiæ; myrtô & rore marinô Lares, aliis alii: omnibus verò dendrolibanus conveniebat, quôvis sacrificiô iis gratior. Vide Car. Paschalium *Coronar. l.* 4. *c.* 1. 2. & 3. Neque verò ipsa horum idolorum simulachra solùm, sed etiam hinc luci, aræ, sacella, templa, aliaque iis dicata, eundem ornatum accepêre, ut alibi diximus. Porrò honori Deorum coronæ, inter anathemata, in editissimis Templorum locis, suspendebantur, idque nonnunquam publicô Decretô, testandæ, aut ostentandæ pietati, vel celebrando insigni alicui Numinis beneficio: aliquando privato affectu. Cujusmodi *Sacras coronas* Nero *in cubiculis circùm lectos posuit*, apud Sueton. *c.* 15. templis videl. detractas, eôque pactô cultum divinum ad se transtulit. Mutuò inde verò aliquando sumtas esse, condecorando illi, cujus virtus universorum judiciis patriæ utilis fuisset, ceremoniaque peractâ, repositas, colligitur ex Tacito *Annal. l.* 15. ubi de Nerone. Ut autem, cujus donum esset corona talis, sciretur, additæ Inscriptiones sunt, uti de corona aurea à T. Flaminio Apollini consecratâ, docet Plut. in *Vita* ejus. Etiam in æde sacræ non appendebantur, ut aureæ illæ ingentes & ponderosæ, sed, ut leviores & plures, aliquando conjiciebantur coronæ, in adyta ædium sacrarum ipsasque Numinum statuas, cujus moris meminit Capitolin. in *Marco.* Sed & coronati aspiciebantur sacrificantes, omnesque ii, qui sacra peragebant, victimæ quinetiam, & supellex sacra, neque ulla pars divini cultus coronis carebat, ut idem Paschalius pluribus docet *l. cit. c. seqq.* Vide quoque hîc passim. Aliæ sunt *Sacræ coronæ*, de quibus supra diximus, in voce *Sacra certamina.*

SACRAMENTARIUM, seu LIBER SACRAMENTORUM, liber dicitur Ecclesiasticus in Communione Romana in quo omnes *collectæ & preces in Missis aliæque orationes ad Officium divinum & sacros ritus totius anni continentur*, apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* Cujus primum Auctorem fuisse Gelasium Episcopum Romanum scribit Joannes Diac. *Vitâ* Gregorii M. à quo *emendatum, recensitum & breviatum* ait, quod & præfert titulus Codicis Rivipullensis, apud Steph. Balluzium *Not. ad Agobardum*, laudatum Car. du Fresne *in Glossar.* ubi & de *Sacramentorum libro*, qui Gregorii nomen præfert, quique Hugonis Menardi Benedictini *Observationibus* illustratus est, varia habes. Ei *Euchologium* respondet, in Ecclesia Græca, quod vide. Vide quoque suprà, *Missale.*

SACRAMENTUM, unum ex tribus Militiæ generibus fuit apud Romanos, de quibus ita Servius *ad Æn. l.* 8. *v.* 1. *Tria fuere Militiæ genera, Sacramentum, Conjuratio & Evocatio. Sacramentum eorum, qui singuli jurabant, pro Rep. se esse facturos, nec discedebant, nisi confectis stipendiis &c.* Eratque hoc solum legitimum militiæ genus, quôqui militaturi erant ab ipsis Ducibus delectu habitô conscribebantur, quod quô modô factum fuerit, tradit Polybius *l.* 6. Ubi quod de *Sacramento* militari dicit, quale id fuerit, nemo exponit, nisi quòd sanctè atque religiosè id à Militibus observatum, eoque illos jussos fuisse Ducem sequi, quocunque duceret, scribant Auctores. Sic enim Dionys. Halicarn. *l.* 11. ubi de secessione plebis in montem Aventinum, *Hortantibus*, inquit, *multis sacra movere signa, neque tutum neque sanctum esse existimantibus omnibus Ducem relinquere*, ob Sacramentum *militare, quod maximè omnium servant Romani. Jubet enim militantes sequi Ducem, quocunque ducat: Lexque Ducibus potestatem dedit occidendi non parentes relinquentesque signa, indemnatos & indictâ causâ.* Et primùm quidem, milites *Sacramentô* tantùm à Tribunis rogabantur, non jurejurandô ad militiam adigebantur: ipsi autem inter se conjurabant, se fugæ atque formidinis causâ non abituros, neque ex ordine recessuros. Postea verò, L. Æmilio Paulô II. Terentio Varrone Consulib. annô Urb. Cond. 538. jurejurando milites fieri cœpêre, Liv. *l.* 22. *c.* 38. *Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, jurejurando à Tribunis militum adacti, jussu Consulum conventuros neque injussu abituros. Nam ad eam diem nihil præter Sacramentum erat: & ubi ad Decuriatum aut Centuriatum convenissent, suâ voluntate, ipsi inter se Equites Decuriati, pedites Centuriati conjurabant, sese fugæ ac formidinis ergò non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi aut petendi aut hostis feriendi aut Civis servandi causâ. Id ex voluntario inter ipsos fœdere, à Tribunis, ad legitimam jurisjurandi actionem translatum.* Quod jusjurandum prolixè exequitur A. Gellius *l.* 16. *c.* 4. Quantam verò vim habuerit militare *Sacramentum*, & ut sine illo pugnare cum hoste more Majorum non licuerit, ostendit pluribus Cic. *in de Offic. l.* 1. *c.* 11. ubi recitat, inter alia, exemplum filii Catonis, qui in Exercitu P. Æmilii tyro militabat. Cùm enim huic videretur unam dimittere Legionem, & Catonis quoque filium sic dimitteret, ille autem amore pugnandi in Exercitu remansisset,

Cato

Cato ad P. Æmilium scripsit, ut, si illum pateretur in Exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ *Sacramento*. Cujus rei & Plut. meminit *in quæst. Rom. qu.* 39. ubi quærit : *Quâ causâ fiat, quod qui* Sacramentô *militari non tenerentur : etiamsi alias in castris exercituque versarentur, non tamen haberent jus interficiendi aut vulnerandi hostis?* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 3. *cum paralipom. Thom. Dempsteri.* Horatius *l.* 2. *Od.* 17. *v.* 9.

> ------ ------ *Non ego perfidum*
> *Dixi* Sacramentum : *ibimus.*

Servius tamen formulam *Sacramenti* antiquitus usitatam, proponere videtur *ad Æn. l.* 2. *v.* 157. cùm inter alia ait, *miles exiens ad bellum jurabat, se nihil contra Remp. facturum.* Et paulo pòst, *Post electionem in Remp. jurant* : & *ad l.* 7. *v.* 614. *l.* 8. *v.* 1. *singuli jurabant, se pro Rep. esse facturos.* Simile quid suggerit Tertullian. *de cor. Mil. c.* 11. *Credimusne humanum* Sacramentum *divino superinduci licere, & in alium Dominum respondere post Christum & ejerare Patrem ac Matrem & omnem proximum, quos & lex honorari & post Deum diligi præcipit* &c. Claudian. item *in Ruffinum l.* 2. *v.* 274.

> *Tu licèt occiduo maneas sub cardine Solis,*
> *Tu mihi Dux semper Stilicho, nostramque vel absens*
> *Experière fidem.*

Aliam non obscurè elicias ex Cicerone *Philipp.* 13. *At militibus inclusis opem ferre, nihil moror illos salvos, & ire quò jubetis.* Quibus omnibus antiquior illa apud Livium, *Dec.* 1. *l.* 2. *Centurio erat M. Flacco, ejus inter primores pugnæ flagitator, victor, inquit, M. Fabi, revertar ex acie, si fallo Jovem Patrem Gradivumque Martem, aliosque iratos invoco Deos. Idem dein omnis exercitus in se quisque jurat*, vide eundem *Dec. cit. l.* 10. & *Dec.* 3. *l.* 2. Ita inter se igitur primitus milites jurabant, pòst, in eadem verba, ab iis à Tribuno juramentum exactum, ut diximus, ex A. Gellio *loc. cit.* Sub Principibus dein, ut ipsa regendi norma, sic & *Sacramentum* immutatum, & cùm sub Consulibus illud præstitisse satis esset, sub Cæsaribus insuper juramentum à *Sacramento* diversum exigi cœpit, non in castris modò, sed & in Urbe, quod cupidissimè retentum est. Non enim leve Imperii firmamentum fuit, in obsequium Principis Optimates adactos esse. Vide Lipsium *ad Tac. Annal. l.* 16. *sub fin.* Hodie *juramentum fidelitatis* dicitur, de quo alibi. Porrò, enses juraturi vibrabant, & distringebant, quô significarent, evaginatis gladiis ulciscendam *Sacramenti* violati fidem, qua de re locus est notatu dignissimus, apud Amm. Marcellin. *l.* 21. Sequebatur statim mira quædam alacritas, quam elatis in altum manibus attestabantur : uti diximus, ex Lucano *Pharsal. l.* 1. *v.* 386.

> ---- *His cunctæ simul assensère cohortes,*
> *Elatasque altè, quæcunque ad bella vocaret,*
> *Promisère manus.*

Quod *sanctissimum juramentum* videtur appellari, apud Cæsarem *de Bell. Gall. l.* 6. &c. Uti verò Tirones arma sumturi in jusjurandum adigebantur, ita exauctorandi; eôdem illô *Sacramento* solvebantur priusquam dimitterentur. Amm. Marcellin. *l.* 24. *Duos Tribunos sacramentò solvit, ut desides & ignavos.* Et *l.* 25. *abjecti autem sunt* Sacramento *alii quatuor, ob flagitium simile* &c. Vide omnino Dempsterum præfatum : & de *Sacramento militari* sub Imperatoribus Christianis usitato, suprà ubi de *Juramento.* Nec verò Latinorum solùm militum, sed & Græcorum, eam fuisse consuetudinem, ut *Sacramento* adigerentur, docet Eurip. *in Iphigenia in princ.* & Apollodorus, *Bibl. l.* 3. ubi de adactis in fidem Agamemnonis militibus, cùm in Trojam moveretur. Idem in Ajacis persona Ovid. confirmat, *Metam. l.* 13. *fab.* 1.

> *Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,*
> *Et pars una Ducum* &c.

Nomen quod attinet, Heraldo inde dictum est, quòd, qui Sacramento dicebant milites; quasi *Sacris* quibusdam & mysteriis devoverent se ac consecrarent. Unde *Sacramenta suscipere* ii dicti Arnobio *adv. Gentes l.* 5. uti Græcis *μυστήρια λαμβάνειν*, de qua phrasi vide infra verbò *Sumere.* Iidem *devoti* ibid. & inferiori ævô cute puncti, non tam ne latitarent, quàm ut hôc pactô militiæ consecratos & devotos sese esse monerentur; quemadmodum in mysteriis iterum, notandis quibusdam signari solitos τοὺς μεμυημένους, diximus suprà voce *Consignati.* Locus Arnobii integer sic habet : *Ne nos quisquam pervicaciter arbitretur Sacramenta suscipere nolle cæterorum — Numinum : devotas etenim mentes, & manus protendimus, neque aspernamur, quocunque invitaveritis accedere* ; quas phrases formulasque loquendi è militia depromtas eruditè illustrat præfatus Auctor *in Animadv. suis Arnobianis p.* 129. & *seqq.* ubi & manus protendisse, cùm citati paratos se esse *Sacramento dicere* ostenderent, milites, adnotat. E re bellica *Sacramenti* vox in Ecclesiam translata est, de qua Theologi consulendi : pauca tamen & hic subjungam. Nempe apud Scriptores Ecclesiasticos, quodvis mysterium, ac Christianæ Religionis arcanum, hôc nomine venit; sed speciatim res *sacra*, arcana, symbolica, spiritualis gratiæ significativa, adeoque quilibet ritus sacer, cunctæque ceremoniæ, quibus arcana illa vel velabantur, eis denotari cœpêre. Quô pactô ad Fœderis Divini symbola & sigilla denotanda adhiberi cœpit, quod à Tertulliano primùm factum; ut male ex latiori vocabuli usu, plura *Sacramenta* propriè dicta, quam duo, nonnulli colligant. Cum & Patres & Vulgatus Interpres & ipsum Pontificale Romanum, res omnes, ritusque sacros, istâ voce complectantur. Idem vocis *Μυστήριον* apud Græcos usus; quô illi partim arcana Christianæ Religionis dogmata, partim etiam sacra illa Signa & ceremonias expresserunt : tum, quod occulta Græcorum sacra & mysteria multiplicibus olim constabant ritibus; tum quia externi illi Ritus & Signa, arcanam significationem habent & latente mysteriô sese potissimùm commendant. S. Scriptura *Signa Fœderis* appellat, Genes. *c.* 9. *v.* 12, 13. & *c.* 17. *v.* 11. *Sigilla Justitiæ Fidei*, Roman. *c.* 4. *v.* 11. *Signa* simpliciter, Exod. *c.* 12. *v.* 13. *Ὑποδείγματα*, Hebræorum *c.* 8. *v.* 5. & *c.* 9. *v.* 23. & *Ἀντίτυπα*, 1. Petri *c.* 3. *v.* 21. Quæ Spiritus S. voces longè aptiores sunt. Interim vulgatô jam vocabuli hujus usu & Ecclesiastici juris redditô, non eâ superstitione verborum duci convenit, ut Signa illa *Sacramenta* appellare vereamur : quæ Socinianorum fraus est; quâ non tam vocabulum, quàm ipsam *Sacramentorum* naturam ac vim, petere constat. Franc. Burmannus *Synopsi Relig. Christianæ Part.* I. *l.* 7. *c.* 4. §. 2. 3. & 4. De *Sacramentis* in specie, *Circumcisione, Paschate, Baptismo, Eucharistia.* Vide quædam hic *passim.* De *Sacramento Catechumenorum*, Veteribus memorato; quod quidam de Eulogiis; alii de ritibus & ceremoniis quibusdam ante Baptismum adhiberi solitis, sale inprimis, qui peculiari benedictione consecratus Catechumenis dabatur, præsertim ad festos Paschatis dies, quibus Fideles communicabant, accipiunt, vide Car. du Fresne in *Glossar.* ubi varios Auctores hanc in rem citat, nec non suprà passim, ubi *de Eulogiis, Fractio pane* &c. De horribili verò *Sacramenti* ritu, quô Samnites ex vetusta sua superstitione à Sacerdote Ovio Paccio initiati sunt, Livium *l.* 10. *c.* 38. Addo saltem, *per Sacramenta* jam olim, item *super Sacramenta* juratum, à Christianis, uti docet C. Barthius *Animadv. ad Statium Theb. l.* 5. *v.* 168. Vide suprà, ubi de *Juramento.*

SACRAMENTUM, Latinis pecuniam quoque notat seu pignus à litigantibus, apud Pontifices, in sacro loco depositam, quô multabatur is, qui causâ cadebat. Similiter apud Athenienses *Sacramentum* deponebat, initiô litis, tum Actor, tum Reus; quorum is, qui judiciô vicerat, suum sacramentum auferebat : victi verò sacramentum, & illud quoque, quod victor abstulerat, sed victus reponebat, ad ærarium redibant; ut ex his Aristophanis versibus *in Vespis* constat,

> Κἄξω τούτων τέλη χωρὶς, καὶ τὰς πολλὰς ἑκατοστὰς,
> Πρυτανεῖα, μέταλλ', ἀγορὰς, λιμένας, μισθοὺς καὶ δημιόπρατα,
> Τούτων πλήρωμα τάλαντ' ἐγγὺς δισχίλια γίγνεται ἡμῖν.
> Ἀπὸ τούτων νῦν μισθὸν κατάθες τοῖσι δικασταῖς τοῦ ἐνιαυτοῦ.

Ad Ærarium nempe redibat Sacramentum, quod Πρυτανεῖα vocârunt, atque merces Judicibus dabatur, ut habet Pollux *l.* 8. *c.* 6. Variè autem Veteres, hoc *Sacramentum* definiunt; nam alii existimant esse decimam multæ; alii verò putant definiri drachmis tribus, ubi controvertitur & agitur de centum drachmis; aut pluribus ad mille usque; & triginta drachmis, si de mille drachmis, aut pluribus ad decem millia usque agatur. Vide Eundem *ibid.* At Παρακαταβολὴ dicebatur *Sacramentum*, quod deponebant vel litigantes cum Fisco sive Ærario publico, de bonis publicatis, aut aliis hujusmodi, vel litigantes alii cum aliis de hæreditatibus, quæ petuntur, aut Virginibus dotalibus. Et tum, cùm litigabatur cum Fisco, in Sacramentum deponebatur quinta pars æstimationis illius rei, de qua litigabatur; in litibus verò, quibus hæreditates petebantur, aut virgines dotales, sacramentum erat decima pars eorum, quæ judicio petebantur, bonorum. Erat præterea ἐπωβελία, quâ Actor mulctabatur, nisi judiciô vicisset & reo cedebat, idque in pecuniariis causis, eratque sexta pars pecuniæ illius, de qua lis erat & controvertebatur &c. Vide Harpocrationem in vocibus Παρακαταβολὴ & Ἐπωβελία, plura verò hanc in rem, apud Sam. Petitum *Comment. in LL. Atticas, l.* 5. *tit.* 2. uti de phrasibus, *Sacramento provocare, rogare, quærere, stipulari*; item *contendere* & *restipulari*, apud Romanos usitatis, infrà ubi de *Sponsionis in Foro faciendæ ratione* : ut & de simili Græcorum more antiquissimo, apud Desid. Heraldum *Animadversion. Arnobian. l.* 4. Aliam iterum vocis notionem infrà habes, ubi de *Triumviris capitalibus.*

SACRAMENTUM Juris sodalitii, apud Justinum *l.* 20. *c.* 4. *Sed trecenti ex Juvenibus, cùm* sodalitii Juris Sacramento *quodam nexi separatam à cæteris civibus vitam exercerent, quasi cœtum clandestinæ conjurationis haberent, civitatem in se converterunt* : uti ex *MSS.* restituit Gronovius; est formula seu pactio, in quam se obligant Sodales vel Collegiati. Facit enim potestatem Lex Sodalibus pactionem sibi, quam velint, ferendi, dum ne quid ex publica lege corrumpant, *l.* 4. *ff. de Collegiis & Corporibus.* Quod *Pacta inter se componere*, vocat *l. un. Cod. de Monopoliis.* Sic de Christianis ad Trajanum, refert Plinius, eos *se* sacramentô *non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, l.* 10. *Ep.* 97. Non enim propriè jurejurando sese adigebant, sed de lege Dei admoniti quisque & sibi & Ecclesiæ, mansuros in hac vitæ regula, recipiebant. Sic & Pythagoræ discipuli, *νόμους παρ' αὐτοῦ δεξάμενοι καὶ ἀποδεξάμενοι, ὥσπερ θείας ὑποθήκας, ἐν οἷς ἐνέμειναν, παραμένοντες ὁμονοοῦντες*, ut ait *Jamblichus*; & *alibi πρὸ τοῦ ἢ παραβῆναι τι ὁρισθὲν ὑπ' αὐτοῦ ἀποθανεῖν*, *Prius quam contra ea, quæ definita ab ipso erant, impingerent vel minimùm, mori præoptabant.* Atque hoc erat *Sodalitii juris sacramentum*, illud vinculum, quô continebatur societas illorum, qui coierant. Hinc *nexi sacramento juris sodalitii* dicuntur, qui sub certis legibus, pactisque coierunt, & collegium instituerunt. Joh. Frider. Gronov. *Observation. l.* 4. *c.* 17.

SACRANEA, in veteri *Inscr.* SACRANEA. DEÆ. CERERIS. pro *sacrata* : sicut *Consecraneus*, apud Capitolin. *in Gordian.* III. *c.* 14. quam nominum formam medii temporis amavit Latinitas, Salmas. *ad Capitolin. loc. cit.*

SACRANI, populus Italiæ non procul à Roma. Servius in illud Virgilii *Æn. l.* 7. *v.* 796.

> *Et Sacranæ acies & picti scuta Labici.*

Dicunt, inquit, *quendam Corybantum venisse ad Italiam ac tenuisse loca, quæ Urbi vicina sunt. Ex eo populos ducentes originem Sacranos appellatos; nam sacrati sunt Matri Deûm Corybantes.*

SACRARE, cùm de personis dicitur, est θεῖον ἀποφαίνειν, *divini quiddam tribuere*; ut olim in Tribunis factum, postea in Imperatoribus : at *consecrare*, quod de mortuis Principibus usurpatum, est ἀποθεοῦν, vel θεὸν ποιεῖν, i. e. *inter cœlites referre*, non solùm divini quid-

quiddam, sed Deitatem, ut sic dicam, iis tribuere. Quod etiam *inter Divos sacrare*, dixit Spartian. *in Severo c.* 7. Nempe *sacrati* Imperatores, & *sacratissimi*, etiam vivi dicebantur; at qui Divi jam facti, ii *consecrati*, vel *inter divos sacrati*, dicebantur. *Desacratos* quoque dixit Capitolin. *in Marco c.* 18. *Sacerdotes Antoniniani, & Sodales & Flamines & omnia, quæ desacratis decrevit Antiquitas.* Interim verba hæc nonnunquam promiscuè sumi, docet Salmas. *ad Spartian. loc. cit.* Alia notio verbi, in hisce Virgilii *l.* 10. *Æn. v.* 419.

Injecere manum Parcæ: telisque Sacrarunt
Evandri ------

de qua vide accuratè disputantem Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 7. & infrà aliquid, verbo *Sancire*.

SACRARII Custos, in *Regula* Isidori *c.* 19. est, qui aliis *Sacrista* dicitur. Apud recentioris enim ævi Scriptores, *Sacrarium* non rarò appellatur, quod aliàs *Secretarium*, *Diaconicum*, *Sacristia*. Nonnunquam verò eam partem Ædis sacræ denotat, quam Græci Ἱερατεῖον, Βῆμα & ἅγιον βῆμα appellavêre. Locus nempe prope Altare, ut vocant, cancellis circumdatus, quò solis Sacrorum Ministris ingressus patebat: de quo dictum suprà passim, inprimis in vocibus *Bema*, *Cancelli*, *Chorus*, *Presbyterium* &c. Ex hoc loco Ambros. Episcopus Mediolanensis expulit Theodosium Imperatorem qui paulo antè ingentem innocentium hominum stragem ediderat. Græci eum asseribus occludunt, ac tempore consecrationis, ut ajunt, portam ejus velò obtegunt; quod à Valentinianis quoque factitatum olim, arguit Tertullian. *adversus illos c.* 2. & 3. Iidem armatum eò ingredi neminem patiuntur. Unde Raynutius Parmæ Dux, cùm in Ædem S. Athanasii Græcorum collegii de Urbe Romæ haud pridem venisset, & Græci ritus sacrum audiendi cupidus, ipsum *Sacrarium* ingredi vellet, gladium ponere jussus est: uti refert Car. Macer *in Hierolexico*. Sed & generaliter pro Templo, non apud Gentiles modò, verùm & apud Christianos, vox occurrit &c. De *Sacrario* Templi Hierosolymitani, unde vox ab aliis mutuata, dicemus infrà, in voce *Sanctuarium*. At *Sacrarium æternæ gentis*, apud Stat. *l.* 5. *Sylv.* 1. templum est Flaviæ Familiæ augustum; de quo, ut novo quodam cœlo, suprà etiam locutus est, in *Epulo Domitiani v.* 18. *& seqq.* De eodem Val. Flaccum rectè exponit Andr. Schottus *Observation. l.* 2. *c.* 56. Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* cui adde Casaubonum *ad Tiber. Suetonii c.* 51. ubi *de Sacrario Augusti*, in quo pretiosissima κειμήλια, ab Augusto sibi relicta, Livia habuit &c.

SACRATA Lex, apud Livium *l.* 2. *c.* 33. dicitur, quòd in *sacro Monte* à jurata plebe scita & lata sit: quæ an una, an multiplex, non satis constat. Livius & Dionysius, ubi rem ipsam narrant, unam solùm nominant. Sed Livius alibi non semel *Sacratas Leges* dixit; quemadmodum & Cicero *de provinciis Consular.* & in *Orat. pro C. Cornelio*, ut annotavit Manutius *de LL. Rom.* Budæus verò, in posterioribus Annotat. *Leges sacratas* dictas, quibus sanctum jubetur esse alicui Deorum, quidquid adversùs eas fecerit, sicut familia pecuniaque. *Sacrabantur* verò Leges, aut consecratione, aut pœnarum sanctione, uti Cicero docet *pro Corn. Balbo*, *Deinde sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso, ut obtestatione & consecratione Legis, aut pœnâ, cùm caput ejus, qui contrà facit, consecratur.* Vide quoque Connanum *Comm. Juris Civ. tit.* 1. *c.* 13. *num.* 3. laudatum Joanni Calvino *Lexic. Jurid.* sed inprimis, Joa. Frider. Gronov. *ad Livium d. l.* Sic *Lex quoque sacrata militaris* lata legitur, *ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur, additumque legi, ne quis, ubi Tribunus militum fuisset, postea Ordinum ductor esset*, apud Liv. *l.* 7. *c.* 41. &c. In *l. leges D. de leg.* occurrunt *Sacratissimæ Leges*, quæ idem sonant, quibus nempe sanctum est, ut qui quid adversùs eas fecerit, sacer alicui Deorum sit &c.

SACRATI, apud Capitolin. *in Gordianis*, *c.* 14. ubi verba Maximini ad milites referuntur, *Sacrati commilitones, imò etiam mei consecranei, & quorum* &c. additur à Maximino, ut eos sacramenti militaris admoneat, cujus religionem maximum & præcipuum fidei vinculum fuisse, suprà diximus. Illud verò Συνθύτας, quòd etiam *consecraneos* vocat: hoc enim idem, quod commilitones, seu eorundem sacrorum participes. Aliàs *Sacrati* & *Sacratissimi* Imperatores dicebantur, dum in vivis adhuc erant, uti diximus suprà, in verbo *Sacrare*. Vide Casaubon. *Not. ad Capitolin. d. l.*

SACRATIVIR, prænomine Marcus, Eques Romanus, Capuâ oriundus, à partibus Cæsaris, occubuit ad Dyrrhachium, Cæs. *l.* 3. *Bell. Civil. c.* 71.

SACRES Porci, vide infrà *Sacrivæ Arbores*.

SACRICOLA, apud Solinum *c.* 1. ubi de Sacello Herculis in Foro Boario, quò nec canibus nec muscis ingressus erat. *Etenim cùm viscerationem* Sacricolis *daret, Myagrum Deum dicitur imprecatus; clavam verò in aditu reliquisse, cujus olfactum refugerent canes*: sunt sacri cultores, omnes qui sacris intersunt, non soli Sacerdotes. Huic enim viscerationi Herculeæ Evander, cum rusticorum turba, aderat. Usurpavit vocem, de Juliano Imperatore Ammianus, qui multas ex Solino dictiones & loquendi genera mutuatus est, *l.* 22. *Idemque victimarius pro* sacricola *dicebatur, ad crebritatem hostiarum alludentibus multis.* Visceratio autem *d. l.* epulum est vel convivium, quod ex visceribus, i. e. carnibus immolatarum hostiarum inter sacricolas agitabatur, uti videre est apud Servium, *ad illud. l.* 7. *Æn. v.* 716.

------ ------ *populique Latini* &c.

SACRIFICA, in Communione Romana, officium Monasticum est, in Monasteriis Sanctimonialium. Petrus Abælardus *p.* 154. *Sacrifica, quæ & Thesauraria, toti Oratorio providebit* &c. Sed ibi legi vult *Sacristia* Car. du Fresne *in Glossar.*

SACRIFICANTES, olim coronati fuêre, ut & Sacerdotes omnes. Sed illi tantùm coronati; hi verò insuper & vittati & infulati erant. Coronabantur autem plerumque oleâ, uti Stat. habet *Theb. l.* 3. *v.* 466.

Huc gemini vates sanctam canentis olivæ
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis
Evadunt pariter ----

Atque tunc dicebantur Θαλλοφόροι. Quandoque tamen & auro, ut apud Prudentium *Peristeph. v.* 1013.

festa vittis tempora
Nectens, coronâ tum replexus aureâ,
Cinctu Gabinô sustinens togam.

Et Tertullian. *de Idol.* ubi in Sacerdotibus tantùm provincialibus id obtinuisse, docet. Atque hinc coronæ hujusmodi diademata dicta sunt, ut de Sacerdote Lunæ, apud Cumana Pontica, refert Strabo *l.* 12. Quin & ipsi Reges, quoties *sacrificabant*, regalibus insignibus erant conspicui, ut iterum ex Prudentio discimus in *Apoth. v.* 559. Porrò summoperè cavendum erat, ne amplexando & contrectando Sacerdotem, insignia prædicta rumperentur; hoc enim pessimi ominis erat, Eurip. *Jo. Act.* 2. Et vero is sic adornatus ab omni injuria tutus erat, sicut Minister Dei: nisi fortè is dira imprecaretur civitati, tum namque ipsum haud minùs infensis animis, quàm tyrannum, exturbare, præclarum facinus fuit, ut Cabirichi Sacerdotis exemplo docet Theopus, apud Plut. *de Socratis Genio*. Cœterùm, quomodo corona in *sacrificantibus* fuit omnis faustitatis index, ita quoque, si cui sacrificanti ea decideret, quod in Galba Sueton. *c.* 18. & in Sulpitio Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. notavêre, infaustum habebatur. Inter eos autem, qui, præter Sacerdotes, pro publica salute vota faciebant, supplicabant, *sacrificabant*, apud Græcos, primi erant Magistratus illi, qui à re nomen adepti Στεφανηφόροι, *Coronigeri*, appellati sunt, quam inter eminentissimas fuisse dignitates, Plut. docet *in Præc. Polit.* Athenis inprimis Magistratus fuit, cui nomen *ἐννέα Ἄρχοντες*, dicebaturque Στεφανηφόρος ἀρχὴ quasi augustior consessus, cui *coronæ gestandæ*, ac proin *sacrificandi* jus fuit de quo, aliisque huc pertinentibus, vide apud Car. Paschalium *Coronarum l.* 4. *c.* 13. & 14. Ut de habitu saltem hoc addam, niveum, cùm Superis; cœruleum, cùm Inferis litarent, illum fuisse, observat Barthius *Animadvers. ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 449. Vide quoque eum, *ad eund. l. v.* 467. ubi nigrô vestitu Inferis sacrificantes ex *Senecæ Oedipo*, innuit &c.

SACRIFICATI in Ecclesia dicti olim, qui suppliciorum, vitæ, vel etiam amissionis bonorum metu, idolis *sacrificabant*, licèt Christianam fidem ex animo profiterentur. Aliàs *Thurificati*, Cypriano *Ep.* 52. ubi illos, ut & *l. de Lapsu*, pluribus exagitat, ac à cœterorum communione non solùm arcendos contendit, sed & in graviori versari culpa, quàm *Libellaticos*, de quibus suprà. Vide Joannem Forbesium *Instructionum Historico-Theolog. l.* 12. *c.* 1. & suprà aliquid, voce *Negatores*.

SACRIFICIUM, Hebr. מנחה & זבח Græcis δῶρον & θυσία, quæ conjunguntur Psalmo 40. *v.* 6. erat in V. Test. *oblatio religiosa, quâ Sacerdotis ministeriò res aliqua Deo sacrificabatur & solenni ritu destruebatur, in symbolum cultus spiritualis.* Eorum prima post lapsum mentio: ac à Protoplastis *sacrificatum*, ex *tunicis pelliceis quibus amicti fuerint*, Gen. *c.* 3. *v.* 21. quidam colligunt, hucque putant respici Levit. *c.* 6. *v.* 30. & *c.* 7. *v.* 8. Alterum, si non primum, fuit *Sacrificium* Caini & Habelis, quorum alter de frugibus, alter de pecudum grege, ove aut vitulo, fecisse legitur, Gen. *c.* 4. *v.* 3. & *seqq.* Tertium memoratur Noachi, Gen. *c.* 8. *v.* 20. Quartum Melchisedeci fuit, Gen. *c.* 14. *v.* 18. Quintò *sacrificâsse* legitur Abrahamus, Gen. *c.* 12. *v.* 7. 8. & *c.* 22. *v.* 13. postque eum Isaäcus *c.* 26. *v.* 25. & Jacobus *c.* 28. *v.* 18. & *c.* 35. *v.* 3. 7. In Ægypto postea collapsô, ut videtur, hôc ritu, confer Exod. *c.* 5. *v.* 1. cum 8. *v.* 26. sub Israëlitarum exitum Pascha institutum est, quod tum *Sacrificium*; tum convivium sacrum fuisse, patet ex 1 Corinth. *c.* 5. *v.* 7. coll. cum Deuter. *c.* 16. *v.* 5. 6. Circa quæ tempora obtulit quoque inter Idumæos aut Arabes Hiobus, *c.* 1. *v.* 5. & *c.* 42. *v.* 8. inter Midianitas Jethro, Exod. *c.* 2. *v.* 16. 21. & *c.* 18. *v.* 12. inter Syros ac Moabitas, Bileamus, Numer. *c.* 22. & 23. & 24. quæ Ecclesiarum olim florentium, inter gentes istas, erant reliquiæ. Fuêre autem eousque Sacerdotes, more avitô, familiarum præcipui ac primogeniti: in quorum locum, ob peccatum in vitulo commissum, rejectâ universâ gente, lecti sunt Levitæ, atque institutum fuit Sacerdotium Aäronicum, Exod. *c.* 40. *v.* 12. 13. ritusque *Sacrificiorum*, qui priùs liberior, à Deo præscribi, & ad certum locum, Tabernaculum videl. vel Templum restringi cœpit. In eorum verò (quorum plurimas fuisse species, infra videbimus) administratione, varia exactè consideranda veniebant. *Sacrificiorum* integritas & perfectio accuratè præscripta deprehenditur, Levit. *c.* 22. *v.* 22. & Numer. *c.* 29. *v.* 8. nec ante octavum diem agnum, aliamve pecudem, offerre fas erat, Levit. *c.* 22. *v.* 27. cùm ante id tempus, fœtus à matre adhuc rubens & mollis ac partus illuvio squalidus, nondum pro perfecto animali habeatur. Oblatio ipsa hôc ordine, quoad illius præcipua, fiebat. I. Imponebantur victimæ manus, additâ peccatorum confessione, seu ab offerente, seu à Sacerdote. II. Inde victima mactabatur, excoriabatur, & in partes sex vel novem secabatur. III. Exta abluebantur, sanguis excipiebatur crateribus, & ne concresceret, agitabatur. IV. Aspergebantur eô Altaris cornua; quodque reliquum erat, ad illius pedem effundebatur. V. Holocaustum totum igne consumebatur; ex reliquis autem *Sacrificiis* solùm pars aliqua: in Pacificis & Peccatis viscera ac adeps, quod & in agno Paschali obtinebat; in Muneribus, farinæ pugillus, cum olei ac thuris libamine. VI. Dumque ardebat victima, Levitæ Musico concentu Deum celebrabant, utque propitius *Sacrificium* acciperet, orabant. VII. Avibus autem, quod operosius sacrum fuisse tradunt Judæi, Sacerdotis pollice discindebatur caput; tum sanguis ad Altaris angulum exprimebatur; dein ingluvies auferebatur, tandemque, discissis sub alarum recessu carnibus, concremabantur; Levit. *c.* 1. *v.* 14. 17. ad quem locum Abarbenel res X. in sacrificio numerat,

metur, quarum quinque ad eos attinuerint, qui offerebant victimas, quinque reliquæ ad solum Sacerdotem. Illæ *sunt*, *Manuum impositio in caput victimæ*, *mactatio*, *excoriatio*, *dissectio*, & *extorum ablatio*. Istæ, *sanguinem in pelvi excipere*, *eundem aspergere*, *ignem super Altare accendere*, *ligna digerere & partes carnium quæ adolebantur*. Itaque is qui victimam donumque offerebat, præsens adesse atque eô tempore, in atrio Sacerdotum, versari tenebatur: Cum vero pro Populo faciendum esset, aderant Legati universitatis sacrorum causâ, אנשי מעמד i. e. *Viri stationarii*, appellati. Verum cum sine Sacerdote Deus adiri non posset, à Sacerdotibus *Sacrificium* peragebatur: Pontifexque *sacrificabat*, ubi liberum esset, qui tamen *Sacrificia* potiùs auspicabatur, reliquis partibus Sacerdotum minorum turbæ mandatis, qui sortitò munus obibant, victimarumque partes præcipuas nanciscebantur, Exod. *c.* 29. *v.* 27. 28. Deuteron. *c.* 18. *v.* 3. Participabat vero cum Sacerdote, de rebus sacris, universa ejus familia, exceptis mercenariis, Levit. *c.* 22. *v.* 10, 11. hoc tamen discrimine, quòd Sacerdoti soli res sanctissimæ e. g. *Sacrificiorum* carnes: reliquis verò res sanctæ, *leves sanctitates* dictæ, ut *Primitiæ*, *Decimæ* &c. cederent, Exod. *c.* 29. *v.* 37. &c. Locus, ut dictum, post latam Legem non ampliùs liber, sed, repudiatis omnibus aliis, iis inprimis, qui *Excelsa* dicebantur, Tabernaculum primò, dein Templum fuit: ubi in Altari oblata victima, Igne sacrò, qui super eo erat, depascebatur ac sanctificabatur, vide Matth. *c.* 23. *v.* 19. Quæ omnia quem usum, quemque finem habuerint, apud Theologos videre est. Sufficiat dixisse, tantum *Sacrificiorum* numerum ac varietatem, à Deo institutam fuisse, tum, ut multiplici illò ministeriô Populum exerceret; tum ut variâ adeò imagine CHRISTI plenitudinem, quam una figura capere non poterat, exprimeret; denique, ut ipsorum *Sacrificiorum* imperfectionem testaretur, quæ cùm singula peccatum expiare non possent, tantò numerò offeranda, identidemque varianda ac iteranda erant. Quæ cùm cuncta CHRISTUS unicô ac dignô *Sacrificio* implevisset, sicque ipse Sol justitiæ Populo suo affulsisset, nocturnæ illæ *Sacrificiorum* veterum umbræ ac faces, rebus jam luce tectis, paulatim evanuerunt. Vide Franc. Burmannum *Synops. Theol. Tom. prior. loco* 21. *c.* 11. De *Sacrificiis* Gentilium, & quidem Romanorum vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. passim l. inprimus* 3. *c.* 39. *cum Dempsteri Paralip.* Atheniensium, Franc. Rossæum *Archæol. Attic. l.* 4. *c.* 5. Aliorum; Alios; nec non suprà in voce *Prosicia*, alibique passim: de *Sacrificio* inprimis eorum *arcano* ac *mystico* suprà voce *Dæmon*.

Sacrificiorum Veteris Ecclesiæ varia genera ac species.

α. Animalia, quæ offerre fas erat, mactabantur ad aram, erantque illorum quinque genera. *Vaccæ* aut *Tauri*, sub quibus *vituli* quoque. *Oves*, *Capræ* ac *Hædi*; *Columbæ* & *Turtures*. Abominationi contrà Deo erat omnis Α᾽λλοτριοθυσία. Vide paulò infrà, *Victimæ*. β. Anniversaria *Sacrificia*, festis solemnioribus. Paschatis, Pentecostes, Festi Tabernaculorum, in novi Anni exordio, ac præsertim Expiationis die, offerebantur, vide Numer. *c.* 28. γ. Fruges, vide paulò infrà, *Oblationes*. δ. Hebdomadalia *Sacrificia*, Sabbati peculiaria erant. ε. Holocausta, tota igne consumebantur, hinc עולות, quod tota in fumum ascenderent, dicta: Quale fuit *Sacrificium* juge, de quo mox. ζ. Juge *Sacrificium*, maximè celebre erat, Hebr. תמיד, Græcis ἐνδελεχισμὸς, appellatum: quia nunquam omittebatur, seu festus, seu prophanus esset dies. Constabat id duobus agnis anniculis, quorum alter manè, alter vesperi mactabatur. Vide Exod. *c.* 29. *v.* 38. & Numer. *c.* 28. *v.* 3, 4. Dignum autem notatu, quòd eâdem horâ, qua Sacerdos agnum, in Templo, mactabat, seipsum Patri obtulit is; cujus juge hoc sacrificium typus erat, SERVATOR noster; Marci. *c.* 15. *v.* 25, 34. η. Libamina dicebantur, olei ac vini liquores; qui, sacrificiis affusi ac in Altari libati, Deo offerebantur. Affundebantur autem ex vino holocaustis & sacrificiis votivo & spontaneæ oblationis, ut & in festis, quibus & *Mincha*, i. e. Munus dapale, adjungebatur, Exod. *c.* 29. *v.* 40. & Numer. *c.* 15. *v.* 3, 4, 5. θ. Menstrua *Sacrificia*, novi luniis offerebantur. ι. Mincha, vide hic *Munus* & *Mumes*, Græcè δῶρον, Hebr. מנחה *Mincha* dicebatur oblatio seu sacrificium è frugibus, quod constabat ex simila; cui oleum affundebatur, addebanturque thuris odores: unde acceptum pugillum, cum universo thure, adolebat Jehovæ Sacerdos; reliqua ipsi cedebant, Levit. *c.* 2. *v.* 1. 2, 3. Vide quoque hic infrà *Suffimentum*. Nefas verò erat his donis *mel* aut *fermentum* admiscere: contrà, omne munus *sale* erat *saliendum*, Levit *c.* 2. *v.* 13. λ. Oblatio, vide hic suprà *Munus*: Triplicia enim, quoad materiam erant *Sacrificia*, nimirum *Victimæ*, *Oblationes* & *Libamina*; unde primariæ eorum apud Hebræos species זבח מנחה נסך, prout vel *pecudes*, vel *fruges*, vel *olei vinique liquores* Deo offerebantur. μ. Occasionata, quæ non statis temporibus, sed occasione datâ, fiebant. ν. Pacifica, Hebr. שלמים vocitata, pleraque libera erant ac voluntaria, eaque iterum duplicia, vel Εὐχαριστικὰ, pro beneficiis acceptis, vel Εὐκτικὰ, pro futuris. Dividebantur illæ in tres partes, quarum una Deo, altera Sacerdotibus, tertia offerentibus, ad epulum in templi atriis, cedebat, Levit. *c.* 3. *v.* 1. & *c.* 7. *v.* 11. ξ. pro Peccato *Sacrificium*, Hebr. חטאת, Græc. ἁμαρτία, illi expiando & peccatoribus ad Sacrorum communionem reducendis, serviebat, Levit. *c.* 4. *v.* 2. Erant autem pleraque pro impuritatibus ceremonialibus vel levioribus quibusdam noxis; aut etiam pro gravioribus, modo non ex superbia, aut elatâ manu, commissa essent. Numer. *c.* 15. *v.* 25. coll. cum Levit. *c.* 6. *v.* 4, 6. Cum eo conveniebat. ο. *Sacrificium* pro Reatu, Hebr. אשם, Græcis πλημμέλεια: quod certa quædam duntaxat peccata procurabat, Vide Levit. *c.* 5. *v.* 1. & *c.* 7. *v.* 1, 2. Ejus dominus, manu hostiæ impositâ, delictum coram Jehova, ad Templi ostium fateri; &, si in proximum peccâsset, de illata injuria satisfacere tenebatur, Num. *c.* 5. *v.* 7. Pauperiores offerebant turturum par, aut 2. columbarum pullos, Levit. *c.* 5. *v.* 7. aut, si nec hæc sufficerent, decimam similæ, sed sine oleo ac thure, Levit. *c.* 5. *v.* 11, 12. quæ infirmitas *Sacrificiorum* istorum accusatio erat. π. Quotidiana vide hic suprà, *Juge*. ϛ. Spontanea, his libamen affundi solebat. σ. Stata erant vel *Anniversaria*, vel *Menstrua*, vel *Hebdomadalia*, vel *Quotidiana*, vel certis denique annorum intervallis recurrebant. τ. Suffimentum memoriale Deo, propter dona thurea, gratissimum, *Mincha* fuit. υ. Victimæ, pecudes dicebantur, vide suprà *Animalia*. φ. Votiva seu Εὐκτικὰ, pro futuris beneficiis offerebantur cum libamine. Porrò, alia erant pro peccato Pontificis, alia pro totius cœtus aberratione, alia pro homine privato, eoque vel paupere, vel divite &c.

SACRILEGUS, qui *legit*, i. e. *adimit & aufert sacra*, quemadmodum verbum hoc sumitur, in Legg. XII. Tabb. *Homini mortuo ne ossa legito*: ubi sensus est, teste Cicerone *de Legg. l.* 2. ne quod membrum mortuo abscindatur. Ad eum enim morem Lege hâc respici videtur; de quo *Festus* scribit, digitum cadaveri decidi consuevisse, ad quem servatum justa sacra fierent, reliquô corpore in pyra concrematô; id quod his verbis Decemviri prohibuerunt, nisi quis aut peregrè aut in bello mortuus esset. Tum enim permiserunt, eis ossa legi, quò pòst funus fiat, h. e. membrum aliquod adimi, ad quod servatum justa Romæ fierent, reliquô corpore apud peregrinos flammis datô. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 6. Itaque *Sacrilegi* vocitari quis publica sacra compilari nulla religio, *l.* 6. & 9. *ff. ad leg. Jul. pecul.* Imò & suarum constitutionum violatarum crimen, *Sacrilegium* appellant Imperatores *leg. un. Cod. de Crim. sacril. l.* 6. *ut appellat. in Cod.* Theodos. Sacrilegiique crimen irrogant his, qui præcepta sua *neglexerint*, *vel scita violaverint*, *l.* 1. *Cod. ut dignit. ord. serv.* *l.* 12. *l.* 13. *C. de erogat. militum annon.* Vide quoque Cassiodorum *Var. libris* aliquoties & Vegetium *Probl. l.* 2. Apud Athenienses *Sacrilegi*, ut & Proditores, morte multabantur, neque intra Atticæ fines sepeliebantur, bonaque eorum publicabantur, ex Lege: Ἐάν τις τὴν πόλιν προδιδῷ, ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κριθεὶς ἐν δικαστηρίῳ ἂν καταγνωσθῇ, μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ, τὰ δὲ χρήματα αὐτοῦ δημόσια εἶναι, *Si quis in judicio proditionis aut sacrilegii damnatus fuerit, intra Atticam ne sepelitor, bona ejus publicantor*, Vide Sam. Petitum *in LL. Attic. l.* 8. *tit. ult.* & infra ubi de *Sepeliendi jure*. Romani cruce, bestiis, igne illos puniebant. Paulus. *l.* 5. *Sentent. ad l. Corn. de Sicar. Magicæ artis conscios placuit bestiis objici, aut cruci suffigi, ipsi Magi vivi exuruntur.* Ulpianus *l.* 6. *D. ad l. Jul. pecul. Scio multos ad bestias damnasse Sacrilegos nonnullos etiam vivos exussisse.* Vide quoque Salvianum *de Provid. l.* 7. Atque hinc cum aliis suppliciorum generibus, tum igne inprimis, eoque modo continuò, cujus species variæ memoratæ Tacito *Annal. l.* 15. Eusebio *Histor. l.* 4. *Prudentio*, Aliis; modo lentò, cujus meminit Augustin. in *Joann.* In Christianos olim sævitum, ut qui Magi Sacrilegique Gentilibus habiti sunt. Suetonius *Nerone*, *c.* 16. *Christiani genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ.* Tertullian. *Apologet. Sacrilegii & majestatis rei convenimur.* Cæcilius apud Minuc. *Hæc* Sacra (Christianorum) *sacrilegiis omnibus teteriora*. Quanquam hæc pœna non videatur *Sacrilegis* irrogata, nisi gliscente nequitiâ & sceleribus, quæ gravioribus pœnis compesci opus, uti ex Tertulliano docet Jo. à Wower *Not. ad Minucium Fel. p.* 17.

SACRISCRINIARIUS & SACRISCRINIUS, apud Ælfricum in *Glossis*, *Custos Ecclesiæ* est in Communione Romana idem cum *Sacrista*, qui aliàs *Thesaurarius* quosque & *Apocrisiarius* dictus occurrit. *Subjectum esse Archidiacono, & ad ejus curam pertinere custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiæ, nec non quæ ad luminaria pertinent, sive in cera sive in oleo*, legitur *in l.* 1. *Decret. tit.* 26. *c.* 1. apud Car. du Fresne; qui *Librum* Ordinis S. Victoris Paris. *MS. c.* 20. In eandem rem laudat, ubi paulò prolixius officium istud sic describitur: *Ad officium Sacristæ pertinet, omnia quæ in thesauro sunt custodire, reliquias & omnia ornamenta altaris & sanctuarii ac totius Ecclesiæ, sive in auro, sive in argento, sive in ostro & palliis & tapetibus & cortinis: sacras quoque vestes & pallas & manutergia, calices & textus & cruces & thuribula, & candelabra & cætera vasa, quæ vel ad ministerium vel ad ornatum altaris & sanctuarii totiusque Ecclesiæ pertinent, Libros quoque Missales, Epistolares & Evangelia.* Vide quoque Dominic. Macrum *in Hierol.* De *Sacrista* verò *Apostolici*, ut vocant *Palatii*, quem semper Prælatum esse consuevisse, scribit Auctor libri *Ceremon. Capellæ Pontif.* multa commentatur Waddingus *in Annal. Minorum*.

SACRIVÆ Arbores in Concilio Autissiodor. *can.* 3. eædem cum *Arboribus consecratis*, quarum mentio est in Concilio Nannetensi *can.* 20. dictæ sunt, quas ut *sacras* colebant pagani: cujusmodi idololatreas ξυλολατρείας vocat Nicetas Paphlago *in Encomio S. Hyacinthi*. Vetus superstitio: quarô enim cultu prisci Galli quercum inprimis coluerint, docet inter alios Plin. *l.* 16. *c.* 34. & videre est suprà, ubi de *Druidibus*. Imò post Christi fidem per Orbem longè latèque propagatam, arborum tamen & lucorum cultum eòusque, in Africa, Germania, Italia, Gallia aliisque provinciis invaluisse ac viguisse legimus, apud Augustin. *Sermone* 215. & 261. *de Tempore*. Gregorium M. *l.* 7. *Indict.* 1. *Ep.* 5. & 20. Gregorium Turonensem *Hist. l.* 2. *c.* 10. Alios, ut meo evellendo Christiani Principes magnoperè desudaverint. Vide suprà in voce *Arbor*. Uti autem *Sacrivæ* hæ *arbores* dictæ, sic *Sacrivus majalis* occurrit *in L. Sal. tit.* 2. §. 14. cujusmodi pecora, ad Monasteria aut Ecclesias pertinentia, *Votiva pecora* dicuntur Gregorio eidem *de Mirac. l.* 2. *c.* 1. Sic *Porci sacres* Plauto *Menæchm. Actu.* 2. *sc.* 2. dicuntur, ad sacrificium idonei &c. Vide Chabotium *ad Horatium l.* 3. *Carm. Od.* 23. *v.* 9. ubi hujusmodi porca his verbis describitur,

Nam quæ nivali pascitur Algido
Devota, quercus inter & ilices:
Aut crescit Albanis in herbis
Victima Pontificum secures
Cervice tinget.

De SACROBOSCO Joannes, vel de Sacrobusto, dictus quoque Holiwod, à pago in Anglia natali, qui nunc Holifax dicitur, in diœcesi Eboracensi. Floruit secul. 13. princeps Mathematicorum sui ævi. Scripsit Parisiis, quò famâ virorum eruditorum permotus iter aliquando susceperat, de Sphæra Mundi librum, quem Clavius, Pierius Valerianus, Elias Vinetus, Petrus Nonius notis suis illustrârunt: in diversas linguas translatum. Item *de Computo Eccles. &c.* Obiit ibidem A. C. 1256.

SACRO SANCTUS Magistratus, dictus est, quem vel vi vel verbis violare, capitale esset, & scelus inexpiabile; qualis Tribunatus Plebis erat apud Romanos, teste Dionysiô *l. 6.* Cùm enim plebs, quæ in montem Urbi vicinum, qui postmodum *Sacer* dictus est, secesserat, à Patribus per Legatos lautis conditionibus oblatis revocata esset; plebeji interim metuerent, ne solutó cœtu vel promissis non staretur, vel alioqui comprehensi raperentur ad supplicium, securitatis suæ causâ, potestatem illam postulârunt & adepti sunt, ut ipsi sibi è suo corpore, contra Patriciorum potentiam ac vim, creare peculiarem Magistratum possent, à quo auxiliatio adversùs Consules esset: atque hic Magistratus *Sacrosanctus* esset: Quem proin qui violâsset, *Homo sacer*, i. e. omnibus diris devotus, dicebatur, impunè à quovis à medio tollendus, *Quoniam illius anima, Diis devota, ampliùs humani commercii non esset*; Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l. 6. c. 14.* Vide quoque *Festum*, qui *Sacrum* hominem appellatum ait eum, *quem Populus ob maleficium judicâsset, quemque immolare fas non esset: qui verò eum occidisset, parricidii non damnaretur*; unde in XII. Tabb. *Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto*, &c. inprimis verò Liv. *l. 3. c. 55.* Sed & Ædiles *Sacrosanctos* Cato vocat, & *Sacrosancta Vacatio* occurrit, apud eundem *l. 27. c. 38.* *Colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vocationem dicebantur habere, dare milites cogebant.* Sic autem ea dicitur, teste *Marc. Donato, in notis* quod jurejurando ea firmata esset, ita ut inviti dare milites cogi non possent: ex Festo eodem, cui *Sacrosanctum dicitur illud, quod jurejurando interposito, institutum est, ut, si quis violâsset, morte pœnas penderet; vel quod sine inexpiabili scelere violare nemini prorsus liceret.* Vide & infrà *Sancire.*

SACROVIENSES, nomen priscæ apud Romanos Tribus, inter quos & Suburanos non levis quotannis erat contentio, de capite Octobris equi (Marti immolari soliti, in campo Martio, mense Octobri) ut illi, in Regiæ pariete, isti ad turrim Mamiliam id figerent: quemadmodum ejusdem cauda tantâ celeritate perferebatur in regiam, ut ex ea sanguis destillaret in focum, participandæ rei divinæ gratiâ. Vide Dempster. ad Rosin. *Antiqq. Rom. l. 4. c. 4.* & suprà, voce *October.*

SACRUM Cæsaris castrum, nobile in Biturigibus oppid. cum titulo Comitatus vulgò *Sancerre*, fortè sic dictum, quòd ibi, victis Biturigibus & expugnatò gentis capite Avaricô, sacra fecerit Julius Cæsar. *Sacri Cæsaris* oppidum dicitur Philippo Augusto in literis ad Bituriges, mœnia *Sacri Cæsaris* Guilielm. Armorico Philipp. *l. 1.* *Sincerrium Sigeberto*, &c. Incolæ *Sacro Cæsarienses* Gallis scriptoribus vocantur. Vide *Sancerra*, & infra.

SACRUM Cereris, seu SACRO-CÆSARIANUM, quibusdam *Sancerre*, oppid. provinc. Bituricensis, in colle, ad Ligerim, aliàs munitum, cum arce, 9. leuc. à Niverno in Boream, 7. à Bituricis in Ortum. In ejus obsidione A. C. 1573. famem Saguntinam sunt passi cives.

SACRUM Nemus, *Scakenbosch*, sylva Batavorum in Hollandia apud Ageducem pagum, inter Lugdunum, Delfos & Hagam.

SACRUM Nemus, vulgò *Halywood*, cœnobium cum pago est Gallovidiæ, in Scotia, à Patre Johannis de Sacrobosco conditum.

SACRUM Promontorium, Lusitaniæ locus, *Ptolem. Caput S. Vincentii* hodie dicitur, est in Algarbia, 30. leuc. Lusitanic. ab Olissipone in Meridiem, 25. ab ostio Aniæ fluv. in Occasum, seu 80. mill. pass. Aliud in Corsica eidem *Ptolomæo*, *Cabo Corso Leandro. Sege Pineto*, magis ad Boream extenditur, versus Liguriam. Tertium in Lycia eidem *Ptol. Capo Chelidoni Sophiano.*

SAD-HAZAR, inter fabulosa Arabum animalia, quod in extremis regionibus Græcorum reperiri & cornu habere divisum in septuaginta ramos concavos, unde, quoties ducit spiritum, canoras audiri aves, atque ad harum concentum omnia allici animalia, fabulantur. Addunt, Reges hoc cornu sibi comparare, & cùm venti flatibus illud rectà opponunt, ex eo vocem emitti mirè jucundam, ita ut audientes tantùm non in stuporem dentur: at si contrariò sensu invertant, lugubres sonos inde erumpere, quibus adstantes ad fletum provocentur. Nomen animali à *sad* vel *sada*, quod *canere* est; propriè *cantare*, *ὑμνῳδεῖν*, ab inventrice Sido (muliere apud Phœnices magni nominis & jam Sanchoniathoni memoratâ) sic dictas. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l. 6. c. 13.* ubi de variis Arabum animalibus fabulosis.

SADALES, Cotyos Thracum Regis fil. cum quingentis Equitibus à Patre auxilio missus Pompejò. Cæsar. *l. 3. de bell. Civil. c. 4.*

SADALIS, urbs Ægypti. Gentile *Sadalites*, *Stephan.*

SADDUCÆI, vel SADUCÆI dicti inter Judæos, qui *Sadocum* quendam Legis magistrum sequentes, neque resurrectionem credebant, neque Angelos, neque spiritus. Cœtera cum Samaritanis habebant communia, nisi quòd cum cœteris Judæis sacrificabant. Legem observabant, spe præmiorum temporalium, & metu suppliciorum hujus vitæ. Traditionibus quibuscunque rejectis, Fatum negârunt omnino, dictitantes, Deum nec mala factitare, nec curare: Hinc collegerunt, in nostra potestate situm esse malum patrare, aut ab illo abstinere. Exiguus autem Sectatorum numerus, sed ex primariis conflatus fuit. Cum Pharisæis irreconciliabilis illis contentio, ut ex Euangelio notum: Quos cùm impietate superarent, nihilominus in his minus vanitatis & hypocriseos fuit, neque se tam infensos Christo hostes exhibuerunt: Rigidissimi non in peregrinos solùm, sed & in seipsos. Vide Josephum, *l. 2. de Bell. Jud. c. 12. l. 13. Jud. Antiq. c. 9. & l. 18. c. 2.* Nomen quidam ab Hebr. *Sedeck* i. e. *Justus*, derivant, quasi *Justitiarios* dicas, alii tamen ejus originem potiori jure arcessunt, à primo suo Auctore *Sadoc* dicto, qui floruit sub Antigono Sochæo, Simeonis Justi successore, Synagogæ magnæ. Cujus discipulus cùm esset, non intellectâ mente Magistri, cum æquali & commilitone suo Baitho, innocua & pia ejus verba, *non esse Domino serviendum præmii ergò*, pervertit & inde extudit, *nullum post hanc vitam manere præmium aut pœnam*, atque ita novum *Sadducæorum & Baithusæorum* sectam cudit. Aliter etiam Judæis dicuntur *Minæi, Epicurei, Dositheani* (at hi Resurrectionem agnoverunt) *Samaritani*, vide *suô loco*, & *Karæi*, quia nempe traditiones cum Karæis rejiciebant. Ætas eorum incidit in annum 216. ante Christum Natum ut sic ex Judæorum Sectis omnium antiquissimi sint. Solam illos Legem seu Pentateuchum recepisse sunt qui dicant, unde è Lege sola à SALVATORE nostro refutati, Matth. *c. 22. v. 31.* sed probabilius est; universam ab eis Scripturam, solis traditionibus insuper habitis, receptam fuisse. Mores illorum depingit Josephus, & confirmant dogmata, ut feros & *ἀγρίους*, tanquam hominum profanorum; Unde licèt fermè potentissimi essent, quamvis & pauci, nihilominus exosi erant vulgo, cùm contrà Pharisæi vulpinari nossent & in sinus hominum influere. Interim hodieque aliquâ parte inter Judæos hæc Secta superstes est, cùm multi eorum negent animæ immortalitatem, quorum numerus frequens in Oriente & Turcia, ubi multi quoque Karæi: Europæi enim Judæi ferè Rabbanistæ sunt, Paria quoque cum *Sadducæis* faciunt, inter alias sectas, Mahometani: inter eos, qui Christianum nomen profitentur, *Sociniani.* Franc. Burmannus *Synops. Theol. Part. 1. l. 4. c. 39.*

SADEEL Antonius, Theologus Gallus insignis. Vide *Chandeus.*

SADOC, filius Achitob, 2 Sam. *c. 8. v. 17.* Item Summi sacerdotis nomen, 2 Sam. *c. 5. v. 14.* Vide 1 Paral. *c. 29. v. 22.* Fil. item Meraroth, 1 Paral *c. 9. v. 11.* Vide & Matth. *c. 1. v. 14.* Latin. *justus*, vel *justificatus.* Vide suprà *Sadducæi.*

SADOCUS, Regis Sitalcis Thracis fil. à Thucydide appellatur, qui ab aliis *Teres*, quem Athenienses ad se missum civitate donârunt. Vide Schol. in Aristoph. *Acharn. p. 378. B.*

SADOLETUS, fil. Johannis, JCtus Episcopus Carpentoractensis, eruditione ac moderatione & pietate, commerciô item cum utriusque Religionis viris eruditis, inclytus, ut apparet ex doctis ejus ad Melanchthonem & Erasmum Epistolis, *Epist. l. 4. p. 173.* nec non *p. 167.* ubi Oecolampadium eximiè laudat: quemadmodum & Calvinum magni æstimâsse, illumque cùm Genevâ transiret, aditu & alloquiô dignatum esse, Car. Drelincurtius docet, *Defense de Calvin. p. 187.* quod ipsum fortè occasionem dedit nonnullis scribendi, Cardd. Sadoletum, Bembum, Casp. Contarenum & Campegium, quòd nimiam cum adversariis Romanæ Ecclesiæ familiaritatem exercuissent, venenô esse sublatos, in *Monumentis* Boxhornii. Cæterùm adhuc juvenis in Poësi eô successu versatus est, ut inter primos seculi sui Poëtas eum numeret Lil. Greg. Giraldus *l. 1.* sed ei postmodum valedixit, ut Theologiæ totus vacaret. Scripsit varia, quorum seriem exhibet *in Elogiis* Anton. Teisser. *p. 1.* ubi de Card. Bembo. Vide *Jacobus Sadoletus.*

SADUCA *Ptolem. Guadalquivirejo Floriano*, fluv. Hispaniæ Bæticæ in mare Iberium apud Malacam urbem influens. Cujus ostium ab hac 1. leuc. in Ortum distat.

SADYATES, ex Mermnadum familia III. Ardyos filii Gygis fil. post patrem regnavit in Lydia. Milesiis sexennale bellum intulit: Successorem nactus Alyattem, patrem Crœsi. Herodot. *l. 1.* Regnavit annos. 12.

SÆDENE, mons Cumæ, in Æolide, & tractus, *Stephan.*

SÆNA, Tusciæ mediterraneæ oppid. *Ptolem. Siena* hodie dici, & Coloniam *Senensem* Tacito vocari docet *Orlandius.*

SÆNIUS, prænomine *Lucius*, consul annô Urbis DCCXXV. qui delectum Patriciorum instituit: à quo Senatusconsultum *Senianum.* Vide Tacit. *l. 11. Annal. c. 25.*

SÆNOS, Sinarum fluv. *Ptol.*

SÆPINUM, urbs Samnitum, *Ptol.* Hodie *Sepinum.*

SÆPONA, urbs Hispaniæ Bæticæ. Plin. *l. 3. c. 1.*

SÆPRUS, Sardiniæ fluv. *Ptol.*

SÆTABIS, Vide SETABIS. Hic lini subtilissimum genus.

SÆVIRE, propriè de ursis. Spartian. *in Antonino Geta, c. 5.* *Familiare illi fuit has quæstiones Grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, Agni balant —— Ursi sæviunt, leones rugiunt* &c. Ad quem locum refert Salmas. paginam se habere MS. fragmenti veteris Vocabularii, in qua cùm diversorum voces animalium exponantur, etiam id legatur de ursis, quòd *uncent* sive *sæviant.* —— Sumptum autem id ex Principe Poëtarum, *Æn. l. 7. v. 17.*

—— atque in præsepibus ursi
Sævire & formæ magnorum ululare luporum.

Quòd verò in fragmento illo, *sævire*, pro uncare, exponitur; confirmatur ab Auctore Poëmatii *de Philomela*,

Dum lynces orcando fremunt, ursus ferus uncat.

Sed eam vocem, ut plures alias in eodem Poëmatio, meritò suspectam habet *Bochartus*, cùm *ὀγκᾶσθαι*, *uncare*, asinorum sit. Proin sequitur, non multò post,

Quiritat verres, tardus rudit, uncat asellus,

De ursis verò *sævire*, Hebr. est המה. Ita enim Esaias *c. 59. v. 11.* נהמה כדבים כלנו *Sævimus ut ursi nos omnes.* Interim non ursorum propria vox est. Namque & de canis ululatu dicitur, Psalmo 59. *v. 7. 15.* & de gemitibus columbarum, Ezech. *c. 7. v. 16.* & de tumultu viscerum, Jerem. *c. 31. v. 20.* & de maris fremitu pluribus locis.

locis. Græci Interpretes habent Esaiæ *d. l.* Στενάξομεν ὡς ἄρκτοι, *Gemenus ut ursi*. Non omnino malè; videtur enim ursorum vox habere aliquid gemebundum. Unde Horat. Od. 16. *Epod. v.* 56.

Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.

Et Ovid. de Callisto in ursam mutata, *l.* 2. *Met. v.* 586.

Assiduoque suos gemitu testata dolores &c.

Itaque, *Sævimus ut ursi nos omnes*, i.e. gemitu nostrô sævientes ursos referimus. Proin sequitur, *Et ut columbæ gemendo gemimus*. Vide Salmas. *Not. ad Spartian. loc. cit.* & S. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 8.

SAFARIUM, in *Glossis* Isidori. *Pastophorium, Atrium Templi vel Safarium*. Item *Safarium, Atrium Templi*. Nempe παστὸς, in Templis Gentilium dicebatur ea pars, quæ aliàs πρόδομος; non ἀπὸ τῆς πάστης, quod ibi convivarentur, sed ἀπὸ τῆς πάσσειν quod est ποικίλλειν, quòd opere intestinô cælatis laquearibus & tectoriô albarióque opere obductis pictisque & auratis ornata esset. Sed & velum vox significat variegatum plumariô opere, quod thalami vel œci foribus prætendebatur. Unde παστοφόρια, Templorum Atria, in quibus ejusmodi vela prætenta essent, vel potiùs quòd is locus destinatus esset mansionibus τῶν παστοφόρων. In templo namque Isidis, & aliarum fortè etiam Dearum, certus cœtus fuit sacratorum hominum, qui velum linteum variegatum, thalami foribus vel sacræ calybæ oppandi solitum, ferre solebant. Atque hinc Isidorus *Safarium*, Atrium Templi exponit. Vide Jac Gothofredum *ad l. ult. de publ. ædific.* & Salmas. *ad Solin. p.* 1217.

SAFFA, vel SAFFRA, civitas in monte sita, à Nazareth, tribus distans milliaribus, patria Zebedæi, Alphæi & Jacobi atque Joh. Apostolorum.

SAFRACH, Gothus, vastavit cum Alatheo Pannoniam: sicut Fridigernus Græciam, sub Gratiano, A.C. 381.

SAGA, à *sagiendo*. Cicero de Divin. *l.* 1. *Sagire enim sentire acutè est, ex quo Sagæ anus, quia multa scire volunt & sagaces dicti canes*. Apulejus *Met. l.* 2. *Potens illa & Regina caupona, quid mulieris est? Saga, inquit, & divina, potens cælum deponere, terram suspendere, fontes durare*. H. e. præscia futurorum. *Festus*, Sacrorum peritam mulierem & Virum sapientem *Sagos* dici notat. *Nonius*, conciliatrices libidinum virilium sic dictas autumat, ut *Lucilius l.* 7. scripserit,

—— Saga & bona conciliatrix.

Plerumque tamen divinatrices *Sagæ* dicuntur. *Saganæ* Prisciano *l.* 4. *Phœbades* veteris Scriptori *Onomastici*: quæ & Sacrorum peritiam simulant, & libidinum conciliatrices sunt ut plurimum. In quo genere Thessalæ olim inprimis celebres, quibus frequens cum Luna commercium. Hinc ad divinationes suas speculô usæ, in eo literas sanguine inscribebant, responsa ipsarum continentes quas legebant, qui consuluerant, non in speculo, sed in orbe Lunæ. Id enim carminibus suis se præstare jactabant, esséque id Pythagoræ inventum. Unde Aristophanes *in Nebulis*,

Εἰ πριάμενος γυναῖκα φαρμακίδ' ἔχων &c.

Sed hac de re vide infrà, ubi *de Speculis*. De circulo, quem ingrediebantur, serpentes incantaturæ aliasque præstigias facturæ, diximus aliquid suprà, in voce *Sacer serpens*. *Defigere* autem diris aliquem, incantationibus, maleficis herbis & aliis veneficiis Sagæ dicebantur, Græcis δεῖν & καταδεῖν: Unde κατάδεσμος, pro *veneficio*, qua de re dictum suprà ubi de *Nodo Veneris*, cui contrarium erat, *solvere*: quod utrumque duobus potissimùm faciebant modis, cantibus videl. & herbis. Unde Sortilegium hodiéque Gallis *carmen* dicitur, *charme*, & hinc verbum *charmer*, pro *carminibus aliquem devovere* ac defigere. De cereis imaginibus, quas Veneficæ seu *Sagæ* fingebant, earum beneficiô homines, quibus imminebant, ad obsequium pertracturæ, vel vehementibus doloribus excruciaturæ, Ovidius agit, in versu *l. c.*

Sagaque phœnicea defixit nomina cera.

Et *Ep. Heroid.* 6. *v.* 91.

—— —— Simulachraque cerea fingit.

Quod *defingere* vocat Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 10. *v.* 37. *Defingit Rheni luteum caput*. Ubi probè *defingere* à *defigere* distinguendum, quô posteriore vocabulô effectus significatur defictæ imaginis, de cujusmodi veneficio diximus aliquid suprà, ubi de *Cereis imaginibus*, item voce *Lena*, ac *Simulatrix*. Vide Salmas. *ad Spartian. in Didio Juliano c.* 7. & *ad Solin. p.* 1088. uti de reliquo *Sagarum* instrumento locum Lucani suprà laudatum, ubi de *Nodo hyæna*.

SAGÆ, iidem qui *Sacæ*, Mela *l.* 3. *c.* 5.

SAGALASSUS; urbs Pisidiæ, vocatur etiam *Selgessus*. *Steph.*

SAGAMNA, vide *Sagona*.

SAGAMOS, in America, Regulos suos vocant, qui habitant Continentem; sicut qui Insulas, *Casiquas* habent. Hornius *Orb. Imperant.*

SAGANA, venefica mulier, quæ Varum puerum prætextatum suis incantationibus fascinavit. Horat. *in Epod. Od.* 5. *v.* 26.

At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis. ——

Ejusdem seu Necromantidis meminit *Sat.* 8. *l.* 1.

SAGANAS, apud *Ptolemæum*, Carmaniæ flumen, quod post Andanim illi ponitur, versùs Occidentem naviganti; *Siccanas* Plinio, pro *Siganas* vel *Taganas*, de quo vide Salmas. *ad Solin. p.* 1181.

SAGANUM, urbs Silesiæ, caput Ducatus cognominis ad Bobe1am fluv. 5. leuc. à Glogavia majore in Ortum à Crossa in Meridiem Gorlitium versus totidem. Polonis *Zegan*. Sub Austriacis. *Saganensem* principatum tenuit olim Conradus, fil. Henrici Barbati, Silesiæ superioris Ducis, qui utraque Poloniâ potitus. Obiit A.C. 1238. Frater Henrici Pii, qui celebri illô prælio prope Lignicium à Tartaris cæsus est. Pater fuit Conradus Henrici, qui Uratislaviensem, Boleslai qui Lignicensem, & Conradi, qui Glogoviensem ducatum accepêre. Dein *Sagano Glogoviensem* lineam orsus est, Henricus Fidelis, fil. hujus Conradi, qui bona sua *Saganum*, Crosnam, &c. Joh. Bohemiæ Regi, Bohemisque à quibus feudô teneret, submittere coactus est, A.C. 1329. Pater Henrici Ferrei: Cujus fil. Henricus Passere genuit Henricum, qui Glogoviam & Freistadium tenuit. mortuus A.C. 1467. stirpe brevi quoque extinctâ, & Johannem, cujus linea in Johanne filio desiit, qui à Matthia Corvino principatu ejectus, sub principium superioris seculi vitâ excessit. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist.*

SAGANUS, *Ptolem. Bastri* nunc, fluv. Carmaniæ, in sinum Persicum contra Armazum insul. influens.

SAGARÆI, pop. qui camelorum certamen, in honorem Minervæ, instituerunt. *Ælian.*

SAGARAUCÆ, gens Scythiæ intra Imaum. *Ptolem.*

SAGARIA Negotiatio *in l. cum duobus §. quidam, ff. pro socio*, sagorum negotiatio fuit, de quibus vide infrà, ubi varia de voce *Sagum*.

SAGARIS, Ajacis Locri fil. memoratus Solino *c.* 2. *Notum est, à Philoctheta Petiliam constitutam —— Sybarim à Trœzeniis & à Sagari Ajacis Locri filio* &c. Sed Achæos cum Trœzeniis Sybarim condidisse, tradit Aristoteles *de Republ. l.* 5. de *Sagari* verò Ajacis Locri filio, nihil alibi occurrit. *Sagaris* quidem nomen proprium Græcum, in antiquis *Inscriptionibus* occurrit, & in illo versu Martial. *l.* 8. *Epigr.* 58.

Possum te Sagarim jure vocare meo.

Salmas. *ad Solin. p.* 65. Alii tamen apud Martialem, *Sagarim* scuti genus esse Poëtam in ambigua hac voce, quæ & pro *sago* accipi possit, ludere, contendunt. Vide Raderum *ad loc.*

SAGARIS, fluv. Asiæ, qui ex Dindymo Galatiæ monte nascens, & per Phrygiam Bithyniamque flexuosô cursu delatus, tandem influit in pontum Euxinum. Ovid. *Pont. l.* 4. *Ep.* 10. *v.* 47.

Huc Lycus, huc Sagaris, Peniusque Hypanisque Cratesque
Influit, & crebrò vortice tortus Halys.

SAGARTIA, Chersonesus juxta mare Caspium, *Stephan.*

SAGE, nomen viri, 1. Paral. *c.* 11. *v.* 34. Latinè, *ignorans*, sive *comprehendens*, aut *attingens*, vel Syriacè *multus*, *multiplicans*.

SAGENÆ tractus, in *Charta* veter. Philippi Francorum Regis, A.C. 1283. apud Sammarthanos *in Archiepisc. Rotomag.* facultas est piscandi & rete in piscariam jaciendi & immittendi. Pro *reti* namque vox Latinis nota. Sed & navigii speciem designat, apud recentioris ævi Scriptores. Unde *Sagena Petri*, Petro Damiano apud Baronium *A.C.* 1066. *num.* 57. Sic Laurentius Veron. *de Bello Balearico l.* 1.

Barcæ, currabii, lintres, grandesque sagenæ.

Etiam apud ejusdem ævi Græcos Scriptores, crebrò hâc notione σαγήνη occurrit, Constantinum *de Administr. Imp. c.* 31. *de Thematibus l.* 2. *c.* 1. & 6. Mauritium *Strategic. l.* 1. *c.* 21. Gregoram *p.* 72. &c. Vide Car. du Fresne *Glossar.*

SAGES, Cyzicenus, ab Hyla sagittis confixus, Val. Flacc. *l.* 3. *Argon. v.* 182.

SAGIBARONES, memorati in *L. Sal. tit.* 56. §. 2. 4. & 9. & in *LL.* Inæ Regi *c.* 6. Causarum Judices sunt, qui in mallis publicis jus dicebant; à Saxon. *Sacch* sive *Saeck*, causa, de qua litigatur & *Baro* i.e. Homo: ita ut Jurisperiti fuerint sive Legis Doctores, qui Gallis dicuntur *Hommes de Loy*. Eorum in Judiciis non plures esse debere, quàm tres, colligitur ex dicto §. 4. *Sagibarones in singulis mallobergiis —— plusquam tres esse non debent*: cùm Grafiones judicaverint cum septem. Vide Henr. Spelmann. & Car. du Fresne *in Gloss.*

SAGIENSIS Urbs seu SAGIUM, aliàs VAGORITUM dicta, *Seez*, Sessuorum caput. Ad Olinam fluv. Normanniæ, prope ejus fontes, 40. leuc. à Lutetia in Occidentem, 5. ab Alencotio in Cæciam, 11. à Lexovio in Meridiem, estque satis culta.

SAGINA, apud Solinum *c.* 23. ubi de conchis margaritiferis. *Sic concipiunt gravidæque fiunt & de saginæ qualitate reddunt habitus unionum*: pro cibo vel pabulo, ponitur. Sic Symposius in *Ænigmatis*, *saginas* dixit de glandibus, quæ suum pabulum sunt,

Setigeræ matris fœcunda natus in alvo
Desuper ex alto virides expecto saginas.

Unde Symmacho *in Ep. Saginam cadere*, est cibum cædere ac comedere. Et Nemesianus *in Cynegetico*, *v.* 166.

—— tunc consuetam retinere saginam
Profuerit.

Ubi de canibus venaticis, qui non saginantur, loquens, vocem pro simplici cibo usurpat &c. Aliàs Veteribus *sagina*, est σίτευσις seu *fartura*. Plin. de cochleis, *l.* 9. *c.* 56. *Quin & saginam earum commentus est, sapâ & farre, aliisque generibus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent. Cujus Artis gloriâ in eam magnitudinem perductas, ut octo quadrantes implerent singularum calices, auctor est M. Varro* &c. Et quidem vel ad sacra, vel ad luxum, id fiebat. Boves altiles ad publica sacrificia *saginatos*, habet Varro *de R. R. l.* 2. *c.* 1. Vide quoque suprà, voce *Adeps* alibique passim. Gallinam altilem, exhibet Martial. *l.* 13. *Epigr.* 62. &c. cui muneri qui præerat, *Aviarius Altiliarius* vocatur in veter. *Inscript.* Romæ, *Fartor* Horatio *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 229. & in alia *Inscr.* ibid. aliâ verò notione *Fartor* suprà. Vide L. Pignorium *Comm. de Servis*, ut & hic passim,

inprimis vocibus *Ligare* & *Zothera*. Propriè verò *saginare* de Athletis usurpatum. Tertullian. *adv. Psychicos*, *Saginantur pugiles & pyctæ Olympici, illis ambitio corporis, quibus & vires necessariæ.* Sic Græcis σιτίζειν, de iisdem. Diogenes Laërtius. Οἱ δὲ Πυθαγόρην ἀλείπτην τινὰ τοῦτον σιτίσαι τὸν πρῶτον τοὺς ἀθλητάς, *ad hunc modum pugiles saginâsse*. Hinc Curtius *l. 9. c. 7.* Dioxippum pugilem, *saginati corporis belluam* vocat. Et primò quidem ficus aridas esitabant Athletæ, quam veterem [illegible] Pythagoras quidam Diogeni modò memoratus sustulit, & Pugiles ad carnium usum transtulit, uti quoque Jamblichus memorat *in vita* Pythagoræ Philos. A' quo tempore licèt siccas ficus non ampliùs comederent, mansit tamen huic saginæ ξηροφαγίας vocabulum: quòd pulpam tantum siccam aridamque, nullis scitamentis & jurulentiis eblanditam ederent. Carne autem ut plurimum utebantur bubulâ & suillâ, pedes inprimis edebant bubulos & suilla ἀκρωτήρια, quòd hæ partes maximè aridæ sint ac siccæ & minimum succi ac pinguedinis habeant &c. Qua de re vide suprà ubi de *Arida Saginatione*, ut & in voce *Colephia*; de phrasi, *Saginam cædere*, itidem suprà voce *Phago*: plura verò hanc in rem, apud Salmas. *ad Tertullianum de Pallio c. 4.*

SAGIS Portus parvus Ducatus Ferrariensis, *Porto di Magnavacca*, ubi alveus, per quem stagnum Comaclenum in mare Adriaticum se exonerat. Turrim habet munitam; vix 5. milliar. à Comaclo in Ortum, 15. à Ravenna in Boream, inter Volanam ad Boream & Padusam Padi ostia ad Meridiem. *Baudrand. ad Ferr.*

SAGITTA, aliô nomine *Claudius*, præfectus alæ Petrinæ, nuncius Pisoni cædis per Paparium centurionem patrandæ, eumque ad res novas exstimulans. Tacit. *Hist. l. 4. c. 49.*

SAGITTA, vide *Octavius*.

SAGITTA Veterum, an à Scythe Jovis, an à Perse Persei filio, inventa, vide Plinium *l. 7. c. 56.* atrox telum. Statius *Theb. l. 12. v. 29.*

> ——— ——— *patuêre recisa*
> *Cum capulis hastisque manus, mediisque* sagittæ
> *Luminibus stantes.*

Ad quæ verba Barthius, *Ex hoc aliisque talibus Scriptorum locis patet*, inquit, *quàm atrox fuerit* sagitta *Veterum; ut contra minùs curiosè armatos, pejus longè putem hodiernis minoribus sclopetis, quæ transeunt, aut certe tam fœde laniandos Chirurgis non exhibent vulneratos. Adde celeritatem iteratarum plagarum. Et quem fœdius hoc solum Papinianum spectaculum putes; crassam sagittam & hamatam in cerebro stantem videre?* Quæ autem ratio quisque usus *sagittandi* & *jaculis* jaciendi Veteribus fuerit, idem Stat. indicat, *Theb. l. 6. v. 354.*

> *Quale quater jaculo spatium, ter arundine vincas.*

Nempe trium sagittarum spatium, quatuor jaculorum longitudinem habuit: h. e. quatuor ictus jaculorum æquabant trium sagittarum spatium; quod hodie secus habet. Unius enim sagittæ expulsio decem amplius jaculorum spatium conficit eoque ampliùs. Sed verum est, nos sagittarum tenere veterem usum, cumque habiliorem redditum; jaculorum autem omnem fermè amisisse. Nec verò sagittæ nonnullis ad nocendum satis visæ, nisi & venenô tingerentur, qua de re aliquid infrà, ubi de *Veneficio*. *Sagittis* porrò parvis totas gentes, quòd *sagittando* valerent, capillaturam suam ornâsse legimus. Claudian. *de Nuptiis Honorii v. 222.*

> —— *quantum crinita* sagittis
> *Attulit extremo Meroë circumflua Nilo.*

Idem *l. 3. Consul. Honorii v. 21.*

> ——— *positis Numen confessa pharetris*
> *Ignavas Meroë traxit de crine sagittas.*

Et *l. 1. de Laudibus Stiliconis v. 254.*

> *Venerat & parvis redimitus Nuba* sagittis &c.

Cujusmodi *sagittæ*, instar utilium, pennatæ quoque erant. Prudentius *Hamartigeniæ*; v. 498.

> ——— ——— *non accola magni*
> *Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus,*
> *Tempora pennatis redimitus nigra* sagittis,

Eædem in orbem compositæ erant. Claudian. *Nilo*,

> *Et gens compositis crinem velata* sagittis.

Ubi crinem ipsum præ orbe sagittarum non fuisse conspicuum notat. Vide quæ *ad tabulam Solis* ex Heliodoro & Luciano pulchrè notat Hieronymus Aleander, & plura hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coron. l. 3. c. ult.* & Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium passim*: ubi inter alia & *sagittæ somum* hoc versu Virgiliano Æn. *l. 12. v. 319.* repræsentari adnotat,

> ——— *stridens alis allapsa sagitta est* &c.

Addam solùm, non ornatui tantùm, sed & usui, aliquando id factum. Æthiopes enim pugnaturos *sagittas* capitibus suis in orbem. ἀκτηδὸν, *sicuti radios*, circumponere consuevisse, ut illas, cùm usus esset, contra hostes ejacularentur tradit Lucianus *de Salt.* De *Sagittarum* in divinatione usu, apud Arabas olim, Babyloniosque frequenti, atque adeò Ezech. *c. 21. v. 21.* memorato, diximus suprà, uti de *Belomantia*: de eo verò pœnæ apud Persas veteres genere, quô Bessum affectum ait Curtius: *l. 7. c. 5.* quem *sagittis confixum* in cruce refert: deque hodiernorum Persarum, quô *sagittis* nares trajiciuntur, vide Notas ad Curt. & Petrum de Valle *Itinerar. Tom. 3.* uti de manumissione *per Sagittam* suprà, *Manumissio*. aliquid etiam voce *Regulus*. Hinc *Sagittariorum Doctor*, occurrit in *veter. Inscr.* apud Cl. Sponium *Itiner. Græciæ*: qua arte insignes fuisse Cerethos, inter Salomonis Satellites, hincque fortè nomen accepisse, diximus suprà in voce *Pelethi*: quemadmodum à peritia *sagittandi* laudatur Philoctetes, apud Hom. *Il. β.* Catenes, apud Curtium *l. 7. c. 5.* Domitianus, apud Suetonium, *c. 19.* Commodus, apud Herodianum, *l. 1. c. 15.* Gratianus, apud Ausonium *Panegyr.* Hormisda apud Zonar. *tom. 3.* Theodoricus, apud Sidonium &c. Vide & suprà, *Pilus*.

SAGITTA, navigii species est, apud Recentiores. Otto Frider. „ *l. 1. c. 33.* Aptatis triremibus & biremibus, quas modò galeas „ seu *sagittas* dicere solent, aliisque navibus bellicis onerariis &c. à velocitate dicta. In vestibus verò *Sagitta* dicitur pars ea, quæ contrahitur in sinus, quòd *Sagittæ* speciem effingat, apud „ Udalricum „ *Consuet. Cluniac. l. 2. c. 11.* Sedens ad lectionem —— anteriora „ frocci sui semper in gremium ita attrahit, ut pedes possint benè „ videri. Girones quoque vel quos quidam *Sagittas* vocant, colligit utrinque, ut non sparsim jaceant in terra. Car. du Fresne in *Glossar.* De cujusmodi vestium sagittis, vide suprà in voce *Rugæ Vestium*, item hic infrà ubi de *Sinu*.

SAGITTARII Venatores, ordo militum, in *Notit. Imp.* Vide suprà, *Acceptoria*.

SAGITTARIUS, Episcopus Vapincensis, frater Salonii, qui Ebrodunensi Præsulatu functus est. Hi ambo latrocinii criminumque variorum accusati, & convicti, Conciliô Lugdunensi, A. C. 567. depositi sunt. A qua sententia ad Papam appellantes, ab illo absoluti, redierunt in Galliam. Sed nihilo meliores facti, paulo pòst; contra Longobardos irrumpentes, Mommolium sequuti, plurimos barbarorum interfecisse se gloriati sunt. A Gontrano Rege postmodum Conciliô Cabillone indictô, ob læsæ Majestatis crimen, denuo depositi, A. C. 579 & in Monasterium in Burgundia detrusi, inde iterum elapsi sunt, diuque huc illuc vagi, miserè tandem perierunt. Et Sagittarius quidem; Gondebaldo contra Gontramum adhærens, captô Compendiô, capite à milite quodam truncatus est, A. C. 585. Gregor. Turonens. *l. 4. c. 37. l. 5. c. 21. l. 7. c. 34.*

SAGITTARIUS, signum cœleste, quem alii *Centaurum Chironem* arbitrantur. Alii *Crocum* filium Euphemes nutricis Musarum fuisse volunt, & habitâsse in Parnasso cum Musis, & venationi incubuisse, unde & usum sagittis, & equo insedisse; post mortem verò precibus Musarum, à Jove inter astra relatum, & variâ formâ conscriptum. Idibus Februarii vespere occidit, ac vehementer hyemat, *Columella*. Vide omnino Cæsium *in Astron. Poet. p. 84.* Eum solô arcu effinxerunt Veteres sine chorda. Latini ita ↔ quam sagittam esse arcui applicatam, interpretatur Scaliger: sed hæc figura ab illa defluxit. Vide Salmas. *ad Solin. p. 1236.* Item numisma olim Persicum, *Sagittam* notâ signatum, ut ex eleganti illo Agesilâi liquet, quem cùm Magistratus Lacedæmoniorum ex Asia revocaret, ferunt discedentem ad amicos dixisse, *Se triginta* Sagittariorum *millibus ex Asia à Rege Persarum pelli*. Tot enim delatis Athenas & Thebas, divisisque inter primores, bellum in Lacedæmonios totius Græciæ concitatum est, Plut. *in Eo, c. 25.* & *Artaxerxe c. 31.*

SAGIUM, vide *Sagiensis urbs*.

SAGMA, Græcis σάγμα & σαγὴ, propriè est, quod jumentis onera bajulantibus imponitur, ut molliùs & sine sua noxa vehant; distinctum à sella equorum vel aliorum animantium, quibus homo vehitur. Vegetius *Rei veterin. l. 2. c. 59.* *Exceptis his, qui deputati sunt Circo, reliquum equorum, mulorum, asinorumque genus sub sellis aut* sagmis *solo tergô præstat officium.* Deinde, *tum sellarum vel* sagmarum *mensura conveniens & apta qualitas debet adhiberi.* Inde *equi sellares* & *sagmarii*: *Sellaris* Græcè ἵππος φορεὺς, *Plut.* vel κέλης: *Sagmarius* vide κανθήλιος, & propterea à sellari separatur, qui absolutè equus dicitur. Ut in *vita* B. Hilarii, *Quod ubi vir comperit, protinus & ipse pedibus iter ingressus, urbem Romam sine equo, sine* sagmario *intravit*. Quæ tamen distinctio non observatur apud Lamprid. in *Heliogabalo, c. 4.* ubi inter Semiamitica Senatusconsulta, etiam hoc de Matronis constitutum, *Quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur.* Nec apud Vopiscum, *in Aureliano c. 7.* ubi de militum officio, *Equum sagmarium suum defricet* &c. Farciebantur autem σάγματα tomentô σαγὴ dictô; unde voci origo, σάττειν enim idem est, quod *implere* & *farcire*. Unde σαγματογήνη εἶδος, apud Auctorem *Peripli*, *lintei ex quo stragula & sagmata conficiebantur*, species. Postmodum *Sagma*, jumenti sarcina & onus, Græcis παραφορτίδιον. Gallis vulgò *Sarga* dicta est. Unde *sagmare asinum* vel *equum*, onerare est; & *equus sagmatus* onustus; σεσαγμένος. Ex *Sagma*, recentiores *Salma* fecêre, hinc *Sauma*. Unde *Sauma vini*, apud Falconem Benev. A. C. 1124. *Tanta fuit fertilitas vini, quod —— centum saumæ pro 30. denariis vendebantur.* Et *Somarii*, apud Theodorum Campedonensem *in vita* S. Magni *c. 3.* qui cellarii vinarii curam habent, & Gallis *Sommeliers* vocantur: eo quod horum potissimùm curæ incumberent *Equi sagmarii*, quibus vinum deferebatur; eâdem postea appellatione ad cæteros ministros, qui clitellaria jumenta agebant; & tandem ad illos quoque, qui in Aula Galliæ Regum supellectilis Regiæ curam gerunt, extensâ. Vide Car. du Fresne in *Glossar.* Salmas. *ad Historiam Aug. passim* inprimis ad *d. l.* ut & *ad Solin. p. 998.* & 1170. nec non Paulum Leopardum *Emendat. l. 11. c. 6.*

SAGOCHLAMYS, memorata Trebellio *in Claudio c. 14.* qui inter dona dari jussa Claudio recenset *Sagochlamydes annuas duas*: vestis fuit militaris, ex duplici genere vestium *Sago* & *Chlamyde* constans; ut Casaubonus explicat. Sic *Chlamydem mantuelem*, idem Auctor nominat *ibid c. 17.* Sic *tunicam paliolatam* Vopiscus recenset in *Bonoso. c. ult.* Figura ejus quæ fuerit, non adeò facile explicatu est. Si enim tota clausa, nihil ex Sago habuerit, quod apertum, si solùm in parte inferiori, tantùm Chlamys fuerit. Forsasse ex vul-

vulgari Chlamyde & Sago Gallico composita fuit, ita ut ad instar Tunicæ, quemadmodum Gallorum Saga, indueretur, & manicas haberet, cæterùm ad latera hinc inde pendulas alas, ad instar Chlamydis, Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. Part. 2. l. 3. c. 11.* Gregariorum militum vestem *Sagochlamydem* fuisse, contendit Thom. Dempster. *Paralip. in Johan. Rosin. Antiq. l. 10. in principio.* Non diversum videtur id genus vestis, quod *σαγομάντιον* Græci recentiores vocârunt; nam *μαντίον* pro *chlamyde* dixerunt Glossæ, *paludamentum*, *χλαμὺς μαντίον*. De *Sagomanto* Suidas *in Etymol.* *χλαμύδα* interpretatur, *τὸ περιφερὲς τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ λεγόμενον σαγομάντιον, ὅπερ φοροῦσιν οἱ κρεωφόροι*, *Rotundum vulgo dictum Sagomantum* &c. Nempe rotundum fuit, ut chlamys, non quadratum vel quadrangulum, ut sagum. Et *Sagochlamys* ad utriusque formam factum & aliquid habens ex chlamyde & sago vestimentum. Salmas. *ad Pollion, d. l.* Vide quoque suprà *Fibula* & infrà *Sagum*.

SAGOMANTUM, Græcis recentioribus *Σαγομάντιον*, vide hic supra *Sagochlamys*.

SAGONA, urbs Corsicæ, Episcopalis in ora Occidentali excisa.

SAGONA, aliàs SAGAMNA, vel SOONA, castrum olim, nunc vicus Galliæ in Cenomanis, vulgò *Songne*, seu *Sonne*: caput pagi cognominis, qui *le Sonnois* dictus, olim Baronatus tituló illustris fuit. In hoc præter Sagonam, sunt villa Busciacum & sylva Persenia, cum vico ac Monasterio ejusdem nominis, *Perseigne*, Ordinis Cisterciensis. Item Mamerciæ castellum, *Memers en Saonnois*, Soonæ proximum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SAGONES, medio ævô dicti qui priùs *Curiosi*, & antiquitus *Frumentarii*, publici nempe cursus prosecutores. Occurrit vox frequenter apud *Cassiodorum*, è quo colligi potest, non eos tantum publicum cursum curâsse, sed etiam pecunias publicas exegisse. Unde est, quod *Sajones* (namque sic postmodum vox corrupta, ut ex *sago saje* Galli fecerunt, panni speciem) ab *exigendo* dictos annotet *Isidorus*, more suô ineptus in etymologiis eruendis. Cassiodorus *Var. l. 4. ep. 47. ad Godiscalcum Sajonem*, *Nullum præterea* Sajonum *discursus facere patiaris, sed ad causam, quam directus fuerit, uno tantùm itinere permittatur accedere vel redire.* Ubi quos *Sajones*, eosdem paulo pòst *Veredarios* appellat: *Et idcirco quinquaginta solidorum mulctam jam non veredarius, sed catabulensis incurrat, quisquis ultra centum libras parhippum crediderit onerandum.* Nam qui cursu publico, aliquò jussu Principis destinabantur, dicebantur *Veredarii* & *Sagones*, hujus Scriptoris ætate, quòd *sagis* uterentur. *l. 47.* & 48. *Cod. Theodos. de cursu publ. Sint præterea duo Palatini prosequutores singulorum rhedarum, cum tribus servis, habentes quinquagenarum librarum avertas & saga, quibus par erit eos pro itineris necessitate muniri.* Et *l. 2. Cod. eod. tit. d.* cavetur, ne hippocomis *saga* sua auferant Veredarii. Ubi *saga* perperam nonnulli pro equorum stratis accipiunt. Græci illô locô *πίλια* verterunt, quam vocem Latinam illi usu suam fecêre. Mulionum scil. & Veredariorum pænulæ ibi intelliguntur; ut & in *l. 37.* eum qui *sagum* hippocomorum notabili populatione voluerit usurpare vel scindere &c. Vide Salmas. *ad Spartian. in Hadriano, c. 11.* & suprà ubi de *Curiosis*, *Cursoribus*, *Frumentariis*.

SAGONTIA, *Appian. Secontia Antonin. Epila Morali*, oppid. Aragoniæ, inter Cæsar-Augustam 7. & Bilbilim 8. leuc. ab Alavona 4. in Meridiem.

SAGRA, fluv. Magnæ Græciæ per fines Locrensium in mare Ausonium influens. *Alato* hodie *Gabr. Barrio*, *Sagriano Leandro*, *Sachriano Nigro*.

SAGRUS, *Straboni* Ciliciæ, Caramaniæ & Armeniæ minoris amnis, ut & Plin. *l. 3. c. 10.* *Ptolem. Procopio.* Hodie *Sangro*, vel *Sanguino Nigro*.

SAGUENÆUM, tractus novæ Franciæ, versus Tadussacum oppid. ubi aliquot coloniæ Francorum, paucis ab hinc annis cum fluvio cognomine in parte Boreali novæ Franciæ qui in fluvium S. Laurentii se exonerat, juxta Tadussacum oppid.

SAGULUM Imperiale, apud Treb. Pollionem *in Vita* Zenobiæ, *c. 30.* *Zenobia ---- post Odenatum maritum Imperiali sagulô perfuso per humeros habitu, donis ornata ---- imperavit*: Ubi fortè *habitu Didonis ornata*, legendum esse, judicat Salmas. *Sagulo* namque ornata dicitur Zenobia, Didonis habitu, à qua se originem ducere memorabat. Didonem autem sic ornatam introducit Poëta *l. 4.* ejusque habitum hôc modô describit, *v. 136.*

> *Tandem progreditur, magnâ stipante catervâ,*
> *Sidoniam pictô chlamydem circumdata limbô*
> *Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum,*
> *Aurea purpuream subnectit fibula vestem.*

Sagulum nempe *Imperiale* Zenobiæ tribuit Trebellius, at Virgilius *purpuream chlamydem*: *Sagulum* autem & *chlamys* idem. Et quidem *sagulo per humeros ornata*, est *τῇ χλαμύδι κατὰ τοὺς ὤμους συνεσταλμένη*: fibulâ enim per humeros subnexa erat vestis, ut in *seqq.* dicitur, non circa pectus, cùm brachiô sæpe nudô ageret. Vel simpliciter, *sagulô per humeros ornata*, *τὴν χλαμύδα κατὰ τῶν ὤμων ἔχουσα*. *Sagulum* autem *perfusum*, quòd addit, est *βαπτὴ χλαμύς*. Sic *perfusam purpura vestem* Latini dicunt *τὴν πορφυροβαφῆ*. Virgil.

> *Perfusamque ostro vestem* ------

Idem *l. 5. Æn. v. 111* ---- *& ostro*

> *Perfusæ vestes, argenti aurique talenta* &c.

Vide Salmasium *d. l.*

SAGUM, vox purè Græca, à *σάγμα*, in genere quodvis tegumentum est. Hinc quæ alii coopertoria vel tegumenta equorum dicunt, ea sæpe *saga* nominantur. Jul. Capitolin. *in Vero, c. 6.* ubi de Volucri ejus equo, *quem, sagis fuco tinctis coopertum, in Tiberianam ad se adduci jubebat* &c. Vegetius *Artis veterin. l. 2.* *Animal locò calidò statues, ac sagis cooperies*, alibique passim. Absyrtus vocat *σκεπάσας ἐξ ἱματίων ἰδίων κατεχέτω*. *Sagum* pro pallio, vidimus suprà, in voce *Sagones*. In specie autem *Sagum*, vestimentum erat armis superindui solitum, Joh. Rosin. *Antiq. Rom. l. 5. c. 31.* Idem cum Chlamyde *Octav. Ferrario*. Indumentum scil. seu *ἐπιβόλαιον*, quod tunicæ imponeretur & fibulâ in humeris necteretur; unde auctor *Etymologici*, *χλαμὺς τὸ περιφερὲς καὶ κυκλωτὸν, τὸ ἐν συνηθείᾳ λεγόμενον Σάγος. ἱμάτιον ὅπερ φοροῦσιν οἱ κρεωφόροι.* Propriè vestis militaris, quâ tamen, non tam gregales ac manipulares, quàm Ordinum Duces, Centuriones & Præfecti utebantur. Capitolin. *in Marco Philosopho c. 27.* *Per Brundusium veniens in Italiam, togam & ipse sumsit, & milites togatos esse jussit, nec usquam fuerunt sagati sub eo milites.* De Centurionibus, vide Sueton. *Augusto c. 26.* de Tribunis, Livium *l. 7. c. 34.* ubi tamen apparet, fuisse discrimen aliquod, inter Tribunorum, Centurionum, ac Manipularium *Saga*, de quo infrà. Milites ergo in bello sagati, Sueton. *Julio c. 48.* Galli inprimis, unde de Belgis Strabo *l. 4.* *Σαγηφοροῦσι δὲ καὶ κομοτροφοῦσι.* Figuram *Sagi* quod attinet, fuisse vestimentum apertum & infibulatum, quodque reliquis vestibus superinduceretur, Cæsar docet *l. 1. c. 32.* *Sinistras sagis involvunt.* Silius item *l. 17. v. 531.*

> ------ *Humeris imponit honorem*
> *Fulgentis Saguli.* ------

Hinc extensô eò homines per ludibrium in sublime jactabantur quod à Nerone factum tradit Sueton. & Martialis *l. 1. Epig. 4.*

> *Ibis ab excusso missus ad astra Sago.*

Idem Sueton. de Othone, *c. 2.* *Ferebatur*, inquit, *& vagari noctu solitus, atque invalidum quemque obviorum vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare.* Sic de visco Plin. *l. 16. c. ult.* *Sacerdos candida veste cultus, arborem scandit, falce demetit, candido id excipitur sago.* Porrò tunica longius *Sagum* fuit, non tamen talare erat, ut vult Vualtrimus, non benè intellecto illo Trebellii *in Saturnino; c. 23.* *Hujus insigne est, quòd in convivio discumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum* Sagis *jussit hyeme gravibus, æstate perlucidis*, &c. Quæ omnia propriè de *Sago* Romano capienda sunt. Non enim omnia *Saga* fibulata fuisse declarant verba Claudii ad Regillianum, apud Trebellium. Quamvis enim de Romanorum *Sago*, ex Varrone: Hispanorum ex Appiano: Illyricorum, ex Trebellio: Germanorum ex Tacito, qui ait, *in Germ. c. 17.* *spina sagulum infibulare solitos*: Gallorum ex Polyæno id videatur constare: tamen Gallica *Saga* sine fibula fuisse videntur, ad instar tunicæ & quidem manicata, qualia hodierna *Saga* sunt & Italis *Saji* vocantur. Vide Tacitum *Histor. l. 2.* ubi de Cæcinna. Quod ideo fortè factum, quia cùm braccati essent, inferiora corporis velabantur, adeoque opus non habebant vestibus clausis atque prolixis. Interim etsi, more tunicæ, Galli *Sagum* induerent, tamen fortè, cùm ad pectus apertum esset, fibulâ ei, quâ clauderetur, fuit opus. Unde & *Diodorus* de iis, *ἐπιπορπῶνται σάγους ῥαβδωτούς.* virgatum enim, & intercurrente purpurâ distinctum fuisse hoc *Sagum*, Veteres prodiderunt, Materia *Sagi*, sicut & aliarum vestium apud Romanos, lana fuit, majoris minorisque pretii: *Saga* scil. gregalium & manipularium militum crassiora ac viliora fuêre, ipsâ lanæ ignobilitate: at Centurionum ac Tribunorum majoris pretii ac nobilioris texturæ. Hinc *Sagum* pro veste viliori ac crassiori, apud Martialem *l. 6. Epigr. 11.*

> *Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia vestit,*
> *Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?*

Ubi pingue crassumque sagum, quod fermè in Gallia conficiebatur, Tyriis lacernis opponitur. Vide eundem *l. 8. Epigr. 58.* Senec. *Ep. 18.* & Strabonem *l. 4.* Ex serico postea chlamydem Cajum & Commodum gessisse, apud *Dionem* legimus: auratarum meminit Spartian. *in Hadriano c. 17.* Porrò, ut tunica militaris alba fuit, ita Chlamydes & *Saga* nativô lanæ colore fuerunt: hôcque unô Imperatores Ducesque à militibus distinguebantur, quòd Paludamentum purpureum sive coccinum gestarent. Gallicum tamen *Sagum* intextâ purpurâ distinctum fuisse, docet Virg. *l. 8. Æn. v. 652. ubi de Gallis*,

> *Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,*
> *Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla*
> *Auro innectuntur, duo quisque Alpina coruscant*
> *Gæsa manu* ------

In quæ verba Servius, *Sagula virgata erant, quæ habebant in virgarum morem deductas vias. Et bene adlusit ad Gallicam linguam, per quam virga purpura dicitur. Virgatis ergo, ac si diceret, purpuratis, quæ Sagula virgata etiam Trabeata dicta sunt.* Quam ob causam verba Gallieni, perditâ Galliâ querentis: Non sine trabeatis sagis tuta Resp. est? de *virgatis sagis*, interpretatur *Casaubonus*, ex Diodoro *Scutulata* eadem, i. e. macularum instar, cancellatim & reticulatim distincta, vocat *Scaliger*. Hinc *Sagulum* brevius Sago, &c. Neque verò tantùm pro veste militari, sed & pro quovis tegumento, *Sagum* usurpatum olim fuisse, notat Casaubon. ad Capitolin. de L. Veri equo *c. 6.* Vide suprà. Præterea, cùm inter bella civilia mutatio vestis fieret, depositis togis, *Saga* sumebantur: Unde *ire ad saga*, & *esse in sagis*, apud Ciceron. aliosque: Græci Scriptores, *sumere chlamydes*, dixerunt. Sic apud Vell. Paterculum *l. 2. c. 16.* in hæc verba, *Usque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur*, notat Schegkius, *Sagum* Romæ in dubio belli eventu sumere, moris fuisse, ut in tumultu, & tristi tempore, ponere annulos, indicere justitium, differre vadimonia, mutare vestem: neque, cùm semel sumptum est, fuisse depositum, nisi spe lætiore. Idem *ibid.* tria *Sagi* genera facit, unum lugubre, i. e. luridum, nigrum, pullum, de quo modò: Alterum gregale Militum, densum ac villosum: Tertium Imperatoris,

toris, quod *Paludamentum* propriè, de quo utroque suprà. Vide Octav. Ferrarium *de Re vestiaria passim, inprimis. c. 7. & seqq.* In *Sagis* ac centonibus fuisse servos, docet Columella *de Re Rust.* passim, &c.

Sagi varia genera.

α. Æstivum, quod levius, cujusmodi describitur à Statio *Theb. l. 7. v. 656.*

Et rubet imbellis Tyrio sub tegmine thorax.

β. Atrebaticum, frequens apud Auctores, vide suprà, *Atrabatica Vestes.* γ. Gallicum, manicatum fuit, quadratum, intextaque purpurâ distinctum, ut diximus. δ. Germanicum, Tacito memoratur, *Germ. c. 17.* fuitque non rarò spinâ, fibulæ locô nexum. Argento variegata Herodianus *l. 4. c. 7.* habet Caracallam, chlamyde Romanâ depositâ, sæpe Germanorum indumenta sumsisse, referens. Iconem è Cluverio in opus suum transtulit Ferrarius *Parte 2. l. 3. c. 10.* ε. Fresonicum, apud Monachum Sangall. *l. 1. c. 36.* brevissimum fuit. ζ. Hybernum, densius, ex lana scil. crassa & villosa, videre est apud Strabonem *l. 3. & 4.* η. Hispanicum, apud Valerium Max. *l. 3. c. 2.* duplex fuit vestimentum, crassum itidem & infibulari solitum, Appiano *Iberic.* θ. Jacke vide suprà, uti & *Jupa*, ubi de Jupello; sicut de laciniis à sago militari, mediô ævô; dependulis voce *Labellus.* Lusitanicum, Straboni memoratur *l. 3.* ubi nigrivestes Lusitanos omnes, & plerunque *sagis* indutos, in quibus & accumbant, habet. ι. Πομπικὸν, & festivitatum proprium, occurrit apud Spartianum *in Severo, c. 6. Quum Romam Severus venisset, prætorianos cum subarmalibus inermes sibi jussit occurrere.* Quod pleniùs explicans *Herodian.* jussit Prætorianos, inquit, obviam sibi prodire in habitu pacis & triumphali. i. e. quo uterentur festis diebus & cùm Imperatorem triumphantem sequerentur. Erat verò Prætorianorum vestis εἰρηνικὴ, ut is vocat, sive habitus pacem denotans, ut loquitur *Tertullian.* ἐφεστρὶς & trabeæ similis chlamys, vel *Sagum.* Herodian. *l. 7. c. 11.* ἄλλον μέχρι τῆς ἐισόδου τῆς συγκλήτου, ἐν λευκαῖς ἐσθῆσι καὶ ἐφεστρίσι. Sed *Saga* illa, quorum ibi Herodianus meminit, quotidianæ vestes erant, at istæ, de quibus Spartian. *d. l.* erant πομπικαί. Cujusmodi *Saga* seu togas militares, *Subarmalia* vocat, quòd sub *armis* fibulâ annecterentur, vel sub armos rejicerentur. Nam etsi εἰρηνικαὶ erant, ex parte tamen militarem habitum referebant. Salmas. *ad loc. cit.* κ. Punicum, apud Val. Max. *l. 5. c. 1. exempl. 12.* λ. Romanum, apertum fuit & solitum infibulari, cujus usus in bello ac rebus tristibus: ut pluribus suprà diximus. μ. Saracenicum, coloratum erat, uti tradit Ammian. *l. 14.* ν. Scutulatum, notante Scaligerô, dictum est, quod aliàs *virgatum*, item *trabeatum*, Gallicum nempe. Gallos enim saga gestasse, ἐσθῆσι πλινθίοις πολυανθέσι, καὶ πυκνοῖς διειλημμένοις, *Scutulata & reticulatim distincta*, narrat *Diodorus* &c. Vide quoque Rosin. *Antiqq. Rom. passim*, ut & suprà *Cocula*, *Cointise*, ac infrà *Tunica.*

SAGUNTIA, olim oppid. nunc pagus Hispaniæ Bæticæ in Vandalitia, *Gigonza*, vel *Gisconza*, teste *Morali.*

SAGUNTUM, vel SAGUNTUS, *Morvedre Morali*, oppid. olim clarissimum Hispaniæ Tarraconensis in finibus Hedetanorum, ab Annibale expugnatum & eversum. Fuit autem Populi Romani fidelissima socia, quam cùm Annibal contra jus fœderis obsidione premeret, maluerunt Saguntini se, suaque omnia igni consumere quàm aut fœderati populi amicitiam deserere, aut vivi in hostis potestatem pervenire. Florus *l. 2. c. 6. Saguntus vetus Hispaniæ civitas & opulenta, fideique erga Romanos, magnum quidem sed triste monumentum.* Hanc *Steph. Zacanthan* appellare videtur. Inde Appiano *in Ibericis*, populi Ζακανθαῖοι. Ζακανθαῖοι, inquit, ἄποικοι Ζακυνθίων ἐν μέσῳ τῆς Πυρήνης, καὶ τοῦ ποταμοῦ Ἴβηρος ὄντες. Sed pessimus Geographus in rebus Hispanicis est Appianus, qui Saguntum inter Pyrenæos, & Iberum fluv. collocat, quæ omnium Geographorum consensu fuit inter Iberum & Sucronem, non longè à loco ubi nunc *Valentia.* Idem paulo pòst miserè prodit suam ignorantiam in Hispaniæ Geographia, qui Carthaginem novam, seu Spartariam eandem esse putat, quæ olim Saguntus, quæ à se invicem, plus quàm 50. leucis, distabant. Strabo *l. 3.* Σαγοῦντον κτίσμα Ζακυνθίων. Liv. *l. 21. c. 7. Civitas ea longè opulentissima, ultra Iberum fuit, sita passus mille fermè à mari, Oriundi à Zacyntho insula dicuntur: mistique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis* Silius *l. 2. v. 446.* ubi de Annibalis clypeo:

Eminet excelsò consurgens colle Saguntos,
Quam circum immensi populi, condensaque cingunt.
Agmina certantum, pulsantque trementibus hastis:
Extrema clypei stagnabat Iberus in ora.

Hinc *Saguntina fames* pro magna & extrema. Lucan. *l. 3. v. 349.*

Nec pavet hic populus pro libertate subire;
Obsessum Pœno gessit quod Marte Saguntum.

Nic. Lloydius.

SAHAR, fil. Ashur, 1 Paral. *c. 4. v. 7.* Latinè, *lucidus*, aut *candidus.*

SAHAR, fil. Simeonis, fil. Jacob, Gen. *c. 46. v. 10.*

SAHARAIM, nomen viri, 1 Paral. *c. 8. v. 8.* Latinè, *nigri*, vel *turbidi*, aut *matutinantes*, vel *mane euntes.*

SAHINUS, falconum species; ex *Sacrorum* genere, *nisi quòd est frigidioris & siccioris temperamenti, ac proinde motus ejus maximè valet ex alto in inferiora. Unde est, quod in prædam suam descendit absque ullo circuitu. Et quamvis naturâ torpeat & remissius sit, tamen tantò impetu fertur ad aucupium, ut quandoque semet in terram præcipiti lapsu dejiciat, & moriatur. Ossa tamen habet duriora, quàm rapacium ullus aliis. Sunt qui nomen* Sahin *statera* *significare asserunt; quia nec tantillum famis, nec tantillum saturitatis potest ferre hæc avis. Laudatissimus in eo genere, qui capite est magnò, amplis oculis, latò pectore, plenâ pectoris summi parte, media lata densis coxis, brevibus brachiis, paucis plumis, tenui caudâ. Si cum his notis robustas alas habeat, nihil erit præstantius & grues venabitur atque alias aves hujusmodi, Damir* Scriptor Arabs. *Alkazuinius* ex eadem gente, avem esse columbis maximè inimicam, quæ visô illô, licèt volatu superent, statim tamen præ metu debilitentur, uti ovis lupô & mures fele conspectâ: eandem, cùm testudo ei tergum obvertat, eam arreptam attollere in sublime & in durum lapidem impingere, ut confractam comedat, addit. Primum autem hujus aucupii auctorem iidem Scriptores Constantinum Romanum Imperatorem faciunt, cum *Sahinos* habuisse supra caput suum volare edoctos & umbram ipsi facere, ne à Solis æstu torreretur, referentes. Thuanus hanc avem, postquam *Peregrinum* vocari dixit, sic describit, *Rei Accipitrariæ l. 1. p. 14.*

------ magnum caput, ardua cervix,
Depressus vertex: hinc candida linea utrimque
Per tempus transversa coit, patulumque coronat
Culmen, & in ramos plures cervice reflexa,
Tandem abit, artifici præcingens colla catena.
Immane haud ita corpus; at illi longaque coxa.
Subtilesque alæ, brevia illi crura, brevisque
Cauda per adversum celeris regit aëra nisus &c.

apud Sam. Bochartum *Hieroz. Parte poster. l. 2. c. 23.*

SAI, Thraciæ populi oppositi insulæ Samothraciæ, *Eustath.*

SAI, Arabiæ oppid. in Æthiopia sub Ægypto, Plin. *l. 6. c. 30.*

SAICA vel SAIGA, monetæ Germanicæ species, definitur in L. Alemann. *tit. 6. §. 3. quarta pars tremissis, h. e. denarius unus*: apud Car. du Fresne *in Glossar.* Vide Aventinum *Annal. Bojor. l. 4.* & Goldastum *Constit. Imp. Tom. I. p. 210.*

SAICOCUM, insula ampla Japoniæ, aliter *Ximum*, sub qua 10. regna. In parte Occidentali versus Coream, ad 200. milliar. à Septentrione in Meridiem extensa. Vide *Ximum.*

SAJII. vel SAGII, populi Galliæ, memorati in *veterib. Notit. provinc. Gallic.* quæ urbem illorum, in provinc. Lugdunensi secunda quintô locô recensent: Straboni, Plinio, Ptolemæo cæterisque priscis Geographis hôc nomine ignoti, falsò à *Papirio Massono* creduntur esse Cæsaris Sesuvii: cùm hi inter maritimas civitates reponantur, inter Sajos autem & mare Lexovii interjaceant. Urbs *Sagium*, sedes Episcopalis in Normannia, ad Olinæ caput, vulgò *Seez* dicitur: Hinc pagus *Sajensis*, vel *Sagensis.* Vide *Sagium.*

SAJO, ONIS, Fori vel Magistratus Gothici minister, qui reos in judicium protraxit, superiorisque potestatis mandata exequutus est. Romanis *Apparitor*, *Lictor.* Aliis *Serjandus*, *Ballivus.* Fortè à Saxonico *Sajot*, fustis seu baculus, quod muneris indicium tales gerebant. Vide Cassiodor. *Con. tom. 2. 114.* Spelmann. *Gloss. Arch.*

SAJONES, corruptè ex *Sagones*, apud Gothos & Wisigothos dicti sunt Apparitores, regii videl. ac Magistratus Ministri, qui ad eorum jussa exequenda præstò semper erant: quod præ cæteris, apud eundem docet Senator. *l. 12. Ep. 3. Sakones*, apud Michalonem Lithuan. *de Mor. Tartar. fragm. 7.* Vide supra *Sagones.*

SAIS, urbs Ægypti juxta unum ex Nili ostiis, quod ab ipsa *Saiticum* dicitur. Populi *Saitæ*, qui Minervam colunt. Propert. *l. 2. Eleg. 2. v. 11.*

Mercurioque Sais fertur Bœbeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.

Ubi quæ de urbe *Sai*, & *Saitide* Minerva comminiscitur *Beroaldus*, ἀναπόδεικτα sunt. Pro *Sais* enim *sacris* legendum, uti emendat Passeratius. Cœterum *Sais*, postquam Ægyptii decessêre Asiâ & post Thuorum, ultimum Thebanorum Regum, quorum nomina occurrunt, varia exigua Dominia orta sunt, qua de re diximus aliquid suprà voce *Dodecarchia*; facta est caput Dynastiæ *Saitarum Regum*, quorum primus memoratur *Stephanathis*, imò tandem totius Ægypti, sub *Psammiticho*, metropolis. Vide ubi de his Regibus: aliquid etiam, ubi *de Sebennitico ostio.*

SAITINI, Asiæ populi de quibus Alex. ab Alexandr. *l. 3. c. 2.*

SAIXÆ, populi juxta Istrum. *Steph.*

SAL, *Lycophroni* Αἰγαιῶνος ἀγρίτης πάγος, à Neptuno, in Tragasi gratiam, conglutinatus fingitur Poëtis, teste Polluce *l. 6. c. 10.* quod si quis de mari intelligat, haud fecerit ineptè. Hâc enim ratione Alexander Ætolus,

------ Ἅλα ξυνῶνα θαλάσσης,

nuncupavit citante *Partheniô.* Ob beneficam ejus vim, namque noxios depascit humores atque ita putredinem arcet, sacras fieri mensas salinorum appositu, creditum fuisse Romanis, Arnob. refert *l. 2.* Imò & apud Græcos, *salem* apponi in mensa hospitibus consuevisse, velut concordiæ symbolum, utpote quod ex aqua & terra constaret, ait Plutarchus Συμπ. Vide quoque Heliodorum *Æthiop. l. 4. & l. 6.* Cum pane autem & caseo appositum, docet Varro apud Plin. *l. 31. c. 7.* Unde illa apud Demosthenem querela, *Orat.* περὶ παραπρεσβ. Ποῦ δ᾽ ἅλες, ποῦ τράπεζαι, ποῦ σπονδαί; & vetus Proverb. Ἅλα καὶ τράπεζαν παραβαίνειν. Vide suprà *Hospes*, it. *Peregrinus.* Inprimis verò *Sal* pauperum videtur fuisse cibus.

Sole-

Solebant enim tensores αὐτὸς ἅλα ἐπετίθεσαν καὶ κύμινον, *sale & cumini tenuare*, ut ex *Plutarcho* colligere est. Unde Horatii *l. 1. Sat. 3. v. 13* Tigellius, ut videatur homo frugi, divitum, inquit, lautitias nil moror,

> ------ *modò sit mihi mensa tripes, &*
> *Concha salis puri* ------

Quam in rem vide Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. l. 1. c. 7.* Unde per *Salem* sive *Sales*, juratum esse antiquos legimus, apud *Casaubonum* & *Libanium*, quòd *unicum sit & necessarium vitæ condimentum esset*, adeò, ut Plinius testetur, *toti corporibus nihil esse utilius Sale & Sole*, *l. 31. c. 9.* Vide Caspar. Barthium de hoc jurandi genere Advers. *l. 135. c. 10.* uti de *Salis* pugillo inter alia, Veneri Cypriæ offerri solito, infrà in voce *Venus*. Sacerdotibus verò Ægyptiis, eò quod *Sal* Typhonis seu Neptuni (quem velut Osiridi vel Oro inimicissimum, nullis dignabantur sacrificiis) esset spuma, salem mensis inferre in usu non erat. Vide Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 75.* Major hinc Sali dignatio, quòd omne Munus (ita vocabatur oblatio è frugibus) *sale saliri*, Deus præcepit, Levit. *c. 2. v. 13.* Unde & *sale conditum sermonem nostrum* vult Apostolus Colossi. *c. 4. v. 6.* & Apostoli *Sal Terræ* dicuntur, Matth. *c. 5. v. 13.* & cùm immortalitatis esset emblema, *fœdere salis*, in Sacris, crebra mentio est. Vide Numer. *c. 18. v. 19.* & 2. Chron. *c. 13. v. 5.* Sed & inter Ethnicos, auctore Plinio, nulla sacra conficiebantur, sine mola salsa, *l. 31. c. 7.* Ut & alia quædam addam: Infantes quoque recèns natos, lavari partim *Sale*; molestiâ satis, partim aquâ, si litos olim, adnotat Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* & Suicerus *Thes. Eccl.* voce, Ἅλας, ubi & *Sal* Catechumenis olim datum, ut condimentum sapientiæ perciperent, & ipsi alios condirent, docet. Vide quoque suprà, voce *Sacramentum*. Etiam *honoribus militiæque interponebatur*, apud Romanos: *Salarii inde dicti*, ut *ibidem* Plin. habet, de quibus infrà dicemus. Imo & *Gerrhis Arabiæ oppido muros domosque massis salis facere consuevisse; aqua ferruminantes*, Idem habet *ead. c.* ubi & odoribus additis conditum luxuriosis & plurima hanc in rem addit, inprimis de *Salis fodinis* Veter. Hodie *Sal* usuale triplex. *Fossile*, *Marinum* & quod ex salsuginosis aquis per coctionem extrahitur seu *Coctile*. Primum in Hungaria, Calabria, & maximâ copiâ juxta Cracoviam, eruitur, cujus fodinæ admirandis suis substructionibus subterraneis integram civitatem referunt, è quibus *Sal* durities lapidis solidum, instar ingentium saxorum, in cuniculis sub terra longè lateque plateatim excavatis, ferrò exscindunt. Sed & alibi passim ejusmodi montes sunt, ut in Hispaniæ Alpibus, circa Iberum, in Languedocia Galliæ, Salinis, urbe à *sale* dictâ in Burgundia, in Germania Halæ ad Oenum (ubi tamen *Sal* non eruitur formâ saxorum, sed intra salsuginosa montium receptacula areas elaborant, intra quas aqua dulcis derivata, paulatim salsugine terrestrium glebarum imbuitur, ac dein inter prægrandes Sartagines cacabosque, per rivos deducta, in sal excoquitur) in Asia, ubi maximè celebres montes Caspii sale concreti: in Ormuzia Insul. quæ tota sal esse creditur; in America circa litora S. Michaëlis, ubi saxa ex sale, scopulorum instar, procul spectari, testantur Itineraria. Alterum seu *marinum*, ex salsa maris aqua extrahitur, idque vel naturâ, vel arte. Illud enim, maris ferventis æstu in spumas actum & ad littora scopulosque expulsum, Solis calore excoquitur: Istud fit, aquâ maris in fossas littori proximas vel vi tempestatis depulsâ, vel arte etiam derivatâ, ibique calore Solis exsiccata; qui præparandi mos Melitensibus, Siculis, totique ferè Italiæ communissimus est, Calabriâ exceptâ, in qua, præter marinum, nobilissimi Salis fossilis quoque ingens est copia. Drepani etiam, in Sicilia, maximâ abundantiâ Sal provenit & arte & naturâ concretum; Quod in Germaniam, Belgium, Daniam & Sueciam defertur, è Gallia, haud procul Rupellis, petitur. *Coctilis* tandem salis fontes in Germania passim, ut Halæ Saxonum, cui, velut & aliis oppidis hujus nominis, à Græco ἅλς i. e. *Sale*, ipsum nomen est, Halæ ad Oenum, Salzæ in Magdeburgensi Ducatu, Lunæburgi &c. quorum causa proculdubio, quòd rivi subterranei montes salinos aut glebas salsugine refertas, permeant, sicque salsugine imbuti fontem, quô erumpunt, similiter salsum efficiant. Sola Suecia & Anglia sale carent, quorum illa, ut dictum, è Gallia; ista ex Portugallia, ut plurimum, illud petunt: quemadmodum Bohemiæ, ubi & rarior ejus proventus est, è Polonia prospicitur. Vide Athanas. Kircherum. *Mund. Subterr. l. 5. c. 5.* Salmas. *ad Solin. passim*, ubi de modo cogendi salis apud Veter. in ἀλοπηγίαις, item *de Sale Agrigentino*, *Armeniaco* seu *Cappadocico*, quod crocini coloris; *Attico*, quod austeri; *Centuripino*, purpureo; *de Sale Chalci*, quod magni hodierni Chymistæ faciunt; de *coctili*, *fossili*, *nativo*, *Tragaseo*, *Acanthio*, item, varia habet: inprimis *p. 266.* & *267.* De *Sale* Catechumenorum, diximus aliquid & suprà voce *Sacramentum*, de *sale*, juxta *propositos* seu *expositos* apponi olim solito, in signum Baptismi nondum suscepti, vide Concilium Nemociense A. C. 1298. *can. 2.* uti *de Salis tributo*, in voce *Gabella*, item suprà *Gablum*: de *Sale duro* in *Muria*.

Fodinæ Salis hodie in orbe celebriores.

α. Africa, non aliò utitur Sale, quàm quod ex fissorum salinis, velut marmor, candidi, rubri & cinericei coloris effoditur. β. Asia minor, salis copiâ celebris est. γ. Baganaga, urbs est Indiæ Coromandeliæ, in regno Mussilipatano, ubi ingens *Salis* copia, ab omnibus incolis inde peti solita, effoditur. δ. Caspium mare loca habet vicina, sale refertissima, uti dictum. ε. In Cuba mons salinus est. ζ. Hispania, in montibus prope Iberum, sale abundat plurimô. η. Kilislim, Persiæ mons, eâdem laude claret. θ. Kostowata Insul. est, non procul à Volga fluvio unde Russi sal effodiunt, &, ad puriorem substantiam decoctum, per totam Russiam devehunt, magno cum lucro. ι. Ormuzia, Sinus Persici insul. non montes solùm sale concretos habet, sed & ipsa ferè nil nisi sal est, ex quo parietes quoque ædium fieri solitæ. κ. In Peruvia 18. à Lima milliar. Septentrionem versus tanta copia est, ut, licèt cuivis inde pro lubitu petere liceat, nunquam tamen fodina exhauriatur, imò ne decrescat quidem. λ. ad Bochniam in Polonia, 5. à Cracovia milliaribus, pellucidi & candidi salis copia ingens è terra exscinditur, vide suprà. μ. Transylvania, Salis fodinas quoque satis opulentas habet. ν. Tirolensis Comitatus in Germania, salis proventu maximè clarus est. ξ. Volga, vide hic suprà *Kostowata*, & Auctorem *Histor. Ordin. Equestr. c. 97. §. 11.*

SAL, vitrum crystalli apud *Plin.* de quo vide suprà aliquid, voce *Natrum*.

SALA, oppid. Westmanniæ, in Suecia; *Sal.* Inter Uplandiam & Nericiam, alias argenti fodinis celebre, 5. leuc. Suecicis ab Uplandia in Occasum.

SALA, oppid. Pannoniæ superioris in Hungaria. *Ptol.* *Zalavar*, ex *tabul. recent.* ad Salam fluv. sub Austriacis, in ipso limite ditionis Turcicæ, 2. leucis à Canisia in Cæciam media inter Varasdinum in Africum & Vesprimium in Cæciam 2. leuc. à Volcea palude, *P. du Val.* Item fluv. Germ. in Mœnum influens, *Strab.* *Saltz.* Item fluv. Gallo-Belgicus per Lotharingiam fluens, *la Seille*, vulgò. Vide *Salia*. Est quoque *Sala* Turdulorum in Bætica urbs, & Hyrcaniæ oppid. *Ptolem.* & urbs litoralis Thraciæ circa Hebrum fluv. *Herodot.* Item German. vicus non procul ab oppid. *Kunigshofen*, à quo Franci dicti sunt *Salici*, qui circa hunc vicum & fluv. ejusdem nominis habitârunt. Verùm *leges Salicæ*, teste *Munstero*, non ab isto vico seu fluv. sed à *Sala* dictione Franca, quæ Latinè *palatium*, seu *aulam* significat hoc nomen habent.

Sala, vulgò *die Sale*, fluv. German. Thuringiam à Misnia separans, ac in Albim, post Martinopolim, cadens. Hic Anabaptisticus furor erupit, auctore Nic. Storckiô, cui junctus Thomas Muncerus, unde bellum rusticanum, A. C. 1525. Sleidan. *l. 4.* & *5.* Bulling. *adv. Anab. l. 1. c. 1.* Vide *Salas*.

SALA, fluv. & urbs Mauritaniæ Tingitanæ cis Atlantem minorem. Fluv. *Buragrag*, provinc. Fezzam à Temesna separat, & juxta Salam Urbem in Oceanum Atlanticum cadit. Urbs autem *Sella*, seu *Cela*. In regno Fezzæ, in ora Oceani Atlantici. Portum habet & emporium celebre, ad ostia fluv. Salæ, in Fezza provinc. sed piraticâ infamis est, 20. mill. pass. à Mahmora in Meridiem uti 70. ab Arzilla, & 100. à Tingi, à Fezza autem 100. in Occidentem. Antea ferè sui juris, nunc Marochio Regi subest. Cum arce satis munita. *Baudrand.* Est & *Sala* fluv. ejusdem Mauritaniæ apud Atlantem majorem. *Ptol.*

SALA, Vide *Isala*.

SALABACCHA, nobile scortum Athenis, de quo Aristophan. *Equit. Act. 1. Sc. 3.* Et *Scholia Græca* Κυβῆνα ἢ Σαλαβάκχω ✝ Σα- μα- ... Vide & Schol. in Aristoph. *Crabron.* 504. *D.*

SALABASTRÆ, gentes circa Indum, Plin. *l. 6. c. 20.*

SALABONI, nomen loci, 2. Sam. *c. 23. v. 32.*

SALABRIA, quæ & *Sarabraea*, civitas Cappadociæ, *Ptol.*

SALACATTABIA, condimenti species, apud Apicium *l. 4. c. 1.* ubi Humelbergius, apud Car. du Fresne *in Glossar.* *Salicaccabia* restituit, i. e. ἁλικακκάβια, seu *salsicia ollatus*, & salsa cacabularia, h. e. quæ in *cacabis* vocatis ollis coquuntur.

SALACIA, Neptuni uxor. Augustin. *l. 7. de C. D.* *Jam utique habeat Salaciam uxorem Neptunus, quam inferiorem aquam maris esse dixerunt.* Festus: *Salaciam dicebant Deam aquæ, quam putabant salum ciere, h. e. mare movere, quo vocabulo Poetæ pro aqua usi sunt.* Pacuvius, *Hinc saxitam Salaciæ fugimus.* Glossarium: *Salacia*: Ἀμφιτρίτη, Νηρηΐς. Quanquam Servius ab *aqua salsa* Salaciam dictam velit.

SALACIA, urbs Turdetanorum in Lusitania, *Ptolem.* ab Hispan. A. C. 1216. cæsis ad 60000. Maurorum, recuperata. Nunc *Alcazar do Sal.* *Baudrando*, pagus Extremaduræ Lusitaniæ ad amnem *Zadaon*, 14. leuc. ab Olyssipone in Eurum, Serpam versus totidem, 10. versus Pacem Juliam, 6. ab ora Occidentali Atlantica in Ortum.

SALACION, putatur Lipsio *l. 11. Eucl. c. 17.* dictus iste è Scipionibus, quem ad eludendas vaticinationes, quibus felix & invictum in Africa Scipionum nomen fataliter ferebatur, Cæsar in castris secum habuit: eamque vocem veram & opprobrio aptam censet: libidinosum scilicet illum homuncionem fuisse & vitæ spurcæ. Sic autem *Salacio* esset à *Salax*, ut Senecio à Senex, Sueton. *Cæsare c. 59.*

SALACO, molis & cinædus, quem patrem Autolyci faciunt. Aristophan. Schol. *in Crabron.* 514. *F.*

SALACON, vir qui cùm pauper erat, se divitem simulabat. *Suidas.* Hujus meminit Cic. *l. 7. Fam. Ep. 24.* Ab hoc natum proverb. *Salacones*.

SALADINUS, Turcarum Rex bellicosissimus. Fuit primò Dux copiarum Noradini, Sultani Damasceni, & Ægyptum occupavit, A. C. 1164. Principis Cairi viduâ ibi ductâ. Dein Noradinô mortuô, dum fil. hujus adolesceret, ad clavum vocatus est: quô tempore Christianos remis velisque persequi incepit. Et quidem A. C. 1177. invasurus Hierosolymam, grandi clade affectus est: quâ irritatior A. C. 1180. Euphrate trajecto, plurimas urbes Nisiben usque in suam potestatem redegit, vicinis formidabilis. Alepum cepit A. C. 1184. postmodum inducens pactis quibus Comitis Tripolitani, Guidonis Regis Hierosolymitani æmuli suasu, ruptis, vicit Christianos A. C. 1187. collectô ne 80000. hominum exercitu, denuo superior, cepit Guidonem, captisque plerisque Equitibus Templariis & S. Johannis, plurima loca subegit, ipsâ tandem Hierosolymâ potitus: quô nuntio acceptô, Urbanus II. præ animi dolore interiit, & Concil. Parisiensi A. C. 1188. indultæ sunt Philippo Augusto decimæ Saladinianæ. Ab obsidione dein Tyri sæpius repulsus, post aliquot alias clades à Christianis acceptas, obiit A. C. 1193. hæreditate ejus inter filios miserè laceratâ *Guil. Tyrius*, *Roberto Guichard.* &c. Baron. *in Annal.* Sic cum Christianis per 30. amplius annos variâ fortunâ bellum gessit, sæpius tamen victus, quàm victor, fuit, donec Balduinô Hierosolymorum rege mortuô multis partibus superior,

Hierosolymam cepit, huicque regno finem imponens, & Ægyptum Syriamque imperio suo adjecit. *Nic. Lloyd.*

SALÆ, gens Colchidis, antiquis *Phthirographi* dicti, teste Plinio *l. 6. c. 4.*

SALAI, mater Azubah, 1. Reg. *c. 22. v. 42.*

SALAMANDRA, stellioni similis, aut species ejus: Hebr. *letaa*, si *Syro Interpreti* credimus, & qui hunc sequuntur *Pagnino*, *Ariæ*, *Junio*, *Castalioni*. Sed *Bochartus* hôc nomine significari lacertæ eam speciem, quam Arabes *wachra* vel *wachara* vocant, doctè probat. Colore variô est; cujus venenum quàm sit potens, doceant hæc Plinii *l. 29. c. 4.* *Inter omnia venenata salamandræ scelus maximum est. Cætera enim singulos feriunt; nec plures pariter interimunt.* Salamandra *populos necare improvidos potest. Nam si arbori irrepsit, omnia poma inficit venenô, & eos, qui ederint, necat: frigidâ vi nihil ab aconito distans. Quinimo si contactô ab ea ligno vel pede crusta panis incoquatur, idem veneficium est, vel si in puteum cadat. Quippe, cum saliva ejus, quacunque parte corporis, vel in pede imo respersa, omnis in toto corpore defluat pilus.* Et *l. 10. c. 67.* *Ejusdem sanie, quæ lactea ore vomitur, quacunque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili: idque, quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat.* Unde Ælianus de sue, quæ salamandram ederit *l. 9. c. 28.* Τούς γε ἐμφαγόντας γε σαλαμάνδρας ἀναιρεῖ. *Illos, qui carnibus ejus vescuntur, interimit.* Et *Theophrastus*, *Aquas, quibus admixta fuerit, exitiales reddit, præsertim mortua.* Et Gesnerus *p. 89.* *Galli quidam olim mihi narrarunt, vulgò apud eos ferri, si Blanda* (quomodo *salamandram* Narbonenses vocant) *in acervo tritici reperiatur, totum infici, adeò ut vel gallinæ vescentes inde pereant.* Et infrà, *Hanc lacertam in quibusdam Galliæ locis* antessadam *vocant, cujus morbum adeo exitialem esse putant, ut nulla vitæ spes relinquatur.* Itaque vulgò hæc metra celebrant,

Si mordu t'a une arressade
Pren ton linceul, & ta flessade,
Si momorderit te salamandra,
Accipe linteum tuum & tuum lodicem;

i. e. in lecto decumbito, tanquam moriturus. Et Rhæti à *Salamandra* morsum ajunt tot Medicis opus habere, quot maculis ea distinguitur &c. Vide Bochartum *Hieroz. Parte prior. l. 4. c. 1.* ubi Hebræam vocem *Chabarber*, de hac lacertæ specie exponit, à *maculis* sic dictâ. Hinc Jeremiæ *c. 13. v. 23.* *chabarburoth sunt pardorum maculæ.* Ita *maal* Germanicè dici conjectat Gesnerus à maculis seu punctis ejus; *Maal* enim maculam & *maalen*, pingere Germani dicunt. In igne porrò vivere eoque ali *Salamandram* vulgò creditum. Imò ex igne generari, nugantur more suô Judæi. Ita enim Glossator Hebræus *ad Levitic. c. 11. v. 29.* *Cum accenditur ignis in uno loco per septem annos, creatur ex medio ejus similitudo muris, quam vocant salamandram.* Addit alius, *ignem debere esse accensum, è lignis myrteis, per manum hariolorum.* Hinc *Porta cæli fol. 22.* *Ex igne generatur animal* salamandra *nomine, quod solo igne alitur: Quin ignis est materia ejus & fit in fornacibus vitri, quæ arserunt per septem annos.* Similis farinæ est, quod legitur *in tract. Sanhedrin c. de 4. suppliciis criminalibus*, Ezechiæ Regis Judæ patrem Achazum voluisse, ut in ignem conjiceretur, sed cùm mater filii corpus unxisset salamandrâ, eum ex mediis ignibus evasisse incolumem &c. Verùm nugas has recitâsse, refutâsse est. Quòd verò in igne vivere hoc animalculum hactenus famâ vulgatum est, eatenus quidem admittitur, quòd aliquandiu in igne maneat illæsum, quandiu nempe sanies, ei super est, quam vim ignis sentiens ore evomit: cùm verò illa exhausta est, non minùs & ipsum igne consumitur, ut oculis suis Romæ se vidisse testatur Sponius *Itiner. Græciæ.* Ad phœnicis avis fabulam, quid *Salamandra* contulerit diximus suprà ubi de ea.

SALAMANTICA, oppid. in orientali tractu Lusitaniæ, amplissimum, vulgò *Salamanca.* Vide *Salmantica.*

SALAMBO, *Hesych.* Σαλαμβώ, ἡ Ἀφροδίτη παρὰ Βαβυλωνίοις. Lamprid. *in Heliogabalo c. 7* *Salambonem etiam omni planctu & jactatione Syriaci cultus exhibuit.* Non tamen Syra hæc appellatio, vel Babylonica, sed à Syromacedonibus imposita, cum Σαλαμβᾶς & Σαλαμβὼ ejusdem sint originis, nempe à σάλος, uti docet Etymologus in his: Σαλαμβᾶς, ἡ Δαίμων, παρὰ τὸ ἀεὶ περιφέρεσθαι, καὶ ἐν σάλῳ εἶναι, καὶ ἐν περιέχεται θρηνοῦσα τὸν Ἄδωνιν. *Nic. Lloydius.* Sic autem Venus, Alexandri Mag. temporibus, vel deinceps, Syris & Babyloniis, dicta est, ob planctum, quô in sacris ejus Adonidis mors deplorabatur, *Quartam namque Venerem, Syria Tyroque conceptam, Astartem vocatam fuisse, & Adonidi nupsisse*, tradit Cicer. *de Nat. Deor. l. 3.* Quod verò, quemadmodum Σαλάμβην, sic & Σαλαμβὼ, à Græco σάλος i. e. *salum* veniat, docet Etymologicum magnum, sive vetus Auctor, quem Etymologus exscripsit: ubi verba Latinè sic habent: *Salambas dicunt fenestras, quia sunt in perpetuo motu (qui Græcis Σάλος) &* Salambo *Dea, quia cogitationes semper huc illuc circumagat, & curarum æstu (qui Σάλος dicitur) fluctuet ac cum lamentis circumeat Adonidem. Ut &* salaizein *Anacreon dixit, pro lamentari: Agitat enim ac perturbat mentem talis in luctu ac planctu dolor.* &c. Inde *Salambonem* exhibere, apud Lamprid. *in Heliogabalo c. 7.* *Salambonem etiam omni planctu & jactatione Syriaci cultûs exhibuit, omen sibi faciens imminentis exitii*: est Venerem imitari, dum Adonidem plangit ac luget. *Salambo* namque Veneris epitheton, Adonidem plangentis, ut dictum. Cujus luctus memoria, magnâ solennitate quotannis revocabatur per Adonia, non solum in Græcia, sed etiam in Ægypto & Syria, aliisque regionibus Orientis. Vide Salmas. *ad Lamprid. loc. cit.* & suprà ubi de *Adonide.*

SALAMBORIA, *Ptolem. Harberic* Turcis, *Leunclav.* oppid. Cappadociæ mediterraneæ in Garsauria regione.

SALAMIÆ, urbs olim Syriæ Archiepiscopalis sub Patriarcha Antiocheno: *Solnie.*

SALAMIEL, fil. Surisadai, princeps tribûs Simeon, Numer. *c. 1. v. 6.* Latin. *pax*, *perfectio*, vel *retributio Dei.*

SALAMII, Arabibus populi sic dicti, quòd fœdus cum Nabathæis pepigerint. Salama enim *pacem* significat, *Steph.* Nempe ab ab Hebræo שלום *Schalom*, quod est *pax.*

SALAMINÆ, Insulæ parvæ Cypri, ante Salaminem urbem Plin. *l. 5. c. 31.*

SALAMINIA, navis Atheniensium publica, ad eos, qui in jus erant vocati, atque extra urbem rebus præerant domum adducendos, parata: uti de Alcibiade habet Scholiastes Aristophanæus *in Aves*: cùm paralo in Sacris uterentur, ut suprà diximus. Eâdem, qui civitati restituebantur, Exules, arcessi consuevisse, docet *ad Justini locum*, de Demosthene, l. 13. *c. 5.* *Gebhardus.* Vide Thucydidem *l. 6.* *Diogenem Laërtium*, quamvis aliter sed minùs rectè. Versus autem, quibus maximè persuasit populo, apud *Diogenem* extantes, sic legi vult Vossius:

Εἴην δὴ τότ' ἐγὼ Φολεγάνδριος, ἢ Σικινίτης,
Ἀντί γ' Ἀθηναίου, πατρίδ' ἀμειψάμενος.
Αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ' ἀνθρώποισι γένοιτο,
Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιναφετῶν.

Vide eum *Not. ad Justinum d. l.*

SALAMINIADA, urbs Cœlesyriæ, *Antonin.* inter Occoram & Emisam. An *Samulus Ptolem.*

SALAMINUS, unus ex Idæis Dactylis. Lil. Girald. *l. 6. Hist. Deor.*

SALAMIS, vel SALAMIN, hodie *Coluri*, teste *Sophiano*, insula sinus Saronici, inter Peloponnesum & Atticam, Æginæ proxima. Dionysius *v. 511.*

Πρόσθε δὲ Σκιράδος κορυφῆς, ἐφύπερθεν Ἀθήνης
Φαίνετ' Σαλαμίς τε καὶ Αἰγίνης περίλιθος.

Olim *Cychria*, & *Sciras*, & *Pityussa* dicta, teste *Strabone.* Item *Ophis*, ut *Eustath.* refert. *Draconis insulam* à Lycophrone appellari scribit ejus Commentator, quòd eam primò draco fera occupârit. *Salaminam* eam Hyginus vocat *Fab. 14.* & dicit ab *Apollonio Atthida* nominari. Nobis (inquit *Bochartus*) insula *Salamin* est insula τῶν ὀφιοδήκτων. Arabicè enim סלם *salama*, de serpente est *mordere.* Interpretatio nominis ex historia patet. Cychreus, vel Cenchreus, dum in ea insula regnaret, ἀπέκτεινεν ὄφιν ὑπερφυῆ τὸ μέγεθος λυμαινόμενον τοὺς ἐγχωρίους. Ita Diodorus *l. 4.* Et de eodem Apollodorus *l. 4.* Κτείνας δὲ ὄφιν ὅστις ἠδίκει τὴν νῆσον, ἧς αὐτὸς ἐβασίλευσε. Inde *Salamin*, à *Lycophrone* appellatur νῆσος δράκοντος. Ubi *Scholiastes*: Τὴν Σαλαμῖνα πάλαι δράκοντα κατέχειν. Et paulo pòst: Κυχρεὺς δ' ὁ Ποσειδῶνος καὶ Σαλαμῖνος ἦν, ὥς φησιν Εὐφορίων ἀπεῖλε τὸν δράκοντα, καὶ τὴν Σαλαμῖνος βασιλείαν κατέσχεν. Et rursum: Ὄφις ποτὲ ἐλυμαίνετο τὴν Σαλαμῖνα, καὶ ἀοίκητον αὐτὴν ἐποίει, ὃν ὁ Κυχρεὺς ἀπέκτεινε, ὅθεν καὶ Ἀνάξιφος ἐκλήθη. Nullô sensu; sed legendum ἄναξ Ὄφις, i. e. Serpens dictus est. Quod ipsum agnoscit *Steph.* quamvis aliò transferat, cùm de Cychreo scribit in Κυχρεῖος πάγος· Ὄφις ἐπεκλήθη διὰ τὴν τραχύτητα τῶν τρόπων. *Eustathius* itidem, nisi quòd Cychrei cognomen *Ophis* ibi ridiculè refertur ad τραχύτητα τόπου; sed scribendum τρόπων. Eodem pertinet, quod legitur in Pausaniæ *Atticis*, Atheniensibus in Medos navali pugnâ circa Salaminem decertaturis, δράκοντα ἐν ταῖς ναυσὶ φανῆναι, & Apollinem de ea re consultum respondisse, Κυχρέα εἶναι τὸν ἥρωα. Quin juxta *Steph.* & *Eustathium* Salaminis vastator serpens non alius fuit, quam ipse Cychreus, quem ab Eurylocho inde pulsum; Cereris æditum volunt Eleusine egisse. Et in *Hesiodo* apud *Strabonem* serpens à Cychreo educatus, in insulanorum perniciem, ὑπὸ Εὐρύλου (lege Εὐρυλόχου) ab Eurylocho pellitur. Denique in *Etymologo* Asopus è Bœotia Salaminem profectus regem Ὄφιν interfecit, & pro eo regnavit. Hic classis Persarum sub Xerxe rege à Græcis dissipata, teste Melâ *l. 2. c. 7.* In ea Telamon Ajacis ac Teucri pater regnâsse fertur. Ajax ipse apud Homerum *Il. η. v. 198.*

—— Οὐδὲ γὰρ οὕτω
Ἔλπομαι ἐν Σαλαμῖνι φυῆναί τε τραφέμεν τε.

Horat. *l. 1. Carm. Od. 7. v. 21.*

—— *Teucer Salamina patremque*
Cùm fugeret. —— ——

Hinc *Salaminius* & *Salaminiacus.* Horat. *l. 1. Carm. Od. 15. v. 23.*

Urgent impavidi te Salaminius
Teucerque, & Sthenelus sciens
Pugnæ.

Lucanus *l. 5. v. 109.*

Ut Salaminiacum meminit mare. ——

Nic. Lloydius.

SALAMIS, & SALAMINE, Plinio *l. 5. c. 31.* & Polyæno *l. 4. c. 11.* posteà *Constantia*, teste *Stephanô*, urbs Cypri in ora Orientali, excisa, apud Hamacostum, sive, ut nunc vocant, Famagustam, ab ea parum in Boream recedens. Ejus Episcopus Epiphanius fuit, seculô 4. de quo vide Sozom. *l. 7. c. 15. & 26.* item in voce *Epiphanius.* Populi *Salaminii.*

SALAMIS, nomen poëmatis à Solone compositi, de quo sic Justinus *l. 2. c. 7.* *Inter Athenienses & Megarenses de proprietate Salaminæ insulæ prope usque interitum armis dimicatum est. Post clades multas capital esse apud Athenienses cœpit, si quis legem de vindicanda insula tulisset. Solicitus igitur Solon — Subitam dementiam simulat, cujus veniâ non dicturus modò prohibita, sed & facturus erat. Deformis habitu, more vecordium in publicum evolat, factôque concursu hominum, quò magis consilium dissimularet insolitis sibi versibus suadere populo cœpit, quod vetabatur* &c. Constabat illud centum versibus, quorum initium habes apud *Plut. in Solone* & Diodorum. Sic. *l. 13.* Plut. *in Lysandro* & *Pericle*, *Suidam*, Alios.

SALAMPSII, Mauritaniæ Cæsareensis populi. *Ptol.*

SALAMPSO, Herodis filia, *Josephus.*

SALANGA, mons altissimus mari imminens inter Britanniam & Hiberniam.

SALANGUS, gens Italiæ: Alia Indiæ, *Steph.*

SALANIANA Lusitaniæ oppid. inter Eboram & Pacem Juliam, *Antonin.*

SALAPÆI, Thraciæ Populi *Appianus.*

SALA-

SALAPENI, Arabiæ Felicis gens, *Ptol.*

SALAPHITANUM, Africæ propriæ oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 4.

SALAPIA, quæ SALAPIÆ *Ptol. Salpia Dionys. Halicarn.* urbs Apuliæ Dauniæ eversa, ad lacum, media ferè inter Sipontum ad Occidentem & Barolum ad Ortum, ubi Annibal, post Cannensem victoriam, amori meretricio operam dedit, *Ferrar.* In limite Apuliæ Peucetiæ, ad ostia Aufidi fluv. nunc in Provinc. Capitanata, prope oram maris Adriatici 18. milliar. à Barulo in Occasum, 20. à Siponto in Meridiem. In vicum redacta est, paucisque constat incolis, *Baudrand.* Hinc *Salapina palus*, super qua Salapia urbs. Lucan. *l.* 5. *v.* 377.

Quas recipit Salapina palus, & subdita Sipus
Montibus. ------ ------

Nunc *Lago di Andoria*: ad quatuor milliar. versus oram maris Adriatici extensa.

SALAPITTA, Græcè σαλάπιττα, vide suprà, *Latini alapis dignus.*

SALAPUSIUS, à *sale* & *pusius* compositum nomen. Quô nomine dictus est Calvus, Catulli familiaris, tanquam puer ob staturam puerilem, plenus salis & oratoriæ mordacitatis.

SALARIA, urbs Hispaniæ Tarraconensis gemina. Una Colonia Julia Salariensis in *veteri inscript.* urbs olim Episcopalis in finibus Bastetanorum, *Cazorla*, teste *Morali.* Altera in finibus Oretanorum, oppid. seu pagus hodie apud Visum oppid. inter Almagrum & Urbedam; *Solara.* Aliis *Sirvela* oppid. & Comitatus apud Urbem Regalem, inde 2. leuc. distans.

SALARIA, via & porta Urbis Romæ in Sabinos ducens. Martial. *l.* 4. *epigr.* 64. *v.* 19.

Illic Flaminiæ Salariæque.

Sic dicta, teste *Festô*, quòd per eam Sabini *salem* ab urbe acceptum deferrent.

SALARIUM, merces servitiô acquisita, inter alia sal quoque habens, unde à *Sale* nomen accepit. Plin. *l.* 31. *c.* 7. *Honoribus etiam militiæque interponitur: Salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate.* Item, *Ancus Martius Rex salis modia sex millia in congiario dedit Populo.* Sed & Assyriæ Reges pro stipendio *salem* dabant. Unde Esdræ *c.* 4. *v.* 14. ad Artaxerxem Regem scribunt Samariæ præfecti, *Propterea quòd sale palatii salimur.* h. e. ut rectè interpretatur Junius, *Salarium de Regis palatio accipimus* &c. Postmodum accessêre vinum, oleum, bubula, porcina, olera ligna, & cœtera, quæ Tribunis, Ducibus, Rectoribus provinciarum, militibus præberi solita; *cellarium salarii* dixit Lamprid. *in Heliogabalo c.* 26. *Mittebat parasitis per cellarios salaria annua, vasa cum ranis & scorpiis & cum serpentibus, & hujusmodi monstris. Cellarienses species*, dicuntur *l.* 32. C. *Theodos. de erog. mil. ann.* &c. Quod *Salarium* plerunque cum stipendio idem faciunt Auctores. Capitolin. tamen distinguit *in Clodio Albino c.* 10. *Huic salarium duplex decrevi, vestem militarem simplicem, sed loci sui, stipendium quadruplum.* Sic apertè eadem separantur in *Ep.* Valeriani ad Mucianum, quæ apud Flav. Vopisc. legitur in *Vita* Probi. Postquam enim stipendium, quod in auro & argento dabatur, memoravit, & vestem; sequitur de salario *c.* 4. *In salario*, inquit, *diurno, bubulæ pondo octo, porcinæ pondo sex* &c. Hæc enim *salario* continebantur, Salmas. *ad Capitolin. d. l.* Inde ad præmium Philosophis solvi solitum voce translatâ. Et quidem initiò, cùm ipsi Reges Principesque Sapientiæ studiis ferè soli incumberent, nullum iis laboris præmium, præter nominis perennitatem, fuit. *Salaria* demum, cùm minùs æstimarentur, constitui cœpere, atque ea satis luculenta. Strabo Philosophus à Ptolemæo Philadelpho, talentis 80. h. e. coronatis 48000. donatus est, ut apud Laërtium legimus. Aristotelem ab Alexandro M. 800. talentis fuisse honoratum Plut. docet *in vita ejus.* Vide Just. Lipsium de Salariis veter. Doctorum *Cent.* 1. *Ep.* 76. Primus autem mercede docuisse Protagoras traditur, apud A. Gellium *l.* 5. *c.* 3. Appulejum *Floridorum c.* 18. Quintilianum *l.* 3. *c.* 1. &c. Unde Philostratus de illo, πρῶτος δὲ, inquit, παρέδωκεν Ἕλλησι πρᾶγμα οὐ μεμπτὸν, & idoneam rationem subjicit: ἃ γὰρ σὺν δαπάνῃ σπουδάζομεν, μᾶλλον ἀσπαζόμεθα τῶν προῖκα. A quo tempore Grammaticis & Rhetoribus, modò disciplinâ & auctoritate Scholas tuerentur, ampla emolumenta non defuerunt. Æquitatem rei exponit Quintilianus *l.* 12. *c.* 7. *Si res familiaris amplius quid ad usus necessarios exiget, secundùm omnes Sapientiæ leges patietur sibi gratiam referri, cùm & Socrati collatum sit ad victum & Zeno, Cleanthes, Chrysippus, mercedem à Discipulis acceptaverint; Neque enim video, quæ justior acquirendi ratio, quam ex honestissimo labore, & ab his de quibus optimè meruimus.* Apud Romanos M. Antonius Gnipho de mercedibus non paciscebatur, eoque plura ex liberalitate discentium consequebatur: Remmius Palæmon ex Schola quadragena annua capiebat. Tantidem docendum conduxit Calvinum Eficium Rom. L. Appulejus. Verrius Flaccus habitationem in Palatio & centena sestertia in annum ab Augusto meruit; ut taceam servos literatores immanibus pretiis emptos dein manumissos. Ex Fisco primus Rhetoribus annua centena constituit Vespasianus: & M. Fabium Quintilianum ex Hispania, Romæ inquilinum, stipendium è Fisco accepisse refert *Eusebius.* Antoninus verò Pius, per omnes etiam Provincias, Grammaticis, Rhetoribus ac Philosophis honores & *Salaria* detulit: μυρίας nempe δραχμὰς, *decies mille drachmas*, ut statuunt Lucianus in *Eun.* Philostratus *in Theodoto*, & *Chresto* &c. quæ efficiunt Romanæ monetæ sestertia 40. aureos 400. at nostræ coronatos mille. Quosdam tamen, paucos nempe & eximios, ἐτησίους χρυσοῦς ἑξακοσίους, *annuos aureos sexcentos*, i. e. duodecies mille drachmas, seu 1200. coronatos accepisse, tradit Tatianus Rhetor; qua de re vide Joh. Frid. Gronov. *de Pecun. vet. l.* 4. *c.* 11. Hinc itaque interrogatio illa Chresti apud Philostrat. οὐχ αἱ μυρίαι τὸν ἄνδρα; subintellige αἰτοῦσι vel ζητοῦσι: quæ verba ita concepta sunt, ut & Sophistæ modestiam præferre possint, quasi diceret, *Annon ei μυρίαι virum quærunt, scil.* αὐτῶν ἀξίωσιν, ut ait *Lucianus?* se talem esse dissimulans: & arrogantiam dicam, an fiduciam superbiamque meritis quæsitam, ceu non ille ἐς μυρίας, verùm αἱ μυρίαι, ipsum ambirent. Ut in armorum judicio Vir ille militaris,

------ ------ *Quæritur istis,*
Quàm mihi, major honor, conjunctaque gloria nostra est,
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur, &c.

Plura de his vide suprà *Pulveraticum*, *Puncta*, *Roborare*, infrà in voce *Solatia*, it. *Sparta*, *Stipendium*, alibique passim: ut de *Judicum* apud Gallos salario infrà itidem aliquid in voce *Species.* Aliud est *Salarium* seu *Salaria*, quod inter ministeria sacra memoratur in Inventario Ecclesiæ Eboracensis *Monastici Anglicani*, *Unum salarium argenteum intus deauratum, pro sale in dominicis diebus benedicendo, ponderis* 3. *unciarum & dimidii.* Salinum nempe Gall. *Saliere.* Car. du Fresne *Glossar.*

SALARIUS Pons, super Aniene fluvio *Ponte Salaro*, ad 4. mill. pass. à Roma, in via Salaria, occurrens.

SALARS, insula Lybiæ. Gentile *Salarsius*, *Steph.*

SALAS, Germaniæ flumen *Strabo*, inter quod & Rhenum Drusus occubuit. *Saal* hodie vocatur, è Sudeto monte nascens, & in Albim ad Calbam oppid. Saxoniæ influens. *Ferrar.* Oritur in Franconia, dein per Thuringiam labens, inibi Salfeldam & Jenam rigat. Hinc juxta Naumburgum, Martioburgum, & Hallam Misniæ Urbes, labitur; & tandem auctus aliquot fluviis paulo infra Bernaburgum in Albim fluit, *Baudrand.*

SALASI, qui, SALASSII *Ptol.* SALASSI *Strab.* populi Galliæ Subalpinæ in Pedemontano principatu, per quos Duria fluvius decurrit. Vide Cluver. *Ital. Antiq. l.* 1. *c.* 13. quod est *de Salassis.* Vulgò *la Val d'Osta*, German. *Augsthal*, Horum caput Augusta Prætoria Salassorum, juxta geminas fauces Alpium Grajarum, Colonia Romana, quondam Italiæ Transpadanæ, post Liguriæ dictæ oppidum. Hæc dein unà cum Segusione & vallibus Augustana & Segusina Guntchramno Burgundiæ Rege à Longobardis ex pacto data, Burgundiæque parti Galliæ adjuncta est, Fredegar. *Chron. l.* 5. *c.* 45. Unde Burgundiæ regno à quibusdam attributa, & etiamnum Episcopus ejus Alpium Grajarum Penninarumque metropoli, civitati Centronum Darantasiæ, cum Sedunensi, subjectus est. Urbs inter titulos Sabaudiæ Ducis est; qui Caballiaci & Augustæ Prætoriæ Ducem se vocat. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SALATARÆ, Græcè Σαλαθάραι, *Ptolemæo*; iidem cum *Saraparis* Plinii *l.* 6. *c.* 16. Oxi amnis incolæ, de quibus vide Salmas. *ad Solin. p.* 985.

SALATHI, princeps militum, 1. Paral. *c.* 12. *v.* 20. Latinè, *umbra*, sive *tinnitus*, aut *assans*, vel *torrefaciens*, aut Syriacè, *orans.*

SALATHIEL, pater Zorobabel, Agg. *c.* 1. *v.* 1. Fil. Jechoniæ, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 17. Matth. *c.* 1. *v.* 12. Latinè, *postulatus*, sive *commendatus Dei.*

SALATIS, juxta Manethonem, *Silites*, *Syncello*, *Africano* & *Eusebio* perperam Σαίτης, primus in Ægypto inferiori Rex *Hycsos* seu *Pastorum*, de quibus suprà, ut & infrà in voce *Tanis*, quòd *Tanis* regni illorum metropolis esset; à suis popularibus, qui subitâ invasione in Ægyptum factâ veteres incolas ex facili sub jugum redegerant, electus, Conchari ultimo Ægypti inferioris Regi successit, Abarim ædificavit, atque muris & militum 240. millium præsidiô communivit, etiam superioris Ægypti partem non exiguam sibi tributariam fecit, regnavit ann. 19. obiit haud diu post Josephi Patriarchæ, & Proregis Ægypti obitum, Thinillo inter Thebanos Reges ad clavum sedente: ei successit Beon, *Excerpta* Manethonis apud Josephum contra *Apionem l.* 1. ubi & in Memphide superioris quondam Ægypti metropoli, hunc *Salatem* fuisse, atque adeò urbem hanc à Pastoribus captam esse, adjicit. Certè tenues deinceps res Memphiticæ, & octava illorum Regum Africani dynastia aut prorsus nulla est, aut obscura, & Salati ejusque successoribus tributaria. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Seculo VIII.* Nec omittendum, hunc *Salatem* Israëlitarum, qui tum in Ægypto commorabantur, primum fuisse persecutorem, *novi Regis* nomine indigitatum Spiritui S. Exod. *c.* 1. *v.* 8. & *seqq.* qui proin Israëlitarum incrementa sibi parùm tuta existimans, illos, vivente adhuc Josephô, servitute gravi premere incepit, veritus ne Ægyptiis veteribus & Thebanis sese jungerent. Unde in urbibus *Pithom* h. e. Pelusio, quæ *Abaris* ex antiqua Theologia, & *Rameses*, h. e. Tane ædificandis illos occupatos tenuit, Idem *ibid.*

SALAURI Portus, oppid. & Portus Hispaniæ citerios in ora Catalauniæ, apud Tarraconem Urbem *Puerto de Salon*, L Ponto.

SALBURGUM, nomen castri Germaniæ, in Thuringia, sub proprio Dynasta, ex illustri Rhutenorum de Plavia Familia. In hac enim duæ cùm sint lineæ, *Senior* & *Junior*; ei adnumerantur, qui in Graiziæ utraque domo & Burkii habitant: ad Juniorem, decem filii Henrici & Magdalenæ Schwartzenburgicæ, quibus in *Gera*, *Salburg*, *Schletz*, *Lobenstein* sedes spectant. *Salburgum* autem nactus est, qui tertius ex decem illis natus erat, cujus γενεαλογία hæc est. Henricus Ruthenus seu *Reussen*, Dn. in Plavia, qui obiit A. C. 1461. ex Irmgardi (filia Alberti Burggravii Kirchbergæ) genuit Henricum Juniorem Ruthenum, defunctum A. C. 1498. Quô & Magdalenâ Baron. Schwartzenbergiâ, natus Henricus Junior, junxit sibi Æmiliam Annam Mansfeldiam Comitem, & ex ea genuit Henricum Juniorem Ruthenum: qui obiit A. C. 1572. Pater, ex Dorothea Comite Solmensi, Henrici Junioris Rutheni, defuncti A. C. 1635. Hujus ex Magdalena Comite Schwartzenburgica filius tertius, Henricus Junior Ruthenus Dn. *de Plawen* (qui decessit A. C. 1640.) ex Juliana Elisabetha Comite Reingravia, genuit Henricum I. Juniorem (natum A. C. 1639. & maritum N N. Comitis *de Hardeck*, ductæ A. C. 1662. & Magdalenam Julianam (natam A. C. 1641. denatam 1649.) germanos: *Ruthenos*, *Dominos de Plawen* &c. *Lineæ Jun. in Salburg.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p.* 48.

SALCOINUS Nicolaus, Vide *Nicolaus.*

SALAZARIUS Stephanus, Vide *Stephanus.*

SALDÆ, Colonia, & urbs Mauritaniæ Cæsariensis, *Ptolem.*

Hodie *Alger Castaldo*. *Tadelis* verò *Mercatori*; cujus sententia videtur probabilior. *Baudrando Bugia*, urbs Regni Algerii, provinciæ cognominis caput, in ora maris Mediterranei ad amnis Nasabath ostia, cum arce, portu amplo, & Sinu Bugiæ dicto. Media inter Cullum ad Ortum, 100. mill. pass. & Algerium seu Rusucurum, ad Occasum totidem distans, vix 50. ab Igilgili in Occidentem.

SALDUBA, oppid. Hispaniæ Bæticæ apud oram, inter Malacam urbem, & Barbesulam oppid. *Fuengirola* ex *tabulis recentiorib.*

SALDUBA, fluv. qui forte *Saduca* etiam dictus, hodie C. Clusio est *Guadalquivirejo*, prope Malacam in mare Mediterraneum se exonerans. Aliis est *Rio Verde* amnis, 7. leuc. à Malaca in Occidentem.

SALE, fil. Arphaxad, Gen. *c.* 10. *v.* 24. Ab hoc Sarmatæ orti. *Joseph.* Luc. *c.* 3. *v.* 35. dicitur fil. Cainan, filii Arphaxad. Latin. *missio*; vel *mittens*.

SALE, urbs & Respublica piratarum, in regno Fessano, nunc sub Maroci Rege.

SALE, Σαλη, vel Σαλικὴ, recens appellatio Taprobanes Insulæ, *Zeilan* hodie Salmas. *ad Solin. p.* 1110.

SALE, urbs Hyrcaniæ, *Ptol.*

SALEBIM, nomen loci, 1. Reg. *c.* 4. *v.* 9. Latinè, *respiciens corda*, sive *pugillus*, aut *vulpes*, vel *semita in mari*.

SALECHA, civitas in Basan, Jos. *c.* 12. *v.* 5. Latinè, *canistrum tuum*, aut *elevatio*, vel *conculcatio tua*.

SALECIS, & SALEX, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ ultra Abylen Herculis columnam 90. stad. distans. *Philostr.*

SALED, fil. Nadab, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 30. Latinè, *afflictio*, aut Syriacè, *calefactio*, vel *adustio*.

SALEIUS Bassus. Vide *Bassus*.

SALEM, quæ & *Salim*, in tribu Manasse, Hieronym. *de Loc. Hebr.* docet, hanc non esse Jerusalem, sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur *Salem*, ubi ostenditur palatium Regis Melchisedec: hinc *Salamitis* dicitur propriè, qui habitat in Salem, quasi *Salamitis*. Est etiam nomen loci, Joh. *c.* 3. *v.* 23.

SALEM, villa ostendebatur in tribu Benjamin, tempore Hieronymi, juxta Æliam, contra Occidentem plagam.

SALEM, Vide *Jerusalem*.

SALEMOTH, nomen viri, 1. Paral. *c.* 24. *v.* 22. Latinè, *pacificatio*, *perfectio*, aut *retributio*.

SALENÆ, oppid. Albionis Mediterraneum in Anglia, *Ptolemæo*. *Salndy Camdeno*, in agro Bedfordiensi, non procul ab ipsa Bedfordia.

SALENI, populi, & oppid. Hispaniæ Tarraconensis in finibus Vardulorum & Cantabrorum, ad Nesuam fluv. ab Iturissa 7. leuc. in Occidentem Mela *l.* 3. *c.* 1. Aliis oppid. est Ipuscoæ, ad Devam amnem, versus montem S. Adriani, 9. leuc. à Flaviobriga in Eurum, Calagurim versus, 3. à Victoria in Boream; *Salinas*.

SALENTIACUM, locus seu pagus Galliæ Belgicæ in finibus Veromanduorum. *Chalanchi Ortelio*. *Salenci Valesio*, in regione Noviomensi, S. Medardi patria.

SALENTINI, populi Italiæ, quorum regio (in mare ad Ortum contra Epirum instar peninsulæ porrecta) Messapia, & Japygia, cum Calabria in ora Boreali, *Terra d'Otranto* vulgò, Apuliæ Peucetiæ ad Occasum contermina, in quâ 3. urbes claræ, *Brundusium*, *Tarentum*, & *Hydruntum*. Præterea, Aletium *Leccie*; caput regionis Alexanum, Castania. Vide infra. *Ferrar. Baudrando* fuerunt propriè hi populi in Messapia, ubi nunc provinc. Hydruntina: inter Apenninum & sinum Tarentinum: Alteram enim partem occupant Calabri, inter Apenninum & ostium maris Adriatici. A plerisque tamen tota provinc. sub Salentinis comprehenditur, & aliter quoque *Messapia* dicta est. *Festus* existimat, Salentinos dictos esse à *Salo*, fortassis ob id, quòd penè circumquaque mari ambiantur, tenui tantùm Isthmo continenti annexi. Agrum Japygiæ seu Salentinorum, *Strabo*, non sine admiratione, commodum oppido esse scribit, quòd supremum ejus solum asperum appareat, verùm aratro perstrictum apertumque glebam admodum pinguem ac uberem summæ altitudinis exhibeat, quodque siticulosus aquarum penuriâ videatur, tamen pascuis lætissimis & arborum frugiferarum ubique multitudine abundet. In nummis ΣΑΛΑΝΤΙΝΩΝ legimus.

Urbes Salentinorum hodie:

* Aletium, *Leccie*, Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino, caput regionis.
Alexanum, *Alessano*, Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino.
* Brundusium, *Brindisi*, Archiepiscopalis.
Castania, *Castellanetta*, in Lucania, olim sub Archiepiscopo Tarentino.
Castrum, *Castro*, Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino.
Gallipolis, (olim Anxa) *Gallipoli*, sub Archiepiscopo Hydruntino.
Hydruntum, *Otranto*, Archiepiscopalis.
Leuca, *S. Maria di Leuca*, cum Alexano.
Mateola, *Matera*, Archiepiscopalis, in Lucania olim.
Motula, *Motola*, Episcopalis sub Archiepiscopo Tarentino.
* Neritum, *Nardo*, Episcopalis sub Archiepiscopo Brundusino.
Ostunium, *Ostuni*, sub Archiepiscopo Brundusino.
* Tarentum, *Taranto*, Archiepiscopalis, olim in Magna Græcia, *Salentinorum* primaria. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec. XV.* ubi de *Magna Græcia*.
Uria, *Oria*, Episcopalis sub Archiepiscopo Tarentino.
Uxentum, *Ugenti*, Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino.

SALENTINUM Promontorium, idem est cum Japygio. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 400.

Et Salentinos obsedit milite campos.

Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 4. *c.* 13.

SALENTINUS Lacus, apud Salentinos, qui ad margines usque plenus, neque exhaustis minuitur, neque superfusis aquis augetur.

SALEPH, fil. Jectan. Gen. *c.* 10. *v.* 26. Latinè *evaginans*, *evellens*, vel *discalceans*.

SALERA, Africæ propriæ oppid. à Scipione occupatum, Liv. *l.* 29. *c.* 34. 35.

SALERA, vulgò *la Saudre*, fluv. Galliæ duplex, *major* & *minor*, quorum hic *la petite Saudre*, illum auget. Mentio ejus apud Hadr. Valef. in *Secalaunia*, cùm ait: *Quidam partem Secaloniæ aliquam in Biturigum finibus collocant, circa utrumque Saleram.*

SALERNUM, Picentinorum oppid. in Italia, an à duobus rivis *Sale* & *Erno*? Archiepiscopal. in clivis fertilissimis situm. Nunc regni Neapolitani caput Principatus citerioris cum arce & portu capaci, in ora maris Tyrrheni 28. milliar. à Benevento in Meridiem uti à promontor. Minervæ in Ortum. Hinc sinus Pæstanus ei adjacens *Golfo di Salerno* vulgò. Capta urbs est à 40. Normannis, circa A. C. 1016. quibus Henricus II. Imperator multa loca tradidit. *Sigon.* excisa ab Henrico VI. Imperatore secundô contra Tancredum bellô, quòd huic Salernitani Constantiam Imperatoris uxorem prodiderant, unde prima expeditio irrita facta, A. C. 1191. Factâ hic exscensione Solimannus Imperator A. C. 1552. aliquot millia captivorum abduxit, Thuan. *l.* 12. Ejus meminit. Lucanus *l.* 2. *v.* 425.

Vestinis impulsus equis, radensque Salerni
Culta Siler. ------ ------

Silius *l.* 8. *v.* 583

Ille & pugnacis laudavit tela Salerni.

Horatius *l.* 1. *ep.* 15. *v.* 1.

Quæ sit hyems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni.

Titulô principis & Academiâ, in qua Trotusa & Rebecca-Guarna eminuerunt, scriptis inclytæ, gaudet, præcipuè verò studiô medicinæ insignis est: Cujus Doctores librum conscripserunt, cui titulus *Schola Salerni*, vel *Salernitana*, ac Anglorum Regi dicârunt, non Henrico Octavo, ut quidam putant: Sic enim commentarius Arnold. Villanovani (qui floruit A. C. 1313.) antiquior esset librô ipsô. Videtur itaque inscriptus fuisse Richardo secundo, sive Eduardo primo, qui cùm Terram sanctam versùs peregrinarentur, fortè ad locum hunc pervenerunt, & Professores ejus honorariô aliquô emolumentô adornârunt. *Nic. Lloyd.* Cæterùm inter Lucernas, *Salernitana* quoque celebris, cujus *inscr. Salerni* in æde Episcopali, annotante Jac. Sirmondo Jesuitâ eruditissimo, sic habet; *Have. Septima. sit. tibi. terra. levis. Quisque. huic. tumulo. posuit. sic. ardente. Lucernam. Illius. cineres. aurea. terra. tegat.* Ubi *ardentem* omnino ab Auctore scriptum, *m.* verò vel ab Opifice omissum, vel carie illius partis vetustate corrosum, vel quavis alia de causa deletum esse, judicat Fortun. Licetus *de Lucernis Antiqq. l.* 1. *c.* 21. Quod tamen non videtur, cùm Inscriptio metrica sit, *ardentem* autem metro non quadraret: adde quòd *ardente* ad *tumulo* referri possit, qui propter Lucernam *ardens*, per translationem, dictus est. Vide quoque Gruterum *in Inscript.* Gutherium, iterumque Licetum *l.* 2. *c.* 19. Scholam *Salernitanam* præfatam seu, ut in veterib. codicibus inscribitur, *Medicinam Salernitanam*, sive *de conservanda bona valetudine*; item *Regimen Sanitatis Salerni*, vel etiam *Florem Medicinæ*, scripsit, nomine Collegii ibidem Medici, versibus Leoninis, Johannes de Mediolano, qui claruit A. C. 1100. videturque is liber auctior fuisse initiô, nempe versuum 1239. sicut à Joh. Georgio Schegkio *in Bibl.* proditum est. At in vulgatis libris solùm 373. reperiuntur. Sunt tamen qui habeant 664. vel etiam 1096. Anglorum is Rex, cui opus id dedicatum, fortè Robertus fuit Normanniæ Dux primogenitus Gulielmi Nothi sive Conquæstoris, Normanniæ Ducis primò, dein Angliæ Regis: ac scriptum videtur, cùm is Robertus è Palæstina in Apuliam rediisset, & ob fistulam è vulnere venenato, de ea & valetudine tuenda, consuluisset *Salernitanam scholam*. Nec obstat, quòd liber hic inscribatur Anglorum Regi, at Robertus non regnavit in Anglia. Nam Regnum ei debitum, quod, eô absente, minor natu frater Guilielmus Rufus occupavit: De quo pluribus agit Renatus Moreau *in Prolegomenis Animadversionum eruditarum*, quibus hoc opus illustravit, Gerh. Joh. Vossius *de Philosophia c.* 12. §. 37. Cœterum prodiit Principatus *Salernitanus*, ut & Capuanus, à Principatu Beneventano (in quo *Principis* titulum, ut honorarium seu potius feudalem titulum, in Italia, primus invexit Arechis Dux, uti scribit Leo Ostiensis *l.* 10. *c.* 10.) Cum enim Siconolfus, Siconis Principis Beneventi fil. & Sicardi Principis frater, *Salernum* & Capuam Radelchiso Principi ademisset, Ludovicus II. Imperator in Italiam veniens A. C. 851. pulsis & profligatis Saracenis, quos uterque Principum in auxilium evocaverat, totam Beneventi provinciam inter Ledelchum & Siconolfum æquô discrimine partitus est; quâ quidem partitione *Salernum* & Capua Siconolfo cessere. A quo cœteri, qui Salerno imperavêre, *Principes Salerni* appellati sunt, quô Principatu postmodùm iterum divisô, Capuanus Principatus emersit, utrôque tandem ad Tancredi Normanni familiam & ad Siculos devolutô. Vide Constantinum Porphyrog. de *Adm. Imp. c.* 27. & Car. du Fresne, in voce *Princeps*.

SALERNUM, locus Galliæ in Arvernia superiore cum titulo Baroniæ, vulgò *Salers*. Item in Volcis Tectosagibus, pagoque Tolosano, unâ tantùm literâ diversus, dicitur enim *Salertum*. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

SALES, auctore Plinio *l.* 31. *c.* 7. *omnis vitæ lepos & summa hilaritas, laborumque requies non aliô magis vocabulô constat*: transeunte intellectu à sale, tam necessario vitæ elemento, ad animi quoque voluptates. Inprimis dicteria seu joci, quos in Exodiis petulantes Mimi ingerebant. Claudian. *l.* 2. in Eutrop.

Qui lætis risum Salibus movisse faceti.

Cùm

Cùm enim in principio, conciliandis auribus, revocandis animis tædioque liberandis audiretur Exodium, procedente tempore *in vitium libertas excidit*, ut Horatius ait *de Arte Poët. v. 282.* & ex laudabili ac jucundo officio transiit in amarum carpendi cacoëthes. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 9.* Hinc verò ulterius itum, & Scurræ mensis adhiberi cœpti, qui convivas dicteriis salibusque ad hilaritatem provocarent. Plin. *ad Amicum, Vis tu remittere aliquid ex nugis; Equidem nihil tale habeo, habemus tamen sero. Cur ego non habeo? quia nequaquam me ut inexspectatum festivumque delectat, si quid molle à Cinædo, petulans à Scurra, stultum a Morione profertur.* Ægypto autem pueri hi dicaces, & Alexandriâ inprimis, petiti. Petronius *Satyrico, Discubuimus Alexandrinis pueris aquam nivatam in manus infundentibus*: Nobilisque inter eos Sarmentus ille, cujus cum Cicerro velitationes commemorat Horat. *l. 1. Sat. 5. v. 52.* de quo etiam Juvenalis *Sat. 5. v. 3.*

Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.

Ubi *Glossator antiquus* notat, Sarmentum formâ ac urbanitate demeruisse sibi plurimos. Augusto sanè olim placuére tales lepôre ac festivitate, ut notat Plut. *in M. Antonio*; qui etiam tradit, hujusmodi pueris Romanos *Deliciarum* nomen imposuisse. Et quidem pueros urbanos & procaces, hôc nomine, appellari consuevisse, Stat. docet *l. 5. Sylv. 5. v. 66.*

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumque sui convicia Nili
Infantem, linguaque simul Salibusque *protervum*
Dilexi.

Vide Laur. Pignorium *Comment. de Servis.* Quas verò *Delicias loquaces* intelligat Statius, explicat Sueton. *in Aug. c. 98. Quâ re admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus divisit, jusque jurandum & cautionem exegit à singulis, non alio datam summam, quàm in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos.* Ubi quod *Alexandrinæ* ei *merces, & loquaces de puppe Pharia deliciæ Statio*, pueri sunt Ægyptii, dicaces, & ob id conviviis aptissimi. Vide quoque Quintilian. *l. 1. c. 2.* Jul. Capitolin. *in Vero*, Martial. *l. 4. Epigr. 42.* Thomam Dempsterum paralipom. in Rosinum *l. 2. c. 19. & alibi.*

de SALES Franciscus, vide *Franciscus.*

SALESII, pars Pæonum. *Steph.* Fortè qui hodie *Silesii*, vel *Slesii* vulgò.

SALETES, una ex Jovis filiabus, quam Nilo ortam Minervam Ægyptii fabulantur. Alex. ab Alex. *l. 6. c. 4.*

SALETIO, magni quondam nominis oppid. German. superior. apud Rhenum fluv. in Alsatia. *Saliso*, Amm. Marcellin. *l. 16.* ut vult *Simlerus*, sed situm repugnate dicit *Valesius*: *Saloissa* castrum Fredegario, *Chron. l. 5. c. 37.* In Annalibus rerum Francicar. *Salossa*, & *Salussa*, ubi Karolomannus cum matre sua Berta colloquium habuit, A. C. 770. inter Argentoratum ad meridiem, & Spiram ad Boream à Vormatia 38. mill. pass. secundùm *Æthicum*, vel 41. secundùm *tabulam Peutingerianam.* Hîc monasterium condidit Adalheidis Augusta, quod à Wilderaldo Argentino Episcopo consecrari jussit, sub Ottone III. nepote suo, urbemque decrevit fieri sub libertate Romana, ut loquitur Odilo Abbas *in vita Adelheidis.* Positum est ad Saletionis fluv. unde ei nomen, & Rheni confluentem. Sub Electore Palatino. *Seltz Rhenano*: à Gallis in cineres redactum A. C. 1675. Plura, apud B. Rhenanum *Rerum Germ. Nov-Antiqq. l. 3.* cum *Notis* Ottonis JCti. *p. 615.*

SALEUMBRONA, seu SALEBRONE, oppid. olim & portus Hetruriæ in ora, inter Cosam ad Ortum 34. & Populoniam ad Occasum 21. mill. pass. *Antonin.* inter Manlianam & Prillem lacum.

SALGA, Vide *Salgas.*

SALGAMA; dicta sunt olera, quæ sale & acetô condita servabantur; sicut *Acetaria*, quæ recentia ac cruda ex aceto vorabantur; & ὀξύπορα, quæ ex pluribus speciebus composita unà tritis mixtisque, quibus etiam acetum addebatur. Græcis ἁλμαίας. Uti autem duo sunt, quibus unguentorum confectio constat, ἡδύσματα & σώματα, *succus & corpus*, oleum & odores, qui in oleum adduntur, ut serventur quasi quâdam conditurâ: sic in *Salgamis* conficiendis condiendisque, acetum & muria, h. e. jus & succus conditura vicem obtinent; res vero ipsæ, quæ eò immittuntur servandæ, corporis instar sunt, ut herbæ omne genus, quæ ad hunc usum reponuntur, pyra etiam & mala, cucumeres aliaque similia. Galli vulgò *Salades* vocant. Quod nomen traductum postea à militibus, ad rerum ad victum necessariarum præbitiones, quas ab hospitibus suis exigebant. *L. 3. Cod. Theodos. de Salgamo hospitibus non præbendo*: *Nemo militans à suo hospite* salgami *aliquid postulet, id est, ne lignum aut oleum, culcitæve poscantur*, apud Car. du Fresne *Glossar.* Vide Salmas. *ad Solin. p. 466. & 1273.* Hinc *Salgamarii*, qui *salgama* condiebant & vendebant, apud Columellam *l. 12. c. 44. & 54.* Eorum mentio in Concilio Chalcedon. *act. 11.* Ἐκεῖ σαλγαμαρίους χειροτονοῦσι, καὶ διὰ τοῦτο ἀναστροφὴ γίνεται, *Ibi* Salgamarios *eligunt; hinc illa subversio &c.* *Salgama* verò curabat Villica, vide infrà *Villa*: uti de vasis, in quibus illa condiebantur, voce *Urceus.*

SALGANEUS, Persarum Dux, à Metabate non procul ab Euripo interfectus. Strab. *l. 9.*

SALGANEUS, item SALGANEA, plural. numer. *Strab.* & Liv. *l. 35. c. 37. 38. 51.* oppid. Bœotiæ ad Euripum, inter ostium Ismeni fluv. & Anthedonem oppid. *Saganeus Ptolemæo.* Inde *Salganius* vel *Salganites*, vel *Salganeus* Apollo. *Steph. Salganico Moletio.*

SALGAS, fluv. & urbs *Salga* in Mauritania, *Steph.*

SALGOVIA, olim SALGEU, pars pagi Aventicensis Salodorum usque, in qua oppid. Salensium Salodorum. Vide in voce *Salodorum.*

SALI, Sarmatiæ Europeæ populi, *Ptol.*

SALIA, vulgò RIO DE SELLA, fluv. & oppid. Hispaniæ Tarraconensis in ora Asturum, patria Prudentii poëtæ. Sic enim ille *præfat. Hymn. Cathemer. v. 24.*

Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens,
Sub quo prima dies mihi.

Populi *Salini. Salia* item fluv Lothar. vulgò *Selle*, vel *Seille. Valesio* hic fluv. Belgicæ primæ, oritur ex lacu Lindrensi: alluit Decem Pagos *Dieuse*, Marsalium, Medianum-vicum, *Moyen-Vic*, Vicum *Vy*, vel *Vic*, non procul ab ipsius & amniculi, cui castrum Salinense assidet, confluentibus, Numeniacum, *Nomeny*, Portum ad Saliam, *Port sur Seille*, Buyerias, Magniacum; *Maigny*: & apud Divodurum Mediomatricorum in Mosellam effluit: currit autem milliar. 2. Fortunatus *l. 3. Carm.*

Hinc dextra de parte fluit qui Salia fertur.

Et *l. 7.*

Seu qui Mettis adit, de sale nomen habens.

Inter hunc & Nitam Gallicum seu Rom. interjacens pars agri Mettensis, *Salinensis* ager, *le Saunoy*, dicitur, à salinis, quibus abundat, circa Marsalium præcipuè & Vicum ac Castellum Salinense, *Notit. Galliæ.*

SALIANUS Jacobus, Vide *Jacobus.*

SALIARES, Insul apud Plin. *l. 5. c. 31. Sunt & in Nymphæo* Saliares *dictæ, quoniam in symphoniæ cantu, ad ictum modulantium pedum moventur*: Græcè ὀρχηστρίδες & χορευτίδες; item ὀρχῆσται, Varroni *de R. Rust. l. 3. Cùm eodem tempore Insulas Ludiano ritu ibi ὀρχουμένας vidisset.* Earum Martianus quoque Capella meminit *l. 9.* Nonne „ipsius vetustatis persuasione compertum, in Lydia Nympharum „Insulas dici, quas etiam recentior asserentium Varro se vidisse te- „statur, quæ, in medium stagnum à continenti procedentes, can- „tu tibiarum primò in circulum motæ, de hinc ad littora revertun- „tur. Ubi *Insulas Nympharum* vocat. Fuére illæ in Lydia, in Lacu seu Stagno, quod Νυμφαῖον dicebatur: Καλαμίνην illud appellat *Sotion.* Quod conferens Salmas. cum verbis Capellæ, qui insulas has in continenti esse, aut littore teneri ait: inde elicit, Insulas has calamos esse, in littoribus Nymphæi lacus nascentes; qui ab littore in medium stagnum procedant & ad littus redeant vel ventis vel contis impulsi, & fluitantium insularum speciem præbeant. Græci πλωάδας nuncupant νήσους, quales in multis circa Ægyptum stagnis alibique reperiri, auctor est Theophrastus. Vide Salmas. *ad Solin. p. 125.*

SALIARI Carmini nomen inserendi ritus, occurrit apud Capitolin. *in Marco Antonino Imp. c. 21. Jussit; ut statuæ filio mortuo decernerentur, & imago aurea Circensibus per pompam ferenda, & ut* Saliari *carmini nomen ejus insereretur.* Et Tacitum, *l. 2. Annal. c. 83. ut nomen ejus* Saliari carmine *caneretur*, de quo genere honoris multa dixit Casaubon. *ad Athenæum l. 6. c. 14.* Simile apud Athenienses fuit, quòd bene meritos de Rep. peplo Minervæ intexerent: unde natum apud illos Proverbium, ἄξιός ἐστι τοῦ πέπλου, *dignus est peplô*; ut si dicas, dignus est, cujus nomen Saliari carmine canatur. Aristophanes *in Equitibus.*

Εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι
Ἄνδρες ἦσαν τῆσδε γῆς ἄξιοι καὶ τοῦ πέπλου.
Prædicare volumus patres nostros, quoniam
Viri erant terrâ ac peplô digni.

De quo ritu; vide quoque Diodor. Sic *l. 20.* ubi de decretis, ab Atheniensibus, Antigono & Demetrio honoribus, & præfatum iterum Casaubon. *Not. ad Capitolin. d. l.* Nomen à *Saliis*, de quibus suprà aliquid ubi de *Palatinis Saliis*, & plura mox.

SALIATUS, apud eundem Capitolin. in ejusdem *Vita c. 3. & 4. Frequentavit & Declamatorum scholas — educatus est in Adriani gremio, qui illum Verissimum nominabat, & qui ei honorem equi publici sexenni detulit, octavô ætatis annô in Saliorum collegium retulit. In* Saliatu *omen accepit Imperii. Coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus, aliæ aliis locis hæserunt; hujus veluti manu capiti Martis aptata est. Fuit in eo Sacerdotio & Præsul & Vates, & Magister & multos inauguravit atque exauguravit, nemine præeunte, quòd ipse carmina cuncta didicisset*: ubi pleraque ad Salios spectantia commemorantur. Et quidem Saliatus, ipsa dignitas est Sacerdotii hujus. Quod autem de ritu eorum coronas jaciendi in Pulvinar Dei sui habet, vix ex alio discas auctore. Idem verò in reliquorum Deorum festis diebus factitatum esse, notum: quæ causa, quòd in cultu Deorum inter alia στεφάνους, i. e. *coronas*, quoque ponat Justinus *Apologetico.* Nempe Salii die festô ancilia per urbem gestabant apicati & caput coronati: quam coronam, mox, conditis ancilibus, in pulvinar conjiciebant, ubi Martis simulachrum. Porrò in *Saliatu* hæc tria munera distinguit *Capitolin.* Præsulis, Vatis & Magistri. *Præsul* dicebatur, qui *præsiliebat*, ut infra dicemus; *Vates* est Ὑμνῳδός, qui inter ὑμνῳδοὺς erat princeps & carmen præcinebat; *Magister* verò Ἔξαρχος, ad quem inaugurandi & exaugurandi pertinebat potestas. Ad omnes autem carminum atque axamentorum cura ex æquo pertinuit &c. Vide Salmas. *ad Capitolin. d. l.* & cætera hîc, ubi *de Saliis.*

SALICA, insula, quæ & Taprobane, *Stephan.*

SALICA, Oretanorum in Hispania urbs, *Ptol.*

SALICA Lex, à Saliis populis Germaniæ, qui primò, teste *Frisingensi*, Sicambri; posteà; ut *Rhenano* placuit, à Sala fluv. *Salici*, ac *Saligni* dicti sunt, nomen accepit. Hi transmissô Rhenô, plurimum Galliæ subegére, & annô tertiô Regni eorum conditoris Pharamundi, nondum Christiani, *uti cœperunt*, inquit Sigebertus. *legibus*, & Legem Salicam *dictaverunt per quatuor gentis suæ Proceres, Viogast; Bosogast, Salagast & Widigast, in villis Germaniæ Salohaim, Bodohaim & Windohaim. Hi per tres mallos convenientes, omnes causarum origines sollicitè tractantes, de singulis discutiendo, sicut* Lex Salica *declarat, judicare decreverunt.* Idem vix aliter, *in utroque prologo ad eandem Legem.* Sub posteriori verò sic notatur: A. C. 798. *Indictione sextâ, Dominus Carolus Rex Francorum inclytus hunc libellum tracta-*

tus legis Salicæ *scribere ordinavit*. Sunt qui edita legis exemplaria non integrè suscipiunt, inquit Spelmann. *Glossar. Archæol.* Spectatissimus inter cœteros iste paragraphus est. *In terram Salicam mulieres ne succedant.* Sic codex unus. Alius à *Frid. Pithæo & Friderr. Lindenbrogio* datus *Tit.* 62. §. 2. sic legit: *De terra verò Salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat: sed ad virilem sexum tota terræ hæreditas perveniat*, Antiquior tertius Basileensis, fusiùs multò rem decernit. Quænam autem fuerit *terra* hæc *Salica*, apud Auctores non convenit. Ex hac lege multa in legibus Henrici I. Angliæ Regis deprompta, deprehendit; paulò antè laudatus Spelmannus, quem vide.

SALICÆTUS Guilielmus, Vide *Guilielmus*.

SALICI, populi, in Cordubensi conventu, Plin. *l.* 3. *c.* 1.

SALICOSA, locus Galliæ, in Veliocassibus diœcesique Rotomagensi, non longè à Vernone, vulgò *Saucease*, Prioratu Canonicorum S. Augustini clarus. Nomen ei à salicibus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SALIENS, fons est, perpetuò liquore ebulliens, [illegible]smodi *Salientibus* Romanorum olim horti, cubicula, cœnacula, balnea, & corruptelæ denique omnes (ut conqueritur *Frontinus*) instructæ fuerunt. Ad hæc aquas tantâ copiâ inmissas in domos privatas, docet Seneca Rhetor *Controv. l.* 5. ut *in summis ædium culminibus navigabilium piscinarum freta* haberentur. Hos *Salientes* Aquarii curârunt, memorati Jul. Paulo *Sent. l.* 3. *tit.* 7. quorum artes egregiè descriptas habes, apud Manilium *Astronom. l.* 4. Jurisconsulti autem vasa hæc recensent salientibus aquis accommodata; *plumbeum Castellum, Fistulas sub terra missas, Ahenum lateribus circumstructum, Fistulas fictiles, Epistomia, Canales, Automata, Cantharos, Personas, Crateres, Vasa ænea.* Expressiones porrò aquarum *Silani* vocabantur, ut infrà videbimus: earumque moduli, aut ad unciarum aut ad digitorum rationem instituti erant &c. Laur. Pignorius *Comm. de Servis*, ubi multa de Aquariis Cæsarianis, publicis, privatis; Ministris item Fontanis, aliisque huc pertinentibus. Hodieque *Saliens*. Gall. *Jet d'Eau*, fons dicitur mirô artificiô aquas ejaculans, cujusmodi in Principum suburbanis, Pontificis inprimis secessu Tiburtino & Tusculano, ingeniosissimè facti conspiciuntur. Franc. Pomey *in Descript. var.* hanc *Salientis* imaginem exibet: *Projectus per ambitum illarum ædium terrenus agger exporrigitur, columnis nixus, periboló vicena quaterna sustinente vasa, opere antiquò elaborata, paribus dispositа intervallis, foliis nenupharis, aliisque floribus aquatilium plantarum elegantissimè decorata. Spatiò inter illa interjectò*, Salientes *totidem, ad fastigium usque domus ejaculantur aquas in sublime, quam ubi crystallinâ veluti coronâ cinxêre, grato cum murmure recidunt: ruentesque per occultos tubos subjectas pari numerò speluncas, rusticanó opere, aggeri imo inædificatas, inundant. Medios inter arcus speluncarum, vasis, quæ dixi, substructi viginti quatuor cernuntur loculi in hemicyclium excavati, aquaticorum totidem Numinum simulachra ostentantes, nimirum Deorum fluvialium duodenorum & duodenarum Najadum, habitu variò ac discrepante, aquarum vim ingentem è suis urnis effundentium in suppositas conchas è candido marmore, intra hujus Basilicæ aream collocatas. Inde per subterraneos meatus se insinuans aqua, ejusdem in areæ medio, emicat mirabilem planè in modum. Media siquidem in cupa marmorea nunquam non plena, ad summum labrum emergunt in orbem velut innatantes Tritones duodeni grandiores, specie eximiâ eminente omnium ore, resupinató capite, quasi cœlum suspiciant. Qui --- conchas in tubam effictas admotasque ori dextrâ retinentes, aquam per eas evibrant, ad aggeris altitudinem, totidem deinde in Sirenes depluentem marmoreas --- pectentes capillum & superno illo in lacu Tritonibus nixo penè fluitantes* &c. Vide quoque suprà *Nympheta*, infrà *Silani*.

SALIENUS Clemens, Senator, tempore Neronis, Tacitus *Histor. l.* 5. *c.* 73.

SALII, sacerdotes Martis, numero 12. à Numa Pompil. primùm instituti, tunicis pictis, æneôque pectoris tegmine exornati; sic dicti quòd *salientes* ancilia per urbem circumferrent, Plut. *in Numa*: Ὄνομα Σαλίων ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως. Ovid. *Fast. l.* 3. *v.* 387.

Jam dederat Saliis (à saltu nomina ducta.)

Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 663.

Hic exultantes Salios, nudosque Lupercos.

Saliorum 2. erant genera, antiquissimi *Palatini* dicti, atque à Rege Numa instituti, Παλατῖνοι *Dionysio*. His alios *Collinos*, sive *Agonales* nuncupatos Tullus Hostilius adjunxit, *Dionys.* Aliter tamen *Servius* eos distinguit: *Duo*, inquit, *sunt genera Saliorum, ut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini & Quirinales à Numa constituti, ab Hostilio verò Pavorii & Pallorii.* Horum meminit Livius *l.* 1. *c.* 20. *Numa Salios duodecim Marti legit, cœlestiaque arma (quæ ancilia appellantur) ferre ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis solennique saltatu jussit.* Hinc *Saliaris*, ut *Saliare carmen*, quod cantabatur à Saliis: & *Saliares epulæ*, quæ exhibebantur his sacerdotibus. *Festus*: *His* (Saliis) *per omnes sacrorum dies, ubicunque manent, quia amplissimæ ponuntur cœnæ, si quæ aliæ magnæ sunt, Saliares appellantur.* Horat. *l.* 1. Od. 37. *v.* 2.

------ Nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

I. e. optimis dapibus. Vide sis illic Interpretes, & Torrentium *ad Sueton. Claud. c.* 33. Vocantur quoque *Salisubsuli* à Catullo *Epigr.* 17. *v.* 6. Virgilius verò etiam Evandri temporibus eos fuisse dicit, *l.* 8. *v.* 285. nisi hæc poëticâ licentiâ dixerit, ad sua tempora respiciens. Sic enim ille:

Tunc Salii ad cantus, incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis.

Ubi videndus *de la Cerda*. *Nic. Lloydius*. *Saliebant* autem, neque in altum neque in longum, sed pedes alternis attollendo, sicque ancilia ferentes, tripudiabant per urbem, solennia cantantes carmina. Præsiliebat verò unus, ex eo *Præsul* dictus, certasque adhibebat gesticulationes, ac corporis circumvolutiones; quod videntur dixisse *amtruare*, à *trua*, quod à θρύειν: Hinc reliqui *Salii* exemplum ejus imitabantur; quod *redamtruare* vocatum. Lucillius, secundùm èmendationem Scaligeri,

Præsul, ut amtruat, inde & volgu' redamtruat olli.

Vide Gerh. Joh. Voss. *de quat. Artibus Popular. c.* 3. §. 48. & *c.* 4. §. 37. Fiebat id in Comitio quotannis, amictique illi erant tunicis versicoloribus & æneis baltheis succincti. Unde præter nomen *Saliorum*, data illis esse ait Ovid. *Fastorum l.* 3. *v.* 388.

Armaque & ad certos verba canenda modos.

Saltatores, quoque eosdem & *Laudatores Deorum belli Præsidum*, appellat *Dionys. Halicarn. l.* 2. Legimus enim, præter ea, quæ dicta, Togas nexisse fibulis, habuisse altiores pileos & desinentes in conum, accinctos fuisse gladiis, dextrâ lanceam virgamque, lævâ Thraciam gestâsse peltam, quam *Ancile* nominabant; Ad militum etiam modum gesticulabantur canente tibiâ, jam quidem simul, nunc per vices, interea canentes patrium Pæana. Et quidem, armatam istiusmodi saltationem, quæ fiebat collisis ad scuta gladiis, à Curetibus inventam, tradiderunt nonnulli: quod alii Saoni, vel potiùs Salio acceptum ferunt, sed minùs rectè. In fine verò Pæanis, appellabant *Mamurium*. Cœterùm Pæanes, qui canebantur ab iis, *Junonii*, *Minervii*, *Janualii* atque ita deinceps dicebantur, à nominibus Deorum, quorum laudes celebrabant: at in homines universos scripti vocabantur *Axamenta*, à verbo *axare*, quod nobis est *nominare*; vel, quia in *axibus*; i. e. tabulis, describebantur, Anton. Thysius *Notis in A. Gellium l.* 1. *c.* 12. Primum *Saliare* carmen composuisse fertur ipse Numa, qui ex Patricio ordine *Salios* primus instituit; illudque proin antiquissimum & idcirco obscurissimum fuisse, Cicero aliique passim testantur, & multa vocabula ex eo à veterib. Grammaticis citata, probant, Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 20. Lege latâ liberos fuisse omnes & indigenas, quorum uterque Parens, cujuscunque fortunæ, in vivis esset, annotat Thysius *loc. cit.* Festum illorum incidisse in Panathenæa Græcorum mensemque Martium, celebratumque publicè ad dies aliquot, per quos totâ Urbe choreas duxerint, usque in Forum, & Capitolium, aliaque loca, tam privata, quàm publica, refert Dionys. *l.* 2. Quibus diebus, priusquam condita rursum essent ancilia, ominosum fuisse nubere, neque etiam Flaminicæ Diali licuisse sese pectere atque ornare, Ovidius tradit *loc. laudatô*. Cœtus *Saliorum*, dicebatur *Collegium*, cujus caput *Magister Saliorum*, item *Præsul*, vocitatus est, neque Tributis illi comitiis, ut alii Sacerdotes, sed à suis Collegis, cooptabantur, quemadmodum & Luperci, & Fratres Arvales, & Sacerdotes Galli, & Sodales Titii, Rosin. *l.* 3. *c.* 6. Quòd autem hos Sacerdotes Herculi dedit Virgilius, cùm inquit *loc. cit.*

Tunc Salii *ad cantus* &c.

rectè quidem à Poëta id factum vult Macrob. *l.* 3. *Saturnal. c.* 12. eò quòd Hercules apud Pontifices idem esset, cum Marte, & Chaldæi *stellam Herculis*, vocent, quam reliqui omnes *stellam Martis* appellant, &c. Sed & Virginum *Saliarium* meminit *Sextus Pompejus*, his verbis: *Saliares Virgines Cincius ait esse conductitias, quæ ad Salios adhibebantur; cum apicibus paludatæ; quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere, in Regia, cum Pontifice, paludatas cum Pontificibus, in modum Saliorum.* De Mamurio quod suprà dictum, hinc est: Cùm plura fierent ancilia, quibus cœleste id, quod Numâ regnante delapsum dixêre, intermisceretur, ne dignosci, & fortè surripi posset, probatum maximè est opus Mamurii Veturii, qui præmii locô nihil aliud petiit, quàm ut suum nomen inter carmina *Salii* cantarent. Vide Aldum Manutium *de Quæsitis per Epistolam l.* 2. Rosin. *loc. cit.* Alios, nec non *suprà*. Ut pauca subjungam de Pileis retrò memoratis horum Sacerdotum, seu *Apicibus*, ut alii vocant, formam eorum fuisse κωνοειδῆ, sive metalem, docet *Dionys.* Πίλους, inquiens, ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδῆ, οὓς Ἕλληνες κυρβασίας καλοῦσι, *Pileos altos in formam coni coëuntes, Græcis* Cyrbasias *dictos*. Varro *l.* 6. *de LL. Tutulatos* vocat; unde & *Festus* de meta, Tutulus pileus lanatus metali formâ: & astipulantur nummi antiqui. Vide Philipp. Rubenium *Electorum l.* 2. *c.* 25. *ubi de sacris Apicibus*: cum Tiara Persarum aliquid commune habuisse, observat Dionys. *l.* 2.

SALII, German. populi qui & Franci dicuntur, quorum regio *Franconia*: Sidonius Apollin.

------ Salius pede, falce Gelonus.

Amm. Marcellin. *l.* 17. de Constântio scribens: *Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellavit. Althamerus* à *Sala* fluv. dictos putat. Hi, Gallis expulsis, eorum sedes occupârunt, Franciamque de suo nomine appellârunt. Saliorum vestigium in tractu *Sallant* manet, in Transisalania, juxta Aam fluv. inter Isalam & mare Austrinum ad Occasum, & Westphaliam ad Ortum. *Baudrand.* Quibusdam *Salii*, vulgò *Oldenzeel* populus & oppid. German. in Transisalania regione inter Daventriam & Covordiam, in Teventia tractu, aliàs munitum. In ipso limite Westphaliæ. Item prisci Provinciæ populi, *Strabo*. Plin. *l.* 3. *c*, 4. *Mela*, &c.

SALIM, nomen loci, 1. Samuel. *c.* 9. *v.* 4.

SALIMBENUS de Salimbenis, Franciscanus Parmensis, scripsit, res in Italia suô tempore gestas, &c. Wadding. *in Annal. Minor.*

SALINACIDÆ, Vide infrà *Silmacidæ*.

SALINÆ, seu SALENÆ, *Ptol.* oppid. Albionis in Anglia, apud Verulamium, vulgò *S. Albans*: *Camdeno* verò *Salndy*. Item urbs Suetriorum, apud Alpes maritimas, in Gallia Subalpina, *Salutiæ* posterioribus & *Saluzzo* vulgò, teste *Verreriô*. Alias Vagiennorum

rum nunc Marchionatus Salutiæ caput. In colle, vix 2. milliar. à Pado, 10. milliar. à Fossano in occidentem, totidem inter Cuneum & Pinarolium, 18. ab Augusta Taurin. sub Sabaudiæ Duce olim *Augusta Vagienorum* etiam. Item oppid. Daciæ excisum in Transylvania circa Tibisci fontes, olim urbs clara, nunc pagus. *Sigeth*, teste Lazio. *Salinæ* quoque *Rutilio* locus erat Hetruriæ ad Cecinnam fluv. ubi sal conficiebatur.

SALINÆ, urbs Burgundiæ in Sequanis amplissima, vulgò *Salins*. Aliis urbs parva & culta, ad Foricam fluv. rapidum, 6. à Dola leuc. 6. à Vesontione. Olim munita, cum duobus castris. Sed A. C. 1668. à Gallis munitionibus & arcibus nudata. Cæterùm, hujus Dynastas Principum locò atque dignatione habitos olim, sunt qui affirment. Inter titulos gentis Austriacæ. Vide Bertium *Commentar. Rer. Germ. l.* 2. *c.* 3. & Cl. Pfannerum, *de præcipuis Germaniæ Principp. gentibus c.* 1.

SALINÆ Saxonicæ, dicitur Halla, urbs Saxoniæ.

SALINARUM Vallis, sive, *salsuginis* vel *salis* Græcè κοιλὰς ἁλῶν, vel ἁλῶν, in Paralipomenis *l.* 1. *c.* 18. *v.* 12. *Abisai verò, filius Sarviæ, percussit Edom in* Valle Salinarum *decem & octo millia, & constituit in Edom præsidium*: Epiphanio eadem est cum Mari mortuo vel lacu Asphaltite, *Hær.* 19. Ἔστι δὲ αὐτὴ νεκρὰ καλουμένη θάλασσα. Fortè occasione loci Gen. *c.* 14. *v.* 3. ubi Vallis mentio, quæ postea in Mare illud Mortuum conversa est. Alii vallem illam *Salsuginis* sive *Salinarum* ad Mare Mortuum ponunt, & revera faciunt vallem, à Mari ipsò diversam. Sed falluntur utrique. Tempore enim Davidis Regis non ampliùs illa vallis erat, quæ, Sodomis divinô igne consumtis, in Mare Mortuum versa est. Et vallis illa, in qua Idumæi profligati sunt, in Idumæa ipsa fuit, utpote in qua præsidium impositum memoratur. At Idumæa à Mari Mortuo procul absuit, quippe ab Ægypti Casio & lacus Serbonidis emensu incipiens. Dicta est autem *Salinarum* hæc vallis, vel à fontibus salinaceis, qui in ea Scaturiebant vel à Sale, qui effodiebatur. Alteram verò, vallem *Siddim* appellat Scriptura, quod nonnulli vertunt, *arvorum proscissorum vallem*; alii nomen Hebræum retinent, quasi proprium fuerit illius vallis, à multitudine agrorum arabilium denominatæ. Cœterùm quòd eadem S. Scriptura testatur, vallem hanc postea extitisse *Mare Salis*, non inde sequitur, illam cum *Salinarum Valle* eandem esse. Non enim illam ipsam *Salsuginosam* vel *Salinarum Vallem* appellat; sed in *Mare Salis* conversam esse dicit. Ita namque Scriptura vocat Mortuum Mare sive lacum Asphaltitem, non quòd salsus fuerit; nam bitumen salsum non est, nec salis naturam habet: sed eô sensu, quô *terram Salis* eadem appellat, quæ deserta est ac desolata. Lacum verò hunc nihil generare, non pisces, non aves habere aquis assuetas, nihil denique vivi sustinere, notum est. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 614. & suprà, in voce *Mare*, infrà quoque *Salmacidæ*.

SALINAS Franciscus, Hispanus, patre Thesaurariô Caroli V. genitus, visum amisit an. ætat. 10. quam calamitatem studiis levaturus, Latinè & Græcè doctissimus, Mathematicus porrò ac præcipuè Musices clarissimus evasit. Paulo hinc IV. & Ferdinando Duce Albano Vice-Rege tum Neapol. aliisque Magnatibus gratissimus. Tandem Salmanticæ, ubi Professor Musicæ aliquandiu fuit, obiit A. C. 1590. ætat. 77. auctor libri *De Musica*, in hoc artis genere magni habiti. Martialis quoque Epigrammata nonnulla Hispanicô metrô expressit. Thuanus *Hist.* Anton. Teissier. *Elog. P.* 2. Alii.

SALINATOR, apud Arnobium *adv. Gent. l.* 2. *Quid cybiarios*, Salinatores, *balneas — vannorum stirpianorumque vitores?* Papiæ est, *qui Salem facit*. Vetus *Inscr.*

LEPIDO. L. F. PROCVLO. SALINATORES.
CIVITATIS. MENAPIORVM. OB.
MERITUM. EIVS. SEPTIMINA.
P. REPONEND. CVRAVIT.

apud G. Elmenhorst. *Observation. ad Arnobium d. l.* In *Glossis* Philoxeni *Salitores* vocantur, Ταριχοποιοί, *Heraldo*, sed aliud hoc.

SALINATOR Marcus, vide *Marcus*.

SALINENSIS Archidiaconatus, unus est ex quatuor Ecclesiæ Vesontionensis. Britto *Philippid. l.* 10.

Atque Salinenses angusta in valle sedentes,
Desiccata quibus flammarum ardore ministrat
Lympha salem, puteis (mirabile) tracta duobus:
Unde Bisuntina sua condit edulia vallis.

In eadem regione est & Ledo *Salinarius*, vulgò *Lion le Saunier*, ut minus mirum sit Sequanos, seu Burgundiones *salsos* dici, *Bourguignons salez*. Sunt & *Salinæ*, in Lotharingia, prope Senonias Monaster. vulgò *Salme*, Comitivæ titulô illustres. Ibidem castrum *Salinarum*, ad Saliam fluv. à re nomen habet, vulgò *Chasteau Salin*, Vales.

de SALINGSLEVEN Adolphus, Equestris in Westphalia Ordinis Franconicâ cœteroquin præclaræ Nobilitatis Familiâ ortus, à Sigefrido Brunonis fratris sui in Episcopatu Mindensi successore, ob egregia in istum merita, prædia quædam nactus, etiam villam exstruxit, venationibus tantùm, ut præferebat, destinatam, atque ut haberet, ubi istis fessus quietem capesseret. Inde verò arx *Schawenburgum* surrexit, Comitatus cognominis initium, quô adjectis patriis *Salingslevis* aliisque prædiis Adolphum Mindæ ornavit Conradus Saliquus, A. C. 1130. Vide *Schawenburgum*.

SALINGSTADIUM, oppid. Franconiæ, ad Mœnum, 3. leuc. à Francofurto in Occasum, vulgò *Selgienstatt*, it. *Seelingen*: an à Salingis seu Saliis populis, an à Salagastro LL. Salicarum auctore dictum? Vide Cl. Ottonem JCtum. ad B. Rhenanum *Rerum Germ. l.* 3. *p.* 429.

SALINIACUS Bernardus, Vide *Bernardus*.

SALINUM, *Ptol*, Pannoniæ inferioris oppid. ad Danubium *Adom Lazio*, 5. leuc. à Buda in Euronotum, Altinium versùs.

SALINUM, apud Stat. *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 131.

—— Sæpe Deis hos inter honores
Cæspes, & exiguo placuerunt farra salino:

exigua capis est, seu vasculum minutis oblationibus dicatum de cujusmodi oblatione loquitur Horatius *Carm. l.* 3. *Od.* 23. *v.* 17.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia
Mollibit aversos Penates
Farre piô & saliente mica.

Unde *mola salsa*, item *sale condita*. Et sæpius occurrit eadem sententia, apud Ovidium aliosque Poëtas. Erant autem ex argento ditioribus. Hinc cùm omne aurum, argentum æsque signatum in publicum conferri juberet Levinus Consul, sola ista excepit: *Annulos sibi quisque & conjugi & liberis & filio bullam: Et quibus uxor filiæque sunt, singulis uncias auri pondo relinquant; Argenti, qui curuli sella sederant, equi ornamenta & libras pondo, ut salinum patellamque Deorum causâ habere possint.* Et Val. Max. *l.* 4. *c.* 4. *ex.* 3. *In C. Fabritii*, inquit, *& Q. Æmilii Papi, principum seculi sui domibus argentum fuisse confitear oportet. Uterque enim patellam Deorum & salinum habuit.* Utpote supellectilem maximè necessariam, in *tutelam mensarum*, ut *Statius* vocat: qua prom si careret mensa, in profanis olim habitum est, ut ex hisce *Arnobii l.* 2. verbis constat: *Sacras facitis mensas* salinorum *appositu & simulachris Deorum.* Quam in rem vide plura, apud Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.* & Chaborium *Commentar. ad Horatium Carm. l.* 2. *Od.* 16.

SALINUS, nomen Arcadis, qui ab Ænea in Italiam transvectus, juvenes Italos saltationem docuit.

SALINUS Bernardinus, Vide *Bernardinus*.

SALIOCANUS, Vide *Staliocanus*.

SALIPHYLAX, Anglus Auctor Genealogiæ Regum M. Britanniæ. A. C. 960. Pitseus, *de illustr. Angl. Script.*

SALIRE, Vide infrà *Salissatores*.

SALU Insula, *Ilha do Sal*, una ex insulis Capitis Viridis, sub Lusitanis, ubi salinæ magni proventus, 40. mill. pass. ab insula S. Nicolai in Ortum, 70. ab Insula S. Jacobi in Boream. Sed paucis habitatur.

SALIS Mare, Vide *Salinarum Vallis*.

SALIS *Ptolem* oppid. Hungariæ apud Dracum, 3. leuc. à Quinque Ecclesiis in Occasum, quot à Sigetho in Austrum *Selye*.

SALISA', regio, 1. Sam. *c.* 9. *v.* 4. Latinè, *trina*, *ternaria*, sive *principalis*, vel *principissa*, aut *ducissa*.

SALISBURGENSIS Ditio, in Bavaria inferiori sub proprio Archiepiscopo inter Austrum super Stiriam & Carinthiam ad Ortum, Bavariamque inferiorem & Comitatum Tirolensem ad Occasum Ibi Salisburgum urbs præcipua. Dein, Bertolgada, Lauffa & Gollinga. S. Rupertus primus Episcopus, obiit A. C. 623.

SALISBURGUM, aliàs *Juvaria*, & *Prædicum* quibusdam, ad fluv. Salzam, 13. leuc. German. à Passavio in Meridiem, 18. in Boream 20. ab Oenioponte in Cœciam, 36. à Praga in Meridiem Vide *Salisburgensis ditio*.

SALISBURIENSIS Johannes, Vide *Johannes*.

SALISBURIUS Rogerius, Vide *Rogerius*.

SALISI, populi Alpini, Bujis, Helvetiisque finitimi, quos Ceto Tauricæ gentis esse arbitratur.

SALISSATORES, Magorum quoddam genus, qui, dum eis membrorum quæcunque partes *salirent*, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari, prædicebant; Isidor. *l.* 8. *c.* 9. Hinc *Salissatio*, ipsa hoc pacto divinandi ratio, cùm ex palpitatione cordis, vel oculorum aut musculi alicujus, futura augurabantur. Unde apud Poëtam, *salit* aliquid, *in lævâ parte mamillæ*: & apud Theocritum *Idyllio* 3.

Ἅλλετ' ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός.
Salit oculus mihi dexter.

Quod omen non minùs auspicatum erat, quàm βόμβος seu tinnitus auris dextræ. Græc. παλμικὸν οἰώνισμα, quô titulô librum suum insignivit Melampus, Ptolemæo Philadelpho inscriptum, & Posidonius, apud *Suidam*. Vide Jos. Scaligerum *Ausonian. lect. l.* 1. *c.* 16. Dempster. *in Rosinum l.* 3. *c.* 8. 9. 11. &c. Sed & in Extispicina vox usitata. Statius *Theb. l.* 8. *v.* 178.

—— extis saliat quod Numen in extis.

I. e. vaticinatio Numinis, quæ in salientibus extis deprehendatur, exponente *Barthiô*: qui ex *Lutatio*, quoddam in extis signum, *Deum* appellatum esse, quoque adnorat *ad l.* 5. *v.* 175. Illud verò, *salire in leva parte mamillæ*, aliquando etiam de naturali motu ac palpitatione cordis simpliciter intelligitur, Unde Barthius idem verba Juvenalis *Sat.* 7. *v.* 159.

—— —— Læva in parte mamillæ
Nil salit Arcadico juveni ——

interpretatur, *cor non habet*, *ad Statium l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 210. &c.

SALISSO, oppid. inter Treviros & Argentoratum, *Antonin.*

SALITOR, Vide suprà *Grammaticus*.

SALIVA, ad Medicos Magicosque usus Veteribus multum adhibita, memoratur. Plinio *l.* 28. *c.* 4. *Hominum verò inprimis jejunam salivam contra serpentes præsidiô esse docuimus. Sed & alia despuimus Comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus. Simili modô & defascinationes repercutimus, dextræque claudicatis occursum. Veniam quoque à Deis spei alicujus audacioris petimus, in sinum spuendo. Eadem ratione*

tiane terrâ despuere prædicatione, in omni medicina mos est &c. ubi quod de Comitiali morbo inter alia habet, confirmatur ex Plauto *in Captivis*, *Actu* 3. *sc.* 4. qui hunc morbum periphrasi istâ, *qui insputatur morbus*, propter hoc ipsum designat: quod de serpentibus, illustratur ex iis, quæ diximus suprà, ubi de *Pariana*. Vide plura hanc in rem apud Voss. *de Idolol.* *l.* 3. *c.* 29. & infrà, ubi de *Sputo*.

SALIUNCA, Autrigonum urbs in Hispania Tarraconensi *Ptol.* Hodie fortè *Orduna*, in Biscaja, in Mediterraneis 9. leuc. à Flaviobriga in Meridiem. *Brietius.*

SALIUNCA, herbæ genus, quæ *Orci tunica* dicta, adeoque ipsissima nardus montana est. Vestibus interponi solitam, odoris gratiâ, Plin. tradit *l.* 21. *c.* 7. *Tantæ suavitatis, ut metallum esse cæperit*: (i. e. ut in vectigali ac reditu publico censeatur non aliter, quàm metalli fodina) certè *vestibus interponi eam gratissimum, sicut apud Græcos polion herbam, in tantum Musæi & Hesiodi laudibus, ad omnia utilem prædicatam.* Theophrastus ad tineas enecandas id fieri tradit. Orci verò *tunicam* hanc herbam dictam esse, notat Servius *ad illa Virgil. Ecl.* 5. *v.* 17.

Puniceis humilis quantum saliunca *rosetis.*

Nempe tunica, qualem gessêre Romani sine manicis, ejusdem fermè cum sacco figuræ; *Colobium* posteà dictum est. *Ruffinus* colobia seu tunicas Monachorum, quasi saccos lineos esse dicit: & *Hieronym.* *tunicas saccineas* ac *saccos* vocat, quibus operiebantur Monachi in Ægypto. Ejusmodi prorsus radix, quæ sacci habet instar vel tunicæ, ac sub terra est, non ineleganter *Orci tunica* est appellitata: Græcis quoque *θυλακῖτις* & *πηρῖτις*, ab effigie *sacculi* vel *peræ*. In coronis eandem herbam adhibitam, è *Lucano* & *Martiali* discimus &c. Plura hanc in rem vide apud Salmas. *ad Solin.* *p.* 1066.

SALIX, antiquissimis temporibus in coronis locum habuit. Et quidem cùm eo tempore coronæ vinculi tantùm usum præbuerint, quippe capiti inter convivialem lætitiam adstringendo primitus repertæ, ex Amerina *salice* nexæ coronæ placuerunt, donec sequiori ævô, crescente luxu, ludibriô haberi, & quòd nexibus tantum ac vitilibus esset idonea, *coronamentum rusticorum* appellari salix cœpit. Ejusmodi tamen coronâ Megisthen usum fuisse totos decem menses, Anacreon tradit *Comm.* *l.* 2. Imò ejus usum apud Samios durâsse, usque ad Polycratis ætatem, refert Athen. *l.* 15. qui priscum id coronamenti genus Carum fuisse, occasione statuæ Junonis, cùm apud ipsos fugam meditaretur, longissimis salicis ramis implicitæ, addit. Cœterum *ἱερὴ ἰτέη*, *sacer stipes*, Apollonio Rhodio hæc arbor dicitur *l.* 4. Et Scythæ olim *ῥάβδοισι ἰτεΐνῃσι*, *virgis salignis*, inprimis in divinatione utebantur, teste Herodotô *l.* 4. ubi grandes virgarum hujusmodi fasces humi positos dissolvisse ac separatim ponentes illarum singulas, vaticinatos, dein eas iterum convolvisse atque in unum composuisse, more à Majoribus tradito, narrat. Tradit tamen Plut. Homero eam fuisse *frugiperdam*, *quod ocyssime amittat semen; secutamque ætatem scelere suo interpretatam esse hanc sententiam, quando semen salicis mulieri sterilitatis medicamentum esse constat*, *l.* 16. *c.* 26. ubi plura de hac arbore. Vide quoque eum *l.* 16. *c.* 40. ubi inter arbores scutis faciendis, quorum plaga contrahat se protinus cluditque suum vulnus & ob id contumaciùs transmittat ferrum, idoneam *salicem* quoque recenset: ut & suprà voce *Crates*, *Laqueus*, *Osanna*, *Palma* ac infrà, ubi de *Vimine*.

SALLANDIA, pars ampla & media Transisalaniæ, inter Drentiam ad Boream, & Teventiam ad Meridiem, ubi Daventria, Campena, Swollia, & Stenovicum.

SALLEM, fil. Nephthali, Gen. *c.* 46. *v.* 24. qui & *Sallum*, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 13.

SALLIS *Antonin.* est *Ptolemæi Sala.* Vide ibi.

SALLUNTUM, Dalmatiæ urbs, *Antonin.*

C. SALLUSTIUS, insignis Orator & Historicus Romanus, natus Amiterni, hodie *S. Vittorino*, Romæ muneribus amplissimis defunctus est. Ut egregiis de Virtute sententiis usus, sic gravissimè in luxum & avaritiam invectus est. Interim ob luxum Senatu motus ipse à Censoribus, & in adulterio à Milone deprehensus, fustigationem & mulctam gravem evitare non potuit, A. Gell. *l.* 1. *c.* 15. & *l.* 17. *c.* 18. Præterea sordidus planè, prodigusque simul fuit, ut ex *Satyra Lenæi* Cicero *Oration. contra Sallust.* ostendit: postmodum tamen à Cæsare restitutus, Senator denuò & Prætor factus, missusque in Numidiam, cui præesset, tyrannicis exactionibus populis gravis fuit: indeque redux tantas secum opes duxit, ut splendidissimas ædes, in monte Quirinali, cum hortis hodieque *Sallustianis* dictis, sibi compararet. Terentiam à Cicerone repudiatam duxit, Obiitque an. 719. Urb. Cond. 85. Olymp. Scripsit *Historiam*, *ab Urb. Cond.* cujus fragmenta solùm supersunt: dein *Conjurationem Catilinariam*, & *bellum Jugurthinum*, quæ duo habemus. Quidam ipsi, cum Asinio Pollione, exprobrant cacozeliam Originum Catonis, alii tanquam vocum novatorem illum habent, nonnulli nimis audaces metaphoras, & Græcismos ipsi cum Suetonio objiciunt. Horum quidquid sit, velut primus Historiæ Romanæ auctor meritò magni habetur: Martial. *in Apophoret.* *l.* 14. *Epigr.* 191.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus Romana primus in Historia.

Vide Dion. *l.* 42. & 43. Voss. *de Histor. Lat.* *l.* 1. *c.* 15. Mutuas perpetuò gessit inimicitias cum Cicerone. De quo nos alibi. *Nic. Lloyd.* Habuit cognominem nepotem ex fratre, cui Horatius Odas suas inscripsit, cujusque meminit Seneca, *de Clem.* *l.* 1. *c.* 10. Tacit. *Annal.* *l.* 1. *c.* 6. & *l.* 3. *c.* 30. Plin. *l.* 34. *c.* 2. &c. *Nic. Lloyd.* Vide & infrà.

SALLUSTIUS, Episcopus Hierosolymitanus post Martyrium, A. C. 485. Obiit A. C. 492. Ei Elias Arabs successit. Baron. *in Annal.*

SALLUSTIUS, Philosophus, scripsit librum de Diis & Mundo, quem primus è tenebris eruit, Græceque ac Latinè edidit doctissimus Leo Allatius, A. C. 1638.

SALLUSTIUS Crispus, Equestri locô ortus, à C. Sallustio rerum Romanarum auctore in nomen adscitus, utpote ejus sorore genitus. Qui Mæcenatem æmulatus, sine dignitate senatoria, multos triumphalium Consulariumque potentiâ, apud Augustum & Tiberium, anteiit, nitidus copiaque & affluentiâ propior luxui. Igitur incolumi Mæcenate proximus, mox præcipuus, cui secreta Imperatorum inniterentur & interficiendi Posthumi Agrippæ conscius: ætate provectâ, speciem magis in amicitia Principis, quàm vim tenuit. Obiit M. Valeriô & M. Aureliô Consulib. *Augusto Cæsari amicum* Plinius vocat, *l.* 34. *c.* 2. Ad eum est Horatii Ode 2. *l.* 2. Ubi, sis, vide Marcilium.

SALLUSTIUS Gulielmus *de Bartas*, à prædio hæreditario Majorum ad se delato dictus, *Poëmate Gallicô de Creatione Mundi* editô tantum sibi gloriæ concivit, ut intra 5. an 6. annos tricies editio redintegrari necesse haberet. Cœterùm laudatus ab his, culpatus à P. Rapino, Cardin. Perronio, Aliis. Vide Scævolam S. Marthæ, Anton. Teissier *Eloq.* *P.* 1. & suprà voce *Bartasius*.

SALLYES, seu SALYI, & SALYES, Plinio *l.* 3. *c.* 4. *Salvii* Livio, *l.* 21. *c.* 26. *Saluvii Marcellino*, populi Galliæ Narbonensis, quorum metropolis Aquæ Sextiæ, *Strabo*. Habebant sedes à mari Gallico sive urbe Massilia, usque ad fluvium Druentiam: dicunturque Floro *Epit.* *l.* 60. *Transalpini Ligures*, posterioribus *Gallo-Ligures*, quô nomine Massilienses quoque olim veniebant. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall. in voce Aquæ Sextiæ Salyorum.*

SALMA, oppid. amplum Lotharingiæ, cum castro, intra Vogesum montem, in limite Alsatiæ inferioris sub proprio Principe. Quibusdam est *Salmona*, 8. leuc. Gallic. ab Argentorato in Occidentem, 14. à Marsalio in Eurum, 20. à Nancejo in Ortum. Caput regiunculæ cognominis. Principum stemma ad stirpem Bullionæam refertur, namque & regni Solymorum insignia, novem cruces, insignium locô habent. Comitatus autem Salmensis, per nuptias Felicitatis, Henrici filiæ, in hanc domum illatus est. Primus à Ferdinando II. Imperatore Salmensis Princeps creatus est Philippus Otto, A. C. 1623. cujus filius Leopold. Philippus Carolus, A. C. 1654. ad sessionem & votum in Senatu Principum Imperii est admissus. Vide Limnæum *de Jure Publ.* Cœterùm duplicem *Salmam* habent, qui Gentis hujus originem indagant, Ardennatem & *Novam Salmam* seu Lotharingicam, quam Henricus II. ex posteris Caroli I. à Marcomiro Francorum Rege Austrasiæ Præfecti constituti, oriundus condidisse dicitur; Pater Henrici III. qui stirpem clauserit A. C. 810. vel 812. relictâ filiâ & hærede Hedvige. Per quam, cùm nupsisset Henrico IV. Sadigeri Principis Ardennatis filio, Friderici ex Mosellanicis (juxta aliquos, agnatis Caroli M.) & Felicitatis *Salmensis* (quæ Hedvigis amita) nova gens *Salmensis* prognata sit. Hedvigis enim & Henrici abnepos Theodoricus ex Berta Blamontana suscepit Henricum VI. & Carolum, quorum illi *Salmam* Lotharingiæ, isti Ardennæ hæreditate dicunt obtigisse, adeoque à priore *Salmensem* in Lotharingia gentem prodiisse. Ex ea Johannes V. Johannem VI. & Simonem, suscepit, quorum hic filiam genuit Joannam, à qua Johanni Comitum Sylv. & Rheni nupta pars Comitatus *Salmensis*, cum titulo, huic familiæ illata, nunc quoque in ea hæret, unde ramus Principum *Salmensium*, cujus *γενεαλογίαν* exhibet Spenerus *Theatr. Nobil. Europ.* *part.* 2. Ille verò, nempe Johannes VI. filium habuit, Johannem VII. patrem Nicolai & Johannis VIII. quô nati Johannes IX. & Paulus, lineam terminavêre. Pauli verò filia Christina, Franc. Lotharingo Comiti Valdimontio marito, omnia reliqua in Lotharingia bona *Salmensia* attulit. Sed Nicolaus, Austriæ Capitaneus, qui fideli operâ Ferdinando I. Imperatori navatâ, in Viennæ obsidione, vulnere acceptô extinctus est, novus auctor fuit Comit. *Salmæ* & Neoburgi ad Oenum, de quibus idem Auctor *part.* 3. agit. Carolum quod concernit cui *Salmam* Ardennensem diximus obtigisse; is ab Imperatore Henrico II. perhibetur, Othone ultimô Carolinorum mortuô, Lotharingiam inferiorem obtinuisse; dein superiorem etiam occupâsse, sed pulsus à Gozelone, Lucilburgensem ditionem retinuisse. Filium ei assignant, qui Limburgi Comes fuerit, nepotem Henricum, qui Ducis axioma nactus sit, patrem Henrici (Lusitanorum secundùm quosdam Satoris) & Walrami cognomine *Pagani*. Huic filii dantur Henricus & Fridericus, cui ortum debent reliqui Ardennatis *Salmæ* Comites, morte Henrici VIII. qui agnatam Johannam Reifferscheidiam hæredem testamentô nullitati dixit, extincti. Unde, licèt gener ejus, Otho Raugravius (qui tamen nullam ex Henrici filia Maria prolem suscepit) Comitatum voluerit retinere, A. C. 1455. in Curia Lucilburgensi latâ sententiâ eam Reifferscheidiis restituere est coactus. Referebant autem hi originem ad Henricum prædictum, Friderici fratrem, utpote Patrem alterius Henrici (à quo reliqui Limburgici & dein Lucenburgici Duces atque Comites) & Gerlaci vel Gerbardi, qui *Dominus Reifferscheidii* dictus hunc titulum ad posteros propagavit: in quibus sextô gradu Johannes, ut dictum, agnati testamentô, *Salmensem* in Ardenna Comitatum obtinuit, & reliquos Comites *Salmæ* ac Reifferscheidii, qui nunc quoque superant, proseruit. Vide eundem *Part.* 3. *p.* 3. & *p.* 85.

SALMA, Arabiæ Desertæ & Felicis tria oppida, *Ptolem.*

SALMACIDÆ Aquæ, apud Plinium *l.* 31. *c.* 3. ubi de aquis: *Ante omnia autem damnantur amaræ; & quæ sorbentem* (l. *sorpta*) *flatim implent: quod evenit Trœzene: nam nitrosas atque* Salmacidas *in desertis Rubrum Mare petentes additâ polentâ utiles intra duas horas faciunt, ipsoque vescuntur potentâ*: Legendum, *Salmacida*; cujusmodi aquæ non sunt simpliciter *αἱ ἁλμυρώδεις* aut *ἁλυκώδεις*, ut Græci vocant fontes salsos, sed acidæ simul ac salsæ, acidæ nitrum. salinæ. Quâ mixturâ fontes reperiri, qui utrumque saporem præferant, idem testatur: *Aliæ sulphuris, aliæ salis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnulli etiam acida salsave mixturâ* &c. Aliud est *salmacium*, quod Auctor *Glossarum* cum *salinacida* perperam confundit; illud enim simpli-

simpliciter est ἁλμυρόν, à salsis, hoc verò ὀξάλμη dicatur vel ὀξάλμυρος, ex acido & salso compositum. Quemadmodum & dulcacidum, γλυκύξινον, in Glossis occurrit. Salmas. ad Solin. p. 115.

SALMACIS, oppid. olim & fons Cariæ apud Halicarnassum urbem, qui bibentes molles & obscœnos ac effeminatos facit. Ovid. Met. l. 15. v. 319.

Cui non audita est obscœnæ Salmacis unda?

Cujus rei rationem poëtæ ad hujusmodi fabulam referunt. Salmacidem Nympham scil. fuisse fonti huic præsidentem, quæ Hermaphroditi, Mercurii & Veneris filii, pueri formosissimi, amore capta, cùm nullis eum blanditiis ad concubitum posset adducere, simulatò discessu sese post vepres occultavit: cumque vidisset illum, qui solum se esse existimabat, positis vestibus, fontem ingressum esse, subitò accurrens, abjectis indumentis arctissimè eum complexa est. Verùm cùm ne sic quidem obstinatum juvenis animum posset inflectere, à Superis dicitur petiisse, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur. Quibus precibus vix finitis, ambo unum in corpus coaluerunt, ita tamen ut sexus uterque remaneret integer. Quam corporis sui mutationem cernens Hermaphroditus parentes suos dicitur invocâsse, & ab iis summi muneris locô petiisse, ut ea fonti natura maneret, ut qui vir eum ingrederetur, ἀνδρόγυνος, h. e. utrumque sexum habens, inde exiret. Quô commentô arctissimum Conjugalis amoris nexum Poëtæ innuere sine dubiô voluerunt, Ovid. Met. l. 4. v. 285.

Unde sit infamis, quare male fortibus undis
Salmacis enervet, tactosque remolliat artus,
Discite. ——— ———

Hinc spolia sine labore parta Salmacia dicuntur. Nic. Lloydius.

SALMAN, Rex quidam, de quo Hoseæ c. 10. v. 15. Latin. profectus, pacificus, aut retribuens.

SALMANA, Rex Madian. Judic. c. 8. v. 6. Latin. umbra prohibita, aut umbra, vel imago commotionis, vel tinnitus commotionis, vel submersio prohibitionis, aut commotionis.

SALMANASAR, fil. & successor Theglat-Phalasaris, Assyriorum Rex, magnô comparatô exercitu pugnavit contra Samariam, quam cepit, Hoseamque regem Samariæ tributarium fecit: Post aliquot annos, cùm nollet Hoseas amplius tributum persolvere, iterum venit in Samariam Salmanasar, quam post tertium obsidionis annum cepit, ac decem tribus in Assyriam abduxit, annô nonô rebellionis Hoseæ, qui erat annus mundi 3213. ante Christum natum 749. Alii habent, A. M. 3314. Hunc finem habuit Regnum Israël, quod 242. annos steterat sub 17. Regibus. Vide l. 2. Reg. c. 17. & 18. Joseph. l. 9. c. 15. Obiit A. M. 3318. Successit ei fil. Sennacheribus 2. Reg. c. 17. Latin. pax, perfectio, aut retributio ligata, vel pax, perfectio, sive retributio nunc ablata, vel nunc recedens. Nic. Lloydius. Juxta Marshamum, Salman-ahar, quem cum Nabonassare Babylonis Rege malè confundunt nonnulli, Regnum Israëlis subvertit annô 12. Nabon. quò postea nepos ejus Assar-haddon, Rex Ninivi simul & Babylonis, colonos deduxit, Esdr. c. 4. v. 2. contra Tyrios missô exercitu totam Phœnicen invasit, cui se Sidon, Ace, aliæque urbes dediderunt: à Tyriis verò classe victus, custodiis ad fluvios positis, illos aquatum ire prohibuit, qui proin per integrum quinquennium ex effossis puteis se coacti sunt sustentare. Quo tempore Aradus quoque insul. ἐνῳκίσθη, h. e. habitatoribus occupata fuit, Euseb. ad ann. 3. Olymp. 7. Regnavit annos 25. Salmana quoque, Hoseæ c. 10. v. 14. & Enem-assar, in Tobia Græco, dicitur. Vide Fragm. Menandri ex Tyriorum Archivis apud Josephum Jud. Ant. l. 9. c. ult. & Joh. Marshamum Canone Chron. Sec. XVII.

SALMANTICA, quæ SALMATIS Polyæno l. 7. c. 48. nunc Salamanca urbs & Academia Hispaniæ Tarraconens. in finibus Vettonum. Elmantica Polybio, & Helmantica Liv. Sed hæc in Vaccæis Baudrand. Urbs est Regni Legionis, ad fluv. Tormes, satis ampla & magnifica. 10. leuc. à Sentica in Meridiem, 24. à confinio Portugalliæ in Ortum, 22. à Vallisoleto in Africum, Rodericopolim versus 3.

SALMANTICA Nova, urbec. novæ Hispaniæ in parte Australi Jucataniæ, prope oram Sinus Honduræ.

SALMASIUS Claudius, Criticus doctissimus, JCtus & Orator insignis, fil. Benigni, Senatoris Parlamenti Divionensis, ex matre puriorem religionem hausit, cum lacte: Studiis dein admotus, tam stupendos in iis fecit progressus, ut vix decennis Græca Latinaque carmina feliciter conderet. Exin Parisiis, Heidelbergæ alibique versatus, Burdigalam se recepit, uxore ibi ductâ. In Academiam Parisiensem & Oxoniensem, amplissimis promissis invitatus, ut & alia in loca, Hollandiam prætulit, & Academiam Lugdunensem per annos aliquammultos illustravit. Inde tamen à Sueciæ Regina Holmiam se pellici passus, ibi æstatem integram transegit. In Belgium postea redux, cum uxorem ad Spadanas aquas comitaretur, obiit A. C. 1652. operibus egregiis famam adeptus immortalem. Vita ejus in fronte tractatuum posthumorum, cum elogiis, extat.

SALMEDINA, Cæsaraugustæ nomen est Magistratus, Prætori urbanô apud Romanos aliquâ ex parte respondentis, ut videre est apud Hieron. Blancam Ep. Dedicator. ad Commentarium de Rebus Aragon. Vide eundem ibid. p. 638. ubi ab Alfonso Rege novæ urbi hunc Magistratum præpositum, & Arabicô nomine retentô, sic dictum esse, ait: ut & infrà Zavalmedina.

SALMENI, gens solitaria. Steph.

SALMIAS, nomen viri. Esdr. c. 10. v. 39. Latin. pax, perfectio, aut retributio Domini.

SALMON, fil. Nahasson, Ruth. c. 4. v. 21. qui & Salma, 1. Paral. c. 2. v. 11. Princeps tribus Juda, post captam Hierichuntem, ex Rahaba, uxore ductâ, suscepit Boozum, maritum Ruthæ, avum Davidis: qui omnes inter Christi progenitores, secundùm carnem. Matth. c. 1. v. 2 Latin. pacificus, perfectus, aut retribuens. Vide quoque Salmanasar.

SALMON, civitas Cretæ maritima. Actor. c. 27. v. 7. Græcè Σαλμώνη Hinc Salmonium, promont. Cretæ. Dionysius,

Ἐν δ' ἔθεν Σκυλλαῖον [illegible]
[illegible] Σαλμωνίδος [illegible]
[illegible]

SALMONA, fluv. Gall. Belgic. parvus in Mosellam influens, inter Celbim & Lesuram. Salm hodie Scaligero. Ausonius in Mosell. v. 366.

Nec fastiditis Salmona usurpa fluores.

SALMONA, locus in quo castrametati sunt Israëlitæ profecti de monte Hor. Numer. c. 33. v. 41. Latin. umbræ numus, vel numerus, sive tinnitus numeri, vel muneris, aut imago nostra. Vide & Salma.

SALMONE, urbs Pisatidis, & fons cognominis à Salmoneo Rege. Steph.

SALMONE, oppid. & fons Peloponnesi, unde Enipeus fluv. oritur, in Alpheum ab Olympia 40. stad. influens, quæ Salmonis dicitur Ovidio l. 3. Amor. Eleg. 6. v. 43.

Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus

SALMONEUS, Æoli fil. non Regis ventorum, inquit Servius, sed cujusdam apud Elidem, ubi regnavit, qui cum regia majestate contentus non esset, conatus est se Deum suis ostendere, & fabricatô æneô ponte sublimi, adeò ut Elidis partem desuper tegeret, super eo agitabat currus ad imitanda tonitrua, & in quem jaculatus esset facem, eum jubebat occidi. Ob quam superbiam Jupiter iratus, eum verò fulmine ad inferos detrusit, Virg. Æn. 6. v. 585.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis & sonitus imitatur Olympi:
Quatuor hic invectus equis & lampada quassans,
Per Graijûm populos mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, Divumque sibi poscebat honorem;
Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen,
Ære & cornipedum cursu simulârat equorum.

Hunc Didymus in Homerum ἀσεβῆ vocat. Hesiodus ἄδικον & ὑπέρθυμον, Galenus παραπλῆγα, h. e. vecordem. Sed insaniam ejus quis non attigit? Suidas de illo: Machinâ quâdam fulgurabat, tonabat, populi animos conturbabat. Val. Flacc. l. 1. v. 662.

Salmoneus nondum ille furens, cùm fingeret alto
Quadrifidâ trabe tela Jovis.

Ipse de se Antholog. l. 2.

——— Βροντῶν ἐς Διὸς ἀστεροπὴν,

Didymus illum facit [illegible]. Siccis coriis hoc fieri docet Nazianzenus Orat. 2. contra Julianum, Σαλμωνεύς [illegible]. Aliter Homerus de illo sentit, nam vocat ἀμύμονα, inculpatum, aitque Eustath. Salmoneum expressisse fulmina, non ut esset in Jovem impius, sed, ut artifex egregius, quemadmodum Archimedes finxit urentia fulgura ex speculis, & alius quidam terræ motus est imitatus. Nic. Lloydius.

SALMONIACUM, seu SALMUNTIACUM, villa olim publica Gall. Belgic. proxima Lauduno 1 ubi Carolomannus obiit. Vulgò Samonci aut Samoucy.

SALMONIS Saltus, Gyraldo dicitur locus in Dimetis, Britanniæ Insul. regione, ubi Tivius fluv. ad Kilgaran, à Gyraldo munitum, lapsus ex alto præceps ruit, quòd salmones (piscium majorum genus) interiora fluminis ex Oceano petentes, cum obstaculum hoc occurrit, caudam ad os replicant, interdum etiam ad majorem saltus efficaciam caudam ipsam ore comprimunt, dumque à circulo hujusmodi se resolvunt, cum impetu quodam, tanquam virgæ circulatæ explicatione, se ab imis ad alta, cum intuentium admiratione, transmittunt. Unde scitissimè Ausonius in Mosell. v. 97.

Nec te puniceô rutilantem viscere salmo
Transierim, latæ cujus vaga verbera caudæ
Gurgite de medio summas referuntur in undas.

In ejusdem Insulæ Brigantibus, Lonus fluv. vulgò Lune, ex Westmorlandiæ montibus cadens, accolas æstivis mensibus ejusdem piscis opimâ piscatione ditat. Sed Banna Hiberniæ fluv. Salmonibus totius Europæ fœcundissimus longè, eo quòd omnium fluviorum, ut aliqui existimant, sit limpidissimus, cujusmodi aquis unicè ii pisces delectantur. Vide Guil. Camdenum in Britannia passim, & infrà in voce Scotia. In Sinici Imperatoris Kiangsia provinc. vim ingentem piscium, salmonum præcipuè, quorum unus 160. libras pendens, sex Juliis regalibus Hispanicis quandoque ematur, reperiri, tradit Auctor Anonymus Sina & Eur. c. 42. plura de hoc pisce, vide apud Vossium de Idolol. l. 4. c. 3. 22. 29. 31. præter auctores, qui de Piscibus scripsere.

SALMONIUS Macrinus, Laudunensis, floruit seculô præteritô, discipulus Jacobi Fabri Stapulensis, præter sublimium maximè rerum notitiam, in Latinâ inprimis poësi inclaruit. Admotus educationi Claudii Corn. de Tende, & Honorati, filiorum Renati Sabaudi, Ticini mortui, postea Bellajorum amicitiâ usus est. Scripsit va-

riis inclytus, obiit A. C. 1557. Pater duorum filiorum, quorum major natu Catharinæ Borboniæ, sororis Henrici IV. præceptor, cum Admirali Colinio, in lanienа Parisiensi, ob veram fidem, trucidatus est. Paul. Jovius, *in elog.* Scævola Sammart. *l.* 1. *elog.*

SALMOS, oppid. Bœotiæ fuit: Incolæ *Salmonii. Steph.*

SALMUNTIACUM, Vide *Salmoniacum.*

SALMURIUM, urbs amœnissima provinc. Andegavensis, cum arce permunita in colle, & ponte ad Ligerim, non admodum vetus, & vix ante ann. 600. condita: Dicta videtur quasi *Salvus murus*, sedetque inter duos fluvios Toëdum & Ligerim jamjam coituros. 8. leuc. ab Andegavo in Ortum, 16. à Cenomano in Meridiem, Duracium versus 6. Gall. *Saumur.* Salmuriensis Archipresbyter unus ex 5. fuit Ecclesiæ Andegavensis, qui Salmurii & Doadii *Doué*, vel apud Genas, alterum locum ex ambobus intrà 8. dies eligere jussus, causas & placita audiebat. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.* Ibi Academiam Reformati habent celebrem, quorum Disputationes Theol. ibi habitæ 2. tomis in quart. Genevæ prodierunt.

SALMUS, *mœnis*, Asiæ urbs, ad mare rubrum: ubi Alexander M. ludis interfuit Theatralibus. Diodor. Sic. *l.* 17. parte posteriore, Gedrosiæ apparet, ex *Plutarcho*: Carmanniæ, ex *Arriano.* Sunt autem collaterales hæ regiones.

SALMYCA, urbs juxta Herculis columnas, *Steph.*

SALMYDESSUS, sinus Ponti. *Steph.* ad quem sæpe naufragia contingunt. Hic Thraces insidias mercatoribus struunt. Strabo *l.* 7. ait Salmydessum esse littus: alii fluv. esse volunt, ut *Sophocles & Lycophronis interpretes*, *Plin.* verò oppidum. Straboni assentitur *Xenophon Anabas. l.* 8. de Salmydesso: Τόπος δὲ ναῦς ἐστιν ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάττης At Æschylus *in Prometheo*, in dextro Ponti latere Salmydessum constituit. Sic enim ille,

—— —— Ἵνα
Τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία γνάθος
Ἐχθρόξενος ναύταισι μητρυιὰ νεῶν.

Scribitur & *Halmydessus. Stagnara* hodie ex *tabul. recent. Nic. Lloyd.*

SALO, fil. Mosullam. 1. Paral. *c.* 9. *v.* 7. Latin. *canistrum, exaltatio*, sive *conculcatio*, aut *æquiparans.*

SALO, *Strab.* *Salonæ* Cæsari *l.* 3. *Bell. Civ. c.* 9. ac *Ptol. Salona* Plinio *l.* 3. *c.* 22. & Melæ *l.* 2. *c.* 3. urbs Dalmatiæ in colle, in ora litorali, excisa, secessu Diocletiani olim nobilis. *Salona* adhuc *Sophiano*, *Spalatro* aliis. Lucan. *l.* 4. *v.* 404.

Quà maris Adriaci longas ferit unda Salonas.

Colonia Martia Julia Salona vocatur in antiquâ inscriptione. Hodie apud ejus rudera excitatum est castrum *Salona*, ad ostium amnis cognominis 5. milliar. in Boream ab urbe Spalato, quæ ex ejus ruinis crevit, vix 100. à Jadera in Eurum. Sub Turcis *Baudrand.* Populi *Salonenses*

SALO, onis, fluv. Hispaniæ Tarraconens. per Celtiberos in regno Arragonio apud Bilbilim urbem fluens, ac in Iberum influens. Hodie *Xalon.* Martial. *l.* 10. *Epigr.* 20. *Baudrando* oritur in Castella veteri ubi Methymnam cœli rigat; dein per Aragoniam fluens, auctus Mesâ, Xilocâ & Bilbili, fluviis minoribus urbes Bilbilim, Riclam & Placentiam rigat: tandem 1. leuc. infra Alavonam Urbec. in Iberum se exonerat, 4. leuc. supra Cæsaraugustam.

SALOBRIASÆ, populi circa Indiam. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

SALOCA, oppid. Norici olim, nunc *Selch*, vicus Carniolæ superioris ad radices montium, inter Dravum & Savum, *Cluver.*

SALODIUM, oppid. agri Brixiensis, amplum, elegans, mercimoniis clarum, ad Benaci ripam Occidentalem inter Brixiam & Tridentum; *Salo.*

SALODORUM, SALOTURUM in *veter. inscript.* urbs antiquissima, hinc *Trevirorum Soror* dicta, Helvetiorum, in provincia Maxima Sequanorum *veter. Notit.* Ejus primus meminit *Antoninus*, qui eam à Petinesca 10. mill. pass. & ab Augusta Raurac. 25. distare ait: *Cluverius* tamen, apud *Ptolemæum* pro *Saloduro* Ganodurum vitiosè legi existimat. Unum fuisse ex 12. Helveticorum oppidis, quæ ab his, expeditionem contra Romanos molientibus, incensa: postea restitutum vicum magnum evasisse, sub Maximiano dein Imperatoris castrum factum esse, refert *Guillimannus.* Antiquitatem certè non cocti solùm lateres varii coloris, & rudera per ambitum reperta, sed etiam veteres inscriptiones, inter quas una Deæ Eponæ Heliogabali fortè tempore, facta, hodieque visitur, ostendunt. Fuit sub Romanorum imperio, per annos 500. à Julio Cæs. usque ad Valentinianum III. & Martianum Imperatores, quò tempore peculiaris, sicut in arce Thuricensi, ita Saloduri, Præfectus sedem habebat. Postea Allemannicis, Hunnicis, Francicisque bellis, in Galliam inclinante imperiô, hæc quoque urbs cum pluribus aliis vastata: Cæterum Francis rerum potitis, denuo instaurata, non exiguâ tunc inter minoris Burgundiæ urbes famâ, sub Burgundiæ Franciæque Regibus, usque ad Capevingos, & Episcopatui Genevensi subdita est. Sub Germanis dein Imperatoribus A. C. 921. semper fuit in numero urbium Imperii, Henrico I. Imperatori cum Constantiensibus & Augustanis, contra Obotritos Hunnosque, in Saxonia, auxiliata, ductu Hermanni Sueviæ Ducis, sic tamen, ut præcipuis immunitatibus frueretur collegium Canonicorum, cujus eadem pariaque cum Tigurino privilegia traduntur. Advocatia Urbis, sicut & aliarum in Helvetia Imperii urbium, fuit penes Duces Alamanniæ, cui tota Argovia seu pagus Arolensis unà cum pago Tigurino tum accensita est. Cum Bernatibus antiquitus ab A. C. 1291. fœdus, amicitia & commilitium huic urbi fuit: cui ab Austriis obsessæ, quòd Ludovici Bavari partes sequeretur, ob id à Pontifice excommunicata, illi 400. militum præsidium misêre. Bellô dein adversus Kyburgium Comitem proditione unius è civibus, non parvam cladem accepit. Post hæc A. C. 1351. cum Alberto Archiduce Tigurum obsedêre, perpetuô cum Bernatibus cives fœdere initô, cæterorum etiam fœderatorum amicitiam magnâ fide coluerunt. A. C. 1382. parum abfuit, quin à Rudolpho Comite Kyburgio & Diepoldo Comite Neocomensi, proditione Canonicorum quorundam, noctu urbs opprimeretur: unde contra Kyburgios bellum, quò multa iis ope Bernatum erepta. A. C. 1400. cum Basileensibus fœdus ferierunt: A. C. 1415. in Argovia occupanda operam Bernatibus navârunt egregiam. Iterum cum Bernensibus & Basileensibus instauravêre fœdus A. C. 1441. in annos 20. Bellô dein Austriacô, quò Leopoldus cæsus est, finitô, partibus conditionibus ac cæteri Confœderati, pacem & fœdus cum Austriis fecerunt: demum verò finitô Burgundicô bellô, in quo fortiter & strenuè se gessere, unà cum Friburgus in Pagorum numerum, A. C. 1481. cooptati sunt, inter quos undecimum hodieque tenent locum. A quo tempore communia ipsis cum reliquis Helvetiis bella fuêre. Sedet urbs ad Arolam fluv. 5. milliar. German. à Berna in Boream, media inter Basileam & Friburgum, 8. leuc. utrinque. Divisa in majorem & minorem, ponte super Arolam injectô, conjungitur, & hæc quidem Episcopalis Constantiensis, illa Lausannensis diœcesis est: Comitiis Regiis & Imperat. olim Burgundicis celebrata, inprimis sub Henrico III. Imperatore A. C. 1045. 1048. 1052. Carolo IV. A. C. 1365. hodie Galliæ Regis ad Helvetios Legati sedes; Validis cincta mœnibus, indies munitior redditur, agrum habet felicissimum, præterquam quòd vites malignè tolerat. Taxus hîc lætissimè provenit, è qua optimi arcus. Sub Diocletiano & Max. A. C. 288. Victorem ac Ursum è Thebæa legione, pro Christo ibidem cæsos memorant: cui posteriori templum Bertrada Caroli M. mater, quæ multum Saloduri commorata est, dedicavit, circa A. C. 800. quod postea auxit & locupletavit Bertha Rodolphi Burgundiæ Regis uxor, mater Conradi Regis, Ottonis I. Imperatoris socrus. Latinos ritus hodiè urbs colit: postquam A. C. 1531. in Religionis negotio cum urbibus Tiguro, Berna, Basilea, &c. aliquousque quidem convenisset, sed A. C. 1533. ortô inter cives dissidiô, tandem Ministri dimissi, Missa restaurata, & imagines in templis repositæ essent. Dicitur vulgò *Solothurn Rhenano*, Gallis *Soleurre.* De origine vocis variæ sententiæ, arridet *Plantino* illorum opinio, qui Salodorum, à Saliensibus populis, quorum olim caput erat, dictum volunt: & servatur horum memoria in vico *Salsach*, seu Saliensium Aquæ, inter Salodurum & Biennam: quin etiam regio, quæ Neocomo Salodurum usque pertingit, olim *Salgovia* vocata legitur. Incoluêre autem hi Salienses, à Saliis Germanis forsan orti, dexteram Arolæ ripam usque ultra Salodurum, ut refert Guilliman. *p.* 175. Cæsaris *Soldurios*, quidam ex hac regione oriundos volunt. Hodie Urbs caput est pagi Salodorii, unius ex 13 pagis Helveticis inter pagum Bernensem ad Meridiem & Basileensem ad Boream, in quo variæ Præfecturæ. Olim Neocomenses quoque. Salodorensibus, sicut & Bernensibus, Lucernatibus ac Friburgensibus, additi 7. veteribus pagis, supremam in Turgea in criminalibus jurisdictionem Salodurenses exercent. De hac Urbe sic Glareanus *in Panegyr.*

Urbs quam Roma simul sociam, Treverque sororem
Appellant, Salodorum ingens, te scindit & ambit
Ipse Arola, en tibi sunt jacris Thebæa sepulcris
Corpora, quæ quondam è Nilo Memphiticus heros
Duxit in hoc Ursus cœlum, dum vita manebat,
Martyrii ut palmam, & dignos heroë triumphos
Acciperent omnes, pro chari nomine Christi:
Accipe, quod volui breviori dicere versu;
Ursinam serves morem, fortissima bello
Pectora habens, nulloque unquam perculsa timore,
Ut Romam factis æques, vincasque sororem.

Ejusdem verbis Salodurum de se sic canit:

In Celtis nihil est Saloduro antiquius, unis
Exceptis Treviris, quarum ego dicta soror.

Vide Stumpfium *l.* 7. *de Argovia*, *c.* 25. & 26. Simler. *de Rep. Helvet.* Joh. Bapt. Plantinum *Helv. nov. antiq.* Cl. Ottonem JCtum *Notis ad B. Rhenanum l.* 3. *p.* 502. &c.

SALOMACUM, oppid. Aquitaniæ à Burdigala 6. leuc. in Austrum, Aquas Tarbellicas versus, *Antonin.*

SALOME, uxor Alexandri Jannæi Regis. Vide *Alexandra.*

SALOME, soror Herodis M. Mariamem apud maritum calumniata, quasi venenum ipsi parâsset, effecit ut capite innocens Regina plecteretur. Nupta Josepho, quem frater occidi curavit, postmodum Costoboro, Idumeæ & Gazæ præfecto, juncta est: sed cum illo collisa, libellum repudii marito misit, paulo pòst Herodis jussu sublatô. Dein Alexandrum & Aristobulum, Mariammes ex Herode filios, similiter apud Patrem calumniata, cùm Sylleo, Obodæ Arabum Regis ministro, nuptura, à fratre Alexæ data est. Obiit paulò post fratrem, Joseph. *l.* 15. 16. 17. & 18. *de Jud. Ant. & bello Jud.*

SALOME, mulier, mater Jacobi & Johannis, Marc. *c.* 15. *v.* 39. Vide Christoph. de Castro *c.* 1. *de Hist. Deiparæ*, Cornel. à Lapide, *in Luc.* 3. &c. Item filia Antipatri, Herodis filii.

SALOMI, pater Ahihud principis filiorum Aser, Numer. *c.* 34. *v.* 27. i. e. *pacificus*, *præfectus*, aut *retribuens.*

SALOMINIUS Marius, Vide *Marius.*

SALOMITH, filia Zorobabel, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 19. Fil. Roboam, 2. Paral. *c.* 11. *v.* 20.

SALOMON, vel SOLOMON, i. e. *pacificus*, fil. Davidis. Item Jedidjah, & Coheleth, Rex Judææ, omnes suæ ætatis homines divitiis & sapientiâ antecellens; Natus A. M. 2996. Is Hierosolymis templum ornatissimum extruxit, quod de ejus nomine vocatum est. Tandem verò ad idololatriam ab uxoribus & concubinis

falci-

fascinatus defecit; qui de causâ ejus regnum paulo pôst est laceratum, ut ex historia sacra liquidò constat. Obiit A. M. 3059. regni 40. Historiam ejus vide 1 Reg. c. 1. & 2. Paral. c. 1. His si placet, adde Joseph. *Jud. Ant. l.* 8. *c.* 1. *&* 2. Hieronym. *in Comm. &c.* Et quidem Joseph. *Ant. Jud. l.* 8. *c.* 3. Πάντας ὑπερβαλὼν εὐδαιμονίᾳ τε καὶ πλούτῳ, καὶ φρονήσει τοὺς βασιλεύσαντας [illegible] ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἀκρατείας παρῳνήσεν. *Omnium quicunque fuerunt regum ditissimum* vocat Sulpic. Sever. *l.* 1. *c.* 71. Cæterùm de immensis ejus divitiis, vide Pinedam de *Salomone l.* 4. *c.* 19. Villalpand. *Tom.* 2 *l.* 5. *c.* 44. *usque ad* 55. ubi docet, Salomonis opes majores fuisse, quàm Imperator. Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Græcorum, Romanorum, cæterorumque omnium. Vide quoque Suid. in Σαλωμῶν. Non omittendus hic Salomonis character, qui occurrit apud Siracidem, *Eccl. c.* 47. *v.* 15. Σαλωμὼν ἐβασίλευσεν ἐν ἡμέραις εἰρήνης, καὶ ἐδοξάσθη, ὡς ὁ Θεὸς κατέπαυσε κυκλόθεν αὐτῷ. ἵνα στήσῃ οἶκον ἐπ' ὀνόματι αὐτοῦ, καὶ ἑτοιμάσῃ ἁγίασμα εἰς τὸν αἰῶνα. ὡς ἐσοφίσθης ἐν νεότητί σου, καὶ ἐνεπλήσθης ὡς ποταμὸς συνέσεως. γῆν ἐπεκάλυψεν ἡ ψυχή σου, καὶ ἐνέπλησας ἐν παραβολαῖς αἰνιγμάτων. Εἰς νήσους πόρρω ἀφίκετο τὸ ὄνομά σου, καὶ ἠγαπήθης ἐν τῇ εἰρήνῃ σου. Ἐν ᾠδαῖς καὶ παροιμίαις, καὶ παραβολαῖς καὶ ἑρμηνείαις ἀπεθαύμασάν σε χῶραι. ἐν ὀνόματι Κυρίου τοῦ Θεοῦ τοῦ ἐπικεκλημένου Θεοῦ Ἰσραήλ. συνήγαγες ὡς κασσίτερον τὸ χρυσίον, καὶ ὡς μόλυβδον ἐπλήθυνας τὸ ἀργύριον. παρανέκλινας τὰς λαγόνας σου γυναιξὶ καὶ ἐνεξουσιάσθης ἐν τῷ σώματί σου, *&c.* Qui sapientissimo huic Regi Libri attribuuntur, præter illos, qui in Canone sacro sunt; qualium quinque Albertus M. in speculo Astrologico, 4. alios Trithemius refert; his itidem 4. alios aliis addentibus, meritò ὑποβολιμαῖοι habentur. Sic & historia Josephi, *Jud. Ant. l.* 8. *c.* 2. ubi refert, coram Vespasiano Imperatore Eleazarum quendam Judæum, varios dæmones ex obsessis, vi annuli, cui radix inclusa, quâ Salomo ad talia uti solitus sit, naribus illorum appensi, ejecisse, nullam fidem meretur. Vide Naudæum, *in apolog. Viror. illustr. magia suspectorum*, Theoph. Rainald, *l. de Calumnia, sect.* 2. *c.* 13. *&c.*

SALOMON, Hungariæ Rex, fil. Andreæ I. à fratre Bela I. pulsus, A. C. 1061. ab Henrico IV. Imperatore restitutus est, A. C. 1063. Albæ coronatus, bellum Bohemis intulit, à nepotibus ex fratre Geissa & Ladislao, A. C. 1074. iterum pulsus. Obiit in Italia, A. C. 1095. Mart. Fumæus *Hist. Hung.* Bonfin. *de reb. Hung.*

SALOMON, Dux minoris Britanniæ, post Harispogium, vel Haruspæum occisum: corporis mole & formâ, ut & pietate insignis: Titulum Regis sumpsit, sed A. C. 863. Carolo Calvo se subjecit, eique contra Normannos, communes hostes, auxiliatus est. Occisus A. C. 875. Argentræus & Augustin. du Pas. *Hist. Brit.*

SALOMON, Abbas S. Gallensis, dein Episcopus Constantiensis stirpe, pietate, doctrinâ clarus. Quædam versibus composuit. Obiit. A. C. 919. Canis. *t.* 1. *Ant. Lect.* Trithem. *de Vir. Ill. Germ.* Herm. Contr. *in Chron.*

SALOMON, apud Guilielmum Biblioth. *in Stephano VI. Contulit ibidem cantharam exaratam unam*, Salomonem *unum*, *regnum aureum unum cum gemmis pretiosissimis*, *& vestem unam cum auro & gemmis albis* &c. vasis species est operis pretiosioris; fortè cujusmodi fuêre vasa Salomonis in Templo ab eo ædificato, quæque in urbem Carcassonensem in Gallia, Româ captâ, transtulisse dicitur Alaricus Wisigothorum Rex, apud Procopium *de Bello Gothico l.* 1. *c.* 12. unde videtur id manâsse, ut pretiosa vasa *Salamonica* appellarentur. In *Monastico* Angl. *Tom.* I. *p.* 210. occurrunt *duo urceoli pretiosissimi ex operibus Salomonis*: & in *Charta* quadam veteri Aldegasti, fil. Sylonis Regis Ovetensis *A. C.* 781. *tres vasi Salomoniegi*, apud Sandovallium: uti *ferrera Salmonatica*, in alia Stephaniæ, uxoris Garsiæ Navarræ Regis *æra* 1060. apud eundem *in Episcopis Pampilon.* laudatum Car. du Fresne *in Glossar.*

SALOMON Jarchi, vel Raschi, Judæus, Trecis in Campania natus, A. C. 1104. In Biblia varios scripsit Commentarios: hinc *Barschandathe*, i. e. interpres Legis dictus.

Rabbi SALOMO Jarchi, seu contractè *Rasi* scripsit Commentarios Rabbenu Salomonis Fil. Isaaci Trecensis, defunctus A. C. 4865. juxta *R. Ganz*. Ejus discipulus Rabbi Schimcha, composuit *Machazor & Jathire*, de Cyclo & exhalationibus. Vide Cit. Auctorem *in Chronol. Rabbin.*

Rabbi SALOMON Luria, ex Austria, composuit Syntagma magnum super universum stylum vel phraseologiam Thalmudis, cui titul. *Jam Salomonis*. Confecit etiam *Quæstiones & Responsiones*, defunctus annô 333. Millenarii VI. juxta calculum R. Dav. Ganz *in Chronol. Rabbinorum.*

Rabbi SALOMON Molchu, Scriba Regis Portugalliæ prius, dein ex Christiano Judæus, in Italia docuit, atque librum Kabalisticum edidit, cum socio Davide Roubenita, ausus Galliæ Regem & Carolum V. Imperatorem de Judaismo amplectendo compellare, ad vivi combustium damnatus Mantuæ, David autem in Hispaniam abductus ibique occisus est annô 293. Millenarii & calculi suprà dicti.

Rabbi SALOMON Orbinensis, scripsit librum *Obel mohed*, circa ann. 240. juxta calculum præfatum.

SALOMONIS Insulæ amplæ in mari Pacifico, versus Terras Antarcticas, & novam Zeelandiam, prope Terram Quiri, ad Ortum nov. Guineæ. A. C. 1567. detectæ ab Alvaro Mendoza, XVIII. numero. Nempe Insulæ S. Isabellæ, S. Georgii, S. Marci, S. Nicolai, Rupium, S. Hieronymi, Guadalcanalis, Boni Visus, *Bon vista*, S. Dimæ, Floridæ, Malaita, Attegada, Tres Mariæ, S. Jacobi, S. Christoph. Nominis Dei, S. Annæ & S. Catharinæ, omnes perampIæ sed Europæis vix nomine notæ.

SALON, regio Bithyniæ pascendis bobus idonea unde & *Salonensis caseus*, Strab. *l.* 12. *Steph.* est urbs Bithyniæ. Gentile nomen est *Salonites*, vel *Salonæus*.

SALONA, oppid. Galliæ Narbonensis in Provinc. inter Avenionem, & Massiliam, vulgò *Salon*, apud Druentiam fluv. *Baudrand.* etiam *Salon de Crau* dicitur, oppid. juxta Campos lapideos, Michaelis Nostradami, Astrologi peritissimi & Cæsaris fratris ejus Patria, inter Aquas Sextias ad Ortum, 5. leuc. & Arelate 7. ferè 2. à Druentia, Astromelam lacum versus totidem.

SALONÆ, vide *Salo*.

SALONENSIS Pagus exiguus Galliæ, inter Saliam & Nitam fluv. ad diœcesin Metensem pertinens: vulgo *le Sasnoy*. In hoc *Salona Fulrada* memorata, forsitan est vicus nunc *Salone* dictus, non longe à Salia fluvio inter Vicum *Vic* atque castrum Saluense *Chasteau Salin*. Vales. *Notit. Gall.*

SALONIANA, Dalmatiæ urbs mediterranea, *Ptol. Czernica Meletio*. Quibusdam *Mostar*, urbs Episcopalis in limite Serviæ, juxta Viseram fluv. 40. milliar. à Narona in Boream.

SALONINA, Gallieni Imperatoris conjux, mater ex eo Salonini, apud Treb. Pollionem in *Gallienis c.* 3.

SALONINA, Alieni Cæcinæ, Vitelliani Ducis, uxor. Tacit. *Hist. l.* 2. *c.* 20.

SALONINIANI Trientes, memorantur Treb. Pollioni in *Claudio*, *c.* 9. inter ea quæ Gallienus placando Claudio et dari jubebat, *Aureos Valerianos CL. Trientes Saloninianos* CCC. Fortè dicti à Salonino fil. ejus, qui postmodum Imperator evasit.

SALONINUS, Asinii Pollionis, Germanici exercitûs ductoris, fil. qui cùm post captas Salonas, primò lauream, pòst etiam Consulatum adeptus fuisset, eôdem annô suscepit filium, quem à Salona capta Saloninum vocavit, quem constat natum statim obiisse, quod parentibus omen infelicitatis fuit, vixit enim perparum. *Servius.*

SALONINUS Publius Licinius Cornelius Valerianus, fil. Gallieni Imperatoris factus Cæsar, cum Albino, Ephoro suo, in Galliam missus est. Sed Posthumius recens contra Gothos victor, Colonienses ut sibi hunc traderent coëgit, illumque sustulit. Frater ejus Julius *Saloninus* Gallienus, Cæsar creatus: Mater *Salonina* fuit. Trebellius Pollio *in Gallienis*, *Aur. Victor. Oros.* &c.

SALONINUS, vide *Asinius Gallus*.

SALONIUS, Episcopus an Viennensis, an Genevensis? floruit A. C. 452. Scripsit explicationem mysticam Proverb. & Ecclesiastæ: sub forma dialogi inter se fratremque Veranum, Episcopum Vinciensem. Vide Salvian. *Ep. ad S. Eucher.* Episcopum Lugdunens. horum patrem. Gennad. *c.* 63. *&* 67. Sixt. Sen. *Bibl.* S. Vinc. Barral. *in Chron. Lirinensi*, *&c.*

SALONIUS, vide *Sagittarius*.

SALOPIA, vulgò SHREWSBURY, urbs Albionis ad Sabrinam fluv. in Angliæ & Walliæ confinio inter Cestriam & Herefordiam. Caput provinc. cognominis inter Cestriam ad Boream, Staffordiam ad Ortum, Herefordiam ad Meridiem, & Mongomeriensem Comitatum ad Occasum sitæ.

SALPA-PALUS, *Lycophr. Salpinia Vibio Sequestri*, *Salapina* Lucano, *l.* 5. *v.* 377. lacus Apuliæ Dauniæ, apud Salapiam Urbem vide ibi.

SALPHAAD, fil. Hepher, 1 Paral. *c.* 7. *v.* 15. Latinè, *umbra*, sive *tinnitus formidinis*, vel *assultonis*, aut *submersionis formido*.

SALPINA, & SALPIÆ. Vide *Salapia*.

SALPIS, colonia & oppid. fuit Hetruriæ. Cujus populi *Salpinates* Liv. *l.* 5. *c.* 31. Volsiniis finitimi.

SALRA, vulgò SOLRE, pagus ditionis Leodiensis ad Sabim fluv.

SALSAMENTUM, de piscibus præcipuè: Et quidem *Salsamenta* magna, apud Græcos, eôdem nomine veniunt, quô pisces, unde sumta. Sic *lcesius* Κύβια, quæ frusta sunt quadrata pelamidis, vocavit *pelamidas*. Similiter Τέμαχος Θυρσαῖος frustum caniculæ, quam & Θύρσιον dixere. Cujus Θυρσαίου *salsamenti* meminit Athen. *l.* 6. *sub fin.* Thyrsio quoque pars ejusdem caniculæ salitæ, quam Romani à *thyrsi* capitis similitudine sic vocârunt. Omnibus enim thyrsis globus imponebatur; unde frustum salsamenti eâ formâ concisum Θύρσιον vocabatur. Quâ eâdem ratione, & thymum Θύρσιον appellatum, à capitulorum thyrsi similitudine &c. Minora verò frusta aliter appellata. Sic, uti dictum, majus pelamidis frustum *pelamis* quoque appellatum est, item ἡμίλευκον, seu ἡμίλευκος subintellige Τέμαχος, minora verò frusta κύβια dicta. Hinc Plin. *l.* 9. *c.* 15. *Pelamides in apolectos, & particulatim consectas in genera cybiorum dispartiri*, scribit. Sunt autem *cybia*, frusta salsamenti quadrata, unde Κυβιοσάκτης cognomen Ægyptii Regis turpissimarum sordium. Sed & μελάνδρυα, pro segmento salsamenti ex dorso ferè & duriore thynni vel orcyni carne sumpti, reperitur. Græcis enim μέλαν δρυὸς vel μελάνδρυον, *mediale roboris* significat, quæ pars est firmissima ac nigerrima ligni, alburnô demptô. Inde μελάνδρυα vel μελανδρύας, thynni pulpamentum durius, cervice, caudâ, abdomine & clidiô demptis &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1317.

SALSETA, Insul. parva, in ora litorali peninsulæ cis Gangem, ad ostia Mandovæ fluv. in ora regni Decani, prope Goam urbem probè exculta à Lusitanis.

SALSICIA, Græcis recentioribus Σάλσικα, apud *Acronem* in membranis, *Hillæ & hilli dicuntur salsa intestina. Hirri positivus est, diminutive hilli dicuntur. Hæc illa quidam in diminutione neutrius generis esse, alii dicunt hila sive hilla farta salsicia*: Lucanicæ sunt, hodieque Gallis *Saucices* dicuntur. Quæ vox non multum abludit, à voce *Insitia* vel *Isitia*, de quibus copiosè egit Apicius *l.* 12. qui ea duplici modô fieri scribit: ex variis nempe carnibus tritis & pipere commixtis, ut *Athenæus* quoque scribit: vel ex piscibus diversis, sicut Alexander Trallianus docet. Vide Car. du Fresne in voce *Salcicia*. Salmas. verò vocis originem à *salsus* deducit, *ad Solin. p.* 1231. Vide quoque eum ad, *Æl. Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 59. Hinc Σαλσικοποιὸς, veteri Etymologico sunt ἀλλαντοποιοί: Græci enim ἀλλᾶντα, istiusmodi intestinum fartum vocant, *Ibid.*

SALSUBIUM, oppid. Galliæ Togatæ in Romandiola. *Castro Caro Blondo.* Nunc castrum, sub Magno Hetruriæ Duce juxta Fagnonem amnem, 2. milliar. supra civitatem Solis; 6. supra Fo-

rùm Livii in Meridiem, 4. à Meldula in Occasum, in ipso limite ditionis Pontificiæ.

SALSUGO, Vide *Solitudo*.

SALSULÆ, oppid. seu potius arx Galliæ Narbonensis in orâ juxta stagnum Salsularum, *l'Estang de Locate*, in colle, in Comitatu Ruscinonensi, in limite Occitaniæ, aliàs à ab Hispan. excitata, contra Leucatem arcem Gallorum proximam. Sed à Francis capta A. C. 1640. postea ipsis pace Pyrenæa mansit, 4. leuc. à Perpiniano, uti 7, ab Helena in Boream: 2. ab ora maris Mediterranei in Occasum Melæ *l.* 2. *c.* 5. quoque est fons ejusdem regionis *Fonte de Salsas*, prope Leucatam litus, salsioribus quam marinæ sint aquæ defluens, Gall. *Sausses*, unde *Salsulæ* oppid. nomen. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* In campo juxta *Salsulas*, stagnó subeunte suspensó, piscem penitus erui, & per foramina ictu captantium interfectum extrahi veteres prodiderunt. *Idem*.

SALSUM, fluv. Hispaniæ Bæticæ Hirtius *de Bell. Hispan. c.* 9. *Guadajos Clusio. Salobral* autem *Vigenereo*.

SALSUS Sinus, idem cum Sinu Gallico.

SALTARE canticum, aut *cantilenam*, dictus est qui & cantat & saltat simul, aut alio canente saltat. Unde *saltatiuncula* & *cantilena* apud Vopiscum *Aureliano*, *c.* 7. pro uno & eodem, quod aliter *ballisteum*. In scena tamen *cantare* & *saltare*, diversarum artium & Artificum fuit, quorum illud proprium Tragœdorum, istud Histrionum; *fabulamque cantare* dicebatur Tragœdus, *saltare* Histrio seu Pantomimus. Sueton. *in Calig. c.* 54. *Sed & aliorum generum Artes studiosissimè & diversissimas exercuit. Thrax & auriga idem, cantor & saltator*, ubi per *cantorem*, Tragœdum; per *saltatorem*, Histrionem intelligit. Idem *ibid. Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus & Tragœdo pronuntianti concineret: & gestum histrionis, quasi laudans, vel corrigens, palàm effingeret* &c. Vide quæ superius diximus in vocibus, *Bathyllus*, *Pantomimus*, *Pylades*, &c.

SALTARIUS & SALTUARIUS; in *L. Longob.* non uno in loco, Græcè Ὀρ͂οφύλαξ, dictus est, cui incumbebat τοὺς ὅρους ἐπισκοπεῖν, *fines custodire* & invigilare, ne à vicinis agri occupentur, ut ait Theophrastus *in Character.* ad quem vide Casaubon. *p.* 228. A voce *saltus*, de qua hic infrà, ubi & de *Saltuario*.

SALTATIO, quanti fuerit à Veterib. æstimata, argumento multa sunt: id verò inprimis, quòd ceremoniæ nullæ aut spectacula antiquiora fuêre, quibus *Saltatio* non adhiberetur. Est autem hæc facultas quædam, motibus ac gestibus corporis, certô artificiô, numerô & ratione factis, imitandi hominum mores, affectus & actiones: quod quô pactô fieret, unus omnium clarissimè, post Aristotelem, expressit Plut. qui *in* 9. *Convival. Quæst. problem.* 15. tres partes *Saltationem* habuisse scribit, *lationem figuram & indicationem*, easque omnes pluribus exequitur. *Poësis* prom *tacens*, *Simonidi* dicta. Ejus auctor quis fuerit, usque adeò compertum non est: nisi quòd *Theophrastus* apud *Athenæum* refert, Androna Cataneum Tibicinem, dum sonaret, motiones atque numeros corpore effecisse; & ob id apud Veteres *saltare* dictum fuisse σικελίζειν, i. e. *Sicelissare*. Post quem Cleophantus Thebanus & Æschylus multas *Saltatoriæ* Artis figuras invenerunt, quas Βαλλισμοὺς Siculâ voce appellatas, *Epicharmi* auctoritate, insinuat *Athenæus*: unde hodieque apud multas Italiæ nationes *balli* nomen perdurat. Et quidem *Saltatio* vetustissima sine cantu fuit; cantus dein accessit, ac tandem instrumenta Musica, tibia, aliaque adhiberi cœperunt: refert tamen Plut. tempestate suâ veram *Saltationem* à Musica, cui associabatur, depravatam fuisse, atque à cœlesti illa decidentem, in tumultuosis ac indoctis theatris, instar Tyranni cujusdam, imperium tenuisse, idque postmodum usque ad tempora nostra permanâsse, *loc. cit.* Imò ipsam Musices partem non malè facit Jul. Pollux *l.* 4. *c.* 13. atque idcirco, ut *canere* & *psallere* subinde conjunguntur; ita & *psallere* & *saltare*. Salust. *de Catil. c.* 25. *Hæc mulier* (Sempronia) *literis Græcis & Latinis docta: psallere & saltare elegantiùs, quàm necesse est probæ*. Vide suprà in voce *Orchestica*. Exercebat porrò *Saltatio* primò partes inferiores duntaxat, dein χειρονομία, ordinatas manuum motiones edocens, adjuncta est, ut unà cum cæteris motionibus, ambulatione nempe simplici, flexu, procursu, saltu, divaricatione, claudicatione, ingeniculatione, elatione, jactatione, permutatione pedum; manuum connexio, consertio, compectinatio; distensio, complexus alternatioque peragereturt: atque ita universa saltatio, ex motibus tam manuum, quàm pedum, ad res repræsentandas, constaret. Quòd verò *saltantes* brachia præcipuè moverent, significavit & Ovidius *de Arte l.* 1. *v.* 595.

Si vox est, canta: si mollia brachia, salta &c.

Ad imitationem inprimis adhibita antiquitus, transiit in Theatra & Ludos, voluptatem conciliatura spectantibus: inde in convivia irrepsit; moris enim apud Veteres fuisse, in conviviis, ante Triclinia, *saltare* & canere, docet Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 14. Vide quoque Xenoph. *in Symposio*, & Rosin. *Antiqq. Rom. ubi de conviv. Rom.* Sed &, ob religionem quandam, ad sacrificia in usu fuisse, præter Platonem atque Plut. testatur *Galenus*, notaque hyporchemata, quæ in Deorum sacrificiis Gentiles canebant, quos initiari absque tripudiis non potuisse, docent Eruditi. Vide paulo suprà in voce *Salii*. Quod ex cacozelia quadam Populi Dei (quem hôc quoque Musices genere, in Deo celebrando, usum esse, ex Scripturis manifestum est) factum fuisse, non est veri dissimile. Cinædos verò maximè omnium saltandi Arti operam dedisse, significat Plautus, *Milite Glor. Actu* 3. *Sc.* 1. *v.* 74.

Tum ad saltandum, non Cinædus magis aptus est, quàm ego.

Quò nomine tamen *Nonius Marcellus* ipsos à Veterib. *Saltatores* dictos vult ac Pantomimos, ἀπὸ τῆς κινεῖν τὸ σῶμα. Poëtæ similiter omnes, non modò Histriones motus figuratos edocebant, verùm & ipsi quoque interdum *saltabant*: quemadmodum Thespias, Pratinas, Cratinus, Phrynicus, Poëtæ omnes, idcirco Ὀρχησταὶ sunt nuncupati, tum quod propria dramata, inter saltantes repræsentabant Choros; tum quod extra ea, volentes artem docerent. Loca, ubi choreæ peractæ, primitus vici fuerunt ac plateæ publicæ, dein cùm majorem dignitatem recepissent, ad Theatrorum partes quasdam cœpere transferri, quæ ab Aristotele & Polluce propterea *Orchestræ* dictæ sunt. À Theatris ad Palæstras sive Gymnasia traductas fuisse, auctor est Athenæus *l.* 14. *c.* 7. & Plut. *Sympos.* 9. *Probl.* 15. Species *Saltatoriæ* innumeras ferè recensent *Plato*, *Xenophon*, *Aristoteles*, *Strabo*, *Plutarchus*, *Galenus*, *Pollux* & *Lucianus*: quæ vel à regionibus, vel ab Inventoribus, vel à modo multiplici, vel aliunde nominatæ, ut *infrà* videre est. Summa ejus genera *Rosinus* duo facit, *Statariam* & *Motoriam*, pro argumentis fabularum, non quòd non utraque moveretur, sed quòd hæc magis: à quibus species illæ deductæ sunt, *contentæ*, *remissæ*, *seriæ*, *molles*, *ridiculæ*, *aliæ*. Seneca tres ejus species indigitat *Ep.* 15. *in altum*, *in longum*, & *quæ fit pedes alternis attollendo*. Aliter dividitur illa in Κυβιστικὴ, Σφαιριστικὴ & Ὀρχηστικὴ. Bellicæ *Saltationis* genera sex facit Meursius *in Orchestra sua*, inter quæ præcipua *Pyrrhicha*, de qua suprà, & post hanc Ἐμμέλεια. In Poësi triplex adhibita legitur, Ἐμμέλεια, quæ Tragica; Κόρδαξ, quæ Comica; & Σίκιννις, quæ Satyrica, quæ iterum in varias alias species subdividebantur: ex omnibus autem tribus Italicam conflavit Bathyllus Alexandrinus, teste Athenæo *Deipnosoph. l.* 1. Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 5. *c.* 3. & 4. Jul. Cæsarem Scaligerum *Poet. l.* 1. *c.* 18. Hier. Mercurialem *Artis Gymn. l.* 2. *capp.* 3. 4. 6. 7. Joh. Meursium *de Orchestra Græcorum*. Gerh. Joh. Vossium *de* 4. *Artibus Pop. c.* 3. & 4. &c. In Ludorum Pompa, quam prolixè describit Dionys. Halicarn. *l.* 7. habitus *Saltatorum*, erant tunicæ puniceæ, balteis æreis adstrictæ, gladiis dependentibus, gestabantque breviores mediocribus lanceas: Viri verò etiam æreas galeas, cristis pinnatis insignes, & quemque chorum præcedebat unus, qui *Saltationis* præibat formulas; unus item, militares ac concitatos præcinens modulos, rhythmis plerunque proceleusmaticis: quod de Pyrrhicha *Saltatione* intelligendum. Qui enim, hos secuti, Sicinnem Græcanicam referebant, Satyri Silenos repræsentabant, erantque instructi tunicis hirsutis seu scorteis atque amiculis ex omni florum genere consertis: Aliis ex hircinis tergoribus campestria erant setæque in vertice horrentes &c. Vide iterum Rosin. *l.* 5. *c.* 23. cum Dempsteri *Paralipom.* & plura *de Saltationibus Veter.* apud Stuckium *Antiqq. Conv. l.* 3. *c.* 21. Suicerum voce Ὄρχησις, Alios; ut & suprà, voce *Chorea*, *Orchestica*.

Saltationis species quædam Veterib. usitatæ.

α. Αἰγίθαλος, Vide suprà ubi de *Paro* ave. β. Anthema erat, cùm saltantes clamabant, *ubi mihi rosæ*, *ubi mihi lilia*, *ubi mihi apia*, species insanæ Saltationis. γ. Apochinos sive Mactrismus, à mulieribus saltabatur eratque ridicula Saltatio. δ. Calabrismus. ε. Carpæa, apud Ænianenses & Magnetes in usu, Xenoph. *Expedit. Cyri l.* 5. ζ. Caudiser, insanæ *Saltationis* species. η Cruma, vide suprà *Cubistica*. θ. Δῖνοι, Erotiano vocantur saltationes tornatiles seu versoriæ. ι. Ἐμμέλεια, proximæ post Pyrrhicham dignationis, saltatio fuit armata, gravis ac Tragica. κ. Epichedios, penès Cretenses in usu. λ Glaux, ridiculæ *Saltationis* species. μ. Grus seu Γέρανος, gruini colli flexus imitabatur, à puellis Atheniensium, in Deliis sacris, exerceri solita. ν. Gymnica, cum thyrso, calatho, hasta, aratro, abaco, olla &c. ξ. Gymnopædica, Lyricæ saltationis species. ο. Hypogypones, Vide suprà. π. Hyporchematica similiter. ρ. Igdis, ridicula saltatio. σ. Ionica, mollis & effœminata. τ. Italica, cujus Auctor Bathyllus Alexandrinus, ex triplici saltatione Theatrali, Ἐμμελείᾳ, Cordace & Sicinne, erat conflata. Vide Athen. *Dipnosophist. l.* 1. υ. Καρπαία, armatæ species saltationis. φ. Κολαβρισμὸς, similiter. χ. Κόρδαξ. ψ. Κυβιστικὴ, quâ homines manibus pedibusque ita se contorquebant, ut, conversione sui, capiti insisterent: quod qui faciebant, *cernui* & *cernuli* dicebantur. ω. Leo, ridicula saltatio. αα. Mactrismus, similiter: saltabatur à mulieribus, quæ ob id *Martypiæ* vocabantur: ββ. Μελανοποδισμὸς, à modo motionis. γγ. Mongas, insanum saltandi genus. δδ. Morescæ, populari vocabulô Italis hodie dicuntur, veterum Pyrrhicharum æmulæ. εε. Morphasmus, *Saltatio* ridicula. ζζ. Motho Nicatisinus, stabilius saltandi genus. ηη. Orchestica, vide *suprà*. θθ. Orsitis: apud Cretenses. ιι. Pecten Amazonius, vide suprà *Pecten*. Persicum choreæ genus, quod die Mithræ festô dum olim Rex saltaret, nemini interim totâ Asiâ saltare erat permissum. Vide suprà voce *Mithra*. κκ. Πιναχίδες, ab instrumentis. λλ. Πεύλις, sicut & Βριμαλικτηρ, armatum saltandi genus. μμ. Pyrrhicha, vide suprà *suô locô*. νν. Scenica seu Theatralis saltatio, triplex fuit, Emmelia, Cordax & Sicinnis. ξξ. Sicinnis, lasciva erat & inconstans, in Satyris, usurpari solita. οο. Sobas, saltatio ridicula. ππ. Sphæristica, ubi pilâ ludentes saltabant. Vide Homer. *Odyss.* ζ. ρρ. Telesias, inter armatæ saltationis species, à Telesio, qui primus eam saltavit, dicta. Hâc utentes Ptolemæi milites, Alexandrum Philippi fratrem sustulerunt. σσ. Theatralis, vide *Scenica*. ττ. Thermaustris, insanæ saltationis species. υυ. Thracius modus, à gente. φφ. Tornatilis & Versoria, quâ se in circum vertentes saltabant. *Erotianus* Δίνους vocavit. χχ. Τραχηλισμὸς, à cervice nomen habuit. ψψ. Super Utres oleô unctos & vinô plenos, in ludis Baccho dicatis, pedibus saltare, quod ἀσκωλιάζειν dictum, antiqua fuit consuetudo: Ubi victores censebantur, qui ita dextrè se tenebant, ut præ lubricitate humi non caderent; victoriæque præmium ferebant utrem: reliqui, qui natibus terram percutiebant, non sine magnâ voluptate, risum movebant spectantibus. Meminit ludi hujus Poëta,

ta, cùm ait: *Atque inter pocula læti, Mollibus in pratis unctos saliêre per utres*, vide Aristophanem *Pluto*, Jul. Pollucem voce ἀποκινίζειν: Mercurialem *l. 2. c. 11.* & infrà *suo loco.* Vulgare saltandi genus, in conjugiis ac sacrificiis usurpabatur, &c. Quæ omnes, quomodo fierent, difficile est explicare: Licèt enim varii de illis scripsêrunt, ut testis est Lucianus περὶ ὀρχήσεως, omnes tamen eorum libri deperiêre: quod damnum resarcire conatus est Meursius *d. l.*

SALTATIUNCULÆ, apud Vopisc. *in Aureliano, c. 6. Refert Theoclius ---- Aurelianum manu sua bello Sarmatico uno die quadraginta & octo interfecisse - - - adeo ut etiam ballistea pueri & saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent, Mille, mille*, &c. idem quod βαλλισμὸς seu *ballistea*; βαλλίζειν enim & βάλλειν χεῖρας, *manus jactare* est, quod saltantium proprium. Hinc apud Propert. *l. 2. Eleg. 6. manus jactabat truncas manus*, i. e. *saltabat ad tibiæ cantum.* Nempe *saltatiunculas* hic videtur addidisse *Vopiscus*, ut *ballistia* explicaret; eôdem modô, quô Patres Concilii Laodiceni ὀρχεῖσθαι adjecerunt, quo vocem illam vulgarem βαλλίζειν exponerent. Est autem *Ballistium* seu *Ballematium*, chorea vel cantilena, ad quam cantatur, de qua voce pluribus dictum est *suprà.*

SALTIÆ, populi juxta Pontum Euxinum, qui & *Phthirophagi.*

SALTICÆ Fabulæ, inter opera *Lucani*, memorantur Auctori veteri *Vitæ* Lucani, *Extant ejus & alii libri complures. Ut Iliacon, Saturnalia, Catacausmon, Sylvarum X. Tragœdia Medea imperfecta.* Salticæ *Fabulæ XIV.* &c. dictæ sunt, quæ taliter erant factæ, ut coram populo *saltari* possent, h. e. non minus gestibus, quam voce, exprimi: quibus *Scenicæ* fortè oppositæ, quarum apud *A. Gellium* mentio. Ita *saltabantur* res gestæ Bacchi primùm, dein ab eo aliorum Heroum, à Tragœdis, Comœdis & grege Tibicinum, qui pariter οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται appellabantur, ut notatum eidem A. Gellio *l. 20. c. 4.* Barthius *Animadversionum ad Papinium Statium Thebaid. l. 6. p. 469.* Vide quæ suprà diximus, in *Saltare canticum.* Ita *Salticæ puellæ*, quæ *saltandi* modis instruebantur, in quas graviter nonnullibi Horatius invehitur: Et per contemptum sic appellat puellam Herodiadis, cujus spectaculô fascinatus Herodes Joanni Baptistæ caput dempsit, Tertullianus *adv. Gnosticos c. 10. Ipse clausula Legis & Prophetarum, nec Propheta, sed Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur in Puellæ lucar.* Quô sensu quoque *Salticam puellam* legimus, in Aldhelmo *de Virginit. c. 8.* &c. Idem Barthius, *ubi supra.*

SALTIGA, oppid. Hispaniæ Tarraconensis in Bastetanis, Bigerræ urbi finitimum, *Ptol. Sucrurgius Moletio.*

SALTU in equos se conjiciendi Veterum mos antiquissimus, vide infrà voce *Stapes.*

SALTUARES, insulæ parvæ in Nymphæo fluv. Latii sunt, quæ ad ictus saltantium moventur, Plin. *l. 2. c. 95.*

SALTUARIUS, cujus mentio *l. 60. §. 3. ff. de Legat. 3.* servus erat, apud Romanos, qui universum tuebatur fundum, fructus conservabat, fines custodiebat; Græcè Ἀγροφύλαξ. Cujusmodi munere functus est Asaph, custos *saltûs* Regis apud Nehemiam *c. 2. v. 8.* & Tirrhus ille, apud Virg. *Æn. l. 7. v. 485.*

—— Tyrrheusque Pater, cui regia parent
Armenta & late custodia credita campi.

Ubi notat *Servius*, describi *Magistrum pecoris & Saltuarium.* Meminit ejusdem *l. 16. §. 1. ff. de usu & habitat. Dominus proprietatis etiam invitô usufructuariô, vel usuariô, fundum, vel ædes per Saltuarium, vel Insularium custodire potest: Interest enim fines prædii tueri.* Constabat autem *Saltus* quatuor centuriis, vel quinque, *Sic. Flacco* teste; & fuit fundi pars, ex *Ælio Gallo*, apud *Festum* & Varronem *de L. L. l. 4.* in qua sylvæ erant ac pastiones; & harum causâ casæ quoque, ubi dominus habitaret. Vide Laur. Pignorium, qui nomen etiam hodie Italiæ rusticos retinere docet, *Comm. de Servis sub fin.* Portò alios hybernos, alios æstivos fuisse, discimus ex *l. 3. §. 11. ff. de acquirend. poss.* & *leg. 67. ff. de leg. 3. Æstivos* definit Ulpianus, *quibus interdum etiam hyeme, plerumque autem æstate utimur*, apud Tit. Popmam *de operis Servorum.* Hinc recentioribus *Saltuum* præfecti, paulò diversô à veteri significatu, dicuntur in Principum Regumque aulis, qui rei Venatoriæ præsunt: quemadmodum *in Annal. Pomeran. Ducum* legimus, Barnimo III. & IV. à Carolo IV. Imperatore Venatorum Imperii seu Magnorum *Saltibus* Præfectorum dignitatem, collatam fuisse: Similiter, primos Hannoniæ Comites ex Magnis Saltuum Præfectis, in Comitum dignitatem, à Galliæ Regibus fuisse erectos, alibi. Istiusmodi *Saltum* Normanni *Forestam*; Saxones, qui ante eos Angliam occupavêre, *Saltum cervinum*, item *Stabulum damarum* appellare consueverunt. Vide in voce *Foresta*, it. *Foreste Dominicum.*

SALTUENSIA, Pagus, *le pays de Saut*, memoratus Hieronymo Zuritæ ærâ 1296. cùm ait, *Lauracensem, Rhuensem, Fuxensem, Minervensem, Fenoliadensem, Saltuensem, Petrapertusensem, Æmilianam, Crodonensem, & Gabaldanam ditiones* &c. tractus est Galliæ, in Diœcesi Electensi, novendecim vicos continens. Vide Hadr. Vales. in *Minervæ castrum.*

SALTUS, vulgò CONTE DE SAULT, Comitatus amplus Galliæ Narbonensis in Delphinatus & Provinciæ confinio Avenionensi Comitatui finitimus. Cujus caput Saltus, *Saut*, castrum, in limite Delphinatus & Comitatus Vindaxini, 5. leuc. à Carpentoracte in Ortum 4. ab Apta Julia in Boream.

SALTUS, Gymnicæ olim exercitationis species, Græcè Ἅλμα, cursui non parùm similis erat; nempe qui, sicut cursus continuatus est saltus, ita ipse intercisus sit cursus: à *Saltatione* de qua suprà, meritò discriminandus; hujus enim opus ὀρχεῖσθαι, illius ἅλλεσθαι, dictum. Meminit inter ludos in Pentathlo contentos, primô locô, Simonides *Antholog. l. 1. Epigr. 1.* cùm illos sic recenset,

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Eustathius similiter, *Il. ψ.* Ἅλμα, πάλην, δίσκευμα, τόξον καὶ δρόμον. Nec minus *Scholiastæ* Pindari ac Sophoclis, qui hôc ordine eosdem enumerant: Ἅλμα, δίσκος, ἀκόντιον, δρόμος καὶ πάλη. Idem bellici progymnasmatis genus fuisse, ex Vegetio perspicuum est, qui *de re Milit. l. 1. c. 9.* scribit, *juvenes, qui militiæ operam navant, ad Saltum præcipue exercendos esse, quo vel fossæ transiliuntur vel impediens aliqua altitudo superatur, ut, cum ejusmodi difficultates evenerint, possint sine labore transire.* Nec Medicinam Gymnasticam hôc exercitii genere caruisse, docet *Galenus* & *Oribasius*, apud quem *Antyllus*, hac de re pluribus disserens, *exsilire* sive πηδᾶν & *saltare* seu ἅλλεσθαι distinguit, priusque dicit esse motum cursui persimilem, cùm scil. corpus eodem in loco manet, poplites inflectendo & circumvehendo: posterius motum fermè continuum in sublime, vel tanquam medium, vel tanquam metam, nullis certis legibus aut imitationis figuris (quemadmodum *Saltatio*) terminatum. Et videtur has *Saltus* species intellexisse Seneca *Ep. 15.* dum pro exercendo corpore eum commendabat, vel qui corpus in altum levaret, vel qui in longum mitteret. Exilitione certè utebantur Lacænæ veteres, quæ retro flexis cruribus ita *saltabant*, ut calcibus nates attingerent; quandoque cruribus alternatim inflexis, quandoque verò utrisque unô & eôdem tempore: quas æreis postmodum statuis repræsentâsse Callimachum Statuarium, ob nimiam diligentiam *Catatexitechnum* dictum, auctor est Plinius *l. 34. c. 8. circa fin.* Qui verò propriè *Saltus* Antyllo dicitur, in Gymnasiis duplex iterum: vel enim saltantes vacuis manibus seipsos in sublime agebant, de quo vide Aristot. *l. de Comm. animal. gressu*; vel manibus ponduscula capiebant, ut illis firmati vehementiùs saltarent; quæ ponduscula tametsi *Theophrastus* & Aristoteles ἁλτῆρας nuncupent (quorum hic *loc. cit.* Pentathlos Athletas halteribus utrâque manu comprehensis, majorem facere & concitatiorem saltum, quàm non comprehensis, ait) propriè tamen ἁλτῆρας peculiare fuisse exercitationis genus, ostendunt Eruditi. Modus *saltationem* hanc peragendi fortè hic fuit: Interdum per plura loca, continuatis *saltibus* saltabant, atque tunc limes, unde saliendi principium, βατὴρ dictus est, ut mensura κανών terminus verò ἐσκαμμένα, quem attingere, magna; præterire, maxima laus fuit. Aliquando ex humili loco saltabant in altum, aliquando contrà, ex alto in humilem: quorum illud laboriosius, & proin gloriæ majoris. Vide Aristot. *lib. probl.* & Theophrastum *de lassitud.* Neque solùm manibus ponduscula saltantes, ut meliùs exercerentur, habuêre, sed & graviora pondera, interdum supra caput, nonnunquam supra humeros, aliquando in pedibus gestaverunt, quemadmodum videre est in ænea tabula, quam, à Ligorio acceptam, in opus suum *de Arte Gymn.* transtulit Hieron. Mercurialis *l. 2. c. 11.* Vide quoque Casaub. *ad Augustum Suetonii c. 83.* ubi de variis *Saltuum* apud Veteres speciebus. Erant & qui supra utres oleô lubricos & vinô repletos pedibus saltarent, de quibus infrà in voce *Utres*: ut & de *Saltibus* Petauristarum suprà, *suô locô*, item voce *Ephalmatores*, *Petaminarii.*

SALTUS, apud Solinum, Pliniumque, *l. 8. c. 32.* ubi de cervis, cubile & lustrum est, καταδύσεις καὶ εὐναί, locus scil. editus & arboribus fruticibusque condensus, in quibus cubile suum & refugium habent cervi. Alias in genere montem notat sylva opacum. Unde *Saltuarius*, ὁροφύλαξ, de quo suprà. In agris publicè divisis, *cùm quinque centuriæ includuntur*, Saltus *appellatus* est, uti legimus apud *Siculum Flaccum.* *Varro* verò quatuor inclusas centurias sic appellatas esse, docet. Vide Salmas. *ad Solin. p. 679.* Computistis *Saltus*, de Luna, est ὑπερβολὴ κινήσεως. Cummianus Hibernus *de Controv. Paschali*, *Alium in Epacta, alium in augmento Lunari, quod vos Saltum dicitis.* Auctor *Queroli*, *Mercurius hunc iratus, Sol rotundus, Luna in saltu est.* Vide Scaligerum *de Emendatione Temporum l. 7.*

SALTUS Algiæ, Gall. *Saut d'Auge*, & correptè *Sotdauge*, vicus est Galliæ, ad caput saltûs Algiæ, in Lexoviis, inter duos amniculos, seu inter S. Petrum, & S. Barbaram, loca ita dicta, ex una parte, ex altera Condate ac Macerias, *Messieres*, interceptu, quo de vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Algia.*

SALTUS Castulonensis, mons Hispaniæ Tarraconensis in Bæticæ confinio, *Puerto Muradal* hodie: pars est montis Mariani, inter Castellam novam & Vandalitiam, ad fontes fluv. *Guadarrizas*, prope montem *Navas de Tolosa*, qui etiam pars est montis Mariani, juxta castrum *Darnas.* Vix 2. leuc. à Tolosa in Ortum, 13. à fontibus Anæ in Meridiem. Ibi Mauri maximâ clade ab Hispanis affecti, cæsis eorum fere 200000. Ibi transitus è Castella in Vandalitiam; Cui adjacet alter transitus minor, *Puerto del Rey*, in eodem saltu.

SALTUS Domini, mons altus, unde videtur mons Tabor & Hermon, civitas Endor, Naim & Jesreel, atque tota ferè planicies campi magni Esdrelon: in montem hunc tradunt transisse Dominum, quum eum Judæi volebant præcipitare, & subitò ad tactum vestis ipsius saxum subterfugisse, ac instar ceræ liquatum ac resolutum quendam effecisse sinum, quô corpus Dominicum muniretur & reciperetur, tantæ ubique capacitatis, quantæ ipsum corpus Domini cernit quantitatis.

SALTUS Ephraim, campus in tribu Gad, cui sylva à tergo.

SALTUS Galliani, pagus Æmiliæ apud Meldulam, hodie *Galeata.*

SALTUS Pyrenæus, vide *Pyrenæus mons.*

SALTUS Tugensis, Plin. *l. 3. c. 1.* Vide *Argenteus mons.*

SALTZA, fluv. Bavariæ inferioris *Saltzach.* Oritur in limite Comitatus Tirolensis, dein per Salisburgensem ditionem fluens, ipsam-

ipsamque bifariam secans, Salisburgum rigat, pauloque infra Burghusiam in Oenum sese exonerat.

SALTZBURGUM, Latinis *Juvavia*, à juvando *dicta*. Nam Germanos Jul. Cæsar aggressus, in faucibus montium arcem munitissimam extrui curavit, ut milites in eâ refugium, & satellites juvamen haberent. Inde castrum *Juvavense*, Germanicè *Helffenberin* appellatum est. Vide *Salisburgum*.

SALU, pater Zamri illius, qui cum Madianitide occisus est, Numer. *c*. 25. *v*. 5.

SALVA, Pannoniæ inferioris urbs *Ptol*. *Scalmar Lazio*, duobus à Buda milliaribus, Austriam versus.

SALVA Terra, castellum Galliæ, ad Garumnam, non procul à Manso Aginnensium *le Mas d'Agenois*, vulgò *Sauve terre*. Item vicus in Rutenis *Selveterre*. Item castrum pagi Benearnensis, inter Navarreinum & Bastitam, incolis *Salvaterre*. Nomen his locis, quòd essent castra munita & vicinos quoque salvos præstarent. Sic Vascones & Gothi quemlibet locum, cujus munimentis à vi externa servari poterant, *Salvitatem* nuncupavêre, *la Sauvetat*: Galli cis Ligerim Firmitatem *la Ferté*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SALPATICUS Porchæus, Vide ibi.

SALVATOR, cognom. Jovis in *veteri Inscr*. *Jovi custodi Quirino salvatori, pro salute Cæsaris Nervæ Trajani Aug. Col. Sarmiz*. Quanto potiori jure DOMINO nostro passim tribuitur, apud SS. Patres: quam vocem esse parùm Latinam, cùm censeant nonnulli, eos ab hac calumnia egregiè liberat Paulus Manutius *ad Ciceronem* 2. *Verr*. ubi vocem *Soter* pluribus exponit. Quorsum verò id, quod inter Pontificis Romani titulos, etiam hunc recenset Dominic. Macer *in Hierolexico*. Vide quoque Claud. Dausquejum *ad Basilium Seleuc*. *Orat*. 11. seu 1. *de Jona*, infrà in *Salus*, *Saphenat Paneah*, *Servator*, & *Soter*.

S. SALVATOR de monte Regio, Ordo militaris in Hispania ab Alphonso VII. Aragoniæ & Castellæ Rege A. C. 1120. institutus. Hic cùm urbem Monte-Regium, contra Valentiæ Mauros, extruxisset, Templarios ibi præsidiò esse jussit, quibus Conciliò Viennensi, A. C. 1311. extirpatis, illorum in locum, equites ex illustrissimis in Aragonia familiis, substituit. Hic Ordo dein, Mauris destructis, abolitus est. Mariana, *Hist. Hisp.* Zurita *in Ind.* Canonici *S. Salvatoris*, dicti vulgo *Scopetini*, in Italia, fundatorem habent, Stephanum Monachum Ordin. S. Augustini, A. C. 1408. Vide Moreri. *Diction. Hist.*

SALUC, Libyæ interioris oppid. *Ptol.*

SALVE Regina, in Ecclesia Romana sequentia est, seu antiphona, à Petro Compostellano composita, ut refert Durandus *Ration*. *l*. 4. *c*. 22. qui quando floruerit, non liquet. Meminit tamen illius sequentiæ, & alterius, *Alma Redemptoris* &c. Abbo *de Bellis Parisiacis l*. 1. S. Bernardus postea, *O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo*, adjecit. S. Ephræmius, composuit versiculum, *Dignare me* &c. Postea Gregorius IX. quâlibet feriâ 6. in Officio divino, in persecutione Friderici II. eam imperavit: quod successori illius Cælestino IV. tribuit Blondus *Decad*. 2. *l*. 7. uti habet Dominic. Macer *in Hierolexico*.

SALVE Supremum, apud Statium *l*. 3. *Sylv*. 3. *v*. 206.

Audit, & immites lenitè descendit ad umbras,
Verbaque dilectæ fert narraturus Etruscæ.
Salve supremùm, senior mitissime Patrum,
Supremumque vale ——

Salutatio est ultima, quâ in funebribus olim defunctum inclamare proximi solebant. De quo ritu etiam Virg. loquitur *Æn*. *l*. 11. *v*. 98.

—— Salve *mi maxime Palla*;
Æternumque vale ——

Nempe sic salutabant, qui resalutare non poterant, demortuos suos in æternum se amittere rati. Vide Desiderium Heraldum *Not. ad Martialem l*. 5. *Epigr*. 66. Joann. Kirchmannum Funerum *l*. 3. *c*. 9. Caspar. Barthium Animadversion. ad *Statium d. l.* & *suprà passim*, ubi *de Defunctis*, *Funere* &c. uti de verbo *Salve* sternutantibus acclamato infrà voce *Sternutatio*.

SALVIA, mater Apuleji. Item oppid. Triacensium in 5. Italiæ regione, *Ptol*. Alia *Leandro*.

SALVIA, vulgò *Sauve*, oppidulum Galliæ, in pago Nemausensi, non procul à Sumerio, *Sommieres*, à *Salvio* quodam, quod nomen viri apud Romanos proprium fuit, dictum. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* voce *Sumerium*. Aliàs herbæ nomen, verbasco similis, de qua vide Plin. *l*. 26. *c*. 6.

SALVIA Urbs, seu *Urbs Salvia*, *Urbisaglia*, castrum Piceni, sub Pontifice 6. milliar. à Tolentino in Ortum Tignium versus 15. *Magino* teste.

SALVIANUS, Episcopus Massiliensis, an presbyter? maritus Placidiæ, filiæ Hypatii ex Quieta, floruit secul. 5. Treviri oriundus, postquam in Provinciam se recepisset, Presbyter Massiliæ evasit: divinarum & humanarum literarum scientissimus, Præceptor Salonii & Veranii, Episcoporum. Vixit adhuc, A. C. 496. Scripsit libros 7. de Providentia Dei, & libros 4. de Ecclesia Catholica: qui cum aliquot epistolis ejus sæpius prodierunt. Gennad. *in Cat. Vir. Ill.* Hilar. Arelat. *Serm. de S. Honor.* Eucher. *ep. ad Salon.* Ado Vienn. *in Chron.* Trithem. &c.

SALVIANUS Calpurnius, sub Tiberio, Corn. Cosso, Asiniô Agrippâ Consulib. in exilium missus, quòd Drusum præfectum urbis, auspicandi gratiâ tribunal ingressum, adiisset accusaturum S. Marium, Tacit. *l*. 4. *Annal*. *c*. 36.

SALVIANUS Hippolytus, Castello Romandiolæ oriundus, Medicus, Romæ docuit 22. ann. scripsit *de Piscibus* &c. Obiit A. C. 1572. ætat. 59. Vide Anton. Teissier *Elog*. *l*. 1.

SALVIATUS Johannes, Vide *Johannes*.

M. SALVIDIENUS, memoratur Vopisco *in Saturnino c*. 10. ubi orationem, quâ Saturninus imperandi difficultates exposuit, cùm invitus ad Imperium raperetur à militibus, vere illius fuisse, affirmare hunc Scriptorem, ait.

SALVII, Vide *Sallyes*.

SALVITAS, Gall. *la Sauvetat*, nomen est variorum Galliæ locorum, à veterib. Vasconibus ac Gothis, quòd eorum munimentis ab externa vi defendi ac servari possent, appellatorum: cujus loco Galli Cis-Ligeritani *Firmitatem*, vulgo *Ferte* dixêre. Talis fuit *Salvitas* in Comitatu Gaurensi, non procul ab Auscis, *la Sauvetat de Gaure*: in Diœcesi Tomeriensi, *la Salvetat*; in Cadurcis *la Salvetat* similiter; in agro Tolosano, *la Salbetat*, & multæ aliæ in Gothia & Aquitania interiore *Salvitates*, quæ, quod loca munita essent, hoc nomen, ut dictum, nactæ sunt. Eandem ob rationem, *Salmurium*, quasi *Salvus murus* & *Salva Terra*, nomina sua recepêre. Vide Hadr. Vales. *passim*, inprimis in voce modò memorata, *Salva Terra*. Sed & *Salvitas*, apud medii ævi Scriptores, immunitas est data loco alicui, vel Ædi sacræ, vel Monasterio, à Principibus: quod à Civitatibus Refugii apud Israëlitas, Gentiliumque Asylis originem traxit. Limitibus tamen eadem similiter constricta est: uti habet Catellus ex veteri *Charta* A. C. 1132. *Occitanorum Rerum l*. 65. *Qui præsentes erant Episcopi, locum ad eandem* Salvitatem *circumeundo designarunt & ejus continentiam crucibus infixis terminaverunt. Quæcunque igitur persona, quidquid intra easdem cruces continetur, invaserit, prædatus fuerit, aut vexationibus fatigaverit, vel ad hoc consilium seu auxilium subministraverit, ita ut vel incolam, vel peregrinum, sive omnino aliquem in salvitate præfata læserit, aut quicquam abstraxerit, ex auctoritate P. C. T. SS. anathematizati erunt* &c. Ubi locus limitatus: Sed & crimina non quævis in iis tutum habuisse refugium, docet idem ex alia *Charta*, *in Comitibus Tolosanis A*. C. 1150. *Qui scienter occidit hominem injuriâ, non defendat eum Ecclesia, neque claustrum, neque salvitas*. Quam in rem plura vide apud Marcam *Histor. Benehatn*. *l*. 5. *c*. 13. *num*. 3. laudatum Car. du Fresne *in Gloss.* & *suprà*, ubi *de Asylis ac Refugii Civitatibus*.

SALVIUS, unus è librariis T. Pomponii Attici, quorum meminit Cicero *l*. 13. *Epist*. 44.

SALVIUS Coccejanus, Titiani fil. Othonis Cæsaris ex fratre nepos. Tacit. *Hist*. *l*. 2. *c*. 48. à Domitiano interfectus. Sueton. *in Domit*. *c*. 10.

SALVIUS Fusius inter eximii roboris viros recensetur à Plin. *l*. 7. *c*. 20.

M. SALVIUS Julianus, J. Ctus nobilissimus temporibus Commodi Cæsaris. Alii habent, sub Adriano & Antonino Pio. Sæpius Consul, magni apud omnes nominis fuit. Varia scripsit, quorum elogium habes, in *Institut*. Justiniani: inprimis Edictum perpetuum, archetypon Pandectarum. Mediolanens. autem fuit, pater an avus Didii Juliani? qui dein Imperator evasit. Spartian *in Did. Julian*. *c*. 1. & *in Adrian*. *c*. 18. Forster. *in vita Jurisc*. *Salvia* gentis stemma exhibet Æl. Spartian. in *Didio Juliano c*. 1. sed satis perturbatè; quod proin ad majorem lucem oculis sic subjicit Isaac. Casaub. *ad eum*.

Salvius Julianus bis Conf. JCtus, auctor Edicti perpetui sub Hadr.

Afer Hadrumetinus.

Salvius Julianus.

Æmilia Clara. Salvius Julianus.

Quorum illa nupsit *Petronio Didio Severo*, (filio Didii Severi, nepoti Didii Severi Insubri Mediolanensis) atque ex eo genuit *Didium Proculum*, *P. Didium Salvium Julianum Severum* AUG. & *Nummium Albinum*.

SALVIUS Valens, JCtus alius, sub Antonino Pio, Jul. Capitolin. *in vita Antonini c*. 12.

SALUMIAS, vicus in octavo lapide, à Scythopoli in campo, in tribu Issachar, Hieronym. *in Loc. Hebr.*

SALUR, Indiæ intra Gangem emporium, *Ptol.*

SALUS: Dea credita. Fingebatur in solio sedens, cum patera, penes quam ara: cui anguis involutus, caput attollens, unde *Salutaris porta* Romæ appellata, ab hujus Deæ æde, quæ proxima fuit. Nic. *Lloydius*. Græcis Ὑγίεια Ægyptiorum Isis est, quam φαρμάκων πολλῶν πρὸς ὑγίειαν εὑρέτιν *medicamentorum multorum inventricem*, apud Diodor. *l*. 1. gloriati sunt Ægyptii, à toto orbe coli, διὰ τὸ ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπιφανῆ, *ob præsens in medicando Numen: illamque invenisse* τὸ τῆς ἀθανασίας φάρμακον, *quô filium Orum* (h. e. Apollinem) *non tantùm in vitam reduxit, sed etiam immortalitatis participem fecit*. Idem *ibid*. Hinc Epidauri templum ab Antonino Senatore exstructum est Ὑγιείᾳ καὶ Ἀσκληπιῷ καὶ Ἀπόλλωνι ἐπίκλησιν Αἰγυπτίοις, *Saluti, Æsculapio & Apollini Ægyptiis*, Pausan. *l*. 2. Et SALUS AUG. occurrit in æneo Claudii nummo, in quo Isis cum sistro & situla, apud Pignorium *Mensa Isiacâ*. Simulachris porrò Æsculapii & *Salutis* draco subjungitur, quod in nummis obvium: verùm hoc de Æsculapio Græco accipiendum, qui Ægyptiô mille annis est recentior. Vide Joh. Marshamum Can. *Chron. Sec. I. ubi de Tosorthro*. Habuisse Romæ Fanum, prope Portam Salutarem, in monte Quirinali, testantur Festus *l*. 17. Sext. Ruffus in *alta semita*. P. Victor in 6. region. memoraturque Templum ejus frequenter Barthol. Marliano *Topogr*. *l*. 5. *c*. 24. Diem dedicationis seu inaugurationis *Natalem Salutis* appellatum fuisse, docet Cicer. *ad Attic*. *l*. 4. *Ep*. 1. Liv. *Dec*. 4. *l*. 10. *Decemviri libros inspicere; Consul Apollini, Æsculapio*, Saluti, *dona vovere & dare signa inaurata*.

inaurata, quæ voverit, dediitque. Idem Dec. 5. l. 1. Cæteris Diis perlitatum ferunt, Saluti Pestilium perlitâsse negant. Sunt & nummi, apud Latium Comm. Reip. Rom. l. 3. c. 12. in quibus scriptum, Salus Publica. Extatque Inscr. vetus p. 100.

SALUTI. PERPETUÆ.
S.

Neque verò placet eorum opinio, qui Salutem ab Augusto Principe consecratam censent, cùm Cicero votum ei Fanum, ante Augusti Imperium, testetur de Nat. Deor. l. 2. Imò ædem ei dedicavit, primus Qu. Junius Bubulcus Liv. Dec. 1. l. 10. eamque Fabius pinxit annô Urb. Cond. 450. quam picturam ad ætatem usque suam durâsse, refert Plin. l. 35. c. 4. Salutem itaque Augustus abolitum, jam & intermissum Salutis augurium renovavit, Cl. Suetonius in eo c. 31. Dicebatur autem Salus ista Publica, ut etiam vult Joh. Saresberiensis Policrat. l. 3. c. 1. seu, ut alii volunt, Popularis. Vide Varronem L. L. l. 4. & Augustinum de Civ. Dei l. 3. c. 25. adde Dionem l. 54. sub fin. Dedicatio incidit in diem 3. Kal. Apriles. Vide Fastos, & Ovid. Fastorum l. 3. in fin. ubi sic habet,

Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus araque Pacis erit.

Diu verò post hæc tempora, Neronis nempe Principatu, ædes Salutis structa est, observante Joh. Cuspiniano, in Fastos. Aur. Cassiodori, ex Tacito Annal. l. 15. Sed quod Romanis erat Salus, id Græcis Θεοὶ Σωτῆρες, i. e. Dii Salvatores: quô epithetô Dioscuros insignes fuisse, legimus apud Ælian. Var. Hist. l. 1. c. 30. Nilum, apud Heliodorum Æthiopic. l. 9. Jovem inprimis, apud Polluceem Onomastic. l. 6. c. 16. Athenæum l. 15. c. 20. alios: quem æde structâ veneratos esse Græcos, tradit Pausan. Corinth. ut & Epidaurios, Idem Laconic. cuique in omni convivio, post Jovem Olympium & Heroas, tertium poculum sacrum erat, Διὸς σωτῆρος dictum, ut Schol. Pindari ex Æschylo & Sophocle ad Isthmior. od. 6. tradit. Neque verò Dii solùm, penès quos tutela & salus hominum esse credebatur, sed & homines, qui in difficili & ancipiti angustia constitutis liberatum subvenissent, Σωτήρων appellatione venire consueverunt, uti discimus ex Heliodoro, Æthiop. l. 2. Interim non eadem in Diis memoratis appellationis hujus ratio fuit. Castor enim & Pollux, quòd è tempestatibus liberare crederentur: Nilus, quòd Ægyptum fœcundaret: Jupiter, quòd, mixtis pluviâ poculis vino semiplenis, salutarem hujus usum mortales docuisset: Salvatores seu Σωτῆρες dicti sunt. At Redemptor noster omnia hæc, imò longè plura, unus præstat: solus proin ΣΩΤΗΡΟΣ (cujus vocis vim exprimere se satis non posse fassus est ipse facundiæ Rom. Parens) elogiô dignus, Deus in secula benedictus! Nec omittendum, Salvatores hos Deos, quos Σωτῆρας nomine indigitavit Antiquitas, Paredros, opitulatores, seu assistentes, quoque vocatos reperiri, apud Ælian. quam vocem ad Judicium transfert Pollux Onomastic. l. 1. c. 10. ut sit παραστάτης, qui alicui in judicio præstò est, favet, tuetur. Quô sensu Apollo de se, apud Ovidium l. 1. Met. v. 521. ait,

—— —— Opiferque per orbem
Dicor.

Vide Thom. Dempster. Paralipom. ad Rosin. l. 1. c. 14. ac infrà Soter. Et quia Salutis augurii, quod οἰώνισμα ὑγιείας Dioni, cujus multa apud veteres Scriptores mentio, suprà meminimus, quid illud fuerit, ex Dione l. 37. paucis indicabo; Ita autem is: Annô, inquit, tunc spatio Romani bellis vacarunt, ita ut longo tempore intermissum augurium Salutis repeterent: Est autem quoddam divinationis genus, quo probatur, concedantne ipsi Dii, ut populo Salutem postulent, quasi nefas esset, eam prius, quam concedatur, petere. Ad id dies destinatur singulis annis, ad quam diem nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis in aciem, aut pugnatum sit. Hanc ob causam in continentibus malis maximèque intestinis non celebratur: alioquin etiam difficillimum est Romanis, ut eam diem exactè ab his omnibus puram servent. Præterea, absurdissimum est, cum ipsi sese mutuò, seditionibus ultro, malisque infandis, affligant, ut sive vincantur, sive adeo vincant, in miseriis sint, ita salutem a Deo velle flagitare. Vide quoque Angelum Politianum in Miscell. c. 23. & Casaubon. ad Trebellium in Galienis. c. 5. Addatur ex Macrob. Saturnal. l. 1. c. 16. tam sanctè ac religiosè Numen hoc Romanis cultum fuisse, ut etiam, quoties quis Salutem Deam nominâsset, feriæ illis essent. Joh. Rosin. Antiqq. Rom. l. 2. c. 18.

SALUS, avicula, quæ aliàs Ægithus, ut videre est apud Bochart. Hieroz. Part. posterior. l. 2. c. 23. ubi exponit verba illa Siracidis c. 11. v. 31. [illegible] Sed & Salus, Græcè σαλὸς, stultus est, quô nomine propter Christum nonnulli inter Sanctos Græcorum appellati [illegible] simulando, pietatem insigniorem hoc stulti velo, propter Christum, occultaverint. Davidis fortè exemplô, qui in Aula Regis Philistæorum, desipere videri voluit, & occasione verborum Pauli. Inter hos Græci memoriam colunt in Menæis S. Simeonis 21. Julii & S. Theodori 25. Februarii. Adde Evagrium l. 4. c. 34. & Palladium in Histor. Lausiac. c. 42. ubi legimus, [illegible] quæ verba exponit vetus Interpres: Vos estis fatui, apud Car. du Fresne in Glossario. Porro sic dictus est nummus aureus in Francia ab Henrico VI. Angliæ Rege cusus, quòd in eo effictæ esset, Annunciationis Deiparæ sub Salutationis Angelicæ, ut ait idem, figura, pone utrumque scutum Franciæ & Angliæ, cum volumine continente AVE, inter utriusque capita, & hac Inscript. HENRICUS. DEI. GRATIA. FRANCORUM. ET. ANGLIÆ. REX. In aversa parte, crux plana inter lilium & leopardum, ponderis 3. denar. 1. gran. pretii 25. sol. Turon. cum 4. parte remedii, pond. 63. den. ad marcam. 6. Febr. 1422. Dicti sunt hi nummi Gall. Saluts aux armes de France & d'Angleterre, h. e. Salutes cum armis Franciæ & Angliæ. Typum exhibet Car. du Fresne in voce Moneta. Occasionem iis præbuerit moneta aurea, eodem annô, ut & priore, cusa à Carolo VI. Francorum Rege, qui nummi itidem Salutes cum armis Franciæ, Gall. Saluts aux armes de France, dicti sunt: in quorum altera parte scutum cum tribus liliis effictum, inter Angelum & Deiparam; in volumine scriptum, AVE, suprà radii cœlestes emicant; in altera visitur crux plana inter duo lilia, cui subest litera K. cusi ad 24. Karats, 8. parte minus, pond. 3. den. 1. gr. & pretii 25. sol. Turon. ponderis 63. den. ad marcam Paris. Hinc semisses eorum, sub eodem cusi, Demi-saluts; Vide eundem d. l. & Monstreletum Volum. 1. c. 251. Apud Suenonem tandem in Histor. Dan. c. 5. Missi sunt itaque Legati, qui --- Reginam convenirent, pariterque salutes perferrent Imperatoris & simul ejus donaria regiaque munera offerrent. Et in Inscr. sepulchri Benedicti Episcopi Albinganii, editâ A. C. 1469. apud Ughellum,

------ Et egenis quascumque Salutes
Concedebat eum minister amore superna &c.

Vox Salus seu Salutes, notat Xenium, unà cum salute offerri solitum: Atque hinc præstationem, quæ ultra debitum censum aut debitam pensitationem, statutis temporibus, eodem ritu Dominis exhiberi solebat, apud Petr. Diaconum Casin. l. 4. c. 53. Ut haberet inde annuum reditum — præter consuetas salutes. Vide eundem Glossarii Auctorem, in voce Salut. Templum eodem nomine Venetiis magnificum habes apud Cl. Sponium Itinerar. part. 1. p. 76. &c. Plura de hac voce vide apud Cl. Suicerum Thesauri Eccl. voce Σωτηρία, num. 1. item voce Εὐλογία, num. II. 3. & voce Πίστις, sub lit. B. a. ubi de usu ejus sacro, nec non infrà, non uno locô, inprimis voce Soter & ubi de nummis Sotericiis. Addam quædam de voce Salutaris, inde derivata. Et quidem, præter jam dicta, occurrit, Salutaris, inter Jovis epitheta, apud Pollionem in Galienis c. 5. Sed & regio, ut visum, eodem nomine venit. Meminit ejusdem Notit. vetus provinciarum Romanarum, hôc modô: In Asia provinciæ XII. Asia ipsa, in qua est Ilium, Lycia, Galatia, Lydia, Caria, Hellespontus, Pamphylia, Pisidia, Phrygia prima, Phrygia Salutaris, Lycaonia, Cyclades. Ubi cùm utramque Phrygiam secludat ab Asia, miratur Salmas. cur in Asia ponat Ilium, quæ Phrygiæ minoris fuit. Addit, videri posteriores ex Phrygia Magna duas provincias fecisse, primam & secundam, illamque Pacatianam, hanc Salutarem, at quæ Phrygia minor olim appellata est, Troadem, fuisse dictas. Certè Constantinus [illegible] Thracesiorum Themati vindicat; & tamen utramque Phrygiam, Salutarem & Pacatianam, quam ipse vocat [illegible], sub Anatolicæ provincia collocat. Sic utraque illa Phrygia, Salutaris & Pacatiana, una fuit olim Phrygia Magna. His enim verbis idem Constantinus [illegible] determinat: [illegible] Initium namque ejus à Cinnopoli, quæ Mernis dicta est, & Phrygia Salutaris appellatur, Iconium usque. Iconium autem Lycaoniæ oppid. erat, quô Phrygia Magna finiebatur. Habuit hæc provinc. Præsides, sicut Pisidia, Lycaonia, Phrygia, Pacatiana, Lydia & Caria; qui dispositioni Vicarii Asianæ Diœcesis suberant. Vide Salmas. ad Solin. p. 806. Sed & Salutaris Porta Romæ, ubi salutabatur, qui in provinciam pro Prætore aut pro Consule exibat, memoratur Festo Pompejo &c.

SALUSA, fil. Suph. 1. Paral. c. 7. v. 37. Latin. trinus, principalis, vel dux.

SALUSTIUS, Prætorio Præfectus in Christianos sævus, circa A. C. 363. Rufin. l. 1. c. 36. Theodor. l. 3. c. 15.

SALUSTIUS Obeliscus, Vide suprà Obeliscus.

SALUTANDI Deos maritimos, conspectis terrarum oris, consuetudo, occurrit, apud Statium Theb. l. 4. v. 805.

---- Sic Ambracas per littora Portis
Nauticus in remis juvenum, monstrante Magistrô
Fit sonus, inque vicem contra percussa reclamat
Terra, salutatus cum Leucada pandit Apollo.

Ex Propemptico Crispini, l. 3. Sylv. 2. v. 23. ubi de nave ejus,

Prima salutavit Capreas, & margine dextrô
Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.

De qua vide Caspar. Barthium Animadversion. ad locâ hæc. De ritu salutandi Ampullam Chrismatis, diximus suprà. Plura verò de Salutandi apud Veteres ritu, hîc infrà.

SALUTANDI Patronos ritus, apud Romanos, memorabilis. Nempe Salutatores Romæ passim divitum & potentiorum limina obibant & matutinum Ave (hæc enim salutatoria vox erat) portabant. Martialis l. 1. Epigr. 56. v. 6.

Et matutinum portat ineptus, Ave.

Eorum statio vestibulum fuit. A Gellius l. 4. c. 1. In vestibulo ædium Palatinarum omnis ferè ordinum multitudo, opperientes salutationem Cæsaris, constiterant. Sed & Salutatoriorum cubiculorum meminit Plin. l. 15. c. 11. Omnia jam, (coronariorum genera) & virorum salutatoriis cubiculis inclusa, simulachris nollium consciis imposita. Ubi cubicula sic vocari, in quibus divitem è dormitorio suo prodeuntem communis salutabat amicus, illaque imaginibus variis ornata fuisse, ait Dalechampius. Vide Casaub. ad Sueton. p. 70. Horâ antelucanâ, & quidem potentiores horâ primâ, vel secundâ matutinâ, salutabantur, ut idem Poëta alibi indigitat. Hinc Juvenal. Sat. 5. v. 19.

---- Habet Trebius propter quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere, sollicitus, ne
Tota salutatrix jam Turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quô se
Frigida circumagunt pigri Serraca Boota.

Vestis, Toga: Idem Poëta Sat. 3. v. 126.

Quod porrò officium, (ne nobis blandiar,) aut quod

Pauperis

Pauperis hic meritum : si curret nocte togatus
Currere ?

Præmium, cœna recta, vel sportula, sive pecunia vel obsonium, quæ pro salutationis officio distribui solebant, de quibus sæpe jocantem adi *Martialem* : Hinc iterum Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 183.

------ -- --- ------ *Omnia Romæ*
Cum pretio : quid das, ut Cossum aliquando salutes ?
Ut te respiciat clausó Vejento libelló ?

Numerus ingens : Virg. *Georgic. l.* 2. *v.* 461.

------ *Ingentem foribus domus alta superbis*
Manè salutantum totis vomit ædibus undam.

Cui turbæ præfuit aliquis, saltem in ædibus Cæsarum, *Officii curator*, in *marmore veteri* dictus : hôc enim nomine officiosa illa *salutandi* ratio insignitur apud Auctores. Hinc apud Phædrum *l.* 1. *fab.* 30. *v.* 4.

Asellus Apro cùm venisset obvius,
Salve, inquit, Frater. Ille indignans repudiat
Officium.

Et Aristippus, apud Horatium *l.* 1. *Ep.* 17. *v.* 21.

Officium facio. ------ ------

Gallicè, *je fay ma cour aux grands*, &c. Vide suprà in voce *Officiosi.* Principum autem *salutationes* aliquid adorationis admixtum habuêre. Sueton. *in Vitellio c.* 2. *Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorari, ut Deum, instituit : cùm reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velató circumvertensque, deìn procumbens.* Gestus enim habitusque Deos adorantium is erat, ut velatô capite, dextrâ manu labris admotâ, priore digitô, in erectum pollicem residente, corpus dextroversum circumagerent, ut ex Lucretio *l.* 5. Macrobio *Saturnal. l.* 1. *c.* 8. Plut. *Quæst. Rom.* 10. Appulejo *Milesi. l.* 4. *Minutio Felice*, aliis, liquet. Quem religiosum *salutandi* morem, cùm Diocletianus Imperator quoque admisisset, mansit is ex parte & sub insecutis Principibus. Vide quæ suprà diximus in voce *Mater*, it. *Osculum*; namque hæc non olim solùm, sed & hodie, inter amicitiæ ac *salutationis* indicia : nec non ubi de *Adorandi ritu*, & phrasi *Purpuram adorare* : infrà verbo *Videre.* Et hæc quidem pænè publica fuit *Salutatio*, illa privata, quam apud Sueton. *c.* 4. Galba Sulpicius *exoletam alibi, in domo sua obstinatissimè retinuit; ut liberti servique bis die frequenter adessent, ac manè salvere, vespere valere sibi singuli dicerent.* Communis salutationis inter æquales solemnem formulam fuisse, *Ave Frater*, ex *loc.* Phædri *cit.* liquet : aliàs nomine quemque propriô compellârunt. Petitores verò seu Candidati civium quemcunque honestiore vocabulô, *Patris*, *Fratris*, *Patroni*, compellare solebant. Post puerperium feliciter transactum, gaudium & *salutatio*, inter amicos & clientes, his verbis peragebatur, *Hodie nate salve*, apud A. Gellium *l.* 12. *c.* 1. & Plautum *Pseudolo*, *Act.* 1. *Sc.* 3. ab Oriente ad Romanos delatô more; quam gratulationem prout quis ad publicum bonum, vel damnum natus videbatur, variabant. Sternutantes genu flexo *salutari* fuisse solitos, testatur Athenæus *Dipnosoph. l.* 2. *c.* 27. apud Græcos videl. qui sternutamenta aliquid divinitatis habere credebant : Latinis ea inter minimæ dignitatis omina reponentibus, Plin. *l.* 2. *c.* 7. Iidem Græci hospites ad epulum invitatos, si pueri essent, osculi genere, quod *χύτραν* vocavêre (cùm nempe arreptis utrinque auribus illos osculabantur) si provectiores, osculô manuum & amplexu exceptos *salutabant*, verbô *ἦμιε*, i.e. *vir honeste.* Unde Euripides *in Suppl.*

------ Ὅς εὐτυχεῖ, ἦμι⊗ γεραίζεται.

Hebræi itidem *salute* defungebantur, usi tum verbis, tum gestibus. Verba erant, *Dominus tecum* : Item *Benedicat tibi Jehova*, Ruth. *c.* 2. *v.* 4. Quæ posterior formula adeò usitata fuit, ut *benedicere*, pluribus in locis Scripturæ, *salutare* significet. Vide 2. Regum *c.* 4. *v.* 29. & Tertullianum *adv. Marcionitas l.* 6. Aliquando dicebant : *Pax tecum*, *Pax super te*, *Abi in pace*, Matthæi *c.* 10. *v.* 12. 13. Vide suprà *Pax vobis.* Gestus fuêre, corporis inclinatio, imò prostratio, pedum deosculatio, Lucæ *c.* 7. *v.* 38. communiter, vulgare osculum, Exod. *c.* 18. *v.* 7. & Gen. *c.* 45. *v.* 15. quod Apostolo 1. Cor. *c.* 16. *v.* 20. dicitur *Osculum sanctum*, 1. Petri *c.* 5. *v.* 14. *Osculum charitatis* : Tertulliano *Osculum pacis.* Vide Drusium *ad loca diffic. Exod. c.* 12. Nec mortui suâ *salutatione* carebant: Postquam enim Præfica, exequiis perfectis, novissimum verbum illud, *Ilicet*, altâ voce pronuntiâsset; qui comitati funus erant, domum abituri, extremum vale eodem sono, inclamabant, hoc modô : *Vale, vale, vale, nos te ordine, quô natura permiserit, sequemur.* Quo de more Varro *Logist.* loquens, *Ideo*, inquit, *mortuis Salve & Vale dicitur : non quòd valere & salvi esse possint, sed quòd ab his recedamus, eos, nunquam visuri*, &c.

SALUTANDI ritus olim inter Albigenses receptus talis. Salutabant amplexando, ponendo manus ad utrumque latus, & vertendo caput ter ad utrumque humerum dicendo qualibet vice, *Benedicite*, ut apparet ex sententiis illorum, *in libro Sententiar. Inquisit. Tholos.* Sed & aliquando id factum fuit flexis genibus : aliquando manibus ad terram usque demissis. Aliquando etiam fuit requisita. Sic legitur de quodam, *requisitus per dictum hæreticum quòd genu flecteret coram eo, & diceret, Benedicite, tunc genu flexit, & dixit Benedicite coram eo : & hæreticus respondit, Deus vos perducat ad bonum finem. Ibid.* Quod quid sit, vide suprà *Bonus Finis.* Nec ab iis solùm, qui recipiebantur, hanc Salutationem requirebant, verùm & qui inter ipsos *Perfecti* vocabantur, aliosque recipiebant, in mutuo occursu hunc salutandi morem observâsse, legimus *ibid.* in sententia Amelii de Perlis, quòd ipse & Petrus Auterii coram Inquisitoribus *mutuâ adoratione sese invicem salutârunt; ac ambo unus alium mutuò coram ipsis proni in terram more hæreticali adoraverunt, & ejusdem sectæ esse se ipsos dixerunt, & se aliàs pluries adorâsse more consimili ibidem recognoverunt.* Ceremonia hæc *Melioramentum* videtur dicta, *ibid.* ubi de quadam muliere habetur, *quòd viderit quandam personam genu flectentem coram Petro Auterii in domo sua prædicta, & tunc ipsa fuit requisita, ut faceret Melioramentum suum coram dicto hæretico, sicut alia faciebat, & tunc ipsa cœpit genu flectere coram dicto hæretico, & nescivit facere Melioramentum prædictum; & tunc --- præsentes inceperunt videre, & ipsa fuit verecundata & recessit inde* : apud Phil. à Limborch *Historia Inquisit. l.* 1. *c.* 8. Vide & suprà voce *Consolati.*

SALUTARIA, Syriæ, aut Euphratensis urbs. *Lib. Notit.*

SALUTARIS, vocatur pars Macedoniæ, Phrygiæ, Palæstinæ, Syriæ, & Galatiæ. *Lib. Notit.*

SALUTATIO, in Isidis Sacris, vide suprà *Excitare*, *Isis.*

SALUTATIO Angelica, in Ecclesia Romana, in invocatione Mariæ Virginis Θεοτόκου ut plurimum adhiberi solita, concinnata est, partim ex Angelica Salutatione, partim ex verbis Elizabethæ, partim ex aliis aliunde postmodum additis. Sic enim ea sonat, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.* E quibus priora verba occurrunt apud Lucam *c.* 1. *v.* 28. & 42. ubi in Græco habetur, Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξί : quæ sunt verba Angeli. Item εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σοῦ; quæ verba sunt Elisabethæ. At posteriora, nempe verba illa, *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, seculô V. ultima verò, *Nunc & in hora mortis nostræ*, demum Pii V. jussu, adjecta esse, docet Dominic. Macer *in Hierolexico.* Idem, signum campanæ, quô ter in die datô Christiani moneantur, ut salutationem hanc recitent, institutum fuisse ab Urbano II. præcipue matutinum & vespertinum, ut omnes fideles hâc oratione, pro recuperatione Terræ Sanctæ Deum precarentur, dum illô bellô erant occupati, addit. Quæ consuetudo postquam 134. annos durâsset, neglecta est, usque ad Gregorium IX. qui illam denuo in usum revocavit, additô meridianô signô. Platina tamen & Ciacconius à Calixto III. id institutum contendunt, victoriæ in Hungaria tunc obtentæ causâ. Ludovicus postmodum XI. Galliæ Rex Kalendis Maji, ut per totam Galliam idem fieret, præcepit. Quod vero, sub initium concionis, recitari debeat, primus Dominicus, ordinis sui auctor, sive, ut alii volunt, Vincentius Ferrerius, ordinâsse legitur. Vide eundem Macrum *in Hierolexico*, ubi & *de Salutatione Beatissimorum* &c. de *Salutationis verò ritu in Paschatis die*, in vocibus *Diptycha* & *Pascha* : nec non suprà in voce *Rosarium.*

SALUTATORES, Deductores, Assectatores, tria sunt nomina & genera sive clientum, sive amicorum, qui attendendi ad honores adspiranti, Romanis moribus, apud Q. Ciceronem *l. de Petit. Consul.* Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad Stat. l.* 2. *v.* 353. & suprà ubi de *Salutandi ritu.*

SALUTATORIUM, in Communione Romana in Monasteriis Virginum, locus est, in quo ad *salutandum* advenientes excipiuntur. Præsertim verò sic appellata est exedra Ædi sacræ adjuncta, ubi Episcopi, priusquam sacra peragerent, salutationes adventantium excipiebant, apud Latinos Græcosque. Sed & ibi indui ac præparari solebant. Gregorius M. *l.* 4. *Ep.* 54. ubi Marianum Ravennæ Archiepiscopum monet, ne extra celebrationem Missæ, pallió utatur : *Non aliter*, inquit, *te uti memineris pallió, nisi in propria tuæ Civitatis, dimissis jam filiis, Ecclesia, procedens à Salutatorio, ad sacra Missarum solennia celebranda, peractis verò Missis, idem in* Salutatorio *rursus curabis deponere.* Ibidem, propter angustiam loci, nonnunquam habitâsse sacrorum Ministros refert Gregorius Turonens. *l.* 2. *c.* 21. *Et quia eò tempore Ecclesia parvam intra Muros possessionem habebat, ipsi Sacerdoti, in ipso, quod modò* Salutatorium *dicitur, mansio erat*, apud eundem Macrum *l. cit.* Vide quoque Car. du Fresne *in Descr. Ædis Sophianæ num.* 88. Suicerum voce Ἀσπαστικὸν, ut & suprà in voce *Aspaticum*, it. *Prævula.* De *Salutatoriis* verò *Cubiculis* Romanorum diximus, ubi de *Salutandi ritu.*

per SALUTEM Cæsarum jurandi ritus, Christianis veteribus in usu, vide suprà ubi de *Juramento* : uti de ritu per *Alexandri Salutem* jurandi, Macedonibus olim frequentato, Curt. *l.* 6. *c.* 11.

SALUTES, Gallicè *Saluts*, nummi dicti sunt aurei, sub Carolo VI. Galliæ Rege & Henrico VI. Angliæ Rege in Gallia cusi, de quibus vide suprà in voce *Salus.* Item xenia & præstationes, quæ cum *salutationis* ritu offerri solebant, *Ibid.* Vide quoque infrà *Visitatio.*

SALUTIARUM Marchionatus, provinc. est Pedemontii, ad radices Alpium, A. C. 1600. concessa Sabaudiæ Duci ab Henrico IV. Galliæ Rege locô Bressiæ, cum Bugesia, Gesia & Verromæa regiunculis cis Rhodanum. Inter Pedemontium ad Boream & Ortum, Delphinatum ad Occasum, & Comitatum Niceæ ad Meridiem. Ejus Caput est Salutiæ, olim *Augusta Vagiennorum*, sita in colle, cum arce egregia & templo magnificentissimo. Sed pendet etiam ex ea Carmaniola, in Pedemontio proprio inserta. Vide *Salinæ.*

SALUTIGERULI Pueri, comitatûs portio apud parùm pudicas mulieres olim fuêre; qui dominarum jussu hunc illum *salutabant*, erantque nuntii, internuntii, renuntii. Meminit eorum, ubi mores mulierum perstringit, Plautus *Aulul. Actu* 3. *Sc.* 5. *v.* 24.

M. *Nulla igitur dicat; Equidem dotem ad te attuli*
Majorem multò, quàm tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem æquum est, purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, Muliones, Pedisequos,
Salutigerulos *pueros, vehicula, qui vehar.*

Eosdem idem *Damnigerulos* vocat; Item *Gerrones* & *bonorum Exagogas.*

gas, ut qui ad scortilla etiam insiccissima dominorum bona jussi efferebant, *Trucul. Act. 2. Sc. 7. v. 1.*

> *Ite, Ite hac simul Mulieri, damnigeruli, foràs gerrones,*
> *Bonorum exagoga.*

Juvenalis de iisdem *Sat. 14. v. 28.*

> *Ut non ter decies respiret? conscia Matri*
> *Virgo fuit: ceras nunc hac dictante pusillas*
> *Implet, & ad mœchum dat eisdem ferre cinædis.*

Quò respiciens *Salutigerulos Dæmones* habet Appulejus de Deo Socr. inquiens *Hos Græcò nomine Δαίμονας nominant, inter terricolas cœlicolasque vectores, hinc precum, inde donorum: Qui ultro citroque portant, hinc petitiones, inde suppetias; ceu quidam utriusque Interpretes ac Salutigerulos.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*; & Titi Popmam *de Operis Servorum.*

SALUTIO, Vide *Salatio.*

SALUVII, Latinis dicti, qui Græcis Σαλύες. Vide Salmas. ad *Solin. p. 95.* ut & in voce *Salyes.*

SALVUS Cassetta, Dominicanorum Generalis, A. C. 1481. A Papa Sixto IV. in Germaniam missus, Alberti M. sepulchrum aperuit. Panormo Siculus, obiit A. C. 1483. Scripsit vitam Vincent. Ferrerii, &c. Leand. Alb. *de Vir. Ill. Ord. Præd. Anton. Senens.* &c.

SALVUS Conductus. vide suprà *Conductores.*

SALVUS Lotus, in Theatris olim acclamatum à Gentilibus, cùm Martyres feris objectos propriô sanguine perfusos videbant: Quia enim à Christianis audieu acceperant, lavacrô Baptismi salvos fieri credentes, quam fidem propriô sanguine obsignare Martyres non detrectabant; hinc illos sanguine in Amphitheatris suô conspersos cernentes, cruentô hôc sarcasmô excipiebant, *Salvus Lotus.* Auctor *Passionis* Perpetuæ & Felicitatis, per Holstenium editæ, *Et statim in fine spectaculi, leopardò ejectô, de uno morsu tantò perfusus est sanguine, ut populus revertenti illi secundi Baptismatis testimonium reclamaverit: Salvum lotum, Salvum lotum. Planè utique salvus erat, qui hôc modô se laverat,* apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

SALYES, populi Occidentales qui contra Romanos bellum gesserunt, *Steph.* Falsò, cùm sint Gallorum maximè meridiani, *Vales.* Vide quoque *Salyes.*

SALYI, vel SALYES, in Romanis tropæis *Salluvii*, apud *Goltzium*, i. e. *Salluvii*, ut eos vocat Amm. Marcellin. *l. 15.* Floro *in Epit. l. 60.* nunc *Transalpini Ligures*, nunc *Falauii*, vel *Salauii*, pro *Saluvii*; *Straboni Salyes*, populi Galliæ, à Mari Gallico sive Massilia, usque ad flumen Druentiam, sedes suas habebant. Idem eos oræ maritimæ imminentes Alpes incolere ait, i. e. montes, ac partem litoris *Græcis missas*, nimirum Massiliensibus; quos prisci Græci Λίγυας sive Ligures, & eorum regionem Ligusticam, posteriores Κελτολίγυας, h. e. *Galloligures*, vocitaverint: Item oram maritimam tenere Massilienses & *Salyes*, usque ad fines Italiæ. Quod de Massiliensibus quidem, Antipolim & Nicæam ad Alpes occupantibus, verè dictum esse: at non *Salyes*, verùm Deciates & Oxubios, Alpes tangere, contendit *Valesius.* Si Plinio *l. 3. c. 5.* creditur, *Ligurum celeberrimi ultra Alpes Salyi* fuerunt, tum Deceates & Oxubii: & Vercellæ Libicorum ex Salyis ortæ sunt. Florus *l. 3. c. 2.* eos *primos trans Alpes arma Romana, cùm de incursionibus illorum Massilia quereretur, sensisse*, memoriæ falsò tradidit: quippe Q. Opimius Cons. Oxubios & Deciates, *Massiliensium fœderatorum oppida Antipolim, Nicæamque* vastantes, antè subegerat, ut Epit. *l.* 47. T. Livii addocet. Teutomalium *Salviorum* Regem à Romanis victum Allobroges receperunt: ideo bellum illis illatum. Caput eorum Aquæ Sextiæ, de quibus vide *suprà*: Arelatum quoque & Tarasconem ad Rhodanum, huic genti attribuit *Ptol.* à quo Σάλικες mendosè, pro Σάλυες, nuncupantur. Hadr. Vales. in voce *Aquæ Sextiæ Salyorum.*

SAMA, fil. Jechoniæ, 1. Paral. *c. 3. v. 18.*

SAMA, civitas in tribu Juda, Jos. *c. 15. v. 20.* Nomen viri, 1. Paral. *c. 8. v. 13.* Latinè, *audiens*, vel obediens.

SAMAA, frater David, 2. Sam. *c. 21. v. 21.* Fil. Merari, 1. Paral. *c. 6. 9. 39.* Latinè Idem.

SAMAA, fil. Macelloth, 1. Paral. *c. 8. v. 32.* Latinè, *nominatus*, vel *appositus*, aut *perditio*, vel *desolatio.*

SAMACHONITES, vel Semechonites Lacus; Σαμαχωνῖτις, vel Σεμεχωνῖτις λίμνη, apud Josephum *Jud. Antiqq. l. 5. c. 4.* *Aquæ Merom*, Josuæ *c. 11. v. 5. 7.* unus fuit ex tribus lacubus, ad Jordanis fontes, longus 60. stadia, latus 30. *Josuæ* sic à situ, quòd *superior* esset, *Josepho* à *piscatione* dictus est ac ubertate piscium. *Samachon* enim vel *Semechon* Arabicè, piscis est. Inde *Semechonitæ* populi, eidem *de Bell. Jud. l. 4. c. 1:* & regio *Semechonitis*, *l. 3. c. 2.* ubi Peræam ad ortum terminari dicit Ἀραβίᾳ τε καὶ Σεμεχωνίτιδι; *Arabiâ & regione Semechonitide.* Quò pertinet, quòd Arabiæ nomen Chaldæus Interpres passim reddit *Sumchuathus* 1. Regum *c. 10. v. 15.* Jerem. *c. 25. v. 20.* & Ezech. *c. 30. v. 19.* Sed & huc referendum, quòd à Kimchio *in Psalmum 24.* septem marium terræ Cananææ unum vocatur, 'ימא סכ' *Mare Sochai*: omnino enim legendum 'סמכו i. e. *Semechonitæ.* Quod ex ipso ordine colligas, *Et hæc sunt septem Maria, Mare Magnum, mare Sochai, mare Tiberiadis, mare Salsum &c.* Ubi *Mare Magnum*, est mare Mediterraneum: *Mare Sochai*, est lacus Semechonites seu Samachonites, in ipsis Jordanis fontibus, ut mare Tiberiadis in medio & *mare Salsum*, i. e. Lacus Asphaltites, in Jordane extremo. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 1. c. ubi de Piscibus in specie.*

SAMAD, fil. Elphaal. 1. Paral. *c. 8. v. 12.*

SAMAJA, Pater Semri, 1. Paral. *c. 4. v. 37.* Fil. Joël, 1. Paral. *c. 5. v. 4.* Vir Gabaonites, 1. Paral. *c. 12. v. 4.*

SAMAMYCII, populi juxta Syrtim magnam, *Ptol.*

SAMANA, Insula una ex Lucajis, in mari Boreali inter Insulas S. Salvatoris ad Boream & Majaguanam ad Meridiem: Ab Anglis habitata

SAMAOTH, nomen viri, 1. Paral. *c. 27. v. 8.*

SAMARA, promontor. in Oceano Orientali, ubi desinit Caucasus.

SAMARABRIÆ, gentes circa Indum, Plin. *l. 6. c. 20.*

SAMARAIM, Civitas in tribu Benjamin, Jos. *c. 18. v. 22.*

SAMARDACUS, homo ridiculus. Chrysostomus *ad Ephes. Hom. 18.* Οὐχ ὁρᾷς τοὺς ἀγυρτικῶς γελῶντας, σαμαρδάκους ἢ ἄλλους τινὰς ἀγυρτὰς. Vide Martinium *in Etymolog.* Sic in *Actis* Quirini Mart. *num. 5.* *Video enim te sicut rusticanum, quasi à samardaco inductum, qui & te & se decepit: ubi, vox hæc, inquit vir eruditus, Afris impostor est, mario, planus.* Augustin. *contra Academicos l. 3. c. 15.* *Ille autem casu planus erat, de iis, quos Samardacos jam vulgus vocat.* Eorundem meminit Chrysostomus *Homil. ad Ephesios 18.* apud Car. du Fresne *in Glossar.*

SAMAREUS, fil. Chanaan, Gen. *c. 10. v. 18.* Vide Bocharti *Phaleg. p. 147.*

SAMARIA, nomen viri, 1. Paral. *c. 12. v. 5.*

SAMARIA, regio Palæstinæ inter Judæam ad Meridiem, & Galilæam ad Septentrionem, Tribus Ephraim & Manasse cis Jordanem complexa, cum urbe ejusdem nominis, pulcherrima & munitissima; ac post Thersam Regum Israël sede. *Steph.* Σαμάρεια πόλις Ἰουδαίας, ἡ μετονομασθεῖσα Νεάπολις· καὶ Σεβαστὴ ... τὸ ἐθνικὸν αὐτῆς Σαμαρεύς ἐστι, ὁ δὲ Ἀλέξανδρος Σαμαρείτης. Josephus *l. 3. Jud. Antiq. c. 2.* ab Amri Israëlis rege conditam scribit, qui *Simeron*, vel *Schomronem* montem à quodam *Semer* emit: civitatemque, quam in montis vertice extruxerat, à vendentis nomine *Simeron*, sive (ut transtulit noster interpres, 1. Regum *c. 16. v. 24.*) *Samariam* A. M. 3112. appellavit. Hâc deinde Reges Israeliticarum pro regia usi sunt. Aliàs *Elthemus* dicta est, teste *Eusebiô.* Illam Eliseus Propheta contra Benhadadum, Syriæ Regem tuitus est, militibus ejus cæcitate affectis: quô factô hic irritatior, A. M. 3146. cum immensô exercitu urbem obsessam ad ultimam famem redegit, miraculosè liberatam. Capta tandem est A. M. 3314. à Salmanazare, post obsidionem trium annorum: Hic incolis alio translatis, novos hûc colonos misit, ex variis gentibus; quarum quælibet proprio Idolo inserviit: quibus per leones divinitus punitis, Rex aliquem ex captivis summisit, qui in agnitione veri Dei Samaritanos utcunque instrueret. Sed orta mox religionis miscella. Dein post Hyrcani Judæorum Pontificis expugnationem A. M. 3941. ab Herode rege iterum A. M. 4035. ædificata, & in honorem Cæsaris Augusti Σεβαστὴ dicta fuit, hodie *Naplous.* Sannaballetes regionis Præfectus, sub Dario fuit, cui fide non servatâ, Alexandro adhæsit; qui ipsi veniam templi in monte Garizim, similis Hierosolymitano, condendi propterea concessit: ita autem Judæos eò faciliùs sub jugo suo retenturum se speravit. Hic Pontificem Magnum generum suum Manassen fratrem Jaddi instituit. Huic se junxerunt omnes illi Sacerdotes, qui peregrinis matrimoniis erant irretiti, imo quidquid Legis disciplinam ferre non poterat, Samariam, tanquam in Asylum, confluxit. Hinc schisma, inter Judæos & Samaritanos, de loco Adorationis legitimæ contendentes: adhuc stetisse hoc templum, Johannis tempore, ex Euangelio ejus *c. 4. v. 20. 21.* patet. Non sacrificârunt: autem Samaritani, in templo, quod Hierosolymis erat, neque ullas legis ceremonias cum Judæis communes habebant. Resurrectionem mortuorum inficiati, solum Mosis Pentateuchum pro Canonico habuerunt. Divisi in Essenios, Sebuenos, Gorthenios & Dositheos. JESUM CHRISTUM ingressu arcere conati, à tempore Zenonis Imperatoris in Christianos sævire, templa eorum diripere, &c. cœperunt, sed ab Imperatore puniti, etiamque Monte Garizim, fidelibus concessô, exuti sunt. At sub Anastasio, illô denuò potiti, quidquid Christianorum ibi deprehensum, occiderunt crudeliter: quæ sævitia à Procopio punita est, qui Edessâ cum copiis huc veniens, plurimos eorum neci dedit. Nihilominus sub Justiniano denuò emergentes, etiam Regem sibi elegerunt, nomine Julianum, cujus auspiciis denuo in Christianos incredibilem sævitiam exercuêrunt, sed oppressi ab Imperatoris militibus, & severissimis edictis coërciti sunt, Julianô ultricibus flammis ustulatô. Tandem A. C. 551. mentiti se Christianos fore, per Sergium Episcopum Cæsareensem ab Imperatore, jus iterum nacti sunt testamenta condendi, &c. nihilominus non destiterunt persequi Christianos omni ratione, usque ad Gregorium M. sub quo unus sectæ hujus Christianô mancipiô utrivoluit Post quæ tempora de illis Historici altum silent. Vide Joseph. *Ant. Jud.* Torniel. Salian. Spond. *in Annal. V. T.* Baron. *in Annal. Eccl.* G. Hornium *Historiâ Eccl.* cum *Notis & Observationibus* Leydeckeri, ut & in *Continuatione* voce *Samatia.* Adde quòd extructa illa moles Templo Hierosolymitano æmula, à Manasse memorato, postquam stetisset annos 200. ab Hyrcano diruta est, Franc. Burmann. *Synops. Theol. l. 4. c. 15. §. 28.* fuitque non minima dissidii materies inter utramque gentem, quod cousque efferbuit, ut mutuô commerciô penitus abstinuerint, neque licuerit Judæis cum *Samaritanis* cibum capere, ut colligere est, ex Johann. *c. 4. v. 9.* Imò cùm ex qualibet sub cœlo natione Proselytos admitterent Judæi, *Samaritanum* tamen admisere nullum, ut apparet ex solemnibus diris, quas vocant *Excommunicationem in secreto nominis tetragrammati*, quasque ab Esra ac Nehemia in illos evibratas fuisse, dicunt Judæi, ita sonantes: *Postquam congregâssent totum populum, in Templo Jehovæ, & gildixissent 300. Sacerdotes, attulissentque 300. tubas, & totidem exemplaria Legis, Levitæ dirum canentes carmen devovebant Samaritanos omni genere Excommunicationis, in secreto nominis tetragrammati, ac in Decalogo, Excommunicatione item superioris atque inferioris domus judicii, ne ullus Israëlita panem cum Samaritano*

edat (hoc enim facere, idem foret, ac suillâ vesci) neve ex illis ullus unquam in Israële sit Proselytus, aut partem habeat, in resurrectione mortuorum. Vide Drusium *in trib. Sect. l.* 3. *c.* 11. *ex Ilunedeus*, & Joh. Buxtorfium *Ep. Hebr. p.* 59. ubi R. Gersom literarum aperturam, sub hujus excommunicationis pœnâ, suis prohibuisse, narrat: suprà quoque voce *Inbosiroius*, ubi simile itidem conclave juxta templum suum fecisse, & undecimum præceptum Decalogo addidisse, ad templi sui dignitatem evehendam, vidimus. Quamvis verò cum Sadducæis multa haberent communia, in eo tamen ab illis differebant, quòd Angelorum admitterent existentiam, qua de re vide Epiphanium *Hær.* 9. & 14. Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 11. & Seldenum *de Jure N. & G. l.* 2. *c.* 5. Leontius tamen & hoc negat, *de Sectis Act.* 2. *p.* 422. Memorantur hi *Samaritæ* seu *Samaritani*, inter *Historiæ Aug.* Scriptores, Æl. Lampridio, in *Vita* Heliogabali *c.* 3. *Dicebat præterea, Judæorum & Samaritanorum religiones & Christianorum devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Heliogabali Sacerdotium teneret.* Et Spartiano in *Epistola* Hadriani de Ægypto & Alexandria, ubi similiter tria hæc nomina junguntur, *Nemo illic Archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter*: ubi quinam sic vocentur & quomodo ab Hebræis discernantur, explicatum est quoque Scaligero *De Emendat. l.* 7. Sed & ab Imperatorib. in *Constitutionibus* diversis separantur hæ duæ sectæ. Photius *in Nomocan. tit.* 6. *c.* 7. *Samaritas agricolas* à reliqua illa gente distinguit, & fuisse hos meliore conditione, quàm cæteros, ostendit, Σαμαρείτας γεωργοὺς nominans, & Σαμαρείτας τοὺς τὰ χωρία διαγεωργοῦντας. At Judæi terram possidere simul & colere à multis seculis desierunt: etsi in Benjamini Judæi *itinerario* legas aliquot locis Judæos γεωργούς. Sed ut plurimùm tam *Samaritæ*, quàm *Judæi*, negotiatoribus operas locabant. Unde factum, ut *Samaritæ* Constantinopoli vocarentur *Ministri mensariorum*, qui rationes conficientibus aderant, & iis subscribebant. Justinianus *in Edicto*, Περὶ ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων. Εἰ γράμματα φέροι αὐτῷ ὁ τῆς τραπέζης προεστηκώς, ἢ οἱ ὑπηρετοῦντες αὐτῷ, οὓς Σαμαρείτας καλοῦσι. *Si literas attulerit ipsius Mensæ præfecti, seu ministri ejus, quos* Samaritas *vocant.* Et fortasse allusum à primis Auctoribus ejus nominis, ad vocis notionem. Est enim σαμαρείτης, ut si dicas φυλακίτης, à verbo, quod *custodire* & *observare* significabat. Vide Isaac. Casaubonum *Not. ad Lamprid. loc. cit.* Plura de iis vide apud Auctores laudatos Cl. Suicero *Thes. Eccl.* voce Σαμαρείτης. Ubi solùm admisisse Pentateuchum, illosque in 4. sectas divisos, *Gorthenos, Sevæos, Essenos & Dositheos*, addit.

SAMAROBRINI, populi Galliæ Belgicæ, quorum præcipua urbs est *Samarobrinum*, Græci codices *Ptol.* habent *Samarobriga*, & *Samarobriva*, vulgò *S. Quintin. Amiens* Diveo, *Cambray* Leodio. *Baudrando* fuit Ambianorum caput. Hodie *Amiens*; urbs ampla, totiusque Picardiæ primaria, ad Somonam fluv. Episcopalis sub Archiepiscopo Remensi, cum arce permunita. Dicitur etiam *Ambiani*, & *Ambianum.* Vide ibi, & hic infrà.

SAMAROBRIVA, caput Ambianorum, olim ab incolis sic dicta. Cæs. *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 53. *L. Domitiô, Appio Claudiô Coss. & insequentis anni initio, Cæsar cum tribus Legionibus circùm* Samarobrivam *tribus hybernis hyemare constituit, & totam hyemem ad exercitum manere decrevit.* Quô tempore ibidem unà cum Cæsare erat Trebatius JCtus quem Cæsar sæpe consuluit. Unde Cicero ad eum, *l.* 7. *Famil. ep.* 11. *Una mehercule collocutio nostra plus erit, quam omnes Samarobrivæ.* *Claudio Ptolemæo* Σαμαρόβριγα; in *tab. Peutingeriana Samarobriva*, prope Teuceram *Tieure*, qui vicus est ad flum. Altejam: *Æthico Samarobrivæ*, aliquando & *Ambiani*, appellatur. Nomen autem Gallicum est, & veteri Celtarum lingua, *Samari* aut *Samaræ pontem pontesve*, significat: ut Briva Isaræ, apud *Æthicum, Pontem Isaræ.* Quippe apud eam urbem plures olim fuêre, ut & nunc sunt, pontes ad Samarum: quod flumen *Samarum* vel *Samaram* Gallos, ætate Ciceronis ac Cæsaris, vocavisse, nomen tum usitatum *Samarobriva* vel *Samarobrevarum*, indicat; hodie *Summa*, corruptè *Somone* dicitur. Postea verò urbs, more multarum aliarum Galliæ civitatum, propriâ appellatione depositâ, nomen Gentis, cujus caput erat, suscepit ac dicta est *Ambiani.* Vide suprà *suô locô.*

SAMARRA vestitus damnati, à tribunali Inquisitionis in Communione Romana. Et quidem, quibus est supplicium ignis destinatum, quales sunt confessi, & Impœnitentes, vel Negativi, it. Relapsi, illi induuntur veste vel saccô, seu veste scapulari, quam aliqui *Sambenito*, alii *Samarram* vel *Samarrettam* appellant: quia eadem est formâ, quâ saccus benedictus, sed notis diversis, colore atrô, flammis appictis, interdum etiam in medio flammarum hæretico condemnato ad vivum depicto; nonnunquam dæmones appinguntur, hæreticum ad inferos detrudentes, ut & alia quædam, quò magis homines horrendô hôc spectaculô ab hæresi deterreantur. Quòd si quis post latam demum sententiam fatetur crimen, & se convertit, antequam è carcere exeat, & non est relapsus, induitur *Samarrâ*, in qua ignis est depictus flammas deorsum mittens, quod Lusitanis *fogo revolto* dicitur. Additur in capite *Carocha*, de qua suprà. Alia verò vestis *Sambenito* est, de quo paulò post. Vide *Historiam Inquisit. Goanæ c.* 26.

SAMBANA, Asiæ locus, Diodor. Sic. *l.* 17. *Ptol.* vocat *Sambatas*, gentem Assyriæ.

SAMBASTI, Indiæ gens, quæ populi arbitriô regitur. Hos Janus Gebhardus, *Exercitationibus Politicis & Philologicis ad Qu. Curtium* censet, quos Curtius *l.* 9. *c.* 8. vocat *Sabracas*, circa Indum fluvium sitos & Arrianus *l.* 6. *Abastanos*, vicinos *Ossadiis.*

SAMBASUM, urbs Insulæ Bornei, in ejus parte Occidentali cum portu, quamvis 30. mill. pass. distet ab ora littorali.

SAMBENITO, vide *Saccus Benedictus.*

SAMBIA, Peninsula Prussiæ Ducalis, Cujus Occident. & Boreal. latera mari cincta, Zephyrô & Boreâ vehementius spirantibus, succinum colligunt. In hac præclara urbs est Regiomons, *Metel.*

SAMBICUS, latro insignis, qui templum Dianæ expilavit in Elide.

SAMBLACITANUS Sinus, Massiliensi non obscurior, in quibusdam membranis, *sinus Samblacetanus*, & *sinus Sambracitanus*, nonnunquam sed mendosè *Sabricitanus*, sinus est maris Gallici, ab Æthico *in Itiner. portuum & positionum navium ab Urbe Arelatum usque*, inter Forum Julii & Heracliam Caccabariam vel Perdicariam, ponitur, à Foro Julii 25. ab Heraclia 16. mill. pass. & non *portus*, sed, sicut Nicæa aliaque loca, *plagia* tantùm, h. e. *plaga* (*une plague*) appellatur. Hodie habet ab Occidente portum S. Tropesii, Amelio memoratum, in navigatione Gregorii XI. A. C. 1367. ab Ortu portum S. Maximi *S. Maixime*; à Meridie Promontorium Caput Caninum, *Teste de Can*, cum insul. cognomine. Grimaldum à Septentrione, *Grimaud*; quem idem Amelius Episcopus Senogalliæ *locum de Grimaldo* nuncupat; & modò à Grimaldo ipsi proximo dicitur *Golfe de Grimaut*; modò à portu S. Tropesii, *le Golfe de Tropes.* Vide Hadr. Vales. *in voce, Gallicum mare*, ut & voce *Sambracitanus sinus.*

SAMBOS, urbs Arabum: Cives *Sambi*, vel *Sambita*, *Steph.*

SAMBRA, fluv. Belgicæ secundæ, *Notit. Imper. Romani* an idem qui *Sabis*, vel *Saba*, vulgo *la Sambre*: an potius Samara, vel Samina, *la Somme*, in Oceanum influens? *Sambre* verò, locus est ad mare, non procul à Montibus S. Angilberti, inter Witsantum, & Sangatam. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SAMBRACATE, insula Arabiæ Felicis in ora ad ortum maris Erythræi.

SAMBRACITANUS sinus *Golfe de Grimaut*, Sinus est parvus maris Mediterranei in ora Provinciæ, prope Sambraciam seu Grimaldum oppid. & Fanum S. Eutropii, *S. Tropes*; 3. leuc. à Foro-Julii in Meridiem.

SAMBRI, Æthiopiæ sub Ægypto oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

SAMBROCA, Hispaniæ Tarraconens. fluv. *Ptol. Sambuca Floriano.* Hodie *Ter*, *Brietio*, fluv. Cataloniæ. Oritur in Pyrenæis montibus, in confinio Ceretanorum, dein prope Ausam & Gerundam labitur, & 6. leuc. infra, versus Emporias in mare Mediterraneum se exonerat, 22. leuc. à Barcinone in Cæciam.

SAMBRUCENI, populi circa Judæam, Plin. *l.* 6. *c.* 20.

SAMBUCA, triquetrum instrumentum fuit rusticum, imparibus longitudine fidibus, *Jonio* acuti soni & arguti, tetrachordum, *Athen.* à *Sambyce* inventore, *Dion.* potius à voce Hebr. סבכא *Sabbeca*, *Scalig.* cujus mentio fit Dan. *c.* 3. *v.* 5. *Quo tempore audietis sonum cornu, fistulæ, citharæ,* Sambucæ, *psalteriorum* &c. Vide quoque v. 7. 10. 15. Eâ mulieres ludebant, hinc *Sambucinæ*, Liv. *l.* 39. *c.* 6. *Sambucistriæ* appellatæ: quas victâ jam Asiâ, cùm luxus omnia Romæ occupare inciperet, conviviis adhibitas fuisse tradit, *ibid. Tunc Psalteria, Sambucistriæque & convivalia Ludionum oblectamenta addita epulis*: Cùm priùs *mos esset epularum, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibias, clarorum virorum laudes atque virtutes*, Cic. *Tuscul. l.* 4. seu, *ut fides ac tibiæ adhiberentur, in hortamen virtutis*, Quintilian. *Institut. Orator. l.* 1. *c.* 14. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Eædem & *Sambucæ* appellatæ, apud Spartian. *in Hadriano c.* 26. *In convivio tragœdias, comœdias, Atellanas,* sambucas, *lectores, Poëtas, pro re semper exhibuit.* Ubi *Sambucæ*, inquit Salmas. non sunt instrumenta illa Musica vulgò nota, sed Musicariæ mulieres, quæ illô instrumentô ludebant. Sic Sambucum, pro Sambucine, legimus apud Martianum Capellam *de Philologiæ Nupt. l.* 9. *Psaltas, cordocistas, sambucos, hydraulas, per totum orbem, ad commodum humanæ utilitatis inventi.* Sed & *Sambuca* currus species, vide suprà *Sabuta.* Item machina bellica, in *Glossis Græco-Lat.* Vide hîc infrà.

SAMBUCUS, ramis & trunco arborem refert, sed amplam continent illæ medullam, quæ candida expungitur, utique spongiosa, ut fistulares reddantur, excavatæ arundini similes. Non multum erraverimus, si hanc arundinem *delicium puerorum* dixerimus, unde viri vægrandia arguerint patramenta. *Pueri enim ramum sambuci cædunt, internodia servant, medullam quovis modò educunt, solidi ligni pistillum faciunt cum manubrio, canali paulò minorem & breviorem: Protrudunt dein molem papyraceam, dentibus subactam admixtâ salivâ, ad os alterum fistulæ, pistillum tundunt, donec capillamentum præbeat, vel linteolô muniunt. Sic immittunt in alterum os fistulæ & magnô nisu propellunt, donec aër constipatus molem illam cum crepitu ejaculetur in vacuum aërem; sed solertia in eo major, ut moles altera pistillo præfixa prioris expulsæ locum occupet, eandem sortem expectans*, Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. c.* 24. Certè inventa est non pridem, inquit Athanasius Kircherus in *Magnete* suo, ratio eâ violentiâ comprimendi intra canalem aëris, ut in multis majorem præstet, quàm vel ipsi sclopi, quos *musquetas* vulgò vocant, effectum; quæ res cùm singularem suscitet intuentibus admirationem, nolui ejus hôc locô constructionem præterire. Sic autem is describit Æolium hunc sclopum: Dividit eum in tres partes seu loculamenta, quarum prima inservit onerando sclopo; altera est aëris compressi receptaculum; tertia fistula est, quæ projectilia excutit. Trusillum addit, quem *pistillum* diximus, cylindraceum, quod canali ita quadret, ut

omnem

omnem aëris elabendi occasionem intercludat, itaque corio contegit, tum platismation. In explosione videas aërem cœruleum, quem vel impetus, vel fistulæ metallaris materia fecerit &c. Haud dissimilis tubi jam Thuanus meminit, inter munera Imperatori ab Alberto Archiduce, Belgii Gubernatore, oblata; qui solâ aëris inclusi vi non minùs acriter plumbeum globum evibrabat, ac mosketta pyriô pulvere animata facere solet. Cujusmodi machinæ eò periculosiores, quòd sine crepitu globum exitialem evomunt, adeoque ictus eorum prævideri minùs potest &c. Sed & è *Sambuco* baculi Pastoralis mentio est in *Vita* S. Burcardi Episcopi Wirtzburg. c. 1. ex eâdem *emedullata*, antiquissimæ tibiæ, ut infrà videbimus voce *Tibia*: Cœterum de arbore hac vide Plin. *l.* 16. *c.* 18. 25. 39. 40. ubi eam inter arbores scutis aptas recenset, & *l.* 24. *c.* 8.

SAMBUCUS Johannes, Hungarus, Medicus clarus, Consiliarius & Historicus Maximiliani II. ac Rodolphi II. immensis sumtibus veteres Scriptores non paucos edidit, ac ipse complura scripsit, quæ enumerat Anton. Teissier *Elog. Part.* 2. Obiit apoplexiâ A. C. 1584. ætat. 53. Vide & *Johannes Sambucus*.

SAMBULOS, montis nomen, in Asia uspiam, circa Mesopotamiam, religione Herculis insignis; qui Divus tempore stato per quietem monet sacerdotes, ut templum juxta equos venatui adornatos sistant. Equi, ubi pharetras telis onustas accepêre, per saltus vagi nocte demum vacuis pharetris multo cum anhelitu redeunt. Rursus Deus quasi sylvas pererraverint, nocturnô visu demonstrat: reperiunturque fusæ passim feræ, Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 13.

SAMBUS, Brachmanum Rex, cujus regnum Alexandro Magno ingresso & octoginta millibus occisis, ipse cum triginta Elephantis in ulteriorem Indiam profugit cladeque elapsus est. Diodor. Sic. *l.* 17. *fol.* 616. Cæterum notat Janus Gebhardus, *Sambum* hunc esse Qu. Curtii *Samon l.* 11. *c.* 44.

SAMBUS, Indiæ fluv. in Gangem influens, Arrian. *Ind.* Item Arabiæ oppid. *Steph.*

SAME, Vide *Samos*.

SAMELLIUM, oppid. Siciliæ, *Salemi*, vide *Semellitani*.

SAMENI, populi Nomadum, *Steph.*

SAMERUS Henricus, Vide *Henricus*.

SAMGAR, fil. Anath, Judex in Israël, Judic. *c.* 3. *v.* 31. Percussit ex Philistæis 600. stimulô boum, A. M. 2720. Quod an solus fecerit, aut tumultuariâ rusticorum turmâ comite, Scriptura Sacra non definit. Utut sit, hoc notabile, quòd non aliô telô, quàm boum stimulô (quem Hebræi מלמד vocant) instructus, viros egregiè armatos, non modò aggressus sit, sed & fregerit. Quale est, quòd *Il.* ζ. *v.* 134. Lycurgus, eodem telo armatus, circa Nyssam fugat Bacchi copias & ejus nutrices,

Θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν, ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου
Θεινόμεναι βουπλῆγι. Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς
Δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα.

Thyrsos in terram projecerunt, ab homicida Lycurgo
Percussæ boum stimulo. Et ipse Bacchus territus
Subiit maris fluctus.

Proinde Nonni *Dionysiac. l.* 20. Lycurgus Bacchum his verbis compellat,

Εἰ κεροέσσι Σατύροισι, κερασφόρε Βάκχε, κελεύεις,
Ὑμέας, ἶσα βόεσσιν, ὁμῷ βουπλῆγι δαμάσσω.

Si cornutis Satyris, ô cornute Bacche imperas,
Vos, boum instar, simili stimulô domabo.

Ibidem hæc pugna describitur, ἴχνεσι Καρμήλοιο, *prope Carmelum*, montem Judææ notissimum. Et fortasse Lycurgus idem est cum *Samgare*. Arabs interpres, non *stimulô*, sed *securi boum*, i. e. πέλεκυς βοῶν ἀνατεμνῶν, Samgarem pugnâsse statuit: quomodo apud Poëtam βουπλῆγα sumi non pauci volunt. Quibus scil. visum est, ad Bacchi decus id pertinere, ut bipenni cessérit potiùs, quàm stimulo boum. Ita Samgarem Arabs bipenni maluit instruere, ut non solùm commodiùs, sed & honestiùs pugnaret. At ille hâc suâ prudentiâ Sacri Scriptoris scopo repugnat, qui hanc pugnam nobis proponit, ut rem insolitam & paradoxam &c. Certè, *Sangaris* nomen etiam in usu apud Phrygas fuisse, inde patet, quòd *Sangarium* fluv. à *Sangari* seu *Sagari* quodam dictum volunt, ibi submerso, immisso furore à Cybele Deum Matre, cujus Numen ille spreverit. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 39. & infrà ubi de boum *Stimulo*.

SAMI Regnum, in India ponit. Curt. *l.* 9. *c.* 8. &c.

SAMIA, absolutè pro *Samia placenta*, quæ apud Veteres magno in pretio habebantur. Tertullian. *adv. Marcionem l.* 3. *Non tamen, ut de glebis credis te unquam placentas & Samias coacturum.* Græcis Σάμιος πλακοῦς. Item pro *cote Samia*. Cujusmodi testâ seu cote ille virilia sibi præcidit, apud Lucillium,

Testam sumit homo Samiam.

I. e. testam ex Samia terra factam, quibus Cybeles Gallos olim hâc fini usos esse, notum ex Plin. *l.* 35. *c.* 12. Hinc *samiare*, h. e. *acuere*. Flav. Vopiscus *in Aureliano c.* 7. *De præda hostis, non de lachrymis provincialium, habeat: arma tersa sint: ferramenta* samiata, *calceamenta fortia* &c. in *Ep.* ejus militari ad Vicarium suum. Vide Salmas. *ad loc.* Hinc *Samiator*, ἀκονητής, *acutiarius*, in *Gloss.* Item *Samiarius*. Vide Vegetium *l.* 2. *c.* 14. & suprà ubi de *Molis Terrariis*.

SAMIA Sibylla, Vide suprà *Hierophile*.

SAMIA Terra, memorata *Theophrasto*, inter varia terræ genera, quæ in Asiæ Insulis repertæ, nativæ essent & aliquem usum adferrent ad vitam, ἔγχυλος ac *pinguis* est. Hanc enim probandam esse *Dioscorides* ait, τὴν ἔγχυλον καὶ μαλακὴν καὶ ψαθυράν· οἵα ἐστὶν ἣν ἔνιοι κολλύριον καλοῦσι. *Pinguem ac mollem & friabilem, qualis est quam nonnulli collyrium dicunt.* Quam ob causam à Pictoribus non fuisse adhibitam, idem *Theophrastus* ait. Candida autem fuit, imprimis species ejus illa, quæ *aster* dicebatur; altera verò, à colore cinereo κολλύριον appellata est. Panis namque genus κολλύρας dixère, qui in cinere coquebatur, atque inde cineribus sordidus. Hinc sine ratione, oculorum eam medicamentis, quæ κολλύρια vulgò appellant, misceri *Plinius* collegit, id enim apud *Dioscoridem*, è quo illam κολλύριον vocari hausit, non habetur. Hoc tantùm de Samio lapide habet, qui in illa terra reperitur, quem utilem ait πρὸς τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς ῥεύματα, *ad fluxus oculorum*; collyriis verò nec is miscebatur &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 256. & 257. Adde ea, quæ habet *p.* 130. ubi hanc terram in iis esse, quæ usum Medicum haberent, ait. Plura verò hanc in rem, apud Plin. *l.* 35. *c.* 16. &c.

SAMIAMINTOS, Σαμιάμινθος Græcis recentioribus, antiquis ἀσκαλαβώτης, lacerti genus est in muris reptans & captans muscas; variis stellatum guttis, de quo vide quæ suprà diximus, in voce *Ascalabotes* seu *Ascalaphus*.

SAMICUM, urbs Triphyliæ, *Steph.*

SAMINA, Mediæ urbs ad mare Hyrcanum *Ptol.*

SAMIR, civitas in tribu Juda in montanis Ephraim, Jos. *c.* 15. *v.* 48. Nomen viri, 1. Paral. *c.* 24. *v.* 24.

SAMIR, Hebr. שמיר vermis est, cujus opera Hebræi fabulantur Mosen Ephodi gemmas, ac utrasque Legis tabulas, & Salomonem Templi lapides aptâsse ac expolivisse. Quamvis enim hordei granum mole corporis non excesserit, viribus tamen ita polluisse dicunt, ut solô tactu montes dissilire cogerentur & durissimi lapides levi conatu ab eo fuerint diffissi & dedolati. Hinc in *Pirke Aboth* Deus creâsse legitur res decem vesperâ Sabbathi, in quibus etiam hic vermis. Quomodo is Mosi innotuerit, Hebræi non multùm quærunt. Sed eundem ut Salomoni sistant, in Templi lapidibus poliendis ac dedolandis illi inserviturum, nullum lapidem non movent. Sunt qui allatum fuisse asserant ab Asmodæo Rege Dæmonum. Alii malunt, Salomonem misisse ad upupæ nidum, in quo pullos repertos cùm vitro includi jussisset, mater, ab eorum accessu se prohiberi non ferens, attulit, inquiunt, vermem *samir*, cujus solo attactu vitrum illud dissiliit ac confractum est: ut alias eorum nugas omittam. Pro *samir*, Barbari Scriptores habent *Thamur*; inter quos Vincentius Bellovac. upupæ struthionem substituens, totam fabulam ita adornat, *Doctrinalis sui l.* 16. *c.* 123. *Thamur dicitur vermis Salomonis. Nam Salomon, cùm marmor Parium ad ædificationem Templi de remotis partibus convehi præcepisset, conscius prohibitionis Legis, quæ vetuit altaris ædificandi lapides ferro incidi, quæsivit experimentum in vermibus, quod ars humana nescivit. Nam pullum struthionis in vitreo vase reclusit, quem cùm videret struthio & habere nequiret, naturaliter agnitam artem attentans, ad desertum cucurrit, rediensque vermiculum tulit, cujus sanguine vitrum linivit, & confractum est sicque foetum eripuit. Quod videns Salomo hoc experimentô, eodem genere vermis in incisione durissimi marmoris usus est & effectum est consequutus.* Addunt Hebræi, usque ad primi Templi desolationem, cùm postea in arca plumbea à Judæis summô studiô, rebus mollibus illi substratis & copiâ furfurum ei abunde subministrata servatum, vastatô postmodum Sanctuario unà, magno scil. Reip. damnô, interiisse &c. Fons erroris hic, quod habetur 1. Regum *c.* 6. *v.* 7. Salomonis Templum ex lapidibus integris, prout advecti fuerant, sic fuisse ædificatum, ut in eo construendo nulli mallei, aut securis, aut instrumenta ferrea adhibita fuerint; Gemaristæ in *Sota* sic accipiunt, ac si simpliciter negetur, Templi lapides ullô ferrô fuisse fissos, aut dedolatos. Itaque aliud iis erat confingendum. Et commodum occurrit שמיר, *samir*, quem lapide fortiorem fuisse, post vetustiores Hebræos, colligit R. Salomo, ex his Ezechielis *c.* 3. *v.* 9. *ut* samir, *rupe fortior est.* Ita eum ille accipit, cùm verba longè aliter sonent. Nec enim *Samir* rupi, sed utrique confertur, imò præfertur, Prophetæ frons, tanquam utroque fortior. *Similem* τοῦ samir, inquit *Dominus Prophetæ, firmiorem rupe constitui frontem tuam.* Præterea, ibi *samir*, non est vermis, sed lapidis genus durissimum, ut Jerem. *c.* 17. *v.* 1. & Zachariæ *c.* 7. *v.* 12. Plerique adamantem putant. Sed Bocharto *samir* est *smiris*, lapis tam durus, ut eô gemmarii ad gemmas expoliendas utantur. In quem usum etiam à Veteribus adhibitus est, contrà quàm sentit *Cardanus*. Dioscorides *l.* 5. Σμύρις λίθος ἐστὶν ᾗ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι &c. Verùm de hoc lapide dicemus infrà. De cœtero, cur fingatur upupa hunc vermem Salomoni attulisse, docet idem Bochartus *c. de Upupa*; & in Græcis quoque Scriptoribus legitur, upupam, non quidem vermis virtute, sed vi cujusdam herbæ, obstantia perfringere & pullos suos alicubi inclusos in libertatem asserere consuevisse. Vide omnino eum *Hieroz. Part. poster. l.* 6. *c.* 12.

SAMITUM, vox infimæ Latinitatis: occurrit apud Petrum Blesensem *Ep.* 66. *De zona aurea & lumbari serico & samito*: Arnobium *in Chron. c.* 5. *Regina autem donavit Duci* samitos *plurimos, ita ut omnes milites suos vestiret* samitis &c. ex barbaro-græco Ζάμιτος, quod ex ἑξάμιτος corruptum est, & panni sericeum quoddam genus notat. Dicuntur autem ἑξάμιτα, Latinis quoque *Hexamita*, vestimenta tapetiaque, *sex filorum*, seu tot numerô liciis contexta: quemadmodum *Polymita*, quæ pluribus liciis, de quibus suô locô. *Hexamitorum* horum non rara apud Veteres mentio est. Apud *Nicetam*, βλαττία χρυσᾶ καὶ ἑξάμιτα, καὶ ἕτερα βλαττία ποικίλα καὶ κεντητά: ubi τὰ ποικίλα καὶ κεντητὰ distinguit ac separat ἀπὸ τῶν ἑξαμίτων; nam exhamita illa, ut & polymita, in tela de liciis variantibus texebantur: τὰ κεντητὰ verò & ποικίλα, acu desigebantur & variabantur. Πολλὰ ἑξάμιτα idem *alibi* nomi-

nat: item ἐξομαλωτὰ, h. e. *picta & figurata*. Vocem autem τάπις, recentiori ævo *tapetia* significare, Eustathius docet *Iliad.* ψ. &c. Vide Salmas. *Not. ad Vopiscum in Carino c.* 20.

SAMIUS, insignis Eques Romanus quadringentis numorum millibus Suilio datis & cognitâ prævaricatione, ferrô in domo ejus occubuit, Tacit. *l.* 11. Annal. *c.* 5.

SAMIUS Lucumo, apud Ausonium, *Ep.* 4. *v.* 67.

Scillite decies non si purgêris acetô,
Anticipesque tuo Samii Lucumonis *acumen:*

Pythagoras est, quem ὁ Σάμιος absolutè vocant plerumque Scriptores, & Σάμιος σοφὸς. Unde ad hunc Ausonii versum alludens Joannes Salisberienses *in Euthetico suo in Policratic.* inquit,

Tardus ad hunc Samius, *si certet acumine mentis,*
Indoctusque Plato, Varroque stultus erit.

Vide Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano c.* 7. ut & in voce *Pythagoras.*

SAMMARTHANUS Scævola, vide *Scævola.*

SAMMONICUS Serenus, vide *Serenus.*

SAMNITÆ vel AMNITÆ, gens Galliæ, *Straboni*: qui in Oceano ait esse insulam parvam, objectam ostio Ligeris, quæ à Samnitum fœminis incolatur, nullos nisi extra insulam prolis gratiâ admittentibus viros. *Ptol.* sub Venetis ponit, Ligeri proximos. *Dionys. Periegetes Amnitas*, velut ab amne Ligeri vocat, atque *nesides*, seu insulas parvas plures esse, in quibus uxores Ἀμνιτῶν noctu ritè Baccho sacrificent. Fuêre forsan Namnetes inter & Venetos, circa Vicum S. Nazarii, Crociacum *le Croisic*, & Garandam, vel Grannonam *Guerande.* Nec ab ostiis Ligeris & à continente multum abest Insula Dunetana *le Dunet*, vico uno infessa, & modicæ magnitudinis, quam Samnitarum vel uxores vel fœminæ olim incoluerint. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

SAMNITES, Italiæ populi quorum regio *Samnium*, & *Samnus*, inter Latium, Campaniam, Caracenos, Pelignos, Vestinos, & Sabinos continetur. Regio IV. Italiæ, ex divisione ab Augusto primùm facta, *in ora Superi maris*, *à Tiferno ad Aternum amnem porrecta*, Plin. *l.* 3. *c.* 13. Originem hujus gentis ostendit Cluverius *Ital. Ant. l.* 3. *c.* 8. ubi de Ausonum gente disserit: qui postea dicti fuêre Opici, & *Osci*, ac tandem *Sabini* & *Sabelli*: quorum dein pars maxima *Samnites* vocati, Strab. *l.* 5. Ἔτι δὲ παλαιότερόν ἐστιν οἱ Σαβῖνοι, καὶ ἀνδρεῖοι. τούτων δὲ ἄποικοι Σαυνῖται. Varro de *L. L. l.* 6. *Hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt.* Gens bellicosa fuit & summe potens, teste Liviô, *l.* 10. utpote cujus opes & vires creverunt in tantum, ut 80. Millia peditum & 8. millia equitum armarent ad bellum. Sæpè gravissimis bellis fatigârunt Romanos, nonnunquam vicerunt, ut memorabilis illa ad Caudinas Furcas parta victoria testatur, quam Liv. *l.* 9. commemorat, addens 50. annis eos planè subactos à Fabiis atque Papyriis. Sylla eorum 4. millia, vel (ut alii) 6. millia in Circo maximo, vel (ut nonnulli) in Campo Martio ad Ovilia, militibus ad cædem immissis, tradidit jugulanda per 3. dies continuas, clamitans, Romanum populum nunquam habiturum pacem, quamdiu Samniticum superesset nomen. Equitibus fors belli pepercisset; sed eos proscriptione est insectatus. Scribit & *Strabo*, pleras que eorum urbes tempore Syllæ funditus eversas, inque vicos redactas. Apud Livium *loc. cit.* quoque Papyrii Curforis, de iisdem reportatam victoriam, easque urbium ruinas legas, ut suâ ætate, inquit Florus *l.* 1. *c.* 16. *Samnium in ipso Samnio requirerent.* De Samnitibus Horat. *l.* 2. *ep.* 2. *v.* 97.

Cædimur, & totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.

Lucanus *l.* 2. *v.* 137.

——— *Romanaque Samnis*
Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas.

Samnites ab hastis, quas ferebant, dicti sunt apud *Festum*, hastæ enim à Græcis σαυνία dicuntur. Sanè Græci quoque eos Σαυνίτας vocant. Dionys. *v.* 357.

Σαυνῖτας δ᾽ ἐπὶ τοῖσι μέσην χθόνα ναιετάουσι,
Καὶ Μαρσῶν θοὰ φῦλα.

Nic. Lloydius. Baudrando Samnites propriè dicti erant, ubi postea Ducatus Beneventanus, & ubi nunc sunt pars Aprutii citerioris, Comitatus Molisinus ac partes Capitanatæ provinc. Principatus ulterioris & Terræ Laboris, ex *Brietio*. Eorum præcipua Urbs erat Beneventum.

Urbes Samnii, & Aprutii:

Æsernia. Vide *Esernia.*
Alliphæ, *Alifi*, Episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, nunc inter urbes Campaniæ.
Angolus, *Citta di S. Angelo*, Episcopalis, Pinnensi juncta.
* Anxanum, *Lanciano*, Archiepiscopalis, in Frentanis.
* Aquila, Episcopalis, ex Amiterno & Forconio urbibus destructis sub Archiepiscopo Teatino, uti libera, *Aquila.*
Atria, *Atri*, Ducatus, Episcopalis cum Pinnensi.
* Beneventum, *Benevento*, Archiepiscopalis, ditionis Pontificiæ.
Bovianum, *Bojano*, Episcopalis, Comitatus Molisii, sub Archiepiscopo Beneventano.
Camplum, *Campli*, Episcopalis, Ortoni copulata.
Ducalis urbs, *Citta Ducale*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
Esernia, *Sergna*, Episcopalis, Comitatus Molisii, sub Archiepiscopo Capuano.
Guardia Alferia, Episcopalis Comitatus Molisii, sub Archiepiscopo Beneventano, *Guardia Alferes.*
Interamna, *Teramo*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino, quasi libera.
† Marsi, *Marsi*, Episcopalis urbs Latii sub Archiepiscopo Teatino, sedes Piscinæ.
Orton, uti libera, *Ortona*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
Pinna, *Citta di Penna*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
Sulmo, *Sulmona*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
* Teate, *Citta di Chieti*, Archiepiscopalis.
† Telesia, *Telese*, manet Episcopatus sub Archiepiscopo Beneventano, *sed urbs ipsa excisa est.*
Interiit Aquilonia, ut neque locus indicetur.

SAMNITES, in Ludo, genus erant gladiatorum, qui & diversam ab aliis sibique peculiaritem habebant armaturam. Solinus *c.* 4. *Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis annotavit, Tritannum gladiatorem naturâ* Samnitem *fuisse, qui & rectis & transversis nervis non modò crate pectoris, sed & manibus cancellatis ac brachiis, omnes adversarios levi tactu, penè securis congressionibus, vicerit.* Ubi gente *Samnitem* intelligit *Delrius*, sed Plin. *l.* 7. *c.* 20. *Samnitium* tantùm armaturâ ornatum in ludo gladiatorio scribit. Dicti autem hi gladiatores eô nomine sunt, non quòd essent origine & patriâ Samnites, nec quòd Samnites ullam naturalem aptitudinem ad gladiatoriam haberent, sed quod horum populorum armis uterentur. Originem rei Liv. *l.* 9. aperit, *Campani ab superbia & odio Samnitium gladiatores, quod spectaculum inter epulas erat, eo ornatu armârunt, Samnitumque nomine appellârunt.* Ubi *ornatum* vocat, armaturam horum gladiatorum. Quemadmodum *ornamenta eorum*, apud Senecam & Suetonium, similiter τὰ ὅπλα sunt, *arma*, Salmas. *ad Solin. p.* 35. Uti verò *Samnites* hi dicti, à genere armorum, sic Murmillones, ut notat *Festus*, antea *Galli* dicebantur, quòd genere armaturæ Gallicô uterentur, apud Eund. *p.* 39.

SAMNITICA Vasa, apud Jul. Capitolin. *in Pertinace c.* 9. *Et vasa* Samnitica, *calefactandæ resinæ ac pici, divellendis hominibus & lævigandis* &c. ubi de auctione rerum Commodi dicta sunt, quæ ad artem vellendi ac lævigandi corpora, Romanis sequiore ævô & dominante luxu, usitatam pertinerent; quòd ejus *Samnites* præcipui auctores essent. Athen. *l.* 12. de populis quibusdam loquens, solitis πιττοῦσθαί τε, καὶ ξυρεῖσθαι καὶ λεαίνεσθαι τὰ σώματα, *pice depilare, radere, & lævigare corpora*; scribit inter cætera, χρῆσθαι δὲ τούτῳ τῷ νόμῳ πολλοὶ καὶ τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν τὴν Ἰταλίαν οἰκούντων, μαθόντες παρὰ Σαυνιτῶν καὶ Μεσσαπίων. *Utuntur eô more etiam Græcorum multi & eorum, qui Italiam incolunt, haustô à Samnitibus & Messapiis*, Casaubon. *ad d. loc.* Vide quoque suprà, uti de eodem more, apud Turcas quoque etiamnum ac Persas vigente, Joann. Bapt. Tavernier *Itiner. Turc. & Persiæ*, ut & in tractatu, quem *Descriptionem Serralii* indigitat.

SAMNIUM, urbs Britanniæ, *Steph.* Strabo *l.* 4. Ἐν δὲ τῷ Ὠκεανῷ φησιν εἶναι νῆσον μικρὰν, οὐ πάνυ πελαγίαν, προκειμένην τῆς ἐκβολῆς τοῦ Λείγηρος ποταμοῦ. οἰκεῖν δὲ ταύτην, τὰς τῶν Σαμνιτῶν γυναῖκας, Διονύσῳ κατεχομένας, καὶ ἱλασκομένας τὸν θεὸν τοῦτον τελεταῖς τε καὶ ἄλλαις ἱεροποιίαις ἐξιλεουμένας, &c. Ubi *Casaubon.* Dionys. Periegetes unus est, ut puto, è veteribus, qui hujus rei meminerit. Sic enim ille:

Ἄγχι δὲ νησῖδες ἕτερος πόρος, ἔνθα γυναῖκες
Ἀνδρῶν ἀλλοτρίων ἀγαυῶν Ἀμνιτάων
Ὀρνύμεναι τελέουσι κατὰ νόμον ἱερὰ Βάκχῳ.

Ad quem locum *Eustath. Strabonis* verba profert, & legit Ἀμνιτῶν, deficiente litera σ. ut in *Halmydessus*, pro *Salmydessus*, &c. *Stephano* urbs est Britanniæ, decepto, opinor, propter locorum vicinitatem. *Nic. Lloyd.* Regionis id potius nomen esse, *Samnitium* videl. monet Salmas. & Βρεττίων, apud *Stephanum* Βρεττίων esse, h. e. *Bruttiorum terram*, *ad Solin. p.* 321.

SAMNONICUS, vide *Serenus Samnonicus.*

SAMOCHONITIS, lacus minor in Trachonitide, quem primò Jordanes ingreditur.

SAMOGITIA, Polonici regni regio ad mare Balticum. De quo vide *Cromerum*, & *Munsterum. Baudrando* in Lithuania late sumpta, inter Curlandiam ad Boream, Lithuaniam propriam ad Ortum, Prussiam Ducalem ad Meridiem, & mare Balticum ad Occasum. Extenditur ad 35. leucas Germanicas ab Ortu in Occasum non æque lata. Ejus Urbes præcipuæ sunt Mednichia & Rossa, seu Rosiema. Divisa fuit aliàs in XII. Præfecturas, quæ reducuntur ad tria Gubernia præcipua.

SAMOJEDA, provinc. Moscoviæ Borealis, versùs ostia Obii fluv. ubi populi *Samojeda*. Aliàs erat pars Tartariæ desertæ nunc subest Magno Moscoviæ Duci. Estque versùs Oceanum Septentrionalem & Tartaricum.

SAMONIUM, *Strabo. Capo Salamon Sophian.* promontor. Cretæ Orientalis à Coryco promontor. Occidental. 240. mill. pass. circiter, & 32. tantùm à Sitio in Ortum.

SAMORNA, nomen Amazonis, quæ Ephesum condidit, unde Ephesus quoque primò sic dicta. *Steph.* ὁ πολίτης τῆς Σαμόρνα, Σαμορναῖος, ἐκλήθη δὲ ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἀμαζόνων, ἣν καὶ βασίλισσαν καὶ πόλεως Ἀρτεμισίου φασί. Et *Hesych.* Σαμόρνα, ἡ Σαμορνία, ἡ Ἔφεσος. Alii *Smyrnam* & viraginem illam & urbem nominatam ajunt. Melæ verò *l.* 1. *c.* 17. non ipsam urbem Ephesi, sed templum tantum Dianæ ab Amazonibus conditum significat. At Plinius *l.* 5. *c.* 29. Ephesum *Amazonum opus*, & Solinus *c.* 43. *Amazonum fabricam*

fabricam itidem vocant. Vide Salmas. *ad Solin.* p. 808. Inde verò & Σαμίαινα vel Σαμιακὸς, Ephesi portus dictus est, uti apud Strabonem legi vult idem p. 810.

SAMORNA; & SAMORNOS, Ephesus olim dicta, *Steph.*

SAMOS, vulgò SAMO hodieque à fluv. insula maris Icarii, Ioniæ adjacens contra Ephesium urbem, *Parthenia*, olim à *Parthenio* fluv. teste *Strabone*, cui & *Anthemusa*, *Melamphylos*, *Dryusa* *Aristoteli*. *Cyparissia*, *Parthenoarusa*, & *Stephane* Plinio *l.* 5. *c.* 31. *Imbrasos* *Steph.* *Imbrasia* Hygino *Fab.* 14. Hic primùm vasa fictilia fabricata, teste Gellio *l.* 7. unde Ausonius *Epigr.* 8. *v.* 2.

Atque abacum Samio sæpe onerâsse luto.

Horatius *l.* 1. *Ep.* 11. *v.* 21.

Romæ laudetur Samos, & Chios, & Rhodos absens.

Populi *Samii*, qui gravissimo primò cum Ephesiis olim bello impliciti, pulsique insulâ, ægrè tandem in illam redierunt, dein cum Atheniensibus & Milesiis, quibus cùm illi, Duce Pericle, An. 313. Urb. Cond. 84. Olymp. auxilio venissent, Samios graviter afflixerunt. Verum hi, Pericle discedente, animô receptô, quoscunque hostium ceperunt, illorum fronti inussêre notam. Postea urbs à Pericle obsessa, & post 9. menses dedere se coacta est: Tum primus Arietis, Testudinis, aliarumque machinarum usus invaluit. Sed & alia gesserunt bella Samii, de quibus Historici veteres consulantur, *Thucyd.* &c. Perinthum, Olymp. 44. instaurârunt, Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* XVII. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 60. de Pythagora:

Vir fuit hic ortu Samius.

Plinio ibi urbs ejusdem nominis, patria Hierophylæ, seu Sibyllæ Samiæ, &c. Samios Plut. *in vita Periclis* valdè *literatos* esse tradit ex *Aristophane*. Sed *Suidas* ex *Aristotele*, Samios *literatos* vocat, h. e. stigmate notatos; quòd deficientibus civibus coacti fuerunt servos, notis stigmaticis insignitos, ad Reipubl. administrationem admittere. *Samiorum Flores*, erat locus apud Samum, teste *Plutarchô*, in quo Samii cum mulieribus omnibus voluptatis (præsertim libidinis) generibus operam dabant. In hac insula Juno præcipuè colebatur, cujus antiquissimum ibi templum. Simulachrum autem Deæ erat, tanquam nubentis. Hic enim & nata & educata & Jovi nupta dicitur. Unde & Sacra ejus anniversaria, nuptiarum ritu, ibi celebrata. Hoc postmodum Episcopale factum est, sub Metropoli Rhodiensi. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 220.

——— *Et jam Junonia Levâ*

Parte Samos fuerat. ———

Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 15. ubi de Carthagine:

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo. ——— ———

Dionys. *v.* 534.

Καὶ Σάμος ἱμερόεσσα, Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης.

Juvenalis *Satyr. ult. v.* 6.

Et Samiâ genetrix quæ delectatur arenâ.

Ab hoc cultu Samiorum in Junonem ait Athen. *l.* 15. Ἐπὶ τῆς ... τῆς Σαμίας ἱκέτιδος. Quæ avis, pavo nimirum, Junoni sacra. Samo ortus Chœrilus Poëta, qui 75. Olympiad. victoriam Atheniensium contra Xerxem versibus scripsit, pro singulis versibus singulos stateres aureos recipiens, quem tamen Horat. *l. de Arte Poetica* v. 235. inucultum appellat. Contra Callimachus Cyrenæus, qui sub Ptolemæo Philadelph. regiæ bibliothecæ præfuit, Poëta delicatus fuit. Vide Propert. *l.* 2. *Carm.* 29. & Ovid. *l.* 1. *Trist.* II. *Samos* altera, insula maris Ægæi Thraciæ adjacens, quæ *Samothrace Ptol.* Pomp. Melæ *l.* 2. *c.* 7. & Plinio *l.* 4. *c.* 12. dicitur. Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 208.

Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

Ovid. *l.* 1. *Trist. Eleg.* 11. *v.* 20.

Threiciam tetigit fessa carina Samon.

Est autem inter Lemnum, & Imbrum, *Dardania* olim, teste Pliniô *l.* 4. *c.* 12. Hodie *Samandrachi*, contra ostia Hebri. Vix 10. milliar. ab ora littorali Thraciæ in Meridiem 25. ab Imbro in Boream, uti 32. à Lemno. *Baudrand.* III. *Samos*, quæ & *Same* *Straboni*, *Teleboas* Pausan. *l.* 1. *Milena* Plin. *l.* 3. *c.* 26. eadem cum Cephallenia, insula scil. in mari Ionio prope Zacynthum. Homer. *Od.* 1. *v.* 24.

Δουλίχιόν τε Σάμη τε καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος.

Ovidius *Ep.* 1. *Heroid. v.* 87.

Dulichii Samiique, &, quos tulit alta Zacynthus.

Idem *l.* 1. *Trist. eleg.* 5. *v.* 67.

Nec mihi Dulichium domus est Ithacæve Samosve.

Hic Samia, urbs aliàs florentissima, nunc vix vicus, hicque olim Labyrinthum fuisse dicunt. Hinc orti Pythagoras, Sybilla Samia & Polycrates fortunatissimus. Insulæ pars Septentrionalis & Occidentalis montem habet celsissimum, qui olim *Cercesus*, cujus scopuli penè inaccessibiles. Denique *Samos* vicus Messeniæ, urbs Elidis, & Lyciæ civitas, *Strabo*. Nomen *Sami* quod attinet, prout hisce 3. insulis, itemque Elidis urbi commune est, merè Phœnicium est, inquit *Bochartus*. Nemo nescit, Hebraicè cœlos שמים *schamaim* dici: Phœnices *samen*, vel *semin* efferebant. Hinc illis ζοφασημιν, צפי שמים ὁ οὐρανοῦ κατόπτης, & Σαμημροῦμος מרום שמים ὁ ὑψουράνιος. Ita ex *Sanchoniathone* Philo Byblius. Radix Arabicè סמא *sama*, *eminere*, & *excelsum esse* sonat. Unde factum, ut celsa loca Σάμοι dicerentur à Phœnicum illis, qui primi colonias in Græciam deduxerunt. Talis *Thracia Samos*, vel *Samothrace*; de qua Homer. *Il.* N. *v.* 12.

Ὑψοῦ ἐπ' ἀκροτάτης κορυφῆς Σάμου ὑληέσσης
Θρηϊκίης. ——— ———

Neptunum fingit è summo vertice montium Samothraces, tanquam ex altissima specula, Trojanos & Græcos observâsse. Nempe Samothrace, teste Pliniò *loc. cit.* *attollitur monte Saoce immensæ altitudinis*, *a quo & Saocis olim est.* *Hesych.* Σάμος, ἡ Σαμοθρᾴκη ... ἐκαλεῖτο ... Priscianus *in version. Dionys.*

——— *Samothracia cernitur alta.*

Hàc *Samus* Ionica nihilo fuit humilior, Strabo *l.* 14. *Promontorium habet Samus, quod Ampelos dicitur, obversum Drepano Icariæ.* Eòdemque nomine totus mons dicitur, ὁ ποιεῖ τὴν ὅλην νῆσον ὀρεινήν. Montem hunc Herodot. *in Thalia.* & Eustath. *in Dionys.* celsum esse scribunt εἰς ποτάμαρα καὶ ἱκανῶς ὀρεινάς. Tertia etiam *Samos* prope Ithacam, ab Homero *Od.* Δ. *v.* 671. & 844. παιπαλόεσσα, i. e. *prærupta* vocatur, quià montibus est inæqualis. Denique de *Samo* Elidis ita Strabo *l.* 8. Ἀχαιοὶ τέτταρας διέτεμον τὴν αὐτὴν ὀρεινήν, ὅπου ἂν ἡ Σάμος γίγνοιτο πόλις. Itaque ne quis nos putet meris conjecturis niti, idem *Strabo* agnoscit ab altitudine sic dictam, ἐπειδὰν σάμους ἐκάλουν τὰ ὕψη. Et Samothraciam *Eustath.* inde idem appellari asserit: Σάμοι γὰρ, inquit, φασὶ τὰ ὕψη. Ita etiam Constantinus Porphyrogenneta *Them.* 15. ubi de *Samo* Ionica: Σάμος ἀπὸ Ἀγκαίου (lege) Ἀγκαίου καὶ Σαμίας τῆς Μαιάνδρου τοῦ ποταμοῦ θυγατρὸς, ἢ διὰ τὸ ὑψηλὸν τῆς νήσου καὶ ἐπίκρημνον. Οἱ γὰρ παλαιοὶ Ἕλληνες σάμους τὰ ὑψηλὰ ἐκάλουν ὄρη. Monstri verò instar est, quòd Samum narrant diu fuisse desertam, quia feræ *Neides*, vel *Neades* ibi stabulabantur, quarum barritu solum findebatur. Heraclides *de Politiis*, ubi de Rep. Samiorum: Σάμος δὲ ἀπ' ἀρχῆς ἐρήμη οὖσα λέγεται κατοικεῖν πλῆθος θηρίων μεγάλων φωνὴν ἀφιέντων, ἐκαλεῖτο δὲ θηρία Νηΐδες. Ælian *de Animal.* *l.* 17. *c.* 28. Εὐφορίων δὲ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι λέγει τὴν Σάμον ἐν τοῖς παλαιοτάτοις τῶν χρόνων ἐρήμην γενέσθαι, ἐν αὐτῇ θηρία μεγέθει μὲν μέγιστα, ἄγρια δὲ καὶ προσπελάσαι δεινὰ, καλεῖσθαι δὲ μὲν Νηΐδας, ἀτὰρ οὖν καὶ μόνῃ τῇ βοῇ ῥηγνύναι τὴν γῆν. Inde corrigendus *Suidas*, qui in voce Νῆις sic habet: Καὶ ἐν Σάμῳ δὲ θηρία γενέσθαι φασὶν, ἃ φθεγγόμενα ἔρρηξε τὴν γῆν, ἐκαλεῖτο δὲ Νῆις, ὡς ἱστορεῖ. Lege Νηΐδες, ὡς Εὐφορίων. Hinc ortum proverbium in usu apud Samios: μεῖζον βοᾷ τῶν Νηΐδων. Vide Bochart. *Geogr.* p. 508. ex quo præcedentia desumuntur. *Nic. Lloyd.* In nummo Samiorum, effigies Macrini, parte aversâ Templum Junonis conspicitur, cum *Inscr.* ΣΑΜΙΩΝ. In alio eorundem, Hercules & Omphale; in alio tres icones, Victoria Imperatori coronam imponens, cum Junone Samia ad latus, visuntur, apud Jac. Sponium *Itiner. Græciæ*, *Part.* 3. p. 203.

SAMOS, oppid. Magnæ Græciæ, apud oram Calabriæ ulterioris *Lycophr. Steph.* nunc *Crepacuore Barrio*, apud Locros, seu Heracium Urbem, inde 6. mill. pass. in Boream, ubi Pythagoras habitâsse dicitur.

SAMOSATA, Asiæ minoris seu Syriæ urbs ad Euphratem, Commagenes metropolis admodum munita, Luciani blasphemi, tandem à canibus dilaniati, & Pauli Antiochi episcopi, blasphemi in Christum & hæretici, patria. Adeo Orthodoxis fuit addicta, ut Eusebiò Episcopò à Valente Imperatore pulso, & Eunomiò Arianò in ejus locum suffectò circa A. C. 368. nemo in cœtum venitârit, imo nec cum eo eàdem aquâ lavari voluerit, pilam quoque pueri ab asino Lucii successoris calcatam per ignem purgaverint. Vide Theodoret. *l.* 4. *c.* 14.

SAMOSATENUS Paulus, vide *ibi*.

SAMOTH, nomen viri. 1 Paral. *c.* 11. *v.* 27. Latinè *nomina*, *desolationes*, vel *perditiones*, sive *stupefactiones*.

SAMOTHES gigas, qui & *Mesech*, Gomeri ac Tubalis frater, ipsiusque Japheti Prisci sextogenitus, *Dis* à Julio Cæsare nuncupatus, Jani, h. e. Noachi, fil. & primus Celtarum rex. Unde Galli Samothei dicti fuerunt, præcipuè quidem eorum Philosophi atque Theologi. Multas leges edidit, quibus Celticas formabat gentes docuit astrorum & sydetum cursus, inferiorum rerum naturas varias, deditque suis populis literas Sagas, seu Phœnicias, à quibus posteà suas eruerunt Græci. Colonias in Celticis terris posuit, anno post diluvium 143. in Britannia verò, 252. obiit verò, A. M. 1956. & ante Christi adventum, 2014. quum Celtis universaliter omnibus 56. annis præfuisset, Britannis interim 47. Assyriis & Babyloniis imperante Ninô. Vide Cæs. *de Bell. Gall. l.* 6. *c.* 18. Dupleix, *Comment. Gall. l.* 2. *c.* 2.

SAMOTHRACES Dii, in Samothracia dicti sunt propriè Θεοὶ μεγάλοι, Θεοὶ χρηστοὶ, Θεοὶ δυνατοί; Cassio Heminæ, apud Macrobium *Saturnal. l.* 3. *c.* 4. qui in Augurum libris *Divi potes*, apud Varronem *LL. l.* 4. in Ægypto atque Oriente *Dii* Κάβειροι. Horum templum Memphi vetustissimum fuit, *quod inaccessum alteri quàm Sacerdoti*; donec Cambyses *ingressus simulachra concremavit*, πολλὰ κατασκώψας, *multa jocatus in ea*, Herodotus *l.* 3. *c.* 37. Erant enim Vulcani statuis similia, quas ille multò risu excepit. Fuêre verò Ἑπτὰ Συδὲκ παῖδες, Κάβειροι, *Septem liberi Sydek*, *Cabiri*, Euseb. *Præp. l.* 1. Jupiter scil. Bacchus, Ceres, Proserpina, Pluto, Casmilus (h. e. Mercurius) &c. Vide Sam. Bochartum *Phœnic. l.* 1. *c.* 12. Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* 1. ubi de *Thoth*. *Mercurio*. *Diis Cabiris*, & *Sec.* IX. ubi de *Cadmo*, nec non hic passim.

SAMOTHRACIA, quæ & *Samothrace*, insul. maris Ægæi, Thraciæ adjacens, eâ in parte, quâ Hebrus in mare influit, à Lemno 22. mill. pass. in Ortum, ab Imbro 32. in Occasum. Olim *Dardania* dicta, à *Dardano* Trojano, qui Palladium secum ferens, eò traditur confugisse. Aristoteles de Rep. Samothraciæ scribens, ait, eam olim *Leucosiam* dictam, deinde *Samum* (*m* literâ interpositâ) à *Sao* Mercurii & Rhenes filio. Attollitur monte Saoce 10. mill. pass. teste Plin. *l.* 4. *c.* 12. Gentile *Samothrax*, vel *Samothracius*. Fuit hæc insula religione ac templô nobilis, quod, unà cum Delphico, totô orbe sanctissimum habebatur: Cereris ibi Proserpinæque mysteria celebrabantur. Lege Strab. & Liv *l.* 45. Plut. *in Æmilio*, ac Diodor. Sic. *l.* 5. Hîc annulorum genus inventum; qui, cùm ex ferro essent facti, aurô cingebantur, vel planè aurei decolorabantur. Plin. *l.* 23. *c.* 1. Hinc *Ferrea Samathracia* Lucretio *l.* 6. *v.* 1042. De his etiam Isidor. *l.* 19. *c.* 5. Illustris Scaliger hos Samothracum annulos *in l.* 5. *Manilii*, notat ex eorum genere fuisse, quos Græci φυσικὰς καὶ φαρμακίτας δακτυλίους *&* ἀλεξιτηρίους appellârunt. De quibus Johannem Kirchmannum, si lubet, vide, erudito *de Annulis Comment. c.* 21. Addo, quòd postquam Samii, imperante apud eos Leogorô seu Proclis, ut Pausan. *in Achaic.* seu potiùs Patroclis, ut Strabo vocat *l.* 14. filio, ab Ephesiis expulsi eò concessissent, nomen & ipsa *Sami* adepta est, attamen hoc cum discrimine, ut *Thracum Samos*, sive *Samothrace* diceretur. Unde Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 208.

Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia *fertur.*

Hîc primùm sacra, quæ inde *Samothracum* vocabantur, instituit Eetion, ut est apud Clem. Alexandrinum *Admon. ad Gentes*: cultique sunt hâc Insulâ Terra & Cœlum, sive, ut potiùs in sacris dicti, Tellus & Cœlus, de quibus vide Varronem *de L. L. l.* 4. *Terra & Cœlum, ut Samothracum initia docent, sunt Dei magni, & hi quos dixi multis nominibus. Nam neque quas ante portas statuit duas viriles species aheneas, Dei magni, neque, ut vulgus putat, hi* Samothraces *Dii, qui Castor & Pollux: sed hi, mas & fœmina, & hi quos Augurum libri scriptos habent sic,* Divipotes *& sunt pro illis, qui in Samothrace* Θεοὶ δυνατοί. Subjicit mox: *Hæc duo, Cœlum & Terra: quod anima & corpus, humidum & frigidum*: ubi pro *frigidum* putat Voss. *aridum* vel *calidum* rescribendum. Nec multum abierunt, qui tres *Samothracum* statuêre Deos: Deos nempe eos ipsos, qui in Capitolio juncti sunt Templo, Jovem, Minervam & Junonem; His enim medius & imus æther, cum summo aëre, est Jupiter: supremus Æther, Minerva; medius & imus aër, cum Terra, Juno. Vide Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 4. Eosdem *Penates* Romani dixêre. Aliis quatuor sunt *Samothracum* Dii, qui & *Cabiri* illis dicuntur; sed sic quoque, unô exceptô, cæteri ad Terram pertineant. *Axieron* enim terram frugiferam fuisse: inferiorem autem terram, ratione virtutis activæ, dictam *Axiocersum*: ratione passivæ, *Axiocersam*; ac virtutem famulantem Numini, cœlitusque homini ac terræ se insinuantem, *Casmilum*, Græcè Ἑρμῆν, Roman. *Mercurium* ex veteri Scholiaste Apollonii *in Argon. l.* 1. colligitur. Ubi tamen, an ministra Cœli virtus in magnis fuerit *Samothracum* Diis, meritò dubites: nisi eam in Diis quidem illis, sed non classicis ac prioris ordinis, verùm magnorum Deorum ministram fuisse dicas, & quartô locô ipsum adponas Jovem, cujus minister Mercurius. Qua de re vide Gerh. Johan. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 57. De his *Diis potibus*, Græcè δυνατοῖς seu *Samothraciis*, locum Varronis ita emendat Salmas. *Nam neque quas* Samothracia *ante portum statuit, duas viriles statuas aheneas, Dii magni.* Ubi perperam vulgò scriptum, *quas Ambracia ante portas statuit.* Nempe in Samothracia ante portum, inquit, duo erant posita simulachra virilia ex ære. Quos quidam *Samothracios Deos* exstimabant; sed errare illos docet Varro. Vide eum *Not. ad Spartian. in Hadriano, c.* 14. & suprà in voce *Dynameri*.

SAMPHE, urbs Phœniciæ, *Steph.*

SAMPHORÆ, Græcè Σαμφόραι, equi dicebantur in Circensibus, qui literâ Σὰν, i. e. *sigma*, notati erant. Græci enim duas præcipuè literas imprimebant equis, Sigma & Coppa, unde Κοππατίαι & Σαμφόραι equi; jam ab Anacreontis tempore,

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι
In coxis quidem equi
Ignis characterem habent.

Hesych. Σαμφόρας, Σαμφόραι ἵπποι λέγονται, οἷς ἐγκεχάρακται τὸ Σ στοιχεῖον, τὸ γὰρ Σὰν ἔλεγον. Veteres namque Σὰν & Σαμ, pro *Sigma*, dixêre; unde qui atmo inustum Σὰν ferebant, Σαμφόραι appellati. Ubi probè notandum τὸ Σὰν hîc non esse episemon illud Græcorum, quod in numeris significat Dcccc. uti *Scholiastes* Aristophanis id sumsit, qui Σὰν illud ex sigma & Πι compositum esse dicit, quod verum est de illo episemo; adeoque Σαμφόρας dictos interpretatur; οἷς ἐστίγμενον τὸ ... καὶ ... Γραμματικοῖς ἤτοι διδάσκαλοι καὶ καλεῖται Κόππα. Purè enim id sigma est, Æolibus sic dictum, qui à Doribus hanc literam Σᾶμα appellantibus id hausêre. Itaque nota hæc, fuit effigies Romani C. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 891. & 892.

SAMPSA, vicus Arabiæ. Significat autem *Sampsa* Arabicè *Solem*. Ita *Steph.* Nempe ab Ebræo *Shemesh.* Vide hîc infrà.

SAMPSACE, nomen loci, 1. Machab. *c.* 15. *v.* 23.

SAMPSÆ, vel SAMPSITÆ, populi fuêre Arabiæ, ab urbe *Sampsa* dicti, Ossenis vicini: quos cum Essenis confundunt nonnulli & quasi ἡλιακοὺς appellatos contendunt, quòd Solem venerarentur. Sed nec de Essenis id verum, & à *Sampsa* potiùs urbe illi nomen habuêre, cujus ratio, quòd ad Solis ortum id oppidum situm esset. Fuêre autem illi nec planè Judæi, nec omninò Græci religione, sed nec Christiani, ut Epiphanius tradit: φύσει δὲ οὗτοι οἱ Σαμψαῖοι ἐρμηνεύονται, οὔτε Χριστιανοὶ ὑπάρχοντες, οὔτε Ἰουδαῖοι, οὔτε Ἕλληνες, ἀλλὰ μέσον ἁπλῶς ὑπάρχοντες, οὐδέν εἰσι. *Natura autem* Sampsæi *fruuntur neque Christiani neque Judæi, sed inter omnes medii, nihil sunt.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 611. & 612. & suprà, ubi de *Essenis* ac *Ossenis*.

SAMPSAI, nomen viri Esdr. *c.* 4. *v.* 8.

SAMPSARI, fil. Jeroham. 1 Paral. *c.* 8. *v.* 26.

SAMSICERAMUS, unus à Phylarchis Arabum, cui fil. fuit Jamblichus Romani nominis studiosus, ut Cicero testatur *l.* 2. *Attic. Ep.* 14. 16. 17. Porrò Jamblicho huic filius alius ejusdem nominis fuit, & ipse Romanorum amicitiam servans, cui ab Augusto patrium regnum est restitutum. Vide Strab. *l.* 10. Genti Emessenæ imperabant, & regni sedem Arethusæ habebant.

SAMPSIRA, Ægypti urbs. *Steph.*

SAMPSO, virago Proculi uxor. Vopisc. in *Vita* hujus, *c.* 12. *Fertur eô tempore, quô Imperium sumpsit, duo millia servorum suorum armâsse. Huic uxor virago, quæ illum in hanc præcipitavit dementiam, nomine* Sampso, *quod ei postea inditum est: nam antea Viturgia* (an *Vitruvia*) *nominata est.* Ex eo Herenniani mater &c.

SAMPSON, Judex & Liberator Judæorum, ex tribu Dan, fil. Manoæ: cui per Angelum filii nativitas prædicta fuit; additô, ut illum velut Nazaræum educaret. Hic mirô corporis robore est à Deo donatus; sed eâ lege, ut tamdiu robur, firmitatemque corporis retineret, quamdiu cæsariem. Itaque cùm Philistini innumeris ab eo cladibus afflicti, per mulierculam quandam, cujus amore tenebatur, perfecissent, ut ei capillus abraderetur, facilè ab eis comprehensus & excæcatus est: eam tamen ille injuriam postea suâ & hostium clade vindicavit, Nam cùm capillô renascente vires redeuntes dissimulâsset, à principibus eorum in amplissimo quodam triclinio convivium agitantibus, ludibrii causâ, introductus, columnamque quandam totas ædes fulcientem complexus, eam summis viribus concutiens, simul cum ædificio evertit; quâ ruinâ & ipse & inimici ejus omnes obruti sunt, uti legitur in libro Judicum, unà cum reliquis ejus gestis, *c.* 13. 14. 15. 16. Obiit A. M. 2899. Josephus *l.* 5. Γενόμενον τὸ παιδίον Σαμψῶνα καλοῦσι, ἰσχυρὸν δ' ἀποσημαίνει τὸ ὄνομα. Idem: Θαυμάζειν δὲ ἄξιον τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἰσχύος, καὶ τῆς περὶ τὴν τελευτὴν μεγαλοφροσύνης τἀνδρός. Καὶ τὸ μὲν ὑπὸ γυναικὸς ἁλῶναι, δεῖ τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων ἀνατιθέναι. Cæterum, primus is fuit *Nazitæus* perpetuus, cujus in Sacris mentio. Ejus gesta cùm longè lateque increbuissent, à Poëtis sub non unô schemate adumbrata sunt: Herculis nempe, Thebani inprimis; Cleomedis Astypalæi & Orionis. Namque Herculis non minùs ac *Sampsonis* nomen à *Sole* desumtum; utrique prodigiosum corporis robur, uterque leonem interemit absque armis, nisi quòd Herculi clava ascribitur; Servitus ac labores Herculis, *Sampsonis* sub Philistæis ærumnas expresserunt; quemadmodum, quòd Hercules, cùm vinctus in Ægypto offerendus esset Jovi, ad aram vinculis diruptis hostes suos interemerit, vincula *Sampsonis*, captivitatem ac liberationem indigitat: Sic quòd Omphali servierit Hercules: & dein voluntariâ morte, in monte Oetâ obierit, *Sampsonis* repræsentat libidinem & mortem, imò quid utrâque Herculis columnâ dilucidius? Nec obstat quòd Herculi longè plura à Scriptoribus tribuuntur. Namque Poëtas, pro more suo, non tantùm quæ de *Sampsone* audierunt, in Herculem suum contulêre; sed & ex Josuæ, Jonæque historia non pauca decerpserunt, eidem tribuentes diversissimorum temporum hominumque egregia facinora. Eodem respexisse Homerus videtur, ubi de Polyphemo, nisi quòd ὑπερβολικώτερον omnia exequatur. De Cleomede, Heroum ultimo, vide *Plut.* Orion certè vel potiùs *Urion*, Tanagræ Princeps, tum nomine, cum factis & cæcitatis pœnâ, *Sampsoni* proximus est. Namque sicut *Sampsoni* Hebræis *Solem fortitudinis*, sic Urion *lucem fortitudinis*, denotat. Sicut Orion mirô quodam modô conceptus, operâ Jovis, Neptuni & Mercurii, ita *Sampson*, ex sterili matre, miraculosè genitus est. Ille mirô corporis robore polluisse, &, cùm Oenopionis Regis filiæ vim inferre conaretur, à Satyris in somnum datus, & sic vinctus deditusque Regi atque oculis privatus dicitur, quæ omnia quam bellè in Samsonem quadrent, nemo non videt. Sed & in Nisi fabula vestigia quædam sacræ Historiæ apparent, namque fatalem ejus fuisse crinem, neque priùs in manus hostium cum regno dedi potuisse, quàm eô proditione Scyllæ filiæ resectô, Poëtæ tradiderunt. Vide Franc. Burmannum *Comm. in Judic. c.* 26. Serarium it. *Not. ad Justinum l.* 42. *c.* 3. ubi & Hydras, Centauros, Stymphalidasque Poëtarum de Philistæorum incursibus, & Herculis columnas geminas, de columnis, quibus ædes Philistæorum innixa, quibusque *Sampson* ex imo convulsis illam cum aliquot hostium millibus subvertit, interpretatur.

SAMPSON, Presbyter Scotus, negavit Baptismi necessitatem, A. C. 748. & impositionem solam manuum Episcopi, à peccato Originali hominem liberare credidit. Item, Abbas Cordubensis, Seculô 9. Coram Mauris Regibus fidem constanter confessus, pro Christianis apologiam scripsit. Ambrosius Morales, in Schol. ad *l.* 1. *Memor. SS. Eulog.* Obiit A. C. 890. Baron. *in Annal.*

SAMPSUCHUM, cum amaraco idem. Plin. *l.* 21. *cap.* 11. *Amaracum Diocles Medicus, & Sicula gens appellavêre, quod Ægyptus & Syria sampsuchum.* Dioscorides *l.* 3. Κρατιστεύει τὸ Κυζικηνὸν καὶ τὸ Κύπριον. δευτερεύει δὲ τούτων τὸ Αἰγύπτιον, καλεῖται δὲ ὑπὸ Κυζικηνῶν καὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ, ἀμάρακον. *Optimum est Cyzicenum & Cyprium: huic autem proximum Ægyptium, vocatur autem à Cyzicenis & Siculis amaracum* &c. De eo fabulam istam narrat Servius *ad Æn. l.* 1. *v.* 697.

—— *ubi mollis* amaracus *illum* &c.

Hic puer, inquit, regius unguentarius fuit, qui, casu lapsus, dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creavit. Unde optima unguenta amaracina dicuntur: hic postea in herbam sampsuchum *versus*

fol est, quam nunc amaracum dixit. Vide in voce *Amaracus*. Ex eadem herba aspergillum in Vet. Test. sacrum fieri consuevisse, sunt qui tradunt. Vide suprà in voce *Majorana*.

SAMUCUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

SAMUEL, Elcanæ fil. ex Anna, judicavit populum Israël post Heli, A. M. 2878. ante Christum natum 1048. Alii habent A. M. 2940. Hunc filium mater diu sterilis, precibus à Deo impetravit, quem etiam Deo obtulit. Arcam Dei sub eo reducunt Philisthini, quam tempore Heli ceperant: judicavit Samuel annos 11. juxta Hebræos, puta usque ad Saul, primum regem. Secundum alios 20. Senex cum esset factus, constituerat filios suos Joëlem & Abiam judices in Israël, qui cum non ambularent in viis patris, sed declinarent ad avaritiam & munera, pervertentes judicium, majores natu Israël petierunt à Samuele regem, qui judicaret, more gentium cæterarum. Itaque Saul à Samuele eligitur in regem, præcipiente Domino. Obiit A. M. 2977. ætat. 77. Regiminis 20. 1. *l. Reg. c.* 1. 2. & 3. ad 9. usque *cap.* Joseph. *Jud. Antiq. l.* 5. *c.* 15. & sequent. Creditur Auctor libri Judicum, libri Ruthæ, & ex parte 1. Regum. *Torniell. Salian.* &c. Latin. *positus a Deo*, aut *nomen ejus à Deo*. In *Samuelis l.* 2. *vel partes* citant: Ambros. *in l.* 2. *c.* 11. 12. Angelomus. Antoninus. Archirota. Augustinus. Beda. Bonfrerius. Borrhai *Comm.* fol. 1565. Basileæ. Brentius. Bugenhagii *Annotationes*, in 8t. Basil. 1524. Calvinus. Candidi *de infante Davidis*, Basil. A. C. 1608. Caussini *Dissertationes*, fol. Parisiis 1650. Crommius. Drusii *in loca diffic. commen.* in 4to. 1618. Franekeræ. Emberg. *Interpretatio c.* 8. *l.* 1. Franc. 1606. Eucherius. Filholii *Regum historiæ carmine*. Gregorii M. *Expositio*. Gualtherus. de Hales. Helingii *Periocha*. Hieronymus. Hosti *Historia monom. Davidis & Goliathi*, Antv. 1582. Jansenius. Jansonius. Isidorus uterque. Lambertus de Lapide. Lavateri *Homiliæ* 10. *de Nabale*. Tig. 1586. Leonharti *Ὑπομνήματα*, octav. Lipsiæ 1614. Malvenda. Martyr. Medrasch Schemuel, Hebr. Mendoza. Mœnius. Nezenii *Exercitationes*. Jenæ 1611. Origenis *Homiliæ*. Paulutius. Piscator. Procopius. Rabanus. Longinus. Rupertus. Sanctius, fol. Antverpiæ 1624. Serarius. Stephanus. Strigelii *Arg. & Scholia*. in 8t. Lips. 1586. Theodoreti *Quæstiones Sel.* Titelmannus. Tostatus. de S. Victore Hugo & Richardus. Wellers *Explicatio in lib. pr.* fol. Franc. 1585. Willeti *Harmonia*. fol. Cantabrigiæ, 1614. Wolfii *Sermones*. fol. 1589. Zanchii *Notationes & Quæst.* in 4to. Romæ 1555. &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

SAMUEL, Bulgarorum Princeps, vicit primò Basilium Imperatorem Constantinop. mox ab eodem victus & in extremam Bulgariam rejectus, cum XV. Mill. captivorum à victore excæcata, centenariô solùm unoculô relictô, sicque in patriam remissa vidisset; animi mœrore contabuit, A. C. 1002. 1013. Vide Georg. Cedrenum *in Hist.* Zonar. *tom.* 1. &c.

SAMUEL, Judæus Marocensis, in Africa, Baptismo initiatus, scripsit popularibus suis Epistolam, de adventu Messiæ, in quâ duritiei & pertinaciæ illos convicit, A. C. 1070. Edita illa aliquoties.

Rabbi SAMUEL, pater Rabbi Judæ pii, auctor libri *Chasidim*, floruit A. M. 4992. Juxta R. Ganz *Chronol.*

Rabbi SAMUEL acohen Fil. Chophni Gaon, scripsit *Mekach Vemimcar* seu de Emptione-Venditione, *Mitzranot* h. e. de propugnaculis, alia. Obiit A. M. 4794. juxta *Rabbi Ganz*.

Rabbi SAMUEL Jarchinæus, vel *Lunaticus*, vide suprà *Jarchi*.

Rabbi SAMUEL Levi, Scriba & Consiliarius Regis Hebos Granatæ, liberalitate suâ studia suæ gentis multum, per Africam, Ægyptum, Palæstinam, ad Babyloniæ Scholam usque, juvit, circa A. M. 4787. juxta *Rabbi Ganz*.

Rabbi SAMUEL Tarsa, scripsit *Makor Chajim*, expositionem in Commentarium Sap. Rabbi Abraham Fil. Ezræ, item librum *Michlol Jophi*. h. e. Perfectio pulchritudinis, circa A. M. 252. Millenarii VI. juxta Rabbi Dav. Ganzii supputationem, *in Chronol. Rabbinorum sub Templo II*.

SAMULA, mulier quæ vixit 110. annis. Plin. *l.* 7. *c.* 48.

SAMUNIS, Albaniæ urbs, *Ptol. Samacha Nigro*. Vide Cyropolis.

SAMUS, Lacedæmoniorum Navarchus, cum XXV. triremibus Cyro Juniore succurrere jussus.

SAMYDACE, urbs Carmaniæ. *Steph. Gaudel ex tabulis recentiorib.*

SAMYLIA, urbs Cariæ condita à Motylo, qui Helenam & Paridem hospitio suscepit. *Steph.*

SANA CASA, quibusdam est *Sargans*, oppid. Sarunetum, in Rhætia propria, ad Rhenum, 2. leuc. infra Curiam in Boream, vide *Sarunetes*.

SANAGENSES, Galliæ Narbonensis populi. Plin. *l.* 3. *c.* 4. Forte ubi Sanitium hodie. Vide ibi.

SANAIS, Urbs Mediæ non obscura; inter Tabresium ad Occasum & Europum ad Ortum. *Ptol. Sena* vulgò.

SANAN, civitas in tribu Judæ. Jos. *c.* 15. *v.* 37.

SANAOS, Phrygiæ oppid. Apolloniæ metropolis, teste Strabone, *l.* 12. *Vaulda Ptol.*

SANAPE, Amazonum regina, vide *Sinope*.

SANARI, Sarmatiæ Asiaticæ gens. *Ptol.*

SANATES, quorum mentio in Legg. XII. Tabb. dicti fuêre, teste *Festô*, qui supra infraque Romam habitaverant; qui cùm defecissent à Romanis, brevi post rediêrunt in amicitiam, tanquam *sanâ* mente. Itaque lege Decemviral. *Sanatibus idem, quod fortibus, jus esse*, cautum est; ubi per *fortes* intelliguntur boni, & qui nunquam à Populo Romano defecerunt. Cujus Legis æquitas manifesta: ut ii scilicet, qui benignitatem Populi Romani experti essent, constantes deinceps in fide atque ipsius Majestate comiter tuenda permanerent: tum ut reliqui hôc tanquam invitamentô ad Populi societatem atque amicitiam pellicerentur. Postea tamen Æbutiâ lege hanc abrogatam fuisse, testis est A. Gellius *l.* 16. *c.* 10. Sed ejus verò & Opilius, apud eundem *Festum*, per *Sanates* intelligi volunt inferioris loci gentes, ut Tiburtes & alios, qui cum populo Tiburtino habitabant in agro Tiburti, i. e. omnes peregrinos, inferiorisque loci. Alii, ut idem refert, colonias, quæ in priscos Latinos à Tarquinio Prisco erant deductæ, quæque, quòd præter opinionem eas pacavisset sanavissetque, *Sanates* fuêre appellatæ, ut alia omittam. Vide Jac. Oiselium JCtum *Not. in loc. Gellii cit.*

SANAVIVARIA, in *Passione* S. Perpetuæ & Felicitatis, porta est ex portis Amphitheatralibus una. In Amphitheatris enim cùm duæ majores portæ essent, præter alias minores, una *Libitinensis* dicebatur, quòd per eam gladiatorum confectorum cadavera efferrentur; altera *Sanavivaria*, per quam Victores triumphantes, & superatâ nece *sani vivique* exibant. Luc. Holstenius, qui Historiam hanc edidit ex *Cod. MS.* Casinensi, apud Dominic Macrum *in Hierolexico*.

SANB. in nummis Martiniani *Signata Antiochiæ*, B. verò Monetarii nota est. Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus*.

SANBALLAT, Samariæ præfectus, Alexandri M. cum 8. millibus suorum se dedidit, ut sibi in monte Garizim templum ædificare liceret, quod & perfecit. Item nomen viri. Nehem. *c.* 2. *v.* 10.

SANBORONDON, Insul. Vide *Canariæ insulæ*.

SANCERRA, vide *Sacrum Cereris*.

SANCHETI, moneta Navarrêni Regni, à Sancio seu *Sanchez* Rege dicta, cujus mentio in *Charta* Philippi Regis Franciæ A. C. 1303. apud Car. du Fresne *in Glossar*.

SANCHONIATHON, Historicus, scriptor miræ antiquitatis. Si enim Porphyrio credimus, ἐπὶ Σεμιράμεως γέγονε [illegible], de quo vide Voss. *de Hist. Græc. l.* 1. *c.* 1. & Bochartum *de lingua Phœnicia & Punica*, *l.* 2. *c. ult.* Nomen Theodoretus ex *Porphyrio*, sic explicat, [illegible] *Philalethes* dicitur fuisse, vir πολυμαθὴς, καὶ πολυπράγμων, *doctus & curiosus*. Historiam autem contexuit, ut habetur in Porphyrio, [illegible], Phœnicum sermone conscriptam Græcè reddidit Philo Byblius Adriano Imperatori σύγχρονος. *Nic. Lloydius*. Vossio vir fuit Berytius, Trojanô bellô antiquior ac historiam Phœnicum Phœniciâ perscripsit linguâ, partim ex urbium singularum actis, partim ex Templorum monumentis, multum in eo adjutus operâ Hierombali, qui Sacerdos fuit Dei *Ievo*. E quo opere, quæ de Phœnicum ille Theologia retulerat, in primum suum *de Præp. Evang.* transtulit Eusebius. Vide Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 22. Potiùs verò Gideonis Israëlitarum Judicis fuit σύγχρονος, ac familiariter ei notus, vel eô non multùm posterior. & qui pleraque sua ab eo mutuatus est. Namque & idolum *Baal berith*, paulò post Gideonis obitum, ab Israëlitis erectum, Idolum erat Berytinorum, & Sacerdos *Irombaal* seu *Hierombal*, vel *Hierombalus*, cujus ex Porphyrio meminit Voss. quis alius quàm *Jerubbaal*, quemadmodum Gideonem vocari in Sacris novimus? Nec Deus *Ievo* alius quàm *Iao*, quæ voces ex nomine Dei tetragrammato factæ sunt. Quòd autem Gideon sacerdos Phœnicibus crederetur, hinc sine dubio factum, quòd is ex monilibus Ismaëlitarum devictorum aureis *Ephod. i. e. Amiculum* fecit, quod vestimentum utique Sacerdotale erat. Vide Judic. *c.* 8. *v.* 27. 29. 33. & Franc. Burmannum *Comm. in locum*.

SANCIACUM vel SANCTIACUM, vicus pagi Suessionici, patria Audoëni cognomine Dadonis, Dagoberti Regis primùm Referendarii, deinde Rotomagensium Episcopi, quam hic Rotomag. Ecclesiæ S. Petri, postea S. Audoëni dictæ donavit. Vulgò *Sanci*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SANCIANUM, Insul. Sinarum, in ora Cantoniæ provinc. *Sancian* seu *Sanchoan*. Media inter Macaum in Cæciam & Aynam Insul. in Africum. Oblonga est.

SANCIRE, apud Arnob. *adv. Gentes l.* 2. ubi de Minerva: *A certo capta est tempore Dea dici, sacris in ædibus statui, & inviolabili religione sanciri.* Et Livium *l.* 23. *Jam ego, inquit, Sanguine Annibalis sanciam Romanum fœdus.* Quid sit, exponit Servius, *ad l.* 12. *Virg. Æn. v.* 200. nempe rem sanctam atque inviolabilem efficere, *fuso sanguine hostiæ*. Lucanus *l.* 7. *v.* 351.

Romanas sancire volent hoc sanguine leges.

Atque ita sancitæ religiones, consecrata Numina, Leges statutæ, Legati ac Tribuni Pleb. ab omni vi undiquaque tuti redditi, etiam homines alii, quos vitæ integritas commendaret, *Sancti* appellati, Græcè ἅγιοι, à voce ἅγος, ut is qui ἅγιον violaret, esset ἐναγὴς, i. e. *Sacer*, *devotus*, & majestas violata sanguine [illegible] expiaretur. Cic. *ad Attic. l.* 1. *Quare & illa, quæ violata expiabuntur.* Inprimis verò Tribuni Pleb. olim *Sancti* seu potiùs *Sacrosancti* Græcè [illegible] Dionysio Halicarn. *l.* 6. quia sancitum erat, *ut qui eos violasset, caput ejus Jovi sacrum esset*, Liv. *l.* 3. *c.* 55. sic ut cuilibet *eum jus fasque esset occidi*, *Ibid.* Sacrabantur autem Diis inferis præcipuè, unde [illegible], *Jovis inferi*, meminit hac in re Dionysius *l.* 2. ac mactabantur; quia non nisi corporibus exsoluti ad Deos, quibus voti erant, pervenire poterant, vide Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 7. ubi enarrat hunc Virgilii versum, *l.* 10. *Æn. v.* 419.

Injecere manum Parcæ: telisque sacrarunt
Evandri ——

Meminit & Festus moris, voce *Sacer*: adde quæ hîc passim.

SANCTA, indeclinabiliter, τὰ Ἅγια Græcis, dicitur in Ordine *Rom.* hostia, quam in Missa ajunt offerri: *Et tunc duo Acolyti tenentes capsas cum Sancta apertas & Subdiaconus sequens cum illis, tenens manum suam in ore capsæ, ostendit Sancta Pontifici vel Diacono, qui præcesserit. Tunc inclinato capite Pontifex vel Diaconus salutat Sancta & contemplatur, ut, si fuerit superabundans, præcipiat, ut ponatur in conditorio* &c. Concilium Laodicen. *can.* 14. [illegible], &c.

Nempe

Nempe sic appellatus est olim Panis Eucharisticus, unde formula in Communione solennis, *Sancta Sanctis*. Chrysostomus, ubi de Sacerdote Populum ad S. Eucharistiam invitante, *Ea de causa*, inquit, *stans excelsus, omnibus manifestus, tremendo illo silentio vehementer inclamat, Sancta Sanctis*. Indigitans, quâ sanctitate ad mysticum hoc ac sacrum Epulum accedere conveniat. Vide Macros Fratres *in Hierolex.* in voce *Solea*. Sed & in Ecclesia Romana vox *Sancta*, simpliciter posita, Sanctorum quoque reliquias notat. Ægidius Aur. Vallis Monach. *in Addit.* ad Harigerum Abbat. Lobiensem *in Servatio Episc. Leod. c.* 27. *Interdum dum adhuc ita vindicta Dei differtur, curremus ac* Sancta *nostra simul nobis eripiantur cum urbis excidio* &c. Unde *jurare supra Sancta*, est super Sanctorum reliquias jurare. Vide suprà. Græcis recentioribus Ἅγια locus est in Templo tabulato inclusus, sacer ac venerabilis, mulieribus inaccessus, qui Ἄδυτον aliter. Vide hîc passim & Cl. Suicerum *Thesaur. Eccl.* vocibus Ἁγίασμα & Ἅγιος.

SANCTA Domus, vide *Santa Casa*.

SANCTA Betirum, castellum Latii, circa lacum Fucinum.

SANCTA Sanctorum, Græcè τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, vide infrà *Sanctuarium*.

SANCTÆ Crucis Sinus, pars maris Adriatici versus oram Dalmatiæ, inter peninsul. Hillidis ad Ortum & Corcyram ac Melitam Insul. ad Occasum.

SANCTÆ Liberatæ, vicus Galliæ non obscurus, prope Aginnum: *S. Livade*.

SANCTARSENIUM, oppid. Lucaniæ.

SANCTI, qui in Ecclesia dicuntur, notum. Ad horum invocationem, disputatio in schola Origenis instituta, de quæstione: *An animæ etiam in altera vita sint sollicitæ de salute nostra & pro fratribus orent?* ut & Potamienæ post mortem apparitio seculô 3. gradum struxit. Postmodum Basilio, Nysseno & Nazianzeno, longe aliud agentibus, cum in orationibus Panegyricis flosculis Rhetoricis locutionibusque figuratis nimium indulgerent, sensim invehi illa seculô 4. cœpit, multùm repugnantibus Augustinô & Epiphaniô, qui ne tantos læderet viros, hæresin illam in Collyridianis & Antidicomarianitis refutavit, clarè dicens: *Sit in honore Maria, Pater verò & Filius & Spiritus S. adoretur, Mariam nemo adoret*. Vide Mart. Chemnitium *part. 3. de Invoc. Sanct.* Epiphan. *contra Collyrid.* Primus tandem Petrus Fullo, Episcopus Antiochenus, modò Orthodoxum, modò Eutychianum se gerens, miscendæ Sanctorum invocationis, inter publicas Ecclesiæ preces, auctor extitit, constituitque, ut in omni precatione Dei genetrix nominaretur, ac divinum ejus nomen invocaretur, seculo 5. Idem Chemnit. Examin. Concil. Trident. *part.* 4. Quis autem hic fuerit, vide in voce *Petrus Fullo*.

SANCTI, in Græcorum Imperatorum nummis, quos videl. potiori cultu venerabantur. Non enim solùm Christi, & Deiparæ Virginis, sed & *Sanctorum* imaginibus monetam suam hi Augusti signarunt. Sic Isaacii Imperatoris binos nummos, ex gazophylacio S. Genovefæ Paris. exhibet Car. du Fresne, utrumque ex iis, quos *Caucios* seu *Cavos* vocant, alterum æreum, argenteum alterum, paris magnitudinis, nisi quòd adrosi ferè sunt characteres, qui in æreo distinctè leguntur. Stant in æreo figuræ, prior Isaaci, Imperatoriô habitu, dexterâ crucem gestantis; alterâ Angeli, cum nimbo circa caput, crucem perinde longiorem dextrâ prehendentis, quam is Imperatori porrigit. In nummi ora ac circulo exarati habentur minutiores isti characteres, ICAAKIOΣ ΔECΠOT. Supra crucem mediam AΓIOC. AP. Infrà, ad lævam X MI. quibus intelligitur Ἀρχάγγελος, vel Ἀρχιστράτηγος Μιχαὴλ, quem ut Patronum sibi asciverat Isaacius, ob *Angeli*, quod ei erat, cognomen. In convexa nummi parte Deipara sedet, Christum puerum in clypeo effictum gremiô complectens, cum characteribus solitis, MP. ΘV. Ejusdem ferè fabricæ est nummus aureus, quem *ad Alexiadem* idem descripsit, præterquam quòd manus de nube profecta diadema capiti Imperatoris imponit. In aliquot Joannis & Manuelis Comnenorum nummis æreis effictus cernitur S. Georgius, quem Μεγαλομάρτυρα vocant Græci, nudatum ensem vel spiculum dextrâ, clypeum sinistrâ tenens: capite margaritarum lineâ seu unionibus distinctô diademate, more Imperatoriô cinctô. Et quidem in Manuelis nummo adscribuntur hi characteres, O. in quo A. minusculum includitur, quod Ἅγιος vulgò contrahunt Græci, & ΓE $\frac{P}{O}$ —— ΓIOC. i. e. ἅγιος Γεώργιος. Nec multum dispar est S. Georgii figura, quam habet Constantini cujusdam [illegible] sigillum, apud *Octav. Stradam*, in quo stans habitu militari describitur, dextrâ similiter spiculum tenens, sinistra clypeo cruce insignito ac humi defixo innixus, cum hisce literis, O AΓIOC. ΓE. Verùm Græci Constantinopolitani inprimis, à quibus is impensè cultus est, ἱππότην seu equitem ferè semper S. Georgium depingebant, uti docent *Nicetas*, *Nicephorus Gregoras*, *Codinus*, Alii; rationem interserentes, quòd eô habitu non semel in præliis astitisse Græcis & pro iis dimicâsse dicatur. Vide Car. du Fresne *Dissertatione de Inferioris ævi Numismatibus num.* 31. & 32. De *Sanctorum* iconibus, in nummis Latinorum, *alibi*.

SANCTI, oppid. German. inferioris ad Rheni sinistram, olim *Trajana colonia*. *Merel.*

SANCTI Ægidii villa, ad Rhodanum, *S. Gilles*: monasterio veteri insignis.

SANCTI Caprasii, vulgò *S. Grapazi* & *S. Fidu*, vici duo Galliæ ad fluv. *Duranium*.

SANCTI Carterii vicus Galliæ proximus civitati Petrocoriorum, ad Ellam fluv. vulgò *S. Chastier*.

SANCTI Desiderii vicus Galliæ, prope urbem Cadurcos, à Desiderio Episcopo Cadurcensi dictus: *S. Geri*.

SANCTI Galli oppid. Vide *Sangallum*.

SANCTI Gaudentii castrum, in Vasconia, memoratum Petro Monacho, *in Hist. Albigensi*, vulgò dicitur *S. Gaudens*, fuitque oppid. Comitatûs olim Convenarum, posteà dominii Bellicarpensis, non procul ab oppido S. Gerontii, *S. Girons* & ab oppido S. Licerii *S. Leze* aliis *S. Leger*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SANCTI Laurentii fluv. seu *Canada*, fluv. amplissimus novæ Franciæ. Oritur ex Lacu S. Ludovici; dein auctus plurimis fluviis ex lacubus tam ad dextram, quàm ad sinistram profluentibus, in Ortum tendens, novam Franciam bifariam secat, pauloque infra Montem Regium æstuarium efficit. Hic Quebecum, Tadussacum, aliasque Francorum colonias rigat, receptisque fluviis quamplurimis, tandem post cursum 800. leuc. latissimo ostiô in Sinum S. Laurentii se exonerat, prope Anti Scotiam Insul.

SANCTI Macarii castrum Galliæ, ad Garumnam, è regione Alingonis *Lengon*, vulgo *S. Macaire*, Vasconibus *S. Macari* dicitur. Blavia, Burgus, Liburnia, Castellio ad Duranium in Petrocoriis, Catiliacum, castella S. Æmiliani & *S. Macarii*, dominantibus in Gallia Anglis, dicebantur *filiæ civitatis Burdigalæ*: cujus Major & Jurati, urgente bellô, quosdam è suis his oppidis & castellis præficere solebant. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SANCTI Marcelli, vel potius *S. Martialis* castrum Galliæ, Galliaco ac Guespiæ castris proximum, vulgò *S. Marsau*, à S. Martiali Lemovicum Episcopo primo nomen accepit. *Idem.*

SANCTI Nectarii castrum Galliæ, vulgò *Senneterre*: Arvernis, quibus *S. Nectoire*, pro *S. Nectaire* dicitur. *Idem.*

SANCTI Pardulfi castrum, in Arvernis, *S. Pardoul* & *S. Perdoux*.

SANCTI Pelagii oppid. in Navarra inferiori *S. Palai*.

SANCTI Sidonii castrum Galliæ in Caletis, vulgò *S. Saens*, olim non ignobile &c. Vide Hadr. Vales. qui plurima Galliæ loca Sanctorum Sanctarumque nominibus, ante aliquot secula, appellari cœpisse, priscis abolitis refert, *Notit. Gall.*

SANCTIFICATIO, nomen festi, apud Dominicanos, vide suprà *Conceptio*.

SANCTIFICATUS, cognomen apud Græcos Abbatis Theodori Tabennensis, qui 14. ætatis annô, sub Pachomii Sanctorum numero adscripti disciplina, vitam Monasticam professus est. Dominic. Macer. *in Hierolex.*

SANCTIMONIA, & SANCTIMONIUM, titulus honorarius Pontificum & Episcoporum, apud medii ævi Scriptores. Pastor Presbyter *Ep.* ad Timotheum, *Jubeat* Sanctimonium *vestrum venire ad eum* &c. apud Car. du Fresne *Glossar.* Item Regula *Sanctimonialium* seu officium, in veter. *Charta*, apud eund. De *Sanctimonialibus* verò vide suprà, ubi de *Ascetriis* & *Monialibus*.

SANCTIO, urbs Sueviæ satis munita, una ex IV. urbibus sylvestrib. sub Austriacis 5. milliar. German. à Basilea in Ortum, Scaphusiam versus 7. versus Constantiam 15. in ipso limite Helvetiorum; *Seckingen*, fortè à Sequanis vicinis nomen accepit. Vide *Saconium*.

SANCTIO Pragmatica, vide *Pragmatica Sanctio*.

SANCTISSIMI, item SANCTI Domini, frequenter apud *Historiæ Augustæ* Scriptores dicuntur Imperatores: nec non apud eos, qui illos insecuti sunt. Hinc apud Græcos Imperatores compellationis formula solennis, Δέσποτά μου ἅγιε, *Domine — mi Sancte*; quam observare licet non semel in *Rationali* Peræquatorum, sub Alexio Comneno exarato, Codino & aliis Scriptoribus Byzantinis. Eodem pertinet circulus, *Sanctitatis* index, capitibus eorum circumfusus, in numismatis illorum, de quo retro dictum, in voce *Nimbus*: ut & tam frequens *Divinitatis*, *Numinis* ac *Æternitatis*, ab iis usurpata vocabula & epitheta, quibus plenæ sunt Imperatorum Leges. Atque hæc veniam aliquam merentur in Augustis, quorum adeò ampla fuit potestas, si recentiorum Imperatorum expendatur ambitio, qui hominum omnium vanissimi ac omni facinorum genere infames, provinciis etiam suis penitus ferè exuti, *Sanctos* sese à subditis, Patriarchis quoque ipsis, ac Pontificibus Romanis compellari voluêre, uti Pachymeres docet *l. 6. c.* 31: *l. 10. c.* 11. 29. 32. &c. Jure proin Isaacium Angelum suggillavit Fridericus I. Imperator. apud Tagenonem Patavin. Legatos ejus his verbis alloquens, *Dominus vester* Sanctum *se appellat: mirabilis est sanctitas, quæ sanctos viros, honestos, religiosos —— subitò consuevit incarcerare & fame ac nuditate usque ad mortem macerare. Longè faciat à nobis Deus talem sanctitatem.* Alia Constantino M. mens, qui *Sanctum* se vel certè *Divum* appellari prorsus renuit, uti tradit Juvencus *Histor. Evang. l.* 4. *extremo*,

Constantinus adest, cui gratia digna merenti,
Qui solus Regum Sacri sibi nominis horret
Imponi pondus ——

Quis igitur non miretur ita compellari milites ab Imperatore? Sic certè Tacitus concione ad Milites, apud Vopisc. *c.* 7. *At me*, Sanctissimi milites, *primùm vos qui scitis Principes approbare* &c. Cives item, uti fecit apud eundem Firmus, *c.* 5. *Sanctissimi Quirites*. Sed & *Sanctissimis parentibus*, *Sanctissimo patrono*, *Sanctissimo Patri*, *Sanctissimæ Matri*, *Sanctissimo Socero*, *Sanctissimæ Sorori*, passim in veterib. *Inscriptionibus* occurrunt. Inter Herculis verò epitheta hoc quoque fuisse, docet vetus itidem hæc *Inscr. p.* 38.

SANCTISSIMO. HERCULI.
INVICTO.
HERCULI. PACIFERO. INVICTO SANCTO.
SACRVM.
HERCULI. SANCTO. SAC.

Hodie *Sanctissimi* titulum sibi Pontifex Romanus proprium esse jubet. Vide Car. du Fresne *Dissertat. de Inferioris ævi Numism. num.* 15. &. Salmas. *Not. ad Vopisc. in Floriano*, *c.* 6. nec non suprà, ubi de

de Circulis sanctorum, & infrà in vocibus, *Sanctitas* & *Sanctitudo*. Apud Græcos *Sanctissimus* πανάγιος, unde *πανάγια panis sacer* & *παναγιάριον*, arcula in qua repositus, Suicerus voce Πανάγιος.

SANCTITAS, titulus Episcopis tribui solitus, uti *Sanctimonia*, de qua voce dictum. Vide Augustin. *Ep.* 78. & 88. Fortunatum *Poem. l.* 3. *p.* 70. Altos. Sic & Abbates non semel *Sanctos* appellat, Cæsarius Arelatensis *Serm.* 7. & 9. Eundem verò sibi deferri voluisse Imperatores Constantinopolitanos, modò diximus. Sed & Anglorum Regem *Sanctitatis* elogiò compellat Joann. Sarisberiensis *Ep.* 61. *Vestram vero* Sanctitatem, *sicut accepimus & dolemus, iniqui circumvenire conati sunt*, &c. Idem sibi vult *Sanctitudo*, titulus similiter honorarius Episcoporum, apud Julianum Tolet. eidem Car. du Fresne laudatum.

SANCTIUS, Legionis & Asturiæ Rex Fratri Ordonio successit, A. C. 956. Cognom. Crassus, ob prodigiosam ejus pinguedinem, quæ ipsum ad omnia ineptum reddidit. Ab hac ut se liberaret, induciis cum Abderamo Cordubæ Rege factis, huc venit, atque à Medicis sanatus est. Interea, subditi rebellione excitatâ, filium Alphonsi IV. Ordonium ei surrogârunt, quem Sanctius pepulit, Maurosque devicit: dein rebellium quosdam coërcuit, ab antesignano eorum, cui vitam donaverat, venenô peremptus, pomô oblatô, A. C. 967. Turquet. & Mariana *Hist. Hisp.*

SANCTIUS, Comes supremus Castellæ, successit Garciæ Fernando, A. C. 990. regnavit feliciter, usque ad A. C. 1028.

SANCTIUS I. Castellæ Rex idem cum Sanctio III. Navarræ Reg. Vide infra. Ei natus est.

SANCTIUS II. qui regnavit ann. 6. cum dimidio. Frater fuit Garciæ, Galliciæ Regis Alphonsi Legionis Regis & Domini Zamoræ: Horum primum thronô deturbavit, alterum in Monasterium se recipere coëgit, in obsidione Zamoræ occisus: A. C. 1072.

SANCTIUS III. fil. Alphonsi VIII. Boni, huic successit, A. C. 1157. regnavitannum unum.

SANCTIUS IV. fil. Alphonsi X. Legionis & Castellæ Regis, quòd patri bellum moveret, à Martino IV. excommunicatus. Duobus nepotibus suis, ex majore natu fratre Ferdinando, regnô ereptô, præfuit solus, A. C. 1284. dictus *Magnanimus*.

SANCTIUS I. cognomine Garcias, Navarræ Rex, Fil. Garciæ Innigi, duas habuit uxores, ex Tura, Garciæ successoris, pater, A. C. 905. quô genitus.

SANCTIUS II. cognomine Abarcas, vide ibi.

SANCTIUS III. cognomine Magnus, successit patri Garciæ: Virtute & fortitudine inclytus; ductâ Nunnâ, filiâ primogenitâ Sanctii Garciæ Comitis Castellani, Castellam obtinuit, ex ea pater Garciæ, qui in Navarræ, Ferdinandi, qui in Castellæ, & Consalvi, qui Sobrarbæ & Ripagorçæ regnis, Patri successêre. Ramirus, fil. ejus nothus, Arragoniæ Rex evasit. Sanctius hic, Hispaniarum Princeps appellatus, Beremundum Legionis Regem de Castellæ regno sibi controversiam moventem, vicit, & parte regni exuit, quæ Ferdinando Sanctii filio, cui soror Beremundi nupsit, data est. His turbis compositis, Ovetum profecturus, privatô habitu occisus est, A. C. 1034. Ex ejus filio Garcia IV. natus est

SANCTIUS IV. qui regnare incepit A. C. 1054. deturbatus, à consobrino suo Sanctio V.

SANTIUS V. Ramiri I. Arragoniæ Regis fil. A. C. 1074. Hic ultimus Arragoniæ Rex genuit Petrum I. Arragoniæ & Navarræ Regem, cui fratres Alphonsus & Ramirus Monachus, successerunt. Occisus in obsidione Oscæ; A. C. 1094. Interim Garcias V. frater Sanctii IV. recuperavit Navarram, A. C. 1134. & in venatione equi lapsu mortuus, successorem habuit, A. C. 1150. Sanctium VI. seu sapientem

SANCTIUS VI. variis cum vicinis bellis implicitus, obiit Pompejopoli, A. C. 1194. regni 42.

SANCTIUS VII. seu Fortis, fil. ejus successit. Depositus, in carcere obiit, A. C. 1234. Berengaria, soror ejus, Richardo Cordi Leonis, Angliæ Regi nupsit, nullâ ex ipso prole susceptâ: minor autem Blanca Theobaldo V. Comiti Campaniæ nupta, mater fuit Theobaldi V. Navarræ Regis, post avunculum Sanctium VII. Gabr. Chapusius, Andr. Favinus, Turquet. *in Histor. Navarr.* De Marca *Hist. Bearn.* Oihenartus, *not. utriusque Vasconia*.

SANCTIUS I. Lusitaniæ Rex post Alphonsum I. Patrem, A. C. 1185. Ingeniô & fortitudine inclytus, contra Reges vicinos Maurosque egregiè rem gessit. Obiit A. C. 1212. ætat. 58. Ex Dulci, filia Raimundi Berengarii, Comitis Barcinonensis, pater Alphonsi II. Ferdinandi, Flandriæ Comitis, ob uxorem filiam Balduini Imperatoris &c. Alphonsus II. autem genuit *Sanctium* II.

SANCTIUS II. Rex animô planè abjectô, cujus contra Uxor, Cantabri cujusdam Magnatis filia, altissimos gerebat spiritus. De quo conquesti subditi, Alphonsum Sanctii fratrem, qui in Gallia Mathildem Bononiensem duxerat, ad clavum regni vocârunt. Hujus posteri successerunt; Sanctius autem obiit Toleti, A. C. 1248. ætat. 45.

SANCTIUS, it. SANCTUS, Vide *Claudius*.

SANCTIUS d'Arevalo Rodericus, vide *Rodericus*.

SANCTIUS Gaspar, Hispanus, Granatensis, Centumputeolanus, Jesuita eruditione celebris: Edidit *Comm. in Ruth. in libros Samuelis, Regum, Paralip. in Esram, Nehemiam, Estheram, Hiobum, Psalmum* 136. *Ecclesiasten, Canticum Cantic. in Prophetas majores & minores, in Acta* &c. Item *in Tobiam, Juditham, & libros Machabæorum*, ut videre est apud Guil. Crowæum *Elencho Script. in S. Script.* Obiit A. C. 1628. *Illo nihil humilius, in omni vita nunquam visus est irasci aut animô commoveri, nunquam vocem solitò amplius extollere, non pati detrahentes nomini alieno, ipse de omnibus honestè sentire & loqui: Nunquam in omni vita mentitus est. Quantus fuerit doctrinâ, lucubrationes ejus abunde declarant*, Phil. Alegambis Bruxellensis *Bibl. Script. Soc. Jesu.*

SANCTORALIA, dicuntur in Ecclesia Romana libri *Sanctorum Vitas ac Passiones* complexi, unde & *Passionalia* appellantur: è quibus postmodum *Martyrologium Romanum* originem habuit, Dominic. Macer *in Hierolex.*

SANCTUARIUM, pars Tabernaculi, à Besaleele & Aholiabo divinitus instructi: Exodi, c. 31. v. 2, 3. & c. 35. v. 30, 31. intra sex menses non totos, confecti Exodi c. 40. v. 1, 2. interior, ab Atrio, sive Porticu distincta, in duos thalamos dividebatur, *Sanctum* & *Sanctum Sanctorum*: quorum illud 20. cubitos longum & 10. altum latumque erat, in quo Sacerdotum stationes quotidie versabantur, illud interius ad Occidentem situm, 10. undiquaque cubitos implebat: in quem sacratissimum Templi recessum, ac Numinis veluti sedem ac thalamum, semel tantùm singulis annis Pontifici M. ingredi, ut ibi piaculare offerret sacrum, licebat, Levit. c. 16. v. 2. & Hebr. c. 9. v. 7. Separabantur autem à se invicem velô, quatuor columnis suspensô, per quas Pontifici aditus ille dabatur, Exod. c. 26. v. 31. Quod quô modô utrumque factum, diximus quidem ex parte suprà, ubi de *Pontifice Max.* Hebræorum, nec non ubi de *Expiationis Festo*, hic verò plenius, sed paucis, repetere non pigebit. Cùm Pontificis hôc die nobile imprimis ac primarium munus esset, ut qui ferè solus hôc tempore sacris operabatur, omniaque tum majora tum minora sacrificia ipse peragebat: præparatio ejus primò varia erat. Septem enim continuis diebus à domo ac uxore sua separatus, ne aliunde pollueretur in Templo perpetuò degebat: sacraque obibat quotidie, ut ipso Expiationis die ad ea foret promtior. Quod si quid in sacrificiorum ordine ignoraret, à quibusdam magni Consessus viris edocebatur. Deducebatur etiam in conclave *Aphthinas*, seu odoramentorum, ut suffitus faciendi rationem disceret. Indè ad juramentum adigebatur, ne quid in eo immutaret, ubi solus in adyto versaretur. Vesperâ festum antecedente parcè utebatur cibô, noctemque ferè insomnem traducebat, & audiebat sacri quid legentes, aut Musicô concentu oblectabatur. Albescente sic aurorâ ad domum lotionis ducebatur, eoque die quinquies totum corpus & decies manus pedesque lavabat, cùm toties ministerium mutare teneretur. Lotus induebatur vestibus aureis, mactabatque sacrificum juge & suffitum ordinarium faciebat. Dein rursus lavabatur & vestimenta alba sumebat, accingens sese jam ad sacra hujus diei obeunda: quorum hi præcipuè actus erant. I. Juvencum, pro se & domo sua, offerebat confitebaturque. II. Tum duo hirci adducebantur, quibus sorte discretis, ad hirci emissarii caput, coccinea alligabatur vitta. III. Hinc Pontifex redibat ad juvencum suum, & rursus confitebatur, non pro se & domo sua tantùm, sed pro universis filiis Aaron. IV. Post hæc thuribulum, quod eo die aureum erat, prunis ex altari implebat, atque ex alio thuribulo suffimentis captis sic ad *Sanctum Sanctorum* contendebat. V. Quod cum intrâsset, thuribulô depositô fumi nubem excitabat, quæ locum implens prohiberet aspectum, sicque mox exibat. VI. Mactabatur porro juvencus, cujus sanguinem in adytum inferebat, & coram Arca sursum deorsumque aliquot vicibus spargebat: inde hircus mactabatur, similiterque sanguis in adytum illatus eôdem modô libabatur. VII. Præterea ad velum, quod coram Arca erat, exteriori parte, eâdem ratione libationes fiebant, sanguisque spargebatur, ac Tabernaculum Conventus expiabatur. VIII. Similique vice altare aureum seu suffimentorum lustrabatur. IX. Hinc ibatur ad hircum emissarium, de quo vide suô locô. Interea Pontifex adipem juvenci ac hirci adolebat, & sectiones quasdam Legis recitabat: exutis dein vestibus albis aureisque sumtis, arietes agnosque ex præscripto offerebat. Deinde rursus lavabat, vestesque mutabat: & Sanctum Sanctorum ultimò ingrediebatur, thuribulum inde accepturus. Quò peractô ablutus iterum, aureâ veste resumptâ, sacrum vespertinum absolvebat: atque inde ordinariô cultu indutus, festô populi comitatu, domum deducebatur, ac cum amicis convivium inibat, multùm gratulantibus, quòd salvus sospesque ex Adyto rediisset. Franc. Burmannus *Synops. Theol. Christ.* [illegible] *l.* 4. c. 18. De vasis ac supellectile in utroque sacra vide hic *infra*. Quæ omnia quam habuerint significationem mysticam, apud Theologos reperies. Postmodum dein Tabernaculo successit Templum, quod tantâ opulentiâ à Salomone extructum est, ut primum ac præcipuum Mundi miraculum haberi possit. Atrium id quidem habuit quadruplex, nempe *Gentium*, *Mulierum*, *Israelis* seu *Populi* & *Sacerdotum*, sed *Sanctuarii* seu Palatii Domini, Hebræis היכל dicti, iterum non nisi partes duas intermediô septô à se invicem discretas, *Sanctum* & *Sanctum Sanctorum*. Ubi hoc peculiare fuit in secundo Templo, post captivitatem Babylonicam Zorobabele ædificato, quod, cùm prius inter *Sanctum* & *Sanctum Sanctorum* murus stetisset, unius cubiti crassitie; ii verò, qui Babylone reversi erant, dubitarent, de ejus forma, situ ac proportione, vice muri duo vela extensa fuerint, inter quæ cubiti spatium, cùm antea unum duntaxat pependisset. Supellex verò Templi eadem, quæ Tabernaculi, nisi quod vasa ornamentaque augustiora & immensô numerô forent. Reverentia ac sanctitas ejus permagna fuit juxta Legem, Levit. c. 19. v. 30. *Sanctuarium meum timeri mini.* Hinc nec sedere cuiquam, nec exspuere in eo, nec caput aperire, nec denique cum calceis ac baculo aut mantica eò introire fas erat: Nec ad viæ compendium illud transire licebat. Denique ex superiori loco, si cui fortè Hierosolymis tale cœnaculum foret, in *Sanctum Sanctorum* prospectare nefas habebatur, pro ingenio Populi, omnibus majoribus minoribusque superstitionibus nimium obnoxii. Erat itaque Templum *sanctum*, non solùm quod divini cultûs sedes foret, uti nostra templa, sed habebat etiam sanctitatem quandam ceremonialem, quia DEI in terris sedes & aula ac cœli manifestissima imago, Christi denique in humano corpore olim hospitaturi typus erat: duravitque primum ultra annos 400. destructumque à Babyloniis est, annô Zedekiæ Regis undecimô, cùm populus Babylonem captivus ageretur, 2 Regum c. 25. 2 Chron. c. 36. Secundum priori decenniô diutiùs stetisse dicitur, post profanatum Pompeji ingressu *Sanctuarium* & diruptum in morte

Christi velum, tandem à Tito destructum, juxta prædictionem Christi, Matth. c. 24. v. 2. Præter Tabernaculum verò Templumque, *sancta* erat præ aliis urbibus, ipsa Hierosolyma, caput ac Metropolis gentis & religionum sedes: unde nulli Tribui peculiariter assignata, communis omnium veluti Mater habebatur, & à cunctis frequentabatur (Quanquam à Juda & Benjamine potissimum incoleretur, intra quorum terminos sita erat; ita ut Urbs & Templum ipsum inter illos divisum, ac sacratior thalamus, in Tribu Benjamin fuisse, perhibeatur) ideque potissimùm post Salomonis dedicationem, quâ illi Urbi adeò affixa fuêre sacra, ut eâ eversâ, sacrificia, festa omnia, cultusque omnis protinus cessarent: quanquam & in ruinis ac cineribus ejus sacra facere fas habeant Judæi. Qui cùm ad 16. capita narrent, quæ ad *sanctitatem* & religionem ejus facerent; tum præsertim à cadaverum & sepulchrorum pollutione eam, ne quâ contage impiaretur ac ceremoniæ contaminarentur, liberam servabant. Sed & universa terra Israelis *sancta* erat, quam Mundi velut ocellum, ejusque unicas delitias habebant olim, hodieque habent, reliquum Mundum tanquam impurum & profanum tantùm non abominati. Unde cunctos mortales per opprobrium גוים, quasi alteriùs & vix humani generis forent, ac *Mundum*, Lucæ c. 12. v. 30. Item τοὺς ἔξω, Marci c. 4. v. 11. appellitant. Quæ quanquam superstitione non careant, tamen, cùm terra illa cœlestis, pignus ac arrhabo fuerit, non leviter illam adamare, & vitam longam ac pacem in ea exoptare tenebantur. Nunc autem, impletô typô ac universâ Terrâ, per CHRISTUM lustratâ, frustra tum Judæi illam aliis regionibus sanctiorem habent, tum nonnulli ex Christianis eam religiosis peregrinationibus frequentant; vide Hebr. c. 13. v. 12. 1. Timoth. c. 2. v. 8. & Psalm. 24. v. 1. Habuêre etiam alia loca *sancta* Judæi, Scholas nempe ac Synagogas, sed de iis vide *infrà*, ac de his omnibus, Franc. Burmannum *Synops. Theolog. Part. I. l. 4. c. 15.* & 16. Thom. Godwynum *de Ritibus Hebr. l. 2. c. 1.* &c.

Vasa sacra prioris Thalami, qui Sanctum *dictus est.*

α. Altare aureum (æneum enim in Atrio occurrebat) cedrinis tabulis deauratis constans, unius erat cubiti longitudine, duorum altitudine: super quo bis de die suffitus à Sacerdotibus adolebantur. Semel autem quotannis solemniori modô odores in eo incendebat Pontifex, & piacularis victimæ sanguine illud expiabat ac lustrabat. Exod. c. 30. v. 10. β. Candelabrum seu Lychnuchus aureus, ex solido constans auro, ad Australem Tabernaculi partem collocatus erat, 7. lampadas 7. brachiis sustinens, quæ oleô purissimô nutritæ, totâ nocte ardebant, Exod. c. 25. v. 31. & c. 27. v. 20, 21. γ. Mensa aurea, ad Septentrionem posita erat cum sacris panibus, Exod. c. 25. v. 23. facta ex cedro ac auro obducta, latitudine unius, altitudine unius ac dimid. longitudine 2. cubitorum. Instrata erat veste hyacinthinâ, impositæque ei 12. lances, accipiendis panibus totidemque acerræ, quæ thure implebantur & scopulæ, vasis illis emundandis, Exod. c. 25. v. 29. Adornabantur singulis Sabbatis ac de novo instruebantur; tumque panes Sacerdotibus cedebant, & thus adolebatur, Levit. c. 24. v. 7, 8.

Vasa sacratioris Thalami seu Sancti Sanctorum.

α. Arca Fœderis, de qua jam suprà dictum, Israëlitarum velut Palladium ac præsentis inter ipsos Dei certissimum pignus, confecta erat ex ligno Zittim seu cedro, atque intus extraque aurô obducta, longitud. 2. & sem. altitud. 1. & dimid. cubitorum. Ambiebatur coronâ seu limbô aureô, quatuorque annulos aureos ad latera habebat, ex quibus vectes duo ex eadem cedro, pariterque deaurati prominebant gestandæ arcæ: quod Kehatitarum ministerium fuit, multaque cum religione peragebatur. Vide Exod. c. 25. v. 10—16. Numer. c. 7. v. 9. nec non Jos. c. 3. v. 3. & 1. Chron. c. 15. v. 15. Continebantur in ea solæ Legis sive fœderis, cum Israëlitis icti, *tabulæ*, Exod. c. 25. v. 16. Coram ea verò *volumen Legis*; de quo Deuter. c. 31. v. 26. & ad utrumque latus *Urna mannæ ac Virga Aaronis* dispositæ erant, Exod. c. 16. v. 34. In secundo Templo eam defuisse ipsi fatentur Judæi. Alia ab hac fuit Arca, in qua Ephod, seu Pectorale, cum Urim & Thummim, asservabatur, alterâ minor, & nomine *Arca Dei* memorata. 1. Sam. c. 14. v. 18. ubi Burmannum vide: uti de donariis Philistæorum Arcæ Fœderis appensis, ibid. c. 6. v. 8. β. Propitiatorium, Hebr. כפרת Græc. Ἱλαστήριον, ex solido auro confectum Arcam tegebat, pari cum ea longitudine & latitudine è quo γ. Cherubini duo eodem ex auro eminebant: quaternâ facie, hominis, leonis, vituli & aquilæ, cum sex alis, totô corpore oculati, pedibusque vitulinum calcem referentibus insistentes, qui frontibus adversis Propitiatorium despectabant. δ. Thronus seu Gloria Dei ac propria Numinis sedes, cujus symbolum erat *nubes & ignis*, locus fuit is super Arcam, quem Cherubinorum alæ amplexu suô incingebant; quemque nubes illa, augustum in modum medium adimplebat, Levit. c. 16. v. 2. Hic DEUS, velut in visibili signo, præsens erat ac petentibus responsa dabat, quò nonnisi quotannis Pontifici, universum Populum Deo propitiaturo, accedere licuit. Atque hæc erat illa שכינה seu gloriosa Dei in terris habitatio, quam Judæi adeò celebrant. Vide suprà passim.

SANCTUARIUM, in Ecclesia Romana modò Ædem sacram, modò locum illum, eamque Ædis partem, quæ Græcis Βῆμα, Latinis *Presbyterium* dicitur, modò Sanctorum reliquias, seu potiùs, earum thecam notat. Apud Anglos olim sic dictum est jus Asyli, quô Templa illius Regni gaudebant, ante Henricum VIII. Sed & bona ad Ecclesiam pertinentia, hôc nomine apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ veniunt: unde *Sanctuarii*, Gallis *Saintiers*, *Hommes saintiers*, & *Hommes saincts*, Ecclesiarum *tenentes*, apud Auctores laudatos Car. du Fresne *in Glossar.*

SANCTUS, apud Latinos, vir probus & integer; unde *sancti mores* & *sanctitudo morum*: quæ loquendi genera passim apud Scriptores etiam non Christianos occurrunt. Apud Vopisc. *in Floriano* Autronius Tiberianus, *Ep.* ad Autronium Patrem c. 6. *Nunc te* Pater sancte *interesse decuit Senatui amplissimo* &c. Sic iterum mox, in compellatione Patrui, *Obtinuimus* Pater sancte, *quod semper optavimus.* Quod mirum videtur *Casaubono. Nam* Sanctus Pater apud *Virgilium l. 5. Æn.* v. 603. inquit, *manifestam causam habet.* Sed hôc nomine Pater à filio jure vocatur; *sanctam* enim & reverendam Patris personam filiis debere esse, dicit Jurisconsultus. Unde *sancti Principes*, qui Populi Patres & Patriæ; & in *Inscr.* passim Parentibus *Sancti*, item *Sanctissimi*, appellatio tribuitur, Salmas. *ad loc.* Quomodo autem posteà titulus hic restringi quibusque, velut peculiaris, tribui cœperit, diximus suprà, in voce *Sanctissimi.* De *Sanctis* verò Ecclesiæ Romanæ vide Andr. Rivetum in *Summa Controv. alibique passim*; de *Festis* eorum, suprà: ut & de triplici acclamatione *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, in Ecclesia Romana ut in Missa fieret, institutâ, à Sixto I. nec non de Hymno Græcorum *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis miserere nostri*, Macros Fratres in *Hierolex.* item infrà, in voce *Trisagium*, nec non ubi de compositis ex Græco Ἱερὸς, lit. *H.*

SANCUS, Deus Sabinorum. Dionys. Halicarn. *l. 2. p. 113.* Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σάβου τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου. Τὸν δὲ Σάγκον ὑπό τινων Πίστιον καλεῖσθαι Δία. Sil. Italicus *l. 8. v. 421.* ubi de Sabinis,

> —— *Pars Sancum voce canebant*
> *Auctorem gentis.* —— ——

Idem Dionys. *l. 4.* Ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκον καλοῦσιν. Vide Varron. *de L. L. l. 4.* In Quirinali colle ponitur ab Ovidio ædes Dei Fidii sive Sanci. Sic enim ille *Fast. l. 6. v. 213.*

> *Quærebam; Nonas Sanco, Fidione referrem,*
> *An tibi, Semo pater: Tunc mihi Sancus ait:*
> *Cuicunque ex istis dederis, ego munus habebo,*
> *Nomina terna fero; sic voluêre Cures.*
> *Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini;*
> *Inque Quirinali constituêre jugo.*

Sanctus dicitur Propertio *l. 4. eleg. 10. v. ult.* scil. à *sanciendo.*

> *Sancte pater salve; cui jam favet aspera Juno:*
> *Sancte, velis libro dexter inesse meo.*
> *Hunc quoniam manibus purgatum sanxerat Orbem,*
> *Sic Sanctum Tatiæ composuêre Cures.*

Vide Cluver. *Ital. Ant. l. 2. c. 8.* ubi de Sabinorum nomine, genere, ac finibus agit. *Nic. Lloydius.* Adde, quæ dicentur, voce *Sangus.*

SANDABALA, Indiæ fluv. *Ptol.*

SANDACES, apud Auctorem *Peripli*, Rex Calliénæ post Saraganum. Ita enim is, Καλλίενα πόλις ἡ ἐπὶ τοῦ Σαραγάνου τοῦ πρεσβυτέρου χρόνων ἐμπόριον ἔνθεσμον γενόμενον, μετὰ γὰρ τὸ κατασχεῖν αὐτὴν Σανδάνην ἐκωλύθη ἐπὶ πολύ; *Calliena urbs Saragani Senioris tempore emporium celebre fuit; postquam verò Sandaces illâ potitus est, multum imminui cœpit.* Floruit tempore hujus Auctoris, qui studiosè Regum nomina commemorat, qui tum in præcipuis Arabiæ Indiæque locis regnarent. Vide Salmas. *ad Solin. p. 1186.*

SANDÆUS Maximilianus, vide *Maximilianus.*

SANDALIARIUS Apollo, simulachrum fuit Apollinis, quod Augustus Cæsar, ex strena, quam ipsi Equites Kalendis Januariis in Capitolio præbebant, mercatus est, & in vico quondam regionis quartæ dedicavit, unde vicus ipse *Sandaliarii* accepit nomen, *Onuphr. Panvinius & Sext. Rufus.* Dictus autem *Sandaliarius* Apollo est, à *Sandalio*, ut quidam volunt, quod simulachrum istud ejusmodi calceamentorum genere fuerit ornatum: quod ferè probat *Theodorus Pulmanus*, qui annotat, in antiquis duobus Suetonii exemplaribus, pro eo, quod in excusis est, *Apollinem Sandaliarium*, fuisse *Apollinem Sandaliatum. Anton.* tamen *Sabellicus*, non vicum ab Apolline, sed contrà Apollinem à vico, *Sandaliarium* fuisse appellatum, quod in eo vico, in quo hæc Apollinis effigies, plurimi Sandaliorum opifices habitaverint, cum quo etiam facit *Lævinus Torrentius*; *Sandalium* verò quid propriè fuerit, dicetur *infrà.* Vide Joh. Rosin. *Antiquit. Rom. l. 2. c. 7.* in quod scriptis *Paralipom.* Dempsterus vicum ab Apolline, huncque ab effœminato cultu itidem sic dictum contendit, quod *sandaliis, calceis muliebribus, indutus esset.* Id verò vituperio fœminis cessisse & mollitiei fuisse argumentum, testantur Ælianus *var. Histor. l. 1. c. 18.* Idem vici hujus in lapide antiquo istam adfert mentionem: *Germanico. Cæsare. C. Fontejo. Capitone. Cos. Kal. Jun. Sejæ. Fortunæ. Aug. sacr. Sext. Fontejus. L. Trophimus. Cn. Pompejus. Cn. L. Nicephorus. Mag. vici Sandaliarii. reg. 4. anni* 18. Sed & alia de illo extat Inscr. *D. M. M. Afrani Heliodori. Magistri. vici. Sandaliarii. M. Afranius. immol. Patrono. fec.* Locus autem Suetonii *in Aug. c. 57.* hic est, *Pretiosissima Deorum simulachra mercatus, vicatim dedicabat; ut Apollinem* Sandaliarium *& Jovem Tragœdum aliaque.* Vide quoque P. Victorem. *l. 14. Var. Lect. c. 15.*

SANDALICUS Pannus, vide suprà *Cendalion.*

SANDALIGERULI Pueri & SANDALIGERULÆ Ancillæ, portio Muliebris olim pompæ, memorantur Plauto in *Trinummo Actu 2. Sc. 1.*

> *Vestispicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ, Sandaligerulæ.*

Quorum officium indicat. Ovid. *de Arte l. 2. v. 211.*

> *Nec dubita tereti scamnum producere lecto,*
> *Et tenero soleam deme vel adde pedi.*

Hoc

Hoc enim exsequebantur pueri *ad pedes*, & Ancillæ, quas vertiginus, *à Sandalio*: expressitque utrumque munus D. Johannes Baptista, apud Matthæum *c.* 3. *v.* 11. & ceteros Euangelistas, annotante *Maldonato*. Erant autem non raro aurea hæc *Sandalia*, ne videlicet virides umbellæ, prasinaque & pavonina flabella, unicè perstringerent oculos, pedum vero tegmina jacerent. Qui, *&* *crepidarum obstragulis*, ut ait Plin. *l.* 9. *c.* 35. *& totis socculis addebant margaritas*; quos & ipsos præfatos ab aliqua ancilla non dubitaverim. Et huic lepido puellarum collegio adscribit Pignorius ancillam meretriculæ illius, è cujus manu aquila calceum eripuit lavantis dominæ, ut demitteret Memphi in gremium Psammetychi Regis, cum ille jus diceret: Imò & virum Consularem & Censorium, Imperiique Curatorem L. Vitellium qui, *uxori in adulando cogenti*, *pro maximo munere à Messalina petiit*, *ut sibi pedes præberet excalceandos*, apud Sueton. *Vitellio c.* 2. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis* & T. Popmam *de operis eorum*. Servabant vero *Sandalia* hæc, ad elegantiam ac delitias comparata, servi ancillæque præfatæ in thecis, quas Σανδαλοθήκας Menander appellavit. Alias communiter cœnaturi, priusquam accumberent in Triclinio soleas deponebant, ne lectorum mensas ambientium stragula pulvere aut lutô conspurcarentur: quas interea servis suis, propterea Plauto *Sandaligeris* ac *Sandaligerulis* vocatis, tradebant custodiendas. Unde de cœna loquens Martial. *l.* 3. *Epigr.* 50. *v.* 3. *Deposui soleas*, inquit: contra apud Horatium *l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 77. defunctus conviviô Nasidienus *Soleas poscit*, & hoc vilissimum excalceandi ac recalceandi munus propriè respicere videtur, Johann. Bapt. *loc. cit.* Vide Ben. Balduinum *de Calceo c.* 11.

SANDALION, parva regio Pisidiæ. *Steph.*

SANDALIOTIS, Vide *Sardinia*.

SANDALIS, navigii species, in *Chron.* Alexandrino *p.* 902. quod σανδάλιον appellatur, in Nicetæ codice Barbaro-Græco *p.* 142. *edit.* 1593. Car. du Fresne *Glossar.* Sed & nonnunquam pro *sandalio* occurrit. Apud Chaldæos certè vox סנדל, *sandal*, πελάγιον est, ut quæ & genus ὑποδήματος, & planum piscem, qui *solea* nobis, & in Matrona σανδάλιον & abortivum fœtum, seu molam veriis, à *planta* forma, illis significat, S. Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 5. *c.* 7. ubi vocem *sandalebin*, quam Chaldæus habet, Esthere *c.* 1. *v.* 14. exponit de genere ὑποδήματος, hâc voce, significato. Vide jam dicenda.

SANDALIUM, Insul. parva maris Ægæi, apud Lesbum, & regio Pisidiæ, in Asia. *Strabo*, *Steph.*

SANDALIUM, munitissimum castrum quondam ab Alexandro M. Macedonum rege, cùm Tyrum oppugnaret, in Isthmo & littore maris, juxta limpidum & salubrem fontem, ædificatum. Situm verò est in agro peramœno, fontibusque ac rivulis irriguo, frumento, pascuis, ficetis, olivetis, omnisque generis fructibus florenti. A castro Lamberti & monte Saron versus Aquilonem, tribus, à Puteo autem aquarum viventium versus Austrum, paulò amplius quàm uno miliari distans. Est in tribu Aser.

SANDALIUM, teste Polluce *Onomast. l.* 7. *muliebre* olim *calceamenti genus* fuit. Unde Lucianus Samosat. *l. de scrib. Histor.* de Hercule jam mancipato, καὶ παιόμενον, inquit, ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης σανδάλῳ, *& vapulantem ab Omphale sandalio*. Quod mirâ festivitate Gnatho ille Terentianus sic reddit *Eun. Act.* 5. *Sc.* 8. *v.* 3.

> TH. *Qui minus quàm Hercules servivit Omphalæ?*
> GN. *Exemplum placet.*
> *Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!*

Itaque Aruspicinæ usque adeò id observatum est, ut de Sandaliis *somnianti Uxor portendatur*, Achmet Scirem *Oneirocr. c.* 229. Vide Hadr. Turnebum *Advers. l.* 29. *c.* 8. & Fr. Lindenbrogium *Observat. ad Terent.* Fuit autem calceamentum pulchrum elegans atque elaboratum, unde *Sandalia Judithæ Holofernis oculos rapuisse* dicuntur *c.* 16. Judith. *v.* 11. Imò ad elegantiam & delitias unicè compositum, ut mira esset illarum in iis, auro gemmisque pretiosè ornandis, ambitio, neque promiscuè cum ceteris calceamentis ea deponerent, sed suis *Sandaligerulis*, de quibus dictum, in certis thecis, custodienda committerent. Utebantur verò iis rarò, nisi intra ædes: quo factum, ut *Sandalia* quondam in nuptiis, tanquam οἰκουρίας sive *domus custodiæ* symbola, adhiberentur, teste Plut. *Quæst. Rom.* Hinc itaque *Sandalia* gerere, viris probro datum, quamvis integram Nabathæorum gentem non aliô calceamenti genere usam fuisse, tradat Strabo *Geogr. l.* 16. quin & in ipso sequiore sexu luxus indicium fuêre. Ælian *Var. Hist. l.* 1. *c.* 18. πῶς δὲ διέδεον ὑπὸ τρυφῆς αἱ πολλαὶ τῶν γυναικῶν ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς στεφάνους ἐπετίθεντο ὑψηλούς, τοὺς δὲ πόδας σανδάλοις ὑπεδοῦντο. Transiit tamen eorum, sed quibus non idem cultus ac elegantia, usus, ad viros: Namque Apostolis quoque illa legimus usitata fuisse, unde Angelus ad Petrum Actor. *c.* 12. *v.* 8. Ὑπόδησαι, inquit, τὰ σανδάλιά σου, *Subliga* Sandalia *tua*. Etenim Christus Discipulis suis ὑποδήματα βαστάζειν, i. e. *calceos portare*, prohibuisset, Lucæ *c.* 10. *v.* 4. Sandaliorum tamen usum concessit, Marci *c.* 6. *v.* 9. Nempe non erant calceamenta, quibus pedes omnino tegerentur, sed quæ superiorem illorum partem nudam relinquerent, inferiore tantùm plantâ adversus spinas & tribulos munitâ. Hinc pro *soleis* à quibusdam sumuntur, & Sardinia Insul. Timæo apud Plin. *l.* 3. *c.* 7. *Sandaliotis*, ob soleæ similitudinem, dicta legitur. Sunt tamen non pauca, quæ & iis sua pedum integumenta non defuisse, ostendant. Quid enim illa colore infici, vel aurô etiam induci, profuit? Ut quid ad elegantiam tenuibus incisuris dispungi, vel gemmis aliisque id genus ornamentis instrui potuerunt, si simplices tantùm soleæ? Et tamen insignita iis *Sandalia* frequenter legimus. *Sandalia rubea*, *aurea cruce signata*, tribuuntur Papæ Romano *in Pontif. Ceremoniali*. Clem. Alexandrinus *Pædag. l.* 2. *c.* 11. *aureorum* meminit; qualia Diis suis tribuit Lucian. *in Dial.* & ex Pataris, urbe Lyciæ, in Græciam asportari, tradit *Ibid.* tenuiter incisa seu λεπτοσχιδῆ, quibus aurei flores fuerint intexti, memorat ex Cephisidori Truphonio Victorius *Variarum l.* 14. *c.* 15. inque iisdem χρυσᾶ ἀναθήματα, *aurea donaria*, recenset Clemens *loc. cit.* Vide quoque infrà *Tyrrhenica*. Quæ sic conciliare conatur Balduinus, ut existimet, primum *Sandalia* Græcis ea fuisse, quæ Romanis soleæ: ita ut elegantiora mulierum essent propria, minùs elegantia Viris etiam interdum usurparentur: Dein temporum decursu factum, ut quæ primum aperta supernè fuerant, postea adjectis integumentis, calceorum ad instar fuerint operta: nihiloque minus, servatam *Sandaliorum* appellationem, ex eo fortè, quòd pro calcei Romani discrimine, ad mediam tibiam eorum integumenta non protenderentur, neque in acumen altè reflexum desinerent. Græcis vero ideò *Sandalia* tribuuntur, quòd ea suam Græcis acceptam referant appellationem, quæ in Grajo nata solo, inde in Latium recepta est. Vide Jul. Pollucem *Onomast. l.* 7. *c.* 22. A Chaldaico tamen Targum calceamenta *Sandalin*, variis in Scripturæ locis (Gen. *c.* 14. *v.* 32. Jesaj. *c.* 11. *v.* 15. Cantic. *c.* 7. *v.* 1. &c.) & exinde Rabbinum quendam *Hassandelar*, i. e. *Calceolarium*, dictum fuisse, monet in suo *Tisbi* Elias. Vide Ben. Balduinum *de Calceo antiquo c.* 12. & *c.* 27. *ubi ideæ Sandaliorum*, *aliquot Pontificum*, *Sylvestri videl. I. Martini I. & Honorii I. ex Angelo Rocca tract. de reliquiis B. Gregorii M. exhibentur*. Sed Nigronius *Gallicam*, *Caligam*, Ὑπόδημα, *Sandalium*, unum idemque facit, idque probat ex forma, quæ non modò, inquit, similis, sed eadem fuit. Vide eum *l. de Caligæ c.* 2. §. 23. & *seqq.* Item confirmat Alb. Rubenius *de Re Vestiar. l.* 2. *c.* 1. ubi inter alia, *Cothurni*, ait, *quamvis crepidæ sive* Sandalia *essent*, *tamen ad mediam usque tibiam pervenire. Crepidæ enim sive Sandalia*, *appellantur omnia calceamentorum genera*, *quæ digitos pedum haud includunt*, *quamvis etiam medium crus tegant. Ita & caligæ militum Roman. crepidæ erant aut sandalia*, *quamvis ad mediam usque tibiam ascendebant*, *ut constat ex Arcu Constantini*, *atque hinc haud malè vetus Actorum Interpres* Σανδάλια *Caligas vertit*, *ut & Glossæ* Σανδάλιον, *Caligæ. Etenim & Caligæ ex* Sandaliorum *genere erant*, *quamvis tibiatim calceabantur digitos enim pedum haud includebant*. Idem paulo pòst, *Sandalia* seu calceos rubros Imperator. Byzantinorum, cothurnis mulleis Regum Albanorum, similes fuisse docet ex Nicephoro Gregora *l.* 3. *c.* 8. & Procopio *de Ædif. l.* 4. At *caligam* & *gallicam* apertè distinguit Tertullian. & *caligam* Senatoribus, *gallicam*, h. e. σανδάλιον, Isiacis attribuit. Et sane constat, gallicam de eo genere calceorum fuisse, quod infimas tantum plantarum calces tegeret, quales erant crepidæ ac soleæ: at caligæ non tales. Interim certum est, multis locis apud Auctores *caligas* & *caligulas*, pro *gallicis* & *gallicula*, irrepsisse. Sed & Græci, dum καλίγια & γαλλίκια scribunt, dubium facere possent, utrum caligam an gallicam voluerint exprimere, Salmas. *ad Treb. Pollionem in Gallieno c.* 16. Ad *Sandalia* Græcorum λεπτοσχιδῆ, seu *tenuiter incisa*, de quibus suprà, ut quædam addam: Honorius Augustodunensis, ubi de campagis seu *Sandaliis* Episcopor. *Est autem*, inquit, *genus calceamenti incisi*, *quo pes partim tegitur*, *partim nudus cernitur*. Hinc Gallienus campagos reticulos appellabat: Quia intercisi erant, ut æstivi calcei hodieque sunt *multifores*, Casaub. *Notis in Trebell. loc. cit.* Aliàs *perforatos* sive *fenestratos*, Gall. *decoupez* & *dechiquetez* dici consuevisse, Balduinus retro laudatus docet, qua de re suprà pluribus actum, *suo loco*. Adde Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosini Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 7. *ubi de Apolline Sandaliario*. Et plura hanc in rem vide apud Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*: ubi de *Sandaliorum* usu Apostolis à Christo concesso, *calceorum* verò prohibito, varia egregia habet *c.* 5. De *Sandaliorum* autem usu sacro in Eccles. Roman. vide Car. du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratres in *Hierolex.* quorum ille, *Sandaliorum*, ut & chirothecarum, in præcipuis festivitatibus usum, Abbatibus interdum concessum, inter alia, adnotat, ex Leone Ostiensi *Chron. Casin. l.* 2. *c.* 82. & 97. De altero *Sandaliorum* Mahometis Mechæ asservato, vide suprà aliquid, voce *Nethymma Tahnabi*.

SANDALUM Lignum, quibusdam pro Aloës ligno. hinc Judæorum Magistri nonnulli τοῦ ἀλόης Bibliorum de *sandalo* sunt interpretati. *Sandalum* certe notum fuisse Veterib. ex Auctore *Peripli Rubri Maris* liquet, qui Σανδάλινον ξύλον meminit. Atque hoc lignum apud Plut. intelligi volunt, quum *Sympos. l.* 6. *c.* 7. quosdam vinum colorare solitos aloë memorat: Οὐκοῦν καὶ ὅτε οἶνον οἱ μὲν ἀλόῃ χρωματίζοντες ... *Nonne & vinum quidam aloë colorantes atque cinnamomô & edulcantes*, *velut mulierem exornant ad convivas & prostituunt.* Ubi loquitur de vino, quod ad potus delitias parabatur &c. *Sandalum* autem rubrum, quod ad nos ex India defertur, colore inficit & gustu dulce est, Salmas. *ad Solin. p.* 1056. Vide quoque infrà *Santalina Ligna*: de Aloë verò, ejusque specie duplici & usu apud Orientales, in suffumigationibus præcipuè barbæ, quibus hospites excipere mos, vide Jo. Bapt. Tavernier tract. Gall. cui tit. *Descript. Regni Tunquin. c.* 4.

SANDANIS, Lydus, Crœso suadere conatus est, ne Persis bellum inferret. Herodot. *l.* 1.

SANDANUS, Thraciæ fluv. circa Pallenen. *Plut.*

SANDAPILA, feretrum mortuorum seu loculus, in quo plebejorum corpora portabantur ad rogum. Nempe, honestiores Romæ efferebantur in lectis; *totum* Martial. vocat *l.* 8. *Epigr.* 44. *v.* 14. quà farciebatur papyrô, scirpô, aliâque materiâ combustibili, multisque insuper odoribus differciebatur, & pyræ illatus unà cum cadavere cremabatur. At tenuiores & plebejæ notæ non in lecto ad rogum deferebantur, sed in arca lignea vel sarcophago ligneo, ex paucis tabulis compacto, qui unà cum defuncti corpore simili-

ter comburebatur. Cujusmodi ligneos loculos *Sandapilas* Latini propriè vocârunt. Glossæ, *Sandapila*, νεκροφορεῖον. Glossæ aliæ vetustissimæ *MS. Sandapila*, *feretrum*, *quò mortuorum pauperum corpora ad sepeliendum ejiciuntur*, *sine ditiori apparatu*, *dicta sandapila*, *quasi sine dapila.* Imò Sandapila est σανιδόπηκτον, *ex tabulis & asseribus compacta arca*: Græci σανὶς appellant, unde Σοροπηγοὶ dicti *Sandapilarii*, qui arcas eas ex ligno compingebant. Sed & νεκροφορεῖα, & νεκροφορικὰ Græcis dicta; Josepho, λάρνακες εἰς σκευοφόρων νεκρῶν. De qualibus arcis capiendus locus apud *Suidam*, suprà cit. voce *Primus*. Ubi inter alios modos, quibus secretò literæ & nuntii olim mittebantur, etiam hunc recenset, quòd *epistolæ*, *mortuorum*, *qui efferebantur*, *arcis sandapilisque inserebantur*, aut cum fiscinis fructuum missitarentur, aut inter calamos aucupatorios occultarentur. *Capuli* porrò vocatæ arcæ, quibus mortui elati &c. Ab illis verò arcis ligneis, quibus efferri mortuos moris erat, longè diversæ erant sepulchrales arcæ, in quibus condebantur: sed de his vide suprà, in voce *Arca Mortualis*, plura verò hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 1205.

SANDARACA, Bithyniæ portus ad Euxinum Pontum. *Strab.*

SANDARACHA, fossilis & nativa, eadem cum sandyce metallica; & factitia eadem cum sandyce factitia. Hinc sandycem metallicam, cujus Strabo *l.* 11. meminit, alii *sandaracham* vocant: inter quos *Dioscorides*, qui Sandaracham fossitiam ex Ponto & Cappadocia adferri scribit. Sanè in vicina etiam Armenia nascebatur, Strabone eôdem teste, qui Σανδύκα appellat; sed illud mirum, quod addit Strabo, ὃ δὴ καὶ Ἀρμένιον καλοῦσι χρῶμα, *quod & Armenium vocant pigmentum.* Hoc enim maximè virere, Plin. *l.* 35. *c.* 6. tradit. Verum non unum Armenium; & id quod Strabo intelligit, idem est cum arsenico sandarachino &c. Est autem *sandaracha* facie rubrâ; sed luteô colore fingit, eaque Dioscoridi probatur maximè, quæ, κατακορὴς οὖσα & κινναβαρίζουσα τὴν χρόαν, h.e. *austerè rufa*, *& ad cinnabarim colore accedens*, de qua vide plura apud Salmas. *ad Solin. p.* 199. 1152. 1198. & *seqq.*

SANDARACURGIUM, mons Paphlagoniæ, apud Pompejopolin. *Strab.*

SANDARESUS, gemma, in numero pellucidarum: de qua Plin. *l.* 37. *c.* 7. *Summa ejus commendatio*, *quod velut in translucido ignis obtentu celantesque se transfulgent aureæ guttæ*, *semper in corpore numquam in cute.* Nempe in ea aureæ quoque insunt guttæ, sed ignis obtentu tralucent celantque sese, & sic minimè impediunt, quò minùs in pellucidarum numero habeatur. Non ex toto tamen pellucidam illam esse, propter has guttas, res ipsa ostendit &c. Vide Salmas, *ad Solin. p.* 132. & 133. nec non *p.* 1093. ubi ex ardentium numero esse seu ἀνθράκων, & ab Indis afferri, addit.

SANDARIO, ex Ducibus Aureliani, à Palmyrenis occisus. Vopisc. in *Vita* hujus Imperatoris, *c.* 31. *Nam Palmyreni — non mediocriter rebellârunt. Sandarionem enim*, *quem in præsidio illic Aurelianus posuerat cum sexcentis sagittariis*, *occiderunt.* Vide *Notas* ad locum.

SANDASTER, gemma, eidem Plinio memoratur, Hyadum numero & dispositione stellata, quæ intus haberet aureas guttas stellantes in translucido *l.* 37. *c.* 7. Vide infrà, ubi de gemmis *Stellatis.*

SANDAVA, Daciæ urbs. *Ptol. Segesvar*, in Transylvania ad Cochelium fluv. *Soczowa* quibusdam, urbs ampla, Moldaviæ caput, ad Napatim fluv. 10. leuc. à Corona in Ortum prope Carpathum montem.

SANDECUM, & SANDECIA, urbs Poloniæ superioris ad Dunaicum fluv. in Palatinatu Cracoviæ, versus montes; 10. leuc. à Cracovia in Meridiem, 8. à Vielisca salisfodinis; estque Hungariæ & Carpathiis montibus vicina, probè munita caputque territorii vicini.

SANDERSON Robertus, Anglus, acer & solidus disputator, Episcopus Lincolniensis à Carolo II. Rege post reditum, ob fidem ejus inconcussam, creatus est, postquam in Academia Oxoniensi Theologicâ Professione aliquamdiu defunctus, sed à Parlamentariis illâ exutus fuisset. Obiit A. C. 1662. ætat. 76. Scripsit *Logicæ & Physicæ Compendium*, *De Juramenti promissorii obligatione*, *De obligatione Conscientiæ*, *De Episcopatu*, *Sermones* XXX. *& amplius* &c. alia moriturus flammis dedit, ne in iis ultima desideraretur manus. A. à Wood *Histor. & Antiqq. Academiæ Oxon.*

SANDERUS Johannes, Gandavensis, Medicus Caroli V. Scripsit quædam, seculô præteritô. Nepos ejus Antonius prosâ versuque plurima edidit, *Flandriam illustratam*: *Elogia Cardinalium*: *de Claris Antoniis*: *Hagiologium Flandriæ*: *De Scriptoribus Flandriæ*: *de Gandavo*, *&c.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

SANDERUS Nicolaus, Anglus, Jus Canonicum docuit Oxonii: dein purioris religionis odiô patriâ excedens, Romam pervenit, Hosiumque Cardinalem ad Concil. Tridentinum missum, secutus est. Eundem in Poloniam comitatus, postea Lovanii, edidit *de visibili Monarchia Ecclesiæ* libros 8. Romam exin à Pio V. vocatus, sub Gregorio XIII. Nuntius in Hispaniam & Hiberniam ivit, ubi mortuus est. Scripsit quoque, *de Schismate Anglicano*, *de Ecclesia Christi*, *&c.* Pitseus, ejus ex sorore nepos *de illo in Angl. scriptor. p.* 771. & *seqq.*

SANDES, Σάνδης Persis Hercules, teste Symmachô, forte à Syriaco שׂעד *sarad*, h. e. *sævire.*

SANDIX seu SANDYX, apud Fl. Vopisc. *in Aureliano c.* 29. *Dicitur etiam* sandix *Indica talem purpuram facere* (præstantissimam videl. quali constabat in Templo Jovis O.M. Capitolini pallium breve lanestre, ad quod collatæ aliæ purpuræ, cineris specie decolorati videbantur) *si curetur*: non pigmentum est, quod idem esse cum sandaracha diximus, sed herba seu frutex. Nullibi enim legimus, pigmenta illa & colorum ut ita dicam metalla tingendis vestibus aut lanis, apud Tinctorum officinas, fuisse usurpata. Nec vestem quis unquam dixit auripigmentô tinctam, aut cerussâ aut ochrâ, sandarachâ, aut ejusmodi alius coloribus, quæ solis Pictoribus Tectoribusque inserviunt. Unde patet, errare eos, qui apud Virgilium aliosque auctores *sandicem*, pro pigmento semper debere accipi, contendunt. Nec obstat, quod *sandicem* χρῶμα vocant κόκκινον *Suidas* & *Photius*: non enim χρῶμα apud eos est herba tingendo apta, sed *pigmentum.* Pigmenta namque Græci vocant χρώματα, Latini *colores*; & sic apud Vitruvium *l.* 7. *caput* 7. *est*, *de Coloribus*, quô explicat, qui factitii sint colores, qui nativi. *Glossæ*, *Auripigmentum*, ἀρσενικὸν, χρῶμα ξ. ψιλόθρον. *Hesychius*, Ἀρσενικὸν, χρωματῶδες εἶδος χλωρὸν &c. Itaque quotiescunque legitur Σάνδυκα esse χρῶμα, non de herba tinctoria, sed de pigmento accipiendum est. Porro, *Sandyx* ea est herba, quam Galli *guarantiam* vulgò appellant. Sic enim in vetustissimo Glossarum codice, qui Puteanorum fuit, legit Salmas. *Sandix*, *herba tincturæ apta*, *quam vulgus warantiam vocat* &c. In Gratii verò *v.* 86.

Interdum Libycô fucantur sandyce *pinnæ*:

non herba, sed pigmentum intelligitur seu metallum. De utroque insignis *Hesychii* locus est, Σάνδυξ, δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν κόκκῳ ἐμφερῆ ἔχει, ὡς Σωσίβιος, φάρμακον ἢ κιβώτιον; *Sandyx*, *arbor fruticosa*, *cujus flos cocci colore est*, *ut Sosibius ait*, *aut pigmentum.* Addit, ἢ κιβωτὸς, *aut arca*: quod tertium esse vocis hujus significatum indigitat. Hinc Græci recentiores σενδούκιον corruptè, pro σανδύκιον dixêre. Est autem Σενδούκιον illis arca: quam vocem falluntur qui Arabicam volunt esse, cùm Arabes contrà ex Græca suam fecerint: quæ namque Græcis σάνδυξ, Arabibus *Sandock* dicitur &c. Vide Salmas. *ad Vopisc. loc. cit.* & de *Sandyce metallo*, plura apud Solinum ubi *suprà.*

SANDO, urbs Italiæ. Gentile *Sandonius. Steph.*

SANDOMIRIA, urbs Poloniæ superioris ad Vistulam, ubi Sanum fluv. recipit. Caput Palatinatus cognominis 28. leuc. Polonic. infra Cracoviam in Ortum, 32. supra Varsaviam in Meridiem, in colle, cum arce munita. Capta fuit à Suecis A. C. 1655. sed recepta Anno sequente.

SANDOVALLIA, Familia Hispaniæ illustris, duas præcipuè stirpes complectitur, à duobus fratribus Gutierio Diazio *de Sandoval* & Alphonso *Ruiz* (Ruisio Guiterezio *de Sandoval* & Johannâ Ruisiâ *de la Vega* geniti) Quorum hujus posteri fuêre Domini *de Ventosa*, quorum tandem successio ad Petrum *de Ribera Cuello* Dn. *de Villarejo*, delata est, & in eâ familia titulô *Comitum de Ventosa* crevit. (Ex postgenitis hujus lineæ fuêre *Sandovallii*, cognomin. *Portocarreri*, Dn. *de Carazena.*) Ille (Gutierius Diazius) *Lermensem* ramum propagavit: in quo inprimis inclaruit Didacus Gomezius *de Sandoval*, Fernandi Guitierii & Agnetis *de Roxas* (unde nomen assumtum) fil. A. C. 1426. primus titulô Comitis *de Castrogeriz*, à Johanne II. Rege mactatus, ob varia munia gesta & egregia obsequia præstita. Ex ejus filiis, minore, Petro, Domini *de Bachabon* descendunt; major Fernandus in Comitatu successit. Pater Didaci Gomesii, qui Marchio *de Denia* creatus est A. C. 1484. & hujus fil. Bernardus Comes *de Lerma.* Illô genitus est Ludovicus, hôc Franciscus; cujus fil. Franciscus Gomesius, *Ducis Lermæ* axioma domui intulit A. C. 1599. Sed neque hîc stetit Regia clementia. Nam pro filiorum altero etiam *Ducis Uzedæ*, altero *Marchionis de Belmonte*; pro nepote autem, *Ducis de Cea* tituli accessêre. Genesis eorum sic habet: Bernardus *de Sandoval & Roxas*, Marchio *de Denia*, pater fuit, ex Francisca Henricia, Ludovici *de Sandoval & Roxas*, Marchionis de Denia; quô & Catharinâ de *Zuniga* genitus Franciscus *de Sandoval & Roxas* Marchio Deniæ junxit sibi Isabellam *de Borgia*, atque ex ea suscepit Franciscum *Sandoval & Roxas*, Ducem *de Lerma.* Huic Catharina *de la Cerda* peperit Christophorum *de Sandoval & Roxas* Ducem *de Uzeda*; & ex Marianna *de Padilla*, patrem Francisci de *Sandoval & Roxas* Ducem *de Cea*: cui ex Felicia Henricia (filia Ludovici *Henriquez de Cabrera* Admiralii Castiliæ, Ducis *de Medina de Rioseco*) nati sunt Christophorus *de Sandoval & Roxas* (A. C. 1615.) & Mariana, *Duces de Lerma*, *Uzeda & Cea.* Ejusdem verò Francisci Lermæ Ducis fil. alter Didacus Gomezius de *Sandoval* Comes de *Saldanna*, ex Luisa *de Mendoza* Duce *del Infantadgo*, pater fuit Catharinæ *de Mendoza Sandoval Roxas* Ducis *del Infantadgo* Marchionis *de Cenete*, quæ uxor obtigit Roderico *de Silva Mendoza* Duci *de Pastrana & Estremadura.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Eur. Part.* 2. *p.* 8. & *Part.* 3. *p.* 80.

SANDRIZETES, populi Pannoniæ superioris quorum urbs *Saint Andres* ad Dravum fluv. Sed hæc in Norico & Carinthia est. Vide *Solva* & *Lavantum.*

SANDVICUS, portus Angliæ meridionalis cum oppido cognomine in Cantio, 9. milliarib. Anglic. à Cantuaria in Ortum, 9. à Dubris in Boream prope Tanatos Insulam in ora Oceani Germanici.

SANDUM, urbs Japoniæ, in Insula cognomine in ora Boreali Niphoniæ Insulæ prope Quantoam regionem.

SANE, urbs Thraciæ inter Athon & Pallenen. *Steph.*

SANEA, urbs Indiæ. *Steph.*

SANEGAUNUM, vulgò SARGANS. oppid. Helvetiæ, caput Sarunetum seu Sanagensium, cum arce. Proprium habet consilium, & Scultetum: quem tamen 7. Helvetiorum pagi, qui præfecturæ obtinent imperium, constituunt. Verùm inferior tantùm ad hos jurisdictio spectat; supremum autem judicium rerum criminalium & capitalium Sanegauni habetur: cui præsidet plerunque Ammanus regionis. Vide Simlerum *de Rep. Helvet.* & infrà in voce *Sarunetes.*

SANFLITA, urbecula munita Brabantiæ, ad Scaldim, infra Lilloam, sub Hispanis media ferè inter Antverpiam ad Meridiem, & Bergam ad Zomam ad Boream 3. leuc. distans.

SANGA, fluv. Cantabrorum in Hispania citeriori. Plin. *l.* 4. *c.* 20. Est etiam servi nomen apud Terentium *in Eunucho.*

SAN-

SANGADA, regio circa Indi fluv. partes inferiores.

SANGALA, Indiæ in Cathæis oppid. munitissimum, circa Indi fluminis partem superiorem, Arrian. *l.* 5. *Sagala* est *Ptol. Saigala*, habet vitiosè Polyænus *l.* 4. *c.* 3. *in Alexandro com.* 30.

SANGALLENSIS Ditio, sub Abbate S. Galli, Principum munificentiâ satis ampla est. De S. Gallo, à quo nomen tum oppido, de quo infra, tum cœnobio & Abbati, de quo hîc, retrò actum. Ille è Scotia oriundus, in Galliam cum Columbano Abbate, cujus discipulus erat, profectus, inde in Germaniam venit, cellamque circa A. C. 630. eô loci condidit, ubi hodie cœnobium & oppid. ei cognomine visitur. Post ejus obitum, Francorum Reges & Duces Alemanniæ discipulorum illius pietate delectati, quum muneribus eos multis affecissent, namque jam tum Sigebertus Franciæ Rex, fil. Dagoberti, totum illum terræ tractum, quem hodie ditionem Abbatiscellanam vocamus, illis donavit: crevit fratrum numerus, & cella in cœnobium versa est. Primus his Abbas contigit Ottomarus, circa A. C. 710. ex sententia Pipini, filii Caroli Martelli, Francorum Principis; quô tempore D. Benedicti regulam fratres profiteri cœperunt. Post hæc Cœnobium opibus & potentiâ in tantum crevit, ut hujus loci Abbas inter Imperii Principes hodie numeretur: primò titulum hunc sibi vindicante Abbate Conradô, qui electus fuit A. C. 1226. Unde jam in Notgerum, qui A. C. 973. Abbas creatus est, ab Ekhardo illud Ciceronis adaptatum:

O fortunatam Galli, me Consule, cellam.

Fuit antiquitus sub tutela Imperator. Romanor. qui Cœnobio advocatos ex nobilibus harum regionum, quæ Alemanniæ nomine censebantur, dedêre. Verùm varias ob causas; bellô imprimis inter Abbatem & Abbatiscellanos exortô, cum cives oppidi & ex clientibus Abbatis plerique his faverent, Caspar Landenbergius Abbas ordine 52. petiit à quatuor Pagis Helvetiæ Tiguro, Lucerna, Suitia & Glarona, se cum suis jure civitatis donari, eosque Cœnobii Advocatos defensoresque suæ libertatis constituit; A. C. 1451. Posteà successor hujus Ulricus, quòd cives oppidi & Abbatiscellani cum subditis suis conspirantes, Rosaci cœnobium destruxissent, arctius iis se junxit, cœnobiumque emtô Comitatu Toggiensi, A. C. 1469. auxit. A' quo tempore durat usque ad nostram ætatem societas, & quamvis non omnes Pagi eandem cum Abbate profiteantur religionem, mittunt tamen ex fœdere Capitaneum, virum senatorii ordinis, qui bienniô cum Abbate manens, civilium rerum administrationi interest, & in his rebus privilegia & jura Monasterii tuetur. Vide Simlerum *de Rep. Helv.* Stumpf. *descr. Turgeæ*, *l.* 5. *&c.* Hodiernus Abbas, ex illustri Sfondratorum Familia Cælestinus est, prius Episcopus Ticinensis, eruditione & scriptis, inprimis in causa *Regalium*, contra Præsules Gallos, inclytus.

SANGALLUM, oppid. pulchrum, opulentum, & populosum, in superiori Turgea, duos inter montes situm, versus Ortum & Occasum patentes campos, versus Meridiem Alpes habet Abbatiscellanas: ab una parte *Sitter*, ab altera *Goldaich* fluvii decurrunt, inter quos manans Petrosa, vulgò *Steinaich*, urbis molas trudit, indeque latiùs evagata Lacu Constantiensi excipitur. Cœpit oppidum unà cum cœnobio, brevique ob situs commoditatem frequentatum, negotiatione, byssi imprimis, supra alias caput extulit. Sed Arnolphô imperante, ab Hungaris vastatum, postea mœnibus cingi turribusque muniri cœpit, A. C. 954. quod opus ad umbilicum perductum est A. C. 980. sub Abbate Notgero; de quo supra. Exin cum monasterio sub tutela Imperii fuit, in multis quidem Abbati obnoxium, sic tamen ut interim sua quoque jura cives haberent, quæ Imperatorum, quibus fidam præstiterunt operam, beneficiô & propriâ industriâ subinde auxêre. Abbatis posteà Mangoldii tempore binis nundinis dotata urbs, A. C. 1117. Obsidione cincta est à Wernero Episcopo Constantiensi; postquam Ulricum Abbatem prælió devicit, A. C. 1208. Immunitatibus dein amplissimis donata est à Friderico II. Imperatore & consentiente Abbate, Imperio unita. Incendiô horribili arsit A. C. 1215. Privilegia porrò accepit à Rodolfo I. Imperatore A. C. 1281. variisque operibus levata est ab ipso Abbate Wilhelmo, A. C. 1291. Sequente annô insidias Ramschwangiorum feliciter exiit. Intereà auctô civium numerô, & crescentibus etiam Cœnobii opibus, sæpius utrinque litigatum, pacem modò vicinis urbibus, modò Imperatorib. conciliantibus. Multoties quoque pecuniâ Abbatibus satisfactum, & libertas Urbis juribus illorum emtis aucta est. Verùm cùm Abbatiscellani bellum Cunoni Abbati movissent, cives, qui pro Abbate initio pugnaverant non absque clade, postea victoribus fœdere sese conjunxerunt: A. C. 1402. postquam jam A. C. 1312. cum Tigurinis, Constantiensibus & Scaphusianis, aliisque aliis temporibus, sæpius fœdus ferissent. Finito hôc bellô, cùm aliquot annis pòst Landebergius Abbas jus civitatis à quatuor Pagis impetrâsset, cives oppidi cum 6. Pagis, Tiguro, Berna, Lucerna, Suitia, Tugio & Glarona perpetuô fœdere coiërunt, A. C. 1454. Obsessa urbs ab Helvetiis An. C. 1490. dein proscripta A. C. 1497. ab Imperatore, utrumque discrimen, datâ pecuniâ avertit. Anabaptisticis furoribus turbata A. C. 1525. mox cœlitùs levamen sensit, & ad Reformationem via strata est. Annô enim eôdem Monachus quidam Augustinianus Petrus Keesius, varia hactenus recepta Pontificum dogmata in dubium cœpit vocare: sequente annô 1526. inter Pastores oppidi & Abbatis Concionatorem Doct. Wendelinum, disputatio ferbuit: A. C. 1527. Sacerdotes honestum Conjugium turpi Concubinatui præferre inceperunt: A. C. 1528. imagines abolitæ, & 46. plaustris impositæ atque extra urbem igni consumptæ sunt, cœterò templorum apparatu in pauperum solatium conversô; sicque Euangelii doctrina ab omnibus recepta est, A. C. 1529. Divisa in Nobilium societatem, quam Nottensteyniam vocant & sex præterea tribus civitas, Democraticè regitur. Felicissimorum ingeniorum mater, inter alios protulit Schurffios, Martios, Wittios; Vambûleros, & qui inter reliquos, velut inter ignes Luna minores, emicat, Joachimum Vadianum Medicum, Poëtam & Geographum excellentem, Viennensis Academiæ aliquando Rectorem, postea patriæ Consulem, & Reformationis ibidem insigne organum. Plura vide apud Stumpf. *de Turgea l.* 5. Simlerum *de Rep. Helv.* Lætum *Comp. &c.*

SANGAMARTA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

SANGAMI, oppid. Quantoæ region. Japoniæ, versus Austrum paucis milliar. à Gendo Urbe præcipua in Occasum.

SANGARIUM Fretum, inter partem Septentrionalem Japoniæ & terram Æsonis recens detectam.

SANGARIUS, fluv. Asiæ in Dindymo monte nascens, & per Phrygiam Bithyniamque in Pontum illabens. Claudian. *l.* 2. *in Eutrop. v.* 272.

—— Dindyma fundunt
Sangarium, vitreo puer qui gurgite Galli.

Ejus meminit. Dionys.

---- Ε'τέρῳ δὲ ἐνὶ ἴνδαλι κεῖ
Ε'υρυτέρῳ γεγαῶτα παρ' ὕδασι Σαγγαρίοιο.

Sangarus Ptol. dicitur. Ovid. *Sagarim* vocat Pont. *l.* 4. *El.* 10. *v.* 47.

Huc Lycus, huc Sagaris, &c.

Sangari Bellonio, *Zagari Nigro* dicitur. *Nic. Lloydius.* In *Tabul. Peutingeriana* duo describuntur *Sangarii*; unus, qui inter Chelas & Hypium ponitur, *Cholas* XXVIII. *Sagarius fluv. Hypium fluv.* & non longè oritur à loco, ubi in mare emittitur. Altèrius ortum in Phrygia locat, quem per multos flexus deducit in Pontum, in quem exoneratur prope Artanen. Atqui de altero *Sangario* hoc scribunt omnes, cui etiam in Phrygia fontes assignant, cujusque plures ἐπιστροφὰς *Ptol.* memorat, priusquam in mare delabatur. Itaque videtur Tabula malè delineata. Nam unus tantùm fluv. *Sangarius* ab Auctoribus nominatur, qui & *Sangarius*, vel *Sagaris* etiam, dictus. At fluv. ille, qui in tabula juxta Artanen in Pontum exit, *Marciano* Α'ρτάνης dicitur vel Α'ρτάνης, unde nomen oppido Α'ρτάνη: Arnob. *Nana Regis Sangarii vel fluminis filia*, *l.* 5. Aliis *Sangas* Rex is dictus &c. Exordium Mariandyni sinus, oppidique Heracleæ, Lyco flumini adpositi, arcessit Plin. *l.* 6. *c.* 1. ab hoc fluvio, & Solinus *c.* 44. ad quem vide Salmas. *Exercit. Plin. p.* 880.

SANGATA, turris & munitio Galliæ, inter Witsantum portum & Calasium, hodieque *Sangate*: à voce *San*, vel *Sant*, sabulum, & *Gata*, quod foramen olim apud Morinos significavit. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SANGELASIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

SANGIA, vicus Phrygiæ, unde *Sangarius* fluv. originem sumit. *Eustath.*

SANGIACI, Præfecti territoriorum apud Turcas dicuntur, Georg. Hornius *Orb. Polit. p.* 30.

SANGOSSA, urbs Navarræ, ad Aragonium fluv. aliàs *Suessa*, *Florian.* In ipso limite Aragoniæ, 13. leuc. Hispanic. à Calaguri in Ortum, 8. à Pompelone in Eurum *Sanguesa*.

SANGUINARIUS Pons circa Spoletum, inter Narniam & Ocriculum. *Aurel. Victor.* Ab Æmiliani cæde nomen nactus est. Sic collis quidam prope Ciliciæ Adanam Α'ιματηρὸς βουνὸς, *Sanguinis Collis*, dictus est propter Agarenos tot numerò ibi cæsos, *ὡς ῥεῦσαι διὰ τοῦ κρημνοῦ τὸ αἷμα ποταμηδὸν, ut per declive in amnis modum flueret sanguis*, ut Cedrenus auctor est, *Edit. Paris. p.* 654. Similiter *Areæ Sanguinum* meminit Scriptor Sacer 2 Sam. *c.* 6. *v.* 6. Ubi de Husa, quòd Arcam temerè attrectâsset, divinitus percusso: Ita enim Syra Versio *in area damin*, h. e. *sanguinum* habet; propter Uzæ nempe sanguinem ibi effusum. Et *Adomin*, i. e. *cruores*, dicebatur Judææ locus, inter Æliam & Hiericho, propter sanguinem, qui illic crebrò à latronibus fundebatur. Quam ob causam Hieronymus, castellum militum ibi situm fuisse scribit, ad auxilia viatorum; & Christum quoque cruenti hujus loci meminisse, in parabola descendentis Hierichuntem ex Hierosolymis, Lucæ *c.* 10. *v.* 30. Sed & Brocardus viatores ibi hodieque asserit in latrones haud raro incidere &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 37.

SANGUINE abluendi fortuitæ cædis reum apud Athenienses ritus vide suprà voce *Abannatio* it. *Pharmaci*.

SANGUINEA Virga, in suppliciis olim parricidarum adhibita. Docet enim Modestinus *in l. pen. ff. de leg. Pomp. de parric.* antequam saccô parricidæ necarentur, in more fuisse positum, ut virgis sanguineis scil. ex hac arbore desumptis, non, ut quidam legunt, *sagmineis*, aut, ut alii interpretantur, *sanguine rubentibus ac rorantibus*, cæderentur: eo quòd hoc lignum infelicissimum haberetur ac maximè infame. Vide de hac arbore Plin. *l.* 16. *c.* 18. ubi *sanguineum fruticem* vocat & *l.* 24. *c.* 10.

SANGUINEUS Color, idem cum purpureo. Servius *ad Æn. l.* 3. *Sed quoniam sumtuosum erat & crudele victimas vel homines interficere* sanguinei *coloris capta est vestis mortuis injici, ut & ipse testatur l.* 6. *Æn. v.* 221.

Purpureasque super vestes velamina nota.

Plin. *l.* 9. *c.* 38. de Tyrio colore, *Laus ei summa color* sanguinis *concreti, nigricans aspectu idemque suspectu refulgens, unde & Homero purpureus dicitur sanguis* &c. Quod genus purpuræ *blattam* vocârunt: quæ vox recentioribus idem notat, quod *purpura* Veteribus, & præterea *bullam sanguinis concreti* significat. In *Glossis*, *blattea*,

ἐρύθρος αἵματος: unde *blatteum*, h. e. *sanguineum*, pro purpureo. Sed & saniem purpuræ *sanguinem* quoque & *cruorem* appellârunt. *Cassiodor. Scilicet ne sanguis ille nobilis aliquid spiraret honoris*: Qui idem alibi, *nigredinem sanguineam & humorem sanguineum* appellat &c. Vide Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano c. 46.* & quæ diximus suprà, in voce *Phœnicus*.

SANGUINIS Collis, Græcè Αἵματος βουνὸς, collis quidam in Cilicia, prope Adanam. Vide suprà *Sanguinarius Pons*.

SANGUINIS Dies, apud Treb. Pollionem *in Claudio c. 4. Nam cùm esset nuntiatum, nonò Calend. Aprilis, ipso in sacrario Matris, Sanguinis Die Claudium Imperatorem factum, neque cogi Senatus sacrorum celebrandorum causâ posset, sumtis Togis itum est ad Apollinis Templum, ac lectis literis* &c. dies fuit festus Matri Deum; quem Græci, à quibus hæc sacra Latini acceperunt, καθάρσιν dixêre. Erat autem ille dies planctus ac lamentationis, sicut dies sequens, 8. nempe Kal. Aprilis, dies lætitiæ, quem iidem Græci priùs ἱλάρια, postmodum idem cum Romanis nomen adoptantes *Hilaria Matris Deum* appellârunt. Vide suprà in voce *Bellona*, item *Hilaria*. Alludit ad hanc diem Tertullian. *Carm. ad Senatorem*,

> *Sed quia coguntur saltem semel esse pudici,*
> *Mente fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorem,*
> *Quale sacrum est verò, quod fertur nomine* SANGUIS.

Nempe Bellonarii fanatici missione *sanguinis* sui Deam placabant, quæ tamen vulnera plerunque fuisse ficta ac simulata, colligere est ex Æl. Lamprid. *in Commodo c. 9. Bellonæ servientes vere exsecare brachium præcepit studiò crudelitatis.* Ubi, vocem vere observat Casaubon. notanter adpositam, quia id aliàs simulatè sæpe fiebat. Vide eum *ad loc.* Ritum gestusque furentium sic describit Lactantius *l. 1. c. 21. Bellonæ Sacerdotes non alieno, sed suo cruore, sacrificant. Sectis namque humeris & utrâque manu districtos gladios exerentes, currunt, efferantur, insaniunt. Optimè igitur Quintilianus in Fanatico, Istud, inquit, si Deus cogit, iratus est.*

SANGUINIS Missio, pœnæ militaris genus, Vide suprà *Milites*: & aliquid ubi de *Minuendi sanguinis* ritu, item infrà voce *Vena*.

SANGUINIS Arbor, quæ & *Sanguineus frutex* & *Sanguinea Virga*, inter infelices habita, memoratur Tarquinio Prisco apud Macrob. *l. 2. c. 16.* Plinio *l. 16. c. 18. l. 24. c. 10.* in *LL. Longobard.* &c. de qua Vide Salmas. *ad Solin. p. 610.* & suprà *Sanguinea Virga*.

SANGUIS, nobilissima animalis pars, nam *anima cujusque carnis in sanguine est* Levit. *c. 17. v. 11.* imo *cujusque carnis anima, Sanguis ejus est*, Gen. *c. 9. v. 4.* & Levit. *loc. cit. v. 14.* hinc sacrificiorum in V. T. nervus fuit ac medulla. *Ego vero destinavi eum* (sanguinem) *vobis in altari, ad expiationem faciendam pro animis vestris: Nam Sanguis is* (est) *qui pro anima expiationem facit; eod. c. v. 11.* Quare illum, velut sibi proprium, vindicans hominis peccatô læsum Numen, non solùm cum victimarum sanguine peccatoribus nihil commune esse voluit, sed & iisdem reliquorum quoque animalium, quæ sacrificiis inepta erant, esu gravissima sub pœnâ interdixit: *Idcirco prædixi Israelitis, nulla anima ex vobis comedito sanguinem*, Levit. *c. cit. v. 12.* sicque quidquid in mundo *sanguinis* erat, severi adeo interdicti cancellis circumscripsit, & ab hominis aviditate præstitit immune, usque ad tempus illud, quô *Sanguis* is fundendus erat, qui non typicam solùm, sed & realem præstaret peccatorum propitiationem. Accessêre verò & aliæ rationes, cur esum hunc voluerit olim esse vetitum DEUS: Namque & à sævitia hôc pactô populum suum dehortari voluit eoque magis absterrere à fundendo humano sanguine, quòd etiam brutorum sanguinem velut sanctum ac inviolabilem jussisset esse: & ab Idololatris sic secernere, qui in sacris suis, victimarum *sanguine* collectô, circa illum conveniebant, eoque, in Idolorum suorum honorem, vescebantur; quemadmodum & Magicis artibus dediti, *sanguinis*, humani inprimis, beneficiô è Diabolo futura solebant sciscitari. Vide etiam suprà ubi de veterum Christianorum *Conventiculis*. Ideoque si quæ bestia aut avis venando capta esset, ut comederetur, *primum effundi sanguinem ejus eumque tegi pulvere*, præcepit Deus, *v. 13. cap. sæpius memorati.* Aptus verò sacrificiis sanguis erat *vaccarum, taurorum, vitulorum, ovium, caprarum ac hædorum, columbarum & turturum*: *Passerum* enim genus vix immolabatur, vide Levit. *c. 14.* Adeoque bestiarum solum in sacris sanguinem Deus fundi jubens, omnem ἀνθρωποθυσίαν sibi abominationi esse testatus est, quô piaculô ac infandâ & crudeli devotione, Satan apud Gentes coli voluit; tum ex prava imitatione sacrificiorum Abrahami ac Jephthæ; tum ut fidem ac expectationem sacrificii CHRISTI, quod solum expiatorium fore noverat, paulatim eradicaret; illumque *Sanguinem*, qui Deum placaturus erat, aliorum hominum communione vilem promiscuumque redderet. In oblatione autem sacrificiorum, postquam victimæ impositæ erant manus, seu ab offerente, seu à Sacerdote, eâ in partes sectâ, *Sanguis* excipiebatur crateribus, & ne concresceret, agitabatur: dein aspergebantur eô Altaris cornua, quodque reliquum erat, ad ejus pedem effundebatur: (Si avis offerretur, Sacerdotis pollice capite disciso, sanguis ad altaris angulum exprimebatur) vide inprimis Levit. *toto c. 4.* &c. Imò præcipuæ purificationes Legales, non nisi *Sanguinis* aspergine peragebantur, quarum 7. ab Eruditis recensitæ, hæ sunt. I. Aspersio superliminaris & duorum postium, facta sanguine agni Paschalis in Ægypto, Exod. *c. 12. v. 22.* ut ab Angelo occisore immunes essent Israelitarum ædes. II. Sparsio *Sanguinis* fœderis super Altare & super ipsum populum, peracta à Mose, sub monte Sinai, Exod. *c. 24. v. 6. & 8.* III. Aspersio *Sanguinis* in consecratione Tabernaculi & Sacerdotum, vestiumque Sacerdotalium, Levit. *c. 8.* IV. Aspersio ejus in sacrificiorum oblatione facta, modo super cornua Altaris Holocausti, modò super Altare Suffitus, modò etiam ante ipsum Sanctuarii velum, Levit. *c. 4. v. 7. 17.* V. In anniversaria inprimis expiatione, aspersio multiplex peragebatur. *Accipiens* enim Pontifex Maxim. *de Sanguine juvenci, inspergebat digitô suo superficiem ipsius operculi Propitiatorii Orientem versus*, idque septem vicibus: dein *jugulatô hircô peccati, qui pro populo, inferebat* Sanguinem *ejus intrà ipsum velum & faciens similiter, inspergebat eô ipsum operculum Propitiatorium & ante operculum Propitiatorium*: Posteà *exiens, ipsum Altare sanguine tum juvenci, tum hirci illius, totidem vicibus aspergebat*, sicque se, populum, locum Sanctum, tentorium Conventus atque Altare ipsum expiabat, Levit. *c. 16. toto* VI. Aspersio septuplex aviculæ mundæ *sanguine* facta, quum quis à lepra erat purgandus, Levit. *c. 14. v. 7.* Ultima fiebat in purificatione immundorum. Sic ut, sub Lege, *omnia fere* Sanguine *purificarentur*; & *absque* Sanguinis *effusione nulla fieret remissio*, Hebræor. *c. 9. v. 22.* Circa quæ omnia gravissimus Judæorum error fuit olim hodieque, quod putarent, victimarum nidore ac *Sanguine* delectari Deum, eumque *carnem boum edere ac arietum sanguinem bibere*, ut Psalmographus eos castigat ac irridet, Psalmo 50. *v. 13.* quodque existimarent (ut & Sociniani hac in parte Judaizantes faciunt) per eas, tanquam veras remissionis causas, accedente confessione ac pœnitentia, peccata expiari: cùm, ut Apostolus urget Hebr. *c. 10. v. 1. 4. per ea potiùs peccatorum anniversaria fieret commemoratio*, & *impossibile* sit per vilem *hircorum & vitulorum sanguinem peccata auferri.* Conferebat igitur is Sacrificiorum sanguis *carnis* duntaxat *puritatem*, Hebr. *c. 9. v. 13.* ut in externô cultu DEUM adire ac in Sanctuario ipsius versari possent, *c. eod. vers. 11, 12, 13.* serviebatque præcipuè Israelitis, ut altius spectare, & veram ac dignam DEO victimam, in tot Sacrificiorum (quæ eô ipsô, quod imperfecta essent, tantô numerô offerri totiesque variari ac repeti jubebantur) *Sanguine* prospectare adsuescerent. Proin, *Sanguine* verè propitiatoriô *Filii Dei*, 1. Joh. *c. 1. v. 7.* imo *proprio ipsius Dei*, Actor. *c. 20. v. 28.* ultimis temporibus, in cruce fusô, cujus umbra solùm ac typus omnis victimarum V. T. *Sanguis* erat: totô Levitici cultus apparatu sensim evanescente, & Templi denique ruinâ penitus abolito, nullius creaturæ sanguinem porrò Deus poscit, eum, qui sacrificiô se jam polluerit, & *Sanguinis* illius reum & coram se, velut homicidam ac idololatram, habiturus, juxta Esaiæ *c. 66. v. 3. Qui jugulat taurum, percutit virum; qui sacrificat parvum pecudem, decervicat canem.* Unde laxatus de *Sanguinis* esu Interdicti rigor, & injunctus *Sanguinis* JESU CHRISTI potus, aliam planè rebus N. T. faciem induxit, cumque hic unus animarum nostrarum Medicina sit, ejus, ut & *Corporis* CHRISTI, symbola incruenta ex rebus vitâ carentibus, pane & vinô, constantia, secundum Servatoris nostri institutionem, piè usurpare jubemur, donec venerit. Vide Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christ. Part. 1. l. 4. c. 11.* & *Commentar. in Pentateuchum.* And. Rivetum *in Exod. passim*, Thom. Godvvyn. *de Ritibus Hebræorum Eccl.* & *Civil.* Alios, imprimis Jo. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Discipl. Ebr. l. 7. c. 1.* ut & hîc aliquid, ubi de *Pecoris usu* ac *Suffocato*, uti de superstitione Veterum circa vim purgandi, *sanguini* inesse creditam, suprà voce *Pharmaci*: circa *sanguinem sepeliendorum*, ne illum calcando Manes eorum irritarent, C. Barthium *ad Theb. Papin. l. 12.* & *Commentar. Superstitionum, peccul. c.* in fœderibus, voce *Pollex*: & plura apud Jac. Ouzelium *Animadversionibus Minuc. pag. 195. & 196.* ubi de Armenis, Scythis, Medis, Thebanis, aliis, de conjuratione item Bruti filiorum, Aquiliorum ac Vitelliorum; Catilinæ insuper, varia in hanc rem; de aliis vero huc pertinentibus suprà lit. *H.* ubi de derivatis & compositis ex Græco *Aἷμα*.

SANGUIS Jesu Christi, Ordo militaris Mantuæ, à Vincentio IV. Duce institutus, A. C. 1608. Cujus symbolum: *Domine probasti me.* Item, *Nihil hoc triste recepto.* Albertus Miræus, *Orig. Ordin. Eq. l. 2. c. 6.*

SANGUISUGA, Plinii ævô dici cœpit, quæ priùs *Hirudo* vocabatur, de qua voce retro dictum. Hinc Plin. *l. 8. c. 10.* ubi de elephantis, *Cruciatum in potu maximum sentiunt, haustâ hirudine, quam sanguisugam vulgo cœpisse appellari adverto.* Et *l. 32. c. 10. Diversus hirudinum, quas* sanguisugas *vocant, ad sanguinem extrahendum usus est.* Græcis βδέλλα seu βδέλλα. Theocritus *in Pharmaceutria*,

> ..... ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας,
> *ut palustris hirudo, omnem* (sanguinem) *ebibisti.*

Ubi *palustrem* vocat; quia in locis paludosis ac limosis nascitur nec in aliis aquis, nisi raro admodum, reperitur. Est autem βδέλλα, vel βδάλλειν, *exugere*. Arabice *alaka* dicitur, à *pendendo* & adhærendo; eo quod à Chirurgis appendatur corpori ægro ad sanguinem exugendum. Id quod hodieque variis in locis in usu est. Hinc Avicenna *l. 3. Fen. 9. c. 5. Et sanguisuga quandoque pendet in parte conspicua gutturis, quandoque pendet intra œsophagum, quandoque pendet in stomacho, quandoque tam parva est, ut illum etiam lateat, qui accuratè perspicit suspensionem ejus.* Et *l. 1. Fen. 4. c. 21. Et inter, quibus ad pendendum invitantur, est, ut locus luto capitis* (lutum est boni odoris, cujus illitu capilli fiunt longiores: eoque utuntur in balneis Arabiæ mulieres) *aut sanguine illinatur.* Ab Arabibus vocem mutuati sunt Hebræi, nisi quod, quæ Arabibus *alaka*, his *aluka*, est, ut quidem volunt Hebræi recentiores. Occurrit Psalmo 12. v. 9. ubi impii comparantur cum *sanguisuga*, quarum gressus species est volutationis, ἰλυσπᾶσθαι & ἰλυσπώμενα Græcis, voce maximè propriâ; quia postquam priore parte processerunt, posteriorem ad illam se convolvendo trahunt, ita ut videantur arcuatim & annulatim progredi. Ita enim impiorum viæ obliquæ sunt ac flexuosæ. Atque ita quidem Chaldæus Paraphrastes. Item Proverb. *c. 30. v. 15.* ubi *τῇ aluka duæ filiæ* esse dicuntur, quæ dicant, *affer, affer*: quo nomine *Sanguisugam* utique intelligi, recentiores ferè omnes, ex *Symmacho* & *Hieronymo*, *Chaldæo* item, *Syro* & *Arabe* Interpretibus contendunt; quorum quidam *duas filias* ejus, ad bifurcatam illius linguam, referunt. Verùm, linguâ carent *sanguisugæ*, quæ proin sanguinem non aliter sugunt, quàm ore rotundô in sphincteris modum compressô & coarctatô. Et voces illæ sono quidem similes, at significatione diversissimæ, *alaka* & *aluka*, perperam confunduntur. Illa enim *sanguisugam* quidem denotat, sed hæc planè aliud quiddam: Fatum videl.

un-cuique

unicuique impendens, non Stoica necessitate, sed ineluctabili Dei de hominum vita ac morte decretô, cui prolem tribui, legimus, Proverb. *c.* 27. *v.* 1. & Sophoniæ *c.* 2. *v.* 2. *Duæ* certè ei *filiæ* non malè tribuuntur, clamantes *affer*, *affer*, quæ sunt fortè *Infernus* & *Perditio*, Proverb. *c.* 27. *v.* 20. vel *fossa* & *seol*, quarum una corpus, altera animam appetit. Quam interpretationem pluribus confirmat Sam. Bochart. *Hieroz. Parte posterior. l.* 5. *c.* 19. Addam insignem de Medico, qui *sanguisugas* apponit, locum Oppiani,

---- ὑγρὴν τε γονὴν κυανέης λίμνης
Ἑρπετὰ τειρομένοιο κατὰ χροὸς ἐστήριξε,
Δαῖτα μέλαν αἷμα ὄφρ' αὐτίκα γυρωθέντα
Κυρτῶνται καὶ λύθρον ἐφέλκουσ', οὐδ' ἀνίησι
Εἰσόκεν αἱμοβαφῆ ζωρὴν ποσιν αὖ ἐξερύσωσι
Ἐκ χροὸς αὐτοκύλιστα πέσῃ μεθύουσιν ὁμοῖα.
---- Humidam sobolem, nigra paludis
Reptilia afflictiam ad cutem figit,
Ut depascantur nigrum cruorem. Illa verò statim rotundata
Incurvantur, & saniem attrahunt, neque remittunt,
Donec sanguine gravata, postquam meracum potum eduxerint,
De cute sponte voluta cadant, ebriis similia.

SANGUITERSA, seu SANCTERIENSIS AGER, vulgò SANTERRE, tractus Picardiæ, inter Veromanduos ad Ortum & Ambianensem tractum ad Occasum, ubi Perona, Roja, Nigella & mons Desiderii.

SANGUS, meliùs SANCUS, Deus veterum Romanorum, cujus ædiculam, vicum sacellumque in Urbis Romæ regionibus celebrant *Sext. Rufus*, *P. Victor*, *Onuphrius*, Alii: quis fuerit, non est adeò exploratum. Herculem esse, contendit Festus *l.* 14. *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratiâ Herculi aut* Sanco, *qui scil. idem est Deus.* Dionysius Sabinorum fuisse Deum, & *Sabi*, unde genti nomen, genitorem, asserit, *l.* 2. cui adstipulatus Lactantius *Divin. Institut. l.* 1. *c.* 15. *Summâ*, inquit, *veneratione coluerunt Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabyrum, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini* Sancum, *Romani Quirinum.* Unde corrigendus Cato *in Origin. p.* 19. *Equicolos tenent Sabini à Sabo conditi, Sabatio Sangi gentili edito; inde ad fontes Atni amnis Sabelli, Sabinorum proles, incolunt, Sangui gentili Sabi pronuntiant Sabini, Sanctum Romani, Sagam Barbari, a quo & Sagi primi Thusci, id est, Pontifices & sacri expiatores.* Legit Dempsterus *Sabatio Sangi aut Sanci*, quod verius est, *gentili.* Hunc eundem volunt esse *Sanctum*, & quidem in Festi *loc. cit.* non *Sanco*, sed *Sancto*, reponunt. Vide Lil. Gyraldum *Syntagm. Histor. Deor. Gentil. l.* 1. Sic Propert *l.* 4. *El.* 10. *v.* 70.

Sancte, Pater, salve, cui jam favet aspera Juno,
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatii composuêre Cures.

A' Sabinis hujus cultum Romam trânslatum esse, sub Tatio Rege unà cum Fidio, docet ex Ovid. *Fast. l.* 5. Marlianus *l.* 5. *c.* 24. *Topogr.* In æde Dei, in Quirinali monte, asservatam. Tanaquilis colum, scribit Onuphrius *in Roma sua*, ex Plinio *l.* 8. *c.* 48. ubi sic habet: *Lanam cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est, in Templo Sangi durasse, prodente se, auctor est M. Varro: factamque ab ea togam regiam undulatam, in æde Fortunæ, quâ Ser. Tullius fuerat usus. Inde factum, ut nubentes Virgines comitaretur colus compta & fusus cum stamine.* Unde laudatissimum olim in Matronis lanificii usum fuisse, colligere est. Vide Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 1. *c.* 13. *ad regionem Urbis sextam.*

SANICIENSIUM Urbs, Vide *Sanagenses.*

SANIGÆ, populi Scythiæ Abascis finitimi, *Σάνιγαι Arriano* prope Sebastopolim. Eorum meminit Plin. *l.* 6. *c.* 4.

SANINA, urbs ad mare Rubrum. *Steph.*

SANIR, vel SENIR, mons qui & *Hermon.* Deuteron. *c.* 3. *v.* 9. Vocatur & *Sion.* Deuteron. *c.* 4. *v.* 48.

SANIS, it. SANAUS, *Strab.* SANI adhuc in *tabul. recentiorib.* oppid. Phrygiæ Magnæ apud Diocæsaream. *Ptol.*

SANITAS, inter *ἀποθεώματα* Gentilium, vide suprà Dii. In *Sanitatem* bibendi ritus, vide suprà *Bibendi ritus*, it. *Potus.*

SANITIUM, vulgò SENEZ urbs Provinciæ, aliàs Sutriorum caput: ubi etiam Saganenses fuisse videntur. Satis est parva, versus montes, Episcopalis sub Archiepiscopo Ebrodunensi, 12. inde leuc. in Meridiem, uti 4. à Dinia. 8. à Segulterone in Eurum, Vinciam versus. Inter exiguas Galliæ diœceses. Valesio urbs fuit, sicut & Cemeneleum, Vedïantiorum, inter provinciæ Alpium Maritimarum 8. civitates quintò locò posita. Hodie vicus potius, quàm Civitas: *Notit. Gall.*

SANITURNUS, fluv. Æmiliæ apud Forum Cornelii decurrens. Hodie *Santerno.* Vide *Vatrenus.*

SANLUCIDUM, castrum Calabriæ inferioris, illustris familiæ Caraffarum Neapolitanæ, generosô vinô inclytum.

SAN-MARTHANUS Carolus, vide *Carolus.*

SANMAURIA Familia, Gallis S. *Maure*, inter Regni hujus illustres, deducitur à Gosselino Dn. *de Sainte Maure*, in Turonibus, circa A. C. 1010. A quo decimô gradu distat Petrus *de S. Maure*, Dn. *de Montgauquier*: à cujus primogenito filio Petro, reliqui Domini *de Montgauquier*: Secundo genitus Guilielmus Cancellarius Franciæ fuit; Tertius Guido, Dominos *de Montausier*, *Mosnac* ac *Jonzac*, ex Margareta (vetustis Encolismæ Comitibus genitâ) Domina *de Montausier* sevit. Inter quos prima linea fuit Baronum & Comitum *de Jonsac*, alterius caput est Carolus Dux *de Montausier*, gentis suæ & Aulæ Franciçæ decus, cui Delphini educatio erat commissa. Majores ejus sic habent: Leo *de S. Maure*, Eques Baro *de Montausier*, suscepit ex Anna (filia Guilielmi d'*Apelvoisin Dn. de Pugny*) Guidonem *de S. Maure* Equit. Baronem *de Montausier.* Huic ex Margareta *de Lane*, genitus Franciscus *de S. Maure*, Eques Baro *de Montausier*, junxit sibi Luisam *Gillier* Dn. *de Salles de Fougeré*, & ex ea genuit Leonem *de S. Maure*, Equit. Baronem *de Montausier.* Quô & Margaretâ *de Chasteaubriand* (filia Philippi Comitis *de Grassay*) genitus Carolus *de Maure* præfatus, *Ducis* axioma domui intulit: Pater, ex Julia Lucina d'*Agennes* (filia Caroli d'*Agennes* Dn. *de Rambouillet & de Pisany*) Juliæ Mariæ de *S. Maure*, quæ nuptum data est Emanueli Comiti *de Crussol.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilitat. Europææ Parte* 3. *p.* 77.

SANNA, Græcis ὁ *Σάννας*, in *Glossis*, *Subsannator*, idem cum *Apinario* vel *Apenario.* Cujusmodi homines, *μωρολόγοι*, ridicularia quâcunque occasione funditant, & non solùm dictis ac salibus, sed etiam, imò facie magis, quàm facetiis ridiculi, rictu oris, labiorum ductu, totius vultus distortione, corporisque motione atque gestu ridenda schemata monstrant, atque aliorum mores ac gestus derídiculi gratiâ imitantur. Quemadmodum Apinarii isti, qui, sub Gallieno Imperatore Cyclopica ludentes, totum illud argumentum historiæ vel fabulæ Cyclopicæ, non facetiis tantùm dictisque scurrilibus, sed gestibus præcipuè *καὶ σχήματι* peregerunt: unde miranda quædam & stupenda eos monstravisse, in illo Cyclopeorum lusu, dicit Trebellius *in Galliens c.* 8. Tales itaque Græcis veteribus *Σάνναι* & *Σάννοι* & *Σαννίωνες* appellati, recentioribus *Τζάννοι*, unde Italorum *Zani*: uti *Σάννοι*, populum Scythiæ, qui & *Σαννίγαι* dicebantur, *Τζάννους* quoque vocavêre, Eusthat. *Odyss.* ξ. Sed & *Sannam*, pro irrisione quoque ac subsannatione ipsa, usurpârunt. Vetus Persii Interpres *ad Sat.* 1. *v.* 72. exponit, *os distortum cum vultu, quod facimus, cùm alios deridemus.* Cujusmodi *sannas* vel tortiones oris indecoras ac ridiculas *cinos* etiam Latini vocaverunt, à Græco verbo *κινεῖν*, quod *movere* est, unde *κίνος*, i. e. *κίνησις*; sicuti *μῶκος*, ἀπὸ τοῦ *μωκᾶν*, pro *μώκησις.* Idem autem est *μῶκος*, quod *sanna*; & propriè Græci *μωκᾶσθαι* dicunt de his, qui ore, vultuque distortò & vagis labiis aliquem derident: *Hesychius*, *Διαμυλλαίνειν χλευάζειν. ἐπὶ τῷ τὰ χείλη διαστρέφειν. Διαμωκᾶσθαι*, quod *labiis ductare* vocat Plautus *Milit. Actu* 2. *sc.* 1. *v.* 15. *labiis dum ductant eum.* Gellius, *labiorum ductu irridere*, *l.* 18. *c.* 4. *Tum ille rictu oris labiorumque ductu contemni à se ostendens, & rem, de qua quæreretur, & hominem ipsum qui quæreret.* A Græco *μῶκος*, *mocosum* Latini dixerunt, de hoc genere ridiculi, quod fit non salibus ac dicacitate, sed vultu & gesticulationibus. Cicer. *l.* 1. *Ep. ad Attic. Ep.* 13. *Consul autem ipse parvò animò & pravò, tantum cavillator, genere illò mocosò, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis quàm facetiis ridiculus.* Sic actionem mimicam & gesticulatoriam *mocosam* appellabant vett. Oratores, uti liquet ex Quintiliano *l.* 11. *c.* 3. *sub fin.* Vide supra *Mocosa.* Propriè igitur *Sanna*, os distortum cum vultu significabat: unde vultus distortiones, ad pueros ploratores terriculandos, *sannæ* Arnobio *l.* 5. *Usque adeò ne mortales seculi illius ac temporis corde fuerant vacui, rationis sensusque nullius, ut ab actionibus improbis, tanquam parvuli pusiones, personatum monstruosissimâ torvitate,* sannis *etiam constringerentur & maniis.* Galli vulgò *grimaciæ* dicunt. Manuum tamen etiam digitorumque gesticulatio ac formatio ridicula, ad subsannandum aliquem facta, ita vocabatur. Hinc *ciconia* genus sannæ, de qua suprà, in hac voce; ut & ubi de *Digitis*: Imò & linguæ exertio. Interpres Persii *d. l. Tria genera* sannarum, *aut manu significari ciconiam, aut oppositò temporibus pollice, auriculas asininas, aut linguam sitientis canis.* Hinc dictorum *Sannionum* Cicero quoque meminit *de Orat. l.* 2. & Juvenalis *Sat.* 6. *v.* 307. de tali,

---- Quâ sorbeat aëra sannâ.

Gelasianos, à *risu* eos Sidonius vocat *Carm.* 23. *v.* 302. &c. plura hanc in rem, apud Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 5. *c.* 6. Casaubon. *ad Calig. Suetonii c.* 57. Salmas. *ad Trebellium d. l.* & *Not. ad Tertullian. de Pallio. c.* 4. nec non hîc passim, inter alia infrà voce *Zani.*

SANNAUS, locus Phrygiæ, apud oppid. cognomine ubi magna absinthii copia. *Plin.*

SANNAZARIUS Jacobus, Neapolitanus, in locum Joviani Pontani, apud Fridericum Regem Neapolit. cujus hic gratiâ exciderat, successit. Poëta Italus Latinusque clarissimus, in carmine *de Partu Virginis* 20. annos desudavit, *Eclogæ* tamen *Piscatoriæ* illius maximè laudantur. Vide Anton. Teissier *Elog. P.* 1. *p.* 83. Vide *Jacobus Sannazarius.*

SANNI, populi qui & *Macrones.* Strabo *l.* 10.

SANNIGÆ, Vide *Sanigæ.*

SANNINA, Mediæ urbs, ad Hyrcanum mare. *Ptol.*

SANNYRION, Poëta Tragicus, cujus Danaë laudatur, Schol. Aristoph. *Ran. Actu* 1. *sc.* 6.

SANOCUM, oppid. Russiæ nigræ, ad Sanum fluv. cum arce non temnenda in Palatinatu Leopoliensi, versus montes, 6. leuc. à Premislia in Meridiem. Satis cultum.

SANPETRUM, castellum Lucaniæ.

SANQUINIUS, L. Arruntii, sanctissimi Senatoris, accusator, calumniæ damnatus. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 7.

SANQUINIUS Maximus, è Consularibus. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 4.

SANROMANENSIS Familia, vulgò *Sanroman*, inter Hispaniæ illustres, ramus est Davilex stirpis. In hac enim cùm duæ sint lineæ, posterior Dominorum est *de Sanroman* & *Villanova.* In qua plures ordine sibi invicem successêre Domini *de Sanroman & Villanova de Gomez*, quibus titulus *Velada* accessit, ex Davilensi linea, à conjuge Sancio *Sanchez* Davilæ allata. Hujus fil. pro Velada *Marchionis* titulum obtinuit, à Philippo II. ac ejus pronepos Antonius *Davila & Toledo Marchio de Sanroman* dignitatem priori junxit, cujus Majores hi recensentur. Gomesius Davila Dn. *de S. Roman*, ex Joanna (filia Pagani *de Ribera* Dn. *de Malpica*) suscepit Sancium Sanctium Davilam Dn. *de*

Santoman, maritum Catharinæ *Davila* Dn. *de Velada*, & ex ea patrem Gomesii Davilæ Marchionis *de Velada*: quô & Teresiâ *Carrillo de Mendoza*, genitus Sancius Sanctius Davila junxit sibi Joannam Toletanam, atque ex ea genuit Gomezium Davilam *de Toledo* Marchionem *de Velada*. Huic Antonia *de Toledo Colonna* (filia Garsiæ *de Toledo Osorio*, Marchion. *de Villa Franca*, Ducis *de Fernandina*) genuit Antonium *Davila & Toledo*, Marchionem *de Velada & Santoman* (cui uxor obtigit Constantina Osoria filia Petri Alvari Marchionis *de Astorga*) ac Antoniam (uxorem Joannis Ludovici *de la Cerda* Dn. *de Medina Celi*.) Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Eur. Part.* 2. *p.* 102.

SANRUFUM, oppid. *Lucaniæ*.

SANSY & CUY, regiones Imperii Sinensis, terræ motibus & prorumpentibus inde undis prolapsæ absorptæque, apud Ferdinandum Pinto *Itinerar.* Vide quoque supra, in voce *Lampaca*.

SANTA Casa seu Sancta domus, nomen carceris Inquisitorum, in Ecclesia Romana in Hispania inprimis & Lusitania. Constant variis porticibus, quarum singulæ in plures exiguas cameras sunt distributæ, figuræ quadratæ, quarum latera singula X. sunt pedum. Illarum autem duo sunt ordines, quorum alter alteri superstructus est, suntque constructi opere fornicatô: & quidem superiores illuminantur per crates ferreos, sed supra viri etiam proceri staturam elevatos, inferiores sunt subterranei, obscuri, sine ulla fenestra, & superioribus angustiores; parietes sunt crassitudinis quinque pedum. Unaquæque porrò camera duobus ostiis clauditur, quorum interius crassum est & ferro obductum; parte inferiore constans crate ferreô, in superiore exiguam fenestellam habens, per quam captivo cibus, lintea aliaque necessaria, porriguntur: clauditur autem duobus ferreis obicibus. Exterius ostium solidum est, sine ulla apertura; quod ordinariò manè ab hora sexta usque ad undecimam aperiri solet, ut aër carceris aliquatenus repurgetur. Auctor *Historiæ Inquisit. Goanæ*. In eo quàm rigidè silentium exigatur, dicemus infrà in hac voce: quanta ibidem miseria captivorum, docet Auctor cit. *c.* 19. 20. 21. quod si quis ægrescat è loci squalore, in Xenodochium, quod *Cardinalis* vocant, defertur, donec meliusculè se habere cœperit, tum in pristinum carcerem restituitur. Neque vincti ex uno cubiculo ad aliud transferuntur & cum aliis associantur: Sed qui in eodem conclavi fuerint clausi, ubi transferendi erunt; simul etiam transferuntur, ut sic vitentur communicationes eorum, quæ intra carceres geruntur, quo fine & silentium tam severè exigitur &c. Vide Phil. à Limborch *Historiâ Inquisit. l.* 2. *c.* 18. & suprà ubi de *Immurationis* pœna.

SANTACRUCII, inter Hispaniæ illustres, ex familia Bazanæorum. In qua Alvarus I. *de Bazan*, fil. minor natu Petri Consalvi *de Bazan*, celebris belli in Mauros Dux, filium cognominem iisdem bellis, maritimis inprimis, clarum, genuit; & is Alvarum III. primum *Marchionem de Santacruz*; à quo fil. & nepos *Alvari* nomen atque dignitatem patriam & avitam accepêre. Series lineæ hæc est: Petrus Consalvus *de Bazan*, Dn. *de Valduerna*, ex Teresia Pimentellia, pater fuit Consalvi *de Bazan*, Vicecomitis *de Valduerna*: quô & Menciâ *de Quinones*, genitus Alvarus I. *de Bazan*, Commendator, junxit sibi Mariam *Manuel*, atque ex ea suscepit Alvarum II. *de Bazan* Dn. *de Viso*: cui Anna Guzmana genuit Alvarum III. *de Bazan*, Marchionem *de Santacruz*, qui, junctâ sibi Mariâ *Manuel de Benavides*, ex ea pater fuit Alvari IV. *de Bazan* Marchionis *de Santacruz* (mariti Gujomaræ Manriciæ *de Lara* filiæ Bernardini) Francisci Equitis Calatravæ, Petri *de Bazan* Equitis Alcantarensis (cui uxor obtigit Maria *de Mendoza*) Annæ *de Bazan*, Isabellæ *de la Cueva* (cui maritus fuit Alfonsus Portocarrerus Marchio *de Villanova*) Mariæ *Manuel de Benavides*, & Briandæ *Bazan de Benavides* (quæ nuptum data est Francisco Benavidio, *de la Cueva*, Comiti *de Santistevan*) Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 96.

SANTALINA Ligna, totâ Indiâ celeberrima, Σαγάλινα ξύλα dicuntur Auctori *Peripli*, facili lapsu literæ *T.* in *Γ*. Ita autem is de phalangis ebeni. Α'πὸ μὲν Βαρυγάζων εἰς ἀμφότερα ταῦτα τῆς Περσίδος ἐμπόρια, πλοῖα μεγάλα χαλκοῦ καὶ ξύλων Σαγαλίνων καὶ δοκῶν καὶ κεράτων καὶ φαλάγγων Σησαμίνων καὶ Ἐβενίνων. *A Barygazis ad ambo hæc Persiæ Emporia, magnæ naves ære & lignis Sagalinis & trabibus & cornibus & phalangis seu fustibus Sesami ac Ebeni.* Mentio certè Σανδάλων apud recentiores Græcos. Jam verò etiam apud vetustiores nomen hoc fuisse in usu, ex Auctore hoc Peripli patet, unde non ab Arabibus ad Græcos, sed contrà à Græcis ad Arabas delatum esse colligitur. Hodie Indi *Chandama* vocant, ut refert Garsias ab Orto, qui de ligno hoc aromatico videndus est, *Aromatum l.* 1. *c.* 18. Aëtius in vetustissimo exemplari, *l.* 16. in confectione Muschati, σάνδανα vocat, non σάνταλα. Κάρυα Ἰνδικὰ ἴσα. Σανδάνων γραμμάτια ιϛ. Ἀμώμου. Et in confectione Xeromyri, Σάνδανα, γραμμάτια β. Notum certè *M.* & *N.* invicem mutari. Lusitani autem *Chi* pronuntiant, pro *Si*, ut *Chinenses* dicunt, pro *Sinensibus*. Sic *Chandama*, pro *Sandama*, quæ Græcis Σάνδανα. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1032. & 1033. nec non suprà *Sandalinum lignum*.

SANTBECHIUS Daniel, vide *Daniel*.

SANTBENITO, aliis SAMBENITO, an quasi *Saccus benedictus*, an *Sancti Benedicti* scil. vestis? habitus est pœnalis, irrogari solitus ab Inquisitoribus, origine tali. Cum multa in Hispaniæ regno essent depravata Mauris Judæisque cum Christianis promiscuè versantibus, nullô non commercii genere, Hispali primum quæstionibus arcanò habitis, de sontibus qui videl. hâc familiaritate seducti Christiana sacra deseruissent, gravissimis pœnis vindicatum, &, majori commissô delictô, igne post diuturnum carcerem & tormenta necari apostatæ: leviori de causa ignominia familiæ perpetua inusta est: non pauci bonis publicatis ad æternos carceres damnati. Rubra crux obliquis radiis in crocea veste, quam *Sancti Benedicti* vocant, plerisque data insignis, à cæterisque discreta, ut essent documento, & magnitudine supplicii terrerent alios, Bzovius A. C. 1478. §. 14. Hodieque suspecti de hæresi sive leviter, sive de vehementi, injungitur nonnunquam, ut, pro delicti qualitate, ad tempus *Sambenitum* gestent, uti docet Phil. à Limborch *Historia Inquisit. l.* 4. *c.* 31. Vide & suprà ubi *de Sacco Benedicto*, item ubi *de Reatus indumentis*.

SANTENA, oppid. Duc. Clivensis, non procul à Rheno, 2. leuc. infra Vesaliam in Occasum Neomagum versus, totidem à Geldria in Boream.

SANTERIENSIS Pagus Galliæ, vulgò *le Santois*, in quo Villare *Villiers le Carbonnel* & Lebunum *Libons en Santois*, Monasteriô clarum; in agro Ambianensi. Britto *Philippidos l.* 2. ante annos 450.

> *Sic regio quàm latè patet Veromanica tota,*
> *Ambianensis humus pariter, cum Santeriensis*
> *Ubertate soli, Regi cessêre Philippo.*

Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SANTES *Pagninus* Dominicanus Lucensis. Orientalium linguar. Hebraicæ, Arabicæ & Chaldaicæ peritissimus: Nec minus in Latina & Græca versatus. Versionem Bibliorum adornavit: Scripsit item *Isagogen ad SS. literas*, *Thesaurum linguæ sanctæ &c.* Obiit A. C. 1541. Lugduni ubi opera sua edi curavit. Sixtus Senens. *Biblioth. sacr.* Leander Alb. *descr. Ital. & de vir. Ill. Dom.* *Possevin.* *Gesnerus* &c.

SANTHENTONENSIS portus Anglicus *Ptolemæo* Trisantonis fluv. ostium. *Merul.*

SANTICUM, Vide *Stanticum*.

SANTILLANA, oppid. Asturiæ, in ora Oceani Cantabrici versus confin. Biscajæ, medium inter Flaviobrigam ad Ortum & Overum ad Occidentem, 22. utrinque leucis. Hinc pars Orientalis Asturiæ *Asturia de Santillana*: Inter Biscajam & Asturiam Ovetensem.

SANTU, urbs Celtica. *Steph.*

SANTISTEPHANENSIS Familia, in Hispania illustris, Benavidiæ stirpis ramus est. In hac enim Mendus Rodericus pater fuit Diasii Sancii *de Benavides* Dn. *de Santistephan del Puerto*, cujus duo filii totidem linearum Auctores fuêre. Primus Mendus Rodericus *de Benavides*, genuit Diasium Sanctium *de Benavides*, primum *Comitem de Santistevan del Puerto* & reliquorum auctorem. Alter, Manuel *de Benavides*, Dn. *de Jabalquinto*, & ex hæreditate alterius fratris Gomesii, *de Flomesta*, extitit. Priorum genesis ita habet. Mendus Benavidius præfatus, Comes *de Santistevan del Puerto*, ex Joanna Pachecia (filia Roderici Portocarreri) genuit Franciscum Benavidium *Comitem de Santistevan*; qui ex Maria *Carrillo de Corduba* Didacum suscepit Comitem S. Stephani, maritum Mariæ Mexiæ; & ex ea patrem Francisci Benavidii Comitis *de Santistevan*: quô, & Isabellâ *de la Cueva* Dn. *de Solera*, genitus Didacus *de Benavides & la Cueva*, Comes *de Santistevan del Puerto*, pater fuit ex Leonora Toletana (filia Petri Davilæ Marchionis *de las Navas*) Francisci *de Benavides & la Cueva*, Comitis *S. Stephani*, Dn. *de las Navas*, *Castellar & Solera*, (cui uxor obtigit Brianda *de Bazan & Benavides* filia Alvari Marchionis Sanctiacrucii) ac Isabellæ *de la Cueva*, nominis *de Benavides*. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 86.

SANTONES, qui & SANTONÆ, populi & urbs Galliæ Aquitanicæ episcopalis sub Archiepiscopo Burdigalensi, quorum regio *Xantonge* & urbs *Xanctes* ad Carantonum fluv. inter Pictavos ad Boream, Aquitaniam veram seu Garumnam, qui hic *Gironda*, ad Meridiem, Oceanum ad Occasum, & Inculismens. tractum cum Petrocoriis ad Ortum. *Ferrar.* Urbs præcipua Mediolanum Santonum, *Saintes*, ad Carentonum fluv. ampla, non æquè culta, 15. leuc. à Burdegala in Boream, 30. à Rupella in Eurum. Reliquæ, Broagium, Talleburgum, Angeriacum & Sobiscum. *Baudrand.* Vide & *Santoni*, namque & sic dicuntur, Elias Vinetus *Antiq. Sant.* Lucan. *l.* 1. *v.* 422.

> *Signa movet, gaudetque amotô Santonus hoste.*

Hinc *Santonicus* Oceanus, pars maris Aquitanici, qui Aquitaniam inter ostia Garumnæ & Ligeris alluit. Tibullus *l.* 1. *El.* 7. *v.* 10.

> *Testis & Oceani littora Santonici.*

Santonicum absinthium à Columella *l.* 6. *RR. c.* 25. memoratur, cujus etiam Martialis meminit *l.* 9. *Epigr.* 96. *v.* 1.

> *Santonicâ medicata dedit mihi pocula virgâ.*

Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 145.

> *Tempora Santonico velas adoperta cucullo.*

Santonum portus, *la Rochelle*. Vide *Rupella*, quæ propriè in Alnetensi tractu. Aliis Broagium, *Santonum promontorium*, vulgò *Cap de Maumusson* Mercatori, promuntor. Aquitaniæ in ora inter Burdigalam, & Santonum portum. Aliis est *pointe de la Tremblade*, in ora Oceani Aquitanici 3. leuc. à Broagio in Africum.

SANTONI, inter 14. gentes Aquitanis adjacentes, eisque contributas, inter Garumnam & Ligerim numerantur à *Strabone*, cum Pictonibus. De his Lucan. *l.* 1. *v.* 422.

> ——— *Gaudetque amotô Santonus hoste.*

Aliàs *Santones*: Sic Andi & Andes, Turoni & Turones &c. Nomen

men iis fortè a Sona, Gall. *Suine & Seque*, olim *Santona*, fluviolo, qui supra Mediolanum Santonum in Carantonum effluit, postquam Areiacum *Archat* & Pontes *Pons* alluit. Eorum fines loca patentia maximéque frumentaria *l. 1. Comm. c. 10.* & Pictones ac Santones, pacatas regiones, h. e. Romanæ cum Reip. bonâ fide obedientes, *l. 2 Bell. Gall. c. 11.* Cæsar vocat. Commendatur autem Santonum ager frumentô, vinô ac sale hodieque quam maximè. *Santonici* cuculli Juvenalis, *Sat. 8. v. 145.* & Bardocuculli Martialis *l. 14. Epigr. 126.* meminit. Urbs princeps gentis Mediolanum est, quæ Burdigalam, centum olim & quatuor: nunc 450. jugera soli occupantem & Amphitheatrô suô, quod palatium Gallieni vocant, extra muros, ac Tutelâ vel Palatiô Tutelæ nunc intramuranô hodieque gloriantem, Metropolim: Pictones pro sorore habet, urbem veterem, & Amphitheatri sui nunc intramurani ac aquæductus insignibus reliquiis nobilem. Supersunt hodieque Amphitheatri in urbe Santonum rudera ac reliquiæ nobiles extra muros, ac arcus antiquus in Carantono præterfluente, priscorum quoque mœnium aliquot in locis particulæ & non exigua aquæductus λείψανα. In monte olim posita, dein cùm à Vandalis, Gothis, Saracenis ac Normannis eversa esset, non procul inde ad flumen condita est, ubi prius casulæ piscatorum erant. In *veter. Notit.* inter provinc. Aquitanicæ secundæ civitates sex, quartum obtinuit locum, posteà tertio in gradu collocata, & Episcopus ejus inter Antistites *Burdigalensi* Archiepiscopo subjectos secundô locô numeratus est. S. Eutropius unus ex vetustissimis Santonum Præsulibus: Basilica S. Petri, præteritô seculô, dissidiis intestinis flagrante Galliâ, vastata est. Postquam enim à pace Reformatis data Carolus IX. resiliit, Religioque & cultores sunt proscripti: Exules mox in Santonibus, Encolismensi agro & Pictonibus, rerum summâ felicitate potiti sunt, adeo ut Princeps Condæus, vocem Themistoclis, *Perieram nisi periissem*, sæpe usurparet, circa A. C. 1568. Thuan. *Hist. l. 44.* Præterea varia hic utriusque sexûs monasteria, & in diœcesi duodecim vel tredecim Abbatiæ sunt. Vulgò *Saintes*, sicut pagus *Saintonge*. Vide Jul. Cæs. *loc. cit.* &c. Strab. *l. 4.* Plin. *l. 4. c. 19.* Tacit. *Annal. l. 6. c. 7.* Amm. Marcellin. *l. 15.* Auson. *Ep. 14. 18. &c.* Alanum *de Sant. reg.* Eliam Vinetum *Antiq. de Saintes.* Sanmarth *Gall. Christ.* Duchesnium *rech. des Antiq. des Villes, &c.* Hic Concilium habitum est, A. C. 562. contra Emeritum, qui favore Chlotarii in sedem, post Eusebium, irrepserat: Illi ergo deposito Heraclius surrogatus est. Sed Charibertus Chlotarii fil. Emeritum restituit, legatô, qui Heraclii confirmationem venerat rogatum, curruí spinis horrenti impositô & in exilium missô. De aliis Conciliis ibidem celebratis vide Morerium *Dict. Histor.*

Oppida & castella Santonum.

Angeriacum,	Olario vel Uliarus insf.
Broagium, *Broüage.*	Pontes.
Condate, *Cone* seu *Conac.*	Regianum, *Royan.*
Marinæ, *Marennes.*	Solbifia.
Mediolanum Santonum.	Tauniacum, *Tonay-Charente.*
Moritonia, *Mortaigne:*	Talemontium, *Talmont. &c.*

Vide quoque supra in voce *Santones*, & Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SANTORINI, olim *Therasia* seu *Thersia*, & *Callista*, i.e. pulcherrima, dicta, insula est in Archipelago; formam habens lunæ corniculatæ, licèt prius aliam haberet, antequam terræmotu concuteretur, & à mari in duas divelleretur partes, inter quas scopuli aliquot interjacent. Ea, quæ meridiem spectat, major est, patetque in circuitu 40. milliar. Maris fundus hîc vestigari non potest, maximè inter ambas insulas. *Nat. Motel.*

SANUA, Albaniæ urbs, *Ptol.*

SANUQUIA, oppid. Japoniæ, in Xicoco insul. caput tractus cognominis in ora Boreali contra Niphoniam Insulam.

SANUS, fluv. Poloniæ. Oritur ex Carpatho monte, in limite Hungariæ. Per Russiam nigram labitur, juxta Premisliam & Jaroslaviam Urbes, dein auctus aliquot fluviis per Poloniam superiorem fluens, ibi prope Sandomiriam in Vistulam se exonerat. Ad ejus confluentes frustra obsessus fuit Carolus Gustavus, Suecorum Rex, à Polonis & Germanis aliquot hebdomadas.

SANUTUS Marinus, Nobilis Venetus, urbem Jaderam è ruinis excitavit, cujus memoriam servat in ea urbe hæc *Inscr.* ante 2. vel 3. circiter secula, ut judicat Cl. Sponius, composita,

Urbe hac præfectus Sanuta *ex prole Marinus*
Me struxit tandem, Venetò dominante Senatu.

Vide eum *Itinerar. Græc. Part. 3. p. 75.*

SANZACBEGUS, apud Turcas, ex *Sanzac* vexillum, & *Beg* dominus, quasi *dominus vexilli, dominus vexillaris*: cui scil. cum vexillo tradita est provincia, ceu Præsidi: & cui propterea militatum eunti vexillum præferri solet. Græcis hodie *φλαμουλάρης*, aut Hamcolaris, *Sanzac-beglur*, dignitas vel officium *Sanzaci*, aut Vexillani, i.e. Provinciæ Præsidis, Præsidatus, Leunclavius *Onomast.* *Alter.* Bursium *Beg sanzacum*, h. e. dominus vexilli Bursensis: *Musulm. l. 4.* narrat, ita vocatum fuisse Muratem, cùm à patre præfectus fuisset Bursæ. Idem.

SAOCORAS, Masio *Hermilz*, aliis *Set*, fluv. Mesopotamiæ, in Euphrat. influens.

SAON, Historicus celebratur Dionys. Halicarn. *ἐν τῇ ἐπιστολ.* *...* Ubi & de stylo ejus judicium fert. Viri eruditi suspicantur eundem esse, qui *Saus* dicitur Athenæo *l. 4.*

SAONA, vide *Savo*, & *Savona*.

SAOPHIS Thebanorum in Ægypto Rex XV. Vide *Chaubus Gentes.*

SAOR, in tribu Ruben, supra Jordanem, Hieronym. *in Loc. Hebr.*

SAORAS, urbs dicta à *Saora* Nympha.

SAOS, insula Sajorum, *Stephan.* Vide *Samos*.

SAOSDUCHINUS, Asar-adoni in utroque regno Babylonico & Assyriaco successit, quò tempore Amon & Josias in Juda regnârunt. De eo nihil extat literis proditum, nisi quod regnârit ann. 20. usque ad Josiæ annum 12. Ei successit Chyniladanus. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec.* XVII. & XVIII. & suprà vocibus *Asarhaddon ac Chyniladanus.*

SAOTAS Jupiter, Thespiis cultus: hac de causa ita cognominatus. Cùm draco urbem vastaret, Jupiter mandavit, ut adolescentem forte eductum singulis annis serpenti immolarent. Sors Cleostro obtigit, quare Menestratus, ejus amator, machinatus est thoracem æneum, singulisque thoracis squamis hamum sursum versus connexuit, & eo se thorace induit, seque ultro feræ obtulit, ut unà & ipse draco interirent: quare Thespienses Saotæ Jovi simulachrum erexêre. Fuit & Dionysii, apud Trœzenios, cognomen.

SAOTERUS vel SAUTERUS, *Dioni Σαώτηρος*, unus ex turpissimarum libidinum Commodi Imperatoris ministris: qui *Anterus* malè dicitur in editionibus vulgaribus. Tantum is apud Commodum potuit, ut Præfecti ejus potentiam ferre non possent, qui proin id egerunt, ut brevi è medio tolleretur. Salmas. *ad Lamprid. in Commodo. c. 3.*

SAOX, mons Abderitarum, 10. mill. pass. altus, Plin. *l. 4. c. 12.*

SAPA, priscis Latinis humor arborum est, vere & autumnò abundans, Gall. *Sève*; à Græco *ὀπὸς*, i.e. *succus*. Dein pro defruto accipi cœpit; quod Siculi *Vinum coctum*, & Romani rectiùs *mustum coctum* appellant. Plinius tamen inter *sapam & defrutum* distinguit *l. 14. c. 9. Cisibiliter verò mustum in Galatia nascens & hylanium in Sicilia. Nam Sycæum, quod alii hepsema, nostri Sapam appellant, ingenii, non naturæ, opus est, mustò usque ad tertiam partem mensuræ decoctò, quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus.* Vide quoque *l. 23. c. 2.* ubi ait, *Vino cognata res sapa est, mustò decocto, donec tertia pars supersit.* Meminit *sapæ* quoque Martialis *l. 7. Epigr. 52. v. 6.*

Et Laletana nigra lagena sapa.

Ubi *Laletanam* appellat, quòd ex vino fieret è Laletania Hispaniæ Tarracon. advecto. Ovid. *purpuream sapam* habet *Fastor. l. 4. v. 780.*

Lac niveum potes, purpureamque sapam &c.

Vide Macros Fratres *in Hierolexico*, & Salmas. *ad Solin. p. 1283.*

SAPÆ, vel SAPÆI, Thraciæ populi. *Steph.*

SAPÆI, *Σαπαῖοι*, quoque populi in Æthiopia, qui aliis *Sabæi*. Salmas. *ibid. p. 500.*

SAPAH, Calipha Saracenorum XIX. post Marvanum, regnavit ann. 4. mens. 9. subditis gratissimus. Obiit A. C. 755. successore Abujafare.

SAPAUDIA, regio Galliæ Narbonensis primùm ante Ann. 1280. memorata Amm. Marcellino *l. 15.* major olim quàm nunc fuit, cùm partem olim Delphinatus comprehendisse, ex *Notit. Imper.* sub Honorio Imperatore composita, discamus. Et certè hodieque Gratianopolitanæ diœceseos pars minor Sapaudiâ continetur, cujus caput Cameriacum Episcopo Gratianopolitano paret. Post Honorii mortem Anno 20. ab Aëtio Burgundionum reliquiis data est, cum indigenis dividenda. Eamque Karolus M. cum inter filios tres regnum ac Imperium divideret, *Sabojam* vocavit, sicut nunc *Savoye* dicitur, atque inter pagum Lugdunensem & Mauriennam posuit, adeoque tum minima erat, siquidem Mauriennam & Darantasiam unà cum suis vallibus & pagis: ut & montem Cinisium ac Vallem Segusinam, non continebat, quod tamen hodie fit. Paulo dein pòst A. C. 1322. multò majorem, quàm nunc est Sapaudiam facit *Notit. Episcopatuum Galliæ* & duas in ea Metropoles ponit, Darantasiam & Vesontionem. A' *Sapaudo* quodam dicta, quod nomen proprium quibusdam fuit. Continet hodie regio Caput lacus Lemanni *le Genevois*, Caballiacum *le Chablais*, Augustam Prætoriam, Fociniacum, Darantasiensem pagum & Mauriennensem, cum monte Cinisio ac Valle Segusina. *Monetus* à lacu Lemanno ad montem Cinisium & Segusium 40. leuc. Sapaudicas longam, Francicas 60. & ab uno capite Lemani ad alterum 20. leuc. Francic. latam: ab ortiva Rhodani ripa ad Alpes Maritimas alterô semisse latiorem esse *Sapaudiam* refert. Ejus domini Comites Maurienna diu, dein Comites Sapaudiæ, tandem Sigismundi Imperatoris beneficiô Duces sunt appellati. Nunc in literis suis *Duces Sapaudiæ, Caballiaci, Augustæ & pagi Gebennensis, Principes Pedemontis; Marchiones Salutiarum; Comites Genevæ, Rotundi Montis, Nicææ, & Astæ ac Tendæ: Barones Fociniaci, dominos Vercellarum, Marchionesque Italiæ* inscribi se jubent. Incolæ *Savojars*, vel *Savoisiens*. Vide quoque in voce *Sabaudia*.

SAPDION, scribit Apollodorus Phrynes fuisse duas, quarum alteram *Clangelota* cognominarint, *Saperdion* alteram. Cæl. Rhodig. *l. 14. c. 15.*

SAPEI, populi Sarmatiæ in Asia Plinio. *l. 4. c. 11.*

SAPH, nomen Gigantis, 2. Sam. *c. 21. v. 18.* Latinè, *pelvis, crater, phiala, limen; finis*, vel *consummatio: juncus*, vel *pelagus*. Dicitur & *Saphai*, 1. Paral. *c. 20. v. 4.*

SAPHA, Græcè *σκοπός*, i. e. *specula*, locus est versùs Septentrionem, septem à civitate Jerusalem stadiis distans, sic nominatus quòd ibi urbs templumque conspici poterant.

SAPHAM, fil. Gad, 1. Paral. *c. 5. v. 12.* Latinè, *barba, labium*, aut *ripa*, vel confractio sive *solitudo eorum*.

SAPHAN, cujus mentio Levit. *c. 11. v. 5.* Hebræis dicitur, qui Arabibus *aljarbuo*, Hieronymo *arctomys*, majoris scil. muris genus, in Palæstina, Ægypto & Libya, *δίπους*, i. e. *arsouenus*, Græcis dictum, quòd incederet bipes, & prioribus pedibus,

nummis suis exprimere soliti sunt Mitylenæi, uti legimus apud *Jul. Pollucem* & *Aristotelem*. Quod confirmat numisma antiquum apud Ursinum, in cujus una parte facies hujus Poëtriæ, in altera polypus, cum literis ΜΥΤΙΑ. Ut & aliud apud Jac. Sponium, in cujus antica parte Nausicaa Herois, in altera Sappho sedens cum lyra, vide eum *Itiner. Græc. Part.* 3. *p.* 166. & 169. & suprà in voce *Nausicaa*.

SAPPHO, Samariæ vicus, *Joseph.*

SAPPINUS, item SAPPIUM, pineæ sativæ species, quæ cæsa nunquam repullulat, hinc à *Sapino*, quæ piuus species est & *cæsarum è genere sit*, ut ait Plinius *l.* 16. *c.* 12. & 39. diversa. A cujus materici similitudine, imam abietis partem, quæ fluviata est & quadripartitos venarum cursus habet, *sappineam* appellatam esse, docet Vitruvius *l.* 2. *c.* 9. *Ima autem, quum excisa quadrifluviis disparatur, ejecto toruso ex eadem arbore, ad intestina opera comparatur, & Sappinea vocatur.* Quemadmodum superior pars *fusterna* dicebatur, quæ nodosa est, ut solent fustes & baculi crebris nodis ut plurimum asperi. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1034. & suprà in voce *Abies*.

SAPRA-PALUS, Vide *Byce*.

SAPRIS, oppid. Lucaniæ, nunc *Libonati*, cum fluv. cognomine *Sapri*, inter Buxentum ad Occasum, & Laum ad Ortum ac inter Policastrum urb. 6. & Maratheam oppid. in Ortum 12. mill. pass. Hinc Sinus Sapricus, *Golfo di Policastro*.

SAPSAS, locus circa Jordanem, ubi S. Johannis Baptistæ habitatio, juxta *Sophronium*.

SAPTINE, filia Darii ultimi Persarum Regis Alexandro in matrimonium oblata, ad pacem impetrandam, Curt. *l.* 4. *c.* 5.

SAPURI, montes Scythiæ inter Imaum. *Ptolem.*

SAPYSELATUM, mons Corinthiacus, *Arachnæum* Pausan. *l.* 2.

SAR, in nummis Magnentii & Helenæ, *signata Arelate* notat, interprete Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus*.

SARA, fil. Ephraim, 1 Paral. *c.* 7. *v.* 24. Latinè, *caro*, *consanguinitas*, *fermentum*, sive *residuum*, vel *remanens*.

SARA, filia Arani, uxor Abraham, mater Isaaci: cujus historiam vide Gen. *c.* 11. *v.* 16. *& seqq.* Obiit An. M. 2175. Hebrone sepulta. Latinè, *Domina* vel *princeps*.

SARA, urbs Aureæ Chersonesi. *Selungas Castaldo*. Urbs item Cappadociæ, *Antonin.*

SARA, sive SARAA, & SARASA, Civitas Judææ, in planitie, patria Samplonis, ubi teste *Josepho*, sepultus est. In tribu Dan, Jos. *c.* 19. *v.* 41. Latinè, *lepra*, vel *scabies*.

SARA, fluv. Belgicæ secundæ, vulgò *Sere*: alluit castrum pagi Laudunensis Crisciacum *Creci sur Sere*, Aciacum *Achy*, Medianum Pontem *Moien Pont*, Noviomagum *Nouvion*, Alliacum *Alli*, & Saram cognominem locum *Sara*, atque ad Faram Picardiam *la Fere*, in Isaram effluit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Quibusdam etiam Saravus fluv. *Sara* dicitur, vide *Saravus*.

SARA, fluv. Helvetiæ exiguus, qui oppid. Sanegaunum *Sargans* alluens, dividit Sarunetum seu Sanagensem regionem in duas partes. Vide Simlerum *de Rep. Helvet.* & infra in voce *Sarunetes*.

SARABACUS, Sinus Indiæ extra Gangem, *Ptolem. Golfo Savolas* eum vocat Castaldus. Meliùs *Sabaracus*: pars Sinus Gangetici, nunc *Golfo de Martaban*. Vide *Sabaracus*.

SARABADENA Oraria, apud Treb. Pollion. *in Claudio c.* 17. *Cucutia villosa duo, oraria* Sarabadena *quatuor*: unde potuerint nomen invenire, non liquet. Fortè *Sarabrena* legendum, ut Hispaniensia fuisse intelligamus, ex ea urbe Tarraconensis provinciæ, quæ *Sarabris* dicitur *Ptolemæo*. Sic apud Catullum, *sudaria Setaba*, occurrunt ex eadem Hispania, Casaubon. *ad loc.* Quid autem *Oraria* fuerint, diximus *suprà*. Vide quoque infra in voce *Sarapsa*.

SARABAITÆ, Monachorum genus, qui nullam Regulam sequentes, suô lubitu vivebant & bini aut terni passim per villas urbesque vagabantur, accuratè descripti à Benedicto *Regul. c.* 1. Cassianus *Collat.* 18. *c.* 7. *Sextum genus Monachorum, quod per Ananiam & Sapphiram pullulavit*, i. e. Sarabaitæ, *quique ab eo, quòd à cœnobiali disciplina semetipsos sequestrant, suasque liberi appetunt voluptates, abusive dicti sunt linguâ Ægyptiacâ.* Hieronymo *ad Eustochium de Custod. Virgin.* appellantur *Remoboth*, à quo acriter exagitantur. Aliter *Remuitæ*, apud eundem Cassianum *Collat. l.* 3. *c.* 24. *Non Monachos, ut falsò nominantur, sed Sarabaitas, i. e. Renuitas, qui jugum regularis disciplinæ renuimus.* S. Nilo dicuntur κυκλάζοντες μοναχοὶ ἕνεκα χρημάτων, *Monachi circumforanei lucri causâ*, de quibus peculiarem tractatum scripsit. Voci origo, ab Hebr. סרבים, *sarabim*: i. e. rebelles; quod vocabulum, aliunde Hebræis ignotum, Chaldæis Ægyptiisque familiare fuit, apud quos sic Monachi dicti sunt, qui omnis disciplinæ jugô excussô, suô solum arbitratu, vivebant. Extat id semel tantum in Scriptura, Ezechielis videl. *c.* 2. *v.* 6. *Fili hominis, ab iis* (gente rebelli) *ne timeto, & ab illorum verbis ne metuito, quia rebelles sunt & spinæ tecum, & cum scorpionibus habitas.* Ubi *rebelles*, in Hebræo sunt *sarabim*, à Chald. סרב, *rebellare* seu *renuere*; unde סרבן *sarban*, i. e. *rebellis* & סרבנות, *sarbanuth*, i. e. *rebellio*. Indigitat nempe Propheta voce hâc eos, qui renuentes jugo Dei se submittere & propriis affectibus indulgentes, extra præscriptum legis iter, in transversum abripi se sinebant. LXX. Interpretes, διότι παροιστρήσουσι, hîc habent, quia *tanquam œstro agitati* insanient & ferentur in præceps: quod vim vocum כי סרבים satis exprimit. De hujusmodi porrò Monachis ita Auctor *Sermonum ad Fratres in Eremo*, sub Augustini nomine, Serm. 29. *Solâ voce paupertatem & abstinentiam prædicant, sed digitô suô non cogitant ea movere. Corpora despectis vestibus tegunt, foris ostendunt, sed intus purpurâ ad carnem induuntur. In cinere prædicant se jacere, sed excelsa palatia non despiciunt. Angelicam faciem foris ostendunt, sed lupina corda eos habere non dubitamus. Tales fuerunt illi* Sarabaitæ, *de quibus tertiò nobis scripsit pater Hieronymus, quorum genus est omni affectu vitandum* &c. Apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 4. *c.* 14.

SARABANDA, genus saltationis ad commovendos animos mirè potens, cujus auctores Mauri feruntur Granatenses: à fidei Quæsitoribus in Hispania ob hoc ipsum, quòd vim præcipuam mollioribus excitandis affectionibus & animis periculosè perturbandis habere credatur, vetitum. Describitur elegantissimô stylô à Franc. Pomey Jesuita *Descript. Divers.* ubi sic de perito Choreuta orditur: *Saltationem auspicatus est cum admiratione spectantium, graviter primùm ac sensim, æquabili lentóque motu, tam scitè ---- scil. invehens, ut quocunque se ageret, regiam circumferret Majestatem, nec venerationis minus concitaret, quàm oblectationis affunderet. Post paulò autem aliquanto magis se incitans brachiaque nonnihil attollens, atque nonnihil explicans, saltus edebat mirabiles ac stupendos. Nunc fluente gradu se ipse sine sensu inferebat* &c. Et pòst multa. *Verùm haudquaquam illa magni facienda, præ illis, quæ sunt consecuta, cùm intimos videl. animi motus cœpit homo admirandus variò exhibere corporis motu, & vultu, oculis, incessu, habituque totò, præferre. Nunc languidulos adjiciebat huc illùc oculos, cupiditatis plenos & amoris indices, quandiu clangere videbatur filium cantus ---- Aliquando iracundiam indignationemque, præcipiti & turbulentò motu testabatur: aliquando moderatiorem affectum exprimens ---- suspiria videbatur trahere, destitui viribus, animo delinqui: languentes errantesque oculos circumjicere; multifaria demum conversione ac contorsione brachiorum & corporis, nunc temerè, nunc remisse, nunc perturbatè projectorum --- quandiu præstigiatrix hæc saltatio tenuit, omnium tenuit animos amore devinctos* &c.

SARABARA, apud Tertullian. *de Pallio*, *c.* 4. ubi de Alexandro M. *Vicerat Medicam gentem, & victus est Medicâ veste, triumphalem cataphractam amolitus, in captiva* sarabara *decessit; pectus squammarum signaculis disculptum, textu pellucido tegendo, nudavit*: non numero unitatis & sexu sequiore est, ut quidam crediderunt, qui Alexandrum *in sua bracca decessisse*, h. e. mortuum esse, indigitari à Tertulliano volunt. *Sarabara* enim sunt τὰ Σαράβαρα, nec unquam aliter Tertullianus usurpat. Idem enim *libr. de Trinit. Cujus etiam cura & providentia non sinit Israëlitarum nec vestes consumi, nec vilissima in pedibus calceamenta deteri, sed nec ipsorum postremò adolescentium captiva* sarabara *comburi.* Nec *decedere* hôc locô *mori* est, aut fatô fungi, sed de alto loco cedere & fastigiô suô degredi ac descendere: quod fecit scil. Alexander Magnus, dum à triumphali cataphracte, *in captiva sarabara decessit*, h. e. ἀπὸ τῆς θριαμβικῆς καταφράκτου εἰς τὰ τῶν αἰχμαλώτων σαράβαρα ἀπεχώρησε. Hôc nempe pactô multum defraudatum ac diminutum ivit pristinæ suæ gloriæ. Sunt autem *Sarabara*, quæ & *Saraballa* dicta occurrunt, capitum & crurum integumenta. Ita enim utraque vox promiscuè usurpatur: eaque è viliori & crassiore panno. Vide Salmas. *ad dict. loc.* Car. du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolex.*

SARABATTÆ, i. e. sibi viventes. Sic dicuntur S. Benedicto tertium genus Monachorum; *quoniam*, inquit, *nullâ regulâ approbati experientiâ magistrâ, sicut aurum in fornace, sed & in plumbi naturam molliti adhuc operibus, servantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur: quibus pro lege est desiderium voluptas: cùm, quidquid putaverint, vel elegerint hoc dicant sanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere.* Apologia Henrici IV. Imperatoris in rerum German. Script. apud Henr. Spelmann. *Gloss. Archæol.*

SARABIA, nomen viri, Esdr. *c.* 8. *v.* 4. Latinè *siccitas Domini*, aut *prævalens cum Domino*, aut *psallens in* vel *cum Domino*.

SARABRIS, urbs Hispaniæ Tarraconensis in Vaccæis ad Durium fluv. inter Vallisoletum & Salmanticam. *Toro Gometio* & *Floriano*. Urbs Legionensis regni, 9. leuc. à Vallisoleto in Occasum, Senticam versus 6. & 12. à Palentia, in Africum. Ibi Lusitani grandi clade à Castellanis fuêre affecti. *Brietius.*

SARABUS, Indiæ intra Gangem fluv. *Ptolem.*

SARACA, oppid. in mediterraneis Mediæ. *Idem.* Est & eidem *Sarace* civitas in Colchide. Hinc juxta nonnullos, *Saraceni* dicti, quos à *Sara*, Abrahami uxore, perperam nonnulli appellatos volunt. A Σαρακ Arabico h. e. λῃστὴς, *latro*; tanquam λῃσρικοὶ *latrociniis dediti*. Incoluêre illi olim Phœniconem, de quo loco suprà dictum; eorumque regio ad Occiduum latus Melanorum montium versùs Ægyptum prætendebatur, haud procul à Pharanitide. Posteà appellatio sese extendit ad omnes Scenitas ac Nomades Arabes Æthiopesque, uti pluribus docet Salmas. *ad Solin. passim*, inprimis *p.* 484. & *seqq.* Imò & *Saracenorum* vocabulô Ungaros quoque, atque adeò gentes paganas, promiscuè donant interdum Scriptores, ut Hepidanus, Ekkehardus Junior *de Casibus S. Galli l.* 5. *c.* 15. Alii. In Hispania, Regis olim vel Dominorum *Saracenos* fuisse, uti Judæos, proinde etiam in commercio, docet Michaël del Molino *in Repertorio* &c. Inde *Saracenesca*, cratis ferrea ad portas urbium, in *Histor.* Cortusiorum *l.* 4. *c.* 5. *Saracenicum*, de panno Saracenici operis, *Sarcenet* Gallis *in Inventario* Ecclesiæ Eborac. A. C. 1530. &c. apud Car. du Fresne *in Glossar.* De *Saracenis* vide plura infrà.

SARACA, apud Anastasium *in Benedicto III. Saraca de olovero cum chrysoclavo, camisias abbas sigillatas holosericas.* Item Sarica, genus tunicæ est, cujus mentio, in veteri *Instrumento* plenariæ securitatis, quod extat *MS.* in ligni cortice, in Biblioth. Reg. Paris. *Camisita tramosirica in cocco & prasino valente solidos tres semis, sarica prasina ornata valente solido uno.* Et paulo pòst. *Sarica mistica cum manicas curtas, valente siliquas aureas duas.* Vide Salmas. *ad Spartian. in Caracallo. c.* 9. Unde hodieque Romæ *Sariga*, vocari vilem semitunicam lineam ac rudem, quâ Bajuli, Venatores, Lanii, aliique hujusmodi superindui solent, ut vestibus suis in opere parcant, notat Carolus Macer *Hierolex.*

SARACENA, Arabiæ Petrææ regio, *Ptolem.* populi *Saraceni*, secundùm alios in Arabia Felici. Qui ad *Saram* referunt, nugas agunt, sed nec à loco *Saraca* fuisse nominatos Stephano concesserim, cujus verba sunt: Σαρακηνὴ χώρα Ἀραβίας, μετὰ τοὺς Ναβαταίους, οἱ οἰκοῦντες Σαρακηνοί. Neque enim fuit *Saraca* prope Nabatæos, sed in Sabæis, locô à Nabatæis remotissimò. Vide Ptolem. *l.* 6. *c.* 7. Verum est, hodieque in Arabia extare vicum *Sawarakiam* inter Mecham & Medinam, vel ut alii volunt, in via, quâ itur Mecchâ Hierosolymas. Sed vicus ille obscurior est, quàm ut genti nomen fecerit. Neque ab eo *Saraceni*, sed *Sawarakieni* dicerentur. Hoc potissimum, quòd *Saracenos* ipsi se nunquam appellant, sed à vicinis populis per contemptum sic vocantur. Melius itaque à latrociniis sic dici putat Bochartus ὁ μέγας; *l.* 4. *Phaleg. c.* 2. nam Arabicè סרק *saraka*, est *latrocinari*; sunt enim genus hominum planè λῃστρικόν. *Nic. Lloyd.* Vide *Saraceni*.

SARACENATVS, Vide infra *Saracenus*.

SARACENESCA, Vide SARACA.

SARACENI, populi Arabiæ, *Agareni*, & *Ismaëlitæ* quoque dicti, quòd ab Agare & Ismaële descenderint: quamvis à Chasluim, uno ex Caini posteris, originem illorum quidam arcessant. A voce Arabica, quæ vagum & latronem denotat. Seculô 5. primùm innotuerunt: quorum Dux Alamundurus, qui Varani Persæ promiserat, se illi non Romanos solùm subacturum, sed & Antiochiam Syriæ in manus traditurum, sub Theodosio Minori, panicô quôdam terrore perculsus, ultra Centum Millia amisit, circa A. C. 421. Mesopotamiam, imperante Zenone, vastârunt, A. C. 476. Princeps postea eorum, Terebon, fil. Aspecti, cùm miraculosè sanatus esset, Christiani omnes effecti sunt, Cyrill. *in vita Euthymii Abbatis.* Posteà tamen idem Mahometi cum suis adhæsit. Hujus dein Mahometis socer Abubebecher, Saracenorum legionibus Heraclio Imperatori ob convitium, infensis, sibi junctis, regiones Gazæ ac Sinæ montis aditus occupavit: Successor Omar ulterius progressus est, è cujus ducibus Muhavia, Hormisdâ Persarum Rege victô, à gente Artaxerxis ad Saracenos Persicum regnum transtulit, A. C. 632. Ab eo tempore potentiores effecti, sub eodem Africam, è qua 80000. captivorum abduxêre, A. C. 668. Asiam, Europamque invaserunt, parte Siciliæ, post direptas Syracusas, A. C. 669. in hac potiti, classe quoque 500. navium Constantinopoli obsessâ, quâ tempestatum vi laceratâ aliam adduxerunt, à Callinico superatam, A. C. 672. Post quæ à Mardaitis è Libano vexati, pacem 30. annorum tributariam fecêre. Mortuô Muhaviâ ac Marvane cùm dissidiis agitarentur, Muctar Persidem invasit, tyrannus Abdemelechus se opposuit, A. C. 685. postquam à Vamba quoque Hispaniæ Rege 270. iis naves ereptæ & crematæ essent, A. C. 675. Abdemelechus Persiæ Arabiæque tyrannis feliciter coërcitis, cum Justiniano Imperatore pacem fecit, violantem illam clade ultus est, A. C. 686. successit illi filius Valid I. A. C. 692. Posteà Vitiza, Hispaniæ Rex, Hervigii fil. cùm muros urbium in toto regno dejecit, tribus exceptis, Saracenis sic viam ad regnum invadendum munivit, A. C. 707. Namque Valid operâ Tarichi mox spoliatâ Hispaniâ, posteà occisô Rodericô Rege illam occupavit: mortuo successit Solimannus frater, A. C. 710. & 713. Sub Philippico Bardane Imperatore iidem impunè Asiam vastârunt, A. C. 711. classe ab Artemio petiti, A. C. 715. Solimannus & Omar, ad Constantinopolim maximâ sunt affecti clade: nec minori in Gallia, à Carolo Martello, quò ex Hispania ab Eudone evocati fuerant. Omaro A. C. 746. successit Jezid I. fil. Abdelmelechi, & post 4. annos Halca frater. Hunc Valid II, excepit, quô brevi mortuô præfuit Jezid II. mox Marvan, quô interemptô, imperium A. C. 749. tres partiti sunt, Abubalas Persiam, Solymus Ægyptum, Habdalas Syriam sortitus est. Abubalæ Abugepher, qui Seleuciam instauratam Bagdeth vocavit, successit. Habdalas æmulis sublatis Damasci ann. 22. præsedit, relictô filio Machdi successore, A. C. 755. quô Turcæ ex montibus Caspiis in Armeniam irruperunt. Intereà Pelagius Saracenis in Hispania victis, Asturiæ regnum condidit, A. C. 717. & Garsias Gothus, iisdem superatis, Suprarbiensis regni fundamenta jecit, A. C. 727. Adelphonsus quoque gener Pelagii, Saracenorum viribus attritis, Christianismum reduxit, *Catholici* proin axiomate ornatus, A. C. 738. Adelphonsi fil. Froiola Jozephum Saracenorum Principem, in Gallæciæ finibus, fudit, cui Abderamen substitutus Cordubæ se Regem scripsit, A. C. 759. In Oriente Saracenorum in Syria 5. Amiras occidit Leo IV. Imperator, A. C. 779. cùm Machdi adhuc Saracenis imperaret, hujus tamen fil. Aaron Irenen sub tributum redegit, classemque ejus vicit, Thraciâ per Abdelmelechum usque ad suburbia Urbis vastatâ, A. C. 798. In Hispania verò & Aragonii jugum Saracenicum excussêre, A. C. 783. & Alphonsus tributum centum virginum ulterius pendere nolens, insigni illos clade, Ulyssibonâ captâ, affecit, A. C. 793. Præfatus Aaron Nicephorum Imperatorem ad turpe tributum redegit, etiam in caput ejus ac filii ternis nummismatis imperatis, A. C. 806. sed cùm Imin fil. ejus voluptatibus se daret, facti tres Amiræ sunt Damasci, Babylone ac in Africa residentes: Iminique occiso Maimon Amiras Babylonius, vir eruditus, successit, A. C. 813. Maimoni Mucteran suffectus est, A. C. 833. quô tempore Abderamen in Hispania præfuit, qui Cretâ Siciliâque occupatis, Calabriam Apuliamque vastavit, sed à Ranimiro ingenti clade affectus. In Asia Mucterani Aaron successit, A. C. 841. cùm in Africa Abderamen rerum poteretur, qui Samum Campaniamque devastavit, & Beneventô Bariôque occupatis, Cassinense monasterium Romæque suburbia, imò opimas Petri & Pauli Apostolorum suburbanas basilicas spoliavit. A. C. 846. successore filiô Mahomete relictô, cùm Aaroni frater Mechucal successit. Michaël Imperator Græcus à Saracenis ad Samosatam victus est, A. C. 859. sed collega Basilius eosdem bis fudit. In Apulia quoque Saracenis Ludovicus II. Imperator fortiter restitit. Capuâ, Lucciâ, Beneventô recuperatis, A. C. 866. In Oriente Mammaluchi regem Ægypti & Syriæ fecêre Achmadum, filium Tolonis servi: sic Caliphatu divisô, Abasidæ in Bagded, Tolonis posteri in Ægypto regnârunt, A. C. 869. In Hispania Alphonsus M. contra Saracenos egregiè rem gessit, A. C. 874. qui à Basilio quoque Imperatore aliquoties mari superati. Syracusas nihilominus solo æquârunt, Capuam expugnârunt, Romanô itinere infestô, A. C. 884. In Africa Abdalla, Mahometem execratus, Halin sequi cœpit, ejusque nepos Elmedinalla, Ægyptô potitus, regnum Babylonio æmulum condidit, A. C. 908. In Asia Muctedar, in Hispania Almanzor præfuit, ille ad Lemnum mari, hic terrâ victus, A. C. 916. in Italia quoque à Berengario Saraceni, qui Garelianum insederant, internecione deleti sunt, A. C. 915. iisdem Constantinus Imperator totam ferè Syriam, A. C. 932. Ordonius verò Hispaniæ Rex, Gallæciam eripuit, A. C. 923. Cantabriæ interim parte amissâ. Iterum in Syria graviter afflicti sunt à Romano Imperatore A. C. 961. quemadmodum à Ranimirô in Hispania, A. C. 945. ubi tamen Alhaca multa Comiti Castellæ ademit, A. C. 961. Cruentissimô in Italia præliô victi sunt ab Ottone II. Imperatore qui proin *pallida mors Saracenorum* dictus est, A. C. 982. Sed in Hispania civilibus discordiis in rem usi, Legionense & Gallæciæ regna ferè tota occupârunt: donec Almansore victô, amissa recuperata sunt, A. C. 998. Hierosolymitanum templum Amiras Ægypti incendit, A. C. 1020. Victi sunt ad Cycladas Saraceni à Constantino IX. A. C. 1028. mox his inter se diffidentibus, dum Persidis Sultanus, adversus Calipham Turcas evocat, ab his regnô exutus, sicque initia potentiæ Turcicæ sub Tangrolipice Mucaleto jacta, A. C. 1037. A Michaële Paphlagone Imperatore iterum Saraceni prostrati sunt, A. C. 1040. ut & à Romano Diogene in Syria, A. C. 1067. Suscepta dein contra eosdem Christianorum in Palæstinam expeditio est, A. C. 1096. de cujus successu Vide *in Palæstina.* Tandem Turcis Saracenorum ditiones penitus occupantibus, nomen eorum evanuit, quamvis id aliquando omnibus Mahometicæ sectæ addictis tribui soleat. Amm. Marcellin. *l.* 4. Lætus *Comp. Histor. Univ. &c.* Addo, quòd ab Israëlitis progenitoribus suis, Veneris accepêre cultum, ut traditum Euthymio Zigabeno *in Panoplia*, quô locô *Saracenos* refellit. Græcè eam partem edidit *Sylburgius*, in qua, inter alia, legas, ut lapidem illum, quem *Saraceni* magnâ animi devotione osculabantur, eò quòd existimarent, esse lapidem, super quo Abraham cognovit Agar, vel cui alligavit camelum, sacrificaturus filium, esse caput simulachri Veneris crediderint. Verba ejus sunt. Ὁ δὲ ῥηθεὶς λίθος, κεφαλὴ τῆς Ἀφροδίτης ἐστὶν, ἣν πάλαι προσεκύνουν οἱ Ἰσμαηλῖται. φέρει δὲ μέχρι καὶ νῦν τοῖς ἀκριβῶς καταστοχαζομένοις ἐν γλυφίδι ὑποτύπωσιν κεφαλῆς. *At prædictus ille lapis est caput Veneris, quam Ismaëlitæ jam olim adorabant. Quippe lapis ille accuratius spectanti etiamnum præfert deformationem capitis.* Sed & in anathematismis, qui recitantur convertenti se à *Saracenis* ad fidem Christianam, lapis ille edicitur esse in domo *Make*, atque ἐκτύπωμα τῆς Ἀφροδίτης ἔχειν, *Veneris effigiem in se habere*: sicut & de Abrahami super hoc lapide congressu, & de cameli ad eum alligatione, ibidem prædicta referuntur. Quæ fortè de Venere, prout Lunam significat & *Uraniæ* sive *Cœlestis* nomine celebris erat, intelligenda sunt. Quippe Arabes junxerunt cultum Lunæ & Luciferi: ab Arabibus autem hunc ritum didicêre *Saraceni.* Saltem sic eorum mentem cepêre Græci, ut videre est ex initio *Saracenicorum*, in Euthymii Zigabeni *Panoplia*, ubi Auctor gentem hanc, usque ad Cæsaris Heraclii tempora idola coluisse, adorantes Luciferum ac Venerem *Chabar* illorum linguâ, i. e. *Magnam*, dictam, refert. Idem habet Georg. Cedrenus *in Chron.* ubi de Muhammede: ubi & subjicit eorum hanc precationem. Ἀλλὰ ἀλλὰ, οὐα, κουβάρ, ἀλλά: ac ἀλλά, ἀλλά, exponit ὁ Θεὸς, ὁ Θεός: οὐα, μείζων: Κουβάρ, ἡ μεγάλη, εἴτουν ἡ Σελήνη καὶ Ἀφροδίτη. *Alla, Alla*, Deus Deus; *Oua*, major; *Cubar*, magna, putà Luna & Venus. Ubi tamen Cedrenum de *Oua*, cùm sit copula, ut Hebræis ו deceptum fuisse, monet Cl. Seldenus *Syntagm. de Diis Syris c.* 4. Quare sensus est, *Deus Deus, & Magna, illa Deus.* Vide quoque B. Hieronym. *in vita Hilarionis*, ut & in Amosi hoc *c.* 5. *v.* 26. *Portastis vero Siccuth Regem vestrum, & Chijun imagines vestras, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.* Ubi per *Sidus Dei vestri*, Hebr. *Cochab*, Luciferum intelligit, quem *Saraceni*, inquit, *hucusque venerantur.* Unde factum, ut hodieque apud Muhammedanos Veneris dies, quam *Giuma*, h. e. συνάξιν, appellant, quia finis cultus est, quô congregantur, hebdomadis finis sit. Quemadmodum & exinde fortè est, quòd jurant per stellam vespertinam, & Auroram; ut ex Alphurcain sive Alcorano videre est, *Azoarâ* 63. 96. & 99. Vide Scaligerum *de Emend. Tempor. l.* 2. *c. de anno Hegiræ*, & *l.* 5. *c. de primo Muharram Hegiræ*, apud Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 31. Plura verò de iis, de *Saracenicæ* inprimis superstitionis ac potentiæ ortu, incrementis, dissipatione, instauratione item per Turcas, qui iis utrobique successêre, factâ, apud Joh. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. l.* 4. *totò*; ut & hic passim, inprimis ubi de *Chaliphis* & *Muslimis*: Sicut de reliquiis eorum circa Alpium juga, supra voce *Marones*; de ducibus, *Phylarchi.* Adde Cl. Suicerum *Thesauro Ecclesiastico* in voce Σαρακηνοί.

SARACENICA Arbor, memoratur *Dioscoridi*, ubi bdellium, quod est aroma onyche odoratius & myrrhæ naturâ proximum, δάκρυον δένδρου Σαρακηνικοῦ, *lachrymam Saracenicæ arboris*, vocat; quia in Arabiæ *Saracenis* seu Scenitis magnus fuit ejus proventus. Sed *Marcellus*, negat arborem, quæ fert bdellium, à Dioscoride *Saracenicam* potuisse dici, cùm *Dioscoridis* ævô nullum fuerit *Saracenorum* nomen, nec nisi multo pòst id sit invectum. Tamen Dioscoridi Plinius propè æqualis, horum disertè meminit *l.* 6. *c.* 28. *Nabathæis Thimaneos junxerunt Veteres: Nunc sunt Taveni, Suellini, Saraceni.* Et, qui putatur utroque antiquior, Hierosolymitanus Interpres Gen. *c.* 37. *v.* 25. pro turma Ismaëlitarum habet, *catervam Saracenorum.* Vide S. Bochart. *Hieroz. Parte poster.* p. 808. Salmas. *Anime Lusitanorum*, Σαρακηνικὸν δάκρυον dictum esse, aut ad Solin. *p.* 1150. [illegible]

tanquam manibus, uteretur. Id enim est ursorum proprium. Oppianus *Cynegetic. l. 3. de urso*,

Χεῖρες χειρὶ βροτῶν ἴκελαι, πόδες ἠδὲ πόδεσσι.
Manus hominum manibus, pedesque pedibus similes.

Pedum enim posteriorum longitudine & saltu insigne est, interim & aliquando pedibus anterioribus nititur, quod frustra negat *Photius*. Naturam habet cum mure & urso communem, habitatque in cavernis petrarum, & terræ foveis & in singulis saxis & collibus custodem habet in excubiis, cujus negligentia morte multatur &c. Dicitur autem *Saphan* Hebræis, tanquam à *tegendo*; quia latibuli sui foramina terrâ obtegit; vel tanquam à *delitescendo*, quia sub terra latet & hominum conspectui se subtrahit: Arabibus *aljarbuo*, quasi *quaternarius*, appellatur; quia domum sibi fodit ad flatus quatuor ventorum, ut hi Auctores scribunt: Chaldæis *Taphza*, à *saltu*; ἀλίειον enim esse murem, docent *Theophrastus*, *Ælian*. *Texeira*, Alii. Χοιρογρύλλιος quoque Græcis Interpretib à *porci sagina* aut *specie* &c. Cujusmodi Judæorum *sephanim*, aut χοιρογρύλλιοι Seniorem seu δεύτερος Hieronymi, quædam cum Hispaniæ cuniculis, oculos videl. caput & imam caudam, habere communia, observat Texeira: ut &, quod posteriores pedes prioribus sunt longiores, quodque subsultim gradiuntur & pariter ruminant, quamvis utrinque dentati, & subterranea sibi latibula defodiunt, in quibus de die latitant. Itaque, ut Hebræi hodie, ita Pœni videntur olim Hebræorum nomen שפן *Saphan*, cuniculis indidisse, atque inde esse, quòd Hispania ספניה Σπανία, i. e. *Cuniculosa*, dicta est; ut in Catullo *Epigr. 40. v. 11. Celtiberia*. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 3. c. 33.*

SAPHAR, urbs regia Arabum. Plin. *l. 6. c. 23.*

SAPHAT, fil. Huri Numer. *c. 13. v. 6.* Pater Elisei, 1. Regum *c. 19. v. 16.* Fil. Semejæ, 1. Paral. *c. 3. v. 22.* Latinè, *judex*, vel *judicans*.

SAPHATIA, fil. David, 2. Sam. *c. 3. v. 4.* Fil. Rahuel, 1. Paral. *c. 9. v. 8.* Vir Aruphites, 1. Paral. *c. 12. v. 5.* Latinè, *judicans Dominus*, sive *judicium Domini*.

SAPHENATH Paneah, nomen quô Pharao Ægypti Rex Josephum, postquam eum annulô, veste byssinâ & torque aureô ornavisset, insignivit, Gen. *c. 41. v. 45.* Quod Onkelus reddit, *Vir, cui secreta revelantur*; Jonathan, *Vir occultorum Interpres*; Josephus κρυπτῶν εὑρετής, *occultorum inventor*. A quibus omnibus diversus abit Latinus Vulgatus, qui vertit, *Salvator Mundi*: ac Ægyptiacè id sonuisse, ait quoque B. Hieronym. *Quæst. Hebr. Dictusque*, inquit, *Salvator mundi, eò quod Orbem terræ ab imminentis famis excidio liberavit*. Quem dissensum difficile sit hodie dirimere, post intermortuam penè veteris Ægypti linguam. Vide Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l. 1. c. 29.*

SAPHON, nomen civitatis supra Jordanem in tribu Gad. Jos. *c. 13. v. 27.*

SAPHONI, vulgò *Aphoni*, unde Zabdias, in tribu Ephraim, 1. Paral. *c. 27. v. 27.*

SAPIENTES, Græcè Σοφοὶ, quorum mentio 1. Corinth. *c. 1. v. 20. Ubi Sapiens? ubi Scriba? ubi Disquisitor seculi hujus?* Pharisæi videntur fuisse: Licèt enim titulus hic omnibus Legis Doctoribus, apud Hebræos, communis esset, nihilominus tamen jam pridem ante incarnationem Servatoris nostri, sibi insitâ ambitione eum proprium fecêre Pharisæi, ut vult Gorionides *l. 4. c. 10.* vel saltem iis ab ignorante vulgo is attributus est, ob eximiam *Sapientiæ* opinionem, quam Traditiones suas, quas Verbo Dei scripto longè præferebant, magnâ verborum pompâ hominibus inculcando, excitaverant. Unde & *Magistri Traditionum* dici amaverunt, Drusius *de trib. Sectis p. 86.* & hinc fluxit, quòd Rabbi Eleezer Auditoribus suis consuluisse legitur, *ut liberos suos à Bibliorum lectione avocarent, atque ad genua Sapientum considere juberent*. Vide Buxtorf. Fil. *Recens. operis Talmudici p. 155.* Similiter inde factum, quòd, cum aliqui Doctorum horum docerent, dicere solerent, *Οἱ Σοφοὶ ἡμῶν διδάσκουσι, Sapientes nostri traditiones docent*. Eadem ambitio Græcorum invaserat Magistros, ut de elogio Σοφῶ seu *Sapientis* multum contenderent, & si qui publicè perorando vel disputando rem egregiè videretur gessisse, hôc applausu solemni ab Auditoribus exciperetur Σοφῶς, σοφῶς. Quod non facilè parari, innuit Martial. *l. 1. Epigr. 67. v. 4.*

Non sex paratur aut decem Sophos *nummis.*

Idem *grande* Σοφῶς acclamari fuisse solitum, docet *l. 6. Epig. 48.*

Quòd tam grande Sophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

Vide quoque *l. 1. Epigr. 4.* ubi Scholiastes annotavit, ab Auditoribus acclamatum olim Oratoribus aliisque fuisse, σοφῶς; θείως, μεγάλως, *Pulcrè, bene, rectè! Eugè, bellè! Facetè, lautè, lepidè, nihil suprà*: & ex Theophr. *Char.* περὶ κολακείας, ὀρθῶς, σοφῶς. *Tergeminum Sophos*, apud eundem Poëtam. *l. 3. Epigr. 46. v. 8. Maximum Sophos*, apud Sidonium Apollinarem *l. 1.* reperitur. Cumque nonnulli ex Romanis Poëtis mercede conducere solerent Auditores, ut carmina sua laudarent, & adeo desideratam illam epiphonesin inclamarent, *Insanum Sophos* vocat idem Martialis *l. 1. Epigr. 50. v. 37.*

Mercetur alius grande, *&* insanum Sophos,
Miserere tu felicium.

Idem *perinane Sophos*, *l. 1. Epigr. 77. v. 10.*

Nil habet, & magnum, sed perinane Sophos.

Quam gloriæ captationem jam suô tempore aversatus Pythagoras, tituli hujus tumore depositô, φιλόσοφος, i. e. *Sapientiæ amator*, appellari voluit: cujus modestiam imitati posteà Hebræi Doctores, ut arrogantiæ suspicionem amolirentur, non ampliùs Σοφοὶ, *Sapientes* seu חכמים *Chacamim*, sed תלמידי חכמים i. e. *Discipuli Sapientum*, dici amavêre. Vide Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. l. 1. c. 6.* Porrò *Sapientiæ* elogium, à Populo Romano P. Sempronio in specie collatum, neque quenquam ante eum aut post eum hôc nomine cognominatum fuisse, refert Pomponius JC. *l. 2. de orig. Juris §. 37.* Idem tamen de L. Acilio *§. seq.* & Cicero habet *in Lælio c. 2. Scimus L. Acilium apud Patres nostros appellatum esse* Sapientem, *quia prudens esse in jure civili putabatur.* Unde colligitur, apud Romanos *Sapientis* titulum propriè Jurisperitis datum fuisse: quod A. Gellius confirmat *l. 4. c. 1.* cùm ait: *Ne illi quidem veteres Juris Magistri, qui* Sapientes *appellati sunt.* Sed & Cato, quòd Romanâ Philosophiâ solidè ac plenè, si quisquam alius, instructus esset, *Sapientis* cognomen tulisse legitur, apud Quintilian. *l. 12. c. 6.* Sequiori seculô vox *Sapientiæ* ad ipsius Artis & Sapientiæ Gymnasia traducta est, ac Sectas, Romæ, Senis, Perusiæ. Quô exemplô & Heidelbergense Athenæum institutum est. Fridericus enim III. Elector Monasterium Paulinum in Collegium Studiosorum vertit, illudque, cùm à Paulo II. Pontifice ad Collegii Romani exemplum, *Collegium Sapientiæ* appellatum esset, eodem porrò nomine appellari voluit, *d. 3. Non. Sept. A. C.* 1560. Vide Georg. Hornium *Histor. Philos. l. 7. c. 1.* Sed & *Sapientes*, in Longobardiæ civitatibus, alibique in Italia, antiquitùs dicti sunt, Civitatum primarii cives, quorum consiliô publicæ res gerebantur. De quibus sic Hieron. Rubeus *Histor. Ravennat. l. 6. A. C.* 1297. *Hôc etiam tempore Polentani, quanquam vires quotidie majores Ravennæ accipientes, primi ex sententia Rempublicam administrare: ab Senatu tamen Ravennati Magistratus accipere, quibus Consules & Rectores Civitatibus vocabantur. Verùm Lambertus ac Ostasius fratres, ea mutantes vocabula, quæ in vetustis eorum temporum codicibus nos legimus, pro Rectoribus & Antianis Consulibusque, novem scilicet & quandoque sex hominibus, qui Magistratum civitatis obirent, ipsi* Sapientes *appellarunt, quod nomen adhuc superest.* Vide quoque Ott. & Acerbum Morenam *Histor. Rerum Laudensium*, Albertin. Mussatum *de Gestis Italicor. post Henricum VII. l. 4. Rubr. 1.* aliosque laudatos Car. du Fresne in *Glossar.*

SAPIENTIA, vulgò SAPIENTIA SALOMONIS, liber Apocryphus, sic vocatus est, non quòd Salomonis esset, quamvis Auctor Scripti eum se fuisse fingat, *c. 9. v. 7. Tu me elegisti Regem populi & Judicem filiorum tuorum ac filiarum*, *v. 8. Jussisti ædificare Templum in monte sancto tuo* &c. Ille enim ipse parùm sui memor, schema suum non tuetur, sed ea prosequitur, quæ arguunt, illum Salomone aliquot seculis fuisse recentiorem. Nam præterquam, quòd se Græcum potiùs esse, quàm Hebræum docet, eorum meminit, quæ longè post Salomonis tempora demum inter Græcos in usu esse cœpêre: ἄθλου videl. ἀγῶνος & στεφανοφορίας, quorum ludorum pompa demum instituta est, circa annum periodi Julianæ 3938. temporibus Uziæ Regis. Verùm sic dicitur, quòd res ibi traditæ sapientissimô Rege indignæ non sint; sive quòd ex iis principiis & placitis liber extructus sit, quæ Salomon olim in Israële profitebatur. Auctor ejus Philo fuisse dicitur: sed cum tres fuerint Philones, duo ante, alter post natum Christum, quis eorum is fuerit, quæritur. Byblius certè esse non potuit, quippe qui Ethnicus Alexandrinus fuit: nec ille qui Claudii vixit ætate & *Moses Atticissans* dictus est: sed potiùs longè vetustior, qui sub Onia Sacerdote, annis ante Christum 160. pulchras illas sententias vel scripsit vel congessit, uti videtur Drusio, Gerh. Joh. Vossio *de Idolol. l. 1. c. 11.* & Fr. Junio, qui in *opere suo Biblico*, ante Ecclesiasticum, qui aliàs dicitur *Sapientia Jesu Filii Sirachi*, hunc Philonis fœtum collocat: certum autem, Ecclesiasticum ante tempora Christi conscriptum fuisse, Hornius *Hist. Philos. l. 4. c. 2.* Continet Liber iste *c. 19.* in quibus præclara plurima Sapientiæ monita complexus, subinde tamen impingere videtur, uti prolixè ostendit Spanhemius mox laudandus. Accedit affectatum dicendi genus & Græcam eloquentiam redolens, ut notavit B. Hieronym. *præfat. in libr.* Interim melior est hic liber & castigatior aliis scriptis Apocryphis, habetque ἔνια varia probi commatis. Vide Frider. Spanhemium *Disp. de auctoritate librorum Apocryphorum.* Extat in eum S. Bonaventuræ *Expositio*: Joh. Lorini *Commentarius*: ut & Corn. Jansenii & Dionysii Carthusiani & Corn. à Lapide & Rob. Holkoti & Laur. de Aponte, & Rabani Mauri, &, Christ. à Castro &c.

SAPIENTIÆ Collegium, vide in hac voce.

SAPIENTIÆ Morbus, apud Plinium *l. 7. c. 50.* Vide suprà *Phrenitis*.

SAPINUS, Vide infrà *Sappinus*.

SAPIRES, populi juxta Pontum. Orpheus *in Argon.* Σάπειρες, apud *Steph. Sabiri Agathiæ*.

SAPIS, fluv. Italiæ. Oritur in Romandiola Florentina, 12. milliar. supra Sarsinam; dein per Romandiolam propriam fluens, in mare Adriaticum cadit, quinque milliar. à Cervia in Occidentem. *Il Savio.* Vide *Isapis*.

SAPONARIA, meliùs SAPONARIÆ, villa olim Regia, à *sapone*, qui ibi conficiebatur, nominata: uti Argillaria vel æ, oppid. non procul à Domnamanto, *Dormans*, ab solo *argilloso*, & à *sabulo* Sablonariæ, oppid. itidem Galliæ, dictæ sunt, Hadr. Vales. *Notit. Gall.* voce *Sablolium*, vide & *Saponaria*. Ut de *sapone* aliquid addam, *Sapo & Unctura*, Monachis dati ad ungendos calceos, memorantur *in Additione* I. Ludovici Pii: unde non semel *saponem*, in reditum iis assignatum, habent veteres *Chartæ*. De *sapone*, quô Constantinus Senior usus est, hinc cognomen adepto, vide Ptol.

Silvium

Silvium in *Laterculo*, uti de Massiliensium *Saponariis Officinis*, Jac. Sponium. *Itinerar. P.* 1. *p.* 25. nec non suprà aliquid voce *Haiimum*, it. *Videli*.

SAPONARIA, locus prope Tullum, seu suburbium ejus in Lotharingia, ubi Concil. A. C. 859. Vulgò *Savonieres*. Item Lucaniæ castellum, ubi olim Grumentium.

SAPOR seu SAPORES I. Persarum Rex II. post Artaxerxem, A. C. 242. cruoris avidus, notissimus cladibus ab Imperatorib. Romanis acceptis & illatis. Vastavit Mesopotamiam, Syriam, Ciliciam, aliasque Imperii provincias, totum Orientem subacturus, nisi Odenatus Dux primo, dein Rex Palmyrenorum, ejus conatibus obicem posuisset. Gordianus Imperator eum in regnum suum redire compulit, quo à Philippo occiso; hic cum Sapore pacem iniit, qui Antiochiâ potitus est, A. C. 252. maximè tamen insignis fuit victoria de Valeriano Imperatore parta; quem proditione Macrini vel Macriani bellô captum miserè habuit, ut quoties currum conscenderet, ejus humeris pedibus inniteretur, tandem vivum excoriari, sale vulneribus inspersô, jussit: Hunc nihilominus Odenatus & Zenobia, Nisibe, Carris, aliisque urbibus occupatis, sæpe vicerunt, præcipuis ejus ducibus captivis, ad Gallienum missis. Obiit A. C. 273. regni 31. Pollio *de* 30. *tyrannis*, *Agathias*, *Eusebius*, &c. Claudian. *l.* 2. *in Eutropium* v. 491.

------ Socium nobis fidumque Saporem
Perculit, & Persas in regia vulnera movit.

Ita locum istum restituit doctissimus Nicolaus Heinsius. Nomen erat plerisque regibus Persarum commune, uti *Cæsares* Romanis. Sidon. Apollinar. *Panegyrico Aviti*:

------ Parthicus ultro
Restituit mea signa Sapor.

Eum excepit Ormisdates vel Hormisdates I. quem vide.

SAPOR, vel SAPORES II. jam in sinu matris, Rex agnitus est; imò jam in utero matris, coronâ ventri gravidæ reginæ impositâ, coronatus teste Agathiâ *l.* 4. patri Hormisdati II. successit: quem cùm audiret Constantinus Magnus, Nisiben aggressurum esse, ei obviam cum copiis profectus, in itinere, obiit A. C. 337. Fil. dein ejus Constantius, A. C. 338. 345. & 349. copias contra eum imisit, prope urbem Sangarum, ingenti prælio noctu commissô, Hieron. *in Chron. Amm. Marcellin.* &c. qui posterior Amidæ tum fuit, cùm à Sapore capta esset, post victos sub Sabiniano Romanos. Hinc horrendæ persecutionis erga Christianos initium, quos Judæorum & Idololatrarum furori Barbarus, illos hostes status sui esse ab iis persuasus, exposuit: Infelix perpetuò contra illum Constantius fuit, nec non Julianus, & Jovinianus quoque, pace factâ, Nisibe urbe, aliisque locis illi cedere coactus est. Qui bellum redintegravit, A. C. 370. in Armeniam irrumpens, sed non eôdem successu. Obiit A. C. 380. regni 20. Vide Sozomen. *l.* 2. *Socr. Agathiam*, *Ammianum*, *Eusebium*, &c. Illum excepit Artaxerxes II.

SAPOR III. successit A. C. 384. patri Artaxerxi II. post Saporem II. prædecessoribus neque sævitiâ, neque successu par, per Legatos à Theodosio M. pacem petere coactus est. Obiit A. C. 389. regni 5. Successore Vararane seu Vardane IV. filiô, de quo suô locô Agathias ubi suprà.

SAPOR, an à SAPUS, quod ab ὀπός? dixerunt autem Veteres ὀπὸν: seu *sapum* aut *sapam*, humorem illum arborum, qui vere ac autumnô abundat: an potiùs ab ὀπός? Sanè *Sapor*, h. e. ἡ γεῦσις, ex succo & humore. Unde *Saporem* pro *succo* aliquando posuère. Tibullus, *l.* 4. *El.* 4. v. 9.

------ Tecumque feras quicumque sapores,
Quicumque & cantus corpora fessa levant, &c.

Horum octo genera, Aristotelem & Theophrastum sequutus Avicenna *Tom. I. p.* 117. sic enumerat: 1. τὴν γλυκύτητα, *dulcedinem*. 2. τὴν πικρότητα, *amaritudinem*. 3. τὴν δριμύτητα, *acrimoniam*. 4. τὴν ὀξύτητα, *acisalsedinem*. 5. τὴν στρυφνότητα, *acerbitatem*. 6. τὸ ἁλμυρὸν, *salsum*. 7. τὸ αὐστηρὸν, *austerum*. 8. τὴν λιπαρότητα, *pinguedinem*. Quorum singulis suas figuras Democritum astruxisse, & *falso* e. g. angulosam, aliis aliam, tribuisse, adnotat Salmas. *ad Solin. p.* 1284.

SAPPA, Vide suprà *Sapa*.

SAPPHIR, vel SAPPIR, Græcè Σαπφείρ, vel Σαππείρ, ut Ὠφείρ, *Ophir*, nomen Insulæ Arabici sinus, in qua eruebantur *sapphri*, quibus & nomen dedit. Vulgò *Sapphirine* dicitur, Σαπφειρίνη *Stephano*. Vide *ibi*.

SAPPHIRA, uxor Ananiæ, Actor. *c.* 5. v. 1.

SAPPHIRINÆ Pelles, apud Jornandem *de Reb. Goticis c.* 3. ubi de Scanzia Insul. *Hi quoque sunt, qui in usus Romanorum* Sapphirinas pelles, *commerciò interveniente, per alias innumeras gentes transmittunt, famosi pellium decorâ nigredine*; unde *Pallia Saphirina*, apud Monachum Sangall. *l.* 2. *c.* 14. *Palliaque Fresonica, alba, cana, vermiculata*, Saphirina, *quæ in illis partibus rara & multum cara comperit*: nonnullis sunt, quas *Grisias* vel *Varias* alii vocant, quòd ad cœruleum colorem accederent, (*sapphirinus* namque cœruleus intelligitur, *cæruleum cum purpura* esse dicit Isidor. *l.* 16. *c.* 9.) Unde etiamnum in armorum insignibus eô colore pingi solet. Sed videtur obstare, quòd istiusmodi pellibus *decoram nigredinem* videtur ascribere Jornandes, ut potiùs *Marturinæ* videantur hîc innui; nisi hâc appellatione decora ista nigredo subfuscum in *Griseis* seu *Variis* colorem spectet. Car. du Fresne *in Glossario*. Vide quoque eum *Dissertat.* 1. *ad Joinvillam p.* 135.

SAPPHIRINE, insul. in Arabico sinu; è qua *sapphirus* gemma, *Steph.* licet corruptè legatur *Samphirine*. *Nic. Lloydius*.

SAPPHIRUS, Græcè Σάπφειρος, ab Insul. *Sapphir*, Σαπφείρ, suprà memoratâ, quæ *Sapphir* Hebræis; gemma quibusdam videtur fuisse secunda, in primo ordine Rationalis, de quo suprà diximus. Sed incerta illa omnia lapidum nomina sunt, nec satis nota Magistris ipsis. Hodiernis Gemmariis indiscretô nomine *Cyanos*, & *Turcica*; quòd cyanos è translucidis sit & sapphiro simillima. Nec multum abludit Turcica, vulgò *Turcesia* dicta, sed hæc potiùs jaspidis species, quam Græci ἀερίζουσαν appellabant, quòd cœlo matutino similis sit; unde *Feruzegi* Arabicum corruptum est, quô nomine *Sapphirum* indigitari quidam perperam volunt. Aureis punctis sparsa, Græcè χρυσόστιγος, diu in pretio fuit; unde Βασιλικοῦ ei nomen datum. *Epiphanius*. Ἐστι γὰρ ὁ Βασιλικὸς χρυσόστιγος. Addit, καὶ πάνυ δὲ ἔστι θαυμαζόμενος, ἀλλ' ὁ δι' ὅλου πορφυρίζων. *Non omnino autem ea admirabilis, majoris enim æstimanda, quæ tota purpurascit.* H. e. quæ punctis illis aureis caret & planè pellucida est: cujusmodi *sapphiros* in India & Æthiopia reperiri, idem subjicit. Plinius verò *l.* 37. *c.* 9. non aliam novit *Sapphirum*, præter eam, quæ stillis aureis compuncta est, ut inde liquet, quod pronuntiârit, nusquam inveniri pellucidas, seu διαφανεῖς. Istiusmodi enim puncta maculæ sunt, veteri Auctori *de sapphiro*, στιλπνὰς, quæ διαφανῶν arcent. Atque hujusmodi optimas in Media gigni dicit: Hodie verò illæ rariores sunt &c. Cum cyano, ut dictum, magna sapphiro convenientia est. Unde hodierni Gemmarum politores, cùm nomen non habeant, quibus cyanum à sapphiro distinguant, cyanum fœminam *albæ sapphiri* nomine appellant; masculum verò, *Sapphirum nigram* vocant: qua de re vide pluribus agentem Salmas. *ad Solin. passim, inprimis p.* 131. & 132. Inter monumenta inferioris ævi insignis est *Sapphirus* Constantii Aug. Constantinô geniti, in qua Xiphiana ejus venatio exhibetur. Hæc gemma, ut in se vulgaris non erat (ipsa enim vel pura, absque cælaturæ æstimio, tam rarâ magnitudine, quàm coloris verè cœruleâ serenitate, non parem, non secundam, admittit) ita nominatim honori Cæsaris delecta, ipsique à provinciâ, aut Procerum aliquo, oblata videtur. In illa bellua conspicitur, vastô corpore, setis, rostrô, dente metuenda, & digna planè, quæ non plebejâ manu caderet. Telorum dein non unum genus, jacula, hastæ, hastilia, conti, enses, cultri, venabula, ipse Constantius neque militibus & multâ comitum manu cinctus; nec equo sublimis hîc videtur, sed manus potiùs lacertorumque fiduciâ feram cominus aggressus repræsentatur: & quidem eô statu nixuque corporis, quem peritissimus Magister præscribit; lævâ telum dirigente, dextrâ urgente, & pede utroque suum brachium juvante. Denique, non temerarium fortuitumque infert ictum, sed vulneri locum catè deligit, delectum validè penetrat. Utique non sine præsenti ope Dianæ: quæ cælatoris ingenio ponè astat, telum & ipsa gerens, nescio quid satagens. Si modò paganum Numen religioso Principi apponere conveniebat; & non potiùs aliquem comitum sociorumque (quod *Laur. Pignorio* placuit) interpretamur, præ terrore refugientem, nec congressum hôrribilis monstri sustinentem. Provincia ipsa, quæ publicum hunc hostem diu sensit gravem (& hoc ipsum fortan donariolum artifice manu scalptum Liberatori suo obtulit) spectatrix accubat, dextrâ feram demonstrans, sinistrâ cornu Amalthiæ tenens: quô symbolô fertilitatem regionis frugumque abundantiam Geographis notam demonstrari palàm est. Eam vero jacentem cælator fecit, sive quòd non aliter gemmæ spatiique ratio ferret, sive studiosè: ut in nummis subinde provincias afflictas, & bellis aliisque calamitatibus oppressas ac prostratas, salutari demum Principum manu erectas surgere observamus. Qua de re plura, vide in *Epist.* Marquardi Freheri, ad Marcum Velserum IIVirum Præf. Aug. Vindelicor. quâ gemmam hanc nobilem eruditè exponit atque illustrat: ut & suprà, ubi de *Aprorum Venatione*. Sed & celebris fuit *Sapphirus* Julii II. Pontificis Romani propter quam sepulcrum ejus violatum est. Cæterùm *Sapphirô* Græcos, qui dæmonas evocarent, & in aliorum actiones ac facinora inquirerent, usos esse, Synesii interpres *Gregoras* auctor est.

SAPPHO, Lesbia, insignis poëtria, carminis inventrix, quod ab ea *Sapphicum* appellatum. *Aliquis*, inquit Voss. *de Poet. Græc. c.* 3. *p.* 16. *existimare posset, Sappho vixisse tempore Archilochi & Hipponactis, quia hos Sapphûs amatores Diphilus in Comœdia induxerit. Sed non hoc majoris putandum, quàm quòd Hermesianax eam scribit amatam ab Anacreonte: cùm Sappho vixerit* Olympiad. 42. *Anacreon autem* 61. *Quare, ut Athenæus observat l.* 13. *sunt hi poëtarum lusus. Olympiade eâdem claruit Sappho Lesbia, poëtria Lyrica, ut ait Suidas, qui addit, eâdem ætate fuisse Alcæum, Stesichorum, & Pittacum. At facile cum eo conciliare est, quod Eusebius ad* 144. *Olympiad. Ann.* 2. *refert. Scripsit epigrammata, elegias, jambos & monodias*; è quibus nihil nobis superest, præter Hymnum ad Venerem, & Odam 16. versuum ad puellam, quæ ipsi in delitiis erat: quæ duo à *Dionysio Halicarnassæo* & *Rhetore Longino* ab interitu vindicata sunt. Elegiam Ovidii, sub nomine Sapphus præ reliquis ideo insignem, quia ex Sapphus carminibus, quidquid exquisitioris in illis elegantiæ erat, huc transtulerit, judicant eruditi. Distingue verò duas *Sapphones*, unam Eretriam, alteram à Phaone adamatam, ut est apud Athenæum, ubi supra. *Plut. Eusebius*, *Lilius Giraldus*. Horat. *l.* 2. *Carm.* Od. 13. v. 24.

Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus.

Idem *l.* 1. *Ep.* 19. v. 29.

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho.

Hinc adjectivum *Sapphicus*; ut *Musa Sapphica* apud Catullum: *epigr.* 36. v. 17. *Nic. Lloydius*. Addo, quòd illius imaginem in num-

nummis suis exprimere soliti sunt Mitylenæi, uti legimus apud *Jul. Pollucem* & *Aristotelem*. Quod confirmat numisma antiquum apud Ursinum, in cujus una parte facies hujus Poëtriæ, in altera polypus, cum literis MYTIA. Ut & aliud apud Jac. Sponium, in cujus antica parte Nausicaa Herois, in altera Sappho sedens cum lyra, vide eum *Itiner. Græc. Part.* 3. *p.* 166. & 169. & suprà in voce *Nausicaa*.

SAPPHO, Samariæ vicus, *Joseph*.

SAPPINUS, item SAPPIUM, pineæ sativæ species, quæ cæsa nunquam repullulat, hinc à *Sapino*, quæ pinus species est & *cæsarum è genere fit*, ut ait Plinius *l.* 16. *c.* 12. & 39. diversa. A cujus materiei similitudine, imam abietis partem, quæ fluviata est & quadripartitos venarum cursus habet, *sappineam* appellatam esse, docet Vitruvius *l.* 2. *c.* 9. *Ima autem, quum excisa quadrifluviis disparatur, ejecto torulo ex eadem arbore, ad intestina opera comparatur*, & Sappinea *vocatur*. Quemadmodum superior pars *fusterna* dicebatur, quæ nodosa est, ut solent fustes & baculi crebris nodis ut plurimum asperi. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1034. & suprà in voce *Abies*.

SAPRA-PALUS, Vide *Byce*.

SAPRIS, oppid. Lucaniæ, nunc *Libonati*, cum fluv. cognomine *Sapri*, inter Buxentum ad Occasum, & Laum ad Ortum ac inter Policastrum urb. 6. & Maratheam oppid. in Ortum 12. mill. pass. Hinc Sinus Sapricus, *Golfo di Policastro*.

SAPSAS, locus circa Jordanem, ubi S. Johannis Baptistæ habitatio, juxta *Sophronium*.

SAPTINE, filia Darii ultimi Persarum Regis Alexandro in matrimonium oblata, ad pacem impetrandam, Curt. *l.* 4. *c.* 5.

SAPURI, montes Scythiæ inter Imaum. *Ptolem.*

SAPYSELATUM, mons Corinthiacus, *Arachnæon* Pausan. *l.* 2.

SAR, in nummis Magnentii & Helenæ, *signata Arelate* notat, interprete Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus*.

SARA, fil. Ephraim, 1 Paral. *c.* 7. *v.* 24. Latinè, *caro, consanguinitas, fermentum*, sive *residuum*, vel *remanens*.

SARA, filia Arani, uxor Abraham, mater Isaaci: cujus historiam vide Gen. *c.* 11. *v.* 16. & *seqq.* Obiit An. M. 2175. Hebrone sepulta. Latinè, *Domina* vel *princeps*.

SARA, urbs Aureæ Chersonesi. *Selungas Castaldo*. Urbs item Cappadociæ, *Antonin*.

SARA, sive SARAA, & SARASA, Civitas Judææ, in planitie, patria Samsonis, ubi teste *Josepho*, sepultus est. In tribu Dan, Jos. *c.* 19. *v.* 41. Latinè, *lepra*, vel *scabies*.

SARA, fluv. Belgicæ secundæ, vulgò *Sere*: alluit castrum pagi Laudunensis Crisciacum *Creci sur Sere*, Aciacum *Achy*, Medianum Pontem *Moien Pont*, Noviomagum *Nouvion*, Alliacum *Alli*, & Saram cognominem locum *Sara*, atque ad Faram Picardiam *la Fere*, in Isaram effluit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Quibusdam etiam Saravus fluv. *Sera* dicitur, vide *Saravus*.

SARA, fluv. Helvetiæ exiguus, qui oppid. Sanegaunum *Sargans* alluens, dividit Sarunetum seu Sanagensem regionem in duas partes. Vide Simlerum *de Rep. Helvet.* & infra in voce *Sarunetes*.

SARABACUS, Sinus Indiæ extra Gangem, *Ptolem. Golfo Savoles* eum vocat Castaldus. Meliùs *Sabaracus*: pars Sinus Gangetici, nunc *Golfo de Martaban*. Vide *Sabaracus*.

SARABADENA Oraria, apud Treb. Pollion. *in Claudio c.* 17. *Cucutia villosa duo, oraria* Sarabadena *quatuor*: unde potuerint nomen invenire, non liquet. Fortè *Sarabrena* legendum, ut Hispaniensia fuisse intelligamus, ex ea urbe Tarraconensis provinciæ, quæ *Sarabris* dicitur *Ptolemæo*. Sic apud Catullum, *sudaria Setaba*, occurrunt ex eadem Hispania. Casaubon. *ad loc.* Quid autem *Oraria* fuerint, diximus *suprà*. Vide quoque infra in voce *Sarapta*.

SARABAITÆ, Monachorum genus, qui nullam Regulam sequentes, suô lubitu vivebant & bini aut terni passim per villas urbesque vagabantur, accuratè descripti à Benedicto *Regul. c.* 1. Cassianus *Collat.* 18. *c.* 7. *Sextum genus Monachorum, quod per Ananiam & Sapphiram pullulavit, i. e.* Sarabaitæ, *qui que ab eo, quòd à cœnobiali disciplina semetipsos sequestrant, suasque liberi appetunt voluptates, abusive dicti sunt linguâ* Ægyptiacâ. Hieronymo *ad Eustochium de Custod. Virgin.* appellantur *Remoboth*, à quo acriter exagitantur. Aliter *Renuitæ*, apud eundem Cassianum *Collat. l.* 3. *c.* 24. *Non Monachos, ut falsò nominamur, sed* Sarabaitas, *i. e. Renuitas, qui jugum regularis disciplinæ renuimus*. S. Nilo dicuntur κυκλευταὶ μοναχοὶ ἕνεκα χρημάτων, *Monachi circumforanei lucri causâ*, de quibus peculiarem tractatum scrisit. Voci origo, ab Hebr. סרבים, *sarabim*: i. e. rebelles; quod vocabulum, aliunde Hebræis ignotum, Chaldæis Ægyptiisque familiare fuit, apud quos sic Monachi dicti sunt, qui omnis disciplinæ jugô excussô, suô solum arbitratu, vivebant. Extat id semel tantum in Scriptura, Ezechielis videl. *c.* 2. *v.* 6. *Fili hominis, ab iis* (gente rebelli) *ne timeto, & ab illorum verbis ne metuito, quia rebelles sunt & spinæ tecum, & cum scorpionibus habitas*. Ubi *rebelles*, in Hebræo sunt *sarabim*, à Chald. סרב, *rebellare* seu *renuere*; unde סרבן *sarban*, i. e. *rebellis* & סרבנות, *sarbanuth*, i. e. *rebellio*. Indigitat nempe Propheta voce hâc eos, qui renuentes jugo Dei se submittere & propriis affectibus indulgentes, extra præscriptum legis iter, in transversum abripi se sinebant. LXX. Interpretes, διότι παροιστρήσουσι, hic habent, quia *tanquam œstrô agitati* insanient & ferentur in præceps: quod vim vocum כי סרבים satis exprimit. De hujusmodi porrò Monachis ita Auctor *Sermonum ad Fratres in Eremo*, sub Augustini nomine, Serm. 29. *Solâ voce paupertatem & abstinentiam prædicant, sed digitô suô non cogitant ea movere. Corpora despectis vestibus tegunt, foris ostendunt, sed intus purpurâ ad carnem induuntur. In cinere prædicant se jacere, sed excelsa palatia non despiciunt. Angelicam faciem foris ostendunt, sed lupina corda eos habere non dubitamus. Tales fuerunt illi* Sarabaitæ, *de quibus tertiò nobis scripsit pater Hieronymus, quorum genus est omni affectu vitandum* &c. Apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte postor. l.* 4. *c.* 14.

SARABANDA, genus saltationis ad commovendos animos mirè potens, cujus auctores Mauri feruntur Granatenses: à fidei Quæsitoribus in Hispania ob hoc ipsum, quòd vim præcipuam mollioribus excitandis affectionibus & animis periculosè perturbandis habere credatur, vetitum. Describitur elegantissimô stylô à Franc. Pomey Jesuita *Descript. Divers.* ubi sic de perito Choreuta orditur: *Saltationem auspicatus est cum admiratione spectantium, graviter primùm ac sensim, æquabili lentòque motu, tam scitè ---- scil. invehens, ut quocunque se ageret, regiam circumferret Majestatem, nec venerationis minus conciliaret, quàm oblectationis affunderet. Post paulò autem aliquanto magis se incitans brachiaque nonnihil attollens, atque nonnihil explicans, saltus edebat mirabiles ac stupendos. Nunc fluente gradu se ipse sine sensu inferebat* &c. Et pòst multa. *Verùm haudquaquam illa magni facienda, præ illis, quæ sunt consecuta, cùm intimos videl. animi motus cœpit homo admirandus variò exhibere corporis motu, & vultu, oculis, incessu, habituque totô, præferre. Nunc languidulos adjiciebat huc illuc oculos, cupiditatis plenos & amoris indices, quandiu clangere videbatur fidium cantus ---- Aliquando iracundiam indignationemque, præcipiti & turbulentô motu testabatur: aliquando moderatiorem affectum exprimens ---- suspiria videbatur trahere, destitui viribus, animo delinqui: languentes errantesque oculos circumjicere; multifariâ demum conversione ac contorsione brachiorum & corporis, nunc temere, nunc remisse, nunc perturbatè projectorum --- quandiu præstigiatrix hæc saltatio tenuit, omnium tenuit animos amore devinctos* &c.

SARABARA, apud Tertullian. *de Pallio, c.* 4. ubi de Alexandro M. *Vicerat Medicam gentem, & victus est Medicâ veste, triumphalem cataphractam amolitus, in captiva* sarabara *decessit; pectus squammarum signaculis disculptum, textu pellucido tegendo, nudavit*: non numero unitatis & sexu sequiore est, ut quidam crediderunt, qui Alexandrum *in sua bracca decessisse*, h. e. mortuum esse, indigitari à Tertulliano volunt. *Sarabara* enim sunt τὰ Σαράβαρα, nec unquam aliter Tertullianus usurpat. Idem enim *libr. de Trinit. Cujus etiam cura & providentia non sinit Israelitarum nec vestes consumi, nec vilissima in pedibus calceamenta deteri, sed nec ipsorum postremò adolescentium captiva* sarabara *comburi*. Nec *decedere* hôc locô *mori* est, aut fatô fungi, sed de alto loco cedere & fastigiô suô degredi ac descendere: quod fecit scil. Alexander Magnus, dum à triumphali cataphracte, *in captiva sarabara decessit*, h. e. ἀπὸ τῆς θριαμβικῆς καταφράκτου εἰς τὰ τῶν αἰχμαλώτων σαράβαρα ἀπεχώρησε. Hôc nempe pactô multum defraudatum ac diminutum ivit pristinæ suæ gloriæ. Sunt autem *Sarabara*, quæ & *Saraballa* dicta occurrunt, capitum & crurum integumenta. Ita enim utraque vox promiscuè usurpatur: eaque è viliori & crassiore panno. Vide Salmas. *ad dict. loc.* Car. du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolex*.

SARABATTÆ, i. e. sibi viventes. Sic dicuntur S. Benedicto tertium genus Monachorum; *quoniam*, inquit, *nullâ regulâ approbati experientiâ magistrâ, sicut aurum in fornace, sed & in plumbi naturam molliti adhuc operibus, servantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur: quibus pro lege est desiderium voluptas: cùm, quidquid putaverint, vel elegerint hoc dicant sanctum: & quod noluerint, hoc putent non licere*. Apologia Henrici IV. Imperatoris in rerum German. Script. apud Henr. Spelmann. *Gloss. Archæol.*

SARABIA, nomen viri, Esdr. *c.* 8. *v.* 4. Latinè *siccitas Domini*, aut *prævalens cum Domino*, aut *psallens in* vel *cum Domino*.

SARABRIS, urbs Hispaniæ Tarraconensis in Vaccæis ad Durium fluv. inter Vallisoletum & Salmanticam. *Toro Gometio* & *Floriano*. Urbs Legionensis regni, 9. leuc. à Vallisoleto in Occasum, Senticam versus 6. & 12. à Palentia, in Africum. Ibi Lusitani grandi clade à Castellanis fuêre affecti. *Brietius*.

SARABUS, Indiæ intra Gangem fluv. *Ptolem.*

SARACA, oppid. in mediterraneis Mediæ. *Idem*. Est & eidem *Sarace* civitas in Colchide. Hinc juxta nonnullos, *Saraceni* dicti, quos à *Sara*, Abrahami uxore, perperam nonnulli appellatos volunt. A Σαρακ Arabico h. e. λῃστὴς, *latro*; tanquam λῃστρικοὶ *latrociniis dediti*. Incoluêre illi olim Phœniconem, de quo loco suprà dictum; eorumque regio ad Occiduum latus Melanorum montium versùs Ægyptum prætendebatur, haud procul à Pharanitide. Posteà appellatio sese extendit ad omnes Scenitas ac Nomades Arabes Æthiopesque, uti pluribus docet Salmas. *ad Solin. passim*, inprimis *p.* 484. & *seqq.* Imò & *Saracenorum* vocabulô Ungaros quoque, atque adeò gentes paganas, promiscuè donant interdum Scriptores, ut Hepidanus, Ekkehardus Junior *de Casibus S. Galli l.* 5. *c.* 15. Alii. In Hispania, Regis olim vel Dominorum *Saracenos* fuisse, uti Judæos, proinde etiam in commercio, docet Michaël del Molino *in Repertorio* &c. Inde *Saracenesca*, cratis ferrea ad portas urbium, in *Histor.* Cortusiorum *l.* 4. *c.* 5. *Saracenicum*, de panno Saracenici operis, *Sarcenet* Gallis *in Inventario* Ecclesiæ Eborac. A. C. 1530. &c. apud Car. du Fresne *in Glossar.* De *Saracenis* vide plura infrà.

SARACA, apud Anastasium *in Benedicto III. Saraca de olovero cum chrysoclavo, camisias abbas sigillatas holosericas*. Item *Sarica*, genus tunicæ est, cujus mentio, in veteri *Instrumento* plenariæ securitatis, quod extat *MS.* in ligni cortice, in Biblioth. Reg. Paris. *Camisia tramosirica in cocco & prasino valente solidos tres semis, sarica prasina ornata valente solido uno*. Et paulo pòst. *Sarica rustica cum manicas curtas, valente siliquas aureas duas*. Vide Salmas. *ad Spartian. in Caracallo. c.* 9. Unde hodieque Romæ *Sariga*, vocari vilem semitunicam lineam ac rudem, quâ Bajuli, Venatores, Lanii, aliique hujusmodi superindui solent, ut vestibus suis in opere parcant, notat Carolus Macer *Hierolex*.

SARA-

SARACENA, Arabiæ Petrææ regio, *Ptolem.* populi *Saraceni*, secundum alios in Arabia Felici. Qui ad *Saram* referunt, nugas agunt, sed nec à loco *Saraca* fuisse nominatos Stephano concesserim, cujus verba sunt. *Σάρακα χώρα Ἀραβίας, μετὰ τοὺς Ναβαταίους, οἱ οἰκοῦντες Σαρακηνοί.* Neque enim fuit *Saraca* prope Nabatæos, sed in Sabæis, loco à Nabatæis remotissimo. Vide Ptolem. *l. 6. c. 7.* Verum est, hodieque in Arabia extare vicum *Sawarakiam* inter Meccham & Medinam, vel ut alii volunt, in via, quâ itur Mecchâ Hierosolymas. Sed vicus ille obscurior est, quàm ut genti nomen fecerit. Neque ab eo *Saraceni*, sed *Sawarakeni* dicerentur. Hoc potissimum, quod *Saracenos* ipsi se nunquam appellant, sed à vicinis populis per contemptum sic vocantur. Melius itaque à latrociniis sic dici putat Bochartus ὁ μέγας, *l. 4. Phaleg. c. 2.* nam Arabicè סרק *saraka*, est *latrocinari*; sunt enim genus hominum planè *λῃστρικόν*. *Nic. Lloyd.* Vide *Saraceni.*

SARACENATVS, Vide infra *Saracenus.*

SARACENESCA, Vide SARACA.

SARACENI, populi Arabiæ, *Agareni*, & *Ismaelitæ* quoque dicti, quòd ab Agare & Ismaële descenderint: quamvis à Chasluim, uno ex Chami posteris, originem illorum quidam arcessant. A voce Arabica, quæ vagum & latronem denotat. Seculô 5. primùm innotuerunt: quorum Dux Alamundurus, qui Varani Persæ promiserat, se illi non Romanos solùm subacturum, sed & Antiochiam Syriæ in manus traditurum, sub Theodosio Minori, panicô quodam terrore perculsus, ultra Centum Millia amisit, circa A. C. 421. Mesopotamiam, imperante Zenone, vastârunt, A. C. 476. Princeps postea eorum, Terebon, fil. Aspecti, cùm miraculosè sanatus esset, Christiani omnes effecti sunt, Cyrill. *in vita Euthymii Abbatis.* Posteà tamen idem Mahometi cum suis adhæsit. Hujus dein Mahometis socer Abubecher, Saracenorum legionibus Heraclio Imperatori ob convitium, infensis, sibi junctis, regiones Gazæ ac Sinæ montis aditus occupavit: Successor Omar ulterius progressus est. è cujus ducibus Muhavia, Hormisda Persarum Rege victô, à gente Artaxerxis ad Saracenos Persicum regnum transtulit, A. C. 632. Ab eo tempore potentiores effecti, sub eodem Africam, è qua 80000. captivorum abduxêre, A. C. 668. Asiam, Europamque invaserunt, parte Siciliæ, post direptas Syracusas, A. C. 669. in hac potiti, classe quoque 500. navium Constantinopoli obsessâ, quâ tempestatum vi laceratâ aliam adduxerunt, à Callinico superatam, A. C. 672. Post quæ à Mardaitis è Libano vexati, pacem 30. annorum tributariam fecêre. Mortuô Muhaviâ ac Marvane cùm dissidiis agitarentur, Muctar Persidem invasit, tyrannus Abdemelechus se opposuit, A. C. 685. postquam à Vamba quoque Hispaniæ Rege 270. iis naves ereptæ & crematæ essent, A. C. 675. Abdemelechus Persiæ Arabiæque tyrannis feliciter coërcitis, cum Justiniano Imperatore pacem fecit, violatam illam clade ultus est, A. C. 686. successit illi filius Valid I. A. C. 692. Posteà Vitiza, Hispaniæ Rex, Hervigii fil. cùm muros urbium in toto regno dejecit, tribus exceptis, Saracenis sic viam ad regnum invadendum munivit, A. C. 707. Namque Valid operâ Tarichi mox spoliatâ Hispaniâ, posteà occisô Rodericô Rege illam occupavit: mortuo successit Solimannus frater, A. C. 710. & 713. Sub Philippico Bardane Imperatore iidem impunè Asiam vastârunt, A. C. 711. classe ab Artemio petiti, A. C. 715. Solimannus & Omar, ad Constantinopolim maximâ sunt affecti clade: nec minori in Gallia, à Carolo Martello, quò ex Hispania ab Eudone evocati fuerant. Omaro A. C. 746. successit Iezid I. fil. Abdelmelechi, & post 4. annos Hasca frater. Hunc Valid II, excepit, quô brevi mortuô præfuit Jezid II. mox Marvan, quô interemptô, imperium A. C. 749. tres partiti sunt, Abubalas Persiam, Solymus Ægyptum, Habdalas Syriam sortitus est. Abubalæ Abugepher, qui Seleuciam instauratam Bagdeth vocavit, successit. Habdalas æmulis sublatis Damasci ann. 22. præsedit, relictô filio Machdi successore, A. C. 755. quô Turcæ ex montibus Caspiis in Armeniam irruperunt. Intereà Pelagius Saracenis in Hispania victis, Asturiæ regnum condidit, A. C. 717. & Garsias Gothus, iisdem superatis, Suprarbiensis regni fundamenta jecit, A. C. 727. Adelphonsus quoque gener Pelagii, Saracenorum viribus attritis, Christianismum reduxit, *Catholici* proin axiomate ornatus, A. C. 738. Adelphonsi fil. Froiola Jozephum Saracenorum Principem, in Gallæciæ finibus, fudit, cui Abderamen substitutus Cordubæ se Regem scripsit, A. C. 759. In Oriente Saracenorum in Syria 5. Amiras occidit Leo IV. Imperator, A. C. 779. cùm Machdi adhuc Saracenis imperaret, hujus tamen fil. Aaron Irenen sub tributum redegit, classemque ejus vicit, Thraciâ per Abdelmelechum usque ad suburbia Urbis vastatâ, A. C. 798. In Hispania verò & Aragonii jugum Saracenicum excussêre, A. C. 783. & Alphonsus tributum centum virginum ulterius pendere nolens, insigni illos clade, Ulysliboná captâ, affecit, A. C. 793. Præfatus Aaron Nicephorum Imperatorem ad turpe tributum redegit, etiam in caput ejus ac filii ternis nummis impertatis, A. C. 806. sed cum Iman fil. ejus voluptatibus se daret, facti tres Amiræ sunt Damasci, Babylone ac in Africa residentes: Iminique occisô Maimon Amiras Babylonius, vir eruditus, successit, A. C. 813. Maimoni Mucleran suffectus est, A. C. 833. quô tempore Abderamen in Hispania præfuit, qui Cretâ Siciliâque occupatis, Calabriam Apuliamque vastavit, sed à Ranimiro ingenti clade affectus. In Asia Mucierani Aaron successit, A. C. 841. cùm in Africa Abderamen rerum potiretur, qui Samum Campaniamque devastavit, & Beneventô Barôque occupatis, Cassinense monasterium Romæque suburbia, imò opimas Petri & Pauli Apostolorum suburbanas basilicas spoliavit. A. C. 846. successore filiô Mahomete relictô, cùm Aaroni frater Mechucal successit. Michaël Imperator Græcus à Saracenis ad Samosatam victus est, A. C. 859. sed collega Basilius eosdem bis fudit. In Apulia quoque Saracenis Ludovicus II. Imperator fortiter restitit. Capuâ, Lucceriâ, Beneventô recuperatis, A. C. 866. In Oriente Mammaluchi regem Ægypti & Syriæ fecêre Achmadum, filium Tolonis servi: sic Caliphatu divisô, Abasidæ in Bagded, Tolonis posteri in Ægypto regnârunt, A. C. 869. In Hispania Alphonsus M. contra Saracenos egregiè rem gessit, A. C. 874. qui à Basilio quoque Imperatore aliquoties mari superati. Syracusas, urbem omnis solo æquârunt, Capuam expugnârunt, Romanô itinere infestô, A. C. 884. In Africa Abdalla, Mahometem execratus, Halim loqui cœpit, ejusque nepos Elmedinalla, Ægyptô potitus, regnum Babylonio æmulum condidit, A. C. 908. In Asia Muctedar, in Hispania Almanzor præfuit, ille ad Lemnum mari, hic terrâ victus, A. C. 916. in Italia quoque à Berengario Saraceni, qui Garelianum insederant, internecione deleti sunt, A. C. 915. iidem Constantinus Imperator totam ferè Syriam, A. C. 952. Ordonius verò Hispaniæ Rex, Gallæciam eripuit, A. C. 921. Cantabriæ interim parte amissâ. Iterum in Syria graviter afflicti sunt à Romano Imperatore A. C. 961. quemadmodum à Ranimiro in Hispania, A. C. 939. ubi tamen Alhaca multa Comiti Castelliæ ademit, A. C. 961. Cruentissimô in Italia prælió victi sunt ab Ottone II. Imperatore qui proin *pallida mors Saracenorum* dictus est, A. C. 982. Sed in Hispania civilibus discordiis in rem usi, Legionense & Gallæciæ regna ferè tota occupârunt: donec Almansore victô, amissa recuperata sunt, A. C. 998. Hierosolymitanum templum Amiras Ægypti incendit, A. C. 1010. Victi sunt ad Cycladas Saraceni à Constantino IX. A. C. 1028. mox his inter se dissidentibus, dum Persidis Soltanus, adversus Calipham Turcas evocat, ab his regno exutus, sicque initia potentiæ Turcicæ sub Tangrolipice Mucaleto jacta, A. C. 1037. A Michaële Paphlagone Imperatore iterum Saraceni prostrati sunt, A. C. 1040. ut & à Romano Diogene in Syria, A. C. 1067. Suscepta dein contra eosdem Christianorum in Palæstinam expeditio est, A. C. 1096. de cujus successu Vide *in Palæstina.* Tandem Turcis Saracenorum ditiones penitus occupantibus, nomen eorum evanuit, quamvis id aliquando omnibus Mahometicæ sectæ addictis tribui soleat. Amm. Marcellin. *l. 4.* Lætus *Comp. Histor. Univ. &c.* Addo, quòd ab Ismaëlitis progenitoribus suis, Veneris accepêre cultum, ut traditum Euthymio Zigabeno *in Panoplia*, quô locô *Saracenos* refellit. Græcè eam partem edidit *Sylburgius*, in qua, inter alia, legas, ut lapidem illum, quem *Saraceni* magnâ animi devotione osculabantur, eô quòd existimarent, esse lapidem, super quo Abraham cognovit Agar, vel cui alligavit camelum, sacrificaturus filium, esse caput simulachri Veneris crediderint. Verba ejus sunt. Ὁ δὲ λίθος [illegible] [illegible] *At prædictus ille lapis est caput Veneris, quam Ismaëlitæ jam olim adorabant. Quippe lapis ille accuratius spectantis ostendit præ se sculpturam capitis.* Sed & in anathematismis, qui recitantur convertentis se à *Saracenis* ad fidem Christianam, lapis ille dicitur esse in domo *Alake*, atque ἐκτύπωμα τῆς Ἀφροδίτης ἔχειν, *Veneris effigiem in se habere:* sicut & de Abrahami super hoc lapide congressu, & de cameli ad eum alligatione, ibidem prædicta referuntur. Quæ fortè de Venere, prout Lunam significat & *Urania* sive *Cœlestis* nomine celebris erat, intelligenda sunt. Quippe Arabes junxerunt cultum Lunæ & Luciferi: ab Arabibus autem hunc cultum didicêre *Saraceni.* Saltem sic eorum mentem cepêre Græci, ut videre est ex initio *Saracenicorum*, in Euthymii Zigabeni *Panoplia*, ubi Auctor gentem hanc, usque ad Cæsaris Heraclii tempora idola coluisse, adorantes Luciferum ac Venerem *Chabar* illorum linguâ, i.e. *Magnam*, dictam, refert. Idem habet Georg. Cedrenus *in Chron.* ubi de Muhammede: ubi & subjicit eorum hanc precationem. Ἀλλὰ ἀλλὰ, οὐα, κουβάρ, ἀλλὰ: ac ἀλλὰ, ἀλλὰ, exponit ὁ Θεὸς, ὁ Θεός: οὐα, μείζων: Κουβάρ, ἡ μεγάλη, εἴτουν ἡ Σελήνη καὶ Ἀφροδίτη. *Alla, Alla*, Deus Deus; *Oua*, major; *Cubar*, magna, puta Luna & Venus. Ubi tamen Cedrenum de *Οὐά*, cùm sit copula, ut Hebræis *Vau*, deceptum fuisse, monet Cl. Seldenus *Syntagm. de Diis Syris c. 4.* Quare sensus est, *Deus Deus, & Magna, illa Dea.* Vide quoque B. Hieronym. *in vita Hilarionis*, ut & in Amosi hoc *c. 5. v. 26. Portastis vero Siccuth Regem vestrum, & Chiun imagines vestras, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.* Ubi per *Sidus Dei vestri*, Hebr. *Cochab*, Luciferum intelligit, quem *Saraceni*, inquit, *hucusque venerantur.* Unde factum, ut hodieque apud Muhammedanos Veneris dies, quam *Giuma*, h. e. *συναγωγή*, appellant, quia finis cultûs est, quô congregantur, hebdomadis finis sit. Quemadmodum & exinde fortè est, quòd jurant per stellam vespertinam, & Auroram; ut ex Alphurcain sive Alcorano videre est, *Azoarâ 63. 96. & 99.* Vide Scaligerum *de Emend. Tempor. l. 2. c. de anno Hegiræ*, & *l. 5. c. de primo Muharram Hegiræ*, apud Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 31.* Plura verò de iis, de *Saracenicæ* imprimis superstitionis ac potentiæ ortu, incrementis, dissipatione, instauratione item per Turcas, qui iis utrobique successêre, factâ, apud Joh. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. l. 4. toto*; ut & hîc passim, inprimis ubi de *Chaliphis* & *Muslemis*: Sicut de reliquiis eorum circa Alpium juga, supra voce *Marones*, de ducibus, *Phylarchi.* Adde Cl. Suicerum *Thesauro Ecclesiastico* in voce Σαρρακηνοί.

SARACENICA Arbor, memoratur *Dioscoridi*, ubi bdellium, quod est aroma onyche odoratius & myrrhæ naturâ proximum, *δάκρυον δένδρου Σαρακηνικοῦ*, *lachrymam Saracenicæ arboris*, vocat, quia in Arabiæ *Saracenis* seu Scenitis magnus fuit ejus proventus. Sed *Marcellus*, negat arborem, quæ fert bdellium, à Dioscoride *Saracenicam* potuisse dici, cùm *Dioscoridis ævô* nullum fuerit *Saracenorum* nomen, nec nisi multo post id sit invectum. Tamen Dioscoridi Plinius propè æqualis, eorum disertè meminit *l. 6. c. 28. Nabathæis Thimanæos junxerunt Veteres: Nunc sunt Taveni, Suelleni, Saraceni.* Et, qui putatur utroque antiquior, Hierosolymitanus Interpres Gen. *c. 37. v. 25.* pro turma Ismaëlitarum habet, *catervam Saracenorum.* Vide S. Bochart. *Hieroz. Parte poster. p. 808.* Salmas. *Amme Lusitanorum*, Σαρακηνικὸν δάκρυον dictum esse, ait *ad Solin. p. 1150. a.*

SARACENUS, item SARACENATUS, moneta Saracenorum, apud Jac. de Vitriaco *l.* 3. & Matth. Parisium A. C. 1123. Vide suprà quoque, ubi de *Byzantiis Saracenatis*.

SARACES, prætor Ægypti, in prælio ad Isson cæsus, Curt. *l.* 3. *c.* 11. Meliùs *Sataces*.

SARACHUS, Insubribus *acone*, piscis usque adeò timidus, ut ad tremulum umbræ motum territus se recipiat quàm longissimè. Quô pactô, insequente eum luciô, cyprinô, truttâ, gregatim magnô agmine fugit in retia, summa cum piscantium voluptate ac commodo: pavorem ejus sapienti Numine in mortalium usum sic dirigente. Nomen ab Epirotis est, Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 7. quem de *sargo* quoque pisce vide *ibid. c.* 2. 24. 25. & de *sauro c.* 26.

SARACINUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

SARACORI, populi qui ex asinis pugnabant. Ælian. *l.* 12. *c.* 34. *Σαρακόροι δὲ ὄνους ἀχθοφόρους, οὔτε ἀλητὰς ἔχουσι τοὺς ὄνους, ἀλλὰ πολεμιστάς. καὶ ἐπ' αὐτῶν γε τοὺς ὁπλίτας κινδύνους ὑπομένουσιν, ὥσπερ οἱ Ἕλληνες ἐπὶ τῶν ἵππων.* Saracori *asinos nec bajulos, nec molitores, sed bellatores habent; & in illis, ut Græci in equis, belli pericula sustinent.* Quos insignis Geographus eosdem esse vult cum *Saraguris Suidæ*. Sed perperam, ut videtur. Nam *Suidæ Saraguri* sunt Scytharum populi, quos Priscus in *Legationibus* memorat, cum Urogis, Onoguris, Sabinis, Abiris, aliis. Scythas autem populos asinis caruisse, neminem latet, &c. Sic Strabo de Carmanis *l.* 15. *Χρῶνται δὲ ὄνοις οἱ πολλοὶ καὶ πρὸς πόλεμον, σπάνει τῶν ἵππων. ὄνον τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὅνπερ καὶ σέβονται θεῶν μόνον καί εἰσι πολεμισταί. Equorum inopia etiam ad bellum plerique asinis utuntur: & asinum Marti immolant, quem Deorum solum colunt, utpote bello addicti.* Ut alios omittam, de quibus eadem, quæ de *Saracoris* Ælian. habet, legimus. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 13. ut & suprà, ubi de *Asinis Bellatoribus*.

SARAGA, Sinarum urbs, *Ptolem.*

SARAGANUS, Rex Callienæ Emporii, ante Sandacem, memoratur Auctori *Peripli*; de quo vide Salmas. *ad Solin. p.* 1186. Vide quoque suprà, in voce *Sandaces*.

SARAGINA, Marmaricæ vicus.

SARAGURI, gens Asiatica, *Suidas*.

SARAI, nomen viri, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 54. i. e. *leprosus*, vel *scabiosus*.

SARAIA, fil. Cenez, 2. Sam. *c.* 8. *v.* 17. Fil. Ezriel, Jerem. *c.* 36. *v.* 26. Latinè, *princeps*, vel *canticum Domini*.

SARAIM, civitas in tribu Dan, Jos. *c.* 19. *v.* 41. 1 Sam *c.* 17. *v.* 52.

SARAIS, inter Arabum fabulosa animalia, sylvestre dicitur esse animal, in naso habens duodecim foramina, unde spiritus erumpens fistulæ sonum imitetur, cujus modulatione reliqua animalia ad se allecta subinde capiat & voret, aut, si non possit capere, horrendô fuget clamore, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 6. *c.* 13.

SARAJUM, vox Barbaro-Græca, apud Phrantzem *in Chron. l.* 3. *c.* 21. *Captiva in Sarajo, sive palatio Ameræ, annos nata quatuordecim*: Palatium significat; quod nomen Ottomannico Palatio hodieque manet. Ital. *Sarraglio*, Gall. *Serrail*. Cujus descriptionem haud pridem edidit Joh. Bapt. Tavernier *tract. peculiari*.

SARALUS, Galatiæ oppid. *Ptolem.*

SARAMA Perimal, ultimus Malabarici Imperii Monarcha, amplexus Mahumedicam superstitionem, cùm liberis careret, studiô religionis peregrinationem Meccham suscepit, & ante obitum Regnum suum, inter fidissimos Ministrorum suorum, divisit, circa A. C. 900: Vide de eo plura apud Jos. Scalig. *de Emendat. Tempor. l.* 3.

SARAMANNE, Hyrcaniæ urbs, *Ptol.*

SARAMENA, regio Asiæ minoris circa Amisum, *Strabo*.

SARANGÆ, populi Caucasi juga incolentes, Plin. *l.* 6. *c.* 16.

SARANGES, Indiæ fluv. in Hydraoten influens, qui in Indum fluit. Bactriam terminare, scribit Polyænus *l.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Est *Saranges*, alius circa Bosphorum Cimmerium, apud *Orpheum*.

SARANUSCA, vulgò SAARBURG, oppid. Galliæ Belgicæ, ad Saravum fluv. in Trevirensi ditione 10. milliar. à Treviris in Meridiem 13. à Luxemburgo in Ortum.

SARAPANI, populi Colchidis, quorum castellum *Sarapana*, ubi Phasis navigari incipit, cùm præceps ex Caucaso eo usque deferatur, Strabo *l.* 10.

SARAPARÆ, populi, circa Caucasum, non procul ab Hyrcaniis, Plin. *l.* 6. *c.* 16.

SARAPIAS, unô fœtu quinque enixa liberos, missa est Alexandriâ ad Hadrianum Imperatorem cujus per parachronismum Capitolin. meminit *in Pio, c.* 9. *Natus est & biceps puer, & unô partu mulieris quinque pueri editi sunt.* Historiam referunt tres nobiles Jurisconsulti, Paulus, Gajus & Julianus. Sed & *Eustathius* suâ ætate *πεντάδυμους* natos esse, ait. *Idem* & *ἑπτάδυμους* memorat; quorum septem cùm mater submergendos misisset, eos patrem casu intervenientem servâsse jam penè fluitantes. Vide suprà in voce *Gephyri*. *Δωδεκάδυμους* suggerit Guelforum historia, de quibus vide suô locô &c.

SARAPIDIS insula, *Maxira Ramusio*, insula maris Rubri, Arabiæ Felici ad Ortum adjacens. *Ptol. Arrian.*

SARAPIS, ut Græci ferè vocant, sive *Serapis*, ut Latini sæpius dicunt, *Θεὸς ἑπταγράμματος Deus cum nomine septem literarum*, in veter. *Epigramm.* & apud *Hesychium*; quemadmodum & Apis, præcipuô honore apud Ægyptios olim cultus, non alius, quàm Josephus fuit Patriarcha. Quod colligere est, ex eo quoque, quòd modius capiti imponeretur, ut est apud Ruffinum *Histor. Eccl. l.* 2. *c.* 23. Cùm autem variæ ejus rei causæ adferantur, maximè placet, quòd subjungit, *frugum largitatem eô indicari.* Suidas similiter in *Σάραπις* ait, *μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τὸν πῆχυν, modium habere in capite & cubitum.* *Ibidem* legas, à quibusdam Josephum putari: eamque sententiam confirmat, quòd idem sit *Serapis*, ac Apis, quemadmodum ex Aristea Argivo tradit Clemens Alexandrinus *l.* 1. *Strom.* ex Terentio item Varrone B. Augustin. *de Civ. Dei. l.* 18. *c.* 5. Probatque idem Etymologia, cum vox videatur esse ex *sor*, quod *bovem* notat & *Apis*, i. e. *Pater*, ut significet *bovem Patrem*. h. e. patrem regni Ægyptiaci Josephum, symbolô *bovis* signatum: vel ex *Apis*, & *sor*, h. e. *Princeps*: quasi dicas, *princeps Apis*: Nam *sur*, Hebræis notat *dominari*; unde שר *Princeps* &c. Vide Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. l.* 1. *c.* 29. Quæ tamen omnia planè corruunt, si, quod Scaliger etiam putavit *in Animadversion. Euseb. num.* 1730. non patrius Ægyptiorum, sed, ut Attici dicebant, *ἐπίθετος* sive inquilinus fuit Deus. Nempe eò est compulsus, quòd Tacitus *Histor. l.* 4. *c.* 83. dicat, Ptolemæo Lagidæ in somnio præceptum à Deo, ut suam acciret effigiem è Ponti urbe Sinope, cui tum Scydrothemis imperitabat: eaque delatâ Alexandriam, ingens à Rege conditum fuisse delubrum, in quo effigies ea reponeretur. Hinc nempe colligit Vir summus, *Sarapin* Numen fuisse Sinopense, non origine Ægyptium. Sed ipse Tacitus, apportatô Alexandriam Sinopensi Numine, *templum pro magnitudine Urbis extructum, loco cui nomen Rhacotis, Ibique jam antea sacellum Sarapidi atque Isidi sacratum fuisse*, addit. *c.* 84. Adeoque veriora sunt, quæ postea subjungit. *Alii auctorem eundem Ptolemæum, sedem, ex qua transierit, Memphim perhibent, inclytam olim & veteris Ægypti columen.* Memphi autem, regiâ quondam urbe, tot pyramidibus inclytâ, Apis colebatur: Hinc itaque Ptolemæus effigiem Apis sive *Sarapis* arcessivit, ut in nova Alexandriæ urbe constitueretur. Et sanè *Sarapim*, non fuisse adventitium Ægyptiorum Numen, præter ea quæ dicta sunt, affirmat *Athenodorus* Sandonis fil. Tarsensis, atque, ut ex Luciani *Macrobiis* & aliis scimus, Augusti Cæsaris Præceptor. Hic enim, teste Clemente *Protrept.* eo *Sarapidis* vetustatem adstruebat, quòd Sesostris, subactis Græcorum nationibus multis, reversus in Ægyptum, Osiridem (qui idem cum utroque) à quo genus ducebat, ab Artificibus effingi jusserit ex ramentis auri, argenti, aliis metallis, etiam gemmis ac lapidibus variis: quæ omnia lævigata contritaque, cœruleô imbuerit colore; unde nigricaverit color imaginis. Posteaque etiam subdit etymon, videl. ut, quia Apis esset Osiridis imago, ab Osiride & Apide, priùs dictum fuerit *Osirapis*; inde consuetudo fecerit *Sorapis* vel *Sarapis*. Hactenus Voss. Sed *Scaligero* accedit *Bochartus*, ut videbimus infrà, in *Serapis*. De structura *Serapei* (i. e. fani huic idolo dicati) Alexandrini, vide Amm. Marcellin. *l.* 22. Prosperum Aquit. *de Prædictionibus l.* 3. *c.* 38. inprimis Rufinum *Histor. l.* 2. *c.* 22. Roma verò ægrè Serapidis admisit cultum, nec nisi extra urbem, quippe intra eam *Serapeum* extruere non licuisse, tradit Dio *l.* 40. Unde scortillum illud Varri apud Catullum, deferri ad Serapim cupit, *Epigr.* 10. Vide iterum Voss. *loc. cit.* Cùm autem multos alios Deos ab Ægyptiis cultos esse legamus, unus tamen eorum *Sarapis* ab omnibus Ægyptum incolentibus, cujuscunque nationis aut superstitionis essent, divinô honore affectus est. Hinc & Romanos, & Græcos, & Syros & Armenos & Persas & Judæos, ipsos quoque Christianos, Sarapim veneratos esse, & ad id vel blanditiis, vel majore vi adactos, discimus ex *Ep.* Hadriani, cujus meminit Vopisc. *in Saturnino*; *c.* 8. *Ægyptum, quam mihi laudabas ---- totam didici, levem, pendulam & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui* Serapim *colunt Christiani sunt: & devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogus, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non Aruspex, non Aliptes. Ipse ille Patriarcha, quum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.* Quæ verba cùm Casaubonus de Patriarchis Gentilium nescio quibus velit intellecta; intercedit Salmasius, nullos Gentilium religionum cultores sic esse appellatos, docens: adeoque de ipso Christianorum Patriarcha, si quando in Ægyptum veniret, *Serapim* eum adorare coactum fuisse, ex hoc loco contendit, vide utrumque *d. l.* uti de *Serapidis Sacris à vulgaritate Pelusiæ summotu*, jussu Antonini Phil. suprà voce *Pelusium*; aliquid etiam infrà, voce *Serapis*.

SARAPIS, Insul. in sinu Indico, *Steph.*

SARAPTA, urbs Phœnices, *Sarepta* Corippo *l.* 3.

---- Et dulcia Bacchi
Munera, quæ Sarepta ferax, quæ Gaza crearat:

Sareptha Arculfo, *de locis Sanctis*. Hinc *Σαρεπτηνός* & *Σαραπτηνός*, *Saraptenus*; quam vocem reponit apud Treb. Pollionem, *in Claudio, c.* 17. *Cucutia villosa duo. Oraria* Saraptena *quatuor*; ubi aliàs *Serabadena* scriptum, Salmas. Indidem *Σαρεφθινὸν οἶνον* & *Σαρεφθίνον*, apud Alexandrum Trallianum, vide Salmas. *ad Pollionem*, *loc. cit.* ut & in voce *Sarepta*.

SARAPUS, Græcè *Σαράπους* & *Σάραπος*, cognomen Pittaci, unius è VII. Græciæ Sapientibus. Diogenes Laërtius de illo, *l.* 1. *c.* 81. *Τοῦτον Ἀλκαῖος σαράποδα μὲν καὶ σάραπον καλεῖ, διὰ τὸ πλατύπουν εἶναι καὶ ἐπισύρειν τὼ πόδε. Hunc Alcæus Sarapodem & Sarapum vocabat, quòd planipes esset, & pedes traheret.* Cujusmodi homines, qui repunt potiùs, quàm ambulant, aliàs *Syrtæ*, *Συρταί*, dicti sunt, *ἀπὸ τοῦ σύρειν τὼ πόδε*. Salmas. *ad Solin. p.* 415.

SARAR, pater Ahiam, 2 Sam. *c.* 23. *v.* 33. qui *Sachar*, 1. Paral. *c.* 11. *v.* 35. Latinè, *umbilicus*, aut *cogitatio*, vel *insidiatio*, sive *cantans*, vel *Dominus*.

SARARA, Civitas, in tribu Dan, pergentibus Edom, Hieronym. *in Loc. Hebr.*

SARASA, urbs munitissima Mesopotamiæ, ad Tigrim, in finibus Carduchorum. *Strabo*.

SARASAR, fil. Senacherib. 2. Reg. *c.* 19. *v.* 37. Princeps quidam,

dam, Zach. c. 7. v. 2. Latinè, *præpositus thesauri*, vel *cellarii*, aut *psallentis thesaurus*, vel *cellarium*, sive *qui vidit angustiam*, aut ex Ebræo & Syro, *castrametatio angustiarum*.

SARASPADES, fil. Phraatis, Regis Parthorum, Augusto cum tribus fratribus Ceropaside, Phraate, Vonone à Patre, firmandæ amicitiæ obses missus. *Strabo*.

SARATH ASAR, civitas in tribu Ruben in monte Bethphegor, Jos. c. 13. v. 19. Latinè, *psalmatio matutina*, aut *angustia*, vel *colligatio matutina*, sive *angustia*, vel *pigra ingrediens*.

SARATHI, nomen viri, 1. Paral. c. 4. v. 2. Latinè, *leprosus*, vel *scaber*.

SARAVUS, seu SARRA ex *antiq. inscript.* Sara *Venant. Fortun.* vulgò *Sar*, fluv. Galliæ Belgicæ apud Salmonam oppid. Lotharingiæ oriens, alluit Altum Montem, *Blamont*, Saraviburgum *Sarburg*, Saravicum *Sareck*, Vinstringium *Fenestrange*, Saravi insulam *Sarwerden*, Bukenhemium, Saravi Albam *Sar-Alben*, Gemundam, ad ipsius & Blesæ confluentes, Pontem Saravi *Sarbrucken*, Walderfingium mox Nitâ fluv. acceptô, Saraltbachium vicum, Burgum Saravi alterum, demum circa & citra Augustam Trevirorum in Mosellam influit. Lotharingiam hic fluv. à Germania dividit: cui impositum *Tsaralben* oppid. in Westria ad Salmensem Rhenigravium pertinet. Ab eo pagus *Saravensis*, in superiorem & inferiorem divisus, nomen accepit, vulgò *Sargow*. Pons Saravi caput Comitatus est, in diœcesi Mettensi. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* De hoc Ausonius sic canit, *in Mosella*. v. 367.

Navigeri undisonâ dudum me mole Saravus
Tota veste vocat, longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis ut volveret ostia muris.

SARBANISSA, Cappadociæ urbs in Ponto Polemoniaco, *Ptolem*.

SARBARA seu BARAZAS, Persarum Rex post Adhesirem, regnavit 6. mens. nullô factô clarus. Ei successit Bornanes, quem vide.

SARBATHA, Arabiæ urbs. *Ptol*.

SARBEDICUS, mons apud *Curopalatem*, videtur pars Tauri inter Syriam & Armeniam.

SARBENA, Assyriæ urbs, *Ptolem*.

SARBORA, Cosrois Dux, Regis, qui clades ab Heraclio acceptas ipsi imputaverat, jussu interfectus est: quô factô Cosroës exercitu excidit, & à Siroë fil. regnô vitâque est exutus, A. C. 627.

SARBRUGIUM, German. SARBRUCK, nomen Comitatus Germaniæ, in Wetteravia, sub proprio Comite ex Familia Nassovia, ad fluv. *Saravum*, unde ei nomen, *Saravi-Pons*, hoc enim vernaculum nomen significat: haud pridem à Gallis malè habitum. Lineæ hujus auctor Joannes fuit Comes Weilburgi & Idsteinii, Adolphi Imperatoris nepos, ex filio ejus Gerlaco. Is enim ductâ Annâ, Joannis Comitis Sarbrugiensis filiâ unicâ & hærede, Comitatum hunc Weilburgensi junxit, defunctus circa A. C. 1371. Ei successit in utroque Comitatu fil. Philippus, qui decessit A. C. 1429. Sed cùm geminos reliquisset filios, Philippum ex priore conjuge, & Joannem, ex altera Anna Hohenloica Comite divisis ejus ditionibus, prior Weilburgium nactus est, alter *Sarapontanum Comitatum*, obtinuit. A' quo tempore divisi illi mansêre, usque ad A. C. 1559. quô, Philippô Joannis Ludovici filio, ultimô lineæ suæ, extinctô, ad Albertum Comitem Weilburgi hæreditas devoluta est, qui utramque ditionem denuo junxit. Mox iterum divisio facta, mortuô Ludovicô Comite A. C. 1627. Ex hujus enim filiis, Wilhelmo Ludovico *Saravi-pons*, seu *Sarbrucken*; Joanni Wisbada cum Idsteinio, & Ernesto Casimiro Weilburgum obtigit, unde totidem lineæ. Primi liberos, qui novam iterum divisionem constituunt, recensebimus paulò post, Majores sic habent: Joannes Comes Nassov. *in Weilburg*, defunctus A. C. 1480. ex Elisabetha (filia Ludovici Landgravii Hassiæ) suscepit Ludovicum Comitem *in Weilburg*, qui decessit A. C. 1523. Pater ex Margaretha Nassovia, Philippi Comitis Nassov. *in Weilburg*, demortui A. C. 1559. Hôc & Annâ Comite Mansfeldiâ, genitus Albertus, junxit sibi Annam Nassovicam, & ex ea genuit Ludovicum Comitem Nassoviæ in *Sarbruck*, qui decessit A. C. 1627. uti diximus. Ejus fil. primogenitus, ex Anna Maria Hassiaca, Wilhelmus Ludovicus *Sarapontanum Comitat.* in hæreditatis paternæ divisione nactus, junxit sibi Annam Ameliam Marchionem Badensem (Georgiô Fridericô Marchione Badensi in *Durlach* genitam) & ex ea numerosam suscepit prolem, defunctus A. C. 1640. Eorum liberi erant, Crato (natus A. C. 1621. denatus A. C. 1642.) Joannes Ludovicus (natus A. C. 1625.) Gustaphus Adolfus (natus A. C. 1632.) Volradus (natus A. C. 1635.) Anna Juliana (uxor Friderici Comitis Palatini Rheni in *Zweibruck*) Carolina (uxor Ludovici Eberhardi Comitis Leiningensis) Anna Sibylla (uxor Augusti Philippi Ducis Holsatiæ) omnes *Comites Nassoviæ* &c. *Lineæ Sarapontanæ*. E' quibus Joannes Ludovicus, junxit sibi Dorotheam Catharinam Palatinam, & habitat *in Ottweiler*; Pater Christiani Ludovici (nati & denati A. C. 1650. Friderici Ludovici (nati 1651.) Annæ Catharinæ (natæ 1653.) Volradi (nati 1656.) Caroli Segfridi (nati 1659.) Ludovici (nati 1661.) Luisæ, Mauritii &c. *Comitum Nassoviæ & Saraponti* &c. *in Ottweiler*. Gustavus Adolfus, habitat in *Sarbruck*, & uxorem nactus Claram Hohenloicam, ex ea suscepit Ludovicum Cratonem, Carolum Ludovicum &c. *Comites Nassoviæ & Saraponti* &c. *in Sarbruck*. Volradus verò, habitat in *Usingen*. Vide Philipp. Jac. Spenerum, *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p.* 21. & 164.

SARCHINIUM, seu SARCINIUM, primò monasterium ad Cilindriam fluv. à Trudone Franco Hasbaniensi extructum, dein oppid. in parœcia Tungrensi, sub tutela Episcoporum Metensium per annos 440. donec Alexander, Leodicensis Episcopus A. C. 1130. Patronatum Monasterii oppidique S. Trudonis ab Episcopo Metensi emit. Vulgò *S. Truden*, vel *Truyen*, Gallis *S. Tron*: quibusdam corruptô nomine *Saintron*. Sed Chronicon Trudonense Sarchinium ab oppido St. Trudonis distinguit, unde colligit *Vales.* Sarchinium locum esse oppido Cœnobioque Trudonensi proximum, qui vulgò *Kerkum* dicitur. Item vicus in Atrebatibus, vulgò *Sercin*. Vide quoque in voce *Centrones*.

SARCIALUPI Antonius, vide *Antonius*.

SARCILES, apud Chrodegangum Episcopum *in Reg.* Canonicorum Mettensium c. 29. *Et illi seniores illas cappas, quas reddere debent, non commutent. Sarciles accipiant ibi Presbyteri, qui ibidem in domo assiduè deserviunt & illi Diaconi septem, qui in eorum gradu consistunt, aut lanam, unde ipsos sarciles binos in anno habeant: & ille alius Clerus unusquisque singulos. Camisiles autem accipiant illi Presbyteri* &c. Infrà, *Ipsa autem vestimenta, illas cappas & sarciles ad transitum S. Martini accipiant: illos camisiles, viginti dies post Pascha accipiant: illa calceamenta Kal. Septembris habeant*. Carolo du Fresne, sunt laneæ vestis, ex panno sic dicto, species, in *Glossario*.

SARCINÆ, vulgò SARGINES, locus est Galliæ, in pago Senonico, inter Pontes Icaunæ & Brajum Sequanicum positus. Hujus dominus Gaufridus *de Sarcenis* dictus, in terra Sancta, strenuè se gessit, tempore Ludovici IX. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SARCINATOR, servus dictus est apud Romanos, qui *sarcienda* vestimenta accepit; cujus mentio apud Paulum *l.* 2. *Sentent.* ubi, *Fullo & Sarcinator*, inquit, *qui polienda vel sarcienda vestimenta accepit, si fortè his utatur, ex contrectatione eorum furtum fecisse videtur, quia non in eam causam ab eo videntur accepta*. Similiter Ulpianus *l.* 29. *ad Edict. Licèt mercis appellatio angustior sit, ut neque ad servos Fullones, vel Sarcinatores vel Textores vel Venaliciarios pertineat*. Lucilius quoque, *Sarcinatorem esse summum, suere centonem optimè*. Inter Servos Negotiatores refert Laur. Pignorius. Hinc *Sarcinatrix*, cujus meminit *Festus & antiqua Inscr. DIS. Manibus Ides. Sarcinatricis*, quæ nempe vestes *sarciebat* reficiebatque. Neque enim fidem faciunt *fragmenta* quædam, Corn. Frontonis nomine edita, in quibus legitur, *Sartrix, quæ sarcit; Sarcinatrix, quæ sarcinas servat*, nisi hic *sarcinarum* nomine veniat mundus muliebris, quod non omnino improbandum videtur, cùm legatur in antiquo marmore, *Julia. Jucunda. Aug. L. Sarcinatr. a mundo. mulie.* &c. Et sanè mundus hic plerunque, non *sarcinas* modò, sed & impedimenta militaria æquaverit. At Frontonem tuetur *Nonius*, in voce *Sarcinatrices*. Vide præfatum Pignorium *Comm. de Servis*, Titum item Popmam *de operis Serv.*

SARCLIDÆ, vel SARCLITÆ, vulgò SACLE SUR JOINE, villa Galliæ, est, *super fluv. Joina, in pago Stampensi*, *Dagoberto* memorata: ubi *Joina* fluv. Junna est, *la Juine*, qui Stampas alluit. Hadr. Vales. in voce *Stampæ*.

SARCOCOLLA, lachryma est arboris, quæ thuris pollinis effigiem habet: cui similem succum Euphorbiæ puriorem, Plin. *l.* 24. *c.* 14. esse dicit, vide suprà in voce *Euphorbia*, & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 301.

SARCOPHAGUS, in *Inscr. veter.* apud Gruterum *p.* 689. L. Julii Marcelli, qui vixisse dicitur ann. 5. diebus 11. *Corpus. integrum. conditum.* Sarcophago. & apud Juvenalem *Sat.* 10. v. 171. ubi de Alexandro,

Qui figulo postquam munito intraverit urbem,
Sarcophago *contentus erat:*

arca est sepulchralis, quam πύελον Græci & σορὸν dixêre. Græci enim, qui corpora defunctorum non cremabant, condere ea solebant πυέλοις, ex lapide ut plurimum factis, cui natura est corpora citò absumere. Cujusmodi erat Assius lapis, quem & σαρκοφάγον, ab *edendo carnes*, propterea Græci nuncupârunt. Plin. *l.* 36. *c.* 17. *In Asso Troadis* Sarcophagus *lapis fissili venâ scinditur*. Ubi quod *fissilem venam* vocat, *Dioscorides* διαφύσεις, item διαζώματα, appellat. Subjicit, *Corpora defunctorum condita in eo absumi constat, intra XL. diem, exceptis dentibus*. Posteà verò, Σαρκοφάγοι dicti sunt quilibet mortuorum loculi, etiamsi ex alia materia fierent. Quemadmodum Δελφικαὶ τράπεζαι, quarum facturâ Delphi nobiles, postmodum quilibet abaci, eâ formâ facti, Delphicarum nomen habuêre. Hinc *Sarcophagi Porphyretici* meminit Anastasius *in Sylvestro*: Hodieque *Sarcueil* dicunt Galli, quamlibet arcam sepulchralem, voce detortâ ex *Sarcophagulus*. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1203. & 1204. ut & suprà, in voce *Assius Lapis*. Propriè verò *Sarcophagus* dictus est, illa arca, quâ grandiores natu integris corporibus condebantur, in loco communi, vel ante aras. Infantum enim, quibus mortuis nec inferias libârunt, nec eos antè dentes natos ussêre; nulla nec busta, nec *Sarcophagi*, sed Suggrundiaria, de quibus infrà, fuerunt, corporibus eorum in urnulis, quia is vetustior mos, impositis, Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* Apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ vox capsam majorem SS. reliquias continentem nonnunquam notat. Sic Ditmarus *l.* 6. *Sarcophagum ingentem, ad includendas Sanctorum reliquias de argento fecit* &c.

SARCULUM, instrumentum rusticum de quo vide infrà voce *Sarritor*. Medio ævò *Vanga* dici cœpit, ut infrà videbimus, ubi & pro armorum genere hanc vocem sumtam, & rusticos ejusmodi instrumentis armorum locò usos esse, ex *Gervasio Dorobern* docebimus.

SARDA, gemma rubricæ concolor, unde etiam nomen; rubrica enim Hebræis est שרד *sered*, unde Phœnices שרדא *sarda* fecêre, Græci σαρδὼ & σάρδιον. Certè *rubere* sardium, in confesso est. Hinc Orpheus in *Achate*,

— σάρδιον

— σάρδια θ' αἱμάτινα,

Sardiaque sanguinea,

dixit. Et Theophrastus *de Lapid.* Τῆς γὰρ σαρδίου τὸ μὲν διαφανὲς, ἐρυθρότερον δὲ &c. Plin. quoque *l. 37. c. 7. Sardium inter lapides rubros recenset.* Et in India, describit trium generum, rubrum &c. Itaque cùm Apocalypſ. *c. 4. v. 3.* Joanni Deus apparet in solio sedens ὅμοιος ὁράσει λίθῳ ἰάσπιδι καὶ σαρδίνῳ, *aspectu similis lapidi jaspidi & sardio.* Veteres, ut jaspidis colore aqueô diluvium, quô prior mundus periit: ita rubrô *sardii* colore, ignem ultimi judicii, quô posterior absumetur, significari volunt; in qua sententia sunt, Victorinus Pictaviensis (si verè opus est illius) & Primasius *in Apocalypsin.* Quô pactô corruit opinio illorum, qui vel à *Sardibus*, vel ab Insul. *Sardinia*, gemmam hanc dictam volunt; cùm tamen in neutro horum locorum reperiatur. Uti autem corallii rubor prorsus sanguineus est, imò sandiceus ac sandarachinus; sic in sardio color est languidior atque dilutior, & illi colori similior, quem à carne *incarnation* linguæ vernaculæ appellant. Unde est, quòd huic ipsi lapidi *carneoli*, vel corruptè *corneoli*, nomen hodie indiderunt Europæi ferè quotquot sunt. Itaque auctore Pliniô eôdem *l. cit. c. 6. Sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in sarda, h. e. velut carnibus ungue hominis imposito, & utroque translucido.* Sensus est, ut *sardam* carni, ita onychem ungui humano esse concolorem, ac proinde tanquam ungue perspicuô, carni itidem perspicuæ superinductô, fieri sardonychem &c. Vilissimam eam gemmarum esse, Solinus *c. 17.* scribit; sed deceptus fortè verbis Plinii, qui, cùm carbunculum, sandastrum, lychniten, & carchedonium scalpturæ pertinaciter resistere, partemque ceræ in signo tenere dixisset; addit continuò post, *E diverso ad hæc sarda utilissima*: nempe ad scalpturam, & signum, ut quæ nec sit δυσγλυπτος, nec ceram in signo teneat. Ipse certè Plinius, *l. 37. c. 10.* plus centum gemmas hâc viliores, per alphabeti ordinem, recensuit. Idem *vulgarem sardam* esse dicit, *non vilem*: quin Babylonicam maximè laudat, & alibi quasdam describit argenteis, quasdam aureis venis sublitas; mares quoque excitatiùs asserit fulgere, nec ullam translucentium tardiùs suffusô humore hebetari. Hâc denique gemmâ subjungit quasdam, apud Menandrum & Philemonem, fabulas superbire. Menandri nempe de *Sarda* locus, fuit, *ἐν Παιδίῳ,*

Εἶτ' ἐπισμάραγδον ὡς ἴδῃ καὶ σαρδίον;

apud *Athenæum.* Easdem in mundo muliebri censet Aristophanes, in alteris Θεσμοφοριαζούσαις, quarum fragmenta extant, apud Clementem Alexandr. *Pædagogi l. 2. c. 12.* & Pollucem *l. 7. c. 22.* ubi inter alia hic versus,

Πομφόλυγας, λιθίδια, ὁλισβους, σάρδια.

Imò in Theophrasto in rarissimis censetur. Quò facit, quòd è XII. gemmis de Aaronis pectorali, prima est τὸ σάρδιον *Exod. c. 28. v. 17.* & cùm Tyrio Principi dicitur, πάντα λίθον χρηστὸν ἐνδέδεσαι &c. Ezech. *c. 28. v. 13.* rursus Σάρδιος, primus est è XII. gemmis, quibus ille ornatur. Et quamvis *Sardam Theophrastus* in iis lapidibus censeat, qui placent τῇ ὄψει μόνον, *solô visu*: tamen apud *Epiphanium, medendi vim habet & eô Medici utuntur,* πρὸς οἰδήματα καὶ ἄλλας πληγὰς ὑπὸ σιδήρου γιγνομένας, *ad tumores & alias plagas ferrô inflictas* &c. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l. 5. c. 7.* Laudatissimam *Sardam* circa Babyloniam esse, suprà diximus, ubi de *Ophietide Petra*, quam, cùm lapicidinæ quædam aperirentur, hærentem in saxo, cordis modô repertam, *Plinius* tradit, sed metallum hoc, i. e. hoc genus marmoris vel saxi, defecisse addit. Δίτεμον, quoddam *Sardæ* genus dictum, quæ paulo amplior esset, quasi magnitudinem haberet duplicis σφραγῖδος: quô nomine sigillum primo, inde *gemma* dicta est, quod primus & vetustissimus apud Græcos usus earum esset, ut sculptæ auro includerentur, digitoque ad signandum gestarentur, Salmas. *ad Solin. p. 98.* Vide quoque infrà in voce *Sardararii.*

SARDABALA, fluv. Tingitanæ provinciæ, Plin. *l. 5. c. 2.*

SARDACHATES, inter achatis gemmæ cognomina, apud Plin. *l. 37. c. 10.* de quo vide eundem Salmas. ubi suprà, *p. 130.*

SARDANA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptolem.*

SARDANAPALUS, Assyriis *Thonos Concoleros*, A. M. 3215. secundùm quosdam, 3158. secundùm alios, ultimus Assyriorum rex, tricesimus à Nino, omni libidinis mollitieique genere effœminatissimus: adeò, ut non erubuerit inter scortorum greges nere, & muliebri habitu fœminas omnes lasciviâ anteire. Quamobrem indignum rati Assyrii tali fœminæ parere, duce Arbace desciscentes bellum Sardanapalo intulerunt. Qui victus in regiam se recepit; & extructâ pyrâ, rebusque omnibus charissimis eò congestis seipsum unà cum regia combussit, *Herodot.* An. 3178. an 3234? Sicque finem Assyriorum regno imposuit. Hunc regem Ninives fuisse nonnulli credunt, ad quem Jonas Propheta missus. Vide Justinum *l. 1. c. 3.* Diodor. Sic. *l. 1. Bibl.* Athen. *l. 12.* Euseb. *in Chron.* Torniel. & Salian. *in Annal. Vet. Testam. Petavium, Scaligerum, Calvisium*, &c. Cicer. *l. 5. Tusc. Qu. c. 35. Quomodo igitur jucunda vita potest esse, à quâ absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ regis error agnoscitur, qui incidi jussit in busto:*

Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit, at illa jacent multa ac præclara relicta.

Quid aliud (inquit Aristoteles) *in bovis, non in regis sepulcro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quàm fruebatur.* Idem ad Atticum *l. 10. Ep. 8. Ni forte me Sardanapali vice in suo lectulo mori malle censueris.* Ovidius *in Ibin. v. 311.*

Inque pyram tecum charissima corpora mittas,
Quem finem vitæ Sardanapalus habet.

Juvenalis *Sat. 10. extr.* qualis animus exposcendus à Diis, monstrans:

Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, sævosque labores,
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.

Vide Maxim. Tyrium *Dissertat. 29. extr.* & *Scholiasten* Aristoph. Epitaphium ejus Græcè sic retulit Clemens *sub finem l. 2. Stromatum:*

Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
Τέρπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.
Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι Νίνου μεγάλης βασιλεύσας.

Athenæus tamen *l. 12.* aliam inscriptionem fuisse monumenti Sardanapali indicat, ex qua appareat, ipsum minimè fuisse ignavum; illam nimirum: Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξεω Ἀγχιάλην ἔδειμε, καὶ Ταρσὸν μιῇ ἡμέρῃ ἀλλὰ νῦν τέθνηκε. Eusebii codices MSS. *Sardanapallum* vocant, ut observat magnus *Scalig.* qui putat hoc nomen in obscœnam notam à Græcis detortum. Nam πάλλος idem quod φαλλός. Quò sine dubio respexit Cicero *l. 3. de Rep. Sardanapallus ille vitiis multò, quàm ipso nomine deformior.* Invenitur etiam apud *Hesychium*: Σαρδανάπαλλα, αἰδοῖα, ubi restituendum arbitror αἰδοῖα. Pro vulgata lectione stant *Strabo, Diodor.* aliique vetusti historici. Et, ut rectè idem *Scaliger* monet, *Sardanapalus* est Assyriacum סרדן פל *Sardan pal*, posteriorque vocula legitur etiam in nomine Regis *Tiglathpalesar. Nic. Lloydius.*

SARDARARII, in *Basilicis Græc.* exponuntur *cabitarii* seu *cavitarii*, h. e. gemmarum cavatores; à *sarda* gemma: quam omnium gemmarum optime facillimèque ac utilissimè scalpi, suprà ex Plinio diximus. Idem *ibid. Expetuntur à scalptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiam ex facili cavantes.* Salmas. *ad Flav. Vopisc. in Saturnino. c. 8.*

SARDEMISOS, Tauri montis promontor. inter Lyciam & Pamphyliam, Plin. *l. 5. c. 27.*

SARDENE, mons ad Hermum fluv. *He rodot.*

SARDES, vide *Sardis.*

SARDESSUS, urbs Lyciæ prope Lyrnessum, ubi *Sardessius* Jupiter colitur, *Stephan.*

SARDEUNA, Armeniæ minoris oppid. *Ptolem.*

SARDIÆI, Dalmatiæ populi *Polybius.* Vide *Ardiæi.*

SARDIÆON, mons Bœotiæ, apud Asopum. *Steph.*

SARDIANI, quô pactò à Smyrnæis, ancillarum coitu, victi fuerint, vide in dictione *Smyrna.*

SARDIANICA Vestimenta, i. e. *puniceа & coccina*, memorantur *Æliano*, ubi de puniceis Persarum vestibus, τῶν ἀλουργῶν δὲ Σαρδιανικῶν ὀξύτερόν τε καὶ τηλαυγέστερον. Hinc *Hesych.* Σαρδιανικὸν βάμμα, τὸ φοινικοῦν. Quem colorem ὀξυφοινικοῦν vocabant. Vide Salmas. *ad Solin. p. 344.* & infrà in voce *Oxyblatta.*

SARDICA, Thraciæ urbs Episcopalis mediterranea *Ptolem. Triadizza* Bulgaris, *Sophiano.* Turcis & Græcis *Sophia.* Nunc Bulgariæ caput, ad Ciabrum fluv. versus Hæmum montem. Hîc Concilium à Constantio & Constante celebratum, Ruffinô & Eusebiô Consulib. A. C. 347. quô Nicenum Concil. confirmatum, Athanasius absolutus, & Episcopi quidam heterodoxi depositi sunt. Interim Ariani, qui huc citati venire recusârunt, Conciliabulô Philippis Thraciæ institutô Consubstantialitatem Filii cum Patre damnârunt, & Athanasium, aliosque Episcopatu judicârunt indignos, aliô Symbolô conditô: quò autem tutiùs fallerent, Sardicensis Concilii nomen huic cœtui affinxerunt: quô plurimi decepti sunt. Vide Theodoret. *l. 2.* Socrat. *l. 2.* Sozom. *l. 3.* Athanas. *Apol. 2. ad Solit.* Hilar. *frag. Synod. &c.* Daciæ item oppidum, *Eutropius.*

SARDICENSES Canones XXI. cùm in Codice Ecclesiæ Universæ non extitissent, teste Dionysiô Exiguô, qui in versione nova Codicis Græci, Præfat. ad Stephanum Episcopum, ait, *in Chalcedonensis Synodi Decretis, finem esse Græcorum Canonum, quibus se subjecêre Sardicensis & Africani Concilii decreta*; à Trullanis Patribus, post Justinianum Imperatorem demum additi sunt, unà cum aliis quibusdam. E quibus colligit Vir Cl. Christophorus Justellus, Synodum Sardicensem à Græcis inter Orientales Synodos non fuisse relatam, quippe cujus Canones non Græcè, sed Latinè, primùm editi fuissent. Pergit, *Sed alia eaque potissima ratio extitit, cur statim ab initio illius Synodi Canones ab Orientalibus Ecclesiis non fuerint admissi; nimirum ob Canones de Appellationibus ad Romanam sedem, qui è diametro Canonibus Antiochenis adversabantur, quos Episcopi Orientales ediderant, qui appellationes extra diœcesim graviter & iniquô animô ferebant. Quemadmodum & Africani Patres, qui eandem ob causam* Sardicenses Canones *neglexerunt, non appellationes transmarinas lubenter admittebant, quippe qui eâdem, quâ Orientales, prærogativâ se tuebantur, ut ex variis Codicis Ecclesiæ Africanæ canonibus palàm est, in Præfat. Biblioth. Juris Canon.* Quomodo eosdem Canones, pro Nicænis. Synodi VI. Carthagin. Patribus obtrudere voluerit Zosimus Papa, vide apud Gerh. von Mastricht. *Histor. Juris Eccl. num. 67.*

SARDINELLA, magnus vicus, ad Orientem Damasci, in tribu Manasse, qui se à Christianis solùm admittit incoli, alios verò, ante confectum primum habitationis annum enecat. *Bonavent.*

SAR-

SARDINIA, insul. & regnum in mari Ligustico, à variis habitata populis, tandem à Pœnis occupata est, quibus tamen illam Romani eripuerunt. A Saracenis postmodum capta, inde à Pipino ejectis, A. C. 809. diu Pisanis & Genuensibus contentionis argumentum fuit: Donec ab Arragoniæ regibus Hispaniæ regno innexa est: à tempore Martini, qui mortuo in Sicilia Martino genero, Arragoniæ, Siciliæ & Sardiniæ regna conjunxit, A. C. 1409. ubi hodie Vice-Rex. Surita *Ind. l.* 2. Mariana *l.* 15. Cluv. *Introd. Geograph. l.* 15. Græcis Σαρδὼ Σαρδόος. Item Σαρδὼν Σαρδόνος. *Hesych.* Σαρδὼν, νῆσος μεγάλη πλησίον Ἀφρικῆς, ἡ καὶ Σαρδώνη, vel potiùs Σαρδήνη: Dionys. Perieg.

Σαρδώ τ' εὐρυτάτη καὶ ἀπείριτος εἰς ἁλὶ Κύρνος.

Incolæ Græcis plerumque Σαρδῷοι, & nonnunquam Σαρδόνιοι ac Σαρδώνιοι. Romanis verò *Sardi*. Nomen id unde originem traxerit, planè incertum est, quippe Græcorum fabulas sequi piget. Sic Martianus Capella, *l.* 6. *Sardinia à Sardo, filio Herculis, appellata*. Idem habet *Solin.* cum *Isidoro*. Eadem Græcis Σανδαλιῶτις & Ἰχνοῦσα à figura fuit appellata. *Steph.* Ἐκαλεῖτο δὲ Ἰχνοῦσα διὰ τὸ ἐοικέναι ἀνθρώπου ἴχνει. Plin. *l.* 3. *c.* 7. *Sardiniam Timæus Sandaliotin appellavit, ab effigie soleæ, Myrsilus Ichnusam, à similitudine vestigii.* Claudian. *de bello Gildonico* v. 507.

Humanæ speciem plantæ sinuosa figurat
Insula, Sardiniam veteres dixere coloni.

Silius Italicus *l.* 12. *v.* 355.

Insula fluctisono circumvallata profundo
Castigatur aquis, compressaque gurgite, terras
Enormes cohibet nuda sub imagine plantæ.
Inde Ichnusa prius Grajis memorata colonis.

Pausan. *in Phocicis*: Ὄνομα δὲ τῇ Σαρδοῖ τὸ ἀρχαῖον ὅ τι μὲν ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων ἐγένετο, οὐκ οἶδα. Ἑλλήνων δὲ οἱ κατ' ἐμπορίαν ἐσπλέοντες Ἰχνοῦσσαν ἐκάλεσαν, ὅτι τὸ σχῆμα τῇ νήσῳ κατ' ἴχνος μάλιστά ἐστιν ἀνθρώπου. Magnitudinem ejus quod attinet, Histiæus Milesius apud Herodotum *l.* 5. νῆσον μεγίστην vocat. Scylax *in Periplo*: Μεγίστη Σαρδὼ, δευτέρα Σικελία. Diodor. Sic. *l.* 5. Ἐχομένη δὲ τῆς Κύρνου νῆσός ἐστιν ἡ προσαγορευομένη Σαρδὼ, τῷ μεγέθει παραπλησία τῇ Σικελίᾳ. Pausan. *ubi supra*: Ἡ δὲ Σαρδὼ μέγεθος μὲν καὶ εὐδαιμονίαν ἐστὶν ὁμοία ταῖς μάλιστα ἐπαινουμέναις. Polybius *l.* 1. Ἡ μὲν Σαρδὼ πλήθει καὶ τῷ μεγέθει, καὶ τῇ πολυανθρωπίᾳ καὶ τοῖς γεννήμασι διαφέρουσα. Plura vide apud Cluver. *de Sard. Antiq. c.* 1. Habet hæc insula à Septentrione montes editissimos, qui prohibent quo minus à Borea possit perflari, quo fit ut aëris pestilentiæ maximè sit obnoxia. Quo nomine olim tam malè audivit, ut M. Cicero Quintum fratrem moneat, etiam tum cùm optimè valeret, meminisse eum debere, in Sardinia se esse; & alibi Tigellium quendam Sardum hominem esse ait patriâ suâ pestilentiorem. Martialis quoque Sardiniam Tyburi, tanquam saluberrimo loco pestilentissimum opponit: *l.* 4. *Epigr.* 60.

Nullo fata loco possis excludere, cùm mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia est.

Strabo *l.* 5. νοσερὰ ἡ νῆσος τοῦ θέρους. Mela *l.* 2 *c.* 7. *Cæterum fertilis, & soli quam cœli melioris, atque ut fœcunda, ita pene pestilens.* Silius Italicus *loc. cit. v.* 370.

Serpentum tellus pura ac viduata venenis,
Sed tristis cœlo, ac multâ vitiata palude.

Causam hujus rei Claudian. *loc. cit. v.* 509. eleganter expressit:

Dives ager frugum; Pœnos, Italosque petenti
Opportuna situ, quæ pars vicinior Afris,
Plana solo, ratibus clemens: quæ respicit Arcton,
Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora
Flatibus: Insanos infamat navita montes.
Hinc hominum, pecudumque lues, hinc pestifer aër
Sævit, & exclusis regnant Aquilonibus Austri.

Fertilitatem hujus insulæ quod attinet, suprà Polybium & Pausaniam audivimus. Inde Val. Max. *l.* 7. *c.* 6. *Siciliam & Sardiniam benignissimas urbis Romanæ nutrices* vocat. Silius ubi supra, *v.* 372.

Quâ videt Italiam, saxoso torrida dorso,
Exercet scopulis latè freta, pallidaque intus
Arva coquit, nimium Cancro fumantibus Austris
Cætera propensa Cereris nutrita favore.

Strabo *l.* 5. Ἔστι δὲ αὐτῆς τὸ πολὺ μέρος τραχὺ, καὶ οὐκ εἰρηναῖον, πολὺ δὲ καὶ χώραν ἔχον εὐδαίμονα τοῖς πᾶσι, σίτῳ δὲ καὶ διαφερόντως. Horatius *l.* 1. *Carm. Od.* 31.

----- Non opimæ
Sardiniæ segetes feracis.

Sardi venales, Proverbium apud Cicer. *l.* 7. *Ep.* 24. *ad Gallum*, quod vulgò de negotio prolixo accipiunt; ex eo, quod Gracchus captâ Sardiniâ, tantam captivorum multitudinem abduxit, ut in eâ vendendâ multum temporis insumptum fuerit. Licet alii per Sardos Etruscos intelligunt, quòd à Lydis, quorum Sardis urbs regia erat, genus duxerint; eosque vænales appellari, quasi dubiæ fidei, & omni vento mobiles. Ceterùm Proverb. *Sardi venales, alius alio nequior*; auctoribus Festo & Plutarch. *in Quæst. Rom.* ortum est ex ritu in ludis Capitolinis usitato, in quibus auctio simulabatur Vejentium & novissimus producebatur senecio, cum toga prætexta bullaque aurea, præfante atque incinente præcone, *Sardi venales* &c. At *in Romulo* Plutarch. ab ultimo Regis hujus mortalium operum cum Vejentibus prælio arcessit originem: traductum eorum Ducem in triumpho, provectæ ætatis, sed visum imprudenter, nec pro ætate rem gessisse; inde Σάρδεις ὤνιοι, senem per Forum in Capitolium trahere prætextatum cum bulla puerili & hoc carmine Præconis: Vejentes nempe Etrusci, at Etrusci Lydorum coloni, quorum caput olim *Sardes*. Sed præterquam quòd à Sardibus gentile non est *Sardi*, nimis longè denominatio hæc petita est Vejentium & vix Poëtæ permittenda, nedum ut Romanum vulgus in Vejentibus illudendis, ex ultimis Thuscorum antiquitatibus, appellationem illorum eruerit. Alia refertur sententia Capitonis apud Festum, Tib. Gracchum, collegam, P. Valerii Falconis, in Consulatu *Sardiniam* Corsicamque subegisse, nec prædæ quicquam, præter mancipiorum vilissimam multitudinem, fuisse. Utramque interpretationem, ut nugacissimam, nec unius assis, proscribens Joh. Meursius *Miscell. l.* 3. tanquam duplici ignominiæ vocabulo homines nequissimos, *Vernales* & *Sardos* appellatos, scribit. Sed vernarum, præter ceteros servos, scelera & inde *vernales*, pro omnium nequissimis, nuspiam reperire est. Gronovius itaque, non Vejentium auctionem principium isti dicto dedisse, sed vel cladem *Sardorum* à Tib. Sempronio Graccho Prætore, à quo hostium cæsa vel capta 80000. Liv. *l.* 41. iis illatam: vel occupationem ejus antè sine ullo sanguine factam à Romanis, censet. Certè pessimè servisse *Sardos* testatur Eustathius, Dionysii Scholiastes: idque ob indomitam eorum contumaciam, cujus causam probabilem suppeditat Diodor. Sic. *l.* 4. & 5. Jolao coloniam Thespiadarum in *Sardiniam* deducendi oraculum datum, ὅτι τοῖς τῆς ἀποικίας ταύτης κοινωνήσασι διαμενεῖ τὰ τῆς ἐλευθερίας ἄχρι τοῦ αἰῶνος; atque ideo nec Carthaginenses nec Romanos, quantiscunque cladibus, ita universam Insulam subigere potuisse, ut non plurimi repudiatâ omni jurisdictionis externæ patientiâ in montes illos Insanos refugerint & per antra ac specus sylvasque ferarum, quàm hominum imperantium, consortia ferre maluerint. Unde Livius, Ilienses *Sardiniæ* gentem ne suâ quidam ætate omnem perpacatam fatetur, *l.* 40. Tacitus etiam *l.* 2. *Annal. c.* 85. 4000. Libertini generis, Judaicâ Ægyptiâve superstitione infectos, in *Sardiniam*, coërcendis illis latrociniis, ablegatos sub Tiberio, scribit: & Floro *l.* 2. *c.* 6. gentium illius Insul. *feritas & gens contumax vilisque mortis*, memoratur, ut alia omittam. Postquam igitur *Sardi* non semel rebellantes devicti, qui de captivis sub corona venierant, nequiter serviendo dederunt occasionem proverbio de suæ nationis mancipiis: à quo tempore in Ludis Capitolinis Præcones (quos in illis mancipiis jumentisve, quæ non promtos invenirent emptores, dicacitatem suam exercuisse, docet Appulejus *Miles. l.* 8.) cæteris jocis in mancipia minimi pretii hanc quoque adjecerunt præfationem: *Sardi venales, alius alio nequior*. Hæc enim ultima verba, non explicationem esse Festi, ut voluit Scaliger; sed partem Proverbii, auctor est Cic. *Fam. Epist. l.* 7. *ep.* 24. ubi de Phamea & M. Tigellino Hermogene nepote illius, modulatore optimo, in Sardinia nato loquens, *Habes*, inquit, *Sardos venales, alium alio nequiorem*. Usus Proverbii tutissimus est, non in negotio infinitæ prolixitatis atque inexplicabili (ut, respiciens solùm illud *longa venditione*, apud Victorem, statuit Erasmus) sed vel in mercimoniis nihili & fastidiendæ abundantiæ: vel in duobus pluribusque ex ea nota mortalibus, ut, cui palmam improbitatis & nequitiæ tribuas justiùs, cuncteris & dubites, præsertim si vel ipse sese vel alii illos venditent: Quales Octavium, Lepidum, Plancum, Asinium, post Mutinense prælium, Cicero & Senatus experti. Vide Joh. Frid. Gronov. *de Pecun. vet. l.* 4. *c.* 10. *Sardonius risus*, adagium est in eos, qui intus tristes, foris lætitiam simulant, ab herba *Sardoa*, quæ gustata dulcis videtur, sed mortem affert, rictu ora contrahens, ut moriens ridere videatur, Solino *c.* 4. teste. Pausan. *in Phocicis*: Πλὴν δὲ βοτάνης μιᾶς καθαρεύει καὶ ἀπὸ φαρμάκων ἡ νῆσος, ὃ ἐργάζεται θάνατον. ἡ πόα δὲ ἡ ὀλέθριος σελίνῳ μέν ἐστιν ἐμφερής, τοῖς φαγοῦσι δὲ γελῶσιν ἐπιγενέσθαι τὴν τελευτὴν λέγουσιν. ἐπὶ τούτῳ δὲ Ὅμηρός τε καὶ οἱ ὕστερον ἄνθρωποι τὸν ἐπὶ οὐδενὶ ὑγιεῖ Σαρδάνιον γέλωτα ὀνομάζουσι. *Hesychius*: Σαρδόνιος γέλως, ὁ καθ' ὑπόκρισιν, ἢ ὑπὸ καθ' ὑποκρισίν ... γέλως. ἡ ὑποκρίνονται Σαρδόνιος γέλως, οἱ τὴν Σαρδὼ κατοικοῦντες, τῷ Κρόνῳ θύοντες γελῶντες, ... [illegible] ... Σαρδόνιον. ... Σαρδόνιος ... φύεται γὰρ ἐν ... βοτάνη ... γέλωτι ἀποθνήσκουσι. ... Σαρδόνιον καλοῦσι ... [illegible]. Dio Chrysostomus *Orat.* 32. Τὴν γοῦν βοτάνην ἀγνοοῦντες τὴν Σαρδόνιον καλουμένην, ἣ γελᾶν μὲν ποιεῖ, χαλεπὴν δὲ τέλος καὶ ἐπ' ὀλέθρῳ. Nonnus *Bassaricôn l.* 20.

Σαρδόνιον γελόων φιλονείκεον ἴαχε φωνήν.

Videndus de la Cerda *in illud Virgil. Eclog.* 7. *v.* 41.

Imò ego Sardois videor tibi amarior herbis.

Alii proverbium derivant à *Sardone*, Carthaginens. regione, ubi filii parentes septuagenarios Saturno ridentes sacrificabant, teste *Zenodoto*. *Sardonia tinctura* apud *Hesych.* de colore præcellenti, qualis olim in Sardinia fuit: & per metaphoram de eo, qui pudore rubescit, aut plagis sanguine conspergitur. Appellationem denique hujus insulæ quod attinet, Bochartus Σαρδὼ, vel Σαρδόνος nomen Punicum esse putat. Ebræis סעד *Saad*, est *gressus*, sive *vestigium*. Inde Σαρδὼ, vel Σαρδὼν dicta videtur hæc insula, si vel Græci *R.* inseruerint, aut etiam ipsi Pœni, quâ epenthesi nil frequentius, ut Ebræis *Damesek*, & *Darmesek*, quod pluribus probat eruditissimus author, *p.* 632. Incolæ *Strab.* & *Diodoro Jolai*, seu *Jolaenses* dicuntur, eosque postea *Strabo Diagrebes* dictos scribit. Sed, qui insulam ipsam primùm inhabitarint, non satis certò inter au-

thores constat: hoc tamen verum est, Romanos cum Carthaginensibus de ipsa decertantes, ejus dominium obtinuisse, ibique suas colonias posuisse. Cadente postea Rom. Imperiô, Saracenorum jugum insula hæc sustinuit, donec capta fuit à Genuensibus & Pisanis, ipsamque Roman. Pontifex ex horum manibus ereptam, in feudum Arragonensium regi dedit, unde postea hæreditariô jure ad Carolum Quintum translata fuit, atque dein ad Philippum Hispaniæ Regem, ejus filium. In hac sola reperiuntur animalia illa, quæ *musfrones*, vel *mustriones* vocantur; animalibus nocuis & serpentibus caret, etsi vulpem habeat, & solifugam (animal perexiguum, araneis formâ simile) nutriat. Aliàs cum titulo regni. Longa est 170. mill. pass. latitudo major 80. Circuitus autem 450. A' Corsica distat freto 6. mill. pass. Regitur à Prorege Hispaniæ, dividiturque in duas partes fluv. *Cedro*, & *Tirso*, nempe in Borealem partem, seu Lugodorinam, *Capi di Lugodori*, & in Austr. seu Calaritanam, *Capo di Cagliari*. Ferè 400. mill. pass. ab Insula Baleari minori in Ortum. Totius insulæ caput est Calaris, *Cagliari*, in parte Australi insulæ. *Baudrand.*

Urbes Sardiniæ hâc tempestate: quæ 18. olim Episcopali
sede decoratæ, nunc septem sunt,

Algarium, *Algher*, sub Archiepiscopo Turritano, cui sedes Bisariensis est juncta.
Arborea, *Oristagni*, Archiepiscopalis, cui sedes Sanctæ Justæ juncta fuit.
Bosa, sic vulgò, sub Archiepiscopo Turritano.
* Calaris & Caralis, *Cagliari*, Archiepiscopalis, & sedes Proregis, cui Episcopatus Galtellinensis, Olinensis, & Suellensis adjuncti sunt.
Castrum Aragonense, *Castell Aragonese*, sub Archiepiscopo Turritano.
Emporiæ, *Ampurias*, quæ & Castrum Aragonense.
Phausania, *Terra nova*, cujus sedes Emporiensi copulata est.
* Sassaris, *Sassari*, Archiepiscopalis, Turritanæ urbi suffecta, cui etiam sedes Torrensis adjuncta fuit.
* Turris Libyssonis, *Torre*, Archiepiscopalis, cujus sedes Sassarim translata est.
Villa, seu vallis Ecclesiæ, Sulcitanæ suffecta, demum Calaritanæ conjuncta.
Usellis, vulgò *Usellus*, seu *Santo Pietro de Usellus*, Episcopalis, sub Archiepiscopo Arborensi, cui etiam sedes Turris Albæ contributa fuit.

SARDIS, SARDES, *Strab.* & *Xenophonti*, urbs Lydiæ Achiepiscopalis & metropolis, ad Tmoli montis radices inter Thyatiram ad Boream 36. & Philadelphiam ad Austrum 26. mill. pass. Sedes regni olim, sub Mermnadibus, Gygis posteris. A' Cyro capta, Olympiad. 59. ab Aristagora, 20. navibus ab Atheniensibus adjuto, direpta, A. C. 250. Urb. Cond. 69. Olympiad. reparata dein, sub Græcorum imperium transiit. Hic Cleopatra Alexandri Magni soror, ab Antigono occisa, A. C. 446. Urb. Cond. Post quæ ab Antiocho expugnata, A. C. 540. varias subiit vices. Primò Euangelii Luce à Johanne Apostolo collustrata, paulo pòst in Idololatriam revoluta est. Euthemium Episcopum ejus flagris cæsum necari curavit Michaël Balbus Imperator, A. C. 825. Vide Apocalyps. *c.* 1. & 3. Herodot. *l.* 5. Horatius *l.* 1. *Ep.* 11. *v.* 2.

Quid concinna Samos? quid Crœsi regia Sardis?

Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 137. *de Mæandro*:

Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem.

Hodie ad exiguitatem pauperis vici redacta, pastoribus solùm inhabitatur, qui, majore parte Turcæ, mesquitam ibi habent, nullo Christianis ibi adhuc parvo numero superstitibus ad cultum divinum loco relicto. Vocatur etiamnum *Sardo*, transitu solùm Caravanæ Smyrnâ Aleppum, atque inde in Persas euntis, nobilis. Memoriam tamen veteris magnificentiæ servat eximius nummus, in quo caput ejus turrigerum visitur, cum *Inscr.* CAPΔIC ACIAC ΛΥΔIAC ΕΛΛΑΔΟC Α ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. SARDIS ASIÆ LYDIÆ GRÆCIÆ METROPOLIS, apud Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 1. *p.* 348. & *part.* 3. *p.* 191. 192.

SARDIUS Lapis, vide supra *Sarda.*

SARDONES, populi Galliæ Narbonensis ubi nunc Comitatus Ruscinonensis, ad radices Pyrenæorum, inter Occasum ad Boream & Cataloniam ad Meridiem.

SARDONIÆ, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

SARDONICI, montes Liburniæ, nunc *Maranai* & Sardonius mons, in confin. Illyrici & Macedoniæ.

SARDONII, populi Africæ, à Sardone regione in Carthaginensium finibus, dicti, qui parentes septuagenarios Saturno ridendo sacrificare consueverant. Hinc *Risus Sardonius.* Sed vide etiam *Sardinia.*

SARDONIUS portus, melius, *Sardonium fretum*, aliàs *Taphros*, hodie *le bocche di Bonifacio*, inter Corsicam & Sardiniam, quod 6. mill. pass. patet. Quibusdam nautis *le bocce di Beixomaire*, vide *Taphros.*

SARDONYX, lapis apud Veteres magni nominis, de cujus vocis etymo diximus suprà, in voce *Sarda.* *Josepho* primus fuit è XII. illis lapidibus, qui Aaronis τὴν ἐσσῆνα distinguebant, ut Senioribus *Sardius.* Eidem *Sardonyches* fuêre duo lapides *soham*, in Humerali Sacerdotis summi, Exod. *c.* 28. *v.* 9. Περόναι, inquit, τὴν ἐπωμίδα σαρδόνυχες δύο κατ' ἄκρον ἑκάτερον τέλος. Ita etiam Aquila, & Hieronym. *Ep. de veste Sacerdotali.* Sic, cùm ex Ammonitarum metropoli *Rabbath*, quæ Græcis *Philadelphia*, auream Regis coronam talento gravem & insigni lapide ornatam, abstulisse legitur David, 2 Sam. *c.* 12. *v.* 30. multi per numeri enallagen plures intelligunt gemmas, quibus corona hæc fuerit interstincta. Sed Josephus *Sardonychem* quem in medio habuerit hæc corona, maximi pretii: cujus errorem eruditè detexit Bochartus, ex ambiguitate vocabuli *Moloch*, quod in Oriente & *Regem* & *Sardonychen* notabat. Neque desunt, qui *Sardonychen* fuisse gemmam illam, cujus jacturâ Fortunam mitigare voluit Polycrates Tyrannus, statuant; quamvis verius sit, smaragdum fuisse, uti diximus superiùs. Apud Romanos, primus *Sardonyche* usus est prior Africanus, teste Plinio *l.* 37. *c.* 6. à quo tempore Romanis hæc gemma celeberrima fuit. Hinc idem *ibid. Claudius Cæsar smaragdos induebat & sardonychas.* Martialis *l.* 2. *Epigr.* 29. *v.* 1.

Rufe vides illum subsellia prima tenentem,
Cujus & hinc lucet sardonychata manus.

Juvenalis *Sat.* 13. *v.* 139.

—— —— *gemmaque princeps*
Sardonyches, *loculis quæ custoditur eburnis* &c.

Neque minùs in Syria in pretio fuisse, ex Luciano colligas, in quo Syriæ Deæ χρυσός τε ἄλλος περίκειται καὶ λίθοι κάρτα πολυτελέες, *& aliud aurum circumpositum est, & lapides valde pretiosi*; in quibus censentur ὄνυχες οἱ Σαρδῷοι καὶ ὑάκινθοι καὶ σμάραγδοι, *sardonyches multæ, & hyacinthi & smaragdi.* Ut & ex Plutarch. *l. de fluviis*, ubi Euphrati adjacere montem Drimyllum, in quo lapis sardonychæ similis nascatur, quo utantur Reges ἐν τοῖς βασιλείοις, *in diadematibus*, refert. Est & in India mons *Sardonyx*, ab argumento dictus, quòd in eo multi sardonyches, ut videre est apud Ptol. *l.* 7. *c.* 1. & Ctesiam *in Indicis*, Photio laudatum. Quæ gens, quamvis olim neglexerit sardonyches à Romanis tamen postea eos in pretio didicit habere. Plinius, *Has Indis non habitas in honore Zenothemis scribit: tantæ aliàs magnitudinis, ut inde capulos factitarent. Etenim constat ibi torrentibus detegi. Et placuisse in nostro orbe initio, quoniam solæ propè gemmarum scalptæ ceram non auferrent. Persuasimus deinde & Indis, ut ipsi quoque iis gauderent.* Jam, si consulamus Sacros Scriptores, Joannes, ut Sardii, ita etiam *Sardonychis*, meminit Apocal. *c.* 21. *v.* 20. ubi è fundamentis XII. cœlestis illius Hierosolymæ, ὁ πέμπτος Σαρδόνυξ, ὁ ἕκτος Σάρδιος, *quintum* Sardonyx *sextum Sardius.* Et de Assuero, legitur in Chaldæo, Estheræ *c.* 1. *v.* 4. *Fodit in Euphratis ripa & ibi reperit sexcentas & octoginta arcas æreas, plenas margaritarum, beryllorum & sandalchin*, h. e. *Sardonychum* &c. Omnium autem optimæ Arabicæ. Plinius *d. l. Nullo sardarum vestigio Arabicæ sunt, cœperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi, radice nigrâ aut cæruleum imitante, aut unguem, creditum enim candido pingi, nec sine quadam spe purpuræ, candore in minium transeunte.* Item, *Arabicæ excellunt candore circuli prælucido, atque non gracili, neque in recessu gemmæ, aut in dejectu renidente, sed in ipsis umbonibus nitente, præterea substrato nigerrimo colore.* Et quidem hæ in montibus reperiebantur, sicut torrentibus detegebantur Indicæ, candorem in rubro habentes & utrumque tralucidum, quas Arabicis præferunt alii. Sed Plinii ævo cœcæ in pretio erant, h. e. minimè tralucentes, *quæ proin nomen abstulerunt, ut propriè vocarentur Sardonyches* &c. Vide Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte poster. l.* 5. *c.* 7. & Salmas. *ad Solin. passim*, *inprimis p.* 558.

SARDOPATER, Græcè Σαρδοπάτωρ, h. e. Σάρδος πατήρ, *Sardus pater*, dictus est *Sardus*, Sardiniæ Rex, quem in Sardinia primum regnâsse & sejuges antea populos in unum congregâsse ac conciliâsse, refert Solinus. *c.* 4. *Nihil ergo attinet dicere, ut Sardus Hercule, Norax Mercurio procreati, cùm alter à Libya, alter ab usque Tartesso Hispaniæ in hosce fines permeavissent, à Sardo terræ —— nomen datum.* Hinc divinis post mortem honoribus excultus; & Σαρδοπάτωρ appellatus est. Nam, ut notat Servius, Veteres omnes Deos *Patres* vocabant. Sic *Jupiter*, quasi Jovis Pater, Ζεὺς πάτηρ; *Marspiter*, Mars pater, *Diespiter*, Διὸς πάτηρ &c. Ejus Fanum celeberrimum in Sardinia fuit, quod Σαρδοπάτορος ἱερὸν indigitat Ptolemæus, apud Salmas. *ad Solin. p.* 99.

SARDOS, oppid. Dalmatiæ. mediterraneum. *Strab.*

SARDOUM MARE, pars maris Mediterranei versus Sardiniæ partem Occidentalem. Quibusdam versus Africam extenditur.

SARDUS, Herculis fil. à quo *Sardiniam* insulam dictam volunt.

SARDUS, Urbs Illyrici. *Sardo* Strab. *Scardona* aliis. Civis *Sardenus. Steph.*

SAREA, olim vocabatur Cappadocia. Steph. in *Cabasso.*

SAREAS, fil. Thanehumeth. Jer. *c.* 40. *v.* 8. Latinè *princeps*, vel *canticum Domini.*

SAREBIAS, nomen viri. *Nehem. c.* 9. *v.* 4.

SARED, fil. Zabulon. Gen. *c.* 46. *v.* 16.

SAREDA, patria regis Jeroboam. 1. Reg. *c.* 11. *v.* 26.

SAREDATHA, nomen loci. 2. Paral. *c.* 4. *v.* 17.

SAREPTA, urbs Phœniciæ, Sidoni proxima, ab eâ 4. mill. pass. distans in ortum, *Saphet* hodie Postello vel *Sarafendi.* Hic Elias oleum auxit, & viduæ filium resuscitavit. *Sarapta* legitur apud Stephanum. Sic enim ille Σάραπτα, πόλις Φοινίκης, ὁ πολίτης Σαραπτηνὸς, καὶ Σαρεπτία, καὶ Σαραπτηνὸς, in ora maris Syriaci, inter Sidonem ad Boream & Tyrum ad Meridiem ferè media, 10. utrinque milliar. Vinô nobilis. Hinc *Sidonius.*

Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sareptanô palmite missa bibas.

SARES, frater Phares filii Machir. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 16. Latin. *radix*, vel *catenula*.

SARGANTHA, urbs Iberiæ. *Steph.*

SARGANTIS, urbs & arx Ægypti. *Steph.*

SARGANTI, in *Charta* Henrici VI. Imperatoris apud Goldastum *Constitut. Imperial. Tom. I. p.* 287. *Milites, itaque & Sarganti jurabant* &c. & apud Willebrandum ab Oldenborg *Itiner. Terræ S. Inter quos & ipsum multi* Sarganti *pedites*: Dicuntur *Serjants*, in *Ep.* Henrici Balduini Imperatoris Constantinopolitani fratris, in *Gestis* Innocent. III. Quod utrumque corruptum est, ex *Servientes*: quô nomine recentiores, milites indigitârunt passim, eosque tùm pedites, qui vulgò Scriptoribus Gallis *Sergeans*; tum equites. Vide infrà, in voce *Servientes*.

SARGASSUM Mare, pars Oceani Atlantici inter Arsinarium promontor. ad Ortum, & Insulas Hesperides seu Capitis Viridis ad Occasum; ab herba *Sargasso* Lusitanis dicta, cujus copia ibi tanta, ut sæpe navigia retardet.

SARGETIA, seu SARGENTIA *Tzetza*, fluv. Daciæ per Valachiam in Istrum fluens, in quo Decebalus rex barbaricô astu thesauros condidit, à Trajano bellô petitus, qui tamen illô victô ab Imperatore recepti sunt. *Strel* Hungaris, *Istrig* Germanicè hodie nominari scribit *Sambucus*.

SARGINEUM, & SARGIUM, apud ejusdem ævi Scriptores, pannus est serico-laneus, unde nomen Gall. *Sarge* vel *Serge*: de quo vide Car. du Fresne in *Glossar*.

SARGON, qui & Sennacherib, Assyriæ Rex Jesaj. *c.* 20. *v.* 1. Latinè *auferens protectionem*, vel *corpus*, aut *colorem*, sive *hortum*, vel Syriacè *rete*, sive *retinaculum*. Vide *Sennacherib*.

SARIA, vel SAARIA, fil. Aser. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 38. Latinè, *porta*, sive *æstimatio*, aut *capillus Domini*, vel *hircus*, sive *hordeum*, aut *tempestas Domini*; vel *Dæmonis dominus*.

SARIA, oppid. Gallæciæ, ad amnem cognominem vix 4. leuc. à Luco Asturum in Meridiem, Minium fluv. versus totidem.

SARIASTER, Tigranis Armeniæ Regis fil. ita adversùs Patrem cum amicis consensit, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent, atque eum invicem sorberent. Val. Max. *l.* 9. *c.* 11. *exempl. ext.* 3.

SARICHA, urbs Cappadociæ. *Steph.*

SARID, terminus Zabulonitæ tribus, Jos. *c.* 19. *v.* 10.

SARIOLENUS Vocula, crebris apud Neronem delationibus famosus, sub Vitellio eadem molitus: at sub Vespasiano accusatus. Tacit. *Hist. l.* 4. *c.* 41.

SARIPHI, montes Asiæ inter Paropamissadas, & Sogdianos, ex quibus Oxus fluv. effluit.

SARISABIS, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

SARISBERIA, olim *Dunum*, & aliis *Sorviodurum*, *Salesbury*, vel *Sarum*, teste *Camdenô*, urbs Belgarum, hodie Episcopalis Angliæ meridionalis inter Bathoniam 24. & Wintoniam 20. mill. pass. in Wiltonia provin. Ad Avenam fluv. Nadderum vel Niderim recipit. 20. milliar. ab ora maris Britannici in Boream 15. à Vintonia in Occasum 24. à Bathonia in Eurum *Baudrand.* Præsulem hôc tempore habet Doctorem Burnetum scriptis & in Regem Regnumque meritis inclytum. Vide & *Sorbiodunum*.

SARISSA, Festo Pompejo *l.* 17. *hasta* fuit *Macedonica*. Liv. *Dec.* 4. *l.* 7. *Ibi simul perturbati ordines & impeditus incursus suorum usus prælongarum hastarum (* Sarissas *vocant Macedones) intulere signa Romanæ legiones, & pila inter turbatos conjecere.* Apud eundem *l.* 8. *ejusd. Dec. per operculi foramina, prælonga hastæ, quas* Sarissas *vocant, ad summovendos hostes prominuisse*, dicuntur. Hastæ itaque species fuit, ut malè Rob. Valturius *de Re mil. l.* 10. *c.* 3. exponens verba Curtii *l.* 9. *c.* 7. *Macedo justa arma sumpserat, æreum clypeum, hastam, quam* Sarissam *vocant, levâ tenens*: censuerit, *clypeum æreum* fuisse. Unde & Pollux *Onomast. l.* 1. *c.* 10. *num.* 7. *δόρυ* vocat, idemque inter ξυστὰ refert, *l.* 10. *c.* 31. Torquebatur autem utraque manu à Græcis, & præsertim à Lacedæmoniis, ad quos ejus usum transulit Cleomedes, Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 6. *c.* 22. Longitudinem ad 14. cubitos esse debere, docuit Ælian. *de aciebus instr.* ut rectissimè cum *Picqua* Gallica comparari possit: Usum descripsit Modestus *l. de vocab. militar.* & ex illo Vegetius *de Re Milit. l.* 3. *c.* 24. Nec omittendum, id hastæ genus è fraxino fuisse, Suid. in voce σαυνίασις & Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 269.

Fraxineas vibrant Macetûm de more Sarissas.

Ubi *Luctatius Sarissas* interpretatur *Macedonum lanceas* &c. Hinc in Alexandri M. exercitu *Sarissis* sive hastis armatos *Sarissophoros* nuncupatos legimus, apud Q. Curtium *l.* 4. *c.* 13. *Non immerito itaque verebatur Aretam Ducem hastatorum, quos* Sarissophoros *vocabant.* Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosinum l.* 10. *c.* 10. & Nic. Rigaltium *in Lexico Græco-Barb.* Hanc *duplicare* dicebantur, qui vibrabant eam & crispabant, quasi duplicem quatiendô facerent. *Hesychius*, πτύσσει, κραδαίνει, ὡς δοκεῖν διπλοῖ, i.e. *vibrat hastas & duplicat.* Sic ἴυγγες aviculæ, apud Lælium *in Apologia* Apuleji, versibus illis, quibus pleraque philtra descripsit, *bicodulæ* dicuntur, quòd caudæ assiduâ vibratione quadantenus, duplicem eam faciunt, & sic duas videntur caudas habere. Nec aliâ ratione *bilingues serpentes* appellatæ; nec enim duas habent linguas, sed quòd tam tremulô motu linguam crispant, ut non una, sed gemina videatur esse. Salmas. *ad Solin. p.* 943.

SARITA, locus Judææ, patria & sepultura Ezechielis Prophetæ in territorio Hebron. *Dorotheus.*

SARITÆ, Arabiæ Felicis gens. *Ptol.*

SARLATUM, urbs provinc. Petrocoriensis, versùs confinia provinciæ Cadurcensis. 1. leuc. à Duranio fluv. 9. à Petrocorio in Eurum, totidem à Cadurco in Boream, 17. ab Aginna in Cæciam, Tutelam versus 9. juxta amnem cognominem. Aliàs dicta *Calabrum monasterium. Lubino.* Situ fortis, bello civili, A.C. 1652. bis frustra obsessa. Duchesnius *antiq. Urb.* Davity *descr. Galliæ. Notitia Episcopatuum Galliæ*, scripta paulo post A.C. 1321. in provinc. Aquitanica secunda sive Burdigalensi IV. *novos Episcopatus* ponit; *Sarlatensem*, *Malleacensem*, *Lucionensem*, *& in Vasconia Condomiensem*: ex quibus Sarlatum *Sarlat* Petrocoriis; Lucio *Luçon*, vetus Cœnobium unà cum Malliaco Insul. Pictavis, Condomium, & ipsum olim Monasterium, Aginno detractum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Malliacum*: ubi addit, *Sarlatum* S. Sacerdotis, vulgò S. *Sardos* dicti, Episcopi Lemovicini tumulô atque Monasteriô olim inclytum, atque ex hoc Episcopatum factum esse. Vocat id Petrus *Hist. Albig. Monasterium Monachorum nigrorum*, Sarlatum, *in Episcopatu Petrogoricensi*: Alii *vicum Sarlatensem*. Veter. tabulæ *Saralatum*, appellant. Caput est agri seu pagi *Sarlatensis*, qui vulgò *le Sarladois* dicitur.

SARMAGANA, urbs Ariæ provinciæ in Asia, *Samarchant* hodie *Nigro*; non illa *Samarcand*, quæ est in Sogdiana.

SARMATIA, regio latissima, ab ipsis Germaniæ finibus, & Vistulâ amne in Hyrcaniam usque extensa, ubi olim Venedi, Peucini, Bastarnæ &c. Vide Plin. *l.* 4. *c.* 11. *& l.* 6. *c.* 5. 13. Strab. *l.* 7. Pomp. Melam. *l.* 3. *c.* 4. *&c.* Sunt autem duæ *Sarmatiæ* Tanaide fluv. divisæ, quarum quæ Occasum spectat, *Europæa*; quæ Ortum, *Asiatica* cognominatur. Habet autem Sarmatia Europæa à Septentrione Oceani partem, quem *Sarmaticum* ab ea appellamus: ab Occasu Germaniæ partem & Vistulam amnem: à Meridie Jazygas Metanastas: ab Ortu verò Sarmaticam Asiaticam & Tanaim fluvium. Quem tractum hodie tenent, quos Polonos, Ruthenos, & Tartaros appellamus. Sarmatia Asiatica ab Ortu Hyrcaniâ terminatur, à Septentrione terrâ incognitâ, ab Occasu, Sarmatiâ Europæâ, & Tanaide fluvio, à Meridie verò Ponti Euxini parte. Breviter, Sarmatia Europæa, *Russiam* hodie dictam, cum *Poloniæ* regni parte, & ejus membris *Livoniâ*, *Lithuaniâ*, &c. (& nonnullis *Tartariam Crimæam*.) complectitur. Asiatica, *Tartaros*, *Petigoras*, *Circassos* & *Marduinas* comprehendit. Habet autem utraque populos efferatissimos, partim montes & saltus incolentes, partim plaustris pro domibus utentes, qui inde *Hamaxobii* dicuntur: partim raptô viventes, sanguineque equinô cum lacte commistô inediam tolerantes. Unde Martialis *l. de Spectaculis*, *Epigr.* 3. *v.* 4.

Venit & epoto Sarmata pastus equo.

Vide *Hippomolgi*. Populi *Stephano* sunt: Σαρμάται. Aliis, uti *Dionysio*, Σαυρομάται, & Σαυμάται; Sic enim ille de Sarmatiæ Europææ incolis, *v.* 305.

> Τῶν μὲν ἀπὸ Βορέω τετραμμένα φῦλα νέμονται,
> Πολλὰ μάλ' ἑξείης Μαιώτιδος ἐς στόμα λίμνης
> Γερμανοί, Σαρμάται τε, Γέται θ' ἅμα, Βαστάρναι τε.

Idem *v.* 652, ubi de Sarmatis Asiaticæ populis:

> Ἤτοι μὲν λίμνης Μαιώτιδος ἄγχι νέμονται
> Αὐτοὶ Μαιῶταί τε καὶ ἔθνεα Σαυροματάων,
> Ἔσθλων Ἐνυαλίου γένος ἄγριον· οἱ γὰρ ἐκείνης
> Ἰφθίμης φιλότητος Ἀμαζονίδων ἐγένοντο,
> Τὰς ποτε Σαυρομάτῃσιν ἐπ' ἀνθρώποισι μίγησαν
> Πλαγχθείσας πάτρηθεν, ἀπ' εὐρείτου Θερμώδοντος.

Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Sauromatas gentes Scytharum Græci vocant, quos Sarmatas Romani.* Qui tamen & Romanis etiam *Sauromatæ* dicuntur. Ovid. *l.* 2. *Trist. El.* 1. *v.* 194.

Proxima Basternæ Sauromatæque tenent.

Juvenal. Sat. 2. *v.* 1.

> *Ultra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem*
> *Oceanum.* —— ——

De *Sarmatis* Tacit. *Histor. l.* 1. *c.* 79. *Mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus extra ipsos, nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum: ubi per turmas* (hæc equitum sunt) *advenêre, vix ulla acies obstiterit.* Florus *l.* 4. *c.* 12. *Sarmatæ patentibus campis inequitant, nihil præter nives, rarasque sylvas habent. Tanta barbaries est ut pacem non intelligant.* Dicti sunt *Sauromatæ*, ut vulgò volunt, ab oculis lacertarum: Σαῦρος enim *lacerta* est, & ὄμμα *oculus*. Ego certè, quid sibi velit hæc etymologia, planè nescio. Veriorem illam credo doctissimi Bocharti, qui *Sarmatas* dici putat *l.* 3. *Phaleg. c.* 14. שאר מדי *Sear*, vel *Sar Madai*, quasi *Medorum reliquias* dixeris. Hoc ex antiquis auctoribus satis patebit. Plin. *l.* 6. *c.* 7. *Incolunt Sarmatæ, Medorum, ut ferunt, soboles, & ipsi in multa genera divisi.* Mela *l.* 3. *c.* 3. *Sarmatæ gens habitu, armisque Parthicis proxima.* De Parthis porrò sic Trogus *l.* 41. *c.* 2. *Sermo his inter Scythicum, Medumque medius, ex utroque mistus. Vestis olim sui moris, posteaquam accessêre opes, ut Medis, perlucida ac fluida. Armorum patrius ac Scythicus mos.* Quin & Æthicus Medos & Parthos pro iisdem habet populis. *Generaliter*, inquit, *Parthia dicitur, quamvis universæ scripturæ sæpe Mediam vocant.* Legendum *universè*. Ita enim est in Orosio, quem sequitur ὁ πάνυ *l.* 1. *c.* 2. Bochartus. Hinc *Sarmaticus*. Lucan. *l.* 2. *v.* 200.

> ...... *Et barbara Cone*
> *Sarmaticas ubi perdit aquas.*

Item *Sarmatis*, Ovid. *Trist. l.* 4. *El.* 10. *v.* 110.

Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis.

Nic. Lloydius. Baudrando Sarmatia regio perampla, aliàs divisa fuit in tres partes, nempe in *Sarmatiam Europæam*, *Sarmatiam Asiaticam & Germanam Sarmatiam*. *Sarmatia Asiatica* erat, versùs limites Europæ & Asiæ & fluvium Rha, inter Oceanum Septen-

trionalem ad Boream & Pontem Euxinum ac mare Caspium ad Meridiem, atque inter Scythiam ad Ortum & Sarmatiam Europæam ad Occasum: ubi hodie pars septentrionalis Moscoviæ seu Russiæ Albæ cum Tartaria Moscovitica, nempe provinciæ Duina, Condora, Petzora, Permia, Samoieda, Siberia, Viatka, Loppia, Lucomoria, & regnum Casanum, Astracanum, & Bulgaria. *Sarmatia Europæa* erat, inter Sarmatiam Asiaticam ad Ortum & Germanio Sarmatiam ad Occasum, Oceanum Sarmaticum seu Septentrionalem ad Boream, & Paludem Mæotidem ac Pontum Euxinum ad Austrum. Ejus partes erant parva Scythia, Roxolani, Hamaxobii, & Alauni populi, ubi hodie Russia Alba seu Moscovia, regio perampla, cum Tartaria minori. *Germano-Sarmatia* erat inter Sarmatiam Europæam, à qua dividebatur ad Ortum Borysthene fluviô, Germaniam ad Occasum, à qua separata erat Vistula, Daciam ad Meridiem, à qua divisa fuit Tyrâ fluviô & Carpathio monte. Habebat autem ad Boream Suevicum mare & Finnicum sinum. Ejus præcipui populi erant Venedi, Æstiæi, Peucini, & Bastarnæ. Ibi hodie regnum Poloniæ pro maxima parte. De cultu eorum ut addam aliquid, *Sarmatæ* Europæi, ut rerum Polonicarum tradidêre Scriptores, coluêre non Solem modò ac Lunam olim: sed etiam *Pogwid* sive Auram, *Jessam* sive Jovem, *Lacton* sive Plutonem, *Niam* sive Cererem, cujus celeberrimum Gnesnæ Templum fuit; Marzanam porrò sive Venerem & *Zievoniam* sive Dianam: usque ad tempora Miesconis seu Miecslai Regis, qui sacris Christianis est initiatus, circa A. C. 965. Eosdem Castorem quoque & Pollucem, sub nominibus *Leli* & *Peleti*, veneratos fuisse, nonnulli volunt, cujus vestigia hodieque in symposiis Polonorum, ubi vulgò *Lelus* & *Polelus* inclamari soleat, dicunt superesse: Sed *Vossius* à priscis illis *Sarmatis* per hæc nomina intellectos potius contendit, sive bonum nigrumque Deum; sive Cœlum & Tellurem; sive Jovem & Neptunum; nisi fortè dicas, illos à Græcis, Istri accolis, Castoris & Pollucis cultum accepisse. Quomodo & à Græcis fuit ara Alexandri M. ad Borysthenem: uti à Romanis illa, quæ ibidem constituta fuit Cæsari Augusto: cujus utriusque meminit Amm Marcellin. *l.* 22. Porrò, ad Obium fluv. coluêre Auream Vetulam; quæ num symbolum fuerit Evæ, nostrûm omnium Matris, an Telluris quæ & ipsa antiqua omnium Mater, difficile dictu est. Ab hoc Idolo, oraculi Delphici instar, futura quærentibus responsa fuisse data, refert Paulus Oderbornius *in vita Joh. Basilidis*. Cultum ejus hôc pactô describit Adamus Clemens *in Anglorum Navig. ad Philippum Angliæ tum temporis & Hispan. Principem. Si qua gravior calamitas gentem* (Moscorum) *premit, Idolum suum statim consulunt hoc modo: Coram simulachro prostrati preces fundunt: mox tympanum in medio statuunt. Hoc forte lecti circumstant: argenteum bufonem tympano imponunt, dein bacillô concutitur tympanum. Ac cui circumjacentium circumstat bufo, protinus interficitur. Statim, nescio quibus Idoli præstigiis, vitæ reliquiis majorum causas exponit. Itaque placatô Idoli Numine, non ita multo post publica calamitate liberantur.* Vide Gerh. Joh. Voss. *de Idolat. l.* 1. *c.* 39. Sol & ignem à veterib. Sauromatis cultum esse, refert Clem. Alexandrinus *Admonit. ad Gent.* deque eo testem laudat Nymphodorum *l. de Legibus Barbar.* Eoque magis fidem facit, quià à Lithuanis, gente *Sarmatica*, priusquam Christum amplecterentur, quod contigit circa A. C. 1240. honore divinô cultum esse Ignem, quem dixêre *Zniez*, scribunt, qui de Sarmatia Europæa egêre: ut Alex. Gagninus *Sarm. Eur. c. de prisca Lituanorum religion.* Imò Idololatriam hanc demum à Jagellone Rege Lituaniæ Magno Duce, qui omnibus spectantibus manu suâ illis, quas aliquando coluerat, arboribus magnâ vi secures impingens, tum ingentem vim aquæ profundens in illum tamdiu adoratum Ignem, *Non est* clamabat, *non est Deus, quod exscindi, dissici, extingui potest*, fuisse extirpatam, docet Sigismundus Baro in *Moscov.* circa A. C. 1390. Hinc *Sarmaticus* Ludus, apud Flav. Vopisc. *in Carino*, *c.* 19. *Exhibuit* & Ludum Sarmaticum, *quo dulcius nihil est*: Desultorius ludus est, à *Sarmatis*, qui optimi ac præstantissimi equorum desultores, nomen adeptus. Hinc in Circo *Sarmatis* vulgò Romani usi, ad equos hujusmodi agitandos: quod inprimis à Carino factum, postquam, Sarmaticô bellô profligatô, videtur Sarmatas captivos in Circum induxisse, & populo spectandos ostendisse; qui ex more & exercitio gentis suæ in equis desultoriis currerent. Certè hâc arte olim claram eam gentem, docet Ælian. *in Tacticis*, Ταραντῖνοι ὃ ἂν τοιοῦτον σχῆμα μάλιστα ... ... ἀμφίππους ἔλεγον, ὡς ... ... *Instruitur autem schema hoc optimè à Barbaris, Istri seu Danubii accolis; quos & Desultores dicebant, utpote ab equo transilire doctos.* Inter Danubii autem accolas etiam Sarmatæ. Unde *Sarmaticus Ister*, *Symmacho*. Vide Salmas. *ad Vopisc. d. l.* & de *ludo Desultorio*, supra.

Sarmatiæ Europææ urbes clariores, quæ in Polonico regno continentur, maximè quæ Satraparum (quos illi Palatinos vocant) sunt sedes, numerò urbium subjectarum appositô, sequuntur.

Urbes Sarmatiæ Europææ.

Augustavia, *Augustow*, Massoviæ, in Polachia.
Belsium, *Belz*, satrapia Rutheniæ, sub qua urbes 14.
Brestia, *Brest*, satrapia Poloniæ majoris in Cujavia, sub qua 4. urb.
Brunonis mons, *Braunsperg*, Prussiæ.
Calisia, *Calisch*, Poloniæ majoris satrapia, sub qua 9. urbes.
* Camenecia, *Caminiecz*, Podoliæ, episcopalis, & satrapia, sub qua 10. urbes.
Chielmia, *Chelm*, & *Chielmnick*, episcopalis, Rutheniæ.
Cobrinum, *Kobrin*, Polesiæ. Quid sit non constat, nisi forsan Orby.
Corcinum, quod Civitas nova, *Korczin*, Poloniæ minoris, conventus Cracoviensis. Urbecula est parva.
* Cracovia, *Crackow*, regia, & episcopalis, Poloniæ minoris, & satrapia, sub qua 10. urbes.
Colmia, *Culm*, episcopalis Prussiæ, & satrapia, sub qua 9. urbes.
Curia, *Curow*, episcopalis, Curlandiæ, nunc vicus.
Derlavia, *Dersaw*, vel *Dirschaw*, Prussiæ.
Dobrinum *Dobrin*, Massoviæ, satrapia, sub qua 4. urbes.
Drohicinum, *Drohicin*, Polessiæ. Est in Polachia.
* Elbinga, *Elbing*, Prussiæ.
Felinum, *Felin*, Livoniæ, sub Suecis.
Garbinum, *Gabin*, conventus Ravensis satrapiæ.
* Gedanum, *Dantzick*, Prussiæ Regiæ.
Gnesna, *Gnesen*, archiepiscopalis, Poloniæ majoris.
Goldinga, *Goldingen*, Curlandiæ.
Gostinium, *Gostin*, conventus Ravensis, in Polonia majori.
Halycia, *Halicz*, Rutheniæ, seu Russiæ nigræ.
Hapselia, *Hapsel*, episcopalis Livoniæ, sub Suecis.
Kiovia, *Kiow*, episcopalis Lituaniæ, & satrapia, sub Moschis.
Lancicia, *Lancicz*, satrapia Poloniæ Intermediæ, sub qua 8. urbes in Polonia majori.
* Leopolis, *Lemburg*, archiepiscopalis, & satrapia Rutheniæ, sub qua 10. urbes.
* Lublinum, *Lublin*, satrapia Poloniæ minoris, sub qua 5. urbes.
* Luceoria, *Lutzko*, episcopalis, & caput Volhiniæ.
* Mareeburgum, *Marienburg*, satrapia Prussiæ, sub qua 8. urbes.
Micislavia, *Micislaw*, satrapia Lituaniæ, sub qua 5. urbes.
Minscum, *Minsko*, satrapia Lituaniæ, sub qua 8. urbes.
* Mons Regius, *Konigsberg*, sedes Principis, academia & emporium Prussiæ Ducalis.
Narva, *Narva* etiam vulgò, gemina: una Livoniæ; altera Polessiæ. (Secunda est in Polachia, *Narew* vulgò.)
Novogradus, *Novogorod*, satrapia Lituaniæ, sub qua 4. urbes.
Nurum, *Nur*, Polessiæ. Vicus est Mazoviæ.
Opocinum, *Opoczin*, Poloniæ intermediæ.
Osilia, *Orsel*, insula & urbs episcopalis Livoniæ, sub Suecis.
Osvicinum, *Oswieczin*, Poloniæ minoris.
Parnavia, *Parnow*, Livoniæ, sub Suecis.
* Petricavia, *Petrikow*, conventus satrapiæ Sardiensis.
* Plescovia, *Pleskow*, Livoniæ, in confinio Moschorum.
Plotschum, *Plotzko*, episcopalis Massoviæ, & satrapia, sub qua 7. urbes. (Est in Polonia majori.)
Polocia, *Poloczk*, satrapia Lituaniæ, sub qua 4. urbes.
Posnania, *Posen*, caput, & satrapia Poloniæ majoris, sub qua 8. urbes.
Premyslia, *Przemysle*, episcopalis Rutheniæ, seu Russiæ Nigræ.
Quizinum, *Marienwerder*, Prussiæ, sedes Episcopi Pomesaniensis.
Radeomia, *Radziny*, conventus satrapiæ Vladislaviensis.
Radomia, *Radom*, conventus Sendomiriensis satrapiæ.
Ragnetum, *Ragnet*, Prussiæ, in confinio Samogitiæ.
Rapinum, *Rapin*, conventus alter Vladislaviensis.
Rava sic vulgò, satrapia Poloniæ intermediæ, sub qua 4. urbes. (Est Poloniæ majoris.)
* Revalia, *Revel*, episcopalis, & emporium Livoniæ, sub Suecis.
* Riga, *Ryg*, archiepiscopalis, emporium, & caput Livoniæ, sub Suecis.
* Sendomiria, *Sendomir*, vel *Sendomerz*, satrapia Poloniæ minoris, sub qua 12. urbes.
Siradia, *Sirad*, Satrapia Poloniæ intermediæ, sub qua 6. urbes. Est Poloniæ majoris.
* Smolenchum, *Smolensko*, satrapia, & episcopalis, Lituaniæ, sub Moscis.
Socsavia, *Soczow*, Poloniæ intermediæ, ubi Comitia.
Torpatum, *Derpt*, episcopalis Livoniæ.
* Torunia, *Thorn*, Massoviæ maxima. Torunia urbs est Prussiæ Regiæ.
Trochi, *Trocki*, satrapia Lituaniæ, sub qua 5. urbes.
Tycocinum, *Tycocin*, Polessiæ. Urbs est Polachiæ.
Vepria, *Wiper*, Samogitiæ, nunc castrum in limite Lithuaniæ.
* Varsovia, *Warsaw*, Massoviæ, ubi regni Comitia.
* Vilna, *Wilde*, episcopalis, & primaria satrapia Lituaniæ, sub qua 4. urbes.
Vinda, *Windaw*, episcopalis Livoniæ, in Ducatu Curlandiæ.
Vitepscum *Vitepsk*, satrapia Lituaniæ, sub qua 3. urbes.
* Vladislavia, *Vladislaw*, episcopalis, & satrapia Massoviæ, sub qua 4. urbes. Est in Polonia majori.
Volmaria, *Wolmar*, Livoniæ, sub Suecis.
Vide quoque *Poloniæ urbes*.

SARMATIA, Tolistobogiorum in Galatia urbs, *Antonin.*

SARMATICA, Plin. *l.* 4. *c.* 12. insula Mysiæ inferioris, contra ostium Istri, quod Calostoma appellatur, i. e. pulchrum ostium.

SARMATICI, montes, *Ptol.* Carpatibus finitimi, apud Cepusium oppid. & Comitatum Hungariæ Transdanubianæ, quos Cepusienses Ludovicus Decius interpretatur. *Ferrar. Baudrando* sic dicuntur mon-

montes Carpates, quà Germano-Sarmatiam spectant, seu Poloniam, præcipuè versus Comitatum Czepusium, ubi *Biestsd* à Russis dicuntur.

SARMATICUM Mare, Ovid. *l.* 4. *Ep.* 10. *ex Ponto v.* 38. idem Euxino, quà Sarmatiam alluit, *Ferrar. Baudrando* pars est Oceani Septentrionalis, versus mare Album & oram Borealem Moscoviæ, inter ostia Obi & Dunæ fluviorum, hodie *mer de Moscovie* seu *Ocean Septentrional* Gallis, *Moscovskoy more* Moscis, testibus *Isaaco Massa* &c.

SARMENES, qui de equitatu primus scripsit, memoratur inter opera ex ære Demetrii, Plinio *l.* 34. *c.* 8. ubi tamen *Servium* habet *MS.* Xenophon *Simonem* vocat *de Re Equ.*

SARMENTA, surculi amputati sunt, à *sarpendo* i. e. putando. Hæc arida boum cornibus præligata accensaque, magnum hostibus terrorem intulisse, legitur apud Liv. *l.* 22. *c.* 16. *Annibal --- nisi Romanus inclusum vallibus agmen aggrederetur, ludibrium oculorum specie terribile, ad frustrandum hostem commentus, principio noctis furtim succedere ad montes statuit. Fallacis consilii talis apparatus fuit. Faces undique ex agris collectæ, fascesque virgarum, atque arida sarmenta, præligantur cornibus boum, quos domitos indomitosque multos inter ceteram agrestem prædam agebat ---- c.* 17. *Primis tenebris silentio mota castra: boves aliquanto ante signa acti* (quod negotium Asdrubali datum) *ubi ad radices montium viasque angustas ventum est; signum extemplò datur, ut accensis cornibus armenta in adversos concitentur montes: & metus ipse relucentis flammæ ex capite, calorque jam ad vivum ad imaque cornuum adveniens, velut stimulatos furore agebat boves, quò repente discursu, haud secus quàm sylvis montibusque accensis, omnia circum virgulta ardere, capitumque irrita quassatio excitans flammam, hominum passim discurrentium speciem præbebat. Qui ad transitum saltus insidendum locati erant --- circumventos se esse rati, præsidio excessêre ---- deinde ---- cum majore metu concitati se in fugam ---- Interea totô agmine Annibal traductô per saltum, & quibusdam in ipso saltu hostium oppressis, in agro Allifano posuit castra* &c. De *Sarmentis balsami*, Plin. *l.* 12. *c.* 25. ubi de hac arbore: *Et sarmenta quoque*, inquit, *in merce sunt, DCC. HS amputatio ipsa surculique venière intra quintum demum annum*, h. e. septingentis sestertiû seu septingentis millibus sestertium nummûm. Tanti pretiô erat xylobalsamum, intra quintum annum, postquam devicta est à Romanis Judæa, vide infrà, in voce *Xylobalsamum*. A *Sarmentis*, *Sarmentitii* & *Semiaxiarii*, à Gentilibus olim Christiani dicti sunt, quod ad stipitem dimidii axis alligati sarmentis accensis exurerentur. Tertullian. *Apologet. c.* 50. *Vivimus, cum occidimur, licèt nunc Sarmentitios & Semiaxiarios appellatis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur.* Vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Πυρκαϊάς, ubi de variis Vivicomburii generibus.

SARMENTUS, vir, qui scurrilitate claruit, cujus meminit Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. *v.* 51.

> ----- ----- *Nunc mihi paucis*
> *Sarmenti scurræ pugnam Messique Cicerri*
> *Musa velim memores.* ---- ----

Et paulo pòst *v.* 55.

> *Sarmenti domina exstat.*

Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 3.

> *Si potes ista pati, quæ nec Sarmentus iniquas*
> *Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.*

Hujus & Plut. meminit. *in Antonio*: Ὅ γε Σαρμέντος [illegible] Καίσαρος [illegible] παιδάριον, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσι. *Nic. Lloydius.*

SARMIA, aut SARNIA Insul. *Grenesey*. Anglis *Guernsey*: Insul. est Oceani Britannici, cum Cæsarea vulgò *Jersey*, Galliæ quàm Angliæ propior, hujus tamen imperium agnoscit: naturæ munimentis tuta & smiris lapidis ferax, pomariis præterea non minùs ac Cæsarea abundat. Veteri Regum Angliæ privilegiô gaudet, quòd in oppido ejus S. Petri perpetuæ sint induciæ, & Gallis aliisque, quamvis bellò sæviente, ultro citroque huc sine ullo periculo venire & commercia securè exercere, liceat, Camdenus *de Insulis Britann. p.* 756. De utraque Insula sic Vales. *Notit. Gall.* in voce *Gallicus Oceanus*. *Sarmia*, inquit, 10. *parœciis constans*, *Cæsarea* 12. *ambæ quondam Episcopatus Constantiensis portio & olim Francorum, nunc Anglorum Regi subjectæ, à Normannis & Brittonibus, Francicâ linguâ utentibus, habitantur. Æthico memoratæ* &c. Vide quoque *Sarnia*.

SARMISIA, Vallis, *J. Sambuco Haczeg*, tractus Transylvaniæ in Meridiem quæ & *Zarmisia*, ubi *Zarmigethusa* Urbs erat.

SARMYDESSUS, locus in Thracia. *Suidas*.

SARNA, arx Austriorum, in Subsylvania seu Underwaldiæ Helvetiæ pago, munita & expugnatu difficilis, sub auspicia libertatis Helveticæ, hôc pactô capta est Kal. Jun. A. C. 1308. Erant Helvetiorum numero 50. è quibus 30. sese inter arbores, quarum eô locò densa sylva erat, abdiderant, ceteri 20. baculis nixi arcem petebant, munera pro consuetudine præferentes, agnos, porcos, vitulos, caseos, aliaque hujus generis plurima. Interim baculos teretes ita antè exacuerant, ut facile eos acuto ferro, quod singuli sinu gestabant, hastarum instar inducere possent. Sic in arcem intromissi portam occupant, quibus socii, qui inter arbores delitescebant, signô datô, auxilio veniunt, ac omnibus in potestatem redactis, captivos cum rebus suis ad fines deducunt, jurejurando ab illis exactô, ne unquam in has regiones redeant. Mox arx, unà cum altera ejusdem pagi Rotzbergo, funditus diruta est. Simlerus *de Rep. Helv.*

> *Munera plus armis insidiosa nocent.*

SARNACA, Troadis vel Mysiæ urbs. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

SARNADA, Pannoniæ oppid. *Antonin.*

SARNIA, Britannica insula. Antonin. *Garnsey Camdeno*. Insul. Galliæ Lugdunens. in mari Britannico in ora Normanniæ, cujus antea pars fuit; & sola cum Cæsarea Insul. Anglis superest ex Ducatu Normanniæ; jamque Hantoniæ, provinciæ Angliæ tribuitur. Continet 10. pagos & castrum munitum, in ora Orientali, *Chasteau Cornet* dictum. Longa est: 5. mill. pass. à Cæsarea ad Occidentem æstivum 18. milliar. distat, pas 45. à Maclovipoli in Boream 25. ab ora proxima Normanniæ in Occasum. Dicitur & Garneseja Insul. *Baudrand.*

SARNIUS, Asiæ fluv. in limitibus Hyrcaniæ. *Strabo*.

SARNUM, vulgò SARNO, urbec. Principatus citerioris in limite Terræ laboris & Principatus ulterioris, cum titulo Ducali gentis Barberinæ, 15. milliar. à Salerno in Circium, Nolam versus 8. & 5. à Nuceria in Boream, ad radices montis, cum arce antiqua.

SARNUS, fluv. Picentinorum, eos à Campania dividens, ex monte Tifata profluens (qui ibi *Sarnus Vibio Sequestr.* dicitur) & in mare apud Stabias illabens, cum urbe cognomine apud Ortum vulgò *Sarno*. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 738.

> ----- *Latè jam tum ditione premebat*
> *Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus.*

Ubi *Servius*: *Populi Campaniæ sunt à Sarno fluvio: Conon in eo libro, quem de Italia scripsit, quosdam Pelasgos, aliosque ex Peloponneso convenas ad eum locum Italiæ venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerit, & fluvio, quem incolerent, Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis, & se Sarrastes appellâsse.* Versum Virgilii ita reddidit *Sil. l.* 8. *v.* 537.

> *Sarrastes etiam populos, totasque videres*
> *Sarni mitis opes.* ---- ----

Vocat *mitem*, quia hic fluv. non præceps, sed placidus, & utilis irrigandis agris. Stat. *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 265.

> *Nec Pompejani placeant magis otia Sarni.*

Nic. Lloyd. Hodie *Scafati Baudr.* Principatum citeriorem à Terra Laboris separans, postea in Sinum Neapolitanum se exonerat, infra Pompejos, prope Turrim, Annunciatæ, 5. milliar. à Stabiis in Boream. Item urbs Illyriæ *Stephanus*.

SARO, nauta, qui moribus suis inelegantibus & inurbanis proverbio locum fecit, *Sarone magis nauticus*.

SARON, sive SARONA, regio inter Cæsaream & Joppen. Item oppid. Palæstinæ. *Castel. S. Lamberto* hodie, urbe egregia, quam cepit Josue, Rege illius interfectô: regio est campestris, pinguis & fertilissima, saginandis pecoribus perquam apta, ideoque ibi pascebantur regis animalia: Est in tribu Ephraim. Item mons inter Taborum, & lacum Tiberiadis, in tribu Aser, aquis, fluminibus, hortis & vineis abundans, juxta castrum Lamberti, non longè à mari situs est: atque versus Aquilonem à Ptolemaide quatuor, versus Austrum verò à Sandalio castro tribus milliaribus distat, cujus juga usque ad Castrum Indi se extendunt. Brocard. *mn.* 1. & Breid. *ibid.* Latinè *planities*, aut *canticum ejus*. Ceterum, situs est alius circa Joppen & Lyddam, de qua Actor. *c.* 9. *v.* 35. Οἱ κατοικοῦντες Λύδδαν καὶ τὸν Σαρωνᾶ. Situs ejus ex his Eusebii in *Locis* liquet, *A Cæsarea Palæstinæ usque ad oppidum Joppen, omnis terra quæ cernitur, dicitur Sarones.* Et Hieronymi in Esaiæ *c.* 33. *Saron omnis juxta Joppen Lyddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque tenduntur.* Et in Esaiæ *c.* 65. *In Hebræo Saron ponitur. Omnis regio circa Lyddam, Joppen & Jamniam* &c. Sunt, qui *Saronis* nomen, *campum* explicant ex Symmacho: quod sequutus Hieronym. Esaiæ *c.* 65. *v.* 10. pro *Sarone* habet *Campestria*. Sed Græci Δρυμὸν, i. e. *sylvam*, propriè *quernam & glandiferam*. Fortè ex Græca lingua, quâ Σαρωνὶς est quercus. Callimachus *Hymno in Jovem*,

> Ἤνεγκεν ἐϑύντερθε σαρωνίδας ὑγρὸν ὕδωρ
> Ἤειρεν ------
> ----- ----- *Desuper*
> *Innumeras quercus liquidas producit laen.*

Ubi *Scholiastes*, Σαρωνίδας, δρῦς. Et Plin. *l.* 4. *c.* 5. *Sinus Saronicus olim quernô nemore redimitus, unde nomen, ita Græcia antiquâ appellante quercum.* Et fortasse Galli indidem Druides, alio nomine Σαρωνίδας appellabant, ut auctor est Diodor. *l.* 5. Propriè autem σαρωνίδες nonnullis sunt *quercus cavæ & propter vetustatem hiantes* &c. Sed aliud Hebræis *Saron*, locus scil. lati prospectus, qui certè nullibi latiùs patet, quàm in campis apertissimis. Cyrillo in *Esaiæ c.* 33. Saron Judææ locus est, [illegible]. *Campos habens arabiles & ad agriculturam valde accommodatos.* Sed *pascuos* describit Hieronymus, cui hæc notiora fuêre. Quò facit locus 1. Paral. *c.* 27. *v.* 29. *Et bobus pascentibus in Sarone præpositus fuit Sitrai Saronita.* Agitur de Davidis Regis armentis, quæ ibi pascebantur, tanquam in campo uberrimo & pascuis fertilissimo. Sed & alius fuit ejusdem nominis locus, de quo Euseb. *d. l. Hodieque regio inter montem Tabor & Tiberiadis stagnum vocatur Saronas*, Josue *c.* 12. *v.* 18. ubi Vulgata, Rex *Saron*. Hebræa habent, *Rex Lassaron*. Chaldæus item, & Arabs & Græci Βασιλέα Ἀσσαρών. Locus est à

I 3 Saron

Sarone diversus, verùm ubi fuerit, ignoratur hodie. Regna enim, quæ ibi describuntur, aut urbes & oppida sunt, quorum nonnulla destruxit Josua, ita ut illorum vestigia frustra quærantur. Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 31.* Vide eundem *Ibid. c. 48.*

SARON, melius SAROHEN, civitas in tribu Simeon Jos. c. 19. v. 20. Latinè *princeps*, vel *canticum gratiæ* sive *principis*, vel *cantici gratia.*

SARON, locus Trœzenis. *Steph.*

SARONICUS, portus Achaiæ ad Isthmum Corinthiacum. Ptol. *sinum* facit *Saronicum.* Plin. *l. 4. c. 5. Sinus Saronicus olim querno nemore redimitus, unde nomen: ita Græciâ antiquâ appellante quercum.* Multi à *Sarone* Deo marino, nam Saronem fuisse regem, qui illic Atlepiæ marinæ regioni imperavit, *in Corinthiacis* scribit Pausan. Alii à Sarona oppido nunc pago *Saronita*, in ora Sinus, post Epidaurum; *Salaminicus sinus* dicitur *Straboni.* Hodie *Golfo de l'Engia Castaldo.* Sinus maris Ægæi, inter Atticam & Peloponnesum extensus, inter promontor. Sunium & Scylæum ad Ortum, & Isthmum Corinthiacum ad Occidentem. Rigat Athenas, Megaram & Trœzenem, habetque Æginam & Salamina. Insul.

SARONIS, *Dionys. Afro*, *Sinus Saronicus.*

SARONIS. Palus in Anglia, Pausan. *l. 2.* quæ & *Phœbea.*

SARONITES, nomen viri. 1. Paral. *c. 27. v. 29.* Latinè *planities*, vel *planus*, sive *cantans.*

SAROPHAGES, gentes Indiæ apud Indum fluv. Plin. *l. 6. c. 20.*

SARPEDON, Jovis fil. ex Laodamia Bellerephontis filiâ. Homer. *Il. 15.* vel, ut Herodot. tradit *in Polyhymnia*, ejusdem Jovis fil. ex Europâ, frater Minois. Hic cùm Lyciæ rex esset, & in armis strenuus, Priamo suppetias tulit adversus Græcos: ubi cum multa edidisset virtutis suæ documenta, tandem à Patroclo est interfectus. Corpus autem ejus, Jovis jussu, ab Apolline è medio pugnantium sublatum est, & flumine ablutum, ambrosioque respersum liquore, ac regiâ indutum veste ad sepulturam suis restitutum. Memoria autem ejus lege à Jove sancitâ coli jussa est, ut eam diem, quâ interiit, omnes Dii in luctu & jejunio transigerent. Vide Schol. *in Nubes. Aristoph.* Virg. *Æn. l. 1. v. 103.*

Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon. -------- --------

Genitivus casus Σαρπήδοντος dicitur Æolicè, teste *Hesychiô*, quem sis consule. Intelligere debemus (inquit *Rittershusius*) plures fuisse *Sarpedones*: quorum unus fuerit rex Thraciæ, teste Apollonii Scholiaste *l. 1.* à quo nomen habet *petra Sarpedonia* ad Æmum montem Thraciæ, cujus & *Suidas* meminit: quam semper fluctibus agitari ajunt, & in quo templum Neptuno sacrum. *Sarpedonia* quoque Atticæ oppid. Alius in Cilicia *Sarpedon* fuit, de quo Oppianus *Halieuticôn l. 3.*

Οἷον ἐμπρίξας ἐρικώδεος ἀντίοντας
Πάντας ἐπαντῆς ὑπὲρ Σαρπηδόνος ἀκτῆς.

Nic. Lloyd. In Troade cultum esse, discimus ex Plinio *l. 13. c. 13. Præterea Mutianus ter Consul prodidit, se legisse, cùm præsideret Lyciæ*, Sarpedonis *à Troja, scriptam in quodam Templo chartam.* Sic & Iliensibus cultum Hectorem ac Helenam. ab iisdem Ajaci, uti à vicinis Sigeensibus Achilli, Patroclo & Antilocho, sacra fuisse facta, novimus ex Athenagora *Leg. pro Christ.* Clemente Rom. *Recognition. l. 10.* & Strabone *l. 13.* De oraculo *Sarpedonis* habes, apud Tertullian. *de Anima c. 46.* Item Philostratum *in Heroicis.*

SARPEDON, Ciliciæ promontor. eam à Pamphylia distinguens. Pomp. Mela *l. 1. c. 13. Steph.* urbs est Thraciæ. Item insulæ nomen, *Suidas. Hesychius*: Σαρπηδών, ἄκρα αἰγὶ τῆς Σαρπηδονίας. ἔστι δὲ ὄρος Θρᾴκης, ἀεὶ κλυδώνας ἔχων καὶ κυμαζόμενος, ἱερὸν Ποσειδῶνος. Unde in Proverb. abiit de rebus valde turbulentis, & in clamosos quadrat.

SARPEDONIA Insul. Gorgadum seu Hesperidum caput, nunc *Isola de St. Jago* Hispanis, oblonga, cum urbe cognomine. Sub Lusitanis.

SARPEDONIUM Littus, in ora maris Euxini apud Sarpedonem oppid. Vide ibi; ubi Erginus fluv. exoneratur.

SARRA, urbs Phœniciæ, deinde Tyrus dicta, à pisce quodam qui illic abundat, quem *Sarram* vocant, ex cujus sanguine sericum in purpuram tingebatur. Inde *Sarranæ vestes* Tyriæ dictæ sunt, quæ & ostrinæ & purpureæ. Virg. *Georg. l. 2. v. 506.*

Ut gemmâ bibat, & Sarranô dormiat ostrô.

Hinc Ausonius. *Ep.*

----- *Sarrano videor discumbere in ostro.*

Juvenal. *Sat. 10. v. 38.*

------ *Aut picta Sarrana ferentem*
Ex humeris aulæa toga.

Sidonius *Sarranam chlamydem* dixit Paneg. Anthem. *v. 6.* & Columella *l. 9. c. 4. Sarranas violas*, pro purpureis, & Silius *l. 15. v. 205. Sarranum muricem.* Probus ad Virgilii locum supra productum. *Tyrum Sarram appellatam Homerus docet, quem etiam Ennius sequitur, cùm dicit, Pœnos Sarrâ oriundos.* Agellius quoque *l. 14. c. 6.* ait, Tyrum prius dictam fuisse *Sarram.* Nomen autem *Sarræ* deduci notum est ex Ebræo *Tyri* nomine צור *Tsor.* In quo literam *Tsade*, quæ medii est soni inter T. & S. Græci in T. mutarunt, & Romani in S. Ita factum, ut ex eodem צור *Tsor* & Τύρος nasceretur & *Sarra.* Bochartus. *Nic. Lloyd.* Nam de Pisce *Sar*, quod ex Servio *ad Georgic. l. 4.* desumtum, non extare illud ullibi gentium, idem docet, Serviumque memoriâ lapsum contendit, *Geogr. Sacr. Part. 2. l. 2. c. 10.*

SARRACUM, apud Capitolin. *in Marco Antonino Philos. c. 13. Tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata sarracisque.* Aliàs *Serracum*, vox est jam optimis Latinitatis temporibus usitata. Juvenal. *Sat. 3. v. 255.*

------ ------ ------ *corruscat*
Serracô veniente abies.

Græcè ἅμαξα. Amm. Marcellin. *l. 31. Cumque ad graminea venerint, in orbiculatam figuram locatis sarraclis ferinô ritu vescuntur.* Ubi *sarraclis* est, pro *sarraculis.* Aliud planè est *seracum*, cujus mentio apud Festum & Horatium, in illo versu,

------ ------ *plenis lubet intorquere seracis.*

Uti infrà videbimus, in hac voce. Vide Salmas. *ad Capitolin. d. l.* Apud Festum, *Sarracum vehiculum est, quò ornamenta portantur Scenicorum; frequentius tamen ponitur, pro vehiculi genere, quò ligna & lapides devehi consueverunt*, Corrasius *Miscellan. l. 2. c. 20. num. 4.*

SARRÆ Castra, meliùs *Pons Saravi*, Germani *Kaufmans Serbruck*, urbs Lotharingiæ aliàs Imperialis & sui juris, hodie sub Gallis, ad Sararum fluv. in limite Alsatiæ inferioris *Sarbourg.*

SARRÆ Pontes, *Antonin. Pons Saravi*, *Sarbrucken* oppid. Austrasiæ, ad Sarram fluv. à Sarburgo 8. leuc. in Boream versus Fanum Vendelini, 5. à Biponto Urb. 3. in Occasum, Fanum Avoldi versus 2.

SARRANATES, popul. Umbriæ extincti. Plin. *l. 3. c. 14.*

SARRASTES, Italiæ populi, vide *Sarnus.*

SARRATIUS, vide *Pastor Albenacensis.*

SARRITOR, unus e Diis Romanorum Agricolis. Hoc enim ordine hisq; [illegible] nominibus Flamen, sacrum Cereale Cereri & Telluri faciens, Divos hos invocabat, *Vervactor*, *Redarator*, *Imporcitor*, *Insitor*, *Obarator*, *Occator*: Sarritor, *Subruncinator*, *Messor*, *Conjector*, *Conditor*, *Promitor.* Plinius erat frugum jam nascentium, quæ *sarriebantur*; sicut Occator ultimus erat agri colendi. Nam, ut ait Plaut. *Captiv. Actu 3. sc. 5. v. 5. priùs occant quàm sarriunt rustici.* Itaque præerat hic Deaster *Sarritioni*, cui operi *sarculum* inservit: quo herbæ noxiæ segetibus evelluntur; hoc enim *sarrire* est. De quo elegans versiculus extat, apud *Pomponium Nonio* laudatum.

Sarculum hinc illò profectus, illinc rediisti rutrum.

Quo uti possumus in hominem ἀπίσω ἰόντα, cui res retro currunt. Sensus enim est; Cùm hinc profectus es, segetes tuæ jam in herba erant & sarculum spectabant; at cùm illinc rediisti, ad *rutrum*, quod Græci σκαπάνην & σκάφειον vocant, tibi res rediit & ad carceres revocatus es, cùm prope metam jam esses. Nam rutrô terram vertere primum est, tum semen [illegible] jacere, dein occare, postea sarrire, &c. Vide Salmas. *ad Solin. p. 515. 728.* & plura *de sarriendarum segetum disciplina*, apud Plin. *l. 18. c. 17.* & 21.

SARROCHIA Margarita, vide *Margarita.*

SARROCIUM, vide *Suprapellicium.*

SARRON Magius, tertius Celtarum rex, præclaras artes, Academiam, ac publica literarum studia primus, in toto terrarum orbe, exposuit, instituit, promovit. Unde apud Celtas, ut refert Diodor. Sic. philosophi appellati fuerunt *Sarronidæ.* Mortuus est, annô formati Adami 2057. & ante Magni Messiæ nativitatem 1013. quum 48. annis regnâsset. Regnavit autem post Magum seu Magogum, & Drium successorem habuit. Sarronidis verò postea Druides & Bardi successêre. Diodor. *l. 6. c. 9.* Dupleix *de Gall. l. 1. c. 16.* & *l. 2. c. 4.*

SARS, Hispaniæ Tarraconensis fluv. *Pomp. Mela l. 3. c. 1. Rio Lezaro.* Prope turrim Augusti, in Oceanum se exonerat, 3. leuc. à Nerio promontor. in Meridiem *Baudrand.*

SARSACHIM, unus ex principibus regis Babylonis. Jer. *c. 39. v. 3.*

SARSAGA, Armeniæ minoris urbs. *Antonin.*

SARSENNA, pater & fil. nobilissimi scriptores, quos Plin. commemorat damnasse arbustorum rationem ad vites sublevandas, *l. 17. c. 23.*

SARSINA, vetus civitas in Æmilia, seu Romandiola, in ipso limite ditionis Florentinæ, uberrimis pascuis nobilitata. Ad Sapim fluv. qui 10. milliar. supra oritur. Parvi circuitus, vix 50. domos continet, 10. milliar. à Cesena in meridiem 24. ab Arimino in Occasum. Episcopi sedes. Hanc nonnulli Plauti patriam faciunt, indeque eum *Sarsinatem* dictum volunt. Strabo *l. 5.* Ἀπὸ Ῥαουέννης ἐφεξῆς οἱ Ὄμβρικοι, κατέχουσι δὲ πλησίον, καὶ ἐφεξῆς Σαρσῖναν, Ἀρίμινον, Σήναν, καὶ Καμαρῖνον. Sil. *l. 8. v. 461.*

------ *His populi fortes, Amerinus, & armis*
Vel rastris laudande Camers; his Sarsina dives
Lactis. ------ ------

Populi *Sarsinates* Plin. *l. 3. c. 14.* Plautus in *Mostellar. Actu 3. sc. 2. v. 80.*

Sol semper heic est, usque a mani ad vesperum,
Quasi flagitator adstat usque ad ostium.
Nec mihi umbra usquam est, nisi in puteo quapiam est.
T R. *Quid? Sarsinatis ecqua est? si Umbram non habes.*

Ubi

Ubi ad Patriæ nomen alludit; quia *Sarsinas* ipse erat. Vide Festum *in Ploti*.

SARSORIUM Opus, apud Ennodium *Epigramm.* 91. quod inscribitur, *de Marmoribus opere sarsorio*, opus est ex variis discolorum marmorum crustis invicem ita commissis, ut unum corpus & unam quasi picturam efficiant, concinnatum, uti describitur à Senatore *l.* 1. *Ep.* 6. Cujusmodi opera *Lithostrota*, *Musiva*, *Tessellata* aliàs dicta sunt: inter quæ tamen discrimen, ut suis locis videre est. Ratio nominis est, à *sarcio*: unde *Sarsorium* propriè opus, variis quodammodo materiis contextum confectumque, ut plerunque *Sartorum* sunt opera. Car. du Fresne *Glossar.* & Dominic. Macer. *in Hierolexico*.

SARTA, vulgò LA SARTE fluv. Gall. Celt. Oritur in limite Normanniæ, quam separat à provinc. Perticensi: Valesius habet, in saltus Pertici vico, *Somme-Sarte*, 2. leuc. à Moritonio. Dein rigato Alenconio, & Fraxineto *Fresnay*, per Cenomanos fluens, juxta Cenomanum labitur, ibique Huinum seu Idoneam fluv. recipit. Tandem rigatis aliis locis, Scusâ *la Suse*, Sablolio *Sablé*, Castello Novo, per Andegavos fluens, inibi Lædum seu Lidericum *le Loir* fluv. recipit, & paulo pòst in Meduanam se exonerat, vix mill. pass. supra Andegavum. Dicitur quoque *Serta*. Hinc Brieserta, i. e. Pons Sartæ, vulgò *Brisserte*, supra & prope Castellum Novum nomen nactum est. Accipit *Sarta*, præter jam memoratos fluvios Ornam etiam & Infernam *Enserne*. Vales. *Notit. Gall.*

SARTA Tecta, apud Flav. Vopisc. *in Divo Aureliano*, c. 35. *Templum Solis fundavit & Pontifices roboravit, decrevit etiam emolumenta sartis tectis & ministris*: in *Glossis* exponuntur ὑποῤῥαφαί; Ῥάπτειν enim οἰκοδομὴν & ὑποῤῥάπτειν Græci dicebant, vel ex novo ædificare, vel *vetera sarcire*. *Eædem*, ὑποῤῥάπτω οἰκοδομὴν, *substruo*, *resarcio*, ὑπόῤῥαφὴ, *plicatura*, *resarcinatio*. *Substructionem* etiam dicebant. *Glossæ*, *substructiones*, ὑποῤῥαφαί. *Subsutiones* idem erant. *Eædem*, *Subsutio*, ὑποκόλλημα, ὑπόῤῥαφη. Ἐπισκευὰς quoque, quo nomine Græci *sarta tecta* dicunt; *substructiones* interpretantur illæ Glossæ: *Substructiones*, ἐπισκευαί, Salmas. *ad Vopiscum*. Quæ *sarta tecta* eô modò locari exigique solebant, ut redemptores suo lapide, suâ calce ac suâ materiâ ædes sartas tectas præberent, certô pretiô in singulos annos addictô, Quod fieri solitum Romæ minimo licitantibus, observat Budæus *Annotat. prior. in Pandectas*. Hinc *Sartitectores*, pro iis qui *sarta tecta* curabant, posuit Isidorus *in Glossis*; *Sartitector*, *qui tecta resarcit*: vulgò *Sartitator*, malè &c.

SARTAGO, inter supplicia Martyrum, vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Πυρωσμὸς, ubi de variis Vivicomburii generibus. In re salinaria, *patella* aliàs dicitur; & occurrit apud Wigulejum Hondium *in Episcopis Frising.* ex vet. *Charta*, *Insuper tradidit ei omne jus, quod habuit in loco Hall dicto, cum Sartaginibus* &c.

SARTE, urbs juxta Athon. Gentile *Sartaus*, *Steph.*

SARTHA, amnis Cenomanorum urbem præterfluens, qui apud Normannos scaturiginem habens, ipsos à Cenomanis dividit.

SARTHÆ, apud Pomponium, in scriptis codd. pro *Satarchis* & *Sarmatis*. Salmas. *ad Solin. p.* 191.

SARTHAN, locus non procul ab Jezraële. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 12. & *c.* 7. *v.* 46. in tribu Manasse. Latinè *angustia*, *tribulatio*, aut *colligatio*, sive *plasmatio*, vel *figuratio*.

SARTHAN, quæ & SARDACHA, in tribu Gad. Jos. *c.* 3. *v.* 16. 1. Reg. *c.* 7. *v.* 46. 2. Paral. *c.* 4. *v.* 17.

SARTHAN, locus erat, juxta quem siccis pedibus transierunt Jordanis alveum Israëlitæ, in tribu Ruben. Jos. *c.* 3. *v.* 16.

SARTORIA, Græcè ἡ ῥαπτικὴ, & Textoria, Græcè ἡ ὑφαντικὴ, præcipuæ sunt Artium, quæ circa vestes conficiendas occupantur. Nam ἡ ἀκεστικὴ, quæ & ἠπητικὴ, non conficit vestes, sed tantùm jam veteres & usu tritas reficit: quod ejusdem Artis non esse, *in libro ad Thrasybul.* non semel scribit Galenus. Hyphantice, quæ telas & pannos è lana aut serico aliaque materia conficit, vulgò notissima est & eleganter describitur Senecæ *Ep.* 90. Rhaptice sive *Sartoria*, pannos priùs incidit, deinde acu consuit, quod *vestimenta concipere* dixêre Latini. Servius *ad Æn. l.* 12. *Sercinatores concipere dicuntur vestimenta, cùm è diverso conjungunt & adsuunt.* Et hodie quidem, rarissimè vestis aliqua confit, sine Sarcinatoris opera; olim verò parandarum vestium alia fuit ratio. Textores enim vestem absolvebant; neque eorum operâ ut plurimùm utebantur, quos sermo Gallicus vocat *Couturiers*; Latini *Sartores* aut *Sarcinatores*, quæ vocabula refectorem potiùs vestis, quàm novæ confectorem, denotant. Et quum ἠπεῖν sit acu suere, *Sutores* tamen Romanis dicti sunt, non illi qui acu vestes consuunt: sed qui coria, in usum calceorum. Plato quoque in *Politico*, de artificiis vestimentorum disserens, commemorat τὴν τρήσει καὶ ῥαφῇ χρωμένην σύνθεσιν, *confectionem illam quæ fit perforatione & sutela*: quâ generali descriptione *Sartores* quoque comprehendi possent; interim illorum non meminit, sed tantùm τῆς σκυτοτομικῆς, *Artis coria consuendi*. Nec Galenus *loc. cit.* ubi multam facit mentionem earum Artium, quæ vestes Veteribus conficiebant, nostrorum *Sartorum* meminit; solam in eo genere agnoscens Textoriam, quasi illa non tantùm pannos confecisset, ut hodie, sed etiam ipsa absolvisset vestimenta. Unde colligere est, eosdem, qui erant Textores & *Sartores* fuisse aut certè longè aliam fuisse olim indumentorum rationem, quàm fit hodie. Evangelista Johannes, de tunica DOMINI agens, utriusque artificii meminit, sed *Sartores* illi manum adhibuisse negat, dicens, quod fuerit ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. Vide plura hanc in rem, apud Isaac. Casaubonum. *Exercitat.* 16. *ad Annales Baronii sect.* 84. & suprà in *Sarcinator*, it. infrà in voce *Sutor*.

SARUG, fil. Reu, pater Nachoris, qui Tharam, Abrahami patrem genuit. Sub Belo. Ejus tempore idololatriam incepisse, statuit *Epiphan.* cum *Suida*: Aliis factum id Ninô auctore dicunt. Obiit A. M. 2079. ætat. 230. Genes. *c.* 11. *v.* 20. Luc. *c.* 3. *v.* 35. Latinè, *palmes*, *sarmentum*, *ramus*, vel *convolutio*.

SARVIA, vel ZERVIA mater Joabi, Abisai & Asahelis, Davidis soror.

SARUM, urbs Episcopalis Angliæ, sub Archiepiscopo Cantuariensi. Vide *Sariberia*.

SARUM, oppid. Arabiæ Felicis *Ptol.*

SARUNETES, Helvetii popul. *Plin. l.* 3. *c.* 20. qui apud Tscudum *Sarnganserlandt* inhabitant hodie. Eorum oppid. & regio *Sargans* vulgò nuncupatur: in priscis diplomatibus *Sarunegans*. Sedes eorum olim ad ortum Oeni flum. ubi populi hodie Engadini; quorum coloni fortè hi Helvetiorum *Sarunetes* vel *Sarunegausii*: nisi hoc nomen à *Sara* fluviolo oppidum præterfluente acceperunt. Fuêre antiquitus sub Comitibus Werdenbergiis, à quibus regiò Austriis Principibus, & postea Comitibus Toggiis oppignorata, iterumque redempta est: donec illam A. C. 1483. Georgius Werdenbergensium Comes septem Pagis Helvetiorum vendidit. Ab his Præfecti ordine mittuntur, qui in arce, olim Comitum domo, habitantes, *Sarunetibus* imperant: nihilominus oppid. ipsum Sarunetum suis quoque privilegiis fruitur, propriosque creat Magistratus, qui jus dicant & de causis civilibus cognoscant. Tota regio fluviô prædictô Sarâ in duas partes dividitur: quarum superior vicos aliquot habet, quorum præcipuus Regatium est, ubi judicia ejus partis exercentur: Item cœnobium Fabarianum, cujus Abbas jurisdictionem quandam his in locis habet: Interior Sanegaunô oppidô totius Præfecturæ capite clara est: quod, sicut & alterum, ejusdem præfecturæ, ad lacum Rivanum, Riva dictum, proprium consilium ejusque præsidem Sculterum habet. Vide Jos. Simlerum *de Rep. Helvet* &c.

SARUS, fluv. geminus: unus Italiæ in Pelignis, apud Aufidenam oriens, vulgò *Sangro*, *Nic. Lloyd.* Oritur ex Apennino, 7. milliar. supra Aufidenam, in limite Campaniæ Felicis dein per Aprutium citerius fluens, ibi 6. milliar. infra Auxanum in mare Adriat. se exonerat. Rigat autum Sarum castrum, *Castel di Sangro*, 5. milliar. infra Aufidenam, & 14. à Sulmone in Meridiem, Æserniam versus 12. *Baudr.* Alter Ciliciæ, vulgò *Adena*; Adanam urb. alluens, ac in sinum Issicum inter Cydnum (qui Tarsum alluit) & Pyramum influens. Est & *Sarus* in Cappadociâ, cujus meminit. Plin. *l.* 6. *c.* 3. *Baudrando* oritur in Armenia minore paulo supra Comanam, quam alluit, dein per Ciliciam fluens, inibi in mare Cilicium cadit, prope Margasam oppid. & inter ostia fluv. Pyrami ad Ortum & Cydini ad Occasum.

SARUS, cum Adano, Adanorum urbis conditor, memoratus *Steph.* Ἄδανα Κιλικίας πόλις, οὐδετέρως. ταύτην ᾤκισεν Ἄδανος καὶ Σάρος, *Adana*, *Ciliciæ civitas*, *genere neutro*. *Hanc exstruxere Adanus & Sarus.* Ubi per *Adanum*, primum hominem *Adamum* intelligit Vossius, dicens: *Conspicimus hic, ut Cilices videri voluerint, Adanum & Sarum, esse Urbis suæ conditores. Nempe quia Adana ab omni hominum memoria fuisset, voluêre videri esse opus primi hominis sive Saturni vel Adami vel potiùs, in honorem Adami, suam Urbem fuisse vocitatam.* Quod verò & *Sarum* urbem eam ædificâsse, ac honori ejus flumen, ad quod exstructa fuit, *Sarum* dictum fuisse, idem Stephanus ait, optimè id tum Adamo, tanquam Deo tutelari, unde Urbs dicta: tum conditori Urbis, qui & ipse forsan *Adam* vocatus, convenire videtur: quò modô antiquitas vocabuli occasionem præbuerit Cilicibus, natalis suæ Urbis referendi ad primum hominem, Cœli Terræque filium. Utrique enim comperit appellatio שר *Sar*, quod est, *Dominus*, *Princeps*. Unde & Abrahami uxor שרה *Sara*, h. e. *Domina*, vocata est. Quam conjecturam vanam non esse, arguit, quòd Stephanus fluvium illum aliter vocatum addit Κοίρανον. i. e. *Dominum*. Nempe, à Syris *Sarus*, à Græcis Κοίρανος vocabatur: cùm Ciliciæ variis in locis Syri Græcique essent permixti. Vide Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. l.* 1. *c.* 38.

SARZANA, civitas Tusciæ, propter rudera Lunæ condita; Eam Nicolaus quintus Ponitfex Rom. & doctus vir, & doctorum insignis Mæcenas illustravit, sede Lunensis Episcopatus huc translatâ.

SASANDA, Cariæ Urbs, à Cauno 150. stad. seu 30. mill. pass. distans. Diodor. Sic. *l.* 14.

SASEM, apud Arabes, lignum est ebeni instar; in plurali *semasim*, eôdem nomine dictum, quô *sesamum*, quamvis à sesamo diversissimum. Quo hæc pertinent *in Alcamus*: *Six vel Siza*, *nigrum lignum ad patinas conficiendas. Aut est ebenus*, *aut* sasim, *aut lignum nucis*, *& regio quædam in terra Adarbigian* (i. e. Atropatia Strabonis) *ex qua nempe hoc lignum affertur & nomen sumit.* Idem alibi, *Sasim*, *arbor nigra*, *aut ebenus*, *aut siz*, *aut arbor*, *ex qua fiunt arcus*. Damir *in c. de Simsima*, quod formicæ rubræ genus est, dicit hoc idem lignum *semsem* vocari & pluraliter *semasim*, quod probat ex his Pseudoprophetæ verbis, de iis, qui in gehenna torquentur: *Exibunt ex igne, post aliquam in eo moram; exibunt*, inquam, *tanquam ligna semasim*, i. e. pariter nigri, propter adustionem ex igne. In quæ verba Commentatores multa habent mirè absurda: Sed peritiores agnoscunt, ligna *sesamim* esse ebenina ligna, aut ebeno atrore similia, ita ut exusta videantur. Unde lux his Dioscoridis *c. de ebeno.* Ἔνιοι δὲ τὰ σησάμινα, ἢ ἀκάνθινα ξύλα ἐμφερῆ ὄντα, ἀντὶ ἐβένου πωλοῦσι. Quæ Marcellus Virgilius ita reddidit, *Vendunt pro ebeno quidam spinæ Indicæ, aut mori, fallente similitudine, materiam.* Putat nempe pro σησάμινα legendum συκάμινα, quia sesamum nihil habet commune cum ebeno. Sed neque sycaminus, seu sycomorus, nisi quod utrumque lignum est. Itaque nihil mutandum: *Sesamina* enim hic sunt ligna illius arboris, quæ Arabicè *sasim* & *semsem* appellatur, & in plurali *semasim* habet. Sed & præter Dioscoridem, Arrianus *in Periplo*, meminit φαλάγγων σησαμίνων καὶ ἐβενίνων, *palangarum sesaminarum & ebeninarum*, quæ ex Indiæ urbe Barygasis in Persidem afferebantur. Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 1. *c.* 20.

SASGONA, vel SOSGAUNO, Hebræis est animal sex colorum, uti legitur in *Midras* seu Commentario Mystico in Legem; sed falsò: colorem enim vox notat. Ita enim Syrus Interpres Exod. c. 26. v. 14. *Item fac operimentum Tabernaculo ex pellibus arietum rubris & ex pellibus arietum* sosgauno *desuper*. Et Exod. c. 36. v. 14. *Et operimentum ex pellibus arietum rubris & operimentum ex pellibus arietum sosgauno*. Ubi arietum pellibus rubris opponi videmus arietum pelles *sosgauno*, ita ut utrumque sit ex æquo coloris nomen. Et quidem Joann. Baptista Ferrarius *in Lexico Syriaco*, *janthinum* colorem reddit. Gabriel Sionita *cæruleum*, Exod. c. 25. v. 5. *subnigrum*, Exod. c. 35. v. 23. sed Numerorum *toto* 4. c. sursus *cæruleum*. Nempe hodierni Syri hoc saltem sciunt, *sosgauno* colorem esse: sed quis sit color, definire non possunt. Bocharto videtur esse ὕσγινον, *hyginus*; initiali aspiratione mutatâ in sibilum. De quo Plin. l. 20. c. 26. *Hyacinthus in Gallia optime provenit: hôc ibi pro cocco hysginum tingitur*. Ubi Turnebus *in Adversar.* l. 29. c. 25. *Hæc*, inquit, *Plinii verba indicant, hysgen hyacinthum esse, unde factitius color vocabatur, quem hysginum dicebant*. At in Nicandri *Theriacis* v. 511. aristolochiæ flores hysgino rubescunt. Vide suprà in voce *Hysginum* & plura hanc in rem apud Sam. Bochartum *Hierox. Parte prior.* l. 3. c. 30.

SASIMA, *Antonin.* SASUM *Leunclav.* urbs Cappadociæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsareensi, inter Cæsaream ad Arctos & Tyana ad Meridiem 32. mill. pass. ultra Ancyram in Ortum supra 200. Hîc Episcopus fuit D. Gregor. Nazianz.

SASON, insul. inter Epirum & Brundusium, 5. mill. pass. ab utroque distans. *Saseno Sophiano*. Est & fluv. in mare Adriaticum influens. Lucan. l. 5. v. 650.

Non humilem Sasona vadis, non litora curva
Thessaliæ saxosa timet.

Idem l. 2. v. 627.

Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.

Silius l. 7. v. 480.

Adriaci fugite infaustas Sasonis arenas.

SASONES, populi Scythiæ apud Imaum montem, *Ptol.* Hos fortè pridem ex Scythia in Germaniam venisse atque ibi *Saxones* dictos, ex aliorum sententia, memorat *Albertus Crantzius*.

SASSARIS, urbs Archiepiscopalis satis ampla & amœna Sardiniæ, in parte Boreali Latinis *Publium* quoque, & *turris Libysonis nova*, seu potius crevit ex ruinis Surritæ Urb. seu Turris Libisonis, à qua 8. milliar. in Meridiem distat, uti ab ora littorali Algarium versus 18. Sed parum munita.

– SASSIANA Martial. l. 3. epigr. 58. an pro *Sarsina*?

SASURI, gentes Indiæ. Plin. l. 6. c. 19.

SATA, Magicis artibus aliò translata, apud Virgilium *Ecl.* 8. v. 95.

Has herbas atque hæc ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri & se condere sylvis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Cui veneficio quodammodo simile illud, cujus in L. Bajwar. tit. 12. c. 8. mentio fit, ubi *Aranscarti* vocatur. Cùm videlicet aristas seu spicas illorum, quibus nocere hi malefici volebant, inanes reddebant ac vacuas &c.

SATACES, Prætor Ægypti, in prœlio ad Issum cæsus. Ita legi vult J. Gebhardus apud Curt. l. 3. c. 41. ex l. 4. c. 4. A' Diodoro addit, eum vocari *Tasiacen*. Sic enim ille l. 17. καὶ ὁ τῶν Αἰγυπτίων σατράπης Σαβάκης scil. ἔπεσε.

SATALA, urbs Armeniæ. *Steph. Palli* Theveto.

SATANACUM, vulgo STENAY, vicus primò, dein castrum pagi Vabrensis, ad Mosam, Durum inter & Mosomagum in Treviris, in Decanatu Eposiensi: à Godofrido Bullionæo extructum. A. C. 1098. Olim quoque Astenidum & Stadinum dictum, unde pago Stadinensi nomen. Hîc Carolus Calvus Monasterium Canonicorum instituit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SATANÆ tradendi ritus memoratus 1. Cor. c. 5. v. 5. ubi de probroso homine, non de ordinaria disciplina, sed de majori quadam ac peculiari Apostoli potestate, accipitur nonnullis, ex v. 2. coll. cum 1. Timoth. c. 1. v. 20. & exponitur corporea aliqua pœna & vexatio, quâ peccator ille castigatus & domitus, frenum tandem accipere & Domino parere disceret, ex v. 5. Vide Franc. Burmannum *Syn. Theol. Christ. Part.* 2. *ubi de Discipl. Eccl.* Communiter verò, *Satanæ tradere* hac in materia, idem censetur cum verbo ἀφορίζειν, h. e. *excommunicare*, vide suprà; & plura hanc in rem apud Ambrosium *ad d. l.* Theodoretum *ibid.* ubi justè excommunicatos *Satanam* invadere docet, Alios: inprimis Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic.* l. 12. c. 3. ubi de Anathematis seu Excommunicationis speciebus ac gradibus, & Jo. Casp. Suicerum *Thes. Ecc.* in voce hac.

SATANAS Sanctus, à Petro Damiano vocatur Hildebrandus Cardin. qui postmodum Papa factus Gregorii VII. nomen assumsit, quòd apud Alexandrum II. eum impedisset, ne Episcopatum dimitteret Ostiensem. *Satan* enim, vi vocis, *adversarium* seu *contradictorem*, notat, Dominic. Macer *in Hierolexico*. Vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* in ea, ubi & de phrasi παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ, *tradere Satanæ*, quâ utitur Paulus 1. Timoth. c. 1. v. 20. Hinc *Sataniani* dicti, qui *Satanam*, velut vitæ suæ præsidem, omniumque actionum moderatorem, venerabantur, ut à malo Genio tuti essent, apud Epiphanium *Hær.* 80. Vide iterum Suicerum, ubi de epithetis *Euchitarum*, ut & voce *Satanitæ*.

SATANITÆ, vide *Messaliani & Enthusiastæ*.

SATARCHÆ, Scythiæ Europææ populi juxta Mæotidem, qui, teste Solino c. 20. auri & argenti usu damnato, se à publica avaritia abdicarunt. Hi bellicosissimi sunt. Val. Flac. l. 6. v. 144.

Exomatæ, Torinique, & flavi crine Satarchæ,
Mellis honos Torinis, ditant sua mulctra Satarchen,
Exomatas venatus alit.

SATAROS, quæ & Patara, urbs Lyciæ. Plin. l. 5. c. 27.

SATASPES, Persa Theaspis fil. à Xerxe rege cruci adfixus est, quòd Zopyri filii Megabyzi filiam virginem vitiâsset, quodque etiam totam Africam non peragrâsset, quod se fecisse, ad diluendum stuprum, dixerat. Herodot. l. 4.

SATELLES, in *Glossis* Græco-Lat. Βασιλικοῦ σώματος φύλαξ, *Imperatorii seu Regii corporis custos*. Solebant enim illi Regium solium circumdare & Principis latus tueri. Unde Stat. *Theb.* l. 2. v. 384. de Etheocle,

---- *Ibi durum Etheoclea cernit*
Sublimem solio, septumque horrentibus armis;
Jura ferus Populo trans legem, ac tempora Regni
Jam fratris de parte dabat. ---- ----

H. e. *residentem in solio paterno & satellitio Regio stipatum*, Comment. vet. Et Claudian.

Non sic excubiæ, non circumstantia pila,
Quàm tutatur amor.

Sic Lucianus *Necromant.* Τὸν μὲν γὰρ λαβοῦσα ἡ τύχη βασιλικῶς διεκόσμησε, τιάραν δὲ ἐπιθεῖσα, καὶ δορυφόρους παραδοῦσα καὶ τὴν κεφαλὴν στέψασα τῷ διαδήματι. *Hunc quidem exceptum Fortuna regificè ornavit, tiarâque impositâ & additis ei satellitibus, caput diademate cinxit.* Ubi Δορυφόροι Satellites exponuntur, in iisdem *Glossis*, quasi, *Hastiferi*; quod hôc armorum genere potissimùm uterentur. Cujusmodi *Satellitum* Regium insigne fuisse habitum, notat de Sulla Appianus *Civilium* l. 1. Αὐτὸς δ' οἷα δὴ βασιλεὺς ὢν Δικτάτωρ ἐπὶ τοῖς Ὑπάτοις ἦν. πελέκεις τε γὰρ εἰκοσιτέσσαρες αὐτῷ, οἷα Δικτάτορι, ὅσοι καὶ τοῖς πάλαι βασιλεῦσιν ἡγοῦντο, καὶ φυλακὴν τοῦ σώματος περιέθετο πολλήν. *Ipse autem, velut imperans Dictator inter Consules erat. Secures enim ante ipsum, velut Dictatorem, gestabantur viginti quatuor: quot numerò Regibus olim præferebantur, insuper Satellitio stipatus erat numeroso.* Τοὺς περὶ τὸν Βασιλέα δορυφόρους, vocat Herodian. l. 1. c. 2. à corpore nempe Regio non discedentes. Invexit autem Romæ *Satellitum* usum Tarquinius Superbus, tyrannidis veræ signum ac præsidium, qua de re vide Dionys. l. 4. Decrescente dein Româ abusus cousque extensus, ut Regiam quacunque causâ ingredientium sinus vestesque excuterentur, ut videre est apud Sueton. *in Vespasiano* c. 12. &c. Pulchrè Imperatorium Satellitium Corippus descripsit l. 3.

---- ---- *miratur Barbara pubes*
Ingentes adstare viros, scuta aurea cernunt,
Pilaque suspiciunt alto splendentia ferro
Aurea, & auratos conos, cristasque rubentes.
Horrescunt lanceas, sævasque instare secures,
Cæteraque egregia spectans miracula pompa,
Et credunt aliud Romana Palatia cœlum.

Apud Caspar. Barthium *Animadv. ad Statium* d. l. Vide quoque infrà in voce *Scutra*, item suprà in vocibus, *Armiger*, *Buccellarius* &c. Addam hîc saltem, ex Car. du Fresne, insignem locum, qui occurrit in *Annalibus* Fuldensibus A. C. 880. *Normanni superiores existentes, duos Episcopos --- & duodecim Comites his nominibus appellatos ---- occiderunt. Præterea 18. Satellites Regios cum suis hominibus prostraverunt, quorum ista sunt nomina &c.* Ubi *Satellitum* nomine ei videntur intelligi Palatini Proceres dignitate tamen Comitibus inferiores, sed quibus alii suberant: adeò ut Regii corporis custodiæ Præfectos fuisse conjiciat, eosque quos hodie *Capitaines des Gardes* Galli vocant.

SATERNEI, gentes circa Mæotim. Plin. l. 6. c. 7.

SATHANIANI, Hæretici memorati Dominico Macro *in Hierolexico*, in vocibus *Euchitæ*, *Precatores*, *Sethiani*. Vide suprà.

SATHULCURTIS, villa Galliæ, in pago Vimau, vel Wimao, Ludovici Regis de Normannis victoriâ nobilis, A. C. 881. nunc Marchiæ titulô insignis. Vulgò *Saulcourt*, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SATIBARZANES, Ariorum Satrapes, ab Alexandro constitutus, mox ab eodem defecit, Curt. l. 6. c. 6. ad Bessum, & versante Alexandrô apud Evergetas, cum equitum manu irrupit rursus in Arios, l. 7. c. 13. ab Erigyo solitariâ pugnâ victus & occisus c. 4.

SATICULA, Colonia & oppid. Samnii. *Saticola* Stephano & Diodoro Siculo. Populi *Saticuli*. Virg. *Æn.* l. 7. v. 729.

Accola Vulturni, pariterque Saticulus asper.

SATIO, Macedoniæ oppidum circa Lychnidem paludem. Polyb. l. 5.

SATIO, circa Vergiliarum occasum fiebat, in Græcia fere omni & Asia, Plinio l. 18. c. 7. *Æstiva, quæ æstate ante Vergiliarum exortum seruntur, ut milium, panicum, sesama, horminum, irio, Italiæ duntaxat ritu. Alioquin in Græcia & Asia omnia Vergiliarum occasu seruntur.* Quæ verba absolutè accepta locum non habent, quum & Græci milium, panicum, sesamum aliaque pariter æstate sererent & θερινὰ similiter nuncuparent. Nec quòd Hesiodus, *qui princeps omnium de agricultura præcipit*, ut is ait, unius tantùm sementis meminit, propterea unum tantùm apud illos serendi tempus. Nam unius tantùm sementis Au[illegible] mentionem fecit tantùm Poëta ill[illegible] vernô tempore C[illegible] militer Xenoph[illegible] ait, quæ fru[illegible]

assignare videtur per illos imbres, qui sequuntur ab occasu Vergiliarum septimò ferè die, quosque idem Theophrastus appellat τὸ ἐπὶ Πλειάδι ὕδωρ. Ideò vero Xenophon post Vergiliarum occasum sementem tenent, quia in madida *seri vult*: At aliis placebat in sicca serendum, qui proin Vergiliarum occasum præveniebant. Itaque legitimum sementis tempus præcipuè triticeæ, in Atticâ & Græciâ omni fuit, ab occasu Vergiliarum, additque Xenophon, multis damnis affici, qui serunt, πρὶν κελεύσαι τὸν θεόν, *antequam Deus signum dederit*, ut Plinius vertit, eleganter & eruditè. Κελευστὴς enim dicebatur hortator, qui pertica seu portisculô remigibus signum dabat remigandi cessandique. Sic Prætor mappâ signum dabat emittendarum quadrigarum; Coryphæus endosimum pede dabat; Ita secundùm *Xenophontem*, Deus serendi signum dabat imbre. Idem autem totum illud tempus εἰς [illegible] distinguit. Et quidem festinata satio à Vergiliarum occasu incipiebat, dicebaturque [illegible] seu [illegible]; serotina circa Brumam: Hinc [illegible] vocat Hesiodus in Ἔργ. v. 482. qui circa illud tempus serit; contrà [illegible], qui à Vergiliarum occasu. Atque inde est, quòd *Plutarchus* [illegible] Atticum mensem, [illegible] vocat & circa Vergiliarum occasum ponit; cujus septimâ [illegible] faciebant, quod erat sacrificium *præsementivum*: eô enim factô sementem auspicabantur. Tunc etiam Εἰρεσιώνη pro foribus constituebatur, omni genere fructuum & pomorum onusta &c. Græcè autem *Sationem* [illegible] passim vocat Hesiodus, h. e. *arationem*, quia tertiâ aratione sata marrabantur; cum de prima aratione, [illegible], de secunda, [illegible] dicat. Sic de gruis adventu, in Ἔργ. v. 488.

> [illegible]
>
> *Hæc sementis signum affert & hyemis tempus.*

Ita alibi apud eundem, ἀροῦν est *serere*. Atque ita veteres Romani interpretati sunt. Inde ἄρουρα Græcis, *pratum*, *campus arabilis*: Siculis [illegible], unde *arvus* & *arvum*. Ab ἄρω verò verbum [illegible] & [illegible], quæ vox *terram aratam* notat, sed eam maximè, quæ *sata* est, Latinis *seges* &c. Quam in rem vide Plin. *l.* 18. *c.* 3. 23. 24. & quæ eruditè congessit Salmas. ad *Solin.* p. 750. & *seqq.* adde dicta voce *Restibilis*, it. Rega *Sessia* de qua suô locô. Præerat autem *Sationi* apud Romanos, Deus *Sator*, de quo mox;

SATNICUS, dicebatur apud Croatas & Hungaros Præfectus regionis, quæ centum armatos dare poterat; in quorum locum successere *Knezi*, h. e. Comites, Joann. Lucius de *Regno Dalmatiæ* *l.* 6. *c.* 1.

SATNIUS, mons apud Lycophronem. *Steph.*

SATOR seu INSITOR, inter Deos Agricolas Romanorum, qui *sationi* præerat. Vide supra in voce *Insitor*.

SATORCHÆI, populi juxta Mæotim paludem. *Steph.*

SATRA, urbs Cretæ. *Eleutherna* postea dicta. *Steph.*

SATRACHUS, urbs & fluv. Cypri. *Lycophron.* Quidam per è scribunt, teste *Isacio*.

SATRÆ, populi Græcorum in litoribus Thraciæ. Herod. *l.* 7.

SATRAIDÆ, Arianæ gens. Dionys. v. 1098.

> [illegible]
>
> [illegible]

SATRAPA, & SATRAPES, Persica vox, primitùs & propriè [illegible] præfectum, quales hodie [illegible] dicuntur, postmodum [illegible] Provinciæ Præsidem significare cœpit [illegible] Græco Danielis c. 6. v. 1. 2. [illegible]. Idem [illegible] Germanis, [illegible], [illegible]

[illegible]

bus missus, directâ in guttur hastâ transfixus, *Ibid.*

SATTAGYLÆ, Asiæ populi *Herodot.*

SATTALA, Phrygiæ urbs. *Ptol.*

SATTALICUS SINUS. pars maris Mediterranei inter Asiam minorem ad Boream & Ægyptum ad Meridiem naufragiis & procellis infamis. Aliter *Attalicus sinus* dicitur.

SATULA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

SATUM, aridorum mensura, in Palæstina, quæ secundùm Zachariam Chrysopolis Episcopum *in Comment. Evang.* c. 74. continebat modium cum dimidio: alii tamen unum modium capere existimant. Syriaca vox est *Saatto*; & occurrit Numer. c. 5. v. 15. 1. Regum c. 25. v. 18. 2. Paralip. c. 2. v. 20. Matth. c. 13. v. 33. Lucæ c. 3. v. 21. Joanni de Janua, *Genus est mensuræ, juxta morem provinciæ Palæstinæ, unum dimidium modium capiens*: [illegible] *Hebræo sermone tractum est.* Satum verò apud eos nominatur [illegible] *elevatio*: eo quod, *qui metitur, eandem mensuram* [illegible] *aliud Satum mensura sextariorum* 22. *capax*, [illegible] Gen. v. 6. dicitur, *Accelera, tria sata farinæ* [illegible] *fac subcinericios panes*. Ex [illegible] tria illa *sata*, de quibus Matth. [illegible] Ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζύμῃ, [illegible] εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον, [illegible] *cœlorum fermento, quod acceptum mulier condidit in* [illegible] *usque quo fermentaretur tota*: Sunt unum epha, [illegible] & semis. *Nam addit* [illegible] *apud* [illegible] *quemadmodum capiens, quam ter* [illegible]. [illegible] *intempestivè in hac mensura philosophatur.* Vide eum [illegible] N. Test.

SATURA, palus Latii inter Antium & Circejos [illegible] Pontina, 23. olim urbium locus, ut ex [illegible] c. 5. Virg. *l.* 7. *Æn.* v. 801.

> *Quà Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas*
>
> *Quærit iter valles, atque in mare conditur Ufens.*

Et ejus imitator Silius *l.* 8. v. 381.

> *Quà Saturæ nebulosa palus* [illegible]
>
> [illegible]
>
> [illegible]

SATURA, [illegible] lance, quæ referta [illegible] ficiis offerebantur; [illegible] complectebatur: [illegible] quòd raro in [illegible] Tragœdiæ [illegible] Postea [illegible]

[illegible]

Receptos postea à Latinis in Comœdias, primùmque inductos à Livio Andronico, exin verò à Juventute remotos esse, & in fabulas Attellanas demigrâsse, videtur indicare Liv. *l. 7. c. 2.* Vide Aldum Manutium Pauli fil. *Comm. in Horatium loc. cit.* Floruerunt post Lucilium memoratum *Satyrici*, à *Satura* dicti, Terentius Varro, Horatius, Juvenalis, Lucretius, Ausonius, Persius, alii: è quibus Horatius festivus derisor occultiùs quàm reliqui vitia taxat, salsiorque & jocosior censetur; Persius tetricus habetur censor, severior & tristior; Juvenalis petulcus exagitator, petulantior ac obscœnior, judicatur. Princeps *Satyricorum* à Scaligero Juvenalis prædicatur, ob elegantiam versuum & acrimoniam sententiarum; Heinsius tamen Horatium reliquis omnibus anteponit, &c. Aliud erat *Satyræ* genus, quale Pacuvius & Ennius scripsisse leguntur, *carmen* nempe *quod ex variis Poëmatibus constabat*, ut inquit *Diomedes*: quæ *Satura* Enniana à Luciliana, de qua suprà differebat tum in genere carminis, quô variô Ennius usus est; tum inprimis in materia & tractandi modo. Nam spectavit quidem ad morum doctrinam utraque: sed Lucilius multò magis, quàm Ennius, personis adhæsit; & quia plures semper mali, quàm boni, in notandis objurgandisque vitiosis, plurimus fuit: Qua in re quoniam summâ libertate usus erat, nominibus etiam Magnatum & in Rep. potentium adjectis, visus dictusque est, mutatô genere metri & facie Poëseos, priscam Atheniensium Comœdiam reduxisse. Vide Anton. Thysium JCtum *Notis in Gellium l. 2. c. 16.*

SATURIUM, vel SATUREJUM urbs Calabriæ, non procul à Tarento, *Steph.* Hinc *Saturejanus.* Hor. *l. 1. Sat. 6. v. 59.*

Me Saturejano vectari rura caballo.

Alii legunt *Satriano.* Vide *Satrianum.*

SATURNALIA, festa 5. aut 7. dierum mense Decembri Saturno dicata, quibus Romani synthesin vestem sumebant, servisque discumbentibus inserviebant: muneraque ultro citroque mitti solebant. Unde Strenarum origo. Vide Fungerum in *Saturnus*, Lips. *l. 1. Saturnal.* Martin. Lipenium, in *Hist. Stren. &c.* Iisdem bellum sumere, nefas habebatur; quemadmodum & pœnas à nocente iis diebus exigere, piaculare erat, teste Macrobiô *loc. cit.* Primùm ea celebrata fuisse à Noaho, tempore diluvii, in Arca, mense 10. eò die, quô primùm juga montium ex aquis apparere cœperunt, ac dein singulis annis illum diem festum fuisse, pluribus contendit Goropius Becanus *l. 4. Orig. Antverp.* quem *Cronia* inscripsit. Hoc certum est, multò ante Romam conditam non in Italia modo, sed & in Græcia illa floruisse: Unde eorum Auctorem quidam Janum, alii Herculis comites in Italia relictos, nonnulli Pelasgos, in Delum Insul. delatos, faciunt, ut apud eundem Macrobium videre est. Vide quoque Jac. Oiselium JCtum *Not. in A. Gellium*, *Saturnalia Athenis agitabamus, hilare prorsum & modeste*, *l. 18. c. 2.* Et primùm quidem Romæ ad d. 14. Kal. Jan. celebrabantur per unicum diem. Postquam verò C. Cæsar in anni emendatione, huic mensi duos dies addidit, 16. Kal. Jan. agitari cœperunt; quâ re factum, ut cùm vulgus ignoraret certum *Saturnalium* diem, nonnullique à C. Cæsare, incertô die; & alii veteri more celebrarent, plures dies *Saturnalia* fervêrent. Quod Augustus Imperator confirmavit, cùm in Legibus Judiciariis triduô ferias eas jussit servari. Quanquam & apud Veteres vel 7. dies ea peragi consuevisse, *Novius & Mummius*; vel saltem triduum viguisse, *Mallius*, tradant. Inter alia verò munera, cereos inprimis missitari solitos, legimus, vel quod Saturnus luminibus accensis coleretur vel ut significarent, hôc Principe, à vita rudi ac inculta, ad politiorem, tanquam à tenebris ad lucem, se traductos fuisse: Cumque Patroni nimis avarè, hâc occasione, munera à Clientibus exigere solerent, Publicius Tribun. Pleb. tulit, ut non nisi cerei prædicti ditioribus mitterentur. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 4. c. 16.* Horat. *libertatem Decembrem* hoc Festum vocat *Sat. 7. l. 2. v. 4.* Vide quoque Athenæum *l. 14.* & Dionem *l. 58.* Cujus rationem, ex mixto cultu Naturæ & Adami, arcessit Vossius, per Saturnum non alium, nisi primum Parentem nostrum, indigitans. *Naturâ enim omnes liberi nascimur, eoque antiquissimis temporibus, quibus naturæ sequebantur dictum, homines servitio aut libertate minime distinguebantur:* cujus rei iconem *Saturnalia* servavêre. Vide Vossium præfatum *de Orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 18.* Neque verò ad dominicam solùm mensam Dominis præministrantibus sedebant his feriis servi, sed & vestem cum iis commutabant, teste Dione *l. 8.* ut (præter rationem jam allatam) hâc comitate obstricti, in Dominos obsequiis paratiores essent odiaque invicem ac offensiones dimitterent: *Fidelius enim & gratius semper obsequium est, quod ab amore, quam quod à metu proficiscitur*, Hieronym. *ad Celantiam.* Alius fuit Servorum festus dies, de quo Senec. *Ep. 47.* ille enim in Eidus Augusti, quòd eô die Servius Tullus servâ natus esset, incidebat. Tit. Popma *de Operis servorum.* Vide & *infrà*: uti de *Saturnalibus muliebribus* h. e. Matronalibus Kal. Martiis celebrari solitis, suprà: de festo verò Christianorum medii ævi, *Saturnalium* æmulo, suprà itidem voce *Kalendæ.* Hinc *Saturnalicius.* Martial. *l. 5. Epigr. 31. v. 8.*

Saturnalicias perdere, Varro, nuces.

Dicuntur etiam & Cronia. Quod ostendunt hi versus Attii veteris poëtæ apud Macrobium, Saturnalium *l. 1. c. 7.*

Maxima pars Grajûm Saturno: & maxime Athenæ,
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Cumque diem celebrant: per agros, urbesque ferè omnes
Exercent epulis læti, famulosque procurant
Quisque suos: nostrique itidem. Et mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli, tùm epulentur ibidem.

Justinus *l. 43. c. 1.* *Rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit: sed omnia communia, & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. Ob cujus exempli memoriam, cautum est, ut in Saturnalibus, exæquato omnium jure, passim in conviviis servi cum dominis recumbant.* Ac similiter Saturnus ipse loquitur apud Lucianum, Ἐν τοῖς πρὸς Κρόνον, dialogô 1. Καὶ διὰ τοῦτο [illegible] ἡ ᾠδὴ, ἡ παιδιὰ, ἡ ἰσοτιμία πᾶσι καὶ δούλοις καὶ ἐλευθέροις. Οὐδεὶς γὰρ ἐπ' ἐμοῦ δοῦλος ἦν.

SATURNI Ærarium, vide suprà *Ærarium.*

SATURNI Baptismus, apud Augustinum contra Crescon. *Gramm. l. 2. c. 7.* Vide Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. c. 14. de Sacramentis §. ult.* & suprà, ubi de *Baptismo*, item voce *Latio.*

SATURNIA, oppid. Latii à SATURNO conditum. Editiora autem loca (teste *Diodorô*) *Saturnia* dici consueverant. Σατουρνία (inquit *Stephan.*) Italia primùm dicebatur. Gentile *Saturninus*, quod & proprium viri est apud historicos Romanos. Virg. *Georg. l. 2. v. 173.*

Salve magna parens rerum Saturnia tellus,
Magna virûm. ---- ----

Plinius Romam ipsam sic vocat. Inde *Saturnia porta*, cujus meminêre Varro & Plin. quæ & *Pandana* à *semper pandendo*, per quam necessaria in urb. inferebantur.

SATURNIACUS vicus, vulgò TORNI, in territorio Arcissi, ad Albam flv. memoratur Bernardo *in off. S. Victoris.* Est autem *Arciaca*; vel *Arciaca*; unde territorio nomen, *Arce sur Aube*, in agro Tricassino Galliæ; vide Hadr. Valel. *Notit. Gall.*

SATURNIANA Colonia, Tuscorum urbs. Ptol. Hodie *Saturnia.*

SATURNIANI, hæretici à SATURNINO quodam dicti, vide *Saturninus.*

SATURNINI, Italiæ populi in Etruria, qui & *Aurinini.* Plin. *l. 3. c. 5.*

SATURNINUS, optimus Ducum Gallieni temporibus, sed à Valeriano dilectus est. Hic quoque, quum dissolutionem Gallieni pernoctantis in publico ferre non posset, & milites non exemplo Imperatoris, sed suô, regeret, ab exercitibus sumpsit Imperium, vir prudentiæ singularis, gravitatis insignis, vitæ amabilis, victoriarum barbararum, etiam ubique notarum. Hic eâ die, quâ est amictus à militibus peplô Imperatoriô, concione habitâ dixisse fertur, *Commilitones, bonum Ducem perdidistis & malum Principem fecistis.* Denique quùm multa strenuè in Imperio fecisset, quòd esset severior & gravior militibus, ab iisdem ipsis, à quibus factus fuerat, interemtus est. Hujus insigne est, quòd convivio discumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum sagis jussit, hyeme gravibus, æstate perlucidis, Treb. Pollio *in XXX. Tyrannis, c. 23.*

SATURNINUS, Orientis Imperium arripuit, sub Probo Imperatore, quò, post varia præliorum genera, superatô & victô, *tanta in Oriente quies fuit, ut* (*quemadmodum vulgò loquebantur*) *mures rebelles nullus audiret*, Vopiscus *in Probo. c. 18.* Oriundus fuit Gallis. Cui Aurelianus Imperator limitis Orientalis ducatum cùm dedisset sapienter præceperat ne unquam Ægyptum videret, & mente quidem divinâ. Nam ut primùm Ægyptii magnam potestatem ad se venisse viderunt, statim clamaverunt, *Saturnine Auguste, Dii te servent.* Et ille quidem de Alexandrina civitate mox fugit, atque ad Palæstinam rediit: ubi tamen, quum cogitare cœpisset, tutum sibi non esse, si privatus viveret, depositâ purpurâ ex simulachro Veneris, cyclade uxoriâ militibus circumstantibus amictus & adoratus est. Memorabilis est con[illegible]us ad Milites, quum eum animarent vel ad vitam, vel ad imperium, apud Vopiscum laudatum, *c. 10.* qui cum obsessum eandem in castro quodam, ab iis, quos Probus miserat, invitô Probô, jugulatum esse, addit.

SATURNINUS, Syriæ præfectus, An. Urb. Cond. 749. Item, vide *Volusius.*

SATURNINUS, vel SATURNILLUS, Antiochenus, circa A. C. 140. Simonis Magi hæreses sparsit, ejus, ut & Menandri Basilidisque discipulorum & suas addidit, videlicet Mundum, & homines ab Angelis factos esse, alios quidem naturâ bonos, alios verò malos, & Deum Judæorum unum fuisse ex malis Angelis, ad quem destruendum Christus, sub fallaci carnis schemate, venerit. Conjugium docuit à malis Angelis ortum, Resurrectionem negavit, &c. austeritate vitæ & abstinentiâ ab esu animatorum omnium, hominibus imponere conatus. Epiphan. *hær. 23. Tertullian. Theodoret. Philastrius, Augustin.* Irenæus *l. 1. c. 12. & l. 6. c. 21.* Euseb. *hist. Eccl. l. 4. c. 7.*

SATURNINUS à Tucca Confessor, in Concilio Carthaginensi, in Marcionitas invectus, Ethnicis illos deteriores esse ostendit: *Gentiles*, inquiens, *quamvis idola colant, tamen [illegible] Deum Patrem Creatorem agnoscunt & confitentur, in hunc Marcionitæ blasphemant.* Vide Joann. L. Ruellium *Histor. Concil. Tom. I. Peric. 3. Sylloge 31. p. 845.*

SATURNINUS, Mons, qui postea *Tarpejus.* Est & gentile à *Saturnia. Stephan.* Cæterùm mons hic quia tutissimus & providâ Naturæ manu, adversus injurias hostium, situque munitus erat, Plut. *in Romanis Quæst. c. 42.* hinc in Æde Saturni Ærarium suum esse Romani voluerunt: primo Val. Publicolâ rei Auctore, ut discimus ex Macrobio *Saturnal. l. 1. c. 6.* Qua de re sic quoque Tertullianus *Apologet. c. 10.* *Si quæras rerum argumenta, nusquam invenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones, postque Attica hospitia consedit, exceptus a Jano, ut Salii volunt. Mons, quem incoluerat,* Saturnius *dictus; civitas, quam depalaverat,* Saturnia *usque nunc est: tota denique Italia post Oenotriam* Saturnia *cognominabatur. Ab ipso primum tabulæ & imagine signatus nummus, & inde Ærario præsidet.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. l. 1. c. 5.*

SATUR-

SATURNIUM Mare, idem cum Cronio & Oceano Septentrionali *Orpheus.*

SATURNIUS Mons, idem Capitolino & Tarpejo. Varro, Fest. *Strabo.*

SATURNUS, Oceani ac Tethyos fil. Plato *in Timæo*: Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην, ἐκ τούτων δὲ Φόρκυς τε καὶ Κρόνος, καὶ Ῥέα, καὶ ὅσοι μετὰ τούτων. At Hesiod. *in ortu Deorum*, v. 44. cum Cœli uxorem Terram fuisse cecinisset, his versibus:

> Θεῶν γένος αἰδοῖον πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ
> Ἐξ ἀρχῆς, οὓς Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτεν.

Mox paulò inferius v. 138. inter eorum filios Saturnum etiam commemoravit, uti patet ex his:

> Τοὺς δὲ μεθ' ὁπλότατος γένετο Κρόνος ἀγκυλομήτης,

& Orpheus, *Hymnô quodam in Saturnum compositô*, ita inquit:

> Γαίης τε βλάστημα καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

Quam rem Ovid. quoque *Fast. l.* 1. *v.* 235. sic expressit,

> *Hâc ego Saturnum memini tellure receptum,*
> *Cœlitibus regnis nam Jove pulsus erat.*
> *Inde diu genti mansit Saturnia nomen,*
> *Dicta fuit Latium terra latente Deo.*

Fratrem habuit Titanem majorem natu, qui cùm parenti, uti par erat, succedere deberet, animadvertens tamen matrem, sororesque in Saturnum proniores esse, jure suô cessit, eâ tamen lege, ne Saturnus prolem masculam tolleret, sed regnum ad suam stirpem rediret. Saturnus igitur ex pacto cum fratre inito, liberos suos masculos, ubi primum nati essent, devorabat. Verùm cùm Ops unô partu Jovem & Junonem edidisset, Junonem quidem Saturno ostendit, Jovem verò clàm nutriendum ablegavit, adhibitis interim Corybantibus, qui cymbalorum, tympanorumque pulsu obstrepebant, ne pueri vagitus audiretur. Saturno autem, cùm ille puerum deposceret, ut ipsum devoraret, Ops lapidem ostendit pannis involutum, eumque partu illô à se editum simulabat, quem ille acceptum sine morâ devoravit. Posthæc cùm & Neptunum illa peperisset, eum quoque clam Saturno educandum tradidit. Tertiò deinde geminos enixa Plutonem & Glaucam, Glaucam rursus Saturno ostendit: Plutonem autem abscondit. Verum detectâ tandem fraude cum Titan rescivisset, fratri prolem masculam esse, suosque eâ ratione regni successione pulsos esse, unà cum filiis, qui *Titanes* à patre cognominabantur, bellum adversus Saturnum suscepit: cujus exitus is fuit, ut victoriâ potitus Titan, Saturnum, Opemque utriusque sororem in potestatem suam redactos, muro incluserit, donec Jupiter adultus, dejectis Titanibus, eos liberavit. Post hæc Saturnus, cùm ex oraculo didicisset, fore ut à filiis regnô pelleretur, atque ob hoc Jovi insidias strueret, ab eo regno pulsus, in Italiam profugit, ubi aliquandiu apud Janum regem latitavit: unde ea pars Italiæ *Latium* dicta est. Quod non obscurè innuit Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 319.

> *Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo*
> *Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.*
> *Is genus indocile, & dispersum montibus altis*
> *Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari*
> *Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.*

Opem sororem suam matrimonio sibi conjunxit, & patri Cœlo virilia execuit. *Minutius Felix: Itaque latebram suam, quòd tutò latuisset, vocari maluit Latium.* Scaliger, *in Conjectaneis*, scribit, Saturnum linguâ Syriacâ, aut Aramæâ, quâ usi Thusci, significare *latentem*. Sanè Ebræis סתר est *latuit, abscondit*. Fuerunt tamen, qui putarint *Saturnum* fuisse à Jove comprehensum, & in vincula traditum, non autem fugisse, quorum sententiam secutus est Plato *in Euthyphrone*: Αὐτοὶ γὰρ οἱ ἄνθρωποι τυγχάνουσι νομίζοντες τὸν Δία τῶν θεῶν ἄριστον καὶ δικαιότατον. καὶ τοῦτον ὁμολογοῦσι τὸν αὑτοῦ πατέρα δῆσαι, ὅτι τοὺς υἱεῖς κατέπινεν οὐκ ἐν δίκῃ. καὶ ἐκεῖνόν γε αὖ τὸν αὑτοῦ πατέρα ἐκτεμεῖν δι' ἕτερα τοιαῦτα. At Homer. *Il.* θ. *v.* 477. non solùm Saturnum vinctum fuisse à Jove memorat, sed etiam ejus fratrem Japetum, ambosque fuisse conjectos in Tartarum, ut in his patet:

> ----- Σέθεν δ' ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω,
> Χωομένης, οὐδ' εἴ κε τὰ νείατα πείραθ' ἵκηαι
> Γαίης καὶ πόντοιο, ἵν' Ἰαπετός τε Κρόνος τε
> Ἥμενοι, οὔτ' αὐγῇς Ὑπερίονος ἠελίοιο,
> Τέρποντ', οὔτ' ἀνέμοισι, βαθὺς δέ τε Τάρταρος ἀμφίς.

Memoriæ tamen prodidit Lucianus *in Saturnal.* Saturnum neque fuisse à Jove vinctum, neque regnô privatum, sed libenter ac sponte regnum illi concessisse, rerumque omnium, utpote ob ætatem impotentem, filio tradidisse administrationem. Hôc regnante, ætatem auream fuisse fabulantur, terramque suâ sponte, expertem vomeris & aratri peperisse fruges, communesque id temporis, & nullis distinctas limitibus agrorum possessiones fuisse. Virg. *ubi supra*:

> *Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuêre*
> *Secula, sic placidâ populos in pace regebat.*

Idem *Georg. l.* 2. *v.* 538.

> *Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.*

Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 3. *v.* 35.

> *Quàm benè Saturnò vivebant rege, priusquam*
> *Tellus in longas est patefacta vias.*
> *Nondum cæruleas pinus contempserat undas,*
> *Effusum ventis præbueratque sinum.*
> *Nec vagus ignotis repetens compendia terris,*
> *Presserat externâ navita merce ratem.*
> *Illo non validus subiit juga tempore taurus,*
> *Non domitô frænos ore momordit equus.*
> *Non domus ulla fores habuit, non fixus, in agris*
> *Qui regeret certis finibus arva lapis.*
> *Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant*
> *Obvia securis ubera lactis oves.*
> *Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses*
> *Immiti sævus presserat arte faber.*

Huic falcis inventionem tribuerunt antiquorum nonnulli, quoniam, ut diximus, vitæ humanioris author fuit Italiam incolentibus, quos plantandi, ac falce metendi rationem docuit. Alii dixerunt, eam falcem sibi à matre fuisse datam, cùm adversus patrem, & ad liberandos è vinculis fratres armatus fuit, quâ etiam genitalia Cœlo abscidit, quæ postea decidit in Siciliam, quæ ab eâ *Drepanum* dicta fuit, δρέπανον enim Græci *falcem* vocant. Apollon. *l.* 4. *Argon.*

> Ἀμφιλαφής, πίειρα, Κεραυνίῃ εἰν ἁλὶ νῆσος.
> Ἧι ὕπο δὴ κεῖσθαι δρέπανον φάτις, (ἵλατε Μοῦσαι,
> Οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος) ᾧ ἄπο πατρὸς
> Μήδεα νηλειῶς ἔταμε Κρόνος.

Fuit Saturnus ad res Venereas maximè propensus; quare illa fabula de eo circumfertur, quòd cùm Philyram Oceani filiam amaret, Opi superveniente, in equum se converterit, ut sub eâ formâ amores suos occultaret. Virgil. *Georg. l.* 3. *v.* 92.

> *Talis & ipse jubam cervice effudit equinâ*
> *Conjugis adventu pernix Saturnus, & altum*
> *Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.*

Ad hanc Saturni fabulam, & ad locum etiam hunc Virgilii adspirâsse videtur Prudentius *l.* 1. *contra Symmachum v.* 54.

> *Inde Deos, quorum patria spectata sepulchra*
> *Scimus, in ære hebetes informavêre minores:*
> *Advena quos profugus gignens, & equina libido*
> *Intulit Italiæ: Thuscis namque ille puellis*
> *Primus adhinnivit, simulatò Numine, mœchus.*

Sicuti & Arnobius *l.* 4. *Senex Saturnus jamdudum obsitus canis, atque annorum vetustate jam frigidus, vestris carminibus indicatur ab uxore in adulterio comprehensus, induisse formam feri, & sub pecoris specie hinnitibus evolâsse jactatis.* Porro Mythologiam Saturni quod attinet, ea peti potest ex Nat. Comite, *l.* 2. *c.* 2. Aur. Victore *de orig. gentis Rom.* Cartario, *de Imag. Deor.* Boccat. *Hist. Deorum*, Alex. Rossæo *Mystag. Poët.* &c. Martianus Capella cum Saturnum describeret, dicit, eum gressibus tardum, ac remoratorem incedere, glaucôque amictu tectum caput prætendere & dextra flammivomum quendam draconem, caudæ suæ ultima devorantem (quem credebat anni numerum nomine prodere) ipsius autem caniciem pruinosis nivibus candicare. Voss. eum Adamum fuisse statuit *Theol. Gent. l.* 1. *c.* 18. Quanquam non negat, in eo conservatas nobis reliquias quasdam de Patriarchâ Noë. Saturnum verò fuisse Noachum multis argumentis probat eruditissimus Bochart. *Phaleg. l.* 1. *c.* 1. Huic Romani ann. 257. Urb. Cond. templum dedicârunt, institutis Saturnalibus, vide ibi, & Lipsium *l.* 1. *Saturn.* Martin. Lipenium, *in Hist. Strenarum &c.* Summum inter Planetas locum tenet Saturnus; tardè itaque cursum suum absolvit, nec nisi 30. fermè annis. Huic natura frigida & noxia itaque est. Et Virg. cùm *Georg. l.* 1. *v.* 336. ait:

> *Frigida Saturni quò sese stella receptet;*

Nocentem etiam intellexit, non frigidam tantùm rigentemque, ut *Servius* interpretatur. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 84.

> *Est grave Saturni sidus in omne caput.*

Lucan. *l.* 1. *v.* 650.

> ----- *Summo si frigida cœlo*
> *Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes.*

Idem *l.* 10. *v.* 205.

> *Frigida Saturno glacies.* -----

Cicer. *l.* 2. *de Nat. Deor. Quarum* (Stellarum errantium) *tantus est concentus ex dissimilibus moribus, ut cùm summa Saturni refrigeret, &c.* Plin. *l.* 2. *c.* 8. *Saturni sidus gelidæ ac rigentis naturæ.* Unde *Ptolemæus* ait, hujus Planetæ dominante stellâ causam corruptionis fieri κατὰ ψῦξιν. Pers. *Sat.* 5. *v.* 50.

> *Saturnumque gravem nostro Jove frangimus unà.*

Juvenalis *Sat.* 6. *v.* 569.

> *Hæc tamen ignorat, quid sidus triste minatur.*
> *Saturni.* ----- -----

Nic. Lloydius. Cæterùm, Regem fuisse Aboriginum Eusebius docet, quemadmodum & Janum; Sed ita ambo Indigetes fuissent Romanorum Dii, cùm tamen ad Deos Selectos pertinuerint, quales octo, præter duodecim Consentes, habuêre. Quare non animales, sed naturales fuisse hos Deos, h. e. non humanæ, sed mundanæ Naturæ appellationes, ostendit Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 12. Error verò hinc ortus, quod cùm Romani sacra sua habuerint vel ab Albanis, qui à Phrygibus oriundi, vel ab Osca, Sabinorum gente, vel Thuscis, qui teste *Serviô*, ex Asia venêre; Adami primi parentis cultum, qualis in Asia vigebat, sub Jani *Saturnique* nominibus accepêre & cùm scirent, Reges antiquis solere temporibus inseri ordinibus Deorum, facilè sibi persuaserunt; utrumque Latii fuisse Regem. *Saturni* autem sub schemate Adamum latuisse, varia probant; ætas aurea, antiquitas Numinis, Imperium in omnia, latebræ pudendæ, expulsio è regno, agriculturæ studium, ortus è Cœlo & Tellure, cultus, tandem apud Græcos Romanosque; ut pluribus probat Voss. præfatus *c.* 18. *l. cit.* Sed & in eodem conservatæ nobis reliquiæ quædam de Patriarcha Noacho. Namque hic primus omnium, qui post cataclysmum vixêre, iterum imperium habuit in omnia & inter tres filios orbem distribuit: quibus omnibus similia in *Saturni* fabula reperies. Fortassè & Patriarcha Abrahamus in *Saturno* cultus est, ut videtur colligi posse ex loco Porphyrii ab Eusebio adducto, *Præp. Evang. l.* 1. ubi *Saturnum filium suum unigenitum in ara ad hoc extructa immolâsse*, refert. Vide Voss. *loc. cit.* Cùm stellam vox notat, modò supremum Planetarum, modò solem, significat: Quod enim de vinculis à Jove injectis, de imperio in animas, de

Sapientiæ præsidatu &c. dicitur, ad Planetam supremum spectare, erudite iterum Voss. ostendit *l.* 2. *c.* 33. Quod Κρόνος idem dictus, quod Βολάθης; quod liberos illi immolâsse Phœnices leguntur &c. id ad Solem qui aptè referri possit, docet idem *l.* 12. *c.* 4. Et quidem cùm supremus Planetarum voce hâc indigitatur, notam illius apud antiquos fuisse ex duabus primis literis nominis ejus, quô Græcis appellatur, conflatam, adeoque cum hac effigie primitus descriptum Κρ; i. e. Κρόνος, notat Salmas. *ad Solin. p.* 1237. & 1238. A' quo initio per quos gradus itum sit ad hodiernum ejus signum ♄ ibidem docet. In descriptione VIII. region. Urbis Romæ, apud Rosin. *l.* 1. *c.* 13. trium ædium sacrarum *Saturni* mentio fit, duarum item ararum, unius areæ, luci & sacrarii: primusque ei ædem Romæ vovisse, ac extruxisse, in Capitolino monte T. Tatius Sabinorum Rex legitur, apud Dionys. Varronem & Augustinum, citante Rosinô *l.* 2. *Antiq. Rom. c.* 4. *Saturni* & Opis templum Tullum Hostilium, eo tempore, quo cum Sabinis bellum gerebat, vovisse, idem Dionys. *l.* 3. testatur: quo tempore primùm instituta fuisse *Saturnalia*, Macrob. ait. *Saturnal. l.* 1. *c.* 7. Alia ejus ædes fuit, in Clivo Capitolino, incertum à quo condita. Livius *l.* 2. *c.* 21. an. 256. Urb. Cond. A. Semp. Atratinô, M. Minutiô Consulib. templum *Saturni* dedicatum esse scribit, quod & Dionys. Halicarnass. *loc. cit.* affirmat, in clivo illud prædicto collocans. Quod quidam scribunt locatum à T. Largio superioris anni Consule, quidam à Tarquinio Superbo, dedicatum verò ex SCto à Post. Cominio. Macrob. ex Varrone notat, L. Tarquinium Regem eam ædem faciendam locâsse, T. vero Largium Dictatorem Saturnalibus dedicâsse. Et hanc quidem ædem Ærarium fecit P. Valerius Poplicola, *Plut.* quò proin omnes Legatos, Romam undecunque missos, accedere necesse erat, ut ibi nomina sua Præfectis ærarii darent, à quibus antiquitus hospites munera accepêre. In eadem contractuum monumenta, Acta, quæ susceptis liberis Parentes faciebant, nomina item civium Romanor. in Elephantinis libris, adservabantur. Ejusdem ædis fastigio Tritonas cum buccinis superpositos, à *Saturni* commemoratione ad nostram ætatem historiam elatam esse & vocalem, cùm antea muta, obscura & incognita fuerit, significâsse, indicat Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 8. Meminit tandem & ædis Saturni, à Munacio Planco extructæ, Sueton. *in August. c.* 29. quæ tamen an ex veter. aliqua fuerit ab ipsô refecta, an prorsus nova, incertum est. In omnibus autem hisce ædibus, *Saturni* statuis vincula fuisse injecta, quæ festo ipsius solvebantur, in memoriam securitatis ac felicitatis, quô sub eo mortales fruiti, docet Lucianus *in Satyro* & Arnob. *adv. Gentes.* Quò alludens Martial. *l.* 3. *Epigr.* 29. ait,

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, *tibi Zoilus, annulos priores.*

Ubi *Scholiastes* notat, *Servos libertate donatos, compedes & catenas* Saturno, *in cujus clientela erant servi & qui proin Romæ in compedibus latens videbatur, sacrâsse.* Stat. quoque, *l.* 1. *Sylv. ult. v.* 4.

Saturnus *mihi compede exoluta,*
Et multo madidus merò December,
Et ridens Jocus & Sales protervi
Adsint.

Illi in eadem Urbe sacrum apertô capite, cùm aliis Diis tectô fieret, factum fuisse, discimus ex Fulgentio *Mythol. l.* 1. Festo Pompejo *l.* 17. Servio *ad Æn. l.* 3. Meursium *Exercit. part.* 2. *c.* 21. &c. De *Saturnalibus*, quibus cessabat Senatus, neque convocari poterant Patres, neque judicia ulla peragi, Sueton. *August. c.* 32. & ob id nec Causidici in Forum ventitabant, Martial. *l.* 7. *Epigr.* 28. *v.* 5. Feriæ etiam studiorum clausæque scholæ erant, Plinius Jun. *l.* 8. *Epist.* 7. dona passim per Urbem conferebantur, & ludendi comedendique cum Dominis æqua servis libertas vigebat, Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 3. Vide post Macrob. *loc. cit.* Lipsium *l. Saturn. duob.* & paulo suprà in voce *Saturnalia.* A' *Saturno*, familiarum nobilium Regumque, qui urbes condiderunt, senissimos, *Saturnos* olim vocari consuevisse, in *l. de Æquivocis*, qui Xenophontem præ se fert Auctorem scriptum est. De *Saturno* planeta, ut pauca addam: Hugenius Belga Planetam novum prope *Saturnum* detexit, qui, Lunæ instar, 16. dierum spatio *Saturnum* circumit periodumque suam absolvit. Idem & *Saturnum* annulô circumvinctum esse, primus insigni suo telescopiô pervidit, Jac. Oiselius JCtus *Notis in A. Gellium l.* 14. *c.* 1. Gerh. Joh. Voss. duas stellas noviter inventas, quæ velut individui comites semper *Saturno* assistant, memorat *de Idolol. l.* 2. *c.* 34. *sub fin.* &c. Vide quoque de *Saturni periodo* & Magno Anno, Salmas. *suprà laudatô Opere p.* 554. Addam verbum hoc de coronamento hujus Idoli. Coronari *Saturnum* (quod honoris primo illi contigisse nonnulli volunt) ficis recentibus consuevisse, colligit inde Paschalius, quod Cyrenenses, cùm rem divinam illi facerent, simili modô redimiri solitos, tradit Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 7. Vide eum *Coronar. l.* 4. *c.* 2. &c.

Nomina Saturni apud varias gentes varia.

α. Βολάθης, Βῆλ, Ἤλ, apud Phœnices cultus *Saturnus* fuit, Damascius apud Photium *cod.* 242. Ἤλ verò esse Solem, ostendit *Servius* de Belo Phœnice. Idem Palmyrenis Ἀγλιβῶλος, i. e. *Orbis Dominus*, appellatus est: quod Soli apprimè, quem *Saturni*, quoque nomine cultum fuisse notum, convenit. β. Cronus, Græcè Κρόνος, quasi Χρόνος, i. e. *tempus*, Sol enim temporis auctor, Græcis dictus est. Unde Κρόνια, i. e. *Saturnalia.* γ. Ilus, à Phœnicibus quoque dictus est, uti docet Sanchoniathon apud Euseb. *Præparat. Evang. l.* 1. Ἶλον τὸν καὶ Κρόνον. Ex *Il*, Hebræum. *El*, quod unum ex decem Dei nominibus, Hieronym. *Ep.* 136. *ad Marcellam.* δ. *Krodo*, Saxonibus olim appellatus legitur, apud Crantzium *Saxoniæ l.* 2. *c.* 12. ubi hoc Numen Hartesburgi in Saxonia venerationi fuisse, ait. Et certè *Saturno*, temporis Præsidi, illa Crodi seu Crodonis effigies convenit, quam Georg. Fabricius *Origin. Saxon. l.* 1. proponit his verbis: *Messoris habebat speciem, qui cinctum linteum gestans, dextrâque ferens vasculum rosis repletum, & sinistrâ erectâ rotam currus pedibus nudis insistebat pisci squamoso & aspero, quem percam vocamus.* Quam statuam, ut & alias Numinum, dejecisse memoratur Carolus M. Saxo quoque Grammaticus *l.* 1. Saxonum hos Deos refert, *Crodum*, Hamam, Irmum, Flinnum, Sibam. Fortè à Græcis Istri accolis & cultum & nomen Idoli, ex Κρόνος levi immutatione factum, accepêre. ε. Lampon, Græcè λάμπων, ab Æpyptiis appellatus legitur, apud Auctorem *Chron. Alexandrini, p.* 209. ζ. Molochi nomine cultus est ab Orientalibus, Judæis inprimis Idololatris. Vide suprà in hac voce. η. Nemesis, *Saturni* stella ab Ægyptiis quoque dicta reperitur, apud Achillem Tatium *in Isagoge.* θ. Phænon, eadem stella, licèt obscurissima, boni ominis causâ, vocitata est, apud eundem. Vide quoque Auctorem *l. de Mundo* & Appulejum *de Mundo.* ι. *Satar* vel *Sater*, videtur Celtis olim (*Saturnum* enim *vulgò maximè ad Occidentem colebant*, Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3.) dictus, eo quòd hodieque septima feria, *Saterdag*, i. e. *Saturni dies*, appellatur. Nisi ex Latino *Saturni* nomine hanc appellationem dicas defluxisse. κ. *Saturnus* Latinis: Item λ. *Stercutius*, quòd ipse primùm stercore fœcunditatem agris comparaverit. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 7. Vide quoque Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 4. *cum Paral.* Dempsteri. μ. Vitisator, vide infrà.

SATURUM, *Straboni* SATYREUM, SATYRIUM *Stephan.* urbs Calabriæ non longè à Tarento. Nunc vicus hortis amœnus, à Tarento 8. mill. pass. in Græciam Neritum versus. Scribitur & *Satyrum. Ferrar.* Vide Servium in illud *Georg. l.* 2. *v.* 197.

Saltus, & saturi petito longinqua Tarenti.

Ex *Stephano* possit videri esse scribendum Σατύριον, qui ait esse χωρίον πλησίον Τάραντος.

SATURUM, in coloribus, Græcè κατακορὲς, idem quod *austerum*, στυφρόν; cùm videl. plus coloris inditur, quàm luminis; tum enim fuscior & obscurior atque adeò tristior color evadit. Sic *Saturæ purpuræ*, verissimæ videl. & meraciùs imbutæ, seu *ad plenum.* Ut Jul. Capitolin. *in Clodio Albino c.* 5. ait, *Nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est.* H. e. cornibus colore ad plenum purpureis. Interdum verò, quia pleniori ac saturatiori colori etiam accedit lumen intensius ac vegetius, *Saturum* etiam vocatur, quod multum habet luminis, cum plurimo ac pleno colore: atque tum ab *excitato* non adeò dissidet. Sic αὐστηρὸν & πικρὸν, *austerum & amarum*, tam tristibus dant & pleno colore saturis, quàm floridô & acutô lumine excitatis: vide suprà in voce *Austerus*, item *Excitatus.* Uti autem *saturæ* & *ebriæ* dicuntur lanæ hujusmodi, sic eâdem metaphorâ *potare* colorem dicuntur. Solin. *c.* 23. ubi de Hispanis, *Fucant vellera, ut ad ruborem merum epotent cocci venenum.* Et Plin. *l.* 9. *c.* 38. de purpura tingenda, *Quinis lana potat horis, rursusque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem.* Vide Salmas. *ad Capitolin.* d. *l.* & & *ad Solin. p.* 268. 345.

SATYRA, teste Diomede *Gramm. l.* 3. fabula fuit, in qua Tragici Poëtæ non Reges aut Heroas, sed *Satyros*, induxerunt, ludendi jocandique causâ, ut Spectator inter res Tragicas seriasque, Satyrorum quoque jocis ac lusibus delectaretur. Alias *Satura*, quâ in voce vide *suprà.* Erat autem *Satyrorum*, in ludorum pompis, Sicinnem referentium Græcanicam, habitus hic: Instructi erant tunicis hirsutis, quas quidam *Scorteas* appellant, habebantque amicula conserta ex omni florum genere; Aliis, ex hircinis tergoribus campestria setæque horrentes in vertice & similia erant. Hi ferias armatorum præcedentium saltationes ridiculè imitabantur, illas per ludibrium depravantes, quibus lusibus *Satyricis* salibusque jam inde à priscis seculis delectatos fuisse Romanos, ex triumphis apparet: in quibus iis, qui Victores deducebant, jambos & dicteria in illos jaciendi venia dabatur. Quemadmodum Athenis solebant pompam in plaustris ducentes, scommatibus obvios quosque impetere. Quin & in illustrium Virorum funebribus pompis inter alios ferertum præcellisse saltatores *Satyricos* legimus, qua de re vide Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 23. Scena verò *Satyrica*, ornabatur arboribus, speluncis, montibus, viridariis & rebus agrestibus aliis, in topiarii operis speciem: quibus dein varium accessisse ornatum discimus, ex Val. Maximo *l.* 2. *c.* 4. Vide iterum Rosinum *ejusdem l. c.* 10.

SATYRI, Africæ interioris gens vaga, & semifera. Solin. *c.* 30. *extr.*

SATYRI, ex superiore parte homines, nisi quòd cornuti capite essent, ex alterâ capri, unde & *Capripedes* Poëtis dicti. Habebantur inter Semideos olim, & sylvis præesse credebantur; dicaces, lascivi, & ludibundi, itaque & inter Bacchi comites olim habiti fuerunt. Cæterùm, an feri hujusmodi homines inventi unquam sint, quæri potest. Plut. *in Sylla* auctor est, revertente Syllâ in Italiam contra Marium, dormientem Satyrum, qualem plastæ pictoresque adumbrant, captum, adductumque ad Ducem: tentatumque per interpretes varios, edidisse vocem ex hinnitu agni balatuque hirci confusam. D. Hieronym. *in vitâ Pauli Eremitæ* scribit, S. Antonium in quadam saxosa convalle incidisse, *in quendam haud grandem homunculum, aduncis naribus, fronte* (ita describit) *cornibus asperatâ, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Interrogatum, quis esset, respondisse: Mortalem esse, & unum ex accolis Eremi, quos variò delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & Incubos vocans colat; legatione fungi gregis sui, precarique, ut pro eo communem Dominum deprecetur, quem pro salute mundi venisse cognoverint, &c.* Finitâ narratione subjungit Hieronymus: *Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moveat, sub rege Constantino, universo mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit, & postea cadaver exangue, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est.* Hæc ille: Sed rectè Casaubon. *l.* 1. *de Poësi Satyricâ c.* 2. statuit, quicquid de Satyris legimus,

gimus, ex Poëtarum, pictorumque fingendi licentia originem ducere: nihil hujus revera in rerum natura existere: aut si quid visum hujusmodi fuerit vel illudentis Dæmonis phantasma, vel Naturæ lusum fuisse. Nam, ut est procax Natura, potest quandoque hominem cornutum, forte & capripedem producere: sed totos greges & genus hujusmodi legitimum creare, de quo ille Antonianus Satyrus referebat, verisimile non est. Atque si dentur maximè, non voce humanâ tamen, sed belluinâ, ut ille à Sylla captus Satyrus, loquerentur, nec nostrum sermonem intelligerent, degentes perpetuò inter feras. Jam remoti ab omni consortio penitus & literarum disciplina, quam Dei, quam humanarum rerum habere possunt notitiam, ut sciant quid Christiani credant, ac sperent, quid erret, colatque Gentilitas? Profectò aut figmentô inani deceptus Hieronymus fuit, temerè credens; aut spectrô illusus Antonius. Jam ille ad Constantinum allatus Satyrus, procul omni dubio monstrum fuit, in quo lusit Natura. Plutarchus autem non affirmat, sed refert famam: *φασὶ* enim ait, i.e. *dicunt*, vel *ferunt*: Quô ferè uti solent Historiarum conditores, cùm de iis loquuntur, de quibus ipsi dubitant. Ælian. *l.* 1. *Var. Histor. c.* 40. *Satyros* deducit ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι, quia essent dicacissimi. Alii à salacitate, quam σάθην veteres dixêre: non absurdè verò (quoniam antiquissima quæque Græcorum verba Hebraicæ sunt originis) aliquis putet Σατύρους quasi סתירים *Saturim* esse dictos, qui in speluncis & montibus latere putabantur, unde in hominum conspectum rarò venirent. *Nic. Lloydius*. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* ad Sirenum, Nereidum, Tritonum, Centaurorum, Sylvanorum, *Satyrorum*, Faunorum, Strigum, Harpyjarum, Cobalorum farraginem, respondet: Aut fuisse monstra humana individua alicubi conspecta, sive ea ex nefario hominum cum bestiis coitu, sive ex alio quovis Naturæ errore genita fuerint; Aut fuisse spectra Diabolica, quæ hominibus subinde eâ formâ apparuerint; Aut species brutorum, simias similesve bestias, quæ aliqua ex parte ad figuram humani corporis propiùs accedunt; aut ad fabulas & otiosorum hominum commenta, quæ de iis scribuntur, referenda esse. Vide quoque Voëtium *Vol.* 1. *Disput. de Creat. parte* 8. Ut meritò fabulis accenseatur, quod D. Hieronym. de *Satyro*, pro sua gente, ad S. Antonium Abbatem, Legati munere functo, habet *in vita S. Pauli Erem.* Interim Marcus Polus *l.* 3. *c.* 15. ubi de Regno *Lambri*, homines ibi in montanis habitare *caudatos*, *minime verò pilosos*, narrat: & Maffejus *liter. ad Soc. Jesu*, Japonicæ cujusdam stirpis mortalium *capita quasi corniculum quoddam exuberare*, ait. Nec omittendus *Satyrus* Indicus, ex Angelona Henrico Friderico Arausionensium Principi hôc seculô dono missus, quem ita ad vivum describit Nic. Tulpius *Observat. Medic. l.* 3. *c.* 56. *Puerum is trimum longitudine referebat. Corpore quidem quadratô, sed valde agili: artubus adeò compactis, vastisque musculis, ut quidvis auderet ac posset: anticâ parte undique glaber, posticâ nigris pilis obsitus. Facies hominem fingebat, sed nares simæ atque aduncæ anum rugosam & edentulam: aures, pectus fæminæ mammosum, venter umbilico depressiore, artus superiores ac inferiores, cubiti commissura, digitorum ordo, pollex, crura calcis fulcrum, ad humanam omnia formam accedebant. Hinc jure Indis homo Sylvestris appellatus; nonnunquam erectus incedebat, bibiturus canthari ansam alterâ manu prehendebat, alteram ejus fundo subjiciens, labia post detergebat. Caput in pulvinar inclinans corpusque stragulis tegens ad quietem se componebat. (Imò Satyrorum hoc genus quandoque viros armatos invadit nec rarò libidinis æstro percitum, in saltibus & lustris mulieribus insidiatur.)* Eundem Pliniano simillimum existimat, quem consultissimus hic Naturæ Scriptor, *Subsolanis Indorum montibus perniciissimum animal humana effigie* memorat; apud Licetum *de Gemmis c.* 140. Addam saltem, cum Panibus *Satyros* malè nonnullis confundi, licèt enim cum iis id habuisse dicantur commune quòd cornuti & capripedes similiter; at nec fistulam, nec pedum, nec pellem pantherinam, nec ex pinu coronam, adscribunt Satyris Poëtæ, quibus tamen Pan apud eosdem insignitur. Coronabantur tamen: namque *Satyrus cum scypho coronatus*, inter opera Aristippi memoratur Plinio *l.* 35. *c.* 10. Et quidem hederâ, utpote libidinosum genus. Hinc in pompa Ptolemæi hederati illi visi: & in celeberrimo antro apud Thebas Ægyptias, saxeus ille *Satyrus* ita fuit hederâ redimitus ut ejus rami comam illius umbrarint, & protensi fuerint supra cervicem &c. Sed de *Satyris* vide plura apud Salmas. *ad Solin. p.* 413. & 833. & Bochart. *Hieroz. Parte poster. sub fin.* de lusibus inprimis eorum vindemialibus, apud Nemesianum, & ex eo Barthium *Animad. ad Stat. l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 105. de variis illorum generibus habituque, Jul. Cæs. Scaligerum *Poët. l.* 1. *c.* 17. de aliis Alios. Inter Myronis ex ære opera *Satyrum admirantem tibias & Minervam*: Praxitelis item, ex eadem materia *Liberum Patrem nobilemque unà* Satyrum, *quem Græci Periboëton cognominant*, memorat Plin. *l.* 34. *c.* 8. De *Satyri* effigie in phiala argentea cælatâ, supra, aliquid diximus: De *Satyrorum* ac *Silenorum* discrimine, infrà vide, voce *Silenus*.

SATYRICA Signa, apud Plin. *l.* 19. *c.* 4. *In XII. Tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus, in horti verò heredium: quam rem comitata est & religio quadam, hortoque & foro tantùm contra invidentium effascinationes dicari videmus. In remedio* Satyrica Signa, *quanquam hortos tutelæ Veneris assignante Plauto*. Non sunt *Satyrorum* personæ pictæ fictæve, ut perperam quidam exponunt; sed virilia insignia subrecta, ut ea semper Satyri habere Poëtis finguntur. Cujusmodi obscœnas figuras αἰδοῖα & *ἐντεταμένα* apud Veteres & *arcendo fascino* in usu fuêre. Et quidem ex eo, quòd olim *hortus* villa dicebatur, tralatum hunc morem vult Plinius dicandi *Satyrica Signa* pro amuletis, *Foro tantùm & Horto*. Cùm enim Veteres tam in Urbe, quàm ruri, munire se vellent aliquô remediô adversus invidorum fascinum, in Foro tantùm, h.e. in Urbe, publicè ea signa consecrabant & privatim ruri quisque apud se in Villa, i.e. in Horto. Hinc hodieque, inquit *Horto tantùm & Foro istiusmodi signa dicari videmus* &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 310. & infrà, ubi de *Turpicula Re*.

SATYRIUM, regio juxta Tarentum; *Steph. Satyreum Strab.* & *Saturum* in Calabria *Servio*. Vide *Saturion*.

SATYRORUM Insulæ, sunt tres contra Indiam extra Gangem sitæ. Ptol. 7. 2. quas qui habitant, caudas Satyrorum habere dicuntur. Eidem *Satyrorum promontor.* est, in Æthiopia ad sinum Arabicum.

SATYRUS, Spartaci fil. Rex Bosphori, moritur Olymp. 96. anno 4. cùm regno ann. 14. præfuisset. Diod. Sic. *l.* 14. *f.* 444. & 445.

SATYRUS, ex Atheniensium Ducibus, qui introductis quadringentis & viginti clam noctu viris in urbem, præsidium Demetrii expellere agitabant, sed à præfecto Heraclide oppressi fuerunt, Polyæn. *l.* 5. *c.* 17.

SATYRUS, Aruspex Corinthius sive vates, maritus sororis Timoleontis, per quem hic fratrem Timophanem, tyrannide Patriam prementem, sustulit. Ab Ephoro & Timæo vocatur *Orthagoras*: quod nomen adjectitium laudis causâ videtur, quod vera ex aruspicinâ responderet.

SATYRUS, frater S. Ambrosii: prudentiâ, & probitate clarus; A. C. 385.

SATYRUS, Histrio apud Græcos, qui Demosthenis linguâ præpediti vocem imitari solitus fuit. *Plut.* Hic idem, celebrante triumphales de captâ Olyntho epulas Philippô, vultum trahebat: cùm à rege caussam tristitiæ interrogaretur, & cur solus nihil ex se peteret: cupere se quidem, respondit, ex Rege donum consequi, sed metuere repulsam. Cui cùm Philippus confirmâsset petiti fore compotem; duas virgines hospitis captivas reddi Patri oravit. Diodor. Sic. *l.* 16. *f.* 539. Voss. *de Hist. Græc. l.* 3. *p.* 411.

SATYRUS, Peripateticus vitam Philippi elucubrâsse dicitur ab Athenæo *l.* 6. Alia etiam scripsit, de quibus Voss. *Hist. Gr. p.* 411.

SATYRUS, vir sanctissimus, qui cùm nullis tormentis nullisque cruciatibus ab Orthodoxæ fidei cultu avocari posset, leonibus devorandus traditus est sub Valeriano, & Gallieno. *Volater.*

SATYRUS Gestus, apud Manilium *l.* 5. de Pantomimo,

> *Et si tanta operum vires commenta negarint,*
> *Externis tamen aptus erit nunc voce Poëtis,*
> *Nunc* Satyrô gestu, *referetque affectibus ora,*
> *Et sua dicendo faciet, solusque per omnes*
> *Ibit personas & turbam reddet in uno.*

Est gestus Pantomimicus. Namque & *Satyros* Latini pro Pantomimis dixêre. Persius, *Sat.* 5. *v.* 123.

> *Tres tantùm ad numeros Satyri moveâre Bathylli.*

Ubi *Satyrum Bathyllum*, vocat Pantomimum Bathyllum, de quo diximus. Quia nempe omnes saltationes à Satyris, uti docet Lucianus *l. περὶ τῆς ὀρχήσεως* his verbis: *Τριῶν γὰρ οὐσῶν γενικωτάτων ὀρχήσεων, κόρδακος καὶ σικιννίδος καὶ ἐμμελείας, οἱ Διονύσου θεράποντες Σάτυροι, ταύτας ἐφευρόντες, ἀπ' αὐτῶν ἑκάστην ὠνόμασαν. Cum autem tria sint saltationum genera, cordax, sicinnis & emmelia, quæ Satyri famuli Bacchi invenerunt, ab illis ea singula sic appellavit.* Inde Σάτυροι & Σατυρισταὶ *Pantomimi ac Saltatores*; & σατυρίζειν, pro *saltare*. *Hesych.* Σάτυρος, χορευτής. *Glossæ veteres: Ludio*, Σατυριστής; *ludionem* autem dici saltatorem, nemo qui Latinè scit nescit. Atque hôc modô accipiendi sunt Σατυρισταὶ, apud. Dionys. Halicarnass. Σατυριστῶν χοροί, *Ludiorum Chori* &c. Vide Salmas. *ad Flav. Vopiscum in Carino Imp.*

SAVA, vicus Arabiæ Felicis. Gentile *Savenus*. *Steph.* Item vicus Arabiæ Desertæ *Ptol.*

SAVADIA, in antiquo lapide, II. VIR. ITER. Q. Q. PATRONO. SACERDOTI. SACROR. SAVADIOR. eadem planè sunt, quæ Sebadia Arnobio *l.* 5. *Ipsa novissimè sacra & ritus imitationis ipsius, quibus Sebadiis nomen est, testimonio esse poterunt veritati.* Græcis Σαβάζια; de qua voce suprà vidimus. Sic *Sebazio*, pro *Sabazio*, in alia *Inscr. veteri*.

SAVANAROLA Hieronymus, Ferrariæ natus, A. C. 1452. Monachus Dominicanus, floruit seculô 15. Eloquiô, pietate, & eruditione nulli secundus, atque ob has dotes cunctis gratissimus. Vir inprimis divini zeli, Florentiæ, acriter abusus Papales taxavit, in Alexandri VI. hominum spurcissimi, flagitia liberè invectus. Carolum VIII. divinô spiritu, ad reformandam Ecclesiam, nomine Dei, incitavit, pœnas gravissimas, ni id faceret, comminatus. Sanè Carolo Romam accedente, muri Urbis & Arcis Adrianæ, in quam Papa se abdiderat, quasi invitantes, suâ sponte, conciderant. Sed is nihil egit, ideoque domum reduci, primò filius ereptus, tum ipse, ut Savanarola prædixerat, subitâ morte concidit. Philipp. Comin. *de Bello Neap. l.* 2. & *l.* 3. *ac.* 5. Hic Vir insignis, tandem porro concionari prohibitus, cùm, Deo potiùs quàm hominibus obediendum esse sentiens, nihilominus pergeret, in vincula conjectus, & acerbis quæstionum cruciatibus excarnificatus, jussu Alexandri VI. pauloque post, cum sociis duobus, Sylvestro Florentino & Dominico de Pisis, Ordinis Prædicatorum, Florentiæ laqueô suffocatus & crematus est, annô ætat. 46. A. C. 1498. Hic inter metuendos carceris horrores, & imminentis supplicii angustias, scripsit meditationes in Psalm. 30. & 51. *verbis vivis*, ut Sixtus Senens. *in Biblioth. S.* ait, *animatis sententiis, & Spiritus fervore flagrantissimis*. Item de triumpho crucis &c. Vaticinatus est idem de vastitate Florentiæ, Romæ & reformatione Ecclesiæ &c. A' Johanne Fr. Pico Mirandulano & Marsilio Ficino defensus, & tanquam Propheta celebratus. Ejus meminit præfatus Cominæus *l.* 3. *de bello Neap.* ubi suum cum illo colloquium recitat, & *l.* 5. ubi de extremo ejus supplicio agit. Vide & *l.* 8. *c.* 19. Guicciard. *Hist. l.* 3. Beza *de Viris illustr.* Paul. Jov. *in elog.* Sixtus Sen. *Biblioth. l.* 4. &c. Extant præter *Meditationes* supra memoratas, *Commentarii in Ps.* 59. 70. 79. *Sermones in Ezechielem Ital. in Amos, Haggæum, &c. Expositio orationis dominicæ* &c. Vide Catal. Oxon. Crowæi *Elenchum &c.*

SAVANAROLA Joh. Michaël, Medicus celebris, eodem seculô, scrisipt varia. Castellan. *in vita illustr. Medic.* Vander Linden *de Script. Med.*

SAVARA. Assyriæ oppid. *Ptol.*

SAVARA, vulgo LE RU DE SEVRE, aliàs SEPARA, & MARINELLUS quoque, rivus Galliæ apud Novigentum olim in Sequanam decurrit, nunc cursus ejus & exitus à Geographis non notatur. Hinc vico veteri Savaræ *Sevre*, nomen. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SAVARABATIS, Indiæ intra Gangem regio. *Ptol.*

SAVARDUNUM, castrum Galliæ, memoratum Petro *de bello Albigensi c.* 24. sub Comite olim Fuxensi: etiamnum *Sabardun*, non procul ab Apamiis. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SAVARI, Sarmatiæ Europææ gens. *Ptol.*

SAVARIA, vulgò, MUER, *Lazio & Heroldo*, fluv. Norici per Stiriam fluens in Dravum, meliùs *Savus*, in græcis codicib. *Ptol.* Vide *Savus*. *Savaria* verò oppid. Pannoniæ superioris urbs est Stiriæ primaria, vulgò *Graitz* 17. leuc. à Vienna in Austrum recedens: licet *Lazius Leybnitz* esse putet, à Græcio (*Graitz*) 4. leuc. in ortum distans.

SAVATRA, Isauriæ in Galatiâ civitas. *Sauroceni Nigro.*

SAUBAANA, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.*

SAUBATHA, Arabiæ Felicis metropolis. *Ptol. Sabbatha Arriano*, *Sabora* fortè *Plinii.*

SAUBERTUS Johannes, Altorfiô Noricus, famulus, ob egestatem, molitoris, in juventute, *de Invocatione* Sanctorum cum laude disputavit Giessæ Græcè, A. C. 1616. inde Altorfii Diaconus & Theologiæ Profess. sub fin. anni constitutus, post ea Norimbergam vocatus, in locum Joh. Fabritii Concionator ad S. Sebaldum, atque insuper Bibliothecarius electus est, A. C. 1637. Obiit A. C. 1646. ætat. 54. Scripsit *Anti smalcium*, *Prodromum Philologiæ sacræ*; *Emblemata sacra*, *Icones precantium*, *Cassandrum Euangel. Psychopharmacum*, *Desiderium Pacis* aliaque non pauca. Auctor *Bibliothecæ Noricæ animatæ*, qui etiam à Principibus Viris muneribus & literis magnificè eum excultum, addit.

SAUCIA, aliis FAUCIA, una ex 30. veter. Romanorum Curiis, memoratur Livio *l.* 9. *c.* 38. *Dictator Papyrius C. Julium Bubulcum Magistrum Equitum dixit: atque ei legem Curiatam de Imperio ferenti, triste omen diem diffidit, quod Faucia* (vel Sauciæ) *Curiæ fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ Urbis & Caudinæ pacis.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 2.

SAUCIVA, Pannoniæ urbs. *Anton.*

SAUCONA, fluv. Galliæ Celticæ qui & *Arar.*

SAVE, civitas sive vallis. Gen. *c.* 14. *v.* 5. quæ & vallis regis ibidem dicitur. In tribu Ruben: Super Sodomam, in plano.

SAUEL, Lusitanis dicitur piscis genus in Sinis celebre, quod *Xiyu* incolis. Eorum ingens copia in fluv. magno *Kiang*, urbi Nankingæ vicino, ubi ineunte Aprili & Majô mense eorum annua piscatio est. Quâ durante unus ex nobilissimis Eunuchis ab Imperatore constitutus, captos pisces vivos, glacieque in navibus destinatis quodammodo sepultos (quam totâ ad id æstate servant) magnâ curâ Pekinum in aulam mittit. Sed & in Huquania provinc. ad Changxa urbem occurrunt. Navibus autem, quæ hos pisces, uti & quæ sericos pannos ad Regiam deferunt, nihil aut pulchrius videri, aut inveniri potest: itaque omnes aliæ naves, si fortè occurrerint, & ornamentorum splendore, & loci dignitate, cedere necesse habent, Auctor Anonym. *Sinæ & Eur. c.* 25. &. 42.

SAVENNEJUM, vulgò SAVIGNI, Vide *Savinnejum.*

SAVERA, vicus Lycaoniæ, qui postea in urbem magnam evadens, metropolis regionis evasit. Strab. *l.* 12.

SAVERDUNUM, Vide *Savardunum.*

SAUFEJUS Appius, Roman. quidam, qui cum à balneo reversus mulsum bibisset, ovumque sorberet, repentè mortuus est. Plin. *l.* 7. *c.* 53.

SAUFEJUS Trogus, ex consciis adulteriorum Messilinæ, à Claudio supplicium dedit. Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 35.

SAVIA Pannonia, quæ & *Ripariensis*, hodie *Windischland Lazio.* Pars fuit Australis Pannoniæ, versùs Savum fluv. ab Ortu in Occidentem extensa, inter Pannoniam inferiorem ad Boream, & Dalmatiam ad Meridiem ubi hodie Sclavonia propria cum parte Boreali Croatiæ. *Baudrand.* Vide Rhenanum *Rer. Germanic. l.* 1. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti.

SAVIA, Pelendonum urbs in Hispania. *Ptol.*

SAVILIANUM, oppid. amplum Pedemontii, ad Mairam fluv. medium inter Fossanum ad Ortum & Salutias ad Occasum 6. milliar. utrinque 9. à Cuneo in Boream; Situs commoditate, supra omnes Italiæ urbes, à Carolo V. aliisque inclytis Ducibus, judicatum: unde & hîc Metropolim ditionum suarum constituere, Philibertus Emanuel Dux aliquando cogitavit, Taurino 22. milliar. distat.

SAVINA, mensura liquidorum, apud Cencium Camerar. in *Ceremoniali MS. Senatores quando comedunt, debent habere* savinam *mediam vini & mediam claretti.* Item pondus apud eundem, ubi de censibus: *Ecclesia S. Basilii duas savinas piscium*, Dominic Macer. *in Hierolex.*

SAVINIA Via, Leodii, apud ædem sanctæ crucis, in vallem declinans, à cæde Titurii Sabini mutato *b.* in *v.* appellata. Alii vocant *Sabinam* vel *Sabiniam.*

SAVINNEJUM, vicus Galliæ, in confinio Normanniæ & minoris Britanniæ: vulgò *Savigni*, ad mare, inter Hagam Paganelli *Hepenel* vel *la Haye Paynel* & Abrincatas, in diœcesi Abrincatina, Abbatiâ insignis. Videtur olim *Sabiniacum* à Sabino dictum. Est & *Sabiniacum*, in diœcesi Matisconensi. Est quoque *Saviniacus*, castellum pagi Vindocinensis, 7. ferè leuc. à Vindocino, nomen dans Eccles. Saviniacensi, à Gaufrido Abbate Vindocinensi memoratæ. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SAUL, sextus Rex in Edom, qui fuit ex Rehoboth. Gen. *c.* 36. *v.* 37. Fil. Simeonis Patriarchæ. Gen. *c.* 46. *v.* 10.

SAUL, Israëlis Rex primus. Fil. Cis, de tribu Ben-jamin, unctus est an. 40. in regem Israëlitarum, eôdem annô, quô Samuel filios constituerat Judices: nempe A. M. 2889. ante Christum natum 1073. Secundùm alios. A. M. 2959. Erat Saul altior universô populô, à capite ad humeros, quem videns populus clamavit, *Vivat Rex.* Ammonitas & Philisthæos vicit. At contra præceptum Dei, non expectatô Samuele, sacrificans abjicitur à Deo: item contra præceptum Dei, victis Amalecitis, regem eorum Aggo prædam reservavit: filiam suam Michol Davidi in uxorem dedit. Tandem victus à Philisthæis, ne vivus in manus eorum veniret, à quibus occideretur, seipsum propriis manibus interfecit. Vide 1. *l. Reg.* à fronte ad calcem. Hunc librum sunt qui vocent 1. Samuelis. *Act. c.* 13. *v.* 21. Sulp. Severus, *l.* 1. *Hist. sacr. c.* 59. Euseb. *in Chron. Petav.* &c. Imperavit Saul annis duobus, Joseph. *l.* 6. *c.* 4. &c. Vel potiùs 10. annis, *Helvic.* Alii tamen 20. habent.

SAULIUM, vulgò SORI, oppid. seu pagus Liguriæ maritimæ teste *Blondô.* in ora ad ortum inter Genuam & Portum Delphini.

SAULSCOT, in *LL.* Canuti *part.* 1. *c.* 13. i. e. *animæ symbolum*, nummus dictus est sepulchralis, qui effossô tumulô Sacerdoti pendebatur, quasi in animæ defuncti subsidium, apud Car. du Fresne *Gloss.*

SAULUS, dicebatur Paulus Apostolus, ante conversionem, vide *Paulus.*

SAUMA, apud Anonymum Monachum Casin. *in Chron.* A. C. 1182. *A quinque annis & infrà, fames fuit tam valida per totam Italiam, quod diversis in partibus* Sauma *tritici pro auri uncia non poterat inveniri*: aridorum mensura est. At de liquidis usurpatur vox, apud Eundem A. C. 1192. *Inter has angustias adeò fames invaluit, ut sæpe apud Sanctum Germanum venderetur cescina frumenti plusquam una unicia auri &* Sauma *vini similiter & capisa olei tari quinque.* Dominic. Macer *in Hierolex.* quâ posteriori notione hodieque in usu vox est, apud Germanos. Origo autem ejus à *Sagma*, quod vide.

SAUNIS, urbs Arabiæ. *Steph.*

SAUNITÆ, populi apud Japyges, quorum regio *Saunitis Steph.* & oppid. *Saura. Idem.*

SAUNITES, Vide *Samnites.*

SAUNIUS, fons circa Bulidem urb. in Phocide. Pausan. *l.* 10.

SAVO, vulgo SAVONA, urbs satis culta Liguriæ inter Genuam & Albingaunum. In ora Occidentali cum duplici arce, sub Rep. Genuensi. Portum habuit amplum, sed à Genuensibus corruptum. 3. milliarib. à Vadis Sabbatiis in Ortum, uti 8. à Naulo, 22. ab Aquis Stateliorum in Meridiem *Savo* item, *Saone*, teste *Sanfelicio*, fluv. Campaniæ inter Sinuessam & Vulturnum, in mare delabens. Plin. *l.* 3. *c.* 4. Hujus meminit Stat. *Sylv.* 3. *l.* 4. *v.* 66.

Et Linterna palus, pigerve Savo.

SAVOLAXIA, provinc. Finlandiæ, inter Kekholmiam ad Ortum, Tavasthiam ad Occasum & Careliam ad Meridiem, versus confinia Moscoviæ, ubi nullum oppid. alicujus momenti.

SAVONA seu SAONA, Insul. Americæ Septentrional. in mari Boreali versus partem Australem Insul. Hispaniolæ, seu S. Dominici, sub Hispanis sed à paucis exculta.

SAURA, lacerta est, cujus multus olim in amatoriis usus fuit. Hinc Lælius *in Apologia* Appuleji, ubi pleraque philtra versibus descripsit, *saurorum* etiam meminit:

Philtra omnia undique eruunt,
Trochus, pili ------
Sauri, illices bicodulæ.

Uti veram lectionem Salmas. restituit, ex Florentinis & Cod. Fuxensi. Ita nempe vocat lacertas, *Σαύρας*, Græcâ voce retentâ. Tritæ autem dabantur in potu, uti docet Theocritus *in Pharmaceutria*,

Σαύραν τοι τρίψασα κακὸν ποτὸν αὔριον οἰσῶ.
Lacertam autem postquam trivero, perniciosum potum cras afferam &c.

Qua de re vide plura apud præfatum Virum Cl. *ad Solin. p.* 943. An hinc *Sauraria* Insul. quam *lacertis grandibus refertam*, vocat *Caprariam* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Σαυραρίαν, pro *Capraria* capiens? Nam Græcum sigma antiquum, in libris eadem figurâ signari, ut C. Latinum, constat. Idem *ibid. p.* 1313. Inde certè *Saurites* gemma, memorata Plinio *l.* 37. *c.* 10. Vide suprà quoque *Lacerta.* At in Falconaria venatione *Saurus* seu *Sorus*, dicitur falco anniculus & paucarum pennarum, quæ coloris sunt, quem *Sor* Galli dicebant, apud Fridericum II. Imperator. *de Arte Venandi l.* 1. *c.* 54.

SAURA, urbs Samnitum. *Steph.* Susianæ civitas. *Ptol.*

SAURÆ, Thraciæ gens. *Phavorinus.*

SAURICIACUM, villa olim pagi Suessionici, nunc *Sourci*, non procul ab Axona fluv. ubi Synodum congregatam scribit Gregor. Turonens. *Hist. l.* 9. *c.* 37.

SAURIUM, Hispaniæ Tarraconens. fluv. Mela *l.* 3. *c.* 1. Item oppid. Portugalliæ ad Ancam fluv. *Soure Resendio.*

SAUROMANUS Georgius, vide *Georgius.*

SAUROMATÆ, populi Septentrionales, qui & *Sarmatæ* dicuntur, quorum alii Asiatici sunt, alii Europæi, Tanai fluv. discreti. Vide *Sarmatia.* Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 125.

---- *Sauromatæque truces.*

Idem *Sat.* 2. *v.* 1. *Ultra Sauromatas, &c.* Ubi *vetus Scholiastes*: *Sauromatæ Sarmatæ ultimi ultra Pontum sunt, vicini Amazonum, unde Sauromatides* (*Λιγόζας* emendat Rutgersius) *appellantur.* Amazonas quoque *Sauromatidas* dictas, testantur *Eustathius* Dionysii Interpres, Stephanus & Plato *de LL. l.* 7. De his Hippocrates *l. de aëre, locis, & aquis, sectione tertiâ*, sequentia habet: *In Europa*, inquit, *est gens Scythica, quæ Mæotin paludem incolit; & à reliquis plurimum differt, Sauromatæ appellantur. Horum fœminæ equitant, arcu utuntur, atque ex equo jaculantur, & cum hostibus bellum gerunt, quoad virgines existunt. Nec ante virginitatem deponunt, quàm tres hostes interfecerint, neque prius cum viris congrediuntur, quàm Sacra Deo patriô more peregerint. Quòd si qua virum sibi delegerit, equitatu soluta est, nisi communis expeditionis necessitas ingruat. Dextram autem mammam non habent. Puellis enim adhuc infantibus ferrô ad id fabricatô, & candente dextra mamma*

nus admoveâ, cum excurrunt, ut ne incrementum capiat, sed ad dextram humerum, & brachium omne robur & copia transmittatur. Nic. Lloyd.

SAURUS, nobilis statuarius, cujus operam commemorat Plin. *l.* 36. *c.* 5.

SAUS, Mercurii & Rhenes fil. à quo *Samus*, interposito *m.* dicta.

SAUS, seu **SAVUS**, *Ptol.* Solin. *c.* 24. *Sabus* Trogo *l.* 32. *c.* 3. *Saw.* German. fluv. Norici ex Ocrimonte profluens à Villaco 5. leuc. per Carniolam in ortum, & per Saviam Pannoniam longo tractu in Danubium ad Taurunum urbem fluens. De eo sic *Baudrand.* Oritur in Carniola superiori ex duplici fonte, in confinio Carinthiæ superioris vix 3. leuc. à Villaco in Meridiem dein in Ortum tendens per Carniolam utramque, postea Sclavoniam à Croatia, Bosnia & Servia separans, post cursum 300. mill. pass. in Danubium cadit ad Taurunum, receptis prius Laubacô, Corcorâ, Colapi, Vanâ & Drinô fluv. Claudian. *de laud. Stilicon. l.* 2. *v.* 191.

> *Pannonius, potorque Savi, qui clausa tot annis*
> *Oppida laxatis ausus jam pandere portis.*

SAVUS, Mauritaniæ Cæsariensis fluv. *Saffaja Marmolio.*

SAXA, apud Godefridum Viterb. *Part.* 15. *p.* 363.

> *Ipse brevis gladius apud illos Saxa vocatur,*
> *Unde sibi Saxo nomen peperisse notatur,*

cultellus est, Saxonicè *Saax* & *Sahs*: *semispathium*, in Glossar. Lat. Theotisco. Cujusmodi cultellis longis Saxones olim pugnâsse, discimus etiam ex Continuatore Florentii Wigorn. A. C. 1138. *Mutatô denique nomine, quæ ad id tempus Thuringia, ex longis cultellis, sed victoriosis, postmodum vocata est — Saxonia.* Sic Witekindus *Gestis Saxonum l.* 1. *Fuerunt autem & qui hoc facinore nomen illis* (Saxonibus *inditum tradunt: cultelli enim nostrâ linguâ Sahs dicuntur, ideoque Saxones nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudissent.* Quod tum primò contigit, cùm per insidias *Saxis* suis Britannos adorti, gentem illam sibi subjecissent. Gaufridus Monemuth. *l.* 3. *c.* 3. *Commilitonibus suis præcepit, ut unusquisque longum cultrum intra caligas absconderet & cum colloquium securius tractarent Britones, ele hoc signum daret*, Nimen oure saxas (*h. e. capite vestros cultros*) *unde quisque paratus adstantem Britonem audacter occuparet* &c. Vide Car. du Fresne *in Glossar.* Maccos Fratres *in Hierolex.* & plura de hac gente, in vocibus *Saxones* & *Saxonia*. Eques verò Temple Frisios Groninganos, Transisalanos, Westphalos, cæterosque ad Visurgim usque & circa populos, terras illas, quas prisci Saxones Britonum domitores incoluerint, occupare docet & ex Frisonum præcipuè moribus legibusque cum Anglicis collatis probat, *Annotat. ad Remp. Batavorum.*

SAXA, libri antiquissimi fuêre. Ut enim de duplici Sethi columna nihil dicam, antiquissimum fuisse morem literas *Saxis* incidendi, testis est Jamblichus *de Myster. Ægypt. l.* 1. *c.* 2. ubi *Ægyptios columnis lapideis libros suos insculpsisse*, scribit. Ejusdem jam Hiobus meminit *c.* 19. *v.* 23. *O si quis daret, ut scriberentur sermones mei: ô si quis daret, ut in libro exsculperentur.* Vetus interpres, *Quis mihi det, ut exarentur in libro stilô ferreô & plumbi laminâ vel celte sculpantur in silice!* Quæ vox in Sacris valde proba, & in vetusta Sexti Parasiti apud Salonem Dalmatiæ Urbem *Inscript.* inter alia extat: *Malleolo & celte literatus silex.* Vide Hornium *Histor. Philos. l.* 7. *c.* 2. Israelitis veterib. idem in usu fuisse, patet ex lapideis tabulis & monumentis peregrinationis eorum in rupibus incisis in deserto *Sin.* Babylonios ac Phœnices, leges atque instituta sua inscripsisse coctis laterculis, docet Plin. *l.* 7. *c.* 56. quod ante usum papyri, ab Ægyptiis quoque factitatum, qui notas suas hieroglyphicas *Saxis* insculpserint, ostendimus jam ex *Jamblicho*, & confirmat Lucan. *l.* 3. *v.* 222.

> *Nondum flumineas Memphis contexere biblos*
> *Noverat: & saxis tantum volucresque feræque*
> *Sculptaque servabant Magicas animalia linguas.*

Idem obtinuisse apud Græcos & Romanos, saxis indicant columnæ & monumenta, quæ hodiéque supersunt. Indeque Horatius *l.* 4. *Od.* 8. *v.* 13.

> — *Incisa notis marmora publicis.*

Etiam de Danis Saxo Gramm. *in præf. Histor. Dan.* illos literis suis, quas *Runer* dixêre, non in ligno modò, sed & cautibus incidisse gesta Majorum, locuples testis est. Vide Voss. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 35. Instrumentum, quô *Saxis* ac lateribus literas insculpsêre Prisci, ut Græcis γλυφίον, sic Ausonio *cælum* dicitur, *Epigr.* 56. Sed & *Celtem* vocant, ab eadem origine quod vocabulum habemus in *veter. lapide*, apud Aldum *in Orthogr.* & Gruterum *Inscript. p.* 359 sed mera vocali. *Celte*: ut & apud Hiobi Interpretem, ubi dictum. Ubi licèt in multis MStis legatur *certe*: item in Complutensibus, Stephanicis, Regiis & Hentenianis seu Lovaniensibus: tamen non dubium Vossio, quin *Celte* scripserit Interpres. Quam & lectionem tuetur Casaubon. *in Athen. l.* 7. *c.* 26. & Molina *Disput. in Thomam.* Imò & nuda *Saxa*, merâ simplicitate veri constantia, ab interitu tamen securissima, rerum gestarum memoriam apud Orientales olim servâsse, docet P. La Valle *Itiner. tom.* 2. Quò, è Borealis quoque Europæ Antiqq. monumenta lapidea veterum Heroum, per Germaniam, Angliam, Daniam, passim conspicua, referri possunt: Lapides nempe majores seu *Saxa*, ordinariâ serie in circulum disposita, quæ ut non fortuitò confluxisse unusquisque facilè agnoscit, ita antiquissimarum rerum argumenta continere, ipse simplex hic ordo indigitat. Idque ad imitationem Jacobi Patriarchæ, qui in memoriam divinæ visionis, erexit *lapidem in titulum*, Gen. *c.* 28. *v.* 18. Vide quoque Gen. *c.* 31. *v.* 47. & Josuæ, qui, in memoriam transitus Israëlitarum per Jordanem 12. lapides, ex alveo Jordanis, posuit Galgalis, Josuæ *c.* 4. *v.* 20. Recenset ingentem istiusmodi monumentorum numerum Wormius *Monum. Danicis.* Germania, Saxonia, Marchia, vicinæque provinciæ eadem non uno in loco habent: nec ignobilem eorum varietatem videre est ad vicum *Matschdorff* 2. mill. Francofurto ad Viadrum distante, quam monumento Hiarnæ Reg. Daniæ in Insul. Hiarna simillimam sibi semper visam esse, ait Auctor Anonymus *Histor. Orb. Terr. Geogr. & Civ.* In Anglia ejusdem notæ aliquod est, ad vicum *Long-Compton*, in Comitatu Oxoniensi, *Rollrichstones* dictum, de quo ita Camdenus *Britann. Vasta Saxa in Orbem disposita* Rollerichstones *vulgus appellitat, homineśque olim fuisse, qui in saxo stupendâ metamorphosi diriguerint, somniat. Informia sunt, inæqualia, longique temporis vetustate multum immutata & exesa* &c. Et paulo post, *Hæc victoriæ alicujus monumenta crediderim & fortè à Rollone Dano, qui postmodum rerum in Normannia potitus est.* Omnium verò nobilissimum, prope Salisburiam, nomine *Choreæ Gigantum* & *The Stonehenge* prostat, ab eodem *Camdeno*, ob vastissimam amplitudinem, *Insanæ substructionis* nomen meritum; quod etiam non unum è Scriptoribus Anglicanis in admirationem rapuit, qui tantæ molis *Saxa* in loco aliàs minus petroso ibi congesta atque in altum elevata fuerint: aliis insuper adjicientibus, certum eorum numerum iniri non posse. Vide Sidnejum *in Mirac. Angliæ*, Inicum Jonesium *of the Stonehenge on Salisbury plain* & Joh. Webb. *a vindication of Stonehenge* &c. Armillas *Saxis* triviisque Frothonem M. Danorum Regem, ad subditorum explorandam fidem, suspendisse, Saxo habet *l.* 5. *Armillam*, inquiens, *unam in rupe, quam Frothonis petram nominant, alteram apud Wig provinciam defixit, easdem à se innocentiæ experimentum daturas.* Et paulo post, *in Jutia, tanquam in capite Regni sui, magni ponderis auream armillam triviis affigi curavit.* Cujusmodi quid etiam de Alvredo Anglorum Rege recenset Matth. Westmonasteriensis ad *A. C.* 891. &c. Hinc in suspicionem venit Fortun. Licetus, cornu aureum A. C. 1639. in Dania in Ripensi Cimbriæ Diœcesi repertum, similiter ad explorandam Præsidum vigilantiam in biviis olim ab Haraldo Rege fuisse expositum: sed refellitur à Thom. Bartholino *tract. de Armillis.* Plura hanc in rem vide hic infrà passim, inprimis voce *Saxum.*

SAXA jaciendi in hostes consuetudo vetustissima, unde à Poëtis vix uspiam in conflictibus, jam ab ipsa Homeri ætate, magnorum *saxorum* jactus omittuntur. Ut Homerum, Virgiliumque jam in partes non vocem, sufficiat unicus è Papinio Statio locus *Theb. l.* 6. *v.* 678. ubi de disci exercitatione militari, cui ideo assuefiebant Veteres, ut in pugna feliciori successu *saxa* in hostes rotarent:

> *Ergo operum sidens, non protinus horrida campi*
> *Jugera, sed cælo dextram metitur, humique*
> *Pressus utroque genu, collecto sanguine discum*
> *Ipse super sese rotat.*

Et paulo post, *v.* 693.

> *Jam cervix conversa & jam latus omne redibat:*
> *Excidit ante pedes elapsum pondus & ictus*
> *Destituit* &c.

Jaciebantur autem non nudâ solùm manu, sed & fundis excussa: utrumque tantâ nonnunquam copiâ, ut densitate pluvias imitaretur. Lucan. *l.* 3. *v.* 481.

> — *nudis evolvunt* saxa *lacertis*

v. 482.

> — — *ut grandine tecta*
> *Innocua percussa sonant.*

Statius *alibi*,

> — — *stridentia funda*
> Saxa *pluunt* &c.

Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* & *Theb. l.* 8. *v.* 437 In pugnis verò navalibus antennis *ad saxorum conjectionem* utebantur Veteres, quas κεραίας λιθοφόρους appellabant, ut est apud *Diodor. Sic.* ubi de pugna Cononis & Callicratidæ. Vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* & plura hanc in rem suprà, voce *Lapis.*

SAXA Lapidesque oleo perfundendi sacer ritus, occurrit Gen. *c.* 28. *v.* 18. ubi, post memorabilem Scalæ visionem & Dei Opt. Max. alloquium, Jacobum *effudisse oleum supra summitatem lapidis*, quem pro cervicali sibi straverat, narrat Moses; an ut, cùm nihil aliud haberet in manibus, quòd Deo offerret, oleum saltem effunderet in ejus honorem illudque libaret: an ut tali ritu consecraret locum illum *saxumque*, illudque destinaret ad divinum cultum; quod sequentia videntur omninò requirere, quia pollicitus est, se locum, imò lapidem illum, habiturum pro domo? Notum autem olei in rerum tam animatarum, quàm inanimatarum, consecratione, plurimum olim fuisse usum. Hinc in reditu Jacob ædificavit ibi Altare & lapidem, quem erexerat מצבה, i. e. *in titulum*, ut *Vulgatus* reddit, seu στήλην, h. e. columnam, ut LXX. perfudit liquore & oleô inunxit denuo Gen. *c.* 35. *v.* 14. E quo Patriarchæ facto (ut & aliis similibus Sanctorum Patrum contigit) per cacozeliam & superstitiosam imitationem, ortum habuêre idololatricæ inunctiones Gentilium, quos in more habuisse legimus, statuas & dolatos lapides, alios etiam sæpe rudes & impolitos non ungere modò, sed & eosdem postea colere aut adorare, ut pluribus exemplis ex illorum libris probari posset. Unicus Arnobius suffecerit, qui, postquam Christianus factus est, agnoscit *contra Gentes l.* 1. se, cùm adhuc in Ethnicismo detineretur, si quando conspexisset lubricatum lapidem & ex olivæ unguine irrigatum, tanquam fuisset vis præsens, adulatum fuisse, allocutum & à nihil sentiente trunco etiam beneficia petiisse. Sed & ipsos olim terminos agrorum Gentiles unguento, velaminibus & coronis superstitiosè ornâsse, constat &c. Quam in rem vide Andr. Rivetum *in Genes. Exercitat.* 125. & hic passim, inprimis supra, in voce *Lapis*. Porrò & huc facit *osculandi saxa* ritus, indigitatus Statio *Theb. l.* 10. *v.* 52.

> — — *reditumque suorum*
> *Exposcunt, pictasque fores, & frigida vultu*
> Saxa *terunt, parvosque docent procumbere natos.*

Cujus

Sarone diversus, verùm ubi fuerit, ignoratur hodie. Regna enim, quæ ibi describuntur, aut urbes & oppida sunt, quorum nonnulla destruxit Josua, ita ut illorum vestigia frustra quærantur. Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 31. Vide eundem *ibid. c.* 48.

SARON, melius SAROHEN, civitas in tribu Simeon Jos. *c.* 19. *v.* 20. Latinè *princeps*, vel *canticum gratiæ* sive *principis*, vel *cantus gratiæ*.

SARON, locus Trœzenis. *Steph.*

SARONICUS, portus Achaiæ ad Isthmum Corinthiacum. Ptol. *sinum* facit *Saronicum*. Plin. *l.* 4. *c.* 5. *Sinus Saronicus olim quernô nemore redimitus, unde nomen: ita Græciâ antiquâ appellante quercum.* Multi à *Sarone* Deo marino, nam Saronem fuisse regem, qui illic Atlepiæ marinæ regioni imperavit, *in Corinthiacis* scribit Pausan. Alii à Sarona oppido nunc pago *Saronica*, in ora Sinus, post Epidaurum; *Salaminicus sinus* dicitur *Straboni*. Hodie *Gelso ut l'Engia Castaldo.* Sinus maris Ægæi, inter Atticam & Peloponnesum extensus, inter promontor. Sunium & Scyllæum ad Ortum, & Isthmum Corinthiacum ad Occidentem. Rigat Athenas, Megaram & Trœzenem, habetque Æginam & Salamina. Insul.

SARONIS, *Dionys. Afro*, *Sinus Saronicus*.

SARONIS, Palus in Anglia, Pausan. *l.* 2. quæ & *Phœbea*.

SARONITES, nomen viri. 1. Paral. *c.* 27. *v.* 29. Latinè *planities*, vel *planus*, sive *cantans*.

SAROPHAGES, gentes Indiæ apud Indum fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

SARPEDON, Jovis fil. ex Laodamia Bellerophontis filiâ. Homer. *Il.* 15. vel, ut Herodot. tradit *in Polyhymnia*, ejusdem Jovis fil. ex Europâ, frater Minois. Hic cùm Lyciæ rex esset, & in armis strenuus, Priamo suppetias tulit adversus Græcos: ubi cum multa edidisset virtutis suæ documenta, tandem à Patroclo est interfectus. Corpus autem ejus, Jovis jussu, ab Apolline è medio pugnantium sublatum est, & flumine ablutum, ambrosioque respersum liquore, ac regiâ indutum veste ad sepulturam suis restitutum. Memoria autem ejus lege à Jove sancitâ coli jussa est, ut eam diem, quâ interiit, omnes Dii in luctu & jejunio transigerent. Vide Schol. *in Nubes. Aristoph.* Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 103.

> *Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens*
> *Sarpedon.* ——— ———

Genitivus casus Σαρπήδοντος dicitur Æolicè, teste *Hesychiô*, quem sis consule. Intelligere debemus (inquit *Rittershusius*) plures fuisse *Sarpedones*: quorum unus fuerit rex Thraciæ, teste Apollonii Scholiaste *l.* 1. à quo nomen habet *petra Sarpedonia* ad Æmum montem Thraciæ, cujus & *Suidas* meminit: quam semper fluctibus agitari ajunt, & in quo templum Neptuno sacrum. *Sarpedonia* quoque Atticæ oppid. Alius in Cilicia *Sarpedon* fuit, de quo Oppianus *Halieuticôn l.* 3.

> Οἷον ἀμείβεις Ἰσαυρίδος ἀντίπερθεν
> Πέτρης ἐπακτίοιο ἐπὶ Σαρπηδόνος ἀκτῇ.

Nic. Lloyd. In Troade cultum esse, discimus ex Plinio *l.* 13. *c.* 13. *Præterea Mutianus ter Consul prodidit, se legisse, cùm præsideret Lyciæ, Sarpedonis à Troja, scriptam in quodam Templo chartam.* Sic & Iliensibus cultum Hectorem ac Helenam, ab iisdem Ajaci, uti à vicinis Sigeensibus Achilli, Patroclo & Antilocho, sacra fuisse facta, novimus ex Athenagora *Leg. pro Christ.* Clemente Rom. *Recognition. l.* 10. & Strabone *l.* 13. De oraculo *Sarpedonis* habes, apud Tertullian. *de Anima c.* 46. Item Philostratum *in Heroicis*.

SARPEDON, Ciliciæ promontor. eam à Pamphylia distinguens. Pomp. Mela *l.* 1. *c.* 13. *Steph.* urbs est Thraciæ. Item insulæ nomen, *Suidas. Hesychius*: Σαρπηδών, ἀκτὴ αἰγιαλὸς τῆς Σαρπηδονίας. ἔστι δὲ τῆς Θρᾴκης, ἀεὶ κλυδώνιον ἔχων καὶ κυματιζόμενος, ἱερὸν Ποσειδῶνος. Unde in Proverb. abiit de rebus valde turbulentis, & in clamosos quadrat.

SARPEDONIA Insul. Gorgadum seu Hesperidum caput, nunc *Isola de St. Jago* Hispanis, oblonga, cum urbe cognomine. Sub Lusitanis.

SARPEDONIUM Littus, in ora maris Euxini apud Sarpedonem oppid. Vide ibi, ubi Erginus fluv. exoneratur.

SARRA, urbs Phœniciæ, deinde Tyrus dicta, à pisce quodam qui illic abundat, quem *Sarram* vocant, ex cujus sanguine sericum in purpuram tingebatur. Inde *Sarranæ vestes* Tyriæ dictæ sunt, quæ & ostrinæ & purpureæ. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 506.

> *Ut gemmâ bibat, & Sarranô dormiat ostrô.*

Hinc Ausonius. *Ep.*

> ——— *Sarrano videor discumbere in ostro.*

Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 38.

> ——— *Aut picta Sarrana ferentem*
> *Ex humeris aulæa togæ.*

Sidonius *Sarranam chlamydem* dixit Paneg. Anthem. *v.* 6. & Columella *l.* 9. *c.* 4. *Sarranas violas*, pro purpureis, & Silius *l.* 15. *v.* 205. *Sarranum muricem.* Probus ad Virgilii locum supra productum. *Tyrum Sarram appellatam Homerus docet, quem etiam Ennius sequitur, cùm dicit, Pœnos Sarrâ oriundos.* Agellius quoque *l.* 14. *c.* 6. ait, Tyrum prius dictam fuisse *Sarram*. Nomen autem *Sarra* deduci notum est ex Ebræo *Tyri* nomine צור *Tsor*. In quo literam *Tsade*, quæ medii est soni inter T. & S. Græci in T. mutarunt, & Romani in S. Ita factum, ut ex eodem צור *Tsor* & Τύρος nasceretur & *Sarra*. Bochartus. *Nic. Lloyd.* Nihil de Pisce *Sar*, quod ex Servio *ad Georgic. l.* 4. desumtum, non extare illud ullibi gentium, idem docet, Serviumque memoriâ lapsum contendit, *Geogr. Sacr. Part.* 2. *l.* 2. *c.* 10.

SARRACUM, apud Capitolin. *in Marco Antonino Philos. c.* 13. *Tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata sarracisque.* Aliàs *Serracum*, vox est jam optimis Latinitatis temporibus usitata. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 255.

> ——— ——— ——— *corruscat*
> *Serracô veniente abies.*

Græcè ἅμαξα. Amm. Marcellin. *l.* 31. *Cumque ad graminea venerint, in orbiculatam figuram locatis sarraclis ferinô ritu vescuntur.* Ubi *sarraclis* est, pro *sarracalis*. Aliud planè est *soracum*, cujus mentio apud Festum & Horatium, in illo versu,

> ——— ——— *plenis lubet intorquere soracis.*

Uti infrà videbimus, in hac voce. Vide Salmas. *ad Capitolin. d. l.* Apud Festum, *Sarracum vehiculum est, quò ornamenta portantur Scenicorum; frequentius tamen ponitur, pro vehiculi genere, quò ligna & lapides devehi consueverant*, Corrasius *Miscellan. l.* 2. *c.* 20. *num.* 4.

SARRÆ Castra, meliùs *Pons Saravi*, Germani *Kaufmans Sarbruck*, urbs Lotharingiæ aliàs Imperialis & sui juris, hodie sub Gallis, ad Saravum fluv. in limite Alsatiæ inferioris *Sarbourg*.

SARRÆ Pontes, *Antonin. Pons Saravi*, *Sarbrucken* oppid. Austrasiæ, ad Sarram fluv. à Sarburgo 8. leuc. in Boream versus Fanum Vendelini, 5. à Biponto Urb. 3. in Occasum, Fanum Avoldi versus 2.

SARRANATES, popul. Umbriæ extincti. Plin. *l.* 3. *c.* 14.

SARRASTES, Italiæ populi, vide *Sarnus*.

SARRATIUS, vide *Pastor Albenacensis*.

SARRITOR, unus è Diis Romanorum Agricolis. Hoc enim ordine hisque nominibus Flamen, sacrum Cereale Cereri & Telluri faciens, Divos hos invocabat, *Vervactor*, *Redarator*, *Imporcitor*, *Insitor*, *Obarator*, *Occator*: Sarritor, *Subruncinator*, *Messor*, *Convector*, *Conditor*, *Promitor*. Plurimus erat frugum jam nascentium, quæ *sarriebantur*; sicut Occator ultimus erat agri colendi. Nam, ut ait Plaut. *Captiv. Actu* 3. *sc.* 5. *v.* 5. *priùs occant quàm sarriunt rustici.* Itaque præerat hic Deaster *Sarritioni*, cui operi *sarculum* inservit: quo herbæ noxiæ segetibus evelluntur; hoc enim *sarrire* est. De quo elegans versiculus extat, apud *Pomponium Nonio* laudatum.

> *Sarculum hinc illô profectus, illinc rediisti rutrum.*

Quo uti possumus in hominem ἀνάπαλιν, cui res retro currunt. Sensus enim est; Cùm hinc profectus es, segetes tuæ jam in herba erant & sarculum spectabant, at cùm illinc rediisti, ad *rutrum*, quod Græci σκαπάνην & σκαφεῖον vocant, tibi res rediit & ad carceres revocatus es, cùm prope metam jam esses. Nam rutrô terram vertere primum est, tum semen jacere, dein occare, postea sarrire, &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 515. 728. & plura *de sarriendarum segetum disciplina*, apud Plin. *l.* 18. *c.* 17. & 21.

SARROCHIA Margarita, vide *Margarita*.

SARROCIUM, vide *Supra Eiceum*.

SARRON Magius, tertius Celtarum rex, præclaras artes, Academiam, ac publica literarum studia primus, in toto terrarum orbe, exposuit, instituit, promovit. Unde apud Celtas, ut refert Diodor. Sic. philosophi appellati fuerunt *Sarronidæ*. Mortuus est, annô formati Adami 2057. & ante Magni Messiæ nativitatem 1013. quum 48. annis regnâsset. Regnâvit autem post Magum seu Magogum, & Druim successorem habuit. Sarronidis verò postea Druides & Bardi successêre. Diodor. *l.* 6. *c.* 9. Dupleix *de Gall. l.* 1. *c.* 16. & *l.* 2. *c.* 4.

SARS, Hispaniæ Tarraconensis fluv. *Pomp. Mela l.* 3. *c.* 1. *Rio Lezaro*. Prope turrim Augusti, in Oceanum se exonerat, 3. leuc. à Nerio promontor. in Meridiem *Baudrand*.

SARSACHIM, unus ex principibus regis Babylonis. Jer. *c.* 39. *v.* 3.

SARSAGA, Armeniæ minoris urbs. *Antonin.*

SARSENNA, pater & fil. nobilissimi scriptores, quos Plin. commemorat damnasse arbustorum rationem ad vites sublevandas, *l.* 17. *c.* 23.

SARSINA, vetus civitas in Æmilia, seu Romandiola, in ipso limite ditionis Florentinæ, uberrimis pascuis nobilitata. Ad Sapim fluv. qui 10. milliar. supra oritur. Parvi circuitus, vix 50. domos continet, 10. milliar. à Cesena in meridiem 24. ab Arimino in Occasum. Episcopi sedes. Hanc nonnulli Plauti patriam faciunt, indeque eum *Sarsinatem* dictum volunt. Strabo *l.* 5. Ἀπὸ Ῥαβέννης ἀρξάμενοι οἱ Ὄμβρικοι, κατέχουσι τὰ πλάγια, καὶ ἐφεξῆς Σαρσῖναν, Ἀρίμινον, Σήναν, καὶ Καμαρῖνον. Sil. *l.* 8. *v.* 461.

> ——— *His populi fortes, Amerinus, & armis*
> *Vel rastris laudande Camers; his Sarsina dives*
> *Lactis.* ——— ———

Populi *Sarsinates* Plin. *l.* 3. *c.* 14. Plautus in *Mostellar. Actu* 3. *sc.* 2. *v.* 80.

> *Sol semper heic est, usque a mani ad vesperum,*
> *Quasi flagitator adstat usque ad ostium.*
> *Nec mihi umbra usquam est, nisi in puteo quæpiam est.*
> T R. *Quid? Sarsinatis ecqua est? si Umbram non habes.*

Ubi

Ubi ad Patriæ nomen alludit, quia Sarsinas ipse erat. Vide Festum. in Ploti.

SARSORIUM Opus, apud Ennodium *Epigramm.* 91. quod inscribitur, *de Marmoribus opere sarsorio*, opus est ex variis discolorum marmorum crustis invicem ita commissis, ut unum corpus & unam quasi picturam efficiant, concinnatum, uti describitur à Senatore *l.* 1. *Ep.* 6. Cujusmodi opera *Lithostrota*, *Musiva*, *Tessellata* aliàs dicta sunt: inter quæ tamen discrimen, ut suis locis videre est. Ratio nominis est, à *farcio*: unde *Sarsorium* propriè opus è variis quodammodo materiis contextum confectumque, ut plerunque *Sartorum* sunt opera. Car. du Fresne *Glossar.* & Dominic. Macer. *in Hierolexico*.

SARTA, vulgò LA SARTE fluv. Gall. Celt. Oritur in limite Normanniæ, quam separat à provinc. Perticensi: Valesius habet, in saltus Pertici vico, *Somme-Sarte*, 2. leuc. à Moritonio. Dein rigato Alenconio, & Fraxineto *Fresnay*, per Cenomanos fluens, juxta Cenomanum labitur, ibique Huinum seu Idoneam fluv. recipit. Tandem rigatis aliis locis, Seusâ *la Suse*, Sablolio *Sablé*, Castello Novo, per Andegavos fluens, inibi Lædum seu Lidericum *le Loir* fluv. recipit, & paulo pòst in Meduanam se exonerat, vix mill. pass. supra Andegavum. Dicitur quoque *Serta*. Hinc Brieserta, i. e. Pons Sartæ, vulgò *Brisserte*, supra & prope Castellum Novum nomen nactum est. Accipit *Sarta*, præter jam memoratos fluvios Ornam etiam & Infernam *Enferne*. Vales. *Notit. Gall.*

SARTA Tecta, apud Flav. Vopisc. *in Divo Aureliano*, c. 35. *Templum Solis fundavit & Pontifices roboravit, decrevit etiam emolumenta sartis tectis & ministris*: in *Glossis* exponuntur ὑποἱρεφαὶ; Ῥάπτειν enim οἰκοδομεῖν & ὑπορράπτειν Græci dicebant, vel ex novo ædificare, vel *vetera sarcire*. *Eadem*, ὑπορράπτω οἰκοδομίαν, *substruo*, *resarcio*, ὑπορραφή, *plicatura*, *resarcinatio*. *Substructionem* etiam dicebant. *Glossæ*, *substructiones*, ὑπορραφαί. *Subsutiones* idem erant. *Eadem*, *Subsutio*, ὑπαναλαμμα, ὑπορραφή. Ἐπισκευὰς quoque, quo nomine Græci *sarta tecta* dicunt; *substructiones* interpretantur illæ Glossæ: *Substructiones*, ἐπισκευαί, Salmas. *ad Vopiscum*. Quæ *sarta tecta* eô modò locari exigique solebant, ut redemptores suo lapide, suâ calce ac suâ materiâ ædes sartas tectas præberent, certô pretiô in singulos annos addictô, Quod fieri solitum Romæ minimo licitantibus, observat Budæus *Annotat. prior. in Pandectas*. Hinc *Sartitectores*, pro iis qui *sarta tecta* curabant, posuit Isidorus *in Glossis*, *Sartitector*, *qui tecta resarcit*: vulgò *Sartitator*, malè &c.

SARTAGO, inter supplicia Martyrum, vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Πυραγρὶς, ubi de variis Vivicomburii generibus. In re salinaria, *patella* aliàs dicitur; & occurrit apud Wigulejum Hondium *in Episcopis Frising.* ex vet. *Charta*, *Insuper tradidit ei omne jus, quod habuit in loco Hall dicto, cum Sartaginibus* &c.

SARTE, urbs juxta Athon. Gentile *Sartæus*, *Steph.*

SARTHA, amnis Cenomanorum urbem præterfluens, qui apud Normannos scaturiginem habens, ipsos à Cenomanis dividit.

SARTHÆ, apud Pomponium, in scriptus codd. pro *Satarchis* & *Sarmatis*. Salmas. *ad Solin. p.* 191.

SARTHAN, locus non procul ab Jezraële. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 12. & *c.* 7. *v.* 46. in tribu Manasse. Latinè *angustia*, *tribulatio*, aut *colligatio*, sive *plasmatio*, vel *figuratio*.

SARTHAN, quæ & SARDACHA, in tribu Gad. Jos. *c.* 3. *v.* 16. 1. Reg. *c.* 7. *v.* 46. 2. Paral. *c.* 4. *v.* 17.

SARTHAN, locus erat, juxta quem siccis pedibus transierunt Jordanis alveum Israëlitæ, in tribu Ruben. Jos. *c.* 3. *v.* 16.

SARTORIA, Græcè ἡ ῥαπτική, & Textoria, Græcè ἡ ὑφαντική, præcipuæ sunt Artium, quæ circa vestes conficiendas occupantur. Nam ἡ ἀκεστική, quæ & ἠπητική, non conficit vestes, sed tantùm jam veteres & usu tritas reficit; quod ejusdem Artis non esse, *in libro ad Thrasybul.* non semel scribit Galenus. Hyphantice, quæ telas & pannos è lana aut serico aliaque materia conficit, vulgò notissima est & eleganter describitur Senecæ *Ep.* 90. Rhaptice sive *Sartoria*, pannos priùs incidit, deinde acu consuit, quod *vestimenta concipere* dixêre Latini. Servius *ad Æn. l.* 12. *Sarcinatores concipere dicuntur vestimenta, cùm è diverso conjungunt & adsuunt.* Et hodie quidem, rarissimè vestis aliqua consit, sine Sarcinatoris opera; olim verò parandarum vestium alia fuit ratio. Textores enim vestem absolvebant; neque eorum operâ ut plurimùm utebantur, quos sermo Gallicus vocat *Couturiers*; Latini *Sartores* aut *Sarcinatores*, quæ vocabula refectorem potiùs vestis, quàm novæ confectorem, denotant. Et quum ῥάπτειν sit acu suere, *Sutores* tamen Romanis dicti sunt, non illi qui acu vestes consuunt: sed qui coria, in usum calceorum. Plato quoque in *Politico*, de artificiis vestimentorum disserens, commemorat τὴν τρήσει καὶ ῥαφῇ χρωμένην συνδετικήν, *confectionem illam quæ fit perforatione & sutela*: quâ generali descriptione *Sartores* quoque comprehendi possent; interim illorum non meminit, sed tantùm τῆς σκυτοτομικῆς, *Artis coria consuendi.* Nec Galenus *loc. cit.* ubi multam facit mentionem earum Artium, quæ vestes Veteribus conficiebant, nostrorum *Sartorum* meminit; solam in eo genere agnoscens Textoriam, quasi illa non tantùm pannos confecisset, ut hodie, sed etiam ipsa absolvisset vestimenta. Unde colligere est, eosdem, qui erant Textores & *Sartores* fuisse aut certè longè aliam fuisse olim indumentorum rationem, quàm sit hodie. Euangelista Johannes, de tunica DOMINI agens, utriusque artificii meminit, sed *Sartores* illi manum adhibuisse negat, dicens, quod fuerit ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. Vide plura hanc in rem, apud Isaac. Casaubonum. *Exercitat.* 16. *ad Annales Baronii sect.* 84. & suprà in *Sarcinator*, it. infrà in voce *Sutor*.

SARUG, fil. Reü, pater Nachoris, qui Tharam, Abrahami patrem genuit. Sub Belo. Ejus tempore idololatriam incepisse, statuit *Epiphan.* cum *Suida*: Aliis factum id Ninô auctore dicunt. Obiit A. M. 2079. ætat. 230. Genes. *c.* 11. *v.* 20. Luc. *c.* 3. *v.* 35. Latinè, *palmes*, *sarmentum*, *ramus*, vel *convolutio*.

SARVIA, vel ZERVIA mater Joabi, Abisai & Asahelis, Davidis soror.

SARUM, urbs Episcopalis Angliæ, sub Archiepiscopo Cantuariensi. Vide *Sariberia*.

SARUM, oppid. Arabiæ Felicis *Ptol.*

SARUNETES, Helvetii popul. *Plin. l.* 3. *c.* 20. qui apud Tscudum *Sarganserlandt* inhabitant hodie. Eorum oppid. & regio *Sargans* vulgò nuncupatur: in priscis diplomatibus *Sarunegans*. Sedes eorum olim ad ortum Oeni flum. ubi populi hodie Engadini, quorum coloni fortè hi Helvetiorum *Sarunetes* vel *Sarunegansii*: nisi hoc nomen à *Sara* fluviolo oppidum præterfluente acceperunt. Fuêre antiquitus sub Comitibus Werdenbergiis, à quibus regiô Austriis Principibus, & postea Comitibus Toggiis oppignorata, iterumque redempta est: donec illam A. C. 1483. Georgius Werdenbergensium Comes septem Pagis Helvetiorum vendidit. Ab his Præfecti ordine mittuntur, qui in arce, olim Comitum domo, habitantes, *Sarunetibus* imperant: nihilominus oppid. ipsum Sarunetum suis quoque privilegiis fruitur, propriosque creat Magistratus, qui jus dicant & de causis civilibus cognoscant. Tota regio fluviô prædictô Sarâ in duas partes dividitur: quarum superior vicos aliquot habet, quorum præcipuus Regatium est, ubi judicia ejus partis exercentur: Item cœnobium Fabarianum, cujus Abbas jurisdictionem quandam his in locis habet: Interior Sanegaunô oppidô totius Præfecturæ capite clara est: quod, sicut & alterum, ejusdem præfecturæ, ad lacum Rivanum, Riva dictum, proprium consilium ejusque præsidem Sculterum habet. Vide Jos. Simlerum *de Rep. Helvet &c.*

SARUS, fluv. geminus; unus Italiæ in Pelignis, apud Aufidenam oriens, vulgò *Sangro*, *Nic. Lloyd.* Oritur ex Apennino, 7. milliar. supra Aufidenam, in limite Campaniæ Felicis dein per Aprutium citerius fluens, ibi 6. milliar. infra Auxanum in mare Adriat. se exonerat. Rigat autem Sarum castrum, *Castel di Sangro*, 5. milliar. infra Aufidenam, & 14. à Sulmone in Meridiem, Æserniam versus 12. *Baudr.* Alter Ciliciæ, vulgò *Adena*; Adanam urb. alluens, ac in sinum Issicum inter Cydnum (qui Tarsum alluit) & Pyramum influens. Est & *Sarus* in Cappadociâ, cujus meminit. Plin. *l.* 6. *c.* 3. *Baudrando* oritur in Armenia minore paulo supra Comanam, quam alluit, dein per Ciliciam fluens, tandem in mare Cilicium cadit, prope Mangasam oppid. & inter ostia fluv. Pyrami ad Ortum & Cydini ad Occasum.

SARUS, cum Adano, Adanorum urbis conditor, memoratus *Steph.* Ἄδανα Κιλικίας πόλις, οὐδετέρως. ταύτην ἔκτισεν Ἄδανος καὶ Σάρος, *Adana*, *Ciliciæ civitas*, *genere neutro*. *Hanc exstruxere Adanus & Sarus.* Ubi per *Adanum*, primum hominem *Adamum* intelligit Vossius, dicens: *Conspicimus hic, ut Cilices videri voluerint, Adanum & Sarum, esse Urbis suæ conditores. Nempe quia Adana ab omni hominum memoria fuisset, voluêre videri esse opus primi hominis sive Saturni vel Adami vel potiùs, in honorem Adami, suam Urbem fuisse vocitatam.* Quod vero & *Sarum* urbem eam ædificâsse, ac honori ejus flumen, ad quod exstructa fuit, *Sarum* dictum fuisse, idem Stephanus ait, optimè id tum Adamo, tanquam Deo tutelari, unde Urbs dicta: tum conditori Urbis, qui & ipse forsan *Adam* vocatus, convenire videtur: quò modô antiquitas vocabuli occasionem præbuerit Cilicibus, natalis suæ Urbis referendi ad primum hominem, Cœli Terræque filium. Utrique enim competit appellatio שר *Sar*, quod est, *Dominus*, *Princeps*. Unde & Abrahami uxor שרה *Sara*, h. e. *Domina*, vocata est. Quam conjecturam vanam non esse, arguit, quòd Stephanus fluvium illum aliter vocatum addit Κοίρανον, i. e. *Dominum*. Nempe, à Syris *Sarus*, à Græcis Κοίρανος vocabatur: cùm Ciliciæ variis in locis Syri Græcique essent permixti. Vide Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. l.* 1. *c.* 38.

SARZANA, civitas Tusciæ, propter rudera Lunæ condita; Eam Nicolaus quintus Pontifex Rom. & doctus vir, & doctorum insignis Mæcenas illustravit, sede Lunensis Episcopatus huc translatâ.

SASANDA, Cariæ Urbs, à Cauno 150. stad. seu 30. mill. pass. distans. Diodor. Sic. *l.* 14.

SASEM, apud Arabes, lignum est ebeni instar; in plurali *semasim*, eôdem nomine dictum, quô *sesamum*, quamvis à sesamo diversissimum. Quo hæc pertinent *in Alcamus*: *Six vel Siza*, *nigrum lignum ad patinas conficiendas. Aut est ebenus, aut* sasim, *aut lignum nucis, & regio quædam in terra Adarbigian* (i. e. Atropatia Strabonis) *ex qua nempe hoc lignum affertur & nomen sumit.* Idem alibi, *Sasim, arbor nigra, aut ebenus, aut siz, aut arbor, ex qua fiunt arcus.* Damir in c. *de Simsima*, quod formicæ rubræ genus est, dicit hoc idem lignum *semsem* vocari & pluraliter *semasim*, quod probat ex his Pseudoprophetæ verbis, de iis, qui in gehenna torquentur: *Exibunt ex igne, post aliquam in eo moram; exibunt*, inquam, *tanquam ligna semasim*, i. e. pariter nigri, propter adustionem ex igne. In quæ verba Commentatores multa habent mirè absurda: Sed peritiores agnoscunt, ligna *sesamum* esse ebenina ligna, aut ebeno atrore similia, ita ut exusta videantur. Unde lux his Dioscoridis *c. de ebeno.* Ἔνιοι δὲ τὰ σησάμινα, ἢ ἀκάνθινα ξύλα ἐμφερῆ ὄντα, ἀντὶ ἐβένου πωλοῦσι. Quæ Marcellus Virgilius ita reddidit, *Vendunt pro ebeno quidam spinæ Indicæ, aut mori, fallente similitudine, materiam.* Putat nempe pro σησάμινα legendum συκάμινα, quia sesamum nihil habet commune cum ebeno. Sed neque sycaminus, seu sycomorus, nisi quod utrumque lignum est. Itaque nihil mutandum: *Sesamina* enim hic sunt ligna illius arboris, quæ Arabicè *sasim* & *semsem* appellatur, & in plurali *semasim* habet. Sed & præter Dioscoridem, Arrianus *in Periplo*, meminit φαλάγγων σησαμίνων καὶ ἐβενίνων, *palangarum sesaminarum & ebeninarum*, quæ ex Indiæ urbe Barygasis in Persidem afferebantur. Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 6. *c.* 10.

SAR-

SASGONA, vel SOSGAUNO, Hebræis est animal sex colorum, uti legitur in *Midras* seu Commentario Mystico in Legem; sed falsò: colorem enim vox notat. Ita enim Syrus Interpres Exod. c. 26. v. 14. *Item fac operimentum Tabernaculo ex pellibus arietum rubris & ex pellibus arietum* sosgauno *desuper*. Et Exod. c. 39. v. 34. *Et operimentum ex pellibus arietum rubris & operimentum ex pellibus arietum sosgauno*. Ubi arietum pellibus rubris opponi videmus arietum pelles *sosgauno*, ita ut utrumque sit ex æquo coloris nomen. Et quidem Joann. Baptista Ferrarius *in Lexico Syriaco*, *janthinum* colorem reddit. Gabriel Sionita *cæruleum*, Exod. c. 25. v. 5. *subnigrum*, Exod. c. 35. v. 23. sed Numerorum *toto* 4. c. rursus *cæruleum*. Nempe hodierni Syri hoc saltem sciunt, *sosgauno* colorem esse: sed quis sit color, definire non possunt. Bocharto videtur esse ὕσγινον, *hysginus*; initiali aspiratione mutatâ in sibilum. De quo Plin. *l.* 20. *c.* 26. *Hyacinthus in Gallia optime provenit: hôc ibi pro cocco hysginum tingitur*. Ubi Turnebus in *Adversar. l.* 19. *c.* 25. *Hæc*, inquit, *Plinii verba indicant, hysgen hyacinthum esse, unde fallitius color vocabatur, quem hysginum dicebant*. At in Nicandri *Theriacis* v. 511. aristolochiæ flores hysgino rubescunt. Vide suprà in voce *Hysginum* & plura hanc in rem apud Sam. Bochartum *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 30.

SASIMA, *Antonin.* SASUM *Leunclav.* urbs Cappadociæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsareensi, inter Cæsaream ad Arctos & Tyana ad Meridiem 32. mill. pass. ultra Ancyram in Ortum supra 100. Hîc Episcopus fuit D. Gregor. Nazianz.

SASON, insul. inter Epirum & Brundusium, 5. mill. pass. ab utroque distans. *Saseno Sophiano*. Est & fluv. in mare Adriaticum influens. Lucan. *l.* 5. *v.* 650.

Non humilem Sasona vadis, non litora curva
Thessaliæ saxosa timet.

Idem *l.* 2. *v.* 627.

Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.

Silius *l.* 7. *v.* 480.

Adriaci fugite infaustas Sasonis arenas.

SASONES, populi Scythiæ apud Imaum montem, *Ptol.* Hos fortè pridem ex Scythia in Germaniam venisse atque ibi *Saxones* dictos, ex aliorum sententia, memorat *Albertus Crantzius*.

SASSARIS, urbs Archiepiscopalis satis ampla & amœna Sardiniæ, in parte Boreali Latinis *Publium* quoque, & *turris Libysonis nova*, seu potius crevit ex ruinis Surritæ Urb. seu Turris Libisonis, à qua 8. milliar. in Meridiem distat, uti ab ora littorali Algarium versus 18. Sed parum munita.

SASSIANA Martial. *l.* 3. *epigr.* 58. an pro *Sarsina*?

SASURI, gentes Indiæ. Plin. *l.* 6. *c.* 19.

SATA, Magicis artibus alio translata, apud Virgilium *Eccl.* 8. *v.* 95.

Has herbas atque hæc ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri & se condere sylvis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Cui veneficio quodammodo simile illud, cujus in L. Bajwar. *tit.* 12. c. 8. mentio fit, ubi *Aranscarti* vocatur. Cum videlicet aristas seu spicas illorum, quibus nocere hi malefici volebant, inanes reddebant ac vacuas &c.

SATACES, Præfor Ægypti, in prœlio ad Issum cæsus. Ita legi vult J. Gebhardus apud Curt. *l.* 3. *c.* 41. ex *l.* 4. *c.* 4. A' Diodoro addit, cum vocari *Tasiacen*. Sic enim ille *l.* 17. καὶ ὁ τῆς Αἰγύπτου σατράπης Σαβάκης scil. ἔπεσε.

SATALA, urbs Armeniæ. *Steph. Pauli* Thevero.

SATANACUM, vulgò STENAY, vicus primò, dein castrum pagi Vabrensis, ad Mosam, Durum inter & Mosomagum in Treviris, in Decanatu Eposiensi: à Godofrido Bullionæo extructum. A. C. 1098. Olim quoque Astenidum & Stadinum dictum, unde pago Stadinensi nomen. Hic Carolus Calvus Monasterium Canonicorum instituit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SATANÆ tradendi ritus memoratus 1. Cor. *c.* 5. *v.* 3. ubi de probroso homine, non de ordinaria disciplina, sed de majori quadam ac peculiari Apostoli potestate, accipitur nonnullis, ex *v.* 2. coll. cum 1. Timoth. *c.* 1. *v.* 20. & exponitur corporea aliqua pœna & vexatio, quâ peccator ille castigatus & domitus, frenum tandem accipere & Domino parere disceret, ex *v.* 5. Vide Franc. Burmannum *Syn. Theol. Christ. Part.* 2. *ubi de Discipl. Eccl.* Communiter verò, *Satanæ tradere* hac in materia, idem censetur cum verbo ἀναθεματίζειν, h. e. *excommunicare*, vide suprà; & plura hanc in rem apud Ambrosium *ad d. l.* Theodoretum *ibid.* ubi justè excommunicatos *Satanam* invadere docet, Alios: inprimis Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. l.* 12. *c.* 3. ubi de Anathematis seu Excommunicationis speciebus ac gradibus, & Jo. Casp. Suicerum *Thes. Ecc.* in voce hac.

SATANAS Sanctus, à Petro Damiano vocatur Hildebrandus Cardin. qui postmodum Papa factus Gregorii VII. nomen assumsit, quòd apud Alexandrum II. eum impedisset, ne Episcopatum dimitteret Ostiensem. *Satan* enim, vi vocis, *adversarium* seu *contradictorem*, notat, Dominic. Macer *in Hierolexico*. Vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* in ea, ubi & de phrasi παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ, *tradere Satanæ*, quâ utitur Paulus 1. Timoth. *c.* 1. *v.* 20. Hinc *Sataniani* dicti, qui *Satanam*, velut vitæ suæ præsidem, omniumque actionum moderatorem, venerabantur, ut à malo Genio tuti essent, apud Epiphanium *Hær.* 80. Vide iterum Suicerum, ubi de epithetis *Euchitarum*, ut & voce *Satanitæ*.

SATANITÆ, vide *Messaliani & Enthusiastæ*.

SATARCHÆ, Scythiæ Europææ populi juxta Mæotidem: qui, usu Solinò *c.* 20. auri & argenti usu damnatô, se à publicâ avaritia abdicarunt. Hi bellicosissimi sunt. Val. Flac. *l.* 6. *v.* 144.

Exomatæ, Torinique, & flavi crine Satarchæ,
Mellis honos Torinis, ditant sua mulctra Satarchen,
Exomatas venatus alit.

SATAROS; quæ & Patara, urbs Lyciæ. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

SATASPES, Persa Theaspis fil. à Xerxe rege cruci adfixus est, quòd Zopyri filii Megabyzi filiam virginem vitiâsset, quodque etiam totam Africam non peragrâsset, quod se fecisse, ad diluendum stuprum, dixerat. Herodot. *l.* 4.

SATELLES, in *Glossis* Græco-Lat. Βασιλικοῦ σώματος φύλαξ, *Imperatoris* seu *Regii corporis custos*. Solebant enim illi Regium solium circumdare & Principis latus tueri. Unde Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 384. de Etheocle,

—— *Ibi durum Etheoclea cernit*
Sublimem soliò, septumque horrentibus armis:
Jura ferus Populo trans legem, ac tempora Regni
Jam fratris de parte dabat. —— ——

H. e. *residentem in solio paterno & satellitio Regio stipatum*, Comment. vet. Et Claudian.

Non sic excubiæ, non circumstantia pila,
Quàm tutatur amor.

Sic Lucianus *Necromant.* Τὸν μὲν γὰρ λαβοῦσα ἡ τύχη βασιλικῶς διεκόσμησε, τιάραν δὲ ἐπιθεῖσα, καὶ δορυφόρους παραδοῦσα, καὶ τὴν κεφαλὴν στέψασα τῷ διαδήματι. *Hunc quidem exceptum Fortuna regificè ornavit, tiarâque impositâ & additis ei satellitibus, caput diademate cinxit.* Ubi Δορυφόροι Satellites exponuntur, in iisdem *Glossis*, quasi, *Hastiferi*; quod hôc armorum genere potissimùm uterentur. Cujusmodi *Satellitium* Regium insigne fuisse habitum, notat de Sulla Appianus *Civilium l.* 1. Αὐτὸς δ' οἷα δὴ βασιλεύων Δικτάτωρ ἐπὶ τοῖς ὑπάτοις ἦν. πελέκεις τε γὰρ ἐφέροντο πρὸ αὐτοῦ, οἷα Δικτάτορος εἴκοσι καὶ τέσσαρες, ὅσοι καὶ τῶν πάλαι βασιλέων ἡγοῦντο, καὶ φυλακὴν τοῦ σώματος περιέθετο πολλήν. *Ipse autem, velut imperans Dictator inter Consules erat. Secures enim ante ipsum, veluti Dictatorem, gestabantur viginti quatuor: quot numerò Regibus olim præferebantur, insuper Satellitio stipatus erat numerosô.* Τοὺς ἀεὶ τὸν Βασιλέα δορυφόρους, vocat Herodian. *l.* 1. *c.* 2. à corpore nempe Regio non discedentes. Invexit autem Romæ *Satellitum* usum Tarquinius Superbus, tyrannidis veræ signum ac præsidium, qua de re vide Dionys. *l.* 4. Decrescente dein Româ abusus cousque extensus, ut Regiam quacunque causâ ingredientium sinus vestesque excuterentur, ut videre est apud Sueton. *in Vespasiano c.* 12. &c. Pulchrè Imperatorium Satellitium Corippus descripsit *l.* 3.

—— —— *miratur Barbara pubes*
Ingentes adstare viros, scuta aurea cernunt,
Pilaque suspiciunt alto splendentia ferro
Aurea, & auratos conos, cristasque rubentes.
Horrescunt lanceas, sævasque instare secures,
Cæteraque egregiæ spectant miracula pompæ,
Et credunt aliud Romana Palatia cœlum.

Apud Caspar. Barthium *Animadv. ad Statium d. l.* Vide quoque infrà in voce *Scurra*, item suprà in vocibus, *Armiger*, *Buccellarius* &c. Addam hîc saltem, ex Car. du Fresne, insignem locum, qui occurrit in *Annalibus* Fuldensibus A. C. 880. *Normanni superiores existentes, duos Episcopos --- & duodecim Comites his nominibus appellatos ---- occiderunt. Præterea 18. Satellites Regios cum suis hominibus prostraverunt, quorum ista sunt nomina &c.* Ubi *Satellitum* nomine ei videntur intelligi Palatini Proceres dignitate tamen Comitibus inferiores, sed quibus alii suberant: adeò ut Regii corporis custodiæ Præfectos fuisse conjiciat, eosque quos hodie *Capitaines des Gardes* Galli vocant.

SATERNEI, gentes circa Mæotim. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

SATHANIANI, Hæretici memorati Dominico Macro *in Hierolexico*, in vocibus *Euchitæ*, *Precatores*, *Sethiani*. Vide suprà.

SATHULCURTIS, villa Galliæ, in pago Vimau, vel Witmao, Ludovici Regis de Nortmannis victoriâ nobilis, A. C. 881. nunc Marchiæ titulò insignis. Vulgò *Saulcourt*, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SATIBARZANES, Ariorum Satrapes, ab Alexandro constitutus, mox ab eodem defecit, Curt. *l.* 6. *c.* 6. ad Bessum, & versante Alexandrô apud Evergatas, cum equitum manu irrupit rursus in Arios, *l.* 7. *c.* 13. ab Erigyo solitariâ pugnâ victus & occisus *c.* 4.

SATICULA, Colonia & oppid. Samnii. *Saticola* Stephano & Diodoro Siculo. Populi *Saticuli*. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 729.

Accola Vulturni, pariterque Saticulus asper.

SATIO, Macedoniæ oppidum circa Lychnidem paludem. Polyb. *l.* 5.

SATIO, circa Vergiliarum occasum fiebat, in Græcia fere omni & Asia, Plinio *l.* 18. *c.* 7. *Æstiva, quæ æstate ante Vergiliarum exortum seruntur, ut milium, panicum, sesama, horminum, irio, Italiæ duntaxat ritu. Alioquin in Græcia & Asia omnia Vergiliarum occasu seruntur.* Quæ verba absolutè accepta locum non habent, quum & Græci milium, panicum, sesamum aliaque pariter æstate sererent & θερινὰ similiter nuncuparent. Nec quòd Hesiodus, *qui princeps omnium de agricultura præcipit*, ut is ait, unius tantùm sementis meminit, propterea unum tantùm apud illos serendi tempus. Nam unius tantùm sementis Autumnalis, veluti præcipuæ, mentionem fecit tantùm Poeta ille in Rusticis ἀροτῆρας. Fuisse verò, quæ & vernô tempore Græci *sererent* & æstivô, Theophrastus docet. Similiter Xenophon *in Oeconomic.* sementis hybernæ tantùm meminit, quæ frumenti est, quô præcipuè vita constat, ejusque tempus assi-

assignare videtur per illos imbres, qui sequuntur ab occasu Vergiliarum septimò ferè die, quosque idem Theophrastus appellat τὸ ἐπὶ Πλειάδι ὕδωρ. Ideò vero Xenophon post Vergiliarum occasum sementem rejicit, quia in madida *seri* vult: At aliis placebat in sicca serendum, qui proin Vergiliarum occasum præveniebant. Itaque legitimum sementis tempus præcipuè triticeæ, in Attica & Græcia omni fuit, ab occasu Vergiliarum, additque Xenophon, multis damnis affici, qui serunt, πρὶν κελεῦσαι τὸν θεόν, *antequam Deus signum dederit*, ut Plinius vertit, eleganter & eruditè. Κελευστὴς enim dicebatur hortator, qui perticâ seu portisculô remigibus signum dabat remigandi cessandique. Sic Prætor mappâ signum dabat emittendarum quadrigarum, Coryphæus endosimum pede dabat; Ita secundùm *Xenophontem*, Deus serendi signum dabat imbre. Idem autem totum illud tempus εἰς πρώϊμον, καὶ μέσον, καὶ ὄψιμον distinguit. Et quidem festinata satio à Vergiliarum occasu incipiebat, dicebaturque πρώϊμος ἄροτος seu σπόρος; serotina circa Brumam: Hine ἠελίοιο τροπῇσιν ἀρόσῃς vocat Hesiodus in Ἔργ. v. 488. qui circa illud tempus serit; contrà πρωτηρότην, qui à Vergiliarum occasu. Atque inde est, quòd Porsarchus Πυανεψιῶνα Atticum mensem, σπορητὸν μῆνα vocat & circà Vergiliarum occasum ponit; cujus septimâ τὰ Πυανέψια faciebant, quod erat sacrificium *præsementivum*: eô enim factô sementem auspicabantur. Tunc etiam Εἰρεσιώνη pro foribus constituebatur, omni genere fructuum & pomorum onusta &c. Græcè autem *Sationem* ἄροτον passim vocat Hesiodus; h. e. *arationem*; quia tertiâ aratione sata inarabantur; cùm de prima aratione, ἀροτῆρι λέγει, de secunda, θέρος ἢ νεωθεῖσα dicat. Sic de gruis adventu, in Ἔργ. v. 488.

> Ἥτ' ἀρότοιό τε σῆμα φέρει καὶ χείματος ὥρην.
> *Hæc sementis signum affert & hyemis tempus.*

Et alibi apud eundem ἀρόω est *serere*. Atque ita veteres Romani interpretati sunt. Inde ἀρὰς Græcis, *pratum*, *campus arabilis*: Siculis ἀρῶες, unde *arva* & *arvum*. Ab ἀρὰς verò verbum ἀρόω & ἄρουρα, quæ vox *terram aratam* notat, sed eam maximè, quæ *sata* est, Latinis *seges* &c. Quam in rem vide Plin. *l.* 18. *c.* 3. 21. 24. & quæ eruditè congessit Salmas. *ad Solin. p.* 730. & *seqq.* adde dicta voce *Restibilis*, it. Rega *Sessia* de qua suò locò. Præerat autem *Sationi*, apud Romanos, Deus *Sator*, de quo mox;

SATNICUS, dicebatur apud Croatas & Hungaros Præfectus regionis; quæ centum armatos dare poterat; in quorum locum successere *Knezi*, h.e. Comites, Joann. Lucius *de Regno Dalmatiæ l.* 6. *c.* 1.

SATNIUS, mons apud Lycophronem. *Steph.*

SATOR seu INSITOR, inter Deos Agricolas Romanorum, qui *sationi* præerat. Vide supra in voce *Insitor*.

SATORCHÆI, populi juxta Mæotim paludem. *Steph.*

SATRA, urbs Cretæ, *Eleutherna* postea dicta. *Steph.*

SATRACHUS, urbs & fluv. Cypri. *Lycophron.* Quidam per è scribunt, teste *Isacio*.

SATRÆ, populi Græcorum in litoribus Thraciæ. Herod. *l.* 7.

SATRAIDÆ, Arianæ gens. Dionys. *v.* 1098.

> Σατραΐδαι δ' ὅσσοι τε παρὰ πτυχὶ Παρπανισοῖο
> Ναιοῦσιν μάλα πάντες ἐπώνυμοι Ἀρηνοί.

SATRAPA, & SATRAPES, Persica vox, primitùs & propriè mari & classibus præfectum, quales hodie Archithalassi, vel Arabicò vocabulo Amiralii, dicuntur, postmodum quemvis Regium Præfectum seu Provinciæ Præsidem significare cœpit ut in Textu Græco Danielis *c.* 6. *v.* 1. 2. Σατράπαι. Idem proin Persis, quod veter. Germanis, *Grebe*, aut *Kuning Greba*, Boxhorn. *ad Miltiadem Nepotis c.* 4. Unde *Satrapia*, provincia quæ *Satrapæ* administranda concessa est, apud Curtium aliosque, qui de rebus Persicis agunt, passim: in cujusmodi *Satrapias* omne Persarum Imperium divisum fuisse, discimus ex B. Brissonio *de Regno Persarum l.* 1. Drusio in *Observationibus*, Beneggero *ad Justin. l.* 5. *c.* 2. aliis. His itaque *Satrapis* incumbebat, provincialibus imperare, eorumque commodis prospicere, tributa cogere, primisque custodiis stipendia exsolvere: & quidquid insuper factô opus esset, effectum dare. Brissonius *d. l.* Sed & in *Charta* Æthelredi Regis Angliæ post Duces, subscribunt aliquot Viri nobiles, cum titulo *Satrapa Regis*: *quæ appellatio*, inquit, Car. du Fresne, *eadem*, *est forte quæ Ministri*. Sidonio *Satraps* dicitur, *Carm.* 12.

> *Quisque sedet sub Rege Satraps* -----

SATRAPENI, Mediæ populi militantes sub Trigrane, quos Lucullus fugavit. *Plut.*

SATRIA, urbs Italiæ. *Steph.*

SATRIA, gens Romana, de qua vide Casaub. *ad Suet. de Grammat. & Rhet. p.* 735.

SATRIANUM, Urbs Lucaniæ exilis, ut vix vestigia supersint in provinc. Basilicata, in limite Principatus citerioris ad radices Apennini, 9. milliar. à Marsico novo in Boream Potentiam versus. Sic etiam Asculum Apulorum dicitur. Ejus sedes Episcopalis unita est Campaniensi hinc 28. milliar. in Ortum.

SATRICULA, oppid. Samnitum à Romanis captum, anno Urb. Cond. 439.

SATRICUM, oppid. Italiæ à Camillo Consule captum, anno Urb. Cond. 370. & dirutum. Liv. *l.* 7. *dec.* 1.

SATRIUS SECUNDUS, Sejani cliens & eversor. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 47.

SATROCENTÆ, populi Thraciæ. *Steph.*

SATROPACES, Equitum in Darii, ultimi Persarum regis, exercitu, præfectus. Curt. *l.* 4. *c.* 9. ab Aristone Pæonum Equitum præfecto, ad inhibendum transitum Tigris cum mille equitibus missus, directâ in guttur hastâ transfixus, *Ibid.*

SATTAGYLÆ, Asiæ populi *Herodot.*

SATTALA, Phrygiæ urbs. *Ptol.*

SATTALICUS SINUS. pars maris Mediterranei inter Asiam minorem ad Boream & Ægyptum ad Meridiem naufragiis & procellis infamis. Aliter *Attalicus sinus* dicitur.

SATULA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

SATUM, aridorum mensura, in Palæstina, quæ secundùm Zachariam Chrysopolis Episcopum *in Comment. Evang. c.* 74. continebat modium cum dimidio: alii tamen unum modium capere existimant. Syriaca vox est *Saato*, & occurrit Numer. *c.* 5. *v.* 15. 1. Regum *c.* 25. *v.* 18. 2. Paralip. *c.* 2. *v.* 10. Matth. *c.* 13. *v.* 33. Lucæ *c.* 3. *v.* 21. Joanni de Janua, *Genus est mensuræ*, *juxta morem provinciæ Palæstinæ*, *unum dimidium modium capiens*: *cujus nomen ex Hebræo sermone tractum est*. *Satum verò apud eos nominatur sumtio vel elevatio*: *eo quòd*, *qui metitur*, *eandem mensuram sumat & levet*. *Et est aliud Satum mensura sextariorum* 22. *capax*, *quasi modius*. *In. c.* 17. *Gen. v.* 6. *dicitur*, *Accelera*, *tria sata farinæ simila commisce*, *& fac subcinericios panes*. Ecce tria illa *sata*, de quibus Matthæi *d. l.* Ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον, *Simile est Regnum cœlorum fermento*, *quod acceptum mulier condidit in farinæ satis tribus*, *usque quo fermentaretur tota*: Sunt unum epha, sive modii quatuor & semis. *Nam addit* סאה *apud Judæos mensura fuit rerum aridarum*, *sesquimodium capiens*, *quam ter continebat epha*. *Sed existimo nonnullos intempestivè in hac mensura philosophari*. Vide eum *Annot. ad N. Test.*

SATURA, palus Latii inter Antium & Circejos, quæ & Pomtina, 23. olim urbium locus, ut ex Mutiano tradit Plin. *l.* 3. *c.* 5. Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 801.

> *Quâ Saturæ jacet atra palus*, *gelidusque per imas*
> *Quærit iter valles*, *atque in mare conditur Ufens*.

Et ejus imitator Silius *l.* 8. *v.* 381.

> *Quâ Saturæ nebulosa palus restagnat*, *& atro*
> *Liventes cœno per squalida turbidus arva*
> *Cogit aquas Ufens*, *atque inficit æquora limo*.

SATURA, an à carminis rerumque varietate; an à *Satura*, lance, quæ referta multis variisque primitiis Diis olim in sacrificiis offerebantur; an à lege *Satura*, quæ unô rogatu multa simul complectebatur; an à *Satyris*, quod in hoc genere carminis res ridiculæ pudendæque scriberentur; an ab Hebræo סתר, à *latendo*, quod raro in conspectum hominum veniret? dicta, pars erat olim Tragœdiæ accessoria, quæ, actu absolutô, ad leniendam atrocitatem, introducebatur, cum scommatibus & jocorum petulantia. Posteà extra Scenam excoli cœpta, in peculiare Poëma excrevit, adeoque cùm Chorus è Comœdia sublatus esset, in ejus locum adscita est: seu, ut alii volunt, è Tragœdia sublata in illud Comœdiæ genus migravit. Quanquam Scaliger videtur hanc *Saturam* Comicam, *Atanam* appellare, *Poëtic. l.* 1. *c.* 10. &c. Quorum quidquid sit, Tragica certè *Satura* potiùs est, quàm Comica: vicissim Mimus Comicus potiùs, quàm Tragicus; cùm *Satura* severitatem, Mimus verò ridiculam gesticulationem in jocis ferè usurpet. In Latinis autem Tragœdiis *Satura* non fuit, sed in novum planè Poëmatis migravit genus, (auctore Luciliô, majore avunculo Pompeji Magni) quod Græcis ignotum, ut testatus Quintilianus *l.* 10. *c.* 1. Metrum etiam mutatum est: cùm enim Lucilius primò usus esset Jambis, eos postea in hexametros vertit primusque *nasi stylum acuisse*, ob virulentiam, Plinio dicitur: *præfat. Histor. Natural.* & cum antè agricolæ genio indulgentes alternis versibus opprobria rustica fudissent, uti docet Horat. *Ep.* 1. *l.* 2. posteà consuetudo in pompas & solemnes Deorum ludos abiit, ut etiam ἐξ ἁμάξης, i. e. *plaustro*, convitia & scommata in quosvis obvios liberè dicerentur. Confer Horatium *Sat.* 4. *l.* 1. *Serm.* & *Ep.* 1. *l.* 2. Hanc *Saturam* novam Latinam definire licebit, *poëma multiforme mordax & salsum*, *ad corrigendos hominum mores accommodatum*. Modò enim ἐξηγητικὸν modò δραματικὸν; modò μικτὸν carmen est, ut ad certum genus referri non possit. Materia est turpitudo risu & insectatione digna: postulat ingenium versutum & sagax; amat varietatem rerum: crebras item & acutas sententias, numerosque humiles & idcirco neglectiores, quem ipsum neglectum pro cultu habet. Ne verò potentiores in se irritarent fictis utebantur nominibus Veteres, aut vera nomina ex historiis similibus sumebant; quemadmodum Neoterici sceleratorum nomina è Veteribus mutuò sumunt aut è Græcis effingunt nova. Porrò partes certas nullas habet, uti nec certam dispositionem, elegantem tamen eam vult: quemadmodum & stylum, vulgarem quidem, verùm purum & præsenti negotio poscit accommodatum. *Quis enim ferat contrapositis & consimilibus irascentem*, *flentem*, *rogantem*, *deprecantem*, *ubi atrocitate*, *invidiâ*, *miseratione opus est? Cùm penè cura verborum deroget affectibus fidem*, *& ubicunque ars ostentatur*, *veritas abesse videatur*, Quintilianus *l.* 9. Verba obscœna respuit; quam ob causam *Ausonius*, *Lucretius*, *Juvenalis* prudentissimè alicubi Græca vocabula interseruêre, quòd flagitia & arcana quædam neutiquam Latinè dicenda putarent. Vide Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtic. l.* 3. *c.* 48. & *alibi passim*, Taubmannum *ad v.* 129. *Culicis Virgil.* Lil. Gyraldum *Dialogo* 6. *Hist. Poët.* Dan. Heinsium *Dissertat. Horat.* & *libro de Satyra Horat.* Auctores Poëticæ Giessensis *l.* 2. *c.* 9. &c. In hac Satyros, eosque nudos, qui salsa rerum & acuta dicta in hominum mores eibrarent, fuisse introductos, Horat. *de Arte Poët. v.* 220. docet,

> *Carmine qui Tragicô vilem certavit ob hircum*,
> *Mox etiam agrestes Satyros nudavit*. -----

Illos verò à Sophocle, ut aliquando suam gravitatem Tragœdia reciperet, sublatos fuisse, testis est Aristoteles *l. de Arte Poët.* Re-

Receptos postea à Latinis in Comœdias, primùmque inductos à Livio Andronico, exin verò à Juventute remotos esse, & in fabulas Attellanas demigrâsse, videtur indicare Liv. *l.* 7. *c.* 2. Vide Aldum Manutium Pauli fil. *Comm. in Horatium loc. cit.* Floruerunt post Lucilium memoratum *Satyrici*, à *Satura* dicti, Terentius Varro, Horatius, Juvenalis, Lucretius, Ausonius, Persius, alii: è quibus Horatius festivus derisor occultiùs quàm reliqui vitia taxat, salsiorque & jocosior censetur; Persius tetricus habetur censor, severior & tristor; Juvenalis petulcus exagitator, petulantior ac obscœnior, judicatur. Princeps *Satyricorum* à Scaligero Juvenalis prædicatur, ob elegantiam versuum & acrimoniam sententiarum; Heinsius tamen Horatium reliquis omnibus anteponit, &c. Aliud erat *Satyræ* genus, quale Pacuvius & Ennius scripsisse leguntur, *carmen* nempe *quod ex variis Poematibus constabat*, ut inquit *Diomedes*: quæ *Satura* Enniana à Luciliana, de qua suprà differebat tum in genere carminis, quo vario Ennius usus est; tum inprimis in materia & tractandi modo. Nam spectavit quidem ad morum doctrinam utraque: sed Lucilius multò magis, quàm Ennius, personis adhæsit; & quia plures semper mali, quàm boni, in notandis objurgandisque vitiosis, plurimus fuit: Qua in re quoniam summâ libertate usus erat, nominibus etiam Magnatum & in Rep. potentium adjectis, visus dictusque est, mutatô genere metri & facie Poëseos, priscam Atheniensium Comœdiam reduxisse. Vide Anton. Thysium JCtum *Notis in Gellium l.* 1. *c.* 16.

SATURIUM, vel SATUREJUM urbs Calabriæ, non procul à Tarento, *Steph.* Hinc *Saturejanus*. Hor. *l.* 1. *Sat.* 6. *v.* 59.

Me Saturejano vectari rura caballo.

Alii legunt *Satrianeo*. Vide *Satrianum*.

SATURNALIA, festa 5. aut 7. dierum mense Decembri Saturno dicata, quibus Romani synthesin vestem sumebant, servisque discumbentibus inserviebant: muneraque ultrò citroque mitti solebant. Unde Strenarum origo. Vide Fungerum in *Saturnus*, Lips. *l.* 2. *Saturnal.* Martin. Lipenium, in *Hist. Stren. &c.* Iisdem bellum sumere, nefas habebatur; quemadmodum & pœnas à nocente iis diebus exigere, piaculare erat, teste Macrobiô *loc. cit.* Primùm ea celebrata fuisse à Noaho, tempore diluvii, in Arca, mense 10. eô die, quô primùm juga montium ex aquis apparere cœperint, ac dein singulis annis illum diem festum fuisse, pluribus contendit Goropius Becanus *l.* 4. *Orig. Antverp.* quem *Cronia* inscripsit. Hoc certum est, multò ante Romam conditam non in Italia modò, sed & in Græcia illa floruisse: Unde eorum Auctorem quidam Janum, alii Herculis comites in Italia relictos, nonnulli Pelasgos, in Delum Insul. delatos, faciunt, ut apud eundem Macrobium videre est. Vide quoque Jac. Oiselium JCtum *Not. in A. Gellii ista*, Saturnalia *Athenis agitabamus, hilarè prorsùm & modestè*, *l.* 18. *c.* 2. Et primùm quidem Romæ ad d. 14. Kal. Jan. celebrabantur per unicum diem. Postquam verò C. Cæsar in anni emendatione, huic mensi duos dies addidit, 16. Kal. Jan. agitari cœperunt; quâ re factum, ut cùm vulgus ignoraret certum *Saturnalium* diem, nonnullique à C. Cæsare, incertô die; & alii veteri more celebrarent, plures dies *Saturnalia* ferverent. Quod Augustus Imperator confirmavit, cùm in Legibus Judiciariis triduò ferias eas jussit servari. Quanquam & apud Veteres vel 7. dies ea peragi consuevisse, *Nonius & Mummius*; vel saltem triduum viguisse, *Mallius*, tradant. Inter alia verò munera, cereos inprimis missitari solitos, legimus, vel quòd Saturnus luminibus accensis coleretur, vel ut significarent, hôc Principe, à vita rudi ac inculta, ad politiorem, tanquam à tenebris ad lucem, se traductos fuisse: Cumque Patroni nimis avarè, hâc occasione, munera à Clientibus exigere solerent, Publicius Tribun. Pleb. tulit, ut non nisi cerei prædicti ditioribus mitterentur. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 16. Horat. *libertatem Decembrem* hoc Festum vocat *Sat.* 7. *l.* 2. *v.* 4. Vide quoque Athenæum *l.* 14. & Dionem *l.* 58. Cujus rationem, ex mixto cultu Naturæ & Adami, arcessit Vossius, per Saturnum non alium, nisi primum Parentem nostrum, indigitans. *Naturâ enim omnes liberi nascimur, eoque antiquissimis temporibus, quibus naturæ sequebantur ductum, homines servitiô aut libertate minimè distinguebantur*: cujus rei iconem *Saturnalia* servavêre. Vide Vossium præfatum *de Orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 18. Neque verò ad dominicam solùm mensam Dominis præministrantibus sedebant his feriis servi, sed & vestem cum iis commutabant, teste Dione *l.* 8. ut (præter rationem jam allatam) hâc comitate obstricti, in Dominos obsequiis paratiores essent odiaque invicem ac offensiones dimitterent: *Fidelius enim & gratius semper obsequium est, quod ab amore, quam quod à metu proficiscitur*, Hieronym. *ad Celantiam.* Alius fuit Servorum festus dies, de quo Senec. *Ep.* 47. ille enim in Eidus Augusti, quòd eô die Servius Tullus servâ natus esset, incidebat. Tit. Popma *de Operis servorum.* Vide & *infrà*: uti de *Saturnalibus muliebribus* h. e. Matronalibus Kal. Martiis celebrari solitis, suprà: de festo verò Christianorum medii ævi, *Saturnalium* æmulo, suprà itidem voce *Kalendæ*. Hinc *Saturnalicius*. Martial. *l.* 5. *Epigr.* 31. *v.* 8.

Saturnalicias perdere, Varro, nuces.

Dicuntur etiam & *Cronia*. Quod ostendunt hi versus Attii veteris poëtæ apud Macrobium, Saturnalium *l.* 1. *c.* 7.

Maxima pars Grajûm Saturno: & maxime Athenæ,
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Cumque diem celebrant: per agros, urbesque fere omnes
Exercent epulis læti; famulosque procurant
Quisque suos: nostrique itidem. Et mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli, tùm epulentur ibidem.

Justinus *l.* 43. *c.* 1. *Rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit: sed omnia communia, & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. Ob cujus exempli memoriam, cautum est, ut in Saturnalibus, exæquatô omnium jure, passim in conviviis servi cum dominis recumbant.* Ac similiter Saturnus ipse loquitur apud Lucianum, Ἐν τοῖς αὐτοῦ Κρονίοις, *dialogô* 1. Καὶ διὰ τοῦτο ἀπαιτῶ χρόνον, ᾠδὴ, καὶ παιδιὰ, καὶ ἰσοτιμία πᾶσι καὶ δούλοις καὶ ἐλευθέροις. Οὐδεὶς γὰρ ἐπ᾽ ἐμοῦ δοῦλος ἦν.

SATURNI Ærarium, vide suprà, *Ærarium*.

SATURNI Baptismus, apud Augustinum *contra Crescon. Gramm. l.* 2. *c.* 7. Vide Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. c.* 14. *de Sacramentis §. ult.* & suprà, ubi de *Baptismo*, item voce *Lotio*.

SATURNIA, oppid. Latii à SATURNO conditum. Editiora autem loca (teste *Diodorô*) *Saturnia* dici consueverant. *Σατόρνια* (inquit *Stephan.*) Italia primùm dicebatur. Gentile *Saturnius*, quod & proprium viri est apud historicos Romanos. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 173.

Salve magna parens rerum Saturnia tellus,
Magna virûm. ----- -----

Plinius Romam ipsam sic vocat. Inde *Saturnia porta*, cujus meminit Varro & Plin. quæ & *Pandana* à semper *pandendo*, per quam necessaria in urb. inferebantur.

SATURNIACUS vicus, vulgò TORNI, in territorio Arciasi, ad Albam flv. memoratur Bernardo *in off. S. Victoris*. Est autem *Artiaca*; vel *Arciaca*, unde territorio nomen, *Arce sur Aube*, in agro Tricassino Galliæ, vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SATURNIANA Colonia, Tuscorum urbs. Ptol. Hodie *Saturnia*.

SATURNIANI, hæretici à SATURNINO quodam dicti, vide *Saturninus*.

SATURNINI, Italiæ populi in Etruria, qui & *Aurinini*. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

SATURNINUS, optimus Ducum Gallieni temporibus, sed à Valeriano delectus est. Hic quoque, quum dissolutionem Gallieni pernoctantis in publico ferre non posset, & milites non exemplô Imperatoris, sed suô, regeret, ab exercitibus sumpsit Imperium, vir prudentiæ singularis, gravitatis insignis, vitæ amabilis, victoriarum barbararum, etiam ubique notarum. Hic eâ die, quâ est amictus à militibus peplô Imperatoriô; concione habitâ dixisse fertur, *Commilitones, bonum Ducem perdidistis & malum Principem fecistis.* Denique quùm multa strenuè in Imperio fecisset, quòd esset severior & gravior militibus, ab iisdem ipsis, à quibus factus fuerat, interemtus est. Hujus insigne est, quòd convivio discumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum sagis jussit, hyeme gravibus, æstate perlucidis, Treb. Pollio *in XXX. Tyrannis. c.* 23.

SATURNINUS, Orientis Imperium arripuit, sub Probo Imperatore, quô, post varia præliorum genera, superatô & victô, *tanta in Oriente quies fuit, ut (quemadmodum vulgò loquebantur) mures rebelles nullus audiret*, Vopiscus *in Probo. c.* 18. Oriundus fuit Gallis. Cui Aurelianus Imperator limitis Orientalis ducatum cùm dedisset sapienter præceperat ne unquam Ægyptum videret, & mente quidem divinâ. Nam ut primùm Ægyptii magnam potestatem ad se venisse viderunt, statim clamaverunt, *Saturnine Auguste, Dii te servent.* Et ille quidem de Alexandrina civitate mox fugit, atque ad Palæstinam rediit: ubi tamen, quum cogitare cœpisset, tutum sibi non esse, si privatus viveret, depositâ purpurâ ex simulachro Veneris, cyclade uxoriâ militibus circumstantibus amictus & adoratus est. Memorabilis est concio ejus ad Milites, quum eum animarent vel ad vitam, vel ad imperium, apud Vopiscum laudatum, *c.* 10. qui eum obsessum tandem in castro quodam, ab iis, quos Probus miserat, invitô Probô, jugulatum esse, addit.

SATURNINUS, Syriæ præfectus, An. Urb. Cond. 749. Item, vide *Volusius*.

SATURNINUS, vel SATURNILLUS, Antiochenus, circa A. C. 140. Simonis Magi hæreses sparsit, ejus, ut & Menandri Basilidisque discipulorum & suas addidit, videlicet Mundum, & homines ab Angelis factos esse, alios quidem naturâ bonos, alios verò malos, & Deum Judæorum unum fuisse ex malis Angelis, ad quem destruendum Christus, sub fallaci carnis schemate, venerit. Conjugium docuit à malis Angelis ortum, Resurrectionem negavit, &c. austeritate vitæ & abstinentiâ ab esu animatorum omnium, hominibus imponere conatus. Epiphan. *hær.* 23. *Tertullian. Theodoret. Philastrius, Augustin.* Irenæus *l.* 1. *c.* 12. & *l.* 6. *c.* 21. Euseb. *hist. Eccl. l.* 4. *c.* 7.

SATURNINUS à Tucca Confessor, in Concilio Carthaginensi, in Marcionitas invectus, Ethnicis illos deteriores esse ostendit: *Gentiles*, inquiens, *quamvis idola colant, tamen summum Deum Patrem Creatorem agnoscunt & confitentur, in hunc Marcionitæ blasphemant.* Vide Joann. L. Ruellium *Histor. Concil. Tom. I. Peric.* 3. *Sylloge* 31. *p.* 845.

SATURNINUS, Mons, qui postea *Tarpejus*. Est & gentile à *Saturnia. Stephan.* Cæterùm mons hic quia tutissimus & providâ Naturæ manu, adversus injurias hostium, situque munitus erat, Plut. *in Romanis Quæst. c.* 42. hinc in Æde Saturni Ærarium suum esse Romani voluerunt: primo Val. Publicolâ rei Auctore, ut discimus ex Macrobio *Saturnal.* l. 1. *c.* 6. Qua de re sic quoque Tertullianus *Apologet. c.* 10. *Si quæras rerum argumenta, nusquam invenio fideliora, quàm apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones, postque Attica hospitia consedit, exceptus à Jano, ut Salii volunt. Mons, quem incoluerat*, Saturnius *dictus; civitas, quam depalaverat*, Saturnia *usque nunc est: tota denique Italia post Oenotriam* Saturnia *cognominabatur. Ab ipso primùm tabulæ & imagine signatus nummus, & inde Ærario præsidet.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. l.* 1. *c.* 5.

SATURNIUM Mare, idem cum Cronio & Oceano Septentrionali *Orpheus*.

SATURNIUS Mons, idem Capitolino & Tarpejo. Varro, Fest. *Strabo*.

SATURNUS, Oceani ac Tethyos fil. Plato *in Timæo*: Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην, ἐκ τούτων δὲ Φόρκυς τε καὶ Κρόνος, καὶ Ῥέα, καὶ ὅσοι μετὰ τούτων. At Hesiod. *in ortu Deorum*, v. 44. cum Cœli uxorem Terram fuisse cecinisset, his versibus:

> Θεῶν γένος αἰδοῖον πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ
> Ἐξ ἀρχῆς, οὓς Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτεν.

Mox paulò inferius v. 138. inter eorum filios Saturnum etiam commemoravit, uti patet ex his:

> Τοὺς δὲ μεθ' ὁπλότατος γένετο Κρόνος ἀγκυλομήτης,

& Orpheus, *Hymnô quodam in Saturnum compositô*, ita inquit:

> Γαίης τε βλάστημα καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

Quam rem Ovid. quoque *Fast. l.* 1. v. 235. sic expressit,

> *Hâc ego Saturnum memini tellure receptum,*
> *Cœlitibus regnis nam Jove pulsus erat.*
> *Inde diu genti mansit Saturnia nomen,*
> *Dicta fuit Latium terra latente Deo.*

Fratrem habuit Titanem majorem natu, qui cùm parenti, uti par erat, succedere deberet, animadvertens tamen matrem, sororesque in Saturnum proniores esse, jure suô cessit, eâ tamen lege, ne Saturnus prolem masculam tolleret, sed regnum ad suam stirpem rediret. Saturnus igitur ex pacto cum fratre inito, liberos suos masculos, ubi primum nati essent, devorabat. Verùm cùm Ops unô partu Jovem & Junonem edidisset, Junonem quidem Saturno ostendit, Jovem verò clàm nutriendum ablegavit, adhibitis interim Corybantibus, qui cymbalorum, tympanorumque pulsu obstrepebant, ne pueri vagitus audiretur. Saturno autem, cùm ille puerum deposceret, ut ipsum devoraret, Ops lapidem ostendit pannis involutum, eumque partu illô à se editum simulabat, quem ille acceptum sine morâ devoravit. Posthæc cùm & Neptunum illa peperisset, eum quoque clam Saturno educandum tradidit. Tertiò deinde geminos enixa Plutonem & Glaucam, Glaucam rursus Saturno ostendit: Plutonem autem abscondit. Verum detectâ tandem fraude cum Titan rescivisset, fratri prolem masculam esse, suosque eâ ratione regni successione pulsos esse, unà cum filiis, qui *Titanes* à patre cognominabantur, bellum adversus Saturnum suscepit: cujus exitus is fuit, ut victoriâ potitus Titan, Saturnum, Opemque utriusque sororem in potestatem suam redactos, muro incluserit, donec Jupiter adultus, dejectis Titanibus, eos liberavit. Post hæc Saturnus, cùm ex oraculo didicisset, fore ut à filiis regnô pelleretur, atque ob hoc Jovi insidias strueret, ab eo regno pulsus, in Italiam profugit, ubi aliquandiu apud Janum regem latitavit: unde ea pars Italiæ *Latium* dicta est. Quod non obscurè innuit Virg. *Æn. l.* 8. v. 319.

> *Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo*
> *Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.*
> *Is genus indocile, & dispersum montibus altis*
> *Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari*
> *Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.*

Opem sororem suam matrimonio sibi conjunxit, & patri Cœlo virilia execuit. *Minutius Felix*: *Itaque latebram suam, quod tutò latuisset, vocari maluit Latium.* Scaliger, *in Conjectaneis*, scribit, Saturnum linguâ Syriacâ, aut Aramæâ, quâ usi Thusci, significare *latentem*. Sanè Ebræis סתר est *latuit*, *abscondit*. Fuerunt tamen, qui putarint *Saturnum* fuisse à Jove comprehensum, & in vincula traditum, non autem fugisse, quorum sententiam secutus est Plato *in Euthyphrone*: Αὐτοὶ γὰρ οἱ ἄνθρωποι τυγχάνουσι νομίζοντες τὸν Δία τῶν θεῶν ἄριστον καὶ δικαιότατον, καὶ τοῦτον ὁμολογοῦσι τὸν αὑτοῦ πατέρα δῆσαι, ὅτι τοὺς υἱεῖς κατέπινεν οὐκ ἐν δίκῃ, κἀκεῖνόν γε αὖ τὸν αὑτοῦ πατέρα ἐκτεμεῖν δι' ἕτερα τοιαῦτα. At Homer. *Il.* 8. v. 477. non solùm Saturnum vinctum fuisse à Jove memorat, sed etiam ejus fratrem Japetum, amboque fuisse conjectos in Tartarum, ut in his patet:

> ------ Σέθεν δ' ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω,
> Χωομένης, οὐδ' εἴ κε τὰ νείατα πείραθ' ἵκηαι
> Γαίης καὶ πόντοιο, ἵν' Ἰαπετός τε Κρόνος τε
> Ἥμενοι, οὔτ' αὐγῇς Ὑπερίονος Ἠελίοιο,
> Τέρποντ', οὔτ' ἀνέμοισι, βαθὺς δέ τε Τάρταρος ἀμφίς.

Memoriæ tamen prodidit Lucianus *in Saturnal.* Saturnum neque fuisse à Jove vinctum, neque regnô privatum, sed libenter ac sponte regnum illi concessisse, rerumque omnium, utpote ob ætatem impotentem, filio tradidisse administrationem. Hôc regnante, ætatem auream fuisse fabulantur, terramque suâ sponte, expertem vomeris & aratri peperisse fruges, communesque id temporis, & nullis distinctas limitibus agrorum possessiones fuisse. Virg. *ubi supra*:

> *Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuere*
> *Secula, sic placidâ populos in pace regebat.*

Idem *Georg. l.* 2. v. 538.

> *Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.*

Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 3. v. 35.

> *Quàm benè Saturnô vivebant rege, priusquam*
> *Tellus in longas est patefacta vias.*
> *Nondum cæruleas pinus contempserat undas,*
> *Effusum ventis præbueratque sinum.*
> *Nec vagus ignotis repetens compendia terris,*
> *Presserat externâ navita merce ratem.*
> *Illo non validus subiit juga tempore taurus,*
> *Non domitô frænos ore momordit equus.*
> *Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris*
> *Qui regeret certis finibus arva lapis.*
> *Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant*
> *Obvia securis ubera lactis oves.*
> *Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses*
> *Immiti sævus presserat arte faber.*

Huic falcis inventionem tribuerunt antiquorum nonnulli, quoniam, ut diximus, vitæ humanioris author fuit Italiam incolentibus, quos plantandi, ac falce metendi rationem docuit. Alii dixerunt, eam falcem sibi à matre fuisse datam, cùm adversus patrem, & ad liberandos è vinculis fratres armatus fuit, quâ etiam genitalia Cœlo abscidit, quæ postea decidit in Siciliam, quæ ab eâ *Drepanon* dicta fuit, δρέπανον enim Græci *falcem* vocant. Apollon. *l.* 4. *Argon.*

> Ἀμφιλαφὴς, πρόπαρ Κεραυνίης εἰν ἁλὶ νῆσος,
> Ἧ ὕπο δὴ κεῖσθαι δρέπανον φάτις, (ἵλατε Μοῦσαι,
> Οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος) ᾧ ἀπὸ πατρὸς
> Μήδεα νηλειῶς ἔταμε Κρόνος.

Fuit Saturnus ad res Venereas maximè propensus; quare illa fabula de eo circumfertur, quòd cùm Philyram Oceani filiam amaret, Opi superveniente, in equum se converterit, ut sub eâ formâ amores suos occultaret. Virgil. *Georg. l.* 3. v. 92.

> *Talis & ipse jubam cervice effudit equinâ*
> *Conjugis adventu pernix Saturnus, & altum*
> *Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.*

Ad hanc Saturni fabulam, & ad locum etiam hunc Virgilii adspirâsse videtur Prudentius *l.* 1. *contra Symmachum* v. 54.

> *Inde Deos, quorum patria spectata sepulchra*
> *Scimus, in ære hebetes informavêre minores:*
> *Advena quos profugus gignens, & equina libido*
> *Intulit Italiæ: Thuscis namque ille puellis*
> *Primus adhinnivit, simulato Numine, mœchus.*

Sicuti & Arnobius *l.* 4. *Senex Saturnus jamdudum obsitus canis, atque annorum vetustate jam frigidus, vestris carminibus indicatur ab uxore in adulterio comprehensus, induisse formam feri, & sub pecoris specie hinnitibus evolâsse jactatis.* Porro Mythologiam Saturni quod attinet, ea peti potest ex Nat. Comite, *l.* 2. c. 2. Aur. Victore *de orig. gentis Rom.* Cartario, *de Imag. Deor.* Boccat. *Hist. Deorum*, Alex. Rossæo *Mystag. Poet.* &c. Martianus Capella cum Saturnum describeret, dicit, eum gressibus tardum, ac remoratorem incedere, glaucôque amictu tectum caput prætendere & dextra flammivomum quendam draconem, caudæ suæ ultima devorantem (quem credebat anni numerum nomine prodere) ipsius autem caniciem pruinosis nivibus candicare. Voss. eum Adamum fuisse statuit *Theol. Gent. l.* 1. c. 18. Quanquam non negat, in eo conservatas nobis reliquias quasdam de Patriarchâ Noë. Saturnum verò fuisse Noachum multis argumentis probat eruditissimus Bochart. *Phaleg. l.* 1. c. 1. Huic Romani ann. 257. Urb. Cond. templum dedicârunt, institutis Saturnalibus, vide ibi, & Lipsium *l.* 1. *Saturn.* Martin. Lipenium, *in Hist. Strenarum &c.* Summum inter Planetas locum tenet Saturnus; tardè itaque cursum suum absolvit, nec nisi 30. fermè annis. Huic natura frigida & noxia itaque est. Et Virg. cùm *Georg. l.* 1. v. 336. ait:

> *Frigida Saturni quò sese stella receptet;*

Nocentem etiam intellexit, non frigidam tantùm rigentemque, ut *Servius* interpretatur. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1. v. 84.

> *Est grave Saturni sidus in omne caput.*

Lucan. *l.* 1. v. 650.

> ------ *Summo si frigida cœlo*
> *Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes.*

Idem *l.* 10. v. 205.

> *Frigida Saturno glacies.* ------

Cicer. *l.* 2. *de Nat. Deor.* *Quarum* (Stellarum errantium) *tantus est concentus ex dissimilibus motibus, ut cùm summa Saturni refrigeret, &c.* Plin. *l.* 2. c. 8. *Saturni sidus gelidæ ac rigentis naturæ.* Unde *Ptolemæus* ait, hujus Planetæ dominante stellâ causam corruptionis fieri κατὰ ψῦξιν. Pers. *Sat.* 5. v. 50.

> *Saturnumque gravem nostro Jove frangimus unà.*

Juvenalis *Sat.* 6. v. 569.

> *Hæc tamen ignorat, quid sidus triste minatur.*
> *Saturni.* ------ ------

Nic. Lloydius. Cæterùm, Regem fuisse Aboriginum Eusebius docet, quemadmodum & Janum, Sed ita ambo Indigetes fuissent Romanorum Dii, cùm tamen ad Deos Selectos pertinuerint, quales octo, præter duodecim Consentes, habuêre. Quare non animales, sed naturales fuisse hos Deos, h. e. non humanæ, sed mundanæ Naturæ appellationes, ostendit Voss. *de Idolol. l.* 2. c. 12. Error verò hinc ortus, quod cùm Romani sacra sua habuerint vel ab Albanis, qui à Phrygibus oriundi, vel ab Osca, Sabinorum gente, vel Thuscis, qui teste *Serviô*, ex Asia venêre; Adami primi parentis cultum, qualis in Asia vigebat, sub Jani *Saturnique* nominibus accepêre & cùm scirent, Reges antiquis solere temporibus inseri ordinibus Deorum, facilè sibi persuaserunt; utrumque Latii fuisse Regem. *Saturni* autem sub schemate Adamum latuisse, varia probant; ætas aurea, antiquitas Numinis, Imperium in omnia, latebræ pudendæ, expulsio è regno, agriculturæ studium, ortus è Cœlo & Tellure, cultus, tandem apud Græcos Romanosque; ut pluribus probat Voss. præfatus c. 18. *l. cit.* Sed & in eodem conservatæ nobis reliquiæ quædam de Patriarcha Noacho. Namque hic primus omnium, qui post cataclysmum vixêre, iterum imperium habuit in omnia & inter tres filios orbem distribuit: quibus omnibus similia in *Saturni* fabula reperies. Fortasse & Patriarcha Abrahamus in *Saturno* cultus est, ut videtur colligi posse ex loco Porphyrii ab Eusebio adducto, *Præp. Evang. l.* 1. ubi *Saturnum filium suum unigenitum in ara ad hoc extructa immolâsse*, refert. Vide Voss. *loc. cit.* Cùm stellam vox notat, modò supremum Planetarum, modò solem, significat: Quod enim de vinculis à Jove injectis, de imperio in animas, de

Sapientiæ præsidatu &c. dicitur, ad Planetam supremum spectare, eruditè iterum Voss. ostendit *l.* 2. *c.* 33. Quod Κρόνος idem dictus, quod Βελάθης; quod liberos illi immolâsse Phœnices leguntur &c. id ad Solem qui aptè referri possit, docet idem *l.* 12. *c.* 4. Et quidem cùm supremus Planetarum voce hâc indigitatur, notam illius apud antiquos fuisse ex duabus primis literis nominis ejus, quô Græcis appellatur, conflatam, adeoque cum hac effigie primitus descriptum Κρ; i. e. Κρόνος, notat Salmas. *ad Solin. p.* 1237. & 1238. A quo initio per quos gradus itum sit ad hodiernum ejus signum ♄ ibidem docet. In descriptione VIII. region. Urbis Romæ, apud Rosin. *l.* 1. *c.* 13. trium ædium sacrarum *Saturni* mentio fit, duarum item ararum, unius areæ, luci & sacrarii: primusque ei ædem Romæ vovisse, ac extruxisse, in Capitolino monte T. Tatius Sabinorum Rex legitur, apud Dionys. Varronem & Augustinum, citante Rosinô *l.* 2. *Antiq. Rom. c.* 4. *Saturni* & Opis templum Tullum Hostilium, eo tempore, quo cum Sabinis bellum gerebat, vovisse, idem Dionys. *l.* 3. testatur: quo tempore primum instituta fuisse *Saturnalia*, Macrob. ait. *Saturnal. l.* 1. *c.* 7. Alia ejus ædes fuit, in Clivo Capitolino, incertum à quo condita. Livius *l.* 2. *c.* 21. an. 256. Urb. Cond. A. Semp. Atratinô, M. Minutiô Consulib. templum *Saturni* dedicatum esse scribit, quod & Dionys. Halicarnass. *loc. cit.* affirmat, in clivo illud prædicto collocans. Quod quidam scribunt locatum à T. Largio superioris anni Consule, quidam à Tarquinio Superbo, dedicatum verò ex SCto à Post. Cominio. Macrob. ex Varrone notat, L. Tarquinium Regem eam ædem faciendam locâsse, T. vero Largium Dictatorem Saturnalibus dedicâsse. Et hanc quidem ædem Ærarium fecit P. Valerius Poplicola, *Plut.* quò proin omnes Legatos, Romam undecunque missos, accedere necesse erat, ut ibi nomina sua Præfectis ærarii darent, à quibus antiquitus hospites munera accepêre. In eadem contractuum monumenta, Acta, quæ susceptis liberis Parentes faciebant, nomina item civium Romanor. in Elephantinis libris, adservabantur. Ejusdem ædis fastigio Tritonas cum buccinis superpositos, à *Saturni* commemoratione ad nostram ætatem historiam elatam esse & vocalem, cùm antea muta, obscura & incognita fuerit, significâsse, indicat Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 8. Meminit tandem & ædis Saturni, à Munacio Planco extructæ, Sueton. *in August. c.* 29. quæ tamen an ex veter. aliqua fuerit ab ipso refecta, an prorsus nova, incertum est. In omnibus autem hisce ædibus, *Saturni* statuis vincula fuisse injecta, quæ festo ipsius solvebantur, in memoriam securitatis ac felicitatis, quô sub eo mortales fruiti, docet Lucianus *in Satyro* & Arnob. *adv. Gentes.* Quò alludens Martial. *l.* 3. *Epigr.* 29. ait,

> *Has cum gemina compede dedicat catenas,*
> Saturne, *tibi Zoilus, annulos priores.*

Ubi *Scholiastes* notat, *Servos libertate donatos, compedes & catenas* Saturno, *in cujus clientela erant servi & qui proin Romæ in compedibus latere videbatur, sacrâsse.* Stat. quoque, *l.* 1. *Sylv. ult. v.* 4.

> Saturnus *mihi compede exoluta,*
> *Et multo madidus merò December,*
> *Et ridens Jocus & Sales protervi*
> *Adsint.*

Illi in eadem Urbe sacrum apertô capite, cùm aliis Diis tectô fieret, factum fuisse, discimus ex Fulgentio *Mythol. l.* 1. Festo Pompejo *l.* 17. Servio *ad Æn. l.* 3. Meursium *Exercit. part.* 2. *c.* 21. &c. De *Saturnalibus*, quibus cessabat Senatus, neque convocari potuerunt Patres, neque judicia ulla peragi, Sueton. *August. c.* 32. & ob id nec Causidici in Forum ventitabant, Martial. *l.* 7. *Epigr.* 28. *v.* 5. Feriæ etiam studiorum clausæque scholæ erant, Plinius Jun. *l.* 8. *Epist.* 7. dona passim per Urbem conferebantur, & ludendi comedendique cum Dominis æqua servis libertas vigebat, Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 3. Vide post Macrob. *loc. cit.* Lipsium *l. Saturn. duob.* & paulo suprà in voce *Saturnalia.* A *Saturno*, familiarum nobilium Regumque, qui urbes condiderunt, senissimos, *Saturnos* olim vocari consuevisse, in *l. de Æquivocis*, qui Xenophontem præ se fert Auctorem scriptum est. De *Saturno* planeta, ut pauca addam: Hugenius Belga Planetam novum prope *Saturnum* detexit, qui, Lunæ instar, 16. dierum spatio *Saturnum* circumit periodumque suam absolvit. Idem & *Saturnum* annulô circumvinctum esse, primus insigni suô telescopiô pervidit. Jac. Oiselius JCtus *Notis in A. Gellium l.* 14. *c.* 1. Gerh. Joh. Voss. duas stellas noviter inventas, quæ velut individui comites semper *Saturno* assistant, memorat *de Idolol. l.* 2. *c.* 34. *sub fin.* &c. Vide quoque de *Saturni periodo* & Magno Anno, Salmas. *suprà laudato Opere p.* 554. Addam verbum hoc de coronamento hujus Idoli. Coronari *Saturnum* (quod honoris primo illi contigisse nonnulli volunt) ficis recentibus consuevisse, colligit inde Paschalius, quòd Cyrenenses, cùm rem divinam illi facerent, simili modô redimiri solitos, tradit Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 7. Vide eum *Coronar. l.* 4. *c.* 2. &c.

Nomina Saturni apud varias gentes varia.

α. Βελάθης, Bel, Ἦλ, apud Phœnices cultus *Saturnus* fuit, Damascius apud Photium *cod.* 242. Ἦλ verò esse Solem, ostendit *Servius* de Belo Phœnice. Idem Palmyrenis Ἀγλιβῶλος, i. e. *Orbis Dominus*, appellatus est: quod Soli apprimè, quem *Saturni*, quoque nomine cultum fuisse notum, convenit. β. Cronus, Græcè Κρόνος, quasi Χρόνος, i. e. *tempus*, Sol enim temporis auctor, Græcis dictus est. Unde Κρόνια, i. e. *Saturnalia.* γ. Ilus, à Phœnicibus quoque dictus est, uti docet Sanchoniathon apud Euseb. *Præparat. Euang. l.* 1. Ἶλον τὸν καὶ Κρόνον. Ex *Il*, Hebræum, *El*, quod unum ex decem Dei nominibus, Hieronym. *Ep.* 136. *ad Marcellam* δ. *Krodo*, Saxonibus olim appellatus legitur, apud Crantzium *Saxoniæ l.* 2. *c.* 12. ubi hoc Numen Hartesburgi in Saxonia venerationi fuisse, ait. Et certè *Saturno*, temporis Præsidi, illa Crodi seu Crodonis effigies convenit, quam Georg. Fabricius *Origin. Saxon. l.* 1. proponit his verbis: *Messoris habebat speciem, qui cinctum linteum gestans, dextrâque ferens vasculum rosis repletum, & sinistrâ erectâ rotam, nudis pedibus insistebat pisci squamoso & aspero, quem percam vocamus.* Quam statuam, ut & alias Numinum, dejecisse memoratur Carolus M. Saxo quoque Grammaticus *l.* 1. Saxonum hos Deos refert, *Crodum*, Hamam, Irmum, Flinnum, Sibam. Fortè à Græcis Istri accolis & cultum & nomen Idoli, ex Κρόνος levi immutatione factum, accepêre. ε. Lampon, Græcè λάμπων, ab Ægyptiis appellatus legitur, apud Auctorem *Chron. Alexandrini*, p. 109. ς. Molochi nomine cultus est ab Orientalibus, Judæis inprimis Idololatris. Vide suprà in hac voce. ζ. Nemesis, *Saturni* stella ab Ægyptiis quoque dicta reperitur, apud Achillem Tatium *in Isagoge.* θ. Phænon, eadem stella, licèt obscurissima, boni ominis causâ, vocitata est, apud eundem. Vide quoque Auctorem *l. de Mundo* & Appulejum *de Mundo.* ι. *Satar* vel *Sater*, videtur Celtis olim (*Saturnum enim vulgò maximè ad Occidentem colebant*, Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3.) dictus, eo quòd hodieque septima feria, *Saterdag*, i. e. *Saturni dies*, appellatur. Nisi ex Latino *Saturni* nomine hanc appellationem dicas defluxisse. κ. *Saturnus* Latinis: Item λ. *Sterculius*, quòd ipse primùm stercore fœcunditatem agris comparaverit. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 7. Vide quoque Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 4. *cum Paral.* Dempsteri. μ. Vitilator, vide infrà.

SATURUM, *Straboni* SATYREUM, SATYRIUM *Stephano*, urbs Calabriæ non longè à Tarento. Nunc vicus hortis amœnus, à Tarento 8. mill. pass. in Oriam Neritum versus. Scribitur & *Satyrum. Ferrar.* Vide Servium in illud *Georg. l.* 2. *v.* 197.

> *Saltus, & saturi petito longinqua Tarenti.*

Ex *Stephano* possit videri esse scribendum Σατύριον, qui ait esse χώραν πλησίον Τάραντος.

SATURUM, in coloribus, Græcè κατακορές, idem quod *austerum*, αὐστηρόν, cùm videl. plus coloris inditur, quàm luminis, tum enim fuscior & obscurior atque adeò tristior color evadit. Sic *Saturæ purpuræ*, verissimæ videl. & meraciùs imbutæ, seu *ad plenum.* Ut Jul. Capitolin. *in Clodio Albino c.* 5. ait, *Nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est.* H. e. cornibus colore ad plenum purpureis. Interdum verò, quia pleniori ac saturatiori colori etiam accedit lumen intensius ac vegetius, *Saturum* etiam vocatur, quod multum habet luminis, cum plurimo ac pleno colore: atque tum ab *excitato* non adeò dissidet. Sic αὐστηρόν & πικρόν, *austerum* & *amarum*, tam tristibus dant & pleno colore saturis, quàm floridô & acutô lumine excitatis: vide suprà in voce *Austerus*, item *Excitatus.* Uti autem *saturæ* & *ebriæ* dicuntur lanæ hujusmodi, sic eâdem metaphorâ *potare* colorem dicuntur. Solin. *c.* 23. ubi de Hispanis, *Fucant vellera, ut ad ruborem merum epotent cocci venenum.* Et Plin. *l.* 9. *c.* 38. de purpura tingenda, *Quinis lana potat horis, rursusque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem.* Vide Salmas. *ad Capitolin. d. l.* & & *ad Solin. p.* 268. 345.

SATYRA, teste Diomede *Gramm. l.* 3. fabula fuit, in qua Tragici Poëtæ non Reges aut Heroas, sed *Satyros*, induxerunt, ludendi jocandique causâ, ut Spectator inter res Tragicas seriasque, Satyrorum quoque jocis ac lusibus delectaretur. Alias *Satura*, quâ in voce vide *suprà.* Erat autem *Satyrorum*, in ludorum pompis, Sicinnem referentium Græcanicam, habitus hic: Instructi erant tunicis hirsutis, quas quidam *Scorteas* appellant, habebantque amicula conserta ex omni florum genere; Aliis, ex hircinis tergoribus campestria setæque horrentes in vertice & similia erant. Hi serias armatorum præcedentium saltationes ridiculè imitabantur, illas per ludibrium depravantes, quibus lusibus *Satyricis* salibusque jam inde à priscis seculis delectatos fuisse Romanos, ex triumphis apparet: in quibus iis, qui Victores deducebant, iambos & dicteria in illos jaciendi venia dabatur. Quemadmodum Athenis solebant pompam in plaustris ducentes, scommatibus obvios quosque impetere. Quin & in illustrium Virorum funebribus pompis inter alios ferertum præcessisse saltatores *Satyricos* legimus, qua de re vide Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 23. Scena verò *Satyrica*, ornabatur arboribus, speluncis, montibus, viridariis & rebus agrestibus aliis, in topiarii operis speciem: quibus dein varium accessisse ornatum discimus, ex Val. Maximo *l.* 2. *c.* 4. Vide iterum Rosinum *ejusdem l. c.* 10.

SATYRI, Africæ interioris gens vaga, & semifera. Solin. *c.* 30. *extr.*

SATYRI, ex superiore parte homines, nisi quòd cornuti capite essent, ex alterâ capri, unde & *Capripedes* Poëtis dicti. Habebantur inter Semideos olim, & sylvis præesse credebantur; dicaces, lascivi, & ludibundi, itaque & inter Bacchi comites olim habiti fuerunt. Cæterùm, an feri hujusmodi homines inventi unquam sint, quæri potest. Plut. *in Sylla* auctor est, revertente Syllâ in Italiam contra Marium, dormientem Satyrum, qualem plastæ pictoresque adumbrant, captum, adductumque ad Ducem: tentatumque per interpretes varios, edidisse vocem ex hinnitu equi balatuque hirci confusam. D. Hieronym. *in vitâ Pauli Eremitæ* scribit, S. Antonium in quadam saxosa convalle incidisse, *in quendam haud grandem homunculum, aduncis naribus, fronte* (ita describit) *cornibus asperatâ, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Interrogatum, quis esset, respondisse: Mortalem esse, & unum ex accolis Eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & Incubos vocans colat; legatione fungi gregis sui, precarique, ut pro eo communem Dominum deprecetur, quem pro salute mundi venisse cognoverint, &c.* Finitâ narratione subjungit Hieronymus: *Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moveat, sub rege Constantino, universo mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit, & postea cadaver exangue, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est.* Hæc ille: Sed rectè Casaubon. *l.* 1. *de Poësi Satyricâ c.* 2. statuit, quicquid de Satyris legimus,

gimus, ex Poëtarum, pictorumque fingendi licentia originem ducere: nihil hujus revera in rerum natura existere: aut si quid visum hujusmodi fuerit vel illudentis Dæmonis phantasma, vel Naturæ lusum fuisse. Nam, ut est procax Natura, potest quandoque hominem cornutum, fortè & capripedem producere: sed totos greges & genus hujusmodi legitimum creare, de quo ille Antonianus Satyrus referebat, verisimile non est. Atque si dentur maximè, non voce humanâ tamen, sed belluinâ, ut ille à Sylla captus Satyrus, loquerentur, nec nostrum sermonem intelligerent, degentes perpetuò inter feras. Jam remoti ab omni consortio penitus & literarum disciplina, quam Dei, quam humanarum rerum habere possunt notitiam, ut sciant quid Christiani credant, ac sperent, quid erret, colatque Gentilitas? Profectò aut figmentô inani deceptus Hieronymus fuit, temerè credens, aut spectrô illusus Antonius. Jam ille ad Constantinum allatus Satyrus, procul omni dubio monstrum fuit, in quo lusit Natura. Plutarchus autem non affirmat, sed refert famam: *Φασὶ* enim ait, i.e. *dicunt*, vel *feruntur*: Quô ferè uti solent Historiarum conditores, cùm de iis loquuntur, de quibus ipsi dubitant. Ælian. *l.* 3. *Var. Histor. c.* 40. *Satyros* deducit ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι, quia essent dicacissimi. Alii à salacitate, quam σάθην veteres dixêre: non absurdè verò (quoniam antiquissima quæque Græcorum verba Hebraicæ sunt originis) aliquis putet Σάτυρος quasi שעירים *Saturim* esse dictos, qui in speluncis & montibus latere putabantur, unde in hominum conspectum rarò venirent. *Nic. Lloydius.* Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* ad Sirenum, Nereidum, Tritonum, Centaurorum, Sylvanorum, *Satyrorum*, Faunorum, Strigum, Harpyjarum, Cobalorum farraginem, respondet: Aut fuisse monstra humana individua alicubi conspecta, sive ea ex nefario hominum cum bestiis coïtu, sive ex alio quovis Naturæ errore genita fuerint; Aut fuisse spectra Diabolica, quæ hominibus subinde eâ formâ apparuerint; Aut species brutorum, simias similesve bestias, quæ aliqua ex parte ad figuram humani corporis propiùs accedunt; aut ad fabulas & otiosorum hominum commenta, quæ de iis scribuntur, referenda esse. Vide quoque Voëtium *Vol.* 1. *Disput. de Creat. parte* 8. Ut meritò fabulis accenseatur, quod D. Hieronym. de *Satyro*, pro sua gente, ad S. Antonium Abbatem, Legati munere functo, habet *in vita S. Pauli Erem.* Interim Marcus Polus *l.* 3. *c.* 15. ubi de Regno *Lambri*, homines ibi in montanis habitare *caudatos*, *minime verò pilosos*, narrat: & Maffejus *liter. ad Soc. Jesu*, Japonicæ cujusdam stirpis mortalium *capita quasi corniculum quoddam extuberare*, ait. Nec omittendus *Satyrus* Indicus, ex Angelona Henrico Friderico Aransionensium Principi hôc seculô dono missus, quem ita ad vivum describit Nic. Tulpius *Observat. Medic. l.* 3. *c.* 56. *Puerum is trimum longitudine referebat. Corpore quidem quadrato, sed valde agili: artubus adeò compactis, vastisque musculis, ut quidvis auderet ac posset: anticâ parte undique glaber, posticâ nigris pilis obsitus. Facies hominem fingebat, sed nares simæ atque aduncæ anum rugosam & edentulam: aures, pectus fœminæ mammosum, venter umbilico depressiore, artus superiores ac inferiores, cubiti commissura, digitorum ordo, pollex, crura calcis fulcrum, ad humanam omnia formam accedebant. Hinc jure Indis homo Sylvestris appellatur; nonnunquam erectus incedebat, bibiturus canthari ansam alterâ manu prehendebat, alteram ejus fundo subjiciens, labia post detergebat. Caput in pulvinar inclinans corpusque stragulis tegens ad quietem se componebat.* (*Imò Satyrorum hoc genus quandoque viros armatos invadit nec rarò libidinis œstro percitum, in saltibus & lustris mulieribus insidiatur.*) Eundem Pliniano simillimum existimat, quem consultissimus hic Naturæ Scriptor, *Subsolanis Indorum montibus pernicissimum animal humana effigie* memorat; apud Licetum *de Gemmis c.* 140. Addam saltem, cum Panibus *Satyros* malè nonnullis confundi, licèt enim cum iis id habuisse dicantur commune quòd cornuti & capripedes similiter; at nec fistulam, nec pedum, nec pellem pantherinam, nec ex pinu coronam, adscribunt Satyris Poëtæ, quibus tamen Pan apud eosdem insignitur. Coronabantur tamen: namque *Satyrus cum scypho coronatus*, inter opera Aristippi memoratur Plinio *l.* 35. *c.* 10. Et quidem hederâ, utpote libidinosum genus. Hinc in pompa Ptolemæi hederati illi visi: & in celeberrimo antro apud Thebas Ægyptias, saxeus ille *Satyrus* ita fuit hederâ redimitus ut ejus rami comam illius umbrarint, & protensi fuerint supra cervicem &c. Sed de *Satyris* vide plura apud Salmas. *ad Solin. p.* 413. & 833. & Bochart. *Hieroz. Parte poster. sub fin.* de lusibus inprimis eorum vindemialibus, apud Nemesianum, & ex eo Barthium *Animad. ad Stat. l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 105. de variis illorum generibus habituque, Jul. Cæs. Scaligerum *Poët. l.* 1. *c.* 17. de aliis Alios. Inter Myronis ex ære opera *Satyrum admirantem tibias & Minervam*: Praxitelis item, ex eadem materia *Liberum Patrem nobilemque unà Satyrum, quem Græci Periboëton cognominant*, memorat Plin. *l.* 34. *c.* 8. De *Satyri* effigie in phiala argentea cælatâ, supra, aliquid diximus: De *Satyrorum* ac *Silenorum* discrimine, infrà vide, voce *Silenus*.

SATYRICA Signa, apud Plin. *l.* 19. *c.* 4. *In XII. Tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus, in horti vero hæredium: quam rem comitata est & religio quadam, hortoque & foro tantùm contra invidentium effascinationes dicari videmus. In remedio* Satyrica Signa, *quanquam hortos tutelæ Veneris assignante Plauto.* Non sunt *Satyrorum* personæ pictæ fictæve, ut perperam quidam exponunt, sed virilia insignia subrecta, ut ea semper Satyri habere Poëtis finguntur. Cujusmodi obscœnas figuras ἀπὸ τῶν ἀποτρόπαια apud Veteres & *arcendo fascino* in usu fuêre. Et quidem ex eo, quòd olim *hortus* villa dicebatur, tralatum hunc morem vult Plinius dicandi *Satyrica Signa* pro amuletis, *Foro tantùm & Horto.* Cùm enim Veteres tam in Urbe, quàm ruri, munire se vellent aliquô remediô adversus invidorum fascinum, in Foro tantùm, h. e. in Urbe, publicè ea signa consecrabant & privatim ruri quisque apud se in Villa, i.e. in Horto. Hinc hodieque, inquit *Horto tantùm & Foro istiusmodi signa dicari videmus* &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 310. & infrà, ubi de *Turpicula Re*.

SATYRIUM, regio juxta Tarentum; *Steph. Satyreum Strab.* & *Saturum* in Calabria *Servio*. Vide *Saturum*.

SATYRORUM Insulæ, sunt tres contra Indiam extra Gangem sitæ. Ptol. 7. 2. quas qui habitant, caudas Satyrorum habere dicuntur. Eidem *Satyrorum promontor.* est, in Æthiopia ad sinum Arabicum.

SATYRUS, Spartaci fil. Rex Bosphori, moritur Olymp. 98. annô 4. cùm regno ann. 14. præfuisset. Diod. *Sic. l.* 14. *f.* 444. & 445.

SATYRUS, ex Atheniensium Ducibus, qui introductis quadringentis & viginti clam noctu viris in urbem, præsidium Demetrii expellere agitabant, sed à præfecto Heraclide oppressi fuerunt, Polyæn. *l.* 5. *c.* 17.

SATYRUS, Aruspex Corinthius sive vates, maritus sororis Timoleontis, per quem hic fratrem Timophanem, tyrannide Patriam prementem, sustulit. Ab Ephoro & Timæo vocatur *Orthogaras*: quod nomen adjectitium laudis causâ videtur, quòd vera ex aruspicinâ responderet.

SATYRUS, frater S. Ambrosii: prudentiâ, & probitate clarus; A. C. 385.

SATYRUS, Histrio apud Græcos, qui Demosthenis linguâ præpediti vocem imitari solitus fuit. *Plut.* Hic idem, celebrante triumphales de captâ Olyntho epulas Philippô, vultum trahebat: cùm à rege caussam tristitiæ interrogaretur, & cur solus nihil ex se peteret: cupere se quidem, respondit, ex Rege donum consequi, sed metuere repulsam. Cui cum Philippus confirmâsset petiti fore compotem; duas virgines hospitis captivas reddi Patri oravit. Diodor. Sic. *l.* 16. *f.* 539. Voss. *de Hist. Græc. l.* 3. *p.* 411.

SATYRUS, Peripateticus vitam Philippi elucubrâsse dicitur ab Athenæo *l.* 6. Alia etiam scripsit, de quibus Voss. *Hist. Gr. p.* 411.

SATYRUS, vir sanctissimus, qui cum nullis tormentis nullisque cruciatibus ab Orthodoxæ fidei cultu avocari posset, leonibus devorandus traditus est sub Valeriano, & Gallieno. *Volater.*

SATYRUS Gestus, apud Manilium *l.* 5. de Pantomimo,

Et si tanta operum vires commenta negarint,
Externis tamen actus erit nunc voce Poëtis,
Nunc Satyrô gestu, refereque affectibus ora,
Et sua dicendo faciet, solusque per omnes
Ibit personas & turbam reddet in uno.

Est gestus Pantomimicus. Namque & *Satyros* Latini pro Pantomimis dixêre. Persius, *Sat.* 5. *v.* 123.

Tres tantùm ad numeros Satyri *moveâre Bathylli.*

Ubi *Satyrum Bathyllum*, vocat Pantomimum Bathyllum, de quo diximus. Quia nempe omnes saltationes à Satyris, uti docet Lucianus *l.* περὶ τῆς ὀρχήσεως his verbis: Τριῶν γενικῶν οὐσῶν ὀρχήσεων, κόρδακος καὶ σικιννίδος καὶ ἐμμελείας, οἱ Διονύσου θεράποντες Σάτυροι, ταύτας ἐφευρόντες, ἀπ᾽ αὐτῶν ἑκάστην ὠνόμασαν. *Cum autem tria sint saltationum genera, cordax, sicinnis & emmelia, quæ Satyri famuli Bacchi invenerunt, ab illis ea singula sic appellavit.* Inde Σάτυροι & Σατυρικοὶ *Pantomimi ac Saltatores*; & σατυρίζειν, pro *saltare*. Hesych. Σάτυρος, χορευτής. *Glossæ veteres*: *Ludio*, Σατυρικός; *ludionem* autem dici saltatorem, nemo qui Latinè scit nescit. Atque hôc modô accipiendi sunt Σατυρικοί, apud. Dionys. Halicarnass. Σατυρικῶν χοροί, *Ludiorum Chori* &c. Vide Salmas. *ad Flav. Vopiscum in Carino Imp.*

SAVA, vicus Arabiæ Felicis. Gentile *Savenus*. *Steph.* Item vicus Arabiæ Desertæ *Ptol.*

SAVADIA, in antiquo lapide, II. VIR. ITER. Q. Q. PATRONO. SACERDOTI. SACROR. SAVADIOR. eadem planè sunt, quæ *Sebadia* Arnobio *l.* 5. *Ipsa novissimè sacra & ritus initiationis ipsius, quibus Sebadiis nomen est, testimonio esse poterunt veritati.* Græcis Σαβάζια; de qua voce suprà vidimus. Sic *Sebazio*, pro *Sabazio*, in alia Inscr. *veteri.*

SAVANAROLA Hieronymus, Ferrariæ natus, A. C. 1452. Monachus Dominicanus, floruit seculô 15. Eloquiô, pietate, & eruditione nulli secundus, atque ob has dotes cunctis gratissimus. Vir inprimis divini zeli, Florentiæ, acriter abusus Papales taxavit, in Alexandri VI. hominum spurcissimi, flagitia liberè invectus. Carolum VIII. divinô spiritu, ad reformandam Ecclesiam, nomine Dei, incitavit, pœnas gravissimas, ni id faceret, comminatus. Sanè Carolo Romam accedente, muri Urbis & Arcis Adrianæ, in quam Papa se abdiderat, quasi invitantes, suâ sponte, conciderant. Sed is nihil egit, ideoque domum reduci, primò filius ereptus, tum ipse, ut Savanarola prædixerat, subitâ morte concidit. Philipp. Comin. *de Bello Neap. l.* 2. & *l.* 3. *ac.* 5. Hic Vir insignis, tandem porro concionari prohibitus, cùm, Deo potius quàm hominibus obediendum esse sentiens, nihilominus pergeret, in vincula conjectus, & acerbis quæstionum cruciatibus excarnificatus, jussu Alexandri VI. pauloque post, cum sociis duobus, Sylvestro Florentino & Dominico de Pisis, Ordinis Prædicatorum, Florentiæ laqueô suffocatus & crematus est, annô ætat. 46. A. C. 1498. Hic inter metuendos carceris horrores, & imminentis supplicii angustias, scripsit meditationes in Psalm. 30. & 51. *verbis vivis*, ut Sixtus Senens. *in Biblioth.* S. ait, *animatis sententiis, & Spiritus fervore flagrantissimis.* Item de triumpho crucis &c. Vaticinatus est idem de vastitate Florentiæ, Romæ & reformatione Ecclesiæ &c. A' Johanne Fr. Pico Mirandulano & Marsilio Ficino defensus, & tanquam Propheta celebratus. Ejus meminit præfatus Comitæus *l.* 3. *de bello Neap.* ubi suum cum illo colloquium recitat, & *l.* 5. ubi de extremo ejus supplicio agit. Vide & *l.* 8. *c.* 19. Guicciard. *Hist. l.* 3. Beza *de Viris illustr.* Paul. Jov. *in elog.* Sixtus Sen. *Biblioth. l.* 4. &c. Extant præter *Meditationes* supra memoratas, *Commentarii in Ps.* 59. 70. 79. *Sermones in Ezechielem Ital. in Amos, Haggaeum, &c. Expositio orationis dominicæ* &c. Vide Catal. Oxon. Crowæi *Elenchon* &c.

SAVANAROLA Joh. Michael, Medicus celebris, eodem seculô, scripsit varia. Castellan. *in vita illustr. Medic.* Vander Linden *de Script. Med.*

SAVARA, Assyriæ oppid. *Ptol.*

SAVARA, vulgo LE RU DE SEVRE, aliàs SEPARA, & MARINELLUS quoque, rivus Galliæ apud Novigentum olim in Sequanam decurrit, nunc cursus ejus & exitus à Geographis non notatur. Hinc vico veteri Savaræ *Sevre*, nomen. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

SAVARABATIS, Indiæ intra Gangem regio. *Ptol.*

SAVARDUNUM, castrum Galliæ, memoratum Petro *de bello Albigenſi c.* 24. ſub Comite olim Fuxenſi: etiamnum *Sabardum*, non procul ab Apamiis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

SAVARI, Sarmatiæ Europææ gens. *Ptol.*

SAVARIA, vulgò, MUER, *Lazio & Heroldo*, fluv. Norici per Stiriam fluens in Dravum, meliùs *Savus*, in græcis codicib. *Ptol.* Vide *Savus*. *Savaria* verò oppid. Pannoniæ ſuperioris urbs eſt Stiriæ primaria, vulgò *Graitz* 17. leuc. à Vienna in Auſtrum recedens: licet *Lazius Leybnitz* eſſe putet, à Græcio (*Gratz*) 4. leuc. in ortum diſtans.

SAVATRA, Iſauriæ in Galatiâ civitas. *Sauroceni Nigro.*

SAUBAANA, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.*

SAUBATHA, Arabiæ Felicis metropolis. *Ptol. Sabbatha Arriano*, *Sabora* fortè *Plinii.*

SAUBERTUS Johannes, Altorfiô Noricus, famulus, ob egeſtatem, molitoris, in juventute, *de Invocatione* Sanctorum cum laude diſputavit Gieſſæ Græcè, A. C. 1616. inde Altorfii Diaconus & Theologiæ Profeſſ. ſub fin. anni conſtitutus, poſt ea Norimbergam vocatus, in locum Joh. Fabritii Concionator ad S. Sebaldum, atque inſuper Bibliothecarius electus eſt, A. C. 1637. Obiit A. C. 1646. ætat. 54. Scripſit *Anti ſmalcium*, *Prodromum Philologiæ ſacræ*; *Emblemata ſacra*, *Icones precantium*, *Caſſandrum Evangel.* *Pſychopharmacum*, *Deſiderium Pacis* aliaque non pauca. Auctor *Bibliothecæ Noricæ animatæ*, qui etiam à Principibus Viris muneribus & literis magnificè eum excultum, addit.

SAUCIA, aliis FAUCIA, una ex 30. veter. Romanorum Curiis, memoratur Livio *l.* 9. *c.* 38. *Dictator Papyrius* C. *Junium Bubulcum Magiſtrum Equitum dixit: atque ei legem Curiatam de Imperio ferenti, triſte omen diem diffidit, quod Faucia* (vel Sauciæ) *Curia fuit principium, duabus inſignis cladibus, captæ Urbis & Caudinæ pacis.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 2.

SAUCIVA, Pannoniæ urbs. *Anton.*

SAUCONA, fluv. Galliæ Celticæ qui & *Arax.*

SAVE, civitas ſive vallis. Gen. *c.* 14. *v.* 5. quæ & vallis regis ibidem dicitur. In tribu Ruben: Super Sodomam, in plano.

SAUEL, Luſitanis dicitur piſcis genus in Sinis celebre, quod *Xiyu* incolis. Eorum ingens copia in fluv. magno *Kiang*, urbi Nankingæ vicino, ubi ineunte Aprili & Majô menſe eorum annua piſcatio eſt. Quâ durante unus ex nobiliſſimis Eunuchis ab Imperatore conſtitutus, captos piſces vivos, glacieque in navibus deſtinatis quodammodo ſepultos (quam totâ ad id æſtate ſervant) magnâ curâ Pekinum in aulam mittit. Sed & in Huquania provinc. ad Changxa urbem occurrunt. Navibus autem, quæ hos piſces, uti & quæ ſericos pannos ad Regiam deferunt, nihil aut pulchrius videri, aut inveniri poteſt: itaque omnes aliæ naves, ſi fortè occurrerint, & ornamentorum ſplendore, & loci dignitate, cedere neceſſe habent, Auctor Anonym. *Sina & Eur. c.* 25. &c. 42.

SAVENNEJUM, vulgò SAVIGNI, Vide *Savinnejum.*

SAVERA, vicus Lycaoniæ, qui poſtea in urbem magnam evadens, metropolis regionis evaſit. Strab. *l.* 12.

SAVERDUNUM, Vide *Savardunum.*

SAUFEJUS Appius, Roman. quidam, qui cum à balneo reverſus mulſum bibiſſet, ovumque ſorberet, repentè mortuus eſt. Plin. *l.* 7. *c.* 53.

SAUFEJUS Trogus, ex conſciis adulteriorum Meſſilinæ, à Claudio ſupplicium dedit. Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 35.

SAVIA Pannonia, quæ & *Ripartenſis*, hodie *Windiſchland Lazio.* Pars fuit Auſtralis Pannoniæ, verſus Savum fluv. ab Ortu in Occidentem extenſa, inter Pannoniam inferiorem ad Boream, & Dalmatiam ad Meridiem ubi hodie Sclavonia propria cum parte Boreali Croatiæ. *Baudrand.* Vide Rhenanum *Rer. Germanic. l.* 1. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti.

SAVIA, Pelendonum urbs in Hiſpania. *Ptol.*

SAVILIANUM, oppid. amplum Pedemontii, ad Mairam fluv. medium inter Foſſanum ad Ortum & Salutias ad Occaſum 6. milliar. utrinque 9. à Cuneo in Boream; Situs commoditate, ſupra omnes Italiæ urbes, à Carolo V. aliiſque inclytis Ducibus, judicatum: unde & hîc Metropolim ditionum ſuarum conſtituere, Philibertus Emanuel Dux aliquando cogitavit, Taurino 21. milliar. diſtat.

SAVINA, menſura liquidorum, apud Cencium Camerar. in *Ceremoniali MS. Senatores quando comedunt, debeat habere* ſavinam *mediam vini & mediam claretti.* Item pondus apud eundem, ubi de cenſibus: *Eccleſia S. Baſilii duas ſavinas piſcium*, Dominic Macer. *in Hierolex.*

SAVINIA Via, Leodii, apud ædem ſanctæ crucis, in vallem declinans, à cæde Titurii Sabini mutato *b.* in *v.* appellata. Alii vocant *Sabinam* vel *Sabiniam.*

SAVINNEJUM, vicus Galliæ, in confinio Normanniæ & minoris Britanniæ: vulgò *Savigni*, ad mare, inter Hagam Paganelli *Hepenel* vel *la Haye Paynel* & Abrincatas, in diœceſi Abrincatina, Abbatiâ inſignis. Videtur olim *Sabiniacum* à Sabino dictum. Eſt & *Sabiniacum*, in diœceſi Matiſconenſi. Eſt quoque *Saviniacus*, caſtellum pagi Vindocinenſis, 7. ferè leuc. à Vindocino, nomen dans Eccleſ. Saviniacenſi, à Gaufrido Abbate Vindocinenſi memoratæ. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

SAUL, ſextus Rex in Edom, qui fuit ex Rehoboth. Gen. *c.* 36. *v.* 37. Fil. Simeonis Patriarchæ. Gen. *c.* 46. *v.* 10.

SAUL, Iſraëlis Rex primus. Fil. Cis, de tribu Ben-jamin, unctus eſt an. 40. in regem Iſraëlitarum, eôdem annô, quô Samuel filios conſtituerat Judices: nempe A. M. 2889. ante Chriſtum natum 1073. Secundùm alios. A. M. 2959. Erat Saul altior univerſô populô, à capite ad humeros, quem videns populus clamavit, *Vivat Rex.* Ammonitas & Philiſthæos vicit. At contra præceptum Dei, non expectatô Samuele, ſacrificans abjicitur à Deo: item contra præceptum Dei, victis Amalecitis, regem eorum Aggo prædam reſervavit: filiam ſuam Michol Davidi in uxorem dedit. Tandem victus à Philiſthæis, ne vivus in manus eorum veniret, à quibus occideretur, ſeipſum propriis manibus interfecit. Vide 1. *l. Reg.* à fronte ad calcem. Hunc librum ſunt qui vocent 1. Samuelis. *Act. c.* 13. *v.* 21. Sulp. Severus, *l.* 1. *Hiſt. ſacr. c.* 59. Euſeb. *in Chron. Petav.* &c. Imperavit Saul annis duobus, Joſeph. *l.* 6. *c.* 4. &c. Vel potiùs 10. annis, *Helvic.* Alii tamen 20. habent.

SAULIUM, vulgò SORI, oppid. ſeu pagus Liguriæ maritimæ teſte *Blondô*, in ora ad ortum inter Genuam & Portum Delphini.

SAULSCOT, in *LL.* Canuti *part.* 1. *c.* 13. i. e. *animæ ſymbolum*; nummus dictus eſt ſepulchralis, qui effoſsô tumulô Sacerdoti pendebatur, quaſi in animæ defuncti ſubſidium, apud Car. du Freſne *Gloſſ.*

SAULUS, dicebatur Paulus Apoſtolus, ante converſionem, vide *Paulus.*

SAUMA, apud Anonymum Monachum Caſin. *in Chron.* A. C. 1182. *A quinque annis & infrà, fames fuit tam valida per totam Italiam, quod diverſis in partibus* Sauma *tritici pro auri uncia non poterat inveniri*: aridorum menſura eſt. At de liquidis uſurpatur vox, apud Eundem A. C. 1192. *Inter has anguſtias adeò fames invaluit, ut ſæpe apud Sanctum Germanum venderetur ſeſcina frumenti pluſquam una uncia auri &* Sauma *vini ſimiliter & capiſa olei tari quinque.* Dominic. Macer in *Hierolex.* quâ poſteriori notione hodieque in uſu vox eſt, apud Germanos. Origo autem ejus à *Sagma*, quod vide.

SAUNIS, urbs Arabiæ. *Steph.*

SAUNITÆ, populi apud Japyges, quorum regio *Saunitis Steph.* & oppid. *Saura. Idem.*

SAUNITES, Vide *Samnites.*

SAUNIUS, fons circa Bulidem urb. in Phocide. Pauſan. *l.* 10.

SAVO, vulgo SAVONA, urbs ſatis culta Liguriæ inter Genuam & Albingaunum. In ora Occidentali cum duplici arce, ſub Rep. Genuenſi. Portum habuit amplum, ſed à Genuenſibus corruptum. 3. milliarib. à Vadis Sabbatiis in Ortum, uti 8. à Naulo, 22. ab Aquis Statelliorum in Meridiem *Savo* item, *Saone*, teſte *Sanfeliciô*, fluv. Campaniæ inter Sinueſſam & Vulturnum, in mare delabens. Plin. *l.* 3. *c.* 4. Hujus meminit Stat. *Sylv.* 3. *l.* 4. *v.* 66.

Et Literna palus, pigerve Savo.

SAVOLAXIA, provinc. Finlandiæ, inter Kekholmiam ad Ortum, Tavaſthiam ad Occaſum & Careliam ad Meridiem, verſus confinia Moſcoviæ, ubi nullum oppid. alicujus momenti.

SAVONA ſeu SAONA, Inſul. Americæ Septentrional. in mari Boreali verſus partem Auſtralem Inſul. Hiſpaniolæ, ſeu S. Dominici, ſub Hiſpanis ſed à paucis exculta.

SAURA, lacerta eſt, cujus multus olim in amatoriis uſus fuit. Hinc Lælius *in Apologia* Appuleji, ubi pleraque philtra verſibus deſcripſit, *saurorum* etiam meminit:

Philtra omnia undique eruunt,
Trochus, pili ——
Sauri, illices bicodulæ.

Uti veram lectionem Salmaſ. reſtituit, ex Florentinis & Cod. Fuxenſi. Ita nempe vocat lacertas, *Σαύρας*, Græcâ voce retentâ. Tritæ autem dabantur in potu, uti docet Theocritus *in Pharmaceutria*,

Σαῦραν τοι τρίψασα κακὸν ποτὸν αὔριον οἰσῶ.
Lacertam autem poſtquam trivero, perniciosum potum cras afferam &c.

Qua de re vide plura apud præfatum Virum Cl. *ad Solin. p.* 943. An hinc *Sauraria* Inſul. quam *lacertis grandibus refertam*, vocat *Caprariam* Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Σαυραρίαν*, pro *Capraria* capiens? Nam Græcum ſigma antiquum, in libris eadem figurâ ſignati, ut C. Latinum, conſtat. Idem *ibid. p.* 1313. Inde certè *Saurites* gemma, memorata Plinio *l.* 37. *c.* 10. Vide ſuprà quoque *Lacerta.* At in Falconaria venatione *Saurus* ſeu *Sorus*, dicitur falco anniculus & paucarum pennarum, quæ coloris ſunt, quem Sor Galli dicebant, apud Fridericum II. Imperator. *de Arte Venandi l.* 2. *c.* 54.

SAURA, urbs Samnitum. *Steph.* Suſianæ civitas. *Ptol.*

SAURÆ, Thraciæ gens. *Phavorinus.*

SAURICIACUM, villa olim pagi Sueſſionici, nunc *Sourci*, non procul ab Axona fluv. ubi Synodum congregatam ſcribit Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l.* 9. *c.* 37.

SAURIUM, Hiſpaniæ Tarraconenſ. fluv. Mela *l.* 3. *c.* 1. Item oppid. Portugalliæ ad Ancam fluv. *Soure Reſendio.*

SAUROMANUS Georgius, vide *Georgius.*

SAUROMATÆ, populi Septentrionales, qui & *Sarmatæ* dicuntur, quorum alii Aſiatici ſunt, alii Europæi, Tanai fluv. diſcreti. Vide *Sarmatia.* Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 125.

—— *Sauromatæque truces.*

Idem *Sat.* 2. *v.* 1. *Ultra Sauromatas, &c.* Ubi *vetus Scholiaſtes*: *Sauromatæ Sarmatæ ultimi ultra Pontum ſunt, vicini Amazonum, unde Sauromatides* (*Λεόχας* emendat Rutgerſius) *appellantur.* Amazonas quoque *Sauromatidas* dictas, teſtantur *Euſtathius* Dionyſii Interpres, Stephanus & Plato *de LL. l.* 7. De his Hippocrates *l. de aëre, locis, & aquis, ſectione tertiâ*, ſequentia habet: *In Europa*, inquit, *eſt gens Scythica, quæ Mæotin paludem incolit; & à reliquis plurimum differt, Sauromatæ appellantur. Horum fœminæ equitant, arcu utuntur, atque ex equo jaculantur, & cum hoſtibus bellum gerunt, quoad virgines exiſtunt. Nec ante virginitatem deponunt, quàm tres hoſtes interfecerint, neque prius cum viris congrediuntur, quàm Sacra Deo patriô more peregerint. Quod ſi qua virum ſibi delegerit, equitare ſoluta eſt, niſi communis expeditionis neceſſitas ingruat. Dextram autem mammam non habent. Puellis enim adhuc infantibus ferrô ad id fabricatô, & candente dextra mamma*

me admotò, eam exurunt, ut ne incrementum capiat, sed ad dextrum humerum, & brachium omne robur & copia transmittatur. Nic. Lloyd.

SAURUS, nobilis statuarius, cujus operam commemorat Plin. *l.* 36. *c.* 5.

SAUS, Mercurii & Rhenes fil. à quo *Samus*, interposito *m*. dicta.

SAUS, seu SAVUS, *Ptol.* Solin. *c.* 24. *Sabus* Trogo *l.* 32. *c.* 3. *Savv.* German. fluv. Norici ex Ocrimonte profluens à Villaco 3. leuc. per Carniolam in ortum, & per Saviam Pannoniam longò tractu in Danubium ad Taurunum urbem fluens. De eo sic *Baudrand.* Oritur in Carniola superiori ex duplici fonte, in confinio Carinthiæ superioris vix 3. leuc. à Villaco in Meridiem dein in Ortum tendens per Carniolam utramque, postea Sclavoniam à Croatia, Bosnia & Servia separans, post cursum 300. mill. pass. in Danubium cadit ad Taurunum, receptis prius Laubacô, Corcorâ, Colapi, Vanâ & Drinô fluv. Claudian. *de laud. Stiliconis l.* 2. *v.* 191.

Pannonius, potorque Savi, qui clausa tot annis
Oppida laxatis ausus jam pandere portis.

SAVUS, Mauritaniæ Cæsariensis fluv. *Saffaja Marmolio.*

SAXA, apud Godefridum Viterb. *Part.* 15. *p.* 363.

Ipse brevis gladius apud illos Saxa *vocatur*,
Unde sibi Saxo nomen peperisse notatur,

cultellus est, Saxonicè *Saax* & *Sabs*: *semispathium*, in Glossar. Lat. Theotisco. Cujusmodi cultellis longis Saxones olim pugnâsse, discimus etiam ex Continuatore Florentii Wigorn. A. C. 1138. *Mutatò denique nomine, quæ ad id tempus Turingia, ex longis cultellis, sed victoriosis, postmodum vocata est — Saxonia.* Sic Witekindus *Gestis Saxonum l.* 1. *Fuerunt autem & qui hoc facinore nomen illis* (Saxonibus) *inditum tradant: cultelli enim nostrâ linguâ* Sahs *dicuntur, ideoque Saxones nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudissent.* Quod tum primò contigit, cùm per insidias *saxis* suis Britannos adorti, gentem illam sibi subjecissent. Gaufridus Monemuth. *l.* 3. *c.* 3. *Commilitonibus suis præcepit, ut unusquisque longum cultrum intra caligas absconderet & cum colloquium securius tractarent Britones, eis hoc signum daret*, Nimen oure saxas (*h. e. capite vestros cultros*) *unde quisque paratus adstantem Britonem audacter occuparet* &c. Vide Car. du Fresne *in Glossar.* Macros Fratres *in Hierolex.* & plura de hac gente, in vocibus *Saxones* & *Saxonia*. Eques verò Temple Frisios Groninganos, Transisalanos, Westphalos, cæterosque ad Visurgim usque & circa populos, terras illas, quas prisci Saxones Britonum domitores incoluerint, occupare docet & ex Frisonum præcipuè moribus legibusque cum Anglicis collatis probat, *Annotat. ad Remp. Batavorum.*

SAXA, libri antiquissimi fuêre. Ut enim de duplici Sethi columna nihil dicam, antiquissimum fuisse morem literas *Saxis* incidendi, testis est Jamblichus *de Myster. Ægypt. l.* 1. *c.* 2. ubi Ægyptios *columnis lapideis libros suos insculpsisse*, scribit. Ejusdem jam Hiobus meminit *c.* 19. *v.* 23. O *si quis daret, ut scriberentur sermones mei: ó si quis daret, ut in libro exsculperentur.* Vetus interpres, *Quis mihi det, ut exarentur in libro stilò ferreô & plumbi laminâ vel celte sculpantur in silice!* Quæ vox in Sacris valde proba; & in vetusta Sextii Parasiti apud Salonem Dalmatiæ Urbem *Inscript.* inter alia extat: *Malleolo & celte literatus silex.* Vide Hornium *Histor. Philos. l.* 7. *c.* 2. Israëlitis veterib. idem in usu fuisse, patet ex lapideis tabulis & monumentis peregrinationis eorum in rupibus incisis in deserto *Sin*. Babylonios ac Phœnices, leges atque instituta sua inscripsisse coctis laterculis, docet Plin. *l.* 7. *c.* 56. quod ante usum papyri, ab Ægyptiis quoque factitatum, qui notas suas hieroglyphicas *Saxis* insculpserint, ostendimus jam ex *Jamblicho*, & confirmat Lucan. *l.* 3. *v.* 222.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: & saxis tantum volucresque feræque
Sculptaque servabant Magicas animalia linguas.

Idem obtinuisse apud Græcos & Romanos, satis indicant columnæ & monumenta, quæ hodiéque supersunt. Indeque Horatius *l.* 4. Od. 8. *v.* 13.

— Incisa notis marmora publicis.

Etiam de Danis Saxo Gramm. *in præf. Histor. Dan.* illos literis suis, quas *Runer* dixêre, non in ligno modò, sed & cautibus incidisse gesta Majorum, locuples testis est. Vide Voss. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 35. Instrumentum, quô *Saxis* ac lateribus literas insculpsêre Prisci, ut Græcis γλυφίον, sic Ausonio *cœlum* dicitur, *Epigr.* 56. Sed & *Celtem* vocant, ab eadem origine quod vocabulum habemus in *veter. lapide*, apud Aldum *in Orthogr.* & Gruterum *Inscript. p.* 359 sed merâ vocali, *Celte*: ut & apud Hiobi Interpretem, uti dictum. Ubi licèt in multis MStis legatur *certè*: item in Complutensibus, Stephanicis, Regiis & Hentenianis seu Lovaniensibus: tamen non dubium Vossio, quin *Celte* scripserit Interpres. Quam & lectionem tuetur Casaubon. *in Athen. l.* 7. *c.* 26. & Molina *Disput. in Thomam.* Imò & nuda *Saxa*, merâ simplicitate veri constantia, ab interitu tamen securissima, rerum gestarum memoriam apud Orientales olim servâsse, docet P. La Valle *Itiner. tom.* 2. Quò, è Borealis quoque Europæ Antiqq. monumenta lapidea veterum Heroum, per Germaniam, Angliam, Daniam, passim conspicua, referri possunt: Lapides nempe majores seu *Saxa*, ordinariâ serie in circulum disposita, quæ ut non fortuitò confluxisse unusquisque facilè agnoscit, ita antiquissimarum rerum argumenta continere, ipse simplex hic ordo indigitat. Idque ad imitationem Jacobi Patriarchæ, qui in memoriam divinæ visionis, erexit *lapidem in titulum*, Gen. *c.* 28. *v.* 18. Vide quoque Gen. *c.* 31. *v.* 47. & Josuæ, qui, in memoriam transitus Israëlitarum per Jordanem 12. lapides, ex alveo Jordanis, posuit Galgalis, Josuæ *c.* 4. *v.* 20. Recenset ingentem istiusmodi monumentorum numerum Wormius *Monum. Danicis*. Germania, Saxonia, Marchia, vicinæque provinciæ eadem non uno in loco habent: nec ignobilem eorum varietatem videre est ad vicum *Mutschdorff* 2. mill. Francofurto ad Viadrum distante, quam monumento Hiarnæ Reg. Daniæ in Ins. Hiarna simillimam sibi semper visam esse, ait Auctor Anonymus *Histor. Orb. Terr. Geogr. & Civ.* In Anglia ejusdem notæ aliquod est, ad vicum *Long-Compton*, in Comitatu Oxoniensi, *Rollrichstones* dictum, de quo ita Camdenus *Britann. Vasta Saxa in Orbem disposita* Rollerichstones *vulgus appellitat, hominesque olim fuisse, qui in saxa stupendâ metamorphosi diriguerint, somniat. Informia sunt, inæqualia, longique temporis vetustate multum immutata & exesa* &c. Et paulo post, *Hæc victoriæ alicujus monumenta crediderim & fortè a Rollone Dano, qui postmodum rerum in Normannia potitus est.* Omnium verò nobilissimum, prope Salisburiam, nomine *Choreæ Gigantum* & *The Stonehengs* prostat, ab eodem *Camdeno*, ob vastissimam amplitudinem, *Insanæ substructionis* nomen meritum; quod etiam non unum è Scriptoribus Anglicanis in admirationem rapuit, qui tantæ molis *Saxa* in loco aliàs minus petroso ibi congesta atque in altum elevata fuerint: aliis insuper adjicientibus, certum eorum numerum iniri non posse. Vide Sidnejum *in Mirac. Angliæ*, Inicum Jonesium *of the Stonehengs on Salisbury plain* & Joh. Webb. *a vindication of Stonehengs* &c. Armillas *Saxis* triviisque Frothonem M. Danorum Regem, ad subditorum explorandam fidem, suspendisse, Saxo habet *l.* 5. *Armillam*, inquiens, *unam in rupe, quam* Frothonis petram *nominant; alteram apud Wig provinciam defixit, edicto à se innocentiæ experimentum daturus.* Et paulo post, *in Jutia, tanquam in capite Regni sui, magni ponderis auream armillam triviis affigi curavit.* Cujusmodi quid etiam de Alvredo Anglorum Rege recenset Matth. Westmonasteriensis ad A. C. 892. &c. Hinc in suspicionem venit Fortun. Licetus, cornu aureum A. C. 1639. in Dania in Ripensi Cimbriæ Diœcesi repertum, similiter ad explorandam Præsidum vigilantiam in biviis olim ab Haraldo Rege fuisse expositum; sed refellitur à Thom. Bartholino *tract. de Armillis*. Plura hanc in rem vide hic infrà passim, inprimis voce *Saxum*.

SAXA jaciendi in hostes consuetudo vetustissima, unde à Poëtis vix uspiam in conflictibus, jam ab ipsa Homeri ætate, magnorum *saxorum* jactus omittuntur. Ut Homerum, Virgiliumque jam in partes non vocem, sufficiat unicus è Papinio Statio locus *Theb. l.* 6. *v.* 678. ubi de disci exercitatione militari, cui ideo assuefiebant Veteres, ut in pugna feliciori successu *saxa* in hostes rotarent:

Ergo operum fidens, non protinus horrida campi
Jugera, sed cœlo dextram metitur, humique
Pressus utroque genu, collecto sanguine discum
Ipse super sese rotat.

Et paulo post, *v.* 693.

Jam cervix conversa & jam latus omne redibat:
Excidit ante pedes elapsum pondus & ictus
Destituit &c.

Jaciebantur autem non nudâ solùm manu, sed & fundis excussa: utrumque tantâ nonnunquam copiâ, ut densitate pluvias imitarentur. Lucan. *l.* 3. *v.* 481.

— *nudis evolvunt* saxa *lacertis*

v. 482.

— — *ut grandine tecta*
Innocua percussa sonant.

Statius *alibi*,

— — *stridentia fundæ*
Saxa *pluunt* &c.

Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* & *Theb. l.* 8. *v.* 437 In pugnis verò navalibus antennis *ad saxorum conjectionem* utebantur Veteres, quas κεραίας λιθοφόρους appellabant, ut est apud *Diodor. Sic.* ubi de pugna Cononis & Callicratidæ. Vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* & plura hanc in rem suprà, voce *Lapis*.

SAXA Lapidesque oleo perfundendi sacer ritus, occurrit Gen. *c.* 28. *v.* 18. ubi, post memorabilem Scalæ visionem & Dei Opt. Max. alloquium, Jacobum *effudisse oleum supra summitatem lapidis*, quem pro cervicali sibi straverat, narrat Moses; an ut, cùm nihil aliud haberet in manibus, quòd Deo offerret, oleum saltem effunderet in ejus honorem illudque libaret: an ut tali ritu consecraret locum illum *saxumque*, illudque destinaret ad divinum cultum; quod sequentia videntur omnino requirere, quia pollicitus est, se locum, imo lapidem illum, habiturum pro domo? Notum autem olei in rerum tam animatarum, quàm inanimatarum, consecratione, plurimum olim fuisse usum. Hinc in reditu Jacob ædificavit ibi Altare & lapidem, quem erexerat מַצֵּבָה, i. e. *in titulum*, ut *Vulgatus* reddit, seu στήλην, h. e. columnam, ut LXX. perfudit liquore & oleô inunxit denuo Gen. *c.* 35. *v.* 14. E quo Patriarchæ facto (ut & aliis similibus Sanctorum Patrum contigit) per cacozeliam & superstitiosam imitationem, ortum habuêre idololatricæ inunctiones Gentilium, quos in more habuisse legimus, statuas & dolatos lapides, alios etiam sæpe rudes & impolitos non inungere, modò, sed & eosdem postea colere aut adorare, uti pluribus exemplis ex illorum libris probari posset. Unicus Arnobius suffecerit, qui, postquam Christianus factus est, agnoscit *contra Gentes l.* 1. se, cùm adhuc in Ethnicismo detineretur, si quando conspexisset lubricatum lapidem & ex olivæ unguine irrigatum, tanquam fuisset vis præsens, adulatum fuisse, allocutum & à nihil sentiente trunco etiam beneficia petiisse. Sed & ipsos olim terminos agrorum Gentiles unguento, velaminibus & coronis superstitiosè ornâsse, constat &c. Quam in rem vide Andr. Rivetum *in Genes. Exercitat.* 125. & hic passim, inprimis supra, in voce *Lapis*. Porrò & huc facit *osculandi saxa* ritus, indigitatus Statio *Theb. l.* 10. *v.* 52.

— — *reditumque suorum*
Exposcunt, pictasque fores, & frigida vultu
Saxa *terunt, parvosque docent procumbere natos.*

Cujus

Cujus paganicæ superstitionis reliquias, in Christianismo quoque deprehensas fuisse, colligimus ex Concilio Agathensi *c.* 5. & *l.* 7. *Capitul.* Caroli M. *c.* 236. ubi *Saxorum venerationem*, & Audoëno *in Vita* Eligii *l.* 2. *c.* 15. ubi consuetudinem *ad Petram votum reddendi*, prohibita legimus. Sic Concilium Nannetense *can.* 20. *Lapides quoque, quos in ruinosis locis & sylvestribus dæmonum ludificationibus decepti venerantur, ubi & vota vovent & deferunt, funditus effodiantur* &c.

SAXA Rubra, locus Italiæ, ubi fusi Vejentes, apud Livium *l.* 2. *c.* 49. *Vix dirigendi aciem spatium Vejentibus fuit, ideò inter primam trepidationem, dum post signa ordines introëunt, subsidiaque locant, invecta subitò ab latere Romana equitum ala, non pugnæ modo incipiendæ, sed consistendi ademit locum. Ita fusi retro ad* Saxa Rubra *(ibi castra habebant) pacem supplices petunt. cujus impetratæ, ab insita animis levitate, ante deductum Cremerâ Romanum præsidium, pœnituit.*

SAXANUS, cognomen Herculis, occurrit in *Inscr.* circa A. C. 225. sub Severo factâ, hodieque Tibure superstite; quam sic exhibet Jac. Sponius *Itinerar. tom.* 3. *p.* 47.

HERCULI SAXANO SACRUM SER. SULPICIUS TROPHIMUS ÆDEM ZOTHECAM CULINAM PECUNIA SUA A SOLO RESTITUIT IDEMQUE DEDICAVIT K. DECEMBR. L. TURPILIO DEXTROM. MÆCIO RUFO COS EUTYCHICUS SER. PERAGENDUM CURAVIT.

SAXENBERGA, oppid. Comitatus Waldecensis. *Metel.*

SAXENHAUSEN, oppid. ejusdem Comitatus. *Idem.* Item pars Francofurti ad Mœnum, urbi reliquæ ponte juncta, quasi *Saxonumdomus.* Hic Fanum Bartholomæi est, olim à Pippino, Francorum Rege in honorem Salvatoris mundi dedicatum, ac demum à filio ejus Carolo M. splendidè dotatum: cujus tamen facultates, jam à Ludovici IV. Imperator tempore non amplius integræ, eo quod Collegium hoc à Pontifice potius, quàm Cæsare & Imperio rum steterit. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 17.

SAXETANUM, oppid. Hispaniæ Bæticæ mediterraneum *Antonin.*

SAXI, juxta Pontum gens. *Steph.*

SAXIACUM, castrum fortissimum, vulgò *Seissac*, memoratum Petro Monacho *de bello Albig. c.* 26. quod Comes Montis Fortis dederat Bucardo de Marliaco, Hadr. Valel. *Notit. Gall.*

SAXIFRAGA, nomen variarum herbarum, quæ vel è *saxo* erumpunt vel calculi frangendi vim habent: ut sunt *Adianton, Scolopendrion, Trichomanes*, aliæ, de quibus vide Salmas. *ad Solin p.* 1273. 1297 &c.

SAXINÆ, Troglodytarum gens in Æthiopia. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

SAXIS obruere Majestatis reos, patrius Macedonum mos, memoratur Curtio *l.* 6. *c.* 11. *Omnes à Nicomacho nominatos, more patrio datô signô, saxis obruerant.* Sed & apud Persas lapidibus nonnunquam obruti nocentes, uti Bagorasus, apud *Ctesiam*, nec non Pharnacyas, Eunuch. Vide Brissonium *de Regno Pers.* De Græcis, sic Euripid. *Oreste v.* 48.

------ Hæc dies autem est dicta,
In qua ferrent sententiam Argivi;
An oporteat nos mori lapidante saxô,
An acutô ense feriri collum.

Sic Æschylum ab Atheniensibus lapidatum, refert Ælian. *Hist. Var. l.* 5. *c.* 19. Idem per seditionem militum, apud Romanos, Posthumio *inficianti, quas promiserat, prædas*, apud Florum *l.* 1. c. 22. & postea Q. Pompejo, apud Vellejum *l.* 2. *c.* 20. accidisse legimus. Vide quoque suprà *Lapis.*

SAXISCÆ Gabathæ, apud Anastasium Biblioth. in *Gregorio III. IV. Leone III.* &c. Carolo du Fresne sunt, opere *Saxisco* elaborata: Namque & *calicis Saxonici*, mentio est in *Bulla* Benedicti VIII. in *Bullario* Casin *Tom. I. Saxiscus* autem pro *Saxonicus*, ut *Franciscus*, pro Francicus, unde *Francisca*, nomen securis Francis olim usitatæ; *Spaniscus*, pro Hispanicus, ut *Spaniscum Argentum*, apud eundem Anastasium: *Dacisci*, pro Dacis, in libro *Notitiar. Hunnisci* equi, apud Vegetium *l.* 3. &c. terminatione ævi illius Scriptoribus, in nationibus appellandis familiari. Vide Salmas. *ad Capitolin. in Maximinus. c.* 3.

SAXO Grammaticus, rerum Danicarum scriptor celeberrimus. Fuit Præpositus Ecclesiæ Roschildianæ, in Dania, Seculô 12. Historia ejus libris 16. comprehensa, aliquando fabulas sapit, interim nitidô stylô exarata, genium illius seculi planè transcendit. Hinc Erasmus *in Ciceron. Dania* inquit, *nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui suæ gentis historiam splendidè magnificèque contexuit, &c.* Vide Voss. *Hist. Lat. l.* 2. *c.* 55. & Possevin. *in Appar.* nec non voce *Johannes.*

De SAXOFERRATO Bartolus, vide *Bartolus.*

SAXONES, Germaniæ populi. Ex veteribus eorum primus *Ptolemæus* meminit, qui Aurelii ætate fuit. Hic easdem Saxonibus sedes tribuit, quas Tacitus *Germ. c.* 36. Fosis, ut hi cum illis iidem putandi, nisi *Fosorum* vox apud Tacitum corrupta, quæ Cluverii opinio est, *Ant. Germ. l.* 1. *c.* 21. Unde nomen inditum non constat. Qui à *Sacis*, Asiatico populo & appellationem & originem repetunt, æquè ineptiunt, atque qui *Misnios* à *Mysis* derivant. Nec audiendi, qui à duritie & truculentia, quasi *Saxei* essent, deducunt: namque quis credat Germanicam gentem à Latio sibi appellationem petiisse? Wittichindus Corbejensis *l.* 1. *Annal.* refert, Saxonibus olim magnorum cultellorum (ut loquitur) usum fuisse, quibus usque hodie Angli utuntur, progenies Saxonum. Cultellos autem illos *Sahs* appellatos: Cùm itaque inter eos & Thuringos ad dirimendas armorum disceptationes, quibus invicem hactenus commissi fuerant, constitutus dies esset, quô convenirent ex utraque parte inermes, Saxones accinctos cultris sub sagis dictô locô & tempore adfuisse, & opportunitatem nactos Thuringos inermes ac imprudentes strictis cultellis adortos, ad unum omnes confecisse. Hinc factum, ut ab hac memorabili strage, quam cultris illis, quos *Sahs*, ut diximus, appellabant, obtinuerant, *Saxonum* nomen sibi acquirerent. Unde Gotfr. Viterbiensis *Chron. part.* 15. *p.* 362.

Pax ubi congeritur, sub fraude Macedo veretur.
Ne male frustretur si totus inermis habetur;
Unde breves gladios clam tulit arte secus.
Ipse brevis gladius apud illos saxo vocatur,
His quoque cultellis vita redempta fuit.

Reinerus autem Reineccius *Commentatione de Saxonum origine*, quam Apologiæ instar Joanni Bodino opposuit, nomen gentis à vocabulo *Sacne* fortassis dicendum existimat; quasi judices ac disceptatores, nempe à justitiæ laude, & judiciorum æquitate. Horum Historia paucis ista est. Olim Barbari & superstitioni dediti, interim formidabiles se aliis reddiderunt, & finibus longe lateque propagatis, in Angliam quoque trajicientes, ibi regnum constituerunt: quò illis ducibus Hengistô & Horsâ, à Vortigerno, contra Scotos Pictosque evocatis, sedes in Cantio assignata est, A. C. 449. Ibi hostibus victis, hi cùm arma in Britannos vertissent, victi sunt ab Aurelio Ambrosio, A. C. 456. sed & hic tandem ab Osca & Otham Hengisti filiis superatus, occubuit, A. C. 488. Hi rursus, regnante Utheriô Pendracô, cantatô ter à Germano Episcopo Allelujâ, victi occisique sunt, circa A. C. 518. quo Cretitius Saxo cum fil. Henrico adveniens, Britonibus sibi subjectis, regnum Occidentalium Saxonum inchoavit; cujus initium alii in A. C. 495. rejiciunt. Hic Vecti insul. Consobrinis suis Sufæ ac Vidgaro concessâ, mortuus successorem habuit fil. Henricum, quem Ceaulinus excepit, A. C. 547. Horum plurimi dein ab Augustino, Melito & Johanne conversi sunt, circa A. C. 580. postmodum cum Britonibus in unam gentem coaluerunt. A seculo 6. in Galliam irrumpere cœperunt, à Sigeberto attriti A. C. 578. neque tamen infesti esse desiêre, donec tricesimali bellô, à Carolo M. domiti, Baptismum receperunt: nihilominus paulo post, Sacerdotibus interfectis, sub Witikindo Duce fortissimo, jugum excusserunt; Ab hujus nepotis Ludolphi III. successoribus transiit hic Principatus, in familiam Hermanni Bilingii, dein sub Supplinbergius fuit, A. C. 1106. è quibus Lotharius Imperator filiam cum Saxonia, Henrico Superbo, Bavariæ Duci dedit, qui cum Conrado III. de Imperio contendit. Post hunc Albertus Ursus, Anhaltinus Princeps, tanquam nepos Magni, ultimi Ducis ex familia Bilingia, Saxoniâ potitus est: eamque proscriptô Henrici filiô, Henrico Leone, A. C. 1175. ab Imperatore accepit hujus filius, junctô ei, quidquid ad Electoratum pertinet: & ab hoc duces Saxoniæ Lauenburgens. ortum trahunt. Sigismundus dein Imperator Electoratum hunc, post mortem Alberti IV. improlis, Friderico I. Bellicoso, Misniæ Marchioni ob operam, adversus Bohemos, inprimis in Brixiensi prælio strenuè navatam, concessit: Ericô V. Duce Lauenburgiô, in inferiore Saxonia acquiescere jussô: Sic rediit Ducatus Electoratu auctus ad Witikindeos. Hic Lipsiensem Academiam instituit, A. C. 1409. Fil. Fridericus II. Placidus patri successit, quô nati Ernestus & Albertus, lineas duas condiderunt *Ernestinam & Albertinam.* Ernestus Princeps prudentissimus Fridericum III. Sapientem genuit Wittebergensis arcis conditorem, & cum fratre Johanne Academiæ ibidem A. C. 1502. fundatorem. Sub eo Lutherus concionari incepit: mortuo cœlibi circa A. C. 1525. frater Johannes Constans successit: pater Johannis Ernesti, qui A. C. 1542. Franconicam partem nactus, Coburgi habitavit, & majoris natu Joh. Friderici I. qui bellô Smalcaldicô à Carolo V. Imperatore victus & Electoratu exutus, per Johannem Fridericum II. Gothanæ, per Joh. Wilhelmum verò Vinariensis linearum auctor extitit. Vide *in Gotha & Vinaria.* Albertus alter Friderici II. Placidi filius, militari laude excellens, & bene de Friderico III. Imperatore filioque ejus Maximiliano primo meritus, ex Sidonia filia Georgii Podiebradii Bohemiæ Regis suscepit Georgium, quô in reformationis negotio Lutherus neminem habuit infensiorem, & Henricum, qui contra impensè huic favit, fratris sine prole extincti successor. Hic in ditionem paternam Euangelium introduxit, factô à Lipsia initiô: mortuus Mauritium & Augustum filios, in tutela agnati Electoris, reliquit. Horum ille bellô Smalcaldicô exardescente, ab Imperatore jussus, Electoris regionem invasit, universamque ferè occupavit, mox ab hoc petitus, sua præter Lipsiam & Dresdam amisit omnia, donec Electore victô captôque amissa recuperavit, de Electoratu insuper, qui Joh. Friderico demtus fuit, in Comitiis Augustanis A. C. 1548. à Cæsare inauguratus: quem tamen postea, cùm soceri Landgravii libertatem impetrare non posset, fœdere cum Galliæ Rege, aliisque Germaniæ Principibus initô A. C. 1551. repentinâ expeditione terruit, captâque Erenbergâ, ut Œniponte fugeret, coëgit, extortâ captivi libertate, & pace religionis, quæ Passavii conclusa est: Obiit præliô Sivershusanô, victor Alberti Brandeburgici, A. C. 1553. Princeps excelsô animô, profundus, gravis, magnificus. Ei frater successit Augustus: qui A. C. 1555. Naumburgi fœdus hæreditarium Saxonicæ, Brandeburgicæ & Hassiacæ domuum renovavit, pacemque religiosam, in Comitiis Augustanis ursit & impetravit, arbiter rerum Imperii. Opes maximas congessit, jamque senior linguæ latinæ incubuit: Fridericum Elect. Palat. A. 1566. socium Augustanæ Confessionis agnovit, mox tamen in Reformatos rigidior, Theologos non paucos ditionib. pepulit: formulâ Concordiæ A. C. 1580. publicatâ, ad quam omnes adacti. Obiit, A. C. 1586. Pater Christiani I. sub quo nova Reformatis lux affulsit.

Mor

sit. Mortuus hic A. C. 1591. reliquit filios Christianum II. Johannem Georgium & Augustum. Quorum primus Lutheranâ religione restitutâ, Nic. Crellium Cancellarium, capite truncavit. Secundus fratris A. C. 1611. demortui successor, Unioni aut Palatino Electori in causa Bohemica accedere recusans, conventu Mulhusino, apertè in Ferdinandi II. Imperatoris partes transiit, à quo jussus A. C. 1620. Lusatiam occupavit, quæ dein à Cæsare domui concessa. Postea, reformatione Bohemiæ, translatione Electoratus in Bavarum, aliisque offensus, statibus Euangelicis Lipsiam evocatis, cum iis de transactione cum Pontificiis, aut defensione deliberavit. In proposito à Gustavo Adolpho Suecorum Rege confirmatus, Lipsiâ jam à Tillio captâ, cum Suecis pactus est, Lipsiensis prælii non exigua pars. Verùm Rege occisô A. C. 1633. cum Fridlandio agere cœpit, dein cum Cæsare A. C. 1635. transegit; unde ditiones à Bannerio miserè raptatæ, A. C. 1636. & 1639. Torstensohnius quoque A. C. 1642. in eodem ad Lipsiam prælio Imperiales & Electorales copias profligavit: tandem induciæ semestres A. C. 1645. à Suecis obtentæ, Monasteriensi verò pace A. C. 1648. quies fessæ provinciæ concessa, Electorique possessio 4. Præfecturarum Querfort, Damm; Guterbock & Borck confirmata est. Decessit A. C. 1656. relictô ex Magdalena Sibylla Brandenburg. successore fil. Johanne Georgio II. patre ex Magdalena Sibylla Brandeb. Joh. Georgii III. destinati successoris: ut & Augusto, cui Archiepiscopatus Magdeburgicus A. C. 1628. collatus, ei ad dies vitæ pace Monasteriensi confirmatus est, Christiano item, cui Naumburgium, cum Lusatia obtigit, & tandem Mauritio, qui Merseburgum obtinuit, Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* Albert. Crantz. *Sax.* Georg. Fabr. & Dav. Chytræum, Sax. Reinerum Reineccium, *de Saxon. orig. & Annal. Wittichindi.* Bertium, *de reb. Germ.* Cluver. *descr. Germ.* B. Rhenanum *Rer. Germ. Nov. Antiqq. l. 2. tit. Saxones in loca Succorum juxta Albim, sed prius in veter. Sicambrorum regionem, proxime Francos*: alio, *Saxones in Germaniam II.* alio, *Francorum erga Saxones diutinum bellum & victoria*; alio, *Saxonum species*: & ad eum *Notas* Cl. Ottonis JCti *p.* 173. 238. 280. & 357. &c. Saxoni cuidam viro docto, à Ludovico Pio Imperatore, in Synodo Aquisgrani habitâ, A. C. 839. injunctum, ut sacram Scripturam Germanicè carmine transferret, quô & idiotæ illam addiscerent, refert Platina *in vit.* Cæterùm Saxonia duplex hodie est, *superior*, in qua est *Wittenberga*; & *Inferior*, quæ complectitur *Holsatiam*, *Stormariam*, in qua *Hamburgum* Saxoniæ metropolis, & *Dithmarsiam*, in qua *Brema*, *Sebastian. Munsterus.* Vide *Saxonia*; ut tamen priùs seqq. ex Pfannero addam: *Wittekindo* ejusque Majoribus regnum in Saxones plerique tribuêre, at incertâ id fide niti, atque Wittekindum Angrivariorum tantùm atque Westphalorum Ducem nec hæreditariô quidem jure, fuisse, melioris notæ Auctores nostræ ætatis ostendunt, H. Conringius *ad Lampad. de Rep. Rom. Germ. Part.* 3. *c.* 5. Georgius Fabricius *Orig. Saxonic. l.* 4. *p.* 425. Alii. Ante quos etiam alii observavêre, non semper *Regis*, sæpe & *Ducis* nomine Regiô minore, Wittekindum hunc à Scriptoribus antiquis fuisse compellatum; haud forsan adeò incommodè, si, quod nullô quidem certô auctore Crantzius refert, *Saxon. l.* 2. *c.* 22. Saxoniam tum XII. Proceres alternis vicibus, & ambulante ex certo temporis spatio ordine, administravêre, ex quibus ingruente fortè bellô Rex delectus, quem series provinciæ gubernandæ contigerat, Imperium militare non ante positurus, quam positis armis pax rediisset. Dictatorum ferè, apud Romanos: & Æsymnetarum, apud Lacones, ad formam. Eamque sortem Wittekindo obvenisse ajunt, cùm arma regioni Carolus M. inferret; cui, licèt victo debellatoque, manserit tamen benignitate Victoris in terras suas, Angrivariam saltem, imperium. Hujus è filio Wittekindo nepotem Dietgremum, à patruele Ottone M. Imperatore Saxoniâ pulsum, Hermanno *Billungio*, nobilis, ut alii illustris, prosapiæ viro, locum fecisse, Saxoniæ Ducatu in fortitudinis fideique præmium ab Ottone donatô, addunt. Cui familiæ honor duravit, usque ad Magnum Hermanni abnepotem, quô absque prole mascula defunctô, ut quidam volunt; alii ob rebellionem contra Henricum IV. Imperatorem vitâ opibusque exuto, Lotharius Comes *Supplinburgius*, Comitum Querfordensium prosapiâ oriundus A. C. 1106. volente Henricô V. Imperatore successit. Vide jam suprà dicta & infrà, ubi de *Supplinburgiis*. Lotharius hic dein Imperator creatus, generum Henricum Superbum *Saxonicæ* præfecit, quô pactô ad *Luneburgiam* Familiam transitus factus est. Sed cùm is plusquam civilia animô agitare visus esset, Conradi Imperatoris Procerumque decretô Saxoniâ cedere jussus est, Alberto Urso, Ottonis Comitis Ballenstedii (qui Anhaltino-Lauenburgicam gentem condidit) Magni Billingianorum postremi ex filia Heilike nepoti concessâ. Hujus fil. Bernardus rutaceum sertum insignibus Saxonicis primus intulit, uti infrà dicemus, quod, submotis istius Domûs Principibus, etiam Misnici servavêre. Ex illis enim ultimus imperavit Albertus VI. quô extinctô A. C. 1421. Misnicæ tandem Familiæ Principes Saxoniæ terras cum Electoratu à Sigismundo Imperatore in redhostimentum operæ à Friderico Bellicoso, contra Hussitas, præstitæ, acceperunt, ut jam vidimus. Titulos Principum quod spectat, quidam sunt toti Electorum Ducumque Saxoniæ Domui communes; ut qui omnes sunt *Duces Saxoniæ*, *Juliaci*, *Cliviæ & Montium*, *Landgravii Thuringiæ*, *Marchiones Misniæ*, *Comites Principes Henebergæ*, *Comites Marcæ & Ravensbergæ*, *Domini in Ravensteio*. Alii Electoralis Familiæ proprii, neque hi tamen ad omnes ex æquo spectantes. *Marchionum* enim *Lusatiæ superioris & inferioris* titulô omnes hâc Domô prognati utuntur: sed *Burggravii Magdeburgici*, solus Elector. Quemadmodum in altera linea *Domini* seu *Dynastæ Tonnæ* titulum solus usurpat Fridericus Dux Gothæ & Altenburgi. Quam in rem vide Tob. Pfannerum *de præcip. Germ. Princip. gentibus c.* 2. ut & hîc passim suis locis. Addam hoc unum, de veter. *Saxonum* Diis, apud Saxonem Gramm. *l.* 1. recenseri eos his nominibus *Crodus* seu *Krodo*, quem Saturnum fuisse, Crantzius refert *Saxoniæ suæ l.* 2. *c.* 12. *Hama*, *Irmus* (qui Ἑρμῆς, i. e. *Mercurius* quibusdam, aliis Ἄρης seu *Mars*) *Flinnus* & *Siba*: quorum omnium statuas à Carololo M. gentis domitore disjectas esse, tradit Gerh. Jo. Voss. *de Idolol. l.* 2. *c.* 33.

SAXONES Gallicani, à Germanis orti; qui cùm modò soli, modò juncti finitimis Francis, oram Galliæ Belgicæ & Lugdunensis, nonnunquam etiam Aquitaniæ latrociniis infestavêre, effecerunt, ut in tractu Armorico & provincia Belgica secunda, illæ circa Garumnam, hic circa Marcos, ut & in insul. Britannia littus *Saxonicum* dictum sit. Imo multi eorum, jam abolitô in Occidente nomine Imperatoris, in tractu Armoricano finibusque Bajocassium consedere; *Saxones Bajocassini* Gregorio Turonens. *Hist. l.* 5. *c.* 10. appellati. Nonnulli quoque ex eadem gente in agro Namnetico sedem cepêre. Unde scribit Fortunatus *l.* 3. Felicem Episcopum Namnetum *Saxones* mansuefecisse & multos eorum ad fidem perduxisse. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SAXONES Transilvani, unus ex tribus populis, Transylvaniam hodie incolentibus; sunt nempe illi, *Saxones*, *Siculi* seu *Ciculi* & *Hungari*, quibus & Walachi, sed in fæce plebis tantum, & locis magis desertis, se intermiscent. Unde facilè ratio patet, cur hodie in media Hungaria lingua *Saxonica* obtineat. À Longobardis autem (quos *Saxones* fuisse, Corn. Tacitus satis innuit) orti hi videntur, qui egressi è Rugelandia seu Rugia, sub Agelmundo A. C. 390. regnum in Pannonia condidêre, Vide Hornium *Arcâ Noæ p.* 185. & *Orb. Imper. cum Notis L. Joach. Felleri p.* 138. Ab iisdem dictæ sunt in eodem Transylvaniæ Regno *Septem Sedes Saxonicæ*, de quibus, vide in voce *Transylvania*.

SAXONIA, incolis *Sachsen*, Gallis *Saxe*, pars est ampla Germaniæ, quæ dupliciter sumitur, vel latè, vel strictè. Saxonia latè sumpta complectitur *Saxoniam inferiorem* seu Circulum Saxoniæ inferioris; & *Saxoniam superiorem*, seu circulum Saxoniæ superioris; aliasque amplior fuit, & complectebatur etiam Westphaliam tempore Caroli M. qui Saxones decies debellavit, & ad Christianam religionem reduxit; fundatis in ea regione decem Cathedralibus Ecclesiis: sed nunc Westphalia extra Saxoniam censetur. Saxonia autem strictè sumpta continet tantùm Ducatum Saxoniæ cum provinciis Duci Saxoniæ subditis. *Saxonia inferior*, seu Circulus Saxoniæ inferioris, *le Cercle de la basse Saxe*, complectitur Ducatus Brunsvicensem, Luneburgensem, Magdeburgensem, Bremensem, Megalopolitanum, Holsatiæ, & Lauemburgensem, Principatus Ferdensem & Halberstadiensem, & Episcopatum Hildesheimum; estque inter Westphaliam ad Occasum, Saxoniam superiorem ad Ortum & Meridiem, & mare Balticum cum Jutia ad Boream. *Saxonia superior*, seu circulus Saxoniæ superioris, *le Cercle de la haute Saxe*, continet Marchiam Brandenburgicam, Pomeraniam, Thuringiam, Misniam, Ducatum Saxoniæ, & Principatum Anhaltinum. Terminatur ab oriente Poloniæ regnô & Lusatiâ, à Septentrione mari Balticô, ab Occasu Saxoniâ inferiori, & à Meridie Franconiâ & Bohemiâ. *Saxonia autem strictè sumpta*, seu propria & Electoralis, *Churfurstenthumb Sachsen* incolis, *duché & Electorat de Saxe* Gallis, provincia est parva Germaniæ, in Saxoniæ superioris Circulo, versùs Albim fluvium, inter Lusatiam ad Ortum, Marchiam Brandenburgicam ad Boream, Principatum Anhaltinum ad Occasum, & Misniam ad Meridiem: cujus Dux est unus ex 8. Imperii Electoribus. Provinciæ urbes sunt Witteberga, *Wittenberg*, quæ primaria, & Torga, *Torgaw*. Sed præterea subsunt etiam Duci Saxoniæ Misnia provincia & pars ampla Thuringiæ; ideoque persæpe sub nomine Saxoniæ propriæ continentur. Ipsi etiam Duci paret Lusatia superior & inferior ab A. C. 1620. cùm anteà pars fuerit regni Bohemiæ, Comitatus Mansfeldiensis ex parte, & tractus Abbatiæ Quedelinburgi. Sed Lusatiam inferiorem, uti partes Thuringiæ & Principatus Hennebergenses, nuper concessit Dux Elector Saxoniæ fratribus suis, uti videre est in Germaniæ Principibus: & Episcopatus Mersoburgensis & Novoburgensis habent proprios Administratores, ut vocant, quibus subsunt cum regiunculis adjacentibus. Vide quoque ubi de *Saxoniæ Palatinis*, & voce *Palatini*. Addo, quòd nonnunquam *Saxoniæ inferioris* nomine, sola ditio, Lawenburgiæ seu Angriæ Ducum intelligitur, de quibus hæc addere visum est. Historia Ducum Saxoniæ Ascaniæ familiæ ista est: Bernhardus minor natu Alberti Ursi fil. frater Ottonis I. Electoris Brandenburgici, de Friderico I. Barbarossa bene meritus, ab eo, in Comitiis Herbipolitanis, Ducatum Saxoniæ, exauctoratô Henricô Leone, obtinuit primus, rutacei in insignibus serti auctor. Idem Lawenburgum condidit; Pater Alberti I. qui *Saxonicorum*, & Henrici gemini, qui Anhaltinizami, fuêre Auctores. Albertô nati Albertus II. lineæ Electoralis *Saxonicæ*, & Johannes, Lawenburgicæ, Auctores fuêre: quorum posteritate in Alberto III. A. C. 1422. extinctâ, posthabitis agnatis dignitas Misniæ Marchionibus collata est. Quamvis enim non semel, Johannis posteri, & præcipuè Ericus V. agnatis mortuis, sibi conferri dignitatem petierint, proximóque tempore Principes illi *Electores* atque *Archimarescalli* dici voluerint, atque in electivis diætis non semel comparuerint, nihil tamen ab illis obtentum. Quô verò non obstante etiam nostrâ memoriâ, scriptô aliquod jus sibi adhuc superesse, contenderunt. Erico V. A. C. 1435. sine prole mortuo, successit frater Bernardus: qui extinctus A. C. 1463. reliquit filium Johannem, Patrem Magni II. qui primus titulô *Electoris* abstinuisse dicitur. Eô genitus est Franciscus I. pater Francisci II. & Mauritii, quorum is Augustum, qui A. C. 1656. moriens nullam masculam prolem reliquit, Philippum, Francisc. Julium, Julium Henricum, Ernest. Ludovicum, Francisc. Carolum, Rudolfum Maximilianum, Francisc. Albertum (præliô Lutzensi, quô Gustavus Adolphus Sueciæ Rex, cui is præstò fuerat, obiit, captum) Jo. Georgium & Henricum, suscepit. Quibus omnibus, vel sine sobole, vel eâ minus diuturnâ defunctis, unicus masculus superest Jul. Franciscus, Juliô Henricô, ex Anna

Magdalena Popelia, genitus A.C. 1640. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Histor. in Fam. Ascania*: Item in *Theatro Nobil. Eur. part. I.* ubi *Sophiæ Margaretæ, Annæ Elisabethæ, Sibyllæ Hedwigis, Augusti Ducis Saxon. Inferior. & Angriæ in Razenburg. & Elisab. Sophiæ Holsatæ filiarum*: *liberorum item Franc. Henrici in Frantzhagen Progenitores exhibet.* Adde Tob. Pfannerum *de præc. Germaniæ Principum gentibus c. 2.* ubi, inter alia, Julium Franciscum præfatum insignia Electoratus *duos scil. Enses*, supremi Marescallatus munus designantes, iterum usurpâsse, sed Cæsaris jussu abstinere coactum d. 21. Jul 1667. refert: & c. 10. ubi controversiam de titulis adhuc retentis, initiô inter Saxonem Electorem atque eundem Jul. Franciscum mutuæ successionis pactô, transactam, A.C. 1671. memorat, ex Speneto. Vide quoque in voce *Lawenburgum*.

Urbes Saxoniæ nunc clariores:

Ascalingium. Vide *Hildesia*.
Berlinum, *Berlin*, in Marchia Brandenburgica & Saxonia superiori; Electoris Brandenburgici sedes.
* Brema, olim Phabiranum, *Bremen*, Archiepiscopalis, Saxoniæ inferioris.
* Brunopolis, *Braunswyck*, libera nunc, in Saxonia inferiori.
Danebergа, quasi Danorum mons, *Daneberg*, Comitatus Saxoniæ inferioris.
Dresda, *Dresden*, Misniæ caput, & sedes Electoris Saxonici, in Saxonia superiori.
Eimbeca *Eymbeck*, Saxoniæ inferioris.
Erfordia, *Erford*, Turingiæ caput, in Saxonia superiori.
Goslaria, *Goslar*, libera, Saxoniæ inferioris.
Gothinga, *Gottingen*, libera, Saxoniæ inferioris.
* Halberstadium, *Halberstat*, Episcopalis sub Archiepiscopo Moguntino, Saxoniæ inferioris.
* Halla, *Hall*, Saxoniæ superioris.
* Hamburgum, *Hamburg*, libera, & emporium Saxoniæ inferioris.
Hanuveria *Hanover*, Saxoniæ inferioris.
* Helmstadium, *Helmstat*, Academia. Oppidulum est Saxoniæ inferioris.
* Hildesium & Hildesia, *Hildesheim*, Episcopalis, sub Archiepiscopo Moguntino, Saxoniæ inferioris.
Leoburgum, *Lawenburg*, Ducatus Saxoniæ inferioris.
Lipsia, *Leipzig*, in Misnia, Academia & emporium Saxoniæ superioris.
Lubecum, *Lubeck*, emporium, libera, & Episcopalis sub Archiepiscopo Bremensi, Saxoniæ inferioris.
* Luneburgum, *Lunenburg*, Ducatus Saxoniæ inferioris.
* Magdeburgum, quod & Parthenopolis, *Meydenburg*, Archiepiscopalis & libera, Saxoniæ inferioris.
* Mansfeldia, *Mansfeldt*, Comitatus Saxoniæ superioris.
Merseburgum, *Merseburg*, Saxoniæ superioris, in Misnia.
* Minda, *Minden*, Episcopalis sub Arciepiscopo Coloniensi, in Westphaliæ confinio. Hodie est in Westphalia.
Misna, *Meissen*, Saxoniæ superioris, & aliàs Misniæ caput.
Novoburgum, *Naumburg*, Saxoniæ superioris in Misnia.
Racemburgum, *Raceburg*, Episcopalis Saxoniæ inferioris sub Archiepiscopo Bremensi. Melius *Ratzemburg* dicitur.
Swerinum, *Schwerin*, Episcopalis Saxoniæ inferioris sub Archiepiscopo Bremensi, in Ducatu Magnopolitano.
* Torga, *Torgaw*, in Misniæ confinio, Saxoniæ superioris.
Verda, *Ferden*, Episcopalis Saxoniæ inferioris sub Archiepiscopo Moguntino olim, nunc sub Suecis.
* Vitteberga, quasi Vitarum mons, *Wittenberg*, Academia & caput Saxoniæ superioris.

SAXONIA Transmarina, apud Bonifacium Episcop. *Epist. ad Zachariam Pontif.* Anglia est. Vide in voce hac, ut & in voce *Saxones*.

SAXONICUM Littus, *Liber Notit.* ora Cantii in Anglia, ubi Dubris, Rutupis, & alia oppida. Similiter ora Galliæ Celticæ, in Normannia, Cantio objecta, in qua Rhotomagus, Constantia, & aliæ urbes Britanniæ minoris. Vide *Saxones Gallicani*.

SAXONTIUM. Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

SAXONUM Insul. *Heylichlandt Crantzio*, Insul. maris Germanic. ante Albis ostia. *Ptol.*

SAXONUM Leges, (hi enim, cùm victricia per Europam, Angliam inprimis, ubi provincias Cantio circumfusas, Essexiam, Midlsexiam, Surriam, Sussexiam, & tractum latè maritimum Cornubiam usque Westsaxonum, incoluerunt, signa extulissent, triumphatis populis leges imposuêre, quæ inter antiquas divulgantur, Heraldo Dano qui floruit A. C. 984. nonnulli adscribunt: (auctoritate ducti Alberti Abbatis Stadensis & Helmoldi *in Hist. Sclavorum l. 1. c. 15.*) Cæteri illorum Legislatores Alvredus Eduardus seu Æthelstanus, Edmundus, Edgarus, Ethelredus fuêre. Erant autem Saxones olim dicti Thuringi, sed è Græcia prius oriundi, ut eorum tradunt historiæ, & illud Gotfridi Viterbiensis *Chron. part. 15.*

Saxo, velut credo, patria fuit antè Macedo,
Regis Alexandri miles ubique fuit, &c.

Origini arriserunt leges, à quopiam institutæ, qui Philosophiam in Græcia audierat, ut opinatur Huldricus Mutius *Chron. Germ. l. 32. Multa enim*, inquit, *Platonis legibus conveniebant.* Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Arch. in voce Lex*, & in voce *West-Saxones*.

SAXONUM Schola, item *Saxonum Vicus*, locus Romæ, memoratus Baronio *Notis ad Martyrolog. 10. Nov.* de quo vide aliquid suprà in vocibus *Bordinati*, *Guidones* & *Porticani*.

SAXONUM, opp. Galliæ Togatæ, in agro Mutinensi, cum arce satis firma, 10. mill. pass. à Mutina in Meridiem *Sassuolo*.

SAXUM, vide *Saxa*.

SAXUM Adorationis, prohibetur Levit. c. 26. v. 1. *Ne faciatis vobis idola --- neque Saxum formatum ponite in terra vestra, ut adoretis vos ante illud.* Ubi *formatum*, additur, nempe in imaginem aliquam adorationi expositam. Vide Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Discipl. Ebræor. l. 2. c. 6. Effigiatum* idem vocat Minucius Fel. *Octavio*, Augustinus *de Hær. c. 86.* Martianus Capella *de Nupt. Philologiæ l. 6.* Alii. Vide suprà *Effigies*. Sed & *Saxa* rudia antiquitus pro simulachris istiusmodi Pausan. *Achaicis*, Τὰ παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Seculis vetustioribus, apud Græcos quidem universos, rudes lapides pro simulachris divinos habuêre honores.* Qua de re hîc passim, infrà inter alia, voce *Umbilicus*. Hujusmodi verò *saxa* flevisse sæpe leguntur, Statius *l. 9. v. 636.*

Aspicis & niveæ saxum maduisse Dianæ.

Ubi scitè *Saxum Dianæ*, non ipsam, dicit. Credebant enim vel credere videri volebant, in lapidibus statuisque habitare sua Numina. Ovid. *Met. l. 15. v. 792.* in præsagiis cæsi Cæsaris,

Mille locis lacrymavit ebur ---

Alii. Quò illa Lucani pertinent, *l. 1. v. 556.*

Indigetes flevisse Deos, Urbisque laborem
Testatos sudore lares ---

Vide Plut. *in Camillo*, ubi hujus rei causam dare nititur, Casp. Barthium *Animadvers. ad Stat. d. l.* & suprà in voce *Saxa*, item infrà, ubi de *Statuis*.

SAXUM Ferratum, castrum Piceni, versus Apenninum & limites Ducatus Urbinatis, juxta Sentinum amnem, 25. milliar. à Fulginio in Boream, Fanum versus totidem. Sub Pontifice, Bartoli patria.

SAXUM Rutilum, in Nemea, pro Taraxippo fuit, in ipso curriculi flexu, cujus fulgore equi non aliter concitabantur, quàm si objectis ignibus orta trepidatio fuisset, uti docet Pausan. *l. 10.* At in iisdem ludis Statius Apollinem fingit, ut Polynicis equos turbaret, spectrum quoddam iis objecisse *Theb. l. 6.* Ita Diis imputabant miseri, quæ vel propriâ, vel equorum imperitiâ, sibi acciderant. Vide infrà in voce *Taraxippus*.

SAYNA, locus Germaniæ, vulgò *Sayn*, in Circul. Rhenan. olim sub Comitibus: quorum, & Comitum Witgensteniorum, familia, utraque vetusta, cùm extincta esset, Spanhemii Comites utriusque successionem obtinuêre. Nam Johanni Comiti Spanhemio Adelheidis Henrici *Saynensis* filia, seculô 13. sed Johannis abnepoti Salentino *Saynensi*, Elisabetha, filia Sigismundi Comitis Witgensteini, nupsit. Bis jam dicti Johannis nepos Gothofredus à Palatino investitus A. C. 1275. duos genuit filios, Johannem & Engelbertum: quorum illius posteri Comitatum *Saynensem* tenuêre, usque ad Henricum, qui A. C. 1606. sine mascula prole, obiit: Hujus progenies Dominorum in *Homburg & Valendar* titulum gessit, donec Witgensteinia successio accederet, & deinde iterum ab agnatis *Saynensis*. Qui hodie vivunt, *Comites Saine & Witgenstein*, omnes communem Patrem habent Ludovicum Seniorem ineunte hôc seculô mortuum: Eô enim nati Georgius, *Berlenburgiam* lineam orsus est (ex Elisabetha Witgensteinia, Georgii Ludovici qui obiit A. C. 1661. Catharinæ Elisabethæ, Ludovico Ernesto Comiti Lævensteini & Werthemii nuptæ &c. parens) Wilhelmus; (qui ex Anna Elisabetha *Saynensi*, filium genuit, Ernestum, Patrem Johannæ, Joh. Georgio Saxon. Duci, lin. Isenacensis nuptæ & Ernestinæ uxoris Salentini Ernesti Comit. Manderscheidii, quæ adversus Patruos ob Comitatum Sayensem judiciô expertæ sunt:) ac Johannes, tertiæ lineæ caput, locum-tenens Electoris Brandenburgici, ex Anna Augusta Waldeccia, genitor, Ludovici Christiani nati A.C. 1629. (cui nupsit Elisabetha Magdalena Solmensis) Georgii Wilhelmi nati A. C. 1630. extincti A. C. 1657. Joh. Friderici, nati A. C. 1631. denati A. C. 1657. Gustavi, nati A. C. 1633. (mariti Annæ Helenæ *de la Place*) Elisabethæ Julianæ, natæ A. C. 1634. (uxoris Jodoci Hermanni Comitis Lippiæ) Augustæ, natæ A. C. 1638. (quæ nupsit Antonio Comiti Aldenburgico) Ottonis, nati A. C. 1639. Christianæ Luisæ, natæ A. C. 1640. Mariæ Magdalenæ natæ A. C. 1641. Christinæ natæ A. C. 1645. Friderici Wilhelmi, nati A. C. 1647. aliorumque, quorum omnium προγονολογίαν exhibet Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. I.* Altenkirchæ, in Comitatu Sayn aliquando habitavit Joh. Georgius Dux Saxoniæ præfatus. Vide eundem Spenerum *d. l. Part. 2. p. 35.* ubi progenitores Annæ Elisabethæ, Wilhelmo Comiti de *Sayn & Witgenstein* nuptæ ac defunctæ A. C. 1608. in qua præcipuus *Saynensis* ramus, hæreditate ad ipsius ex agnato posteros transmissâ, defloruit, repræsentat: & *part. 3. p. 85.* ubi avos exhibet, lineæ Berleburgiæ; item *p. 33.* ubi progenitores liberorum Ludovici Alberti, qui Altkirchæ habitavit, antequam Saynensi Comitatu ex fratre Ernesto neptes potirentur: & *p. 85.* ubi Homburgiæ lineæ, cujus Ernestus auctor, dat indicium.

SAZARANA. Thraciæ urbs. *Antonin.*

SBERNIA, nonnullis vocatur palliolum Romaniscatum brevissimum, cum fenestella, quà brachium exeritur: cujusmodi palliolum olim præter velum & pallam Reginæ, in Scena, gerebant, uti videre est apud Scaligerum *Poëtices l. 1. c. 16.*

SBETZANUM, oppid. in Mœsia circa Istrum. *Laonicus.*

SBIDI, Episcopatus sub sede Seleuciensi. G. *Tyrius.*

SC. in nummis Arcadii *signata Constantinopoli est*, Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus*. Aliàs in notis Antiqq. *Senatus consultum* est, vide Salmas. *ad Capitolin. in Maximo & Balbino c. 17.*

SCABALA, regio Eretriensium: Gentile *Scabaleus*. *Steph.*

SCABALIS, Vide *Scalabis*.

SCABELLUM, Græcè ὑποπόδιον, ad verbum *Suppedium*, unde ὑποπόδια apud *Nicetam* pro scabellis, quæ pedibus supponuntur; Græcis recentioribus πεδοχώλιον, quam tamen vocem *Eustathius* inter-

interpretatur γυναικεῖα ὑποπόδια, *muliebria scabella*, quæ αὐθεψῆ *Suida*, ἐκ τῷ αὔθειν, quòd per foramen eorum, prunarum inclusarum calore, hyemali tempore calefiant. Latinis quoque *pedicula*, unde *pedicularii* iisdem dicti, qui Græcis ποδοψόφοι. nempe in Theatris saltationibusque Veter. qui pede pulpitum percutiebant ad incentivum dandum, calceolò id ferreò aut ligneò faciebant; cujusmodi lignea sandalia Latini videntur *scabella* appellâsse, vel quod instar scabellorum ex ligno essent, vel quòd scabella potius essent revera, h. e. ὑποπόδια, quæ pede feriebantur, cum lignea aut ferrea solea, ut sonantior ederetur crepitus. Cujusmodi crepitaculi genus & in sacris & in theatris ferè semper cum symphoniis, tibus, cymbalis aliisque crotalorum generibus. jungebatur. Cicer. *pro Cælio. Mimi ergo jam exitus, non fabulæ: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabella concrepant, aulæum tollitur.* Augustin. *de Musica l.* 4. *Velut cum Symphoniaci* scabella *& cymbala pedibus feriantur, certis quidem numeris ---- sed tamen tenore perpetuo: itaut si tibias non audias, nullo modo ibi notare possis, quousque procurrat connexio pedum & unde rursus ad caput redeatur.* Quia autem sine ulla toni variatione, tenore quòdam perpetuò & æquali ad pedem feriebantur, (uti quoque alibi diximus) inde etiam ex Græco *syntona* sunt appellata, uti discimus ex Quintiliano *l.* 9 *c.* 4. Præterea verò & testarum crepitus saltantibus Pantomimis adhibebatur, strepitus item digitorum, alia; quæ omnia crepitaculorum genera solis constabant rhythmis, & in ea Musicæ parte ponebantur, quam *Rhythmicam* vocârunt Veteres. Vide plura hanc in rem apud Casaubon. *ad Caligul. Sueton. c.* 54. ubi Aquitanus Hispanisque *cascabelos* etiamnum dici, & Rabbi Jonam vocem quoque usurpare, in דזן, inter alia, notat: Salmas. *ad Vopisc. in Carino*, *c.* 19. & hic passim, inprimis in vocibus *Crupezia* & *Pedicularii. v.* 117.

SCABIES Dea, apud Romanos. Prudentius *Hamartig. v.* 157.

Par furor illorum, quos tradit fama dicatis,
Consecrâsse Deas Febrem Scabiemque sacellis.

Vide suprà *Lepra* & infrà *Vitiligo*: noto hic solum, etiam inter Numina Veter. fuisse, ex iis, quæ suprà de *Diis*.

SCABILLUM, idem cum priore. *Interpres vetus* Statii, *Scabillum, quod in sacris pede sonare consueverunt.* Unde *Sonipedes*, qui pede scabillum sonabant, apud Gratium *Cynegetic.* ubi de Isiacis Sacerdotibus, ποδοκτύποι & ποδοψόφοι Græcis. Sic & in Choro fuêre, qui pede percussô ἐνδόσιμον canentibus dabant & saltantibus ἰσοχρόνιον moderabantur: quod illi quidem non simplicis pedis percussione faciebant, sed soleâ ligneâ, cui suppacta fuit ferrea regula, ad majorem sonum edendum. Hinc σιδηρᾶν ὑπόδημα vocat *Lucianus*. Vide Libanium *Apolog. pro saltatoribus*, & hic suprà.

SCABINI, judices erant apud Germanos, Francos, Longobardos, causis tam capitalibus, quam civilibus; nec terrestribus solùm, sed & maritimis, in quovis Comitatu & Civitate, sub Comite, præfecti: à Misso regio sive dominico, cum assensu populi electi, & in singulis mallis septeni constituti. His tanta fuit reverentia, ut, si quis repeteret, quod ab iis judicatum esset, & is causâ cecidisset, aut 25. solidis rem componere, aut receptis à *Scabinis* 15. ictibus, suam luere temeritatem cogeretur. Vox Germanica est, *Scepen*, vel *Schoffen*, an à Saxonico *Schaper* i. e. *Schaffer*, conditor, procreator; certè hodieque Curator; Oeconomus, Præfectus, Dispensator, Procurator, in nobili hac gente *Schaffner*, dicitur. Vide Henric. Spelmann. *Glossar. Archæol.* Vox hodieque in Germania utraque frequens; Galliâ item, ubi Scabinos etiamnum *Scabinos*, vulgò *Eschevins* vocant, Judices urbanos seu ædilitios: qui in plerisque civitatibus inquilini ac cives, & quidem ex utroque parente cive editi, esse jubentur. Quemadmodum de Pericle, legem eum tulisse, ut nemo ad Remp. accederet, nisi parentibus ἀστοῖς natus, tradit Ælian. *Var. l.* 6. *c.* 10.

SCABRITIES, inter vitia dentium, memoratur *in Aug.* apud Sueton. *c.* 79. cui medendæ limam adhibitam, docet Martian. Capella *l.* 3. &c.

SCACARII Barones, appellantur in Anglia Magnates, qui in *Scatio* seu *Scaccario* Judicum vice funguntur, quorum præcipuus *Capitalis Baro Scacarii* appellatur. Desumebantur ii primitus, ex *Curiæ Baronibus*, h. e. ex Magnatibus, qui ratione feudorum à Rege nudè pendebant & ei hominium præstabant: hinc *Mylordi* vulgò dicti, quô nomine de majori Nobilitate viros compellari in ea gente notum. Et quidem deligebantur arbitriô Principis antiquitus, postmodum perpetui facti & Curiæ ascripti sunt, sub Henrico III. an Eduardo I. de quorum illô Matthæus Paris. A. C. 1244. statuisse eum scribit. *Ut duo Justitiarii eligerentur in Banco, & duo itidem Barones in Scacario constituerentur.* Vide de prærogativa & auctoritate horum Baronum *Nigrum librum Scacarii parte* 1. *c.* 4. Catalogum verò habes apud Henr. Spelmann. *d. l.* Significat autem *Scacarium* propriè apud Anglos Curiam, in qua res Fisci pertractantur, in aula scil. Westmonasteriensi, Anglic. *The Eschecquer* vel *The cheker*, id quod bis in anno fit, in Paschate videl. & in Festo S. Michaëlis, quô tempore Vicecomites computa sua reddere tenentur. Officiarii ejus recensentur varii in Fleta *l.* 2. *c.* 27. §. 4. *Thesaurarius*, *Cancellarius*, *Barones scacarii*, *Clericus Regis*, *duo Camerarii*, *Constabularii & Marescalli*, *Clerici Scriptores rotulorum*, *Miles Argentarius* &c. Neque verò tantum de rebus Fiscalibus ibi, sed etiam de feudis, juribus ac libertatibus Regni, aliisque cognosci, legas *ibid.* Aliquando verò *Scacarium* iisdem Anglis pro ipso Fisco seu Ærario Regio sumitur, quod ærarium Regis in eadem æde, ubi Judices Scacarii consident, asservetur &c. Sed & *Scacarium* dictum olim est, in Normanniæ Ducatu, suprema Curia, in qua adpellationes, ab inferioribus Judicibus, supremo Jure dijudicabantur, quod toridem vicibus, iisdemque temporibus, uti de Anglico diximus, fiebat. Postmodum verò Normanniæ illud Scacarium, in Parlamentum Rotomagi erectum est. Vide *Monasticon Anglic. Tom.* 2. *p.* 995. Vocis originem quod attinet, Spelmannus aliique à Saxonico *Schatz*, i. e. thesaurus, eam arcessunt, Macri Fratres *Scaccarium*, quasi *Saccarium*, dici volunt; Car. du Fresne *Scacarium*, Normannicum præsertim, nomen accepit à loco, in quo Judicia suprema exercebantur, sic dicto, quod illius pavimentum tessellis quadratis diversicoloribus instratum esset, tabellæ instar, in qua *scaccorum* ludô luditur. Sic enim ex *Necrologio* Eccl. Carnot. vocem usurpari observat, *Scacarium de auricbalco & marmore in pavimento Chori.* Vel certè à mensâ, cui assidebant Judices, à quâ *Scacarium Anglicum* denominatum, testatur Gervasius Tilesber. ubi scacarium virgulis distinctum exhibet, quomodo olim etiam erant hodieque alvei lusorii, uti videre est apud Gruterum 1049. 1. & Salmas. *ad Vopisc in Proculo c.* 13. Cujusmodi tabulas memoriæ subministrandæ gratia Trapezitas seu Mensarios olim habuisse, scribit in *Apologia* Spelmannus. Vide præfatum Car. du Fresne in *Glossar.*

SCACCARIUM, Anglis Fiscus Regius est: de qua voce vide prolixè agentem Autorem modò laudatum: & quæ dicta retro.

SCACCI, vel SCACCORUM Ludus, Gallis Italisque *Scachi*, voce à *calculis* detortâ, ut placet Salmasio; nonnullis à German. *Schach*, i. e. latro, ut sit latrunculorum ludus; Car. du Fresne nomen habere à Persica voce *Schach* i. e. Rex, quod præcipua hujus ludi persona Rex. Vide eum *Not. ad Joinvillam p.* 59. & *ad Alexiadem p.* 383. & 384. vel quod *Regibus* dignus sit: (quamvis ejus usu interdixit filio suo primogenito Jacobus M. Britanniæ Rex, in *Δώρῳ* suo *Βασιλικῷ l.* 3.) Græcis veteribus Πεῖλις, recentioribus Ζατρίκιον dicitur, uti videre est apud veter. Theocriti *Scholiastem*, collato cum eo, quod Achmes habet de Zatricio. Descripsit illum eleganti Poëmate Hieronymus Vida, & varia jam de eo prælibavimus, in vocibus *Calculi* item *Latrunculorum ludus*. Vide quoque ubi de *Zatricio* alibique passim. In eo cùm ad imaginem belli omnia composita sint, hinc *militum*, *aciei*, *phalangis*, *prælii*, *hostium*, *captivorum*, *tropæorum*, passim mentio apud Veteres dum illum ludum describunt. Victoria autem penès eum, qui *Regem*, h. e. principem calculum, ad metas, id est, eò redigit, ut *cieri* moverique nequeat. Quod *scaccum mattum*, h. e. contritum & subactum, Galli vocant. Sedes, in quibus calculi dispositi, *caspi*, *mandræ*, *valli* Latinis; Græcis πόλεις, γραμμαί, χῶραι, dictæ sunt, ut videre est in his vocibus. Plura verò hanc in rem apud Salmas. *in Proculo c.* 13. ubi totam eruditi hujus Ludi rationem accuratè exponit, & in quo à *Palamedis ludo*, *Ludo item XII. scriptorum*, diversus sit, docet. Addam hic saltem, ex veteri *Aresto* Paris. A. C. 1320. *Scaccarii*, seu tabulæ lusoriæ, *ex jaspide & chalcedonio*, *cum familia videl. una parte de jaspide & alia parte de crystallo*, mentionem facere Car. du Fresne *Glossar.* Cæterum, quantopere lusus hic militaris peritiæ candidatis utilis sit, docet Dan. Heinsius *Orat. Fun. in obitum Mauritii Princ. Nassovii habitâ* &c.

SCÆA, urbis Trojanæ porta, ubi Laomedontis erat sepulcrum, ita (ut Grammaticis placet) quòd ad sinistrum, h. e. occidentale urbis latus sita esset, dicta. In Augurum enim disciplina, quæ Ortum spectant, dextra; quæ occasum, sinistra dicuntur. Strabo tamen *l.* 12. videtur sentire, *Scææ* portæ nomen, à *Scæis* Thraciæ populis sumptum fuisse, cum quibus Trojanos multa nomina communia habuisse ostendit. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 350.

---- Arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scæaque amplector limina portæ.

Alibi *l.* 2. *Æn. v.* 612. plurali numero extulit:

---- Tum Scæas Juno sævissima portas.

Hausit ex Homero, apud quem locô non unô: *Il.* Ζ. *v.* 237. 393.

Αὐτὰρ ἐπεὶ Σκαιάς τε πύλας καὶ φηγὸν ἵκανεν.

Propert. *l.* 3. *El.* 8. *v.* 39.

Nec referam Scæas, & Pergama Apollinis arces.

Homer. *Il.* Σ. *v.* 453.

Πᾶν δ' ἦμαρ μάρναντο περὶ Σκαιῇσι πύλῃσι.

Plautus *in Bacchidib. act.* 4. *scen.* 9. *v.* 29.

Ilio tria audivi fuisse fata, quæ illi forent exitio:
Signum ex arce si periisset: alterum etiam est Troili mors
Tertium cum portæ Scææ limen superum scinderetur.

Nic. Lloyd.

SCÆBOÆ & CERENIÆ, Thraciæ gentes, Polyæn. in Cosinga *l.* 7. *c.* 22.

SCÆI, sunt Thraces populi, *Scæus* amnis, & *Scæus* murus *Steph.* populi inter Thraciam & Troadem.

SCÆVA, miles Cæsaris fortissimus, qui apud Dyrrachium magnâ Pompejanorum manu oppugnatus, multisque vulneribus acceptis, adduci tamen non potuit, ut castelli sibi commissi custodiam desereret. Lucan. *l.* 6. *v.* 144.

Scæva viro nomen: castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multô
Promotus Latium longô gerit ordine vitam, &c.

SCÆVA Mauritius, vide *ibi*.

SCÆVA Memor, Poëta Latinus, sub Tito & Domitiano Tragœdias scripsit, sicut frater ejus Turnus Satyras condidit. Vide Martial. *l.* 11. *Epigr.* 11. Scaliger hunc Memorem auctorem Octaviæ credidit, quæ Senecæ tribuitur; *in Poët.* Lil. Giraldus, *Dial. de Poët.* &c.

SCÆVÆ, sunt, qui sinistrâ pro dextra utuntur, ex quo diminutivum *Scævola*, Græcè Σκαιόλας. Utrumque nomen in cognomen abiit. Namque ad *Scævam* quendam scribit Horat. *l.* 1. *ep.* 17. ubi Torrentius observat, Juniorum & Cassiorum cognomentum illud fuisse. *Nic. Lloyd.* Hinc *scæva consilia*, i. e. sinistra, infelicia, apud Spartian. *in Pescennio Nigro c.* 7. *scævitudinem* fecere loquelæ, *scæva pectora*, apud *Aldhelmum*. Vide Salmas. *ad d. l.* Scæva Numina, apud Arnob. *adv. Gentes l.* 3. *discordias, furias & scæva illa Numina*. Et verbum obscæ-

obscævare, apud Plaut. *Act.* 2. *sc.* 1. *v.* 18. *Asinar. Metuo quid illic obscævavit meæ falsæ fallaciæ*, pro malum omen afferre, interprete Nonio Marcello. At Varro *de L. L. l.* 6. auctor est, à manu *Scæva*, quam *σκαιὰν* vocant Græci, dicta omnia *scæva*, i. e. bona: & auspicia quoque sinistra, bona & fausta esse; & quidquid ave sinistrâ addicatur. Quam sententiarum diversitatem reconciliare conatur Phil. Beroaldus, ut dicat Romanis sinistra prosperiora esse, Græcis & Barbaris dextera, hincque Ciceronem *de Divin. l.* 2. censere, *quæ bona sunt, sinistra dici, etiamsi dextera sint.* Vide de Numinibus lævis, de auguriis dextris, sinistrisque Gellium *l.* 5. *c.* 12. Livium *l.* 1. *c.* 18. Dion. Halicarn. *l.* 2. Plutarchum *Problem.* Alios alibi: quorum tamen omnium opiniones ridet Arnob. *adv. Gentes l.* 4. pro corporis nostri situ quemlibet Orbis cardinem dextrum vel sinistrum esse, anticum vel posticum ostendens. Vide quoque Festum *in Posticum*, G. Stewechium *Electis in l.* 1. *Arnobii p.* 53. ad verba, *Mali ominis obscævitate traducor.* De homine vox occurrit apud eundem Arnob. *l.* 7. *Et quamquavis possit quamvis ille sit scævus & difficilimus*, ac significat hominem *σκαιὸν*, *ὑπαγέρωχον*, *res tarde ac præpostere accipientem.* Athenæus *ἀγροῖκον* & *ὑπαγέρωχον* copulat, ac pro uno eodemque sumit, *l.* 4. Vide Heraldum *ad Arnob. locum* & plura hic ubi de *Læva*, seu *Sinistra manu*.

SCÆVOLA Briennensis, Dux Athenarum, Connestabilis Franciæ obiit in prælio Pictaviensi, A. C. 1356.

SCÆVOLA Castellionæus, Connestabilis Franciæ, sub quinque Regibus, fil. erat Scævolæ IV. Castellionæi. Ad id dignitatis evectus, à Philippo Pulchro, marito Johannæ Campaniæ hæredis, postquam devicit Henricum Comitem Barensem, generum Eduardi Angliæ Regis A. C. 1297. & in prælio Curtracensi, in Flandria, fortem navavit operam, A. C. 1302. Magnum dein momentum attulit ad victoriam Montis puellarum, sub eodem Rege obtentam: hujusque filiis Ludovico Huttino, Philippo Longo & Carolo Pulchro, eandem fidem zelumque præstitit, contra Caroli inprimis Valesii molimina. Hujus dein filiô Philippô ad Regnum evect. pari adstitit industriâ, illique suadens, ut Ludovico Flandriæ Comiti suppetias iret, ipse octogenarius licet, expeditionis Comes fuit, re in prælio Mon-Castelano præclare gestâ. Obiit anno post, A. C. 1329. Morerius *Diction. Hist.*

SCÆVOLA Mutius, Vide *Mutius*.

SCÆVOLA Sammartanus, nobilis Gallus, egregiè de Rep. literaria meritus, Henrico M. Galliæ Regi, cui in bello contra Ligistas fortem navavit operam, gratissimus fuit. Vide Thuan. *Histor.* Pater ille cognominis, sinulatæ tempus editis clarissimi.

SCALA, à *scandendo*, per illas enim in superiora domus ascenditur. Sic apud Græcos, qui uxores filiasque anxiâ solicitudine custodiebant, ad Parthenonas vel Gynæconas, in superiori ædium parte constitutas, *Scalarum* ascensu perventum: quæ an gestatoriæ fuerint adeoque removeri solitæ sint, an fixæ, non adeò liquet. Prius tamen verosimilius esse, videtur colligi ex Euripide *Phæniss.* ubi Antigone, permissu Matris, è Parthenone seu cubiculo suo, Pædagogo comite, exiens, *Scalas* scansura hujus opem inclamat,

> Ὄρεγε νῦν, ὄρεγε γεραιὰν
> Νέᾳ χεῖρ' ἀπὸ κλιμάκων
> Ποδὸς ἴχνος ἐξεγείρων:

Eandem *Scalam* Penelope habuit, apud Homer *Od.* α. *v.* 330. per quam tamen ivit sola, sine ancillarum ope, quarum duæ illam sequebantur, pro more,

> Κλίμακα δ' ὑψηλὴν κατεβήσετο οἷο δόμοιο.

Similiter, apud Romanos, cœnaculum, *pars ædium superior, in qua epulari consuetum*, Donat. *in Ter. Adelph. Act.* 3. *Sc.* 3. admotis *Scalis* ascensum est (*postquam in superiori parte cœnitare cœperant*, Varro *de Ling. Lat. l.* 4.) Ita enim Livius *Dec.* 4. *l.* 9. *Cœnaculum super ædes datum, fenestribus in publicum scalis, obseratum.* Unde Festus Pomp. *l.* 3. *Cœnacula*, inquit, *dicuntur ad quæ Scalis ascenditur.* Martialis de incommoditate habitationis suæ, *l.* 1. *Epigr.* 118. *v.* 6. trium meminit,

> *Longum est, si velit ad Pyrum venire,*
> *Et Scalis habito tribus, sed altis*
> *Quod quæris, propius petas licebit.*

Nempe, postquam in superiori parte, ut diximus, cœnitari cœptum, *superioris domus universa Cœnacula dicta sunt*, Varro *ubi suprà.* Has, obtentâ apud Judices causâ, Clientes in Patronorum gratiam coronis exornare consuevisse, colligere est ex Juvenali *Sat.* 7. *v.* 118.

> ---- *Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso*
> *Figantur virides, Scalarum gloria, palmæ.*

Ubi *Casaubon. Scalæ*, inquit, *hic sunt aditus domus, janua, ita autem vocat ἐμφατικῶς, ad indicandam Oratorum paupertatem, qui, tenuiorum & mendicorum more, in cœnaculis habitabant, ut habitationes suas nisi scalis intraire non possent.* Vide & Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 5. *c.* 28 Flaminicæ verò *Scalas* plus tribus gradibus, nisi Græcas, scandere non licebat, ut Massurius Sabinus habet apud A. Gellium *l.* 10. *c.* 15. qua de re vide paulo infrà, in voce *Scalæ Græcæ.* Sed & in bello *Scalarum* usus est, quibus urbem hostilem conscendere, primus docuit Capaneus, teste Vegetiô *de Re Militari l.* 4. *c.* 21. Cujusmodi *scalæ* meminit *MS.* liber apud Lindenbrogium, *De Armorum Judicio*,

> *Tum præ se portant ascendibilem semitam,*
> *Quam scalam vocitant.*

Statius aërium iter vocat, *Theb. l.* 10. *v.* 842. Quæ sine hodie ex loris fiunt, facile portatiles. Linearum jam meminit Joh. Garzo *Rerum Friderici Magni l.* 2. *Ut, locô accommodô perspectô, in mœnia evaserunt, paululum morati scalas lineas, quarum extremis alligatæ erant manus ferreæ, superiorum murorum parti injiciunt.* Quam in rem vide Barthium *ad Statium d. l.* De usu *Scalarum* in conscendendis equis, dicemus infrà: uti de poculi genere, hôc nomine insigni, retro vidimus, ubi de *Poculis.* Porro in pœnis quoque *Scalæ* adhibitæ occurrunt, apud Gallicarum inprimis rerum Scriptores, in quo proin Regno *Scala*, una est ex *altioris*, ut vocant, *justitiæ* seu supremi dominii notis. Scala quippe pro criminum quorundam aut malefactorum punitione erigitur, intra dominorum, qui jus gladii habent, jurisdictionem & districtum, quam ascendere coguntur rei, qui ejusmodi pœna multantur, ut universæ plebi expositi infamiæ notam subeant. Cujusmodi scalam, *Scalam Templi* appellatam, quòd fuerit Templariorum olim supremæ Justitiæ nota, etiamnum in urbe Parisiensi prostare & ad Hospitalarios ejus urbis jam pertinere, docet Car. du Fresne in *Gloss.* ubi varias vocis notiones alias exponit, cùm videl. urbis regionem, apud Monspelienses; lecticæ speciem in *scalæ* modum confectam in *Vita* Filiberti, manipulum militarem, Gall. *Escadron*, apud Guil. Britonem *Philip. l.* 3. *v.* 10. 11. portum minorem seu portûs trajectum vel *πέραμα*, in majori portu (quô modô variæ extitêre *scalæ* in portu Constantinopolitano Ceratino, de quibus idem multa congessit *Not. ad Alexiadem*) alia, notat. Vide & infrà.

SCALA Bartholomæus, Vide *Bartholomæus*.

SCALA Tyriorum, mons altissimus, in tractu Aser versus Septentrionem à Ptolemaide 100. stad. Joseph *l.* 2. *Bell. Jud. c.* 9. Hinc usque ad Chaipham purpurarum Judææ litus extendi, docet Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 5. *c.* 9. Vide suprà in voce *Purpurarum Litus*.

SCALABIS, seu SCALABISCUS, *Ptolem. Julium præsidium*, & *Scalabitanus conventus* Plin. *l.* 4 *c.* 22. Colonia & urbs olim Lusitaniæ ad Tagum, ab Ulyssipone 13. leuc. in ortum Toletum versus. Hodie *Santaren* (à Sancta *Irene* virgine ibi martyrium passâ nomen habens) oppid. amplissimum, à Christianis ingenti Maurorum clade recuperatum. A. C. 1184.

SCALÆ, vulgò SCALA, urbs Picentinorum Episcopalis in monte, apud oram litoralem olim ampla, ut rudera indicant. Proxima Amalphi ad 2. mill. pass. milliario à Rebello: Quarum 2. urbium sedes unitæ. Hujus meminit Pontan. *l.* 1.

SCALÆ in *Annal. Flandr.* Vide *Iccius portus* & *Caletum*.

SCALÆ Alexandri, via per Ossam montem in Thessalia. Nam cùm Thessali Tempe præsidiis impositis obtinerent, suffossis præcipitibus Ossæ petris & effectis exiguis gradibus per eas, ipse & Macedones ascendentes in juga evaserunt; atque Ossam trasgressi Thessaliam occupârunt, Thessalis Tempum angustias tenentibus. Etiamnum videre est iis, qui Tempe perambulant, petras Ossæ in scalarum modum ædificatas, quas inde *Scalas Alexandri* appellant.

SCALÆ Annibalis, pars montis Jovis eminentior in ora Hispaniæ citerioris seu Catalauniæ. *Monjui Varrerio. Costa de Garaffr.* aliis, in ora maris Mediterranei 6. leuc. Hispan. à Barcinone in Occasum, Tarraconem versus 9.

SCALÆ Ferreæ, apud Mauritium *Στρατηγικ. l.* 1. *ἔχειν δὲ καὶ εἰς τὰς σέλλας σκάλας σιδηρᾶς δύο*: è sella equestri pensiles, sunt quos Hieronym. *stapedes*, Eustathius in *Odyss.* Ἀναβολεῖς vocat; qui & ferreas fuisse docet, cùm *τὸ σιδήρεον* exponit. Cùm enim, ante istiusmodi instrumenta scansoria, quibus hodie innitentes in equum levamus, inventa, homines ad hanc rem Veteribus fuerint, qui dextrâ manu erigebant equo insessurum & sustollebant, Ἀναβολεῖς hinc Græcis, *Stratores* Latinis dicti: factum postea, ut & *scalæ* præfatæ, quòd eundem usum præstarent, similiter appellarentur. Unde *Suidas*, apud veter. Scriptorem *ἀναβολεῖα* exponit, *τὸν ἀναγοντα εἰς ἵππον*; sed addit, *ἀναβολεὺς δὲ καὶ ὁ παρὰ Ῥωμαίοις λεγόμενος σκάλα.* Ubi manifestò indicat, Romanos *scalam* vocâsse illud instrumentum, cui pedem imponebant, ad conscendendum equum. Cujusmodi *scalæ* seu stapedis vicem Valerianus Imperator Sapori exhibuisse coactus legitur apud Eutropium *l.* 3. *c.* 6. & Aur. Victorem *c.* 46. idemque ministerium nobilibus matronis præstabant olim mulieres, *κλιμακίδες* hinc dictæ, apud Athenæum, qua de re suprà vide Salmas. *ad Pollion in Valeriano c.* 3. & *Spartian. in Caracallo c.* 7. ut & infrà in voce *Stapia*.

SCALÆ Gemoniæ in monte Aventino, supplicii locus erat, quò uncô pertracta maleficorum cadavera, inde in Tiberim præcipitabantur, Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *sect.* 3. *c.* 8. ubi licèt, hunc similem fuisse contendit saxo vel rupi Tarpejæ, è qua rei vivi in præceps dabantur. Cœl. verò Rhodig. *Antiqq. l.* 10. *c.* 5. reorum jugulis uncô injectô, à Carnifice, ad Scalas illas eos pertractos, ibique artubus confractis, ululatos esse, ait. Quod si ita est, idem hoc Supplicii genus fuerit cum tunica, cujus meminit Seneca *Ep.* 14. *Cogita illam tunicam alimentis igneam & illitam & intextam*: & Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 235.

> ---- ---- *Tunicâ punire molestâ.*

Istiusmodi enim tunicâ, qui flammis destinati erant, indui sunt soliti. Idem Rhodig. addit, nomen supplicio fuisse, aut à quodam *Gemonio*, qui illud primus subierit, aut à *gemitu*, quòd esset *locus gemitus & calamitatum.* Vide quoque *Gemoniæ scalæ*.

SCALÆ Græcæ, memorantur A. Gellio *l.* 10. *c.* 15. Post quam enim ipsi de variis ceremoniis Flamini Diali & Flaminicæ impositis actum, etiam hoc de Flaminica additur: *Et quòd scalas, nisi quæ Græcæ appellantur, eas ascendere ei plus tribus gradibus religiosum est.* Ita enim emendavit *Scaliger*, cùm vulgò legeretur, *Et quòd Scalas, quæ Græce κλίμακες appellantur*, vel in antiqua Veneta Edition. *Græca κλίμακες*, irreptitium esse videtur, ex glossa, cùm Græcè legeret, & putaret vocabulum Græcum intelligi. Ita tamen etiam legi posse, nisi quæ *Græcæ κλίμακες appellantur*, ut de quibusdam Græcis scalis intelligatur. Ad cujus loci interpretationem egregiè facit fragmentum Servii: *Apud veteres Flaminicam scalas plus tribus gradibus, nisi Græcas, scandere non licebat, ne ulla pars*

gestare

pedem ejus, crurumve subter conspiceretur. Eoque nec pluribus gradibus, sed tribus, ut in ascensu duplices nisus non paterentur extolli vestem aut nudari crura. Nam ideo & Græcæ scalæ dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum sint; ne adjectum ad partem aliquam corporis admittant. Vide Scaliger. *ad Festum* p. 72.

SCALARII, Basileensium Aborigines; summis olim in Rep. muneribus defuncti sunt. Ex his enim Otto A. C. 1260. Rodolphus A. C. 1265. Petrus A. C. 1281. idem A. C. 1359. Wernherus A. C. 1308. aurati equites omnes, Consulatum gessêre. Prætorem penes eosdem constituendi jus diu mansit, sic ut rerum civilium judicia ab eorum Vicesculteis longô temporis decursu fuerint habita. Iidem virtute militari non minus inclaruêre, patriæ contra Rodolfum Habsburgicum, Monarchis item Principibusque variis fortiter operâ præstitâ: quod inter alia & Hermanni equitis ex hac nobilissima gente insignia, in sacello sepulchri Christi A. C. 1269. suspensa loquuntur: Fuêre autem illa quatuor gradus candidi in Scalæ modum allurgentes, in scuto rubeo: domus *Scalariorum* hodie Academiæ locus est. Vide Christ. Urstisium *Epit. Hist. Basil.* Stumpf. *de Rauracis l.* 12. & suprà, in voce *Psittacus*, quæ factionis insigne fuit, cui Scalarii adhærerant, seculô 13.

SCALDIA, Insul. Zeelandiæ, à præterlabente *Scaldi* fluv. sic dicta. *Schouwen* Belgic. prope ostium Orientale Scaldis. Aliàs amplior fuit. In ea sunt duæ Urbes Zirickzæa & Brovershavia, vix 2. mill. pass. à Walachria in Boream.

SCALDINGI, in *Historia* S. Cuthberti, appellantur non semel Dani seu Normanni, quòd, ad Scaldim amnem positis castris, diu ibi morati sunt, A. C. 883. ut est apud Sim. Dunelmensem, laudatum Car. du Fresne *in Gloss.* Vide in voce *Scaldis*.

SCALDIS, qui SCALDIUM Cæsari; *l. 6. Bell. Gall. c.* 33. *Tabulæ Ptolemæo*, vulgò *Scheld*, Gallis *l'Escaud*, fluv. maximus Belgii in Veromanduis prope Abbatiam Martini oriens, ac inter Artesiam & Hannoniam per Flandriam & Brabantiam, in Oceanum infra Antwerpiam decurrens. Ejus meminit Cæsar, *loc. cit.* Plin. *l. 4. c.* 13. &c. Vide Guicciard. *Belg. descr.* inprimis Cluver. *Germ. Ant. p.* 451. *Baudrando* oritur in Picardia, paulò supra montem S. Martini & Castelletum arcem, fonti suo proximum, *le Castellet*, in limite Belgii; dein versus Cameracum pergit, eamque interfluit. Hinc Hannoniam petens, Bochaniô oppidulô *Bouchain en Ostrevant*, salutatô, aliquot torrentibus auctus, Valencenam suis aquis ditat, ibi primum lintrium capax. Hâc relictâ & Hanuô fluv. Harnoi, à Castrilucio Montibusve veniente receptô; juxta Condatum paulò pòst per Flandriam labitur; auctusque Scarpâ fluv. ad Moritaniam castr. vel ad confluentem *Conflan*, ut *Vales.* habet, Albiniacum *Aubigny*, Atrebatas *Arras*, Duagium *Douay*, Marcianas *Marchiennes* monaster. virginum nobilium præterlabitur: dein Enonem seu S. Amandi monasterium attingens, Tornacum bifariam secat, uti dein Aldenardam. Hinc ad Gandavum tendens, ibi Levam seu Legiam *La Lis*, ab Aria, Armentariis & Corteriaco defluentem recipit, & in hac urbe Oceani reciprocantis æstum primum sentit. Hinc sinuosis flexibus ad Teneramundam decurrit; ubi auctus Tenerâ; & Demerâ fluv. Machliniensi, qui Tiliam & Sennam, quorum ille *Dyle* Lovanium alluit, hic *Senne* per Sonegias & Bruxellam fluit, in eum defert, ut & paulo pòst prope Rupelmundam Rupelâ, Brabantiam à Flandria discriminans Antverpiæ mœnia lambit, emporioque huic insignem portum efficit: unde ad 3. milliar. prolabens, in duo vasta ostia scinditur, quorum unum ad Occasum Flandriam à Zeelandia dirimens inter Biflietum Flandriæ, & Flissingam Zeelandiæ Urbes, nomine in *Honte* mutatô, Oceanum Septentrionalem per Sutbevelandiam & Walachriam intrat: Alterum veterem alveum, nomenque suum servans ac cursum, Bergam ad Zomam è longinquo à dextra prospiciens, & versus Romerswallam à sinistra deflectens, inter Zeelandicas insulas diffunditur, omnesque ejus Urbes alluens, inter Walachriam & Scaldiam, vulgò *Schouwen*, in Oceanum Germanicum se exonerat. In Mosam Scaldem influere, circa extremas eluenus partes, scribit Cæsar *de bello Gall. loc. cit.* Nimirum, ut quidam ait, *torsere se flumina aut correxere flexus, Scaldis, Mosæ & Rheni.* Scaldis in plures diffluit partes: ejus alveus, qui Bergam attingit, olim Mosæ adjungebatur: cæteris hisque majoribus ostiis in Oceanum influebat. Villa *Schaliheim*, juxta ostium fluminis in maritima Frisonum regione posita, memoratur Eginhardô *l. 2. de translatione SS. Mart. Marcellini & Petri c.* 19. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SCALDIS Pons, urbs Belgii, Hannoniæ præcipua, ad Scaldem fluv. inter Cameracum & Montes 7. leuc. vulgò *Valenchiennes*. *Baudrando Escaupont*, Vicus Hannoniæ, ad Scaldim, dimid. leucâ supra Condatum in Boream Valentianas versus 1. cum dimidia.

SCALDRI, vetustissimi Danorum Poëtæ, à sono & murmure, quod canendo edebant. Vide Stephanium *Not. ad Saxonem Grammaticum* & Olaum Wormium, eidem citatos. Iis similes apud Getas *Bardi*, apud vetustissimos Græcorum Ἀοιδοὶ fuêre, de quorum officio diximus in voce *Cantor*.

SCALHOLTUM, Urbs & Academia Thulæ insulæ in Norvegia, Episcopalis sub Archiepiscopo Nidrosiensi.

SCALIA, oppid. Calabriæ inferioris.

SCALIA, apud citimi ævi Scriptores, ex Italico *Scaglia*, h. e. squama; lapis est sectilis, quos *ardoises* Galli dicunt, vide suprà *Ardesia*.

SCALIGER Julius Cæsar, Criticus, Poëta, Medicus & Philosophus insignis, magnum sibi in orbe nomen peperit, seculô præteritô. Hunc Italia genuit, educavit Germania, Gallia ad mortem usque tenuit. Natus A. C. 1484. in castro *Ripa*, territorii Veronensis, ex Principibus de la Scala, priscis Veronæ, aliorumque in Italia locorum Dominis, oriundum se probavit: adversarium irreconciliabilem, sensit Hieronymum Cardanum, Medicum Mediolanens. cujus de Subtilitate librum refutavit. Arma diu cum gloria gessit, sed inprimis ad studia natus est, ingeniorum Aquila. Obiit Aginni in Aquitania, A. C. 1558. ætat. 75. Pater Sylvii Medici, & Josephi Justi, paternæ gloriæ & eruditionis hæredum. Scripsit Poëticam, opus admirandum: Epistolas & Orationes: Poëmata: Commentarios in Aristotelem, & Theophrastum: plurimos de Medicina tractatus: de Causis Ling. Latin. Testimonia de gente Scaligera: Exercitationum Exoticarum libros 15. &c. Gloriæ cumulus prior is doctrinæ professio fuit. Scævola *Elog. l.* 1. Lips. *in Epistol.* Vander Linden *de Script. Medic.* Justus *in Chron. Medic.* Quenstedt. *de patr. Doctor. &c.* adde Anton. Teissier. *Elog. P.* 1. & 2.

SCALIGER Justus Josephus, fil. prioris, natus Aginni, A. C. 1540. Studiis primò Burdigalæ incubuit, dein à Patre ipso eruditus, postmodum Parisios profectus est: ubi sub Adriano Turnebo Græcam linguam, postmodum sine Magistro Hebræam edoctus, Criticam quoque ad unguem edecumavit, omnibusque literatis admirationi fuit. In Academiam Lugduno-Batavam vocatur, ibi per ann. 16. extra ordinem docuit. Obiit A. C. 1609. Scripsit notas in Senecam, Varronem & Ausonium: Correctiones item in Eusebium, Valerium Flaccum, Pompejum Festum, &c. Poëmata, *Thesaurum temporum*, *Emendationem temporum*, *&c.* Laur. Crassus, *Elog. literat. Part. II.* Lips. Casaubonus, Heinsius, Meursius, &c. Ex illustri *Scaligerorum* familia, qui Veronæ Principatum olim tenuerunt: Albertus quoque & Mastinus inclyti fuêre: quorum avus Balduinus JCtus fuit, A. C. 1101. Fridericus JCtus ex eadem familia, amplissimis muneribus defunctus est, A. C. 1316. Jul. du Puy, *in Elog. Advoc. Veron.* Alexand. Cannobius, *Arbor. Scalig.* Cæsar Borset. *de Magnif. Veron.* Hieronym. Curtius, *Histor. Veron.* Onuphr. *Antiquitat. Veronens. &c.* adde Tesserium præf. *ibid.*

SCALIS, urbs Picentinorum, prope Amalphim, Episcopalis sub Archiepiscopo Amalphitano. Vide *Scalæ*.

SCALPELLUM Scriptorium, quô calami ad scribendum olim aptabantur & temperabantur, γλύφανον Græcis dictum est, quæ vox aliàs cælum notat, quô argentarii operantur. Sed & γλυπτὴρ, & γλυφὶς & γλυφίς. Nam γλύφειν κάλαμον dicebant, qui acuebatur: aliàs ἐξυῶσαι. Unde & ἐξυωτῆρα καλάμων *Epigr.* Græcum vocat scalpellum hujusmodi. Porrò σμίλη & σμίλιον. Hinc σμίλη δονακογλύφος, in *veter. Epigr.* ubi de instrumentis Librarii.

Σμίλαν ἀκεστῆρα δονακογλύφον, ἥτ' ἐπὶ μέσσῳ
Σχίζετο ἔχειν καλάμων ψαίστορ' ἀπὶ Κνίδιον.

Atque inde σμιλευτὸν γράμμα, in altero *Epigrammate*, prò eleganti scripto, quod nempe exaratum est calamô bene temperatô; de tragœdia, quam invenit Thespis; sed ex humili in sublime evexit Æschylus.

Αἰσχύλος ἐξύψωσεν ὁ μὴ σμιλευτὰ χαράξας
Γράμματα, χειμάρρῳ δ' οἷα κατερχόμενα.

Namque Æschylum majestatem potiùs & pondus verborum sententiarumque consectatum esse, quàm elegantiam & nitorem, veteres Critici observant: uti contrà Euripidi nimius nitor in Tragico argumento vitio datus est. Describitur istiusmodi *scalpellum*, in alio *Epigr. de supellectile Notarii*,

Καὶ γλύφανον καλάμων, πλατεῖ τε γλωχῖνα σιδήρου,
Scalpellum calami, lati cum cuspide ferri.

Quomodo autem calamos hôc instrumentô temperârint Veteres, diximus suprà, ubi de *Calamo Scriptorio*. Vide plura hanc in rem apud Salmas. *ad Solin. p.* 1044. & 1045. Idem *Canif* Gall. à *canna* i. e calamo, dici notat *p.* 509.

SCALPERE, à Græco γλάφω; Æolico σγλάπτω, & *Sculpere*, à Græco γλύφω, Æolic. σγλύπτω, uti origine, sic & significatione, conveniunt. Usus tamen & consuetudo obtinuit, ut de his, quæ ad signandum cavantur, *scalptura* propriè diceretur: *sculpere* verò, cælare sigillis eminentibus notaret. Unde *scalptas gemmas*, & *scalpturam gemmarum*, in antiquis libris ferè semper legere est, non *sculptas*: quæ videl. σφραγίδων usum præbebant, hôc modô scalptæ, ἐντυπώματα Clementi; & ἔντυπα cum dicuntur, quæ intus depressa sunt & incisa. Contrà *ectypæ gemmæ* dicebantur, quæ eminentem & expressam haberent imaginem. Illius Artis periti *Cavatores*, & recentioribus Græcis Κοιλογλύφοι, item *Scalptores*: istius *Anaglyptæ*, *Cælatores*, de argento; *Sculptores*, de marmore; porrò *Toreutæ* vocati. Auctores tamen non rarò ista confundunt, & Plin. *l. 37. c.* 10. *scalpturas ectypas* vocat, in quibus è plano eminent imagines, quæ propriè sculpturæ sunt vel cælaturæ. Vide hic passim, & plura apud Salmas. *ad Solin. p.* 1046. & 1102. Licèt autem *scalpere* sit γλύφειν, *scalprum* tamen de cælo Argentariorum, quod γλύφανον vocant Græci, vix Latinis dicitur. *Scalpra* enim Sutorum propria, Horatio *Sermon. l. 2. Sat. 3. v.* 106.

Si scalpra & formas non sutor -----

quæ Græcis σμίλαι ac σμίλια. Sed & verbi in sacris usus. In Sacris namque inferiorum evocatoriis terram unguibus *scalpebant* Veteres: ut inter alia de Canidia & Sagana idem refert *l. 1. Sat. 8. v.* 26.

----- ----- scalpere *terram*
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt: cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.

Qua de re vide Casp. Barthium *Animadvers. ad Stat. Theb. l. 4. v.* 592. Cæterum *Scalptores gemmarum* viridis Scarabæi contuitu acquiescere, diximus infrà voce *Scarabæus* vide & *Smaragdus*.

SCAMANDER, Hectoris & Andromaches fil. aliô nomine *Astyanax.*

SCAMANDER, vel SCAMANDRUS *Homero*, *Herodoto*, *Qu. Calabro* ac *Ptolemæo*, fluv. Mysiæ in Asia apud Hellespontum ex Ida monte profluens, quem Hesiodus *Θεογον.* v. 345. *Θεῖον Σκάμανδρον* vocat. Antè *Xanthus* dicebatur, quod & Homerus innuit, cùm ait *Il. υ.* v. 74.

Ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον.

Suô more vetustiorem appellationem Diis, recentiorem hominibus assignavit. Ab exercitu Xerxis, sicut & Melas & Lissus in Thracia, epotus fuit, authore *Herodotô.* In hoc fluvio sponsæ jam nupturæ sese abluebant, his verbis eum invocantes: *Λαβέ μου, Σκάμανδρε, τὴν παρθενίαν.* Quâ occasione usus Cimon, quidam Atheniensis, cùm generosæ puellæ amore teneretur, quæ jam viro desponsata erat, in Scamandri virgultis sese occultavit, caputque arundine coronavit cumque illa ex more lavaretur, carmenque solenne caneret, Scamandrum, ut virginitatem suam acciperet, invocans, Cimon à virgultis prosiliens: Ego verò inquit accipio lubens, virginémque in ripam sustulit, ubi & vitium ei obtulit. Videre poteris hâc de re plura in *Ep. Æschinis*, & apud Petr. de Valle *Itiner. tom.* 1. Hujus fluv. meminit Catullus. *Epigr.* 65. v. 412.

Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Qui passim rapidô diffunditur Hellespontô:
Cujus iter cæsis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permistâ flumina cæde.

Achilles ipse apud Atticum *ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ.*

Scamandriam undam sanctam salsô obtexi sanguine,
Atque acervos alta in amni corpore explevi hostico.

Xanthus ipse apud Homer. *Il. φ.* v. 218.

Πλήθει γὰρ δή μοι νεκύων ἐρατεινὰ ῥέεθρα,
Οὐδέ τί πῃ δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δῖαν
Στεινόμενος νεκύεσσι.

Virg. *Æn. l.* 5. v. 805.

------ Cùm Troia Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret letho, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam, atque evolvere posset
In mare se Xanthus. ------ ------

Horat. *epod.* 13. v. 13.

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, Lubricus & Simoïs.

Nic. Lloyd.

SCAMANDER, fluv. Siciliæ circa Segestam: huc enim cùm pervenisset Æneas, duobus circa urbem hanc fluminibus *Simoëntis* & *Scamandri* nomina indidisse, tradit *Strabo*, Salmasio laudatus *ad Solin. p.* 113.

SCAMANDRIA, urbs Troadis parva, à portu Ilii parum remota, Plin. *l.* 5. *c.* 30. in ora maris Ægæi, nunc diruta. *Bellon.*

SCAMBENA, Mediæ oppid. *Ptolem.*

SCAMBONIDA, vicus Atticæ in tribu Leontide. Vide Scholiast. *in Vespas.*

SCAMBUS, apud Sueton. *in Oth. c.* 12. *malè pedatus scambusque*, ex Græco *σκαμβὸς*, est qui pedes eorumque pollices introrsum convertit, aliàs *vatia*, item *valgus*; cui opponitur *varus*, qui in exteriorem partem eos flectit. Unde vari, quia propiores sibi utrinque calces pedum habent, quàm digitos, literæ V. figuram pedibus efficiunt: *scambi* verò inversam eam literam reddunt, conversis introrsum pedum pollicibus & diversis calcibus. Vide jocum in hujusmodi *scambum* Martialis, in voce *Rhytium* suprà; plura verò hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 945.

SCAMMA, apud Petrum Chrysologum *Serm.* 124. *de Divite & Lazaro. Quoties nobis à Deo dives ingeritur purpuratus, quoties pauper vulneratus apponitur, totiès nobis misericordiæ* scamma *panditur, toties nobis stadium pietatis aperitur*: D. item Hieronym. *ad Pammach.* & Tertullian. *ad Martyr.* ex Græco est *σκάμμα*, quod à *σκάπτω*, *fodio*, & propriè notat limites ac terminos Stadii, fossis ac terræ sulcis designatos. Unde Proverb. *ὑπερπηδᾶν τὰ σκάμματα*, *transilire fossas*, i. e. limites: idem cum hoc, *extra oleas vagari* &c. Inde Stadium, ipsumque Certamen. Vide Erasmum *in Adagiis* & Suicerum *Thes. Eccl.* voce *Σκάμμα.*

SCAMNOS, Æthiopiæ sub Ægypto oppid.

SCAMNUM, in agris dividundis, id dicebatur, quod latius erat, quàm longius; ut contrà *striga*, quæ longior, quàm latior. Unde *scamnati agri*, qui in centuriis singulis habebant jugera ducenta quadragena, h. e. per longitudinem actus 20. per latitudinem actus 24. cùm centuriæ quadratæ ducentena tantùm jugera haberent. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 680. & *seqq.* ubi Agrimensoriam Veter. pluribus exponit. Sed & inter suppliciorum instrumenta *Scamnum* fuit *L.* Salica *tit.* 62. §. 1. *Servus super scamnum tensus* 120. *ictus accipiat.* Vide quoque §. 8. item Gregor. Turonens. *Histor. l.* 7. *c.* 22. & Hieron. Bignonium *ad L. Sal.* nec non suprà, ubi de *Eculeo*; hujus enim species fuisse videtur. Alias vocis significationes vide apud Car. du Fresne *Glossar.* ubi etiam veter. *Inscriptionem* Græcam, inter alias, Smyrnæ erutam A. C. 1672. exhibet, in qua vox *Scamnocancellus* occurrit, ΕΠΟΙΗϹΑ ΤΗΝ ϹΤΟ ϹΥΝ ΤΟΥ ΕΙϹΟ ΤΙΧΟΥ ϹΥΝ ΤΟΙϹ ϹΚΑΜΝΟΚΑΝΚΕΛΛΟΙϹ &c. In *Scamnis humilioribus* sedisse Discipulos jam provectiores apud Hebræos, diximus suprà voce *Rab.* Ex eadem gente Mercatores, non ad colloquium seu obtutum Pontificis Romani admitti, sed extra velum longissimæ porticus, non quidem in *Scamnis*, sed in pavimento, sedentes, accepta pretia numerare consuevisse, dicemus infrà voce *Velum.*

SCANCIO, & SCANCIONARIUS, in *L.* Salica *tit.* 11. §. 5. alibique apud recentioris ævi Scriptores, Pincerna est, Gall. *Eschançon*, à Germanico *schencken*, fundere. Officium *Scancionaria*, Gall. *Eschançonerie*, sub quo titulo, *Scancionarios*, *Clericos in Scancionaria*, *Madelinarios*, *Summularios Scancionariæ*, *Bacillarios*, *Boutarios*, *Quadrigarios boutorum*, *Potarios* &c. fuisse comprehensos, docet *Not. ad Joinvillam p.* 109. Car. du Fresne. Apud Wisigothos, huic muneri qui præerat, *Comes Scanciarum* vocatus est; hodieque vulgari Hispanorum linguâ *Escanciar* est poculum porrigere. Vide suprà in voce *Pincerna*, item *Pocillator*, & *Potarius.*

SCAMON, Mitylenæus, librum de rerum inventione scripsit, qui citatur Clementi *l.* 1. *Strom.* itemque ab Athenæo *l.* 4.

SCANDIS, Eordæatarum urbs in Macedonia, *Ptolem. Scampi* adhuc in *tabula recentiore* inter Apolloniam ad Occasum 71. & Heracleam ad Ortum 96. mill. pass. *Antonin.* inter Dyrrhachium 63. & Lychnidum 55.

SCANDARIA, Coæ insulæ promuntor. Strab. *l.* 14. Ubi *Scandalum* oppid.

SCANDERBEG, i. e. Alexander M. nomen Georgii Castrioti Albaniæ Regis. Cum quatuor hic fratribus, à Johanne Patre, Turcis obses datus, licet minimus natu, ita tamen placuit Amurathi II ut reliquis lentô venenô consumptis, ille in vita conservaretur. Proin per vim circumcisus, & solicitè in arte imprimis militari, Imperatoris jussu, institutus est; quod tantô successu factum, ut, post res pro illo fortiter aliquandiu gestas, tandem, paterni imperii memor, contra illum niti sibi proposuerit. Itaque Crojâ metropoli, per fraudem potitus A. C. 1443. cum incredibili subditorum lætitiâ, regnum occupavit. Cum sceptro, fidem Christianam denuo amplexus, stupendo planè rerum suarum successu usus est. Turcam Crojam obsidentem, repulit, exercitibus ejus sæpius in fugam conjectis: Et periit quidem in iterata Crojæ obsidione Amurates, A. C. 1450. nec Mahometes II. felicior fuit, cum quo octennium circiter, eâdem gloriâ, Scanderbegus rem gessit: nunquam cedens, semper victor, & licet 2000. Turcarum propriâ occiderit manu, non unquam tamen vulneratus. Itaque pacem facere Turca, vel potius inducias coactus, illô à Ferdinando Arragonio & Pio II. in Italiam, contra Gallos vocatô, Crojam denuo circumvallavit binis vicibus, totiesque repulsus est. Obiit tandem Lissæ, A. C. 1467. ætat. 63. urbe ditionis Venetæ, quâ postmodum à Mahomete captâ, Turcæ, qui ad nomen Scanderbegi olim fugiebant, ad ejus cineres tantâ frequentiâ confluxerunt, ut felix probusque haberetur, qui ossa tangere, felicior, qui minimam eorum particulam obtinere potuerit, quam quidam auro inclusam, velut sacratissimas reliquias, collo appenderunt. Marin. Barlet. *Histor. Scanderb.* Paul. Jov. *in Elog*, Leuncl. *in Pandect. Turc.* Chalcond. *Histor. Turc. &c.*

SCANDIA, pars est Scandinaviæ Australis. Ubi nunc provinc. Scania *Schonen*, Blekingia & Hallandia, versus Daniam magis extensæ, & antea Danici juris, ubi secundum quosdam olim Scanii populi erant. Melius tamen est ipsa Scandinavia, *Baudrand.* Auctor Anonymus *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* Septentrionales regiones, nomine communi *Scandiæ* & *Scandinaviæ*, antiquitus appellatas fuisse, notat, limitibus tamen, pro diversitate Auctorum, aliter atque aliter positis. Jac. Zieglerus *in sua Schondia*, Grœnlandiam. Islandiam, Orcades, Lapponiam, Norvegiam, Sueciam, Bothniam, Gothiam, Finlandiam, hôc nomine comprehendit: Cluverius *Germ. antiq l.* 3. *c.* 38. Biarmiam, Lappiam, Finmarchiam, Bothniam, Sueciam & Norvegiam: *A. Bureus* Sueciam & Norvegiam: Pontanus *in Descr. Scaniæ* Scaniam, Sueciam & Norvegiam: Stiernhielmus *in Dissertat. de Gothis*, Sueciam, Gothiam & Norvegiam &c. Quæ omnia tamen istuc tendunt, complures Arctoas regiones *Scandiâ* olim fuisse comprehensas. Eadem ob numerosas inde colonias emissas, *Officina* & *vagina Gentium* priscis dicta, hodie non adeò populosa est: quæ res rationem suam fortè in recepta priscis temporibus polygamia habuit, cui cùm per Leges Christianismi obviàm itum, eô ipsô & numerosæ illi multitudini finis allatus est. Vide Auctorem suprà memoratum *c.* 6. *sect.* 1. §. 10. *num.* 4.

SCANDIA, oppid. & navale in Cytheris. Stephanus ex Pausan. *l.* 3.

SCANDIÆ, insul. plures sinûs Codani, Cimbricæ Chersoneso ad Ortum adjacentes, *Ptolem.* cui 4. sunt, quarum maxima nunc *Gothland*, contra ostia Vistulæ; sed apud *Melam* sunt septem.

SCANDINAVIA, quæ & SCANDIA, (licet Scandia sit portio Scandinaviæ inter Norvegiam & Sueciam in sinum Codanum porrecta) & *Basilia Diodoro*, & *Baltia Pytheæ*, teste Pliniô, *l.* 4. *c.* 13. *l.* 8. *c.* 15. non insula, ut credidit idem Plinius, sed peninsula maxima Septentrionalis inter mare Balticum ad Austrum quo à Germaniâ separatur, & Oceanum Septentrionalem, ad Arctos, in plures regiones divisa, ac tria continens regna, Norvegiæ, Sueciæ & Gothiæ. *Vagina gentium* à *Jornande* dicitur. Hinc enim Gothi, Vandali, Longobardi, aliique prodierunt. *Baudrando* complectebatur totum illum tractum, ubi hodie regna Sueciæ & Norvegiæ: ibique fuerunt aliàs Nerigon & populi Gutæ, Lappiones, Hillæviones & Sujones. Manet nominis vestigium, in Scaniæ tractu. Vide Hug. Grotium *Hist. Goth.* nec non in vocibus *Suecia* & *Norvegia.*

Urbes Scandinaviæ notiores:

Aboa, *Abo*, Episcopalis Finlandiæ sub Archiepiscopo Upsaliensi & Rege Sueciæ.

Acherhusia, *Akerhuys*, in regno Norvegiæ.

Arboga, *Arbogen*, Episcopalis Sueciæ sub Archiepiscopo Upsalensi.

Arosia, *Arosen*, Episcopalis Sueciæ sub Archiepiscopo Upsalensi.

Asloa, *Aslegen*, & *Anslo*, Episcopalis Norvegiæ sub Archiepiscopo Nidrosiensi.

Bergæ, veteribus Bergos, *Bergen*, emporium, regia, & Episcopalis Norvegiæ sub Archiepiscopo Nidrosiensi.

Calmaria, *Kalmar*, emporium Gothiæ, in Suecia.

Congella, *Kongell*, Norvegiæ, apud Scaniam.

Hameria, *Hammeren*, Episcopalis Norvegiæ sub Archiepiscopo Nidrosiensi.

Holmia, *Stockholm*, regia, Academia, & emporium Sueciæ.

Lincopia, *Lincopen*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.

Lodusia, *Luki*, portus & emporium Gothiæ, in Suecia.

Nicopia, *Nicopen*, vel *Nicoping*, emporium Sueciæ; altera Gothiæ.

Nidrosia, *Dronthem*, Archiepiscopalis Norvegiæ.

Oburgum, *Oburg*, vel *Viburg*, emporium Finlandiæ, in Suecia.

Rasburgum, *Rasborg*, Finlandiæ, ad sinum Finnicum, in Suecia.

Scara, *Scaren*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.

Stamethia, *Stametz*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.

Stavangria, *Staffanger*, Episcopalis Norvegiæ sub Archiepiscopo Nidrosiensi.

Stragene, *Stegnes*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.

Suderdalia, *Suderdael*, in Norvegia.

Telgoa, *Telgo*, Sueciæ.

Toronia, *Torn*, emporium Finlandiæ, in Suecia.

Tumberga, *Tomberg*, Norvegiæ.

Vardhusia, *Wardhuys*, Norvegiæ arx Borealis.

Vastena, *Vasten*, Sueciæ, cum cœnobio.

Vellimum, *Velim*, Episcopalis Sueciæ sub Archiepiscopo Upsalensi.

Vexio, *Wexho*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.

Upsala & Upsalis, *Upsal*, Archiepiscopalis, Sueciæ olim regia.

SCANDULA, an à SCANDENDO, an à SCINDENDO, assula est, non serrâ, sed bipennibus producta: Græcè χίδαξ, in tectis adhibita Romæ non est, *ad Pyrrhi usque bellum, annis quadringentis LXX.* apud Plin. *l.* 16. *c.* 10. ita enim *MS.* habet, *Scandulam non conspectam fuisse Romæ*, cùm editus codex præ se ferat, *Scandulâ contectam fuisse Romam.* Habentur autem scandulæ *è robore aptissimæ, mox è glandiferis aliis, fagoque facilimæ ex omnibus, quæ resinam ferunt, sed minimè durant, præterquam è pino, Ibid.* Hinc *Scandulare tectum*, Appulejo *Metam. l.* 3. & *Scandularii*, Jurisconsultis memorati, *l. quibusd. ff. de jure immunit.* Vide quoque suprà *Ardesia.*

SCANIA, regio olim Daniæ, dein Sueciæ, ab A. C. 1319. quô Magnus Rex, in turbis Danicis illâ potitus est, exin rursus, à tempore Olai Regis A. C. 1375. Daniæ, nunc iterum Sueciæ, ab A. C. 1658. pace Roschildensi ad mare Balticum, è fronte Seelandiæ, à qua dividitur ad Occidentem Sundicô fretô, ad Austrum habet mare Balticum ut & partim ad Ortum, & Blekingiam provinc. ad Boream autem terminatur Hallandiâ & Vestrogothiâ; *Schonen.* Ipsa pars est præcipua Gothiæ Australis. Conversa ab Othingaro Episcopo A. C. 980. cum Seelandia. Urbes ejus Lundia primaria nunc Academiâ insignis, Coronia, seu *Landskron*, Malmogia, Helsingoburgum & Udstedia, in ora maris Baltici.

SCANSOR, in *Glossis*, καβαριστὴς, idem cum *Stratore*, quod vide.

SCANTATE, oppid. Zimarenorum apud Nabatæos, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

SCANTIA, sylva in Campania, ubi Scantiæ aquæ, ignem vomentes, Plin. *l.* 2. *c.* 107. & *Mala Scantiana* apud Macrob. *l.* 3. *Saturnal. c.* 19. Nunc locus & nomen ignota.

SCANTINIA Lex, de pueris impudicis, memoratur Juvenali *Sat.* 2. *v.* 44. Suetonio *Domit. c.* 8. Ausonio, *Epigr.* 89. Ciceroni *Philipp.* 3. Eam tulit, ut Paulo Manutio placet, C. *Scantinius* Aritinus Trib. Pl. in eos, qui alienam pudicitiam sollicitâssent, aut suam ipsi prostituissent, quibus pœnam irrogavit decem millia nummûm. Meminit ejusdem Fab. Quintilian. *l.* 4. *c.* 2. & *l.* 7. *c.* 4. Val. Max. *l.* 6. *c.* 1. C. *Scantinium* Capitolinum Trib. Pleb. quod filium M. Claudii Marcelli Ædilis Curulis de stupro appellâsset, damnatum fuisse, scribit: id quod etiam Plut. *in Marcello* habet; unde ab eo quidam Legem dictam volunt, quod tamen vero simile non est. Hanc porrò legem in suam Juliam de adulterio & pudicitia retulit C. Octavius Augustus, graviori pœnâ impositâ, teste Justinianô *Institut. l.* 4. *tit. de Judiciis publicis.* Vide etiam Lævin. Torrentium *Comm. in Suetonium in Aug. c.* 34. Elias verò Vinetus *Comm. in Ausonium*, sibi nondum compertum esse ait, quæ & qualis lex *Scantinia* fuerit: apud Joh. Rosin. *Antiq. Rom. l.* 8. *c.* 24.

SCANTIO, Vide suprà *Scancio.*

SCAPERDA, Vide suprà *Gymnastica*, infrà *Schœnobates.*

SCAPELLARE, apud citerioris Latinitatis auctores, fustibus concidere, battuere est: *Glossæ*, *scapellat*, κολαφίζει, ῥαπίζει. Unde Gallicum *chapler.* A voce diminutiva *scapulus* seu *scapellus*; de qua vide infrà in *Scapus.*

SCAPHA, Græcè σκάφη, à concavitate nomen habet, ex σκάπτω, *fodio*: quòd primùm ex prægrandi arbore excavari cœptæ sunt. Unde *curvum robur*, apud Stat. *Thebaid. l.* 5. *v.* 287.

> *Quà data signa, sequor, dein curvô robore clausum*
> *Dis pelagi, ventisque, & Cycladas Ægæoni*
> *Amplexo, commendo patrem* ------

Ad quæ verba vetus *Scholiastes*: *Navicula*, inquit, *& scapha, quam unô robore edolatam ibi fortè offendebamus. Ruditatem in scapha navigationis indicavit.* Sic Avorum aut Proavorum memoriâ repertæ terræ incolas habuêre *scaphis* unâ arbore factis pelagus incurrentes: talemque omnino fuisse navigationem antiquam, in artis principiis, docent etiam Poëtæ, quibus *trabs*, *alnus*, *robur*, *pinus*, navem designant, Casp. Barthius *ad Stat. d. l.* De *Scaphis*, ex arundinibus circa Gangem nascentibus: testaceis item, quibus utebantur in Nilo Ægyptii, vide Salmas. *ad Solin. p.* 1016. & 1117. Nonio *Scaphæ* naviculæ sunt, quæ majores naves consequuntur. Unde Jabalenus JCtus. *Si navem*, inquit, *cum instrumentis emisti præstari tibi debebit* Scapha *navis.* Et Cæsar *l.* 4. *bell. Gall. c.* 26. *Quod cum animadvertisset Cæsar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri jussit.* Sanè crebra est apud Auctores *Scapharum* mentio: etiam in Sacris, vide Actor. *c.* 27. *v.* 30. & 32. Nunc vulgò pro *Scapha* nautæ Belgæ aliique *Scaphum* dicunt, uti quidem ab eruditis putatur. Sed certè & navigii id nomen esse, docet Macrob. *Saturnal. l.* 5. *c.* 21. Sunt & qui liburnis scaphas associari, *exploratoriaque* vocari asserant, ut est apud Vegetium, *l.* 4. *c.* 37. Sunt & qui Illyricorum inventum faciant. Sanè ventrem navis *Scapham* antiquis dictum, *Suidas* habet. Vide Giraldum *ad Justinum l.* 2. *c.* 13. Apud recentiores postmodum Græcos σκάφαι dicti sunt alvei in balneis, qui aliàs ἐμβάσεις Græcis, Latinis *descensiones*, unde σκαφοκαλῶν & σκαφοκαλῶν. Item alvei pueriles, in quibus infantes excaldabantur, etiam Græcis σκαφιστήρια, Latinis quoque *scaphisteria*, & correptè *capisteria*, appellati, de quibus vide Salmas. *ad Capitolin. in Albino, c.* 5. ubi Capitolinus *Cæsarianam familiam id speciale habuisse, ut parvuli domus ejus in testudineis alveis lavarentur*, ait. Sed & σκάφη vel σκάφιον, *scaphe* seu *scaphium*, i. e. hæmisphærium, dictum est horologium ab Aristarcho Samio factum, in cujus concavæ partis medio gnomon erectus erat; de quo invento vide Salmas. *ad Solin. p.* 636. & *seqq.* ut & aliquid suprà in voce *Caput*, item *Polus.*

SCAPHE, urbs Mesopotamiæ, *Ptolem.*

SCAPHISMUS, supplicii genus apud Persas, memoratur Eunapio de *Vitis* Philosophorum, in *Ædesio*, & sic fiebat: Scaphis duabus, quæ committuntur ac coagmentantur, ita includitur homo totus, ut promineat foris, per quinque foramina, caput cum manibus pedibusque; dein jubetur edere, aut, si nolit, vi allatâ cibum capere compellitur, compunctis etiam oculis: infundunt postmodum lac melle mistum radiisque Solis adversis objiciunt, ubi facies cœteraque membra prominentia priùs illita muscis apibusque opplentur, dum interim ab excrementis, intra scaphas verminantibus, corpus miserè absumitur. Inventrix ejus Parysatis fertur Persarum regina, Artaxerxis Mnemonis & Cyri junioris mater, quæ nuncium victi Cyri, cui in occulto magis favebat, hôc supplicii genere excruciâsse dicitur. Quadraginta dies in eo hominem durare posse, tradunt Auctores. Vide Baronium *Notis ad Martyrol.* 28. *Julii* §. *Muscarum aculeis lit. f.* Simile quid legas infrà voce *Servus*, ubi de pœnis eorum; it. *Vespa*, ubi de Marco sene in corbe loto & melle uncto, sicque sub die vesparum apumque aculeis excarnificato, principatu Justiniani.

SCAPHUSIA, urbs Helvetiæ ad Rhenum, Constantiæ finitima, infra quam 4. leuc. Helvetic. in Occasum Basileam versus 6. & 4. à Tiguro in Boream. Caput pagi cognominis, unius ex XIII. qui ad Rhenum & Sylvam nigram situs, terminatur pagô Tigurinô. Sita est in ripa Germanica, Helvetiæ tamen ponte conjungitur; si turres, mœnia, Rempubl. spectes, nova: si cultum, vetustior. Omnium rerum mirè exuberans, & præsertim piscibus. Sub ea circiter 3. mill. pass. major Rheni cataractes est, ingens naturæ miraculum. Ab ove quibusdam nomen accepisse videtur, unde Myconio *Probatopolis*, & in nummis etiam ac insignibus ovis effigies: Alii potius à *scaphis* eam nuncupatam volunt, quæ secundô Rhenô ex Acronio & Veneto lacu advenientes ibi onera exponunt, cùm infra urbem Rheno per ingentia primùm saxa ruenti, tandem ex altissimis rupibus præcipiti, illis transire neutiquam liceat. Originem urbi, an incrementum potiùs, ob rationem prædictam, Cœnobium Abbatia ve Benedictinorum, ab Eberhardo Comite Nellenburgio, sub Henrico III. Imperatore condita dedit, circa A. C. 1052. Ejus filius Burcardus, opibus, potentiâ & conjugis è Saxonica familia matrimoniô florens, cùm improlis decederet, magnam bonorum suorum partem Monachis legavit, unde suburbanus ager, cum Hemmia valle & saltu Randio. Accessit dein sub Sigfrido Abbate Virginum Monasterium S. Agneti sacrum, circa A. C. 1090. Crescenti indies lætis auspiciis urbi Scultetus primò & dimidia Senatus pars ab Abbate dati, cui cum civibus cùm sæpe non parum litis intercederet, Imperatorum beneficiô multis hi immunitatibus & privilegiis donati, sicque sensim potestati ejus exempti, & urbs civitatum Imperii numero adscripta est. Verùm cùm Ludovicus Bavarus Imperator diuturnô bellô exhaustus Frider. Austriaco, quam ex compositione pecuniam debebat, persolvere non posset, Scaphusia ab illo, unà cum aliis quibusdam oppidis Imperialibus, Duci oppignorata, circa A. C. 1330. mansit ita sub Austriorum potestate annos 85. usque ad tempora Concilii Constantiensis. Intra quod tempus cum Tiguro urbi aliqua contentio fuit A. C. 1342. quæ A. C. 1345. in mutuum fœdus mutata est. Cœnobium deinde arsit A. C. 1350. ingenti damnô, quô ipsô annô Ruper-

pertivillam obsidentibus Tigurinis auxilia cives summisêre. Cùm autem Austrii Habspurgensium Comitum, qui tum Tigurinorum hostes erant, causam tueri incepissent, Scaphusiani fœderi renuntiare & Tigurinam obsidionem urgere A. C 1351. sunt coacti. Ingens post hæc incendium urbem tantum non delevit, A. C. 1372. vix quartâ parte superstite: quæ postmodum reparata, Austriis fidam multis in prœliis, Sempacensi inprimis, A. C. 1386. & Nahefelsiano A. C. 1388. navavit operam: A Nobilitate proin Suevica, sub Wenceslao Imperatore equestribus ludis honorata, A. C. 1401. Proscriptô dein Fridericô Austriô, quòd Johann. XXII. è Concilio Constantiensi abduxisset, belloque contra ipsum fervente, Scaphusia ad Imperium rediit, ac cives, non exiguâ pecuniæ vi Imperatori numeratâ, amplissimis privilegiis donati sunt: qui ut libertati suæ certius consulerent, fœdus inière cum Tiguro & oppido S. Galli, A. C. 1424.. cumque sub Friderico postea III. Sigismundum Austriæ Ducem, sacramentum per missos Legatos, sine omni exceptione, ab illis exigentem infestum haberent, novô fœdere cum Tigurinis, Bernatibus, Lucernensibus, Suitiis, Tuginis, & Glaronensibus coière, A. C. 1454. A quo tempore Helvetiorum amicitiam constanti fide conservârunt, multis in bellis fortes armorum socii. His igitur, operâ Peregrini Hewdorfii, ab Imperatore proscriptis, A. C. 1468. firmum misêre fœderati præsidium, quô redditi animosiores, multis excursionibus in vicinum Austriorum agrum, in Hercyniæ juga, Hegojam, Latobrigos aliaque loca factis, demum Waldshutô obsessô, hostes fatigârunt, pace mox insecutâ, cujus beneficiô proscriptio sublata est. A. C. itaque 1479. fœdus prorogatum in annos 25. quô Urii quoque ac Underwaldii comprehensi: donec, post egregiam in bello Burgundico primum, mox Suevico operam præstitam, A. C. 1501. perpetuo Helvetiorum fœderi, quô ipsô annô & Basilea in illud recepta, duodecimô locô adscripta Urbs est: cui circa A. C. 1524. Abbas Cœnobii omni suô jure cessit: Secuta ejus reformatio, opera Jacobi Riegii, Erasmi Ritteri ac N. Hofmeisteri, & magnus Scaphusianorum Deus, quod ingenti idolo apud illos nomen erat, A. C. 1529. exustus est. Urbs in 11. divisa est tribus, ibique majus Consilium 86. minus 26. viris prudentibus & cordatis constat. Portorium ex salis vectura ingens colligitur, quod diu ante urbem conditam in potestate duarum nobilium familiarum fuit, quæ hodieque Scaphusiæ habitant, *Im Thurn*, & *am Stad*. Plura vide apud Stumpf. *l.* 5. *de Turgovia c.* 17. Simlerum *de Rep. Helv.* B. Rhenanum *Rer. Germ. l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti *p.* 478. *&c.* Henricus Glareanus *Panegyr. Helvet.* de egregia hac urbe sic canit:

Subticeamne tuas piscosa Scaphusia laudes,
Conspicuum Helvetiæ sidus, bene digna Camœnis,
Gloria Teutonicæ Germano in littore terræ,
Utilis & bello, vincendeque utilis hoste.
Quam propius liquidi facies nitidissima Rheni
Alluit, hic rapidus refluente in gurgite vertex
Cernitur, Euripum referens, Scyllæque voracis
Latratus. Hic unda alti de vertice montis
Lapsa ruit praeceps, sterilemque cruciat arenam
In circum, sursumque volans protendere nubem,
Aut nebulæ speciem & cœlum pulsasse videtur.

SCAPOARDUS, Dispensator in aula Caroli M. an à Saxonico *Scap*, i. e. mercimonium, pecus, facultates? Henr. Spelmann. *Gloss. Archæol.*

SCAPOS, insula maris mediterranei, Plin. *l.* 4. *c.* 12.

SCAPRIS, Tusciæ portus, *Antonin.* *Scarino* hodiè.

SCAPTESYLE, urbs parva Thraciæ è regione Thasi, *Steph.* Corruptè vulgò legebatur olim *Scaptensia*, apud Lucret. *l.* 6. *v.* 810. Tu autem lege:

Qualeis expirat Scaptesula subter odores.

Festus, *Scaptensula* (lege Scaptesula) *locus ubi argentum foditur in Macedonia, dictus à fodiendo: namque Græcè σκάπτειν effodere dicitur.*

SCAPTIA, oppid. Latii, à quo *Scaptia tribus*, Plin. *l.* 3. *c.* 5. Erat autem inter Soram & Fabrateriam. Populi *Scaptenii Halicarnass.* Silius *l.* 8. *v.* 396. *Scaptia pubes.* Meminit quoque *Scaptiæ* tribus Sueton. *in Aug. c.* 40. *Fabianis & Scaptensibus tribulibus suis, die Comitiorum singula millia nummum à se dividebat.*

SCAPTIUS, familiaris Bruti. Cic. *Ep. ad Attic. l.* 5. & 6.

SCAPULA, Vide *Ostorius.*

SCAPULARE, Monachorum vestis propria, cum labori & operi insistebant, locô cucullæ, ut quæ brevior esset & minus ampla & caput tantum *scapulasque* tegeret, memoratur in *Regula* Benedicti *c.* 55. Vide Haeftenum *Disquisit. Monastic. l.* 5. *tr.* 3. *disq.* 5. & 6. Hodie verò *Scapulare.* Gall. *Scapulaire*, dicitur *Mariani obsequii tessera scapularis*, ut ait Fr. Pomey *in hac voce*, pannus videl. pedem latus, qui *scapulis* impositus noctu quidem ad genua, vel etiam cingulum solum; interdiu vero ad talos usque utrinque pendulus est. Et quidem in quibusdam Ordinibus Ecclesiæ Romanæ candidum illud ferunt Novitiæ, nigrum autem Professæ. Sed & hôc nomine veniunt exigua duo frusta panni fusci coloris, à Carmelitis consecrata, quæ in eadem Communione utriusque sexus homines taeniolis ad aliquam distantiam colligata in collo gerunt, ut indulgentias ei habitui promissas consequantur: dicuntur ii *de Confraternitate Scapularis*, in cujus albo nomina sua inscribere, hebdomadatim aliquoties jejunare, & quotidie salutationem Angelicam cum Oratione Dominica sæpius recitare tenentur, *Richelet.* Vide quoque suprà *Patientia.* Nomen à *scapulis*, in quibus olim Catechumenos, cùm baptizabantur, oleô illini consuevisse, refert Macer, *in Hierolex.* De *scapularum* supplicio, vide suprà voce *Catomidiari.*

SCAPUS, ex Græco σκᾶπος, Dorice σκᾶπος, idem quod σκῆπτρον & σκηπάνιον, propriè baculus est vel fustis & ramus; unde diminutiv. *scapulus* & *scapellus*, à quo verbum *scapellare*, de quo diximus. Per similitudinem inde notiones varias vox accepit. Nam & *scapus columnæ* dictus est, apud Vitruvium *l.* 3. *c.* 2. *Plinium*que, columnæ pars erecta inter capitulum & basin: & *scapi scalæ*, apud Zenonem Veron. *Serm. de Abraham* 3. asseres illi duo arrectarii, qui scalarum gradus sustinent; & *scapi sonantes*, apud Lucretium *l.* 5. *v.* 1352. radii textorii licio involuti, & *scapus chartæ*, passim, chartæ plures in unum volumen complicatæ & convolutæ, quòd baculi crassi similitudinem præ se ferrent &c. Et quidem Græci κανόνας & κανόνια dixerunt tam scapos chartarios, quàm textorios, ut suprà vidimus: κανὼν autem baculum rectum vel regulam significat. Idem omnia Græcis recentioribus κοντάκιον, & Latinis codex significabat. Nempe certô numerô inter se consuevêre apud Veteres chartæ jungi & in scapum convolvi complicarique, quæ *scapi* quoque nomine veniebant. Isidor. *in Gloss. Scapus, certus numerus tomorum chartæ non scriptæ.* Unde *scapos* pro chartis usurpavit Aldhelmus *de laud. Virgin.*

Sed tamen egregios depromens garrula scapis
Incipiat celebrare viros nunc pagina versu.

Erant autem plagulæ in scapo vicenæ, tempore Plinii; at inferiori ævô denæ tantùm, uti diximus suprà, ubi de *Charta*, item in voce *Decas.* Porrò non chartæ solùm, sed & libri, eôdem prorsus modô convolvebantur; *scapus* tamen propriè magis de chartis, *tomus* verò & *volumen* de libris ut diceretur, usus obtinuit. Unde illud Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 338.

---- ---- ---- penem
Tam grandem, quàm sunt duo Cæsaris Anticatones.

Duo enim libri Cæsaris adversus Catonem in unum volumen complicati, haud malè figuram ingentis virilis scapi referebant, qualem Claudius intulerat in pulvinar Bonæ Deæ. Quæ verò ex scapo chartarum singulares plagulæ revellebantur, ut iis committeretur subitaneâ ac tumultuaria scriptione, quod in mundiorem postmodum chartam regereretur, *schedas* vocavêre; Vide in hac voce, uti de eo, qui libellos judiciales in *scapum* seu volumen compingebat, hincque Εὐτάκτης dicebatur, suprà voce *Regula*; & plura hanc in rem apud Salmas. ad Vopisc. in *Firmo. c.* 3.

SCARA, urbec. Westrogothiæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Upsaliensi, 10. mill. pass. à Wenero lacu in Meridiem, Falcopiam versus 20. Alias Gothorum Regum sedes, nunc vilis locus & indies deficit.

SCARABÆUS, pro Numine Ægyptiis. Arnob. *adv. Gentes l.* 1. *num.* 19. *Templa felibus, scarabæis, & buculis, sublimibus sunt elata fastigiis*: aut saltem Numinis symbolo: inprimis is, qui pilas volvit ab Oriente in Occidentem, *sic dicto* Plinio *l.* 30. *c.* 11. βύδδαρος *Epiphanio* vocatus; *Taurus* etiam κεράστης, i. e. ταυροειδὴς, δίκερως, *duobus corniculis taurum* imitatus: Quorum illum Soli, istum Lunæ sacrum habuêre. Vide de utroque pluribus disserentem Salmas. *ad Solin. p.* 438. 439. ut & hîc in voce *Cantharus*, item *Taurus.* Addam saltem, scarabæos illos, quos *tauros* vocat Plin. *l.* 30. *c.* 5. malè nonnullis confundi, cùm iis, quos *Cervos volantes* Galli vocant. Hos enim *Lucanos* Nigidius appellavit, apud *eund.* quòd plurimi in Lucanis essent, & eos (cornua prælonga bisulcis detenta forcipibus in cacumine habentes) *infantium remediis*, i. e. amuletis, περιάπτοις καὶ φυλακτηρίοις, *ex cervice suspendi* solitos, ait *Plin.* ταυροειδὴς verò scarabæus cornua ad instar bovis habebat, eratque δίκερως tantùm. Salmas. d. *l.* Certè multarum rerum hieroglyphicum *Scarabæus* olim fuit: *Dei in humano corpore, Generationis, Lunæ, Mercurii, Mundi, Solis, Strenui bellatoris, Viri patrisve, Virtutis enervatæ debiliis, Unigeniti* &c. ut videre est apud Jo. Pierium in *Hieroglyph.* & Nic. Casaubonum *de Symbol. Ægyptiorum Sapientia.* Nec omittendus *Scarabæus viridis, cujus contuitu gemmarum sculptores acquiescere*, utpote visum maximè acuentis, Plin. habet *l.* 29. *c. ult.* Vide quoque Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 59. ubi de cibo, *c.* 62. ubi de origine eorum ex asinis &c.

SCARABANTIA julia, oppid. Bojorum in Norico Plin. *l.* 3. *c.* 24. *Ferrar.* oppid. Pannoniæ superioris ad lacum Peisonem in Norici confinio, cujus ruinæ apud Zapprimum oppid. *Laxio*; *Scapring* Germanis, *Chzepregh* Hungaris. Cluverio autem est Sopronium Hungariæ Urbs, quæ *Sopron* Ungar. *Oedenburg* German. 8. milliar. Germ. à Vienna Australi in Eurum.

SCARAMANGA, seu UM, apud Luithprandum *in Legat. l.* 6. *c.* 5. ubi de donativis, ab Imperatore Constantinopolitano, in Sabbato ante Dominicam Palmarum, distribui solitis: *Patriciorum deinde ordo secutus & duodecim numismatum libris cum* scaramanga *una donatus*; vestis est crassa, quam viri militares gestare consuevêre, supra vestes alias interiores, ad arcendas pluvias, nives, gelu, cœtera denique aëris incommoda, uti Leunclavius exponit in *Pandecte Turcico num.* 17. ex *Theodoro Zygomala*: adeoque pænula vel pallii genus. Vide Pachymerem *l.* 12. *c.* 11. & 15. aliosque Auctores Jo. Meursio & Car. du Fresne in *Glossar.* laudatos.

SCARBURGUM, oppid. provinc. Eboracensis, ad quod pelamidum piscatio, in ora maris German. 26. milliar. Anglic. ab *Eboraco* in Ortum, 22. ab Hullo in Boream.

SCARDO, melius *Scardona Ptolem.* *Scardo* adhuc, teste *Nigrô* cum *Volaterrano*, urbs Liburniæ maritimæ in Dalmatiæ confinio inter Jaderam ad Occidentem & Sicum ad Ortum 12. mill. pass. *Baudrando* urbs Episcopalis antiqua Liburniæ, dein Dalmatiæ, cujus rudera cernuntur, prope lacum parvum *Proclian*, ad ostium Titii fluminis. Ei adjacet arx parva in colle, sub Turcis, 9. milliar. à Sibenico in Boream & 35. à Jadera in Ortum. Arx capta fuit & destructa à Venetis A. C. 1570. ut & iterum haud pridem. Populi *Scardonitani* Plinio, *l.* 3. *c.* 21. Ibi *lacus Scardonius*, vulgò *Proclian.*

SCAR-

SCARDONA, insula Illyrici, Liburniæ oræ adjacens. *Mil Consiglio Villanovano. Baudrando* quænam fuerit, incertum: Duæ tamen nunc ita vocantur, scil. *Scherda*, & *Scherdiza*; quæ cùm parvi sint circuitus, neutram esse istam veterem Scardonam facilè dixeris; Suntque qui insulæ hodie dictæ *Pago*, hoc nomen tribuunt, sed illam olim vocitatam Cissam, vel Gissam, Danduli Quussam & Croatorum Kessam scribit Lucius, *de regno Dalmatiæ*.

SCARDUO, Gall. LA RIVIERE AUX CARDONS, amniculus Galliæ, qui in Suminam devolvitur contra Abbatisvillam, in Ambianis: ad eum Centulum oppidulum & *Monasterium*, ab Abbatisvilla capite pagi Pontivi duabus leucis, Ortum versùs distans, situm est. Hadr. Vales. in voce *Centulum*.

SCARDUS, it. SCODRUS Livio, *l.* 43. *c.* 20. inter Dalmatiam & Mœsiam inferiorem. *Ptolemæo. Marinus Barletio.*

SCARI, urbs Lyciæ, *Stephan.*

SCARIFATIO, inter arborum remedia, Plinio recensetur *l.* 17. *c.* 27. *Scarifatio quædam in remediis, cùm macie corticis ex ægritudine adstringente se justòque plus vitalia arborum comprimente, exactam falcis aciem utrâque manu imprimentes perpetuis incisuris diducunt, ac veluti cutem laxant.* Ita enim legendum, non *Scarificatio*, uti vulgò, censet Salmas. Græcè namque σκάριφος (unde *Scarifsum* fortè in *Notis* Tyronis) τὴν ξέσιν, τὴν γραφὴν, significat, & σκαριφῶ, *rado, scindo, scalpo*. Vide præfatum Salmas. *ad Solin. p.* 590. *ubi de Balsami cultura.* Ab hominibus ad arbores usu translatô. Idem Plin. *ubi suprà. Magna ex parte similis hominum medicina & arborum est, quando earum quoque terebrantur ossa.* Artem verò ab hirudinibus homines didicêre, vide Crollium *Basilic. Chym.*

SCARIO, in BULLARIO Casin. *Tom.* 2. *Constitut.* 124. Macro Militem significat, seu Equitem Auratum. Fortè à German. *Schaar*, Hincmaro *Scara*, *Ep. ad Diœces. Remens. Episcopos c.* 3. quæ vox cuneum, turmam militarem, copias, significat. Carolo verò du Fresne, apud Monachum Sangall. *de Carolo M. l.* 1. *c.* 20. Ostiarius, aliàs Minister Judicis est (quos eâdem notione Galli *Huissiers* vocant) vel certè minor Judex, vide eum in *Glossar.* ubi inter alia veteris *Chartæ* meminit A. C. 1047. in qua hôc ordine collocantur: *Ut planè nulla humana potestas Regis, Ducum, Comitum, Vicecomitum, Gastaldionum*, Scarionum, *vel Archiepiscoporum, Episcoporum &c.*

SCARPA, fluv. Artesiæ, *Scarpe.* Oritur 3. leucis supra Atrebatum Urb. quam rigat, uti & Duacum. Dein Flandriam ab Hannonia separans, prope Moritaniam, in Scaldim se exonerat, 2. leucis supra Tornacum. Dicitur quoque *Scarbus* & *Scarpus*. Hadr. Valesio Albiniacum, Atrebatas, Duagium & Marcianas *Marchienes*, Monasteriô S. Rictrudis illustres, alluit & ad vicum Confluentem *Conflan* Scaldi recipitur. Vide eum *Notit, Galliæ* in voce *Duagium Atrebatum.*

SCARHPIA, quæ SCARPHE *Straboni*, oppid. Locrorum Epicnemidiorum in Achaja, in Phthiotidis confinio ad ostia Boagrii fluv. *Bondoniza Moletio.* Hæc terræmotu quondam prorsus eversa est, obrutis 1500. hominibus, *Demetr.* Seneca *in Troadibus, Actu* 3. *v.* 848.

> *Bessan, & Scarphen; Pylon an senilem?*

Hinc illud:

> *Βῆσσάν τε Σκάρφην τε καὶ Αὐγειὰς ἐρατεινάς.*

Scarphe & Scarphia Eustathio eadem; quem falli putat Deltius, *ibi* quia, secundùm illum, una est *Scarphia* Locrorum distincta à *Scarphe*, de qua Pausan. *in Corinthiacis & Achaicis.* Alia *Scarphia* Bœotiæ *Straboni.* Quòd autem Seneca Pylon *senilem* dixerit, idem est, quod Ovidius de eadem urbe *Ep.* 1. *Heroid. v.* 63.

> *Nos Pylon antiquam, Neleja Nestoris arva, &c.*

Nic. Lloyd.

SCARPONNA, oppid. olim, nunc pagus Galliæ Belgicæ in Lotharingia inter Tullum & Metas. *Scarpaigne Ortelio. Baudrando* oppidul. Leucorum fuit, nunc *Serpagne*; vicus tenuis Lotharingiæ, ad Mosellam fluv. 6. leuc. à Metis in Meridiem, Nancejum versus 7. *Valesio* castrum fuit vetustissimum, à Divoduro Mediomatricum 12. mill. pass. quod ab Attila oppugnatum esse, scribit Paulus Longobardus *l. de Episcopis Eccles. Metensis.* Nunc vicus inter Tullum Leucorum & Divodurum Mediomatricum, Ponti Montionensi proximus, incolis *Sarponne*: Gallis *Charpeigne*. Hìc Jovinus multos Alemannos incautos interfecit, Ammian. *l.* 27. Hinc nomen pago *Scarponensi*, qui in divisione regni Lotharii Verodunensi proximus locatur, *Notit. Gall.*

SCARPUS, apud Gaufridum Malaterram *l.* 1. *c.* 16. itinerarii calceamenti species est, Ital. *Scarpa*, vel *Scarpetta*, Gall. *Escarpin*; ex Latin. *carpus*, quod à *carpendo* ortum calceum olim notavit πολυσχιδῆ, seu λεπτοσχιδῆ, *multifariam scissum & casum.* Unde *carpisculus* diminutivum apud Flav. Vopisc. *in Aureliano*, *c.* 30. de qua voce vide suprà.

SCARTHON, fluv. Asiæ, ex Pholoë in Eleam labitur, Strab. *l.* 12.

SCARUS, principem inter pisces saxatiles, judice *Galenô*, locum tenet: pro quo Diphilus est apud Athenæum *l.* 8. Σκάρος ἁπαλόσαρκος, ψαθυρὸς, γλυκὺς, κοῦφος, εὔπεπτος, διαχωρητικὸς, εὐκοίλιος. *Scarus tenerâ est carne, friatilis, dulcis, levis, concoctu facilis, facilè redditur, ventrem mollit.* Romani verò non inter saxatiles modò, sed pisces universos, primum ei locum tribuerunt. Unde Plin. *l.* 9. *c.* 17. *Nunc scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci, non aliis piscibus.* Et *l.* 32. *c. ult. Scarus principalis hodie.* Ubi cautè priori loco *nunc*: alteri *hodie* adjunxit. Primus enim penès acipenserem hic honos erat: fortè cùm parùm cognitus esset *Scarus*. Fuit enim hic Romanis peregrinus, *Mari* ille *Carpathio maximè frequens*, Plin. *l.* 9. *c.* 17. Unde Columella *l.* 8. *c.* 16. *Scarus Asiæ Græciæque littoribus, Siciliâ tenus, frequentissimus exit; nunquam in Ligusticum.* Et æqualis ejus Petronius,

> *——— ——— Siculo Scarus æquore mersus*
> *Ad mensam vivus perducitur.*

Ac *alibi*,

> *——— ——— Ultimis ab oris*
> *Attractus Scarus est.*

Quandoque tamen tempestate aliquâ, ab Carpathio & Siculô mari, in mare Tyrrhenum fuisse compulsos, innuit Horat. *Epod. od.* 2. *v.* 49.

> *Non me Lucrina juverint conchylia;*
> *Magisve rhombus aut scari,*
> *Si quos Eois intonata fluctibus*
> *Hyems ad hoc vertat mare.*

Sed sponte nunquam ultra Siculum mare prodibant: quæ causa, quòd Fab. Quintilianus, homo quidem Hispanus, sed Romæ agens, *l.* 5. *c.* 10. scribat: *Nec elopem nostro mari, non scarum ducas.* Itaque jam imperante Tiberiô, ratio inita est eum hic seminandi. Qua de re sic Macrob. *Saturnal. l.* 2. *c.* 16. *Nec contenta illa ingluvies fuit maris sui copiis; Nam Octavius præfectus classis, sciens Scarum adeò Italiæ littoribus ignotum, ut nec nomen Latinum ejus piscis habeamus, incredibilem scarorum multitudinem vivariis navibus huc advectam, inter Hostiam & Campaniæ littus, in mare sparsit; miròque ac novò exemplo pisces in mari, tanquam in terra fruges, seminavit: idemque, tanquam summa in hoc utilitatis publicæ verteretur, quinquennio dedit operam, ut si quis inter alios pisces scarum forte cepisset, incolumem confestim & inviolatum mari redderet*, Plin. *Optatum* vocat *l.* 9. *c.* 17. *Scarus promontorium Troadis Lecton sponte nunquam transit. Inde advectos, Tiberio Claudio Principe, Optatus, Libertus ejus, Præfectus classis, inter Ostiam &c.* Quæ tamen opera, seu Optati, seu Octavii, non diu videtur fuisse utilis. Nam & postea rarus is piscis, ut ante: hôc genere, quod satum erat in mari Tyrrheno, partim intereunte paulatim, partim ad mare Siculum ac Carpathium, unde venerat, iterum remeante: Cæterùm jam, ante bellum Persicum, Romanis hunc piscem fuisse cognitum, indicat Ennius, qui temporibus Hannibalis ac deinceps claruit. Is enim *in Phagesiorum fragm.* quod apud Appulejum *Apolog. l.* 1. legere est *Scarum* vocat *cerebrum Jovis*:

> *Scarum præterii, cerebrum Jovis penè supremi,*
> *Hectoris ad patriam hic capitur magnusque bonusque.*

Nempe loquutus more Græcorum, quibus, quidquid est delicatum, Διὸς ἐγκέφαλος nominatur. Præcipue verò commendabatur assatus, Athen. *l.* 7. Cùm autem illorum caro tantopere laudaretur, longè tamen præferebantur viscera. Unde in Vitellii patina, apud Sueton. legimus fuisse *Scarorum jecinora.* Imò Martialis *l.* 13. *Epigr.* 84. visceribus solùm reservatis, carnem coquo reddi jubet. At immensi res elogii est, quòd Epicharmus in *Hebes nuptiis*, apud Athenæum *librô citatô*, de sparo & scaro, inquit:

> Τῶν οὐδὲ τὸ σκὼρ θεμιτὸν ἐκβαλεῖν θεοῖς,
> *Abjicere quorum stercus haut fas est Diis.*

Ut non jecur modò, sed etiam intestina, videantur in summo fuisse honore. Interim summa ejus raritas, unde, quia in sacris parsimonia observabatur, ex squamosis solùm pollucere *Scarum* non licuit: quam Legem à Numa Pompilio latam putat Jos. Scaliger. Verùm jam iis temporibus notum fuisse Romæ *Scarum*, vero simile haud est. Quare potiùs censet Vossius, à Numa, vel alio, antiquis fuisse temporibus sancitum: *Pisces. quei. squamosi. non. sunt. nei. polluceto.* Posteaquam verò innotuit *Scarus*, qui ob raritatem magni venibat, lege eum parsimoniæ causâ fuisse exceptum, ne epulæ ad pulvinaria magnô nimis constarent; additumque: *Squamosos. omneis. præter. Scarum. polluceto.* Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progressu Idolol. l.* 4. *c.* 24. Inter peregrina ciborum genera, *Scaros Cilices* habet A. Gellius *l.* 7. *c.* 16. ubi sic dictos ait Anton. Thysius JCtus quòd Carpathio mari, cui Cilicium vicinum, frequentes essent, ut dictum. Captura piscis hujus ex Æliano *l.* 1. *c.* 2. & Oppiani Ἁλιευτ. *l.* 3. sic habet: Cùm inexplebilis ei in fœminam cupiditas sit, Piscatores comprehensæ fœminæ summum os ad tenuem funiculum ex sparto confectum alligant, eamque vivam per mare trahunt, ubi eorum cubilia esse nôrunt. Conficiunt etiam grave plumbum figurâ rotundum, longitudine trium digitorum, quô ex chordis appensô, regitur fœmina captiva: interim aliquis eorum nassæ in piscatorio navigio accommodatæ os latè diducit, datque operam, ut ea in *Scarum* captum convertatur; sensim enim demittitur lapide ad certam mensuram factô. Tum mares visâ fœminâ undique circumcursantes alius alium prævertere eique appropinquare & contingere student: quod conspiciens, qui fœminam ducit, sensim insidiis collocatis, rectà ad nassam illos pertrahit; qui cùm eò proximè accesserunt, plumbum in Interiorem partem à Piscatore traductum & linea decidens fœminam in nassam detrahit, atque ita simul influentes mares prædam facit. Hieroglyphicum *in perniciem trahentis luxuriei.* Vide Nicol. Causinum *de Symbol. Ægypt. Sap.* Post *Scarum*, inter saxatiles, laudatissimum esse Turdum & Merulam, docet Voss. ubi *supra*. À *Scaro* verò gemma *Scarites* dicta, memoratur Plinio *l.* 37. *c.* 11. *Ab animalibus cognominantur, carcinias ——— scorpites scorpionis aut colore aut effigie, scarites scari piscis &c.*

SCASSARNOVA, & SCASSARVETUS, apud Mich. Scotum *de Physion. c.* 56. ex XII. Auguriorum speciebus, quorum illud, *Quando vides post te hominem vel avem, & antequam perveniat ad te, aut tu ad eam, in loco requiescit, te vidente*; hoc, *Quando vides hominem præterire vel avem in loco pausantem, itaquòd sit tibi in sinistro latere tuo*: illud boni, hoc mali ominis esse, scribit.

SCATINIA' LEX, à SCATINIO latore nomen accepit, quâ præposteræ Veneris usus coërcebatur. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 44.

> *Quòd si vexentur leges ac jura, citari*
> *Ante omnes debet Scatinia.*

Alii legunt *Scantinia*. *Nic. Lloydius.*

SCAURINUS, fil. Scauri, nobilissimi Grammatici, qui Hadriani principatu floruit, pater *Scaurini* itidem, qui & Grammaticus & Præceptor fuit Alexandri Severi, memoratur Jul. Capitolino *in Vero*, *c.* 2. *Audivit* Scaurinum *Grammaticum Latinum*, *Scauri filium*. Sicut posterior *Scaurinus* Lampridio, *c.* 3. *Romæ* (Alexander) *Grammaticos* Scaurinum *Scaurini filium*, *doctorem celeberrimum*; vide de utroque Salmas. *ad Capitolin. d. l.*

SCAURUS, cognomen familiæ Romanæ. Propriè autem *Scauri*, Græcè Σκαῦρος, qui talos pedum extantes habet porrectos. Unde Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 3. *v.* 48.

> ——— *Scaurum pravis fultum malè talis.*

Ubi *vetus Scholiastes* eum interpretatur, *qui talos distortos & diversos habet*. Qui & Scambus est. *Vet. Gloss. Scaurus*: σκαμβός, σκιμβός, στρεβλόπους. Ex hac familia fuit M. Æmilus Scaurus, nobilis, at pauper, qui eloquentiâ suâ gloriam peperit, postquam aliquandiu carbonariâ vitam tolerare fuisset coactus. Dein in Hispania rem gessit, Ligures domuit, atque triumphavit: Accusatus, quòd à Jugurtha corrumpi se passus fuerit, nihilominus ad Consulatum ascendit, quô munere non semel defunctus est. Censor viam Æmiliam stravit, pontemque Æmilium fecit. Scaurum filium suum, teste Frontinô, *l.* 4. *c.* 1. *ex.* 13. quòd in saltu Tridentino hosti loco cesserat, in conspectum suum venire vetuit; adolescens autem verecundiæ ignominiâ pressus, mortem sibi conscivit. Plin. *l.* 36. *c.* 15. dicit, eum principem fuisse civitatis, & Marianarum rapinarum socium. Idem Plin. rursum de eo, *Scaurus*, inquit, *à Vario Trib. plebis repetundarum accusatus, & absolutus.* Sallust. *in Jugurth. c.* 15. *Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, audax, sed vitia sua callide occultans, cùm esset vir Consularis, & in senatu princeps, ab eo mittitur ad Jugurtham orator, ut eum ab oppugnatione Cirtæ, & obsidione Adherbalis amoveret.* Scripsit Historiam vitæ suæ, quam L. Fusidio dedicavit, aliaque magno in pretio olim habita. Cicer. *in Bruto.* Val. Max. *l.* 4. *c.* 4. *ex.* 11. Aurel. Victor, *de Viris Illustr. c.* 32. Vide quoque de illustrissima hac familia, Cassiodor. *Fast. Consul.* & Ursin. *de Famil. Rom.*

SCAURUS, alter superioris fil. de cujus Ædilitate Plin. *l.* 34. *c.* 7. *In M. Æmilii Scauri Ædilitate 3. millia signorum in scenâ tantùm fuêre temporario theatro.* Idem *l.* 36. *c.* 2. *Trecentas LX. columnas M. Scauri Ædilitate ad scenam theatri temporarii, & vix unò mense futuri in usu viderunt portari silentiò legum.* Idem *c.* 15. *ejusd. libr. Theatra duo juxta fecit amplissima è ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenæ, & repentè circumactis, ut contra starent, postremò jam die, descendentibus tabulis, & cornibus inter se coëuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum pop. Romanum circumferens. Quid enim miretur quisque in hoc primum? inventorem an inventum? artificem, an auctorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? parere, an jubere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabilique sede. En hic est ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes & regna diribet, jura externis mittit, Deorum quædam immortalium munere generis humani portio, in machina pendens, & ad periculum suum plaudens. Quæ vilitas animarum ista, aut quæ querela de Cannis! quantum mali potuit accidere? Hauriri urbes terræ hiatibus, publicus mortalium dolor est: ecce pop. Rom. universus, velut 2. navigiis impositus, binis cardinibus sustinetur, & seipsum depugnantem spectat, periturus momentò aliquò luxatis machinis, &c.*

SCAURUS Aurelius, legatus, à Cimbris fusô exercitu captus est, & cùm ad consilium ab his evocatus eos deterreret, ne Alpes transirent Italiam petituri, eò quòd diceret Roman. vinci minimè posse, à Bolo rege, feroci juvene, interfectus est, Liv. *l.* 67.

SCAURUS, qui & TERENTIUS SCAURUS, Grammaticus. Capitolin. *in Vero c.* 2 *Audivit Scaurum Grammaticum Latinum, Scauri filium, qui Grammaticus Adriani fuit.* Ejus meminit Gellius *l.* 11. *c.* 15. Vide *Terentius*.

SCAURUS, Vide *Maximus*.

Mamercus SCAURUS, insignis nobilitate & orandis caussis, vitâ probrosus, inquit Tacit, *Annal. l.* 6. *c.* 29. De probrosa ejus vita lege Senecam *l.* 4. *de Benefic. c.* 31. aut potius non lege impuritatem hominis & ἄῤῥητον μίξιν. Notat eum brevi stigmate Tertullian. *de Pallio*: *Dabo catharcticum impuritati Scauri, & aleæ Curii, & vinolentiæ Antonii.* Paulô Fabiô & L. Vitelliô Consulibus, majestatis reus factus à Servilio & Cornelio Thusco: qui prætereà adulterium Liviæ ac magorum sacra objectabant. Verùm *Mamercus* damnationem anteiit, & in se *Scaurorum* familiam exstinxit. Tacit. *loc. cit.*

SCEBLIAS, nomen servile, Aristoph. *Ranis*, *Act.* 2. *Sc.* 6.

SCEDASUS, vir inter Bœotios ditissimus, cujus filias Hipponem & Miletiam, quum impudici adolescentes Spartani per vim constuprâssent, ac demum occultandi sceleris causâ in puteum demersissent, Scedasus pater impatiens mœroris ad earum tumulos seipsum confecit. Plut. *in Pelopida.*

SCELATICI, Mauritaniæ pop. Plin. *l.* 5. *c.* 1.

SCELERATI, in mari olim pœnas dare crediti. Unde Horat. *l.* 3. *carm.* 2. *v.* 27.

> ——— *vetabo, qui Cereris sacrum*
> *Vulgârit arcanæ, sub iisdem*
> *Sit trabibus, fragilemque mecum*
> *Solvat faselum* ———

Quod hinc ortum, quia magis absoluta in mari Deorum potentia iis visa est, juxta illud Poëtæ, de impio homine; qui se mari commiserat,

> ——— *totus Fati totusque Deorum es.*

Hinc Paridem, furem, adulterum, raptorem, felici navigare aurâ, stupet & queritur Thetis, apud Stat. *Achill. l.* 1. *v.* 67.

> ——— ——— *spolia hospita portans*
> *Navigat injustæ temerarius arbiter Idæ.*

At tales nec in mari tutos, quin pariter atque in terra illis & ibidem multa mala præparari à Diis, scribit Dionys. Periegetes,

> ——— τοῖς γὰρ ἀλιτροῖς
> Ἔν τ' ἁλὶ καὶ γαίῃ κακὰ μυρία θέσφατα δαίμων &c.

Vide Barthium *Animadvers. ad Stat. d. l.*

SCELERATUS Campus, ubi Minucia Vestalis, ob incestum, viva defossa, ad Collinam portam, Liv. *l.* 8. *c.* 15.

SCELERATUS Vicus posteà dictus, qui antea *Cyprius*, ideò quod Tullia, Servii Regis filia, aurigam cunctantem visô Regis cadavere, pergere, scabellô percutiens jussit, coëgitque super cadaver paternum currum agere. Vide Liv. *l.* 1. *c.* 48.

SCEMIOPHRIS Soror Ammenemis, post Sesostrim, regno Ægypti præfuit, teste Syncellô *p.* 59. quemadmodum in eadem Dynastia Thebana Amenophi successit Amessis ejus soror, apud Josephum *Contra Apion.* & jam diu antè Nitocris tàm Thebani quàm Memphitici regni compos fuit. Adeò ut non tam ex paterno Testamento, quàm ex Ægyptiorum vetustissimo jure, ab ipsius Isidis ætate petito, dexerit Cæsari Cleopatra apud Lucan. *l.* 10. *v.* 90.

> ——— ——— *Non urbes prima tenebo*
> *Fœmina Niliacas.* ———

Vide Marshamum *Canone Chron. Sec.* IV. ubi *de Regnandi jure muliebri.*

SCEMPSA, urbs Thraciæ, *Steph.*

SCENA, frons Theatri, ejusque pars illa, quæ ab uno ejus cornu ad alterum, cum coopertura, ducebatur, Joh. Rosin. *Antiq. l.* 5. *c.* 4. Seu, locus ad Drama agendum apparatus constructusque, Auctores *Poet. Giess. l.* 2. *c.* 8. Propriè verò umbraculum, quò se Histriones conferebant; quod primò ex arboribus erat; Nam priscis temporibus, ante usum Theatrorum, sub frondibus agebant; Unde *Scena dicta est*, verbis *Cassiodori*, *ab umbra luci densissima, ubi à Pastoribus, inchoante Vere, diversis sonis carmina cantabantur*: Posteà siparia, seu taperia eum usum præstare cœperunt. Longitudo ejus ad Orchestræ diametrum duplex erat, docente Vitruviô *l.* 5. *c.* 7. Fuitque ipsa vel Versatilis, cùm machinis quibusdam subitò vertebatur & aliam picturæ faciem ostendebat; vel Ductilis, cùm tractis tabulatis hàc atque illàc species picturæ interior nudabatur. Sed & pro Argumenti varietate, varia erat. Tragica, Comica & Satyrica; quarum prima conformabatur columnis ac fastigiis signisque ac regali instruebatur magnificentiâ: Comica, privatorum ædificiorum speciem habebat & mœnianorum: Satyrica ornabatur arboribus, speluncis, montibus, viridariis & rebus agrestibus aliisque in topiarii operis speciem; quibus posteà varius ornatus accessit, ut inter alios ex Val. Max. Vitruvio, Scaligero *Poët. l.* 1. *c.* 21. videre est. Nec verò loci solùm hoc nomen fuit, sed & Actus pars sic vocata est, quam personarum ingressus ac sermocinatio constituit: In quam non introducebantur plures personæ loquentes, quàm 5. nisi fortè consultatio instituenda esset: mutas verò personas adesse plures, nil prohibebat. Horat. tamen jubet *de Arte Poët. v.* 192.

> ——— ——— *Ne quarta loqui persona laboret.*

Fortè, ad confusionem rerum vel orationis, tædiumque Auditorum vitandum. Novum autem Grammaticorum inventum *Scenam* esse, *Muretus* autumat ex eo, quòd nec apud Græcos, neque Plautum, ulla ejus fiat mentio, nec in vetustioribus aliquibus Terentii exemplaribus manuscr. Adde, quòd tam variè *Scenæ* distinguuntur, ut vix certa distinctionis ratio deprehendi possit. Sed Scaliger nominis rationem antiquam tradit, quòd alia atque alia facies subinde appareret ex ædiculis, in Theatro, quæ olim, quum è ramis ac frondibus constarent, ita sint ab umbris & tabernaculis appellatæ. Hinc *Aristoteles Scenam* Tragœdiæ esse partem negat, eo quòd agi possit extra *Scenam*, sicut primitus, cùm à solo Choro ageretur: donec Æschylus primum σκηνογραφίαν meditatus est. Fiebat *Scenæ* initium aliquando ab omnium (ejusdem Scenæ) ingressu; aliquandò unius, qui è superiori *Scena* alium relictum invenit: Finiebatur similiter vel egressu omnium vel unius, reliquis sequentem *Scenam* constituentibus. Nonnunquam & unus solus ad futuram *Scenam* relinquebatur: cavebatur verò, ne qua persona, in fine Actus, in Theatro esset reliqua. Numerus *Scenarum* definitus non erat &c. Vide Auctores suprà laudatos. Redeo ad *Scenam* Theatri partem. Ante eam Proscenium fuit, locus in quo Pulpitum, in quod Actores prodibant, altitudine pedum 5. Eô altior fuit *Scena*, sicut Proscenium & Orchestra depressior: ibique gesticulatione, cantu & saltatione, Artifices personis in *Scena* abditis populum retinebant. Rosin. *l.* 5. *Antiq. Rom. c.* 4. Vide quoque Scaligerum *Poët. cit. loc.* A *Scena* dicti *Scenici* cùm homines, tum Ludi, de quibus infrà.

SCENÆ, urbs Ægypti apud Nilum, *Antonin.* populi *Scenitæ*. Inter Babylonem 12. & Aphroditopolim in Merid. 28. Aliæ Veteranorum dictæ *Antonin.* à Babylone 30. milliar. in Boream intra Deltam.

SCENICI, dicti qui in *Scenam* prodirent. Hi apud Athenienses omni notâ vacui erant, agebantque fabulam, postquam tricesimum ætatis annum attigêre, ex Lege: Μὴ εἰσελθεῖν ἕως ἐτῶν, μέχρι τριάκοντα ἐτῶν γεγονότα. Itaque cives ipsi Attici & Poëtæ, in *Scenam* prodibant, quod de Sophocle, Aristophane, aliis, observatum. Romæ contrà Histriones notabantur infamiâ, unde Laberii querela, de qua *suô locô*. Scilicet: *Ait Prætor, qui in Scenam*

nam prodierit, *infamis est*, *l. 2. §. ult. D. de his qui not. infamia.* Unde factum, ut *Scenici* spectaculorum deberentur obsequiis, eâque *Scenicis* nati non possent detrectare, sed vel inviti ad ea præstanda adigerentur. Primus Valentinianus Princeps optimus A. C. Dionysiano 371. constituit licere *Scenicos*, in extremo vitæ periculo constitutos, baptizare, & si fortè evasissent, noluit ad scenam revocari: ne autem fraus aliqua fieret, inspicere jussit Judices aut Urbium Curatores, an vitæ periculum adiissent: Non enim volebat eos baptizari, nisi salute conclamatâ, ne consideratio sacratissimæ Religionis & Christianæ Legis reverentia scenæ emanciparet, *l. 1. Cod. Theod. de Scenicis.* Annô dein Dionys. 380. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. mulieres *Scenicis* prognatas, cum detrectarent spectaculorum obsequia, jussêre Lege latâ, quæ habetur *l. 4. Cod. Theod.* in pulpitum retrahi ludicrisque deputari ministeriis, nisi, antequam possent scenæ inservire, Christo dixissent sacramentum. Unde colligas, licitum fuisse tunc *Scenicis* progenitas, antequam possent Scenica præstare officia, sacrô tingere lavacrô, cùm nondum tamen *Scenicos* & *Scenicas* liceret baptizare, nisi in extremo vitæ constitutos. Postea de his ipsis, ab iisdem Imperatorib. scripta Lex est, annô sequente ut si qua mulier Scenica, volens in Ecclesiam Christi admitti & Baptismate tingi, postularet eô nomine vacationem officiorum Scenicorum, impetraret: periti tamen sanctâ, adversùs eam, quæ sui copiam post fidem Christo datam fecisset, ut videl. ludicris ministeriis deputaretur, & in scenam revocata non nisi *γραῖα* seu *anus ridicula* repræsentaret, donec ipsa reverâ senectute fieret deformis. Inter Histriones tamen infames non censebantur, qui agebant Atellanas, de quibus *alibi*. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. l. 1. tit. 1. p. 73. & seqq.* ut & suprà passim, inprimis, in voce *Histriones*. Cæterum præmia *Scenicorum* ingentia erant, sub luxuriosis Principibus, quæ tamen sobrii Imperatores aut temperârunt aut resciderunt. Ut, præter Tiberium, Pius, qui Mesomedi Lyrico stipendia imminuit: Marcus, quem *scenicas donationes temperavisse*, ait Capitolin. *in Marco, c. 11.* Quod an de corollariis solùm histrionicis intelligat, quorum meminêre Cicero, *Sueton. Plinius*, *Alii*: an in universum de omnibus, quæ accipere Histriones soliti, non liquet. Alexander inprimis Sever. de quo Lamprid. *in Sever. c. 33. Scenicis*, inquit, *nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donavit: pretiosas vestes, quas Heliogabalus dederat, etiam sustulit*, ad quem locum vide Salmas. ut & suprà voce *Donationes*.

SCENICI Ludi, qui in Scena peragebantur. In universum enim duo fuêre apud Romanos genera; Alii Circenses, alii *Scenici*, ut docet Cicero *de LL. l. 2.* ubi de Lege, *Ludis publicis, quod sine curriculo & sine certatione corporum fiat, popularem lætitiam in cantu & fidibus & tibiis moderanto: eamque cum Divum honore jungunto.* De Circensibus suprà actum. *Scenici*, à Græco σκηνὴ, quòd in umbra fierent, dicti, ingenti arte exercitabantur, & à Græcis originem traxêre, ut ex Aristotele *Poet. Polydoro Virgilio, Lud. Vive*, aliis, discimus. Quâ ratione autem Romæ instituti sint, refert Livius ad ann. U. C. 389. his verbis: *Et hôc & insequenti annô, C. Sulpitiô Peticô, C. Liciniô Stolone Consulib. pestilentia fuit, eô nihil dignum memoriâ actum, nisi quod pacis Deûm exposcendæ causâ tertiô tum post conditam Urbem lectisternium fuit, & cum vis morbi nec humanis consiliis, nec ope divinâ levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque Scenici, nova res bellicoso Populo (nam Circi modò spectaculum fuerat) inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur. Cæterùm parva quoque, ut fermè principia omnia & ea ipsa res peregrina fuit: sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu Ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tuscô dabant. Imitari deinde eos Juventus simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus cœpêre: nec absoni à voce motus erant. Accepta itaque res, sæpiusque usurpando excitata. Vernaculis Artificibus, quia Hister Tusco verbô Ludio vocabatur, nomen Histrionibus inditum: qui non, sicut ante, Fescennino similem versum, incompositum temerè ac rudem alternis jaciebant, sed impletas modis Satyras, descriptô jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Post aliquot annos, qui ab Satyris ausus est primus argumento fabulam serere, (idem scilicet, id quod omnes tunc erant, suorum carminum actor) dicitur, cùm sæpius revocatus vocem obtudisset, veniâ petitâ, puerum ad canendum ante tibicinem, cùm statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigenti motu: quia nihil vocis usus impediebat, inde ad manum cantari Histrionibus cœptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta. Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto jocô res avocabatur, & ludus in Artem verterat, Juventus, Histrionibus fabellarum actu relictô, ipsa inter se more antiquô ridicula intexta versibus jactare cœpit: quæ inde Exodia posteà appellata, conserta que fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit Juventus, nec ab Histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut Actores Atellanarum nec Tribu moveantur & stipendia, tanquam expertes Artis ludicræ, faciant. Inter aliarum parva principia rerum, Ludorum quoque prima origo ponenda visa est, ut appareat, quàm ab sano initio res in hanc, vix opulentis Regnis tolerabilem, insaniam venerit.* Hæc Liv. *l. 7. c. 2.* quæ eadem etiam Val. Max. *l. 2. c. 4.* habet, ut de aliis jam nil dicam: ex quibus videre est, quàm tenue initium *Scenicorum* ludorum fuerit; quòd scilicet primùm Ludiones ex Etruria acciti sine carmine, ad Tibicinis modos, saltârint: post versûs, sed inconditi & motus à voce non absoni accesserint: tandem Arte omnia fuerint perpolita, imo & regiô luxu exornata. Quomodo autem hæc omnia exagitet D. Augustin. Vide eum *de Civ. Dei, l. 1. c. 32. & l. 2. c. 8.* Recensentur Ludorum *Scenicorum* species istæ, *Tragœdia, Comœdia, Satyra & Mimus*, de quibus vide *suis locis*.

SCENITÆ, Arabiæ Petrææ gens, Plin. *l. 5. c. 11. & 24.* Solinus *c. 37. Verum hæc Arabica procedit, adusque illam odoriferam ac divitem terram, quam Catabanes, & Scenitæ tenent, Arabes nobiles more Casiô: qui Scenitæ causam nominis inde ducunt, quòd tentoriis succedunt, nec alias domos habent.* Ubi sis vide Salmas. *in Plin. Exerc. p. 485.* Hi imperante Zenone, cum Hunnis Thraciam vastârunt, A. C. 475. Mesopotamiæ dein & Palæstinæ prædones, ab Anastasio Imperatore ad fœdus pertracti sunt, A. C. 497. Nicephor. *l. 16. c. 25. 26. &c.*

SCENOGRAPHIA, quasi τῆς σκηνῆς γραφὴ, ut Politiano appellatur in *Panepistemone*, pars est Optices specialis, quæ res in plano eô modô refert, quô radii ab objecto producuntur, ad oculum: nempe ratione pyramidali; cùm sublimioribus radiis altiora, humilioribus humiliora, sinistrioribus sinistra conspiciuntur. Adeoque docet, quomodo illa, quorum exhibetur imago, commodè seriteque, pro distantiis & altitudine, appareant. Cujus exemplum habemus in portico longa; ubi ultima tabulati pars deprimi ac pavimenti ultima attolli, parietes ultimi contrahi videntur. Non igitur veram docet æqualitatem, sed quæ visui commodè se offerat. Ideoque, si circulus debeat repræsentari, sæpe non circulum referre jubet, sed ellipses: quadrata item docet referre, non ut sunt, sed alterâ parte longius producta. Quidam *Sciagraphiam* dixêre, sed hôc nomine potiùs intelligenda Graphices sive Artis pingendi pars, quæ picturâ exprimit ac repræsentat tempore nocturno facta: ut si pingatur Judas Christum noctu prodens. Vide quoque Commandinum *Prolegomenis in Euclidem*, & qui omnium trium Optices specialis partium *Orthographiæ, Stereographiæ & Scenographiæ* discrimen utumque & quàm jucunda utiliaque ex iis exsurgant problemata, breviter exponit, Hug. Sempilium *de Mathem. discipl. l. 4. c. 7.* Ad *Scenographiam* pertinet quoque Planisphærii doctrina, quam Ptolemæus tradidit, uti & Jordanus Nemorarius. Vide Voss. *de Scient. Mathem. c. 25. §. 4.* Sed & in Architectura, Σκηνογραφίαν dixêre, quâ non tantùm frontis imago, quæ operis futuri rectam faciem modicè depictam ostenderet (id quod Ὀρθογραφίαν propriè dixêre) sed totius corporis ædificii è solo excitati imago, cum laterum abscedentium adumbratione formata, præferebatur. Σκῆνος enim τὸ σῶμα est, quâ voce non humanum solum, sed & ædificii corpus, Græci indigitârunt. Unde Ausonius *in Mosella, v. 319.*

------ ------ *Scenas posuisse domorum*

Quam in rem vide Salmas. *ad Solin. p. 821.* Galli *Scenographie* vocant, & exponunt, *representation en relief.* Richelietus in hac voce.

SCENOPEGIA, erant Tabernaculorum Festa, in quibus Judæi extruebant Tabernacula ad similitudinem eorum, in quibus habitabant, quum Ægyptum pervagarentur. Vide infrà, *Tabernaculorum Festum.*

SCEPSIS, urbs Mysiæ in Asia mediterranea a Palæscepsi in Cæciam distans, ubi regio sic Plin. *l. 5. c. 30.* dicta, 60. stad. à Cotylo jugo montis Idæ, unde Scamander manat, 120. stad. Ex hac urbe fuerunt *Metrodorus* qui artem memoriæ consummavit, ac *Demetrius Grammaticus*, qui Trojanam extructionem composuit. Dicta à σκέψασθαι, quod ibi Rhea pro filio lapidem peperit. Vide *Stephanum*.

SCEPTICI, Græcè Σκεπτικοὶ, Philosophi iidem cum Pyrrhoniis fuêre. Ita enim A. Gellius *l. 11. c. 5. Quos Pyrrhonios Philosophos vocamus, ii Græcô cognomine Σκεπτικοὶ appellantur. Id fermè significat, quasi Quæsitores & Consideratores. Nihil enim decernunt, nihil constituunt, sed in quærendo semper considerandoque sunt, quidnam sit omnium rerum, de quo decerni constituique possit: ac ne videre quoque planè quidquam, neque audire se putant, sed ita pati afficique quasi videant vel audiant.* Nempe, quia semper ἐσκέπτοντο, i.e. *rem considerabant*, neque unquam decernebant: aliàs Ἀπορητικοὶ, quia semper ἠπόρουν, i.e. *dubitabant*: Ζητητικοὶ, quia semper ἐζήτουν, i.e. *quærebant*: Ἐφεκτικοὶ, quia longæ inquisitionis non alius eventus, quàm ἐποχὴ, h. e. *judicii suspensio* sive *assensionis retentio*. *Pyrrhonii* tandem ab auctore sectæ Pyrrhone, qui Socratis, Arcesilæ, Carneadis, Anaxarchi Abderitæ, Anaxagoræque vestigiis insistens, illisque initiis majora superaddens, Ἀκαταληψίας dogma in Arce collocavit, statuitque: *Neque rerum veritatem, neque falsitatem ullâ ratione comprehendi posse, omnia incerta esse, dubia & fallacia; neque sensuum judicio, neque rationibus fidendum.* Quô unô omnia Veter. Sapientum placita, quibuscunque fundamentis innixa, funditus evertit. Differebant a Neo-Academicis, quòd hi modestiores & Socraticâ εἰρωνείᾳ instructi, illud pro certo habebant, *Nihil posse comprehendi*; Sceptici verò, ne id quidem certò asseverare volebant. Hi omnia prorsus rejiciebant, Illi verò hoc unicè omnium ruinâ adstruebant: Hi seriò, illi simulatè pleraque agebant: Hi indoctiores, & barbâ potiùs, quam ingeniô Philosophi; Illi doctissimi & acutissimi erant, vide iterum Gellium, *loc. cit.* Hinc illæ voces eorum apud Sext. Empiricum, Οὐ μᾶλλον τοῦτο, ἢ ἐκεῖνο, *Non magis hoc, quam illud*: Οὐδὲν ὁρίζω, *Nihil definio*: Σκεπτόμενος διατελῶ, *Considerans persevero*: Παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντίκειται, *omni rationi ratio opposita est* &c. quod etiam ἀφασίαν, item ἀταραξίαν, vocabant. Iidem negabant, *quidquam reverâ esse honestum, vel turpe; justum vel injustum: sed homines judicium ferre, pro legum instituto, vel consuetudine; cùm non unum magis sit, quàm alterum.* Vide Laërtium *in Pyrrhone* & inprimis Sextum Empiricum *l. adv. Mathematicos & Hypotyposeon libris.* Inter Christianos sectam eruditè propugnavit Franc. Picus Mirandula: quæ, uti secta Epicurea, sed dispari ratione, valde contraria est Religioni Christianæ. Unde Nicetas de se & fratre Aquila, in Epitome Clementis Rom. de gestis B. Petri p. 65. [illegible] *Accuratè etiam ea inquisivimus, quæ à Philosophis traduntur: præcipuè illa, quæ maximè repugnant pietati erga Deum: ut, inquam, Epicuri ac Pyrrhonis, quò magis ea refellere possimus.* Interim in totum Sectam damnandam non esse, vel hinc patet, quòd, [illegible] sint certa, longè tamen plura incerta sint.

sint, quæ permixta veris similitudine veri fallant: in cujusmodi utile est ἐπέχειν ac verum suspari. Vide Gerh. Joh. Voss. *de Sectis Philosoph. c.* 20. & suprà in voce *Pyrrhonii.*

SCEPTRUCHI, gens Sarmatarum, Tacit. *l.* 6. *c.* 33.

SCEPTRUM, Regum insigne. Hoc initiò Hasta fuit, teste Justino *l.* 43. *c.* 3. ubi de Romulo loquens, ait: *Per ea adhuc tempora Reges hastas pro diademata habebant, quas Græci* Sceptra *dixère. Nam & ab origine rerum, pro Diis immortalibus, Veteres hastas coluère: ob cujus religionis memoriam, adhuc Deorum simulachris hastæ adduntur.* Inde Homero *Il.* β. *v.* 86. σκηπτοῦχοι, i.e. *Sceptrigeri*, Reges: & apud eundem Justinum *l.* 23. *c.* 4. cùm Hieroni aquila in clypeo, noctua in hasta consedisset, consilio cautum & manu promtum, Regemque futurum, significabant. Pausan. *in Bœoticis*, Chæronenses refert, ex Diis *sceptrum* colere, quod Vulcanus Jovi fabricavit & id hastam vocare: Adde Turnebum *Adversar. l.* 22. *c.* 12. (ubi tamen, quod mulieres non solitas dicitur hastam gerere, diversum habet scientissimus antiquitatis, Apollinaris *Carm.* 2. *v.* 432.) Quô factum, ut in hujus Religionis memoriam, maximô semper honore *sceptra* essent, & ab iis, tànquam Imperii & Justitiæ augusto symbolo, jusjurandum petere Veteribus usitatissimum fuerit. Ita enim Achilles, apud Homerum. *Il.* α. *v.* 233.

> ----- ----- ----- Μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι,
> Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
> Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
> Οὐδ' ἀναθηλήσει. περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
> Φύλλα τε καὶ φλοιόν.
>
> ----- ----- ----- *Magnum juramentum juro,*
> *Certè per hoc sceptrum, quod quidem nunquam folia & ramos*
> *Producet, postquam primùm incisionem in montibus reliquit.*
> *Neque pullulabit (circum enim ipsi gladius decorticavit*
> *Foliaque & corticem.)*

Et apud Æschylum Parthenopæus,

> Ὄμνυσι δ' αἰχμὴν, ἣν ἔχει, μᾶλλον θεοῦ
> Σέβειν πεποιθὼς, ὀμμάτων θ' ὑπέρτερον.

Vide quoque quæ de Cænei hasta proverbiali à Græcis Interpretibus referantur. Similiter ad imitationem Homericam Virg. *l.* 12. *Æn. v.* 206.

> *Ut sceptrum hoc (dextra sceptrum nam fortè gerebat)*
> *Nunquam fronde levi fundet virgulta neque umbras:*
> *Cùm semel in sylvis imo de stirpe recisum*
> *Matre caret, posuitque comas & brachia ferro;*
> *Olim arbos, nunc Artificis manus ære decorò*
> *Inclusit; Patribusque dedit gestare Latinis.*

Ubi simul *Sceptri* Regibus priscis usitati descriptionem habes. Eundem per *Sceptrum* jurandi morem Romani sequuti, è Templo Jovis Feretrii illud, ut & lapidem silicem, quô fœdus ferirent, depromere consuevère, Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5. Primus autem apud Romanos *Sceptrum*, & quidem ex ebore, cum aquila in summitate, Tarquinius Priscus gessisse legitur, qui Etruscis novennali bellô fractis hâc conditione pacem concessit, ut ad se Principatus insignia, quibus illi suos Reges ornare consueverant, deferrent: Itaque delata Romam sunt, Corona aurea, *Sceptrum* in summitate Aquilam habens, Sella eburnea, Tunica purpurea aurô distincta, Amiculum purpureum varium, qualia Lydorum olim ac Persarum Regum &c. Vide Florum *Histor. Rom. l.* 1. *c.* 5. Dionys. Halicarn. *l.* 3. *c.* 84. & Strabonem *l.* 5. Quæ postea, pulsis Regibus, penès Consules mansère, ut ex Histor. Roman. notum. Sed & inter Triumphalia ornamenta *Sceptrum* fuisse, discimus ex Liv. *Decad.* 3. *l.* 10. & Dionys. Halicarn. *l.* 5. ubi de Menenii Agrippæ triumpho: & quidem itidem *eburneum*, Val. Max. *l.* 4. *c.* 4. ex. 5. ubi de Attilio Calatino, idque similiter *Aquilam in summitate habens*, Isidor. *l.* 18. *c.* 2. Unde Juvenal. *Satyr.* 10. *v.* 43.

> *Da nunc & volucrem* Sceptro *quæ surgat eburno.*

Ovantibus verò idem minimè concessum fuisse, ait Servius *ad illud* Virg. *Ecl.* 10. *v.* 27.

> *Sanguineis ebuli baccis*, &c.

Inter insignia Romani Imperii hodieque *Sceptrum* est aureum, quod unà cum quibusdam aliis Norimbergæ asservatur: in coronatione verò Imperatoria, cum Corona, gladio, pomo aureo, ac amictu, Imperatori tradi, & in processionibus Imperialibus, ab Electore Brandeburgico præferri solet. Unde, cùm Carolus IV. Aquisgrani inauguraretur, atque Juliacensis Dux, in cujus clientela urbs erat, novô Principi sceptrum præferre conaretur, ei Ludovicus Elector Brandeburg. restitit, id sui muneris esse asserens: quam litem Imperator sic diremit, ut diceret, Brandeburgico id competere in inauguratione Cæsaris; Juliacensi verò, cùm feuda clientibus Imperii conferuntur, vide Aventinum *Annal. Bojorum l.* 7. *p.* 635. & Freherum *Notis ad Petr. de Andlo l.* 2. *de Imper. Rom. c.* 8. *in fin.* Quid verò juris sit, eô casu, quô ipse Elector præsens non est, an tunc Legati ejus, vel hæreditarius Imperii Vicecamerarius *Sceptrum* Regi electo præferre debeat, quoque non fuit extra controversiam. Annô certè 1653. in coronatione Ferdinandi IV. Brandeburgenses Legatos, præ Vicario Hohenzollerano, *Sceptri* gestationem; item ut mensa Electoris Palatini, post Brandeburgici Electoris mensam, poneretur, prætendisse, patet ex protestatione ab illis tum temporis Imperatori, ac Directorio Moguntinensi, insinuata. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 10. & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Pollionem in Tetrico Jun. c.* 25. ubi Duces quoque olim cum *sceptris* Curiam ingressos esse, ex Servio addit, nec non Car. du Fresne *Dissertat. de infer. ævi Numism. num.* 11. ubi de *Sceptro Consulari Imperator* pluribus disserens, gestamen istud sensim desiisse, primumque Phocam Imperatorem pro *sceptro aquiligero*, crucem assumsisse cum volumine, monet, ex nummis ejus: quamvis idem postmodum sceptrum gestâsse Philippicum Imperatorem ex ejusdem nummis constet: uti & suprà *Acacia, Rector Academicus*, ac infrà voce *Scipio.* Aliàs *Sceptrum* in genere, virga, baculus, scipio, Græcè σκίπων & σκῆπτρον, à qua origine quoque *Scapus*, quod vide. Unde *Sceptrum ferulæ*, apud Ausonium *Epist.* 4. *princip.* & *Sceptra pædagogorum* apud Martialem *l.* 10. *Epigr.* 62. *v.* 10. *Sceptrina virgæ*, ac *sceptrina vimina*, apud Aldhelmum *de Laud. Virgin. c.* 25. quæ *nodosâ duritie riguisse*, idem in prosa dicit &c.

SCERIFII, in Africæ Imperio Oattassenis successerunt. Postquam enim ex Merina familia ultimum Abdulacum *Sceriphius* seu *Scerifius* quidam extinxit, circa A. C. 1480. hic intra annum dejectus est à Said-Abra, ex Oattasenorum familia: quorum potentiâ circa ann. 1500. defectione provinciarum admodum debilitatâ, Ahmed & Muhammed fratres, à præfato *Scerifio* genus suum arcessentes, regiam sedem Marocci constituerunt; primò tributum pacti à Muhammede Oatazeno, qui Fessæ regnavit, mox eô superiores redditi. Et Muhammed quidem, fratre Ahmede mortuô, Oatazenum subjugavit, ultimoque hujus familiæ Hamede extinctô, Mauritaniæ Regnum solus consecutus est. A. C. 1548. Ei successit fil. Abdalla A. C. 1557. quo de vide Thuanum *l.* 20. Cujus fil. Mahumedes Niger, cum à patruis Melico & Hamede regnis Fezzæ & Marocci exutus esset, Sebastianum Lusitaniæ Regem ad auxilium ferendum evocavit: sed utròque in acie cæsô A. C. 1578. Hamedes tandem Imperiô potitus est, verùm internis *Scerifiorum* dissidiis ab illo tempore subinde commotô. Quibus durantibus quidam Muley Hamed Ben Abdalla impostor, à Deo se missum jactans, ut à *Sceriphiorum* tyrannide Africam liberaret, Muley-Sidan Marocci Regem primò quidem vicit acie, mox ab eodem superatus & deletus est, sicque fluctuans hactenus Sceriphiorum familia, sublatô æmulô, restituta. Hunc in regno excepit A. C. 1638. frater Mula Alwalid: quem A. C. 1639. Muhammed Ibben Mula Sidan. Nostris verò temporibus Tafilettæ Princeps, victô Geylandô, Imperium hoc sibi subjecit: uti discimus ex *Relat. Residentis Angl. in Append. Diarii Europ. Continuat.* XIX. Plura autem de regnatrice hac Familia, ex Thuano *Hist. l.* 7. *c.* 29. &c. Vide quoque in vocibus *Fezza*, & *Maroccum.*

SCEVERINA, vide supra *Currus Velivolus.*

SCEVINUS, vide *Flavius.*

SCEUOPHYLAX, Græcè Σκευοφύλαξ, h.e. *Vasorum Custos* ut Gulielmus Biblioth. reddit *in Hadriano* II. dignitas fuit in Ecclesia Græcanica, *tertium locum in Clericali primo ordine obtinens & curam habuit sacræ supellectilis, ac, Sede vacante, Oeconomi officium obivit*, teste Dominicô Macrô *in Hierolex.* Vide de ea multis disserentes, Gretzerum & Goarum *ad Codinum de Offic.* Meursium *in Glossar.* Car. du Fresne *Descript. Ædis Sophianæ*, & Joh. Casp. Suicerum *Thesaur. Eccl.* ubi, cùm sacrum Antistes faciebat, eum ante sceuophylacium stare, ut si aliquid inde depromendum esset, sive liber, sive candelæ, sive vestis, sive aliud quid, depromeret; judiciis porrò incumbere, & Χαρτοφύλακα etiam, unum verò qui inter eos excellebat, τὸν μέγαν, *magnum*, dici consuevisse, addit.

SCHABEK seu SABAKAN, Rex Chorazanæ, pulsô Budakô Usbekorum Rege & Baburô cognatô ejus, qui in Mauaranalhariâ latè regnabat, in Indiam ejectô, Usbekanum Imperium vel condidit vel instauravit, seu initium seculi XVI. Sed ab Ismaële Sophi Persarum Rege totâ Chorazanâ pulsus, sedem Regiam in urbem Boccaram transtulit. Vide infrà ubi de *Usbekis.* Alius fuit eodem nomine, aliàs *Scha-bolam*, h.e. Rex Mundi, dictus, qui potentissimum in India Imperium condidit, circa A. C. 1530. quô, post mortem ejus, in sex minora Regna divisô, ex iis præcipuum hodie superest regnum *Decan.* Georg. Hornius *Orb. Imper. cum Animadvers. Felleri p.* 441. 445. & *Orb. Polit. cum Animadvers. Menckenii p.* 426.

SCHADAGAI, tertius filiorum Schinguis-kani, accepit à Patre Mauaranalhariam, Corasmiam, aliasque provincias, ad Oxum fluv. quæ inposterum ab ipsius nomine *Schagadai*, alias *Tartaria Orientalis*, dictæ sunt. Sedem Regni Samarcandæ posuit, & conversus ad fidem Christianam templum Joanni Bapt. in ea struxit, Paulô Venetô teste. Ei successit fil. nomine *Barak*, post quem series Regum Scha-Jadajæ interrupta est usque ad A. C. 1350. quô Samarcandæ regnasse iterum legitur Soyorgat-Mech, seu Hussein, cui Tamerlanes successit A. C. 1370. Qui cùm Tartarici Imperii fines immanè quantum ampliâsset, post mortem ejus ortis dissidiis intestinis imminuta potentia est non parùm; posteri tamen illius Regnum *Scha-Jadajæ* & Indiæ retinuerunt; quorum illô in Regnum Chorazan & Mawaranachar divisô circa A. C. 1470. ex hoc tandem Regnum Magni Mogolis ortum est. Idem *Orb. Imper. p.* 438. & *seqq.*

SCHAMMAI, Vide *Hillel.*

SCHAPLERUS Christophorus, Vide *Christophorus.*

SCHARPFENSTENIUM, Germanice SCHARFFENSTEIN, castrum Germanicum in Circulo Rhenano, cum titulo Comitatus, sub proprio Comite, è Cratzia Familia, in qua Joh. Philippus Comitis axioma primus meruit. Fuit is fil. Antonii *Craiz de Scharpfenstein* & Catharinæ Metternichiæ: & ex Maria Metternichia genuit Jo. Antonium *Craiz* Comitem *de Scharpfenstein*, maritum ... *de Sötern*, è qua proles hôc seculô suscepta. Vide Spenerum *Theatro Nobilit. Eur. Part* 3. *p.* 69.

SCHAWENBURGUM, Germanicè SCHAWENBURG, arx Westphaliæ, cum titulo Comitatus, cujus hæc historia. Adolfus *de Salingsleven* Equestris in Westphalia ordinis, Franconicâ coteriaf...

roquin præclaræ nobilitatis familiâ ortus, à Sigefrido Brunonis fratris sui in Mindensi Episcopatu successore prædia quædam nactus, etiam villam extruxit, venationibus tantùm, ut præferebat, destinatam. At Sigefridus molem, ultra ac speraverat, successisse conspicatus, Conradum Salicum Imperator. adiit, ut Adolfum cœptis jubeset desistere. Venit Imperator in rem præsentem, & indignum ditu ædificium judicans, Episcopo, ut Feudi locô id Adolfo permitteret, persuasit. Hoc Comitatûs initium, quô, adjectis patris Salingsleru aliisque prædiis, solennibus Comitiis A. C. 1130. Mindæ celebratis, Conradus Adolfum ornavit, in ssdei Hungaricis, Italicis, Burgundicis bellis præstitæ præmium. Arci à Cæsaris verbis, pulchritudinem ejus commendantis (*Schaue die Burg*) Comitatui ab arce appellatio indita. Post quæ, collata in *Schauenburgios* à Lothario I. Holsatiâ Wagriâque, successu temporum, seculô scil. XIII. inter fratres Henricum I. & Gerhardum II. Gerhardi I. filios Stormariensis lineæ, conventum, ut Gerhardus Stormariam, Henricus Schauenburgiam ditionem, morte tum agnati Conradi vacuam, acciperet. Hujus in duos ramos divisa stirps abiit; *Chilomensem* vel *Wagrium*, qui defecit in Adolfo A. C. 1390. & *Rensburgensem*, qui iterum in *Rensburgensem* & *Pinnebergensem* seu *Schawenburgicum* divisus est. Prior, auctus dignitate Ducali, cùm Gerhardo Slesvicum concederetur, sed in ejusdem filio extincta est linea, A. C. 1459. Posterior iterum in duas lineas cùm abiisset, una earum in Ernesto, Principali axiomate insignita, defecit A. C. 1622. altera, & sic tota Familia, in Ottone (filio Georgii Hermanni Comitis Schawenburgi ac Holsatiæ in *Pinnenberg*, & Elisabethæ Lippensis) extincta est A. C. 1640. Ad quem Comitatum pertinentes præfecturas, *Schawenburg*, *Bickenburg*, *Saxenhagen* & *Statthagen*, Episcopatui Mindano hactenus assertas, Westphalicæ pacis constitutione cum Hirsfeldia Catti accepêre. Unde titulus quoque hisce Principibus assumtus. Vide Tob. Pfannerum *de præcip. Germaniæ Principum Gentibus c. 8. de Gente Hassiaca*, & Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Eur. Part.* I. *p.* 100. ubi Ottonis præfati majores, & *Part.* 2. *p.* 16. ubi Ernesti prædicti progenitores, item *p.* 49 ubi ramum Slesvicensem sive Rensburgium, exhibet. Plura verò huc pertinentia, apud eundem Spenerum *Sylloge Geneal. in Fam. Oldenburgo-Danica* & Pfannerum *l. l. c. ult. de Gente Holsatica.*

R. SCHECHANA, docuit Lublini, annô 317. Millenarii VI. juxta calculum *Rabbi Dav. Ganz.*

SCHEDA, *Isidoro* est, *quod adhuc emendatur, & necdum in libro redactum est.* Nempe *Schedæ* propriè dicebantur Romanis singulares plagulæ ex scapo chartarum revulsæ, quibus committebant, quidquid subitâ & tumultuariâ scriptione commentati essent, quod emendatum posteà in mundiorem chartam tegerebatur. Et quidem in aversa parte, h. e. in tergo hæ quoque, non solùm in adversa, exarabantur, unde *Opistographorum* nomen, quod vide. At nitidæ chartæ & mundæ, ex quibus librorum volumina compaginabantur, & in quibus emendata opera perscribebantur, in adversa tantùm facie scribi solebant, uti discimus ex Juvenali *Sat.* 1. Sed & *scheda* paulo laxius nonnunquam, pro quavis scapi plagula, aut libri pagina: hinc utrobique *prima scheda*, quæ primô locô glutinata erat, πρωτόκολλον Græcis; *summa scheda*, apud Martialem, *l.* 4. *Epigr.* 91. *v.* 4. Græcè ἐσχατοκόλλιον dicta est, de quibus vocibus suprà, plura verò hanc in rem apud Salmas. *ad Vopisc. in Firmo, c.* 3. & infrà voce *Tabella*. *Scheda* autem ex Græco ortum, in qua lingua σχέδιον & σχεδιάζειν idem notat; σχεδία, navigii genus tumultuario opere concinnatum, *scapham*, quam vocem tertio vidimus. Inde σχεδιογραφεῖν, it. σχεδογραφία, de quibus vocibus vide suprà, in *Partibus Doctor*, ut & aliquid, voce *Rates* it. infrà in *Varus*.

SCHEDIA, Ægypti vicus, navale habens inter Nilum fluv. & Alexandriam urb. *Strabo*. *Rasebit Guilandino.*

SCHEDIA, Græcè σχεδία, in majori flumine Nili & Canopico ostio, haud longe ab Alexandria, memoratur *Strabonι*, qui non multò supra *Schediam* Naucratim urbem à Milesiis conditam esse, in *Schedia* autem stationem fuisse τῶν θαλαμηγῶν πλοίων, ἐφ' οἷς ἡγεμόνες εἰς τὴν ἄνω χώραν ἀνέπλεον, ait. Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 476.

SCHEER, nomen castri in Suevia, cum titulo Comitatus, sub proprio Comite, ex Familia Truchsessiorum seu Dapiferorum *in Waldpurg*. In hac enim cùm Joannes, qui decessit A. C. 1405. tres reliquisset filios, Eberhardus primogenitus *Sonnebergensem*, medius Georgius *Wolfeccam* & *Zeilensem*, tertius denique, Jacobus, *Scheerensem* lineam orsi sunt. Et quidem ultima hæc in duos iterum ramos abiit, quorum priorem Comites *Trauchburgenses in Scheer* constituunt, alterum Comites *de Fridberg & Trauchburg*: utrique *Dapiferorum* seu *Truchsessiorum* gentile nomen commune est. Vide progenitores Ottonis Comitis *de Trauchburb*, *Fridberg & Scheer* (qui natus est A. C. 1615. ex Wilhelmo Henrico & Juliana Comite Sultzensi) apud Spenerum *Theatro Nobil. Europ. Part.* 3. *p.* 9. & ex eadem linea Majores Gebhardi, quondam Archiepiscopi & Electoris Coloniensis. *ibid. p.* 51.

SCHEIKI, concionatores Turcarum. Sic *Scheik* & *Sedre* unus ex præcipuis sacrorum administris, apud hodiernos Persas. Vide de utrisque suprà, voce *Muslimi*.

SCHEGKIUS Jacobus, vide *ibi*.

SCHELLINGA, insula Belgii uniti, in ora Frisiæ Occident. in mari Germanico lata 12. mill. pass. inter Amelandiam Insul. ad Ortum, & Flevum ad Occasum, 12. mill. pass. ab Harlinga in Occidentem cum uno alteroque castro, sub Hollandis.

SCHELLINGUS Britannicus, nomen monetæ, quæ par est denario veteri Romano, cum besse seu quatuor obolis: atque adeò ipsa drachma Παχεῖα sive Æginæa, quæ decem valebat obolos Atticos; tres *Schellingi*, quinque denarii. Unde Aureum Romanum *Thomasius* quindecim *Schellingis* æstimat: *justissimè*, ut ait *Gronov. hi enim sunt* 25. *denarii*. Duodecim Staterem Atticum efficiunt: octo *Schellingis* Solidus Constantini & sequentium definitur, h. e. tredecim denariis, duntaxat ex veteri auri ad argentum proportione: nam tum plus valuit. Minam, ut & libram Romanam *Schellingi* sexaginta implent. Vide Joh. Frider. Gronov. *de Pecun. vet. l.* 3. *c.* 6. ubi quoque Libram Sterlingam, Britannis usitatissimam, solidos vel *Schellingos* genticos continere viginti, solidumque hunc vel *Schellingum* solidi vetusti Francorum trientem esse, asserit. Idem *l.* 4. *c.* 15. Miliatensem drachmæ Æginetiæ vel *Schellingo* Britannico, i. e. Belgicis stuferis decem, parem facit. Hinc Miliatenses 60. conjiciebantur in Libram argenti, quemadmodum totidem ad Libram Rom. *Schellingos* requiri suprà diximus.

SCHEMA, Græcè σχῆμα, propriè vestis exterior est; Sic paludamentum, quod *Plutar.* ἐφεστρίδα & φοινικίδα appellat, *Dioni* nunc est σχῆμα στρατηγικὸν, *vestis imperatoria*, nunc στρατιωτικὸν, *militaris vestis*. Nec aliter Plautus *Amphytryone in Prol. v.* 117.

Quòd ego huc processi sic cum servili schema:

Ubi *schema* ἀρχαϊκῶς extulit genere muliebri; sicut & Tranquillus *l.* 3. *c.* 43. *Ne cui in operâ edendâ exemplar imperatæ schemæ dresset.* Sed & eô nomine intelliguntur gestus corporis, ac inprimis petauristarum sive saltatorum, respondentes Musicorum instrumentorum modulis: quò pacto usi voce *Herodot. Xenophon*, *Aristophanes*. Aristoteli *l. de Poet.* dicuntur σχηματιζόμενοι ῥυθμοί. Atque hinc *figurandi* verbum, apud Lucretium *l.* 2. *v.* 413.

Ac Musæa mele, per chordas organici quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant.

Hujusmodi *schemata* aliquot Tragicæ Chironomiæ antiquæ, i. e. gestus, recenset Pollux *l.* 4. *c.* 15. quales σιμὴ χείρ, ὁ καλαθίσκος, χεὶρ καταπρηνής, ξύλου παράληψις, διπλῆ, θερμαυστρίς κλ. quibus addit Salmas. χεῖρα ὑπόσκοπον, qui gestus est eorum, qui intentè aliquid & diligenter speculari volunt: manum enim fronti obtendunt, ne Sol officere oculis & prospectum impedire possit, vide eum *ad Vopisc. in Carino, c.* 13. & suprà, *Chironomia*; infrà quoque voce *Telestes*. Fortasse & *Schematis* nomine intelligitur ipsa graduum, ut ita dicam, arbor cum imaginibus, quarum suis singulæ appositæ sint locis. Ita in *l. de Spectaculis*, qui Martiali tribuitur, *Epigr.* 16 in veterib. Codicib. exaratum est.

Cæsaris atque Jovis confer nunc schema Juventus.

Sed de hoc vocis significatu, vide Ger. Joh. Voss. *Institut. Orator. l.* 5. *c.* 2. & infrà voce *Stemma*. Apud Monasticæ Rei Scriptores, σχῆμα Græcum, & *Schema* seu *Scema* Latin. propriè usurpari pro habitu Monachico; hincque apud Græcos, Monachos esse quosdam, quos μικροσχήμους & μεγαλοσχήμους vocent, docet Car. du Fresne, ex Goaro *ad Euchologium Græcorum p.* 489. quem vide.

SCHEMATICI, Joh. Damasceno *de Hæres.* dicuntur Hæretici, qui eidem, *Ægyptii*, aliàs *Monophysitæ*, quos vide; ut & plura de iis, apud Joh. Forbesium *Instruction. Historico-Theologic. l.* 3. *c.* 14. *de Acephalis*.

SCHEMTOB, cum filio auctor *Commentarii in Middoth* & librum *Moreh*, obiit anno 190. Milenarii VI. juxta calculum *Dav. Ganz*.

SCHENKII Munimentum, Vide *Arx Scenchia*.

SCHEPHARTH, prænomin. Isaac, Rabbinus, composuit librum *Aben Bachan*, h. e. Lapis Lydius, circa ann. M. 5235. juxta calculum præfati *Ganz*.

SCHERA, Siciliæ urbs mediterranea, *Ptol. Calameta*, teste *Aretio*. Eversa, apud Alcamum in monte, ab ostio Crinisi fluv. 3. mill. pass. à Segesta 4. media inter Panormum & Drepanum.

SCHERIA, dicta est Phæacia, sive Corcyra, eò quòd Ceres metuens ne fluvii ex continente influentes continenti eam adjungerent, Neptunum rogavit, ut amnes everteret, quô factô *Scheria* vocata est, *Steph.* Melius Bochart. deducit à Phœnicio סחרה *Schara*, quasi *emporium* dixeris, aut *negotiationis insulam*. Talis enim à Poëta describitur, *Od.* ζ. *v.* 270.

Οὐ γὰρ Φαιήκεσσι μέλει βιὸς, οὐδὲ φαρέτρη,
Ἀλλ' ἱστοὶ καὶ ἐρετμὰ νεῶν, καὶ νῆες ἐῖσαι
Ἧσιν ἀγαλλόμενοι, πολιὴν περόωσι θάλασσαν.

Nic. Lloyd.

SCHETIS, & NITRIA, montes proximi, in Ægypto, apud Mariam lacum: ubi eremi & cœnobia olim plura, *Nicet.*

SCHETLANDICÆ Insulæ maris Caledonii. Aliàs *Æmodæ*, sub Danis. Sex numerô, quarum tres præcipuæ nempe Mainlandia, ad 60. mill. pass. extensa à Septentrione in Boream, Zealia, & Vuista. Sed nullus hic locus celebris. Alii numerant 26. Insulas, sed reliquæ potiùs scopuli ardui sunt & inculti, 60. mill. pass. ab Orcadibus in Boream. Harum Incolæ maximè senes fiunt.

de SCHEURN Conradus vide *Conradus*.

SCHIAIS, altera ex duabus Muhammedicæ Superstitionis primariis sectis, de quibus vide suprà *Muslimi*.

SCHILDIUS Hermannus, vide *Hermannus*.

SCHILLINGSFURST, castrum Germaniæ in Franconia, cum titulo Comitatus, sub proprio Comite ex Familia Hohenloica. Hujus enim cùm præcipua divisio sit in duos ramos *Langenburgicum* & *Waldenburgicum*, hic posterior iterum in alios, quorum unus *Schillingsfurstius* est, abiit. Et quidem Georgius Fridericus fil. Eberhardi *Comitis de Hohenlohe in Waldenburg* (qui obiit A. C. 1570.) ex Agatha Comite Tubingensi, junxit sibi Dorotheam Ruthenam, atque inter alios genuit Georgium Fridericum Comi-

tem *de Hohenlohe in Schillingsfurst*, defunctum A.C. 1635. quô & Dorotheâ Sophiâ Solmensi nati sunt, Elisabetha Dorothea (nata 1617. uxor Georgii Alberti Comitis Erpachii) Ernestina Sophia (nata 1618. uxor Wilhelmi Comitis Solmensis) Philippina Sabina (nata 1620. uxor Friderici Comitis Wiedæ) Maria Juliana (nata 1622. uxor Caroli Magni Marchionis Badensis & Durlacens.) Carola Christina (nata 1625. uxor Georgii Ernesti Comitis Erpachii) & præter alios utriusque sexus, qui cœlibes defuncti, Christianus (natus 1627. maritus Luciæ Hatzfeldiæ & Gleichensis) & Ludovicus Gustavus (qui natus A.C. 1634. uxorem sibi junxit Mariam, eôdem cum Lucia præfata patre Hermannô Comite Hazfeld. & Gleichen genitam) omnes *Comites Hohenloe &c. in Schillingsfurst.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Europ. Part. I. p.* 117. & *Part.* 3. *p.* 83. ubi Christiani quoque & Ludovici Gustavi sobolem enumerat, quorum illi solum filius superstes Fridericus Hermannus (natus 1658.) ibi memoratur.

SCHINDLERUS Valentinus, vide *Valentinus.*

SCHINGUIS Khan, i.e. *Rex Regum*, Tartarici Imperii conditor, circa A.C. 1187. Fuit is fil. Suko-Baduri, Mogolum, qui Tartarica tribus erant, Principis, qui in aula Unkami Regis Magnæ Tartariæ Nestoriani, velut obses educatus, ac proditionis apud eum falso insimulatus, ad populares, qui tum è provinc. *Kerokeram* versus Septentrionem in campestria *Bargu* migrârant, tributumque Unkamo pendere desierant, profugit, divinique ad Imperium vocatione simulatâ, & omissô *Temukini*, quô prius vocabatur, nomine, *Schingius Khan* appellari voluit. Rex creatus barbaros Scythas, hactenus inopem in re pecuaria agentes vitam, legibus & disciplinâ militari instruxit; quarum illæ *Jasak Schingius Khan*, i. e. Leges Regiæ, dictæ sunt, teste Haitone Armeno c. 17. Præcipuè autem id suis inculcavit, ut suis, suorumque Successorum mandatis, cæcum præstarent obsequium. Ita instructô exercitu contra Unkamum, in Tendukanis campis cum eo conflixit, victumque majori ditionum parte exuit. Ex Tartaria dein Persiam ac Indiam aggressus, usque ad Tigrim & Volgam cunctis potitus est regionibus. Moriens inter quatuor filios ditiones ita divisit, ut *Octai* seu *Hakota* primogenitus maximam earum partem retineret, cum titulo *Magni Chani* & *Regis Regum*, ac superioritatis in reliquos fratres axiomate: Tuksi, alter filius, omnes provincias Occid. ad fluv. Volgam, nimir. Tartariam desertam, Russiam, Cumaniam, Bulgariam, Gothiam, Alaniam, alias: Tertius Schadagai, Orientalem Imperii partem, ut suprà diximus &c. teneret. Qua de re vide Georg. Hornium *Orb. Imper. cum Animadversion. Felleri p.* 230. & *seqq.* Adde eundem *Orb. Politic. p.* 410. ubi primum hunc Tartarorum Imperatorem, superatô murô, Sinensibus bellum intulisse, circa A.C. 1206. sicque Tartaris ad vastum illud Imperium occupandum, viam stravisse ait. Certè post 75. annos hi voti compotes familiâ Sinensium Imperiali *Sungâ*, & plerisque Procerum extinctis, novam constituerunt epocham, *Iveuam*, quæ continuâ successionis serie novem dedit Imperatores per annos septuaginta, ut habet Auctor Anonym. *Sinæ & Eur.* c. 48. vel nonaginta, ut Hornius *ubi supra*: donec Tartaris iterum pulsis *Taminga* familia successit. Vide & suprà *Chingis Kan.*

SCHINUSSA, insula parva maris Ægæi, una Sporadum, inter Melon & Ion. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Stephano* est insula Phocica, vel Phocææ adjacens.

SCHIRA, castrum Bavariæ, cum titulo Comitatus, olim sub propriis Comitibus, postmodum ad Duces Bavariæ pervenit. Inter quos cùm Arnolphus Malus adversùs Conradum I. atque Henricum Aucupem Imperatores rebellâsset, fil. ejus Arnolphus, hæreditate paternâ exclusus, *Schirensis Comitis* titulô atque conditione uti coactus est: quo in gradu mansit quoque fil. ejus Bertholdus, & nepos Wernerus. Wernerô natus Otto I. filium habuit Ottonem II. patrem Ottonis III. qui Witelspachium condidit (unde postea familiæ nomen) *Schirensi* arce in Monasterium conversâ. Hujus fil. Otto IV. genuit Ottonem V. qui, proscriptô Henricô Leone A.C. 1180. à Friderico Barbarossa Ducatum Bavariæ nactus est postliminio in hanc familiam reducem. Eô genitus Ludovicus, à Friderico II. Imperatore consecutus est Palatinatum, cùm ejus filio Ottoni uxor obtingeret Agnes, hæres Palatinatûs, Henrici Saxonis filia: unde Serenissimæ Familiæ origo. Vide Phil. Jac. Spenerum *in Familia Palatino Bavar.* & Tob. Pfannerum *de præcip. Germaniæ Principum Gentibus c.* 3.

SCHIRA, melius SCHYRA, Anglis pagus est, regiuncula, Comitatus; propriè sectio, divisio: an à Græco ξυρεῖν, radere, unde ξύρησις rasio, tonsura, & per translationem *Sectio*? Certè hodieque Angli *to shere*, & *sheare* dicunt, pro radere, tondere, dividere, atque inde *Shares* pro ipsis portionibus. Est autem *Shyra* regni portio in plurimas dissecti, quæ cum singulæ in singulorum Comitum olim cesserint gubernationem, *Comitatus* quoque appellari sunt. Facta autem hæc *Shyrarum* divisio per Alvredum Regem, qui indigenarum latrocinia cohibiturus, totam Angliam in Comitatus primò, hos in Centurias, istas in Decimas, has denique in Trithingas, divisit: Ingulphus *in Histor. Croylandiæ*, apud Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

SCHIRASIUM, urbs ampla Persiæ propriè, forsan *Marrasium* olim, *Scheraz*, Persic. Ad fluv. *Bendimir*, 200. mill. pass. ab Armuzia in Boream, Aspahanum versus 250. circiter. Ibi optimum vinum. Crevit ex ruinis Persepolis; circuitus 9. mill. pass. circiter domus habet 200000.

SCHIRWINUS Radolphus, vide *Radolphus.*

SCHISMA, ab Hæresi sic distinguitur Augustino, ut *Schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas*, *Quæst. Evangelic. sec. Matthæum c.* 11. Quia verò *Schisma* malè perseverando fit hæresis, ut idem monet *Ep.* 164. neque ullum Schisma est, nisi aliquam hæresin confingat, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur, uti monet Hieronym. apud Gratianum, *causa* 24. *quæst.* 3. *can. Inter.* propterea alibi Augustinus eam distinctionem magis probat, *qua*, inquit, *schisma esse dicitur recens congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio — hæresis autem schisma inveteratum*, *contra Crescon l.* 2. *c.* 7. Basilius M. antiquos Patres inter Hæreses, Schismata & Παρασυναγωγὰς hoc discrimen fecisse tradit: ut *Hæresin* dicerent, quando homines prorsus abrumpuntur, & secundum ipsam fidem abalienantur; *Schisma*, quando propter causas quasdam Ecclesiasticas & ζητήματα ἰάσιμα, *quæstiones medicabiles*; *Parasynagogam* verò, conventum rebellium Presbyterorum aut Episcoporum, & ab ineruditis Laicis factum. *Ep.* 1. *Canon. ad Amphiloch. c.* 1. ubi *Schismatis* exemplum dat in Novatianis seu Catharis, de pœnitentia dissentientibus, ab iis qui sunt in Ecclesia; *Hæreseon* verò exempla adfert, Manichæos, Valentinianos, Marcionitas, Pepuzenos, alios, de ipsa Fide in Deum dissentientes &c. Cùm igitur Parasynagoga sit species quædam Schismatis, sed sine hæresi; omne autem Schisma contumaciam habeat, distinguendum *Schisma meræ rebellionis*, à *Schismate etiam dogmatico*: ut Schismaticorum alii sint simpliciter *Schismatici*, alii *Schismatico-Hæretici*. Qui posteriores ab aliis simpliciter Hæreticis in eo distant quòd alii Hæretici, etiamsi nolint, ejiciantur ex Ecclesiæ communione: at Schismatico-Hæretici, nisi suâ sponte discederent ab Ecclesia & unitatem ultro dirumperent, tolerari possent in Ecclesia, *tanquam infirmi fratres, vel palea*, ut ait Augustin. *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 51. in aliquo errantes, salvô tamen veritatis fundamentalis & pacis concordiæque vinculô: cùm talium hæresis in eo maximè deprehendatur, quòd unitatem abrumpendam existiment, propter ea dogmata & facta, ob quæ tale dissidium neutiquam faciendum est. Vide Joh. Forbesium *Instructionum Historico Theologic. l.* 14. *c.* 1. & *seqq.* & Joh. Casp. Suicerum *Thesaur. Eccl.* passim.

SCHISTOS, inter genera hæmatitis gemmæ, memoratur Plinio *l.* 36. *c.* 20. à venis, quibus distinguitur, nomen nactus, Salmas. *ad Solin. p.* 408. Græcis enim σχίζειν, *dividere, distinguere est.* Sic aluminis genus, *in capillamenta quædam dehiscens*, *schiston appellatum*, docet idem Plin. *l.* 35. *c.* 15. qui & *schistorum ovorum*, meminit *l.* 29. *c.* 3. Et quidem in sex lapideis tabulis, è *schiste* lapide, in cubum adaptatis, mensurarum ac ponderum proportionem priscis usitatam, exhibet in suo *Museo* Athan. Kircherus, uti vidimus suprà in voce *Quadrantal.* Cæterùm verbum σχίζειν Græci Rusticæ Rei Scriptores de prima ac verna aratione quoque dixêre, uti discimus ex *Epigr.*

—— γαῖαν σχίζοντες ἀρότροις.

Quod *scindere* Virg. exponit, *l.* 2. *Georg. v.* 399. Servius *vervactum facere*, alii *proscindere.* Vide Salmas. ubi suprà *p.* 725.

SCHIZA, Bithyniæ urbs, memorata Annæ Comnenæ in *Alexiade p.* 57. ab eadem origine, quòd in agro à continenti quodammodo *divulso* constructa esset: de qua vide Car. du Fresne *Notis ad Villhardunum p.* 350.

SCHLAVONIA, vide *Sclavonia.*

SCHLESVICUM, German. SCHLESVICK, provinc. Germaniæ, in Cimbrica Chersoneso. Marchionatus primùm ab Henrico Aucupe, victô Danorum Rege Gormone, institutus: à Conrado II. Imperatore Canuto Dano cessus est, cujus filiam Henrico filio in uxorem pepigerat. Ducatûs dein titulô à Nicolao Daniæ Rege Canutus Erici Regis fil. A.C. 1118. inde alii, regiô Danorum sanguine orti, usque ad Woldemarum Erici filium tenuerunt; qui 12. adhuc annorum puer, pulsô à Danis Christophorô, in Regnum accitus, Gerhardo avunculo *Slesvicum* concessit. Sed brevi post inter hos tres conventum, ut Christophorus Regno restitutus 80000. marcas argenti Comiti Gerhardo exsolveret, *Slesvicum* etiam recepturo, quando Woldemarus sine hærede excederet. Quæ sors obvenit Gerhardi nepoti, Gerhardo VII. *Ducis Slesvicensis* titulô in clientelam, ab Olao II. ejusque matre Margaretâ, acceptô, A.C. 1380. Illi successit fil. Adolfus, insidiis & apertâ vi, à Margaretha, & Erico, quem illa adoptaverat, frustra petitus. Post ejus mortem, in Christiano sororis filio, Daniæ regnum Slesvicique Ducatus coaluêre, ex cujus posteris Holsatiæ Duces, quanquam clientelæ nexu se agnatis Daniæ Regibus obstrictos haud inficiarentur, cùm tamen majorem libertatem sibi arrogarent, ac istis permittere commodum esset, lites diuturnæ exortæ sunt, pactione tandem Augusti Electoris Saxoniæ, Ulrici Meckelburgii & Guilielmi Hassi operâ, utcunque compositæ. Acerbius certamen hæc ætas tulit. Redintegratô enim inter Danos Suecosque ante aliquot lustra bellô, Daniæ Regi, adversam fortunam experto, inter alias leges etiam hæc imposita, ut Fridericum Holsatiæ Ducem (cujus filiam Hedvigem Eleonoram Carolus Gustavus Suecorum Rex sibi junxerat) sicque Gottorpiensis familiæ Duces, sui juris esse pateretur. Sed Christianus hodie imperans, Christianum Albertum Holsatiæ Ducem eò postmodum adegit, ut is abdicatô summô istô in Slesvicensem terram jure, Danicam clientelam publicâ fide denuò profiteretur. Quod cùm hic vi extortum quereretur, provinciâ pulsus tandem Pace Noviomagensi restitutus est, vide Tob. Pfannerum *de præcipuis Germ. Princ. Gentibus*, ut & in voce *Slesvicum.*

SCHLEUSINGA, nomen castri in Suevia, sub proprio olim Comite, ex Familia Hennebergica. In qua Bertoldus, *Schleusingensi* prosapia ortus (ad quam deficiente agnatorum Aschacensium stirpe A.C. 1449. tota ditio transiit) *Principis* axioma primus adeptus est, ab Henrico VII. Imperatore A.C. 1310. Posterorum ejus seriem habes apud Philipp. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Eur. Part.* 2. *p.* 50. Ultimus lineæ, totiusque adeò Familiæ hujus illustris fuit Georgius Ernestus qui, nullâ ex duplici matrimonio, Elisabethæ fil. Brunsuicensis, & Elisabethæ Wirtenbergicæ, prole susceptâ, obiit A.C. 1583. Saxonibus hæredibus. Tob. Pfannerus *de præcip. Germ. Princ. Gent. c.* 7.

SCHLICH-

SCHLICHTINGIUS Jonas, vide *Jonas*.

SCHLIKIUS Casparus, Sigismundi Imperatoris Cancellarius, Equestris Ordinis, Bohemus. Hic cum de nece Hussi in Concilio Constantiensi deliberaretur, in illam non consensit, sed surgens è consessu egressus est A. C. 1415. post ad Comitatus honorem evectus. Ex ejus posteris Joachimus Andreas Comes, cum Venceslao Barone de Budowa præcipuus, consensus inter Fratres & reliquos Evangelicos in regno initi, sub initium hujus seculi, parator fuit. Postea, Bohemia à Ferdinando subactâ, A. C. 1621. martyrio cum eodem coronatus; postquam ab Inquisitoribus innumeris quæstionibus fatigatus, disruptâ veste & pectore nudato exclamâsset: *Discerpite in mille frusta corpus hoc, & rimamini viscerum intima, nihil tamen reperietis, præter quod in apolgia expressimus. Libertatis ac religionis amore gladium stringimus*, &c. Vide Joh. Amos Comenii *Annal. Fr. MS.* apud Lætum, *Comp. Hist. Univ.*

SCHMIDELFELDIA, nomen castri, in Franconia Germaniæ provincia, sub proprio Domino, ex illustri Limpurgiorum Familia. In hac enim cum duæ sint lineæ præcipuæ, *Gaildorfia* & *Speckfeldia*, vel *Sonthemia*, ad priorem *Schmidelfeld* etiam refertur. Originem ei Conradus dedit, major natu filius Friderici, extincti A. 1414. In cujus posteris Joannes Wilhelmus Dominus & Pincerna de *Limburg* (qui obiit A. C. 1655.) ex Maria Juliana Hohenloica, pater fuit præter alios, qui maturè defuncti, Philippi Alberti (nati A. C. 1648.) Wilhelmi Henrici (nati 1652.) Sophiæ Eleonoræ (natæ 1655.) &c. *lineæ Gaildorfiæ, in Gaildorff & Schmidelfeld*. Ad hos autem *Schmidelfeldia* successio delapsa est; morte patruelis Wilhelmi Ludovici. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theat. Nobil. Eur, Part. I. p.* 55. 101. & *Part.* 2. *p.* 123.

SCHMIDELINUS Jacobus, vide *Jacobus*.

SCHMIDIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

SCHNEIDEWINUS Guntherus, Arnstadii in Comitatu Schwartzenburgico natus, Consiliarius Vinariensis, obiit A. C. 1604. ætat. 56. *Henricus*, Stolberga Cheruscus, Consiliar. itidem Vinar. Jus docuit Jenæ, ac Matth. Wesenbecium Doctorem creavit, A. C. 1558. Cancellarius dein Arnstadiensis, obiit A. C. 1580. ætat. 60. munificentiâ in pauperes Studiosos inclytus. Frater ejus *Johannes*, Luthero gratissimus, Consiliar. Schwartzenburg. & Saxon. JCtus Wittebergensis, obiit A. C. 1568. ætat. 49. Melch. Adami *Vitis JCtorum*, Paul. Freherus *Theatro Viror. eruditione clar.* Alii.

SCHNEPFIUS Theodoricus, vide ibi.

SCHOCNAUGIA Elizabetha, vide *Elizabetha*.

SCHOENBORNIA Familia, inter Equestres Rhenanas à plurimis seculis florens, ab Eustachio *de Schœnborn*, qui floruit A. C. 1192. condita. Ex ejus posteris Joannes Philippus (natus 1605.) Elector & Archiepiscopus Moguntinus, Episcopus Herbipolensis & Wormatiensis, obiit A. C. 1673. frater major natu Philippi Ervini Baronis de *Schœnborn*, cujus ex Maria Ursula *Greiffenclau de Vollraths* liberos, & utriusque fratris progenitores, vide apud Spenerum ubi suprà *Part.* 3. *p.* 60. & 86.

SCHOENBURGIA Familia, antiquitate & affinitatibus illustris, inter Imperii Status claret. In qua ab Ernesti filiis tribus, superiori seculo, tres lineæ ortæ sunt, *Glauchensis*, *Waldenburgia* vel *Liechtensteinia* & *Penracensis*: quarum prima in secundo gradu defecit. Mediæ seriem habes apud Spenerum *d. l. Part.* 2. *p.* 7. ubi Ottonis Alberti Dn. *de Schœnburg* Majores recenset. Natus autem is est Hugoni (defuncto A. C. 1603.) ex Catharina Comite Sylvarum & Rheni. Idem Spenerus, *Schœnbergiæ* Familiæ, inter Equestres Romanas diu præcipuæ, postmodum Comitivæ dignitate auctæ, quam gesta inprimis bellica Friderici Schœnbergii amplius illustrârunt, historiam exhibet, *Part.* 3. *p.* 63. & *in Indice*.

SCHOENOBATES, memoratur Juvenali *Sat.* 3. *v.* 77. *Labeoni Funambulus l.* 54. *ff. de act. empti.* Appulejo *Funirepus*, *Floridor. l.* 4. Græcis Σχοινοβάτης, item Καλοβάτης in *Glossis*, καλοι namque σχοινία sunt, interprete *Hesychio*; apud Romanos inter servos fuit Artifices, è quibus dominus non voluptatem modò consequi, sed & lucrum facere, operas eorum locando, consueverat: Tales enim Gladiatores, Agitatores, Funambuli, Palæstritæ, Pueri Puellæque Magicæ fuêre, ut videre est, apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis*. Istiusmodi *Schœnobatas*, quales hôc tempore lucri gratiâ per orbem vagantur, etiam Veteres ad populum oblectandum adhibuisse, non modò ex Auctoribus præfatis, sed & icone, quæ in sculptis Veterum gemmis spectatur, & à Mercuriali *de Arte Gymnast. l.* 3. *c.* 5. exhibetur, cognosci potest. Unde & Terentius *in Hecyra*, *Prologo* 1. *v.* 5.

> *Ita populus studiô stupidus in funambulo*
> *Animum occupârat.*

Transtulit eleganter vocem M. Cœlius *l.* 8. *Ep.* 1. *Ego, qui scirem Q. Pompejum Bauli* Schœnobaticam *facere & usque eo, ut ego misererer ejus esuriei, non sum commotus.* Ubi *Schœnobaticam* dixit facere Pompejum, quòd iis premeretur angustiis rei familiaris, ut illi pedes, quod Funambuli solent, diducere non liceret. Quod planè est Tullianum illud *Phil.* 2. *Quid erat in terris, ubi in tuto pedem poneres?* Salmasium tamen in *loc. cit. Empeneticam* legere, vidimus suprà. Sed & alia exercitatio, licèt & alibi locorum, præsertim tamen in Gymnasiis, effici consuevit, quam vocabant τὸ διὰ σχοινίου ἀναρριχᾶσθαι, *per funem ascendere.* Quomodo autem se per funes ascendendo exercerent, facilè apparet ex eadem descriptione, quam è Veterum gemmis in suum opus transtulit Mercurialis *l. c.* Et meminit exercitationis ejus atque inter vehementes reponit *Galenus*. Porrò *Schœnobatis* seu Funambulis non admodum dissimile fuit genus illud ludi, quod apud *Hesychium & Pollucem* Σκαπέρδα vocatum reperitur: *Ibi eo enim trabs solo depacta erigebatur, in cujus summo foramen erat, per quod funis trajiciebatur ex una parte funiculi; alter aversus circumligabatur; Tum alter ab altera trahebat, sique trahens socium usque ad summum traxisset, protinus victor denuntiabatur; Sin alter resistens minime se trahi permittebat, penes ipsum stabat victoria.*

SCHOENUS quod SCHENO adhuc, portus Peloponnesi ad sinum Saronicum, & ad Isthmum, ubi is angustior, à Cenchreis 40. stad. in Boream. *Schœnus* item pagus, à Thebis 50. stad. cum fluv. cognomine. Est & *Schœnus*, *urbis*, teste *Stephano*, regiuncula à *Schœneo* patre Atalantes dicta, & fluv. Arcadiæ, & alter apud Athenas fluens, teste *Strabone*. *Schœni* meminit Papinius *Theb. l.* 7. *v.* 267.

> *Qui breve litus Hyles, Atalantæumque superbi*
> *Schœnon habent.* ———

SCHOENUS, apud Plinium *l.* 2. *c.* 14. ubi de Thurifera regione, *Sylvarum longitudo est schœnorum X X. latitudo dimidium ejus*: ex Græco σχοῖνος, *funiculus*, mensuræ genus est, cui idem ac parasangæ spatium attribuit Hero, quô itinera metiebantur Veteres. Hinc in amne Nilo navigantes, ad mensuranda intervalla, de urbe in urbem, *Schœnos* adhibuisse, docet Strabo *l.* 11. Ad quem locum egregiè faciunt illa Hieronymi *in Joëlem*. *In Nilo flumine, sive in ripis ejus, solent naves funibus trahere; Certa habentes spatia, quæ vocant funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant.* Alius erat *schœnus* sive funiculus, quô terras metiebantur, quod & ... vocârunt Agrimensores, & σχοινίον, quorum alterum decem, alterum duodecim orgyiarum fuit. Vide de hoc posteriori vocis significatu Salmas. *ad Solin. p.* 683. 688. de priori eundem *ib. p.* 1196. A Græco σχοῖνος, extat de Poëmatibus Ionicis vetus verbum σχοινίζειν, quod interpretantur, πάντα ποιεῖν ἔξω κόσμου, *omnia facere præter decorum*: quòd nempe agerent adulteros, meretrices, productores, lenones, ebrios &c. Quam in rem vide Jul. Cæs. Scaligerum *Poet. l.* 1. *c.* 51.

SCHOKIUS Martinus, vide *Martinus*.

SCHOLA, quid propriè sit, indicat Ausonius *Eidyll.* 4. *ad Nepot. v.* 5.

> ——— *Grajo* Schola *nomine dicta est,*
> *Justa laboriferis tribuantur ut otia curis.*

A Græco nempe σχολή, quod *otium* denotat, nomen invenit. Quia enim secundùm Celsum *de re Med. l.* 1. *in Proœm. literarum studium tam est corpori inimicum, quàm animo salutare*, & secundum Senecam *l.* 1. *controv. præf. Lassitudo ingenii non minor est, quàm corporis, sed occultior*, hinc Feriæ quædam delassatis Musis antiquitùs institutæ sunt. Romæ namque Messis & Vindemiarum tempore ferias datas fuisse, non Foro tantùm, sed & *Scholis*, docet Augustin. *Confess. l.* 9. *c.* 2. *Et opportunè jam paucissimi dies supererant, ad vindemiales ferias.* Vide quoque Minucium Felicem *in Octavio*. Idem & Saturnalibus fuisse factum, i. e. mediô Decembri, discimus ex C. Plin. Jun. *l.* 8. *Ep.* 7. *Neque ut Magistro Magister, neque ut discipulo discipulus, sic enim scribis, sed ut discipulo Magister; Nam tu Magister, ego contra, atque ideo tu in* Scholam *revocas, ego Saturnalia extendo, librum misisti* &c. Sic Martialis *l.* 5. *Epigr. ult.*

> *Jam tristis nucibus puer relictis,*
> *Clamoso revocatur à Magistro,*
> *Et blando male proditus fritillo,*
> *Arcana modò raptus è popina,*
> *Ædilem rogat udus aleator,*
> *Saturnalia transiere tota,*

Ubi Scholiastes notat, pueris nucum ludum Saturnal. viris aleam indultam fuisse, finitisque Saturnalibus, quô tempore Scholæ clausæ erant, pueros in eas fuisse revocatos. Apud Athenienses, pueri Musarum festos dies agitabant in *Scholis*, sicut Mercurii provectiores in palæstris: quorum illi Μουσεῖα, hi Ἑρμαῖα dicti, idque per comessationes, aliaque delectationis genera, ut patet ex *Æschine* ... Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Att. l.* 3. *tit.* 7. Ipsi, qui *Scholis* præerant, eos dies hilaritati dabant, proponebantque invicem ænigmata ac griphos, quos qui solveret, coronâ è lauro nexâ & præmiô donabatur, A. Gellius *l.* 18. *c.* 2. utque Athenis feriarum tempore in circumjacentes Insulas, vel æstuaria vel etiam villas amœniores, secedebant, teste eodem *l.* 1. *c.* 2. Ita Romani delitiis Campaniæ fruebantur, apud eund. *l.* 19. *c.* 15. Hæc de vocis origine, unde simul patet, locum in quo tyrocinia literarum exhibita, *Scholam* Latinis seu *Ludum literarium*, Græcis Διδασκαλεῖον, dictum esse. In balneis verò istæ *Scholæ* erant, teste M. Poll. Vitruvio *Architect. l.* 5. *c.* 10. aut in porticibus, C. Plin. *l.* 35. *c.* 10. eratque separata *Scholarum* distinctaque à balneis porticibusque, in quibus erant, consecratio: ut ex *veteri marmore* apparet, *Bebryx. All. F. L. Drusianus. A. Fabius. Xanthus. Cur. imagines. argenteas. Deorum. septem. ad. dedicationem. Scholæ.* Mercurialis, tria Romæ loca fuisse, in quibus literariæ exercitationes obirentur, ex variis Galeni libris, ostendit, *Templum Pacis*, antequam conflagraret, *Gymnasia publica* & Ἀθήναιον quò referri quoque potest *Schola Medicorum* appellata, in Esquiliis: multis imaginibus atque marmoribus ornatissima, ut ex ruinis illius partis à pluribus & præsertim à *Ligorio* observatum fuit. In qua quid potissimùm ageretur, Auctores non memorant. Fortè, præter dispositiones & alia Medicinæ Studiosorum exercitia, simile quid ibi tractari solitum est, atque nunc in *Collegiis* vocatis fit; quando & *Scholam* ejusmodi proprios Tabularios habuisse, ostendit *marmor cum hac Inscr.* Romæ ad D. Sebastiani repertum: *M. Livio. Celso. Tabulario. Scholæ. Medicorum. M. Livius. Eutychus. Archiater. Ob. D. II. in fr. ped. IV.* Vide Hieron. Mercurialem de

Arte

Arte Gymn. l. 1. c. 7. Apud Athenienses, *Scholam* Ludumque literarium, aperiri ad orientem Solem, claudi ante occasum, jussit Lex. Οἱ δὲ τῶν παίδων διδάσκαλοι ἀνοιγέτωσαν μὲν τὰ διδασκαλεῖα, μὴ πρότερον ἡλίου ἀνιόντος, κλειέτωσαν δὲ πρὸ ἡλίου δύνοντος, *Puerorum Praeceptores, Ludum literarium ne aperiunto, ante orientem Solem, claudento verò ante occasum*, ut sic puerorum pudicitiæ caveretur. Unde nemini ætatem puerilem supergresso, *scholam*, quamdiu pueri in illa, sub mortis pœna, ingredi licuit; exceptô filiô Praeceptoris, aut è fratre nepote, aut generô, ex Lege eadem, Æschini *contra Timarch.* memoratâ, καὶ μὴ ἐξεῖναι τοῖς ὑπὲρ τὴν τῶν παίδων ἡλικίαν οὖσιν εἰσιέναι, τῶν παίδων ἔνδον ὄντων, ἐὰν μὴ υἱὸς διδασκάλου, ἢ ἀδελφὸς, ἢ θυγατρὸς ἀνήρ. E quibus patet, quâ ætate oportuerit ire in *scholam*, quique inde exesse fuerint jussi. Quinam verò hi fuerint, qui in ludum literarium irent, idem Æschines *loc. cit.* docet, cùm τῆς παιδὸς τῆς ἐλευθέρου meminit: nempe conditionis ingenuæ & liberæ, non servilis, hi enim ad manuarias operas abjiciebantur. Quare Terentius *Eunucho Actu 3. sc. 2. v. 23.* ait:

—— —— Fac periculum in literis,
Fac in palæstra, in Musicis, quæ liberum
Scire æquum est adolescentem.

An definitus fuerit numerus puerorum, qui in eandem *scholam* convenirent, incertum. Interim multos eorum fuisse, discimus ex Plutarcho *in Camillo*, κοινῷ γὰρ ἐχρῶντο τῷ διδασκάλῳ, ὥσπερ Ἕλληνες, οἱ Φαλέριοι, βουλόμενοι συντρέφεσθαι καὶ συναγελάζεσθαι μετ᾽ ἀλλήλων εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς τοὺς παῖδας. Magistratus, cujus curæ erant commissæ *scholæ* & *Gymnasia*, Κοσμητὴς dictus est, de quo nos suprà. Vide plura de his apud Petitum *loc. cit.* Apud Hebræos, Synagogis connexæ erant *Scholæ*, sive Collegia, sublimiori Legis studio dicata; quæ בית המדרש, à salubriori inquisitione dicebantur; erantque sæpe, ut & ipsæ Synagogæ, in collibus sitæ. Vide Judic. *c. 7. v. 1.* ubi mentio גבעת המורה & Proverb. *c. 1. v. 21.* ubi Summa Sapientia dicitur proclamare בראש הומיות Franc. Burmannus *Synops. Theol. part. l. l. 4. c. 16.* Vide quoque suprà, ubi *de Canonicorum Collegiis*. Fuisse à Synagogis diversas, patet ex eo, quòd Paulus, postquam *tres menses in Synagoga* docuisset, Ephesi, tandem *abscedens* inde, *quotidie disseruisse in Schola Tyranni cujusdam*, legitur Actorum *c. 19. v. 8. 9. 10.* Dicebantur verò aliquando simpliciter *Beth*, i. e. *Domus*, ut in illo apud Drusium *de tribus Sectis l. 2.* *Octodecim res, de quibus contentio fuit inter domum Sammai, & domum Hillel, ne Elias quidem abolere posset.* Aliquando, ut dictum, *Beth Hammidrasch*: ubi sublimior rerum divinarum disquisitio vigebat, quàm in Synagogis, vel Templo: quæ causa dicti Hebræorum; *A Synagoga ad Scholam transire licet, non vicissim: Sanctitas enim scholæ sanctitatem Synagogæ junctam habet.* Maimonid. *Tephilla c. 11. sect. 14* Et hinc verba Psalmi *84. v. 7. de Virtute in Virtutem*, de promotione Academica intelligunt è Templo, ubi *ad Populum*: in Scholam, *ubi ad Clerum* sermo, Paraphr. Chaldaic. *in loc.* In his Præceptores, cùm instruebant Juventutem, dicebantur *dare*, Proverb. *c. 9. v. 9.* Discipuli verò *recipere*, Prov. *c. 4. v. 10.* quò fortè respiciens Apostolus 1. Tim. *c. 1. v. 15. Certus*, inquit, *sermo, & dignus omnibus modis qui recipiatur*, i. e. *addiscatur*. Cui simile, apud Horat. *l. 2. Sat. 8. v. 4.*

—— Da, si grave non est.

Virgilius *Bucolic. Eclog. 1. v. 19.*

Sed tamen iste Deus qui sit, da Tityre nobis.

Contrà *Æn. l. 2. v. 65.*

Accipe nunc Danaûm insidias, &c.

Vide Thom. Godwyn *de Ritibus Hebr. l. 2. c. 2.* & suprà ubi de *Gradibus Academicis*, it. in voce *Rabbi*. de situ verò discentium docentiumque apud eosdem, aliosque ubi *de Lecticula lucubrat.* uti de Scholis Christianorum, itidem suprà in vocibus *Collegium*, *Episcopium Monasteria.* Quemadmodum autem apud Hebræos, sic & apud alias gentes, non raro vocabulum *Scholæ* de sublimiori literatura ac disquisitione, sumtum est: Unde Plato in Siciliam proficiscens *scholæ* suæ Heraclidem Ponticum præfecisse legitur; quô significatu *Schola*, *Collegium*, *Academia* &c. synonyma erunt, de quibus vide *suô locô.* Sed & traducta vocabuli hujus significatio, in Aulam, & *Scholæ Palatinæ* dictæ sunt cohortes variæ, ad Palatii & Principis custodiam destinatæ, quæ singulæ in suis *Scholis* excubabant, dignitate, stipendiorum modô ac gradibus differentes. Corippus *l. 3. n. 3.*

Acciti Proceres omnes, Scholaque Palati est
Justa suis astare locis ——

Scholam Domesticorum vocat *Suidas*: aliique, cujus egregia hæc descriptio, apud Corippum Africam. *de laudibus Justini min. l. 3. num. 6.*

Illis summa fides & plena licentia sacris
Deservire locis atque aurea fulcra parare,
Regales mensas epulis onerare superbis,
Conservare domum, sanctumque intrare cubile,
Internas munire fores.

Atque hæ Palatinæ Scholæ omnes erant sub dispositione Magistri Officiorum, uti discimus ex *Notit. Imper.* Vide quoque suprà Ode, ubi de *Schola Aulica* Turcarum Imperator. Ab iis porrò *Scholæ* nomen transiit ad militiam civilem, seu civilium Magistratuum, quarum major erat numerus: atque hinc denique ad Ecclesiasticos Ordines, uti hìc infrà strictim videbimus. Addam hic saltem de iis, Henr. Valesio *Scholas* generaliter dictas esse ædificia, ubi convenire solent plures homines, aut studendi aut præstolandi, aut conferendi, aut alterius rei causâ, atque hinc à loco eorum, qui in hisce Scholis consistebant, catervis ipsis *Scholarum* nomen inditum *ad Ammianum l. 14.* Sed nec omittendum inter *Scholarum* Gymnasiorumque ornamenta, quorum plura erant, Amoris statuam Veter. eximiam habuisse, uti docet Athenæus *l. 13. c. 5.* Unde Lactantius *l. 1. c. 20.* citat ex Cicerone *de LL. l. 2. Magnum audaxque consilium suscepisse Graeciam, quod Cupidinum & Amorum simulacra in Gymnasiis consecrasset. Virtutes enim oportere, non vitia, consecrare.* Et Appulejus *de Philos. l. 1.* dicit, *Socratem vidisse sibi visum esse, Cygni pullum ex altari, quod in Academia Cupidini consecratum est, volasse & in suo gremio resedisse.* Vide Georg. Hornium *Hist. Philosoph. l. 7. c. 3.* quô quid indigitatum fuerit, notum. De *Proscholio*, loco ante *Scholæ* auditorium, ab eoque velo disSepto, in quo discipuli à Proscholo officii sui admonebantur, antequam ad Magistrum reductô velô accederent, diximus suprà voce *Proscholus*.

Scholarum varia genera, apud Auctores.

α. *Schola Adextrariorum*, eorum erat, qui Papalem mitram deferentes, ipsi equitanti *ad dextrum* incedebant. Macer *in Hierolex.* β. *Schola Agentium* in rebus, *Notit. Imper.* γ. *Schola Anglorum*, vide suprà *Denarius S. Petri.* δ. *Schola Bestiarum*, Tertulliano *Apologet. c. 35.* Ludus dictus est, quò rei cum bestiis olim committi soliti. ε. *Schola Cantorum*, ordo Cantorum Ecclesiæ Romanæ est, ab Hilaro Papa institutus, ut habet Anastasius in *Vita* ejus. Cui, qui præerat, *Magister Scholæ* Cantorum, item *Prior Scholæ* Cantorum, Præcentor dictus est. Vide Macros Fratres *in Hierol.* ζ. *Schola Capitum*, sive Præfectorum tyronibus exercendis, apud Ammianum *l. 26.* η. *Schola Capulatorum*, in prima Urbis regione, memoratur Auctoribus. θ. *Schola Chartulariorum*, *Notit. Imp.* ι. *Schola Domesticorum*, vide suprà. κ. *Schola Cruci*, vide suprà *Cruces.* λ. *Schola Dominica*, apud Rabanum *de instit. Cleric. l. 3. c. 18.* Ordo est Ecclesiasticus. μ. *Schola exceptorum*, vide suprà *Exceptor.* ν. *Schola Gentilium* seniorum &c. in *Notit. Imperii.* ξ. *Schola Græcorum*, locus illustris Romæ, in Regione Ripæ, prope Velabrum, an quòd ibi Græcis literis Romana juventus imbueretur, an ab incolis Græcis, nomen nactus? fundatus dicitur à Dionysio Papa, extructus & ampliatus à Nicolao I. instauratus & largissimè dotatus à Gelasio II. Diaconia Cardinalis est & Canonicos suos habet, de quo multa apud Macros. ο. *Scholæ Martiæ*, in quibus juniores ad futuram militiam præparabantur, occurrit apud Cassiodorum *l. 5. Ep. 23.* π. *Scholæ Monasticæ* seu *Claustrales* passim occurrunt: quibus oppositæ *Scholæ Canonicæ*, i. e. Canonicorum, seu, ut aliis placet, in quibus pueri seculares extra Claustrum à Monachis erudiebantur, vide de utrisque Car. du Fresne *in Glossar.* ϙ. *Schola Notariorum*, occurrit apud Gregorium M. *l. 7. Ep. 17.* σ. *Schola Octaviæ*, apud Plin. *l. 35. c. 10. & l. 36. c. 5.* eadem hodie cum *Schola Græca*, *Car. Macro.* Vide suprà in voce *Porticus.* τ. *Schola Palatina*, vide suprà. υ. *Schola Protectorum*, vide suprà *Protector.* φ. *Scholæ Publicæ* in *Cod.* Theodos. *Magistrationes publicæ*, in Episcopiis, à Carolo M. primùm institutæ leguntur, vide suprà ubi de *Collegiis.* χ. *Schola Regionaria*, vide *Regionarii.* ψ. *Schola Sacerdotum*, dicta peculiariter Congregatio Clericorum Ecclesiæ Veronensis, apud Ughellum *Italiæ Sacr. Tom. V. p. 751.* ω. *Schola Sagittariorum.* αα. *Schola Saxonum*, vide suprà *Porticani.* ββ. *Schola Scutariorum* prima, secunda, *Notit. Imper.* γγ. *Schola Silentiariorum*, vide infrà. δδ. *Schola Speculatorum*, in *veteri marmore.* εε. *Schola Stratorum*, *Subdiaconorum*, *Tironum*, *Vexillariorum*, *Virgariorum* &c. de quarum magna parte vide Wolfg. Lazium *Comm. Reip. Rom. l. 4. c. 13.*

SCHOLARES, Ordo est in Ecclesia Romana institutus ab Innocentio III. in Concilio Lateran. ut est in Magno *Chronico* Belgic. *Ibi 4. ordines sunt constituti, scilicet Prædicatorum, Minorum, Trinitatis & Scholarium.* Sed & Guilielmus quidam Anglus, qui Parisiis *Scholaris* fuerat, & postmodum in Burgundia Rectoris munus obiverat, cum scholaribus suis tandem ad eremum convolâsse, & formam vivendi peculiarem, ex diversis religionibus, sibi suisque elegisse legitur, apud Martinum Polonum *in Honorio III.* ubi hunc ordinem *Vallium Scholarium* vocat, & annô ejus tertiô ab illo confirmatum, addit. Alii erant *Scholares vagi*, quorum ordo seu secta damnata est in Concilio Herbipolensi A. C. 1287. *can. 34.* &c. ubi eorum mores & doctrina recensentur, Aliàs *Scholares*, οἱ εἰς τὸ δορυφορεῖν τε καὶ φυλάττειν ἐν τῇ αὐλῇ ἀποκεκριμένοι, οὓς δὴ Σχολαρίους ἀποκαλοῦσιν, ut ait Agathias *l. 5.* qui in *Scholis Palatinis*, militabant, & in aula noctu ac die versantes, magnificentiæ & ornatus causâ, Imperatores in publicum prodeuntes, comitabantur, vide de illis Meursium in *Glossar.* Item Scholastici, qui in *Scholis* docentur, apud medii ævi Scriptores: Eo quidem propriè in Monasteriis Novitii Monachi, qui in Scholis Monasticis erudiebantur, & *Scholarii* quoque dicebantur. Hinc Adalardus in *Statutis* Corbejensibus, totam ait Monasterii familiam dividi, in *Famulos* vel *Matricularios*, *Fratres*, *Vassallos*, *Hospites*, *Pulsantes* vel *Scholarios*, *Provendarios.* Habebant verò etiam *Presbyteri seu Curiones suos* Scholarios, i. e. *ita nutritos —— ut si fortè eis contingat non posse occurrere tempore competenti ad Ecclesiam suam, officii causâ persolvendi, i. e. Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, ipsi* Scholarii *& signum in tempore pulsent & officium honestè Deo persolvant* &c. in *Capit.* Caroli M. De quibus omnibus vide Car. du Fresne in *Glossar.* cui adde Macros Fratres *in Hierolex.*

SCHOLARES S. Petri Martyris, quinam dicantur in Ecclesia Romana vide infrà voce *Stipatores.*

SCHOLARIUS Georgius vide *Georgius.*

SCHOLASTICA Theologia, Petro Lombardô Episcopô Parisinô; sicut *Jus Canonicum*, Gratianô fratre ejus, auctore prodiit: tertius verò amborum frater Petrus Comestor *Historiam Vet. & Novi Test.*

Tis condidit, qui tres ex incestu nati, matre meretricatum poenitentiam agere renuente, quod tantos viros peperisset: cui proinde Confessarius, *Ergo dolere*, ajebat, *quod dolere non possis*. Petrus itaque publicavit *libros IV. Sententiarum*, ubi de praecipuis capitibus Theologiae *Sententias Patrum*, maximè Augustini profert: Ac tum Theologia *certò quaestionum variisque opinionum conturbari coepit*, verbis *Aventini*. Hujus Lombardi vestigia & auctoritatem qui sequuti sunt, *Scholastici* sunt appellati, de quorum aetatibus seu periodis variis, [illegible] I. Hornbeck [illegible] [illegible] Georg. Hornium [illegible], ut & in *Continuatione*, voce [illegible]. Catalogum Scholasticorum habes apud Alstedium *Opere Chronol.* c. 44. & Hottingerum *Sec. XII.*

SCHOLASTICI, tum inter Graecos, tum inter Latinos dicti fuêre, qui cum initiò Theologiae in *Scholis* Coenobiisque vacarent, mox ad Philosophiam eam abrepti, eam miscere plurimò Theologiae, eamdemque aequiparare, tandem & supra eam efferre, conati sunt. Factum illud partim postquam Philosophi Gentiles Christo nomen dederunt, & Sapientia secularis, in *Scholis* Christianorum, locum invenit: partim & praecipuè, postquam Philosophia Peripatetica, quae per aliquot secula neglecta jacuerat, per Arabes Muhammedanos excitata & exculta Christianum orbem invasit. Tum enim illa Theologiae permista, Theologiam constituit *Scholasticam*, cui praecipuè nomen fecêre illi, quos nominatim *Scholasticos* fuisse vocatos diximus. Certè Scotus tradit, *Sent. dist.* 24. *quaest.* 2. *Scholasticos Doctores tandem Theologiam cum Philosophia maximo cum fructu miscuisse*. Quod primus fecisse legitur Petrus Abelardus, de quo agens Trithemius, *Ab hoc*, inquit, *tempore Philosophia secularis sua inutili curiositate Theologiam foedare coepit*. Caput eorum apud Graecos Johannes fuit Damascenus, Philosophus insignis: cujus opera Syriacè conscripta, ex Oriente cum attulisset Guil. Postellus, ea Ottoni Henrico Electori Palatino cum aliis MSS. oppigneravit. Floruit autem is circa A. C. 740. ut Petrus Martyr contra Gardinerum, probat. In Occidente (postquam primum ad Scholasticam Philosophiam, an Theologiam flexissent gradum, Lanfrancus Papiensis ac Archiepiscopus Cantuariensis, Gilbertus Episcopus Pictaviensis cognomine *Porreta*, & ei coaetaneus Abelardus praefatus) Petrus Lombardus Episcop. Parisiensis *Scholasticorum* caput habetur, qui in tres periodos sive aetates vulgò dividi solent. Prima seu vetus, sive à Lanfranco, sive potius à Petro Lombardo initium sumpsit, qui, Joannis Damasceni exemplò, Theologiam in novam Methodum, ut & Religionis Romanae dogmata in 4. libros Sententiarum, redegit, circa A. C. 1145. Patrum scripta maximè sequutus, eisque nimium tribuens: Duravit aetas per annos 100. vel 115. quò tempore, nisi quod barbaries omnia occuparet, major adhuc Philosophiae puritas fuit: *Theologiam vero variarum quaestionum opinionumque vanis mirè conturbârunt*, ut loquitur *Aventinus*. Inter omnes verò Periodi hujus *Scholasticos* non alii major fama, quàm Alexandro de Ales, qui, primus in Lombardum commentator, *Doctoris irrefragabilis* elogium tulit. Secunda eaque media aetas, ab Alberto M. & A. C. 1200. ad Durandum de S. Portiano per centum annos decurrit. Albertus hic Episcopus Ratisbonensis, qui floruit circa A. C. 1220. praeter Patres, Aristotelem & Philosophiam in Theologiam invexit. Ex ejus Schola prodierunt *Albertistae*, prima Scholasticorum secta, *Thomistae*, *Scotistae* seu *Reales* Thomistarum adversarii. Tertia itaque Nova aetas, à Durando de S. Portiano, ab A. C. 1320. usque ad Gabrielem Biel extenditur, quò tempore, neque finis neque modus in Magistrum sententiarum ac Aristotelem commentariis fuit: quartaque *Nominalium* videl. vel *Occamistarum*, ab Auctore Guil. Occamo Anglo, secta accessit: donec in Gabriele Biel Spirensi, qui praeterito vixit seculò, Theologia ista maxima ex parte exspiraret. Tum supra ipsam Theologiam Philosophia surrexit, eaque barbara, obscura, confusa, spinosa; quamvis nec defuit sua laus ejus Doctoribus. Unde de iis Verulamius judicat *de Augm. scient.* l. 1. si ad inexplebilem sitim veritatis & perpetuam ingenii agitationem, varietatem & elegantiam lectionis & contemplationum adjunxissent, insignia extituros fuisse lumina, omnesque Artes ac Scientias mirificè provecturos: *Fuit enim* verbis Joh. Pici in *Apolog.* 90. *thes.* *in Joanne Scoto vegetum quiddam & discussum, in Thoma solidum & aequabile, in Aegidio tersum & exactum, in Francisco acre & acutum, in Alberto priscum, amplum & grande, in Henrico sublime & venerandum*. At has omnes dotes spinosae illae subtilitates corruperunt, quas subtiliores reddebant tot Scholasticorum vix, *ut citiùs è Labyrinthis tenuis explices, quàm ex involucris Nominalium, Realium, Thomistarum* &c. *Quis quis intelligat nisi* [illegible] *annos totos in Physicis & ultramundanis* [illegible] *contriverit*, Erasmus *in Moria*. Eorum verò omnium conatus superârunt Magistri Colonienses, qui Aristotelem Divis annumerare & Joh. Baptistae comparare non sunt veriti, ut refert Corn. Agrippa *de Van. Scientiar.* c. 54. Addam judicium Franc. Burmanni, quod extat *Synops. ejus Theol. part. I.* l. 1. c. 2. *Laudatur in hac Scholastica Theologia I. simplex ac breve orationis genus. II. Methodus accurata ac Dialectica. III. Usus sive subsidium Philosophiae & disciplinarum naturalium. Improbantur autem ab ipsis illius vatetiam* [illegible] *I. Doctrina, nimi dominatus obnoxia. II. Rerum Philosophicarum multitudo. III. Variarum quaestionum curiositas. IV. ex ignorantia linguarum, profecta ipsarum rerum perturbatio. V.* [illegible] *& barbaries.* [illegible] *Theologiae* [illegible] [illegible] [illegible] *gia sua* [illegible] *sibique* [illegible] *tum*.

SCHOLASTICUS, cognomen Joannis Antiocheni Presbyteri & Apocrisiarii primum, exin Patriarchae Constantinopolitani, cujus extat Συναγωγὴ κανόνων, *Collectio Canonum*, cui is primus Graecorum inseruit Canones Apostolicos, ut vocant, LXXXV. Sardicenses XXI. cosque ex minus Antiochenis antiquioribus, & Basilii LXVIII. Ejusdem est *Nomocanon*, de quo utroque opere vide Gerhardum von Mastricht JC. *Histor. Juris Eccl.* num. 162. & seqq. Dictus est autem *Scholasticus*, quod in Foro ex Advocatorum numero esset: hos enim eò nomine, temporibus Justiniani & antecessoribus, insigniti consuevisse, vel unicus probat Agathias, quem Suidas Σχολαστικὸν vocat. Cujus autem is fuerit professionis, docet ipse *Hist.* l. 1. & 3. Atque haec notio vocis est in *Codice* & aliis Juris libris. Nempe sic dicebantur primum, qui in umbra circa fictas hypotheses occupabantur, Declamatores, qui circa fictas lites versabantur, ut videre est ex Quintiliano *de caus.* [illegible]. Postmodum sic dici coepit quivis eloquens, disertus, oratoriae facultatis & politioris literaturae studiis excultus. Exin Advocatis civitatum & Patronis, sed peritis, ac disertis, vox haesit: quod *Scholae* tum temporis essent Collegia Jurisperitorum. Vide Jo. Meursium *Glossar.* & Vossium *de Histor. Graec.* l. 2. c. 22. ubi de Agathia. Inde ad Judices provinciarum transiit, unde apud Sigebertum *in Chron.* Franco-Leodiensium, & apud Walafr. Strabonem *de* [illegible] *Eccl.* c. 25 Prudentius Hispaniorum *Scholasticus* dicitur. Tandem dignitatis Ecclesiasticae nomen id factum est, quâ qui effulget, Scholis praeest Ecclesiasticis, & *Magister Scholarum* dicitur in Ecclesia Caduscensi. Vide suprà *Caput Scholae*. Genebrardus idem cum Protonotarii munere facit [illegible] *Dominico Marro*, Canonicus possidens Theologicam praebendam in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus *Scholastici* nomine intelligitur &c. Sed & *Scholasticus* pro eleganti, occurrit apud Capitolin. in *Maximino Jun.* c. 3. ubi barbaro patri opponitur filius Scholasticus; & Hieron. *in Catalogo*, *Serapion ob elegantiam ingenii cognomen* Scholastici *meruit*. At saepius ad doctrinae laudem pertinet. Sic Plinio l. 2. *Ep.* 3. Suetonius & Isaeus *Scholastici* dicuntur, quod, in pulvere literario vitam agentes, ad Forum non accederent, neque ullam dignitatem ambirent. Quod genus hominum dicebat Lycurgus esse ζῶα ἀ [illegible], *animalia quod omnes rident*. Plinius quoque idem, *Scholastico homine nihil esse simplicius*: unde vulgò hominem rerum imperitum & ineptulum, *Scholasticum* vocitant, ut apud Plutarchum *in Cicer.* Appulejum l. 2. Alios. Primus autem, qui vocem Σχολαστικὸς pro literarum studioso, & qui Musis vacat, usurpavit, fuit Theophrastus *Epist. ad Fanian*: quâ notione semel usurpari coeptam [illegible] Graeci Latinique. Vide Is. Casaubon. *ad Capitolin.* d. l. [illegible] *de Scholasticis* hujusmodi, quibusdam in Academiis, in *Nationes* divisis, suprà in hac voce: infrà quoque aliquid voce *Studentes*. Alia notio vocis occurrit, voce *Vacans*, ubi & de de participio [illegible] quaedam.

SCHOLIA, vide infrà *Scolium*.

SCHONERUS Johannes Kalstadiensis docuit Mathematica Norimbergae. Edidit *de Astrologia judiciar.* libros 3. quibus Praefationem Melanchthon addidit. Item *Tabb. Astronomicas*, ob claritatem, *Resolutas* dictas, aliaque de quibus vide *Elog.* Teisserii *Part. I.* Obiit A. C. 1547. aetat. 6[illegible].

SCHONGAVIA, oppid. Bavariae superioris ad Lychum fluv. aliàs *Esto*, in limite Sueviae, 8. milliar. German. ab Augusta Vindelicorum in Meridiem, 7. à Memminga in Ortum.

SCHONHOVIA, oppid. Hollandiae meridionalis ad Leccam fluv. è regione Neoporti, 3. milliar. German. supra Roterodamum in Ortum.

SCHORNDORFFIUM, urbecula probè munita in Ducatu Wurtembergensi in valle *Remsia*, ad quam sal excoquitur, juxta amnem *Remm*, 4. milliar. German. à Stutgardia in Ortum 6. ab Hailbrunna in Eurum, capta à Gallis A. C. 1647. sed reddita. Arcem habet, & civitatis jus est adepta, A. C. 1230. sub Friderico II. Imperat.

SCHOTTUS Andreas, Antverpiensis, Societatem Jesu (invocant) ingressus A. C. 1586. Toleti Graecas literas triennio docuit, inde Romae post Franciscum Bencium Eloquentiae Prof. tandem in patriam reversus, scribendis libris operam dedit, extinctus A. C. 1636. aetat. 84. Scripsit, praeter alios, *Hispaniae bibliothecam Tom. III. Hispaniam illustratam Tom. IV. Photii Bibliothecam Latinè vertit & Notis illustravit*, porrò edidit *Tabb. Nummarias*, *Observationes Human. libb. V. Notas in Basilium, Corn. Nepotem, Val. Flaccum, Aur. Victorem, Melam*. Idem *Hub. Goltzii Siciliam, Magnam Graeciam & Insulas, Notis illustravit* &c. Franc. Swertius *Biblioth.* & P. Ribadeneira *Catalog. Scriptor. Societ. Jesu*.

SCHOUTIUS & Lamaires, Navarchi Belgici, novò itinere in Moluccas evaserunt, A. C. 1617.

SCHUPPIUS Joh. Balthasar, Theologus & Pastor Hamburgensis, Scriptis celebris, floruit haud pridem. Vide Paul. Freherum *Theatro Viror. eruditione illustr.*

SCHWARTZENBURGUM, nomen Castri in Thuringia, cum titulo Comitatus, sub proprio Comite; è familia perantiqua, cujus originem à quodam Wittikindo nigro è seculo Caroli M. sunt qui derivent. Eam Guntherus ad Augustum axioma erectus, A. C. 1349. celebriorem fecit, & quod inter quatuor Imperii Comites referuntur. Lineae superiori seculò tres fuêre, sed ad mediam reliquarum successio iterum delapsa est: in qua communem Patrem omnes, qui hodie supersunt, agnoscunt Guntherum defunctum A. C. 1552. Hujus minor natu fil. Albertus *Rudolfstatiensem* seu *Rudolphipolitanum* ramum produxit; à majori Joh. Gunthero [illegible] [illegible], de quibus omnibus vide hic passim, plura verò apud Philip. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I.* p. 148. & 141. & [illegible] p. 86. Idem *Schwartzenbergicae* quoque Familiae [illegible] ac tertiam *Parte* 2. p. 66. & in [illegible] nec non [illegible] p. 4[illegible] & 88. De qua id saltem addo, Erckingerum ex [illegible] familia [illegible] A. C. 1428. à cujus filio minore natu Sigismundo orta linea prima

Comitum dignitatem impetravit, sed in Georgio Ludovico defecit A. C. 1642. Alter Michaël duos filios genuit sibi cognomines: è quibus majoris natu fil. Erckingerus, cum Maximiliano I. profectus in Belgium, hic fortunæ sedem collocavit, auctor denuo duarum linearum, quarum alteram Adolphus celebris belli in Turcas Dux inprimis nobilitavit, & Comitum etiam dignitatem ei intulit. Alter Michaëli. fil. ramum Saronum ex se dedit, qui in Frisia commorantur, & cum agnatis de agnationis titulo disceptant. Adolpho præfato, qui obiit A. C. 1600. ex Margareta Wolfia de *Metternich zur Gracht*, natus Adamus obiit A. C. 1641. pater ex Margareta *de Palland* Francisci Hartath (qui natus A. C. 1614. obiit 1636.) & Joannis Adolfi, qui natus A. C. 1615. junxit sibi Mariam Justinam Comitem Stahrenbergiam, & inter alios genuit ex ea Ferdinandum Philippum Wilhelmum A. C. 1652. &c.

SCHWARTZENFELSA, Germanic. SCHWARTZENFELS, locus Germaniæ in Wetteravia, sub proprio olim Comite, ex Familia Hanovica. In qua cum variæ essent lineæ, ex Muntzenbergica *Schwartzenfelsius* ramus ortus est. Philippo enim Ludovico Comiti Hanoviæ in *Muntzenberg*, (qui decessit A. C. 1580.) ex Lucia Magdalena Waldeccia, genitus Albertus Comes Hanoviæ in *Schwartzenfelsa* obiit A. C. 1636. Pater ex Irmgarde Comite Isenburgica, præter filias quinque, filii unici Joannis Ernesti, qui ramum hunc *Schwartzenfelsium* totamque secum lineam Muntzenbergicam terminavit, defunctus A. C. 1642. Phil. Jac. Spenerus *d. l. Part.* 3. *p.* 116.

SCHWEBELIUS Johannes, vide *Johannes*.

SCHWEGIA, urbec. Hassiæ, ad Werriam fluv. in limite Thuringiæ, 6. milliar. German. à Cassela in Ortum 4. ab Isenaco in Circium *Eschwegen*.

SCHWEINFURTUM, urbs Imperial. Franconiæ, ad Mœnum, in ditione Episcopatus Herbipolitani satis munita; capta a Suecis ultimò bellò Germanicò. Ferè 7. milliar. Germanic. à Bamberga in Occasum 5. ab Herbipoli in Caeciam.

SCIA, oppid. Eubœæ, *Steph.*

SCIADIUM, vide infrà *Umbella*.

SCIAGRAPHIA, vide suprà *Scenographia*.

SCIAMACHIA, Græcè Σκιαμαχία. Latin. *umbratilis pugna*, *Ep.* 117. Senecæ *Ventilatio*, pugnæ Gymnasticæ olim species fuit, quæ sine telis fiebat adeoque monomachiæ vel hoplomachiæ erat opposita, ex mente *Oribasii*. Secundum alios, quâ homo adversus umbram & brachiis & cruribus pugnabat, ut ex Platone discimus, qui & *in Apol.* & alibi σκιαμαχεῖν de pugnantibus sine adversario dixit. Fusiùs tradit Antyllus, apud Oribasium, non solum cum umbra manibus atque cruribus pugnare, verùm etiam adversus columnam, & adversùs palum aut murum; nec non aliquando summis pedibus pugiles imitari & interdum tanquam salientes, interdum tanquam pedibus cedentes, certare solitos fuisse: inprimis cùm adversarius deerat, aut exercendus adeò delicatus erat, ut non posset minimum quid damni pati. Quorum prius innuit Plato *de Leg. l.* 7. ubi Interpres, *Si omnibus animatis & inanimatis careamus, nunquid nos ob eorum, qui nobiscum exerceantur, inopiam, adversùs nosmet ipsos vere umbratili pugnâ decertare audebimus.* Et post ipsum Plut. *Problem. Conv.* 10. ubi Interpres. *Sed video, ut nos jam umbratili pugnâ adversùs idola certare paratos.* Neque verò mirum, antiquos σκιαμαχεῖν, seu *cum umbris pugnasse*: Nam & his temporibus non pauci sunt, qui ex seipsis, ut exerceantur, adversùs aërem pugnis, brachiis armisque certant, vel cùm adversarius in promptu non est, vel cùm soli esse amant. Quò respiciens Apostolus 1. Cor. c. 9. v. 26. Οὕτω πυκτεύω, inquit, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, *Ita pugnis certo, non quasi aërem cædens.* Sed & telis quandoque istiusmodi exercitationem peractam esse, rationi consentaneum esse, judicat Hier. Mercurialis *de Arte Gymnast. l.* 3. *c.* 4. Vide quoque suprà *Monomachia*. Voss. verò, non opponit *Sciamachiam* Monomachiæ, sed pugnæ Gymnasticæ duas faciens species, *eam quæ inter duos*, i. e. *Monomachiam*, *& eam, quæ inter plures*, ad utramque decertationem cum umbra, Athletas præparatos fuisse, docet, & Σκιαμαχίαν, à pugna cum palo, de quô suprà actum, in voce *Palus*, diversam facit, *l. de* 4. *Artibus Popul. c.* 5. §. 9.

SCIANSIA, seu XANSI, provinc. Sinarum, in parte Boreali versus confinia Tartariæ, inter Pequinensem provinc. ad Ortum & Sciensiam ad Occidentem. Vide *Xansia*.

SCIANTICUM, oppid. Carinthiæ eversum. *Antonin.* Aliis *Sontileum*.

SCIANTONIA, provinc. Sinarum, in parte Boreali, inter Sinum Nanquinensem ad Ortum, & provinc. Honanam ad Occasum, Nanquinensem ad Meridiem, & Pequinensem ad Boream. Ab aliis *Xantonia*, vide ibi.

SCIAPODES, vel SCIOPODES, populi Æthiopiæ, q. d. *umbripedes*, Plin. *l.* 7. *c.* 2. ex Ctesiâ hominum genus esse scribit, qui Monosceli vocentur, singulis cruribus miræ pernicitatis ad saltum; eosdem *Sciapodes* vocari, quod in majori æstu humi jacentes resupini, umbrâ pedum se protegant.

SCIAS, regio Arcadiæ, *Steph.*

SCIATHERICA seu SOLARIA, sunt Horologia, quæ, ope *umbræ* aut solaris radii, horarum æqualia spatia determinant, quorum construendorum rationem adeò fusè, doctè & perspicuè tradit, in *Arte Lucis & Umbræ*, Athan. Kircherus, ut omnes, qui hucusque in eo pulvere desudârunt, facilè antecellat. Nec enim is horas solùm determinare docuit, verùm & totius primi mobilis doctrinam diversimodè ex umbræ fugacis indicio tradidit. Vide quoque suprà *Polographia* & infrà *Sciotherа*, item *Umbra*.

SCIATHIS, urbs Ægypti, apud Sceum montem *Ptol.* Item Arcadiæ mons, teste Pausaniâ. *l.* 8.

SCIATHUS, insula maris Ægæi inter Eubœam & Thessaliam, Scopelo proxima, ante Magnesiam promontor. Ejus meminit Val. Flacc. *l.* 2. *v.* 8.

Jam Sciathos subsedit aquis. ——

Sciathus autem secundùm Bochart. *l.* 1. *Chanaan c.* 12. per metathesin ex קשיתא *Ksiatha* quasi dixeris *duram* & *asperam* insulam, factô ex argumento nomine. Quod planum facient hæc Senecæ *de consolat. ad Helviam, c.* 6. *Deserta loca & asperrimas insulas, Sciathum & Seriphum, Gyarum & Cossuram pete.* Nic. Lloydius.

SCIDRUS, urbs Italiæ, *Stephan.*

SCIENSIA, meliùs *Xensia*, vide ibi.

SCILLUS, UNTIS, oppid. Peloponnesi apud Olympiam, ubi Xenophon historiam scripsit, *Plin.* Hic fanum & simulachrum Dianæ Xenophon erexit, ad instar ejus templi & simulachri, quod Ephesi fuit, unde & illam quoque, cui agri Scilluntii partem dedicaverat, *Ephesiam* dici voluit. Vide eum Κύρου Ἀναβ. *l.* 5. ubi quod miteris, simulachrum Dianæ, quod Ephesi erat, aureum fuisse scribit: cum *Mucianus* illud *vitigineum*, Vitruvius *l.* 2. *c.* 9. *cedrinum*, cæteri auctores *ebeninum*, faciant, uti videre est apud Salmas. *ad Solin. p.* 817.

SCIMASARNOVA, apud Mich. Scotum, *de Physion. c.* 56. *augurium est, quando tu vides hominem vel avem post te, & te consequi & transire te, & antequam perveniat ad te, vel tu ad eam, alicubi se revauset et videste in dextro latere tui: & tunc est tibi bonum signum* &c. Vide infra *Scismasar* & *Venta*.

SCIMPODIUM, Græcè Σκιμπόδιον, simile quiddam lecto pensili fuit; quod licèt nusquam appenderent, erat tamen vel lectus parvus, vel quid in formam pensilis lecti constructum: quo per urbes ac vias tam viri, quàm mulieres, gestabantur. Hinc Dion Historicus, *Augustum ac Tiberium in* Scimpodiis *quandoque vehi solitos, cujusmodi mulieres tempore suô gestabantur: Severum item dum Britanniam obiret, scympodio undique tecto ferri* consuevisse, scribit. Qualis ejus fuerit figura, haud satis constat: Videtur tamen sella fuisse ita fabricata, ut lectum plumeum parvum caperet, in quo, si non penitus, saltem ex aliqua parte, qui gestabantur, jacebant & undique, ne ab aëris injuriis læderentur, cooperiri poterant. Quod intellexit fortè Juvenalis *Sat.* 1. *v.* 158.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos.

Et de eodem fortè interpreteris *Inscr.* quam ab Aldo Manutio Parmâ allatam suo operi inseruit Mercurialis, ita sonantem: *D. M. L. Aemili. Victori. qui. pridie. natalem. suum. vicesimum. &. secundum. primâ. in. pensili. posita. urgente. Fato. suum. ipse. necavit. se. L. Aemilius. Victor. Principalis. &. Aelia. Veneria. filio. pientissimo. &. sibi.* Neque aliud significat Galenus 10. *Method.* quando balnea ingredienti modum hecticis præscribens, mandavit, Ἀῤῥωστοῦντα κομίζεσθαι ἐπὶ σκιμποδίου εἰς τὸ βαλανεῖον, *Ægrotantem portari in Scimpodio ad balneum*. Et Libanius Rhetor *de vit. sua*, *Cùm domi sum, in lecto jaceo, ubi verò in Schola in Scimpodio*: Gellius quoque *l.* 19. *c.* 10. ubi scribit, *se Frontonem Cornelium, pedibus graviter ægrum, in Scimpodio Græciensi cubantem invenisse.* In quæ verba *Jac. Oiselius JC.* *Scimpodion* esse ait lectulum discubitorium, qui unum tantùm hominem capiebat; eoque Veteres ad mensam & in morbo, usos fuisse, contendit: Cùm tamen ex prædictis pateat, gestationi illud inprimis inservisse. Vide Hieron. Mercurialem de *Arte Gymn. l.* 3. *c.* 12. & *l.* 6 *c.* 11. *Hesychio* vocatur, εὐτελὴς κλινίδιον μονόκοιτον, *vilis, lectulus, unum solum capiens*; Idem cum *Suida* κράββατον i. e. *lectum humilem*, fuisse dicunt. Quod confirmare videtur Scholiastes Aristophanis *in Nub.* ad istud, Κόμιζε τοίνυν ἐπὶ τὸ ἱερὸν σκίμποδα, ubi notat Σκίμποδα ab Atticis vocari κραββάτιον; & Σκιμπόδιον Veter. esse τὸ χωλὸν κραββάτιον: σκιμπάζειν enim τὸ χωλαίνειν significare, i. e. *claudicare*. Eustathius verò *ad Hom.* Σκίμπους, inquit, κλίνη εὐτελὴς καὶ χαμαιλεχής, πελάζουσα τῇ γῇ, *Scimpos, lectus est vilis & humilis, terram attingens* &c.

SCINCUS, Græce σκίγκος, animal amphibium Ægypto secundùm Plin. *l.* 8. *c.* 25. peculiare, quod ex crocodili semine extra aquas effuso nasci Arabes tradunt, inde Hebr. dictum בן־נפילים, i. e. *filius gigantum*. Notum enim, *gigantum* nomine Orientales non homines solùm significare, sed & bruta quævis majoris molis. At *Scincus* Crocodilo collatus, nihil est, quàm perpusillum animal. Sed & in India ac Mari Rubro *scincum* reperiri, & maximum quidem Indicum, dein Arabicum esse, docet Salmasius. Ejus carnes in potiones inditas ad Venerem inflammandam valere & contra venenum antidotum esse scribit Plinius, quem vide *l.* 8. *c.* 25. & *l.* 28. *c.* 8. plura verò de hoc animali, apud Salmas. *ad Solin. p.* 454. Bochartum *Hieroz. Parte prior. l.* 4. *c.* 1.

SCINDENDI Comas, in luctu, ritus, occurrit apud Statium *Theb. l.* 11. *v.* 317.

At genitrix primam funestæ sortis ut amens
Expavit famam (nec tardè credidit) ibat
Scissa comas ----

Vide suprà, ubi de *Capillis* &c. Item Vestes, apud antiquos frequens admodum, tum in Sacris Literis, tum apud omne genus aliorum Auctorum occurrit. Vide de Persis Herodotum *l.* 1. de Armenis Xenophontem *Cyropæd. l.* 3. de Romanis, Herodianum *l.* 1. ubi de sorore Commodi; Silium *l.* 11. ubi de Scipione, & *l.* 16. ubi de Peloro, Alios. Unde & apud Virg. *l.* 12. *Æn.* *v.* 609.

—— *it scissa veste Latinus.*

De Ægyptiis, *Musæum*, ubi de præcipitante se Herô; de Lucensibus, Agathiam *l.* 1. &c. Inprimis Judæus morem habuisse, auditô blasphemô Israëlitâ *vestem scindere*, notat in *Prætermissorum* libris Jo. Dru-

Druſiſt. Et quidem de aliis cauſam aſſignat Sedulius *l.* 4. de Miraculis in morte Chriſti:

---- tota plangentes alumnum
Saucia diſciſſo nudarunt pectora vulto.

Nimirum ut vulnerata pectora conſpicerentur: vel ſaltem, ut ea nuda apparerent, quod itidem in luctu factitatum. Statius *d. l.* de eadem matre,

---- & pectore nuda cruento.

Sed exteriorem ſolùm tunicam Judæos *ſcindere* in more habuiſſe, obſervat Victor Antiochenus *Commentar. in Marcum c.* 4. Quam in rem vide plura apud Casp. Barthium *Animadv. ad Papinium Statium paſſim*, inprimis *ad locum ſuprà cit.* Ut & ſuprà, ubi de *Luctu*, *Laceraſque veſtes* & *Lugendi ritibus*. Et quidem mœſtitiæ hæc ſigna: uti *Sciſſura unguium*, inter levioris pœnæ mediò ævo genera fuit, ut videbimus infrà voce Ungula. At *ſciſſio coronarum*, quam [illegible] vocat Plut. [illegible], libidinis & intemperantiæ certiſſimum indicium fuit, de quo multa Car. Paſchalius *Coron. l.* 2. *c.* 7. Unde Horatius invitans Tyndariden in agrum Sabinum, ad convivium modeſtum ac pudicum, ait *Carm. l.* 1. *Od.* 17. *v.* 24.

---- nec metues protervum
Suſpecta Cyrum, ne malè diſpari
Incontinentes injiciat manus,
Et ſcindat hærentem coronam
Crinibus &c.

Vide ſuprà *Florea corona*. De ratione cibos ingenioſè *ſcindendi*, vide quoque infrà in voce *Sciſſor*: uti de *Sciſſis* [illegible] olim pecoribus in Bacchicis ſacris, ſuprà voce *Pecora*; de *ſciſſa* mundorum quadrupedum in Vet. T. *ungula*, infrà *Ungula*.

SCINGOMAGUS, vicus trans Alpes, à quo Italia incipit, Strabo *l.* 4. *Seuus* hodie *Tyrbedo*. *Baudrando* oppidul. fuit Brigantiorum, in Gall. Narbon. hodie *Sezane*: eſtque caſtrum Delphinatus ad radices Alpium & Gebennæ montis, 3. leuc. à Brigantio in Ortum, Seguſium verſus 4. Quibuſd. tamen creditur ipſum Seguſium.

SCINIS, latro crudeliſſimus Corinthius, qui arbores complicabat, hiſque alligabat hominum brachia, ut in ſublime redeuntes lacerata membra diſcerperent. Propert. *l.* 3. *El.* 22. *v.* 37.

Arboreaſque cruces Scinis, & non hoſpita Grajis
Saxa, & curvatas in ſua fata trabes.

Pauſanias *in Corinthiacis* narrat, ut Scinis flexis pinis alligaris hominibus, quibus in ſublime renitentibus, diſcerperentur. Tangit hiſtoriam quoque Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 576.

Non trucibus monſtris Sciron, infandumque dediſti
Cercyona, & ſævum velles Scyrona creatum.

Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 440. *Sinin* vocat:

Occidit ille Sinis, magnis malè viribus uſus:
Qui poterat curvare trabes, & agebat ab alto
Ad terram latè ſparſuras corpora pinus.

Idem in *Ep.* 2. *v.* 69.

Cum fuerit Sciron lectus, torvuſque Procruſtes,
Et Sinis, & tauri miſtaque forma viri.

Idem in *Ibin: v.* 407.

Ut Sinis & Sciron, & cum Polypemone natus,
Quique homo parte ſui, parte juvencus erat.
Quique trabes preſſas ab humo mittebat in auras,
Æquoris aſpectans hujus & hujus aquas.

Legendus Plutarchus *in Theſeo*, & *Alexandro*. Sed apud eum legitur *Sinis*, uti quoque apud Euripidem *in Hippolyto*. Nic. Lloydius.

SCINTHI, Germaniæ populi, Cheruſcis finitimi. Claudian. *de bello Getico*, *v.* 420.

Quæque domant Scinthos, immanſuetoſque Cheruſcos.

SCIOESSA, mons Peloponneſi apud Patras 29. collium opacitate umbroſus, & radiis Solis fermè inviſus, teſte Solinô. Sed errat Solinus, Plinius enim *l.* 4. *c.* 5. in Achaja notem montium *Scioëſſam* notiſſimum eſſe, ait; quæ verba exſcriptor hic ſic accepit, quaſi Plinius dixiſſet, *Scioëſſam notum eſſe montium*, h. e. novem montes habere, à quibus umbraretur, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 138.

SCIOLDRI, dicti olim Danorum Vates, qui apud veteres Britannos, *Bardi*, apud Celtas *Eubages* & *Dryides*. Vide Pontanum in *Chorographia Daniæ p.* 779. & 780.

SCIONA, urbs in Thracia eſt, è quinque illis, quæ Pallenes ſunt, ubi captò Ilio Achivi conſedêre, cum naves cremâſſent Troadeſ captivæ. Eam urbem muniverant, magnô impoſitô præſidiô, Athenienſes & magnâ curâ cuſtodiebant, ſed belli Peloponneſiaci tempore, defectionem fecerunt Scionæi, ad Braſidam ducem Lacedæmoniorum, qui tandem in eo bello dimicans cum Cleone mutuâ cæſione interfectus eſt. Vide Thucyd. *l.* 4. Melam, *l.* 2. *c.* 6. Scholiaſt. *in Ariſtoph. Veſp.*

SCIONE, oppid. Macedoniæ apud Canaſtrum promontor. ad ſinum Thermaicum in peninſul. Palalenes. Vide *Steph.* Item urbs inſularis maris Ægæi, *Arrianus*.

SCIOS, pars agri Eretriæ in Eubœa.

SCIOTHERA, Græcè [illegible] ἄργανα, de horologiis à pleriſque accipi ſolent: quod admirari poteſt de illis, qui ſcripſerunt poſt horologia inventa. At priùs [illegible] eadem fuêre, cum [illegible] & [illegible], machinæ videl. cum gnomone, ad colligendum inprimis ex umbrarum incrementis, quo die futurum eſſet Solſtitium æſtivum. Erant illæ inſtar pilæ aut ſphæræ, hinc [illegible] dicti *Aſcleplani*. Cujuſmodi *Sciothericon* in Achradine Syracuſarum viſebatur, ab Archimede fortè poſitum: primus autem inventor Anaximander fertur, cujus heliotropium ſeu *ſciotericum*, uti vocat *Laërtius*, licèt horologium non fuerit, utpote horarum uſu tum adhuc ignoratô, ad formam tamen horologii deſcriptum fuiſſe videtur. Nam & gnomonem erectum habebat, ad unciarum incrementa & decrementa notanda, lineas item XII. in hemiſphærio vel polo ſignatas, ex numero partium diei æquinoctialis, per quas umbra decurreret. Soliis itaque Mathematicis tum uſui erant & Aſtronomis, nec ullius in vita civili uſus, niſi quatenus populus ex iis diſcebat ſolſtitiorum & æquinoctiorum dies, quô fine publicis locis urbium poni conſueviſſe, ex Scriptoribus diſcimus. Vide de iis pluribus agentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 632. & *ſeqq.* nec non hic paſſim: de *Sciothericis* verò *Horologiis* ſuprà, in voce *Sciatherica*.

SCIPIADÆ, patronymicum pro *Scipionibus*. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 170.

Scipiadas duros bello. ---- ----

Idem *Æn. l.* 6. *v.* 842.

---- Aut geminos duo fulmina belli
Scipiadas, cladem Lybiæ! ----

Silius *l.* 7. *v.* 107.

---- Aut ubi nunc ſunt fulmina belli
Scipiadæ. ---- ----

SCIPIO, Conſulum apud Romanos geſtamen fuit. Vopiſc. *in Aureliano*, *c.* 13. *Nam te Conſulem hodie deſigno* (verba ſunt Valeriani ad Aurelianum) *ſcripturus ad Senatum, ut tibi deputet ſcipionem, deputet etiam ſellam*. Et quidem veteres Conſules *ſcipionem* geſtabant triumphi tantùm die, aut aliis diebus feſtis, uti docet Juvenal. *Sat.* 10. At ſub Imperatoribus quotidie cum Conſules geſtabant & cum ſcipione Curiam ingrediebantur. Imò nec Conſules ſolum, ſed & Conſulares, ſcipionem ſervabant, velut inſigne dignitatis olim habitæ. Ex ebore fuiſſe, res notiſſima: in apice aquilam habuiſſe, diſcimus ex Juvenali *d. l. v.* 43.

Da nunc & volucrem, ſceptrò quæ ſurgit eburnò.

Peculiare quid habuit Anaſtaſii Imperatoris ſcipio Conſularis, ut in quo aquilam corolla laurea ambibat & includebat, cui [illegible] minebant virorum capita, uti in Diptycho Leodienſi videre eſt. In Bituricenſi verò aquila aliis expanſis circulum vel orbem amplectitur, in quo viri, Imperatoris fortè, effigies delineata. Poſtmodum Phocas Imperator, pro ſceptro aquilifero, crucem aſſumſit, quod ceteri ferè deinceps Auguſti imitavêre, ut docet Car. du Freſne *Diſſertat. de inſer. ævi Numiſm. num.* 11. Vide quoque ſuprà ubi de *Sceptro*.

SCIPIO Cornelius, à quo Scipionum gens patritia nomen habuit, teſte Macrobiô *l.* 1. *Saturn. c.* 6. patrem luminibus carentem pro baculo regebat, quem *Scipionem* Grammatici vocant.

L. Cornel. SCIPIO, Conſul An. 456. Urb. Cond. cum Cn. Fulvio Maximo, devicit Tuſcos prope Volaterram, Liv. *l.* 10. Cn. Cornel. Scipio, Aſina dictus, Conſul cum C. Duilio Nepote, A. C. 494. & A. Atilio Calatino, An. 501. victus & cum 17. navibus captus eſt, priori Conſulatu: ſed annô pòſt Aleriam, in inſula Corſica, aliaque loca cepit, votô Tempeſtati, cui templum pollicitus eſt, factô. Inde in Sardiniam trajiciens, Hannonem Pœnorum Ducem ſuperavit. Poſteriore, 200. horum naves devicit, cepitque Panormum, Liv. *l.* 17. Val. Max. *l.* 5. *c.* 1. Zonar. *in Annal.* &c. Pater Cn. Cornelii Scipionis, qui An. Urb. Cond. 533. cum M. Minutio Rufo Conſul, Iſtrianos debellavit, & P. Corn. Scipionis, vide infrà.

P. Cornel. SCIPIO, cum quo primùm Imperatore Annibal ſigna in Italia contulit. Hic Conſul cum Tiber. Sempronio Longo fuit, An. Urb. Cond. 536. quô ſecundum bellum Punicum ortum eſt. In Hiſpaniam profectus, ut ibi Annibali ſe opponeret, audito, illum jam in Gallia eſſe Rhodanumque trajeciſſe, remorari eum conatus eſt. Proin parte copiarum fratri datâ, ut Aſdrubalem in Hiſpania perſequeretur: ipſe ad exercitum circa Padum hærentem pervenit. Hic primum ad Ticinum prælium, quô Romanis victis, ipſe Scipio vulneratus in hoſtium manus perveniſſet, ni à Publio filio fortiter fuiſſet defenſus. Dein cum fratre multas in Hiſpania An. Urb. Cond. 542. victorias conſecutus, res geſſit memoratu dignas, demum in quodam prælio adverſus hoſtes inito, dum ſe offert, ubi plurimum periculi erat, ſubitò occiditur, fraude hoſtium, & ſuorum perfidiâ, ab Aſdrubale & Magone victus. Cujus autem in turre, quò ſe receperat, crematus eſt. Liv. *l.* 21. 25. 26. Polyb. *l.* 4. Florus, *l.* 2. *c.* 6. & 17. Eutrop. *l.* 3. *c.* 8. 9. Oroſ. *l.* 4. *c.* 17.

P. Corn. SCIPIO African. prioris fil. cujus vitam ac res geſtas C. Oppius, & L. Reginius literis mandavêre. Puer certis diei horis ſecretum templi petere ſolebat, putabaturque apud vulgus cum Jove loqui. Annum agens 17. à patre in caſtra ductus eſt, principiô belli Punici 2. Conſtatque jam tunc in congreſſu Annibalis primo circumventum ab hoſtibus ac ſaucium patrem liberâſſe, teſte Liviô & Plutarchô, *loc. cit.* In clade ad Cannas, partem nobilitatis Romanæ ſiſtere ſe, præliumque redintegrare compulit. Poſt patris patruique mortem, anno ætatis 24. in Hiſpania Carthaginenſes vicit, novamque Carthaginem cepit, unicô deſponsâ Indibili, cum dote, inviolatâ redditâ, caſtitatis immortalem famam adeptus. Præliô dein in Bætica ingenti defunctus, Hiſpaniâ liberatâ, in Africam trajecit, ubi victô Annibale Carthaginem vectigalem reddidit: An. Urb. Cond. 553. poſtquam de Aſdrubale & Syphace, aliquotes inſignes victorias reportâſſet, An. Urb. Cond. 551. Secundò dein Conſulatû defunctus, An. Urb. Cond. 564. fratrem in Aſiam ſecutus eſt: inde redux, accuſantibus Petiliis, peculatus accuſatus & [illegible], quod filium ejus abſque lytro ab Antiocho remiſſum eſſet, non aliud

respondit, quam æquum esse, ut cùm eôdem die Annibalem vicisset, ut in Capitolium, Diis gratias acturus, pergeret: sic sequutâ turbâ dissolutum judicium est. Post hæc, Linternum se recepit, ibi in studiis & literatorum commerciis reliquô vitæ consumptô. Pater fuit P. Cornelii Scipionis, qui Patrium in Asiam comes, ibi captus est: Vide supra. Orator egregius: Cicero *in Bruto*. Liv. *l.* 21. *& seqq.* Aur. Victor. *de Vir. Illust.* c. 49. Plutarch. *in Scip.* Florus, *l.* 2. *c.* 6. *Polyb. Eutrop. Oros.* &c.

SCIPIO L. Cornelius, cognomine *Asiaticus* fil. Publii Scipionis, Africani frater, quem in Hispaniam & Africam secutus est. Consul An. Urb. Cond. 564. dux bellis contra Antiochum delectus, Publium fratrem legatum habuit, Antiochôque prope Sardes, in campis Magnesiæ, memorabili prælio victô, *Asiatici* elogium meruit. A Catone dein accusatus pecuniæ publicæ malè administratæ, condemnatusque in carcerem cùm duceretur, à Graccho, Scipionis Africani genero, liberatus est, interim bona ejus fisco addicta: innocentiâ postmodum serò enitescente. Liv. *l.* 38. Aur. Victor, *de Vir. Illustr. c.* 53. Eutrop. *l.* 4. *c.* 2. &c. Vide & *Lucius*. Addo saltem, quod *Centum triginta septem urbium simulachra in triumpho duxisse*, legitur apud Livium *Dec.* 4. *l.* 7. *in fin.*

SCIPIO Publ. Æmilianus, qui & *Africanus Minor* ab Africani majoris filio adoptatus (fil. enim erat L. Æmilii Pauli) Carthaginem An. 608. Urb. Cond. & Numantiam, An. Urb. Cond. 620. duas urbes populi Romano inimicissimas evertit: tandem immaturâ ætate domi suæ dormiens interfectus est; non sine suspicione dolô id Gracchorum factum. Literatorum hic Scipio Mæcenas, & ipse literatus, tum militiæ, tum in urbe Polybium & Panætium secum habuit semper. Bis Consul, secundâ vice munere functus est, An. Urb. Cond. 620. Obiit An. 625. Liv. *l.* 48. *&* 52. Vellej. Paterc. *l.* 1. *&* 2. Aurel. Victor, *de Viris Illustr. c.* 58. Cic. *in Bruto*, *Polyb. Appian. Eutrop. Oros.* &c.

SCIPIO Nasica Cn. Corn. Scipionis, qui unà cum fratre in Hispania cecidit, fil. à senatu vir optimus judicatus, Matrem Deûm tunc primùm advectam, apudque virum optimum ex oraculo divertentem hospitiô excepit. Cùm adversus auspicia Consulem se à Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicavit. Censor statuas, quas sibi Consul quisque in foro per ambitionem ponebat, sustulit. Consul Delminium Dalmatiæ urbem superavit. Imperatoris nomen à militibus, & à Senatu oblatum triumphum recusavit. Eloquentiâ primus, jurisconsultissimus, ingeniô sapientissimus fuit, unde *Corculum* dictus, teste *Cæcilio*. Plura de eo Liv. *loc. cit.* Scipio item, qui Serapio cognominabatur, propter similitudinem Suarii cujusdam negotiatoris: ob id erat in Tribunatu plebis admodum gratus, dignusque Africanorum familiâ: nec erat in bonis funeris impensa: asses ergo contulit populus, ac funus elocavit, quaque præferebatur, flores è prospectu omni sparsit. Hanc historiam habes apud Plinium conscriptorem *l.* 21. *c.* 3. *Scipio* Africani fil. ponitur, inter eos, apud Val. Max. *l.* 3. *c.* 5. qui à parentibus claris degeneraverunt. Inter eruditos tamen à Cicerone *in Bruto* his verbis describitur: *Scipio Africanus filium habuit illum, qui minorem Scipionem à Paulo adoptavit: qui si corpore valuisset, in primis esset habitus disertus. Indicant tum oratiunculæ, tum historia quædam Græca scripta de Cassina.* Hæc ille. Plutarchus *in Africano*, nihil de eo se compertum habere dicit, nisi cum Præturam gessisse, & in eâ consequendâ, à Cicereio patris scribâ, adjutum fuisse. Hic Scipio Romæ primus aquâ horas divisit æquè noctium ac dierum, An. Urb. Cond. 595.

SCIPIO Nasica, nepos prioris, fil. Consulis, qui cùm Censor esset, Capitolium porticibus ornavit. Privatus semper vixit, ex illis unus, qui contra Tiberium Gracchum, Legis Agrariæ authorem, insurrexêre. Vellej. Paterc. *l.* 2. *c.* 1. 3. Vide & *Publius*.

SCIPIO, Pompeji M. socer, post bellum Pharsalicum inter Pompejanos bellum resoventes, in Africam se recepit cum exercitu & Catone, Jubâ etiam rege adscitô. Qui primò feliciter adversus Cæsarianos pugnans, victus tandem cum exercitu occubuit. *Scipionem*, cognomento *Salutionem*, è Corneliorum familiâ, alioquin virum despectissimum, inter præliandum in Africâ, perinde ac exercitus ducem Cæsar præposuit: quod cognosceret adversarios vetustô quôdam confidere vaticiniô, ut semper in Africâ vincere fatale Scipionum generi foret. Plut. *in Cæsare*. *Scipio* prior, in veteribus monumentis, dicitur *Q. Metellus Pius Scipio Imper.* quòd Nasicæ fil. cùm esset, in genus hæreditatemque Metelli Pii adoptatus inde cognomen *Metelli* tulerit. Is autem filiam morte P. Crassi viduam Pompejo in matrimonium dederat, & ab eo contra Consulatum, ac ne causam de Decimis diceret, acceperat.

SCIPIO, cohortis in Mauritania præfectus, per centuriones præmissos, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent, oppressus. Tacit. *Histor. l.* 2. *c.* 59.

SCIPIO Ammiratus, scripsit de familiis regni Neapolitani, & Reipubl. Florentinæ, ut & historiam Tusciæ, &c. Obiit A. C. 1603. *Scipio Cappacius*, & *Rovitus*, scriptis, in regno Neapol. inclyti. Laurent. Crassus, *Elog. Literat.*

SCIRA, locus in Atticâ. *Eustath.* Item *Scira*, festum Atheniensibus peculiare, in quo umbracula ac scenæ fiebant, de quibus Gyraldus copiosè *in l. de annis & mensibus.* Hinc mensis Σκιῤῥοφοριὼν, cujus meminit Æschines *contra Ctesiph. Ajunt autem*, inquit Harpocrates, *σκίρον esse umbellam, cum qua ex Acropoli, in locum quendam, nomine Σκίρον, eunt, Minervæ sacerdos, etiam Neptuni & Solis: eam autem gestant Eteobutadæ*, apud Joh. Marshamum *Canone Chron.*

SCIRADIUM, promontor. Atticæ videtur, ad Saronicum sinum; Plut. *in Solone*.

SCIRAPHION, locus ubi conveniebant, qui tesseris ludebant. Steph. in *Sciros*.

SCIRAS, Ægina quondam dicta, unde Minerva *Sciras* appellata. Strabo *l.* 9.

SCIRATÆ, Indiæ populi simis naribus, apud quos inusitatæ magnitudinis olim serpentes fuisse, testatur Ælian. *de Anim. l.* 26.

SCIREBURGIA, vulgo SHEPTON, aliàs SEIREBURNIA, & SCHIREBURNIA, civitas fuit Episcopalis Angliæ & Saxonum Occidentalium, cujus sedes Sarisberiam translata. Nunc oppid. est Comitatus Somersetensis, 15. leuc. à Sarisberia in Occident.

SCIRI Dii. vide infrà *Solymi*.

SCIRI, populi Galatiæ: Item Pæoniæ, *Stephan.*

SCIRIA, apud Tertullian. *de Pallio c.* 4. ubi de Hercule apud Omphalen hærente: *Credo & jubas pellium passus, ne scrviorem cervicem inureret* scirra *leonina*: Græcè σκιῤῥία vel σκληρία, *durities, rigor* est, qualis esse solet in pellibus non confectis, quas Græci ἄδεψα & ἀναλάσττα appellant. Cujusmodi leonina illa fuit, quam gestavit Hercules, dura enim & inflexibilia esse non confecta coria pernotum est, ut contrà lenta & mollia, quæ confecta. A Græco σκιῤῥὸς, unde & σκιῤῥοὶ θεοί, apud Tyrium Maximum & Theodoretum, i. e. *rigidi & inexorabiles Dii*, Salmas. *ad loc. Tertull.*

SCIRIFICUS, in Africa, Abdulacô ultimô Merinæ gentis occisô, regnum rapuit: postea ipse à Saido ex Oatarenorum familia regnô Fezzæ exutus est, quod hic cum posteris tenuit. Hujus dein regnum rursus evertit *Scrifisius Hasceves* humili locô natus, verum vafer, Philosophiæ vel Magiæ potiùs studiis deditus. Hic genus suum ad priorem Scirificum Mahometem referens, affectatâ sanctimoniâ plebem in suas partes pertraxit: utque filios ei chariores redderet, illos Mecham ad visendum Mahometis sepulchrum misit: reduces cùm Mahometi Fessano Regi commendâsset, in alterum Hametem, in Schola Moderracensi cathedrâ donavit, alterum Mahometem filiorum suorum Præceptorem instituit. Mox pater, sub prætextu Lusitanos pellendi, filiis militem colligendi facultate, præfecturisque impetratis, illos in tantum auxit, ut Rege victô & trucidatô sceptrum tandem in se transtulerint, A. C. 1550. Vide Thuan. *Hist. l.* 5.

SCIRITIS, Dodecapolis Cariæ, qui in eâ habitant *Sciritæ*, *Steph.*

SCIRON, latro fuit, cujus ossa quum in mare cecidissent, in scopulos conversa feruntur, quæ adhuc *Scironia saxa* vocantur. Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 443. *s.*

Tutus ad Alcathoën Lelegeïa mœnia limes
Composito Scirone patet: sparsisque latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda.
Quæ jactata diu fertur durâsse vetustas
In scopulos, scopulis nomen Scironis inhæret.

Fil. fuit Canethi & Heniocles. Locum in Megara habitavit, quem dixerunt *Petras Schironidas*. Viatores spoliatos præcipites agebat. Alii tradunt, hospitibus jejunare coactis, panem pedibus offerre consuevisse: & apprehendentes, calcibus in mare de præcipitiô deturbâsse. Magarenses scribunt, bonum virum fuisse: & ejus filiam Endeidem Æaco Jovis filio nupsisse: & ex his natos esse Peleum & Telamonem. Hunc Theseus interfecit. Ovid. *ep.* 2. *v.* 69.

Cùm fuerit lectus Sciron, torvusque Procrustes.

Ubi alii Scyron. Propert. *l.* 3. *El.* 15. *v.* 11.

Nec tamen est quisquam sacros qui lædat amantes.
Scironis media sit licet ille via.

Nic. Lloydius.

SCIRON, mons Atticæ in ora inter Megara & Corinthum, ubi *Scironia saxa*, & *Scironides petræ*, Straboni *l.* 9. à *Scirone* latrone dicta, non procul à Piræeo in mare, instar scopuli 6. mill. pass. porrecta, teste Solino. *c.* 13. Seneca *in Hippolyto*, *v.* 1023.

Et scelere petræ nobiles Scironides.

Σκειρωνίδες πέτραι dicuntur etiam Euripidi *in Hippolyto*. Est & promontor. Phthiotidis ad sinum Maliacum, in quod Thermopylæ terminantur. Claudian. *de bello Getico*, *v.* 188.

Thermopylæ: vastata mari Scironia rupes.

Nic. Lloydius.

SCIRON, peculiare nomen Argestæ sive Chauri, qui Atheniensibus sic dictus est, quòd ex Scironiis saxis illum sentirent: hinc non aliis eô nomine notus. Idem in Ponto Euxino *Thrascias* habuit nomen. In turre octogonia Andronici Cyrrestis, quæ Athenis magnâ ex parte hodieque visitur, ventus hic exprimitur specie juvenis barbati ac palliati, cum ocreis, sicuti Boreas, sed insuper urnam manu aquâ plenam invergit. Sic, licèt alibi locorum nubes dissipet, Atheniis tamen pluvium eum fuisse, oportet. Plura de his vide apud Jacobum Sponium *Itiner. Græc. Part.* 2. *p.* 178.

SCIRON Alter, Maximinus Imperator ob sævitiam cognominatus legitur, apud Capitolin. *in eo*, *c.* 8.

SCIROS, locus & habitatio est Arcadiæ apud Parrhasios; cujus incolæ *Sciritæ* vocantur. Vide *Steph.*

SCIRPHÆ, urbs Phocica, *Steph.* *Scirphæ* legit *Aldi* codex.

SCIRPUS, Græcè φλεώς, sui generis, inter ea, quæ præter salicem ligaturis utilia sunt, memoratur Plinio *l.* 16. *c.* 37. *Nec in fruticum, nec in veprium caulliumque, neque in herbarum, aut alio ullo quam suo genere, numerentur meritò* scirpi *fragiles palustresque.* Ejus usus multiplex. In filo & in *scirpo* nectebantur corollæ, Tertullian. *de coron. mil.* ubi tamen per scirpum philyram vult intelligi, de qua dictum. Cætera Plinii iterum verbis expediemus, *d. l. ad tegulum tegetesque: è quibus, detractô cortice, candelæ luminibus & funeribus serviunt. Firmior in quibusdam locis, eorum rigor.*

Namque

Namque ibi velificant non in Padis tantum nautici, verum & in mari piscator, Aleatur, praepositerâ more, vela intra malos suspendens. Et mapallasua Mauri tegunt: proximeque æstimantis hoc videntur esse, quo inferiore Nili parte papyri fuerit usus. Quibus in postremis verbis causam dat, quare, cum papyrus sit Nilotica propriè planta, *scirpus* quoque *papyri* nomine fuerit insignitus, nempe à similitudine & usu, de quo utroque diximus suprà, ubi de *Papyro* & *Biblo*. Adeam saltem, *fiscellæ scirpeæ* nomine appellari in vulgatis Bibliis Exod. c. 2. v. 3. instrumentum seu navigiolum, quo Moyses expositus, uti pluribus videre est apud Thomam Bartholinum *de Puerperio Veterum*. ex papyro enim fuisse, Josephus & Clemens Alexandrinus tradunt. Certè & *instrumentorum scirpeorum* Esaias meminit c. 19. v. 7. ubi Æthiopiam *mittere Legatos & instrumentis scirpeis per superficiem aquarum* ait. Sed de hujusmodi navigiis etiam nos suprà egimus. De *Scirpeis* verò *simulachris* Argeorum quotannis olim Romæ, in Tiberim præcipitari solitis, à Vestalibus virginibus, vide suprà aliquid ubi de *Majo* mense.

SCIRTHARI, Dalmatiæ populi Plin. *l.* 3. c. 22.

SCIRTIANA, Macedoniæ urbs inter Lychnidum & Heracleam, *Antonin. Sirtiana*, & *Scirtiana Simlerus* legit.

SCIRTONIUM, urbs Arcadiæ, Steph. *ex Pausan. l.* 8.

SCIRTUS, fluv. Syriæ, per Edessam fluens, in Euphratem. *Callist. Evagr. Cedr. Zonaras.*

SCIRUS, vates fuit Eleusinius, unde Minerva *Sciras* dicta.

SCIRUS, Arcadiæ vicus. Atticæ campus & fluv. mons inter Megara & Corinthum. *Steph.* Pausan. *l.* 8. *Strab.*

SCISMAS. Vide *Sysimas*.

SCISMASAR Vetus, apud Mich. Scotum *de Physionomia c.* 6. *est augurium, quando tu vides hominem post te, vel avem pausantem, ita quod sit tibi dextro latere: istud enim tibi malum signum* &c. Ei opposita fuit *Scismasar Nova*, de quo augurii genere suprà in voce *Scemasarnova*.

SCISSOR, servus erat apud Romanos, decoro manuum gestu cibos *scindendi* præministrandique in conviviis Artem edoctus. Postquam enim Structor mensam instruxisset & proprium convenientemque cibum apposuisset, aderat *Scissor*, qui cum peritè divideret & epulantibus ministraret: quos ambos unà producit Juvenal. *Sat.* 5. v. 120.

> *Structorem interea, ne qua indignatio desit,*
> *Saltantem spectes, & Chironomonta volanti*
> *Cultello: donec peragat dictata Magistri*
> *Omnia: nec minimo sanè discrimine refert,*
> *Quo gestu lepores & quo gallina secetur.*

Ubi per *Chironomonta* intellige *Scissorem*, quòd *manus doceret artificiose omnia incideret*, sic appellatum; à scenica consuetudine nomine traducto. Ita & Sidonius Apollinaris *l.* 4. *Apicios epulones & Byzantinos Chironomontas*, memorans, de iisdem accipiendus est. Rerum eleganter describit Seneca. *Ep.* 47. *Cum ad cœnandum discumbimus, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit, alius pretiosas aves scindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens manum eruditam, in frusta excutit.* Quod dum fiebat, organa, tibiæ, variaque alia, hydraulica inprimis, instrumenta personabant. Petronius, *Processit statim Scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium Hydraule cantante pugnare.* Idem *Carptor* dictus est; Petron. iterum, *Non minùs Trimalcio ejusmodi methodio latus, carpe inquit. Processit statim Scissor.* Hinc Juvenalis *Sat.* 9. v. 109.

> —— ---- *Audiet & qua*
> *Fuxerunt pariter Librarius, Archimagiri,*
> *Carptores.*

Diribitor idem Appulejo vocatus videtur *Metam. l.* 2. nisi potiùs hi panem diribebant: mutuatâ à Comitialibus & Judiciariis Diribitoribus appellatione. Fuisse enim penès aliquem servorum Tricliniarium hanc panis distributionem, Juvenalis docet *Sat.* 5. v. 66. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, Lipsium *Saturnal. Serm. l.* 1. c. 2. Tit. Popmam *de Operis Servorum*. Thomam item Dempster. *Paralip. in Rosini Antiqq. Rom. l.* 5. c. 29. ut & suprà in voce *Carptor*. Sed & *Scissor*, apud Ægyptios olim, dicebatur unus ex tribus illis, quibus cadavera condiendi cura incumbebat, vide suprà *Grammaticus*.

SCISTA, trivium est Phocidis, inter Delphos & Daulium, cujus Poëtæ meminêre, præsertim *Euripid.* & *Sophocl.*

SCITALUS, fullonis cujusdam nomen, ob insignem improbitatem, in Comœdiis traducti. Vide Schol. *in. Equit.* Appellatur & *Scitan*.

SCITHÆ, oppid. Thraciæ seu Macedoniæ, apud Potidæam, *Steph.*

SCITHIACA, regio *Ptol. Scethis Callisto*, *Campo Carmeli Oetrbo* regione. Ægypti, ubi Scetis & Nitria.

SCITHOS, Steph. Eubœæ Inf. Gentile *Scithius*. Vide *Scyathos*.

SCITIA, pro Scotia quandoque reperitur: & *Scita* non semel in antiquis paginis pro Scotis legitur, ut Scotorum à Scythis origo innuatur. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archaeol.*

SCITTA, Hebræis posterioribus *Scythopolis* dicta est, tanquam à Scythis: utpote qui non pauca linguæ suæ vocabula à Græca deducere amârunt. Qua de re vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 4. c. 9.

SCIURUS, vide suprà *Muris Moscovitici*. Aliàs *Sciurus*, quasi, *ἰσκιουρος*, ab *umbra cauda*, quid sit, notum. *Nitedula* quoque nominatis, nempe à *nitendo*, quod arbores scandendo nitatur: cum alias *Nitedula*, per quam mulier in fornice casta Dominico Leono, quod Venerem comesta coërceat, à *motare* caudæ habeat nomen, Græcisque hinc *λαμπυρὶς* dicatur. Vide aliquid suprà voce *Nitedula* & infrà *Vulpes*. In clypeo Foulqueno, *Sciurum* miniò rubentem erectumque in area argentea, Liliis cœruleis liliis aureis consitô eam circumdante, habes apud C. Segoing *Mercure Armorial*, p. 128.

SCLAVI, meliùs SLAVI, populi Scythiæ Europææ, qui in Illyricum demigrantes *Sclavonia* nomen indiderunt. Hi è Scythia egressi, Istria occupatâ, sub Justino Imperatore totâ dein Græciâ, sub Justiniano devastatâ, per fratres duos, Lechum Poloniæ, Zechum Moraviæ Bohemiæque regna condidêre, A. C. 550. A Constantino è Græcia ejecti, A. C. 783. etiam à Ludovico Pio repressi sunt. A. C. 817. postquam Christianam fidem, Bulgarorum exemplô A. C. 807. Urb. Cond. 1618 Olymp. 431. An. 2. suscepissent. Cum iisdem vario Marte bellum gessit Ludovicus II Imperat. A. C. 858. Cujus demum operâ, per Methodium, quibusdam conversi creduntur, A. C. 862. Iterum coërciti ab Ottone M. A. C. 960. Canutum & Sueonem Danorum Reges summoperè infestârunt, circa A. C. 1120. sed Valdemarus regno potitus, illorum ducem Niclotum, in summas angustias redactum, Christianismum suscipere coëgit, A. C. 1161. Raptamsem post hæc Sclaviam Marchionem Brandeburg. vicit Cahutus, A. C 1500. Postea, cum hactenus proprios habuissent Reges, Hungariis tributarii. Vide in *Sclavonia*. Maxima ex parte Latina sacra colunt. Linguâ utuntur omnium maximè extensâ: in quâ sacra Cracoviæ fieri Jagielo Poloniæ Rex, à Ministris è Bohemia evocatis, permisit, A. C. 1431. aliàs valde extensi, nunc Sclavoniæ propriæ finibus constricti. De nominis origine vide Ægidium Fletcherum *in Russorum Rep. c.* 13. Subjicitur hæc regio hodie partim regno Hungarico, partim Venetis & Principibus Austriæ. Duobus præcipuè fluminibus tota regio irrigatur, Savô, & Dravô, qui in Danubium corruunt. Sclavonicâ linguâ, quæ nonnullis *Windisch*, & apud Latinos *Illyrica* appellari putatur, hodie omnium latissimè patet, ut quæ à mari Adriatico ad Oceanum Septentrionalem extendi videatur. Nam eâ utuntur Istrii, Dalmatæ, Bosnenses, Moravi, Bohemi, Lusatii, Silesii, Poloni, Lithuani, Prutheni, Scandinaviæ incolæ, Russi longe lateque imperantes, Bulgari, multæque circumvicinæ regiones Constantinopolim ferè usque, adeo ut ejus etiam inter Turcas frequentissimus sit usus. *Σκλαβηνοὶ Procopio*, *Sclavini Jornandi*. Vide Cluver. *Germ. Ant. l.* 3. c. 44. Quare autem *Sclavus* pro *servo* poni soleat, vide Voss. *de vitiis Sermonis l.* 2. c. 17. plura apud B. Rhenanum *Rer. Germ. l.* 1. tit. *Sclavini in Bojohemum & Moraviam*, it. *Sclavini in regionem Vistulanam*, seu *Poloniam*, it. *Francorum de Sclavinis victoria*, cum *Notis* Ottonis JCti *p.* 250. 253. & 285.

SCLAVINA, seu SCLAVINIA, apud recentioris ævi Scriptores, vestis est longior, sagi militaris instar, *Sclavis*, ut videtur, familiaris, unde nomen. Eâ peregrinantes potissimum usos, docet Malbraneus *de Morinis l.* 10. c. 12. Unde juxta *palmam*, *peram* & *baculum*, in supellectile peregrinatoria, *Sclavina* quoque memoratur, apud Herbertum *de Miraculis l.* 3. c. 25. Vilem fuisse Rabbi Kimchius ait, *Esclavinam* eam vocant. Aliud quid apud Mauricium & Leonem *Σκλαβινὰ* seu *Σκλαβινίσιαι* est, jaculum scilicet levius, quô Sclavi utebantur, uti annotârunt *Rigaltius* & Meursius, in *Gloss.* vide quoque Car. du Fresne *in Glossar.* ut & suprà, voce *Armilausa*.

SCLAVONIA, apud Authores Latinos complectebatur antea Illyricum Hodiernum, nempe Dalmatiam, Croatiam, Bosniam & Sclavoniam propriam; nunc continet tantùm hanc ultimam. Est illa pars Hungariæ ad Meridiem ubi aliàs Pannonia Savia, inter Dravum & Savum, ab Ortu in Occidentem extensa, à Danubio prope Taurunum, usque ad confinia Carniolæ & Stiriæ. Ejus major pars ad Ortum subest Turcis, ubi urbes Sirmium, Posega & Gradiskia. Minor verò portio ad Occidentem ubi Zagrabia & Warasdinum ad Dravum, Austriacis paret, cum Comitatibus Warasdiensi, Zagrabiensi & Risiensi ex parte. Vide Procop. *de bell. Goth. l.* 1. & 3. Blond. *dec. l.* 8. *Sansonem*, *Miraum*, &c. Item suprà.

SCLISSA, seu SCRISSA, vide *Clissa*.

SCLOPUS Æolius, vide *Mosketta*, it. *Sambucus*.

SCOBRITUM, vel VICUS S. VITALIS, vulgò S. VIAU EN RETS, memoratus in VITA S. Vitalis Angli, qualis in *Breviar.* Tinurtiensi legitur: *Erat cellula habitatio B. Viri in ipso confinio Ratensis, quodam in monte Scobrit nomine.* Ejusdem Ludovicus Pius Aug. meminit, *in literis* datis A. C. 839. *Villam juris nostri, nomine Scobrit, quæ est in pago Pictavo in Vicaria Ratinse cum Eccl. S. Vitalis.* Locus itaque Galliæ, in Pictonibus, in pago Ratiatensi vel Ratensi, qui à Patrono Ecclesiæ loci & ab agro, in quo situs, *S. Vitalis in Ratensi* postmodum dici cœpit. Callistus II. Pontifex *literis* datis A. C. 1120. pro Ratensi *Raas* habet, & in Episcopatu Namnetensi, cum *Monasterio S. Filiberti* & cum *Machical*, *Ecclesiam S. Vitalis de Raas*, ad Monasterium Tinurtiense vel Trenortiense pertinere ait. *Scobrito* proximus locus est *le Restiel*, qui fortitan Gregorii est *vicus Ratiatensis* Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Ratiatensis Pagus*.

SCOBS, veteribus Romanis in usu fuit, ubi pavimentum detergendum. Excavabatur namque *Stramen*, *in pariete Triclinii, proluendi pavimenti causâ*. l. 28 ff. *de servit. præd. urb.* quod ad analecta & vina profusa in pavimentum exportanda paratum fuisse conjicit *Pignorius*: Cui profusioni quâ ratione occurrerint Græci exponit Vitruvius l. 7. c. 4. bibulo nim. pavimento *ex carbonibus, sabulô, calce & favilla mixtis*. Verùm, non exstante foramine, aderant servi, qui sputa detergerent, & reliquias *subditi temulentorum colligerent*. Horat. *l.* 2. *Sat.* 8. v. 10.

Hic ubi sublatis, puer altè cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, & alter
Sublegit, quodcunque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere.

Ad quæ & similia *scobem* adhibebant. Unde idem *l. eodem Satyr.* 4. *v.* 81.

Vilibus in scopis, in mappis, in Scobe, quantus
Consistit sumtus? neglectis, flagitium ingens.

Et Julius Bassus apud Senecam *Rhet. l.* 4. *Controv.* 25: *Inter temulentas reliquias sumtuosissimæ cœnæ, & fastidiosos sub ebrietate cibos, modò excisum caput humanum fertur. Inter purgamenta & jactus cœnantium & sparsam in convivio Scobem, humanus sanguis everritur.* Juvenal. item *Sat.* 14. *v.* 64.

Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino
Atria displiceant oculis venientis amici:
Ne perfusa luto sit porticus: & tamen uno
Semodio Scobis hæc emundat servulus unus.

Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Sed & *scobe auri* crines aspersi, uti de Gallieno Imperatore habet Pollio, *c.* 16. & de Salomonis equitibus diximus alibi. Imò & *scobe auri argentique* porticus stratas, legimus apud Æl. Lamprid. *in Heliogabalo, c.* 31. *Scobe auri porticum stravit & argenti, dolens, quòd non posset & electri:* idque frequenter *quacunque iter fecit pedibus usque ad equum vel carpentum, ut fit hodie de aurosa harena.* De eadem potui inspersa, adeoque plura in hanc rem vide suprà ubi de *Auri elimandi arte.* Hinc *Scobina,* idem quod lima, Græcè ῥίνη Tertullianus *Apologet.* *Ungulis deraditis Latera Christianorum. At in Deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ & runcinæ & scobinæ.* Ut qui *limis descobinari* solebant, sicut Arnobius ait *adv. Gentes l.* 6. *Simulachra ista, quæ vos terrent —— sunt argentum, aurum, testa, lignum —— ex incudibus & malleis nata, tornis rasa, descobinata limis —— runcinarum levigata de planis.*

SCOCEJUM, vulgò ESCOUCHI, vicus Galliæ ad fluv. Olinam, Quadrigis Catugiisque proximus. Ejus meminit Ordericus Vitalis, *Histor. l.* 13.

SCODRA, urbs alias Dalmatiæ nunc Albaniæ, in Macedoniæ confinio apud Drilonem fluv. *Ptolem. Scutari,* & *Iscodar* Turcis. Albaniæ regio præcipua, ab Epidauro seu Ragusa 60. mill. pass. in Ort. ab Ascrivio in medio 30. Satis ampla, cum arce munita, in colle. Ad Barbanam fluv. *la Bojana,* ubi ex Labeati palude effluit. Sub Turcis, à 200. annis, pace cum Venetis inita, A. C. 1478. postquam à Turcis bis obsessa esset frustra, sub Mahomete II. Fuit Episcopalis olim, 25. mill. pass. ab Olcinio, & ora maris Adriatici in Cæciam, paulò plus ab Antibaria 30. à Cattara in Ortum versus montes, 83. a Ragusio in Eurum *Scadar* Slavis. Aliàs Regum Illyriorum sedes. Hinc popul. *Scodrenses, Baudrand.* *Scordus* ibi mons altissimus, de quo Liv. *l.* 3. *dec.* 5. fortè qui aliis *Scardus.*

SCODRI, Indica gens *Dionysio.* *Sodri* legit ejus interpres *Avienus.* *Sodras* hoc tractu nominat Diodor. Sic. *l.* 17. parte posteriore. Ad Indi fluminis partes inferiores. *Sabracas* Curtii *l.* 9. *c.* 8. censet *Ortelius,* vitiosè, ut visum *Jano Gebhardo.* Vide *Sambastli.*

SCOENUS, fluv. Thraciæ, apud Maroneam Urb. mari Ægæo exceptus, Mela. *l.* 1. *c.* 16.

SCOFDA, urbs Westrogothiæ, juxta Tydam fluvium, 22. mill. pass. à Mariæstadio in Meridiem, ut à lacu Venero, paulo minus à Scara in Ortum.

SCOLIS, mons, OLENIA PETRA Homer. è quo Larissus fluv. & urbs Achajæ, *Stephan.*

SCOLIUM, Græcè Σκολιὸν, subintellige μέλος, genus Carminis apud Græcos convivalis. Quamvis enim Socrates apud Platonem *in Protagora,* Musicæ usum in conviviis improbet, illamque Euripides funeribus magis convenire, ad luctum mitigandum, asserat, tamen & Xenophon in epulis eam admittit, & Phemius apud Homerum *Odyss.* exemplo idem suo docet. Cùm autem ad choreas vel cantum convivantes accederent, minoribus poculis remotis, majusculum κρατῆρα poscebant, uti discimus ex Euripide *in Jone v.* 1177.

Ἐπεὶ δ' ἐς αὐλοὺς ἧκον ἐς κρατῆρά τε
Κοινὸν, γέρων ἔλεξεν, ἐκφορεῖν χεροῖν
Οἰνηρὰ τεύχη σμικρὰ, μεγάλα δ' εἰσφέρειν.

Quem in convivio circumferri solitum appellabant ᾠδὸν, quòd non liceret absque cantu propinare vel excipere, ut videre est apud Tryphonem Gramm. ἐν Ὀνόμασι. Cantus autem vocabatur Σκολιὸν: de quo nomine inter Grammaticos non convenit. Nugantur de *Scolio* pede, sic enim nominant Amphimacrum, quem tamen nihilò frequentius in illis invenias, cùm pedibus aut numeris à Pæane neutiquam differat, uti ostendit Scaliger *de Arte Poet. l.* 1. *c.* 44. Similiter ludunt, qui κατ' ἀντίφρασιν nominatum ajunt, quasi omnium facillimum & μέλος ἁπλοῦν ἔχον, Schol. *in Aristoph. Ran.* [illegible] Nonnulli [illegible] σκολιῶν, *a situ lectorum & convivarum obliquo* vel ab obliquis tibiis, sic nuncupatum volunt, de quibus tamen apud idoneos Auctores nulla mentio. Sunt qui ex Oro Grammatico ab oculis temulentorum, qui σκολιοὶ seu διεστραμμένοι, *distorti,* appellationem accessant. Scholiastes Aristoph. *in Vespis* hunc ita nominatum vult, quòd à primo cœptum, nequaquam à proximo, sed ordine flexuoso ultroque exciperetur. Quæ sententia Scaligero non displicet. Tres enim erant in conviviis cantiones recitandi modi, teste Dicæarcho περὶ μουσικῶν ἀγώνων, apud Schol. *loco præfato:* Unum, quum ὑπὸ πάντων id fieret, pluresque concinerent, ut in *Choris & Nuptiis.* Alter καθ' ἕνα, quum in conviviis aut festis sodalitatibus, singuli per ordinem canebant. Tertium, cum canebatur σκολιὸν, succedebantque non seriatim, sed, ut cuique visum esset, à cantu myrti laurive ramus dabatur ei, qui magis idoneus judicaretur, aut quem ei qui canere desiisset, placebat eligere. Ratio enim *Scolia* cantandi hæc fuisse legitur: Qui primus ordiebatur, ramum myrti, dictum αἴσακον, thyrsi instar, manu tenens, incipiebat decantare carmen aliquod Simonidis, vel Stesichori vel Æschyli, quodcunque adlubuisset, & continuabat quoad volebat, posteà ramum cui lubebat porrigens, illi locum pergendi cantu, ubi is finisset, dabat, hic similiter alteri, donec omnes cecinissent. Tum victori ᾠδὸν cedebat. Cùm Homericum recitabatur Poëma, laurus in myrti locum, & agnus in poculi substituebatur. Alii tamen malunt, à primo lecto cœptum, altrinsecus primo lecto datum ramum, simul cum cantionis jure: inde ab illo ei, qui secundus erat in adverso lecto: ab hoc ei, qui exadversum in altero secundo discumbebat, ita enim revera σκολιὸν erat, sicut reptatio serpentum & quasi serræ dentes. Auctor hujus carminis Terpander fuit, teste Plut. *in Mus.* Materia laudes virorum fortium: Unde vulgatissimum erat *Scolion,* dictum *Harmodium,* quòd frequentissimè cantaretur, in laudem Harmodii & Aristogitonis Tyrannicidarum, cujus mentio apud Aristophanem *Vespis* & *Acharn.* Incipiebat, φίλταθ' Ἁρμόδι', οὔ τί που τέθνηκας &c. Aliud de Admeto,

Ἀδμήτου λόγον ὦ ἑταῖρε μαθὼν,
Τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
Τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου.
Δειλοῖς ὀλίγη χάρις.

Ubi notanda τῶν ἀγαθῶν & τῶν δειλῶν oppositio. Similiter ab Eustathio refertur unum super *Il.* β. relatum ad eorum fortitudinem, qui in oppidi Lipsydrii fuerant obsidione; ut alia omittam. Neque verò in hisce solùm occupabantur *Scolia* sed & in communibus sententiis & adagiis & quocunque genere adhortationis ad bene beateque vivendum. Sic enim Timocreon Rhodius in divitias *Scolium* concinnavit,

Ὤφελές σ' ὦ τυφλὲ Πλοῦτε,
Μήτ' ἐν γῇ μήτ' ἐν θαλάττῃ μήτ' ἐν ἠπείρῳ
Φανῆναι,
Ἀλλὰ Τάρταρόν τε ναίειν κἈχέροντα,
Διὰ σὲ γὰρ πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά;

apud Scholiastem *Aristoph. Ran.* In ejusdem *Vespis,* aliud incipit,

Χρήματα καὶ βίαν Κλειταγόρᾳ τε κἀμοί,

Et scribit Plato *in Gorgia,* cani *Scolio* solitum, ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον, τὸ δὲ δεύτερον, καλὸν γενέσθαι, τρίτον δὲ τὸ πλουτεῖν ἀδόλως. Aliud recitatur à Plut. *in Amator.* quod quoniam Græcas olet fœditates, indignum puris his Commentariis puto. Lyricorum verò usus plurimus in Amoribus & Lusibus & Potationibus; in quibus exercuit sese inprimis Sappho. Vide Scaligerum *loco citato.* A *Scolio* diversum non videtur fuisse τὸ ὄρθιον μέλος, nisi quòd hoc ab unico, illud à pluribus, canebatur. Dicebatur verò ὄρθιον, non quòd *rectò ordine* procederet, sed quòd *altâ & erectâ voce,* ut *Suidas* explicat, vel secundùm *Orthium modum,* caneretur. Sed & locò *Scoliorum,* integras aliquando Comœdias tractatas fuisse in conviviis legimus, quamvis non ad Menandri unguem edecumatas. Interea dum hôc pactô lætitiæ litabant Veterum σίμαλα i. e. *ossicula* seu *oscilla* inserebantur, rerum vices & incertitudinem, convivis in animum revocatura, qualibus in Sigillaribus Romani usi, vel Augustus lusit, apud Sueton. *in eo c.* 8. §. 3. Fuit etiam *Scolia,* nomen poëmatis ab Origene compositi, plurima perplexa & obscura continentis: Pericles quoque Leges suas, ad modum *Scoliorum,* scripsisse legitur, apud Aristophan. *Ran.* fortè non tam, ob perplexitatem, quam quod eòdem cum *Scoliis* metri genere illas voluerit hominibus inculcari. Vide Francisc. Rossæum *Archæol. Attica l.* 6. *c.* 6. Nec omittendum, ad Citharæ cantum cani *Scolia* consuevisse. Vide quoque suprà, ubi de *Myrti ramo:* uti de *Scholiis,* quæ σχόλια Græcis ac *Commentariis,* ad oram librorum attexi, scriptioni explicandæ, solitis. Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Σχολιάζειν.

SCOLOPENDRA, quod σκόλοπα ἐν τῇ οὐρᾷ, *corniculum* seu *palum in extremo* gestet; Arabibus *mater pedum quadraginta quatuor,* dicitur, tot enim præcisè habet; Hebræis נדל i.e. *centipeda,* numerò incertò pro certo positò: marinum insectum est, de quo sic Avicenna *l.* 4. *Fen.* 6. *Tract.* 6. ubi de animalculis, quorum morsus est venenatus: *Illud est animal notum; quia in aurem ingreditur. Plerumque est palmi longitudine... Ab unoquoque latere pedes habet viginti duos, & modò incedit antorsum, modò in posteriora fertur.* Et quidem ἐπὶ τὴν οὐρὰν, *caudam versùs* ferri, Philosophus quoque ait *Hist. l.* 4. *c.* 7. unde ἀμφίσβαινα Nicandro vocatur *Theriacis v.* 812. Sed *in aurem ingredi,* alibi non legitur. De iisdem ita Plin. *l.* 9. *c.* 43. *Scolopendræ terrestribus, similes, quas centipedes vocant, hamô devorato omnia interanea evomunt, donec hamum egerant, deinde resorbent.* Idem integros populos, Treitenses scil. ab iis sedibus pulsos, refert ex Theophrasto *l.* 8. *c.* 29. contra morsus verò earum remedia exhibet passim. Vide & Voss. *de origine & progr. Idololatr. l.* 4. *c.* 14. & 73.

SCOLUS, mons in ora Bœotiæ ad Ortum apud Eteonon & ostia Asopi fluv. cum oppido cognomine. Fuit & Macedoniæ oppid. apud Olynthum urb. teste *Strabone.* Stat. *l.* 7. *Theb. v.* 226.

Qui Scolon, densamque jugis Eteonon iniquis.

Hinc proverbium: *Scolon ne proficiscaris ipse, ne alterum comiteris,* quò utimur, teste *Eustathio,* cùm significatur, abstinendum à convictu

victu alicujus, vel à loco, à quibus nihil sit sperandum boni. Nam *Scolos* apud Strab. *l.* 9. vicus est Bœotiæ ad radices montis Cithæronis inamœnus, incultus, infrugifer, de quo Plin. *l.* 4. *c.* 7. Nihilominus in Scolo, Bœotiæ pago, panis totius Græciæ laudatissimus fiebat Pausaniâ teste *in Bœotic.* Vide Bochart. *Geogr. p.* 473. *Nic. Lloydius.*

SCOLYMUS, Græcè Σκόλυμος, malè cum cinara seu carduo nonnullis confunditur, cinara enim seu cactus aut carduus Græciæ ignotus prorsus. At *Scolymum* in cibis Oriens & tota Græcia receperat. Plin. *l.* 22. *c.* 22. *Scolymum quoque in cibis recepit Oriens & alio nomine limoniam appellavit. Frutex est nunquam cubitali altior, cristisque foliorum ac radice nigrâ, sed dulci: Eratostheni quoque laudatâ in pauperis cœna.* Nempe radix illius edulis tantùm Plinio. At Dioscoridi herba ipsa, dum tenella est vescendo decocta fuit, haud secus atque asparagi. Ἐπὶ σκολύμῳ καὶ τέττιγος, i.e. *tempore scolymi & cicadæ*, Hesiodus æstatem constituit, Ἔργ. καὶ Ἡμέρ. *v.* 580.

Ἦμος δὲ σκόλυμός τ' ἀνθεῖ, καὶ ἠχέτα τέττιξ κλ.

Quod secutus Aristoteles ἐπὶ σκολύμῳ, i.e. *scolymo florente*, mulieres avidissimæ libidinis esse, ait in *Problem.* &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 228. & 1286. ubi Cretas hodie cardui hoc genus *Ascolimbron* vocare, addit: nec non Heinsium *Notis in Hesiodum.*

SCOMBER, Gallis, uti & Angliæ ac Belgis, *Maquerellus* vocatus, inter pisces littorales & erectos, non tamen squamosos, sed levi cute præditos, celeberrimus, etsi de eo benignè satis judicent apud Athenæum Diphilus & Nicesius, succi tamen est crassi ac viscosi, & difficilis concoctionis: ac propterea, quò pinguedo ejus liquescat, saliri solet. Ex sanie verò putrescentium eliquabant olim garum laudatissimum, de quo vide Plin. *l.* 31. *c.* 7. Hinc Martialis in *Xeniis*, *Epigr.* 102.

Exspirantis adhuc Scombri *de sanguine primo*
Accipe fastosum, munera cara, garum.

Dixêre id *Sociorum garum*, quia à Sociis Populi Romani apportaretur: quales Hispani, unde idem Poëta *in iisd. Epigr.* 40.

Hesperius Scombri *temperet ova liquor.*

Nimirum Carthagine Novâ sive Spartariâ fiebat: atque id tanti pretii, ut nullus, præter unguenta, liquor cariùs divenderetur, teste Plinio *l.* 31. *c.* 7. Odoris tamen fuisse ingrati, indicat hoc Poëta antè memorati *l.* 7. *Epigramm.* 93.

Unguentum fuerat, quod onyx modò parva gerebat,
Olfecit postquam Papilus, ecce, garum est.

Usum ejus hodieque esse Constantinopoli, traditum est *Bellonio.* Variam garorum confectionem docent *Geoponica* Constantino tributa, *l.* 20. *c. ult.* ubi legas, garum αἱμάτιον scil. *sanguineum*, cæteris esse præstantius, quod idem esse ac illud Sociorum videtur. Namque μέλαν id seu nigrum, *de Compos. Medic. l.* 3. Galenus vocat: πρωτεῖον i.e. *primarium*, nominat Paulus Ægineta, Eô autem *nigrum* & *sanguineum* dicebatur, quoniam conficeret ex piscium cruore, qui nigroris istius causa. Vide Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. l.* 4. *c.* 26. *ubi Scombro subdit* Τράχουρον*, Gall. Maquereau bastard, q. d. Scombrum nothum.* Involucra autem *Scombrorum*, ut & piperis, thuris aliarumque rerum emptarum, chartæ viles, ut notum, malorum præcipuè Poëtarum carmina. Unde versus Catulli, *Epig.* 96. *v.* 8.

Et laxas Scombris sæpe dabit tunicas.

Persius quoque *Sat.* 1. *v.* 41.

------ *An erit, qui velle recuset*
Os Populi meruisse, & cedro digna loqutus
Linquere nec Scombros metuentia carmina nec thus?

SCOMBRARIA, Hispaniæ insula, parva admodum, ante *Scombrarium* promuntor. & apud Carthaginem Novam à qua 24. stad. recedit. *Scombroaria Ptolemæo*, quæ & Herculis, teste Strabone *l.* 3. qui à multitudine *Scombrorum*, qui inibi capiuntur, sic dictam tradit. Vide sis illic *Casaubon. Escombrera* hodie dici scribit *Florianus. Scombrera Baudrand.* in mari Mediterraneo in ora regni Murciæ, prope portum Carthaginis novæ. Vix circuitus 1. leuc. sed 16. mill. pass. à Scombraria promontor. in Occasum.

SCOMBRARIA, promontor. Hispaniæ Tarraconensis apud Carthaginem Novam. *Saturni promontorium* Plinio, *l.* 3. *c.* 3. *Cabo di Palos*, hodie vocatur, teste *Clusio.*

SCOMBRUS, mons Thraciæ, Rhodopæ proximus, ab eo in Boream parum recedens, *Aristotel.*

SCOMIUS, mons Thraciæ, in confinio Macedoniæ è quo Strymon oritur, *Thucydid.* fortè idem Orbelo.

SCON. in nummis Constantii, *Signata Constantinopoli* est. Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus.*

SCONA, oppid. Italiæ Locarno vicinum, in planitie, ad lacum Verbanum situm: ubi Dunorum familia, una ex quatuor Locarnensium nobilissimis, sedes inprimis suas & bona habet. Vide Jos. Simlerum *de Rep. Helv.*

SCONA, oppid cum cœnobio Scotiæ in Perthia, ubi olim Scotiæ Reges coronabantur, ibi lapide repertô, Scotis fatali: de quo hoc distichon legitur:

Ni fallit Fatum, Scoti quocunque locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

Vide infra.

SCONA, teste Skenæô, in verbo *Stone*, vulgò *omnis Terra* Scotis vocatur, quia ex terræ mole & congerie exædificatur; quam Regni Barones, aliique subditi ibi comparentes, vel coronandi Regis causâ, vel ad Comitia publica, vel ad causas agendas & dicendas, coram Rege, in unum quasi cumulum & monticulum conferebant; *c.* 1. §. 1. & 2. Et Malcolumus II dicitur dedisse & distribuisse totam terram Regni Scotiæ hominibus suis: nihilque sibi retinuisse in proprietate, nisi Regiam dignitatem & Montem placiti in villa *de Scona.* Est autem Mons placiti apud Scotos vel Mallbergium apud Anglo-Saxones, locus in quo Plebs in Mallum, i.e. placitum publicum conveniebat: qui Hibernis *parly hills.* Antiqui autem moris fuit, ut sub dio & intra sepimentum aliquod militare, securitatis causâ, convenirent Compagenses. Vide Henr. Spelmannum, *Glossar. Archæol.*

SCONS. in nummis Juliani, idem quod SCON. notat, vide *suprà.*

SCOPA, nomen villæ in Libya.

SCOPA, Mediastini olim insigne, cujus præcipua opera fuit, in cœnationis *Scopis* mundatio. Hinc visus Romæ, in pavimento vermiculato, homo cum *Scopa* & canistro, cum Inscr. *Cornelius. Servus. Mediastin.* apud F. Ursinum. Jurisconsultus *Scoparium* appellat, *l.* 8. *ff. de instruct. vel instrum. leg.* cujus operam tetigit Horat. *l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 81.

Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
Consistit sumtus?

Et Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 59.

Hospite venturo cessabit nemo tuorum:
Verte pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela.

Plautus item *Asinar Act.* 2. *Sc.* 4. *v.* 18.

Jussin, scelesle ab janua hoc stercus hinc auferri?
Jussin, columnis, dejicier opera araneorum?

Eodem pertinent illa Ulpiani *l.* 12 *ff. de instruct. vel instrum. leg. Item centones, syphones, funes, perticas quoque & scalas, & phormiones & spongias, & amas &* Scopas *contineri, plerique & Pegasus aiunt. Et, Item perticæ, quibus araneæ deterguntur: item spongiæ, quibus columnæ, pavimenta, pedia extergintur. Scalæ quoque, quæ ad lacunaria admoventur, instrumenti sunt, quia mundiorem domum reddunt.* Et profectò, Mediastinus semper sordidioris operæ fuisse videtur, tum in urbana, tum in rustica familia: vide insignem hac de re locum apud D. Bernardum *Serm.* 2. *de Assumpt.* Apud Petronium hanc operam Lecticarius navavit, *qui argentum inter reliqua purgamenta Scopis cœpit everrere.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Et hæ vulgares *scopæ*: quibus ut ritè uterentur, *Deverram* invocârunt, quam Pilumno adnectit Augustin. *de Civ. Dei. l.* 6. *c.* 10. At Apollinei Templi pulpita & pavimentum, virentibus è lauru scopis, everri consuevisse, Euripides ait *in Jone Act.* 1. qua de re vide Paschalium *Coronar l.* 8. *c.* 8. Sed & *Scopæ* seu *Scoparum* & virgarum disciplina frequens in Monasteriis, apud Romanæ Eccles. Scriptores, cui & Reges subjecti, uti de Henrico Andegavensi Angliæ Rege quòd Thomam Cantuariens. Archiepiscopum neci dari curâsset, legimus apud Matthæum Paris *in Henrico II.* Neque verò semper *scopis* cædebantur rei, sed aliquando *scopam ferre* pœnitentiæ loco fuit *Chron.* Montis-Sereni A. C. 1213. *Nudis pedibus, in veste nigra, scopam ferens ---- pedibus ejus prostratus* &c. Vide quoque suprà *Coniza.*

SCOPADÆ, Thessaliæ populi *Scholiast. Theocriti.*

SCOPAS Ætolorum Prætor, qui Acarnaniis arma intulit, A. M. 3754.

SCOPAS, Syracusius, plinthion sive lacunar, ad horas inveniendas excogitavit multasque res alias organicas & gnomonicas, numeris naturalibusque rationibus inventas & explicatas reliquit, Vitruvius *l.* 9. *c.* 9. Vide de illo Salmas. *ad Solin. p.* 636.

SCOPAS, marmorarius Sculptor, insignis, unus ex iis, qui Mausolæum cælaverunt, Plin. Ejus meminit Horatius *Carm. l.* 4. *Od.* 8. *v.* 6.

Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus.

Cùm verò omnes columnæ hujus Templi cælatæ essent, ex iis 36. cælatæ sunt uno à Scopa, Plin. *l.* 36. *c.* 14. Insuper & ærificus fuit, inter æris enim artifices recensetur eidem *l.* 34. *c.* 8. neque λίθω solùm ἀγάλματα, sed etiam æreas statuas, inter ejus opera recenset Pausan. *Eliac. l.* 2. qui eundem Tegeatis Minervæ Templum architectatum esse tradit in *Arcadicis*, quum vetus eorum ædes incendiô consumpta esset, Olymp 96. annô ult. Sed & in Mausoli sepulchro cælando cum aliis artificibus tribus certâsse dicitur, Plin. *l.* 36. *c.* 5. Vide de eo Salmas. *ad Solin. p.* 813.

SCOPE, insula in mari Rhodiensi, Plin. *l.* 5. *c.* 31. Vicus in Libyæ Nomo. *Ptol.*

SCOPELIANUS Clazomenius, Herodis Attici præceptor.

SCOPELOS, insula multiplex: una maris Ægæi, satis culta, apud Magnesiam promontor. Thessaliæ, Sciatho proxima, *Scopeli* nunc, teste *Baudrand.* Altera in mari Ionio apud Cephalleniam insul. *Capo Ducato Meletio.* Alia Plinio *l.* 5. *c.* 31. insula parva Asiæ, ante Troadem urb. Phrygiæ. Item urbs ad Varadanum fluv. in Sarmatia Asiatica, *Ptolem.* Alia urbs Thraciæ mediterraneæ, Develto urbi finitima, ab ea Hadrianopolim versus recedens, *Iscboli* vulgò, teste *Leunclavio.* Scopi dici videtur apud *Steph.* Populi *Scopeni.* Aliàs vox Græca Σκόπελος, Latinè *scopulus*, meta est, πέτρα ἐξέχουσα quoque Græcis & σκόπελος, scopulus scilicet in metæ acumen subrectus. Quâ notione occurrit, apud Heronem in *Geodæsiâ.* Vide quoque Salmas. *ad Solin. p.* 621.

SCOPIA, pluralis numeri urbs Dardanorum in Mysiæ superioris & Macedoniæ confinio Scupi dicitur *Ptolemæo*.

SCOPIA Extrema, Doridis promont. *Ptolem.* quod Straboni *Termerion* dicitur, teste *Villanovano*.

SCOPIUM, Thessaliæ oppid. Polyb. *l.* 5. *Cedren.*

SCOPIUS, mons Macedoniæ, Plin. *l.* 4. *c.* 10. Item Thraciæ mons & Puliyniæ fluv.

SCOPULI, qui inter Sidonem & Sareptam sunt in tribu Aser, Tyrius *l.* 7. *bell. sacri c.* 23.

SCOPUM, oppid. Armeniæ minoris, *Curopal. Zonar.*

SCOPUS, locus juxta Hierosolymam. Joseph. *Bell. Jud. l.* 2. *c.* 22.

SCORALIA, vulgò SCORAILLE, aliàs ESCOURAILLE, vetus Galliæ castellum summo in monte positum, in Arvernia superiore non longè à Mauriaco, expugnatum à Pipino, A. C. 767. Hoc postea Guido de Scoralia & Radulfus frater ejus, circa A. C. 1100. majori Ecclesiæ Arvernorum civitatis dederunt. Item castrum in confinio pagi Arverni & Burbonensis, ad Andelonum amniculum, qui in Elaver defluit, non procul ab Aqua Sparsa, & à Monte Pancerio: vulgò *Escurolles*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SCORBUTUS, morbi notum genus, Septentrionalis primum Balthici maris oras qui accolunt, illusque loca vicina paludosa, infestavit: qui proin eum, ut morbum *ἐπιχώριον* & *[illegible]*, prima sentiebant, eò prorsus more, quô Ægyptii elephantiasin, Alpini bronchocelem, Americani siphylidem, Angli phthisin, Judæi lepram, Hispani strumam &c. Is vero tandem neglectâ se deavitâ, longè lateque virulentiam suam diffundens, Daniam occupavit, Holsatiam, Prussiam, Silesiam, Bohemiamque pervagatus, quin & navigia insedit & ætatas inhærens triremibus, una cum vectoribus deterrima merx in Angliam, Belgium, Lusitaniam, Americamque delata est. Denique & Galliæ ac Italiæ maritima loca infestant, nec mediterraneis pepercit &c. Vide eo Medicorum filios.

SCORDISCA, medio ævô pelles dictæ sunt seu dorsualia, quibus equorum terga insternebantur. Uti enim equum suum Volucrem sagis fucô tinctis cooperuit Verus, apud Capitolin. c. 6. sic Commodus pelle leonina equum Pertinacem inrexit, apud Lamprid. Cujusmodi pelles *scordisca* appellatæ sunt, à *scorto*. Vegetius de re Veterin. *l.* 2. *c.* 60. *Quod si dorsum sedentis injuria tumuerit pone* — scordiscum *superimpones*. Hinc *Scordiscarii* D. Hieronymo, qui *scordisca* conficiunt. Vide Salmas. *Not. ad Capitolinum in Vero, loc. cit.* & infrà *Sella Equestris*, it. supra *Dorsale*.

SCORDISCI, & SCORDISCÆ Straboni, *Scordisti Trogo*, *Posidonio*, C. S. *Rufo*, populi Pannoniæ inferioris finitimi ad Austrum: quorum urbs *Sirmium*, teste *Niceta*. *Rastiam* eis attribuit hodie *Castaldus*. Ipse se vocant nunc *Bosnacchi*, teste *Nigro*. Cordistæ sunt apud Athen. *l.* 9. qui Galatas ex iis facit, qui cum Brenno Delphicum templum spoliaverunt. De his Amm. Marcellin. *l.* 27. *Scordisci*, inquit, *longè nunc ab iisdem provinciis disparati, sævi quondam & truces, ut Antiquitas docet, hostias captivorum Bellonæ litantes & Marti, humanumque sanguinem in ossibus capitum humanorum bibentes avidius.*

SCORDISCUS, Cappadociæ mons. *Ptol.* quem *Armenium* vocat *Amm. Marcellin. Scydissum Strabo.*

SCORIALE seu SCURIALE. Vide *Escuriale*.

SCORINGA, Germaniæ regio. *P. Diaconus.*

SCORPIACUM, libri titulus à Tertulliano contra Gnosticos compositi, qui *potionem adversus scorpios* indigitat. Ita enim hæreticos olim appellatos legimus passim. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 4. *c.* 29.

SCORPIANI. Non desunt, qui Scorpianos populos dici conjectant, apud *Stephanum*: Sed enim Herodot. nec in *l.* 7. quem is citat, nec usquam alibi *Scorpianorum* meminerit. videtur *Σκορπιανὸς* deflexum ex *Παρικανός*. *Paricani*, vel *Pariceni* Asiæ populi sunt, tam ex Herodoto *l.* 3. *&* 7. quam ex Mela *l.* 1. *c.* 11. & Plinio *l.* 6. *c.* 16. noti. Quorum *Paricane* metropolis, apud eundem *Steph. ex Hecatæo*; Bochart. *de Anim. Bibl. part.* 2. *l.* 4. *c.* 29. *Nic. Lloydius.*

SCORPIO, *ἀπὸ τοῦ σκορπίζειν τὸν ἰὸν*, *à veneno, quod diffundit*, an potius ab Hebr. *akrab*, cum prosthesi *ש* i. e. *[illegible]*, *animal, magis deutro*? Certè *Μισαν* *[illegible]*. *Hoc insectorum solum magnitùs habet aculeum*, Aristot. *Histor. l.* 4. *c.* 7. veterib. Latinis *Nepa*, quod Afrorum esse vocabulum, scribit *Festus*, quorum linguâ sic dici posuit, à *cauda internodiis*, inquit *Bochart*. Alius *marinus* est, qui cum terrestri nihil habet commune, præter venenatos aculeos, non tamen in cauda, sed in capite & toto corpore sparsos. alius *terrestris*, hicque iterum alius *[illegible]*, *alatus*, alius *ἄπτερος*, *sine alis*. Corpus huic ovi figurâ, in quo caput ita conditum est, ut vix emineat: & *χηλαί*, seu *cancri brachia*, quibus amplectitur, quidquid obvium est, ut sit firmior & pungat fortius: & octô pedes, à quibus dicitur *ὀκτάπους* in Proverb. sed caudâ inprimis est terribilis, in qua venenum & aculeus. Itaque passim à Poëtis, non aliter, quàm à cauda, describitur. Est autem illa *πολυσφόνδυλος*, habetque sex aut septem vertebras, seu internodia: in extremitate vero ejus aculeus est, quem quandoque geminum habet, cujusmodi scorpiones *διπλόκεντρος* vocat Ælian. *Histor. l.* 6. *c.* 20. Porrò aculeum illum tenui fistulâ perforatum esse, quâ venenum infundat, tradit Plinius *l.* 11. *c.* 37. aliique, inter quos *[illegible]* *sinuosam duplicitatem*, eam vocat Ælian. *l.* 9. *c.* 4. *Galenus* vero negat in scorpionis aculeo ullum esse foramen, quô venenum dejiciat, & proin animaleculi hujus vim noxiam referre mavult ad substantiam spirituosam, quæ, ut mole minima, ita faculatate maxima sit, ut ovar, pariter hominem, leonem, elephantem, camelum quoque punctione pusillâ exanimat. Sol in scorpione id gravissimum, quod auctore Plinio, *semper cauda in ictu est*, i. e. semper erecta & intensa, ut ad ictum sit paratior. Ovid. *Fastor. l.* 4. *v.* 163.

Scorpius elatæ metuendus acumine caudæ.

Exceptô eô scorpionum genere, quod caudam humi jacentem trahit, hincque Arabibus *jerrara* dicitur: veneno præsentissimô nocens. Cujusmodi scorpiones qui veniunt, mittere triduo antè Persarum Regem, illac iterum secunda est mittere à Persiis Susis in Mediam) iter facturum, refert Ælian. *l.* 15. *c.* 26. Dolor ex punctione, prout diversa scorpionis species, diversus est: sed in plerisque cum acutum punctura sentitur dolor igneus. Hercules Oetæus apud Senecam *Act.* 4. *v.* 1218.

Eheu quis intus scorpius, quis fervida
Plaga revulsus cancer infixus meas
Urit medullas?

Verùm *familiare periculi tempus, æstas*. Tertull. *hyeme torpescunt*, Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 21. unde in Apocalypsi *c.* 9. *v.* 3. 4. 5. mysticis locustis scorpionum caudas habentibus, non datur potestas nocendi, nisi per menses quinque: & in Africæ urbe *Pescara*, cives ferè omnes metu scorpionum, æstatis tempore, relictâ urbe, rus commigrare, nec nisi Novembri mense redire, testis est *Leo Africanus*. Sed & contritus & impositus scorpius propria vulneris remedio est, Dioscorid. *l.* 2. Quod enim in Ægypti urbe Copto, in Fano Isidis, magni scorpiones, *mulieres, quæ apud Deam lugebant & humi cubabant & pedibus nudæ incedebant*, *& eos scorpiones ipsæ non calcabant, non læderent*, uti refert Ælian. *Histor. l.* 10. *c.* 23. Diaboli cacozelia fuit, Dei miracula, uti in animalium venenis reprimendo virtutem suam sæpius exerunt, simiæ instar imitantis. Nomen ab iis monti Judææ non procul ab Asphaltite lacu, qui à scorpionum copia Hebraicè *ascit* *acrabbim* dictus est. Numer. *c.* 34. *v.* 4. Unde *Acrabatene* regio Idumææ vicina, 1. Maccab. *c.* 5. *v.* 3. Fortè & *Acrabatas*, Æthiopiæ lacus, inde appellatus est. Græci quoque Asiæ partem eandem ob causam *Σκορπιοφόρον χώραν* nominavêre, ut ex *Ptolemæo* constat &c. Quam in rem vide plura apud Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 96. & Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 4. *c.* 29. ubi & de tralatitiis vocis significatibus variis uti de rostris seu aculeis calceorum, *Scorpii caudam referentibus* suprà aliquid voce *Pigacia*, nec non hic infrà. Addam saltem, inde & *Scorpium* gemmam & *σκορπίον*, aconiti genus, à *scorpii* similitudine, dictum esse, vide Salmas. *ad Solin. p.* 712. & 882.

SCORPIO, Græcis, *σκορπίος* & *σκορπίδιον*, machina bellica est, quâ sagittæ mittuntur, 1. Maccab. *c.* 6. *v.* 51. ubi de Rege Eupatore Hierosolymam obsidente. & apud Polybium *l.* 8. *c.* 6. ubi de Archimede Romanos Syracusis arcente, *scorpionibus intra muros constitutis*. Sic apud Plut. *in Marcello*, cum ab eo clam positi fuissent *οἱ σκορπίοι βραχύτονοι*, *parvi scorpii*, quique hostium oculos fallebant, cùm se latere putantes, *[illegible]*, *rursus in oculos sagittas immiserunt* sicque retrocedere coacti sunt. Appellatam autem ita hanc machinam, *quoniam aculeum habeat desuper erectum*, dicit Amm. Marcellin. qui eam multis describit. *l.* 23. *c.* 4. Et Tertullianus *Scorpiaco*, *Bellicam machinam retracta tela vegetantem de scorpio nominant*. Et Vegetius, *l.* 4. *c.* 22. *Scorpiones dicebant, quas nunc manu-balistas: ideo sic vocati, quod parvis subtilibusque spiculis, mortem inferant*. Nota *spiculis*, i. e. *βέλεσι*, quæ & ipsa *scorpiones* dicta, ut in Hirtio *Bell.* *Afrian. c.* 31. Sic Vitruvius catapultis & scorpionibus sagittas, balistis lapides, mitti ait. *l.* 10. *c.* 15. & 16. Cui tamen *διαρρήδην* oppositus Ammianus *scorpione* lapides & balistâ sagittas evibrari docet: Fortè ejusdem machinæ diverso usu, cùm & nos arcubalistis modò sagittas modò plumbeas glandes, ejaculemur &c. Sed & vivos *scorpiones in hydriis Zythi impositos per machinas bellicas in Nilo in projecisse* Regem quendam, ait Geographus Nubiensis *Climatis I. Part.* 6. laudatus Bocharto *ubi supra*. Vide quoque in voce *Onager*.

SCORPIO, 1 Regum *c.* 12. *v.* 11. in his Roboami verbis, *Pater meus castigavit vos flagellis, & ego vos castigabo scorpionibus*, flagri genus est scutica gravius. Hebræi *virgam spineam*, aut *flagellum loreum aculeatum* intelligunt, vide suprà in voce *Marrugina*. Certè ævô deteriore etiam Latini Scriptores pro flagello aculeato scorpionem accepère, Isidor. *Originum l.* 5. *c.* 25. Honorius *Serm. de S. Laurentio*, Alii qui Martyrum supplicia exposuère. In *Lectionali* tamen *scorpiones* & *flagella* distinguuntur: *Scorpionibus, dehinc fustibus aggressus, exinde flagellis cæditur*. Vide eundem Bochart. d. l. Baronium *ad* 12. *Jan. in Martyrol.* & Gallonium *de Cruciatibus Martyrum edit. Paris. p.* 88. nec non suprà, voce *Flagra*.

SCORPIO, apud Auctores *de agris limit.* acervus lapidum, pro termino erectus, *σωρός*, in *Gloss. grammat. Sosipatri*, *[illegible]*, quia in metam ac conum desinebat. Quidquid enim in tumulum & fastigium elatum est, Græcis *σκορπίος*. Fiebant hi acervi lapidum: Græcis iisdem *Ἑρμαῖοι λόφοι*, in biviis, triviis, quadriviis, in honorem Mercurii, ad Hermulas, i. e. statuas Mercurii quadratas; itineri demonstrandos quos colere & inungere olim prætereuntes solitos, discas ex Theophrasto *περὶ δεισιδαιμον*. crebro item jactu lapidum augere ex Corn. Severo *in Ætna*,

— — qualis acervus
Exsilit imparibus jactis ex tempore Saxis.

Ut scil. longè eminerent. Unde & *in carmine collium Mercurius*, h. e. lapidum hujusmodi congeries, Isidorus positos ait, *in Gloss.* Quem morem etiam obtinuisse apud Indos & Arabas, hodieque apud Muhammedanos vigere, docet Vinc. Bellovacensis *Spec. ulo Histor. l.* 4. & Bernh. Breidenbachius, ex Petro Alfonso, apud Jac. Outzelium *Animadversion. in Minucium Felic. Octavio p.* 18. & *seqq.* cui adde J. Bourdelotum *ad Petron.* *[illegible]*, *Graminum cumulorum fragmenta*, & quæ hic dicta passim inprimis ubi de *Acervo Mercurii*

lapides more, voce *Acervus*, it. *Terminus*. Ubi verò acervi hi viales terminalesque quidi in metam desinebant ac ad modum caudæ scorpii fastigiati erant, σκορπίοι sunt appellati, sic & tumulus crinium in puero iisdem σκορπίος dictus est. Voss. qui, & de *Scorpio* pisce agit, de *Orig. & progr. Idolol.* l. 4. c. 31. & 25.

SCORPIOFERA, Asiæ regionis pars. *Ptol.*

SCORPIONES, quod hominum genus. Vide supra *Oricula*.

SCORPIUS, seu SCORPIO, unum ex XII. Zodiaci signis, quod à Sole subitur pridie Idus Octobris. Oritur autem eodem tempore, quo Orion occidit. Qui Astronomicum poëticum conscripserunt, hunc eum volunt fuisse Scorpium, qui Orionem interemit, cum ille juvenili robore ferox, nullam esse feram jactasset, quam ipse conficere non posset. Quam hominis jactantiam ægerrimè ferens Tellus, in perniciem ejus Scorpium protulit, qui infixo aculeo eum interemit. Hunc autem Scorpium à Jove ideo inter astra relatum volunt, ut mortalibus documento esset, ne suis plus æquo viribus fiderent. Hyginus *l. 2. de Sign. cœl. Ampelius* tamen scribit, quod Diana Scorpium, ejus jussu, in monte insulæ Chiis Pelennæo ad Orionis perniciem natum, illi Deam inter venandum stuprare conanti ipsa supposuerit, quo vitâ privaretur. Quod etiam ostendit Nicander in *Theriacis*:

> Τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε
> Σκορπίον ἐκ κέντροιο τεθηγμένον, ἦμος ἐπεῖχε
> Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠρίωνι,
> Ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων.
> Αὐτὰρ ὅγε στιβαροῖο κατὰ σφυρὸν ἤλασεν ἴχνευς
> Σκορπίος ἀπροϊδὴς, ὀλίγῃ ὑπὸ λᾶϊ λοχήσας.
> Τοῦδε τέρας περίσημον ἐν ἄστρασιν ἀπλανὲς αὔτως.
> Οἷα κυνηλατέοντος ἀείδελον ἐστήρικται.

Hujus signi meminit Virg. *Georg. l. 1. v. 34.*

> —— *Ipse tibi jam brachia contrahit ardens.*
> *Scorpius, & cœli justâ plus parte relinquit.*

Ovid. *Met. l. 2. v. 82.*

> *Sævaque circuitu curvantem brachia longo*
> *Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum.*

Nic. *Lloyd.*

SCORPUS, agitator nobilis, qui sæpe in Ludis Circensibus, aurigandi dexteritate, palmam reportavit, tempore Domitiani Aug. Ejus meminit Martialis *l. 4. Epigr.* 67. & *l. 10. Epigr.* 50. 53. ac 74. Vide quoque Lipsium *l. 1. Epistol. quæst.* 5. *Epist.* 44.

SCORTEA, Latinis vocata est, quæ Græcis Διφθέρα, sagum videl. ex pellibus caprarum, Pastorum & Agricolarum proprium, quod quia exomidi injiciebatur, inde ἐπωμάδιον quoque dictum est, Aristoph. *Nub.* (*Ubi grandior eris, capellas agro e Phelleo, ut & Pater tuus* (Διφθέραν ἐνημμένος) i.e. *Scorteam vestem indutus*: & Varro de *Re R. l. 2. c. ult. Neque non quædam nationes harum* (caprarum) *pellibus sint vestitæ, ut in Getulia & in Sardinia. Cujus usum apud antiquos quoque Græcos fuisse, apparet, quod in Tragœdiis senes ab hac pelle vocantur* Διφθερίας, *& in Comœdiis ii qui rustico opere morantur.* Aliquem verò earum quoque ingenuis usum fuisse, præsertim tempore pluviæ, *Laërtius* docet, ubi Anaxagoram profectum in Olympiam sudo ac sereno cœlo, sedisse ἐν διφθέρᾳ, quasi brevi erupturâ pluviâ, quod & factum, refert; quod idem narrans Philostratus *l. 1. c. 2.* vestem κατάδοτον vocat. Quemadmodum & Romanis Pænulas, non tantum laneas & gausapinas, sed & *scorteas* fuisse, legimus. Seneca *Quæst. natur. l. 4. c. 6. Hi cum signum dedissent, adesse jam grandinem, quid expectas? ut homines ad pænulas discurrerent aut scorteas?* Et Martial. *l. 14. Epigr.* 130.

> *Ingrediàre viam, cœlo licet usque sereno,*
> *Ad subitas nunquam Scortea desit aquas.*

I.e. Pænula ex pelle facta. Nam *scorta* pelles, *Fest.* Vide proin suprà *Pellis*. Unde Varro *de L. L. l. 6. Pellem non solùm antiqui dicebant scortum sed etiam nunc dicimus Scorteata, quæ ex corio & pellibus sunt facta. Ideo in aliquot sacris aut sacellis scriptum habemus. Ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adsit.* Imò & apud Tertullian. *de Pallio c. 4. Scortum* pro pelle leonina. *Qualis ille Hercules in serico Omphales fuerit: jam Omphale in Herculis scorto designata describsit.* Suprà enim ad eandem vocem alluserat: *Tantum Lydiæ clanculariæ licuit, ut Hercules in Omphale, & Omphale in Herculi prostituetur*: nempe in *Scorto* sive *pelle Leonina*. Vide Octav. Ferrarium de *Re Vestiar. Part. 2. l. 4. c.* 21. Hinc tralatitiè *Scortum*, pro meretrice; cujusmodi fœminarum probra post epulas olim, imo & iisdem durantibus, in Theatris item, & post Spectacula, introduci solita, discimus ex Lipsio *Elect. l. 1. c.* 11. Cerda exinde *Advers. c.* 131. §. 20. Bulengero *de Theatro l. 1. c.* 42. Doctis ad *Tertull.* Paschalio *Coronar. l. 2. c.* 6. Barthio *ad Stat. l. 1. Sylv. 6. v.* 67. Aliis; quibus adde de hodiernis *Persiæ, Indorumque Regibus* P. de Valle & Jo. Bapt. Tavernier *Itiner.* plura in voce *Meretrices*, item *Prostibulum*, ac *Ribaldi* uti de more Veterum in talorum lusu illa invocandi, ubi de *Talis*. At de *scorteis pænulis* præfatis consule porro Salmas. *Not. ad Spartian. in Hadriano, c. 3. Lamprid. in Diadumeno c. 2. & Alex. Severo, c.* 27. de *Scorteis* verò, *nummis*, vide suprà ubi de *Moneta usu*.

SCORTHACI, Scythis Persæ dicti sunt, apud Solin. c. 47.

SCOTALLA, in STATUTIS Concilii Lambethensis A. C. 1206. c. 2. *communes potationes, quas Scotallas, mutato nomine, Caritatis, appellant detestantes,* &c. aliis item Conciliis Anglicanis & Statutis Episcopalibus, compotatio est. Aliàs *Scotallum* & *Scotale*, quod *Wilsio* tabellam cerevisiariam, improbante id *Spelmanno*: saltem cerevisiam, quam quidam fructuarii communibus expensis comparant, dominum suum vel ejus vicarium excepturi, peculiariter notat. Qua de voce vide pluribus agentem Car. du Fresne *Glossar.* Macros Fratres in *Hierolex.* Spelmannum, *Alios*.

SCOTANA, vicus Arcadiæ. Pausan. in *Arcad.*

SCOTATIO, apud Danos olim, jactus baculi dicebatur, vel pulveris aut partis terræ venditæ in unum excussio aut immissio quæ in emptionibus venditionibus symbola traditionis, erant. Loccenius *Antiqq. Sueo-Goth. l. 2. c.* 16. Vide quoque Cujacium *Observ. l. 1. c.* 18. Innoc. Cironium *Observat. l. 1. c.* 9. Andr. Sunonis Archiepiscop. Lundensem *LL. Scaniæ l. 4. c.* 13. Pontanum *rerum Danic. l.* 7. & præfatos *Glossarii* ac *Hierolexici* Auctores. A voce Saxon. *sceat* (unde Gall. *escot*) quæ inter alia symbolum notat &c.

SCOTI, Britanniæ populi Septentrionales, post Pictos, antiquissimi, quondam Anthropophagi, teste B. Hieronymô *l. 2. contra Jovinianum. Quid* (inquit) *loquar de cæteris nationibus, cùm ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus, & cum per sylvas porcorum greges, & armentorum, pecudumque reperiant, pastorum nates, & fœminarum papillas solere abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari!* Amm. Marcellin. *l. 26. c. 4. l. 27. c.* 8. primus inter scriptores Latinos eorum meminit; quos ex Hispaniæ Cantabria oriundos, atque inde in Hiberniam migrantes, tandem in Scotia sedem fixisse dicit *Buchananus* illos quidem ex Hispania quoque arcessit, sed à Celtis, Pyrenæos transgressis, illos oriundos asserit. *Matth. Westmonasteriensis*, ex Pictorum cum Hibernicis fœminis connubio natos, usque ex diversitate hac nationum, nomen hæsisse vult: *Scot* enim illud dicitur, quod ex diversis rebus in unum acervum congregatur; de qua voce vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.* Sed refellit sententiam ipse *Beda*, qui Pictos à Scotis Hiberniæ uxores petiisse refert, vide infra. *Guydhyl* Britannis, teste *Lhuydo*, a pictura quasi *Picti* appellati, teste Isidorô, vel ab *obscuritate ac tenebris*, quæ σκότος dicuntur. An verò Scoti prius Hiberniam occuparint, dijudicent alii ex historiis. Illud certum (inquit *Ferrarius*) nomen Scotiæ utrique regioni fuisse commune, ac Scotos, ejectis Pictis, regione potitos, illi nomen indidisse. Scotos etiam (quos alii, inter quos *Camdenus*, à Scythis voce depravatâ dictos putant) olim in Hiberniâ consedisse, nomenque Scotiæ ipsi Hiberniæ indidisse, & illam etiam Scotiam per aliquot secula appellatam fuisse, invenitur apud *Orosium*, D. *Prosperum*, *Isidorum*, *Bedam*, *Bernardum*, &c. Regnum horum antiquissimum, trecentis ante Christum natum annis, & amplius, primordia sua duxisse sunt qui dicant, quod eversum à Maximo Tyranno, instauraverit Fergusius, circa A. C. 422. E cujus posteris mortuo sine prole Alexandro III. A. C. 1286. vel 1290. inter Robertum Brussium & Johannem Balliolum, matribus Scotiæ regum familiæ natis, diuturna de regno contentio fuit: donec ab utrisque arbiter electus Eduardus III. Angliæ Rex Balliolum æmulo prætulit. Ei postea Robertus I. successit, cujus filio Davide mortuô sine liberis, A. C. 1371. regnum pervenit ad Robertum II. ex familia Stuardorum, in qua etiamnum floret. Fidem Christianam hauserunt hi populi, sub Donaldo Rege cui summissi à Victore Episcopo Romano Evangelii præcones sunt. Primus post hæc illis Episcopus à Cælestino Palladius obtigit, A. C. 440. ubi & Patritius tum floruit, Hiberniæ Apostolus, Servatius item, qui non solùm in Scotia, sed & Orcadibus insulis Christum prædicavit. Germanus dein Antissiodorensis & Lupus Trecensis Pelagianis Scotis hæreseos suæ venenum propinantibus acriter restiterunt. Sequentibus temporibus seculi torrente abrepti, sub Jacobo V. caliginem errorum denuo exire cœperunt, jactis Reformationis fundamentis, à Patritio Hameltono martyre, & Joh. Cnoxo: frustra Cardinali Sanandreano obnitente. Postmodum plenius Evangelii lux affulsit, sub Jacobo VI. qui Elisabethæ Angliæ hæres, Scotiam Angliæ junxit, pater Caroli I. avus Caroli II. hodie M. Britanniæ feliciter imperantis. Horum regio *Scotia* dicitur, portuosa admodum pascuis magis, piscibusque, quàm frumento abundans, metallorum quoque ferax. Est & aliqua equis ejus gloria. Luporum inprimis ibi ingens numerus: olim *Caledonia*, de qua Tacitus in *Agricolæ vita*, c. 10. 11. Vulgò *Albania* olim *Matth. Westmonasteriensi*, hodieque *Albayn*, teste *Lhuydô*, nunc *Scotland*, ab Anglia monte Cheviotâ discreta, in plures regiones divisa: in qua Alata Castra, sive Edinburgum, urbs regia, Andreapolis, & Glasquum metropoles. Grampiô monte asperô & informi (cujus Tacit. *ibid. c.* 29. meminit) bifariam dividitur. Is enim à Germanici maris litore, ad ostia Deæ fluminis, latera Aberdoniæ abluentis, per mediam Scotiam, in Hibernicum mare tendens ad lacum Lomundum sistitur. Incolæ qui cis Grampium montem Meridionalem partem habitant, Anglicô loquuntur idiomate, suntque benè morati, & humaniores, nisi quòd ad vindictam plus æquô propendere dicuntur: Nec abs re de his Joh. Barclajus, *in Icone animorum*: *Musæ nunquam delicatius agunt, quàm ubi in Scotos inciderunt.* Primi proin scholas Anglis, Hibernis, Belgis & Norvegis aperuisse, ac in Europa Academias fundâsse leguntur, *Ferrar.* Inter eos maximus natu filiorum patri succedit, reliquis portione certâ legibus definitâ acquiescere jussis. Qui alteram partem Septentrionem versus accolunt, genus hominum asperum ac longè durissimum est: Hi linguâ, vulgo *Gachlet* dictâ, quæ Hibernis quoque familiaris, uti solent, in victu vestituque antiqui moris tenacissimi: promti arcu & sagittis, montana incolunt, ad seditiones proni: horum majores humanâ carne vesci solitos referunt scriptores, fœminasque viris bellando permixtas: In genere cæteris Scotis cum Anglis ad bellum propensio est, laboris apprimè patientes, peditatu inprimis valens. Plurima habet regio hæc miranda, ut colligitur apud *Hectorem Boetium*, quem vide. In Gallouidia lacus est, *Myrtoun* dictus, cujus una pars, aliarum aquarum more, gelu hyeme concrescit, altera nullis frigoribus congelari potest. Sunt in Carictæ regione ingentis magnitudinis boves, quorum caro tenera suavisque usui est: cæterùm pingue nunquam concrescit, sed olei liquidi instar semper fluit. In Coyl provincia haud plus decem millibus passuum ab Aer oppido, saxum est 12. vix pedes altum excel-

fumque 15. cubitorum spissitudine, haud immeritò ab incolis Scodum appellatum: nam quantumvis ingentem strepitum sonitumque vel etiam bombardâ edas, ab uno latere, ex adverso haud exaudiri queat, nisi quam remotissimè absis, tum enim sonus facilè percipitur. In Lemos, quæ Ptolemæo Lelgovia dicitur, lacus est longè maximus, Lomund vernaculè dictus, qui supra 24. milliar. in longitudine extensus, 8. in latitudine, 30. insulas complectitur, quarum pleræque vicis frequentibus habitatæ, templa sacellaque divis dicata habent. Tria in hoc memoratu digna reperiuntur, nam pisces illic esui humano suaves pinnis carent: lacus interdum, nullô flante ventô, ita impensè concitatur, ut vel audacissimos nautas, quominus solvant, deterreat, unde, ventô cessante, naves mediô cursu correptæ cum maximo discrimine jactantur, & nisi portus quispiam fortè propinquus adsit, plerumque evertuntur: Deinde est Insula quædam gregibus armentisque pascendis uber, sed quæ natam fluctuansque quo venti impellant huc illuc feratur. Constans fama est, lapidem in Arcadia nasci, qui si paulò diutius stramentis stuppisve supponatur, incendium faciat. Ad Slavis, castellum in Buthgubania, antrum est admirandæ naturæ, aqua enim hinc instillans, tractu temporis in candidissimum convertitur lapidem, qui nisi certô annorum curriculô eximerentur, olim jam jam plenum illis fuisset. Nullus in hac regione mus major conspicitur, nec, si importetur, vitam ducere potest. Ad ostium Forthex fluminis in medio mari altissimus scopulus est, ex cujus summitate fons aquæ largissimè admirando naturæ miraculô scaturit: ab Edimburgo plus minus duobus passuum millibus, fons, cui olei guttæ innatant, scaturit eâ vi, ut si nihil inde collegeris, nihilo plus confluat, quantumvis autem abstuleris, nihilominus remaneat: valetque hoc oleum contra varias cutis scabrities. Vide præter retro laudatum Boëtium, Joh. de Marte, seu Majorem, Georgium Buchananum & Johan. Lesleum de rebus Scoticis: Venerabilis Beda, Gildas Sapiens, Godofredus Monumetensis, Guil. Malmesburiensis, Rogerius Hovedenus Henr. Huntingdoniensis, Ethelverdus Ingulphus, Joh. Asserus, Guil. Neubrigensis, Matth. Parisiensis, Thomas Walsinghamus, Matth. Westmonasteriensis, Ranulphus Cestrensis, Thomas Morus, Joh. Froissardus, Polydorus Virgilius, Georgius Lilius, Nicolaus Trivetus, Richardus Graftonus, alii, Britonum & Anglorum gesta describentes, Scotiæ quoque meminerunt. Andreas Duchesnius, Gallicâ Linguâ edidit Historiam Angliæ, & Scotiæ & Hiberniæ: David porro Chambreus, Paulus Jovius, Camdenus, Pelleforestius, Florimondus Ræmundus, Sanderus, Galnia, Daviti, Baronius, Spondanus, Cluverius, Sanson, Du Val, Brietius &c. in scriptis suis ejus subinde mentionem injiciunt. Hinc Scoticus Claudian. de laud. Stilic. l. 2. v. 254.

—— Ne bella timerem
Scotica, vel Pictum tremerem.

Unde Scoticæ leges, quæ variæ. Ut omittam, quas, ante susceptum Christi characterem, habuerunt, de quibus vide Hieronym. in Ep. ad Oceanum, & Scriptores Scoticos in Eduino III. Extant candidæ aliæ Kennethi Regis, qui Pictorum cum regno populum delevit, sub A. C. 839. & Macbethi, qui ferrô sustulit Duncanum Regem circa A. C. 1046. earum capitula Hectore exhibente Boëthiô. Reliquas concinnavit Skenæus. Vide Henr. Spelmannum Glossar. Archæol. & infrà in Scotia: adde de Scotorum, Pictorum & Attacotorum in Britanniam expeditione, B. Rhenanum Rer. German. l. 1. cum Notis Cl. Ottonis JCti p. 225.

SCOTIA, variè apud majores, verba sunt Henr. Spelmanni, sumitur. Aliàs pro ea Insulæ parte, quæ Romanis Britannia minor, & secunda dicta fuit, & pro regno hodierno; Aliàs verò pro ejusdem parte, quæ à mari Scotiæ, The water of Forth or Fryth, in Boream extenditur, Australi interea Lodoneio dictâ. Quam distributionem agnovit Rex ipse David I. A mediorum seculorum scriptoribus etiam de Hibernia dicitur; unde Scotos Hibernos multa in Galliis extruxisse monasteria dicit Hadr. Vales. Notit. Gall. Hibernis Albani; Anglis & incolis Scotland, Gallis l'Escosse. Baudrando, alterum magnæ Britanniæ regnum, ab ortu Germanico Oceanô, à Septentrione Orcadibus & Deucaledoniô mari præcingitur: ab Occasu Hiberniæ objacet, ad austrum Tueda fluv. & Cheviotæ montibus cum adjacente tractu ad Solway æstuarium pertinentibus ab Anglia dirimitur; & à 70. annis circiter in unum regnum coaluit cum Anglia. Ejus longitudo, seclusis insulis, ducitur ex promontorio Buquhan ness, in ora Oceani Germanici, ad Ardus Morchex point, in ora Occidentali; estque circiter 165 mill. pass. seu 110. milliar. Scoticorum. Latitudo autem desumitur ab urbe Leucopibia, Withern, ad promontor. Orcadum Dungesby head, ac proinde excurrit ad 230. mill. pass. seu 157. milliar. Scotica. Scotia antiquitus quoque dicta fuit Albion septentrionalis seu ulterior, & in duos populos divisa fuit, nempe in Vecturiones, in quorum regione fuêre postea Picti, & in Caledonios, quorum regionem invaserunt postea Scoti. Vecturionum partes erant Horestæ, Selgovæ, Novantæ, Damnii, & Ladeni. Caledoniorum autem partes fuêre Caledonii propriè dicti, Epidii, Creones, Cerones, Carnovacæ, Cornabii, Catini, Mertæ, Cantæ, Lugi seu Logi, Vacomagi, Taxali, & Vernicones populi. Scotia antea per plurima secula propriis paruit Regibus; sed ex quo obiit Elizabetha Angliæ Regina A. C. 1603. ei successit Jacobus VI. Scotiæ Rex, qui duo regna Angliæ & Scotiæ conjunxit, & in Angliam ut in majus regnum transmigravit. Nunc in duas præcipuas partes, Tavo fluvio intermeante, dividitur: Scotia Australis, quæ & Cis Taana, l'Escosse deçà le Tay, frequentiùs habitatur, & moribus, divitiis, ac humanitate excultior est. Scotia Borealis sive Trans Taana, l'Escosse delà le Tay, asperior & rudior, mores etiam sylvestris Hibernii genuini & prisci Scoti recipit retinet. Utriusque autem regionis sequentes Comitatus singillatim præ oculis habes infrà. Secundum Auctorem Anonymum Hist. Orb. Terrar. regnum hoc ab Anglia dividit fluv. Tweda, Mons Cheviotus, & æstuarium Solvæum. Ejusdem divisio seu Tavo fluvio seu montibus Grampiis (qui vulgò Granzebain dicitur) facta, aliam partem ejus Meridionalem, aliam Borealem, efficit. Celebre est ingens piscium copiâ, maximè harengarum, quorum tantum non nativa sedes in Scoticis est littoribus. Salmonum captura opulentam reddit Aberdonam, quæ sola eorum 1300. cados circiter, in solam Galliam, quotannis emittit, numerô minimùm 50000. quorum aliqui & 40. æquant libras. Nec avium sylvestrium & aquatilium minor ibi vis, celebraturque cumprimis æstuarium Bodeiæ anserum marinorum abundantiâ. Ibidem singulare Anatum seu Anserum genus est, Bernacles incolis, Belgis Rotganssen dictum, quod ex conchis, arboribus & similibus nasci communiter perhibetur, qua de re suprà insoletô. Vide Auctorem præfatum Parte 1. c. 9. §. 5. in Hist. Inf. Familiæ regnatricis in Scotia historia compendiaria hæc est. Regno per plura secula præfuit posteritas Achaji, qui Caroli M. amicus & confœderatus perhibetur. Ab ejus nepote Kenneto per filios Constantinum & Ethum duæ Regiæ lineæ ortæ sunt, donec Constantinus hujus abnepos, ab æmulo Malcolmo, illius abnepote, prælio cæderetur, A. C. 996. A Malcolmo iterum multæ prolati, donec ultimus ex illius mascula progenie Alexander III. extingueretur A. C. 1286. & ita Regnum ad familias Balliolianam & Brussiam, per fœminas priorem Domum Regiam contingentes, deferretur. Post Davidem II. ex Brussiis, extinctum A. C. 1370. Regnum delatum est ad Robertum Stuartum, Mariâ Davidis sorore natum. Verùm nec hic alienus ab Achaji sanguine, in qua familia hodieque hæret, ut infrà videbimus, ubi de voce Stuartus. De Scotorum verò Hospitalibus in Gallia, & Monasteriis in Germania extructis (mirum enim, olim inprimis, Scotorum Britonumque peregrinandi desiderium) vide Gretzerum Observ. ad Vitam S. Willibaldi l. 1. c. 19. Rhenanum Rerum Germanic. l. 2. Innoc. Cironum Observation. Juris Canon. l. 1. c. 13. Alios.

Scotia Australis provinciæ 22.

Vallis ad Tivium fluvium, seu Teviotia, Tivedale.
Merchia, Marche.
Lodoneium & Lothiana, Lothiane.
Vallis ad Tuedam fluvium, seu Tuvodalia & Peblia. Tweedale.
Vallis ad Lidam fluvium, seu Lidesdalia, Lidisdale.
Vallis ad Escam fluvium, seu Eskia, Eskdale.
Vallis ad Annam fluvium, seu Annandia, Annandale.
Vallis ad Niddam fluvium, seu Nithia, Nidesdale.
Gallovidia, Galloway.
Carricta, Carrick.
Kyla seu Coralia, Kyle.
Cuninghamia, Cuningham.
Glotta insula sive Arania, Arren.
Vallis ad Cludam fluvium, seu Cluidesdalia & Glotiana, Clydesdale.
Levinia sive Lennoxia, Lennox.
Sterlina sive Sterlinga, Sterling.
Fifa, Fife.
Strathernia, Strathern.
Menteithia, Meinteith.
Argathelia, Argile.
Caput Terræ sive Cantira, Cantir.
Lorna, Lorne.

Scotia Borealis provinciæ 13.

Loquabria, Lochquabyr.	Marria, Marr.
Albania, Broad Albain.	Buquania, Buquan.
Perthia, Perth.	Moravia, Murray.
Atholia, Athole.	Rossia, Ross.
Angusia, Angus.	Sutherlandia, Southerland.
Mernisia, Mernis.	Cathanesia, Caithness.

Strathnaverna, Strathnavern.

SCOTINA, locus in Lacedæmone plenus quercubus. Verùm inde nomen non habet, sed à Jove Scotino illic honorato. Stephan. ex Pausania. Locus quem respexit in Laconicis reperitur, qui est liber 3. itaque scribendum est ... apud eum pro ... Insuper pro Σκοῖον, & Σκοῖοῦς, scribe Σκοτῖτης, & Σκοτῖτας. Loci ejusdem meminit Polybius extremo l. 10.

SCOTINUS, cognomen Heracliti Ephesii. Strab. l. 14.

SCOTOPICI, Hæretici, vide suprà Bonosiani.

SCOTTOBRIGANTES picti, apud Senecam, de quibus vide Salmas. ad Solin. p. 189. aliquid etiam suprà voce Picti.

SCOTUS, Apostolorum ævo, Eremita fuit in Occidente si, Ferrario fides.

SCOTUS Clemens, vide Clemens.

SCOTUS David, vide David.

SCOTUS Johannes, vide Johannes.

SCOTUS, Petrus, vide Petrus Scotus.

SCOTUSA, Thraciæ urbs juxta Topirim.

SCOTUSSA, urbs mediterranea Thessaliæ Larissæ finitima. Fuit & Scotussa, oppid. Macedoniæ ad Nestum amnem. Hinc Scotussæi populi apud Plin. l. 4. c. 10.

SCRACHICOUVIA, oppidul. Poloniæ inferioris aliis Scrachschow: in Palatinatu Ravensi, ad amnem Bsuram, 10. leuc. à Varsavia in Occidente totidem Lancinam versus.

SCRAMA, in L. Wisigoth. l. 9. tit. 2. §. 9. spathæ minoris species, quâ cæsim infligebatur vulnus, quod Schramme hodie quoque dicimus.

dicitur Germanis. Unde, qui hâc ratione vulnera infligunt, *escri-mer* Gallis dicuntur. Vide infrà *Scrima*.

SCREONA, in L. Salica *tit.* 14. §. 1. *Si tres homines ingenuam puellam de casa aut de screona rapuerint*; seu Screo, L. Frisonum, *Qui screonem effregerit*, Sicamæ in L. Frisionum scriptum est. At *Pithœus* ad L. Salicam, hôc locô legit *Scremia*, atque *Escreines* etiamnum rusticis Campanis dici cameras illas demersas in humum multôque insuper fimô oneratas, in quibus hyeme puellæ convenientes ad mediam noctem pervigilant. Id quod jam olim Germanis fuisse in usu, colligit ex Tacito *de Germ. moribus* Hier. Bignonius, vide Car. du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolex.*

SCRIBA, uti *Festus* docet, nomen erat apud Romanos Librarii, qui rationes publicas scribebat in tabulis. Apparuerunt autem singulis Magistratibus, eô nomine, ut publicas rationes in tabulas referrent & leges actaque omnia perscriberent. Unde Cicer. *Verr.* 3. *c.* 79. *Scribarum ait ordinem honestum esse, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque Magistratuum committantur.* Leges quodammodo in manibus *Scribas* habuisse, & Magistratibus jus suggessisse, ostendit idem *de LL. l.* 3. Quò factum, ut eorum arrogantiam M. Cato minor coërcere necesse habuerit, uti discimus ex *Plutarcho*. Accepisse à Quæstoribus apparitionis mercedem, ex fragmento veteris hujus tabulæ intelligitur: *Q. urb. quei. ærarium. provinciam. obtinebit. eam. mercedem. deferto. Quæstorque. quei. ærarium. provinciam. obtinebit. eam. pecuniam. ei. Scribæ. Scribeisque. heredeive. ejus. solvito. idque. &. sine. fraude. sua. facere. liceto. quod. sine. malo. peculatu. fiat. olleisque. hominibus. eam. pecuniam. capere. liceto.* Habuisse tabulas semper in promtu, colligit Barthius, ex A. Gellio *l.* 6. *c.* 9. ubi *Cn. Flavius Anni filius dicitur tabulas posuisse, scriptu (i.e. Scribatus munere) sese abdicasse, & Ædilem Curulem factum esse.* Interim vile fuisse munus, ex variis prodi[illegible]ur. Namque mercenarii erant, & vel servi, vel liberti. Unde de præfato Cn. Flavio, ita Plin. *l.* 33. *c.* 1. *Hic namque publicatis diebus fastis, quos Populus a paucis principum quotidie petebat, tantam gratiam plebis adeptus est, alioquin Libertinô patre genitus, & ipse Appii Cæci Scriba, cujus hortatu exceperat eos dies consultando assidue sagaci ingeniô, promulgaveratque, ut Ædilis Curulis crearetur cum Q. Anicio Prænestino, qui paucis ante annis hostis fuisset & præteritis C. Pœtiliô & Domitiô, quorum patres Consules fuerant. Additum Flavio, ut simul Tribunus Pl. esset. Quô factô, tanta Senatus indignatione exarsit, ut annulos ab eo abjectos fuisse, in antiquissimis reperiatur Annalibus.* Quam historiam quoque narrans Gellius *loc. cit.* cùm *Ædilis, qui Comitia habebat, negaret accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret eum Ædilem fieri: Cn. Flavium tabulas posuisse scriptuque sese abdicasse*, refert. Addit Liv. *sub. fin. l.* 9. *& jurâsse, se scriptum non facturum.* Non tamen aditum omnem *Scribis* ad majores honores fuisse Romæ interclusum Cicereji, qui Scipionis Africani majoris *Scriba* fuerat, exemplum ostendit, qui auctore Valeriô, *l.* 4. *c.* 9. *ex.* 3. cum in campum Africani filium Candidatum Præturis Comitiis deduxisset, seque omnibus Centuriis Scipioni anteferri vidisset, è Templo descendit. Quin & Cicero quendam memorat, qui, cùm in Sullæ Dictatura *Scriba* fuisset, postea Cæsaris Prætor Urbanus fuerit. Adde quòd Alexandrum, Persei Macedon. Regis à Romanis devicti filium tertium, Romæ *Scribatus* munus obiisse, Plut. tradit *in Paulo Æmilio*. Omnium verò minimæ dignitatis fuit *Scriba* navalis, ut ex *Festo* docemur, quòd periculis quoque ejus ministerium subjectum esset. Cùm autem multi essent in Civitate *Scribæ*, factum est, ut in varias transferrentur Decurias, Quæstoriorum, Ædilitiorum, Prætoriorum, prout à Quæstoribus, Ædilibus, Prætoribus lecti essent: quod jus eorum Magistratuum fuisse, non obscurè innuit Cicero *pro Cluentio*, & Livius *l.* 40. Aliquot tamen etiam decurias fuisse pretiô emptas, apparet ex *Verrina* 5. Tulisse suffragium in quatuor urbanis Tribubus, quæ Rusticis ignobiliores erant, habet Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 20. qui idem *l.* 7. *c.* 48. *Scribas* Pontificum ingenuos, libertini nempe natos, fuisse annotavit. Meminit eorum Jul. Capitolin. *in Opilio Macrino, c.* 7. *Eundem (Macrinum) quum Scriba Pontificum esset (quos hodie Pontifices minores vocant) Pontificem Max. appellavit*, & vetus *Inscr.* LIVIUS. THEONA. AB. EPISTULIS. GRÆCIS. SCRIBA. A. LIBRIS. PONTIFICALIBUS, apud Salmas. *ad Capitol. loc. cit.* &c. Et hi quidem publici fuêre, privati *Scribæ* adhuc minoris notæ erant, vide Barthium *Advers. l.* 50. *c.* 1. & suprà in voce *Notarii*. Postquam verò Resp. in Principatum versa est, jam major dignitas *Scribis* accrevit, illique ad Principum secreta admissi sunt, unde *Notarii Principis* memorati *Cassiodoro*, qui iidem cum Macedonum *Scribis*, de quibus infrà quædam dicentur. Nec omittendum, aliam quoque vocis apud Romanos notionem fuisse & *Scribam* Sidonio Apollinari *l.* 5. *Ep.* 15. & 17. vocari, qui aliàs *Bibliopola*, vel *Librarius* seu *Antiquarius* dictus est, cujus aliquod munus indicat nobis Cicer. *ad Attic. l.* 12. *Ep.* 6. *Et eris gratius, si non modò libris tuis, sed etiam in aliorum, per Librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli.* Sic Eusebius scribit *Eccl. Hist. l.* 6. *c.* 7. Origeni ad manum fuisse Librarios, unà cum puellis, quæ scirè & concinnè scriberent. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, Tit. Popmam *de Operis serv.* Rosin. *locis cit.* &c. Apud Athenienses, similiter *Scribatus* munus vile fuisse, indicat Ulpian. *ad Leptineam*, ubi Γραμματεῖα καὶ ὑπηρεσίαν dicit esse nomina παρ' Ἀθηναίοις [illegible]: & Libanius *in argum. Or. Demost.* περὶ [illegible], ubi inquit, [illegible] *Scribæ civitatis, quod erat vile ministerium.* Ad id prom munus præcipuè adsumebantur Servi publici seu Δημόσιοι, qui *Vulgares* Jureconsultis dicuntur, & *Calones*, in *Glossis*: Erantque illorum tres, sorte creari soliti: *Suid.* & *Harpocrat.* quorum unus servabat tabulas & decreta: alter Leges, de quo Lysias *Orat. contra Nicom.* ubi docet, munus illius fuisse, tum Leges describere, cùm prælegere atque referre in concionibus & judiciis: tertius Populo ac Senatui prælegebat, Jul. Pollux *l.* 8. *c.* 9. E quibus, duo priores à Senatu legebantur, unde [illegible] dicuntur Demosthenis: tertius à populo, τῆς πόλεως proin nuncupatus, ut est apud Thucyd. *l.* 7. Legebantur verò singulis Prytaniis, singulisque etiam administrati muneris rationem referebant, ita ut legitimum Ministerii tempus diebus 30. verteret, reliqui 5. dies Prytaneiæ, reddendis rationibus impenderentur, vide Lysiam *Orat. cit.* Neque verò licebat amplius, quàm semel tantùm, sub eodem Magistratu, hôc munere fungi, ex Lege: [illegible]. Peculiare quid erat, quòd Nicomachus *Scriba* Leges Solonis intra menses quatuor scribere jussus est, quod is non 4. mensibus, sed totidem annis præstitit, & quidem immutavit abrogavitque, quas describendas acceperat Leges, neque rationes retulit, de quo Lysias *Orat. cit.* cùm tamen *Scribam* 30. solùm dies munere hôc fungi jus esset, ut dictum. Vide Petitum *Comm. in LL. Att. l.* 3. *tit.* 2. ut & suprà aliquid, voce *Paredri*. Apud Syracusios major *Scribarum* dignitas fuit, uti patet ex Ulpianô *in Leptin.* [illegible], Γραμματεῖα καὶ [illegible]. Et paulo pôst, [illegible] Ἀθηναίοις. Similiter apud Macedones, *Scriba* idem, qui posteriori ævô apud Principes Rom. *Notarius Principis*. Ita enim de Eumene Corn. Nepos. *c.* 1. *Fulgebat jam in Adolescentulo indoles virtutis. Itaque (Philippus Amyntæ fil.) eum habuit ad manum* Scribæ *locô: quod multo apud Græcos honorificentius est, quàm apud Romanos. Nam apud illos ad id officium nemo admittitur, nisi honestô locô & fide & industriâ cognitâ, quòd necesse est, omnium consiliorum eum esse participem.* *Cancellarium* exponit Longolius ad *l.* & cum quo Rex omnia etiam gravissima negotia communicaverit. Qualis Mullinus Alexandri, apud Curtium, *l.* 8. *c.* 11. & Amenides Darii, apud eundem *l.* 7. *c.* 3. erantque ex amicis Regis, teste *Arriano*: de quibus disertim Barn. Brissonius *l.* 1. & Casp. Barthius *Advers. l.* 1. *c.* 1. Boeclerus *Secretarium* interpretatus *ad eund.* quos ipsos omnium consiliorum participes solere esse notum. Hinc ad id officii requirit Nepos, 1. Familiæ honestatem. 2. Spectatam industriam, i.e. [illegible], *promtitudinem* exercitatam, qualis in rerum actu dextrè tractando laudatur. 3. Fidem. Dignitatem officii ostendit, 1. honorificentiæ titulô 2. gradu amicitiæ Regiæ, quæ majorum rerum ministris scil. tribuitur. 3. intimæ familiaritatis cum Rege consuetudine. Addit enim *Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum* &c. De Hebræorum *Scribis* infrà.

SCRIBA Regis, apud Ingulphum Sax. *Hist. Croyl.* 858. *l.* 5. videtur Saxonibus Anglis idem fuisse, qui hodie Cancellarius: aliàs *Scribo*. Sic Gregorius M. *Regist. l.* 8. *ep.* 60. Azimacro *Scriboni* inscribit, ubi dignitatem ejus non vulgarem tum fuisse indicat. Adde *Epist. seq.* Munus ut Græcis innotuit, ab iis assumpta etiam vox est Σκρίβων & Σκρίβας, quæ *Meursius* confundit, & *Scribam* pariter exponit. Sed triplex, inquit, est hujus vocis significatio: Aut enim *Scribam* denotat, aut Præfectum Satellitum Imperatoris, aut Medicum castrensem, qui exercitum sequebatur, militesque in acie vulneratos curabat, atque olim Δεσποτᾶτος etiam dicebatur. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

SCRIBA Sacrorum, Græcè Ἱερογραμματεὺς, in Processione Ægyptiorum Sacra, tertius incedebat, *pennam habens in capite & in manibus librum ac regulam*, in quâ erat & Atramentum ad scribendum & juncus, quô scribebant. Ad illum pertinebant decem libri: oportebat enim illum scire, *Hieroglyphica*, & *Cosmographiam* & *Geographiam*, & *Ordinem Solis ac Lunæ*, & *Quinque Planetarum*, & *Chorographiam Ægypti* & *Descriptionem Nili*, & *Descriptionem apparatus Sacrorum, locorumque eis consecratorum*, & *Mensuras & quæcunque in Sacris sunt necessaria*, Clemens Alex. *Strom. l.* 6. ubi *de Mercurii II. libris XLII.* Vide & *Horoscopus*, it. *Stolistes*, quorum is Ἱερογραμματέα præcedebat, hic sequebatur.

SCRIBÆ, apud Hebræos dicti sunt duplicis generis homines; quorum illi Seculare, isti Ecclesiasticum obière munus. Prioris generis erant, quibus Juventutem in primis Grammaticæ elementis, rectâ inprimis *scribendi* ratione, instruere incumbebat: quos *Grammatistas* dixeris, & è tribu Simeonis desumtos fuisse legas, occasione loci Genes. *c.* 49. *v.* 7. *Dispertiam eos (Nempe Simeonem & Levi) per Jahakobi & dispergo eos per Israëlis*, subintellige *posteros*: quod vaticinium sic impletum volunt Hebræorum Magistri, ut Levitas dicant & Simeonitas, per Tribus Hebræorum dispersos, illos quidem Altari serviendo, hos verò pueros in primis Grammaticæ rudimentis instituendo, vitam sustentâsse, Solom. Jarchi *in loc. cit.* Vide quoque Ambrosium *tom.* 4. *c.* 3. & Targum *Hierosolym.* Sed hanc sententiam ægrè conciliaveris cum Josuæ *c.* 19. *v.* 1. ubi de sorte Simeonitarum agitur. Adde; quòd nomine *Scribarum* in SS. veniant, Notarii publici cujuscunque Tribus, qui in Sponsalibus aliisque contractibus consignandis adhibebantur; quò allusum videtur Psalmo 45. *v.* 2. *Lingua mea & stylus, ut Scriba promtus*: Et ex his videntur lecti *Scribæ Regis*, Græcè Γραμματεῖς τοῦ βασιλέως, quorum mentio 2. Reg. *c.* 22. *v.* 3. ut & 2. Sam. *c.* 20. *v.* 25. & *Scribæ Populi*, Græcè Γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, de quibus vide Matt. *c.* 2. *v.* 4. & 1. Maccab. *c.* 5. *v.* 42. quorum illi in Aula, hi in Curia, honoratum obière Ministerium. Posterioris generis *Scribas* quod attinet, erant illi Expositores Legis Γραμματεῖς τοῦ νόμου, Νομικοὶ & Νομοδιδάσκαλοι, vocati, vide Esræ *c.* 7. *v.* 6. Lucæ *c.* 5. *v.* 17. & *c.* 7. *v.* 30. Officium eorum erat, describere, prælegere & exponere Populo Legem, erantque ex quacunque Tribu: Esra quidem ex Tribu Levi, Esræ *c.* 7. *v.* 6. Alii ex Tribu Juda, alii ex aliis. Drusius *de tribus Sectis l.* 2. *c.* 12. *ex Chald. Paraphr.* eidemque in suâ gente locô erant, quô inter Chaldæos Magi, inter Romanos

Quindecimviri, inter Pontificios Canonistæ: Hebr. סופרים *Sopherim* vocabantur, i. e. *Numeratores* vel *Calculatores*, quæ vox dein Masorethis, quorum industriâ non libri solùm Veteris Canonis, sed & literæ quæcunque numeratæ sunt, est attributa. Ut autem *Sapientes*, i.e. Pharisæi, Traditiones; Ita hi *Sopherim* seu *Scribæ*, Verbum Dei scriptum, urgebant, *Textuales* hinc dicti; Drusius *l. 2. c. 13.* quod ex disputationibus cum Christo manifestum est, Matth. *c. 9.* in quibus Christum *Scribæ* blasphemiæ seu violatæ Legis, *v. 3.* Pharisæi, commercii cum Publicanis ac peccatoribus, i. e. violatæ Traditionis, *v. 11.* accusâsse leguntur. Vide Thom. Godwynum de *Ritibus Hebr. l. 1. c. 7.* Horum *Scribarum Legalium* (quos Baronius membrum Sectæ Pharisæorum fuisse hallucinatur) ordo fuit apud Judæos ex antiquissimo instituto, cujus Auctor ipse Moses quibusdam creditur: aliis David Regius Propheta, ex 1. Paralipom. *capp. 23. & 26.* In ipsa Captivitate durâsse, argumentô est magnus ille *Scriba* Esdra, qui Legem restituit, à Collegis adjutus, ut præclarè disputat Abrah. Zacuthus *in Juchasin p. 55.* Unde manifesta in Epiphanio, *Scribas eôdem tempore cœpisse cum Sadducæis*, statuente αἱρεσιαρχίᾳ, nisi de genere quodam *Scribarum* peculiari placeat intelligi. Cœterùm è corpore eorum fuisse, qui sequerentur Pharisæos, qui Sadducæos, nec non qui Essenos, non inficiamur: de quorum pallio [illegible] habente, vide Salmas. *ad Tertull. de Pallio c. ult.* & Vorstium *Philol. sacr. c. 5.* ut & Casaubon. *Exerc. 1. num. 9. p. 52. col. 2.*

SCRIBENDI ratio, tenuibus initiis orta, sensim ad id perfectionis, quod nunc habet, assurrexit, magnô mortalium bonô. Neque enim satis causæ habuit aut Socrates, qui literas ingenii pestem pronuntiavit, quòd his notis confisi homines memoriam minùs exercerent: aut Thamus, Ægyptiorum Rex qui eas improbavit, quòd memoriæ potiùs obfuturæ & homines ad eam excolendam inertes redditaræ viderentur: aut apud Gallos Druides, quos Cæsar *Gall. bell. l. 6. c. 14.* disciplinas *scriptô* non consignâsse, refert, tum ne in vulgus illæ efferrentur, tum ne præsidiô literarum freti diligentiam in perdiscendo remitterent, cùm ex sententia Senecæ *Ep. 88. certior sit memoria, quæ nullum extra se subsidium habet.* Vide infrà *Traditio.* Sit satis in præsens, quòd Verbum suum DEUS ipse *scripsit*, Exod. *c. 32. v. 16.* & à Mose *scribi* voluit, *c. seq. v. 27.* repetiitque Johanni Euangelistæ & Apostolo duodecies mandatum illud, Γράψον, i. e. *Scribe*, ut videre est in Apocalypsi *passim.* Quis *scribendi* artificium primus docuerit mortales, inter Eruditos controvertitur: Plinius enim *l. 7. c. 56.* & Diodor. Sic. *l. 6. c. 15.* eam gloriam Cadmo tribuunt: Servius in *Æn. l. 2.* Palamedi. Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l. 1. c. 30.* Rhadamanthum in Assyriam; Memnonem in Ægyptum, Herculem in Phrygiam, Carmentam in Latium literas attulisse refert: & notum de Phœnicibus illud Lucani, *l. 3. v. 220.*

> *Phœnices primi, Famæ si credimus, ausi*
> *Mansuram rudibus vocem signare figuris*, &c.

Vide de Æthiopibus Diodorum *l. 4.* de Assyriis Plin. *l. 7. c. 56.* Quos omnes intra recentius ævum se continere, certum est. Altiùs ascendit Eusebius *Præp. Euangel. l. 18.* ubi Mosen literarum usum primum docuisse Israëlitas, à quibus ad Phœnices, inde ad Græcos aliasque Gentes pervenerit, tradit: sed ut ille in sua gente id præstiterit, primus *scribendi* Magister Oecumenicus nondum patet. Sethum potiùs dicemus, vel ipsum mirabilem hanc Artem invenisse, vel à Patre inventam jam & constitutam, accepisse & ulteriùs edecumâsse. Quorum prius confirmatus ex *Suida*, ubi ait, [illegible] & duabus illis columnis, de quibus Josephus *Ant. Jud. l. 1. c. 3.* Posterius suggerit Augustinus, cùm ait *quæst. 69. Exod. Nonnullis videtur à primis hominibus literas cœpisse & perductas esse ad Noë, & inde ad Populum Israël.* Itaò similiter Suidas, qui, cùm alibi Abrahamum, item Sethum, literarum dicat Auctorem, idem tamen in Ἀδὰμ, inquit, τούτου τέχναι καὶ γράμματα, *Hujus sunt Artes & literæ.* Vide Gerh. Joh. Voss. *de Arte Gramm. l. 1. c. 9.* & suprà, in voce *Literæ.* Et quidem primò incidendô, dein pingendo, *scripsêre* mortales: Incidebant priùs manu, exin stylô. Namque & manum ipsam styli vicem præstitisse, docet mirabilis *Scriptura*, quæ epulante Belshazzare, sive, ut Græci vocant, Belthasare, ultimô Babyloniorum Rege derepente in pariete apparuit, *à digitis manus humanæ egressis*, exarata, Daniel. *c. 5. v. 5.* Vide quoque Joh. *c. 8. v. 6.* Etiam de captivo narrant, eum, cùm penna & atramentum negarentur, unguibus ad ferinum modum succrescentibus, pro penna; carbone autem salivâ vel urinâ temperatô epistolam ad amicos perscripsisse. Stylus, antiquitus ferreus fuit, Græcè γλυφεῖον, Latinè *Cælum* vel *Celtes*, quô in saxis, lateribus, ceris *scripserunt.* Successit postea, quum σιδηροφορεῖν non liceret, & graphiis, ad vulnerandos alios, homines abuterentur, osseus: donec in usum ferreus rediret. Ut autem graphiô seu stylô *scribebant*, ita in charta deletitia (qualis *palimpsestus* Catulli *Epigr. 22. v. 5.* & Ausonii, *in præfat. Centonis, Libri liturarii*) scripta, spongiâ delebant, Varro *Modio.* Literas verò incidebant in saxis, lateribus, plumbo, ære, cui ultimo Acta inprimis publica, Legesque incisas fuisse, patet ex Dionysio *Antiqq. Rom. l. 10.* Suetonio *in Julio, c. 28.* & Maccab. *l. 1. c. 8. v. 22.* Unde Ovid. *Met. l. 1. v. 91.*

> ——— ——— *Nec verba minantia fixo*
> *Ære ligabantur.*

Galli autem & argentea habuêre monumenta publica, teste Trithemiô *Breviarii Annal. Franc. l. 1.* Præterea & tabulis ceratis literæ incidebantur; unde, post interdictum ferrei styli usum, Lex, *Ceram ferro ne cædito*, apud *Isidorum.* Cùm pingere incipiebant, utebantur primò arundineis calamis, postea verò avium pennis; habebanturque calamorum optimi, qui crescerent juxta Memphim, Nilum vel Gnidum, Plin. *l. 16. c. 36.* Martial. *l. 14. Epigr. 38.* Appulejus *Metam. l. 1.* &c. Sinenses penicillô, è pilis leporinis confectô, *scribere*, auctor est Nic. Trigaultius *Expedit. Sin. l. 1. c. 14.* Materia, in qua pingebantur literæ, initiô arbores, hinc quadrupedia, postea & lintea præbuêre. Ex arboribus folia primùm assumpta, postea libri, sive interior corticis tunica, postremò & tabulæ dolatæ fuêreque arbores illæ inprimis tilia, seu philyra & papyrus seu biblus, è qua charta fiebat. Ex animantibus, pelles in hunc usum translatæ, unde Pergamenæ: & intestina. Vide Isidorum de omentis Elephantorum, Zonaram *Annal. 3.* de intestino Draconis &c. donec linteis libris conceptus signari cœperunt, Plin. *l. 13. c. 11.* vel sericô, ut de Persis habet Symmachus *l. 4. Ep. 34.* sindoneque, ut de Indis, Philostr. *in Apollonio.* Hodie, quâ utimur charta, ex linteis contusis & concerptis est, more jam aliquot seculis inveteratô. *Scribebant* autem in libris seu chartis, membranis & linteis, communiter atramentô, quod Vitruvius *l. 7. c. 10. librarium*, Corn. Celsus *l. 6. c. 4. scriptorium*, è fuligine fornacium ac balinearum fieri solitum: Horatius *nigræ succum loliginis*, vocat. *l. 1. Sat. 4. v. 100.* Nempe hæc in metu de se effundit nigrum succum, qui pro atramento est, quemadmodum & sepia apud Plin. *l. 9. c. 29.* cujus succô Afros *scribere* consuevisse, auctor est vetus Scholiastes Persii *ad Sat. 3. v. 12.*

> *Nigra quod infusa vanescat sepia lymphâ.*

Sed atramentô quidèm libri *scribebantur*, tituli verò & capita librorum rubri erant coloris, quam ad rem minii usus teste Ovidiô, *Tristium initiô.* Idem in Legum titulis factum fuisse, ex Persio discimus *Sat. 5.* Encaustô, quod ex muricis seu conchylii cruore erat, literis suis subscripsisse Imperatores Græcos, docet Const. Manasses *Annal.* & Brissonius *l. de verborum signif.* Ut de occultis *scribendi* modis, ubi alia materiâ opus, nihil addam, de quibus vide Voss. *loc. cit. c. 40.* Antiquissima porrò *scribendi* ratio fuit, à dextra sinistrorsum, qualis Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, Arabum, multarumque aliarum Orientis gentium; etiam Ægyptiorum; hodieque Indorum, exceptis Malabaris & Siamensibus: ubi tamen observandum, Hebræos ipsos, etsi literas componentes procedant sinistrorsum, in singulis tamen literis efformandis priùs effingere sinisteriorem, hinc dexteriorem partem. Huic modo alter successit: Nam morem quidem veterem hactenus retinebant, quòd primò à dextra sinistrorsum irent; sed ubi ad sinistram paginæ partem deventum, inde, quia is se locus primò offerret, dextrorsum in scribendo recurrebant; quod antiquis Græcis placuit dictumque est βουστροφηδὸν γράφειν, quia literas ducerent, uti *boves* in arando *ducunt sulcos.* Hôc modo exaratas fuisse Solonis leges, auctor est Didymus. Recentiores Græci, ut & Latini, Germani, Illyres, hodieque in Africa Æthiopes, à sinistrâ dextrorsum *scribere* amavêre, nec sine causa: Nam motus naturalis manus nostræ extrorsum est, sicque pugna cietur, & cetera opera extentô potiùs, quàm retractô brachiô, peraguntur; Præterea, nobis relinquitur sub oculis contemplandum, quid quantumque descriptum sit, quod ipsis calamô ac manu tegitur. Quartus accessit modus, ut à summo in imum deveniretur, quomodo olim *scripsêre* incolæ Taprobanæ, Diodor. Sic. *l. 2.* hodieque Sinenses, Coreani, Iapanenses, atque ex Indis aliqui. Nec Græcos id *scribendi* genus, *Tepocon* illis dictum, planè latuisse, Acrostichides eorum docent. Sed neque hic varietas illa substitit: Tangutani namque, populi ad Septentrionem à Sinensibus siti, à dextra ad sinistram tendunt, sed lineis ab inferiori parte superiorem versùs multiplicatis. De priscis Gothis, testatur Olaus M. *l. 1. c. 29. Scripturas eorum à dextro latere in pede saxorum inchoatas usque ad verticem & tandem reflectendo in sinistro pede finitas; vel iterum eôdem ordine inferiùs elevatas, depressasque terminari.* Mexicani tandem in formam circuli *scribere* solere, lectione à centro ad circumferentiam superiùs instituenda, dicuntur. Vide plura de his, ut & *Steganographia, Tachygraphia, scribendi compendiis variis, literarum Characteribus apud Europæos inprimis usitatis, aliisque huc pertinentibus*, apud Voss. *de Arte Gramm. l. 1. c. 4. & seqq.* Herm. Hugonem *de Orig. scribendi*, Vinc. Contarenum *Comm. de universa scribendi ratione*, Auctorem Anonymum *Histor. Orbis Terrar. c. 9. Sect. 3. ubi de Linguis*, §. 13. 14. &c. suprà item, in vocibus *Femur, Ecclicula, Liber, Literæ, Notæ, Orthographia, Polygraphia* &c. Cœterùm verbum *scribo*, à Græco γράφω, additô *s.* originem habet, cujus etiam notiones omnes subiit. Pro *sculpere* enim, quæ prima ejus significatio fuit, occurrit apud Claudian. *in Ruffin. l. 2. v. 342.* de moneta,

> *Inscribi propriis aurum fatale figuris.*

Et Isidorum *Origin. l. 16. c. 17. Saturnus signari nummos & scribi constituit.* Pro *pingere*, quæ notiq priori successit, apud Statium *Equo Max. l. 1. Sylv. 1. v. 100.*

> —— *Apellea cuperent te scribere cera.*

Vide Francisci Junii *Commentar. de Pictura l. 1. c. 4.* Tandem pro *literis mandare*, ut notum. Aliam hinc notionem vide suprà voce *Rescriptum.*

SCRIBO, apud Anastasium Biblioth. in *Vigilio. Quò audito, Augusta misit Arthemium Scribonem*; Satellitum præfectus est *Macro*: Certè [illegible], dicuntur passim apud *Theophyl. Simocattam* & in *Glossis* Basilic. Quos mitti solitos ab Imperatoribus in provincias, ad mandata perferenda & exequenda, docet Gregorius M. à quo *Viri Magnifici* vocantur, *l. 8. Ep. 57.* &c. Vide de illis Car. du Fresne *Glossar.* Dominic. Macrum *in Hierolexico*, ut & suprà voce *Scriba.*

SCRIBONIA, fil. Scribonii, & soror alterius, qui Pompeji socer fuit, Imperatoris Augusti uxor, postquàm ille dimisisset Claudiam, quæ illi in matrimonium pacta fuerat: Porrò Scribonia

hæc

hæc nupserat ante duobus Consulatibus, & ex altero quoque mater fuerat: cum hac etiam divortium fecit Augustus, pertæsus morum ejus diversitatem & ex ea filiam Juliam suscepit. Vide C. Sueton. c. 62. *in vita Octavii Augusti*, Romanorum imperatoris secundi. Dion. *hist. Rom.* l. 48. Levinum Hulsium, *de uxor. XII. prim. Cæsarum.* Item; alia, quæ nupsit Sexto Pompejo, Filio Magni, per bellum Siculum, de cujus Patre Cæsar *l. 1. Bell. Civil. c. 26.*

SCRIBONIANI Fratres, quodammodo æquales, nihil alter ab altero facientes, sed ut genere vitæ, ita & electione vitæ & facultatibus conjuncti: à Pactio Africano Neroni ad exitium monstrati. Vide Tacit. *Hist. l. 4. c. 41.*

SCRIBONIANUS Crassus, M. Crassi Frugi Consulis, annô Urbis DCCCXVI. sub Nerone, fil. Pisonis Liciniani à Galbâ adoptati frater; quem Antonius Primus ferebatur, egregiis majoribus & fraternâ imagine fulgentem ad capessendam Remp. contra Vespasianum esse hortatus. Tacit. *Hist. l. 4. c. 39.*

SCRIBONIUS Aphrodiseus, Orbilii servus atque discipulus, mox à Scriboniâ Libonis filiâ, quæ prius Augusti uxor fuerat, redemptus & manumissus. Sueton. *de Clar. Grammat. c. 19.*

SCRIBONIUS Curio, vide Cajus.

SCRIBONIUS Largus, claruit unà cum Cassio; (cujus supersunt de *Animalibus problemata medica*) Ejus extat liber *de medicamentorum compositione.* Ætatem utriusque ostendit, quòd Scribonius codicis meminit, quem ab Atimeto, Cassii servo, ac Cæsaris Tiberii legato acceperit. Scribonii etiam mentionem facit Galenus in libris κατὰ τόπους, & alibi. Scripta ejus hôc seculô prodierunt. Vide Castellan. *de ill. Med. p. 119.*

SCRIBONIUS Libo, consul cum Antonio An. Urb. Cond. IↃ. CCXIX.

SCRIBONIUS Libo, Annalium conditor. Vide Cicer. *in Bruto. l. 2. de Orat. l. 12. ad Attic. ep. 5. & l. 13. ep. 30. & 31.* Val. Max. *l. 8. c. 1. ex. 2.*

SCRIBONIUS Libo, prænomine *Cajus*, Liburnicæ & Achaicæ classi præfectus, à partibus Pompeji: Ad hunc fortassè pertinent argentei denarii cum inscriptione: C. *Scribonius Libo*, in quibus *Libonis* puteal expressum.

SCRIBONIUS *Libo Drusus*, Prætor à Firmio Cato Senatore intimæ admissionis amico; apud Tiberium, res novas moliri delatus, eòque nomine mori adactus. Tacit. *Ann. l. 2. c. 27.* Vide & *Lucius.*

SCRIMGERUS Henricus, Scotus, familiâ nobili, Franc. Duareni in Jure auditor, Patavii *Francisci Spiræ historiam* scripsit, qui tum temporis obiit. Genevæ Jus primus docuit, impensis Ulrici Fuggeri insignem Bibliothecam collegit. Hent. Stephani operâ varia, inprimis *Novellas Justiniani*, edidit, non sine Cujacii elogio. Athenæum etiam *Notis* illustravit, adhuc ἀνεκδότοις. Obiit A. C. 1571. ætat. 65. Casaubonus *Ep.* 106. *in Append.* Ant. Teissier *in Elogiis part.* 2.

SCRIMIA, vulgo dicitur Italis Gallisque umbratilis pugna, ut placet Budæo *Commentar. ad Pandectas*, *Guil. Choulo*, *Aliis*: Mercurialis verò voce eâ, indigitari mavult militarem monomachiam, rudibus armis factam, quam Hermippus Mantinæos invenisse, & Cyrenæos æmulatos esse scribit, apud Athenæum *l. 4. c. 13.* In hac certatores haudquaquam gladiatorum instar se usque ad necem feriebant, sed rudibus telis quasi sese invicem petere simulantes, quandoque etiam revera ferientes, & plagarum inflictiones & aversiones ediscebant. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l. 3. c. 4.* & suprà in vocibus *Monomachia* & *Scrama.*

SCRINIARIUS, in *Ep.* Sergii IV. *Scriptum per manus Benedicti Notarii Regionarii* & Scriniarii S. R. E. Notarius, Scriba est; cujusmodi *Scriniarii* in Ecclesia Romana duodecim erant, & primò quidem ad colligenda Martyrum acta instituti, postmodum *Scrinia* publica scripturarum curare, epistolas à Cancellario & Protoscriniario dictatas scribere, instrumentaque, donationes ac reliqua hujusmodi conficere cœperunt. Vide Isidor. *l. 20. c. 9.* Joh. Sarisberiensem *Ep. 111.* Anastasium *in Stephano* IV. ubi *Scriniarius Ecclesiæ Ravennatis* occurrit, Alios. Transiit vox ex Aula in Ecclesiam. In Domo enim Augusta *Scriniarii* dicebantur, qui in *scriniis* ejus operam locabant, & *Scriptorum* vices agebant, de quibus passim *Cujacius*, *Gotofredus*, *Alii.* Vide quoque hîc infrà.

SCRINIUM, ex Græco σκρίνιον, quod factum ex κρίνιον, præposito σ. quid vulgò significet, notum. Plin. *l. 13. c. 1. Primum quod equidem inveniam, castris Darii Regis expugnatis, in reliquo ejus apparatu, Alexander cepit* scrinium *unguentorum*, de quo vide Salmas. *ad Solin.* p. 947. & 948. Idem *Scriniis* fagum aptissimam, notat *l. 16. c. 43. Eadem* (fagus) *sectilibus laminis, in tenuia flexilis, capsisque ac scriniis sola utilis* &c. Hinc in *Novi.* utriusque Imperii, *Codd.* Theodos. & Justin. aliisque ejus ævi Scriptoribus, *Scrinia* dicuntur capsæ & loculi, in quibus Principis acta, quæ ad jus pertinent asservabantur; qua de causâ *in l. omnium 19. C. de testam. totum jus in scriniis Principis constitutum* dicitur. Duorum ea generum facit *Budæus*, *stataria* quædam, alia *viatoria*. E quibus *stataria* erant in Regia vel alibi condita, in quibus monumenta antiqua ad Imperium Regnumque pertinentia asservabantur, Græcè χαρτοφυλάκιον, Latinis recentioribus *Archivum. Viatoria* verò, in comitatu Principis circumferebantur, in quibus libelli supplices Principibus postulantibus porrecti condebantur, quoad Principi vacaret libellis & postulantibus operam dare libellisque respondere. De quibus posterioribus loquitur Lamprid. *in Alexandro, c. 31. Post meridianas horas subscriptioni & lectioni epistolarum semper operam dedit, ita ut ab Epistolis, & libellis & à memoria semper assisterent, relegentibus cuncta Librariis, & iis, qui scrinium gerebant, ita ut Alexander suâ manu adderet, si quid esset addendum, sed ex ejus sententia, qui disertior habebatur.* Cùm autem complura essent *Scrinia* hujusmodi, ut infrà paucis videbimus, quatuor eorum genera hæc inprimis memorantur *in l. fin. C. de decur. & l. 1. C. de prox. sacr. scrin.* Nempe *Scrinium memoriæ*, in quo annotationes Principis asservabantur, *Scrinium Epistolarum*, in quo civitatum postulata & legationes; *Scrinium Libellorum*, qui supplices Principi oblati erant, & *Scrinium dispositionum*, in quo cognitiones & decreta Principis custodiebantur. Unde totidem Antigraphei, apud Anonymum Scholiastem *in Justin. Nov.* qui etiam, *Proceres scrinii*, *Cod. Theod. de prox. Com. disp.* Item in *capite scrinii constituti l. 11. eod. tit.* & *Subscendiarii scriniorum* dicebantur *l. 3. d. t.* Eorum ingeniô formabantur, Principis sanctiones, epistolæ, responsa & rescripta, habebantque sub se librarios, exceptores & eos qui scrinium gerebant, i. e. *Scriniarios*, qui manu tantum, non mente, ut illi, in scriniis militabant. Iidem in tribus prioribus scriniis etiam *Proximi* vocati, *Comitiva* titulô insuper ac nomine ornabantur, & *Magistri* dicebantur: in scrinio verò dispositionum, non dicebantur *Proximi*, sed *Comites* tantùm, atque iidem quoque *Magistri dispositionum* audiebant. Præter hos autem singulorum scriniorum Magistros, fuit qui appellaretur & esset *Magister omnium Scriniorum*, seu simpliciter *Magister scriniorum*, & *scriniis curare* diceretur: qualem fuisse legimus Ulpianum sub Alexandro Severo & Papinianum, sub Bassiano. Et quidem Magistri hi scriniorum præferuntur Vicarianæ potestati *tit. 11. C. Theod.* Proximi verò scriniorum *eod. tit. de Prox.* copulantur ordini Vicariorum. Ipsis verò Magistris scriniorum, ut & reliquorum officiorum Magistris, præerat Magister officiorum, seu *Magister* per excellentiam dictus, de quo vide suprà. Nec omittendum, licèt in singulis officiis Palatinis primum locum obtinentes, *Principes* & *Magistri* illius officii, in quo eminebant, dicti fuerint: peculiariter tamen in officio Præfecturæ Prætorii, qui primus erat & princeps illius officii, *Primiscrinium*; in officio sacrarum Largitionum & privatarum, nec non aliis plerisque *Primicerium*; in Scriniis epistolarum, libellorum & memoriæ, *Proximos*; in scrinio dispositionum, *Comitem dispositionum* appellari consuevisse. Quam in rem vide plura apud Salmas. *ad Lamprid. in Alexandro Sev. loc. cit.* Treb. Pollionem *in Gallienis*, c. 17. & Flav. Vopisc. *in Carin. c. 16.* Præter præfata autem *Scrinia* Palatina, quæ *Augusta* vocat Symmachus *l. 4. Ep. 53.* & *Sacra* Sidonius *carm.* 5. erant quoquè *Scrinia Magistratuum*, de quibus in utroque itidem Codice, *tit. de Numerariis*, ubi multa Cujacius & Gotofredus præfati commentantur. Vide quoque hîc infrà.

Scrinia varia, præter prædicta, occurrunt hæc:

α. Annularense. β. ab Argentariis. γ. ab Argento. δ. Asianum. ε. Aureæ massæ. ζ. Auri ad responsum, quod militaribus usibus inserviit. η. Barbaricariorum. θ. Beneficiorum. ι. Canonum. κ. Daciæ. λ. Exceptorum. μ. Fabricarum. ν. Largitionum privatarum. ξ. ad Limitem. ο. Macedoniæ. π. à Miliarensibus. ρ. Mittendariorum. σ. Numerariorum seu Numerorum. τ. Orientale. υ. Operum. φ. à Pecuniis. χ. Rationum. ψ. Securitatum. ω. Tabulariorum. αα. Vestiarii Sacri. E quibus complura, *Sacrarum Largitionum* scrinia sunt; quatuor verò ista, Beneficiorum, Rationum, Securitatum, & Largitionum privatarum, *Rerum privatarum.* De quibus omnibus vide Auctores suprà laudatos: adde Brissonium *de Signif. verb. l. 17.*

SCRIPTA duodecim tabulæ lusoriæ, in monumento antiquo singulis lineolis & quidem rectis, explicantur: quem ludum Veter. præclarè illustravit Claud. Salmas. *in Vopisc. Proculum*, c. 13. Intelligendus de illo Petronius Arbiter, quum ait: *Sequebatur puer cum tabula terebinthina & crystallinis tesseris: notavique rem omnium delicatissimam. Pro calculis enim albis aut nigris, aureos argenteosque habebat denarios. Interim dum ille omnium textorum iter lusu consumit, gustantibus nobis* &c. Ubi cùm Gonsalius ludum hunc cum ludo latrunculorum commisceat, refellitur à Gronovio, ostendente, in Ludo illô *Scriptorum* XII. & tesseris & calculis fuisse pugnatum, quod de ludo Latrunculorum dici non potest, in quo nihil Fortunæ committitur. Judicat itaque hic, ludum illum admodum similem fuisse illis, qui hodie *Trictrac* aut *Verkeeren* aut *Lurtschen*, aut simplicis genus *aus und ein*, Gallis Germanisque utrisque appellantur. Tesseræ mittebantur vel jactabantur per pyrgum seu fritillum, ut hodieque inter diffidentes collusores; calculi dabantur & movebantur in eadem tabula vel alveo lusorio, notato duodecim lineis, per quas collocabantur & procedebant calculi, prout illos fortuna jactus & ars jactum disponentis juvisset. Hinc Antigonus Pyrrhum, teste Plutarchô, comparavit lusori *bene jacienti, sed male danti.* Series *Scriptorum* dicebatur *Iter*, uti visum, quia calculi per scripta commeabant, & iter habebant. *Tramitem* dicit vetus *Epigr.*

Discolor ancipiti sub jactu calculus adstat.
Decertantque simul candidus atque rubens.
Et quamvis parili Scriptorum *tramite currant,*
Is capiet palmam &c.

Vias ordinales, appellat Isidor. in voce *Calculi.* Hoc itaque iter qui occupâsset, victor erat; vincebantur verò, qui cum calculis in sua parte frequentibus, minimum unô, relinquebatur, ut hodieque in plerisque generis ejusdem fit. Vide præter Salmas. *ad Histor. August. loc. cit.* Joh. Frid. Gronovium *de Pecun. vet. l. 3. c. 15.* & infrà in voce *Tabula.*

SCRIPTO adeundi Principem, quanquam præsentem, mos vetus, vide suprà *Literæ.*

SCRIPTOR, vide suprà in voce *Notarius*: servus nempe erat literatus, apud Romanos Domini dictata excipiens vel aliud quiddam scribens, idem cum *Amanuensi* & qui à *Manu* dictus est Sueton. August. c. 67. *Thallo à manu, quòd pro Epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit.* Hi fuerunt pretiosi & excepti, etiam quando servorum numerus dominis indicebatur. *Scriptores* appellavit Cicero *de Orat. l. 1.* & *in Bruto*, Plinius *Notarios*, *l. 9. Ep. 36.* quamvis aliàs aliud quid hæc vox sonaret. Omnium verò horum,

in velocitate excipiendi, sui commendatio. Manilius in Astronom. l. 4. v. 197. & seqq.

Hic & erit Scriptor velox, cui litera verbum est,
Quique notis linguam superet cursimque loquentis
Excipiet, longas nova per compendia voces.

Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*. Apud medii ævi Autores, dicuntur *Scriptores* in Monasteriis, qui in *Scriptorio*, cellâ ita nuncupatâ, librorum *scriptioni* operam dabant. Nempe cum Monachorum nemo esset, qui non se aliquâ occuparetur, nonnulli certo numero ad id ab Abbate deligebantur, qui cum libros Ecclesiasticos, quò horum semper copia esset, tum alios, ad literarum humaniorum & Ecclesiasticarum studia spectantes, describerent: de quibus vide Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Galli c.* 11. Haëftenum *Disquisition. Monasticar. l. 9. tract. 2. disq.* 4. Alios. Et quidem ad posteriorem officii partem, adhibitos potissimum pueros & novitios Monachos, ad priorem verò, non nisi perfectæ ætatis homines, docet Car. du Fresne, ex Sulpitio Severo in *Vita* S. Martini c. 7. & *Capitulari* Aquisgran. A. C. 789. c. 70. Idem *scriptionem* peculiare fuisse *Carthusiensium inclusorum* institutum, refert ex Guigone Priore Cartus. *de Quadripartito exercitio cellæ c.* 36. Nec omittendum, cum magnorum Virorum imagines per genera distinctas haberent veteres Romani, *Scriptorum* imagines ac statuas separatas quoque ab aliorum simulachris, ipsosque generatim etiam distinctos, fuisse, ut ex Tacito *Annalium l.* 2. Sidonio Apollinari *Ep. l.* 9. Suetonio in primis *in Tiberio* c. 70. docet Casaubon. *ad h. l.* Locus *Bibliotheca* fuit, ut vidimus &c.

SCRIPTULUM seu SCRIPULUM, Græcè quoque *γράμμα*, vox in ponderibus Latinis usurpata, tertiam drachmæ partem constituebat, h. e. duos obolos. Et quidem *decem scripulorum* pondere, h. e. semunciâ scriptulo, maximas margaritas cognitas esse Veteribus, Plin. tradit, quæ proin ducentis & quadraginta granis expendebantur: cum plerumque cæteræ semunciam pensitarent. Qua de re Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1291. Nomen ei, quòd duabus lineis scriberetur, notareturque ad hunc modum, ═ Aliter vox sumitur in illo Ovidiano, *l. 3. Artis amand. v.* 363.

Est etiam genus in totidem ratione redactum
Scriptula, quot menses annus orbis habet.

De lineis videl. vel punctis duodecim tabulæ tesseraniæ, in quibus, prout tesseræ cecidissent, calculi variè disponebantur, quæ etiam *Scripta*, unde *Scriptorum duodecim lusus*, de quo supra.

SCRIPTURA Sacra, est verbum Dei, à Scriptoribus *θεοπνεύστοις*, literis divinô jussu exaratum, ad Ecclesiæ institutionem. Horum primus & quasi cæterorum Exarchus post Deum, qui ipse, propriis digitis Legem duabus tabulis exarando, initium scribendi fecit, Moses fuit, vide Justinum Martyr. *Paræn. ad Græc.* Tertullian. *in Apolog. c.* 19. Euseb. *Præp. Evang. l.* 10. *c.* 23. Chrysost. *Homil.* 1. *in Matth.* Theophylactum &c. Ultimus Johannes Evangelista, cui, in Apocalypsi, duodecies mandatum scribendi cœlitùs repetitum est. Distinguitur in libros Vet. & N. Test. 2. Corinth. c. 3. v. 14. qui proin *Ἐνδιάθηκοι Testamentarii* sive *Fœderales* appellantur, Origeni apud Eusebium *l. 6. c.* 19. & Eusebio ipsi *l.* 3. *c.* 3. Vetus iterum in Mosen & Prophetas, *Matth. c. 7. v.* 12. &c. Item in Mosen, Prophetas & Psalmos, Luc. c. 24. v. 44. secundùm Judæos in Thorah, Nebiim, & Cetubim: utriusque Testamenti libri vulgò in Historicos, Dogmaticos & Propheticos dispescuntur. Quod distributionem S. *Scripturæ* in capita, & capitum in versus attinet; ejus, quæ nunc in usu est, auctorem ferunt Monachum quendam Ordinis Prædicatorum, nomine Hugonem de S. Caro, natione Burgundum, pòst Cardinalem: qui cum circa A. C. 1240. vel 1250. Concordantias Bibliorum conficeret, Utriusque Testamenti libros Vulgatæ editionis capitibus, & hæc rursum versibus distinxit. Quod postea non Christiani solùm in Græcis Exemplaribus, sed & in textu Hebræo ipsi Judæi imitati sunt: hodieque eadem distributio, licèt minus nonnunquam commoda, constanter observatur. In Veteri quidem, præter *Paraschoth*, Sectiones libris Mosis sive Legi peculiares, quibus respondent Particulæ ex Prophetis excerptæ, quas *Haphtaroth* dicunt: à Masorethis per omnes libros constituti sunt *Sedarim*, Ordines, pro rerum diversitate textum dispescentes: quales Genesis 42. Exodus 29. habet, Versiculi item *Pesukim* dicti & accentu Soph-Pasuck terminati: quorum numerus in fine singulorum adscribi solet. In Novo Test. autem Patres, imprimis Græci, *τίτλους* Titulos sive Pericopas appellârunt ejusdem argumenti materias inter se connexas: *κεφάλαια* verò sive Capitula (quæ etiam *τίτλοι*) partes minores ipsorum Titulorum, quibus in sententias & versus dividebantur. Sic Tituli Matthæo dati sunt 68. Marco 48. Capitula verò illi 355. huic 230. à *Suida* tributi leguntur. Dicitur Hugo Caro, continetque in V. T. Pentateuchum, Josuam, Judices cum Ruth, libros Samuelis, Regum, Chronicorum, Esdram, Nehemiam, Estheram, Hiobum, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten & Canticum Salomonis, cum 4. majoribus, & 12. minoribus Prophetis: In N. T. quatuor Evangelistas, Acta, Epistolas Paulinas 14. duas Petri, unam Jacobi, tres Johannis, Judæ unam, cum Apocalypsi. Item *Biblia*, vide ibi, ut & in voce *Testamentum*.

Christiadum hæc fuit deliciæ, summique Parentis
Jussa, ad [illegible] [illegible] terra Polum.

de SCRIPTURA mensæ Solvere, vide supra *Mensa Trapezitarum*.

SCRIPTURARII, seu TEXTUALES, nomen Sectæ, inter Judæos. Hebr. קראים *Karaim*, vide supra in voce *Karaita*, item [illegible]

SCRITOFINNI, populus insulæ Scandinaviæ vicinus. [illegible] illis contigit à *Schreitten*, quod est passum facere. Ortelio vel *Scritobinnos* vel *Scritifinnos* appellat. Perpetuis ingentibus nivibus, canibus ferarum crudis escuntur, illarumque pellibus se tegunt. *Scrithfinni*, *Scripsus* & *Scrithi* etiam.

SCRIVERIUS Petrus, Harlemensis, Poëta & Philologus magni nominis, sui docuit Lugduni Batav. A. C. 1592 ob senium tandem visu orbatus decessit, A. C. 1653. ætat. 73. Scripsit *Antiqq. Batavicarum Tabularium*, *bataviam illustratam*, *Batavia Comitumque omnium Historiam*, *Miscellanea Philologica*, *Carmina Latina & Belgica*, *Populare Hollandiæ Chronicon*, *Collectanea veter. Tragicorum*, Idem *Fl. Vegetium* emendavit, *Jul. Hyginum* primus edidit, *Frontinum* cum exemplaribus scriptis contulit, *ad Hen. Aquila Chronicon Geldricum Additamenta & Observationes* adjecit, *Historicarum rerum Scriptores veteres, è MSS.* publici juris fecit, additis *Notis*, deque variis Scriptoribus veterib. aliis, edendo, emendando, illustrando, optimè meritus est. Franc. Swertius *Athenis Belgicis*, & P. Freherus *Theatro Vir. Cl.*

SCROBICULUS, nomen loci, in quo Romani Inferis Diis sacrificare solebant. Tria enim apud illos distincta fuêre locorum, seu in Templis, seu in Lucis, in quibus sacra obtulêre, nomina, *Scrobiculus*, Ara & Altare; in quorum illo Diis Infernalibus, isto Diis terrestribus, & hocce, Diis cœlestibus fecêre. Et quidem Altare locus erat altior Arâ, quam quidam vel humo æqualem vel parùm eminentem faciunt: *Scrobiculus* verò fovea erat, Aram intra se continens, in quam victimarum cruor, cum melle, lacte & vino infundi solebat, Alex. ab Alex. *Genial. dier. l. 3. c.* 16. Diminutiv. à *Scrobs*, in cujusmodi locis sedere olim solitos, qui se interimebant, aut carnificis manu puniebantur, fortè ut casus *ἔκχυσιν*, post vulnus acceptum, evitaretur, discimus ex Nerone Suetonii *c.* 49. *Scrobem coram fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum* &c. Vide quoque Appianum *Bell. Civ. l.* 4. ubi de Labeone, Tacitum *Annal. l.* 15. *c.* 67. ubi de Flavio Vejano, Alios. Certè & Athenis, locum supplicii *ὄρυγμα*, *fossam*, dictum esse, docet ex Harpocratione Casaubon. *ad loc. Suetonii cit.*

SCROBILUS, promontor. Africæ ad Sinum Arabic. *Pompon.*

SCROBULI, aurium foramina, per quæ Barbari trajiciebant gemmas & annulos, ita enim legit Rhenanus apud Tertullian. *l. de veland. Virg. Scrobulis Barbarorum*: Arabum nempe vel Afrorum, qui, pertundere aures soliti, Romæ inter servitia erant & *Barbari* appellabantur. Idem tamen in altera editione reposuit *Scrobulus*, quod Græcis *pineam nucem* significat, gestamen ex auro Barbarorum, maluitque apud eundem Tertullan. *l. de cultu. fœm. cult.* pro; *Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit*, legere *Scrobulosa*. Sed *Scrobulos* illos à Rhenano Barbaris assignatos, non nisi commentitios vocat, adeoque eam emendationem deridet Hadr. Junius *Animadv. l. 2. c.* 1. & antiquam lectionem defendit, *Crobylos Barbarorum*, quia auctoribus plurimis *crobylus*, crinium est plexus in acutum desinens, de quo Thucyd. *l.* 1. & Lucianus *in Navigio*. Vide Casp. Bartholin. *de Inauribus Veter.*

SCROFA, in Glossis MSS. *γρομφάς*, porca est plus simplici vice fœta, de qua vide hic in vocibus *Porca*, *Sumunata* & *Sus*. Item machina ad suffodiendos urbium obsessarum muros, apud Guil. Tyrium *l. 4. c. 5. l. 17. c. 24. l. 18. c.* 19. Fulcherium Carnot. *l. 1. c.* 18. Matth. Paris. *A. C.* 1226. *Alios*: de qua vide Car. du Fresne *ad Alexiadem p.* 291. Sed & Græci *[illegible]* seu *[illegible]* vocant, quos aliàs *[illegible]* & *[illegible]*, Latini *multipedas* dicunt, qui tacti in orbem pilulæ vel piso simillimum sese convolvunt. *Clausiporcas* vulgò Galli appellant, pro *clausiporcis*, porcæ enim clusiles sunt & *porcelliones* vocantur Cælio Aureliano *de Tardis Passionibus l. 1. c.* 4. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1302. & hic infra.

SCROPHA Tremellius, Varroni *de R. R. l. 2. c.* 4. primus appellatus est *Scropha*, quòd Quæstor cùm esset, Licinio Nervæ Prætori in Macedoniâ provinciâ relictus, qui præesset exercitui, dum prætor rediret, hostes arbitrati occasionem se habere victoriæ, impressionem facere cœperunt in castra, Tremellius verò, cùm hortaretur milites, ut caperent arma, ac exirent contra: dixit celeriter, se illos, ut Scropha porcos, disjecturum: idque fecit. Nam eo prælio hostes ita fudit, fugavitque ut ob Nerva prætor Imperator sit appellatus, & ipse cognomen invenerit, ut diceretur *Scropha*. Verùm Macrob. *Sat. l. 1. c.* 6. cognominis hujus rationem aliam affert: *Tremellius Scropha*, inquit, *cum familia atque liberis in villa erat. Servi ejus, cùm de vicino Scropha erraret, surreptam conficiunt. Vicinus advocatis custodibus, omnia circumvenit, ne qua hæc efferri possit; isque ad Dominum appellat restitui sibi pecudem. Tremellius qui ex villico rem comperisset, Scrophæ cadaver sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat: Quæstionem vicino permittit, quum ventum est ad cubiculum, verba jurationis concipit, nullam esse in villa sua Scropham, nisi istam, inquit, quæ in Centonibus jacet, lectulum ostendens.* Ea facetissima juratio Tremellio *Scrophæ* cognomentum dedit.

SCRUTA, Vasa sunt vilia, quæ & *frivola*, unde Plauti Comœdiæ *Frivolaria* nomen. Sic futilia vasa, plena rimarum, Terentius in *Eun. Actu* 1. *sc.* 2. *v.* 25. usurpat, quæ Græci *γρύτην* sive *γρυτοπώλην* appellant. Similiter res viles & antiquitate deteriores factæ, ut vestes detritæ, calceamenta marcida & id genus quisquiliæ: quæ omnia *amolir* quoque, olim clausa, supra vidimus, *sub lectis* etiam quandoque condita. Hæc qui vendebat, *Scrutarius* dicitur Lucilio apud Gellium *l. 3. c.* 14.

Quid ni? & Scruta quidem ut vendat, Scrutarius laudat
Præfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.

Eundem intelligit Horat. ubi de Vultejo Mæna præcone, *l.* 1. *Ep.* [illegible]

----- ----- Vultejum manè Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello
Occupat.

Vide Pignorium de *Servis*, & hic ubi de *Mitliri merce* & *Phopopolis*.

SCRUTATOR, apud Justin. *l.* 38. *c.* 1. *Cùm ferrum occultatum inter fasceis gereret* (Mithridates) *Scrutatori, ab Ariarathe regio more misso, curiosius imum ventrem pertractanti* &c. ministerii nomen, cujus etiam Plut. meminit *Timoleonte c.* 21. & *Dione c.* 23. Quam regiam salutantes *scrutandi* consuetudinem Romæ postea primus usurpavit Augustus, Senatum legens, apud Suetonium c. 35. cum Claudius secutus est, apud eund. *c.* 35. sed omisit Vespasianus, *ibid. c.* 12. Pòst repetivêre alii, ut Severus apud Spartianum *c.* 6. Vide quoque suprà ubi de *Excutiendi more*. Apud Monasticæ Rei Scriptores, idem, qui aliàs Circator, est, de quo munere vide suprà in voce *Circa*. Sed & Capucini sic vocant, qui in electionibus aliisque hujus generis negotiis colligunt suffragia eligentium scriptò exarata, eaque digerunt ordine ac numerant. Cujusmodi *Scrutatores* in Capitulis Generalibus quaterni, in Provincialibus bini, esse solent. Augustiniani quoque sic appellant eos ex Ordine suo, qui ad examinanda suffragia, in Capitulo Provinciali lata, eligi consuevêre. Unde *Scrutinium* apud illos, ut & Moniales Hospitalarias, istiusmodi electionis forma appellatur, quâ vel ad officium aliquis, vel aliqua ad Novitiatum vocatur, suffragiis scriptô exaratis & modò prædictô examinatis, *Richelet*. Aliàs *Scrutinium*, forma exacta fuit apud Romanos furti perquirendi per lancem & licium, ut videre est apud Appulejum *l.* 1. postmodum verò laxiùs extensa vox, uti etiam ex sequentibus videre est.

SCRUTINII Dies, in *Ordine Romano*: *Scrutinii diem ---- quò electi nostri divinitùs instruuntur, immunere cognoscitis* &c. quarta dicitur feria majoris hebdomadæ, quia illâ Catechumeni olim instruebantur, & fiebat *scrutinium, utrum firma mente tenerent, quæ à Magistris didicerant*, uti habet Papias. Nempe tempore Quadragesimali examen Catechumenorum de rebus Fidei instituebatur, ut exploratum fieret, an ad recipiendum proximò Sabbatò Sanctô Baptismum idonei sint. Fiebat id autem per 7. vices, ut habet Alcuinus *de div. Offic. c.* 19. Et primum quidem ac secundum scrutinium celebrabatur Feriâ 4. & Sabbatô tertiæ quadragesimalis hebdomadæ. Tertium quartumque in iisdem diebus quartæ hebdomadæ sequentis, quod maximè solenne erat, & per antonomasiam *Feria Scrutinii* dici consuevit. Quintum & sextum, quintæ hebdomadis ejusdem diebus instituebatur. Ultimum tandem erat Feriâ 4. sextæ hebdomadis. Ad quorum unumquodque Dominicâ quâlibet præcedente universum Fidelium cœtum, his verbis, *Scrutinii diem, dilectissimi Fratres, quo electi nostri divinitùs instruuntur, imminere cognoscite, adeoque sollicitâ devotione sequenti quartâ feriâ circa horam nonam convenire dignemini, ut cœleste mysterium, quò Diabolus cum sua pompa destruitur & janua cœlestis Regni aperitur, inculpabili ministeriò peragere valeamus*; invitari solitum esse, ait Durandus *l.* 6. *c.* 56. apud Dominic. Macrum *in Hierolexico*. Alias vocis *Scrutinii* notiones vide suprà. Sed & de electione Pontificum eam usurpari, addit Richeletus *Dictios*.

SCUBULI, in *veter. Inscr.* Trojæ superstite, in honorem C. Ant. Rufi, Sacerdotis Julii & Augusti, factâ, ubi is inter alia *Præfectus Equitum Alæ I. Scubulorum* appellatur, quinam? Vide Cl. Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 3. *p.* 90.

SCULA, mons & sylva in Suecia, Angermaniam in duas partes dividit. Mons altissimus & præruptus, quanquam summam nutitans, aspectu horribilis, versus oram littoralem Sinus Bothnici extensus.

SCULDAIS, seu SCULDAHIS, SCULDASIUS, seu SCULTETUS, vox Germanica vetus, in Longobardorum legibus frequens. Originem ducit à Germanico *Schuld*, i. e. debitum, & jubendo *heyssen*: quôd scilicet *Sculdahis*, debitoribus imperet, ut creditoribus suis satisfaciant. Alii interpretantur *Pœnarum exactorem*, namque & reatum, atque delictum vox *Schuld* Germanis notat. Priore sensu sumitur in Longob. legibus *tit. C. de pignorationibus & debitis*: *Si homo liber, qui debitor est, alias res non habuerit, nisi caballos domitos, aut boves junctorios seu vaccas, tunc ille, qui debitum requirit, vadat ad* Sculdahis, *& intimet causam suam &c.* Item *tit.* 20. legum Luithprandi Regis: *Si quis causam habuerit, &* Sculdahis *justitiam intra quatuor dies, facere neglexerit &c.* Ita ergo *Sculdahis* veteribus erat judex, qui de debitis pronuntiabat, pignora capiebat & satis fieri creditori cogebat: non tamen plenam habebat jurisdictionem, sed Comitum potestati erat obnoxius, hodieque Germanis in usu: sed nec in Tuscia, Æmilia, Austria, Neustria, Franciâ &c. incognitus. In Helvetia verò longè honoratior hic titulus est, apud quos, in Urbibus, tribus non habentibus, quales sunt Berna & Lucerna, vox *Sculdahis*, vulgò *Schuldtheyss*, summam auctoritatem & potentiam indigitat. Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.* & Joh. Simlerum *de Rep. Helv.*

SCULPTURA, ars est repræsentandi res, seu faciendi imagines in ligno prominentes; Quemadmodum Statuaria idem præstat in lapide & metallo: Plastice, in argilla, & gypso. Cum contrà Cælatura in ligno, lapide metallove, imagines faciat cavas, ut in annulis signatoriis &c. Qua de re sic Cardan *l.* 17. *de Subtil.* *Cùm videantur tria repræsentandi genera, primum quidem in superficiebus, vocaturque Pictura: alterum in corporibus jam factis, cælando sculpendoque: tertium quod corpora ipsa efficit, vocaturque Plastice: manifestum est, Picturam omnium horum esse difficillimam, atque ideo nobilissimam.* Unde patet, memoratas modò Artes cum Pictura seu Graphice multum affinitatis habere, imò & sibi invicem arctè cognatas esse. Quò factum, ut Vulgatus Interpres 1. Regum *c.* 6. *v.* 32. dicat, *Sculpsit in eis picturam Cherubim*. Ubi Hebræa sonant, *Cælavit in eis cælaturas Cherubim*: vel potiùs, *Exsculpsit sculpturis Cherubim*. Sive, ut Franc. Junius, *Incidit cæsuras Cherubinorum*. Quòd verò Cardanus Picturam *Sculptura* difficiliorem facit, non impetrat assensum, à Mich. Angelo Bonarota, qui hancce illâ magis operosam judicans, ideo plura pinxit, quàm *sculpsit*: *Nempe*, inquit Voss. *quia in statua sint diversi magis aspectus plenæ anaglyphi.* Quam sententiam quoque probat Cæsar Bullengerus *de Pictura & Statuaria l.* 2. *c.* 7. judicium suum suspendente Ludov. Demontiosiô *Comm. de Sculpt. & Pictura antiquorum*. Idem Cardanus Cælaturam *Sculpturâ* difficiliorem, utrâque autem operosiorem esse Plasticen, contendit *l. cit.* *Difficilius non paulò est cælare, quam sculpere. Qui enim sculpunt quod vident, agunt: qui cælant, aliud vident, aliud agunt; & dum vident, non agunt, dum agunt, non vident. Similiter neque mente concipere possunt, quid facturi sint, dum cælant, ut qui sculpunt: ignota enim est tum natura, tum usu, cavitas illa. Et si, dum auges in cera, quod prominere debet, paululum aberraveris, in gemma cavitate auctâ errorem efficies, qui non nisi totò subverso opere poteris emendari. At in Sculptura operèque hujusmodi, primum facilius est non nimis adimere, sed relinquere; quam cælando non implere. Deinde si etiam nimio plus adimas, facilius in opere exuberante, quam cavo totum opus instaurare; atque commodius cælando quoque dextra sinistris, sinistra dextris referuntur: quod difficilimum est in hoc opere, dum totam effigiem cælare volumus: cum in sculptura dextra remaneant dextra, ut sinistra, sinistra.* &c. Vide Voss. *de 4. Artibus Popular. c.* 5. §. 22. & *de Philosophia c.* 16. §. 33. ubi addit §. *præc.* *Cælaturæ esse exsculpta, Græcè ἀνάγλυφα, ut est apud Eucherium l.* 3. *Reg. c.* 17. *Sic vetus Gloss. Anaglypha, vasa superiùs sculpta, ut emineant. Anaglypharius, Sculptor, qui eminentias illas & umbones efficit. In Sculptoribus jam lapicidæ qui ab excavando posterioribus etiam Cavitarii dicebantur voce exinde à Græcis etiam recentioribus recepta.* In quibus vocem *Sculpturis* videtur paulò laxiùs sumere: Quemadmodum & πλαστικῆς voce utitur Philostratus *præfat. Iconum*, ubi etiam ad eam revocat *Sculpturam* in ære, λυγδίνῳ sive alabastro, Pario lapide, vel ebore. Antiquam verò admodum artem, *Sculpturam* esse, ex eo patet, quòd Deus Beseleelem & Ooliabum Tabernaculi Architectos designâsse legitur Exod. *c.* 31. *v.* 2. in quo *Sculptura* & Cælatura opus erat: velut in Cherubinis effigurandis, atque aliis. Imò *Præc.* 2. Decalogi prohibita jam *Sculptilia*. Quid quòd ipse Tara, Abrahæ Patri parens, dicitur fuisse ἀγαλματοποιὸς; quodque ipse Seruchus, fil. *Ragau* sive *Rehu*, Abrahami proavus, primus iconibus fortes viros expressisse putatur. Vide Voss. præfatum *de Orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 45. Inter prisci ævi *Sculptores*, magna fuit Pyrgotelis fama, à quo solo sculpi: quemadmodum à solo Apelle pingi, à solo Lysippo ex ære duci, voluit Alexander M. teste Pliniò *l.* 7. *c.* 37. Plura suppeditabit Pompon. Gauricus *de Sculptura* ac Lud. Demontiosius *libris* 2. *de Veter. Sculptura, Cælatura, Gemmarum Sculptura & Pictura*. Addam saltem, Salmasio, in probatâ Cardani sententiâ, *Sculpturam* æquè ac Cælaturam, figuras extantes facere, soloque materiæ nomine ab ea distinguis: utpote cùm Cælatura sit auri, argenti, & æris, Sculptura verò in ligno, marmore, ebore & gemma, operetur, ex Quintil. *l.* 3. *c.* 21. Eidem Ars illa, quæ deprimit figuras & cavando opus suum peragit, *Scalptura* propriè appellatur. Hinc *Sculptores*, Γλυφεῖς, eidem dicuntur, qui ex marmore signa & statuas faciebant. Instrumentum eorum γλυφεῖα, quod impropriè *tornum* exponit summus Poëta. Tornatores enim exsculpunt quidem & insculpunt ligna, sed strias solùm & sulcos faciendo, non verò figuras & signa exprimendo &c. Vide eum *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 1045. 1046. & 1100. ut & suprà in voce *Scalpere*.

SCULTENNA, fluv. Flaminiæ. Liv. *l.* 41. *c.* 12. Plin. *l.* 3. *c.* 16. *Panaro Leandro*. Apud *Strab.* antiquum vocabulum corruptum legitur Σκουλτάννα pro Σκουλτέννα: locus est *l.* 5. *Lanam mollem & omnium longè pulcherrimam οἱ περὶ Μουτίναν τόποι καὶ τὸν Σκουλτένναν ποταμὸν φέρουσι.*

SCULTETUS Abrahamus, ob aureum eloquentiæ flumen, *Chrysostomi* nomen meritus, natione Silesius, patriâ Grunbergensis, Dan. Tossani & Franc. Junii Heidelbergæ auditor, A. C. 1590. ibi Dialecticam, Oratoriam, Morum & Siderum doctrinam privatim docuit primùm, postea Paræi in Facultate Theologica in Acad. Heidelbergensi collega, Friderici Elect. Palatini Bohemiæ Regis disertissimus Concionator Aulicus Electoralis, ac Scholarum Ecclesiarumque inspector constitutus, cum Friderico V. Electore in Angliam profectus est A. C. 1612. ubi Præsulum illius Regni, ac ipsius Jacobi M. Britanniæ Regis gratiam meruit. Synodo Dordracenæ interfuit A. C. 1619. Præter Theologicam scientiam, Antiquitatis & Historiæ Eccles. peritissimus. Scripsit plurima: Inter quæ eminent *Idea Concionum in Psalmos*, *Observationes Gram. Histor. Logic. Theol. in historiam Jesu Christi*, *Exercitationes in Evangel. loca difficiliora*, *Idea Concionum ad Hebræos*, *Medulla Patrum*, *Annales Ecclesiæ Reform. &c.* Obiit Emdæ, ubi exilii sedem fixerat, A. C. 1625. ætat. 59. Vide Regenvolscium *System. Historico-Chronol. Eccl. Sclavonicarum*, Helvicum *Chronol.* Crowæum *Elencho Scriptorum in S. Scripturam*, Jan. Boissardus *Vitar. Part.* 2.

SCULTETUS Bartholomæus, vide *ibi*.

SCULTETUS Johannes, Ulmens. Practicus insignis, scripsit *Armamentarium Chirurgicum*, P. Freherus *Theatro Vir. erud. claror.* Obiit A. C. 1645. ætat. 51.

SCUNNUS, castrum Calabriæ ulterioris vix 3. milliar. ab ora maris Tyrrheni in Ortum, 7. à Mileto in Austrum Seminaryam versus 13. circiter; *Rosarno*.

SCUPI, Mysiæ superioris seu Dardaniæ urbs primaria *Ptol. Scopia Sophiano*. Nunc Serviæ caput, in confinio Macedoniæ, perampla & probe culta, sub Turcis, quibus *Uschub* dicitur. 80. mill. pass. à Sophia in Occidentem; 160. à Philippopoli, Scodram versus paulo plus. Eam alluit Axias fluv. Hic Regillianus præclarè rem gessit, unde

unde apud Pellionem in eo, c. 10. Claudius inter alia hæc de illo prædicat: *Pertulerunt ad me Bonitus & Celsus --- qualis apud Scupos in pugnando fueris, quot ibi die prælia & quâ celeritate confeceris. Dignus eras triumpho, si antiqua tempora extarent* &c.

SCURGUM, Germaniæ urbs *Ptolom.* *Schmeben* Villanovano, in Pomerania.

SCURRÆ, duplicis olim generis: *Urbani*, qui in Scenas adhibebantur, & *Domestici*, qui mensas obsidebant, ob verborum lasciviam gestuumque turpitudinem Populo charissimi. Præter enim Moriones, Nanos & Nanas, *Scurræ* quoque mensis adstabant, convivas dicteriis ad hilaritatem provocaturi. Unde Plinius Jun. *l.* 9. *Ep.* 17. objurgans tædium amici, qui in propudiosum convivium impegerat, retuleratque domum pro apophoretis nauseam & stomachum. *Vis tu*, inquit, *aliquid remittere ex rugis? Equidem nihil tale habeo, habentes tamen fero. Cur ergo non habeo? quia nequaquam me ut inexpectatum festivumque delectat, si quid molle à Cinædo, petulans à Scurra, stultum à Morione profertur.* Idem in *Panegyr.* c. 49. *Neque enim aut peregrinæ superstitionis ministeria, aut obscœna petulantia mensis Principis oberrat, sed benigna invitatio, & liberales joci & studiorum honor.* Suetonius, qui dicuntur in *Tiberio* c. 61. ubi à quodam Nano, stante inter Copreas, convivantem Tiberium, *cur Paconius Majestatis reus tam diu viveret?* interrogatum fuisse, refert. Idem Claudium Imperatorem *quoties post cibum obdormisceret, olearum aut palmularum ossibus incessitum, interdum ferula flagrove, velut per ludum, à Copreis fuisse excitatum*, ait, in *Claudio* c. 8. ubi tamen alii legunt *Tropæos*, quod *Scurræ* isti, postquam Claudium percusserant, statim ne deprehenderentur, se verterent joculari motu; [illegible] enim verto denotat. *Copreas* verò, vocem Græci usus ostendit Dio Cocceianus *l.* 50. & *l.* 73. non multum ab initio: quam *Stercorarios* vertit Hadr. Turnebus. *Parasitos* eosdem dictos esse, vetus Scholiastes Juvenalis ad v. 4. *Sat.* 5. docet. Inter hos nobilis fuit Sarmentus ille, cujus velitationes cum Cicerro commemorat. Horatius *l.* 1. *Sat.* 5. de quo & Juvenalis *præfato loco*,

> *Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas*
> *Cæsaris ad mensas, nec vilis Gabba tulisset.*

Ubi Glossator antiquus notat, Sarmentum formâ & urbanitate demeruisse sibi plurimos; additque *Gabbam sub Tiberio Scurram nobilem fuisse.* Pentalobi *Scurræ*, meminit Horatius *l.* 2. *Sat.* 8. Augusto sane Sarmentum olim placuisse lepôre & festivitate, notat Plut. *M. Antonio*, ubi etiam tradit, hujusmodi pueris Romanos *Deliciorum* nomen imposuisse; quamvis appellatione hac Veter. & turpius abusos fuisse, ostendit Prudentius *l.* 1. *advers. Symm.* v. 271.

> *Quid loquar Antinoum cælesti in sede locatum,*
> *Illum delicias nunc divi Principis* &c.

Alexandriâ Ægypti pueros illos urbanos & procaces peti consuevisse, diximus alibi, ex Statio *Sylvar.* *l.* 5. & aliunde. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis* & Thom. Dempster. *in Rosin.* *l.* 5. c. 6. nec non Joh. Scaligerum ad Festum, in voce *Scurra*. & Claud. Salmas. *ad Tertullian. de Pallio* c. 4. ubi de iis, medio ævo, simillimis *Ministellis*, suprà. Alia vocis significatio apud *Historiæ Aug.* Scriptores, Lamprid. *in Heliogabalo*, c. 33. *Occisus est per scurras*; & in *Alexandro Sev.* c. 61. *Unus ex Germanis, qui scurratum officium sustinebat.* Hi enim *Scurras* appellant, qui aliô nomine *Domestici* dicebantur, scil. corpore custodes ac protectores Principis, posteriori ævô *Buccellarii* vocati. Nomen illis inde, quòd non magis ab latere dominorum suorum discederent, quam parasiti illi veri & adsecula, ab eorum, quorum mensas sectabantur &c. Ad quam proin differentiam notandam, iidem Scriptores, eos denotaturi, qui in scena agerent, *Mimicos scurras* appellant, *in Maximinis*, c. 9. & Vopisc. in *Aureliano*, c. 42. quos *Urbicos* & *Urbicarios* & *Exodiarios* & *Atellanos*, Latini dixêre. Vide Salmas. *ad loca cit.*

SCUTALE, sinus fundæ Latinis, quòd *scuti* formam haberet. Latior enim erat in medio funda, quà parte lapis sedebat; oblonga autem scuta fuisse, notum, non rotunda. Et quidem nonnullæ earum simplex, aliæ triplex *scutale* habuerunt: Liv. *l.* 38. c. 29. *Et est non simplicis habenæ, ut Balearica, aliarumque gentium funda: sed triplex scutale crebris suturis duratum, ne flaxa habena volutetur in jaculatione, sed librata cum sederit, velut nervo missa, excutiatur.* Ad similitudinem ejus militaris zona, in medio receptaculum habebat, quô nummi continebantur, ut sinum funda, quô lapides collocabantur, unde & *funda* nomen accepit. Vide suprà in voce *Ventralis*, & plura hanc in rem, apud Spartian. *in Pescennio Nigro*, c. 10.

SCUTARIUS, Jul. Firmico *l.* 4. c. 14. armiger: in *Glossis Græco-Latin.* [illegible], i. e. *scutorum artifex*: in aliis [illegible] est, [illegible] (subintellige [illegible]) Certè inter Palatinas Scholas mentio est non semel apud Scriptores, *Scutariorum gentilium*, *clibanariorum*, *sagittariorum* &c. de quibus vide Hent. Valesi. *ad Ammian.* *l.* 14. p. 33. In Aula Constantinopolitana [illegible], quod idem cum *Scutario*, dictus est, qui gerebat *scutum* & labarum Imperatoris, apud Codinum *de Offic.* c. 2. *num.* 42. *Anonymus* à Goaro editus,

> [illegible Greek verse]

Quâ dignitate Xyleas quidam functus legitur, apud Acropolitam *num.* 66. 70. &c. Iidem & *Scutiferi*, Gall. *Escuyers*, unde *Scutiferia*, vulgò *Escurie*, officium in Aula Regia, complectens quodcumque pertinet ad *Scutiferos*, eorum famulos, stabula, equorum ferraturas &c. apud Car. du Fresne *Glossar.*

SCUTATUS, vide suprà *Coronatus*.

SCUTELLA, apud Gregorium M. *l.* 11. *Ep.* 16. *Scutellam quoque argenteam Monasterio cuidam reliquerat*: est patina in modum cavitatis *scuti*, unde nomen. Gall. *Escuelle*. Hinc *Scutellarius*, in Aula olim Francica & Anglica, officium in coquina regia, cui *scutellarum* cura incumbebat, in *Ordinat. Hospitii S. Ludov. Regis* A. C. 1261. & in *Fleta* *l.* 2. c. 34. §. 3. apud præfatum Car. du Fresne. Sed & *scutella*, inter ministeria sacra, reponitur ab Udalrico *Consuetud. Cluniac.* *l.* 2. c. 12. ubi de Cœna Domini: *Interea verò reconditur Dominicum corpus à Sacerdote supra Altare, ponitur in patena aurea & patena super scutellam auream, & aliquæ scutellæ inter tabulas argenteas, quæ factæ sunt ad textum Evangelii*, apud Eund. Vocis originem quod attinet, Salmas. eam arcessere mavult à principali *scutra*, per diminutionis formam; cùm primam corripiat, neque à *scuto* deduci non possit. *Not. ad Vopiscum in Carino*, c. 20. Vide quoque infrà in voce *Scutula*: ut de *Scutellis* è cucurbitis *Mexicanis*, suprà *in Cucurbita*: & de *Arca ac Scutella*, duplici pauperum apud Hebræos subsidio, voce *Pauperes*.

SCUTI Jactatio, non Principum solùm exercitium fuit, sed militum omnium, qui in armaturæ exercitio hoc primum discebant, quomodo tractandum & jactandum esset scutum. Græci [illegible] & [illegible], item [illegible] dicebant, uti patet ex Æschylo *Trag.* [illegible]. Ejus exercitii meminit Spartian. *in Vero*, c. 6. *Quum esset validum --- majorisque valetudinis, ut scutum solidum jactare non posset.* Nempe præcipua apud Romanos pars & ars exercitii armorum *in scuto fere tractando*, quô & se protegerent & ictus cautè exciperent, posita erat; unde *armorum scientia* hæc appellata est, & *armorum peritus*, qui illam teneret. & *armis exercere* dictus est, qui illi exercitationi studeret. Naturâ enim prius est, se ac sua tegere & tueri, quam alium petere aut ferire. Arma verò de scuto vel clypeo propriè dicta, unde quod *arma tractare* Spartian. & Seneca: *arma rotare*, Auctor *Panegyrici ad Pison.* id *scutum rotare* dixit Vegetius *l.* 2. c. 14. Erant autem hujusmodi *Scuta* exercitoria lusoriaque *de vimine in modum cratium corrotundata, ita ut duplum pondus haberent, quam scutum publicum habere consuevit*, *ibid.* Vide Salmas. *ad Spartian. in Hadriano* & *Vero*, *loc. cit.*

SCUTICA, Græcè [illegible], verberis genus ex *corio*, id enim [illegible] notat. Vide hîc passim, vocibus *Lorum*, *Marraguius*, *Scytale*, it. *Mastigophora*.

SCUTINGI, populi Galliæ, Fredegario *Chron.* *l.* 5. c. 25 memorati. In Ms. vita S. Anatolii memoratur in Sequanis vallis *Scodinga* vel *Scutinga*, forte ab his dicta, ubi hodie Salinæ, oppidum salsis fontibus celebre in Comitatu Burgundiæ. Hadr. Valesi. *Notit. Gall.*

SCUTULA, castellum Latii, ad pedem montis.

SCUTULA, Græcè [illegible], apud Cæsarem *de Bello Civ.* *l.* 3. c. 40. *Quatuor biremes subjectis scutulis impulsas vectibus in interiorem partem transduxit*: phalanga est & virga, quæ subjiciuntur navibus, ad eas in mare deducendas & impellendas. Hincque pro ornatura vestium sumitur; unde [illegible] Heroni, fascia seu instita, in ima parte vestis circumcurrens, quam [illegible] Pollux vocat. Aliàs *Scutulæ*, in vestibus quadratulæ erant, ad instar plagarum quibus retia distinguuntur, contextæ; Unde *Scutulata* Toga, *Scutulatæ* Vestes, quas in Lusitania ex lana Istrica & Liburnica, quæ, quòd sine villis esset, pilo propior erat, confici consuevisse, docet Plin. *l.* 8. c. 48. ubi ait: *Istriæ ac Liburniæ lanam pilo propiorem quam lanæ, & ideo pexis vestibus alienam, & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania.* Ex lana enim villosa haudquaquam texi poterant istiusmodi *Scutulæ*, quòd villorum densitate textura & artificium operiebatur, cùm contrà in lana pilo propiore scutularum textus non impedientibus villis appareret. Similis lana Ægypti erat, è qua contextas vestes, postquam usu obsolevêre, *tinctas rursusque ævô durasse*, idem Plin. habet. Cùm enim illæ nihil præter colorem amitterent, utpote villis carentes, quoties denuo tingebantur, eum denuo recipiebant, & veteres recentesque filorum textum ostentabant: quæ in parte *Scutulatis* similes fuêre, quæ *Rasæ* dictæ sunt, quasque proin conjunxit Juvenal. *Sat.* 2. v. 97.

> *Cærulea indutus Scutulata & galbana rasa.*

Vide Octav. Ferrarium *de Re Vestiar.* *Part.* 2. *l.* 1. c. 18. Istiusmodi contextu constitisse Saga Gallorum, *Scutulata* dicta Latinis, quæ Græcis [illegible] seu *virgata*, quod virgas quasdam in longum aut latum variâ serie ac colore porrectas haberent, macularumque instar cancellatim & reticulatim distincta essent, docet Scaliger. Unde Gallos *Diodorus* ait, saga gestâsse, [illegible], *Scutulata & reticulatim distincta.* *Scutulæ* enim Græcis [illegible], i. e. *quadræ similes retium maculis, quas Græci vocant* [illegible]. Idem Ferrarius *Part.* 2. *l.* 3. c. 16. Vide quoque Dempster. *ad Rosin.* *l.* 7. c. 31. ubi ex Jul. Polluce *Onomastic.* *l.* 5. c. 4. affert, *Scutula*, [illegible], *rete quadrangulum & oblongum*: supremis verò Salmas. *Not. ad Vopisc. in Aureliano* c. 42. & *Carino*, c. 20. Infrà quoque aliquid, voce *Strophitium*. Indidem *Scutulati equi* occurrunt apud Palladium *l.* 4. c. 13. *Colores equis præcipui, badius, ravus, galbinus, russeus --- scutulatus, albus, guttatus* &c. ex emendatione Barthii. *Scutulatos autem vocari ait Isidor. propter orbes, quos habent candidos inter purpureos, scutularum scil. formâ.* Vide de illis Bochart. *Hieroz.* *Parte prior.* *l.* 2. c. 7. *ubi de 6. equorum coloribus in Zacharia*: & *l.* 3. c. 27. *ubi de Pardo.* Sed & *Scutula* genus lancis vel disci, unde *Scutella*: quod utrumque à *Scutra* ortum, non à [illegible]. Unde, cùm rotunda sint, *scutulæ* in vestibus, quæ quadratæ erant, cum illis nihil commune habuêre, Salmas. *ad Vopisc.* in *Carino*, *loc. cit.* ubi tamen, sicut *virgatum*, ita & *scutulatum*, nonnunquam quibuslibet etiam maculis variatum indigitare, addita exemplo equorum, de quibus dictum, quosque *Pommelatos* hodie Gallis vocari observat.

SCUTUM, Græcè Θυρεὸς. Romanæ armaturæ genus, cujus latitudo curvæ superficiei pedum duorum semis, longitudo pedum quatuor; majori additi ampliùs quatuor digiti, duplici tabulato, glutino taurino, linteolo infuso compactum; exterior superficies vituli corio integebatur, hinnulive aut alius ejusmodi animalis. Circumferentia habebat ferreum munimen à summis imisque partibus, quo ensium ictus vehementiores tutò exciperet, terræque adnitendo non corroderetur. Impactus erat *Scuto* ferreus umbo, qui ingentes sustineret ictus ac lapidum impetum sarissarumve quantumlibet violentum. Unà cum eo ensis pendebat Hispaniensis ad dextrum femur &c. Ita Polybius *l. 6.* ubi Velitibus parmam, Hastatis, Principibus ac Triariis *Scutum* attribuit. Clypeum à *Scuto* distinguit Aldus Manutius, Janumque Lascarim Θυρεὸν Latinè *Clypeum* reddentem carpit, quòd *Scutum* quadratum esset, Clypeus rotundus, ex ære, minor Scuto, vide eum *de Quæsitis per Epist. l. 2. Ep. 6.* Dempsterus tamen *in Rosin. l. 10. Antiq. Rom. c. 10.* clypeos, cum umbonibus, parmis & *Scutis* rem eandem facit, quanquam & materiâ & formâ differre dicat. Idem *omnium Græcorum scuta rotunda, cum umbonibus fuisse, in iisque præmia sua milites gestasse*, annotat ex Servio *l. 1.* & *3. Æneid.* Blancardus *ad Curtium, l. 3. c. 2. num. 5.* verba *levibusque scutis cetræ maximè speciem reddentibus*, ait: *Scutum* ἀπὸ τοῦ σκύτου i. e. à *corio*, è quo factum rectè contra Varronem & Isidorum defendit Lipsius; differt à Clypeis, quia hi εὔκυκλοι, ac *Scuta* longa, ut idem ex Marcellino aliisque probat. Cetras ῥομβοειδεῖς putant optimi Scriptores, quæ *levia* dicuntur *Scuta*, quia gestari solita è loro de collo pendula, contra ictus aut tela incidentia, ac ut ad motus concussiusque milites essent promtiores: pro quo *Scutorum* genere, Peltam variis in locis Livius habet. Vide Lipsium *Analectis ad Milit. Rom. l. 3. Dial. 1.* Quòd verò *in scutis præmia sua milites gestasse* ait Servius, explicat idem ad *Æn. l. 7. v. 796*, Ubi, *fortium virorum scuta, picta: inertium & tironum pura* esse consuevisse, tradit. Hinc Virgilius, ignavi cujusdam *parmam albam*, *loco cit.* Statius contrà viri fortis Capanei *nigrum umbonem*, *Theb. l. 10.* memorat. Utque gloriosum, multis vulneribus scutum habuisse perfossum, sic illud abjecisse in pugna, summum habebatur dedecus, M. Anton. Muretus *Var. Lect. l. 9. c. 2.* Porrò, in clypeo vel *Scuto* suo efferri, unicus Ducum in acie vulneratorum vel occisorum honor fuit. Virg. *Æn. l. 10. v. 506.*

--- --- At socii multò gemitu, lacbrymisque
Impositum Scuto *referunt Pallanta frequentes.*

Etiam inaugurandos Imperatores *Scuto* vel Clypeo insidere, lapsâ Rep. moris esse cœpit, ut diximus suprà, in voce *Clypeus*. Germanorum Gallorumque *Scuta* ingentia, longosque & graves olim gladios fuisse, notat A. Thysius JCtus *ad A. Gellium l. 9. c. 13.* Qualia *Albesia*, apud Festum *l. 1. quibus Albenses utebantur, quæque etiam decumana dicta, quòd essent amplissima, uti decumani fluctus*. Vide Auctores retro laudatos, ut & suprà, voce *Pavisarii*, ubi *Scutis* grandioribus, quæ πάβιζα Scriptoribus Byzantinis, tectos milites hostes impugnâsse, eorumque seriem in navigiorum marginibus quoque exponi consuevisse, vidimus: nec non voce *Targa*. Apud eosdem Germanos, *Scutum reliquisse præcipuum flagitium* fuit, teste Tacitô *in German. c. 6.* quod & de Romanis legimus, apud Plautum *in Trinummo*, *Actu 4. sc. 3.* & Græcis, apud quos proin ῥιψάσπιδες infames habiti. *Scuta* porrò genibus illidebant vel hastis feriebant olim milites, horrendo utrumque fragore, quorum illud prosperitatis, hoc iræ ac doloris indicium erat, Amm. Marcellin. *l. 15.* Cum *scuto & fuste* contendebant Campiones, uti dictum in hac voce: vide quoque suprà, ubi de *Scuti jactatione*, uti de *quinque Scutis*, in Portugalliæ Regum insignibus, suprà; & plura hanc in rem apud Car. du Fresne *Not. ad Alexiadem*, ubi veterum Gallorum Francorumque scuta trigona fuisse, inter alia, ostendit. Hinc *Scutagium*, apud medii ævi Scriptores, militaris servitii species, quâ tenebatur quisque dominum suum in bellum contra Scotos propriis impensis, 40. dies sequi, vide *Cowellum*, *Rastallum*, *Littletonem*, alios Britannicos Scriptores, nec non præfatum Auctorem *in Glossario*.

SCUTUM, moneta Regum Francorum, sic appellata, quòd in ea descripta essent Franciæ in *scuto* insignia. Hæc ex auro primùm fuêre, & quidem sub Philippo VI. primùm cusi sunt Denarii auri puri cum scuto, Gall. *Deniers d'or fin à l'Escu*, vulgo *Scuta prima*, Gall. *Escus premiers*, dicta, in quibus Rex in Cathedra sedens, sinistrâ scutum liliatum, ensem dextrâ tenet, pretii 10. sol. Turon. A. C. 1337. Sub eodem dein prodierunt Denarii auri cum Scuto itidem, pretii 15. sol. Paris. vulgò *Secunda Scuta*, Gall. *Escus deuxiemes*, dicta, A. C. 1347. Sub Carolo VI. cusi sunt Denarii auri puri, dicti *Escus la Couronne*, vulgò *Vetera Scuta*, in quibus effictum *Scutum coronatum*, tria lilia comprehendens, cum cruce admodum variegata, pretii 22. sol. 6. den. Turon. A. C. 1384. Item *Scuta cum corona*, Gall. *Escus à la Couronne petits*, cum iisdem figuris, pretii 15. sol. Turon. A. C. 1417. Porrò *Scuta Galeata*, Gall. *Escus Heaumez à 3. fleurs de lys*, simplicia & duplicia, in quibus effictà galea coronata, cui imminet majus lilium, apicis vice, A. C. 1619. &c. Sub Ludovico XII. prodierunt *Scuta cum Histrice*, Gall *Escus au Porc espic*, in quibus binæ histrices scuti latera ambiunt, in aversa parte crux visitur, in muris Pontici vellus desinens, inter binas histrices, & bina *L.* pretii 36. sol. 3. d. Turon. A. C 1507. Sub Francisco I Scuta sim lia: item *Scuta cum parva cruce*, Gall. *Escus à la petite Croix*, pretii 45. solid. Turon. A. C. 1540. Sub Henrico II. *Scuta cum Sole*, Gall. *Escus au Soleil*, in quibus locô crucis Rex expressus est, pretii 46. sol. Turon. Sub Carolo IX. itidem, sed absque ulla effigie, pretii 65. sol. A. C. 1577. Et quidem hôc annô, abolitis rationibus seu numerationibus *ad Libram*, introductæ primùm sunt *ad Scuta*, quorum pretium fuit 66. sol. Turon. usque ad ultimum Decembris, & deinceps 60. solid. Ex argento verò, primus Albos Denarios cum Scuto, Gall. *Blans Deniers à l'Escu*, cudit Carolus VI. cum cruce scil. majore pedata inter binas coronas & bina lilia, cum Inscr. SIT NOMEN &c. & in postica, cum scuto liliato, & Inscr. KAROLUS. FRANCORUM. REX. A. C. 1384. Cum binis dein Scutis Franciæ & Angliæ prodierunt, sub Henrico VI. Rege Angliæ & Galliæ *Blans Deniers à 2. Escus de France & d'Angleterre*. Sicut *Quadrantes Scutorum*, Gall. *Quarts d'Escu*, & *Octava pars Scuti*, sub Henrico III. &c. de quibus omnibus vide Car. du Fresne in voce *Moneta*.

SCUTUM, idem cum *clypeo*, in quo pictæ olim imagines pectore tenus, quas *Thoracides* vocavit Walafr. Strabo *de Rebus Eccl. c. 8.* Cujusmodi scuta describit Paulus Silentiarius in ἐκφράσει ædis Sophianæ *Part. 2. v. 298.*

---- ---- Γονν γε μὴν ἐμπαλίνως
Ἀσπίδι μεσσατίῃσι τύπον κοιλήνατο χεῖρας
Σῆμα ἀπαγγέλλουσα &c.

Vide Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*, *Histor. Aug.* passim & Nic. Alemannum *de Lateranensibus Parietinis*: nec non suprà in voce *Clypeus* seu *Clypeus*, & infrà *Surravia*. Plura verò de aliis vocis hujus, inprimis apud Feudistas, significatibus, apud Car. du Fresne *in Glossario*.

SCUTUM Puniceum, ad malum suspensum, pacis signum olim apud Danos, de quo vide Saxonem Gramm. *Histor. Dan. l. 3. p. 37.*

SCYÆUM, Vide *Scyllæum*.

SCYATHOS, Insul. ante Sinum Pegaseum. Vide *Sciathos*.

SCYBELEUS, locus Pamphyliæ, unde *vinum Scybeliticum Hesych.*

SCYBIS, Cretensis sculptor marmorarius. Plin. *l. 36. c. 4.* Vide *Scyllis*.

SCYBROS, parva regio Macedoniæ. *Steph.*

SCYDISSA, mons asperrimus, & Moschicis montibus conjunctus, qui supra Colchidem sunt, cujus extrema ab Heptacometis obtinentur. Strabo *l. 12.*

SCYDRA, urbs Macedoniæ in Emathiâ regione Stephan. *Siderocapsa* Bellonio.

SCYLACE, quod SCYLACEUM Val. Flacco, *l. 3. v. 36.* oppid. Mysiæ Asiaticæ, inter Cyticum, & montis Olympi radices. *Steph.*

SCYLACIUM, Vide *Scylletium*, *Scylaceum* Virgilio. *Æn. l. 3. v. 553.*

SCYLAX, Caryandâ Cariæ oppidô oriundus, Mathematicus & Musicus, missus à Xerxe Persarum Rege in Indiam, ut Indi fluminis caput vestigaret: Illud iter triginta mensibus, peragratâ totâ Indiâ, dexterrime confecit, inque illa peregrinatione suâ animadvertit in mores & instituta Indorum, ediditque Itinerarium, quod Περίοδον τῆς Ἰνδικῆς inscripsit. *Strabo*, Herod. *Melpomene*. Aristot. *l. 7. Polit. c. 14.* Vide *infrà*.

SCYLAX, tres fuêre Scylaces Caryandenses. Antiquissimus est, qui sub Dario Hystaspis filio floruit, alter Darii Nothi; tertius verò ætate Polybii. Vide Is. Voss. *ad Scylacis Caryandei Periplum*. Quanquam certissimis argumentis evinci potest, Periplum istum, qui Scylacis Caryandensis nomen præ se fert, quemque adolescens admodum recudendum curavit vir doctissimus prædictus, cujusvis potius esse quàm Scylacis, ut in secundis curis se clariùs docturum promittit, *Observ. ad Melam*, *p. 83.* *Nic. Lloydius*.

SCYLAX, fluv. Cappadociæ in Irim influens. *Strab.*

SCYLLA, filia Nisi Regis Megarensium, qui Minois paterni hostis amore capta, ut illum beneficiô aliquô demereretur, patrem purpureô capillô, in quo situm erat regni totius fatum, spoliavit, eumque hosti obtulit, tanquam futuræ conjugis dotem. Verùm cùm se ab illo sperni videret, doloris impatientiâ in Cirim avem commutata est. Vide Fabulam apud Ovid. *Met. l. 8.* Propert. *l. 3. El. 18. v. 21.*

Tuque ô Minoâ venundata Scylla figurâ,
Tondens purpureâ regna paterna comâ.

Idem *l. 4. El. 4. v. 39.* permiscens duas fabulas Scyllæ Nisi, & Scyllæ Phorci:

Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos?
Candidaque in sævos inguina versa canes?

Virgil. *Ecl. 6. v. 74.*

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris.

Ovid. *l. 4. Fast. v. 500.*

Et vos Nisæi naufraga monstra canes.

Idem *Trist. l. 2. v. 393.*

Impia nec Tragicos tetigisset Scylla cothurnos,
Ni patrium crimen desecuisset amor.

Idem *l. 3. Amor. El. 12. v. 21.*

Per nos Scylla patri canos furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusque canes.

Nic. Lloydius.

Vide *Nisus*. Addo saltem, quòd in hac fabula cernitur vestigium aliquod capilli fatalis, quô Simsonem fuisse divinitùs ornatum, in Sacris legimus. Vide suprà, in voce *Sampson*.

SCYLLA, Phorci filia, quæ cùm mutuô Glauci amore teneretur, indignata Circe, quæ Glaucum miserè deperibat, Scyllam sibi ab illo præferri, fontem, in quo illa lavari solebat, noxiis herbis veneficiisque infecit. Cujus rei illa ignara, cùm lavandi gratiâ fontem ingressa esset, videns inferiorem corporis partem in caninos rictus esse commutatam, deformitatem tantoperè exhorruit, ut se statim in vicinum præcipitaverit fretum, ubi & in saxum mutata

fingitur, Charybdi ex adverso objectum, prætetnavigantibus vehementer periculosum. Ovid. *Met. l. 4. & 14.* Porro Siculum fretum, quia scopulosum & angustum est, tantò fervet æstu, ut fluctus inter se concurrentes, scopulisque illisi quendam quasi latratum referant. Hinc fingitur Scylla à pube canibus & lupis succincta, quam in freto scopulum esse constat. Grammatici à [illegible] deducunt; unde Virg. *Ecl. 6. v. 76.* aut Scyllam, *Dulichias vexasse rates.* *Scylla* autem Punicè [illegible] *scol*, est *exitium*, & *lethale infortunium*; quo sensu Græcum Σκῶλος usurpatur ab Hellenistis. Scylla vero cur inde appelletur, nemini non est obvium. Bochart. *l. 1. Chanaan, c. 28.* Lucret. *l. 5. v. 891.*

Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas. ---- ----

Catullus *in Ciri*:

Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis.

Seneca *in Medea, Actu 2. v. 350.*

Quid? cum Siculi virgo Pelori
Rabidos utero succincta canes
Omnes pariter solvit hiatus.

Ovid. *in ep. Medeæ, Heroid. 12. v. 123.*

Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos!
Debuit ingratis Scylla nocere viris.

Idem *Amor. l. 2. El. 16. v. 23.*

Non, quæ virgineo portenta sub inguine latrant,
Nec timeam vestros, curva Malea, sinus.

Catullus *Epigr. 65. v. 121.*

Quæ Syrtes, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis.

Alius.

Nec Scyllæ sævo conterruit impetus ore,
Cùm canibus rapidas inter freta serperet undas.
Nec violenta suo consumpsit more Charybdis.

Virgil. *Æn. l. 3. v. 424.*

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exertantem, & naves in saxa trahentem.

Propert. *l. 2. El. 26 v. 53.*

Crede mihi nobis mitescet Scylla, nec unquam
Alternante vorans vasta Charybdis aquâ.

Hinc *Scyllæus.* Virgil. *Æn. l. 1. v. 204.*

Vos & Scyllæam rabiem, penitusque sonantes
Accestis scopulos. ---- ----

Nic. Lloydius.

SCYLLA, saxum in freto Mamertino inter Siciliam & Italiam, periculosum nautis mare faciens, hodie *Sciglio*, teste *Fazello*. Bruttiorum item oppid. apud Melam, *l. 2. c. 4.* *Siglio* Leandro. *Sciglio* Baudr. oppid. Calabriæ citerioris cum Principatus titulo in ora maris Tyrrheni prope Scyllæum promontor. & fretum Siculum, 15. milliar. à Messana in Cæciam, paulo minus à Rhegio in Boream. Et in sil. deserta circa Thraciæ Chersonesum. Plin. *l. 4. c. 12.* De ea sic Auctor *Historiæ Orbis Terr. c. 3. de Hydrogr. num. 8. §. 2.* *Scylla*, inquit, *promontor. Italiæ, quod olim Cænys dicebatur, modo Scyllæum, Ital. Sciglio, oppositum promontorio Peloro. Ejus natura est, ut torrenti ultro citroque commeantium aquarum perturbatione agitetur. Quando illuvium agitatur, tanta est ejus violentia, ut navis eo delapsa, omni evadendi spe sublata, montium parietibus illidatur, cum inevitabili naufragii periculo, è quo licet subinde nonnulli emergant, cavendum tamen, ut sedulò rerum suarum satagant, ac tantos fluctus tempestivè observent, nisi è Scyllæ Syrtibus in Charybdis æstuaria devolvi velint. Imprimis autem flantibus Ortivis & Occiduis ventis, magna ejus vis est*: ex Athanas. Kirchero *Mund. Subterr. l. 2. c. 16.* Hinc fabulæ de Scylla occasio.

SCYLLACEUM, oppid. in finibus Calabriæ. Virg. *Æn. l. 3. v. 553.*

Caulonisque arces & navifragum Scylaceum.

Dicitur etiam *Scylletium*, vulgò *Squilacci*. Vide Cluver. *Ital. Ant. l. 4. c. 15.*

SCYLLACEUS SINUS, Vide *Scylletius*.

SCYLLACIUM, Vide *Scylletium*.

SCYLLÆUM, promontor. Peloponnesi, in orâ Argiæ regionis in agro Hermionico 177. mill. pass. ab Isthmo in Ortum, 40. à Sunio promontor. in Meridiem, *Scyllæum* Ptolemæo, *Capo Sciglio* Sophiano, sinum Argolicum à Saronico dividens. Σκύλλαιον ἄκρον Stephano dicitur. *Baudrando* promontor. Calabriæ ultimum 26 mill. pass. à Nicotera, in Meridiem Rhegium versus 14. & 6 à Cenide in Boream 3. à Peloro, promontor. Siciliæ in Ortum, vulgò *Capo di Volpe*. Est & oppid. Bruttiorum in Italia. Mela *l. 2. c. 3.* Vide *Scylla* oppid.

SCYLLETIUM, Urbs aliàs Bruttiorum, nunc Calabriæ ulterioris in ora maris Ionii & Sinus Scyllacii ab ea dicti. Cum titulo Principatus, ferè 4. milliar. ab ora maris Ionii, 15. à mari Tyrrheno in Ortum 75. à Rhegio in Boream uti 45 à Locris. Consentiam versus 36 circiter, juxta amnem *Favelone*. Vulgò *Squillaci*. Colonia Atheniensium, Æneam conditorem jactat, *Cassiod.* Melius *Menestheum*. Ita enim Strabo *l. 6.* *Scylletium, colonia Atheniensium, qui Menestheum sequebantur.* Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi *de Magna Græcia*. *In nummis* legitur ΣΚΥΛΛΑΤΙΩΝ.

SCYLLETIUM, oppid. Cretæ præcipuum Solin. *c. 8.* Ibi fons *Aretusa*, cujus aqua, si quis altè loquatur, attolli tertius in modum aquæ bullientis & voces quasdam reddere.

SCYLLETIUS Sinus, GOLFO DI SQUILLACI, pars maris Ionii, in ora Orientalis Calabriæ citerioris inter promontor. Lacinium ad Boream, & Cocintum ad Austrum. Ejus pars Septentrionalis magis versus Siberenam extensa dicitur nautis *Golfo della Castella*.

SCYLLIAS, Herodot. *l. 8.* vir quidam Scyonæus, omnium suâ tempestate hominum optimus urinator, qui etiam in naufragio ad Pelium facto, multam pecuniam Persis servavit, multa & sibi lucratus est. Ad Græcos transire in animo habens, cùm ex Aphetis mare subiisset, non priùs emersisse dicitur, quam ad Artemisium pervenit, 80. ferè maris stadia emensus. Hunc Pausanias *l. 10.* *Scyllim* vocat, de quo inquit: *Scyllis Scyonæus cum Cyana filiâ, classis Persicæ, quâ Xerxes Græciæ bellum intulerat, anchoras retundo, urinandoque præcidit ad Pelium montem & Sepiada Magnesiæ, quibus signum in Apollinis templo positum, ab Amphictyonibus, quod erat commune Græciæ concilium, & à Nerone Imperatore Romam translatum est.*

SCYLLION, Græcè Σκύλλιον, mons Cretæ, cujus accolæ Scyllii, memoratus Stephano, apud quem sic legit Salmas. [illegible] (pro [illegible], quod vulgò extat) [illegible] Κρήτης, οἱ [illegible] Σκύλλιοι. [illegible] Scyllium mons Cretæ: accolæ Scyllii. *Scyllius quoque Jupiter ibi cultus, ubi Curetes cum Corybantibus Jovem* &c. Vide eum ad Solin. p. 169.

SCYLLIS, & Dipœnus Cretenses marmora sculpendo laudatissimi. Plin. *l. 36. c. 4.*

SCYLLUS, UNTIS, oppid. Achajæ, quod Xenophon donatum est à Lacedæmoniis. *Strab.*

SCYLOS, Insul. Indiæ Orientalis in qua Syriæ deus cultus, vide Voss. *de Idol. l. 3. c. 75.*

SCYLURUS, Chersonesi Rex, à quo multa castella condita fuisse commemorantur à Strabone *l. 7.*

SCYLURUS, vel potius SCILURUS, vir, qui (ut Plut. auctor est) cum relictis maribus filiis 80. diem esset obiturus, hastilium fascem cuique obtendens, ut illum confringeret, jubebat. Id autem singulis se posse negantibus, ipse singulatim educta bacilla omnia facile confregit: ita docens illos, ubi unà esse perseverarent, firmos ac potentes fore; imbecilles autem, si separarentur, ac dissiderent.

SCYMNIADÆ, populi cum Getis habitantes. *Steph.* fortè *Scymniatæ* [illegible], quos in Sarmatia Europæa ponit.

SCYMNUS Chius, compluribus libris orbem descripsit, teste Stephano in [illegible].

SCYPHATI, in Chron. Casin *l. 3. c. 56.* *Donavit ei Dux —— gemmas atque margaritas complures pro scyphatis septingentis*; nummi fuêre aurei, primo quidem Imperator. Constantinopolitanorum; postmodum Siculorum ex gente Normannica Principum, de quibus *d. l.* sermo est. Fortè ex specie illorum, quos *[illegible]* vocat Justinianus, à *cauco*, i. e. scypho, quòd scil. cavi essent & cauci seu scyphi formam præ se ferrent. Vide de illis suprà, ubi de *Caucii*. In Apulia præsertim & Calabria in usu fuisse, docet Car. du Fresne *Dissertat. de infer. ævi Numism. num 99.*

SCYPHIA, oppid. Clazomenorum. *Steph.*

SCYPHIUS, vocari traditur primus ille equus, qui natus est è Neptuni semine in saxo dormientis, atque ideo *Petræi* dicti. Pindari Scoliastes enarrans, quorsum Petræus appelletur Neptunus, *Pythiâ quartâ*: [illegible] Ποσειδῶν [illegible] Ποσειδῶνι, [illegible]. Et paulò antè: [illegible] Σκύφιον. Nempe Pœnis (unde hæc fabula) [illegible] *Sciphe* est petra, quomodo Chaldæis etiam ac Syris. Bochart. *l. 4. Chanaan, c. 33.* *Nic. Lloydius.*

SCYPHUS, inter poculorum genera Romanis usitata, memoratur *l. 36. ff. de auro & arg. leg.* ubi JC. enumerat *trullas*, *Scyphos*, *modiolas*, *phialas*: & Macrobio *Saturnal. l. 5. c. 21.* ubi habes *carchesia*, *cymbia*, *canthoros*, *scyphos*, alii *pateras*, *crateras*, *cymbia*, *batiocas*, *calices*, *calices & ampullas*. &c. Græcis etiam in usu fuisse, Jul. Pollux ostendit, *l. 6. c. 2.* & à Latinis usurpata vox Cicer. *Verr. 6.* *Hinc illa Verrea nata sunt, hinc in convivium Sextum Cotr. protrahi jussit, in quem Scyphum de manu jacere conatus est.* Suetonius *Nerone c. 47.* *duos Scyphos gratissimi usus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri vocabat, solo illisit.* Ubi quos *Scyphos* Suetonius, illos *Calices* vocat Plinius *l. 37. c. 2.* quòd non magna utriusque poculi differentia, & materia communis esset, scil. aurum, argentum, gemmæ. Meminit tamen & è fago *Scyphi* Alb. Tibullus *l. 1. El. 10. v. 7.*

Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus astabat cùm Scyphus ante dapes.

Herculaneos præ aliis laudatos reperias, ab Hercule inventore apud Macrob. *Saturn. loc. cit.* capacitatis tantæ, ut eo velut navigio maria trajecisse, finxerit Antiquitas: Quos Bœotiis in præcipuo usu fuisse, docet Athenæus *l. 11. c. 12.* quòd tutelare ejus urbis regionisque Numen esset. Eo nondum Epoto, repente velut telo confixum ingemuisse, Alexandrum M. refert Curt. *l. 10. c. 4.* qua de re Lipsius *ad Senec. ep. 38.* *Alexandrum, ait, intemperantia bibendi & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit*; quem duos congios cepisse, tradit Athen. *l. 10. c. 9.* Vide quoque Tiraquellum ad *Alex. ab Alex. l. 1. c. 16.* Istiusmodi scyphum semper post cœnam habuisse Camatherum Logothetam, narrat Nicetas Choniates, memorantque Cicer. *loc. cit. duo pocula Herculea, manu Mentoris facta.* Ex ligno fuisse poculum illud Herculis,

lis, piceque oblitum, ne carie consumeretur, & ab eo in sacris adhibitum, *Serv. ad l.* 8. *Æn.* meminit, *v.* 278.

Et sacer implevit dextram Scyphus, &c.

Plura apud Thom. Dempsterum *ad Rosin. l.* 5. *c.* 33. uti de investitura *per Scyphum* suô locô. Sed & sic vocabatur vas illud, quod in sacris Vestæ Deæ usurpatum, quibusdam *Cadus*, communiter *Futile*, appellatum est. De quo ita Gyraldus *Histor. Deorum Syntagm.* 17. *Et aqua in sacrificiis adhibebatur. Nam & expurgari adeuntes ad sacra solitos aquæ inspersionibus legimus: in qua torrem ex altari, ubi rem divinam fecissent, prius extinxissent; quæ Chernips dicebatur. Hinc Servius Æn. l.* 4. *quòd, qui Superis sacrificabant, abluerentur, scripsit. Aquam autem Romani de fonte Juturnæ in omnibus sacris adhibebant, aspergebanturque. Eam verò super terram posuisse, piaculum ac triste omen erat: Ideo vas latô ore & fundô angustô, in quo hauriretur, ne stare posset, in sacris adhibebant. Quod Donatus & Servius Futile vocant; Eruditi quidam Cadum vel* Scyphum *dicunt. Tenere id manibus oportebat, quod quidem Flaminicæ Virgines sacrorum ministræ aut Vestalium famulæ, & nonnunquam pueri Flaminum ministri, quos Camillos appellabant, patrimi & matrimi omnes coronati tenebant,* &c. Vide Fortun. Licetum *de Lucernis l.* 6. *c.* 17. Etiam in Ecclesia Romana *Scyphus* inter vasa sacra recensetur vulgò, in quem vinum, quod in S. Eucharistia offerebatur, ex majori calice solebat refundi. *Ordo Roman. Pontifice oblationes populorum suscipiente, Archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in calicem majorem, quem sequitur cum* scypho *super planetam Acolytus, in quem calix impletus refunditur.* Vide de eo Dominic. Macrum *in Hierolex.* & Car. du Fresne *in Glossar.* è quibus hic, *Scyphum tenendi utraque manu*, cùm bibebatur, morem, Monachis fuisse proprium, insuper observat. De *Scyphorum* verò cælatura, & paribus in Delphica seu abaco apud Romanos collocari solitis, diximus suprà.

SCYPPIUM, oppid. fuit Græciæ, in Colophoniorum finibus, à Clazomeniis extructum. Pausan. *l.* 7. idem fortè cum *Scyphia.*

SCYRAS, Laconicæ fluv. se in mare exonerans. Pausan. *l.* 11.

SCYRI, populi Arabiæ, Indorum linguâ utentes. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

SCYRITÆ, gentes inter Nomadas Indos, quæ narium locô foramina tantùm habent. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

SCYRMUS, urbs in Dolionide, prope Cyzicum. *Steph.*

SCYRONIA Saxa, vide *Scironia.*

SCYROS, insula contra Magnesiam in mari Ægæo, 28. mill. pass. ab Eubœa in Boream, uti & à Caphareo promontor. 70. à Magnesia in Ortum, sub Turcis. Vulgò *L'Isola di Sciro*, seu *S. Georgio di Sciro*: circuitus 70. mill. pass. Lycomedis regis patria, in qua Achilles puellari habitu educatus Deidamiam regis filiam vitiavit, & ex ea Pyrrhum suscepit. Sed ab Ulysse cauto hinc ad bellum Trojanum abstractus est. Hinc *Scyrius*, & *Scyrias*, fœm. Ovid. *l.* 1. *Art. Am. v.* 682.

Scyrias Æmonio victa puella viro.

Hæc insul. montibus attollitur, & 4. habuit olim oppida satis frequentia, quorum duo nunc ferè inculta; capris abundat feris, ex quibus adagium est, apud Zenodotum *Capra Scyria*, in eos qui beneficium maleficiô contaminant, sicuti *capra Scyria*, quæ calce mulctram lacte plenam evertit. *Scyrius principatus*, adagium ortum est, de tenui regno dictum, teste *Suidâ*, quòd hæc insul. à Pelasgis & Caribus quondam inhabitata, petricosa sit & infrugifera. Lapis hujus insulæ integer supernatat, comminutus mergitur. Plin. *l.* 36. *c.* 17. Dionys. *v.* 521.

Σκῦρός τ' ἠνεμόεσσα, καὶ αἰπεινὴ Πεπάρηθος.

Ubi sis vide *Montanum*. Græcè quidem σκῦρος est λατύπη, ut volunt, i. e. quod à lapidibus marmorarii abradunt: Et in *Eustath.* σκυρώδης occurrit, pro *petricoso*; & in *Hesychio* σκυρωδέσι pro λιθώδεσι: Et in Pindaro *Pythiâ* 5. σκυρωτὰν ὁδὸν Scholiastes λιθόστρωτον, *Hesych.* λιθόστρωτον interpretatur. Inde Scyrus dici putatur, quia petricosa est insula. Sed vox hæc Græcis quàm est infrequens, tam familiaris est Arabica צחור *suchur* pro petris, à qua Σκῦρος nomen deduci potuit non incommodè. Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 12. *p.* 432. Statius *in Achilleide l.* 2. *v.* 17.

& —— *Cum se scopulosa levavit*
Scyros. —— ——

Nic. Lloydius.

SCYRUS, vide *Episcyrus.*

SCYTALA, Insula ad intimum maris Arabici recessum.

SCYTALE, serpentis nomen, cujus mentio apud Solin. *c.* 30. *Scytale tantâ præfulget tergi varietate, ut notarum gratiâ videntes retardet, &, quoniam reptando pigrior est, quos assequi non quit, miraculô suô capiat stupentes. In hoc tamen squamarum nitore hyemales exuvias prima ponit.* Sed quod de macularum varietate habet, nemo Veterum quidquam de ea prodidit: Nec nominis notatio huc ducit. *Scytale* enim dicta est, à forma τῆς σκυτάλης, quæ *baculum* significat. Nicander sic vocatam asserit, quòd crassitudinem habeat manubrii ligonis:

—— Ἔστι σκυτάλης μὲν ὅσον ὀρινοῖο τέτυκται
Στειλειῆς πάχετος. ——

Cæterùm amphisbænæ similis est, quam, quòd tractibus serpat circulatis, ἀμφιστιχῆ vocat idem &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 339. ubi *Scytale* attribui à Solino, quod de cenchri seu cenchrine traditur, judicat. Ab eadem origine Σκυτάλιδες dictæ sunt naves codicariæ, ex codicibus pluribus junctæ, similes [illegible], quibus in Nilo olim frequenter usi Ægyptii; Gall. *Radeaux* vel *Ratteaux*, Idem *p.* 1116. Item Σκυτάλιον, tibiæ genus, ab exigui *surculi* similitudine, apud J. Cæs. Scaligerum *Poetic. l.* 1. *c.* 20. Epitheton etiam illud Herculis, *Scytalosagittipelliger*, apud Tertullian. *de Pallio c.* 4. clavam, sagittas & pellem leonis (quem totum ejus κλῆρον fuisse ait) comprehendens. Vide quoque suprà, *Scutula.*

SCYTALE, Græcè Σκυτάλη, genus Epistolæ secretæ, Laconibus olim usitatæ, de qua sic A. Gellius *l.* 17. *c.* 9. *Lacedæmonii veteres, quum dissimulare & occultare literas publicè ad Imperatores suos missas volebant, ne, si ab hostibus exceptæ forent, consilia sua noscerentur, Epistolas id genus factas mittebant. Surculi duo erant teretes, oblonguli, pari crassamentô, ejusdemque longitudinis, derasi atque ornati consimiliter; unus Imperatori in bellum proficiscenti dabatur: alterum domi Magistratus cum jure, atque cum signo habebant. Quando usus venerat literarum secretiorum, circum eum surculum lorum (σκύτος) modicæ tenuitatis, longum autem, quantum rei satis erat, complicabant, volumine rotundô & simplici; ita, ut oræ adjunctæ undique & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent: Literas deinde in eo loco per transversas juncturarum oras, versibus à summo ad imum proficiscentibus, inscribebant; id lorum literis ita perscriptis revolutum ex surculo Imperatori, commenti illius conscio, mittebant: resolutio autem lori literas truncas atque mutilas reddebat; membraque earum & apices in partes diversissimas spargebat. Propterea si id lorum in manus hostium inciderat, nihil quicquam conjectari ex eo scripto quibat. Sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat, surculo compari, quem habebat, à capite ad finem, perinde, ut debere fieri sciebat, complicabat: atque ita literæ per ambitum eundem surculi coalescentes rursum coibant; integramque & incorruptam Epistolam & facilem legi præstabant.* Hactenus ille: quæ videtur descripsisse ex Plut. *in Lysandro.* Accuratè eandem describit Suidas, quem vide; quibus adde Joh. Tzetzem *Var. Histor. Chil.* 9. *c.* 258. veterem Scholiastem Pindari *ad Olym. Od.* 6. Demetrium item Triclinium *ad eandem Od.* ut & Scholiastem Aristoph. *ad Aves.* Baculi habuisse formam, tradit Auctor *Etymol. m.* lignum nigrum, trium aut quatuor cubitorum, lorum verò album fuisse, discimus ex Triclinio prædicto, & Athenæo *l.* 10. ubi ait, Λάκων εἰκῇ σφακελίσαντες τὴν σκυτάλην οἱ Λάκωνες, ἔγραφον ἐν ἐκείνῳ. Jus mittendi penès solos erat Ephoros, Corn. Nepos in *Pausania c.* 3. idque non nisi urgente necessitate maximâ, unde *Cyrbis Spartana* Achæo Erythriensi vocata est, quia, ut in κύρβεσι, publicis videl. tabulis, Leges erant exaratæ; ita in *Scytale* præcepta ad Duces & Imperatores militiæ scribebantur, Junius *Animadversion. l.* 4. *c.* 14. Mittebatur autem per Præcones & id genus nuntios, usumque omnem literarum, tesserarum atque aliarum id genus notarum præstabat. Unde non solùm adhibebatur, ad mandata Imperatoribus perferenda, aut illos revocandos, quod semper per *Scytalen* factum, Xenophon *Agesilao* docet, & Polyænus *l.* 8. sed & in pecuniæ summa saccisque obsignandis, uti testatur Diodor. *l.* 13. Ubi de pecunia ex præda Atheniensium, Lacedæmonem à Lysandro missâ: Οὗτος δὲ τῶν χρημάτων ἐν σακκίοις, καὶ ταῦτ' ἔχοντος ἱμάντας σκυτάλην, ἔχουσαν τὴν ἐπιγραφὴν τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων δηλοῦσαν. Alium usum memorat Polyænus *l.* 1. *c.* 17. *in Tyrtæo*: Γνώμη δὲ ὑπὲρ τῆς εἰκόνος ἐν τῇ τῶν νεκρῶν ἀναιρέσει γνωρίζοιτο ἕκαστος, ἐπὶ τὰς σκυταλίδας τοὔνομα ἔγραψαν καὶ περὶ τῇ λαιᾷ χειρὶ ἔδησαν. Vide Justinum *l.* 3. *c.* 5. ubi vocem *tesseras* interpretatur. Hinc *Scytales Laconicæ* apud Cic. *l.* 10. *ad Attic. Ep.* 10. epistolæ sunt breves & obscuræ ut Beroaldus exponit *in Adnotation.* Vide quoque Clem. *l.* 2. *Strom.* Marcellum Donatum *Dilucidation. ad Livium l.* 38. Erustium *aliosque ad Pausaniam C. Nepotis c.* 3. &c. Hoc Laconum inventum imitatos esse, per quandam λακωνομανίαν, Athenienses, refert Franc. Rossæus *Archæol. Attica l.* 7. *c.* 6. Sed Scaliger ridet hanc Artem & *Exercit.* 327. *ad Card.* vocat *Laconica nugalia*: qui an ingeniosi hujus veteris commenti arcana satis perceperit, vehementer dubitem. Vide omninò Gellium *loc. cit.* & *ad eum Notas* Jac. Oiselii JCti.

SCYTHÆ, populi fuêre celeberrimi, antiquissimis proximi, *Ferrariô* hodie *Tartari*, gens numerosissima, in plures populos divisa: Sunt enim non in Asia solùm, sed & in Europa, apud Mæotidem paludem, qui & *Mæotæ*, *Alani*, *Agathyrsi*, *Geloni*, & *Sauromatæ*: *Baudrando* populi sunt, longè lateque per partem Borealem Asiæ extensi; è quibus fuêre præcipui Hyperborei Scythæ, magis ad Septentrionem vagantes, Orgali, Sacæ, & Alani-Scythæ. Hi per Sarmatiam in Scanziam transgressi, inde in Germaniam venerunt. Et quidem Scythicam linguam matricem esse Germanicæ, indicat ipsum Scytharum nomen, *sagittiferos* significans, quò illi armorum genere cæteris præstabant. Dein Mæotis palus à Scythis, qui accoluêre, dicta *Temerinda*, i. e. maris finis: & Caucasus mons dictus ipsis à candore *Graucasus*, Pliniô teste *l.* 5. *c.* 30. Eadem Parthicæ Persicæque mater est, & centena aliquot Persicæ linguæ nomina cùm Germanis communia facilè addi possent: cujus concordiæ non alia adferri potest causa probabilis, quàm quòd eadem Scythæ ortis à se Parthis, qui diu Persidem tenuerunt, eadem Germanis tradidêre. Vide Hug. Grotium *Hist. Gotthorum, Vandalorum & Longobardorum.* Hi, ut antiquiora omittam, à Vibio Treboniano Gallo Imperat. ignominiosâ pace, concessô ipsis annuô tributô ducentarum drachmarum placati, A. C. 254. hôc insolentiores facti Thraciam, Dardaniam, Thessaliam, Macedoniam: inde in Asiam transgressi Cappadociam, Pessinuntem, Ephesum, aliaque loca diripuêre, Jornand. *de rebus Geticis.* Sed à Claudio Dalmata in Mœsia Thraciave ingenti clade victi, A. C. 270. iterumque, cùm per Mæotidem, paludem in Pontum & Ciliciam illapsi essent, à Claudio Tacito Imper. A. C. 277. repressi sunt. Cumque duce Radagaiso in Italiam irruptionem fecissent, à Stilicone Romanorum Uldino Hunnorum, & Saro Gottorum Ducibus, in extremas angustias redacti, in vilissimarum pecudum morem venales prostiterunt, A. C. 405. *Aur. Victor*, P. Orosius *l.* 7. *c.* 26. &c. De his Proverbia: *Scytharum oratio*, apud *Lucian.* Hi enim Dario nihil aliud, quàm, ut ploraret, olim rescripsêre. *Scytharum potatio*, ob vitam eorum asperam: *Scytha equum*, in eum, qui rem, quam maximè appetit, aversari se simulat: *Scytharum solitudines*, &c. Qu. Curtius *l.* 6. *c.* 2. *Scythæ regionem campestrem, ac fertilem occupaverunt,*

verant, quarum adhuc accolæ (Persis *scil.*) *Sedes habent in Europa & Asia. Qui super Bosporum colunt, adscribuntur Asiæ. At qui in Europa sunt, à lævo Thraciæ latere ad Borysthenem, atque inde ad Tanaim alium amnem rectâ plagâ pertinent. Tanais Europam & Asiam medius interfluit: nec dubitatur quin Scythæ, qui Parthos condidêre, non a Bosporo, sed ex regione Europæ penetraverint.* Hactenus Curtius. Et quidem, præter Grotium supra memoratum, Marcus Zuerius Boxhornius, gentem Scythicam à sagittandi studio & arte Germanicô vocabulô appellatam censet. Neque pudere Germanos potest originis Scythicæ, quòd illa gens & rerum gestarum gloriâ, & rectitudine morum ac simplicitate laudata scriptoribus sit. Nec sapientiæ laudem iis adimit Curtius *l. 7. c. 8. Scythis*, inquit, *non ut cæteris barbaris, rudis & inconditus sensus est. Quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantamcunque gens capit, semper armata*: Et docet oratio, quæ ibi sequitur, libera quidem, cæterùm magnanima & sapiens. Lege etiam egregium Horatii Carmen *l. 3. Od. 24.* in quo Scytharum mores Romanis præfert, & gentem ab æquitate, justitiâ, & pudicitiâ elegantissimis versibus commendat. Scythæ & Ægyptii diu de generis antiquitate contenderunt: in quo certamine superatis Ægyptiis, Scythæ antiquiores visi sunt. Hi populi olim nullas urbes habuerunt, nulla mœnia, domos secum ferentes, unde & *Hamaxobii* dicuntur. Hinc Horat. *loc. cit. v. 9.*

> ——— *Campestres melius Scythæ,*
> *Quorum plaustra vagas rite trahunt domos.*

Idem *l. 2. Carm. Od. 33. v. 9.*

> *Te Dacus asper, te profugi Scythæ.*

Scytharum justitiam ostendit Bochart. *l. 3. Geogr. c. 9.* Vide quoque plura de illis apud eundem, *c. 13. ejusdem libri.* Scytharum vocabulum quàm latè sumptum antiquissimis Græcis, docet Cluver. *Germ. Antiq. l. 1. c. 2.* Vide insuper *Plin.* Ptol. ut & *Scythia.* Ut verò & antiquiora illorum gesta non negligantur, præter migrationem eorum *Parthicam*, verbô jam indigitatam, de qua prolixiùs videri potest Marshamius *Canone Chron. Sec. XIV. Cimmeriæ* quoque & *irruptionis in Mediam* mentio facienda. Namque à Massagetis bellô vexati, transmissô Araxe, in Cimmeriam, pulsis ejus incolis abierunt: unde hodieque in Scythia (quæ Cimmeriorum olim terra fuit) *Cimmerii muri, Cimmeria portoria, regioque appellatur Cimmeria & Bosphorus Cimmerius*, ait Herod. *l. 4. c. 12.* Vide voce *Cimmerii*, it. *Tyras.* Postea, in Asiam Cimmerios insequuti inque mediterranea conversi (cum Cimmerii juxta mare iter tenuerint,) Mediam intrârunt, duce Madye Rege suô, ac Cyaxarem Medorum Regem in Ninives obsidione tum hærentem, in se averterunt, eòque acie superatô omni Asiâ potiti sunt inde in Ægyptum contendentes, à Psammitycho I. muneribus ac precibus deliniti retrocesserunt, Herodot. *l. 1. c. 103.* & *l. 4. c. 12.* Post superbum vero 28. annorum dominatum, à Cyaxare, quem Babylonii juverant, inter epulas oppressi iterumque expulsi sunt. Qui, cum quosdam illorum domô pulsos ob venandi peritiam benignè habuisset, illi autem quodam die (prædâ carentes) carnes pueri, quem linguâ Scythicâ, & sagittandi arte instituendum acceperant, in morem ferinæ paratas Cyaxari apposuissent, ac ad Alyattem Lydum profugissent, bello quinquennali inter Medos Lydosque, nec aliter tandem, quàm Eclipsi solis à Thalete prædictâ finito, ansam dederunt, de quo idem videndus *l. 1. c. 73.* & 74. Vide præfatum Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec.* XVII. & XVIII. Ut hoc solum addam: Hornio, quos hodie *Tartaros* appellamus, antiquior ætas *Hunnos* vocavit, qui in locum priscorum *Scytharum* per Asiam successerunt, *Orb. Imper. cum Animadversion. Felleri p.* 130. Eorum munus olim facere carnificinam fuisse Hyginus *Fab.* 165. arbitratus est, cùm de Marsya agens, *Apollo*, inquit, *victum Marsyam ad arborem religatum*, *Scythæ tradidit, qui eum membratim separavit.* Sic nempe vertit verbum ἀπεσκύθισεν, quod in Græco erat, unde is historiam eam desumpsit. Sed ἀποσκυθίζειν hîc est pellem detrahere, ex more Scytharum pervulgato, qui ex capitibus hostium bello interemptorum, pellem cum pilo detrahebant & mantelia inde faciebant. Unde Proverb. Σκυθιστὶ χειρόμακτρον. Quamvis aliàs σκύθης σίδηρος, i.e. *ferrum*, ut *Stephanus* interpretatur, & ἀποσκυθίζειν, περιξυρεῖν est *Hesychio*, i.e. *circumcidere*, item σιδήρῳ τὰς τρίχας τεμεῖν, *ferrô capillos resecare.* Sed & Corpus Athenis fuit ministrorum publicorum, sive lictorum, qui Τοξόται dicebantur & Σκύθαι & Πεδάρτιοι, ad coërcendos, qui immodestè agerent: quam in rem vide plura apud Salmas. *ad Solin.* p. 827.

SCYTHAS, vel SCYTHES, Herculis fil. à quo *Scythiam* dictam putant; licèt nonnulli *Scythas* dictos volunt ἀπὸ τοῦ σκύζεσθαι, sunt enim iracundiores. Cæl. Rhodig. *l. 18. c. 24.* Plin. verò *l. 7. c. 56. Arcum & sagittas Scythen, Jovis filium invenisse dicunt.* Scytha quoque & *Scythes* sæpiusculè pro *Scythicus* ponitur. Æschylus *in Prom.* Ligato Σκύθην εἰς οἶμον pro Σκυθικήν. Lycophron *in Cassandra*, γαστέρ Σκύθην dixit. Idem quoque *Aggerarii* & χώραν Σκύθην. Pari ratione Martial. *l. 4. Epig.* 28. *v. 4.*

> *Indos Sardonychas, Scythas smaragdos.*

Nic. Lloydius.

SCYTHENI, populi prope Macrones, *Stephan.* ex Xenophonte Ἀνάβασ. *l. 4.*

SCYTHIA, provincia Asiæ gemina; Citerior, quæ intra Imaum montem, *Ptolem.* dicitur, inter Sarmatiam Asiæ ad Occasum & Scythiam alteram ad Ortum, ac inter mare Caspium ad Meridiem & Oceanum Borealem, seu Scythicum ad Arctos, in plures regiones divisa, quæ omnes sub uno Tartariæ nomine comprehenduntur. Altera ulterior, seu extra Imaum montem in Ortum vergens, & ipsa in plures divisa regiones, quarum quæ ad Ortum extenditur, Sericæ conterminà *Cathay* nominatur, quæ ad Occasum *Regno di Cambalu* dicitur, & *Mogul.* Equis Scythia maximè abundat, quorum carnibus populi vescuntur. Asinis vero propter loci frigiditatem, (uti & à fulminum casu ob eam causam immunis est) caret, Pliniô teste, *l. 2. c. 50.* *Scythia* quoque Europæa pars est Sarmatiæ, ab ostiis Tanais ad ostia Istri Mæotidi & mari Euxino exposita. *Dionysius*:

> Σκύθαι οἳ ναίουσι τε καὶ ἐπὶ Μαιώτιδα λίμνην

Virg. *l. 1. Georg. v.* 236.

> *Mundus ut ad Scythiam, Riphæasque arduus arces*
> *Consurgit, premitur Libyæ devexus ad Austros.*

Baudrando Scythia, regio perampla Asiæ Borealis. Duplex fuit, nempe intra, & extra Imaum. *Scythia intra Imaum* montem, magis ad Occasum extensa, erat inter Hyperboreos Scythas ad Boream, Scythiam extra Imaum montem ad Ortum, Persarum Imperium ad Meridiem, & Sarmatiam Asiaticam ad Occasum. Ejus præcipui populi fuêre Alani Scythæ, Jaxartæ, Orgasi, & Sacæ, ubi nunc Tartaria deserta, Chatalgitæ, Chaulachitæ seu Cara Cataya, & Kalmuchi, seu Olgaria regio in Tartaria magna, teste *Sanson.* *Scythia extra Imaum* montem, magis ad Ortum protendebatur inter Hyperboreos Scythas ad Septentrionem, Sericam regionem ad Ortum, Scythiam intra Imaum ad Occasum, & Indiam ad Meridiem; Ejus partes alicujus nominis fuêre Achassa regio, Auzacitis regio, Casia regio, & Abii Scythæ, ubi etiam Issedon Scythica urbs. Nunc autem sunt in his partibus Thibetum regnum, *Sifan* regio, & pars maxima Kalmachitarum seu Tartariæ magnæ. Sed de his pauca admodum dici possunt, cùm tarò huc usque perveneriut Europæi. Scythiæ pars septentrionalis est tertia ejus pars secundùm aliquos, ubi aliàs fuêre Hyperborei Scythæ, versùs Oceanum Scythicum extensi, ubi nunc sunt regiones *Bargu*, *Jake Mani*, *su Moal*, & *Tenduc*, in Tartaria Boreali.

SCYTHIA Parva, quæ & *Scythia Europæa*, & aliàs *Cimmeria* dicta fuit, pars fuit Australis Sarmatiæ Europææ, versùs Pontum Euxinum & Mæotidem paludem. Ejus pars fuit in Taurica Chersoneso ubi Tauri Scythæ: pars vero extra inter Bugem lacum Mæotidemque paludem ad Ortum, & Borysthenem fluvium ad Occasum, ubi Georgi-Scythæ, Nomades-Scythæ, & Basilidæ-Scythæ populi, teste *Gulielmô Sansone*: Hujus urbes fuêre Carcine, Theodosia, Panticapæum, Naubarum, Taphræ, & Cherronesus. Nunc in ea regione est Tartaria minor, seu Precopensis. Vide *ibi*.

SCYTHIA Pontica, *Plin.* pars Mysiæ inferioris, Euxino mari adjacens, *Ferrar.* Eadem dicta *parva*, & *minor Jornandi. Baudrando* provincia fuit Illyrici Orientis, seu potiùs Imperii Constantinopolitani, inter ostia Danubii fluvii ad Boream, Pontum Euxinum ad Ortum, Daciam & Mœsiam inferiorem ad occasum, & Hæmimontum provinciam Thraciæ ad Meridiem, cujus caput erat Tomis. Pars fuerat antea Mœsiæ inferioris, nunc autem provincia est orientalis regni Bulgariæ, sub dominio Turcarum. Sed sunt etiamnum in illo tractu Tartari Dobrucienses dicti, *les Tartares de Dobruce*, Turcarum clientes, uti & Tartari Bialogrodenses ad ostia Danubii.

SCYTHIACA Regio, Ægypti tractus, *Ptol.* Lege *Scithiaca.*

SCYTHIANUS, Philosophus & Magus, Empedoclis & Pythagoræ opiniones in Ægypto haustas cum Christianismo miscuit: præceptor Terebinthi seu Buddæ. Vide *Buddas*, & *Manes.*

SCYTHICÆ, Scytharum calcei: quemadmodum *Amyclaida, Laconica, Persica*, ipsô sub nomine Auctores suos sonantes. Vide Pollucem *Onomastic. l. 4. c. 22.* & Balduinum *de Calceo c. 20.*

SCYTHICUM Litus, *Pomponius* vocat totam eam oram litoralem Asiæ, usque ad ostium Caspii maris, quô se in Scythicum mare exonerat. *Mela* ora Asiæ Borealis Oceano Boreali exposita.

SCYTHICUM Mare, seu Oceanus. Plin. *l. 6. c. 17.* Oceanus Borealis.

SCYTHICUM Promont. CABO DE PENNAS, seu CABO DE PENNAS DE GUZAN, in Asturia Ovetensi, in ora Oceani Aquitanici maximè in Boream extensum, prope Avilam oppid. 12. leuc. ab Oveto in Arctos.

SCYTHICUS Mons, idem Caucaso, Coraxico & Moschico, Tauri pars, quæ sese in Boream extendit inter Euxinum ad Occidentem, & Caspium ad Ortum.

SCYTHICUS Sinus, pars maris Caspii, quem Scythæ & Nomades accolunt, in ora Boreali Plin. *loc. cit.*

SCYTHINUS Tejus, Historicus, Athen. *l. 11.* Etiam Jambos fecisse ex Diogene Laërtio discimus in Heraclito, & Stephano in Τέως. Etiam ex τοῦ Σκυθίνου περὶ φύσεως, quædam affert Stobæus, *in Eclogis Physicis l. 1. c. 11.*

SCYTHISMUS, vide suprà *Barbarismus.*

SCYTHOPOLIS, urbs Libyæ, *Stephan.* Alia est à Baccho condita, & de Scytharum, comitum ejus, nomine dicta, in Decapolitana Syriâ, Plin. *l. 5. c. 18.* Strabo *l. 16.* Galilææ proximam esse scribit. Ejus vetus nomen erat *Bethsan.* Hic Judæorum XIII M. cæsa, A. C. 67. Joseph. *de Bell. Jud. l. 2. c. 18. & 19.* Euseb. *l. 8. Chron.* Σκύθαι τὴν Παλαιστίνην κατέδραμον, καὶ τὴν Βασὰν κατέσχον τὴν ἐξ αὐτῶν καλουμένην Σκυθόπολιν. Metropolis effecta est, Archiepiscopali sede Nazaretum translatâ. Vide Zonar. *Annal. l. 1. &c.*

SCYTHRANIUS, oppid. Marmaricæ, *Ptolem.*

SE, in nummis Constantii, *Sisciæ nota*, Car. du Fresne *de inf. ævi Numism.*

SE ipsum renuntiare victorem, in sacris olim Certaminibus non licuit, sed Præcones ad id instituti sunt, de quibus diximus. Qui proin & ipsi cùm coronabantur, adhibitó aliorum Præconum ministerió id fieri necesse erat. Cicero *l.* 5. *Epist. fam.* 12. ad Lucejum, *Verecundiores esse Præcones ludorum gymnicorum, qui, cum cæteris coronam imposuerunt victoribus, eorumque nomina magnâ voce pronuntiárunt, cum ipsi ante Ludorum missionem coronâ donantur, alium præconem adhibeant, ne suâ voce ipsi se victores prædicent.* Ad quod exemplum Plato, ubi agit de sumtuosa illa electione Censorum, disertim cavet, ne quis semet eligat; sed tres eligant, prout quisque eos præstantissimos dixerit, πλὴν αὑτοῦ, *se exceptó*, *de Legg. l.* 12. Interim id aliquando licuit illis, qui in comparatione virtutum verè se hujus aut illius victores affirmare possent, ut Mnesippo dicit apud Lucianum *Toxari*. Poëtis quoque, qui in Musicis certaminibus superiores fuissent, idem concessum est: qui proin seipsos canebant ὑπ' αὐλῷ καὶ χορῷ, *sub tibiis & choro*, uti aut Aristides [illegible] ubi non malô id more fieri pluribus it assertum. Inde Proverb. ortum [illegible], *renuntiare seipsum*, de quo, ut & plura hanc in rem, vide apud C. Paschalium *Coronarum l.* 6. *c.* 12.

SEBA, fil. Bochri, de tribu Benjamin, homo seditiosus, & turbulentus: post Absolonis mortem, novarum turbarum auctor, à Joabo in urbe Abela obsessus, & à civibus deditus, capite luit, 2. Sam. c. 20. v. 1. Joseph. *l.* 7. *Jud. Ant.* c. 10. Latinè, *septem*, vel *septimus*, sive *saturitas*, aut *juramentum*.

SEBADIA Sacra, apud Arnobium *l.* 5. *Ipsa novissimè sacra & ritus initiationis ipsius, quibus* Sebadiis *nomen est, testimonio esse poterunt veritati*: in antiquo lapide *Savadia*, II. VIR. ITER. Q. Q. PATRONO. SACERDOTI. SACROR. SAVADIOR. eadem sunt cum *Sabaziis*. Nam & *Sebazio* pro *Sabazio* in alia veteri *Inscr.* incisum est, Salmas. *ad Capitolin. in Pio. c.* 9. Vide suprà.

SEBADIDÆ, Vide *Philippinæ*, sic enim nunc vocantur, *Sanson.*

SEBALIS Fax, apud Ammianum *l.* 18. à *sebo* vel *sevo* nomen habet. Aldhelmus de *Lampade*,

> *Jamque latex lucens flammas pascebat edaces.*
> *Papyrus in medio radiabat lumine centro,*
> *Clariùs & multo quam fomes pinguis olivi,*
> *Aut certè in vitro splendens arvina scrofai.*

Ubi *scrofæ arvina* est suillus adeps, qui tamen hodie pretiosior & in cibis est. Idem in prosa, *Ut latex lucernarum fundibulis infusus in olei crassitudinem verteretur, & papyrus in centro positus, velut fomes, arvinâ vel sevô madefactus, solitò clarius lucesceret.* Jam bovinum sebum in frequentissimo usu est, quod nullibi in candelarum usum præstantius, quàm in provinc. Kiangsia Sinici Imperii, ad urbem *Quangsin*. Ibidem tamen *Cinchen* in Quangsia provinc. arborem gignit, ex qua mundissimum quoque fit sebum. Ad *Kinhoa* etiam in Chekiana provinc. pinguedo quædam ex arboribus nascitur, ex qua, velut ex *sebo*, optimæ atque candidissimæ fiunt candelæ, quæ nec manus inficiunt, cùm tanguntur, nec fœtorem exhalant, cùm extinguuntur. Vide hujusmodi arboris & modi *sebum* inde conficiendi descriptionem, apud Auctorem Anonymum *Sinæ & Eur. c.* 36. Addo saltem, olim candelis sebaceis solos pauperes, reliquos facibus vel lucernis usos, ex Casaubono *ad Jul. Suetonii c.* 37.

SEBASTE, tergemina: una Palæstinæ in Samaria, vulgò *Samaria*. Altera *Ptolem.* & *Steph.* quæ & *Augusta* in ora Ciliciæ apud Corycum, inde in Ortum parum distans, hodie *Sevesta*. Alia *Ptolem.* in Albione oppid. in finibus Damnoniorum, *Leskerd Villano*.

SEBASTIA, & SEBASTE *Antonin.* *Sevastia*, urbs Cappadociæ mediterraneæ apud montem Argæum, 125. mill. pass. à Cæsarea in Boream & Cæciam.

SEBASTIANUS, Lusitaniæ Rex, fil. posthumus Johannis, natus A. C. 1554. ex Johanna, filia Caroli V. successit avo Johanni III. fidei Christianæ zelô & animi magnitudine inclytus. A Mahomete, contra patruum suum Abdemelechum, Fezzæ & Maroci Regem suppetias rogatus, cum flore nobilitatis in Africam trajecit, A. C. 1578. Sed victus ad Alcaceram, die 4. August. hujus anni, periisse dictus est, An. ætat. 25. cùm & Mahometes in paludibus mersus, & victor Abdemelechus, in lectica mortuus esset. Interim venit Venetias, A. C. 1598. qui se hunc Sebastianum diceret; quem vultu, voce, gestu tam exactè referebat, ut à Lusitanis ibi degentibus pro Rege suo haberetur. Paulò post detentus, & examinatus, idem confirmavit, ostensis etiam in corpore notis indubitatis, quæ in vero Sebastiano prius erant animadversæ: imo res maximè arcanas, quas cum Venetorum legatis olim contulerat, Senatui aperuit, ut fidem tantùm non impetraret. Sed tantum valuere Hispani apud Venetos, ut ab iis urbe pelleretur: Tum in Tuscia captus Neapolimque abductus, ibi omnibus ludibrio fuit, in asino per urbem circumductus. Postea rasus & ad triremes damnatus, tandemque in Hispaniam abductus, ibi in vinculis periit, frustra, Regem suum Lusitanis repetentibus. Vasconcellos *Hist. Lusit.* Vide Beemannum *in Orbe Geogr. Polit.*

SEBASTIANUS Dux, cum 5000. militum, post mortem Constantis, ad Athanasium occidendum, A. C. 350. missus, frustra fuit. Vide Theodoret. *l.* 2. *c.* 13.

SEBASTIANUS, in aula Zenonis Imperatoris potens, omnia venalia habuit. Vide Evagr. *l.* 3. *c.* 1.

SEBASTIANUS, Vide *Jovinus*.

SEBASTIANUS Beckius, Basileënsis Theologus insignis. Natus A. C. 1583. quô ipsô mortuus est Zach. Ursinus, Theologicæ cathedræ est admotus, A. C. 1610. Vet. Testamenti Professionem, post Polanum, A. C. 1612. Novi dein, post Joh. Jacob. Grynæum, A. C. 1618. nactus, Sponsæ amoribus causæ Dei posthabitis, Dordracenæ Synodo interfuit. Inde per Angliam Galliamque redux dextrè docendo, solidè disputando, prudenter consulendo Academiam Basileënsem magna cum laude illustravit, multosque ad justitiam erudivit. Obiit A. C. 1654. ætat. 71. Pater Christophori, Professoris Oratoriæ primùm, dein Organi, in flore ætatis extincti. Vide Luc. Gernlerum *Orat. fun.* De eo Heinsius:

> *Heu, quantum est, captum peregrinæ visere terræ,*
> *Et cælo thalamos postposuisse suos!*
> *Postposita est virgo: Pietas prælata maritæ est:*
> *Nos Patriæ; nobis cedere jussus Hymen!*
> *Plus nulli debent Batavi, qui plurima debent*
> *Jam multis, verè sit precor illa fides.*
> *Certarint alii nobis succurrere, solus*
> *Festinat, si quis sponsus ad ista venit.*

SEBASTIANUS Brand, JCtus Poëta & Historicus Argentinensis. Docuit Basileæ, A.C. 1490. operibus editis & eruditione illustris. Scripsit Chronicon, vitas aliquot SS. cum *Nave Narragoniæ*, seu *Stultitiæ*, &c. Trithem. *de Viris Illustr. German.* Melch. Adami, *de iisdem.*

SEBASTIANUS Castellio, Sabaudus, Genevæ primò docuit, dein inde Basileam profectus, Græcæ linguæ Professor factus, ibi obiit, A. C. 1563. Vir eruditus, sed qui prima Arminianismi semina jecisse, in Dialogis sacris, videtur: novâ versione Biblia transtulit, ubi Latinitas elegans, verùm textus non ubique fideliter versus. Beza *in vita Calvin.* Vide *les Eloges des H. S.* Anton. Teissier. *Part.* 1. & 2.

SEBASTIANUS Francus, Historicus Germanus, scriptis inclytus, floruit seculô præteritô. Vide Simler. *in append. Bibl. Gesn.*

SEBASTIANUS Murrho, Colmariensis, scripsit *de laud. Germ.* seculô 15.

S. SEBASTIANUS, urbs Biscayæ, cum portu. Item urbs provinc. Chiametlan, in novo Mexico. Item urbs Brasiliæ.

SEBASTOPOLIS, urbs gemina, una Cappadociæ mediterranea, *Suvas* hodie, præclara, à qua nomen est regioni, & ubi sedes est satrapæ Turcarum: vix 70. mill. pass. ab Amasia in Ortum, capta à Solimanno, A. C. 1308. Altera quæ & Dioscurias *Ptolem.* *Savatopoli* Nigro, urbs Colchidis maritima inter Phasidem ad Meridiem 100. & Heracleam urbem Heniochorum ad Occidentem 80. mill. pass. *Baudrando*, in ora Ponti Euxini, ad ostia Antonii & Chari fluviorum, emporium celebre, sub Principe Mingreliæ, 280. mill. pass. à Trapezunte in Boream. *Sebastopolis*, urbs altera fuit in Colchide, prope ostea Phasidis, aquis absorpta initiô hujus seculi, teste *Arcangelô Lambertô.*

SEBASTUS, apud Auctorem *Expeditionis Asiaticæ Friderici I. Imper. Et alios quatuor Græcorum principes ratione dignitatis, Græcô vocabulô* Sebaston, *cum eis denuntiat advenire*; dignitatis nomen est in Aula Constantinopolitana olim notissimæ, ex Græcô Σεβαστὸς, *Augustus*. Occurrit in titulo Constantini Harmenopuli, qui præfigitur ejus *Epitome div. Canonum*; in eo enim vocatur is [illegible] Ad quæ verba Geth. von Mastricht, *Sebasti*, inquit, *& Protosebasti dignitates fuerunt sub sequioribus Imperatoribus cognitæ, quales tamen fuerint, id non satis constat*, *Histor. Juris Eccl. num.* 284. Inde aliæ dignitates formatæ. *Sebastocrator* enim, dignitas erat in eadem Aula maximæ existimationis & conjunctissimis Imperatorum conferri solita, sed Despotæ dignitate inferior: quam vocem nonnulli *Augustum Principem*, alii *venerandam potestatem*, exponunt. De ejus sella, mensa, & proclamatione vide Nicetam *l.* 3. ubi Isacium à Patre Alexio eô honore mactatum refert. Pileus ejus aurei coccineique coloris & limbatus fuit, cujus umbo & τὰ [illegible], qualia Despotæ, Codin. *de offic. Eccl. & Aulæ Constantinopolit. c.* 4. Vide quoque infrà *Umbella*. Coronam habuit, in cujus anteriore parte apsis una, C. Paschalius *Coronar. l.* 10. *c.* 8. Alexius Comnenus Imperator dein titulum excogitavit Πανσεβαστὸς [illegible], quasi dicas *totum Augustum*: quâ dignitate Michaëlem Taronitem affinem decoravit ac participem Cæsarei throni effecit. Andronicus verò Junior Joannem Cantacuzenum Magnum Domesticum, æqualem *Panhypersebasto*, concessis ei vestimentis, calceis, & equi ornamentis lutei coloris, declaravit, ut idem Nicetas refert *l.* 7. Nempe Imperatores illi hujusmodi dignitatum titulos pro lubitu extollebant, aut deprimebant. Transière autem illi ad fœminas quoque, unde *Sebastocratoris* uxorem *Sebastocratissam*, alterius *Panhypersebastam*, dici consuevisse, docet idem Auctor *l.* 8. Sed & [illegible] dignitas & nomen prodigiosum occurrit apud Lambecium *de Bibl. Cæsar. l.* 5. *p.* 243. de qua ut & reliquis dignitatibus præfatis vide quæ congessit Jul. Cæs. Bulengerus *de Imperio Rom. l.* 8. *c.* 5. & Joh. Meursius *in Glossario*.

SEBATH, Mensis undecimus Hebræorum, dictum 29. Januarii nostri fini & Februarii initio conveniens, nullâ solennitate peculiari celebris. Sigonius *in Calendar. Hebræorum.* Torniellus *A. M.* 2545.

SEBATUM *Antonin.* *Schwatz Lazio*, oppid. non obscurum Norici, ad Oenum, in Comitatu Tirolensi inter Oenipontem 3. & Kuphstenium 5. leuc. in via, quæ ab Oeniponte Salisburgum in Cæciam & Patavium in Boream ducit.

SEBEDA, portus Lyciæ, *Stephan.*

SEBENDUNUM, Castellum in Hispan. urbs, *Ptolem.* *Brietio* aliisque est *Campredon*, oppid. munitum Cataloniæ, ad radices Pyrenæorum, in limite Galliæ & Comitat. Ruscinonensis, 8. leucis Hispanic. ab Ausa in Boream, 11. à Gerunda in Circium, Julianam Libycam versus.

SEBENIA, ſacerdos quidam, 1. Paral. c. 15. v. 24. Nomen viri, Nehem. c. 9. v. 5.

SEBENICUM, ſeu SICUM, *Ptolem.* urbs Dalmatiæ in ora, à Bonifacio VIII. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Spalatenſi facta, Scodonæ proxima, inter Jaderam ad Occaſum 48. ac Tragurium in Ortum, 32. mill. paſſ. *Baudrando Sebenico*, aliàs Croatiæ maritimæ oppid. nunc civitas Dalmatiæ in ora maris Adriatici permunita, ſub Venetis. Malè pro *Sico* ſumitur, cujus rudera cernuntur in littore, inter Tragurium & Salonæ ruinas. Diſtat 40. mill. paſſ. à Jadera in Ortum 25. à Tragurio in Circium prope oſtia Titii fluv. 300. à Venetiis milliarib. Caſtrum habet in clivo, cum arce permunita *S. Nicolai*, ad mill. paſſ. pluriesque, ſed fruſtra à Turcis tentata fuit.

SEBENITICUM, ſeu SEBENNYTICUM *Stephan. Strab.* ac *Ptolem. Sebennìticum* Plinio, *l.* 5. *c.* 10. oſtium Nili inter Bolbitinum ad Occidentem & Pathmeticum ad Ortum, *Sturione Nigro.* A *Sebennyte*, cognomen *Sebenit.* Eſt autem *Sebennytus*, Ægypti Urbs, portus, fluv. in Sebennyti nomo, *Ptolem.*

SEBEON, pater Anæ patris Oolibama alterius uxoris Eſau, de filiabus Chanaan, Gen. *c.* 36. *v.* 2.

SEBER-CHERES, Memphitarum Rex XV. poſt Bi-Cherem præfuit annos 7. dum Muſthis Thebanis, & Rameſſes in inferiori Ægypto, imperarent. Eum Excepit Thamphthis, quem vide.

SEBETUS, hodie FIUME DELLA MADDALENA, teſte *Scipione Mazzellà*: fluv. exiguus Campaniæ apud Neapolim fluens. Ejus meminit Columella *l.* 10

Doctaque Parthenope, Sebethide roſcida lymphâ.

Stat. *l.* 1. *Silv.* 2. *v.* 260.

At te naſcentem gremiò meà prima recepit
Parthenope: dulcisque ſolo tu gloria noſtrò
Reptâſti: nitidum conſurgat ad æthera tellus
Eubois, & pulchrà tumeat Sebethos alumnâ.

Vibius in Catalogo fluminum: *Sebethos Neapoli in Campania.* Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 733.

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale, quem generaſſe Telon Sebethide nymphâ
Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret.

Ubi Servius: *Oebalus filius eſt Telonis & nymphæ Sebethidis: hæc autem eſt juxta Neapolim, ſed Telon diu regnavit apud Capreas inſulam, contra Neapolim ſitam.* Populariter *Fornello*; & vicatim per Neapolim delabitur, omnibus civibus uſum præſtans. Sed ejus pars propè muros Urbis labitur, & paulo infra pontem S. Magdalenæ in Sinum Neapolitanum ſe exonerat, unde etiam multis dicitur *Fiume della Madalena*, *Baudrand.*

SEBIA, mater Joas, 2. Regum *c.* 12. *v.* 1. Filius item Saharaim, 1. Paral. *c.* 8. *v.* 9.

SEBINUS, lacus Cenomanorum in territorio Brixienſi, ex quo Ollius fluv. oritur. *Lago d'Iſeo* hodie dicitur.

SEBIZIUS Melchior, Falckenbergâ Sileſius, ex nobili & antiquo *Sebiſchiorum* ſtemmate, Juri primùm, inde Medicinæ, imò & aliquandiu militiæ, deditus, Phyſicus Ordinar. Et Medicinæ Profeſſor Argentorati eminitiatus, A. C. 1586. ob ſenium verò rude donatus, ſurrogatò ipſi filiò cognomine, A. C. 1612. Obiit A. C. 1625. Filius, verò, Medic. Doctor promotus Baſileæ, A. C. 1610. à Ferdinando II. *Comes Palatinus* creatus, A. C. 1630. poſt 55. Doctores promotos, & ſcripta inſignia edita, deceſſit A. C. 1674. ætatis 95. Vide de utroque Paul. Freherum *Theatro Viror. eruditione claror.* ut & aliquid ſuprà voce *Melchior.*

SEBOIM, nomen urbis. Gen. *c.* 10. *v.* 10.

SEBOSIUS Statius, vide *ibi.*

SEBRIAPA, urbs Sarmatiæ Aſiaticæ, *Ptolem.*

SEBRITÆ, qui & SEMBRITÆ, inſulæ Meroë vicini, *Steph.*

SEBRITHITES, nomus Ægypti, *Euſeb.* unde Vaphres Rex 10000. hominum miſit Salomoni, ad ædificandum templum.

SEBTHAI, nomen viri, Eſdr. *c.* 8. *v.* 7.

SEBVÆENI, ſecta Samaritanorum. Tempora divinitùs Paſchatis, Pentecoſtes & Tabernaculorum feſtis deſtinata, mutârunt: primum ſub initium, alterum ſub finem Autumni, tertium in Martio celebrantes. Vide *Samaritani.*

SEBUM, vide *Sebalis Fax.*

SEBUNDE, Raimundus, vide *Raimundus.*

SEBUNTA quæ ESEBON Ebræis, oppid. Palæſtinæ in Arabiæ Petrææ confinio uti aliquibus videtur, in tribu Gad, Medavæ finitimum.

SEBURAI, nomen claſſis Eruditorum inter Hebræos, qui poſt obſignationem Thalmudis fuerunt; facta autem illa eſt A. M. 4260. juxta calculum *Rabbi Ganz*, 73. annis poſt mortem Rabbi Aſe, de quo vide ſuprà; & tum ab omnibus Judæis Thalmud receptum eſt, annò 31: ab obſignatione Miſnæ. Fuit autem caput *Seburæorum* Rabbi Joſi, ultimus Rabbi Simona, ſub quo ceſſârunt Scholæ, ob indignationem Perſiæ Regum per annos 50. uſque ad ann. 149. quo Claſſis *Geonum*, h. e. Sublimium, ſurrexit. Vide cit. Rabbi Ganz *Chronologiâ Rabbinorum ſub Templo* II.

SEBUSIANI, vide SEGUSIANI. Populi Celticæ Galliæ à plerîmis confonduntur cum Seguſianis, quorum regio hodie *la Breſſe*, *le Lyonnois*, & *le Foreſt*. Sunt tamen, qui credant Sebuſianos fuiſſe, ubi hodie Beugea, *le Bugey*, provinc. Galliæ Breſſiæ adjecta, verſus Rhodanum, *Pineto* & *Pinguiò* teſtibus, forſan errore Typographi. pro Seguſianis, cùm, teſte Cæſare, *l.* 7. *Belli Gall. c.* 75. eſſent Æduorum clientes. *Baudrandus.* De *Sebuſianis* Wiſſenburgenſibus, vide B. Rhenanum cum *Notis* Oogonis JCti, *l.* 3. *p.* 613.

SECALAUNIA, regiuncula Galliæ, in Carnutibus, quartus ex ſex Eccleſiæ Aurelianenſis, ſeu Genabenſis Archidiaconatibus, vulgo *Archidiaconatus Sigalonæ* dictus, qui à Ligere ad Carum pertinet. Quidam partem aliquam *Secalaniæ* in Biturigum etiam finibus collocant, circa utrumque Saleram *la Saudre*, majorem & minorem. An à ſecali, quò abundat? Vulgò *la Soulogne*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

SECANDE, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

SECELA, urbs Palæſtinæ, *Stephan.* ex *Joſepho.*

SECERRÆ, oppid. Hiſpaniæ citerioris in Catalaunia, inter Barcinonem & Gerundam. *S. Celloni* Varrerio.

SECESPITA, teſte *Feſtô*, aliis ſecuris, aliis dolabra ænea, aliis cultellus fuit. Ipſe cultrum putat fuiſſe ferreum, oblongum, manubriò eburneô, rotundô, ſolidô, vinctô ad capulum aurô argentóque, fixò clavis æneis, ære Cypriò, quô Flamines, Flaminiæ virgines, Pontificesque ad ſacrificia utebantur: Poſtquam enim victima mactata, excoriata, abluta & perpurgata eſſet, mox Aruſpex, Flamen, aut Sacerdos *ſeceſpitâ* viſcera rimabatur, attenteque explorabat, an perlitatum foret: cum manu ea, ne qua offenſa pollutis ſacris intercideret, contrectare non liceret. A *ſecando*, nomen invenit. Iconem ejus, ex Guil. Braſſicani *Antiquitatibus Gallicâ linguâ editis*, in opus ſuum *de Antiqq. Rom.* tranſtulit Joh. Roſin. *l.* 3. *c.* 38. Vide quoque Greg. Giraldum *l. de vaſis quibus Veteres in ſacrificiis uſi ſunt.* Caſaubonus *ſeceſpitâ* victimas humi ſtratas feriri conſueviſſe, addit ad *Octavium Suetonii*, *c.* 15. ubi de hoc more plura: & *ad Tiber. c.* 25. μαχαιρίδιον θυτικὸν *Lucianus* dicit veterib. verò Latinis *acerram* propriam huic miniſterio fuiſſe, [illegible] Græcis dictam, monet.

SECESSUS Poëtarum, non rarò apud Scriptores occurrunt. Nempe *ſecedebant* illi, poſt exhibitam Romæ operam & famam acquiſitam, uti de Martiali conſtat, qui ex *Seceſſu Hiſpanico* Romam libellos aliquot miſit: de Papinio item Statio, qui Neapoli idem fecit. Sic enim hic *Præfat. l.* 3. *Sylv. ad Pollium. Summa eſt Ecloga, quâ mecum ſecedere Neapolim Claudiam meam exhortor. Hic, ſi verum dicimus, ſermo eſt quidem ſecurus, ut cum uxore, & qui perſuadere malit, quam placere. huic præcipuè libello ſavebis, cum ſcias hanc deſtinationem quietis meæ, tibi maximè intendere: neque non tam in patriam, quàm ad te, ſecedere.* Ad quæ verba Barthium vide. De *Seceſſibus* Philoſophorum, Romæ olim itidem, Atheniſque, diximus aliquid ſuprà in voce *Schola*: aliorum virorum gravium in agros, vindemiali tempore, vide infrà ubi de *Vindemia*. Aliud quid *Seceſſio* erat, ultima apud veteres Romanos rabies, quam graphicè deſcriptam habes, apud Livium *l.* 3. *c.* 52. ubi de Seceſſione plebis in montem Aventinum & *l.* 34. *c.* 5. ubi de Seceſſione mulierum &c.

SECHEM, fil Galaad, Numer. *c.* 26. *v.* 31. Ab hoc metropolis Samariæ in tribu Manaſſe, quæ *Sichem* dicitur.

SECHENIAS, fil. Obdiæ, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 21. Latinè, *vicinus Dominus*, aut *habitatio Domini.*

SECHES, *Heſych.* Σέχις ὁ Ἑρμῆς αὐτοῖς. Βαβυλώνιοι. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 32.

SECHIA, filius Sacharaim, 1. Paral. *c.* 8. *v.* 10. Latinè, *protectio, ramus*, vel *ceſſatio Domini*, ſive *ſepiens*, aut *vallans Dominus.*

SECHNUPHIS, Ægyptius Sacerdos, Platonis præceptor, memoratus Clementi *l.* 1. *Strom.* [illegible] *Narratur autem Pythagoras fuiſſe diſcipulus Sonchedis Archiprophetæ Ægyptii: Plato autem Sechnuphidis Heliopolitani* &c.

SECHRONA, civitas in tribu Dan, Joſ. *c.* 15. *v.* 11. Latinè, *ebrietas, pretium*, vel *merces ejus.*

SECKINGA, Latinè Saccomum, oppidum agri Raurici, proximè ſuprà Rinfeldiam; Occupat Rheni Inſulam, unde, quaſi *in ſacco ſitum*, fortè nomen accepit. Huic initium dedit antiquiſſimum Virginum Cœnobium, Fridolini Scoti, viri ſancti, buſtô nobilitatum, quod Principum variorum munificentiâ inſigniter auctum eſt: Ab aliquot inde ſeculis, ſub Habſpurgiæ Comitibus, Advocatiâ ipſis à Veſtalibus delatâ. Fuerat autem Advocatorum talium munus, Cœnobiorum jura poſſeſſionesque tueri, villis ſerviſque imperare, Monaſtarii nomine juramenta exigere, quæque his ſimilia, unde illis de judiciorum fructibus & emolumentis pars cedebat. Imo aliquando tanta illorum auctoritas, ut Conventui, citra Advocati conſenſum, nihil bonorum immobilium alienare licuerit. Hodie ſub Auſtriacis eſt. Vide Chriſt. Urſtiſium *Hiſtor. Baſil.* Stumpf. *Chron.* &c.

SECOANUS, fluv. Maſſilienſium, *Steph.* De *Sequana* fluv. loqui videtur.

SECONTIA, quæ & meliùs SEGUNTIA Livio *l.* 34. *c.* 18. dici videtur, gemina eſt: *nova*, nunc *Siguenza*, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſ. in Celtiberis, Academia & Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Toletano, in nova Caſtella, apud Arragoniæ fines. *Segontia* Plinio, & *Segortialatta* Ptolemæo, inter Bilbilim urbem Arragoniæ ad Ortum, & Complutum in Africum oppidum & Academ. Caſtellæ novæ 16 leuc. *Vetus* verò *Medina Celi*, oppidum vicinum, à novâ 4. leuc. Bilbilim verſus 12. in monte, Ducali titulò ornatum. *Baudrando* urbs eſt Celtiberorum in regno Caſtellæ, ad amnem *Henares*, 8. leuc. à confin. Aragoniæ, 30. à Cæſarauguſta in Occaſum. Vide *Segontia.*

SECONTIA, altera *Antonin.* SEGUNCIA Livio, *loc. cit.* oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſ. in regno Arragonio, & in finibus Celtibe-

tiberorum, *Muela* hodie, teste Gasp. Varrerio. Aliis est *Epila* oppid. ejusdem regni à Cæsaraugustâ 7. leuc.

SECOR, Gall. Aquitanicæ portus, *Ptol. Lysson Villanovano & Canali*. Intra Pictonum promontor. & Ligeris ostia. Quibusdam est *les Sables d'Olone*; aliis *Bornik, Baudrans*.

SECOVIA, urbecula Episcopalis Stiriæ superioris ad amnem *Gayl*, qui paulo infra in Muram cadit. Vix 4. milliar. à confinio Austriæ superioris in Meridiem 20 milliar. German. à Salisburgo in Ortum & 6. ab ejus ditione; *Seckaw*.

SECRETA, in Capitulis Caroli M. *l. 6. c. 170. Ut Secreta non incipiatur, nisi post Angelicum hymnum finitum*: Carolo du Fresne est oratio, quæ post Præfationem in sacra Liturgia *secretè* & submissâ voce à Sacerdote dicitur. Alibi eidem sic dicitur Curia seu Consessus Judicum de re æraria & fiscali. *Secreta* enim *Regia*, passim de Ærario, imprimis in Regno Cypri, sub Lezimana Familia, de sacro Principis ærario, cui qui præerant *Baillivi Secretæ* vulgò in *Chartis* appellantur, apud *Eund*, ubi etiam varia reperies *de Secretariis Ecclesiarum*, ædiculis videl. seu cameris, vice exedrarum, Ædibus sacris adjunctis, in quibus vasa seu vestes sacræ recondi, Ministri sacrorum indui, Episcopi de rebus Ecclesiasticis deliberare, iter facientes divertere &c. soliti: de quibus idem pluribus *in Descr. Ædis Sophianæ num.* 85. & 86. uti de *Secretario Judicum*, *Not. ad Alexiadem p.* 262. & 269. At *Secretarius*, ab eadem voce dicitur, quem *Secretorum notarium* vocat Vopiscus *in Aureliano*. c. 36. de quo vide suprà in voce *Asecreta*, it. *Notarius*.

SECRETARIUM, locus in quo Judices causas audiunt: est enim *Secretarium* Judicum, ut Consistorium Principum, Zeno *in l. fin. C. ubi Senat. vel Clariss.* Item locus secretior in majoribus templis, quò vasa sacra conservantur. Aliis *Diaconium*, in quo res suas tractaturi conveniunt ejusdem Ecclesiæ Præpositi & Canonici, qualem hodie Domum Capitularem, *the Chapterhouse* Angli appellant, Beda *Hist. Eccles. l. 2. c. 1.* Item ipsa Synodi sessio & Conventus, qui in *Secretario* habitus est; Sic Lateranensis Synodi sessiones A. C. 642. sub titulis quinque *Secretariorum*, sive Consultationum denominantur. Vide Henric. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

SECRETUS Jupiter, apud Lutatium *ad Stat. Theb. l. 2. v.* 715. ubi de Minerva, è Jovis cerebro nata; *Est vero mysterium, quod luce incontaminata, atque armis munita virgo de vertice Dei maximi & secreti orta dicitur*: cur vocetur, explicat Festus Avienus *initio Paraphras. in Arat. Phænomena*, quem vide, ut & Barthium *ad loc.* In *Constitut.* Siculis *l. 1. tit.* 56. 58. *Secreti Duanæ*, inter Ministros & Officiales regios recensentur. Sic occurrunt *Secreti*, in *Charta* Caroli II. Siciliæ Regis *Justitiarii*, Secreti *& Officiales aut Aprutii*: apud Car. du Fresne *Glossar.*

SECTA, apud Henr. Knyghtonum *A. C.* 1357. *Cives obviaverunt et ultra mille Equestres meliore modo, quodlibet artificum simul vestiti in una secta*: videtur vestis genus uniforme, toti alicui Corpori conveniens. Unde fortè *Sectarum* nomen olim apud Metenses cuidam hominum generi hæsit, quos Meurissius *les Sectes* dictos scribit in *Episcopis Metensibus p.* 399. cujusmodi fuit Lutetiæ *Capetorum* in Collegio Montacutiano. Aliàs *Secta* vox est Anglici Fori, in quo *Secta Curiæ* seu *Secta ad Curiam*, dicitur servitium, quô feudatarius ad frequentandam Curiam domini sui tenetur; In *l. 2. C. de Delator.* vitæ institutum seu agendi ratio sic dicitur. Apud *Paviam*, opinio ab aliorum sententia diversa, hæresis, *secta* vocatur. Sed & *divinam* sectam *ac disciplinam* dixit Tertullian. *de Pallio c. ult.* Origo voci à *sequendo*. Unde *Sectatores*, apud Romanos, dicti sunt, qui cum Petitoribus seu Candidatis assidui erant, illorumque latera stipabant. Cùm enim amicorum & populi voluntas Candidatis concilianda esset, quod *Professio* dicebatur, & integrum nonnunquam annum ante Comitia incipiebat, teste Cicer. *de Petit. Consul.* inter Amicos & propinqui & necessarii & omnes ii, qui aliquid voluntatis ostendebant, habiti sunt: qui omnes, quod studia eorum plurimum ad petitionem valerent, conciliandi erant. Qui verò aliquid voluntatis ostenderunt, ii fermè aut Salutatores erant, qui primâ diei horâ Petitoris domum adeuntes, salute dictâ, inde discedebant: aut Deductores, qui præterea tantisper expectabant, dum illum domô exeuntem in Forum deducerent: aut denique *Sectatores*, qui, ut dictum, assidui lateri ejus hærebant, Joh. Rosin. *Antiqq. l. 7. c.* 8. De horum numero, cum Fabia Lex temporibus Marii & Sullæ promulgata, isque restrictius esset, repudiata Lex est à Populo. Unde Cicer. *pro Muræna*. *Tenuiores*, inquit, *Legi Fabiæ de numero Sectatorum restiterunt*. Vide iterum Rosin. *l. 8. c. 29. ubi de Ambitu*.

SECTARIUS Vervex, *Festo* est, qui gregem agnorum præcedens ducit, Græcè Κτίλος. Homerus de Ulysse *Il. γ. v.* 196.

> Αὐτὸς δὲ, κτίλος ὥς, ἐπιπωλεῖται στίχας ἀνδρῶν.
>
> *Ille autem, ut dux gregis aries, lustrat virorum ordines.*

Ubi *Scholiastes* Κτίλον ait dici, quasi κτίλον, καὶ ὃ ἄγεται λοιπὰ θρέμματα, à *lucendo reliquo pecore*. Laconum lingua *Tityrus*, si *Servio* credimus. Talmudicis *Karkastha*, à tintinnabulo ei appendi solito, quod à verbo קרקש *Karkas*, i. e. sonare, est: Arabibus *Chorrâ*, i. e. qui peram pastoris gerit, ὁ πηροφόρος &c. Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l. 2. c.* 43.

SECTILE Pavimentum, apud Sueton. *Cæsare c.* 46. *In expeditionibus tessellata & sectilia pavimenta circumtulit*, idem cum lithostroto est, quod suprà vide: ut & Casaubonum *ad loc.*

SECTIO, in suppliciis olim frequens. Et quidem vel de flagellatione ante supplicium vox sumpta. Horatius de Mena, *Od.* 4. *Epod. v.* 11.

> *Sectus flagellis hic Triumviralibus.*

Vel de quovis alio excarnificationis genere; ut vidimus apud Græcos, vide Arrianum *Dissertat. Epicteti l. 3. c.* 22. Imò vera *sectio* usurpata olim, in suppliciis præsertim servorum, quod μελεϊστὶ ταμεῖν vocat Homer. *Od. χ. v.* 338. qui Melanthium sic punitum tefert Od. χ. ubi de Hypatia, quod tamen ad lacerationem potiùs spectat, de qua suprà; τὰ ἀκρωτήρια ξέσαντες... , Lysias *Orat. pro Callia*: ... , Herodot. *l.* 6. ubi de Æthiopicis Sacerdotibus Sabaci Regis jussu dissectis: διχοτομεῖν, Matthæus *c. 24. v.* 51. ... , auctor Historiæ *Susannæ v.* 59. &c. Fiebat namque id modò in minutas partes, cultrô, ut de Agage à Samuele Proph. 1. Sam. *c. 15. v.* 33. & Martyribus, Tyrannorum jussu, minutatim concisis, legimus passim: vel in duas partes, serrâ, uti de Esaja Propheta Justinus *Dial. cum Tryph.* & multis honesti ordinis viris, à Claudio dissectis; Suetonius habet. Vide Casaubon. *ad Octavium hujus c.* 13. Gatakerum *Adversar. Miscellan. c.* 45. & hic passim, inprimis ubi de *Collateribus & Debitoribus*: uti de sectis piscadum capillis, verbo *Colligere*. Idem verò in victimis facere ritus; de quo suo locô. De *Sectionibus S. Scripturæ*, vide suprà, *Malera*, it. voce *Pericopa*.

SECTOR, *Asconio* æstimator fuit ac redemtor bonorum damnati atque proscripti. Æstimabat nempe quanti essent, & redimebat ab his, qui *sectionem* vendebant, ut, quod pactum esset, illis redderet in pecunia, quod in rebus aut jure earum persequendarum accepit. Hinc in *Festo*, *Sectio persequutio juris*: &, *Sectores, qui bona sua persequuntur*. Ad quem locum notat Scaliger, verbis illis non satis declarari quid sit *Sector*, neque ab auctore Glossarii, qui πωλητὴς interpretatur. Secus tamen videtur Salmasio *in de Modo Usurar. p.* 828. qui ab utroque rectè id factum dicit, ut nihil melius: neque *Sectio* Græcè meliùs, quàm ὠνῇ reddi potest. Hi aliquando iidem cum Delatoribus seu Quadruplatoribus, qui mollius ic *Cognitores* appellabant, fuère, cùm videl. hi, specie commodorum Ærarii vel Fisci, sua commoda curantes, non solùm Præfectis subjicerent obnoxios mulctis, aut debitores vel veteres vel latentes: sed & ipsi damnatorum dein subhastatorumque bona coëmerent. Ex qua nota fuit Pætus ille, *exercendis* idem *apud Ærarium sectionibus famosus*, & veterum Ærarii debitorum persecutor, apud Tacit. *Annal. l. 13. c.* 23. De iisdem pervagatus est Manilii locus, *l.* 5.

> *Non ullo careat digito, quaque iverit hasta,*
>
> *Defueritque bonis Sector, prædamque lucretur*
>
> *Noxius & patriam fraudarit debitor æris.*
>
> *Cognitor est Urbis. Nec non lascivit amores*
>
> *In varios, ponitque forum, se datque Lyæo.*

Ad quæ verba animadvertit *Scaliger* ritum licendi elatô digitô, in Auctionibus, olim fuisse usitatum, quique bona hastæ subjecta redemturi erant, eô sublatô professos esse, se esse Redemtores atque *Sectores* illorum. Litigabant hi sæpe cum Cognitoribus aut Procuratoribus proscripti, contendentibus hoc vel illud ad sectionem non pertinere, quæ aut creditoribus essent oppignorata aut dotis nomine obligata, vel quacunque alia de causâ in bonis ejus, cujus sectionem redemissent, non esse numeranda, sed inde detrahenda. Etiam non rarò pessimè mulctabantur, cùm enim genus hoc hominum circa Prætoris hastam districtorum, invisum esset omnibus, hinc occasione datâ patiebantur sine cujusquam misericordia, quæ aliis fecerant. Unde elegantissimè Seneca illorum lucrum vocat *infame & quandoque suppuraturum*, *l. de Brev. vitæ c.* 11. ad quæ verba Gronov. *Nihil*, inquit, *frequentius, quàm sub eodem Principe, nullâ mutatione rerum, nullò judicio informatò, Delatores & Sectores alienorum bonorum sua exempla passos, h. e. delatos, & sub hastam ivisse. Acervi exemplorum apud Tacitum.* Vide eum *de Pec. Vet. l. 4. c.* 3. Apud A. Gellium *l. 13. c.* 24. vox prædæ sive spoliorum, hostibus detractorum, redemptionem notat, namque & hic suæ *Sectionibus*, & quidem honestiores, partes erant. Sic Cæsar *de bello Gall. l. 3. c.* 33. *Postridie ejus diei, refractis portis, cùm jam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris*, sectionem *ejus oppidi universam Cæsar vendidit. Ab his, qui emerant, capitum numerus relatus est millium quinquaginta tria.* Ubi oppidi *sectionem* habes. Vide Anton. Thysium JCtum *Notis in A. Gellium l. 13. c. cit.* Hactenus ergo vox *Sector*, à *sequendo* vel *persequendo*: à *secando* verò, apud Plautum est *in Trinummo*, *Actu 4. sc. 2. v.* 20. ubi *Zonarios Sectores* appellavit, quos *Aristophanes* Comicus βαλλαντιοτόμους, i. e. *Crumenisecas*, vocat. Zona enim cingulum quidem erat, interim sive quod latiore in latere dextero Zonâ utereantur, cui assuta & claviculis affixa erat scortea crumena, factum est, ut Zona pro crumena fuerit usurpata. Vide Joh. Laurentium JCtum, *Notis in Phædrum l. 4. fab. 21. v.* 11.

> *Hi Zonas, illi res pretiosas colligunt.*

SECUBITUS, sacrarum causâ apud Veteres usitatus, inter alia memoratur Livio *l. 39. c.* 10. ubi de Æbutio & scorto nobili libertina Hispana Fecenia. *Hæc amoris pignora cùm essent, nec quicquam secretum alter ab altero haberent, per jocum adolescens vetat eam mirari si per aliquot noctes secubuisset. Religionis se causâ, ut votô pro valetudine sua factô liberetur, Bacchis initiari velle.* Vide quæ suprà passim diximus, inprimis in voce *Cadureum*, ut & ubi de Gentilium festis. Simile quid de Christianis sui temporis refert Tertullian. *ad Uxorem l. 2. c.* 4. ubi (de vigilia Paschatis loquens) eam hortatur, ne post suum obitum viro nubat infideli, hôc inter alia usus argumentô, quòd talis maritus non patienter laturus foret uxoris suæ absentiam nocturnam, in anniversario illo pervigilio. *Quis*, inquit, *nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter feret? quis solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit?* Quæ consuetudo cùm ad alia quoque Festa Martyrumque Natalitia

litia extenderetur, tandem gliscentibus scandalis, abolita est, jejunarique pridie diei cujusque festi cœpit, retentô *Vigiliarum* vocabulô, uti monet Polydorus Virgilius *de rerum invent. l. 6. c. 4.* Aliàs, extra sacrorum rationem, *secubitu* triduanô, illud matrimonii genus, quod *usu* fiebat, apud Romanos, interruptum fuisse, ait Sigonius *de Jure Civium Rom. l. 1. c. 9.* Quam in rem vide Anton. Thysium *JCtum Notis ad Gellium l. 3. c. 2.*

in SECULA Seculorum, clausula orationis Dominicæ, ex Judæorum jam ante Christi tempora more repetita, qui propter Sadducæos, unicum Seculum, in hac vita tantùm credentes, non tantùm *in Seculum*, sed & *secula Seculorum*, precibus suis inserere solebant, fidem hôc pactô suam de vita in cœlis futura testaturi.

SECULARES Ludi in honorem Apollinis & Dianæ instituti; fiebant autem centesimô quôque annô, præcone per compita clamante: *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque visurus est.* Hos instituit Valer. Publicola ob exactos reges. Varro *de scenicis originibus, l. 1.* scriptum reliquit, cùm multa fierent portenta, ac tandem murus turrisque inter portam Collinam & Gabiusam essent de Cœlo tacta, atque eâ de causâ Decemviri inspexissent Sibyllinos libros, renunciâsse, ut Diti patri & Proserpinæ Tarentini ludi fierent in Campo Martio tres noctibus, & hostiæ immolarentur furvæ, & ludi centesimô quoque annô celebrarentur, Tit. Liv. *l. 136. Eôdem annô ludos Seculares Cæsar ingenti apparatu fecit, quos centesimô quoque annô (is enim terminus seculi) fieri mos est.* Sunt contrà alii, qui seculum statuunt ambitum annorum centum & decem, & proinde factos Seculares ludos centesimô & decimô annô vertente, ineunte centesimô undecimô, quo tempore annus in Solem, lustrum in annum, Periodus in lustrum conveniret, ut *Jos. Scal.* scribit. Istam sententiam confirmare videtur Horatius in Carmine suo, quod *Seculare* appellat, his verbis, *v. 21.*

Certus undenos decies per annos
Orbis, ut cantus referat ludosque
Ter die clarô, totiesque grata
Nocte frequentes.

Sed & intra centesimum habitos, ex Tacito discimus, *Annal. l. 11. c. 11. Iisdem Consulibus* (fuit A. C 47.) *ludi seculares, octingentesimô post Romam conditam, quartô & sexagesimô quam Augustus ediderat, spectati sunt.* Breviore adhuc spatiô edidit Domitianus Imper. quibus ipse Tacitus affuit, *Sacerdotio Quindecimvirali præditus ac tum Prætor --- Collegio* namque *Quindecimvirûm antiquitus ea cura & Magistratus potissimùm exsequebantur officia ceremoniarum, Ibid.* Hos ludos dein celebravit Philippus Imperator. ann. post Urb. Cond. 1000. In quibus fuerunt elephanti 30. alces 10. tigres 10. leones mansueti 40. leopardi mansueti 30. hyænæ 10. gladiatorum fiscalium 2000. hippopotami quoque, rhinocerotes, arctoleontes, camelopardi, onagri, & equi feri. Jul. Capitolin. *in Gardiano tertio c. 33.* Paulò alia de Ludorum horum origine, habes apud Angelum Politianum *Miscellaneor. c. 58. ex Zosimo aliisque.* Vide quoque Val. Max. *l. 2. c. 4. ex. 5.* Iidem *Tarentini* dicti fuêre, à loco prope Campum Martium, in quo Manius Valerius Tarentinus in somno monitus defossa altè terrâ aram invenit, cum titulo *Diti & Proserpinæ*, in qua Numinibus hisce, pro redditâ filiis suis tribus videndi facultate, furvas victimas obtulit, trinoctiumque sacris frequentavit, hinc ludis occasione datâ. Alii sic appellatos volunt, quod ara ibi Ditis Patris in terra occultaretur, aut quòd ripam Tiberis fluv. eô locô tereret. Institutu à Poplicola, hanc ob causam, existimantur: Cùm laborarent pestilentiâ cives, apud prædictam aram, publicè nuncupatis votis, atrum is bovem Diti pro maribus, concolorem pro fœminis juvencam Proserpinæ mactavit, Ludosque & lectisternia trinoctio fecit, & aram terrâ, sicut antè fuerat, exaggeratâ, occuluit, cum hoc titulo. *P. Valerius Publicola frumentarium campum Diti & Proserpinæ consecravit, & Ludos Ditis & Proserpinæ Romanorum salutis ergò fecit.* Alii aliter. Cœterùm Divus Augustus abolitos eos paulatim atque aliquandiu intermissos instauravit *magno*, ut Livius ait *apparatu*, L. Censorinô & M. Manliô Pulliô Consulib. Atejô autem Capitone circuitum spatiumque subjiciente, ritum verò sacrorum indicantibus libris Sibyllinis. Claudius verò Imperator se Consule IV. & L. Vitelliô, illos, sexagesimô tertiô ab Augusto instauratore annô, celebravit, irrisaque vox Præconis traditur, invitantis more solenni ad ludos, *quos nec spectavisset quisquam, nec spectaturus esset*: cùm superessent adhuc qui spectaverant, & quidam Histrionum producti olim tum quoque producerentur. Etenim Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit, utriusque Augusti & Claudii, secularibus ludis, saltâsse legimus. Et hi sexti fuêre: Septimos Domitianus se XIV. & L. Minuciô Ruffô Consulib. computatâ ratione temporum; quô olim Augustus ediderat, edidit: Abhinc verò centesimô decimô annô illos instauravit Severus, post quem celebratos esse negat *Zosimus*; at contrarium evincit, quod de Philippo Imperatore legimus, apud Eusebium *in Chron.* & Eutropium *Histor. l. 9.* Ritus autem hic erat: Instantibus Ludis totâ Italiâ præcones mittebantur convocatum ad eos, verborum formulâ suprà notatâ. Tum, paucis antequam spectacula edebantur diebus, Quindecimviri sacris faciendis in Capitolio & Palatino templo, pro suggestu considentes, piamina dividebant populo, quæ erant tæda, sulphur & bitumen, servis ad ea non admissis. Coibat autem Populus, cùm in prædicta loca, tum præterea in Dianæ templum, quod erat in Aventino, cui & triticum, fabam hordeumque dari mos. Tum ad instar Cereris initiorum pervigilia fiebant. Ubi verò jam advenit festus dies, triduum trinoctiumque sacris intenti, in ripa ipsa maximè Tiberis, agitabant. Unde *Ausonius*;

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.

Sacrificia verò Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, prætereaque Pani, & quas vocant Ilithyjas, tum Cereri & Diti & Proserpinæ, suscipiebantur. Igitur secundâ primæ noctis horâ Princeps ipse, tribus aris ad ripam fluminis extructis, totidem agnos & unà Quindecimviri immolabant, & sanguine imbutis aris, cæsa victimarum corpora concremabant. Constructâ dein scenâ in Theatri morem, lumina & ignes accendi & hymni concini, ad hunc usum tum maximè compositi, spectacula item edi solenniter solita, datâ celebrantibus hâc mercede, tritico, fabâ, hordeô, quæ suprà universo Populo distribui diximus. Manè verò in Capitolium ascendere, sacra ibi de more agitare, tum in Theatrum convenire ad Ludos in honorem Apollinis & Dianæ faciundos, consueverunt. Sequenti die, nobiles Matronas, quâ horâ præcipiebatur ab Oraculo, convenire in Capitolium, supplicare Deo, frequentare lectisternia, canere hymnos ex ritu, mos habebat. Tertiò denique die, in Templo Apollinis Palatini, ter novem pueri prætextati, totidemque virgines, patrimi omnes matrimique, Græcâ Romanâque voce carmina & pæanas concinebant, quibus imperium suum & incolumitatem Populi Diis immortalibus commendabant. Celebrabantur verò Ludi omnibus theatris atque omne genus, Scenici atque Circenses & sacrificia Templis omnibus conveniebant noctu pariter atque interdiu: fuitque illud in Augusto memorabile, quòd Ludis istis juvenes utriusque sexus prohibuerit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum &c. Vide plura de his ludis tum apud alios, tum *in l. singulari*, quem de iis scripsit Onuphrius Panvinius, cui adde Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 22.* Alex ab Alexandro *l. 2. c. 30.* Hospinian. *de orig. Festorum*, & Cœl. Rhodiginum *Antiqq. l. 7. c. 5.* Cum Tauriis quidam malè confundunt, de quibus *suo locô.* Successêre iis in Ecclesia Romana *Jubilæi*, de quibus nos *alibi*.

SECULARIS, vide *Cornelius*.

SECUNDA *Justiniani Codr.* eadem cum *Ulpiano.* Vide ibi.

SECUNDÆ, in Fabula olim partes sæpe memorantur Auctoribus. Donatus *in Andriam In hac primæ partes sunt senis Simonis, secundæ Davi, tertiæ Chremetis & deinceps reliquorum* &c. De Mimis Horatius *l. 1. Ep. 18. ad Lollium, v. 12.*

Sic iterat voces sic verba cadentia tollit,
Ut puerum credas sævo dictata Magistro
Reddere, vel partes *Mimum tractare* secundas.

Nempe in Comœdiis *primæ* dicebantur personæ, quæ plurima dicerent, agerentque & sæpius reverterentur in scenam; *secundæ tertiæque* & deinceps, quæ minùs. In Mimis una potissima fuit persona, cui *secundæ* cœteræque subserviebant, ejusque actionem imitabantur, ut ille veram. Quas autem quisque partes agere solitus erat, inde appellabatur: ille primarum, [illegible]; ille secundarum, [illegible], & aliquando Latinè simpliciter *primarum*, *secundarum* &c. Unde Q. *Arrius M. Crassi secundarum*, eleganter dicitur, apud Ciceronem *in bruto c. 69.* pro *secundarum partium actor*, h. e. adjutor, imitator, adsecla, etiam parasitus. Hinc enim & *secundas agere, ferre, facere*, pro adsentari & obsecundare, quòd, qui secundarum essent, mimorum actorem imitarentur, eademque dicerent atque agerent, quæ ille præivisset. Horatius *l. 1. Sat. 9. v. 46.*

------ ------ haberes
Magnum adjutorem posset qui ferre secundas.

Quia verò in illius justæ Fabulæ partibus primæ, uti negotiô, ita honore præcellebant; secundæ & deinceps minore pretiô censebantur: hinc factum, ut *priores partes agere* dicerent, pro plus pollere, efficere, *secundas sortiri*, proximô aut inferiore locô esse, vide Varronem *de Re Rust. l. 1. c. c. 4.* & plura hanc in rem suprà, in voce *Mimus*, item *Partes*.

SECUNDÆ Nuptiæ, non magnopere veteribus Christianis probatæ. Minucius Fel. *Octavio Unius matrimonii vinculo libenter inhæremus.* Vide quoque Ambrosium *in ad Cor. epist. 1. c. 7.* Hieronym. *de Monogamia*, Chrysostomum de *Virgin. Tom. V. c. 37.* Alios. Ulterius progressus Tertullian. passim *Secundas nuptias* vocat *dedecus voluptuosum, confusionem, adulterium*, uti εὐπρεπῆ μοιχείαν Athenagoras *Apolog. pro Christ.* h. e. *speciosum adulterium.* Imò &, *ne bimariti ad Episcopatum admitterentur*, sancitum, *Can. Apost. c. 17.* *neve Presbyter in nuptiis talibus pranderet*, Concil. Neocæsar. *c. 7.* &c. Atque hinc maximè timuerunt Cataphrygum, Montanistarum, ac Novatianorum hæreses, quæ, pro fornicatione id nuptiarum genus habentes, asserebant, ideo Paulum Apostolum illas permisisse, quia ex parte sciebat, ex parte prophetabat. Quos fanaticos, *buccis sonantibus, non sapientibus*, ut ait Augustin. *insanit* Tertullian. damnans nuptias, quas omnino licitas Apostolus sobriè asserit. Vide Augustin. *Hæres c. 26.* Hieronym. *adv. Montanum Ep. 54.* Rufinum *Exposit. Symboli ad Damasum*, apud eundem, *Tomo IX. Ep. 17.* & suprà aliquid voce *Digami*.

SECUNDANI, Galliæ popul. in quibus Arausio urbs, Plin. *l. 3. c. 4.*

SECUNDANI, apud Livium *l. 34. c. 15. Secundani terga hostium cædunt*: Legionis *secundæ* milites sunt, qui acerrimô præliô Catonis, cum Emporitanis Hispanis, labantem Romanorum rem virtute suâ restituerunt. Unde inter tria laudabilia: quæ Cato eô die fecisse Auctori dicitur, hoc tertium recensetur, *quòd secundam legionem cæteris omnibus effusis ad sequendos hosteis, pleno gradu sub signis compositam instructamque subire ad portam castrorum jussit, ibid.* Ut videl. quæ legio victoriam pepererat, eam etiam tueretur. At *Secundarii*, apud medii ævi Scriptores, dicuntur qui secundum obtinent locum: quô pactô Alvredus apud Asserum in *Vita* Alvredi Regis vivente adhuc fratre, *secundarius* fuisse, dicitur, h. e. *secundus Imperii*, uti Lamprid. ait in *Diadumeno. c. 7.* Inprimis apud Monasticæ Rei Scriptores *Secundarii* Latinis, δευτεράριοι Græcis, vocati leguntur domorum Præpositi, qui Abbati suberant

solebant, uti docet Car. du Fresne inter alia, ex Regula S. Pachomii c. 102. Ab hoc enim ædificata Monasteria in plures classes seu domos, domique in cellas, distinctæ erant. *Secundicerii* verò, in Codice aliisque dicuntur, qui post primicerium sunt in Schola quâlibet, vide suprà in voce *Primicerius*: de Æde verò *S. Mariæ in Secundicerio* Romæ, Dominicum Macrum *in Hierolexico*.

SECUNDARUM, apud Ciceronem *Brutto Q. Arrius M. Crassi secundarum*, subintellig. *partium actor*, adjutor est, Gallis hodieque *Second*, vide suprà *Minus*, *Partes*, *Secundæ*. Adde hic locum Arnobii huc facientem *adv. Gentes l. 3. Perorata esset hæc causa; nec secundas, ut dicitur, actiones nobis ab infantibus postularet.* Ubi [illegible] interpretatur Heraldus, *quæ si quid* [illegible], *à primo actore, omissum erant*. [illegible] Vide ejus *Animadversiones Arnobianas p. 131.*

SECUNDINUS, Consul, ann. ab Urb. Cond. 1265. Item, discipulus Manis, contra quem Augustinus scripsit.

SECUNDUS, nomen viri, *Actor. c. 20. v. 4.*

SECUNDUS, Sophista Atheniensis, quem aliqui *Epithyran* vocant, quòd Architecti fil. fuerit; multæ quidem doctrinæ, sed mediocris eloquentiæ æqualis, æmulusque Herodis Attici, ex quo Herodes illud Hesiodi, *in Εργ. v. 25.* eleganti mutatione, in eum cavillatus est:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.

Qui nihilominus tenem postea morientem, & epicediis, & lachrymis honoravit. Ex *Philostrato*.

SECUNDUS Carinas, Rhetor, à Cajo in exilium missus, quia contra Tyrannos declamitaverat. Hic, cum Acerato liberto, ad dona ac simulachra Numinum per Asiam atque Achajam abripienda, à Nerone missus est: quem addit Tacitus Græcâ doctrinâ ore tenus exercitum animum, bonis artibus non imbuisse, *l. 15. Annal. c. 45.* Carinas Pichena notat, in Florentino, *pro Secundo Carinate* vulgato, legi *Secundo Capreonte*. *Nic. Lloydius.*

SECUNDUS Longobardus, vixit seculô 7. conditor Historiæ suæ gentis. Tridenti obiit, A. C. 615. Paul. Diac. *l. 3. de gest. Longobard. c. 29. l. 4. c. 42.* Item, discipulus Valentini, caput Secundianorum, quos Augustinus Sevandianos vocat: Communionem uxorum, aliaque permisit, Augustin. *de Hær. c. 12.* Epiph. *Hær. 32.*

SECUNDUS Panis, apud Horatium *l. 2. Ep. 1. v. 123.*

---- vivit siliquis & pane secundo:

Veteri ejus Interpreti, idem cum *dispensatorio* est, seu *fiscali*, nempe, qui non esset siligineus, non primus, non postremus, *panis non delicatis cribro discussus, sed plebejus de populi annona*, ut habent veteres Glossæ *ad Persii illud*, *Sat. 3. v. 112.*

---- populi cribrô decussa farina.

Quamvis enim à prima institutione panium dividendorum, cujus Aurelianus fuit auctor, Populum Rom. siligineos, panes, h. e. primos & mundos accepisse constet: postea tamen non mundos è Fisco, & quidem tandem non sine pretio, accepit, uti patet ex *l. 5. Cod. Theodos. de Pane gradili.* Donec id mutavit Valentinianus, vel potiùs in antiquum statum redegit, ut Populo mundi panes iterum distribuerentur, quos ante cum sordidos, nec gratuitos, è fisco aliquandiu comparaverat, vide Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano c. 48.* & hic passim, inprimis in vocibus *Annona*, *Gradilis*, *Panis* &c.

SECUNDUS Pomponius, vide *Pomponius*.

SECUNDUS Rex, vide *Halfking* it. ubi de Palatii *Monarchis*.

SECUNDUS Vibius, vide *Vibius*.

SECURIS, insigne primò Regium, apud Romanos, Liv. *l. 3. c. 36.* Horum enim Regibus XII. Lictores, succinctis vestibus & expediti ad plectendos facinorosos, præferebant fasciculos virgarum, intra quos obligata *securis* erat, sic ut ferrum in summo fasce extaret: cujus rei caussas apud Plutarchum habes, *Problem. 82.* Vide quoque suprà ubi de *Fascibus*. Inde Consulum, quorum primus fasces habuit Brutus, qui Romanos in libertatem vindicavit, Idem *l. 2. c. 1.* Et horum quidem id fuit perpetuum. Ad tempus *Secures* prælatæ postmodum T. Largio Dictatori primùm, *l. 2. c. 18.* & Decemviris, *l. 3. c. 36.* quâ de re vide Rosin. *in Antiqq. Roman. l. 7. c. 3.* Nempe olim securi tantùm sontes puniebantur apud Romanos: postmodum & gladiô, quod levius honestiusque visum, Casaubonus ad *Octav. Suetonii c. 15.* Sed & *Securium* apud Hebræos usus, unde Pseudo Gorionides eorum moribus *Secures & gladios* ad occidendum jungit *l. 2. c. 21.* Hodieque reorum colla *securibus* subjiciunt Angli, ut alios omittam. Vide suprà voce *Homo*, item ubi de Veter. *Pœnis*. In bello *Secures* prima Penthesilea invenit, Plin. *l. 7. c. 56.* à quo peculiaris ea Amazonum armatura fuit. Inde ad priscos Heroas earum usus transiit, uti suprà vidimus, in voce *Bipennis*. Recentiori ævô Dani iisdem usi leguntur, quas in humero sinistro deferebant, habile ferrum de citrâ gestantes, teste Wilhelmô Malmesburiô *de Gestis Angl. l. 2. c. 12.* A Danis accepêre Angli & Scoti, Idem *l. 3. p. 98.* Erantque hæ longioribus manubriis instructæ, & aurô gemmisque adornatæ, Procerum inprimis, uti discimus ex Dudone *de Mor. Norman. l. 1.* & Suenone in *LL. Castrensibus c. 2.* Vulgò *Hallebardas* vocant Helvetii Germanique, apud quos adhuc in usu, voce à Germanis deducta, quibus *hall* est aula, & *bard* bipennis, quasi *aulicæ bipennes* seu *bipennes*, ut Loccenius monet *Antiqq. Sueic. l. 3. c. 5.* Vide quoque Car. du Fresne *Not. ad Alexiadem p. 257.* & 518. de *Securibus* autem ad jactum factis, Agathiam *l. 1.* uti de ritu *Securim jactandi*, apud Bavaros veteres quod faciebat is, qui alium in suo agro ædificare prohibere volebat, *L. Baiwar. tit. 11. c. 6. §. 2.* & *tit. 16. c. 1. §. 2. de Securi genitam*. Tenediis olim in veneratione, suprà Dis; de divinatione è Securi suprà itidem: de cognomine hinc orto, voce *Hapiola*: de *Securicula* uxorum Turcicarum infrà in *Placida*.

SECURUS, apud Stat. *Theb. l. 8. v. 14.*

Illum & securi circumspexêre fragorem
Elysii ----

est omni metu exemtus, quippe in perpetua jam beatitudine vivens. Unde enim hôc verbô omnem absolutam felicitatem indicavit. Pariter de Diis suis Lucretius *l. 6. v. 57.*

Nam bene qui didicêre Deos securum agere ævum.

H. e. omni fortunâ, affectu, spe, metu, iracundiâ, curâque omni otiosum, Ut fingebantur Numina Epicuræorum, quæ falsè propterea *neque caput neque præputium habere*, dixit *Varro*. Pariter de Sapiente homine idem Lucretius *l. 3. v. 952.*

Cur non ut plenus vitæ conviva recedis?
Æquô animoque capis securam stulte quietem?

Qui talem securitatem, ex Philosophia sua, vitâ functis omnibus adscribit, qualem Statius solis per virtutem in Elysios campos translatis. Eôdem *l. 5. v. 272.*

Quod simul atque hominum leti secura quies est
Indepta, atque animi natura, animaque recessit.

Et sic Bardos Gallorum *securos*, contemtores nimirum omnium fortuitorum, animôque velut præsentem jam æternitatem gloriæ adeptos, celebrat Lucan. *l. 1. v. 449.*

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremtas,
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi &c.

Casp. Barthius *Animadv. ad Statium d. l.* Vide quoque suprà, ubi de *Asphodeli pratis*. Aliter vox sumitur apud Vopiscum in *Bonoso*, *c. 14. Ipse quantumlibet bibisset, semper securus & sobrius & ---- adhuc in vino prudentior*. Hic enim est [illegible], qui eatenus bibit, ut adhuc sui compos sit & mente consistat. Ita enim Græci [illegible] accipiunt, quem vinum non deposuit, nec de mentis statu deturbavit: [illegible] etiam dicebatur. Unde [illegible] Græci eleganter dicebant, i. e. *vinô expugnari*, ab [illegible], quod est *vallum rumpere & excindere munimentum*. Sed & *securum* hic dicas, cui arcana tutò possis credere &c. Vide Salmas. *ad loc.*

SECUSIANI, seu SEGUSIANI Cæsari *l. 1. Bell. Gall. c. 10.* populi Galliæ Celticæ quorum regio *La Forest*, teste Pirro, nominatur, inter Lugdunenses ad Ortum & Arvernos ad Occasum, ubi *Forum Segusianorum*, vulgò *Feurs*, & Mons Brisonis, *Montbrisson* oppid. primarium. Vide *Segusiani*.

SECUSSES, populi Alpini, Plin. *l. 3. c. 20.*

SECUSTERO, oppid. Galliæ Narbonens. *Anton. Sesteron Simbro.* Vide *Segesterorum Urbs*.

SECUTORES, Gladiatorum erant genus, Retiariis oppositi, à *sequendo* dicti: quòd Retiarios insequerentur. Arma eorum fuêre clypeus, quô rete adversariorum avertebant, gladius & cassis. Vide Lipsium *Saturnal. l. 2. c. 7.* & suprà in voce *Retiarius*, Quidam cum Mirmillonibus, quibus eadem arma, quorumque in galea piscis eminebat, eosdem faciunt. Vide *suprà*.

SEDA, vulgò LA SIE, fluv. Galliæ, in Caletis, Fontem habet ad vicum S. Maclovii, *S. Maclou*: attingitque Altamfagum vel Altifagum, *Aufay* vel *Aufry*: & post acceptum quendam amniculum, Longamvillam Gifardi, oppidum Ducale, *Longueville à Giffart*, Caroli Mansionile *Charle Mesnil* vel *Challemesnil*; Novem molas *Neufmoulles*: deinde apud Pontvillam *Pourville* Oceano immergitur. Meminêre ejus literæ Goscelini circa A. C. 1030. *Concedimus Monasterio S. Mariæ & S. Amandi Episcopi, ultra muros urbis Rotomagensis sito, sylvam, quæ habetur inter aquas Garennam & Sedam.* Itaque Garennæ proximus fluv. erat *Seda*, quem proin similiter cum Garenna conjungit Ordericus Vitalis, apud Hadr. Vales. in voce *Caleti*.

SEDADA, terminus Septentrionalis tribûs terræ Sanctæ, Latinè, *latus*, *uberius*, vel *venatio ejus*. Urbs seu pagus in tribu Nephthalim, *Hieronym.*

SEDANA, vulgò SEANE, & SAANE, fluv. itidem Caletorum, fontem habet apud Vervanam *Varanne*; inde alluit Anglicam villam *Englesque ville*, Vibodium *Vibeuf*, vicos S. Justi & S. Audoeni, Braciacum *Brachi*: demum acceptô Belnajô *Beaunay*, Sedanam *Sane* vel *Saane*, cui nomen suum dedit, & Sotram villam præterfluit, atque apud S. Margaritam, aut si alios sequimur, apud Longam vallem, *Longueval*, mari infertur. *Sedani* loci meminêre literæ Wilhelmi Regis Anglorum & Ducis Normanniæ, qui A. C. 1070, donavit S. Amando *unum mercatum in Sedana*. Dicitur hæc vulgò similiter *Saane* vel *le Bourg de Saane*, estque vicus in Ducatu Longævillæ, in Decanatu Braciacensi, ubi Cella est Virginum, Rotomagensi Monasterio S. Amandi subjecta, quem Prioratum B. Mariæ *de Sedana* veteres tabulæ vocant. *Molendini apud S. Audoenum in riparia de Saane*, mentionem facit Reginaldus de Ferravilla in literis datis A. C. 1204. Vide eandem Vales. *loc. cit.*

SEDANDA, unum ex regnis Monomotapæ, vide ibi.

SEDANUM, urbs Campaniæ Gallicæ ad Mosam, cum arce munitissima. Aliàs sub Principe proprio, sed A. C. 1642. Coronæ Gallicæ accessit, 4. leuc. à Mosomo in Circium paulo magis à Carolopoli in Ortum, 11. à Retelio in Cæciam 2. Bullionium versus, estque versus Arduennam sylvam & confinium Ducatus Lucemburgici. Hujus Principatus nomen & prærogativam, ex pacto, servant posteri Frederici Mauritii *de la Tour d'Auvergne*, supremi Sedani Principis. Nempe, fuit initio Principatus hic in potestate Comitis Marcæ & Arembergæ, primusque se *supremum Dominum Sedani* indigitavit Joannes A. C. 1460. cujus linea masculina cum extincta esset A. C. 1588. in Wilhelmo Roberto, unicâ ejus filiâ ductâ Dux Bullionæus

& Princeps Sedanensis factus est Henricus Vicecomes Turrius, sicque in Comitum Marcanorum jura successit. Sed filius ejus Fridericus Mauritius, propter conspirationem cum Hispanis, Principatu exutus, à Ludovico XIII. Rege A. C. 1641. postea compensationis locô duodecies centena millia librarum Turonensium accepit, Georg. Hornius *Orb. Politic.* Ubi ad id, quod de extinctâ in Wilhelmo Roberto familia dicit animadvertit Menckenius, ex Continuat. Thuani *l.* 10. *p.* 707. ei superstitem patruum Carolum Comitem Mauleuricrum; verùm eum, cùm hæreditatem nepotis aditurus esset, ab Henrico IV. qui Turrio Sedanum assertum ibat; coactum fuisse cum hoc de jure suo transigere &c.

SEDECIAS, qui & MATHANIAS priùs, Josiæ fil. imperavit Judæis ann. 11. à Nabuchodonosore nomine in Sedechiam mutatô, suffectus, in locum Joachim, hâc conditione, ut tributum ei persolveret: verùm fidem ille fregit, spernens etiam consilia Ezechielis ac Jeremiæ. Quare, anno regni ejus nonô, Nabuchodonosor obsedit Jerusalem, quam post 2. ann. cepit Regemque cum populo in Babyloniam abduxit A. M. 3348. ante Christum natum 614. Alii habent A. M. 3446. Hæc est illa misera, ac vulgata captivitas Babylonica annorum 70. Vide *l.* 2. Reg. *c.* 24. & 25. *c.* & *l.* 2. Paral. 36. *c.* Jerem. 25. 37. & 52. *c.* &c. Ezech. 12. & 21. *c.* &c. Joseph. *l.* 10. *Jud. Ant. c.* 9. & 10. Sedechiæ filios occidi vidit, statimque ipsimet Sedechiæ eruti sunt oculi. An. 387. à divisione regni. Fil. item Hananiæ, Jerem. *c.* 36. *v.* 12. Filius Chanaana, 1. Reg. *c.* 22. *v.* 11. Fil. Joachim, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 15.

SEDECULA, pagus Brutiorum apud fines Napitinum in Calabria ulteriori *Segiola*, teste *Barrio*.

SEDELAUCUM, vulgò SAULIEU, oppid. Galliæ, inter Augustodunum 27. & Aballonem 24. mill. pass. in pago Augustodunensi: S. Andochium patronum habet. Vide Hadr. Valel. *Notit. Gall.*

SEDELIUS Wolphgangus, vide *Wolphgangus*.

SEDENA, vulgò SEINE, oppid. Provinciæ in diœcesi Diniensi ad radices Alpium, in limite ditionis Sabaudiæ & Comitatus Niceæ, 5. leuc. ab Ebroduno in Meridiem, Diniam versus paulo plus. Illic Concilium Provinciale habitum A. C. 1267. Vix 4. leuc. à Barcinone in Occasum.

SEDERE, propriè Judicum est & innuit Majestatem & quieti animi ac perturbationibus nullis obnoxii tranquillitatem: Ita *sedere* dictus est Prætor, cum pro Tribunali juris dicendi causâ sederet. Hinc Lactantius *l.* 6. *c.* 18. *Sedet cum maximus & æquissimus Judex.* Sil. Italicus *Bell. Pun. l.* 7. *v.* 470.

Nec Judex sedisse valet. ——

Diesque proin, quibus Prætor jus dixit, *Sessionum* appellantur *l.* 5. §. *satisfaction. ff. ut in possessi legat.* & minus ejus, *Sedes sublimissima*, *l.* 14. *C. de judic.* Vide Polletum, *de Foro*, *Rom. l.* 1. *c.* 5. Doctorum item & Magistrorum, vide suprà *Lecticula lucubratoria*. Idem ritus in Liberalibus, quæ incidebant in 16. d. Kal. April. obtinuit, tum enim per totum oppidum eô die sedebant Sacerdotes Liberi, hederâ coronatæ anus, cum libris & foculo, pro emtore sacrificantes. Ubi *sedere* significare *feriari*, annotavit Hadr. Turnebus *in Comm. Varron.* Similiter cùm in communioribus sacris adorantes Deos starent, in parentali tamen seu funebri solemnitate, operantes sacris *sedebant*. Q. Curtius *l.* 10. *c.* 5. *Assidebat ei (Sisygambi) una ex neptibus, nuper amissum Hephæstionem, cui nupserat, lugens.* Quod cùm Servius *ad principium Æn. l.* 9. *ad augurandi tantùm consuetudinem & sententiam in Senatu dicendi* trahit: certum tamen est, parentantes etiam & lugubria peragentes officia, *sedere* fuisse solitos: Hebræorum forte imitatione, apud quos Matth. *c.* 27. *v.* 61. mulieres SERVATORIS obitum lugentes, *sedisse* leguntur *e regione sepulchri*: & Ezech. *c.* 8. *v.* 14. *Mulieres* Idololatricæ *sedebant deflentes Thammuzum* (Adonim.) Sic intelligendi Poëtæ. Martial. *l.* 2. *Epigr.* 41. *v.* 19.

Te mæstæ decet assidere Matri,
Lugentique virum piumque fratrem.

Stat. *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 65.

---- ---- *Tepido genitrix super aggere nati*
Mœsta sedet, &c.

Quô factum, ut *Sedes* pro sepulchro tumuloque sumeretur. Amm. Marcell. *l.* 22. *Metuens, ne collectis supremis Sedes illi, ut reliquis, extruerentur.* Sidonius Apollinaris *l.* 2. *Ep.* 8. *Perpetuis sedibus dormienti similior illata est*, ad quem locum Savaro id ipsum observavit, ex *l. ult. C. Theodos. de sepulchr. viol.* ubi *Sedes Apostolorum* pro *tumulo*: quô loquendi genere etiam est usus Paulus JCtus *l.* 40. *ff. de Relig. & sumpt. funeral.* Sic vetus marmor, *Hanc. Sedem. sibi. vivi. posuerunt.* & aliud in *Epigr.* 2.

Lævia. conjunx. Petronia. forma. pudoris.
His. mea. discedens. Sedibus. ossa. locat.
Parcite. vos. lachrymis. dulces. cum. conjuge. natæ.
Viventemque. Deo. credite. flere. nefas.

Sedem autem hanc *perpetuam* appellavit Sidonius, sicuti *æternam* JCtus è qua scil. ossa transferri inconsultô sacrorum Rege, aut Pontifice, nefas erat: non *quòd corpora non resurgant*, ut quibusdam impiè persuasum: sed, *ut discrimen sit inter temporarium sepulchrum & æternum*: Diocletiani & Maximiani rescriptô id firmante. Vide hac de re plura, apud Thom. Dempster. *in Rosini Antiqq. l.* 3. *c.* 35. Uti de eodem situ in Opalibus quoque suprà. Apud Hebræos, nemini in loco sacro *sedere* fas erat, nisi soli Regi, adeoque Sacerdotes in Templo stantes solùm ministrabant, ut colligere est ex loco Deuteron. *c.* 18. *v.* 5. Interim in precibus non stabant solùm, vel ingeniculabantur, sed & *sedebant*, ut exemplum Davidis docet. 2. Sam. *c.* 7. *v.* 18. Et certè genuinum hunc supplicantis gestum esse, suggerit quoque Apollonius *in Argonaut. l.* 4. *v.* 693. & 694.

Τὼ δ' ἄνεῳ καὶ ἄναυδοι ἐφ' ἑστίῃ ἀΐξαντες
Ἵζανον, ἥ τε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται.

Illi ergo taciti, sineque voce, in foco consessi
Sederunt (veluti mos miseris supplicibus est.)

Idque ἐφ' ἑστίῃ, i. e. *ad focum* maximè, quod ad hunc locum, vel observatu Cœlii *l.* 15. *Antiqu. Lect. c.* 18. notârunt Interpretes, inquientes, *Lege sancitum, ut supplices apud Larem sederent taciti.* Quod idem de Ulysse jam monuit Homer. Od. *η. v.* 153. de Marcio Coriolano, ad Act. Tullium Volscorum Principem profugo, narrant *Dionys. Halicarn.* & Plutarchus *in ejus vita*: de Themistocle Plut. itidem *in eo* &c. Apud Scythas verò in tergore bovis mactati (cujus inter adstantes carnes distribuebantur) *sedebant* supplicantes, qui ritus sanctissimus apud illos habitus est, ut docet Lucian. *in Toxari.* Porrò, in conviviis antiquissimi mortalium, continentiæ ac duritiei assueti, similiter *sedebant*, ut non è Sacris solùm paginis discimus: sed & Homerus id inculcat Od. *κ.* Sedebamus *edentes multas carnes & vinum suave.* Quem sequutus Virgil. *l.* 7. *Æn. v.* 175. ait,

—— —— *Hic ariete cæsô*
Perpetuis soliti Patres considere mensis.

Ad quæ verba Servius. *Majores*, inquit, *nostri sedentes epulabantur, quem morem habuerunt à Laconibus & Cretensibus, ut Varro docet l. de Pop. Rom.* Vide quoque Athenæum *Dipnosophist. l.* 8. Postea verò, luxuriâ ingravescente, propter mollitiem & ingentes delitias, quæ Asiâ inprimis devictâ Romam demigrârunt, quæsita est hæc mollis accubatio, post balnea (quorum usus tempore majoris Scipionis ac Plauti increbrescere cœpit), ut, delicatiùs epulaturi, truncô corporis paululum inflexô, in cubitum incumberent, & crura jacerent aut porrecta, aut leviter inflexa. Verùm & sic discumbentibus Viris, Mulieres *sedere* perseverârunt, ut ex *Vitruvio*, Val. Maximo *l.* 2. *c.* 1. *Varrone*, *Isidoro*, discimus, quòd turpis videretur in muliere accubitus. Donec a Pompeji M. ætate usque ad Constantini Imperatoris tempora, cùm in frequentissimo usu balnea essent, apud quoscunque, omnes ferè atque etiam Mulieres cœnantes, simul accumbere cœperunt, uti docet Ovid. *de Arte l.* 1. Val. Max. *l. c.* &c. Cùm *apud Græcos* (quos Aristotelis jam tempore discubuisse in publicis cœnis, credi par est, ex ejus *Polit. l.* 5. ubi voce κατακλίνεσθαι utitur) *mulieres nunquam accubuisse*, tradat *Verr.* 1. *Cicer.* Interim verba sunt Mercurialis, *& apud Romanos diversô situ mulieres a viris accumbentes censuisse rationi consentaneum est: non solùm, quod honestatu atque dignitatu ratio sic postulabat; sed quia in Romanis lapidibus mulieres quasi sedentes & nulli alteri rei cubitis innixæ, accumbentes & edentes conspiciuntur.* Vide eum *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 11. cui, si placet, adde Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 28. Joh. Laurentium JCtum *Notis in Piardium l.* 4. *Fab.* 24. & quæ diximus suprà, de *Accumbendi ritu*. De *Sessione* in sacris, & noto Pythagoræ symbolo, Numæ etiam attributo, apud Plut. *in Numa*, καθῆσθαι προσκυνήσαντας, *Adoraturi sedeant*, vide Vossium *Idol. l.* 2. *c.* 34. Addam saltem, & augurale verbum fuisse, *sedere*, *quoniam sedentium animi sunt tranquilliores*, Serv. *ad Æn. l.* 9. laudatus Casp. Barthio *Animadversion. ad Statium Theb. l.* 1. *v.* 321. ubi de hoc verbo multa. Vide quoque Casaubon. *ad August. Suetonii c.* 95. ubi de omina in sella captandi Candidatorum, apud Romanos, ritu: qui & de more Imperator. Senatores in Senatu *sedentes* salutandi, *ad eund. c.* 53. & de more in scrobibus *sedendi* eorum, qui se interimebant aut a carnifice plectebantur, ad *Neronem c.* 49. varia habet: infrà voce *Torus*, ubi de more Veter. in toris *sedendi* in omni otio negotióque, quod quiescere non prohiberet, ex eodem *ad Domitian. c.* 11. Jac. Gothofredum *Exercit. de Eccl.* 2. ubi de sessilibus, item curulibus Deorum statuis (namque & quosdam Deorum suorum *sedentes* faciebant Ethnici, scabello nonnunquam pedibus subjecto) egregia congessit, nec non hîc infrà, it. voce *Sessio*. Aliam verò verbi notionem, infrà lemmate *Tegere pedes*.

SEDES, in *l.* 10. *Cod. Theodos. de Malef. Mathem. Quia nonnulli ex ordine Senatorio maleficiorum ---- invidiâ stringebantur; idcirco hujusmodi negotia Urbanæ præfecturæ discutienda permisimus. Quod si quando hujusmodi inciderit quæstio, quæ judiciô memoratæ* Sedis *dirimi —— posse non creditur, eos ad Comitatum transmitti præcipimus*: imperium est seu jurisdictio Præfecti urbis. Imò absolutè Regnum, apud Auctorem incertum *in Encomio Emmæ Reginæ, l.* 1. *Rex —— recensuit comites expeditionis, relictôque minore filiô suô, in* Sede, *adiit navigium cum armato milite.* Sanè *Sedes* est dignitas, & *sedere*, Regium verbum. Ita Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 60.

----- *celsâ sedet Æolus arce*
Sceptra tenens. ------

Unde & *Solium* innumeris locis & hinc *Stuel*, apud Germanos, ipsum Regnum. Maximè tamen vox tribuitur Præfecto Urbis & Præfecto Prætorio, quorum *Sedes* vocantur *eminentissimæ*, *excelsæ*, *illustres*, *magnificæ*, *magnificentissimæ* &c. passim in utroque Codice, ubi *Sedes vestra*, *Sedes vestra magnifica*, *illustris* &c. In Ecclesiam postmodum vox transiit, dictæque *Sedes* Ecclesiæ majores, seu quòd in iis Episcopi *sederent* in thronis, unde θρόνοι dictæ, & verbum hinc ἐνθρονίζειν: seu quòd essent Apostolorum vel Martyrum sedes, i. e. memoriæ, qua de vocis notione dictum suprà in verbo *Sedere*. Priorem stabilit Victor Utic. *l.* 3. ubi *sedere thronum*, pro, Episcopali auctoritate præesse, dicit: *Suggerunt de illo, ut suum nequaquam sederet thronum, neque Dei populo verbum faceret consuetum.* Κατ' ἐξοχὴν autem *Sedes* dictæ quinque Patriarchales Ecclesiæ, Romana, (quæ *prima Sedes* Gelasio I. Pontific. in Concilio Roman. alibique) Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana. Sed & *Primæ sedes*, dictæ leguntur Primatum sedes, eorum scil. Episcoporum, qui promotionis ætate cæteros suæ diœcesis Episcopos antecibant, eoque nomine *Primates*.

... vocabatur; quod in Africa maxime obtinuit, ut videre est apud Augustin. Ep. 162. 165. &c. Hinc primæ Sedis Episcopus in Concilio Carthagin. III. can. 26. quod itidem se Radulphus Archiepiscopus Bituricensis quoque inscripsit, in Charta quadam A. C. 841. apud Justellum in Histor. Turenensi & Sammarthanos. Vide Sirmondum in Propemptico l. 2. c. 9. laudatum Car. du Fresne in Glossar. adde Jac. Gothofredum d. l. ubi de voce sedes in sacris scientibus multa plurima egregia: ut & supra in voce Cathedra.

SEDES Curiæ Generalis, quam cogere solebant olim Imperatores Occidentis, cum transalpinarent, seu in Italiam proficiscerentur, Roncalia fuit seu Roncaliæ, locus ac planities porrectior, inter Placentiam & Cremonam: qua de re sic Otto Frisingensis de Gestis Friderici l. 2. c. 12. Inde castra movens in campum Roncaliæ, super Padum, non longe a Placentia, mense Novembri resedit. Est autem consuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonicorum, ut quotiescumque ad sumendam Imperii Romani coronam, militem ad transalpinandum coëgerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ubi ligno in altum porrecto, scutum suspenditur, universorumque Equitum agmen feuda habentium ad excubias proxima nocte Principi faciendas per Curiæ præconem exposcitur: quod sectantes, qui in ejus Comitatu fuerint, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprehensus fuerit, denuo ad præsentiam Regis cujuscunque Principum vel virorum illustrium evocatur. Sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate suorum dominorum domi remanserunt, in feudis condemnantur. Hunc morem Principe secuta, non solum Laicorum feuda, sed & quorundam Episcoporum —— adjudicata fuere. Sic Lotharius Imperator Feud. tit. 52. §. 1. Dum apud Roncalium, secundum antiquorum Imperatorum consuetudinem, pro justitia ac pace Regni consuleremus. Et tit. 53. Dum ex —— more universalis Curiæ Roncaliæ pro tribunali sederemus, a Principibus Italicis non modicas accepimus querelas. Vide quoque Abbatem Ursperg. in Friderico, ubi Lombardos justitiam suam repetere hoc in loco & ab Imperatoribus recipere diem certam & Curiam publicam, solitos narrat. Quem morem Curias Generales in Italia indicendi, hausisse Germanos Principes à Francis, ex verbis Ottonis præfatis, haud obscure liquet. Et certè cum Carolus M. Italiam imperio suo adjecisset, fusis profligatisque Longobardis, solenne illi fuit & successoribus, Primores sui Palatii & Comites Palatinos eò mittere, qui justitias publicas facerent, cujusmodi Curias publicas in campis cogi consuevisse, diximus supra. Dictus autem hic campus est, quod esset Runcalis, i. e. incultus & sentibus oblitus; runcare enim Latinis est purgare campum à sentibus, quas inde rancer Galli vocant. Unde legitur in Constitutione Caroli Crassi Imperatoris A. C. 884. Quicunque secundum hanc Legem expeditio imperatur, si ad Curiam Gallorum, hoc est, in campum, qui vulgo Runcalle dicitur dominum suum non comitetur &c. Vide Car. du Fresne in voce Runcalis, & plura hanc in rem apud Joh. Calvinum Lexico Jurid. De eodem celebri loco, sic Guntherus Ligurini l. 2. initio,

> ---- Tum demum signa revellens
> Roncaliam properat rapidis attingere castris.
> Est locus Italiæ medicum sejunctus ab urbe,
> Cui, quia pulchra situ placet, inde Placentia nomen,
> Plenus & Eridani placido juxtissimus amni,
> Effundit latos spatioso limite campos.
> Hic, quoties claram Regnator tendit ad urbem
> Teutonus, Ausoniam sumturus rite coronam,
> Ponere castra solet: ligno suspenditur alte
> Erecto clypeus, tunc Præco Regius omnes
> Convocat à dominis feudalia jura tenentes.
> Excubias Regi primas celebrare fideles
> Nocte vetustorum debent ex more Parentum.
> At quicunque domi, domino nolente, relictus
> Defuerit, feudo privari Curia censet &c.

SEDES Porphyretica duplex, in Sacello S. Sylvestri Palatii Lateranensis collocata, memoratur Dominico Macro in Hierolex. ubi sic de illarum usu: In illarum prima cum Papa sederet, Prior illius Basilicæ tradebat illi baculum, correctionis symbolum & claves Ecclesiæ, Pontificiæ potestatis hieroglyphicum. Hoc peracto ad alteram Porphyreticam sedem se constituens Papa, baculum & claves eidem Priori denuo restituebat, a quo ibi cingulo rubro, ex quo bursa serica ejusdem coloris pendebat, præcingebatur; in hac enim gemmæ duodecim cum mosco inclusæ erant. Pontifex interim sumto ex gremio Camerarii monetarum pugillo auri & argenti, populo denuo meliori largitione erogabat &c. Idem præter duas has, & tertiæ ibidem meminit, Stercorariæ dictæ, (in qua prius, quam in porphyreticis, sedere consueverat Pontifex) de qua sic ait. Erat, inquit, sic appellata marmorea sedes, ante Lateranensis Ecclesiæ portam, in qua sedebat, seu potius jacebat novus Pontifex, quando ibi ad capessendam possessionem accedebat, sic denominata, quia, quando ex ea surgebat, canebantur sequentia verba: Suscitat de pulvere egenum & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum Principibus & solium gloriæ teneat. Postmodum. Ex qua surgens Pontifex sumebat è gremio Camerarii monetarum pugillum, in quibus aurea vel argentea non existebant, & in populum dispergens dicebat, aurum & argentum non est mihi &c. Hactenus ille, qui hodie in simili functione, loco ritus hujus, stuppam coram Pontifice, ad coronationem accedente, in ingressu Vaticanæ Basilicæ, comburi addit, cum triplici commemoratione verborum, Sic transit Gloria Mundi. Plura de Sede hac triplici, vide apud Platinam in Joanne VIII. Marcellum Archiepisc. Corcyrens. qui Sacrarum Ceremoniarum librum conscripsit, sub Leone X. Robertum Gallum Dominicanum, qui Librum Visionum scripsit, A. C. 1290. Laonic. Chalcondylam de rebus Turcicis l. 9. Ant. Sabellicum Ennead. 6. l. 1. Alios.

SEDETANI, seu SEDENTANI Silio, HEDETANI Ptol. populi Hispaniæ Tarraconensis apud Sucronem fluv. incolentes. Sil. l. 3. v. 373.

... Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus undis
... atque altis cœlsa vestiebat Setabis arce.

Σεδητανοὶ Appiano in Libyca. Σιδιδανοὶ Straboni l. 3. Μέσῃ δὲ τῆς Κελτιβηρίας ..., ... ἐπὶ ... τὴν Ὀρόσπεδαν, καὶ τὴν ... Σιδιδανοὶ μέχρι Καρχηδόνος. Vide Dausquejum ad prædictum Silii locum, p. 132. Ni. Lloydius.

SEDEUR, pater Elisur, princeps tribus Ruben, Numer. c. 1. v. 5. Latinè, ager luminis, vel ignis, sive aberrans lumen, aut emittens lumen, vel devastatoris ignis.

SEDIBONIATES, populi Galliæ Aquitanicæ Plin. l. 4. c. 19.

SEDIGITUS, Vide Volcatius.

SEDILE, pars crucis, cui insidebat cruciarius, ut infra videbimus, ubi de Suppliciis.

SEDOCHEZORUM Regis meminit Tacit. Hist. l. 3. c. 48. Circa Cohibum fluvium in Ponto. Seiochezorum & Sedochezorum legi in MSS. asserit Lipsius. Colerus legit Sedochi Lazorum. Nic. Lloydius.

SEDRE, primarius Sacrorum administer, apud Persas hodiernos, vide Mostehid.

SEDULIUS, Dux & Princeps Lemovicum, postremo Galliæ motu, Cæs. l. 7. Comm. c. 88.

SEDULIUS Cœlius Scotus, Hildeberti Scotorum Archiepiscopi discipulus, Presbyter Hibernus, claruit in Italia, circa A. C. 450. Regenvolscio & Illyrico, aliis 460. Bellarmino 430. Obiit A. C. 459. Sixt. Sen. Ejus in Epist. Pauli Comm. edit. cum aliis in fol. Basileæ A. 1528. in quarto ibidem A. C. 1538. 1562. (cum notis Jureti) & Poëmata, extant. Sublimi vena & variæ eruditionis Poeta. Dempsteros legens præclaro præditus, eruditus, carmine & prosa excellens, Illyric.

SEDUNI, populi Galliæ Belgicæ antiquissimi, Cæsari l. 3. Bell. Gall. c. 7. Plinio, l. 3. c. 20. aliis memorati, quorum primus loc. cit. à Galba victos in Alpibus Sedunos, & Veragros plus tertia parte caesis ex hominum millib. XXX. memorat, alter loc. cit. inscriptionem profert è tropæo Alpium, in qua Nantuates, Seduni & Veragri conjunctim ponuntur: ad Rhodanum inter Allobroges ad Occasum & Rhætos ad Ortum. Baudrando populi fœdere Galliæ Lugdunens. versus fontes Rhodani, inter Helvetios ad Boream Veragros ad Occasum Lepontios Plantinus habet, Viberos aut Juberos, ad Ortum, & partim ad Meridiem, cum Salassis: Plantinus habet, Lepontios ad Meridiem à quibus altissimis montibus separantur. Minima parte attingunt Rhætos. Eorum regio nunc Valesia superior. Plantinus habet, mediam Vallesiæ regionem incolunt. Hos Simlerus l. de Vall. extendit à rivo Morsia usque ad conventum Vispianum: Clverius vero usque ad vicum Leuck. Cum his ut & Viberis, Veragri seu Vallesiani inferiores bella gesserunt diu, tandem hi ab illis victi, eorum imperium hodieque agnoscunt, præfectos ab iis accipientes, qui jus dicant, & Rempubl. administrent. De fœdere eorum cum Helvetiis, vide in voce Vallesia. Vallesiani Italis, quorum caput olim Sedunum, Sion Italis, & Sitten Germanis, inter Mediolanum & Genevam: urbs antiquitate, situ & fama illustris: Nunc Valesiæ primaria, ad Rhodanum, qua amœniorem ad formam sese pandit vallis Sittæ, cum duplici arce in apice pene inaccesso montis, qui inter adversos, quibus utrinque vallis cingitur, ab Oriente urbi medius imminet. Hic ex variis incendiis & vastationibus quædam adhuc antiquitatis monumenta visuntur, inter quæ inscriptio Cæsari Augusto facta, cujus Simlerus meminit, qui à tempore, quo Alpinæ gentes sub Augusto devictæ sunt, Sedunum, Octodurum & Agaunum condita, ac mœnibus cincta fuisse credidit, cum ante vici fuissent. Certe arx illa, quæ hodie Canonicorum est, & Valeria nominatur, sine dubio vetustissima est: forsan dicta à Valerio Procillo, qui sub Cæsare in Gallia militavit, 55. mill. pass. à Berna in Austrum, 65. à Geneva in Ortum, 100. à Mediolano in Circium. Sub proprio Episcopo, cujus sedes Octoduro huc translata est, circa A. C. 565. Ex his Leodemundus Berteruda reginæ, Chlotarii Junioris conjugis, impulsu Alethei Patricii suasisse circa A. C. 614. dicitur, ut thesauros regios è villa Marolegia clam sublatos, in sua civitate Sedunis deponendas curaret, eo quod esset locus tutissimus, Fredegar. Guilielmus Raronius, cum patre Guiscardo, per seditionem ejectus, cum Bernatium, quorum cives erant, opem implorasset A. C. 1417. occasionem præbuit quinque Vallesianorum conventibus, fœdus cum tribus Helvetiorum pagis Lucerna, Uria, & Underwaldia pangendi. Adrianus vero, & 7. decuriæ Valesianorum, fœdus A. C. 1533. Friburgi cum septem pagis Helvetiæ, Lucerna, Uria, Suitia, Underwaldia, Tugio, Friburgo, & Saloduro iniit perpetuum. Est autem Episcopus totius regionis Princeps, Comes quoque & Præfectus Vallesiæ nuncupatus, quem Canonici & legati 7. Decenarum Vallesiæ superioris eligunt. Collatum id fastigii Theodosio Episcop. à Carolo M. ferunt, quod à variis postea Imperatoribus Carolo IV. imprimis & Carolo V. in gratiam Matthæi Schinneri Episcopi & Cardinalis; confirmatum auctumque est. Penes hunc itaque & septem conventus Vallesiæ superioris totius regionis imperium est. Ab eo proximus est, quem regionis Ducem seu Capitaneum, Gallice Baillif, Germanice Landshauptmann vocant. Ager pagusque Sedunensis, le Sionois, vastatus est à Taloardo & Nuntione, ducibus Longobardorum, ut Fredegarius refert. Vide Simler. de Rep. Helv. & l. peculiari de Vallesia, Stumpfium Chron. Joh. Bapt. Plantin. &c. ut & in voce Vallesia.

SEDUSII, populi German. Suevis finitimi. Sunt qui horum oppid. Sedan, sive Esdan in Gall. Belg. ad Mosam putent; sed falluntur, cum apud Cæsarem l. 1. Bell. Gall. c. 51. populi sint Germaniæ non Galliæ. Cluverio Britioque fuerunt, ubi nunc pars Palatinatus Rhenani & Franconiæ, inter Mœnum & Nicrum.

SEEVOGLIUS Amandus, Basiliensium ruralium ductor, atrocissimo conflictu San Jacobæo, quo pauci Helvetii ab innumeris Armeniacorum, duce Ludovico Delphino, postea XI. ejus nominis Galliæ Rege, copiis secul. 15. obruti sunt, pro patria fortissime pugnans occubuit. Christ. Urstisius Hist. Basil. Stumpfius Chron. &c.

SEGALAUNI, qui SEGOVELLAUNI *Plin.* [illegible] populi Galliæ Narbonens. ad Rhodanum in Delphinatu, quorum urbs *Valentia* & oppid. *Saillans*, teste *Dalechamp.*

SEGARDI, in M. *Chron.* Belgico circa A. C. 1325. lege *Begardi.*

SEGEDA, seu SEGIDA *Strab.* & *Stephan. Segei*, teste *Marianâ*, oppid. olim, nunc pagus Hispaniæ Tarraconens. inter Numantiam seu Sotiam, & Uxamam. Fuit & *Segeda* oppid. Hispaniæ Bæticæ *Julia Contributa* cognominata, teste Plinio, *l.* 3. *c.* 1.

SEGEDUNUM, oppid. Albionis in Northumbriâ *Stighil Camdeno*, prope *Seton*, Item oppid. seu urbs Jazygum in confinio Daciæ ad Tibiscum fluv. in Hungaria Trans-Danubiana *Segedin*, vel *Segedi* Lazio. Dicitur à quibusdam Singidava, hodie *Seged*, ad Tibiscum fluv. ubi recipit Marisum; sub Turcis à plurimis annis. *Baudrand.*

SEGELOCUM, oppid. Angliæ *Antonin.* *Littleborrough Camdeno*, in Comitatu Nottinghamensi.

SEGELOMESSA, regio in Biledulgeridia, cum urbe primaria cognomine *Sansoni* aliisque.

SEGERRA, *Ptol.* oppid. olim, nunc pagus Hispaniæ Tarraconens. in regno Valentiæ, *Villa Cegura*. Forsan *Sigarra*, in *Lau* Codice & Palatino Gruteri.

SEGESTA, sive SEGETIA, & SEJA, Numina Rom. memorantur Augustino *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 8. ubi sic ex Varrone ait: *sata frumenta, quàm diu sub terra essent, præpositam voluerunt habere Deam Sejam: cum verò jam super terram essent, & segetem facerent, præpositam* Segetiam. Seu, ut Plin. *l.* 10. *c.* 2. vocat, *Segestam*, *quarum simulachra in Circo*. Idem, à Numa Pompilio eas consecratas fuisse; Macrobius eas qui nominâsset, ferias observare solitum fuisse, docet, *Saturnal. l.* 1. *c.* 16. Sicut autem *Seja* vel *Seia*, à *serendo*: ita *Segesta* à *Segete* nomen est sortita, Plinio teste *l.* 18. *c.* 2. eadem cum *Segetia*, quam cernere est in nummo Saloninæ, uxoris Gallieni Cæsaris. Voss. *de Idol. l.* 2. *c.* 61.

SEGESTA, oppid. Siciliæ ab Ænea conditum, præposito Egesto, à quo *Egesta*: verum ad nominis [illegible] vitandam *Segesta* deinde dicta. Hoc unà cum *Elyma*, in Sicilia, posuisse, refert *Dionys.* Vide *Egesta*. & Cluver. *Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 2.

SEGESTA Tiguliorum, oppid. Liguriæ, in ora littorali, inter Genuam & Spediam. Vulgò *Sestri di Levante*.

SEGESTE, quæ SEGESTICA *Straboni*, urbs Pannoniæ superioris ad Segesticam insulam penè extincta, quæ *Siged*, vel *Segesd*, & *Sosed* hodie dicitur, *Bonfinio* teste, à Zagabria 2. leuc. in Occasum. *Baudrand*, etiam *Siscia*, urbs fuit Pannoniæ Saviæ, ad Savum fluv. hodie *Sissig*, seu *Sisseken*, oppid. Croatiæ Imperialis, in limite Schlavoniæ, versus confinium ditionis Turcicæ, satis parvum.

SEGESTERORUM urbs, SEGESTERO, & alibi SEGUSTERO, *Antonin.* urbs Galliæ Narbonensis Episcopalis Provinciæ in Delphinatûs confinio ad Druentiam fluv. ubi recipit *Buech* fluv. Hodie *Sisteron*, vel *Cisteron*, via 7. leuc. à Vapinco in Meridiem, 10. ab Apta in Circium. In *veteribus Notitiis* inter provinc. Narbonensis secundæ 7 civitates sextô locô ponitur: aliquando etiam Arelatensi provinc. attributa. In *Notit. recent.* Episcopus ejus inter Episcopos Aquensi Burgundiæ Archiepiscopo suffraganeos ultimus locatur: Bellô intestinô seculô præteritô urbs varias vices subiit. Pagus Latinè *Segestericus*, Gallicè *le Cisteronois* dicitur. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

SEGESTES, Germanorum Princeps. Discors Varo fidusque Romanis, sed consensu gentis tractus in bellum: ejus filia fuit in matrimonio Arminii. Germanicum nomen fuit *Sigast*. Nam terminatio illa *Gast* frequentissima, & hospitem significat.

SEGESTICA, hodie ZIGEA, teste *Lazio*, insula Pannoniæ superioris in Illyrici seu Liburniæ confinio ad Colapis cum Sao fluv. confluentiam. Item oppid. Hispaniæ Tarraconensis, quod *Ambr. Moralis* idem *Segeda* esse putat. Hujus meminit Liv. *l.* 4. *dec.* 4. eam urbem opulentam vocans, & à Romano P. Manlio duce captam referens.

SEGESTRUM, vel SICASTRUM, vulgò SESTRE, locus Galliæ, in Lingonibus, ubi Presbyter Sequanus, Johannis Abbatis Reomensis discipulus, Cœnobium exstruxit, quod inde primò *Monasterium Segesterense* aut *Segestrum*; deinde ab Auctore *S. Sequani*, vulgò *S. Sine* dictus est. Monasterii *Segestri* in Martyrologio vetustiimo, quod S. Hieronymo tribuitur, mentio est his verbis: *XIII. Kal. Octobris in territorio Lingonicæ civitatis, Monasterio Segestro depositio S. Sigonis Presbyteri & Confess.* apud Adonem *S. Sigon.* Vide infrà *S. Sequanus*. Aliàs *Segestrum*, Græcè [illegible], teges est, [illegible], de qua voce vide Casaubon. ad Octav. *Suetonii c.* 83. & suprà aliquid, in voce *Lectus*, item *Lodix*.

SEGETHUSA, urbs Transylvaniæ à Cibinio 7. leuc. in Boream, à Megis 3. *Segesvar*.

SEGETIA, Dea quam prisci colebant, ut lætas faceret segetes: Vide *Segesta* sive *Segetia*.

SEGETICA, Mœsiæ urbs, à M. Crasso occupata, *Dio*.

SEGEVOLDIA, urbs Livoniæ, in Letlandia provinc. ad Teydenam fluv. Dicitur & *Sewold*, & 5. leuc. Suecicas distat ab ora Sinus Rigensis in Ortum, 7. à Regia in Cæciam, Volmariam versus. Sub Suecis.

SEGGERA, urbs Africæ propriæ *Antonin.* *Segeritan* in *libr. Concil. Symbolum*.

SEGIA, Guil. Brittoni SEVA, vulgò SEE, fluv. Galliæ, inter cujus, ut & Senunæ, vulgò *Selune*, ostia situs est locus Tomba, his verbis memoratus Auctori incerto *Apparitionis S. Michaëlis Archang. c.* 1. *Hic locus Tumba vocitatur ab incolis, quòd in morem tumuli emergens in altum, in spatio 200. cubitorum porrigitur & Oceano undique cinctus, exiguum mirabilis Insulæ præbet spatium, inter ostia* [illegible] *Segia, nec non & Senuna*, [illegible] *Brittania. Britto, ut dictum, Sevam vocat Philipp. l.* 8. ubi memorat Abrincas,

Colle situs, inter Sevam Senunamque supersit;
Pisciferos amnes, vulsi falsoque [illegible].

Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Senuna*, & infrà in *Seva*.

SEGIDA, Vide *Segeda*.

SEGIMERUS, frater Segestis, Tacit. *Annal. l.* 1. *c.* 71. fuit Cheruscorum dux, Strabo, *l.* 7.

SEGIMUNDUS, Segestis fil. qui annô, quô Germaniæ descivere, sacerdos apud aram Ubiorum creatus, rupit vittas profugus ad rebelles: postea ab obsesso Patre legatus ad Germanicum, ac clementiæ Romanæ compos factus, benignéque exceptus, cum præsidio Gallicam in ripam missus est, de quo Tacit. *l.* 1. *Annal. c.* 57. Strabo *l.* 6. *c.* 7.

SEGISA, Bastitanorum oppid. in Hispan. *Ptol.* Quorum oppid. fortè *Segei*, inter Sociam & Uxamam.

SEGISAMA Julia, SEGESAMA *Strab.* oppid. olim nunc pagus Hispaniæ Tarraconens. in finibus Vardulorum. *Vezzama*, teste *Steph. Garibab.* Alii in Vaccæorum & Cantabrorum confiniis ponunt, quibus *Ptol.* magis suffragatur, illam inter Rhaudam, & Palantiam describens.

SEGISAMONCLUM, quod SEGISMONCULUM *Ptol.* oppid. Hispaniæ Tarraconens. in finibus Autrigonum, inter Calagurrim, & Locobrigam.

SEGISAMONE, oppid. Hispaniæ Tarraconens. in finibus Cantabrorum. *Baudrando* oppid. fuit Murbogiorum, versus fontes Anlanæ fluv. hodie *Villa Vieja*, inter Lacobrigam ad Occasum 50 millia pass. & Calagurim ad Ortum 57 circiter.

SEGMENTA, apud Juvenalem *Sat.* 2. *v.* 124. de veste Gracchi,

Segmenta, & longos habitus, & flammea sumit:

lora sunt aurata vel fasciæ auratæ, vestibus & præcipuè muliebribus, prætexi consuetæ, ex maximè quibus summa ora vestis prætexebatur. Hinc idem *Sat.* 8. *v.* 207. de eodem Gracccho, eadem que veste agens,

Credamus tunicæ de faucibus aurea cum se
Porrigit. ——

Nempe muliebrem vestem Gracchus, qui in arena habitu Retiarii pugnabat, induerat & *segmentis* ad guttur ornatam. Propria namque *segmenta* primitus mulierum fuêre, & quidem ex auro. Itaque *segmenta* & *purpuream vestem* Latini cùm dicunt, eôdem sensu dicunt, quô Græci Auctores [illegible] mulieres in luctu deposuisse, scribunt. Ovidius *de Arte l.* 3. *v.* 169.

Quid de veste loquar? nec enim segmenta requiro,
Nec quæ de Tyrio murice lana rubes.

Postea verò luxu crescente, virilibus quoque vestimentis hæ vittæ adtexi cœpère, cùm antea purpurâ tantùm viriles tunicæ prætexerentur: hinc *auratarum tunicarum virilium* nomen, sub Gallieno primum, auditum; quas easdem cum paragaudis tunicis fuisse, docent Eruditi. Quia verò *segmenta* hujusmodi ad guttur tunicæ ornabantur, hinc factum, ut *segmentum* pro gutturis ornamento seu monili poneretur, ut ex *Servio* & *Isidoro* discimus. Vide plura hanc in rem apud Vopisc. *in Aureliano*, *c.* 46. & hîc passim in vocibus *Fascia*, *Lorum*, *Paragauda*, *Vitta* &c. Hinc *Segmentatus Episcopus*, apud Gerardum Episcopum Cameracens. in Concil. Atrebat. A. C. 1025. *Tom. XIII. Spicilegii* Acheriani, i. e. vestibus Pontificiis indutus: & *segmentatæ Cunæ* in *Vita MS.* S. Amatoris, i. e. fasciis ejusmodi auratis insignes, Car. du Fresne *Glossar.*

SEGNI, popul. & oppid. Belgii in tractu Leodiensi, à Leodio 8. leuc. in Sylvâ Arduennâ. *Signey*, vel *Siney*, teste *Huberto Leodio*. Ubi nunc Ducatus Limburgensis, *Ortel.* vel Juliacensis, *Cluver.* qui illos cum *Sunicis* Taciti, & *Sunucis* Æthici eosdem facit, vicumque *Seneh*, medium inter Aquisgranum & Dalenium: cui proximum [illegible] ter *Op Seelth*, illorum nomen hodieque retinere docet. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* qui *Segnos*, à Sunicis & Supenis multùm distare animadvertit. Habitabant inter Eburones & Treviros, *Cæs. l.* 6. *Bell. Gall. c.* 32.

SEGNIA, urbs Latii. Vide *Signia*.

SEGNIERUS Martinus, vide *Martinus*.

SEGOBRIGA, hodie CABEZZA DEL GRIEGO, teste *Morali*, urbs olim Episcopalis Hispaniæ Tarraconens. sub Archiepiscopo Toletano, nunc pagus in Celtiberis. Quidam ipsam cum Seguntia confundunt. Aliis est *Iniesta*. Sed *Vasæus*, *Clusius*, aliique dicunt esse *Segorve*, ubi etiamnunc sedes Episcopalis *Baudrand.* Est & *Segobriga*, oppid. Hispaniæ Tarraconensis in regno Castellæ, hodie *Sepulveda*, oppid. præclarum.

SEGODUNUM, urbs German. *Ptolem.* *Nurnberg*, teste *Pirckheimero*. *Baudrando* oppid. fuit Tencterorum. *Cluverio Sigen*, in Wetteravia, ad fluv. *Sige*; caput Comitatus Sigensis, 12. leuc. in Boream 12. à Colonia Agrippina in Ortum, sed longè à Norimberga in Circium. Item urbs Ruthenorum in Gallia Aquitanica, vulgò *Rhodez*. Item, oppid. Northumbriæ. Vide *Segedunum*.

SEGONAX, Rex in eâ Britanniæ parte, quæ tota maritima est & Galliam spectat: qui à Cassivellauno castra Cæsaris adoriri jussus est, Cæsar *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 22.

SEGONTIA, melius SEGUNTIA Livio, *l.* 34. *c.* 18. *Segontia Antonino*, urbs Hispaniæ Tarraconens. Hodie *Siguenza*, ad radices montis *Atienza*, 32. leuc. à Toleto in Cæciam. Vide *Seguntia*.

SEGONTIA [illegible] *Segontia* Strabon, vulgò *Gisgenza* oppid. olim, nunc pagus Hispaniæ Baeticæ apud Lethem fluvium.

SEGONTIACI, populi Belgarum in Comitatu Hantonensi, Cæsar. l. 5. *Bell. Gall.* c. 21. Horum oppid. *Vindonum* (hodie [illegible] Anglis, & *Caer Segont* Britannis: *Segontium* vero [illegible] est oppid. Arvoniæ Comitatus Walliæ, contra Monam insulam situm procul à Bangorio, à Devâ seu Cestriâ urbe, plus 40. milliar. Nomen a præterfluente fluvio, qui etiamnum *Seyont* appellatur, sumpsit.

SEGOR, Græcè Σηγώρ, dicitur LXX. Interpretibus [illegible] v. 9. v. 2. qui in alio codice Σωάρ, Hebræis So [illegible] dicitur. Vide Soar.

SEGOR, urbs parvula, in tribu Juda, quæ sola ex quinque urbibus Pentapoleos, precibus Loth, de incendio servata est. Apud eam gignitur balsamum, & poma palmarum, antiquæ ubertatis indicia. A Jericho supra 15. mill. pass. in Merid. distat, posita sub monte Engaddi, non procul à lacu Asphaltite seu mari Mortuo.

SEGORBIA, urbs Episcopalis Hispaniæ Tarraconensis: meliùs *Segobriga*, vulgò *Segorve*. Aliàs Edetanorum, nunc Valentiæ regni ad Turolim fluv. 8. leuc. à Valentia, versus confinia Aragoniæ, 5. à Sagunto in Boream, 5. à Sinu Sucronensi, 22. à Dertusa, in Africum, satis parvi circuitus.

SEGOREGII, populi Galliæ Narbonensis de quibus Alex. ab Alexand. l. 2. c. 24.

SEGORTIALACTA, Arevacorum in Hispania Tarraconensi urbs hodie *Sepulveda*, teste *Villanovano*. Vide *Segobrica*, & *Segobia*.

SEGOVELLAUNI, Plin. l. 3. c. 4. qui fortè *Segalauni* Ptol. populi Galliæ Narbonensis circa Viennam. *Valesius* Pitæo.

SEGOVIA, Arevacorum urbs Episcopalis in Hispania Tarraconensi *Segubia Ptolem.* [illegible] *MS.* [illegible] Ubi vetus aquæductus mirabilis, & pannus laneus optimus fit. Alia in Bætica, Plin. l. 3. c. 3. *Segovia la menor*, nunc pagus inter Cordubam & Hispalim medius, Astigi urbi, & Singuli fluv. finitimus. Est item German. oppid. *Ortelius* ex *Ptolem.* quam *Seckow* urbem Salisburgensis ditionis esse volunt. Vide *Secovia*.

SEGOVIA NOVA, seu CAGAJON, urbs in parte Boreali Manillæ insulæ in ora Oceani Eoi. Sub Hispanis. Diego del Colmenares. *Hist. Segovian.*

de SEGOVIA Johannes, vide *Johannes*.

SEGUB, fil. Hiel. reædificatoris Jericho, 1. Reg. c. 16. v. 34. Fil. Esron, 1. Paral. c. 2. v. 21. Latinè, *fortificatus*, aut *exaltatus*.

SEGUIERUS Petrus, vide *ibi*. Est autem *Seguier*, nomen illustris in Gallia familiæ, quæ quinque habuit ramos: Primus desiit in Luisa Maria *Seguier*, Marchion. d'O (filia Petri Dn. *de Sorel*, *Marchion.* d'O, defuncti A. C. 1648.) & Margareta *de la Guesle Marchion.* d'O) quæ nupta Ludovico Carolo, Marchioni d'*Albert* Duci de *Luynes*, ejus familiæ successionem attulit, mater ex eo Caroli Honorati d'*Albert* Marchion. d'*Albert* Ducis de *Chevreuse*, qui sibi Joannam Mariam Colbertam junxit. Secundus est Dominorum de *Drucy* & *L'estang la ville*. Quartus Dominorum de *S. Cyr. & du Plessis*. Quintus Dominorum *de la Verrière*. Tertium clausit haud pridem Petrus *Seguier* Comes de Gien, Cancellarius Franciæ, qui genitus ex Joanne Dn. *d'Autry* & Maria *Tudert*, junxit sibi Magdalenam *Fabry*, duarum ex ea filiarum pater; Magdalenæ videl. (quæ primis nuptiis Cæsari *du Cambout* Marchioni de *Coislin*; alteris Ægidio March. *de Laval* Comiti de *Bois-Dauphin* elocata est) & Carolæ uxoris primò Maximiliani Franc. *de Bethune* Ducis de *Sully*, exin Henrici Borbonii *Ducis de Verneuil*) nominis *Seguier*. Vide Spenerum *Th. Nob. Eur. Part.* 3. *p.* 142.750. & *in Indice.*

SEGUNTIA, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in Celtiberis, Liv. l. 34. c. 18. Vide *Segontia*.

SEGUNTIUM, vel SEGONTIUM, Angliæ urbs, *Antonin.* quæ *Silchester* hodie dicitur in agro Southamptoniensi.

SEGURIUS Jacobus, vir primariæ in Aquitania nobilitatis, caput legationis amplissimæ, ab Henrico Navarræo, postea Galliæ Rege, ad Syncretismum Universalem inter Ecclesias Helveticas & Augustanas faciendum, in Angliam, Belgium, Daniam & Germaniam, A. C. 1583. expeditæ. Thuan. *Hist. l.* 79. Chytr. *in Saxon. l.* 26. *&c.*

de SEGUSIA seu DE SUSA Henricus, vide *Henricus*.

SEGUSIANI, qui SECUSIANI Plin. l. 4. c. 18. gens libera Galliæ Celticæ quorum tractus *Lyonnois*, & *la Forest*, trans Rhodanum nominatur, cujus caput est Mons Brisonis inter Lugdunum & Podium. Malè *Sebusiani*, errore librariorum Cæsari dicuntur. Baudrando fuêre, inter Æduos & Sequanos ad Boream Arvernos ad Occasum Velaunos & Allobroges ad Meridiem, ut & Allobroges ad Ortum, ubi hodie *le Forest*, *le Lyonnois*, *le Beaujolois*, & *la Bresse*. Valesius illos positos esse, inter Ligerim, Ararim, ac Rhodanum flumina, & ad Ligerim quidem urbes Forum *Segusianorum* ac Rodumnam, ad Araris autem & Rhodani confluentes Lugdunum caput gentis habere docet. Cæsar l. 1. *de bello Gall.* c. 10. Segusianos extra Provinciam, trans Rhodanum primos vocat: idem *l.* 7. c. 75. illos Æduorum clientibus primos adnumerat; sed postea ab hac clientela liberati sunt, unde Segusiani Plinio *liberi* dicuntur. Continent pagum Lugdunensem, ut rectè laudatus *Valesius* habet, portionem pagi Bellojocensis, Forensem pagum, partem Brexiæ & pagi Burbonensis. Ab his forsitan orti *Segusiavi*, in Alpibus Cottiis; sunt tamen, qui hos à Segusio oppido suo vel castro primario dictos, nihil cum illis commune esse contendunt, *Not. Gall.*

SEGUSIUM, SEGUSIO, Plinio l. 3. c. 17. & [illegible] urbs Galliæ Subalpinæ ad Alpium Cottiarum radices, vulgò *Susa*. Olim regioni Italiæ nonæ Transpadanæ adscripta. Hinc Alpium Cottiarum initium esse, ex Italia in Galliam tendenti, & Cottii Regis sepulchrum mœnibus ejus proximum exstitisse, scribit Amm. Marcellin. l. 15. Hanc cum Augusta duodecim Longobardorum duces, cum Brennegea, propter incursiones in Franciam, cum totis earum territoriis, cumque valle Amedlegii Regi Guntchramno ex pacto dedere. Sic utraque urbs Italiæ detracta, & Burgundiæ, parti Galliæ, à Francorum Regibus adnexa est. *Segusianum* imprimis totumque pagum cognominem in quo Ferraria, & Novalicium monasterium illustre *Novalesæ*; Guntchramnus Mauriennensi Ecclesiæ à se conditæ, attribuit à Taurinensiumque Episcoporum potestati exemit, & in veter. *Notit.* in provincia Alpium Grajarum & Penninarum quartò locò civitas *Sedunum* ponitur. Nunc in Pedemontio, ad Duriam fluv. Gall. *Doire Sujue*, qui ad urbem Taurinos Padum auget: cum arce munita, in colle, sub Sabaudiæ Duce 12. leuc. à confinio Gall. & Delphinatus, 24. mill. pass. à Taurino in Circium totidem à Brigantio in Cæciam. Caput Marchionatus cognominis, qui ad radices Alpium, inter Pedemontium ad Ortum & Delphinatum ad Occidentem est. Hic olim Segusini populi. Pagus Segusinus à situ vocatur Ital. *Val di Susa*, Gall. *le Val de Suse*, propterea quod Alpibus ex utraque parte includitur, & ad pedes montium utrinque jacet. Laudat Arrianus *in Cyneget.* c. 3. canes *Segusios*, qui vestigia leporum cum clangore & latratu odorantur, excitatosque persequuntur: Germani *Stockhunde*, vel *Schweisshunde*. Portam *Segusinam*, quæ Segusium tendit, urbs Augusta Taurinorum habet. Vide Hadr. Valel. *Notit. Gall.*

SEGUSTERO, vide *Segesterorum Urbs*.

SEHESIMA, civitas in tribu Issachar, Jos. c. 19. v. 22. Latinè *humiliatio jecoris*, *fovea*, vel *exaltatio populi*, aut *supercilia maris*.

SEHON, rex Amorrhæorum, transitu Israëlitas prohibere conatus, ab illis victus, occisus, regnôque exutus est, Numer. c. 21. v. 21. Latinè, *eradicatio*, sive *conclusio*.

SEJA, Dea fuit, ut ex Varrone tradit Augustin. l. 4. *de Civ. Dei*, c. 8. præposita, quamdiu segetes sub terra essent: cum vero jam supra terram, & segetem facerent, *Segetiam* vocabant. Seja autem dicta, à *Serendo*, *Segetia* vero à segetibus. Simulachrum earum Romæ extabat in circo, ut ait Plin. l. 18. c. [illegible]

SEJANUS Ælius, vir, de quo multa Sueton. *in Tiberio*, & Juvenal. *Sat.* 10. Ejus historia pauci hic habet. Vulsiniis Tusciæ urbe natus, ex Sejo Strabone, equite, adhuc juvenis admodum Caji Cæsaris, Augusti nepotis, fortunam sequutus est, postea in Tiberii gratiam se insinuavit. Audax, callidus, calumniandi artifex, abjectus simul & superbus: modestiam præ se ferens, intus totus purpureus fuit. Modo luxu & prodigalitate, modò vigilantiâ & industriâ, ad tertiam summam grassatus. Caput Prætorianorum creatus, & particeps cum Tiberio potentiam factus est: qui, ipsius consortio delectatus, socium curarum, laborumque appellare est solitus, passus, ut imagines ejus in publicis locis venerationi præstarent, & in theatris legionumque insignibus apparerent. Hunc Drusus, Imperatoris fil. cum contemptui haberet, colaphum quoque illi aliquando inflixisset, Sejanus, per uxorem ejus Liviam, spe Imperii corruptam, illum veneno sustulit, Agrippinâ quoque, & Germanico, cum filiis, sublatis. Liviæ nuptias ambiens, prohibitus à Tiberio est, eoque processit insolentiæ, ut jam omnibus intolerabilis evaderet, sparsis quoque, per imprudentem superbiam vocibus, queis Romæ Imperatorem se jactans, Tiberium Insul. Capreæ, in qua degebat, solum esse diceret, hujus quoque calvitie, in Comœdiis publicè proscissâ. Quibus omnibus tandem permotus Imperator, negotio Senatui dato, illum strangulari curavit, totâ ejus familiâ excisâ, & quicquid Tiberio suspectum erat, huic stragi involuto, A. C. 31. Adde Tacit. *Annal.* l. 3. 4. & 5. Dionys. &c. supra dictos.

SEIDA, Africæ fera dimidii cubiti altitudine, barbâ tigridem, ore leporem, hominem auribus referens, armata undique aculeis rotundis, albi nigrique coloris, quibus se contra quemcunque animalium impetum tuetur: Ab omni potu abstinet, sed in escam quidvis obvium rapit, *Richelet*.

SEIGNELIACUM, seu SEILLINIACUM, nunc SEIGNELAY, oppid. Ducatus Burgundiæ in tractu Altissiodorensi, ad Seninum fluvium, qui paulo infra in Icaunam cadit, inter Altissiodorum & Juniacum, 3. leucis utrinque, commerciô & plurimarum mercium fracturâ nobile. Vetus illic castrum, sumptibus Caroli de Voisy, loci Toparchæ, qui præcipuâ apud Carolum VI. Galliæ Regem gratiâ flagrabat, extructum, A. C. 1405.

SEJORNI Regis Custos, in *Memoriali vet.* apud Car. du Fresne, nomen fuit officii in Aula Regis Franciæ, cui commissum erat *Sejornium Regis*: quô nomine vocabatur locus, ubi erant stabula Regia (in quibus Regii equi alebantur & morabantur, donec iis Rex haberet opus) paulo ultra Palatium *de Beauté* appellatum, ad Matronam fluv. Illi suberant *Marescallus*, cujus munus erat calceare equos, & *Pagii* seu famuli &c. Vide eum in *Glossar.*

SEIR, mons Idumææ, in tribu Manasse, inter Asphaltitem, & Ægyptum, *Sardenay* hodie, *Pollello*. Hic ab Esau hujus montis accola, eo quod esset hirsutus, nomen accepit, 1. Paral. c. 4. v. 42. Item vir quidam Horræus, Gen. c. 36. v. 20. Item mons, in tribu Dan, tertius ejus nominis, juxta Cariathiarim in finibus Azoti & Ascalonis, ascriptus tribui Judæ, in distributione terræ.

SEIRA, civitas Idumææ, 2. Reg. c. 8. v. 21. Latinè, *parva*, *sive tribulata*.

SEIRATH, nomen loci, Judic. c. 3. v. 26.

SEIS, collis Judææ, inter Hierosolymam & Engaddi.

SEISSETUS Bernardus, vide *Bernardus*.

SEJUGES Aurati, in Capitolio positi, à C. Cornelio, memorantur Livio l. 38. c. 35.

C. SEJUS, dominus equi illius, unde est proverbium in infelices & calamitosos, à M. Antonio, qui postea Triumvir fuit tempore belli Civilis, quum præesset Italiæ, miserandô suppliciô affectus est. Gellius *l. 3. c. 9.* Vide Erasmum in *Equus Sejanus*.

SEJUS Fuscianus, vir Senatorii ordinis, condiscipulus Marci Antonini Philosophi, memoratur in *Vita* hujus Jul. Capitolino, c. 3. An idem cum eo, qui Lampridio in *Vita* Commodi, *c. 12. secundum Cos.* nominatur, quique huic Urbi præfectus, ut narratur in *Pertinace*, c. 4. qui illi successit? Casaubonus *ad loc.*

SEKLUNNI, per contumeliam à Persis Turcæ dicuntur, ob rationem suprà allatam, ubi de *Mengeuz ad parietem*.

SELA, fil. Judæ ex Sua uxore, Gen. *c.* 38. *v.* 5.

SELA, civitas in tribu Benjamin, Jos. *c.* 18. *v.* 27. Item fluvius Peloponnesi, in ora Elidis, inter Cypatissium promuntor. & Pylum, *Guardia Ortel.* cum oppido cognomine.

SELAB, in tribu Dan: & *Selaba*, grandis vicus, in tribu Ephraim, in finibus Seballes. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

SELAH, vox Hebraica, quæ septuaginta tribus vicibus in Psalmis, ac semel in Prophetia Habacuc occurrens, quibusdam *in æternum*, aliis idem quod *Amen* notat. Nonnullis pausæ & quietis, vel elationis vocis signum, *Rabbi Abraham* Musica nota fuit, ut & Hieronymo in c. 3. *Habacuc.* LXX. *Theodotio* & *Symmachus*, per Græcum Διάψαλμα solent vertere, & quidem hâc voce sententiæ mutationem significari volunt aut cantûs aut rhythmi diversi, aliquando etiam immutationem personæ cantantis, Commentatores Græci. *Chrysostomus* illam personarum mutationem in psallendo designari arbitratur, quæ non unius duntaxat personæ esset, sed chori totius, cum Cantorum Præfectus, sicubi ita censuisset in medio Psalmi, partem reliquam etiam alteri choro canendam tradidisset: itaque illam in psallendo Cantorum successionem διάψαλμα fuisse appellatam. Quæ sententia valde probabilis videtur Andr. Riveto, cum ipsa vox διὰ interruptionem & vicissitudinem psallentium innuere videatur. Vide eum *Comm. in Psalm.* 4.

SELAHI, mater matris Josaphat Regis Judæ, 2. Paral. *c.* 20. *v.* 31.

SELAITÆ, nomen familiæ. Numer. *c.* 26. *v.* 20.

SELAMBINA, Hispaniæ Bæticæ urbs, *Ptolem. Salobrenna Flaminio.* Olim Bastulorum, nunc Granatæ, in ora maris Mediterranei cum castro munito, contra piratas, 20. leuc. ab Almeria in Occidentem. *Baudrandus.*

SELAMPURA, vel potius LAMPURA, Indiæ extra Gangem urbs. *Ptol.*

SELANDIA, Insula ampla Daniæ, in mari Baltico, aliàs Cedanovia, pascuis abundans, sed frumenti non ferax, cætera fertilis admodum. Meurs. *Hist. Dan.* Ab Othingarô Episcopo cum Scania, conversa, A.C. 980. Separatur ab Ortu à Scania fretô Oresund, ab Occidente à Fionia Insula fretô *Beltsund*. Amœnissima est. Longa à Septentrione in Meridiem 16. milliar. German. Lata ab Ortu in Occidentem 12. Urbes sunt Havnia, Regni caput, Roschildia, Helsingora & arx Coronæburgum, cum Fridericoburgo. In ea sunt 340. parochiæ seu pagi.

SELANDIA, provinc. Belgii uniti. Vide *Zeelandia*.

SELARICUM, oppid. Tuedriæ, in Scotia Meridiali in limite Teviotiæ, ad confluentes Ettrici fluv. in Tuedam, vix 19. milliar. Scot. à Barvico in Occasum totidem ab Edimburgo in Meridiem. *Selkirk.*

SELASIA, Diana sic dicta. *Hesych.* Σελασία, Ἄρτεμις. Σελασία τόπος τῆς Λακωνικῆς, ὅθεν οἶμαι λαβεῖν τὴν Ἄρτεμιν.

SELASTICUM Certamen, in *Inscr.* Saxi Melphensis,

IMP. CÆSARI.
DIVI. HADRIANI. FIL.
DIVI. TRAIANI.
PARTHICI. NEPOTI.
DIVI. NERVÆ. PRONEP.
T. ÆLIO. HADRIANO
ANTONINO. AUG. PIO
PONTIF. MAX. TRIB. POT. V.
IMP. II. COS. III. P. P.
CONSTITUTORI. SACRI
CERTAMINIS. SELASTICI
SOCII. LICTORES. POPULARES
DENUNTIATORES. PUTEOLANI.

pro *Iselasticum*, non sculptoris vitiô, ut Viro erudito visum, sed scribendi pronuntiandique usu, quod multis ejus ævi Scriptorum exemplis ostendit Salmas. *Not. ad Spartian. in Hadriano.* c. 17. Quid autem fuerit Certamen Iselasticum, diximus in hac voce.

SELCHA, vel SALCHA, civitas regis Og in Basan, Deuter. *c.* 3. *v.* 10. Una ex 60. munitioribus ejus Urbib. Sita juxta Urbem Gessur, montemque Hermon, à Basanitidis regionis versus Boream, claustrum est. In tribu Manasse.

SELDIUS Georgius Sigismundus, vide *ibi*.

SELEBIN, civitas in tribu Dan, Jos. *c.* 19. *v.* 42.

SELEC, nomen viri, 1 Paral. *c.* 11. *v.* 39.

SELECTI Dii, & SELECTI simpliciter vocabantur à Romanis Dii octo, XII. Consentibus seu præcipuis, (quibus velut Consiliariis Jupiter in rebus maximis agendis uti credebatur, quorumque imagines auratæ apud Forum stabant) additi, propter majores in mundo administrationes, vel quòd magis Populis innotuissent, majorque illis cultus exhiberetur. Hi unà cum Consentibus dicti videntur *Dii geniales* Ausonio, cum in *Periochis Æn. l.* 4. [illegible]

Ipsius [illegible] cum Diis genialibus [illegible]
Concilium cogit Superûm de rebus Achivis.

Ubi cùm quidam *Deos Indigetes* intellectos velint, monet Vossius, *forte potius Indigetes in Continuum vocare, quam Consentes & Selectos*, *de Theolog. Gentil. l.* 1. *c.* 12. Iidem *Majorum Gentium*, aut *Cælites* Dii appellati. Sunt & Semidei, Semonibus, minorumque Gentium Diis oppositi. Fuere autem Dii *Selecti* hi, *Genius*, *Janus*, *Saturnus*, *Liber*, *Orcus* seu *Pluto*, *Sol*, *Luna* ac *Tellus*: de quibus omnibus accuratè agit Voss. *de Theol. Gent. l.* 2. *c.* 18. Vide quoque in hoc Opere quemque *suô locô*, ut & aliquid voce *Sidera*. Sed & *Selecti* memorantur Plinio *l.* 33. *c.* 1. *Decuriæ quoque ipsæ pluribus discretæ nominibus fuêre, Tribunorum æris & Selectorum, & Judicum*: Judices videl. ex ordine Equestri, de quibus vide Hadr. Turnebum *Adversar. l.* 29. *c.* 16. & Jac. Ravardum *Protribunal.* c. 11. 19. & 20. uti de alia vocis notione suprà, *Nougents*.

SELEMIAS, pater Juchal, Jerem. *c.* 38. *v.* 1. Pater Jeriæ, Jerem. *c.* 37. *v.* 12.

SELEMITH, nomen viri, 1. Paral. *c.* 26. *v.* 25.

SELEMNUS, fluv. Achajæ, apud Argiram, Pausan. *l.* 7.

SELENE, urbs Tyrrheniæ, *Steph.*

SELENITES, Græcè Σεληνίτης, gemmæ species, de qua sic Plin. *l.* 37. *c.* 10. *Selenites ex candido translucet melleô fulgore, imaginem Lunæ continens, redditque eam in dies singulos crescentis minuentisque numero, nascique putatur in Arabia.* Nempe σελήνη Græcis Luna est. At *Dioscorides* sic dictam vult gemmam hanc, non quod Lunæ imaginem contineat, sed quòd ἐν νυκτὶ εὑρίσκεται [illegible] *adlucente Luna fulgorem emittat*. Mediâ nocte autem pessâ reperitur, & inter perfectè pellucida, quæ omnes colores transmittunt, recensetur Bocharto: *Talcum*, hodie mutuatô à Persis & Arabibus nomine. Vide præfatum Bochart. *Hieroz.* Parte *post. l.* 5. *c.* 6.

SELENITIDES, mulieres in Asia, ova pariunt, è quibus homines fiunt, quinquies decies cæteris majores, *Herodot.* A Luna dictæ.

SELENUS, Vide *Selinus*.

SELENUSIA, palus Lunæ in Ionia, apud Colophonem Urb. ad ostia Caystri, *Strab. Lago di Altobosco.*

SELEPH, nomen viri, Nehem. *c.* 3. *v.* 30.

SELEPHIUS, Asiæ fluv. in quo Fridericus Barbarossa Imperator mersus obiit, A. C. 1190. P. Æmilius *l.* 6.

SELESTADIUM, urbs Imperialis, in Alsatia superiore ad Hellellum fluv. quasi Helli vel Hellcli portus, Germ. *Schletstatt*. Ortum habet ex Elcebi illius veteris, cujus apud Ptolemæum mentio, ab Ello & Cebo amnibus sic cognominati, ruderibus, post calamitosam illam Attilæ devastationem. Fossâ muróque septum dicitur à Wolfelino, præfecto, seu legato Friderici II. Imperatoris A. C. 1216. Posteà à Rodolfo I. Imperatore sub jus & potestatem Imperii Romani penitus redactum est: De quo publica inscriptio hodieque ibi visitur. Prætorem huic civitati olim præpositus S. Vitisbidem, atque Imperator alternis vicibus dedêre, posteà jus soli Imperatori cessit: tandem verò ad civitatem pervenit, postquam A. C. 1436. Joh. Botzemius pro tribunali sedens, ex indignatione, Prætorium baculum in terram abjecit: quem ex adstantibus quidam ingenuè, nomine Cæsaris, inquit, hunc scipionem de terra levo: quod adeò gratum Sigismundo Augusto fuit, ut jus designandi Prætoris ad Senatum transferret. Tum primum cives Senatores ad hunc Magistratum assumpti, cui Nobiles antea præficiebantur, decretumque, ne hi porro in Senatum legerentur, Beat. Rhenanus *l.* 3. *p.* 154. Aquila coronata ei pro insignibus est. Hodiernô bellô à Gallis, cum reliquis Alsatiæ liberis civitatibus occupatum, postquam haud pridem munitiones ejus disjectæ essent, de novo munitur, 3. milliar. German. à Brisiaco in Circium paulo minus à Colmaria in Boream, 5. supra Argentoratum, in Meridiem. Plura apud B. Rhenanum *Rerum Germ. l.* 3. cum *Notis* Ottonis JCti *p.* 535.

SELETHAI, fil. Semei, 1. Paral. *c.* 8. *v.* 20.

SELEUCENA vel SELEUCIS, Græcè Σελευκὶς χώρα, regio Asiæ, in qua quatuor olim insignes urbes, Seleucia Pieria, Antiochia ἐπὶ Δάφνῃ, Apamea & Laodicea, ut habet *Strabo*. At longè aliter *Ptol.* qui in *Seleucide* urbes tres ponit, [illegible], [illegible] & [illegible]. Idem *Strabo* in *Seleucide* sua Casium montem ponit, urbi Antiochiæ vicinum. *Ptol.* ab eo monte regionem facit Κασιῶτιν, cui urbes assignat præter alias, Antiochiam ἐπὶ Δάφνῃ, & Seleuciam *ad Belum*, quæ à Seleucia Pieria diversa. Plin. *l.* 5. *c.* de *Cœle-Syria*, *Seleucias, præter jam dictam, duas, quæ ad Euphratem, & quæ ad Belum vocantur.* Belus hic amnis est, quem Judaico mari illabi, tradit Tacitus *Hist. l.* 5. *c.* 7. Vide quoque Plin. *l.* 36. *c.* 26. & plura hanc in rem apud Salmas. *ad Solin. p.* 618. & 619. ubi Auctorem, *Seleuciam* vocantem hanc regionem, cùm *Seleuciden* dicere debuisset, carpit & explicat.

SELEUCIA, urbs Asiæ multiplex. 1. in Mesopotamia ad Tigrim fluv. contra Ctesiphontem, inde 3. mill. pass. cognomentô magna, patriarchæ Nestorianorum sedes. *Mosul*, teste *Nigrô*. Apud hanc, tempore Tigranis regnum, Amphicrates Atheniensis rhetor exulans, à Seleucianis rogatus, ut eos Rhetoricam doceret, respondit, *Delphinum non capit patina*: quô dictô significare voluit, exiguos ingeniô non posse magna capere, quales erant ipsi Seleucienses. Refertur à Plut. *in Lucullo*. Alia primùm hæc *Coche* dicta, dein *Alexandria* à Conditore, tandem ab Antiocho Seleuci Fil. restaurata, cum Patris nomine. Tempore Regum Hierosolymitan. & Armeniæ *Baudras*, [illegible] *Bagdat* seu *Bagades*, eo amnium Urbs perampla & munita, provinc. *Hierach* caput. Turcis subest, ab A. C. 1638. Habet suburbium amplum in adversâ fluminis ripa. A rudeeribus Babylonis antiquæ unius diei itinere distat, 140. mill. pass. à Ninive in Meridiem, [illegible] 100. ab ostiis Tigridis in Boream 280.

à Susis in Occasum, 500. ab Ecbatanis in Meridiem. Baudrand. Strabo, l. 16. Plin. l. 6. c. 26. Amm. Marcellin. l. 2. Ortelius, Niger, Sanso &c. II. Syriæ, Pieria cognomine, apud ostia Orontis. Soldin, teste Nigro: Utraque a Seleuco, Antiochi filio, una cum Antiochia & Apamia, condita. III. Ciliciæ, Archiepiscopalis cognomento Asperæ, ad Calycadmum fluv. prius Olbia, & Hyria, teste Steph. Hodie Selechia Baudrand. 12. mill pass. ab ora maris Ciliciæ in Boream, 80. à Tarso in Occidentem, 23. à Corycon Circium 180. à Seleucia Pieria in Occasum Amm. Marcellin. l. 14. Strabo, Ortel. &c. Hic, sub Constantio Imperatore Conciliis ab Arianis habito, A. C. 359. Episcoporum 160. qui fermè omnes heterodoxi, Acacius Cæsareensis damnavit Concilium Nicænum symbolúmque ejus, aliâ fidei formulâ oblatâ, qua, ab Aëtianodoctus, Filium Patri, quoad voluntatem solùm, non vero essentiam, similem asserunt: reclamantibus Semi-Arianis, qui similitudinem quoad essentiam agnoscebant, & confirmantibus Confessionem fidei, Antiochiæ A. C. 341. conditam. Sic sentiun ingravescente contentione, Leonas & Lauricius, Imperatoris ad Concilium deputati, illi finem imposuerunt, die quarto: Acacius vero cum aliis à Semi-Arianis depositus est, surrogatô Anianô, in locum Eudoxii, Antiochiæ: qui ab Acacii fautoribus Lauricio Leonæque traditus, & ab his in exilium missus est. Nec omittendum, quod Hilarius Pictaviensis, tunc in exilio degens, in hoc Concilio, quô venerat, Orthodoxiam egregie tutatus legitur. Athanas. de Syn. Nazianz. Orat. 21. Sulpic. Sev. l. 2. Historiæ Sacræ c. 58. Socr. l. 2. Theodoret. l. 2. Sozom. l. 4. &c. IV. Pisidiæ, in Pamphyliæ confinio inter Antiochiam Pisidiæ ad Boream & Pergen Pamphyl. ad meridiem. Celesfisia Leuncl. Caracalar, Turcis.

SELEUCIANI, Hæretici, à Seleuco & Hermia orundi, seculô 6. Deum hi corporeum, materiamque æternam delirantes, ferrô ignitô frontem impresserunt, ut baptizatos ferati, aliaque contra gloriam VERBI INCARNATI docuerunt. Vide Augustin. hær. 59. Niceph. l. 23. c. 14. Philastrium, &c.

SELEUCIDES, inter fœminei calceamenti genera, memoratur Julio Polluci Onomast. l. 7. c. 22.

SELEUCOBELUS, urbs Syriæ juxta Belum, Stephano, Divertig. [illegible]

SELEUCOS, oppid. apud Apamiam Syriæ Steph. à Seleuco Rege conditore, qui Apamias 3. in uxoris, & 3. Laodiceas, in matris honorem condidit. Stephan.

SELEUCUS I. NICANOR, Antiochi & Laodices, fil. vir clarus cum Alexandro Magno, ad bellum Persicum profectus est: quô mortuô, castris ejus præfuit, & urbem condidit, quam de patris nomine Antiochiam vocavit. Regnum Syriæ occupavit, an. 3652. ante Christum 310. Secundùm alios, regnum Seleucidarum instituit, A. M. 3742. Multa in Oriente, post divisionem, inter Socios, regni Macedonici, bella gessit, prælio ad Ipsum interfuit, & Babyloniam cepit. Inde auctis in victoria viribus, Bactrianos expugnavit, transiit deinde in Indiam, quæ post mortem Alexandri, velut jugô cervicibus excussô, præfectos occiderat: autorque Libertatis Sandrocottus fuerat, qui tunc Indiam possidebat: cum quo factâ pactione Seleucus, compositisque in Oriente rebus in bellum Antigoni descendit. Tandem à Ptolemæo Cerauno proditoriè occisus est, A. M. 3774. ætat. 78. regni 32. Antiochus Soter filius illi successit. Appian. de Bello Syr. Orosius, Tannellae, Sabaim, &c. Plurimas hic urbes condidit. Ab hoc Æra Seleucidarum, Arabicè Terik Dhylkarnain Alexandri, i. e Epocha Alexandri Cornigeri dicta ortum habet, quæ incipit an 12 à morte Alexandri 312. ante N. C. 3742. Mundi, 442. vel 43. Urb. Cond 4402. periodi Julianæ, 117. Olymp. 872. ab incendio Trojæ, cùm Seleucus Babyloniam, Mediam &c. Antigono denuo eripuit. Hac Epochâ Maccabæorum auctores usi sunt. Vide Scaliger. de Emend. Tempor. l. 2. & 5. Petav. de Doctr. Temp. l. 2. Langium, de Annis Christi, c. 37. Ricciol. Chr. Reform. Calvisium, &c. Adde Justin. l. 13. & 16. &, quòd à Syro-Macedonibus (ita enim Græci, postquam Syriâ potiti essent, dicti sunt) honore cœlesti ante omnes Heroas celebratus est; uti Macedonibus Nicanor, sic Græcis Nicator, nominatur. In cujus honorem cùm variæ sint conditæ Seleuciæ, Fanum honori ejus, fortè & alibi, sed saltem in ea Seleuciæ urbe fuit, quæ est in littore maris, prope Phœniciam. Ita enim Appiani in Syr. Interpres: At Philetærus quidem, Pergami præfectus, combussit Seleuci corpus, magno ve auro redemptum à Cerauno: cinerum verò reliquias ad filium ejus Antiochum misit: qui in maritima Seleucia condidit, ac delubrum in consituit, & circa illud agrum sacrum addidit, quô Nicatorium appellatur. Vide Voss. de Theol. Gent. l. 1. c. 21.

SELEUCUS II. fil. Antiochi Thei, per ironiam Callinicus dictus, successit patri, Am 570. Urb. Cond. à Ptolemæo Evergeta sæpius victus, regnôque exutus: Obiit equi lapsu, An. 527. Strabo l. 16. Justin. l. 27. Appian. de bello Syriaco &c.

SELEUCUS III. Ceraunus. A 527. patri successit, triennio post venenô sublatus: Et successit frater Antiochus Magnus. Euseb. in Chron. Appian. &c.

SELEUCUS IV. Philopator, post Antiochum M. patrem, Rex. Sub hoc magnis cladibus Syri à Romanis affecti sunt: Cæterum, favit Judæis annuosque reditus constituit, ad sacrificia procuranda. Interim à Simeone, templi Præfecto, de thesauris ibi reconditis monitus, Heliodorum eò misit, cui quid contigerit, vide 2. Maccab. c. 3. & 5. Tandem ab hoc ipso, cùm fil. Demetrium Romam obsidem dedisset, venenô peremtus, An. 578. Urb. Cond. regni 12. Strabo, l. 16. Justin. l 32. Appian. Sulpitius Sev. &c.

SELEUCUS V. fil. Demetrii Nicanoris, thronum occupavit, Am. 629. Urb. Cond. à Cleopatra matre, post marito vitam ereptam, sagittæ ictu interfectus, paulò post inaugurationem. Appian. in Syriac. Justin. l. 39. Euseb. in Chron.

SELEUCUS VI. Antiochi Gryphi fil. cum patruo Cyziceno de Syriaco imperio dimicavit, eoque acie victum interfecit. Ipse à patruele Antiocho Pio regnô pulsus, & à civibus Mopsuestiæ in Palatio concrematus est. Olymp. 5. 3. Potius Ann 660 vel 661. Urb. Cond. Euseb. Appian. de bello Syr. Justin. Joseph. &c. Is transtulit Judæos in eas urbes, quas extruxerat, jus eis & municipalem ordinem cum Græcis æqualem tribuens.

SELEUCUS, Conf. an ab. Urb. Cond. 573.

SELEUCUS, Emesenus Grammaticus, Suidâ teste, composuit Paroemiarum libros duos. Alius Alexandrinus Grammaticus, cognomentô Homericus, quem in omnes penè Poëtas commentatum esse ait Suidas. Alius est Seleucus Babylonius, cujus mentionem facit Strabo l. 1. Alius denique Seleucus ὁ θεολόγος, de quo Porph. l. 2. περὶ ἀποχῆς. Vide Strabon. l. 1. Porphyr. l. 2. Voss. de Histor. Græc. l. 3. p. 412.

SELEUCUS Mathematicus, quem Vespasianus Cæsar rectorem & conscium palam habuit. Tacit. Hist. l. 2. c. 78.

SELEUCUS, Vide Seleucos.

SELGA, urbs Pamphyliæ mediterraneæ hodie Philadelphia Nigro. Stephan. eam in Pisidia ponit. Strabo quoque Selgense πολίτευμα ἀξιόλογον vocat: & 20. virorum millia olim in ea urbe fuisse, ac prudentem Reip. administrationem laudat. Dionys. v. 859.

—— Καὶ ἔτι ἰναδλεταῶ λαῶς
Πέρι σοι' Ἀμυκλαίων μεγαλήτορ@ ἐν χθονὶ Σέλγα.

Hinc tamen impudici ἀσελγεῖς dicti cum a epitatico. Ita Suidas & Etymologus. Eustath. ἀπὸ κατ' ἐκείνην λέγεται τὸν ἀσελγεῖν ἐπὶ τῶ ἐν καλαγεῖς ζῶντων. Ex quo fit, ut Selgam suspicetur Bochartus, l. 1. Chanaan c 6. per literarum metathesin, nomen habere ab Hebræo שגל shagal, i. e. coire & constuprare. Nic. Lloyd. Cæterum, Fœderis, inter Lacedæmonem & urbem hanc, quæ Laconica fuit colonia, etiam memoriam servat numismus antiquum Trajani Decii, in cujus postica parte Pallas & Hercules sacrificantes, serpensque in medio Altari se erigens, conspiciuntur, cum Inscr. ΣΕΛΓΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ. Vide Jac. Sponium Itin. Græc. Part. 3. p. 181. Hinc Selgicæ lanæ, olim in pretio, uti Tertulliano memoratæ de Pallio c. 3. Exinde mutetur, nec de ovibus dico Milesiis & Selgicis. & Altinis, aut queis Tarentum vel Betica cluet natura colorante. Certè in territorio Selgico, magnam ovium copiam, & pecorum omne genus fuisse, tradit Strabo l. 12. licèt lanæ disertim non meminerit &c.

SELGIA, Armeniæ majoris urbs, Ptolem.

SELGKUK, Dux Turcarum, qui, cum primas sedes haberent in Scythia ad fluv. Jaxartem, supra Persiam, ex illa regione hodieque Turkestan appellata, in Persiam ejus auspiciis emigrârunt, circa A. C. 1000. fisque Saracenorum per Asiam potentiâ destructâ, novam ibi Monarchiam orsi, in Imperium Constantinopolitanum arma vertere non infeliciter mox cœpêre. Filius ejus Michaël fuit, qui captivus abductus à Mahmudo Rege Persiæ & Indiæ, Turcis belli occasionem præbuit, qui proin Togrul-Bekô filiô Michaelis Rege electô, totâ Persiâ, victô occisôque Masudô, potiti sunt, circa A. C. 1038 Inter hujus patrueles postmodum ac fratrueles ortâ discordiâ, Regnôque Turcarum in Occidentale & Orientale divisô; post Togrul-Bekum in Persia regnârunt Muhammedes I. Oloarslan, Græcis Axan, Meliksech, Mahmud I. Berkiarok, Muhammedes II. & Mahmud II. cognomine Abulkasem: sub quo Chorasmii Persiâ potiti Selgkukidas penitùs pepulerunt; e quibus Aladinus I. in Asia minori quò reliquiæ Turcarum se receperant, Turcarum Imperium instauravit. Quod à Tartaris e Persia erumpentibus tantùm non eversum utcunque recollegit ac vindicavit Aladinus II. an III. utquo Selgkuki posteritas, quæ hactenus in Persia & Asia Minore regnaverat, desiit circa A. C. 1298. rerum summâ ad Osmanem, hodierni Imperii Turcici conditorem, devolutâ. G. Hornius Orbe Imper. cum Not. L. Joach. Felleri p. 401. & seqq.

SELIM, civitas in tribu Judæ, Jos. c. 15. v. 32.

SELIMUS I. Turcarum Imperator Bajazetis II. filius secundogenitus. Imperandi cupidine accensus, contra Patrem arma cepit, sed ab eo victus est: interim ope Janizerorum, Achmeti primogenito prælatus, Patrem, qui ipsi Imperiô cesserat, venenô sustulit, A. C. 1512. largus in Prætorianos Proceresque. Achmetem dein Sultani Ægypti opibus subnixum, præliô vicit occiditque, Corchuto quoque altero fratre, quietis & literarum amante sublatô: unà cum 8. nepotibus, quos pariter necari curavit. Cætera animus laborum patiens, sobrius, liberalis, justitiæ tenax, Historiarum amans, poëticos quoque in sua lingua non rudis. Bellô contra Persas, ad quos Achmetis fil Amurates confugerat, primò infelix, postmodum præliô ad Zalderane victor, A. C. 1514. hominum amisit 30000. in reditu, per Euphratem transiturus, magnam insuper militum machinarumque jacturam passus. Postquæ plurimis Persiæ urbibus occupatis, Regulos varios subegit, Campsonem Gaurium, Ægypti Sultanum, vicit occiditque haud procul Alepo, A. C. 1516. quam urbem cum Damasco Syriaque tota subjugavit, Palæstinâ, per Sinanem Bassam, sub obsequium redactâ. Dein Tomumbejum, à Mamelucis recens electum, Cairô captô, A. C. 1517. similiter vicit, Ægyptôque potitus est. Inde Constantinopolim reversum, pestis corripuit, quare Adrianopolim gestandus, in itinere, in loci Ciurl, in Thracia, ubi Patrem sustulerat, obiit. A. C. 1520. ætat. 46. Leunclav. l. 17. in Pand. Turc. §. 325. Paul. Jov. in Selim. Mezeray Hist. Turc.

SELIMUS II. fil. Solimanni II. nepos Selimi I. patri successit, A. C. 1566. ætat. 42. postquam, patente adhuc vidente, Mustaphas & Bajazeth, fratres ejus majores, sublati. Meticulosus, effœminatus, ebriosus: nihilominus, per Pialem & Mustapham, Cyprum occupavit, A. C. 1571. per Uchialium vero in Barbaria & contra Melitenses rem feliciter gessit. A Christianis tamen, memorabili præliô ad Naupactum, victus, Hali Bassâ occisô: quô numiô conster-

natus.

natus Selimus Adrianopolim se recepit, dein pace cum Venetis initâ, obiit apoplexiâ, A. C. 1574. Iidem.

SELINUS, urbs gemina cum fluv. cognomine; Una in ora Siciliæ Australi, inter Thermas ad Ortum 18. & Mazaram ad Occasum mill. pass. (licet *Ptolem.* ostia Selinuntis inter Mazaram & Lilybæum statuat) excisa, à Megarensibus, sive & Phœnicibus condita: *Terra di Pulici* hodie *Fazello*; fluv. verò *Madium* nominatur. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 705. Hinc *Selinusia terra*, apud Plinium, cujus in medicaminibus usus & effectus idem, qui & Samiæ, *l.* 35. *c.* 16. Vide quoque eum *c.* 6. *ejusd. l.* ubi cretâ Selinusiâ vel annulariâ vitro infectâ Veteres Indicum, cujus color κυανοειδὴς, imitari solitos esse, docet, qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 130. & 255. Altera in ora Ciliciæ, *Islenos* hodie Turcis, inter Jotapam ad occasum, & Antiochiam super Crago ad ortum, prope ostium Selinuntis fluv. quæ & *Trajanopolis* dicta fuit, teste *Xiphilino*, quòd ibi Trajanus Imperator decesserit. Lucan. *l.* 8. *v.* 260.

Quò portu mittitque rates, recipitque Selinus.

SELINUS, fluv. Ephesi duplex apud Dianæ templum fluens. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

SELINUS Portus, *Salone* Mercatori, *Porto Alberto Castaldo*, portus Marmaricæ inter Catabathmum ad Occasum, & Parætonium urb. in Ortum. *Sansoni* est Libyæ portus, in ora maris Mediterranei, hodie *Salona*, & *Aebet Assoloni* Arab. cum portu capaci, in ora regni Barcæ, 28. leuc. Gall. à Parætonio in Occasum.

Teque datis linquo ventis palmosa Selinus.

Silius Italicus *l.* 14. *v.* 201.

Audax Hybla favis, palmis quoque onusta Selinus.

SELINUSIUS, lacus est apud ostia Caystri fluv. teste Strab. *l.* 14. Idem *Selenusia*.

SELIQUASTRUM, apud Hyginum *Astron. Poet. l.* 2. de Cassiopeja. *pro quo factio inter sidera sedens in* seliquastro *constituta est*, & Arnob. *l.* 2. *Quid arquata si sellula, acus, strigil, pellubrum, seliquastrum?* Casaubono sella est muliebris aperta, quarum domi usus fuit, cùm foris uterentur δίφροις καθαρίζοις, *sellis opertis*, *ad Otton. Suetonii c.* 6. In specie sic vocati sunt lecti seu pulvinaria Deorum apud Gentiles, de quibus suprà, voce *Lectisternium*, item *Pulvinar*, ac *Sedes*.

SELIUM, oppid. seu pagus Lusitaniæ inter Conimbricam & ostia Mundi fluv. *Sellir Vasconcello*. Vel *Seira* pagus Conimbricæ proximus, ab eâ parum in ortum distans.

SELLA, uxor Lamech. Gen. *c.* 4. *v.* 19. Latinè *umbra*, *assatio*, sive *tinnitus*, aut Syriacè *oratio*.

SELLA, Ægypti Urbs; vel SELA, in Augustamnica provinc. *Concil. Ephes. tertium*.

SELLA, mons Helvetiæ, in pago Suitensi, vulgò SATTEL. In hoc Suitii, post duodecennale Helvetior. bellum cum Nobilibus, circa A. C. 1260. ob injurias illorum, quibus Habespurgii tum, Rodolphò postmodùm Cæsare alibi occupatò, mederi non poterant, gestum, turrim extruxerunt, & viam publicam vallô fossâque munierunt: quò tempore & reliqui Pagi primùm regionum suarum aditus munire cœperunt. Vide Simlerum *de Rep. Helvet.*

SELLA, atque Lectica, ob commoditatem potiùs eorum, qui vel senectute vel morbis impediti ambulare pedibus non poterant, vel ob delitias, quibus semper homines studuerunt, quàm ob aliud quid, inventa, nonnullis videtur, inquit Mercurialis *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 11. nec forsan sine ratione: quandoquidem nulla apparet probabilior causa, quâ inducti Veteres hujuscemodi instrumenta excogitaverint, quàm quòd equitare & pedibus incedere nequeuntes, aliquid optaverint, quò domo exire, per urbes vagari, iter facere commodè valerent: Nisi dicamus Imperatores, Reges Principesque, ne in faciendis itineribus à Sole, à vento, pluvia atque tempestate, offenderentur, Lecticas ac *Sellas*, undique obtegi & retegi aptas invenisse, quas alii postea divites, luxûs ac voluptatis gratiâ, & postremò Medici Gymnastæque ad usum hominum traduxerint. Hâc itaque vel voluptatis gratiâ vel morbi levandi causâ, modò sub dio, modò sub tecto porticus, in locis peculiaribus huicque usui destinatis, quos *Gestationes* dixêre, in obeundis etiam privatis negotiis, Veteres gestari solebant. Unde Galenus *de tuenda valet. l.* 5. *c.* 2. *Antiochum Medicum jam octuagenarium & in vivendo solertissimum, si quando longius ire vellet, modò* Sellâ, *modò vehiculô gestari solitum.* Similiter Plinius Cæcilius *l.* 3. *Ep.* 5. *Avunculum suum Romæ* Sellâ *vehi solitum, ne cœli asperitas ullum studii tempus eriperet;* scribit. Eam duplicem fuisse tradit Antyllus, sive potiùs ejus Interpres; alteram, in qua sedebant, quæ vel cooperiebatur vel aperta sinebatur, & à nonnullis, *Sella gestatoria*, seu *portatoria*, *fertoria* item ac *Fertorium*, dicebatur: alteram, in qua jacebant. Quarum priorem, nostris quoque temporibus, videri docet præfatus Mercurialis, cùm podagrici, divites, Principes illâ quotidie vehantur, eâque viros Magistratum gerentes olim gestari consuevisse (unde *Curulis Sella*) existimat: posteriorem hodie non haberi, nisi Lecticam hodiernam ejus vice sumas, jacendo æquè ac sedendo idoneam. Olim tamen *Sellam* à Lectica distinctam fuisse, dicimus ex Martiali *l.* 10. *Epigr.* 10. cùm de utraque ait,

Lecticam Sellamve sequar? nec ferre recusas,
Per medium pugnas sed prior ire lutum.

Quod similiter confirmatur illô Tertulliani *l. de Pallio*. *Ipsas quoque jam lecticas & Sellas, queis in publico quoque domesticè ac secretè habebantur, ejeravire.* In specie, quâ Mulieres in publico portabantur, *Cathedræ* nomen habuit: circa quam puerulos lusitantes, memorat Phædrus *l.* 3. *fab.* 8. ubi *v.* 4. & 5. habet,

His speculum in Cathedra Matris suppositum fuit,
Pueriliter ludentes fortè inspexerant.

Vide quoque Martialem *l.* 3. *Epigr.* 63. *v.* 7. *l.* 12. *Epigr.* 38. *v.* 1. & Juvenalem *Sat.* 9. *v.* 52. Putatque ad fœmineas Cathedras pertinere illud *Glossar. Veter. MS.* Ἀγκαθεδρία, τὴν λαμπρὰν καθέδραν, Johan. Laurentius, JC. *Notis in Phædrum*: Vetus Juvenalis Interpres *Scamnum cervicalibus stratis* &c. Hinc *Cathedrarii* servi Sidonio *l.* 1. *Ep.* 11. à delicatis illis & *Cathedralitiis*, de quibus Martial. *l.* 10. *Epigr.* 13. diversi. Ejus quæ forma fuerit, non adeò certum: verisimile tamen est, in ea pulvinar & lectulum, sicut & in Lectica, stratum fuisse. Juvenalis certè *loc. cit.* longam facit, cùm ait,

—— Strata positus longaque cathedra
Munera fœmineis tractas secreta Calendis.

Materiam fuisse variam ex Lampridio *in Heliogabalo* percipimus, ubi earum alias *pelliceas*, alias *osseas*, nonnullas *eboratas*, quasdam *argenteas*, memorat. Gestabant autem homines duo: Martyrologium 3. *Kal. Mart.* *Alexandriæ passio S. Juliani Martyris, qui cùm ita podagrâ constrictus esset, ut neque incedere, neque stare posset, unà cum duobus famulis, qui eum in* Sella *gestabant, Judici offertur.* Namque & ad supplicium hac raptatos esse reos, tormentis afflictos, notavit Amm. Marcellin. *l.* 29. *Indefensi, bonis ablatis, nullo contacti delicto, promiscuè juvenes, aliique membris omnibus capti, ad supplicium* Sellis gestatoriis *ducebantur.* Parabantur verò ad onera & Sellas seu Lecticas, servi viribus pollentes, Syri, Medi, Mœsi, Galli, Bithyni, Cappadoces, & Liburni. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, Mercurialem *loco suprà cit.* Johan. Schefferum *de re Vehiculari* &c. Circa *Sellas* porrò Principum duplex Veter. mos notandus. Unus fuit, ut absentibus aut mortuis *sella* poneretur in theatro cum corona; cujus rei similitudo in multis nummis conspicitur: dixitque pridem de hoc accuratè Just. Lipsius *ad Annal. l.* 2. Videntur verò id Romani à Græcis accepisse. Nam προεδρία, merentibus illam, non solùm decernebatur Athenis & in aliis Græciæ urbibus, sed & posteris ipsorum. Ad cujus rei memoriam primò institutum, ut etiam mortuis sellæ ponerentur: dein Reges & sibi & suis idem honoris tributum voluerunt. Alter mos fuit, ut in pompa Circensi, quam unus optimè describit Dionys. Halicarn. *l.* 7. cùm simulachris Deorum inferretur Principis imago in thensa ac ferculo, non secus ac Numinum simulachra: quæ fortè ante Cæsarem res Romæ inaudita. Simile quid apud Græcos in usu fuisse, docet *Athen.* in enarratione pompæ Ptolem. Philadelphi, ubi ait, traductam inter res divinas, quas paulò antè commemoraverat, *Sellam* Ptolemæi Soteris, cum corona aurea; nec non multorum aliorum, quorum ibi nomina exponit. Ἐπόμπευσαν δὲ καὶ θρόνοι πολλοὶ ἐξ ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ κατεσκευασμένοι, ἐν ἐφ' ἑνὸς ἔκειτο στεφάνη χρυσῆ, ἐπ' ἄλλου δὲ κέρας χρυσοῦν, ἐπ' ἄλλου δὲ ἦν στέφανος χρυσοῦς, καὶ ἐπ' ἄλλου δ' ἦν κέρας ὁλόχρυσον. ἐπὶ δὲ τὸν Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος θρόνον στέφανος ἔκειτο ἐκ μυρίων κατεσκευασμένος χρυσῶν. Nec omittenda hic *Sella* Regum, Persicorum olim de qua vide Curtium, *l.* 5. *c.* 2. inde Macedonum, *ibid. l.* 8. *c.* 4. ubi de milite ægro in *Sella Regis* considente, de qua plura apud Brissonium *de Regno Persar. l.* 1. uti de *Sella Regia*, post obitum Alexandri M. cum sceptro, corona & armis regiis, in tribunali collocata, ubi Duces consilia caperent; Diodor. *l.* 18. *c.* 1. Corn. Nepos *Eumene*; Alii videndi: postmodum Parthorum, memorata Spartiano in *Vita* Adriani, *c.* 13. *Toparchas & Reges ad amicitiam invitavit, invitatò etiam Cosdroe Rege Parthorum, remissaque illi filia, quam Trajanus ceperat, ac promissa* sella, *quæ itidem capta fuerat.* Aurea erat eique insidebant Parthorum Reges, & mox iterum Persarum, cùm se præberent spectandos hominibus. Sic apud Dionem *l.* 49. Parthorum Rex Legatis Antonii χρηματίζει ἐπὶ χρυσοῦ δίφρου καθήμενος. De cujusmodi *Sella*, non semel apud Romanos captiva, multum in Historiis. Hadrianus verò promissum non implevit, nec sellam restituit, ne Pius quidem, etsi multum oratus, ut apud Capitolin. legimus. Wandalorum porrò, cujus mentio in *Histor. Misc. l.* 16. *c.* 7. ubi de Belisario, *Carthaginem introivit, & adscendens palatium, in Gelimeris solio sedit*: ostentui nimir. Vandalis nunc imperitare Romanos, horumque Principem Justinianum. Vide quoque de *aurea Cæsaris Sella* Casaubon. *ad Julium Suetonii c.* 76. Sed & *Sella Regia* apud alias quoque gentes, in qua sedere privato nefas. Spartian. *in Hadrian. c.* 23. *Servianum quòd in Sedili Regio juxta lectum posito sedisset —— mori coëgit.* Idem *in Severo*, *c.* 1. *Sedit & in* Sella Imperatoria *temerè à Ministro posita, ignarus, quòd non liceret.* Vide de Jacobo Achajo Medico, in Leonis Augusti regia sella sedente, historiam, apud Marcellin. Com. *in Chron.* Apud Auctorem quoque Aruch inter XXX. Regis Judæorum prærogativas, hanc etiam legi, *Nemo in sella ejus sedet*, notat Casaubonus *ad Spartianum d. l.* De *Sella gestatoria Apostolica* quâ Pontificem devehi mos, vide Dominicum Macrum in *Hierol.* ubi & iconem ejus exhibet. Reliquas *Sellarum* species, quarum Veteres meminêre, hîc infrà, paucis indicare libuit. Adde priùs in *Sella* omina quoque olim captata, vide suprà, *Sedere*; ut & *Bisellium*, item *Dagus*, ac *Subsellia*.

Variæ sellarum apud Veteres species.

α. Arcuata seu arquata, apud Arnob. *adv. Gent. l.* 2. & Tacitum *Annal. l.* 15. *c.* 57. *Glossario veteri* δίφρος est. Vide *infrà*, β. Balnearis, apud Jul. Paulum *l.* 3. *Sent. tit.* 8. eadem videtur cum *Sella pertusa Catonis*, & ita delineatur à Theodorico, apud Casaubonum *l.* 2. *Var.* 39. *Hinc desuper sella composita, quæ humanis necessitatibus in absidis speciem perforatur, ægros suscipit internô humore deficientes.*

Varro *Familiaricam sellam* nominat de Re R. *l.* 1. *c.* 13. Vide quoque infrà *Soteria*. γ. Curulis, *Sella* fuit eburnea, alta & excelsa, quâ apud Romanos olim Consules & Prætores sedebant: cum reliquorum Senatorum sedes humiles essent. Usus earum ab Etruscis à Tarquinio Prisco Romam translatus est, Florus *l.* 1. *c.* 5. Coronis rotundis ornari consuevisse, docent *Hubertus Goltzius*, *Guil. Brassicanus*, aliique. Nomen ejus a curru. Qui enim Curulem Magistratum, i. e. majorem honorem gerebant, in Curiam vehi curru consuevêre, in quo *Sella* eburnea erat, supra quam considerent, teste Gelliô *l.* 3. *c.* 18. Ea, Ἀγκυλόπους δίφρος dicitur in *Gloss.* quia erat *pedibus incurvis*, ut illæ quas *Hispanicas* hodie vocamus. δ. Equestris, vide infrà. ε. Faldistorium supra Familiarica, eadem cum Balneari. ζ. Feretria, memorata Cœlio Aureliano *l.* 1. *c.* 1. eadem cum *Gestatoria*. Vide supra. η. Gestatoria, prolixè suprà descripta est. θ. Κλισίη, cujus mentio apud Homer. *Od.* δ. v. 255. δίφρος ... ἰχον ... *Thronus erat in quo reclinare se poterant, cum cervicali e lana confecto.* Aliàs Κλισμός. κ. Meretricium, Jun. λ. Muliebris, *Cathedra* dicta est apud Martialem frequens. Vide suprà. μ. Pertusa, eadem cum Balneari & Familiarica. ν. Plicatilis, Jun. ξ. Prima *Sella*, dicta est in curru scamnum equis proximum, in quo propria Aurigarum sedes, Phædrus *l.* 3. *fab.* 6 v. 5. *Sed istum timeo, Sella qui prima sedens jugum flagelli temperas.* ο. Regia, seu Imperatoria. Vide suprà. π. Sesquastrum. ρ. Solida, vide Pignorium. σ. Thronus, sella cum suppedaneo, *Od.* δ. Κλισμῷ ignobilior, præstantior verò Δίφρῳ. τ. Tonsoria memoratur Cæl. Aureliano *l.* 2. c. 1. &c.

SELLA Equestris, primùm memoratur *l.* 47. *Cod. Theod. de Cursu publ.* nec ante tempora Valentiniani Imperatoris ejus ferè mentio, ut & stapedum, de quibus aliquid diximus suprà, in voce *Scala*. A' *sagmate* differt, quòd hoc propriè animalibus onera bajulantibus imponitur, *Sella* verò equorum est vel aliorum animalium, quibus homo vehitur, Vegetius *Rei Veterin.* l. 2. c. 59. Unde *Sellaris equus*, Græcè ἵππος σελλάριος, item σέλλα, simpliciter *equus* nominatur in *Vita* B. Hilarii, & Sagmario contradistinguitur, quem Græci σαγμάριον dixere, Salmasius *ad Lamprid. in Heliogabalo.* c. 4. Quamvis hoc discrimen non semper observetur. Græcè ἐφίππιον; quâ voce priùs indigitata esse stragula equorum, quibus tum usi, discimus ex Xenophonte *de re equestri*, ubi monet, ut, qui equo, sive nudus ille sit, sive ephippiô stratus, insederit, rectus semper stet, non verò sedeat, veluti in *sella*, ὥσπερ ἐπὶ τῷ δίφρῳ ἕδραν. Cujusmodi stragula quadrangula fuisse, docet statua Antonini in Capitolio, qualibus hodieque famuli equos aquarum ductum insidere solent. Postquam itaque *sellæ* inventæ, ut in cœteris, ità hic mox crescere luxus cœpit, unde occasio data Leoni Imp. *in l.* un. *Cod. Nulli lic.* l. 11. interdicendi, ne quis *in equestribus sellis margaritas insereret* &c. Utut autem *sellis* equorum caruerint Veteres, in curribus tamen Heroicis *sedilia* fuisse *carmulia* seu *sellas*, docet Q. Smyrnæus *l.* 4. v. 505.

> Αἶψα δ' ἀν' εἰς χῶρον ξυνίζον βεβαῶτ' ἐπὶ δίφρους
> Χῶρον ἀν' ... ἔσαν ...

Ubi φόρον pro χῶρον reponit Barthius. Idem enim postea v. 549.

> ---- ---- καὶ πάντες ... ἐφ' ἵππων
> Ἕζοντ'

equos pro *curribus* dicens; his enim, non illis insedisse bellatores eos, ex serie orationis patet. Sed & τὰς τῶν δίφρων ἕδρας, *sellæ curulis*, meminit Xenophon *d. l.* Vide Casp. Barthium *Animadv. ad Stat. Theb.* l. 6. v. 425. &c. Hinc *Equestrem Sellam* gestandi ritus, ignominiæ causâ, in ministris Principum, gravioris alicujus criminis reis, antequam suppliciô afficerentur, à Francis Suevisque adhibitus, medio ævo, memoratur Gunthero *Ligurini l.* 5.

> *Quippe vetus mos est, ubi si quis Rege remotô,*
> *Sanguine vel flammis, vel seditionis apertæ*
> *Turbine, seu crebris regnum vexare rapinis*
> *Audeat, ante gravem quàm fusô sanguine pœnam*
> *Excipiat, si liber erit, de more vetustô*
> *Impositum scapulis ad contigui Comitatus*
> *Cogatur per rura canem confinia ferre,*
> *Sin alius, sellam.* ———

Nempe, uti Nobilis, qui hujusmodi scelere aliquô caput obstrinxerat, canem, sic ignobilis *sellam*, de Comitatu in Comitatum gestare cogebatur. Quæ ignominia, procedente ævô, ad majorem infamiæ notam, ad Viros quoque Nobiles & Magnates etiamsi capite non plecterentur, transiit. Hinc legitur apud Thom. Walsinghamum, Wilhelmum Belismensem Comitem rebellem, à Roberto Normanniæ Duce, intra munitionem conclusum esse, *donec ejus clementiam experiretur, & nudis vestigiis equestrem sellam ... humeris ferret*, p. 430. Instituti ratio fortè, ut hôc pactô omnimodam subjectionem testaretur reus, qui tanquam equus aut jumentum factus jugum se subire, & ad perpetuam servitutis conditionem deductum sese, ultro confitebatur. Certè ii quibus hæc pœna imponebatur, Dominorum, quos criminibus suis offenderant, non pedibus modò advolvebantur, quæ calcarentur ab iis & veluti protererentur, sed & *ut obequitarentur* (si ita loqui fas) *equi in modum*, uti ex *Chronico* vernaculo Normanniæ de Hugone Comite Cabillon. docet Car. du Fresne, qui plura egregia de hoc ritu congessit, in *Glossar.* Eodem pertinent, quæ de Valeriano Imperatore & Bajazethe victis ac in potestatem redactis alibi, ut & quæ suprà de *Calcandi hostes ritu* diximus. Vide quoque voce *Harmiscara*.

SELLÆ, populi Epiri. Lucan. *l.* 3. v. 180.

> ------ *Quercusque silentes*
> *Chaonio veteres liquerant vertice Sellæ.*

Σελλοί apud Homer. *Il.* π. v. 234. & ex eo *Strab.* & *Steph.*

SELLAI, nomen viri. *Nehem.* c. 11. v. 8.

SELLASIA, urbs Laconicæ. *Xenoph. Steph.*

SELLE Graja, apud Stat. *l.* 5. *Sylv.* 3. v. 127.

> *Te de gente suum latius adscita colonis*
> *Graja refert Selle: Grajus quæ puppe Magister*
> *Excidit* ———

urbs Epiri, colonia vel Romana vel Italica, de qua vide Strabonem *l.* 7. Casparum Barthium *ad Statium d. l.* ut & in voce *Sella*.

SELLEIS, fluv. Peloponnesi ex Pholoë monte in Arcadia profluens, ac inter Chelonatem promont. & Cyllenea urbem, in Ionium mare delabens. Homer. *Il.* ο. v. 531.

> Ἤγαγεν ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.

SELLEN, fil. Nephthali. Numer. c. 16. v. 49. qui Gen. c. 46. v. 49. *Sallen*, & 1. Paral. c. 7. v. 13. *Sallum* dicitur.

SELLENES, Thesprotiæ fluv. *Hesych.*

SELLES, fil. Helem. 1. Paral. c. 7. v. 35.

SELLI, vel ELLI, iidem qui *Dodonæi*. *Steph.*

SELLU, nomen viri. *Nehem.* c. 11. v. 7.

SELLULARII Opifices, qui dicantur, notum. Eos sub tumultus Gallici famam ad bellum excitos, Liv. memorat *l.* 8. *c.* 20. *Consules novi ---- comparare inter se provincias jussi: & Mamercino, cui Gallicum bellum obvenerat, scribere exercitum sine ulla vacationis venia, quin opificum quoque vulgus & sellularii, minimè militiæ idoneum genus, exciti dicuntur.* De illorum commissionibus, Athenis olim in festo χαλκείων factis, diximus suprà, voce *Manuaria*, it. *Opifices*. Dictæ autem Artes *Sellularia*, aliàs *Sordidæ* & *illiberales*, quòd separari soleant ab iis, quas homine ingenuô non indignas censemus, adeoque non nisi vulgo infimo & fæci vulgi conveniant. Certè Romani Rerum domini hujusmodi artes non exercebant satis longô tempore, servis ac peregrinis illarum curâ permissâ. Dionys. Halicarn. *l.* 11. *f.* 98. ... ἀγοραίους τέχνας δούλοις καὶ ξένοις ἐπέδωκε μετέρχεσθαι ... πολλῷ χρόνῳ ... Ῥωμαίοις τὰ τοιαῦτα ἔργα ... ἐπιτηδεύομενα. Duo tantùm ingenuis relicta studia, rei militaris, ac rusticæ, *ibid.* idque exemplô ac institutô Laconum, Plut. *in Numa* & *Agesilao*: Platonis item, qui ex civitate, quam sibi animô figurabat, artes sordidas ejecisse legitur, *de legg.* *l.* 5. Hinc Cæcilius eas Christianis objicit, tanquam sordidis & abjectis, apud Minucium Fel. *Octavio*. *Indignandum, ajens, omnibus, audere quosdam & hos studiorum rudes -- expertes artium, nisi sordidarum, certum aliquid de summa rerum -- decernere.* Christiani namque, lege & præscriptô suæ disciplinæ, institutô item ac more Ecclesiæ eas exercebant. Ipsi etiam Ecclesiæ Doctores ἐριουργοὶ σκυτοτόμοι καὶ γναφεῖς, *lanari, sutores & fullones* habiti. Origenes *contra Celsum l.* 3. item σκυτεῖς, ὑφάνται, χαλκοτύποι κλ. *curtarii, textores, fabri ærarii* &c. Theodoretus *Serm.* 8. *pistores*, apud eundem Minucium, ubi iterum Cæcilius, *ut pistorum præcipuus, ita postremus Philosophorum*: σκηνοποιοὶ, *tabernaculorum confectores*, qualem fuisse Aquilam, & ὁμότεχνον ejus ipsum Gentium Apostolum, legimus Actor. c. 18. v. 3. &c. Faciebant autem id, εἰς τὸ ἐπαρκεῖν καὶ τοῖς ... ut non sibi tantum necessaria procurarent, *sed & egenis succurrere possent*, Epiph. *Hær.* 80. juxta monitum Apostoli, Ephes. c. 4. v. 28 nec aliis molesti esse cogerentur, 2. Thess. c. 3. v. 8. Unde illa veter. Monachorum ἐργόχειρα, quæ & χειρίεργα, quorum toties meminit Basilius Ἀσκητικοῖς, & ὅρῳ 37. & nos suprà non unô locô. Vide Jo. à Wowet *Notis*, Geverh. Elmenhorst. *Commentar.* Desid. Heraldum *Castigat. & Notis ad Minucium Fel. d. l.* suprà etiam voce *Ordo* aliquid.

SELLUM, fil. Jabes, Zachariâ occisô, regnum Israëlis occupavit: mense pòst, à Manahem, duce copiarum Zachariæ, occisus. A. M. 3264. 2. Reg. c. 15. v. 10. Joseph. *Jud. Antiq.* l. 9. c. 11. Fil. Sisamai. 1. Paral. c. 2. v. 40. & c. 4. v. 25. Fil. Josiæ. 1. Paral. c. 3. v. 15. Fil. Nephthali. 1. Paral. c. 7. v. 13. qui Gen. c. 46. v. 23. dicitur *Sallem*, & Numer. c. 26. v. 49. *Sellem*. Fil. Sadoc. 1. Paral. c. 6. v. 12. Pater Ezechiæ principis. 2. Paral. c. 28. v. 12.

SELLUN, fil. Col-hoza. Nehem. c. 3. v. 15.

SELLUS, nomen patris Æschinis, hominis omnium, qui tunc Athenis vivebant, vanissimi & gloriosissimi. Unde omnes jactatores Selli dicti & σελλίζειν usurpatur pro ἀλαζονεύεσθαι. Aristoph. *Vespis*.

SELLUS, Hispaniæ Taraconens. fluv. *Avienus*. Item vir quidam Atheniensis, qui cùm esset pauper, volebat tamen videri dives.

SELMAI, pater Hagab. Nehem. c. 7. v. 48.

SELME, hodie *Salm*, caput Comitatus in Lotbariensium finibus, ad Saravi fluv. fontem. *Salinæ* quibusdam auctoribus dicitur. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & supra in voce *Salma*.

SELMON, mons nivalis Psalm. 68. v. 15. in Ephraim, juxta Sichem. Item nomen viri. 2. Sam. c. 23. v. 28.

SELNECCERUS Nicolaus, Germanus, ex oppido *Hersbruck*, nonnullis: aliis, inter quos Melch. Adamus, Norimbergâ oriundus, magni inter suos nominis Theologus fuit. Obiit An. 1592. ætat. 60. Extant ejus, *Collatio Textus Biblici & Chald. Paraphraseos de Λόγῳ & Meschia*: *Annotat. in Genesin una cum Isagoge in Exod. Levit. Numer. & Deuteron. Explicatio Jeremiæ, adjunctô Sophoniâ. trium item priorum capitum Danielis: nec non Amos, Abdiæ & Sophoniæ: Historia Passionis: In Euang. Harmonia, Explicationes & Homiliæ. Commentarii in Johannem, in Acta, in Epistolas Pauli. in primam & secundam Petri: ut & Homiliæ breves in 3. Job.* &c. Prodierunt opera 4 tomis in quarto Lipsiæ A. C. 1580. De se ipso hoc distichon fecisse legitur:

> *Quid sum? nil. Quis sum? nullus? Sed gratia Christi,*
> *Quod sum, quod vivo, quodque laboro, facit.*

SELOCHUSA, Insul. parva Peloponnesi apud Spiræum promontor. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

SELOMITH, nomen viri. Esdr. *c.* 8. *v.* 10.

SELVEUS Georgius, vide *Georgius*.

SELUNA, melius SENUNA, quod vide.

SELUR, Indiæ citerioris urbs. *Ptol.*

SELYBRIA, Thraciæ urbs ad Propontidem, *Ptol.* melius Σηλυμβρία *Stephano*. *Strabo* tradit antè *Selys* dictam, postea addita *Bria*, quod Thracum linguâ urbem significat *Selybriam* appellatam. At *Hesych.* explicat Βρία πόλις ἐν ἀγροῖς κώμη. *Olybria Suidæ* dicitur. Cleandri, ob crudelitatem, Byzantiô profugi, adventante Panthoidâ, receptaculum. *Baudrando Selivrée*, urbs Thraciæ, sed sine mœnibus 35. mill. pass. à Byzantio in Occasum Perinthum versus 25.

SEM, fil. Noæ, natus A. M. 1559. benedictionem à Patre impetravit, prætèritô Chamô. Obiit 2156. ætat. 600. Gen. *c.* 11. *v.* 11. Augustin. *de Civ Dei*, *l.* 16. *c.* 3. Isidor. *de Vita & morte SS. &c.* Latinè, *nomen*, *fama*, seu *ponens*, vel *positus*, aut *ibi*.

SEM tob, Rabbinus composuit *Darosot* in Legem. Cujus tempore Rabbi Abraham auctor fuit *Derech Amuna* & alius ejusdem nominis scripsit *Nive Salom*. Obiit anno 252. Millenarii VI. juxta calculum Rabbi Dav. Ganzii, *in Chronol. Rabbinorum*. Alius ejusdem nominis, Lugdunensis, scripsit librum *Miskal & Miscan hedut*, defunctus anno 55. præfati Millenarii. Vide eund. Ganz. *ad ann.* 5269. ubi *Rabbi Sem tot* auctoris *Adarosot* quoque meminit.

SEMAATH, mulier, 2. Paral. *c.* 24. *v.* 26. Latinè *audiens*, vel *obediens*.

SEMACHIDÆ, populus Atticæ in Antiochide, vel Epacria tribu, à *Semacho* quodam, cujus filiæ Bacchum hospitiô susceperunt, ac deinde sacerdotes Bacchi ex eorum familia electæ sunt. *Steph.*

SEMAJA, vide *Roboamum*; fil. Sechenîæ. Nehem. *c.* 3. *v.* 29. Item Pseudo propheta, Jer. *c.* 29. *v.* 24.

SEMANA Sylva, THURINGERWALDT Pyramio, sylva German. inter Thuringiam, Voitlandiam, & Franconiam, Hercyniæ pars.

SEMANTERIUM, item SIMANTER apud S. Germanum *in Theor. Semanterium obscurè significat Angelorum tubas.* Et, *Simanter est veluti typus clavorum, quibus profoderunt manus & pedes Domini:* ex Græco σημαντήριον & σήμαντρον; est instrumentum hastæ longitudine, cujus sonitu in Ædibus sacris utuntur Græci, campanæ locô, Dominic. Macer. *in Hierolex.* Vide infrà in voce *Simantrum*.

SEMANTHINI montes, *Idisa Mercatori*, in Sinis ad Boream, quibus Sinenses à Seribus separantur.

SEMARITH, nomen mulieris, 2. Paral. *c.* 24. *v.* 26. Latinè, *custodita*, vel *adamantina*, aut *spina*, vel *fex*.

SEMATHEI, fil. Sobal, filii Hur, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 54. Latinè *nominatus*, *positus*, *desolatus*, aut *stupefactus*.

SEMBELLA, vide suprà ubi *de Monetæ usu*.

SEMBRACENA, urbs Sabæorum, sinui Arabico proxima. *Ptol.*

SEMEBER, Rex Seboim, Gen. *c.* 14. *v.* 2. Latinè *nomen*, vel *fama robusti*, vel *fortis*, aut *alæ*, vel *pennatis*, seu *destruens fortitudinem*, vel *alam*, aut *pennam*.

SEMECA Joannes, Teutonicus glossator Decreti. Fuit Azonis discipulus, cumque diu Juri operam dedisset, Prædicatorum ut vocant Monasterium ingressus est. Postea initiô seculi XIII. Præpositus S. Stephani Halberstadiensis factus, *Decretum* interpretari cœpit. Cùm verò Clemens IV. decimas per Germaniam & Gallias, ad Palæstinæ loca redimenda, exigeret, *Semeca* ad Concilium appellavit, hinc ditis subjectus & locô motus, vide Crantzium *de Reb. Saxon. l.* 8. *c.* 29. Obiit A. C. 1269. Præter memoratum opus, quô anteriorum Glossas reformavit & paucis additis suas fecit, composuit quoque *Summam Confessionis*, quæ primum inter breviaria locum obtinens, quoties *Summa* non aliô adjectô citatur, intelligenda est. De eo Pancirollus *de clar. LL. Interpp. l.* 3. *c.* 6. *Non modicam*, inquit, *Operi Gratiani lucem affert; pleraque novi & veteris Testamenti loca eruditè explicat*, vide plura apud Gerh. von Mastricht *Hist. Jur. Eccl. n.* 334.

SEMEGER, unus ex principibus Regis Babyloniorum Jer. *c.* 39. *v.* 3. Latinè *aromata peregrini*, aut *ruminantis*, vel *certantis*.

SEMEI, fil. Gersom, Exod. *c.* 6. *v.* 17. Fil. Gera, ex familia Saul, maledixit Davidi, sed veniam ab ipso nactus, tandem sub Salomone luit. 2. Sam. *c.* 15. 16. 19. 1. Reg. *c.* 2. Fil. Phadaja, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 19. Fil. Joël. 1 Paral. *c.* 5. *v.* 4. Fil. Masma, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 26. Fil. Jeth, 1. Paral. *c.* 6. *v.* 42. Frater Chonenîæ, 2. Paral. *c.* 29. *v.* 14. Lat. *audiens*, *obediens*, aut *nomen acervi*, vel *destruens acervum*.

SEMEI, fil. Onan, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 27. Latinè, *nomen meum*, aut *desolatio*, seu *perditio mea*, vel *stupefactio*, aut *cæli*.

SEMEJA, pater Uriæ prophetæ; 1. Reg. *c.* 12. *v.* 22. Fil. Hassub, 1. Paral. *c.* 9. *v.* 14.

SEMEJAS, fil. Elisaphan, 1. Paral. *c.* 25. *v.* 17.

SEMELE, Cadmi, Thebarum Regis filia, ex qua Juppiter Bacchum genuit. Propert. *l.* 2. *El.* 28. *v.* 27.

Narrabis Semele quid sit formosa periclô.

Vide Fabulam apud Ovid. *Met. l.* 3. Hinc *Semeleius*, unde *Semeleia proles* Ovidio, *l.* 5. *Metam. v.* 329. & *Semeleus Thyoneus* Horatio *l.* 1. *Od.* 17. *v.* 23. Bacchus vocatur. Sepulchrum ejus Thebis, eoque pomœria hujus urbis fuisse terminata, notat Turnebus *Adversf. l.* 28. *c.* 43. Alibi tamen fuisse sepultam, tradit ex relatione Brasiatarum, quæ fuit civitas Laconiæ, Pausan. *l.* 3. Interim idem apud Thebanos ejus monumentum agnoscit, *l.* 9. Alibi tradit, à Baccho ab Inferis reductam, se verò nec omnino eam mortuam esse credere, quin nec mori quidem potuisse, quæ Jovis fuerit conjugio dignata *l.* 2. Inter Deos certè relatam, annuâque festivitate cultam esse discimus ex Lutatio *ad Statium Thebaid. l.* 1. *v.* 71. meminitque festi ejus *Hesych.* Statos tres annuos dies illi datos postmodum discas ex Livio: Nullum enim dubium, cùm *Simulam*, voce in Latium detortâ, Numen illud appellet Livius, omnia quæ eô *l.* 39. de Bacchanalibus illis deterrimis scribuntur, ad egregium illud pervigilium, quod Papinius commemorat *Theb. l.* 2. *v.* 71. ubi latè de *Semeles* festo, pertinere. Ingentem verò in eo religionem fuisse oportet, cùm & fulminata à Jove & à filio Baccho ab Inferis restituta, & *Thyone* posteà nomine culta sit, ut narrat Diodor. Sic. *l.* 3. Hymnum ipsius habes apud Orpheum, utique annuis his festis reperi solitum. Quam in rem vide plura apud Casp. Barthium *Animadv. ad Stat. passim*, inprimis *loc. cit.* ubi per ignem à Jove eam in cœlum translatam esse, tradere Aristidem Dionysio, addit: imitante fabulâ sacram de Eliæ raptu historiam, quod malis etiam usu venisse, vidimus hic passim. Sed nec omittendum, uti tumulum, ita & thalamum *Semeles*, Thebis ostensum, & ab omni hominum accessu custoditum suâ adhuc ætate, notare Pausaniam. *l.* 9. quam *arcem Semeles* vocat Lutatius *ad Stat. l.* 10. *v.* 68. &c.

SEMELIA, civitas in Oriente, unde oriundus Abdala, qui transiens in Africam vocabat se Mehedi, & ædificavit civitatem de nomine suo *Mehedomiam*. G. Tyrius *l.* 19. *c.* 21.

SEMEMPSIS Thinitarum in Ægypto Rex VII. patri Miebido successit, regnavit ann. 18. Tægar-Amacho-Momchiri incipiente regnare in Thebaide: præfuit ann. 18. sub eo magna in Ægypto lues fuit, & multa visa sunt prodigia *Syncello* & *Eusebio* testibus. Eum excepit Bienaches quem vide.

SEMEN, quibus in fructum assurgat gradibus, vide *Palea*.

SEMENDA, avis in Mediterraneis Indiæ nomen, quam phœnicem esse non dubitat Scaliger *Exerc.* 233. & Cardanus *de Subtil. l.* 10. quibus accedunt Arabes, docentes *Semendal esse avem quandam Indicam, quæ in igne non comburatur*, uti legimus in Giggejo-Damir addit, mantelia fieri ex ejus plumis, quæ in ignem conjiciantur, cùm expurgari est opus. Sed personatæ huic avi larvam detrahit, & hoc nomen corruptum ex salamandra esse, quam in igne vivere constans apud Veteres fama fuit, eruditè docet Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 6. *c.* 5. Vide suprà *Phœnix*.

SEMENTINÆ Feriæ, die 24. qui est 9. Kal. Febr. à Romanis olim celebrabantur, quamvis non statæ, sed conceptivæ essent, ut ex Macrobio *l.* 1. *c.* 16. discimus. Ita enim Ovid. *in Fastis*, *l.* 1. *v.* 657.

Ter quater evolvi signantes tempora Fastos,
Nec Sementiva est ulla reperta dies.
Tum mihi (sensit enim) lux hæc indicitur, inquit,
Musa quid à Fastis non stata sacra petis?
Utque dies incerta sacris, sic tempore certa
Seminibus jactis est ubi fœtus ager:
State coronati plenum ad præsepe juvenci,
Cum tepido vestrum Vere redibit opus.
Rusticus emeritum palo suspendit aratrum,
Omne reformidat frigore vulnus humus.
Villice, da requiem terra semente peracta,
Da requiem, terram qui coluere, viris:

Varro *de L. L. l.* 5. *Sementinas ferias*, diem illum vocat, qui à Pontificibus dictus est, cui nomen à *semente*, quòd sationis causâ susceptæ. Iis sacra in æde Telluris, Cereri & Tellumi, fieri consuevisse, docet idem *de R. R. l.* 1. *c.* 12. ad quas, pro felici frugum proventu, conceptas preces habes apud Ovid. ubi *suprà*. De *Sementis* autem tempore, apud veteres Romanos Græcosque, vide suprà ubi de *Satione*: uti *de Sacrificio Præsementitio*, voce *Eiresione*.

SEMER, nomen viri, 1 Reg. *c.* 16. *v.* 24.

SEMERIAS, nomen viri. Esdr. *c.* 10. *v.* 41.

SEMERON, civitas in tribu Zabulon.

SEMERON, nomen montis. 2. Paral *c.* 13. *v.* 4. ad quem Abia, rex Juda, vicit Jeroboam, in Tribu Ephraim.

SEMERONIUS, Babylonius Persa Historicus, citatur à Chronici Alexandrini auctore, *p.* 88.

SEMESTRE Aurum, apud Juvenalem *Sat.* 7. *v.* 89. ubi de Paride Pantomimo,

Ille & militiæ multis largitus honorem
Semestri *vatum digitos circumligat* auro:

annuli sunt, quos gerebant Tribuni semestres, pro dignitatis suæ insigni. Meminit hujus dignitatis Plin. *l.* 4. *Ep.* 4. quâ rogat Sossium, ut Calvisium Nepotem *tribunatu semestri* splendidiorem faciat. Nempe fuêre Tribuni Laticlavii, qui in spem Senatorii ordinis Tribunatum gerebant: fuêre & Angusticlavii, quasi secundi ordinis Tribuni, è quo genere fuêre Tribuni Semestres, qui Equitibus tantùm aut Equestri dignitate donatis conferebantur. Cujusmodi dignitatem & jus annuli Poëtis suis Pantomimus ille simul donabat. Salmas. *ad Solin. p.* 450. Aliud fuit *aurum æstivum* apud eundem Satyricum *Sat.* 1. *v.* 28. quod proin cum *Semestribus his annulis* malè nonnulli idem faciunt, vide suprà, ubi de *Auro æstivo*, item ubi *de Annulis*.

SEMIAMIRA, Heliogabali Imperatoris mater, in cujus gratiam hic Senatum mulierum, in colle Quirinali, instituit. Æl. Lamprid. *in Heliogabalo. c.* 2. 4. 14. Unde *Semiamirica Senatusconsulta*, dicta sunt quæ in illo Senaculo fuêre lata, *ridicula videlicet de legibus Matronalibus: quæ quô vestitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cujus osculum veniret: quæ pilentô, quæ equô, quæ sagmariô, quæ asinô veheretur &c.* Lamprid. *in Heliogabalo, loc. cit.* vide quoque infrà. Occisa est cum filio, *probrosissima mulier & digna*

qua filio. *Cautumque ante omnia post Antoninum Heliogabalum, ne unquam mulier Senatum ingrederetur*. Item *in seqq*. De nomine infrà, voce *Soemr*.

SEMI-ARIANI, ex Arianis oriundi, Patri Filium, non quidem per naturam, sed per gratiam, quantum in creaturam cadere potest, similem esse docuerunt: in hoc ab Arianis diversi, qui nullam hic in Essentia similitudinem agnoverunt. Atque, ut suæ hypothesi velificarentur, in Actis Synod. Nicenæ ὁμοούσιος loco ὁμοιούσιος substituêre. In conciliis Sirmii & Seleuciæ habitis, Filium Patri per omnia similem esse dixêre, in hoc ab Acacianis separati, postmodum tamen, omnibus Macedonianorum deliriis subscripserunt. Socr. *l.* 2. Ruffin. *l.* 1. Theodoret. *l.* 4. *hær. fab. c.* 3. Sozomen *l.* 4. Sulp. Severus *Hist. sacr. l.* 2. *&c.*

SEMIAXIARII, à Gentilibus olim Christiani appellati sunt, ut & *Sarmentitii*, quod ad stipitem dimidii axis revincti *sarmentorum ambitu* à cruentis Fidei persecutoribus comburerentur, uti ait Tertullian. *Apol. c.* 50. Vide Macros Fratres, in voce *Christiani*.

SEMICINCTIUM, titulus est Epigrammatis 153. *l.* 14. Martialis, quod sic habet:

> *Det tunicam dives: ego te præcingere possum,*
> *Essem si locuples, munus utrumque darem.*

Cingebat nempe hominem *medium*, à lumbis demissum ad poplites, uti nostrorum Artificum ventralia. Inventa autem sunt, ut iis se præcingerent, vel cùm lavarent in balneis, aut gymnastæ operam darent, vel cùm ministrarent: præcinctos enim ministrâsse, ex Suetonio aliisque scimus. Sed postmodum etiam ad alia iis Veteres usi sunt, quod constat, præter alia, ex sacra quoque Actorum historia, ubi hæc vox Latina usurpatur Græco Scriptori, ut & *Sudarium*, Actor. *c.* 19. *v.* 12. Vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl* voce Σιμικίνθιον, item Ὠράριον. Apud Romanæ Ecclesiæ Scriptores vox *orarium* notat seu *sudarium*, quod aurô & gemmis distinctum, ad dextrum femur à cingulo dependens, conspicitur in tabellis Græcanicis, quas ad suam *Constantinopolim Christianam* ære incidi curavit Car. du Fresne: adeoque Sacerdotalibus vestibus vulgo accensetur. Proprium tamen fuisse Episcopis, ex veter. *Charta* Idem docet in *Glossar*. Aliud semi *cinctii* genus est, quod Capucinos usurpare, tradit Domin. Macer *in Hierolexico*. Toto vero orbe diversum illud *Semicinctium* Anthropophagorum Brasilianorum, quod asservatur in Musæo Kircheriano Romæ. *Non est hic torques seu cinctura, ut illa Manlii Gallo exterta, aut aureo vellere exculta aut gemmarum pretiô spectabilis. Sed Brasiliæ Torquati, qui & ipsam pellem hostibus extorquent; & spoliorum locô ebur humanorum dentium, è torque, qui in modum fasciæ palmaris ex certo lini aut cannabis contexto subligaculo dependet, per palmaria fila & velut juniperi granis humanisque dentibus distincta, pendulum habent. Hâc enim multitudine dentium triumphantes sua facinora ostentant; totque dentes hæc perizomata continent, quot homines devorârunt, in testimonium generosi animi, eaque velut pubis tegumentum portant*, Georg. de Sepibus *Descr. Musæi hujus p.* 35. De succinctorio militum Rom. in *Semicinctii* plagula, vide infrà voce *Ventralia*.

SEMICOCTA, in sacris vetita Exod. *c.* 12. *v.* 9. ubi de Agno Paschali *Non comedetis ex eo* semicoctum *quidquam, aut coctum in aqua, sed assum igne*. Nempe coquorum incuriâ sæpe accidit, ut non perfecta sit coctio. Unde Martial. Næviæ *l.* 3. *Epigr.* 13.

> *Accusas rumpisque coquum, tanquam omnia cruda*
> *Attulerit* ——

Et Rufo *Epigr.* 94.

> *Esse negas coctum leporem, poscisque flagella.*

Quandoque etiam caro *semicocta* comeditur per immoderatam helluonum ingluviem, quæ nullas patitur moras. Et fuisse, qui dapes prope crudas eripuerint non solùm ex popinis, sed etiam ex locis sacris, discimus ex 1. Sam. *c.* 2. *v.* 13. ubi de filiis Eli Pontificis, *Athenæo*, ubi de muliere quadam, sacra nondum immolata ἱεροσυλούσης ὀψολόγου, *à veru rapiente*, & Suetonio *in Vitellio*, *c.* 13. quem gulæ ne in sacrificio quidem unquam temperâsse, ait, *qui inter altaria ibidem statim viscus & farra penè rapta è foco manderet*. Unde Poëta,

> *Est etiam è mediis victima rapta focis.*

Et in Hesiodo, inter alia præcepta, quæ ad mores pertinent, hoc quoque habetur *in Operib. v.* 746.

> Μηδ᾽ ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιῤῥέκτων ἀνελόντα
> Ἔσθειν. ——
> *Neque ab ollis nondum sacrificatis* (cibum) *rapiens*
> Comedito &c.

Et negligentia enim & ingluvies sacris indigna. Sed & ratio hujus ritus mystica, ut discerent omnes assiduâ meditatione mysteria hæc probè concoquere. Hinc apud Petronium, *cruda adhuc studia in vulgus propellere*, est ea proferre, quæ nondum attentâ meditatione concocta & digesta sunt. Qua de re vide Bochart. *Hieroz. Parte prim. l.* 2. *c.* 50. ut & aliquid suprà, voce *Popina*. Interim Gentilium Deos tam bonô fuisse stomachô, ut nonnunquam & semicruda, imò aliquando & planè cruda admitterent æqui diximus suprà voce *Exta*, it. *Reddi*. Quod quando fieri cœperit apud Romanos discimus ex Arnobio *adv. Gent. l.* 2. *Cùm Romulo Pompilioque regnantibus percocta planè ac madida concremarentur Diis exta, nonne Rege sub Tullio semicruda capisse & leviter animata* (i.e. spirantia adhuc) *porricere, prisca observatione contempta?*

SEMIDA, fil. Galaad, 1. Paral. 7. *v.* 19.

SEMIDEI, dicti sunt apud Veteres quos in cœlum vexisse merita credebantur. Vide *Indigetes*.

SEMIGALLIA, provinc. Poloniæ, aliàs Livoniæ pars, nunc sub Duce Curlandiæ. Terminatur à Septentrione Livoniâ, à qua fluvio Duinâ separatur, à Meridie Samogitiâ, & ab Occasu Curlandiâ. Ab Ortu in Occasum extensa. Ejus urbs primaria Mittavia, sedes Ducum, è gente Kettlera; ibique oppid. Dublinum & Bausca. Vide *Livonia*.

SEMIGERMANI, Livio *l.* 21. *c.* 38. Helvetii dicuntur, quia, ut ait *Cluverius*, eorum lingua Germanorum, quàm Gallorum sermoni propior fuit. Postquam enim Rhenum transgressi sunt, probabile est eos se & linguæ & moribus Germanorum, labente tempore, assuefecisse, Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Antiq.*

SEMIGUNTUS, Segestis fil. Cheruscorum ductor, à Germanico in bello captus est, & in triumpho ductus. Strab. *l.* 7.

SEMIPELAGIANI, Hæretici in Gallia exorti, seculô 5. qui rejectis Pelagianorum dogmatis ea tamen docuerunt, è quibus in illa per consequentias relabebantur. His Cassianus, natione Scytha, Massiliensis Presbyter, vir aliàs doctissimus, varii Massiliæ eruditi, nec pauci Episcopi, non bene intellectô S. Augustinô, præiverunt. Nimium arbitrio libero tribuentes, quæ Vir hic Dei, de Gratia, & certorum hominum electione docuit, damnaverunt. Qua de re à Prospero monitus, scripsit contra illos, *de Prædestinatione*, & *Perseverantia*. Prosper *Ep. ad Aug. ad Ruf. de ingr. &c.* Baronius, *in Annal.* Cassianus, *Collat* 2. Cassianum paulò pòst secutus est Faustus Rhegiensis, quibus adeò *Semi-Pelagianorum* seu *Massiliensium* ortum debet hæresis. Præcipua controversia fuit de *Prædestinatione* & *Gratia divina*, quam illi à voluntate humana præcedanea vel efficacem vel inefficacem, vel deficientem vel perseverantem suspendebant: denique *Deum & Hominem*, *Gratiam & Liberum* arbitrium, concurrentes ac coordinatas constituebant æternæ salutis causas. A quo quidem tempore doctrina hæc pestilens altissimas in Ecclesia Christi egit radices, ut hactenus nunquam potuerit exstirpari penitus: hodieque gravissimæ orthodoxis contra illius sectatores controversiæ & certamina intercedunt. Est enim *naturalis* error; & Gratia, quia particularis est, tantùm aliquos imbuit fide mysteriorum Evangelii: unde licet peccatum originis agnoscerent, & Gratiæ necessitatem, Universalismi erant defensores acerrimi, *Arminianorum aliorumque similium Patriarchæ*, M. Leydecker *Notis ad Hornii Histor. Eccl.*

SEMIPLOTIA, soleæ dimidiatæ, quibus olim utebantur in venando, quò planiùs pedem ponerent, Beroaldo *ad Sueton*. Salmasius verò non à *plotis* (seu *plautis*, ex Græco πλατύς) pedibus, aut quò planiùs pedes ponerentur, sic appellatas has soleas vult sed à *plotis* sandaliis, quæ Græcè βλαυτία, unde *semiplotia*, ἡμιβλαύτια. Vide eum ad *Tertullian. de Pallio c.* 3.

SEMIRAMIDIS Mons, pars Zagri, Mediæ montis, ubi pylæ Zagri, à Semiramide, quæ illum abscissum pervium reddidit. Hodieque *Semirami Nerro*. *Diodor. Sic.*

SEMIRAMIS, Assyriorum regina, Nini Regis uxor, ut quidam volunt, quæ post viri obitum, quod intelligeret Assyrios gravatè mulieris imperium passuros, dissimulatô illius obitu, personam ejus assumpsit, donec filius Ninus adolesceret, regnoque administrando, idoneus fieret. Justinus, *l.* 1. *c.* 2. Conon apud Photium *Narrat.* 9. tradit Semiramim non uxorem Nini, sed filiam fuisse. Ait præterea Justinus, illam, concubitum cùm à filio petiisset, ab eodem interfectam. A. M. 1038. secundùm alios, 1090. Conon verò longè aliter. Scribit enim cùm imprudens & ignara cum filio coiisset, re cognitâ eidem nupsisse, & ex eo tempore licitum semper fuisse Persis commisceri matribus. Hæc tantô libidinis ardore æstuâsse dicitur, ut post mariti mortem, non admiserit solum, sed etiam provocaverit ad Venerem plerosque ex suis militibus, qui formâ essent elegantiore, quos posteà crudeliter necabat. Et quod omnium longè turpissimum est, equum ab eâ adamatum, usque ad coitum, Juba testis est apud Plin. *l.* 8. *c.* 42. Fuit & iracundiâ tam vehementi, ut ei circa cultum corporis occupatæ, quum nunciatum esset, Babylonem defecisse, æstuans alterâ parte incomptâ ad eam expugnandam cucurrerit. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 108.

> *Quod nec in Assyria pharetrata Semiramis urbe,*
> *Mœsta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.*

Ovidius 1. *Amor. El.* 5. *v.* 11.

> *Qualiter in thalamos formosa Semiramis isse*
> *Dicitur, & multis Lais amata procis.*

Semiramis autem secundùm nonnullos Ascalonita fuit, quæ quartô locô apud Babyloniam annis 40. regnavit. De hac narratur, suam effigiem in lapide cujus longitudo 17. stadiorum esset, exsculpi jussisse, centumque sacerdotes statuisse, qui solemni ritu atque pompâ eam venerarentur, variisque sacrificiis ei litarent ac si Numen aliquod divinum esset. Hæc antecessit militiâ, triumphis, divitiis, victoriis omnes mortales. Ipsam urbem Babylonem maximam ex oppido fecit, ut magis dici possit illam ædificâsse, quàm ampliâsse. Vide *Babylon*. Cum expiravit, in columbam versa est: ideo abstinent Syri ab his avibus. Tibul. *l.* 1. *El.* 7. *v.* 17.

> *Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes*
> *Alba Palæstino sancta columba Syro.*

Capello, quidem *Semiramis* non est *columba*, sed Hebraicè *Semiram*, h.e. *nomen meum est altum*. At verò, quia *Hesych.* ait: Σεμίραμις περιστερὰ ὄρειος Ἑλλάνως, ideo Bochart. *l.* 2. *Canaan*, *c.* 11. vocem conflatam ex duabus Arabicis putat סר *Sera* scil & חמאם *hemam*, quarum illa *montem*, hæc *columbam* sonat. Columbâ etiam vexillum Babyloniorum insigniebatur, teste Diodor. Siculô, *l.* 2. quod insinuat Hieremias *c.* 25. *v. ult.* exhortans Hierosolymitanos, ut fugerent à facie iræ columbæ, i.e. Babyloniorum, quos columba, h.e. Semiramis, armorum ferociâ magis quàm Ninus, instruxerat, *Aquinas*. Cavendum hic, ait Voss. *l.* 1. *Idolol. c.* 23. Semiramim intelligas Nini uxorem. Nec enim Ninus uxorem ejus nominis habuit, vel si sic dicta, alia saltem est, quæ sic à Græcis celebratur, eaque annis junior amplius mille. Melius Græcis ista norant Phœnices. Audiamus igitur Herennium Philonem Bybliensem, ex quo sic *Stephanus*, ubi de Babylone: Βαβυλὼν πόλις ἀρχαιοτάτη, παιδὸς Βήλου σοφωτάτου, οὐχ᾽ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος, ταύτης γὰρ ἐν ἀρχαιο-

νῆσος ἐν Σ[illegible] Ἐλίνοπ, prout eum locum ex MSS. legi clarissimo Salmasio observatum. *Nic. Lloyd.* Itinera ejus seu ductus ejus intra Tanaim vel Jaxartem conclusi memorantur Plinio *l. 6. c. 16.* ubi de Alexandria, in ultimis Sogdianorum finibus condita ad Jaxartem: *Aræ ibi sunt ab Hercule ac Libero Patre constitutæ, item Cyro & Semiramide & Alexandro, finis omnium eorum ductus ab illa parte terrarum, includente flumine Jaxarte.* Craterem idem memorat *l. 33. c. 3. Cyrus devictâ Asiâ ---- reportavit & craterem Semiramidis, cujus pondus quindecim talenta colligebat.* Apud eundem inter nobiles picturas Echionis numeratur *Semiramis ex ancilla adipiscens regnum, l. 35. c. 10.*

SEMIRAMOTH, sacerdos quidam, 1. Paral. *c. 15. v. 18.* Latinè, *calorum altitudines*, aut *nominis sublimitas.*

SEMIRUS Plin. *l. 3. c. 10.* Simari, fluv. magnæ Græciæ, in Sinum Scylletium, ultra Scyllacium urbem influens, cum oppido cognomine quod alluit, à littore mill. pass. à Caracio 6. à Scyllacio 12. in Ortum recedens.

SEMI-SEPARATISTÆ, nomen sectæ in Anglia, qui & *Robinsoniani*, vide ibi de Auctore illorum *Robinsono*, it. vocibus *Independentes* & *Separatistæ.*

SEMISICLUS, cujus una facies ramum plantæ balsami refert, in quo Inscriptio *Mul Eagnet*, i.e. Circumcisionis tempore: altera palmam exhibet, cum epigraphe, *Menghabo*, h. e. à pinguedine: omnium vetustissimus, quippe tempore Josuæ cusus, quando Deus filios Israël circumcidi præcepit, asservatur in Musæo Kircheriano, Romæ, uti docet Georg. de Sepibus in *Descr.* ejus *p. 48.* Cæterùm *Semisiclus* seu didrachmus sacer, quotannis à Judæis Templo pensitari solitus est usque ad Vespasiani tempora, cùm itidem ad Romanos etiam ipsum hoc translatum est, Joseph. *Haloj. l. 7. c. 27.* Prius enim, à quo Judæa sub Romanorum potestatem redacta est, uti semisiclum Deo, ita alterum semisiclum pendere Romanis coacti sunt Judæi. Cùm enim Romani in Judaicis rationibus ac institutis videre ent istiusmodi capitationem factam, non solùm in ditione Israëlitica, sed passim per orbem terrarum inter Judæos, obtinere, inde fortè mensuram tributi Cæsariani, utpote æqualis imponendi, sumserant; non dubitantes, quin nemo magis imparem, ob censûs discrimen, solutionem ejusdem, quàm sacri didrachmi, causaretur, utcumque cuilibet præstatio annua jam dupla esset. Vespasianus postmodum & alterum semisiclum, quem hactenus Templo separatim pependerant Judæi, Capitolio solvi jussit &c. Qua de re vide Joann. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. secundum Instit. Hebræor. l. 6. c. 18.* aliquid etiam suprà voce *Drachma.*

SEMISSIS, pars dimidia cujusque nummi. *Semissem aureum* Latini *dimidium solidum* dixêre, Græci Byzantini ἡμιτριμήσιον. Unde Chaganus, postquam in singulos captivos Romanos unum petiisset νομισμα, Mauritiô id abnuente, saltem ἀνὰ ἡμισείας λαβεῖν [illegible] *semissem in singula capita*, postulâsse legitur, apud Theophanem *in Maur. ann. 18.* Interim *Semissem aureum* nunquam in moneta Cæsaris esse cusum, docet Salmas. ad *Lamprid. in Alexandro Severo, c. 39.* ubi in verbis, *Tunc primum semisses aureorum formati sunt*, jubet *tremisses* legi, contra Casaubon. aliosque.

SEMITA, vide infrà *Iter.*

SEMLA, quintus Rex in Edom, Gen. *c. 36. v. 36.*

SEMLAI, nomen viri, Esdr. *c. 2. v. 46.*

SEMMA, fil. Age, 2. Sam. *c. 23. v. 11.*

SEMMAA, pater Jonadab, frater David, 2. Sam. *c. 13. v. 3.*

SEMNESERTEUS, Rex fuit Ægypti, quô regnante Pythagoras in Ægypto fuit.

SEMNIUM, in *Vita* Agnetis de Bohemia 6. *Mart. Puellæ. calcata ad exemplum Agnetis mundo, Semnia parare, & certatim in ea ruere cœperunt:* Monasterium est, ex Græco Σεμνεῖον, quod in eo venerandi degant Monachi vel Moniales. Suidas Σεμνεῖον, ἀσκητήριον, ἢ μοναστήριον ἔνθα οἱ ἀσκηταὶ σεμνοὶ καθίζονται. Vide Carolum du Fresne *in Glossario* & Dominicum Macrum *in Hierolexico.*

SEMNONES, seu SENONES, *Ptolem.* populi Italiæ in ora Umbriæ, mari Adriatico expositi, inter Æmil. ad Occasum & Picenum ad Ortum. *Baudrand.* Populi fuêre Galliæ Cispadanæ ubi hodie pars Orientalis Romandiolæ: Eorumque urbes fuêre Ravenna, Ariminum, Cæsena, Forum Popilii & Forum Livii. Item populi German. sub Vindilis, *Ptol.* quorum regio Marchia Brandeburgensis hodie dicitur. *Baudrando* ubi hodie Lusatia & pars Silesiæ inferioris.

SEMO Sanctus, qui & *Fidius*, inter Indigetes Deos, Romanis fuit. *Inscript. Roman.* apud Gruterum *p. 96. n. 5. 6. 7.* *Semoni Sanco Deo Fidio sacrum.* Et alia, *Sancto Sanco Semoni Deo Fidio sacrum.* Et *Reatina: Sanco Fidio Semopatri.* Ovid. *Fast. l. 6. v. 213.*

> *Quærebam Nonas Sancto, Fidione referrem,*
> *An tibi* Semo *pater, tunc mihi Sanctus ait* &c.

Unde videmus, ut idem sit Semo, Sanctus & Fidius, quia per eum jurando fieret fides, sic dictus: & quô fonte ortus error B. Justini Martyris, quòd Samaritani suum Simonem Magum, in Actis *c. 8. v. 11. 18.* memoratum, pro sancto Deo haberent; eo statuam Romæ constitutam *Semoni Deo sancto*, positam putantis Simoni Mago, *Apol. 2.* Vide Voss. *de Idol. l. 1. c. 12.* & Jo. C. Suicerum voce Σίμων. item *suprà* in voce *Sangus*, nec non hic *infrà* in voce *Semones.*

SEMONES, ex illo Deorum numero, qui minorum gentium appellabantur, & ex hominibus relati in Deos: majores scil. hominibus, minores Diis. Fulgentius *de vocibus antiquis*: *Semones dici voluerunt Deos, quos cœlô nec dignos adscriberent ob merita paupertatem: sicut Priapus, Vertumnus: nec terrenos eos deputare vellent, per gratiæ venerationem.* Ovid. *Fast. l. 6. v. 213.*

> *Quærebam nonas Sanco Fidione referrem,*
> *An tibi Semo pater.* ——

Ubi *Sancus* vel *Sanctus Semo* dicitur non tam propriô nomine, quàm quod commune & aliis esset hujus generis Diis. Liv. *l. 8. c. 20.* *Bona Semoni Sanco censuerunt consecranda.* Vetus Poëta de Planetis apud Jos. Scal. *l. 1. Lect. Auson. c. 19.*

> *Terque die ternos puro de vespere tollens,*
> *Semonis Dei completur circulus anno.*

Ubi *Semo Deus* Mercurius est, uti interpretatur Scaliger dictô locô. Nota autem hîc alteram in *Semonis* produci, quod contra naturam originis videtur. *Semones* enim quasi *Semi-homines*, quod & Lipsio visum *Ant. Lect. l. 2. c. 18.* Cæterùm media in *hominis* correpta est, non producta. Sed vetustissimi Latinorum non *homo*, *hominis*, sed *hemo*, *hemonis*, dicebant, secundâ productâ. Ennius apud Priscianum *l. 6.*

> *Vulturis in silvis miserum mandebat hemonem.*

Ubi *Vulturis* nominativus antiquus est. *Festus*: *hemona humana*: *hemonem hominem* dicebant. *Nic. Lloyd.* In eorum tutela hominem esse olim creditum; auctorque est Augustin *de Civ. Dei l. 6. c. 9.* Varronem commemorâsse ac enumerâsse Deos, à conceptione hominis & exorsum à Jano, eam seriem perduxisse usque ad decrepiti senis mortem ac Deos ad ipsum hominem pertinentes clausisse ad Næniam Deam, quæ in funeribus canetur. Deinde cœpisse ipsum Deos alios ostendere, qui pertinerent non ad ipsum hominem, sed ad ea, quæ sunt hominis, sicuti est vestitus, victus & quæcumque alia, quæ huic vitæ necessaria sunt, monstrasseque in omnibus, quod sit cujusque munus & propter quid cuique debeat supplicari. Sed cùm libri illi interierint, omnes illos recensere impossibile est; Quantum tamen fieri potest, eorum, quorum apud Scriptores passim fit mentio, nomina atque officia congessit, atque in quatuor classes, quarum 1. *Deos conceptionum*, 2. *Deos nuptiales*, 3. *Deos parturientium*, 4. *Deos reliquis hominum actionibus præfectos*, complectitur, digessit Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 19.* in cujus calce, catalogum quoque eorum, qui singulis humani corporis membris præesse credebantur, subjungit ex Lilio Gyraldo *Syntagm. Deor. Gent.* & Hadriano Junio *Anim. l. 4. c. 12.* Cæterùm vocis originem ex Hebræo arcessit Georgius Hornius & à voce *Schamajim*, i.e. *Cœli*, ut nomen Idoli *Bel Samen* Phœnicibus, magnâ in veneratione habiti, i. e. *Domini cœli*, ita *Semonum*, quasi dicas *Cœli filios*, deducendam esse, contendit *Histor. Phil. l. 1. c. 7.*

SEMPACUM, vel SEMPACHIUM, vulgò SEMPACH, oppid. Helvetiæ, in Argovia regione ad caput lacus cognominis, vulgò *Sempacher-See*, de quo infra. Olim proprios habuit Nobiles, è quibus *Albertus* floruit, circa A. C. 1166. Dein ad Austriacam familiam pervenit. Incolæ jus civitatis adepti sunt à Lucernensibus, A. C. 1385 à quibus præsidium accepêre bellô contra Leopoldum Archiducem, qui A. C. 1386 oppidum gravi obsidione cinxit, mox ab Helvetiis, quos nimis contempsim spreverat, ingenti clade die 9. Julii affectus cæsusque. A quo tempore Sempachium, unà cum Sursejo oppid. in Lucernatum clientela esse cœpit: habet tamen proprium Consilium, causas tam civiles, quàm criminales judicans, cujus princeps *der Schultheiss*, à Senatu Lucernensi, sed ex civium Sempachianorum numero eligitur. Lacus suprà dictus, prope Sempachium incipit, Orientem versus: oppidulum verò Sursejum, ad egressum fluvii *Sur* ex isto lacu, qui à Meridie Septentrionem versus porrigitur, situm est, vide Stumpf. *Chron. Helv. l. 7. c. 35.* Simlerum *de Rep. Helv.* Joh. Bapt. Plantin. *Helv. Nov. antiq.* &c.

SEMPECTA, nomen in Ordine Benedictino *seniorum sapientum Fratrum*: maximè qui, quinquaginta annos in eo versati, hôc nomine ab omnibus oneribus immunes erant, vide *Regulam Ordinis c. 27.* De iis Ingulfus p. 886. *Quinquagenarius autem ordine Sempecta vocandus, honestam cameram in infirmitorio de Prioris assignatione accipiat, habeatque Clericum seu gartionem suo servitio specialiter attendentem, qui exhibitionem Victualium recipiet de parte Abbatis, modo & mensurâ, quibus ministratur gartioni unius armigeri in Abbatis aula. Huic Sempectæ unum fratrem juniorem commensalem, tam pro junioris disciplina, quàm pro senioris solatio, Prior quotidie assignabit* &c. Ex Græco συμπαίκτης, *collusor*, quòd istiusmodi senibus darentur συμπαίκτης, seu juniores Monachi, qui iis ministrarent, & cum iis mensæ assidendo, tædium illorum conversatione suâ dispungerent, ut ex hoc loco perspicuum est. Sed & συμπαίκτης hujusmodi seniorum Monachorum habet Palladius *in Historia Lausiaca c. 24. & 83.* quos priore locô *Collusores* vetus Interpres vertit. Ab Orientis Monachis desumptum morem, ipsum nomen innuit. Vide Car. du Fresne in *Glossar.* & infrà *Seniores.*

SEMPELIUS Hugo, vide *Hugo.*

SEMPHUCRATES, Thebanorum in Ægypto Rex XXVI. exponitur *Herculis Ἁρποκράτης*, praefuitque post Thinillum annos 18. dum Beon Tantarum Rex Pastorum imperium multum ampliaret. Ei successit *Chuther Taurus* tyrannus per annos 7. quem vide.

SEMPRONIA, fœmina Romana, *multa sæpe virilis audaciæ facinora commisit: genere atque formâ, præterea virô atque liberis fortunata, literis Græcis & Latinis docta, psallere & saltare elegantiùs, quàm necesse esset probæ*, Macrob. *Saturnal. l. 3. c. 14.* ex Sallustii *Catilin.*

SEMPRONIA Horrea, locus Romæ constitus, (Legem ferente Tib. *Semproniô* Gracchô de frumento menstruo plebi è publico viritim distribuendo, de qua *infrà*) in quo frumentum publicum asservabatur, unà cum Legibus frumentariis, Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 8. c. 12.*

Sem-

Semproniæ Leges variæ.

α. de ætate Militum, Legem tulit C. *Sempronius* Gracchus Tribun. Pleb. anno 630. Q. Cæciliô Metellô, T. Quinctiô Flaminiô Consulib. *Ne minores annis 17. ad militiam cogerentur. Ut vestes militibus gratuitò & præter stipendium darentur*, Plut. *in Gracchis*. β. de Fœnore, lata Lex à M. Sempronio Tribun. Pleb. L. Corn. Merulâ, Quintô Minutiô Thermô Consulib. *Ut cum Sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis esset*, voluit. Liv. *l.* 35. *c.* 7. γ. de iis, quibus Magistratus esset abrogatus, sanxit C. *Sempronius* Gracchus Tribun. Pleb. Q. Cæciliô Metellô Baleaticô, T. Quinctiô Flaminiô Consulib. anno 630. *ut, cui Magistratus abrogatus fuisset, ei Magistratum iterum capere jus non esset.* Quâ Lege M. Gelanius, cui Tribunatus erat lege Tib. Gracchi abrogatus, notabatur: Eam tamen Corneliæ Matris precibus ipse post Cajus abrogavit, Plut. *in Gracchis*. δ. de Judicibus. Cùm, ex Lege Romuli, Judicia penès Senatum essent, C. *Sempronius* Gracchus Trib. Pleb. Senatui iniquior, tulit anno & Consulib. iisdem, *ut Judicia à Senatorio ordine ad solos Equites transferrentur.* Appian. *Bell. civil. l.* 1. Tacitus *l.* 17. *c.* 60. Aliq. ε. de Jure suffragii Latinis dando, Legem tulit idem anno 630. *Ut Sociis Latinis jus suffragii ferendi perinde, ut civibus Romanis, esset.* Appian. *de bell. civil. l.* 8. ubi ait, *Gracchus multas promulgavit Leges de judiciis, de viis, de coloniis, & ad omnes Romanorum res Latinos advocabat &c. Idem anno* 635. *ut ex confusis quinque classibus sorte centuriæ evocarentur*, constituit, Sallustius *Orat. ad Cæsar.* ζ. de Menstruo frumento, Legem tulit T. *Sempronius* Gracchus II. Tribun. Pleb. M. Fulviô Flaccô, M. Plautiô Hypsæô Consulib. *ut semisse & triente frumentum menstruum plebi ex publico viritim daretur.* Vellejus *l.* 1. Cicer. *pro Sextio* &c. η. de Provinciis: C. *Sempronius* Gracchus Tribun. Pleb. Legem tulit annô sæpiùs memoratô 630. *ut Senatus quotannis, ante Comitia Consularia, designandis Consulibus provincias arbitratu suô decernéret, quas deinde ipsi designati inter se sortirentur*: quod autè, vel post designatos Consules vel post initum Consulatum facere solebant. Præterea, cùm anteà Senatus decretô per Tribunos intercedi posset, *ne deinceps liceret.* Cicer. *pro Domo, in Vatin. de Prov. Coss.* &c. θ. de Sacris. Sulpitius *Sempronius* Sophus Consul. legem tulit annô 449. *Ne quis templum aramve, injussu Magistratus aut Tribunorum Pleb. majoris partis, dedicaret.* Liv. *l.* 9. ι. de Viis Italiæ. C. *Sempronius* Gracchus, annô sæpiùs dicto, *ut viæ in Italia munirentur, sternerentur, lapidibus milliaria discernentibus notarentur, pontibus instruerentur*, (Plut. *in Gracchis*) tulit. κ. *Ut per assiduos limites jus eundi esset, sicut per viam publicam.* Legem rogavit T. *Sempronius* Gracchus Tribun. Pleb. Publ. Mutiô Scævolâ, L. Calpurniô Consulib. annô 620. Hyginus *l. de limitibus constituendis*. λ. Porrò, de jure civium Roman. leges tulit idem Cajus *Sempronius* Gracchus suprà memoratus, annô 630. Consulib. prædictis: *Ne de capite civis Romani injussu Populi judicaretur: Ut qui Magistratus indictâ causa in civem Romanum animadvertisset, de eo Populi quæstio constitueretur. Ne quis coiret conveniret, quo quis judiciô publicô circumveniretur.* Quarum secunda propter P. Popillium, à quo Consule Tiberii, Caji fratris, Socii miserè fuerant divexati: Tertia in Senatores, pro Plebe, lata est, teste Cicer. *in Cluent.* Carolus Sigonius etiam Porciam Legem ab eo latam fuisse opinatur, *de cive Romano virgis non cædendo, necandove.* Meminêre harum Legum Cicer. *pro Rabirio, pro Domo, pro Cluent.* & *l.* 3. *de Legg.* Plut. *in Gracchis*, Alii. Idem Cicero 7. *Verr. exclamat, ò nomen dulce libertatis! ò jus eximium nostræ civitatis! ò Lex Porcia, legesque Semproniæ!* Exceptum tamen parricidium videtur, cùm *in Orat. pro S. Roscio* vetus supplicium commemoretur. μ. Nec omittendæ Leges *Semproniæ*, de possessione agrorum publicorum, latæ à T. *Sempronio* Graccho Tribun. Pleb. annô 620. quarum una repetitio *Liciniæ* fuit: *Ne quis ex publico agro plus 500. jugera possideret: quorum tamen dimidium filiis habere liceret. Ut si quis latiùs agrum patefaceret, Triumviri quotannis datâ operâ creati judicarent, qui publicus ager, qui privatus esset*, Appianus *bellor. Civil. l.* 1. Vellejus *l.* 2. Victor *de Viris Illustr.* Cicer. *pro Sextio* & de Aruspicum *Resp.* Florum *Epitom.* 58. & Siculus Flaccus *l. de condit. Agrorum*: apud Joh. Rosinum, qui has aliasque Leges Roman. diligenter collegit, in egregio opere *de Antiqq. Rom. passim.*

SEMPRON[I]UM, seu SOPRONIUM, oppid. Pannoniæ superioris à *Sempronio* Secundino cive Romano conditore dictum, in Hungariæ & Austriæ confinio inter Viennam & Sabariam, *Oedenburg* Latio. *Baudrando Sopron* Ungaris urbs est munita Hungariæ inferioris prope Peisonem lacum 8. milliar. German. à Posonio in Meridiem sub Austriac. in limite Austriæ inferioris. Huic *Comitatus Sopronienfis.*

SEMPRONIUS, Vide *Publius.*

SEMPRONIUS Atratinus, Consul, ab Urb. C. ann. 31. Hic Σοφὸς dictus est. Vide *Lucius.*

SEMPRONIUS Blæsus, vide *Cajus.*

SEMPRONIUS Densus, centurio prætoriæ cohortis, qui in conjuratione Othoniana, strictô pugione occurrens armatis & scelus exprobrans, ac modò manu, modò voce, vertendo in se percussores, quanquam vulnerato Pisoni, effugium dedit, Tacit. *Hist. l.* 1. *c.* 43.

SEMPRONIUS Gracchus, vide *Gracchus.* Item *Titus.*

SEMPRONIUS Longus, vide *Titus.*

SEMPRONIUS Rufus, Vir Prætorius, primus apud Romanos ciconias cibi causâ occidit, repulsam propterea in Consulatu passus. Unde de eo isti versus leguntur apud veter. Horatii Scholiastem,

Ciconiarum Rufus iste conditor
(Ipse est duobus elegantior Planeis)
Suffragiorum puncta non tulit septem:
Ciconiarum populus ultus est mortem.

Vide Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c. ult.*

SEMPRONIUS Rutilus, prænomine *Marcus*, inter tribunos Cæsaris, in Gallia. Vide *Comment. c.* 7. *fine.*

SEMPRONIUS Saturninus, vide *Cajus.*

SEMPRONIUS Sophus, prænomine *Sulpitius*, Legem ad sacra pertinentem tulit, anno Urb. Cond. 449. cujus supra mentio facta est. Idem divortium remisit uxori, quod *se ignorante Ludos spectasset*, uti docet Plut. *in comparatione Roman. & Græci*, Val. item Max. *l.* 6. *c.* 3. &c.

SEMPRONIUS Tuditanus vide *Cajus.* Item *Marcus.*

SEMPRONIUS, mons inter Oscellam oppid. Insubriæ & Sedunos trajiciendus, vulgo *M. Sempron, & Den Sempeler. Mont Sempione Baudrand.* pars Alpium Penninarum, 40. mill. pass. à Seduno in Ortum 24. ab Oscelia in Boream versus Rhodani fontes. *Plantino* mons Vallesiæ est, è regione Brigæ, aliter *mons Scipionis*, hodie German. *Simpelberg*: Gall. *S. Plomb*, ital. *Sampione*: *Mertiano mons grigia*, à vico proximo. Ex hoc monte, quà vicum respicit, fluv. Saltina, quà Italiam, fluv. Athiso oriuntur. Per eundem ad Lepontios Transalpinos iter est, neque procul his montes dicti, vulgo *Passes, & Maner.* Vide Munster. *l.* 3. Simler. *in descr. Vallesiæ l.* 1. *& Comm. de Alpibus*, Joh. Bapt. Plantinum *Helv. nov. antiq. &c.*

SEMRAN, fil. Issaschar, Numer. *c.* 26. *v.* 24.

SEMRI, filius Samaja, 1 Paral. *c.* 4. *v.* 37.

SEMRI, in tribu Benjamin, *Hieron.*

SEMUNCIARIUM Fœnus, Lege Tribunorum Pleb. sancitum ann. Urb. Cond. 4. C. Plautiô Hypsæô, T. Mentiô Imperiosô Torquatô Consulib. Vide infrà *Uncia.*

SEMURIUM, vulgò SEMUR EN AUXOIS, urbecula Ducatus Burgundiæ, in Alexiensi tractu ad Armantionem fluv. 10. leuc. ab Augustoduno in Boream 11. ab Antissiodoro in Eurum.

SEMURIUM, vulgò SEMUR EN BRIENNOIS, oppid. Ducatus Burgundiæ in colle, in tractu Augustodunensi. Vix 1. leuc. à Ligeri in Ortum, 3. infra Rhodumnam in Boream.

SEMURIUM, campus Romæ vicinus, in quo erat templum Apollinis, cujus meminit Cicer. *in Anton.* & Macrob. *l.* 1. *Saturnal. c.* 10. ubi de Acca Laurentia loquitur.

SEMUS Delius, Phallophorici carminis auctor. Scaliger. *Poetic. l.* 1. *c.* 10.

SEMUS, Eleus Gramaticus, de quo videndus Voss. *de Histor. Græc. p.* 413.

SEN, nomen loci, 1. Sam. *c.* 7. *v.* 12.

SENA, Insula parva Britanniæ minoris *l'Isle de Sain*, in Orientali Curiosolitarum, inter Syrtes & Brevia, vix una leuc. ab ora in Occasum uti à vico *Ras Fontene*, 18. autem à Corisopito; 5. à Gobæo promontor. in Meridiem.

SENA, Piceni sive Umbriæ in Italia oppid. in litore Adriatici maris, non longè à Metauro fluv. An. 396 Urb. Cond. 3730 Mundi, à Gallis Senonibus conditum, & appellatum, ut ex Polybio constat. *l.* 2. Unde *Senogallia*, seu *Sena Gall.* dicitur Plinio *l.* 3. *c.* 14. Sil. *l.* 8. *v.* 454.

Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Idem *l.* 15. *v.* 552.

——— *Quà Sena relictum.*
Gallorum è populis servat per secula nomen.

Baudrando urbs est Ducat. Urbini, ad ostia fluv. Nigolæ, in mare Adriatic. satis lepida, in planitie, versus limites Marchiæ Anconitanæ. Anteà sub Malatestis, dein sub Ducibus Urbini, sub quibus etiam caput erat dominii separati, nunc sub Pontifice à tempore Urbani VIII. Hìc inter Romanos & Hasdrubalem pugnatum, *Polybius Liv.* &c. Alia urbs ampla Hetruriæ in eadem Italia, quæ hodieque durat, elegantiâ sermonis Italici celebris, intra colles sita, caput agri Senensis, in limine agri Florentini: Condita est à Gallis Senonibus, post captam à Brenno Romam. Dein Colonia fuit, Romanô Imperiô declinante varias subiit vicissitudines multiplicemque passa dominatum est; exin Caput fuit Reipubl. per aliquot secula, sed tandem, postquam à Carolo V. præsidiô Hispanicô ejectô defecisset, A. C. 1552. recepta ab Hispanis A. C. 1554. magno Hetruriæ Duci, qui eam astutè Hispanis extorserat, Thuan. *Hist. l.* 18. cessit, cum tota ditione. Arcem habet pentagonalem instructissimam. Cives ingeniô pollent, Academia celebris, Patria est Bernardini, Ambrosii, Catharinæ tanti inter suos nominis, Joh. Colombini, qui Jesuit. fundavit ordinem, Alexandri III. Pii II. Pii III. Alexandri VII. PP. &c. è quibus Pius II. Episcopatum urbis in Metropolitanam evexit dignitatem. Basilicam porro urbs habet magnifici operis totam è marmore, in qua aliquot Imperatorum Pontificumque tumuli; Nosocomium, Cœnobium Dominicanorum, & Franciscanorum, Palatia, vicos, non minus admiranda: Fontes egregios, quorum præcipuus in foro *la branda* nomine, alia, quæ vide apud Blondum *Ital. Illustr.* Leandrum Albertum & Merulam *descr. Italiæ.* Jugurtam Tomasinum *Hist. di Siena.* Orlandum Malavoltium *de Fatti & Guerre de Senesi.* Guicciardinum *Histor.* Paulum Jovium, &c. Post Concilium Constantiense aliud Papiæ indictum est à Martino V. A. C. 1423. quo cùm nemo confluerer, Senas id transtulit. In eo conclusum, ut ossa Vicleffi 40. jam ann. sepulta exhumata cremarentur: præterea Antipapæ Benedicti XIII condemnatio confirmata est, cujus partes cùm Alphonsus Aragonius tueretur, discordiâ inter Patres obortâ, cœtus dissipatus: pauloque post Basileæ Concilium pro Reformatione

ne Status Ecclesiastici indictum est, ubi præsente Sigismundô Imperatore liberius in auctoritatem Pontificum inquiri cœpit, A. C. 1431. & seqq. Vide Platinam *in Martino V.* De utroque plura Cæsar Orlandius *de urbis Senæ, ejusque Episcopatus antiquitate.* Item, Urbs Asiæ Scythic. Est & Flaminiæ sive Æmiliæ fluv. *Sena.* Vide *Senna.*

SENAA, civitas, in tractu Benjamin, Esdr. *c.* 2. *v.* 35. Latinè *rubus*, vel Syriacè *inimicus.*

SENAAB, Rex Adamæ, Gen. *c.* 14. *v.* 2.

SENACULUM, Varrone teste, *locus dictus est, ubi Senatus, aut ubi Senatores consisterent*: Græcè Γερουσία. Idem *Festus* confirmat, inquiens, *Senaculum esse locum Senatorum.* Et paulo ante. *Senacula Romæ tria fuisse, in quibus Senatus haberi solitus sit, memoriæ reddidit Nicostratus in libro, qui inscribitur, de Senatu habendo: Unum, ubi nunc est Ædes Concordiæ, inter Capitolium & Forum, in quo solebant Magistratus cum Senioribus, ut dicit Titinnius, deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum Nationum Legatis, quos in Urbem admittere nolebant, Senatus dabatur.* Eadem P. Victor habet, vide quoque Lamprid. *c.* 4. *in Heliogabalo, Livium, Alios.* Nihilominus & sub dio, cum esset nunciatum, bovem loquutum esse, Senatum habitum fuisse, scribit Plin. *l.* 8. *c.* 45. Docetque A. Gellius *l.* 14. *c.* 7. ex Varrone. *Senatum nisi in loco per Augures constituto, quod Templum appellaretur, haberi non licuisse, quodque Senatusconsultum aliis locis factum esset, justum non fuisse & propterea in Curia Hostilia & Pompeja, & posteà in Julia, cùm profana ea loca essent, Templa fuisse per Augures constituta, ut in iis Senatusconsulta, more Majorum, justa fieri possent.* E quibus discimus, antiquis quidem temporibus tria tantùm *Senacula* seu *Curias*, ut posteà vocari cœperunt, fuisse in usu; accessisse dein & alia quædam loca per Auguria constituta, i. e. aut Curias inauguratas aut Templa Deorum. Unde Cicero *pro Milone*, Curiam *templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici*, appellat: Legimusque apud Lamprid. *in Severo, c.* 6. *Cum Senatus frequens in Curiam, h. e. Templum Concordiæ, Templumque inauguratum convenisset.* Ubi *Templum inauguratum* addit, quia, cùm Romæ plures essent Concordiæ ædes, sola tamen, quæ in Liviæ porticu, inaugurata erat. Præter verò Concordiæ hoc templum, maximè in Veter. monumentis celebrantur, propter Senatus consilia, ædes Jovis Capitolini, Apollinis, Bellonæ (quod unum ex tribus priscis *Senaculis*) Vulcani, Castoris, Telluris, Virtutis & Fidei: Inter Curias etiam inauguratas, Curia Calabria, Curia Hostilia, Curia ad portam Capenam (similiter ex Festi *Senaculis*) item Pompeja, Julia, Octavia. Utrobique autem par religio erat, neque minus sacræ Curiæ, utpote inauguratæ, quàm Deorum templa: quo factum, ut Veteres eum locum, ubi Senatus convenire soleret, sive in Curia, sive in Templo, indifferenter *Curiæ* nomine insignirent. Jac. Oiselius *Notis in A. Gellium loc. cit.* De Julia inprimis Curia, quæ erat prope Comitium, & in locum Curiæ Hostiliæ successit, memorat Dio *l.* 47. & 51. sub Jul. Cæsare quidem à Senatu decretam, ab Augusto verò demum dedicatam esse: de Pompeja item, Appian. *l.* 2. in ea Senatum, Ludorum diebus, convenire consuevisse; &c. Postmodum *Senaculum mulierum* accessit sub Heliogabalo. Lamprid. in *Vita* ejus, *c.* 4. *Fecit & in colle Quirinali* senaculum mulierum, *in quo ante fuerat conventus matronalis, solennibus duntaxat diebus, & si unquam aliqua matrona Consularis conjugii ornamentis esset donata.* In quo qualia Senatusconsulta fuerint facta, diximus suprà, in voce *Semiamira.* Sed mortuô Heliogabalô, ademtum jus hoc matronis: quod tamen Aurelianum ipsis restituere voluisse, docet Vopiscus, *c.* 49. *Senaculum matronis reddi voluerat, ita ut primæ illic, quæ Sacerdotia Senatu auctore meruissent* &c. Vide Salmas. *ad d. l.* ubi utrobique malè *Senatulum* nonnullos legere ostendit.

SENAD, & SENAGIA, inter animalia Arabum fabulosa, multis describuntur Alkazuinio *in Mirabilibus.* Et quidem illud animal esse bove majus, cujus catuli, capite è vulva matris exerto, pascantur, donec invalescant; hoc animal immensæ molis cujus lustrum parasangam pateat, Gorgonum naturæ, ut quô visô cœtera animalia statim intereant; utrumque in India frequens, fabulantur. *Sed in India Ctesiæ credo, quæ tota portentis scatet*, addit Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 6 *c.* 13.

SENATOR, ab ætate: nomen à Romulo impositum iis, penes quos consilium Reip. esse voluit, qui ex auctoritate *Patres* quoque dicti. Eosdem Lycurgus *Gerontes*, Apollo *Presbygeneas* appellavit. Summæ postea, sub Rodolphi I. Imperatore apud Romanos dignitatis id nomen fuit, qui Carolum Siculum, A. C. 1280. *Senatorem* dixêre, dignitate hâc posteà motum à Nicolao III. qui ejus potentiam veritus, conjurationis Siculæ auctor extitit. Vide Florum, Marin. *l.* 3. P. Æmil. *l* 3. Pap. Masson. *l.* 3. *Hist. &c.* nec non hîc infrà.

SENATORES, augustum Regum & aliorum Magistratuum consilium, Romæ à Romulo instituti leguntur, hâc ratione: Primùm ipse Romulus ex omnibus unum declaravit, cui rerum Urbanarum regimen committeret, quoties ipse foris bellô distringeretur; deinde jussit unamquamque Tribum tres Viros seligere, qui per ætatem maximè saperent, & genere præcellerent; post hos novem mandavit singulis Curiis, ut è Patriciis ternos eligerent, maximè idoneos, adjectisque ad illos novem, quos Tribus legerant, his nonaginta, & omnibus præfectô Duce, quem ipse secreverat, centenarium numerum explevit. Quod Concilium *Senatum* vocavit; ipsos autem, qui electi essent *Senatores*, ab ætate, vel virtute: item *Patres*, vel quòd solùm legitimi Patres suos ostendere possent, vel à patrocinio, paternoque affectu in cives, appellavit. Cùm verò postea, confectô bellô Sabinô, Sabinorum, Etruscorum aliorumque indies ad Asylum confugientium adventu, Urbs admodum crevisset, eosque Romulus in civitatem æquô susceptos jure in Lucerum Tatiensiumque Tribus conjecisset, placuit Romulo Tatioque in societatem Regni adscito, ut Patriciorum duplicatô numerô *Senatorum* quoque numerus augeretur: quô pactô ducenti facti sunt. Donec Tarquinius Priscus, mox ut Principatum accepit, ad conciliandum sibi Plebis favorem, selectos ex omni plebejorum numero Viros centum spectatæ vel fortitudinis vel prudentiæ, in Patriciorum primò allectos ordinem; Patrum itidem numero adscripsit, ac è ducentis trecentos *Senatores* fecit, *Dionys. Liv. Plut* Sunt tamen, qui secundum Centenarium Senatorum à Prisco additum, eosque *Senatores minorum gentium* vocatos: tertium à Bruto, à quo tempore *Patres Conscripti* dici cœperint, contendant. Vide Matt. Philericum *in Cicer. l.* 1. *Ep. famil.* 1. Alexandrum ab Alex. *Genial. dier. l.* 2. *c.* 19. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom l.* 1. *Sect.* 2. c. 2. &c. Longô tempore post, à C. Graccho Tribun. Pl. allectis ex Equestri ordine aliis trecentis, sexcenti *Senatores* facti sunt Lege, quam tamen Populus paulo post antiquavit; cumque eam M. Livius Drusus Tribun. Pl. retulisset, unà cum cœteris Livianis, Philippô Cons. referente, unum S. C. sustulit. Circa Sullæ dein tempora, cùm is Senatum exhaustum supplevisset, numerus *Senatorum* quis fuerit, non adeo liquet, tamen supra 400. fuisse, ex *Ep. quadam* Ciceronis *ad Atticum* elici potest. Inde auctum ad nongentos à Cæs. Dictatore Senatum, & post necem ejus à Triumviris Reip. constituendæ, indignissimâ etiam turbâ repletum, & *Dionis* & omnium propè loquuntur Historiæ. Hinc Suetonius, Augustum *Senatorum affluentem numerum deformi & inconditâ turbâ (erant enim supra mille & quidam indignissimi) ad modum & splendorem pristinum redegisse, memorat, c.* 35. Vide Carol. Sigonium, & Lazium *de Republ. Rom.* Cœterùm legi solebant à Regibus, Consulibus & Censoribus *Senatores*, aliis tamen atque aliis temporibus; habitaque fuit, in iis legendis, generis, ordinis, censûs, ætatis & Magistratus ratio. Generis quidem, ut ex Patriciis primùm legerentur: Plebejos primùm in Senatum allegisse Tarquinium Priscum vult *Zonaras*; quod Bruto & Poplicolæ, primis Consulibus, tribuit *Festus.* Eos tamen antequam in Senatum adsciscerentur, Patricios fuisse factos, tradit apertè Dionys. ut visum: ex quo etiam colligitur, post annum Urb. Cond. 260. & ante an. 320. uti ex *Livio* patet, plebi Senatum communicatum fuisse. Ordinis ea ratio fuit, ut magis ex equestri Ordine, qui proximus dignitate erat, quàm ex Plebejo, legerentur ii, qui Senatui erant adscribendi. Censum quoque in legendo Senatu fuisse spectatum, Seneca *l.* 2. *Controv.* 1. docet, inquiens, *Senatorium gradum census ascendere facit*: quod antiquitus non fuisse Plinius innuit, cùm ait *l.* 14. *in Proœm. Posterius laxitas mundi & rerum amplitudo fuit, postquam Senator censu legi cœptus, pessum ire vitæ pretia* &c. Fuit autem ante Augustum, census *Senatorius* sestertiûm 800. m. quem postea Augustus ampliavit; tantaque ejus ratio habita est, ut non solùm, qui censum hunc non haberet, Senator legi non posset, sed & si, posteaquam lectus esset, illum labefactâsset, ordine moveretur. Vide Cic. *Epist. ad Q. Valerium.* Quinetiam ætas attendebatur, quam quidam eandem cum Quæstoria fuisse contendunt; Quæsturæ autem capiundæ annus fuit 27. Et sic quidem Sigonius *de antiquo Jure Civ. Rom. l.* 2. *c.* 2. Quæ conjectura nititur auctoritate Valerii Maximi *l.* 2. *c.* 2. *ex.* 1. ubi scribit. *P. Crasso Q. Fabius narravit, quod in Curia erat actum, memor eum triennio ante Quæstorem factum ignarusque nondum eum à Censoribus in ordinem Senatorum electum.* Vide quoque Cicer. *Philipp.* Interim quanquam 27. annô Quæstor aliquis fieri potuerit, vix tamen Quæsturam quisquam hâc ætate gessit, vel si gessit, rarò in sequentem annum lustrum incidit: Unde forsan neminem, ante 30. annum, in *Senatorum* ordinem lectum, quis haud absque ratione suspicaretur. Accedit, quod illi maximè in Senatum legi consueverint, qui Magistratus cepissent: Quæsturam verò primum Urbanum fuisse Magistratum, notum. Verùm, utut quis Magistratu functus esset, *Senator* tamen nondum erat, nisi à Censore lectus esset: hujus enim *Senatores* legendi, ut & prætereundi iterum ac removendi, potestas erat; ita ut, quem in recitando Senatu nominâsset, is lectus in Senatum: quem prætériisset, idem Senatu motus putaretur. Appii Claudii Cæci Censoris, qui Libertinorum filios legit, & Fabii Buteonis Dictatoris Senatus legendi causâ dicti, lectiones fuêre extraordinariæ, sicut & Gracchi atque Drusi, Tribb. Pleb. Sullæ ac Cæsaris Dictatorum, Triumvirorum Reip. constituendæ atque Augusti Cæsaris. Insigne *Senatorium*, fuit latus clavus, quô ab Equitibus discreti sunt & calceus niger. Vide infrà. Mulcta, cùm quisque absque justa causa abfuisset, lege definita fuit, ut colligitur ex Dione *l.* 55. ubi Augustum mulctas auxisse tradit, καὶ τὰ ζημιώματα τοῖς μὴ δι' εὔλογον αἰτίαν τῆς συνεδρίας ἀπολειπομένοις ἐπηύξησεν; quæ antequam solveretur, capiebantur pignora: eum in finem, ut si mulcta in condictum non solveretur tempus, illa venderentur, quod *cædere pignora* antiquâ phrasi, dictum est, i. e. *distrahere*, ut liquet ex Cicer. *proœm. l.* 3. *de Orat.* Vestis, toga erat candida: Sedes in Theatro, Buleuticon: filii, ex Equestri erant ordine: Primarius, *Senatûs Princeps*, de quo infrà, dicebatur. Nec omittendum, quinam *Pedarii Senatores* fuerint appellati, paucis indicare. Quidam sic dictos volunt, qui sententiam non verbis, in Senatu, dixerunt, sed qui pedibus in aliorum ivêre sententiam: Alii eos sic vocatos volunt qui, cùm Curulem Magistratum non gessissent, pedibus in Curiam itaverint; quam utramque sententiam improbat A. Gellius *l.* 3. *c.* 18. ubi idem refert, ex *Satyra Menippea* Varronis, Equites quosdam *Senatores pedarios* dictos fuisse, qui nondum à Censoribus in Senatum lecti atque ita *Senatores* propriè non fuerint, honoribus tamen Populi usi sint, & propterea in Senatum venerint ac sententiæ jus habuerint: & quia in postremis scripti essent, sententias non rogati fuerint, sed in eas, quas Principes dixissent, discessèrint. Quô ordine *Senatores* sententias dixerint, vide infrà *in hac voce*, ut & plura de hisce, præter Auctores suprà laudatos, apud Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 5. *cum Paralipom.* Thomæ Dempsteri, Casaub. & Marcilium *ad Suet.* nec non hîc infrà *in voce Senatus.* Præter hos verò, etiam Coloniarum & Municipiorum Decuriones, *Senatores* dicti

dicti sunt: & cœtus eorum, *minor Senatus*, vel etiam *Senatus ἁπλῶς*: majorum præsertim Urbium, cujusmodi fuit Vienna Allobrogum, quæ *Senatoria Urbis* nomen ipsa aliquando tulit. Hinc ad distinctionem addit, de Marullino Adriani Cæs. avo, *Populi R.* Spartian. *in Hadrian. c.* 1. Sic Tetricus apud Vopiscum, *Senator Populi Rom.* dicitur: apud Aur. Victorem *in Pio. Senator Urbis*, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. Senator Romanus*, apud Dionem *in Severo. Βουλευτὴς τῶν Ῥωμαίων*, & sæpe apud Græcos Scriptores, *ἀνὴρ ἐκ τῆς Ῥωμαίων βουλῆς*, legimus. Cujusmodi Senatores, è provinciis delectos, sequenti ævo multos fuisse, qui Romam rarò commearent, imò qui nunquam vidissent, discimus ex Capitolino *in Pertinace*: qui *peregrinos* vocat, in *Marco*. Unde post tempora Constantini etiam Legibus & Constitutionibus opus fuisse, ut Romam venire compellerentur, docet Cod. *Theodos. tit.* 4. *libri sexti.* &c. Vide Salmas. *ad præfatos Auctores loc. cit.* ubi inter alia, Senatores *Nobiles* unicè appellatos, addit, hincque nobilitatis in provinciis originem innuit. Vide quæ suprà *optimi Nobilium*. Verbum addam, de *Senatoribus* in Collegium Romanum nonnunquam adscitis. Nempe *Romanum* Collegium, apud Treb. Pollionem *in Macriano c.* 12. ex oratione D. Valeriani. *Huc accedit, quòd habet Juvenes filios Romanô dignos* Collegiô, *nostrâ dignos amicitiâ*: cœtus quidam erat & corpus summorum Virorum, quos Princeps ipse sibi assumebat & deligebat, ut sibi à consiliis essent & cum quibus agenda consultaret, deque maximis quibusque rebus tractaret. Hi *Contubernales Principis*, hi *Familiares*, hi *Comites* & *Amici* dicebantur; sequebantur Principem, quocunque iret, inde *Comites* dicti; consiliis Principis intererant & judicanti adsidebant. Spartian. in *Hadriano, c.* 18. *Cum judicaret, in consilio habuit non amicos solùm & Comites, sed etiam Jurisconsultos & præcipuè Celsum* &c. Sumebantur autem ex Consularibus viris & Prætoriis & Senatoribus, interdum etiam ex Equitibus. Idem *ibid. Optimos quosque de Senatu in contubernium Imperatoriæ Majestatis ascivit.* De Equestri ordine aliunde notum. Porrò non omnium horum fuit una ac eadem ratio, dignitas & ordo. Alios siquidem adhibebat, cùm de negotiis ac jure tractaret, vel Romæ & in provinciis causas audiret: quo in numero Jurisconsulti fuêre. Alios habebat, quos in secretius atque interius Consilium admitteret, in quo de summa Reip. agebatur, Legati audiebantur, & majora negotia de Imperii Statu tractabantur: atque hi *Comites intra Consistorium*, & *Comites sacri Consistorii Consistorianique*, sub Imperatorib. posterioribus dicti sunt, ac primi ordinis erant. Galli *Consiliarios Status* vocant &c. Vide quæ hanc in rem magnâ industriâ congessit Salmas. *ad Pollionem d. l* & hic passim. Nec omittendum, quòd *Senatores* adeò inviolatos conservari voluerint Imperatores Arcadius & Honorius, ut eosdem *corporis sui partem esse* protestati sint. *l. quisquis*, C. *ad l. Jul. Majestatis*, adnotante God. Stewechiô *Electis Arnobianis l.* 4.

SENATORES, apud Matthæum Paris. A. C. 1237. *Creatus est* (Fridericô II. Imperante, procurante) *alter Senator Romæ, ut, duorum* Senatorum *prudentiâ & fortitudine duplicatâ, Romanorum insolentia comprimeretur* &c. haud paulo diversi à prioribus. Sequioribus scil. seculis, *Senator*, dignitas fuit suprema Romæ, seu Magistratus, qui toti Populo Romano præerat. Cùm enim Senatoria dignitas, à temporibus Constantini M. quodammodo extincta jacuisset, à Romanis sub Innocentii II. Pontificatu rursus invecta est, bellis inter hunc & illos ferventibus, *Senatore* creatô Jordanô quôdam, cui fidelitatem & obsequium in omnibus præstitêre, ut observat Albericus in *Chron. MS. A.* C. 1144. Otto verò Frisingensis, Senatoribus priùs creatis, *Patricium* adjecisse Romanos scribit, hâcque dignitate Jordanum donatum, cui tanquam Principi sese subjecerint, omnia tam intra, quam extra urbem, ad Jus Patricii, reposcenti. Quâ auctoritate quoque sub Alexandro II. pollens Petrus Alberici, *Consulem, Ducem atque omnium Romanorum Senatorem* sese inscribit, apud Ughellum *Tom. I. pag.* 1099. Abrogatâ mox Patricii dignitate, perstitit sola *Senatoria*, legiturque inter alios Benedictus quidam *regnâsse super eos* 2. *annis*, apud Rogerum Hovedenum; donec circa A. C. 1194. quinquaginta sex Senatores sibi præposuêre Romani. Qui cùm inter se non satis concordarent, creati subinde *Senatores* sunt, quorum Magistratus biennii erat. Et quidem hi singuli fuêre iterum, nisi quòd binos creavit Fridericus II. Imperator uti dictum suprà. Sed id diu obtinuisse non videtur: nam præter alios Lucas *de Sabello*, pater Honorii IV. obiisse, cùm esset *Senator Urbis*, legitur, in ejus Epitaphio apud Waddingum A. C. 1250. *n.* 58. Post hæc eandem dignitatem obtinuit Manfredus Siciliæ Rex quô in ordinem actô Carolus Andegavensis *Senator Urbis Romæ* ad vitam electus est A. C. 1263. Cujus rei memoriam servat nummus argenteus ejusdem jam Regis, in quo ille regiô habitu sedet, cum *Inscr.* ROMA. CAPUD. MUNDI. S. P. Q. R. in adversa, Leo gradiens, cum superstante lilio Francico, & literis, CAROLUS. REX. SENATOR. URBIS. Transiitque dignitas (ab Urbano licet IV. & Nicolao III. controversa illi reddita, ab hoc quoque & Martino successore sibi ipsis vindicata) ad posteros ejus, atque adeò ad Robertum Regem qui Guilielmum Ebolensem Baronem vicarium suum cum trecentis equitibus ad urbis custodiam constituit: quô Magistratum gerente, cùm rerum ad victum pertinentium penuria Romanos attereret, ortâ seditione, Capitolium illi invasêre pulsôque Guilielmô, Stephanum Columnensem, & Poncellum Ursinum Senatores creârunt, Joh. Villaneus *l.* 10. *c.* 121. Iniri autem solitum hunc Magistratum Kal. Septembr. testatur Joannes Sarisberiensis *Ep.* 105. &c. Manet etiamnum Romæ *Senatoris* nomen, sic etenim vocant Prætorem urbanum, qui, in clivo residens Capitolino, ordinariâ facultate Romanis civitatibus jus dicit, tresque habet vicarios, quorum duos, qui privatis præsunt judiciis, *Collaterales* vocant; tertius Latrunculator est, uti videre est apud Octav. Vestrium *de Judiciis Aulæ Rom. l.* 2. Plura verò hanc in rem vide apud Car. du Fresne *Glossar.* ubi etiam, *Senatoris Imperialis*, quæ dignitas fuit, in Aula Constantinopolitana, meminit, ex Ughello *Italiæ sacræ Tom. VII. pag.* 1071. & 1082. Nec omittendum, ad ipsos Britannos *Senatoris* nomen transiisse, apud quos *Senatores* olim dictos esse, qui postmodum Saxonum temporibus *Aldermanni* sunt appellati, legimus in *LL.* Eduardi Confessoris *c.* 35. Vide suprà in voce *Aldermannus.*

SENATORIA Vestis, Tunica fuit laticlavia, & Toga candida; sed illa inprimis. Non enim Senatores solùm, sed & Equites ac Magistratus, imò divites quoscunque, candidis Togis usos fuisse, patet ex illo Juvenalis, *Sat.* 10. v. 45.

——— ——— *Niveosque ad frana Quirites.*

Imò totam civitatem candidis vestibus incessisse, quoties solemnitatem privatam, aut festum publicitus indictum peragerent, Porphyrio monet *ad Horat. l.* 2. *Sat.* 2. In Ludis quoque Amphitheatralibus aut Scenicis, nullô discrimine habitô, Plebejos juxtà ac Patritios, candidatos spectâsse, indigitat Martialis *l.* 4. *Epigr.* 2. Quin & Togis, cum Libertate, depositis, cùm nullum in habitu etiam inter ingenuos ac servos discrimen superesset, mansit unicus Latus clavus, quem proin *Senatoriæ vestis* nomine indigitat Appian. *Bell. Civil. l.* 2. *Nam urbana multitudo jam mixta est omnigenis exteris: & Libertini æquò jure degunt cum aliis civibus* καὶ ὁ δοῦλος τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος, χωρὶς γὰρ τῆς βουλευτικῆς, ἡ ἄλλη στολὴ τοῖς θεράπουσιν ἐστιν ἐπίκοινος, *& servus cultu eodem utitur, quô Dominus, exceptâque* Senatoriâ veste, *cæterarum usus est promiscuus.* Vide proin suprà in voce *Latus clavus.* Alterum dignitatis *Senatoriæ* ornamentum, fuit Calceus niger, quæ duo proin conjungit Horat. cùm ait *l.* 1. *Sat.* 6. v. 27.

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demisit pectore clavum.

Primitus enim nudis pedibus incessêre, unà cum reliquis, *Senatores* quoque, uti discimus ex Scholiaste Juvenalis *Sat.* 6. dein perones ex crudo corio portabant; solis illis, qui Magistratum gesserant Curulem, calceos ex aluta habentibus & quidem mulleos, i. e. rubros aut puniceos, teste Catone *Origin. l.* 7. idque diebus tantùm solemnibus, ut quando Ludos celebrabant, &c. Postea, cùm Romani omnes calceis ex aluta uti inciperent, qui peronum instar cavi totum tegebant crus, Patricii calcei duo habebant eximia, quatuor corrigias & Lunulam adsutam, ut ex Zonaræ discimus verbis, qui calceos Patricios ab aliis diversos fuisse ait, τῇ τε ἐπικαμπῇ τῶν ἱμάντων καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος, *Inflexione Lororum & notâ literæ*: cùm plebeji unicâ tantùm ligulâ stringerentur, & nobilitatis corniculatâ illâ notâ carerent. Prætereà & in colore discrimen erat, nigros enim *Senatorum* fuisse calceos, ex Horatii *loco cit.* & Juvenalis v. 191. *Sat.* 7.

——— ——— ——— *Nobilis & generosus*
Appositam nigræ Lunam subtexit alutæ:

nonnulli evincere conantur. Rubenius autem *de Re Vestiar. l.* 1. *c.* 3. *ubi de calceo Senatorio*, sentit corrigias quidem & lora patricia ex nigra aluta, ipsos verò calceos vel albos, vel coccineos, vel auratos vel etiam κεντητοὺς fuisse. Certè Scholiastes Juvenalis *ad Sat.* 1. *Illô tempore*, inquit, *necdum Senatores nigris calceis utebantur.* Sub Imperatorib. dein posterioris ævi, caligas sumpsêre Senatores, quos florente Imperiô soli Milites gestabant; non tamen his omnino, sed Campagis potiùs, similes: qui postea Clericis a Constantino M. concessi fuisse leguntur. Sandalia verò illi fuêre πολυσχιδῆ, per quorum incisuras, pedulium seu udonum candidum linteamen transparebat, unde illa λευκὰ δι' ὀθονίων vetus Auctor vocat: intus albi, extus nigri coloris. *Senatores* verò, qui Patricii non erant, Lunulam in calceis non habebant, diversos tamen illos à plebejis fuisse, ex Cicerone constat *Philippica* 13. *Est etiam Asinius quidam Senator voluntarius, lectus ipse à se, apertam Curiam vidit post Cæsaris mortem mutavit calceos, Pater conscriptus repentè factus est.* Quòd autem Servius *Senatores* crepidas olim gestâsse ait, *ad illud Æn. l.* 8. *de Senatoribus*, qui Magistratus Curules gesserunt, intelligendum est: Mullei enim calcei, quos illis in usu fuisse diximus, sandalia seu crepidæ fuerunt, ut, præter *Pollucem* & *Hesychium*, Salmas. annotavit. Vide Ben. Balduinum *de Calceo* & Rubenium præfatum *loc. cit.*

SENATULUS, vide suprà *Senaculum.*

SENATUS, totum illud Senatorum, de quibus suprà, collegium seu concilium fuit: Q. Symmacho *l.* 1. *Ep.* 46. *Pars melior humani generis*: Petronio *in Satyr. recti bonique Præceptor*: Cyneæ Pyrrhi Legato, *Regum consessus*: Quintiliano *Declam.* 329. *Sanctissimus Ordo*; Silio *Punicorum l.* 1. *Concilium Augustum* &c. dictus; Cujus quæ fuerit potestas, paucis indicat Dionys. *l.* 2. *Senatui eam dignitatem ac potestatem addidit Romulus, ut de iis, de quibus à Rege ad ipsum relatum esset, decernat, ac ferat calculum, ita, ut semper plurium obtineat sententia & ita Senatus erat potestas in negotiis ad Remp. pertinentibus.* Idem *l.* 6. Remp. omnem in *Senatus* potestate, præter *Magistratuum creationem, Legum lationem & belli pacisve arbitrium*, Romuli tempore, fuisse scribit. De eadem Polybius pluribus agens *l.* 6. *Senatum primam Ærarii potestatem habere; eidem flagitiorum, quæcunque per Italiam commissa, puta proditionis, conjurationis, veneficii, cædis dolo perpetratæ* &c. *puniendorum curam esse commissam*: Prætereà, *si quis privatus vel Civitas quædam ex Italicis, vel conciliatione aliqua, vel æstimatione, vel auxiliô, aut custodiâ opus habeat, horum omnium illum procurationem habere*: Denique. *Legatos mittendi ac excipiendi curam eidem fuisse concreditam*, tradit. Quæ omnia confirmat Cicer. *Orat. in Vatinium* & *pro Domo*, exceptis iis, quæ de judiciis Polybius habet; quæ tamen sic intelligenda, ut Judices ex *Senatu* lectos fuisse dicere velit. Eô enim, quò Polybius ista scripsit, tempore, nondum cum Ordine Equestri communicata fuêre Judicia, qua de re alibi dictum. Sed nec hæc minima pars

pote-

potestatis auctoritatisque fuit, quòd in Comitiis majoribus & Legibus ferendis, necessaria, omnino *Senatus* cognitio erat, uti discimus ex Livio *l.* 1. & 8 Appiano *de bell. Civil. l.* 1. & Dione *l.* 11. Hæc sub Regibus & stante Rep. Sed & sub Imperatorib. ingens *Senatus* mansit auctoritas, ac quidquid agendum incumbebat, ejus decretis sanctissimis peragebatur. Unde Sallustius Crispus monuit Liviam Augustam, apud Corn. Tacitum, *l.* 1. *Annal. c.* 6. *ne Tiberius potentiam dominandi resolveret, cuncta ad Senatum vocando:* Cumque Remp. corpus effecissent, Imperatorem esse caput volebant, *Senatum* pectus. Corippus *l.* 2. *num.* 7

Vos estis pectus, vos brachia verticis hujus,
Quorum consiliis, quorumque laboribus usa
Publica res domuit gentes, & regna subegit.

Quo factum, ut *malè de illo loqui, imminutæ Majestatis crimen* esset, Arnobius *l.* 4. *sub fin.* & Salv. Massiliensis *l.* 6. Imò, Senator quilibet, *qui dignitatem suam non defendebat, imminuti Magistratus, velut Majestatis, reus esset.* Ascon. Pædianus *in* 3. *Verrin.* Itaque & Princeps ipse *in Senatorio ordine numerabatur*, *l.* 1. Cod. *Theodos. de exhib. & trans. reis*, nec probrosum Imperatoribus erat, Ordinis hujus albo inscribi. Claudianus *de* 4. *Honorii Consul. v.* 580.

—— Numeroso Consule Consul
Cingeris, & socios gaudes admittere Patres, &c.

Per quos *Senatus* more Majorum haberi & consuli consueverit, exponit A. Gellius ex Varrone *l.* 14. *c.* 7. innuens *Senatum* convocandi jus habuisse, *Dictatorem, Consulem, Prætores, Tribunos Pleb. Interregem, Præfectum Urbi, neque alii, præter hos jus fuisse facere Senatus consultum: Quoties autem usu venisset, ut omnes isti Magistratus eodem tempore Romæ essent, tum quò suprà ordine scripsi, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum Senatus consulendi jus fuisse; Extraordinario autem jure Tribunos quoque Militares Consulari potestate, Decemviros Legg. scribendarum, Triumviros item Reip. constituendæ jus illud habuisse.* Idem tradit, de Præfecto Urbis Latinarum causâ dubitatum fuisse, utrùm jus istud habuerit, *sensisse tamen & Capitonem & Tuberonem contra Mutium, Præfectum Urbis Latinarum causâ & Tribun. Pleb. quanquam hi ante Atinium Plebiscitum Senatores non essent, Senatum tamen habere potuisse.* De Loco, ubi *Senatus* haberi solitus, vide suprà in voce *Senaculum*. Tempus quod attinet, *Senatus* legitimus, qui vel lege, vel more certis semper diebus habebatur, conveniebat omnibus Kalendis, Nonis atque Idibus, frequentissimus verò omnium Kalendis Januariis, & antea Idibus Martii, aliisque quibus Consules ex instituto Majorum Magistratum inibant. Unde Livius refert *l.* 26. M. Marcellum, cùm Idibus Martiis Consulatum iniisset, *Senatum eo die moris tantum causâ habuisse.* Postquam verò hæ Idus nece Cæsaris, & hinc nomine *Parricidii*, funestatæ sunt, iis non amplius Patres convenêre. Sed & Sueton. *c.* 35. refert, *Sanxisse Augustam; ne plus quam bis in Mense legitimus Senatus haberetur: Neve Septembri Octobreve mense ullos adesse alios necesse esset, quàm sorte ductos.* •S natus verò indictus, qui nempe reliquis diebus mensis; modò Comitiales non essent, Magistratuum rogatu vocabatur; Comitialibus diebus, in quibus nempe Comitia habebantur & cum Populo agebatur, ideo non conveniebat, ne Senatores à suffragio ferendo avocarentur. Interim, si gravior fortè incidisset res, tum eodem etiam die post Comitia *Senatum* coactum legimus, apud Livium *l.* 38. & 48 quam ob causam Comitia ex SC. nonnunquam dilata esse, docet Cicero *pro Murena*. Verùm, & atris & religiosis diebus, *Senatus* similiter non coibat, nisi summâ necessitate urgente, uti testatur Dio *l.* 45. Præterea, monet A. Gellius, *loc. cit. Senatusconsultum nec ante exortum, nec post occasum Solem factum, ratum fuisse: Opus etiam Censorium fecisse existimatos, per quos eo tempore SC. factum esset;* quod hisce confirmat Seneca, *de Tranquill. Animi, c. ult. Majores nostri novam relationem post horam decimam in Senatu fieri vetabant.* Quin & totum mensem Februarium, Legationibus exterarum gentium audiendis attributum fuisse, ex Cicer. *Epist. ad Lentulum. ad Q. Fratrem aliisque locis* constat. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 6. & suprà aliquid ubi de *Jurato Senatu*; uti de formula *Senatus dimittendi*, lemmate *Nihil vos moramur P. C.* Quid sit *Senatu* moveri, diximus suprà in voce *Senatores*, & discere est ex Joh. Zonara *Tom.* 2. Dione Coccejano *l.* 56. Val. Maximo *l.* 2. *c.* 4. *ex.* 25. Auctore incerto *libri de Viris Illustr. c.* 72. Asconio Pædiano *in argum. Catilinariæ*, Aliis. Utque summum crimen erat, Senatorem, non petitô concessôque commeatu, à Curia abesse, qua de re nos suprà: *ita ultra annum* 60. *ut in Senatum veniret, Senatorem cogi non potuisse*, monet Seneca *de Brev. Vitæ c. ult.* aliis tempus vacationis legitimum ad annum 65. extendentibus: Thom. Dempsterus *in Rosin. l.* 7. *c.* 5. De *Senatu* Atheniensi, vide suprà in voce *Quingenti*; de Hebræorum *Senatu*, infrà in voce *Synedrium*. Nec omittendæ hîc phrases, *Referre ad Senatum; Stare, jacere in Senatu; Dare alicui Senatum* &c. de quibus vide Ascensium *in Cicer. l.* 1. *Ep. fam.* 4. Cicer. *Orat. de Aruspic. resp.* Alios.

SENATUS Princeps, quem in lectione Senatus, quæ per Censores peractô censu fiebat, primô locô Censor recitabat, dictus est. Hic inter Senatores dignitate longè præstabat; teste *Zonarâ*, omnes Magistratus anteibat, etsi nec imperium nec potestatem haberet. Unde & Veteres, cùm aliquem honoris causâ nominare vellent; Is, si principem in Senatu locum judiciô Censoris habuerat, non ab ullo potiùs Magistratu, quàm ab hoc titulo denotabatur: quia Magistratus à multis obtineri posset, in *Principem* verò *Senatus* nemo legi posset, nisi qui & Magistratum ita gessisset, & omnia, quæcunque summô cive digna sunt, ita in omni vita præstitisset; ut ei in civitate non modò non anteferri, sed nec comparari jure quisquam videretur. Cujus exemplum non unum extat apud Ciceronem. Legebatur is, ante secundum bellum Punicum, ex ordine Censorio, & quidem, qui ex Censoriis esset vetustissimus, eò dignitatis, subvehebatur, quod quâ occasione postea mutatum, ita ut etiam Consul in *Senatus Principem* aliquando lectus fuerit, hôc modô narrat Liv. *l.* 27. *c.* 11. *Senatus lectionem contentio inter Censores de Principe legendo tenuit. Sempronii lectio erat; ceterùm Cornelius morem traditum à Patribus sequendum aiebat; ut qui primus Censor ex iis, qui viverent, fuisset, eum Principem legerent: is T. Manlius Torquatus erat; Sempronius, cui Dii sortem legendi dedissent, ei jus liberum eosdem dedisse Deos. Se id suô arbitrio facturum: lecturumque Q. Fabium Maximum, quem tum Principem Romanæ Civitatis esse, vel Annibale Judice, dicturus esset: Cùm diu certatum esset verbis, concedente Collegâ, lectus à Sempronio Princeps in Senatu Q. Fabius Maximus Consul.* Hincque manavit consuetudo, ut in legendo Principe in posterum, non qui inter Censores primus esset, observaretur, sed è Censoribus legeretur is, qui sapientiæ laude, rerumque gestarum gloriâ maximè inter omnes emineret. Hunc Principatum itaque qui semel obtinuerat, is, dum vivebat, locum illum, apud alios etiam Censores, retinebat, nec nisi eô mortuô alius sufficiebatur. Rogabatur autem antiquitus primus sententiam, quod sequentibus temporibus subinde mutatum est, uti discimus ex A. Gellio *l.* 14. *c.* 7. ubi ait, *Singulos autem debere consuli gradatim, incipique à Consulari gradu, ex quo gradu semper quidem antea primùm rogari solitum, qui Princeps in Senatum lectus esset. tum autem quum hæc scriberet* (Varro *in Isagogico* seu *de officio Senatus habendi*) *novum institutum refert, per ambitionem gratiamque, ut is primus rogaretur, quem rogare vellet, qui haberet Senatum, dum is tamen ex gradu Consulari esset.* Quod idem Gellius confirmat *l.* 4. *c.* 10. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 5. Anton. Thysium JCtum *Notis in Gellium* Alios.

SENATUSCONSULTUM, dictum est, quod Senatus jussit atque constituit. Hoc quomodo fieri solitum sit in Rep. Rom. paucis exponam. Qui Senatum habiturus erat, immolabat hostiam priùs atque auspicabatur, uti discimus ex Appiano *de bello Civili l.* 2. ubi de Cæsaris, Senatum ingressuri, victima, sic Interpres. *Est verò mos Magistratibus Senatum ingressuris prius uti Haruspicina: & rursum in Cæsaris victima cor, vel ut alii dicunt, caput exterum deficiebat.* Unde Liv. *l.* 22. *Ita rebus divinis peractis, de bello reque publica Dictator retulit.* Vide quoque eum *l.* 24. & *l* 31. Sed & postea Augustus decrevit, ut Senatores thure & merô illi Deo supplicarent, in cujus Templo Senatus haberetur, ut legimus apud Suetonium *in ejus vita, c.* 35 & Dionem *l.* 54. Non enim nisi in loco augurato, Templo nempe vel Curia, *Senatusconsulta* fieri potuisse, diximus supra in voce *Senaculum*. Referebat dein, qui Senatum consulebat, & quidem priùs de rebus divinis, quàm humanis; *hisque tum infinitè, tum finitè*, A. Gellius *l.* 14. *c.* 7. Neque verò solùm Consules, vel alii Magistratus, qui Senatum habebant, sed etiam omnes ii, quibus Senatum convocandi jus erat, referebant ad Senatum; sic ut eôdem die diversos Magistratus de rebus diversis ad Senatum nonnunquam retulisse legamus, ut apud Cicer. *Philipp.* 7. *in princip. Parvis de rebus, sed forsan necessariis consulimur P. C. de Appia via, & de Moneta, Consul; de Lupercis, Tribun. Pleb. refert.* Quin & ad Consulum relationem, Tribunis concessum erat, aliquid addere, & de eadem re, prout ipsis videretur, Patres consulere: Unde, Lupum Tribun. Pleb. retulisse, *ut Pompejus Ptolemæum in regnum reduceret*, cùm Consules retulissent, *utrum reducendus esset & à quo*? scribit Cicer. *Ep.* 2. *l.* 1. *ad Lentulum*. Imò Consulis relationi Tribunum Pl. intercedere potuisse, docet Tacitus *Annal. l.* 1. *c.* 13. *Scaurus dixerat, spem esse, ex eo non irritas fore Senatus preces, quòd relationi Consulum jure Tribunitiæ potestatis non intercessisset.* Consulum nihilominus honor præcipuus fuit, ut, si quid alii Magistratus iis invitis ad Senatum referrent, vetare possent, utpote qui maximam referendi potestatem haberent: quô jure etiam superior Collegâ suô videtur fuisse, alter Consulum, penès quem fasces erant; unde *Publilius, penes quem fasces erant, Dic Spuri Postumi, inquit*, apud Livium *l.* 9. Sed & ambos Consules communiter retulisse, liquet ex eodem *l.* 36. *Consulum de provinciis communis relatio fuit*: Quod & in Tribunis aliisque Magistratibus observatum, ut aliquando totius Collegii una fuerit relatio, aliquando simul aliquot, sæpe separatim unusquisque ex iis suô nomine relationem fecerit. Cùm sic ad Senatum relatum esset, si res referrentur adeò diversæ, ut non idem de omnibus decernendum Senatoribus videretur, tum petere solebant, ut relatio divideretur deque singulis rebus seorsim consulerentur. Cujus exemplum Liv. *l.* 8. *c.* 14. suppeditat, de Camillo Cons. qui de Latinis ad Senatum retulerat, ac oratione suâ varia ac diversa complexus erat: *Princeps Senatus relationem Consulis laudare; sed cùm aliorum causa alia esset, ita expediri posse consilium dicere, ut pro merito cujusque statueretur, si de singulis nominatim referrent populis. Relatum igitur de singulis decretumque.* Vide quoque Plin. *l.* 8. *Ep. ad Aristonem* & Cicer. *l.* 1. *Ep.* 2. *ad Lentulum*. Et quidem à quovis sedente id postulari poterat. Tum relatione factâ, aliquando non rogatis neque dictis sententiis, statim Senatores in hanc vel illam partem discedebant, atque ita pedibus sententiam ferebant; inprimis cùm de rebus haud magni momenti aut non ita dubiis ageretur. Cujusmodi *Senatusconsultum, per discessionem factum* propriè appellabatur, utebaturque in eo Consul hâc formula, *Qui hæc sentitis, in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem ite, quam sentitis*: quibus verbis præibat ominis causâ, ne diceret: *Qui non sentitis*. Unde phrases Antiquis usitatæ, *Pedibus in sententiam ire, in Sententiam discedere, in eandem concurrere.* Cùm verò gravioris momenti res esset, singulorum sententiæ exquiri consuevêre, idque hôc ordine. In more erat, ut post Comitia Consules designati primi sententias rogarentur, & eorum is prior, qui priore locô declaratus esset: ante Comitia verò is, qui à Censoribus Princeps Senatus lectus erat: ii deinde, qui Consulibus videbantur; ita tamen

men, ut ne Prætorium Consulari; Ædilitium Prætorio, Tribunitium Ædilitio anteferrent, quemadmodum ex *Salustio*, *A. Gellio* & Cicer. *Philipp.* 5. cognoscitur: e quibus inprimis Gellium vide *l.* 4. *c.* 10. Memoratque Suetonius, *in Julio c.* 21. consuetudinem obtinuisse, ut, quem ordinem rogandarum sententiarum Consul Kalend. Januar. tenuisset, eundem toto anni observaret; id quod tamen à Cæsare observatum non fuisse, ibidem notat. Et tale SC. dicebatur factum per *singulorum sententias exquisitas*, item simpliciter *Senatus consultum*; in quo licet quoque discessio fieret, tamen *quia sententiis exquisitis*, non omissis, ut in priori, fieret, à *Senatus consulto per discessionem*, distinguebatur. Tertius, sententias manu ferendi, modus, apud Vopisc. occurrit *in Aureliano*; quem ab Atheniensibus, apud quos χειροτονία dicebatur, ad Romanos translatum esse, ex Demosthenis *Timocratea* apparet. Cùm autem rogatus Senator sententiam dicturus erat, assurgebat stansque dicebat, unde illud Cicer. *Surgo ad dicendum*: neque modo de ea re, de qua relatum fuisset, verùm etiam quacunque de re volebat, & quamdiu volebat. Hinc apud A. Gellium *l.* 4. *c.* 10. *Cajus Cæsar Consul M. Catonem sententiam rogavit. Cato, rem quam consulebatur, quoniam non è Rep. videbatur, perfici nolebat. Ejus rei gratiâ ducendæ, longâ oratione utebatur eximebatque dicendo diem. Erat enim jus Senatori, ut, sententiam rogatus, diceret ante quidquid vellet aliæ rei & quoad vellet. Cæsar Cons. viatorem vocavit, eumque, quum finem non faceret, prehendi loquentem & in carcerem duci jussit. Senatus consurrexit: prosequebaturque Catonem in carcerem &c.* Ubi Thysius annotavit. *Post Solis occasum SC. perscribi nequivisse*, vide quoque Plut. *in Catone* iterumque Gellium *l.* 14. *c.* 7. ubi *nec ante exortum, nec post occasum Solem Senatusconsultum factum, ratum fuisse*, docet, & suprà. Hincque est, quod in *Philipp.* 3. Cicero Antonio Consuli objicit de *Senatus consulto vespertino*. Nec obstat, quòd legimus apud Dionys. Halicarnassæum *l.* 9. ann. Urb. Cond. 290. Senatusconsultum noctu factum esse; illud enim non ex consuetudine, sed ex necessitate fuit: cum per Equites literis nuntiatum esset, Sp. Fusium Consul. cum exercitu ab Æquis & Volscis obsideri. Forma sententiæ dicendæ, quemadmodum ex *Philippic. Orat.* apparet, ferè hæc erat: *Quod verba facta sunt de literis &c. de ea re ita censeo &c.* quibus dictis, Senator discedebat in eam partem, quam probabat. Sine enim discessione nullum SCtum factum esse certum, quod prom in *SCto per exquisitas sententias*, A. Gellius, tanquam supervacuum & oblitum nemini, omisit *loco cit.* Quis vero, ad *Senatusconsultum* faciendum, numerus Senatorum necessarius esset, incertum est. Livius ubi de Bacchanalibus, innuere videtur, *Senatusconsultum fieri potuisse, si centum non minus Senatores in Senatu essent*, *l.* 39. Pedianus autem, de re non ita magni momenti loquens, *in Corneliana* scribit, *lege Cornelia cautum fuisse, ne quis in Senatu solveretur Legibus, nisi duceni adfuissent.* Ita quidem antiquiori ævô: Posterioribus verò temporibus (Nam & Senatorum numerum variâsse, notavimus suprà) quadringentos fuisse requisitos, docet Dio, ubi de Augusto. Cùm igitur numerus fuisset requisitus, valebat sententia majoris partis, fiebantque *Senatusconsulta, non ponderatis, sed numeratis sententiis*, Plin. Jun. *l.* 2. *Ep.* 12. Quare Senator quilibet poterat Consulem, vel eum, qui Senatum habebat, admonere, ut antequam SCtum proferretur, Senatum numeraret; alioqui Senatusconsulto intercedebat, Festus Pomp. *l.* 12. Quo respiciens Cicer. *l.* 5. *Ep.* 4. *ad Attic. Consule*, inquit, *aut numera.* *Senatusconsultum* jam factum, hâc ratione confirmabatur, ut clamarent omnes ingeminarentque hanc vocem *Omnes*, quæ vox unanimem consensum exprimebat, neque quenquam superesse, qui reluctaretur. Fl. Vopiscus *in Tacito c.* 7. *Habitâ concione à Metio Nicomacho Senatora, clamatum clarè; Omnes, Omnes.* Vide eundem *in Probo c.* 13. Jul. Capitolin. *in Maximo & Balbino c.* 3. Æl. Lamprid. *in Commodo, c.* 18. Trebell. Pollionem *in Claudio c.* 4. Plinium Jun. *in Panegyr.* &c. Ad quorum primum, notat Salmasius, aliquando *Senatusconsulta* facta esse solis acclamationibus, nullis dictis sententiis, ut illud de Valeriano, apud Pollionem; aliquando ab acclamationibus initiô factô, postmodum interrogatos Senatores & sententias dictas esse: de quo aclamandi ritu diximus aliquid suprà. Omen dein additum, & solemnis formula auguralis, ἀγαθῇ τύχῃ, *bona fortuna*, adhibita est. Apl. Persius, *Sat.* 4. *v.* 29.

Hoc bene sit. ———

Ennius apud Servium *Æn. l.* 6.

Emicuit, dum ferre moror, civis ipse, Bonum sit!

Quum scriberetur *Senatusconsultum*, discessione factâ & exquisitis omnium sententiis, moris erat, ut ea, de qua sententiæ rogatæ erant res summatim exponeretur, hôc modò: *Quòd M. Marcellus Consul verba fecit de Provinciis*, D. E. R. I. C. id est, *de ea re ita censuere: Quòd verba facta sunt de Philosophis & Rhetoribus*, D. E. R. I. C. &c. cum præfatione *B. F.* id est, *Bonum factum*, Sueton. *in Julio Cæs. c.* 80. Quod si quid Consulibus Senatus mandaret, addebatur: *Si eis Consulibus videatur.* Unde apud Ciceron. *in Philippicis* legimus, *Utique C. Pansa A. Hirtius Coss. alter ambove si eis videatur, Quæstoribus urbanis imperent.* Et quoniam *Senatusconsultis* intercedere Tribuni Pleb. poterant, adjiciebatur clausula: *Si quis huic SCto. intercessserit, Senatui placere, auctoritatem præscribi & de ea re ad Senatum P. Q. referri.* Ac si quis intercessisset, addebatur: *Huic Senatusconsulto intercesserunt C. Cælius, C. Pansa Tribuni Pleb.* Et tum quidem, non *Senatusconsultum*, sed *Auctoritas* præscripta dicebatur, Dio *l.* 5. Quod si fortè usu venire:, ut non tam multi, quot opus erat, convenirent, Senatus quidem habebatur, decretumque præscribebatur, non tamen quasi effectum habebat; sed erat *Auctoritas*. Si quoque in loco aliquo non legitimo aut die non idoneo, aut non legitimo edicto, sed ambitiosè Senatus coactus esset, aut nonnulli Tribuni Pleb. intercessissent, tum SCtum quidem fieri non poterat, quid tamen placuisset, testari reliqui volebant, Idem. Vide quoque Ciceron. *Epistolis ad Lentul.* Notari porro eum, in cujus sententiam SCtum factum esset, colligitur ex Cicer. *Ep. ad Attic.* Scripto ita SCto eorum omnium nomina, qui adfuissent, adscribebantur, ut notum ex ejusd. *Epist.* & Cœlii *ad eum*: idque ad Consulis pedes factum, Lamprid. *in Heliogab.* Nec omittendum, quod Val. Max. *l.* 2. *c.* 2. *ex.* 7. habet, vetustis temporibus jus non fuisse Tribunis Pleb. Curiam intrare, sed ante valvas, positis subselliis, decreta Patrum examinâsse, ut si quæ ex iis improbâssent, rata esse non sinerent. Itaque veter. Senatusconsultis T. literam subscribi solitam, quâ notâ significabatur, illa Tribunos Pleb. quoque censuisse. Ne verò *Senatusconsulta*, ut sæpe factum, à Consulib. supprimerentur institutum fuisse ann. Urb. Cond 204. à Valerio & Horatio Consulib. ut ea in ædem Cereris, ad Ædiles Pleb. deferrentur, auctor est Livius *l.* 3. *c.* 55. Posteà tamen ad Ærarium ea delata fuisse, docet Cicero *Philipp.* 5. Sueton. *in Aug.* & Tacitus *Annal. l.* 3. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. l.* 7. *c.* 7. Addendum paucis aliquid de *Senatusconsulto tacito*, cujus unus meminit Capitolinus in Gordianis, *c.* 12. *Post hæc literas legit Gordianorum ad Senatum & ad se missas. Tunc clamavit Senatus ---- Dicit Junius Cordus illud SCtum fuisse tacitum: quod quale sit ---- brevi exponam. Omnino exemplum Senatusconsulti taciti non aliud est hodiè, quam quod vestra clementia convocatis ad interiora majoribus ea disponit, quæ non sunt omnibus publicanda, de quibus adspirare etiam soleris, ne quis ante rem completam quidquam vel audiat, vel intelligat.* (Ita is ad Constantinum Aug.) *Hunc autem morem apud Veteres necessitates publicæ repererunt, ut si fortè aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare consilia, vel aliqua constituere, quæ non priùs oporteret dici, quam effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanare, Senatusconsultum tacitum, fieret: ita ut non Scribæ, non servi publici, non censuales illis actibus interessent, Senatores omnium officia censualium scribarumque implerent, ne quid fortè proderetur.* Ad quem locum, monet Casaub. in Jovis Capitolini cella, istiusmodi *Senatusconsulta*, conclusis ibi Patribus, fieri consuevisse, ex Herodiano &c. Vide quoque eum *ad Suetonium passim.*

SENDOMIRIA, urbs Poloniæ minoris à Tartaris, tempore Boleslai Pudici Regis, horum metu in Hungariam profugi, arx inprimis, crudelissimè habita, A. C. 1240. Cromer *l.* 91. Synodus hic celebrata, contra Stancari hæresin, seculô præteritô, Lasicius *l.* 7 *de gestis Fratr.* Similiter A. C. 1570. ibidem Synodô habitâ confessionis bohemicæ, Augustanæ & Helveticæ consensus initus est, constitutaque præterea multa quoad ordinem & ritus Ecclesiæ. *Sendomiriensis* Palatini Georgii Meniczinscii filia, consensu Regis, nupsit Pseudo Demetrio, à Moscis in M. Ducem electo, sed ab iisdem novissimô ante nuptias die, quod Germanos corporis custodes sibi parâsset, multis vulneribus interempto: post quæ sponsa omni mundo spoliata, in Poloniam suam remissa est, A. C. 1616. Thuan. *Histor.*

SENE, rupes opposita rupi Boses, 1 Sam. *c.* 14. *v.* 4. In tractu Benjamin, ubi Jonathas prostavit Philistæos.

SENECA, L. Annæus Philosophus, Cordubensis, patrem habuit M. Annæum Senecam ordinis equestris eruditissimum, qui, eloquentiâ inclytus, ex Elbia genuit Senecam Annæum, Novatum, & Annæum Melam, patrem Lucani poëtæ. Seneca Philosophiæ totum se addixit, Novatus, per adoptionem, Junius Gallienus dictus, non eruditus modò, sed & amplissimis muneribus defunctus fuit: Mela verò patriâ fortunâ contentus vixit. L. Annæus, à Patre primò in Eloquentia institutus, audiit in Rhetorica Hyginum, Cestium, Asinium Gallum; in Philosophia, Socionem Alexandrinum & Photinum, Stoicos. Ab initio jam Caligulæ Imperii, eloquentiæ specimen præbuit, coram Senatu causam perorans, nixus Cneji Domitii, qui Agrippinam Germanici filiam duxerat, favore. Sed ne æmulum sentiret Caligulam, in posterum siluit. Postea adulterii, cum Domitii uxore suspectus, in Corsicam Insul. relegatus est, ubi biennium commoratus, libros de Consolatione scripsit, ad matrem & Polybium, aliaque quædam. Ab Agrippina dein, quæ Claudio nupsit, revocatus, & Neronis educationi admotus est, qui hôc præceptore tantopere profecit, ut quinque annos laudatissimè imperaverit, donec à Poppæa & Tigellino ad deteriora inflexus est. Cujus proin vitia cum Seneca subinde reprehenderet, per libertum Cleonicum, venenô illum tollere decrevit: Sed agri solùm fructibus & nudâ aquâ contentus insidiis non patuit. Posteà verò, cùm audiisset Nero, conscium Senecam Pisonianæ conjurationis fuisse, mortis optionem ipsi obtulit, qui venis sectis, cùm sanguinem tardius meare animadverteret, à Statio Annæo Medico suo, cicutam petiit: quæ cùm nil in exsucco corpore efficeret, balneum ingressus, aquâ proximos aspersit, Jovi Liberatori hæc libare se dicens, ibique obiit. A. C. 65. regni Neronis 12. Tacit. *Annal. l.* 12. 14. 15. Sueton. *in Ner.* *Dio*, *A. Gellius*, *Quintilianus*, *Xiphilinus* inprimis, aliter de Seneca sentiunt. Vide Lips. *in vita Sen.* Delrium *in Com.* &c. Fuerat Prætor, Quæstor, & secundum quosdam Consul. Philosophus de Beneficiis scripsit *libros* 7. *de Ira libros* 3. *de Clementia ad Neronem libros* 2. *de Vita beata*, *de Tranquillitate, & de Brevitate vitæ, & alia.* Nam *Declamationum libri* ad patrem pertinent. De Philosopho, & ejus eloquentia judicium habes Quinctiliani *l.* 10 *c.* 1. Aliorum ex observatione Gellii *l.* 12. *c.* 2. quibus respondit Lipsius, quem vide. Fuit quoque tertius *Seneca* Tragœdus, habenturque hodie 10. Tragœdiæ *Senecæ* nomen præ se ferentes, de quarum auctoribus diversa eruditi tradunt. Porro *Senecam* dictum quasi canus natus sit, *Cassiodorus* tradit.

SENECIACUM, locus in agro Matisconensi, *Senecy.*

SENECIO, vir in Bætica natus, & ibi Quæstor, cujus meminêre Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 12 & Plin. *l.* 4. *Ep.* 7. Homo turbulenti ingenii, & quod omnia grandia cuperet, *Grandio* vocatus. Senec. *Suasor.* 2. Vide *Herennius Senecio.*

SENEGA, fluv. Africæ in Nigritia maximus, seu potius ramus præcipuus Nigri, maximè Borealis alias *Darat*, in Oceanum Atlan-

Atlanticum se exonerat, prope Arsinatium promontor. ubi Francorum colonia. Ei adjacent Urb. Genehoa, Tombutum, aliæque. Excurrit ab Ortu in Occasum inter regna Genehoæ & Jalofarum.

SENEJA, nomen viri. Nehem. c. 11. v. 9.

SENENSIS Bernardinus, vide ibi.

SENENSIS Hugo, vide *Hugo*.

SENENSIS Sixtus, vide *Sixtus*.

SENENSIS Stephanus, vide *Stephanus*.

SENENSIS Ager, pars ampla Tusciæ versus Austrum, inter agros Florentinum & Pisanum ad Boream & Occasum, mare Tyrrhenum ad Meridiem, & ditionem Pontific. ad Ortum, nunc sub Magno Duce Hetruriæ. Ejus pars Australis dicitur maritimus ager, *la Maremma di Siena*, ex qua exceptæ fuêre duæ ditiones satis parvæ, nempe Principatus Plombini, sub proprio Principe, sub clientela tamen Hispan. & Status Præsidii, ubi Orbetellum, Telamon, Portus S. Stephani, Portus Herculis & mons Philippi: quæ sub Hispan. Caput hujus agri est Sena, vide ibi. Aliæ urbes, Mons Alcinoi, Collis, Pientia, Suana, Clusium, Massa, & Rossetum. Sunt etiam partes agri Senensis Insulæ Ilua, Dianium, Ægilium, Mons Christi & Planasia, in mari Tyrrheno.

SENES, quanti olim a Romanis habiti sint, testatur A. Gell. *l.* 2. c. 15. ubi eos *in omni loco, inque omni specie honoris, priores potioresque habitos fuisse*, scribit. Hinc, cùm Valerius Publicola collegam sibi Lucretium, Lucretiæ Patrem, subrogâsset, illi, utpote *seniori*, fasces tradidit: qui honor semper postea *Senibus* habitus est, teste Plut. *in Publicola*: Cumque idem instituisset, ut fasces alternis mensibus apud alterum Consulem essent, sumere eos prior, qui natu major esset, solebat, Dionys. *l.* 5. & Dio Cassius *l.* 5. idque obtinuit, usque ad Legem Juliam, quæ honorem hunc detulit numero liberorum. Prout ita pergit Gellius. *Sed postquam soboles civitati necessaria visa est; & ad prolem Populi frequentandam, præmiis atque invitamentis usus fuit: tum antelati quibusdam in rebus, qui uxorem, quique liberos haberent, senioribus neque uxores neque liberos habentibus*: Inprimis à quo Lex Julia de maritandis Ordinibus, ab Augusto lata est, ann. Urb. Cond. 736. quâ Candidati quoque, qui plures liberos haberent, in petitione Magistratus præferebantur, Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 51. ut & & in Provinciarum sorte; nonnunquam & sententiam primi rogabantur *l.* 9. C. *de Decur.* &c. Porro à Convivio quoque, *Seniores* à minoribus domum deducebantur, quem morem Romanos à Lacedæmoniis accepisse, traditum esse, addit idem Gellius. Vide Plut. *in Lycurgo* & *de instituit. Lacon.* Xenophontem idem de *Republica Lacedæmoniorum*: qui Juvenalis *sat.* 13. *v.* 54. verbis,

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si Juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer, licèt ipse videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos.

Hinc Ovid. *Fastor. l.* 5. *v.* 65.

Jura dabat Populo senior, finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honor.
Et medius Juvenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior si comes unus erat.

Quæ à Lacedæmoniis Romani accepisse videntur, cùm Decemviri instituta Atheniensium & Lacedæmoniorum, gentium Græciæ laudatissimarum, imitati sunt, ut docet Justin. §. 10. *de Jur. Nat. Gent. & Civ.* nisi hæc antiquo Romanorum instituto adscribere malis. Iisdem à muneribus & militia vacatio fuit, *nisi bellum Gallicum exoriretur*, uti discimus ex Plut. *in Marcello* atque *Camillo*: quam tamen consuetudinem, ad tumultum, non ad bellum Gallicum, restringit Cicer. *Philipp.* 8. *Gravius*, inquiens, *esse tumultum, quam bellum, hinc intelligi potest, quod bello Gallicô vacationes valent, tumultu non valent.* In Theatris, postquam sedilia distincta esse cœpere, ut Juvenes in *Ephibeo*; sic *Senes* in *Buleutico*, spectabant, Cœl. Rhodig. *var. Lection. l.* 8. *c.* 8. Imò inter Numina Veterum *Senectutem* quoque habitam, vidimus suprà ubi de *Diis*. Vide etiam voce *Geroeomion*: uti de *Senum* calceatu infrà, ubi de *Virilium* calceamentorum apud Veteres generibus. Vide Dempster. *in Rosin. l.* 5. *c.* 10. Atque hinc *Senex*, nomen dignitatis factum est, Vide infrà in hac voce, ut & in voce *Seniores*. Addam hîc paucis Comicas *Senum* personas, quales apud Veteres in usu fuêre, ex Scaligero *Poetic. l.* 1. *c.* 14.

Varia Senum apud veteres Comicos genera.

α. Πάππος duorum senum nomen fuit, vide ibi. β. Ἡγεμὼν, tertius dictus est, sparsâ comâ, nasô aquilinô, dextrô elatô superciliô, capillô in coronæ modum: ratio nominis non liquet. γ. Πρεσβύτης fuit quartus, vide ibi. δ. Hermonius, quintus vocatus est, obtutu acri, protensis superciliis, barbatus, recalvaster: cujus interventu & tractatu merces distrahebantur. Vide suprà *Cestro.* ε. Σφηνοπώγων, h. e. *cuneatâ barbâ*, alter ejusdem operæ dictus est, diversâ facie, tonsus. ζ. Lycomedius septimus, *à cura & astu* dictus barbâ crispâ, mentô oblongô, alterô superciliô protensô: multa attingebat, quorum satagebat negotia. Haud absimilem fecêre hujus faciem lenonum, diduxêre tamen buccas, imò & distorsêre, contraxêre supercilia, ademêre capillum, ita ut aut calvus, aut recalvaster, esset.

SENESCALLUS, idem quod Major domus, apud Rob. de Monte, in *Ann.* 1170. *p.* 649. Hanc *Senescalciam*, vel, ut antiquitus dicebatur, Majoratum domus Regiæ, Robertus Rex Francorum dedit Gaufrido Grisogonellæ, Comiti Andegavensi, quòd sibi contra Ottonem Imperatorem fideliter adstitisset. Non obtinuit autem *Senescallus* integrum Majoris domus officium. Pipinus enim, qui hoc aliquando gesserat, & ex ejusdem amplitudine Regnum Franciæ adeptus erat, Majoratus istius officium sustulit, & arctiori potestate Præpositum mensæ constituit, quem à Teutonico *Scalchum* & *Senescalcum*, appellavit. Vide Fauchet *p.* 25. Henr. Spelmannum *Glossario*, *Archæol* &c. Carolo du Fresne *Senescalli*, qui Gallis *Seneschal*, Italis *Scalco*, munus primitus fuit circa domus curam & familiam dominicam, tum in Aulis Principum seu Procerum, tum in domibus privatorum. Erant præterea administratores redituum totius dominici fisci, atque adeò reddendis rationib. obnoxii, cujusmodi Senescalcos, *Dapiferos* seu *Truchsessen* German. in quibusdam locis Palatinatus vocari, auctor est Meibomius ad *Chron. Mark. n.* 30. Atque hi quidem *Senescalli communes* dicti sunt, ad discrimen *Magnorum Senescallorum*, qui Principum familiis, mensis & militiæ præerant. Sub prima enim Regum Franciæ stirpe inter Regni Optimates, qui placitis ac judiciis regiis intererant, *Senescalci* accensentur à Marculfo *l.* 1. *Form.* 25. alterô post Episcopos & Graviones locô, in veteri *Placito* Clodovei III. Sub secunda, post Comites Palatii nominantur, ante Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores & Falconarios, apud Hincmarum *de Ordine Palatii c.* 16. Et hi Majori-Domus suberant, cui quidem dignitati, veteri appellatione extinctâ, ea successit, quæ *Magni Franciæ Senescalli* dicta est, cui suberat *Senescallus Franciæ* unde dictus. Quippe Robertus Rex Gaufridum cognomine *Grisagonellam* Comitem Andegavensem ob præstitum contra Ottonem Imperatorem subsidium, Franciæ Senescallum dixit, &, ut habent Scriptores, *Majoratum Domus Regiæ*, seu *Senescalciam*, ei & successoribus contulit hæreditariô jure tenendam. Quam dignitatem Megadomestici dignitati in Aula Byzantina, confert Guil. Tyrius *l.* 2. *c.* 5. Cum verò Comites Andegavenses rarius in Regum aula versarentur, habebant iidem Vicarium Comitis, qui *Franciæ Senescallus* perinde vocabatur, ita tamen ut Andegavensi Comiti subesset, & ex dignitatis suæ ratione hominium præstaret. A quo tempore *Senescalci* in Curiis Regum Francorum primas ferè semper tenuerunt, atque in Regiorum diplomatum subscriptionibus primum locum observârunt, maximè à temporibus Henrici I. Munus illorum insigne circa dapes fuit & mensam Principum, uti paret ex cognomine *Dapiferorum* ipsis ferè semper tributo: non tamen communiter (quod *Senescallorum communium* erat) sed in solennioribus solùm ceremoniis, in quibus Princeps cum apparatu accumbebat. Præcipuum verò, in rebus bellicis: unde Theobaldus Comes Blesensium, Franciæ Senescallus *Princeps Militiæ Regis* dicitur, apud Rigordum A. C. 1184. Erat quoque ejus, vexillum Principis ac Domini in prælia efferre: eô Missam audiente ensem tenere, ut alia omittam. Sed & jus reddebat Principis subditis, eôque nomine cæteris Judicibus præerat, &c. Apud Anglos, *Senescallus* tenet locum Capitalis Justitiarii, cujus vices gerit, & jurisdictio *Virgata Regia* dicitur, continetque 12. leucas in circuitu Regis, ubicunque fuerit: de cujus munere in justitia administranda, vide *Statutum* Eduardi I. apud Car. du Fresne *Glossar.* qui plura hanc in rem eruditè congessit. Porrò *Senescallorum* munus posterioribus seculis, uti de Magno Franciæ Senescallo suprà diximus, ferè semper hæreditarium fuit, & certis non modò familiis, sed & prædiis, addictum. Sic Vicecomites Thuarcenses Comitum Pictaviæ, Domini Joinvillæ Comitum Companiæ, Domini *de breze* Ducum Normanniæ, Domini *de la Puisaie* Comitum Perticensium, Domini Spineti Comitum Atrebatensium, Domini *d'Estée* Comitum Bononiensium &c. Senescalli extitêre. Quemadmodum in Imperio Comes Palatinus perpetuus est Imperatoris Senescallus & Dapifer &c. Vocis originem quod attinet, ex *sin* vel *senesle* & *sente*, grex, armentum, & *scalcus*, servus, eam arcessunt *Lindenbrogius* & *Vossius*, quòd armentis, & per synecdochen toti domui rusticæ *Senescalli* antiquitus præessent. Vide plura hanc in rem apud Auctorem præfatum.

Series Senescallorum Franciæ.

α. Guilielmus Com. Feritatis & Gomeri, A. C. 1060. sub Henrico I. β. Radulphus Dapifer, sub Philippo I. A. C. 1065. γ. Balduinus Dapifer, sub eodem A. 1069. δ. Fridericus, itidem A. C. 1071. ε. Robertus, A. C. 1078. & 1079. ζ. Adam, A. C. 1085. η. Hugo I. A. C. 1081. 1085. & 1086. θ. Guido de Montelcherii Comes de Rupeforti A. C. 1092. ι. Paganus de Garlanda A. C. 1096. κ. Hugo de Rupeforti, Comes Cresciacensis, Hugonis I. fil. A. C. 1107. λ. Anselmus de Garlanda, A. C. 1110. 1120. cui successit frater, μ. Guilielmus de Garlanda. Et ν. Stephanus de Garlanda, A. C. 1126. ξ. Radulfus Comes Viromandensis & Vadensis, usque in A. C. 1152. ο. Theobaldus Comes Blesensis, usque in ann. 1191. Postea nomine mutatô, *Magni Magistri Hospitii Regii* successêre.

SENEX, nomen dignitatis, apud Statium *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 253.

Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro.

Ad quem loc. vide *Animadversiones* Barthianas. Hinc Tyriorum ille supremus Magistratus, quem *Senem tantum*, *spretis aliarum dignitatum nominibus*, appellatum esse, ait Antoninus *Hist. part.* 2. *tit.* 17. *c.* 9. §. 7. Legimusque in *Fortal. Fidei l.* 4. *c. de Divers. Paganor.* in Phœnicia quosdam *præficere sibi Capitaneum*, *non successione hæreditariâ*, *sed prærogativa meritorum*, *quem ipsi vocant Veterem seu Senem*, *non tam provectæ ætatis ratione*, *quam prudentiâ & dignitatis præeminentiâ*. Sed & notus *Senex*, vel *Vetulus de Montanis*, Assasinorum seu Lassasinorum, de quibus suô locô, Princeps, Arnoldus Lubec. *l.* 3. *c.* 37. *Princeps de Montanis*, *qui quâdam excellentiâ Principatus dicitur Senex.* Vide de illo Guil. quoque Tyrium *l.* 20. *c.* 31. Wilh. Neubrigensem *l.* 4. *c.* 24. & Car. du Fresne ad *Joinvillam*, item suprà in voce *Alsheich*. In Ecclesiam transiit titulus, dictique sunt *Senes* vel *Senes Episcopi*, in Africa olim, Episcopi promotionis tempore cæteris antiquiores, qui eô nomine *Primates* erant, unde & sedes eorum *Prima* vocata est. Sic Sylvanus modò *Senex Ecclesiæ Summensis*, appellatus in *Collatione* Carthagin. I. *c.* 26. modò *Episcopus c.* 57. Γέροντες dicebantur Scriptoribus Græcis, eôdem sensu, unde Γέρων Γ'ρωνόντων, in Cod. Can. Eccl. Afric. *c.* 90. Imò & *Senex* Abbas, apud Petr. Abælardum *Ep.* 8. Unde Γεροντικὸν liber, de quo diximus suprà voce *Geronticon* &c. Vide plura suprà *Presbyter*, & apud præfatum Auctorem *in Glossario*, uti de *calceis Senum*, suprà *Compodes*.

SENIA

SENIA, oppid. Illyrici, Plin. *l.* 3. *c.* 21. *Zeng* German. *Baudrando* urbs Croatiæ in ora maris Adriatici Episcopalis sub Archiepiscopo Spalatino, 35. mill. pass. ab Ænona in Boream, 50. ab ostio Arsiæ. Estque munita, cum arce valida. Hâc urbes Croatas pepulerunt Veneti, A. C. 1617.

SENICIACUM, vulgò SENECEY, locus Galliæ in Burgundia, in diœcesi Matisconensi. Meminit Urbanus II. Pontifex Roman. *in literis datis A.* C. 1095. *Ecclesiæ de Saviniaco* (Severy; *& Ecclesiæ de Seniciaco, in Episcopatu Matisconensi*, apud Hadr. Vales. in voce *Saviniacum.*

SENIO, jactus erat in prisco talorum lusu, Græcis Κῷος, i. e *Cous*, dictus, quem qui jecerat, nummum ex acervo lucrabatur. Persius *Sat.* 3. *v.* 48.

> ---- ---- ---- *Quid dexter* Senio *ferret*,
> *Scire erat in voto: damnosa Canicula quantum*
> *Raderet.*

Nisi aliter ex Lusus Lege convenerat, ut fecerat Augustus, in cujus *Ep. ad Tiberium* apud Suetonium legimus, *c.* 71. *Inter cœnam lusimus γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim jactatis, ut quisque Canem aut Senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.* Ubi tam *Senionis*, quàm *Canis* (cùm nempe unio prodibat) jactus damnosus erat. Sed alioquin etiam, si quis cum Cane *Senionem* jecisset, infelix is habebatur: ut colligere est, ex Martialis *Xeniis l.* 13. *Epigr.* 1. *v.* 6.

> Senio *nec nostrum cum Cane quassat ebur.*

Vide infrà in voce *Talorum lusus*, it. ubi de *Tesseris*.

SENIOR, honoris atque dignitatis nomen, ab ipsa natura constitutum, quod & ideo juvenes ambiunt. Ovid. *Fast. l.* 5. *v.* 57.

> *Magna fuit capitis quondam reverentia cani,*
> *Inque suo pretio ruga senilis erat.*
> *Martis opus juvenes, animosaque bella gerebant &c.*

Item pro Rege, apud Aimoin. *l.* 5. *c.* 24. sub finem. Unde *Seniorale*, dignitas Regia vel Dominica, Gall. *Seigneurial*, vel potius *Seigneurie*: Concil. Meldens. *A.* C. 845. *c.* 7. *Si vultis regnare, ac vigorem regium ac* Seniorale *optatis habere &c.* Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

SENIOR, cognom. Eben Sinæ seu Avicennæ, in *Synopsi propositorum Sapientiæ Arab.* item Mahumedis Ben David in *Giarumia* fronte, Arab. *Alsheich*, titulus est perquam frequens apud Arabas, in codicibus eorum *MSS.* & notat *Doctorem primarium.* Unde etiam inter auctores Chymicos habetur *Senior Zadith* fil. Hamuelis, ex Arabico olim traductus, qui & simpliciter *Senioris* nomine indigitari solet. Inscribitur liber ejus *Senior de Chemia*, in quo etiam *Ordinis Seniorum*, per metaphoram & *Seniorum* hôc nomine mentio. Vide suprà in voce *Alsheich*, item *Messor*, *Minister*, *Presbyter* & *Senex*.

SENIORES, pro Regni Magnatibus, aliàs *Antiquiores* dicti: Concil. sub Henric. II. apud Henr. Spelmann. *Gloss. Archæol.* Apud Germanos *Seniorum*, qui honores gesserant, & pace ac bellô inclaruerant, maxima olim auctoritas. Horum præcipuè consiliô Resp. regebatur: Hi, si quid accidisset, evocati convenire, & à Regibus consuli, ac liberè sententiam dicere consueverant, Cæsar *Comm. l.* 4. *c.* 13. ubi illos *Majores natu*: Dio *l.* 39. ubi γερουσίαν eosdem vocat, &c. Claudianus Majores natu Alarici Vesigothorum Regis assessores & Consiliarios facit, eosque nunc *primos suorum*, nunc *Patres & Curiam Getarum*, nunc *graviores natu*, *Senes* atque *grandævos* appellat, *l. de bello Getico.* Idem Sidonius *Carm.* 7. facit. De Ostrogothis simile quid narrat Procopius *l.* 2. *de bello Goth.* ubi Vitigem multos è *Senioribus* convocare solitum esse, scribit. Vide eundem *l.* 3. de Totilæ clade verba facientem. Apud Francos hinc, Germaniæ gentem, *Seniores* sive Majores natu erant atque vocabantur, qui, postquam civiles aut militares Magistratus gesserant, aut in Palatio militaverant, jam ut ætate, sic dignitate provecti, pars in urbibus Regni Franciæ, pars in villis suis agebant, tanquam emeriti ac veterani. His magnus ab omnibus honor habebatur: Hi Comitum & Ducum jus dicentium: Hi Regum Consiliarii, assessores, convivæ erant. His inconsultis nihil magnæ rei gerebatur. Talis Cundo fuit, quem Fortunatus scribit, à Tribunatu ad Comitivam, hinc ad Domesticatum pervenisse, ac demum inter *Potentes sedere jussum*, & Sigiberti Regis factum esse *Convivam.* Talis Hagnericus, Theodeberti Austrasiorum Regis Conviva & Consiliarius: Talis ex Senioribus Rotomagi Francis, quem Fregedundis ad convivium invitavit, apud Gregor. Turonens. *Hist. Fr. l.* 8. *c.* 31. Tales denique *viri Fortiores, qui in urbe erant Suessionica atque Meldensi*, & à Childeberto Rege alterum filiorum ejus petierunt, apud Eund. *l.* 9 *c.* 36. Dicti quoque passim *Francorum Sublimes*, *Nobiles*, *Primi apud Regem*, *Seniores laici*, *Majores Regis*, *Meliores natu Regni*, *Priores Regis*, *Regni Principes*, *Viri Optimi* & *Optimates &c.* Hodie *les Seigneurs de la Cour* seu *les Seigneurs* absolute: nec non *les Grands du Royaume*, & absolutè *les Grands* vocantur: Verùm hæc appellatio non jam ætatis est, sed dignitatis. Appellationem *Seniorum* Itali ab Ostrogothis, Longobardis & Francis, olim in Italia dominantibus: Hispani à Visigothis, omnibus Germaniæ populis, transmissam acceperunt: quâ etiamnum utuntur in salutationibus, & eâ voce dominos designant; eôdem nomine in scriptis etiam Regem honorantes, *Seniorem Regem*, i. e. Dominum Regem appellando. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Rotomagum.*

SENIORES quoque dicti, in unitate Fratrum Bohemorum, qui principem sacrorum curam gesserunt. Ab horum 52. Ecclesia Fratrum in Bohemia & Moravia, gubernata est, per annos 180. usque ad A. C. 1627. Vide in voce *Fratres.*

SENIORES Monasteriorum, apud Monasticæ Rei Scriptores, *Tigrius Dorotheo*, dicuntur modò bini, modò etiam (pro numero Monachorum) duodeni ætate provectiores & scientiâ ac vitæ probitate insignes, ad quos, præsente vel absente Abbate, fratrum disciplina & cura Monasterii pertinebat, quorumque consiliô Abbas in quotidianis necessitatibus utebatur, *ut opus non esset universam fatigare congregationem*, quemadmodum loquitur Trithemius in *Vita* Mauri Archiep. Moguntini *c.* 5. Vide quoque Vigilium Diaconum *in Regula Orientali c.* 4. In Ordine Benedictino, nomen hoc peculiare est tertio gradui Monachorum, qui 40. annos exegerunt in Ordine, usque ad quinquagesimum, quem supergressos *Sempectas* dici consuevisse, vidimus suprà. Primus enim gradus *Juniorum* erat, qui usque ad ann. 24. suæ professionis omnia onera chori, claustri & refectorii subibant. Secundus illorum, qui 16. insuper annos emensi, *ab officiis parvis Cantariæ*, *Epistolæ*, *Evangelii* &c. liberi erant. Hos insecuti *Seniores*, uti dictum, quoque excusabantur ab omni officio forinseco, scil. Provisoris, Procuratoris, Cellarii, Eleemosynarii, Coquinarii &c. Vide Car. du Fresne in *Glossar.* in voce *Sempecta*, ubi *Regulam* præfati Ordinis *c.* 27. hanc in rem laudat, & suprà *Senex.* De *Senioribus LXX. Hebræorum*, vide infrà in voce *Synedrium.*

SENIR, Amorhæis dictus est mons Hermon, Deuteron. *c.* 3. *v.* 9. quasi *felinus*, à felibus fortasse ibi diversari solitis. Felis enim, ut Arabicè *sinar*, sic Chaldaicè *sunar*, à naturæ malignitate, dicitur. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Pars. prior. l.* 3. *c.* 14. ut & in voce *Hermon.*

SENIUS Rufus, annonæ præfectus, sub Nerone, Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 22. Vide *Fenius.*

SENNA, vulgò MISA, fluv. Umbriæ in ora Senonum ad Senam Gallicam urb. mari Hadriatico acceptus, Lucan. *l.* 2. *v.* 407.

> *Sennaque, & Adriacas qui verberat Aufidus undas.*

Ortelio Cesano esse videtur, inter Fanum & Senogalliam.

SENNA, vulgò SENNE, fluv. est Belgii, in Brabantiæ Ducatu qui unà cum Tilia *Ty* Gallis, incolis *Tyle*, à Demera *Demer*, in Scaldim defertur. Fluit autem per Sonegiam & Bruxellas, primariam regionis Urbem. Vales. in voce *Sabim.*

SENNAAR, campus Babylonis, in quo regnavit Nimrod. Gen. *c.* 10. *v.* 10. de quo vide Bochart. *Phaleg. l.* 1. *c.* 5.

SENNABARIS, mansionis nomen ad trigesimum stadium à Tiberiade distans. Josep. *Antiq. l.* 3. *c.* 16.

SENNACHERIB, post Salmanasarem patrem, Assyriorum Rex, A. M. 3319. blasphemus in Deum, per nuntios minatus est Ezechiæ regi Judæ, & populo. Judæam vastavit, Jerosolymam obsedit. At vero tandem, ad preces Esaiæ, & Ezechiæ, Angelus Domini occidit unâ nocte 180000. militum Sennacherib, A. M. 3324. Reversus itaque, cùm adoraret in templo Nesroch, Deum suum, Adrumelech & Sarasar filii ejus, quos ibi mactaturus erat, occiderunt eum. Vide *l.* 2. Reg. 18. & 19 *c.* & *l.* 2. Paral. *c.* 32. Esai. *c.* 37. & Joseph. *l. Antiq. Jud.* 10. *c.* 1. & 2. Ei successit Asarbaddon fil. minimus. Latine *rubus destructionis*, vel *gladii*, aut *solitudinis*, sive *siccitatis*, aut ex Hebræo & Syro, *inimici gladius*, vel *destructio.* *Nic. Lloydius.* Marshamo *Sennacherib*, annô Nabon. 20. Ezechiæ Regis Judæ 14. belló hunc aggressus est, quod *excussisset jugum Assyriorum*, & *illi servire recusavisset*, 2. Reg. *c.* 18. *v.* 14. verùm hic, pactô pacis pretiô Senacheribo pependit 300. talenta argenti & 30 auri, *Ibid.* qui acceptâ pecuniâ, versùs Ægyptum, primus Assyriorum, movit, Sathone Rege. Verùm obsidione Pelusii *a muribus* depulsus, Joseph. *Jud. Antiqq. l.* 10. *c.* 1. & Herodot. *l.* 2. *c.* 141. Ezechiam denuò invasit, miraculô præfató indidem rejectus, postquam cum Tirhaka quoque Rege Arabiæ congressus esset, *Ibid. c.* 19. *v.* 8. Domi, ut dictum occisus, pulsis à civibus Ninives parricidis, & Asarhaddone, post interregni octennium, non sine turbis popularibus, in tenella ætate patri surrogatò. Quæ occasio fortè Medis ab Assyriorum Rege desciscendi fuit, ut diximus suprà, voce Dejoces: it. *Arkianus*, qui tum Babylone regnabat. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XVII.*

SENNESER, fil. Jechoniæ, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 18.

SENNESERTÆUS Obeliscus, vide *Obeliscus.*

SENOGALLIA, vide *Sena.*

SENOMANI, Gallicè *Les Manceaux*, prius *Lemani* vocati à *Lemano* principe, qui *Lemanum* civitatem de suo nomine condidit, seu potius restituit, ac restauravit. Anteà enim istud oppid. Sarthou, Samothæ nepos condiderat, quod Sarrham, vel Sarrham nominaverat: istudque posteà Druidæ bellô in Lemanos motó diripuerant, ac solo funditus æquaverant. Lapsu verò temporis Lemani & Senones belló inter se concitati, multisque prœliis utrinque commissis pacem inierunt, ac fœdere percussó, ex utraque gente unicam fecerunt: eâ tamen conditione, ut nomine compositò vocarentur; cujus nominis 2. priores syllabæ *Senones*, 2. posteriores *Lemanos* significarent, *Lloyd.*

SENONES, pop. Galliæ finitimi Belgis, qui Brennô duce urbem Romam incenderunt, & Capitolium obsederunt: contra quos Furius Camillus pugnavit: etiam in Græciam postea armorum terrore prolatò celebres. *Σένωνες Straboni*, *Σήνωνες Polybio.* *Stephan.* *Σένωνες, ἔθνος Γαλατικόν.* Lucan. *l.* 1. *v.* 254.

> *Nos primi Senonum motus, Cimbrumque furentem*
> *Vidimus.* ---- ----

Silius *l.* 8. *v.* 454.

> —— *Senonum de nomine Sena.*

Claudian. *de Bell. Gild. v.* 127.

> *Me Senonum furiis, Brenni me reddite flammis.*

Apud hos, quorum civitas inprimis firma, & magnæ apud Gallos auctoritatis, Cavarinum Cæsar Regem constituit: cujus antè frater Moritasgus, ejusque Majores regnum obtinuerant. Hi suum Senatum habuêre, ut cœteræ Galliæ civitates. A principibus Galliæ iis, ad Alesiam ab obsidione Roman. liberandam, ut & aliis po-

pulis, 22000. virorum imperata esse, refert Cæsar *l. 7. c. 76.* Apud eosdem Decentius, cùm Magnentium fratrem Lugduni, à Constantio Imperatore superatum, se gladiô parieti innixô confodisse accepisset, & ipse laqueô vitam finiit, *Pomp. Læt.* Senones Gallos apud Clusium in Hetruria, Legionem Roman ita extinxisse tradit Liv. *l. 10. dec.* 1. sub L. Manlio Torquato legato, ut nec nuntius cladis superesset. *Baudrando* populi fuêre celeberrimi, Galliæ Lugdunens. qui provinc. Lugdunensi quartæ, cujus caput urbs Senonum est, nomen dedêre, à Sequana ad Ligerim longè lateque pertinentes, Romanorum terror. Erant inter Parisios & Meldas ad Boream, Tricasses ad Ortum, Æduos & Vadicasses ad Meridiem, & Aurelianos ac Carnutes ad Occidentem. Horum regio hodie *le Senonois*, Fuitque aliàs Burgundiæ Ducatus pars, non quòd Burgundiæ unquam assignata sit, ut ait Valesius, sed quia, quidquid Guntchramnus Francorum Rex obtinuit, à majori parte Burgundia dicta est: nunc autem Campaniæ Præfecturæ tribuitur. Hanc regionem Chora & Icauna flumina à provincia prima Lugdunensi dividunt. Eorum caput erat Agendicum, seu Senonæ & Senones, *Sens*, urbs ad Icaunam fluvium, inter Luteriam ad Boream & Autissiodorum ad Meridiem, 15. leucis à Trecis in Occidentem. Antiquissima, ut quæ annô post diluvium 149. ante Trojam 529. condita fertur. Carolinorum regnô sub propriis Comitibus, postea à Roberto Rege capta est, A.C. 1005. Præcipuum ibi templum S. Stephano sacrum, magnificis structuris, duabus inprimis ingentis crassitiei turribus, & sumptuosissimâ basi altaris principis omnium admirationem meretur. Archiepiscopus Senonensis Primatis Galliæ & Germaniæ titulum sibi sumit, habuitque olim suffraganeos Episcopum Parisiensem, Carnutensem, Meldensem. Aurelianensem, Trecensem, Autissiodorensem & Nivernensem: Nunc postquam Parisiensis sedes Metropolitanâ dignitate aucta est, tres solùm ultimi ipsi remansêre: Lugdunensisque Præsul Primas Galliæ cluit. Iidem populi nomen dederunt pago *Senonico*, i. e agro suburbano Agendico Senonum subjecto & circumfuso, 16. leuc. longo, 8. lato, ad fluv. Aroannam, qui varios continet Burgos *Giry*, *Torigni*, *la Chapelle*, *Launay*, &c. fertilis satis & multis amnibus irriguus. Eorum traduces *Senones* sunt Italici: habetque à *Senonibus* Gallis, in ora sextæ regionis Italiæ, Senogallia, veteribus quibusdam *Sena Gallica*, vulgò *Singaglia*, in Umbria nomen Sunt autem in Diœcesi *Senonica* 25. Abbatiæ & 674. parœciæ, cùm urbanæ tum rusticanæ: Archidiaconatus sex, *Senonensis* sive major, nimirum ipsius urbis Agendici, Wastinensis, Melodunensis, Pruvinensis, Stampensis, & Briegensis: quibus si addas Autissiodorensem Diœcesin, & ipsam in Senonibus positam: facilè erit intelligere, fines Senonum olim longè lateque patuisse. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Jac. Tevellum, *Senon. Archiep. vitæ.* Morin. *Exercit. Eccles. l.* 1. c. 31. Duchesinum, Papyrium Massonium, *descr. flum. Gal.* Sammarth. *Gall. Christ. l.* 1. &c. Concilia Agendici Senonum habita sunt A. C. 986. 1048. 1080. 1127. 1140. quo, præsente Ludovicô Juniore Rege, Petrus Abaillardus à S. Bernardo oppugnatus, à Concilio ad Pontificem provocavit. 1198. ob Ingeburgem Philippi Augusti uxorem, & quosdam à recepta doctrina abhorrentes: 1252. 1310. ob Templarios, 1220. 1224. 1528. 1612. Card. Perroniô præside. Vide Moret. *Diction. Histor.*

SENONES, populi Germaniæ inter Albim & Suevum flumina Patercul. *l. 2. c.* 106. Vide *Semnones.*

SENONES, populi Italiæ, *Strab.* Vide *Semnones.*

SENONES, populi Salentinorum, in ora Sinus Tarentini, quorum Urbs Galliopolis, Plin. *l. 4. c.* 18.

SENONIÆ, locus in valle *Senonensi*, apud Lotharienses, veteri monasteriô à Gundelberto extructô insignis, vulgò *Senone*, in saltu Vosago: Mediano monasterio, Stivagio veter. cœnobio, nec non Juncturis seu S. Deodati monasterio S. *Diey* proximus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SEN-SAOPHIS, Thebanorum in Ægypto Rex XVI post Saophem, præfuit ann. 27. dum Nepher-Cheres Thinitis imperitaret, circa tempora Isaaci Patriarchæ: eum excepit Moscheris, quem vide

SENSENNA, civitas in tribu Juda, Jos. *c. 15. v.* 31.

SENSUS Communis, apud Juvenalem *Sat. 8. v.* 71.

> *Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum*
> *Tradit & inflatum plenumque Nerone propinquô:*
> *Rarus enim ferme* sensus communis *in illa*
> *Fortuna* ---

idem est cum κοινονοημοσύνῃ Marci Imperatoris modestâ nempe illâ, moderatâ, usitatâ & ordinariâ, ut ita dicam, hominis mente, quæ in commune quodammodo consulit, nec omnia ad commodum suum refert, respectumque etiam habet eorum, cum quibus versatur, modicè de semetipso sentiens. Cùm enim quotidiani Imperatorum convivæ, necessariò illorum mensæ aliàs interessent, & non vocati, ac cum Principe συμποσιάζειν cogerentur: hâc veniendi necessitate illos liberavit Marcus & gratiam illis secum convivandi faciebat; quam civilitatem modestiamque is novô vocabulô κοινονοημοσύνην appellavit. Vide Salm. *ad Capitolin. in Marco c.* 29. & suprà in voce *Communes*, item *Monophagiæ.* Cœterùm Aristides Thebanus omnium primus *animum pinxit &* Sensus *omnes expressit, quos vocant Græci ethe: item perturbationes -- Hujus pictura est, oppidô captô ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans: intelligiturque* sentire *mater, & timere, ne emortuô lacte sanguinem infans lambat. Quam tabulam Alexander M. transtulerat Pellam in patriam suam*, Plin. *l. 35 c.* 10.

SENTA Fauna, Pici regis filia, conjux Fauni fratris sui, teste Lactantiô. *l. 1. c.* 22. Hanc *Varro* scripsit tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo illam, dum vixit, præter virum suum mas viderit, nec nomen ejus audierit. Propter quod in operto mulieres illi sacrificabant, & *Bonam Deam* nominabant. Veteres *Faunum*, & *Fatuam* dixerunt.

SENTA, specus est in ora Dalmatiæ vasto in præceps hiatu: in quem dejectô levi pondere quamvis tranquillô die, turbini similis emicat procella, Plin. *l. 2. c.* 45. *Seta Nigro.*

SENTENTIÆ ferendæ ritus, qualis olim apud Romanos fuerit in Senatu, dictum suprà, in voce *Senatusconsultum*: qualis apud Græcos, in voce *Quingenti.* De Judiciis addam hic pauca: Causâ utrinque peroratâ, post Meridiem, ad ferendam *Sententiam*, ventum est: juxta Leg. XII. Tabb. *Post meridiem præsente ambobus litem addicito. Sed occasus suprema tempestas esto.* Quòd si itaque Judices causam non intellexissent, dixerunt, *Sibi non liquere*, Cicer. *pro Cæcina.* Si in causa nihil obscuritatis haberent, *sententiam* tulerunt. Et quidem in nonnullis causis, ut de libertate & ventre cognoscendo, pronuntiàrunt, *sibi videri hominem aut liberum aut ingenuum, aut servum, aut libertum, aut filium esse, aut non.* Ulpian. *ff. de liberali causa.* In actione injuriarum pronuntiàrunt, *aut jure fecisse videri aut non*, Justinian. *tit. de injuriis.* In aliis causis alterum condemnabant, alterum absolvebant, dicendo: *Condemno*, aut *ille debet*: aut *solve*: aut *redde*, Macer *ff. quæ sentent.* Addebantque Judices, *Si quid est mei judicii*, Cicer. *de Finib. l.* 2. Absolvendi verò formula fuit, *Secundùm illum litem do*, Cicer. *pro Q. Roscio.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 9. c.* 16.

SENTIA Lex, cujus auctor, ut opinatur Hotomannus, C. *Sentius* Consul fuit ann. 734. Urb. Cond. imperante Augustô, sanxit, *ut in numerum Patriciorum, qui deessent Senatui, alii sublegerentur.* Tacit. *Annál. l. 11. c.* 25. Ubi tamen in vulgatis corruptè legas *Senia* pro *Sentia.*

SENTIACUM, villa olim Regia, seu Palatium principum Galliæ, nunc vulgò *Sintzich*, locus ad ripam Rheni, Autunnacum inter & Bonnam, ad Aræ amniculi & Rheni confluentem. A *Sentio* dictum. Notus est autem C. Sentius Saturninus, qui sub Augusto Consul in Germania res magnas Legatus gessit.

SENTICA, *Ptolem*, urbs Hispaniæ Tarraconens. in Vaccæis, *Zamora Morali. Baudrando* urbs regni Legionis, 15. leuc. Hispanic. à confinio regni Portugall. in Ortum, uti 9. à Miranda, Taurum versus. Satis parva.

SENTICA, vulgò ZAMORA, urbs Peruviæ, in parte Septentrionali in regione Quiti, ab Hispanis excitata, 70. leuc. Hispanic. ab ora maris Pacifici in Ortum, ut 20. à Loxa, 80. à Quito in Meridiem.

SENTII, seu SONTII, populi fuêre Provinciæ, ubi hodie Diœcesis Diniensis. Eorum caput Dinia, inter Ebroduntios ad Boream, Caturiges ad Occasum, Albicos ad Meridiem, & Capillatos ad Ortum. Vide *Dinia.*

SENTINUM, Umbriæ oppid. in Piceni confinio ad Sentinum fluv. quod nunc *Saxoferratum* dici potest. *Senec Leandro, Cerete Nigro.* Fluvius etiam nunc *Sentino* dicitur *Blondo, & Leandro.*

SENTINUS, & Vitumnus, inter Deos erant parturientium, ad *sensum* vitamque instituti: de quibus, ut & tota hac Deorum fictitiorum familia, vide præter Tertullian. D. Augustin. *de Civ. Dei l.* 7. c. 3. Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.*

SENTINUS Augur, poëta Romæ natus, scripsit *Epigrammata*, in quibus secutus est Valer. Caton. & Licinium Calvum.

SENTINUS Saturninus, Consul Romanus.

SENTIUS Saturninus, vide *Cajus.*

SENUISA, & SENUISSA colonia. Vide *Sinuessa.*

SENUNA, vulgo SELUNE, fluv. Galliæ, in cujus vicinia, Michaël Archangelus in monte Tumba, ante seculum 10. apparuisse, ab incerto Auctore, fertur, apud Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Haud procul ab urbe Abrinca, quæ inter eum & Sevam posita est. Oritur in sylva *Senuna*, vulgò *le bois de Selune* 4. leuc. ab Inhena distante, à qua & nomen accepit, quam sylvam *Landas putridas* quidam nuncupant, *la Forest des Landes pourries*: attingitque præ cœteris Montem Maurellum Monasteriô clarum. *Mommorel*, Ducerum *Ducé*; Pontem Abaudi, in literis Henrici Regis Anglorum, Ducis Normann. & Aquitanorum datis, A.C. 1157. memoratum, *Pont Auban*: demum 3. aut 4. infra Abrincas milliar. in Sevam labitur. Secundùm Furnetium, ad Pontem-Hubaldi in Oceanum decurrit, ut & Arduus; postquam duos amniculos sinu suô excepit. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Abrincatui.*

SENUS, urbs Ægypti, *Stephan.*

SENUS, qui *Sena Orosio*, *Sacana Æthico*, fluv. amplus & præcipuus Hiberniæ ad Limericum urbem *Shannon Camdeno. Baudrando* à Septentrione in Meridiem fluit. Oritur in Connacia provinc. & in Comitatu Roscominensi; inde per lacus Alynam, Escam & Ream fluens, Atlonam rigat & Connaciam à Lagenia separans, uti postea etiam à Momonia provinc. per lacum *Dirgh* labitur; & rigatô Lymericô, paulò infra in Occasum tendens, per æstuarium amplum in Oceanum Occidentalem se exonerat.

SEON, civitas in tribu Issaschar, Jos. *c. 19. v.* 19. Hodie ostenditur villa, juxta montem Tabor.

SEOR, pater Ephron, Gen. *c. 23. v.* 8.

SEORIM, nomen sacerdotis, 1. Paral. *c. 24. v.* 28.

SEPARA, vulgò la SEURE, fluv. provinc. Pictavensis, duplex. Unus nempe *Separa Nannetensis*, Moritaniam & alia oppida Vertavum inprimis, *Vertou* Pictonum rigat; dein in Britanniam fluens, prope Nannetas, in Ligerim se exonerat. Alter *Separa Niortensis*, oritur supra Fanum St. Maxentii, Pontemque Vallium *Pont de Vaux*, dein Niortium rigat. Hinc prope Malleacum fluens, receptâ Vendeâ, intra paludes, infra Merantium oppid. in Oceanum Aquitanicum labitur. Quidam *Separam*, vel *Separim* Nannericum, quod Andigavos à Britannis separet, Niortensem verò, quòd Aunedonacensem pagum à Pictonibus dividat, nomen accepisse ajunt. Vales. tamen Celticum nomen id esse retur. Namque & prope Luteriam vicus est *Separa, Sepera, & Savara* olim, hodie *Sevre* dictus: *Notit. Gall.*

SEPARATIO, immanissimum scelus, Augustino *de Baptismo contra Donatistas l. 1. c.* 13. Vide suprà *Schisma.*

SEPARATISTÆ, nomen Sectæ in Anglia. Postquam enim Reformatio Ecclesiæ sub Eduardo VI. cœpta, &, abolitis in doctrina erroribus, antiquum tamen Ecclesiæ per Episcopos regimen, cum multis

tis superfluis ceremoniis, retentum esset, sub Elisabetha non ultra processum, haudadmodum reluctante populô: quòd Episcopi ejus temporis viri essent pii, & ipsæ ceremoniæ non multùm urgerentur. In Scotia tamen, ab initio statim, sublata unà cum ceremoniis Hierarchia, omniaque ad formam primævæ & Apostolicæ Ecclesiæ composita sunt: (quod tamen postea Jacobus I. mutavit.) Interim non deerant & in Anglia, qui ad propiorem Apostolicæ simplicitatem Ecclesiarum reformationem optarent, ab Adversariis *Puritanorum* nomine aspersi, ut suprà vidimus: quod cùm primum piò zelò factum esset, postmodum, ut facilè ab uno extremo transitus datur ad alterum, hi quoque in partes abierunt, & sub Elisabetha Regina ac Jacobo I. in *Conformistas*, *Non-Conformistas* & *Separatistas* subdivisi sunt; sub Rege vero Carolo, planè in *Independentes* sunt conversi, de quibus omnibus hic passim. Et quidem *Separatismi* vexillum primus erexit A. C. 1580. Robertus Browne, de quo suprà, Boltoni in Schismate (seu secessione ab Ecclesia Anglicana) propagando successor, qui tamen & ipse Boltoni exemplô tandem errores suos revocavit, nihilominus *Brownistarum* sectæ nomine sub relicto. Tertius dein Barrovius fuit, instigantibus Episcopis suspensus. Quartus, Jhonsonus quidam, *separatam* Ecclesiam Amstelodami instituit, in varias mox partes ac factiones iterum discerptam, adeò ut is patrem quoque & fratrem suum excommunicaret & ab utroque excommunicaretur. Quintus Smithius Ecclesiam similem Leidæ crexit, mox unà cum Doctore suo collapsam. Sic verò languentem & animam agentem *Separatismum* restituit Robinsonus, qui Brownistarum rigidas opiniones mitigavit, & *Semi-separatismum* fundavit, unde Separatistæ in *rigidos Separatistas*, qui à Brownio præfato nomen retinuerunt, & *Semi-separatistas* sive *Robinsonianos* distingui cœperunt, quorum hi postmodum *Independentium* nomen nacti sunt, quo hodieque in veteri & nova Anglia veniunt. Dogmata utrorumque, vide ubi de *Brownistis* & *Independentibus*, item voce *Robinsonus*. Sed & de *Sesquiseparatis* vide infrà.

SEPELACUS, locus in Hispania circa Saguntum, *Anton.*

SEPELIENDI Jus inter mores sive ἔθη, quæ τοῖς ἐγγράφοις, i. e. *scripto juri* opponit, post Legatorum jura, commemoratur *Dioni Chrysostomo*, [illegible]. *Non prohiberi, quin mortui sepeliantur mortui.* Et Seneca Pater *l.* 1. *Controv.* 1. inter jura non scripta, omnibus scriptis certiora, ponit *humum porrigere cadaveri.* Naturæ id jus appellant Hebræi *Philo* ac *Josephus*, & [illegible] *Isidorus Pelusiota*: ut solere sub *Naturæ* nomine comprehendi mores communes naturali rationi consentaneos notum est. Proin Veteres, qui jura hominibus bene moratis communia, quò sanctiora viderentur, ad Deos referebant Auctores, etiam hoc jus Diis passim adscripsêre. Itaque Euripides *Supplicibus* νόμον δαιμόνων, i. e. *Deorum Legem* vocat, & apud Sophoclem Antigone Creonti, qui Polynicem humari vetuerat, hoc pactô respondisse legitur,

Decreta quippe hæc nec supremus Jupiter,
Nec fas Deorum Manium dictaverat,
Queis alia jura debet humanum genus,
Nec id valere credidi jussus tuos,
Ut jura non conscripta, sed nata Deûm
Concessa, sempiterna, mortalis satus
Violare posses. Non enim nuper vigent,
Sed ævo ab omni: Initia in occulto latent.
Nonne ergo forti corde, seposito metu
Mortalis iræ par Diis magnis fuit
Me gerere morem!

Vide de bello hoc Thesei adversùs Creontem, Isocr. *in Panathenaico*, *Panegyr. Helenæ encomio, Plataica Orat.* Herodotum *Calliope*, Diod. r. Siculum *Histor. l.* 4. Xenoph. *Hist. Græc. l.* 6. Aristidem *in Panathen.* & Lysiam *Orat. in honorem Sepultorum.* Et passim apud laudatos Autores, videmus egregia Virtutum nomina huic officio tribui. *Humanitatem* vocat Cicero *pro Quintio. Humanitatem ac mansuetudinem*, Val. Max. *l.* 5. *c.* 1. οἶκτον τῆς κοινῆς φύσεως, *miserationem communis Naturæ*, Philo: *Sortis humanæ commercium*, Tacitus *l.* 6. *Annal. c.* 19. *Pietatem* Ulpianus: *memoriam humanæ conditionis*, Modestinus: *Clementiam*, Capitolin. *in M. Antonino Philos.* [illegible], Euripides, Lactantius & Cicero *in Top. Opus benignum*, Prudentius. Contra Donatistas, qui Catholicorum corpora *sepeliri* vetabant, *impietatis* accusat Optat. Milevitanus *l.* 6. Apud Papinium, *l.* 12. *Theb. v.* 165.

---- -- ---- Bello cogendus & armis
In mores hominemque Creon.

Ipsa hinc Sepulchra *Templa*, & Exequiæ, apud Græcos Νόμιμα, uti apud Latinos *Justa*, dicta, ac Lex Atheniensium, *ne quis inhumatum cadaver, nisi ter ei pulverem injiciat, præterire ausit*, Ælian. *Histor. Var. l.* 5. *c.* 14. Horat. *l.* 1. Od. 28. *v* 24.

---- ---- Capiti inhumato
Particulam dare ----

Quem morem exactè observasse Romanos, testis est Quintilian. *Declam.* 5. *Ignotis, ajens, cadaveribus humum congerimus, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocunque veneretur aggestu.* Quod si quis omisisset, porcam præcidaneam Cereri mactabat, apud Romanos: apud Græcos ἄγος, teste Sophocle *in Antigone*, i. e. *scelus*, habebatur. Quare inter gravissimas diras erat, [illegible] χθονός, *terra carere*: & naufragis non aliunde major metus, quàm quia sic corpus insepultum foret. Ovid. *l.* 1. *Trist. El.* 2. *v.* 52.

Demite naufragium & mors mihi munus erit.

Unde, qui in istiusmodi discrimen fortè incidissent, membro alicui pretium pro sepultura alligare solebant: Synesius *Ep.* [illegible]. Interpres Historiæ Apollonii Tyrii 20. *sestertia auri ad caput puellæ, in loculo undis commisso, adposita fuisse*, docet. Hoc itaque pretiô acceptô ejectum in littus cadaver obvius quisque *sepeliebat*, vel saltem plenâ manu ter terram injiciebat. *In os glebam injectam fuisse*, monet Cic. *de LL. l.* 2. quod *justa facere mortuo* Romanis dictum, & ante novarum frugum gustationem fieri solebat: quo factô mortuus *Humatus*, ut ante *Humus*, vocabatur. Vide Joh. Meursium *Comm. in Lycophr.* [illegible]. Quæ vero primum causa moris hujus introducendi fuerit, ut corpora humo tegerentur, sive condita prius, ut apud Ægyptios: sive cremata, ut apud Græcos plerosque, sive ita, uti sunt, quem morem esse antiquissimum notavit Cicer. & post eum Plin. *l.* 7. *c.* 54. de eo non idem omnibus videtur. *Moschion* existimat, occasionem datam ex gigantea feritate mandendi homines, cujus abolitæ signum *sepulturam*. Aliis videntur hôc modo homines velut spontè solvisse debitum, quod alioquin vel ab invitis repetit Natura. Cicer. *ex Euripidis Hypsipyle.*

Reddenda terra terræ.

Sunt qui resurrectionis spem à primis humani generis Parentibus, hôc veluti monumentô, posteris consignatam velint. Unde & ob revivascendi promissum, asservanda corpora docuisse Democritum, Plin. testis est *l.* 7. *c.* 55. Grotius simpliciùs putat, dicere, cùm homo cæteris animantibus præstet, indignum visum, si ejus corpore alia animantia pascerentur: quare inventam *Sepulturam*, ut id quantum posset caveatur. *Miseratione certè hominum custodiri corpora ab incursu avium ferarumque*, dixit Quintilian. *Declam.* 6. Apud Cicer. *de Inventione l.* 1. *A feris vexatus, communi honore in morte caruit.* Et apud Virgil. *l.* 10. *Æn. v.* 556. legimus,

—— —— Non te optima mater
Condet humô, patriove onerabit membra sepulchrô,
Alitibus linquere feris.

Sed etsi tales abessent injuriæ, proteri tamen ac lancinari corpus humanum, alienum meritò videtur ab istius Naturæ dignitate. Vide Sopatrum *Controvers.* [illegible]. & Gregor. Nyssenum *Ep. ad Letojum*: [illegible]. Hinc est, quòd officium *sepeliendi*, non tam homini, quàm humanitati, præstari dicitur apud Servium ad *Æn. l.* 11. & *publicam hanc humanitatem* dixerunt Seneca *de Benef. l.* 5. *c.* 20. & Quintilian *loc. cit.* sicut *tralatitiam* Petronius. Cui consequens est, ut nec inimicis, nec hostibus invideri debeat. Vide de Inimicis, egregiam apud Sophoclem dissertationem Ulyssis, pro humando Ajace: cui adde Eurip. *in Antigone & Supplic.* Hostibus publicis deberi idem officii, omnes sentiunt. Belli hoc jus [illegible] vocat *Appianus*: *belli commercia*, *Philo*, [illegible] apud hostes servari, [illegible], *etiamsi ad summum odia processerint*, ait *Dio Chrysostomus*. Hinc Hercules suos hostes, Alexander victos ad Issum, Hannibal C. Flaminium, P. Æmilium, Tiberium Gracchum, Marcellum Romanos quæsivisse ad *sepulturam*, leguntur. Agamemnon Trojanos *sepeliit*, *Il.* η. Antigonus Pyrrhum apud *Plut.* Vide eundem *in Theseo* quoque. Idem Hannoni à Romanis præstitum, Mithridati à Pompejo, à Demetrio multis, Archelao Reg. ab Antonio. In Græcorum adversùs Persas militantium juramento erat, *Socios omnes sepeliam: Bello victor etiam Barbaros*; passimque in Historiis legas impetratam νεκρῶν ἀναίρεσιν, *facultatem tollendi mortuos.* Quare Hebræorum veter. interpretatione Pontifex Max. cùm alioqui rei ulli funebri interesse vetaretur, repertum tamen hominem *insepultum* sepelire etiam jubebatur. Ambros. *l.* 2. *Offic* 28. Christiani vero *sepulturam* tanti fecerunt, ut ejus causâ, sicut ad pauperes alendos aut ad captivos redimendos, vasa Ecclesiæ etiam mutata conflari aut vendi licitè existimaverint. Quæ in contrarium occurrunt exempla, communi damnata judiciô opprimuntur. Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 905.

---- ---- Hunc oro defende furorem.

Etiam insigniter facinorosos *sepeliri* mos. Lex divina, illos ipsos, qui suspensi patibulô erant: (quod valde ignominiosum censebatur, Numer. *c.* 25. *v.* 4. Deuter. *c.* 21. *v.* 23. 2. Sam. *c.* 21. *v.* 8) eodem die *sepeliri* jubet. Ægisthum, qui adulterium cæde Regis cumulaverat, ab Oreste humô mandatum Homer. narrat *Od.* γ. Sed & apud Romanos, Ulpianus corpora eorum, qui capitis damnantur, cognatis ait neganda non esse. Ipsum Creontem, apud Papinium sic alloquitur Theseus, *l.* 12. *Theb. v.* 780.

---- ---- ---- Vade atra daturus
Supplicia, extremique tamen secure sepulchri.

Interim apud ipsos Hebræos regulam hanc habuisse exceptionem eorum, qui ipsi sibi mortem consciverant, Josephus docet *de bello Judaic. l.* 3. *c.* 17. Nec id mirum, cùm in hos aliud supplicium constitui non possit, qui mortem pro supplicio non habent. Sic Milesiæ Virgines, apud Gell. *l.* 15. *c.* 10. à voluntaria morte absterritæ: & plebs olim Roman. apud Servium *ad Æn. l.* 12. quanquam improbante Pliniô *l.* 36. Apud Græcos, sacrilegos quoque insepultos abjici moris fuisse, testatur Diodor. Sic. *l.* 16. Sic & Dion Prusiæus *Rhodiac.* [illegible], sepulturâ orbari, ait. Idem Athenis in proditores constitutum, narrat Plut. *Antiphonte.* At Nicetas *l.* 3. *vitæ Alexii fratris Isacii*, cùm narrâsset mortem Joh. Comneni Crassi, qui per seditionem Imperium affectaverat. [illegible], inquit, [illegible]. Vide Hugon. Grotium *de Jure Belli & Pac. l.* 2. *c.* 19 *ubi, ob negatam Sepulturam, bellum juste suscipi censuisse Veteres magnô consensu*, addit. Ubi autem *sepeliendi* mortui, sancitum lege Pii, apud Capitolin. *in eo*, *c.* 12. *Intra urbes sepeliri mortuos vetuit.* Nempe mortuos intra urbem neque Romani sepeliebant, neque Athenienses, neque alii populi quamplurimi. Sed erant, quibus in civitate sepelire jura municipalia permittebant, teste *Ulpiano*: & de Lacedæmoniis scimus ex *Plutarcho*. Præterea videntur multi, gliscente jam Christianismô, veterem superstitionem, quæ intra urbes mortuos vetabat recipere, pau-

latim exuisse & contemsisse. Ad hæc igitur duo genera hominum lege opus fuit, quam tamen ante Pium Hadrianus quoque tulerat. Vide titulum *de Sep. viol.* & suprà, ubi de *Cœmeteriis*. Sub mortuo seu sub ipso occisi cadavere, vivum olim homicidam sepelierunt Bencharnenses, & Bigorritani &c. Plura suprà, ubi de *Cadaverum cura* alibique passim. Porrò quàm varii *sepeliendi* ritus, plurimi dixerunt: De politioribus Gentibus, vide suprà & præterea Lipsium *ad Tac. Annal. l.* 4. Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 3. *c.* 7. Andr. Tiraquellum, Joh. Kirchmannum Lubec. *libb.* 4. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 31. & *l.* 5. *c. ult. cum Paralipom.* Dempsteri &c. ut & in hoc opere passim *ubi de Defunctis, Exequiis, Funere, Sepulchris, aliis.* De Chiis, Tauris, Sindis, Colchis, Phrygibus, Panebis, scripsit Nicolaus *de Mor. Gent.* de Persis Ægyptiisque Herodot. *l.* 3. de Tartaris P. Venetus *de Region. Oriental. l.* 1. *c.* 74. de Lapponibus, Olaus M. *l.* 4. *c.* 7. de variis cultissimè Silius Italicus *Punicorum l.* 13. *v.* 465. ita canit,

Daque vago primùm portas Acherontis adire,
Haud ulla ante istam, quanquam non parva fatigent,
Curarum prior exstiterit: Namque ista per omnes
Discrimen servat populos, variatque jacentûm
Exequias, tumuli & cinerum sententia discors.
Tellure ut perhibent, is mos antiquus Iberâ,
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.
Regia cùm lucem posuerunt membra, probatum est
Hircanis adhibere canes; Ægyptia tellus
Claudit adorato post funus stantia saxo
Corpora, & à mensis exanguem haud separat umbram.
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm & longum myrrhata reponit in ævum:
Quid quòd reclusa nudos Garamantes arenâ
Infodiunt? Quid quòd sævo sepelire *profundo*
Exanimes mandant Libyci Nasamones in oris?
At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas!) auro, & mensis ea pocula servant,
Cecropidæ, ob Patriam, Mavortis sorte peremtos
Decrevêre simul communibus urere flammis.
At gente in Scythicâ suffixa cadavera trunco
Lenta dies sepelit, *putri liquentia tabo.*

Vide quoque infrà, in voce *Sepulchra.*

SEPES Muralis, apud Spartian. *in Adriano, c.* 12. *In plurimis locis, in quibus Barbari non fluminibus, sed limitibus, dividuntur, stipitibus magnis in modum muralis* sepis, *funditus jactis atque connexis, Barbaros separavit*: est murus. Nam *Sepes* pro quovis ambitu ædificii ponitur; unde & *sepire*, pro, murô lapideô circundare. Apud Vopisc. in *Aurelian. c.* 22. *sepiones urbis*, pro muris: Ciceroni *pro Sextio Urbes mœnibus sepire* &c. Ex Græco, σηκὸς nempe *sepes* est, σηκὸν autem Græci omnem περίβολον vocant, sive ex lapidibus sit, sive ex stipitibus, vel tabulatis constructus. Quô posteriore sensû σηκὸν, μάνδρα vocant, ut Latini *sepem* pro stabulo sumunt. Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 537.

---- ---- *non pascua, non seps*
Heic tibi, nocturnis mitte hæc simulachra rapinis.

Virg. *Ecl.* 1. *v.* 34 *septum* vocat:

Quamvis multa meis exiret victima septis.

Latini infimæ ætatis *sudem* dixêre &c. Vide Salmas. *ad Spartian. d. l.* uti de *Sepe* Mardorum, apud Curtium, *l.* 6. *c.* 5. Nerviorum apud Cæsarem, *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 17. Hunnorum apud Monachum Sangall. munitionis itidem genere, suprà lemmate *Arbor sylva*, it. voce *Haga*: de *Sepimentis* verò sacellorum, & monumentorum, apud Veteres suprà in voce *Conseptum*, ut & apud Casaubon. *ad Sueton. Nerone c.* 33. quem exscripsit Joh. Kirchmannus *Funer. l.* 3. *c.* 17. sicut de verbo *Obsepire*, suô locô.

SEPHAM, filius Hur, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 12.

SEPHAMA, terminus Judææ ad Solis ortum, Numer. *c.* 34. *v.* 23. in tribu Manasse, inter villam Enam & Urbem Reblatha, in ripa Jordanis.

SEPHAMOTH, civitas, quam David suorum spoliorum participem fecit, 1. Sam. *c.* 30. *v.* 28.

SEPHAR, mons, Gen. *c.* 11. *v.* 30.

SEPHARVAIM, civitas Assyriorum, 2. Reg. *c.* 17. *v.* 24. unde, inter alias urbes gentesque, à Rege Assyriorum Samariam colonia deducta, post X. Tribuum regnum sub Hosea excisum. Colebant autem τοὺς *Adra-melech*, & *Ana-melech*, quibus Deastris liberos suos igni comburendos sacrificabant, *v.* 31. de quo παιδοθυσίας ritu antiquissimo, pluribus agit Marshamus *Canone Chron. Sec. V.*

SEPHATH, civitas, in qua filii Judæ Chananæos ad unum interfecerunt, eamque *Hormah* nominaverunt, Judic. *c.* 1. *v.* 17.

SEPHATHA, nomen vallis, 2. Paral. *c.* 14. *v.* 10. Joseph. *l.* 8. *Jud. Antiq. c.* 12. Juxta Maresa, in tribu Juda, ubi Asa Rex maximô prælio Æthiopes vicit.

SEPHEI, pater Ziza principis; 1. Paral. *c.* 4. *v.* 37.

SEPHELA, regio campestris, frugifera & amœna, juxta Eleutheropolim, extendens se ab Emaus usque ad Rhinocoruram & mare. In tribu Dan.

SEPHER, mons, in quo castrametati sunt filii Israël profecti de Ceelata, Numer. *c.* 33. *v.* 23. *Baudrando* meliùs *Sephar*, civitas, metropolis & *Sepharitæ* populi Arabiæ Felicis, ac prope Climax mons, ab urbe & populi etiam *Sephara*, aut *Sepharus* dictus. Bochart. *l.* 2. *c.* 30. *Phaleg.*

SEPHET, seu CEFET, urbs in tribu Nephthalim, inter montana, in monte excelso ac loco pulcherrimo, ex clarissimis Decapoleos civitatib. inter Ptolemaidem ad Occasum 30. & Naason in Ortum. 12. mill. pas. apud Carmelum, à Cana Galilææ 6. *Ferrar.*

SEPHI, filius Eliphaz, 1. Paral. *c.* 1. *v.* 40. qui Gen. *c.* 36. *v.* 15. *Sephua* dicitur.

SEPHI, filius Sobal, 1. Paral. *c.* 1. *v.* 36. qui Gen. *c.* 36. *v.* 23.

SEPHIM, nomen viri, 1. Paral. *c.* 26. *v.* 16. (dicitur *Sepho.*

SEPHIPHON, Gen. *c.* 49. *v.* 17. Vide suprà *Cerastes*, item *Hæmorrhous.*

SEPHO, filius Eliphaz, Gen. *c.* 36. *v.* 15.

SEPHON, filius Gad, Gen. *c.* 46. *v.* 16.

SEPHOR, pater Balac, Numer. *c.* 22. *v.* 2.

SEPHORA, filia Raguel, sive Jethro sacerdotis Midian, uxor Mosis, Exod. *c.* 2. *v.* 21.

SEPHORA, obstetrix Hebræorum, Exod. *c.* 1. *v.* 15.

SEPHORIM, urbs Palæstinæ in Galilæa maxima, ad montis Carmeli radices, proxima Cauæ; quæ & *Autocratoris* & *Diocæsarea* dicebatur. Aliàs etiam *Sepphoris.*

SEPIA, piscis, utilis piscationi est, ut & Polypus, teste Aristotele *Histor. Animal. l.* 4. *c.* 8 eorum enim odore pisces allecti faciliùs capiuntur, Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 46. Eadem excrementô suô, quod Græci μέλαν, Latini *atramentum* vocant, iis qui chartis impallescere amant, magno adjumento olim fuit. Licèt enim Romani & Græci, ex fornacium balinearumque fuligine, atramentum facerent, ut habet Plin. *l.* 35. *c.* 6. & Dioscorides *l.* 5. *c. ult.* Afri tamen ex excremento, sive nigro & glutinoso humore, in vesica sive membrana *Sepiæ* latente (quem θολὸν Græci nuncupant) atramentum scriptorium sibi conficiebant: ut vetus annotavit Interpres *ad illud Persii Sat.* 3. *v.* 12.

Nigra quòd infusâ vanescat Sepia *lympha.*

Ubi Poëta idcirco *Sepiam* Metonym. pro quovis posuit atramento. Fortè & ideo in *veter. Epigr* (in veter. Salmasii membranis) geminus illi usus tribuitur, unus in cibis, alter scriptionis. Ita autem Epigramma illud habet,

Fœmineo geminum designat nomine sexum,
Et candens piceum Sepia *claudit onus.*
Utilior nullus piscis per cærula oberrat,
Cui pretium capto debuit esse duplum.
Præstat carne cibos, apicum dat felle figuras;
Atque brevis specie usum ad utrumque facit.
Hanc potiùs doctis apponere convenit escam.
Quæ sapit in morsu, & probat articulos.

Interim non *Sepiæ* solùm inest atramentum (ut eum humorem Cicer. *de Nat. Deor. l.* 2. vocat) sed mollibus cunctis, ut Aristoteles ait *Histor. Animal. l.* 4. *c.* 1. qui & ipse θολὸν nominat, & ab iis in metu ait effundi, ut infuscatâ aquâ occultentur. De Loligine inprimis id manifestum, cujus tamen succô an similiter, uti *Sepiæ*, in scribendo Veteres usi sint, non facile dictu est. Vide Gerh. Joh. Voss. *Opere cit. l.* 4. *c.* 49.

SEPIA, mons Arcadiæ, apud Tricrena.

SEPIAS, Macedoniæ promontor. *Ptolem. Apollonii Scholiastes*: Σηπιὰς ἀκρωτήριον ἐν Γαλλικῷ ὅτι κεκλήσθαι διὰ τὸ τὴν Θέτιν ἐκεῖθεν εἰς σηπίαν μεταβληθεῖσαν διαπεφευγέναι τὸν Πηλέα. Hodie Capo Quecatumo, Brietio, 20. mill. pass. ab Iolco in Ortum, totidem à Magnesia promuntor. in Meridiem, Eubœam versus; prope Pelasgicum Sinum.

SEPINUM, quod SÆPINUM *Ptolem.* colonia & oppid. Samnii, Populi *Sepinates*. Nunc *Supino*, oppid. regni Neapolitani in Comitatu Molisii, inter Apenninum, in limite Terræ laboris; paucis nunc incolis constat, *Baudrand.*

SEPIUS, *untis*, vide *Sipontum.*

SEPIUSSA, Doridis insula in Sinu Ceramico, Plin. *l.* 5. *c.* 31.

SEPLASIA, forum Capuæ, in quo unguentarii negotiabantur. Hinc *Seplasiarius* pro unguentario, & effœminato, vide hic infrà.

SEPLASIARIUS, apud Lamprid. *in Heliogabulo, c.* 30. *Pinxit se ut cupediarium, ut* Seplasiarium, *ut popinarium*: in *Gloss.* παντοπώλης, vocabatur, qui pigmenta, thura, odores, pharmaca & id genus vanas minutasque merces, quæcunque Pictoribus, Tinctoribus & Unguentariis, conducerent, vendebat. Omnis inprimis Ἰατρικὴ ὕλη, *Medica materia*, apud illos prostabat: unde illam Medici emebant, quod obtinere passim cœpit extremis Græciæ temporibus, cùm priùs ipsi medicamenta manu facere tenerentur; Græci φαρμακοπώλας quoque vocabant, vide suprà in hac voce, nec non ubi de *Medicamentariis*. Hodie *Pharmacopolas*, item *Speciarios*, appellamus. Vide Salmas. *ad Solinum p.* 1050. & *ad Lampridium dicto l.* Origo voci à *Seplasia* vel *Seplasio*, foro Capuæ, in quo plurimi Unguentarii. Unde & *Seplasia*, & *Seplasium*, pro *Seplasiario*. Plin. *l.* 34. *c.* 11. *Credunt* Seplasiæ, *omnia fraudibus corrumpenti.* Et *Marcellus*,

Quodque ab Idumæis lectum Seplasia *vendunt,*
Et quidquid confert Medicis Lagæa Cataplus.

SEPONTIA Paramica, Vaccæorum urbs in Hispan. *Ptolem.* prope Durium fluv. in limite Braccariorum & Lusitaniæ, hodie *Penedo*, prope Mirandam. Aliis *Sevanda*, prope confluentes fluv. *Tormes* in Durium, in limite Portugalliæ. *Baudrand.*

SEPOSITIO, pœna relegatione, sicut relegatio exiliô, mitior, indigitatur Suetonio *in Tito c.* 9. estque relegatio seu exilium, negotii alicujus honesti specie velatum. Sic L. Antonius M. Antonii III. Viri nepos, *sepositus* ab Augusto Massiliam legitur, apud Tacit. *Annal. l.* 4. *c.* 44. Vide quoque de Agrippa, Suetonium *Augusto c.* 65. & suprà *Mucianus*, infrà it. *Tarrutinus.*

SEPS, apud Tertullianum *de unico Deo c.* 1.

Per latebras animæ sepis *manante venenô.*

Et Prudentium *contra Symmachum præfat. l.* 1. *v.* 74.

Seps *insueta subit serpere flexibus*:

Solino *aspis tabificus* est, *c.* 27. unde nomen. *Aldrovando* lacerta est Chalcidica, sic dicta, non quòd in Chalcidis territorio nascatur, sed quia virgata est lineis aurichalci colorem referentibus. Alter vox sumitur apud Val. Flaccum *l.* 6. ut vidimus suprà in voce *Sepes* Ibi enim per syncopen ex *Sepes*, hic verò à verbo σήπω, *putrefacio*, unde σήψ, factum est.

SE-

SEPTA, Græcis *Septum*, urbs parva Mauritaniæ Tingitanæ olim, cujus caput ad fretum Herculeum. *Ceuta* Hispanis, *Bene Marrez* Mauris, teste *Marmolio*: Munita. Hodie in Habata provinc. regni Fessæ, ubi fretum Hercul. magis restringitur, in ejus parte Orientali, versus mare Mediterraneum. Erepta fuit Mauris, quibus post Romanos, Gothosque subfuit, à Johanne Portugalliæ Rege A. C. 1410. Hodie sub Castellanis. In colle *Septem fratres* dicto, Plin. *l.* 5. *c.* 2. Mel. *l.* 1. *c.* 5. *Septensem arcem* habet hôc loco *Procopius*, ad alteram Herculis columnam, eamque sic vocatam addit, ob 7. montes ibi apparentes. Prope Abylam montem 18. mill. pass. seu 6. leuc. à Calpe in Meridiem 30. mill. pass. à Tingi in Ortum. Portum habet capacem, Ecclesiamque Collegiatam, cujus Cathedralis est, cùm Septa & Tanger unum faciant Episcopatum, sub Archiepiscopo Ullyssiponensi. Vide Marmol. *l.* 4. *c.* 53. Gammæum, *l.* 18. *c.* 7. Miræum *Geogr. Eccl.* &c.

SEPTA, locus erat Romæ, in Campo Martio, de quo sic Servius ad *Ecl.* 1. *Virg. v.* 34. *Septa propriè sunt loca, tabulatu inclusa, in quibus stans Populus Rom. suffragia ferre consueverat; sed quoniam hæc septa similia sunt ovilibus, duo hæc pro se invicem ponuntur.* Ubi eundem locum *Ovilia* quoque dictum innuit, vide suprà. Eorum quoque meminit Seneca *de Ira l.* 2. *c.* 7. *Cùm videris Forum multitudine refertum, & Septa omnis frequentiæ plena, & illum Circum, in quo maximam sui partem populus ostendit.* Ea porticibus circumjectis postea cœpisse exornari, discimus ex Plin. *l.* 16. *c.* 40. ut & *l.* 36. *c.* 5. ubi *Pana* & *Olympum, Chironemque cum Achille* ibi picturâ expressos memorat. Ibidem Ludos exhiberi solitos, discimus ex Suetonio *Caligulâ c.* 18 & *Claudio c.* 21. Nec frequentiùs alibi solennes dedit Ludos Augustus, vide quoque in *Nerone c.* 12. eundem Suet. Aliàs & deambulationibus frequentabatur locus, utpote vicino Tibride apricus & salubriori homines invitans cœlô, accedente præsertim tantâ rerum opulentiâ. Unde Statius *l.* 4. *Sylv.* 6. *v.* 1.

Fortè remittentem curas, Phœboque levatum
Pectora, cùm patulis tererem vagus otia Septis,
Jam moriente die.

Vide quoque Martial. *l.* 9. *Epigr.* 60. Lucan. *Pharsal. l.* 1. & 7. Juv. *Sat.* 6. Ovid. *Fast. l.* 1. &c. ut & suprà, in voce *Ovilia*. Addam hic saltem, cùm Tito imperante Roma continuos tres dies totidemque noctes flagraret, inter alia τὰ Σέπτα numerari Dioni, quæ postmodum Adrianus instauravit. Spartian. *in eo, c.* 19 *Romæ instauravit Pantheum, Septa, basilicam Neptuni* &c. Sed & *Septa* Latinis in lusu Latrunculorum dicti sunt loculi lineis distincti, in quibus calculi statuebantur, Græcis Χαραγμάτα: item in tesserarum lusu lineæ seu scripta, per quæ currebant calculi. aliter, *capsi, carceres, mandræ* &c. quas voces vide, ut & suprà in voce *Sepes*, nec non infrà *Septum*.

SEPTALIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

SEPTAN, vel SEPHTAN, pater Camuel, principis tribûs Ephraim, Num. *c.* 34. *v.* 24.

SEPTEM, numerus plenitudinis & perfectionis in Sacris, de quo Eruditi passim. Græcis ἑπτὰ, quasi σεπτὰ, ut ipsis Pythagoræis visum: σεπτὸν autem Latinis *sanctum* & *venerabile* notat. Nempe, quoniam magnus rerum Opifex sanctificat diem septimum, Græci Latinique antiquam famam secuti, hunc numerum ita vocârunt. Philoponus *de Creatione Mundi l.* 7. *c.* 14. *Jure merito post sex dies operationum ad mundi generationis quietem* (numerus hic) *deputatus fuit, quia solus septenarius numerus, neque ex aliis per multiplicationem natus est, neque alium genuit, atque ita cùm sit secundùm hoc solitarius, solus etiam inter numeros quietis symbolum esse debet.* Vide Andr. Riverum *in Gen. p.* 53. Nec desunt viri insignes, qui hinc non Judæis solùm, sed & Gentilibus olim, *Septimum Diem*, coli seu observari, idque velut ex instituto publico, solitum, asserant: quibus tamen eruditè respondet Joh. Seldenus *de Jure Nat. & Gentium juxta Discipl. Hebr. l.* 3. *c.* 15. & *seqq.* Vide hîc quoque ubi de *Hebdomade, Sabbato* &c. Interim certum, *Septimam diem*, etiam antiquissimis Poëtarum, ἱερὴν, *sacram*, dici, non quia *festa* illis, sed quoniam ex ratione Astrologica rebus agendis perquam videbatur *idonea* & *auspicata*, vide ubi de *Planetaria dierum ratione*. Cùm verò Hesiodus in *Dieb. v.* 768. ait,

——— ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ,
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

——— *Septimus sacer dies est,*
Hoc enim Apollinem auri ensem genuit Latona:

de septimo, non Hebdomadis, sed Mensis die, loquitur: Redditque simul rationem, cur hunc mensis diem sic vocet. In mensis namque, & quidem Thargelionis, diem septimum Apollinis incidisse natales, unde & ἑβδομαγενὴς is dictus, tradunt Delii, apud Laërtium *in Platone*. Vide Plut. *Symposiac.* 8. *quæst.* 1. Proclum *ad Hesiodum*, Eustathium *Il.* φ. Alios; qui inde non solùm mensis, in quo natus est, diem septimum (quô Thargelia celebrari solita; ut septimô mensis Pyanepsionis, Pyanepsia) sed uniuscujusque septimum per totum annum ei tradunt sacrum fuisse: quemadmodum octavum quemque mensis diem Neptuno atque Mercurio quartum adscribunt nonnulli. Sed & hoc certum, *Septenarii numeri* dignitatem non minus apud Gentiles fuisse insignem, uti pluribus docet Clemens *l* 6. *Strom.* Jul. Firmicus *Mathes. l.* 3. *Proœm.* Proclus *in Timæum p.* 11. Alii. E quibus Clemens explicans, *quænam hoc numero apud illos finiantur*, ea dicit esse, *Septem Angelos principes, septem Planetas, Septem Pleidas, Septemtriones, Lunaris figuræ septeno quolibet à Neomenia die mutationes, Septem Lyræ sonos, Septem sensuum instrumenta, mutationes ætatis anno quolibet septenô, dies in Medicina Criticos, in quibus hebdomadis nomen notissimum*: aliaque hujusmodi reperiri addit quamplurima, apud Hermippum *l.* περὶ Ἑβδομάδος, *de Septenario*: Qualis etiam liber tribuitur Hippocrati apud Chalcidium *in Timæum Platonis*, qui in Operibus ejus non reperitur. Unde numero huic *Virginis, Palladis*, ipsiusque *Temporis, et omnium rerum Nodi*, alia veneranda nomina indita, uti videre est apud Auctores magnô numerô laudatos Seldeno *d. l. c.* 15. ubi plurima in hanc rem insignia: De *septem* verò *candelis* in Ecclesia Romana in Altari accendi solitis, cùm *solenniter*, ut ajunt, *celebrat* Episcopus, suprà ubi de *Abbatibus mitratis* & voce *Candelaria*, de *septem cœlorum Præsidibus Angelis* Basilidianorum, voce *Abraxas*; de *septem ternionum flagellis*, quibus Martyres olim verberabantur, vide Abdiam *l.* 3. & Salmas. *ad Vopisc. in Tacito c.* 6. de *septempedali proceritate* Herculis, qui modus summus adolescentiæ humano corpori dicitur, eundem *ad Solin. p.* 42. &c. Vide quoque Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Ἑβδομάς.

SEPTEM Aræ, olim oppid. nunc pagus in Lusitania, *Azamar* Vasconcello, 3. leuc. in confinio Estremaduræ in Occasum, 8. à Pace August. in Circium 2. à Portu Alacri in Meridiem, 18. ab Eremita. *b. a Garnza.*

SEPTEM Castrenses, orti ex Saxonibus à Carolo M. devictis ac partim in Franciam, partim in Hungariam translatis, A. C. 806. P. Æmilius *l.* 3.

SEPTEM Duces, οἱ Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας *Æschylo*, Heroës videl. Thebani, Tragicorum Græcorum materia; præter Æschylum hunc, Sophoclis ex parte in *Oedipo tyr.* ex parte in *Antigone*; Euripidis *Phœnissis* & *Supplicibus*, aliorum cum plurium, qui interierunt. Idem Statianæ *Thebaidos* argumentum, Senecæ item non una in tragœdia, apud Latinos. Cùm enim Polynices, ab Eteocle fratre, regnô arceretur, illud repetens,

& pactas vices,
In bella cunctos Græcia populos agit,
Septena muros castra Thebanos premunt,

ut Seneca *Thebaide Act.* 2. *v.* 325. loquitur. Ubi pro Poëtarum more: Aberant enim multi populi, & præter opitulatores Eteoclis, Athenienses quoque. Coibant autem populi ill. *Septem Ducum* auspiciis, qui totidem castris distincti, ob perfidiam Eteoclis Thebas penitus exscindere volebant & alios prorsus Polynici tradere. Statius *Theb. l.* 8. *v.* 540. ipso Adrasto loquente,

——— *aspiæ mœsta*
Agmina, nos ferro meritas exscindere Thebas
Mens tulit ———

Nomina Ducum, *Adrastus, Amphiaraus, Parthenopæus, Tydeus, Capaneus, Hippomedon* & *Polynices*. Quibus Thebani totidem opposuêre, *Geontem, Eteoclem, Æmona, Hypseum, Eurymedontem, Dryantem* & *Menœceum*. Sunt tamen qui contestatissimos hujus exercitus Duces non septem, sed plures fuisse asseverant, adeò ut gratiam Æschylo fecerint ipsi etiam Argivi, post ejus eam constitutionem, cæteros obliterantes: quæ sanè immanis fit injuria. Pausan. tamen etiam cæterorum memoriam voluit conservatam *l.* 2. quem vide. Quum verò successu caruisset hoc bellum, filii Ducum horum, eô posteà redintegratô, tandem Thebas, ex Parentum voto, deleverunt: *Epigonorum* nomine apud Scriptores celebres. Vide Barthium *ad Theb. Papinii*, inprimis *l.* 4. M. Anton. Delrium *Not. ad Senecæ ista in Phœnissis v.* 391. & 392.

Septena Reges bella dispositi parant,
Animo pari Cadmea progenies subit:

ut & ubi diximus de urbe bellô hôc petitâ eversâque, voce *Thebe*.

SEPTEM Fontes, urbs fuit agri Florentini, ad radices montium, aliàs sui juris, posteà à Florentinis excisa, incolis Florentiam migrare jussis. Ex ejus præcedentib. familiis erat gens Barberina, hodieque inclyta.

SEPTEM Fratres, septem montes Mauritaniæ Tingitanæ apud Herculis columnas: ubi olim elephantorum copia, teste *Solino* Prope Septam Urbem. Vide ibi.

SEPTEM Literarum Deus, Serapis cognominatus, vide suprà *Josephus, Serapis*.

SEPTEM Maria, Herodian. *l.* 8. *c.* 7. ἑπτὰ ὕδατα *Dionys. Halicarn. Atrianorum paludes Plinio, Stagna Hadriatica Servio, Paludes Tartari* Tacito *l* 3. *Hist. c.* 9. hodie *Lagune di Venetia*, paludes circa urbem Venetam, in quas Padus, cum Athesi & Tartaro 7. ostiis effunditur. *Baudrando* tractus Italiæ, inter ostia Padi, sic ab eis dictus. Eratque in Venetis, in ora maris Adriatici ubi nunc Ducatus Ferrariensis, majori ex parte. Sed differt à stagnis Hadriaticis quæ magis in Boream extenduntur, & in quæ tamen se Padus non exonerat.

SEPTEM Sylvæ, tractus Frisiæ Occidentalis *Saltus Frisiorum* Tacito. Hodie *Mastbroeck*.

SEPTEMBER, quod *septimus* esset à Martio, quem principem anni constituerat Romulus, dictus est, teste Varrone *de Lingua Lat. l.* 5. ubi scribit, *menses reliquos à Junio ad Decembrem usque à numero dictos*. Quem cùm Senatus in Tiberii Aug. honorem *Tiberium* appellari vellet, ipsemet ne id fieret, Imperator intercessit, Sueton. *in Tib. c.* 26. quod tamen de mense Novembri tradit Dio *l.* 7. eò quòd Tiberius die 16. Kal. Decemb. natus esset. Eundem posteà Domitianus Imperator *Germanici* cognomine adsumtô *Germanicum* à se transnominavit, eôdem Suetoniô teste *c.* 13. Jul. Capitolin. in *Antonino Pio, c.* 10. Senatum decrevisse hunc mensem *Antoninum*, sequentem *Faustinum* appellari, verùm id Antoninum quoque respuisse, refert. Commodus verò cùm omnium mensium nomina transmutâsset, iisque novas de suis cognominibus appellationes imposuisset, hunc mensem *Herculeum* nominavisse legitur, apud Æl. Lampríd. *in ejus vita c.* 11. Tandem *Tacitum* à Tacito Imperatore quod eô & natus esset & factus Imperator, fuisse denominatum Flav. Vopisc. *in ejus vita c. ult.* scribit. Cæterùm hic Mensis, qui in Vulcani tutela fuisse creditus est, ex Romuli & Cæsaris ordinatione 30. ex

Numæ autem constitutione 29. dierum fuit. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. l. 4. c. 13.* & Casaubon. *ad August. Suetonii c. 32.* Græcis *Βοηδρομιὼν* appellatus est, quia *Boëdromia*, in honorem Thesei Amazonum victoris, vel, ut alii volunt, in memoriam Atheniensium ab Ione, contra Eumolpum, adjutorum, eô celebrata. Hebræis *Tisri*, aliàs *Ethanim*, fuitque ante exitum ex Ægypto primus Anni, apud illos, quemadmodum & posteà princeps civilis anni mansit, mense *Nisan*, qui partim Martio, partim Aprili nostro respondet, Anni sacri principe constitutô. Sed nomina hæc, quod addere non pigebit, demum post reditum ex Babylone initium cœpisse, notant Eruditi, quum prius Menses non aliô, quàm numerali nomine, *Primus*, *Secundus*, *Tertius* &c. venirent. Vide de Mense Boëdromione Franc. Rossæum *Archæol. Attic. l. 2. c. 20. de mense Tisri*, Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. Eccles. & Civil. l. 3. c. 1.*

Dies hujus Mensis apud Romanos & Athenienses celebriores.

α. Dies 2. seu 4. Non. memorabilis fuit, apud Romanos, propter navalem victoriam Augusti, de M. Antonio & Cleopatra Ægypti Regina, reportatam: Apud Græcos ob *νίκην ἐν Πλαταιαῖς* seu *victoriam ad Plateas*, à Pausania ac Aristide, *Mardonium* Persarum Ducem. Eôdem Cæsaris Monarchiam incepisse, annô ab Urb. Cond. 726. Dio refert *l. 5.* Vide quoque Xiphilinum *Epitom.* β. Die 4. seu Prid. Nonas & octo seqq. Ludi erant Romani. γ. Die 5. seu Nonis, *Νίκη ἐν Μαραθῶνι*, contigit, Persæque à Miltiade victi sunt. δ. Die 8. seu 6. Idus, Hierosolymæ à Vespasiano captæ sunt. ε. Die 11. seu 3. Idus, *χαριστήρια ἐλευθερίας* Athenis fuere. ζ. Die 13. seu ipsis Idibus, olim apud Romanos Prætor maximus clavum pangebat, Liv. *l. 7.* Eôdem Templum Jovis Capitolini dedicatum est, à M. Horatio Cons. Plut. *in Poplicola*. η. Die 14. seu postr. Idus apud Roman. dies erat Equorum probandorum: apud Athenienses, *Ἀγυρμὸς Μυστηρίων*. 1. dies Myster. θ. Die 15. seu 17. Kal. Octobr. & seqq. aliquot Ludi Romani erant. Apud Athenienses 2. dies Mysteriorum paganorum, *ἅλαδε Μύσται* dictus. ι. Die 16. seu 16. Kal. Octobr. tertius erat Mysteriorum dies, quô sacrificabatur barbus seu mullus. κ. Die 17. seu 15. Kal. Octob. quartus erat dies, quô jugum boum quasillum seu calathum vehebat, repræsentantem flores Proserpinæ, clamantibus, quæ ponè sequebantur, Matronis, *χαῖρε Δήμητερ*. λ. Die 18. seu 14. Kal. Octobr. qui Mysteriorum quintus, *λαμπαδηφορία* vigebat, unde ipse *λαμπάδων ἡμέρα* dictus est. μ. Die 17. seu 13. Kal. Octob. Bacchi idolum in pompa ducebatur, unde dies hic, qui sextus erat Mysteriorum, *Ἴακχος* est appellitatus. ν. Die 18. seu 12. Kal. Octob. & seqq. tribus diebus, apud Romanos Mercurialia erant: apud Athenienses septimus erat Mysteriorum, quô se cursu exercebant victorque adoreâ donabatur. ξ. Die 19. seu 11. Kal. Oct. Epidauria servebant Athenis, in Æsculapii honorem: qui Epidauro, ut sacris initiaretur, appulit Athenas. Et hic erat 8. Mysteriorum. ο. Die 20. seu 10. Kal. Oct. qui 9. & ultimus dies Mysteriorum erat, dictus *πλημοχόη*, duos modios tritico implebant, eosque constituentes, alterum versus Orientem, alterum versus Occidentem clamabant; unus quidem in cœlum suspiciendo *ὕε* alter verò humum despiciendo, *τόκυε*. Vide Jo. Meursium. Erat autem *πλημοχόη*, vas fictile, turbinis instar, in fundo leviter depressum, quô Eleusiniorum novissimô hôc die utebantur, unde ipsi diei nomen. Idem verò Critiæ, uni è XXX. Atheniensium tyrannis, datum, notat Casaubonus *ad C. Nepotem Alcibiade, c. 10.* Eôdem die, qui accipiebant mysteria, *Mystæ* & quinquenniô ineunte, eâdem *mense* Boëdromionis *Ἐπόπται* &c. *Ἔφοροι*, dictos, Scaliger docet. Vide ubi de *Eleusiniis sacris*. π. Die 21. seu 9. Kal. Oct. Natalis Augusti erat, de cujus celebratione vide Dionem *l. 54.* ρ. Die 25. seu 5. Kal. Octob. Veneris Genetricis feriæ erant, de qua vide *suo loco*. Porrò hôc Mense quoque epulum Minervæ fuisse Kal. Rustic. habet, sed quô die id fuerit, incertum est.

SEPTEMVIRI Epulones, (cùm prius Triumviri instituti essent, an. Urb. Cond. 553.) memorantur Gellio *l. 1. c. 12.* *Item cujus Pater Flamen, aut Augur, aut Quindecimvir S. F. aut qui Septemvir Epulonum aut Salius est:* Creditque *Onuphrius* à L. Cornelio Sulla numerum auctum fuisse. *Epulones* vocat *Festus*, antiquâ voce, sicque dictos ait, *quòd epulas indicendi Jovi cæterisque Diis potestatem haberent.* Postea Cæsar, aliis tribus additis, Decemviros Epulonum constituisse legitur apud Dionem *l. 43.* *Cùm Cæsar pluribus beneficia deberet, Magistratibus & Sacerdotiis collatis eis satisfecit. Itaque XV. Sacerdotium unum, Collegio Septenario tres addidit.* De officio, jam aliquid ex *Festo* dictum, paulo prolixiùs id exequitur Cicer. *Orat. de Aruſp. Resp.* *Ludos minùs diligenter factos, pollutosque. Quos Ludos? Te appellabo, Lentule; tui Sacerdotii sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum: Vosque Pontifices, ad quos Epulones Jovis O. M. si quid est prætermissum aut commissum, adferunt, quorum de sententia illa eadem renovata, atque instaurata celebrantur. Ludi sunt minus diligenter facti: quantò & quô scelere polluti, respondebitis & pro te & pro collegis tuis, & pro Collegio.* Quando autem lecti sternebantur Diis & pulvinaria, *Lectisternium* appellabatur, *Dapes*, cibi Deorum convivio apponi soliti. Hinc *Epulum* & *Epulones*: *Jovis epulô ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitabantur.* Val. Max. *l. 3. c. 1. ex. 2.* atque ita *septemviri* hi convivia celebrabant. Vide de origine Lectisternii, Livium *l. 5. c. 13.* & plura suprà in voce *Epulones*. De *Septemviris*, qui, ex assessoribus Prætoris, certas causas testamentarias supremis decidebant, hincque *Septemviralibus Judiciis*, vide Jul. Pauli librum singularem, et *l. 9. 28. 31. de inoff. Testam.* &c.

SEPTEMPEDA, sub Pontif. Picenorum urbs Mediterranea *Ptolem. S. Severino* hodie *L. Alberto*, 12. milliar. à Camerino in Circiam, Auximum versus 18. 6. à Tolentino in Occidentem, uti 16. à Macerata. Parva, intra colles.

SEPTEMTRIONI seu SEPTENTRIONI, unde nomen sit, non convenit. Quidam volunt esse, à *solo numero stellarum*, ut *triones* sit supplementum. Alii malunt *triones* esse *boves*, ut apud Nævium: *Trionum hic moderator rusticus.* Sanè in Philoxeni *Glossis* legas: *Triones, βόες ἐργάται.* Eritque id nomen ab officio, quasi *terones*, quia *solum terant*: vel quasi *terriones*, quia *terram arent*, *colantque*; vel quasi *striones* à *stria*, quam, proscindendo terram faciunt. Vide Varron. *de LL. l. 6.* Festum in *Septemtriones*; Gell. *l. 2. c. 21.* Ovid. *l. 1. ἐκ πόντου, v. 64.*

> —— *Scythiam, septemque triones*
> *Horrifer invadit Boreas.*

Virg. *Georg. l. 3. v. 381.*

> *Talis Hyperboreo septem subjecta trioni*
> *Gens effræna virûm, Riphæo tunditur Euro*
> *Et pecudum fulvis velantur corpora setis.*

Nic. Lloydius.

SEPTENA, vulgò la SEPTAINE, districtus urbis Bituricensis in Gallia, aliorumque aliquot oppidorum, in eodem tractu, dicitur: an. à 7. vicis, an à *septimo* miliario, an à *septis* urbis? Vide Car. du Fresne *in Glossar.* Apud Monasticæ Rei Scriptores, *septem* dierum jejunium est, pœnæ locô inflictum, quorum dierum quartô & sextô pane & aquâ duntaxat vescendum & recipienda disciplina erat, uti docet idem Car. du Fresne ex *Statutis* Ordinis Hospitalar. S. Joannis Hierosolym. Alia vocis notio, in Concilio Lemov. apud *eund.* Sed & *Septenarius* seu *Septenarium*, in Ecclesia Romana Officium vocatur, per *septem* dies continuos, pro mortuis peragi solitum: quod ut plurimum cum tricenario hodie conjungi refert Idem. Cur per septiduum id duraret, rationem reddit Alcuinus *de Offic. div. c. de Exeq. mort.* Ejusmodi verò *septenos*, ut & alios quosdam, anniversarios defunctorum dies, apud Melchitas quoque, Maronitas, Copticas & Jacobitas, observari, docent *Preambula* Conciliorum, laudata ab Abrahamo Echellensi *ab lib. Ebed-Jesu c. 60.* de *Septenaria* dictum ratione, vide suprà.

SEPTENTRIONALIS, apud Joëlem *c. 2. v. 20.* *Et Septentrionalem procul removebo à vobis, & impellam eum in terram squalosam* &c. *Hieronymo* sunt Assyrii & Chaldæi; *Abarbaneli* insuper Romani, quia omnes hi ad Aquilonem Judææ degunt, ita tamen, ut illi versùs Ortum, hi versùs Occasum vergant. Bocharto verò locustæ, seu locustarum agminis pars, quæ erat ad Aquilonem urbis, quam in Arabiæ deserta se repulsurum Deus promittit. Vide quæ de locustis in præcedentib. Propheta dixit, & plura hanc in rem apud Auctorem modò dictum *Hieroz. Parte poster. l. 4. c. 5.* Cæterùm de *Septemtrione* vento, medio inter Aquilonem & Thrasciam, vide Salmas. *ad Solin. p. 1253. & 1256.*

SEPTERIUM, una ex 3. solennitatibus nonô quôque annô Delphis olim celebrari solitis: quarum mentio apud Plut. *Quæstion. Græc.* Erat autem *Σεπτήριον μίμημα τῆς πρὸς τὸν Πύθωνα τοῦ θεοῦ μάχης, καὶ τῆς μετὰ τὴν μάχην ἐπὶ τὰ Τέμπη φυγῆς καὶ ἐκδιώξεως.* *Septerium imitatio pugnæ Apollinis cum Pythone, & à pugna fugæ Dei ad Tempe ac persecutionis.* Fugisse enim eum alii ferunt, quòd peractâ cæde opus expiatione haberet: Pythonem alii saucium & fugientem viâ sacrâ quum insequeretur, supervenisse ei recens è vulnere mortuo & funerato ab Æge fil. perhibent, atque harum aut similium rerum imitationem *Septerium* fuisse. Sed aliud quid sub hac ceremonia latuisse, idem suspicatur *Dial. de Defectu Oracalor.* *Tertios*, inquiens, *τοῖς περὶ τὸ χρηστήριον, οἷς διὰ τῆς ἔξω πυλαίας πάντας Ἕλληνας ἡ πόλις καθαγιάζουσα μέχρι Τεμπῶν ἐλήλακεν.* [illegible] *Enimverò ea, quæ ad hoc Oraculum pertinent, quibus hæc civitas ad Tempe usque progressa, omnes ultra Pylas modo Græcos initiavit. Nam & tabernaculum, quod in area excitatur nonô quoque annô, non est latebrosum draconis cubile, sed tyrannicæ aut regiæ arcis simulachrum: & tacita in tabernaculum per Doloniam, ut vocant, irruptio, mox pueri patrimi ac matrimi cum ardentibus tædis inductio & tabernaculi succensio, eversioque mensæ, & celerrima nunquam retro respicientium & per fani fores se proripientium fuga: postremò pueri errores & servitus, eiusque ad Tempe expiatio magni cujusdam sceleris & facinoris suspicione non carent* &c. Reliquæ duæ erant, *Ἡρωίς* & *χαρίλα*, de qua vide eund. *locô prior.*

SEPTICIUS Clarus, Præfectus Prætorio, successor Simili datus, ab Adriano Imperatore memoratur Spartiano, in *Vita* hujus: c. 8. 11. 15. qui eidem, quod *familiariùs se egerat, quàm reverentia domus aulicæ postulabat, successorem postea* Cæsarem *dedisse*: Imò tandem *hostium habuisse locô*, cum aliis quibusdam amicissimis, refert. Vide de eodem *Epistolas* Plinii Jun.

SEPTICOLLIS, urbs Roma sic dicta, quòd *septem colles* habeat, videl. *Palatinum*, *Quirinalem*, *Aventinum*, *Cælium*, *Viminalem*, *Exquilinum*, & *Janiculum*. Virg. *Georg. l. 2. v. 535.* ubi de Roma:

> *Septemque una sibi muro circumdedit arces*

Horatius *in Carm. Seculari, v. 7.*

> *Dii, quibus septem placuere colles.*

Propert. *l. 3. El. 10. v. 57.*

> *Septem urbs alta jugis, toti quæ præsidet orbi.*

Martial. *l. 4. Epigr. 64. v. 11.*

> *Hic septem dominos videre montes.*

Statius *l. 1. Sylv. 2. v. 191.*

> *Quis septem geminæ posuisset mœnia Romæ.*

Cicer. *Ep. 5. l. 6. ad Att.* *ἐξ ἄστεος ἑπταλόφου.* Vet. Gloss. *Septimons, ἑπτάλοφος. Septimontium, ἑπτάλοφον.* Ovid. *Trist. l. 1. El. 4. v. 69.*

Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma, Deûmque locus.

Idem *l. 3. El. 7. v. 52.*

Dumque suis victrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.

Claudian. *de 2. Consul. Stilichonis, v. 65.*

——— *Septem circumspice montes,*
Qui Solis radios auri fulgore lacessunt.

Et posteà *v. 135.*

Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi.

Idem Lloydius. Postquam enim Romulus eam quadratam condidisset in monte *Palatino*, atque pomerio clausisset: Titus Tatius in Imperii societatem receptus, *Tarpejum* montem adjunxit, & Sabinis suis incolendum dedit: Tullus Hostilius *Cœlium*: Ancus Martius *Aventinum* Latinis quidem habitandum concessit, sed demum Augustus pomerio inclusit: Servius verò Tullius *Esquilias*, *Quirinalem* & *Viminalem*, reliquis adjecit. Fuêre quidem & alii tres colles, nempe Collis Hortulorum, Janiculus & Vaticanus, progressu temporis civitati additi: sed partim, quia intra pomerium non ita ut reliqui recepti erant, partim, & quidem potius, quia non ejusdem notæ cum reliquis erant, mansit Urbi *Septicollis* cognomen, magnô Historicorum ac Poëtarum consensu. Vide Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 1. c. 2.* Hinc Claudian. *de 6. Consulat. Honorii: v. 535.*

Everit subitas turres, cinctosque coëgit
Septem continuò montes juvenescere muro.

Idem *Panegyr. de Consul. Olyb. & Prob. v. 175.*

——— ——— *colleque canoro*
Plausibus impulsi, septena voce resultant.

Et in *Fescennino de Nuptiis Honorii & Mariæ, v. 57.*

Epulisque jam repleto,
Resonet Quirite Tibris,
Dominique læta votis
Aurea septemgeminas
Roma coronet arces.

Statius *l. 1. Sylv. 2. v. 191. Septemgeminæ mœnia Romæ* & *Sylv. 5. v. 24. Septena culmina*: & *l. 2. Sylv. ult. v. 45. Septem juga*: Silius Punicor. *l. 12. v. 608. l. 16. v. 62. Septem arces* &c. habent. Prudentius *Septicollem* appellat, *Romano Mart. Hymn. 14. v. 412.*

Divûm favore cùm puer Mavortius
Fundaret arcem Septicollem *Romulus,*
In sacrum Septimontium &c.

Et memorabilis est, postquam septimus accessisset Urbi collis, institutio Festi *Septimontii*, quô hominibus æquè ac jumentis feriæ concessæ omnique indictum est: in signum Urbis jam penitus consummatæ & ab ulteriori incremento cessaturæ. Vide infrà *suô locô*. Hodie verò *decem colles* Romam amplecti, refert Georg. Fabricius *in Roma sua.* Sed & Constantinopolim *septicollem* habet Jac. Sponius *Itiner. Part. 1. p. 352.*

SEPTIDUUM Nuptiale, item *Funebre*, Hebræorum olim in usu, vide suprà ubi de Nuptiis. Sed & Tabernaculorum festum *septiduum* durabat, ut infrà videbimus.

SEPTIMA Dies, vide suprà *Septem*, item *Hebdoma*, *Hebdomas*, *Sabbatum.*

SEPTIMA Hora, prandii fuit, apud Romanos veteres. Galenus *Tract. 2. Ύγιειν.* Vide suprà *Prandium.*

SEPTIMANE, vide suprà *Hebdomas*. Unde *Septimanarius*, officium Monasticum, idem cum *Hebdomadario.*

SEPTIMANARUM Festum, vide suprà *Pentecoste.*

SEPTIMANCÆ, Hispaniæ Tarraconensis urbs in Vaccæis, *Antonin. Simanca Clusio* in Castella regione. *Baudrando* oppid. regni Legionis, ad Durium fluvium, inter Vallisoletum seu Pintiam in Ortum 2. leucis, & Turrim Syllanam ad Occidentem; & 6. à Methymna Campestri in Boream.

SEPTIMANIA, dicta est provinc. Narbonensis prima, cujus caput & metropolis erat Narbo. Apoll. Sidonio *ep. 1. l. 3.* Gregor. Turonens. *l. 8. c. 28. & 30. &c.* à numero civitatum Narboni metropoli attributarum atque subjectarum: quæ erant Tolosa, Beterræ, Nemausus, Agatha, Magalona, Luteva, Ucecia. Hanc Visigothi, post receptam Narbonem, Severi principatu, totam usque ad Rhodanum, circa tempora Nepotis, occupaverunt. Cujus urbes Tolosam & Uceciam cùm prælio Vogladensi & cæde Alarici Regis amisissent, earum in locum Carcaso & Elena succesêre; ut docet inter alia Concilium annô 4. regni Reccaredi Regis Narbone habitum. Et quia jam inde à Theodorico juniore & Eurico Principibus, per annos circiter 240. Visigothorum Regibus in Hispania dominantibus paruit, *Gothia* sæpe regio hæc appellata est: unde hodieque *Landgothia*, & nomine Francicô valde corruptô, ut *Massono* videtur, *Languedoc* dicitur. Aliquando tamen *Gothiæ* nomine totum Gothorum regnum, intra Hispanias & Gallias: aliquando Aquitaniam secundam iisdem subjectam, in qua apud urbem Pictavos Alaricus interfectus est, intelligunt Auctores. Nostrum Gothiam seu *Septimaniam* aliquando Galliam Narbonensem, nonnunquam provinciam Galliæ absolutè, item Galliæ regnum & Narbonæ regnum, Hispanias impropriè, provinciam S. Ægidii, &c. vocant Historici. *Languedoc* hodie dici inde vult Valesius, quoniam olim totum Franciæ regnum in provincias linguæ oy, & linguæ oc dividebatur, *de Langue d'oüy*, & *de Langue d'oc*: provinc. Narbonensi i seu Septimaniæ, quæ una ex linguæ oc provinciis erat, nomen Linguadokii remansit, *Languedoc*: unde quibusdam Occitania dicta. Facta autem est hæc Franciæ divisio, quod Vascones, Gothi, Provinciales, Dalphinates aliique linguæ tortæ populi, sed præcipuè Gothi pro *ita* vel *utique* dicere consueverant *oc*, quasi *hoc*: cæteri verò Franciæ incolæ *oüy*. Continetur verò ejus nomine non solùm Narbonensis prima, sed etiam pars Aquitaniæ. Dividitur siquidem in Austrinam seu inferiorem ad mare vergentem, quæ de Aquitanis Albenses ac partem Cadurcorum Rutenorumque comprehendit: & Septentrionalem ac superiorem in qua reliqua portio Cadurcorum ac Rutenorum, Gabali, Vivarienses, Vellavique, gentes Aquitanicæ: exceptis Vivariensibus & Helviis, provinc. Viennensi attributis. Alii in superiore Archiepiscopatum Tolosanum cum 7. sedibus ei suffraganeis, in inferiore Narbonensem metropolit. cum Auscitanibus ei subjectis ponunt. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & suprà in voce *Occitania.*

SEPTIMIANA, tertia & ultima trans Tiberim urbis Romæ porta appellata est, à *Septimio* Severo Imperatore. Spartian. *in eo, c. 19. Opera publica præcipue ejus extant, Septizonium ... etiam Janî in Transtiberina regione ad portam nominis sui, quorum forma intercidens statim usum publicum invenit.* Ubi *Jani*, transitiones sunt perviæ, quò homines conveniebant. Porta autem ista prius *Fontinalis* dicta est *Onuphrio*. At *Septimianum*, in veter. quadam *Inscr.* sub Adriano I. facta, marmoreum conseptum in Vaticana Basilica, ubi reliquiæ olim ostendi consueverint, significare, ait Torrigius *de Crypt. Vatican. edit. 2. p. 81. & 83.*

SEPTIMINUS, vide *Parcius.*

SEPTIMIUS, in inferiore Germanico exercitu, Centurio, à seditiosis militibus ad mortem postulatus; cùm perfugisset ad tribunal, pedibusque A. Cæcinæ legati advolveretur, eò usque flagitatus est, donec ad exitium dederent. Vide Tacit. *Ann. l. 1. c. 32.*

SEPTIMIUS, Auctor Historiæ Alexandri Severi. Lamprid. *in vita ejus. c. 17.* Item interpres historiæ belli Trojani, quam Dictys Cretensis condidit. Voss. *de Hist. Lat. l. 3. p. 719.*

SEPTIMIUS Acyndinus, Consul. An. Urb. Cond. 1091.

SEPTIMIUS Arabinus, vide *Arabinus.*

SEPTIMIUS Bassus, Consul, An. Urb. Cond. 1069.

SEPTIMIUS Severus, Imper. Roman. post Did. Julian. Vide *Severus Imperator.* Sed & *Septimius*, nomen unius è tribus collibus montis Esquilini, de quo *Varro* & *Festus.*

SEPTIMONTIUM, festum Roman. institutum, cùm septimus collis urbi esset additus, *Varro.* Hôc die per urbem vehiculis vehi piaculum erat, Plutarch. Mense Decembri celebratum est, quô die, incertum. Varro post Laurentialia, quæ in 10. Kal. Jan. incidebant, mentionem facit. *Sext. Pompejus Septimontium* illum diem appellari scribit, qui in Fastis *Agonalia* dicatur, celebrabantur autem illa die 3. Idus Dec. *Varroni* tamen adstipulatur Tertullian. *l. de Idol.* ubi Festum hoc Strenis, quæ Kalend. Jan. exigebantur, proximum facit. Vide Jos. Scaligerum *Castigationibus in Fest.* Institutas esse has ferias, propter adjectum septimum Romæ collem, quô ea *Septicollis* facta sit, tradit Plut. *Quæst. Roman. c. 69.* eôque die usu vehiculorum, quæ jumentis traherentur, & antiquos abstinuisse, & suô etiamnum tempore antiquitatis studiosos abstinere addit, variis allatis prisci hujus moris rationibus, inter quas & hæc: *Aut quod Romani, cum Urbe condenda magnum opus peregissent, jamque ulterius incrementum ejus nullum animô conciperent quietem cùm sibi, tum jumentis, quorum operâ fuissent usi, per istas ferias paraverint: aut quod ... cùm vellent omnes festivitates civium præsentia ornari, eam verò inprimis, quæ ob contractas in unam multas Urbis partes instituta erat, civibus usu vehiculorum jumentariorum istâ die interdixerint, ne Urbe, cui dies is agebatur festus, exirent.*

L. SEPTIMULEJUS, quamquam C. Gracchi familiaris, avaritiâ tamen ductus, caput ejus abscindere, & per urbem pilô fixum gestare non erubuit, quôd Consul Opimius aurô id se rependiturum edixisset. Hinc post id factum roganti Scævolam, ut se in Asiam præfectum educeret: *Quid*, inquit ille, *tibi vis insane? Tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, si Romæ manseris, te paucis annis ad maximas penuriis esse venturum.*

SEPTIMUM, Græcè Ἕβδομον, nomen Templi, *septimô* ab urbe Constantinopoli lapide distantis. Victor Tunn. *Zenon à Leone Aug. filio in* Septimo *coronatur.* Et Landulfus *Histor. l. 17. Concilio conveniendum apud* Septimum, *tunc Patriarcha à Tyranno extorsit confessionem.* Ibidem magnificum Imperatoris Palatium, ubi Imperialia ornamenta asservari & Senatus convocari solebat: unde *Regestata Septimi*, in *LL.* Justiniani. *Septimbenum* idem, & *Hebdomadum* appellatum esse, docent Macri Fratr. ex Gregorio *Regist. l. 11. Ep. 1.* & Cedreno *l. 18. c. 38.*

SEPTIPEDES, epitheton Burgundionum, apud Sidonium, i. e. *longissimi* vide suprà, in voce *Septem.*

SEPTISOLIUM, apud Anastasium Bibliothec. *in Gregorio IX. Pontifex creatus est prope Septizonium, in Diaconia S. Luciæ in Septisolio*: Templum est Romæ, quod *Baronio* fuit è regione ædis S. Gregorii, inter montem Palatinum, & clivum Scauri, *Martinellio* versus Portam Capenam; *Fam. Nardino* idem cum Septizonio, *Anastasio*, ut vidimus, diversum. Cui nomen à 7. *soliis* seu ordinibus columnarum. Blondus *septem Solia* vocat, & arcem fuisse, ait, *Decad. 2. l. 3.* ab Henrico Imperatore dirutam A. C. 1084. Baronius *ad hunc an. n. 5.* Dominico Macro Templum fuit Luciæ, quod hodie in *Silice* dicitur. Vide eum in *Hierolex.*

SEPTISONÆ Rex, item *Septisonii Rectus*. Vide suprà *Dies.*

SEPTIZONIUM, Plinio *l. 3. c. 5. Septisolium*, locus Romæ in 12. regione à Severo Imperatore fabricatus, sicque à 7. columnarum ordine dictus. Fuit & *Septizonium Titi*, in 10. reg. cujus meminêre Sueton. *in Tito, c. 5.* & *P. Victor.* Meminit *Septizonii*, inter opera Severi Spartian. *c. 19. & 24.* quod tamen is potiùs instaurâsse

videtur; erat enim ante illum celebris Romæ locus, teste Ammianô *l.* 15. ubi operis ambitiosi Nympheum Marcus condiderat. Nempe & Severus ibi conditus, & Antoninus Geta fil. ejus. De hoc enim sic Auctor præfatus. *Illatus est Majorum sepulchro, hoc est, Severi, quod est in Appia via euntibus ad portam dextram, specie* Septizonii *extructum, quod sibi ille vivus ornaverat.* Apud eundem in *Severo sub fin.* veteres codices *Septizodium* exhibent, quomodo etiam scriptum reperit in Eusebii MSS. codd. Jos. Scaliger quem vide *Animadvers. Euseb.* ubi præclara in hanc rem habet complura: adde Joann. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta discipl. Hebræorum l.* 3. *c.* 20. ubi de Heptazono seu *Septizonio Planetarum* Vettii Valentis varia. De *Septizonii Severiani* reliquiis sic Marlianus *Topogr. Romæ l.* 4. *c.* 6. *Severi Septizonii supersunt tres ordines columnarum invicem superimpositarum. Alios autem quatuor insuper fuisse quidam putant, & ideo* Septizonium *dictum, quod septem ordinibus columnarum pingeretur, ut septem zonis.*

SEPTONIA, urbs in magna Britannia antiquissima, quæ hodie *Shaftesburia* dicitur, à Rudibrasio, Luelli regis filio condita. De ejus fortuna & duratione, multa vaticinatus est Aquila Septonius, vates Britannicus, qui tum temporis claruit.

SEPTRONISTÆ, dicuntur 5. *Decretal. tit. c.* 15. qui aliàs *Arnaldistæ, Patareni, Pauperes de Lugduno* &c. quos vide

SEPTUAGESIMA, in Ord. Roman. *videtur dici posse, propter* 70. *dies, qui sunt ab ipso die ad Sabbatum ante Octavas Paschæ, quo die alba tolluntur vestimenta à nuper baptizatis.* Adeoque nomen Dominicæ est, 70. diebus Sabbatum ante Dominicam in Albis præcedentis, cujus Introitus, *Circumdederunt me gemitus mortis.* Græcis *κυριακὴ τοῦ ἀσώτου*, *Dominica de prodigo*, quod illâ die parabola hæc apud illos explicetur. Instituta à Telesphoro Romano Episcopo ut habetur in libro *Pontif. Romano. Hic constituit, ut septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebretur.* In memoriam captivitatis Babylon. unde dierum harum periodô exactâ, in Sabbato ante Dominicam in Albis, verba hæc pro introitu recitantur, *Eduxit Dominus populum* &c. Cœterùm, ab hac Dominica Festa mobilia totius Anni in eadem Ecclesia distinguntur, utpote quæ primum inter illa locum obtinet: quô pactô autem ipsa hæc Dominica inveniri queat, vide apud Dominicum Macrum *in Hierolex.* at aliam nominis rationem suprà ubi de *Planetis.*

SEPTUAGINTA Interpretes, versione Græcâ S. Scripturæ celebres. Sic vulgò appellantur, numerô rotundô, pro LXXI. secundùm illos; qui totum Judæorum Synedrium huic rei incubuisse statuunt; aut pro LXXII. secundùm illos, qui putant, ex qualibet Tribu senôs fuisse, quod non adeò magnam fidem meretur. Placet itaque aliis, Thalmude teste, quinque Seniores duntaxat huic operi fuisse adhibitos; quod cùm factum fuerit à Synedrio M. constante LXX. aut LXXI. viris, inde versionem hanc ipsis illis LXX. fuisse deputatam, numerumque illum *septuagenarium* inde ortum. Missi hi sunt ab Eleazaro Pontifice, Alexandriam Ægypti, rogatu Ptolemæi Philadelphi, trecentis præter propter annis, ante Christum natum, ut ex Hebraica Lingua in Græcam Libros Sacros transferrent: quô modô Deus viam sternere voluit ad Gentilium conversionem, qui S. Scripturam, linguâ hâc toti orbi tum intellectâ, olim lecturi erant. Et quidem Philo, Josephus & Talmudici, solum Pentateuchum ab his Interpretibus translatum, reliquos libros à Judæis Alexandrinis deinceps adjectos volunt. Alii verò cum Patrum antiquissimis & plerique contendunt, omnes libros Canonicos ab iis fuisse versos, qua de re vix certò quicquam affirmari potest, historiâ hâc multùm intricatâ. Cœterum fuit hæc Versio maximi semper habita, à Judæis Græcis, tam in Ægypto (ubi annuum ei festum celebratum) quàm alibi; ita ut in eorum Synagogis publicè fuerit recitata: unde & Ἑλληνισταὶ dicti. Et quidem de Ægyptiensibus Judæis Philo Judæus, usque ad sua tempora, in Pharo insula celebrati quotannis festum & panegyrim, eoque trajicere non solùm Judæos, sed etiam alios plurimos, *τὸ χωρίον σεμνύνοντας, ἐν ᾧ πρῶτον τὸ τῆς ἑρμηνείας ἐξέλαμψε; locum venerantes, in quo primum Translatio illa effulsit*, consuevisse notat, *de vita Mosis l.* 3. Judæi verò Hebræi, præcipuè recentioribus seculis, immane quantum illi fuerunt infensi, variis conviciis eam proscindentes. Constat id inter alia ex Calendario Judaico, ad 8. diem mensis Tebeth: *Jejunium, Scripta est Lex Græcè: Tenebræ triduò per totum orbem.* Ex detestatione *tenebras* fabulati: ex *Jejunii* autem institutione, versionem istam inter calamitates lugendas posuisse testati. Vide Joh. Marsham. *Can. Chron. Sec. IX.* Scriptores Novi Testam. passim eâdem usi sunt: & ex Christianis, Græci multis eam seculis adhibuerunt, Latini quoque longô tempore versionibus Latinis utebantur ex hac expressis inter quas Augustino maximè laudatur Italica *Vulgata* dicta; donec post 4. secula à Christo nato Hieronymus novam versionem Latinam ex Hebræo adornavit. Quæ hodie sub nomine LXX. Interpretum circumfertur versio, multis in locis corrupta est: Interim, qualis nitidissima extat, è Bibliotheca Vaticana sub Sixto V. edita, adhiberi potest, ut quæ non solùm antiquitate & dexteritate suâ venerabilis est, verùm etiam, cùm eâdem constet phraseologiâ, quâ Novi Testamenti Scriptores usi sunt, utrique Instrumento illustrando insigniter conducit, Franc. Burmannus *Synopsi Theol. Christ. Part. prior. l.* 4. *c.* 37. §. 12. & *seqq.*

SEPTUM vel CONSEPTUM, loca olim fulgurita circumdabat, & aræ ipsi, quæ in tali loco erigebatur, conjunctum nullô interstitiô relictô, adeò ut idem cum illo videretur, *Puteal* secundùm quosdam dictum est, quia instar putealis aram cingebat. Cujusmodi munimenti aræ circumpositi exemplum habes in area Neronis apud Suetonium, *c.* 50. ubi præter generalem muri ambitum, quô clausum fuit monumentum Gentile Domitiorum, intra hoc area porphyretica, in qua reliquiæ Neronis repositæ sunt, & cui superstabat ara ex Lunensi marmore, lapide Thasiô fuit circumsepta. Quod in aliis etiam aris, quæ sub dio ponebantur, factum apparet. Nempe ad tutelam & munimentum addebantur hæc septa, unde *septus virtutibus*, apud Ciceronem &c. Vide suprà in vocibus *Conseptum* & *Septa.*

SEPTUMANI, populi Galliæ Narbonensis quorum urbs Biterræ: sic dicti à septima legione, quæ ibi locata fuerat.

SEPULCHRA, fuére olim Veteribus, quæ etiam anteà domos præbuerant, speluncæ, Auctor Etymologici, *τὸ γὰρ παλαιὸν ἐν τοῖς κοιλώμασι τῆς γῆς ἔθαπτον μήτε σιδήρῳ μήτε χαλκῷ κεχρημένοι.* Posteà terrâ humandi ritus cœpit: Et pauperiores quidem in puteos abjiciebantur fontésque, teste Varrone *de LL. l.* 4. & Festo *l.* 14. Vide in voce *Puticuli.* Divites verò in domibus suis condebantur, unde Larium cultus ortus. Cùm enim Veteres, parentes vel liberos aut amicos domi defoderent ac sepelirent, credula plebs animas defunctorum cultu domesticô primùm, ac deinde publicô, tanquam auxiliaturos Deos, devenerari cœpit. Tertull. *de resurr. carnis. Scilicet, quod apud Majores olim homines in domibus suis sepeliebantur.* Vide Servium *ad illud Æn. l.* 6. *v.* 152.

Sedibus hunc refer antè suis.

Hincque factum, ut pro *Sepulcrô*, *domus* non raró apud Scriptores reperiatur. Vetus marmor,

Perpetuas. sine. fine. domos. mors. incolit. atra.
Æternosque. levis. possidet. umbra. Lares.

Exin, *ne fœtore ipsò corpora viventium contactu inficerentur, legibus id vetitum*, uti docet Isidor. Hispal. *Etymol. l.* 15. *c.* 11. Imò, *Ne in urbe quidem mortuos sepeliri aut uri*, voluére LL. XII. Tabb. exceptis, quibus virtutis ergò id concessum; uti Cicer. *de LL. l.* 2. docet, ubi de Valerio Publicola & P. Posthumio Tuberto, sermonem facit. Sic C. Fabricius juxta Veliam, in Foro *Sepulchrum* habuit, uti legimus apud *Plut.* C. Poplicius, sub Capitolio, teste lapide Tiburtinô: Claudia familia, sub eod. apud *Sueton.* Servius Sulpitius, in campo Esquilino, *Cicer. in Philipp.* &c. Quin etiam Imperatores ac Virgines Vestales, in Urbe condebantur. Similiter apud Athenienses *locum sepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potuisse quod religione se impediri dicerent: neque tamen id antea cuiquam concesserant*, refert Serv. Sulpitius, apud Ciceronem *Epist. ad Famil. l.* 4. Et Syracusani eximio honori Dionis etiam hoc dabant, ut in urbe sepeliretur, apud C. Nepotem, *in eo c. ult.* ubi Lambinus, non solitos, veteres in urbe sepelire quenquam, nisi forte Imperatores, adnotat. Reliquis *Sepulchra* erant, aut privata in agris suis, aut in viis, extra portas, publica; ut inter alia, ex Epitaphiis apparet, quæ semper viatores alloquuntur, & habetur diserte apud JCtos, *l. mortuorum* & *l. Prætor. ff. de sepul. viol.* Locum *Sepulchro* designabant vel Augures, vel Pontifices, nisi fortè hæreditaria essent. Unde in vet. Lap. P. *Ætilio. Fusso. & Acilia. Beroni. C. e. ux. vixer. ann.* 24. *sed. Publi. mens.* 10. *ante. natus. est. & eadem. horâ. fungor. esu. ambo. mortui. sunt. ille. acu. ista. lanificio. vitam. agebant. nec. ex. eorum. bonis. plus. inventum. est. quàm. quod. sufficeret ad. emendam. pyram. & picem. quibus. corpora. cremarentur. & Præfica. conducta. & urna. empta. atque. indulgentia. Pontificum. locus. datus. est.* Hinque inconsultô Pontifice, cadavera refodere, atque in alium transportare locum, nefas fuit, Plin. jun. *l.* 10. *Epist.* 73. Designato autem *Sepulchri* locô, qui cremandus erat (hoc enim cuique liberum) postquam ad pyram elatus fuisset, digitus ei incidebatur, ad quem servatum justa fierent, quod ne porro liceret, XII. Tabb. Legg cautum est: nisi quis militiæ aut peregrè mortuus esset. Corpore dein concrematô, cineres & ossa in urna sepulchro inferebantur, ante quod ara constituta erat, quam *Acerram* Festus appellavit, ubi adores accendebantur: quos ritus eleganter exsequutus est Virgilius *l.* 6. ubi de funere Miseni. Ut autem exactiùs res percipiatur, urnæ, loculus, *Sepulchrum*, probè distinguenda. Georgius Fabricius *in sua Roma c.* 21. inter alia, iter Puteolos & Atellam, plurima *Sepulchrorum* monumenta, partim quadrata, partim rotunda se vidisse scribit, inque cœteris pulcherrimum *Arcus cella* nominatum, hoc modô describit: *Parietes ejus tetragoni, cum laqueari vermiculato; in cujus medio Centauri imago puerum vehentis. Loculi ultra* 60. *medii ampli, fortasse Patronorum: Laterales contracti, libertorum Libertarumque. In loculis urnæ singulæ pluresve dispositæ fuerunt, clausæ exterius tabellis marmoreis, in quibus nomina defunctorum pro more fuerunt adscripta.* Nempe *Sepulchrum*, idem cum Monumento, generalis fuit Area omnium ejusdem familiæ; loculi verò seu arcæ singulorum corporum: eratque nonnunquam spatium illud murô clausum, quod *monumentum sepulchri* dicitur. *l.* 38. *ff. de Religios. & sumpt. fun.* interdum solâ inscriptione sepulchri, de modo agri, qui ad monumentum pertinebat, cavebatur, *Tot pedes in agro, tot pedes in fronte.* Quamvis non raró discrimina hæc confundantur. Peractis tandem ad *Sepulchrum* justis, convivia domi apparabantur Amicis & Cognatis, Senibusque, Silicernium dabatur. Quòd si quis peregrè obiisset, cadaver vel cerâ oblinebatur, vel melle aut cedria inungebatur, donec domum referri *Sepulchroque* patrio ac avito reddi posset. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c. ult. cum Paralipom. Dempsteri*, uti *de frequenti Sepulchrorum aditu*, suprà in hac voce: & *de more frondes floresque ad sepulchra ferendi* ubi de *Frondea corona*, nec non infrà: de more verò ægros pueros ad feretra seu *sepulchra* appendendi, ubi de *Ponderandi ritu* &c. Apud Athenienses ab ipsis Cecropis temporibus, jus & lex fuit terrâ humandi. Unde Cicer. *de LL. l.* 2. *c.* 25. *Nam & Athenis jam ille mos à Cecrope, ut ajunt, permansit, hoc jus terrâ humandi, quam cùm proximi injecerant, obductaque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus & gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum, ut vivis redderetur.* Sed semper extra urbis pomœria, quare B'ez-

aίση

ἠρίαι portæ ab Atheniensibus dictæ, quòd illac mortui ad *Sepulchra* efferebantur, quæ ad portas urbis fiebant, Plut. *in Theseo.* Interemptos verò in acie, honoris ergò in Ceramico extra urbem sepeliebant: quod proin *publicum monumentum* dixit Thucydides *l.* 2. Vide Pausan. *in Attic.* ubi eorum sepulchra satis bene longâ oratione prosequutus est. Neque verò hos tantùm, qui in acie occubuissent, sed & alios, quibus honorem habitum vellent, publicè in Ceramico sepeliebant. Alii verò de populo in agris sepeliebantur. Unde in *Leg.* Ἐάν τις ταῖσι ὁ βάρβαρος ... χωρίον ὀρύττῃ. Extruebantur autem *Sepulchra* (quæ Romanis non dissimilia fuisse, Cyriacus Anconitanus apud Fabricium *loc. cit.* tradit) vel ad vias, ut de monumentis in Ceramico, narrat Pausan. vel in agrorum finibus, ut discimus ex Siculo Flacco *de Condit. agrorum.* Quòd si quis in hostico peregrè esset mortuus, in Atticam referebatur, ut in avitis monumentis reconderetur, vide iterum Pausan. *l. cit.* At cùm nimis ampla ac operosa *Sepulchra* fierent: magnificentiam eorum hâc Lege minui placuit: *Ne quis sepulchrum faciito operosius, quàm quod decem homines effecerint triduò, neque id opere tectorio exornato, nec Hermas imponito*: quam laudat Cicer. *de LL. l.* 2. *extremo.* Nimiùm enim in hoc operosi erant Athenienses; Hermas, quia inter Infernales Deos credebatur ille Animas ad inferos deducere, columnis imponebant: Statuebant quoque columnas, quibus effigies impositæ mortuorum: Incidebatur etiam nomen, genus, patria, Diogen. Laërt. in *Solone*; idque cum elogio, Theoph. *περὶ φιλοτιμίας.* Addebant præterea mensas, in quibus & ipsi effigiati & insculpta nomina, Plut. in *Isocr.* At in cœlibum monumentis imponebatur λουτροφόρος. pueri hydriam habentis effigies, Demosth. *contra Leocharem.* Nec tamen omnia *Sepulchra* sic exornata erant: nam plebis plana fuêre, hinc *ἠρία* dicta: Columnarum verò altitudine modum posuit hac Lege Demetrius Phalereus, *Super terra tumulum, ne quid statuito, nisi columellam tribus cubitis, ne altiorem aut mensam aut labellum*, apud Cicer. *l. cit.* ubi parem Romæ *Sepulchrorum* magnificentiam increbuisse, scribit. Namque cippis similiter inscripta gesta, familia, ætas, vitæ conditio, mortis causa: variisque rerum simulachris exquisitissimæ artis, extus intusque, exornata sunt, ut prolixè persequitur Fabricius laudatus. Cùm verò *Sepulchra* sancta religiosaque haberentur adeò, ut & Templorum nomine venirent, natâ inde superstitione, quòd Veteribus cippi seu tumuli amicorum pro Templis colerentur, Clem. Alex. *in Protreptico*, Solonis lege pœna constituta est iis, qui *Sepulchra* violarent: *Ne quis Sepulchra deleat, neve alienum inferat; si quis tymbon, aut monumentum, aut columnam violârit, dejecerit*, fregerit pœna esto, apud Cicer. *loc. cit.* Neque tantùm violabantur, si quis ea deleverit, aut columnam fregerit, sed etiam si quis vestes, quæ cum mortuo condebantur, furaretur, teste Synesiô *Ep.* 142. Item, si quis alienum intulerit: habebant enim gentes aut familiæ suæ singula monumenta, Demosth. *πρὸς Μακάρτατον* & probrô vertebatur, Majorum suorum sepulchrô privari, Dinarch. 1. *contra Agesil.* Tanta porrò eorum religio fuit, ut inimico ne quidem accedere liceret, uti legimus apud Sophoclem Ajace *μαστιγοφόρῳ.* Imò in genere, Ἐπ' ἀλλότρια μνήματα μὴ βαδίζειν, χωρὶς ἐκκομιδῆς, *Ne quis ad alienum monumentum accederet, nisi dum it exequias*, lege Solonis cautum est, apud Plut. *Solone.* Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. l.* 6. *tit.* 8. Apud utramque gentem, Principes aut in montibus, aut ad montium radices, sepeliri consuevisse, docet Isidorus *Etymol. l.* 15. *c.* 11. Vide quoque Servium *ad Æn. l.* 11. Aurelium *l. de orig. Gentis Rom.* Alios. Unde Lucanus *l.* 8. *v.* 695.

Et Regum cineres extructo more quiescunt.

Apud Hebræos, ubi cadaver lotum atque aromatibus conditum esset, (rariùs enim illud urebant) patrio id *Sepulchro* inferebatur; quod si quis hæreditariò non accepisset, sibi posterisque omnibus modis procurabat. Forma ejus talis erat: Excavabatur in rupe locus, 6. cubitos longus, 4. largus, in quo octo vel decem (quidam habent 14.) minores cellæ seu loculi & receptacula cadaverum erant: Quotiesque aliquem tumulo condebant, saxum ingens ad ostium Speluncæ admoliebantur, Matthæi *c.* 27. *v.* 60. Vocabant autem *Sepulchrum* קבר, *Keber*, ab actu sepeliendi; vel מערה *Maguera*, i.e. *Spelunca*, à figura: At lapidem גולל *Golel*, à volvendo. Ditiores, ad aliarum gentium morem, variè exornare *Sepulchra* sua solebant, unde in Euang. Math. *c.* 23. *v.* 27. *Sepulchra dealbata* legimus: Inscriptio *Sepulchralis* plerumque erat talis: *Sit Anima ejus ligata in Horto Eden, vel in Fasciculo viventium. Amen, Amen, Amen Selah!* Hodierni Judæi, cùm extra Terram sanctam degant, neminemque Resurrectionis participem fore credant, qui extra illam sepultus sit, nescio quos sub terra cuniculos sibi comminiscuntur, per quos sua cadavera volutari sine intermissione fabulantur, donec in Terram S. perveniant, vide Salomonem Jarchi *in Genes. c.* 47. *v.* 29. & Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 6. *c.* 5. nec non suprà, in *Camera, Crypta, Loci, Loculi.* Taceo Pyramides Ægypti, Mausolæa Principum Orientis, Turcarum Persarumque hodiernorum Moscheas, aliarum Gentium ambitiosas moles, de quibus plurimi egêre, ut supra videre est, ubi *de Sepeliendi jure.* Addam paucis, ex Liceto, *coronas*, (è potho inprimis flore, vide suprà) *lucernas vel vivas, vel pictas, canes insculptos*, *Op. de veter. Lucernis passim.* Ex Bartholino, *armillas, & inaures illatas*, *libb. de Armill. & Inaur.* ex Josepho, *thesauros & gazas cum cadaveribus reconditas*: ex Magio, *tintinnabula*, *librô de Tintin.* ex Pignorio, *vela*, *Comm. de Serv. vesculas* alias, ut diximus voce *Mortui*: &c. vide quoque *de Janitoribus sepulchrorum* suprà, voce *Janua*: quæ omnia qui prolixiùs doceri desideras, adeat ipsosmet Auctores, addatque Kirchmannum *de Funeribus*, Beloldum *Class.* 2. *Dispat.* 4. *Th.* 44 Berneggerum *in Taciti Germ. Quæst.* 144. Alios. *Sepulchra* illa quæ, erigi solebant in honorem peregrè defunctorum, quorum cadavera non erant ad manus, propriè Κενοτάφια Græcis, Latinis *Monumenta* dicta esse, vidimus suprà, ubi de *Cenotaphiis* & *Monumentis.* Infantes ante dentes natos, non ussêre Veteres, teste Pliniô *l.* 7. *c.* 16. proin illorum nulla *Busta*, sed *Suggrundaria* tantùm fuêre, quæ quid fuerint, & quomodo à *Sepulchris* diversa, dicemus infra. Grandiores verò natu, *Sarcophago* integris corporibus condebant, in loco communi vel ante aras &c. Quam in rem vide Thom. Bartholinum *de Puerp. Veter.* & præter Auctores laudatos, peculiariter de ritu adeundi visendique sepulchra charorum suprà indigitatos, Salmas. ad *Capitolin. in Marco*: eadem coronandi apiô, caltâ, cincinnis, hyacinthô, aliis, Paschalium *in Coronarum l.* lanam addendi, vide suprà *Lanea corona*: inscribendi, Joh. Meursium *ad Lycophronem*; vestimentis, inferiis & primitiis frugum colendi, Thucydidem *l.* 3. foliis populi albæ, myrti & aloës stipandi, suprà ubi de *Populo alba* &c. nec non hic passim: uti de *Sepulchri officio Ecclesiastico*, in Eccl. Rom. Car. du Fresne in *Glossario.* Solam inter feras hyænam *sepulchra* eruere, diximus suprà ubi de *Hyæna.*

SEPULCHRALIS Area, vide *Area Mortualis.*

S. SEPULCHRI Fratres, vide suprà *Frater.*

SEPULCHRUM Deboræ, nutricis Rebeccæ, sub quercu fletus. In tribu Benjamin.

SEPULCHRUM Rachel, in tribu Benjamin, ubi Rachel, Jacobi uxor, in partu Benjamini, obiit.

SEPULCHRUM Sansonis, inter Saraa & Esthaol, ubi etiam sepulchrum patris Manoæ, in tribu Dan.

S. SEPULCHRUM, Ordo Milit. in Palæstina. Cùm enim Saraceni, custodiam Sepulchri, quod CHRISTI vocant, Canonicis regul. S. Augustini commisissent, Godofredus Bullionæus, urbe captâ, illos multis beneficiis mactavit, templô illorum sibi successoribusque, ut ibi reconderentur, usurus. Balduinus dein, frater & successor Godofridi, armatos custodes reddidit, illosque certis insignibus ornavit, sub capite Patriarcha: cui potestatem tribuit Equites creandi, quibus nihil proprium esset. Postquam autem Saraceni Hierosolymam recuperârunt, Equites hi Ptolemaidem primò, dein Perusium in Italia se receperunt: junctusque hic ordo Johannitico est, ab Innocentio VIII. A. C. 1484. Sed Alexander VI. jus istiusmodi Equites creandi, A. C 1496. Sedi Romanæ vindicavit, &c. Alb. Miræus, *Origin. Ord. Milit. l.* 1. *c.* 16. & 21. Favin. *Theatr. Honor. & Eq.*

SEPULTURA, triplex olim. Quidam enim cremabantur, quidam terrâ obruebantur, nonnulli in lapideis arcis cum melle condebantur: de quibus omnibus sepeliendi modis vide Salmas. *ad Solin. p.* 1307. & hîc suprà. Addo, in Rep. Atheniensium non jus fuisse ornare sepulchra defunctorum, quantum aut hæredis, aut defuncti etiam ambitio postulâsset: verum de tumulis majoris impensæ cognosci, neque eum honorem vulgò omnibus, sed claris tantum viris concedi consuevisse. Diversum præterea fuisse publicæ *sepulturæ* honorem, qui bene de Rep. meritis deferebatur: atque iis interdum Mausolæa de publico excitata fuisse. Sic Dion *elatus publicè sepulcrique monumentô donatus* legitur, apud C. Nepotem *in eo, cap. ult.* ad quem, *inter monumenta publicô sumptu: & ea, quæ decretô solùm publicô, facta*, proin discrimen faciendum, monet Casaubon. Apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores *Sepultura* idem quod *Atrium* est & *Cœmeterium*, scil. obventiones quæ Sacerdotibus ob sepulturam contingunt. In eadem, *Sepultura Crucifixi*, dicitur imago & repræsentatio Jesu Christi, in ædibus sacris die Parasceves fieri solita: de qua utraque vocis notione vide Car. du Fresne *in Glossar.* uti de *Sepultura veter. Christianorum & quorundam Hæreticorum*, egregia apud J. C. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Ταφή.

SEPULVEDA Joh. Genesius, Cordubensis, Caroli V. Imperatoris Theologus & Historiographus, Interpretum Aristotelis famigeratissimus, cujus proin versionem ac quas addidit *Notas* impensè laudat Naudæus *Bibliogr. Polit.* sed quòd non voce solùm vivâ verùm & editô scriptô illorum partes esset tutus, qui ad Hispanorum in America mores ac vitia connivendum judicabant, bonorum censuram meruit, vide hac de re Alvar. Gomezium *Vitâ Ximenii Cardin. l.* 8. & Thuanum *Histor.* Obiit A. C. 1572. ætat. 81. Opera ejus luci data enumerat Anton. Teissier *Elog. Part.* 1. *Historia Caroli V.* & *Paraphrasis Latina Ethic. Aristotelis ad Nicom.* adhuc inedita sunt.

SEPYRA, civitas ad Amanum montem, quam Cicero cepit, *Epist.* 4. *l.* 15. *Famil.*

SEQUANA, SEQUANUS *Straboni*, vulgò *Seyne*, fluv. Galliæ Celticæ Lutetiam Parisiorum mediam interfecans, unaque cum Matrona Belgas à Celtis dividens, *Ferrar.* Sidonius Apoll. *in panegyr. Major. Baudrand.* oritur in Ducatu Burgundiæ, prope castrum Cancellus *Chanceaux*, in sylva Belsaya, in planitie. Locus olim *Sicaster* dictus est, 2. leuc. ab oppid. S. Sequani in Boream. Hinc Petraviam, Balneolam, Ampeliacum, Aurinacum, Castillionem rigat & Barrum ad Sequanam. Dein per Campaniam fluens, per Trecas labitur, uti ad Merium oppid. postea apud Marcelliacum receptâ Albulâ fluv. Pontes, Novigentum, ubi navigari incipit, & Brajum alluit; hinc auctus Icaunâ fluv. ad Monasteriolum & Lupiam prope Moretum, per Præfecturam Insul. Franciæ labens, ad Melodunum & Corbolium, recipit Matronam fluv. ad Carentonium; ad Confluentes, habet *Valesius*: & Lutetiam bifariàm secans, postea rigatis aliquot oppidulis, illius tractus, per diversas ambages, iterum ad Confluentes vicum Oesia fluv. *Valesius* habet Isarâ, augetur paulo supra Pissiacum; deinde ad Meulantum Meduntam, Petromantalum Carnutum, Rupemque Widonis labitur, uti postea in Normannia Vernonium, (supra quod Ittam recipit, sicut apud Corbolium, de quo suprà, Junnam) Andelejum, Pontem Arcus ad Confluentes Eburæ, *Valesius* habet, ad quem Auturam & ex altera ripa Indellam sorbet, Elbotum, Butilam *la Bouille*, Gemeticum, & Rothomagum. Tandem, infra Calidobeccum, & Riselam Rupem, ubi Riselam accipit, æstuarium amplum efficit, & in Oceanum Britannic. se exonerat, inter Honesfluvium ad Meridiem & Portum Gratiæ ad Boream unicô quidem, sed 10. mill. pass. patente alveô. *Fortunatus mare Rotoma-*

Seine appellat. Quotidiè bis refluit per 30. leuc. & Parisios usque defert onerarias naves, quæ 1400. vini cados & amplius continent. Ab hoc fluv. *Sequani* dicti sunt incolæ provinciæ Lugdunensis Senoniæ vel quartæ ante annos 700. cum ei Augustobona Tricassium & Lutetia Parisiorum, provinciæ Senoniæ urbes, assideant: reliquæ vero, exceptis Autelianis & Niverno, pars Icaunæ, pars Autturæ & Matronæ in Sequanam influentibus sint adpositæ. Imo Paulus *de Longob. gestis l.* 1. à fluv. Sequana *Sequanicam* vocat, non Senoniam modo, sed propriè ac præcipuè provinciam Lugdunensem 2. atque etiam 3. saltem usque ad Gobæum promontor. ambas maritimas, positas ad Oceanum Britannicum, cui Sequana immergitur. Unde & hodie tota hæc sinistra ora Lugdunensis 2. & 3. ac Oceani Britannici, ab ostio Sequanæ ad montem usque S. Michaëlis, vocatur nautis, *la riviere de Seine*, i. e. litus Sequanæ. *Sequani* autem, de quibus infra, nihil commercii habent cum fluvio hoc, quippe quorum fines nulla ex parte attingit, cùm Sequani hi Arari & Rheno terminentur, *Sequana* autem inter Rhenum & Ararim non fluat. Vide Hadr. Valesi. *Notit. Gall.* Sidonius Apollin.

Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus.

Lucanus *l.* 1. *v.* 425.

Optima gens flexis in gyrum Sequana frænis.

Hinc *Sequanicus.* Martialis *l.* 4. *Epigr.* 19. *v.* 1.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnum.

SEQUANI, popul. Galliæ Belgicæ ab Æduis Arare fluv. divisi Horum loca hodie tenent Burgundiones, Gallicè *Ceux de la Franche Comté, ou les Bourguignons.* *Munsterus* hos Sequanos dividit in *Cisjuranos*, quos in *Obern Elsass* & *Sundgow* statuit, & *Transjuranos.* Eutropius *l.* 6. de Sequanis Cisjuranis: *Helvetii qui nunc Sequani appellantur.* *Baudrando* populi fuêre Galliæ Lugdunens. inter Leucos ad Boream, Rauracos & Helvetios ad Ortum, Lingones & Æduos ad Occasum, & Segusianos ad Meridiem. Horum tractus hodie *Burgundiæ Comitatus*, vide ibi, pars Orientalis Burgundiæ *La Franche Comté.* De iis sic Valesius: Cum Cæsar in Galliam venit, Galliæ totius factiones erant duæ. Harum alterius principatum tenebant Ædui, alterius *Sequani*, quos à provinc. Romana seu Narbonensi Rhodanus, ab Helvetiis mons Jura dividebat. Eorum ager optimus totius Galliæ Cæsari dictus, qui & *l.* 1. *c.* 6. 7. 9. illos cum Helvetiis ac Æduis, tres potentissimos ac firmissimos populos vocat. *Strab. Sequanos* ab Ortu Rhenum, ab Occidente Ararim, qui illos ab Æduis dividit & Lingonibus, attingere ait. Lucan. *loc. cit.*

Optima gens flexis in gyrum Sequana frænis.

Plin. *l.* 4. *c.* 17. in Belgica, inter Mediomatricos & Rauricos, illos ponit. *Ptolemæo* sub Helvetiis collocantur, quorum oppid. præcipuum Vesontio. Cæsar *Comment. loc. cit.* eos cum Helvetiis inter Celtas seu Gallos, tertiam partem Galliæ incolentes, ponit: quod idem *Strabo* asserit. Post Cæsarem Augustus Sequanos ac Helvetios ademit Celticæ, seu Galliæ Lugdunensi, atque Belgicæ assignavit; sicut idem Aquitaniæ Cæsaris, admodum angustæ, 14. gentes inter Garumnam & Ligerim sitas adjecit, quæ antea Celticæ fuere, idque operâ M. Vipsanii Agrippæ, qui pictum in tabulis orbem terrarum populo Rom. spectandum proposuit in magnifica porticu, quæ *porticus Agrippæ* dicta, à sorore ejus extrui cœpta inchoata, & ab Augusto consummata est, teste Plinio *l.* 3. *c.* 2. Unde provinc. Maxima Sequanorum, in qua Vesontio, civitas Equestr. Nojodunum & Basilia urbes Sequanorum, Aventicum Helvetiorum, inter Belgicæ provincias à posterioribus Geographis recensetur, & ob id Germania tertia vocatur, ac secundæ proximè subjicitur. Dicitur autem provincia *Sequanorum*, à nobiliore populo, quem continebat. *Maxima* vocatur, non quod esset 17. Galliæ provinciarum maxima & amplissima, sed quod una ex maximis: *Notit. Gall.* Post Julii itaque imprimis Cæsaris tempora longè latéque patuit, cùm & Helvetiæ pars illi tributa: postea *Sequanos* sub Theodosio juniore destruxerunt Burgundiones, nomine quoque eorum abolitò, nisi quod exiguum in voce *Sundgow*, vestigium superest. A Sequano quondam Eructoni filio, Lemanii nepote, Rege suo nomen populo Vaudi Chronica hæsisse, referunt. Certè à fluvio Sequana, ut qui illorum fines non attingit, denominati neutiquam sunt. Amici populi Roman. dicuntur Plutarch. in *Cæsare*, non longè enim tum aberant ab Italia Transpadana, & Galliam Narbonensem ad Lemanum lacum & fluv. Rhodanum attingebant. Porta *Sequanica*, in urbe Cabillono fuit, quòd ad Sequanos, qui Arari interfluente ab urbe hac Æduorum dividebantur, duceret, dicta. Plura vide apud B. Rhenanum *Rerum Germ. Nov-Antiq. l.* 1. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti. Valesi. *Notit. Gall.* Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. Nov. antiq. &c.* In vetustissima & emendatissima Notit. Galliæ, à Jacob. Sirmondo, Hadrian. Valesio, & Andrea Chesnio scriptis suis inserta, *Provinciæ Maxim. Sequanorum* hæ civitates & castra adscribuntur:

Metropolis civitas Vesontiensium.	Castrum Vindonissense.
Civitas Equestr. Nojodunus.	Castrum Ebrodunense.
Civitas Elvitiorum Aventicus.	Castrum Rauracense.
Civitas Basiliensium.	Portus Abucini.

S. SEQUANUS. Presbyter Johannis Abbatis Reomensis discipulus, auctor cœnobii fuit S. *Sequani*, vulgò *Saint Sene*: quod in Lingonum finibus est, non procul à fontibus fluminis *Sequanæ.* A quo S. *Sequano* aut à *Sequanis*, Araris Dubisque accolis, dictum esse *Sequanam*, quòd negat *Massonius*: *Quasi verò quis*, inquit Valesius, *tam stultus & temporum adeò ignarus esse posset, ut sibi persuadeat, flumen Sequanam Julio Cæsari notum annis circiter 53. ante Christi natalem, à S. Sequano, homine Christiano, nomen accepisse, &c.* Antequam autem à conditore suo Cœnobium hoc verius denominaretur, à loco Sicastro vel Segestro, in quo structum erat, dictum fuerat priùs *Monasterium Segestrense*, vel *Segestrum*, vulgò *Sestre*: situsque est locus cum Monasterio in agro vel Comitatu Magnimontensi, cui nomen à Magno monte: oppid. quondam claro in Lingonibus, S. *Sequani* patria, hodie nil nisi nomen servante, *Maimont* vel *Mesmont.* Vide Hadr. Valesi. *Notit. Gall.* & suprà in voce *Segestrum.*

SEQUENS Panis, apud Lamprid. in *Alex. Severo*, *c.* 37. *Usus convivii diurnus hic fuit. Vini ad totum diem sextarii XXX. panis mundi pondo XXX. panis sequentis, ad donandum pondo L. Nam semper de manu sua ministris convivii & panem & partes aut olerum aut carnis aut leguminum dabat*: est proximus à primo, seu qui primum sequitur, *secundus* videl. de quo diximus.

SEQUENTIA, apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ est canticum exsultationis, sic dictum, *quia pneuma jubili sequitur*, Durand. *l.* 4. *c.* 21. alias *Prosa.* Earum primus auctor Notkerus Abbas S. Galli, ad Missam cantari præcepit Nicolaus Pontif. Vide Eckehardum de *vita* Notkeri Episcopi Salzburg. *c.* 17. & 18. Hinc *Sequentiarius*, liber seu codex *sequentias* continens, apud Eckehardum Junior. *de Casibus S. Galli c.* 4. Vide Car. du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolex.* nec non suprà, *Salve Regina*, it. voce *Acoluthus.*

SEQUESTER, Græcè ὁ Μεσάζων, in Aula Constantinopolitana dignitas fuit illustris Imperatorique semper præsens, cujus erat causas componere, in quibus maximè auctoritas Imperatoris & Patriarchæ in dubium vocabatur, idque sine litigio. Vide Joannem Meursium in *Glossar.* Joan. Casp. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Μεσάζων, & suprà *Mediatores.*

SEQUESTER Vibius, vide *Vibius.*

SEQUUTOR, apud Lamprid. in Commodo, *c.* 15. *Appellatus est sane inter cætera triumphalia nomina, etiam sexcenties vicies, Palus primus sequutorum.* Nomen erat in Arena eorum, qui sorte victis sufficiebantur & victoribus comparabantur, Græcè ἔφεδροι. Unde πρωτόπαλος, *cujus prima sors exiit.* Cujusmodi *sequutorum* armaturâ quod uteretur Commodus, σεκούτωρ πρωτόπαλος ἐκαλεῖτο *Dioni*; Lampridio *Palus primus secutorum*, i. e. *Primus sequutor*, appellatus est. Vide Salmas. *ad loc.*

SER, civitas in tribu *Nephthali.* Jos. *c.* 19. *v.* 35.

SERA, Dea *serendi*, apud Romanos de qua vide Voss. *de Idol. l.* 2. *c.* 61. ut & infrà, *Sessia.*

SERA, Sericæ regionis metropolis, *Ptol. Cambalech Nigro, Sindinfu Mercatori.* Item castellum Lucaniæ, 12. millar. à Salerno.

SERA, Græcè μοχλὸς, aliàs *claustrum*, Græcè κλεῖθρον, vectis est, seu lignum, quò in transversum obductò fores olim firmabantur. Habebat illa foramen, in quod immissus βάλανος, h. e. *ferrum glandis facie & cavum*, illam januæ sic committebat, ut nisi ferrò hoc extractò removeri ac repelli sera non posset, nec janua aperiri; unde foramen illud βαλανοδόχη dictum. Ut vero hôc modo obseratæ januæ reserari possent, satis grande foramen supra seræ locum relinquebatur in ostio, per quod manus transmitti & immissò aliò ferrò oblongò in cavitatem balani, balanus sursum trahi, sicque janua aperiri, posset. Quod ferrum propterea βαλανάγρα appellatum est. Vide suprà in his vocibus. Muniebantur autem *serâ* seu ligneò hujusmodi vecte primæ solùm domus januæ, quæ in publicum aperiebantur, & urbium portæ. At interiorum conclavium & cæterorum fores, *pessulis ferreisque obicibus* muniebantur, uti suprà vidimus. Plura hanc in rem congessit Salmas. *ad Solin. p.* 925. & *seqq.* A *sera* hujusmodi, quâ januæ claudebantur, postmodum *Serræ* dictæ sunt, angustiæ montium, aditum in loca vicina occludentes, hinc *Clausuræ* & *Clusuræ* quoque appellatæ, vide infrà in voce *Serra.*

SERA Peracta, Varronis apud Nonium in *Expulsim*, i. e. adversa omnia & tristia amota. Integer locus, *Varronis. Sera peracta, depugnatum, festo, quem jam videbis Romæ, in Foro ante Jani, pueros pilâ expulsim ludere*, uti locum restituit Stewechius. Indigitare vult Varro, tristia omnia cessisse, imò defunctum esse populum Rom. bellis omnibus, cùm portas Jani gemini clausas & ante templum ludere pueros videbis. Sic apud Virgilium *Æn. l.* 5. *v.* 524.

Seraque terrifici cecinerunt omina Vates

Servius interpretatur *tristia, gravia*: atque inibi adducit *fragmentum* Sallustianum, *Serum bellum in angustiis fore.* Perinde & *arva sera*, apud Lucretium reposuit, atque explicavit *tristia, laboriosa*; ac *voluntatem seram* in *Spicilegiis suis* Palmerius. Vide God. Stewechium *Electorum ad Arnobium l.* 6.

SERABIS, fluv. Hispaniæ Tarraconens. per regnum Valentiæ in mare Balearicum fluens, inter Segorbiam & Dertusam. Hodie *Sogura*, vel *Zinica* teste Clusiò.

SERAJUM, urbs Bosniæ, sub Turcis, ad Miglazkam fluvium, in Bosnia regali seu inferiori. Ampla & munita, illius tractus caput. Aliquot leuc. à limite Serviæ in Occidentem, & 30. mill. pass. à Savo fluvio in Meridiem. Quibusdam olim *Bistus nova.* Ferè media est inter Taurunum ad Ortum, & Jaitzam ad Occidentem 90. mill. pass. utrinque.

SERANUS, cognomen cujusdam Romani nobilissimi, sumptum à *sero* pro *semino*, seu *planto*, quòd agrum cùm sereret, absens Dictator electus est, Plin. *l.* 18. *c.* 3. Vide *Capus.*

SERAPAMMON, dux quartæ Legionis, sub Gordiano Imperator. apud Jul. Capitolin. *c.* 25.

SERAPHIM, i. e. *ardentes*, vel *igniti*, Esai. *c.* 6. *v.* 2. Angelorum nomen, qui à *claritate*, & *aspectus splendore* ita vocantur, vel quia Dei mandata cum fervore & zelo exequuntur. Item Ordo Militaris Sueciæ. Vide *Cherubim.*

SERAPHIM, vide *Chersydri*, *Cherub*, *Hydri.*

SERAPHINUS Olivier, vide *Olivier.*

SERAPIO Johannes, vide *Johannes.*

SERAPIO, quidam Scipio Corneliæ gentis dictus, quòd vultu & moribus quàm simillimus esset *Serapioni*, Suarii negotiatoris vili mancipio.

SERAPIO, terrarum orbem descripsit, Cicer. *l. 2. ad Att. ep. 6.* Is est Serapio Antiochensis, eô enim scriptore usum se profitetur Plinius, *in elencho scriptorum l. 5.* Alius est *Serapio* Ascalonita, qui de interpretatione somniorum scripsit, Fulgent. *l. 1. Mytholog.*

SERAPION, Antiochenus Præsul, sub Commodo Imperatore post Maximinum, scriptor excellens. Contra Domnum, desertâ fide Judaismum amplexum, scripsit: Librumque sub S. Petri nomine, varios errores continentem, refellit. Obiit A.C. 213. Successit Asclepiades. Hieronymus, Euseb. *in Chron. & Hist. l. 6.*

SERAPION, Episcopus Thmuitanus in Ægypto, seculô 4. è solitudine, Athanasii curâ, Ecclesiæ admotus, Censorque librorum hujus constitutus. Imo ab eodem ad Constantium, ut animum ejus mitigaret, missus est: sed, quòd insignis esset Consubstantialitatis defensor, gravia passus, & in exilium est ejectus. Ob elegantiam ingenii *Scholasticus* meruit cognominari: scripsit contra Manichæos & de titulis Psalmorum, laudatus ob fidei constantiam. Sub Constantino Imperat. floruit, A.C. 340. Hieron. *de Scr. Eccl. c. 99. & ep. 84.* Rufinus *in vit. PP.* Turrian. *in prolog. edit. Serapion.* An idem cum priore?

SERAPION, Atheniensis, Poëta & Medicus, sub Nerva & Trajano, Plutarchi familiaris. Plutarch. *de Oracul. Delph.* Castellan. *in vita Medic.* Item dictus Sindonites, Eremita. Pallad. *Hist. Laus.*

SERAPION, Martyr Alexandrinus, sub Decio Imperatore. A. C. 351.

SERAPION, quidam, pater 10. mill. monachorum, quos omnes tempore messis pretiô conducebat, ut suâ operâ juvarent pauperum laborem: vivebat ipse pane & aquâ, unicâ veste contentus, Sozomen. *l. 8. c. 1.*

SERAPION, nomen Pictoris, Plin. *l. 35. c. 10.*

SERAPION, Ælianus dictus, orator Alexandrinus, multa scripsit. Vide *Suidam.*

SERAPIS, Ægypti Deus, olim Româ exactus Pisone & Gabiniô Consulibus, cum Harpocrate & Iside, dejectis aris, quòd turpium religionum, & novarum superstitionum seminarium forent; etsi Athenienses eos olim, in gratiam Ptolemæi, receperint in urbem. Idolum, cujus exemplar Adrianus & Julianus Imperatores petierunt, erat conflatum, ex variis metallorum, lignorum & gemmarum generibus. Videtur Plutarcho, sed nimis præcipiti conjecturâ, significare *Lætitiam*, quòd τὰ χαρμόσυνα, i.e. *hilaria* festa Ægyptii appellent σαίρει. Cùm verò veteres per Serapin universam mundi molem, & ipsa rerum principia intelligerent, certatim cum templis magnificentissimis honestârunt, cujusmodi Memphi & in Alexandria celebratur. At nunquam ea Ægyptii intra oppida admiserunt cum Saturni templis, quòd velut pervigiles, excubitoresque Deos in suburbiis suas habere voluerint sedes, ut ita essent muniti validis illorum præsidiis adversus hostium incursus, ipsimet autem pro aris, focis, templis & patrio solo perpetuò excubarent. Statua ejus in Ægypto proditur fuisse ejuscemodi formâ, ut Sol exoriens os & labra perstringeret suô fulgore. Effigies ejus, quam ipsemet in Nicocreontis regis gratiam oraculô descripsit, rerum naturam omnem in se complectens, est hujuscemodi:

Εἰμὶ Θεὸς τοιόσδε μαθεῖν, οἷον κ᾽ ἐγὼ εἴπω.
Οὐράνιος κόσμος κεφαλή, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσί, τὰ δ᾽ οὔατ᾽ ἐν αἰθέρι κεῖται,
Ὄμμα τε τηλαυγὲς λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Ejus meminit Martial. *l. 9. Epigr. 30. v. 6.*

——— *Nec quæ turba Serapin amat.*

Sic & Varro produxit. Sed Martianus Capella, qui & multa alia sibi licere voluit, corripuit versu illô *l. 2.*

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim.

Aliqui *Sarapis* scribunt. Unde templum hujus Dei Σαράπειον, à *Strab.* vocatur, quod miris laudibus ab Amm. Marcellino celebrari notat Casaubon. *in Strabonem.* Templum, cum Idolo, destructum à Theodosio M. A.C. 389. post seditionem ab Ethnicis Alexandriæ excitatam: quòd Theophilus Alex. veniâ impetratâ, in prisci cujusdam templi subterraneis cryptis, pudenda hæc sacra deprehensa revelâsset. Alii imagines solum, Idolum inprimis destructum memorant, quod ingressus sacrificulus solebat, sub prætextu Dei, matronis virginibusque illudere: Horum dejectionem subsequutâ nocte, auditum in templo esse *Halleluja & Psalmum*, refert Rufin. *l. 2. c. 25.* Nomen à Vossio *l. 2. c. 25. de Theol. Gentili c. 29.* ab *Apis* & שר *Sar*, i. e. *princeps*, vel שור, i. e. *bos* probabiliter deducitur; cùm *Apidem*, qui formâ bovis celebratur, & *Osiridem* agriculturæ inventorem habitum, idem cum *Serapide* numen fuisse ibidem probetur. Sunt qui Josephum, sub Serapidis nomine, ab Ægyptiis cultum velint. Vide Clem. *l. 1. Strom.* Jul. Firmicum, *de errore profan. Relig. c. 14.* Rufin. *l. 2. c. 22.* Baron. A.C. 389. P. de Valle *Itiner. tom. 4.* ubi ostendit, facerrima hæc sacra hodieque apud Indorum quasdam gentes vigere: & Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec. IX.* Addo, quòd *in ejus Templo apud Alexandrinos, signum Solis ex ferro subtilissimo manu Artificis fuerat fabricatum, ut lapis* (magnes) *cujus natura ferrum ad se trahere, desuper in laquearibus fixus, cùm temperatè sub ipso radio ad libram fuisset positum simulachrum & vi naturali ad se raperet ferrum, assurrexisse Populo simulachrum & in aëre pendere videretur. Et ne hoc lapsu properè proderetur, Ministri fallaciæ, Surrexit, ajebant, Sol, ut valedicens Serapi decedat ad propria*, Ruffinus *Histor. Eccl. l. 2. c. 33.* Hoc confundit Lud. Vives cum simulachro ferreo Arsinoës, quod frater ejus ac maritus Ptolemæus Philadelphus, per Dinocratem Architectum, in eadem Urbe, inchoaverat, ut videre est apud Plin. *l. 34. c. 14.* Signum enim Solis, Ruffino memoratum, erat absolutum; simulachrum Arsinoes saltem decretum: mors enim & Regis & Architecti intercessit, ne perficeretur. Illud superne solum attrahebatur, idque tantùm Sole surgente: hoc inter duos magnetes in aëre pendere debebat. Vide Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l. 1. c. 31.* ut & suprà, in voce *Sarapis.* Ipsius *Serapidis* effigies Liceto talis erat. Stabat vir in summo vertice, capitis modium, dextraque tenens innixum humo lilii caulem sine flore, seu veriùs culmum tritici sine spica; cui viro canis blandiebatur, ut in lucerna quadam veteri exhibet Fortun. Licetus *l. 6. c. 115.* Quæ quàm aptè in Josephum Patriarcham quadrent, videtur. Unde Pierius *Hierogl. l. 3. Apios itaque*, inquit, *Ægyptii, ejus beneficii memores hominis gratiam ita relatam voluisse, ut simulachrum Serapidis, cum modio in capite, hujus rei monumentum esse decreverint.* Modiolum autem illum, in quibusdam *Serapidis* simulachris ansatum, in quibusdam non ansatum, conspici annotavit *Goropius.* Templa ejus apud Ægyptios olim & Græcos frequentia fuisse, discimus ex Pausania *Atticis, Corinthiacis, alibi*: quorum tamen omnium amplissimum ac celeberrimum Alexandriæ fuit, de quo dictum. Sed & Romæ non pauca, quorum unum, à Caracallo structum, Alexander Sev. exornavit. Lamprid. *in eo c. 26. Isium & Serapium decenter ornavit, additis signis & deliciis & omnibus mysticis &c.* Atque hactenus quidem juxta receptam sententiam. Bocharto verò *Serapis* neque idem cum Apide fuit, nec sub ejus schemate Patriarcha Josephus cultus est. Namque Josephum pro Deo in Ægypto fuisse cultum, planè vero est absimile, cùm eô mortuô Regem alium surrexisse, *qui eum non noverat*, i. e. qui, nullâ ejus ratione habitâ, gravissimam in fratres posterosque illius tyrannidem exercuit, dicatur Exodi *c. 1. v. 8.* Nec *Serapidis* cultus apud Ægyptios ita fuit vetustus. Herodotus certè, qui de Diis Ægyptiis multa scripsit, de illo ne γρῦ quidem habet: nec quisquam alius ante Alexandri tempora. Et plerique ex Ponto in Ægyptum advectum scribunt, ita procurante Ptolemæô, cujus advectionis historiam prolixè scribit Tacitus *Histor. l. 4.* Atque ut Serapidem scias in locis circa Pontum jam olim fuisse notum, vetus Σαραπιεῖον, in ora Propontidis, describit Polybius *l. 4.* Hiero oppositum, ubi Iasonem fama est XII. Diis sacrificâsse. At ejusdem in Ægypto nulla mentio, priusquam ex urbe Pontica Sinope adveheretur. Proinde Cypri tyrannus Nicocreon, qui tum vivebat, adventitii Dei novitate perculsus, cum per legatos solicitè rogavit, quisnam Deorum haberetur: & superbum Dæmonis ea de re consulti responsum legere est, apud Macrob. *Saturnal. l. 1. c. 20.* Origenes quoque *contra Celsum*, inter Topicos quosdam Deos, quorum censum instituit *l. 5.* Ναυκρατῖται δέ, inquit, *οὐ πάλαι ἀρξάμενοι, ἀριθμοῦσι Σάραπιν. Naucratitæ non ita pridem Serapim inter Deos recensuerunt &c.* Porrò *Serapidis* imaginem, Apidi bovi neutiquam similem, hanc dat Macrob. *loc. cit. Simulachro signum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio, eodemque maximo capite leonis effigiem. Dextrâ parte caput canis exoritur, mansuetâ specie blandientis, pars verò læva cervicis, rapacis lupi capite finitur, easque formas animalium draco connectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dexteram, quâ conspicitur monstrum.* Neque satis constat, quem Deum tam portentosâ figurâ designari voluerint, nonnulli pro Æsculapio plerique tamen pro Plutone habent. Plut. *in Iside, Diodorus, Tacitus, Clemens, alii*: quam in rem vide plura apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 14.* adde Salmas. *ad Vopisc. in Saturnino, c. 8.* ubi de Numine hoc Alexandriæ tutelari, Ægyptiorum summo, varia habet, & de *Serapide colosseo, ex smaragdo*, Plin. *l. 37. c. 5.* De *Serapica* verò *cœna*, ad cujus fumum sparteoli excitati, Tertull. *Apolog.* Vide Casaubonum *ad Aug. Suet. c. 130.*

SERAPIS, inferior Ægypti Rex VII. post ἀνωνύμους IV. & V. præfuit annos 23. successore Sesonchose, dum Cherpheres apud Memphitas regnaret. Idem ex Syncello, *d. l.*

SERAVALLIS, oppid. Lombardiæ Cispadanæ, in montis jugo, dextrâ Scriviæ fluminis, ita dictum, quòd angustias hîc montium vallisque fauces in planiciem se pandentes, tanquam sera claudat. Item, oppid. agri Tarvisini, inter colles, quod Imesulus amnis aquis interfluens percurrit.

SERBES, *betis*, fluv. Mauritan. Cæsariensis *Ptol.* inter Rustonium ad Occasum & Rusuccurrum ad Ortum labens. *Miron* cum vocat *Castaldus.* *Sardabala* Plinio, *l. 5. c. 2.* teste *Villanovano.*

SERBI, populi circa Mæotim, Plin. *l. 6. c. 7.* Hos *Dubravius* scribit postea Lusatiam Germaniæ regionem occupâsse, *Sorabosque* dictos. Vide ibi. *Serbi Cedreno* sunt circa Dalmatiam, quos dicit quoque Scythas vocari; quorum regio nunc *Sirfia*, & in Mysiam superiorem migrantes ei *Serviæ* nomen indidêre. *Ferrar.*

SERBIA, quæ & *Servia*, plurib. urbs Macedoniæ Episcopalis Berrhϧæ finitima. Zonar. *l. 3. Annal.*

SERBINUM, *Ptol.* oppid. Pannoniæ inferioris ad Saum fluv. *Swynaw*, vel *Swynar*, teste *Lazio.*

SERBONIS, palus Ægypti. Vide *Sirbonis.*

SERCIUS, vulgò SERCHIO, fluv. Hetruriæ. Oritur ex Apennino in Grafinana, dein per Lucensem ditionem labitur & prope Lucam, paulo infra in mare Tyrrhenum se exonerat. Olim *Anser.*

SERDICA, vide *Sardica.*

SEREBIA, nomen viri, Nehem. *c. 9. v. 5.*

SEREDINNUS, vel SEREDIGNUS vicus, *Serdene*, vicus est Galliæ, in pago Lemovicensi, patria Pardulfi, primi Abbatis Monasterii Waracti, quod Lantharius Comes Lemovicensis, in honorem B. Apostoli Petri, extruxit. Pardulfus ille, vulgò *Pardoul*, aliàs *Pardoux* dictus, *nobilibus in hoc vico Senatoribus natus* dicitur, *in vita ejus.* Vide Hadr. Valesf. *Notit. Gall.* in voce *VVaractum.*

SEREGIPPA, urbec. Brasiliæ, aliquantulum à mari, juxta fluv. *Vacabares*: Sub Lusitanis caput Præfecturæ cognominis, quæ in ora Orientalis Brasiliæ, inter Præfecturam Pernambuci ad Boream est, & Præfecturam Sinus omnium Sanctorum ad Meridiem.

SEREN, civitas Arabum, non procul à Troglodytis, Plin. *l. 6. c. 29.*

SERENA, uxor Diocletiani, Christiana, sanctè obiit.

SERENA, ex Hispania oriunda, uxor fuit Stiliconis, socrus Honorii Imperatoris, qui Mariam filiam ipsius uxorem duxit. Hujus *Serena*, quæ postea cum marito, velut conscia conjurationis illius contra Imperatorem strangulata est, laudes eleganti carmine celebravit Claudian.

SERENISSIMUS, Græcè γαληνότατος, titulus Imperatorum, in *Codd.* utroque, Symmacho, Aliis, quo de vide notata A. Tiraquello *Collectan. de Nobilit.* & Casp. Barthio *Adversar. l.* 143. *c.* 3. adde Suicerum voce Γαλήνη. Nempe *serenum* & *lucidum*, nobilem & generosum; contrà *obscurum*, qui de genere suo parùm quod gloriari possit habeat, dixère etiam veteres Poëtæ. Unde Statius *Theb. l.* 5. *v.* 675.

Cui regnum genitorque Thoas, & lucidus Evan,
Stirpis avus,

Vide in hac voce.

SERENIUS Granius, Proconsul Asiæ, pro Christianis apud Hadrianum Imperatorem intercessit: eôdem tempore, quô Aristides quoque Philosophus eloquentissimus idem fecit, A. C. 126. Hinc mitigata persequutio est. Vide Euseb. *l.* 4. *c.* 8. & 9.

SERENUS, Episcopus Massiliensis circa A.C. 600. conspiciens, à quibusdam adorari imagines, eas Ezechiæ Regis zelô accensus confregit atque abjecit: laudatus hôc nomine à Gregorio I. vide hujus *l.* 9. *Ep.* 109. & plura hanc in rem, apud Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. l.* 7. *c.* 9.

Annæus SERENUS, Præfectus vigilum Neronis, fungis edendis interemptus, Plin. *l.* 22. *c.* 23. Senecæ amicissimus, ipso testante *ep.* 64. cui & libros de Tranquillitate inscripsit, monumentum amoris. Lips. *ad Tac. Annal. l.* 3.

SERENUS Sammonicus, carmine scripsit curationes morborum, versibus Heroicis & alia, sicuti ex Ælio Spartiano *in Caracalla*, *c.* 4. à quo occisus fuit in convivio, & *in Opilio Macrino c.* 11. cui ejus scripta familiarissima fuêre, colligitur. Charus fuit Severo & Gordiano majori, Imperatorib. ut Lamprid. *in Severo*, *c.* 30. & Capitolin. *in Gordiano Juniore*, *c.* 18. scribit, qui & filii, Gordiani illius præceptoris, & bibliothecæ præstantissimæ, in qua librorum 62000. meminit.

Q. SERENUS Sammonicus, filius prioris. Gordiani junioris præceptor, ei bibliothecam suam reliquit: Alexandro Mammææ & Eruditis ejus seculi gratissimus. Spartian. *in Geta c.* 5. & *Caracal. c.* 4. Jul. Capitolin. *in Gordian. c.* 18. Macrob. *l.* 2. *Saturn. c.* 12. 13. Riccobon. *in fragm. veter. Histor.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 2. *de Poet. c.* 4. Lud. Jacobus, *tractatu de Bibl. c.* 21. &c.

SERENUS Vibius, vide *Vibius*.

SERES, populi Æthiopiæ interioris ad Ortum inter Blemyas: & *Orosiô* teste, populi Indiæ citerioris inter Indum & Hydaspen. Sunt & *Seres* populi Asiæ ad Ortum extremi, ultra Sinas, omnium mitissimi, justitiæque amantissimi, inter Sinas ad Austrum, & Scythiam extra Imaum ad Occasum & Boream quorum regio *Serica*, nunc *Cathay*, teste *Ferrariô*. De Seribus Dionysius *v.* 752.

Καὶ Τόχαροι Φροῦροί τε καὶ ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν.
Οἵτε βόας μὲν ἀναινόμενοι καὶ ἴφια μῆλα,
Αἰόλα δὲ ξαίνοντες ἐρήμης ἄνθεα γαίης
Εἵματα τεύχουσι πολυδαίδαλα, τιμήεντα,
Εἰδόμενα χροιῇ λειμωνίδος ἄνθεσι ποίης,
Κείνοις οὔ κεν ἔργον ἀραχνάων ἐρίσειεν.

Ubi *Montanus*: *Seres* ultima ad Orient. & Septentr. olim cognita gens, *sericô* apud ipsos confectô, & ab iis nominatô, nobilis, famâ solâ *Dionysio* noti fuerunt, distantia verò eorum à Scythia citeriore (quæ Scythia intra Imaum *Ptolemæo* dicitur) prorsus ignorata, & eos quidem juxta Imaum constituere videtur. *Barbaros* autem eos vocat, quòd instar ferarum homines fugere dicerentur. Ita de iis Plinius *l.* 6. *c.* 17. *Seres mites quidem, sed & ipsi feris persimiles, cœtum reliquorum mortalium fugiunt cùm commercia expectant.* Quibus similia à Solino traduntur *c.* 53. Sed quamvis hoc verum fuisse videatur, quòd exterorum societatem fugerent, ut hodie Chinenses peregrinos in regionem suam introire non permittunt; ingeniosos tamen artifices fuisse ex telis sericis, ab iis confectis, constat; uti etiam hodie Chinenses artificiis nobiles sunt, & ingeniô miti & quietô (perinde ac Seres, teste *Solinô*) cùm vicini Scythæ sævi ac truces sint. Et profectò, quamvis *Sericam* plerique *Cathaiam* esse statuant, h. e. Orientalem Tartariæ hodie dictæ partem; mihi tamen persuasum est, Borealem potius esse Chinensis regni partem. Ptolemæus enim *l.* 6. *c.* 16. Sericam (cujus Occiduum tantùm latus cognitum habuit, neque enim Oceanô, sed terrâ incognitâ eam terminat) non tantùm Sinis, verùm etiam magnâ ex parte Indiæ extra Gangem à meridie confinem facit, & præcipuas ejus urbes Ottocororam, & Seram circa gr. latitud. 37. & 38. constituit, cùm Cathaia secundum tabulas recentiorum, ab India longè remota sit, neque ulla ejus pars gradu latitud. 55. australior sit. Plin. etiam *l.* 6. *c.* 17. Sericam Indiæ contignam facit; quod etiam Melam sensisse, *collatô c.* 6. *cum c.* 7. *l.* 3. non obscurum est. Ubi sis Vossium consule. *Steph.* ἀκροτοξότας ἔθνος vocat. Sagittandi peritissimi habebantur. Horat. *l.* 1. *Od.* 29. *v.* 9.

Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paternô. ———

Sericum è *Serica* regione à Persicis, Medicis, & Assyriis mercatoribus olim afferebatur; unde vestes inde confectæ modò Assyriæ & Medicæ, à gentibus unde materia immediatè allata, modò Sericæ, à gente ubi oriebatur, olim vocatæ, ut plerique statuunt. Satis probabile tamen est, quod sentit Fullerus, *l.* 2. *Miscell. c.* 11. *Sericum* ab Ebræa voce שריקות *Sericoth*, quæ pro *serico* usurpatur: Esai. *c.* 19. *v.* 9. inde vero regionem, unde allatum est, Græcos *Sericam*; & ejus incolas *Seres* appellâsse; ut *sericum*, cùm denominativi formam præ se ferat, à populo denominatum videretur. Quâ autem ratione apud Seres sericum conficeretur, plerique veteres tam Græci quàm Latini, ignorârunt, ideoque varias de eo conjecturas habuerunt, quales ratio propria suppeditabat. Plurimi igitur, confectum putârunt ex lanugine quadam, foliis arborum adnascente. Amm. Marcell. *l.* 23. *Apud eos* (Seras) *abundè sylvæ sublucidæ, à quibus arborum fœtus aquarum aspergínibus crebris, velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore admistam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtegmina conficiunt sericum*, &c. Plin. *l.* 6. *c.* 17. *Seres lanificiô sylvarum nobiles, perfusam aquâ depectentes frondium canitiem.* Non ipsas frondes eos carminâsse, ut nonnulli nimis crassè intelligunt, sed canitiem frondium, h. e. frondibus adhærentem, depexuisse affirmat. Eadem etiam Solini sententia est, *c.* 53. qui *lanuginis teneram subtilitatem humore domitam* eos *depectere* affirmat. Plinius quidem alibi *lanata Sericarum arborum folia* nominat: Atque huc spectat illud Virgil. *Georg. l.* 2. *v.* 121.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Seneca *in Hippolyto*, *Actu* 2. *v.* 389.

Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.

Idem *in Hercule Oetæo*, *Actu* 2. *v.* 667.

Quæ Phœbeis subditus Euris
Legit Eois Ser arboribus.

Claudian. Consul. Olyb. & Probin. *v.* 170.

Stamine quod molli tondent de stipite Seres.

Eratosthenes apud *Strab.* à Nearcho refert, fieri τὰ Σηρικὰ ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. Dionysius, ex floribus fieri affirmat. Sed licèt ipse in Epitheto αἰόλα & aliis quæ *v.* 756. habet, poëticô more ludat, serici lanificium perinde describens, ac si ex ipsis floribus conficeretur, probabile est tamen eos, unde hæc hausit, de lanugine quadam floribus adhærente, aut iis succedente, intellexisse, qualis salicis julis (qui ejus quasi flores sunt) adnascitur, aut qualis in gossipio, seu xylo planta in folliculo floribus succedente provenit. Materia ea Plinio bombyx vocatur, per metaphoram, *l.* 19. *c.* 1. ubi de gossipio loquens in Ægypto nascente, *similem*, inquit, *barbatæ nuci defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur.* Eadem etiam hodie *bombagia* Italis dicitur, voce à nomine *bombyx* deductâ; quamvis propriè *bombyx* significet animalculum, à quo bombycina tela netur, & μετωνυμικῶς telam ipsam, sicut araneæ nomen tum animali tum ejus telæ tribuitur. Et profectò à veritate prorsus alienæ sunt istæ veterum de serici ortu opiniones; à bombycibus enim vermiculis, quos & σῆρας Græci vocant, reverà conficitur. *Hesych.* Σῆρες ζῷα νήθοντα μέταξαν, ἐξ ὧν μέταξα ἐστίν, ὅθεν ἔρχεται καὶ τὸ ὁλοσηρικόν. Et postea: Σηρῶν, σκωλήκων ἐξ ὧν γεννᾶται τὰ σηρικὰ. Σῆρες γὰρ οἱ σκώληκες. Quod & *Suidas* confirmat. Ex antiquioribus etiam Pausan. *in Eliacis*, bombyces σῆρας etiam vocatos, sericum nere agnovit. Isidorus *l.* 19. *c.* 27. *Sericum dictum, quia id primum Seres miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, à quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Græcè* βόμβυκες *nominantur.* Unde Chrysostomus, Καλὰ τὰ σηρικὰ ἱμάτια, ἀλλὰ σκωλήκων ἐστὶν ὕφασμα. Vide Vossium in *Sericum*. *Nicol. Lloydius.*

SERESER, unus ex principibus regis Babyloniorum. Jerem. *c.* 39. *v.* 3.

SERETH, fil. Ashur ex Halaa. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 7.

SEREZANA, urbs Hetruriæ, in limite Liguriæ, prope ostia Macri fluv. sub Republ. Genuensi; *Sarsana*. Cum arce permunita; media est inter Massam ad Ortum & Speciam ad Occasum 34. milliar. à Lucca in Circium, Bruniatum versus 18. Nicolai V. Pontificis patria. Crevit ex ruinis Lunæ, urbis vicinæ.

SERGENTIUM, vide *Ergetium*.

SERGESTUS, Æneæ nauta. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 121. 184. 185.

SERGIA, Romana tribus. Alex. ab Alex. *l.* 1. *c.* 3.

SERGIANUM, vide *Serezana*.

SERGII, Romæ gens Patricia, majorum gentium, cognominibus Fidenate, Nattâ, Silô, Catilinâ, Ocellâ, Plancô: novem tribunatibus, consulari potestate & aliquot consulatibus decorata: à *Sergesto*, comite Æneæ, derivata.

SERGIOPOLIS, urbs Archiepiscopalis Syriæ, apud Euphratem in Comagene; *S. Sergio. Ptolemæo Rhesapha*, vel non longè; à Sergio cive Romano martyrium ibi passo. Olim *Barzalo*; à Suris 126. stad. in Austrum inter Mezitam & Samosata. *Procop. Callist. Evagr.*

SERGIUM, suburbanum in faucibus Ponti, ad sinistram, quod etiam *Daphne* dicitur. *Steph.*

Pontifices Romani.

SERGIUS I. Papa, Syrus gente, Panormi in Sicilia natus, vel saltem ibi educatus, successit Cononi: postquam Theodorus Archipresbyter & Paschalis Archidiaconus aliquandiu inter se contendissent. A.C. 687. Quod decretum Synodi, Constantinopoli celebratæ, *Ne quis Presbyteros cogeret, à ductis legitime uxoribus abstinere*, approbare nollet, periclitatus est; Anastas. *Biblioth. in vita Sergii*: & Justinianus Rhinotmetus Imperat. ab Eccles. Romana aversior factus. Sigon. *in Hist. l.* 2. Obiit A.C. 701. Ciaccon. *in Sergio I.* &c. Ei successit, post Schisma octavum, Johannes IV.

SERGIUS II. Romanus, successit Gregorio IV. Hinc primus Pontificum nomen mutavit, cum antea Petrus *Bucca porcina* diceretur.

ferut. A.C. 844. Obiit A.C. 847. Et Leo IV. successit, qui populo pedes primus præbuit deosculandos.

SERGIUS III. Romanus, hominum sceleratissimus, vide Platin. in vitis, Baron. in Annal. Morn. in myster. paupat. Aldeberti Tusciæ Comitis agnati opibus nixus, Christophorô pulsô, sceptrum invasit A.C. 906. Sævitiam Stephani VI. quam in cadaver Formosi exercuerat, Synodo Romanâ, A. C. 901. sub Johanne X. improbatam, elogiis ornavit, Formosique Actis rescissis etiam nomen ejus extinctum ivit. Ex Marozia, impudentissimo scorto, pater Johannis XI. sibi simillimi. Obiit A. C. 910. Sigebert. in Chron. Duchesnius, in Sergio III. &c. Ei successit Anastasius III.

SERGIUS IV. successit Johanni XX. A.C. 1009. Scripsit Epitaphium Sylvestri II. Obiit A.C. 1012. Ditmar. l. 6. Hist. in fin. Baron. in Annal. Possevin. in appar. sacro. &c. Et successit Benedictus VIII.

Patriarchæ, Episcopi, &c.

SERGIUS I. Patriarcha Constantinopolitanus, gente Syrus, successit Thomæ, A. C. 608. Acephalorum Jacobitarumque erroribus jam tum imbutus, sed dissimulatis sub pietatis specie: dein Caput Monothelitarum factus, Heraclio Imperatori suasit, ut *Ecthesin* ederet: quam Italiæ & Africæ Episcopi refutârunt: Honorio Papâ exceptô, quem Sergius in communionem erroris traxit. Obiit A. C. 639. Memoria ejus variis in Synodis, Concilio inprimis 6. Generali damnata est, A. C. 681. *Joh. Damascen.* Vide etiam Niceph. *l. 18. c. 54. &c.*

SERGIUS II. excepit Sisynnium, A. C. 998. Photii, è cujus familia erat, opiniones mordicus defendens, Latinæ Ecclesiæ semper infestum se præbuit. Scripsit Epistolam contra Occidentales, aut edidit saltem, à Photio exaratam: Obiit A.C. 1019. Baron. *in Annal.*

SERGIUS, Proconsul, cognomento *Paulus* Actor. *c. 13. v. 7.*

SERGIUS, Catilinæ libertus, vel cognatus, & conjurationis socius, quem lacerat & proscindit meritò divina illa M. Tullii *deinótes*, cujus verba sunt in ea *Pro domo sua ad Pontif.* *Quis est* Sergius? *armiger Catilinæ, stipator tui* (Clodium intelligit) *corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus injuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor Curiæ.* Et tamen non solum *Catilinam* se gaudebat appellari, sed & addebat, *futurum se Sergium*; Avidius Cassius, si *Dialogistam occidisset*, *Antoninum hôc nomine significans*, apud Vulcatium Gallicanum, *in Avidio Cassio, c. 3.*

SERGIUS, Monachus Constantinopolit. hæreseos Nestorianæ sectator, & fautor, Mahumetem impostorem & pseudoprophetam in Alcorano conficiendo & compilando juvit, eumque omnis summam impietatis docuit. Zonar. *tom. 3.*

SERGIUS, Episcopus Joppes, post Sophronium, sedem Hierosolymitanam invasit, A. C. 636. Hæreticus, an malitiâ, an ignorantiâ, in causa fuit perditorum Sophronii operum, captâ à Saracenis urbe. Baron. *Annal.*

SERGIUS, Confessor, floruit Constantinopoli, Seculô 9. Auctor Historiæ, quam à Mich. Balbo orditur. Photius *cod. 67.*

C. SERGIUS, Ædilis & Duumvir, fil. fuit *L. Sergii*, memoratus in *Inscr.* Polæ; frater *Cn. Sergii* itidem Ædilis & Duumviri in quinque annos, cujus ibidem mentio: pater L. *Sergii* Lepidi Ædil. & Ducis legionis XXIX. cui in eadem urbe monumentum Arcûs triumphalis specie erexit uxor Salvia Postuma. Vide *Inscriptiones* has tres apud Jac. Sponium *Itinerar. Part. 3. p. 71. & 72.*

SERGIUS Fidenas, vide *Lucius*.

SERGIUS Galba, inter legatos Cæsaris, domuit Nantuates, Veragros Sedunosque; Galbæ Imperatoris proavus, qui posteà potiente rerum Cæsare, ob repulsam Consulatus, conjuravit cum Cassio & Bruto. Quare Pediâ lege damnatus est.

SERGIUS Galba, orationem apud Latinos exornavit miserationibus, communibusque locis usus, & egressus à proposita orandi causâ, ut delectaret animos, permoveret, remque augeret.

SERGIUS Sulpitius Galba, Romæ, post Neronem, imperat, A M. 4030. à Christo nato 68. Hic cum Prætor esset, elephantos funambulos edidit, ludis Floralibus. Majore ab initio favore quàm lætô successu, septimestre imperium tenuit annos natus circiter 80. Privata ejus vita insignis fuerat militaribus & civilibus rebus. Tandem avarum, sævum, pigrum se præstitit, atque invisus omnibus, in medio foro, insidiis Othonis jugulatus est. Vide Sueton. *in Galba*, Eutrop. *l. 7.* Bapt. Egnat. *l. 1.* Vide *Galba*.

SERGIUS Servianus, Consul. An. Urb. Cond. 886.

SERIA, quæ & *Fama Julia*, oppid. Turdetanorum, Hispaniæ Bæticæ ad Anam fluv. *Ptol* 6 leuc. ab ejus ostiis, in Boream. Hodie *Xeres de Guadiana* quibusdam, oppidul. munitum Vandaliæ, in limite Portugalliæ.

SERIA Scripta, commissionibus opposita, apud Sueton. *Aug. c. 89.* *Componi aliquid de se, nisi & seriò, & à præstantissimis, offendebatur: admonebatque Prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri*, vide quoque Plin. *Panegyr. c. 54.* Sunt autem hic *commissiones*, quæ, Græcis *[illegible]*, *[illegible]* vel *[illegible]*, fiebant vel in loco privato, scil. Auditorio: vel in publico, putà Odeo, Theatro, Amphitheatro, Basilicarum aliquâ, vel Atrio libertatis &c. Vide Casaubonum *ad Suet. dict. loc.*

SERICA, regio perampla Asiæ. Terminatur ab Occasu Scythiâ extra Imaum, à Meridie Sinis, ab Ortu Oceanô Eoô, uti Scythicô ad Boream. Ejus partes fuêre olim, Asmitæ regio & populi Damnæ, Issedones, Ottorocoræ, Piadæ & Thaguri. Eorum Urbes fuêre Issedon Serica, caput regionis Asmira, Damna, Ottorocora, Piada & Thagura. Nunc ibi pars est Orientalis Tartariæ magnæ, uti & regna Tangutum & Niucaeum, atque Naimani populi. G. *Sanso.* Issedon Serica creditur à multis *Suchur*, & Thagura *Campion* seu *Tangut*, in regno cognomine.

SERICA Vestis, bombycum opus, in Oriente Asiæ tempore u[illegible] sum habet. In æstu magno, [illegible], [illegible] taleata: in muneri, [illegible]. [illegible] tuni: quorum utrumque [illegible] Vere & Autumno laudatur tala, quæ vulgo [illegible]. Est autem [illegible] *Seres* appellatio, à *Seribus*, populis Orientis, boreæ [illegible] de quibus vide *suo loco*. His cum Taprobanis commercium erat; cæterorum refugisse coetum, Plin. *l. 6. c. 17.* testatur; & ex hac gente *Sericum* deportabatur in Persiam; nec vestes *Persicæ* vel *Medicæ*, aliæ intelligendæ, quàm *Sericæ*. E Persia verò, post devictam ab Alexandro M. Persiam, in Græciam delatum est, unde florentibus rebus Romanis, in Imperium Romanum, [illegible] *[illegible], eroseum cum auro pretio*, fuit. Certè jam de Cæsare tradit Dio *l. 43.* ludis Theatrum velis *sericis* contexisse, cùm ait: [illegible] *Sericum, quo Cæsar velavit, [illegible] Romanorum [illegible] advectis.* E quibus patet, verum hoc *Sericum* seu *Holosericum* fuisse, non *Subsericum* tantùm [illegible] lam, in qua stamen ex lineo, subtemen sericum erat, ut quidam voluêre. Nisi eandem vestem modò *Sericam*, modò *[illegible]* dicas appellatam, ut apud Lamprid. *[illegible] c. 40.* fieri videtur. Idem Dio *l. 59.* ubi de Caligula, inquit, [illegible] *[illegible]*. Et paulo infra: [illegible] *[illegible] triumphali ornato, et publicè [illegible].* Postea sub Heliogabalo, in promiscuum, esse cœpit, ut observavit Lamprid. quo fatetur, *ut primus Romanorum sericam vestem induisse*, dicatur *c. 26.* Aurelianus tamen apud Vopiscum, *c. 45.* *vestem holosericam neque in vestiario habuit, neque alteri utendam dedit: Cumque ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, respondit, Absit ut auro fila pensentur.* Et invehitur in Creticum Juvenalis *Sat. 2. v. 77.*

Acer, & indomitus, libertatisque Magister,
Cretice, pelluces.

Vestis enim *Sericæ*, sicut & *Bombycinæ* id proprium fuit, ut translucerent hominesque nudarent, & proin mulieribus tum in usu, ac viris minùs decora erat: quamvis jam Plinii ætate, qui aliquos annos Juvenalem superabat, Coa vestis promiscuè viris jam gestaretur. Vide Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. l. 1. c. 20.* Obtinuit verò consuetudo tam carè *Sericum* emendi, usque ad tempora Justiniani Imperatoris cui cum permolestum esset, ab hostibus Persis illud tanti emi, commodè, ut Procopius *in Gothicis l. 2.* & ex eo Zonaras narrat, duo Monachi ex India venêre, qui indicium facerent Cæsari de vermibus *Sericum* nentibus: nec posse quidem vermes eos Constantinopolim deferri, posse tamen apportari ova, e quibus vermiculi gignerentur. Remissi igitur Monachi, qui cùm ova istiusmodi attulissent, inde profluxit omne id vermium genus *Sericum* nentium, quod hodie est in Europa: neque ullis tum amplius dubium fuit, quin id esset bombycum opus, cum antea admodum anceps ac incerta hac de re fluctuaret quæstio. Quod inter alios prolixè in [illegible] ostendit Gregorius [illegible] Diaconus & Referendarius Constantinopolitanus, qui Heraclii Imperatoris temporibus ac deinceps vixit. Quod prætereà Bombycinam seu Coam vestem à *Serica* distingui videmus, apud Veteres hinc est, quod ferè doctissimis quibusque ita persuasum esset, disparem esse *Serici* originem: quem in errorem impellebantur eò, quod longè præstantius esset Sericum è Persia apportatum, quàm bombycinum Coum. Fortè, quia Indici bombycis tenuius ac subtilius filum erat: crassius autem vermis Coi. Præterea, ut è Plinio observatum Salmasio, Coi non antè eliquabant stamen bombycinum, quam corrosâ metarâ evolâsset papilio. At Seres, integrô illô stamine, id agebant, intus adhuc morante bombyce, ac needum in papilionem convertô. Quare nihil mirum, si, Plinii ætate, *l. 11. c. 23.* viri etiam Cois uterentur, ut dictum, *Sericô* solò fœminæ. Paulo post tamen & hôc viri cœpêre uti. Undè opus fuit, decerni à Senatu anno Urb. Cond. 759. ut Tacitus *Annal. l. 2. c. 33.* narrat, *Ne vestis serica viros fœdaret.* Nec è vulgo tamen, sed soli Nobiles hâc veste utebantur, donec ad infimos perventum: quô tempore Coa seu Bombycina nobiliori cessit. Vide Gerh. Joh. Voss. *de Idol. l. 4. c. 90.* Salmas. *ad [illegible] de Pallio*, & *Histor. Aug.* passim, inprimis *ad Capitolin. in Marco, c. 17.* ubi Serica & aurata veste Augustæ [illegible]. & *Vopiscum in Aurel. c. 45.* ubi Serica ante Heliogabalum de Subsericis, post eum de Holosericis, intelligenda esse, contendit: nec non *ad Scriptores passim*. Addeque supra dicta, voce *[illegible]*. Sed necnon, *sericis* quoque uti calceamentis Imperatores cœpisse; neque enim *[illegible]* illa *[illegible]*, quæ propria erant Imperii insignia, quæque aurô gemmisque insigniter exornata erant, è corio vel vili aliqua materia fuisse, verosimile est. Vide Benj. Balduinum *de Calceo Antiq.* Imò loricas quoque è *[illegible]* meminimus suprà, ubi de *Linteis lorIs.* In *Serico* vero etiam scripsisse Persas, indicat hoc Symmachi *l. 4. Ep. 34.* *Tu etiam [illegible] volumen [illegible] mihi, [illegible] tuis monitis praecipis*: quemadmodum idem *monitu Camanos [illegible] sumpsisse.* *Ibid.* & in historia Indor. scripsisse [illegible], *[illegible]*, refert: Hodieque Sinensibus, i.e. ipsis Seribus, mos è serico chartas conficiendi. Vide Theophil. Spizelium *de re Liter. Sinensium.* Hôc tempore, *Sericum* magno numerô est in Mutina & Sicilia, unde Genuam, *Venetias*, Florentiam; aliasque in loca exportatur; nobilissimum album in Sinis provenit. Armeni è regio Persiæ ingentem *Sericarum* & auro intertextarum mercium copiam in Europam adducunt. Neapoli ac Londini melioris [illegible]

SERENA, uxor Diocletiani, Christiana, sanctè obiit.

SERENA, ex Hispania oriunda, uxor fuit Stiliconis, socrus Honorii Imperatoris, qui Mariam filiam ipsius uxorem duxit. Hujus *Serenæ*, quæ postea cum marito, velut conscia conjurationis illius contra Imperatorem strangulata est, laudes eleganti carmine celebravit Claudian.

SERENISSIMUS, Græcè γαληνότατος, titulus Imperatorum, in *Codd.* utroque, Symmacho, Aliis, quo de vide notata A. Tiraquello *Collectan. de Nobilit.* & Casp. Barthio *Adversar. l.* 143. *c.* 3. adde Suicerum voce Γαλήνη. Nempe *serenum* & *lucidum*, nobilem & generosum; contrà *obscurum*, qui de genere suo parùm quod gloriari possit habeat, dixêre etiam veteres Poëtæ. Unde Statius *Theb. l.* 5. *v.* 675.

Cui regnum genitorque Thoas, & lucidus Evan,
Stirpis avus,

Vide in hac voce.

SERENIUS Granius, Proconsul Asiæ, pro Christianis apud Hadrianum Imperatorem intercessit: eôdem tempore, quô Aristides quoque Philosophus eloquentissimus idem fecit, A. C. 126. Hinc mitigata persequutio est. Vide Euseb. *l.* 4. *c.* 8. & 9.

SERENUS, Episcopus Massiliensis circa A.C. 600. conspiciens, à quibusdam adorari imagines, eas Ezechiæ Regis zelô accensus confregit atque abjecit: laudatus hôc nomine à Gregorio I. vide hujus *l.* 9. *Ep.* 109. & plura hanc in rem, apud Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. l.* 7. *c.* 9.

Annæus SERENUS, Præfectus vigilum Neronis, fungis edendis interemptus, Plin. *l.* 22. *c.* 23. Senecæ amicissimus, ipso testante *ep.* 64. cui & libros de Tranquillitate inscripsit, monumentum amoris. Lips. *ad Tac. Annal. l.* 3.

SERENUS Sammonicus, carmine scripsit curationes morborum, versibus Heroicis & alia, sicuti ex Ælio Spartiano *in Caracalla, c.* 4. à quo occisus fuit in convivio, & *in Opilio Macrino c.* 11. cui ejus scripta familiarissima fuêre, colligitur. Charus fuit Severo & Gordiano majori, Imperatorib. ut Lamprid. *in Severo, c.* 30. & Capitolin. *in Gordiano juniore, c.* 18. scribit, qui & filii, Gordiani illius præceptoris, & bibliothecæ præstantissimæ, in qua librorum 62000. meminit.

Q. SERENUS Sammonicus, filius prioris. Gordiani junioris præceptor, ei bibliothecam suam reliquit: Alexandro Mammææ & Eruditis ejus seculi gratissimus. Spartian. *in Geta c.* 5. & *Caracal. c.* 4. Jul. Capitolin. *in Gordian. c.* 18. Macrob. *l.* 2. *Saturn. c.* 12. 13. Riccobon. *in fragm. veter. Histor.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 2. *de Poët. c.* 4. Lud. Jacobus, *tractatu de Bibl. c.* 21. &c.

SERENUS Vibius, vide *Vibius*.

SERES, populi Æthiopiæ interioris ad Ortum inter Blemyas: & *Orosiô* teste, populi Indiæ citerioris inter Indum & Hydaspen. Sunt & *Seres* populi Asiæ ad Ortum extremi, ultra Sinas, omnium mitissimi, justitiæque amantissimi, inter Sinas ad Austrum, & Scythiam extra Imaum ad Occasum & Boream quorum regio *Serica*, nunc *Cathay*, teste *Ferrariô*. De Seribus Dionysius *v.* 752.

Καὶ Τόχαροι Φροῦροί τε καὶ ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν.
Οἵτε βόας μὲν ἀτιμάζοντες καὶ ἴφια μῆλα,
Αἰόλα δὲ ξαίνοντες ἐρήμης ἄνθεα γαίης
Εἵματα τεύχουσι πολυδαίδαλα, τιμήεντα,
Εἰδόμενα χροιῇ λειμωνίου ἄνθεσι ποίης,
Κείνοις οὐ κεν ἔργον ἀραχνάων ἐρίσειεν.

Ubi *Montanus*: *Seres* ultima ad Orient. & Septentr. olim cognita gens, *sericô* apud ipsos confectô, & ab iis nominatô, nobilis, famâ solâ *Dionysio* noti fuerunt, distantia verò eorum à Scythia citeriore (quæ Scythia intra Imaum *Ptolemæo* dicitur) prorsus ignorata, & eos quidem juxta Imaum constituere videtur. *Barbaros* autem eos vocat, quòd instar ferarum homines fugere dicerentur. Ita de iis Plinius *l.* 6. *c.* 17. *Seres mites quidem, sed & ipsi feris persimiles, cœtum reliquorum mortalium fugiunt cùm commercia expectant.* Quibus similia à Solino traduntur *c.* 53. Sed quamvis hoc verum fuisse videatur, quòd exterorum societatem fugerent, ut hodie Chinenses peregrinos in regionem suam introire non permittunt; ingeniosos tamen artifices fuisse ex telis sericis, ab iis confectis, constat; uti etiam hodie Chinenses artificiis nobiles sunt, & ingeniô miti & quietô (perinde ac Seres, teste *Solinô*) cùm vicini Scythæ sævi ac truces sint. Et profectò, quamvis *Sericam* plerique *Cathaiam* esse statuant, h. e. Orientalem Tartariæ hodie dictæ partem; mihi tamen persuasum est, Borealem potius esse Chinensis regni partem. Ptolemæus enim *l.* 6. *c.* 16. Sericam (cujus Occiduum tantùm latus cognitum habuit, neque enim Oceanô, sed terrâ incognitâ eam terminat) non tantùm Sinis, verùm etiam magnâ ex parte Indiæ extra Gangem à meridie confinem facit, & præcipuas ejus urbes Ottocororam, & Seram circa gr. latitud. 37. & 38. constituit, cùm Cathaia secundum tabulas recentiorum, ab India longè remota sit, neque ulla ejus pars gradu latitud. 55. australior sit. Plin. etiam *l.* 6. *c.* 17. Sericam Indiæ contiguam facit; quod etiam Melam sensisse, *collatô c.* 6. *cum c.* 7. *l.* 3. non obscurum est. Ubi sis Vossium consule. *Steph.* ἀργυρομιγὶς ἔθνος vocat. Sagittandi peritissimi habebantur. Horat. *l.* 1. *Od.* 29. *v.* 9.

Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paternô.

Sericum è *Serica* regione à Persicis, Medicis, & Assyriis mercatoribus olim afferebatur; unde vestes inde confectæ modò Assyriæ & Medicæ, à gentibus unde materia immediatè allata, modò Sericæ, à gente ubi oriebatur, olim vocatæ, ut plerique statuunt. Satis probabile tamen est, quod sensit Fullerus, *l.* 2. *Miscell. c.* 11. *Sericum* ab Ebræa voce שריקות *Sericoth*, quæ pro *serico* usurpatur, Esai. *c.* 19. *v.* 9. inde vero regionem, unde allatum est, Græcos *Sericam*; & ejus incolas *Seres* appellâsse; ut *sericum*, cùm denominativi formam præ se ferat, à populo denominatum videretur. Quâ autem ratione apud Seres sericum conficeretur, plerique veteres tam Græci quàm Latini, ignorârunt, ideoque varias de eo conjecturas habuerunt, quales ratio propria suppeditabat. Plurimi igitur, confectum putârunt ex lanugine quadam, foliis arborum adnascente. Amm. Marcell. *l.* 23. *Apud eos (Seras) abundè sylvæ sublucidæ, à quibus arborum fœtus aquarum aspergininibus crebris, velut quadam vellera mollientes, ex lanugine & liquore admistam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtegmina conficiunt sericum, &c.* Plin. *l.* 6. *c.* 17. *Seres lanificiô sylvarum nobiles, perfusam aquâ depectentes frondium canitiem.* Non ipsas frondes eos carminâsse, ut nonnulli nimis crassè intelligunt, sed canitiem frondium, h. e. frondibus adhærentem, depexuisse affirmat. Eadem etiam Solini sententia est, *c.* 53. qui *lanuginis teneram subtilitatem humore domitam eos depectere* affirmat. Plinius quidem alibi *lanata Sericarum arborum folia* nominat: Atque huc spectat illud Virgil. *Georg. l.* 2. *v.* 121.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Seneca *in Hippolyto, Actu* 2. *v.* 389.

Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.

Idem *in Hercule Octæo, Actu* 2. *v.* 667.

Quæ Phœbeis subditus Euris
Legit Eoa Ser arboribus.

Claudian. Consul. Olyb. & Probin. *v.* 170.

Stamine quod molli tondent de stipite Seres.

Eratosthenes apud *Strab.* à Nearcho refert, fieri τὰ Σηρικὰ ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. Dionysius, ex floribus fieri affirmat. Sed licèt ipse in Epitheto αἰόλα & aliis quæ *v.* 756. habet, poëticô more ludat, serici lanificium perinde describens, ac si ex ipsis floribus conficeretur, probabile est tamen eos, unde hæc hausit, de lanugine quadam floribus adhærente, aut iis succedente, intellexisse, qualis salicis julis (qui ejus quasi flores sunt) adnascitur, aut qualis in gossipio, seu xylo planta in folliculo floribus succedente provenit. Materia ea Plinio bombyx vocatur, per metaphoram, *l.* 19. *c.* 1. ubi de gossipio loquens in Ægypto nascente, *similem*, inquit, *barbatæ nuci defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur.* Eadem etiam hodie *bombagia* Italis dicitur, voce à nomine *bombyx* deductâ; quamvis propriè *bombyx* significet animalculum, à quo bombycina tela netur, & μεταξαρικὰς telam ipsam, sicut araneæ nomen tum animali tum ejus telæ tribuitur. Et profectò à veritate prorsus alienæ sunt istæ veterum de serici ortu opiniones; à bombycibus enim vermiculis, quos & σῆρας Græci vocant, reverà conficitur. *Hesych.* Σῆρες ζῶα νήθοντα μέταξαν, ἐξ ὧν σμήματα, ἴδιον ἔχει καὶ τὸ ὁλοσηρικόν. Et postea: Σηρῶν, σκώληκες τῷ γεννῶντι τὰ σηρικά. Σῆρες γὰρ οἱ σκώληκες. Quod & *Suidas* confirmat. Ex antiquioribus etiam Pausan. *in Eliacis*, bombyces σῆρας etiam vocatos, sericum nere agnovit. Isidorus *l.* 19. *c.* 27. *Sericum dictum, quia id primum Seres miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, à quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Græcè βόμβυκες nominantur.* Unde Chrysostomus, Καλὰ τὰ σηρικὰ ἱμάτια, ἀλλὰ σκωλήκων ἐστὶν ὕφασμα. Vide Vossium in *Sericum*. *Nicol. Lloydius.*

SERESER, unus ex principibus regis Babyloniorum. Jerem. *c.* 39. *v.* 3.

SERETH, fil. Ashur ex Halaa. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 7.

SEREZANA, urbs Hetrutiæ, in limite Liguriæ, prope ostia Macri fluv. sub Republ. Genuensi; *Sarsana*. Cum arce permunita; media est inter Massam ad Ortum & Spetiam ad Occasum 34. milliar. à Lucca in Circium, Bruniatum versus 18. Nicolai V. Pontificis patria. Crevit ex ruinis Lunæ, urbis vicinæ.

SERGENTIUM, vide *Ergetium*.

SERGESTUS, Æneæ nauta. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 121. 184. 185.

SERGIA, Romana tribus. Alex. ab Alex. *l.* 1. *c.* 3.

SERGIANUM, vide *Serezana*.

SERGII, Romæ gens Patricia, majorum gentium, cognominibus Fidenate, Nattâ, Silô, Catilinâ, Ocellâ, Plancô: novem tribunatibus, consulari potestate & aliquot consulatibus decorata: à *Sergesto*, comite Æneæ, derivata.

SERGIOPOLIS, urbs Archiepiscopalis Syriæ, apud Euphratem in Comagene; *S. Sergio*. *Ptolemæo Rhesapha*, vel non longè; à Sergio cive Romano martyrium ibi passo. Olim *Barzalo*; à Suris 126. stad. in Austrum inter Meritam & Samosata. *Procop. Callist. Evagr.*

SERGIUM, suburbanum in faucibus Ponti, ad sinistram, quod etiam *Daphne* dicitur. *Steph.*

Pontifices Romani.

SERGIUS I. Papa, Syrus gente, Panormi in Sicilia natus, vel saltem ibi educatus, successit Cononi: postquam Theodorus Archipresbyter & Paschalis Archidiaconus aliquandiu inter se contendissent. A.C. 687. Quòd decretum Synodi, Constantinopoli celebratæ, *Ne quis Presbyteros cogeret, à ductis legitime uxoribus abstinere*, approbare noller, periclitatus est; Anastas. *Biblioth. in vita Sergii*: & Justinianus Rhinotmetus Imperat. ab Eccles. Romana aversior factus. Sigon. *in Hist. l.* 2. Obiit A. C. 701. Ciaccon. *in Sergio I. &c.* Ei successit, post Schisma octavum, Johannes IV.

SERGIUS II. Romanus, successit Gregorio IV. Hinc primus Pontificum nomen mutavit, cùm antea Petrus *Buccaporcius* diceretur.

retur. A. C. 844. Obiit A. C. 847. Et Leo IV. successit, qui populo pedes primus præbuit deosculandos.

SERGIUS III. Romanus, hominum sceleratissimus, vide Platin. in vitis, Baron. in Annal. Morn. in myster. p. 460. Adelberti Tusciæ Comitis agnati opibus nixus, Christophorô pulsô, impium intrusus, A. C. 906. Sævitiam Stephani VI. quam in cadaver Formosi exercuerat, Synodo Romanâ, A. C. 901. sub Johanne X. improbatam, elogiis ornavit, Formosique Actis rescissis, etiam nomen ejus exstinctum ivit. Ex Marozia, impudentissimo scorto, pater Johannis XI. sibi simillimi. Obiit A. C. 910. Sigebert. in Chron. Duchesnius, in Sergio III. &c. Ei successit Anastasius III.

SERGIUS IV. successit Johanni XX. A. C. 1009. Scripsit Epitaphium Sylvestri II. Obiit A. C. 1012. Ditmar. l. 6. Hist. in fin. Baron. in Annal. Possevin. in appar. sacro. &c. Ei successit Benedictus VIII.

Patriarchæ, Episcopi, &c.

SERGIUS I. Patriarcha Constantinopolitanus, gente Syrus, successit Thomæ, A. C. 608. Acephalorum Jacobitarumque erroribus jam tum imbutus, sed dissimulatis sub pietatis specie: dein Caput Monothelitarum factus, Heraclio Imperatori suasit, ut *Ecthesin* ederet: quam Italiæ & Africæ Episcopi refutârunt: Honorio Papâ exceptô, quem Sergius in communionem erroris traxit. Obiit A. C. 639. Memoria ejus variis in Synodis, Concilio inprimis 6. Generali damnata est, A. C. 681. *Joh. Damascen.* Vide etiam Niceph. *l.* 18. *c.* 54. &c.

SERGIUS II. excepit Sisynnium, A. C. 998. Photii, è cujus familia erat, opiniones mordicus defendens, Latinæ Ecclesiæ semper infestum se præbuit. Scripsit Epistolam contra Occidentales, an edidit saltem, à Photio exaratam? Obiit A. C. 1019. Baron. *in Annal.*

SERGIUS, Proconsul, cognomento *Paulus* Actor. *c.* 13. *v.* 7.

SERGIUS, Catilinæ libertus, vel cognatus, & conjurationis socius, quem lacerat & proscindit meritò divina illa M. Tullii *δεινότης*, cujus verba sunt in ea *Pro domo sua ad Pontif. Quis est Sergius? armiger Catilinæ, stipator tui* (Clodium intelligit) *corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus injuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor Curiæ.* Et tamen non solum *Catilinam* se gaudebat appellari, sed & addebat, *futurum se Sergium*; Avidius Cassius, si *Dialogistam occidisset*, *Antoninum hoc nomine significans*, apud Vulcatium Gallicanum, *in Avidio Cassio, c.* 3.

SERGIUS, Monachus Constantinopolit. hæreseos Nestorianæ sectator, & fautor; Mahumetem impostorem & pseudoprophetam in Alcorano conficiendo & compilando juvit, eumque omnis summam impietatis docuit. Zonar. *tom.* 3.

SERGIUS, Episcopus Joppes, post Sophronium, sedem Hierosolymitanam invasit, A. C. 636. Hæreticus, an malitiâ, an ignorantiâ, in causa fuit perditorum Sophronii operum, captâ à Saracenis urbe. Baron. *Annal.*

SERGIUS, Confessor, floruit Constantinopoli, Seculô 9. Auctor Historiæ, quam à Mich. Balbo orditur, Photius *cod.* 67.

C. SERGIUS, Ædilis & Duumvir, fil. fuit C. *Sergii*, memoratus in *Inscr.* Polæ, frater Cn. *Sergii* itidem Ædilis & Duumviri in quinque annos, cujus ibidem mentio: pater L. *Sergii* Lepidi Ædil. & Ducis legionis XXIX. cui in eadem urbe monumentum Arcûs triumphalis specie erexit uxor Salvia Postuma. Vide *Inscriptiones* has tres apud Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 3. *p.* 71. & 72.

SERGIUS Fidenas, vide *Lucius.*

SERGIUS Galba, inter legatos Cæsaris, domuit Nantuates, Veragros Sedunosque; Galbæ Imperatoris proavus, qui posteà potiente rerum Cæsare, ob repulsam Consulatus, conjuravit cum Cassio & Bruto. Quare Pediâ lege damnatus est.

SERGIUS Galba, orationem apud Latinos exornavit miserationibus, communibusque locis usus, & egressus à proposita orandi causa, ut delectaret animos, permoveret, remque augeret.

SERGIUS Sulpitius Galba, Romæ, post Neronem, imperat, A. M. 4030. à Christo nato 68. Hic cum Prætor esset, elephantos funambulos edidit, ludis Floralibus. Majore ab initio favore quàm lætô successu, septimestre imperium tenuit annos natus circiter 80. Privata ejus vita insignis fuerat militaribus & civilibus rebus. Tandem avarum, sævum, pigrum se præstitit, atque invisus omnibus, in medio foro, insidiis Othonis jugulatus est. Vide Sueton. *in Galba*, Eutrop. *l.* 7. Bapt. Egnat. *l.* 1. Vide *Galba.*

SERGIUS Servianus, Consul. An. Urb. Cond. 886.

SERIA, quæ & *Fama Julia*, oppid. Turdetanorum, Hispaniæ Bæticæ ad Anam fluv. *Ptol.* 6 leuc. ab ejus ostiis, in Boream. Hodie *Xeres de Guadiana* quibusdam, oppidul. munitum Vandalitiæ, in limite Portugalliæ.

SERIA Scripta, commissionibus opposita, apud Sueton. *Aug. c.* 89. *Componi aliquid de se, nisi & seriò, & à præstantissimis, offendebatur: admonebatque Prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri*, vide quoque Plin. *Panegyr. c.* 54. Sunt autem hic *commissiones*, quæ, Græcis *ἐπίδειξις*, *ἐπιδείξεις* vel *ἀγῶνες*, fiebant vel in loco privato, scil. Auditorio: vel in publico, putâ Odeo, Theatro, Amphitheatro, Basilicarum aliquâ, vel Atrio libertatis &c. Vide Casaubonum ad *Suet. dict. loc.*

SERICA, regio perampla Asiæ. Terminatur ab Occasu Scythiâ extra Imaum, à Meridie Sinis, ab Ortu Oceanô Eoô, uti Scythicô ad Boream. Ejus partes fuêre olim, Asmiræa regio & populi Damnæ, Issedones, Ottorocoræ, Piadæ & Thaguri. Eorum Urbes fuêre Issedon Serica, caput regionis Asmira, Damna, Ottorocora, Piada & Thagura. Nunc ibi pars est Orientalis Tartariæ magnæ, ubi & regna Tangutum & Niuchæum, atque Naimani populi *G. Sanso.* Issedon Serica creditur à multis Succhew, & Thagura Campion seu Tanqut, in regno cognomine.

SERICA Vestis, bombycum opus, in [illegible] Anni tempore usum habet. [illegible] in æstu magno, ob [illegible] tenuitatem [illegible] in [illegible], octmeliua. Hiemi [illegible] ipsa & velutum: quorum utrumque pondere [illegible] & villis calefacit. Vere & Autumnô laudatur rasa, quæ vulgo [illegible]. Est autem vetus *Sericæ* appellatio, à *Seribus*, populis Orientis, Boreæ propioribus, de quibus vide *suô locô*. His [illegible] [illegible] coeterorum refugisse coetum, Plin. *l.* 6. *c.* 17. testatur, & ex hac gente *Sericum* deportabatur in Persiam; [illegible] vestes [illegible] *vel Medicæ*, aliæ intelligendæ, quàm *Sericæ*. E Persia verò, post devictam ab Alexandro M. Persiam, in Græciam delatum est, inde florentibus rebus Romanis, in Imperium Romanum, ubi *ἰσόχρυσον*, *ex æquo cum auro pretii*, fuit. Certè jam de Cæsare tradit Dio *l.* 43. ludis Theatrum velis *sericis* contexisse, cùm ait: [illegible] *Serica*, quô Theatrum Cæsar velavit, *fuit textura barbaricæ luxuriæ*, *ad superfluum luxum Romanorum* [illegible]. E quibus patet, verum hoc *Sericum* seu *Holosericum* fuisse, non *Subsericum* tantum, i. e. telam, in qua stamen ex lino, subtemen sericum erat, ut quidam voluere. Nisi eandem vestem modò *Sericam*, modò *Subsericam*, dicas appellatam, ut apud Lamprid. *in Alexandro c.* 40. fieri videtur. Idem Dio *l.* 59. ubi de Caligula, inquit, [illegible] *Chlamydem sericam purpurei coloris induit.* Et paulo infra: [illegible] *Et plerumque in serica veste, aut triumphali ornatu, in publico, versabatur.* Postea sub Heliogabalo, in promiscuo usu, esse cœpit, ut observavit Lamprid. quo factum, *ut primus Romanorum sericam vestem induisse*, dicatur c. 26. Aurelianus tamen apud Vopiscum, *c.* 45. *vestem holosericam neque in vestiario habuit, neque alteri utendam dedit: Cumque ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, respondit, Absit ut auro fila pensentur.* Et invehitur in Creticum Juvenalis *Sat.* 2. *v.* 77.

> *Acer, & indomitus, libertatisque Magister,*
> *Cretice, pellucet.*

Vestis enim *Sericæ*, sicut & *Bombycinæ* id proprium fuit, ut transluceret hominesque nudaret, & proin mulieribus tum in usu, ac viris minùs decora erat: quamvis jam Plinii ætate, qui aliquot annis Juvenalem superabat, Coa vestis promiscuè viris jam gestaretur. Vide Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. l.* 1. *c.* 20. Obtinuit verò consuetudo tam carè *Sericum* emendi, usque ad tempora Justiniani Imperatoris cui cùm permolestum esset, ab hostibus Persis illud tanti emi, commodè, ut Procopius *in Gothicis l.* 2. & ex eo Zonaras narrat, duo Monachi ex India venêre, qui indicium facerent Cæsari de vermibus *Sericum* nentibus: nec posse quidem vermes eos Constantinopolim deferri; posse tamen apportari ova, è quibus vermiculi gignerentur. Remissi igitur Monachi, qui cùm ova ejusmodi attulissent, inde profluxit omne id vermium genus *Sericum* nentium, quod hodie est in Europa: neque ulli tum amplius dubium fuit, quin id esset bombycum opus, cùm antea admodum anceps ac incerta hac de re fluctuaret quæstio. Quod inter alios prolixè in *Κεραμογραφίᾳ* ostendit Gregorius Pisides Diaconus & Referendarius Constantinopolitanus, qui Heraclii Imperatoris temporibus ac deinceps vixit. Quod prium Bombycinam seu Coam vestem à *Serica* distingui videmus, apud Veteres hinc est, quòd ferè doctissimis quibusque ita persuasum esset, disparem esse *Serici* originem: quem in errorem impellebantur eô, quòd longè præstantius esset Sericum è Persia apportatum, quàm bombycinum Coum. Fortè, quia Indici bombycis tenuius ac subtilius filum erat: crassius autem vermis Coi. Præterea, ut è Plinio, observatum Salmasio, Coi non antè elicuabant stamen bombycinum, quàm corrosâ metaxa evolaret papilio. At Seres, integrô illô stamine, id agebant, intus adhuc morante bombyce, ac needum in papilionem conversô. Quare nihil mirum, si, Plinii ætate, *l.* 11. *c.* 23. viri etiam Cois uterentur, ut dictum, *Serico* soli fœminæ. Paulo pòst tamen & hôc viri cœpêre uti. Undè opus fuit, decerni à Senatu anno Urb. Cond. 759. ut Tacitus *Annal. l.* 2. *c.* 33. narrat, *Ne vestis serica viros fœdaret.* Nec è vulgo tamen, sed soli Nobiles hâc veste utebantur, donec ad infimos perventum: quô tempore Coa seu Bombycina nobiliori cessit. Vide Gerh. Joh. Voss. *de* [illegible] *l.* 4. *c.* 98. Salmas. *ad Tertull. de Pallio*, & *Histor. Aug.* passim, inprimis *ad Capitolin. in Marco*, *c.* 17. ubi Sericâ & auratâ veste Augustas usas, & *Vopiscum in Aurel. c.* 45. ubi Serica ante Heliogabalum de Subsericis, post eum de Holosericis, intelligenda esse, contendit; nec non *ad Solinum passim.* Adde quæ suprà dicta, voce *Multicia*. Sed mitteris, *sericis* quoque uti calceamentis Imperatores cœpisse; neque enim *φοινικοβαφῆ* illa *πέδιλα*, quæ propria erant Imperii insignia, quæque auro gemmisque insigniter exornata erant, è corio vel vili aliqua materia fuisse, verosimile est. Vide Benj. Balduinum de Calceo *Antiq.* Imò loricæ quoque è *serico* meminimus [illegible], ubi de *Linteis libris*. In *Serico* verò etiam scripsisse Persas, indicat hoc Symmachi *l.* 4. *Ep.* 34. *Tu etiam sericis voluminibus, Achæmenio more, infusas literas meas præcipis*: quemadmodum idem [illegible] *tela sumsisse*, *Ibid.* & in sindone Indos scripsisse. Philostratus *in Apollonio*, refert: Hodieque Sinensibus [illegible] Seribus, mos è serico chartas conficiendi. Vide Theophil. Spizelium *de re Litter. Sinensium.* Hôc tempore, *Sericum* magnô numerô est in Murcia & Sicilia, unde Germaniam, [illegible], Hispaniam, aliaque in loca exportatur, nobilissimum aliunde [illegible]. [illegible] è regno Persiæ ingentem *Sericorum* & auri intertextorum [illegible] copiam in Europam adducunt. Neapoli ac Londini meliores [illegible]

tobia-

tibialia ferica conficiunt: Sericum villofum optimæ notæ Genuæ elaboratur; conficitur tamen & Neapoli, Perufiæ & Venetiis, Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. ac Civil. c. 10 de Commercio* §. 13. Vide quoque Jo. Baptiftam Tavernier Tr. *Gall.* cui titul. *Obfervations fur le Commerce des Indes Orientales*, ubi duo genera *Serici* in Indiis, quorum alterum Lufitani *Cabeca*, Galli *Tefte*; alterum ifti *Baritto*, hi *Ventre*, appellent, occurrere docet, & plura alia circa hujufmodi negotiationem, à Batavis inprimis exerceri folitam, annotat. Adde Tiraquellum *LL. Connub. l. 3. n.* 18. ubi de *Serico* multa, Baifium de *Re Veftiar. c.* 5. & 6. & Brodæum *Mifcell. l.* 2. *c.* 22. ubi de *Serico* & *Bombycino*. P. Fabrum *Semeftr. l.* 1. *c.* 16. ubi de *Serico*, *Bombycina*, & *byffo*, nec non quæ fuprà diximus, in vocibus *Bombycinæ Veftes*, *Bombylius*, *Holofericum* &c. quæque hic infrà dicemus, in voce *Subferica* & *Yu*, ubi de panni apud Sinenfes genere, præftantiâ atque hinc pretio, ipfum *Sericum* fuperante.

De SERICO Lambertus, vide *Lambertus*.

SERICOBLATTA, vel *Blattoferica*, in Cod. Theodof. *l.* 18. *de murileg.* eft fericum nema, purpurâ vel blattâ tinctum, quod & *Sericum* abfolutè dicebatur. Cujufmodi *palli blatteo ferici* ufum cum fibi petiiffet uxor Aureliani refpondit is: *Abfit ut auro fila penfentur, libra enim auri tunc libra Serici fuit*, Vopifc. *c.* 45. Nempe ex filis & ftaminibus fericis tinctis, panni ferici contexi confuevere. *l.* 3. *Cod. eit. de veftib. olov. & aur. Nulla ftamina fubtexantur tincta conchylio, nec ejufdem infectionis arguto pectine folidanda fila decurrant.* Unde difcimus, & tramam & ftamen tincta fuiffe, priufquam ex his veftes conficerent. Atque hujufmodi fericum, jam in fila deductum & infectum, non rude & fimplex, auro contra carum erat. Hinc βλάττιον recentioribus Græcis, itidem pro *nemate ferico blatteo*; & longè falluntur, qui vocem eam in his Auctoribus *blattam* interpretantur, cùm pannos fericos vel peplos deberent. Vide Salmaf. *ad Vopifcum d. l.* & fuprà in voce *Blattofericum*. Et quidem Opifices fericæ veftis ante Juftinianum in Berytо & Tyro Phœnices urbibus fuêre, atque inde per reliquum orbem Romanum id mercimonium venum exportârunt. Texebant autem illi eas ex ferico nemate, à Seribus ad Perfas allato: manfitque ferici pretium præfatum, ufque ad Juftinianum. Quô regnante demum allatis per Monachos ex ultima India vermium feminibus, id genus propagatum eft, & exinde ferica texi cœpta in Imperio Romano præfertim Orientali ac Byzantino, Procop. *in Gotthicis l.* 2. pretiô non parùm remittente. Cùm verò quôdam tempore Inftitores Sericæ veftis, qui Conftantinopoli & in aliis Romani Imperii urbibus degebant, ferici annonam incendere voluiffent, edictô fanxit Juftinianus, ne *Serici* libra pluris quàm octo aureis venirет. Quô pactô, ceffante Sericæ veftis inftitutâ, nemine volente eô pretiô indicare, tota illarum conficiendarum ratio & cura mandata eft Præpofito Thefaurorum, qui fub fe haberet opifices texendæ tingendæque metaxæ. Hic, cæteris artificibus majori pretiô vendere prohibitis, quàm lege præceptum erat, longè carius ipfe per fuos divendebat, ficque ferici annona ad antiquum fuum pretium rediit, & eôdem pretiô fub Juftiniano diftrahi cœpit, quô Aureliani tempore pendebatur &c. Vide Salmaf. *ad Solin. p.* 988.

SERICUM Avium, feculis fequioribus dici cœpit, quod *interiorem lanam* vocavit Martial. *l.* 14. *Epigr.* 161.

Laffus Amyclæâ poteris requiefcere plumâ,
Interior cygni quam tibi lana dabit.

Sic Monachus Sangall. *de Rebus Caroli M. l.* 2. *c.* 27. *Venetici de transmarinis partibus omnes Orientalium divitias advexiffent, Phœnicum pellibus avium fericô circumdatis.* Cujus generis cygneæ exuviæ in Batavia hodie celebres. Barthius *ad Stat. l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 59. Vide fuprà, ubi de *Pulvillis plumeis*.

SERICUS Oceanus, idem cum Oceano Orientali feu Mari Eoo, quod vide, nec non modò laudatum Auctorem *d. l. p.* 996. & *feqq.*

SERIF, Arabicè Nobilem notat feu virum illuftrem; unde Turcæ aliique Mahumedani fuos Principes feu Sultanos hôc nomine compellant. Jo. Zonaras *Tom.* 3. *Annal.* ubi de Conftantino Monomacho, *Seriphem* Turcis effe dicit, quod Syncellus Græcis fuerit: [illegible]. *Nam ut Syncellus, defunctô Patriarchâ, in ejus locum fubftituebatur: ita & Seriphes, mortuô Caliphâ, ei fucceffit.* Hinc itaque Princeps ille, cujus imperio Mecca Mufulmanifmi fedes paret, à fuis, cum è familia Prophetæ fui oriundum effe perfuafit, *Serif* vocatur, tefte Leunclaviô *Hiftor. Mufulm. l.* 17. Et quia Turcarum Imperator fe prô ejufdem Mahometis legitimo hærede agnofci vult, *Serif* à fuis falutatur, ufitataque eft acclamatio, *Alla Jefazer Serif*, i. e. Deus fervet Serifem! Sed & Serifii feu Serifiin Africæ, de quibus fuprà, eandem nomenclationem fibi vindicârunt, ut legitimos Principes & Pfeudoprophetæ veros hæredes fe effe, hôc pactô teftarentur. Vide de iis Jo. Forbefium *Inftruction. Hiftorico-Theologic. l.* 4. *c.* 15. §. 21. & *c.* 23. §. 2.

SERILIA, feu SERULIA; apud Pacuvium in *Niptris*.

Nec ulla fubfcus cohibet compagem alvei,
Sed futa lino & fparteis ferilibus:

funt [illegible], apud Homerum. *Il.* β. *v.* 135. Funiculi videl. è lino vel cannabe, quibus fuebantur naves, vel *fparto* Hifpanico, ut hic, cujus côpiam jam tum habuêre Romani. Ut enim *ferere* Latinis utrumque fignificat, & terræ femen mandare, & texere aliquid vel inter fe nectere, fic [illegible] Græcis. Vide infrà in voce *Serta*, item *Spartum*, & plura hanc in rem, apud Salmaf. *ad Solin. p.* 266.

SERIMIALIA feu SERMALIA, machinæ bellicæ fpecies, apud Ottonem Morenam *in Hiftor. rer. Laudenf.*

SERIPANDUS Hieronymus, vide *Hieronymus*.

SERIPHES, vide fuprà *Serif*.

SERIPHUS, infula maris Ægæi, una Cycladum, inter Siphnum & Theram, quam Ariftophanis Scholiaftes *in Acharnenfes* dicit effe [illegible], h. e. *infulam vilifsimam*; Senec. *ad Helviam, c.* 6. defertam & afperrimam. *Deferta, inquit, loca, & afperrimas infulas Sciathum, & Seriphum pete.* Et apud Plut. *de exilio*, Stratonicus eò delatus, cum ab hofpite didiciffet *τὰς ῥαδιουργίας*, *falfarios* in exilium mitti: [illegible]. De eadem fic agit Corn. Tacitus, ac fi tota fit faxum, de Caffio Severo dicens *l.* 4. *Annal. c.* 21. *Bonisque exutus, interdictô igne & aquâ, faxô Seriphiô confenuit.* Scripus fcilicet, Euftathiô referente poft Geographum, [illegible]. *Seriphos* igitur pro *Refipho* dicta videtur per metathefin, quia [illegible] *refiph* apud Phœnices *lapidibus ftratum* fonabat. Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 464.

---- Planamque Seriphon
Marmoreamque Paron.

Idem *l.* 3. *de Art. Am. v.* 192.

Sic tibi veftita preffa Seriphos erat.

Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 170.

Ut Gyaræ claufus fcopulis, parvaque Seripho.

Statius *l.* 1. *Achilleid. v.* 205.

---- Hinc fpreta Myconos, humilisque Seriphos.

Nunc *Serfino* feu *Serfeme*, Infula probè culta, circuitus 30. mill. pafs. fub Turcis, 6. mill. pafs. à Therafima Infula. In has infulanas prorfus mutas effe tradunt: unde proverbialiter *Seriphia rana* dicitur in homines mutos, ac dicendi, canendique prorfus imperitos. *Nic. Lloydius.*

SERIUS feu SERIO, fluv. Italiæ, in ditione Veneta. Oritur ex montibus, in limite Rhætorum & Vallis Tellinæ: dein in Auftrum tendens, prope Bergomum ad 2. mill. pafs. labitur, hinc Cremam rigat, & paulo fuprà Piziconem in Adduam fe exonerat.

SERLONUS Joannes, vide *Joannes*.

SERMINETA, oppid. amplum & munitum Campaniæ Roman. in colle, cum titulo Ducat. gentis Cajetanæ. 12. milliar. à Velitris in Ortum prope paludes Pomptinas. Aliàs *Sulmo* quibufd. In ditione Pontific. Dicitur & *Sermonetа*.

SERMITIUM, à quo Sermitia vallis, *Sarmutio* nunc, pagus Corficæ in mediterraneis, apud Toulam fluv. olim oppid.

SERMO de Fide generalis, in Ecclefia Romana vocatur Solennitas, quâ fententiæ ab Inquifitoribus pronuntiantur, vide fuprà *Actio Fidei*, quia ante fententiarum pronuntiationem Sermo de Fide, per Inquifitorem haberi confuevit. In hoc is Fidem commendat, & ad ejus defenfionem ac hæreticæ pravitatis exftirpationem populum hortatur: eôque finitô monet illum, fi fciverint aliquem quid dixiffe aut feciffe contra fidem, aut aliquem tenere errorem, officii fui effe, id Inquifitori indicare. Factâ monitione, per fuum Notarium vel alium Clericum, ex ambone prælegi jubet literas monitorias: quibus omnes cujufcumque conditionis & ftatus jubentur, fub pœna excommunicationis, intra 6. aut 12. proximè fequentes dies Inquifitori revelare, fi quem noverint hæreticum aut de hærefi fufpectum. Vocantur autem hæ literæ *Edictum Fidei*, cujus exemplar, non tantum quod in Hifpania, fed etiam quod in Italia hodie promulgatur, Latinè verfum exhibet Phil. à Limborch *Hiftoria Inquifit. l.* 4. *c.* 21. In multis locis, præfertim in Hifpania, finitô fermone, omnes fimul coram cruce ac libro Evangeliorum jurejurandô promittunt, Magiftratus inprimis, fe omni ope Inquifitorem adjuturos: cujufmodi juramenti forma, ex Conftitutione Friderici II. Patavi promulgatâ A. C. 1239. defumpta, exhibetur à modò dicto Auctore *l. c.* ubi & alia quædam huc pertinentia. Atque hujufmodi Sermones foliti funt haberi, quoties provinciam fuam novus Inquifitor ingreditur, inprimis verò cum Actionis Fidei, ut vocant, folemnitas celebranda inftat. Et quidem primus omnium *Sermonum* horum habitus eft A. C. 1307. Dominicâ I. Quadragefimæ V. Nonas Martii, uti docet idem Auctor *Præfat. ad librum Sententiarum Inquifit. Tholofan.* à fe primum in lucem emiffum nuperrimè, quô XIV. Sermonum Acta continentur, è quibus integra Inquifitionis ratio, qualis olim in ufu fuit, clariffimè curiofo lectori elucet.

SERMOLOGUS, Liber Ecclefiaftic. eft in Communione Romana continens *Sermones*, à Papis aliisque viris fanctitatis opinione claris compofitos, qui legi folet in Feftis Confefsorum, à Natali ufque ad octavas Epiphaniæ, in Purificatione B. Mariæ, in Fefto omnium SS. &c. Beletus *c.* 55. Fuêre autem olim iftiufmodi *Sermones* ad populum fidelem frequentes, ut ex Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, homiliis patet, donec fub Gregorio M. ac fucceffortibus ejus, Caroli M. tempore, tacefcere cœperunt: præteritô feculô denuo in crebriorem ufum revocati. Et quidem in Africanis Ecclefiis, Antiftites ftantes ftanti plebi verba facere confuevifse, contra quàm in Ecclefiis transmarinis, *ubi non folùm Antiftites fedentes loquebantur, ad populum, fed ipfi etiam populo fedilia fubjacebant, ne quifpiam infirmior ftando laffatus à faluberrima intentione averteretur, aut etiam cogeretur difcedere*, notat Auguftin. *de Catechiz. rudibus c.* 13. Unde & poftmodum idem infirmos, qui ftare non poterant, federe juffit, *Homil.* 26. Vide quoque fuprà, in voce *Homilia*: uti de *Sermone* in genere, Voff. *de Idol. l.* 3. *c.* 44. 88. & hic paffim: de *Sermone bruttorum* fuprà, ubi de *Afina Bileami*.

SERMY-

SERMYLIUS, civitas in Sithonia Macedoniæ. Herod. l. 7. Urbs juxta Athon. *Steph.*

SERNICIUM, locus in Italia inter Sulmonem, & Venusium. *Autonet.*

SERNINUS Vicus, oppidulum Lombardiæ Cispadanæ. *Auton. Sermito Leandr. Sermido Baudrando*, pagus Ducatus Mantuani, in limite Ferrariensi, ad Padum, inter Ferrariam ad Ortum 20. mill. pass. & Mantuam ad Occidentem 15. circiter.

SERON, princeps exercitus Syriæ, 1. Machab. c. 3. v. 13.

SEROR, fil. Bechorath. 1. Sam. c. 9. v. 1.

SERPA, oppid. olim clarum, nunc castrum munitum Portugalliæ, in colle, prope Anam fluv. medium inter Mauram ad Boream & Juliam Myrtilim ad Meridiem, 5. leuc. Portug. uti à limite Vandaliæ in Occasum.

SERPENS, callidissimum animal, *inter bestias agri*, Gen. c. 3. v. 1. hominique ante lapsum gratissimum, ob peculiarem hunc prudentiæ characterem, quæ non ratione, sed celerrimo spirituum ac membrorum, ad hæc illaque objecta, motu constabat; mox Satanæ homini felicitatem suam invidenti in fraudem placuit, qui sub ejus exuviis latens Evæ persuasit, ut de fructu vetito ederet. Unde humani generis orta strages, maledictio etiam *serpenti* (de quo vide aliquid suprà, voce *Lupanto*) utpote seductionis instrumento, inflicta, & odium inter illum hominemque sancitum, Gen. c. 3. v. 15. cujus ratione scripsit Hyperides *contra Demad.* τοὺς ὄφεις μισητοὺς εἶναι πάντας, *serpentes odio dignos esse omnes.* Et Theocritus *Idyll.* 15.

Ἐκ παιδὸς ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα.

A teneris fuit horrori mihi frigidus anguis.

Maledictionis summa, *Super ventrem tuum ito, & pulverem comedito*, c. cit. v. 14. Nempe serpebat quidem & antea in ventrem hoc animal, nec quicquam Deus in ejus natura mutavit post lapsum: sed, quod erat naturâ, cessit in pœnam, ut in homine nuditas, in muliere partus. Sic & pulvis ei in cibum assignatus; quia licèt sit in παμφάγοις. nam & carnem edunt serpentes & herbam, suntque λιχνότατα τῶν ζῴων, *cupediæ dediti præ cæteris animantibus*: Arist. *Histor.* l. 8. c. 4. tamen cùm humi repat, non potest quin pulverem in os cum cibis aliis simul ingerat. Hinc itaque abominanda meritò Gentilium cum serpentino genere familiaritas, quibus hoc vaticinandi peritiam inspirare creditum, uti legimus apud Homeri Scholiastem *Il.* ν. Unde & vatum antiquissimus Ophion dictus est, apud Nonnum *Dionysiac.* l. 4. & augurorum præsidem Deum Græci veteres *serpentis* formâ coluêre, uti diximus ubi de *Pythone*. Ulterius Incantatores & Magi processerunt, quibus cum *serpentibus* inprimis commercium fuit, carminibus hominum ideo magis obnoxiis, quàm ullum aliud genus animantium, ut hoc esset argumento, primum hominem à Diabolo fuisse per serpentem seductum, Augustin. *l. 2. de Gen. ad lit.* c. 28. Quò fascini genere etiam integri populi infames olim hodieque fuêre, Ægyptii, Indi, Marsi, Melindenses, Nigritæ, Peruani, Psylli, Alii. Quorum quidam solâ manu & tactu fascinant: ab aliis orbis descriptus, medicamina adhibita, & barbara verba, loca sulphure & igne lustrata, laminæ, lapides, ligna peregrina, figuræ Talismanicæ; inprimis verò Carmina & susurri: qua de re suprà quædam diximus, in voce *Aspis surda*, item ubi de *Carminibus*, *Ophiomantia* & verbo *Recantare*. Major adhuc impietas eorum, quibus *Serpens*, pro Numine cultus, olim hodieque. Certe *Serpentes* in Ægypto cultos, Herodot. in *Euterpe* testis est, ubi circa Thebas sacros fuisse, qui defuncti in Jovis, cui sacri erant, Templo sepeliri consueverint, refert. Inprimis aspides ab Ægyptiis ἐκπαγλῶς τιμᾶσθαι, *vehementer coli*, tradidit Phylarchus *Hist.* l. 12. & ex eo Ælianus *de Anim.* l. 17. c. 5. Inter aspides autem id genus, quod *Thermutim* vocabant, in summa iis veneratione fuisse, eâque tanquam regiò quodam diademate, Isidos simulachra coronari solita, idem habet *ibid.* l. 10. c. 31. Neque verò *Serpentes* Ægyptiis solùm culti, sed & iidem ἐπιμίξαντες λογικὰ ἀλόγοις καὶ ἀνόμοια τῇ φύσει ἐγείραντες Deos habuerunt, uti κυνοκεφάλους, sic & ὀφιοκεφάλους, *serpentinò capite horribiles*, Athan. *contra Gent.* Ac primùm quidem *Serpens* commendabatur Gentibus, ut Numinis symbolum, quomodo Indis cultum fuisse, docet Max. Tyrius *Dissertat.* 38. Mox, qui cultus prudentioribus symbolicus, is simplicibus ac rudibus proprius esse cœpit: quod eo gratius Diabolo fuit, quia hôc instrumentò fœdè adeò primis illuserat Parentibus. Unde & à primo impostore illo cultum hunc ad Gentes promanâsse, conjicit Anton. Thysius *Notis in Gellium* l. 7. c. 1. Certè in antiquis Græcorum mysteriis acclamatum legimus Εὐα, & simul *Serpentem* monstratum. Vide de *Serpentibus*, in thiasis cæteroque sacrificali Bacchi apparatu, C. Paschalium *Coronar.* l. 1. c. 17. &c. Eadem religio Phœnicibus, & Romanis, uti legimus apud Hesychium, Clement. *in Protrept.* Plut. *Alexandro*, & Chalcidium in *Timæum*. Quod & sequente ævô durâsse, apud Borussos, Erasm. Stella *de Antiqq. Boruss.* l. 1. apud Samogithos, Sigismundus Liber Baro ab Herberstein, *Comm. rer. Moscovit.* apud Lithuanos, Idem *paulo post*, & Alex. Guagnius *in Sarmatia sua Europ.* tradunt. Imò, *in oravum. Colecito serpentes vastissimò esse capite, porci mannu magnitudine, & pro Numine a Rege coli*, suo tempore, scribit Jul. Cæs. Scaliger *Histor. Animal.* l. 2. c. 28. *sect.* 125. Vide Gerh. Joh. Voss. *de Idolol.* l. 4. c. 63. Jac. Ouzelium *Animadversion. ad Minucium Fel.* p. 168. & *seqq.* M. Z. Boxhornium *Histor. Univ.* ubi de Lithuan. & Samogitis. Alios: Hodieque Peruanos colere Iradem cum duobus à latere *Serpentibus*, divinitatis symbolô, tradunt Indicarum rerum Scriptores, apud eundem Vossium l. 3. c. 13. Apud Thespios, quotannis adolescentem sorte ductum, *Serpenti* ingentis magnitudinis, immolatum fuisse, diximus in voce *Sanas*: quemadmodum de *Serpente* sub lecto mortuum abscondito, sed ante tempus prosiliente, sicque Divinitatis opinionem importunè refellente, lepidam habes historiam, in voce *Heraclides*. Nec quicquam vulgatius, quam pro Geniis locorum serpentes olim habitos, quam in rem videndus Meursius *extr. in Lycophronem Commentario*. Quò facit idololatrarum in ipso Israële furor, qui *Serpentem æneum* (de quo suprà in voce *Æneus*) à Mose in deserto, divinô monitu, erectum, processu temporis divinis honoribus afficere non dubitârunt, jussu hinc Ezechiæ Regis contusum: sed extremis temporibus, inter ipsosmet Christianos, iterum à nonnullis in cultum erectum, ut videre est in voce *Ophitæ*. Excusatiores Romani, apud quos serpentes legimus, parricidio puniendo adhibitos, & una cum parricidis culeo inclusos fuisse: Ita enim Vetus Scholiastes Juvenalis *ad v.* 213. *Sat.* 8. *Parricidæ in culleo clausi, ad pœnam simia & serpentes jungi solebant.* Cum prius solus parricida in culeum insueretur. Vide quod de C. Villio scriptum reliquit Plutarchus, cui adde Liv. *Dec.* 5. *l.* 8. Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. *ex.* 13. & Senecam *l.* 5. *Controv.* 4. *in fine*. Post *Serpentem* verò demum simia; post simiam, canis quoque & gallinaceus additi, qua de re vide Thom. Dempster. *in Paralipom. ad R. sin.* *l.* 8. *c.* 25. & suprà *suo loco*. Annibal item, qui iis contra hostes usus est, apud Corn. Nepotem, in *Vita ejus* c. 10. Quem malè æmulatus Heliogabalus, *serpentes per Marsicæ gentis Sacerdotes collegisse fertur: eosque subitò ante lucem, ut solet populus ad ludos celebres convenire, effudisse, multosque afflictos morsu & fugâ*, apud Lamprid. c. 23. &c. Cæterùm de *Serpentium natura ac speciebus*; & peculiariter de eorum *capite, longè potissima parte*, de *eorum latibulo, lingua bisulca, prudentia, veneno, de quorundam gemino aculeo, in ore & cauda, de populis urbibusque, quibus hoc animal infestum*, aliisque huc pertinentibus, vide præ aliis Sam. Bochart. *Hieroz. Parte utraque passim*, inprimis *Part. prior.* l. 1. c. 4. & *Part. poster.* l. 3. c. 6. Adde, *Plinium*, *Gesnerum*, *Aldrovandum*, Auctorem Anon. *Sinæ & Eur.* c. 39. Alios. Non omittendum tamen adversus unum Serpentem, bellô primô Punicô, Attilium Regulum Consulem, in Africa, castris apud Bagrada flum. positis, prœlium grande atque acre fecisse, cumque magnâ totius exercitûs conflictione, ballistis atque catapultis diu oppugnâsse: interfecti tandem corium longum pedes 120. Romam misisse, quod refert A. Gellius *l.* 6. *c.* 3. De eodem Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. *ex. ult.* *In Africa, inquit, apud Bagradam flumen, tantæ magnitudinis anguis fuit, ut Attilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet, multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus elisis, cum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum ballistarum tormentis undique petitus, silicum crebris & ponderosis verberibus procubuit, omnibusque cohortibus, & legionibus ipsâ Carthagine visus est terribilior. Atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestiferô afflatu, vicinâ regione pollutâ, Romana inde submovit castra.* Pellem ejus ad bellum usque Numantinum durâsse, legas apud Liv. *Epit.* l. 18. Plin. *l.* 8. *c.* 14. Orosium *l.* 4. *c.* 8. Silium Italicum *l.* 6. &c. De *Serpente* verò in lucerna *Minervæ*, vide Fortunium Licetum *de Lucernis* l. 6. c. 21. Super adde quæ dicta hîc passim, inprimis in voce *Anguis*, & *Vernatio*: sicut *de modo incurandi serpentes*, vide Casaubon. ad *Tiber. Suet.* c. 72. de *serpente*, Indorum deliciis, infrà *Tenlacocanliqui*; omnium formosissimo, *Tracajima*, & de *Serpentum hostibus*, vocibus *Cervus*, *Ciconia*, *Ibis*: suprà item aliqua in derivatis & compositis ex Græco Ὄφις.

Serpentium in S. Scriptura hæ species memorantur.

α. Acontias seu Jaculus. Esaj. c. 34. v. 15. Hebr. קפוז *Kippoz*. β. Aspis. Psalm. 140. v. 4. Hebr. עכשוב *Achsub*. Et Esaj. c. 11. v. 8. Hebr. פתן *Pethen*. γ. Cenchrines, Jobi c. 38. v. 39. Hebr. כפיר *Chephir*. δ. Cerastes, Gen. c. 49. v. 17. Hebr. שפיפן *Sephiphon*. ε. Dipsas, Psalm. 91. v. 13. Hebr. שחל *Sachal*: quô tamen nomine ammodytes, aspis, chersydrus, draco, dryinus, hæmorrhous, aliique serpentes nigri, aut nigris maculis aspersi: inprimis unus aliquis inprimis niger (aspidis fortè genus) intelligi potest. ζ. Draco, Exodi c. 7. v. 9. Hebr. תנין *Thanim*: quæ vox pro *serpente* quovis nonnunquam sumitur, ut hîc; aliàs *draconem* propriè notat. η. Hæmorrhous, Gen. c. 49. v. 17. Hebr. שפיפן *Sephiphon*: namque & hâc voce eum indigitari, docet Bochart. θ. Hydrus seu Chersydrus, Numer. c. 21. v. 9. Hebr. שרף *Saraph*: à quo genere Israëlitæ morsi, ænei serpentis aspectu sanati sunt. ι. Regulus seu Basiliscus, Proverb. c. 23. v. 32. Hebr. צפע, *Tsepha*, vel צפעוני, *Tsiphoni*. Latinè *Sibilus* quoque. Atque hic, præcipue Regis symbolum fuit, quamvis aliàs in genere *Serpens* supremæ dignitatis apud Veteres hieroglyphicum esset. κ. Striduli & Surdi serpentes, quales aspides, basilisci, cerastæ, chersydri &c. habiti. Vide supra *Aspis surda*. λ. *Serpens vectis*, Esaj. c. 27. v. 1. *Zygæna* est Bocharto, vide infrà. μ. Vipera, Jobi c. 20. v. 16. & Esaiæ c. 30. v. 6. Hebr. אפעה *Ephe*: cujusmodi serpentem Pauli Apostoli manui se adalligâsse, legimus Actor. c. 28. v. 3. Vide de his omnibus præfatum Bochartum *Hierozoici Part. poster.* l. 3. toto, quod de *Serpentibus* est, nec non hîc passim, inprimis de aculeatis, suprà voce *Pelpech*, de aliis verò *Serpentum* speciebus Vossium ubi suprà.

SERPYLLUM, inter coronamenta Veter. receptum, ut flos vernus ac violæ socius & rosis. Theocritus *Eidyll.* 5.

Ἦδ᾽ ἴον, ἦδ᾽ ἕρπυλλος ἀκμάζει.

Et *Ep.* 1.

Τὰ ῥόδα τὰ δροσόεντα, καὶ ἁ κατάπυκνος ἐκείνα
Ἕρπυλλος κεῖται ταῖς Ἑλικωνιάσι.

Quorum priori violis, posteriori rosis illud jungens *Musis sacrum* fuisse addit. Nomen ei ἀπὸ τὸ ἕρπειν, *à rependo*: floret enim hederæ instar & aliis floribus, eos quodammodo depascens, circumvolvitur. Quam ob rem à Theophrasto collocatur inter plantas θυμώδεις, πολυσχιδεῖς καὶ ταμμώδεις, *animosas, multifidas & implicitas*: φιλόζωον verò, i.e. *vitæ amans*, Nicandro dicitur *in Alexiph.* quòd semper floret nec folia unquam perdit. Ejus duo genera faciunt, unum domesticum, alterum agreste &c. Cœterum, ut aliis demat id, quod insuave est, his Virgil. sociat *serpyllum*, *Ecl.* 2. v. 11.

Allia, serpyllumque herbas contundit olentes &c.

Car. Paschalius *Coronar. l.* 3. *c.* 17. Vide quoque Plin. *l.* 20. *c.* 22.

SERRA, inventum Dædali, Plin. *l.* 7. *c.* 56. occasione *serratæ* herbæ, quæ *chamædrys* aliàs, item *trissago*, dicitur, Idem *l.* 24. *c.* 15. An *serræ* piscis, qui *serratam* cristam habet, & subternatans navem secat, teste Isidorô *Originum l.* 12. *c.* 6. quò nomine Gesnerus intelligit scolopacem piscem prælongô rostrô, radium versus caudam habentem longum, durum, præacutum, altera parte denticulis *serratum*, vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 6. *c.* 15. Præter vulgarem usum, in suppliciis adhibita legitur, ut videre est de Esaja Propheta, in voce *Isaias*. Vide quoque supra *Sectio*. Ab eadem nonnulli *Serras*, recentioris ævi Scriptoribus dictas volunt montium angustias, quòd *serra* veluti dissectæ sint, cujusmodi montem *scissum*, *i.e. serratum*, vocat vetus Agrimentor *de Limit.* Unde vox pro monte ipso vel colle usurpari cœpit; qua notione etiamnum *Sierras* Hispani dicunt: Fortasse, ait Salmat. quod malè reddiderint ex Græco Πρίων, quod *montem* simul, & *serram*, denotat, vide eum *ad Solin.* & in *Nomenclatore Lexici*, voce *Sierra*, ut & suprà *Prion*, ac *Pristis*, it. *Sera*: de lapidibus verò σχιστοῖς, infra in *Sorrentinæ*.

SERRACUM, apud Juvenalem, *Sat.* 3. v. 255.

——— ——— *coruscat*,
Serraco *veniente abies* ———

idem cum *Sarraco* est, quod vide. Aliud est *soracum*, apud Horatium, cophinus videl. in quo τὰ σκεύη τῶν ὑποκριτῶν, *suppellex Histrionum*, Pollux.

SERRÆ, *Nicet. Cedren. Serres Leuncl.* Urbs Archiepiscopalis Macedon. apud Amphipolim, ampla, inter Philippos, & Thessalonicam.

SERRANÆ Tibiæ, apud Donatum, *Dextræ autem & Lydiæ suâ gravitate seriam comœdiæ dictionem pronuntiabant: Sinistra & Serranæ acuminis levitate jocum in comœdia ostenebant*. Tyriæ sunt, nec à *serra* stridore, ut Turnebo *l.* 28. *Advers. c.* 34. visum, dictæ. Nota enim *Serrana* seu *Sarana purpura*, de qua voce vide in *Serra*: plura vero hanc in rem apud Salmat. *ad Solin. p.* 124. & infra ubi de *Tiori* &c.

SERRANCE, oppid. Bearniæ, in monte, Galliæ versus Hispan. postremum. *Merci. Gallo.*

SERRARIUS *Nicolaus*, vide *Nicolaus*.

de SERRES Johannes, vide *Johannes*.

SERRATI Bigatique nummi, memorantur Tacito in *German. c.* 5. cùm ait, *Germani pecuniam probant veterem & diu notam, Serratos bigatosque*. E quibus, quid *bigati* sint, notum, nummi videl. bigis, i.e. duobus equis curtui junctis, notati: Quemadmodum *Quadrigati* dicti sunt, quorum signum quadriga fuit, ut videre est apud Livium *l.* 23. ... 15. *l.* 33. *c.* 8. &c. aliosque rerum Romanarum Scriptores. De *Serratis* vero ambigitur. Et quidem Abr. Alhamerus *Comm. ad h. l.* uti *Bigatos* à biga, sic *Serratos* à *serra* impressa, denominatos esse vult: Sed cum Bigatos quidem pluries videre detur, qui serræ verò formam impressam aut incusam numo viderit, inventus fit nemo, stare sententia non potest. Placet itaque Berneggero *in Taciti Germ. quæst.* 19. ideo nummos quosdam *Serratos* fuisse appellatos, quod eorum ambitus dentatus atque asper esset, in modum serræ, quæ probæ monetæ fuerit nota, unde colligeretur, è talibus nummis longô usu aut resectione nihil periisse: Cujusmodi nummos, ex Antiquitate superstites, etiamnum apud Antiquitatis nummariæ cultores passim reperias. Unde obiter notare licet Romanorum, hoc etiam parte Majestatis retinentissimorum, circa rem nummariam, solertiam ac solicitudinem laudatissimam: in qua cùm sequenti ætate remissiùs ageretur, nullibi nisi in regio suo Palatio, monetam cudi jussit Carolus Magnus Imperator, exemplô veter. Romanorum, qui, licèt in amplissimo Imperio, nullum tamen aliud Ἀργυροκοπεῖον seu Monetariam officinam, quàm Romæ in Junonis Monetalis templo, habebant, ut eo faciliùs monetæ adulteratoribus occurreretur. Vide Eundem *ibid.*

SERREPOLIS, Ciliciæ urbs. *Ptol. Cassipolis* Plinii, *l.* 5. *c.* 27. teste *Villanovanô*.

SERRETES, Pannoniæ gens ad Dravum fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 25.

SERRHEUM, promontor. Thraciæ, & civitas Samothraciæ. Est & *Serrheus murus*, *Serrhei* quoque *montes*. *Steph.*

SERRI, populi Colchis vicini. Plin. *l.* 6. *c.* 5.

SERSELA, oppid. Algerii regni, cum portu & arce munita, in ora maris Mediterr. 8. leuc. Gall. ab Algerio in Occasum, Tenesium versùs; *Rusubricari* aliàs dicta est. Nic. *Sanso*. Nunc *Sercelle*.

SERTA, Æ, Græcè πλόκαμος, vide suprà passim, præsertim in voce *Crinis*. Aliàs *Serta*, *orum*, coronæ ex floribus, à *serie*, vel *serendo*: aliter *Servia* quoque. Propriè autem sic dicebantur coronæ è ramis floribusque textæ, velut *insertæ* seu consertæ & implexæ: postmodum ad omne coronarum genus denotandum vox adhibita est, uti pluribus docet Car. Paschalius *Coronar. l.* 1. *c.* 12. Imò & de floribus nonnunquam occurrit, è quibus corollæ texuntur, ut apud Virgil. *Æn. l.* 1. v. 421.

Thure calent aræ sertisque recentibus halant.

Sed *sertum* propriè *soluto* opponitur. Apulejus *Metam. l.* 10. *Hinc gratiæ gratissimæ, unde hora pulcherrima, quæ, jaculis floris serti & soluti, Deam suam propitiantes, scitissimum construxerunt chorum.* Et Stat. *Theb. l.* 10. v. 788. ubi de Menœcei funere,

——— *hi sertis, hi veris honore solutô*
Accumulant artus, patriaque in sede reponunt.

Ubi & *sertis* & *solutis* rosis sparsum ejus funus ait, more aliis notissimô. Sic idem *l.* 5. *Sylv.* 3. v. 285.

Illustremque animam leibatis spargite sertis.

Quod obtinet etiamnum, in virginum præcipuè utriusque sexus exequiis. Vide Caspar. Barthium *Animadversion. ad Stat. cit. Thebaid. loc.* Olim vero Christiani ad simplicem solum usum flores adhibere tum solutos, tum *sertos*, uti docet apud Minucium Octavius, *Quis autem ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus & rosam veris & lilium & quidquid aliud in floribus blandi coloris & odoris est? his enim & sparsis utimur mollibus ac solutis & sertis colla complectimur. Sanè quod caput non coronamus, ignoscite ---- Nec mortuos coronamus* &c. ubi Wowerium, & Elmenhorstium vide, ut & quæ suprà diximus de *Coronis Floribusque*.

SERTORIUS, Nursiâ oriundus, partium Marianarum fuit unà cum Cinna: quibus junctus Romam cepit, An. 667. Urb. Cond. moderatiùs tamen se gessit, quàm alii; Syllâ redeunte à bello Mithridatico, urbeque potitô, ipse quoque in Hispaniam aufugit, ubi brevi tempore ob virtutem sibi gratiam earum gentium conciliavit: Traditur per eum Hispanos disciplinam rei militaris Romanam didicisse, ac fortiores deinde fuisse. Nam præter artem rei militaris abstinentissimus etiam voluptatum, tum religiosus est habitus, quòd cervam quandam secum in expeditionibus haberet sequentem, quam Dianæ numen dicebat esse, ex eâque responsa accipere, resque gerendas auspicari. Quare dux Lusitanorum delectus, parvis copiis multas urbes subegit, sed & 4. Romanorum duces contra se missos, variis cladibus adflixit. Primò enim Cottam navali prælio superavit, Phidiam Hispaniæ prætorem cum 2. mill. civium Romanorum interfecit: Domitium proconsulem contrivit; postremò Trajanum à Metello missum cum toto exercitu delevit. Denique Pompejo fortiter resistens, à Perpennâ socio belli ac ejusdem factionis per proditionem in cœna interfectus est, Oscæ, in Arragonia, Ann. 681. Hic antequam ad bellum se applicaret, Eloquentiæ varia juvenis exhibuit specimina Vellej. Paterc. *l.* 2. *c.* 30. 90. Liv. *Epit. l.* 90. Florus, *l.* 3. *c.* 5. 21. 22. sed imprimis vide Plut. *in Sertorio*. Lucan. *l.* 2. v. 549.

Quique feros movit Sertorius exul Iberos.

SERTORIUS Fontanerius, Anglus, floruit secul. 14. Franciscani Ordin. minister Generalis creatus, A.C. 1356. dein Archiepiscopus Ravennæ, sub Innocentio VI. evasit, purpurâque donatus, obiit A. C. 1362. Scripsit *Commentar. in Augustin. de Civ. Dei*, item *in varios S. Scripturæ libros*, *Homilias*, &c. Willotus, *in Athen. Franc.* Trithem. *de Scr. Eccl.* Pitseus *de ill. Angl. Script. &c.*

SERVÆUS, prænomine *Quintus*, Præturâ functus & quondam Germanici comes. Quapropter admonitu Tiberii à C. Cestio Patre accusatus & judicio Senatûs damnatus est. Cn. Domitiô, Camillô Scribonianô Consulib.

SERVANDUS, Consul, exiliô damnatus, an. Urb. Cond. 1221.

SERVANIA, provinc. Persiæ, in limite Georgiæ & Turcicæ ditiòn. ubi aliàs Mediæ pars. Extenditur juxta mare Caspium, à quo terminatur ad Boream, habetque urbes pulcherrimas, quanquam pluries vastata à Turcis; Ibi nempe Tabrisium, Sammachia, Servanum, Ardebilia & Bacua. Sub Persis.

SERVARE, Augurum verbum. Cicer. de Divin. *l.* 2. *Jam verò de cælo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur, nunc imperant pullario.* Arnob. *l.* 2. *Servatis de cælo, aut otiosas facitis obnuntiationibus actiones.* Pro quo *inservare* dixit Stat. *Theb. l.* 6. v. 932. & *l.* 8. v. 194. ad quæ loca vide Lutatium, ut & Casp. Barthium *Animadversion. Part.* 3. *p.* 630. & 816. Hinc *servata*, i. e. observata, *avis*, apud Ovid. *Trist. l.* 1. *El.* 8. v. 50. & *servator cæli*, Astrologus, Lucano *l.* 1. v. 601.

Et doctus volucres Augur servare sinistras,

Et *l.* 5. v. 395. *Nec cælum servare licet* ———
Et *l.* 8. v. 871.

Doctus ad hæc fatur taciti Servator Olympi,
Signifero quæcunque fluunt labentia cælo &c.

SERVARIA, meliùs *Cervaria*, quod vide.

SERVATOR, appellatio gloriosissima etiam Romanis moribus. Hanc sic circumscribit Stat. *Theb. l.* 5. v. 20.

Attamen ô quæcunque es, ait, cui gloria tanta
Venimus innumeræ fatum debere cohortes:
Quem non ipse Deum Sator aspernetur honorem.

Et certè *Servatoris Jovis* delubra, & *Servatoris Bacchi* ara, Græciæ cultui sacra, memorantur *Pausaniæ*. Æschylus *Agamemnone*,

——— ——— τοῦ κατὰ χθονὸς
Ἅιδου, νεκρῶν Σωτῆρος εὐκταίαν χάριν.

Ac Diis *Servatoribus* multas olim preces fudisse navigaturos, vidimus suprà voce *Navis*. Peculiariter Medicis titulus datur, ab illorum nimirum Numine, Æsculapio, ut videre est apud Saxonem Gramm. l. 3. & 4. &c. Vide quæ notavit, *Salvatoris* vocem usui Christiano asserens, Claud. Dausquejus *ad Basilium Seleuc. Orat. XI.* Barth. *ad Stat. d. l.* & suprà *Conditor*, ac infrà in voce *Soter*.

SERVATIUS Lupus, vide *Lupus*.

SERVESTA, vide *Zervesta*.

SERVETUS, vide *Michael Servetus*.

SERUG, fil. Rehu seu Ragau, inter progenitores Christi, Lucæ c. 3. v. 35. pater fuit Nachoris, avi Abrahami. In ejus tempora non male initia Idololatriæ refert Epiphanius. *Hær. l. 1. §. 6.* Ῥαγαῦ γεννᾷ τὸν Σερούχ. καὶ ἤρξατο ἐν ἀνθρώποις ὁ εἰδωλολατρεία καὶ ὁ Ἑλληνισμός. *Rehu genuit Serug: cœpitque inter homines Idololatria atque Hellenismus:* nempe Pictura tunc adhibita, cui postea, Statuaria successit sub Thara, quem vide; plura apud Joh. Marshamum *Can. Chron. Sec. IV.* ubi *de Idololatriæ vetustate*.

SERVI, vetustum nomen, & à Noahi usque temporibus deductum, sacra Biblia testantur, Gen. c. 9. v. 25. *Maledictus Chanaan, servus servorum erit, fratribus suis.* Quod expressit eleganter Alcimus Avitus *l. 4.*

> ---- ---- ---- *Primum inde repertum*
> Servitis *nomen: cuncti nam semine ab uno*
> *Prodimus, Patremque omnis sibi vendicat unum*
> *Posteritas: deque ingenuo mala crimina servum*
> *Efficiunt.*

Et hoc ab ipso Noacho totum effluxisse, ut canit Alcimus, argumento est celebris deinceps facta mentio *Servorum*, ut in illa Abrahami subitaria domesticarum copiarum recensione, ad fratrem è captivitate eximendum: Gen. c. 14. v. 14. in præscripto Circumcisionis, Gen. c. 17. v. 23. & *alibi*, ubi ancillarum, vernarum, emptitiorumque memoria extat. Ita quidem *Pignorius*. Sed merito altiùs arcessenda *Servorum* origo, quò & Alcimus nos manu ducit, cùm ex ipso Protoplastarum lapsu hujus status primordia derivat. Quo cùm Natura humani generis corrupta sit, plurimos *nata servituti mancipia*, cum Tacito *in Agric. c. 31. § 4.* jure dicas, qui cùm, ob defectum prudentiæ, nec sibi ipsis utilia prospicere, nec alios rectè possint gubernare, ob vires tamen corporis, laboribus ferendis aliorumque mandatis expediendis, sunt idonei. Ad nomen quod attinet, ex eo *Servi* appellati sunt, *quod Imperatores captivos vendere & per hoc servare, nec occidere, solent*, *l. 4. ff. de Statu hom.* Idem *Mancipia*, quòd *ab hostibus manu capiuntur*, *ibid.* Quam etymi vim latiore aliquanto verborum ambitu circumscripsit nescio quis, *Epitom. Juris Civ. ex edit. Paris. 1599.* qui *in hostibus captis & in servitutem redactis*, scribit *esse observatum, quod utile erat ac benignum. Eos enim servari & non occidi benignitatis esse, servire utilitatis, occidi neutrius.* Sic Latini, alii alia, quæ brevitatis causâ transiliemus. Captivitas sanè non novitium inventum fuit: utpote, quæ ab ipso usque Nimrodo fluxisse videtur: Quæ enim *de venatione* ejus habentur Gen. c. 10. v. 9. interpretatur *de oppressione ac captivitate*, Augustin. *de Civ. Dei. l. 16. c. 4.* Et hoc profectò non dedecebat Idololatriæ repertorem ac Politicorum patrem. Justinus tamen *l. 1. c. 1.* & *Orosius* Nino tribuunt, qui cùm bella finitimis primus intulisset, Semiramisque uxor primùm metalla invenisset, captivis suis eorum tractationem mandâsse, scribitur *Suidæ*. Duplici autem jure aliquis *Servus* fiebat; Civili, *quando major 20. annis pretii participandi causâ se venire patiebatur*, *l. 5. de statu hom.* & Gentium, *quando ab hostibus quis capiebatur, aut ex ancilla nascebatur.* Dominatio enim de jure Gentium introducta est, inquit JC. *l. 64. ff. de condict. indeb.* quod & Luctatio Placido visum est *ad illud Statii*,

> *Ne tristes Dominos, urbemque inimica revisam*
> *Eurydicen.*

Naturâ verò servum esse quempiam cùm dicitur, cum grano salis id accipiendum est. Juris civilis capita ampliavit maximus Imperator Constantinus *l. 2. Cod. de Libert. & eorum liberis*, quum sancivit, Libertos homines ingratos recidere in servitutem, quam evasissent, Claudium apud Sueton. *c. 25.* imitatus; quod & Nerone imperante agitatum est, teste Tacitò *Annal. l. 13.* Imo & in Patriam ingrati, qui olim militiam detestabant, ad dilectum non respondentes ut proditores libertatis, in *Servitutem* redigebantur, *l. 4. de re milit.* Et horum auctariorum alia quidem, ut vidimus, culpæ & noxæ imputanda sunt; alia egestati & pietati. Constituit enim idem Constantinus *leg. 2. Cod. de Patribus qui*, licere patribus, filios inopiæ causâ distrahere; jure nim. antiquissimæ à Romulo invectæ patriæ potestatis, cujus meminerunt Dionys. Halicarnass. *l. 2.* Cicer. *de Orat. l. 1.* Dion Chrysostomus *Orat. 15.* Alii. Hi tamen pretium aut vicarium offerendo, vindicabantur in libertatem. *eâd. l.* quam compensationem sustulit Valentinianus Imperat. quòd servitium diceret ingenui, etiam minimi temporis spatio, remunerationi pretii facere satis; *l. unic. Cod. Theod.* Idemque jus videtur fuisse observatum, in expositis liberis apud Bithynos, quos θρεπτοὺς nominabant. Eorum namque libertatis maximam habendam rationem, respondit Imperat. Trajanus apud Plin. *l. 10. Ep. 72.* At cùm A. C. 447. fames, de qua *Marcellinus*, universam vexaret Europam, Italici homines filios & parentes vendiderunt, quos Placidius Valentinianus redimi præcepit, sub quintæ adjectione, *Novell. 11. Valent.* Quibus tamen optimorum Imperator. sanctionibus malæ huic mercaturæ obviam penitus itum non est: cùm in Lucanis, conventu Leucotheæ, natali D. Cypriani, à parentibus liberi passim distraherentur. Ita ergo, ut Romani jure gentium *Servis* sibi uti licere arbitrati sunt: sic ne Christiani quidem non modò sub initium Ecclesiæ, sed & multis pòst seculis, iis caruêre. Namque & diu post prædictos Imperatores extant de *Servis* Leges Karoli M. Ludovici Pii ac Lotharii, in *lib. Legg. Karoli M.* & *in Legg. Longobard.* Sunt etiam de *Servis* & Ancillis fugitivis constitutiones Guilielmi Regis Siciliæ ac Neapolis, & Friderici II. Imperatoris *in Placitis Regni Neapol.* Sunt & Alexandri III. Urbani, Innocentii, Pontificum decreta de conjugiis *Servorum*. Donec à temporibus Friderici modò memorati, i. e. post A. C. 1212. præter propter, omnino *Servitus* inter Christianos expirare cœpit: paucis in Lusitania, Prussia, Polonia, reliquiis hodieque superstitibus. Ad *Servitutis* apud Romanos conditionem redeo, iniquior ea fuit, quam ratio humanitatis *Servo* & domino communis exigeret. *Erat enim infima conditio & fortuna servorum*, Cicer. *Offic. l. 1.* *Caputque servile nullum jus habuit, carebat nomine, censu, tribu.* Paulus JC. *l. 3. ff. de cap. min.* A militia præterea arcebantur, Serv. *ad Æn. l. 9.* & quidem capitali pœnâ propositâ, Marcian. *l. 2. de re milit.* Vide quoque Plinium Jun. *l. 10. Ep. 39.* Quod adeò fuit receptum, ut, cum ex inopia liberorum capitum, Imperatores ad ultimum prope desperatæ Reip. auxilium adigerentur, tamen non legerent ad militiam *Servos*, nisi liberos factos, Liv. *l. 22. c. 57.* Hinc illisdem non nisi *quasi Testamentum*, Plin. Jun. *l. 8. Ep. 16.* *quasi dotem*, Ulpianus *de jure Dot.* *quasi patrimonium*, Paulus *leg. 47. de pecul.* *quasi novercam*, *l. 15. de ritu Nupt.* tribuunt. Verbo, de jure civili *Servus* pro nullo erat, *l. 1. §. 2. unde cognat.* Dominium contrà in ipsos tum summi juris, tum summæ injuriæ fuit. *Pecudum namque numero censebantur*, *l. 2. ff. ad L. Aquil.* Vide Senecam *Epist. 47.* *Imò & qui tolerabili erat conditione, nemo erat*, Cicer. *Catilin. 4.* Fuerunt enim, qui intolerandâ utebantur conditione, etiamsi ad legis Æliæ Sentiæ capita Cicero non respexisset. Cibum adurere, mensam evertere, dicto tardiùs audientem fuisse, cruce aut flagellis ad minimum expiabatur, Plut. *de ira cohib.* Quò factum, ut *Servi* nuper empti non quærerent, an superstitiosum vel invidum, sed an iracundum herum nacti essent, Senec. *de Ira lib. 3. c. 24.* & Petrus Chrysologus *Serm. 141.* Atque has serviles delicias eleganter tangit Geta Terentianus, *Phormione Actu 2. Sc. 1. v. 19.*

> ---- ---- *Herus si redierit,*
> *Molendum esse in pistrino, vapulandum, habendæ compedes,*
> *Opus ruri faciendum.*

Furcam solam & crucem omittit, quarum pœnam verbis extenuare non poterat. Et ex horum suppliciorum frequentia, honoraria illa manârunt *Servorum* epitheta, *Furciferi, Mastigiæ, Flagriones, Verberones, Cruciarii.* Discussit sanè aliquoties Natura hanc caliginem, ut Paulus *l. 5. ff. de contr. empt.* viderit, *difficile dignosci posse Liberum à Servo*, at non diu id mansit, siquidem plerique ita sentiebant, ut illa apud Juvenalem garrit *Sat. 6. v. 222.*

> *O demens ita Servus homo est.*

Quare non mirandum, si Ulpianus *Servitutem* morti assimilaverit, *l. 18. de cond. & dem.* Et olim quidem potestas dominica necem ipsam *Servorum* complectebatur, Cujus *l. 1. de his q. s. vel al. sunt jur.* quam in rem nota Vedii Pollionis, apud Senecam *de Ira l. 3. c. 40. §. 3.* & Dionem *l. 54.* L. Quintii Flaminii, apud Plut. *in eo c. 32.* & Ciceronem *in Catil.* aliorumque sævitia. Imò, si quando dominum necari contigisset, omnes *Servos* sub occisi tecto repertos, nullo sontis insontisque discrimine, ad supplicium abripi solitos, scribit idem *pro Roscio Amerino*, & exemplum habet Tacitus *Annal. l. 14. c. 42. §. 2.* Omitto certamina gladiatorum, quibus illi, ut Populo spectaculum præberent, sese mutuis vulneribus confodere, aut bestiarum dentibus in arena lacerari, cogebantur: execrandos, ad quos adigebantur, concubitus, aliaque crudelitatis exempla, partim legibus concessa, partim consuetudine exculata. Quod sanguinarium jus notaverunt quoque apud Germanos Tacit. *de mor. Germ. c. 25.* apud Persas Ammian. *l. 23.* Et hujus sanè vis fuit, ut Hadrianus Imperat. *Servos a dominis vetuerit occidi*, apud Spartian. *c. 18.* quod & Antonino Pio successori illius placuit, *l. 1. & 2. de his, qui sui vel al. juris sunt.* Constantinus autem, *reum homicidii fore, qui servum adegerit in ipsis cruciationibus vitam relinquere*, rescripsit *l. un. C. de emend. Serv.* At neque sic dominos jus sibi suum eripi passos esse, discimus ex Salviano *de Gubern. l. 4.* Lenioribus vero animadversionibus frequenter utebantur. Juvenal. *Sat. 6. v. 479.*

> ---- *Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,*
> *Hic scutica.*

Baltea verò, quæ vocat idem *Sat. 9. v. 112.* Scholiastes *lora* interpretatur, quam utique operam navâsse conservos, argumento sunt *Lorarii* apud *Plautum*: & quidem flagella in peculio servorum erant, imò & ad Libertos aliquando pertinebant, Ulpian. *l. 10. de in jus voc.* Neque vero minores in *Servos* Magistratus fuêre, Hermogen. *l. ult. de injur. & fam. libel.* Recensetque Aristophanes *Batrach.* catalogum servilium aliquot tormentorum, *Extensionem in tabula, suspensionem, scuticam e pelle bubulâ, verbera, torturam, aceti in nares infusionem & laterum impositionem.* Cui dominicæ licentiæ adscribenda enarratio illa Donati, *ad Terentianam patoemiam Eunuchi Actu 1. sc. 3. v. 89.*

> *At enim in me istæc cudetur faba.*

quosdam videl. consuevisse, *malè collam fabam, & quæ non maduerit, supra caput coqui saxo comminuere.* Item supplicium villici, quem dominus, melle perlitum, formicis cruciandum objecit, aliaque crudelitatis genera, quibus factum, ut *macelli specie domus eorum cruentaretur sanguine vernularum*, Capitolin. *Macrino. c. 13.* Vide carnificinæ hujus scenam graphicè repræsentatam à Galeno *de dignosc. cur. an. mor.* apud quem legimus, *Famulos illos calcibus appetitos, tum graphiis compunctos: eisdem confractos dentes, oculos stylo & calamo erutos; eosdem percussos, ancillas, morsu dominarum cruentas.* Imò quidquid terrum, sævum, horribile in Christianos olim excogitatum & exercitum est, illud omne ad illos à *Servis* transiit &c. Quæ inclementia in fugitivos inprimis emi-

nuit, quos per fugitivarios conquisitos, stigmatibus notatos, vel trudebant in publicam custodiam, vel in pistrinum, vel interficiebant, Cicer. *l. 1. Ep. ad Q. Fratr.* Florus *Histor. l. 3. c. 19.* &c. Quòd si ii latitarent, præconiô illos indagabant, *Petron.* vel libellô propositô inquirebant, cujus specimen exprimit egregiè Propert. *l. 3. El. 21.* Ac eousque progressa est dominorum sævitia & proclivis *Servorum* fuga, donec ad publica sacra Populi Rom. perveniretur. Plin. *l. 28. c. 2.* *Vestales nostras hodie credimus, nondum egressa urbe mancipia fugitiva retinere, inlicio precationis*: quod utut verum fuerit, homines tamen Vestâ valentiores, non carmina modò, sed & custodias evadebant: unde *ne ii admitterentur in saltus, neve protegerentur a villicis*, Senatus censuit, *l. 1. de Serv. Fugit.* At statua, Cæsaris inprimis, miseris perfugium erat, ad quam si se recepissent, tum Magistratus de querelis eorum cognoscebat & venire eos jubebat, ne in potestatem dominorum recciderent amplius, *l. 2. de his q. s. v. a. j. sunt.* Asylum quoque, servitiis etiam pessimis patebat aliquando. Quibus verò statua ad manum non erat, illis ara non deerat, Corn. Nepos *Pausan. c. 4.* Eratque fugæ cognitio vel Præsidis & Proconsulis in Provincia, vel Præfecti Vigilum Romæ. Triumviri verò Capitales in *Servos* animadvertebant, à quibus apud columnam Mœniam puniri consuevisse, innuit Horat. *in Menam Pompejanum Od. 4. Epod. v. 11.* canens,

Sectus flagellis hîc Triumviralibus
Præconis ad fastidium &c.

Et hoc dominicum jus non vitam modò, sed & alia omnia *Servorum* complectebatur, Cajus *l. 10. de acq. rer. dom.* itaque filios etiam servos procreabant, utpote non ex matrimonio, sed ex contubernio, natos. Eosdem domini pignori dabant, addicebant, deferebant in censu. Cùm tandem omnia commoda ad extremam usque senectam ab iis percepissent, ut nihil ampliùs extorquere possent, pluris licitantibus proscribebant, quo sanguinis extremum illud pretium, quantulumcunque esset, corraderent; ne jam ætate defectos gratis alere aut liberos dimittere cogerentur, quale quid de Catone majore annotavit Plut. *in eo*, ut ita beatior fuerit Atticus ille mulus Palladis, quem, ob ætatem vacatione donatum, liberè vagari, sine capistro, sine labore consuevisse, idem tradit *l. de Animal. compar.* Interim, bis in anno relaxatio illis concessa, & sine discrimine cum dominis colludere ac festos agere dies, permissum est, Senec. *Ep. 47.* Erat verò servorum dies festus Idibus Aug. quòd eo die Servius Tullius Rex natus esset servâ, ut scribit *Festus*: iidem & Saturnalibus usuriam quandam libertatem assumebant atque ad mensam, dominis ministrantibus, sedebant, vestemque cum iis commutabant, ut vidimus supra, ubi de *Saturnalibus*. cui simile quid apud Persas in usu fuisse, diximus voce *Sacæa.* Quibusdam etiam *Servitiô* exire, benignitate dominorum vel propria virtute, contigit, qui hinc *Liberti* dicti. Vide suprà ubi de *Libertis* & *Manumissione*. Apud Athenienses, jura *Servorum* haud paulo solutiora erant, Demosth. *Philipp. 3.* justam enim illi ac clementem servitutem præferebant, cum *Servi* (qui Græcis ideo σώματα, Latinis *corpora*) essent dominis, quod animæ corpus, ut præclarè disputat Aristoteles *Politic. l. 1.* metusque esset, ne provocati injuriis bellô dominos incesserent, quod aliquando evenisse, testatum reliquit *Posidonius*. Itaque eadem cum plebe, aut elegantiori utebantur veste, neminique de via cedebant, Xenoph. *de Rep. Athen.* neque licebat eos ab alienis pulsari, ex Lege: [illegible]. *Servis* quoque in bello captis, qui *Servitutis* modus omnium antiquissimus, consuluit Rhetor Lycurgus, hâc lege: *Μηδενὶ ἐξεῖναι τ' Ἀθηναίων, μηδὲ τ' οἰκούντων Ἀθήνησιν ἐλεύθερον σῶμα πρίασθαι ἐπὶ δουλείᾳ τ' ἁλισκομένων, ἄνευ τ' τ' προτέρου δεσπότου γνώμης*, apud Plut. *in Lyc.* Quod si quis in servitutem abduceretur, aut peteretur, poterat quilibet illum liberali asserere causâ manu, ex Lege: *Ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ ἀφαιρεῖσθαι εἰς ἐλευθερίαν καὶ ἐγγυᾶσθαι τ' ἀγόμενον εἰς δουλείαν πρὸς τῷ πολεμάρχῳ.* Concedebatur etiam *Servis* actio, adversùs iniquos dominos, quâ poterant eos adigere, ut se venderent, Lege: *Τοῖς δούλοις ἐξεῖναι πρᾶσιν αἰτεῖσθαι καὶ δεσπότην μεταβάλλειν ἐπιεικέστερον*, cujus meminit Plut. *de Superstitit.* Confugiebant autem illi, ad Thesei sacellum, ubi jus iis dicebatur, *Suid.* quinetiam libertatem consequebantur, vel invitis Dominis, pecuniâ numeratâ: ex Lege cujus Dion Chrysostomus meminit *Orat. 15.* Habebant enim Athenis *Servi*, quod sibi comparabant, peculium, ex quo aliquid dominis suis pendebant, atque etiam pro capite numerabant suo, ut servitutem exuerent, Xenoph. *loc. cit.* Etiam factum quandoque, ut, afflictis Reip. temporibus, qui egregiam in bello navaverant operam *Servi*, libertate donarentur à Rep. quod contigit iis, qui ad Arginusam Lacedæmonios fuderunt, anno 3. Olymp. 93. quique militaverant Chæroneæ, contra Philippum Macedonem, vide Aristoph. *Ranis* & Dionem Chrysost. *loc. cit.* apud Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. l. 2. tit. 6.* Porrò continebantur apud Romanos *Servi* Familiæ appellatione, quam 15. eorum constituebant: Licèt namque primitus singulis servis prisci Romani contenti essent, ut tradit Plin. *l. 33. c. 1.* qui proin nominibus dominorum, *Marcipores*, *Lucipores* &c. i. e. *Marci pueri*, *Lucii pueri*, veniebant, at posteà tantopere illorum numerus auctus est, ut liberorum capitum solitudo *servilibus* copiis arte & consiliô occultanda videretur. Vide Senec. *l. 1. de Clem. c. 24.* De Enno sanè Athenioneque legimus, ut Siciliam vastârint, ut Prætores exuerint castris, ut Regia arripuerint insignia, Diodor. Sic. *l. 34. & 36.* Demetrio item Pompejano, *numerum quotidie servorum, velut Imperatori exercitus, referri solitum*, docet Seneca *de Tranquill. c. 8.* Ut Athenis, cùm Demetrius Phalereus censum ageret annô 1. Olymp. 110. numerata esse *servorum* capitum 400000. memoriæ prodiderit Ctesicles *Chron.* *l. 3.* Unde vel à gente iis, *Daci*, *Getæ*, *Mysides*, *Syri*, *Phrygis*, *Lydi*, *Japygis* &c. vel à ministerio, nomina imponi cœpêre. Gentes autem, è qua desumti, quædam probæ erant, quædam improbæ. Alexandrini, nequitiis, salibus, cantu antecellebant. Senec. *in Sap. non cad. injur. c. 11.* & Quintilian. *l. 1. c. 2.* Asiatici formâ, Juvenal. *Sat. 5. v. 56* inprimis inter eos Phryges ac Lycii. Idem *Sat. 11. v. 47.* Syri, Medi, Mœsii, Galli, Bithyni, Cappadoces, Liburni, viribus valebant, & proin ad onera & lecticas parabantur, Martial. *l. 7. & 9.* Juvenal. *Sat. 7. & 9.* Clem. *l. 1. Pæd. Catullus* &c. Corsi, feri & socordes, Strab. *l. 5.* Cappadoces, stupidi, censebantur, Cicer. *post redit. in Senat.* Sardi nequam, *Adag.* Britanni erant proceri, ideoque ab Augusto ad officia theatralia donati sunt, auctore Serviô *ad Virg. Georg. l. 3.* &c. Vestis *Servorum*, apud Romanos tunica erat, & præter hanc chlamys, birrus, lacerna, *l. 1. Cod. Theodos. de habitu intra Urb.* cuculla item, Columella *l. 1. c. 8.* At Pistrinarii, pubetenus nudi erant, vel ad minimum *sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti*, Appulej. *Metam. c. 9.* Apud Græcos, non minùs ac ingenui, palliati erant, Plaut. *Captivis Act. 4. Sc. 1.* quod, cùm properarent, solitos fuisse in collum, h. e. dextram ejus partem in sinistrum, sinistram in dextrum humerum rejicere, discimus ex Terentii *Proleg.* interim propria eorum vestis Exomis ac Diphthera fuit, vide *suô locô.* Victum quod attinet, illis, ad rationem demensi cibarii, panes quotidie vel bilibres, vel etiam trilibres, assignabantur, Cæl. Aurel. *l. 4. Acut. 2.* Demensum enim quandoque variabat, & modò *IV.* modò *IV.* & Sem. modò *V.* modiorum, quâ splendor, fuit, prout ferebant & annonæ ratio & dominorum, quâ sordes, quas prorogationes Dispensator in diurnum referebat. Cato *in. 56.* compeditis per hyemem panis Pondo *IV.* ubi vineam fodere cœpissent, Pondo *V.* dati præcepit, adeò, ut urbanis ministeriis panis Pondo *II.* vel *III.* sufficere potuerint, cùm neque fodere aut opus facere necesse haberent, & quoad pulmentaria ac obsonia lautiùs acciperentur. Fossorum in specie panem *Cantabrum* vocatum, & in pugillos aliquot furfuris aqua infusâ, postque horas aliquot refusa superfluâ aquâ, furfuribus expressis, ex furfuribus, succô albô seu cremore, confectum fuisse discimus ab Hadr. Turnebo *Adversar. l. 15. c. 16.* Pedum tegmina, namque præstare tenebatur dominus *Servo*, *Panem*, *potionem*, *vestem*, *manicas*, *pedum tegmina*, Columell. *l. 1. c. 8.* qualia fuerint, vide Balduinum *de Calc.* Inaures, quæ aliis Nobilitatis, his *Servitutis* nota erant, gestatæ à pluribus. Unde Pœni cum *annulatis auribus*, introducuntur à Plauto *Pœnul. Act. 5. Sc. 2.* & *pertusas aures Arabibus* tribuit *Petronius*: Imò perforatas subulâ *Servorum* aures, perpetuæ servitutis signum fuisse, ex Deuteron. *c. 15. v. 16. 17.* cognoscimus. Hinc ex fissuris fenestrisque aurium, in libertate donatis, præteritæ conditionis nota, quamvis omni arte occultaretur, apparebat. Juvenalis *Sat. 1. v. 104.*

---- ---- ---- -- - *Quamvis*
Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licèt ipse negem, &c.

Ut alia hâc vice omittam: Erant autem vel *Publici*, de quibus vide in voce hac, vel ad privatam familiam pertinebant, quæ iterum vel urbana vel rustica, & utraque in innumera rursus ministeria divisa fuit, de quibus aliquid hîc infrà. Plura hanc in rem suggerent Laur. Pignorius *Comm. de Servis*, Tit. Popma *de operis Servor.* Bartholinus *de Inauribus*, Rosin. *Antiqq. Rom. passim*, Alii. Vide quoque suprà de *Mancipiis*, ut & in voce *Servus*: uti de medii ævi ritu *in Servum se obnoxiandi*, ubi de *Obnoxiatione*.

Familia Urbana, quô ordine à Pignorio tradita.

α. Servi urbani. Medici. Chirurgi & Ocularii. Clinici. Chirurgi & Ocularii simul. Dissectores cadaverum. Pollinctores. Succollatores. Ustores. Orcini & Pileati. Principes Medicorum seu Superpositus. Medicæ & Tractatrices. Iatraliptæ. Aliptæ. Unctores. Mediastini. Curatores ægrorum & amentium. β. Balneatores. Pueri unguentarii. Alipilarii. Mulieres unctrices. Tonsores. Tonstrices. γ. Offarii & Coqui. Archimagiri & supra coquos. Pistores. Dulciarii. Lactarii. Placentarii. Pomarii. Focarii. Venatores. Aucupes. Promi. Penuarii. Condi-promi. Procuratores peni. Ancillæ penuariæ. δ. Ministri convivales. ε. Obsonatores. Invitatores. Vocatores. Nomenclatores. Calatores. Indices horarii. Tricliniarcha. ab Aquimanili & pollubro. Infertores epularum & luminum. Lectisterniatores. Mensarum detersores. ζ. Structor. Scissor. Carptor. Diribitores panarii. η. Prægustatores Papates. Argento & auro præpositi. ab Auro gemmato. ab Argento potorio. ab Argento scenico. Vasorum detersores. θ. Ministratores. Pueri ad cyathum & vinum. Pocillatores. ad Cyathos. à Lagena. Ministri aquæ calidæ & gelidæ. Muscarum abactores. ι. à Matella. Pueri ad pedes. à Pedibus. Circumpedes. κ. Symphoniaci & Acroamata. Aretalogi. Symphoniaci in navi. Chorus. Choraulæ. Citharœdi. Præpositus à fiblis Cæsareanus. Mulieres citharistriæ. λ. Tibicinæ. Tibicines. Fidicines. Sambucinæ. Crotalistriæ. Cymbalistriæ. Tympanistriæ. μ. Organici seu Organarii. Hydraulæ. Puellæ in ministerio. nuditate. cantu. saltatione. convivas oblectantes. ν. Comœdi & Histriones. Moriones. Nani. Nanæ. Scurræ. Suffitores. Gladiatores in convivio. ξ. Mediastini. Scoparii. Lecticarii. Sputorum detersores. Reliquiarum abjectarum collectores. ο. Geruli. π. Supellecticarii. Cælatores. Vascularii. Argentarii & à Corinthiis. Vestiarii. Vestifici. Vestispices. Vestitores. Janitores & Clavicularii. ρ. à Bibliothecis. à Studiis. Anagnostæ. à Manu. Scriptores. Notarii. Librarii. Antiquarii. Tabellarii. Scribæ. Bibliopolæ. Librariæ. Glutinatores. Pumicatores. Malleatores. Ornatores. Miniculatores. Grammatici. Pædagogi

agogi. Magistri. Præceptores. Capsarii. σ. Armigeri. à Pugione à Custodia armorum. Caculæ. Calones. Clavatores. Galearii Lixæ. τ. Anteambulones. Pedissequi. Salutatores. υ. Adversitores. Accersitores. Comites. Geruli lychnorum. funalium. laternarum. lampadum. Monitores. φ. Lecticarii. Cathedrarii & Cathedralicii. χ. Nomenclatores publici & privati. Monitores & Fartores. Præcones & Buccinatores. ψ. Cursores. Mauri & Æthiopes. Machærophori. ω. Tabellarii. Tabularii Cæsariani. Qui dominum suum vel peregrè abeuntem comitabantur. αα. Actores. Majores domus. Adjutores Actoris. à Calendario. Dispensatores & Prorogatores. à Frumento. ab Ephemeridibus. Tellerarii. ββ. Arcarii. à Loculis. à Crumena. à Marsupio. Procuratores privati & Palatini à Pignoribus. à Pecuniis. à Mensa. Exactores. Procurator Cæs. Rationales. γγ. Ratiocinator & à Rationibus. Calculator. δδ. Negotiatores. Sarcinatores. Sarcinatrices. Navi præpositi. Venaliearii & Venalicii. Institores. Circitores. Ancillæ negotiationi præpositæ. εε. Artifices. Gladiatores. Agitatores. Funambuli. Palæstritæ. Magistri pueri. Pictores. Cælatores. ζζ. Fullones. Textores. Phrygiones. Sutores. Cerdones. Solearii. Sandaharii. Sutores caligarii. ηη. Dominarum famulitium. Vide suprà in voce *Fœmina*. θθ. Ostiarii. Excubiæ. Custodes. Janitores & Janitrices. à Jano. ιι. Atrienses. ab Atrio curando. Officinator à statuis. Magister ab marmoribus. κκ. Admissionales. Magistri admissionum. Proximus admissionum. Adjutor Magister. Servi velarii. λλ. Cubicularii. Præpositus cubiculo. Præpositus supra Cubicularios & Custodes Cubiculares. μμ. Diætarii & Zetarii. Diætarchi. νν. Hortulani. Villici & Procuratores hortorum. Subvillici. Viridarii & Aquarii. Topiarii ξξ. Insularii & Custodes. Reliqui, qui hîc desunt, Eunuchi Primicerii. Silentiarii. Nutricii. Bajuli. Educatores. Ornatores. Ciniflones. Sagittarii. Internuntii. Muliones. Basternarii. Carrucarii. Cisiarii. Lecticarii. Rhedarii. Junctores. Pueri cathedralicii. Ancillarum item varia genera, totusque adeò Matronalis famulitii exercitus, suprà lustratus est, uti dixi.

Familia rustica, ex eodem.

α. Servi rustici numerò & ordine nobiles. β. Atrienses rustici. γ. Pistores & Pistrices. Mulieres de coquina. δ. Focariæ. Focarii. Cellarii. Promi. ε. Operarii. Coloni. Lanificæ. Lanixæ. Textores. Fossores. Ergastularii. Figuli. Fornacarius. ζ. Arator. Jugarius. Bubulcus. Bubsequa. Tonsores ovium. Opiliones. Caprarii. Vervicarii. Equisiones. Equorum Magistri. Agasones. Custodes equorum. Gregarii. η. Superjumentarii. Asinarii. Agitatores. Muliones. Subulci. Porculatores. Porcarii. Pastores. Pecori præfecti seu ejus Magistri. Custodes armenti. Armentorum Pastores. θ. Villicus. Epitropos. Vicedominus. Villica. ι. Monitor. Dispensator. Procurator. à Mercedibus præstandis. Actores. Exactores rustici & operum dominicorum. κ. Olivitores. Capulatores. Leguli. Strictores. Factores. Custodes torcularium. Prælatores. Servi doliarii. Vinitores. Vindemiatores. Putator. Frondator. Legulus. Salictarius. Fœnisector. Olitor. Fornacarius. Panicoctariæ. λ. Piscatores. Gallinarius. Aviarius. Curatores & Pastores. Aviarius. Altiliarius. Fartor. μ. Aucupes. Venatores. Luparii. Mansuetarii. Ursarii. Vestigatores. Indagatores. ν. Fabri. Architecti. Structores Ferrarii. Tignarii. Fabri Carpentarii. ad Qualum & calcem. ξ. Custodes villæ mulieres. Saltuarii. Janitores itemque tum Ovilium. Bubilium. Equilium. Caprilium &c. De quibus omnibus prolixè agentem vide præfatum *Pignorium*, ut & passim in hoc Opere. De civitatibus verò *servitute* pressis, infrà in voce *Stipendiaria*.

SERVI Dei, vide suprà ubi de *Capillos radendi ratione*.

SERVIA, pars ampla Hungariæ latè sumptæ, *Serblia* quibusd. Extenditur inter Croatiam, mare Adriaticum & flum. Danubium Moravamque, ubi alias Moesia superior & pars Dalmatiæ. Sub Regibus propriis anteà, his extinctis paruit Regibus Hungariæ, Nunc Turcis subest. Dividitur in Maritimam, quæ olim *Chulmia*, hodie *Herzegovina*, versus Dalmatiam & Albaniam; & Mediterraneam, quæ iterum duplex: Pars Drino fluv. orientalis *Rascia* dicitur. Pars verò Drino Occidental, seu inter Drinum ad Ortum & Croatiam ad Occasum, *Bosna* seu *Bosnia*, vide ibi, & in voce *Servii*.

SERVIANUS Marcellinus, Consul ann. salutis 105. Meminit *Serviani* Spartian. in *Adriano* c. 15. *Servianum sororis suæ virum, nonagesimum tam annum agentem, ne sibi superviveret, mori coëgit.* Ejusdem Imperatoris ad eum *Epistolam* habes, apud Vopisc. in *Saturnino*. c. 8.

SERVIANUS Sergius, vide *Sergius*.

SERVIENTES ad Legem, olim in Anglia dicti sunt Doctores Juris vel Antecessores: ad quem gradum sic pervenire datum est. Cupidus legum adolescens, primo sesistit in uno Collegiorum Juris, quæ *Hospitia* vocant, & quatuor numero sunt, emensisque illic studiosius annis 7. vel 8. ad *Barr um*, ut ajunt, h.e. ad agendas causas evocatur, qui primus & infimus Causidicorum gradus est. Denos posthinc annos vel 12. Lector publicus in aliquot Hospitiorum Cancellariæ emittitur, tantumdemque penè postea idem hoc munus in sui ipsius Collegio eò fastu exercetur, ut 2. vel 3. hebdomadarum spatiô ad bis mille coronatos Gallicos expendisse unusquisque dignoscatur. Lautè enim epulari solet, convivasque præcipuos Regni Magnates adhibere. Tandem gradus desideratus hîc ferè modo confertur. Capitalis Justitiarius de Banco communi de consilio & assensu omnium Justitiariorum eligere solet 7. vel 8. de maturioribus illis Juris Anglici Studiosis, quorum nomina in scriptis Cancellario Angliæ deferenda curat. Is vero per Regis Brevia cuilibet electorum illorum mandat, ut coram Rege statô die adsint, ad suscipiendum *statum & gradum Servientis ad Legem*. Quô quidem die electi, inter alias solemnitates, celebrant & convivium, per septem continuos dies, adeò magnificum, ut singulorum expensæ assurgant ad 16000. scutorum. Quippe eorum quilibet annulos aureos valoris ad minimum 40. libr. Anglic. cuilibet Principi, Duci & Archiepiscopo, qui hisce solennitatibus intersunt, Cancellario item ac Thesaurario annulos valoris 26. sterl. 8. den. & cuilibet Comiti ac Episcopo similiter præsentibus, nec non Custodi sigilli, utrique Capitali Justitiario & Capitali Baroni de Scaccario Regis, annulos 20. sol. omni insuper domino Parlamenti, Abbati, Prælato & magno Militi, tunc præsenti, aliisque ejusmodi annulum unius marcæ, sicque de cæteris, dote tenetur; ut nullus fere sit Officiatus inferioris gradus, qui pro sua dignitate non annulo donetur. Amicis præterea & domesticis annulos itidem offerunt, & *liberatam magnam panni unius sectæ*. Nec tamen mirum, cùm, admodum lucrosus hic gradus, ad amplissimas dignitates consequendas via sit. Namque ad officium & dignitatem *Justitiarii in Curiis placitorum coram ipso Rege & communi banco, quæ sunt supremæ Curiæ ejusdem Regni ordinariæ*, nemo admittitur, nisi hôc gradu insignitus. Habitum quod attinet, quilibet eorum dum in Curia Regis sedet, birretô albô sericô utitur, quô primô & præcipuô dignitatis symbolô, in sui creatione, decorantur: neque illud deponit, licet cum Rege loquatur. *Robam dein gerunt longam, ad instar Sacerdotis, cum capucio penulato circa humeros, & desuper colobio, cum duobus labellulis* ---- possunt etiam *stragulatâ veste, aut coloris bipertiti*, uti Jo. Fortescutus *de Laudibus LL. Angliæ* c. 50. & ex eo Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque Henr. Spelmannum *Glossar.* & Jo. Seldenum *Prolegom. ad Historicos Anglicos* p. 44. nec non suprà voce *Judex*. In eodem Regno, *Servientes armorum*, Angl. *The Sergants of armes*, dicuntur hodie, qui robustiores ferunt ex argento baculos, interdum deauratos, coronâ & insignibus Regni in apice exornatos; ut qui non nisi jussu ipsius Regis vel Curiæ Parlamentariæ & Cancellarii vel Thesaurarii, atque hoc in gravioribus solùm negotiis, ablegantur. Olim vero quodnam eorum in Anglia ac Francia fuerit munus, pluribus exponit præfatus du Fresne *d. l.* ubi etiam *de Servientibus ad clavam, de Servientibus Curiæ, de Servientibus Hundredi*, aliis; item *de magnis parvisque Sergentiis*, pluribus agit. Dicti hi omnes à verbo *servire*: adeoque *Serviens* idem cum ministro & famulo est, tam in Foro, quàm Militiæ, unde Gall. *Sergeant* ortum &c.

SERVII & Chrovatæ, loca illa, quæ hodie *Servia* & *Croatia* dicuntur, occupârunt, A. C. 886. quô Ungarorum Scythica gens in Pannonia sedem fixit. Sigonius *l. 5. ad Ann.* 886. Constantinum Monomachum superârunt, A. C. 1042. sed victi sunt, à filio Calojohannis Emanuele A. C. 1149. Subacti postmodum à Carolo Hungariæ Rege A. C. 1310. Bonfin. *in Hist.* in potestatem concesserunt Amurathis Turcarum Imperatoris A. C. 1428. qui Georgium Serviæ Despotam socerum persequutus, Synderoviam, urbem ejus munitissimam cepit, filiis excæcatis & exsectis, ab eodem tamen cum copiis adventante victus, A. C. 1439. Laonic. *l.* 10. Leunclavius *Histor. Turc.* Illorum regiò *Servia*, quod vide.

SERVILE Supplicium, crux vide in hac voce.

SERVILIA, Græcè Σερβιλία, in *Cyzicenorum* Cysini Templi, quod matri Attali & Eumenis erat dedicatum, varias anaglyphas historias continentibus, cum Epigrammatis subjectis, mater dicitur Romuli & Remi: quod vix uspiam alibi occurrit. Salmas. *ad Solin.* p. 13. ubi verba ejus, *Martis geminos, & Rhea Sylvia* — vel *Ilia* exponit.

SERVILIA, mater M. Bruti, Julii Cæsaris adultera, cui sexagies sestertiorum gemmam mercatus est.

SERVILIA, Bareæ Sorani filia, Annio Pollioni nupta, sed, intra vicesimum ætatis annum, maritô in exsilium pulsô, viduata desolataque: hæc cultus dotales & detractum cervici monile venum dedit, ut posset Magos consulere, de incolumitate domus, & an placabilis patri Nero, an cognitio senatus nihil atrox afferret. Idcirco ab Ostorio Sabino accusata & à Nerone liberæ mortis permissa est. Tacit. *l. 16. Annal.* c. 30. 31. 32.

SERVILIA Lex, inter Agrarias lata est à P. *Servilio* Rullo Trib. Pleb. M. Tulliô Cicerone, C. Antoniô Consulib. ann. Urb. Cond. 690. *Ut, qui agri, quæ loca, quæ ædificia, aliudve quid quod publicum Populi Rom. factum esset L. Sullâ, Q. Pompejo Coss. id venderetur.* Item, *ut omnia venirent, de quibus vendendis S. C. facta erant M. Tulliô, Cn. Corneliô Coss. & ex pecunia agri in Italia emerentur, in quos coloniæ à Decem viris deducerentur: ut Campanus ager & Stellas publicus Populi Rom. divideretur, Capuam coloni adscriberentur* &c. Nam multa hujus legis capita fuisse hinc patet, quòd Cicero quadragesimum alicubi citat. Vide *Oration. contra Rullum*. Alia de Civitate, cujus auctor fuit *Servilius* Glaucias, quô annô incertum. *Ut si quis Latinus Senatorem Romanum accusando condemnavisset, is civis Romanus esset*, Asconius *in Orat. pro Scauro*. Vide quoque Ciceronem *pro Balbo*. Alia de Judicibus, quam rogavit Q. *Servilius* Cæpio Consul cum C. Atilio Serrano ann. Urb. Cond. 647. *Ut Judicia, quæ Lege Semproniâ ad solos Equites decurrerant, Ordini Senatorio communicarentur*: non multo post abrogata est, Tacit. *Annal. l.* 12. Fuit autem hâc Lege impar, ac minor numerus Senatorum quàm Equitum: quem paucis post annis Julia Lex æquavit. Alia de repetundis à C. *Servilio* Glaucia præfato lata, ann. Urb. Cond. 675. cujus fragmenta varia hinc inde apud Auctores dispersa, ex Sigonio in *Antiqq. Jur.* l. 8. c. 30. transtulit Rosin. Vide quoque cum c. 2. & 8. *ejusdem libri*.

SERVILII, à Servio denominati: gens Albæ primùm, dein Romæ nobilissima fuit: quæ in Urbem, Albâ dirutâ, commigravit. Hujus gentis cognomina fuerunt Priscus, Ahala, Axilla, Structus, Cæpio, Geminus, Pulex, Vatia, Isauricus, Casca, Fidenas, Tucca, Longus. Dictaturas gessit & ipsa magisteria E. quitum consulatusque complures.

SERVILII Vaciæ villa, *Senec. Lago della Colluccia Loffredo*, Lucus Campaniæ, cum ædificiis, in ora & Sinu Cumano, inter Linternum & Cumas propiores. Ubi olim Servilii ædes. *Servilius lacus S.* Pompejo.

SERVILIUS, vide *Quintus*. It. *Publius*, & *Spurius*.

SERVILIUS, accusator Mamerci Scauri, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 29. Dein, quia pecuniam a Vario Ligure omittendæ delationis ceperat, in Insulam, interdictô igni atque aquâ demotus est.

SERVILIUS, Historicus Latinus, Tacito *l.* 14. *Annal. c.* 19. laudatus. Item Consul, peste obiit cum Coll. Æbutio, An. 290. Urb. Cond.

SERVILIUS Asta, Conf. an. Urb. Cond. 866.

SERVILIUS Cæpio, cujus præcipuâ operâ Cæsar Bibulum impugnavit, eique filiam Juliam despondit: sed repudiatus paulo pòst, collocatâ Cn. Pompejo filiâ. Vide & *Cnæus*.

SERVILIUS *Fidenas*, vide *Quintus*.

SERVILIUS Geminus, vide *Cneus*. It. *Marcus*.

SERVILIUS Hala, vel Ahala, magister equitum, Labicanos, Æquosque Dictator vicit, an. Urb. Cond. 338. Sp. Melium ob regni affectati suspicionem interemit. Tandem custoditæ libertatis exilio pœnas pependit. Val. Max. *l.* 5. *c.* 3. Cic. *Orat. pro domo suâ* dicit, illum restitutum fuisse. Vide & *Cajus*, & *Quintus*.

SERVILIUS Isauricus, victoriis inclytus. *Servilius* Priscus, Dictator, Fidenatium urbem evertit, An. Urb. Cond. 319. Æquisque varia loca eripuit *Liv. l.* 4.

SERVILIUS Novianus, floruit sub Vespasiano Fabio *l.* 10. &c. laudatus.

SERVILIUS, prænomine Marcus, causidicus & Historicus insignis, moritur, Cajô Vipsaniô & Fontejô Consulib.

SERVILIUS Portius, vide *Cajus*.

SERVILIUS Priscus, vide *Ibid.* & *Quintus*.

SERVILIUS Silanus, Commodi jussu occisus, apud Lamprid. *c.* 7.

SERVILIUS Structus, *Ibid.*

SERVILIUS Tucca, vide itidem *Cajus*.

SERVIODUNUM, urbs aliàs Norici, nunc German. in Bavaria inferiori ad Danubium, 6. milliar. German. infra Ratisbonam in Ortum Passavium versus 10. *Straubingen*.

SERVITÆ, Ordo religiosus, in Communione Romana Florentiæ institutus, A. C. 1232. Videatur *Annunciata*. Item *Philippus Benizius*. Item congregatio, Massiliæ, A. C. 1257. Ordo *Servitarum*, seu servorum B. Virginis, Venetiis stabilitus, idem cum Annuntiat. Ordin. Ex hoc egregii Viri prodierunt, inter quos Frater Paulus eminet, velut inter ignes Luna minores, qui Reip. Venetæ jura, contra Paulum V. strenuè defenderat, postea aliquot vulneribus, per immissos percussores, tantum non occisus. Vide *Vitam ejus*, & voce *Paulus*.

SERVITIA, apud Spartian. *in Adriano*, *c.* 13. *Deinde a Cappadocibus Servitia castris profutura suscepit*: non sunt Castrenses ministri, qui in aula militabant, sed servi militares. Et quidem prioribus temporibus & stante adhuc disciplinâ, rari in Castris servi, nec nisi digniorum, Ducum Tribunorumque, erant. Postea vero, labantibus moribus, plures penè servi, quam milites, ita ut ne gregarius quidem ullus sine servo esset. Sallustius, *Bell. Jugurt. c.* 45. de Metello. *Ne lixæ exercitum sequerentur, ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum aut jumentum haberet.* At sub Imperatorib. passim suus cuique servus. *Calones* in Veteribus dicti, qui munus faciebant, vallum portabant, fossam ducebant, ut apud Florum *l.* 2. *c.* 18. legimus, ubi de Scipione disciplinæ militaris, apud Numantiam, correctore. Recentioribus *Galiarii*, Græcis etiam ævi γαλεάριοι, à *Galea*, quam portabant; & antiqua voce παιδὰς, quæ *puerum* & *catulastrum* significat. Quam in rem vide Salmas. *ad Spartian. d. l.* Aliud quid *Servitium* notat apud Juris Feudalis Doctores, ut videre est, apud Car. du Fresne *Glossar.* Apud Rei Monasticæ Scriptores, *missum* seu ferculum significat extraordinarium, quod Monachorum olim mensæ, in statis festivitatibus, apponebatur, vide Burchardum *de Casibus S. Galli c.* 7. &c.

SERVIUS Cornelius Dolabella, Conf. an. Urb. Cond. 838.

SERVIUS Corn. Maluginensis, Conf. an. Urb. Cond. 369. Alius Tribun. militum, an. Urb. Cond. 370.

SERVIUS Corn. Merenda, Conf. an. Urb. Cond. 470.

SERVIUS Corn. Orphitus, Conf. an. Urb. Cond. 803.

SERVIUS Corn. Rufus, Conf. an. Urb. Cond. 289.

SERVIUS Fidenas, vide *Titus*.

SERVIUS Fulvius Nobilior, Conf. an. Urb. Cond. 498.

SERVIUS Galba, Conf. à Lucanis comprehensus, operâ unius mulieris liberatur.

SERVIUS Honoratus, cognomine Maurus, Grammaticus celebris, seculô 5. an circa A. C. 410? Scripsit *comment. in Virgilium*, &c. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 2. *& l.* 6. *c.* 7. Gesner. *in Biblioth.*

SERVIUS Pictor, fil. Fabii Pictoris. Gesner. Voss. *l.* 1. *Hist. Lat. c.* 3.

SERVIUS Sulpitius Camerinus, Conf. an. Urb. Cond. 254.

SERVIUS Sulpitius Galba, prætor malè adversus Lusitanos pugnavit, an. Urb. Cond. 604.

SERVIUS Sulpitius Galba, Conf. an. Urb. Cond. 785.

SERVIUS Sulpitius Rufus, Conf. an. Urb. Cond. 397.

SERVIUS Sulpitius, dictus quoque Lemonia Rufus, Orator & JCtus sui ævi celeberrimus. Discipulus Lucilii Balbi, & Caji Aquilii Galli, imitator Q. Mutii Scævolæ, à quo his verbis ad Juris studium exstimulatus est: *Turpe est Patricio, & causas oranti, jus in quo versatur, ignorare.* Consul fuit, cum M. Marcello, ann. 703. prudentiæ non minus quam eruditionis laude inclytus. Scripsit de jure libros 180. Præceptor P. Alpheni Vari, C. Auli Ofilii, Aufidii &c. Ad Antonium, Mutinam tum obsidentem, pacis causâ missus, Obiit in itinere. An. 710. Urbi Cond. Cicero, A. Gellius, Pomponius, Forsterus *l.* 2. *Hist. Jur. Civ. c.* 42.

SERVIUS Tullus, Romanorum Rex sextus ac penultimus, successit Tarquinio Prisco, annô à mundo condito 3387. ante Christum Servatorem natum 575. Hic ex Ocrisia, nobili fœmina Corniculana, captiva tamen & ancilla, genitus est: cui adolescentulo dormienti caput ardere visum est, quod prodigium Tanaquil, uxor Regis Tarquinii Prisci, cum vidisset, eum inter liberos suos educavit: omen enim sic interpretabatur, fore aliquando ut imperaret; quod & contigit. Hic Tarquinii Prisci cum esset gener, eô mortuô, Rex à patribus, & à plebe designatur. Sabinos subegit, Vejentes fregit, montes Quirinalem, Viminalem, & Esquilinum Urbi adjunxit, fossas circum murum duxit: primus omnium censum ordinavit, rem saluberrimam tanto futuro imperio, ut inquit Livius, *l.* 1. *c.* 42. Sub eo Roma omnibus in censum delatis, habuit capita 84. millia civium Romanorum, cum his, qui in agris erant: occisus est 44. imperii annô, Ab Urb. Cond. 220. scelere generi sui Tarquinii Superbi, filii ejus Regis, qui ipsi successerat, & impulsu Tulliæ, filiæ suæ, quæ carpentô vecta super patris cadaver, consternatos equos egit. Vide Tit. Liv. *l.* 1. *dec.* 1. & Dionys. Halic. *l.* 4. Flor. *l.* 1. *c.* 6. ac Eutrop. *l.* 6.

SERUS, Indiæ extra Gangem fluv. *Ptol. Catamoran Mercatori.* Hodie forsan Pison in Quansia provinc. Sinarum. Serius autem fluv. amplus, qui aliàs *Catamoran* creditus fuit, hodie *Kiang* dicitur, *M. Martinio*, & Sinarum Imperium fere bifariam secat, *Baudrand.*

SERVUS, meliori olim apud Germanos conditione, quàm Romanos, vid. Tacit. *de Germ. moribus. c.* 25. Quatuor etiam in Saxonia olim & Frisia, Germaniæ regionibus, hominum genera fuisse deprehendimus, Nobilium, qui *Edhilingi*: Liberorum vel Ingenuorum, qui *Frilingi*: Libertorum vel Litorum, qui *Lazzi* vocabantur: atque Servorum. Apud Anglos verò & Werinos, ejusdem Germaniæ gentes, tres solum erant hominum ordines, Adelingorum seu Nobilium, Liberorum & Servorum. In lege Salica Nobilium nulla mentio fit, quia Nobilitatis tum ordo à plebe distinctus non erat, totô Francorum Regnô, in duos modo ordines, Clericorum & Laicorum vel Secularium, divisô. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall. in voce Rotomagus.* Erant autem Servorum apud Anglo Saxones & Normannos, quidam Prædiales, quidam Personales: hi ex more Romanorum, illi è Germanorum constituti. Personales, nihil proprii possidentes, dominis suis lucrabantur omnia, & ab eisdem alebantur. Prædiales, quamvis servilis erant conditionis, & originis, sua tamen ad arbitrium domini prædia possidebant & facultates, opera rustica & servitia sibi indicta per villas facientes, & Villani inde nuncupati. Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.* plura apud B. Rhenanum *Rer. Germ. l.* 2. tit. *Status Galliarum & Germaniarum sub Francis Regibus & Imperatorib.* ibique *Notas* Amplis. Ottonis, ubi is *de IV. Ordinibus, quibus prisci Germani inter se distincti fuere*: deque *tribus Servorum apud eos classibus, Fiscalinis, Ecclesiasticis & Mancipiis privatorum*, accuratè agit, Adde superiùs dicta, voce *Servi*. Nec omittendum, quod, uti olim apud Veteres, sic mediô quoque ævô, *Servi* venum exponebantur, cujus signum apud illos titulus collo appensus, apud istos ramus in capite, illorum pretium commune 20. aureor. ex *l.* 31. *D. de Minor.* istorum 10. auri libræ, apud Gregorium Turon. *Hist. l.* 2. *c.* 5. sol. 15. aut 25. in *L. Sal. tit.* 11. §. 5. Qua de re vide Car. du Fresne pluribus agentem *loco cit.* ubi inprimis *de Servorum medii ævi matrimoniis inter se & cum liberis hominibus, de eorundem statura, prole, bonis, successoribus*, varia eruditè congessit: aliquid etiam de *Servorum* apud Veteres pretio infrà, voce *Solidus*.

SERVUS DEI, scripsit seculo 5. contra illos, qui Christum in terris versantem, Deum Patrem vidisse inficiati sunt. Gennad. *de Script. Eccl.* Trithem. &c.

SERVUS Servorum Dei, titulus Pontificis Romani quem primus usurpâsse dicitur Gregorius M. ut Joannis Patriarchæ Constantinopolitani, qui se *Oecumenicum* jactabat, fastum retunderet, cognomentô hôc humilitatis plenô assumtô. Transiit postmodum ad Episcopos ac Patriarchas utriusque Ecclesiæ, Monachos etiam: item ad Reges Principesque, inter quos Adelfonsus Rex Hispan. A. C. 830. Henricus Imperat. A. C. 1041. Sancius Aragonum Rex A. C. 1070. aliis eô usi leguntur, ut pluribus videre est apud præfatum *Glossarii* Auctorem, ubi etiam de Ottone III. qui se *Servum Apostolorum* vocare solitus est A. C. 1001. & *Servis B. Mariæ*, seu *Servitis*, ordine in diœcesi Episcop. Massiliens. sub Augustini regula à Benedicto Massiliensi instituto A. C. 1257. postmodum abrogato in Synodo Lugdun. sub Gregorio X. quorum ædem Parisiis à Bonifacio VIII. datam Wilhelmitis, qui ab albis palliis vulgò *Blancmanteaux* fuerunt dicti, addit.

SERZMARAGDIA, haud dubiè Daciæ civitas legitur, in *Inscript.* Trajani Imperator. apud Cardinalem Barberinum, forte *Zermizirga Ptol.*

SESA, pater Abiæ, 1. Reg. *c.* 4. *v.* 3.

SESAC, Rex Ægypti, ascendit in Jerusalem, & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & universa diripuit, annô quintô regni Roboam. habebat Sesac in exercitu 1200. currus, equitum 60000. Vid. 1. Reg. 11. 12. 13. 14. *capp.* & 2 Paralip. 10. 11. 12. *capp.* Joseph. *Jud. Antiq. l.* 1. *c.* 7. *&* 8. Vide infrà *Sethosis.*

SESAC, fil. Bariæ. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 14.

SESACH, Rex Babylonis. Jerem. *c.* 25. *v.* 26.

SESAI, fil. Enac. Jos. *c.* 15. *v.* 14.

SESAMINÆ Phalanges, Σησάμινα φάλαγγες, Auctori *Peripli* nominatæ cum ebeni phalangibus, quid sint, quærunt eruditi, & inter hos Salmas. *ad Solin. p.* 1032. & 1033. Respondet Bochartus, in Arabum libris, memorari quædam ligna ebeno tam simi-

similia, ut illa pro ebeno nonnulli sumant. In his lignum *Siz*, vel *Siza*, à loco sic appellatum; & lignum *Sasem* vel *Semsem*, plur. *Semasim*, eôdem quoque nomine dictum, quô *sesamum*, quamvis ab hoc diversissimum. *Alcamus*: *Sasim arbor nigra, aut ebenus aut siz, aut arbor, ex qua fiunt arcus.* Damir c. de *Simsima*, de iis, qui in gehenna torquentur, *Exibunt*, inquit, *ex igne*, *post aliquam moram ---- tanquam ligna semasim*, i. e. pariter nigri, propter adustionem ex igne: in quæ verba Commentatores multa afferunt absurda. Sed peritiores agnoscunt, ligna *semasim* esse ebenina ligna, aut ebeno atrore similia, ita ut exusta videantur. Unde lux his Dioscoridis C. *de Ebeno*, Ἔνιοι δὲ τὰ σησάμινα, ἢ ἀκάνθινα ξύλα ἐμφερῆ ὄντα, ἀντὶ ἐβένου πωλοῦσι, *Quidam vero sesamina vel spinæ Indicæ ligna pro ebeno vendunt, ob similitudinem*: ubi *Marcellus Virgilius* συκάμινα, pro σησάμινα legit, quia *sesamum* nihil habeat commune cum ebeno. Sed neque sycaminus seu sycomorus, nisi quòd utrumque lignum est. Cave igitur, ne quidquam mutes. Aliud enim hic *sesamina*, quàm vulgo, nempe ligna arboris prædictæ, cujusmodi palangas, i. e. teretes baculos, unà cum ebeninis, ex Indiæ urbe Barygaris in Persidem afferri consuevisse, docet Auctor *Peripli* suprà laudatus. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. posterior. l.* 1. *c.* 20. De *Sesamo* verò, seminis condimentarii genere; de *Sesamo* agresti, quod aliàs *Cici*, item *Seseli*; de *Sesamino serto & placenta*, inter nuptiales Atheniensium ritus, de *Sesamino* tandem *oleo*, in regione Indica Syrastrene, ex vulgari herba sic dicta, confici solito, Salmas. *ad Solinum* ubi suprà, cui adde Plinium *l.* 18. *c.* 10. *l.* 23. *c.* 4. & quæ diximus retro ubi de *Nuptiis*. Addo saltem, antiquos dulciariis operibus, palati gratiâ, *sesamum* adspersisse. Unde Petronius, *melitos verborum globulos*, & *omnia dicta factave, quasi papavere & sesamò sparsa*: Oleô verò artus inunxisse Macedones, ad mitigandum frigus, uti est apud Curtium *l.* 7. *c.* 4.

SESAMUM, urbs Paphlagoniæ, in qua primus Phineus habitavit. *Steph.* Didymus insulam esse scribit.

SESAMUS, arx seu oppid. Paphlagoniæ, à Milesiis conditum, postea unus ex pagis, è quibus civitatem Amastrim composuit Amastris Dionysii Tyranni Heracleæ uxor, Darii à Macedone Alexandro M. devicti, soror. Salmas. *ad Solin. p.* 889.

SESAN, fil. Jesi. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 34.

SESANA, urbs Briæ, in limite Campan. 13. leuc. à Trecis in Boream, versus castrum Theodorici 10. haud pridem fœdô conflagravit incendiô; *Sesanne en Brie.*

SESANIUM, oppid. inter Ægyptum & Æthiopiam. *l.* 6. *c.* 29.

SESARETHUS, urbs Taulantiorum. *Steph.*

SESATÆ, Sinarum gens, corpore curtô, latâ facie, atque simâ. Arrian. *in Periplo.*

SESELIS, apud Cicer. *de Nat. Deor. l.* 2. Plin. *l.* 8. *c.* 32. *l.* 20. *c.* 5. Ælianum *Varior. l.* 12. *c.* 35. Dioscoridem *l.* 3. & Avicennam *Can. l.* 2. herba est, quâ paulo ante partum cervæ purgantur, faciliùs sic enixuræ. Sed & eædem *seselim* à partu edunt, ut locis purgandis utilem, Plin. *l.* 8. *c.* 32. & 25. *c.* 8. Quæ duo loca sollicitanti Salmasio, cui non videtur verisimile, eâdem herbâ pasci & ante & post partum cervas, opponit tertium Aristotelis *Histor. Animal. l.* 9. *c.* 5. eadem docentis, Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 17. quem vide.

SESINDIUM, urbs Indiæ. *Steph.*

SESITHACUS, Ægemeri fil. Cheruscorum ductoris fuit. Strabo *l.* 7.

SESMARUS, vulgò SISMER, fluv. Belgii, per Trajectense territorium in Mosam apud Traject. superius influens, *Baudr.* Gall. *le Semoy*: oritur non longè ab Orolauno, ex lacu quodam, & Verô *Vir* fluv. receptô, Chiniacum, Catœcongidunum *Cugnon*, Bublionem *Bouillon*, Orcimontem *Orchimont*, alluit, & infra Lavandiam Abbatiæ titulô illustrem in Mosam evolvitur: Vales. *Notit. Gall.*

SESOCHRIS, Rex Thinitarum XVI. post Nepher-Cherem, ante Chenerem: præfuit annos 48. Ejus proceritas fuit pedum quinque, latitudo trium. Ex Manethone *Marshamus.*

SESONCHIS, unus ex partiariis Ægypti, post lapsam Thebanorum Regum potentiam, Regulis, regnum suum sedemque in urbe Bubasto, Nomi Calasiriis assignati capite, erexit, eôdem tempore ejus Stephanathis Saiticam Dynastiam orsus est. Regnavit an. 21. eum excepit Osorthon, quem vide, ut & voce *Bubastus.*

SESONCHOSIS, Rex inferioris Ægypti VIII. post Serapim, præfuit annos 49. dum Soris & Suphis I. Memphitis imperarent. Ei successit Amenemes. Joh. Marshamus *Can. Chron.* ex *Syncello.*

SESONCHOSIS, Rex Ægypti, universi mundi dominus, cupiditate ductus ex vero cognoscendi, qui primi mortalium extitissent, nutricem excisâ linguâ cum infante inclusit. Quô, post aliquot annos, clamante *Bec*, quod Paphlagonum linguâ panem significat, hos antiquissimos esse collegit. Schol. Aristoph. *Nub.* Vide *Sesostris.*

SESOSTRIS, Ægyptiorum Rex, Mœridis successor, juxta quosdam, sed non sine insigni parachronismo, qui subactis maris Rubri accolis, alveum navigabilem conatus est ducere ex Nilo in mare Rubrum. Idem & Colchos ac Getas creditur subegisse, regionesque omnes à se subactas trophæis insignivisse; quorum aliquot se vidisse testatur Herodotus muliebri pudendo insculpta. Hunc aliqui *Sesosim*, nonnulli *Vexorem* vocant. Σεσόωσις sanè à *Diodoro* passim appellatur, sed & aliis quibusdam sic dicitur; aliquibus *Sesonchis*, vel *Sesonchosis*. Vide Scholiasten *ad l.* 4. *Apollonii Rhodii.* Sed miror equidem, quòd Justinus dicat *l.* 2. *c.* 3 Scythas vicisse *Sesosin*, sive *Sesostrim* & in regnum repulisse, cùm Herodotus, Dicæarchus, Diodorus Siculus, & alii prodiderint hunc Scythas subegisse, omniumque quas adierit gentium fuisse victorem. Trogum tamen secutus est Val. Flac. *l.* 5. *Argon. v.* 418.

> ---- *Ut prima Sesostris*
> *Intulerit rex bella Getis, ut clade suorum*
> *Territus hos Thebas, patriumque reduxerit ad amnem,*
> *Phasidis hos imponat agris, Colchosque vocari*
> *Imperet.* ---- ----

A quatuor captivis Regibus vehi se passus, horum unum monitorem habuit; Mæcenas literatorum, columnas & trophæa hieroglyphicis ornavit notis, quarum una Romam devecta, in Martio campo erecta est. In hoc ænigmatum genere Bos terram, Oculus Justitiam, Sceptrum Solem &c. significavit. Herodot. *l.* 2. Diod. Sic. *Bibl. Hist. l.* 3. Strabo *l.* 16. *&c.* Ab eodem Σεσώστριος χάραξ multis locis impositum nomen, ubi castra fuerat metatus. Strabo *loc. cit.* Διὸ καὶ πολλαχοῦ Σεσώστριος χάρακες προσαγορεύονται, καὶ ἀφιδρύματα Αἰγυπτίων θεῶν ἱερῶν. Quam in rem vide Salmas. *ad Solin. p.* 1202. & suprà in vocibus *Castra*, *Charax* &c. nec non infrà, voce Sethosis.

SESQVISEPARATISTÆ, dicti quidam ex Independentibus, Anglicâ Sectâ, qui primâ fronte profitentes se dimidiâ parte inclinare ad Brownismum & veritatem consistere in medio, inter Brownismum & Presbyterianismum: revera tamen in præcipuis non tantùm consentiunt, cum Brownistis, sed & eorum furores exsuperant, ut pro Semiseparatistis inveniantur *Sesquiseparatistæ.* Independentes enim hi secessionem ab Ecclesia faciunt propter longè leviores causas quàm Brownistæ, ut qui offendebantur Episcopis, Liturgiâ & impietate. At illi, his omnibus sublatis, tamen se separant. Confitentur Ecclesiam Anglicanam esse veram Ecclesiam, & Ministerium ejus verum ac salvificum, & tamen communionem cum illa abnuunt. Docent, *quicunque non amplectuntur Independentiam, utcunque cætera pius & orthodoxus sit, non admittendum ad S. Cœnam, nec frui debere privilegiis Ecclesiæ.* Neminem admittunt pro membro, nisi qui totam Congregationem convincat de *sua reali regeneratione* &c. Reliqua illorum dogmata & formam Ecclesiæ, describit Georg. Hornius *Historiâ Eccl. Nov. Test. Period. III. artic.* 3. §. 49. & *seqq.* quem si placet vide.

SESSELIUM, oppid. amplum ad Rhodanum, partim in Bressia, & tractu Verromea, Francici juris, partim in Genevensi Ducatu Sabaudici juris ab A. C. 1600. *Seissel*, 5. leuc. ab Annecio in Occasum, totidem à Bellico in Boream.

SESSIA, Dea sationis, apud Romanos, cujus simulachrum in Circo fuit, Plin. *l.* 18. *c.* 2. Unde Tertullian. *l. de Spectac. Delphinos Neptuno vovunt columnæ. Sessias à sementationibus: Messias à messibus: Tutelinas à tutela fructuum sustinent.* I. e. columnæ quæ insculptos habuere Delphinos sustinebant Sessias, Messias & Tutelinas, i. e. simulachra harum Dearum: quas numero plurativô effert, velut innuens, tot Deas esse *Sessias*, quot sationes &c. Eadem cum *Seja* Plinii *d. l.*

SESSIONIS honor, oblatus antiquitus adventantibus, memoratur Homero, *Il.* ψ. v. 201.

> ---- ---- Θεῦσα δ' Ἶρις ἐπέστη
> Βηλῷ ἔπι λιθέῳ. τοὶ δ' ὡς ἴδον ὀφθαλμοῖσι
> Πάντες ἀνήϊξαν, κάλεόν τέ μιν εἰς ἓ ἕκαστος.
> Ἡ δ' αὖθ' ἕζεσθαι μὲν ἀνήνατο. εἶπε δὲ μῦθον,
> Οὐχ ἕδος· εἶμι γὰρ αὖτις ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥέεθρα.
>
> ---- ---- *Currens autem Iris adstabat,*
> *Limine in lapideo. Hi autem cùm viderunt oculis,*
> *Omnes assurgebant, vocabantque eam ad se unusquique,*
> *Illa autem sedere renuebat dicebatque verbum,*
> *Non sedes. Ibo enim statim ad Oceani fluenta.*

Sic apud Statium *Theb. l.* 2. *v.* 151. senior Talaonides, Dircæusque & Achelojus Heros, venientes ad Adrastum,

> ---- ---- *postquam mediis in sedibus aulæ*
> *Congressi, inque vicem dextras junxêre locumque,*
> *Quò serere arcanas aptum, atque evolvere curas,*
> *Insidunt.* ————

honorem *sessionis* illis offerente & participante Rege, ad quem locum vide *Animadversiones* Casp. Barthii. Livia verò, Augusti animum à gravioribus suppliciis avertere cupiens, inter leniores malorum pœnas, ἕδραις ἀτίμοις καὶ στάσεσιν ἐπονειδίστοις, *sessionibus inhonestis, & stationibus ignominiosis*, eum uti monet, apud Dionem *l.* 55. de quibus vide Casaubon. *ad Aug. Suetonii c.* 24. At *Sessionum* dies, in Jure dicuntur, quibus Prætor sui copiam facit, Jo. Calvin. *Lexic. Jurid.* Apud Græcæ autem Ecclesiæ Scriptores, Καθίσματα, *Sessiones*, dicuntur sectiones Psalterii, de quibus vide aliquid suprà, vocibus *Acathistus*, & *Psalmi*: plura verò apud Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Κάθισμα.

SESSITES, fluv. Gall. Cisalpinæ per agrum Vercellensem in Padum influens: vulgò *Sessia.*

SESTERTIUM, locus extra Romam, ubi cruces, patibula defixa, aliaque ad supplicia plebis. Huc abjiciebantur eorum capita, qui Cæsarum jussu suppliciò afficiebantur. Plut. *in Galba.* Quartô ab urbe milliariô videtur, ex D. Cypriani vita. Sed sic Lipsio ad Taciti *l.* 15. *c.* 60. dictus est, quià semitertiô ab urbe milliari fuisse creditur extra portam Esquilinam. Meliùs *ad Sestertium*, Gronovio. Ita enim Commentator Horatii Cruquianus: *Hinc Æsquilina porta Romæ dicitur* ad Sestertium: *ubi certus erat locus sepulchrorum* &c. Nempe *milliare*, vel *lapidem*. Cicer. *Bruto*, *Cùm plebs prope ripam Anienis ad tertium milliare consedisset.* Corn. Nepos. *Attico*, c. ult. *Sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapidem.* Et pari ellipsi, Itinerarium Antonini Aug. *Ad tricesimum M. P. XXX. ad centesimum M. P. X.* passimque: ubi & multas appellationes locorum, cum eadem præpositione notabis: *Ad septem fratres, ad Mercurii, ad Draconem, ad Turres, ad Columnam.* Similiter

Tacit.

Tacit. *Histor. l.* 2. *c.* 24. *Ad duodecimum à Cremona ferocissimos auxiliarium componit.* Plutarchus ergò, qui præpositionem *in Galba* omisit, Græcos imitatus dicitur Joh. Friderico Gronovio, *de Pecunia veteri l.* 1. *c.* 3.

SESTERTIUM, omne id, quô continentur duo integra & unius dimidium. Unde *Sestertius* nummus, quòd ad binas æris libras vel duos asses complecteretur & unius dimidium; quod & nota ejus *HS.* ostendit, quæ nihil aliud, quàm *dupondius & semis* fuit, uti docet Flavius Sosipater *l.* 1. Et *Sestertium*, in neutro, subintellige *argentum*, pro pecunia signata, semissem tertium pendente, seu duas libras & selibram ponderis explente. Id enim cœptum in Foro vocari *Sestertium*, nudè & sine adjectione substantivi, quum jam nemo ignoraret, quid sub hoc indefinito intelligeretur. Quoniam autem argenti libra 400. duæ & selibra 1000. æstimabantur nummis sestertiis, palàm est, hôc vocabulô Romanos prius uti potuisse, quàm ad hanc summam nominandam perventum esset. Nec tamen statim pro hac ipsâ summa singulare placuit, sed, in duplicata hac summa, inceperunt dicere, *bina Sestertia*, pro duobus millibus nummum: ubi *pondera* commodè, cùm *argenta* non possent, intelligebant (nam argentum & pondus argenti idem.) Sic *tria Sestertia*, sic *decem*, sic *centum*, usque ad *nongenta nonaginta novem.* Quod sequebatur, *mille Sestertia*, reprobatum; non quia perspicue dici non posset, sed quia, si reciperetur, videbatur eôdem vocis sensu & *duo millia Sestertium*, *tria millia Sestertium* &c. analogia sancire. Intercessit fuga sermonis ambigui, qui cùm vitari non posset in his, si pro tot millibus ponderum bilibrium & semissium, in nummorum ampliore summa, valerent, quæ eadem prorsus figurâ, iisdem literis, eôdem sonô, pro tot millibus singulorum *nequiorum* sive nummorum jam recepta erant, adeò ut solo numerô *duo millia*, *tria millia*, non alia significarent; hoc ambiguum nunquam sermonis ne incurrerent, & hæc & radicem eorum, *mille Sestertia*, exstirpârunt, & dilatum adhuc ad partes vocarunt *Sestertium.* Hoc singulare, in gradibus illis, quæ explicandæ erant, summis, figi & augeri non poterat, nisi per adverbium, neque enim in nominibus invenitur vox numerum significans tam magnum, nisi in forma declinandi plurali. Adverbium igitur illud erat unicum *Millies*: nam *Millies Sestertium* suâ naturâ & sine figura est idem, quod *Mille Sestertia*, nempe 2500. libræ, seu 1000000. *Sestertium.* Sed hoc *Millies*, plenius & figuratum, vindicavit expeditior ratio computandi ad longè altiorem gradum, nempe millies centena millia nummum Sestertium, subjecitque bellè atque eleganter factum iri, si in præsentia eô propriô & simplici abstinerent, idque resolverent ac circumscriberent, per *decies centies*; si deinde, ex hoc *decies centies*, alterum, quod toties repetendum erat, (nimir. *centies*) omitterent, inque omnibus adverbiis, quibus *Sestertium* multiplicaretur, ad ingentes illas nummorum summas demonstrandas, intelligerent. Idque sedit ac placuit: atque inde omnes hi numerandæ pecuniæ gradus, qui sunt à *decies* usque ad *millies*, ut nunc accipiuntur, illis processêre: quibus omnibus caruissent, nisi *decies* illud *Sestertium* fuisset inventum. Pro quo denique *Decies* solùm remansit. Brevitas itaque commoditasque ratiocinandi effecit, ut pro numero argenteorum nummorum ponerent vocabulum pondus argenti, quod æquabatur tot nummis, significans, *duo Sestertia*, pro 2000. nummum & deinceps: cogitarent dein pro 1000000. nummum *mille Sestertia*; rursum pro hoc *millies Sestertium*: denuo pro millies Sestertium in hoc gradu, *decies centies Sestertium*: denique ex decies centies Sestertio, pro his omnibus, pronuntiarent *decies Sestertium* & *Decies.* Sic *Vicies*, sumi cœpit, pro *vicies centena millia Sestertium*: *Tricies*, pro *tricies centena millia*, & sic consequenter, usque ad *millies*, pro *millies milliena millia Sestertium*: hodiernæ monetæ secundùm computationem Pascasii Grosippi, Milliones 2. & dim. seu 25. Tonnæ auri. *Quater millies* HS. *Milliones* 10. &c. E quibus facilè intelligere est, quid sibi velit, *Syngrapha Sestertii centies*, apud Cicer. *summa Sestertii decies & ratio Sestertii quadragies*, apud Liv. *summa Sestertii tricies & centies & quinquagies Sestertii summa*, apud Val. Maximum: *Liberalitas Sestertii decies*, apud Tacitum *Cœnare sestertio centies*, apud Plinium & Suetonium: *Margarita empta sexagies Sestertio*, apud Sueton. *emi posse Sestertio tricies*, apud Plin. *vivere in Sestertio centies*, apud Corn. Nepotem & Senecam *divitem avarum*, *Sestertii millies servum*, apud eundem Senecam: *Sestertium bis & vicies*, apud Cicer. iterum *Famil. l.* 5. *Ep.* 20. Vide Joh. Fridericum Gronovium *de Sestertiis* seu *subsecivorum Pecuniæ vet. Græcæ & Romanæ libb.* 4. *cum Addendis.* & suprà IS. Quæ autem Antiqui *Sestertia* dixerunt, posteriores *Folles* nominare cœperunt, ut ex eodem discimus *l.* 2. *c.* 6. Vide proin hanc vocem *suô locô.*

SESTHENIUM, nomen Basilicæ cujusdam Constantinopolitanæ, S. Michaeli dicatæ, apud C. Macrum *Hierolex.*

SESTIÆ Aquæ, oppid. in Narbonensi provinciâ, hodie Provinciæ caput, vulgò *Aix.* Aliqui *Sextiæ* scribunt.

SESTIANÆ Aræ, vide *Aræ.*

SESTIARIA Extrema, promontor. Mauritaniæ Tingitanæ, in ora maris Mediterranei *Ptol.* Hodie *Gebba*, promontor. provinc. *Errifit*, in regno Fezzæ, cum oppidulo cognomine prope Sinum parvum Meremmæ.

SESTINATES, Umbriæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 14.

SESTIUM, urbs in mediterraneis Oenotrorum. *Stephan. Saracino Barrio.*

SESTIUS, civis Roman. à quo *Sestiæ aquæ* dictæ. Fuit & scriptoris nomen, item medici, quorum meminit. Plin. *l.* 20. *c.* 21. *Sextius* fortè magis aptè scriberetur. Vide & *Publius.*

SESTRUM Magnum seu *Lutena*, locus Guineæ, in ora littorali Maleguettæ, cum portu capaci. *Paris* etiam Gallis. Ibi enim A. C. 1366. Galli Deppenses castrum, cum colonia, excitârunt, quæ postea lapsu temporis ab iis derelicta, Ibi oppid. amplum cum fluvio cognomine.

SESTUM, pagus Ducatus Mediolanensis ad lacum Verbanum, ubi Ticinus ex eo effluit: cum titulo Ducali gentis Spinulæ. Vide *Sextum.*

SESTUS, seu SESTOS, vulgò SESTO, urbs Europæ in littore Thracio, ab Abydo Asiæ urbe Hellesponti angustiis dirempta, Herûs & Leandri amoribus nobilitata. Lucanus *l.* 2. *v.* 674.

> *Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo.*

Musæus:

> Σηστὸς ἔην καὶ Ἄβυδος ἐναντίον, ἐγγύθι πόντου
> Γείτονές εἰσι πόληες. ———

Solinus *c.* 15. *Omnis magnus Hellespontus stringitur in stadia septem, quibus ab Europa Asiaticam plagam vindicat. Hic quoque urbes duæ, Abydus Asiæ est, & Sestus Europæ.* Seneca in *Thebaide Actu* 4. *v.* 610.

> *Hinc quà relinquit nomen Ionii maris,*
> *Fauces Abydi Sestos opposita premit.*

Dionysius *in descriptione Orbis v.* 515.

> ---- ---- Ὕδωρ Ἀθαμαντίδος Ἕλλης,
> Σηστὸς ὅπη καὶ Ἄβυδος ἐναντίον ὅρμον ἔθεντο.

Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Hellespontus septem stadiis Europam ab Asia dividens, quatuor illic inter se contrarias urbes habet: in Europa Callipolin & Seston; in Asia Lampsacum & Abydon* Xenophon 8. stadia videtur asserere: Διαβὰς καὶ εἰς Σηστὸν καταντικρὺ ὄντα Ἀβύδου, καὶ ἀπέχοντα οὐ πλεῖον ὀκτὼ σταδίων. Sic ille *l.* 4. *rerum Græcarum.* Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 2. *Est & Abydo objacens Sestus, Leandri amore pernobilis. Est ea regio, in qua Persarum exercitus divisas spatiô pelagoque terras ausus pontibus jungere.* Vide *Abydus. Nic. Lloyd. Baudrando* est arx Thraciæ, in Chersoneso, ad Hellespontum, contra Abydum arcem Asiæ, Turcis *Bogazassar*, i. e. maris angustiæ: sic enim illi talia loca vocant, uti Europæi *Dardanelli.* 130. mill. pass. à Byzantio in Meridiem Chium versus paulò plus.

SESUVII, populi Galliæ Celticæ Cæsar, *l.* 3. *Bell. Gall. c.* 34. quorum urbs *Exisais*, teste *Mariano* in provincia Turonensi. Aliis autem *Seez* urbs Episcopalis in Normannia sub Archiepiscopo Rhotomagensi. *Baudrando* melius *Sessui* fuêre, ubi hodie Sagiensis Diœcesis. Horum urbs fuit Sessui seu Vagoritum Sessuorum, *Seez*, Sagium recentioribus, vide *Sagium*; Episcopalis sub Archiepiscopo Rothomagensi.

SETA, Rhesi soror ex Marte *Bithyn* filium suscepit, à quo *Bithyni* Thraciæ populi. *Steph.*

SETA, quasi *chæta* à Græco χαίτη, pilus durior, equorum, suum, aliorumque quorundam animalium: cujus olim in nectendis corollis usus fuit, loco philyræ aut fili. *Sic Indicos Reges quoddam genus gemmarum fingere in longissimos cylindros; eosque perforatos elephantorum* setis *subligantes monilia habere*, ait Solin. *c.* 55. ad quem locum vide Salmas. In cribris item. Vide ibi: Lyra insuper. Alium earum usum indigitat Varro *de L. L. l.* 6. ubi ad ea operum minutalia, qualia fuêre formicæ ex ebore Callicratis aliaque, faciliùs cernenda, *setas* nigras admoveri consuevisse, quò candor eboris, oppositô setarum nigrore, oculorum aciem magis adverteret, tradit. Vide eundem Salmas. *ibid. p.* 46. &c. At Recentiores etiam pro serico *setam* dixêre; quæ vox in Germanica lingua hodieque hæret, Idem *ad Vopisc. in Aureliano. c.* 45. De *setis* è fronte victimarum evulsis & in ignem conjectis in Sacris Gentilium, vide Meursium *ad Lycophr.* ubi ἀπαρχαὶ propriè Græcis dictas esse, notat: & suprà aliquid voce *Pilus*, *interjectum*, *Prima libamina.*

SETABICULA, oppidul. Contestanorum, hodie *Alzira*, castrum regni Valentiæ, ad Suctonem flu. 3. leuc. à Setabi in Boream, paulò plus ab ora Suctonensis. Sin. 13. ab Alone in Septentrionem.

SETABIS, oppid. Hispan. inter Carthaginem, & Saguntum in loco celsô situm. Silius *l.* 16. *v.* 474.

> ---- *Excelso nutritum colle creârat*
> *Setabis.* ---- ----

In Strabone *l.* 3. scribitur Σίταβις, in *Ptol.* Σαίταβις cum amne cognomine, & vicinâ Sætabiculâ. Nomen factum esse suspicatur Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 35. ex שתי בוץ *Seti-buts*, i. e. *stamine*, vel *telâ byssi*, quæ ibi texebatur. Catullus, *Epigr.* 12. *extr.*

> *Nam sudaria Setaba ex Iberis*
> *Miserunt mihi munera Fabullus*
> *Et Verannius.*

Silius *l.* 3. *v.* 373.

> *Atque altrix celsâ mittebat Setabis arce,*
> *Setabis & telas Arabum sprevisse superbas,*
> *Et Pelusiacô filum componere lino.*

Agrum habuit sibi propinquum nomine *Spartarium*, à *sparto* lini genere, sive junci. *Strabo* siquidem χοινώδη, i. e. *juncarium* interpretatur. *Nic. Lloyd.*

SETÆ, Indiæ populi argenti ditissimi. Plin. *l.* 6. *c.* 19.

SETÆUM, regiuncula in Magna Græcia inter Sybarin & Thurios, ubi *petra Setæa Lycophroni*, teste Barriô. Vide *Steph.*

SETANTIORUM Portus, *Winandermere*, teste Camdenô, portus Albionis in ora Angliæ occidua, inter Walliam & Scotiam, Devæ, seu Cestriæ urbi finitimus. *Camdeno* tamen videtur pro λιμὴν *portus*, λίμνη *lacus* legendum apud *Ptol.* & *Winander mere* designari paludem in agro Lancastrensi, à Cestria ad 6. mill. pass.

SETEIA, vulgò DEE-MOUTH Camdeno, æstus seu fluv. Albionis, in ora Angliæ & Walliæ, inter Belisamam & Tisobim fluv. Aliis *Mersey*, apud quem *Lerpool*, vel *Leverpool*, oppid. & portus in Comitatu Lancastrensi.

SETELSIS, Jaccetanorum in Hispania Tarraconensi urbs. *Ptol.* *Ostalric Marinæo*, oppid. Cataloniæ, ad Torderam amnem. Alus fuit, ubi hodie *Urgel*, seu *la Ciu de Urgel*, urbs Cataloniæ, ad Sicorim fluv. Episcopalis sub Archiepiscopo Tarraconensi. Vide *Urgela*.

SETH, fil. Adam, natus A. M. 131. pietatis paternæ imitator, caput familiæ sanctæ. Pater Enosi, Obiit A.M.1042. Hunc Astrologiæ arcana duabus columnis inscripsisse, Joseph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 2. refert, quod tamen alii merito explodunt: Cur enim non potius veræ religionis principia in hisce monumentis posteritati tradidisset. Gen. *c.* 4. *v.* 25. Latinè *positus*, vel *posuit*. Vide Joseph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 3 & Suidam in Σὴθ. Scribendi verò is artificium mirabile vel ipsus invenit, vel à Patre inventum jam ac constitutum accepit atque ad posteros propagavit. Vide Voss. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 9. & Hornium *Histor. Philos. l.* 7. *c.* 2. *ubi de columnis ejus disputat.* Hic caput fuit *Sethitarum*, Cainitis oppositorum, de quibus diximus aliquid suprà, in voce *Cham*: de cultu ejus vide aliquid infrà, voce *Seraut*.

SETHAR, nomen ducis. Esther. *c.* 1. *v.* 14.

SETHENES, Thinitarum in Ægypto Rex XIII. ante quem Tlas præfuit, post eum Chæres. Regnavit ann. 41. dum Biyris in Thebaide rerum potiretur, & Saophis: circa tempora Isaaci Patriarchæ. Marshamus ex *Manethone.*

SETHIANI, vel SETHINIANI, Hæretici, à Valentino oriundi. Duos Angelos creatos fuisse, Cainum & Abelem, hócque occisō, supremam virtutem Sethum ex puro semine voluisse concipi, ut reliqui duo Angeli virtute orbarentur, docuerunt. Addiderunt, Angelos inter se commixtos diluvium attraxisse, irrepsisse tamen & in arcam aliquid malitiæ, unde peccatorum origo. Hi libros scripserunt complures, sub Sethi nomine, ut & aliorum Patriarcharum. Jesum Christum crediderunt aut Sethum fuisse, aut Vicarium ejus esse. Tertull. *de præscr. c.* 47 Iren. *l.* 1. *c.* 7. *& seqq.* Epiphan. *hær.* 31. *&c.*

SETHIM, tractus Palæstinæ seu Arabiæ petrææ in finibus Moabitarum trans Asphaltitem lacum Liviadi oppid. finitimus, inde 6. mill. pass. Sic hodie.

Reges Ægypti.

SETHON, Vulcani Sacerdos, post Anysin, vel potiùs cum illo, in illa tum Ægypti πολυκοιρανίῃ, quæ, post Thebanorum Regum collapsam in Asia potentiam, exorta est, regnavit, Herodot. *l.* 2. *c.* 141. in Arabicis Ægypti inferioris partibus. Reges autem è Sacerdotibus eligi usitatum erat. Vidit hujus Regis, *murem manu tenentis*, statuam Herodotus præfatus, quód Rex hic, à Calasiriis desertus, & in oppid. Pelusio à Sennacheribo Assyriorum Rege obsessus, ope *murium*, pharetras, arcus, & scutorum hostilium habenas ambedentium, liberatus esset, *Ibid.* Sterit autem hoc simulachrum in templo Vulcani, cum Inscr. *In me quis intuens pius esto.* Quo de pietatis symbolo, vide pluribus differentem Marshamum *Canone Chron. Sec. XVII.*

SETHOSIS, Josepho *contra Apion*, qui *Sesostris* Herodoto *l.* 2. *c.* 131. & *Sesoosis Diodoro*, Thebanorum Rex LV. patri Amenophi III. ultimo eorum temporum, quæ Sacerdotibus Ægyptiis *ingloria* ferebantur, apud Diodorum *Sic. l.* 1. successit. Hactenus enim Ægyptiorum res gestæ adhuc fuerunt tenues admodum, & stylō Historicō parùm dignæ; imbelles illi primis seculis mollibus vacârunt studiis, & præter Regum nomina, ac mirandas Pyramidum moles, nihil posteris reliquerunt. Secundi intervalli tempora Extraneorum tyrannide & cladibus domesticis diu infelicia fuerunt, donec Thebani expulsis tandem Pastoribus totius Ægypti Monarchiam paulatim adepti sunt. Sed neque post recuperatam Ægypto libertatem, Regum reliquorum ulla claritudo, Herodotus *d. l.* Unde Diodorus, *Regnâsse ferunt Menis posteros LII. annos plus MCCCC. à quibus nihil actum est literis dignum*, *l.* 1. Donec *Sethosis* successit, qui, Ægyptiorum imperium longè latèque propagando, *ἐπιφανεστάτας καὶ μεγίστας τῶν πρὸ αὐτοῦ ἐπετελέσατο πράξεις*, *Res illustrissimas & usque ad id tempus maximas gessit*, Idem *ibid.* Ejus vero ætas Græcis omnino incognita, in Sacris Hebræorum *διηγήσεσι* conservata est. Josephus enim, ubi Hierosolyma à Sesaco Ægypti Rege capta narrat, Herodotus, inquit, *illius res gestas ascribit Sesostri*, *Antiqq. l.* 8. *c.* 4. Nempe, qui Græcis *Sesostris*, idem Ægyptiis *Sethosis*, Hebræis *Sesac* vocatus. Hic itaque à patre cum exercitu missus Arabiam, dein maximam Africæ partem perdomuit, adhuc admodum juvenis. Lucan. *l.* 10. *v.* 276.

Venit ad Occasum, mundique extrema Sesostris.

Patre defunctō, instinctu filiæ Athyrtes, fœminæ sagacissimæ, totum terrarum orbem sibi subjicere proposuit: aggressusque primò Æthiopas terrâ marique (cùm hactenus Ægyptii superstitione insolitâ à mari abstinuissent) illos subjugavit; ex Austro reversus in Asiam expeditione susceptâ, Ægyptiaci in Asia Imperii *primus* Auctor fuit: ante quam nullus Ægyptiacæ historiæ nexus est cum rebus extraneis. Vetustiores Ægypti Reges (quibus cum Patriarchis & Israëlitis res erat) communi *Pharaonis* vocabulō nuncupantur, nec quidquam inde certi est colligere. *Sesac* Ægyptiorum Regum primus in Sacris literis propriō nomine designatur; 1. Regum *c.* 14. *v.* 25. Subegit autem totam Asiam, nec illas solùm terras, quas Alexander M. postea occupavit, sed etiam gentes, quas ille non adivit. Transiit enim Gangem fluv. & Indiam permeavit totam usque ad Oceanum, Diodor. *ibid.* Etiam Istrum fluv. transiisse refert *Herodotus*, probatque ex *stelis* ibi positis: in talibus enim apud gentes pugnaces, pudendum *viri* posuit, apud ignavas & timidas, *fœminæ*; cujusmodi cippum in Judæa quoque, Rehoboamo se *ἀμαχεὶ* dedente, positum fuisse, idem tradit *ibid. c.* 106. In Asiam ex Europa reversus egregia dominii sui monumenta illic reliquit: inter quæ duarum statuarum hujus viri ex petris sculptarum, cum Inscr. *Ἐγὼ τήνδε τὴν χώρην ὤμοισι τοῖς ἐμοῖσι ἐκτησάμην*, *Ego regionem hanc meis humeris obtinui*, idem *ibid.* meminit: Eādem expeditione coloniam Scytharum in Parthiam, & Ægyptiorum in Colchidem deduxit: & ex his longinquis ejus itineribus enatum est *Geographiæ* studium, cui deinceps *Ἱερογραμματεῖς* Ægyptii operam impensè dederunt. Novem sic annis exactis in Asia, perfidiâ fratris Armais, quem interea Ægypto præfecerat motus reditum in patriam acceleravit, sumptâque de eo ultione, pacis artibus totum se dedidit. In omnibus Ægypti urbibus *Templa* exstruxit, ingentibus donariis Templum *Vulcani* inprimis in urbe Memphi locupletavit; *Obeliscos* duos erexit, quorum alterum Augustus postea Romam translatum in Campo Martio statuit, Plin. *l.* 36. *c.* 9. Ægyptiorum *militiam* ordinavit, commilitonibus suis *Feuda* militaria concessit, Ægyptum in *Nomos* divisit, aliaque fecit, *ut omnes, qui unquam cum imperio fuerunt, tàm rebus bellō gestis, quàm magnitudine numerōque donariorum, & operibus in Ægypto editis, superâsse videretur*, Herodot. *ubi suprà.* Verùm superbiæ imputationem evadere non potuit: ut quem *Pharios currus Regum cervicibus egisse*, canit Lucanus *l.* 10. *v.* 277. interim, *cum regnâsset annos XXXIII.* (post reditum videl. ex Asia) *captus oculis, sponte vitâ demigravit: Eóque facto non modò Sacerdotum, sed & reliquorum Ægyptiorum admirationem promeruit, quòd sibi vitæ exitum fecisset, magnitudine animi, factis testatâ, dignum*, Diodorus *d. l.* relictō posteris Asiæ Imperiō, non enim verum, quod sub *Vexoris* nomine, de illo Justinus *l.* 1. *c.* 1. dicit, *contentum victoriâ imperio abstinuisse.* Successit ei filius maximus natu Rhamses, quem vide suō locō, plura verò de Rege hoc maximo, apud Joh. Marshamum *Canone Chron ad Sec. XIV. & XV. à p.* 370. *usque ad* 416.

SETHREITES, *Strab. Sethroites* Plin. *l.* 5. *c.* 9. urbs & nomus Ægypti, intra Deltam, apud Bubastum Urbem, & Bubasticum fluv. *Sethrates Ptol.* vide *Sethron*.

SETHRI, fil. Oziel. Exod. *c.* 6. *v.* 22.

SETHRON, urbs Ægypti. *Steph.* quæ aliàs *Averis*, *Pelusium*, *Phthom*, vide ibi. Inde *Sethroïtes Nomus*, in quo urbe conditâ, Pastores *ex illa eruptione factâ Ægyptios subjugârunt*, Manetho apud Syncellum. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec. VIII.* ubi & *Typhonis urbem* vocari urbem eam docet, ac de hoc Ægyptiorum idolo multa eruditè disserit.

SETIA, urbs Campaniæ, non procul à Tarracina, vinō generosō nobilitata, quod inde *Setinum* vocabatur. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 112.

Pendula Pomptinos quà spectat Setia campos.

Idem *l.* 4. *epigr.* 64. *v.* 33.

— — Pendulamque
Uni dedit, Setiam colono.

Plutarcho & Appiano Σητία. *Straboni ac Ptolemæo* Σετία. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 1021. *Baudrando Sezze* nunc, oppid. juxta Pomptinas paludes, in ditione Pontific. in colle, ubi persæpe moratur Episcopus Terracinæ, 17. milliar. à Velitris in Ortum, Privernum versus 6. & 9. à Cora in Eurum. Quidam etiam urbem Episcopalem in Terra Laboris hujus nominis collocant.

SETIA, oppid. Hispaniæ citerioris in regno Aragonio. *Ptolom.* Nunc *Sesse*, intra montes Pyrenæos à Cæsaraugustâ 18. leuc. in Boream. *Baudrando* oppid. Vasconum, nunc *Exea*, oppid. Aragoniæ, ad amnem Bielam. 9. leuc. à Cæsaraugusta in Boream Pompelonem versus.

SETIDAVA, Germaniæ urbs *Ptol. Posen Ortelio* in Polonia, *Posnania* Latinis recentioribus.

SETIENA, Galliæ Narbonensis arx. *Avien.*

SETIENSIS, Africæ Propriæ urbs. *Ptol.*

SETIM, locus in campestribus Moab, non procul à Jordane, & Phogor monte, unde Josue misit exploratores ad investigandum Jerichuntis terram.

SETIUS Mons Gall. in Occitania inferiori in ora maris Mediterranei vix 1. leuc. à stagnis Volcarum, ubi portus amplus *Ludovici*, in cujus commodum moles ampla injecta fuit nuper sumptu regiō. Hic arx olim, nunc diruta; vix 2. leuc. à Frontiniano in Merid. *Cap. de Sete* Gall. *Baudrando*, *Valesio* mons hic inter stagnum, quod *Tauri paludem Avienus* dixit, & mare positus est, atque inter Agatham & Magalonam, sed illi propior, *Notit. Gall.*

SETNICUS, vel SATNICUS, in Regno Croatiæ & Dalmatiæ, olim dicebatur, qui præerat regioni, quæ centum dare poterat armatos. Ei postea successit dignitas *Knesorum*, uti Comites vocant. Vide Joann. Lucium *de Regno Dalmatiæ p.* 49. 85. & 99.

SETOVIA, Dalmatarum urbs, *Appiano.*

SETRAI, nomen viri. 1. Paral. *c.* 27. *v.* 29.

SETUBALIA, Belg. *S. Hubes*, urbs Portugall. cum portu amplo & arce recens excitata; aliàs *Cetobrix*, *Briet.* Ad ostia fluv. *Zadaon*, 6. leuc. Portug. ab Olissypone in Meridiem, 5. à Barbario promontor. in Ortum.

SETUBIA, urbs Hispan. Tarraconensis. *Ptol. Sepulveda*, *Moletio.* Vide *Segovia* & *Segortialacta.*

SETUIA, urbs Germaniæ in Lusatiâ. *Ptol.* hodie *Zittaw.*

SETUNDUM, Æthiopiæ sub Ægypto urbs. *Plin.*

SEVA, fluv. Galliæ, memoratus Brittoni *Philipp. l.* 8.

——— ——— Obsedit Abrincas,
Colle sitas inter Servam Sevenamque supino,
Pisciferos amnes, multō salmone feraces:

quem situm hodieque Urbs hæc montana marique proxima obtinet. Fluvium *Seuam* vocat *Cænalis*, vulgò *See*, seu *la riviere de Sée.* Oritur is, apud Abrincatuos, in colle Brimbalio *la Bute de Brimbal* (unde & tres alii amnes, suō alveō quisque in diversa de-

currentes, Viria nempe. Egrannia ac Nigra aqua scaturiunt) & alluit Carentiam *Chercece*, Cupam *Cuve*, Bricejum *Brece*, Pontem S. Filiberti, qui est ad pedem montis Abrincatarum; unde & à plerisque dicitur urbem Abrincatas præterlabi & tingere: atque infra Abrincatas; 3. aut 4. milliar. Senonâ auctus, unâ cum illo inter Montem S. Michaëlis atque Tumbellanam in mare effluit. Ad montem Hubaldi, habet Furnarius. Vide Vales. *Notit. Gall.* in voce *Abrincatui.*

SEVACES, Norici populi *Ptol.*

SEVALIUS, vel Servalius, Archiepiscopus Eboracensis, Discipulus Emundi; Alexandro IV. nimis rigidè à clero Anglicano subsidia exigenti, scripsit literas parrhesiâ & zelô plenissimas. Obiit A. C. 1258. Scripsit Statuta Synodalia, Opus ad clerum suum, Epistolas, Sermones, &c. Matth. Paris. *Hist. Angl. sub Henr. III.* Pitseus *de Script. Angl.* Lelandus &c.

SEVATUM, oppid. Norici in comitatu Tirolensi; vulgò *Schwatz*.

SEVECHUS, Græcè Σεβέχων, fil. Sabaconis Æthiopis, qui in Ægypto regnavit, juxta *Africanum*, cui & Σεβιχὼς dicitur: qui sic in Dynastia Æthiopum, in Ægypto regnantium, secundus fuisset: Successorem habens Tarachum. Sed quid de his Sabaconis successoribus sentiendum, vide apud Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XVI.* ubi *de Sabacone Æthiope.*

SEVERA, ob formam, à Valentiniano Imperatore Justinæ uxori superinducta, lege latâ: *ut cuique liceret duas uxores legitimas habere.* Mater Gratiani Imperatoris. Vide auctores Læto *Comp. Hist. Univ.* laudatos.

SEVERA, provincia seu Ducatus Imperii Moscovitici. Ejus incolæ, propter assidua cum Tartaris prælia, valde sunt bellicosi. Duces, hujus provinciæ nullum superiorem agnoscebant, sed primò, magno Lithuaniæ Duci, postea Regi Poloniæ, tandem Magno Moscoviæ Duci obediebant: qui tandem perfidiæ innocenter accusati, à Basilio magno Duce principatu exuti sunt. *Metel.* Hanc provinc. cum Smolensko & Czernichoviâ vindicavit Vladislaus IV. Poloniæ Rex circa A. C. 1634. Abr. Golnitzius *in Aph. Dan.*

SEVERACUM, vulgò SERVIERE, castr. Galliæ, inter civitatem Rutenorum ac urbem Vellavorum, seu Podium, in monte. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SEVERIA, urbs Angliæ inter Wintoniam & Bathoniam, vulgò *Salisbury*. Populi *Severiani*, vulgò *Wilisbiremem*, teste *Lhuydô.*

SEVERIACUM, oppid. Ducatus Burgundiæ *Seure & Bellegarde.* Prius valde munitum, cum titulo Ducatus, vix 2. leuc. à confinio Ducatus Burgundici in Occasum, 3. à Cistercio in meridiem uti 8. à Divione, 5. à Belna in Ortum. Item castrum in Turonibus, vulgò *Sivray*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

SEVERIANI, Hæretici quidam; à Tatiano primùm propugnati, deinde à *Severo* aucti, qui matrimoniô penitus abstinendum prædicebant. *Hieronym. Sophronius.*

SEVERIANUS, sororius Hadriani Imperatoris nonagenarius, cum nepote Fusco, jussu Imperatoris interemtus, imprecatus est huic, ut *cùm mori cuperet, non posset*: quod factum. Vide Æl. Spartian. *in vita Hadr. c.* 23.

SEVERIANUS, Episcopus Gabalitanus in Syria, eloquentiâ & eruditione clarus. A S. Chrysostomo, ad concionandum sæpe invitatus, & cùm in Asiam proficisceretur, Ecclesiam suam intereà curare jussus, non usquequaque officium fecit, proin à reduce Chrysostomo reprehensus, ad persecutores ejus se applicuit. Persuasit itaque Eudoxiæ, illam à Chrysostomo Jezabelem pro suggestu appellatam esse; Hinc indignatio orta, & pulsus Chrysostomus est, quem cùm Severianus publicè convitiis proscindere, fastus illum inprimis accusans, aversatus persecutionis auctorem populus revocavit Chrysostomum, qui paulo pòst Severianum urbe pepulit. Sed ope Eudoxiæ pax coaluit, nec cessavit tamen hic illum crudelissimè, quâ pote persequi. Scripsit Expositionem Epistolæ ad Galatas, Gennad. *de Vir Illustr.* Editæ sunt etiam A. C. 1612. sub ejus nomine, 6. Homiliæ græcæ cum Chrysostomi operibus. Eidem ex 6. Chrysostomi homiliis, à Cardin. Sirleto editis, quædam quoque attribui solent. Theodoret Johannes Damascen. Gennadius, Socr. *l.* 6. Sozom. *l.* 8. Nicephor. *l.* 13. Pallad. *in Dial. vitæ S. Chrysost.* Baron. *A. C.* 400. 401. *& seqq.*

SEVERINI Cœnobium *P. Diacon. Zuerin Leunclav.* pagus Norici, in Pannoniæ superioris confinio, ad Cetium montem, in Austria. *Siferingen* aliis apud Viennam, ab illa magnô milliar. Ungaric. distans, *Lazius.*

SEVERINUM, vulgò SWERIN, oppidum Daciæ, in Mysiæ superioris confinio, ad Danubium, apud pontem Trajani, opus Severi Imperatoris.

SEVERINUS, Pontifex Roman. A. C. 638. post Honorium I. ut *Ecthesi* subscriberet, ab Heraclio Imperatore perduci non potuit. Obiit A. C. 639. Successit Johannes IV.

SEVERINUS, Noricorum Episcopus prædictionibus celebris.

SEVERINUS, vide *Boetius.*

SEVERISSIMUS; nomen centurionis, seditiosis Othonianis resistentis & ideò occisi, ut legit apud Tacit. *l.* 1. *Histor. c.* 80. Lipsius, quod tamen probare se posse negat Pichenus.

SEVERITÆ, Heretici, quorum auctor *Severus* Antiochiæ Pseudo-Episcopus Acephalus fuit, de quo dictum suô locô: in varias postea factiones divisi sunt. Quinque enim *Severitarum* diversas sectas commemorat Nicephorus Callisti *Histor. Eccl. l.* 18. *c.* 49. atque omnes habere suos Episcopos, exceptis iis qui *Contobabditæ* dicebantur, à loco quodam, nomine hôc sumtô. Qui autem quintæ sectæ fuerunt, *Tritheitæ* appellati sunt, eô quòd in S. Trinitate tres substantias & naturas per omnia similes dicerent; de quibus vide infrà in voce *Tritheitæ*, plura verò hanc in rem apud Jo. Forbesium *Instruction. Historico Theologic. l.* 3. *c.* 17. ut & in voce *Monophysitæ*. Sic enim etiam vocati sunt, qui *Severi* hæresim pressè sequebantur &c.

SEVERUS Septimius, Imperator Roman. Lepti oriundus, ex Geta & Fulvia Pia, juventâ turbulentè transactâ, meruit nihilominus amplissimos honores, tandemque, specie ulciscendæ necis Pertinaci illatæ, imperium occupavit, A. C. 193. cùm in Pannonia tum esset: Romam ut pervenit, à militibus, qui Didium Julianum occiderant, purpurâ ornatus est. Auditô, Pescennium Nigrum à Legionibus Syriæ Imperatorem declaratum esse, eò tetendit, Byzantiôque post triennium expugnatô, & in pagum redactô, Parthos, Medos, Arabas, &c. vicit: Judæos rebelles severè admodum puniit, unde ei à Senatu, cum filio, triumphus decretus. Oriente pacatô, prope Lugdunum, Albinum quoque superavit, nimis crudeliter usus victoriâ: unde *Punicus Sulla* dictus est, & Christiani in Gallia huic cladi involuti. Destructis dein ferè omnibus Urbibus, 5. persecutionem contra Christianos, orsus est, cùm sub initium imperii, à Proculo sanatus, illis satis æquum se præbuisset. Britannos dein rebellantes domuit, ingenti murô illis coërcitis; non æquè tamen domi felix. Cùm enim filios ambos, Antoninum Caracallam & Getam, imperii consortes fecisset; prior moræ impatiens ensem in patrem strinxit; sed prohibitus est: quod cùm Pater vidisset, dissimulâssetque, tantum inde mœrorem hausit, ut eî impar obiret, Eboraci in Anglia, A. 211. Imperii 18. ætat. 70. Ingeniô & dexteritate inclytus, literatorum Fautor, Mathematicus ipse & Historicus, vitam suam condidit. Spartian. *in Sept. Severo. Dio, Aurel. Victor, Eutropius, Orosius, Euseb.* Addo saltem, quòd idem Jus maritorum militibus, *ut quoniam ex legibus uxores habere iis non licebat, saltem hoc orbitatis suæ solatium consequerentur*, ut ait Dio Coccejanus *l.* 60. à Claudio Imperatore indultum, latâ lege solvit ac penitùs sustulit, uti discimus ex Herodiano *l.* 3. ratus, blandô & delitiosô fœminarum luxu haud parum fortitudinis viris auferri, Suid. *in Severo.* A Leptitanis suis pro Deo cultus est: unde *in eo* Spartian. *c.* 13. *Horum igitur tantorum & tam illustrium virorum interfector ab Afris, ut Deus habetur.* Inter Thermas Romanorum celebriores *Severianas* quoque Scriptores habent, Franc. Swertius *Not. in Hieron. Magium de Tintinnabulis c.* 3.

SEVERUS Libius, Imperator Occidental. Ravennæ salutatus, post Majorianum, A. 461. à Senatu, non expectatô Leonis Imperatoris consensu, confirmatus: venenô sublatus est à Ricimero, A. C. 465. Marcellin. & Cassiodor. *in Chron.*

SEVERUS Flavius Valerius, Maximiniani Armentarii Imperatoris ex sorore nepos. Ab avunculo, cum Maximino, Cæsar declaratus. A. C. 304. Italiæ & Africæ res curavit. Hic dum Maxentio, qui Romæ Imperium arripuerat, occurrere properaret, victus Ravennam se recepit, unde à Maximiano Hercule, sub pacis prætextu, evocatus, in itinere Romam versus, strangulatus est. A. C. 307. Zosim. *l.* 12. Eutrop. *l.* 9. *&c.*

SEVERUS, Episcopus Milevitanus, Scriptor Ecclesiasticus. A. C. 420. Item Præsul Minoricæ, floruit eôdem tempore. Scripsit epistolam Circularem, de conversione Judæorum, in Insula sua. Item Episcopus Malaguæ in Hispania, floruit A. C. 590. Scripsit *Correctorium*, contra Vincentium Cæsaraugustanum, Arianum. Item de Virginitate, &c. Vide quoque *Alexander Severus, Aquilius, Cassius, Cornelius, Odo, Sulpicius Severus.*

SEVERUS, Hæresiarcha, caput Severianorum, è Tatiani scriptis venenô haustô; docuit, Resurrectionem nullam, vini usum illicitum, nullam item V. T. Actorum Apostol & Epistolarum Paulinarum auctoritatem esse. Porro statuit, fœminam Cacodæmonis opus, & proin Conjugium damnabile esse. Homine in duas partes divisô, superiorem ejus partem Deo, inferiorem Diabolo tribuit: à Clem. Alexandrino & Origene, qui quoque contra Tatianum scripserant, refutatus. Augustin. *Hær.* 24. Euseb. *Hist. l.* 4. Baron. *A. C.* 174.

SEVERUS, Sozopolitanus, ex parentibus gentilibus natus, luxûs & magiæ accusatus Tripolim Syriæ venit, ibique baptizatus est. Mox baptismo renuntians, Monasticam vitam aliquandiu professus, è cœnobio, utpote Acephalorum unus, pulsus est: Hinc ad Anastasium Imperatorem ut de injuria conquereretur, profectus, tantum apud eum effecit, ut deturbatô Flavianô, Episcopô Antiochenô, ipse ejus in locum intruderetur, A. C. 512. Hic Eutychis hæresin publicè docens, Concilio Chalcedonensi anathema dixit, omnesque Episcopos suæ Primatiæ; in communionem pertrahere, quâ blanditiis, quâ vi conatus est. Quibusdam horum generosè obnixis, sævire immaniter cœpit, trecentis monachis orthodoxis molossorum furori expositis; luxuriæ interea abominandæ deditus. Tandem A. C. 519. Justini jussu, lingua ei exsecanda cùm esset, is Alexandriam evasit, ibique furere & abominanda patrare perrexit, Niceph. *l.* 16.

SEVERUS, magister ac machinator Neronis, in domo post exustam Romam struenda, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 42. Vide & *Aquilius*, & *Claudius*, it. *Cornelius, Julius, Sulpitius.*

SEVERUS Archontius, memoratur Vopisco *in Firmo c.* 2. *Qui etiam nummos ejus* Severus Archontius *protulit. de Græcis autem Ægyptiisque libris convicit Severus illum* (Firmum) ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ *in edictis suis esse vocitatum.*

SEVERUS Atilius, ad quem Lactantius scripsit duo epistolarum volumina, cujus meminit *Hieronym.*

SEVERUS Hostilianus, Marcô Imperatore extinctô, Patrum suffragiis ei successit, sed morbô mox correptus post missum sanguinem extinctus est. Utriusque memoriam (namque Marcus hic alius à Marco Antonino Philosopho) uni *Zonaræ* debemus. Isaac. Casaubonus *Not. ad Histor. Aug.*

Alexander SEVERUS, prænomine *Aurelius*, Imperator Romanus, Urbe Arcenâ genitus, Varii filius ex Mammæa, Heliogabali consobrinus, post hujus mortem accipit Imperium, jam mortuô Macrino *Cæsar* à Senatu appellatus. *Dominum* se appellari vetuit; è XVI. Senatorum consilio, citra sanguinem, imperavit; Rectores provinciis vitæ inculpatæ, imitatus Christianos in Sacerdotibus,

dedit,

dedit; Injustos Judices summo odio habuit; Vetronium Turrinum, alias sibi familiarem, quod responsa Principis fingendo vendere, fumo necandum tradidit, Præcone exclamante, *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Porro humanitate & benignitate tantâ fuit, ut ad petendum etiam invitaret, quos scirer nihil petiisse. Adversus Artaxerxem Persarum Regem qui Syriæ imminebat, expeditione suscepta, militarem disciplinam in ea strenuè exercuit, sæpius quod à Christianis audierat ingeminans, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Pattatô bellô, contra Germanos Galliam infestantes profectus, pecuniâ primo rem tentare statuit, sed ob id exosus militibus redditus, Maximino summô exercitus Duce procurante, occisus est Moguntiæ A. C. 237. ætat. 29. successore Maximino. Sub eo satis pacatè Ecclesia vixit: namque & Mammea Augusta Christianis favit, atque Antiochiam ad se Origenem evocavit, & ipse Alexander Christum, inter Divos suos, in Larario coluit, uti videre est apud Euseb. *Histor. Eccl. l. 6. c. 20.* Vide plura de eo apud Herodian. *Histor. l. 6.* P. Orosium. *l. 7. c. 12.* Æl. inprimis Lamprid. in *Vita* ejus, Alios.

SEVERUS, Mons Italiæ, teste Servio in illud *Æn. l. 7. v. 713.*

Qui Tetricæ horrentis rupes, montemque Severum.

Licet *Marcellus Severum* ibi adjectivè positum intelligat. *Baudrando* meliùs *monte della Mosca*, in Sabinis, versus Reate & confinio Aprutii ulterioris.

SEVINUS Promptinus, ab Othone senatorio ordini restitutus, unde, ob repetundarum crimen: sub Nerone exciderat, Tacitus *Histor. l. 1. c. 77.*

SEVINUS Lacus, vide *Sebinus.*

SEVIR turmis Equitum Roman. apud Jul. Capitolin. in *Marco, c. 6. Consulem secum Pius Marcum designavit & Cæsaris appellatione donavit &* Sevirum turmis Equitum Romanorum *jam Consulem designatum creavit: & edenti cum collegis Ludos Sevirales adsedit:* nomen eorum, qui præerant Equitum decuriis, quæ sex erant, Rhamnenses scilicet, Tatienses, Lucerenses, omnes primi secundique, Turnebus *Advers. l. 11. c. 9. Inscr. vetus*, VI. VIRO EQUIT. ROMAN. TURM. & cum adscripto turmæ numero, *Lapis alius*, VI. VIR. EQVIT. ROM. TURMÆ. PRIMÆ. Eosdem in *Seniores & Juniores* distinctos fuisse, alii lapides docent. Casaubon *ad Capitolin.*

SEUMARA, urbs Iberiæ in Asia, Strabo *l. 11.*

SEVO, mons Germ. ab Ingævonibus habitatus, Solin. *c. 23. Baudrando* mons est Scandinaviæ longissimus, qui à Mari Albo & extremis Lappiæ finibus lunato cursu, per Lappiam regionem delatus inter Bothniam & Finnorum Marchiam, tandem inter Sueciam & Norvegiam, ad fauces Sinus Codani, 300. mill. pass. longitudine procurrit. In Norvegia dicitur *Daare field*: Sed ejus partes sunt etiam *Skars field*, *Rund field*, *Dofre field*, in Præfectura Nidrosiana, & *Fike field*, ac *Houckie field*, inter Bergensem & Aggerhusiam Præfecturas.

SEURI, Hispaniæ Tarraconens. populi *Ptolem.* *Seurbi* Plinio, *l. 4. c. 20.*

SEUSA, oppid. Galliæ in Cenomanis, ad fluv. Sartam, vulgò *la Suse*, titulo Comitivæ clarum, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SEUTHES, primus vocatus fuit, qui Regi suo iis copiis, quibus præfectus fuerat, regnum extorsit eumque occidit. Aristot. *l. 5. Polit. c. 10.* vocat Amadocum Thraciæ Regem. Fortasse is est, cujus quoque meminit Polyæn. *l. 7. c. 32.* Vide *Ceuthes.*

SEUTHES, Odrysarum Dux, qui Zopyrione Thraciæ præposito, dum expeditionem in Getas faceret, tempestatibus procellisque subitò coortis, cum toto exercitu oppresso, populares ad defectionem traxit, Curtius *l. 10. c. 1.*

SEX, it. SEXI FIRMUM Plin. *l. 3. c. 1.* cognomine Julium, *Sexitania*, *Athenæo*, *Hexi Melæ*, urbs Hispaniæ Bæticæ apud oram litoralem regni Granatensis. *Velez Malaga Coquo & Pencio*, *Motril* vero *Floriano.*

SEX, item *Sexaginta*, vide suprà lit. *H.* in compositis ex Græco Ἑξ.

SEXAGENARII, olim de ponte dejecti: cujus causam *Manilius* hanc refert, quod Romam qui incoluerint primi Aborigenes, hominem *sexaginta* annorum qui esset, immolare Diti Patri quotannis soliti sint, quod facere eos destitisse adventu Herculis; sed religione postea veteris moris scirpeas hominum effigies de ponte in Tiberim mittere instituisse. Alii, post Urbem à Gallis liberatam, ob inopiam cœpisse *Sexagenarios* in Tiberim præcipitari ajunt. Sed exploratissimum illud est causæ, quò tempore primum per pontem cœperunt Comitiis suffragium ferre, Juniores conclamavêre, ut de ponte dejicerent, qui *Sexagenarii* essent, & proin nullô jam publicô munere ampliùs fungerentur, ut ipsi potius sibi quàm illi deligerent Imperatorem, *Festus.* Dejiciebantur itaque tales de ponte, *Non ut periclitarentur de vita, sed ne suffragarentur in Comitiis*, Johannes Saxonius in *Orat. pro S. Roscio.* Vide quæ de *Pontibus* suprà dicta, it. voce *Senatus.*

SEXAGESIMA, in Ecclesia Roman. *initium sumit sequenti Dominica post Septuagesimam, & finitur quartâ feriâ Hebdomadis Paschalis*, Alcuinus *de Div. Offic.* Inde dicta, *quia 60. sunt dies usque ad medium Paschæ, quod est feria quarta* præfata, *Ordo Roman.* Aliam nominis rationem habes suprà, ubi de *Planetis.*

SEXANA, Siciliæ urbs, *Phavorinus.*

SEXCENTI, apud Massilienses olim nomen Magistratus, vide infrà *Venenum.*

SEXIGNANI, vel SEXAGNANI, Galliæ Aquitaniæ populi *Plin.*

SEXIONA, vide *Setabicula.*

SEXITIA, Mamerci Scauri uxor, mortis quâ Vir damnatione anteiret, & incitamentum & particeps, Tacit. *l. 6. Annal. c. 29.*

SEXOLITÆ, gens ad Euxinum Pontum. *Pompon.*

SEXTA, in Eccles. Roman. Officium diurnum, quod horâ sextâ canitur. Vide suprà voce *Addam*, it. ubi de *Horis Canonicis.* Priscis *Sexta hora*, pro Meridie fuit, unde *Sextani limites*, ad Meridiem spectantes, in re Agrimensoria. Vide Salmas. *ad Solin. p. 676.* & plura suprà in voce *Meridies*, it. *Prandium.*

SEXTÆ, locus Britanniæ insulæ, *Lib. Notit.*

SEXTANI, Galliæ populi in quibus Arelate, *Pompon.*

SEXTANS, sexta pars assis: De qua voce sic Gronovius, *Trientem & Sextantem volunt esse Siculorum τετρᾶντα & ἑξᾶντα, in quo tamen difficultatem inveniunt, quum significatio prorsus alia sit; nam ἑξᾶς semis, τετρᾶς quadrans. Nec repugno si quis sequi malit. Sed quemadmodum quadrans ex participio transiit in nomen, quòd assem quadraret, sic quasi verbum esset, triare, in tres redigere, videntur finxisse Trientem, quasi sextare, in sex secare, Sextantem.* Vide eum de *Pecun. Vet. l. 4. c. 17.* Item, duo cyathi. Infra enim ostendemus, Sextarium, cum 12. contineret cyathos, easdem cum Asse partes obtinuisse. Unde Hieron. Mercurialis *Var. Lect. l. 1. c. 22.* variis mensuris Antiquos potasse ostendens, ex iis tamen tres potissimum in usu fuisse, observavit, *Sextantem*, Deuncem & Trientem: & quidem duas posteriores raras, priorem verò frequentius, in quotidiano victu, adhibitam. *Sextante* enim temperatos ac valetudinarios; Deunce intemperantes & bibaces potasse, ex Suetonio videtur posse colligi: apud quem Augustum Cæsarem *Sextante* bibisse, cumque sexies tantum in conviviis publicis vel admovisse, *c. 77.* legimus. Quod idem de se ipso ac Cinna loquens refert Martial. *l. 12. Epigr. 28.*

Sextantem *peto, tu potas Cinna deuncem.*
Et quereris, quòd non Cinna bibamus idem.

Trientem tamen, i. e. cratetem quinque paulò plus minusve unciarum seu quartam Sextarii partem in communi usu fuisse, inde videtur probari posse, quod Poëtæ, qui omnium optime Veterum mores, in edendo præsertim ac bibendo, expresserunt, cùm de hujuscemodi potus mensuris vasisque loquuntur, fere semper Trientes nominant, ut infrà in hac voce videbimus. E quo idem Mercurialis ad credendum se induci ait, Sextarium forsan eam fuisse potus mensuram, quam in Cœna quotidie sumebant, quamque in quatuor partes sive in Trientes 4. providebant. Interim mensuræ limites sæpe luxuriam fuisse transgressam, notius est, quàm ut ostendi opus habeat. Vide præter præfatum Mercurialem, Rosin. *Antiqq. l. 5. c. 30.*

SEXTANTULI, Græcè Ἑκτημόριοι, Athenis olim, qui & *Thetæ*, quod vide. Sic autem dicebantur, quòd ære alieno à divitibus oppressi aut illis arabant, *Sextantem* fructuum pensitantes, aut nexu corporis versuram facientes creditoribus addicti, partim ibi serviebant, partim peregrinis venundabantur; multi etiam liberos suos vendere, aut urbem deserere, propter fœneratorum crudelitatem, compellebantur. Cui malo ut obviàm iretur, Archon electus Solon Olymp. 46. an. 3. præter alia, Σεισάχθειαν, i. e. *Oneris excussionem*, introduxit, jussitque τὰ ὑπάρχοντα τῶν χρεῶν ἀφεῖσθαι, *æs alienum, quod erat, remitti*, & novas tabulas fieri. Eâdem lege & *Mensurarum modum auxit & Monetæ pretium.* Quomodo cùm obærati redderent summam numero quidem æqualem, sed valore minorem, ipsi multum lucri faciebant, ac creditores nihil lædebantur. Plura apud Plut. *Solone.*

SEXTARIUS, mensuræ liquidorum Roman. species, quia *sexta* pars congii, sic dictus, continebat heminas duas, uncias autem mensurales 10. Fannius,

At Cotylas, quas si placeat, dixisse licebit
Heminas: recipit geminas Sextarius unus.

Italicus vocatus est respectu Græci, & *Urbicus*, respectu Castrensis, qui duos urbicos implebat. Cùm 12. caperet cyathos, partes easdem cum Libra & Asse obtinuit: Earum itaque nominibus appellârunt pocula Poëtæ, sed pro semisse Heminam & 6. cyathos, pro uncia Cyathum dixêre. Nota ejus fuit Ͻ. Inter Aridorum quoque mensuras, *Sextarium*, Heminam, Acetabulum. Cyathum, Ligulam reperias. Medici Græci à Romanis, *Sextarium*, inter Liquidorum mensuras mutuati, Ξέστην cum nominârunt insigniveruntque hâc notâ ξ, vel ξε. sed apud Atticos vetustiores non reperitur, Franc. Gouldmannus, *Mensuris.* Budæus *Sextarium* Roman. comparat cum Parisiensi pinta *de Asse l. 5.* Et quidem Augustus etiam cum se liberalius invitabat, unâ cœnâ sextantes senos seu duos *sextarios*, non excessit, teste *Suetonio*, quem vini modum fuisse hominibus frugalibus, ex *Horatio*, Vopisco in *Tacito*, aliis, constat. Scribitque Hieronym. *in Ezech.* posse aliquem, etsi ægrè, tamen vivere, ut non bibat in die ampliùs sextariis duobus Italicis vel solius aquæ. At Novellius Torquatus 18. sextarios unô impetu: Maximinus quoque Thrax 48. sextarios, nempe integram amphoram Capitolinam, unâ die hausit, de cujusmodi bibonibus vide Plin. *l. 14. c. 22.* Capitolin. *in Maximino, c. 4.* Athen. *l. 4.* Alios. Bellô Samniticô *Militibus, qui in præsidio simul fuerant cum P. Decio, legiones libras farris & sextarios vini contulisse*, ob rem fortiter gestam, apud Livium legimus *l. 7. c. 37.* Vide quoque suprà.

SEXTATIO, Galliæ Narbonensis urbs, *Anton.* Gall. *Soustancion.* Locus arduus ac vetus, à Montepessul. mill. pass. abfuit, magni olim nominis, & Comitivæ cognominis caput, à Montepessulano hodie exhaustus. Alter *Sostantio*, in *Itinerario Hierosolym.* sed corruptè; prius enim genuinum ejus nomen est. Unde Theodulfus *in Paræn. ad Judices*, vocat *Sextationem*, ac *scabris podiis*, id est, montibus, *cinctam* esse, ait: In Testamento Guilhelmi de Montepessulano A. C. 1146. *villa Sostanson* & *Sustantio cum Episcopatu Sustantionensi*, memoratur; *villa Sustantio*, in literis A. 1177. nunc vicus est semirutus, & desertus: in Magalonensi seu Montispessulanensi diœcesi: Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Mons Pessulanus.*

SEXTI, *P. Diacon.* locus Africæ à Carthagine 6. mill. pass. Uticam versus, Cypriani martyriô nobilis.

SEXTIA, socrus L. Veteris, adversis generi abstracta promptè à Nerone necem subiit. Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 10

SEXTIA Lex, quæ & *Sextia Licinia* dicitur, de creando altero Consulum ex plebe, data est an. Urb. Cond. 426. à C. Licinio Stolone, L. *Sextio* Tribuno Pl. L. Furio Camillo Dictatore, ut testatur Livius *l.* 6. &c. *Sextia* Menenia Lex an. Urb. Cond. 301. à P. *Sextio* Capitolino, T. *Menenio* Lænate Cons. rogata est, *ut oves decussi, boves centussi æstimarentur.* Meminit ejus *Festus*, ad quem in voce *Peculatus*. Vide Antonium Augustinum, ut & Joh. Rosin. *Antiq. Rom. l.* 8. *c.* 22.

SEXTILES Kalendæ, anni olim apud Romanos principium. Liv. *l.* 3. *c.* 6. *Comitia bene habita creati Consules Luc. Æbutius, S. Servilius Kalendis Sextilibus ut tunc principium anni agebatur, Consulatum ineunt*, vide de Sextili *Mense*, suprà in voce *Augustus*.

SEXTILIA, mater Vitelliorum, probatissima nec ignobilis fœmina, Tacit. *Hist. l.* 2. *c.* 64. Lucii Vitellii uxor fuit, quæ ei peperit duos filios, quos eôdem annô ambos Consules, cum majori minor in 6. menses successisset, uterque parens vidit. Alter ex his filius, Aulus Vitellius, post Othonem imperavit: cujus genituram, sive nativitatem, aut natalis horæ suspectionem, à Mathematicis prædictam ita exhorruerunt parentes, ut pater magnopere contenderit, ne qua ei provincia, vivô se, committeretur: mater & missum ad legiones, & appellatum Imperatorem, pro afflicto statim lamentata sit. Vide Sueton. *in Vitell. c.* 3. Prædixerant Mathematici, Aulum Vitell. futurum quidem Imperatorem sed in imperio, per vim, cruciabiliter periturum.

SEXTILIUS Cajus, vide *Cajus*.

SEXTILIUS Felix, cum ala Auriana & octo cohortibus ac Noricorum juventute missus, ad occupandam ripam fluminis Æni, quod Rhætos Noricosque interfluit. Tacit. *Histor. l.* 3. *c.* 7. Cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam irrupit in Germanos, *l.* 4. *c.* 70.

SEXTILIUS Lateranus, Consul, cum Vero Imperatore, Capitolin. in *Vero*, *c.* 3. A. M. 4116.

SEXTIUS Africanus, vide *Africanus*.

SEXTIUS Baculus, vide *Baculus*.

SEXTIUS Caballus, scurra maximos à *calcitratu caballi* nomen adeptus.

SEXTIUS, prænomine *Lucius*, secundùm *Plutarchum* & *Fastos Capitolinos* primus de plebe Consul factus est.

SEXTIUS, prænomine *Titus*, C. Julii Cæsaris legatus in Gallia, *l.* 6. *Comm. c.* 1. *l.* 7. *c.* 49. 90.

SEXTUM, pagus 32. milliar. à Mediolano in Occasum, Aronam versus 6. & 13. à Novaria in Boream. Vide *Sestum*.

SEXTUM, pagus ingens in ora Liguriæ, *Sestia di Ponente*, 6. mill. pass. à Genua in Occasum.

SEXTUM Philippi, locus territorii Romani ubi Tiberis in duo divisus, insulam efficit inter Portum & Ostiam.

SEXTUS, Medicus de Empiricorum secta, seculô 2. sub Antonino Pio, vixit. Scripsit libros 10. contra Mathematicos, & tres, de opinionibus Pyrrhoniorum: Item de Medicina animalium, quod opus est hominis Platonici. Item, Philosophus Pythagoricus, Auctor *Enchiridii Sententiarum*, quod Rufinus Latinè vertit. Item, Africanus, auctor Chronologiæ, & Κεστῶν libb. 9. quos Alexandro Mammeæ inscripsit Possevin. *in Appar.* Gesner. *in Biblioth.* Voss. *de Philos. & Phil. Sect.*

SEXTUS, Philosophus Pyrrhonius, Plutarchi nepos, qui Præceptor fuit Marc. Antonini Imperatoris, Jul. Capitolin. *in Imper. vita*, *c.* 3. Potiùs inter præceptores Marci Philosophi memoratur Capitolino: qui an is sit, cujus hodieque habemus Dissertationes adversùs reliquas Philosophorum sectas, dubitant Eruditi. Sanè Pyrrhonium fuisse, scribit *Suidas*, qui libros 10. Σκεπτικῶν illum reliquisse testatur. Alius fuit *Sextus*, Philosophus Afer, qui itidem *Sceptica* scripsisse eidem dicitur: Hic enim *Empirici* cognomen habuit & ante Galenum, prioris contemporaneum, vixit. Vide Galenum *ibid.* & Salmas. *ad Capitolin. loc. cit.* Meminit Capitolin. *Sexti* Philosophi, in *Vero*, *c.* 2. quem inter eos, quos hic unicè amaverat, ponit.

SEXTUS, Cocidiani fil. ex Quintiliorum familia, memoratur Lampridio *in Commodo*, *c.* 4. *Domus Quintiliorum omnis extincta, quod Sextus Cocidiani filius, specie mortis ad defectionem diceretur evasisse.* Ubi Salmas. *Condiani* legit, vide suprà in hac voce. Historiam Juvenis hujus, cujus mors astu mirô simulata, fusè exsequitur *Dio*, qui tamen non Condiani eum, sed alterius Quintilii, filium facit, Maximi videl. Κονδιανὸς Σέξτος, inquiens, ὁ τοῦ Μαξίμου υἱός. Vide Salmas. *ad loc.*

SEXTUS, Carthaginis locus, ubi Cyprianus martyrium subiit, Baronius *ad A. C.* 261. *num.* 22.

SEX. Ælius Catulus, Consul A. M. 3966.

SEX. Ælius Pætus, Consul. an. Urb. Cond. 766.

SEX. Atilius Serranus, vide *Serranus*.

SEX. Aurelius Victor, Cons. an. Urb. Cond. 1122.

SEX. Cornelius Cethegus, Cons. an. Urb. Cond. 776.

SEXTUS Decretalium, scil. Liber, dicta est Compilatio Decretalium, jussu Bonifacii VIII. facta à Guil. de Mandagoto Archiepiscopo Ebredunensi, Bereng. Fredello Episcopo Nitertensi & Rich. Patrono de Senis Rom. Eccl. Vicecancellar. quòd quinque aliis Gregorii IX. accessisset. Constat potissimùm ex Constitutionibus Innocentii IV. Gregorii X. Nicolai III. & ipsius Bonifacii: item Constitutionibus duorum Conciliorum Lugdunensium Ann. Christ. 1245. & 1272. celebratorum: habetque itidem libros quinque, ut Gregoriana, & eosdem titulos. Sed, ob inimicitias Bonifacii cum Rege Galliarum Philippo, in hoc Regno, locum non invenit. Duarenus *Præfat. l. de Sacr. Eccl. Min.* & Petr. de Marca *Concord. Sacerdot. & Imperii l.* 4. *c.* 16. Scripsit in hanc compilationem *Glossas* Jo. Andreæ, de quo vide Guidon. Pancirollum *de clar. LL. Interpp. l.* 3. *c.* 19. & plura hanc in rem apud Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 366. & *seqq.* ut & suprà, in voce *Decretales*.

SEX. Domitius Calvinus, Cons. an. Urb. Cond. 630.

SEX. Furius Medullinus, Tribun. Milit. an. Urb. Cond. 336.

SEX. Gellius, priscus Historicus, citatus in tractatu de Origine Gentis Romanæ.

SEX. Julius Cæsar, Consul an. Urb. Cond. 663.

SEX. Julius Tullus, Tribun. Mil. an. Urb. Cond. 332.

SEX. Lateranus, vide *Lucius*.

SEX. Nonius Quintilianus, Consul. an. Urb. Cond. 788.

SEX. Papinius Gallienus, Consul. an. Urb. Cond. 788.

SEX. Pompejus, Consul. an. Urb. Cond. 766.

SEX. Pompejus Festus, scripsit libros 20. *de Verborum significatione*: quibus Verrii Flacci opus contraxerat: quod idem à *Paulo* quodam passus est. Edidit hæc omnia Anton. Augustinus, Venetiis A. C. 1568.

SEXTUS Pomponius, vide *Pomponius*.

SEX. Quintilius Varus, Consul an. Urb. Cond. 301.

SEX. Rufus, vir Consularis, floruit circa An. 364. Scripsit epitomen histor. populi Romani, quam Valentiniano I. Imperatori dedicavit. Johannes Cuspinianus *Breviarium* hoc emendavit. *Volaterrano* Festus Rufus vocatur, sic fortè idem erit cum Festo Rufo Avieno. An idem cum descriptionis Romæ auctore, qui sub Diocletiano floruit? Vide Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 8.

SEX. Sulpitius Galba, Cæsar 7. regnavit ann. menses 7. A. M. 4374.

SEX. Turpilius, Poëta Comicus. Vide *Turpilius*.

per SEXUS missio animalium, vide suprà *Missio* & infrà *Varia*. In sacrificiis Vet. Test. uterque victimarum *sexus* admissus est, fœmineus quoque in sacrificiis pacificis, imo non nisi vacca in quibusdam, sed quæ jugum nondum subiisset. Quod imitati Græci Romanique utrumque itidem *sexum* sacris idoneum habuêre, sic tamen ut apud Romanos potior semper esset fœmina, quæ succidanea dabatur, si per marem non esset litatum. Ægyptii verò non nisi mares adhibuêre quos Barbari circa montem Caucasum, & Derbices, gens Persica, sunt imitati, uti infrà videbimus, voce *Victima*. De *sexu* utroque, imò & ambiguo in Diis Gentilium, vide aliquid suprà voce *Dea*.

SEYSELIUS Claudius, vide *Claudius*.

SEZANNIA, vulgò SESANE, vetus castrum Galliæ, in finibus Tricassium, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SEZERIS, urbs circa Mesopotamiam, *Nicetas*.

SFORTIA, nomen Familiæ, in Italia illustris. In qua Franciscus, gener per illegitimam filiam Philippi Mariæ, è Vice-Comitum familia, qui Mediolanensem Ducatum, à tempore Wenceslai Imperatoris tenuerant, ultimi; eô extinctô, partim fraude, partim vi, Ducatu potitus est, sicque ex gregario milite, qualis primum fuerat, ad summam potestatem ascendit Seculo XV. Sed ejus successor Ludovicus, à Ludovico XII. Galliæ Rege Ducatu exutus est A. C. 1499. ac in carcere necatus: donec Maximilianus I. Imperat. pulsis Gallis Maximilianum *Sfortiam* restituit A. C. 1512. post prælium illud famosum ad Marignanum A. C. 1515. iterum eversum à Francisco Galliæ Rege. Quô pactô Mediolanum Galli tenuerunt usque ad A. C. 1522. quô Carolus V. Franciscum Sfortiam reduxit: qui cùm sine liberis obiisset A. C. 1535. Imperator Ducatum familiæ suæ asseruit, Georg. Hornius *Orb. Imper. cum Notis* Felleri *p.* 171. & *seqq.* Ex eadem familia Bianca Maria fuit, uxor Maximiliani I. quæ, Ludovici è fratre neptis, marito attulit 400000. ducatorum, præter gemmas aliaque cimelia 40000. ducatis æstimata, uti refert Guicciardinus *Histor. l.* 1. perveniique postea Ducatus non sine fato, ad Maximiliani ex Philippo fil. nepotem Carolum. Vide præfatum L. Joachim. Fellerum *ad Hornium d. loc.* [illegible]

SFORTIA Franciscus, vide *Franciscus*.

SFORTIUS Rodolphus, vide *Rodolphus*.

SHAMMATA, Hebr. שמתא, quibusdam fuit tertius & supremus Excommunicationis gradus, quô peccator non solùm Ecclesiâ & promiscuô victu arcebatur, ut per gradum *Niddui*, aut cum diris extra Ecclesiæ ac Reip. pomœria relegabatur, ut per *Cherem*, factum: sed supremâ tandem sententiâ percellebatur, & extra Ecclesiam ejectus, sine alia impostertum venia horrendô carmine, congestisque diris ac execrationibus, inter tubarum strepitum, Dei solius judicio relinquebatur. Nonnulli tamen hunc gradum cum *Niddui* eundem faciunt, & excommunicationem in *Cherem* terminatam ajunt: qui proin cum *Shammata* comparare nolunt *Maranatha* quod priores faciunt, sed *Maranatha* habent pro confessionis Christianæ symbolo, seu potiùs pro pronunciatione maledictionis seu anathematis in Judæos, & omnes Christi ac Evangelii ejus osores. Franc. Burmannus *Synopsi Theol. Christ. Part. prior. l.* 3. *c.* 5. §. 13.

SHOTERIM, Hebr. שוטרים, fuêre in Israëlitarum Rep. præfecturarum Juridicarum ministri & præjudiciorum solennium executores, Judæis Hispanis *Alguaziles*, Germanicensibus *Buttel*, i. e. Lictores, seu Bedelli. Græcis verò Interpretib. γραμματεῖς, εἰσαγωγεῖς, *Introductores* seu *Dispositores scriptarum litium*, actionum, postulatorum, & quæ id genus judiciis aut necessaria aut pro re nata magis idonea, uti apud Athenienses fuere Εἰσαγωγεῖς, qui actiones ad Judices introducebant. Iidem γραμματεῖς sæpius, h. e. *Scribæ*, vocantur. שטריא enim Chaldæis & שטר Rabbinis *scriptum* seu γράμμα legitimum, maximè quod ad contractus & obligationem hominum mutuam spectat, adeoque ad res forenses, significat, commentaria etiam & codicillos qualescunque negotiorum; ut malè de literarum docendarum munere vocem *Shoterim* nonnulli, sumserint. Inde & Γραμματεῖς significârunt nomine Græci Pharaonis *Schoterim*, Exod. *c.* 5. *v.* 6, 10. &c. qui exactores erant, Israëlitis præfecti. Quam in rem vide plura apud Seldenum *de Synedriis l.* 1. *c.* 15.

SI Deus, si Dea, formula vetus, tum aliàs, tum in evocationibus Deorum tutelarium, ex urbibus obsessis, usitata Romanis, occurrit

tit apud A. Gellium *l.* 2. *c.* 28. *Veteres Romani ---- ubi terram movisse senserant, nunciatumve erat, ferias ejus rei causâ edictô imperabant; sed Dei nomen, ita uti solet, cui servari ferias oporteret, statuere & edicere quiescebant; ne, alium pro alio nominando, falsâ religione populum alligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculôque ob hanc rem opus esset, hostiam* SI. DEO. SI. DEÆ. *immolabant. idque ita ex decreto Pontificum observatum esse M. Varro dicit, quoniam & quâ re & per quem Deorum Dearumve terra tremeret, incertum esset.* Sic itaque & Dii Tutelares urbium ambiguô nomine evocitabantur, *Si Deus, si Dea*, quòd aliter urbem capi posse non crederent, aut, si possent, nefas æstimarent Deos habere captivos, ut loquitur Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 9. Similiter, in urbium devotionibus, de nomine dubitantes utebantur hâc formulâ, *Dis. Pater. Vejovis. Manes. sive. vos. quo. alio. nomine. fas. est. nominare.* Neque de nomine tantum, sed de sexu quoque soliciti erant, ut testatur Arnob. *adv. Gentes l.* 4. Quinetiam quædam ideo Numina sub utroque sexu venerabantur. Ita *Lunum* & *Lunam* dixêre: & Onomacrito in *Hymnis* Minerva ἄῤῥην καὶ θῆλυς vocatur &c. Vide Anton. Thysium *ad Gellium*, & hic voce *Dea*, it. *Sive*: alibique passim.

SIAA, nomen viri, Esdr. *c.* 2. *v.* 44.

SIACHA, palus Italiæ circa Cimmer. Tzetz. *Chil.* 12. Num. 12. 448.

SIADÆ, *Antonin.* 7. insulæ maris Britannici oræ Galliæ Celticæ Boreali adjacentes ante Leonam urbem Britanniæ minoris, ab ea 7. leucis in Cæciam. Vulgò *les sept Isles*, teste *Camdenô*. *Siadæ* autem à numero sic dictæ, *Saith* enim Britannis *septem* significat. *Baudrando* in ora Britanniæ minoris vix 2. leuc. ab ora, 5. à Trecoria in Boream.

SIÆ, urbs Armeniæ majoris *Ptolem.*

SIAGATHURI, populi, quorum meminit Martianus *in descript. Sarmatiæ*, *Stephan.*

SIAGUL, Africæ propriæ urbs maritima, *Ptolemæo*. *Susa*, teste *Marmoliô*.

SIAHA, nomen loci, Nehem. *c.* 11. *v.* 21.

SIALA, Tyanitidis urbs in Cappadocia, ut *Ptol.* Geographus auctor est.

SIALANDIA, provinc. Daniæ, in qua metropolis Regni Hafnia, vide *Selandia*.

SIAMBIS, insula maris Britannici, quæ & *Sena*, vulgò *Seyn*, vel *Sayn*.

SIAMUM, Regio peninsulæ Indiæ ulterioris ampla, à Septentrione in Meridiem porrecta, sub rege proprio cui subsunt etiam regna Dangoma, Juncalanum, Tanaserium, Ligorium & Singora. Caput totius regni est *Judia*, seu *Odiaa*, ad Menanum fluv. alias *Samarade*. Terminatur hoc regnum Peguanô ad Boream, uti ab Ortu Sinu Siami, & ab Occidente Sinu Gangeticô. Ab eo quoque fiduciariô jure pendent regna Lanianum, Pahanum, Panum, *Patanum*, & *Pera*. Aër hic salubris, cui peregrini facilè assuescunt: Ora maritima populosa, urbes commerciô florentes, solum frugum fertile, auri quoque hîc aliqua vis. Incolæ paulò politiores, φιλόξενοι, ad manuarias operas mancipiis utuntur. Parvò contenti, ab animalium esu abstinent. Cæterùm Idololatræ, Regem suum, velut Principem Principum venerantur, eumque solum auctorem fortunæ suæ agnoscunt. Cluverius & Samson, *Geogr.* Matth. *Histor. Ind. Ramusius*, *Barbosa*, *Linschotus*, &c. Incolas, Creatorem unicum cœli & terræ: Item animos hominum sempiternos & bonis sempiterna gaudia, impiis verò pœnas expectandas esse, credere, docet Joh. Schulteuius *Descript. Regni Siam.*

Regni Siami urbes præcipuæ.

Bancocum, *Bankock.*	Ligorium, *Liger.*
Bordelonga, *Bordelong.*	Martenæum, *Martenayo.*
Caphenum, *Capheng.*	Mormelonum, *Mormelon.*
Consevanum, *Conseyvan.*	Pocelogum, *Poucelough.*
Judia, s. Odia, *Judia*, regni caput.	Sucetæum, *Soucethay.*
Juncalaonum, *Juncalaon.*	Tanasserium, *Tanassery.*
Lidura, *Lidura.*	Tenum, *Tenou.*

SIANGYANUM, vulgò SIANGYANG, urbs Sinarum Huquaniæ tertia, prope Hanum fluv. ad radices montium: sub qua sex Urbes, Martinius, *in Atl. Sin.*

SIANTICUM, Norici urbs, *Ptolem.* in confinio Pannoniæ superioris. Hodie Cluv. *Saaneck*, ad Sanam fluv. in Carinthia superiore & limite Stiriæ inferioris, 20. mill. pass. à Laubaco in Cæciam, 12. à Leona in Cæciam, Sarniam versus 20. circiter.

SIARA, Armeniæ minoris urbs, *Antonin.*

SIARA, urbec. Brasiliæ, à paucis habitata, cum portu capaci & arce in colle. Caput Præfecturæ cognominis amplæ, quæ inter Præfecturas fluvii Magni ad Ortum, & Maranianis ad Occidentem, sed cum paucis coloniis Lusitanorum, quibus subest.

SIARUM, Morali *Carragatin*, oppidum Hispaniæ Bæticæ excisum: locus hic hodie in Vandalitia, inter Hispalim & Utreram, à qua parum distat.

SIATUTANDA, Germaniæ oppid. *Ptol.* nunc pagus Frisiæ, in territorio Groningensi *Sideburen*, vel *Scilwold*, à Groninga 2. leuc. in Ortum.

SIAVANA, Armeniæ majoris urbs. *Ptolem.*

SIBA, vel ZIBA, servus Saul, 2. Sam. *c.* 9. *v.* 2. Puer Mephiboseth, 2. Sam. *c.* 16. *v.* 1.

SIBA, regnum Indiæ propriæ in ditione magni Mogolis, versus fontes Gangis & Caucasum, inter regna Pitanum ad Ortum & Naugracutium ad Occidentem.

SIBACENA, Armeniæ majoris regio, *Ptolem.*

SIBÆ, Indiæ populi qui cum Deriade contra Dionysium pugnaverunt. *Stephan.* Dionys. *v.* 1141.

Τῶν δὲ μίγα ναίοντι Σίβαι, καὶ Τάξιλος ἄνδρες.

Ubi Σάβαι corruptè vulgò legitur, testibus Salmasiô & Bochartô, *l.* 2. *Phaleg. c.* 15. Quippe in India *Sabas* nemo alius nominavit. Sed *Sibarum* meminêre *Strabo*, *Diodorus*, *Arrianus*. *Nonnus*, &c. Et Strabo quidem eos collocat inter Indum, & Hydaspen, quò locô Σίβας *Dionys. Nic. Libydius*. Ab Herculis comitibus eos descendisse voluêre nonnulli, indiciô clavæ, quam gestabant, & pellis, quam induebant. Salmas. *ad Solin. p.* 995.

SIBARÆ, Indiæ populi Plin. *l.* 6. *c.* 20.

SIBDA, urbs Cariæ, *Stephan.*

SIBERENA, urbs M. Græciæ in rupe prærupta apud Neæthum fluv. Gentile *Siberenus Stephanô*, *Baudrando*.

SIBERENA, urbecula Calabriæ ulterioris in limite citerioris, 8. milliar. à mari Ionio in Occasum, uti 12. à Crotone, Consentiam versus 40. à Scyllacio in Cæciam 30. *S. Severino*.

SIBERIA, provincia ampla Moscoviæ, in Tartaria deserta, versus Obyum fluvium in Condoram, Logomoriam & Permiam provincias. Haud pridem detecta & culta a Moscis, cujus primaria *Tobolsk*, versus montes. Regio tota palustris & sylvis opaca, sed magna ex parte deserta, ob viciniam Tartarorum. Indigenæ propriô utuntur idiomate, panis usum nesciunt. Inde advehi pretiosas pelles, quas *zobellinas* vocamus, cum *Siberinæ* dicendæ essent, annotat Georg. Hornius *Orbe Politic. cum Notis* Menckenii *p.* 533.

SIBERIUS Wolphgangus, vide *Wolphgangus*.

SIBERTUS de BEKA, Geltus, Carmelita, A. C. 1320. Philosophiæ, Historiæ, Jurisque Canonici peritissimus. Scripsit in Magistrum sentent. &c. Phil. Bergomensis, *in Chron.* Valer. Andr. *Biblioth. Belgic.* Alegrius, *in Parad. Carmel. Trithem. Possevin.* Voss. *l.* 2. *Hist. Lat. c.* 64. *p.* 510.

SIBI, vel SYBI, vide *Ibi*.

SIBILARE, apud Lamprid. in *Commodo*, *c.* 1. *Jam in his artifex, quæ stationis Imperatoriæ non erant, ut calices fingeret, saltaret, cantaret*, sibilaret, *scurram denique ---- ostenderet*: fistulâ canere est, quod *pandurizare* dicit Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 32. Græci συρίττειν ut Plinius (ubi de cervis) exponit. Et sanè *sibilus* propriè sonus est, quem fistula emittit. Ovid. *l.* 13. *Met. v.* 785.

Et norunt omnes pastoria sibila *montes.*

Unde & σύριγξ, *fistula*, ἀπὸ τοῦ συρίττειν. Sed non omnis sibilus fistulâ editur; nec Græci συρίττειν cùm dicunt, de sibilo fistulari, sed qui ore solô editur, intelligunt: Hodieque sunt, qui solius oris sibilô omne genus cantilenas modulantur; quò sensu forsan meliùs τὸ *sibilare* apud Lamprid. sumitur. Fefellit nempe Plinium, quod συρίζειν Græci pro *fistulâ canere* propriè dicunt, unde συρισδεῖν, apud *Theocritum*, à quo diversum συρίττειν, ut diximus. Cæterùm *sibilô* explodebantur olim ridiculi Actores, & *sibilo palmæ*, cùm scil. manu cavatâ & ori admotâ sibilamus, cervos maximè gaudere ajunt, qui de venatione hodierna scripserunt: unde hôc pactô illos captari mos. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 220. & 221. Propriè ergò *sibilus*, sonus est exilis, qui fit ore compressis dentibus & paulum diductis labiis. Hinc ad serpentes translata vox, quorum *sibilus* terribilis quidem, Sapient. *c.* 17. *v.* 9. exilis tamen, Jerem. *c.* 46. *v.* 22. Reguli inprimis seu basilisci, cujus *sibilô ipsos fugari serpentes*, *Plin.* & ex eo *Solinus*, omnes quinimò, qui audiunt, necari, *Damir* aliique tradunt. Unde ei *Sibili* quoque nomen apud Latinos, sicut צפעני, *tsiphoni*, apud Hebræos, vide suprà. Valde igitur καταχρηστικῶς illud, cùm de balatu ovium, in Cantico Deboræ, Judic. *c.* 5. *v.* 16. imò de barritu elephantorum apud Arrianum *l.* 5. voces *sibilum* denotantes usurpantur &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 45.

SIBINI, populi contermini Suevis, Strab. *l.* 7.

SIBORA, Cappadociæ urbs. *Antonin.*

SIBOTES, ex ducibus auxiliaribus, in bello, quod Perses contra Æëten movit, occisus ab Ambeno, Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 249.

SIBRANDUS, Abbas Ordinis Præmonstrantium, floruit seculô 13. Frisius gente, Obiit A. C. 1230. Scripsit vitam S. Siardi, & S. Friderici. Miræus *in Chron. Præm.* Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 57.

SIBRANDUS Leo, Leovardiâ Friso, scripsit seculô præteritô vitas Abbatum Horti B. Mariæ.

SIBRIUM, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptolem.*

SIBRUS, fluv. Lyciæ, Stephan. in *Tremile*.

SIBURTIUS, ab Alexandro Magno, Satrapes Arachosiis, in locum Memnonis, qui ibi interierat morbô, constitutus. Hic est, cujus meminit Plut. *fine Eumenis*, & Polyæn. *l.* 4. *in Antigono* com. 15. nec non Diodor. *l.* 19. *fol.* 678. Ei Antigonus mille Argyraspidum misit auxilio, ad eos exstirpandos, ob perfidiam in Eumenem suspectos. Janus Gebbardus, *in Spicilegio Politico-Philologico*, *ad Cornelii Nepotis Eumenem*.

SIBUTZATES, Aquitaniæ populi proximi Garumnis, *Ptolem.* Sub Biturigibus Vibiscis, in ora Oceani, ubi hodie regiunc. *le pais de Buch*, in Guienna vera, prope Arcassonium portum, *Sanso*. Sed Vales. *Sibutsatium* nomen in Sobussa agnoscit, qui est locus ad Aturum, inter Aquas Tarbellicas, & Lapurdum seu Bajonam. *Sobussa*, igitur, vulgò *Sobusse*, aliàs *Saubuse*, olim *Sibutsa* videtur dicta esse; & *Sibutsates* loci incolæ, pars Tarbellorum, vel Tarbellis contributi fuerunt, *Notit. Gall.*

SIBY, Arabiæ Felicis oppid. seu Elamitarum, quod Græci *Apaten* vocant, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

SIBYLLÆ, variæ fuêre, & numerantur à Clem. Alexand. Varrone, aliisque, de quarum nominibus posteà videbimus. Unde verò *Sibyllæ* nomen provenerit, Græci suô more admodum nugantur. Quibusdam quasi Σιὸς βουλὴ, *Jovis consilium* dici videtur, Laconum more, Σιὸς positô pro Διὸς, ut *Sibylla* quidem tanquam Θεοβούλη sit dicta. Salmas. diminutivum esse existimat à Σιὸς, Σίβυλλα; sicut ab Ἥρα ἤρυλλα, σπεῖος σπεύλλα, de quo *Hesych.* Quid autem si

vox sit Orientalis, à סבל *sabal*, *Sebula*, tanquam si *portatricem* dicas, sive quæ habeat incolam Pythium, quales etiam fatidicæ fœminæ ἐγγαστρίμυθοι dicuntur. Antiquissima certè Sibylla *Sambethe*, quæ *Chaldæa* aliis, aliis *Hebræa*, dicebatur *Saba*, unde Bacchus quoque oriundus est. Ab hâc, ut loquitur *Hermeas* philosophus, omnes mulieres τὸν μαντικὸν ἐπαγγελλομένας βίον dictæ fuére *Sibyllæ*. Cæterùm *Sibyllæ* decem numerô fuisse perhibentur. *Prima* ex Persia oriunda, *Sambethe* dicta, quæ quibusdam Berosi filia, aliis Judæa gente, creditur. Hujus meminit Nicanor, qui res gestas Alexand. Max. descripsit; Illi tribuuntur vaticinia de Christo, de regnorum mutationibus. *Secunda*, *Libyca*, cujus Euripides meminit *in Lamiæ prologo*, eique adscribuntur vaticinia de Christi miraculis, quòd surdi auditum, cæci visum, claudi incessum receperint, mortui quoque fuerint revocati in vitam. *Tertia*, *Delphica*, cujus mentionem fecit Chrysippus, eô librô quem *de divinatione* in lucem dedit, & *in Annalibus suis*, nominavit Piso. Creditur vixisse ante bellum Trojanum, adeoque Delphis nata. Aliô nomine *Artemis* audit. Nonnulli eandem esse volunt *Delphicam*, Erythræam, Siculam, Samiam, Rhodiam, quòd his in locis frequenter versata sit, sed proprium ejus nomen fuisse Herophilen. Cum esset adolescentula adhuc, *vaticinata* egit in templo Apollinis τοῦ Σμινθέως, ut *Peucerus* notat, & somnia, quæ in Hecates templo excubantibus objiciebantur, explanavit. Dicitur & Delphis saxum quoddam conscendisse, atque inde Μαντεύματα, καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ κάτοχος oracula proclamâsse, cui quidem inde saxi *Herophilæ* appellatio inhæsit. In Troade tandem non procul ab Ida monte in nemore τοῦ Σμινθέως eam sepultam, ex epitaphio columnæ lapideæ incisô observatum tandem scribit Pausan. *l.* 1. Hujus haud paucos versus Iliadi suæ inseruisse Homerus creditur. An eadem cum illa, quam Daphnen, Tiresiæ filiam, Diodor. Sic *l.* 4. *c.* 6. vocat? Celebratur ejus vaticinium de colaphis Christo Domino impingendis in passione, de sputis, de felle & aceto in potum dando, crediturque ut dictum, Homerus plurimos ejus versus operi inseruisse. *Quarta*, *Cumæa*, cujus meminit Nævius, teste Varrone, *in libris belli Punici*, sicut & Piso *in Annalibus*. Hanc refert Lactantius *l.* 1. *c.* 6. ex Varrone, 9. oraculorum volumina obtulisse Tarquinio Prisco, & pro eis postulâsse Philippicos trecentos, quos cùm Rex, pretii magnitudine deterritus, solvere recusâset, crematis 3. reliqua eam retulisse ad regem postulatô eôdem pretiô, tum verò multo magis existimâsse regem insanire mulierem, ideoque rursus alia 3. volumina ultricibus dedisse flammis, & nihilominus in pretio perstitisse; tandem verò admiratione ductum Tarquinium, inspectos libros residuos trecentis illis aureis sibi retinuisse, & arcæ lapideæ inclusisse in templo, Jovis Capitolini sepositos & asservatos ad Cornel. usque Syllam, quô tempore Capitolium simul cum illis flagravit Suetonius verò vult usque ad Augustum mansisse incolumes hos libros, & sub basi Palatini Apollinis, cum Martiorum vatum & Bagoes Nymphæ carminibus conditos stetisse, eundemque Monarcham Sibyllinorum librorum habuisse delectum, exustis illis, qui nothi videbantur, reservatis genuinis. Meminit hujus & Martyr Justinus *in Gentium admonitorio*, ubi dicit, eam vaticinatam de Salvatoris adventu, & ejus operibus. *Quinta*, *Erythræa*, quam suam vocat civem Apollodorus Erythræus, Dionysius verò *Nympham fatidicam* *l.* 1. Est autem *Erythra* Ioniæ urbs maritima *Ptolemæo*, quæ Stephano etiam Κνωπούπολις dicitur. Eam ferunt vaticinatam Græcis, esse perituram Trojam, & Homerum mendacia scripturum. Constantin. Magnus Imper. in oratione quam Euseb. libris de vitâ Constantini à se editis adjunxit, recitat hujus oraculum de adventu Christi, sed dubiâ profectò fide, initialibus carminum literis præ se ferentibus hæc verba: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ. Asserit idem M. Tullium Ciceronem Sibyllinam hanc Acrostichidem carminibus Latinis inclusisse. Interim scribit Augustin. *l.* 18. *de Civ. Dei*. *c.* 23. eandem se Acrostichidem legisse inter Græca Erythrææ carmina, quæ ipsi exhibuit Flaccianus Africæ Proconsul. *Sexta* Sibylla, *Samia* fuit, de qua mentionem facit Eratosthenes in *Annalibus*. Illi cognomen fuit Φυτώ, diciturque vaticinata de Christo insidente Asello, & Hierosolymam ingresso. *Septima*, *Cumana*, propriô nomine *Amalthæa*, *Erophyle*, & *Demophile*, quam aliqui cum *Cumæa* eandem faciunt. Celebrantur ejus versus, quibus per numeros exprimitur nomen Jesu. *Octava*, *Hellespontiaca*, nata in agro Trojano, vico Marmissâ, quam scripsit Heraclides Cyri temporibus fuisse. Illi defertur vaticinium de Christi doctrina; quòdque legem completurus esset, non violaturus. *Nona*, *Phrygia*, quæ Ancyræ vaticinata est cùm de aliis rebus, tum de morte Christi, scindendum esse tum templi velum, mediô die suborituras tenebras, ipsumque adeò triduanô somnô fata mortalia peracturum. *Decima*, *Tiburtina*, Tibure oriunda, quod est oppid. Italiæ. Nomine proprio *Albunea* dicebatur, quam ut Deam coluerunt Tiburtini, juxta Anienis ripas. Hæc Christi resurrectionem, assumptionemque prædixisse legitur. Plura de *Sibyllis* lege apud Pausan. *in Achaicis*. Justin. Martyr. *in Paræn. ad Gent*. Clem. *l.* 1. & 4. *Strom.* Euseb. *in Chron. & Hist.* Sozomen. *Hist. l.* 2. *c.* 1. Nicephor. *l.* 8. *c.* 9. Lactant. Firm. *l.* 1. *advers. Gent. c.* 6. Joh. Boccat. *de Fœmin. illustr.* Onuphr. Panvinium, Blondellum, Casaubonum *Exercit.* 1. *contra Baronium*, *Sect.* 10. *c.* 11. Erasmum Schmidium *Dissert. de Sibyllis*, Barthium *Adversar. l.* 9. *c.* 11. Addo hîc, quòd inter eas Cumæa inprimis celebris, cujus tres libri à Tarquinio emti, ut quibus Urbis fata conscripta, diligentissimè, utpote primarium Imperii arcanum Romæ asservati, & primùm II. Virûm, dein XVirûm fidei concrediti (quorum etiam illud munus erat, Carmina ista adire atque inspicere, si quando aut præsenti damnô aut ingruentis periculi metu Resp. turbaretur) incendiô periere, Sullanis temporibus. Cui jacturæ reparandæ paulo post missi, qui *Carmina Sibyllina*, ubi essent, conquirerent, Romamque conferrent, & quæsita Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam atque Siciliam & Italicas Colonias, ac notioni Quindecimvirûm (quinque etenim alios Decemviris Sulla adjecerat) subjecta. Ex iis, quæ Romana Fata continebant, tribus itidem libris, ut Cumanæ, descripta & religiosè habita, reliquis promiscuo usui permissis, quæ octo libris comprehensa, & plurimorum in manibus versantia, Stiliconis vim effugêre, cum jussu illius tres isti libri, fortunam Urbis Populique complexi, abolerentur: de quorum ingenuitate egregiè disserentem vide Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. purior.* *c.* 1. §. 14. Adde Salmas. *ad Solin. p.* 75. & *seqq.* qui primum Augustum libros Sibyllinos condidisse duobus forulis auratis, sub Apollinis Palatini basi; cujus incendiô penè fuerint consumti, tempore Juliani Apostatæ, ex *Suetonio* & *Ammiano*, inter alia, observat. Quia verò carmina hujusmodi à priscis Christianis, piâ quâdam fraude, Gentilibus ad meliorem religionem faciliùs vertendis, excogitata, conficta & supposita, plurimi arbitrabantur, hinc Christianos jam suô ævo à quibusdam *Sibyllistarum* nomine notatos irrisosque fuisse, ut qui *Sibyllam* prophetidem existimarint, notat Origenes *contra Celsum l.* 5. *n.* 15. Vide quoque suprà *Liber*, it. *Quindecemviri*. Addo hîc saltem, cùm aliàs ferè semper Carmina *Sibyllina*, quæ tantæ venerationi apud veteres Romanos esse diximus, solùm indicarent, quid faciendum, si aut seditio, aut calamitas aut prodigium, aut quædam magna consternatio ac timor, aut aliud aliquid hujusce naturæ ad ea consulenda Senatum vel Cæsares impulisset, uti ex Dionysio Halicarn. *l.* 4. patet: à Cæsare apud *Plut.* & Maxentio apud Zosimum *l.* 2. per XV.viros adita etiam de rebus futuris prædictiones edidisse: manifestô fraudis & *rideinæ* indiciô, qua de re suprà diximus.

SIBYLLÆ Antrum, vide *Antrum Sibyllæ*.

SIBYLLÆ Vallis, apud Cumas, ubi linum optimum, Plinio *l.* 19. *c.* 1. *Cumanum*.

SIBYLLATES, vide *Sibutzates*.

SIBYNA, apud Tertullian. *adv. Marc. l.* 3. *c.* 21. *Et concident machæras suas in aratra, & sibynas in falces*: σιβύνη Ephippo apud Athenæum *l.* 12. ζιβύνη Græcis Interpp. Jerem. *c.* 6. *v.* 23. *Aristagora* & Herod. *l.* 5. est αἰχμὴ βραχεῖα, *hasta brevis*, qua Persæ olim usi. Certè Hebr. שבולת, unde vox Græca orta, permutatione *l.* & *n.* propriè est *spica*, inde ad hastile translatum nomen. Quomodo *spicula* Isidoro sunt *sagittæ vel lanceæ breves*, *ab spicarum specie nuncupatæ*, *Orig. l.* 17. *c.* 8. Et Gallicè hastam Turnebus *picam*, quasi *spicam*, vocari putat, quòd ferrô spicata sit exiguô; Bochartus, quòd *spicæ* formam habeat. Meminit inter arma Persarum hastilium hujusmodi, ut diximus, Herod. *l.* 5. ubi iis tribuuntur τόξα καὶ αἰχμὴ βραχεῖα. *arcus & hasta brevis*; & *l.* 7. de exercitu Xerxis, αἰχμὰς βραχέας, τόξα δὲ μεγάλα. *hastas breves & magnos arcus*, illis fuisse, itidem ait. Quemadmodum Alexandrum scribit Athenæus *d. l.* cum Persica stola gestâsse, τό τε τόξον, καὶ τὴν σιβύνην, *arcum etiam & sibynam*: planè ut Græca Versio Jerem. *loc. cit.* τόξον καὶ ζιβύνην κρατήσουσι. Id ipsum porrò Persarum telum, ab aliis παλτῷ κρανείνῳ, *pilo è corno*, instructum fuisse, ait: & *l.* 1. ac 4. ubi singulis, præter arcum & pharetram, bina παλτὰ assignat, Arriano *l.* 1. Aliis. Nempe παλτὸν ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *à vibrando*, sicut Hebr. כידון *Chidon*, h. e. telum exitiale, appellatum est. Vide Bochartum *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 8. & suprà in voce *Pilum*.

SIBYRTUS, urbs Cretæ *Steph.*

SIC vivant lumina mea, vetus jurandi formula, de qua vide B. Augustin. *Exegeticis in Johannem*.

SICA, non à *secando*, ut quibusdam visum, habet enim priorem productam, sed à Græco ξίφος, quod ἐγχειρίδιον, αἰχμήν, ἀκινάκην, exponunt Grammatici; ferreus culter; Justiniano dicitur *Institut. l.* 4. quem prolixiùs ita describit Josephus *Antiqq. Judaic. l.* 20. *Sicarii*, inquit, *latrones sunt*, *cultellis utentes*, *magnitudine similibus acinacibus Persicis recurvis & similibus iis*, *qui à Romanis Sicæ dicuntur*: *unde & qui latrocinantur nomen sumpserunt*. *Hi gladii breves erant ita ut occultari sinu vestis & facilè*, *nec opinantes confodi*, *maximè in turba*, *possent*. Inter arma certè Persarum ἐγχειρίδια, seu *sicæ*, recensentur Herodoto *l.* 7. ubi præter hastas breves, magnos arcus, sagittas arundineas, iis tribuit ἐγχειρίδια παρὰ τὸν δεξιὸν μηρὸν παραιωρεύμενα ἐκ τῆς ζώνης, *sicas ad dextrum latus è zona suspensas*, Pollux ἀκινάκας vocat, *l.* 1. *c.* 12. *sect.* 7. Ἀκινάκης, περσικὸν ξιφίδιον ἦν, τῷ μηρῷ προσηρτημένον, *Acinaces*, *Persicus gladiolus est*, *è femore appensus*: voce è Persica *chinger* emollitâ. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 8. Sed & Thracum fuisse, videbimus infrà. Hinc itaque *Sicarii* dicti sunt, contra quos extat lex Cornelia, quam tulit Corn. Sulla Dictator an. Urb. Cond. 673. cujus quæ fuerint capita, exhibet Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 26. Mentio quoque *Sicariorum*, Actorum *c.* 21. *v.* 38. ubi Ægyptius quidam in desertum eduxisse dicitur τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν Σικαρίων, *quatuor millia Sicariorum*. Quam factionem de Gaulonitarum Secta fuisse credibile est, qui à Juda Gaulonite, seu Galilæo, de quo agitur Actorum *c.* 5. *v.* 37. orti tributum Romanis pendere recusabant, neminemque alium nisi Dominum Cœli, pro domino agnoscere se contendebant. Vide Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 13. Sicarium voce hâc & suprà, ubi de *Gaulonitis*: nec non voce *Crux*, it. *Misericordia*, & infrà *Sicela*.

SICAMBRI, seu SYGAMBRI *Strab.* nunc *Geldrenses*, teste Marlianô, populi German. inferioris inter Mosam & Rhenum: Sed veriùs Geldrenses trans Rhenum ex Suetonio, *in Aug. c.* 21. qui eos ad ulteriorem Rheni ripam describit, ubi etiam Zutphanienses. Ovid. *ad Liviam*:

Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,
Ensibus & Suevos terga dedisse suis.

Horatius *Carm. l.* 4. *Od.* 2. *v.* 34.

----- *Quandoque trahet feroces*
Per sacrum clivum meritâ decorus
----- *Fronde Sicambros.*

Et

Et Od. 14. ejusdem libri v. ult.

Te cade gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

Ptolemao fuêre ab altera parte Rheni. Zutphaniæ Comitatum eos obtinuisse quidam volunt. Sicambros posteà Francos vocatos scribunt *Rhenan.* ac *Herm. Nicenarius* & *Brietius*, qui credit eos occupâsse totum tractum à mari ad Mœnum, Imperiô Romanô jam ruente. Sub ipsis erânt Usipetes, Tencteri & Bructeri popul. Horum regio *Sicambria.* Claudian. *l.* 1. *in Eutropium. v.* 383.

Militet ut nostris detonsa Sicambria signis.

Nic. Lloydius, plura de illis apud præfatum Rhenanum *Rerum Germ. l.* 1. tit. *Sicambri in Galliam*: tum *Notis* Cl. Ottonis JCti *p.* 166. & 144. quô posteriore locô genuinam Sicambrorum progeniem hodiernos Francos esse ostendit.

SICAMBRIA, vulgò *Alt Offen*, i. e. Vetus Buda, nunc *Scambri Ferrar.* Lazarius, *R. P. R. c.* 2. *sect.* 2. Vide *Legio auxiliatrix.*

SICAMINUM, oppid. super mare, juxta Carmelum, Cæsareâ Ptolemaidem pergentibus. Joseph. *l.* 3. *Jud. Ant. c.* 19.

SICANE, urbs Iberiæ, *Stephan.*

SICANI, Hispaniæ popul. Sicoris fluv. olim accolæ, qui relictis sedibus suis, Sicanô duce, in Italiam se contulerunt, pulsisque Aboriginibus Latium occupârunt; ipsique posteà ab ipsis pulsi, quos ante pepulerant, insulam vicinam Italiæ occupaverunt, & eam *Sicaniam* à suo nomine nuncupaverunt. Servius *in illud Æn. l.* 7. *v.* 795.

Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani.

Silius *l.* 10. *v.* 314.

Sicana nunc tellus, nunc litora Ibera cruorem.

Hinc *Sicanis* fœm. Ovid. *in Ibin, v.* 598.

Plurima qua flammis Sicanis Ætna vomit.

Porrò *Sicanos*, à *Siculis* (uti putat Bochartus *ubique l.* 1. *Chanaan, c.* 30.) neque gens, neque sermo distinxit, sed situs, & variæ, ut evenit, in eadem gente factiones. Et Punicâ voce [illegible] *Sicani* dicti, qui Siculorum Pœnis erant proximi, quasi *vicinos* dixeris. Hebræis enim & Syris *Saken*, cujus plurale *Sekenim*, *vicinum* sonat. Diodorus Siculos cum Sicanis conferens ait: Τούτους δὲ τῆς χώρας [illegible] Σικανοί, [illegible] Σικανοί. Huc facit illud Poëtæ *Æn. l.* 5. *v.* 24.

—— —— *Nec litora longè*
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos.

Nic. Lloydius.

SICAPHA, Africæ propriæ oppid. *Ptolem.*

SICARDUS, Episcop. Cremonensis, floruit A. C. 1160. Auctor historiæ Paparum. Raph. Volaterranus, *Comm. l.* 22. Vide Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 53. Luc. *in Bibl. Carmel.*

SICARIS, vide SICORIS.

SICASSA, Insula maris Ægæi, ante Ephesum, Plin. *l.* 31. *c.* 5.

SICAULA, vel SEULUS, fluv. Galliæ in Arvernis, vulgò *Sioule*, aut *Sioule* dictus, qui Castellum Novum, Manatense nomine *Menat*, Vivarium *le Vivier*, Ebrogilum *Ebreule*, Rupem fortem, oppidum S. Porciani *S. Pourçain*, attingit, ac in Elaver influit. Recipit Bulbulam *la Bouble*, qui Montem Acutum in Combralia, Cantiliam Villam & Castellum præterlapsus, apud Martiliacum in Sicaulam defertur. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SICCA, seu SICCA VENERIA, *Ptol.* & *Procop. Veneria* Solino c. 30. colonia & urbs Africæ mediterr. media inter Cirtam ad Occasum & Narangaram ad Ortum. Et sine dubio nomen ei Pœni, Phœnicum exemplô, qui Assyrios [illegible] Babylonios imitati sunt, à *Succoth* vel *Sicoth Benoth*, Veneris Templo, apud Babylon. imposuerunt. Significat autem vox hæc, *Tabernacula filiarum*, quòd Babylone, in Templo Veneris Uraniæ, Virgines tempora corollis religatæ amatores suos operirentur, qua de re Herodot. *Musâ primâ*: & à *Benoth*, Veneris nomen Joh. Seldenus non absque ratione deducit. A' veneris verò Fano *Siccæ* urbi nomen fuisse, vel fidem fecerit illud Valerii Max. *l.* 2. *c.* 6. *ex.* 15. *Sicca est Fanum Veneris, in quod se Matronæ conferebant, atque inde, procedentes ad quæstum dotes corporis injuriâ contrahebant, honestâ nimirum tam inhonestô vinculo conjugia juncturi*: Pluribus hoc idem Seldenus, *de Diis Syris, Syntagm.* 2. *c.* 7. Vide Voss. *de Idolol. orig. ac progr. l.* 2. *c.* 22. Hîc postea Episcopatum fuisse institutum, notum est ex Historia Eccl. Inde oriundus Proculus Grammaticus Latinus, quô inter alios Marcus Imperator usus legitur, apud Jul. Capitolin. *c.* 2. *Usus —— quotidianis Latinis, Trosiô Aprô & Pollione, & Eutychiô Proculô Siccensi*: ad quem locum vide Casaubonum.

SICCUS Panis, apud Vopiscum *in Tacito, c.* 11. *Panem nisi siccum non comedit*: est panis solus. Nunquam enim nisi panem solum in jentaculis & prandiis comedisse Tacitum, dicere vult: cùm alii parmulas, uvas passas, nucleos, mel Atticum crudum aut coctum, aut aliquid melliti operisve dulciarii, fassi etiam aliquid nonnunquam cum pane comederent. Sic de se Seneca scribit, *Ep.* 83. *Non multum mihi ad balneum superest, panis deinde siccus, & sine mensa prandium.* Et hoc erat jentare Veteribus. Græci eôdem significatu ξηρὸν ἄρτον dicunt, qui etiam aliàs ξηρὸν pro *solo* usurpant sæpissimè, uti docet Eustathius *Il.* γ. *Odyss.* ι. & ρ. quô ultimô locô ξηρὰ ἔπη, *sola* & mera *carmina*, quæ prius posuerat, nullâ syllabâ mutatâ, vocat. Similiter voce usus est Capitolin. *in Maximinis, c.* 13. *Deinde sine delicto Consulares viros —— interimeret, alios siccis vehiculis exhiberet, alios in custodia detineret.* Ubi *siccis vehiculis exhibere* non aliud est, quàm, quod dixit Herodianus *l.* 7. *c.* 3. [illegible]: cùm solis & nudis vehiculis impositi viri Consulares, absque servitio, atque comitatu traherentur, ad immanissimæ belluæ arbitrium, puniendi. Eandem rationem *assum*, habet apud veteres Latinos: significat namque tostum & aridum, in quo nihil uvidi relictum est &c. Unde jam facilè exponitur Comici versiculus in *Rudente, Act.* 3. *sc.* 4. *v.* 21. in quo se multum Eruditi torsêre,

Tu senex, si istas amas, huc aridô argentô est opus,

I. e. non opus logis est ac sermonibus, si quidem amas istas mulieres, sed *solô argentô*, quod si dederis, harum tibi copia fiet. Salmas. *ad Capitolin. d. l.* Sed & ξηρὸν ἄρτον Græci interpretantur *buccellatum*, qui est panis nauticus, & Gallis hodie *bis coctus* dicitur, ut videre est apud Eund. *ad Vopisc.*

SICE, Insula est Asiæ adjacens, [illegible] procul ab Epheso, Plin. *l.* 5. *c.* 31.

SICELA vel SICILA, parva sica, unde *sicelatus latro*, de Imperatore Threcisco, (Thracum enim *sica*) apud Capitolin. *in Maximo & Balbino c.* 17. *Nam quòd nobis vita per vos reddita est, quam dimissis passim per provincias carnificibus sicelatus latro sic petiit, ut se Ordini propteretiir iratum, quomodo dicam aut prosequar?* Verba sunt Augusti Claudii Juliani *Ep.* ad Pupienum & Balbinum: intelligit autem hôc nomine Maximinum Thracem, *sicilâ*, h. e. parvâ sicâ armatum. Vide quoque suprà, voce *Parmas.* Ab eadem origine *sicles* sunt & *sicilia*, spicula hastarum, ut videre est apud Salmas. *d. l.* Item *sicilum*, Græcè σμίλιον, *cælum*, unde *siciliti lapides* i. e. *sculpti.* Gall. *ciselés.* Idem *ad Solin. p.* 1045.

SICELEG, & SICELECH, urbs assignata priùs tribui Judæ, posteà Simeonis, inter primas ejus, sed possessa à Philistæis, quam Rex Achis donavit Davidi, qui in ea sedit & habitavit totum annum & menses quatuor, atque exinde permansit tribus Judæ. Vide Jos. *c.* 15. *v.* 31. & *c.* 19. *v.* 5.

SICELES, oppidum Palæstinæ, ultra Hebron, inter Gerut & Bersabee.

SICELIA CÆSAREA, urbs Mauritaniæ, patria Macrini Imperatoris. *Xiphilinus.*

SICEMUS, urbs Arabiæ, *Stephan.*

SICENDUS, lacus Thessaliæ, mutas habens ranas, quæ tamen aliò translatæ coaxant, Plin. *l.* 8. *c.* 58.

SICENUS, insul. juxta Cretam, quæ prius *Oenoe* vocabatur, *Steph.*

SICEOTES Theodorus, vide *Theodorus.*

SICERA, vulgò LA CISSE, fluv. Galliæ, paulò supra Turonos in dextrum Ligerim defluit: *humanæ naturæ prorsus contrarius, cùm ejus unda glareosa plus sitim attrahat, quàm depellat*, Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Alius est *Cisa* fluv. *le Cousson*, qui in sinistrum Ligerim, contra castrum Blesense, influit. Alius item *Cisilla* amnis, vulgò *Choisille*, qui infra Turonos Ligeri finister accedit, Idem.

SICERA, ex Hebr. שכר *potus inebrians*, cùm absolutè ponitur, vinum; cùm vino opponitur, omnem aliam potionem inebriantem notat &c. Suicerus *Thes. Eccl.* in hac voce. Vide quoque supra, *Anglia.*

SICEUM, locus seu pagus Galatiæ in agro Ancyrano; ab Anastasiopoli 12. mill. pass.

SICHÆUS, fil. Plisthenis Phœnicis, sacerdos Herculis, maritus Didus, Phœnicum omnium locupletissimus, quem, ejus thesauris inhians Pygmalion, uxoris ejus frater, sacrificiis intentum interfecit. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 347.

Huic conjux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœnicum. —— ——

Justin. *l.* 18. *c.* 4. *Sichæo magnæ, sed dissimulatæ opes erant, aurumque metu regis, non tectis sed terræ crediderat, quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.* Græcis Συχαῖος, Servius *ad Virgil.* Sicharbam dictum annotat Latinis veter. ex Ἀχέρβας, pro quo *Acerbas* Justinus habet. Ita ex ἀριστερός, *sinister*, Ἄκεστα, *Segesta* &c. Salmas. *ad Solinum p.* 323. Item *Sichæus* adjectivum. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 552.

Non servata fides cineri promissa Sichæo.

SICHAR, it. SICHEM, vide suprà *Nebiles.*

SICHEM, quæ & *Neapolis*, Plinio *l.* 5. *c.* 13. ac *Ptolemæo.* Plinio verò *Mamortha*, urbs Palæstinæ perantiqua, in Samaria apud montem Garizim excisa, à Samaria 8. mill. pass. distans. Hîc Josephus, cui in peculium cesserât, sepultus, & Christus ad fontem Jacobi cum Samaritana locutus est. Ibidem loci, Deus fœdus suum cum populo renovavit, paulò ante Josuæ mortem, & congregati Israëlitæ Roboamum rogârunt, ut jugi rigorem mitigaret. In tribu Ephraim. *Baudrando* vix 5. mill. pass. à Samaria in Occidentem. Nunc *Pelosa*, vel *Napolosa.* Ex præcipuis totius terræ S. Præfecti sedes. Crevit ex ruinis Samariæ; ideoque potest Samaria nova dici. Fuit olim Urbs refugii & Levitarum metropolis. Eam primò vastârunt Simeon & Levi, filii Jacobi, ob stuprum Dinæ sorori illatum; secundò ab Abimelecho eversam reædificavit Jeroboam. Amœnitate locus & deliciis diffluebat, Genes. *c.* 34. *v.* 2. Jos. *c. ult. v.* 7. 2. Reg. *c.* 12. *v.* 25. 2. Paral. *c.* 10. *v.* 1. Joh. *c.* 4. *v.* 5. Joseph. *Jud. Ant. l.* 1. & 5. Torniel. *Ann. Mund.* 2114. 2802. Item oppidum Brabantiæ. *Sichemiensis* Virginis miracula edidit Justus Lipsius, cui etiam moriens, pennam argenteam, cum veste sua pellicea, legavit. Unde jocus cujusdam Poëtæ:

Sensit homo frigere sua miracula Divæ,
Crassaque pro calido stragula thure dedit.

SICHNE, oppidulum Brabantiæ, memoratum in literis datis A. C. 1130. quas Albertus Miræus in lucem protulit, nunc *Sichemium* vocatur. Locus inter suos celebris D. Virginis Fanô, de cujus miraculis multa Lipsius habet: Vide in voce *Sichem.*

SICIA Gens & SICINIA, inter Romanos illustris fuit, è qua L. *Sicius* Dentatus ille fortitudinis laude adeò inclytus, sic enim meliores Plinii libri nominant *l.* 22. *c.* 5. quem alii *Sicinium*, *Siccium*, *Sittium*. Mentio apud Livium *l.* 3. *c.* 43. L. *Sicii* fortissimi viri, qui in Sabinis per insidias à suis obtruncatus est fraude Decemvirûm, quòd in eorum invidiam sermones ad populum ferret, de creandis Tribunis Pleb. Hic ipse L. Sicius Dentatus. At *l.* 6. idem meminit *L. Sicinii* Tribuni Pleb. Sed & Titus *Sicinius* Consul fuit, cum G. Aquilio Tusco. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 47. nec non in voce *Sicinius*.

SICIDOTES Michaël, vide *Michaël*.

SICILA, locus Germaniæ superioris apud Mogontiacum, ubi Severus Imperator interfectus est. Lamprid. *c.* 59.

SICILIA, (Vide *Trinacria*) Tyrrheni maris insula, à *Thucydide Sicania* dicta. *Sicilia*, incolis, Italis, & Hispanis, *la Sicile* Gallis, insula est ampla, & formæ triangularis, inter mare Thyrrhenum seu Tuscum ad Boream, mare Siculum ab ea dictum ad Ortum, & mare Libycum sive Africum ad Meridiem. Separatur ab Italia angustô fretô 1500. pass. ejusque circuitus est 600. mill. pass. teste *Cluveriô*. Ipsius enim latus Boreale à Lilybæo promontorio ad Pelorum est 255. mill. pass. latus Australe à Lilybæo promontorio ad Pachynum est 190. mill. pass. & latus Orientale à Pachyno ad Pelorum est 155. mill. pass. ut pluribus refert *Cluverius*, qui totam insulam dimensus est. Aliàs Reges habuit proprios, hodiè verò subest Regi Hispaniæ; & in ea sunt tres partes seu provinciæ, valles dictæ, nempe Vallis Nemorensis seu Demonæ, *Val di Demona*, ad Ortum & Boream, ubi Messana, Catana, Pactæ, & Cephaloedium, cum monte Ætna; Vallis Neetina, *Val di Noto*, ad austrum, versùs Pachynum promontorium, ubi Syracusæ, Neetum, & Terra nova, & Vallis Mazaræ, *Val di Mazara*, ad Occasum extensa, ubi Panormus, Mons Regalis, Mazara, Agrigentum, & Drepanum. Distat autem Sicilia à Sardinia 170. mill. pass. & 380. à Peloponneso, *Sansone* & aliis testibus. Frumenti adeò ferax est, ut non immeritò olim *Romani imperii horreum* fuerit appellata. Namque & optimum triticum, & nobilissima vina gignit: de quo Plinius, qui *l.* 18. *c.* 10. auctor est, Leontinos Siciliæ campos stipulas cum centesimo germine fundere. Et ideo inter subsidia frumentaria Reipubl. Rom. hæc insula Ciceroni memoratur, *pro lege Manilia Oratione*. Itaque mirum ab Euripide in *Phœniss. infrugiferam* appellari. Sed id ad illa tempora referendum est, cùm à Cyclopibus, serendarum frugum ignaris, habitata insula fuit, ut eruditè Grotius monet, quem vide, si lubet, *Prolegomenis in illam Tragœdiam Poetæ*. Hæc olim agro Brutio creditur adhæsisse, posteaque impetu maris avulsa fuisse. Vide *Rhegium*. Vulgati Etymologi inde nomen traxisse volunt, quasi *Siclita*, i. e. *resecta*. Quantò meliùs Bochart. *l.* 1. *Chanaan c.* 30. qui duas tradit nominis notationes: Prima est hæc; *Siciliam* scilicet à Phœnicibus appellatam esse insulam שכלול *Siclul*, i.e. *perfectionis*; quia inter omnes insulas, quæ notæ erant tunc temporis, facilè primas obtinuit. Strabo *l.* 2. Ἀπὸ τῆς ἄλλης τῆς κατ' αὐτὰς ἐστι κρείττων, ἢ ὕβλα. Altera est hæc, אשכול *Escol* Hebræis botrus est, ut & סגול *segol* Syris, vel סגולא *segula*, cujus plurale סגולייא *segulaja* pro botris. Quâ ipsâ voce verisimile est Phœnices Siciliam appellâsse, quasi *botrorum insulam*. Est enim vini feracissima. Populi *Siculi* quos *acutos & lepidos* Cicero tradit, *Tuscul. c.* 8. Et quia *lepidi*, idcirco iisdem *sales*, atque *facetias* idem tribuit *l.* 2. *de Oratore*, & *in Verrem*. *Trilingues* Apulejus vocavit, quòd primò barbarè, deinde Græcè, & post Latinè locuti fuerint. Licet alii eâ voce *vafros* & *astutos* intelligunt. Quanquam neutrâ earum linguarum satis benè utebantur, quod Asconius *in Divinationem Ciceronis in Verrem* notat. Hinc *Sicilicissitare* per jocum, pro Siculorum more malè Græcè loqui, *Prologo Menæchmorum* Plautus dixit. Historia eorum hæc est. Primi Siciliæ incolæ Latium inhabitabant, sed ab Aboriginibus & Pelasgis pulsi, in veteri Oenotria à Morge, Itali filio, sedes acceperunt: cui cùm suspectus esset Siculus, illorum Dux, aliàs sedes quærere compulsi, Trinacriam occupârunt, hâc cum Sicanis, qui prius illò venerant, divisâ. Ante Romanos, nemi nem habuerunt totius Insulæ Regem. Dionysius quidem, Agathocles & Hieron Syracusis potiti sunt, sed postea, cùm inter Pœnos & Romanos Insula diu laceraretur, tandem his tota cessit. Nec omittendum, Græcos, qui subinde in Siciliam colonias deduxerant, partem ejus Magnam Græciam appellâsse. Declinante imperiô Roman. occupata & direpta est Sicilia à Genserico, A. C. 439. & 440. recuperata à Belisario, A. C. 535. Dein Saracenis patuit, quorum Amiræ Panormi sederunt ab A. C. 827. usque ad A. C. 1070. quô intervallô cum Imperatorib. Græcis pro Insula bella gesserunt, Constantini IX. victores, A. C. 1032. victi à Michaële Paphlagone, per Maniacen, A. C. 1040. Dein à Normannis, Robertô Guichardô, & Rogeriô Ducibus, quibus Nicolaus II. Apuliam, Calabriam & Siciliam, à Græcis & Saracenis possessas in feudum concesserat, A. C. 1058. pulsi sunt. Hic Rex constitutus, genuit Guilielmum I. Malum: cujus filia Henrico VI. Imperatori nupta est, patri Friderici II. Imperator. avo Conradi: Manfredus dein illam sibi rapuit, exutus regnô & vitâ, à Carolo, Ludovici IX. Galliæ Regis fratre, cui Siciliam cum regno Neapolitano Papa donavit. Hujus successores, perpetuo cum Arragoniis Regibus, in quorum familiam Manfredi filia Constantia nupserat, bello impliciti vixerunt. Sub Petro III. Arragoniæ Rege Constantiæ marito, *Vespera Sicula*, A. C. 1282. occisis Gallis omnibus, regnum Arragoniis conciliârunt, hodieque sub Hispaniæ Regibus est, qui ibi Vice-Regem habent. Ab A. C. 1675. intestinis turbis, seditiosorum conatus Galliæ Rege fovente, omnia flagrant. Thomas Fazell. *Histor. Sicil. & de rebus Sicul.* Guilielm. *Hist. Normann. in Sicil.* Hugo Falcandius, *de rebus in Sicilia gestis*. Godofred. Malaterra, *de rebus Viscbardi*. Anton. de la Sale, *Geneal. & Chron. Norm. Regum Sicil.* Hubertus Goltzius, *Sicil. & Magna Græcia, &c.* Siculi porro olim vitam opiparam ducebant, ut apud Platon. *l.* 3. *mensa Sicula*, & apud Athen. *l.* 14. ex Cratino, *coquus Siculus* essent proverbio. Aliò tamen tempore non deliciis, sed laboribus operam dantes militiæ inserviebant, ut *Siculus miles* proverbialiter, teste Zenodotô, de mercenario milite, ac de nullum ministerii genus lucri causâ recusante diceretur. Furaces quoque habiti sunt, unde adagium apud *Suidam*; *Siculus amphorizat*, in eos qui vel vilia furentur, qualis est *omphax*. *Aula* quoque *Sicula* apud Juvenalem, *Sat.* 6. *vs.* 486. pro imperio duro, proverbiô dicitur. Plura de Sicilia videri possunt apud *Cluverium*, *Bochartum*, & Auctores retro laudatos. Addo saltem, quòd sub Romanis, quibus in singulas provincias singulos Quæstores mittere moris erat, duos ipsa tamen Prætores habuit, quòd duplex fuisset, *Provincia vetus & nova*: unum qui Lilybæi, alterum qui Syracusis curabat. Hodie, ut ait Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. c.* 5. *ubi de Hispan.*, nomen ambiguum est, & Insulæ pariter ac Regno Neapolitano tribuitur, unde & Hispaniæ Monarchæ *utriusque Siciliæ* Reges dicuntur. Itaque discriminis causâ *Siciliam* Insul. vocant *Siciliam trans Pharum*, Regnum Neapolitanum *Siciliam cis Pharum*; Pharum verò ipsum *el Faro di Messina*, fretum Mamertinum, inter utramque positum. Fertilitatis & incolarum copiæ indicio est, quòd 12. Episcopos numerat, & Plinii tempore jam 72. urbes habuit. Regitur *Sicilia* trans Pharum, à peculiari Vice-Rege Hispan. qui Panormi residet: *Sicilia* cis Pharum, quæ etiam Hispanici juris, feudi locô à Pontifice Romano accipitur, cui Rex ea propter quotannis equam albam ephippiô & ornamentis ex holoserico rubro ornatam, simul 7000. aureorum pendit, quâ pecuniâ acceptâ dicere fertur Pontifex: *Sufficiant pro hac vice*. Sed & de altera *Sicilia* aliquid controversiæ subest: Affirmant enim quidem Reges Hispaniæ, se in temporalibus, adeo dominos esse *Siciliæ*, ut jure regiô in multis Romani Pontificis obeant munus, qualia sunt: *Beneficiorum collationes*, *dispensationes reditum Ecclesiæ &c.* quæ a Sede Romana decessoribus suis indulta asserunt, in remunerationem redacti ad obedientiam Ecclesiæ Regni, quod à Saracenis occupatum fuerat, sicque beneficiô ipsius præfatæ Sedis, Ecclesiæ jura in Reges translata esse, contendunt. Contrà tamen Pontifices, à tempore Nicolai II. & A. C. 1060. Comites & Duces *Siciliæ*, Robertum Guiscardum, Constantium, Fridericum: deinde è familia Gallorum Regia Duces Andegavenses; postmodum Aragoniæ Reges professos esse, se Sedi Romanæ homagium ligium pro *Siciliæ* Regno, sub hac clausula, debere: *Quod in Ecclesiis vacantibus Nos & nostri in Regno heredes nulla habebimus Regalia, nullosque eo nomine fructus, reditus, proventus & obventiones percipiemus*, ajunt. Quæ ita singulari opere, pro causa Pontificis, asseruit Baronius *de Monarchia Siciliæ*: sed quod propterea edictô Hispaniæ Regis proscriptum ipseque Auctor non multò pòst, à factione Hispanica, Pontificiâ dignitate exclusus est. Vide Auctorem prædictum Anonymum *c.* 1. *de Regno Hisp.* §. 9. Nec omittendum, quod Gronovius suggerit, Romanos veteres in re nummaria *Siculorum* adoptavisse nomina, non quidem, ut eandem omnibus partibus rem significarent, sed ut multum diversas, propter quandam analogiam. Ita *Siculi* obolum, nummum argenteum dixerunt λίτραν; unde *Libra* Romanorum orta, quâ ipsi ταλάντον denotârunt cujusvis rei ponderandæ, sed primùm in ære. Οὐγγία Siculis minutus ex ære nummus: Romanis duodecima pars Libræ. Siculis δεκάλιτρον secabatur in 10. partes argenti; Romanis *Denarius* appellabatur, à 10. libris æris, dividebatur verò in 4. partes argenti. Vide eum *de Pecunia vet. l.* 3. *c.* 9. Auctoribus autem, qui de *Sicilia* scripserunt, adde *Rerum Siculorum Scriptores Antiquos*, unô volumine comprehensos Francof. A. C. 1579. Plura de *Sicilia*, inprimis historiam Familiarum regnatricium, quæ in ea sese excepere, usque ad hodiernam Austriacam, vide apud Georg. Hornium Orb. *Imper. cum Notis* L. Joachimi Felleri *p.* 182. & *seqq.*

Urbes Siciliæ Episcopales hâc tempestate:

Agrigentum, *Girgenti*, Episcopalis sub Archiepiscopo Panormitano.
* Catana, seu Catina, *Catania*, Academia, & Episcopalis sub Archiepiscopo Montis Regalis, olim metropolis.
Cephalodium, *Cefalu*, Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi.
Lipara, *Lipari*, insula, & urbe Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi.
Mazara, sic vulgò, Episcopalis sub Archiepiscopo Panormitano.
* Messana, *Messina*, Archiepiscopalis, Academia & Emporium.
Mons Regalis, *Monte reale*, Archiepiscopalis.
Pactæ, *Patti*, Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi.
* Panormus, *Palermo*, Archiepiscopalis, sedes regni.
Syracusæ, *Siragosa*, Episcopalis sub Archiepiscopo Montis Regalis, olim metropolis.

Urbes sine sede Episcopali.

Agyrium, & Argyra, S. *Filippo d'Argirone*.
Amestrata, *Mistretta*, oppidulum.
Augusta apud Megaram, sic vulgò, à Friderico Imperatore condita.
Calata Jeronis, *Calatagirone*.
Calata Sibeta, sic vulgò, recens.
Centuripæ, *Centorve*, potiùs oppidum.
Charinum, *Charini*, olim Episcopalis,
Corileo, *Coriglione*.

Dro-

Drepanum, *Trapani*, olim Episcopalis.
Enna, *Castro Ieanni*, in medio Siciliæ.
Gela, *l'Alicata*, quæ Gela nova, olim Episcopalis.
Halesa, *Caronia*, olim Episcopalis, nunc castrum tenue.
* Leontini, *Lentini*, olim Episcopalis.
Lilybæum, *Marsala*, olim Episcopalis.
Myle, *Melazzo*, olim Episcopalis.
* Narum, *Naro*, in vicum redacta.
* Neotum, *Noti*, aliis *Noto*.
* Nicosia, sic vulgò, olim Herbita, ut videtur, oppidulum.
* Tauromimium, *Taormina*, olim Episcopalis.
Thermæ, *Xacca*, olim Episcopalis.
† Triocala, *S. Giorgio de Triocala*, olim Episcopalis. Destructa est.
Trajanopolis, *Troyna*, olim Episcopalis, nunc castrum in colle.
† Tyndaris, *lo Tindaro*, olim Episcopalis, Excisa est.

SICILIA, vicus Britanniæ, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 59. *Denique agentem cum cum paucis in Britannia, ut alii volunt, in Gallia, in vico cui* Sicilia *nomen est occiderunt.* Ubi legit, & apud Aur. quoque Victorem Schotti, pro *Sicila*, legi jubet Salmas. Item nomen loci cujusdam in Palatio, cujus meminit Capitolin. *in Pertinace*, c. 11. *Supervenerunt autem Pertinaci, cùm is famulitium aulicum ordinaret, ingressique porticus Palatii, usque ad locum qui appellatur* Sicilia *& Jovis cœnatio.* Ubi Augustus, locum in edito singularem habuit, quem vocabat *Syracusas* & Τεχνόφυον. Quia verò in descriptione Urbis apud Victorem Jovis cœnationi jungitur Summa Velia, hunc locum Viri docti de mendo suspectum habent. Casaubon. *ad loc.*

SICILIA Minor, dicta est Insul. quæ aliàs *Dia Dionysias*, item *Strongyle*, & *Naxus*, Plin. *l.* 4. *c.* 12.

SICILIBRA, Africæ Propriæ urbs. *Antonin. Sicilippa B. Augustino.*

SICIMA, vide SICHEM.

SICINIUS, Tribunus Plebis primus, nec multo pòst *Quinctius* & postremò *Palikanus* perfecerunt, ut tribunitiam potestatem Populo darent, Consules Cn. Pompejus & M. Licinius Crassus.

SICINIUS Dentatus, strenuus bellator, ob ingentem fortitudinem *Achilles Romanus* appellatus, pugnâsse dicitur 120. præliis, cicatricem aversam nullam, adversas 45. tulisse. Coronis aureis 8. donatus est. Triumphavit cum Imperatorib. suis triumphus 9. Gell. *l.* 2. *c.* 11. Plin. *l.* 7. *c.* 28. *l.* 22. *c.* 5.

SICINNIS, Græcè Σίκιννις, tertium erat Saltationis in Poësi adhiberi solitæ genus, &, sicut Ἐμμέλεια saltatio Tragica, Κόρδαξ Comica, sic ipsa Satyrica fuit. *Hesych.* Σίκιννις ὄρχησις ἐν σατυρικοῖς Σατύρων συνθετὸς ἀπὸ τῆς σείσεως καὶ κινήσεως. Erat enim saltatio lasciva, inconstans, maximeque motoria, quæ gesticulationibus crebertimis ac celerrimis peragebatur. Nomen traxisse quibusdam videtur à *Sicinno* quodam barbaro, vel ut alii volunt, Cretensi: Ita Athen. *l.* 1. Clemens Alexandrinus *Pædagog. l.* 2. *c.* 7. refert, saltationis hujus Auctorem *Sicinnum*, liberorum Themistoclis Pædagogum fuisse; At Lucianus περὶ ὀρχήσεως, à Satyris, Bacchi Ministris, saltationis hocce genus inventum esse, & nomen accepisse scribit: *Τριῶν γ' ἐν αὐτῶν τῶν γενικωτάτων ὀρχήσεων Κόρδακος καὶ Σικιννίδος καὶ Ἐμμελείας, οἱ Διονύσου θεράποντες, ἀφ' αὑτῶν ἑκάστης ὠνόμασαν*, I. e. *Cùm tria sint celeberrima Saltationum genera, putà Cordax*, Sicinnis *& Emmelia, quibus Satyri, Bacchi Ministri inventis singulis à se nomem indiderunt.* Hinc *Sicinnistæ* dicti, qui *Sicinnum*, sive ut Gellius ait *l.* 20. *c.* 3. *Sicinnium* saltarent, atque in eo excellerent, Voss. *in Etymolog.* sic appellatos vult Mimos, qui vitam mortui repræsentarent & *Sicinnium* saltarent; Gelliique *præfatò locò* verba citat, è quibus tamen de vitæ mortui repræsentatione nihil haurias. Similiter Jul. Cæsar Scaliger *de Re Poët. l.* 1. *c.* 18. inquit, apud Gellium *Sicinnistarum* nomen legi eorum, qui ad tumulos modos facerent, quos *Galenus* τυμβαύλας vocat: Sed *Scaligerum decepit, quòd caput cit. ubi de Sicinnistis, cap. præc. ubi de Siticinibus agitur, in vulgatis editionibus conjungi soleret*, Jac. Oiselius JC. *Not. in Gellium.* Canebant in Ludorum pompis Græcanicam *Sicinnem* isti Satyrorum specie, hirsutis tunicis, quas quidam *Scorteas* dixêre, amiculisque ex omni florum genere consertis, indutis campestria ex hircinis tergoribus ferasque in vertice horrentes, aliaque his gestantes similia: ac serias armatorum, qui præcedebant, saltationes, ridiculè imitabantur, eas per ludibrium depravantes; cujusmodi Satyricis lusibus salibusque, jam inde à priscis seculis Romanos fuisse delectatos, patet ex Triumphis, & Virorum illustrium funeribus, in quibus inter alios feretrum præcedebant saltatores istiusmodi Satyrici seu *Sicinnistæ*. Rosin. *Antiqq. l.* 5. *c.* 23.

SICINUS, *Ptol. Sicenus Straboni*, *Sycinus* Plinio, *l.* 4. *c.* 12. Oenoe etiam *Apollonio & Stephano*, insul. maris Ægæi, una Sporadum. Prope Pholegandrum (inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 14.) est *Sicinus*, de quâ præter *Melam & Ptolemæum* meminit *Scylax* & Apollonius *l.* 1. & apud Scholiast. ibidem *Theolytus*, *Xenagoras*, *Cleon Curiensis*, & *Asclepiades Myrleanus*. *Oenoë*, quoque dicta fuit, διὰ τὸ εἶναι ἀμπελόφυτον, ut placet *Etymologo* & *Apollonii Scholiasti*. Tamen *Apollonius* utrumque nomen è fabulis repetens, Thoantem Lemni regem in arca huc delatum, narrat ex *Oenoë* nympha *Sicinum* peperisse; unde factum, ut insul. priùs *Oenoe*, deinde *Sicinus* diceretur. Et apud Scholiasten etiam Xenagoras *Sicini* nomen deducit ἀπὸ Σικίνου υἱοῦ Θόαντος καὶ Νηΐδος νύμφης, pro quo *Etymologus* ἀπὸ υἱοῦ Θόαντος Σικίνου ἐκ Νύμφης Οἰνοαίδος. Utrobique legendum Οἰνοΐδος. Mihi *Sicinus* tam fabulosus quàm *Oenoë*, vel *Oenois*. Et *Sicinus* vel *Sicenus* insul. dicta videtur à paupertate: quia סכן *siccen* Ebræis est *indigere*. Misera enim erat insula & ignobilis. Proinde apud Laërtium Solon Pholegandrum & Sicinum, tanquam insulas obscuri nominis, & parvæ rei ita opponit Athenarum celebritati:

Εἴην δὴ τότ' ἐγὼ Φολεγάνδριος, ἢ Σικινήτης
Ἀντί γ' Ἀθηναίου πατρίδ' ἀμειψάμενος.

Nic. Lloydius.

SICLUS, Hebr. שקל, *Shekel*, nummus apud Hebræos argenteus frequens, duplex erat, *Siclus Regius*, seu communis, quem *laicum* vocavit *Pagninus*, & *Siclus Sacer* seu *Sanctuarii*, quorum hic τετράδραχμος ille δίδραχμος, fuit. *Siclo* Sanctuarii communiter insculpta erat ab una parte *urna mannæ*, vel, ut alii volunt, *thuribulum Aaronis*, cum inscriptione *Sheckel Israël*: ab altera parte cusa erat *virga Aaronis florens*, cum verbis, *Jeruschalaim hakkedoscha*. At postquam Messias incarnatus est, Judæi conversi ad fidem, faciem *Sicli* mutantes, in una ejus parte expresserunt Christi imaginem, cum literis שמ in ore illius & lit. י in apice, quæ tres literæ nomen Jesu efficiebant. In altera parte nihil sculptum habuerunt, præter verba, quæ Latinè sic habent: *Messias Rex venit in pace & lux de homine facta est vita*: In quibusdam *Siclis* & inscriptio reperitur, quæ sic Latinè habet, *Deus homo est factus*. Usus autem *Sicli* Sanctuarii erat, in rebus ad sacra pertinentibus: & tales 30. illi argentei (nam *Siclos* & ἀργυρεῖς seu *argenteos*, idem sonare notum) quibus Dominum nostrum Judas prodidit, quibusdam fuisse videntur. Alter, nempe *Siclus Regius*, tempore Davidis ac Salomonis, habebat insculptam turrim, inter ירו & שלם, ac infrà עיר הקודש, sic ut tota inscriptio hæc verba contineret, *Jerusalem Urbs Sanctitatis*, ab una parte: ab altera verba hæc, *David Rex*, *& filius ejus Salomon Rex*: eratque in communi vita usitatus. Porrò, in minores quoque nummos *Siclum* divisum fuisse, hinc colligimus, quod Exod. *c.* 30. *v.* 13. *dimidii Sicli*: Nehemiæ *c.* 10. *v.* 32. *trientis Sicli*: 1. Sam. *c.* 9. *v.* 8 *quadrantis Sicli*, mentionem fieri videmus. Vide Th. Godwynum *de Ritibus Hebr. l.* 6. *c.* 10. & Waserum *de nummis Hebræorum.* Aliquando *Siclum* dictum esse *Staterem*, discimus ex Matth. *c.* 17. *v.* 27. ubi CHRISTUS ad Petrum, *Proficius*, inquit, *ad mare, mitte hamum, & eum piscem, qui ascenderit primus, tolle: & apertò ore ejus invenies Staterem: acceptum illum da eis pro me & te.* Erat verò & *Siclus* aureus, quem Darico Josephus comparat, quum, quando Moses dicit *auream acerram decem Siclis æstimatam*, Levit. *c.* 7. *v.* 14. eam ipse Δαρεικοὺς δέκα δυναμένην, i. e. *Daricos decem valentem*, pronuntiat. Unde *Siclum auri* apud Hebræos didrachmum fuisse, & viginti drachmas Atticas effecisse, patet: id enim pondus ac pretium Darici. Vide Joh. Frider. Gronovium *de Pecunia Vet. l.* 3. *c.* 7. Sed & *Siclus argenti*, monetæ Germanicæ nomen, occurrit in *Annalibus* Francorum Fuldensibus *A. C.* 850. *Unus modius de frumento Moguntiaci vendebatur* 10. *siclis argenti*: contractè ex Latino *Sicilicus*, uti legitur in Glossis antiquis *MS*. Germanice *Sichel*. Item Anglicè, apud Egbertum in *Dialogo de Eccl. Institut. p.* 98. laudatum Car. du Fresne, qui *Siclum* hujusmodi valuisse duobus argenteis seu denariis, adnotat. Cœterùm, in Musæo Kircheriano Romæ, *Siclum* Hebræorum geminum, unum cum urna, & lit. *F.* in medio (significante siclum integrum) atque virgâ Aaronis & *Inscr. Schekel* &c. alterum literam *F.* non habentem, sed ejus locò ד.ש. h. e. *Schekel David*, asservari, refert, Georg. *de Sepibus in Descript. illius p.* 48. Vide quoque suprà *Semisiclus*.

SICOBASILISCES, Armeniæ urbs *Antonin.*

SICOBOTES, gens in Sarmatia Europæa. Jul. Capitolin. in M. Antonino, *c.* 22.

SICORIS, Hispaniæ Tarraconens. fluv. non longè ab Ilerda fluens, juxta quem Cæsar Afranium & Petrejum, Pompejanos duces, siti ad deditionem compulit. *Segre Clusio*, *Agua Naval Bentero. Baudrando Segre*, fluv. Cataloniæ. Oritur in Ceretaniæ Comitatu, ad radices Pyrenæorum, & in limite Galliæ dein Juliam Lybicam rigat, uti Cerretaniam & Urgeliam. Hinc recipit Nogueram Palcatesam supra Valaguerium, uti Nogueram Ripacurtianam supra Ilerdam; tandem auctus Cincâ fluv. in ipso limite Aragoniæ, in Iberum se exonerat ad Mequinentiam castrum. Lucan. *l.* 4. *v.* 12.

—— Super hunc fundata vetustâ
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes:
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hybernas passurus aquas. —— ——

SICULI, populi Transylvaniæ, *Zeckeli* Dacis, à sedium vel districtus occupatione, quòd post primam Hunnorum eruptionem, pulsis è Pannonia Scythis, quædam ipsorum pars in extremum hunc Transylvaniæ angulum confugit. *L. Topeltinus Transylvan.* Alias *Siculi*, Italiæ populi, vide in *Sicilia*.

SICULORUM, quæ & Neapolitanorum Leges, *Constitutiones* nuncupatæ: partim à Principibus è Normannia oriundis, Rogerio & Guilielmo sed plerunque à Friderico II. Imperatore annô vel bienniô (ut è Molinæo *in Consuetud. Paris. Tit. num.* 95. refert *Lindebrog.*) post coronationem suam Romæ A. C. 1221. conditæ sunt. Dignoscitur autem cujusvis legis auctor ex affixo in fronte nomine. Hinc fit, ut tum in legum antiquarum Canone, tum in Magistratuum, Officialium & Ministrorum appellationibus, tanta sæpe apud Germanos, Italos, Anglos, Hispanos & Gallos, deprehendatur consonantia. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

SICULUM Mare, angustum atque anceps alternô cursu, modò in Tuscum, modò in Ionium pelagus influit, vorticosum, Scyllæ & Charybdis sævitiâ inclytum. Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 12. *v.* 2.

Nec dirum Annibalem, nec Siculum mare
Pœnô purpureum sanguine, —— ——

Ovid. *Siculum profundum* appellat. *l.* 7. *Met. v.* 63.

—— Ratibusque inimica Charybdis
Nunc sorbere fretum, nunc reddere, cinctaque sævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo,

Silius *Siculum pontum*, *l.* 1. *v.* 61.

> —— *Avet Ægates abolere, parentum*
> *Dedecus, & Siculo demergere fœdera ponto.*

SICULUS, Neptuni fil. post Sicanum, Siciliæ Rex, huic Insulæ nomen dedit, ut legimus apud Solin. *c.* 5. Vide suprà *Sicilia*.

SICUM, urbs Dalmatiæ antiqua maritima in Liburniæ confinio inter Jaderam ad Occasum & Salonas ad Ortum fermè 50. milliar. Hujus rudera in littore maris Adriatici inter Tragurium & Salonarum ruinas, vulgò *Studit*. J. Lucius Traguriensis.

SICYON, inter vetustos Sicyoniorum Reges XIX. vulgò ponitur, urbique nomen dedisse traditur, sed præter Historiæ fidem, uti mox videbimus.

SICYON, postea *Basilica Sophiano*, urbs Peloponnesi, Sicyoniæ, Regionis parvæ, caput; quæ & *Ægialea*, & *Ionia*, teste Strabone, ac *Demetrias*, teste *Plutarchô*, dicta est, inter Corinthum & Elidem, oleô & laurô abundans ac celebris. Virgil. *Georg. l.* 2. *v.* 519.

> *Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.*

Ovid. *l.* 4. *Pont. eleg.* 15. *v.* 10.

> *Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.*

Idem *in Ibin. v.* 317.

> *Aut ut oliviferâ quondam Sicyone fugato.*

Statius *Theb. l.* 4. *v.* 50.

> *Qui Drepani scopulos, & oliviferæ Sicyonis*
> *Culta tenent.* —— ——

Hic Aratus Poëta natus & Praxilla poëtria floruit, Pictura item &c. *Baudrando Vasilica* hodie, in Ducatu Clarentiæ sub Turcis, paucorum incolarum. In colle. 5. mill. pass. ab ora Sinus Corinthiaci, 22. à Corintho in Occasum, Elidem versus 80. Ab ea regiuncula adjacens, inter Corinthiam ad Ortum & Achajam ad Occasum *Sicyonia* dicta est. Fuit autem regnum Sicyonium, ex antiquissimis Europæ. Primus Rex Ægialeus fuit, A. M. 1890. regnavit ann. 52. habuitque Europem successorem. Hos per annos 964. 26. Reges secuti sunt, quorum ultimus Zeuxippus fuit, mortuus A. M. 2854. Postea per ann. 35. regimen Sacerdotibus Apollinis commissum est, usque ad 2887. donec à Regibus Mycenarum, & aliis populis vicinis, exiguum hoc regnum subactum est. Diodor. Sic. *in Hist.* *Thucyd.* Plin. *l.* 2. *c.* 71. *Strabo*, Euseb. *in Chron.* Ubbo Emmius *l.* 1. *de Græc. antiq. &c.* Sed antiquitas hæc regni, Regumque series & Sacerdotum Apollinis successio, meritò suspecta. *Ægialeus* enim, Rex primus, Phoronei Argivorum Regis antiquissimi frater est, apud Apollodorum *l.* 2. qui de illius prosapia, aut successoribus omnino tacet. *Apis* Rex IV. numeratur, quem Æschylus *non regem*, verùm *advenam ex Ætolia, regionem noxiis bestiis purgâsse*, docet *in Supplic. v.* 264. Ipse *Sicyon*, Rex XIX. à quo urbi nomen, Pelopis filius fuit, teste Pausan. *l.* 2. qui tamen Eusebio priùs *Sicyone* regnare dicitur, quàm Pelops Argis. *Polypoides* Rex XXIV. nemini vetustiorum Græcorum, ne Pausaniæ quidem, in suo horum Regum Catalogo agnoscitur. Ejus tempore fingunt Trojam captam, apud Homerum verò nullus est è Sicyone Dux contra Trojam; quippe urbs illa tunc temporis sub ditione Agamemnonis fuit, qui regnabat Mycenis. Sic enim Homerus, urbes ejus recensens, *Il.* β. *v.* 572.

> Καὶ Σικυῶν', ὅθ' ἄρ' Ἄδρηστος πρῶτ' ἐμβασίλευε.
> *Et Sicyona, ubi Adrastus primùm regnavit.*

Adrasti autem meminit Marmor Arundel. annô Atticô 325. Vide *Adrastus*. Et cur ob versum præfatum Clisthenes Sicyonis tyrannus, Rhapsodos Sicyone certare vetuit? uti quidem Herodotus habet *l.* 5. *c.* 67. Sed & quod *de Carnis Sacerdotibus*, in Regum locum suffectis, tradit Eusebius, & ex eo Syncellus, non majoris fidei est. *Quid enim ad Sicyonios* Γεραιεὺς *Doriensis? Quid ad Carnum cultus devenit, dum adhuc in vivis erat, & Heraclidis ignotus? Quid ad Apollinem* Καρνείου *nomen, cùm* Κάρνεια *nondum essent celebrata?* Eusebius autem Sacerdotibus istis initium attribuit annô, post casum Trojæ 55. ante Heraclidarum Reditum 25. Illustris Marshamus *Canone Chron. p.* 15. 353. *passim, qui proin, horum Regum laterculô Eusebiano rejectô, à Phoroneo rerum Græcarum initium ducit*; Vide *Phoroneus*. Addo, quòd Coronidi, Deæ suæ, nullam statuam, nullum Fanum, erexêre, teste Pausaniâ *Corinth.* ut jure exclamet Arnobius *contra Gentes l.* 1. *Non omnibus Diis templa devota.* Fuisse tamen in *Sicyonia* Urbe Titane, descendenti à vertice, ubi Templum Minervæ, βωμὸν ἀνέμων ἐφ' ᾧ τοῖς ἀνέμοις ὁ ἱερεὺς μιᾷ νυκτὶ ἀνὰ πᾶν ἔτος θύει, *Aram ventorum; ad quam Sacerdos quotannis nocte unâ sacrificabat*, idem Pausan. refert, additque *ibid.* ut ad quatuor foveas arcana quædam concineret: ἡμερῶν τε τὸ πνεύματων τὸν ἄγριον, *ad placandam ventorum sævitiam.* Ab hac gente *Sicyonia* appellata sunt, calcei delicatioris cultus, muliebres ac amatorii. *Hesych.* Σικυώνια γυναικεῖα ὑποδήματα. Unde Cicer. *de Orat. l.* 1. *Si mihi calceos*, inquit, *Sicyonios attulisset, non uterer, quamvis essent habiles & apti ad pedes; quia non essent viriles.* Candorem iis & tenuitatem addit Appulejus *Metamorph. l.* 7. *Calceis fœmininis, albis illis & tenuibus.* Disjunctionibus item incisurisque ingeniosè exornari consuevisse, quod calceorum genus auratis & purpureis antistabat, *Balduinus* habet. Quare mirum, cur eos Lucianus *Dial. Meretr. Por. & Myrt.* duabus tantùm drachmis æstimârit, inquiens: Ὑποδήματα ἐκ Σικυῶνος τὸ πρῶτον δύο δραχμῶν, *Calceamenta Sicyonia primùm duarum drachmarum*: Nisi fortè talia significare voluit, quæ longô usu attrita essent atque disrupta. Nam aliàs, ex comparatione phæcasiorum, in quibus minus erat operæ atque artificii, pretiosiora *Sicyonia* fuisse, arbitrari est consentaneum. Vide præfatum Balduinum *de Calceo c.* 19. Poëta eorum delitias ostendit hîs verbis:

> *Cognita nec teneris pedibus Sicyonia servant,*
> *Nec niveo retinent baccata monilia collo* &c.

Ab eadem gente *Sicyopepon* dictus est, qui aliis μηλοπέπων, quemque paulo ante ætatem suam in cibos receptum, tradit *Plutarchus.* De eodem Plinius, allatum id semen è Græcia primùm suô tempore & unde propagatum genus ait, *l.* 19. *c.* 5. Hodie *melones* vocantur. Vide suprà & plura hanc in rem apud Salmas. *ad Solin. p.* 959. Nunc urbs in ruinis, ut vix rudera supersint.

SICYON, locus Africæ, ubi Crathis fluv. in Oceanum exit, & electrum nascitur. Plin. *l.* 19. *c.* 8. Item Urbs Thessaliæ, posteà Demetrias. Niceph. *l.* 5.

SICYONII, mollitiei maximè apud *Cicer.* passim notantur, præsertim in calceis apud Athen. *l.* 4. & Lucian. *in Rhetore.* Lucilius:

> *Et pedibus lævâ Sicyonia demit honesta.*

Lucretius *l.* 4. *v.* 1118.

> *Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.*

Unde *calcei Sicyonii* vel *aluta Sicyonia* Proverb. de re pulcra, sed minùs decente. Vide suprà. *Sicyone* etiam præcipua fuit marmoris & metallorum officina: ibique Dipœnus & Scylesis primi sculpturæ marmoris operam dedêre.

SIDA, vel SIDE, urbs Pamphyliæ maritima apud Ciliciæ confinia, inter ostia Eurymedontis ad occasum & Coracesium urbem ad ortum Archiepiscopalis olim, nunc destructa. Hic Synodus A. C. 383. ab Amphilochio, contra Massalianos, habita. Photius *Bibl. cod.* 52. An & 427. contra eosdem? Populi *Sidetæ*. *Sida* item *Nicephoro*, locus Palæstinæ à Cæsarea 50. stad. distans. Prior *Chrysonda Nigro*, *Scandalor*, vel *Candalor Moletio*. Ejus memoriam servat nummus sub Lic. Gallieno cusus, cum *Inscr.* ΣΙΔΗΤΩΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ ΕΝΔΟΞΟΙ: & alius, ΠΑΜΦΥΛΙΩΝ ΣΙΔΑΤΩΝ, apud Jac. Gronov. *Ep. ad fratrem.*

SIDA, maritimus Phœniciæ vicus, 20. stad. à Tyro; in tractu Acer.

SIDACE, urbs Lyciæ, à *Sidare* Amisodori filia. *Steph.*

SIDALA, urbs Armeniæ majoris, *Ptol. Sedala* Interpretes.

SIDARUS, urbs & portus. Gentile *Sidaruntius*. *Steph.*

SIDDIM Vallis, locus Palæstinæ, memoratur, Genes. *c.* 14. *v.* 3. *Omnes hi junxerunt* (copias) *ad vallem* Siddim, *quæ mare salsum*: nempe postea in Mare mortuum conversa, dicta est. In Hebræo est, השדים, h. e. *agrorum aratorum*, quod alii nomen vallis proprium esse volunt. In ea multos fuisse puteos bituminis, ibidem dicitur. At postquam Deus Gomorrha & Sodoma subvertit, & totum eum tractum pessumdedit, tota vallis *Siddim*, quæ fontibus bituminis scatebat, in lacum versa est Asphaltitem vel Mare mortuum, quod *Mare Salis* ibi appellatum, cum *Valle Salinarum*, in qua Idumæi à Davide deleti sunt, malè ab Epiphanio confunditur. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 613. ut & suprà ubi de *Salinarum Valle*.

SIDELE, urbs Ioniæ. *Steph.*

SIDEN, aliàs SYDERIS, Plin. *l.* 6. *c.* 16. stagnum Indiæ, in quo omnia demerguntur. *Silia Straboni*, *Silla Diodoro*, *Sila* Arriano, *in Indic.*

SIDENA, Urbs fuit Asiæ minoris in Mysia minore ad Granicum fluv. *Strab.*

SIDENE, regio Cappadociæ, in qua *Siden* oppid. juxta Themiscyram in ora maris Euxini. Populi *Sideni* Plinio, *l.* 6. *c.* 4. & *Sidenum* fluv. Polemonium urbem alluens *Sidene* item urbs Lyciæ, *Steph.*

SIDENI, Germaniæ populi *Ptol.* quorum regio *Stetinerland*, in ora Pomeraniæ. *Baudrando* fuêre, ubi hodie Nova Marchia Brandeburgens. & pars Ducatus Stetinensis, inter Poloniam magnam ad Ortum, & Oderam fluv. ad Occasum. Sed Stetinum in eorum tractu non erat. *Sideni* quoque populi & urbs ac emporium Arabiæ Felicis vulgò *Ziden*, ad sinum Arabicum apud Meccham, inde 12. mill. pass. distans. Sed hoc oppidum recens est.

SIDENUM, vide SIDENE.

SIDERA, pro Diis olim habita: nec solùm Sol & Luna, quos *Cœli oculos* Pythagorici dictabant; aut reliqui quoque Planetæ, quos *Majorum Gentium Deos*, vel *Selectos*, vocavêre: verùm & cætera omnia astra; idque tùm à Barbaris, tum Græcis. Ita enim Plato *in Cratylo*, Φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, Ἥλιον καὶ Σελήνην καὶ Γῆν καὶ Ἄστρα καὶ Οὐρανόν, *Qui Græciam primi incoluêre, illi videntur mihi eos solùm Deos existimâsse, quos nunc etiam barbari multi pro Diis habent; Solem, Lunam, Terram, Astra, Cœlum.* Quæ verba etiam Eusebius adducit, *Præp. Evang. l.* 3. *c.* 2. Et sanè *omnem Cœli militiam* (ut Hebræorum more loquar) pro Diis cultam esse, ostendit etiam juramentum illud, apud Vettium Antiochenum Astrologum *in Proœm.* Ἀνθολογιῶν sive *Floridorum*; quod ex Scriptore eo majorem partem inedito jamdudum Joh. Seldenus *in Syntagm. de Diis Syris*, adduxit: verba Latinè sic habent: *Eos, qui in hæc inciderint, adjuro, per sacrum Solis circulum & inæquales Lunæ cursus ac reliquorum* Siderum *vires & Signiferum circulum, ut ista in reconditis habeant, nec imperitis vel non initiatis tradant; sed Doctoris sui memores honorem ei tribuant. Sanctè jurantibus bene sit Diisque antè memorati sint propitii, pejerantibus contraria sint.* Nec hac parte solùm erratum à vulgo, sed etiam Philosophis: uti Xenocrate Chalcedonio & Alcmæone Crotoniate, de quibus Tullius testis est *de Natur. Deorum l.* 1. Similiter Stoicis: ut Posidonius, apud *Stobæum*, Ἄστρον εἶναί φησι σῶμα θεῖον ἐξ αἰθέρος συνεστώς, *Stellam*, inquit, *esse corpus divinum ex æthere compositum.* Quos in hanc sententiam quid compulerit, docet nos Augustin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 11. *Dicunt* (Stoici) *omnia* Sidera *partes Jovis esse, &*

& omnia vivere, atque rationales animas habere: & ideo sine controversia Deos esse. Quo facit, quod *Siderum* afflatibus aut operationibus aliis, adscribebant fortunia utraque mortalium: unde *dextrum sidus, sinistrum sidus*, toties occurrit. Præcipuè verò pueris nocere ea arbitrabantur, *Hesychius*, Ἀστροβολήθηναι, νόσῳ ἐπὶ καταληφθῆναι ἐπὶ τῶν παιδίων: quod de Canicula inprimis seu Sirio creditum, docet idem. Sic de Juvenibus *Petronius*, *Nuper ventosa ista hæc & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, animosque juvenum ad magna surgentes quodam sidere afflavit.* Lunæ quoque eadem adscripta. Isidor. *Glossogr. Astrosus, Lunaticus*, h. e. *malo sidere natus*. Quia nimirum manifestior hujus vis, & occultior cœterorum siderum. Vide hanc in rem plura, apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Theb. l. 4. v. 760.* Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. l. 2. p. 30.* Salmas. *ad Solin. passim*, infra voce *Stella & Teraphim*; & *Siderum* præcipua hic suis locis; aliquid etiam verbo *Significare*.

SIDERITES, apud Plin. *l. 37. c. 4.* adamas dictus est, non quòd in ferrariis legatur officinis, uti Solino visum, sed quòd *ferrei* coloris sit splendorisque. Apud eundem *c. 10. Siderites* lapis inter gemmas numeratur, quem ferro similem dicit litigia & discordias, quocunque inferatur, facientem: qui fortè idem cum priore est. Nam ipsum quoque ferrum, quod Græcis σίδηρος est, vel ferri genus, dictum ἀδάμας, à *duritie*: Et forsan diversos putavit Plinius, quia eorum descriptionem è diversis hausit Auctoribus. Memorat certè Salmas. lapidem sibi fuisse ferrei coloris ac ponderis, pugni magnitudine rotundum, undique secus formis quadrangulis in mucronem turbinatis asperum, quem *Sideritem* nuncupari posse, nullus dubitat: ita planè splendorem ferri exhibuisse, ac pondus habuisse. Addit, *lapidem adamantis* vocâsse, qui illum, ex India allatum, sibi vendiderit, propter illas fortasse quadrangulas facies, quòd ad illud instar plerique atterantur adamantes ignobiles, quos à solo natali *Alenconios* Galli dicunt. Sed & σιδηρίτης vocabatur lapis, ex quo ferrum funditur, matrix nempe ferri lapis. *Hesych.* Σιδηρίτης λίθος, ἀφ' ἧς οἱ μέταλλεῖς λέγουσι γίνεσθαι τὸν σίδηρον. Similiter & γῆ σιδηρῖτις, è qua fit ferrum. Etiam magnes lapis, qui ferrum trahit, sic vocatus occurrit: imò & ἀδάμας, quòd vis invicta ferri illi cederet, eumque sequeretur. Quæ causa, quòd Plinius σιδηρίτην ἀδάμαντα inter lapides retulerit pretiosos hôc nomine, Salmas. *ad Solin. p. 1100.* Neque verò lapidis solùm, sed & herbæ id nomen est, quam, *Helxinem* aliàs dictam, à partu cervas appetere, vult Salmas. apud Plinium *sideritis* pro *seseli* reponens. Qua de re diximus suprà.

SIDEROCAPSA, urbs Macedoniæ, ubi argenti fodinæ, sub Turcis, in provinc. *Jamboli*, 45. mill. pass. à Thessalonica in Ortum versùs montem Athon, *Briet.* Vide *Sidrocapsa*.

SIDEROPOLICHNA, urbs Peloponnesi. *Chalcond.*

SIDETANI, Africæ populi juxta Carthaginem. Strab. *l. 3.*

SIDIA, regio quædam, sic rectè legitur apud *Stephanum*, cui *Tios* civitas est Sidiæ.

SIDICINUM, urbs Campaniæ. Hinc *Sidicinus*. Virg. *Æn. l. 7. v. 727.*

Arunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquora. ----- -----

SIDITES Marcellus, vide *Marcellus*. It. *Philippus*.

SIDNEUS Philippus, Eques Anglicus. Nobilitatis literatæ flos & decus præcipuum, gubernator Vlissingensis, militari prudentiâ & virtute excellens, globô tormentariô ad Zutphaniam ictus, obiit Arnhemii, A.C. 1586. Vide Thuan. *Hist. Camden.* &c. Auctor est libri, cui *Arcadiæ* nomen.

SIDO, Rex Suevorum, Tacit. *l. 12. Annal. c. 29.*

SIDODONE, vicus memoratus Arriano, *in Indic. circa fin.* in Nearchi navigatione, post Oaracta & insul. Pylora. Vide Salmas. *ad Solin. p. 1181.*

SIDOLEUCUM seu SADOLEUCUM, oppid. Ducatus Burgundiæ, 16. leuc. à Divione in Occasum, Nivernas versùs 20. 6. à Semurio in Meridiem.

SIDON, perantiqua, opulenta, & celebris Phœnices urbs, in tribu Aser, atque insigne emporium: Chananæorum olim ad Aquilonem respiciens terminus fuit, postea verò regionis Judææ, quam *Sidon*, primogenitus undecim filiorum Chanaan, juxta Libani montis ortum condidit, eique nomen dedit. Commodissimum hæc civitas situm habet: distans enim à Sarepta versùs Aquilonem duobus, contra Austrum, à Beryto quinque, & versus Occidentem ab Antilibano monte unô, à Cæsarea autem Philippi undecim milliaribus, ab Occidente mari magnô alluitur, tutôque ac tranquillô portu ditatur: atque ab Oriente magnus & fertilis illi adjacet campus, qui aquarum fluentis fœcundus, optimis vineis, cannis mellis, fructiferis arboribus, sylvis & pratis abundans, multam civibus præstat commoditatem. Ipsa verò urbs aëre saluberrimô fluens, solida in rupe super littus maris in longum ædificata, ab Aquilone in Austrum tendit: cujus utrumque cornu duobus castris naturâ & arte validis munitur. Quamvis urbs hæc olim in sortem tribus Aser ceciderit, Aseritæ tamen eam nunquam possederunt, quia ejus incolas expellere non potuerunt. Plin. *l. 5. c. 19. & l. 36. c. 26.* Strabo *l. 16.* Multas devastationes & incendia passa est, tandemque in Turcarum potestatem redacta, à 152. annis. Hodie *Saide*, in ora maris Mediterranei cum portu capaci, etiamnum ab Europæis, Gallis inprimis, frequentatur. 35. mill. pass. à Beryto in Meridiem, uti 55. à Damasco in Occasum. Vide seqq. Hic primò vitrum fieri cœpit. Sub Christianis Episcopalis fuit: captâ Hierosolymâ, Eustachio Garnerio Cæsareæ domino muneri data est: Guiboha Tartarorum dux illam occupavit, A. C. 1260. tandem, ut dictum, à Turcis subacta est. Pseudo-synodus ibi ab Eutychianis & Acephalis habita, A. C. 512. sub Anastasio Imperatore quibus Flavianus Antiochen. & Joh. Paltes generosè restiterunt. Guil. Tyr. *l. 14. & seq.* Sanut. *l. 3. &c.* Marcellin. *in Chron.* Evagr. *l. 3. c. 32.* &c. De eadem *Lloydius* ista habet: *Sidon*, i. e. *venatio*, aut *insidiatio*, sive *Viaticum*, vel *cibarium*, aut *navis judicii*, Filius Chanaan. Gen. *c. 10. v. 15.* Bodetianus *in Lexico Chaldaico* צידון per *admirationem* explicat, quod non sine admiratione se legere testatur Bochartus *l. 4. Phaleg. c. 35.* In loco, quem citat ex libro *Vaikra rabba*, nil tale habetur: nec ibi explicatur *Sidon*, sed צרא vel הצרא ex Dan. *c. 3. v. 14.* idque voce Græcâ אונטוס ὄντως i. e. ἀληθῶς *vere*, ut Græci & Vulgatus habent. Itaque hæc *sidis* αὐτῆς ἴσθω. Sed verum esse puto, quòd *Sidonem* scribit Trogus *l. 18. c. 3. à piscium ubertate* sic appellari. Nam *Said*, i.e. *piscatio*, hodieque *Sidon* dicitur, ut Galilææ oppid. *Bethsaida*, quasi *domum piscationis* dixeris. Nec Sidoni minus congruit, quam Hebræi nos docent esse ad mare piscosissimum. Itaque cùm Gen. *c. 10. v. 15.* legitur, Sidon fuisse Chananis primogenitus, per Sidonem intellige Sidoniorum patrem, vel Sidonis conditorem, quócunque fuerit nomine. Ex quo loco Sidonem discimus fuisse valdè vetustam, ut quæ conditorem habuerit Chami nepotem, Noachi pronepotem. Itaque licet Tyrum Sidonis æmulam, *antiquam* & *Cadmeam* & *Ogygiam* Poëtæ passim appellent; & Tyrii Esaiæ *c. 23. v. 7.* & Herodoto *l. 2.* antiquitatis nomine plurimum sese efferant; tamen Sidoni Tyrus cogitur submittere fasces, & illam pro parente agnoscere. *Post multos deinde annos* (inquit Trogus *loc. cit.*) *à rege Ascaloniorum expugnati Sidonii, navibus appulsi Tyrum urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt.* I. e. Josephô interprete, *l. 8. Jud. Antiq.* annis 240. antequam templi fundamenta jecisset Solomon. Proinde cùm de Sidone agatur in libris Mosis & Josuæ, & Judicum, & in vaticinio Jacobi Patriarchæ, qui vixit diu ante Mosem, de Tyro nihil reperimus ante tempora Davidis, nisi quis מבצר צור Jos. *c. 19. v. 29.* putet esse *Palætyrum*. Itaque, ut observat Strabo *l. 16.* Οἱ μὲν οὖν ποιηταὶ τὴν Σιδῶνα τεθρυλλήκασι μᾶλλον. Et Homerus, qui Sidonis & Sidoniorum meminit in tot locis, Tyrum ne nominat quidem. Jam si de magnitudine certamen instituatur, in libro Josua *c. 11. v. 8.* *Sidon* appellatur רבה *magna*, i. e. inter Phœnicias urbes maxima. Diodor. *l. 16.* πλούτῳ τε καὶ ταῖς ἄλλαις χορηγίαις ἡ πόλις πολὺ διενέγκασα τῶν κατὰ τὴν Φοινίκην πόλεων τὸ δὲ μέγιστον τριήρεις καὶ πεντήρεις εἶχε πλείους τῶν ἑκατόν. Pomp. Mela *l. 1. c. 12.* *Adhuc opulenta Sidon, antequam à Persis caperetur, maritimarum urbium maxima.* Sed Tyrus illi deinceps, si Straboni credatur, ἐνάμιλλος *conferenda*; si Curtio *l. 4. c. 2. præferenda*. Is enim Tyrum affirmat *& claritate & magnitudine, ante omnes urbes Syriæ, Phœnicesque fuisse memorabilem*, quô tempore obsessa est ab Alexandro. *Nic. Lloyd.* Vide *Tyrus*; & plura de antiquitate urbis, præ Tyro, apud Joh. Marshamum Equ. *Canone Chron. Sec. XI.* Capta est Sidon, cum Archipatride, Cæsarea Strabonis, Ptolemaide. & Berytho, à Balduino I. Hierosolym. Rege A. C. 1104. sub cujus successore Balduino II. etiam Tyrus recepta est, A. C. 1125. sed utraque postea cum tota regione in Barbarorum potestatem relapsa est. Sidonis Achilles Tatius, statim *operis initiô* duos describit portus angustô aditu & latô sinu, in quorum interiorem naves hyeme se recipiunt, quia tutior est statio. Cæterùm Tyrus à Sidone distat stadiis ferè 200. uti habetur in Strabone. *loc. cit.* In medio Sarepta nomen habet ab æris & ferri fusione, cujus ibi magnum fuisse proventum, Hebræi colligunt ex benedictione Aser horum locorum incolæ. Deut. *c. 33. v. 25.* *Ferrum & æs sub calceo tuo.* Atque huc omnino pertinet illud Eumæi Sidonii, apud Homerum, antiquitatis sedulum indagatorem: Od. *ο. v. 424.*

ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι.

Nec erat cur interpretes Poëtæ verba traherent in alienum sensum, quasi circa Sidonem æris fodinæ nullæ fuissent. Tyri porrò & Sidonis incolis indulserat ingenium acre, vividum, & ad omnia flexile. Arithmetica & Astronomia ab iis manârunt ad Græcos. Et, ut taceam recentiores, Sidoni Mochus de atomis philosophari cœpit ante Trojani belli tempora. Et Abdemonus Tyrius, quæstionibus propositis, Regem Solomonem provocare ausus est. Sed præcipua celebritas ex mechanicis artibus. Tyri mixtura purpuræ, Sidoni vittatia & textura sindonum ex lino tenuissimo feruntur inventa primùm. Et fabrorum peritiam impensè laudat Solomon his ad Hiramum Tyri regem, 1. Reg. *c. 5. v. 6.* *Nosti non esse quenquam inter nos, qui sciat cædere ligna ut Sidonii.* Hinc est, quòd Homerus *Il. 23. v. 743. & 6. v. 289. & Od. 15. v. 114. & 4. v. 54.* appellet πολυδαιδάλους, & si quid concinnum in vestibus, aut in vasis affabrè factum, aut ludicrum in crepundiis, id tribuere solet Sidoniorum industriæ. His artibus illorum opes in immensum brevi crevêre, dum iis vacare licuit, per longæ pacis otium. Nam pacatè diu vixisse præ cæteris mortalibus vel hinc colligas, quòd Jud. 18. Sidonii proponuntur in exemplum summæ securitatis. Ita enim habetur *v. 7.* de Lais incolis: *Habitabant securè, pro more Sidoniorum, quietè & confidenter.*

SIDONA, regio Ponti Cappadocii, *Ptol.*

SIDONES, populi Thraciæ prope Hebrum. Plin. Alii in Scythia.

SIDONIA, urbs Troadis. *Steph.*

SIDONIORUM Insulæ, in Sinu Persico, unde Sidonii Phœnices profecti. Strab. *l. 16.*

SIDONIUM Mare, Syrii seu Phœnicii pars.

SIDONIUS Apollinaris Cajus Sollius, Episcopus Claromontanus, in Arvernia, floruit seculô 5. Natalibus, ingeniô, eruditione, pietate illustris. Natus patre, Prætoriô in Galliis præfectô, sub Honorio Imperatore Lugduni, Eusebium in Philosophiâ, Hoëniumque in Eloquentia & Poesi audiit. Ab Anthemio Imperatore Romam invitatus, interfuit nuptiis Ricimeri generi hujus: cui secundùm Consuli Panegyricum dedicavit, hinc præfectus Urbis creatus, postmodum Patriciis insertus. Statua ipsique ab Avito, in Bibliotheca Fori Trajani erecta, & Majorianô Circenses ludos Arelati celebrante, ejus mensæ admotos: utrumque panegyricô honoravit. Aviti filiâ ductâ, filium sibi cognominem cum duabus filiabus, Roscia & Severiana, ge-

nuit: legationibus variis defunctus. Cùm dein Avitus imperiô cederet, & Majorianus amicos ejus exagitaret, captus detentusque Lugduni, mox libertati, muneribus, gratiæ restitutus, fœderis inter illum & Theodoricum proxeneta fuit. Surrogatus post hæc Eparchio Episcopo, A. C. 472. dignitates suas in filium transtulit, ipse S. Scripturæ deditus, brevi tantum profecit, ut ab Euphronio Episcopo Augustodunensi, in difficilioribus quæstionibus consuleretur. Burgundionum fame laborantium nutriit 4000. Plurima in obsidione Claromontis, quam Gothi oppugnabant, ab Hæreticis & duobus presbyteris passus, obiit A. C. 482. ætat. 52. Scripsit libros 8. epist. cum 20. carminibus. Joh. Coleure, Joh. Savaro & Sirmondus, *in notis*. Gennad. *de Viris Ill. c. 92*. Rutic. *in epist.* Gregor. Turonens. *Hist. l. 2. c. 22. &c.* Inprimis Voss. *de Poët. Lat. p.* 60. & *de Hist. Lat. p.* 233.

SIDRACH, vel SHADRACH, qui & *Ananias*, nomen viri. Dan. *c.* 3. *v.* 12. 13.

SIDROCAPSA, Leuncl. *Sirus*, urbs maritima, episcopalis sub Archiepiscopo Thessalonicensi, *Sydcros* & *Scydra* etiam videtur *Ptolomæo* dici. Vide *Siderocapsa*.

SIDRONA, oppid. Liburniæ mediterran. *Belas Nigro*. Alii eandem putant cum *Stridone* D. Hieronymi patriâ.

SIDRONES, Germaniæ populi *Ptol.*

SIDUS, vicus Corinthi, aut Megaridis navale. Item vicus circa Clazomenas, & alius Rubri maris, & locus Pamphyliæ. *Steph.*

SIDUSSA, urbs Ioniæ. *Steph.*

SIDYMA, urbs Lyciæ. *Steph.*

SIETZIUS, fluv. Helvetiæ, qui è lacu Rivario prope Vesenium effluens, postea Limago miscetur. Vide Simlerum *de Rep. Helvet.*

SIFFRIDUS, Presbyter Saxo, floruit A. C. 1308. Auctor Chronici, à M. C. usque ad A. C. 1307. Georgius Fabricius edidit. Item Dominicanus, Archiepiscopus Moguntinus, A. C. 1470. Scripsit varia. *Trithem.* Voss. *l. 2. Hist. Lat. c. 62. Possevin. Miræus*, &c.

SIFRA, pro quo perperam plerique *Cifra* scribunt, vox est ab Indis accepta, si *Georg. Vallæ* credimus: Vossius verò ab Arabibus eam sive Saracenis, qui in Hispania vixêre, potiori derivat jure. Sanè & Hebræis ספר *Sephar*, est *numerus*, *numeratio*: à ספר *saphar*, i. e. *numerare*: imò & ab eodem verbo *numerus* dicitur מספר *Misphar*. Ita autem Barbaras numeri notas appellamus, cùm Græci Romanique, pro numeri figuris, literis usi sint. Originem earum Conr. Dasypodius *Institut. Mathem. l.* 1. è figuris Græcanicarum literarum corruptis arcessit, arbitraturque id non fore obscurum, si quis has ambarum figuras intueatur:

β. γ. δ. ε. ϛ. ζ. η. θ.
2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Sed verisimilius est, Europæos cæteros accepisse ab Hispanis; eos à Mauris; illos ab Arabibus; hos à Persis, vel Indis: & certiora afferri possent, si constaret, ecqua Orientis natio utatur literis, vel numerorum notis, quæ cum *Sifris* vulgatis conveniant. Porrò non nisi anni sunt circiter 400. quòd eas accepimus, unde certum ducitur argumentum, nummos aliaque hujus generis, in quibus *Sifræ* compareant, non majoris esse vetustatis: Et proin Marquardi Freheri grandem illum argenteum nummum, qui effigiem habuit Constantini Imperatoris equitantis, antiquum esse negat Jos. Scaliger; cùm in eo compareant notæ hæ Arithmeticæ 234. Cujusmodi characteres non est reperire in libris Græcis Astrologicis & Logisticis vel computis Ecclesiasticis, multo ante captam Constantinopolim. Sed & immutationem aliquam etiam in hisce *Sifris* contigisse, constat ex lapidibus & libris, in quibus, ante 200. annos, exaratum videmus; Λ. pro 7. &c. Voss. *de Scient. Mathemat. c.* 1. §. 5. Vide quoque suprà, voce *Numen*.

SIGA, colonia & urbs Mauritaniæ Cæsariensis *Ptol.* regia quondam Syphacis, inter ostia Malvæ ad occasum & Quisam urbem ad ortum apud ostia *Sigæ* fluvii. *Aresgol Marmolio. Humain Castaldo.* Aliis *Zersen*, seu *Zersen*. Fluv. *Tenne* dicitur *Castaldo*. *Baudrando* Siga *Haresgol* hodie, oppid. regni Algerii, in provinc. Telensina, cum portu, in ora maris Mediterranei in scopulo, cum castro munito. 55. mill. pass. ab ostio Mulviæ fluv. Quisam versus 90. & 18. à Telensino in Boream, Carthaginem novam versus 120. circiter. Aliàs Syphacis regio, postea Episcopalis. *Siga* autem fluv. in mare Mediterraneum labitur, prope Sigam oppid. & à Neotericis *Rio de Haresgol*, incolis autem *Tesnet* dicitur, Marmol. *descr. Africæ*.

SIGA, oppid. Veteraviæ, caput Comitatus cognominis ad Sigam fluv. 8. milliar. German. à Marpurgo in Occasum Coloniam versus 11. in limite Westphaliæ; *Sigen*.

SIGÆA Aloisia, Toletana, non Latinè solùm, Græcè ac Hebraicè, sed & Syriacè ac Arabicè docta, quinque his linguis varias scripsit ad Paulum III. litteras, teste J. Vasæô *Chron. Hispan.* Hinc in aulam Lusitanicam invitata ac muneribus ingentibus exculta ibi aliquandiu degit: Burgis dein sedem fixit, nupta Francisco de la Cueva, obiitque A. C. 1560. in flore ætatis. Sororem habuit Angelam similiter doctam, & Vasæo, Recsendio, Alvaro Gomerio, laudatam. Scripsit nihil. Teissier *Elog. Parte.* 1.

SIGALA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

SIGALION, simulachrum apud Ægyptios, in sacris Isidis & Serapidis, quod digitô labiis impressô silentium imperare videbatur: unde & nomen accepit ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, quod est *silere*. Alio nomine *Harpocratem* appellabant. Vide *Harpocrates*.

SIGANIA, Colchidis fluv. Plin. *l. 6. c.* 4. quem *Arrianus* Σιγγάμην vocat. *Ptol.* Σιγάνειον oppidum, sic (ut est verisimile) à fluv. dictum, inter Cyaneum fluv. & Neapolin collocat.

SIGANAS, vel SAGANAS, Carmaniæ fluv. apud Plin. *l. 6. c.* 25. de quo vide Salmas. ubi suprà *p.* 1181.

SIGANUM, urbs ampla Xensiæ, provinc. Sinarum ad fluv. Guejum, ad radices montium, sub qua 35. urbes minores *Martinius*.

SIGATHA, urbs Libyæ. Steph. ex Strabonis *l.* 17.

SIGBRITTA, paupercula è Belgio mulier, ex egestate Bergas Norvegiæ profecta, ibi sedem fixit. Mox cùm filiam ejus Duvike i. e. Columbulam, Christiano, postmodum II. hujus nominis Daniæ Regi à venustate imprudens laudavisset regni Cancellarius, illam Princeps concubinam, & mox in familiam cum pellice matrem assumpsit. Patris dein successor A. C. 1514. tanquam fascinatus, omnia ex *Sigbritta* consilio agere tam addictè cœpit, ut ante ejus ædes Hafniæ Senatores regni sæpe cogerentur expectare, & eam Regina parturiens obstetricem pati, ubi multæ illius de regiis liberis inauspicatæ voces auditæ: è quibus Johannes septennis à *Sigbritta* in ædes suas, ut ibi instrueretur in iis, quæ regiam decerent sobolem, assumptus est. Hinc suis exosus Rex esse cœpit, qui cùm plures aliæ odii accessissent causæ, Regnô à suis, surrogatô ei patruô Fridericô, pulsus, gazâ, chartis & *Sigbrittâ suâ* in naves illatis, in Belgium venit: ab eo tempore perpetuò infelix. Vide Phil. Jac. Spenerum in *familiâ Oldenburgo-Danica*.

SIGE, urbs Troadis. Gentile *Sigites Stephano*, qui & *Sigeion* promuntor. hodie *Capo Janizari*; in ora maris Ægæi, 140. mill. pass. à Chalcedone in Meridiem, uti 22. ab Abydo, & oppid. Troadis Ajacis sepulcrô nobilitatum esse scripsit: nunc in ruinis. Dictum Σιγεῖον, ut quidam volunt, ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, h. e. à *silendo*, eò quòd Hercules præmiô suô à Laodemonte fraudatus, dissimulatô secessu, ibi se occultârit, indeque silentiô magnô reversus urbem repentè adortus ceperit. Alii per antiphrasin sic dictum putant, quòd nullum ibi unquam sit silentium, aquis se perpetuò magno cum murmure saxis illidentibus. *Janizari* hodie Nigro, *Sophiano*, & *Belonio* dicitur. Hinc *Sigeus* adjectivum. Virg. *Æn. l. 2. v.* 312.

----- Sigea igni freta lata relucent.

Item *Sigeius*. Ovid. *Met. l. 13. v.* 3.

----- Sigeia torvo
Litora prospexit.

Idem *ep.* 1. *Heroid. v.* 33.

Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus.

Nic. Lloydius.

SIGEBERTUS I. Austrasiæ Rex, fil. Clotharii I. ex Ingonde. Metis sedit, maritus Brunehildis, filiæ Athanagildi, Wisigothorum Regis. Vicit A. C. 568. Longobardos, Hunnis, Avaribus & Herulis junctos: postmodum à spectris, quæ illi magicâ arte excitaverant, delusus, pecuniâ se suasque copias ab illis redimere coactus est. Dum his detinetur, interea Chilpericus, frater ejus, Remos, aliaque Campaniæ loca, sibi subigit, sed vincitur, captâ Suessionum urbe, mox pax sancita. Arelatum, alteri fratri Guntrano, ereptum, mox iterum perdidit: Longobardos dein, ditiones suas vastantes, feliciter iterum repulit, mox à Chilperico, A. C. 573. acie victus: contra quem cùm majores parâsset copias, ille pacem petiit impetravitque: quam cùm brevi iterum violaret, insequutus illum Sigebertus, per Bosonem ducem, filium ejus Theodebertum occidit, ipsumque Tornaco se includere coëgit: Sed urbem hanc cùm victor obsideret, à duobus sicariis, à Fregedonde, uxore Chilperici, cum duobus cultris venenatis, summissis, interemptus est. A. C. 575. ætat. 40. regni 14. Liberalis, generosus, ingeniô, clementiâ, affabilitate inclytus, Pater populi dictus. Gregor. Turonens. *l.* 4. & 5. Pater Childeberti successoris, qui ex Faileuba, Theodebertum vel Theodoricum filium, suscepit, *Sigeberti II.* ex pellice, patrem.

SIGEBERTUS II. occisus est, A. C. 614. post aliquot mensium, in Burgundia & Austrasia, regnum. Maritus Frideburges. Walafrid. Strabo.

SIGEBERTUS III. fil. Dagoberti I. frater Clodovei II. Obiit A. C. 654. Pater Dagoberti, qui Grimoaldi perfidiâ tonsus est. Sigebert. Gemblac. *in ejus vita*.

SIGEBERTUS, Monachus Gemblacensis, floruit sub initium Seculi 12. Scripsit *Chronicon*, ab A. C. 379. vel 381. ubi S. Hieronymus desinit, illudque continuavit, usque ad A. C. 1112. Item, *de Viris Illustribus. Vitam* quoque *Sigeberti III. Austrasiæ Regis S. Maclovii* &c. *Carmina* quoque & *Commentarios in Scripturam.* Stylô utitur liberô, & neque Pontificibus, cùm opus est, parcit Liber ejus, cui titulus. *Apologia, ad Henricum Imperatorem contra eos, qui calumniabantur Missas conjugatorum Presbyterorum*, perditus est. Vide Voss. *Hist. Lat. l. 2. c.* 48.

SIGENA, vulgò SIEGEN, oppid. Germaniæ, in Comitatu Nassoviæ, sub proprio Principe, ex illustri hac familia. Amplitudo loci, structuræ elegantia, civium negotiatio, magnarum eam urbium splendori admovet. Præcipua negotiandi ubertas ex ferri est artificio singulari, quô qui imbuuntur, non nisi jurati, patrias artes non translaturos, admittuntur; & quidem 20. in Sigenensi territorio numerantur ferri excoquendi officinæ, 25. verò cudendi nec pauciores multò chalybis domandi. Præcipuum loco decus à Joanne Mauritio, qui fontium ductu & ædificandi studiô illum mirè exornavit: translatis inter alia eò duobus ingenti magnitudine marmoreis cippis, ex America usque. Cives Reformati & Pontificii mixtim degunt. Obtigit autem *Sigena* filio secundò genito Joannis Dilleburgensis πολύπαιδος (qui Wilhelmi Auriaci frater fuit) Joanni, qui obiit A. C. 1623. Huic ex duplici matrimonio numerosa soboles, in qua ex priore conjuge L. Magdalena Comes Waldeccia, inter alios, eminent Johannes Junior, & Wilhelmus: quorum is ex Ernestina Arenbergica pater fuit Joannis Francisci Desiderati, qui natus in Sequanis A. C. 1627. Pontifi-

cios

cios situs amplexus est, primusque *Principis* axioma lineæ huic intulit: ex Jo. Claudia Kongvecia liberis genitis. Hic Christinam Erpachiam sibi junxit, atque ex ea filium unum, Mauritium (denatum A. C. 1638.) & filias quatuor genuit. Ex posteriore verò conjuge Margare a Holsata, suscepit Joannes Sigensis Joann. Mauritium cognomine Americanum Pro-Principem Clivæ, Georgium Fridericum (maritum Mauritiæ Lusitanæ) Wilhelmum Orroneos, aliosque, *Principes & Comites Nassoviæ &c. lineæ Sigensis.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p.* 52. 56. & 115.

SIGERICUS Visi-Gothorum in Hispan. Rex IV. à militibus, Ataulpho surrogatus est, A.C. 415. Sed ab iisdem, quod ad pacem cum Romanis inclinaret, occisus septimò post mense. Prosper & Isidor *in Chron.*

SIGESTORIUM, vide SEGUSTERO.

SIGETUM, urbs munita Hungariæ inferioris intra paludes fluv. Almi hic stagnantis & indormientis, cum castro triplici, fossâ utrinque cincto, 10. mill. pass. à Dravo in Boream, 20. à Quinque Ecclesiis in Occidentem. Capta à Turcis 7. Sept. A. C. 1566. cum triduo ante mortuus esset Solimannus. Vide Thuan. *Hist. l.* 39. Aliter *Zigetium.*

SIGGER, fluv. Helvetiæ, qui in Vocetii montis apicibus ortus, postea in sinistrum Arulam se præcipitat, inter Salodorum & Vietlisbachium oppid. *Simlerus.*

SIGILLARIA, vicus Romæ, ubi *sigillaria* vendebantur. Gellius *l.* 5. *c.* 4. *Apud Sigillaria forte in libraria ego & J. Paulus Poeta consideramus.*

SIGILLA vel SIGNA, dicuntur Vitruvio, *l.* 9. *c.* 6. quæ Suetonius *Neron. c.* 56. *icuncula, Glossæ* Philoxeni *Sigillaria,* Græci Νευρόσπαστα, apud A. Gellium *l.* 14. *c.* 1. i. e. *nervis tracta,* sive *fidiculis mota*; vocant: Simulachra videl. sive statuæ cubitales palmaresve, humanam staturam præferentes, quarum vel singula vel universa membra certis nervis & fidiculis ita movebantur & trahebantur, ut vivere, moveri atque adeo obambulare viderentur, humanas atque actiones ferè omnes, præter sermonem, repræsentarent. Ad cujusmodi Simulachra alludens Horat. ait *Satyr.* 7. *l.* 2. *v.* 81.

> *Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque*
> *Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.*

Excogitata talia neurospasta, in Dionysii sacris in Ægypto, atque à mulieribus vicatim circumferri solita fuisse, tradit *in Euterpe* Herodot. Ἀντὶ δὲ φαλλῶν ἄλλα σφι ἐστὶ ἐξευρημένα ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαστα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας αἱ γυναῖκες. Meminit eorundem Lucian. *de Dea Syra,* ubi idem, quod de Ægyptiis modò monitum, apud Græcos quoque in usu fuisse scribens, homunculas è ligno fuisse ait, bene vasatas, quæ turpitudo fuit sacerrimorum illorum Sacrorum. Quid hæc sibi voluerint, indigitat Arnob. *contra Gent. l.* 6. *Deos esse Sigillaria ipsa censetis*: & alibi *ead. l.* ubi ea *Sigilliola* vocans, ait, *In* Sigilliolis *parvulis contrahere se Deos, & aliena ad corporis similitudinem coarctare.* Sed & extra Sacrorum usum, in conviviis adhibebantur, oblectationis ergò, & quidem pro ditioribus; argenteæ hæ figuræ erant, uti Petronius docet: *Potantibus ergo & accuratissimas nobis lautitias mirantibus, larvam argenteam attulit servus sic aptam, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cùm super mensam semel iterumque abjecisset & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret* &c. Qui ea conficiebant, & vulgo exhibebant, inde Νευροσπάσται dicti sunt, ut liquet ex Aristot. *de Mundo,* ubi elegans horum Simulachrorum descriptio additur; verba Appulejus sic reddit, *Etiam illi, qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quod agitari solet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad ministerium præstò erunt; nec invenustè totus videbitur vivere.* Hinc *ductus Sigillarius,* Tertullian. *advers. Valentin. c.* 18. *A quo occultè nihil sentiens, & velut sigillariò extrinsecus ductu, in omnem operationem movebatur.* Item *motus Sigillarius* eidem, *de Anima c.* 6. *Velut sigillariò motu superficiem intus agitante.* Sic & apud Imperatorem Marc. Antoninum *l.* 8. *de Seipso,* legimus, Σιγιλλάρια νευροσπαστούμενα, i. e. *Sigilla verticulis mota*: qui & sæpius verbô νευροσπαστεῖσθαι utitur, pro *motu alieno,* Neurospastorum more, non suâ sponte, *moveri.* Vide Jac. Oiselium JCtum *Notis in A. Gellium l.* 14. *c.* 1. & infrà *Sigillaria.* Cæterùm *Sigillum,* pro Annulo seu Gemma signatoria, frequenti in usu est: vel potiùs, pro *aposphragismate* seu *symbolo Gemmæ insculpto,* quemadmodum *Sphinge* Augustus, *Rana* Mæcenas, *Quadrigâ* Plinius Junior præcipuæ apud Trajanum auctoritatis, literas signâsse leguntur, Vide Fortun. Licetum *Gemmar. Annular. Schem.* 27 *c.* 114. Sic literæ rubrô *Sigillô* & sericô munitas conchæque sanguine pictas, proprias fuisse Imperatorum Constantinopolitan. legimus apud Nicetam Choniatem *de gestis Manuelis l.* 1. *ferè initio* & Georg. Logothetam *in Chron. Constantinop.* Vide quoque in voce *Bulla.* Nec non hîc passim, ubi *de Annulo Signatorio, Sigillo Pensili, Signandi ritu* &c.

SIGILLA, in vestibus, ζώδια sunt, h. e. figuræ vel hominum vel bestiarum, aurô vel purpurâ expressæ: sicut *clavi,* Græcis πορφύραι, rotundæ vel quadratæ solùm, imaginem nullam exprimentes. Hinc ζωδιωτὰ, *sigillata. Hesychio,* ζωδιωτὸς χιτών, *sigillata tunica.* Sic occurrunt apud Pollionem, in *Herode, c.* 16. *Sigillata tentoria*; apud Athanasium *in Leone III. Vela sigillata*; apud eund. *in Paschali & Leone IV. Vestes sigillatæ.* Alibi; *Camisiæ sigillatæ,* In *l.* 11. *C. Theod. de Scen. Sigillata serica,* quorum usû mimabus ibi interdicitur, non minùs ac gemmis aut textis auratis &c. Qui verò istiusmodi figuras vestibus intexeret, *Sigillario,* Ζωδιοποιὸς dictus est, in *Gloss.* Sed & εἴδωλα hujusmodi sigilla vocat *Alciphron,* τῶν ἀνθινῶν καὶ μεγάλοις εἰδώλοις πεποικιλμένων ἐσθήτων φιλοτιμίαν. *Amm. Marcellin. Species animalium multiformes*: *ut longioris fimbriæ tunicæ perspicuè luceant varietate liciorum, effigiatæ in species animalium multiformes.* Ζωωτὸς & ζωδιωτὸς idem erat, uti ex Polluce docet Salmas. *ad Pollionem,* ubi *supra.* Sic idem cum *sigillatis* fuerint *bestiata,* de quibus vide quoque infra in voce *Signa,* item *Singilio.*

SIGILLARIA, festum apud Romanos, Ausonio *in Eclogar. v.* 32. *Festa Sigillorum* dictum, memoratur A. Gellio *l.* 2. *c.* 3. ubi *librum Æneidos secundum mirandæ vetustatis, emptum in Sigillariis XX. aureis, Fidum Optatum sibi ostendisse, scribit*: In quæ verba Anton. Thysius JCtus commentatus; illud *in Sigillariis,* exponit, *Festis Sigillariorum diebus, quæ sequuntur Saturnalia.* De quibus ita Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 10. *extr. Saturnalia uno tantùm die, i. e. quarto decimo Kal.* (Januarii) *solita sunt celebrari: sed post in triduum propagata* Sigillariorum *adjecta celebritas, in septem dies discursum publicum & lætitiam religionis extendit. Nomen ex eo Sigillaribus, quod ultro citroque sigilla sive imagunculas & munuscula alia missitarent.* Idem *c.* 11. originem eorum ex Epicado hanc tradit: *Epicadus refert, Herculem occisò Geryone, cum victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui nunc Sublicius dicebatur, ad tempus instructô, hominum simulachra, pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluvium demisisse, ut aquâ secundâ in mare devecta, pro corporibus defunctorum, veluti patriis sedibus redderentur; & inde usum talia simulachra fingendi inter sacra mansisse. Sed mihi,* inquit, *hujus rei illa origo verior existimatur, quam paulo ante memini retulisse, quod Pelasgi, postquam felicior interpretatio capita non viventium, sed fictilia, &* φωτὸς *æstimationem non solùm hominem, sed etiam lumen significare docuisset, cœperunt Saturno cereos potius accendere: & in sacellum Ditis aræ Saturni cohærens oscilla quædam pro suis capitibus ferre. Ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus missitarentur & Sigilla arte fictili fingerentur ac venalia pararentur, quæ homines pro se atque suis piacula pro Dite Saturno facerent. Ideo Saturnalibus talis Commerciorum celebritas cœpta.* Inciderunt illa in 15. Kal. Januar. Joh. Rosin. *Antiqq. Roman. l.* 14. *c.* 16. Vide quoque Senecam *Ep.* 12. Sueton. *in Claudio c.* 5. Spartian. *in Caracall. c.* 1. & *Hadriano, c.* 17. ut & Hadr. Turnebum *l.* 23. *c.* 28. qui putat per *Sigillaria* aliquando locum intelligi hôc nomine, ubi libri aliæque res promercales væniebant, adducens pro se Ausonium *ad Paulum, in Centon. Pro quo, si per Sigillaria in auctione venires, neque Afranius naucì daret, nec Stichum suam Plautus offerret.* Et potuit locus inde *Sigillaria* dici, quòd Mercatores venalia certis locis habebant sigilla seu imagunculas aliaque munuscula, quæ sibi invicem missitabant. Vide Thysium *locô cit.*

SIGILLARICIUS Annulus, apud Vopisc. *in Aureliano, c.* 50. *Uxori & filiæ annulum* Sigillaricium, *quasi privatus, instituit*; idem cum *signatorio* est. Cujusmodi annulos *chirographos,* seu potiùs *cerographos,* h. e. *cerographos,* vocat Catullus, *Epigr.* 25. *v.* 7.

> *Remitte pallium mihi meum quod involâsti,*
> *Sudariumque Setabum cerographosque Thynos.*

Κηρογράφοι enim, quod *ceram pingit,* & charaxat, id quod annulorum sigillariciorum est proprium. *Thynos* addit, quia hi annuli ex politura Bithynica celebres erant ac nominati: Quam in rem vide suprà passim, inprimis ubi de *Annulis,* ut & in voce *Cyrographi,* infra quoque aliquid voce *Signa.*

SIGILLARIUS, in *Gloss.* Ζωδιοποιὸς, qui *sigilla,* de quibus suprà, vestibus intexebat. Item qui *sigillaria* seu νευρόσπαστα venundabat, circulator. Vide iisdem suprà, & Jac. Cujacium *l.* 11. *c.* 30. Etiam *Custos sigilli,* apud Petr. Blesensem *Ep.* 131. *Cum in Sicilia essent* Sigillarius *& Doctor Regis Gulielmi II. tum pueri.* Sic Walterus de Constantiis dicitur *Regis Angliæ Sigillarius,* apud Rad. de Diceto *A. C.* 1180. Vide quoque suprà, ubi de *Annulis.*

SIGILLATA Tentoria, apud Treb. Pollionem *in XXX. Tyrann. c.* 16. ubi Herodis, Zenobiâ geniti, luxum describit, quid sint, vide suprà in voc *Sigilla.*

SIGILLATORES, Græcè Σφραγισταὶ, dicebantur Ægyptiis Sacerdotes illi, qui victimas signabant. Cùm enim, ut ritè offerretur animal, non modò id *mundum,* sed & *immaculatum,* esse deberet, Sacerdos ad id constitutus, pecude cùm stante, tum resupinatâ, linguâ etiam exsertâ, victimam exquirebat: caudæ etiam pilos inspiciebat, an vel unum nigrum pilum (boves enim non nisi rufos immolabant Ægyptii) videret. Quòd si esset omnino munda, *notabat eam byblo cornibus alligatò: deinde terra sigillari applicata, annulum imprimebat, & sic abducebatur victima. Qui non sigillatam immolabat, morte puniebatur,* Herodot. *l.* 2. *c.* 38. Atque hi Sacerdotes inde *Sigillatores* appellati sunt. Servius *ad illud Virgilii, Æn. l.* 4. *v.* 57.

> —— *Lectas de more bidentes.*

De more, inquit, *scil. antiquo, omnibus noto*: i. e. *ut habeant caudam aculeatam; ut linguam fissam; ne aurem nigram.* Chæremon apud Porphyrium nævos à *Sigillatoribus* observari solitos exactiùs recensens, *boves fœminas, & marium quotquot gemelli aut maculosi, aut colores diversi, aut deformes, aut domiti* (utpote jam laboribus consecrati) *aut oculò privati, aut hominum* (vel Deorum suorum) *similitudinem ferentes,* ab iis rejectos ait: infinitas hujusmodi observationes, & propterea integros libros περὶ τῆς τέχνης τῶν καλουμένων Μοσχοσφραγιστῶν, *de eorum arte, qui* Victimarum Sigillatores *vocarentur* conscriptos esse, addens. Ἀποσφράγισμα *Sigilli* quodnam fuerit, docet Plutarchus, ex Castore, *Homo* videl. *in genua desidens, manibus post tergum reductis, ense jugulo imminente,* de *Isid.* quô pactô sacri horrendi, ἀνθρωποθυσίας olim apud Ægyptios usitatæ, vestigium in victimarum sigillo mansisse videtur. Heliopoli sanè, Junoni Lucinæ quotidie homines tres, qui ἀνθρωπίζοιο, καθάπερ οἱ ζῆλῳ μόσχοι καὶ σφραγιζόμενοι, probabantur, *non secus ac quasi*

cui illi Vituli puri & Sigillati, mactari solitos, docet Manetho, apud Porphyr. *de Abstin. l. 2. §. 55.* donec Amosis Rex *Cereis victimis* substitutis, inhumanitatem illam, ita funditus exstirpavit, ut Herodotus eam nunquam in Ægypto viguisse crediderit *l. cit. c. 45.* quem Macrobius sequitur *Saturnal. l. 1. c. 7.* Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XI.* & *hic passim.*

SIGILLUM, cujus in *signandis* literis usus, aliud *privatum* est, quô vel homines privati, vel Principes in negotiis privatis, uti consuevêre, de quo vide Vopisc. *in Aureliano d. l.* & Fletam *l. 2. c. 13. §. 1.* aliud publicum, hocque rursus vel *secretum*, vel *commune* seu authenticum. Et quidem *Sigillum secretum* vel *secreti* dictum est, quod literis, ut vocant, *clausis* apponebatur, sicque in secretioribus negotiis, Epistolis e. g. locum habuit. Neque tantum in privatis negotiis, sed & in publicis adhibebatur, vel à tergo authentici sigilli appositum, quod ideo *Contrasigillum* appellatum est, vel ab ipso suspensum. Nonnunquam vel ad pleniorem fidem, vel majus dilectionis argumentum eô solô publica negocia (sed minora, & maximè, cùm abesset majus) sigillata legimus. Erant autem *Sigilla* hujusmodi minoris formæ; quàm authentica, habebantque interdum impressa Militum insignia, vel familiarum affinium; interdum figuras quasdam exoticas, pro libitu, ut videre est apud Duchesnium, aliosque Stemmatographos. In Regum Franciæ *sigillo secreto*, insignium scutum unicô Angelô sustentatur. In Sigillis tamen Episcopalibus antiquitus non expressa fuisse insignia gentilitia, sed effigiem Episcopi *Pontificaliter induti, cum baculo pastorali & mitra*, docet, ex *c. 6. Decretal. de fid. Instrum.* Dominic. Macer. In *Pontificiis Rom.* D. Petrus cum navicula, instar piscatoris retia laxantis, effingitur; quod proin *Sigillum Piscatoris* nuncupatur &c. Custodia *sigilli* hujus, apud eosdem Reges, Magnum Cambellanum, eôque absente, primum Cambellanum, spectabat, qui illud in quodam pretioso marsupio asservare, eoque literas, quas *de prieres, d'estat, de responses & de mandement à venir*, vocant, sigillare solitus est. Apud Byzantinos, infimi ævi Augustos, dignitas fuit, quam Παρακοιμώμενον τῆς σφενδόνης, appellabant, h. e. *Accubitorem palæ*; item quam Παρακοιμώμενον τοῦ κοιτῶνος, *Accubitorem cubiculi*, dicebant: quorum hic cubiculi Imperatorii, ille verò *Sigilli*, quô Imperator literas ad matrem, filios, Despotas, Patriarcham, alios, scriptas obsignabat, custos erat. Qua de re vide Car. du Fresne *Not. ad Villehardumum.* At *Sigillum Authenticum* & *Commune* dicebatur, cujus in publicis negotiis usus erat, & quæ omnibus paterent: unde diplomata eô munita *Literæ patentes* indigitari solent. Idem *Sigillum pensile*, seu *pendens*, quòd σηρικῷ νήματι, *filô sericô*, diplomatibus soleat appendi. Et eudem primitus filô sericôque tabulis aureæ plumbeæque bullæ appositæ sunt, uti vidimus suô locô. Postmodum cerea perinde literis appendi cœpêre: quorum usum Guilielmum Nothum in Angliam invexisse, cùm anteà crucem solùm gens effingeret, tradit Ingulphus *p. 901.* & Seldenus, qui ejusdem Wilhelmi sigillum descripsit, *ad Eadmerum* p. 166. Muniebantur autem pensilibus his sigillis diplomata, nullô appositô chirographô, adeoque omnem iis vim conferebant; unde typos ipsos sigillarios, ne in aliorum inciderent manus, summâ curâ asservare necesse erat. Sic scribit de Magistro Rogero Ricardi I. Angliæ Regis Vicecancellario, cùm circa Rhodum tempestate in mari periisset, *circa ejus collum suspensum Regis Sigillum, postea receptum fuisse*, *Bromptonus.* Nec aliâ fortè ratione Cancellarius Imperatoris, in solennibus præsertim ceremoniis, *majus sigillum* collo appensum gestare legitur, in *Bulla Aur.* Caroli IV. Imperatoris *c. 7. 23. §. 2.* In his porrò sigillis efformandis, varii coloris cera adhibita est. Apud Gallos, soli Regi flavæ usum competere, scribit *Tillius.* Viridis in sigillis regiis usus potissimus fuit in Diplomatibus, quæ vulgò *Chartres, Privileges & Remissions* dicuntur: hodie verò etiam flavâ cerâ sigillantur: Rubeam adhibent Universitates ac Communitates: albam, Milites S. Spiritus &c. In *Sigillis* verò effecti ferè semper Equites, quorum erant, si ex Militari essent ordine, tunicâ loricæ superinductâ, quod Joanne Rege in Anglia primùm obtinuisse, docet Dugdalus *in Antiqq. Warwic. Tempore Regis Joannis erant in sigillis dominorum tunicæ super loricis ---- erant autem tunicæ longæ ad talos.* Adjuncta dein armorum insignia. Idem, *Circa annum* 1218. *Domini, qui in* sigillis *---- habebant equites armatos cum gladiis, nunc in dorso sigillorum arma sua posuerunt de nova in scutis.* Quod in Francia, post capturn ab Anglis Joannem Regem similiter factitatum esse, circa A. C. 1366. apud eundem legas. Tunc primùm autem *sigillum* sibi asciscebant Viri nobiles, cùm suæ ætatis essent, h. e. postquam ætatis annum 22. attigêre, atque adeò Militare cingulum consecuti sunt. Solos enim Milites olim jus habuisse *Sigilli pensilis*, docet Duchesnius *in Histor. Castilion.* quod postmodum & ad Armigeros transiit, qui tamen, cùm in Milites allecti sunt, *sigilla* sua mutare sunt coacti, uti docet Car. du Fresne *in Gloss.* ubi plura hanc in rem. Vide quoque suprà ubi de *Annulis*, it. voce *Pastellus*: uti de *Sigillo*, quod à Patriarcha in Eccles. Græca fieri solet, in fine Trisagii, infrà.

SIGINDUNUM, Mysiæ superioris oppid. *Ptol.* quod Niger *Simendro* vocat. *Singidunum Antonino. Sigidinum* Zosimo *l. 3.*

SIGIPEDES, Scythiæ populi apud Treb. Pollionem in *Claudio*, *Denique Scytharum diversi populi, Peucini ----- Sigipedes, Celtæ etiam & Heruli, prædæ cupiditate in Romanum solum ---- venerunt* pro *Gipedes*, uti legi vult Salmas. h. e. Γήπαιδες, quemadmodum Græcis nominantur: de quibus id legitur, in Græcorum Commentariis, Γήπαιδες οἱ λεγόμενοι Λογγίβαρδοι, εἰσὶ Γέτῶν παῖδες, *Gipedes dicti sunt Longobardi, quasi Getipedes, Getarum filii.* Corippo *Gypedes* vocantur, duabus syllabis brevibus, *l. 1.*

En Avares, Francique truces, Gypedesque Getæque.

Vide Salmas. *ad Pollionem d. l.*

SIGISMUNDUS, Imperator, Hungariæ & Bohemiæ Rex, ex familia Lucemburgica, fil. Caroli IV. frater Wenceslai Imperatorum. Ductâ Mariâ, filiâ Ludovici. I. Hungar. Regis regnum sibi pacavit, coronatus A. C. 1387. æt. 20. uxorem perdidit, A. C. 1392. A Bajazete Turcarum Imperatore licet Gallis sub Joh. Burgundo subnixus, ad Nicopolim, A. C. 1386. victus, diu Constantinopoli & in Rhodo, omnibus ignotus erravit: tandem captus à suis, amicorum ope A. C. 1401. restitutus est, Quô annô Ruperto Imperatori successit, postquam sibi ipsi, utpote Electorum unus, suffragatus esset. Schisma, post iter in Galliam, Angliam & Italiam, magnâ curâ, Constantiæ celebratô Conciliô sustulit: Reformationem tamen impetrare non potuit, licet vehementer, apud Petrum de Alliaco Cardinal. instaret, conjugia Clericorum, inter alia, strenuè urgens. Nihilominus, in Basileensi Concilio, liberiùs, quàm unquam in aliis, in auctoritatem potestatemque Pontificis inquisivit. Marchiam Brandeburg. cum Electoratu, Friderico Burggravio Norimberg. Saxoniæque Electoratum Friderico Misniæ Marchioni contulit. Gonzagam, Mantuæ Marchionem creavit. A Johanne Zisca, Hussitarum, quos extinctum ibat, Duce, aditu in Bohemiam interclusus, sæpius victus, & quamvis tripartitô exercitu, ad 200000. secum trahens, accederet, Panicô quôdam terrore semel atque iterum fugatus: Posteà à Procopio Holy infestatus est, donec tandem libertate religionis permissâ, unô annô ante mortem in regnum est admissus. *Æn. Sylv. Hist. Bohem. l. 36.* Connubium, cum Barbata, impudicissima fœmina, infaustum expertus, Znoimæ, in Moravia, obiit, A. C. 1437. ætat. 70. Formâ egregiâ, liberalis, magnanimus, literatorum Mæcenas, plurimarum linguarum peritus, in pace Princeps inclytus, sed bello infelix. Ferreâ coronâ Mediolani cinctus, Romæ auream ab Eugenio IV. accepit. Crantz. Cochlæus, Dubravius, Bonfinius, Thurosius, Bapt. Egnatius, *in epit. Hist. Imp.*

SIGISMUNDUS, Burgundiæ Regis fil. Gundebaldi, patri successit, A. C. 516. Ab Arianismo, ope Alcimi Aviti Episcopi Viennensis conversus, magnam curam rebus sacris impendit: Pater, ex Ostrogota, filia Theodorici, Gothorum in Italia Regis Sigerici, quem, novercæ impulsu, innocentem strangulari jussit: quod crimen paulo pòst multis lachrymis prosequutus est. Posteà, Clodomirus, fil. Clodovei M. junctis fratribus suis, Sigismundum vicit, captumque Aureliani, cum uxore & liberis in puteum præcipitatos necavit. A. C. 523. Gregor. Turonens. Usuardus, *vita S. Sigismundi*, *Duchesnius*, &c.

SIGISMUNDUS I. Magnus, Poloniæ Rex, fil. Casimiri II. frater Johannis Alberti Alexandri, Regum, quorum ille A. C. 1501. hic A. C. 1506. obiit; successit, jam rebus plurimis præclarè gestis inclytus, an. ætat. 40. Rex vicit Moscos, totâque expulit Lithuaniâ, A. C. 1519. fines Imperii extendit, decus principum seculi sui: Obiit A. C. 1548. ætat. 80. Cromer. *Histor. Polon.* Salomon Neugebauer. *in Hist. Pol.* Jodocus Ludovicus Decius & Bernardus Vapovius *in Sigismund.*

SIGISMUNDUS II. Augustus, vivente patre Sigismundô I. coronatus, post obitum patris, jam prius uxore Elisabethâ Austriacâ orbatus, duxit Barbaram Radiviliam, filiam Georgii Castellani Vilnensis, viduamque Stanislai Castoldi, Palatini Trocensis: Unde Procerum murmur & turbæ, quibus pacatis, hac mortuâ, Catharinam Ferdinandi I. Imperatoris filiam sibi junxit. Consiliariorum aliquot, inter quos Joh. Funccius, ex concionatore aulicus minister, suppliciô affecit: Suecos in Livonia, Moscos ad Stinum lacum, &c. vicit. Dantiscanis iratus, portorii dimidiam partem iis ademit, causasque majoris momenti, ad Senatum regni transtulit. Obiit, ex Jagellonica familia ultimus, A. C. 1572. ætat. 52. regni 25. Successit Henricus Dux Andium. Neugebauer. *Hist. Pol.*

SIGISMUNDUS III. fil. Johannis III. Sueciæ Regis, ex Catharina, filia Sigismundi I. natus A. C. 1566. à Polonis, exclusô Maximilianô Archiepiscopô in regnum accitus, A. C. 1587. mortuô Patre, etiam Sueciæ regnum adiit, coronatus, A. C. 1594. quô tamen, quòd intempestivè religionem ibi jam stabilitam evellere conaretur, à Carolo Sudermanniæ Principe, patruo suo, exutus est. Livoniam amissam fortissimè recuperavit, Moscos Smolensko, post biennii obsidionem, depulit, illosque Vladislaum fil. in M. Ducem eligere coëgit. Obiit A. C. 1632. regni 45. Maritus duarum sororum, Annæ & Constantiæ Austriac. Pater verò Ladislai Sigismundi & Johannis Casimiri, qui ambo Mariam Gonzagam uxorem habuerunt, familiâ haud pridem totâ extinctâ.

Joh. *Sigismundus*, Joach. Friderici Electoris Brandeb. fil. ab Avo Joh. Georgio educatus, dein cum fratre Joh. Georgio cognomine *Juniore*, missus Argentinam, A. C. 1588. post Avi mortem, Zechliniensem præfecturam accepit: Inde cum Patruis, ob ditiones Franconicas, Patre consentiente, transegit. In itinere Borussico cùm esset A. C. 1608. Patris perceptô obitu, Vicarium dixit Adamum Gans Baron. Putlizium, & præter successionem Electoratus, etiam Curatelam Borussicam obtinuit. Possessionem Juliacensium ditionum, quas à conjuge Anna fil. Alberti Friderici Brandeburgici Ducis Borussiæ, & Matre Eleonoræ Ducis Juliac. sibi vindicabat, sumpsit, A. C. 1609. ac sequenti annô Unioni nomen dedit. Comitia Ratisponensia per Legatos obivit A. C. 1613. ut & Diætam Electivam utramque, quâ Matthias & Ferdinandus electi. Inde A. C. 1614. Reformatis accedens, in doctrina & ceremoniis Reformationem instituit, factô initiô à Templo SS. Trinitatis Coloniæ; vulgata etiam Confessionis formulâ. Demum, cùm alterum seculum Electoralis dignitatis in sua familia continuatæ celebrâsset, annô *Iohann sIgMVnD ChVrfVrst*, i. e. 1617. aliquandiu etiam ex apoplexia paralyticus decubuisset; tradidit Filio paucis ante obitum septimanis Electoratum, A. C. 1619. Pater præter Georgium Wilhelmum successorem, Joachimi *Sigismundi*, Magistri Ordinis Johannitici, minoris natu, qui obiit A. C. 1625. Fuit & *Sigismundus* frater Joh. Georgii Elect. præfati, doctorum summus Fautor, qui fratri Friderico A. C. 1552. extincto in Magdeburgensi

IO-

Halberstadiensi sedibus suffectus, A.C. 1553. ritus Pontificios antiquavit, defunctus A. C. 1566. Idem nomen uni quoque fuit ex modò laudati Joh. Georgii filus, qui sub Spinola in Belgio copias duxit.

SIGISMUNDUS, fil. major natu Henrici cognomine *Patris Patriæ* Ducis Sagano-Glogovii, frater Henrici, obiit A.C. 1458. Item fil. minor natu Joh. Christiani Ducis Brigensis, ex altera conjuge Hedvige Sitschia, Baronis Lignicii titulo insignis, defunctus est A. C. 1665. Frater Augusti vel Augustini Comitis Lignicii, quem Gregorius Wilhelmus, ex tota gente Piastea ultimus, ultimis precibus (obiit enim A. C. 1676.) Imperatori sollicitè commendavit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Famil. Brandeburg. & Piastea.*

SIGISMUNDUS Rakocius, Transylvaniæ Princeps, electus est, A.C. 1606. post defunctum Botskajum, invitus: interim in pace præfuit, Matthiæ Hungar. Regi & Achmeti Ottomano æquè gratus. Cessit sponte Gabrieli Bathorio. A. C. 1608.

SIGISMUNDUS Gelenius, Bohemus, vertit A. C. 1540. Josephum, Justinum Martyrem, Dionysium Halicarn. Philonem, Appianum &c. Thuan. *Hist. l.* 3.

SIGISMUNDUS Gossenbrot, Benedictinus. Condidit Chronicon Augustanum, A. C. 1483. à Joh. Pistorio, inter auctores Histor. German. editum.

SIGISMUNDUS Malatesta, Arimini Dominus, Philosophus, Historicus & Bellator egregius: sed quòd immortalitatem negaret animæ, & ditiones Pontificias crudeliter vastaret, à Pio II. excommunicatus est, A. C. 1462. interim ad frugem rediit, expeditione contra Turcas susceptâ. Pius II. nomine Gobelini, *in Comment.*

SIGISTANIA, provinc. Persiæ, in parte Orientali versus confinia Indiæ, ubi aliàs pars Drangianæ, versus montes. Ibi Sistanum seu Sigistanum, *Sistan*, urbs præcipua ad Ilmenum fluv.

SIGIUS, mons Galliæ Narbonensis, à quo sinus Galliæ incipit, *Setium Ptol. & Avieno. Capo de set Clusio.* Vide *Setius mons.*

SIGLA, vel SIGLÆ, per syncopen pro *Sigilla*, subintellige *Literæ*, memorantur in Papiæ *Glossario*. Dicebantur autem sic compendia literarum, cùm una vel duæ literæ pro integra voce, pluribus literis constante, ponebantur: Unde *Festus, Notæ erant literæ, sed singulæ, vel binæ.* Cic. *pro Murana, singulas literas*: Gell. *l.* 17. *c.* 9. *singularias*, vocant. Tales, cùm literarum initiô scribitur S. pro *Salutem*: vel *S. P. D.* pro, *salutem plurimam dicit*. Item *S. V. B. E. E. Q. V.* h. e. *Si vales bene est, ego quoque valeo* &c. Quanquam in his, ob consuetudinem, res minùs obscura: occultior in aliis, quæ tradunt Valerius Probus, qui Hadriani, Cæs. ætate floruit & Petrus Diaconus, qui sua dicavit Conrado I. Imperatori. Origo earum, ut & Notarum, de quibus suprà, inde est, quòd, postquam Academici Lectiones suas, *ἀκροάσεις* appellatas Gell. *l.* 2. c. 22. & *l.* 20. *c.* 4. dictare cœpissent, teste Appulejô *Florid.* celeriùs vox Doctoris præcederet, quàm ut integrè scribendo Discipuli eum assequi possent: Itaque ad hoc artificium conversi sunt, primusque Xenophon quæ dicebantur, hôc modô excepta, in publicum edidit, apud Laërt. *l.* 2. *in ejus vita.* Vide Georg. Hornium *Histor. Philos. l.* 7. *c.* 11. Inprimis autem Jurisconsulti, in exscribendis Legibus, uti *Siglis* solebant. Unde Manilius *l.* 4. *Astron.*

Hic etiam Legum tabulas & condita jura
Noverit, atque notis levibus pendentia verba,
Et licitum sciet & vetitum quæ pœna sequatur.

Cùm verò hinc sæpe error obveniret, quia unica litera plurium crebro rerum erat signum; jussit Justinianus Imperator ut vocabulis integris, non *Siglis*, porrò scriberetur. Vide verba ejus *l.* 1. *Cod. Theodos. tit.* 17. *de vet. jure enucl. leg.* 1. *& tit. eod. l.* 2. Atque ut is è Latinis Juris codicib. *Siglas* sustulit: ita in Græcis libris idem fecit Basilius Imperator uti testatur Cedrenus *p.* 467. Quàm antiqua autem hæc scribendi fuerit ratio, illud Ciceronis *pro Murana* ostendit: *Irati Jurisconsulti, ne dierum ratione pervulgatâ & cognitâ, sine sua ope posset lege agi, notas quasdam composuerunt, ut ipsi omnibus rebus interessent.* E quibus Jureconsultos veteres *Siglarum* Inventores fuisse arguas: Aliàs Notas pressè dictas à *Siglis* distingui notum, cùm hæ literis constent, illæ secus. Scripsit de *Siglis* libellum Mango, ad Carolum Regem quem his ei dedicavit versiculis,

Hæc juris σημεῖα lubens Rex accipe Carle,
Offert devotus quæ tibi Mango tuus.

Ubi *σημεῖον* vox haud aliter sumitur, ac à Tullio *l.* 13. *ad Attic. Ep.* 32. *Quod ad te de legatis scripsi, parum, credo, intellexisti, quia διὰ σημείων scripsi.* Ut & à Plutarcho *in Catone & Cicerone*, ubi vocat *σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα*. Ubi quidem plerique Notas intelligunt, quæ literæ non sunt, quales tradidêre Tyro & Seneca. Sed sperare potuit Cicero, Atticum, quâ ingenii acie esset, ex primoribus literis collecturum de vocibus integris: at non potuit putare, divinaturum id ex incognitis istiusmodi signis. Nec Mango aliud docet, quàm literas initiales pro integris vocibus positas: uti nec alter ille, cujus Juridicas Notas ex veterib. membranis, in corpore Grammaticorum veter. habemus. Gerh. Joh. Vossius *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 40. Vide quoque infrà *Tachygraphia.*

SIGMA, ex literæ forma, dictum est Stibadium olim, seu trium lectorum coagmentatio, ut inter alios eruditè declarat Petrus Ciacconius *de Triclinio*: Quemadmodum *Porticum semirotundam ex similitudine fabricæ*, Sigma *Græcô vocabulô nuncupari*, legimus *in Libello de regionibus Urbis Constantinop.* Ubi cùm Adolphus Mekerchus, Fulv. Ursinus, Guil. Bailius, ipse præfatus Ciacconius, Alii, velint hanc literam, ob figuram *ἡμικύκλιον* arcui Scythico comparari, ut & apud Agathonem Tragicum *in Telepho*, falli eos dicit Vossius, cum figura hæc semiorbicularis C. arcui vulgari; vulgaris figura Σ. arcui *Scythico* similis sit, ut observatum Lipsio *de pronunt. LL.* & Scaligero *ad Euseb.* Thomas Dempsterus *in Kosini Antiquit. Rom. l.* 5. *c.* 26. mensas Romanas figuras *Sigmatis* retulisse, & cùm Veter. quadratas primùm, dein rotundas habuissent mensas, Romanos eas dimidiatæ Lunæ effigie fabricâsse, *ἡμικύκλια* quoque dictas, ostendit, ex Jul. Polluce *Onomast. l.* 5. *c.* 1. *Ἀκκούβιτα, στιβάδες, ἡμικύκλια, κλιντήρια, χαμεῦναι, Scamna, thori, semicirculi (i. e. Sigmata) recubitoria, humi strata.* Hinc Petr. Ravennas *Serm.* 29. *Discumbebat Deus, plus in Matthæi mente, quàm Sigmate*: & Sidon. Apollinaris *l.* 2. *Ep.* 2. *ita ut ministeriorum se non impediente famulatu tot posset recipere sellas, quot Sigma capit personas.* Quot autem ceperit, indigitat Martial. *l.* 10. *Epigr.* 48. *v.* 5.

Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis
Septem Sigma capit, sex sumus, adde Lupum,

Idem *l.* 14. *Epigr.* 87.

Accipe Lunatâ scriptum testudine Sigma
Octo capit: veniat, quisquis amicus erit.

In quæ verba sic Salmas. *Postquam*, inquit, *Triclinia ab usu recessêrunt; & pro Tricliniis Accubita & Stibadia dici cœpêre, quorum figura semicircularis erat, atque inde* Sigma *nomen invenit; totam mensam non circumdabant, sed spatium in ea parte relinquebant, quà circulus deficiebat, ad inferenda scil. fercula* &c. Et iterum, *Triclinium ergo erant tres lecti divisi & separati*: Sigma *vero unus perpetuus lectus, semirotundus*, quod Stibadium *&* Accubitum *dixêre. Triclinium omnibus mensis poterat, Sigma vel Stibadium non item: nec enim minus Sigma majori mensæ, nec majus minori coaptari poterat. Secundùm ergo mensarum magnitudinem quærenda erant parva aut magna stibadia, quæ à numero convivarum vel octaclina vel hexaclina dicebantur.* Unde colligas Dempsterum Stibadium cum Mensa confudisse. Ad ejus extrema cornua honoratiores convivas fuisse collocatos, discimus ex Gregorio Turonensi *de Mirac. l.* 1. *c.* 80. *Discumbentibus autem ad convivium, Vir ille cum Presbytero dextræ partis cornu occupat, Catholicum ad sinistrum statuens*: & Sidonio Apollin. *l.* 1. *Ep.* 11. *Primus jacebat cornu sinister Consul ordinarius Severinus.* Quibus clariùs rem exprimens Juvencus *Sacr. Carm. l.* 3. sic ait,

Si vos quisque vocat, cœnæ convivia ponat;
Cornibus in summis devitet ponere membra,
Quisque sapit, veniat forsan si nobilis alter,
Turpiter eximiô cogetur cedere cornu.

In medio reliqui dispositi erant. Paulinus *de vita Martini l.* 1.

Hos intermedius, quà Sigma flectitur orbe,
Presbyter accubuit.

Ornabantur verò hæc *Sigmata* eôdem tapetum apparatu, quô Scenæ Theatrorum solebant instrui, scil. initiô pellibus ferarum, deinde & byssinô peristromate &c. Vide Thom. Dempster. *loc. cit.* Fulv. Ursinum *Append. de Triclin.* ubi, inter alia, quàm altum *Sigma* fuerit, docet, Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, ubi ex antiqua *Sigmatis* scalptura, quæ Romæ trans Tiberim visitur, è regione ædis D. Chrysogoni, quamque præfatus Ursinus primus edidit, ejus iconem Lectori antiquitatis avido exhibet; Salmas. iterum *ad Lamprid. in Heliogabalo, c.* 25. & Casaubon. *ad eund.* quorum hic ad verba illa, *Primus* (Heliogabalus) *invenit sigma insternere, non in lectulis, ut à pedibus utres per pueros ad refundendum spiritum solverentur*, varia hanc in rem adjicit. De litera verò *Sigma*, equis olim inuri solita, diximus suprà in voce *Samphoræ.*

SIGMANUS, melius *Igmanus*, amnis Aquitaniæ veræ, vulgò *Leyre*; in Sinum parvum Arcassonium cadit, prope Bojos, 7. leuc. à Burdegala in Occasum.

SIGMARINGA, nomen castri, in Suevia, sub proprio Comite, ex Familia Zollerensi. Et quidem ex Danckonis, qui arcem Zolleranam tenuit, circa A. C. 829. fratre Gotbaldô, Comites Saulgaviæ, *Sigmaringæ*, Landenbergæ & Pfullendorfii, non incelebres, & affinitatibus illustres, deducuntur. In Danckonis linea, Seculô XIII. in Eitelfriderici & Elisabethæ Habspurgicæ, quæ Rudolphi I. Imperatoris soror fuit, filiis, Friderico & Eitelfriderico, capitales rami in diversum abierunt. Ille pater Burggraviorum Norimbergensium & sic Marchionum Brandeburgicorum, hic avitô titulô Zollerensium, sator fuit, qui in Principum gradum haud pridem erecti in *Hechingensem & Sigmaringensem* lineam hodie dispescuntur. Nempe Caroli A. C. 1576. extincti filius Eitelfridericus, priorem: Carolus verò secundogenitus posteriorem, ex se dedit. Junctus enim hic Euphrosynæ Oetingensi, genuit Joannem, *Principis* axiomate ornatum, qui decessit A. C. 1638. pater, ex Joanna agnata, Mainradi (cui nupsit Anna Maria filia Ferdinandi Comitis Torringensis, unde plures liberi) Sibylla (quæ primò Georgio Wilhelmo Comiti Helfensteinio, dein Ernesto Bennoni Comiti Wartenbergio juncta est) & Mariæ (cui maritus obtigit Paulus Andreas Comes Wolckenstenius, & post ejus obitum Georg. Rudolfus Baro *de Haslang*) qui omnes *Principes & Comites de Hohenzollern*, *in Sigmaringen.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 25. & in voce *Zolernum.*

SIGMATICUS Torques, vide suprà *Armiger.*

SIGNA.

SIGNA, & **Statuæ**, similitudines sunt è solida materia, auro, argento, ære, marmore & ebore: Interim trifariam differunt. Nam *Signum* latius patet, quia vel Dei est vel hominis vel brutorum: Statua autem vel Numinis est, vel hominis. Præterea Statuam dixere Romani, quam in Foro conspicerent: *Signa* verò vel in ædibus privatis, vel in Templis. Ad hæc, *Signa* quandoque eidem inhærent materiæ, è qua sunt educta: ut quando rana, aut locusta exprimitur in spiris columnæ, vel cùm in gemmis aliquid insculptum: Statuæ verò nunquam in cavo latent, sed ab ea materia, unde eductæ, sunt disjunctæ, ac separatæ, Voss. *de Philosophia c. 16. § 31.* Vide quoque Aldum Manutium Nepotem *de Quæsitis per Epist.* Cicero *Signa* & *Sigilla* vocat cælaturas, quæ pateris & patellis, aliisque vasis includebantur & incrustabantur. Græcis [illegible], quorum alia ἔκτυπα sive [illegible], *quæ tota extarent*, alia [illegible], *sic ut velut adfixa unum tantum latus ostenderent*, fingebantur. Verr. *l.* [illegible] *di cum sigillis & simulachris Deorum &c.* Et quidem *signa* ac sigilla extantia, *emblemata* idem vocat, poterantque de poculis ac vasis revelli & aliis rursus illigari; sicut crustæ, quibus prostypa operebantur, etiam exemptiles erant: qua de re jam diximus suprà, ubi de *Cælatura* alibique passim. Ægyptiorum *Signa* hieroglyphica, sive, ut vox hæc sonat, *Sacra sculptura*, [illegible] terum figuræ, quas Sacerdotes in sacris adhibebant, ne à vulgo intelligerentur. Claudian. *l. 1. in Rufinum, v. 149.*

——— *Novi quid Signa sagacis*
Ægypti valeant.

Hæc ante papyri usum, saxis insculpebant, uti Lucan. docet *l. 3.* scripsitque hôc pactô Horapollo Niliacus, circa tempora Theodosii Imperatoris: cui adde tabulam antiquam æneam hieroglyphicis literis cælatam & eruditè explanatam, à Laur. Pignorio. Vide Voss. *de Arte Gramm. l. 1. c. 41.* Georg Hornium *Histor. Philos. l. 7. c. 6. ubi veter. morem Philosophiæ rerumque divinarum arcana per signa ejusmodi obscura ac ænigmatica tradendi, multis persequitur*, & in voce *Hieroglyphica*. Sed & *Sigilla* ac *signa* de Vestibus dicta sunt, uti vidimus suprà. Porrò *Signa*, pro vexillis, occurrunt apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c. 33. Milites, quos ostensionales vocant; non pretiosis --- vestibus ornabat: nec multum in Signa, aut ad apparatum regium, auri sericique deputabat.* Hæc maximi ponderis fuisse, docet Casaubon. *ad Aug. Suetonii c. 10.* [illegible] appellat Herodianus. Eorum enim non in bello solùm, sed & festis diebus, in pompis ac solennibus processibus, Imperatoribus præferebantur, multô aurô argentôque aliàs radiantia. Solebant autem erecta præferri lætis rebus, unde Pertinacem, antequam de Imperio certus esset, non passum esse ignem sibi auferri, nec vexilla Imperialia tolli, legimus apud Herodianum *l. 2. c. 3.* At in luctu, supina præferebantur. Spartian. *in Severo c. 7. Inde in Palatium --- perrexit, prælatis signis, quæ Prætorianis ademerat, supinis* (seu versis) *non erectis.* Neque verò *signa* solùm vexillaque, sed & prælationem ignis, reliquumque regium apparatum, modò [illegible], modò [illegible] vocat Herodian. qua de re vide Salmas. *ad Lamprid. d. l.* uti de phrasi, *Signa convertere*, item *convellere*, ac *submittere*, Gronov. *ad Liv. l. 3. c. 54.* Aliud est *Signum Reip.* apud Sueton. *Aug. c. 94.* [illegible] scil. [illegible], quâ Diplomata aliaque *signari* solita Reip. nomine, ut videre est apud Casaubon. *ad loc.* ubi & de more Principum annulos signatorios in morte dandi iis, quibus plurimum vellent, quædam. Ut aliquid addam, de *Signi* notione generali; Reverentiæ ac honoris *Signa*, pro Gentium ingenio, variant. Apud Romanos olim, *viro potentissimi nominis viri, viâ decedebant, assurgebant, capita revelabant, vehiculóque desiliebant, tum deinde salutabant acclines*, ut loquitur Arnob. *adv. Gentes l. 7.* Sic Seneca Ep. 64. *Si Consulem videro aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi solet, faciam, equô desiliam, caput adaperiam, semita cedam.* Et quidem equô desiliendi ritus sic habuit: Equô vecti, si alicujus auctoritatis aut nominis obviàm fieret, non modò equum sustinebant, cursumque cohibebant, verùm etiam in pedes desiliebant, & quam equo verberando virgam gestabant, eam in manum transferebant lævam, ita porrò expeditâ dextrâ adibant, atque osculabantur mutuò, uti ex Apuleji *Floridis l. 4.* docet God. Stewech. *Quæstionib. ad eum.* Apud alios olim hodieque alia. Alicubi enim ad testandam venerationem, caput contectum inclinant; aliis, apertô capite, totum incurvantibus corpus. Alii osculum manui imprimunt, de quo usu vide Pithœum *Adversar. l. 1. c. 7.* Siamses, fronte humum feriunt, caput autem aperire nefas habent; nec nisi iis, qui ad supplicium rapiuntur, id retegunt. Unde, qui ex eis fidem Christianam suscepére, tum tantùm caput aperiunt, cùm Sacramenti participes fieri cupiunt, ut hôc ritu peccatores se fateantur. Japonenses pedem calceô exuunt. At, Romani quoque jam olim, ut vidimus cum tecti occurrerent viro honorato, capita aperiebant: Namque Sullam erga Pompejum id solum fecisse, Sallustius *in Fragm.* & Plut. *in Crasso* docent. Quem ritum, utpote venerationi testandæ aptissimum, hodieque Europæi servant. Vide Lipsium *Electis l. 1. c. 23.* Soletium *de Pileo sect. 3.* ut & hic infrà.

SIGNANDI ritus, apud Veteres varius fuit. Cerâ in *obsignandis* literis ac testamentis utebantur, nempe tabellas chartasque linô obligantes, postea annulô [illegible] imprimebant ceræ. Unde Chrysalus apud Plautum *Bacchidibus Actu 4. Sc. 4. v. 64.* ad literas scribendas *signandasque* afferri jubet,

------ *Stylum, ceram, & tabellas & linum* ——

Quibus jam exaratis, sed needum *signatis*, addit *v. 96.*

Cedò tu ceram ac linum actutùm, age obliga, obsigna citò.

Quòd si proin Adversarium literis convincere vellent, signum inspiciendum dabant, priusquam linum inciderant atque ita aperirent, ut liquet ex [illegible] *Actu 3. Scen. Beatus, Bacchid. Act. 4. Sc. 6.* & *Pseudolo Act. 4. Sc. 2.* Unde Cicero *in Catil. ostendi tabellas*, inquit, *Lentulo & quæsivi, cognosceret signum.* Pro cera autem Asiatici adhibebant cretam, quam propterea Herodotus *in Euterpe* vocat [illegible]; meminitque consuetudinis ejus Cicero *pro Val. Flacco.* Interim mos ille annulô, in creta cerave, signum imprimendi, tardè obtinuit apud plerasque Orientis ipsius gentes. Nam Plinii est *l. 33. c. 1. Non signat Oriens aut Ægyptus, etiam nunc literis contenta solis.* Hebræis tamen mos ille pervetus, ut arguit annulus Thamari à Juda datus pignori, quemadmodum est Gen. *c. 38. v. 18.* & *seqq.* Nam *signatorium* fuisse, communis opinio est. Et quidquid de Ægypto fuit, ex quo Ptolemæorum passa est imperium, tamen jam temporibus Patriarcharum, si non vulgus, saltem Reges annulis usos esse *signatoriis*, arguit Gen. *c. 41. v. 42.* ubi Pharao Josepho annulum suum dedisse, legitur: Eô enim auctoritatem illi tribuit, regias *obsignandi* literas: tanquam Regni Cancellario. Quod verò ad Græcos veter. Lacones inprimis; hi quidem in cera *signavere*, sed non annulô, utpote sculpendi cælandique arte adhuc ignorâ. verùm [illegible] sive [illegible], h. e. ξύλον [illegible], *ligni à vermibus corrosi*, ubi sine dubio punctorum numerus, magnitudo & situs pro signo erant. Vocat istiusmodi signaculum [illegible], meminitque ejus *Hesych.* ut & Etymologici Auctor ac Eustathius *Odyss. α.* Vide quoque *Suidam* & Aristophanem [illegible]. Porrò, in censendis etiam scriptis solebant olim Critici ceris annotare *Signa* quædam judicii sui, de quibus suprà. Admiscebant verò ceræ μίλτον seu *rubricam* aut *minium*; quô & aliàs ob ornatum usi. Cicer. *l. 16. ad Attic. Ep. 11. Nostrum opus tibi approbari lætor, ex quo ἄνθη (flores) ipsa posuisti: quæ mihi floridiora sunt visa tuô judiciô: cerulas enim tuas miniatulas extimescebam.* Sic Democritus etiam in opere suo, quod [illegible] inscripsit, istis quæ [illegible] viderentur, verissima tamen esse experientiâ didicisset, notam è cera annulô suô *signatam* adfixisse legitur: quas ceras illitas propterea vocatas esse [illegible], auctor est Hesychius. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l. 4. c. 91.* Præterea, ædes, scrinia, & quæcunque claudebantur, obsignari moris fuisse, innuit Lycophron *Cassandra.*

[illegible]
[illegible]
Intacta vermiculata claudendis domus
Servabit alias.

Unde Aristoteles *περὶ Θαυμ. ἀκουσμ.* [illegible]. Plautus in *Casina, Actu 2. sc. 1. v. 1.*

Obsignate cellas, referte annulum ad me.

Theodoretus *de Provid. Dei Orat. 5.* [illegible]. Appulejus *Apolog. Quamquam ipse aperiret penè quotidie & clauderet: sæpe nobiscum, multo sæpius solus intraret, linteum in mensa positum cerneret, sine ullo sigillo, sine vinculo.* Et paulo post, *Quod conditum cumque quod obsignatum, quod inclusum domi adservatur, id omne argumento Magicum dicetur.* Corn. Tacit. *Annal. lib. 2. c. 2. Irridebantur & Græci comites, & cuncta utensilium annulo clausa.* Quod factum inprimis esse, ante repertum clavium usum suggerit Eustath. *Od. θ. v. 447.* ad verba,

------ [illegible]

annotans, antiquissimum morem fuisse, [illegible]: *Nodumque Ulyssis* propterea Proverbialiter usurpari posse [illegible]. In Sacris, legimus foveam Leonum, in quam innocens conjectus erat Daniel Propheta, *allatô lapide ac impositô super os foveæ, annulô Regis & annulô Procerum ejus, obsignatum fuisse*, Danielis *c. 6. v. 18.* Similiter, CHRISTI sepulchrum, obsignatô lapide, munitum fuisse, docet Matthæus *c. 27. v. ult.* &c. Quam in rem pluscula prædiximus, ubi de *Annulis*, item in voce *Obsignatores.* De *ritu victimas signandi*, vide itidem suprà *Integer bos, Oryx, Ovium notæ.* Apud Papinium Statium *l. 4. Sylv.* [illegible] *v. 40.*

—— *Signare diem* ——

est cum Musis addicere, ut solennis esset anniversariô cantu, eximere illum communibus festis, albô cum calculô notare: Vide Barthium *ad l.* *Signare* verò absolutè positum, apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores, est *signum crucis* (quod *signaculum* quoque simpliciter, item *signum Christi*, vocant) effingere, *districtis duobus digitis, & pollice intus recluso*, uti habet Leo IV. *de Cura Pastor.* quô SS. Trinitatem innui dicunt. Item *signum crucis*, ad peregrinationes vel expeditiones Hierosolymitanas, vestibus assuere. Unde *Signati*, in *Capitulari 3. A. C. 803. c. 24.* Capit. *Append. 2. § 15.* De signatis, *qui mentiendo vadunt*: Carolo du Fresne sunt ii, qui Cathechumeni per signum crucis, quô in frontibus signabantur, facti, à consilio Christianæ religionis amplectendæ, recedebant atque ad vomitum revertebantur &c. Et *Crucesignati*, de quibus suô locô.

SIGNATORES, vocati sunt apud Romanos, qui, veluti testes, pacta dotalia *signare* solebant. Dote enim dictâ, *signabantur* pacta dotalia, M. Fab. Quintilian. *l. 5. c. 11. Nihil obstat, quo minùs justum matrimonium sit mente coëuntium, etiamsi tabulæ signatæ non fuerint.* Unde Juvenalis *Sat. 2. v. 118.*

Signatæ tabulæ, dictum feliciter.

Quod antequam fieret, die pactis scribendis dictâ, uterque Sponsus & Sponsa, Auspices consulebat, qui nocte præcedente, & sub Auroram, auguriis dabant operam. *Vetus Inscr: Cos. Aug. Pub. Claudio. Quæs. Ær. Antoniam. Volumniam. Virginem. volent. Auspic. à parentibus. suis. coëmit. & IIII. fac. in. domum. dux.* Tacit. *Annal. l. 11. Inter auspices nubentium dos consignabatur.* Proin & Juvenal. *Auspicum* simul ac *Signatorum* meminit, *Satyr. 10. v. 336.*

—— *Veniet*

— *Veniet cùm* Signatoribus *Auspex.*

Vide Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *Sect.* 2. *c.* 10. & Dempster. *in Rosin. l.* 5. *c.* 37. Græcè Σημαντῆρες, item Σφραγισταὶ dicti sunt. Vide quoque suprà *Obsignatores*, ut & Salmas. *de modo Usurar c.* 11. & Carol. du Fresne in voce *Signum*: è quo hoc unum addo, Veteres in obsignandis Testamentis priùs subscripsisse, antequam ea clausô linô circumductô obsignarent; recentiores verò signâsse, antequam subscriberent: sed & nonnunquam solam subscriptionem apponi, ac vice *signi* notam, quam hodie *Parasum* Galli vocent, manu propria describi consuevisse &c.

SIGNATURA Gratiæ, & Justitiæ in Curia Pontific. Vide suprà Referendarius.

SIGNATUS Manu, apud Gregorium M. *in Ep. l.* 2. *ep.* 61. *In qua lege subjectum est, ut nulli, qui manu signatus est, converti liceat*: miles est Imperialis Dominico Macro, qui hujusmodi milites stigmate in manu signari solitos, ait, huceque trahit illud Pauli Galat. *c.* 6. 17. *Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Ad quæ verba Anselmus, *Stigmata*, inquit, *vocabantur*, *signa quædam, quæ in manibus fiebant militum, per quæ recognoscebantur esse de militia Romani Imperatoris.* Adeoque his verbis vult protestatum, se *Jesu servum ac militem.* Sed & Fabricenses, i. e. arma bellica fabricantes, Custodes item aquarum, *signa* olim in manibus tulisse, liquet ex Gregorio M. *lib.* 5. *tit.* 11. *c.* 12. *in sext. Ex stigmate namque consueto Fabricensibus imprimi, latitans Fabricensis agnoscitur. Et Custodes aquarum (quos Hydrophylacas nominant) queis infigi solent annotatione signati.* Vide utrumque Macrum in *Hierolexico.* In Sacris quoque *signandi in manu* charissimorum nomina ritus, alicubi memoratur, ut alibi dicemus. Vide quoque suprà aliquid voce *Notaculum.*

SIGNIA, Latii oppid. in cujus agro vinum nascebatur mirè austerum, ideoque ventris profluvio sedando utile. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 116.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem.

Silius *l.* 8. *v.* 379.

— *Spumans inimico Signia musto.*

Σίγνια Stephano, sive potius Σιγνία. *Σιγνῖα Dionysio*, vel potius Σίγνια. Σίγνιον Plutarcho dicitur *in Syllâ. Nic Lloyd. Baudrand.* vulgò *Segni*, urbs aliàs Volscorum nunc Campaniæ Romanæ in ditione Pontific. Episcopalis cum titulo Ducatus. Ibi organa inventa fuêre ad modulationes, quibus utitur Romani Ecclesia, auctore *Petrarchâ.* 30. millar. à Romana in Ortum, 9. è Præneste in Meridiem. In summo jugo Lepini montis, *L. Holstenius.* Patria Vitaliani Pontificis colonia à Tarquinio Superbo deducta. Ferrar. Item mons Asiæ in Phrygia magna apud Apameam urb. ad illius radices sitam, Marsyâ circumfluente.

SIGNIFER, à *signo*, i. e. vexillo ferendo, apud mediæ ætatis Scriptores, sæpe occurrit. Et quidem Regum Principumque *Signiferi* Senescalli erat, uti diximus suprà in hac voce. Ecclesiarum verò, cùm in propriis earum bellis, tum in Regalibus expeditionibus, Advocati earum. Uti de Advocato Turnacensis Ecclesiæ testatur distichon, allatum, Buzelino *Gallo-Flandr. l.* 3. *c.* 9.

Signifer Ecclesiæ vexilli munere grato,
Et Castellanus feudum capit à Cathedrato.

De Hasbaniæ Advocatis, Leodicensis Ecclesiæ *Signiferis*, Jo Hocsemius *in Arnulfo à Marka c.* 17. de Comit. Vilcassini, Advocato & *Signifero* Monasterii S. Dionysii, Surgerius *de Administrat. sua c.* 4. de Guilielmo Vicecom. Massiliensi, Monasterii S. Victoris in Provincia Advocato itidem ac *Signifero*, Guesnajus *in Annalibus Massil. A.* C. 855. de aliis alii, apud Car. du Fresne, in voce *Advocati Ecclesiarum* & *Dissertat. ad Joinvillam.* Vide quoque hîc passim, inprimis in voce *Auriflamma*, *Bandum*, *Bannerettus* &c.

SIGNIFER, Vide infrà *Zodiacus.*

SIGNIFICARE, apud Arnobium *adv. Gentes l.* 5. ubi de Jove, *Etsi quando per fulgura significavero aliquid imminere*: propriè huic rei, ut Græcis σημαίνειν. Hinc ὁ ἐκ τῶν κεραυνῶν σημειούμενος, apud Zosimum *l.* 2. & *Significationes* διοσημεῖαι apud Arnobium in *seqq.* Vide *Heraldum ad Arnobii locum.* Sed & *Significare*, Græcè ἐπισημαίνεσθαι dicuntur sidera, dum oriuntur & occidunt. Plin. *l.* 18. *c.* 31. *princip. Sequitur ex divisione temporum Autumnus, à Fidiculæ occasu ad Æquinoctium, ac deinde Vergiliarum occasum, initiumque hyemis. In his intervallis* significant *pridie idus Augusti Atticæ equus exoriens, vesperi Ægypto & Cæsari delphinus occidens.* Inprimis quæ ortus suos vel occasus aliquâ significatione tempestatis testantur, ut de Arcturo Columella, *l.* 11. *c.* 2. *Arcturus oritur, significat* (seu, signum dat) *tempestatem.* De Virgiliis Aratus, ubi illas signum dare ait instantis sementis &c. Metaphorâ ductâ à quadrigis vel equis Olympicis, qui *signo* datô ad cursum emittebantur, uti suprà diximus, in voce *Mapparius.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 734. nec non hîc ubi de *Satione.*

SIGNINUM, castellum Sabaudiæ, apud Bellicum Urb.

SIGNINUM Opus, quid sit, indicat Plin. *l.* 35. *c.* 12. *extr. Quid non excogitavit ars? fractis etiam testis utendo sic, ut firmiùs durent tusis calce additâ, quæ vocant Signina.* Ubi Dalechampius legit, *fractis etiam testis & tusis, additâ calce utitur, ut firmiùs durent.* Clariùs exponit Vitruvius *l.* 8. *c. ult.* ubi ea sic fieri tradit: *Primùm arenam purissimam, asperrimamque parari, cementum de silice frangi, calcem quoque quàm vehementissimè mortario misceri, ita ut quinque partes harenæ ad duas calcis respondeant, mortarioque cementum addi.* Cujusmodi opere, quæ ex contignatione factæ erant cameræ, induci olim solebant. Idem *l.* 5. *c.* 10. *Concamerationes verò, si ex structura facta fuerint, erunt utiliores; sin autem contignationes fuerint,* signinum *opus subjiciatur.* Et statim *inferior autem pars, quâ ad pavimentum spectat, primùm testâ cum calce trullissetur, deinde opere albario sive tectoriò poliatur.* Ubi testa tusa cum calce *signinum opus* est. Postea musivô etiam ornari cœpêre, quum anteà utrôque pavimenta fieri solerent, Plin. *ubi suprà* Porrò encaustô, i. e. ceris coloratis & igne resolutis pingere *Signinum opus* excogitavit Agrippa, Plin. *l.* 36 *c.* 25. Sic itaque Cameræ primùm *signinô opere* inducebantur, deinde aut tectoriô poliebantur, aut musivô ornabantur, aut vitrô decorabantur, aut encaustô pingebantur, aut etiam deaurabantur, ut videre est apud Salmas. *ad Solin. p.* 1213. & *seqq.* Hinc *Signinam fabricam* memorat Boëthius *in Topic. Cicer.* Et *signinum alveum aquæductus*, Cassiodorus *Var. Ep. l.* 5. Et *signinum rivum*, Ulpianus *l.* 1. §. *ult. ff de rivis*, ubi *lapideum* interpretatur, potiùs *cæmentitium* aut *testaceum* Jo. Calvin. *Lex. Jur.* Nominis origo, an à *Signia*, Latii oppido? de quo vide suô locô: uti de sententia Scaligeri, ex *signino coctio* murrhino Vetter. facta asserentis suprà aliquid in *Murrhina.*

SIGNUM, primum rerum quarumlibet elementum. Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 4. *v.* 7. *Ponere* signa *novis præceptis.* Alibi,

Purpureo primæ signatum flore juventæ &c.

Vide Caspar. Barthium *Animadversion. ad Stat. l.* 5. *Sylv.* 5. *v.* 18. Aliàs vocis plurimæ notiones, quarum aliquas vidimus ex parte. Apud Jul. Capitolin. *in Gordianis, c.* 4. *Jam illud satis constat, quod filium Gordianum nomine Antonini* signô *illustravit, quum, apud præfectum ærarii more Romanô professus filium, publicis actis ejus nomen insereret*: cognomen vox denotat, ut & apud Lamprid. *in Commodo, c.* 11. *Pro Decembri Amazonium*, ex signo *ipsius, adulatores vocabant.* Vopiscum *in Aureliano c.* 6. *Huic signum exercitus apposuerat, Manus ad ferrum*: solebant enim milites per lasciviam istiusmodi cognomenta suis Ducibus imponere &c. Unde *significare*, pro *cognominare*, apud eundem Capitolin. de Gordiano Jun. *c.* 17. *Antoninum filium ipse* significari *voluit in Senatu*, i. e. filium suum cognominari voluit Antoninum Vide Salmas. *ad loc.* Apud Monachos, *Signum* dicebatur forma quædam, manu aut digitis res qualibet, & quæ haberent in mente vel petere deberent, designandi. Cùm enim Monachis rarissimè loqui liceret, in Æde sacra, dormitorio, refectorio, coquina aliisque Claustri officinis; imò nec unam antiphonam aut responsorium, vel simile quid, absque libro nominare, instruebantur novitii, si quâ re opus haberent, id *signis innuere*, & *manu loquaci*, ut ait Petronius. Cujusmodi signorum species varias, pluribus tradit Udalricus *Consuetudinum Cluniac. l.* 2. *c.* 4. quæ tamen potissimùm ad victum solùm indicandum pertinebant: longè plures describuntur in libro *Ordinis* S. Victoris Paris. *MS.* quas, integrô ejus *c.* 25. in *Glossarium* suum translatô, exhibet Car. du Fresne; è quo pauca hæc, *Pro signo vini, digitum inflecte, ita labiis adjunge. Pro signo aquæ, omnes digitos conjunge, & per obliquum move. Pro signo phialæ vitreæ, præmisso signô ciphi, adde ut duos digitos circa oculos ponas* &c. Unde *insignare*, verbum medii ævi, de quo supra. Vide de ejusmodi digitorum signis apud Veteres usitatis Hug. à Porta *Furtivis literarum notis l.* 1. *c.* 11. Cœl. Rhodig. *l.* 23. *c.* 11. Frid. Morellum *ad Nicolaum Artabasdem.* Fridericum II. Imperat. *de Ven. l.* 2. *c.* 42. & apud Monachos inprimis Haëftenum *Disquisition. Monastic. l.* 6. *tract.* 3. *disquisit.* 11. nec non quædam suprà, ubi de *Digitis.* Porrò veter. Græcis, cùm, horarum adhuc usu ignoratô, umbram pedibus metirentur, partes diei Σημεῖα *Signa*, dicebantur, sicque nominabantur, ἑξάπους σκιά, ἑπτάπους &c. uti dicemus infrà voce Umbra. De *Signo Militari*, i. e. Tessera; de *Signo* itidem *Militari*, i. e. *Vexillo*; nec non clamore militari, cui idem nomen, inclamari solito ab eo, qui *Signum* in acie præferebat, Vide hîc passim, ut & eundem *Glossarii* auctorem, in voce hac & *Dissertat.* 11. *ad Joinvillam*: uti de *Signis Pugnæ* apud Varias gentes, Lipsium de Milit. Roman. *l.* 4. *c.* 12. *Signum Mortis* apud Æthiopas olim in usu, occurrit *l.* 3. Diodori Siculi ubi, ad eos, qui tristi sententia ad mortem damnati erant, σημεῖον θανάτου, seu σύσσημον, certum consuevisse priùs mitti, antequam neci traderentur, docet: Ἔθος δ᾽ αὐτοῖς ἐστι μηδένα τῶν ὑποτεταγμένων θανάτῳ περιβάλλειν μηδ᾽ ἂν κατακριθεὶς ἐπὶ θανάτῳ τις φανῇ τιμωρίας ἄξιος· ἀλλὰ πέμπειν τῶν ὑπηρετῶν ἕνα σημεῖον ἔχοντα θανάτου πρὸς τὸν παρανομηκότα. οὗτος δ᾽ ἰδὼν τὸ σύσσημον καὶ παραχρῆμα εἰς τὴν ἰδίαν οἰκίαν ἀπελθὼν, ἑαυτὸν ἐκ τοῦ ζῆν μεθίστησι. Simile quid apud Scotos obtinuisse vidimus suprà, ubi de *Capite taurino.* Unicum hoc adjicio, de 12. gemmis, quæ cum moscho poni solent, in marsupio serico, è cingulo rubro, quô novus Pontifex præcingitur, dependente, illas *signa* quoque seu *sigilla* vulgò appellari, quòd symbolum sint XII. Apostolorum; uti refert Dominic. Macer, ubi *de Sede Stercoraria*: qui & *Signum* dici unum ex tribus Pontificis sigillis docet, uti vidimus suprà ubi de *Annulo Piscatorio.*

SIGNUM, in re Agrimensoria, à meta diversum. Hyginus, *Conspiciamus* signum, *quod est inter B. & A prolatô exiguum per rigores ferramentô, normaliter paucas dictabimus metas.* Frontinus *in Fragmentis*, *Dictabimus metas non minùs tres* &c. Duo namque *signa* sunt conspectus, unum à quo rigor (quomodo vocant, quidquid inter duo signa rectum perspicitur) conspiciendus, incipit; alterum, in quo desinit. *Signum* autem vel capiebatur longinquo conspectui oblatum, vel arbor, vel saxum, vel aliquid tale eminens; vel manu ponebatur. *Hero*, τὸ λαμβανόμενον σημεῖον, Hyginus, *prehensis in longinquo conspectu signis.* Frontinus, *Cujuscunque loci mensura agenda fuerit, eum circuire ante omnia oportet, & ad omnes angulos* signa *ponere* &c. Unde *signi positi* sæpe apud Auctores mentio: Mensores Galli hodie *Jalons* vocant. At metæ in uno rigore plures si fortè dictabantur, rigor ipse *dictari* dicebatur: cumque per illas lineam extendi debere, dicat Hyginus, per quam agrum cultellabant, spissiores poni vel dictari convenit. Cum *signis* tamen, quæ ponebantur, eadem fuisse videntur. Hero enim in *Geodæsia*, ex quatuor rebus, quæ spectandæ sunt, primô locô τὸ κλίμα ponit, deinde τὸ σκόπελον, εἰς ὃ τὸ λαμβανόμενον σημεῖον. Ubi σκόπελος est meta, *scopulus* vide. in metæ acumen subrectus &c. Quam in rem vide plura apud Salmas. *ad Solin. p.* 681.

SIGNUM, pro Campana. Auctor vitæ S. Lupi, Episcopi Senonensis: Auditô Rex Chlotharius (circa A.C. 620.) de signo S. Stephani quòd miram haberet dulcedinem; jussit illud Parisios deportari, ubi ipsum sæpius debuisset audire. Sed cùm hoc facto non placuisset Pontifici, mox ut sublatum est signum à Senonica urbe, perdidit dulcedinem sonitus sui. Quô Rex agnitô, ilico jussit loco pristino restitui Signum. At ubi pervenit Pontem Syriacum, redditô sonô à Domino in virtute sancti Lupi, insonuit milliariô 7. Et paulo pòst: Sanctus (*Lupus*) fidens in Domino, aulam petiit matris Ecclesiæ, in honorem Protomartyris Stephani constitutæ: & dum ad evocandum populum signum prædictæ Ecclesiæ tangeret, omnis fortitudo & sensus ab hostium caterva recessit, tantusque terror super eos irruit, &c. Jam ergo signa in Ecclesiis ante annos mille & quinquaginta in usu erant, quorum sonô populus convocaretur. De signis & Gregorius Turonicus Episcopus multo ante hoc tempus, nimirum ætate Sidonii Episcopi Arvernorum, qui A. C. 470. floruit ante annos 1200. meminit, *in l. 2. Historiæ c. 23.* Unus ex his 2. Presbyteris, signum ad Matutinas audiens fuisse commotum, surrexit, &c. Meminit & *in l. 3. c. 15.* Qui dum per plateam præterirent, (in urbe Remis) signum ad Matutinas motum est. Erat enim dies Dominica: pulsantes januam Paulelli Presbyteri, ingressi sunt: qui abiit ad Matutinas. Et *in l. 6. c. 25.* Annô 8. Childeberti Regis, pridie Kal. Februar. cùm die Dominicô ad urbem Turonicam ad Matutinas signum commotum fuisset, & populus surgens ad Ecclesiam conveniret, &c. Idem alibi. Homo quidam Dadonis frater ad Vigilias Dominici Natalis advenit, commotôque ad Vigilias Signô, advenit Presbyter cum Clericis ac populo. Apparet, in tum magna in majoribus civitatum Ecclesiis signa extitisse, cum eorum sonitu populus dormiens excitaretur, & ad Ecclesiam properaret, & eorum sonum oppugnatores civitatis audirent. Adamnanus Scotus Presbyter, & Abbas Monachorum in Insula Hii, Bedæ memoratus, *de Locis Sanctis* librum, & *de Vita S. Columbæ Scoti Abbatis* tres libros composuit: in quibus hæc verba legere memini: *Cloccam pulsa.* *Clocca* autem & *signum*, ac *Campana* una res est. Sed & Martialis, *l. 14. Epigr. 163.* docet, in Thermis Romæ ex ære tintinnabula fuisse, parvorum signorum genus, quorum sonô qui in thermis lavari volebant, admonerentur aquam esse calefactam ac paratam: equos etiam ac mulos qui sine custode pascebantur, appensa habuisse tintinnabula, docent Gesta Reg. Francorum. Dicta autem sunt *signa* (*sins*) tractô à militia vocabulô, quòd uti milites cantu signorum, nimirum tubarum, buccinarum aut cornuum ad pugnam, ita Christiani sonô signorum ad Ecclesiam convocarentur: quæ eandem ob caussam *classica* sunt appellata. Classicum enim tubam, & nonnunquam ejus sonitum significat, & Florus, Claudianus, aliique a classe convocanda, i. e. exercitu tubam *classicum* vocavêre. Certè in Rituali Turonicæ Ecclesiæ S. Martini perantiquo & plus 500. annorum, in titulo de consecratione Archiepiscopi Turonici hæc reperiuntur: Archiepiscopus Turonensis consecratur apud S. Julianum; & deinde venit in processione ad B. Martinum: quem recipit processio B. Martini ad portam parvæ areæ: & incipit Cantor B. Martini ad portam parvæ areæ: & incipit Cantor B. Martini Responsorium, S. Martine, vel *Sint lumbi*, classicô sonante. Postea autem Barones portant Archiepiscopum in cathedra usque ad S. Mauritium, & processiones ante eum cum Episcopis revertuntur. Classicô sonantibus, i. e. sonantur signis. Hinc *sonner le glas*, i. e. classicum movere. Classicum ergo vel signum, *glas* Aureliamensibus & Nivernensibus dicitur; Turonibus, Andicavis, Cenomanis *clas*; reliquis *glas*. Matthæus Parisiensis in Henrico III. in A. C. 1253. *classicum* non pro signo seu Campana, sed pro sono ejus usurpat: Eâdem nocte quidam Fratres de Ordine Minorum, dum per silvam Regiam, quæ Wauberge dicitur, ignari compendiorum oberrarent, audierunt in sublimi quoddam classicum Campanatum melodicum valdè: inter quas unum signum soni dulcissimi. *Et infra.* Interrogavit unus Fratrum, quidnam significârit illud magnum classicum & solenne, quod versus Bukedonam audierant. Alios de classico auctores laudare possem: sed dicta sufficiant. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide & in voce *Campana*.

SIGONIUS, Mutinensis, Græcè docuit in Patria, dein Humaniores Literas Patavii, amplô stipendiô à Rep. Veneta honoratus. Inde Bononiam se recepit, ubi, ad imitationem Onuphr. Panvinii, *Antiqq. Romanas* & *Historiam recentiorem* explicare aggressus est. In patria tandem defunctus, A. C. . . ætat. 60. mœrore inde conceptô; quòd, cùm librum à se editum *de Consolatione* Ciceronis esse credi vellet, Eruditis id persuadere non potuit. Opera ejus, in quibus *Notæ in Livium* eminent, enarrat Teissier *Elog. Part. 2.* Vide *Carolus Sigonius*.

SIGOVESUS, Tarquinio regnante, ab avunculo suo Ambigato, Celtarum Rege, missus, qui agros ad Hercynium saltum occuparet. Liv. *l. 5. c. 24.*

SIGRIS Portus, quem Nisope insul. Lesbi efficit. *Steph.* Idem alibi *Sigrium* Lesbi portum esse scribit.

SIGTUNA, urbs Uplandiæ, juxta lacum parvum, media inter Upsalam ad Boream & Holmiam, ad Meridiem 4. leuc. Suecic. utrinque.

SIGUA, urbs Armeniæ majoris. *Ptolem.*

SIGYNI, seu **SIGUNÆ**, vel **SIGYNNÆ** *Herodot.* populi Scythiæ Europææ seu Mysiæ inferioris apud ostia & paludes Istri. Apud hos equi sunt hirsuti, & pernicissimi trahendis curribus, sed gestandis hominibus inutiles.

SIHA, nomen viri. Esdr. *c. 2. v. 43.*

SIHOR, Nilus, Ægypti flumen, Jos. *c. 19. v. 26.* Latinè *niger*.

SIL, Vide infrà *Silatum*.

SILA, vel **SYLA**, silva Brutiorum maxima ad 200. mill. pass. patens, ubi mira picis copia, juxta Apenninum montem. Virgil. *Æn. l. 12. v. 715.*

Ac velut ingenti Silâ, summove Taburno, &c.

SILA, fluviolus, qui ex montanis ortus, sub ipso Tiguro inferiore, se in Limagum effundens, materiæ ac lignorum omnis generis copiam, sub ver & autumnum, ex nivibus montium liquefactis inundans, civibus iisdem advectat.

SILÆUM, oppid. Arabiæ Felicis *Ptol.* per *y.* scribunt Interpretes.

SILANA, vide *Juna*.

SILANDUM, Lydiæ Urbs. Concil. Chalcedon.

SILANI, expressiones aquarum apud Romanos vocabantur: quorum moduli aut ad *unciarum*, aut ad *digitorum* rationem instituti erant. Unde fit, ut apud Paulum *l. ff. penult. de servit. rust. præd.* in Epistola nescio cujus legamus, ὕδατος τ ἰσοῦ δακτύλου, *aquæ fluentis digitum*; appositè ad veterem inscriptionem Suessanam, in qua ordo Decurionum Coloniæ Suessæ, C. Titio cuidam Chresimo permittit, *ut. aquæ. digitus. in. domo. ejus. flueret.* Alii *Tullios* dixêre, *Sext. Pomp.* Alii *Salientes*: *Glossæ Silvanos* interpretantur; sed minùs rectè, vox enim merè Arabica est, סלון *Silan*, i. e. *fluxus aquæ*. Meminit eorum Corn. Celsus *l. 3.* *Confert etiam aliquid ad somnum Silanus juxta cadens.* Similiter Lucretius, *l. 6. v. 1263.* quum ait,

Corpora Silanos ad aquarum strata jacentes.

Vide Laurent. Pignorium *Comm. de Servis*, & suprà voce *Fontis*, item ubi de *Nymphæis*.

SILANION, statuarius cœlator. Plin. *l. 34. c. 8.*

SILANUS, Titi Manlii Pontificis fil. qui à patre repudiatus, quòd pecuniam accepisset à Macedonibus, dolore animi se suspendit nocte sequenti: Ejus exequiis neque pater interfuit, neque sciscitantibus, ut adesset, auscultavit. Val. Max. *l. 5. c. 8. ex. 3.*

SILANUS, integrô nomine *C. Junius C. F.* consul fuit, cum P. Cornelio Dolabella an. Urb. Cond. 762. sub Augusto: Proconsul Asiæ sub Tiberio, damnatusque repetundarum & projectus in Cytheram insulam. Tacit. *l. 3. Annal. c. 69.*

SILANUS, prænomine *Marcus*, legat. Cæs. in Galliâ. Cæs. *l. 6. comm.*

SILANUS Jun. Lucius, Claudii Principis gener, qui ab Agrippina, incestus cum sorore Junia Calvina accusatus, ereptâ sibi Octaviâ, dataque Neroni, præ dolore gladiô propriô se transfixit, idque die nuptiarum, ad augendam invidiam. Tacit. *Annal. l. 12. c. 1.* Vide Sueton. *in Nerone*, *Dion.* &c. ut infrà.

SILANUS Dulius, item Servilius, Commodi jussu interfecti, memorantur Lampridio. *c. 7.* Vopiscus Ulpii *Silani* meminit *in Aureliano*, *c. 19.* *Tunc surrexit primæ sententiæ Ulpius Silanus* &c.

Ap. Junius **SILANUS**, Consul fuit sub Tiberio ann. Urb. Cond. 780. Consocer Claudii dicitur Suetonio, *in Claud. c. 29.* propter *L. Silanum* filium ejus Octaviæ sponsum. Proconsul Hispaniæ & maritus Lepidæ, matris Messalinæ, à Claudio, incertô crimine, occisus. Dio *l. 60.* Sueton. *c. 29. & 37.* Ejus filii duo *L. Silanus* & *M. Silanus*, L. gener Claudii fuit, Octaviæ sponsus, Agrippinæ artibus ad mortem actus. *Marcus* consul fuit cum Valerio Asiatico an. Urb. Cond. 799. Proconsul Asiæ fuit & à Nerone initio Principatûs occisus. Tacit. *l. 13. Annal. c. 1.* Fuit & *D. Junius Silanus* Consul an. Urb. Cond. 806.

L. SILANUS, eximiâ nobilitate disciplinâque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus, cujus metu occultô creditur Piso haud, prout debuit, conjurationem in Neronem maturare. Tacit. *l. 15. Annal. c. 52.* Hunc Nero infensus, quòd claritudine generis & modestâ juventâ præcellebat, pervertere studuit, inductis vocabulo indicum, qui in Lepidam Cassii uxorem Silani amitam, incestum cum fratris filio & diros sacrorum ritus confingerent. Quare municipiô Apuliæ Barriô clausus à centurione, cui Silanus obnixus est & intendit ictus, quantum manibus nudis valebat, vulneribus adversis, tanquam in pugnâ, cecidit. *l. 16. Annal. c. 8. & 9.*

M. Junius M. F. **SILANUS**, Consul fuit sub Tiberio 771. Proconsul Africæ fuit, auctore Tacit. *l. 4. Histor. c. 48.* Mox Cajus Cæsar, turbidus animi ad *M. Silanum* obtinentem Africam metuens. Socer fuit Caji Caligulæ & ab eodem interfectus. Sueton. *c. 22. & 23.*

SILANUS, vide *Creticus*, Item *Julius*, it. *Junius*. Item *Appius*. Item *Granius*.

SILARUS, fluv. Picentinorum, illos à Lucanis dividens, medius ferè inter Salernum ad Occasum & Pæstum ad Ortum. Hujus fluv. eâ fertur esse naturâ, ut virgulta & folia in ipsum decidentia lapidescant. Plin. *l. 2. c. 103.* *Sili Nigro.* Virg. *Georg. l. 3. v. 146*

Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo.

Silius *l. 8. v. 581.*

Nunc Silarus quos nutrit aquis, quô gurgite tradunt
Duritiem lapidum mersis inolescere ramis.

Strabo *l. 5.* Σιλάριδος ποταμοῦ meminit ἐφ' ὃ (inquit) τοῦτ' ἴδιον ἱστοροῦσι, τὸ καθιέμενον εἰς αὐτὸ φυτὸν ἀπολιθοῦσθαι. *Dionysius*,

Περὶ δ' αὖ, μάλα πολλὰ, [illegible]
[illegible] Σιλάριο.

Lucano *Siler* dicitur, *l. 2. v. 425.*

---- ---- *Radensque Salerni*
Culta Siler. ---- ----

Nic. Lloydius.

Hodie *Selo*, *Baudrand.* Oritur ex Apennino, in provinc. Principatus citerioris dein aliquot auctus fluviis in Sinum Salernitanum se exonerat, 7. milliar. à Pæsto in Boream 18. à Salerno in Ortum.

SILATUM, idem quod Jentaculum, quòd jejuni Veter. Romani vinum *sili* conditum ante Meridiem absorbebant, *Fest.* Postea *Jentaculum* dictum est, de qua voce vide *suprà*. Nempe non *sile* Attico, sed *seseli*, quod etiam *sile* dicebatur. Est autem *Sil* pigmenti nomen, quod utrum peregrinum an Romanum

manum esset, jam olim inter Eruditos controversum fuit, uti testatur his versibus Ausonius, *Technopaegn.* v. 9.

Estne peregrini vox nominis, an Latii, Sil?

Ipsius certè mentio apud Græcos nulla, & res ipsa adeò non obvia, ut Vitruvius *l.* 7. *c.* 7. ὤχραν esse Atticam existimaverit: imò tum non ampliùs inveniri disertè affirmet. Vide suprà *Ochra.* Interim vox ex Græco σῶρι videtur facta, vel potiùs σύρι, quô nomine Veter. appellaverunt τὸ Συρικὸν, *Syricum*, tertium genus *silis*, rubri quidem itidem coloris, ut *Sil Atticum*, sed obscurius & fuscius, ab insul. Syro, Pherecydis patria, sic dicti. Cæterùm Sil Atticum *limum* esse scribit Plin. *l.* 33. *c.* 12. Theophrastus *cinnabari Atticum* vocat: qua de re vide pluribus agentem Salmas. *ad Solin. p.* 1157. & 1158.

SILBIUM, urbs Phrygiæ magnæ, inter Apameam ad Occasum & Philomelium ad Ortum. *Ptol.*

SILDA, quæ GILDA *Antonin.* colonia & urbs Mauritaniæ Tingitanæ. *Ptol.*

SILE, Ægypti inferioris oppid. *Anton.*

SILEI, in tribu Juda, *Hieronym.*

SILENI, populi Indum fluv. accolentes, Plin. *l.* 2. *c.* 20.

SILENTIARII, apud Senecam *in Ep.* 47. servi fuêre, *qui in familia cæterorum servorum murmur cohibebant.* Ita quidem Popma, sed Pignorius Præfecturæ hujus nomenclaturam vel cum Salviano demum, vel paulo ante ipsum, in lucem prodiisse, censet. Ita autem de illis Salvianus *de Provid. Dei l.* 4. *Pavent quippe Actores, pavent* Silentiarios, *pavent Procuratores; prope ut inter istos omnes nullorum minùs servi sint, quàm Dominorum suorum: ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur.* Quod verò è Seneca affertur, idem Magisterium magis, quàm nomenclaturam, indicare ait: Virga enim apud Senec. *quâ murmur omne famulorum compescebatur*, illi insigne Tricliniarcharum, in ipso Triclinio, videtur fuisse, extra quod Actoribus seu Dispensatoribus conveniebat. Hæc in familia privata: major dignitas *Silentiariorum* in aulis Principum fuit, quos *Quietis Ministros* vocavit Procopius *de bello Pers. l.* 2. ubi *Adolium* scribit *Acatii filium, genere Armenium, in palatio Imperatoris fuisse ad ea quæ sunt Quietis ministrum*: addens, *quod minus Romani* Silentiarium *vocant: & quia Principis arcanorum essent conscii, sunt qui* Auricularios *item vocent.* Insignes *Clarissimi* tituló fuisse, docet Justinianus C. *tit. de Silentiariis*, *Viros clarissimos sacri nostri Palatii* Silentiarios, *circa latus nostrum militantes, de tutelis & curationibus excusari sancimus.* Iidem *Spectabiles*, *l.* 30. *Cod. de Inoffic. testam.* Σιλεντιάριοι, in Concilio Chalcedon. *act.* 1. vocantur. *Schola devotissimorum Silentiariorum*, occurrit in *l.* 4. dicendo mox *tit. Cod. Justin.* Eorum enim plures erant, sed 30. ordinarii, in 3. decurias divisi, quibus singulis unus præerat Decurio, unde *tit. de Silentiariis & Decurionibus in Cod. modò dicto.* Hinc dignitas eorum non contemnenda, licèt τῶν χαμαιζήλων fuisse dicat *Zonaras*, cùm & horum operâ in legationibus, & ad mandata perferenda uterentur Principes, uti passim docent Scriptores. Sed & Anastasius, antequam thronum conscenderet & Gobazes, postea Lazorum Rex factus, id muneris obiêre, ut alios omittam. Olim Eunuchos id muneris obivisse, Claudian. innuit *in Eutrop. l.* 1. *v.* 418.

——— *Præfecti gemmis, vestique dabantur*
Custodes, sacroque adhibere Silentia *somno.*

Affines hisce fuêre, quos *ad Somnum* appellat Curtius *l.* 6. *c.* 11. ubi ait: *At ne in vicinia quidem diversorii quemquam commilitonem receptum esse, sed per dispositos, quos ad Somnum habebat, omnes procul relegatos, ne fœmina illa* (Philotas intelligitur) *murmurantium inter se silentio veriùs, quàm sono, excitaretur.* Vide Pignorium *Comm. de Servis*, Tit. Popmam *de Operis Servorum*, Codinum *de Officiis Aulæ Constantinop.* &c. Alii ab his sunt *Silentiarii*, memorati Hariulfo in *Vita* S. Angilberti *c.* 1. & Matthæo Paris. A. C. 1171. videlicet, qui in *Silentiis*, h. e. Collationibus vel etiam Consistoriis Principum considebant ac deliberabant. *Silentium* enim Conventum privatum, in quo dissertationes de rebus publicis agebantur, Διάλεξιν *Zonaræ*, *Conference* Gallis: sed præsertim de rebus Ecclesiasticis, unde κατηχείλεκτος λόγος definitur Nicetæ *in Manuele l.* 7. *num.* 5. dictum esse, Σιλέντιον quoque *Cinnamo*, constat. Vide quæ *ad hunc* adnotavit Carol. du Fresne *p.* 493. ubi inter alia, *Silentium* & *Conventum* idem sonare, ex Juliano Antecessore observat. Hinc *Silentiarium*, locus ubi *Silentiarii* stabant, primum & exterius cubiculum, quod Consistorio obversabatur, apud Landulphum Sagacem *l.* 16. & Anastasium *in Histor. Eccl.* Plura vide apud modò laudatum Auctorem in *Glossar.* & Dominic. Macrum *in Hierolex.* adde Brissonium *de verb. signif.* Meursium *Glossar.* Rittershusium *ad Salvianum*, Vossium *in Glossar. c.* 49. &c.

SILENTIUM, inter Persarum olim Numina. Amm. Marcellin. *l.* 21. *c.* 13. *Apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter Optimates taciturnos & fidos, apud quos* Silentii *quoque colitur Numen.* Ægyptiorum item, uti docent illorum Idola *Harpocrates* & *Sigalion*, seu potiùs unius idoli duo hæc nomina, de quibus suô locô &c. In Scholis Veterum *Silentium* hinc Pythagoricum, celebre. Cùm enim Vir hic sapiens animadverteret, non posse eum in sapientiæ studio proficere, qui non solido priùs jacto fundamento cœtera superstrueret, obviàm ratus est eundum temeritati Juvenum, qui vix ad subsellia Philosophorum admissi jam inani loquacitate omnia perstreperent & nimiùm tinnirent: æquumque esse rebatur, ut illi, qui nihil adhuc rerum dicendarum nôssent, placita Doctoris diuturnâ admiratione concoquerent: *Est* autem *Silentium admiratio subita*, Quintilian. *Declam.* 2. Itaque is *Silentii* Deô Harpocrate, quem ab Ægyptiis cultum hunc in finem meminerat, in auxilium vocatô, Discipulis suis *silendi* legem, quam ἐχεμυθίαν vocabant, injunxit: Quam licèt plurimi præcisè ad quinquennium extendant, incertum tamen illud tempus, *pro æstimatæ cultu solertiæ* fuisse, & omnes quidem, ad minimum biennium integrum, tacuisse, discimus ex A. Gellio *l.* 1. *c.* 9. intra quod tempus, *Annos silentes* vocatum, à Claudiano *de Consul. Mallii*, illi Ἀκουστικοὶ dicti sunt: neque verò omninò prorsus abstinebant, sed rariùs, submissiùs, timidiùs loquebantur, & attentâ auscultatione modestâque ac placidâ de rebus à Philosopho propositis inquisitione, illud tempus transigebant: Ipse namque Plato, cui multa cum Pythagoricis fuêre communia, inter notas boni Discipuli refert ζητητικὸν εἶναι, *de Rep. l.* 6. Et Claudian. *de Mallii Theodosii Cons. v.* 90.

Quidquid Democritus risit, dixitque tacendo
Pythagoras, &c.

Aliud *Silentium* erat, quinquennale illud, quod sibi ipsi imposuisse pertinaciter Apollonius Thyanæus legitur, apud Philostratum, *de vita ejus l.* 1. *c.* 11. Item illud Sophistarum posterioris ævi, qui, affectatâ gravitate, nescio quid secum submissè loquebantur, quod mox evomerent: de quo Persius *Sat.* 3. *v.* 81.

Murmura cùm secum & rabiosa *Silentia rodunt.*

Nec non perpetuum illud, quod Monachi Carmelitæ servant: qui & ipsi ad Pythagoræ institutum, rigidioris vitæ causâ, à carnibus abstinent, Polyd. Virgilius *de Invent. rer. l.* 7. *c.* 3. Quemadmodum & Basilidem sectatores suos ad morem Pythagoricum docuisse *silere*, tradit Eusebius *Histor. Eccles. l.* 4. *c.* 8. Illud verò imprimis, imo & supra Pythagoricum, celebre *Silentium* erat, quod in Sacris opertaneis Gentilium vigebat, qui diligentissimè cavebant, ne horum Sacrorum arcana τοῖς ἀμυήτοις, h. e. *religionis imprudentibus*, quos *profanos* vocabant, innotescerent. Nam, ut Diodor. Sic. scribit *c.* 3. περὶ τῆς παραδεδομένης κατὰ τὰς τελετὰς, οὐ θέμις τοῖς ἀμυήτοις ἱστορεῖν τὰ κατὰ μέρος. Itaque *Herodotus*, *Plutarchus*, *Eunapius*, Alii, quum in eorum mentionem incidissent, negant fas esse sibi ea loqui, quæ sciant. Unde Artemidorus, qui de Hecate *l.* 2. *c.* 42. Περὶ τούτου λέγειν, inquit, οὔτε ὅσιον, οὔτε ἀσφαλές. ἄδηλος δὲ ὁ λόγος τοῖς μεμυημένοις τῇ Θεῷ. οἱ δὲ ἀμύητοι περὶ τῶν μεμυημένων καθαιρέτωσαν. & Græcis in eam rem elegans locutio in crebro usu est, περὶ τῶν μυστικῶν στόμα μοι κείσθω, quâ significant, perperam eos ore uti, qui Mysteria evulgant: quod qui facerent, propriè ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια dicebantur, apud *Plut. Lucianum*, *Synesium*: i. e. ἐκβαίνειν τοῦ ῥυθμοῦ καὶ τοῦ ὀρθότητος, *rhythmum excedere & regulam rectam*, ut loquitur Aristides *Disput.* ὑπὲρ τῶν ἐξορχουμένων. Atque hujus silentii tanta fuit religio, ut nec qui violaret, nec qui oculos in hæc Sacra immitteret ferret impunè. Nota Acarnanum duorum Juvenum, *qui quòd non initiati templum* Cereris (Athenis an Eleusine) *ingressi essent, tanquam ob infandum scelus, interfecti sunt*, historia, apud Livium *l.* 31. *c.* 14. nec non laniatio Penthei, propter inspecta mysteria, qua de vide Synesium *l. de Provid.* Quæ verò illa fuerint, quæ reticeri tantâ religione voluêre, *sanctiora sacrorum* vocat Seneca, *Ep.* 95. reverâ autem *res turpissimas* fuisse, ostendit Arnobius *contra Gentes* aliique. Diversa longè *Silentii* ratio in Christianorum veter. fuit sacris: qui id institutum sic probârunt, ut religiosâ ejus observatione Mystas omnes longè superârint. Quemadmodum itaque *Sanctiora sacrorum solis initiatis fuisse nota*, Seneca *loc. cit.* dicit: & Photius ex veteri Scriptore, *num.* 242. Philosophiam divinam dividit, in ῥητὴν καὶ ἀπόρρητον: Jamblichus autem *l.* 3. *de Philos. Pythagor.* in τὰ ἀπόρρητα, quæ efferri non poterant, & τὰ ἔκφορα, quæ foràs efferre jus erat: ita universam doctrinam Christianam Veter. distinguebant, in τὰ ἔκφορα, i. e. *ea quæ enuntiari apud omnes poterant*, & τὰ ἀπόρρητα, i. e. *arcana, temerè non vulganda*, de quibus neque in familiaribus colloquiis, neque in catechesibus, neque in concionibus verba temerè faciebant, coram Paganis, Catechumenis aut quibusvis aliis non initiatis. Sic Basilius *de Spir. S. c.* 27. doctrinæ Christianæ duas partes fecit, τὰ κηρύγματα, *præconia*, & τὰ δόγματα, quæ alii τὰ ἀπόρρητα, *arcana non evulganda*, dicebant, aitque, τὰ δόγματα σιωπᾶται. τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται, *Dogmata silentiô premuntur: Præconia publicantur*, atque ita de *Silentio* mysteriorum multa disputat. Vide quoque Gregorium Nazianz. *Orat.* 42. Et nota apud Patres formula, in mentione potissimùm Sacramentorum, usu trita, Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, *Nôrunt initiati*, *quod dicitur*: Seu ἴσασιν οἱ μύσται τὸ λεγόμενον, seu ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι, quæ phrases idem designant. Unde apud Theodoretum *Dial.* 2. negat Orthodoxus, de Eucharistia fas esse apertè loqui, quoties periculum adest, ne adsint initiati: Solebant itaque tum de talibus αἰνιγματωδῶς, seu μυστικώτερον respondere. Quò respiciens Cyrillus Hierosolymit. *in Procatechesi*, eleganter ait, Catechumenos, quibus fas non est cognoscere sacra mysteria, περιηχεῖσθαι, *vocem circumsonantem audire*: postea verò, quum facti sunt fideles, ἐνηχεῖσθαι, *intus auditâ voce erudiri.* Idem dein disertè præcipit suis Auditoribus, ne quæ didicerint, postquam fidelibus fuerint aggregati, Catechumenis, quos ponit inter τοὺς ἔξω, enumerent. Sic itaque, cùm soli fideles nota haberent Religionis Christianæ mysteria, iidemque tantô studiô illa occultarent, occasio Gentibus data est, traducendæ veræ pietatis, quasi tenebras sectaretur & lucem fugeret ac notitiam hominum: Celsusque pro in Christianorum religionem κρύφιον δόγμα, *clandestinam doctrinam*, ludibrii causâ, subinde vocitabat. Sed Origenes hanc calumniam diluens ostendit, falsum esse, capita omnia doctrinæ occultari: plurima enim, quæ Gentes irrideant, palàm tradi & omnibus exponi: quòd si quædam non passim omnibus communicentur, non magis eô nomine reprehendi jure

Silius *Siculum pontum*, *l.* 1. *v.* 61.

----- Avet Ægates abolere, parentum
Dedecus, & Siculo demergere fœdera ponto.

SICULUS, Neptuni fil. post Sicanum, Siciliæ Rex, huic Insulæ nomen dedit, ut legimus apud Solin. *c.* 5. Vide suprà *Sicilia*.

SICUM, urbs Dalmatiæ antiqua maritima in Liburniæ confinio inter Jaderam ad Occasum & Salonas ad Ortum fermè 50. milliar. Hujus rudera in littore maris Adriatici inter Tragurium & Salonarum ruinas, vulgò *Studii*. J. Lucius Traguriensis.

SICYON, inter vetustos Sicyoniorum Reges XIX. vulgò ponitur, urbique nomen dedisse traditur, sed præter Historiæ fidem, uti mox videbimus.

SICYON, postea *Basilica Sophiano*, urbs Peloponnesi, Sicyoniæ, Regionis parvæ, caput; quæ & *Ægialea*, & *Ionia*, teste Strabone, ac *Demetrias*, teste *Plutarchô*, dicta est, inter Corinthum & Elidem, oleô & laurô abundans ac celebris. Virgil. *Georg. l.* 2. *v.* 519.

Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.

Ovid. *l.* 4. *Pont. eleg.* 15. *v.* 10.

Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.

Idem *in Ibin. v.* 317.

Aut ut oliviferâ quondam Sicyone fugato.

Statius *Theb. l.* 4. *v.* 50.

Qui Drepani scopulos, & oliviferæ Sicyonis
Culta tenent. ----- -----

Hic Aratus Poëta natus & Praxilla poëtria floruit, Pictura item &c. *Baudrando Vasilica* hodie, in Ducatu Clarentiæ sub Turcis, paucorum incolarum. In colle. 5. mill. pass. ab ora Sinus Corinthiaci, 22. à Corintho in Occasum, Elidem versus 80. Ab ea regiuncula adjacens, inter Corinthiam ad Ortum & Achajam ad Occasum *Sicyonia* dicta est. Fuit autem regnum Sicyonium, ex antiquissimis Europæ. Primus Rex Ægialeus fuit, A. M. 1890. regnavit ann. 52. habuitque Europem successorem. Hos per annos 964. 26. Reges secuti sunt, quorum ultimus Zeuxippus fuit, mortuus A. M. 2854. Postea per ann. 35. regimen Sacerdotibus Apollinis commissum est, usque ad 2887. donec à Regibus Mycenarum, & aliis populis vicinis, exiguum hoc regnum subactum est. Diodor. Sic. *in Hist.* *Thucyd.* Plin. *l.* 2. *c.* 71. *Strabo*, Euseb. *in Chron.* Ubbo Emmius *l.* 1. *de Græc. antiq. &c.* Sed antiquitas hæc regni, Regumque series & Sacerdotum Apollinis successio, meritò suspecta. *Ægialeus* enim, Rex primus, Phoronei Argivorum Regis antiquissimi frater est, apud Apollodorum *l.* 2. qui de illius prosapia, aut successoribus omnino tacet. *Apis* Rex IV. numeratur, quem Æschylus *non regem*, verùm *advenam ex Ætolia, regionem noxiis bestiis purgâsse*, docet *in Supplic. v.* 264. Ipse *Sicyon*, Rex XIX. à quo urbi nomen, Pelopis filius fuit, teste Pausan. *l.* 2. qui tamen Eusebio priùs *Sicyone* regnare dicitur, quàm Pelops Argis. *Polyphides* Rex XXIV. nemini vetustiorum Græcorum, ne Pausaniæ quidem, in suo horum Regum Catalogo agnoscitur. Ejus tempore fingunt Trojam captam, apud Homerum verò nullus est è Sicyone Dux contra Trojam; quippe urbs illa tunc temporis sub ditione Agamemnonis fuit, qui regnabat Mycenis. Sic enim Homerus, urbes ejus recensens, *Il.* β. *v.* 572.

Καὶ Σικυῶν', ὅθ' ἄρ' Ἄδρηστος πρῶτ' ἐμβασίλευε.

Et Sicyona, ubi Adrastus primùm regnavit.

Adrasti autem meminit Marmor Arundel. annô Atticô 325. Vide *Adrastus*. Et cur ob versum præfatum Clisthenes Sicyonis tyrannus, Rhapsodos Sicyone certare vetuit? uti quidem Herodotus habet *l.* 5. *c.* 67. Sed & quod de *Carnîis Sacerdotibus*, in Regum locum suffectis, tradit Eusebius, & ex eo Syncellus, non majoris fidei est. *Quid enim ad Sicyonios Ἱερωσύνη Doriensis? Quid ad Carnum cultus divinus, dum adhuc in vivis erat, & Heraclidis ignotus? Quid ad Apollinem Καρνείου nomen, cùm Κάρνεια nondum essent celebrata?* Eusebius autem Sacerdotibus istis initium attribuit annô, post casum Trojæ 55. ante Heraclidarum Reditum 25. Illustris Marshamus *Canone Chron. p.* 15. 353. *passim, qui proin, horum Regum laterculô Eusebianô rejectô, a Phoroneo rerum Græcarum initium ducit*; Vide *Phoroneus*. Addo, quòd Coronidi, Deæ suæ, nullam statuam, nullum Fanum, erexêre, teste Pausaniâ *Corinth.* ut jure exclamet Arnobius *contra Gentes l.* 1. *Non omnibus Diis templa devota.* Fuisse tamen in *Sicyoniæ* Urbe Titane, descendenti à vertice, ubi Templum Minervæ, βωμὸν ἀνέμων ἐφ' ᾧ τοῖς ἀνέμοις ὁ Ἱερεὺς μιᾷ νυκτὶ ἀνὰ πᾶν ἔτος θύει, *Aram ventorum, ad quam Sacerdos quotannis nocte unâ sacrificabat*, idem Pausan. refert, additque *ibid.* ut ad quatuor foveas arcana quædam concineret: ἡμερῶν τὸ χαλεπὸν τῶν ἀνέμων, *ad placandam ventorum sævitiam*. Ab hac gente *Sicyonia* appellata sunt, calcei delicatioris cultus, muliebres ac amatorii. *Hesych.* Σικυώνια γυναικεῖα ὑποδήματα. Unde Cicer. *de Orat. l.* 1. *Si mihi calceos*, inquit, *Sicyonios attulisset, non uterer, quamvis essent habiles & apti ad pedes; quia non essent viriles.* Candorem iis & tenuitatem addit Appulejus *Metamorph. l.* 7. *Calceis fœmininis, albis illis & tenuibus.* Dispunctionibus item incisurisque ingeniosè exornari consuevisse, quod calceorum genus auratis & purpureis antistabat, *Balduinus* habet. Quare mirum, cur eos Lucianus *Dial. Meretr. Par. & Myrt.* duabus tantum drachmis æstimâerit, inquiens: Ὑποδήματα ἐκ Σικυῶνος τὸ πρῶτον δύο δραχμῶν, *Calceamenta Sicyonia primùm duarum drachmarum*: Nisi fortè talia significare voluit, quæ longô usu attrita essent atque disrupta. Nam aliàs, ex comparatione phæcasiorum, in quibus minus erat operæ atque artificii, pretiosiora *Sicyonia* fuisse, arbitrari est consentaneum. Vide præfatum Balduinum *de Calceo c.* 19. Poëta eorum delitias ostendit his verbis:

Cognita nec teneris pedibus Sicyonia servant,
Nec niveo retinent baccata monilia collo &c.

Ab eadem gente *Sicyopepon* dictus est, qui aliis μηλοπέπων, quemque paulo ante ætatem suam in cibos receptum, tradit *Plutarchus*. De eodem Plinius, allatum id semen è Græcia primùm suô tempore & inde propagatum genus ait, *l.* 19. *c.* 5. Hodie *melones* vocantur. Vide suprà & plura hanc in rem apud Salmas. *ad Solin. p.* 959. Nunc urbs in ruinis, ut vix rudera supersint.

SICYON, locus Africæ, ubi Crathis fluv. in Oceanum exit, & electrum nascitur. Plin. *l.* 19. *c.* 8. Item Urbs Thessaliæ, posteà Demetrias. Niceph. *l.* 5.

SICYONII, mollitiei maximè apud *Cicer.* passim notantur, præsertim in calceis apud Athen. *l.* 4. & Lucian. *in Rhetore*. Lucilius:

Et pedibus Levâ Sicyonia demit honesta.

Lucretius *l.* 4. *v.* 1118.

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Unde *calcei Sicyonii* vel *aluta Sicyonia* Proverb. de re pulcra, sed minùs decente. Vide suprà. *Sicyone* etiam præcipua fuit marmoris & metallorum officina: ibique Dipœnus & Scyllis primi sculpturæ marmoris operam dedêre.

SIDA, vel SIDE, urbs Pamphyliæ maritima apud Ciliciæ confinia, inter ostia Eurymedontis ad occasum & Coracesium urbem ad ortum Archiepiscopalis olim, nunc destructa. Hîc Synodus A. C. 383. ab Amphilochio, contra Massalianos, habita. Photius *Bibl. cod.* 52. An & 427. contra eosdem? Populi *Sidetæ*. *Sida* item *Nicephoro*, locus Palæstinæ à Cæsarea 50. stad. distans. Prior *Chrijonda Nigro*, *Scandalor*, vel *Candalor Moletio*. Ejus memoriam servat nummus sub Lic. Gallieno cusus, cum *Inscr.* ΣΙΔΗΤΩΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ ΕΝΔΟΞΟΥ: & alius, ΠΑΜΦΥΛΙΩΝ ΣΙΔΗΤΩΝ, apud Jac. Gronov. *Ep. ad fratrem*.

SIDA, maritimus Phœniciæ vicus, 20. stad. à Tyro; in tractu Acer.

SIDACE, urbs Lyciæ, à *Sidace* Amisodori filia. *Steph.*

SIDALA, urbs Armeniæ majoris, *Ptol.* *Sedala* Interpretes.

SIDARUS, urbs & portus. Gentile *Sidaruntius*. *Steph.*

SIDDIM Vallis, locus Palæstinæ, memoratur, Genes. *c.* 14. *v.* 3. *Omnes hi junxerunt* (copias) *ad vallem* Siddim, *quæ mare salsum*: nempe postea in Mare mortuum conversa, dicta est. In Hebræo est, השדים, h. e. *agrorum aratorum*, quod alii nomen vallis proprium esse volunt. In ea multos fuisse puteos bituminis, ibidem dicitur. At postquam Deus Gomorrha & Sodoma subvertit, & totum eum tractum pessumdedit, tota vallis *Siddim*, quæ fontibus bituminis scatebat, in lacum versa est Asphaltitem vel Mare mortuum, quod *Mare Salis* ibi appellatum, cum *Valle Salinarum*, in qua Idumæi à Davide deleti sunt, malè ab Epiphanio confunditur. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 613. ut & suprà ubi de *Salinarum Valle*.

SIDELE, urbs Ioniæ. *Steph.*

SIDEN, aliàs SYDERIS, Plin. *l.* 6. *c.* 16. stagnum Indiæ, in quo omnia demerguntur. *Silia Straboni*, *Silla Diodoro*, *Sila* Arriano, *in Indic.*

SIDENA, Urbs fuit Asiæ minoris in Mysia minore ad Granicum fluv. *Strab.*

SIDENE, regio Cappadociæ, in qua *Siden* oppid. juxta Themiscyram in ora maris Euxini. Populi *Sideni* Plinio, *l.* 6. *c.* 4. & *Sidenum* fluv. Polemonium urbem alluens *Sidene* item urbs Lyciæ, *Steph.*

SIDENI, Germaniæ populi *Ptol.* quorum regio *Stettinerland*, in ora Pomeraniæ. *Baudrando* fuêre, ubi hodie Nova Marchia Brandeburgens. & pars Ducatus Stetinensis, inter Poloniam magnam ad Ortum, & Oderam fluv. ad Occasum. Sed Stetinum in eorum tractu non erat. *Sideni* quoque populi & urbs ac emporium Arabiæ Felicis vulgò *Ziden*, ad sinum Arabicum apud Mecham, inde 12. mill. pass. distans. Sed hoc oppidum recens est.

SIDENUM, vide SIDENE.

SIDERA, pro Diis olim habita: nec solùm Sol & Luna, quos *Cœli oculos* Pythagorici dictabant; aut reliqui quoque Planetæ, quos *Majorum Gentium Deos*, vel *Selectos*, vocavêre: verùm & cætera omnia astra; idque tùm à Barbaris, tum Græcis. Ita enim Plato *in Cratylo*, Φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, Ἥλιον καὶ Σελήνην καὶ Γῆν καὶ Ἄστρα καὶ Οὐρανόν, *Qui Græciam primi incoluêre, illi videntur mihi eos solùm Deos existimâsse, quos nunc etiam barbari multi pro Diis habent; Solem, Lunam, Terram, Astra, Cœlum.* Quæ verba etiam Eusebius adducit, *Præp. Evang. l.* 3. *c.* 2. Et sanè *omnem Cœli militiam* (ut Hebræorum more loquar) pro Diis cultam esse, ostendit etiam juramentum illud, apud Vettium Antiochenum Astrologum *in Proœm.* Ἀνθολογιῶν sive *Floridorum*; quod ex Scriptore eo majorem partem inedito jamdudum Joh. Seldenus *in Syntagm. de Diis Syris*, adduxit: verba Latinè sic habent: *Eos, qui in hæc inciderint, adjuro, per sacrum Solis circulum & inæquales Lunæ cursus ac reliquorum* Siderum *vires & Signiferum circulum, ut ista in reconditis habeant, nec imperitis vel non initiatis tradant; sed Doctoris sui memores honorem ei tribuant. Sanctè jurantibus benè sit Diisque ante memorati sint propitii, pejerantibus contraria sint.* Nec hac parte solùm erratum à vulgo, sed etiam Philosophis: uti Xenocrate Chalcedonio & Alcmæone Crotoniate, de quibus Tullius testis est *de Natur. Deorum l.* 1. Similiter Stoicis: ut Posidonius, apud *Stobæum*, Ἀστέρα εἶναί φησι σῶμα θεῖον ἐξ αἰθέρος συνεστώς, *Stellam*, inquit, *esse corpus divinum ex æthere compositum.* Quos in hanc sententiam quid compulerit, docet nos Augustin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 11. *Dicunt* (Stoici) *omnia Sidera partes Jovis esse, &*

& simila vivere, atque rationales animas habere: & ideo sine controversia Deos esse. Quò facit, quòd *Siderum* afflatibus aut operationibus aliis, adscribebant fortunia utraque mortalium: unde *dextrum sidus*, *sinistrum sidus*, toties occurrit. Præcipuè verò pueris nocere ea arbitrabantur, *Hesychius*, Ἀστροβολήθῆναι, νόσῳ ἐπὶ καταληφθῆναι ἐπὶ τῶν παιδίων: quod de Canicula inprimis seu Sirio creditum, docet idem: Sic de Juvenibus *Petronius*, *Nuper ventosa isthæc & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, animosque juvenum ad magna surgentes quodam sidere afflavit.* Lunæ quoque eadem adscripta. Isidor. *Glossogr. Astrosus*, *Lunaticus*, h. e. *malò sidere natus.* Quia nimirum manifestior hujus vis, & occultior cæterorum siderum. Vide hanc in rem plura, apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Theb. l. 4. v. 760.* Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. l. 2. p. 30.* Salmas. *ad Solin. passim*, infrà voce *Stella* & *Teraphim*; & *Siderum* præcipua hic suis locis; aliquid etiam verbo *Significare.*

SIDERITES, apud Plin. *l. 37. c. 4.* adamas dictus est, non quòd in ferrariis legatur officinis, uti Solino visum, sed quòd *ferrei* coloris sit splendorisque. Apud eundem *c. 10.* *Siderites* lapis inter gemmas numeratur, quem ferro similem dicit litigia & discordias, quocunque inferatur, facientem: qui fortè idem cum priore est. Nam ipsum quoque ferrum, quod Græcis σίδηρος est, vel ferri genus, dictum ἀδάμας, à *duritie*: Et forsan diversos putavit Plinius, quia eorum descriptionem è diversis hausit Auctoribus. Memorat certè Salmas. lapidem sibi fuisse ferrei coloris ac ponderis, pugni magnitudine rotundum, undique secus formis quadrangulis in mucronem turbinatis asperum, quem *Sideritem* nuncupari posse, nullus dubitat: ita planè splendorem ferri exhibuisse, ac pondus habuisse. Addit, *lapidem adamantis* vocâsse, qui illum, ex India allatum, sibi vendiderit, propter illas fortasse quadrangulas facies, quòd ad illud instar plerique atterantur adamantes ignobiles, quos à solo natali *Alenconios* Galli dicunt. Sed & σιδηρίτης vocabatur lapis, ex quo ferrum funditur, matrix nempe ferri lapis. *Hesych.* Σιδηρίτης λίθος, ἀφ' ἧς οἱ μεταλλεῖς λέγουσι γίνεσθαι τὸν σίδηρον. Similiter & γῆ σιδηρῖτις, è qua fit ferrum. Etiam magnes lapis, qui ferrum trahit, sic vocatus occurrit: imò & ἀδάμας, quòd vis invicta ferri illi cederet, eumque sequeretur. Quæ causa, quòd Plinius σιδηρίτην ἀδάμαντα inter lapides retulerit pretiosos hôc nomine, Salmas. *ad Solin. p.* 1100. Neque verò lapidis solùm, sed & herbæ id nomen est, quam, *Helxinem* aliàs dictam, à partu cervas appetere, vult Salmas. apud Plinium *sideritis* pro *seseli* reponens. Qua de re diximus suprà.

SIDEROCAPSA, urbs Macedoniæ, ubi argenti fodinæ, sub Turcis, in provinc. *Jamboli*, 45. mill. pass. à Thessalonica in Ortum versùs montem Athon, *Briet.* Vide *Sidrocapsa.*

SIDEROPOLICHNA, urbs Peloponnesi. *Chalcond.*

SIDETANI, Africæ populi juxta Carthaginem. Strab. *l. 3.*

SIDIA, regio quædam, sic rectè legitur apud *Stephanum*, cui *Tios* civitas est Sidiæ.

SIDICINUM, urbs Campaniæ. Hinc *Sidicinus.* Virg. *Æn. l. 7. v. 727.*

Arunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquora. ----- -----

SIDITES Marcellus, vide *Marcellus.* It. *Philippus.*

SIDNEUS Philippus, Eques Anglicus. Nobilitatis literatæ flos & decus præcipuum, gubernator Vlissingensis, militari prudentiâ & virtute excellens, globô tormentariô ad Zutphaniam ictus, obiit Arnhemii, A.C. 1586. Vide Thuan. *Hist. Camden.* &c. Auctor est libri, cui *Arcadiæ* nomen.

SIDO, Rex Suevorum, Tacit. *l. 12. Annal. c. 29.*

SIDODONE, vicus memoratus Arriano, *in Indic. circa fin.* in Nearchi navigatione, post Oaracta & insul. Pylora. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1181.

SIDOLEUCUM seu SADOLEUCUM, oppid. Ducatus Burgundiæ, 16. leuc. à Divione in Occasum, Nivernas versus 20. 6. à Semurio in Meridiem.

SIDON, perantiqua, opulenta, & celebris Phœnices urbs, in tribu Aser, atque insigne emporium: Chananæorum olim ad Aquilonem respiciens terminus fuit, postea verò regionis Judææ, quam *Sidon*, primogenitus undecim filiorum Chanaan, juxta Libani montis ortum condidit, eique nomen dedit. Commodissimum hæc civitas situm habet: distans enim à Sarepta versùs Aquilonem duobus, contra Austrum, à Beryto quinque, & versùs Occidentem ab Antilibano monte unô, à Cæsarea autem Philippi undecim milliaribus, ab Occidente mari magnô alluitur, tutôque ac tranquillô portu ditatur: atque ab Oriente magnus & fertilis illi adjacet campus, qui aquarum fluentis fœcundus, optimis vineis, cannis mellis, fructiferis arboribus, sylvis & pratis abundans, multam civibus præstat commoditatem. Ipsa verò urbs aëre saluberrimô fluens, solida in rupe super littus maris in longum ædificata, ab Aquilone in Austrum tendit: cujus utrumque cornu duobus castris naturâ & arte validis munitur. Quamvis urbs hæc olim in sortem tribus Aser ceciderit, Aseritæ tamen eam nunquam possederunt, quia ejus incolas expellere non potuerunt. Plin. *l. 5. c. 19. & l. 36. c. 26.* Strabo *l. 16.* Multas devastationes & incendia passa est, tandemque in Turcarum potestatem redacta, à 152. annis. Hodie *Saide*, in ora maris Mediterranei cum portu capaci, etiamnum ab Europæis, Gallis inprimis, frequentatur. 35. mill. pass. à Beryto in Meridiem, uti 55. à Damasco in Occasum. Vide seqq. Hic primò vitrum fieri cœpit. Sub Christianis Episcopalis fuit: captâ Hierosolymâ, Eustachio Garnerio Cæsareæ domino muneri data est: Guiboha Tartarorum dux illam occupavit, A. C. 1260. tandem, ut dictum, à Turcis subacta est. Pseudosynodus ibi ab Eutychianis & Acephalis habita, A. C. 512. sub Anastasio Imperatore quibus Flavianus Antiochen. & Joh. Paltes generosè restiterunt. Guil. Tyr. *l. 14. & seq.* Sanut. *l. 3. &c.* Marcellin. *in Chron.* Evagr. *l. 3. c. 32.* &c. De eadem *Lloydius* ista habet: *Sidon*, i. e. *venatio*, aut *insidiatio*, sive *Viaticum*, vel *cibarium*, aut *navis judicii*, Filius Chanaan. Gen. *c. 10. v. 15.* Bodetianus *in Lexico Chaldaico* צידון per *admirationem* explicat, quod non sine admiratione se legere testatur Bochartus *l. 4. Phaleg. c. 35.* In loco, quem citat ex libro *Vaikra rabba*, nil tale habetur: nec ibi explicatur *Sidon*, sed צרא vel הצרא ex Dan. *c. 3. v. 14.* idque voce Græcâ אונטוס ὄντως i. e. ἀληθῶς *verè*, ut Græci & Vulgatus habent. Itaque hæc ἀδὲν πρὸς ἔπος. Sed verum esse puto, quòd *Sidonem* scribit Trogus *l. 18. c. 3.* *à piscium ubertate* sic appellari. Nam *Said*, i. e. *piscatio*, hodieque *Sidon* dicitur, ut Galilææ oppid. *Bethsaida*, quasi *domum piscationis* dixeris. Nec Sidoni minus congruit, quam Hebræi nos docent esse ad mare piscosissimum. Itaque cùm Gen. *c. 10. v. 15.* legitur, Sidon fuisse Chananis primogenitus, per Sidonem intellige Sidoniorum patrem, vel Sidonis conditorem, quôcunque fuerit nomine. Ex quo loco Sidonem discimus fuisse valdè vetustam, ut quæ conditorem habuerit Chami nepotem, Noachi pronepotem. Itaque licet Tyrum Sidonis æmulam, *antiquam* & *Cadmeam* & *Ogygiam* Poëtæ passim appellent, & Tyrii Esaiæ *c. 23. v. 7.* & Herodoto *l. 2.* antiquitatis nomine plurimum sese efferant; tamen Sidoni Tyrus cogitur submittere fasces, & illam pro parente agnoscere. *Post multos deinde annos* (inquit Trogus *loc. cit.*) *à rege Ascaloniorum expugnati Sidonii, navibus appulsi Tyrum urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt.* I. e. Josephô interprete, *l. 8. Jud. Antiq.* annis 240. antequam templi fundamenta jecisset Solomon. Proinde cùm de Sidone agatur in libris Mosis & Josuæ; & Judicum, & in vaticinio Jacobi Patriarchæ, qui vixit diu ante Mosem, de Tyro nihil reperimus ante tempora Davidis, nisi quis מבצר צור Jos. *c. 19. v. 29.* putet esse *Palætyrum.* Itaque, ut observat Strabo *l. 16.* Οἱ μὲν ἐν ποιηταὶ τὴν Σιδῶνα τεθρυλήκασι μᾶλλον. Et Homerus, qui Sidonis & Sidoniorum meminit in tot locis, Tyrum ne nominat quidem. Jam si de magnitudine certamen instituatur, in libro Josua *c. 11. v. 8.* *Sidon* appellatur רבה *magna*, i. e. inter Phœnicias urbes maxima. Diodor. *l. 16.* πλούτῳ τε καὶ ταῖς ἄλλαις χορηγίαις ἡ πόλις πολὺ διέφερε τῶν κατὰ τὴν Φοινίκην πόλεων τὸ δὲ μέγιστον τεμέσας καὶ περιττὰς εἶχε πλείους τῶν ἑκατόν. Pomp. Mela *l. 1. c. 12.* *Adhuc opulenta Sidon, antequam à Persis caperetur, maritimarum urbium maxima.* Sed Tyrus illi deinceps, si Straboni credatur, ἐνάμιλλος *conferenda*; si Curtio *l. 4. c. 2. præferenda.* Is enim Tyrum affirmat *& claritate & magnitudine, ante omnes urbes Syriæ, Phœnicesque fuisse memorabilem*, quô tempore obsessa est ab Alexandro. *Nic. Lloyd.* Vide *Tyrus*; & plura de antiquitate urbis, præ Tyro, apud Joh. Marshamum Equ. *Canone Chron. Sec. XI.* Capta est Sidon, cum Archipatride, Cæsarea Strabonis, Ptolemaide. & Berytho, à Balduino I. Hierosolym. Rege A. C. 1104. sub cujus successore Balduino II. etiam Tyrus recepta est, A. C. 1125. sed utraque postea cum tota regione in Barbarorum potestatem relapsa est. Sidonis Achilles Tatius, statim *operis initiô* duos describit portus angustô aditu & latô sinu, in quorum interiorem naves hyeme se recipiunt, quia tutior est statio. Cæterùm Tyrus à Sidone distat stadiis ferè 200. uti habetur in Strabone. *loc. cit.* In medio Sarepta nomen habet ab æris & ferri fusione, cujus ibi magnum fuisse proventum, Hebræi colligunt ex benedictione Aser horum locorum incolæ. Deut. *c. 33. v. 25.* *Ferrum & æs sub calceo tuo.* Atque huc omnino pertinet illud Eumæi Sidonii, apud Homerum, antiquitatis sedulum indagatorem: Od. *o. v. 424.*

Ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι.

Nec erat cur interpretes Poëtæ verba traherent in alienum sensum, quasi circa Sidonem æris fodinæ nullæ fuissent. Tyri porrò & Sidonis incolis indulserat ingenium acre, vividum, & ad omnia flexile. Arithmetica & Astronomia ab iis manârunt ad Græcos. Et, ut taceam recentiores, Sidoni Mochus de atomis philosophari cœpit ante Trojani belli tempora. Et Abdemonus Tyrius, quæstionibus propositis, Regem Solomonem provocare ausus est. Sed præcipua celebritas ex mechanicis artibus. Tyri mixtura purpuræ, Sidoni vitraria & textura sindonum ex lino tenuissimo feruntur inventa primùm. Et fabrorum peritiam impensè laudat Solomon his ad Hiramum Tyri regem, 1. Reg. *c. 5. v. 6.* *Nosti non esse quenquam inter nos, qui sciat cædere ligna ut Sidonii.* Hinc est, quòd Homerus *Il. 23. v. 743.* & *6. v. 289.* & Od. 15. *v. 114.* & 4. *v. 54.* appellet πολυδαιδάλους, & si quid concinnum in vestibus, aut in vasis affabrè factum, aut ludicrum in crepundiis, id tribuere solet Sidoniorum industriæ. His artibus illorum opes in immensum brevi crevêre, dum iis vacare licuit, per longæ pacis otium. Nam pacatè diu vixisse præ cæteris mortalibus vel hinc colligas, quòd Jud. 18. Sidonii proponuntur in exemplum summæ securitatis. Ita enim habetur *v. 7.* de Lais incolis: *Habitabant securè, pro more Sidoniorum, quietè & confidenter.*

SIDONA, regio Ponti Cappadocii, *Ptol.*

SIDONES, populi Thraciæ prope Hebrum. Plin. Alii in Scythia.

SIDONIA, urbs Troadis. *Steph.*

SIDONIORUM Insulæ, in Sinu Persico, unde Sidonii Phœnices profecti. Strab. *l. 16.*

SIDONIUM Mare, Syrii seu Phœnicii pars.

SIDONIUS Apollinaris Cajus Sollius, Episcopus Claromontanus, in Arvernia, floruit seculô 5. Natalibus, ingeniô, eruditione, pietate illustris. Natus patre, Prætoriô in Galliis præfectô, sub Honorio Imperatore Lugduni, Eusebium in Philosophiâ, Hoëniumque in Eloquentia & Poesi audiit. Ab Anthemio Imperatore Romam invitatus, interfuit nuptiis Ricimeri generi hujus: cui secundùm Consuli Panegyricum dedicavit, hinc præfectus Urbis creatus, postmodum Patriciis insertus. Statua ipsique ab Avito, in Bibliotheca Fori Trajani erecta, & Majorianô Circenses ludos Arelati celebranti, ejus mensæ admotos: utrumque panegyricô honoravit. Aviti filiâ ductâ, filium sibi cognominem cum duabus filiabus, Roscia & Severiana, genuit;

nuit: legationibus variis defunctus. Cùm dein Avitus imperiô cederet, & Majorianus amicos ejus exagitaret, captus detentusque Lugduni, mox libertati, muneribus, gratiæ restitutus, fœderis inter illum & Theodoricum proxeneta fuit. Surrogatus post hæc Eparchio Episcopo, A. C. 472. dignitates suas in filium transtulit, ipse S. Scripturæ deditus, brevi tantum profecit, ut ab Euphronio Episcopo Augustodunensi, in difficilioribus quæstionibus consuleretur. Burgundionum fame laborantium nutriit 4000. Plurima in obsidione Claromontis, quam Gothi oppugnabant, ab Hæreticis & duobus presbyteris passus, obiit A. C. 482. ætat. 52. Scripsit libros 8. epist. cum 20. carminibus. Joh. Colerus, Joh. Savaro & Sirmondus, *in notis*. Gennad. *de Viris Ill. c.* 92. Ruric. *in epist.* Gregor. Turonens. *Hist. l.* 2. *c.* 22. *&c.* Inprimis Voss. *de Poët. Lat. p.* 60. & *de Hist. Lat. p.* 233.

SIDRACH, vel SHADRACH, qui & *Ananias*, nomen viri. Dan. *c.* 3. *v.* 12. 13.

SIDROCAPSA, Leuncl. *Sirus*, urbs maritima, episcopalis sub Archiepiscopo Thessalonicensi, *Syderos* & *Scydra* etiam videtur *Ptolomæo* dici. Vide *Siderocapsa*.

SIDRONA, oppid. Liburniæ mediterran. *Belas Nigro*. Alii eandem putant cum *Stridone* D. Hieronymi patriâ.

SIDRONES, Germaniæ populi *Ptol.*

SIDUS, vicus Corinthi, aut Megaridis navale. Item vicus circa Clazomenas, & alius Rubri maris, & locus Pamphyliæ. *Steph.*

SIDUSSA, urbs Ioniæ. *Steph.*

SIDYMA, urbs Lyciæ. *Steph.*

SIETZIUS, fluv. Helvetiæ, qui è lacu Rivario prope Vesenium effluens, postea Limago miscetur. Vide Simlerum *de Rep. Helvet.*

SIFFRIDUS, Presbyter Saxo, floruit A. C. 1308. Auctor Chronici, à M. C. usque ad A. C. 1307. Georgius Fabricius edidit. Item Dominicanus, Archiepiscopus Moguntinus, A. C. 1470. Scripsit varia. *Trithem.* Voss. *l.* 2. *Hist. Lat. c.* 62. *Possevin. Miræus*, &c.

SIFRA, pro quo perperam plerique *Cifra* scribunt, vox est ab Indis accepta, si *Georg. Vallæ* credimus: Vossius verò ab Arabibus eam sive Saracenis, qui in Hispania vixêre, potiori derivat jure. Sanè & Hebræis ספר *Sephar*, est *numerus, numeratio*: à ספר *saphar*, i. e. *numerare*: imò & ab eodem verbo *numerus* dicitur מספר *Mispar*. Ita autem Barbaras numeri notas appellamus, cùm Græci Romanique, pro numeri figuris, literis usi sint. Originem earum Conr. Dasypodius *Institut. Mathem. l.* 1. è figuris Græcanicarum literarum corruptis arcessit, arbitraturque id non fore obscurum, si quis has ambarum figuras intueatur:

β.	γ.	δ.	ε.	ϛ.	ζ.	η.	θ.
2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

Sed verisimilius est, Europæos cæteros accepisse ab Hispanis; eos à Mauris; illos ab Arabibus; hos à Persis, vel Indis: & certiora afferri possent, si constaret, ecqua Orientis natio utatur literis, vel numerorum notis, quæ cum *Sifris* vulgatis conveniant. Porrò non nisi anni sunt circiter 400. quòd eas accepimus, unde certum ducitur argumentum, nummos aliaque hujus generis, in quibus *Sifræ* comparent, non majoris esse vetustatis: Et proin Marquardi Freheri grandem illum argenteum nummum, qui effigiem habuit Constantini Imperatoris equitantis, antiquum esse negat Jos. Scaliger; cùm in eo compareant notæ hæ Arithmeticæ 234. Cujusmodi characteres non est reperire in libris Græcis Astrologicis & Logisticis vel computis Ecclesiasticis, multo ante captam Constantinopolim. Sed & immutationem aliquam etiam in hisce *Sifris* contigisse, constat ex lapidibus & libris, in quibus, ante 200. annos, exaratum videmus; Λ. pro 7. &c. Voss. *de Scient. Mathemat. c.* 1. §. 5. Vide quoque suprà, voce *Numen*.

SIGA, colonia & urbs Mauritaniæ Cæsariensis *Ptol.* regia quondam Syphacis, inter ostia Malvæ ad occasum & Quisam urbem ad ortum apud ostia *Sigæ* fluvii. *Aresgol Marmolio*. *Humain Castaldo*. Aliis *Zersen*, seu *Zersen*. Fluv. *Tenne* dicitur *Castaldo*. *Baudrando* Siga *Haresgol* hodie, oppid. regni Algerii, in provinc. Telensina, cum portu, in ora maris Mediterranei in scopulo, cum castro munito. 55. mill. pass. ab ostio Mulviæ fluv. Quisam versus 90. & 18. à Telensino in Boream, Carthaginem novam versus 120. circiter. Aliàs Syphacis regio, postea Episcopalis. *Siga* autem fluv. in mare Mediterraneum labitur, prope Sigam oppid. & à Neotericis *Rio de Haresgol*, incolis autem *Tesnet* dicitur, Marmol. *descr. Africa*.

SIGA, oppid. Veteraviæ, caput Comitatus cognominis ad Sigam fluv. 8. milliar. German. à Marpurgo in Occasum Coloniam versus 11, in limite Westphaliæ; *Sigen*.

SIGÆA Aloisia, Toletana, non Latinè solùm, Græcè ac Hebraicè, sed & Syriacè ac Arabicè docta, quinque his linguis varias scripsit ad Paulum III. litteras, teste J. Vasæô *Chron. Hispan.* Hinc in aulam Lusitanicam invitata ac muneribus ingentibus exculta ibi aliquandiu degit: Burgis dein sedem fixit, nupta Francisco de la Cueva, obiitque A. C. 1560. in flore ætatis. Sororem habuit Angelam similiter doctam, & Vasæo, Resendio, Alvaro Gomerio, laudatam. Scripsit nihil. Teissier *Elog. Parte.* 1.

SIGALA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

SIGALION, simulachrum apud Ægyptios, in sacris Isidis & Serapidis, quod digitô labiis impressô silentium imperare videbatur: unde & nomen accepit ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, quod est *silere*. Alio nomine *Harpocratem* appellabant. Vide *Harpocrates*.

SIGANIA, Colchidis fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 4. quem *Arrianus* Σιγγάμην vocat. *Ptol.* Σιγάνειον oppidum, sic (ut est verisimile) à fluv. dictum, inter Cyaneum fluv. & Neapolin collocat.

SIGANAS, vel SAGANAS, Carmaniæ fluv. apud Plin. *l.* 6. *c.* 25. de quo vide Salmas. ubi suprà *p.* 1181.

SIGANUM, urbs ampla Xensiæ, provinc. Sinarum ad fluv. Guejum, ad radices montium, sub qua 35. urbes minores *Martinius*.

SIGATHA, urbs Libyæ. Steph. ex Strabonis *l.* 17.

SIGBRITTA, paupercula è Belgio mulier, ex egestate Bergas Norvegiæ profecta, ibi sedem fixit. Mox cùm filiam ejus Divike i. e. Columbulam, Christiano, postmodum II. hujus nominis Daniæ Regi à venustate imprudens laudavisset regni Cancellarius, illam Princeps concubinam, & mox in familiam cum pellice matrem assumpsit. Patris dein successor A. C. 1514. tanquam fascinatus, omnia ex *Sigbritta* consilio agere tam addictè cœpit, ut ante ejus ædes Hafniæ Senatores regni sæpe cogerentur expectare, & eam Regina parturiens obstetricem pati, ubi multæ illius de regiis liberis inauspicatæ voces auditæ: è quibus Johannes septennis à *Sigbritta* in ædes suas, ut ibi instrueretur in iis, quæ regiam decerent sobolem, assumptus est. Hinc suis exosus Rex esse cœpit, qui cùm plures aliæ odii accessissent causæ, Regnô à suis, surrogatô ei patruô Fridericô, pulsus, gazâ, chartis & *Sigbrittâ suâ* in naves illatis, in Belgium venit: ab eo tempore perpetuò infelix. Vide Phil. Jac. Spenerum in *familiâ Oldenburgo-Danica*.

SIGE, urbs Troadis. Gentile *Sigites Stephano*, qui & *Sigeum* promontor. hodie *Capo Janizari*; in ora maris Ægæi, 140. mill. pass. à Chalcedone in Meridiem, uti 22. ab Abydo, & oppid. Troadis Ajacis sepulcrô nobilitatum esse scripsit: nunc in ruinis. Dictum Σιγεῖον, ut quidam volunt, ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, h. e. à *silendo*, eò quòd Hercules præmiô suô à Laodemonte fraudatus, dissimulatô secessu, ibi se occultârit, indeque silentiô magnô reversus urbem repentè adortus ceperit. Alii per antiphrasin sic dictum putant, quòd nullum ibi unquam sit silentium, aquis se perpetuò magno cum murmure saxis illidentibus. *Janizari* hodie Nigro, *Sophiano*, & *Belonio* dicitur. Hinc *Sigeus* adjectivum. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 312.

> ----- *Sigea igni freta lata relucent.*

Item *Sigeius*. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 3.

> ----- *Sigeia torvo*
> *Litora prospexit.*

Idem *ep.* 1. *Heroid. v.* 33.

> *Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus.*

Nic. Lloydius.

SIGEBERTUS I. Austrasiæ Rex, fil. Clotharii I. ex Ingonde. Metis sedit, maritus Brunehildis, filiæ Athanagildi, Wisigothorum Regis. Vicit A. C. 568. Longobardos, Hunnis, Avaribus & Herulis junctos: postmodum à spectris, quæ illi magicâ arte excitaverant, delusus, pecuniâ se suasque copias ab illis redimere coactus est. Dum his detinetur, interea Chilpericus, frater ejus, Remos, aliaque Campaniæ loca, sibi subigit, sed vincitur, captâ Suessionum urbe, mox pax sancita. Arelatum, alteri fratri Guntrano, ereptum, mox iterum perdidit: Longobardos dein, ditiones suas vastantes, feliciter iterum repulit, mox à Chilperico, A. C. 573. acie victus: contra quem cùm majores parâsset copias, ille pacem petiit impetravitque: quam cùm brevi iterum violaret, insequutus illum Sigebertus, per Bosonem ducem, filium ejus Theodebertum occidit, ipsumque Tornaco se includere coëgit: Sed urbem hanc cùm victor obsideret, à duobus sicariis, à Fregedonde, uxore Chilperici, cum duobus cultris venenatis, summissis, interemptus est. A. C. 575. ætat. 40. regni 14. Liberalis, generosus, ingeniô, clementiâ, affabilitate inclytus, Pater populi dictus. Gregor. Turonens. *l.* 4. & 5. Pater Childeberti successoris, qui ex Faileuba, Theodebertum vel Theodoricum filium, suscepit, *Sigeberti II.* ex pellice, patrem.

SIGEBERTUS II. occisus est, A. C. 614. post aliquot mensium, in Burgundia & Austrasia, regnum. Maritus Frideburges. Walafrid. Strabo.

SIGEBERTUS III. fil. Dagoberti I. frater Clodovei II. Obiit A. C. 654. Pater Dagoberti, qui Grimoaldi perfidiâ tonsus est. Sigebert. Gemblac. *in ejus vita*.

SIGEBERTUS, Monachus Gemblacensis, floruit sub initium Seculi 12. Scripsit *Chronicon*, ab A. C. 379. vel 381. ubi S. Hieronymus desinit, illudque continuavit, usque ad A. C. 1112. Item, *de Viris Illustribus*. *Vitam* quoque *Sigeberti III. Austrasiæ Regis S. Maclovii* &c. *Carmina* quoque & *Commentarios in Scripturam*. Stylô utitur liberô, & neque Pontificibus, cùm opus est, parcit Liber ejus, cui titulus. *Apologia, ad Henricum Imperatorem contra eos, qui calumniabantur Missas conjugatorum Presbyterorum*, perditus est. Vide Voss. *Hist. Lat. l.* 2. *c.* 48.

SIGENA, vulgò SIEGEN, oppid. Germaniæ, in Comitatu Nassoviæ, sub proprio Principe, ex illustri hac familia. Amplitudo loci, structuræ elegantia, civium negotiatio, magnatum eam urbium splendori admovet. Præcipua negotiandi ubertas ex ferri est artificio singulari, quô qui imbuuntur, non nisi jurati, patrias artes non translaturos, admittuntur; & quidem 20. in Sigenensi territorio numerantur ferri excoquendi officinæ, 25. verò cudendi nec pauciores multò chalybis domandi. Præcipuum loco decus à Joanne Mauritio, qui fontium ductu & ædificandi studiô illum mirè exornavit: translatis inter alia eò duobus ingenti magnitudine marmoreis cippis, ex America usque. Cives Reformati & Pontificii mixtim degunt. Obtigit autem *Sigena* filio secundogenito Joannis Dilleburgensis πολύπαιδος (qui Wilhelmi Auriaci frater fuit) Joanni, qui obiit A. C. 1623. Huic ex duplici matrimonio numerosa soboles, in qua ex priore conjuge L. Magdalena Comes Waldeccia, inter alios, eminent Johannes Junior, & Wilhelmus: quorum is ex Ernestina Arenbergica pater fuit Joannis Francisci Desiderati, qui natus in Sequanis A. C. 1627. Pontifi-

cios

cios situs amplexus est, primusque *Principis* axioma lineæ huic intulit: ex Jo. Claudia Königseccia liberis genitis. Hic Christinam Erpachiam sibi junxit, atque ex ea filium unum, Mauritium (denatum A. C. 1638.) & filias quatuor genuit. Ex posteriore vero conjuge Margareta Hollata, suscepit Joannes Sigensis Joann. Mauritium cognomine Americanum Pro-Principem Cliviæ, Georgium Fridericum (maritum Mauritiæ Lusitanæ) Wilhelmum Ottonem, aliosque, *Principes & Comites Nassoviæ &c. lineæ Sigensis.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p.* 32. 56. & 115.

SIGERICUS Visi-Gothorum in Hispan. Rex IV. à militibus, Ataulpho surrogatus est, A.C. 415. Sed ab iisdem, quòd ad pacem cum Romanis inclinaret, occisus septimò post mense. Prosper & Isidor *in Chron.*

SIGESTORIUM, vide SEGUSTERO.

SIGETUM, urbs munita Hungariæ inferioris intra paludes fluv. Almi hic stagnantis & indormientis, cum castro triplici, fossâ utrôque cincto. 10. mill. pass. à Dravo in Boream, 20. à Quinque Ecclesiis in Occidentem. Capta a Turcis 7. Sept. A. C. 1566. cum triduo ante mortuus esset Solimannus. Vide Thuan. *Hist. l.* 39. Aliter *Zigetium.*

SIGGER, fluv. Helvetiæ, qui in Vocetii montis apicibus ortus, postea in sinistrum Arulam se præcipitat, inter Salodorum & Vierlisbachium oppid. *Simlerus.*

SIGILLARIA, vicus Romæ, ubi *sigillaria* vendebantur. Gellius *l.* 5. *c.* 4. *Apud Sigillaria forte in librariâ ego & J. Paulus Poeta consideramus.*

SIGILLA vel SIGNA, dicuntur Vitruvio, *l.* 9. *c.* 6. quæ Suetonio in *Neron. c.* 56. *icuncula*, *Glossæ* Philoxeni *Sigillaria*, Græci Νευρόσπαστα, apud A. Gellium *l.* 14. *c.* 1. i. e. *nervis tracta*, sive *fidiculis mota*; vocant: Simulachra videl. sive statuæ cubitales palmaresve, humanam staturam præferentes, quarum vel singula vel universa membra certis nervis & fidiculis ita movebantur & trahebantur, ut vivere, moveri atque adeo obambulare viderentur, humanasque actiones ferè omnes, præter sermonem, repræsentarent. Ad hujusmodi Simulachra alludens Horat. ait *Satyr.* 7. *l.* 2. *v.* 81.

> *Tu, mihi qui imperitas, aliis servus miser, atque*
> *Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.*

Excogitata talia neurospasta, in Dionysii sacris in Ægypto, atque à mulieribus vicatim circumferri solita fuisse, tradit *in Euterpe* Herodot. Ἀντὶ δὲ φαλλῶν ἄλλα σφι ἐστὶ ἐξευρημένα ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαστα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας αἱ γυναῖκες. Meminit eorundem Lucian. *de Dea Syra*, ubi idem, quod de Ægyptiis modò monitum, apud Græcos quoque in usu fuisse scribens, icunculas è ligno fuisse ait, bene valatas, quæ turpitudo fuit sacerrimorum istorum Sacrorum. Quid hæc sibi voluerint, indigitat Arnob. *contra Gent. l.* 6. *Deos esse Sigillaria ipsa censetis*: & alibi *ibid. l.* ubi ea *Sigilliola* vocans, ait, *In Sigilliolis parvulis contrahere se Deos, & alieni ad corporis similitudinem coarctare.* Sed & extra Sacrorum usum, in conviviis adhibebantur, oblectationis ergò, & quidem pro ditioribus, argenteæ hæ figuræ erant, uti Petronius docet: *Potantibus ergo & accuratissimas nobis lautitias mirantibus, larvam argenteam attulit servus sic aptam, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cùm super mensam semel iterumque abjecisset & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret* &c. Qui ea conficiebant, & vulgo exhibebant, inde Νευροσπάσται dicti sunt, ut liquet ex Aristot. *de Mundo*, ubi elegans horum Simulachrorum descriptio additur, verba Appulejus sic reddit, *Etiam illi, qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quod agitari solet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad ministerium præstò erunt; nec invenustè totus videbitur vivere.* Hinc *ductus Sigillarius*, Tertullian. *advers. Valentin. c.* 18. *A qua occultè nihil sentiens, & velut sigillariò extrinsecus ductu, in omnem operationem movebatur.* Item *motus Sigillarius* eidem, *de Anima c.* 6. *Velut sigillariò motu superficiem intus agitante.* Sic & apud Imperatorem Marc. Antoninum *l.* 8. *de Seipso*, legimus, Σφονδύλια νευροσπαστούμενα, i. e. *Sigilla verticillis mota*: qui & sæpius verbô νευροσπαστεῖσθαι utitur, pro *motu alieno*, Neurospastorum more, non suâ sponte, *moveri.* Vide Jac. Oiselium JCtum *Notis in A. Gellium l.* 14. *c.* 1. & infrà *Sigillaria.* Cæterùm *Sigillum*, pro Annulo seu Gemma signatoria, frequenti in usu est: vel potiùs, pro *aposphragismate seu symbolo Gemmæ insculpto*, quemadmodum *Sphinge* Augustus, *Ranâ* Mæcenas, *Quadrigâ* Plinius Junior præcipuæ apud Trajanum auctoritatis, literas signâsse leguntur, Vide Fortun. Licetum *Gemmar. Annular. Schem.* 27 *c.* 114. Sic literæ rubrô *Sigillô* & sericô munitas conchæque sanguine pictas, proprias fuisse Imperatorum Constantinopolitan. legimus apud Nicetam Choniatem *de gestis Manuelis l.* 1. *ferè initio* & Georg. Logothetam *in Chron. Constantinop.* Vide quoque in voce *Bulla.* Nec non hic passim, ubi *de Annulo Signatorio, Sigillo Pensili, Signandi ritu* &c.

SIGILLA, in vestibus, ζώδια sunt, h. e. figuræ vel hominum vel bestiarum, aurô vel purpurâ expressæ: sicut *clavi*, Græcis σημεῖα, rotundæ vel quadratæ solùm, imaginem nullam exprimentes. Hinc ζωδιωτὰ, *sigillata. Hesychio*, ζωδιωτὸς χιτών, *sigillata tunica.* Sic occurrunt apud Pollionem, in *Herode*, *c.* 16. *Sigillata tentoria*; apud Athanasium *in Leone III. Vela sigillata*; apud eund. in *Paschali* & *Leone IV. Vestes sigillatæ*; Alibi; *Camisiæ sigillatæ*, In *l.* 11. *C. Theod. de Scen. Sigillata serica*, quorum usu mimabus ibi interdicitur, non minùs ac gemmis aut textis auratis &c. Qui verò istiusmodi figuras vestibus intexeret, *Sigillario.* Ζωδιοποιὸς dictus est, in *Gloss.* Sed & εἴδωλα hujusmodi sigilla vocat *Asterius*, ubi ἐσθῆτα καὶ μυρίοις εἰδώλοις πεποικιλμένην [illegible] φιλοτεχνῶν. *Amm. Marcellin. Species animalium multiformes*: *ut longioris fimbriæ tunicæ perspicuè luceant varietate liciorum, effigiata in species animalium multiformes.* Ζωωτὸς & ζωδιωτὸς idem erat, uti ex Polluce docet Salmas. *ad Pollionem*, ubi *supra.* Sic idem cum *sigillatis* fuerint *belluata*, de quibus vide quoque infra in voce *Signa*, item *Sigillio*

SIGILLARIA, festum apud Romanos, Ausonio *in Eclogar. v.* 32. *Festa Sigillorum* dictum, memoratur A. Gellio *l.* 2. *c.* 3. ubi *librum Æneidos secundum mirandæ vetustatis, emptum in Sigillariis XX. aureis, Fidum Optatum sibi ostendisse, scribit*: In quæ verba Anton. Thysius JCtus commentatus; illud *in Sigillariis*, exponit, *Festis Sigillarium diebus, quæ sequuntur Saturnalia.* De quibus ita Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 10. *extr. Saturnalia uno tantùm die, i. e. quartò decimo Kal.* (Januarii) *solita sunt celebrari: sed pòst in triduum propagata* Sigillariorum *adjecta celebritas, in septem dies discursum publicum & lætitiam religionis extendit. Nomen ex eo Sigillaribus, quòd ultro citroque sigilla sive imagunculas & munuscula alia missitarent.* Idem *c.* 11. originem eorum ex Epicado hanc tradit: *Epicadus refert, Herculem occisò Geryone, cum victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui tunc Sublicius dicebatur, ad tempus instructô, hominum simulachra, pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluvium demisisse, ut aquâ secundâ in mare devecta, pro corporibus defunctorum, veluti patriis sedibus redderentur; & inde usum talia simulachra fingendi inter sacra mansisse. Sed mihi*, inquit, *hujus rei illa origo verior existimatur, quam paulo antè memini retulisse, quod Pelasgi, postquam felicior interpretatio capita non viventium, sed pilula, & φωτὸς æstimationem non solùm hominem, sed etiam lumen significare docuisset, cœperunt Saturno cereos potiùs accendere: & in sacellum Ditis aræ Saturni cohærens oscilla quædam pro suis capitibus ferre. Ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus missitarentur &* Sigilla *arte fictili fingerentur ac venalia pararentur, quæ homines pro se atque suis piacula pro Dite Saturno facerent. Ideo Saturnalibus talis Commerciorum celebritas cœpta.* Inciderunt illa in 13. Kal Januar. Joh. Rosin. *Antiqq. Roman. l.* 14. *c.* 16. Vide quoque Senecam *Ep.* 12. Sueton. *in Claudio c.* 5. Spartian. *in Caracall. c.* 1. & *Hadriano*, *c.* 17. ut & Hadr. Turnebum *l.* 23. *c.* 28. qui putat per *Sigillaria* aliquando locum intelligi hôc nomine, ubi libri aliæque res promercales vænibant, adducens pro se Ausonium *ad Paulum, in Centon. Pro quo, si per Sigillaria in auctione veniret, neque Afranius naucì daret, nec Stichum suum Plautus offerret.* Et potuit locus inde *Sigillaria* dici, quòd Mercatores venalia certis locis habebant sigilla seu imagunculas aliaque munuscula, quæ sibi invicem missitabant. Vide Thysium *locô cit.*

SIGILLARICIUS Annulus, apud Vopisc. *in Aureliano*, *c.* 50. *Uxori & filiæ annulum* Sigillaricium, *quasi privatus, instituit*; idem cum *signatorio* est. Cujusmodi annulos *chirographos*, seu potiùs *cerographos*, h. e. *cerographos*, vocat Catullus, *Epigr.* 25. *v.* 7.

> *Remitte pallium mihi meum quod involâsti,*
> *Sudariumque Setabum cerographosque Thynos.*

Κηρογράφοι enim, quod *ceram pingit*, & charaxat, id quod annulorum sigillariciorum est proprium. *Thynos* addit, quia hi annuli ex politura Bithynica celebres erant ac nominati: Quam in rem vide suprà passim, imprimis ubi de *Annulis*, ut & in voce *Cyrographi*, infra quoque aliquid voce *Signa.*

SIGILLARIUS. in *Gloss.* ζωδιοποιὸς, qui *sigilla*, de quibus suprà, vestibus intexebat. Item qui *sigillaria* seu νευρόσπαστα venundabat, circulator. Vide iisdem suprà, & Jac. Cujacium *l.* 11. *c.* 30. Etiam *Custos sigilli*, apud Petr. Blesensem *Ep.* 131. *Cùm in Sicilia essent Sigillarius & Doctor Regis Gulielmi II. tum pueri.* Sic Walterus de Constantiis dicitur *Regis Angliæ Sigillarius*, apud Rad. de Diceto *A.* C. 1180. Vide quoque suprà, ubi de *Annulis.*

SIGILLATA Tentoria, apud Treb. Pollionem *in XXX. Tyrann. c.* 16. ubi Herodis, Zenobiâ geniti, luxum describit, quid sint, vide suprà in voce *Sigilla.*

SIGILLATORES, Græcè Σφραγισταὶ, dicebantur Ægyptiis Sacerdotes illi, qui victimas signabant. Cùm enim, ut ritè offerretur animal, non modò id *mundum*, sed & *immaculatum*, esse deberet, Sacerdos ad id constitutus, pecude cùm stante, tum resupinatâ, linguâ etiam exsertâ, victimam exquirebat: caudæ etiam pilos inspiciebat, an vel unum nigrum pilum (boves enim non nisi rufos immolabant Ægyptii) videret. Quòd si esset omnino munda, *notabat eam byblo cornibus alligatò: deinde terrâ sigillari applicatâ, annulum imprimebat, & sic abducebatur victima. Qui non sigillatam immolabat, morte puniebatur*, Herodot. *l.* 2. *c.* 38. Atque hi Sacerdotes inde *Sigillatores* appellati sunt. Servius ad illud Virgilii, *Æn. l.* 4. *v.* 57.

> —— *Lectas de more bidentes.*

De more, inquit, *scil. antiquo, omnibus noto*: i. e. *ne habeant caudam aculeatam; ne linguam fissam; ne aurem nigram.* Chæremon apud Porphyrium nævos à *Sigillatoribus* observari solitos exactiùs recensens, *boves fœminas, & marium quotquot gemelli aut maculosi, aut colores diversi, aut deformes, aut domiti* (utpote jam laboribus consecrati) *aut oculò privati, aut hominum* (vel Deorum suorum) *similitudinem ferentes*, ab iis rejectos ait: infinitas hujusmodi observationes, & propterea integros libros περὶ τῆς τέχνης τῶν καλουμένων Μοσχοσφραγιστῶν, *de illorum arte*, qui Victimarum Sigillatores vocarentur conscriptos esse, addens. Ἀποσφράγισμα *Sigilli* quodnam fuerit, docet Plutarchus, ex Castore, *Homo videl. in genua desidens, manibus post tergum revinctis, ense jugulo imminente, de Isid.* quò pactô sacri horrendi, ἀνθρωποθυσίας olim apud Ægyptios usitatæ, vestigium in victimarum sigillo mansisse videtur. Heliopoli sanè, Junoni Lucinæ quotidie homines tres, [illegible], καθάπερ οἱ [illegible] μόσχοι καὶ σφραγιζόμενοι, probabantur, non secus ac quasi

sti illi Vituli puri & Sigillati, mactari solitos, docet Manetho, apud Porphyr. *de Abstin. l. 2. §. 55.* donec Amosis Rex *Cereis victimis* substitutis, inhumanitatem illam, ita funditus exstirpavit, ut Herodotus eam nunquam in Ægypto viguisse crediderit *l. cit. c. 45.* quem Macrobius sequitur *Saturnal. l. 1. c. 7.* Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* XI. & *hic passim*.

SIGILLUM, cujus in *signandis* literis usus, aliud *privatum* est, quô vel homines privati, vel Principes in negotiis privatis, uti consuevêre, de quo vide Vopisc. *in Aureliano d. 1.* & Fletam *l. 2. c. 13. §. 1.* aliud publicum, hocque rursus vel *secretum*, vel *commune* seu authenticum. Et quidem *Sigillum secretum* vel *secreti* dictum est, quod literis, ut vocant, *clausis* apponebatur, sicque in secretioribus negotiis, Epistolis e. g. locum habuit. Neque tantum in privatis negotiis, sed & in publicis adhibebatur, vel à tergo authentici sigilli appositum, quod ideo *Contrasigillum* appellatum est, vel ab ipso suspensum. Nonnunquam vel ad pleniorem fidem, vel majus dilectionis argumentum eô solô publica negotia (sed minora, & maximè, cùm abesset majus) sigillata legimus. Erant autem *Sigilla* hujusmodi minoris formæ, quàm authentica, habebantque interdum impressa Militum insignia, vel familiarum affinium; interdum figuras quasdam exoticas, pro libitu, ut videre est apud Duchesnium, aliosque Stemmatographos. In Regum Franciæ *sigillo secreto*, insignium scutum unicô Angelô sustentatur. In Sigillis tamen Episcopalibus antiquitus non expressa fuisse insignia gentilitia, sed effigiem Episcopi *Pontificaliter induti, cum baculo pastorali & mitra*, docet, ex *c. 6. Decretal. de fid. Instrum.* Dominic. Macer. In *Pontificiis Rom.* D. Petrus cum navicula, instar piscatoris retia laxantis, effingitur; quod proin *Sigillum Piscatoris* nuncupatur &c. Custodia *sigilli* hujus, apud eosdem Reges, Magnum Cambellanum, eôque absente, primum Cambellanum, spectabat, qui illud in quodam pretioso marsupio asservare, eoque literas, quas *de prieres, d'estat, de responses & de mandemens à venir*, vocant, sigillare solitus est. Apud Byzantinos, infimi ævi Augustos, dignitas fuit, quam Παρακοιμώμενος τῆς σφενδόνης, appellabant, h. e. *Accubitorem palæ*; item quam Παρακοιμώμενος τοῦ κοιτῶνος, *Accubitorem cubiculi*, dicebant: quorum hic cubicul. Imperatoris; ille verò *Sigilli*, quô Imperator literas ad matrem, filios, Despotas, Patriarcham, alios, scriptas obsignabat, custos erat. Qua de re vide Car. du Fresne *Not. ad Villihardunum*. At *Sigillum Authenticum* & *Commune* dicebatur, cujus in publicis negotiis usus erat, & quæ omnibus paterent: unde diplomata eô munita *Literæ patentes* indigitari solent. Idem *Sigillum pensile*, seu *pendens*, quod σηρικῷ νήματι, *filô sericô*, diplomatibus soleat appendi. Et quidem primitus filô sericôque tabulis aureæ plumbeæque bullæ appositæ sunt, uti vidimus suô locô. Postmodum cerea perinde literis appendi cœpêre: quorum usum Guilielmum Nothum in Angliam invexisse, cùm antea crucem solùm gens effingeret, tradit Ingulphus *p. 901.* & Seldenus, qui ejusdem Wilhelmi sigillum descripsit, *ad Eadmerum p. 166.* Muniebantur autem pensilibus his sigillis diplomata, nullô appositô chirographô, adeoque omnem iis vim conferebant; unde typos ipsos sigillarios, ne in aliorum inciderent manus, summâ curâ asservare necesse erat. Sic scribit de Magistro Rogero Ricardi I. Angliæ Regis Vicecancellario, cùm circa Rhodum tempestate in mari periisset, *circa ejus collum suspensum Regis Sigillum, postea receptum fuisse*, *Bromptonus*. Nec aliâ fortè ratione Cancellarius Imperatoris, in solennibus præsertim ceremoniis, *majus sigillum* collo appensum gestare legitur, in *Bulla Aur.* Caroli IV. Imperatoris *c. 7. 23. §. 2.* In his porrò sigillis efformandis, varii coloris cera adhibita est. Apud Gallos, soli Regi flavæ usum competere, scribit *Tillius*. Viridis in sigillis regiis usus potissimus fuit in Diplomatibus, quæ vulgò *Chartres*, *Privileges* & *Remissions* dicuntur: hodie verò etiam flavâ cerâ sigillantur: Rubeam adhibent Universitates ac Communitates: albam, Milites S. Spiritus &c. In *Sigillis* verò effecti ferè semper Equites, quorum erant, si ex Militari essent ordine, tunicâ loricæ superinductâ, quod Joanne Rege in Anglia primùm obtinuisse, docet Dugdalus *in Antiqq. Warwic. Tempore Regis Joannis erant in sigillis dominorum tunicæ super loricis* —— *erant autem tunicæ longæ ad talos.* Adjuncta dein armorum insignia. Idem, *Circa annum* 1218. *Domini, qui in* sigillis —— *habebant equites armatos cum gladiis; nunc in dorso sigillorum arma sua posuerunt de novo in scutis.* Quod in Francia, post captum ab Anglis Joannem Regem similiter factitatum esse, circa A. C. 1366. apud eundem legas. Tunc primùm autem *sigillum* sibi asciscebant Viri nobiles, cùm suæ ætatis essent, h. e. postquam ætatis annum 22. attigêre, atque adeò Militare cingulum consecuti sunt. Solos enim Milites olim jus habuisse *Sigilli pensilis*, docet Duchesnius *in Histor. Castilion.* quod postmodum & ad Armigeros transiit, qui tamen, cùm in Milites allecti sunt, *sigilla* sua mutare sunt coacti, uti docet Car. du Fresne *in Gloss.* ubi plura hanc in rem. Vide quoque suprà ubi de *Annulis*, it. voce *Pastellus*: uti de *Sigillo*, quod à Patriarcha in Eccles. Græca fieri solet, in fine Trisagii, infrà.

SIGINDUNUM, Mysiæ superioris oppid. *Ptol.* quod *Niger Simedro* vocat. *Singidunum Antonino. Sigidinum* Zosimo *l. 3.*

SIGIPEDES, Scythiæ populi apud Treb. Pollionem in *Claudio*, *Denique Scytharum diversi populi, Peucini* —— Sigipedes, *Celtæ etiam & Heruli, prædæ cupiditate in Romanum solum* —— *venerunt* pro *Gipedes*, uti legi vult Salmas. h. e. Γήπαιδες, quemadmodum Græcis nominantur: de quibus id legitur, in Græcorum Commentariis, Γήπαιδες οἱ λεγόμενοι Λογγίβαρδοι, εἴτε Γέτωπαιδες οἱ Γετῶν παῖδες, *Gipedes dicti sunt Longobardi, quasi Getipedes, Getarum filii.* Corippo *Gypedes* vocantur, duabus syllabis brevibus, *l. 1.*

En Avares, Francique truces, Gypedesque Getæque.

Vide Salmas. *ad Pollionem d. l.*

SIGISMUNDUS, Imperator, Hungariæ & Bohemiæ Rex, ex familia Lucemburgica, fil. Caroli IV. frater Wenceslai Imperatorum. Ductâ Mariâ, filiâ Ludovici. I. Hungar. Regis regnum hoc pacavit, coronatus A. C. 1387. æt. 20. uxorem perdidit, A. C. 1392. A Bajazete Turcarum Imperatore licet Gallis sub Joh. Burgundo subnixus, ad Nicopolim, A. C. 1386. victus, diu Constantinopoli & in Rhodo, omnibus ignotus erravit: tandem captus à suis, amicorum ope A. C. 1401. restitutus est, Qui annô Ruperto Imperatori successit, postquam sibi ipsi, utpote Electorum unus, suffragatus esset. Schisma, post iter in Galliam, Angliam & Italiam, magnâ curâ, Constantiæ celebratô Conciliô sustulit: Reformationem tamen impetrare non potuit, licet vehementer, apud Petrum de Alliaco Cardinal. instaret, conjugia Clericorum, inter alia, strenuè urgens. Nihilominus, in Basileensi Concilio, liberiùs, quàm unquam in aliis, in auctoritatem potestatemque Pontificis inquisivit. Marchiam Brandeburg. cum Electorato, Friderico Burggravio Norimberg. Saxoniæque Electoratum Friderico Misniæ Marchioni contulit. Gonzagam, Mantuæ Marchionem creavit. A Johanne Zisca, Hussitarum, quos extinctum ibat, Duce, aditu in Bohemiam interclusus, sæpius victus, & quamvis tripartitô exercitu, ad 200000. secum trahens, accederet, Panicô quôdam terrore semel atque iterum fugatus: Posteà à Procopio Holy infestatus est, donec tandem libertate religionis permissâ, unô annô ante mortem in regnum est admissus. Æn. Sylv. *Hist. bohem. l. 56.* Connubium, cum Barbara, impudicissima fœmina, infaustum expertus, Znoimæ, in Moravia, obiit, A. C. 1437. ætat. 70. Formâ egregiâ, liberalis, magnanimus, literatorum Mæcenas, plurimarum linguarum peritus, in pace Princeps inclytus, sed bellô infelix. Ferreâ coronâ Mediolani cinctus, Romæ auream ab Eugenio IV. accepit. Crantz. Cochlæus, Dubravius, Bonfinius, Thurosius, Bapt. Egnatius, *in epit. Hist. Imp.*

SIGISMUNDUS, Burgundiæ Regis fil. Gundebaldi, patri successit. A. C. 516. Ab Arianismo, ope Alcimi Aviti Episcopi Viennensis conversus, magnam curam rebus sacris impendit: Pater, ex Ostrogota, filia Theodorici, Gothorum in Italia Regis Sigerici, quem, novercæ impulsu, innocentem strangulari jussit: quod crimen paulo pòst multis lachrymis prosequutus est. Posteà, Clodomirus, fil. Clodovei M. junctis fratribus suis, Sigismundum vicit, captumque Aureliani, cum uxore & liberis in puteum præcipitatos necavit. A. C. 523. Gregor. Turonens. Usuardus, *vita S. Sigismundi*, *Duchesnius*, &c.

SIGISMUNDUS I. Magnus, Poloniæ Rex, fil. Casimiri II. frater Johannis Alberti Alexandri, Regum, quorum ille A. C. 1501. hic A. C. 1506. obiit; successit, jam rebus plurimis præclarè gestis inclytus, an. ætat. 40. Rex vicit Moscos, totâque expulit Lithuaniâ, A. C. 1519. fines Imperii extendit, decus principum seculi sui: Obiit A. C. 1548. ætat. 80. Cromer. *Histor. Polon.* Salomon Neugebauer. *in Hist. Pol.* Jodocus Ludovicus Decius & Bernardus Vapovius *in Sigismund.*

SIGISMUNDUS II. Augustus, vivente patre Sigismundô I. coronatus, post obitum patris, jam prius uxore Elisabethâ Austriacâ orbatus, duxit Barbaram Radiviliam, filiam Georgii Castellani Vilnensis, viduamque Stanislai Castoldi, Palatini Trocensis: Unde Procerum murmur & turbæ, quibus pacatis, hac mortuâ, Catharinam Ferdinandi I. Imperatoris filiam sibi junxit. Consiliariorum aliquot, inter quos Joh. Funccius, ex concionatore aulicus minister, suppliciô affecit: Succos in Livonia, Moscos ad Sitinium lacum, &c. vicit. Dantiscanis iratus, portorii dimidiam partem iis ademit, causasque majoris momenti, ad Senatum regni transtulit. Obiit; ex Jagellonica familia ultimus, A. C. 1572. ætat. 52. regni 25. Successit Henricus Dux Andium. Neugebauer. *Hist. Pol.*

SIGISMUNDUS III. fil. Johannis III. Sueciæ Regis, ex Catharina, filia Sigismundi I. natus A. C. 1566. à Polonis, exclusô Maximilianô Archiepiscopô in regnum accitus, A. C. 1587. mortuo Patre, etiam Sueciæ regnum adiit, coronatus, A. C. 1594. quô tamen, quòd intempestivè religionem ibi jam stabilitam evellere conaretur, a Carolo Sudermanniæ Principe, patruo suo, exutus est. Livoniam amissam fortissimè recuperavit, Moscos Smolensko, post biennii obsidionem, depulit, illosque Vladislaum fil. in M. Ducem eligere coëgit. Obiit A. C. 1632. regni 45. Maritus duarum sororum, Annæ & Constantiæ Austriac. Pater verò Ladislai Sigismundi & Johannis Casimiri, qui ambo Mariam Gonzagam uxorem habuerunt, familiâ haud pridem totâ extinctâ.

Joh. *Sigismundus*, Joach. Friderici Electoris Brandeb. fil. ab Avo Joh. Georgio educatus, dein cum fratre Joh. Georgio cognomine *Juniore*, missus Argentinam, A. C. 1588. post Avi mortem, Zechliniensem præfecturam accepit: Inde cum Patruis, ob ditiones Franconicas, Patre consentiente, transegit. In itinere Borussico cùm esset A. C. 1608. Patris perceptô obitu, Vicarium dixit Adamum Gans Baron. Putlizium, & præter successionem Electoratus, etiam Curatelam Borussicam obtinuit. Possessionem Juliacensium ditionum, quas à conjuge Anna fil. Alberti Friderici Brandeburgici Ducis Borussiæ, & Mariæ Eleonoræ Ducis Juliac. sibi vindicabat, sumpsit, A. C. 1609. ac sequenti annô Unioni nomen dedit. Comitia Ratisponensia per Legatos obivit A. C. 1613. ut & Diætam Electivam utramque, quâ Matthias & Ferdinandus electi. Inde A. C. 1614. Reformatis accedens, in doctrina & ceremoniis Reformationem instituit, factô initiô à Templo SS. Trinitatis Coloniæ; vulgata etiam Confessionis formulâ. Demum, cùm alterum seculum Electoralis dignitatis in sua familia continuatæ celebrâsset, annô *Iohann sIgMVnD CVrfVrst*, i. e. 1617. aliquandiu etiam ex apoplexia paralyticus decubuisset; tradidit Filio paucis ante obitum septimanis Electoratum, A. C. 1619. Pater præter Georgium Wilhelmum successorem, Joachimi *Sigismundi*, Magistri Ordinis Johannitici, minoris natu, qui obiit A. C. 1625. Fuit & *Sigismundus* frater Joh. Georgii Elect. præfati, doctorum summus Fautor: qui fratri Friderico A. C. 1552. extincto, in Magdeburgensi & Hal-

Halberstadiensi sedibus suffectus, A.C. 1553. ritus Pontificios antiquavit, defunctus A. C. 1566. Idem nomen uni quoque fuit ex modo laudati Joh. Georgii filiis, qui sub Spinola in Belgio copias duxit.

SIGISMUNDUS, fil. major natu Henrici cognomine *Patris Patriæ* Ducis Sagano-Glogovii, frater Henrici, obiit A.C. 1458. Item fil. minor natu Joh. Christiani Ducis Brigensis, ex altera conjuge Hedvige Sitschia, Baronis Lignicii tituló insignis, defunctus est A. C. 1665. Frater Augusti vel Augustini Comitis Lignicii, quem Gregorius Wilhelmus. ex tota gente Piastea ultimus, ultimis precibus (obiit enim A. C. 1676.) Imperatori sollicitè commendavit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Famil. Brandeburg.* & *Piastea*.

SIGISMUNDUS Rakocius, Transylvaniæ Princeps, electus est, A.C. 1606. post defunctum Botskajum, invitus: interim in pace præfuit, Matthiæ Hungar. Regi & Achmeti Ottomano æquè gratus. Cessit sponte Gabrieli Bathorio. A. C. 1608.

SIGISMUNDUS Gelenius, Bohemus, vertit A. C. 1540. Josephum, Justinum Martyrem, Dionysium Halicarn. Philonem, Appianum &c. Thuan. *Hist. l. 3.*

SIGISMUNDUS Gossenbrot, Benedictinus. Condidit Chronicon Augustanum, A. C. 1483. à Joh. Pistorio, inter auctores Histor. German. editum.

SIGISMUNDUS Malatesta, Arimini Dominus, Philosophus, Historicus & Bellator egregius: sed quòd immortalitatem negaret animæ, & ditiones Pontificias crudeliter vastaret, à Pio II. excommunicatus est, A. C. 1462. interim ad frugem rediit, expeditione contra Turcas susceptâ. Pius II. nomine Gobelini, *in Comment.*

SIGISTANIA, provinc. Persiæ, in parte Orientali versus confinia Indiæ, ubi aliàs pars Drangianæ, versus montes. Ibi Sistanum seu Sigistanum, *Sistan*, urbs præcipua ad Ilmenum fluv.

SIGIUS, mons Galliæ Narbonensis, à quo sinus Galliæ incipit, *Setium Ptol.* & *Avieno. Capo de set Clusio.* Vide *Setius mons.*

SIGLA, vel SIGLÆ, per syncopen pro *Sigillæ*, subintellige *Literæ*, memorantur in Papiæ *Glossario.* Dicebantur autem sic compendia literarum, cùm una vel duæ literæ pro integra voce, pluribus literis constante, ponebantur: Unde *Festus, Notæ erant literæ, sed singulæ, vel binæ.* Cic. *pro Muræna, singulas literas*; Gell. *l. 17. c. 9. singularias*, vocant. Tales, cùm literarum initiô scribitur S. pro *Salutem*: vel *S. P. D.* pro, *salutem plurimam dicit.* Item *S. V. B. E. E. Q. V.* h. e. *Si vales bene est, ego quoque valeo* &c. Quanquam in his, ob consuetudinem, res minùs obscura: occultior in aliis, quæ tradunt Valerius Probus, qui Hadriani, Cæs. ætate floruit & Petrus Diaconus, qui sua dicavit Conrado I. Imperatori. Origo earum, ut & Notarum, de quibus suprà, inde est, quòd, postquam Academici Lectiones suas, ἀκροάσεις appellatas Gell. *l. 2. c. 22.* & *l. 20. c. 4.* dictare cœpissent, teste Appulejô *Florid.* celeriùs vox Doctoris præcederet, quàm ut integrè scribendo Discipuli eum assequi possent: Itaque ad hoc artificium conversi sunt, primusque Xenophon quæ dicebantur, hôc modô excepta, in publicum edidit, apud Laërt. *l. 2. in ejus vita.* Vide Georg. Hornium *Histor. Philos. l. 7. c. 11.* Inprimis autem Jurisconsulti, in exscribendis Legibus, uti *Siglis* solebant. Unde Manilius *l. 4. Astron.*

Hic etiam Legum tabulas & condita jura
Noverit, atque notis levibus pendentia verba,
Et licitum sciet & vetitum quæ pœna sequatur.

Cùm verò hinc sæpe error obveniret, quia unica litera plurium crebro rerum erat signum; jussit Justinianus Imperator ut vocabulis integris, non *Siglis*, porrò scriberetur. Vide verba ejus *l. 1. Cod. Theodos. tit. 17. de vet. jure enucl. leg. 1. & tit. eod. l. 2.* Atque ut is è Latinis Juris codicib. *Siglas* sustulit: ita in Græcis libris idem fecit Basilius Imperator uti testatur Cedrenus *p. 467.* Quàm antiqua autem hæc scribendi fuerit ratio, illud Ciceronis *pro Muræna* ostendit: *Irati Jurisconsulti, ne dierum ratione pervulgatâ & cognitâ, sine sua ope posset lege agi, notas quasdam composuerunt, ut ipsi omnibus rebus interessent.* E quibus Jureconsultos veteres *Siglarum* Inventores fuisse arguas: Aliàs Notas pressè dictas à *Siglis* distingui notum, cùm hæ literis constent, illæ secus. Scripsit de *Siglis* libellum Mango, ad Carolum Regem quem his ei dedicavit versiculis,

Hæc juris σημεῖα lubens Rex accipe Carle,
Offert devotus quæ tibi Mango tuus.

Ubi σημεῖον vox haud aliter sumitur, ac à Tullio *l. 13. ad Attic. Ep. 32. Quod ad te de legatis scripsi, parum, credo, intellexisti, quia διὰ σημείων scripsi.* Ut & à Plutarcho *in Catone* & *Cicerone*, ubi vocat σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. Ubi quidem plerique Notas intelligunt, quæ literæ non sunt, quales tradidêre Tyro & Seneca. Sed sperare potuit Cicero, Atticum, quâ ingenii acie esset, ex primoribus literis collecturum de vocibus integris: at non potuit putare, divinaturum id ex incognitis istiusmodi signis. Nec Mango aliud docet, quàm literas initiales pro integris vocibus positas: uti nec alter ille, cujus Juridicas Notas ex veterib. membranis, in corpore Grammaticorum veter. habemus. Gerh. Joh. Vossius *de Arte Gramm. l. 1. c. 40.* Vide quoque infrà *Tachygraphia.*

SIGMA, ex literæ forma, dictum est Stibadium olim, seu trium lectorum coagmentatio, ut inter alios eruditè declarat Petrus Ciacconius *de Triclinio*: Quemadmodum *Porticum semirotundam ex similitudine fabricæ*, Sigma *Græcô vocabulô nuncupari*, legimus *in Libello de regionibus Urbis Constantinop.* Ubi cùm Adolphus Mekerchus, Fulv. Ursinus, Guil. Bailius, ipse præfatus Ciacconius, Alii, velint hanc literam, ob figuram ἡμικύκλιον arcui Scythico comparari, ut & apud Agathonem Tragicum *in Telepho*, falli eos dicit Vossius, cum figura hæc semiorbicularis C. arcui vulgari; vulgaris figura Σ. arcui *Scythico* similis sit, ut observatum Lipsio *de pronunc. LL.* & Scaligero *ad Euseb.* Thomas Dempsterus *in Rosini Antiquit. Rom. l. 5. c. 26.* mensas Romanas figuras *Sigmatis* retulisse, & cùm Veter. quadratas primùm, dein rotundas habuissent mensas, Romanos eas dimidiatæ Lunæ effigie fabricâsse, ἡμικύκλια quoque dictas, ostendit, ex Jul. Polluce *Onomast. l. 5. c. 1.* Ἀσκοὶ, σκίμποδες, ἡμικύκλια, κλιντήρια, χαμεύνια, *Scamna, thori, semicirculi (i. e. Sigmata) recubitoria, humi strata.* Hinc Petr. Ravennas *Serm. 29. Discumbebat Deus, plus in Matthæi mente, quàm Sigmate*: & Sidon. Apollinaris *l. 2. Ep. 2. ita ut ministeriorum se non impediente famulatu tot posset recipere sellas, quot* Sigma *capit personas.* Quot autem ceperit, indigitat Martial. *l. 10. Epigr. 48. v. 5.*

Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis
Septem Sigma *capit, sex sumus, adde Lupum,*

Idem *l. 14. Epigr. 87.*

Accipe Lunatâ scriptum testudine Sigma
Octo capit: veniat, quisquis amicus erit.

In quæ verba sic Salmas. *Postquam*, inquit, *Triclinia ab usu recesserunt; & pro Tricliniis* Accubita *&* Stibadia *dici captre, quorum figura semicircularis erat, atque inde* Sigma *nomen invenit; totam mensam non circumdabant, sed spatium in ea parte relinquebant, quâ circulus deficiebat, ad inferenda scil. fercula* &c. Et iterum, *Triclinium ergo erant tres lecti divisi & separati:* Sigma *vero unus perpetuus lectus, semirotundus, quod* Stibadium *&* Accubitum *dixere. Triclinium omnibus mensis poterat, Sigma vel Stibadium non item; nec enim minus Sigma majori mensæ, nec majus minori coaptari poterat. Secundum ergo mensarum magnitudinem quærenda erant parva aut magna stibadia, quæ à numero convivarum vel octaclina vel hexaclina dicebantur.* Unde colligas Dempsterum Stibadium cum Mensa confudisse. Ad ejus extrema cornua honoratiores convivas fuisse collocatos, discimus ex Gregorio Turonensi *de Mirac. l. 1. c. 80. Discumbentibus autem ad convivium, Vir ille cum Presbytero dextræ partis cornu occupat, Catholicum ad sinistrum statuens*: & Sidonio Apollin. *l. 1. Ep. 11. Primus jacebat cornu sinister Consul ordinarius Severinus.* Quibus clariùs rem exprimens Juvencus *Sacr. Carm. l. 3.* sic ait,

Si vos quisque vocat, cœnæ convivia ponat;
Cornibus in summis devitet ponere membra,
Quisque sapit, veniat forsan si nobilis alter,
Turpiter eximiò cogetur cedere cornu.

In medio reliqui dispositi erant. Paulinus *de vita Martini l. 1.*

Hos intermedius, quà Sigma flectitur orbe,
Presbyter accubuit.

Ornabantur verò hæc *Sigmata* eôdem taperum apparatu, quô Scenæ Theatrorum solebant instrui, scil. initiô pellibus ferarum, deinde & byssinô peristromate &c. Vide Thom. Dempster. *loc. cit.* Fulv. Ursinum *Append. de Triclin.* ubi, inter alia, quàm altum *Sigma* fuerit, docet, Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, ubi ex antiqua *Sigmatis* scalptura, quæ Romæ trans Tiberim visitur, è regione ædis D. Chrysogoni, quamque præfatus Ursinus primus edidit, ejus iconem Lectori antiquitatis avido exhibet; Salmas. iterum *ad Lamprid. in Heliogabalo, c. 25.* & Casaubon. *ad eund.* quorum hic ad verba illa, *Primus* (Heliogabalus) *invenit sigma insternere, non in lectulis, ut à pedibus utres per pueros ad repandum spiritum solverentur*, varia hanc in rem adjicit. De litera verò *Sigma*, equis olim inuri solita, diximus suprà in voce *Samphoræ.*

SIGMANUS, melius *Igmanus*, amnis Aquitaniæ veræ, vulgò *Leyre*; in Sinum parvum Arcassonium cadit, prope Bojos, 7. leuc. à Burdegala in Occasum.

SIGMARINGA, nomen castri, in Suevia, sub proprio Comite, ex Familia Zollerensi. Et quidem ex Danckonis, qui arcem Zolleranam tenuit, circa A. C. 829. fratre Gotbaldô, Comites Saulgaviæ, *Sigmaringæ*, Landenbergæ & Pfullendorfii, non incelebres, & affinitatibus illustres, deducuntur. In Danckonis linea, Seculô XIII. in Eitelfriderici & Elisabethæ Habspurgicæ, quæ Rudolphi I. Imperatoris soror fuit, filiis, Friderico & Eitelfriderico, capitales rami in diversum abierunt. Ille pater Burggraviorum Norimbergensium & sic Marchionum Brandeburgicorum, hic avitô titulô *Zollerensium*, sator fuit, qui in Principum gradum haud pridem erecti in *Hechingensem* & *Sigmaringensem* lineam hodie dispescuntur. Nempe Caroli A. C. 1576. extincti filius Eitelfridericus, priorem: Carolus verò secundogenitus posteriorem, ex se dedit. Junctus enim hic Euphrosynæ Oetingensi, genuit Joannem, *Principis* axiomate ornatum, qui decessit A. C. 1638. pater, ex Joanna agnata, Mainradi (cui nupsit Anna Maria filia Ferdinandi Comitis Torringensis, unde plures liberi) Sibylla (quæ primò Georgio Wilhelmo Comiti Helfensteinio, dein Ernesto Bennoni Comiti Wartenbergio juncta est) & Mariæ (cui maritus obtigit Paulus Andreas Comes Wolckenstenius, & post ejus obitum Georg. Rudolfus Baro *de Haslang*) qui omnes *Principes & Comites de Hohenzollern, in Sigmaringen.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Part. 2. p. 25.* & in voce *Zolernum.*

SIGMATICUS Torques, vide suprà *Armiger.*

SIGNA, & Statuæ, similitudines sunt è solida materia, auro, argento, ære, marmore & ebore: Interim trifariam differunt. Nam *Signum* latius patet, quia vel Dei est vel hominis vel brutorum: Statua autem vel Numinis est, vel hominis. Præterea Statuam dixére Romani, quam in Foro conspicerent: *Signa* verò vel in ædibus privatis, vel in Templis. Ad hæc, *Signa* quandoque eidem inhærent materiæ, è qua sunt educta: ut quando rana, aut locusta exprimitur in spiris columnæ, vel cùm in gemmis aliquid insculpitur: Statuæ verò nunquam in cavo latent, sed ab ea materia, unde educitur, sunt disjunctæ, ac separatæ, Voss. *de Philosophia* c. 16. § 31. Vide quoque Aldum Manutium Nepotem *de Quæsitis per Epist.* Cicero *Signa* & *Sigilla* vocat cælaturas, quæ pateris & patellis, aliisque vasis includebantur & incrustabantur, Græcis [illegible], quorum alia [illegible] sive [illegible], *quæ tota* [illegible], alia [illegible], *sic ut velut adfixa unum tantum latus ostenderent*, fingebantur, *Virg. 8. Patella grandis cum sigillis & simulachris* [illegible] &c. Et quidem *signa* ac sigilla extantia, *emblemata* idem vocat, poterantque de poculis ac vasis revelli & aliis rursus illegari; sicut crustæ, quibus prostypa operiebantur, etiam exempiles erant: qua de re jam diximus suprà, ubi de *Calatura* alibique passim. Ægyptiorum *Signa* hieroglyphica, sive, ut vox hæc sonat, *Sacræ sculpturæ*, animalium erant mutarumque rerum figuræ, quas Sacerdotes in sacris adhibebant, ne à vulgo intelligerentur. Claudian. l. 1. *in Ruffinum*, v. 149.

> —— *Nec quid Signa sagacis*
> *Ægypti valeant.*

Hæc ante papyri usum, saxis insculpebant, uti Lucan. docet *l.* 3. scripsitque hoc pactô Horapollo Niliacus, circa tempora Theodosii Imperatoris cui adde tabulam antiquam æneam hieroglyphicis literis cælatam & eruditè explanatam, à Laur. Pignorio. Vide Voss. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 41. Georg Hornium *Hist. Eccles. l.* 7. *c.* 6. *ubi veter. morem Philosophiæ rerumque divinarum arcana per signa istiusmodi obscura ac ænigmatica tradendi, multis persequitur*, & in voce *Hieroglyphica*. Sed & *Sigilla* ac *signa* de Vestibus dicta sunt, uti vidimus suprà. Porrò *Signa*, pro vexillis, occurrunt apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 33. *Milites, quos ostensionales vocant; non pretiosis --- vestibus ornabat: nec multum in* Signa, *aut ad apparatum regium, auri serici-que deputabat.* Hæc maximi ponderis fuisse, docet Casaubon. *ad Aug. Suetonii c.* 10. [illegible] appellat Herodianus. Eorum enim non in bello solum, sed & festis diebus, in pompis ac solennibus processibus, Imperatoribus præferebantur, multô aurô argentôque aliàs radiantia. Solebant autem erecta præferri lætis rebus, unde Pertinacem, antequam de Imperio certus esset, non passum esse ignem sibi anteferri, nec vexilla Imperialia tolli, legimus apud Herodianum *l.* 2. *c.* 3. At in luctu, supina præferebantur. Spartian. *in Severo c.* 7. *Inde in Palatium --- processit, præeuntibus signis, quæ Prætorianis ademerat, supinis* (seu versis) *non erectis.* Neque verò *signa* solùm vexillaque, sed & prælationem ignis, reliquumque regium apparatum, modò [illegible], modò [illegible] vocat Herodian. qua de re vide Salmas. *ad Lamprid. d. l.* uti de phrasi, *Signa convertere*, item *convellere*, ac *submittere*, Gronov. *ad Liv. l.* 3. *c.* 54. Aliud est *Signum Reip.* apud Sueton. *Aug. c.* 94. *Demoria* scil. [illegible], quâ Diplomata aliaque *signare* solita Reip nomine, ut videre est apud Casaubon. *ad loc.* ubi & de more Principum annulos signatorios in morte dandi iis, quibus plurimùm vellent, quædam. Ut aliquid addam, de *Signi* notione generali; Reverentiæ ac honoris *Signa*, pro Gentium ingenio, variant. Apud Romanos olim, *verò potentissimi nominis viris, via decedebant, assurgebant, capita revelabant, vehiculoque desiliebant, tum deinde salutabant acclines*, ut loquitur Arnob. *adv. Gentes l.* 7. Sic Seneca Ep. 64. *Si Consulem videro aut Prætorem*, [illegible] *habere solet, faciam; equô desiliam, caput adaperiam*, [illegible]. Et quidem equô desiliendi ritus sic habuit: Equô vecti [illegible] auctoritatis aut nominis obviàm fieret, non modò equum sustinebant, cursumque cohibebant, verùm etiam in pedes desiliebant, & quam equo verberando virgam gestabant, eam in manum transferebant lævam, ita porrò expeditâ dextrâ adibant, atque osculabantur mutuò, uti ex Apuleji *Floridis l.* 4. docet God. Stewech. *Quæstionib. ad eum.* Apud alios olim hodieque alia. Alicubi enim ad testandam venerationem, caput contectum inclinant: aliis, apertô capite, totum incurvantibus corpus. Alii osculum manui imprimunt, de quo usu vide Pithœum *Adversar. l.* 1. *c.* 7. Sinenses, fronte humum feriunt, caput autem aperire nefas habent, nec nisi iis, qui ad supplicium rapiuntur, id retegunt. Unde, qui ex eis fidem Christianam suscepére, cum tantùm caput aperiunt, cùm Sacramenti participes fieri cupiunt, ut hôc ritu peccatores se fateantur. Japonenses pedem calceô exuunt. At, Romani quoque jam olim, ut vidimus cum tecti occurrerent viro honorato, capita aperiebant: Namque Sullam erga Pompejum id solum fecisse, Sallustius *in Fragm.* & Plut. *in Causis* docent. Quem ritum, utpote venerationi testandæ aptissimum, hodieque Europæi servant. Vide Lipsium *Electis l.* 1. *c.* 23. Solerium *de Pileo sect.* 5. ut & infra.

SIGNANDI ritus, apud Veteres varius fuit. Cerâ in *obsignandis* literis ac testamentis utebantur, nempe tabellas chartasque linô obligantes, postea annulô [illegible] imprimebant ceræ. Unde Chrysalus apud Plautum *Bacchidibus Actu* 4. *Sc.* 4. v. 64. ad literas scribendas *signandasque* afferri jubet,

> —— *Stylum, ceram, & tabellas & linum* ——

Quibus jam exaratis, sed necdum *signatis*, additur v. 96.

> *Cedò tu ceram ac linum actutùm, age obliga, obsigna citò.*

Quòd si proin Adversarium literis convincere vellent, signum inspiciendum dabant, prius quam linum inciderant atque ita aperirent, ut liquet ex *Curculione Actu* 3. *Scen. Beatus, Bacchid. Act.* 4. *Sc.* 6. & *Pseudolo Act.* 4. *Sc.* 2. Unde Cicero *in Catil. ostendi tabellas*, inquit, *Lentulo & quæsivi, cognosceret signum.* Pro cera autem Asiatici adhibebant cretam, quam propterea Herodotus *in Euterpe* vocat [illegible]; meminitque consuetudinis ejus Cicero *pro Val. Flacco.* Interim mos ille annulô, in creta cerave, *signum* imprimendi, tardè obtinuit apud plerasque Orientis ipsius gentes. Nam Plinii est *l.* 33. *c.* 1. *Non signat Oriens aut Ægyptus, etiam nunc literis contenta solis.* Hebræis tamen mos ille pervetus, ut arguit annulus Thamari à Juda datus pignori, quemadmodum est Gen. c. 38. v. 18. & *seqq.* Nam *signatorium* fuisse, communis opinio est. Et quidquid de Ægypto fuit, ex quo Ptolemæorum passa est imperium, tamen jam temporibus Patriarcharum, si non vulgus, saltem Reges annulis usos esse *signatoriis*, arguit Gen. c. 41. v. 42. ubi Pharao Josepho annulum suum dedisse, legitur: Eô enim auctoritatem illi tribuit, regias ut *signaret* literas: tanquam Regni Cancellario. Quod verò ad Græcos veter. Lacones inprimis; hi quidem in cera *signavere*, sed non annulô; utpote sculpendi cælandique arte adhuc ignorantes verùm [illegible] sive [illegible], h. e. [illegible], *ligno à vermibus corroso*, ubi sine dubio punctorum numerus, magnitudo & situs pro signo erant. Vocat istiusmodi signaculum [illegible] *Lycophron*, meminitque ejus *Hesychius*, ut & Etymologici Auctor ac Eustathius *Odyss. α.* Vide quoque *Suidam* & Aristophanem [illegible]. Porrò, in censendis etiam scriptis solebant olim Critici ceris annotare *Signa* quædam judicii sui, de quibus suprà. Admiscebant verò ceræ [illegible] seu *rubricam* [illegible]; quô & aliàs ob ornatum usi. Cicer. *l.* 16. *ad Attic. Ep.* 11. [illegible] *opus ubi approbari lætor, ex quo* [illegible] (flores) *ipsa posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuô judiciô: cerulas enim tuas miniatulas extimescebam.* Sic Democritus etiam in opere suo, quod [illegible] inscripsit, istis quæ [illegible] viderentur, verissima tamen esse experientiâ didicisset, notam è cera annulô suô *signatam* adfixisse legitur: quas ceras istas propterea vocatas esse [illegible], auctor est Hesychius. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 91. Præterea, ædes, scrinia, & quæcunque claudebantur, obsignari moris fuisse, innuit Lycophron *Cassandra*.

> [illegible]
> *Lumacia vermiculata claudendæ domus*
> *Servabit alias.*

Unde Aristoteles [illegible]. Plautus in *Casina, Actu* 2. *sc.* 1. v. 1.

> *Obsignate cellas, referte annulum ad me.*

Theodoretus *de Provid. Dei Orat.* 5. [illegible]. Appulejus *Apolog.* *Quanquam ipse aperiret penè quotidie & clauderet: sæpe nobiscum, multo sæpius solus intraret, linteum in mensa positum cerneret, sine ullo sigillo, sine vinculo.* Et paulo post, *Quod conditum cumque quod obsignatum, quod inclusum domi adservatur, id omne argumento Magicum dicetur.* Corn. Tacit. *Annal. lib.* 2. *c.* 2. *Irridebantur & Græci comites, & cuncta utensilium annulo clausa.* Quod factum inprimis esse, ante repertum clavium usum suggerit Eustath. Od. θ. v. 447. ad verba,

> —— [illegible]

annotans, antiquissimum morem fuisse, [illegible]: *Nodumque Ulyssis* propterea Proverbialiter usurpari posse [illegible]. In Sacris, legimus foveam Leonum, in quam innocens conjectus erat Daniel Propheta, *allatô lapide ac impositô super os foveæ, annulô Regis & annulô Procerum ejus, obsignatam fuisse*, Danielis c. 6. v. 18. Similiter, CHRISTI sepulchrum, obsignato lapide, munitum fuisse, docet Matthæus c. 27. v. *ult.* &c. Quam in rem pluscula prædiximus, ubi de *Annulis*, item in voce *Obsignatores*. De *ritu victimas signandi*, vide itidem suprà *Inter hos, Oryx, Ovium nota.* Apud Papinium Statium l. 4. *Sylv.* 8. v. 40.

> —— *Signare diem* ——

est eum Musis addicere, ut solennis esset anniversariô cantu, eximere illum communibus festis, albô eum calculô notare: Vide Barthium *ad l. Signare* verò absolutè positum, apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores, est *signum crucis* (quod *signaculum* quoque simpliciter, item *signum Christi*, vocant) effingere, *districtis duobus digitis, & pollice intus recluso*, uti habet Leo IV. *de Cura Pastor.* quô SS. Trinitatem innui dicunt. Item *signum crucis*, ad peregrinationes vel expeditiones Hierosolymitanas, vestibus assuere. Unde *Signati*, in *Capitulari* 3. *A.* C. 803. *c.* 24. *Capit. Append.* 2. § 15. De signatis, *qui mentiendo vadunt*: Carolo du Fresne sunt ii, qui Cathechumeni per signum crucis, quô in frontibus signabantur, facti, à consilio Christianæ religionis amplectendæ, recedebant atque ad vomitum revertebantur &c. Et *Crucesignati*, de quibus suô locô.

SIGNATORES, vocati sunt apud Romanos, qui, veluti testes, pacta doralia *signare* solebant. Dote enim dictâ, *signabantur* pacta dotalia, M. Fab. Quintilian. *l.* 5. *c.* 11. *Nihil obstat, quo minùs justum matrimonium sit mente coëuntium, etiamsi tabulæ signatæ non fuerint.* Unde Juvenalis *Sat.* 2. v. 118.

> *Signatæ tabulæ, dictum feliciter.*

Quod antequam fieret, die pactis scribendis dictâ, uterque Sponsus & Sponsa, Auspices consulebat, qui nocte præcedente, & sub Auroram, auguriis dabant operam. *Vetus Inscr: Cos. Aug. Pub. Claudio. Quæs. Ær. Antoninam. Voluniam. Virginem. volent. Auspic. à parentibus. suis. coëmit. &. IIII. fac. in. domum. dux.* Tacit. *Annal. l.* 11. *Inter auspices ubentium dos consignabatur.* Proin & Juvenal. *Auspicum* simul ac *Signatorum* meminit, *Satyr.* 10. v. 336.

—— *Veniet*

— *Veniet cum Signatoribus Auspex.*

Vide Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l. 2. Sect. 2. c. 20.* & Dempster. *in Rosin. l. 5. c. 37.* Græcè Σημαντῆρες, item Σφραγισταὶ dicti sunt. Vide quoque suprà *Obsignatores*, ut & Salmas. *de modo Usurar. c. 11.* & Carol. du Fresne in voce *Signum*: è quo hoc unum addo, Veteres in obsignandis Testamentis priùs subscripsisse, antequam ea clausô linô circumductô obsignarent; recentiores verò signâsse, antequam subscriberent: sed & nonnunquam solam subscriptionem apponi, ac vice *signi* notam, quam hodie *Parafum* Galli vocent, manu propria describi consuevisse &c.

SIGNATURA Gratiæ, & Justitiæ in Curia Pontific. Vide suprà Referendarius.

SIGNATUS Manu, apud Gregorium M. *in Ep. l. 1 ep. 61. In qua lege subjectum est, ut nulli, qui manu signatus est, converti liceat*: miles est Imperialis Dominico Macro, qui hujusmodi milites stigmate in manu signati solitos, ait, huc que trahit illud Pauli Galat. c. 6. 17. *Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Ad quæ verba Anselmus, *Stigmata*, inquit, *vocabantur, signa quædam, quæ in manibus fiebant militum, per quæ recognoscebantur esse de militia Romani Imperatoris.* Adeoque his verbis vult protestatum, se *Jesu servum ac militem.* Sed & Fabricenses, i. e. arma bellica fabricantes, Custodes item aquarum, *signa* olim in manibus tulisse, liquet ex Gregorio M. *lib. 5. in. 11. c. 12. in sext. Ex stigmate namque consueto Fabricensibus imprimi, latitans Fabricensis agnoscitur. Et Custodes aquarum (quos Hydrophylacas nominant) quos infigi solent annotatione signati.* Vide utrumque Macrum in *Hierolexico.* In Sacris quoque *signandi in manu* charissimorum nomina ritus, alicubi memoratur, ut alibi dicemus. Vide quoque suprà aliquid voce *Notaculum.*

SIGNIA, Latii oppid. in cujus agro vinum nascebatur mirè austerum, ideoque ventris profluvio sedando utile. Martial. *l. 13. Epigr. 116.*

Potabis liquidum Signina morantia ventrem.

Silius *l. 8. v. 379.*

— *Spumans inimico Signia musto.*

Σίγνεια *Stephano*, sive potius Σιγνία. Σιγνῖα *Dionysio*, vel potius Σίγνια. Σίγνιον Plutarcho dicitur *in Syllâ. Nic Lloyd. Baudrand.* vulgò *Segni*, urbs aliàs Volscorum nunc Campaniæ Romanæ jurisdictione Pontific. Episcopalis cum titulo Ducatus. Ibi organa inventa fuêre ad modulationes, quibus utitur Romani Ecclesia, auctore *Petrarchâ*. 30. milliar. à Romana in Ortum, 9. è Præneste in Meridiem. In summo jugo Lepini montis, *L. Holstenius.* Patria Vitaliani Pontificis colonia à Tarquinio Superbo deducta. Fertur. Item mons Asiæ in Phrygia magna apud Apameam urb. ad illius radices situm, Marsyâ circumfluente.

SIGNIFER, à *signo*, i. e. vexillo ferendo, apud mediæ ætatis Scriptores, sæpe occurrit. Et quidem Regum Principumque *Signifere* Senescalli erat, uti diximus suprà in hac voce. Ecclesiarum verò, cùm in propriis earum bellis, tum in Regalibus expeditionibus, Advocati earum. Uti de Advocato Turnacensis Ecclesiæ testatur distichon. allatum, Buzelino *Gallo-Flandr. l. 3. c. 9.*

Signifer Ecclesiæ vexilli munere grato,
Et Castellanus feudum capit à Cathedrato.

De Hasbaniæ Advocatis, Leodiensis Ecclesiæ *Signiferis*, Jo Hocsemius *in Arnulfo à Marka c. 17.* de Comit. Vilcassini, Advocato & *Signifero* Monasterii S. Dionysii, Surgerius *de Administrat. sua c. 4.* de Gulielmo Vicecom. Malbiliensi, Monasterii S. Victoris in Provincia Advocato itidem ac *Signifero*, Guesnajus *in Annalibus Massil. A. C. 855.* de aliis alii, apud Car. du Fresne, in voce *Advocati Ecclesiarum & Dissertat. ad Joinvillam.* Vide quoque hic passim, inprimis in voce *Auriflamma*, *Bandum*, *Banneretus* &c.

SIGNIFER, Vide infrà *Zodiacus.*

SIGNIFICARE, apud Arnobium *adv. Gentes l. 5.* ubi de Jove, *Etsi quando per fulgura significavero aliquid commonere*: propriè huic rei, ut Græcis σημαίνειν. Hinc ὁ ἐπὶ τῶν πρηγμάτων σημαινόμενος, apud Zosimum *l. 2.* & *Significationes* διοσημίαι apud Arnobium in *seqq.* Vide *Heraldum ad Arnobii locum.* Sed & *Significare*, Græcè ἐπισημαίνεσθαι dicuntur sidera, dum oriuntur & occidunt. Plin. *l. 18. c. 31. princip. Sequitur ex divisione temporum Autumnus, à Fidiculæ occasu ad Æquinoctium, ac deinde Vergiliarum occasum, initiumque hyemis. In his intervallis significant pridie idus Augusti Atticæ equus exoriens, vesperi Ægypto & Cæsari delphinus occidens.* Inprimis quæ ortus suos vel occasus aliquâ significatione tempestatis testantur, ut de Arcturo Columella, *l. 11. c. 2. Arcturus oritur, significat* (seu, signum dat) *tempestatem.* De Virgiliis Aratus, ubi illas signum dare ait instantis sementis &c. Metaphorâ ductâ à quadrigis vel equis Olympicis, qui *signo* datò ad cursum emittebantur, uti suprà diximus, in voce *Mapparius.* Vide Salmas. *ad Solin. p. 734.* nec non hîc ubi de *Satione.*

SIGNINUM, castellum Sabaudiæ, apud Bellicum Urb.

SIGNINUM Opus, quid sit, indicat Plin. *l. 35. c. 12. extr. Quid non excogitavit ars? fractis etiam testis utendo sic, ut firmius durent tusis calce addita, quæ vocant Signina.* Ubi Dalechampius legit, *fractis etiam testis & tusis, addita calce utitur, ut firmius durent.* Clariùs exponit Vitruvius *l. 8. c. ult.* ubi ea sic fieri tradit: *Primùm arenam purissimam, asperrimamque parari, cæmentum de silice frangi, calcem quoque quàm vehementissime mortario misceri, ita ut quinque partes harenæ ad duas calcis respondeant, mortarioque cæmentum addi.* Cujusmodi opere, quæ ex contignatione factæ erant cameræ, induci olim solebant. Idem *l. 5. c. 10. Concamerationes verò, si ex structura facta fuerint, erunt utiliores; sin autem contignationes fuerint, signinum opus subjiciatur. Et statim inferior autem pars, quà ad pavimentum spectat, primùm testâ cum calce trullissetur, deinde opere albario sive tectorio poliatur.* Ubi testa tusa cum calce *signinum opus* est. Postea musivò etiam ornari cœpêre, quum anteà utrôque pavimenta fieri solerent, Plin. *ubi suprà.* Porrò encaustô, i. e. certis coloratis & igne resolutis pingere *Signinum opus* excogitavit Agrippa, Plin. *l. 36 c. 25.* Sic itaque Cameræ primùm *signinò opere* inducebantur, deinde aut tectoriô poliebantur, aut musivô ornabantur, aut vitrô decorabantur, aut encaustô pingebantur, aut etiam deaurabantur, ut videre est apud Salmas. *ad Solin. p. 1213. & seqq.* Hinc *Signinam fabricam* memorat Boëthius *in Topic. Cicer.* Et *signinum alveum aquæductûs*, Cassiodorus *Var. Ep. l. 5.* Et *signinum rivum*, Ulpianus *l. 1. §. ult. ff de rivis*, ubi *lapideum* interpretatur, potius *cæmentitium* aut *testaceum* Jo. Calvin. *Lex. Jur.* Nominis origo, an à *Signia*, Latii oppido? de quo vide suô locô: uti de sententia Scaligeri, ex *signino cocto* murrhino Veter. facta asserentis suprà aliquid in *Murrhina.*

SIGNUM, primum rerum quarumlibet elementum. Horat. *l. 2. Serm. Sat. 4. v. 7. Ponere signa novis præceptis.* Alibi,

Purpureo primæ signatum flore juventæ &c.

Vide Caspar. Barthium *Animadversion. ad Stat. l. 5. Sylv. 5. v. 18.* Aliàs vocis plurimæ notiones, quarum aliquas vidimus ex parte. Apud Jul. Capitolin. *in Gordianis, c. 4. Jam illud satis constat, quod filium Gordianum nomine Antonini signo illustravit, quum, apud præfectum ærarii more Romanô professus filium, publicis actis ejus nomen insereret*: cognomen vox denotat, ut & apud Lamprid. *in Commodo, c. 11. Pro Decembri Amazonium, ex signo ipsius, adulatores vocabant.* Vopiscum *in Aureliano c. 6. Huic signum exercitus apposuerat, Manus ad ferrum*: solebant etiam milites per lasciviam ejusmodi cognomenta suis Ducibus imponere &c. Unde *significare*, pro *cognominare*, apud eundem Capitolin. de Gordiano Jun. c. 17. *Antoninum filium ipse significari voluit in Senatu*, i. e. filium suum cognominari voluit Antoninum. Vide Salmas. *ad loc.* Apud Monachos, *Signum* dicebatur forma quædam, manu aut digitis res quaslibet, & quæ haberent in mente vel petere deberent, designandi. Cùm enim Monachis rarissimè loqui liceret, in Æde sacra, dormitorio, refectorio, coquina aliisque Claustri officinis; imò nec unam antiphonam aut responsorium, vel simile quid, absque libro nominare, instruebantur novitii, si quâ re opus haberent, id *signis* innuere, & *manu loquare*, ut ait Petronius. Cujusmodi signorum species varias, pluribus tradit Udalricus *Consuetudinum Cluniac. l. 2. c. 4.* quæ tamen potissimùm ad victum solùm indicandum pertinebant: longè plures describuntur in libro Ordinis S. Victoris Paris. *MS.* quas, integrô ejus c. 25. in *Glossarium* suum translatò, exhibet Car. du Fresne; è quo pauca hæc, *Pro signo vini, digitum inflecte, ita labiis adjunge. Pro signo aquæ, omnes digitos conjunge, & per obliquum move. Pro signo phialæ vitreæ, præmisso signo ciphi, adde ut duos digitos circa oculos ponas* &c. Unde *insignare*, verbum medii ævi, de quo suprà. Vide de ejusmodi digitorum signis apud Veteres usitatis Hug. à Porta *Furtivis literarum notis l. 1. c. 11.* Cœl. Rhodig. *l. 23. c. 11.* Frid. Morellum *ad Nicolaum Artabasdam.* Fridericum II. Imperat. *de Ven. l. 2. c. 42.* & apud Monachos inprimis Hæftenum *Disquisition. Monastic. l. 6. tract. 3. disquisit. 11.* nec non quædam suprà, ubi de *Digitis.* Porrò veter. Græcis, cùm, horarum adhuc usu ignoratô, umbram pedibus metirentur, partes diei Σημεῖα *Signa*, dicebantur, sicque nominabantur, ἑξάπουν σημεῖον, ἑπτάπουν &c. uti dicemus infrà voce Umbra. De *Signo Militari*, i. e. Tessera; de *Signo* itidem *Militari*, i. e. *Vexillo*; nec non clamore militari, cui idem nomen, inclamari solito ab eo, qui *Signum* in acie præferebat, Vide hîc passim, ut & eundem *Glossarii* auctorem, in voce hac & *Dissertat. 11. ad Joinvillam*: uti de *Signis Pugnæ* apud Varias gentes, Lipsium de Milit. Roman. *l. 4. c. 12. Signum Mortis* apud Æthiopas olim in usu, occurrit *l. 3.* Diodori Siculi ubi, ad eos, qui tristi sententia ad mortem damnati erant, σημεῖον θανάτου, seu πρόσταγμα, certum consuevisse priùs mitti, antequam neci traderentur, docet: Ἔθος δ' αὐτοῖς ἐστι μηδένα τῶν κατεγνωσμένων θανάτῳ [illegible] [illegible] ἀλλὰ πέμπειν [illegible] τῶν ὑπηρετῶν [illegible] σημεῖον ἔχοντα θανάτου πρὸς τὸν καταγινωσκόμενον. Οὗτος δ' ἰδὼν [illegible] χωρεῖ εἰς τὴν ἰδίαν οἰκίαν [illegible], ἑαυτὸν ἐκ τοῦ ζῆν μεθίστησι. Simile quid apud Scotos obtinuisse vidimus suprà, ubi de *Capite taurino.* Unicum hoc adjicio, de 12. gemmis, quæ cum moscho poni solent, in marsupio serico, è cingulo rubro, quò novus Pontifex præcingitur, dependente, illas *signa* quoque seu *sigilla* vulgò appellari, quod symbolum sint XII. Apostolorum, uti refert Dominic. Macer, ubi *de Sede Stercoraria*: qui & *Signum* dici unum ex tribus Pontificis sigillis docet, uti vidimus suprà ubi de *Annulo Piscatoris.*

SIGNUM, in re Agrimensoria, à meta diversum. Hyginus, *Conspiciamus signum, quod est inter B. & A prolatò exiguum per rigores ferramento, normaliter paucas dictabimus metas.* Frontinus in *Fragmentis, Dictabimus metas non minùs tres* &c. Duo namque *signa* sunt conspectus, unum à quo rigor (quomodo vocant, quidquid inter duo signa rectum perspicitur) conspiciendus, incipit; alterum, in quo definit. *Signum* autem vel capiebatur longinquo conspectui oblatum, vel arbor, vel saxum, vel aliquid tale eminens; vel manu ponebatur. *Hero*, τὸ λαμβανόμενον σημεῖον, Hyginus, *prehensis in longinquo conspectu signis.* Frontinus, *Cujuscumque loci mensura agenda fuerit, eum circuire ante omnia oportet, & ad omnes angulos* signa *ponere* &c. Unde *signi positi* sæpe apud Auctores mentio: Mensores Galli hodie *Jalons* vocant. At metæ in uno rigore plures si fortè dictabantur, rigor ipse *dictari* dicebatur: cumque per illas lineam extendi debere, dicat Hyginus, per quam agrum cultellabant, spissiores poni vel dictari convenit. Cum *signis* tamen, quæ ponebantur, eadem fuisse videntur. Hero enim in *Geodæsia*, ex quatuor rebus, quæ spectandæ sunt, primô locô τὸ ἀκόντιον ponit, deinde τὸ σκοπελον, εἶτα τὸ λαμβανόμενον σημεῖον. Ubi σκόπελος est meta, *scopulus* vide. in metæ acumen subrectus &c. Quam in rem vide plura apud Salmas. *ad Solin. p. 681.*

manum esset, jam olim inter Eruditos controversum fuit, uti testatur his versibus Ausonius, *Technopægn. v. 9.*

Estne peregrini vox nominis, an Latii, Sil?

Ipsius certè mentio apud Græcos nulla, & res ipsa adeò non obvia, ut Vitruvius *l. 7. c. 7.* *ὤχραν* esse Atticam existimaverit: imò tum non amplius inveniri disertè affirmet. Vide suprà *Ochra*. Interim vox ex Græco *σῶρυ* videtur facta, vel potiùs *σύρι*, quô nomine Veter. appellaverunt *τὸ Συρικὸν*, *Syricum*, tertium genus *silis*, rubri quidem itidem coloris, ut *Sil Atticum*, sed obscurius & fuscius, ab insul. Syro, Pherecydis patria, sic dicti. Cæterùm Sil Atticum *limum* esse scribit Plin. *l. 33. c. 12.* Theophrastus *cinnabari Atticum* vocat: qua de re vide pluribus agentem Salmas. *ad Solin. p.* 1157. & 1158.

SILBIUM, urbs Phrygiæ magnæ, inter Apameam ad Occasum & Philomelium ad Ortum. *Ptol.*

SILDA, quæ GILDA *Antonin.* colonia & urbs Mauritaniæ Tingitanæ. *Ptol.*

SILE, Ægypti inferioris oppid. *Anton.*

SILEI, in tribu Juda, *Hieronym.*

SILENI, populi Indum fluv. accolentes, Plin. *l. 2. c. 20.*

SILENTIARII, apud Senecam *in Ep. 47.* servi fuêre, *qui in familia cæterorum servorum murmur cohibebant*. Ita quidem Popma, sed Pignorius Præfecturæ hujus nomenclaturam vel cum Salviano demum, vel paulo ante ipsum, in lucem prodiisse, censet. Ita autem de illis Salvianus *de Provid. Dei l. 4. Pavent quippe Actores, pavent* Silentiarios, *pavent Procuratores; prope ut inter istos omnes nullorum minùs servi sint, quàm Dominorum suorum: ab omnibus caduntur, ab omnibus conteruntur.* Quod verò è Seneca affertur, idem Magisterium magis, quàm nomenclaturam, indicare ait: Virga enim apud Senec. *quâ murmur omne famulorum compescebatur*, illi insigne Tricliniarcharum, in ipso Triclinio, videtur fuisse, extra quod Actoribus seu Dispensatoribus conveniebat. Hæc in familia privata: major dignitas *Silentiariorum* in aulis Principum fuit, quos *Quietis Ministros* vocavit Procopius *de bello Pers. l. 2.* ubi *Adolium* scribit *Acatii filium, genere Armenium, in palatio Imperatoris fuisse ad ea quæ sunt Quietis ministrum*: addens, *quod munus Romani* Silentiarium *vocant: & quia Principis arcanorum essent conscii, sunt qui* Auricularios *item vocent*. Insignes *Clarissimi* titulô fuisse, docet Justinianus C. *tit. de Silentiariis, Viros clarissimos sacri nostri Palatii* Silentiarios, *circa latus nostrum militantes, de tutelis & curationibus excusari sancimus.* Iidem *Spectabiles, l. 30. Cod. de Inoffic. testam.* *Θαυμασιώτατοι*, in Concilio Chalcedon. *act. 1.* vocantur. *Schola devotissimorum Silentiariorum*, occurrit in *l. 4.* dicendo mox *tit. Cod. Justin.* Eorum enim plures erant, sed 30. ordinarii, in 3. decurias divisi, quibus singulis unus præerat Decurio, unde *tit. de Silentiariis & Decurionibus in Cod. modò dicto.* Hinc dignitas eorum non contemnenda, licèt *τῶν χαμαιζήλων* fuisse dicat *Zonaras*, cùm & horum operâ in legationibus, & ad mandata perferenda uterentur Principes, uti passim docent Scriptores. Sed & Anastasius, antequam thronum conscenderet & Gobazes, postea Lazorum Rex factus, id muneris obiêre, ut alios omittam. Olim Eunuchos id muneris obivisse, Claudian. innuit *in Eutrop. l. 1. v. 418.*

——— Præfecti gemmis, vestique dabantur
Custodes, sacroque adhibere Silentia somno.

Affines hisce fuêre, quos *ad Somnum* appellat Curtius *l. 6. c. 11.* ubi ait: *At ne in vicinia quidem diversorii quemquam commilitonem receptum esse, sed per dispositos, quos ad Somnum habebat, omnes procul relegatos, ne famina illa* (Philotas intelligitur) *murmurantium inter se silentio veriùs, quàm sono, excitaretur.* Vide Pignorium *Comm. de Servis*, Tit. Popmam *de Operis Servorum*, Codinum *de Officiis Aulæ Constantinop.* &c. Alii ab his sunt *Silentiarii*, memorati Hariulfo in *Vita* S. Angilberti c. 1. & Matthæo Paris. A. C. 1171. videlicet, qui in *Silentiis*, h. e. Collationibus vel etiam Consistoriis Principum considebant ac deliberabant. *Silentium* enim Conventum privatum, in quo dissertationes de rebus publicis agebantur, *Διάλεξιν* *Zonaræ*, *Conference* Gallis: sed præsertim de rebus Ecclesiasticis, unde *κατηχητικὸς λόγος* definitur Nicetæ *in Manuele l. 7. num. 5.* dictum esse, *Σιλέντιον* quoque *Cinnamo*, constat. Vide quæ *ad hunc* adnotavit Carol. du Fresne *p. 493.* ubi inter alia, *Silentium* & *Conventum* idem sonare, ex Juliano Antecessore observat. Hinc *Silentiarium*, locus ubi *Silentiarii* stabant, primum & exterius cubiculum, quod Consistorio obversabatur, apud Landulphum Sagacem *l. 16.* & Anastasium *in Histor. Eccl.* Plura vide apud modò laudatum Auctorem in *Glossar.* & Dominic. Macrum *in Hierolex.* adde Brissonium *de verb. signif.* Meursium *Glossar.* Rittershusium *ad Salvianum*, Vossium *in Glossar. c. 49.* &c.

SILENTIUM, inter Persarum olim Numina. Amm. Marcellin. *l. 21. c. 13.* *Apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter Optimates taciturnos & fidos, apud quos* Silentii *quoque colitur Numen.* Ægyptiorum item, uti docent illorum Idola *Harpocrates* & *Sigalion*, seu potiùs unius idoli duo hæc nomina, de quibus suô locô &c. In Scholis Veterum *Silentium* hinc Pythagoricum, celebre. Cùm enim Vir hic sapiens animadverteret, non posse eum in sapientiæ studio proficere, qui non solido priùs jacto fundamento cœtera superstrueret, obviàm ratus est eundum temeritati Juvenum, qui vix ad subsellia Philosophorum admissi jam inani loquacitate omnia perstreperent & nimiùm tinnirent: æquumque esse rebatur, ut illi, qui nihil adhuc rerum dicendarum nôssent, placita Doctoris diuturnâ admiratione concoquerent: *Est* autem *Silentium admiratio subita*, Quintilian. *Declam.* 2. Itaque is *Silentii* Deô Harpocrate, quem ab Ægyptiis cultum hunc in finem meminerat, in auxilium vocatô, Discipulis suis *silendi* legem, quam *ἐχεμυθίαν* vocabant, injunxit: Quam licèt plurimi præcisè ad quinquennium extendant, incertum tamen illud tempus, *pro æstimatæ cultu solertiæ* fuisse, & omnes quidem, ad minimum biennium integrum, tacuisse, discimus ex A. Gellio *l. 1. c. 9.* intra quod tempus, *Annos silentes* vocatum, à Claudiano *de Consul. Mallii*, illi *Ἀκουστικοὶ* dicti sunt: neque verò omnino prorsus abstinebant, sed rariùs, submissiùs, timidiùs loquebantur, & attentâ auscultatione modestâque ac placidâ de rebus à Philosopho propositis inquisitione, illud tempus transigebant: Ipse namque Plato, cui multa cum Pythagoricis fuêre communia, inter notas boni Discipuli refert *σιωπηλὸν εἶναι*, *de Rep. l. 6.* Et Claudian. *de Mallii Theodosii Cons. v. 90.*

Quidquid Democritus risit, dixitque tacendo
Pythagoras, &c.

Aliud *Silentium* erat, quinquennale illud, quod sibi ipsi imposuisse pertinaciter Apollonius Thyanæus legitur, apud Philostratum, *de vita ejus l. 1. c. 11.* Item illud Sophistarum posterioris ævi, qui, affectatâ gravitate, nescio quid secum submissè loquebantur, quod mox evomerent: de quo Persius *Sat. 3. v. 81.*

Murmura cùm secum & rabiosa Silentia *rodunt.*

Nec non perpetuum illud, quod Monachi Carmelitæ servant: qui & ipsi ad Pythagoræ institutum, rigidioris vitæ causâ, à carnibus abstinent, Polyd. Virgilius *de Invent. rer. l. 7. c. 3.* Quemadmodum & Basilidem sectatores suos ad morem Pythagoricum docuisse *silere*, tradit Eusebius *Histor. Eccles. l. 4. c. 8.* Illud verò inprimis, imo & supra Pythagoricum, celebre *Silentium* erat, quod in Sacris operaneis Gentilium vigebat, qui diligentissimè cavebant, ne horum Sacrorum arcana *τοῖς ἀμυήτοις*, h. e. *religionis imprudentibus*, quos *profanos* vocabant, innotescerent. Nam, ut Diodor. Sic. scribit *c. 3.* *περὶ τῶν παραδεδομένων κατὰ τὰς τελετὰς, οὐ θέμις τοῖς ἀμυήτοις ἱστορεῖν τὰ κατὰ μέρος.* Itaque *Herodotus*, *Plutarchus*, *Eunapius*, Alii, quum in eorum mentionem incidissent, negant fas esse sibi ea loqui, quæ sciant. Unde Artemidorus, qui de Hecate *l. 2. c. 42.* *Περὶ τούτων λέγειν*, inquit, *οὔτε ὅσιον, οὔτε ἀσφαλές. ἄδηλος δὲ ὁ λόγος τοῖς μεμυημένοις τῇ Θεῷ. οἱ δὲ ἀμύητοι παρὰ τῶν μεμυημένων μανθανέτωσαν.* & Græcis in eam rem elegans locutio in crebro usu est, *περὶ τῶν μυστικῶν στόμα μοι κείσθω*, quâ significant, perperam eos ore uti, qui Mysteria evulgant: quod qui facerent, propriè *ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια* dicebantur, apud *Plut. Lucianum, Synesium*: i. e. *ἐκβαίνειν τοῦ ῥυθμοῦ καὶ τῆς ὀρθότητος*, *rhythmum excedere & regulam rectam*, ut loquitur Aristides *Disput. περὶ τῶν ἐξορχουμένων.* Atque hujus silentii tanta fuit religio, ut nec qui violaret, nec qui oculos in hæc Sacra immitteret ferret impunè. Nota Acarnanum duorum Juvenum, *qui quòd non initiati templum Cereris* (Athenis an Eleusine) *ingressi essent, tanquam ob infandum scelus, interfecti sunt*, historia, apud Livium *l. 31. c. 14.* nec non laniatio Penthei, propter inspecta mysteria, qua de vide Synesium *l. de Provid.* Quæ verò illa fuerint, quæ reticeri tantâ religione voluêre, *sanctiora sacrorum* vocat Seneca, *Ep. 95.* reverâ autem *res turpissimas* fuisse, ostendit Arnobius *contra Gentes* aliique. Diversa longè *Silentii* ratio in Christianorum veter. fuit sacris: qui id institutum sic probàrunt, ut religiosâ ejus observatione Mystas omnes longè superârint. Quemadmodum itaque *Sanctiora sacrorum solis initiatis fuisse nota*, Seneca *loc. cit.* dicit: & Photius ex veteri Scriptore, *num. 242.* Philosophiam divinam dividit, in *ῥητὴν καὶ ἀπόρρητον*: Jamblichus autem *l. 3. de Philos. Pythagor.* in *τὰ ἀπόρρητα*, quæ efferri non poterant, & *τὰ ἔκφορα*, quæ foràs efferre jus erat: ita universam doctrinam Christianam Veter. distinguebant, in *τὰ ἔκφορα*, i. e. *ea quæ enuntiari apud omnes poterant*, & *τὰ ἀπόρρητα*, i. e. *arcana, temere non vulganda*, de quibus neque in familiaribus colloquiis, neque in catechesibus, neque in concionibus verba temerè faciebant, coram Paganis, Catechumenis aut quibusvis aliis non initiatis. Sic Basilius *de Spir. S. c. 27.* doctrinæ Christianæ duas partes fecit, *τὰ κηρύγματα*, *præconia*, & *τὰ δόγματα*, quæ alii *τὰ ἀπόρρητα*, *arcana non evulganda*, dicebant, aitque, *τὰ δόγματα σιωπᾶται. τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται*, *Dogmata silentiô premuntur: Præconia publicantur*, atque ita de *Silentio* mysteriorum multa disputat. Vide quoque Gregorium Nazianz. *Orat.* 42. Et nota apud Patres formula, in mentione potissimùm Sacramentorum, usu trita, *Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι*, *Nôrunt initiati*, *quod dicitur*: Seu *ἴσασιν οἱ μύσται τὸ λεγόμενον*, seu *ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι*, quæ phrases idem designant. Unde apud Theodoretum *Dial.* 2. negat Orthodoxus, de Eucharistia fas esse apertè loqui, quoties periculum adest, ne adsint initiati: Solebant itaque tum de talibus *αἰνιγματωδῶς*, seu *μυστικώτερον* respondere. Quò respiciens Cyrillus Hierosolymit. *in Procatechesi*, eleganter ait, Catechumenos, quibus fas non est cognoscere sacra mysteria, *περιηχεῖσθαι*, *vocem circumsonantem audire*: postea verò, quum facti sunt fideles, *ἐνηχεῖσθαι*, *intus auditâ voce erudiri*. Idem dein disertè præcipit suis Auditoribus, ne quæ didicerint, postquam fidelibus fuerint aggregati, Catechumenis, quos ponit inter *τοὺς ἔξω*, enumerent. Sic itaque, cùm soli fideles nota haberent Religionis Christianæ mysteria, iidemque tantô studiô illa occultarent, occasio Gentibus data est, traducendæ veræ pietatis, quasi tenebras sectaretur & lucem fugeret ac notitiam hominum: Celsusque proin Christianorum religionem *κρύφιον δόγμα*, *clandestinam doctrinam*, ludibrii causâ, subinde vocitabat. Sed Origenes hanc calumniam diluens ostendit, falsum esse, capita omnia doctrinæ occultari: plurima enim, quæ Gentes irrideant, palàm tradi & omnibus exponi: quòd si quædam non passim omnibus communicentur, non magis eô nomine reprehendi jure

Christianos posse à paganis, quàm suos ipsi Philosophos reprehendant, disciplinam suam dividere solitos, in *ἐξωτερικὰ* & *ἐσωτερικά*. Vide Isaac. Casaubon. de sacro hoc *Silentio* prolixe disserentem *Exercit.* 16. *ad Baronium num.* 43. ut & Tob. Pfannerum *System. Theologiæ Gentilis pur. c.* 1. §. 7. ubi *de more Gentilium Dogmata diviniora arcane habendi*; & §. *seqq.* usque ad *finem capitis*, ubi *de simili consuetudine Doctorum Ecclesiæ V. & N. Testam. Hæreticorumque cacozelia*, nec non hic passim, imprimis in lemmate, *Nôrunt fideles*, item in voce *Mysterium*, & *Sphinx*. Nec omittendum, quòd *apud Romanos cœnâ editâ sublatisque mensis primis*, Silentium *fieri consuevisse*, Servius tradit *Æn. l.* 1. *sub fin.* &c. In *Regula* Monialium B. Mariæ *Sopwel* in Anglia, *in silentium mitti*, Monasticæ pœnæ species est: sed & olim in Monasteriis magnum ac frequentem *Silentii* fuisse usum, suprà innuimus in voce *Signum*. Cœterùm *Silentii* symbolum apud Gentiles olim Angeronæ simulachrum fuisse, diximus in voce hac; Ranam item Seriphiam, voce *Rana*: de notione verò vocis augurali, vide Casaubon. *ad Aug. Suetonii c.* 25. & infrà *Sinister*.

SILENTIUM, in carcere Inquisitionis, tam rigidè exigitur, ut nulli captivo mutire ullumve sonum edere liceat. Quare si quis ejulet, aut infortunium suum deploret, aut clarâ voce Deum precetur, aut cantet, sive psalmum, sive hymnum sacrum, mox adsunt carceris custodes, monentque in domo hac silentium servandum. Si non pareat captivus, iterato eum monent. Si pergat *nihilominus, custos apertô* carcere eum egregiè dedolat, non tantùm ut ipsum castiget, sed & deterreat alios, qui, quoniam contiguæ sunt cameræ altumque servatur *silentium*, & ejulatum, & sonitum ictum clarè audire possunt. Nonnulli & tussi interdictum volunt, vide infrà, & de *Silentio* hoc causisque ejus, Phil. à Limborch *Histor. Inquis. l.* 2. *c.* 18.

SILENUS, Historicus, Dionysio Halicarn. *l.* 1. celebratus. Calatianum fuisse, deque rebus Siculis scripsisse testatur Athenæus *l.* 12. Vide Voss. *de Hist. Græc. p.* 414.

SILENUS, Bacchi nutritius & Pædagogus, semper asinô vehi solitus: quem Aratus, in gratiam alumni, inter sidera translatum dicit. *Silenos* verò provectioris ætatis Satyros dici, affirmat Pausan. *l.* 1. quos ebrios, ut plurimùm, fingunt. Unde *jacentem* inducit Virg. *Ecl.* 6. *v.* 15.

> *Hesterno inflatum venas, (ut semper) Iacchô.*

Ovid. *Metam. l.* 4. *v.* 26.

> *Quique senex ferulâ titubantes ebrius artus*
> *Sustinet, & pando non fortiter hæret asello.*

Phrurutus nomen habere vult ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, quod est *proscindere conviciis*. Quare *Sillorum* libri dicti, quibus ut Scepticus, Dogmaticos omnes maledictis proscindebat. Sed Aristophanis Interpres à voce σίλος, quæ *penem* significat deducit. Lucianus quoque *in Deorum concione* eum his verbis describit: O δὲ Σιληνὸς φαλακρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμενος. Apud Platonem verò *in Alcibiade Sileni*, nihil sunt, nisi sectiles imagunculæ ita concinnatæ, ut diduci & explicari possent: At clausæ ridiculam tibicinis speciem ostentabant: apertæ venerabile numen exserebant. Itaque his comparat Socratem Alcibiades, quòd longè alius intrinsecus esset, quàm extrinsecus videri queat. Vide Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 21. Sileni fabula unde sumpserit originem, non nisi gravatè refert doctissimus Bochartus, *l.* 1. *Chanaan. c.* 18. nempe ex prophetiâ de *Silo*, qui Christus est, horrendum in modum detortâ. Quod quasi per nebulam cùm viderit Justinus M. hanc ipsam prophetiam scripsit Dæmones ad Bacchum retulisse, & in ejus mysteriis ὄνον *asinum* recensuisse: Hoc ille 2. locis; semel *in posteriore Apolog.* pro Christianis, & rursus *in Dialogo cum Tryphone Judæo*, ubi mirâ metamorphosi ὄνον in οἶνον librarii mutârunt. Jam verò ut res expendatur accuratiùs. 1. Ut ex שיר *Sir*, id est, *cantico*, Phœnices שירן *Siran*, & Græci fecêre *Sirenes*; ita ex שילה *Silo*, vel שיל *Sil* ab illis שילן *Silan*, ab his *Silenus* dictus. 2. Et quia de *Silo* dicitur, illius erit *doctrina populorum*, vel *congregatio docendi causâ*, Silenum ajunt fuisse valde doctum, & Bacchi εἰσηγητὴν, καὶ διδάσκαλον τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων. In Æliano, *l.* 3. *Var. Hist. c.* 18. Silenus de altero orbe mira narrat; in Plutarcho *de Consolat. ad Apollon.* de morte agit, in Virgilio *loc. cit.* de principiis rerum disserit. 3. Additur sive de Christo, sive de Juda, ut quidam volunt: *Ligans ad vitem aselium suum, & ad generosam vitem pullum asinæ*: Inde Silenus est ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμενος, i. e. *asinô plerumque vectus* uti loquitur Lucian. *in Concil. Deor.* 4. Tale est, quòd calcandis uvis ideo Silenum addicunt; quia sequitur in prophetiâ, sive benedictione Jacobi; *Lavat in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum operimentum suum, instar calcantium in torculari*, ut explicatur in Esajâ. *c.* 63. *v.* 2. 5. Sed nihil tam impium, quàm quòd Silenum semper ebrium esse fingunt, uti suprà ostendimus; quia statim additur: *rubent illi oculi ex vino*, ac si eôdem id sensu dicatur, quô à Solomone, Proverb. *c.* 23. *v.* 29. 30. *Cui rubor oculorum?* iis, qui vino immorantur. 6. Sileno denique pro cibo apud Euripidem *in Cyclope v.* 136. Καὶ τυρὸς ὀπίας ἔστι, καὶ βοὸς γάλα. *Coagulatus caseus est, & lac bovis*; quia prophetia finitur hâc clausulâ: *Dentes ejus ex lacte albescent*. Nihil poterat Diabolus fœdiùs comminisci, ut sanctissima religionis nostræ mysteria profanaret, & impiorum hominum cavillis exponeret. *Nic. Lloydius*. Cœterùm, Phrygem disertim vocat Tertullian. *de Anima c.* 2. ubi, inter alios, Deorum ordinibus insertos, etiam recenset *Silenum Phrygem, cui à Pastoribus perducto ingentes aures suas tradidit*: de auribus autem Midæ ingentibus, satis notum. Quas Sileno commodâsse quòd dicit Tertullianus, nil mirum est; Fuit enim *Silenus* pro illis temporibus, naturæ & antiquitatis omnis intelligentissimus: unde nec alium de istis, quàm *Silenum*, loquentem inducere voluit Maro *Ecl.* 6. cui *Silenus* nomen, ubi *Servius* Poëtam ea maximè sequutum esse dicit, quæ de *Sileno* prodiderat Theopompus Chius. Cujus fide etiam Ælianus *Hist. Var. l.* 3. *c.* 18. complura refert: etiam apud Cicer. *Tuscul. l.* 1. quoddam ex *Sileni* hujus dictis reperias, ubi ait; *Fertur de Sileno fabella, cùm à Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse, docuisseque Regem, Non nasci hominibus longè optimum esse: proximum autem, quamprimum mori*. Quomodo verò ceperit *Silenum* Midas, docet inter alios Xenophon *de Expedit. Cyri l.* 1. ubi ait, fontem, qui *Midæ* dicebatur, vino miscuisse: nempe sic inebriavit is *Silenum*. Sed de fonte fabulam sapit, inquit Vossius: *Credo, tam sapienti viro, sapientiam Midas magnis expectorârit culullis*. Nec sanè Silenus ille unus fuit è multis; sed unus è Regulis Cariæ, qui Nisæ imperaret, de quo fidem fecerit Diodor. Sic. *l.* 3. Liberi Thebani, qui Cadmi nepos fuit, σύγχρονος: imò idem cum Marsya, unde apud Herodot. *l.* 7. reperias, ut ab Apolline suspensus sit, ὁ τοῦ Σιληνοῦ Μαρσύεω ἀσκὸς. Nec obstat, quòd Marsyam hunc aliqui non *Silenum*, sed *Satyrum* appellent, ut Max. Tyrius *Serm.* 30. *initio*: Quippe junior cùm esset, *Satyrus*: grandior autem natu, *Silenus* dici meruit: solâ enim ætate hi differebant. Marsyam autem Midæ Regis temporibus vixisse, etiam id ostendit, quod legitur de Mida filiam despondente Attidi Cybeles amasio; item de Marsya, post Attidem à Meone interemtum, Cybelem in fuga sua comitante, ac tum provocante in certamen quendam seu Regulum seu Sacerdotem, à quo fuerit excoriatus. Vide Gerh. Joh. Voss. *loc. cit.* Effigiem *Sileni* in Lucerna veteri exhibet Fortun. Licetus *de Lucernis Antiqq. l.* 3. *c.* 11. & *l.* 6. *c.* 27. ex argento cælatam habes, apud Plin. *l.* 33. *c.* 12. in marmore Pario repertam, apud eundem *l.* 36. *c.* 5. Sed & *Silenum festivè gestientem*, inter Pictoriæ Artis miracula, servat hodieque Musæum Kircherianum, ut videre est apud Georg. de Sepibus *in Descript. illius p.* 8. Pingebatur autem calvus & nasô collisô deformis: unde Lucretius, *l.* 4. *v.* 1162. *Simula, Silena est*. Imò τοὺς ἐν τοῖς σατυρικοῖς σιληνοὺς *Silenos* nominat *Xenophon*, vide Casaubon. *ad Julium Suet. c.* 45. Hinc in Satyra Græca veteri, inter Satyricas personas, *Silenus* quoque, Papus, & ex utroque compositus, *Papposilenus*, ferô ac terribili aspectu, erant: fuitque *Sileno* crassa tunica fœnô contexta & ἀμφίμαλλοι χιτῶνες, utrinque villosæ, Scaliger *Poetic. l.* 1. *c.* 17. qui primum se ausum esse longissimis versibus, quippe novenariis, canere *Silenum*, scribit *l.* 2. *c.* 27. cujusmodi distichon Laërtius *in vita Diog.* recitat,

> Διόγενες ἄγε λέγε, τίς ἔλαβέ σε μόρος
> Ἐς ἀΐδος ἔλαβέ με κυνὸς ἄγριον ὀδάξ.
> *Diogenes age dic, quod corripuit te fatum?*
> *In Orcum rapuit me canis ferox morsus.*

Vide quoque suprà *Fons*, & infrà *Sillus*.

SILER, vide SILARUS.

SILESIA, Germaniæ regio ampla, populosa, fertilis, diu fuit sub imperio Polonorum, sed tandem subjecta coronæ Bohemicæ, à tribus seculis, accipiens nomen ab amne *Schleso*, vel, ut alii sentiunt, à *Schleso* rege. Odera fluv. perlabitur eam. Hanc igne & ferrô vastavit Sobieslaus Bohemiæ Princeps A. C. 1140. unde à Boleslao Moraviâ non mitius habita est. Postea Vladislao, Poloniæ Regi, qui à subditis pulsus fuerat, pace factâ, concessa est à Boleslao, hâc lege tamen, ut Poloniæ Regem superiorem agnosceret. Immaniter dein à Battone direpta est, Henrico Principe Lignitiô, cruentissimô prœliô à Tartaris superatô, A. C. 1241. In Silesiam postmodum Vladislaus Loketek Polon. Rex frustra expeditionem suscepit, A. C. 1300. quam, Principum discordiis callidè usus, Johannes Bohemiæ Rex, occupavit, A. C. 1327. Sub initium belli Bohemici regni hujus Directoribus accessit, A. C. 1618. mox ope Joh. Georgii Elect. Saxonici à Ferdinando II. subjugata, A. C. 1621. varias bellô Germanicô vices subiit. Recepit magna ex parte Joh. Hussi doctrinam, seculô 15. datisque literis Majestatis privilegia incolis, sicut Bohemis Moravisque confirmavit Rodolfus II. Imperator A. C. 1609. Latitudo ejus patet itinere 3. dierum, & longitudo 4. dierum: extenditurque à reg. Hungarica, usque ad Brandeburgensem Marchiam. Sermo populi Germanicus est: ab altera tamen parte Oderæ fluv. ubi Poloniam respicit, lingua Polonica prævalet, vide Munst. Joachim. Curæum, *in Annal. Siles.* Melch. Goldast. *de regn. Bohem.* Nicol. Henneliùm, *Silesiographia*, & Sabellic. *Enn.* 10. *c.* 2. Hodie sub Austriacis; sed in ea sunt aliquot Duces sui ferè juris, nempe Bergensis, Lignicensis & Monsterbergensis: quibus omnibus extinctis, ultimo è Piastea familia Georgiô Wilhelmô A. C. 1675. mortuô, ad Imperatorem, ditiones eorum amplissimæ redierunt. Origo Silesiæ Ducum à Vladislao retrò memorato fuit, qui à Piasto, vide *ibi*, ortus, postquam à fratribus regnô pulsus esset, Silesiam tenuit; mortuus A. C. 1159. Hôc geniti, Conradus Loripes tenuit Glogoviam; Boleslaus Inferioris Silesiæ, Micislaus verò Superioris Duces progenuit. E prioris posteris Boleslaus Calvus vel Sævus, pater fuit Henrici, lineæ Ligniciæ, & Boleslai Suidnicensis auctoris. A posteriori Teschinensis & Oppoliensis rami orti sunt. Præter hos etiam ramus Glogoviensis fuit, qui à Conrado A. C. 1289. extinctô ortus, iterum subdivisus est in lineam Sagano-Glogovianam, & Steinavia-Olsnensem. Fuit autem Conradus hic frater Boleslai Calvi, de quo anteà. Vide de his omnibus accuratè disserentem, Philippum Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in enarratione familiæ Piasteæ, in qua præter aliquot Reges & Principes Poloniæ, Silesiæ utriusque Duces.* Addo, quòd terra hæc post ultimi Principis obitum, regio Cæsaris patrimonio, sive *Cameræ*, ut vocant, accessit; qui Principatuum alios sibi sepoluit (*die Tafel oder Cammer-Fürstenthümer*) alii in alios collati sunt. Et quidem Crossnensem Elector Brandeburgicus, Oppoliensem & Ratiboriensem Poloni, pignoris jure; Troppaviensem, Jagerndorffium & Teschinensem Liechtensteinius; Saganensem Lobkowicius; Munsterbergiæ partem Averbergius; Oelsensem Wittenbergii, denique

Crot-

Crochaviensem & Neussensem Vratislavius Episcopus possident, supremo tamen Præsidi (*dem Königlichen Ober-Ampt*) à Matthia Hunniade Bohemiæ Rege, ejusque successore Vladislao, primùm constituto (ni Polonum forsan & Brandeburgicum excipias) obnoxii. Tob. Pfannerus *de præcip. Germaniæ Princip. Gentibus c.* 1. *de Gente Austriaca*, ubi gentis hujus historiam ab ovo arcessitam habes. Vide quoque Georg. Hornium *Orb. Imp. cum Notis L. Joach. Feller p.* 389. Dividitur regio in XVII. Ducatus seu partes. In Silesia superiore IX. sunt, nempe Ducatus Swidniensis, Bergensis, Munsterbergensis, Grotkaviensis, Carnoviensis seu Jagerndorff. Oppaviensis, Oppoliensis, Ratiboriensis & Teschinensis. In inferiore VIII. Crossiensis scil. juris Brandeburg. Glogaviensis, Saganensis, Ligniciensis, Javriensis, Volaviensis, Olsnensis & Vratislaviensis. Terminatur ab Ortu Poloniâ, à Septentrione Marchiâ Brandeburgicâ; ab Occasu Lusatiâ & Bohemiâ, à Meridie Moraviâ & Hungariâ superiore. Totius provinciæ caput est Vratislavia, *Breslaw*, ad Oderam fluv. Ejus autem pars est etiam Comitatus Glacensis, quanquam ab aliis sub Bohemia propria comprehendatur.

Silesiæ urbes præcipuæ:

Brega, *Brieg*.	Oppava, *Troppaw*.
Crossa, *Crossen*.	Oppolium, *Oppelen*.
Glogavia, *Glogaw*.	Ratibora, *Ratibor*.
Grotkavia, *Grotkaw*.	Saganum, *Sagan*.
Javria, *Jawer*.	Suvidnia, *Schweidnitz*.
Lignitium, *Lignitz*.	Volava, *Volaw*.
Munsterberga, *Monsterberg*.	Vratislavia, *Breslaw*, provinciæ caput.
Olsna, *Olß*.	

SILESII, vide SALESII, & ELYSII.

SILEX, vide infrà *Silicernium*.

SILIA, Senatoris uxor, in exilium acta tanquam non siluisset, quæ viderat pertuleratque proprio odiô. Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 20.

SILIANUS, lacus Dalecarliæ, in Suecia, in confinio Gestriciæ provinc. ab Ortu in Occasum extensus.

SILICENSE, flumen Hispaniæ Bæticæ in Singulim influens, Hirt. *de Bell. Alex. c.* 57. *las Algamidas*, *Morali*.

SILICERNIUM, *Festo* farciminis fuit genus, cujus esu familia purgari solebat; dictum quia, cujus nomine res ea instituebatur, is jam *silentum* (i. e. umbras) *cerneret*. *Donatus* inquit esse cœnam, quæ Diis Manibus inferebatur, quòd eam *silentes cernant* umbræ: poni autem super *silice* solebant Epulæ mortuales. *Scaligero* cœna fuit funebris, quæ senibus exhibebatur, dicta quasi *Selicernium*, i. e. *ἀλυχνία*; quod natali die lucernæ accendebantur, mortuali non: vel à *silicibus*, quasi *Silicænium*, i. e. *cœna supra silicem posita*, eò quòd istiusmodi funebre epulum in ara lapidea exhibebatur, Servius *ad Æn. l.* 5. Peractis enim ad sepulchrum justis, convivia domi apparabantur, ad quæ Amici atque Cognati convocabantur: Senibus etiam cœna exhibebatur funebris, quæ *Silicernium* appellabatur; imò interdum populo quoque Epulum præbebatur, aut cruda distribuebatur caro, quod *Viscerationem* vocabant. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Leges XII. Tabb. *Silicernium* hoc *Circumpotationem*, Græc. *περίδειπνον*, vocârunt, sustuleruntque, verbis his: *Uti servilis unctura, omnisque circumpotatio tollatur.* Ubi tamen non omnem circumpotationem, sed servilem tantùm, sublatam esse, docet Jac. Ræyardus dicens, *Quin liberi homines, coronati parentantes, cùm supra tumulum dapes posuissent, circumpotare potuerint, nullâ lege mihi prohibitum fuisse videtur.* Certè enim Varro *Meleagris*, *Funus*, inquit, *exequiati laute, ad sepulchrum antiquo more Silicernium confecimus, id est*, *περίδειπνον*, *quo pransi discedentes dicimus alius alii, Vale.* In quæ verba Rosinus, *Significat Silicernium convivium funebre, quod apud Veter. exhiberi senibus solebat: dictum, quod cum silentio edentes cernerentur: vel propter defuncti memoriam, vel quòd cogitarent, se mox illum sequuturos; quapropter abeuntes è convivio, velut se ampliùs non visuri, mutuò sese salutabant.* *Alii aliter.* Quorum quidquid sit, factum inde, ut *Silicernium* pro Sene figuratè accipiatur. Antesignanus *in Terent. Adelph. Actu* 4. Vide quoque infrà *Strava*, it. *Tripus*: *Visceratio*. Est autem *Silex*, vel *Hilex*, ex Græco *χάληξ*, in eo à cæmento diversus, quòd *cæmentum* cædendô fit, & pars est majoris saxi; *silex* naturaliter ita reperitur, nec ex alio avellitur vel exciditur: utrique verò parvi sunt lapides, & structuris accommodati, qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 378. & *seqq.* ubi Græcorum structuram è *silice* & duro lapide fuisse, non ex quadratis saxis, inter alia addit, nec non suprà *Paries* alibique: uti de vias in Urbe *silice* sternendi ratione, à Censoribus primùm Romæ institutâ, Liv. *l.* 41. *c.* 27. ac infrà voce *Strata Mons.* it. *Viarum Cura*. de *Silicum* usu in crystallinis conficiendis, ubi de *Vitro*, de *Silice* verò quem Pessinuntii pro Deûm matre coluêre, suprà voce *Dii*: & plura de *Silicerniis* Veter. voce *Parentalia*.

SILICES, Assyriæ pop. Plin. *l.* 6. *c.* 26.

SILICEUS Martinus, vide *Martinus*.

SILICIBUS Romam fuisse stratam modò diximus. Idem affirmat Prudentius contra *Symm. l.* 1. *v.* 583.

Cuique terit silicem variis discussibus atram,

Ii unde tantâ copiâ effossi sint, adhuc ambigunt Eruditi: quô colore fuerint, an ex his Prudentii discas. Fuerunt autem tabulati, at qui apud nos silices dicuntur, aliam formam habent, nec ii scinduntur è rupibus, sed in agrorum, aut aquarum fundis colliguntur. Georg. Fabricius *Comment. ad d. l.*

SILIGINARII, in Lapide Romano: ANNONÆ. SANCTÆ. ÆLIUS. VITALIO. MENSOR. PERPETUUS. CORPORI PISTORUM. SILIGINARIORUM. dicti sunt Pistores, qui in *siligineo* pane, populo distribui solito, conficiendo occupabantur. Fuit autem hic panis Romæ inter laudatos, unde vetus Horatii Interpres *panem secundum* interpretatur, *non siligineum*, *non primum*, uti vidimus suprà; & eundem *mundas bucellas* vocat *l.* 4. *Cod. Theod. de annon. civ. & pan. grad.* Nempe cùm priùs frumentum populo distribueretur, Aurelianus Imp. primus panariam distributionem instituit. Vopiscus *in eo, c.* 35. *Non prætermittendum videtur --- Aurelianum --- bilibres coronas populo promisisse si victor rediret; & quum aureas populus speraret --- coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei vocantur, & singulis quibusque donasse: ita ut siligineum suum quotidie toto ævo suo & unusquisque reciperet, & posteris suis dimitteret.* Qua de re vide Salmas. *d. loc.* & hic passim, inprimis in vocibus *Annona*, *Gradilis*, *Panis*: de *Siligine* verò, Plinium *l.* 18. *c.* 8. & 9. & qui de *Re Cibaria* scripserunt.

SILIMNUS, vide LIMNUS.

SILINDIUM, oppidulum circa Idam, *Steph.*

SILINUS, Pausan. *l.* 5. *Selenus*, Xenoph. *Selinus* Strab. fluv. Peloponnesi, per Elidem fluens.

SILIQUÆ, porcorum cibus. Lucæ *c.* 15. *v.* 16. ubi de acolastu, qui in fame repleri cupiebat *ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι*, *Siliquis, quas porci comedebant.* Nec certè leguminum *siliquæ* (quales habent pisa, fabæ, lupini, phaseoli, alia id generis) ut nonnulli volunt, quos Græca vox *κεράτια* abundè refellit: leguminum enim siliquæ *λοβοὶ* sunt. Sed fructus arboris *ceratoniæ siliquæ digitalibus consimilis*, aut etiam ipsæ *siliquæ*. *Κεράτια* namque propriè sunt *corniculæ*, quomodo dici potuit vel ipse hic fructus, à corniculis, quæ in eo eminent; vel etiam siliquæ, quæ in modum cornuum curvatæ sunt, *falcatæ* hinc Plinio *l.* 15. *c.* 24. Simeon Sethi *ξυλοκέρατα* vocat, quia siliquæ illæ lignosæ sunt: alii *ξυλογλυκέα*, ab insigni dulcedine. Quam arborem cum Ficu Ægyptia confudêre quidam, refutati Plinio *l.* 13. *c.* 8. In Ægypto enim non nascitur, sed in *Syria Ioniaque, & circa Gnidum, atque in Rhodo*: unde *Græcam* nonnulli vocant, Columella *l.* 6. *c.* 8. Nec in Italia peregrina fuit: *Multam quoque cognata Niceæ & Maris Ligustici accolis. Nascitur & in agro Neapolitano --- In via Appia frequentissimè conspicitur. Incolæ Salequa vocant, nomine à Siliqua detorto*, Idem Plin. *l.* 15. *c.* 24. & 28. Profert autem *siliquas* æstate & auctumnô, quæ recentes ab arbore decerptæ gustus sunt ingratæ, sed diu in cratibus siccatæ adeò mites sunt, ut dulces fiant, neque insuaves: ita ut iis pro cibo utantur tenuiores. Horat. *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 123. *de Poëta*,

--- *Vivit siliquis, & pane secundô.*

Persius *Sat.* 3. *v.* 55. de Juvenibus, qui Stoicis se in disciplinam tradebant,

--- *Insomnis quibus & detonsa juventus*
Invigilat, siliquis & grandi pasta polentâ &c.

Neque verò hæ *siliquæ* simpliciter porcis dabantur, sed postquam succus ex iis expressus erat; nam ex siliquis in Syria vinum factitatum, constat. Vide plura de hac arbore & fructu, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 56. Salmas. *ad Solin. p.* 459. & *seqq.* nec non suprà, in voce *Ceratium*.

SILIQUASTRUM, vide suprà *Sellaquastrum*.

SILIQUATICUM, id apud Romanos, quod pro exponendarum mercium licentia dabatur. A *Siliqua*, primo & minimo pondere, *Spelmann.* Fuit autem *Siliqua*, vigesima quarta pars solidi, septima unciæ, scrupuli sextam partem, drachmæ verò decimam octavam conficiens, apud Romanos. Græcis verò *Siliqua*, sive *κεράτιον*, i. e. *corniculum*, *σιτάρια* 4. continebat, Angl. *two grains and eleven twelfths Troy*: signabaturque sic *κε*, Fr. Gouldmannus *Diction.* *Siliquam* auri vigesimam quartam partem Solidi facit *Nicandri Interpres*; *Ἡ οὐγγία ἔχει σάγια ἕξ, τὸ δὲ σάγιον κεράτια κδ.* *Uncia habet solidos sex, solidus verò Siliquas* 24. Inde in morem venit, ut pro semuncia, Græcus auctor *ἑξακεράτιον*, h. e. dimidiatô milliarensi, vel 12. follibus, quæ 24. pars Solidi erat, *Siliquam* diceret. Isidor. *l.* 16. *c.* 24. *Siliqua* 24. *pars Solidi est, ab arboris semine vocabulum tenens.* Ubi *Auson*, *Augustinus* nummi genus esse putat: *Scaliger* speciem argenteam nummi: *Hottomannus*, ex malè intellecto *Isidoro*, argenteum nummum facit, Lunæ crescentis sive cornutæ notâ signatum: Salmasio fuêre minutuli nummi aurei, eôdem nomine ac pondere, quô *Siliquæ* Latinis, *κεράτια* Græcis. Imò nunquam tam minutuli nummi ex auro Romanis fuêre: sed duodecim folles *Siliquam* dicebant. Claré Justinianus *in LL. rusticis*, *κεράτιον ἓν ἔχει φόλλεις δώδεκα.* Sic Georgius Cedrenus *in Leone Isauro*, ubi scribit, in Solidum pendi Milliarensem unum, pro eo mox *δικέρατον*, i. e. *duas Siliquas*, seu 24. Folles petiit. Anastasius Biblioth. *argenteum nummum reddit*; nec quidquam aliud *binæ siliquæ*, quæ appellabantur ratione auri, solvebantur autem in argento aut ære. Vide suprà in voce *Milliarensis*. *Siliquas* tres in Solidum annuas, centesimam fuisse legitimam, discimus ex Antiquo Interprete, qui Theodosii legem sub *tit. de Usuris*, quâ vetat ultra centesimam jure permissam, aliquid sub occasione necessitatis exigere fœneratores, sic explicat: *Siliquas plus quam legitima centesima continet, id est, tres siliquas in anno per solidum amplius, à debitore, sub occasione necessitatis, accipere vel auferre præsumserit*, i. e. milliarensem, & partem ejus dimidiam, 36. folles: quam *octavam Solidi* partem, dicit *Novella* 106. Calculatores *Sescunciam*. Hinc ergo *Siliquaticum*, docente magnô Cujacio *Observat. l.* 16. *c. tot.* dictum vectigal est, quod ex qualibet mercium negotiatione, nundinis fisco in solidos singulos venditor dimidium *Siliquæ*, & emtor alterum dimidium inferret. Vide Gronovium *de Pecun. vet. l.* 4. *c. ult.* Introductum autem tributum hoc est à Valentiniano & Theodosio, augendo, quod exhaustum fuerat, ærario, ut est in eorum *Novell.* 48. &c.

SILIS, vulgò SILE, fluv. Venetiæ ex agro Taurisano per Tarvisium, vel Tarvisium urb. fluens, & in mare apud Altinum delabens.

Nonnette, seu Nonnitidam, à puritate aquarum, qui urbis monti impositæ ad Meridiem fossas implens, in Isatam effluit, 10. leuc. à Lutetia in Boream 8. à Compendio in Africum 9. à Bellovaco in Eurum. Fuére autem *Silvanectes*, Plinio *l. 4. c. 17. Ulbanectes*, olim populi *liberi*, i. e. immunes beneficiô Imperatorum, qui quamvis silvis undique cingantur & annectantur, & caput *Silvanectum* inter duas silvas emineat, totusque pagus Silvanectensis silvas & montes seu saltus habeat: tamen gentis nomen Gallicum potius, quàm Latinum Valesio videtur, qui quoque pagum hunc olim à Gallis *Servoir* mutilatô nomine dictum putat, occasione vici *la Chape en Servois*, aliâ *la Chapelle*, 3. circiter leucis ab urbe Silvanectis dissiti, *Notit. Gall.*

SILVANI Lucus, in Thuscia, apud Cæcinis fluv. fontes.

SILVANII. *Vide Sylvanii.*

SILVANUS, quivis sylvester Dæmon apud Gentiles, uti Passeratius notat ex Glossographo *ad Propertium l. 4. eleg. 4.* Hinc & Plutarchus *in Parallelis* cum Pane eundem facit. Virg. verò distinguit *Georgic. l. 2. v. 494.*

Panaque, Silvanumque patrem, Nymphasque sorores.

Ubi Servius, *Pan Syringam amavit, Silvanus autem Cupressum.* Unde apud eundem Poëtam hic cupressum ferens introducitur, *Georgic. l. 1. v. 20.*

Et teneram ab radice ferens Silvane cupressum.

Qui proin *dendrophoros* in *veter. Inscr.* dicitur. At Pan cum fistula & pedo & corona e pinu & pelle hinnuli formabatur. Sic Faunos à *Silvanis* discriminat Ovid. *Metam. l. 1. v. 192.*

Sunt mihi semidei, sunt rustica Numina Fauni,
Et Nymphæ Satyrique & monticolæ Silvani &c.

Triplicem verò *Silvanum* facit Macrobius, & Auctor *lib. de agrorum fin. Domesticum, possessioni consecratum; Agrestem, Pastoribus; & Terminalem, cui lucum in confinio dedicabant.* Atque hic propriè *Silvanus*, qui primus in terra lapidem finalem posuisse olim creditus est. Alius ab eo Mars est cognomine *Silvanus*, i. e. Mars Rusticus seu Silvestris: Uti & Hercules *Silvanus*, apud *Victorem, Rusticus* indigetatur *Lampridio*. Qui Hercules similiter à *Silvano Patre*, quem Αἰγιπάνα Græcis dictum vult Plutarchus, diversus est, licèt plerumque ambo σύνεδροι & σύνναοι ponerentur. Hinc in *antiqq. Inscriptionibus* legitur, SILVANO ET HERCULI, & in aliis, *HERCULI ET SILVANO*: quomodo & cum Marte conjungebatur. Potiùs *Hercules Silvanus* cum *Marte Silvano* idem: nam Herculem & Martem apud Pontifices eundem habitum, notat Macrob. *l. 3. Saturn. c. 11.* Sacris etiam, quæ pro bobus, ut valerent, Marti Silvano fiebant, mulier adesse vetabatur, ut nec sacris Herculis interérat, vide Catonem *c. 83.* & plura hanc in rem, apud Claud. Salmas. *ad Solin. p. 414.* item voce *Sylvanus.*

SILVANUS, prænomine *Julius*, Gallus, Boniti Ducis fil. sub Constante, exercitibus in Galliis præfuit, Gallô dein Cæsare à Constantio occisô, Imperator in Gallia dictus, die 28. Imperii, à Legionibus, à quibus præsidium speraverat, peremptus est. Ejus memoriam servat nummus, cum *Inscr.* DN. FL. SILVANUS P. F. AUG. de quo aliisque nonnullis Burdigalæ effossis, in quibus *Silvani* & Constantis Cæsaris imago, vide Arn. Ferronum *Consuet. Burdigal. l. 2.* & Car. du Fresne *Dissertatione de infer. ævi Numism. n. 59.* nec non suprà, voce *Julius*

SILVANUS, vide *Pompejus*, it. *Pomponius.*

SILVINIACUM, vulgo SOUVIGNY, locus seu villa Galliæ, inter Burbonem Erchembaldi & Molinas siti, in pago Burbonensi: inter 5. Prioratus Ordinis Cluniacensis quartus. Item villa pagi Tornodorensis, vulgò *S. Vertuz*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SILVINUS Rhetor, jussu Anton. Heliogabali occisus, memoratur Lampridio *in Heliogabalo, c. 16. Removit & Ulpianum, ut bonum virum, & Silvinum Rhetorem, quem Magistrum Cæsaris fecerat. Et Silvinus quidem occisus est, Ulpianus verò reservatus.* Ad quem locum notat Casaubon. membranas constanter *Salvinum* habere.

SILVIUM, oppid. fuit Apuliæ Peucetiæ, 20. mill. pass. à Venusia in Ortum, Tarentum versus. Populi *Silvini* Plin. *l. 3. c. 11.*

SILURA, insula in Oceano Britannico (ut inquit Solinus c. 25.) cujus homines nummos respuunt. Dant itaque res & accipiunt mutationibus.

SILURES, qui SILYRES *Ptol.* Populi fuére Albionis inter Demetas ad Occasum, & Atrebatios in Ortum, quorum regnum seu tractus *Wenceland*, teste Lelandô, aliàs *Southwales*, quorum urbs *Venta Silurum* vocatur. *Silures* autem *Camdenus* statuit in Herefordia, Radnoria, Brechinia, Monumethia, & Clamorgiana. *Baudrando* fuére inter Demetas ad Occidentem, Dobunos ad Ortum, & Sabinæ æstuarium ad Meridiem, ubi hodie Wallia meridionalis.

SILURUM Insulæ, vulgò *The Sorlings*, & Anglicè *Silley*, teste *Ortelio*, ab occiduo Angliæ promontor. 6 leuc. German. distantes inter Waterfordiam urb. Hiberniæ ad Boream 34. & Senam insul. Britanniæ minoris vicinam Gobeo promontor. 16. Vide Bochart. *de Phœn. col. l. 1. c. 39.* *Baudrando* insulæ parvæ Angl. in Oceano Virginio, plures numerô, sed parum inter se distantes, 60. mill. pass. à Bolerio promontor. in Occasum, 120. à Corcagia urbe Hiberniæ in Meridiem Gobæum promontor. versus 140. Earum præcipua est S. Maria, ubi castrum munitum. Reliquæ sunt Anothia, S. Agnes, Sampson, Sillina, Bresaria, Ruscovia, S. Helena, S. Martini, Arturii, & Minan Vithan.

SILURUS, Græcis Alexandrinâ voce Σίλουρος, inter Nili pisces, memoratur *l. 17.* Strabonis, unde *Pharia merx* & *municeps Crispini* Alexandrini dicitur Juvenali *Sat. 4. v. 32.*

Nunc princeps equitum, magnâ qui voce solebat
Vendere municipes Pharia de merce siluros.

Plinio inter eos pisces amnicos, qui maximi evadunt, numeratur *l. 9. c. 15.* ubi tamen eum pro *lato*, iidem Nili incolæ, quem Græci γλάνιδα vocant, *silurum* sumere, ait Salmas. De eodem Ausonius in *Mosella*, v. 135. namque & in aliis illi amnibus,

Nunc pecus æquoreum celebrabere, magne silure,
Quem velut Actæo perductum pectora olivo
Amnicolam delphina reor, sic per freta magnum
Laberis, & longi vix corporis agmina solvis.

Item, v. 144.

Talis Atlantiaco quondam balæna profundo.

Et verò silurum Poloni *sum*, Suevi *waller* & *walr*, quasi *balænam* appellant, propter immensitatem. In Viadro Silesiæ amne tantus est, ut currui impositus plerumque extra emineat. In Albi Germaniæ longitudo est trium ulnarum, pondus librarum 120. In Tibisco Daciæ flumine & Hungariæ lacu *Peiso*, siluros reperire est longos 8. cubitos, graves libras 150. In Vistula Poloniæ, captus est unus qui æquabat sedecim pedes. Protelis boum è Danubio extrahi ait Plinius *l. 9. c. 15.* i. e. boum tractibus: quod Ælianus multis explicat *Histor. l. 14. c. 25.* Nec verò robore minùs, & audaciâ, quàm mole, constat. Plinius, grassari ubicunque est, omne animal appetere, equos natantes sæpe demergere, ait. Unde Bohemorum proverb. *Pisces piscem invadit, silurus omnes.* Immensa scil. ei est voracitas, rictus ingens, labia aspera in limæ modum, *ea aspectus atrocitas, ut terrorem etiam mortuus spectantibus afferre videatur*, Vide Ambrosium *Hexaëm. l. 5. c. 5.* & Manardum, qui etiam in homines eum insurgere affirmat: hinc ἀνδροφάγον dictum Pausaniæ *Messeniacis*, ubi eum in Indo & Nilo, Rheno & Danubio, Euphrate & Phaside, reperiri tradit. Cæterùm illius carnem recentem & salitam in cibum sumi, legimus apud *Dioscoridem, Plinium, Athenæum, Alios.* Judæos tamen Constantinopoli ejus esu, tanquam immundi, abstinere, quòd glaber sit & squamis careat, tradit *Bellonius.* Ejusdem suffitu dæmones pelli, credidit Veterum superstitio &c. E quibus omnibus, hunc Tobiæ piscem fuisse, contendit Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 5. c. 15.* cui, quod nominis originem attinet, piscis hic Græcè σίλουρος idem est, quod ψίλουρος, *cauda glaber*, vel *cauda tenuis*, quia, cùm caput amplum habeat, desinit in caudam tenuem, anguillæ more. Vide quoque Salmas. *ad Solin. p. 1314.* & suprà voce *Protelum*, infrà etiam aliquid voce *Suarib.*

SILYS, Scythiæ Europææ fluv. idem qui Tanais, & Jaxartes, teste Pliniô, *l. 6. c. 7.* & *16.*

SIM, oppidum Phœnices ad Libanum montem, Arcæ urbi proximum.

SIMÆTHA, scortum Megarense, quod inde aliquot adolescentes ebrii rapuerunt. Hanc putatur adamâsse Alcibiades & quosdam induxisse, ut raperent. Megarenses hinc, dolore iracundiæ permoti, Athenas proficiscuntur & Aspasiæ duas meretriculas vicissim abripiunt. Unde belli Peloponnesiaci principium erupit.

SIMÆTHUS, Siciliæ fluv. non procul à Catanensi urbe, fluit enim in agrum Catanensem, teste Strab. *l. 6.* Græcè Σύμαιθος ποταμὸς; Latini posteà simpliciter suis literis scripserunt *Simætus*, unde tandem factum *Simetus*: Alii hinc Grammatici, vel exscriptores, quibus dictitatum fuit apud Virgilium atque Ovidium, ac Macrobium idem vocabulum, fecêre *Simæthus*, & *Simethus*, ac *Symetus*, ut variè eorum auctorum varia referunt exemplaria. Apud *Ptolem.* legitur Σιμαίθου ποταμοῦ ἐκβολαί. Sed Συμαίθου scripsisse ipsum Ptolemæum, argumento est vocabulum oppidi mediterranei apud eundem Δύμαιθος, quod & ipsum corruptum à Σύμαιθος, seu rectius Σύμαιθος; unde oppidani *Symæthii*. Apud Theocritum antiquissimum poëtam, natione Siculum, *Idyllio* 2. nomen mulieris ab hoc fictum legitur Σιμαίθα; quanquam eôdem nomine memoratur meretrix Megarensis, Alcibiadis amica; *Hesychio, Suida, Phavorino*, & aliis. Porro Virg. *Æn. l. 9. v. 581.* ita canit:

Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Iberâ,
Insignis facie; genitor quem miserat Arcens
Eductum Martis lucô, Symæthia circum
Flumina, pinguis ubi, & placabilis ara Palici.

Ad quæ ita *Servius*: *Symæthus fluvius est Siciliæ, à rege Symætho dictus, haud longe ab urbe Catinensi: circa quem sunt Palici Dii.* Vibius *in Catalogo*: *Simetus* Siciliæ, vicinus Palicis. Ovid. *Fastor. l. 4. v. 472.*

Quæque Simethæas accipit æquor aquas.

Idem *l. 13. Metam. v. 749.* nympham ei adfingit *Simethidem*:

Acis erat Fauno, nymphâque Simethide cretus.

Hinc de eodem Acide ita posteà, v. 879.

Terga fuga dederat conversa Simethius heros.

Silius *l. 14. v. 230.*

Qui fontes Vagadrusa tuos, & pauperis alvei
Hipparin, ac facilem superari gurgite parco
Pantagiam, rapidíque colunt vada flava Simethi.

De nomine Bochartus, *l. 1. Chanaan, c. 28.* ut Adranus (inquit) in Cyamosorum, ita Cyamosorus in Symæthum influit, amnem Siciliæ, totius insulæ amplissimum, de quo sic Cluverius *l. 2. c. 10.* *Symæthus igitur esse deprehenditur is, qui non modo hoc Pelorum inter Pachynumque litore, sed totius insulæ maximus, &c.* Itaque tam à magnitudine sumptum est *Symæthi* nomen, quàm insulæ *Samathus*, de quâ *Stephanus*: Μάγνης, νῆσος, Ἀλέξανδρος ἐν τρίτῳ Λιβυκῶν, ὁ ἐκ τῆς Λιβύων φωνῆς Σαμάθου ὅ ἐστι μεγάλη. Pro *Symætho* autem

tem & *Samatho*, Afri, hoc est, Pœni dicebant עצומת *Asumath*, & עצמת *Asamath*, vel etiam *Sumeth*, & *Sameth*, per aphæresin apud illos receptissimam. Radix עצם *asam* Hebræis *numerosum esse* significat. Sed verbum discretæ quantitatis translatum est ad continuam. Hæc ille. Subdit, *Τοὺς ἐν Συμαίθῳ κεστρεῖς*, *in Symatho mugiles*, qui hodieque sunt in pretio, commendat Athen. *l.* 1. Itaque in loco ex Cyclope Antiphanis, quem *l.* 7. idem citat, omnino legendum, *ἕνα δ᾽ ὑμῖν κεστρέα Συμαίθιον*, non *Τμώλιον*, ut habent nostri codices. Quis enim mugiles procreari dixerit in Atticæ monte Hymetto? Sed neque mendô vacat quod in Polluce legere est, *κεστρεὺς ἐκ Σκιάθου*. Et in Clemente Alexandrino *l.* 2. *Pædag.* Τὰς ἐν Σκιάθῳ κεστρεῖς. Utrobique enim *Scyathus* est pro *Symætho*; sed hæc obiter. *Lloyd. Brietio* aliisque hodie *Jaretta* dicitur, recipitque aliquot fluvios, & Vallem Demonæ à Neetina separans, infra Murgantium, in mare Siculum se exonerat, 8. mill. pass. à Catana in Africum. Hujus sunt *Canal Calcagno* ex quinque fontibus scatet, apud Menas oppidum. *Ferrar.*

SIMANA, urbs Bithyniæ inter 2. fluvios, *Stephan.*

SIMANCAS Jacobus Episcopus Pacensis, scripsit *Catholicas Institutiones.*

SIMANTRUM, Græcè *Σήμαντρον*, vulgò *symandrum* Græcis, unà cum Hagiosidiro, campanarum locô est: à convocandis coadunandisque hôc *signi* datô hominibus, denominatum. Hujus usum Sacerdotes nonnulli Fammodustani in Ecclesias inde invectum Hier. Magio dixerunt, quòd Noë in Arca instrumentum non absimile ad convocanda bruta usurpaverit. Sed potior Magii conjectura, qui ab initio constructis Cœnobiis, sub Ethnicis Principibus Græciæ imperium obtinentibus, æreis tintinnabulis, quòd eorum sonus & securitatis & auctoritatis index esset, Græcos abstinuisse, & Symandri usum excogitâsse, existimat: quem posteà, ex consuetudine voluptate conciliatâ, succedentia Christianorum Principum tempora adeò non excusserunt, ut campanis novissimè in multa Græcorum templa (quæ in Orbe Christiano sunt, reliqua enim campanis Turcæ carere jubent) invectis, *Simantrorum* tamen usus juxta illas semper manserit superstes. Est autem *Simantrum* tabula lignea latitudine digitorum plus minùs quinque, crassitie sesquidigiti, longitudine fere pedum 14. è præduro, &, quantum materia patitur, sonoro ligno compositum: Capita foramina habent nonnulla, pennæ anserinæ calamove scriptorio pervia; in medio tenuis est funiculus. Itaque qui populum ad Templum convocaturus est, antelucanis horis ante fores Templi vel editô locô tabulam malleis duobus itidem ligneis pulsat, non sine aliqua ratione Musica, atque ita in gyrum sensim vertitur, quà re fit, ut gravior cum non ingrata raucedine sonus edatur. Tabula verò, quà arctior est, quasi libræ scapus, in sinistro pulsantis humero quiescit; ac ne pulsando dilabatur, funiculô mordicus apprehensô retinetur; manibus enim non licet, tum quòd, eà apprehensâ, sono non parùm decedit, tum quia utraque manus malleô impeditur: Ita enim ambabus manibus percutitur, ut nunc quædam frequentamenta, nunc quasdam quasi pausas audias, Vide Hier. Magium præf. de *Campanis c.* 15. ubi & *simantri* hujusmodi, seu semanterii, iconem exhibet. Præter hoc *Μέγα σήμαντρον* memoratur *in Typico Sabæ c.* 5. quod, sex palmos quandoque latum, unum crassum, triginta longum, in turribus, catenis ferreis, suis extremitatibus appendebatur. Vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce inprimis Ξύλον, & hic passim, inter alia voce *Xylum*. Utrumque dictum à *σημαίνω*, *tintino*.

SIMBRIVIUS, vel SIMBRUVIUS, lacus in Tiberim defluens, per quem Anio ferebatur, inter Tybur & Marsos, apud Sublaqueum oppid. Silius *l.* 8. *v.* 369.

Quique Anienis habent ripas, gelidòque rigantur
Simbruviò. ------ ------

Ubi tamen Lipsius ex Livii *l.* 8. mavult *Imbruvio*: itaque reponit in Tacito *l.* 14. *Annal. c.* 22. Simbruvii autem gelu fanum pronunciant medicorum filii. Celsus *l.* 4. *c.* 5. *Consistere in gelidis, medicatisque fontibus quales Cutilianarum, Simbruvianarumque sunt, salutare est. Nic. Lloyd.*

SIMENA, urbs Lyciæ, *Stephan.*

SIMENI, Albionis insulæ populi, *Ptolem.* quorum oppid. *Axon*, teste, *Lelando*, ad Alænum fluv. in finibus Damnoniorum, *Hamshirenses* verò sunt Nevyllio. *Baudrando* iidem, qui Iceni, in ora Oceani Germanici ubi Norfolcia nunc & Sufolcia.

SIMENUS, cælator argenti, Plin. *l.* 34. *c.* 8.

SIMEON, Patriarcha, secundus Jacobi filius, ex Lia uxore, natus A. M. 2284. Gen. *c.* 29. *v.* 33. Cum fratre Levi, Sichemitas perdidit: Gen. 34. *v.* 25. 30. & *c.* 49. *v.* 5. in tantum filios & nepotes suos propagavit: ut de tribu ejus, ad montem Sinai, numerati & inventi sint viri apti ad pugnam 59. millia trecenti, quibus omnibus in deserto mortuis, ipsorum filii bellatores 22. millia ducenti in terra promissionis, proprium funiculum non sunt consequuti, sed pro hæreditate ac possessione sua obtinuerunt de terra tribui Juda priùs assignata, cis Jordanem, terram Australem. Obiit. A.M. 2403. Fuit & nomen senis cujusdam, qui Christum Dominum nostrum suscepit in ulnas, cùm inferretur in templum. Ejus canticum vide Luc 2. *v.* 29.

SIMEON, Bulgarus, ab obsidione Constantinopoleos à Zoe Imperatrice amotus. A. C 913. eidem Adrianopolim captam vendidit, Zonar. *tom.* 3. Vide *Simon.*

SIMEON, Cleophæ fil. & 2. Hierosolymorum Episcopus, per martyrium carnis vinculis resolutus est. Nam à quibusdam hæreticis accusatus fuit, tanquam Christianus, & multis suppliciis afflictus per multos dies, ita ut etiam judex ipse cum amicis suis ejus patientiam miraretur, & ad ultimum juberet eum simili, quam Dominus pertulit, passione vitam finire, A. C. 109. ætat. 120. Vide Eufeb. *l.* 3. *c.* 22.

SIMEON, Patriarcha Hierosolymitanus, tempore urbis à Godofredo Bullionæo captæ.

SIMEON Doran, scripsit in Africa *Magen avot*, h. e. Scutum Patrum &c. anno 5111. juxta *Ganzium* cit.

Rabbi SIMEON, fil. Hillelis senioris, pater fuit Hillelis junioris, princeps Senatus, ac quibusdam idem cum *Simeone* cognomine *Justo*, qui puerulum Jesum ulnis excepit, Lucæ *c.* 2. *v.* 28. Sed sine ratione, uti docet Vorstius *ad Chronologiam Rabbi Dav. Ganz.* Item fil. Gamalielis senioris interfectus tempore excidii Hierosolymitani à Romanis. Alios ejusdem nominis Rabbinos, vide *ibid.* inter quos eminet *Simeon* fil. Jochai, qui librum *Zohar* incepit, circa annum 881. Millen. IV. juxta ejusdem calculum.

SIMEON Dunelmensis, vel de Durham, Anglus, Mathematicus & Historicus insignis: Continuavit Historiam Bedæ, usque ad An. C. 1130, libris 2. quibus complexus est, *gesta Regum Anglorum*, per Ann. 400. Scripsit quoque historiam Ecclesiæ Dunelmensis, cujus præcentor erat, ut & Episcopus Eboracensium, &c. Vixit adhuc A. C. 1160. Lelandus, Pitseus & Baleus, *de Script. Magn. Britann.* Possevinus Gesnerus, Vossius, &c. *Nic. Lloyd.*

SIMEON, *Fidatius*, vel de Cassia, Italus, Ordinis S. Augustini; Scripsit *de Gestis Domini Salvatoris, libros* 15. *de B. Virgine, &c. Sabell. Volaterr. Simler.* Pamphilus, *de Vir Ill. Ord. August. &c.*

SIMEON Magister & Logotheta, inter Collectores aut Epitomatores Canonicos celebris, floruit seculô XII. Edidit *Epitomen Canonum*, in qua, præmissis Canonibus Apostolicis, quatuor Concilia Oecumenica subjungit, his subjicit particularia Ancyranum, Sardicense, Gangrense, Antiochenum & Laodicenum, cum Canonibus Africanis XXCIV. & Trullensibus, tribusque Epistolis Canonicis Basilii. Cœterùm *Artis prorsus est expers, & tantum ad memoriam scripta collectio*, Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 290. & *seqq.* Vide quoque Christoph. Justellum *Biblioth. Juris Canon. veter. tom. II.* ubi hæc collectio Græcè & Latinè exhibetur. Mirum verò Leonem Allatium *Diatr. de Simeonibus & eorum scriptis*, hunc Magistrum prætermisisse.

SIMEON Metaphrastes, sic dictus, quia vitas Sanctorum scripsit, floruit seculô 10. sub Leone Philosopho & Constantino Porphyrogeneta: stirpe illustris, Imperatori à secretis: à quo missus in Cretam, cui Saraceni imminebant, adversô ventô in Insulam Parum ejectus est. Ibi cùm incidisset in Eremitam quendam, rogatu ejus, vitam Theoctistæ, virginis Lesbiæ descripsit, hâcque dulcedine motus, etiam reliquorum Sanctorum vitas orsus est, sed in plurimis nimium credulus fuit, Michaël Psellus, Voss. de *Histor. Gr. l.* 2. *c.* 25. Leo Allatius *dissert. de Psell.* Hunc malè quidam confundunt, cum Juniore Theologo, qui 33. *homilias de Fide & Virtutibus Christianis* composuit, à P. Pontano editas: vixitque A. C. 1150. Item, cum Logotheta, auctore *Chronici* & 24. *Orationum* ex Basilio Cæsariensi, depromptarum. Item, cum Archiepiscopo Thessalonicensi, qui floruit, A. C. 1140. *Voss.* Theophilus Rainaldus, *in Erotem.* Allatius *dissert. de iis*, quibus Simeonis, Simonis, Simonidis & Simonyctidis nomen fuit. *Lloyd.*

SIMEON Stylites, Eremita: stetit in columna 36. cubitorum Ann. 80. in precibus continuus, in jejuniis admirandus. Obiit, centenariô major, A. C. 460. Ut miraculo vivus, sic Leoni Imperatori & Antiochenis mortuus materia rixæ fuit. Euagr. *Hist. l.* 1. *c.* 1. 13. Theodoret. *c.* 26. Phot. *cod.* 250. *Cedrenus, Glycas, Nicephorus, Metaphrastes*, &c. Item, cognomine Junior, seculô 6. cujus epistolarum unam citatam legimus 2. Concil. Niceno, *act.* 5. Euagr. *l.* 6. *c.* 22. *&c.* Prioris epistola extat, ad Basilium Archiepiscopum Antiochenum: illa verò, quam ad Leonem Imperatorem de Concil. Chalcedonensi, ab eo consultus, exaraverat, deperdita est.

SIMEONIS Gabriel, Vide *Gabriel.*

SIMERON, filius Issaschar, Genes. *c.* 46 *v.* 13.

SIMETOS. Vide *Simathus.*

SIMI, Græcè *Σιμοί*, apud Agatharchidem *c.* 26. ubi de Struthophagis, *Πολεμοῦσι δὲ τούτοις οἱ Σιμοί. ὅπλοις δὲ τοῖς τῶν ὀρύγων κέρασι χρῶνται μεγάλοις, καὶ τετελειωμένοις*, *Illis bella inferunt Simi; qui pro telis utuntur orygum cornibus, grandibus illis & ad incidendum peracutis.* Æthiopes sunt, Struthophagis vicini, aliàs *Auxumitæ* dicti, ut præter locorum situm, in *Ptolemæo*, *nomenclatura* suadet. Nam *Auxume* Arabicè est *Chascum*, uti totus Oriens vocat, Hispani *Chaxumo* scribunt: quô nomine vel *nasi simitas* significatur, vel vitium illi proximum, nempe cùm odoratu caret nasus, propter fractam aut depressam in summo naso cartilaginem, quod cùm *simis* sæpe accidat, Græci vetustiores, pro *Caschumis Σιμούς*, i. e. *Simos*, appellârunt: uti, præter Agatharchidem, illos vocat Diodorus *l.* 13. ubi pro *Simis* Struthophagos orygum cornibus malè instruit, & Strabo *l.* 16. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 27. & suprà *Silenus.*

SIMIA, Ægyptus olim pro Numine, à quibus ad Pithecusios earum cultus pervenit, teste Diodorô Siculô *l.* 20. ubi *Simias* apud illos easdem cum hominibus domos frequentare, paratos in cellis penariis cibos sumere nominaque ut plurimùm ab illis Parentes suos liberis imponere, inter alia refert: Additque, *in eos, qui animal hoc interfecerint, ut nefariæ impietatis reos, capitis suppliciô animadverti, hincque Proverbii vicem obtinuisse, quod in magnificè sese efferentes dicitur, Simiæ cruorem bibisti.* Vide & Lucianum *Deorum Concil.* In Orientali hodieque India Cercopithecum coli, Balbus *Itiner. suô* ex eo colligit, quòd itinere à *Mecao* ad *Pegu* inter idola, quæ *Pagodi* incolis vocantur, repererit multa cercopithecorum simulachra: at circa templa, quæ iisdem *Varelle* nuncupantur, cercopitheci servenrur alligati. Maffæus quoque *Histor. Indic.*

Indir. l. 2. commemorat Fanum pulcherrimum *Simiæ* dicatum: Narratque Joh. Hugo Linschotanus, ut Lusitani A. C. 1554. captâ Insul. *Seylon*, non contenti eam vastâsse, etiam templum in vertice *Pico d'Adam* spoliare proposuerint, sed nihil repererint nisi cistulam aurô gemmisque insignem, in quâ *Simiæ* dens asservaretur. Hunc igitur abstulisse, magno cum dolore Regulorum ejus loci; emissosque ab iis Legatos, qui Lusitanis pro dente offerrent septingenta ducatorum millia: nec abhorruisse à venditione Lusitanos, sed dissuasum id iis ab Episcopo Casparo, qui nefarium ajebat, hôc pactô fovere horrendam Indorum idololatriam: eoque dentem cum cremâsse, ac cineres in marinos fluctus projecisse. Eodem referas osseas inaures Brasiliensium, *Nambipaya* dictas, quæ nihil aliud sunt, quàm cercopithecorum ossa perforatis auribus, summi ornatus ergô, inserta, apud Georg. Marcgravium *de vestitu & ornatu Brasiliens. l. 8. c. 6.* Vide inprimis Petrum de Valle *Itiner. l. 4.* Cæterùm, quòd ingeniosè adeò omnia imitari soleat, posterioribus Græcis *Μιμώ* hoc animal dictum est. Est enim adeò docile, ut & discat latrunculis ludere: quod ex Muciano ter Consule Plin. narrat *l. 8. c. 54.* & galeâ parmâque armatum, ab hastis dextrè se defendat. Martial. *l. 14. Distichô* 202.

Callidus emissas eludere Simius hastas.

& capellæ inequitare, indeque jaculari assuescat, Juvenal. *Sat.* 5. v. 154.

Qui tegitur parmâ & galeâ, metuensque flagelli
Discit ab hirsuta jaculum torquere capella.

Ubi *flagelli* meminit Poëta, quòd eô soleant officii admoneri &c. Vide Ælian. *Histor. Animal. l. 5. c. 26.* & *l. 7. c. 22.* Jan. Rutgersium *Var. l. 3. c. 15.* Erasmum *Colloq. de Amicitia*, Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. l. 3. c. 59. & 75.* Alios. Porrò, amore erga fœtum cedunt nulli: sed dum nesciunt modum, catulos *magna ex parte complectendo necant*, Plin. *l. 8. c. 54.* Non utrumque tamen fœtum enecant, sed geminum parientes, alterum duntaxat, ut Oppianus ait *Kyneg. l. 2.* Item Orus *in Hieroglyph.* & Avienus *in fabulis Æsopeis*: inter quos tamen non convenit, utrum amore an odiô? priorem interimant. Sed prius non paulo est verisimilius. Romani nihilominus alteram videntur sententiam sequuti, cùm *Simiam* unà cum parricida culeo insuerent. Illi enim primò istiusmodi scelera absque comitatu ullo insuerunt, dein serpentes, postea *Simias*; tandem quoque gallos gallinaceos, addiderunt. Et de *Simia* quidem Juven. *Sat.* 8. v. 213.

Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, *non serpens unus.*

Et *Sat.* 13. v. 156.

Vel deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia Simia *fatis.*

Nomen à *simis* naribus &c. Vide Plin. *l. 8. c. 54.* Thom. Dempster. *in Rosini Antiqq. Rom. l. 8. c. 25.* Sam. Bochart. ubi suprà *l. 3. c. 31. de Simiis è Tarsis advectis*, 1. Regum. c. 10. v. 22. & 2. Paralipom. c. 9. v. 21. nec non suprà, in voce *Pakoti, um, usa*, & infrà *Sus alba.* Addo hic saltem, apud Aristotelem commemorari tria *Simiarum* genera, quorum primum simpliciter *πίθηκον*, *Simiam*, caudæ scil. expers, & proin ab attritis clunibus *Clunam* Festus, alterum *Κῆβον* seu *κῆπον*, aliàs *κερκοπίθηκον*, i. e. *Simiam caudatam*; tertium *Κυνοκέφαλον*, vocat *Histor. Animal. l. 2. c. 8.* de quibus duobus posterioribus diximus, voce *Cebus*, it. *Cepus* & *Cercopithecus.*

SIMIA sui temporis, Titianus Orator dictus memoratur Capitolino *Maximino Jun. c. 1. Usus est — oratore Titiano filiô Titiani senioris, qui Provinciarum libros pulcherrimos scripsit, & qui dictus est* Simia temporis sui, *quod cuncta imitatus esset.* Non enim is solùm Marci Tullii epistolas imitatus est, quod inceptum cùm minùs feliciter ei cessisse videretur, à Frontonianis (à Cornelio Frontone denominatis) æmulis suis eô dictô percussus est, ut habet Sidonius Apollin. *l. 1. Ep. 1.* Sed multa insuper in diversissimo genere scripsit, ut *Orationes, Epistolas, Controversias*, sive *Themata ex Virgilio, Rhetorica, Chorographiam, de Re Rustica*; quorum omnium apud Veteres factam mentionem invenimus. Casaubon. *ad loc.*

SIMICHIDAS, pastor quidam apud *Theocritum*, quem Enarratores ipsius Theocriti patrem dicunt fuisse.

SIMIGIENSIS Comitatus *de Zegzard*, pars Hungariæ inferioris sub Turcis, inter Tolnensem Comitatum ad Ortum, Albensem ad Boream, Posegiensem ad Austrum, & Volceam paludem ad Occasum. Ejus caput est *Dombo*, oppid. ad Sarvitium fluv.

SIMILÆ Lucus Romæ, Liv. *l. 39. c. 12.* ubi Bacchanalia fiebant. *Semelis* S. Rufus in 11. regione.

SIMILIS, ex qua familia prognatus, incertum est; floruit autem sub Adriano principe, cæteros illius præfectos ætate & honore antecedens. Centurio cùm esset vocatus in consilium, ante præfectos: *Turpe est* (inquit) *O Cæsar, te cum Centurione disserere, præfectos verò non admitti.* Præfecturam demum invitus accepit, quam tandem deposuit, vacatione datâ: Vixque dimissus in agro 7. annis, quod reliquum vitæ fuit, in otio & quiete exegit, atque hæc moriens sepulchro inscribi jussit: *Similis hic jacet, cujus ætas quidem multorum annorum fuit, septem tamen duntaxat annis vixit*, Dio Cassius *in Adriano.*

SIMITTU, *Anton.* oppid. erat Africæ mediterraneum, *Simittuense* oppid. Plinio, *l. 5. c. 4.* *Simisthuh Ptolemæo*, à Bulla Regia 6. mill. pass. Hipponem versus 80. *Simisthes* in aliis codicibus legitur. *Ferrar.*

SIMLERUS Josias, Theologus Tigurinus, Capellis natus est, Helvetiæ cœnobiô, juxta Tigurum, ubi Petro Martyri postea successit. Scripsit *Commentar. in Exodum, fol. De Rep. Helvetior. libros* 2. *de Alpibus quoque & Vallesia Comment. &c.* Vir non minus pietate, quàm eruditione inclytus, Humfred. *Animi candore, & omnigena eruditione præstans*, Thuan. Obiit A. C. 1576. ætat. 45. Mathematum quoque, ut & aliarum artium, quæ Theologiæ ancillantur, apprimè illum peritum fuisse, refert Melchior Adami *in vitis Theolog.* Vide Thuan. *Hist. l. 62.* Gul. Stuckium *in vita ejus, &c.* Operum suorum Catalogum ipse confecit in *Epitome Biblioth. Gesner.* Vide quoque *Effigies* Verheiden, *Scaligeran.* & Anton. Teissier *Elog. Part.* 1. ubi varia illum Bullingeri aliorumque Auctorum scripta in lucem edidisse, reliquisse etiam Dialogum de Quæstione, *Utrum campanæ pulsu meridiano vespertinoque audito, detecto capite orandum sit?* sed adhuc ineditum, addit: adde Paul. Freherum *Theatro Viror. eruditione clarorum.*

SIMMERA, vulgò SIMMEREN, oppid. Palatinatus Inferioris caput Principatus, cum arce splendida, 8. milliar. Germ. à Moguntia in Occasum, uti 4. à Bingio, 5. à Confluentibus in Meridiem. Nuper sub Principe proprio, nunc Electori Palatino accessit: postquam Ludovicus Henricus Princeps, Friderici V. Elect. Palatini & Bohemiæ Regis, ex fratre Ludovico Philippo nepos, fatis concessit improlis, A. C. 1673. Sed & *Simmerensem* lineam jam olim orsus est Stephanus, fil. Ruperti Imperatoris frater Ludovici, cui Electoratus obtigit. Cujus posteritate in Ottone Henrico, A. C. 1559. extinctâ, successit in Electoratu, ex Simmerensi linea, Frider. III. Vide Spener. *Syll. Geneal. Hist.*

SIMMERII Portus, vulgo SIMMERSHAVEN, oppid. Scaniæ, cum portu, in ora maris Baltici 5. milliar. German. à Christianostadio in Meridiem, 8. ab Elleboga in Ortum.

SIMMIA Vallis duplex, in agro Bernensi, superior & inferior; Utriusque Præfecti Castellani, vulgo *Schachtlan* vocantur. Vide Simlerum *de Rep. Helv.*

SIMMIAS, Philosophus Thebanus, scripsit dialogos 23. qui ordine à Diogene Laertio *l. 2. vit. Phil.* commemorantur.

SIMMIAS, Orbis universi periplum composuit, ut cognoscimus ex epitome undecim librorum Artemidori Ephesii. Alius est Simmias, patriâ Rhodius, Samius origine Olymp. 1. Poëta, scripsit, *Ὠὸν*, & *πτέρυγας*, quæ Salmas. notis illustravit. Idem antiquitatum Samiarum auctor videtur, Suid. *in Lex.* Tzetzes *Chil.* 7. *Hist.* 144. Parthen. *Hist.* 33. Item alius, Grammaticus Rhodius, Strabo *l. 4.* Vide Voss. *de Poetis Græcis p.* 59. 60.

SIMMIAS, nobilis Macedo, familiarissimus Philotæ, & ideo conjurationis suspicione inquinatus, sed ab Alexandro absolutus Curtius *l. 7. c. 1.*

SIMO, nomen Delphinis impositum à Romanis, à *simis naribus*, quô illos mirè delectari, tradit Plin. *l. 9. c. 8.* *Dorsum iis repandum, rostrum simum. Qua de causa nomen* Simonis *omnes mirè modô agnoscunt, malunique ita appellari.* Mirum, si verum. Sed quis credat, pisces naturâ Græcè intelligere, vel Latinè? Fidem tamen Plinio habuit Cardanus *de Var. Rer. l. 7. c. 37.* ubi rationem istiusmodi adducit: *Delphines*, inquit, *Simonis quodam consuetò nomine gaudent: quoniam consuetudinis vestigia, velut in cera formæ, inhærent in animalibus. Unde columbæ in quibusdam Insulis novi Orbis, manibus capiebantur, nunc non: didicerunt enim longâ serie fugere homines. Et catula mea patre & matre genita, adsuetis ferre, lapides & ferrum in octo diebus ferre didicit: mira res, cùm alium canem vix bimestri spatiò, & magno cum labore, edoceas: imò prorsus non edocta, sponte ferebat, sed non afferrebat. Itaque Delphines priores, hôc nomine vocari adsueti, vestigium in pronepotibus reliquerunt, ut etiam nunc hôc nomine gaudeant.* Verùm multo aliter & verius sanè, de isto Cæsar Scaliger *Comm. in Histor. Animal. Aristotelis l. 2. c. 16. sect.* 118. *Multa* (de Delphinis) *recensentur, quæ nostram superent fidem: ut & ridiculum illud ducamus,* Simonis *eis nomen gratum esse, quoniam simi sint, ut ne hic quidem Græcia careat mendacio.* Vide G. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l. 4. c. 21. Institut. Orat. l. 4. c. 13. sect.* 10. & *Not. in fragm. vett. Tragicorum.*

SIMOCATTUS Theophylactus, vide *Theophylactus.*

SIMODI, vide suprà ubi de *Polygraphis.*

SIMOIS, *entis*, *Castaldo Simoeis*, Turcis *Chisme*, fluv. Troadis, qui ex Idâ monte labitur per campum Trojanum, qui ab eo dicitur *Simoësius*, & mari appropinquans commiscetur Xantho, atque in paludem cogitur; quæ exit in Hellespontum juxta Sigeum promontorium. Dionys. v. 812.

Ξάνθῳ ἐπ' ἀργυρόεντι καὶ ἱμερτῷ Σιμόεντι.

Virg. *Æn. l. 1. v.* 621.

Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ,
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?

Vide *Scamander.* Maximam autem fluviis hisce famam Ilium, cujus mœnia olim præterlabebantur, conciliavit; unde *famâ quàm naturâ majora esse flumina*, affirmat Mela *l. 1. c. 18.* Item fluv. Siciliæ. Strabo *l. 13.* Οἱ δ' εἰς Αἴγεσταν τῆς Σικελίας φασὶ καθεχθῆναι τὸν Αἰνείαν σὺν Ἐλύμῳ Τρωῒ καὶ Ἔρυκα, καὶ Λιλύβαιον κατασχεῖν καὶ ποταμοὺς περὶ Αἴγεσταν προσαγορευθῆναι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα. Nempe ab eorundem nominum fluminibus, in pristina patria Troade. Sic enim *eodem librô* anteà, οἱ δὲ ποταμοί, ὅ τε Σκάμανδρος, καὶ ὁ Σιμόεις πλησιάσαντες ἀλλήλοις ὁ μὲν τῷ Σιγείῳ συμβάλλοντες, ἐπὶ τὸ Σίγειον ἐκδιδόασι. Item fluvius Epiri, in mare Ionium, per Buthrotum se exonerans. *Nic. Lloydius.*

SIMOISIUS, vir Trojanus, sic dictus, quòd ad ripas *Simoentis* fluv. sit natus. Is ætate florens, necdum uxorem sortitus, ab Ajace Telamonio interfectus est. Rationem reddit Homer. *Il.* 4. v. 477.

Τοὔνεκά μιν κάλεον Σιμοείσιον, οὐδὲ τοκεῦσι
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰών.

SIMON, Asmonæus, occisô fratre Jonathâ, Dux populi creatus & Pontifex M. annô Mundi 3823. ante Christum natum 139. Hic

Gazam urbem, quam cœpit, ab idolis purgavit: fœdus cum Romanis, quibus aureum clypeum mille minarum misit, ac Spartiatis redintegravit. Cendebæum, Antiochi VII. Soteris præfectum, fudit, fugavitque. At verò, ut sunt hominum fata in temerè fortunæ vagantis arbitrio, tandem cum filiis duobus, atque aliquot servis, in convivio, quondam, à Ptolemæo genero suo dominium affectante, qui ei convivium apparârat, interficitur, cùm 8. annos præfuisset. Olympiad. 159. Vide l. 1. Maccab. c. 13. 14. 15. 16. & Joseph. l. Jud. Antiq. 13. c. 9. 10. 11. 12. Item l. 14. c. 1. de Bello. Jud.

SIMON, Bulgarorum Rex laudatissimus, seculò 10. cepit Adrianopolin A. C. 924. pauloque pòst deseruit. Item primus Lotharingiæ Dux Pater, ex Adelheida, sorore Lotharii II. Matthæi I. &c. Obiit A. C. 1141.

Pontifices Judæorum.

SIMON I. Pontifex Max. Judæorum, successit patri Oniæ I. A. M. 3744. *Justus* dictus est, ob pietatem ejus & justitiam. Templum reparavit, dupliciqne murò cinxit, aquis eò per ingentia incilia deductis. Post An. 12. successit ipsi Eleazarus frater, ob filii Oniæ II. teneram ætatem. Ecclesiastic. c. 50. Joseph. l. 12. *Jud. Antiq.* c. 2. Genebr. l. 2. *Chron.*

SIMON II. Pontifex Max. A. M. 3812. Ptolemæo Philopatori, in Sanctuarium irrupturo animosè restitit: deliquio & terræmotu Deô zelum ejus juvante. Obiit A. M. 3847. Joseph. l. 2. c. 5. Euseb. *in Chron.* Item, fil. Canethi, Pontif. Max. per 1. ann. Item, fil. Boëthi, cognomine Cantheras, ab Herode Agrippa Pontif. Max. Jesu depositò, factus, primò regni annò. Joseph. *de bell. Iud.* c. 19.

SIMON, filius Mattathiæ, 1. Machab. c. 2. v. 3.

SIMON, Chananæus, cognomine Zelotes, Apostolus. Prædicavit Euangelium, in Mesopotamia, Ægypto & Persia, ubi martyriò coronatus est. Euseb. l. 1. *Hist.*

SIMON, Atheniensium Equitum magister, apud Aristoph. *Equitibus*, *Actu* 1. *Scenâ* 3.

SIMON, Atheniensis, ex alutario philosophus, Socratis discipulus scripsit *dialogos* 34. Alius fuit, qui scripsit *de arte rhetorica.* Alius medicus, alius sculptor. Diog. Laert. l. 2.

SIMON, Genuensis, Medicus celebris, A. C. 1288. Scripsit *Clavem Sanationis*, *Expositionem glossæ margin. ad Alex. Tatri libros Medicinales.* Raph. Sopranius, *de Script. Ligur.* Alius, scripsit opus *Pandectiarum Doctoris Medicinæ.* Vander Linden.

SIMON, Herodis servus, seditionis author, A. M. 3969.

SIMON Magnesius, musicus egregius, qui & ipse, superiorum musicorum more correptò, *Simodiam* introduxit, quemadmodum etiam & *Lysis Lysodiam.* Strabo l. 14.

SIMON, Magus quidam, sive impostor, caput hæreticorum & Simoniacorum. Samariâ oriundus, ibique a Philippo baptizatus, à Petro Spiritûs Sancti gratiam mercari volebat (unde *Simoniæ* nomen inditum) Actor. c. 8. v. 18. Post Petri Johannisque Apostolor. qui advenerant, recens conversis manus imposituri, discessum, novos errores disseminare cœpit, docens, se magnam esse virtutem Dei. Judæis persuasum porro ivit, se illis filium Dei, Gentilibus autem Spiritum S. esse. Romam post hæc profectus, tantopere magicis suis præstigiis populo illusit, ut ei statuam erigerent, tanquam Deo Sancto: alii tamen nomen *Semi Sangi* vel *Sanci*, quod Numen Romanis erat, apud *Dionys. Halic.* & Liv. l. 8. c. 20. priscis imposuisse credunt. Quidquid horum sit, præter errores, quos Samariæ jam sparserat, omnibus libidinibus fræna licitè laxari posse, uxores communes esse, resurrectionem non dari; mundum ab Angelis creatum, Legem veterem à mala Intelligentia latam, Vetus Testam. mortiferum esse deliravit; imo pellicem suam Helenam vel Selenen, pro Spir. S. ô blasphemia! venditavit. Angelis, quos in globis cœlestibus collocavit, barbara imposuit nomina, unicumque tandem ad salutem perveniendi medium dixit, arcanorum suorum praxin esse. Neroni gratus, tantùm non pro Deo ab illo habitus est. Sed en, dum superbus Cœlum scandere, coram Principe conatur, *Icarus primò statim conatu, juxta cubiculum Principis decidit, ipsumque cruore respersit*, Sueton. *in Nerone.* A. C. 67. Iren. l. 1. c. 20. Epiphan. *Hæ*. 21. Augustin. *de hær.* Euseb. *in Chron. & hist.* Cedren. *Hist.* l. 2 *&c.* Item alius, qui dicitur Cyrenaicus, & post Christum crucem coactus bajulavit. Item nomen viri, 1. Paral. c. 4. v. 20.

SIMON, vel SYMEON, cognomine *Metaphrastes*, i. e. *interpres*, ludi Magister Constantinopol. ut quidam volunt. Composuit Græcè Sanctorum vitas, quæ habentur in Bibliotheca Vaticana. Vide Voss. *de Hist. Gr.* l. 2. c. 25. & in voce *Simeon.*

SIMON, puer Tridentinus, à Judæis martyriô coronatus: quare Judæi variis supliciis necati, debitam luerunt pœnam, A. M. 5789.

SIMON, Sophista quidam, in Repub. Atheniensium, à Comicis Eupolide atque Aristophane, peculatus crimine, traductus.

SIMON Cramaldus, Pictô, Cardinal. Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscop. Remensis, Obiit A. C. 1429. Operam navavit insignem in Gallia, ad schisma tollendum. Moretius *Dict. Hist.*

SIMON Grynæus, vide *Grynæus.*

SIMON Langtonus, Anglus, eruditus, sed ambitiosus admodum: cujus Conciones non parum turbarum dedisse feruntur. Archiepiscopus proin Eboracensis designatus à Canonicis, à Johanne Rege rejectus est. Scripsit *epistolas*, & *de pœnitentia Magdalenæ.*

SIMON Maillæus, Archiepiscopus Turonensis: vertit *Homilias Basilii*, Obiit A. C. 1597. ætat. 82. Sammartan. *in elog.* l. 4.

SIMON Masquemontius, vide *Dionysius Simon.*

SIMON Montfortius, Comes, rebus in Oriente, contra Germanos, Anglosque gestis clarus, expeditionis contra Albigenses, Dominicô belli incentore, Dux electus, A. C. 1209. exercitu Lugduni coactô, in Aquitaniam movit, Bliterisque expugnatis, fidelium 50000. trucidavit, tum Carcassonam, ibique Rogerium Comitem cepit. Tolosam A. C. 1211. frustra obsedit; Ad Muretum Petrum Arragonium, Comites Tolosanos, Foxios & Convenienses vicit, Petrô ibi occiso: A Concilio Monspeliensi & Lateranensi, A. C. 1215. sub Innocentio III. muneri acceptas Comitis Tolosani ditiones occupaturus, in expugnatione Tolosæ, lapidis à muliere evibrati ictu, percussus, obiit A. C. 1218. A Papa trophæô honoratus, quòd 100000. hæreticorum trucidâsset; à Sixto V. Pontifice insuper *Christianissimi* titulô ornatus. P. Æmil. l. 6. Catal. *Histor. Tolos. &c.*

SIMON Stockius, Carmelitarum General. Anglus. Scripsit *Canones cultus divini*, *Homilias ad Populum*, *de Christiana Pœnitentia*; & *Epistolas ad fratres.* Obiit Burdigalæ, A. C. 1250. Moror. *in Dict. Hist.*

SIMON Subderus, Archiepiscopus Cantuariensis occisus in suburbio Londinensi, cum seditiosos ad pacem hortaretur. Polydor. Virgilius *Hist.* l. 20.

SIMON Tornaquitius, Monachus Florentin. Scripsit *Homilias*, &c. Mich. Pocciantius, *de Script. Flor.*

SIMON Vigor, Normannus, Archiepiscopus Narbonensis, successit Francisco Pisanio, A. C. 1554. Interfuit Concilio Tridentino, dein laudavit Elizabetham, Hispaniæ Reginam oratione funebri, A. C. 1568. obiit Carcassonæ A. C. 1575. Alios hôc nomine insignes, vide apud Pitseum, *de script. Angl.* Matth. Westmonaster. *Histor. Angl.* Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Possevin. *in appar.* Baleum, *de Script. Angl.* Polyd. *Virg.* Winton. Bucholcerum, &c.

Rabbi SIMONA, ultimus Seburæorum, vide suprà hâc voce.

SIMONETA Bernardus, vide *Bernardus.*

SIMONETA Johannes, vide *Johannes.*

SIMONETA Ludovicus, vide *Ludovicus.*

SIMONIADA, vicum in Galilææ finibus habet Josephus *in vita sua*, 60. stad. à Magno Campo distantem.

SIMONIANI, Hæretici, memorati Augustino *Hær.* 1. inter eos fuêre, qui detestandâ consuetudine fœminis indifferenter utendi à Magistris suis acceptâ, in hunc finem incantationes etiam & amatoria & agogima adhibebant: Iidem Angelos adorabant &c. uti docet Joannes Forbesius *Instruct. Historico Theologic.* l. 4. c. 8. §. 2. & l. 7. c. 4. §. 4. Vide ubi *de Simone Mago.*

SIMONIAS, vicus Galilææ, 60. stad. à Campo Magno: Ubi *Simonias* regiuncula Galilæam finiens ad Ortum. Idem cum priore *Simoniada.*

SIMONIDES, Ceus, Poëta melicus, floruit Olymp. 65. Pausaniæ inprimis & Hieroni charus: primus memorandi artem invenisse fertur. Cùm enim cœnaret in Thessalia apud Scopam fortunatum hominem & nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripserat, in quo multa ornandi causâ poëtarum more in Castorem, & Pollucem scripta fuerant, nimis ille sordide Simonidi dixit, se dimidium ejus ei, quod pactus esset, pro illo carmine daturum, reliquum à suis Tyndaridis, quos æquè laudâsset, peteret, si ei videretur. Paulo post fertur esse nunciatum Simonidi, ut prodiret, juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent, tum surrexisse illum ipsum, prodiisse, vidisse neminem. Hôc interim spatiô conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse: eâ ruinâ ipsum oppressum cum suis interiisse: quos cùm humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullô modô, Simonides dicitur ex eo quod meminisset, quô eorum locô quisque accubuisset, demonstrator uniuscujusque sepeliendi fuisse. Hâc tum re admonitus invenisse fertur, ordinem esse maximè, qui memoriæ lumen adferret. Cicero, l. 1. *de Nat. Deor.* c. 22. *Simonides à tyranno Hierone rogatus, quid, aut qualis esset Deus, deliberandi causâ sibi unum diem postulavit: cum idem ab eo postridie rogaretur, biduum petiit; cùm vero sæpius duplicaret numerum dierum, admiratusque Hiero quæreret, cur ita faceret: quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Cæterùm scripsit odas, elegias, &c. Idem pugnam Marathoniam & Salaminiam descripsit. Excelluit inprimis in ciendâ commiseratione, teste Quintilianô. l. 10. c. 1. ac *Dionys. Halicarnassensi.* Unde Catullus, *Epigr.* 39. v. 8.

Paulum quidlibet allocutionis
Mæstius lachrymis Simonideis.

Horatius l. 2. Od. 1. v. 37.

Sed ne relictis Musa procax jocis
Cea retractes munera næniæ.

Ubi *nænia* est carmen lugubre: *Cea* verò sive *Ceja*, ut Theocrit. *Idyll.* 17. Κεῖος dicit, idem est ac *Simonidea.* Est verò hic Simonides, qui cùm 16. literis vetustis 4. adjecisset Palamedes Θ, Ξ, Φ, Χ, quatuor alias adjunxit, duas longas Η, & Ω, & duas duplices Ζ, & Ψ. Quanquam de isto nec satis consentiant veteres; vel saltem dissentiant codices, librariorum fortasse culpâ. Vide *Plinium, Marium Victorinum, & Suidam.* De avaritia ejus Ælian. ποικιλ. l. 8. c. 2. Quô nomine eum & Pindarus *Isthm.* Od. 2. quòd primus Musam ἐργάτιν, h. e. *mercenariam* effecerit, perstringit, ut Scholiastæ notarunt. Obiit Olymp. 78. ætat. 89. Fuit etiam *Simonides* Junior prioris ex filia nepos; de quo Voss. *Hist. Græc.* l. 4. c. 6. Scripsit circa Olympiad. 82. librum Genealogiarum, Poëmata, & tractatum de rebus recens inventis. Alius *Simonides* Magnesius fuit, qui carmine signavit res gestas Antiochi M. Sed & apud *Suidam* 2. prætereà hujus nominis Poëtas invenias. Unus fuit Carystius, vel Eretriensis, qui reliquit *Græcorum conventum in Aulidem* trimetrorum l. 2. & *de Iphigenia* unum. Alter erat Crinei filius Amorginus dictus à patria Amorgo, unâ ex insulis Cycladibus; qui præter *elegiarum libros* scripsit *Jambos*, unde & ἰαμβογράφος vocatus: imò & secundùm nonnullos primus hôc carminis genere usus fuit: quod antiquissimum esse arguit. Imò *Suidas* dicit claruisse post bellum Trojanum annis 406. Quomodo fuerit circa initium Olympiadum. Verùm censeo centenarium excidisse librarii culpâ: ac pro υϛ, quod fit 406. rescribi oportere φϛ, hoc est, 506. Quod tempus proximè

abit

abit ab Eusebiano numero. Incidit enim in Olymp. 26. quando clarescere fortasse cœpit, qui majus nomen adeptus Olymp. 29. Et sanè hanc conjecturam firmant ista Procli apud Photium: Ἰάμβου δὲ ποιηταὶ, Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος ἄριστος, καὶ Σιμωνίδης ὁ Ἀμοργῖνος, ὡς δέ τινες, Σάμιος. *Samium* etiam vocat Tzetz. in *Chiliad. hister*. Vossius, quem sis vide *de Poet. Græc. c. 3. & seqq.* & *de Hist. Græc. l. 1. c. 8. & l. 4. c. 3. & 13.* ut & Lil. Giraldum, *Dialog. 9. de Poet.* Leonem Allatium, *dissert. de Simonid.* Fabrum, *Hist. Poet. Græc. &c.* *Nic. Lloydius.*

SIMONIS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

SIMOR, vide suprà *Mures Moscovitici*, & infrà *Simur*.

SIMPLARES, militum genus, apud Vegetium *l. 2. c. 7.* de quibus vide suprà, voce *Duplicarii*.

SIMPLI Equi, in veter. *Epigramm. de Circo*,

Lunæ biga datur semper, Solique quadriga,
Castoribus simpli ritè dicantur equi.

Singulares sunt, quos & *solitarios* dicebant. Sed desultorii, qui & *singulares* dicti, ad differentiam eorum, qui junguntur ad currum. Sic Homerus κελητίζειν de *desultore* dixit *Od. o. v. 679.* κέλης enim Græcis & *equus est singularis* & ἀναβάτης; & *eques qui solo ac singulari equo vehit*. Manilius verò *singulatores*, h. e. Equites solitarios, qui solô equô vectantur, à Desultoribus, qui binos habebant equos, deque uno in alterum transire solebant, distinguens, singularium equitum duo genera facit: unum eorum, qui militabant, alterum eorum, qui in Circo præmii palmæque gratiâ cursu contendebant, *l. 5.* ubi de Desultore,

——— *ludet per terga volantum.*
Aut solo vectatus equo nunc arma movebit,
Nunc ttret in longo per cursum prœmia Circo,
Quidquid de tali studio formatur, habebit.

Cujusmodi singularium equitum, qui in Circo currebant, etiam meminit Isidor. *l. 38.* & à desultoribus separat, μονίππους Græci appellant, Latini *monoiores* quoque dixêre &c. Vide Salmas. *ad Vopisci Carinum c. 19.* & infrà in voce *Singulator*.

SIMPLICES, apud Arnobium *adv. Gent. l. 2.* *ut quæ* (animæ) *fuerant simplices & bonitatis innoxiæ*: eædem cum bonis. Sic autem dicuntur homines aperti, & in quibus fallaciæ nihil, nec malitiæ inest quidquam. Cic. *de Offic. l. 1.* *Ita viros, fortes & magnanimos, eosdem* bonos & simplices; *veritatis amicos, minimeque fallaces esse volumus.* Et Philo *contra Flaccum*, ἁπλοῦν καὶ ἀπόνηρον καὶ ἀκάκους copulat. Qui proin, quia propter morum facilitatem cæteris prædæ sunt: hinc εὐήθης καὶ ἁπλοῦς atque ἀπλότης, homo minimè malus & ingenii parùm acuti: & *Simplicitas* sæpe ἀντὶ μωρίας καὶ ἀπειροκαλίας, *l. 3. §.* qui ob segnit. D. de susp. Tutor. Quare Seneca *de Ira l. 2. c. 16.* *Stultis, ait, luxuriosis nepotibusque hoc nomen imponimus & omnibus vitiis parùm callidis.* Cum potiùs generosi & magnanimi *Simplices* sint, utpote *veritatis amici*, ut Cic. modò; seu ἀληθευτικοί, ut Aristoteles *Nicomach. l. 4. c. de Magnanimitate*: ac φιλαλήθεις & φιλοτιμότεροι. Unde Thucydides *l. 2.* τὸ εὔηθες οὗ τὸ γενναῖον, πλεῖστον μετέχει ait: Plut. in *Lysandro*, iisdem τὸ ἁπλοῦν καὶ γενναῖον ἦθος jungit. Et Christus τοὺς ἀκεραίους pronuntiat beatos, contra communem hominum opinionem. Matth. *c. 5. v. 5.* His *duplices*, διπλοῖ, ac πανοῦργοι, opponuntur, quorum mores sic Arnobius describit, pergens, *simulare in hominibus dissererent, dissimulare, mentiri, circumscribere, fallere, adulatorià humilitate captare, mente aliud volvere, aliud in facie polliceri: illaqueare, decipere dolis atque insidiis nescios, per innumeras artes maleficiorum venena conquirere & ad usum temporis pellaci mobilitate formare*: ad quem locum vide Heraldi *Animadversiones*.

SIMPLICIANUS, Presbyter Mediolanens. Ambrosii præceptor. Conversionem Augustini plurimum juvit, variis ad eum literis exaratis: Dein successit Ambrosio in Episcopatu A. C. 397. Obiit A. C. 400. Gennad. *in Catal. Illustr. Vir.* baronius, &c.

SIMPLICIUS, Pontifex Roman. post Hilarium, A. C. 467. Obiit, A. C. 483.

SIMPLICIUS, Episcopus Augustodunensis, interfuit Concilio Sardicensi, A. C. 347. & Coloniensi, contra Euphratam. Gregor. Turonens. *de Glor. Confess. c. 76 & 77.* Item, Episcopus Viennensis, eôdem tempore; à S. Paulino in epistolis laudatus. Vide Gregor. Turonens. *Hist. Franc. l. 2. c. 13.*

SIMPLICIUS Cilix, Græcus Aristotelis interpres, Justini & Justiniani temporibus floruit. Præceptores suos agnoscit Ammonium *ad l. 1.* φυσ. ἀκρ. *com. 12.* & Damascium *ad l. 4.* φυσ. ἀκρ. Adversarium habuit & coætaneum Jo. Grammaticum, à *labore assiduo Philoponum* dictum, quem refutat *ad l. 8.* φυσ. ἀκρ. In Persidem aliquando profectus est cum Damascio Syro, Eulalio Phryge, Prisciano Lydo, Hermia ac Diogene Phœnicibus, & Isidoro Gazæo Philosophis, teste *Suidâ*. Scripsit *Commentar. in Jamblichum*, *librum de secta Pythagorica*, qui in Vaticana asservatur Bibliotheca, teste *Gesnero*. *Nic. Lloyd.*

SIMPLUDIARIA, funera quædam apud Romanos sic dicta. Cùm enim nonnunquam in honorem defuncti, præter alias ceremonias funebres Ludi quoque ederentur, ut suô locô vidimus, hique varii essent, unde discrimen illud funerum ortum est, ut alia dicerentur *Indictiva*, alia *Simpludiaria*: quorum illis quidem adhibebantur non Ludi modò, sed & Desultores; istis verò Ludi duntaxat corbitoresque. Quidam autem ea sic appellata volunt, quibus neutrum genus Ludorum interesset, Sex. Pomp. Festus. Ad quem locum Scaliger, *Simpludiaria*, inquit, *dicta sunt, quasi Simpliludiaria, quia simplices ludi adhiberentur, h. e. Saltatores, vel Cernuatores sive Cervitores, quos Festus Corbitores appellat. Indictivis autem & Ludos & Desultores ac etiam Ludorum quædam genera adhibita fuisse traditum*: Unde hæc amplissima fuere. Vide eundem Scaligerum *Ausonian. Lection. l. 1. c. 28.* & Rosin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. ult.* Quos vero *Corbitores* Festus vocat, meliùs alii *Cervitores* vocant, qui enim gestus cernuantium, ut modò sursum, modò deorsum spectent, is corvorum est & cornicum ac monedularum, quæ ubi pedibus aliquem locum insistunt, modò ἀνακύπτει, modò κατακύπτει. Unde elegantissimè de Mulieribus, cibô sese ingurgitantibus ad mensam, Plautus *Casina* dixit, *Actu 4. Sc. 1. v. 20.*

Ego nunc quas vices, cervitant, ubi
Comesse possunt.

Vide Thom. Dempster. *ad Rosin. l. 5. c. 24.* *ubi de Ludis Funebribus.*

SIMPSIMIDA, Parthiæ oppid. *Ptol.*

SIMPULUM, vas fuit parvum, non dissimile cyatho, quô vinum in sacrificiis libabatur, à *sumendo* dictum Varroni *de L. L. l. 4.* quod eo vinum sumebant minutatim: Scaligero à *sympone*, quod, ortum ex Græco σίφων, vasculum significet cum tenui fistula vel angusto collo ad pitissandum vinum. Ejus iconem exhibet Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 3. c. 32.* Ex argilla fuit, ante auri argentique inventum usum, quemadmodum & templorum parietes, ipsa Deorum simulachra antiquitùs fictilia fuêre: quod in antiquitatis memoriam servatum fuisse, innuit Plin. *l. 35. c. 12.* *In sacris quidem etiam, inter has opes hodie, non murrinis crystallinisve, sed fictilibus, prolibatur simpuvium.* Quô nomine *Simpula* indigitari Baysius aliique docent, adeoque *simpulis* legunt. Dempsterus verò nihil censet mutandum: Namque apud vet. Schol Juvenalis *ad Sat. 6. v. 342.* *Simpuvium, vas est fictile aptum, in quo Pontifices solebant lavare: sic dictum, quia omnes Sacerdotes simul bibebant.* Satyrici autem verba hæc sunt:

Et quis tunc hominum contemtor Numinis, aut quis
Simpuvium *ridere Numæ, nigrumque catinum,*
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat?

Hinc *Simpulatrices*, fœminæ sacris deditæ & *Simpuviatrix*, quæ poculum sacrum porrigebat, apud præfatum Scholiasten. *Glossæ*. Isidori *Canides*, *vasa sextus*, ejusmodi pocula reddit. Vide iterum Rosinum *Antiqq. l. 5. c. 30. in Notis*. Sed & *Simpulator* inde, *conviva adjutus* Isidoro, quem *Simpulonem* Fulgentius Placiades vocat. Unde fortè colligas, *Sympinum Arnobii l. 7.* *Pateras sympiniaque depromite*, à Græco συμπίνω, non multum à *Simpulo* abluere: hoc ipsum enim in sacrificiis olim fieri solitum, & reliquias ac pocula delibata populo tradita, ex Minucii *Octavio* discimus. Vide quoque Hadr. Junium *Notis ad Nonium*, voce *Simpium*, & ejus *Animadversa l. 2. c. 10.* Adde Stewechium *ad Arnobium l. 4.* ubi vasis Ecclesiasticis suæ gentis hodieque vasculum ex quo aqua aut vinum Sacerdoti ad altare præbeatur, *i. ma* appellari notat. Bocharto *Simpulum*, dictum est ab Hebr. ספל *sepel*, quod in Scriptura bis solum occurrit in Historia Gedeonis Judicis *Judic. c. 6. v. 38.* & in Cantico Deboræ, *Judic. c. 5. v. 25.* è quo utroque tamen loco cum *sepel* videatur fuisse vas patens & amplum, non videntur hæc duo plan. synonyma, quamvis utriusque non nisi in sacris usus fuerit. Eidem *Simpuvium*, vasis lignei genus fuit, iisdem in Sacris adhibitum: cujus vocis originem deducit ab Hebr. ספ *saph*, quâ voce vas, quô Agni Paschalis sanguis excipiebatur, venit, Exodi *c. 12. v. 22.* cujus plur. ספים *sippim* & ספות *sippoth*, vel *sippoth*, Jerem. *c. 52. v. 19.* & 1. Regum. *c. 7. v. 50.* ubi de vasis Sanctuarii. Vide eum *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 49. & 50.*

SIMSON, vide SAMPSON.

Rabbi SIMSON ex Kinon, auctor libri *Ceritot*. It. Rabbi *Simson* F. Tzadok, libri *Toseta*, vixerunt circa ann 70. Millen VI. juxta Rabbi Ganz. Ut & Rabbi *Simson* Hadarian, auctor *Jalkut*.

SIMULACHRUM, ex *Simulo*, vel Hebr. סמל seu צלם; *Isidoro* à *similitudine* dicitur, eo quod, manu Artificis ex lapide aliave re aterna factum, ejus vultum imitatur, in cujus honorem factum est: vel quod *simulatum*, i. e. *falsum*, umbram enim, pro corpore, nobis exhibet. Veteres Gentiles, Deorum suorum *Simulachra* ex limo & cera finxere, cùm nondum auri argentique usus mortalibus innotuisset: Unde non vasa solùm profana sacraque fictilia habuêre, sed & parietes Templorum, ipsaque Numinum *Simulachra* testacea fictiliaque erant. L. Seneca *Consol. ad Helviam c. 10.* *Tunc per fictiles Deos religiose jurabatur.* Propertius *l. 4. Eleg. 1. v. 5.*

Fictilibus crevêre Diis hæc aurea templa,
Non fuit opprobrio facta sine arte casa,
Tarpejusque Pater nuda de rupe tonabat.

Juvenal. *Sat. 11. v. 115.*

Hanc rebus Latiis coram præstare solebat
Fictus & nullo violatus Jupiter auro.

Vide Thom. Dempster. *ad Rosin. l. 5. c. 30.* At qui inter illos Sapientiores, *Simulachrorum* usu rejectô, *Deum non oculis attici, sola mente percipi posse*, statuêrunt, cum Platone, apud Justinum Mart. *Colloq. cum Tryphon.* Unde Antisthenes, *Deum nulli similem esse, ideoque ex Simulachro (seu imagine) disci non posse* dixit, apud Clem. *l. 5. Strom.* Et Plin. *effigiem Dei formamque quærere imbecillitatis humanæ putavit*, *Histor. Natur. l. 2. c. 7.* Ne tamen fidei Nu-

minis apud imperitiores quidquam decederet, quòd illud oculis usurpare non liceret, quàm non infolitum esset, etiam in inferiori, rerum nempe creatarum, ordine, ut spectari nequeant, quæ tamen existere nulli dubitamus, eleganter ipsi illi Gentilium Philosophi observavêre. Ita enim ex Xenophonte Minucius Felix: *Nec mireris*, inquit, *si Deum non vides; vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & sub oculos tamen non venit ventus & flatus. Solem adeò, qui videndi omnibus causa est, videre non possumus, radiis acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur, & si diutius inspicias, omnis visus extinguitur. Quid ipsum Solis Artificem illum luminis fontem poteris sustinere, cum te ab ejus fulgoribus avertas, fulminibus abscondas? Deum oculis carnalibus vis videre, cum ipsam animam tuam, qua vivificaris & loqueris, nec aspicere possis nec tenere.* Itaque *Simulachra* pro rudioribus & vulgo erant: quò magis mirandum in Orbe Christiano esse non paucos, qui *Simulachris* in divino cultu tantopere delectentur, &c. Vide quoque in voce *Iconomachi* & infrà in *Statua*. Apud Ægyptios Defuncti (postquam cadaver perunctum & delibutum cedriâ, melle, ceràve esset) *Simulachrum* ornabatur coronabaturque, eôdem modô ac si adhuc in vivis esset, imo & mensis adhibebatur; tandem vitreo sepulchro inferendum, teste Herodotô *l.* 3. Quod Græcos probâsse, docet Cicero *Orat. pro L. Flacco*; ut & Aristophanes *Concion.* apud P. Victorium *Var. Lection. l.* 2. De Turcis idem scribit, Phil. Lonicerus *Histor. Turc. Tom.* 1. *part.* 2. *c.* 19. Apud Macedones quoque id moris invaluisse, dicimus ex Æliano *Histor. Var. l.* 12. *c. ult.* De Byzantinis Principibus, ita Corippus *l.* 1. *Num.* 13.

Sic suprema sua servans insignia vitæ
Justinianus erat, non mutans morte colorem,
Sed solito candore nitens, quia vicerat Orbem
Mens veneranda Viri, signis monstravit apertis.
Ipse videbatur cunctis plangentibus unus
Effigie gaudere pia, diademate comtus
Purpureaque in veste jacens requiescere somno.

Nec ignota seculo nostro consuetudo est, namque in Aula Gallica Henrici IV. cognomine *Magni* funestatâ exitu, idem se vidisse scribit Thom. Dempster. *Paralipom. in Joh. Rosin. Antiqq. Rom. l.* 5. *c. ult.* Porrò, *Simulachra* etiam provinciarum domitarum subjecta pedibus, pingere olim fingereve Romanos consuevisse, legimus. Ovid. *Tristium l.* 4. *El.* 2. *v.* 43. de *Simulachris* in Triumpho ductis,

Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis invicti sub pede mœsta sedet.

Claudianus *fine VI. Consul. Honorii*, *v.* 648.

Colla triumphati proculcat Honorius Istri &c.

De Argeorum *Simulachris* & oscillis, quæ quotannis ipsis Idibus Mai de ponte sublicio in Tiberim olim Romani præcipitare solebant, vide Festum, Varronem *de L. L. l.* 6. Plut. *in Quæstionibus Rom. quæst.* 32. & Jo. Rosin. *Antiqq. Roman. l.* 4. *c.* 9. De *Simulachra Deorum* dedicandi, inungendi, coronandi, more, hic passim, ut & Car. Paschalium, Seldenum *de Synedriis veter. Hebræorum l.* 3. *c.* 14. §. 4. & Tob. Pfannerum *System. Theolog. Gentilis purior. c.* 11. §. 6. & *seqq.* Nec omitte Casp. Barthium *Commentar. Superstitionum*, ubi Sacrificia omnia *Simulachra* fuisse vel factorum vel faciendorum, ostendit, ut & suprà dicta de *Imaginibus*: Addo hoc unum, *Simulachrorum* in sacris usum, apud Christianos, ex Cappadocia primum fluxisse, vide Cl. Suicerum voce Εἰκών.

SIMULATIO, inter errores veter. Hæreticorum. Helcesaitæ enim ab Elxai Magistro suo, qui principatu Trajani extitit, hanc acceperunt traditionem, ut tempore persequutionis idola adorarent, fidemque suam ore negarent, teste Eusebiô *Histor. Eccl. l.* 6. *c.* 31. Epiphaniô *Hær.* 19. & Augustinô *Hær.* 10. Etiam de Basilidianis scribit Irenæus *l.* 1. *c.* 23. paratos fuisse ad abnegationem neque pati propter nomen voluisse, cùm essent omnibus similes. Fuisse autem regulam eorum, *Tu omnes cognosce, te autem nemo cognoscat.* Cui dogma illud Priscillianistarum apud Augustinum simile *Hær.* 70. *Jura, perjura, secretum prodere noli.* Vide quoque eum *l. contra Mendacium ad Consentium c.* 11. de Valentinianis idem docentem Tertullian. *contra illos c.* 1. de Massalianis seu Euchetis, Theodoretum *Hæretic. Fabular. l.* 4. *c. de Massal.* & Joann. Damascenum *l. de Hær.* de Origenistis, Hieronym. *Apolog. contra Ruffinum l.* 1. ubi *inter se orgiis mendaciorum fœnerari eos*, ait. de aliis Bernardum *Serm.* 65. *super Cantica*, & plura hanc in rem apud Joann. Forbes. *Instruct. Historico-Theologic. l.* 3. *c.* 20. §. 38. & *seqq.*

SIMULATRIX, apud Papin. Statium *Theb. l.* 4. *v.* 551. *

— *Ææo* simulatrix *littore Circe*:

Scaligero *ad Cirin* & Jo. Meursio *ad Plautum*, saga est; atque ita Veteribus incantatrices ac sagas dictas esse, confirmat Salmas. *Not. ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 25. quòd multa per *simulationem* in Magicis factis fierent. Barthio verò sic appellata Circe est, quòd, cùm naturam humanam incantationibus suis in ferinam convertere non posset, in formas saltem ac *simulachra* ferarum homines mutaverit. Virg. *Æn. l.* 6.

— *Formas magnorum ululare luporum,*
Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus & terga ferarum,

Vide eum *Animadversion. ad Stat. d. l.* Adde Salmas. *ad Tertulliani Pall. c.* 4. & quæ dicta super voce *Lena*, item *Saga*.

SIMULUS, vetus poëta, cujus versus de Tarpeja memorat Plut. *in Romulo.*

SIMUNDI, insul. quæ postea *Taprobane*.

SIMUR, vox Arabica, Σιμωρ in *Hesychio*, notat martis Zibellinæ in Parthia genus. Ita enim *Hesych.* Σίμωρ ... ἀπὸ τῶν ταῖς δοραῖς χρῶνται, εἰς χιτῶνας, *Simor apud Parthos vocatur quædam agrestis muris species, cujus pelles cedunt in vestium usum.* Damir verò animal facit feli simile, cujus pellis mollitie, levitate, calore & pulchritudine sic excellat, ut eâ Reges & Magnates induantur. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 33.

SIMUS, Arcadum Rex, post Phialum: Dotidâ apud Messenios, & Polydecte apud Spartanos, regnantibus. Ei successit Pompus. Pausan. *Arcadicis*.

SIMUS, pictor. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

SIMUS Magnesius, primus versibus κωμῳδολογεῖν cœpit, & *tragœdias* introduxit, quem sequuti *Simodi* sunt cognominati, inter Hilarodos in celebri fama. Ionicis & Sotadicis Scriptoribus minùs fœdi, prodibant in veste candida, virili, aurô coronati, calceisque primùm, inde crepidis utebantur, de quibus vide Scaliger. *Poëtices l.* 1. *c.* 12. & Salmas. *ad Solin. p.* 108. Aliàs *Simus*, nomen personæ Comicæ, uti videre est, apud Casaubon. *ad Galbam Suetonii c.* 13.

SIMYLLA, urbs Indiæ exterioris *Ptol. Simacora Castaldo. Timula* verò incolis dicitur. *Baudrando* fuit, ubi nunc fortè *Chaul*, urbs munita Lusitanorum, cum arce & portu, in ipso limite regni Decani, 130. mill. pass. à Surata in Meridiem Goam versùs 180. ex conjectura tantum.

SIMYRA, Phœniciæ urbs. Pomp. Mela *l.* 1. *c.* 12. Alia Armeniæ majoris circa ortum Euphratis. *Baudrando Simyra* seu *Sufmara*, aliis est oppid. Armeniæ minoris in confinio majori ad Euphratem, longè ab ejus fontibus. 75. mill. pass. a Dalcula in Boream Trapezuntem versùs.

SIMYRUS, urbs Syriorum. *Steph.*

SIN, oppid. quod est terminus Judæ, versus Septentrionem in septimo lapide à Jericho. Numer. *c.* 34. *v.* 3. Jos. *c.* 15. *v.* 1. Hieronym. *in loc. Hebr.*

SIN, *Hieronymo Sin*, *Ptolemæo Simyra*, vetus oppidum est dimidio miliari versus Septentrionem ultra urbem Arcas situm, quod olim Sinæus, Octavus fil. Chanaan, post diluvium condidit.

SIN, i. e. *rubus*, *eremus*, Arabiæ Petrææ inter Elim, & Sina mont. *Al. Hilet*, teste *Majo*: qui locus *Arena Arabiæ* appellatur, teste *Postello*. Mansio Israëlitarum octava, ubi murmurantibus coturnices divinitus missæ. Item solitudo in Cades, meliùs *Zin*, 33. mansio: ubi Maria, soror Mosis, obiit, & è rupe aqua à Mose producta est: quod jam antè in Raphidim quoque factum. Exodi *c.* 16. *v.* 1. Numer. *c.* 20. *v.* 1. & *c.* 33. *v.* 36. Joseph. *Jud. Antiq. l.* 2. Hieron. *ad Fabiol.* Torniel. *Ann. M.* 2544. 2583.

SINA, Margianæ urbs. *Ptol.*

SINA, urbs Imperii Sinar. in Xansia, prope fluv. *Charquang*, ad radices montium, sub qua duæ Urbes.

SINA, mons Arabiæ Petrææ excelsus, qui & *Sinai*, *Syna* *Trogo*, *Sinæus Josepho*, ubi olim urbs episcopalis sub Archiepiscopo Petræno, ab Hierosolym. 300. mill. pass. Etymologus falso deducit ab ... *Baudrando* est ferè 300. mill. pass. à Pelusio in Eurum, sed vix 200. ab Hierosolym. in meridiem, Christianis sæpe *mons S. Catharinæ*, Turcis *Gibel Mousa* i. e. mons Mosis, Arabibus *Agar*, ut quibusd. visum. In hujus vertice die 50. egressionis Israël ex Ægypto, Deus Legem dedit. Exod. *c.* 19. 20. Vide infra. Aliàs quoque Horeb. Duodecima Israëlitarum mansio, ubi per annum commorantibus illa contigerunt, quæ, ab Exodi *c.* 19. usque ad Num. *c.* 10. narrantur. Præcipuum fuit promulgatio divinæ legis, ut dictum. Vide de hoc monte imprimis P. de Valle, *Itiner. tom.* 1. de rebus ibi gestis, Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.*

SINA, nomen radicis, quæ in Sinis, & quidem vera in provinc. Suchuena solum provenit, sylvestris verò ubique. *Folia* utramque vocant, at fere sola sylvestris ad nos effertur, cujus medulla rubicundiori colore quodammodo tincta est, ad veræ autem magnitudinem neutiquam accedit, neque tantas habet vires, quamvis non omni effectu careat. Nascitur sub ipsa terra, uti ferè phalli Hollandici, aut apud Indos *patatas* nasci propagarique notum, maximè in annosis pinorum sylvis: unde eam ex glutine seu pice pinea produci scribunt, quæ in terram delapsa agat radices, atque herba fiat longô tractu per terræ superficiem serpens, continuòque tuberosas radices emittens, subinde ad capitis pueriles magnitudinem. Figurâ ac mole magnas nuces Indicas, quas *Cocos* vocamus, æquat, nec cortex colore abludit, quamvis non adeò durus crassusque sit, sed mollior omnino ac tenuior: corticem replet nucleus, seu caro alba ac spongiosa, quam incolæ magni faciunt & in suis adhibent medicinis; tametsi, cùm hæc ad manus non est, sylvestrem illam non respuant, at successu non æquè operatô. Auctor Anonymus *Sina & Europa c.* 31.

SINACA, Hyrcaniæ civitas. *Ptol.*

SINADA, vide *Synnada*.

SINÆ, populi Asiæ extremi ad ortum, ultra Indiam extra Gangem, *Chinesi* hodie, ut regio eorum *la Chine*, mari Eoo exposita, inter Indiam & Sericam. Doctiss. Is. Voss. ad ista verba, Melæ *l.* 1. *c.* 2. *Seres media Eoæ partis incolunt. Rem* (inquit) *acu tetigit, cum Seras media Eoi lateris tenere scribit. At vero quantum à veritate recessit Ptol. & qui eum sequuntur, quum tractum Asiæ, qui est ultra Auream Chersonesum, ac Sinum magnum Austrum versus vastè adeo extendit, ac Sinas in eo collocat? Sinenses hodiernos antiquorum Seras qui esse dubitat, is quoque dubitet licet, idemne nunc atque olim Sol luxerit. At vero insigniter falluntur, qui existimant Sinas, vel Thinas veteribus celebratos, eosdem esse ac sint Sinenses vulgò dicti. In toto eo regno, Sina, & Sinensium nomen ignotum est. Genus istud hominum omne id scit, quod sparsim nôrunt cæteræ gentes, quæ cum iis comparatæ pro barbaris meritò haberi possint, si solos exceperis Græculos; unum*

tamen

tamen hoc ignorant vocabulum. Sed sanè merâ factum est imperitiâ, ut vastum illud Serum imperium, quô nullum in orbe unquam illustrius fuit, Sinarum nomine cognoscatur. Mirum nemini observatum hactenus, Sinas esse regnum istud, quod vulgò Siam, *vel* Sian, *vel etiam* Siim *appellatur. Sinarum metropolim Sinas, vel Thinas vocat Ptol. Quis dubitare possit, quin illa sit ea ipsa, quæ nunc* Siam *appellatur, regia nempe Siamensium, ac sita in insula ad orientalius ostium fluvii dicti* Menam, *quod matrem aquarum Indis interpretantur. Longè is oritur è lacu* Chiamay, *ac totus in ditione Siamensium fluit, donec tribus tandem ostiis in Oceanum effluat. Regnum hoc etiamnum nobile, olim tamen multò fuit nobilius. Dominatum est multum, ex quo reges complures huic à multis seculis subditi rebellare cœperunt. Illo tempore, nondum detecta illâ Tartariæ parte, quæ Orientem versus excurrit, non nisi tria ultra Indum vasta imperia noscebantur, Serum, Indorum, ac inter utrosque situm, Siamensium, quod veteres Sinarum appellârunt. Quicquid à Gange Seras adusque interjacet, id olim reges Siam possederunt. Primi Arabes Seras cum Sinis confuderunt, quorum errorem postea secuti sunt alii. Verum hæc obiter, ut ostenderemus quos vulgò Sinenses dicimus, rectius Seras appellare, Sinas vero antiquorum hodiernos esse Siamenses.* Vide *Sinarum regio*, it. *China.*

SINÆ, Regio, quam hodie *Cinam* Vulgus appellat, ultima terrarum Asiæ, in quadrum extensa ab oriente & meridie, alluitur oceanô, quem Sericum vel Eoum prisci dixêre: ab occidente, Indiam ulteriorem attingit: à septentrione, cingitur Massagetarum, Scytharumque limitibus. Multò latiùs quondam imperasse gentem Annales ipsorum, ac literæ, & veterum ædificiorum illustria monumenta, & complures, in India præsertim, ab iis denominatæ nationes, haud obscurè testantur. Regna sive provinciæ vastæ magnitudinis, numerantur quindecim. Terra saluberrimô cœlô, & purioris auræ dulcedine perfruitur. Ad hanc perspicui fontes & mirô colorum decore odorumque fragrantiâ flores ac rosæ perennant. Margaritas & præcipuæ nobilitatis vasa fictilia, quæ vulgo *porcellanæ* dicuntur, pretiosas pelles ad frigus arcendum: itemque gossipii, lini, lanæ, bombycisque ac serici fila, vestemque omnis generis mittunt innumerabilem. Saccari, & mellis, rhabarbari, castoræ, minii, glastique tingendis vestibus expetiti, proventus hîc ingens: odoramentis cum aliis abundant: tum præcipuè moschô (cujus nullam, apud latinos Græcosve scriptores, mentionem invenio) In urbes verò quatuor portas aperiunt præferratas; ornatu magnificô, aditumque ad aspectum præclarô. Hodie *la China*, sub Tartarorum jugo gemit. *Baudrando Sinarum* Imperium, *la Chine*, seu *l'Empire de la Chine* Gallis, *la China* Hispanis & Italis, *Cin* incolis regnorum Siami & Cocinsinæ, *Than* Japonis, & *Han* seu *Catay* Tartaris, ipsis autem Sinis *Tamin*, i. e. Regnum luminis, & *Chimggue*, i.e. Regnum medium, quanquam aliis temporibus variè vocatum fuerit: pars est ampla Asiæ, maximè in ortum extensa, sed cultissima & mirè irrigua ac fertilis. Ejus limites sunt à septentrione regna Tangutum & Niulhanum, in Tartaria magna, à qua separatur partim montibus excelsis, partim murô 500. ferè leucarum; ab occidente India extra Gangem & regnum Annamiticum, à meridie mare Indicum seu Eoum & Orientale, quod & Sinicum, quô separatur etiam ab oriente à Japonia. Aliàs proprios habebat Imperatores, qui primò Nanquinum sedem regiam elegerant, & posteà Pechinum. Sed ab anno 1630. variè vexata à Tartaris regni Niucani, tandem ipsis subest, & Imperatorem habet Tartarum commorantem Pechini, quæ urbs Imperii caput est, in provincia cognomine. Historia gentis paulo diffusior hæc est, *Sinæ*, colonia pervetusta, à Kenano deducta, inter cujus successores Foly Imperator primus, electitiam Epocham incepit, An. 2847. ante Christum Natum uti habent Sinarum Annales; 556. ante diluvium, 45. ante natum Noahum. Ei successit Hiunungo, huic Hoangti, quem excepêre Chuenhao, Jâvo vel Cavo & Xuno, sub cujus successore diluvium ingruit. Post diluvium seculô non totô Sina restaurata creditur, forsan circa an. à diluvio 60. M. C. 1718. quòd vel inde patet, quia scientiæ & disciplinæ Noahicæ fuerunt tenacissimi: artesque etiam ingeniosissimas exercent, unde & Typographiam & tormenta ænea reliquus ab illis Orbis accepit. Ethnarcha post diluvium gentis Gether videtur: Semi filius, cujus regni initium incidit in ann. 2207. ante Chr. Natum 16. ante natum Phalegum, ab exordio rerum 1773. ex calculo Sinensium, qui diluvianum interstitium ex Annalibus suis expungunt, quò Aborigines videantur. Gether hic Yvo dici amans, familiam, cui imperium asserebat, nuncupari voluit *Ya*, sive *Hias*, quæ rerum potita legitur ann. 441. usque ad ann. ante Chr. Natum 1766. ætatis Jacobi 80. Altera Epocha est familiæ *Xanga*, quæ duravit ann. 644. usque ad ann. ante Chr. Natum 1122. M. C. 2826. circa Samsonis tempora. Successit Epocha *Cheva* familiæ, quam Uvo stabilivit, successor Kieovi extincti. Sub hac periodo regulus *Cin*, ad imperium posteris asserendum viam stravit: & tum videtur nomen *China* vel *Tsina*, exteris innotuisse, circa an. ante Natum Christ. 550. tempore Crœsi, A. M. 3398. Quartam itaque Epocham *Cina* familia facit, quæ tamen nihil ultra 40. perstitit annos. Auctore postmodùm Licupangô, *Hana* familia emersit, serie Imperatorum per an. 470. continuatâ, usque ad ann. citra Nat. Christ. 264. Post hanc rerum potita est familia *Cyna*, quam *Tanga* familia pessundedit, ad A. C. 618. sub Heraclio & Cosroë. *Sunga* dein familia ad clavum sedit, usque ad A. C. 923. quam excepit *Iuena* Tartarorum usque ad A. C. 1368. Hanc *Taiminga* populis, auctore Chu, qui Tartaros omnes, annè rerum potitos, ejecit, patriâ in libertatem assertâ A. C. 1350. Ejus familia Sinas obtinuit per ann. 250. decimusque tertius successorum Vanlieus, suppressis æmulis, Monarchicum imperium possedit, ab A. C. 1573. usque ad A. C. 1620. quô mortuus est. Sub eo Tartari iteratâ in Sinas irruptione factâ, tantos fecêre progressus, ut Princeps illorum Sinarum Imperator, & *Thienminge* familiæ auctor dici voluerit. A. C. 1618. expeditionis suæ 3. Vanlieo defuncto successit fil. Taichangus, & huic post 4. imperii mensem fil. Thienkius, qui rebus egregiè ordinatis gestisque, Tartaros ultra murum iterum rejecit. Sed illi mox reversi, proditione metropolim Leaotung capiunt, cives more Tartarorum tonderi vestirique cogunt, & majora moliuntur. Obiit interea Thienkius A. C. 1621. ut & æmulus ejus, quorum illi frater Zungchinius, huic fil. Thientungus successêre. Zungchinius proditione suorum infelix, Yvenum tamen proditorum caput, apprehensum necat, quô factô discedunt Tartari, moxque iterum revertuntur, modò victi modò victores, usque ad A. C 1636. quô Thientungus moritur, longiori viâ dignus, ob mansuetudinem & laudatos mores. Eum excepit fil. Zungleus, qui diu inter Sinas ignotus vixerat, ut mores, literas, doctrinam, ac sermonem Sinensium accuratè perdisceret. Eô rerum potitô inter suos, latronum in variis provinciis exortorum justi exercitus, nervos Imperii penitus succiderunt, quorum Duci Licungzo, (qui Imperatoris titulum assumpsit, familiæ Thienxunæ fundator dici gaudens) proditus Imperator Zungchinius, cùm nullam elabendi rimam esse videret, sanguine suô victori scribit, ut de præfectis tam sceleratè perditis pœnas sumat, populo innocenti parcat: filiam dein nubilem gladiô trajicit, & in pomarium digressus semet ex pruno suspendit, ultimus familiæ, cui latro exordium, latro finem dedit. Necne aliud finem sibi regina, & fidissimi Eunuchorum delegêre: Sic loca deliciarum funestata, & fructus tulêre arbores nefandos. Latrones mox exacti, & filius sexennis Zunglei interea demortui coronatur Sinæ Imperator. A quo tempore Monarchia sub Tartaris est, qui nihil prorsus in administratione Reip. immutantes, vestem solum & tonsuram Tartaricam Sinensibus imperant, unde non leves & sæpius iterati tumultus. Militiam sibi servant, non exclusis tamen Sinicis, quos etiam tribunalibus miscent. Cæterùm Sinenses ad civilitatis normam exacti, ingeniosi sunt ac industrii. Omnes apud illos artes scientiæque vigent; Geometras habent excellentes, Arithmeticos & Astronomos eximios, Medicinam methodicè faciunt; inprimis autem, à quo Philosophus Confutius floruit, Morali Philosophiæ tantus ab iis honor habetur, ut, cùm tres ibi vigeant Philosophorum sectæ, ejus tamen Secta *Literatorum* nomine clara, reliquis omnibus longè præferatur, neque alii ad gubernacula Reip. adhibebantur, quàm Mandarini, Loytiæ vel Literati, in ejus formati schola. Lingua Sinica ex vocibus merè monosyllabis ut plurimum constat, sua tamen cuique provinciæ peculiaris dialectus est. Scriptura à superiori loco deorsum procedit, & quilibet character, more Hieroglyphicorum apud Ægyptios veteres, rem integram exprimit. Religionem quod attinet, unum solum Deum, quem Regem cœli appellant, venerantur. Tres nihilominus sunt inter eos Idololatrarum species. Prima Regis & Nobilium, qui Astris faciunt. Secunda eorum, qui primos Reges & Philosophos pro Diis habent, summo Numini succenturiatis. Tertia Astrologorum & Magorum, qui Euangelio pertinacius reliquis obnituntur. Idolorum horribilis forma. Olim S. Thomas Sinensibus prædicâsse dicitur, & apparent adhuc in crassissima illorum idololatria vestigia quædam Trinitatis & Incarnationis filii Dei. Hodie per emissarios Pontifex Roman. ut & Angli Batavique per ministros mercatoribus mixtos, collapsum Christianismum in florentissimo hoc regno pro viribus erigere conantur. Tota regio, ut dictum, dividitur in quindecim provincias perampLas seu regna, ultra quas ab ea etiam pendent Leaotonia provincia, *Leaotung*, Corea peninsula, *la Corea*, Haynania insula, *l'isle de Haynan*, & Calonnesus, *l'isle Formosa*, cum aliis minoribus. De Sinarum regione varii variè scripsêre. Sed vide *Atlantem Sinicum* Martini, qui Sinas fusiùs descripsit. Porro *de re literaria Sinensium* consule Theophil. Spizelium; de Scriptura Sinica Athanasium Kircherum, in *China illustrata*; de reliquis, *Trigaltium*, *Semedum*, *Jarricium*, *Mendozam*, *Maffæum*, *Martinium*, *Rhodium*, & qui inter primos dici meruit, Adamum Preyelium librô insigni cui titulus, *Admiranda Sinæ & Europa*.

Sinarum Imperii provinciæ:

Chequianensis provincia, *Chekiang.*	Pechinensis provincia, *Peking.*
Fochiensis provincia, *Fokien.*	Quansia, *Quangsi.*
Honania, *Henan.*	Quantunia, *Quantung.*
Huquania, *Huquang.*	Queichea, *Queichen.*
Junnania, *Junnan.*	Quiansia, *Quiansi* seu *Kiansi.*
Nanchinensis provincia, *Nanking.*	Suchuensis provincia, *Suchuen.*
	Xansia, *Xansi.*
	Xantonia, *Xantung.*

Xensia, *Xensi.*

Sinarum Imperii urbes præcipuæ:

Caifunga, *Caifung*, in Honania provincia.
Cancheum, *Canchen*, in Quiansia.
Cangcheum, *Cangchen*, in Nanchinensi.
Caocheum, *Caochen*, in Quantunia.
Changcheum, *Changchen*, in Fochiensi.
Changta, *Changte*, in Honania.
Changta, *Changte*, in Huquania.
Changxa, *Changxe*, ibidem.
Chaochinga, *Chaoching*, in Quantunia.
Chiahinga, *Chiahing*, in Chequianensi.
Chicheum, *Chichen*, ibidem.
Chicheum, *Chichen*, in Nanchinensi.
Chieganum, *Chiegan*, in Quiansia.
Chienchanum, *Chienchang*, ibidem.
Chieninga, *Chienning*, in Fochiensi.
Chieuchianum, *Chieuchiang*, in Quiansia.
Chinchianum, *Chinchiau*, in Nanchinensi.
Chinchianum, *Chinchian*, in Junnania.

Chingamum, *Chingan*, in Quansia.
Chingticnum, *Chingtien*, in Huquania.
Chingtum, *Chingtu*, in Suchuensi.
Chingtuna, *Chingtung*, in Junnania provincia.
Chingyanum, *Chingyan*, in Huquania.
Chinhoa, *Chinhoa*, in Chequianensi.
Chinivenum, *Chiniven*, in Queichea.
Chinivenum, *Chiniven*, in Junnania.
Chintinum, *Chinting*, in Pechinensi.
Chiucheum, *Chiuchen*, in Chequianensi.
Chiucheum, *Chiuchen*, in Quantunia.
Chungkina, *Chungking*, in Suchuensi.
Cinanum, *Cinan*, in Xantonia.
Cincheum, *Cinchen*, in Quansia.
Cingcheum, *Cingchen*, in Xantonia.
Civencheum, *Civenchen*, in Fochiensi.
Cungchanum, *Cungchan*, in Xensia.
Focheum, *Fochen*, in Fochiensi.
Fuencheum, *Fuenchen*, in Xansia.
Fungcianum, *Fungcian*, in Xensia.
Fungyanum, *Fungyang*, in Nanquinensi.
Ganchinga, *Ganching*, ibidem.
Gucheum, *Guchen*, in Quansia.
Guehoeum, *Guehoeu*, in Honania.
Haucheum, *Hanchen*, in Chequianensi.
Hanchunum, *Hanchun*, in Xensia.
Hanyanga, *Hanyang*, in Huquania.
Henocheum, *Henochen*, ibidem.
Hinghoa, *Hinghoa*, in Fochiensi.
Hoaichinga, *Hoaiching*, in Honania.
Hoananum, *Hoanang*, in Nanchinensi.
Hoancheum, *Hoanchen*, in Huquania.
Hochienum, *Hochien*, in Pechiniensi.
Hoeicheum, *Hoeichen*, in Quantunia.
Hoeicheum, *Hoeichen*, in Nanchinensi.
Honania, *Honan*, in Honania.
Hucheum, *Huchen*, in Chequianensi.
Jaocheum, *Jaochen*, in Quiansia.
Jenganum, *Jengan*, in Xensia.
Jenpinga, *Jenping*, in Fochiensi.
Juencheum, *Juenchen*, in Quiansia.
Jungcheum, *Jungchen*, in Huquania.
Jungninga, *Jungnin*, in Junnania.
Juninga, *Juning*, in Honania.
Junnania, *Junnan*, in Junnania.
Junpinga, *Junping*, in Pechinensi.
Kaocheum, *Kaochen*, in Quantunia.
Kingcheum, *Kingchen*, in Huquania.
Kingyanum, *Kingyang*, in Xensia.
Kingyvenum, *Kingyven*, in Quansia.
Liencheum, *Lienchen*, in Quantunia.
Lieucheum, *Lieuchen*, in Quansia.
Linchianum, *Linchiang*, in Quiansia.
Linganum, *Lingan*, in Junnania.
Linyanum, *Linyang*, in Xensia.
Lipinga, *Liping*, in Queichea.
Lucheum, *Luchen*, in Nanchinensi.
Luganum, *Lugan*, in Xansia.
Luicheum, *Luichen*, in Xantonia.
Luicheum, *Luichen*, in Quantunia.
Mahum, *Mahu*, in Suchuensi.
Munghoa, *Munghoa*, in Junnania.
Nanchanga, *Nanchang*, in Quiansia.
Nanganum, *Nangang*, ibidem.
Nanhunga, *Nanhung*, in Quantunia.
Nankanga, *Nankang*, in Quiansia.
Nanninga, *Nanning*, in Quansia.
Nanquinum & Nanchinum, *Nanquin*, in Nanchinensi.
Nanyanga, *Nanyang*, in Honania.
Niancheum, *Nianchen*, in Chequianensi.
Ningpoa, *Ningpo*, ibidem.
Ningqua, *Ningque*, in Nanchinensi.
Paochinga, *Paoching*, in Huquania.
Paoninga, *Paoning*, in Suchuensi.
Paotinga, *Paoting*, in Pechiniensi provincia.
Pechinum, *Pechin & Pequin*, totius Imperii caput, in Pechiniensi.
Pingleanum, *Pinglean*, in Xensia.
Pinglum, *Pinglo*, in Quansia.
Pingyanum, *Pingyan*, in Xansia.
Quancheum, *Quanchen*, in Quantunia.
Quangnanum, *Quangnan*, in Junnania.
Quanpinga, *Quanping*, in Pechiniensi.
Quansia, *Quansi*, in Junnania.
Quansinga, *Quansing*, in Quiansia.
Queicheum, *Queichen*, in Suchuensi.
Queilinum, *Queilin*, in Quansia.
Queitum, *Queite*, in Honania.
Queiyanga, *Queiyang*, in Queichea.
Siangianum, *Siangiang*, in Huquania.
Siganum, *Sigan*, in Xensia.
Siucheum, *Siuchen*, in Suchuensi.
Sucheum, *Suchen*, in Queichea.
Sucheum, *Suchen*, in Nanchinensi.
Suhinga, *Suhing*, in Junnania.
Suninga, *Suning*, in Quansia.
Sunanum, *Sunan*, in Queichea.
Sungchianum, *Sungchian*, in Nanchinensi.
Taicheum, *Taichen*, in Chequianensi.
Taipinga, *Taiping*, in Nanchinensi.
Taipinga, *Taiping*, in Quansia.
Taitunga, *Taitung*, in Xansia.
Taiyvenum, *Taiyven*, ibidem.
Talum, *Tali*, in Junnania.
Taminga, *Taming*, in Pechinensi.
Teganum, *Tegan*, in Huquania.
Tengcheum, *Tengchen*, in Xantonia.
Tieucheum, *Tieuchen*, in Quansia.
Tingcheum, *Tingchen*, in Fochiensi.
Tuchum, *Tuchu*, in Queichea.
Tunchanum, *Tunchan*, in Xantonia.
Tunggium, *Tunggin*, in Queichea.
Vencheum, *Venchen*, in Chequianensi.
Vuchanum, *Vuchan*, in Huquania.
Vucheum, *Vuchen*, in Quiansia.
Xaocheum, *Xaochen*, in Quantunia.
Xaohinga, *Xaohing*, in Chequianensi.
Xaoum, *Xaou*, in Fochiensi.
Xecienum, *Xecien*, in Queichea.
Xincheum, *Xinchen*, in Huquania.
Xuicheum, *Xuichen*, in Quiansia.
Xunchinga, *Xunching*, in Suchuensi.
Xunninga, *Xunning*, in Junnania.
Xunta, *Xunte*, in Pechinensi.
Yancheum, *Yanchen*, in Nanchinensi.
Yencheum, *Yenchen*, in Xantonia.
Yocheum, *Yochen*, in Huquania.

SINÆUS fil. Canaan. Gen. *c.* 10. *v.* 17. de quo Bochart. *Phal. l.* 4. *c.* 36. Vide quoque sis *Pelusium*.

SINAI, mons Arabiæ, vide *Sina*. In eo *Inscr.* hanc אדני עלמתא כתא יבטן *Adoni almatha Jebten*, h. e. *Deus virginem concipere faciet*: sesquipalmaribus notis incisam, à Thoma Obecino Franciscano repertam esse, hancque postea titulum nationibus in Oriente ita placuisse, ut plurimi eo portarum vestibula signarent, refert Georg. de Sepibus *Descript. Musæi Kircheriani p.* 9. Vide ipsius Auctoris *Prodromum Coptum*. Idem in *Sinensi* Imperio tabulam marmoream in villa *Sanxuen* A. C. 1625. effossam esse scribit, cui tit. *Lapis in laudem & memoriam æternæ Legis, Lucis & Veritatis portatæ de Judæa & in China promulgatæ, A. C.* 782. h. e. 145. annis post Euangelium per Chaldaicos Sacerdotes ibi prædicatum, *p.* 9. Vide iterum Auctoris ipsius *Chinam illustratam*.

SINALUS, Medicus quidam, de quo Silius *l.* 5. *v.* 358.

Ipse olim antiquo primum Garamantican Hammon
Scire pater dederat Sinalo morsusque ferarum,
Telorumque graves ictus sedare medendo.

SINAPATINGA, urbs Indiæ intra Gangem. *Ptol.*

SINAPI, Hebr. מלוח Syro interpreti Judic. *c.* 9. *v.* 45. ubi cùm vulgò legatur Abimelechus urbem Sichem, à se dirutam, sale conseviisse, tanquam in perpetuæ vastitatis symbolum, pro *sale* is *sinapi* reponit, sicut *herbam salsam* Arabs. Sed *sinapi* salsum non est, nec reliquæ conveniunt notæ. *Sinapi* enim lautiorum etiam est condimentum, at מלוח non nisi tenuiorum cibus, uti patet ex Job. *c.* 30. *v.* 4. & Talmude de Jannæo Rege Tract. *Kiddusin. c.* 3. *fol.* 66. *a.* laudatis Sam. Bocharto *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 16. ubi voce Hebræâ *halimum* potiùs indigitari docet. Cæterùm de *Sinapi* sic Plinius *l.* 19. *c.* 8. *Acerrimum sapore, igni effectus ac saluberrimum corpori sinapi --- usus etiam ejus pro pulmentario in patelis decocto &c.* Ob quam saporis acrimoniam, *sceleratam* eam herbam vocat Plautus, *in Pseudolo, Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 28.

Teritur sinapis scelerata, cum illis qui terunt:
Nam priusquam triverint, oculi ut extillent, facit.

Idem usu seminis tristes fieri olim creditum, docet, in *Truculento, Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 60.

Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam
Tum esse tristem posse &c.

SINARDI Pons, Castrum Galliæ seu vicus maximus in Caletis, vulgò *Senerpont*, vide Hadr. Vales. *Notit. Gall. in voce Caleti.*

SINARUM Intimus recessus, nunc *Enseada de Nanquin* Lusitanis, *Golfe de Nanquin* Gallis, sinus est in Sinas extensus, & pars Oceani Eoi, inter Sinas ad occasum, & regnum Coreæ ad ortum. Dicitur ab incolis *Golfe de Gang*. Quamplurimis insulis refertus est, & extenditur à Circio in Eurum per 260. mill. pass.

SINARUM Oceanus, *la mer de la Chine*, pars est ampla Oceani Eoi, in parte orientali Asiæ, versùs Sinarum oram littoralem, Japoniam, Caloncsum, & Philippinas insulas; estque quamplurimis insulis referta.

SINARUS, Indiæ fluv. quem Hydaspes in se recipit. Arrian. *in Indic.*

SINATUS, Tetrarcha Gallorum à Sinorige, ob formam conjugis suæ Cammæ, interfectus. Polyæn. *l.* 8.

SINCAR, Mediæ urbs, *Ptol.*

SINCIACUS *Eginart. Sinsich, Ortelio*, pagus Germaniæ inferioris ad Rhenum, supra Bonnam 2. milliar. German.

SINCIUM, Pannoniæ oppid. *Anton.*

SINDA, urbs Pisidiæ, Ambladæ finitima; & apud *Ptol.* urbs Indiæ extra Gangem maritima. Vide *Steph.*

SINDÆ Regnum. Vide *Tatta*.

SINDÆ, insul. 3. maris Eoi, quæ & insulæ Anthropophagorum, Sinarum oræ adjacentes. Hæ, teste *Mercatore*, sunt hodie *Celebes, Gilolo*, & *Amboina*. *Sansoni* sunt Javæ, Sumatræ & Bornei

rei Insulæ; versus partem Australem Indiæ extra Gangem, & Aureæ Chersonesi sub propriis Regibus. Gall. *les Isles de la Sonde.*

SINDESSUS, urbs Cariæ. *Steph.*

SINDI, populi Scythiæ Europææ ad Mæot. palud. incolentes. Val. Flacc. *l. 6. v. 86.*

> *Degeneresque ruunt Sindi, glomerantque paterno*
> *Crimine.* ---- ----

Dionys. *v. 681.*

> Σινδοί, Κιμμέριοί τε, καὶ οἳ πέλας Εὐξείνοιο
> Κερκέτιοί τ' Ὀρέται τε, καὶ ἀλκήεντες Ἀχαιοί.

Sunt in Corocondama peninsula, ad Mæotidem paludem, quos Eustathius *Zinchos* appellatos notat. *Zingos* hôc tractu habet Plin. *l. 6. c. 7. Ammianus* scribit, Peninsulam esse, quam *Sindi* incolunt ignobiles, propter herales in Asia casus conjugibus positi dominorum & rebus. Val. Flacc. *l. 6. Argon. v. 87. & 108.* Vide suprà. Dubito an iidem sint, qui alibi *Sinlendi* nominantur, qui in terra Normannorum trans *Egiduram* fluvium habitàrunt. Polyæn. *l. 8. Nic. Lloydius.*

SINDIA, urbs Lyciæ. *Steph.*

SINDOCANDA, civitas Taprobanæ. *Ptol.*

SINDOGA, Parthiæ oppid. *Ptol.*

SINDON, an quòd *Sidone* primùm inventa? certè *Tyria Sindon* Martiali *l. 4. Epigr. 19.* ubi *de Endromide*, memoratur, byssus nempe seu lini species pretiosissima, è qua vestes mollissimæ ac pretiosissimæ conficiebantur, *mulierum luxui destinatæ* (verba sunt Plinii) ideoque fermè purpurâ tegi solitæ: quas tamen in usum virorum ætate Martialis transiisse colligas, *ex loco cit.* Aliàs ὀθόνη Græcis & *Linea interula* fuisse videtur, unde in *Sindone* Crates à *Laertio* introducitur: quod in eo peculiare fuit, cùm aliàs *Sindones*, utpote vestes lineæ, ac molles tenuesque, & non solùm à Plinio, ut visum, sed & jam ab Homero, solis mulieribus attributæ, Cynicis asperitatem professis non convenirent. Vide Octav. Ferrarium *de Re Vest. Part. I. l. 3. c. 2. & Part II. l. 4. c. 20.* De Juvene, qui, postquam cubitum se recepisset, auditô Christi, quem venerabatur, periculô, lectô se proripuit, *Sindone* tantùm amictus & Christum sequi cœpit, vide Marc. *c. 14. v. 51. 52.* Ad quam Historiam notat Casaubonus, *Sindonem* lineam fuisse vestem, vel è bysso, nam σινδόνος βυσσίνης, legas apud *Herod.* Inter merces autem Sidone in Græciam à Mercatoribus afferri solitas, fuêre olim *Sindones*: unde Græcorum error, Urbis nomine, ut dictum, sic vocatas existimantium. Nam & alibi, quàm Sidone, factas fuisse, docemur Proverb. *c. 31. v. 24.* & scriptura utriusque nominis refellit, סדין *Sindon*, ut Sidon est צידון Earum & confectio varia & usus. Apud Græcos & Latinos sæpe vestis linea exterior, est insigne Sacerdotis, præsertim Ægyptiaci: Aliquando honestiorum indumentum, non temerè vilioribus assumendum. Unde Ædiles Atheniensium Crateti præfato succensuisse leguntur, ὅτι σινδόνα ἠμφίεσο; è cujus responsione cognoscimus, eos, qui operam Tonsoribus dabant, *Sindonibus* fuisse involutos, quod hodieque fit: quemadmodum ex illorum censura, pluris fuisse hunc cultum, quam ut Philosopho conveniret, vel sic amictum foràs prodire indecorum esse. Cùm verò apud Plut. *de Fortuna Alexandri*, miser olitor ἐν εὐτελεῖ σινδονίσκῃ ad Alexandrum adducitur, hîc *Sindon*, quibusdam est indumentum hominis fortunæ censusque tenuis. Aliis tamen, & fortè meliùs, vestis nocturna seu cubitoria: ut vocat Petronius, qualem secum hic Juvenis abstulit, cùm è lecto se proriperet. Eam è lino fuisse, eruditis observatum. Ita enim & Dionysius Episcopus Alexandriæ, apud Eusebium *Histor. l. 6. c. 40.* de curiosis ad se capiendum missis. Κἀγὼ μὲν, οἶδεν ὁ Θεὸς, ὡς λῃστὰς εἶναι τοὺς ἥκοντας ἡγησάμενος ἐπὶ συλήσει καὶ ἁρπαγῇ ἀφικομένους. μόνος ἐπὶ τῆς εὐνῆς, ἐφ' ἧς ἤμην γυμνὸς ἐν τῷ λινῷ ἐσθήματι, τὴν λοιπὴν ἐσθῆτα παρακειμένην αὐτοῖς ὤρεγον. Vide Isaac. Causaubonum *Exercit.* XVI. *Bar. num.* 65. Salmasio *sindon* interula est seu linea tunica, quam ὀθόνην alii vocabant. Unde, cùm reliqui Philosophi & Græci omnes tunicas gestarent, iis Cynici carentes, sub pallio non nisi lineas tuniculas & interulas gerebant, quas ὀθόνας Lucianus *de Proteo Cyn.* Laërtius *in Cratete* σινδόνας vocat. Sic *Hesychius* ὀθόνη σινδών. *lineæ* Latinis. In *Actis* passionis B. Cypriani, *Postquam se dalmaticâ exspoliâsset ---- in linea stetit*, ἐν ὀθονίνῃ ἐν σινδόνι. Ausonius *linteam sindonem* vocat: *Puer eja surge, calceos, & linteam da sindonem* &c. Vide Salmas. *ad Tertull. de Pallio c. 5.* Apud Scriptores Ecclesiasticos, *Sindones* dicuntur linteamina, quibus panes à Fidelibus, ad S. Eucharistiam offerri soliti, involvebantur. Ordo Rom. *Oblationes verò Principum Subdiaconus Regionarius à Pontifice suscipit, ac sequenti Diacono porrigit, & ipse in* sindonem, *quam tenent duo acolyti, ponit.* Sed & apud Martialem *l. 11. Epigr. 1. v. 2.* pro libri volumine *sindon* est, cùm ait:

> *Quò tu, quò liber otiosè tendis,*
> *Cultus* Sindone *non quotidianâ.*

Imò & in *sindone* moris fuisse scriptitare Indis, apud Philostratum legas in *Vita* Apollonii &c.

SINDONÆI, populi Thraciæ, *Steph.*

SINDUNUM, vulgò *Senuc*; vicus Galliæ ad Axonam, cellâ seu Prioratu S. Oriculi nobilis, in pago Dulcumensi, qui Diœcesi parœciâve Remensi continetur; inter Grandem Hammum *Grand Han* & Valles *Vaux*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SINEJUS, vide *Senus.*

SINEMURUM, castrum Galliæ, à re nomen habet; in pago Alesinensi, ad fluv. Hormentionem, non procul à Flaviniaco; vulgò *Semur en l'Auxois.* Item aliud in pago Cadrellensi *le Charollois* olim pago Briennensi contento, ad Verbincam fluv. qui in Ligerim supra Marciniacum defluit, *Semur en Brienois*: utrumque est in diœcesi Augustodunensi.

SINENSES populi, vide *Sinæ.* Horum universalem *Politico-Moralem scientiam* continens opus ingens, in quo de ritibus, & moribus Sinarum, de varietate Sectarum, de Philosophia Naturali, de Artibus, uti & de Lingua Sinensi & de mira literarum ex 64. lineis variè transpositis combinatarum inventione; de Musica ejusque instrumentis; de Geographia, Montibus, Maribus, Fluviis & Urbibus; de Theologicis argumentis, similibusque inter eos controversiis agitur: asservatur in Musæo Kircheriano Romæ; unà cùm *Chronographia* Imperatorum Sinensium, ab An. 275. post diluvium, usque ad A.C. 1666. continuatâ. Georg. de Sepibus *in Descript. Musæi p. 65.* De monumento *Sinico* haud pridem in hoc Imperio effosso, vide suprà in voce *Sinæ.*

SINERA, urbs Phœniciæ. *Steph.* Armeniæ majoris. *T. Minadojo.*

SINERVAS, urbs Armeniæ minoris *Antonin.*

SINGA, Palladis nomen apud Phœnices, cujus numinis simulacrum Thebis Cadmus constituit. Pausan. *l. 9.* Item Comagenæ regionis in Syria oppid. *Ptol.*

SINGÆ, Indiæ populi Plin. *l. 6. c. 20.*

SINGÆI, Græciæ populi in confiniis Macedoniæ & Thraciæ, Thucyd. *l. 5. Singi* urbis, fortè incolæ, ad Athon.

SINGAMES, fluv. Colchidis, *Arrian. Sigania* fortè, Plin. *l. 6. c. 4.*

SINGARA, urbs Arabiæ juxta Edessam. *Steph.* Item mons Mesopotamiæ cum urbe cognomine, apud Tigrim fluv. *Ptol.* Dicitur & *Singoras. Sima Nigro, Acalib* aliis dicitur.

SINGIDAVA, Daciæ urbs. *Ptol.* quibusd. *Segeswar*, in Transylvania. Aliis *Seged*, urbs Transdanubiana Hungariæ, ad Tibiscum fluv. ubi Mariscum recipit, versus limites Transylvaniæ sub Turcis.

SINGIDONUM, urbs Pannoniæ inferioris apud Sirmium urbem. Hodie pagus modicus est, & *Sigetinez* dicitur *Lazio.*

SINGIDUNUM, urbs Mysiæ superioris apud Danubium, *Zenderin Lazio*, & *Sevender* quibusd. hodie Serviæ urbs, anteà Rasciæ caput, etiamnum ampla, cum castro in colle. Sub Turcis, ab A. C. 1439. Anteà sedes Despotæ Serviæ.

SINGILIA, vel *Syngilia* urbs Hispaniæ Bæticæ inter Astigi 25. & Malacam 7. leuc. vulgò *Antequera*; oppidul. regni Granat. in loco edito & aspero, versus confinium Vandalitiæ, 7. leuc. Hispan. à Malacca in Boream Astigim versus 12. *Baudrand.*

SINGILIONES Dalmatenses, apud Trebellium Pollionem *in Claudio, c. 17.* inter munera ad hunc à Gallieno Imperatore transmissa, *Singiliones Dalmatenses* X. nec apud ullum alium Scriptorem Latinum memorati, Casaubono *cingula* sunt parva, quibus uterentur *Dalmatæ* equites. Salmasio *singilio* hîc idem est, quod in testamento Gregorii Naz. σιγίλλιον; vestis scil. genus, quæ aliàs Græcis ἁπλοῖς, nam *singulum* vel *singillum* est τὸ ἁπλοῦν: vel vestis Dalmatarum *sigillata* seu clavata: vestium enim *clavos* Græci σφραγῖδας, h. e. *sigilla*, dixêre. *Hesych.* σφραγῖδες αἱ ἐπὶ τοῦ δακτυλίου καὶ τὰ τῶν ἱματίων σημεῖα. Clavatas autem fuisse Dalmatarum tunicas, notum. Vide suprà *Monomachia.*

SINGILIS, & *Singulis* Plin. *l. 3. c. 1.* & *Singilius Isidoro*, Hispaniæ Bæticæ fluv. ex agro Granatensi oriens, ac apud Singiliam urbem decurrens, & per Astigi in Bætim fluens. *Xenil Morali, Guadaxenil Navagiero.*

SINGITICUS SINUS, sinus Macedon. *Ptol. Eliacus* videtur à Diod. Siculo nominari *l. 11. Golfo di monte Santo* dicitur *Castaldo.*

SINGULARE Certamen, vide suprà *Monomachia.*

SINGULARES & *ii*, in *Notit. Imperii* memorati, fuêre inter postrema officia Præfectorum Prætorio Orientis, & Italiæ, & urbis, de quorum officio vide Pancirollum *l. 1. c. 20.* & Jac. Cujacium *Observ. l. 12. c. 40.*

SINGULARIS Ferus, in Versione vulgata Psalmi 80. *v. 14. Et singularis ferus depastus est eam*, ubi in Hebr. est זיז שדי *fera agri* Græci reddunt μονιὸς ἄγριος; aper est, sic enim suum quosdam vocari, Ælian. auctor est *l. 7. c. 47.* & *l. 15. c. 3. Hesychius* item, *Suidas*, *Phavorinus*, Alii. Unde Callimachus *Hymnô in Dianam*,

> Εἰ δὲ κ' ἐγὼ τόξοις μονιὸν δάκος ἤ τι πέλωρον
> Θηρίον ἀγρώσσω ----
>
> *Quòd si ego sagittis* singulare animal *aut aliquam prægrandem*
> *Feram cepero.*

Et *Lycophron* πόρκον μονιὸν, *porcum solitarium*, vocat: Apollinaris quoque in paraphrasi ἀτιμαγέλην, *à grege abhorrentem.* Quò facit Gallicum *sanglier*, & Italicum *cingialo* vel *cingiaro*, quæ palàm ex Latino *singulari* facta. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 3. c. 19.* ubi voce Hebr. זיז *ziz*, non μονιὸν, i. e. *singularem*, sed bestiam vel feram quamvis, indigitari plurimis docet. Dictum autem Aprum Græcis μονιὸν, Latinis *singularem*, vel quod delectetur solitudine, vel quòd solus & *singularis* primis annis vagetur, habes apud Cujacium *ad l. 1. de Feudis* & Fulletum *Miscellaneorum Sacr. l. 6. c. 6.*

SINGULARIS Tibia, Græcè μόναυλος est. Et quidem primitus *singulares* erant tibiæ, antequam Marsyas geminas instituit. Sed postmodum *singulares* adhibitæ sunt. Namque Tyrrheni non unô genere contenti, *singulari* canebant in Sacris eàque æneâ, tanto apud eos in honore: ut, quemadmodum scripsit Aristoteles, non solùm ad ejus sonum pugiles certarent; verùm etiam, cùm in nexos flagris animadverteretur, tibiæ sonum adjungerent; quinetiam, quod mirère, coqui ipsi ad ejus sonum epulas appararent. Prætereà in

in funeribus usurpatæ &c. Vide Scaliger. *Poët. l.* 1. *c.* 20. & suprà in voce *Monaules*.

SINGULATOR, in *Glossis* ἱππεὺς κέλης, *Hesychio* μονάτωρ est, *monator*, uti Latini ex Græco dixisse videntur, Græcè enim μονάτωρ deduci non potest: eques est, qui solô ac singulari equô vehit; Μονάμπυξ quoque Græcis & μονόμπυξ, quod posteris Latinè ad verbum est *unireus*; ἄμπυξ enim est frenum equi Græcis, Latinis *antea* vel *area*. Cujusmodi *Singulatores* seu Equites solitarios, quomodo distinguat à desultoribus, & quot eorum genera faciat Manilius *l.* 5. vidimus suprà, ubi de *Simplis equis*.

in SINGULIS excellere, majoris habitum, quàm in omnibus mediocriter versari, docet exemplum apud Veteres Quinquertionis, cujus quamvis amplissima laus fuerit, *singulæ* tamen ejus victoriæ pensiculatè æstimatæ, non adæquârunt eas, quæ singulorum Athletarum fuêre propriæ. Singularis namque Athleta, idemque victor, summum laudis adipiscebatur, velut is qui esset ὕπατος in summo & callentissimus eorum omnium, quæ ad suum certamen pertinerent, sive ea esset *lucta*, sive *pugillatus*, sive *cursus*, sive aliud quid. Quinquertio verò, licet omnium victor, minus tamen videbatur, εἰς τὴν ἀκρίβειαν ἐκπονεῖν τὸ ἐπιτήδευμα, ἀλλὰ πάντων μετρίως ἐφῆφθαι; *in eo elaborasse, ut singula accurate sciret, sed omnia mediocriter attigisse*. Vide Platonem in Ἐρασ. & Car. Paschalium *Coronarum l.* 6. *c.* 23.

SINGUS, oppid. Macedon. in ora orientali ad Athi montis radices, ad sinum Singiticum.

SINGYA, urbs Pamphyliæ *Steph.*

SINIBRA, vide *Sentra*.

SINICUS MURUS, amplissimus, & celeberrimus, quamplurimis turribus & castris munitus, inter montes & valles alias excitatus à Sinarum Imperatoribus ad cohibendos Tartaros, quatuor omnino provincias ambitu suô cingit. Latus ubique 12. cubitos, alicubi 15. Altus ubique 30. Absolutus fuit spatiô quinque annorum, & per 300. milliar. German. extensus, ab Ortu in Occasum, nempe inter Tartariam magnam ad Boream & Pechinensem, Xansiam atque Xensiam provincias Septentrionaliores Imperii ad Merid. Sicque Tartariam à Sinis separat, inter sinum Gangum seu Sinarum intimum recessum ad Ortum & Croceum fluv. ad Occasum in parte Occidentali Xensiæ provinc. Portas quasdam ad exeundum habet, & illis vicina castella munitissima, in quibus haud minus 1000000. militum præsidio fuêre. Inchoavit opus Xius Imperat. Cinæ familiæ auctor, annô Imperii 22. ante Ch. Natum 215. tantamque voluit adhiberi diligentiam, ut sicubi clavus infigi posset, per lapidum commissuras, morte luerent, qui illam partem fabricassent. Opus sanè magnificum ac ingens, & omni dignum admiratione, ad hæc usque tempora ferè sine labe & noxa, contra tot injurias temporum persistit; Hôc tam insigni regni munimentô, per neglegentiam custodum hôc seculô, perruptô, Tartari rerum in Sinis hodie potiuntur. Vide *Murus* & *Sinarum regio*.

SINIS, apud Statium *Theb. l.* 12. *v.* 576.

Non trucibus monstris Sinin, *infandumque dedisti*
Cercyona ----

Latronis maximè malefici nomen est, idem cum Pityocampte: cujus mentio apud Plut. *Theseo*, Hyginum *c.* 38. Pausaniam *Corinthiac.* Ovidium passim, Auctorem *Ceiris*, *Propertium*, Diodorum inprimis Siculum *l.* 4. *Suidas* λῃστὴν βλαβερώτατον vocat. Vide quoque Apollodorum *fine l.* 3. Strabonem *initiô l.* 9.

SINIS, Colonia & urbs Armeniæ minoris ad Euphratem. *Ptol.*

SINIS, vulgo *Nascaro*, teste Barriô fluv. Magnæ Græciæ Choniam urbem alluens. Sunt qui *Siris* legunt.

SINISTER, apud Statium eundem *Theb. l.* 8. *v.* 177.

Quis mihi sidereos lapsus mentemque sinistri
Fulguris? -----

Prosper est. *Sinistra* certè *fulmina* optima auspicia esse, præterquam in Comitiis, tradit Cicer. *de Divin. l.* 2. Idem *eod. l. Bona* ait *sinistra dici, etiamsi dextra sint*. Et communiter à Veteribus, in fulgurum, fulminum, tonitruum, auspiciis, lævum latus felicitatem portendere, secus dexterum, observatum est: quamvis generatim Poëtæ dextrum omne felix nuncupent. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 692.

Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit lævum ----

Ubi Servius, *Sinistrum, prosperum, quia cœleste est. Sinistrum autem à sinendo quantum ad auguria pertinet, quod nos agere aliquid sinat.* Unde alibi, *si quem Numina læva sinunt* ---- *Sinistras autem Septentrionales esse, Augurum disciplina consentit, & ideo ex ipsa parte significantiora esse fulmina, quoniam altiora & viciniora domicilio Jovis.* Aliter idem ad *l.* 9. sinistra *nobis videntur, intuentibus cœlum, illic dextra sunt.* Scitiùs eque penitiore Antiquitatis lectione Festus, *Sinistræ aves, Sinistrumque est sinisterimum auspicium, i. e. quod sinat fieri.* Varro *Epist. Quæst. l.* 5. *A Deorum sede; ait, cùm in Meridiem spectes, ad sinistram sunt mundi partes exorientes; ad dextram occidentes, hinc factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia, quam dextra, esse existimentur* --- *silentio surgere cum dicitur* (auspicium) *significat non interpellari, quo minus rem gerat*, at sinistrum *hortari quoque auspicia ad agendum quod animo quis proposuerit* &c. Vide infrà. Sed & *sinistra manus* apud gentes quasdam, Persas inprimis olim hodieque, honoratior: quâ etiam communicatum olim in Ecclesia, more etiamnum à Dominicanis retentô, ait Macer, qui etiam à parte sinistra Eucharistiam à Pontifice accipi, refert *Hierolex.* Aliàs *sinistra*, infelicia. Virgil. *Ecl.* 1. *v.* 18.

Sæpe sinistra cava &c.

Unde cùm in dextrum latus corpus olim, qui adorabant, circumagerent, dextratione etiam ædes sacræ lustrarentur, & aræ circumirentur, uti didicimus ex *Plauto*, *Propertio*, Aristophane in *Pace*, contrariô gyrô lustrabantur rogi, in decursionibus funebribus Statius, *l.* 9. *Thebaid. v.* 120.

——— *lustrantque ex more* sinistro
Orbe rogum.

Sic in sacris, quæ Inferis fiebant, *sinistrâ* manu litabatur. Serenus,

Inferis manu sinistra *immolantes pocula*,
Læva quæ vides Laverna, Palladi sint dextera &c.

Interim naturalior hic motus, ut docet Philosophus, ἀπὸ δεξιῶν ἐπ' ἀριστερά, equosque naturaliter *ad sinistram* flectere tradunt Equarii: quæ ratio, cur in Circensibus equi *ad sinistram* flecterent, ac sinistrô gyrô interiore metas lustrarent. Lucan. *l.* 8. *v.* 199.

---- *nec sic moderator equorum*
Dexteriore rotâ lævum cùm circuit orbem.

Unde absolutè *interior* Latinis, pro *sinisterior*, ut *interior comes*, *interior sponda*, *interior rota*. Etenim in hac κατὰ φύσιν circumactione, interior orbis & propior centro *sinister* habetur, ut pluribus docet Salmas. *Commentar. de Musicis veter. Instrumentis*, vide quoque eum *ad Solin.* ubi totam Curulium horum certaminum rationem exponit, *p.* 936. & *seqq.* plura verò hanc in rem hic passim, inprimis ubi de voce *Lævus*; idem de *Manu*, *Meta*, *pede sinistro*, alibi. Addo saltem, *ad Sinistram Judicis impios olim sistendos*, quod dicitur Matthæi *c.* 25. *v.* 41. etiam Gentilibus olim non penitus fuisse incognitum, uti Eris Armenius disertis verbis docet apud Platonem *de Rep. l.* 10. *p.* 518.

SINISTRÆ dextræque Tibiæ, à lateribus, unde inflabantur, nomen accepêre: de quibus sic Jul. Cæs. Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 20. *Intermedium radici proximum excidebant ad lævam tibiam, quod subesset cacumini, ad dextram: quò lævarum sonum gravem agnoscas, dextrarum acutum. Sic apud Veteres scriptum est. at Latini ajunt*, Sinistras *acutiores aptasque rebus ludicris: item Sarranas, quibus ajunt foramina fuisse æqualia, veluti Spondiacis. Non igitur constant sibi: Spondiaca enim rerum gravium assiseci fuêre. Hac de causa Phrygiis foramina erant inæqualia, sicuti dactylicis, quæ ludicris adhibebantur. Dextras autem apud Romanos, funeribus dicatas, quia essent graves, cùm tamen funeribus Barbari acutissimis uterentur* &c. Cui consentiens Ald. Manutius Pauli fil. *dextras*, quæ dextrâ Histriones spectabant, sinistrâ spectatores; *Sinistras* contra nominatas, hasque gravem, illas acutum sonum reddidisse, ait: aliud sentiente Petrô Victoriô *Var. Lection. l.* 38. *c.* 22. qui *dextras*, quod dextrâ parte oris manuque; *Sinistras*, quæ contrariâ tenebantur, appellatas contendit. Vide infrà ubi de *Tibiis*. In Augurali scientia, in qua dextrum *sinistrumque* Cœli latus solicitè observabatur, *Sinistræ* aves. Latinis faustæ credebantur, quòd iis Septentrio sinister erat, teste Liviô, *l.* 1. *c.* 18. Orientem aspiciendo; faustæ autem illæ aves erant, quæ altè subvolarent, quod versùs Aquilonem fieri oportebat iis, quibus maximè omnium sublimis ille vertex. Atque ita Judæi quoque observârunt, qui cùm oculos ad Orientem converterent קדם appellant, Austrum pro dextra, Septentrionem pro sinistra habebant: Græci contrarium tenuêre modum. Cleomedes enim Occidentem anticam partem esse voluit, posticam Orientem, itaque Septentrio illis dexter, & auspicia dextra fortunata, vide Anton. Thysium JCtum *Not. in A. Gellium l.* 1. & *Exercit. Miscellan. Exercitat.* 19.

SINISTRI, Græcè Ἀριστεροὶ, Hæretici, quòd *sinistram* manum abhorrentes eâ nihil reciperent, sic dicti, memorantur *can.* 7. Concil. Constantinop. ad quem Balsamon *Novatianos* quoque & *Sabbatianos* esse appellatos, monet, vide suprà his vocibus.

SINNA, urbs circa Libanum. Duas hujus nominis urbes habet *Ptol.* in Mesopotamia.

SINNACES Parthus, insigni familiâ ac perinde, qui, princeps conjurationis, contra Artabanum, Phraatem Regis Phraatis fil. Româ Regem à Tiberio poscebat. Tacit *l.* 6. *Annal. c.* 31.

SINNACHA, Mesopotamiæ urbs, in qua Surena Parthorum Imperator Crassum dolô captum interemit *Plut.*

SINNAUS, lacus in Asia, qui circumnascente absinthiô inficitur. Plin. *l.* 2. *c.* 103.

SINOE, urbs Siciliæ. *Steph.*

SINON, Sisyphi fil. Autolyci furis nepos, qui cum Ulysse ad bellum Trojanum profectus, cùm Græci decimô demum annô diffidentes Ilium vi capi posse, ad dolum proditionemque confugerent, omnium maximè idoneus visus est, cui ob ingenii astutiam fallendorum Trojanorum, equique aperiendi negotium imponeretur. Plin. ait hujus inventum fuisse significationem specularum, *l.* 7. *c.* 56. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 195.

Talibus insidiis, perjurique arte Sinonis.
Credita res; captique dolis lacrymisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuêre decem, non mille carinæ.

SINONIA, insul. maris Tyrrheni, inter Palmariam & Pontias. Ex quo errore *Pinetus* deprehensus est illam *Janiti* indigitans, cùm *Janiti* Dianium sit Iglio proxima. Error item in Thesauro Ling. Lat. est, in quo insula Corsicæ nominatur, à quâ longissimè distat. *Baudrando* hodie *Sanone*, versus oram Latii & Campaniæ felicis parva & deserta, prope Pontiam Insul. 20. mill. pass. à Circejis in meridiem. Pendet tamen à regno Neapolitano, fere 90. milliar. à Dianio Insul. in Ortum.

SINOPE, Amazonum una, à qua urbi nomen, de qua infrà.

SINOPE, Asopi filia quam Apollo raptam in Pontum traduxit, & ex ea genuit Syrum, quem tamen alii Martis & Æginæ, alii Martis & Parnassæ filium faciunt. Quidam autem non ab Apolline vitiatam, sed ab eo & Jove perpetuam virginitatem sortitam, cum illi spe concubitus, quicquid postulâsset, ei daturos se promisissent.

SINOPE, nobile scortum fuit, lasciviâ valde celebre: unde *Sinopissare* proverbium est pro *lascivire*.

SINOPE, colonia & urbs maritima Paphlagoniæ, *πόλις ἀξιολογωτάτη τῶν ἐκεῖ*, *urbs Ponti illustrissima*. Strab. *l.* 12. Inter Cytorum ad occasum 100. mill. pass. & Amisum ad Eurum paulo minus, cum portu, in orâ Sinus Euxini, prope Sinum Amisenum. A Milesiis condita, an. 125. Urb. Cond. 2. Olymp. 37. Phlegonti tamen *κτίσμα* est *Μαγνήτων*, *Magnetum Coi opus*, apud *Steph.* dein sub variis Principibus, unde & Mithridatis regia, donec sub Romanorum potestatem concessit. Post hos Episcopalis fuit propriosque habuit Principes, quibus successerunt Turcæ, à quibus *Sinabe* vocatur, *Leunclav.* vel *Sindapas*, *Chalcondyl.* A Kosacis vastata est A.C. 1616. Fuit quoque Diphili Comici, Diogenis &c. patria. Ovid. *Pont. l.* 1. *ep.* 3. *v.* 67.

> *Non doluit patriâ Cynicus procul esse Sinopen.*

Val. Flac. *l.* 5. *v.* 109.

> *Assyrios complexa sinus stat opima Sinope,*
> *Nympha prius, blandosque Jovis quæ luserat ignes,*
> *Cælicolis immota procis.* ——

Apollonius Rhodius:

> Αὐτίκα δ' Ἀσσυρίης ἐπέβαν χθονός. Ἔνθα Σινώπην
> Θυγατέρ' Ἀσωποῖο καθίσσατο, καί οἱ ὀπάσσε
> Παρθενίην Ζεὺς αὐτὸς ὑποσχεσίῃσι δολωθείς. &c.

Dionysius Periegetes:

> Ἔνθεν Ἀμαζονίδεσσιν [illegible] Ἀρηΐου
> [illegible] Θερμώδων,
> Οἱ ποτ' [illegible] Σινώπην,
> Καί μιν [illegible] χώρῃ,
> [illegible]
> Ἰχθύων, [illegible]
> Ἐκ [illegible] ἰχθύσιν.

Sinopen autem Amazonum unam fuisse, & ab ea urbe hanc dictam testatur Andron apud Etymol. in voce Σινώπη: [illegible] Ἀμαζόνων φυγοῦσαν εἰς Πόντον [illegible] Σινώπην, [illegible] Atqui non Σινώπη id significat sed Σανάπη, quomodo ei scribendum fuerat. Auctor Scholiorum ad *l.* 2. *Apollonii Rhodii*: [illegible] Σανάπας λέγουσι [illegible] Ἀμαζόνες, [illegible] Sic scribendum. *Hesych.* [illegible] Sic lege, vulgò enim conspurcatissimus hic locus. Hic Sinopis rubrica primum inventa. Plin. *l.* 35. *c.* 6. Hodie *Sinopi*, vide suprà. Ei adjacet fluv. cognominis *Eustath.* Strab. *l.* 12. *Ptolom.* *Nic. Lloyd.*

SINORIX, in Gallia tetrarcha, flammis in Cammam Sinati uxorem libidinis excitatus, maritum è medio tollit, postea veneno à Camma ante aram Dianæ, ubi sibi Cammam despondere volebat, necatus. Polyæn. *l.* 8. *c.* 39.

SINOTIUM, novum & vetus, oppida Dalmatiæ. *Strabo.*

SINSI, Daciæ populi. *Ptol.*

SINTHIA, oppid. Macedoniæ mediterraneum circa *Sintios* montes, de quibus *Thucydides*. Vide *Steph.* Plurium sub se civitatum caput, unde & gentis nomen memoratæ Livio *l.* 28. *c.* 9.

SINTHUS, Græcè Σίνθος apud Auctorem *Peripli*, maximus post Mare Rubrum fluviorum, Indus est, quomodo hodieque dici audimus. *Ptolemæo* unum ex Indi ostiis Σίνθον dicitur. Item nomen loci in Insul. Taprobane seu *Zeilon*. Vide Salmas. *ad Solin.* *p.* 995. & 1110.

SINTIENUM, Urbs Sinarum, in provinc. Queichea. Satis munita, ad montium radices. *M. Martinius.*

SINTII, vel SINTIES, Thraces, qui Lemnum olim incoluerunt. Homer. *Il.* α. *v.* 593. *ubi de Vulcano*:

> Κάππεσον ἐν Λήμνῳ ——
> Ἔνθα με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα.

Idem de eodem Ulyssea θ. *v.* 294.

> Οἴχεται ἐς Λῆμνον μετὰ Σίντιας ἀγριοφώνους.

SINTOEUM, castellum Armeniæ à Galatis conditum. *Steph.*

SINUESSA, colonia & urbs Campaniæ, non procul a Siri fluv. ubi Minturnæ urbs extincta. Hujus ager *Sinuessanus* dictus est, copiosum apricis in saxis vinum gignens. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 111.

> *De Sinuessanis venerunt Massica prelis.*

Mollis Sinuessa Martiali dicitur. *l.* 6. *Epigr.* 42. *v.* 5. Hinc *Sinuessanus*. Martial. *l.* 11. *Epigr.* 83. *v.* 1.

> *A Sinuessanis conviva Philostratus undis.*

Horat. *l.* 1. *Ep.* 5. *v.* 5.

> *Inter Minturnas, Sinuessanumque Petrinum,*

Sinuessa hodie nominari tradunt *Leander* & *Goltzius*, qui dicit tantùm superesse ruinas, & exiguum opidulum, hodie *Rocca di Mondragone* dictum. Sanè serpentibus olim abundantem fuisse Sinuessam testatur Ovid. *Met. l. postremo*, *v.* 715.

> *Vulturnumque niveisque frequens Sinuessa colubris.*

Sinope quondam dicta fuit. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Colonia Minturnæ*, *oppidum Sinuessa*, *extremum in adjecto Latio*, *quam quidam Sinopen dixere vocitatam*. Livi *l.* 10. *c.* 21. describit eam juxta agrum Falernum: *Ubi Sinope*, inquit, *dicitur Græca urbs fuisse*, *Sinuessa deinde ab colonis Romanis appellata*. Strabo *l.* 5. Ἡ Σινόεσσα ἐν Ὀυεσκίνῳ κόλπῳ ἵδρυται, [illegible] κόλπος. Σινόεσσα dicitur Plutarcho *in Othone*, *Sinuessa tepens* dicitur Silio *l.* 8. *v.* 528. Ab aquis commendatur Tacit. *Ann. l.* 12. *c.* 66. *In tanta mole curarum Claudius valetudine adversâ corripitur, refovendisque viribus, mollitie cæli, & salubritate aquarum, Sinuessam pergit*. Plin. *l.* 31. *c.* 2. *In eadem Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem fœminarum & virorum insaniam abolere produntur*. Hinc Martial. *l.* 11. *Epigr.* 8. *v.* 11.

> *Dicet & ictericam se forsitan altera mœcha,*
> *In Sinuessano venerit illa lacu.*

Sic Cydni aquas podagricis mederi, & Albulam vulnera sanare, ut & Leucogæi fontis aquas *Plin.* tradit, & Lyceum fluv. apud Leontinos tertio die necare ex eo potantes. Hic obiit Sex. Turpilius, insignis Comicus, Terentii familiaris. *Nic. Lloyd.*

per SINUM Deus; ὁ διὰ κόλπου Θεός, apud Clementem Alex. *in Protreptico*, quid dicatur, vide hîc infrà, voce *Sinus*, ubi de ritu *anguem per Sinum ducendi*, in Sabaziis Sacris usitato: ut & supra, voce *Sabazius*.

SINUNIA, Parthiæ urbs, *Ptol.*

SINUS, Veteribus quod inter brachia ad summum pectus intercipitur, dictum est: vide suprà *Gremium*, unde & recessus littorum, in quos se mare insinuat, *Sinus*, & *Sinum* vestium vocavêre, quodcunque partem illam corporis tegeret, Tunicæ, Togæ, Chlamydis. De Togæ *sinu*, ut paulo plura addam, fiebat is ex Togæ redundantia in rugas tam in summo, quàm in imo, contracta: Unde rugas eas & plicas, tam quæ supernè à cervice cadentes, exertò brachiò dextrò, colligebantur ad pectus, quàm quæ in ima ora sinistro brachio subductæ contrahebantur, Veteres *Sinum* dixêre. Duplex videl. is fuit, alter *inferior*, qui nempe ex lacinia Togæ sinistrò brachiò formabatur, ita tamen ut ima ora infra ipsum caderet, qui *decentissimus* Quintiliano *l.* 11. *c.* 3. dicitur: memoratus Suetonio *in Cæsare*, *c.* 82. *Ut animadvertit undique se strictis pugionibus peti*, *Togâ caput obvolvit*, *simul sinistrâ manu sinum ad ima crura deduxit*, *quò honestiùs caderet*. Et *Superior*, qui ex lacinia superiori Togæ fiebat, quæ porrectò brachiò dextrò dejecta ad pectus & in rugas complicata, obliquè sub dextro brachio ad lævum humerum ad instar balthei currebat. Et hic propriè *Sinus*, inter quem & tunicam, quâ parte sinistram pectoris partem cum humero velabat, multa recondebantur. Plut. *Romulo* tradit, cùm inter homines apparere desiisset, creditum, à Patribus discerptum fuisse, in æde Vulcani, artusque laniatos εἰς τὸ κόλπον, *intra Togæ sinum* conditos indeque elatos. Arma quoque eôdem occultata Sueton. Octavio *c.* 35. *Cordus Cremutius scribit*, *ne admissum quidem tunc quemquam Senatorum*, *nisi solum & prætentato sinu*. Sic apud Livium *l.* 23. *c.* 8. *Perolla Campanus Togâ rejecta ab humero*, *latus succinctum gladio nudat*. Similiter apud Senecam *de Clem. l.* 1. *c.* 9. *Jam pugionem in sinu amicorum absconderat*: apud Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 172. *Ferre nuces sinu laxo* &c. De inferiori verò Togæ sinu, capiendus Livius quoque *l.* 21. *c.* 18. ubi de Legato Rom. Carthagini bellum indicente, *Tum Romanus*, inquit, *sinu ex Togâ facto*: *Hic*, *ait*, *vobis bellum & pacem portamus*: *utrum placet sumite*. *Sub quam vocem haud minus ferociter*, *Daret utrum vellet*, *cum succlamatum esset*, *& quum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset*: *accipere se omnes*, *responderunt*. Quod nihil aliud fuit, quàm Togæ laciniam lævo brachio subductam, dextrâ manu expandere & velut gremium formare: τὸν κόλπον ἐκπετάσαντα ait *Appianus*. Sic, cùm Romulus, apud Plutarchum rapiendarum Sabinarum hoc signum statuisset, [illegible], surgens ipse Togam purpuream in *Sinum* contraxit, ac rursus demisit sive explicavit. Utriusque *Sinus* componendi rationem docet Quintilian. *lib. cit.* inferiorem decentissimum fore tradens, *si aliquanto supra imam Togam fuerit*, i.e. si extrema pars Togæ cum sinu non involvatur, sed soluta paulo infra rugas cadat: Superiorem verò, *si nec strangulet*, i. e. non ita cervicibus adstringatur, ut præfocet; *nec fluat*, i. e. nec nimis laxus sit, &c. Cæterùm major minorve *Sinus* erat, prout strictior laxiorque Toga. Et antiquissimis quidem Romanorum nulli planè fuêre, quod brachium Togâ continerent: Postquam verò brachium, angustis Togis & corpore adstrictis, exseri cœpit, perquam illi breves; at ætate Augusti & deinceps laxis fusisque Togis majores & fusiores *Sinus*, altiusque cadentes in usu esse cœperunt, ut in veterib. nummis apparet. Ut enim in nummo Aurelii Divorum Fratrum Togæ brevissimus cernitur, vix pectus excedens, sic in nummo T. Vespasiani ultra genua cadens, ut & in nummo Plautillæ. Cæterùm, quoties illæ rugæ arte cogerentur, & nodò constrictæ, ut de Toga Hortensii tradit *Macrob.* *contabulatentur*, eum *Umbonem* vocatum fuisse, discimus ex Tertulliano *de Pallio*: verùm non semper umbonem arte conctum fuisse, docet Persius, *Sat.* 5. *v.* 32. cùm de communi Toga virili loquens ait:

> —— —— *Totaque impunè Suburra*
> *Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.*

Qui quidem idem cum *Sinu* fuerit, cum nihil aliud esset, quàm fortuitæ rugæ, ad instar umbonis, protuberantes &c. Vide Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. Parte I. l.* 1. *c.* 6. & ejus hac de re cum Joh. Friderico Gronovio literariam concertationem. *Partis ejusdem lib.* *cod. c. ultimo*. Adde Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c.* 5. ubi de *Sinu Togæ* prolixè disputans, cum ab *Umbone* diversum utrque fuisse, contendit. Sed & *Sinus* dicti sunt, annuli & nodi tortiles intexti capilli, qui olim delicatioribus in usu. Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 14. *v.* 25.

Quàm se præbuerant ferro patienter & igni,
Ut fieret torto nexilis orbe Sinus.

De quibus vide ubi de *Capillo*, item in voce *Fluctus*, *Gradus* &c. Ut de *Sinus* propria notione aliquid addam, *anguem per Sinum ducendi*, in Sabaziis sacris, Veter. ritus, memoratur Firmico *de Errore profan. relig. Sebazium colentes Jovem anguem cum initiantur, per sinum ducunt.* Aureum fuisse, Arnobius monet, qui & accuratiùs ritum describit *l.* 5. *Ipsa*, inquiens, *sacra & ritus initiationis ipsius, quibus Sebadiis nomen, testimonio esse poterunt veritati, in quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis & eximitur rursus ab inferioribus partibus.* Unde ὁ διὰ κόλπου θεὸς, *per sinum Deus*, Clementi Alex. *Protreptico*, Σαβαζίων γῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις ὁ διὰ κόλπου θεός. Δράκων δέ ἐστιν οὗτος, διελκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων.

SINUS Magnus *Ptol.* pars est Oceani Eoi seu Orientalis. Vulgò *Golfe de Cochinchine*, seu etiam *Golfe d'Hainam* dicitur, estque inter partem australem Imperii Sinarum, regnum Cocinchinæ, & Haynanum insulam. Est autem *Sinus* Maris, pars ejus curvô litore intercepta, seu littorum recessus, in quem Mare se insinuat; Ital. *Golfo*: Quos duûm generum constituit Auctor *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 3. §. 6. *oblongos* & *latos*; de quibus vide hîc *infrà.*

Sinus Maris oblongi.

α. Mare Mediterraneum, Europam à Borea, Africam ab Austro, Asiam ab Oriente habet: ipsumque *Sinus* alios minores, nec tamen minùs celebres emittit, è quibus *Oblongi* quidem sunt, Mare Adriaticum, *Golfo di Venetia*. Tarentinum, *Golfo di Taranto* in Mari Ægeo, *Sinus* Thessalonicensis, *Golfo di Salonichi*. Quibus additur Propontis, *Sinum* per Hellesponti fretum Mari Mediterraneo communicans. Pontus Euxinus Bosporo Thracico Propontidi annexus; qui ipse etiam alium non ignobilem format *Golfo di Nigropoli* appellatum. Palus Mæotis. *Lati* seu Hiantes, duo, Syrtis major & minor *Golfo du Capis*. β. Mare Balthicum, olim *Sinus Codanus*, tres alios *Sinus* secundarios non ignobiles habet, Botnicum, Finnicum & Livonicum. γ. Mare Rubrum, seu *Sinus Arabicus* communiter *Mar di Mecca*, ex Oceano Indico fluit, ad Aden urbem & promontor. Africæ; ac inter Africam versùs Occidentem, & Arabiam versus Orientem, decurrens, sistitur ad urbem *Suez*, ubi Turcicæ classis statio: Ejus fretum *Babelmandel*. δ. *Sinus* Persicus, seu Mare Persicum, *Mare Elcatif*, inter Arabiam ab Occasu & Persiam ab Ortu decurrit. Addunt quidam & *Sinum* Coreensem *Golfo de Nanquin*, sed cùm neutram Insulam esse recentiorum observationibus constet, Mare ipsas interluens *Fretum* potiùs, quàm *Sinum*, vocare convenit. Vide *Tabulas de Witt.* & *Tab. Amer. adnexam Itinerario* Th. Candischii *p.* 50.

Sinus lati seu hiantes.

α. In Asia, *Sinus* Gangeticus, *Golfo di Bengala*, terminatur littore Coromandelicô, Indiâ, Pegu, Siam, Malaccâ &c. β. Inter Malaccam & Cambajam. γ. In Europa, juxta Russiam, Mare Album. δ. In America, *Sinus* Mexicanus, qui inter Americam Septentrionalem & Meridialem decurrens terminatur Isthmô Panamæ. ε. Mare Hudsonii, Americæ Septentrionalis inter Novam Franciam effusum Estotilandiam usque. ζ. S. Laurentii *Sinus*, inter Canadam, Novam Franciam & Terram Novam. Quò pertinet etiam Mare Caspium, *Lacus* nomine potiùs, quàm *Maris* nominandum, quia Oceano manifestô ductu non adhæret, nisi cum Ponto Euxino & Mari Persico per occultos cuniculos connecti dicas, quod ingeniosè probat Kircherus *M.S. l.* 2. *c.* 13.

SINUS Salutaris, idem, vel certè proximus portui Gabrantonicorum in ora Angliæ orientali inter ostia Abi & Vedræ esse videtur, teste Camdenô. Vide *Ibi*. Addantur hic

Sinus maris Mediterranei, à freto Herculeo, ubi mare Mediterraneum initium sumit, inchoando, à veteribus memorati.

Virgitanus, maris Iberici, *Golfo di Cartajena*, Hispaniæ Tarraconensis, inter Charidemum promontor. ad Occidentem, & Scombrariam promontor. ad ortum & Boream, à Virgi urbe dictus. *Ferrar. Baudrando Golfe de Cartagene* Gallis, partim est in ora regni Murciæ, partim etiam in ora orientali regni Granatæ; & sic dicitur à Carthagine nova, emporio celebri ei adjacente.

Illicitanus sinus, hodie *Golfo d'Alicante* dictus ab Alona, est in ora regni Valentiæ, sed differt à Sucronensi sinu; extenditurque à Scombraria promontorio ad meridiem usque ad Dianium promontor. in Boream.

Sucronensis sinus, *Ferrario Golfo di Albufera*, *Baudrando* hodie *Golfo di Valenza*, est in ora regni Valentiæ; extenditurque inter Chersonesum oppid. & ostia Iberi fluvii ad Boream & Dianium promontor. ad meridiem.

Lugdunensis sinus, seu *Leoninus* sinus quibusdam, *le Golfe de Lyon*, extenditur ab Aphrodisio promontorio in occasum ad ostia Rhodani fluvii. Dicitur aliter *sinus Gallicus*; estque nautis formidabilis, & valde extenditur ad austrum inter Sardiniam ad ortum & Baleares insulas ad occasum.

Astromela, vulgò *mer de Martigue*, sinus est parvus Galliæ Narbonensis, in Provincia, prope Maritimam, inter Massiliam ad ortum & ostia Rhodani fluvii ad occasum.

Sambracitanus sinus, *Golfe de Grimaut*, est in ora Galliæ Narbonensis & Provinciæ, prope Fanum S. Eutropii.

Sinus Rapalli, *Golfo di Rapallo*, sinus est parvus Italiæ, in ora orientali Genuensi, prope Rapallum oppidum & portum Delphini.

Lunensis, maris Ligustici, qui portus, non sinus, à Strabone nominatur, à Luna urbe apud Macræ fluvii ostia eversa, inter Portum Veneris ad occasum & promontor. Lunæ ad ortum, *Golfo della Spetia*, in extrema ora Liguriæ.

Sinus Plumbini, *Golfo di Piombino*, sinus parvus maris Tyrrheni, in ora Hetruriæ & in agro Senensi, inter Trojam insulam ad ortum, & Plumbinum oppid. Populoniumque promontor. ad occasum.

Formianus, maris Tyrrheni, à Formiis urbe excisa in Latio novo, *Golfo di Gajetta*, inter Circæum ad occasum & Massicum montem ad ortum, apud Sinuessam urbem jacentem, *Ferrar. Baudrando* extenditur tantùm inter Sinuessæ rudera & montem Massicum ad ortum, & Cajetam ad occasum, in ora provinciæ Terræ Laboris dictæ.

Cumanus, quà Cumas alluit, sub Puteolano comprehensus.

Bajanus, idem Puteolano, quà Bajas alluit.

Puteolanus, maris Tyrrheni, sic à Puteolis urbe Campaniæ, inter Misenum promontorium ad occasum & promontorium Minervæ ad ortum, *Golfo di Napoli*; qui à forma etiam Crater nominatur à *Strabone*, *Ferrar. Baudrando* hic sinus aliàs amplior complectebatur sinum Puteolanum proprium & Neapolitanum, extendebaturque à Miseno promontorio ad Boream, usque ad promontorium Minervæ. Nunc autem multò angustior extenditur tantùm à Miseno promontorio ad montem Pausilippum, & *Golfo di Pozzuolo* vulgò dicitur, *Golfe de Pouzzol* Gallis, in ora Campaniæ felicis.

Crater, seu sinus Neapolitanus, *Golfo di Napoli* incolis, *Golfe de Naples* Gallis, fuit aliàs pars Puteolani, & extenditur à monte Pausilippo ad Boream ad promontor. Minervæ in meridiem, in ora Campaniæ felicis.

Pæstanus, maris Tyrrheni, à Pæsto urbe Lucaniæ exstincta, inter promontor. Minervæ ad occasum & Palinurum ad ortum, *Golfo di Agropoli*; qui & Posidoniates, à Posidonia urbe eadem Pæsto. *Ferrar. Baudrando Golfo di Salerno*, est in ora Principatus citerioris. Dictus fuit etiam aliàs *Posidoniates*.

Talaus ejusdem maris, à Talao urbe sive oppido in Lucaniæ & Brutiorum confinio, inter Palinurum promontorium ad Occasum & Tyllesium promontorium ad Ortum, apud Amantiam urbem, *Golfo di Policastro*, & *della Scalea*, *Ferrar. Baudrando* melius dicitur ab omnibus Laus sinus, *Golfo di Policastro*, seu *della Scalea*, estque in ora Lucaniæ.

Terinæus, ejusdem maris, à Terina oppido Brutiorum, qui & *Hipponiates*, & *Vibonensis*, & *Napitinus*, ab oppidis illius oræ nominatur, *Golfo di S. Eufemia*, *Ferrarius. Baudrando le Golfe di sainte Euphemie* Gallis, est in ora Occidentali Calabriæ ulterioris, inter Lametum promontorium ad Boream, & Baticanum ad Meridiem.

Scylletius, sive Scyllaceus, maris Ausonii, à Scyllacio urbe magnæ Græciæ, inter Cocinthum promontorium ad Meridiem & Lacinium ad Septentrionem, *Golfo di Squillaci*, *Ferrarius. Baudrando* dicitur aliter à nautis *Golfo delli Castelli*, ab oppidulo ei adjacente in ejus parte Boreali; estque in ora Orientali Calabriæ ulterioris.

Tarentinus, ejusdem maris, à Tarento urbe magnæ Græciæ extrema, in Salentinorum confinio, inter Lacinium promontor. magnæ Græciæ ad Meridiem, & Japygium promontor. Salentinorum ad Boream & Ortum. *Golfo di Taranto*.

Hyrias & Urias, Apuliæ Dauniæ ad Garganum montem, *Golfo di Rhode*, *Ferrar. Baudrando* Urias sinus hodie *Golfo di Mandfredonia*, seu *di Siponto* dicitur, estque pars maris Adriatici, in ora regni Neapolitani & provinciæ Capitanatæ, prope Maufredoniam & Garganum montem.

Hadriaticus sinus, seu Adriaticum mare & Superum, *Golfe de Venise*, & *mer Adriatique* Gallis, extenditur inter Italiam ad Occasum, & Illyricum ac Albaniam ad Ortum, à Venetiis in Boream Hydruntum usque ad Epirum. Vide *Illyricus sinus latè sumptus*.

Tergestinus, pars Hadriatici, in Boream extensa, inter Carnos & Histros, *Golfo di Trieste*, *Ferrar. Baudrando* extenditur inter Sontii fluvii ostia & promontorium Albram, prope Umacum.

Flanaticus sinus maris ejusdem, *Golfo Carnero* dicitur, versùs Curictam & Absorum insulas & Istriam provinciam. Sed inter Japodes & Curictam insulam vulgò *Golfo di Bucariza* dicitur.

[N]aronensis sinus, *Golfe de Narenza*, pars est maris Adriatici, & sinus oblongus longè per terras excurrens, versùs oram Dalmatiæ & prope Naronem. Dicitur ab aliis Manius sinus, teste *Joanne Lucio*, estque inter peninsulas Hillis & Nesti.

Rizonicus, sive Rhizonicus, maris Illyrici, à Rhizinio urbe Dalmatiæ, quæ & Rhisinium, inter illam ad Occidentem, & Butuam ad Meridiem, *Golfo di Cataro*.

Illyricus sinus strictè sumptus pars est sinus Adriatici, & vulgò *Golfo dello Drino* Italis, *Golfe du Drin* Gallis, quia in eum influit Drilo fluvius; estque in ora Albaniæ regionis.

Onæus sinus, hodie *Golfo della Valona* Italis, pars est maris Hadriatici, in ora Australi Albaniæ, prope Acroceraunios montes.

Buthroti sinus, aliter *Pelodes*, vulgò *Golfo di Butronto*, pars est maris Ionii, in ora Epiri, ex adverso Corcyræ insulæ, & in ejus introitu sita est urbs Buthrotum, unde sinui nomen.

Ambracius, maris Ionii, ab Ambracia urbe Epiri inter Nicopolim urbem ad Boream, & Actium promontor. ad Austrum, *Golfo dell' Arta*.

Corinthiacus, maris prædicti, à Corintho urbe Achajæ Peloponnesiacæ primaria dictus, inter Rhium ac Antirrhium promontoria ad ostium, & Corinthum in Isthmo & intimo in Ortum

tum recessu 80. mill. pass. extensus, qui & Crissæus in ora Phocidis dicitur, *Golfo di Coranto*, & *Golfo di Lepanto*.

Crissæus, pars est Corinthiaci, quâ Crissam urbem & loca vicina alluit.

Chelonates, qui & Chelonites, ejusdem maris, inter Chelonatem & Ichthim promontoria oræ Eleæ Peloponnesiacæ regionis, *Golfo di Vlouata*, sive di *Castel Tornese*, parvus, *Ferrar.* *Baudrando* hodie *Golfo dell' Arcadia* dicitur, seu de *l'Arcadian* quibusdam.

Cyparissius, ejusdem maris, inter Cyparissium & Coryphasium promontoria Cyparissiæ regionis Peloponnesi, *Golfo della Guardia*, sive di *Zonchio*, & ipse parvus, *Ferrar.* *Baudrando* hodie *Golfo di Zonchio*, parvus est, inter Ichtum & Coryphasium promontoria, in ora Messeniæ & Elidis.

Messeniacus, ejusdem maris, à Messenia regione Peloponnesi, qui & Coronæus, & Asinæus, *Golfo di Coron*, inter Acritam promontorium ad Occasum & Tænarium promontorium ad Ortum centum millia passuum, quanta est ora Messeniæ regionis. Dicitur etiam *Golfo di Calamata* à nautis, ab oppido adjacente.

Laconicus, in ora Peloponnesi Australi, ubi Laconica regio, à qua nominatur, inter duo promontoria, Tænarium ad Occasum, quô à Messeniaco dividitur, & Maleacum ad Ortum, 84. mill. pass. in longitudine patens. Hodie *Golfo di Castel Rampani* dicitur, quanquam aliqui scribant dici *Golfo de Colochina*, sed malè.

Argolicus etiam Peloponnesi in ora ad Orientem, inter Maleam promontor. ad Austrum, quô à Laconico secernitur, & Scyllæum promontor. Argiæ ad Arctos, 177. mill. pass. patens, *Golfo di Napoli di Romania*, *Ferrar.* *Baudrando* pars est maris Ægæi, & *Golfo di Napoli*, seu di *Napoli di Romania* dicitur, à Nauplia urbe adjacente in ejus parte Boreali.

Saronicus, postremus Peloponnesi, inter Scyllæum promontor. ad Meridiem, quô ab Argolico dividitur, & Spiræum promontor. ultimum Argiæ in Arctos isthmum versùs; sic à Saronide palude Argiæ, vel à Saronico portu ad isthmum: qui sinus apud Strabonem (à quo & Salaminiacus appellatur) magis patet, oram Atticæ attingens, haud minor Argolicô: *Golfo del Engia*; è regione Corinthiaci, ab eo isthmo divisus, ac in Ortum vergens, *Ferrar.* Pars est maris Ægæi, extenditur inter Atticam ad Boream & Peloponnesum, seu inter Sunium promontorium ad Boream & Scyllæum ad Meridiem, *Baudrand.*

Megaricus, pars Saronici, qua Megaridis oram alluit.

Euboicus, ab Eubœa insula, qui & Opuntius ab urbe, & Oetæus à monte, & Maliacus nominatur, in Cenæum promontor. Eubœæ Boreale, & Thermopylas extremum montis Oetæ 70. stadiis mari, sed per littora multò longior, inter Euripum & Thermopylas 66. mill. pass. *Golfo di Negroponte*, & *Golfo di Ziton*, tametsi Euboicus tantùm dici videtur, qua ipsam Eubœam attingit, *Ferrar.* *Baudrando* hinc sinus nunc *Golfo del Ziton* dicitur; & ejus pars inter Achajam & Eubœam insulam dicitur *Golfo di Talaudi* à nautis.

Pagasicus Plinio, *l. 4. c. 9.* qui & Pelasgicus *Ptolemæo*, & Pagasiticus *Straboni*, Thessaliæ, inter Thermopylas ad Meridiem & Magnesiam ad Boream, promontor. in Macedoniæ confinio, supra 60. mill. pass. *Golfo di Armiro*, & *Golfo del Volo*. Potius *Golfo del Volfo*, ab arce ei adjacente; extenditurque ad 30. milliaria tantùm.

Thermaicus Plinio, *l. 4. c. 10.* sive *Thermæus Straboni*, Macedoniæ: qui & *Macedonicus* Plinio, *loc. cit.* amplissimus, ad 100. mill. pass. inter Magnesiam promontor. ad Meridiem, in Thessaliæ confinio, & Canastræum promontor. ad Septentriones, in quo Cassandrea & Thessalonica, *Golfo di Salonichi*.

Toronaicus, Macedoniæ, à Torone oppido, *Golfo di Rampa*, inter Canastræum promontor. quô à Thermaico separatur, & Ampelum oppidum & promontor. *Ferrar.* *Baudrand.* hodie *Golfo d'Ajomama* dicitur, *Sansone*, *Brietiô*, & aliis testibus. Dicitur etiam *Golfo di santa Anna* à nautis.

Singiticus, ejusdem regionis Borealior, à Singo oppido, *Golfo di Monte Santo*, inter Ampelum promontor. quô à Toronaico discluditur, & Nymphæum promontor. apud montem Athon: quibusdam *Golfo di Fassio*, seu di *Doari*; estque in ora Thraciæ.

Strymonicus, ejusdem regionis postremus, *Golfo di Contesa*, inter montem Athon & ostia Nesti fluvii, ubi Arethusa, Oesima, & Neapolis urbes.

Melanes, vel Melas, Thraciæ, inter Ænon urbem Thraciæ, & Mastusiam promontor. Chersonesi, *Golfo di Caridia*, à Cardia urbe in intimo recessu, *Ferrar.* *Baudrand.* pars maris Ægæi, in ora Thraciæ, hodie *Golfo di Eno*, à multis dicitur, teste *Brietiô*; aliis autem est *Golfo di Magarise*, ab urbe ampla Chersonesi Thraciæ, quod forsan meliùs.

Chrysoceras sinus, aliis Cornu Byzantiorum, teste *Petro Gyllio*, pars est Bosphori Thracii; extenditurque inter Constantinopolim & Galatam, in ora Thraciæ per decem milliaria.

Carcinites, Sarmatiæ Europeæ ad isthmum Tauricæ Chersonesi, sic à Carcina oppido dictus, *Golfo di Nigropoli*, parvus, *Ferrar.* *Baudrando* est pars Ponti Euxini, & dicitur à nautis *Golfo di Moscovia*, extenditurque ad centum mill. pass. ab Africo in Cæciam.

Cerceticus, Samatiæ Asianæ oram ad Euxinum mare, ubi Cercetii populi, alluens.

Coretus sinus, pars est Occidentalis Mæotidis paludis, versùs Bugem lacum & Tauricam Chersonesum. Sed de ejus recenti nomine non constat.

Cantageus, Sarmatiæ Asianæ post Cerceticum.

Cyclaminus, sinus Bosphori Thracii in ora Bithyniæ, nunc Soltanicus sinus dicitur, teste *Petro Gyllio*; estque satis parvus.

Astacenus, Bithyniæ ad Propontidem, *Golfo di Comidia*, ab Astaco oppido, inter Acritam promontorium ad Boream, & Posidium promontor. ad Meridiem, in quo Nicomedia, ferè 90. mill. pass. patens.

Nicopolitanus, ibidem, à Nicopoli urbe, inter Posidium promontorium, ab Astaceno separatum, & Dascylon urbem, *Golfo di Montanea*, *Ferrar.* *Baudrando* pars est Propontidis, & vulgò *Golfo di Polimeure* dicitur, estque in Asia minori.

Idæus, Phrygiæ minoris, qua Idam montem & loca Enitima attingit.

Adramyttenus sinus pars est maris Ægæi, inter oram Mysiæ majoris, in Asia minori, versùs Adramyttum urbem & Lesbum insulam; & vulgò *Golfo di Andrimiti* dicitur. Ab antiquis etiam pro Idæo sumitur.

Smyrnæus sinus, *Golfo di Smirna*, pars maris Ægæi in ora Asiæ minoris & Æolidis atque Ioniæ, inter Æganum promontor. ad Boream & Argennum ad Austrum.

Iassius, Cariæ, ab Iassio urbe, inter Posidium promontor. apud Miletum, & Halicarnassum urbem ad Meridiem, *Golfo di Messi*, Ab aliis dicitur *Golfo di Milasso*, & meliùs; estque inter Posidium promontor. & Myndum urbem.

Ceramicus, ibidem, inter Halicarnassum & Gnidum urbes, sic à Ceramo urbe, *Golfo di S. Pietro*.

Glaucus sinus, Asiæ minoris in Caria, *Golfo de Macre* hodie dicitur.

Attalicus, Pamphyliæ, ab Attalia urbe, *Golfo di Satalia*, inter Olbiam ad Occasum & Sidam ad Ortum, suprà 54. mill. pass. longitudine.

Issicus, Ciliciæ, ab Isso urbe, inter ostia Pyrami & Orontis ad 100. mill. pass. *Golfo del Ajazza*.

Sirbonis, Palæstinæ, apud fines Ægypti, inter paludes, inter Casium montem & Pelusium, *Golfo di Tenese*, olim 150. mill. pass. circuitu. *Ferrar.* *Baudrando* veriùs est palus, nunc *le Baranguerle* dictus à nautis; ibique nullus est portus seu statio navium in ora littorali, neque etiam ad multa milliaria.

Syrtis magna, Africæ, in confinio Cyrenaicæ, *Golfo di Solocho*, ambitu 625. mill. pass. inter promontor. Trierotum Africæ ad Occasum, & Boreum promontor. Cyrenaicæ ad Ortum. *Ferrar.* *Baudrando* dicitur hodie à Gallis *Seiches de Barbarie*, ab Hispanis *Baxos de Barberia*, & ab Italis *Golfe de Sidra*, *Sansone* teste; estque in ora Cyrenaicæ & Tripolitanæ regionum.

Syrtis parva, Africæ, inter Brachodem ad Occasum & Zerham ad Ortum Africæ promontoria, ambitu 300. milliar. pass. patens, ad quam Neapolis & Leptis magna, vulgò Tripoli, *Golfo di Capes*.

Adrumeti sinus, *Golfo de Mahomete*, seu *de Hammamet*, aliàs in Africa propria, hodie in regno Tunetano, pro Adrumetum, & inter Mercurii promontorium ad Boream & Syrtim parvam ad Meridiem.

Carthaginensis sinus, hodie Tunetanus, *Golfo de Tunis*, in ora Africæ & regni Tunetani, prope Tunetum & rudera Carthaginis.

Hipponensis, ab Hippone urbe dictus, inter Hermæam promontor, & Numidicum, *Golfo di Pona*.

Olcachites, ejusdem Africæ, *Golfo di Stora*, inter Hippos ad Ortum & Tretum ad Occasum promontoria: in eo Collops parvus.

Numidicus, ejusdem regionis, in Mauritaniæ Cæsariensis confinio, *Golfo di Estora*, inter Ampsagam fluvium terminum Mauritaniæ & Africæ ad Occidentem, & Tretum promontor. ad Ortum: in eo Collops magnus, *Ferrar.* *Baudrando* Numidicus sinus parvus in ora Numidiæ regionis, hodie *Golfo da Colle* dicitur à Gallis, à Chullu urbe adjacente; visque 6. leucis distat à sinu *de Store* dicto in Occasum.

Catanensis sinus, *Golfo di Catania*, pars est maris Ionii in ora Orientali Siciliæ, inter Catanam & Augustam.

Panormitanus sinus, *Golfo di Palermo*, pars est maris Tyrrheni in ora Boreali Siciliæ, prope Panormum.

Castri sinus ad mare, *Golfo di Castel à mare*, sinus est maris Tyrrheni in ora Occidentali Siciliæ, ad Segestanorum emporium, atque medius inter Panormum & Drepanum.

Calaritanus sinus, *Golfo di Calari*, sinus est maris Mediterranei in ora Orientali Sardiniæ, prope Calarim ejus primariam.

Sulcitanus sinus, *Golfo di Palma*, est in ora Australi Sardiniæ insulæ, Africæ obversa, prope Sulci rudera & Enosim insulam.

Arboreus sinus, *Golfo di Oristagni*, pars est maris Mediterranei in ora Occidentali Sardiniæ insulæ, prope Arboream.

Terræ novæ sinus, *Golfo di Terra nova*, est in ora Orientali Sardiniæ & in ejus parte Boreali, inter Terram novam oppidum & Hermæam insulam.

Casalus sinus, *Golfo di Calvi*, pars est maris Mediterranei, in parte Occidentali Corsicæ insulæ, prope Calvium.

Sinus S. Florentii, *Golfo di S. Fiorenzo*, est in parte Boreali Corsicæ insulæ, prope arcem S. Florentii & Nebii rudera.

Adiacii sinus, *Golfo di Adiazzo*, pars est maris Mediterranei, in parte Occidentali Corsicæ insulæ, prope Adiacium seu Urcinium.

Amphimalus sinus, *Golfo di Suda*, pars est maris Ægæi, in ora Boreali Cretæ insulæ, & in ejus parte Occidentali, versùs Cydoniam urbem.

Sitiæ sinus, *Golfo di Sitia*, est in ora Boreali Cretæ insulæ, & in ejus parte Orientali prope Sitiam urbem.

Spinæ longæ sinus, *Golfo di Spina longa*, pars maris Ægæi, in ora Boreali Cretæ insulæ, prope Spinam longam arcem littoream, & inter Sitiam ad Ortum & Candiam ad Occasum.

Sunt & sinus maris Baltici; *Codanus*, *Cimbricus* Saxon. partem, sive Vandaliam alluens, in quo Daniæ insulæ plures sunt; *Vendicus*,

cus, latissimè patens inter ostia Vistulæ & Narvæ, Prussiam, Samogitiam, Livoniamque lustrans, *Finnicus*, inter Finlandiam & Careliam; & *Botnicus*, inter Finlandiam & Bothniam, *Ferrar. Baudrando* Codanus sinus sæpissimè sumitur pro mari Baltico, inter Daniam, Germaniam, Poloniam & Sueciam extenso. Vide *mare Balticum*, & *Codanus sinus*.

Bothnicus sinus, vulgò *Golfe de Bothnie*, in Arctos excurrit inter Sueciam propriam, Bothniam, & Finniam.

Finnicus sinus, vulgò *Golfe de Finlande*, in Ortum extenditur inter Finniam, Careliam, Ingriam, & Livoniam.

Rigensis sinus, vulgò *Golfe de Rige*, pars est maris Baltici, inter Livoniam propriam, Curlandiam, & Osiliam insulam extensa; aliasque Clilipenus dictus fuit.

Grandvicus sinus, seu mare Album, vulgò *la mer Blanche* Gallis, *Bella more* Moschis, *de Witte Zee* Belgis, pars est maris Septentrionalis, per Lapponiam extensa. Vide *mare Album*.

Austrinus sinus, vulgò *Zuyderzee* Belgis, *mer du Zud* Gallis, pars est Oceani Germanici, inter provincias Hollandiam, Frisiam Occidentalem, Gueldriam, & Transisalanam excurrentis. Vide *Austrinum mare*.

Gaditanus sinus, vulgò *Baya de Cadiz* Hispanis, *Golfe de Cadis* Gall. pars est Oceani Atlantici, in ora Vandalitiæ & Gaditanæ insulæ; quibusdam autem pars est sinus Equarum.

Equarum sinus, vulgò *Golfo de las Yeguas* Lusitanis, *Golfe des Jumens* Gallis, pars est Oceani Occidentalis, inter promontor. Sacrum ad Boream & promontor. Cantinum ostiaque Ommirabihi fluvii ad Meridiem.

Sunt etiam alii Sinus maris Mediterranei, uti & Ponti Euxini, & maris Caspii. Sed eos propriis locis descriptos invenies, uti & sinus Oceani, tum in insulis, tum etiam alibi.

Sinus Oceani apud Ptolemæum & alios, à Freto Herculeo inchoando:

Emporicus, Mauritaniæ Tingitanæ, inter Subur fluvium & montem Atlantem minorem, *Golfo di Sella*. Quibusdam est *Golfo de Sale*, sinus parvus Africæ in ora regni Fezzæ, prope Salam urb.

Hesperius, Libyæ interioris, inter Ryssadium & Cornu Hesperii, *le Secche delle Garze*, *Ferrar. Baudrando Golfe de S. Thomas*, dicitur aliter Æthiopici sinus intimus recessus; estque inter oram Orientalem Guineæ & regni Benini ad Boream, & Æthiopiam inferiorem ad Ortum, sed longè à Cornu Hesperii.

Barbaricus, Æthiopiæ sub Ægypto, inter Raptum promontor. ad Meridiem, & Aromata promontorium ad Septentrionem, *Golfo di Melinde*, *Ferrar. Baudrando* Barbaricus sinus, seu Asperum mare, prope Raptum promontor. hodie *mer de Zanguebar* dicitur; estque in parte Orientali Æthiopiæ propriæ: & ejus pars admodum parva est sinus Melindæ.

Avalites, ejusdem regionis, inter Aromata & fauces sinus Arabici, *Golfo di Zeilan*. Parvus est.

Arabicus, inter Arabiam & Ægyptum, Æthiopiamque sub Ægypto, ad 350. leucas, h. e. 1050. mill. pass. inter fauces & intimum illius recessum extensus, *il Mar rosso*, *Ferrar. Baudrando* hodie *la mer Rouge*, seu etiam *mer de la Mecque* dicitur à Gallis, & *mare Rosso* ab Hispanis. Vide *Arabicus sinus*, & *Mare Rubrum*.

Adulicus, pars sinus Arabici, Æthiopiam sub Ægypto alluens, inter fauces illius & Colobon promontor. in quo Adulis urbs, *Golfo di Frenco*.

Heroopolites, pars Arabici in intimo recessu, ubi Heroum urbs, *Ferrar. Baudrando* nunc *Golfe de Suez* dicitur; estque in parte Borealiori sinus Arabici, inter Ægyptum & Arabiam petræam.

Ælaniticus, pars sinus Arabici, in Arabiæ petrææ & felicis confinio, ubi Ælana urbs, *Golfo di Eltor*.

Sachalites, Arabiæ felicis in ora ad Ortum, inter Syagrum ad Meridiem, & Corodamum promontor. ad Boream, *Golfo di Sacbalat*.

Persicus, inter Arabiam ad Meridiem & Persidem cum Susiana ad Boream, 255. leucis extensus, *Golfo di Persia*. *Ferrar. Baudrand.* nunc *Golfe de Balsora*, & *mer d'Elcatif* dicitur, seu etiam *Golfe de Perse*; & ejus pars Orientalis, seu extra ejus fauces dicitur sinus Armuzianus.

Ichthyophagorum Macarum, Arabiam alluens, pars Persici.

Leanitis, pars Persici, Arabiam felicem alluens.

Sacer, pars Persici, inter Leanitem & Mesanitem, Arabiam alluens in intimo ferè recessu.

Mesanites, pars Persici, Arabiam alluens.

Pelodes, pars Persici, Susianæ regionis oram alluens.

Paragonticus, Carmaniæ, inter promontoria Carpellam ad Occasum & Alabagium ad Ortum, *Golfo di Gugerath*, *Ferrar. Baudrando* Paragonticus sinus Carmaniæ, forsan est *Golfe de Guadel*, ut conjicitur ex situ. Sed longè distat à tractu *Guzarate* in Occasum.

Canthi sinus, *Golfe de l'Inde*, sinus est Indiæ intra Gangem, prope ostia Indi fluvii, & versùs confinia Imperii Persarum, teste *Sanson*.

Barygazenus, primus sinus Indiæ, inter ostia Indi fluvii & sinum sequentem Canthicolpicum, *Golfo di Cambaja*, sic à Barygaza urbe. Forsan inter Canthi ad ostia Indi, & Colchicum sinum sequentem: hoc enim ordine ponuntur, Canthi vel Canthicus, Larygazenus, Colchicus, *Ferrar. Baudr. Golfe de Cambaye* dicitur ab urbe adjacente, seu *de Guzarath* à regno vicino.

Colchicus, ejusdem Indiæ citerioris, inter Comariam & Cory promontoria, sic à Colchi urbe, *Golfo di Cochin*. Quid sit non constat.

Orgalicus, Indiæ, inter Cory promontor. Australissimum, & Taprobanam insulam, *Golfo di Zeilan*, sub quo & Argaricus Orgalicum sequens continetur, *Ferrar.* Ubi autem difficile est dicere; & inter Cory seu Commaria extrema & Taprobanam est fretum *Manar* dictum, sed nullus sinus, neque prope Cocinum, *Baudrand*.

Gangeticus, qui & Magnus, inter Indiam citeriorem & ulteriorem, omnium maximus, circuitu 1250. leucis Hispanicis, latus in ore 400. inter Cory promontor. citerioris, & Colon ulterioris, *Golfo di Bengala*, sic à Gange fluvio in eum influente dictus.

Sabaracus vel Sarabacus, Indiæ ulterioris, Magno ad Meridiem attiguus, juxta Auream Chersonesum, ab ea in Boream recedens, *Golfo de Savolar*. *Ferrar. Baudrando* hic sinus Gangetico attiguus est, *Golfe de Martaban*. Sed longè distat à Magno sinu in Ortum.

Perimulicus sinus, Indiæ ulterioris, est *Golfe de Siam*, sic dictus à regno adjacente.

Sinus Magnus, *Golfe de Haynam*, [illegible] *de la Cocinchine*, extenditur inter Indiam Ulteriorem & Sinarum regionem.

Sinarum, qui & Chryse, Sinas alluens, *Golfo della China*, *Ferrar. Baudrando* Sinarum sinus seu intimus recessus, hodie *Enseada de Nanquin* Lusitanis, est in parte Orientali Sinarum, versùs Coream. Aliis dicitur *Golfe de Gang*, seu *de Zang*.

Manilhanus, seu Cavitæ sinus, *Bahia de Cavita*, pars est Oceani Indici, in parte Occidentali Manilhæ insulæ, in Philippinis, & prope Manilham urbem.

Sinus maris Mediterranei ex ordine occurrentes.

Virgitanus.
Illicitanus.
Sucronensis, Hispaniæ,
Lugdunensis, Galliæ
Astromela, Provinciæ.
Sambracitanus, Provinciæ.
Rapallensis, Liguriæ.
Lunensis, qui & Erycis, Liguriæ.
Plumbini, Hetruriæ.
Formianus, seu Phormianus, & Cajetanus, Latii novi.
Bajanus, qui & Puteolanus, Cumanus, & Crater, Campaniæ.
Pæstanus, qui & Posidoniates.
Laus, Lucaniæ.
Hipponiates, qui & Terinæus, & Napitinus, Brutiorum.
Scyllaceus.
Tarentinus, magnæ Græciæ.
Hyrias, qui & Urias, Apuliæ Dauniæ.
Adria, sive Hadria cum aspiratione, qui & Adriacus & Adriaticus, sive Hadriacus & Hadriaticus, Venetiæ.
Tergestinus, Carnorum & Histriæ.
Flanaticus, Histriæ & Liburniæ.
Naronensis, Dalmatiæ.
Rhizonicus, Dalmatiæ.
Illyricus, Macedoniæ.
Oricus, Macedoniæ.
Buthroti, Epiri.
Ambracius, Epiri.
Corinthiacus.
Crissæus, pars Corinthiaci.
Chelonates, qui & Chelonites.
Cyparissius.
Coronæus, qui & Messeniacus, & Asinæus.
Laconicus.
Argolicus, Peloponnesi.
Saronicus, qui & Salaminiacus, & Megaricus, Peloponnesi & Atticæ.
Euboicus, Eubœæ.
Opuntius, qui & Maliacus, & Oetæus, Phthiotidis,
Pagasicus, qui & Pelasgicus, Thessaliæ.
Thermæus, qui & Thermaicus.
Toronaicus.
Singiticus.
Strymonicus, Macedoniæ.
Melanes, Thraciæ.
Chrysoceras, Thraciæ.
Carcinites, Sarmatiæ Europææ.
Cercetius.
Cantangeus, Sarmatiæ Asianæ.
Cyclaminus.
Astacenus.
Nicopolitanus, Bithyniæ.
Idæus apud Trojam, Phrygiæ.
Adramyttenus, Asiæ minoris.
Smyrnæus, Asiæ minoris.
Ceramicus, Cariæ.
Attalicus, Pamphyliæ.
Issicus, Ciliciæ.
Sirbonis, Palæstinæ.
Syrtis magna.
Syrtis parva.
Carthaginensis, Africæ.
Hipponensis.
Olacinites, Africæ.
Numidicus, qui & Laturus, Numidiæ.

Sunt & sinus aliquot insularum maris Mediterranei, velut Sardiniæ, Siciliæ, Corsicæ, Cretæ, & Cypri.

Sinus Oceani apud veteres per ordinem:

Emporicus, Mauritaniæ Tingitanæ.
Hesperius, Libyæ interioris ad Occidentem.
Barbaricus, qui & Troglodyticus.

Ara-

Avalites, apud fauces ſinus Arabici.
Adulicus, pars Arabici, Æthiopiæ ſub Ægypto.
Heroopolites & Ælanites, partes Arabici, Arabiæ petrææ.
Arabicus inter Africam & Arabiam.
Sachalites, Arabiæ fęlicis ad Ortum.
Perſicus, cujus partes ſunt Capene, & Gerraicus, ubi Gerra urbs ampla, inter Arabiam & Perſiam.
Sinus Ichthyophagorum Macarum, Leanitis, Sacer, ac Meſanites, partes Perſici, in Arabia.
Pelodes, pars Perſici, in Suſiana.
Paragon ſeu Paragonticus, Carmaniæ.
Canthicus, apud oſtia Indi.
Colchicus, apud Camariam promontorium.
Orgalicus, qui & Argaricus, apud Cory promontorium, Indiæ citerioris.
Gangeticus, qui & Magnus.
Sarabacus, pars Gangetici, Indiæ ulterioris.
Perimulicus, Indiæ ulterioris.
Magnus ſinus, Sinarum.

SINUS Antonii Ægidii, *Baye d'Antongyl*, ſeu *de Manghabei*, ſinus eſt Africæ, in parte Boreali Madagaſcariæ inſulæ, ſeu Delphinæ, & in ejus ora Orientali, ubi colonia Francorum.

SINUS S. Auguſtini, *Baye de S. Auguſtin*, eſt in parte Auſtrali Madagaſcariæ inſulæ, ubi ora in Occaſum tendit. Dicitur etiam *Jonghe labe* ab incolis; ibique ineſt colonia Francorum.

SINARUM, qui Chryſe, & Magnus, apud Satyrorum promontorium.

Sunt præter hos ſinus alii inſularum Oceani, uti Albionis, Hiberniæ, Taprobanes, & aliarum.

Sinus Oceani in America per ordinem:

SINUS Hudſonius, *Golfe de Hudſon* Gallis, *Hudſon Bay* Anglis, ſinus Americæ Septentrionalis peramplus, verſus Terras Arcticas & Eſtotilandiam, ab Anglis detectus. Ejus partes ſunt Jacobi ſinus & ſinus Magnus ſeu Liberatio, in parte Auſtrali.

SINUS Buttonius, *Buttons Bay*, ſinus Americæ Septentrionalis in mari Chriſtiano, verſùs novam Daniam & Terras Arcticas.

SINUS Baffini, *Baffins Bay* Anglis, ſinus amplus in Terra Arctica, à Baffinio Anglo detectus paucis abhinc annis, & maximè in Septentrionem extenſus.

SINUS S. Laurentii, *Golfe de S. Laurent*, pars ampla maris Borealis, inter oſtium fluvii S. Laurentii ad Occaſum & inſulam Terræ novæ in nova Francia ad Ortum; In eo ſunt plurimæ inſulæ; ſed præſertim Sancti Joannis, promontorii Britonum, & Aſſumptionis.

SINUS Mortuorum, *Baye des Trepaſſez*, eſt in nova Francia, & in parte Auſtrali inſulæ Terræ novæ.

SINUS Gallicus, *Baye Françoiſe*, ſinus Americæ Septentrionalis, & pars maris Borealis, in nova Francia, & in Acadia provincia, inter novam Angliam ad Occaſum, & promontorium Arenarum ad Ortum, verſùs Portum Regium.

SINUS Cheſapeacus, *Cheſapeak Bay*, pars eſt maris Borealis, in America Septentrionali, & in Virginia regione.

SINUS Spiritus Sancti, *Bahia del Spiritu Santo*, ſeu *mare Pequeno*; pars eſt ſinus Mexicani, in America Septentrionali, & in ora Floridæ regionis.

SINUS Mexicanus, *Golfe de Mexico*, pars maris Borealis, in America Septentrionali, verſùs oram Floridæ & Novæ Hiſpaniæ. Vide *Mexicanus ſinus*.

SINUS Honduræ, *Golfe de Honduras*, pars maris Borealis, in America Septentrionali, & in Nova Hiſpania. Ejus intimus receſſus dicitur *Golfo de Guanajos* ab Hiſpanis.

SINUS Vrabæ, *Golfe de Vraba*, pars maris Borealis, in America meridionali, verſùs Iſthmum Panamæ, & inter provincias Terræ firmæ & Carthaginis novæ. Vide *Vrabæ ſinus*

SINUS Venezuelæ, *Golfe de Venezuela*, ſinus maris Borealis, in America Meridionali. Dicitur aliter *Golfe de Coro*; eſtque in Venezuela provincia. Vide *Venezuela ſinus*.

SINUS Pariæ, *Golfe de Paria*, pars eſt maris Borealis, in ora Americæ Meridionalis, inter Pariam ſeu novam Vandalitiam provinciam & inſulam Trinitatis.

SINUS omnium Sanctorum, *la Bahia de todos los Santos*, ſinus parvus Americæ Meridionalis in Braſilia regione, in ejus ora Orient. & in Præfectura cognomine, juxta Soteropolim urbem.

SINUS Laborum, *Bahia de los Trabajos*, ſinus eſt Americæ Meridionalis, in mari Magellanico, & in ora Orientali Magellanicæ regionis, prope portum Deſideratum.

SINUS Valentinus, *Valentyns Bay*, ſinus Americæ Meridionalis, in Magellanica regione, & in parte Orientali Terræ Ignium, prope fretum Maereum.

SINUS S. Michaëlis, *Golfo de S. Miguel*, ſinus maris Auſtrini, in America Meridionali, & in ora provinciæ Terræ firmæ, prope ſinum Panamæ.

SINUS Bonaventuræ, *Bahia de Bonaventura*, ſinus maris Auſtrini, in America Meridionali, & in ora regionis Popajanæ.

SINUS Panamæ, *Golfe de Panama*, ſinus maris Auſtrini, in America Meridionali, prope Panamam & juxta Iſthmum, inter utramque Americam. Vide *Panamæ ſinus*.

SINUS Salinarum, *Golfo de Salinas*, pars eſt maris Auſtralis, in ora novæ Hiſpaniæ & Guatimalæ Præfecturæ.

SINUS Præfectura, *Capitania de la Bahia*, ſeu Præfectura ſinus omnium Sanctorum, *Capitania de la Bahia de todos los Santos*, provincia Americæ Meridionalis, in Braſilia regione, & in ejus ora Orientali. Terminatur à Septentrione Præfecturâ Seregippæ, & à Meridie Præfecturâ Inſularum; Ejus primaria eſt Soteropolis ſeu fanum S. Salvatoris, *S. Salvador*, totius Braſiliæ facilè caput, ad ſinum omnium Sanctorum.

SINZENDORF, nomen Familiæ illuſtris, ex Auſtria, cujus Auctor Conradus à *Sinzendorf* floruit A. C. 1270. poſteri nunc dignitatem S. R. Imperii Theſaurariorum & in Sueviæ Comitum ſcamno locum impetrârunt. Rami familiæ cùm plures eſſent, inprimis à Leonhardi filiis Laurentio & Reinperto, quorum uterque fatis conceſſit A. C. 1521. duæ lineæ ortæ ſunt: ab hoc *Fridaviensis*, ab illo altera, quæ *Fenreck*, *Achleiten & Goggitſch* obtinuit, in qua nunc inprimis eminent duo fratres Joachimus & Rudolphus. Quorum ille, fil. Auguſti Dn. *de Sinzendorf*, ex Eliſabetha Trautmansdorffia, primus *Comitis* & *Theſaurarii* titulum nactus, junxit ſibi Mariam Salomen Polhemiam, & ex ea, præter filias, Auguſtum ſuſcepit (natum A. C. 1644.) Iſte *Comes* quoque *de Sinzendorf*, ex agnata Eva Suſanna, Theodorum genuit (natum A. C. 1657.) Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Part.* 1. *p.* 24. 135. & *in Indice*.

SINZITA, urbs Armeniæ minoris. *Ptolem.*

SIODA, Albaniæ oppid. *Idem.*

SION, arx Bohemiæ, cujus dominus Joh. Robarzius Baro, ob religionem, cum 60. comitibus, & Euangelii præcone, ſtrangulatus eſt, A. C. 1436. Camerar. *Hiſt. Fratr. Bohem.*

SION, i. e. *acervus*, *tumulus*, vel *ſpecula*, mons Jeruſalem, qui aliàs *mons Domini*, item & *mons ſanctus* dicitur, in cujus vertice erat arx conſtructa, quæ à Davide civitas Davidis vocabatur, 2. Sam. *c.* 5. *v.* 7.

SION, mons Amorrhæorum, qui & *Hermon*, Deuter. *c.* 4. *v.* 48.

SIONIA, urbs Pontica, *Steph.*

SIOR, civitas in tribu Judæ, Joſ. *c.* 15. *v.* 54. Item, in tribu Aſer. *Sihor* etiam, Hieronym. *in Loc. Hebr.*

SIORIUM, urbs Aſiæ, Sengadæ provinc. caput, Coreæ regni primar. ubi Rex Coreæ, ſub clientela Regis Sinarum commoratur; 60. leuc. ab ora Auſtrali Regni, juxta fluv. Magnum. Henr. Hamelius Gorcomenſis αὐτόπτης.

SIPARIUM, *ex ſeparium*, Græcè τὸ ἡμιφάρειον, quaſi ἥμισυ ἱματίου, *dimidium veſtimenti*, dictum eſt. Φᾶρος enim Græci dixêre omne veſtimentum, quod injicitur, circumjicitur atque etiam inſternitur: quomodo *pallium* apud Latinos ſumebatur. A' Φᾶρος autem Latinum antiquum *parus*, unde *ſubparus* aut *ſupparus*, tunica vel ſubucula, quæ ſub *paro* accipiebatur; & *ſeparium*, atque inde *ſiparium*, ut diximus. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio c.* 3. de *Sipariorum* autem in Veter. Comœdiis uſu, alibi.

SIPARUNTUM, *Ptolem.* oppid. Dalmatiæ mediterraneum in Myſiæ ſuperioris confinio *Selatina Moletio*.

SIPH, eremus in Palæſtina, 1. Sam. *c.* 9. *v.* 5.

SIPHÆ, vel SIPHE, oppid. Bœotiæ ad ſinum Criſſæum, *Roſa Sophiano*. Navale Theſpiacæ, *Stephan.*

SIPHARA, Ariæ urbs, *Ptolem.*

SIPHAX, vulgò YPHAX, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ apud Calpen, everſum à Siphace Rege conditore.

SIPHEA, vide SYPHEUM.

SIPHNOS, quæ & *Merope*, teſte *Stephan.* ſeu *Meropia* & *Acis*, teſte Pliniô, *l.* 4. *c.* 12. *Siſano Sophiano*, inſula maris Ægæi, una Cycladum, inter Melon ad Auſtrum, & Dolon ad Arctos. Siphnum (inquit vir magnus *Phan. col. l.* 1. *c.* 14.) cætera miſeram auri & argentifodinæ in immenſum locupletârunt. *Euſtathius*: Λέγεται δὲ πάλαι ἀκμάζειν τοῖς μετάλλοις οἱ Σίφνιοι, καὶ πλουτεῖν μάλιστα, διὰ τὰ χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ ἐν τῇ νήσῳ εἶναι μέταλλα. Ita etiam Herodotus *Musâ* 3. Νησιωτέων μάλιστα ἐπλούτεον, ἅτε ἐόντων αὐτοῖσι ἐν τῇ νήσῳ χρυσέων καὶ ἀργυρέων μετάλλων ὄντων, ὥστε ἀπὸ τῆς δεκάτης τῶν γινομένων αὐτόθεν χρημάτων θησαυρὸς ἐν Δελφοῖσι ἀνακέεται ὁμοῖος τοῖσι πλουσιωτάτοισι. Et vetus auctor apud Suidam in Σίφνιοι Οὗτοι πλουσιώτατοι ἐγένοντο, οὐ μόνον τῶν νησιωτῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἠπειρωτῶν εὖ μάλα συχνῶν, ἕως μὲν ἐν τὴν δεκάτην εἰς Δελφοὺς ἀπέστελλον διέμενον, καὶ ἐπειδὴ τοῦ χρησμοῦ τοῦ θεοῦ κατωλιγώρησαν, τὰ δὲ πλοῦτα αὐτοῖς ἐπιλείπειν ἤρξατο, φασὶ τὴν ἀργυρεῖαν μεθίσθαι. Idem *Suidas* & *Phavorinus*: Γεωργίας αἰτίαν, καὶ περιβόλαιον τοῦ τείχους, ἐν Σίφνῳ (lege Σίφνῳ) ἔξω καθελεῖν τοῖς ἐργαζομένοις τὰ χρύσεα μέταλλα. Ab hac opulentia *Siphnus* Phœniciè dicta eſt צפנא *Siphna*, quia צפן *ſaphan*, eſt *recondere*. Græci reddunt θησαυρίζειν, Proverb. *c.* 1. *v.* 18. Et צפונים *ſephunim* ſunt *theſauri reconditi*, Symmacho ἀπόθετα, Pſal. 17. *v.* 15. Quomodo Siphnii ex his opibus in ſummam inopiam inciderint, diſcere eſt ex *Herodoto* & *Suida*. *Nic. Lloydius*. Nunc *Siſane* dicitur, eſtque probè culta, cum urbe ſatis ampla in colle, 8. mill. paſſ. à Seripho in Meridiem *Baudr.*

SIPHOAS, Rex in Ægypto Thebanorum XXXV. *qui & Mercurius dictus eſt*, *fil. Vulcani*, Eratoſtheni apud Syncellum, Mœridi ſucceſſit; artes, quas primus Mercurius *Thoth* dictus, proximis poſt diluvium annis, invenerat, jam tandem adornavit atque emendatiores reddidit, Manetho apud Syncellum eund. libris ea de re ſcriptis & in adytis templorum repoſitis, Clemens *l.* 6. *Strom.* ubi XLII. numerô fuiſſe, atque ex his triginta ſex omnem Ægyptiorum Philoſophiam continuiſſe, reliquos ſex ad Medicinam pertinuiſſe, docet. Atque ex his Mercurii (Triſmegiſti) libris Sanchuniathonem Berythium τὴν κοσμογονίαν ſuam inſtauraſſe, Euſebius ait *Præpar. l.* 1. *c.* 9. Jamdudum verò periiſſe, alioſque in illorum locum ſuppoſititios irrepſiſſe, ex Galeno diſcimus. *De Simpl. Medic. facult. l.* 6. Idem Rex *annum reformavit*, quod perperam ſexto Paſtorum Regi adſcribit Georg. Syncellus, ut qui homines τὸ γένος ἄσημοι *ignobiles* fuêre, eôd. teſte, regnavit ann. 5. obiitque ſucceſſore Phrurone ſive Nilô. Vide Joh. Marshamum *Can. Chronico Sec. X.* ubi de *Libris ejus* & *Anni Ægyptiaci emendatione*, multa eruditè congeſſit.

SIPHON, ſeu SIPO, apud Plin. *Ep.* 42. *l.* 10. ubi de Nicomediæ incendio ad Trajanum, *Nullus unquam in publico ſipo*, *nulla hama*, *nullum denique inſtrumentum*, *ad incendia compeſcenda*: σίφων eſt, tubus ſcil. ſubterraneus, ex quo emittitur aqua in incendiis. Ita *Heſych.* Σίφων, ὄργανον ἐν ᾧ εἰς ... ὕδωρ ἐν τοῖς ἐμπρησμοῖς. Cujuſmo-

jusmodi instrumentorum rationem ac fabricam, quæ adversus incendia aquam in ipsa quoque ædium fastigia ejaculabantur, docet Hero Mechanicus l. περὶ Πνευματικῶν. Vide Hadr. Turnebum *Adversarior.* l. 19. c. 23. & Bochart. *Hieroz. Parte prior.* l. 2. c. 50. Apud Ecclesiasticæ rei Scriptores, vox occurrit, pro calamo seu fistula, quâ seculis post Christum natum aliquot in S. Eucharistia vinum è calice exsorberi cœpit. Anastasius, *Obtulit calicem majorem fundatum cum siphone pensante libras* 30. Cujusmodi tubulô aureô, in consecrationibus solennibus, Pontificem Romanum uti, nec non Diaconum & Subdiaconum, docet Domnic. Macer *in Hierolex.* ubi in Casinensi Monasterio fistulam talem antiquam, quâ Abbates usi, asservari, aliaque hanc in rem, addit. Vide quoque suprà *Fistula*, it. *Pugillares*, & *Simpulum* infrà *Sumptorium*.

SIPHRA, vide suprà *Sifra*.

SIPHRIS, *Procop. Syfres Marcell.* oppid. fuit Mesopotamiæ, Amidæ urbi proximum, inde 150. stad.

SIPHURIS, Memphitarum Rex VII. post Athidem, præfuit ann. 30. Eum excepit Cerpheres, quem vide.

SIPLUSIANUM, it. PLUSIANUM, & PRUSIANUM, prædium Galliæ Narbonens. circa Nemausum. *Sidon. Venetus.*

SIPONTUM, seu SYPUS, & SEPIUS *Straboni*, SEPUS *Ptolemæo* aliisque, *Sipus Stephano*, *Sipuntum* Melæ, l. 2. c. 4. *Siponto* adhuc dicta, colonia est & urbs Apuliæ Dauniæ in ora litorea ad Gargani montis radices, à Diomede condita, Archiepiscopalis olim, apud Manfredoniam, quæ illi successit, a Saracenis, seculô 8. terræmotu & civium discordiis eversa. Hinc *Sinus Sipontinus*, pars maris Adriatici, versus oram littoream regni Neapolitani inter oram Apuliæ, & montem Garganum, versus Siponti rudera & Manfredoniam; aliàs *Hyrias* seu *Urias* dictus. Leand. Albert. *descript. Ital.* De origine nominis ita refert Strabo l. 6. Ὠνομάζετο δὲ Σηπιοῦς Ἑλληνικῶς ἀπὸ τῶν ἐκκυματιζομένων σηπιῶν. Livius l. 8. & 35. Silius l. 8. v. 633.

> *Quæsivit Calaber, subductâ luce repente*
> *Immensis tenebris, & terram & litora Sipus.*

Lucan. l. 5. v. 377.

> *Quas recipit Salapina palus, & subdita Sipus*
> *Montibus.* ——— ———

Nic. Lloydius.

SIPPARA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

SIPPAS, Dux Macedoniæ sive Prætor, ab Antipatro ad bellum Lamiacum exituro constitutus, Diodor. l. 18. Margo tamen lectionem paulum discrepantem habet *Sippas*.

SIPPHARA, Mesopotamiæ urbs, *Ptol. Vissaopatam Castald.*

SIPTE, Thraciæ urbs, Pausan. *in Eliacis.*

SIPYLUM, & SIPYLUS, SIPYLOS *Stephano*, oppidum Lydiæ in Magnesia, absorptum, teste Plinio, l. 2. c. 91. & l. 5. c. 29. Item *Sipylus*, mons ad Mæandrum fluvium prius *Ceraunius*, dictus, teste Plutarch. *l. de Fluminibus & Montibus*. Ovid. *Met.* l. 6. v. 149.

> *Tunc cùm Mæoniam virgo, Sipylumque colebat.*

Propert. l. 2. *El.* 20. v. 7.

> *Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba,*
> *Sollicito lachrymans defluit a Sipylo.*

Papinius *Theb.* l. 6. v. 125.

> ——— *Geminis Niobe consumpta pharetris,*
> *Squalida bissenas Sipylon deducerat urnas.*

Permiscet autem fabulam Propertius locò adductô. Nam in Sipylo Niobe cùm flet, longè abest à liberorum bustis, quæ ad Thebas. Apollodorus l. 3. Αὐτὴ δὲ Νιόβη Θήβας καταλιποῦσα, πρὸς τὸν πατέρα Τάνταλον ἧκεν εἰς Σίπυλον, κἀκεῖ Διὶ εὐξαμένη τὴν μορφὴν εἰς λίθον μετέβαλε, καὶ χεῖται δάκρυα νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν τῆς λίθου. Homer. *Il. ult.* v. 614.

> Νῦν δέ που ἐν πέτρῃσιν, ἐν οὔρεσιν οἰοπόλοισιν,
> Ἐν Σιπύλῳ, ὅθι φασὶ θεάων ἔμμεναι εὐνὰς
> Νυμφάων, αἵτ' ἀμφ' Ἀχελώϊον ἐρρώσαντο,
> Ἔνθα λίθος περ ἐοῦσα θεῶν ἐκ κήδεα πέσσει.

Nic. Lloydius.

SIR. in nummis Constantini M. & Licinii, *Sirmii* nota, Car. du Fresne *de infer. ævi Numismat.*

SIRA, i. e. *ossa*, *lebes*, *spinæ*, aut *recessio*, nomen loci, in tribu Juda, 2. Sam. c. 3. v. 26. *Besira* Josepho, puteus Palæstinæ, 20. stad. ab. Hebron.

SIRACES, à Semiramide deficientes populos, habet Polyæn. l. 8. c. 26. Achardæum fluvium accolunt teste *Strabone*, à quo *Siraci* vocantur, & eorum regio *Siracene* supra Caucasos montes in Asia. Sejacent sunt per H. *Ptolemæo*. *Siroes* vocat *Marius Niger*. A quibusdam codicibus vocantur *Sirani*.

SIRADIA, urbs Poloniæ inferioris, Palatinatus cognominis caput, ad Vuartum fluvium 6. leucis Polon. à Calvisia in Eurum, 10. à Lancicia in Africum.

SIRAMNÆ, Indiæ intra Gangem populi *Ptolem.*

SIRANGÆ, Lybiæ interioris gens, *Idem.*

SIRASTRA, nunc SVRATA. Vide *ibi.*

SIRBI, populi Sarmatiæ Asianæ, *Ptolem. Baudrando Sirbi* seu *Serbi*, populi fuere Albaniæ, inter Hyrcanum mare ad Ortum, & Caspium montem ac confinium Iberiæ ad Occasum.

SIRBIA, seu SERBIA, vide *Servia*.

SIRBONIS, quæ SIRBON *Stephan. Serbonis Herodoto* ac *Diodoro Siculo*, *Barathra Polybio*, palus ingens, meliùs stagnum Palæstinæ in Ægypti confinio inter Casium & Pelusium, in ora maris Syriaci. *Dionys.*

> Ἡ δ' ἀκτὴ τετάνυσται ἐπὶ κρημνοῖο θαλάσσης
> Παρφαλίην ...... Σερβωνίδος ἄχρι λίμνης.

Diodor. Sic. l. 1. Καὶ γὰρ ἀνὰ μέσον τῆς τε κοίλης Συρίας, καὶ τῆς Αἰγύπτου κειμένη, τῷ μὲν πλάτει στενὴ παντελῶς, τῷ δὲ βάθει θαυμάσιος, τῷ δὲ μήκει ἐπὶ διακοσίους παρήκουσα σταδίους, ὀνομάζεται Σερβωνίς. Τοῖς δὲ ἀπείροις τῶν προσπελαζόντων ἀνελπίστους ἐπιφέρει κινδύνους. Στενοῦ γὰρ τοῦ ῥεύματος ὄντος καὶ ταινίᾳ παραπλησίου, θινῶν τε μεγάλων πάντῃ περικεχυμένων, ἐπειδὰν νότοι συνεχεῖς πνεύσωσιν, ἐπισείεται πλῆθος ἄμμου· αὕτη δὲ τὸ μὲν ὕδωρ κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν ἄσημον ποιεῖ, τὸν δὲ τῆς λίμνης τύπον συμφυῆ τῇ χέρσῳ καὶ κατὰ πᾶν ἀδιάγνωστον. Ejus meminit quoque Plut. *in Antonio.* Strabo verò l. 17. lacum hunc turpi errore cum Asphaltite Judææ confundit, *Serbonidem* quidem nominans, sed *Asphaltiten* manifestò describens. *Lloydius.* Nunc *le Barangerelli*s vulgò dicitur, & sensim deficit. Estque in Ægypto, sed in limite Palæstinæ. *Baudrand.*

SIRCA, oppid. munitum Lotharingiæ, ad Mosellam fluv. in confinio Ducatus Luxemburgici. Juris est Francici ab A. C. 1643. 3. Gallic. leuc. à Theodonis villa in Circium Treviros versus 5. & 4. à Luxemburgo in Ortum. Ei adjacet castrum validum in colle. In l. 4. de vita Bernardi Claravallensis Abbatis, memoratur *Gisleranus de Sirca*, dicturque oppidum hoc esse *proximum Monasterio Rutinensi*, vulgò *Roul* vel *Rotel* qui locus, non longe à civitate Treviris distans, *Sirca* castro ad Mosellam *Sierk* multo propior est. Hadr. Valesi. in voce *Rutina*.

SIRENES, monstra marina, poëtarum fabulis celebratissima. Has finxerunt antiqui Achelôi fluminis, ac Terpsichores fuisse filias. Nicander autem l. 3. *Mutationum*, Melpomenen Sirenum matrem fuisse scribit, alii Steropen, alii Calliopen. Hæ igitur Siculum litus incolentes, nautas prænavigantes, suavitate cantûs, in naufragium pelliciebant. Ovid. *Art. Am.* l. 3. v. 311.

> *Monstra maris Sirenes erant: quæ voce canorâ*
> *Quaslibet admissas detinuere rates.*

Nomina verò illarum fuerunt *Aglaope*, *Pisinoe*, *Thelxiopia*. Ut autem Chœrilus voluit, *Toelxiope*, *Melpe*, *Aglaophonos*. Clearchus verò Solensis *in Amatoriis* l. 3. unam illarum *Leucosiam* nominat, aliam *Ligeam*, tertiam *Parthenopen*. Mirabilis profectò dicebatur harum Sirenum suavitas cantûs, quando vel in apertam perniciem homines trahebant, efficiebantque, ut sui ipsorum obliti in manifestam cædem se trahi paterentur. Nonnus *Bassaricon.* l. 2.

> Ὡ δ' ὅτε τις Σειρῆνος ἐπικλοπον ὕμνον ἀκούων
> Εἰς μόρον αὐτοκέλευστον ἀνὴρ ... αὐτῆς
> Θελγόμενος μολπῇσι καὶ οὐκ ἔτι ... χατέοντα
> Γλώσσης ἀκυμάντου ... ἐπὶ ...
> Ἀλλὰ λιγυφθόγγοιο ... μοίρης
> Τέρπεται ὀλλύμενος, ...
> Πλωτῆρος ... ἀοιδῆς.

Ideirco cùm Minyæ per ea loca navigarent, Ancæo navem gubernante, se citharam sumpsisse scribit Orpheus *in Argonauticis*, suoque cantu Sirenum cantum retudisse. Sic enim ille:

> Ἔνθ' ἐγὼ ἐφεζόμενος λιγυρὴν ἐπὶ χερσὶ κίθαριν
> Κῦσας, ἀνεκρέκομην, ... ἀοιδῆς.
> Αἱ τότε δὴ Μινύαισιν ἐθέλεσκον νίσσεσθ' ἀοιδῇ
> Σειρῆνες, ... ἴμερον
> Φθογγὴν ἀλεφάσαι, χεῖρον δὲ ... ἔργον.

Illæ autem posteà desperatione captæ, mutæque factæ in mare musica instrumenta abjecerunt, ut testatur idem poëta in his:

> Αἱ ποτε φορμίζοντος ἀπὸ σκοπιᾶς νιφόεντος
> ... ἀοιδή.
> Καὶ ῥ' ἔρριψε λύρας, ... ἔκβαλε χειρῶν.

Quæ omnia Apollonius ita declaravit *Argonautica* l. 4.

> ——— Αἶψα δὲ νῆσον
> Καλὴν, ἀνθεμόεσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λίγειαι
> Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες, ἡδείῃσιν
> Θέλγουσαι μολπῇσιν, ὅτις παρὰ πεῖσμα βάλοιτο.
> Τὰς μὲν ἄρ' εὐειδὴς Ἀχελωΐῳ εὐνηθεῖσα
> Γείνατο Τερψιχόρη Μουσέων μία. Καί ποτε Δηοῦς
> Θυγατέρ' ἰφθίμην ἀδμῆτ' ἔτι πορσαίνεσκον.
> Ἄμμιγα μελπόμεναι. τότε δ' ἄλλο μὲν οἰωνοῖσιν,
> Ἄλλο δὲ παρθενικῇς ἐναλίγκιαι ἔσκον ἰδέσθαι.
> Αἰεὶ δ' εὐόρμου δεδοκημέναι ἐκ περιωπῆς.
> Ἦ θαμὰ δὴ πολέων μελιηδέα νόστον ἕλοντο
> Τηκεδόνι φθινύθουσαι, ἀπηλεγέως δ' ἄρα καὶ τοῖς
> Ἵεσαν ἐκ στομάτων ὄπα λείριον, οἱ δ' ἀπὸ νηὸς
> Ἤδη πείσματ' ἔμελλον ἐπ' ἠιόνεσσι βαλέσθαι,
> Εἰ μὴ ἄρ' Οἰάγροιο πάϊς Θρηΐκιος Ὀρφεὺς,
> Βιστονίην ἐνὶ χερσὶν ἑαῖς φόρμιγγα τανύσσας,
> Κραιπνὸν ἐϋτροχάλοιο μέλος κανάχησεν ἀοιδῆς.

Erat autem illa Sirenum astutia, ut quibus rebus maximè quisque audiendis delectaretur, eas præcipuè canerent; erantque mirificè omnium præteritorum negotiorum memores; quare ita inquiunt apud Homer. Od. μ. v. 184.

> Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν,
> Νῆα κατάστησον, ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς.
> Οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηῒ μελαίνῃ,
> Πρίν γ' ἡμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι,
> Ἀλλ' ὅγε τερψάμενος νεῖται, καὶ πλείονα εἰδώς.
> Ἴδμεν γάρ τοι πάνθ' ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
> Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν.
> Ἴδμεν δ' ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Quoniam verò multi, cùm eò applicuissent, suavitate cantus irretiti, recedere non poterant, sed moriebantur inhumati, in desertis insulis, opus erat multâ & prudentiâ, & animi contentione ad illa pericula devitanda. Idcirco Ulyssem Circe sic instruit apud Homer. *loc. cit.* v. 39.

> Σειρῆνας μὲν πρῶτον ἀφίξεαι, αἵ ῥά τε πάντας
> Ἀνθρώπους θέλγουσιν, ὅτις σφέας εἰσαφίκηται,
> Ὅστις ἀϊδρείῃ πελάσῃ, καὶ φθόγγον ἀκούσῃ
> Σειρήνων, τῷ δ' οὔτι γυνὴ καὶ νήπια τέκνα
> Οἴκαδε νοστήσαντι παρίσταται, οὐδὲ γάνυνται.
> Ἀλλά τε Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ,
> Ἥμεναι ἐν λειμῶνι, πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς
> Ἀνδρῶν πυθομένων, περὶ δὲ ῥινοὶ μινύθουσι.
> Ἀλλὰ παρὲξ ἐλάαν, ἐπὶ δ' οὔατ' ἀλεῖψαι ἑταίρων,
> Κηρὸν δεψήσας μελιηδέα, μή τις ἀκούσῃ
> Τῶν ἄλλων, ἀτὰρ αὐτὸς ἀκουέμεν αἴ κ' ἐθέλῃσθα;
> Δησάντων σ' ἐν νηῒ θοῇ χεῖράς τε πόδας τε
> Ὀρθὸν ἐν ἱστοπέδῃ, ἐκ δ' αὐτοῦ πείρατ' ἀνήφθω.

Hôc pactô Sirenum illecebras evasit Laërtæ filius. Quò allusit Juvenal. *Sat.* 9. *v. ult. his verbis:*

> —— *Nam, cùm pro me Fortuna rogatur,*
> *Affigit ceras illâ de nave petitas,*
> *Quæ Siculos cantus effugit remige surdô.*

Martial. *l.* 3. *epigr.* 64. v. 1.

> *Sirenas hilarem navigantium pœnam,*
> *Blandasque mortes, gaudiumque crudele,*
> *Quas nemo quondam deserebat auditas,*
> *Fallax Ulysses dicitur reliquisse.*

Erat autem tota ferè illa ora alba, propter insepultorum ossa, quod etiam ait Virgil. *l.* 5. v. 864.

> *Jamque adeò scopulos Sirenum advecta subibat*
> *Difficiles quondam, multorumque ossibus albos.*

Cùm verò Ulysses illarum fallacias obturatis auribus sociorum, ipseque malo alligatus fefellisset, fama est ipsas Sirenas se in mare præcipitâsse, neque amplius posteà auditas. Cùm verò se in mare præcipitâssent, sive illud Orphei, sive Ulyssis arte factum est, dicuntur in saxa fuisse conversæ, sicuti testatur Orpheus *in Argon.*

> Αἱ δ' ἀνεστονάχησαν, ἐπεὶ πότμος εἷς λυγρὸς
> Μοιράων θανάτοιο, ῥιφὰς δ' ἀπὸ φοινικέου ἄκρης
> Ἐς βυθὸν ἐδικήσαντο ἀλιβάθεος θαλάσσης,
> Πέτρας δ' ἠλλάξαντο δέμας, μορφὴν δ' ἀπεγυρώσαν.

Prope Pelorum verò fama est habitasse Sirenes. Servius in *l.* 5. *Æn.* v 864. *Sirenes secundùm fabulam in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloï fluminis, & Calliopes Musæ filiæ. Harum una voce, altera tibiis, altera lyrâ canebat. Et primò juxta Pelorum, pòst in Capreis insula habitârunt.* Unde est quòd Sirenas recenset Ovidius inter Proserpinæ Siculæ Deæ comites; *Met. l.* 5. v. 554.

> *An quia cùm legeres flores Proserpina vernos,*
> *In comitum numero mixtæ Sirenes eratis?*

Et apud Nonnum *Dionysiacorum l.* 13. v. 313. Catanenses γείτονα Σειρήνων πέδον ᾤκεον. Hinc Statius *Silv.* 1. *l.* 2. *in epicedio Glauciæ*, v. 10.

> —— *Tergeminum Siculâ de virgine carmen.*

I. e. trium Sirenum cantus. Et Juvenal. *Sat.* 9. v. 150.

> *Quæ Siculos cantus effugit remige surdô.*

Et Claudianus *in Epigr.* 24. v. 1.

> *Dulce malum pelago Siren, volucresque puellæ*
> *Scyllæos inter fremitus, avidamque Charybdim,*
> *Musica saxa fretis habitabant dulcia nostra.*

Alii Sirenibus alias sedes assignant: de quo non ampliùs hôc locô quærentur. Tantùm asserimus cum Bocharto, *l.* 1. *Chanaan*, c. 27. 33. *Sirenum* nomen esse merè Punicum. Pœnis enim שיר *Sir*, est *canticum*. Inde libro Salomonis titulus שיר השירים *Sir hassirim*, i. e. *canticum canticorum*. Itaque *Siren* שירן est *canentium monstrum*, quale à poëtis fingitur. Grammaticos interim nihil moror, qui deducunt ἀπὸ τοῦ σύρειν *à trahendo*, inde enim non dicerentur Σειρῆνες, sed Συρῆνες. Varia autem de Sirenibus, earumque fabulâ tradiderunt veteres. Platoni Sirenes Deæ canendi sunt sive Musæ, quæ orbes cœlestes (si qui sunt) vertunt & rotant; de quo Macrob. *l.* 2. *in Som. Scip.* c. 3. Alii verò (uti suprà diximus) unius Musarum & Acheloi amnis filias tradiderunt: unde *Siren Acheloias* apud Sil. Italicum, *l.* 12. v. 33. 34. *Suidæ* αἱ τῶν ψυχῶν ἐπαγωγοὶ καὶ μουσικαὶ δυνάμεις Sirenes vocantur. Pausan. *in Atticis*, quod Torrentius *ad Hor. l.* 4. *Od.* 2. observat, auctor est, apud veteres Poëmatum, Sermonumque quorumvis efficacem ad suadendum venustatem assimulatam Sirenibus. & inde Sophoclem appellatum *Sirena*. Quemadmodum & Val. Cato propter suavitatem carminum à veteri Poëtâ *Latina Siren* dictus est, ut Suetonius *de illustr. Gramm. cap.* 12. refert. Petronius: *Hæc ipsa cùm diceret, tantâ gratiâ conciliabat vocem loquentis, tam dulcis sonus pertentatum mulcebat aëra, ut putares inter auras canere Sirenum Concordiam.* Heliodor. *in Æthiopicis*: Ὑπὸ δὲ τῶν λόγων ὥσπερ τινὸς Σειρῆνος κηλούμενος, καὶ ὑπὸ τῆς πειθοῦς κατασυρόμενος. Hinc in Isocratis sepulchro *Siren* posita fuit, tanquam perfectæ & efficacissimæ eloquentiæ symbolum, de quo Plut. *in vita Isocratis*, & Philostratus *in Sophistis*. Alii verò à Musis, & vera eloquentiâ, quæ in rebus gravibus, seriisque occupatur, *Sirenas* distinguunt: quippe quas nugacibus rebus sermonis & elegantiæ curam impendere volunt: de quo videri Torrentius potest *ad l.* 1. *Horat. ep.* 2. Vulgatissima ratio est, Sirenum fabulam ad illecebrosas voluptates referre, quæ blandis præstigiis irretiunt homines, atque evertunt, de quo Synesius *ep.* 145. Nec aliò interpretantur, quod 3. Sirenas commenti veteres fuerint. Eò enim numerô triplicem illam voluptatem, quæ in οἴκοις, ἐν πότοις, καὶ ἐν ἀφροδισίοις, Platoni & Aristoteli statuitur, expressam volunt. Servius *ad illud. l.* 5. *Æn.* v. 864.

> *Jamque adeò scopulos Sirenum advecta subibat.*

Postquam breviter fabulam de Sirenibus exposuisset: *secundùm veritatem*, inquit, *meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam eos ducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia.* Vid. Jov. Pontanum *l.* 6. *de bello Neapolitano.* Socrates apud Stobæum: Δεῖ ὥσπερ Σειρῆνας τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν τὸν μέλλοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὥσπερ πατρίδα. Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. v. 14.

> —— *Vitanda est improba Siren*
> *Desidia.* —— ——

Hinc *Sirenius*; Gell. *l.* 16. c. 8. *Ne, ut plerique alii, tu quoque in illis Dialecticæ gyris, atque Mæandris, tanquam apud Sirenios scopulos consenescas.* Nic. Lloydius. Addo, quod *Sirenes*, In fictitiis Plinio avibus habentur, quod miretur quispiam, ut cogitet, vulgò à Pictoribus, quia maris monstra credantur, effingi superiori corporis parte virgineâ, inferiori autem piscium. Sed tale quid apud Veterum legas neminem, inquit Vossius. Hæ enim supernè formosæ erant Virgines, infernè aves. Unde Ovidius *Metamorph. l.* 5. *fab.* 9. v. 552.

> —— *Vobis Acheloïdes unde*
> *Pluma pedesque avium, cùm Virginis ora geratis?*

Atque hanc etiam sententiam legas, apud Ælian. *de Animal. l.* 12. c. 23. Servium *ad Æn. l.* 6. & *Suidam*. De quibus cùm variæ fuerint Antiquorum sententiæ, maximè tamen verisimile est, fuisse Psaltrias, corpore quæstum facientes, quæ transeuntes allicere, allectos detinere, detentos & animô corrumpere, & pecuniis ac honestô nomine privare solebant, vide Gerh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. c. 99. De *Sirene* in sepulchro Isocratis, vide Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l.* 6. c. 6. de *Sirenis* Lucerna sepulchrali eundem *l. eod.* c. 35. ut & suprà ubi egimus de Lucerna *Nejucea*: adde Salmas. *ad Solin. passim.* Et suprà, in *Agathodæmones*, *Cauda Sirenis*, *Marinus homo.* At *Sire*, vox Gallica, quâ donabantur Magnates, & generatim, qui militari dignitate gaudebant, cùm cœteri propriô nomine indigitarentur: an à Græco κύριος, seu, ut Byzantini efferebant, κῦρος & κύρις, quam postremam vocem virorum illustrium nominibus præpositam, & à quibusdam idiotismi hujus ignaris in nomen *Cyrus* perperam traductam, passim observare est. An ab Hebræo, unde ejus etymon arcessunt Nic. Fullerus *Miscellan. sacr. l.* 1. c. 11. & Steph. Guichartus? quos vide. Absque adjectione, ipsius Regis hic titulus est. Inde porrò formatum *Monsieur*, quæ vox cur nominibus appellativis filiorum Principum postponeretur, vide Tillium, laudatum Car. du Fresne *in Glossario*. Plura in voce *Dominus*, aliquid & infrà voce *Syriaticus*.

SIRENUSSÆ, vel SIRENUSÆ, PETRÆ SIRENUM Melæ *l.* 2. c. 4. SAXA SIRENUM Solino, c. 8. insulæ 3. parvæ, velut scopuli in sinu Pæstano apud promuntor. Sirenussarum, quod sinum prædictum finit: quarum propior *Leucosia*, sive *Leucasia* dicitur, reliquæ *Parthenope* & *Ligea*. In genere *Le Sirene* vulgò dicuntur; in specie, prior *la Licosa*, altera *San Piatro*, reliqua *Galo*, seu *la Galetta*, & aliàs *il Gallo*. A' Sirenibus ibi sepultis hæ Insulæ dictæ sunt.

SIRENUSSARUM *Promontorium*, vulgò *Capo Leucoso*, promontor. Lucaniæ, quod sinum Pæstanum ad ortum finit, ex adverso Athenæi in Picentibus eundem sinum ad occidentem claudentis, medium ferè inter Pæstum ad occidentem & Veliam ad ortum. *Dionysius.*

> Πὰρ δὲ Νότου μάλα πολλὸν ὑπὲρ Σειρηνίδα πέτρην
> Φαίνονται προχοαὶ Πικεντίνου Σιλάροιο.

Ubi *Montanus*: Fallitur *Eustath.* qui Dionysium affirmat, Neapolim *Sirenum petram* hic vocare. A Neapoli Poëta jam ad alia progreditur; à qua primò in Austrum occurrit *Sirenum petra*, ultra quam Silarus fluv. in Picentinis magis adhuc in Austrum vergens. *Sirenum* autem *petram*, Minervæ promuntor. vocat, juxta Surrentum, quod *Sirenes* insedisse feruntur, talem planè situm inter Neapolin, & Silarum obtinens, Plin. *l.* 3. c. 5. *Surrentum cum Minerva promuntorio, Si-*

renum quondam sede. Nisi Serenusas insulas intelligat huic propinquas, ex descriptione Strabonis *l.* 5.6. licèt ex ex *Ptolemæi* descriptione longius hinc distare videantur. Strabo *l.* 1. *A locis Surrento vicinis subito similis quidam terræ flexus excurrit, versus fretum, quod est juxta Capreas. Ab uno hujus jugi latere est* τὸ Σειρήνων ἱερὸν, *Sirenum templum. Ab altero, quod Posidoniatem sinum prospectat, tres exiguæ sunt insulæ desertæ atque saxosæ, quas Sirenusas vocant.* Sed & Aristot. *in l. Mirabil.* eundem Sirenusis situm assignat: Atque hi sunt *Sirenum scopuli*, de quibus *Virgilius, Ovidius, Mela, Hyginus, alii.* Quin & *Surrentum* vel Σύρρεντον, ut Græci efferunt, dici putatur à *Sirenibus.* Stat. *l.* 2. *Silvar. Carm.* 2. *v.* 1.

> *Est inter notos Sirenum nomine muros,*
> *Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ.*

Nic. Lloydius.

SIRES, populi Thraciæ supra Byzantium. *Steph.*

SIRI, Græcè σιροί. subterraneæ sunt apothecæ. Varro R.R. *l.* 2. *c.* 57. *Quidam granaria habent sub terris, uti speluncas, quas vocant* σιρούς, *ut in Cappadocia ac Thracia.* Curtius *l.* 7. *c.* 4. ubi de Bactrianis: *Siros vocabant barbari, quos ita solerter abscondunt, ut, nisi qui defoderunt invenire non possint. In iis conditæ fruges erant.* Stephanus quoque Syasii Phrygiæ pagi meminit, in quo Cimmerios reperisse ait tritici modiorum decem millia ἐν σιροῖς τεθησαυρισμένα, *in siris recondita*: *Hesych.* modò ὀρύγματα, ἐν οἷς κατετίθεντο τὰ σπέρματα, modò τάφρους ἐσκεπασμένας, vocat &c. Vide de illis Columellam *l.* 1. *c.* 6. Plin. *l.* 18. *c.* 30. Vitruvium *l.* 6. *c.* 8. Alios. Vox an deflexa ex Hebr. אצר *atsar*, i. e. recondere, unde אוצר *otsar*, quod Chaldæi pro *horreo* sæpe usurpant, ut Gen. *c.* 41. *v.* 56. Prov. *c.* 3. *v.* 10. Joël. *c.* 1. *v.* 17. Et LXX. reddunt τὸν οἶκον τὸν λάκκον, *domum subterraneam*, Jerem. *c.* 38. *v.* 11. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 4. *c.* 21. ubi specus hujusmodi in Africæ penè omnibus agris villisque, condendi frumenti gratiâ, clam haberi consuevisse, idque propter bella maximè, ex Hirtio addit, *de bell. Afric. l.* 5. &c.

SIRICHIUS Lobardus, vide *ibi.*

SIRICINIUM, pagus territorii Atrebatensis *le bois de S. Leger*, à S. Leodigario ibi occiso; Aliàs *Sircinium*, vulgo *Sercin.*

SIRICIS, Armeniæ minoris urbs. *Antonin.*

SIRIKRAK, nomen avis Europæis incognitæ, à sibilo suo sic dictæ, quâ in terrâ sedente (quod præter morem facit) & sibilante, aut Deô ipsô per illam, si recutitis Doctoribus credimus, venturus est Judaicus Messias, & Judæi totô Orbe dispersi congregabuntur, juxta vaticinium Zachariæ *c.* 10. *v.* 8. *Sibilabo ad eos & congregabo eos.* Talmudicis enim auspicata hæc avis, Arabibus contrà: quibus corvi est species, viridis, elegans, magnitudine columbæ. Viride ejus pulchrum & saturum; alis nigra est, aut rubrô & albô distincta, rostrô rubrô, quandoque etiam flavô, apibus infesta, à coitu multum abstinens, furax, querula adeò & clamosa, ut aliâ ave verberatâ clamet, quasi ipsa vapulâsset. Porrò tam hyberna quàm æstiva, ab omni hominum consortio remotissima, nido summè fœtida &c. In Tartariæ campestribus circa Caucasum & Caucasias portas magnô numerô invenitur, de qua porrò sic Haitho Armenus *de Tartaris c.* 74. *In quadam planitie, quæ vocatur Mongal, stant hyeme quædam aves magnitudinis phasianorum, quæ pulcherrimas habent plumas, & vocantur* Seicerach, *unde quando aliquæ gentes ingrediuntur illam planitiem, statim fugiunt illæ aves & transeunt per illas custodias & fossata* (ubi Caucasiæ portæ) *& qui sunt deputati ad custodiam illius loci, per illas aves manifestè cognoscunt inimicorum adventum & ad defensionem continuò sunt parati.* Vide Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 2. *c.* 25.

SIRIO, fluv. Galliæ exiguus, vulgò *le Siron*: ad quem sunt castella Vinhendraudum *Vilendraut*, Budos, Barsacum, ad Sirionis & Garunnæ confluentem, quem locum, inter Burdigalam & Aginnum, illinc 15. hinc 59. mill pass. distantem, *Sirionem* vel *Serionem* à vetere nomine fluvii sui esse appellatum, autumat Vales. *Notit. Gall.*

SIRION, Galliæ Aquitanicæ urbs, 15. mill. pass. à Burdigala. *Antonin.*

SIRION, Phœnicibus, *Sanir* Amorrhæis vocatur mons Hermon, in Palæstina.

SIRIS, oppid. Magnæ Græciæ, ad *Sirin* fluv. cujus incolis migrare coactis, Tarentini, coloniâ suorum deductâ, urbem condiderunt Heracleam, paulùm supra mare, anno 4. Olymp. 86. Diodor. Sic. *l.* 11. Posteà *Siris* Heracleotarum navale facta est. Ferunt autem *Sirim* à Trojanis conditam, Iliacæ Minervæ simulachrum ibi proferentes, quasi ab Ilio allatum: quod etiam Romæ & Lavinii & Luceriæ haberi dicitur, Strabo *l.* 6. Vide & hic *Siris* fluv.

SIRIS, fluv. Magnæ Græciæ apud Metapontum, & Heracleam in sinu Tarentino influens ad Sirim oppid. quod ibi erat, teste Pliniô, *l.* 3. *c.* 11. *Senno* hodie, teste *Scip. Mazzellâ. Baudrando Seno*, fluv. aliàs Lucaniæ, trans Apenninum, hodie in Basilicata. Oritur in limite Calabriæ citerioris, Grumentum rigat, & propè oppid. Sirim, hodie *Torre di S. Basilio*, in Sinum Torrentinum se exonerat, vix 5. milliar. ab Heraclea in Meridiem, uti 15. à Metaponto.

SIRIS, fluv. Libyæ, prope insulas Phaselusas. *Steph.*

SIRIS, ab Æthiopibus dicitur Nilus, antequam totus confluat. Nam, ut inquit Plin. *l.* 5. *c.* 9. *nec ante Nilus dicitur, quàm se totum aquis concordibus junxit.* Dionys. *v.* 221.

> Ἔνθεν μεσσόθι τοῦ πορείηται ὕδατα Νείλου,
> Ὅς δή τοι Λιβύηθεν ἐπ' ἀντολίην πολὺς ἕρπει
> Σίρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται.

Ineptæ autem sunt, quas recenset *Eustathius*, sed neque ipse probat, etymologiæ nominis Σίρις è Græcâ linguâ petitæ, cùm Æthiopica sit vox: & quod ad illam attinet, quæ à Σείριος ducitur, quia circa Sirii seu Canis ortum Nilus maximè exundet (Plin. *l.* 5. *c.* 9.) è converso *Sirium* à *Siri* sic dictum, quasi Niliacam stellam Fullerus probabiliter censet. Quod ad vocem Σίρις, Hebræis שיחור *Shior* vocatur, quod Æthiopes linguâ suâ *Shichri*, vel *Shihri* dixerunt, ut monet *Scaliger*, teste *Salmasiô*; pro hoc Græci, voce ad linguæ suæ formam deflexâ, Σίρις scripserunt.

SIRITÆ, Magnæ Græciæ populi ne ipsis quidem Sybaritis luxu cedentes. Cæl. Rhodig. *l.* 7. *c.* 9.

SIRITES, Nomadis cujusdam nomen in Libya. Primus Auleticæ inventor, qui & *Matron*, h. e. Magnæ matris sacra primus fertur tibiâ concinuisse. Cæl. Rhodig. *l.* 9. *c.* 7.

SIRIUS, Thebanorum in Ægypto Regum, juxta Eratosthenem, undecimus, dictus quasi Υἱὸς κόρης, *filius genæ*, aliàs Ἀβάσκαντος, *cui nemo invidet*: excepit Anoyphen, regnavit ann. 18. ac successorem habuit Chnubum Gneurum, vide Joh. Marshamum *Can. Chron.* circa initia Abrami.

SIRIUS, stella in ore Canis, quæ à Latinis *Canicula* dicitur. Hyginus tamen, *in tractatu de signis cœlestibus*, *c.* 35. Sirium diversum facit à Caniculâ, neque in ore Canis, sed in capite ejus collocat. Hæc in cœli centro cum Sole conjuncta æstum ejus duplicat, mortaliumque corpora nimiò calore languida reddit. Dictus Sirius, ut quidam volunt ἀπὸ τοῦ σειραίνειν, h. e. à siccando, propterea quòd fluv. & fontes nimiô calore exsiccet: ut alii verò ἀπὸ τοῦ σύρειν, h. e. ab evacuando, quòd corpora nostra sudoribus evacuet. Quin & Solem ipsum quidem *Sirium* veteres appellârunt. *Hesych.* Σείριος, ὁ Ἀρχίλοχος τὸν ἥλιον, ὁ δὲ Ἴβυκος πάντα τὰ ἄστρα. *Suidas*, Σείρ, σείριος ὁ ἥλιος, οἱ δὲ καὶ Σείριος. Hesiod. in Ἔργ. *v.* 585.

> ——— Ἐπεὶ κεφαλὴν καὶ γούνατα Σείριος ἄζει.

Idem *in* Ἀσπίδ. *v.* 152.

> ——— Ὀστέα δέ σφι περὶ ῥινοῖο σαπείσης
> Σειρίου ἀζαλέοιο κελαινῇ πύθεται αἴῃ.

Lycophron *in Cassandra*, de corpore Ajacis in litus è mari ejecto: Ἐχινοβρωτον φῦκος ὅπως Σείριος καταυανεῖ: quod observavit vir eximius, & singularis eruditionis Hadrianus Junius *in Animadversionib.* Quin & Virgilium sic interpretantur ὁ τυχόντες, Georg. *l.* 4. *v.* 425.

> *Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos*
> *Ardebat cœlo.* ---- ----

Non Solem autem, sed etiam omnia sidera dici Σείρια, ex Ibyco modo docuit *Hesych.* Inde & Latinorum *sidus* à σείριος esse ingeniosè nuper ostendit χαριέστατος Tanaquillus Faber *ad Dionys. Longinum.* Apollon. *l.* 3.

> Ὑψόθ' ἀναθρώσκων ἀπὸ Σείριος Ὠκεανοῖο,
> Ὃς δή τοι καλὸς μὲν, ἀριζηλός τ' ἐσιδέσθαι
> Ἀντέλλει, μήλοισι δ' ἐν ἄσπετον ἧκεν ὀϊζύν.

Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 272.

> *Non secus ac liquidâ si quando nocte Cometæ*
> *Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor,*
> *Ille sitim, morbosque ferens mortalibus ægris*
> *Nascitur, & lævô contristat lumine cœlum.*

Maleficam hanc Sirii naturam Homerus etiam indicat. *Il.* 22. *v.* 29.

> Ὅντε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσι,
> Λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστὶ, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται
> Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι.

Ejusdem sideris pernicies apparet ex versibus Oppiani *l.* 3. *Cyneg.* ubi loquitur de fera quapiam:

> Καὶ κυνὸς Σειρίοιο οἶδε, καὶ ἀντέλλοντα φοβεῖται,
> Αὐτίκα δὲ μυχοῖσι καταδύνεται ὀφρ' ἔτι μίμνῃ
> Ἠὼ καὶ σπήλυγγος ἀφεγγέος, εἰσόκεν ἄστρα,
> Ἠέλιος παύσῃσι, καὶ ἀλγεινοῦ κυνὸς ἀστήρ.

Val. Flaccus *l.* 1. *v.* 682.

> —— *Sic cùm stabilis & messibus ingens*
> *Ira Deûm, & Calabri populator Sirius arvi*
> *Incubuit; coit agrestum manus inscia priscum*
> *In nemus, & miseras dictat pia vota sacerdos.*

Idem *l.* 5. *v.* 368.

> *Non secus Autumno quàm cùm magis asperat ignes.*
> *Sirius, & sævò cum nox accenditur aurò*
> *Luciferas crinita faces; habet Arcas, & ingens*
> *Jupiter: ast illum tantò non gliscere cœlô*
> *Vellet ager, vellent calidis jam fontibus amnes.*

Lucan. *l.* 10. *v.* 211.

> ---- *Rapidus quà Sirius ignes*
> *Exerit.* ----

Statius *l.* 1. *Silv. Carm.* 3. *v.* 5.

> ---- *Nec calidô latravit Sirius astro.*

Nic. Lloyd. Cæterùm in ortu ejus matutino Heliaco, uti & diebus aliquot antè & post, ut Deo, sacrificatum illi olim esse, *Sethi* Patriarchæ nomine, observat Joann. Seldenus *de Synedriis veter. Hebræorum l.* 3. *c.* 16. *n.* 6. Vide de eo plura, apud Salmas. *ad Solin. p.* 428. & *seqq.* & Casp. Barthium *Animad. ad Statium passim*, inprimis *Part.* 1. *p.* 96. & *Part.* 2. *p.* 1200. & *seqq.* ubi eum aucti quidem caloris indicem, non verò causam esse, contra traditionem Veter. pluribus contendit.

SIRLETUS Guilielmus, vide *Guilielmus Sirletus*.

SIRM. in nummis Constantini Junioris & Joviani, idem quod SIR. de quo suprà.

SIRMIENSIS Johannes, vide *Johannes*.

SIRMIENSIS Comitatus in Hungaria inferiori in Rascia, inter Danubium ad Ortum, Valkoniensem Comitatum ad Boream, Posegiensem ad Occasum & Savum fluv. quo terminatur à Rascia, in Meridiem. Sub Turcis. Caput ejus *Sirmium*, vid. ibi.

SIRMIO, vulgò SERMIONE, pagus Cenomanorum Venetiæ ad Benacum lacum, in peninsula inter Brixiam ad occasum & Veronam ad ortum 20. mill. pass. circiter. Catullus *epigr.* 32. *v.* 1.

> *Peninsularum Sirmio, insularumque*
> *Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis*
> *Marique vasto fert uterque Neptunus,*
> *Quam te libenter, quamque lætus inviso.*

Baudrando ἀνώνυμος est in agro Brixiano.

SIRMIUM, urbs Pannoniæ inferioris non procul à Danubio fluv. *Ptol. Sirmisch Lazio. Stephanus* Sirmium παιόνων esse scribit, *Paones* pro *Pannoniis* accipiens. *Baudrando* urbs alràs Pannoniæ Saviæ, nunc Hungariæ, ad amnem Bolwetham, qui 5. mill. pass. infra cadit in Savum, ad radices Arpatari montis. Nunc paucis constat incolis & in vicum redacta est. 22. à Buda leuc. Sub Turcis, *Jornand. Evagrius, Lazius &c.* Hic concilium ab Arianis celebratum, sumptibus Photini Episcopi, qui Sabellii incrustabat errores, A.C. 351. Iterum, A.C. 357. Post ejus depositionem, Fidei confessionem ediderunt, cum variis anathematismis, ut Orthodoxi viderentur: neque quidquam illam suspectam reddidit, nisi vox Ὁμοούσιος omissa. Postmodum aliam, priori contrariam ediderunt, apertè hæreticam & impiam, in illâ enim ne *Essentiæ* quidem vocabulo uti voluerunt, quam antea contra Photinum adhibuerant. Hanc detestati Semi-Ariani aliam condiderunt, in qua vox *Substantiæ* expressa, solùm *Consubstantialis* vocabulum prætermissum fuit: Arrianis & Photinianis condemnatis. Socrat. *l.* 2. *c.* 25. In Synodo hac, subscribere nolentes, tormentis pressi sunt, & Osio Episcopo Cordubensi, plagæ inflictæ, &c. Ejus mentio in nummis, in quibus SIR. SIRM. notæ occurrunt, vide *ibi*.

SIRMONDUS Jacobus, vide *Jacobus*.

SIRNIDES, insulæ quædam, de quibus Plin. *l.* 4. *c.* 12.

SIROES, Persiæ Rex filius Cosrois II. patrem incarceratum, cum omnibus ejus liberis, occidi jussit, quòd juniorem fratrem sibi prætulisset A.C. 628. Pace dein cum Heraclio Imperatore factâ, remisit ei Patriarcham Hierosolymitanum, cum Christianis, captivos. Obiit A.C. 629. Ei successit fil. Adeser, seu Adhesir, quem vide. Cedrenus *f.* 345.

SIROMASTES apud Hieron. *Ep.* 53. *Legi enim siromastem Phinees, austeritatem Heliæ, Zelum Simeonis Chananæi, Petri severitatem &c.* Græcè Σειρομάστης, quo vocabulo utuntur LXX. Numer. *c.* 25. *v.* 7. ubi de impuro pari à Phinea *hastâ* trajecto: *Hesych.* est, juxta Interpretationem *Species jaculi---lanceæ.* Ex, *lanceæ hastile, romphæa. Siromastes instrumentum quoddam ferreum, quo, manubrium habente ligneum, Publicani ad scrutandum utuntur.* Vide Jo. Meursium *in Gloss. Græco-barbaro.* Itaque apud eundem Hieron. *in Sabinianum,* ubi ait, *Cave, ne te Phinees cum Madianitide fornicantem sua hastâ configat:* ac alii *sero hasta*, alii codices *ferro hasta* habent, *siromaste* reponit Gronov. *Observat. in Eccl. c.* 19.

SIROPUM, Libyæ Nomi vicus. *Ptol.*

SIROS, Bithyniæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

SIRPI, Græcis πλέγματα, quorum usus in vinea, alligando fasces & fustes incisos; unde capsa cisiorum & plaustrorum *sirpea* aliter Latinis. Ovid. *l.* 6. *Fast. v.* 680.

> --- *Et in plaustro sirpea lata fuit.*

Ubi malè in vulgatis, *scirpea* est. Indidem *sirpiculum* & *a*, cophinus viminei textus. Propert. *l.* 4. *El.* 2. *v.* 21.

> *Sirpiculo medio pulvere ferre rosam.*

Columella *in Horto*, *l.* 10.

> ---- ---- *& cano vimine plexum*
> *Sirpiculum.* ----

Et apud *Lucilium*,

> *Tintinnabulum abest hinc, sirpiculaque olerorum.*

Verbum est *sirpare*, quod *Varro* exponit colligando implicare. Hinc ænigmata *sirpi*, τα συμπεπλεγμένα καὶ γρῖφοι. Vocis origo à Græco *εἴρειν* & *εἶρπος*, i.e. πλέγματα. Æolicè trajectione solitâ ἴερπος, unde Latini addito *s*. fecêre *sirpus*. Aliud quid est *sirpicula*, apud Varronem *de L. L. l.* 4. *non apertum, unde lumariæ falces, & sirpiculæ.* Nempe *sirpicula* ibi, pro *sarpicula* est, falx vinitoria, à *sarpendo*, i.e. putando: unde *sarpta vinea* & *sarmenta*, surculi amputati &c. Salmas. *ad Solin. p.* 587. Vide quoque eum *ad Capitolin. in Pio*, *c.* 12. uti de *Sirpis* Setatarum, foliorum malabathri plenis suprà voce *Malabathrum*: nec non suprà aliquid voce *Ploxinum*.

SIRPICUS, cognomen centurionis, in Pannonicis legionibus, ob quem seditiosæ legiones, dum hunc Octava morti posceit, Quintadecumani tuentur, penè collisæ sunt: ni miles Nonanus preces & adversum aspernantes minas interjecisset. Tacit. *Ann. l.* 1. *c.* 23.

SIRRHA, urbs Thraciæ. *Steph.*

SIRRHAS, Gentis Macedonibus conterminæ Rex, contra quem Archelaus bellum gessit. Aristot. *l.* 5. *Polit. c.* 10.

SIS. in nummis Constantini M. Licinii, Constantii & Constantis, *Sisciæ* nota est. Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus.*

SIS, clivus quidam. 2. Paral. *c.* 20. *v.* 16. in tribu Juda, quem cùm ascendissent filii Seir & Ammon, magnò miraculò à Josaphat Rege Judæ profligati sunt.

SISACHTHIA, ex Græco Σεισάχθεια, vide *Oneris excussio*.

SISAI, fil. Enach. Numer. *c.* 13. *v.* 22.

SISALO, Hispaniæ urbs inter Emeritam & Cæsaraugustam. *Antonin.*

SISAMNES, Judex, qui licèt Cambysi Regi charissimus esset; tamen ob iniquam sententiam, quam pecuniâ corruptus tulerat, jussu Cambysis excoriatus est, ejusque pellis ante Tribunal judicum exposita, ut eâ conspectâ alii Judices alienâ fruerentur insaniâ, sibique caverent.

SISAMOI, fil. Elasa. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 40.

SISAN, oppid. in Ciliciæ finibus, unde oriundus Simeon Stylites. *Theodoretus.*

SISAPHO, Corinthius, frater Mamertis, qui ubi intellexisset filios suos à Mamerte fratre, regnandi libidine interfectos, eum membratim discerpsit, Ovid. *in Ibin.*

SISAPONE, *Ptol. Sisapo Straboni*, oppid. olim Hispaniæ Tarraconens. in finibus Oretanorum, nunc pagus *Chilon*, teste *Henr. Cocqu.*

SISAPONE; Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Sisapo Strab.* oppid. Hispaniæ Bæticæ in Bæturia, nunc *Puente Ovejuna*, teste *Merula*; à Corduba 14. leuc. Emeritam versus. Hic quæstus magnus minii, ut propterea Cicer. *Philip.* 2. *c.* 19. *communem Sisaponem* dixerit, veluti proverbium, optimum enim ibi provenit, auctore *Plinio*.

SISAR, Mauritaniæ Cæsariensis fluv. *Ptol. Usar* Plinio, *l.* 5. *c.* 2. teste *Villanovano*.

SISARA, dux exercitus Jabin regis Chanaan. Judic. *c.* 4. *v.* 2. Magister militiæ Asor. 1. Sam. *c.* 12. *v.* 9. Vide *Jabel*.

SISARA, palus in Africa propria. *Ptol.* Locus circa Nisibin. *Ammian. Marcellin.*

SISARACA, Murbogorum in Hispania Tarraconensi urbs. *Ptol.*

SISARRA, in *Glossis* πρόβατα μέσον ἐκαστῶν, *ovis quæ annum superavit.* Hebr. כבש, agnus inter שלה i.e. *subrumum* & איל, i.e. *arietem trimum*; ab anno nempe primo ad tertium. De quali ove Levit. *c.* 4. *v.* 32. *Si obtulerit* כבש *in oblationem suam, feminam integram eam offeret.* Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 43. ubi μήλων, Homero vocari *Od.* 1. *v.* 221. addit.

SISAURANUM, Persarum urbecula. Procop. *Persic. l.* 2.

SISCIA, Pannoniæ superioris olim urbs. *Ptol. Sisseg Sambuco,* ad Colapis fluv. cum Sao confluentiam, nunc pagus cum cœnobio, ad Segesticam Insul. ex adverso Zagabriæ urbis, vix milliar. Germ. distans. Ejus crebra in nummis veter. mentio, quòd una esset ex VI. præcipuis Fabricis Monetariis, sub Imperatorib. Romanis. Unde ASIS. BSIS. PS. PSIS. S. SE. SIS. SISCP. SISPZ. SMSISC. in nummis occurrunt, de quibus nobis hic passim. Plura de hac urbe apud Tristanum *Tom. III.*

SISCP. in nummis Gratiani.

SISCIDENDES, Valdensium asseclæ, memorantur Reinero *contra Waldenses c.* 6.

SISEBUTUS, vel SISEBODUS, Wisigothorum in Hispan. Rex XXIII. Gondemaro successit, A.C. 612. fortis, clemens, magnanimus. Cantabriam, aliasque provincias Romanis eripuit, & ad Judæorum conversionem animum adjecit. Obiit A.C. 621. Fredegar. *in Continuation. Gregor. Turon.* Isidor. *in Chron.* successore Recaredo II. filio. Vide ibi.

SISENANDUS, ope Dagoberti, regnum Wisigothorum, in Hispan. occupavit, Suintilô depositô, A.C 631. Obiit A.C. 636. Fredegar. *in Continuation. Gregor. Turon.* successore Chintillâ, quem vide.

SISENES, Persa transfuga, à Prætore Ægypti quondam missus ad Philippum. Secutus dein in Asiam Alexandrum; quòd ad se à Nabarzane missam epistolam non exhibuerat; (quam Alexander prius lectam, ignoti annuli sigillô impressô, ipsi reddi jusserat, ad æstimandam fidem Barbari,) suspicionem præbuit sceleasti consilii, adversus Regem initi, & in agmine, à Cretensibus, haud dubiè jussu Regis, occisus est. Curt. *l.* 3. *c.* 7.

SISENNA, Centurio, dextras concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine, ad Prætorianos ferens. Tacit. *Hist. l.* 2. *c.* 8.

SISENNA Statilius Taurus, Consul. A.C. 12.

L. SISENNA, Historiæ Romanæ scriptor antiquus, in quo magnam jacturam fecerunt Romanæ literæ, non solum historiæ causâ, quâ vicit omnes superiores; sed etiam linguæ ipsius, cujus benè gnarum fuisse, & Cicero testatur, & indicio sunt fragmenta, quasi gustûs causâ relicta nobis in libris Grammaticorum. Vertit etiam fabulas Milesiacas Aristidis, uti ostendit Voss. *de Hist. Gr. l.* 3. *p.* 331. Meminit Ovidius *l.* 2. *Tristium*, *v.* 443.

> *Vertit Aristidem Sisenna, nec obfuit illi*
> *Historiæ turpes inseruisse jocos.*

Pluscula autem ex istis Sisennæ Milesiacis passim citat Charisius *l.* 2. Laudat & *Servius*. Meminêre etiam veteres Grammatici commentarii ejus in Plautum. Vide Voss. de *Hist. Lat. l.* 1. *c.* 10. Vellej. *l.* 2. *c.* 9. Cicer. *in Bruto, de Leg. &c.* *Nic. Lloyd.*

SISER, inter nascentia in hortis describitur Plinio *l.* 19. *c.* 5. *Siser his seritur mensibus, Februario, Martio &c. Brevior hic est, sed torosior amariorque, nulla; per se stomacho inimicissima: eadem dulcibus mistis saluberrima. Pluribus modis austeritate victa gratiam invenit. Namque & in pulvem tunditur arida, liquidôque dulci temperatur: & decocta posca aut asservata vel macerata pluribus modis, & tunc mista defruto, aut subacta melle, unove passo, aut pinguibus caryotis. Aliò rursus modô cotoneis malis, vel sorbis, aut pinnis, aliquando pipere aut thymô variata defectus præcipuè stomachi excitat, illustrata maximè Juliæ Augustæ quotidiano cibo.* Græcis σίσαρον. Euboënses σίσαρον vocabant, de quo pastinacæ genere, apibus gratissimo, vide Salmas. *ad Solin. p.* 19.

SISGOVIA, Landgraviatus, in agro Basiliensi, à Sissaci celeberrimo pago, locum amœnissimum circa umbilicum ejus occupante, nomen accepit. Olim à Larasso monte usque in medium Birsæ

alveum extensus, maximam Rauracorum partem comprehendit. Hujus jura ad castra Homburgum, Valdenburgum & Liechstallum oppid. pertinentia, Henricus VII. Imperator Ottoni de Grandisone Episcopo Basileensi tradidit, quæ postea Humbertus Neoburgensis, A.C. 1416. Civitati Basiliensi perpetuum possidenda vendidit. Hinc sanguinis judicium, per universum eum tractum, etsi loca quædam alienæ ditionis contineat, ad Senatum Basil. spectat. Intra ejus limites Varnspergium etiam castrum amplum est, quod Tierstenüs olim Comitibus paruit. Vide Christ. Urstisium *Hist. Basil.*

SISICHTTHON, vide *Neptunus.*

SISIDIUS, Consul. Rom. an. Urb. Cond. 1242.

SISIGAMBIS, vel SYSIGAMBIS, uxor Darii ultimi Persarum regis, quæ nulli suæ ætatis feminæ pulchritudine cessit, teste Qu. Curt. *l.* 3. *c.* 3. Quam tamen victo Dario Alexander non solum non violavit, sed & summam adhibuit curam, ne quis captivo corpori illuderet *I.Loyd.* Matrem Darii sic vocavit Curt *l.* 5. *c.* 2.

SISIGYLIS, urbs magna prope Celticam. *Steph.*

SISINIUS, Episcopus Roman. Syrus gente, successit Johanni VII. A.C. 708. vigesimò post die, podagræ doloribus, enectus, die 7. Februar. Anastas. *in vit. Pontif.* Item, Episcop. Constantinopolitanus, post Atticum, A.C. 426. Obiit A.C. 428. Socrat. *l.* 7. *c.* 25. *& seqq.* Baron. *in Annal.* Alius, Nicolai Chrysobergi successor, A.C. 995. Obiit A.C. 999.

SISOCOSTUS, ex amicis Alexandri Magni, accepit à Rege Petræ Aorni regionisque ei adjunctæ tutelam. Curt. *l.* 8. *c.* 11.

SISOE, Græcè Σισόη, apud LXX. Levit. c. 19. v. 27. *οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν*, *Non facietis Siloen ex coma capitis vestri*: Phaselitarum vox, *speciem tonsuræ*, notat, *in orbem* videl. quò modò Arabes tondebantur, Bacchum imitati, Herodot. *l.* 3. *c.* 8. περιτρόχαλα vocant Græci; Unde Solymos Phaselitis vicinos τροχοκουράδας vocat Chœrilus, apud Joseph. *contra Apion.* Suidas πλόκον, πλέγμα ἐκ τριχῶν, *intortum capillitium*, circos, cincinnos, appellat: cujusmodi capillamentum in orbem contextum, videas in nummo *Magnetum*, cum inscr. ΔΙΟΝΥΣΟΣ, & aversâ parte, ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. apud Goltz. *Aug. tab.* 53. & Tristanum *l.* 1. Idem comæ genus in pulcherrimo numismate aureo unciali, cum *inscr.* ΑΝΤΙΝΟΟΣ. apparet, apud Joh. Marshamum, vide cum *Canone Chron. Sec. VIII.* in voce *Thesei.*

SISOLENSES, Italiæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

SISOPA, Pannoniæ superioris oppid. *Ptol. Zagabria Moletio*, ad Segesticam Insul. à Pœtovione supra 15. leuc. in Euronotum, à Labaco, Carniolæ metropoli, ferè 26. in Orium. Hic à 4000. Christianorum, cæsa sunt 100000. Turcarum divinitus A.C. 1593. & Marci Euangelium manu ejus scriptum asservari dicitur.

SISPZ. ubi Z. nota Monetarii, *Sisciæ percussa* est. Vide SISCP.

SISTANUM, urbs Sigistanæ provinc. Persiæ, ad Imenum amnem.

SISTERIO, Magino aliisque est *Sirone*, fluv. parvus agri Parmensis. Fidentiam seu Burgum S. Domnini rigat, uti Sovaniam & in Tarum se exonerat, 4. milliar. antequam Pado misceatur.

SISTOSICHERMES, Thebanorum in Ægypto Rex XXXIII. exponitur Ἡρακλέους κράτος, *Herculis robur*, præfuitque post Stamenemem ann. 55. dum in Tanitarum seu Pastorum regno Janias res gereret. Eum excepit Maris seu Mœris, sub quo Ægyptii bellandi artem necessitate edocti Pastoribus sese fortiter opponere cœperunt, vide suprà *Maris.*

SISTRUM, instrumentum fuit Musicum, in Isidis sacris percuti solitum, *oblongum, manubriatum in ima parte, cancellatum trajectis virgulis, & ut verbô dicatur, lamina ac præterea nihil*, definiente Pignoriô *Comm. de Servis*, qui proin virum doctum cum Crotalo id confundentem, ibidem refellit: cum hoc, si *Eustathio* credimus, fuerit vas è testa, ligno, aut ære quod manibus tenebatur, & collisum, sonitum edebat. Appulejus Isidem cum *Sistro* prolixius sic describit, *Metam. l.* 3. *Dextra quidem*, inquit, *ferebat æreum crepitaculum: cujus per angustam laminam, in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ crispante brachiô tergeminos jactus, reddebat argutum sonum. Lævæ verò cymbium dependebat ansam* &c. Nempe æreum crepitaculum fuit concavum, ad tinnitum edendum; quod *lamina incurvata in modum balthei* non fecisset, nisi concava fuisset; crepitum enim atque sonorum illum tinnitum edebant illæ paucæ virgulæ trajectæ mediæ, per eam *Sistri* laminam, quæ pariter æreæ erant atque in patentioribus laminæ curvatæ foraminibus volubiles, versatiles omnimoque mobiles ad crepitum ciendum: Personabant autem solâ crispantis brachii iteratâ per aërem jactatione. Ejus prima inventrix Isis, Ægypti Regina, & post obitum pro Numine incolis culta, fuisse perhibetur: Ita enim Isidor. *in Orig. l.* 3. *Sistrum ab inventrice vocatum*, (quasi Isidis instrumentum) *Isis enim id genus invenisse probatur*, *in Juvenali Sat.* 13. *v.* 93. *Inde & hoc mulieres percutiunt, quia inventrix hujus generis est mulier. Unde & apud Amazones Sistrô ad bellum feminarum exercitus vocabatur.* Ubi quod de etymologia ejus adfert, ineptum id, meliùs è Græca voce σεῖστρον, ἀπὸ τοῦ σείειν, *à concutiendo*, deducas. Ipsa hôc instrumentô Dea credebatur pejerantes percutere & cæcitate punire: Juvenal. *loc. cit.*

> *Est aliis metuens, ne crimen pœna sequatur:*
> *Hic putat esse Deos, ac pejerat: atque ita secum:*
> *Decernat quodcumque volet de corpore nostro*
> *Isis, & iratô feriat mea lumina Sistrô;*
> *Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.*

Quod inde factum, quia cùm Isis inter alias Leges justissimas, quas populis tulerat, pejerantes oculorum cæcitate multâsset, post mortem dein divinô cultu honorata, manente eadem apud Ægyptios perjurorum pœnâ. *Sistri* à se inventi virtute id efficere existimata est. Vide quoque Ovid. *Ep.* 1. *e Ponto l.* 1. *v.* 51. *& seqq.* Unde ejus Sacerdotes ab omnibus timebantur, ut idem indignaverat paulo antè v. 37

> *En, quis ita est audax, ut limine cogat abire*
> *Jactantem Phariâ tinnula Sistra manu.*

Ubi Poëta, de Isidis sacris Romam translatis verba faciens, Sacerdotes ejus maximè ex Insul. Alexandrina Pharo fuisse accersitos, qui *Sistra* ad barbarum illum sonitum edendum quaterent, innuit. Nempe *Sistrum* Isiacorum, ut Cymbalum Sacerdotum Matris Deûm, instrumentum fuit. Apulejus *Metam. l.* 11. *Sacerdos appropinquat, dextrâ* Sistrum *præferens.* Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 696.

> ---- ---- *Patriô vocat agmina Sistrô.*

Persius *Sat.* 5. *v.* 186.

> ---- ---- *Cum Sistro lusca sacerdos.*

Ubi Pseudocornutus, *Sistrum*, inquit, *Sacerdotes Isidis portant. Lusca autem ideo, quod nubiles deformes, cum maritos non invenerint, ad ministeria Deorum se conferant: Forma ejus ovalis & manubriata, circa erat tintinnabula pendentia habens.* Unde *funabile Sistrum* Ovid. Metam. *l.* 9. *v.* 783. Turba *Sistrata*, Martiali *l.* 12. *Epigr.* 20. *v.* 19. Materia illi æs, aurum, argentum. Apulejus *l.* 11. *Æreis & argenteis imo vero aureis Sistris argutum tinnitum constrepentes.* Idem Britannicus docet, sed, qui cum *Britannico* posuisset ex argento quoque & auro Sistra, verba sunt *Lucii*, non ita sonora faciunt instrumenta argutô sonitu, propter metalli mollitiem; magis enim sonora sunt ex ære, quàm ex argento vel auro, crepitacula. Quinetiam Sacerdotes Isidis, Deam circumferentes impositam Asello, sicut ajunt Æsopus & Apulejus, pauperes erant, mendicantes & fures, ob inopiam, corradentes ab omnibus vel vilissima quæque munuscula: quare non aurea vel argentea, sed ærea tantummodo, vilioris pretii, Sistra habuisse videntur. Mystica significatio *Sistri* in dextra Isidis, sinistra situlam seu cymbium tenendo, indigitatur Servio ad *Æn. l.* 8. *v.* 696. Isis est genius Ægypti, qui per Sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus significat, & recessus, per situlam, quam sinistrâ tenet, ostendit influentiam omnium lacunarum: Isis autem linguâ Ægyptiorum est Terra. Ita in sacris inprimis *Sistri* usus frequens fuit: sed & in bellis adhibitum eoque Amazonas pro tuba, in expeditionibus, fuisse usas, ex Isidoro supra laudato *Etymol. l.* 2. *c.* 21. discimus; & confirmat id Sext. Propertius *l.* 3. *Eleg.* 10. *v.* 43.

> *Romanamque tubam crepitanti pellere Sistrô,*
> *Baridos & contis rostra Liburna sequi.*

Vide quoque Hadr. Turnebum *Adversar. l.* 26. *c.* 33. & Salmas. *ad Vopisc. in Carino. c.* 19. Ejus figuram, cum aliis quibusdam crepitaculis, ex antiquis monumentis depromtam, exhibet Laur. Pignorius *l. cit.* ut & Fortun. Licetus *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 114. *in Lucerna, in qua Isis sculpta est, cum Sistro in dextra manu, situla seu vase aquâ pleno in sinistra & flore lilii in vertice.* Vide eundem *c.* 121. *seq.* Cum crotalo tamen nonnunquam confunditur, de quo diximus suprà. Cæterùm de origine *Sistri* sic Rigaltius, *Ægyptium Antistes Leo prodidit Alexandro* (Magno scil.) *mysteria, & de frumenti spicis, quas gestat Isis sive Ceres, factum fuisse dixit sistrum, quod est Isidis & Isiacorum gestamen, spicas verò succussas & collisas sive agitatas crispante brachiô, qualis editur concussione sistri, Sonum edere, ejusmodi autem sonum alludere ad garritum hirundinis, cujus formam finxisse dicatur Isis* &c. Vide cum *Comm. ad ista Minucii*, illic (i. e. in eo volumine, sive epistolâ ad matrem Alexander doctus ab Ægyptio Sacerdote præfato) *facit de spicis Isidis sistrum ad hirundinem* (h. e. hirundinum garritu quesulam) ut & suprà voce *Isis.*

SISYMBRIUM, planta Veneri grata, myrto sociari in coronis olim solita. Et quidem Ovidius alloquens vulgares puellas, vult eas offerre huic idolo coronas textas è *sisymbriis*, myrto, rosa, *Faster. l.* 4. *v.* 869.

> *Cuique sua dominæ date grata sisymbria myrto,*
> *Textaque composita juncea vincla rosa.*

Etiam Sponsi *sisymbriô*, sicut sponsæ asparagô, coronari olim soliti. Quod eliciunt aliqui ex illo Aristophanis *in Avibus*, ubi, cùm Epopis dixerat, suos in hortis pascere alba sesama, myrta, papavera & *Sisymbria*; respondet Euelpis,

> Ὑμεῖς ἄρ' ἐστε ζῆτε νυμφίων βίον.
> *Vos igitur vivitis sponsorum vitam.*

Ad quæ verba Scholiastes, sisymbria interpretatur φύλλα οἷς ἐστεφανοῦντο οἱ Νυμφίοι, *folia quibus coronabantur sponsi.* Sed intelligi item locum illum, quasi molliorem & delicatulam procorum vitam tantùm designaret, ex Erasmo *Chil.* 2. *Cent.* 6. *adag.* 69. ait Seldenus *Uxor. Hebraic. l.* 2. *c.* 25. Plura de hac Planta, vide apud Plin. *l.* 20. *c.* 22. Dioscoridem *l.* 2. *c.* 155. *& seqq.* Theophrastum *de Plant. l.* 7. &c.

SISYPHAMIDAS, Aristodemi fil. unus ex iis legatis, quos Lacedæmonii, octavò belli Peloponnesiaci annô, finiendæ discordiæ ad Athenienses miserunt. Vide Scholiast. *Aristoph. Equit. p.* 336. *F.*

SISYPHIUM, locus in Asia, de quo Strabo *l.* 8.

SISYPHUS, Æoli fil. qui cùm Atticam latrociniis infestaret (unde Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 32.

> *Quid sanguine cretus*
> *Sisyphiô, furtisque & fraude simillimus illi.*)

a Thes

à Theseo occisus est. Hunc Poëtæ fabulantur eô supplicii genere apud inferos plecti, ut saxum ingens in montis cujusdam verticem cogatur provolvere; quod cùm ad summum penè extulerit, repente deorsum relabitur. Vetus Poëta apud Cicer. *l.* 1. *Tusc. Qu. c.* 5.

> ---- *Sisyphus versat*
> *Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum.*

Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 26.

> *Ubi Æoliden saxum grave Sisyphon urget.*

Idem *l.* 4. *Met. v.* 459.

> *Aut petis, aut urges rediturum, Sisyphe, saxum.*

Huc allusit Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 616.

> *Saxum ingens volvunt alii.* ----

Propert. *l.* 2. *el.* 17. *v.* 7.

> *Vel tu Sisyphios licet admirère labores.*

Idem *eleg.* 20. *ejusdem libri, v.* 32.

> *Tum quoque Sisyphio saxa labore geram.*

Horat. *Od.* 14. *l.* 2. *v.* 20.

> ---- *Damnatusque longi*
> *Sisyphus Æolides laboris.*

Vide Pausan. *in Corinthiacis.* Apollod. *l.* 1. Hygin. *Fab.* 60. Martial. *l.* 10. *Epigr.* 5. *v.* 15.

> *Nunc inquieti monte Sisyphi pressus*

Seneca Tragœdus *in Hercule Insano, v.* 751.

> *Cervice saxum grande Sisyphi sedit.*

Idem *in Hippolyto, Actu* 5. *v.* 1229.

> *Umbræ nocentes cedite; & cervicibus*
> *His, his repositum degravet fessas manus*
> *Saxum, seni perennis Æolio labor.*

Homer. Od. λ. v. 592.

> Καὶ μὴν Σίσυφον εἰσεῖδον κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα,
> Λᾶαν βαστάζοντα πελώριον ἀμφοτέρῃσιν.
> Ἤτοι ὁ μὲν, σκηριπτόμενος χερσίν τε, ποσίν τε,
> Λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον, ἀλλ' ὅτε μέλλοι
> Ἄκρον ὑπερβαλέειν, τότ' ἀποστρέψασκε κραταιΐς
> Αὖτις, ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

Scientiam Sisyphi, sive potius astutiam indicant Homer. & Theognis: Hic *Il.* ζ. *v.* 153.

> Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν,
> Σίσυφος Αἰολίδης, ὁ δ' ἄρα Γλαῦκον τέκεθ' υἱόν.

Ille v. 700.

> Οὐδ' εἰ σωφροσύνην μὲν ἔχοις Ῥαδαμάνθυος αὐτοῦ,
> Πλείονα δ' εἰδείης Αἰολίδεω Σισύφου,
> (Ὅστε καὶ ἐξ Ἀΐδεω πολυϊδρείῃσιν ἀνῆλθε,
> Πείσας Περσεφόνην αἱμυλίοισι λόγοις,
> Ἥτε βροτοῖς παρέχει λήθην, βλάπτουσα νόοιο.
> Ἄλλος δ' οὔπω τις τοῦτό γ' ἐπεφράσατο,
> Ὅντινα δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφικαλύψῃ,
> Ἔλθῃ δ' ἐς σκιερὸν χῶρον ἀποφθιμένων.
> Κυανέας τε πύλας παραμείψεται, αἵτε θανόντων
> Ψυχὰς εἴργουσιν, καίπερ ἀναινομένας.
> Ἀλλ' ἄρα κἀκεῖθεν Σίσυφος πάλιν ἤλυθεν ἥρως
> Ἐς φάος ἠελίου σφῇσι πολυφροσύναις.)

Mythologiam Sisyphi habes apud Natal. Com. *l.* 6. *c.* 17. Lucretius verò *l.* 3. *v.* 1009. in eos hanc fabulam convenire scribit, qui magistratus & honores à populo expetunt cum summa animi contentione; neque unquam obtinere possunt, vel quòd indigni habeantur, vel quòd in hoc etiam maxima vis sit fortunæ. Sic enim ait Epicureus Poëta,

> *Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,*
> *Qui petere à populo fasces, sævasque secures*
> *Imbibit, & semper victus tristisque recedit.*
> *Nam petere imperium, quod inanum est, nec datur unquam,*
> *Atque in eo semper durum sufferre laborem;*
> *Hoc est adversò nixantem trudere monte*
> *Saxum, quod tamen à summo jam vertice rursum*
> *Volvitur, & plani raptim petit æquora campi.*

Fuit autem juxta Historiam *Sisyphus*, primus Corinthi Rex; condidit eam vel saltem colonis instruxit Ephyram priùs dictam, A. M. 2643. ubi successores ejus regnârunt, an. 508. ab Heraclidis pulsi, An. 2951. Euseb. *in Chron.* Alii paulò aliter.

SISYPHUS Cous, Teucri scriba, inter eos qui *de bello Trojano* ante Homerum scripserunt, memoratur Joh. Tzetzæ *Chil.* v. 29. 30. Vide suprà *Dictys Cretensis.*

SISYRA, vox origine Græca, pellis fuit lanata, quâ lecti insternebantur olim. Amm. Marcellin. de Juliano *l.* 16. *c.* 5. *Noctis dimidiatâ semper exsurgens, non è plumis vel stragulis sericis ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete & Sisyra, quam vulgaris simplicitas* Sisurnam *appellat:* ad quem locum multa doctiss. Lindenbrogius de *Sisyra* adnotavit, quæ operæ sit videre. Itaque crassum vileque erat stragulum, quod *torale crassum & villosum* interpretatur *Budæus.* Aliquando verò chlænam quoque denotat vestemque villosam, & ferè è capratum pellibus confectam, quæ cùm esset aperta & reliquis vestimentis superindueretur, fibulâ in humeris nectebatur, ac colligebatur. Hinc veterib. Grammaticis est Χλαίνης εἶδος ἀστείλωτον ἐξωμὶς ἢ ἁπλοῖς τὸ τοιοῦτο ἴσως ἢ ἱμάτιον τραχύ. περιβόλαιον ἀγενὲς, δερμάτινον ἢ χιτὼν δερμάτινος. Gallis ejus usum tribuit Polyænus, apud quem proin sunt qui commune Gallorum Sagum eâ voce intelligant; sed Sagum Gallorum, virgatum & intercurrente purpurâ distinctum fuisse, suprà diximus, quod in veste hirta ac villosa, qualis *Sisyra* fuit, fieri non potuit. Vide Octavium Ferrarium *de Re Vestiar. Part.* 2. *l.* 3. *c.* 9.

SISYRBA, pars Ephesi, à *Sisyrbe* Amazone dicta. *Steph.*

SITACE, Assyriæ urbs, 15. stad. à Tigri fluv. *Xenoph.* in Susianæ confinio unde regio Sittacene, nunc *Kabia* Castaldo. Plin. de Ladano *l.* 12. *c.* 15. Nascitur ultra Pasitigrim, in finibus oppid. *Sitace*, monte *Zagro.* Forsan *Sita* Diodor. *Sic. l.* 17. Vide *Sitata.*

SITACENE, regiuncula, vel, ut *Diodorus* vocat, Σατραπεία, præfectura Assyriæ, juxta Susianam. Et ita legit in Curtii *l.* 5. *c.* 4. Janus Gebhardus, *His ita compositis, in regionem, quæ Sitacene vocatur, pervenit, fertilis terra, copia rerum abundans.* Vulgò habetur *Satrapene* vitiosissimè.

SITALCES, Thraciæ Rex, contra Perdiccam exercitum duxit, & Macedoniam vastavit, quibusdam castellis captis.

SITALCES, ex Prætoribus Alexandri Magni, ob avaritiam & crudelitatem in Provinciales, à rege cum Cleandro, Agathone, Eracone vinciri jussus. Curt. *l.* 10. *c.* 1.

SITANA, Hispan. Tarraconens. urbs. *Sext. Avienus.*

SITARCHA, Græcè Σιτάρχης, *frumenti Præfectus*, cujusmodi officio Josephus Patriarcha in Ægypto defunctus est, ut in Sacris legimus. Unde σιταρχία ipsum munus: inde horreum, ac apotheca ad condendum omne annonæ genus, apud Chrysologum *Serm.* 8. Aliud *Sitarcium* in vulgata versione 1. Sam. *c.* 9. *v.* 7. *Panis defecit in Sitarciis nostris & sportulas non habemus.* Ubi Græca lectio habet ἀγγείοις; Chaldæus *in vasis.* Nempe σιταρκία, ut ait Gasp. Sanctius, Græcè commeatum significat seu viaticum; sic Apulejus *l.* 2. pro annona nautica vocem usurpat: hinc porrò sacculum vel cistam denotat, quâ panis cibusque defertur. Ex σῖτος itidem, *frumentum*, & verbo ἀρκεῖν, *sufficio.* Vide Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolex.* uti de voce Σιτώνης, quæ *Hesychio Præfectum rei* itidem *frumentariæ*, aliàs in genere *Frumenti emtorem*, notat, Cl. Suicerum *Thes. Eccl.*

SITATA, quæ *Sittace* & *Zidda* teste *P. de la Rue*, sedet ad Choaspem fluv. media ferè inter Susam ad Ortum, & Seleuciam ad Occasum.

SITELLA, in sortitione apud Romanos adhibita. Livius, *l.* 25. *c.* 3. *Tessulis datis Tribuni populum summoverunt:* sitellaque *allata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent.* Ubi *cistella* alii legunt. Sed *sitella* etiam apud Ciceronem est *de Nat. Deor. l.* 1. *Ti. Gracchum cum videor concionantem in Capitolio videre, De M. Octavio, deferentem sitellam.* Idem tamen est *cistula.* *Ut ad Herenn. l.* 1. *Illi nihilominus cistulam attulit.* Et paulo pòst, *pontes disturbat, cistas dejicit.* Plutarchus verò ὑδρίας vocat, *in Tiberio.* Nempe, cùm Comitia haberentur, erat qui *sitellam* seu cistam deferebat, colligendis per tribus suffragiis, isque *Rogator* dicebatur: erat autem is ipse, qui Tributa Comitia habebat, ut ostendit Grucchius *de Comitiis Rom. l.* 3. In cistas autem populus, per pontes transiens, suffragii sui tabellas mittebat, uti supra diximus. Vide quoque Hadrian. Turnebum *Adversar. l.* 13. *c.* 13. & infrà *Situla.*

SITHALCUS, Germanorum terras, quas nunc Franci obtinent, depopulatus est. Jorn. *lib. rerum Geticarum.*

SITHENI, populi juxta mare Rubrum. *Steph.*

SITHIU, vel *Audomaropolis*, cœnobium, à loco seu villa prius, à S. Audomaro Bononiensium & Tarvennensium Episcopo posterius nomen nactum, sæpius ab auctore suo & primo Abbate *S. Bertini* cognominatur. Nunc S Audomari nomen retinet, vulgò *S. Omer*, ac A. C. 1559. sedes Episcopalis cui Area, Hisdinium, Gravenenga, aliaque loca subjecta, evasit. In monasterium *Sithiu*, post depositionem & tonsionem detrusus est Childericus Francorum Rex ibique triennô pòst obiit ac sepultus est, A. C. 754. Erat autem hic vicus in pago Tarvennensi, ad Agnionem fluv. quem, auctore Audomaro, Adroaldus loci dominus Bertino, ad extruendum monasterium, donavit: è quo vico munitum & frequens oppid. paulatim est factum. Sed & extra muros *Sithiu* monasterium in honorem B. Mariæ ab Audomaro Episcopo in vertice collis extructum & priori subjectum est. Teruannâ dein A. C. 1553. à Carolo V. solo æquatâ, quæ caput Morinorum & sedes Episcopalis antiquissima fuerat, partem ejus diœceseos Bononia sibi vindicavit, pars major Audomaropoli & Ipræ est attributa. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SITHON, filiam habuit Pallenen, quæ Clito nupsit & Pallenæ Thraciæ urbi nomen dedit. *Steph.* Item Thraciæ mons *Servio.* Item Insul. maris Ægæi, *Ovid. loc. infrà citandô.*

SITHONES, populi Scandinaviæ, γυναικοκρατούμενοι, apud Tacitum *in German. c.* 45. de quibus vide Georg. Hornium *Orb. Imper. cum Notis* L. Joach. Felleri *p.* 555. ut & in voce *Sitones.*

SITHONIA, pars Thraciæ. Plin. *l.* 4. *c.* 11. quæ ab Hæmo monte aversa vergit in Pontum Euxinum. Herodot. verò *l.* 7. Sithoniam regionem in ora maritimæ Macedoniæ collocat ad sinum Termæum; ejusque urbes facit *Toronam*, *Sermylam*, *Mecybernam*, & *Olynthum.* Poëtæ autem Sithoniam pro ipsa Thracia ferè accipiunt. Ovid. *ep.* 2. *Heroid. v.* 6.

> *Nec vehit Actæas Sithonis unda rates.*

Virg. *Ecl.* 10. *v.* 66.

> *Sithoniasque nives hyemis subeamus aquosæ.*

Nic. Lloyd.

SITHYRA, Instrumentum Musicum, à Libybus, potiùs Troglodytis aut Thracibus, inventum. Pollux *Onomastic. l. 4. c. 9.*

SITIA, Hispaniæ Bœticæ oppid. in Conventu Tarraconensi, Plin. *l. 3. c. 1.*

SITICINES, qui apud *sitos*, i. e. vitâ functos *canebant*. A. Gellius ita de iis *l. 20. c. 2. Siticines, scriptum est in Orat. M. Catonis, & Liticines & Tubicines. Sed Cæsellius Vindex scire quidem se ait, Liticines lituô cantare, & Tubicines tubâ: quid istuc autem sit, quò Siticines canent, scire sese negat. Nos autem in Capitonis Conjectaneis invenimus, Siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent h. e. vitâ functos, & sepultos, eosque habuisse proprium genus tubæ, à cœterorum differens.* Quale autem hoc fuerit tubæ genus, primus rectè observavit Hieron. Magius *Miscell. l. 1. c. 13.* ubi docet, *Siticinum* tubas cœteris fuisse latiores ac longiores, quales in antiquorum Sepulchris videre est, ipsosque *Siticines* grave canere solitos. Et longitudinem quidem majorem, quàm in cœteris tubis esset, demonstrat Ovid. *Amor. l. 2. El. 6. v. 5.* ubi de morte Psittaci loquens, altasque aves, ut defuncto eant exequias, adhortans, sic canit:

Horrida pro mæstis lanietur pluma capillis,
Pro longâ resonent carmina vestra tubâ.

Ubi emphaticè istiusmodi tubam *longam* vocat. Latiores verò quoque cœteris fuisse, haurire licet ex Galeno *de Sympt. caus. l. 3.* eo loci, ubi de flatibus loquitur, qui in ventre inferiore fieri solent, hôc modô: Βομβώδεις δὲ εἰσιν ἕτεροι ὧς ἐξ εὐρυτάτων αὐλῶν ἰοιώτες, ὁποίους ἔχουσιν οἱ Τυμβαυλοι καλούμενοι κτλ. Id est, *Porrò sunt alii bombosi, bombis latissimarum tibiarum non absimiles quales habere solent ii, qui Τυμβαυλοι, i. e. Siticines, appellantur; quæ ob materiam, ex qua constant, purum sonum reddere non possunt & viæ, quâ Spiritus transit, latitudo sonum efficit graviorem.* Ubi quamvis de tibiis loquatur, tubas tamen, quibus *Siticines* utebantur, etiam latiores fuisse, meritò hinc inferri potest, quô nimirum graviorem, utpote lugubrem, sonum incinere possent. Graviorem enim sonum lugubrem habitum, indicat Stat. *Theb. l. 6. v. 120.*

Cùm signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia.

Quò faciunt, quæ de lamentantium sono habet Aristoteles *de Genet. Animal. l. 5. c. 7.* Vide quoque Magium *dictô locô*, J. Meursium *de Funere c. 18.* & Jac. Oiselium JC. *Not. in A. Gellium loc. cit.* E quibus patet, *Siticines* non Tibicines fuisse, qui minoris ætatis funera prosequebantur, & Legg. XII. Tabb. ad denarium numerum restricti erant, cùm tubam illis disertè, non tibiam, A. Gellius tribuat: nisi dicas, vocabulum aliquando laxiùs fuisse sumtum, ut omnes eos, qui apud *sitos*, sive tubis, sive tibiis canebant, comprehenderet, quemadmodum Alexander ab Alex. *Genial. Dier. l. 3. Senatoribus, ait, & Patriciis tubâ; minoribus & plebejis tibiis canebant Siticines.* Eundem morem apud Græcos Hebræosque fuisse alibi diximus. Quod verò *Siticines*, cum *Sicinnistis*, confundunt quidam, multum aberrant, ut ostendimus suprà voce *Sicinnis.* Cur autem Musicus istiusmodi concentus funeribus olim adhibitus, docet Macrob. *l. 2. in Somn. Scipion c. 3.* cùm ait: *Mortuos quoque ad sepulturam prosequi oportere cum cantu, plurimarum Gentium vel Regionum instituta sanxerunt: persuasione hac, quia post corpus animæ ad originem dulcedinis Musicæ, id est, ad cœlum redire credatur.* Vide suprà *passim.*

SITICUM, Italiæ oppid. *Steph.*

SITIFENSIS Mauritania, erat inter Numidiam ad Ortum, & Mauritaniam ad Occasum, à *Sitifa* urbe primaria, hodie *Steffe*; quæ nunc in regno Algerii & Bugiæ provinc. ad Mazurium fluv. vide *Mauritania.*

SITINUS Lacus, ubi Mosci à Sigismundo Aug. Poloniæ Rege amissis 120. machinis bellicis, profligati sunt, A.C. 1567. Thuan. *Hist.*

SITIOENTA, Mysiæ inferioris oppid. *Ptol. Tulza Nigro.*

SITIOGAGUS, fluv. quô Pasargadas septimô die navigatur, oritur, atque fluit per Carmaniam. Plin. *l. 6. c. 23.*

SITIM, vide SETIM.

SITIPHA, melius *Sitifi*, Mauritaniæ Cæsariensis colonia. *Ptol.* Vide *Sitifensis Maur.*

SITIPHIS, Mauritaniæ Tingitanæ metropolis. Procop.

SITIS prima, antiquis Romanis in conviviis, mulsô sedata est: quod proin principiô cœnæ vel confectum adponi moris fuit; vel ejus locô separatum vinum & mel, ut conviva quisque, pro arbitrio id temperans, mulsum sibi conficeret. Hinc Antecœna seu *Promulsis*, quòd daretur, ante mulsum. Vide Joh. Rosin. *Antiq. Rom. l. 5. c. 29.* Quibus verò irritamentis illa postmodum quæsita sit, sic exponit Plin. *l. 14. c. 22. Ut plus capiamus, saccô frangimus vires: & alia irritamenta excogitantur: ac bibendi etiam causâ venena conficiuntur, aliis cicutam præsumentibus, ut bibere mors cogat, aliis pumicis farinam & quæ referendo pudet docere. Cautissimos ex his balineis coqui videmus, exanimesque efferri. Jam verò alios lectum exspectare non posse, imò verò nec tunicam, nudos ibi protinus & anhelos ingentia vasa corripere --- ac plenè infundere, ut statim evomant rursusque hauriant ---- Huc pertinent peregrinæ exercitationes & volutatio in cœno ac pectorosa cervicis repandæ ostentatio. Per omnia hæc prædicatur sitis quæri. Ita etiam pœnâ sua ad voluptatem luxuries abutitur.* Vix enim aliud siti gravius tormentum, quâ unicâ florentissimos exercitus, cùm aliâ ratione non possent, legimus expugnatos. Unde extremæ illi nullus humor spernitur. Lucan. *l. 4. v. 308.*

----- ----- si mollius arvum
Prodidit humorem, pingues manus utraque glebas
Exprimit ora super. Nigro si turbida limo
Colluvies immota jacet, cadit omnis in haustus
Certatim obscœnos miles; moriensque recepit,
Quas nollet victurus aquas; rituque ferarum
Distentas siccant pecudes, & lacte negatô
Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis.
Tunc herbas, frondesque terunt, & rore madentes
Distringunt ramos: & si quos palmite crudo,
Arboris aut tenerâ succos pressêre medulla.

Vide etiam *seqq.* ubi & venenum in *sitis* remedia posci addit: ipsam verò *Sitim* graphicè describit, verbis, *v. 324.*

---- ---- torrentur viscera flammâ.
Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis,
Jam marcent venæ &c.

Vide quoque Papinium Stat. *Theb. l. 4. v. 725. & seqq.* cum *Animadversionibus* Casp. Barthii: uti de Veter. ἀδίψοις, aliquid suprà in *Glycyrriza*, it. *Mortariolum*: de *Sitis tolerantia* in veter. Heroibus, Davide, Alexandro M. Lysimacho, Catone, magnopere Auctoribus prædicatâ, Locceniumm *ad Curt. l. 7. c. 9.* De *siti* verò *ridicula* Legatorum Certimensium, Liv. *l. 40. c. 47.* de *nulla* ferè exiguoque potu, & quòd fame atque eâ nullum ferè venenatum intereat, Plinium pulchrè disserentem *l. 10. c. 72.*

SITOCOMI, nomen Magistratus, qui frumenta & annonam curabat, ἀπὸ τοῦ σίτου, i. e. *frumento*, & κομεῖν, i. e. *curare*: cujusmodi officium videtur fuisse apud Romanos Ædilium Cerealium. Meminit autem *Sitocomorum*, *l. un. Cod. ut nemini liceat in emptione specier. se excus.* Alii erant *Sitonæ*, Curatores nempe coëmendo frumento: item *Sitostatæ*, qui vendendo ei præerant. Vide Alciatum *ad 3. poster. Justinian. libb.* Postellum *de Magistratibus Atheniens. c. 27.* Jo. Meurs. *Glossar.* & hic infrà.

SITOMAGUM, Angliæ urbs *Anton. Thetford Camdeno*, in Norfolcia, ad fluv. Ulam, ubi recipit amnem *Tret*, 26. mill. pass. à Venta Icenorum in Occasum Elyam versus paulo minus. Olim *Icenorum* oppid.

SITON, vide *Dagon.*

SITON, Thessaliæ urbs, quam & *Iton* dici scribit *Steph.*

SITONÆ, vide voce Forum, it. *Sitocomi.*

SITONE, urbs circa Athon montem. Plin. *l. 4. c. 10.*

SITONES, populi Scandinaviæ in Finlandia, teste *Willichib. Brietio Sitones*, qui in ora Occidentali & Boreali Scandinaviæ, ubi nunc Norvegia & Lapponia, eos habitâsse credit. An *Sintones*, *Sindi?*

SITOPHYLACES, Græcè Σιτοφύλακες, nomen Magistratus Athenis, qui operam dabat, ne coëmerent, qui in urbe erant plus frumenti, quàm lege cautum erat. Cùm enim *frumenti* in Attico solo penuria esset, magnâ in id curâ incubuerunt Athenienses, ut illius quàm optima semper esset annona. Quare lege latâ sanxerunt, ne quis Atheniensis mercator, aut nauclerus, aliò, quàm Athenas, frumentum importaret. Ut autem sine ullo periculo frumentum ex Hellesponto importare possent, habebant novem ad Hellespontum naves, quæ onerariis adversùs hostes piratasque præsidio essent. Allati sic frumenti duos trientes in urbem importabant; trientem tertium in Piræeum. Ut verò obviam iretur dardanariorum avaritiæ, Lege hac cautum est, ne, qui in urbe erant, coëmerent plus quinquaginta phormis, Μηδένα τῶν ἐν τῇ πόλει πλείω σῖτον πεντήκοντα φορμῶν συνωνεῖσθαι, cujus meminit Lysias *Orat. contra Sitopœas*, huicque rei *Sitophylaces* præfecti; qui si munus non administrarent suum, ut Legibus erat sanctum, morte mulctabantur, Lysias *ibid.* Erant illi XV. numerô, quinque scil. in Piræeo, decem in Urbe, uti apud *Harpocrationem* legere est. Vide plura hanc in rem, apud Sam. Petitum *Comment. in LL. Attic. l. 5. tit. 5.* qui est de *importandis & exportandis.*

SITTACENE, regio Asiæ, Mediæ ad meridiem proxima, aliô nomine *Arbelitis* dicta. Dicta à *Sittace* urbe totius regionis capite. Plin. *l. 6. c. 16. Palæstine* & *Apolliniatis* dicitur *Straboni. Rabia* nunc eam *Castaldus* vocat. Vide *Sitace.*

SITTAPHIUS, campus in Africa propria, *Ptol.*

SITTEBERIS, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

SITTICI, vide SITIPHA.

SITTOCATES, Indiæ fluv. in Gangem fluens. *Arrian.*

SITUA, Paphlagoniæ urbs. *Ptol.*

SITULA, ex Arabico *setel*, haustrum Scriptoribus his est ansatum, quô, in balneis qui lavantur, aquam hauriunt: sicque exponunt vocem Hebræam ספל, in historia Gideonis, ubi, cùm summô manè surrexisset, reperisse legitur in area sicca vellus ita madere, ut ex eo expressent plenum aqua ספל *sephel*, qua de re vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 49.* & suprà *Hydria.* Diminutivum est *Sitella*, de cujus in Comitiis Romanorum usu retrò diximus.

SITUS, in conviviis olim usitatus varius fuit, de quo passim suprà. Vide inprimis ubi quædam diximus de ritu *Accumbendi* & *Sedendi.* In Scholis & Academiis discentium docentiumque, quis fuerit, vide ubi de *Lecticula lucubratoria.* In Ecclesia, voce *Lectio.* Plura verò de voce hac, apud Salmas. *ad Solin. p. 405.*

SIVA, scriba Regis David. 2. Sam. *c. 20. v. 25.*

SIVA, Ciliciæ in Cappadocia urbs. *Ptol.*

SIVAN, nomen mensis. Esther. *c. 8. v. 9.*

SIVATA, Galatiæ urbs. *Ptol.*

SIUCHEUM, urbs Sinarum in provinc. Nanchinensi, ad fluv. Croceum, versus Cantonam provinc. Sub qua tres Urbes.

SIUCHEUM, urbs Sinarum provinc. Suchuensis quarta; emporium celebre, ad confluentes fluviorum *Kiang* & *Mahu*, ad radices montium, sub qua IX. Urbes.

SIVE tu DEUS, SIVE DEA, formula precandi Gentilibus solennis, indigitatur Arnobio *adv. Gentes l. 3. Consuestis in precibus, sive tu Deus es, sive Dea, dicere*, Aliisque passim. Solebant nempe pagani omnes Deos Deasque confusè invocare etiam quoties preces ad aliquem, vel aliquos eorum nominatim dirigerent; ne fortè, aliquem sibi nondum notum omittentes, iram ejus provocarent. Unde

de & Ignotis quoque incertisque Diis sacra fecerunt, uti ostendimus suprà lemmate *Ignotus Deus*. Vide Barn. Brissonium *Formular*. *l*. 1. *p*. 54.

SIVORANGUM, prædii nomen est Sidonio *l*. 2. *Ep*. *ad Domitium*. *Vorangum* legit *Pinetus*.

SIUPH, Ægypti urbs in Saitana tribu, unde Amasis rex. Herodot. *in Euterpe*.

SIUR, Africæ propriæ urbs. *Ptol*.

SIXTUS I. Romanus, post Alexandrum I. Papa, A. C. 130. vel 132. Martyriô coronatus, Obiit A.C. 140. vel 142. Anastas. *in vit. Pontif*. Ejus *epistolæ* 2. *decretales*, cum Binii notis, prodiêrunt: Liber verò sententiarum suppositirius est, & Commentarius Sixtum, Philos. Pythagoricum auctorem habet. Moser. *in Diction. Hist*. Ei successit Telesphorus.

SIXTUS II. Atheniensis, Stephano I. successit, A.C. 257. seu 260. annô post, capite plexus, pro fide, triduô ante discipulum ejus S. Laurentium. Ambros. *de Off*. *c*. 41. Euseb. *Hist*. *l*. 7. *c*. 7. & 8. *Papyr*. *Massonius*, *Duchesnius* &c. Successor ejus Dionysius fuit.

SIXTUS III. excepit Cælestinum I. A. C. 432. à Pelagianis suspectus, quasi cum illis faceret, redditus, scripsit ad Aurelium Carthaginensem, duasque epistolas accepit ab Augustino, qui de Gratia ibi accuratissimè tractavit. Nestorium reducturus ad Ecclesiam, frustra fuit: ab Anicio Basso Consule stupri accusatus, in concilio Romano à 56. Episcopis absolutus est. Obiit A.C. 440. Ædificia varia splendidè extruxit. Scripsit *epistolas tres*, & *poemata quædam*, *de peccato Originali*, *contra Pelagium*. Augustin. *ep*. 104. & 105. Cyrill. *ep*. 29. & 38. Gennad. *in Catal*. *c*. 54. *Bellarmin*. *Miræus*, *Possevinus*, &c. Eum excepit Leo M.

SIXTUS IV. prius Franciscus Roverius, Savonâ natus, successit Paulo II. A.C. 1471. postquam Franciscanorum fuisset Generalis, Ædificiis ornavit urbem, Jubilæum ad 25. annos contraxit, Bonaventuram sanctis inseruit; Prodigus potius, quàm liberalis, Tiresiæ meretrici sacculos margaritis opertos dare solitus; Lupanar scortis publicum erexit, tantô lucrô, ut census inde annui XXM. ducatorum explerent. Lætus, *in compend. Hist. Univ*. *p*. 359. In suis evehendis nimius, familiæ Mediceæ Venerisque plus æquô infestum se præbuit, unde bellum injustum, exitus infelix; mors Sixti, A C. 1484. Ante Pontificatum, dicitur scripsisse *de Sanguine Christi*: *de Futuris contingentibus*: *de Potentia Dei*: *de Conceptione B. Virginis*; item contra Carmelitam quendam Bononiensem, qui Deum, ne absolutâ quidem potentiâ damnatum liberare posse asseruit. Willot. *in Athen. Franc*. Trithem. *de Script. Eccl*. Possevin. *in appar*. *Wadingus*, *Duchesnius*, *Spondan*. &c. Successit Innocentius VIII.

SIXTUS V. obscurô natus genere, in Marchia Anconitana, hinc à Cardinalibus *Asinus Anconitanus* vulgò nominatus, Cicarella *in ejus vita*. Successit Gregorio XIII. A. C. 1585. cùm antea Franciscanorum Vicarius Generalis fuisset, coronatus Mercurii die, quô quoque natus, Episcopusque & Cardinalis creatus erat: Rigidissimum Præsulem induit, cujus exempla vide apud Thuan. *l*. 80. & 82. Condæum Principem cum Rege Navarræ excommunicavit: qui tamen, in programmate Pasquino per amicos affixo, *Dominum Sixtum falsò & malitiosè mentiri*, respondêre, vide plura ibidem: quâ voce is territus, se nihil deinceps contra eos tentaturum spopondit. Sanè de Navarro & Elizabeta Regina dicere solitus est: *Totô orbe se unum Virum & Fœminam videre dignos*, *nisi labe sectariâ infecti essent*, *qui regnarent*, *& quibus cum ipse de ingentibus rebus consilia*, *quæ animô agitaret*, *conferret*, Idem. In Henricum III. excommunicationis sicam strinxit, sicariô ejus in numerum SS. relatô. Cæterùm urbem ædificiis, aquæductibus; Obeliscis (inter quos prodigiosus ille 72. pedum, in Vaticano,) & Bibliothecis ornavit, in thesauris 7. milliones auri reliquit. Obiit A. C. 1590. ætat. 69. ab Hispanis, per Monachum Franciscanum, tenui mantili, strangulatus: sparsâ famâ, à Dæmone ipsi mortem accelaratam esse, And. Rivet. *in Jesuit. vapul*. *c*. 14. Jac. Revius, *in Sixto V*. Eum excepit Urbanus VII.

SIXTUS, scripsit seculô 2. *de Resurrectione*, *Euseb*.

SIXTUS Senensis, Dominicanus, scripsit A. C. 1566. *Bibliothecam sanctam libris* 8. in quorum quarto sua opera recenset, enumerata inde *in Elogiis* Anton. Teissier *Part*. 1. Fuit is Pio V. charissimus ob pietatem, eruditionem profundam & peritiam Linguarum Latinæ, Græcæ atque Hebraicæ. Obiit Genuæ, A. C. 1569. ætat. 49. Possevin. *Appar*. Prædicatorem eum insignem fuisse ait Hottingerus, *Bibliothecam* ejus laudat *Biblioth. quadripart*. *p*. 10.

SIXTUS Hemmingensis, Friso, scripsit eôdem tempore contra Astrologos. Valer. Andr. *Biblioth. Belg*.

SIXUS, urbs Mastieniorum. *Steph*.

SIZATA, Syriæ urbs, aliàs *Larissa* dicta. *Steph*.

SIZAU, pater Adinæ. 1. Paral. *c*. 11. *v*. 42.

SIZYGES, Serica gens. *Ptol*.

SKALA Joh. Dubravius, vide *Dubravius*.

SKEKIUS Jacobus, Schorndorffio-Wirtembergicus, Latinè, Græcè ac Hebraicè doctus, publicè docuit Tubingæ annô ætat. 20. inde ad Theologiam animum applicuit, Medicus post hæc excellens evasit, Artis hujus & Philosophiæ per annos 30. ibidem Professor. Visu inde privatus, hanc calamitatem patientissimè tulit. Obiit A. C. 1587. ætat. 76. Historicus insuper, Mathematicus ac Musicus eximius, Aristotelis interpres clarissimus. Melch. Adami *Vitâ Medic*. Opera ejus vide in *Elogiis* Teissierii *Part*. 1. adde Auctorem *Bibliogr. Cur*. Vide etiam suprà *Schegkius Jacobus*.

SKIA, Insul. Scotiæ Borealis una ex Æbudis, ab Euro in Circium extensa, per 50. mill. pass. non æquè lata. Vix 3. mill. pass. ab ora Occidentali Scotiæ. In ea sunt aliquot castra.

SLAVI, populi German. qui ab Hamburgo urbe ad Albim fluv. usque ad mare Scythicum varias regiones incoluêre, qui & *Vandali*, & *Vinuli*, & *Oboritæ* dicti sunt. Regio *Slavia*, & *Slavonia*. Vide *Sclavi*, & *Sclavonia*. Addo hîc, quòd aliter *Slavini* à 5. seculo sic dicti, qui priori ævô *Venedi* seu *Vinidi* appellati. Procopium primum eorum meminisse, *de bello Vandal*. tradit Cromerus *de orig. & rebus gestis Polon*. *l*. 1. *c*. 1. Nomini origo à *Slava*, quod *famam* seu *gloriam* genti notat, quam illa rebus magnis & præclaris contra Romanos ac finitimos quoscunque gestis sibi comparavit, Cromer. *c*. 8. Primordia in abdito, cùm, more bellicosarum gentium, diu literas contempserint: quanta verò terrarum spatia imperiô fuerint amplexi, indicio est, quòd à Tanai & Volchda, ad mare usque Adriaticum, multitudine sua omnia impleverint. *Slavoniæ* in Illyrico, Hunnis pulsis, Regnum constituerunt: alia ipsorum manus, Venedi seu Wendi speciatim ita dicti, in Regiones Vandalorum, inter Albim & Mare Balthicum, migravêre, unde ista Vandalorum & Venedorum frequens confusio, Crom. *l*. *cit*. *c*. 5. & 6. condideruntque geminam *Slaviam*, Orientalem & Occidentalem, quas observat Schurtzfleischius, in *Σχεδιασμασι* suis Wittebergensibus, *de rebus Slavicis*. Serviorum, generis ipsorum, vestigia in condita Anhaltinatus urbe videre est, quæ non minùs testantur circumjacentes vici *Roslow*, *Bramboy*, *Rietzmitz*, *Dobritz* &c. Conf. Leunclavium *Pand. Turc*. *num* 57. In Illyrico autem Ostrivojus Regnum *Slavoniæ* condidit & urbem de suo nomine, *Ostrivoy*, ad Danubium; dein aliam in Carniola Slovingradiam, Germ. *Windischen Grätz*, struxit. Ejus nepos Selimirus, expugnatâ Scodrâ, *Dalmatiæ* se Regem dixit: cujus fratres fuisse dicunt Lechum, Czechum & Russum, qui *Slavorum* colonias, circa A.C. 1050. in Bohemiam, Moraviam, Poloniam & Russiam duxerint. Vide Auctorem *Historiæ Orbis Terr. Geogr. ac Civ*. *c*. 9. *Sect*. 1. *de Incolis Orbis* §. 6. Hodie *Slavoniam* à Borea Dravum, ab Austro Savum, ab Occidente urbem Garignizam, ab Ortu Hungariæ partem habens, majori ex parte Turcis subest; reliqua ejus pars Austriæ Archiduces dominos agnoscit: qui eôdem illam, quô Dalmatiam Croatiamve, communi olim *Pannoniæ* nomine comprehensas, jure possident. Nempe Croatia ad superiorem Pannoniam; Sclavonia, cujus pars etiam Dalmatia, ad inferiorem, pertinuêre; atque ita pro accessione Regni Hungarici magis, quàm propriis Regnis, habendæ sunt. Quô autem titulô ad Serenissimam hanc Domum Hungaria pertineat, vide suô locô. Cæterùm, *Sclavorum*, qui oram maris Balthici in Prussiam usque incolebant, tanta fuit semper ferocia, ut à Fide Christiana sæpius defecerint, donec in potestatem Principum Megapolitanorum, Pomeraniæ, Brandeburgi, Lusatiæ, Misniæ, & Ordinis Teutonici per Prussiam ac Livoniam concederent. Nec gravi licèt servitute pressi, in hanc usque diem pristinos mores, & in Germanos odium internecinum, exuerunt: quin moribundis suis insusurrant, *Abi in alterum mundum & ibi Germanis dominare*, *sicut tibi dominati fuerunt in hoc mundo*. Propter gentis enim pertinaciam, cùm servitus per universam Germaniam publicô decretô abolita fuisset, soli *Sclavi* hodieque gravi servitutis jugô premuntur, unde & *Sclaves* Germani mancipia appellant, Georg. Hornius *Orb. Politic*. Uti verò morum, sic & linguæ iidem tenaces: Hinc enim lingua *Sclavonica*, quam inter 4. Linguarum Europæarum matrices, Scaliger *Ep. de Linguis Europ*. meritò collocat: è quibus Latina Europæ partes Occidentales Teutonica Boreales, Græca Australes sesbipsa, i. e. *Slavonica*, Orientales, nacta est. Eam enim Europa tertiâ ferè sui parte, & inprimis totô Orientali tractu suô, præter Hungariam & Walachiam, loquitur: utpote receptam à Dalmatis, Liburnis, Macedonibus, Epirotis, Bosnatibus, Serviis, Rasciis; Bulgaris, Moldavis, Russis, Polonis, Bohemis &c. In Asia, Circassiis, Mengrelis & Gazaritis, familiaris est. Gesnerus & Rocha totas 60. nationes, quæ linguâ hâc utantur, enumerant. In ipso Turcico Imperio plurimi Janizerorum eam adhibent, nec abhorret Aula, à lingua tot finitimis Regionibus adeò usitatâ. Vide iterum Auctorem *Histor. Orbis Terr*. *c*. 9. *Sect*. 3. *de Lingg*. §. 5.

SLAUKONIA, German. *Austerlitz*, urbec. Moraviæ, 2. milliar. German. à Brunna in Ortum, 5. ab Olomutio in Meridiem.

SLAVONIA, provincia Prussiæ Ducalis ad utramque Croni in Lithuania ripam, Tilsâ oppidô ad Ortum æstivum extremô insignis, *Metel*.

SLEGUM, oppid. Hiberniæ, in Connacia, cum portu & amne cognomine in ora Occidentali Hiberniæ 30. mill. pass. à Dungalia, in Merid. *Slego Bille*. Caput Comitatus *Slegensis*, qui versus oram littoralem inter Ultoniam ad Boream ac Comitatum Mayensem [illegible] Meridiem situs est.

SLEIDA, German. *Sleiden*, nomen Dominii, in Germania, olim sub proprio Comite ex familia Manderscheidia. In hac enim Theodoricus, primus Comes Manderscheidius, Elisabetham duxit, hæredem Joannis Dn. *de Sleide & Blanckenheim*, pater ex ea Cunonis primogeniti, qui ad posteros dominium illud transmisit, quorum ultimus masculus fuit Joachimus, pater 8. filiarum, quæ hôc seculô sunt defunctæ. Quô pactô, ductâ Joachimi sorore Catharinâ, Philippus Comes Marcanus in suam familiam illud transtulit, defunctus A.C. 1613. Quibus parentibus genitus Ernestus, Comes *de Marca & Sleiden*, obiit A. C. 1653. pater ex Sibylla Zollerana Francisci &c. Phil Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europææ Part*. 2. *p*. 61. & 97.

SLEIDANUS, Sleidâ, in agro Coloniensi oriundus, à Reip. Argentinensi maximis negotiis adhibitus, interfuit Concilio Tridentino, & variis Legationibus cum gloria defunctus est. Scripsit *Historiam* tanti ab omnibus æstimatam, ut Germanicè, Gallicè, Italicè, Hispanicè versa, variis in locis publicè prælegatur; ac Auctor non à Bodino solùm *Meth*. *c*. 4. Thucydidi Xenophonti, Sallustio, Cæsarique æquiparetur, sed etiam à Carolo V. *Historici fidelis & exacti* elogium tulerit. Obiit A. C. 1556. Opera ejus enarrat *in Elogiis* Anton. Teissier *Part*. 1. Vide quoque *Effigies* Verheiden. Naudæum *Biblioth. Polit*. Colomesium *Melanges Historiq*. & suprà *Johannes Sleidanus*.

SLESIA, regio German. (à *Slesio* fluv. qui in Oderam excipitur) ampla in qua ducatus 12. cujus caput est *Vratislavia*. Vide B. Rhenanum cum *Notis* Ottonis JC. p. 182. Item *Silesia*.

SLESVICUM, olim *Ædeba*, hodie *Slesvvick*, à situ, quem ad Sliam, in maris Baltici sinu obtinet, urbs Cimbricæ Chersonesi Episcopalis sub Archiepiscopo Lundensi: ab Hamburgo & Lubico 16. leuc. distans in Boream; Caput Ducatus cognominis, qui alter *Jutia meridionalis*, pars Daniæ, in Cimbrica Chersoneso. Terminatur à Septentrione Jutiâ Septentrionali, ab Ortu mari Balticô, ab Occasu Oceanô Germanicô, à Meridie Holsatiæ Ducatu, estque partim sub Danis, partim sub Duce proprio. Reliquæ Urbes sunt Ripa, Haderslebia, Flensburgum, &c. Canutum, ducem Slesvicensem, Regem Vandalorum creavit Lotharius Saxo Imperator A. C. 1130. quô cæsô à Magno filio Nicolai Danorum Regis, hic ab Erico occisi fratre, cui Imperator se junxit, aliquandiu oppugnatus, dum Slesvicenses sibi reconciliare studet, in regia cum Prætorianis occisus est, A. C. 1136. Posteà Christophorus II. Daniæ Rex, ob crudelitatem pulsus, Voldemarum Slesvicens. Ducem successorem & hostem accepit, A. C. 1326. sed restituti fil. Voldemarus IV. successor, Slesvicensem sibi subjecit, A. C. 1333. Ericus post hæc VIII. diuturnis ac difficilibus bellis cum Ducibus implicitus fuit, A. C. 1411. Ducatum posteà mortuô Adolphô, cujus commendatione ad regnum vocatus fuerat Theodorici Oldemburgensis fil. Christianus, hic eum cum Holsatiæ Comitatu Daniæ adjecit, A. C. 1481. Cum Ducibus Holsatiæ de Ducatus Slesvicensis feudo transegit Fridericus II. Daniæ Rex A. C. 1566. Christianus tandem IV. Ducatum hunc cum Cimbria, beneficii titulô, Holsatiæ Ducibus concessit circa A. C. 1589. Genealogiam Ducum vide apud Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in famil. Oldenburgo Danica, in qua Reges Daniæ & Norvegiæ, Duces Slesvici & Holsatiæ, Comites Oldenburgi & Delmenhorstani*. Addo saltem, quod primò Marchionatus fuit, ab Henrico Aucupe, post victum Gormonem Danorum Regem institutus; ab Ottone postmodum, occisò à Danis Marchione, restitutus. Conradus II. dehinc Canuto Dano cum *Ducatus* titulô cessit, A. C. 1118. cujus posteri illum tenuêre usque ad Waldemarum Erici filium, à quo ad Gerhardum avunculum transiit. Reliqua vide suprà in voce *Schlesvvicum*.

SLEZANIÆ, oppid. Moraviæ, ubi celeberrima à Fratribus Synodus Magnatibus quoque variis è Polonia præsentibus, habita est, A. C. 1557. Joh. Lasicius *de gestis Fratr.* apud Lær. *Comp. Hist. Univ.*

SLINGÆ, Frisiæ loci meminit vetus lapis Romæ sub Carolo M. sculptus.

SLONIMA, urbs Lithuaniæ, in Palatinatu Novogrodensi, ad amnem Sczaram, 8. leucis à Novogroda in Meridiem, Polesiam versus totidem.

SLOTNA, locus Daciæ in ingressu Transylvaniæ ad Austrum, ubi aurifodinæ apud Tunstenium oppid. *Saladna Sambuco*.

SLUCUM, urbs Palatinatus Novogrodensis ad Slucam amnem, cum titulo Ducatus 5. leuc. à confinio Polesiæ in Boream ampla, sed tota ferè lignea. Sub Sigismondo I. Poloniæ Rege in vicinia Constantinus Ostrogii Dux tres Tartarorum exercitus tribus præliis maximâ clade affecit, circa A. C. 1506. Salom. Neugeb. *Hist. Pol. l.* 7.

SLUSA, seu CLUSA, urbs & portus Flandriæ, sub Batavis. Fuit olim appennagium Comitum Nemorosiorum, quibus è Guidone Flandriæ Comite origo: dein in jus Galliæ Regum transiit. E quibus Philippus Audax præsidium hic validum tenuit, ut Brugenses coërceret, & Carolus VI. classem ibidem fabricavit, inde Angliam petiturus. Capta est à Maximiliano I. Imperatore mansitque in ejus familia. Turbis dein Belgicis obortis, Parmæ Dux illam, post diuturnum obsidium, in potestatem Hispanorum redegit, quibus illam Hollandi, duce Mauritiô, durante obsidione Ostendanâ eripuerunt, A. C. 1604. jacturam Ostendæ satis sic compensatam nummô cum inscr. *Jehova plus dederat, quàm amisimus*, testati. Memorabilis tum obsessorum constantia fuit, qui, postquam auxiliorum spes nulla, nec fœda tantùm animalia, sed si quid usquam corii levique fames absumpserat, tertii demum mensis exitu tradiderunt oppidum: quod cum portu operibus victor munit civiumque Ostendanorum, qui urbe deditâ huc transierunt, numerô auxit. Sed inter pacis postmodum initæ conditiones & hæc fuit, ut munitiones disjicerentur. Dicitur portus 500. navium capax, cui è regione exigua insula Cassantia, Georgii Cassandri patria. Vide Guicciard. *descr. Belgii*, Stradam, Grotium, Bentivolum *hist. belli Belg.* &c. Gallicè *Ecluse*, Belgicè *Schluys*.

SMA in nummis Juliani, *signata moneta Antiochiæ*: uti SMAB, in Constantini M. idem notat. B. tamen Monetarii index est. Car. du Fresne *Dissertatione de infer. ævi Numismatibus*.

SMALANDIA, provinc. Ostrogothiæ, in Suecia, inter Ostrogothiam propriam ad Boream, Westrogothiam ad Occasum, Blekingiam ad Meridiem, & mare Balticum ad Ortum. Urbes ejus Calmaria, Jonekopinga, & Wexsia.

SMALCALDA, urbs Franconiæ, in Principatu Hennebergensi, sub Landgravio Hasso-Cassellano, fœdere Protestantium Principum seculô præteritô & bellô mox insecutô, quod hinc *Smalcaldicum* dictum, famosum. Cùm enim Protestantium ad Carolum V. Legati, ab illo detinerentur, nec nisi durum daretur responsum, conventus Protestantium *Smalcaldiæ* indictus est, ubi Saxoniæ Elector, cum filio Joh. Friderico, Ernestus & Franciscus Luneburgici fratres, Landgravius Hassiæ Guilielmus, Georgii Brandeburgici Consiliarii, civitates etiam Argentoratum, Ulma, Noriberga, Heilbrunna, Constantia, Reutlinga, Memminga, Campodunum & Lindavia, primùm proposuerunt & agitaverunt quæstionem, de fœdere Principum Evangelicorum, & defensione mutua adversus Religionis hostes, A. C. 1529. Sequente dein A. C. 1530. mense Decembr. 1535. renovatum in annos decem, in quod tum plures alii recepti sunt, Pomeraniæ Principes, Ulricus Wittembergicus, Robertus Bavarus, Bipontinus, Augusta, Francofurtum, Hannovera, Hamburgum. Cùm dein A. C. 1546. fama de Cæsaris armis percrebuisset, Guilielmus Hassus & Saxo ab illo proscripti, copiis coactis fœderatos hortati sunt, & publicô scriptô justitiâ causæ demonstratâ, arma sumpserunt; Pugnatum fuit acriter sæpius, donec ad Mulbergam commissô præliô Johan. Fridericus Saxo A. C. 1547. & paulo post Guil. Hassus fraude capti in potestatem Cæsaris venerunt. Actum tum de Protestantibus videbatur, sed à Confœderatis Principibus, duce Mauritiô Saxone, Hassi generô, Cæsar in fugam versus, Concilium Tridentinum dissipatum, & captivi Principes liberati sunt, A. C. 1553. secuta A. C. 1554. Passaviensis pacificatio Religioni quietem peperit. Vide Sleidan. *Comment. l.* 13. Thuan. *Hist.* &c. Distat vix 1. milliar. German. à Werra fluv. in limite Thuringiæ 4. milliar. ab Isenaco in Meridiem 6. ab Erfordia in Africum ad radices montium.

SMALCIUS Valentinus, vide *Valentinus Smalcius*.

SMALTUM, apud Anastasium *in Leone IV. Fecit denique tabulam de smalto*; Leonem Ostiensem *l.* 1. *c.* 20. *Super altare autem S. Benedicti argenteum ciborium statuit, illudque aurô simul & smaltis exornans* &c. Italis *Smalto*, Gallis *Esmail*; vox est recentioris ævi, encaustum, seu liquati coloratique metalli pigmentum, notans, de qua vide Car. du Fresne *Glossar.* & Dominic. Macrum *Hierolex.* inprimis verò Andr. Agathopæum, seu Felibienum *Tract. de Pictura & Architectura c.* 10. & suprà aliquid voce *Encaustum*. Origo voci ex Latino *Maltha*.

SMAN. in nummis Constantini M. & Constantii, *signata moneta Antiochiæ*: SMANΓ. in nummis Theodosii; SMANR. in nummis iterum Constantini M. SMANT. in Constantii: SMANTE. in ejusd. SMANTS. in nummis Constantini M. iterum, idem designant; nisi quòd Γ. R. E. Monetarum fortè indicant, aut Γ. & E. tertium & quintum annum Imperii. Ultima quoque nota, *Sacra moneta Antiochiæ signata*, plenidicat. Car. du Fresne *Dissertatione de infer. ævi Numismatibus*.

SMAQ. in nummis Constantii Gratiani & Arcadii, *signata moneta Aquilejæ*, indicat. Idem *ibid.*

SMARAGDITES, mons juxta Carchedonem, ubi *Smaragdus* gemma legitur, Plin. *l.* 37. *c.* 5.

SMARAGDUS, Abbas monasterii S. Michaëlis, in Diœcesi Verdunensi, floruit sub Ludovico Pio. Scripsit *Commentar. in reg. Benedicti, de virtutibus & vitiis tractatum*, aliaque in S. Scripturam. Item, monachus Abbatiæ S. Salvatoris, in diœcesi Monspeliensi, auctor *vitæ S. Benedicti*; Obiit A. C. 843. Sigebert. *de Vir. Illustr. c.* 118. Morerius *in Diction. Histor.*

SMARAGDUS, mons in Ægypto ad sinum Arabicum. *Steph.*

SMARAGDUS, tertiô inter gemmas locô, solus inter hasce contuitu oculos implet, nec satiat; quin & ab intentione alia obscuratam recreat aciem, nec alia scalpentibus gemmas gratior oculorum refectio est. Unde & *decreto hominum iis parcitur scalpi vetitis*, Plin. In Cypro Insul. tumulo Reguli Hermiæ, juxta Cetarias, marmoreo Leoni inditi oculi leguntur ex *Smaragdis*; ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi instrumenta refugerent thynni, diu mirantibus novitatem Piscatoribus, donec mutavêre oculis gemmas. In Arabia, ædificiorum ornamentis includi *Smaragdum*, quem *chloron*, vel *chlotron*, vocant, i. e. pallido virescentem, Juba auctor est. Regi Ægyptiorum, à Babyloniorum Rege missum esse *Smaragdum* muneri 4. cubit. longitud. & 3. latitudine: fuisseque apud eos in Jovis delubro obeliscum, è quatuor *Smaragdis*, 40. cubitorum longitudine, latitud. verò in una parte 4. in altera 2. se autem scribente, fuisse in Tyro Herculis Templo pilam ex hac gemma stantem, memoriæ prodidit Theophrastus *l. περὶ λίθων*, unde Plinius plurima mutuatus est. Apion quoque, cognom. *Plistonices*, in Labyrintho Ægypti colosseum Serapin è *Smaragdo* novem cubitorum memorat: unde nil mirum, quod de Nerone legitur, *Gladiatorum pugnas Smaragdô spectasse*. Vide Plin. *Nat. Histor. l.* 37. *c.* 5. Viriolas ex *Smaragdis*, in *l. Medico* 8. *ff. de auro & arg. leg.* habemus, ut & apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis, ubi illiusmodi armillæ è minutis smaragdis iconem exhibet*. Fuit & inter XII. gemmas Summi Sacerdotis in V. T. Pectorali insertas *Smaragdus*, Judæ tribui respondens, ut quidam volunt, Exod. *c.* 28. *v.* 18. Etiam Iris illa circa thronum Dei, de qua Apocalyps. *c.* 4. *v.* 3. virore *Smaragdinô* nituit, qua de re vide Commentatores. Cœterùm castitatis hieroglyphicum gemma est, testante Alberto M. *de Mineral. l.* 2. Unde Reginæ cujusdam Hungariæ, nuptiali nocte, *Smaragdum annularem* dissiliisse in frusta, tradit *in suis Symbolis Heroicis* Sylv. Petrasanta *l.* 2. *de Gemmis*. Vide Fortunium Licetum *de Gemmis Annular. Schem.* 60. *c.* 185. Ruæum *de Gemmis l.* 2. *c.* 4. Baccium *c.* 5. & *ibid.* Gobelchoverum, inprimis verò Salmas. *ad Solin.* qui de omnibus *Smaragdi* generibus (quorum XII. facit Plinius) eruditè disserens, Scythicis principatum tribuit, & de natura, vitiis ac usu eorum ad pocula insignienda olim plurimo, multis verba facit, *p.* 182. 183. & *seqq.* nec non suprà, lemmate *Pocula Gemmata*, ubi in poculis hujusmodi igniculandis præcipuum olim gemmæ hujus usum fuisse, similiter vidimus; ut & aliquid voce *Prasinæ*. Quod autem de *Smaragdo*, in Pectorali Summi Sacerdotis, suprà dictum, in Hebræo est ברקת *barekth*, quam vocem cùm LXX. *σμάραγδον* reddant, suffragante Interpretum consensu, Ebræi tamen *topazium* exponunt. Neque *Juda*, sed *Levi* nomen, cum tribus reliquis literis nominis *Abraham*, insculptum habuisse, Magistri tradunt. Quemadmodum & Epiphanius, unicuique ex filiis Israël suum lapidem assignans, Levi *smaragdum* tribuit. Vide Rivetum *ad Exod. c.* 28. *v.* 17. uti de nobili Polycratis *smaragdo* suprà voce *Polycrates*: Romæ annô decimô Pauli III. inventa est *Smaragdus* in sepulchro Mariæ Honorii Imperatoris filiæ, aurô inclusa, in qua ipsius Honorii caput insculptum, teste Georg. Fabricio *Comment. in Poëtas Christian.* De *Smaragdoprasio* verò, jaspidis genere, vide *Rerum Indicar.* Scriptores: uti *de Smaragdinis circa Portovejo fodinis*, in Peruvia, suprà aliquid voce *Fodina*.

SMAT. in Constantini M. nummis, *signata moneta Antiochiæ*, est verò T. nota Monetarii. Vide *suprà*.

SMEDES, Rex Pastorum in Ægypto VII. successit Assidi, eô tempore quô Cusan Mesopotamiæ Rex Israelitas affixit, Othoniele I. Judice liberatos, & in Thebaide Siphoas præfuit. Regnavit ann. 26. obiitque successore Psusene. Joh. Marshamus Canone Chron.

SMEGMA, apud Plinium *l.* 22. *c.* 25. ubi de lupinis, *Si verò cœlesti aquâ discoquantur, succus ille* smegma *fit.* Et *l.* 27. *c.* 12. *Osyris ramulos fert nigros, tenues, lentos, & in iis folia nigri, seu lini, semenque in ramulis nigrum initio, dein colore mutatô rubescens*, smegmata *mulieribus faciunt ex his*: ex Græco σμῆγμα est. Cujusmodi *smegmata*, ad cutem poliendam, adhibebant olim mulieres: & pane madidô quidem primùm faciem linebant, ac veluti tectoriô quôdam obducebant, postmodò καλλώπισμα hoc seu ἐπιχρίστῳ *smegmate* ex lacte asinino inprimis, cum ad mœchos irent, abstergebant. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 464.

Ad mœchum lotâ veniunt cute ——

Et, *v.* 468.

Incipit agnosci, atque illô lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas.

Quam in rem vide Salmas. *ad Spartian. in Adriano*, c. 4. & suprà, ubi de *Os oblinendi* more. Verbum σμήχω est, *polio, attero*, quod ad gemmas quoque translatum & marmora, quorum hæc arenâ è poro lapide, illæ Cypriis & Armeniis cotibus, poliri consuevêre. Unde σμηκτῆρ λίθων, οἱ σμηκταί, *tritores lapidum*, qui attritu limæ, vel arenæ, vel rotæ vel alterius gemmæ scobe, gemmas poliunt & in nitorem dant. Epiphanius καθαροποιοὺς vocat, i. e. *limpidatores*, quòd nitentes atque ἐκλαμπεῖς lapides faciant. Indidem *smectis*, vel *smectris*, Græcè σμηκτὶς vel σμηκτρίς, dicta est galaxia, seu morochthus, quòd eâ uterentur ad dealbanda ac pumicanda vestimenta, apud *Plinium*; item Cimolia terra, ob similem causam, apud *Nicocharem Comicum* &c. Vide Salmas. *ad Solin. passim.*

SMENDIS, Ægyptiorum Rex, regnavit Ann. 26. A. M. 1960. Vide *Smedes*.

SMENEON, locus in Sicilia, juxta Morgantinon, ubi tamen *Steph.* aliis in codicibus legi adnotat Σμάρτιον ἢ Μοργάντιον. Diodor. Sic *l.* 14.

SMENUS, Laconiæ fluv. in Taygeto monte oriens. Pausan. *l.* 3.

SMERDIS, seu Tanioxarces, Cambysæ Persarum Regis frater, quem cum Cambyses per somnum vidisset regio throno insidentem, metuens ne regnum occuparet, occidi jussit: ipse paulo post mortuus, Ann. 232. Urb. Cond. Fuit alter *Smerdis*, Magus, post Cambysen, thronô per fraudem 7. mens. potitus, de quo vide in *Patizites*, & Herodot. *l.* 2. Euseb. *Chron.* Justin. *l.* 1. *c.* 9. &c.

SMERDIS, qui Penthilum sustulit, quòd ab eo percussus, ejusque uxore pedibus tractus esset. Aristot. *l.* 5. *Pol. c.* 10.

SMETIUS, Henricus, vide *Henricus*: & plura de illo apud Paul. Freherum *Theatro Viror. erudit. clarorum.*

SMETIUS Martinus, vide *Martinus*.

SMETRIS Terra, vide *Cimolus*.

SMICRINAS Tarentinus, stadii victor, Olympiad. 107.

SMICYTHES, nomen hominis Comici, apud Aristophan. *Equitib. Actu* 2. *sc.* 4. ubi Scholia modò Regem Thraciæ sic nominatum asseverant, modò vocabulum esse hominis mollis ac cinædi dicunt *p.* 346. *A.* Forsan is ipse est, quem *Vesp. p.* 457. vocat Σμικυθίωνα.

SMICYTHUS, aliàs *Micalus*, servus Anaxilæ Rheginorum tyranni, fide in horum inclytus. Tutor enim filiorum ab illo constitutus, tutelam tam sanctè gessit, ut perductis in ætatem pueris, & bona & imperium inviolatum tradiderit. Parvô dein viaticô contentus, Olympiam discessit ibique summâ animi tranquillitate consenuit. Vide Anaxilas.

SMILA, urbs Thraciæ, *Steph.*

SMILAX, puella formosissima, quæ Croci pueri amore capta, cum ab eo sperneretur, mutata est in fruticem sui nominis, hederæ non dissimilem, aut certe in ejus flores, candore, odoreque lilium referentes. Ovidius *Metam. l.* 4. *v.* 283.

Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores.

SMILAX, arbor & frutex. Pausan. enim, ubi in *Arcadicis* materias enumerat, è quibus fieri vulgò solerent Deorum simulachra, post ebenum, cupressum, cedrum, quercum, σμίλακα quoque nominat, quam taxum esse, docet Salmas. cujus materies durissima, in Arcadia nigra & punicea; in Ida monte flava & similis ibi ebeninæ hîc cedrinæ reperitur. Sed & σμῖλαξ ilicis genus est, in Arcadia, *Theophrasto*. At *Smilax*, frutex vernus foliô hederaceô, caulibus spinosis, flore candidô & olente lilium, coronamentis adhibitus. Quamvis enim de illa sic Plin. *l.* 16. *c.* 35. *Infausta omnibus sacris & coronis, quoniam sit lugubris; virgine ejus nominis propter amorem juvenis Croci mutatâ in hunc fruticem. Id vulgus ignorans plerumque festa sua polluit, hederam existimando. Sicut in Poëtis, aut Libero patre, quis omnino nescit, quibus coronentur.* Coronamentum tamen è *smilace* passim Veteribus frequentatum, etiam in sacris & orgiis Bacchi, deprehendimus, vide Athenæum *l.* 5. ubi smilacis coronam; non minùs ac hederæ & vitis, usitatam fuisse in iis docet. Quin imò ipse Plin. quasi sui oblitus, principatum in coronamentis folio smilacis & hederæ asserit, *l.* 21. *c.* 9. Quam in rem vide plura apud Car. Paschalium *Coronarum l.* 1. *c.* 15. *l. eod. c.* 17. ubi multa de *smilacis* & *hederæ* in coronis consortio. & Salmas. *ad Solin. p.* 1041. & *seqq.* Certè Euripides hederâ & smilace Thebanos coronari vult *Bacch. Actu.* 1.

Ὦ Σεμέλας τροφοὶ Θῆβαι,
Στεφανοῦσθε κισσῷ,
Βρύετε βρύετε χλοηρᾷ
Σμίλακι καλλικάρπῳ.

SMINDYRIDES, Sybarita luxu perditus, apud Ælian. *Histor. Var. l.* 9. *c.* 24. & *l.* 12. *c.* 24. Unde *Smindyridis* calcei, molles ac delicatuli, quòd is eos primus invenisset, dicti sunt. Vide Pollucem *Onomastic. l.* 7. *c.* 22. & Bened. Balduinum, *de Calceo antiquo*, *c.* 20.

SMINTHE, urbs Trojæ, *Stephan.*

SMINTHEUS, Apollinis epitheton, cujus duplicem originem refert Homeri interpres: Primam hanc, fuisse in Chryse oppidô Mysiæ Crinem sacerdotem Apollinis, cui Deus iratus immisit in agros illius mures, qui fructus illius vastabant. A quo exoratus Deus cùm rursus placatus pestem hanc tollere vellet, ad Ordem illius pastorem venit, à quo hospitiô acceptus, pollicitusque mali remedium, mures sagittis omnes interfecit: eôque factô jussit pastorem Crinidi indicare, ipsum Apollinem humanâ specie apud se divertisse & ab eo mures occisos: quod audiens Crinis, templum Deo construxit vocavitque Apollinis Sminthei, quòd ejus linguæ dialectô mures σμίνθοι vocantur. Altera talis est: Quum Cretenses aliquando coloniam deducturi essent, ab Apolline responsum acceperunt, ut ibi urbem conderent, ubi eis terrâ geniti obstitissent. Venientibus igitur ad Hellespontum, noctu mures clypeorum lora arroserunt; itaque manè cùm id factum viderent; memores oraculi urbem posuerunt, quam *Sminthiam* appellaverunt. Clemens *in Protreptico*: Πολέμων τοὺς ἀμφὶ τὴν Τρῳάδα κατοικήσαντας ἱστορεῖ, τοὺς ἐπιχωρίους μῦς, οὓς σμίνθους καλοῦσι, σέβειν, ὅτι τὰς νευρὰς τῶν πολεμίων διέτραγον τῶν τόξων. καὶ Σμινθέα Ἀπόλλωνα ἀπὸ τῶν μυῶν ἐκείνων ἐπεφήμισαν. *Nic. Lloydius.*

SMIRIS, Græcè σμύρις, Hebr. שמיר, *samir*, quæ vox occurrit Ezech. *c.* 3. *v.* 9. item Jerem. *c.* 17. *v.* 1. & Sachariæ *c.* 7. *v.* 12. lapis tam durus est, ut eô gemmarii ad gemmas poliendas utantur. In quem usum etiam Veteribus adhibitum esse, contra quam sensit Cardanus, docet Dioscorides l. 5. Σμύρις λίθος ἐστίν, ᾗ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι. Et *Hesychius*, Σμύρις ἄμμος ἐστὶν εἶδος, ᾗ σμήχονται οἱ σκληροὶ τῶν λίθων. Ubi ἄμμον, i. e. arenam vocat, quia in tenuissimum pulverem contusus, ad opus adhibetur. Eodem refer, quæ in voce Ἀρμενία Stephanus habet, ubi, inter alia de iis ait, Armenios præbere λίθον τὴν γλύφουσαν καὶ τρυπῶσαν τὰς σφραγῖδας, *lapidem, quô sigilla sculpantur & terebrentur.* Et Herodotus *l.* 7. ubi Æthiopes; qui in exercitu Cyri erant, habuisse dicit prælongas ex arundine sagittas, pro ferro præfixas eô lapide, quô sigilla sculpuntur: quod de iisdem Agatharchides quoque tradit *l.* 1. Sed lapidem illum neque Herodotus, neque Agatharchides nominant: quia illos adhuc latebat, quomodo vocaretur. Duritiem ejus summam id porrò arguit, quòd *similem τοῦ samir, firmiorem rupe constitui* frontem *tuam*, dicit Dominus Prophetæ, circa quam vocem quantoperè delirârint Judæi, vide apud Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 6. *c.* 11. ut & supra in voce *Samir*, it. *Sarmia*. Alius à *smiri* fuit porus lapis cujus arenâ in poliendis gemmis itidem Veteres usi sunt, uti ostendit Salmas. *ad Solin. p.* 1101. Vide quoque suprà voce *Gemma*.

SMITHUS Thomas, Anglus, unà cum Cæcilio, Secretariatus Status munere functus, sub Eduardo VI. postmodum ad majora erectus est: sub Maria dignitatibus suis privatus, apud Elizabetham Regin. refloruit, eique in variis Legationibus fideliter inservïit. Mæcenas literatorum & literatus ipse, edidit Opus *de Rep. Anglica*, sed imperfectum, it. *Commentarium de Re Monetar. De recta Linguæ Anglicæ Scriptione, Dialogum. De recta Linguæ Græcæ pronuntiatione librum.* Ant. Teissier *Elog. Part.* 3. Obiit A. C. 1577.

SMK. in nummis Licinii Junioris & Helenæ, *signata moneta Karthagine*: sicut SMKA. in nummis ejusdem Licinii: & SMKE. in nummis Constantini Junior. Licinii & Arcadii, nisi quòd E. nota Monetarii videatur, Car. du Fresne ubi *suprà*.

SMN. in nummis Licinii & Constantii, *sacra moneta nova*: SMNA. in Martiniani & Theodosii, signata moneta nova Antiochiæ: SMNC. in Constantini M. *signata moneta nova Constantinopoli*: SMNΓ. *sacra moneta nova*, ubi Γ. Monetarium fortè designat, in nummis Licinii. Junior SMNKAB. in nummis Theodosii, *signata moneta Karthagine anno sec.* SMNM. in Crispi, *sacra*, vel *signata moneta nova*, ubi *M.* index fortè Monetarii: SMNS. in Constantii, *sacra moneta nova signata*, denotat eidem Car. du Fresne *d. l.*

SMOLENSCENSIS Ducatus seu Palatinatus, *Duché de Smolensko*, pars est ampla Lithuaniæ. Complectitur Ducatum Severiensem; Terram Czernichoviensem, arces septuaginta continentes, & districtum Orsanensem: quibus adjecit Sigismundus III. districtus Rumnensem & Sierpicioviensem. Sed pro majori parte subest nunc dominio Moschorum, ab A. C. nempe 1645. quô ejus primaria urbs Smolenscium expugnata fuit à Moschis.

SMOLENSCIUM, vulgò SMOLENSKO, urbs est Lithuaniæ, ad fluvium Borysthenem, prope fines Moscoviæ. Est valde ampla & permunita, in editiore loco posita. Cingitur murô sex cubitorum latitudinem habente & 52. turribus firmô, cum arce valida in monte posita, in medio urbis, 8000. ædes continet, cùm aliàs multò amplior fuerit; Episcopum in ea urbe constitui curavit à Summo Pontifice Rex Vladislaus IV. unà cum collegio Canonicorum ex destinatione patris sui Sigismundi III. Olim hæc civitas cum tota regione propriis paruit Ducibus Russicis; sed A. C. 1403. Vitondus magnus Dux Lithuaniæ hanc urbem occupavit; & cæteris oppidis ac arcibus in potestatem suam redactis, totum hunc Ducatum Smolenscensem in Lithuanicam provinciam mutavit, ejectô inde Gregoriô Duce.

æ. Deinde capta fuit à Casimiro II. Rege Poloniæ A. C. 1452. posteaque à Moschis A.C. 1514. quos paulò pòst pugnâ Orsensi Sigismundus I. Rex 40000. cæsis superavit, & a loco pugnæ ad 120. milliaria repulit, Ductoribus exercitus, cum omni genus Senatu captis, Cromerus *in Orat. fun. Sigismundi.* Hinc pluries a Polonis tentata, tandem vi capta iterum fuit à Sigismundo III. Poloniæ Rege A. C. 1611. post duorum ferè annorum obsidionem, quâ periisse 200. Moscorum millia traduntur, quorum ibidem 7000 denuo trucidata A.C. 1613. A.C. 1616. obsessa fuit irritò conatu, uti etiam A.C. 1633. à Moschis, qui ibi maximâ clade affecti fuêre ab Vladislao IV. Rege, mense Martiô, post obsidionem unius anni; sicque Polonici juris mansit Smolenscium usque ad annum 1654. quo expugnatum fuit die 13. Octobris ab Alexio Michaëlovitio magno Duce Moscoviæ in occasum, & 20. à Vitebscia in Eurum.

SMRB. in nummis Gratiani, *signata moneta Romæ*; ubi B. Monetarii fortè index: SMRP. in nummis Valentis, *sacra moneta Romæ percussa*: SMRQ. ubi R. pro A. in Constantii & Valentiniani, *signata moneta Aquilejæ*: SMSISC. in Valentis, *signata monetâ Sisciæ*: SMTES. in Valentiniani, *signata moneta Thessalonicæ*: SMTR. in Maximi, *signata moneta Treviris*: SMTRS. in Constantii, *sacra moneta Treveris signata*, vel *signata moneta Treveris*: SMTS. in Constantini M. & Valentiniani, id. SMTSE. in Delmatii, *sacra moneta Treveris signata*, vel *signata moneta Thessalonicæ*, notat, interprete Car. du Fresne ubi *suprà*.

SMYRNA, vel SAMORNA, Amazon, Ephesum condidit, unde & ipsa Ephesus aliquando *Smyrna* dicta est. *Stephanus*, ἐκαλεῖτο δὲ Σμύρνα, ἀπὸ Σμύρνης Ἀμαζόνος. Mela *l.* 1. *c.* 17. non urbem ipsam, sed Templum tantùm Dianæ ab Amazonibus conditum, significat. Sed Plin. *l.* 5. *c.* 29. Stephano suffragatur, Epheson *Amazonum* opus vocans. Et Callinus Σμυρναίους vocavit Ἐφεσίους, teste *Strabone*, qui & locum quendam Ephesi, *Smyrnam* Hipponacti vocatum, notat, versus hos afferens.

Ὤικει δ' ὄπισθεν τῆς πόληος ἐν Σμύρνῃ:
Μεταξὺ τρηχέης τε καὶ λεπρῆς Ἀκτῆς.

Sicut Σαμόρνα vel Σαμόρνος, portum Ephesi propriè dictum esse, observat. Salmas. *ad Solin. p.* 808. & *seqq.* Sed & *Smyrna* Amazon fuit, à qua urbi alteri Ioniæ, quæ hodieque *Smyrna* appellatur, nomen, cujus rei fidem facit tum bustum ejus ex marmore, cujus hodieque reliquiæ visuntur, in arcis ingressu, cum bipenni & pelta. Cujusmodi nummum fœderis inter Smyrnæos & Thyatirenses initi memoriam servantem, in cujus una parte figura modò descripta, in altera, caput turritum, utriusque urbis symbolum, exhibet Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Part.* 3. *p.* 171. Sic Sueciæ Regina, inter sua cimelia, Romæ servat nummum, fœderis inter Smyrnæos, Pergamenos & Ephesios indicem; in cujus antica parte imago Antonini Pii Imper. in postica. Diana expressa, inter Æsculapium & *Smyrnam* Amazonem media, cum verbis, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΕΡΓ. ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. Cujusmodi *Inscr.* in priori quoque numismate est, additô nomine Præfecti tum Urbis, ΕΠΙ ΑΠΟΛΙΝΑΡΙΟΥ, qui principatu Caracalli vixit. Extat quoque nummus Tranquillinæ, cum *Inscr.* ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΡΟΥΦΙΝΟΥ ΣΟΦΙ. & imagine iterum præfatæ Amazonis, quæ, capite turrigerô insignis, dextrâ manu ædiculam sacram, lævâ bipennem cum pelta, tenet, apud eund. *p.* 184. &c.

SMYRNA, urbs Ioniæ, Milete amne irrigata, una ex 7. Asiæ Ecclesiis, de quibus B. Joannes in Apocalypsi *c.* 2. *v.* 8. Polycarpô Episcopô nobilis, Homeri, ut plurimi credunt, patria, qui inde *Smyrnæus* à Poëtis vocatur. Lucanus *l.* 9. *v.* 984.

Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
Venturi te, meque legent, ----- -----

Silius *l.* 8. *v.* 594.

Mæonii Musarum domus, atque ad sidera cantu
Evecta Andino & Smyrnæis æmula plectris.

Statius:

Nectat honoratas & Smyrna & Mantua lauros.

Cùm Sardiani Smyrnæos obsiderent non discessuri, nisi Smyrnæi uxores suas stuprandas emitterent, illi ancillas vestibus uxorum indutas emiserunt, sicque hostes coitu ancillarum defatigatos interfecerunt, *Plutarch.* Hi quanquam deliciis & luxui operam darent, se tamen fortiter, ubi casus accidisset, gerebant, teste *Aristide*: unde proverb. *Mores Smyrnæi*, de iis qui ita deliciis se dedunt, ut quæ viros fortes decent, non omittant. Turc. *Ismyr.*: an Amazonum, an Thesei opus, an potiùs Ephesinorum colonia? Aëre saluberrimô & agrô feracissimô gaudet, hinc toties Persis Græcisque belli materia. Hodie commerciô Batavorum, aliarumque Europæ nationum inclyta, olim quoque Archiepiscopalis fuit. Hic etiam ortus Nicetes Sophista præclarus, ab Hadriano Imperatore toti Ægypto præfectus. *Nic Lloydius.* Recentioribus Græcis Σμύρνη unde Μυρσίνη & Μύρσινη, unde Agathias, qui Smyrnæus fuit, in Græcis codicib. sæpe appellatur Μυρσιναῖος vel Μυρσίνειος; Salmas. *ad Solin. p.* 865. Sub Imperatorib. Romanis, cum variis Asiæ minoris urbibus, fœdera iniit, ut ex nummis supradictis videre est. Præter quos etiam nummi fœderis, inter Smyrnenses & Perinthios, alius inter Hierapolitanos & Smyrnenses, alius inter Laodicenses & eosdem; item inter Nicomedienses & Smyrnenses, inter Magnesios quoque, & eosdem, contracti, indicis meminit Sponius, ubi suprà. Hodie extra urbem visuntur rudera templi Jano dicati, item ædis S. Polycarpo sacræ & vestigia Diauli: intra urbem, templi Cybeles olim celeberrimi, & *Inscriptiones* variæ. Civium numerus ingens est, inter quos 30000. Turcarum, 12000. Judæorum, & 9000. Græcorum, quorum hi duo ibi templa habent. Commerciô sericæ inprimis, quod ab Armenis eò affertur, nobilis est &c. Vide laudatum sæpiùs Auctorem *Itinerarii Part.* 1. *p.* 301. & *seqq.* ubi hodiernam urbis faciem vivis coloribus depingit.

SMYRNÆUS, Sinus, maris Ægæi, in Asia minori, in ora Ioniæ ac Æoliæ, inter Chium & Lesbum extentus.

SMYRNIUM, Græcis veterib. σμύρνιον, recentioribus σμυρνίον, sequentibus σμυρνοσέλινον, herba est cujus radix odorem resipit τῆς σμύρνης, i.e. *myrrhæ*. & lachrymam quoque huic similem emittit, quam veram esse myrrham quidam contendebant, imò ipsâ myrrhâ stacte meliorem. Inter quos Columella, qui *Achaicam murrham* hoc *epigram* vocat *l.* 10.

Et lachrymas imitata tuas Cinyreia virgo,
Sed melior stacte ponatur Achaica murrha &c.

Hodie *Apirantia* dicitur seu *Ostritium*, ut pluribus docet Salmas. *ad Solin. p.* 520. 1268. & *seqq.*

SNEIBRATO, Borussorum olim idolum, cui avium cura credita, vide suprà *Prussia.*

SOACA, Arabiæ Felicis oppid. *Ptolem.*

SOÆMIS, Græcis Σαιμίς, item Σοαιμιάς & Σοαιμία, dicta est, quæ *Semiamira* vulgò, mater Heliogabali, soror Mamææ, quâ Alexander Sev. genitus est. Ita enim Herodian. *l.* 5. *c.* 5. & reliqui Græci. In nummis quoque, IVLIA. SOÆMIAS. AVG. *Symiam Syriam* vocat Eutropius, *l.* 8. *c.* 13. Nempe Latini, qui illis temporibus raras diphthongos ponebant, scripsere *Soæmia*, inde contractum sequutum est, Sœmia, posteà verò diphthongus illa degeneravit in *y*, unde *Symia* dici cœptum. Neque unquam aliter in Palatinis codicib. quâm *Symiamira*, scriptum reperit Salmasius: nunquam *Semiamira*, ut communiter excusum est. Hæc de capite nominis, præfatus Auctor. *Not. ad Jul. Capitolin. in Opilio Macrino*, *c.* 9. de cauda autem *myra* vel *jyra*, videndus Jos. Scaliger *Animadversionib. ad Eusebium.*

SOÆMUS, sive SOHEMUS, Arabum Ituræorum Rex, quô sub Claudio defunctô, Ituræi provinciæ Syriæ additi. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 23.

SOÆMUS, sive SOHEMUS alius, cui Nero, primô Imperii annô, Sophenem cum insignibus regiis mandavit. Tacit. *l.* 13. *c.* 7. Accessit cum regno, haut spernendis viribus, ad partes Vespasiani. *Hist. l.* 2. *c.* 81.

SOAM, nomen viri, 1 Paral. *c.* 24. *v.* 27.

SOAMUS, Indiæ fluv. Arian. *in Indic.* aliàs *Soamonis*, ex Capissæ montibus ortus, in Indum fluv. se exonerat. Salmas. *ad Solin. p.* 1174.

SOANA, Asiæ Sarmaticæ fluv. *Ptol. Terebin*, teste Nigrô.

SOANÆ, fluvii ostia in Taprobana insul. Ptolem. *l.* 7. *c.* 4.

SOANDA, urbs Armeniæ minoris, Strab. *l.* 12. & in Cappadocia *Antonin.*

SOANES, populi juxta Caucasum, quorum meminit, Strab. *l.* 11.

SOBA, nomen loci, 1. Sam. *c.* 14. *v.* 47. Regia Syriæ Urbs, in tribu Manasse, à qua & contigua regio in S. Scriptura *Syria Soba*, seu *Sobal.*

SOBAB, filius David, 1. Paral. *c.* 14. *v.* 4. Fil. Caleb ex Azuba prima uxore, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 18.

SOBACH, magister militiæ Hedarezer regis, 2. Sam. *c.* 10. *v.* 16.

SOBAL, fil. Seir Horræi, Gen. *c.* 36. *v.* 20. Fil. Hur primogeniti Caleb, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 50. Fil. Judæ, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 2. qui Gen. *c.* 46. *v.* 12. *Sela* dicitur.

SOBALA, urbs Cariæ, *Stephan.*

SOBANUS, Indiæ extra Gangem fluv. *Ptolem.* maximus, ex Emodis montib. descendens, ac in mare Indic. influens in Meridiem, *Sion*, & *Menan Castaldo.* Alius est *Mecon*, fluv. illius tractus.

SOBAS, saltationis genus, ab *impetu* dictum, hoc enim σοβεῖν Græcis, Jul. Cæs. Scaliger *Poetic. l.* 1. *c.* 18.

SOBEC, nomen viri, Nehem. *c.* 10. *v.* 24.

SOBI, fil. Nahas de Rabbath filiorum Ammon, 2. Sam, *c.* 17. *v.* 27.

SOBIDAS, Parthiæ regio *Ptolem.*

SOBII, vide *Ibi.*

SOBNA, nomen scribæ, 2. Reg. *c.* 8. *v.* 18.

SOBOBA, fil. Cós, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 8.

SOBOCHAI, nomen viri 2. Sam. *c.* 21. *v.* 18.

SOBOTALE, Sabæorum civitas ad mare Rubrum includens suis muris templa 60. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

SOBRARBIA, tractus Aragoniæ, versus Cataloniam & montes Pyrenæos, aliàs cum titulo regni, inter Oscam, Barbastrum, Noguetam Ripacurtianam fluvium & montes Pyrenæos. Ejus caput erat Aynsa, oppid. ad Cincam fluv. Initium regni hujus Garsias Gothus, Aynsâ urbe Saracenis ereptâ, jecerat, A. C. 727. Sed nihil aliud fuisse antiquos Suprarbiensium Reges, quàm signiferos ductores, docet Hieron. Blancas *in Histor. rerum Hispan.* quod olim inter homines militares gloriosum valde erat. Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.* in voc *Baneretus.*

SOBRIUS, vicus Romæ, quem *Paulus* ex *Festo* sic dictum suspicatur, vel quòd in eo taberna nulla fuerit; vel quòd in eo Mercurio lacte, non vinô supplicabatur.

SOCA, in *LL.* Eduardi Confess. & passim apud Jureconsultos Anglos, significat *libertatem Curiam tenentium*, ut habet Fleta *l.* 1. *c.* 47. §. 6. À Saxon. *Sok* vel *Soke*, quod idem ac *secta*, quam dominus habet de hominibus suis in Curia. Quod enim *Soc* apud atiquos dictum est, id *Soyt* hodie apud Scotos, Gallis *Suite*, vocatur. Itaque qui hôc privilegio instructus est, Curiam in sua Ba-

rronia

tenendi habet potestatem. Unde *Socam & sacam habere* dicuntur Barones in *LL.* Henrici I. Est autem *Soca*, Saxon. *sach*, i. e. causa, regale privilegium, quò qui gaudet, pœnam à Actori calumnioso, si crimen alteri objectum non probaverit, aut reo, si cum accusati verè constet, impositam vindicat. Sed & *Soca* aratrum est, Gallis *Soc de charrue*. Unde *Socagium*, h. e. *servitium soc.e*, Littletoni *sect.* 119. Olim enim qui hôc modô terras possidebant, dominis in exercenda agricultura inservire & cum *socco* ac aratro proprio agrum domini arare ac colere tenebantur: cujusmodi servitia postmodum, ex mutuo dominorum vassallorumque consensu in census pecuniarios commutata sunt. Opponitur autem *Socagium Militiæ*, ita ut fundus omnis, qui non possidetur *per servitium militis*, possideatur per *servitium socæ*. Quæ etiam in eo differunt, quòd in *Socagio* hæreditas dividitur, inter filios, per partes æquales; contra quam in Feudis militaribus, in quibus primogenitus in totum succedit. A' *Soco* porrò *Sokemannus* istiusmodi vassallus dicitur &c. Quam in rem vide plura apud Henr. Spelmann. & Car. du Fresne *in Glossar.*

SOCCUS, humile calceamenti genus, Comicis olim & Mulieribus in usu. Cùm enim in Comœdiis ut plurimum introducerentur personæ humiles ac viles, utpote asoti adolescentes, deliri senes, parasiti, lenones, meretrices aliæque hujusmodi quisquiliæ & proin Comici pedestri stylô plebejôque sermone uterentur, humiles iis calcei, i. e. *Socci* conveniebant: quemadmodum contrà Tragœdiarum, in quibus omnia sublimia, Actores cothurnos induebant. Utrumque conjunxit Martial. *l.* 8. *Epigr.* 3. *v.* 13.

An juvat ad Tragicos Soccatum transferre cothurnos?

Ubi per *Soccum*, humile; per *Cothurnum*, sublime dicendi genus, Metonymicè vult intellectum. Et quia inter Comicos olim & Mimi & Pantomimi numerabantur, illorum plures humili & populo communi hôc calceamentô instructi, ex Casalio proponuntur, apud Balduinum *de Calceo c.* 16. Sed & mulierum eos fuisse, innuit Sueton. ubi de Vitellio c. 2. *A' Messalina*, inquit, *petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos, detractùmque socculum dextrum inter togam & tunicam gestavit assiduè.* Ita Propert. *l.* 2. *Eleg.* 23. *v.* 15. de prostibulo,

Cui sæpe immundo Sacra conteritur via Socco.

Hinc probro viris datum est iis uti: ut Cæsari apud Senecam *de Benef. l.* 2. *c.* 12. & Herculi apud Omphalem agenti, de quo Senec. *Hippolyto, Chor. Act.* 1. Ideo verò parùm viriles *Socci*, quòd choreis agitandis apti essent: Unde Hymenæum, hôc modô calceatum, sic invocat Catullus *Epithal. Jul. & Mall. v.* 9.

Huc veni niveô gerens
Luteum pede soccum,
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus.

Sic *pedem liberum*, i. e. leviore *Soccô* indutum, capias apud Horat. *l.* 1. *Od.* 37. *v.* 1. &c. E quibus colligitur, calceos fuisse tenues ac humiles, ut non multùm pedes impedirent, etiamsi supernè essent contecti: quô fiebat, ut facilè aliis omnibus calceorum speciebus inducerentur, ad eum fortè modum, quô jam Calceoli, qui Gallicè *Escarpins* vocantur, sive Mulleis sive Crepidis inseruntur. Innuit id Plin. *l.* 9. *c.* 35. ubi de mulierum sui temporis luxu loquens, *Gemmas*, ait, *non tantùm crepidarum obstragulis, sed & totis* Socculis *addunt.* Quasi diceret, non crepidarum tantùm obstragulis, quæ magis apparent, sed & *Socculis*, qui tamen crepidis inserti penè latent, gemmas ab illis adsui. Idem, cùm *totos Socculos* dicit, iis in totum pedes fuisse opertos insinuat, ad crepidarum discrimen, quarum quidem obstragulis pedes operiebantur, sed ita, ut tali nudi remanerent. Ejusdem loci occasione subit dicere, Vett. olim eas in *Soccis* posuisse delicias, ut eos bracteis quoque aureis inducerent: Tertull. *de Idol. c.* 8. *Soccus & baxea quotidie deaurantur.* Unde mirificè pulchros & splendidos fuisse, dubium non est, quemadmodum Caji Principis *Socculum auratum, imò aureum, margaritis distinctum* fuisse, Suetonius tradidit *loco cit.* Si expressior *Soccorum* forma quæratur, non absimiles videntur fuisse illis pedum involucris, quibus ad plantarum munditiem passim Galli utuntur *Chaussons* vocatis, appellatione à *Socci* nomine non multum recedente. Quare non malè Udonibus conferentur, quidquid contra Vivem censuerit Junius Nomenclator. Udones enim, *lintei calcei* Appulejo dicti, quin appellentur quoque *Socci*, vix est quod impediat. Interim, non fuerunt, calceorum ad instar, mediô crure tenus extensi; sed tantùm ad eam partem pertingebant, quà tibiæ pes conjungitur: Aliàs enim non facilè potuissent dormientum manibus induci, quod per ludibrium sæpe Claudio Imperatori factum, refert Suetonius *in eo c.* 8. Color inprimis luteus, i. e. albicans seu dilutiori croco similis, fuit. Vide Balduinum *ubi suprà.* A' Caligis *Soccos* sic distinguit Isidorus, quòd *caligas ligari, Soccos non ligari*, dicat *c.* 34. *l.* 19. Nec omittendum, Philosophos Cynicos, *soccos* quoque gessisse. Ita enim Plautus *Persâ, Actu* 1. *sc.* 3. *v.* 43.

Cynica esse è gente oportet parasitum probum,
Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium.

Ad quæ verba Salmas. *Socci*, inquit, *sandalii genus, à voce Græca* σύκχος. *Hesychius*, σύκχοι, ὑποδήματα φρύγια *συκχάδες etiam dicebantur. Idem*, συκχάδες, ὑποδήματος εἶδος. *In Græco Epigrammate* συκχίς,

——— καὶ μαλακὰ
Συκχίδα &c.

Vide eum *Not. ad Tertullianum de Pallio c.* 5. ubi de Philosophorum calceatu plura.

SOCHIS Ægypti Rex, qui numini Solis, apud Heliopolim, obeliscos quatuor quadraginta octo cubitorum longitudine dedicavit, Plin. *l.* 36. *c.* 8.

SOCHO, urbs in tribu Juda, *Jos. c.* 15. *v.* 35. 48. in monte sita. Alia constructa à Roboam, 2. *Paral. c.* 11. *v.* 7. in campo sita. Distat ab Azera & Maceda, 3. leuc. contra Ortum à Nobe.

SOCHUS, Assyriæ locus, ab angustiis, quæ Syriam aperiunt versus Ciliciam, bidui itinere distans. Arrian. *l.* 2.

SOCIALE Bellum, Historicis dictum est, quod Romanis, cum plerisque Italiæ populis, Etruscis, Latinis, Sabinisque; item cum Marsis, Pelignis, Vestinis, Marrucinis: hosque secutis Picentibus, Frentanis, Hirpinis, Pompejanis, Venusinis, Appulis, Lucanis, Samnitibus, & quidquid populorum ultra Lirim usque ad sinum Adriaticum habitabat, intercessit, T. Cæsare & Rutiliô Lupô Consulib. quibus ejus belli imperium à Populo Rom. datum fuit. Descripserunt illud, Epitome Livii 71. & *seqq.* Appian. *de bell. Civil. l.* 1. Auctor *de Vir. illustr. c.* 63. & 75. Val. Max. *l.* 8. *c.* 6. *ex.* 4. Augustin. *de Civ. Dei l.* 3. *c.* 17. & 26. Plin. *l.* 33. *c.* 1. Eutropius *l.* 5. *c.* 1. Orosius *l.* 5. *c.* 18. qui cum Appiano belli hujus Ducem Q. Popedium Silonem facit, Euseb. *lib. Tempor.* Solin. *c.* 2. Plutarchus *Sulla*, Strabo *l.* 5. Florus *l.* 3. *c.* 18. ubi civile potius fuisse bellum contendit, quippe quùm Populus Roman. Etruscos, Latinos Sabinosque miscuerit, & unum ex omnibus corpus fecerit. Alii. Lucullus etiam, celeberrimus ille Imperator ejus historiam Græcè composuisse legitur, apud Plut. *in eo c.* 2. ut Lucejus Latinè, apud Ciceronem *Ep. Familiar. l.* 5. *Ep.* 12. quibus adde Dion. Sic. *l.* 37. & Justin. *l.* 38. *c.* 4. qui *Marsicum* à belli auctoribus vocat. Strab. *l.* 5. Dicebantur autem *Socii*, seu *Latini nominis Socii*, populi illi, qui, cùm aliquid ex fœdere Populo Romano deberent, in cæteris liberi erant, suamque Remp. suas Leges, suos Magistratus habebant: itaque Senatûs P.Q. in iis Oppidis, ut in liberis Civitatibus, memoriam observamus usurpatam. Princeps istiusmodi populi *Amicus & Socius Senatus & Populi Rom.* dicebatur. Caruisse autem tales jure Civitatis Romanæ, illud argumento est, quòd multos ex illis nominatim civitate donatos fuisse, legimus. Vide Sigonium *de Jure Ital. l.* 1. *c.* 1. Horum, ut & Provinciarum causâ, cum primùm Repetundarum quæstio instituta fuisset, adversus Prætores, Quæstores, Legatos, cæterosque, *Lex Socialis* à Cicer. *in Verrem* vocata est: primusque M. Porcius Cato, cùm ex Prætura Sardiniam obtineret, sumtus, quos in cultum Prætorum *Socii* facere soliti erant, circumcidit aut sustulit: post quem, crescente indies Magistratuum libidine, ut novâ Lege opus non esset *Sociis*, certum ad quem illi confugerent, Prætorem constituit L. Calpurnius Piso Tribun. Pl. an. Urb. Cond. 604. L. Marciô Censorinô, M. Maniliô Consulib. Sic igitur in cultum Prætorum sumtus facere tenebantur *Socii*: Ab iisdem quoque aurum exigebatur coronarium, i. e. coronæ primùm Imperatoribus, ob honorem Triumphi, mitti solitæ, quarum locô aurum posteà datum est, & in aliis quoque causis exigi cœptum, vide *tit. Cod. l.* 10 *de Auro coronario* & Lipsium *de magnit. Rom. l.* 2. *c.* 9. Id autem, non à superatis modò hostibus, sed & à *Sociis* fuisse exactum, docet Æl. Spartian. *Antonino Pio, c.* 4. *Aurum coronarium, quod adoptionis suæ causâ oblatum fuerat, Italicis totum Provincialibus medium reddidit.* Sic idem in *Adriano, c.* 12. *Aurum coronarium Italiæ remisit.* Porrò Romanis suô sumtu militabant: Unde cùm universus Exercitus Romanus in duas partes esset divisus, Legiones & Auxilia, quorum discrimen explicat Vegetius *l.* 2. in Legionibus militabant cives Romani ingenui: Auxilia dicebantur ii milites, qui à *Sociis* vel fœderatis gentibus mittebantur, Polyb. *l.* 6. Hi, tanquam levis armatura, Legionibus in acie jungebantur, eratque deteriori jure, quàm Legionarii milites. *Id.* Hinc itaque, quæ capiebant, faciebant sua: Sic Latini in partem prædæ æquam iis in bellis, quæ populi Rom. gerebantur auspiciis, admissi sunt. Vide Liv. *l.* 4. & 24. Sic Ætoli, in bello, quod gerebant adjutoribus Romanis, urbes quidem & agros sibi servabant, captivos autem & res mobiles concedebant Romanis: Similiter, post victoriam de Ptolemæo, partem prædæ Atheniensibus Demetrius dedisse legitur, Plut. *Demetrio*, Liv. *l.* 28. &c. Vicissim verò *Sociis* à Romanis auxilia ferebantur, ut modò de Ætolis visum: cujus prætextu non rarò oppressi, in subditorum vicem transierunt. Sic Latini querebantur, *sub umbra fœderis Romani servitutem se pati*: Sic Ætoli, *vanam speciem & inane nomen libertatis*: Achæi posteà, *fœderis specie jam esse precariam servitutem*: & apud Tacitum, Civilis Batavus, *neque enim Societatem, ut olim, sed tanquam mancipia haberi*, & alibi, *Miseram servitutem falsò pacem vocari*, dicebant. Vide Hug. Grotium *de Jure Pacis ac Belli l.* 1. *c.* 3. Fuêre autem ex *Sociis*, qui & *Fratres Consanguineique Pop. Rom.* speciali indultu appellati sunt: Quemadmodum Ædui, quos non tantùm *Socios & Amicos* Populi Rom. sed & *Fratres Consanguineosque sæpenumero appellatos*, *multaque Senatusconsulta honorifica in eos facta esse*, ait Cæsar, *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 33. De iisdem Eumenius *in grat. act. Constantino Aug. primos omnium inter Galliæ Gentes*; Tacitus *Annal. l.* 11. *c.* 25. *Solos Gallorum, plurimis Senatusconsultis Fratres Popul. Rom. vocatos esse*, tradunt: Additque Tacitus, *Senatorum quoque in Urbe jus adeptos esse* &c. Quomodo ex civitatibus *Sociorum*, quæ jus suffragii, ut dictum, non habebant, quidam tamen cives jus illud adipisci potuerint, discimus ex Lege, cujus exemplum habemus apud Liv. *l.* 41. *c.* 8. ubi ait: *Lex Sociis, ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent, qui in Latinis Coloniis Magistratum gessissent.* Iisdem lege Serviliâ jus dabatur civitatem assequendi, in locum ejus, quem accusandô damnâssent Repetundarum. Vide Cicer. *pro Balbo* & Rosin. *Antiqq. l.* 6. *c.* 17. aliquid etiam infrà voce *Socii*. &c.

SOCIETAS, idem ſæpe quod Academia, cœtus eruditorum. Harum plurimæ in Italia, ubi Senæ *Intronati*: Florentiæ *della Crusca*: Romæ *Humoristæ*, *Lyncei*, *Phantastici*: Bononiæ *Otiosi*: Genuæ *Sopiti*: Patavii *Recuperati*: Vicentiæ *Olympici*: Parmæ *Innominati*: Mediolani *Absconditi*: Neapoli *Ardentes*: Mantuæ *Infecati*: Ticini *Certorati*: Cesenæ *Offuscati*: Fabriani *Disunti*: Faventiæ *Philoponi*: Anione *Caliginosi*: Arimini *Accommodati*: Perusiæ *Insensati*: Firmi *Congregati*: Maceratæ *Catenati*: Viterbii *Obstinati*: Alexandriæ *Immobiles*: Brixiæ *Occulti*: Tarvisii *Perseverantes*: Veronæ *Philarmonici*: Cortonæ *Humorosi*, &c. dici gaudentes, congregationes istiusmodi eruditas colunt. In Germania *Societas frugiferorum*, auctore Ludovicô Cœthensi Principe Anhaltinô. In Gallia *Academia Gallica* dicta, auspiciis Cardinal Richelii: in Anglia *Societas Regia*, à Carolo II. Rege instituta, celebres ſunt. Vide Naudæum *Dial. de Mascur.* Joh. Bapt. Alberti, *de Academ.* &c.

SOCIETAS Indiæ, in Belgio Fœderato, duplex, *Orientalis* & *Occidentalis*: quæ ambæ Collegia ſunt auctoritate Ordinum ad certos annos instituta, ut *bellum* & *mercaturam*, in utraque India, Patriæ bono, exerceant. Quod tantô ſucceſſu hactenus factum, ut duæ hæ Societates ampliſſima Regna & territoria, per Africam, Aſiam ac Europam occupârint, ac Hiſpanis & Luſitanis, tum hoſtibus, ingentia damna intulerint, immenſiſque opibus Remp. ditarint. Et quidem *Societas Indiæ Orientalis*, ſedem regiminis ſui conſtituit in Inſul. Java, conditâ ibi urbe ampliſſimâ & muniriſſimâ, *Batavia*, ubi ſedem habet ſupremus Gubernator Indiæ Orientalis, *Generalis* nomine inſignis. *Societas Indiæ Occid.* ſedem ſuam habuit, in Braſilia, Fernambucci, conditâ ibi urbe ſplendidiſſimâ & inexpugnabili, cui nomen *Mauritiopolis* & *Recif*. Fuitque ſub initio feliciſſimis auſpiciis uſa, namque & claſſem illam celeberrimam Hiſpanorum auro argentôque gravem, in qua plus quàm XII. milliones erant, duce Petrô Heyniô, intercepit, uti diximus in eo. Sed ante luſtra quædam, artibus Luſitanorum, grave damnum accepit, amiſſô quidquid in Braſilia terrarum tenuerat, neque hactenus priſtinum decus recuperare valuit: de inſtauratione tamen ſeriò deliberari dicitur. In utraque qui maximam pecuniæ ſummam conferunt, vernaculô idiomate *Hoofdparticipanten* dicuntur, è quibus Societatis Curatores ſolent eligi, quos *Bewindhebbers* appellant. Originem quod attinet, *Societas Orientalis* cœpit A. C. 1602. hâc occaſione. Cùm hactenus multa Mercatorum (poſtquam primæ naves in Indiam miſſæ ab Hollandis eſſent A. C. 1595.) Collegia Indiam frequentâſſent, quorum æmulationibus rerum pretia illic accendebantur, hic contrà minuebantur, neque poſſent diverſi & infirmi conatus Hiſpanicis viribus obniti, fœderati Patres è multis corporibus unam Societatem fecêre, impoſitis diverſas per Urbes Curatoribus, qui per legatos interdum convenirent, & latâ lege, ne quis ſeorſim, viginti intra annos, ultra montem Bonæ Spei, aut Magellani fretum, navigarent. A' quo tempore, velut novô bellô per Orientem exortô, Societas Indicana magna pars Reip. cœpit haberi, cùm non modò pars prædarum ad ærarium perveniret, ſed privatô civium ſumptu hoſtis publicus per rapinas & impendia exhauriretur. Aliquot annis poſt, circa A. C. nempe 1607. cum Batavis omni Hiſpaniæ commerciô interdictum eſſet, & jam pridem ingens mercatorum, ingens nautarum copia, tum pecuniæ, quantæ credi non poſſent, penès privatos vacuæ, nec ſufficiente Indiâ, ſolâ Americâ ſatiari poſſe viderentur, quæ præter ſal & ſaccharum, ac pretioſa ligna & medicamenta, metallis inſuper ſcateret: diſſiſſimi mercatorum, ſimul alii, quibus cuncta ejus orbis indagata, novæ Societatis regimen ac jura deſcripſêre triginta ſex in annos duraturæ. Inter quæ, ne extra eam ulli civium liceret adire oras, quæ à Terra nova, Gallorum piſcatibus cognitâ, ingenti tractu freto tenus Magellanico, ad utrumque Oceanum porriguntur, & quidquid contrà Africæ littorum Æſtivum inter circulum ac Bonæ Spei montes jacet. Cæteras leges, aliaque huc pertinentia, vide apud Hug. Grotium *Historiar. l. 6 & 16. ad annos prædictos*. Utriuſque verò Societatis Domum, qualis Amſtelodami eſt, deſcripſit Caſp. Barlæus in *Medicæa*. Ut de *Societate Indica* Anglicana, ac Gallicana, quarum hæc non pridem inſtituta eſt, nihil addam de *Societatibus Mercatorum* in Italia, vide aliquid ſuprà, voce *Abbas*, it. *Caorcini*.

SOCII Reges, à Romanis olim dicti ſunt, quos priſcus ille Senatus, aut etiam Princeps Romanus regnare juſſiſſet aut pateretur. His Senatus Conſult. Romanum pro diplomate illo, quô univerſum jus regium continebatur. Et verò ii hôc permiſſu Reges ſe & nomine & cultu ferebant; tum re ipſâ, h. e. omnibus Regum muniis tales ſe profiteri poterant. Uſque eo grande in appellatione hac momentum fuiſſe conſtat. Cæterùm, quò hujus beneficii memoria confirmatior & in omnium gentium oculis luculentior eſſet, his ipſis unà cum appellatione mittebatur regius cultus, ſeu, ut Romæ dicta ſunt, *Regia munera*, videl. *Diadema*, *aurea patera*, quâ Rex ſacrificans uteretur, *Sella curulis*, *Scipio eburneus*, *Toga picta*, *Sagulum purpureum*; inſuper *Tunica palmata*, *Latus clavus*, *Equi phalerati*, *Arma equeſtria*, *Supellex militaris*, qualis Conſulibus præberi ſolita. Vide quæ de Archelao Judæorum, de Tigrane Armeniæ, de Tiridate ejuſdem, de Parthamaſpate Parthorum Regibus tradunt Liv. *l.* 10. Sueton. *in Tiberio* & *Nerone*, Tacit. *Annal. l.* 15. Xiphilinus *Trajano*, de aliis alii habent; ut & ſuprà in voce *Munus*. Et quidem *Socii* ſanctè habiti ſunt, uſque ad Conſulem C. Poſthumium, ante quem *nemo unquam Sociis in ulla re oneri aut ſumptui fuit: ideò Magiſtratus mulis, tabernaculis & omni aliô inſtrumentô militari ornabantur, ne quid tale imperarent Sociis*, Liv. *l.* 42. Poſteà paulatim imperium in illos ſumi cœpit. Unde apud Tacitum iterum Civilis Batavis conqueritur, *Neque enim ſocietatem, ut olim, ſed tanquam mancipia haberi*. Quam in rem vide præclarè diſſerentem Grotium *de Jure Belli & Pacis l.* 1. *c.* 3. §. 21. uti de *Socio Rege Cypri vivo confiſcato*, Florum *l.* 3. *c.* 9. nec non ſuprà, ubi de *Sociali Bello*. Sub Græcis Imperatoribus ex *Sociis* conflatas cohortes *ἑταιρείας*, harumque Præfectum *Ἑταιρειάρχας*, & qui his præerat *Μεγαλεταιρειάρχην* dictum eſſe, vidimus ſuprà, voce *Megahetæriarcha*. aliquid etiam in *Cohors*.

SOCINUS Fauſtus, patriâ Senenſis, parentibus ſatis claris natus, Lælii nepos, ab illo peſtilentiſſimam hæreſin, cum qua etiamnum Chriſtianus orbis conflictatur, hauſit: Arianorum delirii ex Orco revocatis, quibus alia plurima addidit. Scripſit varia, quæ utinam æternis ſepulta tenebris manſiſſent! Obiit A. C. 1604. ætat. 65. Vide Cloppenburg. *Compend. Socinianiſmi refut.* Hoornbeeck. *contr. Socin.* Mareſii *Hydram Socinianiſmi*: Compendium Theologiæ Socinianæ exhibet Fridericus Spanhemius in *Syntagm. Diſp.* His adde *Vitam hujus Hæreſiarchæ ab Equite Polono ſcriptam*. Michaël Servetus Socinianorum Patriarcha dicitur Læto *Compend. Hiſt. Univ.* Hujus ſectæ poſteà anteſignanus Valentinus Smalcius Eccleſias Fratrum in Polonia, dogmatibus ac iniquâ Unionis & Conſenſus poſtulatione turbavit: & quia in illo regno altiores hæreſis radices egit, publicô Comitiorum decretô A. C. 1656. utcunque repreſſa eſt, poſteà verò acrius in ſectarios inquiſitum: unde vix tutum illis hodie in Polonia hoſpitium eſt, Tranſylvaniæ tamen, Valachiæ, aliiſque regionibus adhuc graves ſunt. Quære quoque *Racovia*.

SOCINUS Lælius, Mariani Socini Senenſis JCti clariſſimi fil. Genevam poſt Servetum delatus Joh. Calvinô familiariter primò uſus eſt, clam verò Samoſatenianiſmum & Photinianiſmum fovit ac novis argumentis incruſtavit. Tiguri conſcripſit Tractatum, ſub nomine *Martini Bellii*, quò oſtendere conabatur, *Servetum injuſtè ſupplicio affectum*. Emiſit etiam *Commentarium in Caput* 1. *Johannis*, quô fundamenta totius Socinianiſmi jecit, quem tamen alii Fauſto attribuunt, auctum poſteà à Smalcio. Apud Zanchium ſaltem Lælii perverſiones ad verba Johannis occurrunt, & certum, quæcunque Fauſtus dogmata edidit, ea præmeditata ac conſignata à patruo accepiſſe. Sic *Socinianæ hæreſeos*, ex Ebioniſmo, Arianiſmo, Sabellianiſmo, Pelagianiſmo, Abaillardiſmo aliiſque damnatis hæreſibus, conflatæ, prima jecit fundamenta *Mich. Servetus*, *Valentinus Gentilis* eam illuſtravit, propagavit *Lælius*, ultimam manum impoſuit *Fauſtus Socini*, à quibus prominentibus infame nomen manſit. Quòd enim nonnulli Eraſmum quoque, magnum illud nomen, quod loca nonnulla Patres ſecutus malè interpretatus eſſet, Arianis quoque accenſitum volunt, injuriam Viro ſummo faciunt, utpote *doctrinam Trinitatis* conſtanter ſemper profeſſo. Georg. Hornius *Hiſtoria Eccl. Novi Teſtam. Periodo* III. *Artic.* 3. §. 19. Vide quoque ad eum *Notas* & *Obſervationes* eruditas M. Leydeckeri, *num.* 127. 128. 129. ut & hic ſuprà.

SOCINUS Marianus, vide *Marianus*.

SOCION, Philoſophus Peripateticus, genere Hiſpanus, ſcripſit *Κέρας Ἀμαλθείας*, i. e. *Cornucopiæ*, librum multæ variæque Doctrinæ, Gellius *l.* 1. *c.* 8. Lege *Sotion*. Hujus meminit Laërt. *l.* 12. *Ἐ'ν τῷ δι Ἀμαλθείας κέρατι ...* Vide Voſſ. *Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 7. & Jonſium *de Script. Hiſp. Philoſ. l.* 2. *c.* 10. *Nic. Lloyd.*

SOCIORUM Garum, vide ſuprà *Garum*, it. *Scomber*.

SOCIUS, Hebr. חבר aliàs à ſitu מסב *meſeb*, ſe reclinans, in alterius ſcil. ſinum (qui olim & accumbentium in menſa ritus) Hebræis nomen fuit alterius gradus diſcipulorum, ut ſuprà videre eſt voce *Rab*.

SOCONUSCA, provinc. Novæ Hiſpaniæ in ora maris Auſtralis, inter Guatimalam provinc. ad Ortum, Guaxacam ad Occidentem, & Chiapam ad Boream, ſub Præfectura generali Guatimalæ. Ejus primaria urbs eſt Gueveтlanum. Sub Hiſpanis.

SOCOTH, vel SUCCOTH, prima manſio filiorum Iſraël, poſtquam reliquerunt primas ſedes in *Rameſes*, Numer. c. 33. v. 5. Latinè, *tabernacula*, vel *tentoria*.

SOCOTH, *Hieronymo Sacoth*, Græcè *Scene*, tabernacula. Hîc, cùm rediret ex Meſopotamia Jacob patriarcha, fratri ſuo Eſau reconciliatus eſt, defixis hôc locô tentoriis. Civitas duravit uſque ad tempora Hieronymi, eratque in tribu Gad.

SOCOTH-BENOTH, Idolum Babyloniorum, 2. Regum c. 17. v. 30. Ubi, poſtquam Salmanaſſar Rex Aſſyriæ, exciſò Samaritanorum regnô, incolas captivos abduxerat, migrare jubens in Samariam colonias de Babel, de Cuth, de Ava, de Hamath, & de Sepharvaim: dicitur, *Fecerunt autem ſingulæ gentes ſibi Deos, quos & repoſuerunt in templis excelſorum quæ fecerant Samaritæ, Gens quæque in civitatibus ſuis, in quibus ibi habitabant. Viri quidem Babel Succoth Benoth, & viri Cuth fecerunt Nergal, & viri Hamath fecerunt Aſimath, Avitæ autem fecerunt Nibhaz & Tharthac, & Sepharvei comburebant filios ſuos in igne, Adramelech, & Anamelech Diis Sepharvaim.* Interpretatur autem סכות בנות *Succoth Benoth*, *tabernacula filiarum*. Sed LXX. ſcribunt *Σοκχὼθ βενίθ*, tanquam proprium numinis vocabulum. Volunt Ebræi nugatores *Succoth Benoth* imaginem fuiſſe Gallinæ cum pullis ſuis, quod ad citatum locum habent RR. D. Kimchi & Salomon Jarchi. Atqui exploſis omninò Rabbinorum lyris, *Succoth Benot* non tam Deum aliquem, Deamque, quàm fanum ipſum, ritusque circa illud ſacros denotare cenſet Seldenus noſter. *Ipſiſſimum enim erat* (inquit) *Babyloniæ Mylittæ, ſive Veneris Uraniæ templum, ubi puellæ coronis revinctæ, & ſedentes ſingulis in ſpatiis, quæ funiculis erant diſtincta, hoſpites operiebantur, qui rite implorata Venere Mylittâ, pecuniâque quantulâcunque datâ (quæ Deæ ſacra) cum eis à fano ſubductis rem haberent; nec cuiquam fas erat priùs diſcedere, quàm ad hunc ritum fuerit ad res Venereas electa. Unde ſolebat, ut per biennium, nonnunquam & triennium, expectarent, quæ deformes erant & miſeræ. Lege quippe patriâ omnibus fœminis erat commune, ut ſemel in vita ſic deſidentes cum advenis conjunctionem haberent. Cæterum beatiores vehiculis cameratis tectæ, relictâ à tergo famulitii turbâ pro fano conſiſtebant. Hîc planè* Succoth Benoth, *i. e.* filiarum, *ſeu* mulierculaтum tabernaculum. *Hiſtoriam autem ampliorem de hâc re habes apud* Herod. *l.* 1. & Strab. *l.* 16. *è quibus nos quæ attulimus. Abſque iis eſſet, quis locum etiam illum Hieremiæ*, in Epiſtolâ Barucho ſubnexâ, *omnino caperet?* Comma dico 43. *ubi ſcorta diobolaria Babyloniorum his verbis inſectatur*:

Ai

Αἱ ἢ γυναῖκες [illegible] σχοινία ἐν ταῖς ὁδοῖς [illegible] θυμιῶσαι τὰ πίτυρα. Ὅταν δέ τις αὐτῶν [illegible] ὑπό τινος τῶν παριόντων συγκοιμηθῇ, τὴν πλησίον ὀνειδίζει, ὅτι οὔτε αὐτὴ ἠξιώθη ὥσπερ αὐτή, οὔτε τὸ σχοινίον αὐτῆς διεῤῥάγη. *Mulieres*, inquit, *funiculis circumdatæ in viis sedent, ut furfures adoleant. Et si qua earum cum aliquo ex prætereuntibus, qui vi eam sibi attraxerit, cubaret, proximam conviciabatur, quòd nequaquam simili afficeretur honore, nec funiculus ejus disrumperetur.* Σχοινία hæc quænam fuerint, haud satis liquet. *Atque forsan ad* σχοινία *illa* [illegible] *sive tenues funiculos, è quibus earum coronulæ texti, perinde ac ad funiculos, qui spatia unicuique dividebant, spectare possint.* Olympiodorus verò ex σχοινία fuisse vult [illegible], *sive cingula quibus pudenda duntaxat operiebant, cætera nuda:* Σχοινία inquit φασὶ [illegible]. Καλύπτοντα γὰρ μόνα [illegible] τὰ σώματος [illegible], [illegible] λοιπὰ παραγυμνοῦσι [illegible] τοὺς ἐραστάς. Vide Selden. *de Diis Syris Syntagm.* 2. c. 7. *Eloydius.*

SOCOTORA, Insul. Indiæ, è qua optima aloë. Salmas. ad *Solin.* p. 1055.

SOCRATES, ἀνδρῶν ἁπάντων σοφώτατος oraculò judicatus, uti scribit Laërtius *l.* 2. c. 18. Philosophus fuit Atheniensis, *reliquorum philosophorum fons*, ut eum *Quintilian.* & *princeps*, ut Cicero vocârunt *locò mox citandò.* Natus in pago Alope. Patrem habuit Sophroniscum statuarium, quemadmodum ex Xenoph. liquet, tenui hominem fortunâ sicut & se pauperem appellatum Socrates apud eundem testatur authorem in *Oeconomico.* Matrem Phanaretem obstetricem habuit. Uxores eôdem tempore duas habuit, Myrto, Aristidis Justi filiam, & Xantippen, mulierem molestissimam, quæ [ipsô cum Discipulis disserente] mensam non raro subvertit. Auditor primò Anaxagoræ fuit, sed cùm disputationibus sublimioribus non admodum delectaretur, ad Archelaum defecit, qui Ethicen, sive Moralem philosophiam ei tradidit, in bello, pro patria, egregiis fortitudinis speciminibus subinde editis. Ipse in libris, qui *de dictis & factis Socratis* à Xenophonte scripti sunt, se per omnem vitam nihil aliud cogitâsse indicat, quàm quæ justa essent, quæ injusta, atque illis quidem operam sedulò dedisse, his se verò quàm maximè abstinuisse: Rhetoricam porro docere, à 30. tyrannis prohibitus est, quòd dicendo quidvis assequeretur. Ingeniô fuit patientissimô, & eundem semper circumferens vultum, sive egrederetur domô, sive rediret, mille etiam perturbationibus Rempubl. obruentibus, quemadmodum Xantippen uxorem acrem & molestam de eo dicere consuevisse Ælian. *l.* 9. c. 7. prodidit. Docuit sine mercede. Scriptorum nihil unquam edidisse ipsum constat, quia sentiret, atque ita etiam interrogantibus, quamobrem nihil scriberet, responderet: Ὁρῶ τὰ χαρτία πολὺ τῶν γεγραμμένων τιμιώτερα. Sicut & hoc in ore frequenter ipsum habuisse Laërtius *loc. cit.* testatur: Εἰδέναι μὲν μηδὲν, πλὴν αὐτὸ τοῦτο εἰδέναι. De traditionibus tamen ejus, quæ non editæ, quemadmodum ostendimus, sed à Platone ac Xenophonte expositæ sunt, hæc Cicero retulit *l.* 3. *de Orat.* c. 16. *Socrates fuit is, qui omnium eruditorum testimoniò, totiusque judiciò Græciæ, cum prudentiâ, & acumine, & venustate, & subtilitate, tum verò eloquentiâ, varietate, copiâ, quam se cunque in partem dedisset, omnium fuit facilè princeps.* Cùm ad provectam admodum ætatem pervenisset, ut paulò post tamen è vita ei esset excedendum, ab Anyto quodam divite & Melite poëta, & Lycone Oratore accusatus, quasi Deos communes non coleret, sed novos introduceret, cùm se Dæmonem familiarem, cujus consiliô in rebus agendis uteretur, habere dixisset, post latam sententiam cicutâ sublatus est, cum eô ipse die, quô excessit è vita, *disputâsset, discere nihil aliud esse, quam recordari*, quemadmodum Cicer. scripsit in 1. *Tusc. Qu.* c. 24. Persius, *Sat.* 4. v. 1.

------ *Barbatum hoc crede magistrum*

Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.

Factum hoc Olympiad. 95. sub Lachete Prætore. Vide Diogen. Laërt. *l.* 2. *vitar. Phil.* Diodor. *l.* 4. *Aristænet, Plutarch. Euseb.* Naudæum, *apolog. &c. Nic. Lloydius.* Sacelli in honorem ejus extructi meminit Sponius *Itiner. Græc l.* 2. *p.* 235.

SOCRATES Achæus, in expeditione Cyri, contra fratrem, Achæorum Dux. Captus perfidè à Tissapherne. Polyæn. *l.* 7. c. 18.

SOCRATES, Alexandri Magni Prætor, in Cilicia, Curt. *l.* 4. c. 5.

SOCRATES, Pictor, inter cujus opera est piger, qui appellatur ὄκνος spartum torquens, quod asellus arrodit, Plin. *l.* 35. c. 11. Pausanias autem dicit, hunc à Polygnoto pictum, *l.* 9.

SOCRATES, Rhodius, sub Augusto vixit. Reliquit *libros* 3. *de bello civili.* Athen. *l.* 4. Alius ab hoc videtur *Socrates*, qui Laërtio celebratur *in Diogene.* Alius etiam est *Socrates* Grammaticus, Etymologo laudatus in Ἐνῦαλε. Fuit & *Socrates* Cous, quem *indigitamenta*, i. e. *preces quibus Dii invocantur*, fecisse author est Laërtius, *l.* 2. *loc. cit.* Vossio *de Hist. Gr. l.* 2. c. 5. & *l.* 3. *p.* 414. Rhodius idem videtur, cum auctore 2. tractatuum, cujus Athen. *l.* 3. & 9. meminit. Idem meminit auctoris *Hist. Argivæ,* Vide quoque *Diogen.* & *Plutarch.* cum *Gesnero.*

SOCRATES, Constantinop. *historiam Ecclesiasticam* à tempore Apostolorum, usque ad Chrysostomum scripsit. Dictus est Scholasticus, & floruit seculò 5. Constantinopoli. Sub Ammonio & Helladio Alexandrinis, Grammaticam didicit: dein *Historiam* modò memoratam *libris* 7. condidit, orsus inde, ubi Eusebius desinit, i. e. à Constantino, usque ad Theodosium Juniorem per Ann. 140. Stylus ejus parum exactus videtur Photio *Cod.* 28. & 30. ipseque in Novatianorum errores propensior. Vide Cassiodor. c. 17. *de divin. Lect.* Evagr. *l.* 5. c. 24. Sigebert. c. 10. *Cat. Vir. ill.* Possevin. *in appar sacr.* Vossium *l.* 2. *de Hist. Græc.* c. 20. & *Valesium.*

SOCRATIDES, Archon Athenis, Olymp. 101. An. 3.

SOCRATES, cinædus quidam, quem ob stuprum commissum Piso Prætor postposuit 2. aliis adolescentulis, Veraniolo & Fabullo.

SOCRATIS Insula, in sinu Arab. *Ptolem.*

SOCUNDA, Hyrcaniæ oppid. *Ptolem Socanaa Ammiano.*

SOCUS, vir Trojanus, Hippasi fil. generosus animò, & corporis dignitate. Hic teste *Homerò*, Ulyssem vulneravit, sed ab eo deinde ipse interfectus est.

SODALES, apud Romanos, teste *Festo*, nonnullis dicti sunt, *quòd una sederent essentque*; aliis, *quod ex suo dapibus vesci soliti sint.* In quorum priori significatu Appulejus *Miles.* 10. *Hic est, qui sodalem convivamque possidet luctantem asinum, saltantem asinum, voces humanas intelligentem, sensum nutibus exprimentem.* In posteriori, ἀπὸ τῶν ἰδίων Græcis dicti sunt, ut videre est apud Lycophronem *Alexandr.* Et quidem cum conviviorum tria essent, apud Veteres genera, ἔρανος, γάμος & εἰλαπίνη, primum collatis ab unoquoque *sodalium* cibis fiebat, hinc ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, item κοινωνικὸν, Romanis *sportula* dicta est, quam Nero publicatum cœnarum locò instituit. Juvenal. *Sat.* 3. v. 249.

Nonne vides, quantò celebretur sportula fumò!

Centum convivæ, sequitur sua quemque culina &c.

Transiit mos ad Sacra, unde in Megalensibus Ludis institutas familias legimus, quibus stipem cogere mos fuit. *Neque verum est, quod ait Cato, apud Ciceronem, Sodalitates ab se inventas primum, perpetuus enim ver fuit: quum in Megalensibus per sodalitates convivia sunt agitata*, verba sunt J. C Scaligeri *Poetic. l.* 1. c. 29. &c. Vide quoque suprà, ubi de *Collegiis*, & *Opificibus* in voce *Societas*, infrà *Thiasus*, & Joann. Meursium *Not. ad Lycophronem* Berneggerum it. *Notis ad Justin. l.* 37. c. 4. ubi verba Auctoris de Mithridate, *Nec inter sodales, sed inter coæquales, aut equò aut viribus aut cursu contendebat*, explicans adducit locum Tertulliani *ad Uxorem l.* 2. c 6. *Discumbit cum marito in sodalitiis, sæpe in popinis*, & Cicer. *de Senect.* c. 13. ubi *sodalitates* appellat, it. *pro Plancio* c. 15. ubi legem quandam de his Liciniam latam refert.

SODERA, urbs aliàs Episcopalis nunc pagus Scotiæ, in parva insula Rana seu S. Columbi, *Cholmkill*, una ex Æbudis, in ora Mulæ insul. *Sodore.*

SODERA, vulgò, SAULDRE, fluv. Galliæ Celticæ Aliter SALDRIA, & SALDRA Oritur in provincia Bituricensi, dein per Sologniam & Blesenses fluens, 4. infra Romotentinum leuc. in Carim se exonerat.

SODERANI, populi German. ubi *Berlin*, & *Brandenburg* hodie, teste Pencerô, *in Chron.*

SODI, pater Geddiel, Numer. c. 13. v. 11. Latinè, *secretum meum.*

SODII, populi Iberiæ, Plin. *l.* 6. c. 10.

SODINUS, fluv. Plin. *l.* 6. c. 23.

SODOBRIUM, municipium agri Blesensis, ad dextrum Ligerim tribus parœciis constans vulgò *Suevre.* Hic Præpositura est, ad Turonense monaster. S. Martini pertinens. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SODOMA, singular. numeri & pluralis; SODOMUM Solino c. 38. urbs maxima quondam Palæstinæ ad lacum Asphaltitem, de cœlo cum Gomorrha, Adamah, & Zeboim tacta, & à lacu absorpta, cujus vestigia adhuc apparent, ab Hierosolymis ad 50. mill. pass. in Ortum distans, in tribu Dan. Hic poma proveniunt aspectu quidem pulcherrima, sed levi tactu fumum exhalant, fuliginem favillaceam intrinsecus continentia, uti Tertull. *in Apol. Hegesippus*, & *Josephus* auctores sunt. Vide *Asphaltus.*

SODRÆ, Indi fluv. quidam accolæ. *Diodorus.*

SODUCENA, Armeniæ minoris regio *Ptolem.*

SOERSIUS, Martinus, vide *Martinus.*

SOETA, Scythiæ extra Imaum urbs, *Idem.*

SOFALA, seu Zofala, urbs & regnum Cafferiæ, in Africa. Pars Æthiopiæ, olim sub M. Mogole fuit, hodie ex parte Lusitanis paret, quibus ibi arx est insignis.

SOGANÆ, Gaulonitidis urbs, Joseph. *de bell. Jud. l.* 3. c. 1. in tribu Manasse, firmissimo in loco sita, qui ibidem habet *Soganem* Arabum vicum 20. stad. à Gabarâ distantem.

SOGDIANA, regio *Mawrenhaer Mercati. Zagatay Leunclavio*, provincia Asiæ ingens, Scythiæ ad Boream & Sacis ad Ortum, Bactrianæ ad Meridiem Margianæ ad Occidentem confinis: per quam Jaxartes fluv. magnus in mare Hyrcanum labitur. Urbes in ea olim claræ Oxiana, Marucâ, Drepsa, & Alexandria: *Baudrando* est inter Scythiam intra Imaum ad Boream, Scythiam extra Imaum ad Ortum, Bactrianam propriam & Margianam ad Meridiem, & mare Caspium ad Occidentem. Hodie à quibusdam *Zagatay*, seu *Usbek* dicitur, cujus pars est regnum *Maurenhaer.* Sed tota hæc regio pars est Tartariæ Asiaticæ. Ejus caput est Marcanda, vulgò *Samarcand.* Tamerlanis clara natalibus: aliis recentioribus Sogdiana tota sub Mauralnahara continetur. Populi *Sogdiani*, qui vitam ita despiciebant, ut ad mortem læti & alacres irent, autore *Herodotô*, *Dionys.*

Τοῖς δ' ἐπὶ [illegible] Χωράσμιοι, οἷς ἔπι γαῖα

Σογδιάς, ἧς διὰ μέσσον ἑλίσσεται ἱερὸς Ὦξος.

Qu. Curtius *l.* 7. c. 10. *Sogdiana regio majori ex parte deserta est: octingenta ferè stadia in latitudinem vastæ solitudines tenent. Ingens spatium rectæ regionis est, per quam amnis, Polytimetum vocant incolæ, fertur torrens.* Vide infra quæ sequuntur. *Nic. Lloydius.*

SOGDIANUS, Persiæ Rex, secundo genitus Artaxerxis Longimani, frater Xerxis II. huic successit, per menses 7. vel 8. Euseb. *in Chron.*

SOGDONACUS, Pasinis, Regis Arabum, pater, qui Characem urbem Persici sinus intimam à fluminibus infestatam restauravit, Plin. *l.* 6. c. 27.

SOGIONTII, populi Alpini, Plin. *l.* 3. c. 20.

SOGNIACUM, oppid. Hannoniæ, in limite Brabantiæ, ad amnem *Sennam*, dist. 3. leuc. à Montibus, in Circiam Bruxellas versus 4. ab Binchio in Boream. Sub Hispan. *Seignes.*

SOGNUS, Provincia regni Congiani, extenditur à fluvio Ambrizi, usque ad 7. gradus & dimidium, versus Septentrionem, per fluvios Delundam & Zairen, usque ad rupes rubras, quæ sunt in confinibus regni Loangani. In medio hujus provinciæ urbs est, provinciæ quoque nomine indigetata. *Natal. Metel.*

SOGOCARA, Armeniæ majoris urbs, *Ptolem.*

SOHA, nomen viri, Nehem. c. 7. v. 46.

SOHAR, filius Simeon, Gen. c. 46. v. 10.

SOHEMUS, vide S[illegible]MUS.

SOHORIA, filius Jerobam, 1. Paral. c. 8. v. 26.

SOINES, locus Ægypti, apud Athanasium [illegible] ad [illegible] solita[illegible] epistola, ubi Hieracum & Dioscorum exules [illegible] manisse dicit.

SOIPHIS, Memphitarum Rex IV. post Meses[illegible] præfuit ann. 16. Spatio in toto[illegible] Ægypto regnante, circa tempora Thalegi. Illum excepit Toletarus. Vide Joh. Marshamum Canon. Chron. [illegible] Marshamii.

SOITA, Armeniæ, majoris oppid. Ptolem.

SOL, Phœnicibus olim Hel, [illegible], teste Servio, in l. 1. Æn. v. 646. qui de Belo Phœnice, unde etiam Dido, loquens, [illegible], [illegible], in [illegible] [illegible], qui per [illegible] Hel dicitur, [illegible] & [illegible] [illegible] dissolvente, & spiritu, in fictilium concre[illegible], [illegible]: una cum Luna, [illegible] est Thiâ sive Matre magna & Hyperione, [illegible] Diodoro credimus, [illegible] l. 4. c. 5. Homerus Euryphaessam, ejus matrem facit, in [illegible]. [illegible] autem de illo [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], cum fratrem Hyperionem [illegible], Lunam præter modum fratrem diligens, ex tecto se præcipitavit. Matrem quærentem juxta fluvium corpus, cum in somnum incidisset, [illegible] per somnium esse a Sole rogari, [illegible] maternam mortem. Nam homines [illegible] esse supplicium passuros, se verò et sororem quidam Dei providentia futuros immortales. [illegible] [illegible] [illegible] vocatum, Solem ab [illegible] appellandum fore, quæ vero Mena prius dicebatur, Lunam. A somno itaque experrecta cum omnibus [illegible] [illegible], [illegible] [illegible], [illegible], [illegible] Deos [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] in [illegible] [illegible] a [illegible] tympanaque quatiens, [illegible], sparsis crinibus per patriam errabat, &c. Sed, fabulâ missâ, certum est non tantum apud plurimas Gentes, pro Numine Solem cultum, sed & ejus nomine omnes Deos mares, quemadmodum omnes Deas ad Lunam referunt non sine ratione Mythologi. Vide Georg. Hornium Histor. Philos. l. 1. c. 6. Macrob. Saturnal. l. 1. c. 17. &c. Quæ verò Gentes, ut neglecto Deo, propriâ quâdam mentis inductione, uno in Sole, veri Numinis non tam effigie, quàm umbra duntaxat, omnia religionis suæ studia figerent, impulerint, fuere variæ. Ex quibus est, quòd in sublimi, ipsisque cœlis spectaretur. Vide Aristotelem de Cœlo l. 1. c. 3. Hinc apud Hesiodum in Ἔργοις, v. 8.

—— Ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει,

Qui supremas inhabitat domos.

Dein, quòd in lucidis illis corporibus Æther nihil Sole haberet excellentius, utpote cujus quatuor illa, Regio Vati memorata, & ex eo Gregorio Naz. adducta Orat. 10. [illegible], [illegible] [illegible], [illegible] [illegible], Pulchritudo, & magnitudo & [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible], commendant. E quibus postrema cum multiplex sit, indeque utilitates innumeras in terras ac præcipue genus humanum [illegible], quas calore [illegible] suâ efficit, propterea, ut ex Aristotele Clemens Alexandrinus in Protreptico tradit, Apollinem dixere filium Vulcani & Minervæ, ut alia omittam. Cum itaque hæc [illegible] omnes deberent, in admirationem & laudem Opificis, longè aliter in maxima Mundi parte evenit. Nam cum bonum quoddam etiam vulgares animæ viderent, cætera paulatim Gentilium Sapientiores perspicerent: pariter penè omnes in eum delapsi sunt errorem, ut vel Solem crederent [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] Cœli Numen, quomodo eum appellat Theologiæ vel saltem præcipuum Solem Numen putarent, Sideribus aliis, ob minorem utilitatem, inferiori honore cultis. Vide Thom. Aquinatem de Symbol. Ap. Idque jam antiquissimis temporibus: nec non ex Homero vel Hesiodo [illegible], quorum prior non multo antè vixit, quàm Salmanassar 10. Tribus in Assyriam abduxit captivas: sed ex divino jam Mose constat, cujus ævo hunc cultum obtinuisse, colligitur ex Deuteron. c. 4. v. 19. Ne [illegible] [illegible] oculos tuos in Cœlos, & videas Solem & Lunam, atque stellas, cum universo exercitu cœlorum & impulsus adores atque colas ea. Vide quoque Hiobum c. 31. v. 26. 27. ubi non tantum cultum hujus Idololatriæ ostendit, sed etiam ritus mentionem facit, qui Solem adorabant, manum osculantes. Si osculatus sum manum meam ore meo. A[illegible] vero patri vetustatis fuerit ritus ille, quo Solem vel Deorum aliquem adorabant, erectum os pollicem admoventes, ut Appulejus habet Metamorph. l. 4. item quo sese circumagebant, ac Romani quidem extrorsum, Plaut. Curcul. Act. 1. Sc. 1. Galli autem sinistrorsum, Plin. l. 28. c. 2. non adeo liquidum est. Interea cum simplicissimum quodque antiquissimum sit, verisimilius est, primos [illegible] contentos fuisse dextram ori admovere, sive illa [illegible] corporis conversione, vel [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Sed & hoc vero valde simile est, [illegible] [illegible] [illegible] esse, & fortasse a primis Solaris cultus temporibus mor[illegible] [illegible], ut præcipue colerent Solem [illegible], [illegible] [illegible] etiam tempore, ad Orientem conversi, præcipuum Deum Gentes; cum contra Israëlitæ contra Occidentem versi, ubi Sanctuarium erat, preces funderent, atque ita [illegible], [illegible] adorare eum Solem [illegible] [illegible], sed [illegible] [illegible], ut [illegible] Anastasius Nicænus, Quæst. 13. in Script. [illegible] [illegible] [illegible] hunc nonnullos addictos fuisse, qui, [illegible] more [illegible] gentibus, Syriæ vicinis, accepto, facie Orientem versa Solem adorarent, legimus apud Ezechielem c. 8. v. 16. Quam late autem hic cultus patuerit, ex [illegible] gentium facile ostendi posset, quas tamen omnes referre longe [illegible] [illegible]. Nam orbe propemodum universo, & quidem ab antiquissimis temporibus ea consuetudo viguit: unde est, quod Gentes etiam illas, [illegible] cum [illegible] minus cum aliis fuit, eoque [illegible] erant [illegible] [illegible], vel solum colerent Solem. Ut Massagetæ, [illegible] in Margiana, ubi eos collocat Ptolemæus, sive ultra Araxem, quo loco eos ponit Herodot. l. 1. ubi [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], Ex Diis solum Solem venerantur: atque addit deinde, equum ei sacrificasse, quia Deo celerrimo celerrima victima conveniret. [illegible] [illegible] [illegible] Solem, sed unà cum Luna, cultum fuisse, [illegible] [illegible] Civilis [illegible] [illegible], apud [illegible] ad. 72. [illegible] [illegible] [illegible], quæ [illegible] [illegible], [illegible], [illegible], nisi ex [illegible] putant. Vide [illegible] Tr[illegible] [illegible]. Etiam Germanicas Sarmaticasque gentes, Solem maxime veneratas, donec Christo nomen darent, satis cognoscere est ex Annalibus. Imo extremæ quoque Septentrionis nationes, [illegible] terras [illegible], Christi nomine imbutæ, simul ac æstivo tempore Aëreum [illegible] [illegible] cœpit, [illegible] eum gratias agunt, quod pro [illegible] spatii & [illegible] & frigore, lucem [illegible] [illegible] [illegible], ut Olaus M. refert [illegible] [illegible] l. 4. c. 1. Apud Tartaros eundem cultum vigere varii testantur. Atque eadem dicere de gentibus Americanis, uti Insul. Cannibalium, Caribanis populis prope Hebram & Paraguam, Peruanis, qui in Metropoli Cusco infantes etiam ei mactabant, & mense Decembri, quem Rayme vocant atque anni initium habent, festum diem celebrabant, quo [illegible] [illegible] [illegible] statuas, quas vocarere Solem Patrem, Solem filium & Solem fratrem &c. De quibus vide Christoph. Columbi Navigat. c. 88. & 92. Petrum Martyrem Mediol. Oceanæ Decad. [illegible] l. 4. Acostam Indicarum l. 5. c. 4. Joh. Lerium Navigat. in Brasiliam c. 16. Alios. Ipsismet elephantis [illegible] [illegible], ut Solis [illegible] [illegible], inesse tradit Plin. l. 8. c. 1. scribitque Ælianus Hist. l. 7. c. 44. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible], tanquam [illegible]. [illegible] Solis [illegible] [illegible]. Et addit, ut Ptolemæus Philopator Deo soli, cujus beneficio se credebat adversus Antiochum victoriam adeptum, 4. ingentes sacrificarit elephantos. Verum ut Elephanti Solem exorientem statim gestiant præ gaudio, [illegible] pro Numine illum habere credendum? Quis veri Numinis gnarus, sibi persuaserit, hunc animalium à natura indutum esse Elephanti, ut pro Creatore colant creaturam? Ut de Romanis aliquid addam, ab Aureliano Imperatore Solem cultum, & magnificentissimo Templo honoratum fuisse, docet Vopiscus in c. 19. Templum Solis [illegible] & Pontifices roboravit, ad quem locum vide Salmasii Notas. Non unâ autem figurâ apud varias illas gentes coli Sol consuevit. Emiseni sub ingentis lapidis effigie eum venerati, qui inde Elagabalus, h. e. Deus mons, vel Deus montis vocatus est: Quæ Numinis forma Aureliano quoque placuit, quum sibi eam in prœlio faventem vidisset. Persæ ejus simulachrum facie leoninâ effingebant, cum tiara, uti pluribus diximus supra in voce Mithra. Peruani tribus illum statuis efformabant, ut modo vidimus. Alii aliter. Apud celebriores olim Gentes verò, quibus nominibus Sol cultus sit, vide hic infra: ex Vossio de Idolol. l. 2. c. 8. & seqq. & Thom. Dempstero in Rosin. l. 2. c. 8. Neque vero Sol tantum divinis honoribus affectus, sed &, ut Deo, varia animalia, equi, ipsimis apud Persas, & scarabæi apud Ægyptios, accipitres illi sacri fuere, de quibus supra vide. Eadem somnia [illegible] narrata de [illegible] ritu vide infra ubi de Somnio. Cæterum in libris Græcorum Astronomicis, Solis figura in [illegible] abit. Quam notam, ad ejus nomen significandum non solum Astronomi usurpant, sed etiam cæteri auctores & imprimis Chymici, qui aurum eo insigniunt semper denotant, utpote Solis metallum: qua de re vide Salmas. ad Solin. p. 1237. De Scuto cum Sole, vulgò Escus au Soleil, monetâ aureâ Franciæ, in qua effictus Sol cis radiorum, supra coronam [illegible] [illegible], [illegible], in qua Rex coronatus &c. cusâ sub Ludovico XI. Henrico II. & Carolo IX. Vide Carol. du Fresne in voce Moneta &c. ut et Scutulato, supra voce Calbeare: & de mirabili Solis statua apud Alexandrinos clara voce Serapis.

Nomina, quibus Sol olim cultus, apud varias Gentes.

α. Abelio, Pamphylus, Cretensibusque dictus est, & fortasse Apollo, è Cretico [illegible], [illegible]. Vetus in Gemmis Noricæ populi [illegible]: Deo Abellino. [illegible], Jul[illegible]. v. 5. l. m. apud Gruterum p. 37. Item, [illegible] Deo. T[illegible]. [illegible] cons. [illegible], apud eund. β. Adad, apud Assyrios dictus, Macrob. Saturnal. l. 1. c. 23. unde A[illegible] [illegible], A[illegible] [illegible], nomina geminatum. γ. Adon, [illegible] sive [illegible], Phœnicibus in cultu divino appellatus est, ut & Arabibus. Plautus quoque vocabulo hoc utitur [illegible] [illegible] [illegible] 1. Sc. 2. v. 35. ac fortasse Catullus Epigramm. [illegible] [illegible] [illegible]? Est autem אדון Adon, idem quod Dominus. δ. Adramelechus & Anamelechus, cui Sepharvaitæ, Assyriorum coloni, infantes mactârunt: ad Molochum non difficulter reducas. Moloch autem nomine [illegible] cultus est. ε. Amanus & Anandratus, inter Persicos Deos, recenset [illegible] Straboni l. 11. quorum is idem cum Omano, ut est in MSS. [illegible] doctissimis Viris videtur, sed Vossius Omanum proprie non significare Solem, sed symbolum duntaxat ejus, Ignem perennem, in quo Sol colebatur, contendit. ζ. Ammon, ab Hebr. חמה Cham, apud Cyrenaicos, in ea parte, quæ Marmarica vel Mareotis Libya vocatur, cultus est. Unde & Hane, veterum Saxonum Numen, de quo Fabricius in Saxon. ipse quoque Sol fuisse videtur. Quemadmodum inde Chamanim & [illegible] sive Chammanim, de quo supra, [illegible]. [illegible] Apollo, Solis apud Græcos Romanosque nomen. Hinc & Datis Persa, cum sua delubra Græcorum comburere, pepercit tamen iis solum in Delo, ubi Apollo & Diana imprimis colerentur, ut illam Apollini Deloque numina, in Persicei Mithræ communionem reducerent. ι. Assabinum [illegible], apud Æthiopes, venerationem meruit, quem, quia venerari [illegible] [illegible] Deum, Jovem, [illegible] dixere Romani & Græci. E cinnamomum sive cinnamum factum, vide Theophrastum Histor. plant. l. 9. c. [illegible]. Baal, i.e. Dominus, generali nomine vocatus est, apud Phœnices & Syros. Nec [illegible], quod Baal & Bel Saturnum sit: Saturnum enim Solem esse, [illegible] [illegible] docent [illegible] Æneid. l. 1. [illegible] Baal Peor, [illegible] ac Moabitis in cultu fuit, qui LXX. Senioribus Βεελφεγώρ dicitur. Peorum vero Solem intelligi, facile patet ex eo, quod Apollinaris

hoc

hoc nomine Saturnum, Hieronymus Priapum, alii Jovem seu Uranum fuisse cultum statuunt, quæ omnia Solis fuêre nomina. λ. Baal samen seu Beel samen Phœnicibus quoque dictus est, quod κύριον οὐρανοῦ, Dominum cœli notat, teste Philone: qui addit, eundem apud Græcos Jovem nominatum fuisse. Fuerit ergo idem, quod Ζεὺς Ὀλύμπιος. μ. Baal Zebub, id est, Dominus muscæ, apud Accaronitas, est nominatus. Vide 2. Regum c. 1. v. 2. ν. Bacchi nomine cultus est, à Græcis Romanisque: Bacchum enim & Apollinem & Solem vocant, Ulpianus Rhetor ad Demosth. Midianam. ξ. Baisampsa, i. e. Solis domus, Arabiæ urbs: ibidem Solem fuisse cultum, testatur Stephanus de Urb. ο. Beelphegor, vide hic supra, Baal-Peor. π. Belatucadrus, dictus est in veter. lapide Wardaliæ in Cumbris, Deo. Sancto. Belatucadro. Aurelius. Diatova. aram. ex. voto. posuit. l. l. m. m. & duabus aliis Inscr. apud Gruterum p. 87. num. 1. ρ. Belenus, apud Aquilegienses, aliosque extra Italiam, Gallos videl. Armoricanos inprimis, in veneratione fuit. Vide Jul. Capitolin. in Maximino, c. 22. Ausonium in Profess. Burdigal. carm. 10. Tertullian. in Apolog. c. 24. σ. Belus, Assyriis ac Chaldæis, sive Babyloniis, etiam Solem denotavit: atque hinc gemma Solem referens, Beli oculus, dicta est, Plin. l. 37. c. 10. significat autem Bel, idem quod Baal, bal, beel, i. e. Dominus. τ. Chamos seu Chemos, Moabitarum Numen, Jerem. c. 48. v. 7. idem fuit cum Baalphegor, de quo antea diximus. Deus, Θεὸς Græcis, sine ulla adjectione, non raro. Item Θεὸς ἀρχηγέτης καὶ εὐμενής, Sol oriens & occidens. Themistius Euphrades Orat. 1. Οἱ σφόδρα ἐπιθυμοῦντες ... apud Desid. Heraldum ... ad Arnobium l. 1. υ. Dionysii nomine, apud Indos, Bacchus, & hinc Sol, cultus est. Divinus, in veter. Inscr. CAJUS. JUNIUS. ANICETUS. ARAM. SACRATAM. SOLI. DIVINO. VOTO. SUSCEPTO. ANIMO. LIBENS. DD. φ. Dysares, vel Dusares, ab Arabibus cultus, nihil aliud, quam Διόνυσος fuit seu Sol, Tertullian. l. cit. c. 24. χ. Elagabalus seu Alagabalus, Emissenis dictus est, ubi duos habuit παρέδρους, Μόνιμον & Ἄζιζον, i. e. Mercurium & Martem. Græci & Romani maluerunt dicere, Heliogabalus: cujus Sacerdos cum aliquando fuisset Antoninus, postea Imperator factus, Romæ etiam, templo Solis Heliogabali, in monte Palatino, ubi prius fuerat ædes Orci, extructo, ejus cultum instituit, atque omnia omnium reliquorum Deorum mysteria, & sacra ad hunc unum voluit transferri, Lamprid. in Heliogabalo c. 3. Erat autem hoc templum in regione Urbis 10. ψ. Frugifer, dictus est apud Persas. Arnobius, Inter deos videmus leonis torvissimam faciem mero oblitam minio, & nomine Frugiferi nuncupari. Græcè καρποφόρος, καρποτόκος, item in Epigramm. de Attine ... Vide Salmas. ad Vopisc. in Aurel. loc. cit. ubi Mithræ figuram explicat. ω. Gingras, apud Phœnices idem, qui Adonis, cui quo pacto apud Biblios sacra fieri solita sint, vide apud Lucian. de Dea Syria. αα. Hecatombæus, apud Græcos. ββ. Hercules, idem cum Marte ac Sole, Macrob. l. 1. c. 12. Unde in Ægyptiorum Hieroglyphicis Hercules triplex effingebatur, leonis capite in medio, à dextera, capite canis blandientis; à læva, rapacis lupi, quod de Sole, temporis dimensore, idem interpretatur, l. ead. c. 20. Græcis Hercules, quasi ἥρας κλέος, gloria ac decus Junonis, id est, aëris, quis alius quàm Sol? Nec alius fortè Hercules Romanus fuit, quem Recaranum Aur. Victor, Garanum vel Caranum, Verr. Flaccus apud Servium, vocat. Est autem Caranus, ex κοίρανος, idem cum Assyriorum Belo, quæ ambæ voces Dominum notant. γγ. Iacchus, in sacris Græcorum dictus est. δδ. Janum, Solem fuisse creditum, ostendit Arnob. l. 3. Apollinem fuisse, docet Nigidius Figulus, apud Macrob. Saturnal. l. 1. c. 9. Hinc Luna Jana; vide quoque elegantissimos Septimii versiculos, apud Terentianum Maurum. εε. Ignis, apud Persas, Solis symbolum. Invictus in veter. Inscr. DEO. SOLI. INVICTO. ARAM. Item, JULIUS. CÆSAR. DEO. SOLI. INVICTO. ALTARE. apud G. Elmenhorstium Observat. ad Arnob. adv. Gentes l. 1. Vide etiam paulo infra, Mithras. ζζ. Liber, idem cum Sole, apud Diodor. Sic. Biblioth. l. 1. cui proinde νεβρὶς i. e. hinnuli pellis, quæ varia, attributa, ob insignem Astrorum varietatem. Sic Phœbum pro Libero dixit Virg. l. 10. Æn. v. 537. ηη. Malachibelus. θθ. Mars, gentium Theologis Sol dictus est, ab Hebr. מרץ Marats, i. e. pollere, seu validum esse: vel à מחרב Mecharêb, i. e. perdens, destruens: hincque bello præfectus. Itaque & bellicosæ nationes Arctoæ, cum Martem pro summo Numine colerent, eique asinum mactarent; uti Cares canem, non alium videntur venerati, quàm Solem. ιι. Mercurii quoque nomine idem cultus est, pro cujus namque dimenso, alius alio sagaciori est ingenio magisque ad studia & doctrinas idoneo, vide Ammian. l. 16. Hinc Mercurius dux viarum creditus; quas Sol de die monstrat, &c. κκ. Mithras, Solis nomen apud Persas, summi apud illos Numinis loco culti. Vet. Inscr. Deo. Soli. invicto. Mithræ. Item, Omnipotenti Deo Mithræ. Cujus vocis origo ab מהר Mether seu Mither, i. e. magnus, unde comparativus מתרא Mithra, i. e. major, seu dominus, dominus. λλ. Molochi Numen, Ammonitis Cœlesyriæ genti præcipuum, idem cum Sole fuit; sive is ex מלאך malach i. e. nuntius dictus sit, & pro Mercurio dicatur cultus, sive potius ex מלך melech, i. e. Rex, & per eum Saturnus intelligatur. Adde quod Moloch seu Melech idem significet cum Baale sive Belo. Vide supra suo loco. μμ. Nebo seu Nabo, Moabiticum fuisse Numen, idem ac Chamos seu Baal-Phegor, Eruditi contendunt; his verò nominibus Solem fuisse indigitatum diximus. νν. Oculus in Sceptro, Solis apud Ægyptios symbolum. ξξ. Orus, Ægyptiis idem cum Apolline ac Sole, Diodor. Sic. l. 1. & Macrob. Saturn. l. 1. c. 21. ab Hebr. חרר, uro. Sol. οο. Et Osiridis nomine, non Nilus solùm, sed & Sol, iis cultus est. Unde Veter. Osirin interpretantur Titana seu Phœbum vel Solem, Statius Theb. l. 1. ππ. Pantheum dixêre Lucanienses, Auson. ρρ. Phanaces, Mysis appellatus legitur. σσ. Phœbus, Græcis Latinisque dictus est. ττ. Priapi nomine Sol quoque cultus est, ob vim suam generatricem: cui omnia hæc inferiora ortum debent. υυ. Sabazius Jupiter, idem cum Libero: & hinc cum Sole. φφ. Sol, Romanis cultus est Templis & Ludis. Primus ei, ut & Lunæ, in urbe ædem consecravit T. Tatius Sabinorum Rex, quibus postea aliæ quoque additæ sunt. In descriptione XIV. Regionum Urbis tria commemorantur Solis templa. De templo Solis Heliogabali jam diximus supra. χχ. Silvani, seu Martis Silvani, nomine Romanos rusticos Solem signasse, discimus ex Catone de R. R. c. 83. ubi, Marti, inquit, Silvano in silva interdius in capita singula boum votum facito. Dixêre autem Silvanum, non quasi solis præesset silvis; sed, quia vim suam exerceret, in universam elementorum ὕλην, vide Servium ad Æn. l. 8. illud, Sylvano ... Deo. Idem de Pane, cum is sit Silvanus, dicendum. ψψ. Teutates, vide infra in hac voce. ωω. Thyræus, ibidem. ααα. Urotalt, ab Arabibus antiquioribus cultus, idem cum Dionysio fuit, quem cum Urania sola illos veneratos esse, testis est Herodot. in Thalia. Ita promiscuè Liberum in Sole, & Solem in Libero venerati sunt. Videtur autem Οὐροτὰλ notare ... Sic Jesajæ c. 26. v. 20. habemus tal oroth, h. e. ros lucis, seu ros luminum: Ros verò metaphoricè sumitur pro quolibet beneficio divino cœlitus nos quasi irrorante. Ex orot igitur & tal, adjecto t. fit Orotalt, vel Ourotalt, i. e. Deus vel dator lucis: quod Soli apprimè convenit &c. De quibus omnibus vide plura suis locis.

SOL Indicus, cui olim aras inscripsit Alexander M. memoratus Philostrato l. 2. c. 15.

SOL Novus, festum in Ecclesia Roman. de quo vide supra, Nativitas Domini.

SOLANA, Serica urbs, Ptol.

SOLANE, fluviolus Aquitaniæ primæ, in provinc. Lemovicensi qui in Curretiam amnem se exonerat, ad mœnia civitatis Tutelensis.

SOLANIDÆ, insulæ Arabiæ Felicis ad Ortum. Plin. l. 6. c. 28.

SOLANUM, planta est, quam Græci strychnon vocant, cui vis reprimendi, refrigerandique, ut ait Plin. l. 27. c. 13. Imò & majoris baccæ devoratæ, ut & ipsa radix, strangulandi facultatem habent. Unde, joci causâ, radix hæc parasitis in Aula datur; qui ad lautas mensas etiam invitis dominis accedere solent. Quæ res oblectamenti non parum convivantibus præbet. Siquidem si cultello derasa scrupuli (semidrachmæ) pondere in vini semuncia maceretur, horis ad summum duabus, aliis septem; & deinde percolato diluto ac digitis presso, id vini recentis addatur, quod poculum repleat, totumque potandum propinetur; fit paulo post, ut, qui biberint, nihil prorsus edere possint, magno spectantium oblectamento. Quod plantæ secretum primus aperuit Franciscus Calceolarius Veronensis. Verùm qui hoc fuco utuntur, priusquam mensæ assideant, parasitos ad jentaculum invitant, ut fraudulentum id vinum propinent. Discutitur fucus à risu, aceto potui dato, quod præsens remedium est, somnus quoque superveniens sanat. Quod si porro drachmæ pondere propines, tum joculari insaniæ genere laborabunt, qui id sumserint, & hactenus tantum, ut formosi sibi videantur: Si modum duplices; insaniam majorem feceris & imagines illis conspicuæ obversabuntur. Sed ne quid nimis, ne copiosius sumtum enecet. Ad seria verò etiam Solanum adhibitum, docet historia Duncani Scotorum Regis qui in oppido Bertha obsessus à Suenone, Norvegiorum Rege, vino & cerevisiâ solano maniaco infectis, & in castra hostium summissis, eos in soporem dedit, magnaque inter eos strage edita disjecit, decem solùm militibus, qui, quod hostium dona suspecta habuissent, à potu abstinuerant, cum Rege suo elapsis, uti ex Buchanani Histor. Scotic. refert Auctor Sine & Enr. c. 31. Vide quoque Salmas. ad Solin. p. 1086.

SOLANUS, unus ex amicis Ovidii, ad quem scribit l. 2. Pont.

SOLARIUM, in Sole umbrâ horas distinguens; quod jam Romæ antiquissimum fuerit, inquit Censorinus c. 23. inventu difficile est. Alii enim apud ædem Quirini primum statutum dicunt (primum à L. Papyrio Cursore, Plin. l. 7. c. 60.) alii in Capitolio, nonnulli ad ædem Dianæ in Aventino. Illud satis constat, nullum in foro prius fuisse, quam id, quod M. Valerius Messalla, Catanâ captâ, ex Sicilia advectum, ad Rostra, in columna posuit. Quod cum ad clima Siciliæ descriptum ad horas Romæ non conveniret, L. Philippus Censor juxta constituit. Et de hocce Solario Siculo loquitur in Bœotia Plauti, ex Antiphane translata, Parasitus, apud A. Gellium l. 3. c. 3.

Ut illum Di perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeò primus hic statuit Solarium.
Qui mihi comminuit misero articulatim diem.
Nam me puero uterus erat Solarium
Multo omnium istorum optimum & verissimum,
Ubi ubi iste monebat esse, nisi quum nihil erat.
Nunc etiam quod est, non est, nisi Soli lubet.
Itaque adeò jam oppletum est oppidum Solariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

Antiquitùs enim Horarum nomen non minùs annos 300. Romæ ignoratum est; Unde XII. Tabb. Ortus tantum & Occasus nominantur, post aliquot annos adjectus & Meridies, accenso Coss. id pronuntiante. Plin. loc. cit. Quod Varro confirmat de L. L. l. 5. Hoc idem Cosconius in Actionibus scribit, Prætorem accensum solitum tum esse jubere, ubi ei videbatur esse horam tertiam (i. e. tempus illud, quod postmodum hora tertia nuncupabatur) inclamare, horam esse tertiam, item Meridiem & horam nonam. Post reperta dein Solaria, in horas 12. divisus dies, noxque in totidem, quod factum videtur circa annum Urb. Cond. 477. quo à M. Valerio horologium in Foro fuisse positum, Plinius commemorat. Quod verò Parasitus, oppletum esse oppidum Solariis esse parte addit, de Roma dici nequit, cùm unicum tum Siculum ibi adhuc esset; floruit enim Plautus initio secundi belli Punici, circa An. Urb. Cond. 530. Nec ex Antiphane id Poëta transtulit, qui claruit Olymp. 98. quâ neque Horæ adhuc repertæ, neque Horologiorum usus, qui non multo antecessit Alexan-

lexandri M. ætatem: nisi Horoscopia, quæ Anaximander invenit, sine horarum usu, intellexerit Contreos, vide Salmas. *ad Solin.* p. 650. Aliquanto dein tempore post Clepsydræ excogitatæ sunt, de quibus ita Censorinus *de die Nat.* c. 23. *P. Corn. Nasica Censor ex aquâ fecit horarium, quod & ipsum ex consuetudine nosceretur, ex Sole horas Solarium cœptum vocari.* Vide quoque Plin. *loc. cit.* Victorium *l.* 21. c. 15. Cœl. Rhodig. *l.* 18. c. 39. Alios. Tandem sonora Horologia facta sunt, teste *Luitprando*, qui inter alia *horas per aquam & sonitum jam ætate demonstratas esse*, tradit: Cujusmodi Horologium clepsydrâ & tintinnabulô constans, exhibet Hieron. Magius *de Tintinnabulis* c. 6. Vide quoque supra, in vocibus *Hora* & *Horologium*: de *Solario* vero *Achazi* Judæorum Regis iisdem supra.

SOLARIUM Expositionis, in *Collectan.* Anastasii Biblioth. *Post paululum ergo jusserunt inferri eum in* Solarium expositionis, *ut esset ibi, quatenus prospiceret Imperator per cancellos triclinii sui ea, quæ futura erant fieri*: locus erat eminens Constantinopoli, in quo delinquentes, ut ab Imperatore viderentur, exponi solebant. *Solarium* enim hic tectum est planum, Græcis ἡλιακὸν, ἡλιαστήριον & ἡλιακάριον, item ἐξῶσται dictum. Duplicis namque generis apud Veter. tecta erant, plana, aut inclinata, ad stillicidia deducenda: quorum hæc *fastigia* ac *culmina*, illa *meniana* & *solaria* dixêre, item *deambulatoria*, quòd in iis deambularent. Unde illud Augusti, *Quid? ego ut me populus dicat bene cultum, in* Solario *ambulaturus sum.* Ne verò facilis in præceps lapsus esset (quod Elpenori apud Homerum in Circes ædibus contigit) ἐπίπολον vel podium, in *Solariorum* circuitu poni solebat, id quod proprie *menianum* vocabatur. Vide Hieronym. *Ep. ad Suniam & Fretellam*, & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Spartian. in Pescennio Nigro*, c. 12. nec non hîc passim, in vocibus *Itera*, *Prophorum*, *Provolans*, inprimis ubi de *Menianis.*

SOLARIUS Pons, in Sabinorum finibus. *P. Diacon.* Vide *Salarius.*

SOLATIA, apud Spartian. *in Hadriano*, c. 9. *Nonnullos Equites Romanos -- visitavit, solatiis refovit, consiliis sublevavit*: solatia sunt seu alimenta; quô sensu non sequior solum & posterior ætas, sed etiam illa, quæ optimæ & antiquæ propior, vocem sumsit, ut jam pridem ab eruditis Viris observatum, in Cod. *Theodos. solatiis pro mercedula præsulis.* Similis vox *refrigerium*, apud Tertullian. & Ἀνάψυξις, in *Novellis* Justiniani, ejusdem notionis. Vide Salmas. *ad Spartianum d. l.* & infrà verbo *Solidare.* Aliàs *Solatium*, mortuorum vel absentium amicorum memoriam, in imaginibus vel statuis renovatam, plerumque veter. Auctores appellavêre. De mortuis Isidorus *l.* 8. c. 11. *Fuerunt -- viri fortes, aut urbium conditores, quibus mortuis homines -- simulachra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium.* Vide quoque Servium *ad Georgic. l.* 1. de Sylvano, Tacitum *Annal. l.* 12. de Agrippina, post Claudium sublatum. Fulgentium de Syrophane Ægyptio, Alios. Atque hæc idololatriæ origo, notata Auctori libri *Sapientiæ* c. 14. v. 15. & Minutio Fel. *Octavio*: auctore primùm Seruchô, uti docet Suidas in Σερούχ, Damascen. *de Hær.* p. 574. aliique innumeri â G. Elmenhorst. citati *ad h. l.* De absentibus Seneca *Ep.* 40. *Desiderium absentis* (imaginum) *solatiô levant.* Et Lactant. *l.* 2. c. 2. *Si qui imaginem hominis peregre constituti contemplatur sæpius, ut ex ea solatium capiat.*

Ac solatia vana subministrat
Vultus, qui simili notatus auro
Stratis prætexitur incubatque somno,

Statius *Sylv.* 7. *l.* 2. v. 128. Vide Jac. Ouzelium *ad Minuc.* Apud Monasticæ Rei Scriptores, sic vocatur qui vel quæ Monachis aut Monialibus officium & munus aliquod peragentibus, in adjumentum datur, uti docet Car. du Fresne ex Grodegango Episc. Metensi *in Reg. Canonic.* c. 9.

SOLBISIA, vulgô SOUBISE, locus Galliæ, ad Carantonum fluv. jamjam Oceano accessurum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SOLCI, Sardiniæ urbs, *Stephan.* Vide *Sulchi.*

SOLDA, Gall. SOULDE, quasi *Solida*, à *solidando*, non lapis est, ut quibusdam creditum, sed herbæ vitrariæ cineres in massam lapideam indurati, quibus ad crystallina conficienda uti consuevêre. *Halimum* eam herbam Veteres dixêre, cujus folium pingue, ipsumque ac leve, oblongumque: recentiores *Chali*, è qua sal ille, quem vocant *salem Chali*, item *alumen Catinæ*, quod idem est cum *Solda Narbonensium.* Cujusmodi salem hodieque magni faciunt Chymistæ & frequenter eô utuntur. Græcis quoque Χημικοῖς artificibus plurimum commendatur & miris laudibus effertur, ad eos effectus præcipue, in quibus ἡ πῆξις requiritur. Unde Ἑρμῆ βοτάνη prophetæ vocârunt, quòd eô fixum suum Mercurium redderent. Iisdem Sol aurum est; unde Halimum ἡλίου σπέρμα, quòd eô etiam uterentur ad argentum commutandum in aurum. Et Pythagoræ ἱερὸς κλάδος, *sacer ramus*, quòd scil. ad Sacram artem conduceret. Adeò autem cineres hujus Fruticis indurescunt, ut lapidem ipsum duritiâ vincant, unde & circumforanei Vitrarii lapidis genus esse sunt persuasi. Vide hanc in rem complura, apud Salmas. *ad Solin.* p. 1096. & *seqq.* ut & infrà in verbo *Solidare*, ac voce *trago*, item suprà voce *Ampullacea.*

SOLDANUS, vide infrà *Sultanus.*

SOLDICUS, vide infrà *Syndicus.*

SOLDURII, sunt apud Aquitanos 600. devoti; quorum hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis unà cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum unà ferant, aut sibi mortem consciscant, neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eô interfectô, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret, Cæsar *Comm. l.* 3. c. 22. Nicol. Damascenus apud Athen. *l.* 6. vocat Σιλοδούρους & interpretatur εὐχωλιμαίους. *Colerus* legendum censet *Soldurios.* Celtæ appellabant *Soldiner*, quasi stipendiarios: unde & hodie *Soldner*: Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.* A German. *Sold*, & *Sould*, quod Stipendium significat, & à voce *Salt*, pro Sale deducitur, quod fidem comestô sale firmabant. Unde & Latin. Salarium à Sale. Vide Gorop. *Hermath.* p. 191. Kilianum in voce *Sould*, *Pithœum*, &c.

SOLEA, à Græco ἔδαφος, quod *solum* significat, id calceamenti genus *Festo* dicitur, quod *plantæ solo subjicitur*: Gellio *l.* 13. c. 21. *quod plantarum calcis tantum infimas tegit; cætera prope nuda, & teretibus habenis juncta est.* Unde, quemadmodum Latinis à *solo*, i. e. *planta*, ita Græcis ὑπόδημα vocatur, à verbo ὑποδεῖν, *subligo*, quod in ea præcipuum. Et sane magis in *Soleis*, quam in calceis, vinculorum usus est: quô factum, ut apud Poëtas sæpe *vincula* pro *soleis* usurpentur. Ovid. *Met. l.* 3. *fab.* 2. v. 168.

Vincla duo pedibus demunt. ----

Tibullus *Eleg.* 5. *l.* 1. v. 66.

Vinclaque de niveo detrahit ipse pede, &c.

Quanquam interdum, etiam pro quovis alio calceamenti genere, vincula ab iisdem usurpari soleant. Nonnunquam *Soleas* Græci κρηπῖδας appellant; unde Latinis *Crepidæ* & *Crepidulæ*, quas cum *Soleis* easdem fuisse Eruditi docent: nisi quod *Soleæ* simpliciores essent, crepidæ verò crassiores, in quibus minim. duæ saltem simplices soleæ essent compactæ. Unde Crepidas stridere magis erat necesse, *argutâ constitit in soleâ*, Catull. *Epigr.* 69. v. 72. ubi *Solea*, pro Crepida. Erat autem *Solearum* usus, pro civili more, Mulieribus potissimum familiaris. Proin de statua Corneliæ Matris Gracchorum Plin. *l.* 34. c. 6. *Sedens*, inquit, *hæc posita fuit, soleisque sine amento insignis, in Metelli publica porticu.* Quod idem de statua Junonis legas, apud Prudentium *in Apotheosi.* Hinc Ciceroni *muliebres soleæ* dicuntur, ubi P. Clodium perstringit, *de Haruspic. resp.* Manliusque, fœmineum habitum describens, *nexæ fine tegmine plantæ*, commemorat: *Solearum* enim proprium fuit, nullum habere tegmen, & pedibus habenarum corrigiarumve beneficiô aptè adstringi: unde & *Obstrigillorum* nomen iis tributum. Isidor. *Origin. l.* 19. c. 34. Et ita quidem fœminarum proprius *Solearum* fuit usus, ut, si quando Virum aliquem contingeret in publico *Soleis* uti, probro id ei verteretur. Unde nota Ciceronis increpatio in Verrem *act.* 4. Asinii in Balbum apud eundem *l.* 10. *Ep.* 32. Callistrati in Senatores quosdam Romanos, apud A. Gellium *l.* 13. c. 21. Sic & Scipionem inde notatum refert Livius *l.* 29. c. 19. quòd *cum pallio crepidisque inambularet in Gymnasio*: quem imitatus Germanicus, *pedibus intectis & pari cum Græcis amictu incedere consuevisse*, legimus apud Tacitum *Annal. l.* 2. c. 59. ut de Caligula nihil dicam, cujus effœminatum calceatum carpit Sueton. c. 52. Domi tamen *Soleis* Romani utebantur, sicut foràs prodituri calceos sumebant. Interim in omni quoque animorum remissione, utpote per convivia publicaque Spectacula, pro more fuisse *Soleatos*, certum. De conviviis discimus ex Martiali *l.* 12. *Epigr.* 89. ubi in Cottam sic ludit:

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi præstat & facit turbam
Excogitavit homo sagax, & astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum,
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

Unde patet, cum *Soleis* ad convivia itum esse, quas Cotta, ne earum sæpius, per servi negligentiam, jacturam faceret, domi reliquit, nudisque penitùs pedibus (hoc enim hîc vox *Excalceatus* denotat) convivatum se contulit. Quod sic tamen intelligendum, ut in ipso convivii actu nullus earum usus esset: cœnaturi enim priusquam accumberent, in Triclinio *Soleas* deponebant, ne lectorum mensas ambientium stragula pulvere aut lutô conspurcarent. Unde Martial. ubi de cœna loquitur, *l.* 3. *Epigr.* 50. v. 3. *Deposui soleas*, inquit: & figura ex lapide, in viridario Cardinal. Montalti, ad montem Exquilinum, Silenum refert discubiturum, cui adstant Fauni nudi duo, alter ut accubituro soleas detrahat, alter ut reclinantem interea senem sustineat, apud Balduinum *de Calceo* c. 11. Cœnatorias dein sumebant, *Soleis* interea servorum custodiæ traditis, vide Martialem *loc. cit.* & *l.* 8. *Epigr.* 59. v. *ult.* à quo munere Servi *Sandaligeruli* & *Sandaligerulæ* dicti sunt. Peractô conviviô, cum è triclinio discedendum erat, *Soleæ* resumtæ: *Cedo soleas mihi, properate, auferte mensam*, Plaut. *Trucul. Actu.* 2. *sc.* 4. v. 12. 13. Sic Nasidienus apud Horatium *l.* 2. *Sat.* 8. v. 77. *Soleas poscit*: & Martial. non aliter intelligendus *l.* 14. *Epigr.* 65.

Defuerit si fortè puer, soleasque libebit
Sumere, pro puero pedes eris ipse tibi.

E quibus & hoc discimus, quòd servorum fuerit dominis cœnaturis *Soleas* demere, easdemque illis è Triclinio discessuris rursum inducere: Unde clarius intelligimus verba illa, quibus Johannes Baptista Matthæi c. 3. v. 11. Marc. c. 1. v. 7. & Johannis c. 1. v. 27. usus est, cùm se dixit indignum, qui *vel portaret calceamenta Christi, vel eorundem corrigiam solveret.* Vide quoque suprà, in voce *Pedes.* De *Solearum* porro calceatu Viris usurpato, per Ludos & Spectacula, quæ publicè in Amphitheatris vel Circis edebantur, Dio locuples testis est, *l.* 57. apud quem, de Caligulæ ludis sic Interpres: *Licebat iis, qui vellent, discalceatis spectare, qui mos jam erat olim in usu, & Judicia exercere per æstatem: quod ab Augusto in celebritatibus æstivis servatum erat, sed à Tiberio planè omissum.* Ubi ἀνυποδησία est, more Græcô soleatis aut crepidatis. Hæc in Urbe, extra eam verò, iter & iter facientibus, calceis depositis, soleis uti etiam viris moris fuit, Anton. Thysius JC. *Notis in Gel-*

lium

lium loc. cit. Dicti, *more Græci*: uti enim *calcei togæ*, sic *solea* & crepidæ pallii propriæ fuêre; quemadmodum ὑποδήματα quoque & σανδάλια Græci distinguunt. Hinc *baxeas* Philosophis *Apulejus*, βλαυτία Cynico assignat Leonidas in *veter. Epigr.* quod utrumque sandalii genus. Antiqui quoque Christiani, qui Philosophorum ἀσκήσει in habitu & calceatu imitabantur, βλαύτας aut phæcasia pedibus inducebant. Erant nempe hæc calceamenta omnia humili solo, neque ad ea suenda & concinnanda formâ ligneâ opus erat, quam Græci καλοπόδιον vocavêre, ut in calceis: sed solum πέδιλα sive πάτημα habebant, quod ad pedem habenis quibusdam, ut dictum, circa primores pedes religabatur, hinc ποδοπέδιλα appellata &c. Sequentibus seculis ad religiosos transiit id calceamenti genus, tanquam simplicissimum & ab omni luxu mollitieque quàm maximè remotum: cujusmodi *Solearum* exempla varia, Fullensium, Capucinorum, aliorumque; & unà Diteis simul ac Apollinis Pythii, quæ ob habeuatum elegantiam pulcherrima, exhibentur apud Balduinum *loc. cit.* Nec omittendum, inter Parricidarum apud Romanos pœnas *Soleas ligneas* fuisse. Ita enim apud Herennium *l. 1.* legimus, ex vet. Legum Roman. præscripto institutum esse, ut *soleæ ligneæ pedibus inducerentur, & is in carcerem duceretur*: cujus rei rationem tradit Hadr. Turnebus *Adversar. l. 13. c. 13.* *Ne terram communem omnium parentem attactu impiô contaminarent.* In eo tandem Veterum calceos à caligis, Gallicis, *Soleis* crepidisque diversos fuisse, quòd calcei totum pedem & dimidium crus, sive mediam tibiarum partem circumcirca velarent; caligæ verò, *Gallicæ Soleæque* aliæ, pedis plantam tantùm tegerent, ex Auctoribus notum est: Quæ proin calceamentorum genera, generali *Solearum* notione nonnunquam venire, annotavit Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 36.* Vide plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*, passim, & de *Soleis lanatis* mox.

SOLEA, Græcè Σωλέας, apud Codinum *de Officiis c. 17.* *At Patriarcha, apud Soleam stans, recitat orationem*, pars Ædis sacræ est, Bemati & Amboni proxima, qualis verò, non adeò liquet. *Meursio* fuit thronus seu solium, è quo fidelibus olim S. Eucharistia fuerit administrata. Aliis fuit gradus ante portam, quæ ad Sanctuarium ducebat: *Subdiaconos enim & Diaconos sedere oportere, extra Bema, circa Soleam*, ait Simon Thessalonic. *l. de Sacram.* Carolo Macro videtur fuisse pavimentum proximè ante Sanctuarium, quod ex onychite lapide constitisse, *Cedrenus* refert. *Festus* certè, *Solea*, inquit, *non solùm ea est, quæ solo pedis subjicitur, sed etiam materia robusta, super quam paries craticius exstruitur.* Per hunc autem *Soleæ* locum transibat Imperator, quoties ad Patriarcham accederet, quem *Prothesin* omnino fuisse, concludit idem Macer, *in Hierolexico.* Cl. tamen Suicerus Meursio accedit *Thes. Eccl.* Vide quoque infrà, *Solium*: uti de *Solea* pisce; Voss. *de Idolol. l. 4. c. 26.*

SOLEÆ Lanatæ, titul. *Epigr. 65. l. 14.* Martialis, quod sic sonat,

> *Defuerit si forte puer, soleasque libebit*
> *Sumere, pro puero pes erit ipse sibi.*

Non multum dissimiles erant πίλοις, i. e. *udonibus*, *pedum cucullis* quoque & *cucullopedonibus* dictis, qui, propriè lanei calcei ex lana coacta facti, intra calceum quidem habebantur, verùm plerumque & ipsi vicem calceamenti præstabant, præcipuè domi & intra cubiculum. Itaque Poëta dicit, si fortè puer defuerit & soleas tibi libeat sumere, cum soleis lanatis poteris ipse è cubiculo exire soleasque petere: quô pactô vicem pueri pes in solea lanata supplebit. Σανδάλια λευκὰ διὰ ὀδονίων istiusmodi soleas appellat vulgaris donatio Constantini, ubi vetus Interpres *odones* reddidit: quam vocem vide, plura verò hanc in rem, apud Salmas. *ad Lamprid. in Alexandro c. 40.*

SOLEN, Græcè σωλὴν, à figura *canalis* seu tubi, aliàs ὄνυξ, *unguis*, quòd testa ejus *unguem* referat humanum, χηρᾶν γυναικῶν λίχνευμα, *viduarum cupediæ Sophroni Comico*, pauperioribus in delitiis fuit. Sed fœminæ dulciores: omnes verò edebantur elixi ac frixi, verùm meliores in prunis tosti, usque dum hient, Athen. *l. 3.* Hinc Σωληνιστὴς Philoxenus Tyrannus dictus, quòd primitus vitam *solenum* capturâ sustentâsset, ac inde grandes sibi opes parâsset &c. Vide Voss. *de Idolol. l. 4. c. 36.*

SOLENANDER Reinerius, vide *Reinerius*.

SOLENIA, insul. inter Dalmatiam & Istriam. Aliter etiam *Solentia*.

SOLENNIS Doctor, vide *Henricus*.

SOLENNUS Orphitus, Consul, A.C. 111.

SOLENSIS Tractus, regiuncula Aquitaniæ, inter Beneharniam ad Ortum & Navarram inferiorem ad Occidentem. Ibi Mauleo oppid. præcipuum *le pais de Soule*, Gall.

SOLENUS, Indiæ intra Gangem fluv. *Ptolem.*

SOLETUM, Calabriæ urbs, Plin. *l. 3. c. 11.* *Soleto Leandro.* Baudrando *Solito*, oppid. aliàs Salentinorum, hodie castrum terræ Hydruntinæ. Intra Apenninum, 8. milliar. ab Aletio in Meridiem, Uxentum versus 15. etiam *Salantum*, & *Salantia* dictum.

SOLI, Straboni *Soloe*, nunc *Solea*, urbs olim, nunc pagus Cypri, in ora Septentrionali inter Arsinoën ad Occasum & Crommyon promontor. ad Ortum, metalli ferax.

SOLI, vide *Soloë*.

SOLI gladium ostendendi ritus, apud Athenienses olim, memoratur *veteri Scholiasti*, apud Euripidem, ubi de Oreste, Εἰώθασιν οἱ ἀνελόντες τινὰ δικαίως, ὡς οἴονται, τῷ ἡλίῳ τὸ ξίφος δεικνύναι, τόμβολον τοῦ δικαίως πεφονευκέναι, *Solebant ii, qui aliquem justè interfecisse sibi videbantur, Soli gladium ostendere, ut jure se occidisse significarent.* Justa autem habebatur cædes, si quis alium injustè vim inferentem incontinenti necâsset, ex lege Demosthenis *Orat. contra Aristocr.* citatâ, de qua vide Sam. Petitum *Commentar. in LL. Atticas l. 7. tit. 1.*

SOLIACUS Henricus, vide *Henricus*.

SOLIARIS Cella, apud Spartian. *in Antonino Caracallo, c. 9.* *Opera Romæ reliquit, thermas nominis sui eximias: quarum Cellam Soliarem architecti negant posse ullâ imitatione, quâ facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est spatium, ut id ipsum fieri negent potuisse docti Mechanici*: à voce *Solium* est, Græcè πύελος, Latinè quoque *alveus*, cujusmodi alvei seu solia in tepidariis & caldariis Balnearum cellis erant, sicut κολυμβήθρας, i. e. *piscina*, in frigidariis. Et quidem, sicut in frigidariis natabant, sic in tepidariis ac caldariis sedebant, in *Solio*, lavantes, & ibidem aquâ perfundebantur, à balneatore vel mediastino. Plin. *l. 5. Ep. 6.* *descensiones* dixit, h. e. ἐμβάσεις, & totidem in caldaria cella, quot piscinas in frigidaria, ponit, tres videl. Græci etiam ἐμβατῆρας vocavêre & σκάφας, unde σκαφολουτεῖν & σκαφολουτρὸν, apud Medicos Græcos: item πυέλους, ut apud *Pollucem* videre est. Vide iconem labri superbissimi, superbiori seculô, in thermis Titi, effossi, apud Car. Patinum *ad Suetonium Tito num. 8. p. 411.* & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Vopisc. in Carino, c. 17.* Adde saltem, quidquid extra *Solia* vacat, ἄνδηρα fuisse Græcis dictum, ex Cl. Suicero in hac voce.

SOLICINIUM, German. urbs, *Antonin.* *Solms* hodie *Heroldo*, inter Treveros & Moguntiam. *Cluverio Sulz*, oppidum ad Nicrum, in Ducatu Wirtemberg 5. milliar. Germ. à fontibus Danubii in Boream, Tubingam versus 4.

SOLICOMMUM, in *Fragm. l. 27. Histor.* Ammiani, ubi de Valentiniani Aug. cum Gratiano fil. expeditione trans Rhenum, locus fuit Hercyniæ Sylvæ vicinus, prope Heidelbergam, de quo vide B. Rhenanum *l. 3.*

SOLIDARE, Veteribus solùm indurare, unde *solida aqua*, concretæ & glacie constrictæ, Poëtæ; recentioribus insuper malthare est, h. e. ferruminare, propriè de metallicis omnibus, cùm partes eorum divisæ in unum glutinantur: lapidis de aliis, uti videre est suprà, in voce *Maltha.* Hinc herbæ, quam *Interpres Aristophanis* exuri dixit, ad vitra conflanda (herbæ scil. Kali, ex cujus cineribus cum quodam silicum genere mixtis nitidissima crystallina conficiunt Veneti Vitrarii) cineres in lapideam ferruminatos *soldam*, quasi *solidam*, à *solidando*, appellavere. Sed & verbum hoc Cassiodorus, pro *mercede conducere*, posuit *Variar. l. 3. Ep. 51.* uti *roborare*, Vopisc. *in Aureliano c. 35.* *fulcire* Amm. Marcellin. *l. 23.* Unde *solidum*, pro stipendio, & *soldati*, milites mercenarii; Gallis hodieque *soldats*, in *Gloss. Barthen.* σολιδᾶτος, *stipendiarius.* Indidem *soldada*, Hispanis merces, stipendium; à quo in *Constitutionibus* Catalaniæ *MS.* Jacobi I. Regis Aragon. apud Car. du Fresne, meretrix *Soldataria* vocatur, quòd *mercedem* peteret. Vide Salmas. *ad Vopisc. loc. cit.*

SOLIDUS, nomen aurei apud Romanos nummi. His enim cùm una fuisset olim forma nummi ex auro, non nisi *Aureus* is (vide suprà) nominabatur, quò vocabulo differebat ab argenteis & æreis, quales erant cæteri nummi. Dein *semisses* & *tremisses*, aurei & ipsi additi sunt, ad quorum differentiam, pro communi *Aurei* vocabulo, accepit vocabulum *Solidi*, quò dignosceretur à sui generis & materiæ nummis, non solidis, sed partibus ejus. *Solidus* igitur dictus, non à pondere, æquante scil. assem æreum, sed quod esset integer, quum alia ejusdem metalli nomismata vel semisses vel trientes ejus essent. Lamprid. *Alexandro Sev. c. 39.* *Tuncque primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, cùm ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses; dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset. Quos quidem jam formatos in Moneta detinuit, exspectans, si vectigal contrahere potuisset, ut eosdem ederet. Sed quum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos jussit, & tremisses tantum Solidosque formari. Formas binarias, ternarias, & quaternarias & denarias etiam atque amplius usque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi præcepit, neque in usu cujusquam versari: atque ex eo his materiæ nomen inditum est, quum diceret, plus largiendi hanc esse Imperatori causam, si quum multos Solidos minores dare posset, dans decem vel amplius unâ formâ, triginta & quinquaginta & centum dare.* Habebat autem *Solidus* drachmam & scripulum, sicque valebat denarios 14. & quatuordecim scriptula argenti cum triente scripuli, quatuor denarios & bessem facientia, qui novendecim denarii sunt: Et sic longè ultra scutatum & tertiam ejus partem evagabatur, paucisque assibus minùs accedebat ad duos scutatos, quod contra Lipsium *Admirand. l. 2. c. 10.* observat Gronov. qui, cùm minutiarum harum Romanos nullam rationem habuisse appareat, *Solidum* cum ipso illo, quicum tunc mutabatur, argento sic confert: *Milliarenses 60. conficiebantur ex libra argenti: ergo 5. in unciam: quinquies enim 12. sunt 60. Ergo milliarensis drachmæ Æginæticæ vel Schellingo Britannico par erat, nostris (i. e. Hollandicis) decem stuferis. Sic 6. milliarenses, faciebant tres florenos seu Scutatum: 12. milliarenses, 2. Scutatos, 6. florenos: atque id pretium Solidi*: quod Scaliger quoque animadvertit. Apud Chrysostomum *in Acta Apostol. homil. 11.* cùm is μυριάδα, pro 6000. sumit, uti constat ex Anastasio Sinaita, *Solidum* intelligit, quoniam is 6000. denariorum æreorum conferetur, Salmas. *ad Histor. Aug. Lamprid.* scil. *Alexandr. loc. cit.* Quod hausisse videtur, ex Cassiodoro *l. 1. Ep. 10.* etsi interdum ad 7000. interdum ad 7200. hujusmodi æreolos augeceret, ut videre est ex Novella Theodosii *de pretio Solidi.* Constantini *Solidus* quatuor scriptulorum eoque seni in unciam erant: unde & *Sextulæ* Latinis, Græcis ἑξάγια vocari cœpêre, quod primus monuit *Scaliger*, & ostendit locus Arithmetices ἀδεσπότου in Κανζίω apud *Meursium* &c. *Vicenos Solidos*, pretium minimum Servi decem annis majoris fuisse, legimus apud Justinianum *Comm. de Leg. l. 3.* A' Constantini temporibus rationes ad *Solidum* confici, hominesque locupletes & illorum Dispensatores Procuratoresque inprimis domus Augustæ & æream & argenteam pecuniam in auro computare, cœpêre: Nempe, ut veteres calculatores Dena-

rium,

rium, ita hi *Solidum* assis more, & ejus particularum vocabulis, partiti sunt: quâ de re, ut & plura *de Solido* non Romano tantùm, sed & *Solido* Francorum veter. aureo argenteoque, *Solido* item Lubecensi & Turonico, aliisque huc facientibus, vide apud Joh. Frider. Gronov. *de Pecunia vet. passim*, inprimis *l.* 4. *c.* 15. & *seqq.* ut & Salmasium *ubi suprà*. Porro *Solidi* ἐξάγιον (uti scribi vult Vir eruditus) sive pondus, inter Honorii nummorum typos, in suo *de Summatibus Byzantinis Opere*, delineatum exhibet, equidem Augusti nomine & *Exagii* appellatione inscriptum, Car. du Fresne. Quæ vox pro *solido*, seu pondere illius, postmodum usurpari cœpit. Νόμισμα quoque dixêre Græci recentiores, qui *Solidos aureos* etiam χρυσίνους appellârunt, à χρυσῷ, i. e. *auro*, & ὑπέρπυρον, ab obryzo, quod ὑπέρπυρον appellavêre. Vide suprà in voce *Hyperpyrum*, & hanc in rem plura, apud eundem Auctorem *Dissertat. de Nummis inferioris ævi num* 76. item *in Glossario*, in voce *Solidus*, ubi etiam *de solido & denario sponsandi* ritus meminit, ex *L.* Salica *tit.* 4. §. 1. cui emptio imaginaria in veter. Romanorum nuptiis respondit &c. de *Solido* verò *Provisino*, cujus meminit Cencius Camerarius *Ceremoniali MS.* Macros Fratres *in Hierolex.* Vide quoque aliquid suprà, in *Holosphyratos.*

SOLIMANNUS, Saracenorum Calipha XI. successit Oelido vel Ubid I. bellô felix, Byzantium obsedit. Regnavit ann. 5. quô tempore Gothi in Hispania pulsi. Obiit A. C. 718. successore Omare II.

SOLIMANNUS I. Rex Turcarum, fil. Orchami. Fœdere, cum Imperator. Græcorum, initô, Unglesem & Cratem, Bulgarorum principes, devicit: Adrianopolim, Galliopolim, &c. cepit; Obiit equi lapsu, A. C. 1352. au. 1358. an. 2. vel 3. regni. Chalcond. *Hist. Turc.* Joh. Cuspinian. *de orig. Turc.* Theod. Spandaginus, *de Hist. Turc.* Christoph. Richerius & Paul. Jovius, *de rebus Turc.* Petav. *in rat. temp.* Ubbo Emmius *Rerum Chronol. l.* 5. *&c.* Ei successit frater Amurathes I.

SOLIMANNUS II. Selimi I. patris in Imperio successor, A. C. 1520. prudentiâ, fortitudine, rerum gestarum gloriâ celeberrimus: Pace bellôque egregius, cùm 46. Ann. imperâsset, quemque horum memorabili aliquo facinore inclytum reddidit. Datæ fidei tenax, justitiæ amans, à vitiis liber, in armis indefessus. Gazellem, Syriæ Præfectum, rebellem per suos duces vicit: dein armis in Christianos conversis, Albam Græcam cepit, A. C. 1521. Rhodum A. C. 1522. occupavit: Ægyptios rebellantes, per Ibrahimum Bassam, coërcuit; Ipse in Hungaria Ludovicum II. prælio Mohacensi, A. C. 1526. superavit: plurimisque regni hujus urbibus in potestatem redactis, obiit in obsidione Sigethi, A. C. 1566. ætat. 72. Viennam hic frustra obsederat, A. C. 1529. Taurisium verò diripuit A. C. 1535. & per duces suos, in Europa, Asia & Africa, urbes provinciasque plurimas imperio adjecit. Paul. Jovius *in Solim.* Thomas Artus, *Contin. Chalcond.* Eum excepit Selimus II. fil.

SOLIMANNUS III. frater Mahometis IV. ei de throno deturbato, successit haud pridem: paulo pòst hydrope extinctus. Illum excepit frater tertius, an Achmetes, an Urchanes II. qui hodie imperat.

SOLIMARIACA, Leucorum oppid. in Gallia Belgica ad Mosam fluv. nunc forsan *Bourmont* oppidul. Lotharingiæ, in Barensi Ducatu in tractu Bassiniaco, in ipso limite Campaniæ, 36. mill. pass. à Tullo in Austrum, Andematunum versus 28.

SOLIMNA, urbs Indiæ, *Stephan.*

SOLIMNIA, Ægæi maris insula, *Plin. l.* 4. *c.* 12.

SOLINATES, Umbriæ populi. *Plin. l.* 3. *c.* 14.

SOLINIENSIUM Urbs, vide *Sollinensium.*

C. Julius SOLINUS, scripsit rerum orbis memorabilium collectanea ad Avitum. Dictus est *Plinii simia.* Titulis libri *Polyhistor* est, in 70. capita divisi; cujus Salmasiana editio præstantissima. Romanus fuisse videtur; Vide Scalig. *in Eusebii animadv. p.* 128. qui illum non magni æstimat. Salmas. *in Prolegom.* Gesn. *in Biblioth.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *p.* 720.

SOLIS Columna, rupes Alpium summarum, ex qua Rhodanus manat. *Sex. Avienus.*

SOLIS Cubile, in Cerne Insul. Lycophroni, qui inde Auroram oriri facit,

> *Τιθωνὸν ἐν κοίτῃσι τῆς Κέρνης πέλας*
> *Ἀυτοῦσα.*
> *Cascum maritum proximè Cernen insulam*
> *Tivoro relinquens.*

Quibus verbis Cernen ibi collocat, ubi omnes alii Veteres Chrysen, *sub ipso Sole oriente.* Mimnermus in Colchis constituit.

> *Αἰήταο πόλιν τόθι τ' ὠκέος ἠελίοιο*
> *Ἀκτῖνες χρυσέῳ κεῖαται ἐν θαλάμῳ.*

Quem utrumque halucinari docet Salmas. *ad Solin. p.* 1244. cùm omnes alii Scriptores in Occidentali Oceano Cernen memorent, nec Colchicæ regionis situs quadret. Quòd si idem *Cubile,* unde cubitu surgit, cum eo quò cubitum vadit Sol, in Hispanico Oceano id quærendum, ubi equis illum fræna demere & componere se ad quietem, fabulæ Poëticæ, imò extingui etiam illic, nugabantur Philosophiam quoque professi. Vide Cleomedem contra Epicurum arguté docteque scribentem *l.* 2. *c.* 1. A' Barbaris certè sibi *Cubilia Solis* ostensa, scripsit olim Pytheas Massiliensis; ἐδείκνυον ἡμῖν οἱ Βάρβαροι ὅπου ὁ ἥλιος κοιμᾶται, verbis servatis à Gemino *Element. Astronomic. c.* 5. Itaque *Ibero cardini* occasum Solis adscribentem Statium *Theb. l.* 1. *v.* 158. cur miretur Heinsius *ad Silium l.* 3. non videt Casp. Barthius *Animadversion. ad l.*

SOLIS Cursus, vide suprà.

SOLIS Dies, orbis hebdomadici constans apud Veter. initium, licèt idem septimanæ omnibus initium non esset: Christianis, tam Orientis, quàm Occidentis, etiam hanc inchoat (gravissimis de causis Sabbathi celebratione in illum translatâ) unde Græcis Christianis, annum ἑβδομαδικῶς κυριακεύειν, *hebdomadicè ordinare*, pro eo, quod est *à Solis die incipere*, dictum, ut videre est apud Maximum Tyrium *Computo Eccl. Part.* 1. *c.* 23. plura verò hanc in rem, apud Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Discipl. Ebræor. l.* 3. *c.* 20. & 21. Vide quoque suprà *Hebdomas*, it. *Planeta.*

SOLIS Fons, qui & *Hammonis fons* Val. Max. *l.* 8. *c.* 15. *exempl. ext.* 3. *Cantaron di Mahoma*, *Nebrissensi* in Marmarica. Est & *Solis fons* in Troglodytarum regione mirus, teste Pliniô, *l.* 2. *c.* 103. Nam circa Meridiem dulcis & frigidus est, circa media noctis calidus & amarus.

SOLIS Insula, in mari Indico, inter Carmaniam & Gedrosiam.

SOLIS Mensa, locus Æthiopiæ in Meroë insula, quam semper novis ferculis instructam fabulantur. *Paese della Cucagna* Italis, *Pays de Panegeu* Gallis, *Tierra di Mogollone* Hispanis, *Luy Lecker-lands* Belgis, *Schlaraffenland* Germanis.

SOLIS Mons, promontor. Mauritaniæ inter ostia Diur, & Phthuth fluv. *Benimager Marmol. Azafi* aliis, *Cabo Cantin Castel-do*, *Cabo Bojador Floriano.*

SOLIS Portus, in Taprobana insula, *Ptolem.*

SOLIS Vallis, seu *Solvedia*, urbs non obscura Marchiæ veteris Brandeburg. in Saxoniæ confinio. Vulgò *Soltwedel*, ad Jetzam amnem, 8. milliar. German. ab Ulceno in Ortum, Havelbergam versus 10. & 6. à Gardelebia. A Carolo M. condita, destructâ statuâ Solis, quæ Numinis instar ibi colebatur.

SOLIS Urbs (vide *Heliopolis*) urbs Cœlesyriæ & Ægypti. Duplex namque fuit, una in Ægypto prope Arabiam, in qua nidum suum phœnix (*Solis avis* dicta) deponere credita est; altera in Arabia Thurifera, prioris colonia; de qua utraque vide Salmas. *ad Solin. p.* 549.

SOLISTERNIA, indigitata Nic. Rigaltio *Observation. ad Minucium Fel. p.* 10. *Opulenta cultus* (à Gentilibus Idolis suis præstiti) *insignia sunt aurea statuæ, thensæ, acerræ, lectisternia, solisternia, currus, & alia hujusmodi pretiosa.*

SOLISTIMUM Tripudium, auspicii genus dictum est, cùm pulli ad oblatam escam mox è cavea cum impetu prorumpentes certatimque in illam involantes, eam avidè depascerentur, ita ut vescentibus illis aliquid ex ore relaberetur & terram paviret, quod *tripudium* faceret, à *Sole* dictum *Solistimum.* Hoc optimum habitum est, & proinde spe mirificâ haustâ Pullarius, ut constanter fortiterque cœpta negotia auspicantes urgerent, jubebat, & successus optatos à Diis omniaque prospera spondebat. Hac de re extitit decretum Collegii Augurum vetus, *avem omnem tripudium facere posse:* Quod si Pullarius omen mentitus fuisset, pœnam neutiquam effugere divinitus credebatur. Cujus rei exemplum refertur à Livio *l.* 10. *c.* 40. ubi Pullarius mentiri ausus, & *Solistimum tripudium* Consuli Papirio nuncians, paulo pòst patefactâ fraude ab altero Pullario, in initio pugnæ emissô temerè pilô, ictus cecidit, suique mendacii pœnas dedit. Verba solemnia in eo captando fuerunt, *damnare & addicere*, illud quidem in sinistro præsagio tristique eventu: hoc verò, in fortunatis prosperisque auguriis. T. Liv. *Dec.* 1. *l.* 1. *Cùm omnium Sacellorum inaugurationes admitterent aves, in Termini templo non addixêre:* & *Dec.* 3. *l.* 10. *Fabio auspicanti, priusquam egrederetur à Tarento, aves semel atque iterum non addixerunt.* Hinc Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 674.

> ——— ——— *Certant addicere sortes.*

Reliqua vide suprà, ubi de *Pullariis*, & infrà, in voce *Tripudium.*

SOLITARIA Cœna, vide suprà *Monophagia*, it. *Sensus communis.*

SOLITAURILIA, *Festo* sacrificium trium hostiarum diversi generis, tauri, arietis, verris, quòd omnes ex solidi integrique sint corporis, dicta ab integris genitalibus hostiarum, quæ immolabantur: *Sollum* enim vel *Solum* idem Oscis, quod *Integrum*; *Taurum* verò etiam Græci eam pudendorum partem vocabant, quæ à castratore in sacrificio eximebatur. Vide Scaligerum *ad Festum.* Ornabantur autem hæ victimæ vittis ac taeniis, atque sic ad aram ducebantur, quam *Icona* etiam Guil. Brassicanus in suum *de antiqua Rom. religione* librum retulit. In lustratione quinquennali, quæ à Censoribus quintô quôque annô peragebatur, sacri hujus meminit Dion. Halicarnass. *l.* 4. *Perfecto censu à Rege* (Servio Tullio, qui auctor hujus instituti fuit) *omnes cives jussi sunt armati adesse, in campo Martio, ibi instructos in sua quemque Centuria Equites, Pedites, Velites, lustravit Rex Solitaurilibus. Hostiæ taurus, aries & hircus, ter circumductæ circum exercitum Marti mactatæ sunt. Hôc modô etiam nostrâ ætate, post Censum, Romani lustrantur à Magistratu sanctissimo, quod Lustrum suâ voce nominant*, vide quoque suprà ubi de *Homicidio.* Apud Livium *Suovetaurilia* invenias *l.* 1. *c.* 44. ubi eadem de re loquitur, quasi vox esset ex omnium trium vocabulis, *Suis, ovis, tauri,* confusa. Vide Rosin. *Antiqq. Romanarum l.* 4. *c.* 17. *ubi de dubiis Festis, non stato tempore celebratis.*

SOLITUDO Bethaven, ubi Abraham primò tetendit tabernacula, in tribu Benjamin, Gen. c. 12. v. 8.

SOLIUM, vulgò SOGLIO, vicus celebris Rhætiæ, in Prægallia valle, Nobilium *de Salis* sedes.

SOLIUM, perpetuum Regiæ dignitatis instrumentum fuit & argumentum, olim hodieque, in cujusmodi *Soliis* seu *Thronis* multum reverentiæ Veteres posuisse, vel sacra Salomonis historia & alia Scripturæ monumenta indicant. Hinc de Adrasto Statius *Theb. l.* 1. *v.* 526.

> ——— ——— *soliôque effultus eburnô:*

eboris enim antiquissimis temporibus summum pretium summaque etiam copia fuit, ut quô tota conclavia ornata & velut constructa fuisse, colligimus ex Psalmo 45. v. 9. quem his versibus reddidit Apollinarius, v. 10.

Βριθ-

Χαίρῃ τε, καὶ σαυτὸν, κατιδὼν ἀπὸ τοῦ σοῦ εἶδεν
Ἐν ποικίλῳ ... ὁ καὶ ...

Et de Parthis Claudian. de 4. Consulat. Honorii v. 214.

Si tibi Parthorum Solium fortuna dedisset.

Quod etiamnum apud Persas, aliosque Orientis Monarchas obtinet, apud quos, in novorum Principum inaugurationibus, non coronationis, sed *elevationis* solum in thronum seu *solium* ritus adhibetur. Vide quæ de Majestatis hoc insigni adnotavit Casp. Barthius ad *Claudian. loc. cit.* ut & infra *Thronus*. Sed & in Ecclesia veter. Christianorum, è *Solio* vel Throno corporis ac sanguinis Dominici symbola fidelibus distribui consuevisse, statuit *Meursius*, uti diximus suprà in voce *Selea*. Certè ex editiore loco id fuisse factum, indicat *contra Luciferianos* Hieronymus, *Episcopum Corpus Domini adtrectantem & de sublimi loco Eucharistiam populo ministrantem*, & Chrysostomus, *Ea de causa*, inquit, *stans excelsus ---- tremendò in illo silentio vehementer exclamat, Sancta Sanctis*. De *Solio* verò Balneorum, vide suprà in voce *Solearis Cella*: Sicut de *Solio*, i. e. limine, maximè *Liminis Confessionis*, Græcis hodiernis σολέα, ad quod subsistebant, qui Sanctorum sepulchra visitatum ibant, C. du Fresne in *Descript. Ædis Sophiæ*. De *Soliis* tandem fictilibus, in quibus mortui conditi, suprà in voce *Alveus*.

SOLIUM Cæsaris, vulgò *Keyserstul*, urbs Helvetiæ, in diœcesi Constantiensi, ad Rhenum, qui ponte hìc jungitur cum arce. A Tiberio Imperatore condita, Alemannorum sub Valentiniano III. Imperatore in Galliam incursionibus vastata, diu sub Baronibus cognominibus fuit, posteà ab Henrico Episcopo Constantiensi sub finem seculi 13. Episcopatui acquisita est. Haud procul Forò Tiberii: quod vulgò *Zurzach* vocatur. Vide Stumpf. *Chron. Helvet.*

SOLLAGIUM oppid. sanum & honestum Latii est, lacui imminens, inter excelsos montes. A Sollagio secundum lacus & Amenis dexteram, procedendo, propter amnis ripam aquæductus pars apparet, quò per montem usque ad Vicum Valerium excavatò rivò, ac deinde structis opere latericiò fornicibus, multis in locis altissimis immensisque pilis incumbentibus per 40. mill. pass. Romam aqua ducebatur.

SOLLAX, fluv. Asiæ, idem Tigridi, *Plinio*, qui & *Sylax Eustathio*.

SOLLEMNIACUM, villa Galliæ, in Lemovicibus, vulgò *Solignac*, à *Sollemnio* aliquo conditore & domino suo dicta. Hìc Dagobertus Rex rogatu Eligii, maximum nobilissimumque cœnobium condidit & Monachis 150. congregatis Remaclum Abbatem præfecit: 6. mill. pass. ab urbe Lemovicis. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

SOLLIACUM, castrum vetus ac nobile Galliæ, ad Ligerim, vulgò *Sully*, 18. mill. pass. ab urbe Aurelianis: Archidiaconatus *Solliacensis*, sextus est ac ultimus Ecclesiæ Aurelianensis. Item Abbatiale monasterium in Cadurcis, ad Duranium fluv. vulgò *Souillac*. Item, vicus pagi Autissiodorensis, Idem.

SOLLIACUM, vulgò *Soully* vel *Seully*, locus Lotharingiæ est, in Ducatu Barrensi, in conventu ejus Juridico, qui à Barro, Ducatus Barrensis capite, *Barrensis* dicitur. Quatuor enim in hoc Ducatu Juridicos conventus esse, Conventum Barrensem, Conventum S. Michaëlis, Conv. Bassiniacensem, diximus alibi.

SOLLICITANTES, dicuntur in Communione Romana ex Confessariis illi, qui in Confessione *sollicitant* & provocant, seu sollicitare & provocare tentant teneriorem sexum ac ætatem, ad actus inhonestos, contra quos Bullam edidit Paulus IV. *Cùm sicut super.* & Pius IV. nec non Gregorius XV. in qua Pauli Bullam confirmat, illamque non solùm in Hispaniarum regnis, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus observari præcipit, cùm priores tantùm de Hispaniæ Confessariis sonarent. Ut alia Edicta & Constitutiones omittam, quibus omnibus ansam præbuit Sacerdotum luxuria, Bullâ Pii IV. A. C. 1564. d. 6. *April.* graviter notata, non tamen eò successu, qui sperabatur. Convicti de hujusmodi crimine Confessarii, præter pœnitentias salutares, ut jejunia, orationes & similia, digni judicantur, ut damnentur ad triremes per quinquennium vel septennium; item ad carcerem perpetuum, imò aliquando (ad arbitrium tamen Cardinalium Supremorum Inquisitorum) ut brachio seculari tradantur, prout disponitur Constitutione Gregorii præfati. Debent quoque suspendi in perpetuum ab audiendis Confessionibus, privari beneficiis, dignitatibus, voce activâ & passivâ, ad arbitrium inquisitorum. Confessariis regularibus potest imponi, quòd teneant ultimum & infimum locum inter regulares sui Monasterii. Et aliquando debent Inquisitores mandare, ut sententia contra Confessarium regularem publicè legatur in proximo Capitulo suæ religionis generali, ad aliorum terrorem & exemplum. Anton. de Sousa *Aphorismis Inquisitorum*, l. 1. c. 34. §. 1. 9. 31. 32. 33. &c. Cæs. Carena *de Officio SS. Inquisit.* §. 9. n. 59. §. 12. 14. 15. Alii laudati Phil. à Limborch *Historiâ Inquisit.* l. 3. c. 27.

SOLLICITARE, plagiariorum verbum, vide supra ubi de iis.

SOLLINIENSIUM Urbs, in provinc. Alpium maritimarum quartò olim, inter 8. ejus civitates, locò, forte *Selon*, oppid. Provinciæ, vix 2. leuc. à Druentia fluv. in Meridiem, & ab Arelate, quæ alter *Salone*. Aliis est *Salinæ Suetriorum Ptolemæi*, vulgò *Seillans*, oppid. Provinciæ, inter Sanitium & Antipolim. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SOLLIUM, vel SOLIUM, Corinthi oppid. *Stephan.*

SOLMA, castrum Veteraviæ, cum oppidulo, in colle; *Solms*. Caput Comitatus cognominis, vix 2. milliar. German. à Vetziaria in Boream uti à Giessa, 3. à Marpurgo in Occasum. Sub Comite proprio. Habent hi Comites in Wetteravicorum Comitum scamno locum inter præcipuos, quorum *genealogiam* peculiari volumine descripsit Alb. Otto Bilgen. Originem quærunt in domo Nassovica. Nam ex Eberhardi Comitis Nassoviæ, qui seculò IX. floruit, filiis unum Philippum, arcis *Solms* & hujus gentis conditorem constituunt. Peculiaris linea, *de Konigsberg* dicta, sec. XIV. defecit. Qui nunc supersunt, omnes communem patrem habent Ottonem, qui decessit A. C. 1409. Ab hujus enim majori filio Bernardo, linea *Braunfelsia* descendit, in tres iterum ramos, *Braunfelsiensem*, *Hungensem* & *Greiffensteinium*, divisa. Ab altero Joanne *Lichensis* & *Laubachia* lineæ ortæ sunt, quarum illa denuo in *Lichensem* & *Hohensolmensem*, subdistinguitur: ista in *Laubacensem*, *Sonnewaldiam* & *Rodelheimensem*, de quibus omnibus, vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ.* & hic passim. *Braunfelsiæ* hìc saltem, utpote præcipuæ, series exhibebitur. Bernardus Comes *de Solms in Braunfels*, qui obiit A. C. 1459. ex Elisabetha Isenburgica, genuit Ottonem, qui obiit A. C. 1504. patet ex Anna Nassovia Bernardi, qui decessit 1547. Hôc & Margaretâ Hennebergicâ genitus Philippus diem obiit A. C. 1544. & ex Anna Tecklenburgica suscepit Conradum, cui emortualis fuit annus 1592. Huic Elisabetha Nassovia peperit Jo. Albertum defunctum A. C. 1623. cujus liberi, ex Elisabetha Sayno-Wittgensteinia, fuêre, Elisabetha (nata A. C. 1593. uxor Wolfgangi Friderici Rhingravii) Ursula (nata A. C. 1594. uxor Christophori Burggravii *de Dona*) Conradus Ludovicus (natus A. C. 1595. cui nupsit Joanna Sibylla *de Hanaberg*) Joannes Albertus (natus A. C. 1599. maritus Joannæ Elisabethæ Falckensteniæ, denatus 1648.) Amalia (nata A. C. 1602. uxor Henrici Friderici Nassov. Arausionensis) & Luisa Christiana (nata A. C. 1606. Jo. Wolfardo B. *de Brederode* nupta) omnes *Comites in Solms &c. in Braunfels*. E quibus Joanni Alberto nati sunt, Henricus Trajectanus (natus A. C. 1635.) Amalia &c. Vide præfatum Spenerum *Part. 1. p. 128.* & *Part. 3. p. 85.*

SOLMISSUS, mons Ioniæ, circa Ephesum & Ortygiam lucum, *Strabo*.

SOLOCE, magna civitas, quæ notiore nomine *Seleucia* dicitur. Strab. *l. 16.*

SOLOE, vel SOLI, civitas insignis Ciliciæ, maritima, ab Achivis & Rhodiis ædificata, Arati, Chrysippi, & Philemonis Comici patria. Hìc fons erat, qui olei vicem expleret, Plin. *l. 31. c. 2.* *Stephanus* à *Solone* conditam scribit; posteà *Pompejopolis* dicebatur à *Pompejo M.* qui piratas in eam transtulit, quos dignos existimavit, ut servarentur. *Dionysius*.

Πάντῃ δ' ἑξείης Κιλίκων γεγάασι πόληες,
Αἰγαί τε, Μαλλός τε, καὶ Ἀγχιάλεια, Σόλοι τε

Eidem Dionysio *in Bassaricis*, Σόλοι dicitur, si *Stephano* fides. Græcorum hìc inter Cilices agentium cum tandem sermo corrumperetur, hinc effectum est, ut qui vitiosè loquerentur, σολοικοὶ quasi *Solis degentes*, & ipsa corrupta loquutio σολοικισμὸς vulgò à Græcis diceretur. Quintil. *l. 1. c. 9.* *Barbarismi, ac Solœcismi fœditas absit.* *Hesych.* Σολοικισμὸς, ὅτε τις ἀπαίδευτος διαλέγεται. Idem Σόλοικοι, τὸ ἀμαθεῖς. Quid autem differant Solœcismus & Barbarismus, præter Eust. *ad Iliad. β.* docet Suidas *hisce*: Ἔστι δὲ βαρβαρισμὸς ... λέξεως ... τὸ ἴδιον ... Σολοικισμὸς δέ ἐστι, λόγος ἀκατάλληλος ... στοιχεῖον ... Sed interdum confunduntur. Sanè *Hesych.* Σολοικίζει, βαρβαρίζει. Est etiam Cypri civitas Σόλοι dicta. *Etymologus* Σόλοι, πόλις Κύπρου, ἀπὸ Σόλωνος τοῦ Ἀθηναίου ὠνομάσθη. Meminit ejusdem urbis Laertius *in Solone*: Εἰσὶ δὲ ... Σολεῖς, οἱ δ' ἀπὸ Κύπρου, Σόλιοι. Idem habet Achilles Tatius *in Vita Arati*. *Nic. Lloydius*.

SOLOEIS, Siciliæ urbs. Thucyd. *l. 6.* *Solanto Leandro*.

SOLOENTIA, Lybiæ interioris promont. *Ptol.* Mel. *l. 1. c. 13.* *Soloentia*, hodie *Capo bianco*, in Nigritarum regione in regno Gualata.

SOLOMATIS, amnis in Gangem influens. Arrian. *in Indic.*

SOLOMON, vide *Salomon*.

SOLON, fil. Execestidis, natus Olymp. 35. unus ex 7. sapientibus Græciæ, patriâ Salaminius, Athenis claruit, Tarquiniô Priscô Romæ regnante, Gellius *l. 17. c. 21.* Auctor Legum post Draconem, nimis severas, fuit Atheniensibus, annum ordinavit ac menses. Coërcuit luxum, varias ceremonias superstitiosas abolevit. Atheniensibus, si improles essent, testandi libertatem indulsit, parricidis legem non posuit. Salaminâ Atheniensibus, ingeniosô dolô usus, conciliavit. Leges aranearum telis assimilavit. Pisistrati dein tyrannidem fugiens profectiones in terras diversas multas suscepit, ut in Ægyptum, ubi à Sacerdote quodam objectum est illi: *Græcos semper esse pueros, nec quemquam è Græcia senem*: quemadmodum Plato & Justinus *in Parænetico* retulerunt. Inde in Lydiam ad Crœsum se contulit, qui cùm opes suas ei ostentaret, rogaretque, num quem sese feliciorem judicaret? respondit, *Tellum quendam, parvæ rei admodum, aliòqui justum, Athenis agentem: qui in suo prædiolo consenuerat, ejusque limites nunquam egressus erat. Fieri tamen posse, ut & Crœsus ipse olim inter felicissimos numeretur. Cæterum ante supremum vitæ diem neminem beatum esse judicandum.* Quâ sententiâ nihil verius esse, Crœsus posteà re ipsâ est expertus. Nam cùm Cyro Persarum & Medorum regi bellum inferret, acie victus, vivus in hostis potestatem pervenit. Quò tempore pyræ impositus, ut vivus exureretur, salubre Solonis consilium dicitur agnovisse, ejusque nomen in supremo illo vitæ discrimine sæpius inclamâsse. Quò auditò, Cyrus ex suis misit, qui cognoscerent, quisnam esset Deorum, hominumve, quem ille summo in periculo solum invocaret, remque totam edoctus, memor & ipse humanæ vicissitudinis Crœsum ab incendio liberavit; summoque quoad vixit, in honore penes se habuit. Juvenal. *Sat. 10. v. 273.*

----- --- Regem transeo Ponti
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ

Quam Solonis sententiam tetigit quoque Auson. *ludo 7. sapientum*, *n. 2.* Ovidius autem suam fecit, & sic expressit, *Met. l. 3. v. 135.*

- --- ----- Scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.

Utrum verò etiam rectè id à Solone dictum sit, disquirit Aristoteles *l. 1. Eth. ad Nicom. c. 10.* Obiit An. ætat. 80. Scripsit tractatum *de Legibus, Orationes, Elegias, Iambos*: Instituit quoque, ab auxit Senatum Areopagiticum: Vide plura apud Herodot. *l. 1.* Plutarchum, Laërtium, *l. 1.* & Meursium *l. singulari de Solone. Lloyd.*

SOLON Platæensis, unus ex Legatis Græcis, ad Polyspercontem missis.

C. Jul. SOLON, homo ignobilis, quum consumptis bonis sub Commodo in senatum cooptatus esset, notatus est jocò, ut qui spoliatis facultatibus in senatum relegatus esset. Occisus est postea à Severo.

SOLON, quod SOLONIUM *Dioni*, Allobrogum urbs. *Epitome Livii*, *Dio*, &c. ubi, post cædem Catilinæ, Cajum Pontinium Prætorem Allobroges, qui rebellaverant, domuisse scribit Florus *in epit. 103. l. Livii*: in provinc. Viennensi, hodie fortè *la Sone*, ad Isaram in finibus Allobrogum, parum distans à castro ad Isaram, vulgò *Vruay* dicto, quod est in Diœcesi Gratianopolitana seu Cularonensi. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SOLONIA, vulgò *la Sologne*, tractus Gall. fluviis irriguus & frumenti secundarii ferax, inter Aurelianensem provinc. Blesensem, & Bituricensem, cujus periêre limites. Ejus caput est Remorantinum. Quidam *Sabulonam*, ob sabuli copiam, tractum hunc vocant. Alii *Siligontam*, ob siliginis copiam. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SOLONIUM, oppid. Latii in confinio Hetruriæ. Agri Lanuvini fuit *Solonius campus*. Cicer. de Div. *l. 1. Educatus in Solonio, qui est campus agri Lanuvini.* Plut. in C. *Mario*, vocat villam: Ἐς τι τῶν ἐπαυλίων αὐτοῦ Σολώνιον κατέφυγε. *Festus*: *Pomonal est in agro Solonio, via Ostiensi, ad duodecimum lapidem diverticulo à milliario octavo.* It. Allobrogum urbs. Vide *Solon.*

SOLOR, Insul. Asiæ, Moluccis ad Austrum sita.

SOLORIUS, mons Hispaniæ, quô Tarraconensis à Bætica & Lusitanica distinguitur. Plin. *l. 3. c. 1.* Omnibus Hispaniæ montibus altiorem esse scribit *Isidorus*. Item portus, *Porto Salo*, portus Hispaniæ Tarraconens. 4. mill. pass. à Tarracone in Boream, Barcinonem versus. *Dion. Halicarnass. Sex. Rufus.*

SOLOTHURUM, una ex præclaris & vetustissimis Helvetiæ civitatibus ad Arolam fluv. aur. ferum sita, quam paulo post Treviriim constructam existimant, *Soluthurum* dicitur *Antonino*. Sita est in agro plano & fertili. Ad fœderis perpetui societatem recepta est, A. C. 1481. Vide *Salodurum.*

SOLOX, apud Tertullian. *de Pallio cap. 4. Sed & — pugil Cleomachus utique, sicut vestigia cæstuum virtù occupavit: ita & endromidis solocem aliqua multicia synthesi extrusit*; pinguis est & crassus. *Solocem* enim *endromidis* dixit Græcâ figura pro *solocem endromidem*, quod genus vestis crassæ & Athletis tribui solitæ, tanquam propriæ & usitatæ, Latinis significavit. Sic *Titinnius*, *lana soloci ad purpuram data*: *Lucilius* apud Festum, *solox pecus*: *Symmachus*, *quare caninatam soloci filò accipe tantillenam* &c. Ex Græco σόλοικος, quâ voce Græci indigitârunt, quidquid rude & impolitum & crassâ pinguique Minervâ factum est. Nec enim devitiosa loquela id verbi tantum usurparum esse, docet ex *Excerptis Græcis* Salmas. *ad Tertull. d. l.*

SOLPUGA, vel SOLIPUGA, Græcè ἡλιοκεντρίς, bestiola est aranei generis, sic dicta, quòd ita acriter pungat, ut *solum* videatur esse *punctura*. Plinius formicis ascribit *l. 29. c. 4. Est & formicarum genus venenatum, non fere in Italia, Solpugas Cicero appellat, Salpugas Bætica.* Et in phalangii speciebus μυρμήκιον est, à formicæ similitudine nomen habens, de quo Nicander *Theriac. Plinius* & *Avicenna.* Vide Salmas. *ad Solin. p. 100.* Voss. *de Idolol. l. 4. c. 96.* & Bochart. *Hieroz. Parte poster. lib. 4. c. 13.* ubi inter nimata animalia, à quibus integræ regiones desertæ redditæ, *Solpugas* quoque memorat, quippe à quibus circa Cynamolgos Æthiopas regionem latè vastatam, ait Plin. *loc. cit.*

SOLSTITIUM, antiquis propriè ἡ τροπὴ θερινὴ, sicut *Bruma* ἡ χειμερινή. Virg. *Georgic. l. 1. v. 100.*

Humida Solstitia, atque hyemes optate serenas
Agricolæ.

Ubi æstates humidas optandas esse agricolis, ut contra hyemes, i. e. brumas, serenas, innuit. Horat. *Epist. 11. l. 1. v. 1*[illegible]

Penula solstitio, campestre nivalibus auris &c.

Unde *Solstitialis herba* Plauto *in Pseud. Actu 1. sc. 1. v. 36.* & Ausonio, *in Professorib. Epigr. 6. v. 9.* quæ vix solo prodiit & statim æstatis caloribus exarescit, ea nimirum quæ *Solstitio* nascitur, circa τροπὰς θερινάς: & *Solstitialis plaga*; apud *Solinum*, quæ ad orientem æstivum est. Recentiores verò pro bruma, *Solstitium hibernum* dicunt, alteri *æstivi* epithetô adjectô. Quia autem *solstitiorum* ratio impedita & ardua; instrumenta excogitârunt Mathematici veteres quibus ad *Solstitia* & Æquinoctia deprehendenda uterentur, cujusmodi fuit gnomon Anaximandri in Sciothetis primùm constitutus Lacedæmone, quem magnô errore Plinius pro sciothetico horologio accepit: Quippe non horas (quarum tum nondum usus inventus) sed æquinoctia solùm & solstitia hujusmodi organis ostendebantur. Item Pherecydis Syrii Astrologi Ἡλιοτρόπιον, in Insul. Syro ab eodem statutum, cujus Laërtius in eo meminit. Metonis porrò Heliotropium æstivum, quod ille primus Athenis statuit, in Pnyce ut alia omittam. Quæ instrumenta ad formam πόλου videntur fuisse facta, in quibus & γνώμων sive umbilicus æneus fuit, quô τροπαὶ monstrabantur. Sic itaque inquirebant, de *Solstitio* quotque dies jam præterierint post τροπάς, & ex umbrarum incrementis decrementisque temporis sui rationes inibant: uti pluribus docet Salmas. *ad Solin. p. 305. 334. 422. 632. & seqq.*

SOLTVEDIA, German. *Soltwedel*, oppid. non ignobile Marchiæ Brandeburgensis sub proprio olim Comite. Et quidem, cum terras, quibus nunc *Marchiæ Brandeburgicæ* nomen, Vandalis Henetisve debellatis, Henricus Auceps Sigefrido Ringelheimii Comiti primum dedisset; huic subrogatus est Gero Comes Altenburgi & Mersburgi, quem Bruno excepit Wettini Comes A. C. 956. Hujus postmodum nepote Theodoricô ab Obotritis pulsô, Udo *Soltvvedelensis* Comes, Conradi III. Imperatoris opibus suffultus, eas occupavit. Verùm proscripto Udone II. ob Saxonum partes adversùs Henricum IV. sustentatas, Primislao Obotritorum Regi ditionis invadendæ copia permissa est: quô defunctô ad Ascanios pervenit. Tob. Pfanneius *de præcipuis Germaniæ Princip. Gentibus* c. 4. Vide quoque *Soltvvedia*.

SOLVENSE, oppid. Plin. *l. 3. c. 24.* inter Noricas civitates numerat; locus hodie *Solveld* vocatur, teste *Lazio*, in Carinthia, inter Virunum & Clagefurtum; excisum, cui Lavantum successit, sub Archiepiscopo Salisburgensi quæ *Solva nova* dici potest.

SOLUENTII, Libyæ inferioris gens. *Ptol.*

SOLVERE & aperire, analoga, ut *ligare* & claudere, quòd antiquissimis temporibus, cùm clavium serarumque nondum usus esset, vincula & nodi huic rei adhiberentur. Hinc in Sacris usurpatæ voces, ut vidimus suprà passim: etiam ad Magicas artes translatæ, ac cantibus herbisque *ligare solvere* homines dicti. Vide suprà, inprimis in vocibus, *Ligare* & *Nodus Veneris*. De verbi propria acceptione ut pauca addam, non amare solùm, sed & amorum suorum compotes exsistimabantur olim, quibus in convivio *solvebantur* coronæ, unde capriano illo Theocriteo legimus *Idyll. 3.* Et hoc est, quod prisci dicebant, coronas in convivio cadere seu diffluere, nempe comâ & coronâ unguentô madidis & hinc facilè fluentibus. Ovid. *l. 1. Amor. Eleg. 5. v. 37.*

Ergo amor & modicum circùm mea tempora vinum
Mecum est, & madidis lapsa corona comis.

Et quidem eô insuper artificiô plectebantur coronæ, ut procedente conviviô, & invalescente libidine, facilè defluerent folia & flores, è quibus serta convivialia constabant: quô velut signô datô quisque in vicinæ sibi mulieris amplexus ruebat. Ad quam fœditatem allusit Hieronym. *l. 1. Ep. 43. Numquid in lancibus idola calata descripsi? Numquid inter epulas Christianas virginalibus oculis Bacchorum, Satyrorumque complexus innexui.* Vide quoque Clem. Alexandrinum *Pædagog. l. 2. c. 4.* Quintilian. *Instit. l. 1. c. 3.* Philostratum in *Imaginibus*. Alios. Cur autem *solutio*, vel etiam sessio seu detractio coronarum (namque & scindebantur aut detrahebantur, si non spontè defluerent) velut classicum impudenti huic protervitæ adhiberi consueverit, vide pluribus disputantem Athenæum *l. 15.* Aliud quid fuit apud veteres Christianos, λῦσις στεφάνων, *Solutio coronarum*, unius videl. ex ritibus eorum nuptialibus, de quo vide suprà, lemmate, *Nuptialis corona*. Quænam verò loca *in soluto remansisse* dicantur Agrimensoriis Rei Auctoribus, vide itidem suprà in voce *Absolutum*, nec non *Relicta loca*, ac infrà voce *Subsecivum*.

SOLUS, *untis*, Siciliæ oppid. inter Eleutherum amnem & Thermas Himerenses, teste *Ptol.* apud quem Ὄλουλις corruptè scribitur. Hodie *Solanto*. Græcis olim Σολόεις, & contractè Σολοῦς, Romanis *Soluntum* & *Selentum*; quemadmodum in Italiâ Ὑδροῦς, sive Ὑδρόεις, *Hydruntum* & *Hydrentum*; Πυξόεις, sive Πυξοῦς, *Pyxuntum*, sive *Pyxentum*. Oppidani Σολούντιοι, & Σολουντῖνοι. Apud *Stephani Epitomatorem* ita legitur: Σόλοι, Κιλικίας πόλις, [illegible] Σόλων[illegible] Πομπηίου, καὶ μετονομάσθη Πομπηιούπολις. ὁ πολίτης, Σολεύς, καὶ Σόλιος. τὸ θηλυκὸν Σολίς, [illegible] Σόλοικος. Et sequenti mox dictione: Σολοῦς πόλις Κιλικίας, ὡς Ἑκαταῖος ἐν Εὐρώπῃ [illegible] Σολόεντος [illegible], Ἡρακλῆς [illegible] ὁ πολίτης, Σολούντιος, καὶ Σολουντῖνος, [illegible] καὶ Σολουντίνη, καὶ Σολούντιον, καὶ Σολουντίς. Apud *Suidam* etiam hæc leguntur Σόλοι, Σικελίας πόλις καὶ Κύπρου. Posterioris autem seculi Grammatici, sive horum exscriptores vocabula ea miserè confuderunt, absurdasque ac miras inde Chimæras fabricârunt. A Suidâ siquidem scriptum fuisse haud dubito: Σόλοι, πόλις Κιλικίας, &c. Apud *Steph.* verò sic legendum, Σολοῦς, πόλις Σικελίας, ὡς Ἑκαταῖος ἐν Εὐρώπῃ, [illegible], &c. Plin. *l. 3. c. 8. Oppida, Panormum, Solus, Himera cum fluvio.* De antiquis hujus oppid. incolis ita Thucydides, *l. 6.* Ὤικουν δὲ καὶ Φοίνικες περὶ πᾶσαν μὲν τὴν Σικελίαν. ἐπειδὴ δὲ οἱ Ἕλληνες πολλοὶ κατὰ θάλασσαν ἐπεσέπλεον, ἐκλιπόντες τὰ πλείω, Μοτύην καὶ Σολόεντα, καὶ Πάνορμον ἐγγὺς τῶν Ἐλύμων ξυνοικίσαντες ἐνέμοντο. Nomen ejus quod attinet, quia urbs in loco prærupto & confragoso condita fuerat, (teste *Fazellô*) ideo dicta est à Pœnis סלעים *selaim*, h. e. *rupes*, unde Græcorum Σολόεις. *Bochartus*. Item Σολόεις, Libyæ promuntor. [illegible], in quo Neptuni templum. Hinc fuit in *Hesychio*: Σολόεντις, ἄκρα. & *Solventini* populi, quamvis utrumque ad meridiem justo longius removeat. Apud Plinium Agrippa corruptè *Surrentum* appellat. Verum nomen autem erat *Solois* ab Hebræo סלעים h. e. *rupes*, uti suprà ostensum. *Nic. Lloydius.*

SOLUSAPRA, Siciliæ oppid. *Anton.*

SOLYGEIA, vicus Corinthi. *Steph.* ex *Thucyd.*

SOLYMA, singularis, & plurali numeri, & *Solyma*, urbs clarissima Judææ, quæ & *Hierosolyma*: Juvenal. *Sat. 6. v. 544.*

Interpres legum Solymarum.

Item *Solyma*, urbs Lyciæ mediterran. in colle, quæ *Solymus Straboni* dicitur apud urbem Termessum; populi *Solymi* Plinio, *l. 5. c. 27.* qui eosdem facit cum Pisidis. Alii *Solymos* eosdem fuisse cum Lyciis asserunt, quorum tamen sententia cum *Homero* non satis convenit, qui Bellerophontem à Lyciorum rege missum ait ad subjugandos Solymos. Solymi Deos coluêre, post mortem, tres illos è viris principibus, Ἄρσαλον καὶ Δρύον, καὶ Τροσόβιον, ut eos appellat Plutarch. *l. de def. Orac.* ubi eos ait vocatos Deos σολύμους: unde Turnebus *ξένους* vertit: sed σολύμους rescribendum esse satis constat

es

ex Euseb. *l.* 5. *Prep. Evang. c.* 5. ubi hunc locum adducit: sed tres Principes appellat Ἄρσαλον, Ἄρυβαν & Τόσιβιν. Ac Τόσιβις quoque est apud *Suidam*. Sed apud Theodoret. *l.* 3. *Græc. Affect. cur.* ubi idem Plutarchi locus adducitur, pro Τόσιβιν est Τάσιβις; item pro Ἀρύβας, vel Ἄρυβαν ibi, legas Ἄρυσα. Σκληροὶ autem dicti videntur, quia statuæ eorum essent è σκίρῳ, h. e. *marmore*, vel, ut alii malunt, *gypso*. Ac nihil minus verisimile, quam σκληροὺς dixisse, quos interemptos tantopere dolerent, & pro beneficiis divinis afficere honoribus vellent. Ita *Voss.* contra quem vide Bochart. *de Phœn. col. l.* 1. *c.* 6. ex quo sequentia delibavimus. Cilicia, inquit, vicina est Pisidia, montana [illegible], quam occupabant Pisidæ Solymorum soboles. Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Insident verticem Pisidæ, quondam Solymi appellati.* Steph. in *Pisidia*: Οἱ Πισίδαι, πρότερον Σόλυμοι. Solymos porro Phœnicum esse colonos sermo palam arguebat. Chœrilus apud Joseph. *l.* 1. *contra Apion.*

> Τῶν δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
> Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες,
> Ὤικουν δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι, πλατέῃ ἐνὶ λίμνῃ.

Nempe, Strabone teste *l.* 14. prope Phaselidem est λίμνη, ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὰ Σόλυμα ὄρη. Ex horum vertice Neptunus apud Homer. Ulyssem ad Phæaces navigantem prospectat *Od.* ε. *v.* 282.

> Τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων Ἐνοσίχθων
> Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν.

Et *Il.* ζ. *v.* 184. Lyciorum dux Bellerophon,

> ---- Σολύμοισι μαχέσσατο κυδαλίμοισι,
> Καρτίστην δὴ τήν γε μάχην φάτο δύμεναι ἀνδρῶν.

Rursum *v.* 204. Bellerophontis filium *Isandrum*, aut *Pisandrum*, ut legit Strabo,

> Μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανε.

Unde Solymos colligere est Lyciis fuisse vicinos. At Josephus, quem hæc latebant, cum in Chœrilo legeret, Phœnicii sermonis homines in Solymis montibus prope lacum habitasse, putavit de Judæis agi, & Asphaltite lacu, a quo non procul absunt Solymi montes, i. e. Hierosolymorum, ut quidem interpretatur. His simile quid in Tacito *Histor. l.* 5. *c.* 2. *Clara alii Judæorum initia, Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse.* Et in *Stephano*: Ἱεροσόλυμα ἡ μητρόπολις τῶν Ἰουδαίων, ἡ Σόλυμα ὠνομάζετο ἀπὸ τῶν Σολύμων ὀρῶν. Et in Josepho rursus *Jud. Ant. l.* 7. *c.* 3. postquam urbem Ierosolymam *Solyma* nominari dixit; Φασὶ γὰρ ὅτι καὶ Ὅμηρος ταῦτα ὠνόμασεν Σόλυμα. Atque id secutus Tzetzes *Chil.* 7. *Hist.* 149.

> ..... Σολύμους λέγει [illegible] τοὺς Ἑβραίους,
> Ὡς Ὅμηρος καὶ [illegible].

Jam tandem ipsum Solymorum nomen unde dicatur, docere est operæ pretium. [illegible] Hebræis [illegible] ac *tenebras* notat. Ejusdem est originis צלמון *Salmon* montis nomen, Psalm. 68. *v.* 15. cujus verticem arborum densitas opacabat, ut constat ex Judic. *c.* 9. *v.* 48. Neque alia fuit ratio nominis Solymorum, quippe id nomen complectitur Pisidæ montana, de quibus Strabo *l.* 12. Κατάκειται δ' ὑπὲρ [illegible] δρυμοῖς παντοδαπῆς ὕλης. *Bochart.* *Nic. Lloyd.* Vide & *Solymi*.

SOLYMA, vicus in tractu Manasse, Gaulonitidem secans.

SOLYMI, populi in summis Tauri montis jugis constituti, inter Lycios & Pisidas, propterea à *Strabone* nunc his nunc illis attribuuntur. Deos hic coluêre post mortem tres illos è Viris Principibus, Ἄρσαλον, Ἄρυβαν, Τόσιβιν, ut eos appellat Plut. *de defect. Oracul.* ubi illos ait vocatos Deos σκληροὺς, quod Turnebus *sævos* vertit. Sed Σκληροὺς rescribendum esse, constat ex Eusebio *de Præpar. Evang. l.* 5. *c.* 5. ubi hunc locum adducit, sed tres Principes adpellat Ἄρσαλον, Ἄρυβαν, Τόσιβιν; ac Τόσιβις quoque est apud *Suidam*. Verum apud Theodoretum *Græcarum affect. curat. l.* 3. ubi idem Plutarchi locus adducitur, pro Τόσιβιν est Τάσιβιν. It. pro Ἀρύβας, vel Ἄρυβαν, ibi legas Ἄρυσα, Σκληροὶ, dicti videntur, quia statuæ eorum essent è *Sciro*, h. e. *marmore*, vel ut alii malunt, *gypso*. Ac nihil minus verisimile, quam σκληροὺς dixisse, quos interemptos tantopere dolerent, &, pro beneficiis, divinis afficere honoribus vellent. *Duros* tamen redditum legas quoque in ea Theodoreti interpretatione, quam doctissimus Sylburgius recensuit. Sic in Lycia infra Cragum Pandarum Pinarorum incolæ coluêre; in Cilicia Niobe, in Caria Tlepolemus Rex, apud Rhodios Alexander M. apud Alabandenses Alabandus; Ephesi Pyxodorus culti sunt: Aliique alios viros de se, dum viverent, benemeritos, post obitum similiter divinis honoribus extulerunt, Gerh. Joh. Voss. *Idolol. l.* 1. *c.* 21. Vide quoque Salmas. *ad Solin. p.* 619. ubi *Solymos* populos eosdem cum Pisidis faciens, prius sic dictos esse contendit, nec non *p.* 784. ubi de *Solymis* montibus, unde illis nomen, plura.

SOMASCI, vide *Hieronymus Æmilianus*.

SOMATOPHYLAX, ex Græco, *Corporis custos*, nomen ministerii in Principum aulis: Et quidem honoratissimi apud Macedonas olim, quos proximo honore sequebantur Armigeri, hinc corporis custodibus non raro sociati, apud Auctores. Utrorumque habitus lancea fuit. Et quidem de prioribus Curtii locus *l.* 6. *c.* 11. intelligendus, *Armiri Regis Philotæ os oculosque hastis everterunt*, h. e. lanceis, quæ perpetuo ipsis ad manum. Et *l.* 7. *c.* 1. *Alexandrum Lyncestem, qui proxime adstiterant, lanceis confoderunt.* Erant autem hi majorum gentium *Somatophylaces*, ut in quorum ordinem non cooptabantur, nisi amicorum summi idque post magnarum demum rerum experimenta, in præmium virtutis: Quales VII. numero, Leonatum, Hephæstionem, Lysimachum, Aristonem, Perdiccam, Ptolemæum, & Pythonem, commemorat, illisque octavum Peucestam accessisse, qui Alexandrum scuto suo protexerat, addit Arrianus *l.* 6. *c.* 5. Cum his proin minime miscenda numerosior corporis custodia ex L. principum Macedoniæ liberis constans, apud Curtium *l.* 5. *c.* 1. quæ ut functionis plus habebat, sic longissime infra hanc dignitatem, & hujus aliarumque similium seminarium, erat. Freinshemius *Not. ad h.* vide quoque supra *Custos*.

SOMER, fil. Moholi filii Musi, 1. Paral. *c.* 6. *v.* 46. Filius Heber. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 34.

SOMERSETENSIS Mauritius, vide *Mauritius*.

SOMERSETIA, provinc. Angliæ meridialis versus Sabrinæ æstuarium, inter provinc. Glocestriam ad Boream, Devoniam ad Occasum, Dorsetiam ad Meridiem, & Viltoniam ad Ortum. Ejus Urbes præcipuæ sunt Bathonia, Bristolium & Theodorunum.

SOMMERIÆ seu SESTANTIO, urbec. Occitaniæ inferioris ad Vidolium fluv. 4. ferè leuc. a Monte Pessulano in Cæciam, Nemausum versus totidem; aliàs munita. *Sommieres*.

SOMNIA, è Tellure nasci credita olim, χθὼν μῆτερ ὀνείρων, *ô Tellus, mater Somniorum!* *Eurip.* cujus rationem hanc reddit *Scholiastes*, ὅτι μὲν τῆς γῆς [illegible], [illegible], *i. terra cibi, è cibis somni, è somnis Somnia*. Alii ex Hecate vel Luna eorum originem arcessunt, quæ sententia cum priore coincidit, & simul tempus, quo oriri solent, indigitat. Eorum species Macrob. *c.* 3. in *Somn. Scipion.* facit quinque, Ἐνύπνιον, Φάντασμα, Ὄνειρον, Ὅραμα, Χρηματισμόν. Alii dividunt in [illegible], cum res visæ in propria forma apparent, & ἀλληγορικὰ, cum aliud videtur, aliud intelligitur: quale fuit *Somnium Julii Cæsaris*, qui cum Matre sibi visus erat concumbere: *Hoc pacto enim imperium orbis ipsi portendebatur, qua cunctorum viventium Mater.* Imo tam exacte à priscis *Somniorum* discrimen observatum est, ut tres fingerent Somni famulos, Morpheum, Phobetora seu Icelon & Phantasum, quorum ille *Somniis* Hominum, ille Brutorum, hic de rebus inanimatis, præesse credebatur: Duas item fabricarent portas, quarum involucris *Somniorum* diversitatem significabant; *Eburneam* nempe & *Corneam*, de quibus ita Porphyrius apud Macrob. *in Somnio Scip. l.* 1. *c.* 3. *infra. Eburnea perta falsas inutiliumque rerum species designat, ebur enim fundum est, & non pervium; Cornea vero visorum capitum simulachra; transluceda enim est, visumque facile admittens cornuum natura.* Ubi causam commenta exprimit: præter quam & alias Eruditi reddunt. Nam que vera *Somnia* [illegible] vel [illegible], i. e. *effectum dant*: falsa autem [illegible] seu [illegible], i. e. *vana spe frustrantes deinde*, adeoque illa [illegible], ista [illegible], prodire fingebantur. Præterea, sunt qui per *Cornu* intelligant oculum & χιτῶνα ejus [illegible], *tunicam corneam*; per *Ebur*, dentes eburneos: verius autem id videtur, quod oculis apprehendimus. Etiam animantium cornua in sublime erecta, proin [illegible] seu [illegible], [illegible] *atque à Jove missa Somnia*: proboscis autem Elephanti terram versus propendens, χθονίως, i. e. *terrestris & crassa*, videbantur denotare. Et videntur Corneæ huic portæ occasionem dedisse cæsi arietis cornua, in cujus pelle *Somnia* antiquitus, in Templis variorum Numinum, captare solebant, uti diximus supra in voce *Mestra*: Pictores quoque, ad hanc portam alludendo, *Somnium* effingebant, albâ indutum veste super nigra cum cornu in manu. Per has itaque portas ex inferis prorumpere credebantur *Somnia*, quas *Umbras, Spectraque* finxêre: Unde [illegible] Homer. *Od.* ω. *v.* 12. & [illegible] *Lycophr.* Affingebantur ipsis alæ vespertilionum nigræ & patulæ; Unde iterum *Somnium Euripidi* μελανοπτέρυγος, *Orpheo* [illegible], *Luciano* [illegible]. Et hæc quidem spectra ex inferis locis virga sua Mercurius prolicere dicebatur, ad quem proin, quoties cubitum ibant Veteres, ultimæ semper preces dirigebantur, uti Calasiris fecit apud *Heliodorum*, qui, post invocatos Deos omnes, sub finem Mercurium rogavit [illegible]. Eandem ob causam in conviviis ultimum eidem poculum libabatur: *Hermæ* quoque, seu Icones Mercurium referentes, ad fulcra lectorum, quæ hinc Ἑρμῖνες dicta, affigebantur. Eidem & victimas hunc in finem sacrificabantur, quarum linguæ exemtæ conjiciebantur in ignem, in honorem ejus ὡς τοῦ λόγου καὶ [illegible]. Ad somnum dein se componentes lauri folia pulvillo subjecta habebant, quod vera conciliare *Somnia* crederentur sic substrata, uti cometha [illegible], M. Anton. Delrius *ad Oedipum Senecæ v.* 16. Cum sic dormientibus *Somnia* contigerant, narrabant illa Vestæ, vel Diis Penatibus: Propert. *l.* 2. *El.* 29. *v.* 27.

> *Vadit & hinc casta narrabat Somnia Vestæ,*
> *Quæ sibi quæque mihi non noctura forent.*

Vel etiam Soli, ac Apollini Averrunco, qui propterea Ἀποτρόπαιος, Ἐξακεστήριος & Προστατήριος vocitatus est, à statuis ejus, quæ in portacibus statui solebant. Herculi item ac Jovi, ut apud *Plautum* videre est. Sed Soli inprimis, ἵνα ἐπειδὴ [illegible] τῇ νυκτὶ [illegible], *ut cum Nocti contrarius sit, malum avertere*t. *Schol.* Sophoclis *Electr.* [illegible]. Quem ritum vocabant [illegible], [illegible] & [illegible]. Ita apud Euripidem *Hecuba* Iphigenia cum somniasset domum ruituram, Soli illud narravit: Apud eundem *Taur. v.* 43. legimus,

> [illegible] Φάσματα.
> Λέξω πρὸς αἰθέρ' [illegible].

Porro loto corpore oblatisque victimis *Somnia* expiabant. Abluebant autem corpus in viva aqua, hæc enim lustrationibus adhibera consueverit, eaque vel fluviatili, *Sil. l.* 8. *v.* 124:

> *----- ----- Sub lucem, ut visa secundent,*
> *Oro Cœlicolas, & vivo purgo in amni.*

Vel marinâ: Namque credebatur

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.
Mare abluere omnia hominum mala.

Nonnunquam verò calidam fuisse adhibitam, Aristophanes suggerit *Ranis*,

——— *Ἐκ πολυμενῶν ὀρέων ἄγγελοι,*
Θέρμετε δ' ὕδωρ,
Ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.

Pergebant dein ad Oneirocritam, cui officio vetulæ plerunque, utpote in superstitionem mirè proclives, præerant. Propert. *l. 2. Eleg. 4. v. 16.*

Quæ mea non decies Somnia versat anus?

Divinitatis enim quidpiam Somniis inesse, credidit Antiquitas. Xenoph. *de Magisterio Equit.* Οὐδεὶς δὲ πάντα ἴσασι καὶ προσημαίνουσιν, οἷς ἂν ἐθέλωσι καὶ ἐν ἱεροῖς καὶ ἐν οἰωνοῖς, καὶ ἐν φήμαις καὶ ἐν ἐνυπνίοις. Statius *Theb. l. 5. v. 133.*

——— *Deus hos, Deus alter in iras*
Apportat, ceptisque favet, nec imago quietis
Vana mea.

Unde Oneirocriticè, id est, Scientia ex somniis divinandi, antiquissima est, quam Plin. *l. 7. c. 57.* ab Amphictyone, Deucalionis filio: Pausanias *Atticis*, ab Amphiarao vate: Philo Judæus *l. de Biblicis Antiqq.* ab Abrahamo Patriarcha inventam tradiderunt; certiore Auctorum concordiâ Josepho id gloriæ vindicante, quem ventilum Ægyptus primum mortalium volunt *Somnia* interpretatum, vide Trogum Pompejum apud M. Jun. Justinum *l. 36. c. 2.* Posteà à Telmissensibus inprimis exercita est, è quibus Aristander tempore Alexandri M. floruit ut apud Curtium *l. 7. c. 7. l. 5. c. 4.* videre est. Meminit eorum Tertullian. *l. de Anima c. 46. Telmissenses nulla Somnia evacuans, imbecillitatem conjectationis incusant*; fuitque non minima Aruspicinæ pars, ut videre est apud Dempster. *in Rosin. l. 2. c. 2.* Qui de ea commentati sunt Veteres citantur apud *Jul. Pollucem, Suidam, Eustathium*, Hadr. Junium *Animadv. l. 1. c. 18.* Voss. *de Philosophia*, Alios. Vide quoque suprà in *Oneirocritice*. Illa autem inprimis, quæ de Rep. erant, efficacia credebantur. Proin is, qui somniâsset, per Præconem, sequenti die, publicè per quietem visorum certos reddebat cives, ut ad A. Persium *Eruditi* adnotârunt: sed nec id, sine solenni expiatione, de qua dictum, cujusque etiam meminit Juven. *Sat. 6. v. 523.*

Ter matutino Tiberi mergetur.

Et Persius præfatus *Sat. 2. v. 15.*

Hæc sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis,
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Tibullus item *l. 1. Eleg. 5. v. 13.*

Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia, ter, salsa de veneranda molâ &c.

Vide præter Dempster. præfatum, de *duabus Somniorum portis* Homerum *Od. τ.* Ausonium *Ephemeridi.* Nonnum *Dionysiac.* Platonem *Charmide*: *de divinatione per Somnium*, super Melotas inprimis in Templis Delubrisque, cum observatione diætæ, *Somniorum*, item *speciebus* variis eorundemque *lustratione*, Franc. Rossæum *Archæol. Attic. l. 7. c. 3. 4. 5.* & suprà voce *Mola*: de his aliisque Cl. Voss. *de Idolol. l. 3. c. 35.* Is. Casaubon. *ad Theophrasti Characteres*, Ant. Delrium *ad Senecæ Octaviam*, Jo. Livineium *ad Propertium l. 2. El. 29.* Jo. Wowerium *ad Petronium*, Casp. Barthium *Animadv. ad Statium* passim, inter alia *Theb. l. 3. v. 620.* & *Theb. l. 10. v. 572.* & *602.* Alios: de *Somniorum immittendorum potestate*, quæ credebatur iis concessa, quibus divinitatem aliquam majorem attribuebant Veteres, deque *curationibus per Somnia* & *ἐνύπνια* seu *remediis* à Divo aliquo per somnium præscriptis, Salmas. *ad Solin. p. 350.* & *351.* &c. nec non hic infrà.

SOMNIALIS, Græcè Ὀνειροπομπὸς, cognomen Herculis, quo is apud Romanos cultus est. *Vetus Inscr.* Romæ,

V. F.
CVLTORES. HERCULIS.
SOMNIALIS. DECURIAI.
DIS. MANIBVS.
SIBI. ET. POSTERISQVE SVIS
II. QVI INFRA SCRIPTI SVNT
Q. CECILIVS. Q. GALL. LVCCEIANVS.
Q. CECILIVS. A. MVNDVS. AVG.
T. FABIVS. SEPPIANVS &c.

integram habes apud Salmas. *ad Solin. p. 351.* Hercules nempe, qui maximè ἀλεξίκακος apud Veteres creditus est, etiam *Somnialis* nomine colebatur. Cùm enim, uti *Lucianus* docet, de Hephæstione inter Divos referendo, tres hæ divinitatis notæ præcipuæ haberentur, *Somnia*, *Curationes*, *Oracula*, quibus ἐπιφάνειαι addendæ: curationes per Somnia plerunque præscribebantur; ἐπιφάνειαι quoque frequentes in somnis fiebant, quum divus apparere visus per somnium hæc aut illa sanitati vel conservandæ, vel recuperandæ præcipiebat, cujusmodi remedia σύνταγμα dicebantur. Unde illa, quæ creberrimè occurrunt in Veter. monumentis, SOMNIO MONITUS. Atque hi Divi præcipuè ἀλεξίκακοι habiti: de Hephæstione, ἴδιον παρέδρον καὶ ἀλεξίκακον. Unde & Herculis illud cognomen. Sed & πάρεδροι & ὀνειροπομποὶ, h.e. *Somniales*, junctim invocabantur, in Sacris Magicis, uti ex Justino Martyre & Eusebio docet Auctor præfatus *d.l.* Vide quoque suprà ubi de *Paredris*, item voce *Insomnia*.

ad SOMNUM, vide suprà *Silentiarius*.

SOMNUS, *Asyli acerrimus publicanus*, ut qui dimidium ætatis nostræ ad se rapit: *Lethes frater* jure dictus *in Hymn.*, unà cum Somniis, Fato, Parcis, Morte, Noctis filius, creditus est olim, uti discimus ex Hesiodo *in Theogon.* Certè Pausan. *Eliacis* apud Eleos in templo quondam fœminam expressam fuisse, quæ pueros sustineret sopitos, manu quidem dexterâ album, at sinistrâ alterum nigrum, & hunc dormienti similem, ambos distortis pedibus; quorum inscriptiones indicaverint, alterum *Somnum* esse, mortem alterum; ut fœminam quæ utrumque aleret, Noctem, memoriæ mandavit. Ita autem habent Poëtæ verba,

Νὺξ δ' ἔτεκε στυγερόν τε Μόρον, καὶ Κῆρα μέλαιναν,
Καὶ Θάνατον· τίκτε δ' Ὕπνον, ἔτικτε δὲ φῦλον Ὀνείρων.

In quæ vide *Notas* Barlæi. Olim inter Numina habitum esse, diximus suprà in voce *Dii*. Vide domum ejus, in cujus vestibulo Otia excubare & ante fores papavera florere, fingebantur, descriptam, apud Casp. Barthium *Animadv. ad Stat. Theb. l. 10. v. 83.* *alibique passim.* Et facit huc, quòd junctim culta hæc Numina, *Somnus* & *Bacchus*, utque pro maximis Diis, occurrunt, in *Inscr.* LXVII. 8. Nempe iis, quibus in inglorià marcere quiete sunt voluptas: Alia eorum mens, quibus præcordia de meliore luto ficta. Hinc memoratur antiquissimum non solùm Ascetarum, sed etiam Studiosorum, institutum, aliquid excogitare ὥστε ὑπνομαχεῖν, ut loquitur *Dio Cassius* & quò breviorem sibi *somnum* facerent. Omitto Platonis horologium nocturnum, de quo Athen. *l. 4.* De Aristotele, narrat Diogenes, *l. 5. c. 16.* solitum ita se componere ad dormiendum, ut porrectô brachiis pilam æream teneret, cui pelvis ænea erat supposita, ut pilæ casu excitaretur. Tenuit idem institutum, à Præceptore acceptum, Alexander M. de quo vide Amm. Marcellin. *l. 16.* Quò pertinent, quæ de Lycurgo Oratore, narrat Plut. *in vita ejus*, in vili solitum quiescere lectulo, in quo nihil erat præter *κώδιον* & *προσκεφάλαιον*, *pellem lanatam*, & *pulvinar*. Item, quæ de Ulpio Marcello narrat Dio *in vita Commodi*, & ex eo Suidas in *Μάρκελλος*: & quod idem Ammianus de Juliano, cubuisse illum non in plumis & stragulis sericis, sed in tapete & sisyra, quò *Somnum* facilius abrumperet. Sed longè ingeniosiora sunt, quæ de Asceris, tam Judæis, quàm Christianis, apud Veteres legimus. Isti enim, sicut Canonicam refectionis suæ horam habuerunt, sic & *Canonicam Somni tempus ac mensuram*, ut loquitur *Cassianus*. Igitur partem ad vexandum corpus & eam, quæ Patribus dicitur, *σαρκοφαγίαν*, partim ad minuendum *Somnum*, fuerunt Asceris in usu *χαμευνίαι*, *humicubationes*, & *στιβάδες χόρτινοι*, herba aut fœnum locô culcitræ, mattæ, storeæ, psiathia, & mafortes aut melotæ, ac his similia ad incubandum: Item apud Cassianum *Embrimia*, *Collat. 1. c. ult.* *dicta παρὰ τὸ βρίζειν*, quod *dormitare* & *somnum levem capere*, significat; quæ Ascetæ fasciculis stipulæ farta vel papyrô (ut apud *Philonem* de Essenis) aut durô tomentô vel simili materiâ, parabant. Unde *Βρίζω*, Dea somni, vel, ut aliis visum, Apollinaris Laodicenus, *in Trag. Christus patiens*, *Κοίμημα πεδοστιβὲς γε χαμαιευνίας*, *Κἂν ἐγρηγορὸς ἂν ὑπνώσσοντα*, &c. Igitur ad hoc institutum spectat, quod narrat Epiphanius de Pharisæis Asceris, tabulæ dodrantali seu palmi unius majoris incubare solitis: quorum exemplum transisse, ad primos Christianorum Monachos, Eruditi annotârunt. Simillimum enim est, quod de sua & Basilii M. matre B. Macrina, refert Gregor. Nyssenus *Ep. ad Olympium Ascetam.* Ibidem, sequuntur duo alia exempla Asceticarum inventionum, *Alii calculos littorales colligebant, eosque sibi substernebant, ut iis compuncti in profundum somnum ne inciderent: Alii in eundem finem pro strato spinas erant.* Qua de re vide plura apud Isaac. Casaubonum *Exercitat. II. contra Baronium §. 9.* Aliud planè delicatorum apud Romanos aliosque institutum fuit, qui, ut *Somno* largiùs & minori impedimentô indulgerent, suos habuêre Eunuchos, Silentiarios ac Quietis Ministros, quos *ad Somnum* appellat Curtius *l. 6. c. 11.* ubi Philotam, *per dispositos*, *quos ad Somnum habebat*, *commilitones procul relegâsse* scribit, *ne famina illa murmurantium inter se silentiò verius*, *quam sanò*, *excitaretur.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & suprà in voce *Quies*, item *Silentiarii.* Pulvillis plumeis ad omnes corporis partes scitè adaptatis eôdem fini usi, uti vidimus suprà voce *Pulvillus*. Imò & pedum titillatione insuper adhibitâ, ut infrà dicemus suô locô: næniisque demulcentibus, uti de Indorum Regibus diximus suprà, ubi de *Paronio* carminis genere. Neque verò noctu solùm, sed & interdiu *Somnus* capi consuevit; uti superiùs diximus voce *Meridiana*, it. *Prandium*: unde multis Veterum *Somnum meridianum* frequentatum esse, observat Casaubon. *ad Aug. Sueton. c. 70.* Salmas. *ad Solin. p. 1120.* quem tamen inter vetita habet Schola Medicorum, cui ab urbe *Salerno* celebre nomen est. A *Somno*, dictæ imagines *Somnurnæ*, Varroni *Prometheo l.* apud Nonium,

Somnurnas dixit, quæ in somnis videbantur.

Visa scil. nocturna & somnia, *ὀνείρων φαντάσματα*. Cujusmodi imagines corybantiasmô laborantibus frequenter obversari diximus in hac voce. Vide quoque Salmas. *ad Solin. p. 1086.* uti *de Somnifer-gis*, Voss. *de Idolol. l. 3. c. 35.* de officio veter. *Christianorum*, *circa Somni tempus*, suprà verbo *Complere*: de aliorum verò *Somno* infrà voce *Sopor*.

SOMONA, seu SAMARA, fluv. Galliæ Belgicæ per Picardiam & Ambianos in Oceanum Britannicum fluens; vulgo *Somme*. Oritur in loco *Fon Somme*, in Veromanduis, 2. leuc. supra Fanum S. Quintini, dein ad Occasum tendens, & Picardiam bifariam secans, prope oppid. S. Valeriæ in mare Britannicum se exonerat. *Baudrand.*

SOMORIA, fil. Roboam ex Abihail. 2. *Paral. c. 11. v. 19.*

SONCHEDES, Archipropheta Ægyptius, Pythagoræ præceptor, memoratur Clementi *l. 1. Strom.*

SONCINUM, oppid. Ducatus Mediolanensis apud Ollium fluv. inter [illegible] 10. mill. pass. & Brixiam 13. Hic Azelinus Romanus tyrannus immanissimus, apud Cassianum captus & vulneratus, miserè obiit.

SONDÆ Fretum Oceani Indic. inter Javam & Sumatram, prope Bantamum. 20. mill. pass. circiter latum. A portu Bantamensi *Sunda* sic dictum.

SONDERBURGUM, oppid. Holsatiæ munitum, ubi Christiernus II. arctissimè à patruo custoditus est, præteritô seculô. Subest Principi proprio. Fuit autem *Sonderbergiæ* lineæ auctor, filius Johannis Alexander, cui successit fil. Johannes Christianus, pater Christiani Adolphi: frater Alexandri Henrici apostasiâ ad Pontificios & indignô matrimoniô contractô noti: Ernesti Gunteri, Georgii Friderici, Augusti Philippi & Philippi Ludovici. Vide Spenerum *Syll. Geneal. Histor. in fam. Oldenburgo-Danica*. Fuit verò Joannes is fil. Christiani III. Daniæ & Norvegiæ Regis ex Dorothea Saxonica; & ex Elisabetha Brunsvicensi Alexandrum genuit, defunctus A. C. 1622. Hic junxit sibi Dorotheam Comitem Schwartzenburgicam, exque illa suscepit Joannem Christianum (natum A. C. 1607. denatum 1653. postquam Annam Oldenburgicam aliquandiu uxorem habuisset) Alexandrum Henricum, qui (natus A. C. 1608.) ductâ in uxorem filiâ Pastoris Euangelici, dein ad Romanam Communionem transiit & Colonellus Imperatoris in Silesia vitis excessit A. C. 1667. Ernestum Guntherum (natum A. C. 1609. maritum Augustæ Holsatæ) Georgium Fridericum (natum A. C. 1611.) Augustum Philippum (natum A. C. 1612. Claræ, dein Sidoniæ Comitum Oldenburgicarum, sororum, tandem Mariæ Sibyllæ Nassoviæ Saræpontanæ, maritum) Adolfum (natum A. C. 1613. denatum 1616.) Annam Elisabetham (natam & denatam A. C. 1615.) Wilhelmum Antonium (natum & denatum A. C. 1616) Sophiam Catharinam (natam A. C. 1617. Antonio Gunthero Comiti Oldenburgico ultimo nuptam) Eleonoram Sabinam (natam & denatam A. C. 1619.) & Philippum Ludovicum (natum A. C. 1620. & primò quidem Catharinæ Waldeccicæ; inde Annæ Margaritæ Hassiacæ maritum) omnes *Duces Slesvici & Holsatiæ* &c. *in Sonderburg*. E quibus Joannes Christianus, Patris successor, filium reliquit Christianum Adolphum (natum A. C. 1641.) qui *Sonderburgum* urgentibus creditoribus amisit & Regi permittere coactus est: Ernestus Guntherus plures suscepit liberos, inter quos Ernestus Augustus Pontificiis accessit: Augustus Philippus ex tertia conjuge, utriusque sexus liberos moriens, A. C. 1675. reliquit: Philippus tandem Ludovicus, ex posteriore conjuge suscepit Fridericum, Chiliarcham Cæsareum, qui Carolam Ducem Ligniciam duxit & à patre Wisenburgum emit, A. C. 1654. Car. Ludovicum, & Wilhelmum Christianum, præter filias. Vide eundem Spenerum *Theatr. Nob. Europ. Part. 1. p.* 108. *Sylloge secundò edita p.* 152. & *seqq.* nec non *Artis Heraldicæ Parte Spec.* ubi de hac Familia.

SONDERITERUS Gregorius, vide *Gregorius*.

SONDERSHUSIUM German. *Sondershausen*, castrum Germaniæ, in Thuringia, sub proprio Comite, ex Familia Schwartzenburgica. In hac enim, cùm Guntherus, qui obiit A. C. 1552. duos habuisset filios, major natu Jo. Guntherus *Arnstatensem* lineam orsus est; quæ iterum abiit in tres ramos, *Arnstatt, Sondershausen* & *Ebeleben*. Antonius namque Guntherus filius medius Christiani Guntheri (defuncti A. C. 1642.) & Annæ Sibyllæ Schwartzenburgicæ, *Sondershusium* nactus, junxit sibi Mariam Magdalenam Comitem Palatinam (filiam Georgii Wilhelmi Comitis Palatini Rheni *in Birkenfelden*) atque ex ea genuit Annam Dorotheam (A. C. 1645.) Christianum Wilhelmum (A. C. 1647.) Claram Julianam (A. C. 1648.) Eleonoram Sophiam (A. C. 1650.) Antonium Guntherum (A. C. 1653.) &c. omnes *Comites Schwartzenburgicos* lineæ *Sondershausen*. Vide eundem *Theatro cit. Part.* 1. *p.* 143. & *Part.* 3. *p.* 85.

SONDRÆ, gentes Indiæ. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

SONDRIUM, Castrum Lombardiæ Transpadanæ ad Abduæ finem. *Simlero* est celeberrimum totius Volturenæ oppid. quartæ, ex 6. præfecturis Volturenæ, sedes; dignitate & potestate reliquas omnes præcedens, quam qui tenet, non Præfectus, aut Potestas, sed Capitaneus dicitur; Præter Sondriensem enim præfecturam, pacem is & tranquillitatem totius vallis tuetur, &, cùm periculum imminet, Imperatoris munere fungitur. Additum sibi Vicarium habet, qui unà cum Capitaneo civiles controversias Sondriensium cognoscit; prætereà jus dicit in criminalibus & capitalibus causis, quæ ex tota valle ad ejus tribunal deferuntur. Sed hujus sententiam Potestates, ut vocant, mitigare possunt, & ab his ad Senatum dominorum Rhætorum provocatio est: *de Rep. Helvet.* Vulgò *Sondrio*.

SONEGIÆ, urbec. Hannoniæ, incolis à fluvio suo *Senwick*, Gallis *Soignies*, quibusdam *Soigne*: cum Monte Castrilucio, Condate, Attho, Querceto vel Casneto, Landeciciis, Avesnis, Binchio, Bello Monte, Brenna, Melbodio, ac Cimaco diœceseos Cameracensis finibus continetur. Hic collegium Canonicorum insigne est. Ad fluv. jacet Sennam, vel Sonam, non procul ab ejus capite, qui Sonegias, Hallas *Haux*, & Bruxellam attingit: hîc primùm navigabilis, ac in Demeram decurrit, Scaldi post accessurum: *Senne* Gallis, aliis *Zenne*. A Sonegiis silva Soniaca, vulgò *Bois de Soigne*, pars silvæ Carbonariæ, nomen videtur accepisse. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SONGUM, urbs Nigritiæ, in regno Madingua.

SONIACA Sylva, vulgò *Bois de Soigne*, pars sylvæ Carbonariæ, à *Sonegiis* oppido non ignobili Hannoniæ nomen habet, vide in voce *Sonegiæ*.

SONIPES Turba Canopi, apud Gratium *Cyneget.* v. 42.

Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes æstivi turba Canopi:

est, ὁ ποδοκτύπος, *scabillorum crepitu gaudens.* Sacerdotes enim Ægyptii, quibus ex lana xylina, quæ etiam *lini* nomine censebatur, vestes erant gratissimæ, *in sacris suis scabillum pede feriebant*, ut ait vetus Interpres Statii. Unde *Sonipedes*, ὁι ποδοψόφοι, Latinis *Pediculares*: aliàs & *Pedarii*: Cujusmodi homines in choro etiam fuêre, qui pede percussô (armatô scil. soleâ ligneâ, cui suppacta erat è ferro regula, ad majorem sonum edendum) ἐνδόσιμον canentibus dabant & saltantibus ἐυρυθμίαν moderabantur. Qua de re vide suprà passim, inprimis in vocibus, *Crupezia, Pedicularii* & *Scabillum*: uti de *Sono* in genere egregia, apud Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 27. & 88.

SONIVIUM Tripudium, vide infrà *Tripudium*.

SONNENBURGUM, oppid. Osiliæ, Insul. Livoniæ, in mari Baltico in parte Boreali Insul. contra Daghoam Insul. à qua vix 8. milliar. distat in Meridiem, 60. à Pernavia, urbe Livoniæ in Occidentem. Item Urbs, prope Poloniam. Sub Electore Brandenburgico.

SONNEWALD, locus Germaniæ, in Wetteravia, sub proprio Comite ex Familia Solmensi. In hac namque linea Laubachia in tres ramos subdivisa est, quorum medius *Sonnewaldius* sic habet. Johannes Georgius Comes Solmensis in Laubach, ex Margareta Schonburgia, præter Albertum Ottonem I. Laubacensis rami continuatorem, genuit Henricum Wilhelmum, cui *Sonnewaldia* obtigit. Hic (defunctus A. C. 1632.) ex Maria Magdalena Comite Oettingensi, reliquit Georgium Fridericum (maritum Praxedis Hohenloicæ) Sophiam Dorotheam (nuptam Ulrico Duci Wittembergico, denatam A. C. 1648.) & Elisabetham Carolam (primò Georgii Friderici Comitis Rappolsteinii; exin Jo. Philippi Comitis Leiningensis uxorem denatam A. C. 1666.) *Comites Solmenses* &c. *in Sonnewald*. Vide Spenerum *Theatr. Part. I. p.* 20.

SONNIUS Franciscus, vide *Franciscus*.

SONNIUS Michaël, vide *Michael*.

SONTES, primùm objecti feris in Arena, cùm Appius Claudius & M. Fulvius Consules essent, tantâ immanitate, ut ab eo horrore mansonæ publicô edictô summotæ sint, Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 35. Vide suprà ubi de *Bestiis*, item *Ludis*, voce *Rei*, ac *Reus*. Hinc *Sonticus morbus*, apud Plinium *l.* 36. *c.* 19. ubi de gagate, *deprehendit sonticum morbum & virginitatem suffitus*: Græcè ἱερὰ νόσος, h. e. morbus Comitialis; Ita enim XII. Tabb. eum vocârunt. Salmas. *ad Solin. p.* 252. Et *Sontici*, Græcè ὀνειδικοὶ, qui illô morbô tentantur: cujus indicium aliud videbimus ex *Appulejo* infrà, voce *Venalis*, aliud voce *Vinum*. Imò & quicunque gravior & vehementior morbus, ut rapida aliqua & quercera febris, sic dictus in Jure, iisdemque Tabb non quidem ab eo, quòd vim *nocendi* habeat, sed quod *justam causam* afferat, ut ne quis in judicio sisti possit. Nempe à *Sonte*, qui αἴτιος Græcis & ἔνοχος, Latinis quoque *causarius*, fecerunt *sontium*, h. e. αἴτιος, quam corruptè *sondium* & *sonnium* dixêre infimi Scriptores. Gall. *essoine*. Indidem *Sontius* ἀληθὴς in *veter. Glossis* exponitur: & *sontica causa*, vera & legitima, quæ & *sontia* uno verbo. Vide eundem *ad Spartian. in Hadriano, c.* 10.

SONTHEMIUM, Germanicè *Sontheim*, locus Germaniæ in Franconia unde illustri Familiæ nomen, quæ Limpurgiæ stirpis ramus est. In hac enim cùm duæ sint capitales lineæ, posterior, *Speckfeldia* vel *Sonthemia* dicta, Fridericum auctorem habet, minorem natu fil. Friderici Dn. & Pincernæ *de Limpurg*, defuncti A. C. 1414. In ejus posteris Fridericus (qui decessit A. C. 1596.) ex priore conjuge Margareta Comite Erpachia Eberhardum, ex posteriore Agnete agnata, Henricum genuit: unde duo lineæ *in Suntheim* rami quorum priorem exsequitur *p.* 50. posteriorem 150. *Part.* 1. *Theatr. Nobil.* Spenerus sæpius laudatus.

SONTIATES, populi inter Aquitanos, Tolosæ ac Narbonæ, civitatibus Galliæ provinciæ Romanorum, & Hispaniæ citerioris proximi, habentes oppid. naturâ loci ac manu munitum, in regno Francorum situm Cæsar. *l.* 3. *Bell. Gall. c.* 20. 21. *Crux de Levedan* nonnullis. Fulv. Ursinus *Sotiates* legendum putat ex Orosio. Athen. *l.* 4. *Sotianos vocat. Baudrando* fuêre populi Aquitaniæ, sub Ausciis, inter Lactoram ad Occasum & confluentes Tarnis, in Garumnam ad Ortum in Tractu Armeniaco; Aliis versus Aturum Urbem. Vide *Sottiates*.

SONTII, qui & SENTII quibusd. fuêre in Provincia, in eo tractu, ubi hodie Diœcesis Diniensis. Horum Caput Dinia *Digne*, quæ Dinia Sontiorum dicitur.

SONTIUS, fluv. *Lisonzo*, oritur ex Alpibus in Carniola; dein per Foro-julium & Comitatum Goritiæ fluens, Goritiam & Gradiscam rigat. *Cassiod.* Hic Odoacrum Theodoricus Veronensis, à Zenone evocatus, primò vicit, postmodùm verò ad Veronam, tertiâ vice ad Abduam. A. C. 488.

SONUS, fluv. in Gangem se exonerans. Plin. *l.* 6. *c.* 18. & Arrian. *in Indic.*

SONUS, in Concilio Emerit. *can.* 2. *Oportet igitur, ut, sicut in aliis Ecclesiis, vespertinô tempore, post lumen oblatum, prius dicitur Vespertinum, quam Sonus, in diebus festis, ita & à nobis constituatur in Ecclesiis nostris*: dicitur Psalmus Davidicus 95. *Venite exultemus* &c. qui in Ecclesia Romana in Matutinis canitur, quòd sonorâ voce decantatur, nomen id adeptus. De eo *Breviarium* Mozarabum: *Statim dicitur Sonus si sit Festum: eò quòd dies ferialis caret Sonô, nisi in tempore Resurrectionis propter solemnitatem dicitur. Hæc regula. Sonus est, Venite exultemus Domino, jubilemus, Deo salutari nostro Versus, Præoccupemus faciem Dei in confessione, & in Psalmis jubilemus Deo*, apud Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque Dominic. Macrum voce *Invitatorium*: uti de *Sono* Diis accensito, suprà *Dii*.

SOOS Spartanorum Rex, vide *Sous*.

SOPANUS, vide *Supanus*.

SOPARMA, Indiæ intrà Gangem emporium, suprà Cory. promuntor. Arrian. *in Periplo*.

SOPATER, vir quidam ex Beræa, cujus meminit B. Lucas in *Actis Apost. c.* 20. *v.* 14. Item dux Philippi, A. M. 3765.

SOPATER, Apamenus, Sophista & Philosophus, Alexandrinus, secul. 4. discipulus Jamblichi, Platonicorum Princeps, quem Cæsar Constantinus interfecit ad fidem faciendam, se Græcorum ac Gentilium religioni amplius addictum non esse. Prius enim fuerat ipsi familiaris. Scripsit *de providentia*. Item de iis qui *præter meritum felices*. *Suidas*. Eunapius Sardianus *in Ædesio*, hujus mortis causam, in Ablavium prætorio præfectum derivat. Quædam de hoc Sopatro legere est, apud Sozom. *l. 1. c. 5.* & Photium *in Biblioth. cod. 141.* qui hujus Eclogarum historicarum libros 12. recenset.

SOPATER, Poëta, *Scriptor ineptiarum* dictus. Item alius Comicus scriptor, *Suid.*

SOPHA, patria Malachiæ Prophetæ in terra Zabulon.

SOPHAC, princeps militiæ regis Adarezer. 1. Paral. *c. 19. v. 16.*

SOPHACÆ, barbara gens apud Joseph. *l. 1. Ant. Jud. c. 25.*

SOPHAI, fil. Elcana. 1. Paral. *c. 6. v. 26.*

SOPHALA, Urbs cum regno cognomine in ora littorali Zanguebariæ. Vide *Zofala*.

SOPHAN, civitas munita, possessa à filiis Gad. Numer. *c. 32. v. 35.*

SOPHANES, tertius à Phocensibus in locum Phalæci, ob sacrilegium remoti, Dux suffectus, Olymp. 108. An. 2.

SOPHAR, nomen viri. Job. *c. 11. v. 1.*

SOPHENÆTUS, Historicus, scripsit *Cyri expeditionem*, quem Stephanus in *Cardu...* & alibi citat.

SOPHENE, regio Armeniæ majoris in Mesopotamiæ confinio, ubi Tigris subterra conditus post 25. mill. pass. emergit. *Sophene* Trogo *l. 42. c. 3.* *Sophene*. Lucan. *l. 2. v. 592.*

> *Cappadoces mea signa timent, & dedita sacris*
> *Incerti Judæa Dei, mollisque Sophene.*

Nic. Lloydius. Ad versuram ipsam Euphratis, convalle quadam Taurum inter & Antitaurum comprehensa, qua de re vide Salmas. *ad Solin. p. 621. & seqq.*

SOPHER, princeps exercitus regis Sedeciæ. 2. Reg *c. 25. v. 19.*

SOPHERETH, nomen viri. Esdr. *c. 2. v. 55.*

SOPHERIM, i. e. Numeratores, quinam Hebræis dicti? vide infrà, ubi *de Synagoga magna*.

SOPHI, in agendis armentis puer victum quæritavit, posteà verò Rex fuit Persarum. Exortus, circa A. C. 1370. ex Ali prognatum se jactans, acerrimus vindex sectæ ab eo institutæ, contra Homaritas, haberi voluit. A quibus prout, ut se discriminaret, pro linteo albo turbante, quo Homaritæ utebantur, in memoriam 12. filiorum Hocemi, Alis filii, turbantem instituit, è cujus medio pileolus acuminatus, è lana constipata colore rubro confectus & seris utrinque gradibus distinctus, accommodate ad contractionem vel diffusionem, emicaret. Et quidem, pileum hunc Persicæ sectæ notam, Ismaël *Sophi* potentissimus Princeps, magno studio & partim vi, blanditiis partim, usurpari à multis populis curavit; magna Turcarum concitatione, qui adversarios, ob rubros pileolos, exprobratum defectionem à Mahomete (cujus legem affinis ejus Homarus integram servâsse iis creditur) vocant *Kyzilbaschi*, i. e. *capita rubra*. Nomen autem *Sofi*, quod & hodierni Persiæ Reges per excellentiam sibi tribuunt, Arabicè *lanam* significare, è qua Persicos pileolos diximus constare, sicque hoc ipso, irreconciliabilis dissidii, cum Turcis, quibus è lino turbantes, memoriam sibi refricare, refert Ant. Soleirus *de Pileo sect. 8.* & infrà *Sophiana Famil.*

SOPHIA, uxor Justini II. per infirmitatem mariti, res imperii ipsa administravit: illo verò mortuo Tiberium in thronum evexit, quem cum uxorem suam Augustam pronunciâsse audisset, indignata, nuptias enim ejus inhiabat, contra illum, in gratiam Justiniani, mariti nepotis, conspiravit. Quâ contumeliâ Narsetem affecerit, vide ibi. Evagr. *l. 5.* *Procop. Niceph.* &c.

SOPHIA, secunda Jagellonis Vladislai Poloniæ Regis uxor, mariti zelum, priorisque ejus uxoris Hedvigis pietatem imitata, Biblia S. sedulò legit. Vide *Jagielo* &c.

SOPHIA, Theodorici Hollandiæ Comitis uxor, pro mariti salute, semel in Hispaniam ad S. Jacobum, ter Hierosolymam peregrinationes suscepit. Decessit autem illa A. C. 1163. Vide Matth. Voss. *Annal. Holl. l. 2. p. 72.*

SOPHIA, filia natu minima Friderici V. cognomine *Patientis*, Electoris Palatini & Bohemiæ Regis ex Elisabetha Anglica, nupsit A. C. 1658. Ernesto Augusto, filio natu minimo Georgii Ducis Brunsvicensis, lineæ Cellensis, jure familiæ ex pace Monasteriensi collato Episcopo Osnabrugensi, ex eo numerosæ prolis mater, eruditione inclyta.

SOPHIA, mulier quædam Romana, quæ 3. filias imperante Adriano jugulari vidit cum gaudio.

SOPHIA, urbs Mysiæ inferioris in Serviæ & Bulgariæ confiniis. *Procopius.* Nunc Bulgariæ caput, ad fluv. Ischam. Crevit ex ruinis Sandicæ, in ejus vicinis; 200. mill. pass. à Thessalonica in Boream Nicopolim versus 60. inter Nissam 120. & Philippopolim 80. 300. mill. pass. à Constantinopoli in Occasum, Taurunum versus 250. circiter. Sedes olim Archiepiscopalis, nunc Bassæ. A Justiniano condita videtur.

SOPHIANA Familia, regnatrix hoc tempore in Persia. Conditor ejus fuit quidam *Schevx Sophi*, Tamerlanis σύγχρονος, sanctitatis opinione celebris, qui generis sui auctorem ferebat Hali, Mahumedis generum. Ejus nepos, tempore Uzum-Cassanis, Haidar fuit, Princeps urbis *Ardebil* in Media, quem res molientem novas Jakkubbus fil. Uzum-Cassanis in prælio interfecit. Reliquerat is duos parvos filios, qui victoris iram veriti in Insula quadam maris Caspii delituerunt, ibi à Sacerdote quodam clam educati. Ex his major natu Ismaël *Sophi*, cùm vix pubertatis annos attigisset, maximas res moliri ac paternæ necis ultionem quærere cœpit, cumque factionem suam hinc inde per Persas latitantem clam de voluntate sua edocuisset, adjutus insuper ineditiis Persarum dissidiis, repentè cum exercitu progressus, sese appellare Regem, in Turcomannos & familiam Uzum-Cassanis qui tum rerum in Persia potiebantur, atrociter sævire, pro Halis successore se gerere, adeoque Prophetam & Regem se jactare, & religionem Turcicæ infensissimam condere, cœpit. Sic brevi universa Persia potitus, decessit A. C. 1525. successore filio *Scha-Thamas*, quem Aidar excepit A. C. 1575. post quem præfuêre Ismaël II. Mahometes Hodabenda, Emir Emza, Abas I. *Scha-Sephi*, Abas II. Solimannus hodie imperans: de quibus omnibus vide Georg. Hornium *Orb. Imp. cum Notis Lu. Jacob. Bellers p. 422. ac seqq.* & hic passim, inprimis ubi de *Persia* & in voce *Sophus*: de qua hoc unum addo, quod doctus quidam notat, significare eam *hominem*, *qui seculo relicto divinis rebus vacat*. Ita enim prætextu sanctitatis & religionis potentissima imperia à Saracenis & Mahometanis condita esse, notissimum. Ipsa verò Secta quadruplici discrimine à Turcarum Othmanicorum superstitione differt: 1. *precum formulis*. 2. *Chalipharum sive Successorum Mahummedis susceptione*. 3. *jejuniis*: & 4 *tegumento capitis*, de quo dictum supra: uti videre est apud Jo. Leunclavium *Histor. Musulmanic. l. 16.* & Joann. Forbesium *Instructionem Historico-Theologicam l. 4. c. 25.*

SOPHILUS, Sicyonius vel Thebanus, tempore Ptolemæi Lagi, Comicus mediæ Comœdiæ, cujus fabulæ nonnullæ commemorantur apud *Athenæum*, Diog. Laert. *in vita Stilp.* *Lil. Gyraldum* & Vossium *de Poët. Græc. c. 8.*

SOPHIM, mons in tribu Ephraim. 1. Sam. *c. 1. v. 1.*

SOPHIS, Chronologus, nominatur Joanni Tzetzæ *Chil. 5. initio hist. 1.*

SOPHISTÆ, olim Philosophiæ Professores appellabantur, eratque id nomen (quod Soloni primo ab Atheniensibus tributum Isocrates memorat *περὶ ἀντιδόσεως*) adeò venerabile apud omnes, ut familiares eorum *Beati* vulgò appellarentur. Unde & post Solonem nomini mansit apud complures suus honor, quamdiu, qui hoc titulo gloriabantur, se eo dignos præstitere. Sed cum ostentationis ac quæstus causa Philosophiam prostituerent, in pejorem partem vox accipi cœpit ut testatur Cicero *Academ. Quæst. l. 2.* Quin etiam, qui contortis argutiis alios circumvenire nitebantur, sive Philosophi fuerint, sive Rhetores; nam & sic *Sophistæ* antiquitus dicti; ita vocati sunt, de quibus vide Platonem *in Protagora*, & Aul. Gellium *l. 7. c. 3.* qui *Sophistas* Philosophos contradistinguens, *l. 17. c. 12.* *Infames*, inquit, *materias, sive quis dicere mavult, inopinabiles, quas Græci ἀδόξους ὑποθέσεις appellant, & veteres adorti sunt, non Sophistæ solum, sed Philosophi quoque, & noster Favorinus* &c. Hanc enim propriam *Sophistarum* fuisse laudandi rationem, docet quoque Philostratus *de Vit. Sophistar. l. 1. in Dione*, *Quod autem*, ajens, *ad Euboïcum & Psittaci laudem attinet, cæteraque, quæ de rebus minus seriis sunt à Dione conscripta, ne quis levia aut parva censeat, sed Sophistæ potius accommodata. Sophistæ siquidem ea quoque studiosè tractanda sunt.* Idem refert Isocrates in *Helenæ encom.* ubi addit paulo post, hujus instituti Auctores fuisse & præ cæteris in hoc dicendi genere excelluisse, Protagoram, Gorgiam, Zenonem, Melissum, *Sophistarum* Coryphæos, qui res omnium opinione incredibiles sibi defendendas tuendasque existimarunt, aut etiam refutandas, quæ ab omni tempore receptæ Majorumque sententiis stabilitæ essent. Quod factum fuisse, vel *ingenia expergefaciendo, vel exercendis argutiis, vel edomandis usu difficultatibus*, Gellius subjungit *loc. cit.* quibus adde, *eruditioni ostentandæ*: ut scil. iis re natura sua exili & ob improbitatem aut tenuitatem non satis ad dicendum idonea, eloquentiæ ingeniique sui vires, speciosa & ad Pompam elaborata Oratione ostenderent. Sic Faustus, *de Somno*, apud Ennodium *l. 1. Ep. 6.* Favorinus de *Thersite* & *Febre quartana*, apud Gell. *loc. cit.* Dio Prusæus de *Psittaco*, apud *Philostratum*: Polycrates *de Muribus*, Lucianus *de Musca*, Synesius de *Calvitio*, Aristophanes de *Paupertate*: Alcidamas, de *Morte*: Pittacus, de *Mola*, Mich. Psellus, de *Pulice*, Polymathes & Isocrates de *Busiride*, Eleensis quidam adolescens de *Podagra, Surditate, Cæcitate*, apud Philostr. *de vita Apollonii l. 4. c. 9.* copiosè dixerunt (ut Recentiorum exempla omittam) ostendentes, uti Interpres, *Sr, cùm de rebus adeo improbatis verba suppeterent, ad res præclaras probatasque exponendas, luculenta oratione facile abundaturos*, apud Isocratem, *l. c.* Horum oratio quo plausu solita fuerit excipi, vide infrà in voce *Sophos*. Post declamationem feliciter peractam, speciosissima comitantium caterva domum reduci consuevêre, quod Libanius in *Progymnasm.* ... *vocat*. Cujus rei exemplum suppeditat A. Gellius *l. 15. c. 1.* ubi de Antonio Juliano, & Eunapius, ubi de Proæresio, sermo est: quem ab ipso Proconsule cum omni satellitio reductum fuisse, Auctor hic narrat. Consecutos autem *Sophistas* fuisse olim Athenis, pallium Philosophicum unaque *Sophistarum* dignitatem, certis quibusdam ritibus, tradit Olympiodorus apud Photium Cod. 80. à quo tempore jus docendi habebant & ἐγγεγραμμένοι appellabantur, i. e. *inscripti*, ut annotavit Cresollius *Theatr. l. 3. c. 16.* Coronæ quoque, ab Initiatore Mystæ imponi solitæ, tuncque nominis *Sophistæ* collati, meminit Philostratus *de Vita Sophist. l. 2.* quos ritus omnes præcessisse suffragia Judicum, docet Lucian. *in Eunucho* & Eunapius *in Proæresio*. Ex illis primus mercede docuit Protagoras, cujus rationem reddit Philostratus, Ἃ γὰρ σὺν δαπάνῃ σπουδάζομεν, μᾶλλον ἀσπαζόμεθα ἢ τὰ προῖκα. A quo tempore Grammaticis & Rhetoribus, modò disciplina & assiduitate Scholas tuerentur, ampla emolumenta non defuerunt: qua de re vide suprà *suo loco*. Antoninus inprimis Pius, non modò Grammaticis & Rhetoribus & Philosophis per omnes provincias honores & salaria detulit, sed & numerum finivit, quot quibus in civitatibus exhiberi publicè deberent: Metropoles Gentium

tium quinque ut tuerentur Rhetores, Grammaticos totidem: Juridici conventus 4. qui decerent utramque doctrinam; Reliquæ minores civitates tres *Sophistas* & Grammaticos totidem: In Philosophis numerum non terminavit, quia rariores reperiebantur, sed hæreses sive disciplinas elegit. Honorum locô, jussit illos esse immunes à *Gymnasiis, Sacerdotiis, stathmis, & neque ad frumenti & vini & olei emtiones & præpositiones, & neque judicare neque Legatos esse, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum cogi*, quæ verba sunt *l.* 6. & 8. *D. de excusationibus*. Salaria è Fisco Grammaticis, Rhetoribus & Philosophis decreta μυρίαι fuerunt ἐγχωρίαι Lucian. *in Eunucho*, i. e. Romanæ monetæ sestertia 40. Aurei 400. at nostræ coronati 1000. Salmas. *ad Histor. Augusti. Capitolin. in Pio, c.* 11. Vide quoque Joh. Fridericum Gronov. *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 11. De *Sophistarum* verò veteri appellatione, Petrum Fabrum Sanjorianum *ad L.* 1. *de Justitia & Jure p.* 715. & 716. adde G. Elmenhorst. *Observat. ad Arnobium l.* 1.

SOPHITIS Regnum, Indica regio, ubi Rex ob formam eligitur, populusque sapientiâ excellit & bonis moribus regitur. Straboni dicitur Σωπείθης & alio in loco Σωπείθης. Vide Curt. *l.* 9. *c.* 1. Diodoro Sic. *l.* 17. *parte posteriore* Σωπείθης. *Nic. Lloydius.*

SOPHOCARDIUS Georgius, Concionator in Scotia celebris, per fraudem captus à Cardinali Sant Andræano, & ad ignem damnatus: Cardinali è fenestra supplicium prospectanti, imminens lethum prædixit. A. C. 1541. Vide Thuanum *Hist. l.* 3. *&c.*

SOPHOCLES, dux Lacedæmoniorum, A. M. 3193. Item Grammaticus quidam, interpres Lycophronis & aliorum poëtarum.

SOPHOCLES, Poëta Tragicus, patriâ Atheniensis, tantâ orationis suavitate, ut vulgò μέλιττα, h. e. *apis*, item *Siren Attica* cognominaretur, æqualis Euripidis ac Periclis, cujus etiam quandoque collega fuit in prætura. Natus Olympiade 73. ante Socratem ann. 17. Ingeniô & fortitudine inclytus, cum Pericle, Dux copiarum fuit. Primus 3. actoribus usus est, adjectô eô, qui vocatur *Tritagonista*, h. e. tertiarum & ultimarum partium histrio. Primus etiam choros ex juvenibus 15. introduxit, cùm anteà 12. tantum introducerentur. Primus quoque tragicas contentiones & compositiones instituit. Scripsit etiam *Elegiam*, & *Pæanas*, atque *orationem prosam*, cùm de Choro adversus Thespim & Chœrilum contenderet: Tragœdiam ad perfectionem perduxit; Stylus ejus politicum sapit, & fictiones admodum judiciosæ sunt. Obiit autem 6. an. post Euripidis mortem, cui styli magnitudine præfertur, licèt ejus sententiis inferior. Filios habuit, *Jophontem, Leosthenem, Aristonem, Stephanum, Menecliden*, quorum unus patre jam grandævô, annos enim 85. attigisse dicitur, Judices adiit, rogatum, ut Patri Curatorem constituerent: sed hôc partem Oedipi, quam tum fortè pangebat, coram Judicibus recitante, cum ignominia remissus est. Exhibuit fabulas 123. quanquam alii dicant multo plures. Victorias autem 23. reportavit, quarum postrema cùm præter spem illi contigisset, repentinô gaudiô dicitur expirâsse, ut est author Val. Max. *l.* 9. *c.* 12. *ext. Lucian.* autem granô uvæ strangulatum eum prodidit, quod & Sotadis versiculus apud *Stobæum* confirmat,

Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς πνιγεὶς τέθνηκε.

Vide Plin. *l.* 7. *c.* 29. Lil. Girald. *Dial. de Poët.* Fabrum *vita Poët. Gr. &c.* Hinc *Sophocleus*. Cicer. *l.* 16. *Famil. Ep.* 18. *An, paugis aliquid Sophocleum?* h. e. grande, grave, & tale quale Sophocles? Virg. *Ecl.* 8. *v.* 10.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Unde Martialis *l.* 5. *Epigr.* 31. *v.* 1.

Varro Sophocleo non inficiande cothurno.

Idem *l.* 3. *Epigr.* 20. *v.* 7.

An in cothurnis horridus Sophoclis.

Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 636.

Grande Sophocleô carmen bacchamur hiatu.

Vide Græcum epigramma 3. *Anthol.* de sepulchro Sophoclis, ubi Opsopæus notat præstantiam ejus, supra Æschylum, & Euripidem. *Nic. Lloyd.* Ejus sepulchro *Electram* aut *Antigonem* insculptam olim legimus, quòd inter illius tragœdias principatum facilè obtinerent; & quidem Bacchi statua inibi sculpta manu personam seu larvam κουρίμου παρθένου, tragicæ virginis, quâ alterutra harum denotabatur, sustinebat. Qua de re vide elegantissimum in *Anthologia* Dioscoridis *Epigramma*, partim ex ingenio, partim ex vetusti codicis auctoritate, emendatum à Salmasio *ad Vopisc. in Carino, c.* 19. quem vide quoque *ad Solin. p.* 825. Aliàs & appellativè vox usurpata est, ut mox dicemus.

SOPHOCLES Junior, Poëta Græcus, prioris nepos. Scripsit *dramata* quædam.

SOPHOCLES, vide *Sophos*.

SOPHONIA, Insul. parva maris Ægæi, ante Magnesiam. Plin. *l.* 2. *c.* 89.

SOPHONIAS, fil. Maasiæ. Jerem. *c.* 21. *v.* 1. Item propheta, fil. Chusi, unus ex minoribus prophetis, qui & *Zephanias*, ex regia stirpe. Orsus est prophetare, tempore Jeremiæ, sub Josia, A. M. 3407. Continet autem Prophetia ejus capita 3. quæ vide. In *Prophetiam* ejus, extant Buceri *Enarrationes*, in fol. per Rob. Stephanum, A. C. 1554. Danæi *Explicatio*. Lareni *Tuba*, in octav. Regii *Comm.* Cellæ Saxonum 1537. Selnecceri *Explicatio*. Winckelmanni *Comm.* Vide Crowæi *Elenchum*.

SOPHOS, Græcè Σοφῶς, i. e. *Sapienter*, nota apud Veteres acclamatio Sophistis facta, cujus frequens apud Martialem mentio, ubi *grande Sophos, magnum Sophos, inane Sophos*, reperias. Quam laudem cùm nimium affectantes, ex Auditoribus suis, certô præmiô subornare inciperent, qui lætas istiusmodi acclamationes ordirentur, Plinii Jun. ætate nunc Σοφοκλεῖς dicti sunt, nunc *Laudiceni* voce ambiguâ, quia anteà sic dicti Laodicenses; posteàque novè id nomen ambitiosulis illis inditum à *laude dicenda*; vel quòd *laudem* hanc *cœna* emerent. Similis applaudendi vox fuit, *Egregiè dixisti*: quô sensu φεῦ acclamatum est Carthaginensi Rhetori apud Tertullian. *contra Valentinian. c.* 8. Item *Papæ*, ac Οὐά, item θαυμαστῶς, i. e. *admirabiliter*, quæ proin jungit Arrianus *Dissertation. Epicteti l.* 3. *c.* 23. subintellige εἴρηκας, *dixisti*: Nec quidquam aliud *Evax* Plautinum, quod ab Εὐάν Baccho acclamari solito ortum videtur. Sed & *Euge* Rhetoribus ac Poëtis dici consuevisse, ex Martiali & Persio constat: quod minimè mirum, cùm εὖ & εὐγε, sic usurpet Plato: *Euge* verò nihil aliud sit, quàm Εὖγε. Promiscuè nimirum ad affectum exprimendum, nunc interjectionibus usi, ut φεῦ, ἆ, *Euge* ac similibus; nunc adverbiis, ut θαυμαστῶς & apud Theophrastum ὀρθῶς: apud Arrianum ὑπερφυῶς, σοφῶς, apud Varios: apud Ciceronem, *præclarè, bellè, festivè*; apud Horatium *pulchrè, benè, rectè*; aliàque apud alios. Vide Voss. *de Arte Gramm. l. ult. c. ult. sub fin.* & suprà *Grande Sophos*.

SOPHRON, poëta Syracusanus, cujus scriptis Platonem usquè adeo delectatum ferunt, ut etiam moriens capiti ea habuerit subjecta. Scripsit linguâ Doricâ *Mimos viriles & fœmineos*, & alia quædam non contemnenda, sed adeò implicita, ut à paucis intelligerentur. Vixit, sub Xerxe, 75. Olymp. Item Poëta Comicus, Olymp. 127. *Suidas, Jul. Pollux*, Lilius Girald. *dial. de Poët.* Voss. *de Poët. Græc. p.* 28. *c.* 5. Faber, *vit. Poët. Græc.* Vide quoque suprà, ubi de *Apollodoro Atheniensi*.

SOPHRONIA, matrona Romana, altera Lucretia Christiana, cùm vim Decii principis videret se passuram, consentiente virô, arreptô gladiô seipsam transfixit, ac inter sanctas mulieres est relata. Euseb. *l.* 8. *c.* 17.

SOPHRONISTA, Græcè Σωφρονιστής, nomen officii fuit, apud Athenienses olim, cui Gymnasticæ Juventutis intra modestiæ limites coërcendæ cura incumbebat, memoratum in *veter. Inscr.* Athenis haud pridem repertâ. *Hesych.* Νουθετητὴν exponit, *Theophylactus Simocatta* τῶν σωφρονιστῶν διδάσκαλοι. Ei suberat *Hyposophronista*, Cl. Sponius *Itiner. Part.* 3. ubi de 174. Populis, voce Μαγνήτων. De *Sophronisterio*, quod in sua civitate Plato esse jussit, vide libros ejus *de Rep.*

SOPHRONISTÆ, Magistratus quidam apud Athenienses, non dissimiles iis, quos Romani *Censores* vocabant, licet longè plures essent, & potestate aliquanto inferiores: legebantur enim ex singulis tribubus decem, qui juvenum mores censerent. *Sigonius.* Vide suprà.

SOPHRONIUM, nomen fœminæ, per diminutionem adulationis amatoriæ prolatum.

SOPHRONIUS, Episcopus Hierosolymitanus, Damascô oriundus, A. C. 633. Monotheletarum hostis acerrimus. Obiit A. C. 636. Concil. 2. Nicen. *Actu* 4. Johan. Damascenus, Photius *codic.* 231. Niceph. Callistus, *l.* 7. *c.* 3. *&c.* Item Patriarcha Constantinop. seculô 15. Item, tempore Hieronymi, scripsit *Panegyricum Bethlehemæ*, & *lib. de destructione statuæ Serapidis*: *Hilarionis* quoque *vitam* Græcè vertit, &c. Vide Hieronym. *de Script. Eccl. c. ult.* Non esse autem hunc auctorem Græcæ versionis Scriptorum Eccl. Hieronymi, quos Erasmus Basileæ edidit, A. C. 1529. apud A. Cratandrum, ut Ger. Joh. Vossius ratus est, ostendit hujus fil. Isacus, *in not. ad Epist. S. Ignatii.*

SOPHTHA, Persici sinûs insul. *Ptol. Phara Marcellini* esse creditur.

SOPIANÆ, Pannoniæ inferioris urbs. *Soppan Lazio, Zeeblack Simlero, Soppia Ferrar.* Ad Dracum fluv. 3. leuc. in Libonotum à Zigetho arce.

SOPOLIS, nobilis Macedo, pater Hermolai, qui cum aliis nobilibus pueris contra Alexandrum M. conjuravit. Curt. *l.* 8 *c.* 7.

SOPOR, plusquam somnus, altior nimirum iste. Lucan. *initiô l.* 3. *v.* 8.

Inde soporifero cesserunt languida somno
Membra ducis ——

Unde & de poculo *soporem* faciente, sæpe in Quintiliani *Declamationum Excerptis*; etiam eo, è quo non ampliùs exciteris. Corn. Nepos *in Dione, c.* 2. *Dionysius Patri Medicos soporem dare coëgit, quo æger sumtô sopitus diem obiit supremum.* Quam *offam soporatam* vocat Virgilius *Æn. l.* 6. *v.* 420. ubi de Cerbero, Φάρμακον ὑπνωτικὸν *Plut.* qui, ut & Nepos, potionem ita significant frigidissimam, quæ, ut ex Medicorum scriptis discimus, nigri papaveris aut cicutæ succô parari solet. Vide suprà *Cicuta*: addo saltem locum Frontini *l.* 2. *c.* 5. *Mandragora, inter venenum & soporem media vis est* &c. Poëtis auriga Lunæ est. Statius *Theb. l.* 12. *v.* 306. de Luna,

—— —— *exere quæso*
Cornua, & assueto propior premat orbita terras:
Hunc quoque, qui currus madidantibi pronus habenas
Ducit, in Somnos vigiles demitte Soporem.

Item Noctis. Idem *l.* 2. *v.* 59.

—— —— Sopor *obvius illi*
Noctis agebat equos, trepidusque assurgit honori
Numinis ——

Imò pro Numine habitus, uti Somnus. Porrò Pasitheæ, unius ex Gratiis, maritus, gener Junonis, cœlumque instar auræ repetens, fingitur Q. Smyrnæo *l.* 5. *v.* 395. de quorum amoribus vide quoque Homer. *l.* 14. & Nonnum *l.* 31. & 32. plura verò hanc in rem apud Casp. Barthium *Animadvers. ad Papinium Statium d. l.*

SOPRONIUM, Germanicè *Oedenburg*, urbs Hungariæ in limite Austriæ, 3. leuc. à Neostadio in Ortum, 6. à Posonio in Meridiem

diem uti 1. à Peisone lacu. Caput Comitatus cognominis, cui Austria ad Occasum & Meridiem, Javariensis Comitatus ad Ortum, & Musunicusis ad Boream. Sub Austriacis.

SORA, colonia & urbs Latii ad Lirim fluv. in Campaniæ confinio inter Ferentinum, & Atinam, Arpino proxima. Episcopalis cum titulo Ducatus M. Fabiô & S. Sulpitiô Consulib. à Romanis Samnitibus est erepta. *Liv. l. 7. dec. 1.* Nunc in provinc. Terræ laboris, in limite ditionis Pontific. & Aprutii ulterioris, cum castro splendido gentis Bon-compagnæ. 16. mill. pass. à Casino in Circium. *Baudrando.* Juvenal. *Sat. 3. v. 223.*

Si potes avelli Circensibus optima Soræ,
Aut Fabraterna domus, aut Frusinone paratur.

Silius *l. 8. v. 394.*

Sylla Ferentinos, Privernatumque maniplos
Ducebat simul excitos, Soræque juventus
Addita fulgebat telis, hic Scaptia pubes,
Hic Fabrateriæ vulgus, nec monte nivosô
Descendens Atina aberat, detritaque bellis
Suessa, atque a duro Frusino haud imbellis aratro.

Stephanus *Soram* alteram collocat, in Phœnice. *Nic. Lloyd.*

SORA, oppidul. Selandiæ, in Dania, cum Academia sat celebri, à Friderico II. instituta, & à Christiano IV. restaurata. 7. leuc. ab Hafnia in Occasum, 4. à Roschildia in Africum, inter Slagam & Ringstadium, sylvis undique septa, & arce regiâ munita, ad amœnam paludem, aquâ dulci scatentem. Alias cœnobium. *Abrah. Golnitius.*

SORA, urbs Indiæ citerioris *Ptol.* nunc *Shapor*, urbs Betariæ provinc. Sub Mogolo M. in limite regni Golcondæ. *Sanso.*

SORABI, populi Germaniæ in Misnia & Saxonia: quorum tractus *Sirbia*, & loca *Serbet*, ac *Servestein* dicuntur. Aimonio ponitur in Dalmatia. *Servei* hodie quibusdam. Contra hos Naumburgum munîit Carolus M. cujus filius Ludovicus Pius illos repressit, A. C. 817. à Ludovico Rege Bavariæ, filio Pii, fame domitos, A. C. 851. *Annal. Fuldenses*, Blondus *l. 2. dec. 1.* Aimoin. *l. 3.*

SORACTES, & SORACTE neutr. gener. mons Faliscorum in Hetruria apud Tiberim, Apollini quondam sacer. Virg. *l. 11. Æn. v. 785.*

Summe Deus sancti custos Soractis Apollo.

Idem *l. 7. v. 697.*

Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva.

Silius *l. 8. v. 493.*

Haud procul & sacrum Phœbo Soracte frequentant.

Horat. *l. 1. Carm. Od. 9. v. 1.*

Vides ut altâ stet nive candidum
Soracte. ——— ———

Hodie *monte S. Oreste*, ab oppido adjacente cum cœnobio in ditione Pontific. & provinc. Patrimonii. *Mons S. Ordisti* quibusdam recentioribus. Hic fons olim fuit, Sole oriente exæstuans, ex quo aves bibentes mortuæ illicò deciderunt, teste *Varrone.* Item Galatiæ mons, in quo eriphium, i. e. ruta sylvestris, nascitur, teste *Dioscoride.* *Nic. Lloyd.*

SORACTIA, Omanorum in Arabia Felici urbs. Plin. *l. 6. c. 28.*

SORACUM, apud Poëtam:

——— *plenis lubet intorquere soracis;*

vox est merè Græca, nam σώρακος illis dicitur: quod vas seu cophinum fuisse tradit *Pollux*, in quo *ornamenta scenicorum portabantur*, ut ait *Festus.* *Librorum plenus soracus*, occurrit apud Plautum, *Pers. Act. 3. sc. 1. v. 64.* Unde patet cum *soraco* malè nonnullis *sarracum*, cum cophino plaustrum, confundi. Vide Salmas. *ad Jul. Capitolin. in Marco. c. 13.*

SORADEUS, dæmon, quem Indi colebant: sonat *vini auctor.* Athen. *l. 1.* Παρ' Ἰνδοῖς δαίμων ἐλέγετο (ὥς φησι Χάρης ὁ Μιτυληναῖος) ὃς καλεῖται Σοραδεὺς, ἑρμηνεύεται δὲ Ἑλλάδι φωνῇ, Οἰνοποιός.

SORANUS, Ditis seu Plutonis cognomen, à voce Græcâ σορὸς, quæ *tumulum Sepulchralem* significat, vel à *Sora* oppido ad Soractem montem sito. Tradit enim Plin. *l. 2. c. 93.* eo in tractu tam pestiferos spiritus exhalari, ut avibus sint lethales. Unde videri potest Pluto dictus esse *Soranus*, non dissimili ratione ab ea, quâ Avernum pro inferis Poëtæ acceperunt.

SORANUS Ephesius, fil. Menandri, ex Phœbe, medicus. Alexandriæ vixit, deinde Romam venit, ubi artem exercuit, Trajani & Adriani temporibus. *Suidas.* Alius quoque Ephesius, sed junior priore, *de morbis mulierum locisque* librum edidit cujus fragmentum à Turnebo editum. Idem *vitam Medicorum* composuit. Alius Cilix, cognomine Mallotes: qui malè auctor creditur *Isagoges Medicæ*, apud Cratandrum, Basileæ impressæ, A. C. 1528. Justus *in Chron. Med.* Castellan. *in vit. Med.* Vander-Linden, *de Script. Med.* Voss. *de Hist. Græc. l. 3. p. 414. &c.*

SORANUS Valerius, vide *Valerius.*

SORATOVIA, urbs Astracani regni, ad Volgam, media ferè, inter Cazanum ad Boream & Astracanum ad Meridiem.

SORAVA, urbs Lusatiæ inferioris caput, aliter *Zdarum*, sub Electore Saxoniæ. In ipso Silesiæ limite, vix 1. milliar. German. à Sagano in Circium, 5. à Crassa in Meridiem, pluries capta & recepta ultimô bellô Germanico.

SORBA, fructus Sorbi arboris, *in scrobibus gypsatô operculô, duobus pedum terrâ superinductâ, in loco aprico, inversis vasis & in doliis, ut uvæ, cum ramis olim suspendebantur*, uti docet Plinius *l. 15. c. 17.* ubi de *cotoneis, Punicis, pyris*, & sorbis, *& uvis servandis.* In quos usus valeant, idem exponit *l. 23. c. 7.* Vide quoque eum *l. 16. c. 18. 24. &c.* De iis Martialis *l. 13. Epigr. 26.*

Sorba sumus, molles nimium durantia ventres:
Aptius hæc puero, quam tibi, poma dabis.

SORBILLANDI Ritus veteres, cum Bono Genio in conviviis libabant, quod ἐκροφεῖν εἰς ἀγαθὸν δαίμονα vocitârunt, vide suprà voce *Potus.* Apud Christianos, seculis post Christum natum aliquot, vinum Eucharisticum calamô seu fistulâ è calice *exsorberi* consuevisse, diximus suprà voce *Fistula*, it. *Siphon.*

SORBIODUNUM, urbs Angliæ Episcopalis aliàs Belgarum, in regione Wiltoniæ, inter Wintoniam ad ortum, & Exoniam ad occasum, vulgo *Salisbury.* Duplex autem fuit *Sarisberia* (ut loquitur Bochartus) quarum vetustior collem occupabat aridissimum & prorsus inaquosum. Id testantur disertis verbis Britannici scriptores Guil. Malmesburiensis: *Castellum erat, &c. aquæ penuriâ laborans, adeò ut mirabili commerciô aqua ibi vendatur.* Et poëta anonymus ejusdem ævi apud Camdenum:

Est ibi defectus lymphæ, sed copia cretæ.

Et Petrus Blesensis *in Epp.* *Erat locus ille ventis expositus, sterilis, aridus, desertus.* Proinde vetustior illa Sarisberia in *Itinerario Antonini*, *Sorbiodunum* dicitur priscô nomine, bodie *Old Sarisbury*, quod ex Britannica lingua Camdenus *siccum collem* interpretatur. Nempe *dunum* est collis, & *sorb*, vel *sorbia* tam Syris quàm Britannis est *siccitas.* Radix שרב *serab*, est *siccum esse.* Unde שריב *siccum*, & שרבא *sarba*, שרובא, *seroba*, שורבא *sorba*, vel *sorbs*, *siccitas.* Hebræis etiam nota, vox. Ubi enim habet Esaias, *c. 35. v. 7. Erit locus aridus in stagnum, & locus siticulosus in fontes aquarum*; pro loco arido in Hebræo textu est שרב *serab.* Bochart. *in Chanaan, l. 1. c. 42.* *Nic. Lloydius.* Nunc pagus prope Avonium amnem, mill. pass. à Sarisberia urbe primaria Viltoniæ, quæ crevit ex ejus ruinis, & *Sorbiodunum Novum* dici potest; distatque 70. mill. pass. à Londino & Exonia, 20. à Venta Belg. in Ortum, 40. à Bristolio in Eurum, uti 32. à Bathonia, 40. à Dorcestria in Circiam. *Baudrandus.*

SORBONA, primum & præcipuum Academiæ Parisinæ Collegium, à Roberto Sorbone, tempore Ludovici IX. fundatum. Aliquando pro tota Academia sumitur, quæ instituta A. C. 791. à Carolo M. Alcuini impulsu, qui primus ejus Professor exstitit, magnum in Europa nomen adepta est. Hujus filiam se Ticinensis & Cracoviensis, sororem Mediolanensis vocat Academia. Vide suprà & in voce *Cracovia.* Præter Sorbonam hôc nomine insignem, collegia habet 63. Sorbona verò, à Cardinali Richelio insolitâ magnificentiâ reparata, locum 36. Doctoribus præbet, qui Sorbonici dicuntur. Vide Claud. Hemeræum *de Acad. Paris.* Du Breuil, *antiq. Paris.* Morerium *in Diction. Hist.* Durante Schismate, quô Bonifacius IX. Romæ, Benedictus XIII. Avenione, sedebant, *Sorbonicum* Collegium cui à Rege res deliberanda commissa erat, decrevit, *jus fasque esse, ut Rex se ac regnum suum utriusque Papæ obedientiâ eximeret*, donec exsisteret aliquis legitimè creatus. Unde totos tres annos Papæ eclepsin facilè tum tulit Gallia. Iterum dein circa A. C. 1416. statuit, Ecclesiam Gallicam, nullô jure obstrictam esse, ut Pontifici pecunias pendat, nisi ad recuperandam terram S. ad conciliandam inter Græcos Latinosque concordiam & ad prædicandum Euangelium omni creaturæ. Idem Antonii Santarelli librum Romæ excusum, tanquam rebelliones, seditiones & Principum parricidia excitantem, condemnavit, A. C. 1625. &c. Vide Lætum *Comp. Hist. Univ.* Rivetum *Jesuit. vapul. c. 15. Sect. 6. &c.*

SORBONUS, Robertus, vide *Robertus.*

SORBOTÆ, populi Æthiopiæ, apud quos homines esse creduntur 8. cubitorum. *Plin.*

SORCOTIUM, apud Christianum Episcopum Moguntin. in *Chronico* Mogunt. *Purpuram optimam --- tollens, sibi vestes fecit, tunicam*, sorcotium *& mantellum*: Gall. *Sorcot* vel *Surcot*, vestis species, fortè quòd *cotto* superadderetur, dicta. Vide Car. du Fresne *Not. ad Joinvillam p. 38.*

SORDES, & squallor Philosophis olim, Cynicis inprimis, in usu, qui non solùm sordidissimi, sed etiam ut plurimum impostores erant. Unde Hieronym. *Ep. ad Marcellam*, *Si tunica non candueris, statim illud è trivio, impostor & Græcus est.* Ubi de Philosophis Christianis, h. e. Asceticis viris loquitur, qui non palliô solùm, sed etiam *sordibus* hujusmodi Græcos æmulabantur. Idem postea Monachis factitatum, quos, quam semel tunicam induissent, nunquam exuisse, priusquam penitùs usu detrita esset ac de altera habenda cogitandum foret, docet Hieronym. in *Vita Hilarionis.* Quæ causa est, cur Eunapius ὑωδῶς βιοῦν Monachos sui temporis vivere dixerit, *l. de Vitis Philosoph.* Sed & Essenos, Judæorum Ascetas, *sordere* & squalere pulchrum putâsse, refert Porphyrius *περὶ ἀποχῆς l. 3.* Vide Salmas. *ad Tertullian. de Pall. p. 68. 69.* & suprà, ubi de *Asceticis, Græcis impostoribus, Monachisque*: uti de *Sordibus palæstræ* abrasis ad usus Medicos, magnique divenditis, voce *Palæstra*: aliquid etiam ubi de *Purgamento lanæ* & *Purgatione animæ*, it. *Puris manibus.* Porrò *Sordium* & *Sordidorum* nomine censentur ab *Arnobio*, *Prudentio*, *Aliis*, Idola Gentilium, quæ quòd contrahendis *sordibus* & in orbem spargendis satagerent, sæpe à cultoribus suis eluebantur. Nota certè lavacra Palladis, ex Callimacho; Eumenidum statuas in Ilysso abluendi Atheniensium mos, memoratur Statio *Thebaid. l. 4. v. 54.* Deorum mater Phrygia, in Almone Romano, purgabatur; Xanthô amne Apollo, apud *Horatium* &c. Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.*

Idem

Idem de Indis hodiernis, observat P. de Valle *Itiner. Part.* 4. Sed & *sordes* de avaritia, quâ Romani posterioris ævi inprimis notati. Hinc apud Sylvestrum Giraldum *de Expugnat. Hiberniæ l.* 1. *c.* 36. *Venerant in Normanniæ partes ab --- Alexandro III. transmissi Cardinales duo ---- viri, ut putabantur, justi & boni -- sed tamen Romani*: ultimâ voce, inquit Car. du Fresne, Legatos perstringit ut rapaces. Notum enim, addit idem, quod de Curiæ olim Romanæ avaritia ingerunt Scriptores. Sic Baldricus *Histor. Camerac. l.* 1. *c.* 114. *Mores etiam Ecclesiasticos, quos avaritia* Romanorum *pravis commercationum usibus vitiabat, ad normam prioris gratiæ reformare æstimabat.* Vide Joh. Satisberiensem *de Nugis Curialium l.* 6. *c.* 25. & *Ep.* 176. 222. 272. Matthæum Parisium A. C. 1103. & qui hos laudat, præfatum Car. du Fresne *in Glossar.* ut & *Not. ad Joinvillam.* Unde *Romanizare*, Ugutioni & Joanni de Janua *tormentare, cruciare, affligere, trucidare*, apud Eund. Prius verò *Romani* appellatio honorifica fuit, & idem, quod *Christianus*, valuit. Lucifer Calarit. *de non parcendo in Deum delinqu. Itaque cum non esse illum verum Dei Filium dicitis --- nos verò* Romani *dicimus, unius substantiæ cum Patre illum esse.* Unde apud Audoënum *in Vita Eligii l.* 2. *c.* 19. plebs vici Noviomensis diœcesis, prophanis adhuc ritibus addicta, Eligium per convicium *Romanum* appellavit &c.

SORDICE, palus Galliæ Narbonens. *Sexto Avieno*, circa radices Pyrenæi montis, ubi etiam *Sordicenæ* populi & *Sordus* amnis. Varrerius hoc in loco tractum describit, qui hodie *l'estang de Leucate* seu *de Salses*, anteà in limite Galliæ & Hispaniæ nunc totus in Gallia contra Leucatam & Salsulas.

SORDIDA Vestis, candidæ opponitur, apud Livium *Dec.* 5. *l.* 5. *Legati Rhodiorum, cùm primò in veste candida visi essent, quod & gratulantes decebat.* Et paulo pòst, *Etsi sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum præbere speciem poterant.* Infrà, *Exemplô veste sordidâ sumtâ domos Principum cum precibus ac lachrymis circumibant.* Unde colligimus, *Sordidam* Togam non eandem cum pulla fuisse, ut quidam volunt. Non enim erat atri coloris, sed alba quidem, verùm non candens seu candida: quæ autem nativô colore alba erat, candida adhibitâ fiebat cretâ, non communi, sed Umbricâ, ut apud Plin. legimus *Histor. Nat. l.* 35. *c.* 17. Erat verò *Sordida* vestis fere vulgi, ob id *sordidi* interdum dicti: Ditiores contrà & elegantiores niveâ sive candidâ semper veste amicti fuêre, quæ interdum sordes cùm contraxit, Fullones erant, qui eas eluentes, sulphure ac cretâ, vestes iterum candefaciebant. Interim per dies vel privatim vel publicè lætos, etiam vulgus recentes Togas, & usu nondum detritas, ac penitus non *Sordidas* sumsit: quales *intactas* Ovid. *l.* 1. *Fast. v.* 79. *recentes* Alius vocavit. Eandem vestem *Sordidam* Viri illustres ac Nobiles, si rei essent facti, positâ niveâ, per dies judicii induebant, ut in veste plebeja essent miserabiliores. Itaque tum *in Sordibus* vel *Sordidati*, esse dicebantur. Neque verò ii solùm, verùm etiam Cognati ac Affines tum *Sordidam* sumebant, sicque *vestem mutare* dicebantur. Hinc Liv. *l.* 6. *c.* 20 *Tribuni Pl. diem Manlio dicunt. Conversa plebs est utique postquam sordidatum reum viderunt, nec cum eo non modò Patrum quenquam, sed ne Cognatos quidem, aut Affines, quod ad eam diem nunquam usu venisset, ut in tanto discrimine non & proximi quoque vestem mutarent.* Vide Johan. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 32. Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. part.* 1. *c.* 21. aliosque, qui *de Re Vestiaria* scripserunt.

SORDIDUS Panis, vide suprà *Secundus*.

SOREC, torrens in tribu Dan, prope Esthaol, juxta quem Samson adamavit Dalilam. Judic. *c.* 16. *v.* 4. Vineæ hic optimæ, ubi uvæ acinum non habebant. Vide & hic infrà.

SOREK, vallis fuit Palæstinæ, Judic. *c.* 16. *v.* 4. prope Ascalonem, unde vites illæ eximiæ, de quibus Gen. *c.* 49. *v.* 11. Esaiæ *c.* 5. *v.* 2. & Jeremiæ *c.* 2. *v.* 21. Indidem allata est uva illa mirabilis, de qua apud Mosen itidem videre est. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poster. l.* 5. *c.* 9. Vide quoque in voce *Sorec*.

SOREX, ex Græco ὕραξ, infausti ominis olim fuit, unde *Soricum concentu auspicia dirimi*, ait Plin. *l.* 8. *c.* 57. Musoritis tamen Hæreticis, in veneratione, *Philostorg.* At *Sorices* seu mures Moscovitici, animalcula abietum, terræ, & radicum latebras incolentia, tantâ odoris excellentiâ fragrant, ut ex musco compacti videantur. Unde Magnatum aulis exuviæ illorum expetitæ, cujusmodi duas servari in Musæo Kircheriano Romæ notat Georg. de Sepibus in *Descript.* ejus *p.* 29. Vide quoque suprà ubi de *Mure Pontico*.

SORGE, fluv. Galliæ Narbonens. melius *Sulca*, seu *Sorgia*, in Provincia, qui ortus ex Valle clausa, per Comitatum Vindascinum labitur, pauloque supra Avenionem in Rhodanum cadit.

SORI, nomen viri. 1. Paral. *c.* 25. *v.* 3.

SORIA, urbs Castellæ veteris prope fontes Durii fluv. vix 1. leuc. infra rudera Numantiæ, 12. à Bilbili in Circium, 8. à Turiazone in Africum.

SORIS, Memphitarum Rex IX. post Cerpherem, præfuit annos 29. Serapide rerum potiente in inferiore Ægypto. Eum excepit Suphis I. quem vide.

SORITÆ, Indiæ populi qui piscibus tantùm degunt, illos ad Solem dissectos torrentes, panemque ex iis conficientes. Qui tamen nullibi reperiuntur, totâ Indiæ orâ à Lusitanis peragratâ.

SORITIA, Hispaniæ Bæticæ urbs apud A. Hirtium videtur, *l. de Bell. Hisp. c.* 27.

SORLINGÆ, vulgò *the Sorlinges*, Latinè *Sullingæ*. Veterib. *Cassiterides*, Insulæ sunt Britannicæ, sitæ è regione Cornubiæ promontorii Lissæi, numerô plus minùs 145. gramine amœnæ, & avibus aquaticis abundantes, stanni quoque non parùm feraces, unde antiquum illis nomen. Earum decem extantiores sunt, quarum omnium maxima *S. Maria* est, castrô & præsidiô militari instructa. Vide Auctorem Anonymum *Historia Orbis Terr. Part.* 1. *c.* 5 ubi *de Historia Insularum*, §. 6.

SORNUM, aliis *Zyernum*, urbs Hungariæ ad Danubium, 70. mill. pass. infra Taurunum in Ortum 60. à Temesvaria in Eurum.

SOROGA, Pannoniæ superioris urbs. *Ptol. Lazio Zagabria*, ad Saum fluv. Croatiæ caput. Vide *Siscia*.

SORON, urbs Paphlagoniæ, Pausan. *l.* 8.

SORONA, Arcadiæ sylva. Pausan. *l.* 8.

SOROR, de Furiis κατ' ἐξοχὴν, apud Statium *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 185.

Nulla Soror flammas, nulla assurgentibus hydris
Terrebit ——

De Parcis item, Horatius *Carm. l.* 2. *Od.* 3. *v.* 15.

Dum res & ætas & Sororum
Fila trium patiuntur atra &c.

Apud vet. Ecclesiasticæ Scriptores, *Sorores* dictæ Presbyterorum Episcoporumque uxores, à quibus hi processu temporis abstinere cœperunt. Auctor *Vitæ* Severi Episc. Ravenn. *c.* 19. *Uxor quippe in sororem versa est.* Item Mulieres extraneæ, συνείσακτοι Græcis, quarum consortium vitare jubentur Clerici, in Concilio Ancyrano *can.* 19. Nicæno *can.* 3. & aliis subsequentibus Conciliis. Hôc modô *Soror* pro amica, apud Martial. *l.* 10. *Epigr.* 65. *v. ult.* & *l.* 12. *Epigr.* 20. *v.* 2. uti *Frater*, pro amico. Idem *l.* 2. *Epigr.* 4. *v.* 3.

Fratrem te vocat, & Soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?

Vide quoque *Tibullum*, *Petronium*, *Alios*. Unde ex *Fratrum* & *Sororum* appellatione, quâ sese veteres Christiani insigniebant, ut suprà diximus voce *Frater*, sequiora colligit & eorum fidem sanctissimam *libidinum religionem* vocat Cæcilius apud Minucium. Quid verò causæ, quod sacra hæc nomina ad amores & libidines traxerint Ethnici, docet Scholiastes Lycoph. τὰς ξένας ἀδελφὰς οἱ ἐρωτικοὶ καλοῦσι, οἱ γὰρ ἐρῶντες, φαγεδαίνας λέγουσι. ἀδελφός μου καὶ σύζυγός μου ἐστί. Vide Jo. à Wower & Jac. Ouzelium *ad Minucium d. l.* adde Lipsium *Var. Lect. l.* 2. *c.* 1. Porrò Monachis sic appellatæ sunt Virgines ac Mulieres, quæ pietatis ac devotionis intuitu eorum disciplinæ ac regulæ se addicebant, ita ut domicilia seclusa omnino haberent à Monachorum ædibus: *Feminæ conversæ* quoque dictæ. Unde *Monasteriorum Duplicium* origo. Imò quævis Sanctimoniales, apud Fortunatum *l.* 5. *Poëm.* 1. *l.* 11. *Poëm.* 1. & alibi. Sed & *Sororum* appellatione Regum Principumque uxores donabantur, cùm de iis verba faciebant Principes exteri, aut ad eas scribebant, quemadmodum conjuges earum *Fratres* nominabant &c. Vide Car. du Fresne *in Glossar.* laudantem hanc in rem *Ep.* 39. inter Francicas *Tom.* 1. *Histor. Franc.* & varios Auctores in prædictam: nec non J. C. Suicerum *Thesaur. Eccl.* voce Ἀδελφὸς, item, &c. Cæterùm in Matralibus, *Sororum* liberos, velut suos, in ulnas accepisse, iisque bona precatas esse matronas veter. Romanorum, diximus suprà, ubi de festo hoc. Apud Persas, incestu jam inde à Cambyse usitatô, *Sororem* in matrimonio habuisse Darius ultimus legitur apud Justinum *l.* 11. *c.* 9. & Orosium *l.* 3. *c.* 16. more ad Græcos Ægypti Reges aliosque inde translatô. Imò eôdem patre natas uxores & Atheniensibus ducere licuisse, C. Nepos *in Cimone* tradit, *patriumque* eum *morem* vocat *c.* 1. Quibus contraria figentes vestigia Spartani, germanarum nuptias adversati, uterinas ducebant, Lycurgô permittente. Ægyptiis verò etiam eôdem patre eâdemque matre genitas, Philo *de Special. LL.* quem morem à Chamo usque arcessit Berosus *Antiqq. l.* 3. Unde Seneca *de morte Claudii*, ubi illi objicit sororis nuptias, *Athenis*, inquit, adde & Spartæ, *dimidium licet, Alexandriæ totum.* Vide Ant. Muretum *Var. Lect. l.* 15. *c.* 5. Keuchenium & Gebhardum *ad Nepot.* &c. Nec ignotum illud Junonis apud Senec. Trag. *in Hercule Fur. sub init.*

Soror Tonantis, (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) &c.

SORORES, 4. Syriæ Urbes, Antiochia magna, ad Orontem, Seleucia Pieria, Apamea Apamenes caput & Laodicea, in Cassiotide, eôdem tempore à Nicanore Seleuco Rege conditæ, *Strab.*

SORORIA, cognomen Junonis apud Romanos, sic dictæ à sorore Horatii; cui hic in expiationem cædis sororis suæ aram consecravit, *Festus*.

SORORICULATA Vestis, Plinio memoratur *l.* 8. *c.* 48. ubi ait: *Undulata vestis prima e lautissimis fuit, inde* Sororiculata *defluxit. Togas rasas Phryxianasque D. Augusti novissimis temporibus cœpisse, scribit Fenestella. Crebræ papaveratæ antiquiorem habent originem, jam sub Lucilio Poëta in Torquato notatæ.* Quidam legunt *Soriculatas*, & spartô ac linô condensatas interpretantur, nempe à conferendo *Sericulatas* dictas. Veteres verò libri habent, uti posuimus. Nonnulli tamen & *Surorculatas*, quæ perpetuis quibusdam suris & latioribus virgis regulatæ essent, & eô totô texendi genere confectæ, ut sint à *sura*, vel à rica vel regula. Sed *quid juvat in tenebris micare*, inquit Ferrarius, *non exigua Critici laus est, etiam aliqua ignorare. Vel hic succurrant nobis, qui grandia semper minantur. Sanè hujusmodi suras, regulas & figuras in lana texi non potuisse, illud argumento est, quod in lana, tantùm Istrica & Liburnica, quæ pilo propior erat, quàm lanæ scutulæ texi poterant, in reliquis villi obstabant.* Vide eum *de Re Vestiar. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 11.

SORS Fortunæ, apud Minucium Fel. *Octavio*; *Nec de Fato quisquam aut solatium capiet, aut excuset; eventum sit Sortis Fortunæ, mens tamen libera est* &c. Uti *MS.* longè meliùs illis, qui *Fortis Fortunæ* legunt. Nullus enim hujus Romanorum Deæ hic locus, sed loquitur Minucius ex eorum mente, qui unicuique suam Fortunam ex Astrologia ἀποτελεσματικῆ seu *judiciaria*, assignabant, quâ totius hominum vitæ cursus temperaretur. Hæc dicebatur *Sors Fortuna*, Græcè κλῆρος τῆς Τύχης, de qua vide Scaligerum *ad Manilium Astronom. l.* 2. Seldenum *de Diis Syris Syntagm.* 1. *c.* 1. & Salmas. *de Annis Climactericis*.

SORTES, Oracula dicebantur. Cicero *de Divin. l.* 1. *c.* 6. *Quæ est autem gens, quæ Civitas, quæ non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut Augurum, aut Astrologorum, aut* Sortium, *(ea enim ferè Artis sunt) prædictione, moveatur?* Et posteà, *cujus generis oracula etiam habenda sunt, non ea quæ æquatis sortibus*

ducuntur. Liv. Decad. 1. l. 1. *Delphos ad maximè inclytum in terris Oraculum mittere statuit, neque responsa Sortium ulli alteri committere ausus.* L. Apulejus *Metam. l. 5. Ducite me, & cui Scopulo sors addixit, sistite.* Hyginus *Fab. c. 69. Adrastus memor Sortium suarum, i. e. Oraculi.* Virgilius *passim*, inprimis *Æn. l. 7. v. 269.*

Non patrio ex adyto Sortes.

Sidonius Apollinaris *Carm. 5. v. 263.*

Si Lyciæ sapiunt Sortes.

Vide quoque A. Tibullum *l. 1. El. 3. & 8. l. 2. El. 5.* Terentianum Maurum *l. de Metris*, Q. Ennium *Annalibus* &c. Venire autem Oracula *Sortis* nomine, propterea statuit Dempsterus, quòd ut res maximè dubiæ ac controversæ *Sorti* soleant committi, sic responsa Deorum, Apollinis inprimis Delphici, maximè fuerint obscura & ambigua, quorum sensum per *Sortes* venari fuerit necesse. Sed aliud *Sors*, aliud *Sortes*: Cùm enim singulare est, *Sors* seu κλῆρος, significabat olim plerunque occasionem divinandi Vatibus alicunde datam, eratque σημαίνει τὸ διάφορον ὅτι μαντευόμενοι ἀφ' οὗ οἱ μάντεις ἐρωτώμενοι προσφέρουσι περὶ ἑαυτῶν μαντεῖον, Scholiastes Eurip. *Hipol.* *Sortes* verò in plurali Oracula propriè notabant, ex iis, quæ temerè evenire solent, desumi solita: in quo proin divinandi genere, *temeritas & casus*, ut ait Cicero, *non ratio & consilium valebat.* Non tamen quælibet *Sortes* oracula erant, nam quædam per *Sortes* agebantur vaticinia, i. e. talis conjectis in mensam; qua de re sic Pindari Scholiastes *ad Pythior. Oden. 4.* Ἐὰν βάλλωσί με τιὸς ἀνάγκη ἀποτελεσθῆναι τόδε, εἰ δὲ μὴ οὐκ ἀποτελεσθήσεται, *Si me jaciente hoc ceciderit, eveniet sin minus, non eveniet*, vide Jo. Hartungum *Decuriæ ex optimis Auct. l. 3. c. 8. n. 4.* Dein, certum est quasdam *Mercurio dicatas*, ut eruditè ostendit Hadr. Junius *Animadvers. l. 2. c. 4.* Denique, cùm omne Oraculum aut in templis aut in antris edi soleret, *Sortes* etiam in profundum aliquem fontem, divinandi gratiâ, jactari consuevisse, notum est. Sueton. *Tiber. c. 14. Cum juxta Patavium adisset Geryonis Oraculum, sorte tractâ, quâ monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit, ut summum numerum jacti ab eo ostenderent, hodieque sub aqua visuntur hi tali.* Quod Is. Casaubon. in Græcorum consuetudine fuisse, ostendit ex Sozomeno *Hist. Eccl. l. 5. c. 19.* allatô etiam exemplô Inûs fontis, ex Pausania *Laconic.* Et allusit eò Claudian. *de 6. Honorii Consulatu, v. 512.*

——— Cumque omnibus una
Sit natura undis, similes ut corporis umbras
Ostendant, hæc sola novam jactantia sortem,
Humanos properant imitari flumina mores.

Atque ob id in fontes dona, ceu accepti beneficii præmia, conjiciebant, perceptâ Sorte discessuri, non minùs quàm illi, qui Oracula consulebant, donaria votiva affigebant Templorum tholis aut parietibus. Plinius Jun. *l. 8. Ep. 8. Hunc subter fons exit & exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui latò gremio patescit, purus & vitreus, ut numerare jactas stipes & relucentes calculos possis.* Unde *stipes* quidem apparet in fundum *jactas*, sed & alia donaria juxta affigebantur: uti discimus ex Claudiano, ubi de celebratissimo illo fonte Apono, *Epigr. 8. v. 37.*

Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres hastæ, regia dona micant &c.

Vide Thom. Dempsterum *Paralipom. in Rosin. l. 2. c. 7.* Divinationis autem hujus per *Sortes* inventrix Minerva fertur, cui fidem demserit Jupiter, ut Apollini adderet. Jaciebantur illæ, vel astragalis è pyrgo in tabulam effusis, vel tesseris, γραμματεῖα *Plutarcho* dictis, quòd ex ligno factæ γράμματα quædam seu *literas* inscriptas haberent: aliquando calculi globulique fictiles, in quibus nomina notata, adhibebantur; qui vel ex urna seu casside (in bello) eximebantur, vel in fontem projiciebantur, ubi quæ primò emergeret nota, solebat attendi. Pausan. *l. 7.* in Templo Herculis Βουραϊκῷ, in Achaja, tesserarum seu lignearum istiusmodi tabellarum meminit. Idem Athenis quoque obtinuit, ubi in decem Dicasteria cooptabantur Judices per *Sortes* istiusmodi. Cùm enim singula inscripta essent unâ harum decem literarum, Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Η. Θ. Ι. Κ. Athenienses, qui vellent judiciis reddundis vacare, nomina sua dabant tabellæ inscripta, adscriptô Patris Pagique nomine: totidem quoque erant tabellæ, quarum aliæ aliis harum literarum essent notatæ, pro numero scil. eorum, qui in hoc vel illo Foro essent judicaturi; atque ita fiebat, ut prout quisque hanc aut illam literam sortiretur, ita huic aut illi Foro Judex traderetur. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. l. 4. tit. 1.* qui simul virgam accipiebat, insigne non autoritatis solùm, sed & Mercurii *Sortium* Præsidis. An Thriæ, tres illæ Nymphæ, quæ Apollinem educâsse traduntur, eôdem *Sortium* genere usæ sint, non adeò liquet. Interim ipsum earum nomen tandem pro *Sortibus* usurpari cœpisse, discimus ex illo,

Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες.

Calculi olim, in judiciis & certaminibus gymnasticis fuêre in usu. Sed in illis circa tempora Ciceronis, non ampliùs is frequens fuit; sic enim hic *Divinat. l. 2. Quis namque Magistratus aut quis Vir illustrior utitur sortibus, cæteris verò in locis plane refrixerunt.* In istis, vas sumebant argenteum, κάλπις vocatum, in quod tot conjiciebant calculos, quot erant homines luctam seu certamen subituri, sic ut bini semper unâ essent insigniti. Qui igitur calculos eandem notam habentes sortiebantur, secum invicem committebantur; quòd si numerus esset impar, is qui calculum suum ἔφεδρον dictum esset sortitus, *Rex*, dicebatur, & cum reliquorum victore congredi tenebatur. Eadem nonnunquam ratio observata fuit in iis, qui ad mortem erant condemnati; Horum qui primum supplicii diem sortitus erat, communiter Ἑρμῆς vel *Mercurius*, ob rationem suprà memoratam vocatus est. Naufragii quoque tempore, aliquis *sorte* destinabatur furenti pelago victima, κάθαρμα dictus Græcis, quemadmodum de Ismenia apud Eustathium, & de Jona Propheta, in Sacris legimus. Sic itaque in plerisque Antiquorum templis, ubi Oracula edebantur, οἱ κλῆροι seu *sortes* adhibebantur, & mensa ad illas jaciendas in promtu erat, inde Oraculi eventum ut sciscitantes captarent eô modô, uti ex Pindari Scholiaste diximus. Sed & in angiportubus, plateis triviisque veteribus erant suæ *Sortes viales*, quas ἐνοδίους συμβόλους appellavit Æschylus. Earum meminit Tibullus *l. 1. El. 3. v. 11.*

Illa sacras pueri Sortes ter sustulit, illi
Rettulit è triviis omnia certa puer.

Artemidorus quoque *in Proœm.* τῶν ἐν ἀγορᾷ Μαντείων mentionem facit: hujusque divinandi modi originem ab Ægyptiis arcessit. Plut. *l. de Iside & Osir.* idque hâc occasione. Postquam Typho Osirim cistæ inclusum in mare projecisset, Isis hinc inde vagabunda maritum ibat quæsitum: cùm ecce in puerorum ludentium cœtum incidit, qui rogati locum ei indicârunt: ἐκ τούτου inquit, τὰ παιδάρια μαντικὴν ἔχειν δύναμιν οἴεσθαι. Αἰγυπτίους καὶ μάλιστα τὰς τούτων κληδόνας παιζόντων καὶ φθεγγομένων ὅ τι ἂν τύχωσι. Nec omittendæ *sortes* illæ, cùm Poëtæ alicujus volumen sumentes illudque, prout visum fuerit, aperientes, primum paginæ versiculum pro Oraculo accipiebant, quod στιχομαντείαν seu ῥαψῳδομαντείαν appellavêre. Sic *Sortes Homericæ* celebres, apud Priscos, *Virgilianæ* item, quas cum adhibuisset Alexander Severus Imperator in hunc versum 851. *l. 6. Æn.* incidisse legitur,

Tu regere imperiò populos Romane memento.

Aliquando seligentes sibi varios istiusmodi versiculos fatidicos, tabellis eos inscribebant, & in fictilem conjectos ollam iterum eximebant, cujus divinandi rationis Augustin. meminit: *Confess. l. 4. c. 3. Si enim de paginis Poëtæ cujusdam longe aliud canentis atque intendentis, cùm Sortem quis consulit; mirabiliter consonus negotio sæpe exiret.* Et hôc modò Socrates diem obitus sui vaticinatus dicitur. Quam vanitatem ex Christianis quoque non defuisse qui imitarentur, in S. Bibliis, discimus ex *Nicephoro Gregora*, Ἀνοίξας ἱερὰς δεῖν ἐν ψαλτηρίῳ περιέλαμψε τοῦ εἰκότος ἀπηχοῦν: & *Cedreno*, narrante de Heraclio, illum hâc ratione consultô N. T. codice παραχειμάσαι ἐν Ἀλβανίᾳ, *hibernasse in Albania*, &c. Vide Brodæum *Miscellan. l. 3. c. 25.* Franc. Rossæum *Archaeol. Attic. l. &* *c. ult.* Casp. Barthium *Animadv. ad Statium passim*, inprimis *Part. 3. p. 1156.* ubi *Sorte pleraque Veterum peracta*, docet, Car. du Fresne in *Glossar.* ubi de *Sortibus Euangelicis*, & hic infrà; De *Sortibus* Prænestinis verò, quæ omnium olim celeberrimæ, vide in voce *Præneste*.

SORTES Convivales, occurrunt apud Æl. Lamprid. *in Heliogabalo, c. 22. Sortes sanè convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exiret decem camelos, alius decem muscas, alius decem libras auri, alius decem ova pullina, ut veræ sortes essent, & fata tentarentur: quod quidem & ludis suis exhibuit, quum & ursos decem & decem glires & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit. Primusque hunc morem sortis instituit, quem nunc habemus. Sed verè ad sortem Scenicos* &c. Quæ aliæ à *sortibus* illis, de quibus sic Martialis, *l. 14. Epigr. 1. v. 5.*

Divitis alternas, & pauperis accipe sortes;
Præmia convivæ det sua quisque suo.

Sortes enim illæ, quas vulgò divites convivis suis in conviviis distribuebant, æquales erant; ita ut non unus aliô ditior exiret sortis suæ gratiâ nec divites tantùm, sed & pauperes ejusmodi sortibus ludebant. At Heliogabali ejusmodi erant, ut verè *Sortes* essent atque iis Fata tentarentur. Sic enim e. g. ex ejus convivis alius *sortitò* ducebat decem camelos, alius decem muscas &c. atque ex Fatorum arbitrio res pendebat, utrum quis felix optimæ sortis beneficiò arbiret an tenuis & contemnendæ munere non magnoperè beatus. Hæc verò Sortium harum ratio fuit: Sortes in cochlearibus erant inscriptæ tales, *primus decem camelos* (subaudi *tollat*) *secundus decem muscas* &c. Nomina dein convivarum in urnam mittebantur; tum qui primus exisset (*exire* autem dicebantur, quorum nomina sortibus inscripta, & in urnam demissa, inde extrahebantur) primam sortem tollebat, quæ haberet inscriptum, *decem camelos*, & sic deinceps. Sed & hôc modô sortitio illa peragi poterat, ut conjicerentur in urnam cochlearia ipsa, quæ sortes inscriptas habebant, & inde extractæ convivis distribuerentur, pro sessionis seu accubitationis ordine: Vide Casaubon. & Salmas. *ad Lampridii loc. cit.* priorem etiam *ad Aug. Suetonii c. 75.* item suprà, ubi de *Licitatione*.

SORTES Sanctorum, vide suprà *Prognosticon*.

SORTES Virgilianæ, apud Spartian. *in Adriano, c. 14.* aliosque *Historiæ Aug.* Scriptores passim, species Μαντικῆς, quæ per *sortes* divinabat, & Græcis Κληρομαντεία in genere dicta est, Ῥαψῳδομαντείας nomen accepit; cujus itidem varii modi erant. Interdum nobilis alicujus Poëtæ selectos versus in pittaciis describebant, quibus in situlam conjectis idem ordo, qui in aliis sortitionibus servabatur: & de hoc genere propriè dici consuevit, Κλῆρος ἐξέπεσε, *Sors excidit*, vel *exstitit*. Interdum versus fatidicos in tabella describebant, & talorum arbitrante aleâ divinationem peragebant: qui πίναξ ἀγυρτικὸς sive ἀγυρτικὴ σανὶς est, in libris Græcorum celebris. Fuit &, cùm temerè arreptô & apertô Poëtæ alicujus librô, ut quidque primum oculis se objecerat, pro sorte id & oraculi locô haberetur, uti docet Augustin. *Confess. l. 4. c. 3.* & suprà diximus. Quod ultimum divinationis genus, à Paganis acceptum,

Sceptrum, & Rabbinorum curiositas frequentavit, & veteres etiam Christiani interdum usurpârunt, substitutô in Poëtarum locum sacri Fœderis Testamentô, uti videre est apud Gregorium Turon. l. 4. c. 16. l. 5. c. 49. Niceph. Gregoram l. 8. Alios. Aliquando tamen, qui consulebant, non aperiebant ipsi libros sacros, sed de voce Diaconi legentis in Ecclesia omen captabant, cujus rei exemplum est apud eundem Gregoram. Vide quoque Metaphrastem in Octobri, ubi de B. Cypriano (qui alius est ab eo cujus hodie scripta extant) transitum ad partes Christi meditante. Salmas. ad Spartian. d. l. Car. du Fresne in Glossar. ubi de Sortibus Evangeliorum & suprà in vocibus Prognosticon, item Rhapsodomantia.

SORTHIDA, Babyloniæ urbs. Ptol.

SORTIUM Præfectus, Hebr. הממונה על הפייסות, munus fuit apud Hebræos in Templo celeberrimum, ad id constitutum, ut ministeria sacra ritè distribuerentur. Cùm enim ministeria Templi universa ex sortitione peragenda essent, scil. juxta ephemeriarum vices (quolibet summô manè conveniebant in Lishca hagazith, de quo loco vide suprà), & induebant ibi vestes sacras Sacerdotes illi omnes, qui ephemeriæ præsentis essent. Jam verò ut quisque suum officium satis dignosceret, collocabantur illic in gyro universi, quos sic intoens Præfectus Sortium, pro arbitratu suo, uni eorum pileum ademptum sibi imponebat: quod in signum dabatur, ut sortiendo is velut terminus à quo reliquis fieret. Dein consentiebant in numerum aliquem, tum ministeriis diurnis integris, tum sortitioni, idoneum, sortesque inibantur IV. Prima de Altari purgando, apparando & igne struendo. Secunda, de immolationibus aliisque Sacrificiorum solemnibus plerisque. Tertia, de Suffimentis. Quarta, de levandis membris Sacrificii in Altare. Quô factô ex ordine institutâ, Præfectus incipiebat numerare ab eo, cujus pileum exceperat &c. Qua de re aliquid jam dictum suprà, ubi de Digitis & Numerandi ratione: reliqua vide apud Jo. Seldenum de Synedr. vett. Ebr. l. 3. c. 11. §. 4. Apud Romanos Sorte quoque provinciæ divisæ, Judicesque lecti. Unde, ut de his solum verbum addam, Judices seu Judices sortiri, Judices legere est: quod Quæsitoris erat, conjectis omnium Judicum nominibus in urnam, cum numerum educere qui lege, quâ judicium exercebatur, definitus erat: unde Rejectio & postea Subsortitio, Joh. Frid. Gronov. ad Herculem Fur. Senecæ v. 731.

SORVIODUNUM, vide Sorbiodunum.

SOSANDES, Indica consignavit, ut videre est ex epitome Artemidori Ephesii.

SOSANDRA, Insul. juxta Cretam, sic dicta, quòd cum Lycii aliquando noctu urbem invaderent, eos qui intus erant, conservârit. Steph.

SOSARES, Assyriæ Rex ab A. M. 2708. usque ad an. 2717. Successit Lampridi, exceptus à Lampare.

SOSARMES, Assyriæ Rex post Pannam, A. M. 2803. Ei Mitræus successit. Euseb. in Chron. Torniel. in Annal. Vet. Test.

SOSIA Galla, C. Silii uxor, caritate Agrippinæ invisa Tiberio: ideo immissô Varrone consule, instinctu Principis, cum marito correpta, & cùm Silius imminentem damnationem voluntariô fine prævertisset, in exilium pulsa est. Tacit. l. 4. Annal. c. 19. 20.

SOSIACUM ad Scolam, vulgò Soisi sur Escole, locus Galliæ, in pago Wastinensi. Est autem Scola amniculus, vulgò le ru d'Escole. Aliud est Sosiacum Briegense, in finibus Parisiorum Sequanæ adsitum, quod Soisi sur Seine nuncupatur. Utrumque à Sosio appellationem accepit. Hadr. Valef. Notit. Gall.

SOSIÆ duo extiterunt Athenis, Pythidis ille, hic Parmenonis filii. Vid. Schol. in Aristoph. Vesp. p. 436. E. ...

SOSIANUS, cognomen Apollinis, cujus simulachrum è cedro, Seleucia Romam fuit advectum & in æde ejus collocatum. Plin. l. 13. c. 5. ...

SOSIAS, Philosophus quidam impius, qui sublatâ penitus providentiâ, omnia temerè fieri asserebat, quô in errore Euhemerum, Diagoram, Hipponem, & Epicureum versatos accepimus.

SOBIANUS, vir quidam, de quo Martialis, l. 1. Epigr. 82.

E servo scis te genitum, blandéque fateris,
Quum dicis dominum Sosibiane patrem.

SOSIBES, populi Sarmatiæ Europææ apud Capitolin. in M. Antel. c. 22. videntur.

SOSIBIUS, Grammaticus Laconicus, tempore Ptol. Philadelphi, cujus meminit Suidas. Scripsit historica quædam Athen. ... Clem. Alex. Item adversarius Anaxagoræ: Item Britannici, Claudii Cæsar. filii educator. Tacit. l. 11. Annal. c. 1. Gesn. in Biblioth. Lips. in loc. cit. Tacit. Voss. de Hist. Græc. l. 1. c. 15.

SOSICLES, Archon Athenis, Olymp. 113. An. 4.

SOSICLES, patriâ Syracusius, poëta Tragicus circa novissima Philippi Amyntæ filii tempora, unus ex iis quos Pleiadas appellârunt. Docuit fabulas 73. Victorias retulit 7. Suidas. Item cognomen Menæchmi apud Plautum, a salutari facta.

SOSICRATES, libros reliquit de rebus Creticensibus. Athen. l. 6. fuisse Rhodium è Laertio colligimus. Vid. Voss. de Hist. Græc. l. 3. p. 415. Alius Phanagorites, cujus ... citantur ab Athenæo l. 13. Tertius Cyzicenus, vetus scriptor, cujus meminit Fulgentius Planciades voce Nefrendes.

SOSICURÆ, Caicorum oppid. in India intra Gangem. Ptol. Zaramcura Castaldo.

SOSIGENES, Archon Athenis, Olymp. 109. An. 1.

SOSIGENES, Astrologus Ægyptius, quem Cæsar Dictator annos, vitio Pontificum per intercalandi licentiam, turbatos, ad Solis cursum redigens, adjutorem sibi adhibuit. Sueton. Dion. Plin. l. 18. c. 25. Hinc Iuliana Periodus, quæ incipit an. 45. ante Natum Christum.

SOSIGENES, Navarchus Eumenis ignarus, de quo Polyæn. l. 4. c. 6. in Antigono, com. 9.

SOSIMUS, famam sibi peperit volumine περὶ χρόνων. Athen. l. 14.

SOSINGITES, lacus cujus alveô Tigris voratur. Ammian. Marcellin. de quo vide Salmas. ... p. 604. & 799.

SOSIPATER, nomen ducis. 2. Machab. c. 12. v. 9. Filius item Pyrrhi. Nomen Sancti cujusdam. Rom. c. 16. v. 21.

SOSIPATRA, fœmina, vates doctissima e Libya, uxor Ædesii Sophistæ. Eunapius.

SOSIPOLIS, dæmon, seu genius, cultus fuit ab Eleis, quòd urbem ab Arcadibus servaverit. Puerili specie effingebatur, chlamyde stellatâ indutus & manu alterâ continens cornu copiæ, quale scilicet Fortuna gestare solet. Ejus templi antistes sera divinam faciebat, caput & faciem albô obiecta velamine solaque ipsa templi adytum ingrediebatur.

SOSIPPUS, vicit Olympiade 98. An. 1.

SOSIPPUS, Arabiæ Felicis ad sinum Erythræum portus. Ptol. Niger æstimat esse Bezan Plinii, l. 6. c. 23. quem incolis ... appellari scribit Pineianus.

SOSIRATE, Susianæ urbs. Plin. l. 6. c. 27.

SOSISTRATUS, Dux servorum, Syracusis magnam manum & factionem comparantium, oppressus ab Hermocrate, per amicum & familiarem Dam...gelium. Polyænus l. 1. c. 43. Alius Sosistrati facit mentionem l. 5. c. 37. p. 407. Qui Tyrannidem Syracusis occupavit, occupatis eorum bonis, qui tyranno Agathocli adhæserunt.

SOSITHEUS, Syracusanus, unus de numero eorum, qui Pleiades appellantur, apud Hephæstionem, æmulus Homeri Tragici, Suidas, & Lil. Giraldus, dial. de Poet. Olymp. 166.

SOSIUS, prænomine Caius, Syriæ præfectus A. M. 3925. Sosii autem librarii & bibliopolæ Romæ fuerunt, de quibus Horat. ad Pisones, de Arte ... 345.

Hic meret æra liber Sosiis.

Nec non l. 1. ep. ult. v. 2.

Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.

SOSIUS Falco, à militibus Pertinaci Imperatori infensis oppositus. ...

SOSIUS Pappus, Trajano sic dilectus, ut Imperator statuam ei dicaret, etiam apud Adrianum Cæsarem gratiâ floruit, Spartian. in Hadriano c. 4. Fuit & Sosius Senecio, IV. Consul, in Historia temporum Trajani modò dicti notissimus, Casaubon. ad loc.

SOSPELLUM, Comitatus Nicæensis, in Pedemontio, oppid. ad radices Apenninì, in limite Genuensi, 6. milliar. ab Albio Intemelio in Meridiem, uti totidem à Monæchio, & 11. à Nicæa in Eurum, Sospello.

SOSPITA, à Græco σώζω, Romanis dicta Juno, antiquis etiam Sosper appellata est, teste Festo. Colebatur inprimis Lanuvii, ut docet Livius; simulachrumque ejus fingebatur cum pelle caprina & scutulo & cum calceolis repandis, Cicer. l. 1. Nat. Deor. c. 29. Nec minus Romani eam venerabantur, uti docet Liv. l. 8. c. 14. cum Lanuvinis, inquit, civitas data sacraque sua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Sospitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum Populo Rom. esset. Quare apud Eundem aliosque sæpius legimus, misisse Romanos Lanuvium, qui sacrificiô factô Junonem Sospitam placarent. Postea verò & Romæ, in Foro Olitorio, illi ædes fuit extructa, a C. Cornelio. Sic enim Livius l. 32. c. 30. Consul principio pugnæ ædem vovit Sospitæ Junoni, si eo die hostes fusi fugatique essent. Item l. 34. c. 53. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt, una Junonis Sospitæ in Foro Olitorio vota, locataque quadriennio ante à C. Cornelio Cons. Gallico bello, Censor idem dedicavit. Et Consules Magistratum initutos sacrificare consuevisse, discimus ex Cicerone pro Murena. Vide Jo. Rosinum Antiqq. Rom. l. 2. c. 6. Græcè Σώτειρα dicta est, vide in voce Sotira.

SOSPITATOR, apud Arnobium l. 1. Tu opponas & referas, cui tamen sero innixus est Sospitator: verbum perelegans, quo Redemtorem nostrum Filium Dei vivi, appellat: quem & l. 1. Deum Sospitatorem dixit. Est autem Sospitator vitæ dator, Lactantio l. 4. c. 26. & Apulejo de Mundo Sospitator quidem (Deus) & genitor est omnium: respondetque secundum nonnullos voci Hebrææ Jesu, & Græcæ Σωτήρ, cujus vocis vim Latinô verbô exprimi posse desperavit Cicero, ut mox videbimus, ubi plura hanc in rem.

SOSSINATI, Sardiniæ populi Strabo.

SOSSIUS, parvus Siciliæ fluv. Ptol. Polici Leandro. Vulgo Marsala Cluver. prope Lilybæum promontor. in mare Tyrrhenum se exonerat.

SOSTEROPOLIS, melius SOTEROPOLIS. Vide ibi. Oppid. Bithyniæ, apud Nicomediam, ubi Constantinus M. haustô veneno in potu a Fratribus datô, obiit. Zonar. l. 3. Ann. Nunc Pythia, Porphyrogenn.

SOSTEUM, Ægypti urbs. Lib. Notit.

SOSTHENES, 16. Rex Macedonum, post Antipatrum, regnavit an. 11. Gallos vicit. Pausan. Justin. l. 24. c. 5. Occisus, Brenno irrumpente. An. 476. Urb. Cond. Vide & Pausaniam.

SOSTHENES, princeps Synagogæ Judæorum. Actor. c. 18. v. 17.

SOSTHENES Cnidius, res Ibericas conscripsit. Plut. in fluviis, &c.

SOSTHENIS, Thessalorum in Macedonia urbs. Ptol. Saravicapo Moletio. In Thessalonicensi tractu.

SOSTHENIUM, Dion. Ipsilis Borea, Thraciæ locus trajectui Constantinopolitano è regione oppositus. Niceph. l. 7. c. 50. Almaten vulgò, P. Gyllio.

SOSTIACA, Daciæ Ripensis civitas. Lib. Notit.

SOSTRATE, oppid. Elymaidis ultra Pasitigrim, prope montem Chalyrum, Plin. l. 6. c. 27. de quo vide Salmas. ad Solin. p. 368.

SOSTRATUS, ex cohorte nobilium puerorum Alexandri M. amasius Hermolai; cum quo & contra Regem conjuravit, eoque nomine lapidatus est. Curt. l. 8. c. 6.

SOSTRATUS, Grammaticus, sub Augusto; fil. Aristodemi, qui Strabonis præceptor. Vide Strab. *l.* 14. Scripsit quædam.

SOSTRATUS Cnidius, Architectus, qui turrim excitavit in insula Pharo, jussu Ptolemæi Philadelphi, ad ostendendos nocturnos ignes nautarum cursibus, eique nomen suum inscripsit. Fuit autem inscriptio hujusmodi, teste Strabone *l.* 17. ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ, ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ. Plin. *l.* 36. *c.* 12. *Magnificatur & alia turris à rege facta in insula Pharo, portum obtinente Alexandriæ, quam constitisse DCCC. talentis tradunt: magno animo ne quid omittamus Ptolemæi regis, quod in ea permiserit Sostrati Cnidii architecti structuræ ipsius nomen inscribi.* Lucianus autem in *libello de rectè conscribenda historia*, non permissu regis, ut ait Plinius, sed eleganti Sostrati fraude, factum tradit, ut ipsius nomen fuerit insculptum: eum vide. Item *Sostratus* sculptor, qui ex ære signa faciebat, Plin. *l.* 36. *c.* 51. Item Ceteris sacerdos apud Tacitum. *l.* 2. *Hist.* *c.* 4. Alius vates, qui per furorem multa Græcis prædixit, inter alia vero Atheniensibus Xerxis adventum, ut author est *Herodot.* *Sostratus* quoque Sicyonius fuit, cognomento *Atrotherjites*, teste Suida. *Nic. Lloyden.*

SOSTRATUS, Paphiæ Veneris sacerdos, qui Tito Vespasiano de se per ambages interroganti; ubi læta & congruentia exta magisque consultis annuere Deam videt, pauca in præsens & solita respondens, petito secreto futura aperit. Tacit. *Hist.* *l.* 2. *c.* 4.

SOSTRATUS, vir Æginetа, Laodamantis filius.

SOSXETRA, Gedrosiæ urbs, *Ptolem.*

SOTACES, vide *Otaces.*

SOTACUS, Græcè Σώτακος, Græcus auctor ex antiquissimis, qui *de Lapidibus* scripsêre, citatus Apollonio *in Admirandis c.* 35. & Solino *c.* 30.

SOTADES, Maronites, poëta turpissimus, scripsit *Iamborum libros*, quos appellavit *Cinædos*, lingua Ionicâ, ubi libidinum lasciva species & descriptio inerat. Fuêre & alii duo Athenienses, alter Comicus mediæ Comœdiæ, alter philosophus, qui scripsit *de mysteriis* librum unum. *Suidas.*

SOTAI, nomen viri, Esdr. *c.* 2. *v.* 55.

SOTEALDUS Johannes, vide *Johannes.*

SOTER, Græcè Σωτὴρ, *ita magnum*, teste Cicerone *Orat.* 7. seu *Act.* 4. *Verr. ut Latinò verbò exprimi non possit, Is est nimirum Soter, qui salutem dedit.* Nempe ut censet Becmannus *de Orig. L. L.* in voce *Jupiter: serviunt causæ suæ* (Tullius,) *Nam cum vellet Verrem premere criminis magnitudine, exclusit eam vocem à Latina potestate.* Verùm Orat. *in Pisonem* seipsum, *qui Patriæ salutem dedisset*, *Conservatorem* appellavit. (quâ voce Arnobius quoque ubi de Æsculapio, Græcum Σωτῆρ, expressit, *adv. Gentes l.* 3. *Augusti illic perlatus famam Conservatoris assumpsit.*) In *l.* 3. *de Finib.* *Salutarem, cujus in tutela sit Salus.* Servatoris quoque Jovis templum memorat Plin. *l.* 34: Nec tamen hæc omnia vim vocis exhauserint, ut non immeritò verecundantem admirari subeat Oratorem, qui, quod res erat, dignè se exprimere posse negavit. Nempe quod Hebræis *Jesus*, id Græcis Σωτὴρ, Latinis mutuatitium *Soter*, quod Tertulliano *Salutificator*, *l. de carn. Chr.* Apulejo *Sospitator*, aliis *Servator*, sed medium potius: *Sospito enim est propriè sospitem facio.* Lucilius, *Sospitat, impertit salutem plenissimam*: Unde *Sospitator*, Σωτήρ. Appulejus *Apolog.* 1 de Deo, *Æternus animantium Sospitator.* Solius igitur JESU nostri, qui solus, quantam salutem nobis impertiverit, perfectè novit, solusque proin vim vocis hujus intelligit, dignum est cognomen. Quod tamen quomodo & aliis ob beneficia in mortale genus utcunque collata, fuerit tributum, paucis videbimus. Jupiter Σωτῆρος appellationem apud Græcos nactus est, ex eo, quod primus, meri diluendi modò hominibus monstratò, à furore, in quem prius inciderant, quoties ἄκρατον vinum bibissent, liberavit: unde crater ei post cœnam primùm sacer erat. Eustathius Od. ς. [illegible] Σωτῆρ [illegible], [illegible] Διὸς. Apud Romanos, Jupiter *Conservator*, à Domitiano consecratus est, quòd ipsum in seditione Vitelliana conservâsset, Tacit. *Hist.* *l.* 3. *c.* 3. qui proin modicum ei sacellum aramque posuit, ac casus suos in marmore expressit. Et extant nummi veter. Jovis *Conservatoris* simulachrum ac nomen referentes, qualis est ille Maximiani, quem Rosinus exhibet *Antiqq. l.* 2. *c.* 5. De Junone *Sotira* vel *Sospita*, dictum suprà. Castor & Pollux Εὐεργέται [illegible] καὶ Σωτῆρες appellati, apud Plut. *Theseo.* Idem cognomen ambitiosè sibi arrogavit Antiochus I. Asiæ Syriæque Rex, de quo vide suò locò. Sed & ante ipsum, si Josepho fides *Antiqq. l.* 11. *c.* 6. Mardochæum ob detectam Judæorum in se conspirationem Εὐεργέτην καὶ Σωτῆρα suum publicò edictò vocavit Artaxerxes. Etiam Philippum Macedonem à Græcis talem creditum, Demosthenes auctor est *de Coron.* uti de Demetrio Poliorcete, ad liberandas Athenas se missum dictitante, apud Plut. *in eo*; ut & de Antiocho Epiphane, à Samaritanis eôdem titulò honoratò, apud Josephum iterum *Antiqq. l.* 12. *c.* 7. nil addam. Postmodum Græci, cùm orbis Imperio Cæsares potiti essent, ad istos hunc adulandi morem à Regibus suis transtulerunt. Et Philo quidem Judæus Augustum Σωτῆρα καὶ Εὐεργέτην, ut & Cajum, compellat, *in Flaccum & in leg. ad Cajum* Hadrianus Aug. meruit dici *Soter*, Σωτὴρ καὶ ἀγαθὸς [illegible], postquam is sestertium novies millies (sunt nummi nostri, ducenties & vicies quinquies centena millia coronatorum, viginti duo & dimidiatus milliones) debitum fisco remisit, syngraphis in Foro Trajani, quò magis securitas omnibus roboraretur, incensis, ut attestatur Spartian *c.* 7 Quem præiverat primus Augusti nominis, de quo Sueton. *c.* 32. *Tabulas veterum Ærarii debitorum vel præcipuam calumniandi materiam, exussit.* Secutus est Marcus, qui [illegible] Ἀδριανοῦ [illegible]. Hodieque extat eximiæ raritatis nummus, in quo eundem Hadrianum Athenienses ΟΛΥΜΠΙΟΝ ΣΩΤΗΡΑ ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΝ nuncupârunt. Meruit eundem deinde Aurelianus, qui apud Vopiscum *c.* 39. *Quadruplatores ac delatores ingenti severitate persequutus, tabulas publicas ad privatorum securitatem exuri in Foro Trajani semel jussit.* Meruit Constantinus, ad quem Eumenius Rhetor, Flaviensium nomine: *Septem millia,* inquit, *capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum censuum, & tamen, utrum sufficeret hoc nobis sæpius requisivisti. Remissione ista septem millium capitum viginti quinque millibus dedisti vires, dedisti opem.* Meruit & Julianus, cujus est *l.* 3. *Cod. Theodos. de Indulgentiis debitorum*: Nec Gratianus hujus laudis immunis, de quo vide *Ausonium*, nec tandem Majorianus, extremum lumen occidentis Imperii, cujus superest Novella *de Indulgentiis reliquorum*, & in ea: *Sancimus universorum Fiscalium titulorum, vel ad arcam magnificentiæ tuæ vel ad utrumque Ærariorum pertinentium, reliqua usque ad præsentis undecimæ Indictionis initium à possessoribus non petenda, quæ sub generalis indulgentiæ beneficio relaxamus obnoxiis.* Cui animi magnitudini qui nostra aut Avorum memoria, non summâ, sed titulo tantum muneris, habet comparandum? Joh. Frid. Gronovius *de Pecun. Vet. l.* 4. *c.* 3. At quid hæc ad munificentiam Cœlestis nostri *Soteris*, qui unico servo *decies mille talenta*, i.e. sexagies centena millia coronatorum largiter *remisit*, Matth. *c.* 18. *v.* 24. quantum ergo, quod nobis omnibus? Vide quoque in voce *Jesus*, & plura hanc in rem, apud Cl. Suicerum voce Σωτὴρ, quam per *Servatorem* non satis, æquiùs per *Sospitatorem* (ut cùm hominibus illustribus, Camillo aliisque præfatis, vel Diis, ut, præter Jovem, Dionysio, item Nilo, vide suprà, tribuitur) optimè per *Salvatorem*, vocem Porphyrio (*Panegyr. Constantini* & Lactantio jam usitatam) exprimi, pluribus docet.

SOTER, decimus quintus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, A.C. 175. post Anicetum. Fundis Campanus; constituit, ne legitima haberetur uxor, nisi eam Sacerdos benedixisset, & quam parentes marito tradidissent. Obiit, martyriô coronatus, A.C. 177. sub M. Antonino Philosopho. Anastas. *in vit. Pontif. &c.* Successit Eleutherus.

SOTERA, cognomen Minervæ, vide ubi de ea suprà, ac infrà *Soteria.*

SOTERIA, Græcè τὰ Σωτήρια sacrificabantur olim receptô Duce atque exercitu incolumi: sicut & amico aut patri aut filio aut marito sanitate restitutâ. Hinc carmina, eâdem fini concepta: cujusmodi cecinit Papinius Statius *l.* 1. *Sylv.* 4. cui titulus *Soteria pro Rutilio Gall.* Ab Orpheo autem id primùm factum, memoriæ prodidit J. C. Scaliger *Poët. l.* 3. *c.* 103. Vide & Gevartium *Comm. ad Stat. d. l.* At *Soteria*, Græcè Σωτηρίαι, *Suidæ* [illegible], *sellæ familiarica*; respicienti ad Σωτηρίαν, locum olim Smyrnæ publicum, ubi *assellare*, i.e. onus ventris deponere incolæ solebant, de quo vide Agathiæ *Epigrammata* triplex, εἰς Σωτηρίαν ἐν Σμύρνῃ in *Anthologia Græc. l.* 4. *tit.* 28. & quartum [illegible] *ibid.* nec non Cl. Suicerum, *Thes. Eccles.* voce Σωτηρία, & suprà ubi de *Cloacis*, *Latinorum Antistite*, voce *Necessitas.*

SOTERICHUS, faber, ejus opera priscam & rudem simplicitatem præ se ferebant. Unde proverbium, *Soterichi lecti.* Item Oasites, poëta sub Diocletiano, cujus encomium scripsit, item Dionysiaca, vitam Apollonii Tyanei, & alia, *Suidas.* Vide Voss. *de Hist. Græc. l.* 2. *c.* 16. Lil. Girald. *de Histor. Poët. dial.* 4. Item Musicus Alexandrinus, Plut. *de Musica.* Voss. *de Hist. Græc. loc. cit.* & *Poët. Græc. c.* 9.

SOTERICI Nummi, Σωτηρίκιοι, apud Anonymum *in Antiqq. Constantinopoleos p.* 99. *Edit. Combef.* dicti hinc sunt, quos Constantinus M. imagine Christi & Crucis in cœlo visæ figurâ insignîverit, uti quidem *Joanni Damasceno* traditum. Sed cùm Christi imaginem in nummis suis primus descripserit Justinianus Rhinotmetus; vel appellatio illa à Crucis signo impresso, quod [illegible] idem Damascenus vocat, arcessenda est, vel nummis Joannis Zimiscæ, in quibus ille solum Christum primus expressit, cum *Inscr.* JESUS CHRISTUS BASILEUS BASILEON, Constantino M. ex imperitia adscripti sunt. Qua de re vide Car. du Fresne, *Dissert. de inferioris ævi Numism. num.* 26. & 27. nec non suprà, ubi de Christi in nummis imagine: uti de voce *Basileus*, iisdem suprà.

SOTERIDAS, Medicus, cujus mentio in *Epistola* Faustinæ ad Marcum apud Vulcatium Gallic. *in Avidio Cassio. c.* 10.

SOTERIDAS, Epidaurius, scripsit *Musica l.* 3. ut ait *Dionysius.*

SOTEROPOLIS, urbs quæ & Pythia vocatur, auctore *Porphyrogenneta*, ubi aquæ calidæ, teste *Zonarâ*, qui hîc extinctum toxicô Constantinum M. Imperatorem tradit.

SOTEROPOLIS, urbs præcipua Brasiliæ, in ora Orientali & Præfecturæ sinus omnium Sanctorum caput; *S. Salvador.* Cum portu amplissimo. Episcopalis sub Archiepiscopo Olisipponensi. Sub Portugallis. In colle, ampla & probè munita, cum tribus castris. A. C. 1624. a Batavis capta, sed recepta annô sequenti.

SOTEROPOLIS, caput regni Congi, & regia sedes, in colle, prope Lelundam fluv. Vix 140. mill. pass. ab ora Oceani in Ortum, 60. à fluv. Zaire in Meridiem.

SOTEROPOLIS, urbs Guatimalæ, in nova Hispan. *Oxxatlan* incolis, 6. leuc. ab Axacutla, & à littore maris Pacifici in Cæciam, 40. leuc. Hispanic. ab Urbe S. Jacobi de Guatimala in Eurum propè lacum parv.

SOTERUS, portus sinus Arabici à latere Africano. Diodor. *Sic.*

SOTHIS, Ægyptiis olim dictus est, Canis cœlestis, qui *Sirius* ab iis inter Stellas fixas, primus divinis cultus honoribus, quemadmodum ad idem decus inter erraticas, prima evecta est Veneris stella, quam *Phosphorum* & *Hesperum* vocamus. Imò ab Ægyptiis quoque Hespero Canis prælatus dignatusque nomine Isidis, quæ cum Osiride supremum iis Numen erat. Qua de re sic Plut. *l. de Isid. & Osir.* Αἰγυπτίῳ οἱ ἱερεῖς, [illegible] Ἕλληνες, ὑπ' Αἰγυπτίων δὲ Σῶθις, sive ut alibi apud eum legitur, Σῶθιν, i.e. *Apud Sacerdotes Canem quidem Isidis à Græcis, ab Ægyptiis autem Sothen vocari.* Meminit ejusdem Horapollo sive interpres ejus Philippus *Hieroglyph. c.* 3. Ἶσις δὲ παρ' αὐτοῖς ἐστιν ἀστὴρ, Αἰγυπτιστὶ [illegible] Σῶθις [illegible]

Ari-

κατὰ τῶν ἀστέρων, *Est autem Isis astrum, Ægyptiacè dictum Sothis, Græcè vero Astrocyon, qui & inter Sidera reliqua principatum videtur obtinere.* Subjungit dein, cur principatus illi videatur deberi, atque ut ex sideris ejus ortu observent Ægyptii, quæ annô sint integrô agenda, unde non Sirium modò, sed annum etiam *Isidem* appellent. Gerh. Jo. Voss. *de Idolol. l. 2. c. 36.* Plura apud Joh. Marshamum Canone Chron. in προκαθισταμένω; it. *Sec. X.* ubi de anno Ægyptiorum duplici, Civili, & Sacro seu *Sothiaco* vel Caniculari, quòd ad Caniculæ cursum constitutus esset.

SOTION, Philosophus, sub Tiberio, Senecæ præceptor, vide hunc *Ep. 49. & 58.* Item, auctor successionum Philosophorum, sub Ptolemæis. Diog. Laërt. *l. 1. c. 1.* Voss. *de Hist. Græc. l. 2. c. 7.* Item alius, qui de fluminibus, fontibus & lacubus scripsit. Photius *Cod. 189.*

SOTIRA, Juno sic dicta ab antiquis, quasi *Salutaris*, & *Sospitatrix.* Item urbs Arienorum, ab Antiocho Seleuci filio condita. Gentile *Sotirenus*, *Stephan.* Apud Græcos recentiores idem nomen B. Virgini fuit; unde Ædis Sacræ, cui nomen Σώτειρα Λυκοδέμου, inter urbem Athenas & montem Anchesmum, circa locum, qui *Lyceum* olim dictus est, meminit Jac. Sponius *Itiner. Græciæ Part. 2. p. 166.*

SOTOMAYOR, nomen celebris in Gallæcia Familiæ, cui grande decus intulit Gutierius Magister Ordinis Alcantaræ 1456. mortuus, pater plurium liberorum, in quibus primogenitus Alfonsus Comes *de Belalcazar* creatus est ab Henrico IV. Rege, ac reliquos Comites, quibus dein à Teresia de Zuniga Ducatus *de Bejar* & Marchionatus *de Gibralcon* obtigit, propagavit. Secundus Dn. *de Alconchel* fuit, sed successionem, per filiam Mariam, ad Zunigas transmisit, unde Marchiones *de Mirabel* orti. Tertius Ferdinandus itidem filios & nepotes habuit. Eorum soror Maria, uxor Ludovici *de Chaves*, prolixam quoque posteritatem ex se dedit, nomine *de Sotomajor*, ad illos transmissô. Præter quos alii sunt, cognominis *Mendez Sotomayor* Dnn. *del Carpio*; qui ad Manueles maternum genus referunt, eorum hæreditate demum ad Domum *de Haro* delatâ. De quibus omnibus vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Eur. Part. 2. p. 69. 96. & 99.* nec non *Arte Herald. Tom. 2.*

SOTTIATES, seu SOTIATES, corruptè SONTIATES, populi Aquitaniæ, inter Elusates & Ossidates Campestres, à Plinio, *l. 4. c. 19.* collocati. Hos equitatu plurimùm valuisse, & superioribus victoriis fretos, in sua virtute totius Aquitaniæ salutem positam putavisse, à P. Crasso verò acie victos esse: & oppidum eorum cum Adiatomo rege, post oppugnationem sibi se dedidisse, tradit Cæsar *Comment. l. 3. c. 20. 21.* Oppidum hoc *Sotium* olim, hodieque non ignobile, in Novempopulis & in Auscorum diœcesi, vulgò *Sos*, aut *Sox* dictum, eidem cui Elusia fluvio Gelisæ adjacet, sed parvum est. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide & in voce *Sontiates.*

SOTTUS, apud Theodulfum Aurelian. Episc. *l. 3. carm. 1.*

> *Utque sit hic aliud, nil nisi Scottus erit.*
> *Cui si litterulam, quæ est ordine tertia, tolles,*
> *Inque secunda suo nomine forte sedet.*

Hinc enim *Sottus* exit, h. e. stolidus, bardus, Gall. *Sot.* Cavilli genus est, quo Joannem Scotum seu Erigenam notari credunt nonnulli, qui, cum Caroli Calvi mensæ assideret interrogatus à Rege, *Quid distat inter Sottum & Scottum*, respondisse legitur, *Mensa tantum*, apud Simeonem Dunelmensem A. C. 84[illegible]. A Syriaco *Sote*, i.e. *stultus*, vocis originem arcessit Dan. Heinsius in *Marcum c. 2.* Car. du Fresne *Glossar.*

SOUBIZIA Familia, inter Galliæ illustres, de qua vide suprà ubi de Familia *Rohanæa.*

SOVENOCHALEI, Sarmatiæ Asiaticæ gens, *Ptolem.*

SOUGERIUS, viculus hodie exiguus, in agro Raurico, vulgò *Sougeres*, Telamontio urbi propinquus, ubi vallis arctissimè coit; castrum fuit olim munitissimum, ubi justo exercitui iter facilè poterat præcludi. Hic prisci Comites ejusdem nominis habitârunt, è quibus Udalricus, cœnobium S. Albani Basiliense, A. C. 1102. insigniter locupletavit, Udelardus cœnobium Lucelense instituit, A. C. 1139. &c. Horum progenies quando defecerit incertum, Tiersteni tamen, ut illorum vicum, sic hæredes fuisse videntur. Nunc omnis is tractus Episcopo paret Basiliensi. Vide Christ. Urstisium *Epit. Histor. Basil.*

SOULDANI, Africæ gens extremæ, atheismi accusata, ab Herberto Anglo, vindicatur a Tob. Pfannero *System. Theologiæ Gentil. purior. c. 2. §. 2.*

SOURDIS Franciscus, vide *Franciscus.*

SOUS, 2. Regum c. 17. v. 4. ubi Hosea, ultimus X. Tribuum Rex, dicitur misisse legatos ad *Soum Regem Ægypti*, Hebræis *Sua* sive *So*, Josepho, *Soan*, LXX. Σηγὼρ; nonnullis est Sevechus, qui Sabaconi Æthiopi Ægypti Regi successerit, ex *Africano*: Marshamo est ipse Sabacon, ut qui ultra Hoseæ exilium in Ægypto est commoratus. Sulpicius Sev. non quidem nominat, illum tamen satis explicatè describit, ajens, *Regem Æthiopum, qui tum Ægyptum obtinebat, in auxilium accersit*, *Histor. Sacr. l. 1.* Legatio verò ista irrita fuit, interim magna inde Assyrios Ægyptiosque incessit æmulatio, ut ex seqq. apparet. Vide præfatum Marshamum *Canone Chron. Sec. XVI.* ut & infrà ubi de *Sabacho* vel *Sabacone.*

SOUS, fil. Proclis, Nepos Aristodemi, Pater Euryphontis, Rex Spartanorum, cum Agide I. Eurysthenida. Illi successit præfatus Euryphon fil. Pausan. *Laconicis.*

SOXATÆ, Carmaniæ gens in Asia, *Ptol.*

SOZA, urbs, Tacit. *l. 12. Annal. c. 16.*

SOZOA, Mediæ urbs, *Ptol.*

SOZOMENUS, Historicus, Presbyter Pistoriensis, qui historiæ universalis amplissimum volumen scripsit; Florentinus fuit, floruitque secul. 14. Orditur autem opus suum à creatione Mundi, & post Ecclesiam constitutam, in vitas Paparum latè digreditur, ex Damaso, Anastasio Bibl. Paulo Diacono, aliis, diligenter excerptas. Divisit illud in partes 3. quarum non nisi una manuscripta superest Patavii. Raph. Volaterr. *Comment. Urb. l. 20. & 22.* Plura apud Vossium *de Hist. Lat. l. 2. c. 64. &c.* & qui eum nuper edidit *Valesium.*

SOZOMENUS Hermias, dictus Scholasticus, Salaminius. Scripsit *historiam Ecclesiast. libris 9.* à tertio Consulatu Crispi & Constantini Junioris seu A. C. 324. usque ad 17. Consulatum Theodosii Junioris, i.e. usque ad A. C. 439. Inscripsit illam Imperatori, sed partem ejus, continentem res gestas An. 20. ab ann. nempe 400. amisimus. Nimium Theodoro Mopsvesteno tribuere videtur Gregor. M. nisi hic se fefellit, Socratem intelligens fortè. Pœnitentiæ publicæ gradus exactè describit, Novatianis quibusdam paulò æquior fuisse dicitur. Obiit A. C. 450. Cassiodor. *de divin. Lect. c. 17.* Phot. *Cod. 30.* Niceph. Callixtus, *in Proœm. Hist. Eccles. Trithem. Baronius, Vossius, Possevinus*, &c.

SOZOPETRA, Syriæ urbs, *Cedrenus.* Capta à Theophilo Imperatore Græco A. C. 834.

SOZOPOLIS, circa Constantinopolim urbecula videtur apud Gregoram. Erepta Turcis à Calo Johanne Imperatore Constantinopol. A. C. 1118. Est quoque Pisidiæ urbs *Evagrio.* Pamphyliæ urbem vocant Cedrenus & Nicetas in *Alexio Comneno.*

SOZUSÆ, tres urbes, una Phœnices, altera Pisidiæ, tertia Æthiopiæ, *Stephan.*

SPACO, nutrix Cyri regis: quæ dictio, quoniam Medorum linguâ canem significat, factum est, ut Cyrus creditus sit nutritus à cane. Horodot. *l. 1.*

SPACORUM, vicus Hispaniæ; inter Bracaram & Asturicam urbes. *Antonin.*

SPADA, vicus Persicus, in quo primùm eunuchi facti sunt, qui inde *spadi*, vel *spadones* nominantur. *Steph.*

SPADIX, inter equorum colores, Virgilio *Georgic. l. 3. v. 82.*

> ---- ---- ---- *honesti*
> *Spadices glaucique* ----

Ad quem locum Servius, *Spadices*, inquit, *phœniciatos vocant, id est, professos myrteos, ipsi sunt badii.* Nempe σπάδιξ, ut habet Pollux, est ῥάβδος φοινικός, & Gellius, *avulsus à palma termes cum fructu*: inde *spadix* & *phœniciatus* & *phœniceus* color in equo. Idem Gellius *l. 2. c. 26. Rutilus & spadix phœnicei συνώνυμα, exuberantiam splendoremque significant ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris nondum Sole incocti, unde spadicis & phœnicei nomen est.* Ita in curuli certamine *Il.* ψ. insignis equus describitur *v. 454.*

> Ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ
> Λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο, περίτροχον ἠΰτε μήνη.
>
> *Qui quoad cetera phœniceus erat, sed in fronte*
> *Candida nota erat orbicularis instar lunæ.*

Ubi vetus Scholiastes, φοίνικα exponit πυῤῥὸν, i. e. *rufum.* Sed & in *Eliacis* Pausaniæ, Cleosthenis equorum unus *Phœnix* à colore dictus est. Et de Sejani equo, *colore phœniceô*, eôque *exuperantissimo* fuisse, Gellius ait *l. 3. c. 9.* Et fortassis indidem *badius*, pro *baidius*; namque *Bai* hodieque est palmæ ramus Ægyptiis, unde βαῒς & βάϊον Græcè. Vide suprà in voce *Badius*, item *Phœniceus*, & plura hanc in rem, apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 7.* ubi ei in quarta Zachariæ quadriga, *c. 6. v. 7.* equi אמצים non quidem purpurei, quales nulli dantur, sed *spadices* sunt, quorum rubor est ὀξύτερος, *excitatior*, & plus habet vigoris atque luminis. Adde Salmas. *ad Solin. p. 409. & 1329.*

SPADO, Græcis Σπάδων, ἀπὸ τοῦ σπᾶν, i. e. *ab avellendo*, sicut & *spadix*, de qua voce modò dictum, idem cum Eunucho est, quam vocem vide. A *castrato* in eo differt, quòd huic colis & testes, illi testes solùm, aut nervi, à quibus hi pendent, essent evulsi. Atque his *Spadonibus* nobiliores olim apud Romanos mulieres, quòd parere nollent, nubere solebant, uti Juvenalis notat carpitque *Sat. 1. v. 22. Cum tener uxorem ducat spado* -- & prolixiùs, *Sat. 6. v. 366. & seqq.* Sed & Eunomiani *Spadones* dicti, *Constitut. 7. Cod. Theodos. de Hær.* de quorum tamen *spadonatu* cùm nihil apud Veteres legatur, *Histapodes* reponit *Gothofredus*, *Histopodes* Suicerus, quòd ad suam sectam se applicantes rebaptizarent, *capite demersô pedibus sursum versis*, ita appellatos. Vide hunc *Thes. Eccl.* ubi de *Eunomianis*, illum *Dissert. ad Philostorgium l. 9. c. 3.*

SPAHLINGIUS Radolphus, vide *Radolphus.*

SPAHI, robur sunt totius Equitatus Turcici, sicut Janizari peditatus. Velut Nobilium in Imperio ordinem implent, & certa quisque prædia, veluti feuda militaria, possident, *Timar* dicta, cum onere sequendi Magnum Vezirium, quoties in exercitu versatur. Illorum circiter quindecim millia sunt, nec aliorum in toto eo Imperio sors felicior. Parùm ab illis diversi sunt *Zaimi*, qui iisdem privilegiis gaudentes maximô numerô sunt, & velut Proceres Barones, inter reliquos eminent: in equitatu Turcico iisdem militaturi, quamprimum necessitas postulaverit. Utrique ex Ichoglanorum classe desumuntur, de quibus suprà, plura verò hanc in rem, vide apud Jo. Baptist. Tavernier *Relat. du Serrail.* & infrà *Timariotæ.*

SPALÆI, populi circa Mæotim. Plin. *l. 6. c. 7.*

SPALAI, Sarmatiæ Asiaticæ populi. Plin. *l. 4. c. 12.*

SPALATUM, urbs Dalmatiæ Archiepiscopalis munita, Salonis proxima, apud oram litoream inter Traguriam ad Occidentem & Peguntium, sive Almissam ad Ortum inde 15. hinc 20. mill. pass. *Split* Slavis. Olim Diocletiani Imperat. palatium: cum portu capaci & tuto. Sub Venetis. Tantum *Bandrando* 8. mill. pass. à Tra-

Tragurio in Ortum 4. à Salonæ ruderibus, 30. à Sebenico in Eurum. Pluries à Turcis frustra tentata. Vide *Epetyum*.

SPALETHRA, Thessaliæ urbs, *Steph. Spalathra* Magnesiæ. Plin. *l.* 4. *c.* 9.

SPAMMUS, Rex Ægypti, regnavit Ann. 10. *Euseb.* Vide *Psammus*.

SPANDAVIA, urbs munita, mediæ Marchiæ Brandeburgensis ad Havelam fluvium, ubi recipit Spreham, vix duo milliar. German. infra Berlinum in Occasum Brandeburgum versus 6. circiter.

SPANGENBERGIUS Johannes, vide *Johannes*.

SPANHEMIUS Comitat. vide suprà *Ortenburgum*.

SPANHEMIUS Fridericus, Archipalatinus, fil. Wigandi Consiliarii Archi-Palatini Ambergensis, Theologus hôc seculô celeberrimus, Genevæ primò dein Lugduni Batavorum Professor: Edidit varia, inter quæ eminent *Dubia Euangelica*, *Exercitationes de gratia Univers. Miles Suecicus*, &c. Obiit A. C. 1649. ætat. 49. Pater inter alios Ezechielis, rei nummariæ peritiâ inclyti, & Friderici, Theologiæ in Heidelbergensi haud pridem, nunc Lugduno-Batavâ Academia Professoris Primarii; scriptis variis in lucem editis clarissimi. Vide Dan. Tossanum in *Panegyrico Spanhemiano*, &c.

SPANIA, apud Jul. Capitolin. *in Marco*, *c.* 1. *ex Succubitano municipio ex* Spania *factus Senator*, uti in cod. Palatino se legisse, ait Salmas. *Hispania* est. Sic enim Hispaniam Veteribus dictam esse, Græcis pariter & Latinis, uti & *Spanum*, pro *Hispano*, notum. Σπανὸν ἔλαιον Galeno non uno in loco: *Spanus color* Nonio, pro Hispano &c. Est autem σπανὸς, unde σπανιστὸς, Æol. σπάνος, à quo *sparum* Latini fecerunt, Salmas. *ad Solin. p.* 820. At quòd apud Livium *l.* 21. *c.* 44. pro, *etiam Hispanias?* optimus liber habet, *etiam Spanias?* indicium est, non quomodo Livius eam vocem ediderit, sed quomodo istôc ævô, quô scriptus ille liber, pronuntiarent, inquit Gronov. *Observation. l.* 4. *c.* 20. Nempe citerioris antiquitatis illa vox est, de qua vide eundem Salmas. *ad Spartian. in Hadriano. c.* 1. Inde *Spaniscus*, pro panno Hispanico, apud Anastasium *in Leone IV.* alibique.

SPANIA, civitas Ægypti. Palladius *in vita Aphthonii*. Græci quoque sic *Hispaniam* vocant.

SPANIUS, inferioris Ægypti Rex IV. post Aristarchum, præfuit ann. 36. dum Athotes II. imperaret in Thebaide, circa tempora Phalegi. Eum excepit ἀνώνυμος per annos 32. & alter itidem sine nomine per annos 40. post quem regnare cœpit Serapis. Joh. Marshamus *Canone Chron.* ex Syncello.

SPANOCLISTA, seu PANOCLISTA, apud Anastas. *in Leone III. Fecit autem ibi super crucem majorem ex auro fulvo nimis* panoclystam, *ornatam gemmis pretiosis*. Eadem cum *Regno spanoclysto*, *ibid.* corona est desuper clausâ, ex Græco ἐπανώκλειστος, de qua retro dictum.

SPANYDRION, locus Phœniciæ, ubi S. Epiphan. latitabat.

SPARETUS, 17. Assyriorum rex, regnavit ann. 40. Phœnices & Syros subegit, A. M. 2496. Obiit 2535. Et Alcades successit, sicut ipse Mamilæ. Euseb. *in Chron.* Torniel. *in Annal. V. T.*

SPARGAPISES, fil. Tomyridis Massagetarum reginæ, qui captus à Cyro seipsum interfecit. Herodot. *l.* 1. Vide *Tomyris*.

SPARNACUM, villa olim Galliæ ad Matronam, *Espernay*: Hanc Eulogius Gallus, vir potentissimus clarissimusque Remigio Episcopo ac Ecclesiæ Remensi 5000. argenti libris vendidit. Castrum *Sparnaci* vocatur, *in Chron.* A. C. 922. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SPARNO, & corruptè *Esparno*, castrum Galliæ cum titulo Ducatus, in diœcesi Carnutina, S. Thomæ cellâ seu Prioratu clarum, vulgò *Espernon*. Ducis *Espernonii*, Henrico III. Galliæ Regi inprimis chari historiam, vide apud *Thuanum*.

SPARSIO, apud Papin. Statium *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 66.

Jam noctu propioribus sub umbris
Dives sparsio *quot agit tumultus?*
Huc intrant faciles emi popinæ,
Hic agnoscitur omne, quod theatris
Aut formâ placet ———

dicebatur, cùm in Theatris spectaculisque munera *spargebantur* in populum: quæ cujusmodi fuerint, exponit Martial. *l.* 8. *Epigr.* 78. ubi de Ludis Stellæ. E quo colligitur, aliquando *Missilia*, aliquando *Tesseras*, spargi consuevisse. Et quidem tesseræ seu sphærulæ, inscripta habebant munera populo cessura, vel visarum & præsentium, vel absentium rerum: Missilia verò rem ipsam spargebant mittebantque: Qua de re vide *Sueton. Xiphilinum*, *Alios*, ex Veterib. ex recentioribus Hadr. Turnebum *Adversar. l.* 29. *c.* 9. Jos. Scaligerum *ad Propertium initiò l.* 4. L. Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 26. *c.* 6. Just. Lipsium *de Amphitheatro*, Phil. Beroaldum *ad Suetonii Caligulam c.* 18. &c. Spargebant autem missilia Imperatores, ex ea parte Theatri, quam *superiores ædes* Sueton. *in Claudio c.* 21 vocat; uti è Basilica, foro imminente: sic è superiore loco utrobique in capita inferiorum ea jacientes, quod κατὰ κορυφῆς εἴρηται est Dioni *l.* 49. idque sub finem Ludorum, quibus totum diem usque ad horam decimam fuisse occupatum, docet *ad Cajum Suetonii c.* 26. Casaubon. A Theatro transiit in Forum mos, in quo aureorum argenteorumque nummorum *Sparsiones* ab his, qui Consulatum inituri erant, olim fieri solitas, notum: unde Ὑπατεία recentioribus Græcis quævis sparsio. Sic Gallienum ad Consulatum suum etiam matronas invitâsse, &, ne expertes illæ suæ munificentiæ essent, singulis manum suam osculantibus, τᾶς Ὑπατείας nomine, quaternos aureos Gallienos dedisse, refert *in eo* Treb. Pollio, *c.* 16. Vide Codinum *de Off. Aulæ Constantinopolit.* ubi ἐπικόμβια vocat hujusmodi nummorum involucra, è Fori Constantinopolitani seu Augusteonis gradibus, in populum projici solita, & suprà passim, inprimis ubi de phrasi *Consulatum edere*. Specia-tim verò dicebatur *Sparsio*, de undæ croco dilutæ sparsione, per latentes fistulas in Theatrum, quæ Græcè Κροκόρραντις, quamque *nimbum* vocat Martial. *l. Spectacul. Epigr.* 3. *v.* 8.

Et Cilices nimbis hic maduêre suis.

Vide suprà ubi de Croco: item voce *Epicombia*, *Missilia*, *Oenanthinum*, ac verbo *Jacere*. Ut & alia quædam addam, *Sparsio exigui pulveris*, urgente necessitate, sepulturæ locô erat. Horat. de Archyta *Carm. l.* 1. *Ode* 28. *v. ult.*

——— *non est mora longa, licebit*
Injectô ter pulvere curras.

Id quod ex Lege Attica ductum videtur, cujus meminit Ælian. *Var. l.* 5. *c.* 14. Ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ τὴν γῆν. Vide suprà ubi de *Cadaverum cura*. In Sacris, *floribus sparsa simulachra*, discimus ex Papinio Statio *Achilleid. l.* 1. *v.* 289. ubi de sacris Palladis littoreæ in Scyro celebratis,

Exierant, dare veris opes divæque severas
Fronde ligare comas, & spargere *floribus hastam.*

Quo de ritu vide Lipsium *ad Annal.* 1. *Taciti*, *de Milit. Romana l.* 4. *c.* 5. Casp. Barthium *ad Claudian.* Alios, & hîc suprà, ubi *de Conjectu florum* &c.

SPARSUM auro pallium, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro*, *c.* 41. dicens ——— *matronas regias contentas esse debere* — *unicò palliò aurò sparsò & cyclade, quæ sex unciis auri plus non haberet*: Græcè est χρυσόπαστον, χρυσόπαστον. χρυσῷ καταπαστὸν καὶ ποικίλον: quod acu fiebat. Homer. *Il.* γ. *v.* 126.

——— Πολέας δ' ἐνέπασσεν ἀέθλους,

Sic χιτῶνα ἁλουργῆ, χρυσῷ καταπαστόν, *tunicam purpuream*, *auro sparsam*, i. e. aureis clavis intextam & acupictilem, habet *Dio*. Cui διάχρυσος opponebatur, ex serico stamine & filis aureis in tela contexta, quam eleganter expressit Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 483.

Et picturatas auri subtemine vestes.

Seneca ad eundem modum *auro sparsa lacunaria*, pro auratis vel auro pictis, dicit *de Benefic. l.* 4. *c.* 6. *Albo sparsas pelles*, Virg. *Ecl.* 2. *v.* 41. *alas coloribus sparsas*, Ovid. de pico ave: & *aspersum* genus pileris, varii stellatique & ψαρὸν Græcis, pro *vario* &c. Salmas. *ad Lamprid. d. l.* Quo facit, quod idem habet *ad Solin. p.* 763. *Sparsum*, τὸ ποικίλον, *quod granis vel punctis discriminatur*, *ut lentiginosi ore sparsi dicuntur. Inde grani*, τὰ ἐπιγραφὰ, *de capillis sparsis ac discriminatis. Quales videre est in antiquis nummis Gothorum* &c. Vide suprà ubi de gentis hujus *Granis*.

SPARSUS, vir quidam, quem Seneca scribit inter Scholasticos insanum, inter insanos fuisse Scholasticum. Vide Cæl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 2.

SPARTA, Peloponnesi civitas nobilissima, Laconiæ caput, ad Eurotam fluv. Lycurgi legibus optimè olim instituta. Mœnibus diu caruit, sed muri locô civium virtus fuit, quemadmodum ex Agesilai responsione ad quendam, causam quærentem, quamobrem tanta civitas non esset mœnibus cincta, liquet. Eustath. *in Odyss.* α. sic dictam scribit, ἀπὸ τῶν μυθολογουμένων μετὰ τοῦ Κάδμου σπαρτῶν ἀνδρῶν, οἱ κατὰ τὴν παλαιὰν ἱστορίαν ἐκεῖ οἰκήσαντες Σπάρτην ἀφ' ἑαυτῶν τὴν πόλιν ὠνόμασαν. Historiam hanc ex Timagora citat Stephanus Byzantinus, in Σπάρτη. Hinc Epaminondæ sepulchro clypeus impositus est cum dracone insculpto, quô significabatur eum esse ἐκ γένους τῶν Σπαρτῶν. Ita Suidas habet in Ἐπαμινώνδας. Sed ipsi Ethnici agnoscunt, quicquid narratur περὶ τῶν μετὰ Κάδμου σπαρτῶν, commentum esse putidissimum. Multo verius igitur, quod alii volunt, *Spartam* vel à *Sparta* dictam Eurotæ filia, & uxore Lacedæmonis, vel à *Sparto* Phoronei filio, vel ἀπὸ τοῦ τοὺς πρώτους τοὺς συνοικίσαντας τὴν πόλιν Λακεδαίμονι ὑποταγέντας εἰς ταύτην συνελθεῖν, καὶ μίαν εἶναι ποιῆσαι. *Spartani* autem generosissimi fuêre, servitutis impatientes, ut potiùs ad imperandum, quàm ad serviendum nati viderentur; unde Proverb. *Generosior Spartâ*; de generosis, ac minimè timidis: Spartani enim nunquam tyrannidem admiserunt in urbe. Apud hos summus honor senibus habebatur, teste Plut. *in Laconicis*: Unde proverb. *In sola Sparta expedit senescere.* Quod de iis etiam dici potest, apud quos virtus in pretio sit, ut fuit apud Spartanos. Σπάρτην ἔλαχες, ταύτην κόσμει; significat, Sorte tuâ contentus esto, & officium tuum strenuè facito. Cicer. *l.* 1. *ad Attic. Ep.* 20. *Eam quam mihi dicis obtigisse* Σπάρτην, *non modò nunquam deseram, sed etiam si ego ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo.* Statius *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 108.

Doctaque Cyrene, Sparteve animosa creavit.

Idem *l.* 1. *Achilleid. v.* 402.

Progeniem cœli, Spartæve potentis alumnam.

Sparta Junonem maximè coluit; Ovid. *l.* 3. *Fastor.* Hîc violæ & myrti plurimæ. *Nic. Lloyd.* Hodie *Misithra*, in Tzaconia provinc. sub Turcis, nullius penè nominis, 6. mill. pass. à Nauplia in Meridiem, versùs Tænarium promontor. 50. & 60. à Malea promontor. in Occasum 1140. stad. ab Athenis, quæ Philippides biduò confecit, Plin. *l.* 7. *c.* 20. Vide *Lacedæmon*.

SPARTACUS, Leuconis filius, Satyri nepos, Spartaci pronepos, suscepit regnum Ponti, A. M. 3614 post patris mortem; Olympiadis centesimæ sextæ annô tertiò, tenuitque annos 5. Diodor.

dor. Sic. *l.* 16. Obiit Olymp. 107. ann. 4. succedente fratre Parysade, *Ibid.* Item Rex Bospori, A. M. 3609.

SPARTACUS, gladiator Thracius, qui unà cum Chryse & Oenomao, effractô Ann. 681. Urb. Cond. Lentuli ludô gladiatoriô cum 70. gladiatoribus erupit Capuâ, manuque servorum, quasi justô exercitu comparatô, Cervesium montem Campaniæ occupavit: ubi, cùm à Clodio Glabro obsideretur, et castra diripuit, & Campaniam populatus, raptis prætorum fascibus appellatus est Imperator. Inde Lentuli exercitum in Apennino dissipavit, apud Mutinam Cassii castra delevit. Tandem verò cùm de urbe invadenda deliberavit, à M. Crasso pulsus, fugatusque, cùm Brutium angulum occupâsset, nec in Siciliam præ navium penuria trajicere potuisset, cum suis omnibus fortissimè dimicans occisus est, Plutarch. *in Pomp.* & *Crasso*, Liv. *in Epit. l.* 95. Flor. *l.* 3. *c.* 20. Lucanus *l.* 2. *v.* 554.

Ut simili causâ caderet, qua Spartacus hostis.

Vide Appianum *de Bell. Civ. l.* 1. Horatius: *Carm. l.* 3. *Od.* 14. *v.* 18.

Et cadum Marsi memorem duelli:
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testâ.

Idem *in l. Epod. Od.* 16. *v.* 5.

Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer.

Claudian. *de Bello Getic. v.* 155.

—— Vilis cùm Spartacus omne
Per latus Italiæ ferrô bacchatus & igni.

Athen. *l.* 7. Καὶ Σπάρτακος δὲ ὁ μονομάχος ἐκ Καπύης πόλεως Ἰταλικῆς ἀποδρὰς κατὰ τὰ Μιθριδάτεια, πολὺ πλῆθος ἀποστήσας οἰκετῶν (ἦν δὲ καὶ αὐτὸς οἰκέτης, Θρᾷξ γένος) κατέδραμε πᾶσαν Ἰταλίαν, χρόνον οὐκ ὀλίγον, πολλῶν ἀεὶ καθ' ἡμέραν ἀνθρώπων συρρεόντων εἰς αὐτόν. Καὶ εἰ μὴ ἀνῃρέθη ἐν τῇ πρὸς Λικίνιον Κράσσον παρατάξει, οὐ τὸν τυχόντα ἂν ἡμῖν πόνον παρέσχεν. *Nic. Lloyd.*

SPARTACUS, urbs Thraciæ, *Stephan.*

SPARTÆ, seu SPARTI, Græcè σπαρτοὶ, h. e. *Sati*, peculiari appellatione dicti sunt Dentigenæ illi, qui è serpentis dentibus à Cadmo disseminatis orti credebantur. Æschylus VII. *Theb.*

Σπαρτῶν δ' ἀπ' ἀνδρῶν, ὧν Ἄρης ἐφείσατο,
Ῥίζωμ' ἀνεῖται. κάρτα δ' ἔστ' ἐγχώριος
Μελάνιππος.

Posteà,

Καὶ πέμπτος αὖ ὁ σήμανος ἐν χερσὶν ἔχων
Μεγαρεὺς, Κρέοντος σπέρμα, τοῦ σπαρτῶν γένους.

Ubi Menalippus, Megareus, Creon Thebani, *spartorum* è genere fuisse dicuntur. *Sata ferrea* vocat Papinius *Theb. l.* 3. *v.* 181. quod hi *Sparti* è draconis dentibus armati exstiterunt. *Gentem Martiam*, idem *l.* 4. *v.* 556. quòd draconis illius pater Mars esset habitus, uti docet Apollodorus *l.* 3. Meminitque *Spartorum* etiam Lactantius *l.* 3. *c.* 4. ut rectè quidem ibi ediderunt Florentiæ Juntæ Ann. 1513. Petrus quidam Lutetiæ eôdem annô, & bienniô post Aldus. Vide Casp. Barthium *ad Statium d. l.* Alii sunt *Sparti*, in Inscr. primæ Epistolæ S. Joannis, in Codice Bibliorum *MS.* versionis S. Hieronymi, qui asservatur in Bibliotheca Genevensi, quæ sic habet: *Incipit Epistola ad Spartos.* Ubi per errorem *Spartos*, pro *Sparsos* irrepsisse, quemadmodum Petrus priorem suam inscribit *Electis advenis dispersionis*; vel *Parthos* scribendum, ex Augustino *Quæst. Evangelic. l.* 2. *Quæst.* 39. nonnulli judicant. Vide Car. Patinum *Relat. Histor.* 4. *sub fin.* *Spartos* tamen retineri posse, ex prædictis, liquet.

SPARTARIUS Campus, tractus Hispaniæ Tarraconensis inter Spartariam Carthaginem, & Toletum, ubi Cyntilia urbs & Fanum Clementis oppidum in Castella nova, *Strab. La Mancha*, vel *Manxa*, *Mariana.*

SPARTE, vicus & mons juxta Pontum Euxinum. *Stephan.* Et Armeniæ oppid. *Cedreno.*

SPARTEOLI, apud vet. Scholiastem Juvenal. *Sat.* 5. per contemtum ab aliis militibus appellatæ sunt cohortes Præfecti vigilum, è Libertinis conscriptæ: an à funibus, quorum in restinguendis incendiis usus; an à *sparteis* tunicis; an à calceamenti genere? Casaubon. *ad loc.* Vide infrà, *Spartum* ut & ubi de *Batillo.*

SPARTIANUS Ælius, Historicus Latinus Diocletiano dedicavit vitam Adriani, Ælii Veri, Didii Juliani, Severi & Pescennii Nigri. Scripsit quoque vitam Caracallæ. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 5.

SPARTOLUS, urbs Macedoniæ, *Stephan.*

SPARTON, frater Phoronei, filium habuit Mycenæum. Est & mons *Sparton.* Stephan.

SPARTOPOLIOS, nomen gemmæ, apud Plinium *l.* 37. *c.* 11. *Polia* enim gemma dicta est, cui inducta *canities* quædam, Græcè πολιὰ, super rubrum. At *Spartopolios*, quæ similem quidem canitiem, sed rariorem, nigro impositam habet, quasi *Canus sparsa.* Voce ab hominibus desumptâ, quos σπαρτοπολίας Græci dixêre, cùm intermixtos cum nigris canos seu caput aspersum canis haberent. Salmas. *ad Solin. p.* 765. & *seqq.* Vide quoque suprà in voce *Sparsum.*

SPARTUM, Græcè Σπάρτον, apud Veteres usurpatum reperitur, de herbis omnibus ad vitilia, nexilia & textilia aptis, ut sunt linum, cannabis, junci, genistæ, aliaque id genus. Quod vel ex *Dioscoride* patet, ubi Σπάρτιον describens genistam exprimit, vitibus ligandis idoneam. Et hôc sensu vox σπάρτα apud Homerum extat *Il.* β. *v.* 135.

Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται,

Atque adeò navium ligna putrefacta sunt, & sparta dissoluta.

Ubi Salmasius optimè observavit translatitium errorem plurimorum fere olim Eruditorum, præsertim Latinorum, qui τὰ σπάρτα hæc, *sata*, sive *sativa* interpretabantur, aut certe funes ex rebus sativis factos, ut lino, cannabe, cæterisque hujusmodi, cùm tamen Græci σπάρτον & σπαρτίον passim appellarint quemcunque funem, etiam ex junci ac genistis, quæ non seruntur, sed sponte proveniunt, factum. Similiter Latini, ad exemplum Græcorum, herbam illam Hispanicam, de qua mox, faciendis funibus aptam, *Spartum* dixêre. Nempe, quando pro fune ex quacunque materia, etiam sponte proveniente, vocabulum sumitur, non à verbo σπείρω, quà *seminare*, sed quà *nectere* denotat, deducendum est: & hôc modô apud Homer. sumitur, ubi σπεῖρα idem quod σπεῖρα, *partes inter se condensare & jungere*, denotat, &c. Apud Latinos ita *Spartum* dicitur sola herba Hispanica, ex qua funes nectebant: quales designat Horatius *l. Epodon Od.* 4. *v.* 3. cùm ait:

Ibericis peruste funibus latus.

Ex eadem, quemadmodum è papyro Ægyptii, calceos sibi veteres Hispani conficiebant, quod Pliniô auctore *l.* 19. *c.* 2. testatur Alexander ab Alex. *Genialium dier. l.* 5. *c.* 18. Ita autem Plinius, *Hinc strata rusticis eorum, hinc calceamina, & Pastorum vestis.* Imò hodieque apud illorum plerosque in eodem usu est: quos in *sparteis* ejusmodi calceis sæpe, in Gallia, incedentes se vidisse, refert Ben. Balduinus *de Calceo.* Conficiuntur autem illi scitè contorquendo jungendoque *Sparto*, ut ex calcei istiusmodi icone, quæ apud Auctorem modò laudatum *c.* 3. curioso Lectori exhibetur, videre est. Facit is *spartum* junci speciem, eô tamen discrimine, quòd propriè *erat solo juncus ja*, ex Plinio. Similia planè videntur Moysis fuisse calceamenta, ex junco nempe marino contexta, qui, non minùs ac Hispanicum *Spartum*, in funes, strata, corbes atque adeò calceos compingi contexique commodè potuit: cujusmodi junci feracissimam fuisse Ægyptum, idem narrat Plin. *Hist. Natur. l.* 21. *c.* 18. Propriè tamen *spartum* juncus non est, quamvis ei simile, sed à junco (utpote re marina & in palustribus nascente) totô genere differt. Unde apud *Strabonem*, *Spartarius campus* in Hispania, & *Juncarius* diversi: quorum ille in aridis & effœtis Hispaniæ citerioris locis, *spartum* sponte naturæ profundit, unde in omnes olim gentes, maximè in Italiam, exportatum. Convellendi ejus ratio laboriosa admodum, his verbis exponitur egregio Naturæ indagatori modo dicto, *Ad reliquos usus laboriosè vellitur ocreatis cruribus manuque textis manicis convolutâ, ossis ligneisve ancomentis*, ad quem locum vide Salmas. *ad Solin. p.* 266. Cæterum usus Sparti *multa post secula captus est: nec ante Pœnorum arma, quæ primùm Hispaniæ intulerunt*, Id Plin. *loc. cit.* Vide iterum Salmas. *d. l.* ubi proin σπάρτα νεῶν apud Homerum de *Sparto Hispanico* explicari posse negans, τὰ ῥάμματα exponit, quibus sutæ naves, *p.* 264. Fines tandem *Spartarii agri* exigui, sic enim iterum Plinius, *Ad hos omnes usus* (nempe strata, ignes facesque, calceamina, vestes, armamenta navium, machinas ædificationum, aliaque vitæ desideria) *quæ sufficiant, minus triginta millia passuum in latitudinem à litore Carthaginis novæ, minusque in longitudinem esse reperiuntur*, vide eum *l.* 19. *c.* 2. & sæpiùs dictum Salmas. *Exercitat. Plin. ad Solin. passim*, inprimis *p.* 262. & *seqq.* Hinc *Spartea*, in *Reg.* Isidori *c.* 17. calceus, ex *sparto*, quem χόρτινον σανδάλιον vocat Socrates *l.* 7. *c.* 36. Item *Sparteoli*, apud veter. Interpretem *Juvenal. Sat.* 14. *v.* 305.

Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet ——

funes, quorum in extinguendis flammis olim frequens usus, vel vasa spartea pice illita, quibus aqua deferebatur, ad restinguenda incendia &c. Vide Martinium *Lexic.* & suprà.

SPARUM, minimum jaculum, à *spargendo*, Fest. Servio *ad illud Æn. l.* 11. *v.* 682.

Agrestisque manus armat Sparus:

rusticum est telum, in modum pedis recurvum. Varroni *Sparus* *missile, ductâ à piscibus similitudine, qui Spari vocantur.* Rusticorum certè gestamen fuit. C. Sallustius *in Catilin. c.* 56. *Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa, cæteri, ut quosque casus armaverat*, Sparos, *aut lanceas, aut præacutas sudes portabant.* Liv. *Dec.* 4. *l.* 4. *Si quis extra ordinem avidius procurrit, & ipse inter Equites sparô percutit & Tribunos Centurionesque castigari jubet* &c. Sed & Græci eô teli genere frequenter usi sunt, ut apparet ex Corn. Nepote *in Epaminonda*, *c.* 9. unde non difficile formam ejus colligere est. Sic quippe ille: *Universi in unum impetum fecerant, neque prius abscesserant, quàm magnâ cæde factâ multisque occisis Epaminondam pugnantem* Sparô *eminus percussum concidere viderant: Hujus casu aliquantum retardati sunt Bœotii, neque tamen prius pugnâ excesserunt, quam repugnantes profligârunt. At Epaminondas, cùm animadverteret, mortiferum se vulnus accepisse, simulque si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum, usque eò retinuit, quoad renuntiatum est, vicisse Bœotios. Id postquam audivit, satis, inquit, vixi, invictus enim morior: Tum ferrô extractô, confestim exanimatus est.* Ferrum id *Spari*, alii Historici *spiculum*, nonnulli *hastam* vocant. Vide Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex. ext.* 5. Ciceronem *de fin. bon. l.* 2. &c. Sic res eadem spiculum, hasta, *Sparus.* Lucilius,

Tum Spara, tum rumices portantur, tragula porrò.

Silius Italicus *Punicor. l.* 8. *v.* 520.

Mar-

Marrucius simul Frentanis æmula pubes
Corfini populos, magnumque Theate trahebat,
Omnibus in pugna fervet Sparus.

Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 10. *c.* 20. uti de *Sparo* pisce, Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 25.

SPASINES, Rex Arabum, Characem oppid. Persici sinus intimum, in colle inter confluentes, dextrâ Tigrim, lævâ Eulæum 2. mill. pass. laxitate ab Alexandro M. conditum, postquam flumina id expugnavêre, oppositis molibus restituit, nomenque suum dedit, emunitô situ, ut ait Plin. *l.* 6. *c.* 27. Unde Σπασίνου χάραξ, seu Χαρακηνῶν id appellatum legitur, apud *Ptolemæum*. Vide Salmas. *ad Solin.* p. 489.

SPATA, gladii genus, memoratum A. Gellio *l.* 10. *c.* 25. *Veruta, enses, sicæ, machæræ*, Spatæ, *lingulæ, pugiones, clunaculæ* &c. Isidoro *gladius est ab utraque parte acutus*. Gallis in usu fuisse, Diodorus Sic. testis est *l.* 5. *Pro gladiis spathas gerunt prælongas, ex catenis ferreis aut æneis ad dextrum latus dependentes.* Josephus tamen *Excid. l.* 3. ubi Romanam militiam Vespasianô imperante explicavit, de duplici gladio sic loquitur: *Pedites utrinque gladium gestant, longiorem quidem illum ad sinistrum latus: nam qui ad dextrum est, palmi ferme* 12. *digitorum mensuram non excedit.* Vegetius *l.* 2. *c.* 15. gladios majores *Spathas*, minores *Semispathas* appellat: bullis quoque baltheum fuisse insignem, Sidonius Apollin. *Panegyr. ad Anthemium* docet,

——— *Bullis hostilibus asper*
Applicat à læva fulgentem baltheus ensem.

Quales ostendi apud Hollandos Comitum veter. icones, Ant. scribit Thysius *Notis ad A. Gellium l.* & *c. cit.* Hodieque apud Belgas ligo *Spade* dicitur: sed veteri Teutonicâ linguâ gladium prælongum denotat. Hactenus præfatus Thysius JCtus *ad Gellium dicto l.* Verùm quem is à Josepho describi dicit *gladium longiorem*, non *Spata*, sed is potiùs videtur fuisse gladius, quem *Hispaniensem* vocârunt, de quo nos diximus *suo loco*. Ad *Spatham* Gallorum veter. ut redeam, quam iis propriam tribuit Diodorus *d. l. prælongum fuisse gladium sine mucrone*, ait Liv. *l.* 32. quô proin illi cæsim, non punctim, usi, Polybius *l.* 2. postmodum verò mucro additus, uti ex Wilh. Apuliensi *de Gestis Normann. l.* 2. docet Car. du Fresne *in Glossar.* & *Not. ad Joinvillam p.* 73. Cujusmodi Francorum veter. *Spathas* sic describit Monachus Sangall. *l.* 1. *c.* 36. *Post hæc baltheus spatæ colligatus, quæ spata primum vagina, secundò coriò qualicunque, tertiò linteamine candidissimò cerâ lucidissimâ corroboratô, ita cingebatur, ut per medium cruciculis eminentibus ad peremtionem gentilium duraretur.* Idem cæsim *spathâ* feriisse, refert *l.* 2. *c.* 11. & 23. Quod confirmat Petrus Tudebodus *l.* 3. ubi de Godofredo Bullionensi, eum equitem ferocissimum loricâ indutum in duas partes divisisse refert: quod de Schweppermanno quoque & Scanderbego legimus. Ponderosi enim hi enses; uti Ogerii Dani, qui sub Carolo M. vixit, *spatha* docet, quæ cum ferreo capulo, absque mucrone, in Monasterio S. Pharonis Meldensi asservatur, descripta à Jo. Mabillonio *Vitarum SS. Ord. Benedict. Tom. V.* Quomodo verò *Regia spatha* deferretur à Regis Armigero, videre est in iis tabellis Lotharii & Caroli C. quas delineari curavit Steph. Baluzius *Notis ad Capitularia Regum Franciæ*, ut & infrà, in voce *Spatharius*. Hinc ad *spatham metiri* solebant olim Franci milites, nec bello idonei censebantur, qui ejus longitudinem nondum attigissent, uti legitur apud Monachum prædictum *de Carolo M. l.* 2. *c.* 17. cui simile quid de Bohemis refert Æneas Sylvius *Histor. Bohem. c.* 10. Et *Spathæ prehensô capulo*, pacta firmare soliti Alamanni, in *Charta* Alamann. Goldasti 85. apud Vadianum *de Monasteriis German.* Vide quoque Salmas. *ad Spartian. in Hadriano*; *c.* 10. ut & Casaubonum, qui etiam *latiores* hos gladios fuisse notat & infrà *Spatha*.

SPATALE, Nympha memorata Claudiano *in Epithalamio Honorii & Mariæ*, v. 167.

Et gravibus Spatale *baccis diadema ferebat*
Intextum, rubrò quas legerat ipsa profundò.

Dicta nempe, à *spataliis* est sive brachialibus, armillæ genere, quod totum brachii progressum complectebatur, cum armis: quemadmodum *dextralia* tantum carpum incingebant. Transiit autem *Spatale*, quod propriè armillæ nomen, in nomen fœminæ, uti Viria; eo quòd utrumque fœminei sexus proprium esset. *Spatalocinædi* tamen Petronius meminit, in *Satyr.* ubi sic Cinædum appellat *Spatale* sive brachiali, onustum: Sed mollius fœminâ pecus Cinædus est, vide Thom. Bartholin. *de Armillis Veter.* Dictum autem *Spatalium*, Græcè σπατάλιον à verbo σπαταλᾶν, *luxuriari*, atque insuper ornatum eum capitis notat, quô crinis in unum colligitur, fortè quòd aureà *spatale* vel *spataliô* vinciretur. Poëta,

——— *crines nodantur in aurum* &c.

Vide Salmas. *ad Solin. p.* 764. & Gerh. Joh. Vossium *in Etymolog.*

SPATANA, Taprobanæ insul. portus. *Ptolem.*

SPATHA, apud Anastasium in *Benedicto III. Spatam cum auro purissimo ligatam: item imagines duas ex auro purissimo*: quid sit, vide suprà in voce *Spata*: ubi de investitura *per Spathæ capulum*, suô locô. Aliàs σπάθη apud Græcos varia significat, *palmitem spicatum palmæ*; etiam *ramum robustiorem*; è quo σπάθη prodibat, qui aliis *spadix* dictus, porrò simulorum cervorum cornua *spathæ* vel *gladii* dicta sunt, Gall. *dagues*, unde σπαθίνας hujusmodi cervi appellari &c. Vide Salmas. ubi suprà *p.* 221. 404. &c. de modo per *Spatham* texendi, vide suprà *Recta tunica*, & ubi de *Textoria Re* infrà. A *Spatha*, seu gladio, *Spatharius*, nomen fuit dignitatis in Imperio Constantinopolitano satis illustris, cui Imperatoris Corporis custodia fuerat concredita, Σπαθοφύλαξ *Cedreno*, de qua vide quæ observavit Carol. du Fresne *Not. ad Alexiadem p.* 259. & suprà aliquid in voce *Protospatharius*. Eadem vox Armigeris tributa passim: imò & sic dicti Milites Ordinis *S. Jacobi de la Spatha* in Hispania, circa A.C. 1158. contra Saracenos instituti, de quo vide Franc. Menenium *p.* 94. A. Favynum *p.* 1168. & Beloyum *c.* 17. Sed & *Spatharocandidatus*, i.e. Spatharii simul & Candidati munere fungens, & *Spatharocubicularius*, occurrunt apud Luitprandum *l.* 3. *c.* 7. & in *Syn. VIII. act.* 4.

SPATHALIUM, apud Tertullian. *de cultu Fæmin. c.* 13. *Ceterùm nescio, an manus Spathaliô circumdari solita, in duritiam catenæ stupere se sustineat*: uti quidem legi vult *Palmerius*, armilla est muliebris; aliàs illud comendi genus, quô crinis in unum colligebatur. Sic factum esset ex *spalathion* vel *palathion*: Παλάθη enim Græcis globus vel massa ficuum, caryotarum, cottanorum, prunorum &c. ad cujus similitudinem globus crinium in metam concumulatus σπαλάθιον, & per metathesin σπατάλιον dici potuisset. Sed *Spatalium* omnino legendum esse, monent Salmas. & Voss. uti suprà diximus, in voce *Spatale*.

SPATHISTER, ferreum instrumentum, quô Hebræi nonnulli præputium sibi attrahebant, ne dignoscerentur esse Mosaicæ legis cultores, utque sic injurias, persecutiones ac tormenta evitarent, à σπάω, *attraho*, memoratus Epiphanio *l. de Ponder. & Mensur.* *At hoc gravius est, quod etiam à circumcisione præputiati fiunt arte quadam Medica, per instrumentum attractorium Spathisterem appellatum, infimam membrorum cuticulam attrahi sinentes, futuramque admittentes, & glutinatoriis circumdatis, præputium rursus superinducunt.* Cujusmodi fuêre illi, de quibus ad Gentiles deficientibus, dicitur 1. Maccab. *c.* 1. *v.* 16. *Et fecerunt sibi præputia.* Item de quibus Josephus, circumcisionem eos sic occultâsse, ut nudi à Græcis non distinguerentur, refert *Antiqq. l.* 12. *c.* 6. Unde Apostolus 1. Cor. *c.* 7. *v.* 18. Περιτετμημένος τις ἐκλήθη; Μὴ ἐπισπάσθω, *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat sibi præputium.* Inventorem ejus Esavum facit idem Epiphanius, quem hôc pactô, velut Apostatam, paternum signum abstulisse, divinamque legem sic ex animo suo abolevisse, addit. Vide Dominic. Macrum *in Hierolex.*

SPATIA, in Circo olim dicta, quas *metas*, *curricula*, vias aliàs Latini, σπάτια, δρόμους, κύκλα, καμπτῆρας Græci dixêre; cujusmodi septem fuisse, tot enim vicibus meta peragenda erat, suprà vidimus. Antiochensis Joannes etiam in Græcam vocem transtulit, τὰ ἑπτὰ σπάτια, inquiens, τὸ σπάτιον ἐπὶ τῇ πληρώσει. Namque & *meta*, pro metæ flexu, quod optimis Auctoribus, καμπτήρ, vel etiam recursus, qui fiebat post metæ flexum. Unde ἑπτὰ σπατίων ὁ ἀγὼν συνεπληρώθη, apud recentiores Græcos, i.e. *septem spatiis certamen peragitur*: ubi *flexus*, pro toto decursu spatii. Tertullian. *de Spectaculis sub fin. In hoc tibi Circenses ludos interpretare, cursus seculi intuere, temporum labentia spatia dinumera, metas, consummationes sperum expecta, societates Ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam Angeli erigere, ad Martyrum palmas gloriare.* Ubi omnia vocabula è Circo mutuata, *cursus, spatia, metæ, greges, mappæ signum, tuba, palmæ*. Apud Antiochensem ἑπτὰ σπάτια Cedrenus aliique κύκλα interpretantur; non adeò bene (longè enim aliud *Stadium* erat) nisi decursum Circi hôc nomine intelligant seu circuitum, seu *gyrum*, uti vetus *Epigr.* vocat, cujusmodi septenis unicus missus constabat. Salmas. *ad Solin. p.* 908. Vide etiam suprà passim, inprimis voce *Meta*, it. *Miliarii agitatores*.

SPATULARIA, inter vestes sacras, recensetur *in Monastico Angliæ. Tom. III. p.* 331. Gall. *Espauliere*.

SPAUTA, Mediæ regionis lacus, è quo sales coguntur, qui pruritum excitant, Strabo. *Spota*, teste Cyllniô.

SPECIES, apud incertum Auctorem *MS. in Periegesi Orbis Rom. Hæc similiter & Seleucia civitas optima, quæ & ipsa omnia, quæ veniunt, prædictæ Antiochiæ offert, & Fiscales Species & privatas*: vox est JCtis notissima, quibus idem sonat, quod Veteribus fruges, ut sunt vinum, oleum, frumentum, legumina; unde *Species Annonariæ*, in Codice non semel. In quibus transmittendis sumtus fieri solitos, *Parapompica* fuisse appellatos, suprà diximus. Postmodum res, vel quævis supellex pretiosior sic dicta est, *Ammiano, Capitolino, Aliis.* Infima Latinitas pro *droguis* usurpavit, ut εἴδη Græcè, unde *species aromaticæ*, τὰ εἴδη ἀρωματικά. Servantque hodie vocabulum Galli, sed strictiùs sumunt, de acribus tantum & morsicantibus, ut sunt piper, canella, & similia: Unde *Speciarius* illis, qui omne genus *species* vendit, πωλητὴς εἰδῶν, *Seplasiarius* Latinis. Sed & apud eosdem *Specierum* appellatio sumitur pro salariis Judicum, quibus, cùm nullam à clientibus mercedem accipere fas esset, licitum tamen erat levioris momenti & pretii donativa recipere, cujusmodi sunt *condimenta, esculenta, aut poculenta, quorum valor in una hebdomade* 10. *solid. Paris. non excederet*, ut est in *Edicto* Ludovici IX. *A. C.* 1254. apud Car. du Fresne *Glossar.* Gall. *Espices*, vide quoque Salmas. *ad Solin. p.* 1050.

SPECILLATA Patina, apud Vopisc. *in Probo*, *c.* 4. ubi de muneribus huic à Valeriano missis, *patinam argenteam librarum decem specillatam*, meliùs *Specellatam* Salmasio, ex libro Palat. & veter. edit. nomen habuit à genere cælaturæ, quòd intus haberet crebra exsculpta specula vel specella, ad reddendas plures imagines. Plin. *l.* 33. *c.* 9. *Quinetiam pocula ita figurantur exculptis intus crebris ceu speculis, ut vel uno intuente populus totidem imaginum fiat.* Vide Salmas. *ad Vopisc. cit. loc.*

SPECILLUM, Æsculapii inventum, Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3.

SPECKFELDIA Familia, inter Germaniæ illustres, eadem cum *Sonthemia*, vide ibi.

SPECTABILIS, titulus dignitatis, inter *Illustris* & *Clarissimi* titulos medius, quô in utroque Codice passim ornantur Magistratus,

pus, videl. Præfectus Augustalis, Comes Orientis, Proconsules & Vicarii, Item Duces, Tribuni & Notarii, Magistri scriniorum, Comites S. Consistorii, Comites Domorum, Comites Scholarum, Comites Militares, Porro Castrensis, Tribunus Notariorum & Silentiarii, Judices quoque &c. de quibus vide Gothofredum *in Epilog. Nov. 7.* Dignitas ipsa *Spectabilitas*, quam *multa sudore detersis antiquitatem tribuisse*, ait Cassiodorus *Var. l. 2. Ep. ad Steph.* Græcè περιβλεπτότης, sicut *Spectabilis*, περίβλεπτος. Vide eundem Gothofredum ad *Codicem Theodos.* & Pancirolum *ad Notitiam Imperii Orient. c. 2.*

SPECTACULA, Græcè *Ἰκρία* propriè Fori in Circo, quos primo sibi quisque tumultuariâ operâ faciebat, postmodum Tarquinius Superb. publicos fieri curavit. *Festus, Sexto Fori significant Circensia spectacula.* Cujusmodi *Spectacula*, furcis vel sustentaculis ligneis imposita, è quibus Populus Ludos spectabat, usque ad extrema Reip. tempora manserunt, ut ex Varrone liquet, & suprà vidimus in voce *Fori*. Inde ad loca, ubi Ludi agebantur, vox translata, Θέατρα, quod vocabulum ipsis Latinis usitatius est Latino. Porrò ad ipsos ludos, quô sensu *de Spectaculis* scripsit Martialis & Tertullianus. Tandem ad Spectatores quoque, uti docet Salmasius *ad Solin. p. 176.* Vide de *Spectacula* publicè edendi jure, loco, tempore; de *Spectaculis* in castris edi solitis, privatis, aliisque huc pertinentibus, præter Lipsium *de Amphith.* Casaubon. *ad Sueton.* ut & hic passim: uti de *Spectaculorum insano studio*, etiam lacerato jam à Barbaris Imperio, deque *Spectacularum tumultibus concitis*, C. Barthium *Animadversion. ad Statium Theb. l. 6. v. 449. & 475.*

SPECTATORES, Gladiatorum genus vide suprà. Addo hic, apud Tomasinum *de Tesseris* unam hujusmodi reperiri, cum *Inscr.* MANLIUS MARTIALIS SP. K. JANTI CATIO. P. CÆLER. Alia exhibetur apud Pignorium *d. l.* cum *Inscr.* ΠILOMUSUS, ΠERELI. & voce integra SPECTAVIT. in cujus altera parte, fuscina & palma. In aliis reperias nomina, sine dubio servilia, ANTHUS, FAUSTUS, INGENUOS, OLYMPUS, REPENTINUS, HERMES, FELIX, PHILODAMUS, PHILARGYRUS. vide Aldum in Orthogr. an Tesserariorum, ut ille *Spectator*, cui tessera obtigerat, haberet statim in promtu nomen erogatoris familiaris: an ipsorummet, qui spectabant? Quorum utrum sit, id certum, hujusmodi tesseras in usu fuisse, ut *Spectatores* inde aliquid lucrarentur. Martialis *l. 8. Epigr. 78. v. 10.*

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis,
Nunc dat spectatas tessera longa feras.
Nunc implere sinus securos gaudet & absens
Sortitur dominos, ne laceratur avis.

Quâ ratione intelligemus, quod est apud A. Gellium de Q. Fabii epistola ad Carthaginienses missâ *l. 10. c. 27.* *M. Varro autem non hastam ipsam, neque ipsum caduceum missa, sed duas tesserulas, in quarum altera caduceum, in altera simulachra hastæ fuerint incisa* &c. Vide laudatum Pignorium *ibid.* An verò ad hunc *Spectatores* conducendi mercede apud Romanos morem trahi possit locus C. Nepotis *in Præfat.* de mulieribus Lacænis, *Nulla Lacedæmoni tam est nobilis vidua, quæ non ad scenam eat mercede conducta* viderint Eruditi.

SPECTRA, Græcè φαντάσματα φαινόμενα, seu unâ voce φάσματα, dicebantur species vanæ, seu *imagines conspicuæ*, ut Plinius vocat, quæ vel ex Magica devotione, vel alicujus Numinis præsentia, immitti credebantur. Vide suprà ubi de *Corybantiasmo*. Grammatici tamen sic distinguunt, ut φάσμα sit veritati simillimum, ut quum ejus formæ, quæ in rerum natura est, imago conspicitur: φάντασμα, cùm extraneæ & insuetæ figuræ: Qua de re vide plusicula apud Salmas. *ad Solin. p. 1087.* Item.

— *animæ sua membra gementes*,

ut ait Statius *Theb. l. 12. v. 285.* Corporibus enim inhumatis, animas conspicuas vagari & sortem suam gemere, creditum olim, de cujusmodi planctibus vide notata Gevartio *ad Statium Sylv. l. 2. Carm.* Infestabant autem eos inprimis, qui cædem patrâssent. Vetus Scholiastes ejusdem, *Theb. l. 5. 312.* *Incumbunt ædibus, & queruntur contra ordinem Fatorum se expulsos suosque deplorant & vindictam poscunt à parricidis.* Itaque domibus hærere consuevêre, qualia recentes historiæ multa nôrunt oculis animisque objecta, & narrarunt nobilis à Plinio *l. 7. Ep. 27.* & Luciano *Philopseude.* Et noctu ut plurimum, sed & aliquando in media luce tumultuari, ut videre est suprà, ubi de *Meridiano Dæmone.* A quibus proin ne damna acciperent, qui alterum occidissent, cum ἀκρωτηριάζειν, i. e. *extrema ejus abscindere*, & de collo suspendere, soliti sunt, ut diximus suprà, ubi de *Cædem expiandi ritu.* Plura verò hanc in rem vide in voce *Manes*, item *Anima*; & *Temesa*; nec non apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* Addam hoc solùm, errorem illum Gentilium de animatum obambulatione in his terris, hodieque apud nonnullos Christianorum hærere, cùm tamen has illusiones meras esse tenebrarum Principis certissimum sit, &c. Vide & Voss. *de Idolol. l. 1. c. 6.* Delrium it. *Not. ad Oedipum Senecæ v. 174.* ubi de frequenti *Spectrorum*, in publicis calamitatibus apparitione.

SPECULAR, à *Speculo* differt, illud enim Græcè ἔσοπτρον, per quod videtur; hoc iisdem κάτοπτρον, quô videtur: illud *διαφανὲς*, hoc *ἔμφασιν* facit. Et quidem *Specularia* dicebantur, quibus lumen in cœnacula inferebatur, & Sol admittebatur in ædes, ut hodie per vitreamina & chartacea fit. Senecæ *l. 3. Ep. 86.* *Quanta nunc aliquis rusticitatis damnet Scipionem, quòd non in caldarium suum* latis speculatibus *diem admiserat.* Et *Ep. 90.* *Quædam nostra demum memoriâ prodiisse scimus, ut* speculariorum *usum perlucente testâ clarum transmittentium lumen.* Muniebantur etiam his specularibus hyeme cœnationes & diætæ, adversùs ventorum imbriumque vim: atque ita venti his excludebantur, ut tamen lumen habitantibus transfunderent. Ubi eorum originem apud Romanos usumque duplicem habes. Sic autem dicta sunt, quod è *speculari* lapide fiebant, qui, vitri modô pellucidus, facillimè in quamlibet tenues crustas finditur: uti quidem *Cyprio* visum. At Salmasius ita appellata ait, quo visum transmitterent, ac per ea *speculari* liceret ac perspicere: unde nomen ipsi *Lapidi Speculari*, i. e. διόπτρῳ & διαφανεῖ. Certè Tertulliano in *Apologet.* omnis materia, quæ διαφάνειαν habet, *specularis materia* dicitur. Erat vero illa phengites, Græcè φεγγίτης, Idiotis κρύσταλλος, i. e. *glacies*; quem, quod gypso similis esset, *gypsum* quoque multi vocaverunt: inter quos Anastasius *in Leone III. nec non & fenestras ipsius Ecclesiæ ex metallo gypsino decoravit.* Et Græci latticæ, διαφανῆ, γύψινα ... [illegible] Sed & ex vitro *specularia* jam olim fiebant, aliaque translucida materia. Idem Anastasius *ibid.* *& alias fenestras de vitro diversis coloribus decoravit.* Cujusmodi fenestras recens Latinitas *vitria* vocavit, Græci ὑάλια. Imò ita etiam appellatum, etiamsi ex speculari lapide essent. Neophytus Mon. *in Encom. Heraur.* Σελίδας ἐκ τῶν φεγγιτῶν ὑάλων. Ubi tamen, quod ὕαλον interpretatur, sequutus est Græcorum morem, qui *Specular* & *Speculum* passim confundunt. Veteres *speculis* inducebant parietes conclavium ad ornamentum: at fenestras *Specularia* indebant, ad illuminandam domum. Adde, quæ de discrimine utrorumque jam diximus. Iidem vicissim verba illa *in Basilic. Eclogis*, ὥσπερ ἐκ ... [illegible] ... τῶν εἰκόνων, de *specularibus* acceperunt, cùm de *speculis* debuissent: hæc enim ex argento etiam, atque emblematis haud secus, ac scyphi, decorabantur. Porrò laminæ illæ speculares, sive essent tesseræ, sive orbes, invicem gypso committebantur, per γύψον ... [illegible], sicut hodie plumbo &c. Quam in rem vide plura apud Plin. *l. 3. c. 3. l. 36. c. 22.* Salmas. *ad Solin. p. 1095.* &c. Uti verò *Specularia*, tum in cœnationibus, tum in lecticis, à flatu vindicabant, & visum transmittebant, ita, somnum captantibus, ad lucis exclusionem, *specularibus* introrsum obducebantur vela seu plagulæ, de quibus vide Theod. Marcilium *ad Suet. Tito c. 10.* ut & plura hanc in rem suprà, non unô locô.

SPECULARII, dicti sunt Magi, qui rerum quæsitarum figuras in *speculis* politis exhibent, Græcè Κατοπτρομάντεις, Jo. Saresberiensis *de Vestigiis Philosophorum l. 1. c. 12.* Specularios vocant, *qui in corporibus levigatis & tersis, ut sunt lucidi enses, pelves, cyathi, speculorumque diversa genera divinantes curiosis consultationibus satisfaciunt: quem & Joseph. exercuisse vel potiùs simulâsse describitur, cùm fratres argueret subripuisse scyphum, in quo consueverat augurari.* Unde liquet, quot genera sunt corporum, quæ imagines reddunt, tot species divinationis hujus fuisse. Et quidem de *Speculis Lunæ* Sagarum Thessalicarum diximus aliquid suprà. De pueris ad istiusmodi μαγγανεύματα adhibitis, vide Spartian. *in Didio Juliano c. 7.* ubi *præligatis oculis incantato vertice* in hujusmodi speculo *pueri respicere* soliti dicuntur. Aqua pro speculo fuit Trallibus, de eventu Mithridatici belli percunctantibus, apud Appulejum *Apolog.* Et, quod mireris, homini Christiano, in ludicro Circensi Magicis artibus victo, à contraria factione, & propterea ab Hilarione antiquissimo Monacho & conclamatissimæ virtutis viro, opem cum lacrymis petenti, eo κατοπτρομαντείας genere, quod cum aqua & cyatho peragebatur, hic consuluit, uti rem narrat Hieronymus, & Græcorum *Martyrologia* &c. Diversi verò generis θαυματουργίαι διὰ κατόπτρων sunt illæ, quarum meminit Jo. Grammaticus in *Aristotelis Meteorologic. Comm. 3.* Vide Casaubon. *ad Spartian. d. l.* & hic passim, inprimis in voce *Catoptromantia*. Sed & *Specularii*, speculorum confectores dicti sunt, *l. ult. de Jure Immunit.* & *l. 2. Cod. Theod. de Excusat. Artif.* Græcè Σπεκλοποιοί.

SPECULARIS Gnomonica, vide suprà in hac voce.

SPECULATOR, dictus est Guil. Durandus, quòd A. C. 1271. *Speculum Juris* 5. volum. distinctum edidit, de quo vide multa apud Macros in voce *Speculator*.

SPECULATORES, apud Firmicum *l. 8. c. 26.* Plutarcho *in Galba*, διοπτῆρες καὶ ἄγγελοι, *exploratores & annuntiatores*, Dioni διόπται & ἰσδόπται, in Novo Test. quoque Σπεκουλάτωρες, ex antiquo in Legionibus apud Romanos militârunt & ab exploratoribus fuêre diversi. Hinc *Speculatorum Legionis* & *Exploratorum Legionis*, distincta mentio in veter. monumentis. Liv. *l. 31. c. 24.* sic vocat, qui Græcis ἡμεροδρόμοι, *ingenti die uno cursu emetientes spatium*: ad Imperatoria mandata celerrimè perferenda, ut *Suidas* exponit. Qui videntur esse iidem cum *Frumentariis*, quibus sub Diocletiano *Curiosi* successerunt, uti vidimus suprà. Sed & hos distinstinguit *Inscr.* ista: *Scholæ Speculatorum legionis primæ & secundæ adjutricium piarum fidelium Severianarum, refecta per eosdem — dedicante F. Æliano legato Augusti Proprætore, curante Aurelio Pertinace frumentario.* Et Frumentarios honestiore gradu militâsse, quàm *Speculatores* discimus ex Dione de Advento, qui ex horum ordine in illorum promotus est. *Speculatores* enim carnificis opus peragebant, in reis decollandis, unde eos Δημίους, i. e. *Carnifices*, vocat idem. Hinc. D. *de bonis Damn. Ita neque* Speculatores *ultro sibi vindicent, neque Optiones ea desiderent, quibus spoliatur, quò momento quis punitus est*: per *Speculatores* carnifices; per *Optiones*, carceris præpositi seu commentarienses, intelligendi sunt. Iidem ergo Δήμιοι, à ministerio & ὑπηρέται seu ... [illegible], à nomine, dicti sunt. Quapropter falluntur, qui *Spiculatores* legunt & à *spiculis* volunt dictos. Frumentarii verò reis perquirendis quidem & prosequendis deferendisque operam navabant, non etiam supplicio afficiendis: aliàs *Pierophori* quoque dicti, vide suprà. Interim, ob affinitatem & similitudinem ministerii, frequenter conjunguntur. Sic apud Dionem de Speculatoribus Frumentariis, οἱ τῶν σωμάτων φύλακες ...

sunt,

ſunt, & in veter. *Inſcr.* Speculatorum Schola reficitur, curante Frumentariô, ut vidimus: Plura verò hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Spartianum in Hadriano.* Quemadmodum & *Speculator* nonnunquam cum Exploratore confunditur, ut apud Liv. *l.* 22. *c.* 33. ubi de Speculatore Carthaginenſi, qui Romæ deprehenſus, præciſiſque manibus, dimiſſus eſt: & *l.* 31. *c.* 24. ubi de Athenis unius Speculatoris induſtriâ ſervatis. Verùm de his vide ſuprà, in voce *Explorator*, ut & hîc infrà aliquid.

SPECULATORIA, apud Tertullian. *l. de Corona mil. c.* 1. caliga dicta eſt, cùm ait: *Speculatoriam moroſiſſimam pedibus abſolvit*; de militis Chriſtiani exauctoratione loquens, cui inter alia militiæ inſignia etiam caligæ detrahebantur. Uſus eſt hâc voce Tertullianus, quòd in militia id genus erat militum, qui præcipuè ad hoc erant inſtituti, ut, quemadmodum Feſtus ait, *Hoſtilia ſilentio perſpicerent*; à verbo *ſpeculor*, dicti *Speculatores*, qui Græcis ὀπτῆρες, σκοποί, & κατάσκοποι. Unde quibus illi utebantur caligis, *Speculatoriæ* appellatæ ſunt. Ita & Sueton. *c.* 52. ubi varios Caligulæ refert habitus, *Modo*, inquit, *in crepidis vel cothurnis, modò in Speculatoria caliga.* Calceamentum nempe ſignificans, quô Speculatores caligati, ſpeculatum exploratumque ibant. Sunt tamen, qui apud Tertullianum malint legere *Spiculatoria*, voce, à *ſpiculatoribus* & *ſpiculo*, deductâ. *Sed vereor*, inquit Balduinus, *ne iis nimia ſit corrigendi prurigo. Stat enim ſuus aptè ſenſus, cùm utrobique* Speculatoriam *legimus: ut nil neceſſe ſit aliam lectionem comminiſci.* Poteſt autem caliga *Speculatoria* quoque dici, quòd, qui in ea conſiſtebant, velut in *ſpecula* quadam poſiti viderentur, indeque poſſent longiùs *ſpeculari*. Quod certè Caligarum ſuadet compoſitio: Nam altè à ſolo editas fuiſſe earum ſoleas, hinc æſtimare licet, quòd cùm ſæpe loca lutô limôque infeſta militibus eſſent trajicienda, iis dubio procul opus fuit altiore calceatu, quò iſtiuſmodi loca faciliùs pervaderent. Et ſanè clavi illi crebri ac acuti, qui caligis ſuffigi ſolebant, quam in iis altitudinem agnoſcimus, non obſcurè arguunt, ob quod ipſum graves erant caligæ ac moroſæ, unde *moroſiſſimas* Tertullianus *Speculatorias* haſce vocavit. Vide Balduin. præf. *l. de Calceo Veter. c.* 13.

SPECULUM, primis mortalium æquor fuit undarum ſaxorumque lævor. Senec. *Natur. Quæſt. l.* 1. *c.* 17. *Rerum natura facultatem nobis dedit, noſmet ipſos videndi, fons cuique perlucidus, aut leve ſaxum imaginem reddit.* Unde Paſtor ille Virgilianus, *Ecl.* 2. *v.* 25.

—— —— Nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis ſtaret mare. ——

De cane per flumen carnem ferente, Phædrus *l.* 1. *fab.* 5. *v.* 3.

Lympharum in Speculo *vidit ſimulachrum ſuum.*

Lucretius item *l.* 4. *v.* 96.

Poſtremò in Speculis, in aquâ, ſplendoreque in omni
Quæcunque apparent nobis ſimulachra. ——

Poſteà Arte fieri *Specula* cœperunt, *ut homo ipſe ſe noſceret*, verba ſunt Senecæ *loc. cit. Multa ex hoc ſunt conſecuta, primò ſui notitia, deinde & ad quædam conſilium; Formoſus ut vitaret infamiam: deformis ut ſciret redimendum eſſe virtutibus, quidquid corpori deeſſet* &c. Quam ob cauſam Socrates ſectatores ſuos ac familiares *Speculum* crebrò juſſit inſpicere, apud Appulejum *Apolog.* & Pater ille filii, pulcrâ facie; ſed filiæ turpiſſimæ, apud Phædrum, *l.* 3. *fab.* 9. *v.* 14. utrumque amplexus,

Cotidie, inquit, Speculô Vos uti volo.
Tu, formam ne corrumpas nequitiæ malis,
Tu, faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

Vide quoque Nicetam 1. *Man. Commen.* Plautum *Epidico, Act.* 3. *ſc.* 3. *v.* 2. Æl. Donatum *in Terent. Adelph.* Martialem *l.* 9. *Epigr.* 17. &c. Ita Veteres *Speculis* ad mores quoque corrigendos uſi ſunt: donec res in luxum vertit, eaque in formæ ſolius conſilium adhiberi cœperunt. A' quo tempore *Speculum* argenteum, matulæ, unguenta, vaſa unguentaria, lavatio, riſcus, mundô muliebri cœpére contineri, Ulpian. *l. argum. ff. de aur. & arg. leg.* Et meminit *Speculi argentei* Plin. *l.* 33. *c.* 10. Vide quoque *l.* 19. §. *idem Celſus. l.* 25. §. *mundus, ff. eod.* Fuitque idem inter Ornatricum inſtrumenta, de quibus vidimus *ſuô locô*. Unde apud Claudian. *de nupt. Honorii & Mariæ*, illarum una cæſariem Veneris nectare irrigat, altera eburneô pectine *Multifidum diſcrimen arat; tertia retro dat varios nexus & juſtô dividit orbes ordine*; Quarta *Speculum* præbet &c. Sic Ovidius *de Arte am. l.* 2. *v.* 215.

Nec tibi turpe puta, quamvis ſit turpe, placebit:
Ingenuâ Speculum *ſuſtinuiſſe manu.*

Unde colligas, officium hoc ſervile & ingenuô homine indignum habitum eſſe. Quid quòd *Speculum* inter civilis ſarcinas belli, memoratur Juvenali *Sat.* 2. *v.* 99. ubi de *Othone*. At *Speculum Junoni tenere*, ſacer ritus erat, de quo vide Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 6. ex Seneca *l. de Superſtitione*, & hunc *Ep.* 95. Utut autem toleretur inter vivos *Specularis* hæc vanitas, aliquis ferat in ſepulchris hunc luxum? Atqui Noviomagi, ad marginem foſſæ urbicæ, retectô Sarcophagô A. C. 1647. in eo, præter lagenas vitreas tres, duas urnulas vitreas, bullam lucernamque fictilem, *Speculum chalybeum, cujus diameter pollices Romanos* 3. *æquet, parsque averſa leviter concava deargentata, varia parerga habeat*, fuiſſe inventum narrat Joh. Smith. *Ep. ad Nicol. Heinſium*, apud Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 92. Porrò *Specula* ad ornamentum in parietes inſerta, ut videre eſt, apud Plin. *l.* 36. *c.* 26. Vitruvium *l.* 7. *c.* 3. & Senecam *Ep.* 87. ubi *orbes* vocat, ſicut parietum abaci quadrati erant. Sic enim alternatim diſtinguebantur parietes abacorum ſpeculorumque diviſionibus, h. e. figuris quadratis & oblongis prominentibus; unde *ſpecula* & *abaci* juncti paſſim occurrunt. Meminit *Speculorum cubiculi* etiam *Synopſis* Βασιλικῶν *l.* 45. ubi ex argento quoque (qualia primus Praxiteles fecit, Plin. *l.* 33. *c.* 9.) & emblematis non ſecus, ac ſcyphos, decorata, legimus. Quid quòd ad Magicos uſus eadem adhibita, uti ſuprà vidimus in voce *Specularii*. Honeſtiùs in bello uſurpantur, ad damna inferenda hoſtibus, quod concava præſtant *Specula*, quæ radiis oppoſita Solis facilè ignem concipiunt. Sic *Speculô* parabolicô, quô nullum vehementiùs radios hoſce congregat, Archimedes naves accendit Marcelli Syracuſas obſidentis: quem poſteà Conſtantinopoli imitatus eſt Proclus, ut teſtatur Zonaras *Hiſtor. tom.* 3. *p.* 46. Quam Artem jam Homeri ævo non ignotam fuiſſe, colligit Euſtathius ex *Il.* 5. ubi Poeta Diomedis ἀριστείαν deſcribens, ex caſſide ejus clypeoque ignem exiliiſſe memorat: His enim quibuſdam viſus eſt, indigitare, καθάπερ ἐλλά τινα ἔννοιαν μεμηχανῆσθαι τῷ Διομήδῃ ἔν τε τῇ αὐτῇ εἰς εἰκὰς ἀδελφικαὶ καὶ τῇ ἀσπίδι, ὥστε διαυγαζόμενα ἐξ ὕψους τῶν εἰς αὐτὸν βλεπόντων ἐπὶ ἀέναον λάμποντα ἥλιον ἐγερθῆ. Similiter, ut Laberianus habet, apud Aul. Gellium *l.* 10. *c.* 17.

Democritus Abderites Phyſicus Philoſophus,
Clypeum conſtituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut poſſet ſplendore æreô.
Ita radiis Solis aciem effodit luminis.
Malis bene eſſe ne videret civibus.

Cujuſmodi clypeum *Plutarchus* appellat ἔσοπτρα πυρωτήρια, *Specula ignita.* Sed meliùs, meô judiciô, Anthemius apud Euſtat. *loc. cit.* cùm malum haberet vicinum, illum ut à ſe amoliretur, ædes ejus aliquoties *Speculô* tali exuſſit, donec is malum toties repetitum divinitus ſibi immitti credens, alioſum iſſet habitatum. Democritus verò ſimili *Speculô* ſibi ipſi viſum ademit, *Malis bene eſſe ne videret civibus*, vide ſuprà voce *Abacinatus*. Ut alia concavorum *Speculorum* miranda omittam. Ars hæc, quam Latinè *Speculariam* dixeris, Græcis Κατοπτρικὴ dicitur, *cujus ope*, verba ſunt Voſſii, *longè diſſita conſpicimus, longinqua exurimus, imagines in aëre pendulas oſtendimus, imò repræſentamus: Facimus ex pulviſculo montem, ex pilo elephantum, ex humano capite caninum, aſininum, aut ſuillum.* Quæ quomodo fiant, aliaque hujus generis, oſtendit Johannes Baptiſta Portus Neap. *Magiæ natur. l.* 17. Complura etiam perſtringit Hugo Semplius *de Diſciplin. Mathem. l.* 4. *c.* 8. Vide Voſſ. *de Scientiis Mathem. c.* 25. §. 5. & 6. *ubi de Catoptrice*: cui adde, ſi placet, Jac. Oiſelium *Not. in A. Gellium l.* 10. *c.* 18. Meminiſſe tribus ſolùm verbis liceat duplicis *Speculi*, ab uno Artifice, adeò ingenioſè concinnati, præteritô ſeculô, ut quicunque illa inſpexerit, ſua quidem videat omnia, præter vultum, qui Coſmi I. M. Ducis Florentiæ lineamenta exactè ſemper exprimit. Horum unum inter cimelia Galliarum Regis, alterum in theſauro D. Marci Venetiis, aſſervari dicitur. Utrumque magni illius Principis faciem non minùs æternitati tranſmittit, quàm rerum ejus geſtarum Famam eruditionis laude clari Scriptores. De *Speculis* poculorum patinarumque, vide ſuprà in voce *Specilata*; uti de *Speculis cylindraceis plicatilibus*, *de ſpeculis uſtoriis*, aliiſque id genus, Georg. de Sepibus *Deſcr. Muſæi Kircher.* Ubi inter alia *Speculum uſtorium* pergrande cavo convexum, cum congerie plurium ſpeculorum, quorum alia ſpectra in aëre, alia objecta immutata, alia multiplicata repræſentant, alia ſpecies confuſas in pulchram formam (inter quas effigies Alexandri VII.) recolligunt, memoratur. De cujuſmodi *Speculis*, vide quoque aliquid, voce *Optice. it. Proteus*, & infrà *Theatrum ſeptopiricum.*

SPECUS ſeu SPELUNCA, terræ receſſus cavitaſque rupium ac montium eſt, in qua non feris ſolùm ſua receptacula, ſed & integris hominum cœtibus ſua ſunt aliquibus in regionibus (uti primitus olim) habitacula. Unde integras Civitates ſubterraneas Geographi habent, quales fusè deſcribit Gaffarellus *l. de Cryptis totô orbe celebribus.* Vide quoque Athanaſ. Kircherum *Mund. Subterr. l.* 8. *c.* 3. ut & ſuprà *ſuô locô.* Quomodo verò homines in iſtiuſmodi *Specus* & ſubterraneas cavitates fuerint delati, exponit Guil. Neubrigenſis *in Re-volut rer. Anglic. l.* 1. *c.* 27. Potuiſſe nempe id contingere, primò, peſtis bellorumque ſævientium tempore, quô pleriqué homines vitæ ſuæ conſulturi, in abdita quævis antra ſe recipere, & ne ibidem neceſſariarum rerum inopiâ pereant, pecora quoque, panem, ſemina & legumina, aliaque ad vitam neceſſaria, unà ſecum ſubducere ſolent. Sic poſtquam in labyrintho hoc ſubterraneo primi ſe abſconderunt, inde iterum exitu quæſitô fieri potuit, ut magis magiſque ſeſe intricaverint, donec in *Specum* hanc ſeu regionem longè lateque patentem ingreſſi, durâ neceſſitatis lege inibi hæſêre. Quod Judæis etiam in inacceſſis Caſpiorum montium receſſibus concluſis accidiſſe, apud Geographos legimus. Similiter in montibus Hiſpaniæ, tempore Philippi III. novam iſtiuſmodi hominum coloniam detectam perhibent Hiſtoriæ, qui, quô caſu incertum, ſimili haud dubiè occaſione, eò ſe contulerant, & multorum annorum centuriis, ſine alio cæterorum hominum commercio, linguâ ab Hiſpanicâ multum differente, in eum uſque diem ignoti omnibus manſerunt, donec, regione à Venatoribus detectâ, incolæ omni vitæ morumque cultu deſtituti, Regis operâ ad meliorem frugem converſi, jam à cæteris nihil differunt. In Tranſſylvania idem contigiſſe, circa A. C. 900. & è montium iſtiuſmodi mæandris ſimile genus hominum erupiſſe, refert Cran-

Crantzius: ut de Crypta Melitensi, Hetrusca & celeberrima Anglica ista *Wallgates*, i. e. *luporum latibula*, dictâ, nihil addam, de quibus jam alibi. Reliquas nobiliores per Orbem *Speluncas* ex Auctore Anonymo *Histor. Orbis Terr. c.* 7. §. 10. infrà subjungam. Prius tamen aliquid, de sententia illorum, qui Christum ἐν σπηλαίῳ, *in spelunca* quadam, Bethlehemo proxima, natum fuisse docent, secuti Justinum *Dialogo cum Tryphone*. At nemo Veterum præter hunc, Christum extra Bethlehemum fuisse natum, asseruit. Quòd enim apud Eusebium hodie legitur *Demonstrat. Euangelic. l.* 7. *p.* 213. in agro nescio quò natum esse Dominum, turpe exscriptoris mendum esse, ostendit Casaubonus. Pro ἀγρῷ enim, ἄντρῳ legendum, quæ vox, ut & vox σπήλαιον, in hac historia passim occurrunt; Eusebius tamen ἄντρον libentiùs nominat. Σπήλαιον verò Epiphanius *Hær.* 78. *p.* 441. Athanasius *Homil. in Descript. B. Virg. Tomo II. p.* 647. *Menologii* Auctor, mense Decembr. Origenes *contra Celsum l.* 1. Vide quoque Hieronymum *Ep.* 18. *ad Marcellam*, & Bedam *de Locis sanctis c.* 8. Nempe his vocibus stabulum indigitârunt Scriptores isti, ob rationem Casaubono præfato notatam *Exercit. II. num.* 1. ubi, *Stabulum*, inquit, *in quo natus est Dominus, Græci Latinique Patres appellant* σπήλαιον, *speluncam, quia Bethlehem in colle erat sita, unde pleraque domus in saxis excisæ fuisse videntur* &c. Vide quoque Cl. Suicerum *Thesauro Eccles.* voce Σπήλαιον, suprà *Mandrageronte*, ut & infrà aliquid, in *Spelæum*, ubi cryptam sepulchralem, quâ Servator reconditus, eò vocabulò quoque denotari nonnunquam, dicemus: de populis verò à *Specubus*, quas incolebant, nomen nactis, voce *Troglodytæ*.

Specus seu Speluncæ Orbis celebriores.

α. Juxta Anianum lacum, scrobs est mortifera, quam qui ingrediuntur, exanimati repentè concidunt. Vernaculè *Bucco velenoso*, quasi *Antrum venenosum* dicitur: Item *Grotta de li Cani*, quòd antri naturam in cane sæpius experiantur peregrini, Merula *Cosmogr. Part.* 2. *l.* 4. *c.* 13. Prope autem lacus est, in quem iidem canes conjecti, deliquium exuere dicuntur. β. Baumanni *Spelunca* in Germania, à Zeilero describi meruit. Commendat illam lapis inter alia Stalactites, variis Naturæ ludentis figuris ac spectaculis nobilis. γ. Ad Miramontium oppid. Galliæ, crypta est, vulgò *le Cluseau*, ad 5. aut 6. leucas sub terra protensa. In qua atria sunt & cubicula pavimentô Musaici operis strata, & picturæ; fontes item ac fluvii, quorum unus alvei 120. pedes lati, rapidè procurrunt. Ultrà conspicitur longè lateque patens planities, quò tamen progredi hactenus nemo ausus est. Intratur ea non nisi magnò numerò hominum & lampadum, cum aliàs nullum cavernæ, nisi ab introitu, lumen sit, Jodoc. Sincerus *Itinerar. Gall.* δ. Ad *Sasso*, villam in territorio Romano, *Specus* est parva & duorum tantùm hominum capax, Italis *la Grotta delli Serpi*: in qua elephantiacos, leprosos, paralyticos, arthriticos, podagricos, similibusque desperatis morbis laborantes, nudos exponere solent, qui mox halituum subterraneorum calore in sudorem resoluti, serpentum protrepentium & totum corpus implicantium suctu linctuque ita omni vitiosô virulentôque humore privantur, ut repetitô per tempus aliquod remediô tandem perfectæ sanitati restituantur. Kircherus *de Arte Magnet. l.* 3. *Part.* 7. *c.* 4. ε. Sibyllæ antrum, in Marca est Anconitana Italiæ, haud procul Castello D. Mariæ Gallicanæ, immane aliàs & horribile, de quo vulgus fabulatur, hâc ad Sibyllam patere aditum, dominam regni spatiosi, in quo innumeræ gentes versari ac lascivire deprehendantur. Vide Merulam *loc. cit.* ζ. Prope Viennam, in Gallia, *Spelunca* est *perpetuò fumans*, & perpetuis nebulis obducta, in quam Pilatum olim se præcipitâsse tradunt, cujus & alias reliquias, domum, Prætorium, turrim, in qua captivus fuerit detentus, ibidem ostendunt. Jod. Sincerus *Itinerar. Gall. p.* 160. η. Ukiensis, in Anglia, *Specus*, ab *Uki* oppidulo, prope *Welles*, nomen habet: In ea Stalactites lapis, quem Naturæ ludentis spectacula nobilem reddunt, frequens est; quemadmodum de Spelunca Baumanni hic paulo suprà diximus. Ut alia in præsens transiliamus. Cum *Specubus* aliquid commune habent barathri, abyssi, fodinæ, de quibus alibi.

SPECUS Canis, parvus specus Campaniæ, in Italia ad Anianum lacum mortiferum Spiritum exhalans. In quem projecta animalia, statim exanimantur; reviviscunt verò in vicinum lacum conjecta. Baudrand. αὐτόπτης.

SPEDIA, Latino dicitur Liguriæ oppid. quod incolis *Specie* vocatur, uti scribunt *Blondus & Leander*. Vide *Spetia*.

SPEDOTENUM, postea *Spedona*, vicus Galliæ, in Carnutum finibus, proximus Meduntæ castro, non longè à confluentibus Maldræ & Sequanæ, ad Ecclesiam Parisiacam pertinens: vulgò *Espone sur Marne*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SPELÆUM, Græcè σπήλαιον, apud recentioris ævi Scriptores, modò antrum in genere, modò cryptam Ædis sacræ, modò cellulam Monachicam, significat. In Euangelio Joannis *c.* 11. *v.* 38. ubi de Lazari sepulchro, vox σπήλαιον adhibetur, & χθόνιον σπέος, *subterranea specus*, exponitur *Nonno*. Crypta nempe erat subterranea, a lapide impositô clausa, in cujus nudo solo corpora pollincta & involuta linteis reponere genti illi mos erat, jam à vetustissimis temporibus. Namque & *Spelunca duplex*, dicitur Abrahami sepulchrum, in Sacra ejus Historia, h. e. σπήλαιον ἀμφίδυμον, *duplicem habens aperturam*, & ex duabus partibus ingressum. Similiter CHRISTI sepulchrum specus fuit subterraneus lapide structus & cameratus, cum foramine desuper ad demittenda cadavera: unde postmodum occasio sumta Græcis conchas Ecclesiæ construendi &c. Vide de comparatione concharum hujusmodi cum spelunca vel crypta, & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 1288. & *seqq.* nec non supra in voce *Crypta*.

SPELAITÆ, Hercules, Mercurius, & Apollo sic dicti. quòd eorum simulachra alicubi in speluncis colantur, *Steph.*

SPELUGA, vulgò SPLUGEN, insignis Rhætiæ in primo fœdere vicus, teste Willichiô *in Tacit.* per quem iter faciunt, qui Curia in Italiam per Aviculam aut Ursum proficiscuntur. Quibusdam videtur *Curia Tarvesede Antonini*. Huic verò Tarvesede hodie Masium est, in valle S. Jacobi, supra Clavennam; ubi quoque regia erat via, Sprech. *Pallad. Rhæt. l.* 10. Hinc *Splugæ*, vel *Spelugæ* mons, Adulæ proximus, cujus meminit Jovius *l.* 15. Latinis *Ursulus*, vel *Culmen Ursi*, Rhætis *Colmo del Orso*, Germanis *der Ursler oder Splugerberg*, Vigenereo *S. Bernardini mons*, quibusdam etiam *Avicula* dictus. In hoc columnam Julii Cæsaris extare, ait Simlerus *Commentar. de Alpibus*. Ejus ad radicem fluv. oritur Lira, vallem Clavennensem intersecans: cui valli ad Ortum adjacent montes, *Furcula*, & *Sancti Jori*. Johan. Baptist. Plantinus *Helvet. Nov. Antiqua*.

SPELUNCA, Villæ nomen, mare Amyclanum inter Fundanosque montes, ubi nativo in specu os lapsi, repente saxis obruit quosdam ministros Tiberii: cùm Sejanus genu vultuque & manibus super Cæsarem suspensus, opposuit se incidentibus: atque habitu tali repertus est a militibus, qui subsidio venerant. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 59. In Auruncis. Hodie *Sperlonga*; estque castrum tenue regni Neapolitani in provincia Terræ Laboris, in ora maris Tyrrheni prope Fundanum lacum, medium inter Cajetam ad Ortum & Terracinam ac Occidentem 8. utrinque mill. pass. à confinio ditionis Pontific. 4. *Baudrandus* αὐτόπτης.

SPELUNCA, insignis Rhætiæ pagus ad quem rectà in Ortum, alter fons Rheni (*posterior Rhenus* accolis) labitur.

SPELUNCA Loth, in quo inebriatus ille cum duabus filiabus suis concubuit, quarum senior peperit Moab patrem Moabitarum, junior autem Ammon patrem Ammonitarum. Apparet speluncam adhuc ostendi solitam ætate Hieronymi. Est in tribu Juda.

SPELUNCA Matronæ, Græcè τὸ τῆς ματρώνης σπήλαιον, nomen Synagogæ Judæorum nobilis, cujus toties meminit Joannes Chrysostomus *in Orationib. contra Judæos* & Ἰουδαΐζοντας *Christianos*, habitis Antiochiæ, sed & *Homil.* 3. *in Epist. ad Titum*. Fuit illa in loco deliciis famoso *Daphne* dicto, quod Syri tandem & recentiores Græci, propter aquarum scaturigines, *Nero* dixerunt. Vide Casaubon. *ad Capitolin. in Marco. c.* 8. uti de *Speluncis* Mithræ Nymphis aliisque Gentilium Diis consecratis, suô locô.

SPELUNCA Odollam, in tribu Juda, quò se David recepit, fugiens à facie Saulis.

SPENDEROBIS, & SPENDEROVIA, *Antonino Singidunum*, *Sigindunum Ptolem.* Vide ibi.

SPENDIUS, Campanus, inter auxilia Carthaginensia, fortunâ servus, finitô primô bellô Punicô, socios ad defectionem traxit, ingensque in Africa bellum conflavit.

SPERATA, dicta olim Virgo est, nondum in matrimonium petita. Nonius Marcellus, *Inter* Speratam, *Dictam*, *Pactam & Sponsam, hoc interest, quod Virgo, priusquam petatur*, Sperata *dicitur*. Quod tamen ineptè probat e Plauto *Amphitr. Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 44. *Amphitruo uxorem salutat lætus speratam suam.* Cùm in hoc loco pridem ductam uxorem alloquatur Amphitruo, lætus eam, quod *speraverat*, salvam domi reperire. At *Speratæ* voce ita usos Veteres, docet Hyginus *Fab.* 31. *Eurytionem Centaurum occidit, quod Deianiram, Dexameni filiam*, speratam *suam, uxorem petiit.* Et *Fab.* 33. *Hercules intervenit, Centaurum occidit & suam* speratam *abduxit.* Arnobius item *adv. Gentes l.* 4. ubi Deorum amores ridens, *Habent*, inquit, *Speratas, habent pactas & interpositis stipulationibus sponsas.* Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad Stat. Theb. l.* 3. *v.* 172. & Desid. Heraldum *ad Arnobii locum.*

SPERATUS, apud Lamprid. *Commodo*, *c.* 18. *Speratum ad leonem*, nonnullis nomen fuit proprium gladiatoris, quod assumserit Commodus, quem his verbis notari, certum. Salmas. verò legendum conjicit, *desperatum ad leonem*: *Desperatus* autem est παράβολος, quò nomine dicti sunt, qui aliter *Confectores* appellabantur, quod ad bestias pugnarent iisque conficiendis operam locarent, vide eum *ad loc.*

SPERCHEA, vel SPERCHIA, Macedon. promontor. ad sinum Maliacum Ptol. *Phibela* Sophiano, *Comeri* verò Nigro dicitur.

SPERCHIUS, fluv. Thessaliæ, teste Strab. *l.* 8. qui Pindô monte oriens rapidè in sinum Maliacum labitur. Hodie *Agriomela*, vel *Selambria*, teste *Sophiano*. Lucan. *l.* 6. *v.* 367.

> ---- *Ferit amne citatô*
> *Maliacas Sperchios equas.*

Ovid. *l.* 1. *Metam. v.* 579.

> *Populifer Sperchius, & irrequietus Enipeus.*

Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 487.

> ----- ----- *O ubi campi,*
> *Sperchiusque, & virginibus bacchata Lacænis*
> *Taygeta.* ----- -----

Statius *l.* 4 *Theb. v.* 838.

> *Sperchiusque minax, Centaureusque Lycormas.*

Idem *in Achilleide, l.* 1. *v.* 239.

> *Et tenuis Sperchius aquis, speluncaque docti*
> *Muta senis.* --- ---- -----

Homer. *Il.* π. *v.* 174.

> Υἱὸς Σπερχειοῖο, διϊπετέος ποταμοῖο.

Idem *ibidem v.* 176.

> Σπερχειῷ ἀκάμαντι γυνὴ θεῷ εὐνηθεῖσα.

Sophocles *in Philoctete*:

> Τραχινίαν τε δειράδα καὶ τὸν ἀγχοῦ
> Σπερχειὸν ὄχθοις.

Nic. Lloyd.

SPERLINGA, urbs Siciliæ, quæ, totô Regnô deficiente à Gallis, horumque ingenti numerô Vesperis Siculis occisô, sola in Gallorum fide permansit: cujus in rei memoriam portæ ejus versus iste inscriptus est:

> *Quod placuit Siculis, tantùm* Sperlinga *negavit.*

Georg. Hornius *Orb. Imper. cum Notis L. Joach. Felleri p.* 185.

SPERMATOPHAGI, populus in extrema Ægypto post Meroën. Strabo *l.* 16.

SPERMOLOGI, Græcè Σπερμολόγοι, dicti olim Atheniensibus, abjectissimi homines, qui Forum & Digma oberrantes, si quid è mercium oneribus, ut fit, excideret, avium σπερμολόγων more, id legebant, hócque quæstu se sustentabant: inde ad alios quoscunque vilissimæ conditionis homines voce translatâ. Hinc Paulus Apostol. Athenis σπερμολόγου convitiô affectus, Actor. c. 17. v. 18. de quo vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* in hac voce.

SPERONIUS Spezo, Patavinus, Philosophus celebris, docuit in patria annos 64. missus Venetias à civibus suis, ingentem inde laudem retulit. Romæ, interrogatus à quibusdam Cardinalibus, quid sibi velint hæ literæ portæ Palatii Papalis insculptæ, M. CCC. LX. respondit, *multi cæci Cardinales crearunt Leonem decimum.* Obiit A. C. 1588. seculi sui decus, ætat. 89. Scripsit varia, enarrata in *Elogiis* Teisserii Part. 2. Vide quoque Thomasinum *Elog.* J. Matth. Toscan. *Peplo Ital. l.* 4. Riccobonum *Vita ejus* &c.

SPES, ut Dea à Romanis est culta, cujus ædes fuit olim in foro olitorio, Livius *l.* 1. *Decad.* 3. posteà fulmine incensa. Ejus effigies, in Adriani Imperatoris aureo numismate, conspicitur: Fœmina fuit stans, indutæ laciniam sinistrâ manu nonnihil attollens: dextera in cubitum elata pateram proferebat, in qua repositum inerat velut ciborium, i. e. vas in floris similitudine, cum hac inscriptione *Spes* P. R. Quidam etiam *Spem* Deam viridi inductam pallio, effinxerunt, & sedentem supra dolium cum cornice. *Moretius* duo ei templa Romæ sacra fuisse docet. In Pandoræ pyxide solam remansisse fingitur *Hesiodo.* Vide Giraldum *Syntagm.* 1. Balduinum *Iconol.* Templum ejus incensum scribit Dio *l.* 50. ante bellum Actiacum; cum aliis plerisque ædificiis, quod Libertorum operâ factum plurimi crediderunt. Effigiem ejusdem, quasi fœminæ stantis, sed alterum flectentis genu, atque utramque expandentis manum, tanquam Fidei, quæ ibidem expressa, extentam manum conantis amplecti, in veteri lucerna exhibet Fortun. Licetus *de Lucernis Antiqq. l.* 3. *c.* 13. Apud Lamprid. *in Heliogabalo, c.* 13. *horti Spei veteris* memorantur, ad quos Heliogabalus secessit, cum contra Alexandrum, qui posteà Imperator factus est, varia machinaretur. Et in Urbis descriptione antiqua, apud Onuphrium, *Spes Vetus* nominatur regione quintâ Esquilinâ, ad quam ædem videntur hi horti fuisse. Certè *Spem* Deam coluêre Romani, jam inde à Collatino consecratam, in Foro Olitorio, ut constat ex Livio & Cicerone: posteà plures ei ædes positæ sunt. Casaubon. *ad Lamprid. loc. cit.* Vide etiam suprà, voce *Helpis.*

SPETIA, urbecula munita ditionis Genuensis, In ora maris Ligustici, cum sinu adjacente *Golfo della Spetia.* Aliàs *Lunensi* dicto, 7. milliar. à Serezana in Circium uti à Lunæ ruderibus, 14. à portu Veneris in Boream, Brumatum versus 21. *Leander & Blondus*, aliàs *Spedidam* dictam scribunt.

SPEUSIPPUS, Philosophus Atheniensis, Platonis ex Potona sorore nepos, qui 8. annos Platonicæ scholæ præfuit. Ferunt hunc seniô confectum sibi mortem conscivisse, mœrore impulsum. *Plut.* verò scribit, illum pediculis effervescentibus interiisse. De cujus libris vide Diogenem Laërt. *l.* 4 *vit. Philosoph.* & Gellium *l.* 3. *c.* 17. Docuit mercede, quod & exprobratum ei à Dionysio. Et sanè pecuniæ erat amantior; ut indicio quoque est, quòd ad Cassandri nuptias se contulerit, spe mercedis pro versibus a se conscriptis, sed ineptis, frigidisque, ut censet Philostratus *in Apollonio.* Vide de eo Laërtium, qui *vitam illius* descripsit. Supersunt Speusippi *ὅροι*, sive *definitiones*, quas *Ficinus* vertit.

SPHACTERIA, confinium Eleorum versus Messenen, sic dictum quòd illic Heraclidæ, mactatis hostiis, amicitiæ & concordiæ pacta inierint. Est etiam insula quædam, cujus meminit Pausan. *l.* 5. aliter *Sphagia* dicta. *Stephan.* ante Pylum, cui portum facit. Fortè eadem cum *Sphagia.*

SPHÆRA, Anaximandri inventum. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Astrologiam* (invenit) *Atlas Libyæ filius* —— Sphæram *in ea Anaximander Milesius.* Quæ secundùm Laërtium *l.* 2. *c.* 2. fuit *Sphæra solida* seu *materialis.* At Salmasius verba Plinii interpretatur sic, quòd Anaximander primus intellexerit cœlum esse σφαιροειδῆ, imò αὐτόχρημα σφαῖραν, probatque id ex ejusdem *l.* 2. *c.* 8: ubi idem inventum ab aliis Atlanti tribui, docet. *Solidam* verò *Sphæram* plerique Veterum Archimedis inventioni adscribunt. Unde Ovid. *Fastorum l.* 6. *v.* 277.

> *Arte Syracosiâ suspensus in aëre clauso*
> *Stat globus, immensi parva figura poli:*
> *Et quantùm à summis, tantum secessit ab imis*
> *Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.*

Ubi globum vocat sphæram illam σφαῖραν, sicut hodieque eam appellamus: Prolixè eam versibus describit *Martianus Capella.* Fuit autem illa vitrea, unde terra in medio globi librata ac suspensa facilè perspici poterat: quod in cæteris solidis sphæris, quæ ex alia materia concinnantur, fieri nequit. Hinc de ea Claudian. *Epigr.* 26. *v.* 1.

> *Jupiter in parvo cùm cerneret æthera vitro &c.*

Sed præter ista nec circulos illa tantùm & sidera, & quidquid in cœlo est, habuit imitatione expressum, verùm etiam motus ipsos cœlestes, siderumque ortus & occasus, pari lege ac disciplinâ repræsentavit, ut idem *Epigramma* Claudiani docet, *v.* 7.

> *Inclusus variis famulatur spiritus astris,*
> *Et vivum certis motibus urget opus &c.*

Cùm hodie seorsim globi terrestres fiant & cœlestes, uti nocum. Alia à Sphæra solida illa est, quam Veteres, κρικωτὴν σφαῖραν, Galli absolutè nunc *Sphæram* vocant: Hæc solos habet circulos, in quorum medio terra instar puncti ex grano aliquo rotundo effigiata cernitur. *Armillarem* vulgò appellant, minùs aptè; meliùs *Annularem* vel *Circitarem* dicerent; cujusmodi Sphæras ex ære potissimùm olim fieri solitas, idem *Martianus* præfatus docet. Ut verò ad Archimedem paucis redeam, fuerit *Sphæra solida* eô antiquior, & Anaximandrum aut Atlantem auctorem habuerit, ejus tamen is inventor fuit, quæ rationibus mechanicis cum cœlo moveretur. Idem περὶ σφαίρας καὶ κυλίνδρου librum edidit, qui cùm, inter reliqua ejus opera, nobilissimus ac subtilissimus haberetur, monumento ejus columella imposita legatur, cum *Sphæra* cylindrique figura, apud Cicer. *Tusculan. l.* 5. *c.* 23. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 822. & *seqq.* De *Sphæra* verò ingeniosa *Posidonii*, cujus similitudine Deum Mundi Conditorem ac Rectorem esse, Lucilius apud Ciceronem probat: item de *Sphæra Sacerdotum Ægyptiorum*, ad unitatem Dei ac Mundi demonstrandam, efficaci, Tob. Pfannerum *System. Theolog. Gentilis purior. c.* 2. §. 16. *c.* 5. §. 3. Vide quoque Cicer. *de Nat. Deor. l.* 2. *c.* 30. & Jo. Seldenum *de Diis Syris, c.* 3. ⊗. *p.* 68. & *seqq.* Nota compendiaria *Sphæra* apud Veteres fuit ut videre est apud eundem Salmas. ubi suprà *p.* 1238.

SPHÆRIA, insula Trœzeniorum in sinu Argolico, adeo littori propinqua, ut aliquando siccis plantis adeatur, quæ & *Hiera*, i. e. Sacra dicitur, Pausan. *l.* 2.

SPHÆRISTERIUM, septima Gymnasiorum veterum pars, locus erat, ubi τῇ σφαίρᾳ sive *pilâ* exercerentur: inter Palæstram, partem sextam, & locum, inter porticus & muros, seu partem octavam, ubi currebatur. Licèt enim à Vitruvio, in descriptione Gymnasiorum præteritum fuerit, in iis tamen fuisse, prolixè probat *Budæus*: quinimo, & in Gymnasiis particularibus hortisve, unà cum aliis, fuisse extructum, docet Plinius Jun. *l.* 2. *Ep.* 17. ubi villas suas describens, Laurentinum & Tuscos, in utrisque *Sphæristerium* ponit, quod plura exercitationis genera pluresque circulos caperet. Sic, apud Ulpianum *leg.* 16. *ff. de mandat.* Aurelius Quietus hospiti suo Medico mandâsse dicitur, ut in hortis ejus Ravennatibus, in quos omnibus annis secedere solebat, *Sphæristerium* & hypocausta, & quædam valetudini ipsius apta, suâ impensâ faceret. Unde quoque facilè conjicitur, in *Sphæristerio*, pilæ quidem inprimis exercitia; sed præter hæc alias quoque exercitationes fieri consuevisse: quod & Suetonius suggerit, cùm *Vespasianum fauces cæteraque membra sibimet ad numerum* in iis *defricuisse, c.* 20. tradit. Dicitur autem pilæ lusum reperisse primus Pythus, ut est apud Plinium *l.* 7. *c.* 56. qui tamen in aliquibus libris, ut Chiffletiano codice, *Picus* appellatur. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. l.* 1. *c.* 9. & hic infrà, in voce *Sphæristica.*

SPHÆRISTICA, Græcè Σφαιριστική, una ex tribus Saltationis Gymnasticæ, veteribus usitatæ, speciebus, à Milesiis quidem damnata legitur, teste Eustathiô Od. Θ. quia Athletæ in coronariis certaminibus sæpius præmium adepti, pilæ lusum ad nullum eorum quicquam conferre conferent; unde nec inter sacros fuit Agones, qui Olympiæ, Delphis, Corinthi aut Nemeæ fervebant, cum valetudini solùm conducere, non item, ad sacros agones vel ad rem bellicam, crederetur. Ab Atheniensibus tamen tanti habita est, ut Alexandrum Carystium *Sphæristam* civitate donaverint, ac statuam etiam in ejus memoriam constituerint, Eustath. *ubi suprà.* Hæc Homeri temporibus simplicior cùm esset, posterioribus seculis tantam varietatem acquisivit, ut & ipsa in Gymnasiis, tam locum, *Sphæristerium* dictum, de quo modò; quàm Præfectum, *Sphæristicum*, Græcè Σφαιριστικὸν vocatum, habere meruerit. Erat hic eorum, qui pilâ ludebant, institutor ac veluti Pædotriba, qui secundùm Galenum *de tuenda valet. l.* 2. omnem pilæ jactum, exceptum, repulsumve callebat &c. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 2. *c.* 4. *toto*, ut & *cap. seq.* & suprà in voce *Pila*: cujus lusum ad cursum & saltum refert, nec crura solùm exercere, sed etiam lacertos, imò omnes corporis partes, ipsos etiam oculos, ostendit Voss. *de Gymnastica c.* 3. §. 57. qua de re abunde Galenus *l.* περὶ σφαίρας. Idem certamen Græcis Σφαιρομαχία dici, sed ambiguô vocabulô, quia similiter appellabatur Pugilum certamen, quibus *Sphæræ* pro cæstibus, docet præfatus Vossius §. *seq.* ex Polluce *l.* 3. *c. ult.* Certè, ut *Sphæra* est *Pila*, *l.* 16. *ff. mand.* & apud Plinium Jun. *l.* 2. *Ep.* 17. & *l.* 5. *Ep.* 6. ita pro certamine ipso *Sphæromachia* est, apud Senecam *Ep.* 80. *in limine*, *Omnes molestias ad Sphæromachiam avocavit.* & Statium *Præfat. ad Sylvarum l.* 4. *Sphæromachias spectamus, & pilaris lusio admittitur.* Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 5. *c.* 1. Vide quoque hic infrà.

SPHÆROMACHIA, apud Papinium Statium *Epist.* præmissâ *l.* 4. *Sylv.* 1. *Exercere autem jocos non licet? sic secreto, inquit. Sed & Sphæromachias spectamus, & pilaris lusio admittitur. Est pugna pilaris, à lusione distincta*: quæ qualis fuerit, satis enarrari, Veterum istiusmodi concertationibus atque exercitiis abolitis, vix potest, Barthius *ad loc.* Vide Phil. Beroaldum *Annotat. l.* 2. *c.* 8. P. Fabrum

Agonistic. l. 1. c. 6. Just. Lipsium & Jan. Gruterum *Not. ad Senecam Ep.* 80. J. Savaronium *ad Sidonium* l. 5. *Ep.* 17. &c. nec non supra in voce *Pila*, item *Pugil* & *Sphæristica*.

SPHÆROPOEIA, Græcè Σφαιροποιΐα, pars Mechanices, de qua supra.

SPHÆRUS Bosporanus, Historicus, discipulus Zenonis Cittiæi, ut & Cleanthis postea. Floruit sub Ptolemæo Euergete, scripsitque de Philosophis Eretriensibus, quorum caput Menedemus, &c. Diogen. Laert. *l.* 7. *vita Phil. in Zenone & Cleanthe.* Voss. *Hist. Græc. l.* 1. *c.* 16. & Jonsius *de Script. hist. Phil. l.* 2. *c.* 6.

SPHAGÆA, oppid. agri Laconici, *Xenoph.*

SPHAGIA, insul. Peloponnesi in sinu Messeniaco inter Pylon urbem & Protem insul. in Boream. *Sapientia Sophiano.* Non unica, sed triplex est.

SPHAGITES, promuntor. Scythiæ, *Stephan.*

SPHECEA, Cyprus olim sic dicebatur, *Steph.* Item Eubœæ civitas. *Lycophron.*

SPHENDALE, vicus in tribu Hippothoontide, *Steph.*

SPHENDOSTABLUS, vide *Suatojuus.*

SPHENOPOGON, Græcè Σφηνοπώγων, inter Comica Senum genera olim fuit, h. e. *cuneatâ barbâ insignis*: quem ejusdem operæ cum Hermonio fuisse, docet Scaliger. Sed & Nuntius in Tragicis sic dictus, eidem *Poetices l.* 1. *c.* 14. & 16. ubi *de personis Comicis Tragicisque.*

SPHENOSTATICA, pars Statices, de qua suô locô.

SPHERUS, vel SPHÆRUS 16. Allyriorum Rex, regnavit ann. 20. *Euseb.*

SPHETIA, vulgô SFETIGRADO, & Turc. *Sfetige Leunclav.* oppid. Albaniæ, proximum Dibræ, 10. mill. pass. ab ea, 60. à Croja. *Oxypyrgium Græcis. Sophian.*

SPHETTUS, vicus in Acamantide tribu à *Sphetto* Trœzenis filio: Inde *Sphettius. Stephan.*

SPHINX, monstrum ex Typhone & Echidna natum, uti tradit Hyginus *Fab. Poet.* 151. caput & faciem habens puellæ, alas vero avium, reliquô corpore canis referens effigiem. Sedem habuisse dicitur in Sphingio monte, qui *Sphicium Lycophr.* juxta Thebas, atque inde in viatores impetum facere solebat. Qua de re cùm Apollo consuleretur, non alium tanti mali finem esse respondit, quam si quis Sphingis ænigma dissolveret. Id autem erat hujusmodi. *Quodnam id esset animal, quod mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset?* Quod cùm plurimi frustra conati dissolvere, à Sphinge essent interempti, Creon, qui id temporis Thebanis imperabat, edictô per Græciam universam promulgatô, Jocastam sororem suam Laji viduam uxorem se ei daturum pollicitus est, qui Sphingis ænigma dissolveret. Cujus rei famâ excitus Oedipus, hunc in modum ænigma interpretatus est, ut hominem esse diceret, qui in infantia manibus & pedibus repens verius quàm incedens, quadrupes esset. Deinde in medio juventæ robore, ut est, bipes dici posset: Ingravescente autem ætate, assumptô scipione, tripes deberet judicari. Quam ænigmatis solutionem tam ægrè illa dicitur tulisse, ut protinus sese de saxo præcipitans, fregerit cervices. Sed hæc fabulosa esse constat. Revera enim Sphinges, teste Diodoro *l.* 14. ex simiarum genere sunt, comis villosis, mammis prominentibus, formâ haud dissimili ab eâ, quâ pinguntur, sed paulo pinguiores: naturâ autem mansuetâ, pluribus exercitiis, disciplinisque aptâ. Palæphatus autem *Fab.* 7. hanc fabulam ex Cadmi historia ductam putat, qui, cum uxorem haberet, nomine Sphingen, ex Amazonum genere, unà cum ea Thebas pervenit: ubi, occisô Dracone rege, Thebarum regnum invasit, Harmoniamque insuper Cadmi sororem matrimonio sibi conjunxit. Quam rem Sphingem tam ægrè tulisse ferunt, ut relictô virô, cum plerisque eorum, quos secum è patria adduxerat, Sphingium montem occupârit, indeque quotidianas in Thebanos fecerit excursiones, donec Oedipus, regis promissis excitus, montem noctu occupavit, Sphingemque nihil tale suspicantem de medio sustulit. Vide Nat. Com. *l.* 9. *c.* 18. Statius *l.* 1. *Theb. v.* 66.

— *Si Sphingos iniquæ*
Callidus ambages te præmonstrante resolvi.

Tabula Cebetis: [illegible] Vide Vossium *in Sphinx. Nic. Lloyd.* Cæterùm Minervæ insigne fuit, quam in galea ea gestâsse dicitur. Pausanias *in Atticis, In eo vero templo, quod Parthenona appellant, ex ea parte, qua Aquilæ dicuntur, signa posita sunt ad Minervæ natales attinentia: In postico, Minervæ & Neptuni de Attica certamen. Deæ signum ex ebore & auro factum: in galeæ cono Sphinx eminet.* Vide Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 14. *ubi de Sphingibus in lucerna Minervæ, multa præclara habet.* Eandem Palladis hastæ subjectam visi, quô innuatur, nihil tam abditum esse, quod ingenii acie non possit erui, omnesque strophas ac argutias nullô à Minerva negotiô dissolvi posse, docet Pierius Valerianus *Hieroglyph. l.* 6. Sed & in *Sai* urbe Ægyptia, ubi Minerva colebatur, pro ejus templis *Sphinges* appositas fuisse foricas, eô quod Deorum sacra mystica esse & ænigmatica conveniret, diximus ex Giraldo *Syntagm.* 110. exque modô laudato Pierio, qui, *Porro*, inquit, *Sphinges in Ægyptiorum templis hieroglyphicè admonent, mystica dogmata præceptaque & institutiones sacras, per ænigmatum nodos, à profana procul multitudine inviolata custodiri debere, & in arcanis tractari, cujus ergo taciturnitatis effigie hujus, tabellas & literas signare diu delectatus est Octavianus Augustus; quam postea repudiavit, ejus inde, felicis omnis causâ, Alexandri imagine.* Quod Clem. Alexandrin. *l.* 5. *Strom.* fusè confirmat. Et certum est, ne Sacrorum interiora in vulgus publicata vilescerent, sacro Silentio illa fuisse ab Ethnicorum Theologis involuta, ut docet nos Justinus M. *Orat. ad Gentes*, Clemens Alex. *Protrept.* Lucianus *tom.* 3. *de Sacrif. sub fin.* Pythagoras apud Laertium, ut & Stilpo ac Chrysippus: Plato *in Theæteto*, & *Ep.* 2. *ad Dionys.* Seneca *Hercule Fur. Actu* 3. *Sc.* 2. aliique, & diximus de hac re aliquid suprà, in voce *Silentium*. Itaque aut omnino de talibus in publicum silebant, aut, si quæ dicerent, ea verborum involucris sensus suos tegebant, ut nisi a mystis seu initiatis eos haud ita facilè deprehenderent: ut videre est apud Laërtium Pherecyd. & *Heracl.* Justinum Martyrem *loco cit.* & Clem. Alexandrin. similiter ubi suprà, apud quem sic Interpres: *Ægyptii non quibuslibet ea, quæ erant apud ipsos, committebant mysteria, neque rerum divinarum cognitionem deferebant ad profanos, sed ad eos solos, qui erant ad Regnum perventuri, & ex Sacerdotibus, iis, qui judicati fuerant probatissimi, & educatione, & doctrinâ & genere.* Licetus verò, non tam arcanorum taciturnitatem, per Sphinges istiusmodi pro foribus Templorum seu in Pronais positas, fuisse indigitatam existimat, quam modum hæc dogmata tractandi ænigmaticum, ut iis major veneratio & hominibus plus industriæ in sacris illis rimandis accederet, adhibitum. Ita enim is *de Gemmis Annular. Schem.* 47. *c.* 144. *Ista sacra præcepta per ænigmata tradebantur, tum quia veneratione digna essent ac admiratione: tum, ut per eorum obscuritatem exerceretur hominum fides, quæ certa credulitas est rerum apparentium. Ita sane Legem divinam Prophetæ passim per ænigmata promulgarunt, & ipse Dei Filius homo factus, per parabolas eam edocebat. Quare Sphinges apposita templis Ægyptiorum, non taciturnitatem atque silentium Mysteriorum sacrorum indicabant; sed eorundem venerationem, tanquam admirabilium, & certam credulitatem atque fidem, velut à Deo provenientium adeoque propriam & præstantem observationem &c.* Et facit huc, quod *Sphinx* interficere dicta sit eos, qui proposita ab illa dogmata non intelligebant; quô indigitatum, homines divina præcepta non audientes eaque negligentes ac non observantes, à vindice Deo, per monstra barathri necari atque in abyssum miseriarum profundumque calamitatum, ab infernali *Sphinge*, Justitiæ divinæ ministra demergi, cujus rei simulachrum apertè spectandum exhibet Licetus *Schem. præf.* ubi in gemma *Sphinx* exhibetur hominem arreptum apprehensumque medium in aquarum lacum amplissimum demergens. Quod verò de Sigillo Augusti Pierius dixit, de eo sic Plin. *l.* 37. *c.* 1. *Divus Augustus inter initia Sphinge signavit. Duas in matris annulis jam indiscretæ similitudinis invenerat. Alterâ per bella civilia, absente eô, amici signavêre Epistolas & Edicta, quæ ratio temporum nomine ejus reddi postulabat, non infacetô lepore accipientium, ænigmata afferre eam Sphingem. Quin etiam Mæcenatis Rana, per collationem pecuniarum in magno terrore erat. Augustus posteà, ad evitanda convicia Sphingis, Alexandri M. imagine signavit.* Vide plura apud memoratum Licetum *passim*, inprimis autem *Schemate seq.* 48. Cæterum, quæ Σφίγγες Græcis & [illegible], *Spinturnicia* Latinis dicta esse, docet Salmas. productô genitivô [illegible]: sicut ex ὄρτυξ, ὄρτυγος, factum est Latinè *coturnix*; vide eum *ad Solinum p.* 377. & infrà in voce *Spinturnicium*: Plura verò de *Sphingibus*, apud Car. Paschalium *in Coronarum libb.* Casp. Barthium *ad Statium passim*, Buchart *Hierozoici Parte poster.* Alios: ut & suprà aliquid voce *Nilus*, ubi incrementa ejus hujusmodi statuis significari inter alia consuevisse, vidimus.

SPHINX Mystagoga, seu *Diatribe de Numia hieroglyphicata*, ex Ægypto in Galliam non ita pridem translata, hieroglyphicorum, quibus inscribitur, explicationem continens; titulus libri est, auctore Athanas. Kirchero editi, Amstelodami A. C. 1674.

SPHODRIADES Spartanus, dux constitutus, elati ac prærupti ingenii vir, persuasus à Cleombroto, sine scitu Ephorum, noctu Piræea cum decem millibus militum occupare conatus est. Sed cùm propositô suô excidisset, in Concilio Græcorum, eô nomine accusatus, annitentibus Regibus Lacedæmoniis, absolutus est, Olymp. 100. anno 4. Diodor. *l.* 15.

SPHONDYLUS, vide *Spondylus.*

SPHRAGIDIUM, antrum Nympharum in vertice montis Cithæronis in Bœotia, Pausan. *l.* 9.

SPHRAGIS, apud Plin. *l.* 37. *c.* 8. *nec diversæ* (gemmæ) *quas* Sphragidas *vocant, publico harum gemmarum dominio iis tantùm dato, quoniam optimè signent*: gemmæ nomen, è sardæ generibus. Hic enim primus & vetustissimus apud Græcos usus istiusmodi minoris formæ lapillorum fuit, ut sculperentur & auro includerentur, digitôque gestarentur ad signandum; unde gemma propriè σφραγὶς est dicta. Inde & *Hesychio* vox non pro gemmæ signo, sed pro gemma qualibet, & lapide annulari ad signandum cavato, sumitur. Cujusmodi gemmarum statam certamque fuisse magnitudinem hinc discimus, quòd sardæ quoddam genus, quæ paulò amplior esset, [illegible] diceretur, quasi duplicis σφραγῖδος magnitudinem haberet. Hinc σφραγιδοφύλαξ, quæ [illegible] aliàs, *cosfrigillum* est, pala annuli: quod gemmam conclusam cohiberet & adservaret, sic dicta. Sed & Σφραγὶς simpliciter dicta Lemnia terra, à signo Dianæ illis impresso, vide suprà. Annuli quoque pala, quæ rotunda & cava erat, ut gemmam insertam teneret. *Hesych.* [illegible], ἡ σφραγίς. Et hinc de vestium ocellis: quemadmodum Hebræi quoque palas annulorum & vestium clavos, plumas seu ocellos, eodem nomine appellârunt. Idem *Hesych.* σφραγῖδες αἱ ἐπὶ τῶν δακτυλίων, καὶ τὰ τῶν ἱματίων [illegible]. Diversi ab his erant clavi quadrati, quos *tesseras* Latini, & *tabulas* recentiores, Græci [illegible] dixêre. Item orbiculi pantherarum apud Oppianum, *breves in candido macularum oculos* vocat *Plinius.* Qua de re vide Salmas. *ad Solin. passim, ad Vopiscum in Carino, c.* 20. & suprà ubi de *Annulis*, *Clavis*, *Plumandi Arte* &c. uti de phrasi, *Sphragitidas accipere*, usurpatâ Prudentio *in Romano Martyre*, suprà eâdem voce *Consignatus*.

SPHYROMACHIA, vide suprà *Pugil.*

SPICA, corpus est ex granis ordine dispositis & aristis constans, ex Græco στάχυς, Æolicè στάχυς, unde Latinum *spicus*, ita enim Veteres primò enuntiârunt, quæ posteà *Spica* dicta est. *Servius,*

Dicimus autem & hic spicus, & hoc spicum. Propriè de frumento, inde de croco, quod *Spicam Cilissam* vocat Ovidius, *l. 1. Fast. v. 76.*

Et sonet accensis spica Cilissa focis.

Quoniam in eo fila lutea de medio surgunt, quasi quidam mucrones vel cuspides, quæ tanquam in *spica* aristæ, Græci [illegible] vocant. Eandem prorsus ob rationem Indica nardus *Spica* accepit nomen: Radix enim illa quidem, sed quæ caulem è solo erigat, aliquando plures, multis capillaceis ac densis foliis, instar aristarum, obsitos: quod a Veterib. quibusdam proditum historia recens comprobavit, vide Garciam *de Aromatis l. 1.* Hinc Auctor Carminis *de Phœnice, v. 87.*

Hu addit teneras nardi pubentis aristas.

Sunt autem hæ aristæ in nardo folia ipsa, quæ tenuia admodum in acumen desinunt, qualia Græci [illegible] appellant. Inde [illegible] dixit Meleager; & malè in nardo spicam à folio distinxit Plinius *l. 12. c. 12.* Sed & infimæ Græciæ [illegible] absolutè, h. e. *Spica*, nardus dicta est: quâ cum vescantur capreæ Thibetienses, moschum hinc optimum inde afferitur, ut infra videbimus. A *Spica* hac *Spicatum* unguentum, multo olim in usu apud Romanos, de quo vide Salmas. *ad Solin. p. 1065.* Porro à *Spica*, *spicea* corona dicta est, de qua mox: item *spicatæ faces*, quæ lignum minutatim concisum habent in tenues astulas, veluti aristas, quæ *spicæ* formam reddunt. Gratius, v. 484. *Cyneget.*

Spicatasque faces ferre ad nemora alta Dianæ.

Apud quem, ut & Virgilium, *l. 1. Georg. v. 292. inspicare faces* non est acuere, sed in multas aristas concidere. Cujusmodi facum in Sacris, Nuptiisque Veter. usus fuit, uti suprà diximus. Vide quoque voce *Frumentum*, it. *Quercus*: uti de telo inde nomen adepto, voce *Pica*, it. *Sibyna*, & *Spiculum*: nec non ubi de *Virgine*, uno ex XII. Zodiaci signis, cujus insigne *Spica*. Vide hic infrà.

SPICA, signum in cælo oriens, in Virginis parte 10.

SPICA, Gall. *Espi*, Ordo militaris Britanniæ, à Francisco I. Duce institutus; cujus symbolum *A ma vie.* Vide Argentræum *Histor. de Bretagne.* Favin. *Theat. d'honneur & de Cheval.* Moter. *Dict. Hist.*

SPICEA Corona, Cereris olim fuit. Unde apud Aristidem *Eleusin.* Hercules & Dioscuri, qui primi fuerant initiati sacris Cereris, & agone gymnicô apud Atticam Eleusinem defuncti, istiusmodi coronamentô insigniti leguntur. Ipsaque inde [illegible] dicta est, inventis frugibus id honoris merita. Meminit disertis verbis *Coronæ spiceæ* Horatius *Carm. Secul. v. 29.* de Cerere loquens,

Fertilis frugum, pecorisque tellus
Spiceâ *donet Cererem* coronâ.

Vide quoque Tibullum *l. 1. Eleg. 1.* Ovidium *Fastor. l. 4.* & *Met. l. 10. Alios.* Eodem facit, quod Plut. de Eumene memorat. Vidit is per quietem duos Alexandros, paratos secum invicem pugnare, quorum cùm alteri Pallas, alteri Ceres faveret, hic victor extitit & coronâ è *spicis* a Dea coronatus est. Quare Eumenes posterâ die, auditô hostibus signum esse, Palladem & Alexandrum, signum & ipse dedit, Cererem & Alexandrum, omnesque non milites solùm, sed & ipsa arma similiter coronari jussit, atque hôc pactô, velut victoriæ certus, in campum descendit. Sed & Isis Ægyptia *spicis* coronatur, apud Tertullian. *de Cor. Mil. Prima Isis reperta spicas capite circumtulit.* Juno item [illegible] Argis, apud Etymolog. in *voce hac.* Nempe Juno hæc eadem cum Iside, nec Isis à Cerere diversa, uti suô locô diximus. A Cerere transiit corona hæc ad Romulum & Sacerdotes Arvales, qua de re sic Plin. *l. 18. c. 2. Huic certe ab Acca Laurentia* ----- *spicea corona, quæ vitta albâ colligaretur, in Sacerdotio pro religiosissimo insigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona. Honosque is non nisi vitâ finitur* &c. Cæterùm boni semper ominis habita est: unde sub Claudio Principe Equiti cuidam Romano crimini data est *nocturnæ quietis species objecta, tanquam vidisset Claudium spicea corona evinctum, spicis retro conversis; eaque imagine gravitatem annonæ dixisset*, uti refert Tacit. *Annal. l. 11. c. 4.* Vide Car. Paschalium *Coronar. l. 4. c. 13. l. 7. c. 15.* & suprà ubi de *Cerere.*

SPICILEGIUM, inter pauperum apud Hebræos privilegia, vide suprà *Pauperes.*

SPICULUM, à *spica* similitudine sic dictum, teli genus apud Romanos fuit, idem Dempstero cum hasta & sparo. Quod enim C. Nepoti *in Epamin. c. 9. Sparum seu us*, id Valerio Maximo *l. 3. c. 2. ex. ext. 5. Hasta*; Ciceroni verò *l. 5. Famil. Ep. 12. Spiculum* dicitur. Vide quoque suprà *Pilum.* Hinc *Speculatores* vocati Principum satellites, à gerendis videl. *Spiculis*, quorum mentionem facit Corn. Tacitus *passim.* Apud Marcum *c. 6. v. 27.* ubi de Johanne Baptista in carcere Herodis jussu decollato, [illegible] legimus, voce Latinâ corruptâ, & *i.* in *e.* mutatô, sicut pleraque alia repetiuntur, ut [illegible], *legio*, [illegible], *quadrans*, [illegible], passim in Novo Test. Beza *Notis ad Matth. c. 5. v. 26.* A *Speculatoribus* caligam habet *Speculatoriam*, apud Sueton. *Caligula*, sicut Baysius emendavit, *c. 52.* Ubi tamen sunt, qui *Speculatoriam* retinere malunt, de qua voce *suprà*: uti & *Speculatores.* Neque verò Satellitum solùm, sed & Heroum gestamen *spicula* fuêre, & quidem bina, quæ manu solebant ferre, uti de Messapo, apud Virgil. *Æn. l. 12.* de Gallis, apud eundem *l. 8.* de Polynice, apud Papinium *Theb. l. 4. v. 86.* & *l. 5. v. 234.* de Penthasilea, apud Q. Smyrnæum *l. 1.* &c. legimus. Idem mos pilorum in Militia Romana, uti docet *in ea* Lipsius *l. 3. c. 4.* De *Spiculo* Herculis in acum crinalem verso, vide Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c. 4.* & suprà, ubi de *Acu crinali*, it. voce *Sibyna.*

SPICULUS, gladiator Rom. cui Romani statuam subjectam statuæ Neronis posuerunt.

SPIEGELIUS, Jacobus, vide *Jacobus.*

SPIERA Franciscus, Citadella, oppidô Patavini agri, oriundus, homo forensis & causidicus apprimè exercitatus. Hic, postquam incredibili quôdam ardore Euangelicam doctrinam amplexus, & ad Legatum Pontificium, tum Venetiis agentem, Joh. Casum Archiepiscopum Beneventanum, delatus esset, metu abreptus veniam popolcit, in posterum obsequium pollicitus. Quô non contentus Legatus, cum ipsi necessitatem publicè fidem ejurandi imposuisset, & sic paruit, licèt reluctante multum in modum animô; inprimis cùm amici monerent, totam conjugis ejus familiæque salutem in hoc uno esse repositam. Sed non multo pòst incredibilem in ægritudinem animi potius, quàm corporis incidens, de misericordia Dei desperare cœpit, Citadellâ proin Patavium translatus, ut & Medicorum operâ, & doctorum virorum alloquiô commodiùs frueretur. Hic cùm omnia, ad vulnus ejus sanandum, frustra essent remedia adhibita, cùm non inficiaretur, quæ ex S. Scripturis afferrentur, vera esse, sed ad se, utpote qui agnitam veritatem metu periculi abjurâsset, nihil pertinere contenderet, tandem inter hos angores, quos ipsemet æternis cruciatibus pares se pertentiscere sæpius ingeminabat, extinctus est, A. C. 1548. Huic decumbenti, frequens inter alios consolator affedit, Petrus Paulus Vergerius, Episcopus Justinopolitanus, cui ad conversionem non parum momenti horribilis Spieræ casus attulit. Vide Joh. Sleidan. *Comm. l. 21.*

SPIFAMUS Jacobus, vide *Jacobus.*

SPILIMBERGUM, oppid. Foro Juliensium.

SPINA, urbs extincta in Gallia Togata in ora, inter Ravennam ad Meridiem, & Hadriam ad Boream, apud ostium Padi, quod ex ea *Spineticum* appellatur. Locus adhuc *Val di Spina*, & *Dorso di Spina* dicitur.

SPINA, urbs Insubriæ, nunc *Spin*, pagus ad Adduam fluv. Fuit & *Spina*, urbs Græciæ, olim clara, teste *Strab.* & *Spinus* fluv. apud *Steph.*

SPINA, terram post Hominis lapsum maledictam quæ asperare cœpit, Genes. *c. 3. v. 18.* peccatorum nudos pedes lædens, velut monitor fuit acer, qui culpæ ipsis refricaret memoriam & de miseria aurem velleret. Unde & Athenienses instituerunt, ut in solennibus nuptiarum puer patrimus & matrimus gestaret *spinas* cum fructibus quercus, diceretque canistrum ibi positum esse plenum panibus, addens, [illegible], *Effugi malum, inveni melius.* Quô indignatum illis infaustum *spinarum* omen est. Postquam verò in sacratissimum Servatoris nostri caput, qui *maledictio pro nobis factus est*, Galat. *c. 3. v. 13.* ausa ascendere, usum mutavit. *Coronam enim e spinis contextam* [Præsidis milites] *imposuerunt ejus capiti*, Matth. *c. 27. v. 29.* quod immaculatus noster Agnus patientissimè pertulit, ut à maledictione peccatique aculeo nos liberaret. Hanc è junco marino, quem Græci [illegible] vocant, fuisse complexam, haud pauci putârunt. Sed nulla est junci species, in cujus descriptione vel Theophrastus, vel Plinius, vel alii probati Scriptores *Spinas* commemorent: thyrsum autem & acumen, in quod desinunt nonnullæ juncorum species, insulsè *spinas* vocaveris. Videtur autem errori occasionem dedisse vox [illegible], i. e. *contexentes*, quam in historia illa Euangelistæ usurpant: Nam id verbi propriè locum habet in vitilibus, ad quæ accommodatissimus est juncus; sed & de aliis rebus dici nemo ignorat. Et de corona illa tantum sermes. Clemens Alexandr. *Pædag. l. 2. c. 8.* ostendit factam fuisse [illegible], è rubo, rubumque illum confert cum eo, in quo Deus apparuit Moysi, mysterium aliquod in utriusque comparatione observans. Sed quum ruborum multæ sint species, inanis atque inutilis labor fuerit, velle quærere, quæ potissimum species ad hanc coronam sit adhibita. *Marcellus Empiricus* ex alba *Spina* Christum coronatum fuisse, scribit; ut de aliis nil dicam. Hodieque coronæ hujus reliquias superesse, contendit Baronius, sed idoneô, quô id probetur, argumentô opus est. Vide Isaac. Casaubon. *Exercitat. 16. ad Baron. §. 74.* Aliud coronæ genus fuit ex baccis *Spinæ*, [illegible] sic dictæ *Plinio*, quæ [illegible] Græcis, *Theophrasto* quoque [illegible] simpliciter, aliàs *Alba spina* vocatur; Romanis in usu. Apud quos eadem facibus nuptiarum auspicatissima habita est, uti tradit *Varro*: etiam malas noxas avertere credita, unde & virga inde lanalis fiebat. Salmas. *ad Solin. p. 525.* Porrò, veteres Ascetas sibi dormituris *Spinas* supposuisse, ut ab iis compuncti citiùs expergeficerent dictum suprà, in voce *Somnus*, dicemusque aliquid ubi de *Stoicis.* Alios *Spinis* excarnificatos, voce *Parricida.* Etiam *spinis* cunæ nonnunquam tectæ, ut vidimus ubi de *Cunabulis.* Imò ex *Spinæ* cujusdam lanugine vestes confectas, habes infrà voce *Vestis.* Minus mirum, quòd Fibulæ locô, *Spinâ* nexum Sagum Germanos gestâsse suô tempore, Tacitus tradit, *German. c. 17.* & ostendit icon Sagi Germanici, quam ex Cluverio in suum opus transtulit Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. Part. 2. l. 3. c. 10.* Vide quoque infrà *Spinula.* Nec *Spinis* defuit, apud Romanos olim, suus Deus *Spiniensis*, ab iis evellendis nomen nactus, ut legimus apud Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. orig. & progr. l. 2. c. 61.* &c. Plura hanc in rem, ut & de variis arboribus *Spinæ* nomen gerentibus, *Spina* videl. *Ægyptia*, candida, unde acacia colligebatur; *nigra*, cujus siliqua succum præbuit coriis tingendis, lignum verò navigiorum costis utilissimum fuit; *Spinâ Arabicâ*; *Spinâ Indicâ*, ebeno simili, unde mastiche; *Spinâ Thebaicâ*, [unde urbi *Acantho* nomen, ut vidimus] eadem cum Acacia, ex qua gummi, cui *Thebaico* nomen: *Spinis* item *Fullonis*, aliisque, vide apud Salmas. *ad Solin. passim*: uti quædam alia de *Spinis* suprà, ubi de *Pharisæis*, item *Reliquiis.*

SPINA, in Circo dicebatur Latinis, quæ Καμπὴ Græcis. Et quidem *Spinæ Circi* meminit *Cassiodorus*, ubi de Circo, & Scholiastes Juvenalis, *ad illum versum*, *Sat.* 6. *v.* 588.

Plebejum in Circo positum est & in aggere Fatum.

Ubi adnotat, *in Circo*, *in spina*. Nempe sic dicta est crepido extans per medium Circum, inter utrasque metas, seu septum, seu margo, è ligno factus, circa quem equi curricula sua peragebant. quem non tantum longum, sed etiam latum aliquantum fuisse, necesse est, aliàs *Intermetium*, item *Euripus*, uti suprà vidimus. Voce ab animalibus eò translatâ: Ut enim *Spina* per medium dorsum animalium porrigitur eminetque, ita & *Spina* per medium Circum. Certè aliquid eminens, velut dorsum, in Circo fuisse, ostendit Cassiodorus, *Spina*, inquiens, *infelicium captivorum sortem designat*, *ubi duces Romanorum supra dorsa hostium ambulantes laborum suorum gaudia perceperunt*. In media hac *Spina* obeliscus erectus stabat, supra quem aræ tres, Saturni, Jovis & Martis; infra versus carceres aræ totidem, Veneris, Mercurii & Lunæ. Ibidem delphinorum columnæ, cum aliis ornamentis Circi erant collocatæ, de quibus etiam suprà aliquid diximus. Sunt tamen qui Euripum recentioris ævi, à *Spina* diversum facientes, sic dictam solùm volunt partem ejus mediam aliquâ ligneâ fabricâ eminentiorem factam, quod Græcis ξυλινὴν καλουμένην ... & μέσον κεντρὸς ... appellarum: Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 909. & *seqq.*

SPINALIOLA, castellum Apuliæ Peucetiæ.

SPINÆ, oppid. Albionis in Anglia, Atrebatum, quod *Lhuydius* cum aliis *Newbury* interpretatur ab Oxonio 20. mill. pass. sed illud excisum est. Locus autem *Spene* vocatur, teste *Camdenô*, pagus ad Neoburgum, Angl. *Newberye*. *Baudrando* oppid. in Comitatu Berchetiæ, in limite Hantoniæ, 25. mill. pass. ab Oxonio in Meridiem, Vintoniam versus totidem.

SPINALIUM, urbs Lotharingiæ, ad Mosellam, versùs Vogesum montem, 4. leucis à limite Comitatus Burgensis in Boream uti paulo minus à Romarici monte, 5. à Mirecurtio in Eurum, 10. à Nanceio in Meridiem. In *Vita* Adalberonis, posterioris Episcopi Metensis, ab æquali Abbate, circa A. C. 1000. scripta, *Spinal* castrum vocatur, & in pago Calvomontensi, ad Mosellam, collocatur, his verbis: *Domnus Deodericus*, *Metensis Episcopus cui Adalbero noster successerat*, *in pagô Calvomontense locum quendam*, *inter Mosellam & montem*, *qui in devexô sui castrum habet*, *ex accidenti linguâ rusticorum Spinal vocatum*, *divino famulatui aptum reperiens*, *Monasterium construxit*, *consecrans illud Domino & S. Goërico*, *cujus ossa eò transtulit*. *Ibi Adelbero ancillas Christi*, *sub regulari vitâ & institutione patris Benedicti bene edoctas*, *collocavit & dotavit*. Tum addit, *Castrum imminens Monasterio*, *sedes est Episcopalis*. Nimirum castrum hoc à *spina* montis Mosellæ proximi, in qua positum est, nomen accepit: *Spinal* quoque & *castrum Spinalense* dictum, in *Chron.* de Episcopis Mettensibus, quod in A. C. 1260. desinit. Certè, ut capita & vertices, frontem & fauces, sic & dorsum & *spinam* & pectus & latera & costas pedesque montibus tribui, constat. Vulgò nunc *Espinal* nuncupatur, estque positum ad ripam flum. Mosellæ, 4. leuc. ab Alteriaco castro Abbatiâ inclyto *Autrey*, dissitum. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Calmontensis pagus*, ut & suprà *Espinal*.

SPINAMBRI, Græciæ populi à quibus originem traxisse Tarquinios in Tuscia scribit Justinus, *l.* 20. *c.* 1. *In Tuscis*, inquit, *Tarquinii à Thessalis & Spinambris*. Ubi MSS. habent *Insspinambris*. Lege *Spinâ in Umbris*. Plurimi enim veterum confundunt Umbrorum & Tusciæ terminos. Vossius *ibi*.

SPINATES, Ægyptiorum Rex, annis 9. *Euseb.*

SPINENSIS, Deus apud Romanos, ab evellendis *spinis* dictus. Vide suprà in *Spina*.

SPINETICUM, unum ex Padi ostiis, quò Claudius Cæsar è Britannia triumphans, prægrandi illâ domô veriùs quàm navi, intravit Adriam. A *Spina* urbe nomen habet, quam à Diomede conditam esse volunt. *Primero* hodie *Fabricio*. *Baudrando Porto di primaro*, à castro adjacente, in ora maris Adriatici prope ruinas Spinæ, & turrim Gregorianam; sed est tantùm alveus minimus Padi, ibi *Po di Primaro* dicti. In Romandiola.

SPINETUM, castellum Galliæ, ad Suminam, in pago Pontivo, inter Pinquiniacum & Abbatisvillam, cum titulo Principatus vulgò *Espinay*. Nomen ei à solo, in quo conditum est, *spinoso*. Sic *Spinetum* aliud est, juxta Lusarchias, *Espinay*: & in Decanatu Linariensi, *Espinay sur Orge*; vici Diœceseos Parisiacæ, aliaque in Gallia loca non pauca, *Hadr. Vales.* At *Spineta*, vulgò vocatur instrumentum Musicum, compluribus æreis filis constans, in quo ordine digesta plectra subsilientia, corvinarum pennarum cuspidibus, ceu *spinis*, mucronata, sonum edunt: de quo suprà in voce *Clavicymbalum*.

SPINGARDUS, seu *a*, apud recentioris ævi Scriptores, Suantum *l.* 2. *part.* 4. *c.* 8. Auctorem *Historiæ obsid. Jadrensis l.* 1. *c.* 38. & *l.* 2. *c.* 12. machinæ bellicæ seu balistæ species est, seu tormentum minus, tricubitalis longitudinis glandem, pruni majoris magnitudine, violenter evomens, *Notit. ad Pancirollum* 692. quod *Espringale* Scriptoribus Gallicis appellari, monet Car. du Fresne *Glossar.*

SPINSIA, vel SPISSIA, villa olim Regia Galliæ, in qua commorantes Theodoricum ac Brunichildem ejus aviam adiit Columbanus, *in hujus vita* Jonæ memorata: Videtur esse *Espoisse*, locus inter Aballonem & Sinemurum, Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide *Brocariacum*.

SPINTHARUS, nobilis Architectus Corinthius, Delphicum templum ædificavit, Pausan. *l.* 1.

SPINTHARUS, à Comico traductus, tanquam Barbarus & Phryx. Aristophan. *Avib.*

SPINTHER, Histrio Roman. à cujus nomine vocatus est Lentulus *Spinther*, quòd ejus similitudinem maximè referret. *Lloyd.* Lentulus hic *Spinther* primus Apollinaribus Ludis vela in theatrum duxisse, memoratur. Plin. *l.* 19. *c.* 1. *Postea in Theatris* (invalescente nempe luxu) *tantum umbram fecere vela*, *quod primus omnium invenit Q. Catulus*, *cùm Capitolium dedicaret*; *carbasina deinde vela primus in Theatrum duxisse traditur Lentulus Spinther* &c. Vide quoque infrà ubi de *Velis*.

SPINTHER, meliùs SPINTER, Festo *armillæ genus*, *quo mulieres utebantur*, *brachiô summô sinistrô*: quod quale fuerit, ignoramus quia ab armillis distinxit Plautus *Menæchm. Actu* 3. *Sc.* 3. *v.* 11. 12.

Redde Spinter, *si non meministi*. ME. *mane*.
AN. *istuc*. ME. *ubi illæ armillæ sunt*, *quas tuo dedi*.

Nisi utriusque brachii, utriusque sexus sint armillæ, & *Spinter* sinistri tantùm fœminarum; vix in his tenebris aliud dici potest. *Spinter* caduceatorum, in armillæ venit nomenclationem *Budeo*. Unde postas *armillatos* cursores appellat, partim ob insigne, quod præferunt; partim quia armillæ instar ab armo dependent. Fibulam vel Armillam *Spinteris* notione intelligit Priscianus *l.* 5. Hincque fibulam in *Spinter* commutavit Florens Christianus, apud Aristophanem *Lysistratâ*: ut ad illud Plauti in *Menæchmis Actu* 3. *sc.* 3. *v.* 4. respexisse Poëtam ostenderet,

Jubeasque novum Spinter reconcinarier:

Vide Thom. Bartholini *Schedion de Armillis Vett.* A Græce forte σπινθὴρ, *scintilla*, quod aurô scintillaverint, Gouldm. *Dictionar.*

SPINTURNIX, seu SPINTURNICIUM, veterib. Romanis dicta *sphinx*, genitivô σφιγγὸς productô, uti suprà ostendimus: Quadrupes videl. turpis figuræ, *fuscô pilô*, *mammis in pectore geminis*, Plinius *l.* 8. *c.* 21. in aridis Ægypti & locis Æthiopiæ viciniis frequens, ut habet Agatharchides, Diodorus *l.* 3. Amm. Marcell. *l.* 22. cui postmodum alas affinxêre Græci: Ægyptii certè, ut cerant, sine alis semper pinxêre. Hinc de homine aut muliere deformi. Vetus versus,

Occursatrix artificum pessima spinturnix.

Et Plautus, *Milit. Actu* 4. *sc.* 1. *v.* 42.

Pithecium præ illa & spinturnicium &c.

Vide Salmas. *ad Solin. p.* 377. Non desunt tamen, qui meras fabulas omnem *Spinturnicum* seu Sphingum historiam asseverant, ut P. Bellonius *Observation. l.* 2. *c.* 46. quem vide ex diversis formis veter. Operum suam sententiam confirmantem.

SPINULA, seu *Spina parva*, inter aurea mulierum ornamenta nonnullis recensetur, Exodi *c.* 35. *v.* 22. ubi vocem Hebr. חח *acum*, *fibulam* aut *aciculam* significare existimant. Kimchius explicat, *Ornamenta instar acus*, *quâ perforant & jungunt duas oras indusii sub gutture*. Gall. *espingle* vocant, ex Latino, à figura, & quia *spinæ* olim fibularum & acicularum vicem præstabant. Hinc *Æn.* *l.* 3. *v.* 594. Achæmenides inter Cyclopes degens, habuit,

Consertum tegmen spinis ——

Ad quæ verba Tacitus palàm alludens *de Moribus Germ. c.* 17. *Tegumen*, ait, *omnibus sagum fibulâ*, *aut si desit*, *spinâ consertum*. Quæ de videndi Fullerus *l.* 5. *c.* 13. & Menagius *de L. Gall. Origin. p.* 703. laudati Sam. Bocharto *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 4. Apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores vox inprimis usurpatur de trinis aciculis, quibus Pallium Archiepiscopale constringitur, ut videre est apud Honorium Augustod. *l.* 1. *c.* 22. *Spinulæ*, *quibus Pallium configitur*, Aliosque. Pro quo *Spindula* nonnunquam occurrit: unde *Spindulatus*, i. e. palliô Archiepiscopali ornatus, apud Gervasium *de Repar. Eccl. Cantuar.*

SPINUS, Græcè σπῖνος, malè ἀκανθὶς redditur Gazæ, hôc tamen nomine non carduelem indigitari, sed aviculam parvam, quam Galli *Serenum* hodie vocant, contendenti. Fringilla namque σπῖνος Græcorum est, quæ in urbibus ut plurimum æstate degit & supra tecta domorum cantillat. Eam cum turdis venum exponebant Græci, unde σπίνους & κίχλας Comici sæpe jungunt. Inter quos Aristophanes. 7. σπίνους obolô vendi dicit,

Οὐκ ὠνούμενοι τὰς σπίνους ἑπτὰ τοῦ ὀβολοῦ,
Εἶτα φυσῶν τὰς κίχλας.

Inter aves enim mensis commendatas etiam *Spinus*, apud Pollucem, & Stobæum *in Excerptis c.* 55. Galli hodie *pincionem* vocant; σπῖνος namque & σπίνθος idem, unde σπινθίον, ex quo *spinthio*, *pinthio*, *pincio* &c. Sed & sic quidam vocâsse videntur minimum passerculi genus, quem πυργίτην & σπουργίτην Græci vocant. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 444. 445. suprà *Fringilla*, & de *Spino*, prunorum arbore, quam *Prunellam* Galli vulgò vocant, Eundem *p.* 525.

SPIO, Nympha marina, Nerei & Doridis filia, sic dicta à speluncis, in quibus Nymphæ habitare dicuntur. Σπέος enim, vel σπεῖος speluncam sonat.

SPIRA, celebris admodum Imperii, Episcopalis & ampla in German. civitas, tractus cognominis caput, cujus olim incolæ Nemetes, & urbs ipsa Nemetum dicebatur, vulgò *Spire*. Non æquè culta, in Palatinatu inferiori sub Episcopô propriô. Sedes Cameræ Imperialis aliàs *Noviomagus Nemetum*, vel *Nemetes*, vide *ibi*: demum A. C. 1082. *Spiræ* nomen adepta, à pago & fluviolo propinquo *Speirbach*, quorum uterque murô inclusus est, à Rudigero Episcopo. Alii Spiram à Constantio Chloro conditam dicunt,

cuit, A. C. 298. Templum hic summum, à Conrado Salico Imperatore extructum, monte Oliveti, A. C. 1411. ingentibus sumptibus extructô, ac sepulchris aliquot Cæsarum Suevicorum, Conradi II. Henrici II. IV. & V. celebre. Unde Rodolphus I. Imperator paulò ante mortem quæ ei hic prope contigit, *sibi multos ibi conveniendos Reges esse*, dixit, A. C. 1288. Ibidem & Augustæ præfatorum Imperatorum conjuges quiescunt. Prope templum lapis ingens, vulgò *die Schwabenschüssel*, libertatis signum, positus est, ultra quem Senatus Episcopum non comitatur. Privilegia insignia accepit à Carolo IV. Henrico V. Rodolfo I. Adolpho, Alberto, Ludovico, Wenceslao, Friderico III. Maximiliano II. Imperatoribus, Insignia ejus, Conradina Francica Ecclesiæ structura rubra, in folio albo. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 53. Hic Philippus Suevus Imperator Ottonem Saxonem vicit, A. C. 1202. In Comitiis ibidem celebratis A. C. 1526. de pacificatione Religionis actum, decretumque post graves altercationes, ut intereà dum Concilium publicum instituatur, nemini ob religionem vis inferretur. Et habebant tum Saxoniæ Princeps ac Hassiæ Landgravius suos secum Pastores: qui duo Principes paulo antè cum Argentinensibus, Norbergicis, Augustanis, Francofurtanis, ac Ulmensibus, prima fœderis Euangelici fundamenta jecerant. Iterum Conventus Spiræ, jussu Cæsaris, indictus est A. C. 1529. quo Saxoniæ Elector Melanchthonem adduxit. Hic cum novò decretô priori derogaretur, ei sese opposuerunt Saxo, Brandeburgicus, Lawenburgici, Landgravius, & Anhaldius, cui se conjunxére Argentina, Noriberga, aliæque quamplures Imperii civitates, à qua protestatione celebre *Protestantium* nomen ortum est. Vide Joh. Sleidanum *Comm. l. 6.* Media est inter Argentoratum ad Meridiem, & Moguntiacum ad Boream 50. mill. pass. utrinque, uti 5. à Philippoburgo, 15. ab Heidelberga in Africum: jam verò in ruinis, ab A. C. 1689. Camerâ Imperiali Wezlariam translatâ. Primus ejus Episcopus Jesses, interfuit Concilio Coloniensi, A. C. 346. Jacob. Wimphelingus *de laud. Eccl. Nemet.* Guil. Eisengreinius, *in Chron. l.* 16. &c.

SPIRA, convolutio & concumulatio crinium muliebrium, apud Romanos, dicta est. Multis enim gradibus & spiris cumulatam & convolutam in altitudinem comam extruere illorum mulieres consuevisse, docet Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 502.

> —— *tot adhuc compagibus altum*
> *Ædificat caput* ——

& diximus suprà, ubi de more *Comam struendi*, item in voce *Capillatura*, ubi ex alienis & ascititiis capillis strui has *spiras* solitas vidimus. Cujusmodi *spiram* capillorum rufforum duci servo in Theatro Pollux dat *l.* 4. *c.* 19. Hinc *spirosus capillus* Appulejo, in spiram cumulatus & convolutus, *Milesiar. l.* 2. Vide Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c.* 4. ut & infrà, in vocibus *Suggestum* & *Tutulus*. Diminutivum *Spirula*, apud Arnobium *adv. Gent. l.* 2. *Idcirco animas misit, ut* spirulas *& botulos facerent, isicia catillamenta* &c. ubi perstringit Gentilium ingluviem, à qua ejusque illecebris abstinebant Christiani, ut suprà diximus ubi de *Botulis*.

SPIRA Franciscus, vide *Spiera*.

SPIRA Taurica, locus sic dictus in Taurica Chersoneso, ubi Dianæ ajunt fuisse templum. *Procopius*.

SPIRACULA, quæ & *Charoneæ scrobes*, meliùs *Specus canis*. Vide *ibi*.

SPIRÆUM, Peloponnesi promontorium, *Ptolemæo*. *Capo Spireo*, *Sophian*.

SPIRAMENTA, apud Vitruvium *l.* 7. *c.* 4. *Deinde insuper animatæ tegulæ ab imo ad summum parietem figantur, quarum interiores partes curiosiùs picentur, ut ab se respuant humorem. Item in imo & in summo supra cameram habeant spiramenta*: foramina sunt, sicut idem canalium exitus, quibus humor egeritur, eôdem modô vocat. Græcis ἀναπνοαί. Vide suprà in vocibus *Animatæ tegulæ*, *Elices*, *Nares*.

SPIRENEUS, Bohemorum Princeps, Christianam religionem, ejuratâ paganâ, suscepit: ob quam Wenceslaus successor interfectus est. A. C. 968. Æn. Sylvius *Hist. Boh.*

SPIRENSIS Episcopatus tractus Germaniæ ad Rhenum, Palatinatui inferiori ferè insertus. A Meridie terminatur Marchionatu Badensi. Sub Episcopo proprio. Ibi Spira, caput ditionis Bruscela urbec. Philippoburgum arx permunita, nunc sub Imperatore. Vide *Spira*.

SPIRIDION, Tremithuntis in Cypro insulæ Episcopus rusticus, sed non propterea in rebus divinis minor. Aliquando enim per noctem venerunt fures, ad caulas ejus ovium, qui subitò vincti sunt, nullô ligante, quos cùm invenisset Præsul, eos invisibilibus solvit vinculis, eisque dixit, ad meliora erudiens, Abite hinc furentes arietem. Plura ejus miracula fusè tradit Sozom. *l.* 1. *c.* 10. quem sis consule. Uxoratus fuit, & carne die jejunii hospiti propositâ *omnia munda esse mundis* dixit.

SPIRITALES, dicti olim Valentiniani Hæretici, à seipsis, cùm orthodoxos *Psychicorum* convitiô aspergerent. Irenæus *adv. hær.* Valentini *l.* 1. *c.* 1. *Spiritales, qui perfectam cognitionem habent de Deo, semetipsos dicunt* — *Et licèt in quibusdam materialibus operibus sint, nihil semetipsos nocere, neque amittere spiritalem substantiam. Quapropter & sine timore omnia, quæ vetantur, hi qui sunt illorum perfecti, operantur* &c. Vide de illis Jo. Forbesium *Instruct. Historico-Theologic. l.* 1. *c.* 37. *num.* 2. & suprà, *in Charitatis familia*.

SPIRITUS Cohibitio, inter Veterum γυμνάσματα, Vide suprà, ubi de *Gymnastice*.

SPIRITUS Sanctus, vulgò *Spiritu Santo*, urbs Americæ Septentrionalis, in Guaxaca provincia novæ Hispaniæ, & in ora sinus Mexicani, versûs montes S. Martini, 90. leucis distat ab Antiquaria in Ortum, & A. C. 1522. excitata fuit ab Hispanis, quibus etiamnum subest.

SPIRITUS Sanctus, vulgò *Spiritu Santo*, urbs est Americæ Meridionalis, Præfecturæ cognominis caput, in Brasilia regione, satis parva, sed munita, 60. leucis Hispanicis à fluvio Januarii in Boream & 50. à Portu Securo in Austrum.

SPIRITUS Sancti fluvius, vulgo *Rio de lo Spiritu Santo* Lusitanis, fluvius Africæ, in Æthiopia inferiori & in regione Monomotapa, cujus urbem primariam rigat, uti aliquot alia. Hinc in Ortum tendens per partem Orientalem Cafreriæ rigionis, ibi triplici ostiô in Oceanum Æthiopicum se exonerat inter promontoria Fulminum & S. Nicolai.

SPIRITUS Sancti Ordo Equest. in Gallia, institutus ab Henrico III. Postquam enim Ordo S. Michaëlis, à Ludovico XI. fundatus, fervente bellô civili Gallia, & muliebri dominió vigente, decus suum perdidisset, Henricus, illo non abolitó, S. Spiritus ordinem instituit, magnô ejus Magisteriô in perpetuum coronæ unitó. Caput ipse ordinis, primam celebravit solennitatem, A. C. 1579. ipsis Januarii Kalendis. Equitum numerus centenarios. Insigne Ordinis columba est. Occasio institutionis inde, quòd Pentecostes die geminam coronam, Polonicam primò, dein Gallicam nactus est: imo & hanc diem quidam Regi natalem fuisse volunt. Symbolum est, *Duce & Auspice*. Sed & jam olim quoque *Sancti Spiritus* Ordinem instituisse dicitur Ludovicus Tarentinus, Hierosolymor. & Siciliæ Rex, Provinciæ Comes, maritus Johannæ I. A. C. 1353. quem quidam quoque nominatum dicunt *Au droit desir*, cujus Symbolum, *Si Dieux plaist*: cum nodo aureo, amoris mutui indice. Hujus institutionis historiam scribunt nonnulli innotuisse Henrico III. è Polonia reduci, Venetiis, unde ipsi occasio suggesta. Alii addunt Paulum III. Pontificem instituisse A. C. 1468. Romæ Equites Hospitalis Sancti Spiritus, quibus crux candida. Vide Spondan. A. C. 1353. *n.* 12. 1579 *n.* 1. & 2. Dupleix & Mezeray, *in Henrico III.* Villanium *l.* 3. *c.* 83. Bouchæum *Hist. de Prov. liv.* 9. *sect.* 3. §. 17. *liv.* 10. *chap.* 8. §. 1. *Favinum*, *Sammarthanum*, *Mercrium*, &c.

SPIRITUS Sancti pons, oppidum Provinciæ, nomen habens à ponte, quô Rhodanus stratus est: vulgò *Pont S. Esprit. Metel.*

SPIRITUS Sancti Præfectura, vulgo *Capitania de lo Spiritu Santo*, provincia Brasiliæ, in America Meridionali, & in ora Orientali Brasiliæ, inter Præfecturam Portus Securi ad Boream & Præfecturam fluvii Januarii ad Meridiem.

SPIRULA, vide *Spira*, appellativum.

SPITHAMA, longitudo propriè duodecim digitorum, seu 3. παλαιστῶν; unde Ægyptiarum aspidum speciem unam σπιθαμιαίαν vocat *Strabo*, nempe breviorem alterâ, sed morsu magis feralem, ὀξυθανατωτέραν, quam cum chelidonia eandem judicat Salmas. *ad Solin. p.* 342. Plinius pro semipede vocem alicubi accipit, alibi σπιθαμιαῖον *bipedalem* vertit, neutrum accuratè; meliùs *dodrantalem* aliô locô, ut idem Salmas. docet *p.* 1328. De *Spithamæis* Pygmæis, vide Plin. *l.* 7. *c.* 2.

SPITHROBATES Persa, Gener Darii, Ioniæ Satrapes, in prælio ad Granicum solitariâ pugnâ congressus Alexandro regi ab eoque superatus est. Diod Sic. *l.* 17. *f.* 572. *m.*

SPITZBERGA, seu Montes acuti, *Spitzberg*, regio ampla & pars Terræ Arcticæ, inter novam Zemlam ad Ortum & Gronelandiam ad Occasum, 300. tamen milliaribus utrinque dissita. Sic dicta fuit à Batavis, à quibus fuit detecta, quasi Montes acuti: Angli autem ipsam vocant *Nieuland*, seu Novam Terram. Extenditur usque ad 80. gradus latitudinis Borealis, & separatur in duas partes, quarum Occidentalis propriè Spitzberga dicitur, pars autem Orientalis Nova Frisia. Sed an sit insula aut continens, nondum constat Europæis. Regio est frigidissima, & in ea nulla urbs seu oppidum, aut forsan vicus, sed tantùm aliquot portus à Belgis frequentati.

SPLANCHNOPTES, servus Periclis, inter celebria ex ære signa, memoratur Plinio *l.* 34. *c.* 8. *Stipax Cyprius unô celebratur signô, Splanchnopte. Periclis Olympii vernula hic fuit, exta torrens, ignem oris pleni spiritu accendens.* Meminit ejusdem servi idem *l.* 22. *c.* 17. *Vernula charus Pericli Atheniensium Principi, cùm is in arce templum ædificaret, repsissetque super altitudinem fastigii & inde decidisset, hâc herba dicitur sanatus, monstratâ Pericli somnio à Minerva. Quare Parthenion vocari cœpta est* — *Hic est vernula, cujus effigies ex ære fusa est, & nobilis ille Splanchnoptes.* Græcè σπλαγχνόπτης, quasi *exta inspiciens*, aruspex. Σπλάγχνα enim exta sunt, unde σπλαγχνόσκοπος, quô verbô ritus omnis continetur, quô exta inspiciebantur, probabantur, aræ imponebantur & quæ edulio erant, comedebantur: quibus peractis thus & vinum in ara libabant, quod ἐπὶ τοῖς σπλάγχνοις σπένδειν vocat Arrianus *in Periplo Ponti Euxini*. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 129. & supra in voce *Prosiciæ*.

SPLEDON, vide *Aspledon*.

SPLEN, non paucis Veterum, *Erasistrato* inter alios. Theophrasti discipulo, & Aristotelis ex filia nepoti, apud Galenum *de Atra bile*, viscus noxium aut certè nullius usus visum est, nec certô fine à natura factum: qui proin σπληνικοῖς medicamentis (qualia sunt teucrium, scolopendrium & hemionitis) illum paulatim consumere, vel ferrô candente exurere, vel excisione denique ex corpore prorsus exscindere tentârunt. Et quidem præter modò dicta, remediorum hujusmodi longam seriem habet Samonicus *c.* 24. Modum adurendi hunc tradit Paulus Ægineta *l.* 6. *c.* 48. *Cutis, quæ lieni incumbit, hamô elevata, oblongô ferrô candenti per totum ipsa aduritur, ut unico impressu duæ fiant crustæ* &c. De exsectione, idem Samonicus; cùm scil.

> —— *tumidus nocet, & risum addit ineptum,*
> *Dicitur exsectus faciles auferre cachinnos.*

Quod

Quod utrumque tamen, exustio videl. & exsectio, multis carnificina potiùs videtur esse, quàm medicina. Vide Trallian. *l.* 8. & Cœl. Aurelianum *l.* 3. *c.* 4. nec non suprà, *Asgandes*. Interim non equis solùm exemptum *splenem*, ut agiliores essent ad cursum, legimus in *Gemara Sanhedrin c.* 2. *sect.* 9. ubi de 50. cursoribus, quos sibi comparâsse dicitur Adonija 1. Regum *c.* 1. *v.* 5. & apud Absyrtum *Veterin. l.* 1. *c.* 40. sed & hominibus. Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Peculiare cursus impedimentum in eo, quamobrem inuritur cursorum laborantibus, & per vulnus etiam exemto vivere animalia tradunt.* Ubi quod de *cursus impedimento* ait, firmat Plautus *Curculione*, ubi leno Cappadox *Actu* 2. *Sc.* 1. *v.* 4. 5.

——— accrescit labor,
Nam jam quasi zonâ liene cinctus ambulo.

Et in *Mercatore Actu* 1. *Sc.* 2. *v.* 13.

----- genua hunc cursorem deserunt,
Perii, seditionem facit lien -----

Unde & apud Riolanum *Anthropol. l.* 2. *c.* 23. Turcis cursoribus lienem inuri, narrat *Rossetus*: idque verum esse audivit, sed nunquam modum rescire se potuisse, refert Nicolai *Itiner.* Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 11.

SPLENDIDI, Judices apud Romanos, vide *Celiè nati*.

SPLENDIUS, quidam Capuâ oriundus, qui captivos in bello bestiis laniandos objiciebat, *Polybius*.

SPLENDOCLASTUS, apud Rainerum *de Invent. reliqq. S. Eutychetis & Acutii*; vox hybrida est Carolo du Fresne, composita videl. ex Latino *Splendor*, & Græco κλαδὶς, *fructus*; & epitheton auri obryzi, in tenuissima folia dilatati. Vide illum in *Glossar.* Certè *splendor* de auro, apud Græcos Latinosque passim dicitur, ut videre est apud Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c.* 3. Sed & de aliis rebus, cocco, igne, vestibus, quæ ponderibus atque tormentis pressa *splendere* cogebantur, uti ait Seneca *de Tranquill. c.* 1. Vide suprà ubi de earum *Candore*, item in voce *Prelum*, alibique passim.

SPODIUM, Græcè Σπόδιον, everrimentum est caminorum metallicorum cum scintillis & carbonibus, cineribusque (unde nomen) mixtus: *Dioscorides* σώρυμα vocat, & ἀπόψημα τῆ ἐδάφους τῆ καμίνου. Unde *Gerardus* malè *Tabaxir* Persarum sic vertit, quod est Saccharum veter. & *Sacar Mambu* hodiernorum Indorum; ab *Avicenna* seductus, qui cinerem id putavit esse arundinum exustarum, quæ vi venti seipsas compulsantes flictu ignem concipiant. Nec meliùs Garcias ab Horto cum *Tutia* confundit, quam cadmiam esse, certum est. Cæterùm σπόδια pleraque oculis proficiunt, & ex his medicamenta ὀφθαλμικὰ parantur. Hinc σποδιαῖος, *cinericeus*, gilvus; qualis & asinorum color. *Simonides*,

Τὸν δ' ἴχνι σποδιῆς καὶ παλινδρεβεῖος ὄνω.

In equis deterrimus. Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 82.

----- ----- color deterrimus albis
Et gilvo -----

Vide Salmas. *ad Solin. p.* 256. 1022. & 1332.

SPOLETINUS Ducatus, vulgò *le Duché de Spolete*, ita dictus videtur à Ducibus, quos Longinus Exarchus instituit, Narsete exauctoratô; quô tandem potiti Longobardi, nomen Ducatus ei reliquêre; habuitque etiam posteà Duces proprios, uti sub stirpe Caroli Magni. Nunc Umbria dicitur. Sed erat olim amplior quàm in præsentia est, sub dominio Summi Pontificis, ut pluribus ostendere nititur *Leander*. Vide infrà.

SPOLETIUM, Livio *l.* 27. *c.* 10. colonia & urbs Umbriæ inter Fulginium & Interamnam. Annibali fortiter restitit. Sita ad Tessinum amnem, 12. milliar. à Fulginio in Eurum, 22. à Camerino in Meridiem Romam versus. Hic rudera magnifica Theatri, Templi & palatii Regum Gothorum, qui ibi sæpe commorati sunt, Concilium, A. C. 1234. à Gregorio IX. indictum, ad recuperandam terram sanctam. Caput Umbriæ recentis seu Ducatus Spoletini, qui sic dictus videtur à Ducibus, quos Longinus Exarchus instituit, Narsete exauctoratô. Hôc tandem potiti Longobardi, nomen Ducatus ei reliquêre. Habuitque etiam posteà proprios Duces, uti sub stirpe Caroli M. Nunc *Umbria* dicitur, sed erat olim amplior, sub Pontifice. Trasamundum Ducem rebellem cùm Luitprando Italiæ Regi tradere Papa Gregorius nollet, A. C. 740. Rex urbem obsedit, ac in summas angustias Papam conjecit. Posteà Guidonem Spoletanum Ducem creavit Carolus Calvus Imperator A. C. 876. Urbs à Friderico Barbarossa, ob legatos violatos & nummos adulterinos, capta, direpta atque exusta est, A. C. 1155. Leand. Alb. *descr. Ital.* Sigon. *de regno Ital.* Populi *Spoletini* Plinio, *l.* 2. *c.* 14. *Spoletani* Livio, *loc. cit.* Hinc *Spoletinus* nomen gentile. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 120.

De Spoletinis quæ sunt cariosa lagenis
Malueris, quam si musta Falerna bibas.

Idem *l.* 14. *epigr.* 116.

Spoletina bibis, vel Marsis condita collis.

SPOLIA, propriè appellata sunt olim pannicularia ea, quibus indutus erat reus, cùm ad supplicium deducebatur. *l.* 6. *ff. de bon. damnat.* Unde *Spoliare*, vestes reorum exuere; quæ à lictoribus plerunque distrahi & inter eos dividi solebant: & *Spoliatorium* locus, in quo spoliari solebant, ut videtur vox illa apud Plinium *Panegyr. c.* 36. sumi. *Nunc Templum, nunc verò Deus, non Spoliarium civium cruentarumque prædarum sævum receptaculum.* Sed de hac voce infrà. Inde etiam, quæ cui latro abstulit, *Spolia* dici cœperunt, *l.* 31. §. 1. *ff. depos.* item, quæ in bello hosti sive vivo, Græcis λάφυρα, sive mortuo, Græcis σκῦλα, vocata, detrahuntur. Hæc antiquitus Deorum Fanis suspendebantur. Val. Max. *l.* 7. *c.* 6. *ex.* 1. *Opera M. Junii Dictatoris Remp. administrantis Spolia affixa templis, Deorum Numini consecrata.* Hinc *lanceas & sagittas aureas à Rege Sophone captas David Rex gazophylacio consecravit*, apud Joseph. *Ant. Jud. l.* 8. *c.* 10. Græci quoque ut plurimum Diis suis ea sacra fecerunt, nonnunquam Delphos miserunt, ἀκροθίνια illis dicta, quod præda in acervum congestâ ejus τὸ ἄκρον Diis dedicarent. Quò respiciens Magara apud Euripidem, cùm de nurubus, quas selegisset, verba facit, ait.

Ἐγὼ δὲ νύμφας ἀκροθινιάζομαι.

Pulchrè de hoc ritu, Silius *Punic. l.* 1. *v.* 617.

In foribus sacris, primoque in limine Templi
Captivi currus, belli decus, armaque rapta
Bellantum ducibus sævaque in Marte secures,
Perfossi clypei, & servantia tela cruorem
Claustraque portarum pendent.

Et meminit ejus Horatius *l.* 4. Od. 15. *v.* 6. ubi de Parthis,

Et signa nostro restituit Jovi
Direpta Parthorum superbis
Postibus.

Priùs tamen in triumphis ducebantur. Post Duces enim catenatos, obsides incedebant, Liv. *Dec.* 4. *l.* 4. succedebant his tormenta bellica & catapultæ, Idem *Dec.* 3. *l.* 9. cælatum dein argentum, hostibus ereptum, lætantis civitatis oculis ingerebatur, Plut. *in Paulo Æmilio*: sequebantur *Spolia* & arma hostibus detracta, Liv. *Dec.* 4. *l.* 9. &c. Vide Thom. Dempster. *in Rosinum l.* 10. *c.* 29. Etiam Tropæis affigebantur *Spolia*, cum inscriptione, quod τὰ σκῦλα τοῖς τροπαίοις ἐγγράφεσθαι vocat Scholiastes Eurip. *in Phœniss.* Imò Tropæa nihil aliud erant, quàm *trunca corpora cum spoliis*. Vide Fabricium *in sua Roma* & in voce *Tropæum*. Querno inprimis stipiti affixa. Ita enim victô Acrone Romulus, quercum decidit ingentem, in formam tropæi, ad quod singula ejus arma suspendit, apud Plutarchum *in eo*: quod idem de Marcello, Britomartis Regis Celtici victore legimus, apud eundem in *Marcello*. Hinc de quercu Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 423.

Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit.

Vide eundem *Æn. l.* 11. *v.* 5. ubi de Mezentii exuviis, de quercu decisâ suspensis, Claudian. *in Rufin. l.* 1. Pausan. *l.* 1. Alios &c. Et hæc quidem publicè: Posteà privatis quoque domibus arma *Spoliaque* hostibus adempta suffigi cœperunt; quæ venditâ domô ad emptorem transibant, qui ea refigere non audebat. Plin. *l.* 35. *c.* 2. *Aliæ foris & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refigere liceret, triumphabantque, etiam dominis mutatis, ipsæ domus.* Unde Val. Flaccus *Argonautic. l.* 1. *v.* 835.

----- ----- Si quando pectore ductor
Vulnera nota gerens, galeis præfixa, rotisque
Cui domus. -----

Et Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 53.

Te bellare decet terrâ, Messala, marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias, &c.

Principum inprimis ædibus: Sic enim de palatio Ovid. *Tristium l.* 3. *Eleg.* 1. *v.* 33.

Singula dum miror, video fulgentibus armis
Conspicuos postes, tectaque digna Deô.

Inde, bellô ingruente, refigenda. Statius *Achilleid. l.* 1. *v.* 423.

Nulla immunis humus, velluntur postibus altis
Arma olim domissa Patrum. -----

Silius Italicus *Punicor. l.* 10. *v.* 599.

----- ----- ----- Ite ocyùs armâ
Diripite, ô pubes, templis; vos atria raptim
Nudate & clypeos in bella refigite captos.

Vide Dempster. præfatum *l.* 5. *c.* 28. & suprà in vocibus, *Opima*, item *Præda*. Neque verò hominum solùm, sed & ferarum occisarum *Spolia*, olim publicè ostentata. Certè Hercules *sine spolio leonis* nusquam occurrit, quem alii Heroës imitati, Tydeus apud Euripid. *Phœniss. Actu* 4. Æneas, apud Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 721. Nisus, apud eundem *l.* 9. *v.* 306. ejusdem feræ exuviis insignes fuêre: Sicut Polynices & Atalanti apri; Argus Arestorides tauri; Anchæus ursæ; Camilla tigridis. Alii aliarum ferarum spolia gestâsse memorantur. Credique successu temporis cœptum, talium spoliorum gestores esse ex Diis genitos, & hoc ipsô invulnerabiles, uti discimus ex Lycophronis *Cassandra*. Hinc ea à Majoribus ad posteros transmissâ, & in clypeis armisque aliis magnâ curâ effigiata sunt: quem *gentilem honorem* Statius vocat, *Thebaid. l.* 4. *v.* 155. In iisdem hospites excipi moris fuisse, docet Virg. *Æn. l.* 8. ubi de Evandro Æneam excipiente, *v.* 178.

----- ----- villosi pelle leonis.

Etiam digna victoribus præmia visa, quibus inter alia ingentium ferarum exuvias nonnunquam brabei locô obtigisse, habes apud eundem *l.* 5. &c. Vide plura hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coronar. l.* 9. *c.* 25.

SPOLIARIUM, Rhodigino *l.* 10. *Antiq. Lect. c.* 5. & *l.* 17. *c.* 8. fuit locus, in quo rei vel gladiatores semivivi olim necabantur, juxta illud Senecæ in *Epist.* *Nunquid aliquem tam cupidum esse vitæ putas, ut jugulari in Spoliario, quam in harena, malit.* Lipsio, in quo Gladiatores sepeliebantur, ex Lampridio in *Commodo, c.* 18. *Gladiatoris* cada-

cadaver trahatur, *Gladiatoris in Spoliario ponatur*, Joh. Laurentio JCto *Notis ad Phadr. fab.* 2. *l.* 2. in quo ad mortem & bestias damnati *spoliabantur*, i. e. vestibus suis exuebantur. Vide suprà in voce *Spolia*. Sed & sic dicta fuit tertia pars Gymnasii, quæ aliàs Κονίστρα seu Κωρυκεῖον Græcis, item Ἀποδυτήριον appellata est, in qua homines, qui vel exerceri vel lavari, vel utrumque agere volebant, vestes exuebant: quam *Perottus* cum Conisterio, parte Gymnasiorum quinta, in qua, qui inuncti erant, pulvere conspergi solebant, sine ratione confundit. Et quidem Vitruvii Coryceum, contra Vossium, ibi folle lusoriô seu pilâ lusitatum esse, ajentem, hinc probat Mercurialis idem fuisse cum Apodyterio, quòd aliàs sequeretur, Vitruvium *l.* 5. *c.* 11. ubi de Gymnasiorum partibus exactè agit, Apodyterium, omnium partium necessariam maximè, omisisse: quam non solùm in publicis Gymnasiis, sed & in privatis adfuisse credit, quod probat ex Plinio Jun. *l.* 2. *Ep.* 17. *l.* 5. *Ep.* 6. ubi is, in descriptione villarum suarum, Laurentinæ ac Tuscorum, Apodyterium inter alia adnumerat. Vide Hier. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 9. Interim, quia loturis, cùm in Apodyterio vestimenta posuissent, per Ephebeum, reliquaque loca in balneum transire necesse erat, sæpe autem homines in Ephebeo versarentur, à quibus haudquaquam nudos conspici honestum erat, ad hoc vitandum, in ipso Frigidario, parte Balnei secunda, videntur sese exuisse; eo magis, quòd Varro *de R. R. l.* 2. *in proœm.* atque Plin. Jun. *l.* 5. *Ep.* 6. testantur, tam in urbibus, quàm ruri, Apodyterium quoque fuisse balnei partem, quemadmodum etiam Galenus atque Oribasius 10. *Collect. c.* 6. significare visi sunt: ubi, quâ horâ juvenis temperati corpus balneô uti debeat, exponentes, Gymnasterium (quod idem cum Apodyterio) temperandum esse mandârunt, quod nullum aliud esse potest nisi Frigidarium ipsum. Facit quoque huc illud Ciceronis, *l.* 3. *Ep.* 1. *ad Qu. Fratr. c.* 12. Ἀποδυτηρίῳ nihil alsius. Fuit autem hæc pars balneatum publicarum admodum vasta & pervia, ita ut vestimenta lavantium ibi reposita facilè surripi possent: Ob quod lege cautum fuit, fures Balneorum graviùs esse plectendos, qua de re fusè Aristoteles *sect.* 29. *Probl.* 14. Et fuit inter leges Solonis, Εἰ δέ τις ἐκ Λυκείου ἢ ἐξ Ἀκαδημίας ἢ ἐκ Κυνοσάργους, ἱμάτιον ἢ ληκύθιον ἢ ἄλλο τι φαυλότατον, ἢ τῶν σκευῶν τι τῶν ἐκ τῶν γυμνασίων ὑφέλοιτο, ἢ ἐκ τῶν βαλανείων ἢ ἐκ τῶν λιμένων, ὑπὲρ δέκα δραχμάς, καὶ τούτοις θάνατον εἶναι ζημίαν. *Si quis ex aliquo Gymnasio vestis aut lecythi, aut alicujus vel minime rei, aut suppellectilis è Gymnasio, aut ex Balineo aut è portubus, quod excedat decem drachmarum æstimationem, furtum faxit, morte luito*, apud Demosth. *Timocratea*: Vocatique sunt hi Balineatii fures λωποδύται, i. e. κλέπται λωποδύται ἐν λουτροῖς κλέπτοντες. At cùm legum rigorem horum furacitas superaret, Capsarii in eum usum à balneatoribus aliisque conduci consueverunt, ut vestimenta lavandorum à furibus conservarent. Quod intellexit fortè Juvenalis *Sat.* 10. *v.* 117.

Quem sequitur custos angusta vernula capsa.

Et Ovidius potiùs *de Arte l.* 3. *v.* 639.

Cum, custode foris tunicam servante puellæ
Celent furtivos balnea tuta jocos.

Vide iterum Mercurialem *c. seq.* Haud multùm diversum *Spoliatorium*, in *Glossa MS.* ad *Disticha* Mag. Cornuti apud Carol. du Fresne, *locus nempe*, *ubi se denudant religiosi ad disciplinam recipiendam* &c.

SPONDA, duplex in lecto, sic enim hujus latera dicta, Græcè ἐνήλατα, interior videl. & exterior. Illa propiùs parietem erat, eminenti pluteô munita, quamvis non tam altô, quàm ille qui ad lecti caput: atque hinc illa *plutei* propriè, sicut exterior, quæ pluteô carebat, *spondæ* simpliciter accepit nomen. Sic enim lectos in cubiculo collocabant Veteres, ut parieti propiùs admoverentur, nec in medio essent positi: & quidem ad pluteum mulieres in lectis cubicularibus cubabant, viri autem in priore sponda. *Artemidorus*, Τῶν δὲ ἐνηλάτων τὸ μὲν ἔσω ἰδίως τὴν γυναῖκα, τὸ δὲ ἔξω τὸν ἄνδρα. Similiter ad pluteum cubabant pueri cinædi, unde Dolabella Cæsarem, *pellicem Reginæ*, *spondam interiorem lecti* vocabat. In lectis contra tricliniaribus *sponda* dicebatur pars interior, quæ mensæ admovebatur. exterior verò *pluteus*. Ideò puellæ, & pueri, qui in delitiis, interiores accumbere dicebantur, cùm in gremio amatorum suorum jacerent, nec pluteum tangerent. Scipio Africanus de Sulpicio Gallo, *Qui in conviviis adolescentulus cum chiridota tunica interior accubuerit*. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 120.

—— *Jacuit gremio nova nupta mariti* &c.

Vide Salmas. *ad Spartian. in Æl. Vero c.* 5. & suprà in voce *Anaclinterium*, item *Plutei*. Idem Salmas. spondam interiorem, *sinisteriorem* exponit, *ad Solin. p.* 936.

SPONDAULES, Græcè σπονδαύλης, ἀπὸ τῶν σπονδῶν, est tibicen qui inter libationes & sacrificia Deorum tibiis canebat, ne quid ominosi audiretur. Fiebat id autem in aurem Sacerdotis, ne aliud quid audiret, constabantque hujusmodi carmina *spondeô* pede. Diomedes de eo, *dictus* παρὰ τὴν σπονδήν, *quia in Templis hôc pede quædam carmina componebantur*, *scilicet ut libantes sonum vocis ominosæ audire non possent*. Carmina σπονδαυλικὰ dicebantur. Cicer. *de Oratore l.* 2. *Tamen in hoc genere sæpe ipse vidi*, *cùm ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur*, spondaulia illa dicentis. Erantque gravissima mele: unde tibiis dextris paribus seu Lydiis aut Tyrrhenis peragebantur; quæ è buxo fiebant, aut ebore, & *thuraria* quoque Solino appellantur, quòd iis, cùm thus in aram libabant, canerentur. Diomedes, *Cum aulis paribus ture incensis altaribus Musicus choros geminis gressibus explicaret*, *& æquipedi sono tibicen spondaulium canere juberet*, *ut duabus longis melodiis quasi duplicibus & jugibus votis prospera Deorum voluntas firmaretur* &c. Vide Salmas. ad Solin. p. 124. Eædem *spondiacæ* dictæ & à supplicantibus quoque adhibitæ sunt. *Marius Victorinus* de spondæo, *Dictus à tractu cantus ejus*, *qui per longas tibias in templis à supplicantibus editur*. Origo voci à verbo σπένδειν. Unde & σπονδεῖον, quod aliter θυμιατήριον, vas aquæ lustralis plenum, quod in ingressu templorum ponebatur. Cujusmodi vasa rotulam, ex ære, ἁγνιστήριον dictam, habebant versatilem, quam templum intrantes vertebant & aquâ inde effluente sese circumspergebant, & purificabant. Et σπονδοφόροι, in Eleusiniis Sacris, de quibus vide eundem Salmas. ubi suprà.

SPONDUS Henricus, vide *Henricus*.

SPONDYLUS, Græcè σπόνδυλος, item σφόνδυλος, pars purpuræ summa, cervix videl. quæ τράχηλος aliàs, inter quam & μήκωνα *papaverem*, mediam partem, tinctorius fucus seu flos purpuræ continetur; quod interpretatur Plinius, *in mediis faucibus*. Occurrit vox apud Martialem *l.* 7. *Epigr.* 19. *v.* 14.

Rosos tepenti spondylus sinu condit.

Edules enim erant, sicut & mecones. Unde cùm per se coquerentur, inter ostrearum genera, veluti proprium genus, recensentur *Posidippo* apud *Athenæum*. Sed & Metello apud Macrobium *l.* 2. *Saturnal. c.* 9. in Indice Pontificiæ cœnæ *sphondyli* memorantur, velut speciale genus conchæ: Columellæ quoque *l.* 16. Imò & antiqui Græci vocem posuisse videntur pro genere conchulæ marinæ. Cùm enim calculorum locô parvis conchis marinis uterentur ad ferendam sententiam, quæ χοιρίναι dicebantur: posteà ad eam formam calculi ex ære facti sunt, quos & σπονδύλους dixerunt, antiquô nomine retentô: quô pactô σφόνδυλοι fuerint iidem cum χοιρίναις, quæ sunt conchæ marinæ, vide *Pollucem*, *Scholiastem Aristophanis*, & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 1127.

SPONGIA, inter ea, quæ tertiam naturam habent, pluribus describitur Plinio *l.* 9. *c.* 45. ubi tria illius genera recensens, *Nascuntur omnes*, inquit, *in petris*: *aluntur conchis*, *pisce*, *limô*. *Intellectum inesse his apparet*, *quia ubi avulsorem sensêre*, *contractæ multò difficiliùs abstrahuntur*. Salmasio in alto quoque *spongiæ*, unde & πόντου φῦκα Græcis appellantur. Eas qui urinando expiscantur, σπογγεῖς iisdem, item σπογγοκολυμβηταὶ vocati sunt. Usus ad abstergendas mensas, unde Theopompus lepidè apud *Athenæum* vetulam, linctu lances detergentem, λεκάνης σπόγγον vocat, uti Nonius *Terginocalycem*, qui calices tergebat. Etiam apud Plautum in *Menæchmis Actu* 1. *sc.* 1. *v.* 1. parasiti nomen, quòd instar *spongiæ* mensam tergeret, *Peniculus* est: ex tenui enim & denso spongiarum genere penicilli fiebant.

Juventus nomen fecit Peniculo mihi,
Ideò quia mensam, *quando edo*, *detergeo.*

Pingentibus etiam & scribentibus, semper olim ad manum *spongia deletilis*. Unde Augustus, quærentibus amicis, *quidnam Ajax* (quô nomine is tragœdiam orsus fuerat) *ageret*, *in spongiam incubuisse*, respondit apud Suet. *in eo c.* 85. ad quem *loc.* Casaubonum vide. Sed & Gladiatoribus *spongia* in promtu erat, ad vulnera detergenda, uti alibi diximus: Eadem Tichobatis; quòd θαυματοποιῶν apud Veteres genus, in abruptis superandis inserviebat, ut infrà videbimus, lemmate *Uncæ manus*. In bello porrò illius usus, pectori tegendo, memoratur Livio *l.* 9. *c.* 49. Alios vide apud Festum in *Penicillus*, Ausonem *Epigr. de culinæ instrum.* Senecam *Ep.* 70. Arrianum *Dissert. l.* 1. *c.* 11. &c. In Græca Ecclesia parva spongiolâ, quam intra corporale complicatum servant, ac *Spongiam sacram* vocant, pateram, quam in S. Communione mento supponunt, abstergere solent, uti docet Dominic. Macer *in Hierolex.* De *spongia acetô impleta atque hyssopô circumpositâ*, sicque Servatoris crucifixi sanctissimo ori admotâ, vide Historiam Euangelicam & Isaac. Casaubonum *Exercitat.* 16. *num.* 88. uti de *Spongia* inter tria petita Gilimeri Regis à Belisario obsessi, Procopium *in Vandalicis*: & de lapide in *Spongiis* nascente infrà, voce *Thecelithos*.

SPONHEMIUS Comitatus Germaniæ, vulgò *Sponheim*, sub propriis olim Comitibus fuit, quibus extinctis A. C. 1454. quintam ejus partem Palatini, reliquas Carolus Marchio Badensis sortitus est, nomine proaviæ Mathildis, Joannis Cæci Comitis filiæ, quæ Rudolfo Marchioni Badensi fuerat elocata. Palatinis verò partem illam cum Crucenaco contulit Elisabetha, Joannis ultimi, Comitis filia, nupta Ruperto Juniori quæ marito superstes cùm nullos ex eo liberos suscepisset, Palatinam Domum pro filiis amplexa, Ludovico Barbaro Electori eam obtulit; Unde hujus, sicut & Veldentiæ ratione, iis cum Bavaris nulla tituli communio est. Recensentur verò hi inter Comites Principum dignitate præeminentes, *Gefürstete Grafen*. Vide Freherum *Origin. Palatin. Part.* 1. *c.* 14. Franc. Iren, *Germ. Exegés. l.* 3. *c.* 54. Munsterum *Cosmogr. l.* 3. *c.* 180. Tob. Pfannerum *de præcipuis Germ. Principp. gentibus c.* 3. & 9. &c.

SPONSA, ut & SPONSUS, inde dicti *Verrio Flacco*, apud *Pomp. Festum*, quòd σπονδὰς interpositis rebus divinis facerent: *Ulpiano* verò ac *Florentino*, à *sponsionibus* vel *spondendo*, quòd Veter. stipulari & *spondere* Uxores solerent; quam sententiam ipse Sponsaliorum ritus confirmat. Cùm enim primis temporibus *Sponsalia* solis nudis verbis, citra solennem stipulationem, coivissent, uti docet Casp. Barthius *Animadversion. ad P. Stat. Theb. l.* 2. *v.* 168. postmodum factum est, ut, qui uxorem ducturus erat, à Patre aut fratre germano, aut Tutore, eam in matrimonium datum iri stipularetur; idque qui nuptum daturus erat, *sponderet*: ante quem ritum peractum, quæ petebatur Virgo, dicebatur *Sperata*, Non. Marcellus *c.* 5. *n.* 69. Postquam autem responsum esset, illam, quæ petebatur, dandam esse in uxorem, & testatio fuisset interposita, parùm refert, *scripto an sine scripto*, *l.* 7. *ff. de Sponsal.* transit in *Sponsam*. Cujus moris vestigia apud Plautum extant non pauca. Inter alia in *Aulular. Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 77. Megadorus ab Euclione filiam sic stipulatur,

M. Quid

M. Qui nunc etiam mihi despondes filiam? E. Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. M. Sponden' ergo? E. Spondeo &c.

Vide quoque in *Trinummo* Lysitelem similiter filiam à Charmide stipulantem: & Arnobium *advers. Gentes l.* 4. Servium item *ad Æn. l.* 10. *v.* 79.

----- ----- *Gremiisque abducere pactas.*

Ubi not. quod *Arnobius* monet, *Pactam* dictam esse virginem, cùm conventa erat conditio; tum verò demum *Sponsam*, ubi interpositæ stipulationes. Ita enim in *loc. cit. Habent speratas, habent interpositis stipulationibus Sponsas.* Nec verò à virginis duntaxat Patre, nuptum datum iri; sed & à viri Patre, ductum iri *sponsio* interponebatur, si Donato credimus, qui huc refert Terentii *Andr. Actu* 1. *Sc.* 1. *v.* 72. hæc verba,

---- ---- *Hâc famâ impulsus Chremes*
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam,
Cum dote summâ, filio uxorem ut daret
Placuit: Despondi, hic nuptiis dictus est dies.

Cæterùm ad constituenda *Sponsalia* nudus consensus sufficiebat, neque quidquam intererat, utrum testatio interponeretur *scriptô*, ut dictum, *in fine*; denique & absenti absens per Epistolam vel Internuncium rectè despondebatur, *l. cit. ff. de Sponsal.* In tabulas tamen ut plurimum *Sponsalitiæ* conventiones referebantur. Unde Tertull. *l. de Virginibus velandis*, *Hæ sunt tabellæ*, inquit, *priores Natalium & Sponsaliorum & Nuptiarum.* Juvenalis item *Sat.* 16. *v.* 200.

Si tibi legitimis pactam, junctamque tabellis
Non es amaturus.

De quo paulo pòst plura. In ista autem responsione, ille *Cajus*, illa *Caja* vocabatur, secundùm *Dempsterum*: sed nomina hæc demum, cùm nova nupta domum mariti ingrederetur, usurpata fuisse, docet Auctor Epitomes *l.* 10. quæ Valerio Max. vulgò tribuitur, *Cæterùm Caja, usu super omnes celebrata est. Fertur enim Cajam Cæciliam, Tarquinii Prisci Regis uxorem, optimam lanificam fuisse: & ideo institutum est, ut novæ nuptæ ante januam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Cajas se esse dicerent.* Hinc Quintilianus *l.* 1. *c.* 7. *Nam & Cajus*, inquit, C. *literâ notatur, quæ inversa mulierem declarat: quia tam Cajas vocatas esse, quàm Cajos, ex nuptialibus sacris apparet*, vide quoque Plin. *Histor. Natur. l.* 8. *c.* 48. Hæc ergo ad novam Nuptam pertinent, de qua suprà dictum. Redeo ad *Sponsam.* Postquam itaque solemnis stipulatio fuit interposita, pactisque dotalibus scribendis dies dicta Auspices noctu & sub Auroram, auguriis dabant operam: signabantur dein tabulæ, à testibus præsentibus, qui hinc *Signatores* dicti, apud Juvenalem, *Sat.* 10. *v.* 336.

---- *Veniet cum Signatoribus Auspex.*

Acclamabaturque *Feliciter*, idem *Sat.* 2. *v.* 119.

Signatæ tabulæ, dictum: Feliciter.

Et Sueton. *Domitiano c.* 13. *Domino & dominæ feliciter.* In argumentum autem contractorum *Sponsaliorum*, arrhas *Sponsæ* Sponsus dabat, uti ex Paulo *l.* 2. *sent.* & ex Gratiani ac Valentiniani, aliorumque Imperatorum constitutionibus intelligitur. Quin & annulus *sponsæ* pignoris locô mittebatur, quem *pronubum* Tertullianus vocat *l. de cultu fæmin.* Unde Isidorus *Etymol. l.* 20. *Fœminæ*, ait, *non usæ sunt annulis, nisi quos Virginis Sponsus miserat.* Inserebatur is digito quarto, teste cod. *de div. Offic. l.* 2. *c.* 25. A. Gell. *l.* 10. *c.* 10. & Macrobiô *l.* 7. *c.* 13. Ferreum verò fuisse, eumque sine gemma, Plin. *l.* 33. *c.* 1. auctor est. Nec defuit *Sponsalibus* suum sacrum, quod, dum illa fierent, tabulæque scriberentur, peragi solebat, cujusmodi sacri solemnis meminit Val. Flaccus *Argonaut. l.* 8. *ubi de nuptiis Iasonis & Medeæ*, ac Seneca *Octaviâ Actu* 4. *Sc.* 1. Denique tota hæc *Sponsaliorum* pompa epulô egregiè instructô finiebatur, de quibus omnibus vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. Tum *Sponsæ* simulatâ vi è gremio Matris abrepta in domum Mariti abducebatur, nuptiisque celebratis, Uxor fiebat, de qua *suô locô.* Eò autem deducebatur tempore nocturnô, flammeô velata, in carpento seu pilento, duobus comitantibus amicis &c. Hic Romanorum veter. ritus fuit, Græcos ac Hebræos quod attinet, diximus de iis suprà in voce *Nuptiæ*; addam hoc unum de Græcis, Junoni τῇ τελείᾳ seu *Pronubæ*, sacrificâsse *Sponsum Sponsamque*, sed felle demtô, ac post altare abjectô; quô significarent, à matrimonio bilem iracundiamque procul esse debere, Plut. *in Connubial. præc.* quod sacrum προτέλεια dictum esse, monet Voss. *de Idolol. l.* 2. *c.* 26. Cùmque arrharum munerumque *Sponsalitiorum* vetro injecta sit mentio, sufficiat paucis indigitâsse, Inaures ac Armillas, non minimum inter illa locum obtinuisse. Non enim novas solùm Nuptas Inaurium magnificô apparatu exornatas fuisse, ex Homero haurimus *Hymnô in Vener. v.* 164. sed etiam fuisse *Sponsalitias*, discimus ex eod. *Odyss.* σ. ubi certatim proci Penelopen donis affecturi, inter alia dona, Inaures etiam attulisse leguntur, *v.* 298.

Δῶρα δ' ἄρ' ἐκπροέηκεν ἑκάστῳ κήρυκα ἕκαστος,
Dona verò apportandum præmiserunt Præconem unusquisque.

Et paulo pòst:

Ἑρμαῖα δ' Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν,
Inaures verò Eurydamanti duo servi attulerunt.

Et elegans est hujus rei testimonium, Gen. *c.* 24. *v.* 47. ubi servus Abrahami, Rebeccæ Isaaci *Sponsæ*, absentis *Sponsi* nomine, Inaures subjecit. Idem de Armillis dicendum: quibus caruêre Virgines, quod illas manibus suspendisse infra decorum putabatur, ut colligere est ex Cypriano *de habitu Virginum.* Ratio pudoris manifesta, nam à Viris dabantur, ut virginitati suæ irent exsequias, de qua, Armillis acceptis, transigebatur. Vide iterum Rebeccæ Historiam *loco cit.* Et hinc ad Virgines sacras, quæ Christo, tanquam Sponso, perpetuâ se devovebant castitate, ritus transit, teste Ambrosio *in vita S. Agnetis.* Neque profanis *sponsalitiæ* hæ Armillæ ignotatæ. Namque apud Plautum *Menæchmis Actu* 3. *sc.* 3. *v.* 13. se cum Spinthere etiam Armillas Erotio, amasiæ suæ, dedisse memorat: & apud Horatium *l.* 1. *od.* 9. *v.* 53. *Pignus lacertis*, Armilla est sponsalitia pignoris locô à proco circumdata, quali Juniam Fadillam sibi desponsaverat Maximinus jun. Pertinentque huc arrhæ regiæ, quæ post *Sponsi* fatum *Sponsæ* relinquebantur. Tales erant, apud Jul. Capitolin. in *Maximino* modò dicto, *c.* 1. *monilium de albis novem, reticulum de prasinis undecim, dextrocherium, cosinula de hyacinthis quatuor.* Vide quoque historiam Clitophonis *Rer. Gal. l.* 1. Cœl. Rhodig *Antiqq. Lect. l.* 8. *c.* 13. memoratî, quam hic ex Plutarchi *Parallelis num. c.* 15. hausit. Condebant autem uxores factæ armillas has in armario, ut ex Plauto *ubi suprà* docemus: imò in æternam gratæ copulæ memoriam in sepulchrum sibi mortuæ voluerunt inserri, ut auctor est Scævola *l. Medico* 40. *ff. de auro & argento leg.* vel Testamento legârunt, Paulus *in l. si tibi circlio ff. de optione, vel electione leg.* & Ulpianus, *l.* 25. §. 10. *ff. de auro & arg. leg.* Præ cæteris enim Mater filiæ legavit, ut ex Legibus Anglorum observârunt Eruditi: sicque inter ornamenta muliebria, jure hæreditariô, illæ transierunt Armillæ, quæ donô Maritorum non venerant, Tho. Bartholin. *de Armillis Veter.* c. 6. Nec omittendum, osculô firmata olim quoque esse *Sponsalia*: Cujus cùm Veteres admodum religiosi essent, non solùm non licebat cuiquam osculum temerè dare, sed ne *Sponso* quidem, nisi semel tantum, confirmandorum *Sponsaliorum* causâ, sic enim Alexander *Nov. de Spons.* ait, *confirmari Sponsalia data arrhâ & osculô.* Proin jus osculi, quod magnum erat Veterum pudicitiæ argumentum, jus augebat *Sponsaliorum*; & quæ præbuerat osculum, erat quasi uxor. Quô factum ut, licèt regulariter nuptiis non secutis resolvebatur propter nuptias donatio *l.* 15. *C de nupt.* tamen, si osculô interveniente, à *Sponso Sponsæ* donatum esset, dimidiam rerum donatarum partem hæc lucrabatur, etiamsi ante nuptias *Sponsum* mori contigisset, *l.* 16. *C. de nupt. l.* 25. *Tauri*, & ibi Gomez *num.* 3. Vide Joh. Laurentium JC. *Not. in Phædrum l.* 4. *fab.* 23. Non enim semper etiam inter vivos matrimonium consummabatur, sed aliquando dirimebantur *Sponsalia*, hâc verborum formulâ: *Tuâ conditione non utor*, simulque dissolvebantur tabulis fractis, Schol. Juvenalis *ad v.* 75. *Sat.* 9. qua de re vide Rosin. *l. cit. c.* 38. *cum Paralipom.* Dempsteri. Et hoc propriè *Repudium* dixêre Veteres, ut *Divortium* ab uxore fieri dixerunt &c. Plura hanc in rem vide suprà passim, inprimis quoque ubi de *Conjugio, Divortio, Dote* &c. De *Sponsalibus* inprimis Hebræorum, Joh. Seldenum *Uxor. Ebraic.* passim, inprimis *l.* 2. *c.* 1. ubi de *Sponsalium ac Nuptiarum nominibus & discriminibus*: *c.* 2. ubi *de Sponsalium sive pecuniâ, sive nummulo ejusve valore dato, sive libello, sive congressu initorum formulis*, *c.* 3. ubi *de minorum Sponsalibus. Internunciisque seu Proxenetis*: *c.* 7. ubi *de solemni Sponsalium Benedictione*: *c.* 8. ubi *de præstituto puellis desponsatis, ante deductionem, mora tempore ac castitate interea observandâ*: *c.* 11. ubi *de tempore Sponsalibus præfinito* &c. 14. ubi *de Annulo Sponsalitio.* Quibus addit postmodum, & cum Ebræorum ritibus contendit, *Sponsalitios* tum Paganorum, tum Christianorum, mores & solennia *c.* 18. & 19. inter quæ non minimum coronæ habuêre locum, quibus de vide quoque Car. Paschalium *Coronar. l.* 16. & 17. uti de *ritu sponsandi de solido & denario*, aliquid suprà voce *Solidus.*

SPONSALIA Maris, dicitur Venetiis solennis ceremonia, cùm Dux die Ascensionis Dominicæ, quô nundinæ celebrantur, thalamego inauratâ & sculpturis picturisque insignibus exornata, quam *Bucentaurum* vocant (in Synodo Florentina Ἱλαρζυδάρρον dicitur) vectus cum magna pompa splendidoque Procerum comitatu, ex urbe ad Adriatici maris præcipuum portum (al *Lio* appellant) quotannis proficiscitur: ubi certis ritibus Thetidi Adriaticæ *Sponsalitiorum* arrham annulô aureô mari injectô, (ad denotandum Maris illius dominium) solvit. Solennitatis origo ab Alexandro III. Pontifice, quem cùm Veneti profugum non suscepissent modò, sed & contra Fridericum I. Imperatorem fortiter defendissent, is Ziano Venetorum Duci è pugna navali reduci primò victoriam gratulatus, inde annulum porrigens aureum, *Accipe*, inquit, *Ziane*, & *me auctore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium reddito, quod tu tuique successores quotannis statô die servabitis: ut omnis posteritas intelligat, maris possessionem jure belli vestram esse quandoque factam: atque uti uxorem viro, ita illud vestro subjacere imperio*, uti habet Sabellicus *Dec.* 1. *l.* 7. Quam in rem vide plura apud Steph. Forcatulum *de Gallorum Imperio & Philosoph. l.* 3. Salmuthum *in Guid. Pancirolli Res deperd. c. de Armamentariis*, Contarenum *de Rep. Venetorum l.* 1. Jo. Kirchmannum *de Annulis c.* 19. Alios, nec non suprà in voce *Bucentaurus.*

SPONSALIS Allocutio, vide suprà.

SPONSALITIÆ Arrhæ, vide suprà in voce *Arra*, item *Sponsa* & *Sponsalia.*

SPONSIONIS, in Foro, faciendæ olim ratio, apud Romanos, hujusmodi fuit: Petitor, ubi eum, unde petebatur, aut intentionem aut rationem intentionis suæ inficiantem, audivit, eum *sponsione sacramenti* provocavit, *Ni ita esset*; quâ factâ Reus Petitorem vicissim provocavit hôc modô, in intentione, *Quando negas hunc servum meum esse, Sacramentô te quinquagenariô provoco. Spondesne quin-*

gentos, si meus sit, i. e. si meum esse probavero. Cui Reus: *Spondeo, si tuus sit*; qui si *Sponsionem* recusâsset, litem amisit. Inde restipulans rogabat, *Et tu spondesne quingentos, ni tuus sit?* i. e. si probavero, tuum non esse. Cui Petitor, *Spondeo ni meus sit*, atque hoc ni fecisset, litem amisisset. In ratione intentionis hôc pactô: Ajo hunc *servum meum esse, quia ex ancilla mea natus est.* Cui Reus: *Nego tuum esse, quia ex ancilla tua natus non est.* Tum Petitor, *Spondesne quingentos, si ex ancilla mea natus sit?* Reus, *Spondeo, si ex ancilla tua natus sit?* &c. In quo genere pecunia, quæ interponebatur, *Sacramentum*: Stipulatio & restipulatio, *Sponsio* dicebatur. Portò, ille qui petebat, dicebatur *Sponsione & Sacramentô provocare*: item *Sacramentô rogare, quærere, & stipulari.* Ille verò, unde petebatur, dicebatur *contendere ex provocatione, contendere Sacramentô & restipulari.* Exempla sunt, apud Valerium *l.* 2. Macrobium, Ciceronem & Livium. De *quingentis* autem spondendis perpetuum non fuisse, sed *Sponsionem* factam esse, pro modo litis & arbitrio provocantis, verisimile est. Siquidem *Factam esse sponsionem sestertium quinque millibus*, discimus ex Cicerone *in* 5. *Verrin.* Idemque *pro Roscio, Pecunia*, inquit, *petita est certa, cum tertia parte* Sponsio *facta sit.* Vide Jo. Rosin. *l.* 9. *c.* 13. E Foro in Circum: namque in Circensibus inprimis Ludis *Sponsiones* fervebant, inter factiones, huic vel illi colori faventes. Usque enim ad reprehensionem non Principes solum horum studiosi fuére, ut Caligula Prasini, Vitellius Veneti &c. sed & populus, unde favor, *Sponsiones*, contentio non rarò ingens, & tandem tanta, ut Justin. temporibus, inter Prasinam & Venetam factiones seditione exortâ, 40000. hominum fere trucidatâ hincque post tantam cladem, nomina factionum planè abolita sint. Pompâ itaque procedente favor studia & *Sponsiones* uniuscujusque expediebantur. Vetus Scholiastes *Juvenalis Sat.* 11. *v.* 199. *Juvenibus spectacula concedo, qui propter certamina* Sponsiones *ponunt, & delectas eos juxta puellas spectare; quia antiquitùs solebant mulieres cum viris omnibus interesse spectaculis indifferenter.* Tertullian. *de Spectacul. c.* 16. *Aspice populum ad id spectaculum jam cum furore venientem jam tumultuosum, jam cæcum, jam* Sponsionibus *concitatum.* Sponsiones autem istæ depositâ pecuniâ de victoria hujus vel illius Aurigæ fiebant, Hadr. Turnebus *Advers. l.* 8. *c.* 4. & *l.* 18. *c.* 33. Hinc Ovid. *de Arte l.* 1. *v.* 167.

—— —— *Tangitque manu, poscitque libellum,*
Et quærit, posito pignore vincat uter.

Martialis *l.* 11. *Epigr.* 1. *v. ult.*

Sed cùm Sponsio, *fabulæque lassæ*
De Scorpo fuerint, & Incitato, &c.

Etiam annulis depositis certabant. Ulpianus *l.* 17. *ff. de præscript. verb. Si inhonesta Sponsionis causa erit, annuli duntaxat repetitio erit.* Vide Thom. Dempster. *Paralipom in Rosin. l.* 5. *c.* 5. & suprà *Combina.* Qui mos ad alios quoque Ludos translatus. De hujusmodi autem *Sponsionibus* ludi causâ factis quid sentiendum, exponit Berneggerus *in Taciti Germ. quæst.* 133. ubi, ut pauca inde adjiciam, distinguit inter *Sponsiones*, quæ virtutis ergo non fiunt, adeoque honestas probatasque causas non habent; quas meritò rejicit ex dicta lege, & Saxonum moribus, apud quos receptum olim ut nullus Judicum de *Sponsionibus* talibus ac concertationibus judicium interponeret, Weichbild. *Art.* 101. §. 2. & *Sponsiones*, quæ licitam cantam obligandique effectum habent, putà, quæ ineuntur, ut sponsorum virtus & fortitudo magis inde conspicua reddatur, ut si quis certare velit *hastâ, pilâ jaciendô, cursu, lucta, pugnâ. l.* 3. *ff. de Aleat.* Quemadmodum & in pecuniam ludere non prohibent Jura, modo summa pecuniæ non nimis grandis in aleæ dubium exponatur: Cum ne divitibus quidem ultra solidum singulis vicibus ludere liceat, cæteris longè minori pecuniâ, *l.* 1. *l. ult. C. de Alea lusu & Aleat.* Unde Germanorum Veterum morem meritò perstringit Tacitus *loco cit. c.* 24. his verbis: *Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerant, extremo ac novissimô jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis junior quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia, ipsi fidem vocant.* Quam insaniam insanisse quoque Hunnos, ex Ambrosio *Tobiæ c.* 11. ad hunc locum annotavit Lipsius.

SPONSOR, cognomen Jovis, qui à Tarquinio Superbo consecratus, cuique templum conditum est, quod postea Sp. Posthumius Consul anno Urb. Cond. 288. dedicavit. Sic enim Dionys. *l.* 9. *In urbe ædem Jovis Fidii* Sponsoris *Sp. Posthumius Consul alter Nonis Juniis dedicavit, in loco Bellonæ, locatam ab ultimo Regum Tarquinio, non tamen ab illo consecratam, sed tum demum ex S. C. id fecit Posthumius, ut testatur ejus ædis inscriptio.* Eundem hunc esse cum Deo Fidio, de quo alibi actum, contendit *Lil. Giraldus.* Collocatur autem ædes memorata à P. Victore, in septima Urbis regione. Vide Joh. Rosin. *Antiquit. Rom. l.* 2. *c.* 5. infrà quoque voce *Vas.* In Ecclesia Christiana, *Sponsor*, Græcè Ἀνάδοχος, testis est in S. Baptismo. Et quidem alii olim infantium, alii adultorum *Sponsores*: quorum illi παιδαγωγοί quoque & κατηχηταί, isti ἐγγυηταί & χειραγωγοί appellabantur; de utrorumque officiis vide Dionys. *Areopag. Eccl. Hierarch. c.* 2. & 7. aliosque Auctores laudatos Cl. Suicero *Thes. Eccl.* voce Ἀνάδοχος, nec non hic passim, inprimis vocibus, *Compatres, Patrinus.*

SPORADES, insulæ quædam sic dictæ, quia in mari dispersæ sunt, nec sicut Cyclades in orbem jacent. Mela *l.* 2. *c.* 7. *Hæ quia dispersæ sunt Sporades.* Pleræque earum à Cycladibus (quæ sunt in mari Ægæo) ad meridiem vergunt, sint Cretæ viciniore, aliæ ad occasum, in Cretico mari, ut *Thera, Anaphe, Therasia, Jos, Sicynus, Lagusa, Pholegandrus, Cimolus, Siphnus, Melus.* Aliæ ad Ortum in Carpathio mari, ut *Astypalæa, Telus, Chalcia, Carpathus, Casus, Leros, &c.* (ut à Strabone enumerantur.) His Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Gyaron, Patmon*, & ignobiles plurimas; Mela *Icaron*, seu *Icariam* addit. Dionys. *v.* 530.

Κεῖναι δ' ἑξείης Σποράδες [illegible],
Οἷον ὅτ' [illegible] εἴδεται [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible].

Ab Homero *Calydnas* appellari putant, inquit *Strabo. Nic. Lloyd.*

SPORGILUS, Tonsor Atheniensis, quem Aristophan. *Avibus*, ob vilitatem traducit.

SPORGILUS, vicus Atticæ, *Stephan.*

SPORTA, an ex accusativo σπυρίδα, an quia ex *sparto*? indeque *Sportula*, propriè ciborum vel pecuniarum olim fuit receptaculum. Unde Turnebus *l.* 6. *Adversar. c.* 1. *Sportellas*, vitiles ait esse, quibus bellaria ferebantur. Et notum, pecuniam Veteres in fiscum, i. e. corbem sporteum vel viminem condidisse; præsertim, quæ majoris esset summæ, quàm ut in bulgam, zonamve rectè & commodè condi posset. Cicer. *Verrin.* 5. *Ex fisco, in cistam pecuniam transferre.* Ad quæ *Asconius Pædian.* sic annotat: *Sporta, sportula, sportella, nummum sunt receptacula, & sacci, sacculi, sacelli, & crumena & vellerea & scortea, & mantica & marsupia.* Atque hujusmodi *sportarum*, inter veterum Monachorum opificia, frequens mentio, quibus conficiendis illi operam dabant, ut victum & alia necessaria hôc pactô sibi compararent, uti docet Sozom. *l.* 6. *c.* 29. Hieronym. *Ep.* 4. Cassianus *de Institut. Cœnob. l.* 4. *c.* 29. *Alii.* Metonymicè dein pro ipsa pecunia & cibo vox adhiberi cœpit: inprimis pro munere, quod Romani clientibus suis dabant, velut obsonium. Accipiebant autem *Sportulam* ab avaris tantùm Patronis; liberaliores verò divites salutatoribus suis rectam exhibebant cœnam de qua vide suprà. Quod cum Nero prohibuisset, rectæque locô *Sportulam* dari, quæ cum calathus primùm esset, quô obsonia dabantur, posteà centum quadrantes, seu 25. asses, jussisset, Domitianus antiquatô illô Neronis edictô, revocavit cœnas; Sueton. *Domitiano, c.* 7. Hinc Martial. *l.* 3. *Epigr.* 7.

Centum miselli jam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi;
Quos dividebat balneator elixus.
Quid cogitatis, ô fames amicorum?
Regis superbi Sportulæ *recesserunt.*
Nihil Stropharum est, jam salarium dandum est.

Ubi notat divitum φιλοπρωτείαν & avaram ambitionem, qui leviculâ pecuniâ miserorum clientulorum atque anteambulonum officia benè munerari existimabant: atque mutatum esse rerum statum ait; ac jam non *Sportulam* tenuem, sed salarium dandum esse, de quo vide suprà. Ex iisdem versibus colligas, clientibus singulis qui unà lavabant, datos esse hos quadrantes, quos fortè dividebat balneator, ut colligere est, ex Ejusd. *l.* 1. *Epigr.* 60. quô Poëta, qui Flaccum erat comitatus Bajas, spe non parvæ alicujus & quotidianæ *Sportulæ*, cùm peractâ ibi lotione sportellam minutam accepisset, frustrationem illam ulcisci voluit. Interim cùm miseri hi *Sportularum* captatores, ex 100. istis quadrantibus, genium fraudantes, cellæ pensionem & vestes aliaque detraherent, Domitiani edictô in deteriorem sibi conditionem visi sunt incidisse: quia redintegratô rectæ cœnæ usu lautiis quidem cœnarent, sed nullam inde pecuniam acciperent. Quare idem Poëta, post edictum hoc promulgatum, ex Gargiliano quærit, *l.* 3. *Epigr.* 30. *v.* 3.

Unde tibi togula est, & fusca pensio cellæ?
Unde datur quadrans? —— ——

Et hæc quidem de *Sportula* quotidiana, quæ pro salutationis officio dari solebat: sed & Saturnalibus mittebantur *Sportulæ* locô vestes, ut videre est apud Octav. Ferrarium *de Re Vestiar.* Etiam postridie nuptiarum, cùm honestioribus daretur cœna, vilioribus *Sportula* conferebatur. Meminit Appulejus *Apolog. l.* 2. *ad nuptiales Sportulas convolarent*: Item Symmachus *l.* 9. *Ep.* 96. *Non eâdem tamen facilitate purgabis, quòd filii nostri Minervii nuptias aliorum potiùs relatu quam literis tuis comperi: an veritus es, ne à te munifico cujusdam desiderarem? Potest jacturam Sportulæ facere.* Ita hactenus tenuioribus solùm *Sportulæ* datæ sunt, Juvenalis verò queritur, à potentioribus eandem suô tempore cœpisse exigi. Imò Paulum, Consulatum gerentem, iisdem avidè inhiâsse, docet iterum Martial. *l.* 10. *Epigr.* 10. e quo cùm pateat, quanti *Sportulæ* istæ captatoribus illis constiterint, integrum illud adjungere hic visum est.

Cùm tu laurigeris annum qui fascibus intras,
Manè Salutator limina mille teras:
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paule, relinquis?
Qui de plebe Numæ, densaque turba sumus?
Qui me respiciet, dominum, Regemque vocabo?
Hoc tu, sed quanto blandiùs! ipse facis.
Lecticam, sellamve sequar? nec ferre recusas:
Per medium pugnas & prior ire lutum.
Sæpiùs assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus,
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
Dimisit nostras purpura vestra togas.

Similem *Sportulæ* Romanorum, loco rectæ, (quam Augustus assiduè dabat, Suetonius *c.* 74.) à Nerone introductæ, Meursius vult esse cœnam, quam Græci ἔρανον, aliter ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, item καλαθοβολίας, appellitarunt, *Commentar. in Lycophronem*; sed ἔρανος convivium erat, ad quod quisque convivarum symbolam suam afferebat, ut patet in Joh. Tzetze *ad Hesiodum l.* 2. [illegible] quod de *Sportula* dici nequit. Vide Corn. Schrevelium *Notis in Martialem locô suprà citatô.* Memoria *Sportularum* hodieque extat in vet. *Inscr.*

Flo-

Florentiæ, ex Africa illuc allata, cujus prima verba cùm desint reliqua sic habent:

.... PECUNIA PERFECIT ET DEDICAVIT ET OB DEDICATIONEM PUGILUM CERTAMINA EDIDIT ET DECURIONIBUS SPORTULAS ET POPULO GYMNASIUM EPULUM DEDIT ET HOC AMPLIUS PRO SUA LIBERALITATE CAMERAM SUPERPOSUIT, &c.

reliqua vide apud Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Part.* 3. *p.* 52. Hinc itaque etiam apud inferioris ævi Scriptores, mansit nomen munusculis, donis, Salariis & honorariis, uti docent, Juretus *ad Symmachum l.* 9. *Ep.* 124. Sirmondus *ad Sidonium l.* 8. *Ep.* 5. & Alex. Wilthemius *ad Diptychon Leod.* ubi observat, *Sportulas* à *sportis* seu canistellis appellari, quod in iis honoraria vel munera olim offerrentur; quod præterea ex Corippo colligitur. Item iis rebus, quæ propter investituram à Vasallis offerebantur suis Dominis; Horum enim alios lanceam, alios calcaria aurea, alios chirothecas, alios certam pecuniæ summam, *Sportæ* (Gall. *Esporle*) locô, illis exhibere consuevisse, docet ex variis Scriptoribus Car. du Fresne *Glossar.*

SPORTULANTES Fratres, apud Cyprianum *Ep.* 28. 34. 66. dicti sunt, quibus *sportulæ* pro stipendiis præbebantur: quas *præbendas* postmodum dictas esse, vult Car. du Fresne *Glossar.* Vide etiam Dominic. Macrum *Hierolex.* ut & suprà ubi de *Canonicorum Collegiis.*

SPORUS, juvenis quidam, *quem exectis testibus etiam in muliebrem naturam Nero Imperator transfigurare conatus est*, uti loquitur Sueton. *in Neron. c.* 28. 46. 48. 49. Hunc mutatô nomine *Sabinam* dixit, ob similitudinem formæ, *Dio*, *Zonaras*, *Suidas*, Vel *Poppæam*, alterô Sabinæ uxoris defunctæ nomine. Ita Plutarch. *in Galba.* Apud quem malè scriptum Πεππαίον ὠνομασμένον, nam Ποππαίαν debuit scripsisse. Præter Historicos, multa de hoc inaudito monstri illius conamine, Dio Chrysostomus *in oratione de pulchritudine. Nic. Lloydius.*

SPREHA, fluvius German. Oritur in limite Bohemiæ; dein per Lusatiam, ibi Budissinam, Cotbusium & Lubenum rigat. Hinc per mediam Marchiam Brandeburgicam labens, 16. mill. pass. infra Berlinum, in Havelam fluvium se exonerat, ad Spandaviam oppidum.

SPRENGERUS, Jacobus, vide *Jacobus.*

SPROTTAVIA, Urbs Ducatus Glogaviensis, in Silesia, ad Sprottam fluv. ubi cadit in Boberam, vix 2. leuc. suprà Saganum in Ortum, 4. à Glogavia in Occasum, solum sub proprio quoque Duce: E quibus Primislaus fil. Conradi Glogoviensis, mortui A. C. 1289. Dux *Sprottæ* & Sagani, bellô Polonicô, A. C. 1290. ad Cracoviam cæsus est: frater Conradi & Henrici Fidelis. Quorum ille Dux Steinaviæ & Javeræ, cùm Archiepiscopatui Salisburgio destinatus, patriam cerevisiam Salisburgi non reperiret, eum recusavit: Iste præter patriam successionem, A. C. 1306. à Posnaniensibus adversus Vladislaum Locticum vocatus, Polonæ principatum asseruit; quô tamen paulò pòst à Vladislao exutus, mœrore obiit A. C. 1309. Pater Henrici, qui lineam Sagano-Glogoviam, & Conradi, qui Steinavia Olsnensem orsus est. E quibus Henricus filium inter alios Henricum Passerem genuit *Sprottæ* & Freistadii initiò Ducem, dein fratrum hæredem, cujus mortui A. C. 1395. posteritas extincta est in Johanne, sub initium præcedentis seculi. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hist.* & suprà in voce *Saganum.*

SPUERE, prohibitum Romæ, ubi sacra Romana defossa fuêre, excidiô urbis Gallicanô, Liv. *l.* 5. *c.* 48. Aliàs efficaces sputi usus in vita, uti Veterum superstitio credidit. Hinc Plinius *Despuimus comitiales morbos, h. e. contagia regerimus. Simili modô & fascinationes repercutimus, dextræque claudicatis occursum. Veniam quoque à Diis spei alicujus audaciores petimus, in sinum spuendo. Eâdem ratione terrâ despuere deprecatione in omni medicina mos est atque effectus adjuvare &c. l.* 28. *c.* 4. Vide & suprà *Excreare*, it. infrà *Sputum.*

SPUMA, à Protogene, quô casu ad vivum expressa, in cane, refert Plin. *l.* 35. *c.* 10. *Est in ea (tabula) canis mire factus, ut quem pariter casus & ars pinxerit. Non judicabat se exprimere in eo spumam anhelantis posse, cùm in reliqua omni parte --- sibi ipse satisfecisset. Displicebat autem ars ipsa --- & videbatur nimia, ac longiùs a veritate discedere, spumaque illa pingi, non ex ore nasci, anxiô animi cruciatu, cùm in picturâ verum esse, non verisimile vellet: absterserat sæpiùs mutaveratque penicillum, nullô modô sibi approbans. Postremô iratus arti, quòd intelligeretur, spongiam eam impegit invisô loco tabulæ, & illa reposuit ablatos colores, qualiter cura optabat: fecitque in pictura fortuna naturam.* Quem postea Nealces, in *spuma* equi, cùm pingeret poppyzonta eum retinentem, non sine successu, imitatus est, *Ibid.* In metallis *Spuma* dicitur vitium jam purgatæ materiæ, quod in summo innatat; aliàs *Scoria*, item *Flos*, vide *Spuma argenti, ferri* &c. Salmas. *ad Solin. p.* 1069. & *seqq.*

SPURINA, Græcè Σπουρίνας, Dux Parthorum insigni corporis formâ, qui Crassum interemit. Item Mathematicus ille, qui Cæsari prædixerat, ut Idus Martias caveret. Sueton. *in Cæs. c.* 81. *Introiit curiam spretâ religione, Spurinamque irridens, & ut falsum arguens, quòd sine ulla noxa Idus Martiæ adessent: quanquam is venisse quidem eas diceret, sed non præteriisse.* Alius inter Othonianos duces fuit, de quo Tacit. *Hist. l.* 2. *c.* 11. Ejus jam senis ac traducti in otium vitam & mores Plinius explicat, *l.* 3. *ep.* 1. Alius denique adolescens egregiâ formâ, qui cùm fœminas virosque ad libidinem aspectu decorô invitaret, oris pulchritudinem vulneribus sponte dehonestavit.

SPURIUS, qui sine Patre. Isidorus *de matre nobili & patre ignobili natus:* Item, patre incertô, matre viduâ genitus; Aliàs vulgò quæsitus, & quasi σποράδην conceptus, Græcis non Νόθος, ut quidam volunt; *hanc enim vocem Latinè reddi non posse*, ait Quintilian. *l.* 3. *c.* 8. sed Σκότιος, quòd ejus pater in obscuro sit: aliter ὑπηνέμιος, Latinè quoque *Favonius*, quòd Terræ filius sit, & inde ventorum instar erumpat, vel similitudine ab ovis ὑπηνεμίοις *subventaneis* desumta, quemadmodum Vulcanum, ex sola Junone, absque Jovis congressu editum ὑπηνέμιον παῖδα *Lucianus* vocat, dictus est. Qui quantâ fuerint apud Veteres notati infamiâ, vel hinc patet, quod ne Nothis quidem, qui honestioris tamen ordinis erant, quidquam vel sacri vel publici cum Patre, qui eos sustulerat, vel adgnatis, commune esse voluerit Atheniensium Legislator. Vide suprà, ubi dictum est *de Nothis*, item voce *Cynosarge.*

SPURIUS, inter prænomina antiquorum, duabus literis notatur Sp. quasi *sine patre*; quemadmodum in *Problematis* Plut. indicavit.

SP. Carbilius, dedit Romanis literam G. primusque dicitur ludum aperuisse.

SP. Carvilius Maximus, Consul, an. Urb. Cond. 460.

SP. Cassius Viscellinus, ob regni Romæ affectati suspicionem interemptus.

SP. Furius Medullinus, è plebe Consul electus. Dionys. *l.* 9.

SP. Furius Medullinus, tribun. milit. an. Urb. Cond. 378.

SP. Largius Rufus, Cons. an. Urb. Cond. 248.

SP. Lucretius Cinna, Cons. an. Urb. Cond. . .

SP. Melius, cùm regnum Romæ affectare crederetur, à Servilio Halà magistro equitum, approbante L. Quinctiô Cincinnatô Dictatore, interfectus est.

SP. Nautius Rutilius, Tribun. milit. an. Urb. Cond. 332. Cons. an. 340.

SP. Oppius Decemvir, an. Urb. Cond. 304.

SP. Papyrius, Tribun. milit. an. Urb. Cond. 347.

SP. Posthumius, Decemvir, an. Urb. Cond. 303.

SP. Posthumius Albinus, Tribun. milit. an. Urb. Cond. 362.

SP. Posthumius Albus, Tribun. milit. an Urb. Cond. 374.

SP. Posthumis Albus, Consul, an. Urb. Cond. 288.

SP. Posthumius Paulus, Consul, an. Urb. Cond. 580.

SP. Rutilius Crassus, trib. milit. an. Urb. Cond. 339.

SP. Servilius, primus Romæ divortium fecit, Olymp. 64. Dionys. Halic. *l.* 2.

SP. Servilius Priscus, Cons. an. Urb. Cond. 278.

SP. Tarpejus, Patricius & Consularis, Tribunatum Plebei gessit.

SPUTO, olim Armillas pauperiorum illini consuevisse, memorat Thom. Bartholinus, *de Armillis Vett.* §. 3. his verbis: *Pauperiores ex Caryotide* (spathalia sua ac monilia conficiebant) *quemadmodum corollas precarias hodie Christianorum quidam. Aurum vero inducebant,* Sputumque *illinebant, non ob gluten, ut quidam docti arbitrantur, sed ad fascinum; cui Sputum dicatum esse meminimus.* Et quidem istiusmodi Armillarum meminit Martial. *l.* 13. *Epigr.* 27.

Aurea porrigitur Jani Caryota Kalendis:
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Inter alexipharmaca verò Veterum & *sputum* fuisse, etiam hinc colligimus, quod in calceum dextri pedis, antequam illum inducerent, *spuere* solebant, ad mala averruncanda. Non enim solùm ex abrupta calceamenti corrigia malum omen sumsêre olim, sed & si manè calceos inducturi, erosos illos à soricibus deprehenderent: aut sinistrum pro dextro sibi perperam inducerent; aut inter calceandum sternutarent, grave aliquod damnum sibi portendi formidabant. De Augusto Sueton. *c.* 92. *Auspicia & omina quædam pro certissimis observabat, ita ut, si manè sibi calceus perperam ac sinister pro dextro induceretur, ita dirum omen abhorreret.* Vide de aliis Augustin. *de Doctr. Christ. l.* 2. *c.* 20. Quibus malis ominibus amoliendis suggerit hoc antidotum Plin. *l.* 28. *c.* 4. *Inter amuleta*, inquit, *est in calceamentum dextri pedis, antequam induatur, exspuere.* In cujus locum quosdam ex Christianis, dum se calcearent, crucis signum efformare fuisse solitos, monet Tertullian. *lib. de Cor. mil. c.* 3. Quod salivâ in utroque calceo factum, à nonnullis contra pedum stuporem remedium efficax, fuisse creditum, tradit Ben. Balduinus *de Calceo Antiq. c.* 22. Vide quoque suprà in voce *Saliva*, item *Spuere.* Addam saltem, contemptum *sputô* testari consuevisse Veteres ut diximus suprà, voce *Conspuere*, *Exsufflatio*, item *Facies.* Sed & apud Hebræos, in renunciatione solenni Leviri, Fratriæ factâ, *sputum* ac calcei detractionem fuisse adhibitum, voce *Levir*: Aliter vox sumitur, apud Martialem *l.* 8. *Epigr.* 33. *v.* 11.

Hoc linitur sputô Jani caryota calendis.

Ibi enim βρακτέαν, i.e. *bracteam*, notat tenue corium, crustam vel tectorium. Nisi fortè in deaurando vice gummi *sputum* usurpatum &c. Sed hac de re jam aliquid suprà dictum. Inde *Sputator* cognomen Vladislai, Poloniæ Regis, de quo suô locô.

SQUALOR lugentium, vide suprà passim, inprimis in voce *Saccus*, ut de *squalore Ascetarum*, in voce *Sordes.*

SQUAMA, inter partes piscis propriè dictas, ei integumenti vice data est. Hebr. קשקשת ab *asperitate*: unde per analogiam *lorica squamata* dicitur 1 Sam. *c.* 17. *v.* 5. quæ ferreis lamellis, tanquam *squamis* erat conserta. Sic λεπίδα Græcè, *squamam*, pro lamina sumit Donatus Lepidus in *Eunucho Actu* 3. *Sc.* 1. & *Squama* Chaldæis est קלפה, unde *Clibanarii Equites*, de quibus suô locô diximus. Et quidem quibus *squamæ* desunt pisces, in Lege olim (utpote aliquâ sui parte manci minusque salubres) immundi habiti, Levit. *c.* 11. *v.* 9. 10. Sed & è squamosis Judæi cantharum rejiciunt, quia stercore vescitur & versatur in luto, planè ut terrestris

cantharus, quamvis cœtera dissimillimus. Eôdem modô apud Romanos non nisi squamosos pisces pollucere fas erat, ex lege Numæ, quam his verbis latam ait *Scaliger*, PISCES QUEI SQVAMOSEI NON SUNT NEI POLLVCENTO. Polluctum autem erat sacrificium vel sacrum epulum, in honorem Deorum institutum, ut notum. Postmodum dein scarus ut innotuit Romanis, & ille licèt *squamis* instructus, exclusus est, ut sumtibus parceretur. Qua de re vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 1. c. 6.* de plumatis vero loricis, i. e. plumis seu *squamis* ferreis rigentibus; Salmas. *ad Vopisc. in Carino, c. 20.* & C. Barthium *ad Statium Theb. l. 11. v. 543.* Alia vocis significatio est, apud Servium, *Sane squamæ & spienaorem significant, si à piscibus veniat: & sordes, si à squalore.* Ibi enim *squamæ* sunt furfuracea quædam corpuscula, quæ de corpore illoto & squalido eunt, cùm scalpitur. Unde *squamosi* scabie & impetigine laborantes, apud *Festum*, *Lucilium*, *Celsum* &c. Vide Salmas. *ad Pallium Tertulliani c. 5.*

SQUARTIA, piscis genus (*segrin* vulgò vocant) ob asperitatem pellis acinacum vaginis conficiendis adhibetur, in Japonia, quò maxima copia affertur ex *Cingcheu* & *Taicheu* Sinici Imperii provinciis, Auctor Anon. *Sina & Eur. c. 42.* Sed & asperâ ejus cute jam olim ligna & ebora poliri consuevisse, tradit Plin. *l. 9. c. 12.* qui *Squatinam* vocat, hodieque *Squadro* Italis, *ῥίνη* Græcis quasi *lima*. Galeorum instar, ova intra se parere, & ex illis viva animalia, tradit Theophrastus *Histor. l. 7. c. 14.* Imò inter Galeorum genera recensetur Oppiano *Halieutic l. 1. v. 379.*

> —— —— γαλεῶν δ' ἐπιεχέγεγανα φῦλα,
> Σκύμνοι, καὶ λείαι καὶ ἀκανθίαι, οἱ δ' ἄρα τοῖσι
> Ῥῖναι —— ——

Vide Voss. *de Idolol. l. 4. c. 16. 28. 45. 98.* & Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poster. l. 3. c. 1.*

SQUILLA, crustati genus piscis, à similitudine herbæ cognominis dicta Græcè *καρὶς*, memoratur Martiali *l. 13. Epigr. 83.*

> *Cæruleus nos Liris amat, quem sylva Maricæ*
> *Protegit: hinc Squillæ maxima turba sumus.*

Lucillii jam ævô Romanis in pretio fuisse, indicat hoc illius de Gallonio lurcone.

> *Cœnâsti in vita nunquam bene, cùm omnia in illa*
> *Consumis squilla.*

Cum foliis eas ficulneis coctas optimum esse obsonium, judicavit *Ananius Poeta* apud *Athenæum*. *Tostas* vocat *Squillas*, quod olim assari solerent, Horatius *l. 2. Sat. 4. v. 55.* Interim non leve earum discrimen; earumque minores accessio murænarum. Iidem *l. eod. Sat. ult. v. 42.*

> *Adfertur Squillas inter muræna natantes*
> *In patina porrecta* ——

Majores verò, velut caput cœnæ, cum asparagis inferebantur, uti docet Juvenalis *Sat. 5.* Quæ quantopere delectaverint Apicium, trium Apiciorum medium, Tiberio Cæsari æqualem, ac memoratum Senecæ, Plinio, Dioni, argumento illud est, quod Athenæus suppeditat, *l. 1.* Degebat in Minturnis, Campaniæ oppido, idque captus *Squillis* ejus loci, quæ non Smyrnæas modò squillas, sed Alexandrinos etiam astacos (qui sub *Squillæ* nomine laxius accepto non semel apud Scriptores veniunt) magnitudine exsuperabant. Hic fando fortè accepit, in Africa grandiores multo esse, itaque nec unam sibi diem differendam putavit, quo minus navem conscenderet, rectaque in Africam navigaret. Varia perpessus navigationis incommoda jam prope ad littus pervenerat, cùm piscatores obviàm veniunt, qui jam consilii ejus facti erant certiores. Ex his igitur, cùm *Squillas* suas ostendissent, exquirit, num majores iis haberent, quas advehrent. Illis negantibus, non tanti duxit, ut in Africam inferret pedem, sed Minturnensium *Squillarum* memor gubernatorem vela flectere retro ac continuo repetere Italiam jussit. Vide Voss. *de Idolol. l. 4. c. 33.*

SQUILLA, campanula cum manubrio, quæ in Romana Ecclesia ad elevationem Sacramenti, ideo pulsatur, ut orationem excitet. Vide Durand. *Rational. l. 14. c. 41.* ubi inter alia ait: *Et propter causam eandem*, Squilla *pulsatur, dum corpus Christi ad infirmum portatur. Mula etiam Capellam domini Papæ bajulans*, Squillam *fert, ob reverentiam Reliquiarum, tunc etiam cerei accenduntur.* Hinc Germanicum *Schellen* in eundem sensum formatum: & Anglis *Schell* pro testa dictum, scribit Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.* Vide etiam in voce *Campana*.

ST. in nummis Constantii Chlori, Constantini M. &c. *signata Treveris* notat, Car. du Fresne *de infer. ævi Numism.* Idem in Comœdiis indicendi silentii signum; quale illud apud Ciceronem de Jul. Cæsare, *St manum de tabula, magister adest.* Vide Casaubonum *ad Suetonium Galbâ c. 13.*

STABARENI, vide *Tabareni*.

STABERIA, gens Romana de qua idem ad eundem *de Grammatic. & Rhet.*

STABERIUS, prænomine *Lucius*, qui jussu Pompeji Apolloniæ præfuit: sed oppidanorum perfidiâ, Cæsaris gratiam spectantium, hinc fugere coactus est. Et ita vocant Veteres Codices, nec non antiqui lapides. Horat. *l. 2. Sat. 3. v. 84.*

> *Heredes Staberi summam incidêre sepulcro.*

Vulgò apud Cæsarem *l. 3. Bell. Civil. c. 12.* *Staberius* & Appiano *l. 2* Σταμίεριος perperam vocatur. *Nic. Lloydius.*

STABIÆ, urbs maritima Campaniæ in Picentinorum confinio ad ostia Sarni, Pompejis proxima, excisa a L. Sylla, teste Plinió, *l. 3. c. 5.* pro qua novæ *Stabiæ* non procul conditæ, à Surrento 6. mill. pass. Neapolim versùs. Cujus ora litus *Stabianum* à *Seneca* dicitur. Silius, *l. 14. v. 4.*

> *Lataque complebat Stabiarum litora pubes.*

Vide magnum Cluverium *de Ital. Ant. p. 1158.* *Baudrando Castell' à Mare di Stabia*, urbec. Terræ Laboris, in ora Sinus Neapol. cum portu capaci, ad radices collis, 5. milliar. ab ostio Sarni in Merid. 10. à Surrento in Cæciam.

STABILINUS, vel ut alii legunt *Statilinus*, & *Statanus*, Dei præsides & assistentes habiti: alii educationi ascribunt, eò videlicet tempore, cùm standi & consistendi potestatem habere incipiunt pueri. Vide Alex ab Alex. *l. ult. c. ult.*

STABILITAS, apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ votum dicitur, quod inter cœtera emittit Monachus in Capitulo, sese in Congregatione, & in ipso Monasterio, in quo professionem edit, permansurum; in Vita nempe Cœnobitica, quæ statum Eremiticum excludit, qui *licet Monasticus sit, tamen Cœnobialis non est*, ut ait, *Hugo Menardus*. Item votum, quô se obstringebant Presbyteri, in locis, ad quos ordinabantur, ut legitur in *Capitulis* Caroli M. *l. 1. c. 25.* &c. Vide de utroque ritu apud Car. du Fresne *Glossar.*

STABLO, vicus Galliæ in agro Rejensi, Mummoli Patricii, de Saxonibus, qui ex Italia in Provinciam eruperant, victoriâ nobilis. Gregor. Turonens. *Hist. Franc. l. 4.* Incolis *Stoblon*, aliàs *Establon*. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

STABULÆ, seu *ad Stabula*, locus Germaniæ superioris in Alsatia, ab Argentorato 36. mill. pass. Basileam versus: *Baudrando Otmars* hodie, vicus Alsatiæ superioris prope Rhenum, vix 2. mill. pass. à Neoburgo in Occasum in Tribocis, & oppid. Galliæ Belgicæ in ora Picardiæ, vulgò *Estaples*, inter Monasteriolum ad Meridiem 3. & Bononiam ad Arctos 7. leuc. *Baudrando* melius *Stapulæ*, burgus amplus Picardiæ, in agro Bononiensi, ad Quentiæ fluv. ostia, 3. leuc. infra Monasteriolum in Occasum, 6. à Bononia.

STABULARIA, per convitium à Gentilibus dicta Helena Constantini M. mater, quòd *tam diligenter præsepe Domini inquisivit*, Ambros. *Orat. de Theodos.* Vide in voce *Helena*.

STABULAUS, illustre in Tungrorum finibus monasterium, à Sigeberto, Dagoberti fil. Austrasiorum Rege constructum. Ludovico Aug. inter ea, quæ dona & militiam debent, memoratum: A Normannis vastatum A. C. 881. Vulgò *Stavelo*; vel *Staule* dicitur, Hadr Vales. *Notit. Gall.*

STABULI Comes, vide infrà *Stabulum* appellativ.

STABULUM, locus Galliæ Narbonens. *Anton.* inter. Salsulas ad Boream 48. & Pyrenæum montem ad Meridiem ubi in Hispaniam transitur, 16. mill. pass. Quibusdam est *Millas*, castrum Comitatus Ruscinonensis ad Tetim fluv. ferè 10. mill. pass. à Perpiniano in Occasum; Et *Stabulum novum*, eidem *Antonino* locus Hispaniæ Tarraconensis inter Barcinonem, ad Ortum & Tarraconem, ad occasum in ora maris Mediterranei nunc oppidulum Cataloniæ, *Villanova* dictum.

STABULUM, oppid. cum Abbatia celebri, ad amnem *Rechte*, in ditione Episcopatus Leodiensis, in confinio Luxemburgensi, 3. leuc. à Limburgo in Meridiem *Stablo. Baudrand.* Vide suprà.

STABULUM, omne domicilium, apud Poëtas, vide Barthium *Animadvers. ad Stat Theb. l. 5. v. 389.* Propriè verò, de jumentis. Salomoni *fuerunt* inquit, Sacer Scriptor I. Regum *c. 4. v. 26.* *quadraginta millia* stabulorum *equorum ad currus suos*. Qui numerus cùm prodigiosus videatur, dicunt Hebræi, vocem ארות, quæ aliàs de *Stabulis* occurrit, vel præsepibus, hîc *loculos* in stabulis aut præsepibus, singulis equis destinatos, denotare. Certè sic Vegetius appellat, *l. 1. c. 56.* *Patena quæ appellatur* (φάτνη) *hoc est, alveus ad ordeum ministrandum, sit munda semper —— Loculi prætereà vel marmore, vel lapide, vel lignô facti, distinguendi sunt, ut singula jumenta ordeum suum nullô præripiente, consumant.* Vide Sam. Bochart. *Hieroz. parte prior. l. 2. c. 9.* ubi de Salomonis equitatu. Et de bobus, Habacuci *c. 3. v. 17.* *Et non erant boves in stabulis suis*; ubi vox רפתה *raphath*, propriè stabulum boum, seu bubile est. Nec ignotum ulli Augiæ stabulum, Herculis labor. De ovibus porrò, quod *μάνδρα* propriè, quâ voce modô antrum, modò *stabulum* seu ovile notatur. Et Veteres quidem in speluncis ovilia sua constituisse (imò & reliquorum jumentorum receptacula) ex Polyphemi fabula liquet. Quo facit id, quod de pastore Virgiliano legimus *Ecl. 1. v. 77.*

> *Non ego vos postquam viridi projectus in antro,*
> *Dumosa* &c.

Ubi speluncam hanc ei pro domo fuisse, ex seqq. docet Nannius *l. 6. c. 2.* Et quòd Pyli antrum, in quo Nestoris olim, prius Nelei, *stabulum* fuerit, suô adhuc tempore, extitisse, refert *in Messeniacis* Pausanias &c. Vide & suprà voce *Præsepe*, ac *Specus*; it. *Sejorni regis custos*. Hinc *Tribunus stabuli*, apud Ammian. *l. 14. 28. 30.* Idem cum *Comite Stabuli*, in *l. 3. Cod Theodos. de Equorum conlat.* nomen dignitatis, cui Regii *stabuli* & equorum Principis cura primitus incumbebat: inde militaris factæ. Cujusmodi *Constabularios* (namque sic postmodum dici cœperunt) habuêre Imperatores Byzantini, Reges Angliæ & Franciæ, ut vidimus in voce *Constabularius*. Et quidem apud Imperatores Constantinopolitanos, eos præfuisse Francis ad Palatii custodiam excubantibus, docet Pachymeres *l. 1. c. 7.* ut quos à primæva sui origine Imperatorum custodiæ fuisse adhibitos, videtur innuere Ammianus *l. 15.* *Malarichus —— adhibitis Francis, quorum eâ tempestate in Palatio multitudo florebat, exactiùs jam loquebatur.* Vide Car. du Fresne *Not. ad Willhard. num. 210.* & *ad Alexiadem Annæ Comnenæ. p. 395.* Apud Anglos, processu temporis, quoque copia-

tum

tam præcipuos fuisse Duces, præter dicta suô loco, ex Matthæo quoque Westmonasteriensi discimus A. C. 1254. *Coram Comite Herefordiensi, qui secundùm antiquum jus, Constabularius esse dignoscitur regis exercitus*: & *Monastico* Anglico *Tom. I.* ubi refertur, Hugonem Comitem Cestriæ, Nigellum quendam fecisse *Marescallum & Constabularium suum, ita ut quandocunque dictus Hugo Comes exercitum moveret versùs Walliam: dictus Nigellus & heredes sui in eundo præcederent, & in redeundo cum exercitu, ultimi remanerent.* In Gallia sub Philippo demum Augusto, post extinctam Senescallorum auctoritatem, datum *Comitibus Stabuli* copiarum ducatum, contendit Stephanus Paschasius, & eum sequutus Duchesnius *Histor. Montmorenciaca c. I. p. 112.* Sed jam antè id factum esse, docet ex Fredegario *c. 2.* aliisque præfatus *Notarum* auctor, qui & Jura privilegia ac prærogativas hujus dignitatis, ex vetere *Rotulo* Cameræ Computorum Paris. Tillio memorato, exhibet in *Glossario*, voce *Comes*. Porrò & Gothorum in Hispania Reges suos *Stabuli Comites* habuisse, liquet ex Concil. Tolerano XIII. in quo subscripsit *Guisclamandus Comes Stabuli.* De Castellæ Regibus, id discimus ex Petro Pantino, qui hanc dignitatem apud Reges hosce perinsignem esse, sine administratione tamen, ac titulo tenus, refert. Vide quoque Blancam *Comm. Rer. Arag. p. 785.* Apud Italos hôc nomine itidem occurrit Exercitus Dux, *qui de nullo se intromittebat judicio tempore pacis: exercitu tamen militante, dominus erat occidendi, aut aliter puniendi transgressores*, uti habet Marsilius Patavinus *in Defensore Pacis part. I. c. 9.* Sed & *Constabularii Castri* apud medii ævi Scriptores crebra mentio, in *Fleta* inprimis *l. 1. c. 15. §. 3. c. 20. §. 78. & l. 2. c. 31.* ubi eorum officium describitur, *Constabularios Parochiarum* seu *villarum*, memorat Froissardus *Volum. 2. c. 96.* qui in sublevamen *Constabulariorum Hundredi* ævô Eduardi III. introducti, juxta nonnullos, talem in villis potestatem habebant, qualem in Hundredis Constabularii Hundredorum, de cujusmodi Constabulariis prolixè agit Thomas Smith *de Rep. Angl. l. 2. c. 25.* ubi inter alia duos plerumque in quovis Hundredo, totidemque in quavis Villa seu Parochia, & hos quidem *inferiores & Subconstabularios*, illos autem *superiores & capitales* appellari consuevisse, ait, *Constabularius Turris Londinensis*, non semel memoratur Scriptoribus ejusdem gentis, de cujus jurisdictione accuratè Bractonus agit *de Essoniis l. 5. c. 13. §. 4.* & Thomas Walsinghamus *p. 147.* Plura hanc in rem vide præter ea, quæ diximus, in voce *Comes Stabuli* & *Constabularius*, apud Car. du Fresne *d. l.* ubi & officii Monastici nomine *Conestabuli*, meminit, de quo sic Bernardus Monachus *in Consuetud. Cluniac. MS. Est frater, cui est commissa obedientia, ut de equis curam habeat & mulis, quem nos vulgariter Conestabulum vocamus ipse habet agasonem suum, qui capit curam de equis, qui ad observantiam pertinent —— habet autem in custodia sua totam avenam & hordeum Monasterii —— sellas, calcaria, frena, ferra* &c. aliquid etiam infrà in *Stallarius*. Cœterùm *Stabulis*, atque adeò equis asinisque, apud Gentiles, Epona præerat. Apulejus *Milesiar. l. 3. Respicio pilæ mediæ, quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso ferè meditullio, Eponæ, Deæ, simulachrum, præsidens ædiculæ, quod accuratè corollis roseis equidem recentibus fuerat ornatum.* Quam proin superstitionem ridens Octavius apud Minucium, *Quis tam stultus*, ait, *ut hoc colat? quis stultior, ut hoc coli credat? nisi quod vos & totos asinos in stabulis, cum vestra Epona, consecratis.* Vide vocibus *Epona*, & *Hippona*. it. suprà *Muliones*.

STACA, in *LL.* Adelstani, ubi de Ordalio & judicio ferri candentis, palus est vel fustis intra Ædem sacram, terræ infixus, à quo 9. pedes is, qui judicium hoc subiturus erat, emetiri tenebatur: usque ad *marcam* scil. quomodo locus dicebatur, ubi 9. illi pedes finiebant. Vox utraque Saxonica hodieque de baculo, & signo limitaneo, Germanis in usu. Vide suprà ubi *de Ferri candentis judicio.*

STACHIR, Libyæ interioris fluv. *Ptol. Senega Marmolio.* Aliis est *Rio grande*, fluv. magnus seu potiùs ramus Australis fluvii Nigritis, & in Oceanum Atlanticum se exonerat, prope Ryssadium promontor.

STACTACHATES, nomen gemmæ, à *stacte* myrrha, cujus colorem odoremque refert, dicta. Vide Salmas. *ad Solin. p. 133.* & 706. Est autem *Stacte*, Græcè στακτὴ, pars myrrhæ liquidioris, eaque pretiosissima, quæ ex myrrha collecta & contusa exprimebatur & unguentum per se faciebat, ἔλαιον dictum & μύρον: *myrrha* κατ' ἐξοχὴν, Latinis. Virg. *l. 12. Æn. v. 100.*

Vibratos calido ferro myrrhâque madentes.

Uti pars altera, quæ remanserat, & unde στακτὴ expressione eliquata fuerat, πλάσμα dicta est, quòd in offas convolveretur & pastillos, utpote dura & sicca, & proin thymiama potiùs, quàm unguentum. Quam è contrario σμύρναν simpliciter vocavêre Græci: Quæ causa quòd *myrrham* à *stacte* toties distinguant auctores. Alius à *stacte* Veter. est styrax liquidus, de quo suô locô: Plura verò hanc in rem vide apud Salmas. *ad Solin. p. 521. & seqq.* ut & supra, ubi de *Myrrha*, infrà quoque aliquid, ubi de *Syrio rore*.

STACHYS, Pauli amicus. Roman. *c. 16. v. 19.*

STADA, vide *Statio*.

STADIA, olim dicta est *Rhodos*.

STADINGI, apud Albertum Stadensem A. C. 1234. aliosque citerioris ævi Scriptores, populi sunt in confinio Frisiæ & Saxoniæ siti, paludibus inviis & duminibus circumcincti, *qui pro suis excessibus & subtractionibus decimarum multis annis excommunicati, contemtores clavium Ecclesiæ sunt inventi. Qui cùm essent viri strenui, vicinos populos, imò & comites & Episcopos pluries sunt aggressi, victores sæpe, rarò victi. Ob quam causam auctoritate populi verbum Crucis contra eos fuit per plures diœceses prædicatum*, uti habet Godofridus Monachus apud Car. du Fresne *Glossar.* An iidem cum *Stadensibus*, de quibus vide in voce *Statio*.

STADIODROMI, Σταδιοδρόμοι, genus olim cursorum, à *cursu* unius tantùm *stadii* dicti. Unde Tzetzes *l. 3. Histor. Chil.* 6 de iis, ἁπλοῦν, inquit, τουτέστι τὸν δρόμον. Sic enim apud eum rescribit Voss. *Agnosticôn l. 1. c. 28.* Qui verò duplex unô cursu Stadium percurrebant, sed sine recursu, Δολιχοδρόμοι; unde Proverb. apud *Pollucem*, Μὴ ζήτει ἐν σταδίῳ δόλιχον, quô significatur, in minori majus non esse quærendum: Qui duplicis stadii cursum à carceribus currebant & recurrebant, Διαυλοδρόμοι, quòd stadium, ubi currerent, angustum foret, sed porrectum instar αὐλοῦ seu tibiæ: Tandem, qui armati in stadio decurrebant, Ὁπλιτοδρόμοι sunt appellati. Quæ omnes exercitationes gymnasticæ erant, unde mirari subit *Stadiodromos*, cœterosque hic memoratos, publicis Cursoribus seu Tabellariis, & hinc Servis, à Dempstero annumerari, *Paralip. in Job. Rosin. Antiqq. Rom. l. 7. c. ult.* Fuit autem *Stadium*, undecima ac omnium postrema Gymnasiorum olim pars, ubi Populus cum voluptate Athletas certantes spectabat: nihilque aliud erat, quàm hemisphærium quoddam, multis gradibus constructum, unde poterant commodè Spectatores, qui semper plurimi eò confluebant, τοὺς ἀγωνιζομένους intueri. An verò inter illud & Xystum seu peridromidas murus intercesserit, non liquet, ut proin nec illud, an inde per ostium, ex platanonibus Gymnasiorum, Athletæ in arenam prodierint *Stadii*: Vitruvius enim ejus non meminit. Interim rationi consentaneum videtur, universum ædificium, ne cuivis pateret, muro conclusum & propterea à Gymnasio *Stadium* muri septô divisum fuisse, quod & ex Capitolino probat Hieron. Mercurialis *de Arte Gymn. l. 1. c. 10.* Vide eundem quoque *cap. præc. 6. ubi iconem Gymnasii cum omnibus suis partibus spectandam exhibet.* Hinc & pro ipso cursu *Stadium* sumi cœpit, unde cursus Gymnastici, sicut & Athletici, quatuor præcipuæ species inveniuntur, apud harum rerum Scriptores, *Stadium*, (de quo Paulus 1. Corinth; *c. 9. v. 25. currentes in stadio ob corruptibilem coronam certare*:) *Dolichum*, *Diaulum* & *Armatum*? Eratque *Stadium* cursus unius tantùm stadii, quô qui defungebantur, *Stadiodromus* esse dictos vidimus. Vide iterum Mercurialem *l. 2. c. 10.* Cujusmodi Cursorem ex ære Leontius fecit, insigni arte. Plin. *l. 34. c. 8. Eundem* (Polycletum) *vicit & Leontius, qui fecit* Stadiodromon *Astylon, qui Olympiæ ostenditur.* Fuit is Crotoniata, & palmas tres cursu continuò repetitô adeptus est, Platoni *de Legg. l. 8.* inter illos athletas numeratus, qui, ut in publicis certaminibus vincerent, ab omni voluptatum genere ac inprimis consuetudine mulierum abstinebant &c. Cœterum *Stadium* nec carceres habebat, neque ædificia, uti Circus, qua de re vide Salmas. *ad Solin. p. 923.* plura verò apud Jac. Sponium *Itiner. Part. 2. p. 212.* ubi *Stadium*, prope urbem Athenas hodieque videri dignum, & *Part. 1. p. 307.* ubi similem locum, qualis prope Smyrnam, accuratè describit. E quo hoc unum adjicio, in priori Stadio non cursûs solùm certamina, sed & Ludos totius gentis *Panathenæa* dictos celebratos, etiam ab Hadriano Imperatore sylvam populo exhibitam esse, quod quale spectaculi fuerit genus dicemus infrà. Aliàs *Stadium*, spatium terræ erat, quô distantiam locorum itinerumque longitudinem Veteres metiebantur, dictum ἀπὸ τοῦ ἵστασθαι, quòd Hercules, cùm unô spiritu id decurrisset, substiterit. Eorum unum *Italicum*, pedum 625. passuum 125. quorum proin octo milliare efficiebant: Alterum *Olympicum*, pedum 600. passuum 120. Tertium *Pythium*, 1000. passuum, vocabatur; quô pactô facilè conciliaveris Plinium ac Diodorum Siculum, circa Siciliæ descriptionem, in diversa, ut videtur, euntes. Vide iterum Salmas. ubi suprà *p. 688. 792.* alibique passim, inprimis verò *p. 494. & seqq.* ubi quot stadia singulis diebus ad justum iter fuerint requisita, pluribus docet. Nec omittendum, quod de *Stadiodromis Suidas* habet, cùm ait, *eos longiorem tractum metiri cursu dolichodromis*, à Mercuriali non probari: cùm hujus contrarium manifestè colligatur ex Parmenonis *Epigr.*

Φησὶ πολυστιχίην ἐπιγράμματος, οὐ κατὰ Μούσας
Εἶναι, μὴ ζήτει ἐν σταδίῳ δόλιχον.
Πολλάκι ἀνακυκλοῦνται δολιχὸν δρόμον ἐν σταδίῳ εἶδε
Ὀξὺς ἐλαυνόμενος στάδιος ἐστιν ...

Vide iterum Mercurialem *de Arte Gymnast. l. 2. c. 10.* & suprà ubi de *Dolichodromis*.

STADISIS, Æthiopiæ sub Ægypto oppid. ubi Nilus tantô fragore labitur inter montes, ut incolis auditum auferat. Plin. *l. 6. c. 29.*

STADIUS Johannes, Brabantus, primò Historiam Livii publicè Lovanii exposuit, dein Mathematicæ ac Astronomiæ totum se addixit, P. Rami successor Lutetiæ factus. Edidit Tabulas Berganas sive Ephemerides Astrologicas, ab A. C. 1554. ad ann. 1606. magno cum applausu, sed prædictionibus Astrologicis quòd nimiùm tribueret, reprehensus. Obiit A. C. 1579. ætat. 54. Vide Thuanum *Histor.* Et Ant. Teissier *Elogiis* Part. 1. ubi scripta illius enarrat. Alius, illi cognominis, Homburgô. Hassus, vernacula linguâ Antropophagorum regionem descripsit, *ibid.* Vide & suprà *Johannes Stadius*.

STAFANGRIA, urbs Norvegiæ Episcopalis sub Archiepiscopo Nidronensi, in ora Oceani Germanici cum portu percapaci, 90 mill. pass. à Bergis in Meridiem 60. à Sinu Codano in Boream. Sita in Præfectura Bergensi, prope arcem *Dorwik*, sub Danis. Scribitur & per v.

STAFFA, apud Fridericum II. Imperatorem *de Venat. l. 1. c. 71. Deinde ponat pedem suum in* staffa *sellæ*: Italis quoque *Staffa*, Gallis *Sautier*, stapes est, quô quis in equum tollitur; an ex Saxonico *staf*? baculus, cui quis innititur. Vide Jo. Molinetum *Itin. Neap.* & Goropium Becanum *Gall. l. 2. p. 49.* Cujusmodi equitantium sustentacula Veteribus incognita fuisse, dicemus infrà in voce *Stapes*. Addam hic saltem, in more jam olim fuisse Imperatoribus, Regibus, Principibusque viris, ut equitantibus Pontificibus, Archiepiscopis, & Episcopis *staffas* & fræna tenerent, pluribus exemplis ostendere Car. du Fresne *in Glossar.* & *Notis ad Cinnamum*. Vide eandem *Dissert. 1. ad Joinvillam.*

STAFFORDIA, provinc. Angliæ, ubi aliàs Cornavii ex parte. Terminatur à Septentrione Cestriâ, ab Ortu Darbiô, ab Occasu Salopiâ, à Meridie Vigorniâ. Ejus urbs primaria *Staffordia*, ad amnem Savum. Inter Darbiam & Salopiam 22. utrinque milliar.

STAGI, apud Spelmannum, primarii dicuntur quidam è Conventu Cathedralis Ecclesiæ, qui moderandis *statuendisque*, ejusdem rebus necessariò requiruntur, scil. Decanus, Subdecanus & 2. vel 3. majores Canonici; aliàs *Residentiarii* dicti vide in *Glossario*. At *Stagium*, Gallis *Estage*, cœnaculum est, ex Græco στέγη. Item ea obligatio, quâ vassallus tenetur *stare* in castro domini sui, sive cum contra hostes tuendo sive aliô fine; sic à *stando* est, qua de posteriore vocis notione, plurima congessit Car. du Fresne *in Glossar.* & *Notis ad Stabilimentum S. Ludovici.*

STAGIRA, quæ STANTIRA *Ptolemæo*, oppid. Macedoniæ maritimum ad monti Athi radices, in agro Olynthiaco, patria Aristotelis, teste Laertiô in vita ejus. *Libanova*, teste *Sophiano*, in Amphaxitide provinc. prope Strymonicum sinum 15. mill. pass. ab Atho, in Ortum paulo plus à Singitico Sinu in Boream *Baudrand.* *Macra* verò *Nicetæ*. *Michael* quidam recens scriptor dicit Aristotelem fuisse Thracem. Nempe quia *Stagira* quibusdam est in Thracia, uti Pausanias *ait in Eliaco*. Ac videntur duo antiquissimi historici, Herodotus *in Polymnia*, & Thucydides *l. 4. & 5.* *Stagiram* tribuere Thraciæ. Nempe antiquissimis temporibus *Stagiros* fuit Thraciæ. Nec tamen Aristoteles Thrax, quia cùm nasceretur Aristoteles, jam Stagira erat Macedoniæ pars. Sanè Philippus Alexandri parens tum extendit Macedoniam, (quæ usque ad Strymonem extendi solet) usque ad Nessum. Sed Stagira non modò intra Nessum, sed etiam Strymonem est. Antiqui tamen limites, ne quidem usque ad Strymonem, patuisse videntur. Verùm hoc multò ante natum Aristotelem fuit. Est autem & alia ratio, quamobrem Græcus, non Thrax, dicendus sit Aristoteles. Quia nempe Græciæ, non Thraciæ attributæ fuerunt pleræque Græcorum coloniæ, quæ in Thraciæ litoribus sitæ essent. Porrò dicitur *Stagiros*, ut *Herodoto*, *Thucydidi* & in *Epitome* Strabonis. Dicitur item *Stagira* plurali numero ut *Pausaniæ*, *Stephano* aliis. Denique dicitur & *Stagira* in singulari numero ut Laërtio *in Aristotelis Testamento*; *Eusebio*, &c. *Nic. Lloydius.* Stagiritarum lex fuit, ἃ μὴ κατέθου, μὴ λάμβανε. *Quod non deposuisti ne tollas.* Ælian. ποικίλ. *l. 3. c. 46.* quam legem inter Solonis etiam leges recensuit Laërtius in eo. Hodie paucis constat incolis. *Baudrand.* de conditu ejus sic Eusebius *num.* 1360. *Olymp.* XXXI. *Acanthus condita & Stagira*; in Isthmo nempe utrinque montis Atho, addit Marshamus *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi de *Græcorum Coloniis.*

STAGNA, pro Numinibus. Seneca *Ep.* 41. *Magnorum fluminum capita veneramur —— & Stagna quædam vel opacitas vel immensa altitudo sacravit.* Superstitionis occasione ab Ægyptiis desumtâ; uti docet Octavius apud *Min. Felicem*, quos Helcesaitas posteà imitatos esse, refert Epiphanius *Hær.* 19. Hinc *stagnare*, unde *stagnantes aquæ*. Alia verbi notio apud Justin. *l. 36. c. 3.* ubi de Asphaltite lacu, *aquam ejus omnem bitumine stagnari*, addit. Hic enim *stagnare*, munire, firmare, indurare est. Græcè ἀσφαλίζειν, unde ἀσφαλῆ Grammatici derivant. Sic apud eundem *l. seq. c. 2.* Mithridates *se adversus insidias exquisitis remediis stagnavit*, h. e. munivit, ἠσφαλίζετο. Sed tum *stagno* verbum, κασσιτερῶ & γανῶ Græcè, à *stagnum* est, quod κασσίτερος Græcis dicitur, & *stannum* vulgò scribitur, i. e. *stagno* sive *stanno* induco. His tertium addatur, *stagnare*, pro munire & firmare; quod à Græco στεγανοῦται vel στεγνοῦται descendit. Unde στεγνῶ, *stagno*, quod στεγνοῦται significat, σφίγγεται, πυκνοῦται. Et sic *Stagnum* quoque de palude, ex Græco στεγνόν, Siculis σταγνόν. Imò & quartum, *stagnare* pro *metalla secernere*, Isidor. *in Glossis.* Unde *stagnatio*, fraus illa Monetariorum, qui, cùm pecuniam argento ære mixtam flare deberent, argentum separabant & æs solùm in figuranda moneta exhibebant, uti indicat *l. 6. Cod. Theodos. de falsa moneta.* & nos suprà vidimus, lemmate *Adulterare monetam.* &c. Habent autem *Stagna* & lacus, qui ut plurimum originem sumunt vel ex mari vel ex flumine aliquo, vel ex fonte, haud secus ac sinus maris, qui terras intrant, sua στόματα & suos μυχούς. Et quidem pars illa stagni, quæ mare vel flumen infusum recipit, quaque impletur ac depletur, στόμα propriè vocatur; pars contraria, quæ longô recessu excurrit, μυχός: Illam *bondam stagni*, hanc *caudam* ejus Galli vocant. Quod cùm non observatum esset *Eustathio*, *Dionysio*, aliis, locum *Strabonis*, de Tigri per paludem Thospitin transmittente, qui sic habet, κατὰ δὲ τὸν μυχὸν τῆς λίμνης εἰς βάραθρον ἐμπεσὼν ὁ ποταμὸς, καὶ πολὺν τόπον ἐνεχθεὶς ὑπὸ γῆς, ἀνατέλλει κατὰ τὴν Χαλωνῖτιν, malè acceperunt, uti pluribus docet Salmas. *ad Solin. p.* 696. & 697.

STAGNATIO in Re monetaria quid, vide suprà, *Adulterare monetam*, ut & quæ modò dicta.

STAGNUM, palus Africæ, 40. stad. à Carthagine, *Oros. Procop.* Item urbec. Dalmatiæ, in parte Orientalis Hillidis peninsul. cum portu, in ora maris Adriatici sub Ragusinis. 18. mill. pass. à Ragusio in Boream Naronam versus paulo plus; *Stagno.*

STAGONIA, thuris genus est, apud Plin. *l. 34. c. 11.* Græcè σταγονίας. Nempe sic vocatum est thus masculum, & Arabicum, ἀπὸ τοῦ σταγόνος, *à gutta*, quòd rotundum guttatim manans effluerer; seu in rotunda gutta penderet, hinc ἄτομος quoque, quòd naturâ non arte *incisionis* talem formam acciperet. Uti contrà Indicum, quod abundantiùs manabat, ita ut plerunque grana singula manum implerent, in quadras scindebatur, quæ volutando concutiendoque in aliquo fictili rotundæ evadebant. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 508. & 509. ut & suprà in voce *Natef.*

STAHRENBERG, vide infrà *Starenberg.*

STAIN Henricus, vide *Henricus.*

STAJUS, tribunus, quem Tiberius Cæsar cum valida manu misit, ad T. Curtisium tumultûs servilis per Italiam concitatorem & proximos audaciæ in urbem trahendos. Tacit. *Annal. l. 4. c.* 27.

STALAGMIUM, pro Inauribus apud Veteres reperitur, & quidem iis, in quibus bacca, quæ in hoc genere pendula erat, σταλαγμοῦ sive *guttæ* haberet figuram. Ita enim *Cæcilius*, antiquus apud *Festum* Poëta,

> *Ex aure ejus* Stalagmium *domi habeo.*

Quæ Inaurium notio & Plauto placuit, *Menæchm. Actu* 5. *Sc.* 3. *v.* 18.

> *Hæc palla & spinther saxo referantur simul.*
> *AN. Amabo mi, Menæchme Inaures da mihi*
> *Faciundas pondo duûm nummûm* Stalagmia,
> *Ut te libenter videam*, &c.

Ubi tamen *Spatalia* legunt: quam lectionem defendit Thom. Bartholin. *Schedio de Armil.* §. 7. ex eo, quod *Inaures* præcesserunt: unde aliud ornamentum hôc nomine intelligi existimat. Iconem *Stalagmii* ex amethysto, ut & Inaurem æream, gemmis tribus vitreis oblongis dependentibus ornatam, ex Musæo Lælii Paschalini Rom. exhibet Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Vide quoque Casp. Bartholin. *de Inauribus Veterum c.* 2. Nempe istiusmodi uniones, velut sunt guttæ aquæ cadentes & tractim pondus suum sustinentes: à qua figura alabastra quoque unguentorum haud longè abeunt (ut quæ referunt formam balani productioris, vel φοινικοβαλάνου;) item grana rotunda thuris masculi, quod hinc σταγονίαν Græci, utrumque *Natef* dixerunt Arabes. Vide suprà. Sed & σταλαγμὸς, vox corvorum est, quum stillantis aquæ sonum imitantur, uti docet Salmas. *ad Solin. p.* 1318.

STALIOCANUS, portus Galliæ Narbonens. ad mare Britannicum. *Ptol. Roscou*, teste *Bertrandô Argentræô*; *Leona* verò *Villanovano.* Baudrand. fuit oppid. Osismiorum, hodie *Leon*, seu *Leondoul*, in ora Britanniæ minoris episcopalis sub Archiepiscopo Turonensi cum portu amplo, vix 1. leuc. à Roscovio in Meridiem 2. à Tauro in Occidentem; 14. à Brivate portu in Cæciam; Aliter *Leona.*

STALLA, villa Comitatus Tirolens. ubi merces deponuntur & rursus imponuntur. *Merul.*

STALLARIUS, nomen dignitatis Aulicæ, apud veteres Angliæ Daniæque Reges, de qua vide Hovedenum A. C. 1068. & Jan. Dolmerum *Not. ad Jus Aulicum Norvegicum vetus c.* 1. Idem cum *Constabulariô* seu Stabuli Præfecto, ex Germanic. *Stall.* i. e. *stabulum*, & *Herr*, i. e. *dominus*, *præfectus*. Aliàs *Stallum*, apud Recentiores, in genere locus est, ubi quis *stat*, habitat, sedet: sicuti etiam suprà de voce *Stabulum* diximus. Præsertim verò sic dictæ sunt in foris & nundinis mercatorum sedes vel apothecæ: unde *Stallagium*, præstatio pro jure *stalla* habendi in nundinis forisque. Sed & *Stallum*, pro sede uniuscujusque Monachi aut Canonici, in Choro Ædis sacræ, crebrò occurrit, apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores. Unde natum verbum *installare*, pro, locum in choro dare, beneficii Ecclesiastici possessionem conferre, *in stallum inducere*, vide Car. du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolex.*

STAMEN, Græcis στήμων, quasi *Statumen*, in tela quid dicatur, notum. Hoc cùm telam intenderent, dicebant Attici ἀσφονεῖν, Hesiodus in ἔργ. v. 777. προβάλλεσθαι, cæteri Græci propriè διάζεσθαι, quod *ordiri* Latini appellavêre. Quò spectat illud Ovidii, *l. 6. Metam. v.* 55.

> *Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo.*

Constitutô *stamine*, cum eo subtemen seu tramam connectebant; nihil aliud enim Textura, quàm Ars est subtemen ad stamen connectendi, hôcque connexu (συνάπτειν στήμονα vocant Græci) tota telæ structura constat. Et quidem pinguiores ac rudiores vestes plus *staminis*, quàm subteminis, accipiebant: contrà delicatiores & molliores, siquidem delicatiùs & subtiliùs nebatur subtemen. Unde *de subteminis studio* laudari tunicas Carthaginensium, legimus apud Tertullian. *de Pallio c.* 1. Et Hesiodus in ἔργ. v. 536. hibernam vestem, quæ mollior esse debebat, ex multo subtemine & raro stamine confieri præcipit:

> Στήμονι δ' ἐν παύρῳ πολλὴν κρόκα μηρύσασθαι.

Dicebantur autem illæ στημόνιαι seu πολύστημοι, hæ ἀραιόστημοι, item κροκωταί. Nec verò solùm in tunica tenuius semper subtemen, quàm *stamen*, sed etiam pretiosius. Sic in subsericis vestibus stamen de lino, subtemen de serico erat in auro textilibus quas Græci διαχρύσους vocant & χρυσοϋφεῖς, subtemen imponebatur ex aureis filis. Virg. *l. 3. Æn. v.* 483.

> *Et picturatas auri subtemine vestes.*

Vestes namque aureô stamine texi non posse, notant Veteres. Atque hinc diversæ artes, στημονουργικὴ & κροκονητική; uti pluribus videre est, apud Salmas. *ad Tertullian. d. l.* eundem item & Casaubon. *Notis ad Capitolin. in Pertinace. c.* 8. Uti porrò telæ, sic tota chartæ textura ex stamine & subtemine constabat. Philyræ namque primùm tàm longæ, quàm longum papyrum erat, in tabula Nili aquâ madente extendebantur & statuebantur & hæc prima scheda supinæ addita vicem *Staminis* obtinebat, ex multis philyris παραλλήλως positis concinnata. Super quas philyras directas, aliæ deinde transversæ collocabantur, in modum cratis: quæ proin crates ex directis & transversis virgis constabant, quarum hæ subteminis locô erant. Hinc & *texi charta* passim dicitur, apud *Plinium*, *Cassiodorum*, *Lucanum*. Hæc solùm utriusque texturæ differentia fuit, quòd in chartis subtemen imponebatur stamini & glutini ope hoc ad illud connectebatur: in tela autem subtemen seu licia transversa stamini per radios textorios inserebantur & per medium decurrebant &c. Vide eundem Salmas. *ad Vopisc. in Firmo*, *c.* 3. & de *Staminibus animatis*, i. e. jam coloratis & tinctis, *ad Tertullian. d. l. c.* 3. ut & hîc passim. in primis ubi de Veterum *Texendi arte.*

STAMENA, urbs Chalybum, *Steph.*

STAMENA, Στάμενα, vox infimæ Græciæ pro minutiore moneta occurrit passim: *Stamina* fortè Odoni de Diogilo *de Profect. Ludov.*

en mixto, fuerit conflata; στάμνι enim Græci; ut Latini recentiores *stamnum* & *stagnum* appellant, quod Veteres *stannum*. Et habentur *nummi stagnei*, in *Pandectis* Florentinis, de quibus vide Cujacium. An Στάμνον, factum ex ἰστάμνον, quô nomine propriè significatæ pecuniæ, quæ fœnore dantur? uti vult Samal. *de Usuris*. Vide Car. du Fresne *Dissert. de infer. ævi Numism. num.* 95. At *Stamina* seu *Stammea*, apud Monasticæ Rei Scriptores, lanea est interula seu camisia, quâ Monachi quidam vice cilicii utebantur, ut monet idem in *Glossar*.

STAMENEMES, Thebaidis in Ægypto Rex XXXII. post Pente-Athyrim, præfuit annos 23. usque ad tempus exitus Israëlitarum ex Ægypto inferiori sub Aphophe Tanita. Eum excepit Sistosichermes, quem vide.

STAMPÆ, Galliæ Celticæ oppid. præcipuum, ad Ivennam fluv. vulgò *Estampes*: *Baudr. Valesio* situm est in Senonibus, ad fluv. Junnam, qui paulo infrà Stampas Loâ fluv. majore & minore augetur: dein apud vicum Exonam vel Axonam, nomine mutatô, Exona *la riviere d'Essone* vocatur, atque ad Corboilum in Sequanam decurrit. Olim *Salioclita* videntur *Stampæ* dictæ, nisi illa sit villa Sarclidæ *Sacii* ad fluv. Junnam, in pago Stampensi. *Stampis* palatium olim fuit, ubi Robertus Rex Ecclesiam ædificâsse dicitur. In Chronico Mauriniacensi Marchi Vicecomitis Stampensium mentio fit, cujus gener Guido uxoriô jure Vicecomitatum obtinuit. In eodem & Veteres *Stampæ* memorantur, quibus novas accessisse, quæ absolutè *Stampæ* dictæ, probabile est, *Notit. Gall.* Comitatus olim caput, qui à Duce Bituricensi emptus A. C. 1401. posteà à Francisco I. in Ducatus fastigium evectus est, *Haillan*. Duchesnius *recher des villes*. Arcis fundamenta prima Robertus Rex jecisse legitur. Concilia hic habita A. C. 1048. 1091. 1099. 1112. 1130. quô à Ludovico Crasso convocatô, quæsitum, Innocentio ne II. an Anacleto Antipapæ adhærendum sit? Aliud etiam à Ludovico Juniore rebus Orientis intento, ibidem celebratum est. Vide Moretum *Dict. Hist.*

STAMPALIA, olim *Stapalea*, insula est in faucibus maris Ægei: ejus ambitus est 88. milliar. Civitatem habet sui nominis; quam circum multa antiquarum superbarumque fabricarum rudera visuntur. *Nat. Metel.*

STANACUM, urbs Norici in limine Vindeliciæ, *Antonin. Vatenkirchen Lazio*. Aliis est *Oberperg*, pagus Bavariæ inferioris ad Oenum, 4. milliar. Germanic. suprà Bojordurum in Meridiem.

STANCARUS, vide *Franciscus*.

STANDARDUM, signum militare præcipuum, quod Imperatorium dicitur, vel Regale: Romanis inferioribus *Labarum* & *Bandum* vocatur, Italis *Carrocium*; Germanis aliàs *Standard*, aliis *Sturmfahn*. Vide Brittonem Armoricanum *l.* 11. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.* & suprà in voce *Bandum*. Addo hic, quòd ei nomen à *stando*, quia statarium signum seu vexillum fuit. Tribuitur à rerum Hierosolymitanarum Conditoribus Saracenis ac Sultanis; quibus etiam *Carrocium* adscribit Turpinus *c.* 18. & certè pro *Carocio* sæpe apud Scriptores vox usurpatur, cujus formam id habuisse videtur: an verò vicem ejus ubiqui præbuerit, adhuc inexploratum est. Sed & apud Anglos præcipuum Regis vexillum, diversum tamen à *Dracone*, id nominis habuisse, discas ex Matthæo Westmonaster. *ad A. C.* 1016.

STANFORDIUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

STANISLAUS, Episcopus Cracoviensis, à Boleslao Polono, quem reprehenderat ex officio, interemtus est: ob quod scelus excommunicatus Boleslaus, in Hungariam profugit, inde in Carinthiam, in cœnobium Oziæ concessit, culinaribus ministeriis vitam sustentans. A. C. 1081. Cromer. *Histor. Pol. l.* 4. Matth. Mechovita *l.* 2. *c.* 10. *&c.* Imò, Excommunicatâ propter cædem ejus Poloniâ, abstentum quoque à Regio titulo, sicque Polonia *Principatus* nomine contenta fuit, per 215. annos, usque ad Primislaum, & A. C. 1295. Georg. Hornius *Orb. Imper. cum Not.* L. Joach. Felleri *p.* 389.

STANISLAUS Socolovius, Stephano Bathorio, Poloniæ Regi à concionibus: vertit Jeremiæ Patriarchæ Constantinopol. *Censuram Ecclesiæ Orient.*

STANISLAUS Grsepsius, scripsit *de multiplici Siclo & talento Hebraico. De mensuris Hebraicis &c.*

STANNUM, metalli genus, *illitum æneis vasis, saporem gratiorem facit, & compescit æruginis virus, mirumque pondus non auget. Specula quoque ex eo laudatissima —— Brundusii temperabantur, donec argenteis uti cœpêre & ancillæ*, Plin. *l.* 34. *c.* 17. Idem ad ocreas Heroum, & nummos adhibitum esse, discimus ex *Homero*, & iis, quæ suprà dicta sunt in voce Ocrea, *Stamena*. Vide quoque *Fodinæ Stagna*; item ubi de *Organis*, & *Poculis*, & *Typographia*. Hodie ex Angliæ provincia Cornwallia insigni copiâ educitur. Auctor Anonymus *Historiæ Orbis Terr. c. de Commerciis*. Vide & suprà *Sorlingæ*.

STANOS, Macedoniæ urbs, *Nicetas*.

STANTES, apud Cyprianum *Ep.* 14. *Episcopi in unum convenienter, præsente &* Stantium *plebe*: dicuntur Christiani, qui in persecutione fidei constanter perseverant, *Lapsis* oppositi. Fortè ex Ephes. *c.* 6. *v.* 14. *State igitur lumbis veritate cincti ---- calceatis pedibus præparatione Euangelii pacis*. In quibus verbis videtur Apostolus alludere ad ritum V. T. quô Israëlitæ Pascha comedebant, lumbis præcincti, calceati, baculis innixi, ad iter instructi, & ut Philo ait *de Sacrif. Abelis & Caini*, ἀκλινῶς καὶ παγίως ἑστῶτες τοῖς ποσὶν, *immobiliter & firmiter stantes pedibus*. Vide Bochart. *Hierox. Parte prior. l.* 2. *c.* 5. ut & infrà in voce *Stare*, it. *Traditores*. Alia notio vocis, ubi *de Excommunicatione*.

STANTIA, & UM, vicus amplus Helvetiorum, caput Pagi Sylvanensis seu Under Waldiensis, prope lacum Lucernensem, ad radices montium, 12. mill. pass. à Lucerna in Eurum *Stantz*. Ad hunc vicum incolæ lacum undique acutis vallis sepserunt & turri excitatâ portum munierunt, bellô contra Nobiles, circa A. C. 1260. Posteà, cum civitates Helvetiæ Tigurum, Berna, Lucerna, Friburgum & Solodorum privatum fœdus fecissent, id *Stantiæ* abolitum, novumque decretum ab 8. Cantonibus veterib. factum est, A. C. 1481. cujus summam vide apud Simler. *de Rep. Helvet.* Habent hic hodie Under Waldii consilium publicum, in Subsylvana parte; sicut supra sylvam, Sarnæ alterum: dictique sunt olim Subsylvani, à vico regionis capite, *Homines vallis in Stans. Id.*

STANTIRA, *Ptol.* Vide *Stagira*.

STAO, Mediæ fluv. in Caspium mare effluens.

STAPES, & STAPIA, vox recens, à *stando* & *pes*, Græcè Ἀναβολεὺς, Item Ἐγκρατῆρες; Lipsius *subicem pedaneum* vocat: Recens inventum est, uti discimus ex Polydoro Virgilio *de Rer. Inventoribus l.* 3. *c.* 18. *Est & illud novum inventum, in quo uterque pes utrinque ejus quiescit, qui equo insidet: Nam ut in marmoreis statuis Romæ conspicitur, antiqui non utebantur, nec quô nomine appellatur, apud Auctores legitur: Vulgò Staffa nominatur, quòd in eo pedes commodè stent.* Quam sententiam confirmans Guido Pancirolius, *l.* 2. *Rer. Memorabil. tit.* 16. *Staphia quoque, inquit, sive Stapedes quando introducti fuerint, non usque adeo expeditum est. Sed quoniam horum nec vestigium in marmoribus aut æneis tabulis, & nec etiam nomen extat: dictu non absurdum videtur, eos post ruinam Imperii Rom. fuisse demum inventos. Ideoque rei novæ necessum fuisse, novum quoddam excogitare vocabulum &c.* In quæ verba Scholiastes; *saltu Veteres se conjecisse in equos, absque ejusmodi adminiculo*, ostendit *Virg. Æn. l.* 12. *v.* 287.

Infrænant alii currus, ac corpora saltu
Subjiciunt in equos, & strictis ensibus adsunt.

Et eod. librô, v. 327. ubi de Turno:

Poscit equos atque arma simul, saltuque superbus
Emicat.

Quod clariùs etiam *Vegetius l.* 1. *c.* 18. docet; *Non tantùm*, inquiens, *à Tyronibus, sed etiam à stipendiariis militibus salitio in equos districtè est semper exacta; quem usum ad hanc usque ætatem, licèt cum dissimulatione, pervenisse manifestum est. Equi lignei sub tecto hyeme, æstate ponebantur in campo. Super hos Tyrones primo inermes, dum consuetudine proficerent: deinde armati cogebantur ascendere; tantaque cura erat, ut non tantùm à dextris, sed etiam à sinistris partibus & insilire & desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios vel contos tenentes: hoc enim assiduâ meditatione faciebant, scilicet ut in tumultu prælii sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace.* Idem de Numidis docet Livius *l.* 23. *c.* 29. *De Græcis Persisque* Xenophon. Socr. in l. qui *Equitum Præfectus* inscribitur, ubi inter alia, *Natu grandiores assuefacere* jubet, *ut in scandendis equis, more Persico, se invicem adjuvent. Sed quia hæc ascendendi ratio ab iis, qui viribus non valebant, neque habebant, qui ipsos in eos tollerent, sine labore ac molestia expediri non poterat, igitur ad minuendam eam Viocuri, seu qui vias militares sternebant, in lateribus viarum collocabant altiores quosdam lapides, & tanquam pusilla quædam suggesta excitabant, è quibus parvo negotiô quilibet in equi dorsum se conjiceret*: Quod in vita Gracchi Plut. memorat. Senibus verò Principibusque viris ad manus erat huic rei Præfectus, de quo sic la Cerda, in Virgilium *loc. cit.* *Saltu: signatè & propriè; Nam apud Veteres nullus usus Stapedæ aut subicis pedanei. Hispani quidem* Estrivos *dicunt: sed saltu fiebat ascensio. Senibus quidem & Principibus tollendis vir erat huic rei præfectus, quem Spartian. in Caracalla c.* 7. *& Amm. Marcellin. l.* 30. *vocant Stratorem, Græci* Ἀναβολέα. *Inter equitandum autem pedes erant penduli, & nullâ re innixi: ut etiam hodie equestres statuæ cernuntur. Omitto locum Eustathii in Odyss.* α. *quem jam Budæus & Lipsius agitârunt.* Vide plura apud Magium *l.* 2. *c.* 14. *Miscellan.* ubi de Scythis ex Hippocratis libro *de Aëre, Aquis & Locis*; de Germanico Caligulæ patre, ex *Suetonio*: de equestribus item instrumentis, ex Polluce *l.* 10. *c.* 10. & 12. loquens, similiter *Stapias* apud Antiquos non fuisse in usu, pluribus probat. Interim negandum non est, temporibus non usque adeò nobis vicinis, illarum mentionem reperiri. Meminit non quidem *Stapiæ*, sed *Bistapiæ* Hieronym. *in Epistolis*, ubi se, *cùm quasdam accepisset literas, jumentum conscensurus, jam pedem habuisse in Bistapia*, *scribit*. Et Romæ in vetusto lapide, Inscriptio, quæ paulò ante Hieronymi ætatem videtur facta, *Stapiæ* his verbis disertè meminit: *D. M. Quisquis. lecturus. accedis. cave. si. amas. at. si. non. amas. pensicula. miser. qui. sine. amore. vivit. dulce. exit. nihil. est. ego. tam. dulce. anhelans. me. incautè. perdidi. & amor. fuit. equo. dum. aspectus. formosus. Durmionia. puella. virguncula. summa. polvoria. placere. cuperem. casu. desiliens. pes. hæsit. stapia. tractus. interii. in. rem. tuam. maturè. propera. Vale.* Apud eundem Magium: cui adde Voss. *de vitiis Sermon.* ubi, postquam instrumentum illud ferreum ab equi lateribus utrinque dependens, cui innituntur atque insistunt equitantium pedes, Veteribus fuisse incognitum, ostendit: *Novo*, ait, *huic invento novum quærendum nomen fuit. Id multis modis factum ex Hispanica, Græca, Latina. Ex Hisp. dubium an Græca sit Astraba; Hispanis quidem dicitur* Estribo: *unde* Astraba: *nisi ex hoc Hispanicum. Isidorus Hispal. in Glossis*, Astraba, tabella, in qua pedes requiescunt, *sed potiùs hoc Græcum; nam & Hesychio* Ἀστράβη *ligneum est ephippium, quod tenent sedentes. Præterea Græcis dictum* ἀναβολεὺς, *Latinis* Scala, *quia eô solerent ascendere, veluti scalis. Sanè Suidas, quum dixisset, eos quì Latinis* Stratores *vocantur, quia equô sternerent, Græcis* ἀναβολεῖς *nuncupari, subjungit*: Ἀναβολεὺς δὲ καὶ παρὰ Ῥωμαίοις λεγόμενος σκάλα, de qua voce multa addit; inter alia ex Eustathio Odyss. α. Ἀναβολεὺς ὁ μόνον τὸ σιδήριον, ᾧ τοὺς πόδας ἐπιβάντες ἵστανται

στιγμὴ

γίνονται ἴσως, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος, ὃς εἰς τοιοῦτον καθυπουργεῖ, &c. Cùm verò *Stapedum*, quales hodie in usu sunt, duplex officium sit, tum in conscendendo equo, tum in stabiliendo equitantis pede utroque; prior usus antiquior fuit, alter recentior, ac proinde *Stapedes*, assiduè pendentes è sella, non ita veteris instituti fuêre, ex sententia Liceti. Vetustiores autem usos fuisse olim machinulâ quâdam ferreâ, ad conscendendos equos, apertè docere videtur Lucretius *l.* 5. *v.* 1296.

Et prius est armatum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frænis, dextrâque ciere,
Quàm bijugô curru belli tentare pericla.
Et bijugo prius est, quàm bis conjungere binos &c.

Ibi enim ferri proponit usum, quô miles armatus consueverit *equi conscendere costas*; quas gravi pressus armaturâ, sine fulcro, conscendere non potuit. Quam quidem ferream machinulam non ab re fuerit putare fuisse, vel in modum scalæ vel in modum annulorum catenatim inter se junctorum; per quos, veluti per gradus in equum homo ascenderet, præsertim senex ac debilis: at miles agilis, utut armatus, unicô vel annulô sellæ utcunque adfixô facilè conscenderet equi dorsum, quô posteà non uteretur, ad pedes firmandos: id quod ævô posteriori fuerit usitatum. Fortun. Licetus *de Lucernis Vett. l.* 6. *c.* 30. *ubi eruditè explicat Lucernam Equitis, quem è Magis illis, qui Christum infantem venerunt adoratum, unum fuisse judicat.* Vide quoque suprà, *Scalæ*, item *Staffa*.

STAPHYLUS, Sileni, vel, ut alii, Silethi fil. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Primus vinum aquâ miscere docuit. Apollodorus tamen *l.* 1. Tzetzes *in Lycophronem*, & Apollonii Schol. in 3. *Argon.* Staphylum Bacchi filium ex Ariadna, & Iasonis avum maternum faciunt.

STAPHYLUS Naucratites, *de rebus Thessalicis* scripsit, teste Scholiaste *in Apollon. l.* 4. nec non *de rebus Atticis & Æolicis*, quod ex *Harpocratione* discimus. *Arcadicas* etiam *res* conscripsit. Sextus Empiricus *advers. Mathematicos*.

STAPLETONUS Thomas, vide *Thomas*.

STAPLO, vide *Stablo*.

STAPULA, vel *um*, insignis est Mercaturæ & Nundinarum locus, convehendis vendendisque mercibus potioribus, puta lanæ, panni, vini, corii, plumbi, &c. à Principe designatus, ejusdemque stabilitus privilegiis; unde nomen *Stapulum*, quasi mercium atque mercatorum *Stabulum* vel Statio. Item Emporium nobile, & mercatorum tam externorum, quàm indigenarum, privilegiatum collegium, suis gaudens magistratu & officialibus, & lege, quam vocant Mercatoriam Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.* Electa sunt namque istiusmodi Oppida stabiliendis commerciis, vectoresque coguntur aliò haud pergere, nisi priùs expositis per aliquot dies in *Stapulæ* foro suis mercibus, Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Part.* 1. *c.* 10. §. 3. Alii nomen arcessunt à Germanico *Stapel*, quô propriè vocantur ædificia tumultuariò opere extructa, stipitibusque aliquot innixa, quales fuisse Foros in Circo olim, seu Spectacula, legimus. Vide quoque suprà, ubi de *Hallis* & plura hanc in rem, apud Salmas. *Observat. ad Jus Attic. & Rom.*

Stapulæ in Imperio & alibi celebriores.

Adenum & Alexandria, in Imperio Turcico.
Brema, in Imperio Germanico ad Visurgim.
Burdigala, in Gallia.
Colonia Agrippina, in Imperio Germanico.
Dordracum, in Hollandia, *stapulam* habet vini Rhenani, quò proin vectores naves suas vinarias dirigunt.
Francofurtum ad Oderam, in Imperio Germanico.
Hamburgum, in Imperio Germanico ad Albim.
Hispalis, celebris in Hispania *Stapula* est.
Ingolstadium, ad Danubium, ib.
Lugdunum, in Gallia.
Magdeburgum, ad Albim, in Germania.
Malacca, in India.
Massilia, in Gallia.
Moguntia, ad Rhenum, in Germania.
Passavium, ad Danubium, in Germania.
Ratisbona, ad Danubium, in Germania.
ad Rhenum, Colonia Agrippina, Moguntia, & Spira, *die drey Staffeln am Rhein.*
Rotomagum, in Gallia.
Treveri, ad Mosellam &c.

STAPULÆ, oppid. Galliæ in Picardia, ad Quantii fluv. ostia, vulgò *Estaples*, patria Jacobi Fabri Stapulensis, cujus elogium habes apud Thuanum *l.* 16. & Scæv. Sammarthanum *Elog. Virorum illustr.* Ejus meminit Lupus Ferrar. *Ep.* 14. *Wicum* & *Quentovicum* vocant Scriptores paulo superioris ævi, eique *Emporii* quoque ac *Portus* nomen tribuunt, præ cæteris *Annales* Bertini A. C. 842. Unde nominis origo in promptu est. Vide Car. du Fresne *Glossar.*

STARCAJUS Olivier, vide *Olivier*.

STARE, inter ritus Sacrorum fuit antiquitus usurpatos, sicut & *Sedere*, *Circumagere se*, *manum osculari* &c. Adorantes enim Deos *stabant* erectô corpore ampliorem augustioremque cultum exhibituri. Martialis *l.* 12. *Epigr.* 78. *v.* 1.

Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans *summo resupinus usque in ungues,*
Æthon in Capitolio &c.

Quem ritum in communioribus sacris fuisse observatum, in Parentali verò seu Funebri solemnitate, operantes sedisse, Thom. Dempster. docet *in Rosin. l.* 3. *c.* 33. Transiit is ad Gentiles ab Hebræis, ut & plurima alia: apud quos ministrabant in Templo Sacerdotes *stantes*, ut colligitur ex Deuteron. *c.* 18. *v.* 5. *Eum elegit Jehova Deus tuus ex omnibus Tribubus, ad perstandum Ministerio in nomine Jehovæ &c.* Nec ulli in solo sancto sedere fas fuit nisi, soli Regi, ut diximus suprà. Idem obtinuit in precando; namque licet aliquando sedentes, sæpius ingeniculantes, Sancti orâsse, leguntur: ut plurimum tamen *stando* preces peragebant. Sic *Abraham* stabat *coram Domino*, Genes. *c.* 18. *v.* 21. i. e. *orabat.* Et Publicanus *procul* stans, *cædebat pectus suum, dicens, Deus placator mihi peccatori*: quemadmodum Pharisæus similiter *consistens seorsim, oravit*, Lucæ *c.* 18. *v.* 11. 13. Unde Proverb. inter Judæos increbuit, *Sine stationibus non subsisteret mundus*, de quo vide Rabbi Juda *in l. Musar* & Drusium *in Matth. c.* 6. *v.* 5. Et in Roma subterranea multæ orantium Sanctorum imagines visuntur, quæ eundem morem à Christianis veterib. observatum fuisse ostendant. De istiusmodi oratione Philo *de V. C. Extant*, inquit, *hymni inter sacra canendi à stantibus*: & mox, *Nocte canebant hymnos Therapeutæ, ad Auroram stantes.* Dionys. Areopagita loquens de Carpo, *Ep.* 8. *Stans*, ait, *ad divinam precem.* Isidorus *Origin. l.* 6. *c. ult. Dictus chorus, quòd initiò in modum coronæ, circa aras*, starent *& ita psallerent*: ut alios omittam, vide Fortun. Licetum de *stataria* istiusmodi Oratione pluribus agentem, *l. de Gemmis Annular. Schemate* 14. *c.* 75. Etiam à *stantibus* lectiones Euangelicæ, in Ecclesia Christiana olim, ut & hodie, audiebantur, solô Episcopô Alexandrinô non assurgente, quod miratur Sozom. *l.* 7. *c.* 19. causam reddit Isidorus Pelusiota *l.* 1. *Ep.* 136. Ut verò tum *curvi starent* Sacerdotes, sanxit Anastasius, an Siricius Episcopus Roman. qua de re vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Εὐαγγέλιον, ut & infrà. In prophanis eadem Oratorum semper consuetudo fuit, ut ex Homero & Cicerone *passim* videre est. Sed & inter Gymnasticas fuit exercitationes *stare* erectum, quæ ambulatione ipsâ vehementior est habita, quemadmodum & avibus longè est molestius, si in aëre non agitentur, quàm si volent. Nec obstat, quòd plurimi pertinaciter credunt, *stantes* pedibus, nullô modô se exercere, eo quòd omnis exercitatio sit motus, motui autem status planè contrarius sit. Nam non tantùm, quæ moveri videntur, moventur, sed & multa immobilia apparent, unum eundemque locum obtinentia, quæ nihilominus moveri efficacissimis rationibus, ac ferè sensu ipsô demonstratur. In hominibus namque erectis stantibus, corporibus eorum naturâ ad terram inclinantibus, animâ contrà sursum illa sustinere obtinente, motum quendam suboriri, indicio est, quòd si Anima à corpore sic *stante* exeat, illico ipsum in terram collabitur, quia motus ille deficit, cujus beneficiô Anima corpus, naturâ ad terram inclinans, sursum elevatum continebat. Unde patet, ob continuos, eosque contrarios animæ corporisque obnixus, *stantes* utique non parùm moveri, atque ipsorum musculos omnes corpus gestantes & à terra attollentes erigentesque vehementer intendi. Quod & ex majori lassitudine, quàm quæ ambulando percipitur, ad liquidum confirmatur. Vide Galenum *l. de tre. & rig.* Atque hoc videtur esse id, quod à Cœlio, in epilepsiæ curatione, *stans exercitium* vocatur. Interim antiqui Gymnastæ, an inter alias corporum exercitationes *statum* quoque hujusmodi receperint, certò affirmari non potest. Cùm enim nullum ferè usum in *stando* haberent, nisi quando Milonis more recti *stantes* sese cæteris à loco dimovendos, ostentandi roboris gratiâ, præbebant, *statu* non per se, sed ob aliud, utebantur. Nec certamen in *stando* solùm effectum cerni poterat, quod aut spectatoribus delectationem adferret, aut sacrificiis, vel aliô modô Amphitheatris aut Stadiis inserviret, ut horum gratiâ Athletas sese exercere vel certare *stantes* solitos dicamus. Sed neque bellicæ disciplinæ amatores multum utilitatis *stando* consequi potuisse videntur, siquidem solâ exceptâ toleratiâ, militibus profectò necessariâ, quam *Statio* adjuvare potest, nihil iis emolumenti contulit: Unde nec Plato, nec Xenophon, nec Aristoteles, nec Vegetius futuros bellatores *stando* sese exercere præceperunt; tametsi Vespasianum Imperatorem dicere solitum accepimus, *Imperatorem* stantem *mori oportere.* Medicorum ergò Gymnastæ id exercitii sibi proprium vindicârunt, quos tam sanos, quàm valetudinarios, *stando* exercuisse, legimus: cùm quamplurimi inde usus, tum ad conservandam sanitatem, tum ad præstandum cruribus robur, hauriantur. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. l.* 3. *c.* 3. ubi simul docet, multum differre, erectusne quis sub Sole *stet*, an in umbra: additque, non solùm vulgare illud, *à prandio standum, à cœna ambulandum*, locum posse habere, sed & erectum *stare*, perinde atque cæteras exercitationes, ante cibum quoque prodesse. Quæ omnia de *stantibus* planis ac totis pedibus intelligenda; *stare* namque calcibus innixos non modò laborem ac molestiam inducit, verùm etiam nullum juvamentum effatu dignum præstare, creditur. Quemadmodum similiter eos, qui summis digitis *stare* conantur, præter fatigationem illico succedentem, partes illas callis molestissimis afficere compertum est; neque aliud inde commodum recipiunt, quàm ut longiùs aliis prospectare valeant: Cujus gratiâ ab antiquis *Speculator* sive Σκώψ pingi consuevit facie hominis *stantis* supra digitos, summamque manum ad umbellæ formam superciliis admoventis, ut Æschylus *in Theoris* meminit. Vide eundem Mercurial. *l.* 6. *c.* 1. *ejusd. operis.* Sed & in *stataria* lucta magnum hujus exercitii usus erat, cùm victoria in eo esset, posita, ut alter alterum dejiceret, adeoque embolæ, parembolæ, paratheses & systases, magnâ industriâ adhiberentur: Cùm contrà in volutatoria lucta is victor censeretur, qui alterum sic dejecisset, ut eum penitus in sua haberet potestate. Sic de Epaminonda C. Nepos *c.* 2. *Itaque exercebatur plurimum currendo & luctando, ad eum finem, quoad* stans *complecti posset atque contendere.* Idem dicendum & de Gladiatoria, in qua de *Statu* seu *Gradu* Adversarium deturbâsse, non parum laudis habuit &c. Vide Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 2. *Sect.* 3. *c.* 10. & hîc passim. Quòd verò suprà Mercurialem dubitare diximus, utrùm inter veteres Gymnastarum

rum exercitationes etiam hæc fuerit, dubium fortè exemerit Plinius, qui Indorum Gymnosophistas, *ἀκινήτους χάσιν*, *ab ortu ad occasum perstare immobilibus oculis: ferventibus arenis alternis insistentes pedibus*, consuevisse, tradit *l.* 7. *c.* 2. qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 100. At, inter leviores animadversiones, apud Romanos, fuit *stare cum decempedis*, quô modô ante Prætorium Centuriones quosdam per totum diem ostentui esse, voluit Augustus, apud Suetonium *c.* 24. Simile quid, cùm *stantes cibum capere cogebantur*, Liv. *l.* 24. *c.* 15. de cujusmodi stationibus ignominiosis, quas inter leniores malorum pœnas & Augusto Livia suasit, apud Dionem *l.* 55. Vide Casaubon. *ad Suet. loc. cit.* &c. Aliter vox sumitur in phrasi, *in Choro stare*, de qua infrà, ubi de *Stantelis*. Sed & de tunicis, verbum *stare* occurrit apud Tertullian. *de Pallio c.* 1. iis videl. quæ non cingebantur, sicque unô ac perpetuô rigore à summo ad imum descendebant, *στατοὶ χιτῶνες*, item *ὀρθοστάδιοι*, hinc dictæ, quales fuisse Citharœdorum & Tragœdorum tunicas, discimus ex Plut. in *Alcibiade* & Arriano *in Dissertation. Epicteti*. *Ὑπόζωμα* illas non habuisse; *Hesychius* ait, metaphorâ ab insectis animalculis desumtâ, quæ ab ea parte, quâ insectionem habent, graciliora sunt. id quod zona præstat in tunicis, quæ præcinguntur. At *στατοὶ χιτῶνες* toti ab summo deorsum unius rectitudinis sunt, quas proin & *rectas tunicas* videntur appellâsse Latini, aut saltem ita appellare potuisse. Aliter enim vocem sumere Grammaticos, notum. Vide suprà in voce *Recta*, & plura hanc in rem apud Salmas. *ad Tertullian. d. l.*

STARENBERG, meliùs STAHRENBERG, nomen Familiæ in Germania illustris, cujus originem referunt ad Vinulphum Styriæ Præfectum, circa A.C. 408. Ex hoc enim deducunt Albertum & Ottocarum, primos auctoritate Pipini Regis Styriæ Marchiones, conditores Monasterii Tegernseensis, & demum in eo Monachos: ex Ottocaro autem Ottocarum VI. primum Comitem Styriæ, patremque inter alios Ottocari, Alberti seu Alberonis & Bernardi. Quorum primi progenies defecit in pronepote Ottocaro X. vel XI. Marchione, ac deinceps Duce Styriæ, qui moriens A. C. 1192. Leopoldum Austriæ Marchionem hæredem scripsit. Alberonis pronepos Gundaccarus arcem condidit *Stahrenberg* A. C. 1176. ac filios suscepit Gundaccarum & Dietmarum: à quorum priore *Domini de Stahrenberg* descendunt, in plures sæpe lineas divisi. Inprimis Gundaccarus istius nepos, cùm Rudigerum & Gundardum genuisset, duplicem posteritatem habuit; sed quæ ab hoc prosata est, defecit iterum. Denuo aliquot linearum parens fuit Rudigeri abnepos Erasmus, qui decessit A. C. 1560. Ditmarum quod concernit, is *Losensteinos Dominos* proseruit, nunc æquè, ac priori lineæ contigit, *Comitum* titulô insignitos. Tertius Ottocari VI. fil. Bernardus, filium habuit Gundaccarum Dn. *de Perneck*, reliquorum *de Perneck, Gratio* & *Ensthal* satorem (cujus posteritas mascula in Wilhelmo; alter sexus in Ursula virgine desiit A. C. 1547.) atque Ottonem Dn. *de Hohenberg*: cujus posteri nomen idem propagârunt, donec Erasmus ultimus clauderet familiam, filiâ Annâ tantùm relictâ, quæ Roggendorfio nupsit. Ad Erasmum ut redeam A.C. 1560. defunctum, fuit is Bartholomæi Liberi Baronis *de Stahrenberg* fil. & ex Anna Comite Schaumburgia genuit inter alios Rudigerum Comitem *de Stahrenberg*, defunctum A. C. 1586. Hôc & Helenâ *Zackin de Fridau* genitus Paulus Jacobus, suscepit, ex Dorothea Barone *de Thannhausen*, Euphemiam (natam 1608.) Rudigerum (natum 1609.) Matthiam (natum 1611.) Conradum Balthasarum (natum 1612. maritum Annæ Elisabetæ Comitis Zinzendorfiæ) &c. omnes *Comites de Stahrenberg*. Spenerus *Th. Nobil. Eur. Part.* 2. *in Ind.* & *Part.* 3. *p.* 68.

STARGARDIA, Sclavorum linguâ *magna & antiqua civitas*, ut interpretantur Helmoldus *l.* 1. *c.* 12. & Crantzius *Vandal. l.* 3. *c.* 4. *in fin.* nunc urbec. Pomeraniæ ulterioris ad Iunam amnem, 5. milliar. Germanic. à Stetino in Ortum. Urbs est Hanseatica. Hic templa Euangelicis ademta A.C. 1596. Nunc sub Electore Brandeburgico, cum tota Pomerania ulteriore. Hanc olim Bogislaus IV. è familia Pomeraniæ Ducum, Wolgastensis rami auctor, Brandeburgicis ademit, receptam dein Beatrix Brandeburgica marito Henrico cognomini Leoni Duci Megapolitano, dotis locô attulit: cujus fil. Johannes ex secunda conjuge Anna Saxonica *Stargardiensem* lineam incepit, circa A. C. 1348. in qua præter Rudolfum Episcopum Suerinensem & Albertum Episcopum Dorpatensem, memorantur Johannes, alterius Johannis pater, & Ulricus, genitor Henrici, cujus fil. Ulricus familiam clausit A.C. 1471. Primi autem Johannis frater Albertus, Megapolitanorum Principum continuator, ob *Stargardiam* bellum gessit adversus Ludovicum Rom. Marchion. Brandeburg. quod datâ ei conjuge, filiâ Ingelburgi, compositum est. Mortuô dein Ulricô, ad agnatum Magnum, stirpis Megapolitanæ continuatorem, filium Henrici Ducis *Stargardiensis* principatus successio delata est, qui hodie, familiâ Pomeraniæ Ducum extinctâ, ad familiam Brandeburgicam rediit. Vide Philipp. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* & Tob. Pfannerum *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus*, *c.* 6. ubi *de Gente Mechelburgica*.

STARLINGUS, aliàs ESTERLINGUS, & STERLINGUS, denarius Angliæ argenteus, cujus valor antiquus Statutô An. 51. Eduardi I. sic exhibetur: *Per ordinationes totius regni Angliæ*, Sterlingus *rotundus sine tonsura, ponderabit* 32. *grana frumenti in medio spicæ, &* 20. *denarii seu Sterlingi faciunt unciam &* 12. *unciæ faciunt libram.* Occurrit autem vox interdum simpliciter pro ipso denario, interdum ad distinguendam monetam probam à reproba, & pro nummo legali in genere. Originem nominis Linwodus à sturno, Anglicè *à starling*, arcessit, numismatis signo. Sed tum Anglo-Normannorum, tum Saxonum plurima reperiuntur numismata; at in nullo sturni, effigies, nisi in Eduardi Confessoris: ubi 4. deprehenduntur aves obversis pedibus sigillatim stantes inter 4. radios crucis parallelæ. Scoticum vulgus, à castello quodam *Starlin* & *Strivelin* dictò, teste Buchananô, *Starlingi* appellationem deducit: sed multo citior argenteæ monetæ & *Starlingorum* usus apud Anglos, quàm Scotos fuit. Propiùs ad rem accedunt, qui à Germanis Daniæ vicinis; quos ab Orientali situ *Esterlings* Angli appellant, vocis etymologiam petunt: asseruntque, eos in Angliam aliquando venientes, artem purgandi argenti, etiam flandi & feriundi celebrem reddidisse, nomenque suum factô deinceps reliquisse. Opinioni fidem astruit conventio inter Eduardum I. & Abbatem Buriæ S. Edmundi, de stabiliendo ibidem cuneagio, sancita. Adde quòd in transmarinis etiam regionibus vox recepta, ut è Jure Canonico liquet. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

STARNEFELDIUS Gulielmus, vide *ibi*.

STARRUM, apud citimæ ætatis Scriptores, chirographum est vel instrumentum, quô Judæi pactiones suas transactionesque conficiebant, apocha, scripta, charta, cujusmodi multa Hebraicè conscripta, in arce Londoniensi, hôc titulô, haberi, notat Spelmann. *Glossar.*

STASANOR; ab Alexandro M. Arsami Cariæ præfecto substitutus, Curt. *l.* 8. *c.* 3.

STASEAS, Neapolitanus, Philosophus Platonicus. Cicer. *l.* 5. *de Finib. c.* 3. & 25.

STASICRATES, artifex Alexandrinus, Alexandro Macedoni gratissimus, qui dicebat montem Athon in hominis statuam formari, exsculpique posse.

STASINUS Cyprius, donata sibi ab Homero *τὰ Κύπρια ποιήματα* pro suis edidit, *Proclus* apud *Photium*. Vide suprà in voce *Cypria*.

STASIS, urbs Persica, sita in magna petra, quam Antiochus Seleuci fil. habuit. *Steph.*

STATA *Mater*, antiquis culta, cujus simulachrum in foro colebatur, postquam id collustravit, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturnô tempore: Magna pars populi, in suos quisque vicos retulerunt ejus deæ cultum, author *Festus*.

STATANUS & STATILINUS, inter Deos minores, erant *Dii Præsides adstantes*, *Lactant.* Quos alii educationi adscribunt, eô videl. tempore, cùm *standi* & consistendi potestatem infantes nanciscuntur. Nomina eorum scripta Pontifices habuisse, *Varro* affirmat, apud Joh. Rosin. *Antiq. Rom. l.* 2. *c.* 19. Alii infantibus in terra constitutis *Statinam* Deam præfuisse, tradunt. Lotus enim infans in terram ab Obstetrice fuit antiquis temporibus statutus, non sine pompa: more à sacris Hebræorum translatô, ad Romanos, qui tamen ante Justinianum desiit. Unde apud plurimos Auctores, nudos infantes Terra excipere dicitur. Quò respexit Plinius *Nat. Histor. l.* 7. *in Proœm. Natura hominem tantùm nudum & in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus statim & ploratum.* Idemque significare voluit Ovidius, cùm in Ibin v. 221.

Qui simul impurâ matris prolapsus ab alvo
Cinyphiam fœdo corpore pressit humum.

Sanctior tamen, quàm ut *fœdô corpore*, ut hic apud Poëtam, *humum premeret*, Augustus, quippe quamprimùm natus attigisset terram, consecrata ea est, apud Sueton. *Octav. c.* 5. quod & de reliquis post eum Augustis dicendum. Causa ritus triplex: sive ut vocem contactu terræ acciperet infans, Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 12. sive, ut auspicaretur rectus esse Diis conjugalibus, unde ab Obstetrice erectus in terram statuebatur, Varro *de Vita Pop. Rom. l.* 3. *ap. Nonium*: Sive, ut Opem seu Matrem communem salutaret, Macrob. iterum *l.* 1. *c.* 10. Sic tellure suscipiebatur à Parente, quod *tollere* dictum & Levanam Præsidem habuit. Meminit autem Deæ *Statinæ* Tertullian. *de Anima*: *Dum prima etiam constitutio infantis super Terram, Statinæ Deæ sacrum est.* Vide Thom. Bartholinum *de Puerperio Veterum.*

STATARIA Fabula, Jul. Cæs. Scaligero sedatior est & minùs negotiosa, quales Hecyra & Asinaria, in quibus nòn ita discurritur, ut in Adelphis, *Poetic. l.* 1. *c.* 7. Quò respiciens Cicero *in Bruto*, *Volo enim*, inquit, *ut in Scena, sic etiam in Foro, non eos modò laudari, qui celeri motu & difficili utantur; sed eos etiam quos* Statarios *appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas non molesta.* Et *l.* 4. *Ep.* 15. *ad Attic. Dedit Antiphonti* (Actori ludis scenicis) *operam: is erat antè manumissus, quàm productus, ne diutiùs pendeas, palmam tulit, sed nihil tam pusillum, nihil tam sine voce, nihil tam verum.* H. e. in quo non multa, ac penè nulla *ὑπόκρισις*. Ibidem *statarius & sermonis plenus orator*: sicut *statarius miles*, apud Livium *l.* 9. *c.* 19. *hostis statarius*, apud eund. *l.* 22. cujus erat *σταδία ὑσμίνη*, *stataria pugna*, vel *congressio*: *statarius lixa*, apud Latinum Pacatum *Panegyr.* *statarium prandium*, in *Panegyrico* Mamertini *c.* 11. &c. Vide Jo. Frid. Gronov. *Observation. l.* 4. *c.* 7. Quibus adde *stataria Poemata*, Græcis *στάσιμα* dicta, de quibus idem Scaliger ubi suprà *c.* 44. *A membris quoque* (Carmina) *variata. Nam quædam erant simplicia, μονόκωλα ideirco dicta & μονόστροφα aut στάσιμα. Quippe in Choris Bacchicis circularibus, aut semper ad eundem motum convertebantur, neque revertebantur, hæc erant μονόστροφα. Aut stabant immobiles: τὰ στάσιμα. talis prima ode Horatiana. In aliis erant duo membra, aut tria, aut plura.*

STATELLATES, qui STATIELLENSES Cicer. *l.* 11. *Fam. Ep.* 11. *Statyelli* Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Statelli Straboni*, populi Liguriæ inter Apenin. montem & Tanarum fluv. quorum urbes *Aquæ Statiellorum* dictæ, *Acqui* vulgò, & Alexandria urbs recens Tanarô fluviô divisa, ab Aquis Statiellis 15. mill. pass. in Boream & Cæciam.

STATER, Græcè *Στατὴρ*, *ἀπὸ τοῦ ἱστάναι*, nummus *Popmæ* quadratus, ex *Suida*, argenteus bis didrachmus, memoratur Matthæi *c.* 17. v. 24. & *seq.* ubi tributum soluturus Cæsari Servator noster jussit Petrum hamum mittere, eumque piscem, qui ascenderet primus, tollere: cujus apertô ore invenit is *Staterem*, quem ac-

ceptum dedit didrachma accipientibus, pro Christo & pro se, Th. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 6. 10. Vide quoque suprà *Siclus*. Georg. Agricola χρυσοῦν, & Στατῆρα & Στατῆρα χρυσοῦν, i. e. *Aureum*, vel *Staterem*, vel *Staterem aureum*, monetæ aureæ genus ait fuisse apud Athenienses, pondere duarum drachmarum additque Philippum, Alexandrum & qui in Asia ac Syria Alexandro successerunt, signâsse pondere 2. Atticarum drachmarum, obolorum 2. & totidem siliquarum. Eidem Στατὴρ Κροίσειος, à Crœso percussus, pondere fuit 2. drachmarum similiter: ut & Daricus, à Dario signatus. Graviores erant Cyziceni, quos Senatus Cyzici percussit obolis 4. & dimidiô, minutis duobus & decimâ minuti parte. Apud Cyrenenses Τετραστατῆρα, aureum nummum pondere uncialem fuisse, scribit Idem. *Staterem* verò Corinthium, monetam contendit fuisse argenteam, & pependisse obolos Æginæos decem &c. Gronov. ex *Dione Cassio*, *Zonara*, *Polemarcho* apud *Hesychium*, Atticum *Staterem*, 20. drachmis argenti Atticis æstimatum, idemque cum auri mina fuisse, imò & sic vocatum esse, ostendit. Et hæc est illa auri mina, quam usurpat interdum & Plautus: inter alia, *Rudente Act.* 5. *Sc.* 2. *v.* 27. *Centum minæ Philippeæ in pasceolo sêrsu*; uti quidem legi jubent MSS. optimi & quædam vetustæ editiones, i. e. centum Philippici *Stateres*. Idem Gronovius argenti & auri *Staterem* hoc differre docet, quòd quatuor drachmis argenteus, duabus aureus constiterit. Tetrastaterem verò Cyrenaicum, octo drachmarum fuisse suggerit, *l.* 2. *de Pecunia Vet. c.* 7. Apud recentioris ævi Græcos, στατὴρ in genere *pecuniam* notat, sicut & χάραγμα. Unde scribit *Zonaras*, Nicephorum Phocam, cùm invasisset, στατῆρα πάντα βασιλικὸν ἐκτύπωμα ἐνόμισεν εἶναι τοῦ ἀρχὴν κεκτημένου, sua numismata aliorum præferri jussisse: & Alexium Imperatorem cùm pecuniæ inopiâ laboraret, ἐπὶ τῆς δημοσίας ἔργον τῆς χαλκουργημάτων destruxisse, & iis στατῆρας cudisse. Vide Car. du Fresne *de infer. ævi Numism. n.* 100.

STATERA, apud Suetonium *Tito c.* 25. *stateram* — *positam examine æquo: cùm in altera lance* &c. Græcè φάλαγξ est, quam hic intelligit, pedi suo (cujusmodi pes in Cortabo, ut dixit Marcilius *ad Hor. l.* 1. *Od.* 27.) impositam ad perpendiculum, sive, ut *Cicero* ait, *ad lineam*, sive ut Græci, κατὰ κάθετον. Atqui *Stateram* negat lances habere, Aristoteles *Mechan. Problem.* 21. ubi ἡμιζύγιον, *dimidiatam bilancem* stateram vocat, & in altera parte σφαίρωμα, *æquipondium* habere, innuit. Sed pro jugo bilancis *Suetonius* accepit vocem, quod & *Suidæ* φάλαγξ, unde *phalangæ* seu *palangæ*, ob similitud. de quibus suprà. Hodie *Statera* Sinensium, ex ebore lævigata hastula, quæ punctulis proportione Arithmeticâ æqualibus interstincta, nec non duobus tenuissimis filis instructa, quorum unum hypomochlii vices subit, manu pendentis tentæ; ex altera parte verò bilancis scutella pendet, in qua monetarum justum pondus exploratur, sed filô priori ad differentes comparationis puncta adaptatô, asservatur in Musæo Kircheriano: unà cum *Statera* Veterum, magnitudine palmari, uti refert in *Descr.* ejus Georg. de Sepibus. Origo voci à Græco ἵστημι, quod inter alia *statuere*, *appendere*, *ponderare* notat, vide quoque suprà in voce *Libra*, ac infrà *Trutina*.

STATERIUS, civis Roman. ætate Ciceronis, qui, ob convitiosa verba & sermones mordaculos, rei capitalis jure damnatus est.

STATERUM Ludus, in vetere *Scheda*, apud Canisium *Antiqq. Lection. Tom. IV.* corruptus videtur Car. du Fresne, pro *Scacchorum Ludo*, de quo suprà.

STATHMUS, Græcè Σταθμὸς, vide suprà *Mansio*, it. *Professores*.

STATICE, Græcè Στατικὴ, aliàs Ἰσοῤῥοπικὴ aut Κεντροβαρικὴ, Latinè *Ponderum doctrina*, vel *æquiponderantium*, vel *de ponderis centro*, scientia est, ponderum momenta exponens: atque ab hac omnia, vel penè omnia, dependent, quæ Mechanice tradit, unde sunt Eruditi, qui pro Mechanice *Staticen* non malè poni dicant. Pappus *l.* 8. *fol.* 306. *Centrum gravitatis uniuscujusque corporis est principium & elementum tractationis de centro gravium; ex quo & reliquæ Mechanicæ partes dependent.* Quod verè dici, liquebit consideranti Archimedis Ἰσοῤῥοπικῶν libros; vel Heronis doctrinam, de quinque onera movendi facultatibus simplicibus ac compositis ex iis: de quibus etiam est illud Georgii Pisidæ Jambographi apud *Suidam*,

Τὰς πέντε δυνάμεις Ἀρχιμήδης εἰς μίαν
Ὅλας ἂν συνάψας, εἰς τὸ κινῆσαι μόλις
Τῶν δυσμεταχύτων ἐξοχῶν τὰ φορτία.

Cùm quintuplex ab Archimede in unicam
Collata machinam foret vis, & tamen
Immane pondus vix moveret de loco.

Sanè in quinque istis, de quibus posteà Ars videtur vincere naturam, vel potiùs Natura seipsam: Sic enim *Statice* disponit naturalia, uti eas disponeret Natura, si producere istiusmodi effectum vellet. Ita non Ars solùm, sed etiam Natura observat, ut ad servandum æquipondium centrum gravitatis sit in linea directionis: Liquet id non solùm ex arte funambulorum, luctatorum, aliorumque, sed etiam ex omnibus nobis, in singulis pæne vitæ actibus: Nam, ut æquipondium fiat, surgere volentes crura quidem retrorsum; caput verò ac pectus, antrorsum flectimus: Item sinistro pedi insistentes, sinistrorsum corpus deflectimus; uti dextrorsum, si pedi insistamus dextro: Item, si supini jaceamus, complicamus corpus ad surgendum: cùm etiam dorso onerati inflectant spinam, senes gibbosi inflectant antrorsum crura, pedibus muro conjunctis nihil queamus humo tollere, sed regredi sit opus, ut crura flectere antrorsum possimus. Cui similis ratio in ingressu quadrupedum, volatu avium, natatu piscium. Quomodo autem, quæ sub Mechanica continentur, ad *Staticen* reducantur, ostendit Simon Stevinus 6. libris, quibus hanc Artem in justum corpus redegit. Horum enim I. *Elementa Statices*, continet. II. est *de inveniendo gravitatis centro*, idque in planis, triangulis, parabolis; Item solidis; ut prismatis, pyramidibus, conoidalibus. III. est de *Statices praxi*: ubi de Libræ & Stateræ fabrica, de vectium ratione ac formis; ponderum gestatorum formis & ratione; axium in peritrochio & tractorum ponderum rationibus; infinitæ potentiæ formis & accidentibus; de usu aliisque pancratio accidentibus; de ratione versationum manubrii ad axem; deque ratione potentiæ manubrium versantis ad pondus tractum, quale est navis; de versationum manubrii multitudine & temporis spatio, queis opus est ad navem trans aggerem pertrahendam. IV. de *Hydrostaticis* est. V. de *initiis praxeos Hydrostaticæ*. Sextus, additamentum continet septuplex. 1. de *Spartostatica*. 2. de *Trochleostatica*. 3. de *Acrobariis*. 4. de *Chalinothlipsi*. 5. de *Hydatholcia*. 6. de *Aerostatica* &c. Vide Gerh. Jo. Voss. *de Scientiis Mathem. c.* 47. §. 10. & 11. Paulus verò Guldinus Sancto-Gallensis, Mathematicus summus, pleniùs & accuratiùs, *Staticen* partitur in has octo partes: *Elementarem*, *Centrobaricam*, *Isorropostaticam*, *Mechanicam*, *Hydrostaticam*, *Aerostaticam*, *Pyrostaticam*, & *Polymesostaticam*. E quibus quartam ac quintam, varias iterum in partes dispescit. Ac *Mechanicam* quidem, pro quinque his instrumentis, *libra*, *vecte*, *trochleâ*, *ergatâ*, *cuneô*, dividit in *Zygostaticam*, *Mochlostaticam*, *Trochleostaticam*, *Onostaticam* sive *Ergatostaticam* & *Sphenostaticam*, cui sextam dein adjungit *Polymechanostaticam*. Quintam verò, nempe *Hydrostaticam*, in *Barecolymbiam*, sive de natantibus in aquis; *Barcodysiam*, seu de iis, quæ in aquis merguntur: & *Hydatholicam*, sive de aquis deducendis & attrahendis, distribuit. In quibus tot *Statices* generibus, est & quæ particulatim eô gaudet nomine, ac ad βιαστικὴ refertur. Nam ut *Impulsoria* dicitur, quâ res propellitur; *Clasmatica*, quâ dura facilè franguntur: Sic *Statica*, quâ fluida sistuntur. Idem Vossius in *Addend.* Inprimis autem ponderum motrix Scientia *Mechanica* communiter dicta, celebris utilisque est, quippe quæ magnificum illud problema solvit, *datâ potentiâ datum pondus moveri*; quâ & fretus Archimedes exclamavit, *Da mihi, ubi consistam, Terramque movebo.* Quam excellentis viri gloriationem non vanam esse, sed certissimâ ratione subnixam, probat Guido Ubaldus *in opere suo Mechanico*. Auctores, qui de *Mechanice* atque adeò & de *Statice* scripserunt, exhibuimus suprà, voce *Mechanice*.

STATICULUM, apud Plin. *l.* 37. *c.* 10. ubi de Achate gemma, *Reddunt species fluminum, nemorum & jumentorum, etiam hederas &* staticula, *equorum ornamenta*: statua est. Sic Tertullian. *adv. Gnosticos*, *Effodietis aras earum, evertetis & comminuetis* staticula *earum*. Et *l.* 1. *adv. Nationes*, *Quòd si de hoc differentia intersedit, quantò distinguitur à crucis stipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quæ sine forma, rudi palo & solo* staticulo *ligni informis dedicatur.* Ubi *staticulum ligni*, quidquid erectum statuitur, designat: inde *staticulum*, pro *statua*. Ut & apud Hieronymum, *Uxor Loth in* staticulum *salis conversa est.* Aldhelmus *statunculum* vocat, *de Anatolia & Victor.* &c. Aliter vox sumitur apud Plin. *l.* 34. *c.* 17. *Similique modò ad aurea quoque & argentea* staticula *inanis luxuria pervenit, quæque in scyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri cultus vocatur.* Ubi ἐχημάτιον, seu *vehiculi minoris* genus voce denotari nonnulli volunt, quòd nunc curreret, nunc subsisteret. Alii ἀναβολέα, seu scalam equi, quos refellit Gronov. *Observat. in Eccles. c.* 8. At *Staticulus*, ὄρχημα est statarium, motus Saliaris, saltatorius, apud Catonem Macrobio laudatum, de Cœl. Senatore, *l.* 2. *c.* 10. *Descendit de cantherio, inde* staticulos *dare, ridicularia fundere.* Et in eundem, *Cantat, ubi collibuit, interdum Græcos versus agit, voces demutat, staticulos dat.* Græcè χορεύει. Sic Plautus *Sticho*, *Actu* 5. *sc.* 7. *v.* 45.

—— nunc omnes voco cinædos contrà,
Staticulos *stare non magis potis sint, quàm fungus imbri.*

Hinc *in Choro stare*, Græcè χοροῦ στάσις, in quo qui lævum latus ducebat, ἀριστεροστάτης; qui dextrum, δεξιοστάτης; qui tertium locum tenebat, τριτοστάτης iisdem Græcis dictus est. *Hesych.* στάσις, χορός, unde χοροστασίαι &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 133. *Staticulos dare.* Virgilius *motus dare* exponit, *Georgic. l.* 1. *v.* 350.

Dat motus incompositos & carmina dicit.

STATILIA, longæva mulier. Sen. ep. 77. *Si ad naturam rerum respexeris, etiam Nestoris & Statiliæ vita brevis est.* Quæ ex nobili domo, Claudio Principe 99. annos vixit. Plin. *l.* 7. *c.* 48.

STATILIA Messalina, uxor Attici Vestini, quam Nero priùs adulteriô cognitam, post cædem Vestini, & Poppææ mortem, matrimoniô sibi junxit.

STATILINUS, & STATANUS, Dii præsides, quasi hominibus astantes. Vide *Statanus*.

STATILIUS, vide *Marcus Taurus*, it. *Titus*.

STATILIUS Corfulenus, Senator Romanus, cujus meminit Capitolin. *in Clodio Albino*, *c.* 12.

STATINA, vide suprà in voce *Statanus*.

STATINÆ, aquæ & insul. in Campania subitô terræ motu enatæ. Plin. *l.* 2. *c.* 88. Stat. *l.* 3. *Sylv. Carm.* 5. *v.* 104.

Ænariosque lacus medicos, Statinasque renatas.

STATIO, vulgò STADEN, Urbs Hanzeatica Ducatus Bremensis, ad Sivingam fluv. prope Albim: à Saxonum conditore *Saxo*, cum suis, post mortem Alexandri M. sub quo Saxones meruerant, reverso. *Mercl.* Capta fuit à Suenone Daniæ Rege A.C. 988. Nuper sub Suecis, pace Monasteriensi probè munita, quibus A. C. 1676. à confœderatis Germaniæ Principibus erepta est. 5. milliar. German. ab Hamburgo in Occasum, ferè 3. à Glucstadio in Meridiem.

STATIO, pro stato die jejuniorum, apud Tertullian. *l. de Orat. in fine. l. de Anim. c.* 48. *l. de jejuniis c.* 10, *& l.* 2. *ad Uxorem c.* 4. *& c*

à mil

à militia translata vox. Rationem nominis reddit Ambrosius *serm.* 25. cùm inquit, Stationes *vocantur jejunia, quod* stantes & *commorantes in eis inimicos insidiantes repellimus.* Non tamen pro quolibet jejuniorum die *Statio* accipienda est, teste Rabano Maurô *de Instit. Cler. l. 1. c. 18.* qui definit *Stationem*, esse statutorum dierum (*a standig fast as Friday* Anglis) observationem ex lege præceptam. Aliter tamen accipere videtur B. Cyprian. *Ep. 41.* scil. pro Conventu Ecclesiastico: ut & Tertullian. *l. 2. ad Uxor. c. 4.* Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.* Et certè, *Stationes* Romanis dicebantur omnia loca, ubi homines frequenter consistere audiendi aut confabulandi gratiâ solebant, quales porticus, Forum, officina. Plinius *l. 1. Ep. 13. ad Sosium Senecionem, Plerique in* Stationibus *sedent, tempusque audiendo fabulas terunt.* Sic apud A. Gellium *Stationes*, loca sunt, ubi Advocati de jure consulentibus responsuri, convenire consuevêre: Ita autem is *l. 13. c. 13. Quum ex angulis secretisque librorum ac Magistrorum, in medium jam hominum & in lucem Fori prodissem, quæsitum esse memini in plerisque Romæ* Stationibus *jus publicè docentium aut respondentium* &c. Vetus quoque Juvenalis Scholiastes, *ad illud Sat. 7. v. 118.*

Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.

Notat: *Scalæ, armariola Advocatorum, vel, ut quidam, casæ & stationes.* Redeo ad Ecclesiæ veteris ritum: In illa *Statio* quoque ritus erat, audiendi Euangelium. Hildebertus enim *oper. metricô de Missa*, veniens ad ritum recitandi Euangelii, ait:

Plebs baculos ponit, stat *retegitque caput.*

Ubi tres attingit unô versiculô sacros usus, in reverentiæ notam adhiberi solitos, ad Euangelii lectionem, *Positionem baculorum* (sive hic enses intelligas sive baculos viatorios) *Stationem*, addit enim, *stetisse populum*, & *Retectionem capitis.* Assurgebant enim, quod hodieque fit, audientes Euangelium, ad obedientiæ & venerationis significationem: idque fecisse etiam Regem & simul deposuisse diadema, Chrysostomus testatur Homil. in illud, *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. Stare* nim. est exspectantis nutum mandantis heri. *Stabant* verò fideles incurvi, ac cernui, ut est apud Athanasium *1. Decr. 1.* idemque Pamelius *Liturg. initio 5. seculi*, eruditè illustrat. Sic ergo plebs venerabunda, & subjectionem suam testificans, CHRISTO Regi suo, adstabat, submotô (quod tertium est ab Hildeberto indigitatum) non galerô tantum, quem in primo Templi ingressu deponebant, sed & pileolô. Vide Ans. Soletium *de Pileo Sect. 2.* Apud Hebræos quoque olim *Stationis* vox in usu fuit. Ibi enim, cùm Israëlita victimam donumque offerret, præsens ei adesse, atque eô tempore in atrio Sacerdotum versari debebat. Cum verò faciendum esset pro Populo, aderant Legati Universitatis Sacrorum, Hebr. *Anſche Magnamad*, i.e. *Viri Stationarii*, dicti, qui seligebantur è toto Populo, ut hujus vice præsentes sacrificio *adstarent.* Dividebantur illi, non minùs, ac Sacerdotes & Levitæ, in 24. Ordines, qui singulis septimanis per vices ministrabant; neque tamen ad Tribum Levi adstringebantur, sed desumebantur ex omnibus promiscuè tribubus. Unusquisque autem Ordinum caput habebat, *Rosch Magnamad*, i.e. *Stationum Principem*, vocatum. Vide Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Part. prior. l. 4. c. 11.* & Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l. 1. c. 5.* De *Stationis* verò illa acceptione, quâ pro Conventu Ecclesiastico, seu Cœtu Fidelium, maximè die Dominicô, convocari solitô, sumitur, cujusmodi conventum Ναζηραίων χοροστασίαν appellat Nazianzenus Orat. *in Concilio Constantinopolit. habita*, ut aliquid addam: solebant illi vel in Basilicis quibusdam vel ad Martyrum sepulchra institui, ubi cultui divino Fideles vacabant, S. Eucharistiam percipiebant, & si quid difficultatis proponendum videbatur, definiebant. Unde interdum *Stationes* usque in vesperam produci consuevisse, Tertullian. *de Jejunio* testis est. Vide de iis plura apud Jac. Pamelium *in Cyprian. Ep. 41. num. 10.* Onuphrium *l. de Stationibus urbis Romæ*, Gabr. Albaspinæum *Observat. l. 1. num. 16.* Dionys. Petavium *Animadversion. in Epiphanii Exposit. Fidei*, Car. du Fresne *Glossar.* Alios: aliquid etiam suprà voce *Pauca*; it. *Psalmus* & *Refugia*: infrà verbô *Superponere.* De *statione* autem, in crinium compositione, terminô Veterib. usitato, vide hic passim, in vocibus *Annulus, Fluctus, Gradus, Ordo* &c. ἕδραν quoque Euripides vocat, uti adnotat Salmas. *ad Capitolin. in Pertinace, c. 12.* de *Stationibus viarum ubi de Viarum curatoribus.* Ut alias vocis notiones omittam &c. Vide & infrà.

STATIONARII, memorati passim in *Codd.* Theodos. & Justinianæo, milites sunt vel apparitores & officiales Præsidum, qui dispositi per provincias certis locis seu *stationibus*, denuntiabant Magistratibus, quid ageretur: Curiosis ac Frumentariis haud absimiles, de quibus suprà. Item ἐπιστάθμοι οἱ τῶ σταθμῶ seu τῆς μονῆς προστάται, qui in *mansionibus* equorum publicorum gerebant curam, seu qui cursui publico præerant. Vide Jac. Gothofredum *ad l. 2. de Cohortal. l. 3. de Episc. Cod. Theodos.* Hos sine tractoria & apicibus Principis ad veredorum exhibitionem cogi non potuisse, docet Casaubon. *ad Spartianum in Hadr. c. 2.* Sed & sic dicti occurrunt librorum venditores, Bibliopolæ, à *stationibus* seu officinis librariis: Anglis *Stationes*, quomodo appellabant vilissimarum mercium institores, qui in Foro *stationes* habebant, ut notatum Jac. Cujacio *Observat. l. 2. c. 40.* &c. In Ecclesia Romana *Stationarius* vocatus legitur Subdiaconus, qui hebdomade suâ, in *Stationibus* Pontifice Missam celebrante, Epistolam cantabat, apud Anastasium *in Benedicto III.* Qua de re vide multis agentem Dominic. Macrum *Hierolex.* voce *Statio*; ubi inter alia, tempore persequutionum, Ecclesiæ *Stationes* in Cryptis factas, postmodum à Gregorio M. certas iis Basilicas destinatas; publicatas autem esse pridie à Subdiacono Regionario hac verborum formulâ, *Crastinâ die veniente Statio erit, In Ecclesia Sancti N.* respondente Chorô, *Deo gratias* &c. hodie verò, nomine *Stationis* intelligi indulgentiam, quæ in ea Ecclesia acquiratur, cui *Statio* assignata, refert. Vide & suprà ubi de *Diaconis.* Apud Hebræos olim quinam sic dicti, retro vidimus.

STATIONENSIS Lacus, parvus Ducatus Castrensis, in limite agri Senensis; *Lago di Mezzano.* Ex eo profluit Olpita fluv. qui paulo infra Castri rudera in Floram se exonerat.

STATIRA, Artaxerxis Memnonis Uxor. Vide *Parysatis.*

STATIRA, Darii filia, Alexandri M. uxor, cùm prægnans esset, à Roxane, epistolâ quâdam insidiosâ & fallaci pellecta, interfecta & in puteum dejecta.

STATIVA, apud Plinium *l. 6. c. 23.* ubi de itinere à Copto Berenicem, *Sed quia major itineris pars conficitur noctibus, propter æstus & stativis dies absumuntur, totum à Copto ad Berenicen iter duodecimò die peragitur*: dicuntur dies, quibus iter non fit. Vide Salmas. *ad Solin. p. 495.*

STATIVÆ Feriæ, vide suprà *Feriæ.*

STATIUS, Poeta Comicus, qui *Cæcilius* dictus est. Cicero *in Bruto: c. 74. Mitto C. Lælium. P. Scipionem. Ætatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiæ, sic Latinè loquendi; non omnium tamen, nam illorum æquales Cæcilium, & Pacuvium malè locutos videmus.* De iisdem sic *in Chronico* Hieronymus, ex Tranquillo: Olymp. CL. ann. 2. *Statius Cæcilius Comœdiarum scriptor clarus habetur, natione Insuber Gallus, & Ennii primùm contubernalis. Quidam Mediolanensem ferunt. Mortuus est, annô post mortem Ennii, & juxta Janiculum sepultus.* Agellius *l. 4. c. 20. Statius servile nomen fuit. Plerique apud veteres servi eô nomine fuerunt. Cæcilius quoque ille Comœdiarum Poëta inclytus servus fuit: & propterea nomen habuit Statius. Sed posteà versus est, quasi in cognomentum: appellatusque Cæcilius Statius.* In ejus fabulis *Asotus* fuit: quod nomen & fabulæ suæ fecerat Euthycles Comicus, & è Latinis Ennius. In iisdem *Synaristusæ*, teste Gelliô *l. 15. c. 15.* Quomodo & è Græcis fabulam inscripserant Crates & Menander. Sed & alias plurimas fabulas scripsit, quarum nomina ac fragmenta collegit Rob. Stephanus. Quanquam verò Cicero *l. 7. ad Atticum Ep. 3.* scribens, malum vocet Latinitatis auctorem; Volcatius tamen Sedigitus inter Comicos ei dat principatum. Voss. *de Poët. Lat. c. 1. Lloyd.*

STATIUS Annæus, amicus L. Annæi Senecæ ejusdemque medicus, quem sibi promere cicutam jussit Seneca. Tacit. *l. 15. Annal. c. 64.*

STATIUS Cyrillus, Historicus. Vide *Cyrillus.*

STATIUS Domitius, tribunatu militum à Nerone exutus; quasi principem non quidem odisset, sed tamen existimaretur: detectâ conjuratione Pisonianâ. Tacit. *l. 15. Annal. c. 71.*

STATIUS Murcus, vide *Murcus.*

STATIUS Papinius, Poëta, qui sub Domitiano vixit, Neapoli fuit oriundus, patre Statiô Epirotâ, qui Romæ Poësin & Eloquentiam docens, à Domitiano, cujus quoque præceptor erat, lauru aurôque coronatus est: matre Agelinâ, vide *l. 5. Sylv. 3.* Hic perperam confunditur cum *Statio* Poëta, cognomine *Surculo*, qui claruit sub Nerone. De Rhetore illo sunt hæc Hieronymi *in Chronico Eusebiano: Olymp. 209. an. 1.* (is est Neronis secundus) *Statius Surculus Tolosensis in Galliis celeberrimè Rhetoricam docet*: Ejus nomen verum ex Suetonii libello *de claris Rhetoribus* superest, ubi non *Surculus* vocatur, sed *Ursulus. Ursi* enim & *Ursuli* familiæ sunt nomina, ut ex *veterib. Inscriptionibus* constat. At Papinius *Statius*, nec *Ursuli*, vel *Surculi* cognomen unquam habuit, nec Tolosensis fuit, sed Neapolitanus, ut dictum. Reliquit *Sylvarum libros* 5. *Thebaidos* 12. *Achilleidos* 5. Mirum verò, Martialem, cùm adeò celebret Stellam Poëtam, non meminisse Statii, tanti amici Stellæ, ut ei miserit primum Sylvarum. Nempe ab invidiâ id factum videtur. Vid. Gevartium *ad 1. Sylv. c. 35.* Tandem Neapolim se, cum Claudia uxore, recepit, paulo post Domitianum mortuum: *Dramata* quoque composuit, nunc deperdita, quemadmodum Agaven. Cujus meminit Juvenalis *Sat. 7. v. 82.*

Curritur ad vocem jucundam, & nomen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cùm Statius urbem,
Promisitque diem; tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos: tantâque libidine vulgi
Auditur; sed cùm fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Nic. Lloydius.

STATIUS Priscus, redegit in Armenia ad incitas Vologesem, imperante Antoninô Philosophô, A. C. 166. Vide Dion. *l. 71.*

STATIUS Proximus, tribunus cohortis prætoriæ, per Subrium ac Sulpitium, in societatem conjurationis contra Neronem adsumptus. Tacit. *l. 15, Annal. c. 50.* Pòst detectâ re veniam, quam ab Imperatore accepit, vanitate exitus corrupit. Ibid. *c. 71.*

STATIUS Sebosius, laudatus Solino, *c. 55.*

STATIUS Valens, Historicus apud Lamprid. *in Alexandr. c. 48.*

STATONES, Hetruriæ populi quorum oppidulum *Statonia* vocabatur, hodie *Scatono Leandro.* In horum agro vinum satis generosum nascebatur, quod *Statoniense* appellabant Plin. *l. 3. c. 5.* & *l. 14. c. 6.* Et lapides ibi sunt, ab igne illæsi. Plin. *l. 36. c. 12.* lacusque, in quo Insul. fluctuans. Idem *l. 2. c. 95.*

STATOR, apud Cic. *l. 2. Famil. Ep. 17. 18.* & Vulcatium Gallican. *in Avidio Cassio, c. 9.* Græcè ὁ παραστάτης, apparitor est, ad jussa Domini seu Magistratus *stans.* Vide suprà *Buccellarii, Scurra* &c. In castris, Prætorii posticium tuebantur, erantque in singulis 2. centuriæ eorum, quibus Evocati præerant. Vide Salmas. *ad Vulcatium d. l.* & suprà ubi de *Evocatis.*

STATOR Jupiter, Romæ templum habuit à Romulo conditum, quòd, cùm ejus milites in fugam à Samnitibus versi essent, repente eô invocato ad pugnam redierunt.

STATUA, quòd *stet*, i.e. *promineat*, dicta: Propriè enim *Statua* ab Imagine hôc differt, quod *Statua* non modò superficiem, sed solidum corpus atque perfectum reddit: Imago verò superficiem tantùm refert ejus rei, cujus est imago, *Perott.* Græcè, ἀνδριὰς, ἄγαλμα, εἴδωλα dicitur. Eas quis primus fecerit, inquirunt Eruditi. Dædalum, Eupalami filium, nepotem Metionis ex Alcippe, Architectum optimum, πρῶτον ἀγαλμάτων εὑρετὴν, i.e. *primum* Statuarum *repertorem*, vocat Apollodorus *Biblioth. l.* 3. Vixit autem is, non ante bellum modò Trojanum, sed & ante expeditionem Argonauticam: ut ex Eusebio liquet, qui sic de illo scribit ad an. 737. *Dædalus visus est simulachra fecisse moventia. Primus enim omnium pedes Statuarum a se invicem separavit, aliis conjunctim eos fabricantibus.* Ubi duo de Dædalo referuntur, quòd Simulachra ejus fuerint pedibus discretis, & ab interna vi moverentur. In quibus priorum superavit industriam, qui *Statuas* fecerant pedibus junctis, non discretis, quales ambulantium; præterea nesciebant suis simulachris infundere argentum vivum, quô agitante naturaliter & per se moveri viderentur. Sed, si ante Dædalum *Statuæ* fuerunt pedibus junctis, antiquiores ergo *Statuæ* Dædalô sunt, nec fuerit ille *Statuarum* primus inventor, ut Apollodorus vult. Proin Prometheum alii primum *Statuam* ex argilla & igne è Sole rapto fecisse dicunt, vide Lactantium *l.* 2. *c.* 11. Alii malunt, primò, Æthiopes fabricâsse; inde didicisse Ægyptios, ut Diod. Siculus contendit. Ad Telchines id nonnulli referunt, de quibus sic modò memoratus Siculus *l.* 5. Ἀγάλματα Θεῶν πρῶτοι κατασκευάσαι λέγονται, καί τινα τῶν ἀρχαίων ἀφιδρυμάτων ἀπ' ἐκείνων ἐπωνομάζεσθαι, *Primi dicuntur fabricâsse quædam simulachra Deorum & quædam è veteribus simulachris ab hisce* Telchinia *appellari.* Verùm quid de eô dicemus, quòd ut Fl. Josephus *Antiqq. l.* 3. *c.* 4. & 9. imò Moses ipse, Exodi *c.* 31. *v.* 2. narrat, Deus Beseleelem & Ooliabum designârit Tabernaculi Architectos? Quid quòd ipse Tara, Abrahami Patriarchæ parens, dicitur fuisse Ἀγαλματοποιὸς, *Statuarius*: quodque Seruchus, fil. Ragau, Abrahami proavus, primus *Statuis* ornâsse Viros fortes putatur? vide Eusebium *in Chron. Epiphanium*, Voss. *de* 4. *Artibus Popul. c.* 5. §. 4. & *Idolol. l.* 3. *c.* 45. Fuêre autem *Statuæ* antiquissimæ fictiles & ex argilla, unde & *Statuæ* Deorum, & parietes Templorum, & vasa non minùs sacra ac domestica primis temporibus ex eodem luto fuêre, ut suprà diximus: & quidem, si fabulis Gentilium credimus, ex argilla primus simulachra fecisse, & igne cœlitus raptô animâsse, dicitur Prometheus, ut vidimus. Ex ære primi postea fuderunt Samii duo, Rhœcus Philæi fil. & Theodorus Teleclis; is qui & smaragdum cælavit Polycratis Samii, Pausan. *in Arcadicis*: cùm priùs ex rudibus laminis *Statuæ* coagmentarentur. Fuisse autem has ex ære *Statuas* cavas, discimus ex Seneca *Natur. Quæst. l.* 6. *c.* 19. Ex argento dein & auro fiebant. Unde argenteas sibi positas conflavit Augustus, apud Sueton. *Octavio c.* 52. Nec Domitianus alias sibi, quam aureas & argenteas, idque ponderis certi, in Capitolio poni permisit. Papinius *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 189.

Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris, & propria signet cultricis amorem.

Prima autem *Statua* aurea, in Templo Anaitidis, posita legitur, Antonii Parthicis rebus direpta, Plin. *l.* 33. *c.* 4. Nec argenti usus in statuas primùm ad honorem Augusti transiit; *jam enim triumphô Magni Pompeji reperimus translatam Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argenteam statuam: item Mithridatis Eupatoris*, Idem *l. eod. c.* 12. Porrò & ex electro, ligno, lapide, ebore *Statuas* suggerit Plin. *l.* 4. *Ep.* 7. *Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argentô, illum aurô, ebore, marmore effingit.* Artemidorus *l.* 2. *c.* 44. Ἀγάλματα χρυσοῦ κατεσκευασμένα ἢ ἀργύρου, ἢ χαλκοῦ ἢ ἐλέφαντος, ἢ λίθου, ἢ ἠλέκτρου, ἢ ξύλου. De magnitudine sic Lud. Demontiosius *l. de Sculpt. Apertè dicit Plinius, primum tripedaneas Statuas in Foro positas bene meritis; quòd ea mensura honorata tunc esset; cùm & ejus mensuræ quædam adhuc in Urbe spectentur Deorum signa antiqua, ipsius etiam Jovis in palatio Card. de Medicis. Et celeberrima signa Deorum, quæ nobis hic videre contigit, excedunt quidem communem hominum mensuram, ita suadente ratione Optices, ut in loco superiori collocata parilia videre possint, cùm aliquid semper distantia intercipiat: Sed Antinoi, qui est in Vaticano, eadem statura est, atque Apollinis. Statuæ autem Alexandri Bucephalum domantis, quæ sunt in monte Quirinali, majores sunt omnibus signis Deorum Gentilium, quæ in Urbe extant. Dearum enim statuæ ferè omnes, quas hic vidi, non distant longè à communi mulierum mensura. Contrà Sabinæ, quæ sunt in eodem Palatio, duplô, aut eô ampliùs hanc mensuram excedunt; ut & Niobe, quæ ibidem spectatur.* E quibus patet, non semper obtinere illud Pomp. Gaurici *l. de Sculpt.* quòd ait, *Statuas*, quæ infra hominis figuram sunt, *Signa* nuncupari: cubitales vel cubitô minores, *Sigilla*: *Pariles*, quando referunt staturam ejus, quem exprimunt: *Magnas*, quæ forent intra rationem sesquialteram: *Maximas*, quæ parilium triplæ aut iis majores essent. Ubi nec illud Philandri, addentis, pariles statui solere bene meritis ac sapientibus Viris, magnas Regibus ac Imperatoribus, maximas Diis & Heroibus. Interim plerumque eò magis honorificæ, quô plurium essent pedum, habebantur: omniumque honoratissimæ colossi erant. Qua de re vide Casaubon. *ad Treb. Pollion. in Claudio, c.* 3. ubi huic statuam auream decem pedum, in Capitolio, collocatam esse à Senatu refert, & Salmas. *ad Spartian. in Vero, c.* 7. cui statuas per totum orbem colosseas, vide has voc. poni jussisse Hadrianum, Auctor is narrat. Apud Italos porrò jam Evandri ætate, nempe 400. ante Urb. Cond. annis, Herculis *Statuam* in Foro fuisse Boario, legimus apud Plinium *l.* 34. *c.* 6. qui & à Numa Jani simulachrum in eopse Foro ait constitutum: repugnante Plutarchô, qui Romæ negat annis post Numam 160. ullum fuisse simulachrum vel Imaginem. Nunquam verò majori in honore fuêre, quàm cùm primùm positæ sunt Diis: multumque earum honorem auxit, quòd subinde etiam loqui viderentur; Nempe dum à malis Spiritibus animabantur, ut loquitur Augustin. *de Civ. Dei l.* 8. *c.* 23. neque quidquam æquè cœlestis Veritatis nesciis fidem fecerit esse Spiritus, quam illi *Statuarum* afflatus, Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 6. Aliquanto is honor minor fuit, cùm communis factus Virorum fortium & bene meritorum de Rep. Plin. *l.* 34. *c.* 4. *A Diis ad homines* Statuarum *honor translatus est.* Sic *Statuæ* positæ Aristogitoni sunt & Harmodio, Tyrannicidis, Athenis, eô annô, quô Romæ ejecti Reges: hisque primis, in Foro, ut docet *Aristoteles.* Inde in Persiam transportatas à Xerxe, restituit Atheniensibus, Alexander M. teste *Arrianô.* Fuêre autem ex ære, unde nota *Antiphontis* oratoris infelix παρρησία. Etiam Philosophis esse constitutas, habet Tertullianus *Apol.* Hinc de antiqua Cleanthis statua, Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 7.

Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.

Medicis quoque, post sanitatis restitutionem: Antonio hinc Musæ populus ære suô *Statuam* posuit, apud Sueton. *Aug. c.* 59. Olympiæ, omnibus, qui ter vicissent, ponebantur similiter *Statuæ*, è veris membris expressæ: Quadrigariis & Agitatoribus armatæ, Plin. ubi *suprà*, qui verò addit, statuas ex membris hominum similitudine expressas, vocari *Iconicas*: at majores, *augustas*; longè maximas, *colossos.* Vide quoque de Hieronicarum statuis & Imaginibus, Tranquillum *Nerone c.* 24. Ut verò *Statuæ* hominibus positæ persisterent inviolatæ, sæpe eas Diis consecrârunt, vel in loco sacro posuerunt. Ita Gorgias Leontinus statuam sibi posuit inauratam, sed eam Apollini Delphico consecravit: Mithridates, quam Platoni erigebat, consecravit Musis: suam Scipio Africanus in cella Jovis O. M. constituit. Quò pertinet Theocriteum id,

Χρύσεοι ἀμφότεροι, κ' ἀνασείσομεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ,
Aurei utrique ac dedicabimur Veneri.

Nec semper una uni posita fuit, sed etiam permultæ: neque [illegible] tantummodo honoris, sed etiam cultûs ergo. Seneca de Ira *l.* 3. *c.* 18. *Mario vicatim Populus statuas posuerat, eique thure & vinô supplicabat.* Imo apud Athenienses,

——— *Demetrius æneas tot aptu'st,*
Quot luces habet annus absolutus,

ut ait Varro *in Hebdomad. opere.* Mulierum etiam fuêre, ut illæ Caryatidum, apud Vitruvium *l.* 1. *c.* 1. Clœliæ, de qua post: Sibyllæ tres antiquissimi operis, juxta Rostra, fuerunt teste Pliniô *loc. cit.* hic autem apud Romanos locus honoratissimus, ad Statuas, ut docet Cicer. pro *Dejotaro & Sextio.* Fuisse illis & *Statuas* Equestres (à Græcis ortas) patet ex iis, quæ positæ sunt Camillo & Menio Consulib. apud Livium *l.* 8. Clœliæ, apud Plin. *l.* 34. *c.* 6. Sullæ Pompejo, Cæsari & Augusto, apud Vellejum Paterc. *l.* 2. *c.* 31. & 61. meminitque *Statuarum Equestrium* Cicero ac Plin. *c.* 5. *l. cit.* Primus autem Romæ Manius Acilius Glabrio, devictô Syriæ Rege Antiochô, id consecutus est, ut ejus *Statuæ* bractea induceretur ex auro, de quo umbratilis andi more conqueritur *Amm. Marcellin.* Tandem, tum in Græcia, tum in Italia, & alibi, promiscuè poni cœpêre, etiam indignis, ut videre est apud Demosthenem *Orat.* περὶ συντάξεως: quô factum, ut, evilescente hôc honore, eas subinde viri magni, inter quos Cato & Agesilaus, repudiârint. Sub Cæsaribus *Statuam* nulli ponere licuit, nisi Principis consensu, à quo id petere Senatus (cujus olim solius id jus erat) solebat, Plin. *l.* 1. *Ep.* 17. Claudian. proin *Præf. de bello Getico*, *v.* 9.

Annuit his Princeps titulum, poscente Senatu.

At mos ille parum laudabilis Rhodiorum posteriori fuit ævô, quòd, si quis statuâ dignus foret, non ei novam poneret Prætor, sed ex veterib. statuis alicui nomen eraderet, eique insculperet novum. Quam tamen culpam multum imminuebat *Statuarum* multitudo, habebant enim earum ad 73000. Dein indignis, vel quorum merita exigua forent, nomina eradebant, Dio Chrysostomus *Rhodiacâ* &c. Erant præterea & *Statuæ* à privatis erectæ, in solatium amicorum Parentumque, qui obiissent; Sed illæ in porticibus aut certè in areis, Bibliothecisque privatis collocabantur, Sidon. Apollinaris *carm.* 7. Arnobius *l.* 1. *in fin.* Alciatus *Parerg. l.* 4. *c.* 27. Alii. Tumulis item, vide infrà *Stele.* In Pedestribus, quæ frequentissimæ, *manus exerta*, quô imperium fortè indigitatum est: Nam una manus clypeum prætendebat, altera imperantis specie extendebatur. Cujus ritus initium à Cethegorum familia sumtum videtur. Lucan. *l.* 2. *v.* 543.

——— *Exertique manus vesana Cethegi.*

Quod & in Causidicorum observatum statuis, quòd gestus sic fieri solerent. Idem in Equestribus quoque obtinuit, quæ non nisi gravissimis de causis concessæ. Enses autem quomodo in Ducum Imperatorumque *Statuis* gestarentur, difficultas est non exigua. Persæ demissos ferebant. Jul. Pollux *l.* 1. *c.* 10. §. 7. Gothis, ex humeris penduli erant, Apollinar. *l.* 4. *Ep.* 20. ut & Græcis, Homer. *Il.* β. *v.* 45. in Romanis verò statuis equestribus ad latera inserti enses cingulis suspendebantur, Stat. *l.* 1. *Sylv.* 1. & *Thebaid. l.* 1. *v.* 417. Atque is quidem militarium statuarum, quas Ammian. *l.* 19. *armatas*, vocat, habitus fuit: Scipionis tamen in Capitolio chla-

chlamydata & crepidata fuit contra morem, sed hic ei militiæ fuit habitus, priusquam in Africam transiret. Togatarum alius longè. Nec omittendum, *Statuarum* basin solitam fuisse signari dedicationis elogiô, Val. Max. *l.* 4. *c.* 4. *ex.* 1. Ut verò bene meritis ponebantur, sic malè merentibus eædem tollebantur tituli, memoriaque omnis abolebatur, quod pœnæ genus severissimum habitum est, vide Æl. Lamprid. *in Heliogabalo c.* 13. & *Commodo, c. ult.* Jul. Capitolin. *in Maximinis, c.* 23. Sueton. *Domitiano c. ult.* Alios, hodieque multæ visuntur statuæ, quibus tituli exemti. Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 9. Eædem luto inquinabantur, uti Tyrannis fieri solitum, ait Lamprid. *in Heliogabalo, loc. cit.* more antiquissimô & Atheniensibus primum recepto, qui id contumeliæ genus ἀνδριαντίζειν dixêre. Item nigrô colore deformabantur, ut de Maxentii imaginibus scribit Eusebius *l.* 9. *sub fin.* Vel etiam dejiciebantur ac frangebantur: aut, si fusiles erant, in vasa, obscœnis usibus destinata, conflabantur, uti Demetrii Phalerei statuis factum esse Athenis olim, docet *Laertius*. Vide Cl. Berneggerum *ad Justin. l.* 38. *c.* 9. Neque verò hominum solùm, sed & Deorum, si quid secus contigisset, *statuæ* lapidatæ olim disjectæque, uti docet *ad Martialem l.* 1. *Epig.* 13. Heraldus. Vide quoque suprà. Uti contrà floribus & coronis statuæ Numinum & hominum egregiorum ornabantur, de quo ritu pluribus agit C. Paschalius *Coronar. l.* 4. *c.* 9. & *seqq.* nec non Jac. Ouzelius *Animadversionibus ad Minucium Fel. p.* 16. Vide quoque Athenæum *l.* 10. *c.* 10. Ælian. *Var. l.* 2. *c.* 41. & Laërtium *Xenocrate c.* 8. ubi de Philosopho hoc, muneri sibi datam ab Dionysio Rege coronam auream Mercurio ante regiam stanti, injicente: Justinum it. *l.* 18. *c.* 2. ubi de Legatis Romanorum, qui aureas coronas à Ptolemæo sibi missos honoris quidem causâ receperunt, posterâ verò die Regis statuis inposuerunt: adde Just. Lipsium *ad Tacit. Annal. l.* 2. *Notis* 167. Ut & hoc addam, Deos ac Reges nudos sæpe numero *Statuarios* priscos causâ honoris & laudi, effinxisse; scil. *ut perspicua eorum potestas & animô sinceri nullôque vitiô protecti indicentur*, Amorem inprimis Bacchumque, tradit Licetus *de Gemmis Annul. c.* 10. Aliàs candidis vestimentis Deorum *statuas* indui fuisse solitas, docet Sulpitius Sev. *de vita Mart. l.* 1. Vide quoque infrà *Vestis*. Ad *Statuas* miseris Servis perfugium fuisse, diximus alibi. Inter *Statuas* Græci sic distinguunt teste *Philandrô*, ut *Statuas* Deorum vocent εἴδωλα: Heroum ξόανα: Regum ἀνδριάντας: Sapientum εἰκόνας: bene meritorum βρέτα, quod tamen discrimen Auctoribus non semper observatur; Quid *Statuæ* à Signis differant, vide paulò suprà ut & in voce hac: & plura de his apud Jac. Gothofredum *Exercit* 1. *de Eccl.* ubi de *Statuis Deorum, Curulibus, Sessilibus, aliis*, multa egregia; Casp. Barthium *Animadvers. ad Stat. passim*, inprimis *Parte* I. *p.* 42, ubi *de more Statuas Principum thure & vinô venerandi*; *Parte* II. *p.* 910. ubi *de Statuas Numinum abluendi ritu*, & *p.* 1028. ubi *de cultis Statuis, tanquam Diis ipsismet, unô & nomine Deorum, illis tributo* &c. Gerh. Jo. Vossium *de Philosophiâ c.* 16. Salmas. *ad Pollionem in Tito c.* 32. ubi *de Statuis acrolithis, auratis, & sub auro locari jussis*; Item *ad Vopisc. in Aureliano, c.* 18. *ubi de Statuis Magicè consecratis ad propulsandos hostes*; nec non, ubi *de Statuis sepulchralibus* &c. P. de Valle *Itiner. Part. IV.* ubi *de more Statuas Deorum, quæ vetustate inutiles redditæ, reficiendi, renovandique, apud hodiernos in India Idololatras, usitatissimo*: ex antiquis verò Plinium præprimis *l.* 34. *c.* 4. 5. & 6. ut & hic passim, inprimis ubi de *Consecratione, Dedicatione & Resecrandi ritu*: item ubi de *Simulachris*.

STATUA, in Ecclesia Romana vocatur imago Hæretici absentis fugitivi, de quo suprà diximus. Postquam enim contra talem sententia lata est, ne frustra penitus, id factum videatur, coram omni populo publicari solet, & imago absentis seu *Statua* in publicum producitur eique titulus affigitur, continens nomen & cognomen absentis contumacis, qui damnatur, eaque statua seculari potestati traditur, in quam combustionis sententiam & pœnam exercet, ac facturus esset in absentem ipsum, si præsens affuisset (nisi converti voluisset) aut aliàs esset relapsus. Ita statua Sigism. Malatestæ, ad fores D. Petri: & statua Lutheri, Leonis X. jussu, unâ cum libris ab Asculensi Episcopo & Sylv. Prieritate, igne concremata est, teste Lud. Paranô *de Orig. & Progr. Inquisit.* Vide quoque Pegnam *Praxi Inquisitor.* & Phil. à Limborch *Historiâ l.* 4. *c.* 37.

STATUARIA, propriè Ars est, quæ, ut Sculptura imagines in ligno prominentes, sic ipsa in lapide ac metallo facit: à qua utraque quî differat Cælatura, Chymice sive Fusoria & Plastice, exponit Vossius *de* 4. *Artibus Popul. l.* 3. §. 22. Vide & hic suis locis. Ejus comparationem cum Pictura qui instituunt, deprehendunt quidem, *statuas* durare magis, pluraque in secula hominis decus propagare, sed tamen à picturis longè vinci artificiô, splendore ac pulchritudine. Licèt enim in statua non tam facile, quàm in pictura, erratum corrigi possit: Licèt etiam in ea, ob rotunditatem trina videatur dimensio, cùm in pictura sola conspiciatur superficies & colorum fucus: majora tamen sunt, quæ in statuis desideres. Nam in pictura, non item statua, apparent lumen atque umbra, item discrimen ejus, quod rarum vel densum. Et quanto vividius est in pictura discernere, utrum capilli cani sint, an nigri vel rufi: oculi num cærulei, an cæsii. Nec *Statuarius*, uti Pictor, expresserit cœlum, mare, montes, sylvas, flumina, prata, casas ac similia: ut omnino Pictura latiùs se extendat. Vide Balthas. Castilioneum Comitem *de Curiali l.* 1. & Voss. de *Philosophia c.* 16. §. 2. Vetustatem ejus prosequuti sumus suprà, ubi de *Statuis*. Inter Veteres *Statuarios* grande decus obtinuerunt Phidias, Praxiteles, Lysippus, Calamis, Alii. Quibus Mentor & Mus, à Propertio *l.* 3. *El.* 8. Myron, ab Ovidio *l.* 4. *de Ponto. Eleg.* 1. *v.* 34. Polycletus & Alcamenes, à *Dion. Halicarnassæo, locô mox citandô* adjunguntur. Vide hic infrà.

Statuarii celebres, prisci ævi.

α. Alcamenes, cum Polycleto & Phidia sociatur, Dionysio Halicarn. *l. de Demosth. acumine ac vi.* Eidem cum Phidia, quæ Polycleto defuerunt, tribuit Quintilian. *l.* 12. *c.* 10. β. Antipater, memoratur Plinio *l.* 33. *c.* 12. ubi ei Calamis conjungitur. γ. Calamis, in equis effigiandis celebris fuit, vide Ovid. *locô cit.* Minùs rigida Calone atque Egesiâ fecisse dicitur Quintil. ubi *suprà*: qui molliora adhuc supradictis Myroni tribuit. δ. Calon atque Egesias, duriora & Tuscanicis propriora fecisse eidem dicitur. ε. Cephissodotus, Praxitelis tempore Alexandri M. celebrati filius fuit, rei & Artis hæres, Plin. *l.* 35. *c.* 5. ζ. Demetrius, tanquam nimius, & similitudinis quàm pulchritudinis amantior, reprehenditur Quintiliano *loc. cit.* η. Egesias Caloni jungitur, apud Eund. θ. Lysippus, ad veritatem optimè accessisse dicitur, *Eid. Gloria Lysippo est animosa effingere signa*, Propert. *l.* 3. *El.* 8. *v.* 9. Eum statuæ unius lineamentis inhærentem, inopiâ extinctum fuisse, habet *Petron. Arbiter*. ι. Mentor, memoratus Propertio *loc. cit. v.* 13. *Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ.* Hinc *Mentoreum opus* Eid. *l.* 1. *El.* 14. *v.* 2. κ. Myron, laudatur Plinio *l.* 38. *c.* 5. ejus vacca inprimis celebris, Ovidius *de Ponto l.* 4. *Eleg.* 1. *Qui penè hominum ferarumque animas ære comprehendit, non invenit hæredem.* Petronius Arbiter. vide quoque Ovid. ubi *suprà*. λ. Mys, memoratur Propertio *l.* 3. *El.* 8. *v.* 14 *At Myos exiguum flectit acanthus iter*: Martial. item *l.* 8. *Epigr.* 34. μ. Phidias, Diis quàm hominibus efficiendis melior habitus: *in ebore longè citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem fecisset*, Quintil. *loc. cit.* Unde Propertius iterum, *v.* 15. *Phidiacus signô se Jupiter ornat eburnô.* ν. Polycletus, Phidiæ & Alcameni jungitur, apud Dionys. Halicarn. *loc. cit.* quibus datur, quod illi defuit. *Diligentia ac decor in eo supra cæteros. Sed, ut humanæ formæ decorem addidit supra verum: ita non explêsse Deorum auctoritatem creditur. Quin ætatem quoque graviorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra leves genas*, Quintil. *l. c.* Idem *Canona* fecit, ex quo Artifices lineamenta petebant, *solusque hominum artem ipse fecisse Artis opere judicatur*. Plin. *l.* 34. *c.* 8. De eod. Cicer. *in Paradox. c.* 2. *Actionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti.* ξ. Praxitelem, *propria vindicat arte lapis* Propert. *loc. cit. v.* 16. Vide *suprà*. Cùm autem duo fuerint, inprimis celebris fuit, qui Alexandri vixit tempore, cujusque varia opera recenset Plin. *lib. cit.* Filius ejus Cephissodotus fuit, de quo dictum, &c. Longè plures *Statuarios* Tatianus *adv. Gentes* recenset, quem unà cum Plinio videre, operæ erit pretium.

à STATUIS Officinator, nomen officii fuit apud Romanos, in famulitio urbano: Qualis fuisse legitur, Eutyches, Augustorum Libertus & Hermeros Tib. Claudii servus Theamidianus *ab Marmoribus Magister*. Unde colligas; apud Cæsares saltem, non Pinacothecas tantùm, sed & Agalmatothecas, in delitiis fuisse: privati enim his Atria referserant sua. Officinatorem autem *à Statuis*, intelligit Pignorius Fabrum statuarium, proximè ad vim vocis, quam & Vitruvius, aliis intactam, usurpavit, *l.* 6. *c. ult.* explicat autem Bernardinus Baldus *in Comm. ad Vitruv.*

STATURA hominum, qualis olim hodieque, his verbis exequi conatur Solin. *c.* 1. *Si de ipsis hominum formis requiramus, liquidò manifestabitur, nihil de se antiquitatem mendaciter prædicâsse, sed corruptam degeneri successione sobolem nostri temporis per nascentium detrimenta decus proceritudinis veteris perdidisse. Licèt ergo plerique definiant, nullum posse excedere longitudinem pedum septem, quod intra mensuram istam Hercules fuerit, deprehensum tamen est Romanis temporibus, sub D. Augusto Pusionem & Secundillam denos pedes & amplius habuisse proceritatis* &c. ad quem locum vide Salmas. & de quæstione, *An de ævo in ævum minuatur hominis statura?* Matth. Berneggerum *Quæstion. in Taciti Germaniam*. Uti de causa staturæ brevioris. Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 21. Capitolin. de Maximino Juniore *c.* 2. refert, proceritatem staturæ ejus fuisse ad octo pedes & semissem, quod rarum illis temporibus inter Romanos; at Philostratus ait hanc staturam esse proceri Germani, apud quos, qui justæ & commodæ staturæ viderentur esse, septem pedes non rarò excederent, in *Vita* Herodis; & notum de Burgundionibus septipedibus, apud *Sidonium Apolinarem*. Cum verò in milite, præter robur, *statura* quoque requiratur, apud Romanos militaris statura legitima, in probatione tyronum, sex pedes fuerunt, aut quinque ad minimum cum denis unciis, uti ex Dositheo discimus *in Sententiis Hadriani*. Ad quam rem palus olim mensuralis in castris positus est & defixus, ut ad eum admotis, qui ad militiam deligebantur, tironibus, vel qui sponte ad militiam accedebant, an legitimâ staturâ essent, examinaretur, uti diximus suprà in voce *Incomma*, item ubi de *Militari statura*. At Franci veteres *ad spathas metiebantur* milites, uti legimus in *Gestis* Dagoberti Regis *c.* 15. & apud Monachum Sangall. *de Carolo M. l.* 2. *c.* 17. Similiter apud Bohemos olim, qui gladii longitudinem attigissent, militare coactos fuisse, docet Æneas Sylvius *Histor. Bohem. c.* 10. &c. Vide quoque Casaubon. *ad Tiber. Suet. c.* 68. & infrà *Virga*, it. *Ulna*. Cæterùm *Staturæ hominis* terræ globum admensum esse Deum O. M. censet Ricciolus, ut videbimus infrà voce *Terra*.

STATUS, positura & situs corporis in pugna est. Cùm enim se Gladiatores olim in arma colligebant, sui defendendi & alterius petendi causâ, illam ex arte totius corporis posituram vocabant *Statum*. Sic Plautus, *Milit. Actu* 4. *sc.* 9. *v.* 12, 13.

——— *In statu senex,*
Ut adoriatur mœchum.

Unde *statum cogitare* dicebatur, qui de resistendo & repugnando agitabat: notæque phrases, *statum componere, statu demovere* &c. Aliud erat *gradus*, quem ad pedes tantùm referebant: Hinc de gradu poterat quis dejici, qui non moveretur *Statu*. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 326. & suprà, ubi de *Gladiatoribus, Lucta* &c. Sed & *Status* Isidoro, scenica vestis est, Græcè στατὸς χιτών, de qua vide suprà in voce *Stare*.

STA.

STATUS Belgii Uniti, vide *Provinciæ confœderati Belgii.*

STATUUM Regio Insula maris Eoi, recens à Batavis detecta; quæ extenditur inter Terram Esonis ad Ortum, à qua separatur fretô *Uriæ*, & Yuptam regionem ad Occasum à qua separatur fretô *Piechi.* Sed nulla hic colonia Europæ, cùm Borealior sit Japoniâ.

STATUUM Regio Insula Americæ meridialis inter fretum Mareum & Brouverii, à Batavis detecta A. C. 1616. aliàs continens credita. Pars est Magellanicæ regionis.

STATYELLI, vide STATELLATES.

STAVANGRIA, vide STAFANGRIA.

STAVANI, Sarmatiæ Europææ gens. *Ptol.*

STAVENI, Ariæ populi. *Ptol.*

STAVERA, urbs parva Hanzeatica Frisiæ Occidentalis cum portu, in ora mari Austrini, sub Batavis. 4. milliar. Germ. ab Enchusia in Boream 6. à Vollenhovia in Circium.

STAUFACHERUS, vide STOUFACHERUS.

STAUPUS, apud Anastasium Bibliothec. *in Nicolao I. Calices argenteos duos &* staupos *argenteos duos*; Carolo du Fresne est scyphus, crater, poculum certæ mensuræ, ex Germ. *Stauff.* Dominico Macro vas est, ad arcus ornamentum suspendi solitum. Ibidem enim legitur, *Staupos---in arca, quem ex argento fecerat, suspendit.* Alii *stropum* legunt, Græcè στρόφιον, de qua voce infrà dicemus. Unde Car. Macer mavult hâc voce intelligi coronam, ornatûs causa in Templo suspendi solitam. Vide utrumque in *Hierolex.*

STAURACINA Pallia, apud eundem Anastasium in *Adriano*, *Cortinas de pallis* stauracinis *seu quadruplis*: Macris Fratribus pallia sunt, quibus multæ *cruces* intextæ, aliàs *Polystauria*, item *Gammadia* dicta, ex Torrigo *de Cryptis Vatic. p.* 184. *Bulengerus* exponit aurô & sericô pampinata, corymbiata, filicata, eo quòd citerioribus Græcis, teste Moschopulô *l.* περὶ σχεδῶν, σταφύλια, ἕλικες i. e. *corymbi & pampini* dicerentur. At Car. du Fresne *in Glossar.* sic dicta contendit, à *storace*, unde dictus color *storacis*, vel *stauracis*, *storacinus* vel *stauracinus*, quô tincta fuerint: Vide infrà in voce *Storax.*

STAURATIUS, fil. Nicephori I. Imperatoris à patre in collegam ascitus, A. C. 803. vulneratus in prælio, quô Pater à Bulgaris victus est, A. C. 811. Hinc Constantinopolim perlatus, auditô affinem Michaëlem Rangabum Imperium arripuisse, cum Theophania uxore, monasterium est ingressus. Cedren. & Zonar. *in Annal.* Theophan. *in Chron. &c.*

STAURI, gentes circa Hyrcanum mare, Plin. *l.* 6. *c.* 16.

STAURIA, in *vetere Saxo* prope Neomagum, *Hucusquè jus Stauriæ*, urbs Stavera est, Frisiæ olim Regni caput, cujus hodieque supersunt reliquiæ. Hujus Regni partem magnam cum Bataviæ parte Dieterico Viro nobili ac strenuo cum dedisset Carolus Simplex Francorum Rex, *Frisiæ* vel *Westfrisiæ Comes* ille appellari cœpit, ut & Successores ejus usque ad Dietericum V. & sub imperio habuit præter Frisiam strictè dictam, Hollandiam, Zelandiam, Trajectum aliasque ditiones, usque ad Neomagum urbem, quæ Frisici Regni priscus limes fuit, Georg. Hornius *Orb. Imper. cum Notis* Fellen *p.* 227. Aliter vox sumitur in *LL.* Opttalbomicis *c.* 20. ubi *Fratres de Stauria*, sunt Fratres Crucis, de quibus suprà aliquid.

STAUROLATRÆ, vocati sunt Hæretici quidam in Armenia, aliàs *Chazinzarii* dicti, quod idem sonat: *Chazus* namque illorum linguâ idem, quod Græcis σταυρὸς, Latinis *Crux*, unde sic dicti sunt, *quòd crucem tantùm adorare & colere dicerentur*, uti habet Langius, interpres Nicephori Callisti *l.* 18. *c.* 54.

STAUROPATÆ, Græcè Σταυροπάται, in VIII. Synodo dicti sunt Episcopi, qui, contra juramentum *super crucem* præstitum, cum Photii perfidia communicàrunt. Dominic. Macer *in Hierolex.* Ex Græco σταυρὸς, *crux* & ἀπατάω, *decipio.*

STAUROPEGIUM, Græcè σταυροπήγιον, *crucis fixio*, dicitur cærimonia erigendi crucem in loco ab Episcopo consecrato, ut in *Ceremoniali* Episcop. habetur. Jul. Antec. ejus meminit *Const.* 61. *Nullus audeat ædificare Ecclesiam, vel Oratorium, antequam civitatis Episcopus veniat & ibi vota* (extensis ad cœlum manibus) *faciens, sanctissimam crucem infixerit.* Inde diœcesis Episcopi, cùm crucem figere Episcopo non liceat, nisi intra jurisdictionis suæ limites. Quapropter Patriarcham Constantinopolitanum, quoties Monasterium aliquod sive aliam possessionem Ecclesiasticam ab Ordinario loci exemturus erat, *Stauropegiô* usum fuisse, ex privilegio à Michaële Palæologo indulto, refert Georg. Pachymeres, ex ejusdem Imperatoris *Novella*, in *Histor. sua l.* 6. *c.* 11. apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* Ritum omnem hac in re observari solitum, fusè describit *Euchologium p.* 235. & 236.

STAUROPHORI, apud Petrum Diaconum *Chron. Casin. l.* 4. *c.* 39. *Posterò die Pontifex misit in occursum ejus---Bajulos, Cereostatarios*, Staurophoros, *Aquiliferos, Leoniferos &c.* Græcè Σταυροφόροι sunt, qui Crucem in processionibus Ecclesiasticis ferre consuevêre. In Constantinopolit. verò Ecclesia sic dicti, qui, aliàs Ἄρχοντες τῆς Ἐκκλησίας & Ἐξωκατάκοιλοι, quinque numerô fuêre, inter Patriarchæ Consiliarios principem locum tenentes. Vide *Histor.* Concil. Florentini *Sect.* 2. *c.* 22. 25. 27. & Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* vocibus præfatis, qui etiam de *Crucis signo se signandi more veterum Christianorum*, de voce Σταυρὸς & Σταυροθεοτόκιον, hymni genere, ac Σταυροπροσκύνησις, seu *adoratione Crucis*, quomodo Dominicam III. Quadrages. quæ Latinis *Oculi*, Græci insigniunt, varia habet.

STAUROPHYLAX, Græcè Σταυροφύλαξ, i. e. *Crucis custos*, dignitas fuit in Ecclesia Constantinopolitana, cui inventæ ab Helena Crucis custodia ac cura commissa erat. Ejus mentio in *MS.* quodam Sermone Bibliothecæ Barberinæ, cujus titil. *Chrysippi Presbyteri Hierosolymorum &* Staurophylacis *sanctæ Resurrectionis.* Hôc enim elogiô etiam Patriarcha Hierosolymitanus erat insignis. Macer *Hierolex.*

STAUROPOLIS, urbs Cariæ mediterranea Archiepiscopalis & amplissima metropolis, sub qua 27. Urbes Episcopales *S. Croce* nostris. *Ferrar.*

STEGANOS, apud Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Namque fallacibus vadis Alexandria tribus omnino aditur alveis maris*, Stegano, *Posideo, Tauro*: ex Græco στεγανὸς, unus est ex tribus alveis maris, quibus adibatur Alexandria Ægypti. Dicebatur sic, quòd esset στεγανὸς, i. e. *clausus*, munitus & firmè factus. vel, ὁ δυνάμενος στέγειν καὶ συνέχειν τοὺς ὑγρούς. Στεγανὸν enim propriè vocatur vas, quod liquorem benè continet, nec perfluit: unde & στεγανὸς homo, *qui secretum retinet, nec enuntiat*, cui contrarius ille apud Comicum, Terent. *Eun. Actu* 1. *sc.* 2. *v.* 25.

Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.

Et στεγανώματα, i. e. *loramenta*, vincula ad continendos parietes; & στεγανὰ οἰκήσεις *Dionysio Halicarn. undique munitæ*, clausæ & ædificatæ, ut sunt turres &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 479. & suprà in voce *Stagna*: uti de *Steganographia* Veter. Recentiorumque suprà, ubi de *Ciphris* ac modo *Occulte scribendi.*

STEGEBURGUM, urbs Ostrogothiæ, cum portu, in ora maris Baltici 16. mill. pass. à Norcopia in Ortum, 30. à Nicopia in Meridiem.

STEGEHOLM, nomen castri in Suecia, sub proprio olim Comite, è Sturia Familia: in qua ultimi fuêre Suantonius *Sture* Comes *de Westerwyck*, ex Martha Lewenhauptia, liberi, Nicolaus (den. A. C. 1567.) Ericus (denatus eodem annô) Steno, Mauritius, Carolus, Sigridis (uxor Turon. Bielckii senioris) Anna (uxor Hogenschildii Bielckii) Magdalena (uxor Erici Gustavi Steinbockii) Margareta (uxor Turonis Bielckii Junioris) & Christiana, Gustavo Banerio nuptum data, omnes *Sturii Comites de Stegeholm & Westerwyck.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Part. III. p.* 35. & infrà in voce *Sturia.*

STEHELIUS Bernhardus, Basiliensis. Hic à juventute literis egregiè imbutus, variis posteà bellis fortitudinis laude sibi conciliata, ab Henrico II. Galliarum Rege post Rentiacum conflictum, eques creatus est: Posteà bellis civilibus religionis causâ per Galliam ingravescentibus, pii Magistratus edictis obsequens, domum redиit, extinctus A. C. 1570. Christ. Urstisius *Epit. Hist. Basil.*

STEINA, vulgò STEIN, oppid. Helvetiæ in Turgea ad Rhenū ex lacu Cellensi egressum, non longè situm: ex ruinis Burgi, antiquitùs Romani præsidii, sed ab Alemannis vastati, in altera Rheni ripa, ædificatum fuisse, Romana docent monimenta, & ingentes murorum ruinæ, per totum ejus collis, ubi Burgum fuerat, circuitum, usque ad vicum *Eschentz*, in cujus templo & castri antiqui ruderibus, mutilata cernitur inscriptio Cajo Cæsari facta, Joh. Bapt. Plantinus *Helvet. nov. ant.* Burgus præfatus Gaunodunum *Ptolemæi* est: Steina autem sub Ottone I. muris cingi cœpit à Burcardo Sueviæ Duce A. C. 966. contra Hungarorum excursiones. Prope id dein in monte Duello Hedvigis uxor Ducis Cœnobium Benedictinorum condidit, cujus primus Abbas fuit Wazemannus: sed id Steinam translatum est, A. C. 1005. A Sueviæ Ducibus oppidum pervenit ad Barones de veteri Clinga, qui arcem supra Steinam *hohe Klingen* extruxêre. Dein ad Clingenbergios devolutum, qui libertatem civibus aurô vendiderunt: tandem Tigurinis se, salvis suis juribus, A. C. 1484. subjecit, qui præfectum Cœnobio mittunt. Cives autem proprios Magistratus habent, sed Tigurinorum edictis tenentur, iisque militant, verùm sub propriis signis, Stumpf. Simler. *de Rep. Helvet.*

STEINAVIA, oppid. Silesiæ: sub Duce olim proprio, de familia *Steinavia-Olsnensi*, cujus auctor Conradus fil. Henrici Fidelis, frater Johannis Principis Steinaviensis, quô nomine Bohemiæ hic accessit A. C. 1329. Conradus is Olsnam à patre, à fratre verò *Steinaviam* ac Javeram obtinuit: à Bolestao Lignitio tantoperè vexatus, ut, exhaustô ærariô, vestes etiam vendere cogeretur. Posteà cum aliis se coronæ Bohemicæ submisit, regi Johanni fidelissimus, & A. C. 1345. bellô strenuè Polonos persecutus est. Filius ejus Conradus II. Jagellonis in convertendis Lithuanis suis comes, mortuus A. C. 1395. quatuor filios Conrados reliquit. E quibus primus à filio Conrado IV. captus, & ad ejurandum principatum coactus, obiit Vratislaviæ A. C. 1451. Conradus IV. verò A. C. 1492. morte suâ lineam clausit. Tum Olsnensis Principatus ab Vladislao Rege permutationis pro Podiebradio jure Henrico Duci Monsterbergensi concessus, & ab hujus atnepte, nostrâ memoriâ, domui Wirtembergicæ illatus est. Accepêre *Steinavienses* cives insignia privilegia, à Conrado Duce Steinaviæ & Javeræ; qui, cùm Archiepiscopatui Salisburgio destinatus, illum quòd patriam cerevisiam ibi non reperiret, recusâsset, à fratre tanquam fatuus, custodiæ datus, sed à civibus libertatus est, sub finem seculi 13. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in familia Piastea.*

STEINBOCK, nomen Familiæ in Sueciæ Regno illustris; in qua Canutus *de Torpa Stenbock*, Armiger Sueciæ, pater fuit ex Christina (filia Erlandi Canuti Equitis Aurati) Arvidi *de Torpa* Castellan. *in Oerenstein*; quô, & Annâ *de Tofta*, natus Olaus *de Torpa*, Senator Regni, junxit sibi Catharinam *Lake*, atque ex ea suscepit Gustavum Baronem *de Torpa*, Regni Marescallum. Huic Brigitta Löwenhauptia peperit Ericum *de Steinbock* Baronem *de Oerenstein*, & Catharinam, Gustavi Regis uxorem. Ericus, ex Magdalena Sturia, pater fuit Gustavi Erici Baronis *de Oerenstein*, Gubernatoris Westrogothiæ; cujus ex Beata Margaretâ Brahea liberi fuêre, Fridericus, Ericus, Gustavus, Christina & Margareta. Vide Spenerum suprà laudatum *Part. eâd. p.* 57.

STEINPEISIUS Martinus, vide *Martinus.*

STELÆ, urbs Cretæ prope Paræsum & Rhythimnam. *Steph.*

STELÆ, quâ voce utitur Plin. *l.* 6. *c.* 28. & Ulpianus *l. sicuti, ff. si serv. vin.* ex Græco στήλαι, sunt propriè lapideæ pilæ surrectæ, in quibus fœdera olim scribi solebant, ut omnibus innotescerent; homines item proscribi, & tituli sepulchrales poni. *Columnæ sinistiles Ulpiano* vocantur, à columnis, quæ Græcis κίονες, in

in hoc diversæ, quòd hæ unô scapô constent, i. e. lapide oblongô perpetuô. illæ structurâ, aut lapideâ, aut cæmenticiâ, aut lateritiâ, vide Budæum *in l. vendit. ff. comm. præd.* Et quidem, ut de postremo usu earum aliquid addam, apud Græcos Romanosque olim, omnium, qui humabantur, communia erant τύμβ⊗ & στήλη. Quorum illud erat aggesta terra supra corpus, quod in scrobe deponebatur: hoc columella seu cippus lapideus scrobi seu tumulo impositus, cui nomen defuncti inscriptum, *Titulus* aliàs seu *Elogium*, item *Periculum*. Qui cippus, cùm ad memoriam defuncti tumulo imponeretur, hic μνῆμα dictus est. Jungit utrumque Homerus, *Il.* π. v. 457.

Τύμβῳ τε στήλῃ τε, τὸ γδ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Neque verò nomen solùm, sed patriam quoque, parentes, professionem, artem, ætatem, mortis genus, elogium id continebat. Vel, omissô nomine, symbola aliquot insculpebantur, è quibus de conditione defuncti indicium fiebat. Etiam, quæ mortis causa demortuo fuerit, nonnunquam idigitabatur. Unde occisô Aurelianô, *Mnestheus surrectus ad stipitem bestiis objectus est, quod statuæ marmoreæ positæ in eodem loco utrinque significant*, ait *in Aureliano* Vopiscus *c.* 37. Ubi *statuas* vocat hujusmodi stelas sepulchrales, quod in his columnis statuæ, ἀνδριάντες, Aureliano fortè positæ erant. Semper enim in columnis statuæ ponebantur, ad sepulchra Veterum, saltem ut plurimum: sed & aliàs columnæ cum statuis, uti constat ex Trebellii *Claudio*; quæ causa, quod *columna* & statua passim misceantur &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1220. 1221. *ad Vopisc. in Aureliano, loc. cit.* & hic in vocibus, *Cippus*, *Columella*, *Columna*, *Inscriptio*, *Memoria*, *Monumentum*, *Pila*, *Titulus* &c. Addam saltem, *Stelas* hujusmodi coronari & ungi consuevisse, ut iterum Salmas. docet, & alibi nos diximus. Hinc Στηλοκόπας Polemo cognominatus, qui Inscriptiones sepulchrales aliasque edidit, sub Ptolemæo Epiphane, ut suprà vidimus. Præter dicta enim, tam actiones alias memorabiles, quàm inventiones, in *Stelis* conservare solebant Ægyptii morientes, teste Procló *Comm.* 1. *in Tim.* Quarum primus auctor Mercurius II. uti dicemus infrà voce *Syringes* in quo loco Stelæ ejus conditæ fuêre. Apud Josephum verò, Sethum jam, Adami filium, duas Stelas posuisse, quibus inscripserit, τὰ εὑρημένα *inventa*, harumque alteram ad ejus tempus mansisse, κατὰ τὴν Συριάδα legitur. *l.* 1. *c.* 3. Vide etiam ubi de *Colisen*, *Obeliscis*, *Pyramidibus*. Execrationem in Menem, Regem qui primus Ægyptios à tenui ac parabili victus ratione deduxisset, Technatis Regis jussu, hujusmodi pilæ inscriptam, refert Plutarchus *d. l.* simile quid Alcibiadi Athenis factum esse notum ex C. Nepote *Vita ejus. c.* 4.

STELENUS, Rex Argivorum, quem Danaus regnô pepulit, & ipsum regnum ad se pertraxit. Vide & *Sthenelus*.

STELLA, an à *stera*, quod ex accus. ἀστέρα, nominis ἀστὴρ, ut visum Salmasio *ad Tertullian. de Pallio, c.* 3. an à *stando*, uti placet Barthio *ad Statium, Theb. l.* 6. *v.* 408. quòd cadere non possint, sed *stent* semper; contrà quàm vulgo persuasum erat, cujus opinionem Poëtæ passim sequuntur. Virg. *Georgic. l.* 1. *v.* 365.

Sæpe etiam stellas *ventô impendente videbis*
Præcipites cœlô labi -----

Statius *d. l.*

--- *Astra cadunt* &c. -----

Quibus errandi occasionem præbuerunt διάῤῥοιαι illæ ignis ætherei, quæ fiunt, cùm vehementior ventus altiora conscendit & trahere exinde aliquas particulas cœperit, quæ simulant casum stellarum, Barthius *ad loc.* Vide de earum speciebus, ortu & occasu, motu aliisque huc pertinentib. Salmas. *ad Solin.* Alios. Cæterùm, *Stellæ* omnes divinô olim honore cultæ, tum apud Græcos, tum apud Barbaros, ut testis est Plato *in Cratylo*. Namque ex æthere compositas, qui Jupiter est, ac proinde esse *partes Jovis*, statuit *Posidonius*: Nec vitam solum, eo quòd semper moveri atque in hæc inferiora operari videbantur; sed sensum quoque, imò & rationem illis tribuerunt, Zeno apud Stobæum, Ovid. *in Fastis l.* 4. *v.* 167. & *seq.* Alii. Quæ cùm ad divinitatem nondum sufficerent, *mentes* illas *purissimas* esse, dixerunt, vide Cicer. *de Nat. Deor. l.* 2. Philonem *de Somniis* &c. Cùm autem earum quædam sint fixæ, quædam erraticæ, hæ priùs in Deorum numerum adscitæ sunt, cum Sole & Luna, *Majorum gentium*, vel *Selectis Diis*, adscriptæ: atque in iis Venus primùm divinos obtinuit honores, exin Mercurius, dein Mars &c. qua de re vide quæ ex Vossio *de orig. & progressu Idolol.* diximus suprà ubi de *Planetis* ac *Sideribus*. Fixæ posteà eundem cultum obtinuêre: quem illis conciliavit sublimitas, magnitudo ac multitudo, motus tandem & virtus. Et quidem, sicuti inter erraticas prima honore divinô affecta est Veneris stella, quam Phosphorum & Hesperum dicimus: Ita inter fixas primò ad tantum decus evecta est illa, quæ vocatur Ἀστρο-κύων sive *Cælestis canis*, vel etiam *Sirius*. Imò ab Ægyptiis quoque Hespero prælata est, dignataque nomine Isidis, quæ cum Osiride supremum iis Numen erat, Plut. *de Is. & Osir.* Post eum Piscis Græcis dictus Νότι⊗, Latin. *Australis*, in Deorum censum venit. In Septentrionalibus extra Zodiacum signis, is qui Græc. Ἐγγόνασιν dicitur, Hercules fuisse creditus est, Hyginus *Poët. Astron.* Ophiuchi, qui Latin. *Anguitenens & Serpentarius*, nomine idem Hercules, secundùm *eundem*, & Æsculapius, secundùm Servium *in Æn. l.* 11. cultus est. In Zodiaci signis Aries est habitus Jupiter Ammon. Isidor. *Orig. l.* 3. *c. ult.* etiam Minerva, Servius *loc. cit.* Taurus, Osiris, sive Mesoris seu *Misraim* vel Josephus Patriarcha, Gemini, Castor & Pollux, Hygino *in Poët. Astronom.* seu, Hercules & Apollo, aliis: vel etiam Zethus & Amphion, Calpurnio Basso *in Aratea Cæsaris Germ.* vel denique Dii Samothraces, *Orpheo*. Virginis signum, ex vulgari sententia est Astræa *Arato*: Isis Ægyptiis: Ceres Romanis: Concordia vel Pax, Hygin. ubi *suprà*. Pisces duo, dii Syri dicuntur Germanico *in Arateis*. Vide Voss. *c.* 36. *l.* 2. *de Idolol.* ubi sub finem docet, non solum Orientem & ejus exemplô, Græcos ac Romanos, *Stellas* omnes pro Diis habuisse, sed etiam Gentes alias: Imo superiori nostrôque seculô, eundem honorem iis fuisse apud Peruanos, qui præter Deum Creatorem, *Viracocham* suâ linguâ olim, nunc quoque commerciô Hispanorum *Dios* dictum, venerati quoque sint Solem, Lunam, erraticas quinque & *Stellas* cæteras, ex Acosta *l.* 5. *c.* 2. Vide quoque suprà *Peruvia*. Nomina quod attinet earum, non dubitandum, quin & illa Adamus imposuerit, quibus à Patriarchis solebant nuncupari; sed ea omnia paucis exceptis, quæ ex veritate Hebraica habemus, perierunt. Ut quæ LXX. apud Jobum *c.* 9. *v.* 9. Πλειάδα & Ἀρκτοῦρον, vocant: quibus medius inseritur *Hesperus*. Latinus Interpres habet, *Qui facit Arcturum & Oriona & Hyadas*. Etiam Amosi *c.* 5. *v.* 8. *Arcturus* & *Orion*, ab eodem Interprete memorantur: rectene an secus, parùm convenit. Nam aliis עש *Has*, non *Arcturus* solùm est, sed universum *Bootæ* sidus, vel etiam *Septentriones*: כסיל *Chesil*, esse *Oriona*, per est verisimile: quanquam Aben Ezra *cor Scorpii* maluerit: qui item כימה *Chima*, censet *Arctis caudam*, non *Hyadas*. At Vatablo, sunt *Pleiades*. Esse autem appellationes Græcas valde antiquas, ex eo cognoscimus quòd non modò earum usus sit, apud *Sophoclem* & *Euripidem*; sed *Homerum* quoque ac *Hesiodum*. Quibus Christiani quoque utuntur, idque LXX. Seniorum & Interpretis Latini exemplô; non quasi eos fugerit, nomina illa peti ex iis, quæ de Diis & Heroibus suis fabulati sunt Græci: sed quia alia eorum vocabula non suppeterent; nisi Hebræa vellent retinere, B. Hieronymus *de Veste Sacerdot. Nec alicui gentilis videatur expositio. Non enim, si cælestia & Dei dispositionem, Idolorum nominibus infamârunt: idcirco neganda est Dei providentia, quæ certâ lege fertur & currit & regit omnia. Nam & in Job. Arcturum & Orionem, &* מזלות *h. e. Zodiacum circulum, & cætera Astrorum sidera, legimus: Non quod eadem apud Hebræos vocabula sint; sed quod nos non possumus, quæ dicuntur, nisi consuetis vocibus intelligere.* Vide Voss. *c. præc. lib. cit.* ut & suprà aliquid voce *Decanus*, ac ubi de *Hesperidum* fabula: nec non voce *Sidera*. Adde Cl. Suicerum, qui *Origenem Stellas* ἐμψύχους *animatas* asseruisse docet, & *de Stella Magorum*, ex antiquitate Eccles. quædam non protrita adfert *Thes. Eccl.* voce Ἀστήρ. Sed & *Stellæ* in gemmis dicuntur puncta & guttæ vel pulveres, ad instar *stellarum* sparsi; à quibus diversæ *venæ* sunt, lineæ quæ oblongô & variô discursu per gemmæ corpus eunt, instar venarum. Unde *stellari*, h. e. punctis aut guttis lucentibus, veluti *stellis*, variari. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 261.

----- *atque illi* stellatus *jaspide fulvâ*
Ensis erat.

Et *aureis guttis stellatæ gemmæ*. Vide quoque infrà *Superspersus*. A' quo diversum *stellare*, h. e. ad instar *stellæ* fulgere ac radiare: quô de discrimine diximus aliquid suprà, in vocibus *Aster* & *Asteria*. Alia iterum vocis notio apud Aldhelmum est, cùm ait:

Machina detegitur cæcis frustrata stellis.

Hîc enim *stella* idem est, quod *stellatura*, de qua voce infrà &c.

STELLA Aruntius, Poëta Patavinus lepidissimus, carmine descripsit *Domitiani victoriam de Sarmatis*. Item ut Catullus Lesbiæ, sive Clodiæ suæ passerem epigrammate celebravit, ita & hic carmine *columbam suæ Ianthidos sive Violantillæ*, vel, ut à se ipse maluit vocari, *Asteridos*, quia stella Græcis ἀστὴρ; imò & ab ἀστέρα *stera*, à quo *sterula*, unde *stella*. Martialis *l.* 5. *Epigr.* 11.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, jaspidas uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies inde est hæc, puto, culta manus.

Mirâ verò adulatione idem Martialis non dubitavit scribere, tantô præstare columbam Stellæ passeri Catulliano, quanto columba passere est major. Sic enim ille *l.* 1. *Epigr.* 8.

Stellæ delicium mei columba,
Veronâ licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tantô Stella meus tuô Catullô,
Quantô passere major est columba.

Nempe tam bonô judicii hoc scriptum, quàm Martialis prædictus & Statius Lucanum præferunt Maroni. Quid insulsius? Stellæ & Violantillæ nuptias celebrat Statius *in primo Sylvarum*. *Lloyd.*

STELLA Erasmus, vide *Erasmus*.

STELLA Johannes, vide *Johannes*.

STELLA Junior, apud Cajum & Theodosium, *Stellam juniorem super picatos palos consecravimus* &c. terminus est Agrimensorius, decussis videl. duplicatus diductusque, quem *Juniorem stellam* vocare, placuit, quòd ab ipsis Mensoribus condita, adeoque post cæteras stellas nata esset. Car. du Fresne *Glossar*.

STELLA Marina, vide suprà *Astrites*.

STELLA, Navarræ urbs; *Estella*, A'. C. 1094. condita, inter Pompelonem & Logronium 8. leuc. Item, mons Galatiæ, apud Ancyram urb. *Almadag* Turcis. Hic Bajazetes à Tamerlane victus est, A. C. 1399. Georg. Phraan. *l.* 1. *c.* 18. 21. 22. *&c.*

STELLA, Ordo Equestr. institutus à Joh. Galliæ Rege A.C. 1352. vel, ut alii, à Roberto Rege filio Hugonis Capeti, restauratus verò à Johan-

banne. Numerus equitum 30. Symbolum *Monstrant regibus astra viam.* Solennitas Ordinis incidebat in 6. diem Januarii: sed cùm bellis civilibus in contemtum abiisset, S. Michaëlis Ordine Ludovicus XI. vel ante ipsum Carolus VII. institutô, prioris insignia Excubitoribus urbicis & Satellitibus suis concessit. Froissard. *l.* 1. *c.* 101. & 153 Meyer. *l.* 13. Bellesforestus *l.* 5. *c.* 16. Tilletus, Favinus Morerius, *Diction. Hist. &c.*

STELLÆ Festum, dicitur in Ecclesia Romana dies *Epiphaniæ*. Vide ibi. Hinc versus,

A festo Stellæ *numerando perfice Lunæ*
Quadraginta dies, ibi Septuagesima fiet:
Et si bissextus fuerit, superadditur unus &c.

Eô officium celebrabatur, *Officium Stellæ* dictum, quod quomodo describatur in *Ordinario* MS. Ecclesiæ Rotomag. Vide apud Car. du Fresne *in Glossar.* De *Stella* verò, quæ nato Domino à Magis visa est, vide & Theodorum Tarsens. Episcopum *contra Fatum l.* 5. *c.* 53. Isidorum Pelusiotam *l.* 1. *Ep.* 377. 378. Frid. Spanhemium *Dub. Euangelic. ad Matthæum c.* 2. *v.* 2. &c. Sicut *de Denariis albis cum Stella*, vulgò *Deniers blans à l'Estoille*, monetâ Gallicâ, sub Joanne Rege cusâ, Car. iterum du Fresne in voce *Moneta.*

STELLARIS, apud Tertullian. *de Pallio c.* 5. *De meo vestiuntur & Medicus & Poeta, & qui Musicam pulsat, & qui* Stellarem *conjectat, & qui volaticam spectat*: est, ἡ δι᾽ ἄστρων μαντικὴ, *ars vaticinatrix ex astris*, sicut *volatica*, ἡ οἰωνιστικὴ seu ὀρνεοσκοπικὴ, quæ avium scil. *volatum* spectat. Salmas. *ad loc.* Vide supra ubi de *Astris, Astrologia, Divinatione* &c. Idem nomen factionis olim in Saxonia, de qua vide suprà ubi de *Friderico* IV. & infrà *Stellinga.*

STELLARTUS Prosper, vide *Prosper.*

STELLATA Corona, vide suprà *Radiata Corona.*

STELLATES, populi Hetruriæ, apud Capenam. *Fest.*

STELLATES Ager Suetonio, *in Cæs. c.* 20. *Stellates campus* Livio *l.* 9. *c.* 44. *Campo Mazzone, Mazello*, ager Campaniæ miræ fertilitatis in territorio Calenensi. Silius *l.* 11. *v.* 268.

Stellatesque docent campos, Cereremque benignam.

Hîc 16300. Samnites à Romul. Appio Claudio Consule cæsi sunt. *Sanfelicio* etiam.

STELLATINA, nomen Tribus Rom. cujus meminit Liv. *l.* 6. *ad an. Urb. Cond.* 346. *Eo annô in civitatem accepti, qui Vejentium Capenatiumque ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque iis novis civibus assignatus.* Et paulo post, *anno Urb. Cond.* 366. *Tribus quatuor ex novis civibus additæ*, Stellatina, *Tromentina, Sabatina, Aniensis eæque viginti quinque Tribuum numerum explevêre.* Quod idem etiam habet Florus in *Epit.* Nomen ei à *Stellate*, Tuscorum agro. Sic enim Festus in *Fragm.* quemadmodum legendum docet Anton. Augustin. Episc. Ilerdensis: *Stellatina Tribus, non a Stellate campo eo, qui in Campania est, sed eò, qui est ... miliariô à porta Capena, ex quo Tusci eum campum ita apellaverunt.* Quæ posteriora Onuphrius *Comm. de Rep. Rom. l.* 2. sic legit: *Sed eô, qui in Etruria, regione Capena, quâ Tusci profecti, eum Stellatum campum appellaverunt.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. l.* 6. *c.* 15. & de eodem agro, *Majoribus consecrato*, Suetonium *Julio c.* 20. ibique Casaubon.

STELLATURA, apud Æl. Spartian. *Pescennio Nigro, c.* 3. Tribunos *duos, quos constitit* stellaturas, *accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus jussit*; idem quod *stellionatus* est, Græcè ἐπίθεσις, *impostura* & πανουργία, *astutia.* Uti enim *stellis*, h. e. maculis, variatus est stellio, de quo Ovid. *l.* 5. *Met. v.* 460.

——— *aptumque colori*
Nomen habet variis stellatus *corpora guttis.*

Sic homines istiusmodi improbi & impostores, versutique & versatiles, quos ποικίλους & ποικιλοεργοὺς Græci vocant, ab illa varietate ac *stellatura*, *Stelliones*, *stellatores* & *stellionatores* appellati sunt; Homero Od. ε. v. 415. τρῶκτας quoque, à pisce cognomine, cujus tergum varietate maculosâ stellatum esse constat. Unde & *stellæ*, apud Latinos, pro machinis, versutiis & fraudibus, ut vidimus. *Per stellaturas* itaque *accipere*, uti meliùs legatur apud Spartianum, est per fraudes ac imposturas accipere; quod Tribuni solebant, cùm militibus commeatum dabant, aut muneris vacationem, acceptâ ab iis pecuniâ de eorum stipendiis: cujusmodi Tribunorum Ducumque *stellaturas*, veritas deprehendimus apud Justinianum, *Cod. de Off. præt. Afr. l.* 2. Similiter pecunias per fraudem corrasas, præcipuè, quas Regii Rationales in discutiendis ratiociniis & reddendis consueverunt per fraudem avertere, & in sinum suum convertere, *grivelatas* vocant Galli, quod ad verbum *stellatura* est. *Grivelatum* enim illi vocant, quidquid variegatum est & stellatum; à varietate turdi, quam *grivam* dicunt. Vide Salmas. *ad Spartian. d. l. ad eund. in Adriano, c.* 10. nec non suprà in voce *Beneficiarii*, item *Commeatales*. Idem Salmas. *Stellionatus* crimen, in adulterandis metallis miscendisque proprie consistens, capitale fuisse, docet *ad Vopisc. in Tacito, c.* 9. Hoc namque crimen *imposturam* κατ᾽ ἐξοχὴν, & qui hoc facit *Impostorem*, dictum esse, notant veteres Grammatici: *Impostura* autem & *Stellionatus* idem, ut vidimus.

STELLIFERI & Psittaci, factionum nomina, quæ olim Basileam admodùm turbârunt: Hæ à Rodolpho I. Imperatore sublatæ, recruduêre posteà sub Alberto. Vide Christi. Ursium *in Histor. Basil.* Stumpf. *in Chron.* ut & in voce, *Psittaci.* Idem vero nomen factioni in Thuringia, uti discimus ex *Historia* Landgraviorum Thuringiæ c. 119. *A. C.* 1372. cujus caput erat Otto Dux Brunsuicensis &c.

STELLINGA, nomen seditiosorum in Saxonia, apud Nithardum *Histor. de Lothario Imp. l.* 4.

STELLIO, Hebr. שממית *schemamith.* Proverb. c. 30. v. 28. Græcè καλαβώτης, & ἀσκαλαβώτης, ad verbum ἀστερίας, quòd notis quibusdam, velut *stellis*, variatus, è lacertarum genere, pusillum animal & valde solers est, in muscis præsertim & araneis venandis. Unde Hesychius in Καλαβώτης, *stellionem* ait ἐπιτηδείως τῶν μυιῶν θηρευτὴν, *industriè fabre circa muscas.* Quòd enim Theophrastus *de Anim. invid. eum hominum utilitati invidentem, proprium vocare corium, quamprimùm eò exuitur Comitiali morbô laborantibus profuturum aliàs*, ait: unde *nullum animal fraudulentius homini nocere*, concludit Plin. *l.* 30. *c.* 10. atque inde *stellio* & *stellionatus* nomen in maledictum translatum est, minùs est certum. Hoc certius, scorpioni maximè contrarium esse, ex Plinio *l.* 29. *c.* 4. Æliano *Histor. l.* 6. *c.* 22. Galeno *de Theriaca ad Pisonem c.* 9. Phile, *c.* 29. Aliis. Unde *stellionem* dissectum inque oleo mersum & putrefactum, contra scorpionum ictus, præscribunt Democritus, Aëtius, Diophanes, aliique modò dicti. Duæ autem *Stellonis* species, una innoxii morsûs, altera venenati, traduntur Auctoribus: & quidem venenatos Italiæ & Siciliæ &, innoxios Græciæ ascribit Philosophus *Hist. Animal. l.* 8. 29. Contrà, Theophrastus apud Plinium *l.* 8. *c.* 31. auctor est, *stelliones, mortiferi in Græcia morsus, innoxios esse in Sicilia.* Etiam in Thracia nocere, habet *Nicander*: & Compluti illos tam perniciosos esse, asserit *Bustamantius, ut, casu cibis permisti, integros populos vastaverint.* Porrò versatur *stellio in palatiis Regum*, ait Salomon: *loc. cit.* ut in quibus major lapidum strues congeriesque & proin profundiores in parietibus fissuræ & rimulæ, in quibus habitare amat. Hinc τοιχοβάτην appellat Kiranides, & in Hispania Catalauni *dragon de las casas*, i. e. *draconem domorum* vocant. Eidem assignat Matthiolus *cava murorum prope terram. in Dioscor. l.* 6. *c.* 1. sed laquearia Veteteres & convexa tectorum, ubi supinus ambulet. Unde apud *Avicennam* legas, quandoque supernè in potum cadere, & in venenum illum vertere, si in eo moriatur &c. Cæterùm animal hoc maximè Arabibus exosum est, *ob lepram illi divinitùs immissam, in pœnam admissi criminis, quia scil. flatu suô accenderit ignem, in quem conjectus est Abraham*, uti fabulantur. Vocant autem *lepram* maculas ejus, quas honestiori nomine *stellas* dixêre Latini. Nec minùs odiosus veterib. Græcis fuit *Stellio*, de quo *Anton. Liberalis, c.* 24. Τοῖς θεοῖς, inquit, καὶ τοῖς ἀνθρώποις μεμίσηται, ὁ δ᾽ ἀποκτείνας κεχαρισμένος γίνεται Δήμητρι, *Diis & hominibus est odiosus: & Cereri rem gratam præstat, qui eum interficit.* Tamen ad multa utilis est, quæ non sunt hujus loci. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior l.* 4. *c.* 7. *toto.* & *cap. præc. sub fin.* nec non *Salmas. ad Solinum p.* 757. & 758. ubi à stellionis lentiginibus multos olim nomina indita habuisse, ut sunt *Colotes* Pistor, apud Plin. *l.* 35. *c.* 8. & Κωλώτης Epicureus, adversùs quem extat *Plutarchi liber*; item γαλεώτης γίγας, apud *Menandrum*, de Eunucho, cujusmodi homines plerunque lentiginosi sunt, docet, & de ascalabotis Græcorum Italique stellionis diversitate disserens, hunc maculis carere, cœtera illi similem esse, inter alia addit. Vide quoque suprà *Galeotæ, Galeus*: uti de *Stellionatus* crimine aliquid suprà ubi de *Plumbea selibra.*

STELOAS Sinus, apud *Marcianum Heracleotam* qui ab illo ad Eulæi amnis exitus, stadia 200. numerat. *Ptolemæo* Πηλώδης κόλπος dicitur: Vide Salmas. *ad Solin. p.* 701. ut & in voce *Eulæus.*

STELOCOPAS, Græcè Στηλοκόπας, cognominatus est Polemo quidam, qui floruit sub Ptolemæo Epiphane, quòd in describendis statuarum stelarumque sepulchralium Inscriptionibus ac Epitaphiis multum operæ posuerit, teste *Athenæô.* Vide quæ suprà diximus, in voce *Stela.*

STEMMA, in Aula Constantinopolitana dici cœpit, quod priùs *Diadema* vocatum est. Curopalates *de Offic. Aulæ Constantin. Quod nunc appellatur* Stemma, *id olim nominatum fuit Diadema. Id autem erat textile aureum, cum lapillis & margaritis positum ad Imperatoris frontem, & ponè revinctum, cerebrum versùs: (quamobrem etiam* Diadema *dicitur) quod ex eo paulatim mutatum, effectum est, quale videtur hodie, & nominatur* Stemma, *id olim* militaris zona *dicebatur, honorem indicans, quâ olim Tyranni Christianos milites primum privabant, tum eos tortoribus dedebant.* In quibus verbis, quòd *Diadematis* notationem arcessit Curopalates, à *circumligatione & nexu*, bene habet: venit enim παρὰ τὸ διαδεῖν, quod *circumligare* ac *cingere* notat. At hallucinatur, cùm *Diadema* cùm militari antiquorum Zona confundit. Neque enim omnes Zonæ militaris jure donati diademati erant, ut notissimum est: cùm Diadema semper fuerit nota supremæ potestatis, unde Tryphon 1. Maccab. *c.* 12. *v.* 39. dicitur sibi imposuisse Asiæ Diadema; & pro numero Regnorum, *Diademata* multiplicari consuevisse, legimus apud Herodianum *l.* 6. ubi de Artabano: & 1. Maccab. *c.* 11. *v.* 13. ubi de Ptolemæo est. Imò tanta *Diadematis* religio erat, ut vel in necessitatis casu illud capiti imposuisse alii, quàm Regi, capitale esset. Unde nauta is, qui desiliens in mare, ut Alexanderi Diadema in aquas fortè prolapsum extraheret, cùm illius conservandi gratiâ capiti id suo inter natandum imposuisset, præmiô, ob receptum Diadema, quidem donatus, sed mox, quòd regii capitis insigne sibi aptâsset, capite plexus legitur, apud Arrianum *l.* 7. Hujus usum primis Romanorum Imperatoribus exosum, posterioribus familiarem fuisse, satis constat: at verò cui hoc quidquid est ornamenti primum debeatur, non adeò expeditum est. *Victor* id alibi Aureliano, alibi Caligulæ illud adscribit. *Jornandes* Diocletiano: *Cedrenus* & *Fasti Siculi* Constantino illud tribuunt. Fortè minùs constans & per intervalla interruptus pro imperantium ingenio ille mos, posteris occasionem dedit, ut primos ejus rei inventores crederent, penes quos primitus illius viderant usum. Cœterùm uti non una omnium ratio, ita nec unius illud Diadema generis, sed gemmatum aliud, aliud purum & sine gemmis, utrumque tamen solis Imperatoribus peculiare fuit: Utriusque ideam exhibet Anselm. Solerius *de Pileo sect.* 9. Pervenit autem *Diadematis* ad Romanos usus à Persis, qui regium tiaram diademate, i. e. fasciâ regali, cumulabant: quemadmodum apud alias gentes, nudum Principum caput hoc insigne cinxit. Et Persarum quidem ex cæruleo & albo interstinctis: Afrorum album, fuit &c. Vide præter præfatum Solerium, Alexandrum ab Alexandro *Genial. dier. l.* 1. 28. Jos. Stephanum *Opusc. de coronat. Rom. Pontificis*, Car Paschalium *Coronarum l.* 9. *c.* 7. & 8. Alios, & suprà *Lamina.* Aliud quid antiquiori ævô vox notavit. Ita enim Plin. *l.* 35. *c.* 2. ubi de honore imaginum, *Aliter apud Majores in atriis — expressi ce-*

ra

vel vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus --- populus. Stemmata verò *lineis discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur & monumentis rerum in Magistratu gestarum.* Ubi Dalechampius *Stemmata* exponit, in quacunque imagine, ejus, qui expressus fuerat, prænominis, nominis, cognominis, appellationem; honorum, quos gessisset, titulos: & progeniei gradum in tritavis, abavis, proavis &c. sicque dicta vult, quòd hujusmodi rerum inscriptio ac monumentum coronis circumpictis ornari soleret, id quod hodieque fieri videmus. Antiquissimis verò temporibus propriè dicebantur *στέμματα* ex coronæ, quæ sacris adhibebantur, aut sanè ex, quæ gestabantur à Sacerdotibus. Unde Homerus *Il. α. v.* 14. de Chryse Sacerdote ait,

Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ———

Et apud Plut. *Pelopidâ*, Sacerdotes *stemmata* sua protendentes, hortantur cives, ut patriæ Diisque suppetias ferant, vide quoque Actor *c.* 14. *v.* 13. Alii hôc nomine donant omina, quæ ornatus causâ circumponebantur manibus, aut cervici, cùm *στέφανον* dicant fuisse eam solam coronam, quæ caput evinciret, vide Etymologic. voce *στέφων*. Sed & *στέμματα* appellata sunt nexus lanæ ramo oleæ obvolutæ, quò supplicantes olim utebantur, uti diximus suprà in voce *Eiresione*. Quò verba Homeri citata alii referunt. Certè nota supplicum velamenta. *Velamentum* autem in *Glossis στέμμα*, quod *infulam* vocat Arnobius *l.* 5. laurus scil. seu olea vittata; uti verba Homeri interpretatur Ovid. *in Arte l.* 2. *v.* 401.

Audierat laurumque manu vittasque ferentem
Pro nata Chrysen non valuisse sua.

Unde *λευκοστεφεῖς ἱκετηρίας* Æschylo *in Supplic.* quæ cùm ad genua eorum, quibus supplicabant, protenderent, vel etiam deponerent, dicebantur illa *στέμματα καὶ ἱκετηρίας στέφειν*, it. *καταστέφειν*. Sic cùm aras ipsas, in quibus sedebant, hôc pactô velarent, *καταστέφειν βωμοὺς* similiter dicti sunt, uti ex *Euripide* ac *Æschylo* docet Desider. Heraldus *Animadversionibus Arnobianis l.* 5. &c. A' *στέφω* nominis certè origo, quod *redimio*, *cingo*; *necto*, denotat: ut docet pluribus Paschalius retro laudatus *l.* 1. *c.* 2. At apud Martialem, *de Spectac. Epigr.* 16. *v.* 5. de Hercule insidente tauro in cœlum rapto.

Cæsaris atque Jovis confer nunc stemma *juvencus:*
Par onus ut tulerint, altiùs iste tulit.

Salmasio *stemma*, pro *stegma* est: stegma vero taurum illum vocat, qui Jovem tulit, à *στέγειν, ferre & sustinere*. Vide eum. *Not. ad Lamprid. in Heliogabalo c.* 25. At *Vossius Schema* legit similiterque graduum arborem cum imaginibus eâ voce intellectam vult ut suprà vidimus ubi de illa. &c. Plura verò de hac voce, apud A. Tiraquellum *de Nobilit. c.* 6. §. 14. J. Lipsium *ad Senecam de Benefic. l.* 3. *c.* 28. Jo. Brodæum *ad Calabrum l.* 5. Laur. Ramiresium *ad Martialem l.* 4. *Epigr.* 40. &c.

STENA, fauces montium, in Chaonia, apud urbem Antigoniam. Liv. *l.* 32. *c.* 5.

STENÆUM, urbs permunita Lotharingiæ, cum arce ad Mosam fluvium. Sed jam Campaniæ accessit Gallicæ ab A. C. 1633. 7. leuc. à Virduno in Boream Sedanum versus 6. & vix. 3. à Monmedio in Occasum.

STENDALIA, oppid. amplum veteris Marchiæ Brandeburg. ad amnem *Ucht.* 5. mill. pass. à Tangermunda in Occasum 20. ab Havelberga in Africum 30. à Magdeburgo in Boream.

STENE-DEIRE, insul. sinûs Arabici circa Pentadactylum montem, Plin. *l.* 6. *c.* 29.

STENELAIDAS, Ephorus Spartanus, novum dicendi sententias morem Lacedæmone introduxit; nam cùm adversus Athenienses, tanquam fœderis violatores, bellum satis acri oratione suasisset, ita pronunciavit: Quicunque violatum ab Atheniensibus fœdus existimant, surgant & in illam partem eant, qui contra, in hanc; cum anteà sententias clarâ voce dicere consuevissent.

STENGLIUS Lucas, vide *Lucas.*

STENIMACHUM, *Nicet. Ichtiman* hodie, *Leuncl.* castrum Thraciæ, in territorio Philippopolitano.

STENO Sture I. Regni Suecici gubernator, Johannis Daniæ & Norvegiæ Regis conatus, in Suecia, diu frustratus; eundem, postquam A. C. 1497. admissus ac coronatus cum uxore & filio Christierno, sed Dietmarsicô bellô occupatus esset, iterum exclusit, Reginâ Stockholmii, in captivitatem datâ, quæ tamen interventu deiu Pontificis dimissa est. Obiit post initium seculi XVI. ultimus familiæ suæ, cujus auctor fertur Tuno Sturius Eques Auratus maritus Ingerdis, Suantopulci Legiferi Ostrogothiæ filiæ, ex Suercheri II. Regis nepte. Sororem reliquit Brigittam, Joanni *ab Oreby*, ex Wasarum familia oriundo, nuptam. Ei in Sueciæ administratione suffectus est *Suanto* Sturius, ex altera familia Sturia, *juniore* dictâ, editus: qui regimini præfuit, A. C. 1504. usque ad A. C. 1512. quò ipsum eadem in dignitate excepit, Filius

STENO Sture seu *Sturius* II. cognomine *Junior*, quô jam electô, Johannes retrò memoratus, cum quo Suanto perpetuò bellum continuaverat, decessit, succesore Christiernô II. filio. Qui non, patrium solùm, sed & proprium jus (namque & is in Succia coronatus erat) persequuturus, accedente Julii II. Pontificis excommunicationis in Suecos vibratæ decretum ei exequendum injungentis, auctoritate, A. C. 1519. per Ottonem Crumpium expeditionem contra Suecos, sed sine fructu, suscepit: Annô sequente verò eosdem adortus est, quò bellô *Steno* ex vulnere accepto obiit. Cujus consiliô destituti Sueci, cùm persuasi à Matthia Episcopo Strengnisensi inducias pacti essent, *Stenonis* vidua Christina, illis recusatis, cum primoribus Holmiam tutari decreverit. At Lambertô ejus Duce profligatô, cùm Rex ipse Sueciam ingressus esset, Holmia ad deditionem adacta, & 70. Proceres, qui cum *Stenone* conjuraverant (literis, in quibus eorum nomina continebantur, imprudenter à Christina Regi traditis) ipsô die coronationis, decollati corporaque combusta sunt: quô factô *Stenonis* vidua ac liberi in Daniam captivi abducti, bonis exuti, *Stenonisque* corpus refossum ac itidem crematum est. Sed Gustavus, è familia de Wasa, filius Erici de Wasa à *Gripsholm*, inter Proceres trucidati, postquam miris modis pericula evasit, ad Dalekarlos metallarios delatus, oppressam tristi servitute Sueciam, conatu non minùs generosô quàm felici vindicavit, Rex posteà electus, auctorque familiæ, quæ etiamnum Regno præest. Reliquit *Steno* ex Christina Guldensternia Suantonem Sturium Comitem *de Westerwyck*: patrem ex Martha Lewenhauptia, Nicolai, Erici, *Stenonis*, Caroli, Sigridis, quæ Turoni Bielkensi: Annæ, quæ Hogenschildio Bielkio: Magdalenæ, quæ Erico Gustavo Steinbockio; Margaretæ, quæ Turoni Bielkio juniori & Christinæ, quæ Gustavo Banerio, nuptæ. Nunc familia tota defecit. Vide Joh. Cluverum *in Christierno* II. Petr. Megerlinum *in Tab. Chronol. Hist.* & Phil. Jac. Spenerum. *Theatr. Nobilit. Europeæ Part. III.*

STENOBERGA, urbec. satis munita Brabantiæ. Sub Hollandis, & dominio utili Principis Auriaci. Aliàs amplior, nunc deficit in dies.

STENOBEOA, vide *Sthenobœa.*

STENONSTOMA, apud Solinum; inter ostia Danubii, memoratur *c.* 13. *Hister --- septem ostiis Rheuum influit, quorum primum Peuce --- quartum Pseudostoma: nam Boreostoma ac deinde* Stenonstoma *languidiora sunt cæteris, septimum verò pigrum* &c. ex duabus vocibus Græcis *στενὸν στόμα*, pro quo alii *ψιλὸν*, *exile*, dixerunt, uti ex *Arriano* patet. Unde & *Spilonstoma*, pro *Psilonstoma*, in *Excerptis* vetustissimis legi, notat Salmas. *ad Solin. p.* 186.

STENOVICUM, oppid. Transisalanæ provinc. ad Aam amnem, in limite Frisiæ Occidentalis, 17. mill. pass. à Suvolia in Boream, 7. ab ora maris Australis in Ortum. Bellô sæpe olim hodieque captum ac receptum, Sub Hollandis.

STENTOR, Græcorum omnium vocalissimus, qui 50. hominum clamorem vocis magnitudine adæquabat. Homer. *Il.* 5. *v.* 784.

Ἔνθα στᾶσ' ἤϋσε θεὰ λευκώλενος Ἥρη
Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι, χαλκεοφώνῳ,
Ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

Juvenal. *Sat.* 13. *v.* 112.

Tu miser exclamas ut Stentora vincere possis.

Nic. Lloyd.

STENTORIS Lacus Thraciæ, apud Ænum urbs & portus, apud Hebri ostia. *Herod.* Plin. *l.* 4. *c.* 11.

STENYCLERUS, urbs Messeniæ.

STEPHANA, Nicolaa, vide *Nicolaa.*

STEPHANARDUS, seu Stephanus, de Vice Mercato, Dominicanus, auctor *Chronici: Manipulus Florum.* An idem cum Stephanardo Flamma, qui *Historias versu*, eôdem tempore, composuit. Leander Alb. *l.* 4. *de Ord. Prædic.* Paul. Jovius, *in vita Othon.* Voss. *l.* 2. *de Hist. Lat. c.* 61. Gesner. *in Biblioth.*

STEPHANE, seu STEPHANIS *Stephano*, oppid. seu pagus Paphlagoniæ maritimus, inter Armenen & Sinopen urb. proximam. Sed *Stephane apud Stephanum* est oppid. Phocidis, seu potius fuit.

STEPHANATIS, in *πελοπιαξεσιν* post Thuorim Thebanum in Ægypto exorta, *Saï* parvi sui regni sedem statuit, ac Dynastiam Regum *Saitarum* incepit: dum *Seforchis* Bubastitarum primus regnaret, & aliis in Dynastiis alii præessent. Eum, post regnum annor. 7. excepit *Necepsos*, ex hoc Regulorum numero, juxta *Bocchorum*, inprimis memorandus.

STEPHANI Fanum, oppid Comitatus Forestii, *S. Estinne de Furan. Metel. Merula.*

STEPHANIENSES, vide *Stephanus* Burgund. Comes.

STEPHANIO, primus togatas saltare instituit, utrisque secularibus ludis saltavit & D. Augusti, & quos Claudius Consulatu suô quartô fecit: quando & sexaginta tres, non ampliùs, interfuêre anni. Plin. *l.* 7. 48.

STEPHANITA, apud Interpretem G. Cedreni, ubi de Constantino Copronymo, *Et persuasit* (Anastasio Patriarchæ) *ut pro Monacho fieret* Stephanita, *carne vesceretur, & in regia mensa tibicines audire sustineret*: ex Græco *στεφανίτης*, *coronatus* est. Tales enim mensæ Imperatoriæ, uti olim convivio unicuique, interesse, moris erat, Dominic. Macer *Hierolex.* Apud veteres Græcos autem *Στεφανίτης* dicebatur sacer agon, seu sacrum certamen, è quo qui victor redibat, coronabatur, aliàs *φυλλίτης* quoque i. e. *foliaceus*: quòd horum agonum præmia in sola corona consisterent, ut ait Pollux *l.* 3. *c.* 30. *ὅτι τὰ ἆθλα οἱ στέφανοι μόνοι*, & proin unius gloriæ consequendæ ergò susciperentur. Quibus oppositi non sacri agones, *ἀργυρῖται* seu *δωρῖται*, appellari, in quibus pro donis ex argento, ære, aliisque quæ veriùs sunt compendii, quàm illius celebritatis, quæ generosissimi cujusque pectus acuit, certaretur. Vide Car. Paschalium *Coronar. l.* 6. *c.* 4. & 5. Ipsi verò sacrorum agonum Victores *Ὀλυμπιονῖκαι*, *Πυθιονῖκαι κτλ.* dicebantur, vide suô locô.

STEPHANODUNUM, urbs Lorniæ, in Scotia meridiali in ora Occidentali versus Æbudas, cum portu, ad radices collis; *Dunstafag.* 30. mill. pass. à Kilmoria in Boream 6. à Mula Insul.

STEPHANOMATA, Græcè *στεφανώματα* & *στεφανωτικὰ*, dicta sunt Græcis veteribus omnia foliosa, quæ coronamentorum materiam præbebant; quibus opponebantur *τὰ φρυγανικὰ καὶ λαχανικὰ*, *surculacea & herbida*, ut videre est apud Theophrastum *de Causis Plant.*

Plant. l. 7. unde in Ægypto pessimè provenire, τὰ ἄνθη καὶ τὰ στεφανώματα, *flores & coronamenta*, idem ait *Ibid. c.* 27. Vide Car. Paschalium *Coronar. l.* 4. *c.* 4. Apud recentiores στεφανώματα vocata sunt, duæ lampades coronatæ, quæ ante Imperatorem Constantinopoli tantum deferri consueverunt, ut apud Balsamonem videre est. Sed & στεφάνωμα, *ambitum circuitumque* notat, apud Achillem Tatium *l.* 1. unde τῆς ὀροφῆς στεφάνωμα, *tecti sive contignationis ambitus*, apud Plut. *in Apophthegm. Lacon.* & *Hesychium* &c.

STEPHANOPHORI, Græce Στεφανηφόροι, i. e. *Coronigeri*, apud Græcos dicebantur Magistratus illi, quibus sacrificandi jus erat; non enim aliter quàm coronatos sacra fecisse Veteres alibi diximus. Erat hæc dignitas eminentissima, unde *Plut.* jungit Θεσμοθέται, Χορηγὸν, Στεφανηφόρος. Sic Athenis fuit Magistratus, cui nomen Ἐννέα Ἄρχοντες, *Novem-Viri*, dicebaturque στεφανηφόρος ἀρχὴ, quasi augustior consessus, cui coronæ gestandæ adeoque sacrificandi jus fuit: quæ eorum munera vocabant καινὰς στεφανηφορίας, ut videre est apud Plut. αἰσθα. καίσαρ. Ῥωμ. Sed & Tarsi tyrannum στεφανηφόρον, more Græcô, a popularibus suis creatum esse, refert Athenæus *l.* 5. traditque Philostratus, ab hac summa dignitate, cui nomen Στεφανηφόρος ἀρχὴ, Smyrnæos impónere consuevisse singulis annis nomina, quomodo Romæ Consulum nominibus notati sunt, *in Heraclitoo*. Similiter illos apud Platonem Magistratus, qui in Magnetum Rep. optimi renunciabantur, inter alias prærogativas, solos coronam ex auro gerendi jus habuisse, legimus apud Platonem *de LL. l.* 12. Vide suprà in voce *Magistratus*, & plura hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coronar. l.* 4. *c.* 14. In Pentathlo, cùm victor palmam primò accipiebat, inde voce Præconis renunciabatur ac celebrabatur, tandem coronâ redimiebatur, totum hoc στεφανηφορίαν appellatum esse, habes apud Pausaniam *l.* 5. &c.

STEPHANOPLOCOS, apud Plin. inter Pausiæ opera, memoratur *l.* 35. *c.* 11. *Pausias Sicyonius primus in hoc genere* (encausto pingendi) *nobilis — pinxit & ipse penicillo parietes Thespiis — Amavit in juventa Glyceram municipem suam, inventricem coronarum, certandoque imitatione ejus, ad numerosissimam florum varietatem perduxit artem illam. Postremo pinxit illam sedentem cum corona, quæ è nobilissimis ejus tabulis appellata est* Stephanoplocos, *ab aliis* Stephanopolis, *quoniam Glycera venditando coronas sustentaverat paupertatem. Hujus tabulæ exemplar, quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit a Dionysio Athenis*. Ex Græco στεφανοπλόκος, quasi ἡ τοὺς στεφάνους πλέκουσα, *quæ plectit coronas*. Muliebre enim munus fuit coronas & serta plicare, cujus artificii gloria huic Glyceræ debetur. Quæ eædem cum coronas venderent, στεφανοπώλιδες, quasi αἱ τοὺς στεφάνους πωλοῦσαι, appellatæ sunt. Vide suprà, ubi de artificio *Nectendi Coronas*, item ubi de *Coronis*.

STEPHANOPOLIS, quæ & *Corona*, urbs Daciæ in Transsylvaniæ, Moldaviæque confinio, forsan aliàs *Prætoria Augusta*, *Cronstat* vulgò Germanicè, *Brassow* verò Hungaris. Vide Plin. *l.* 35. *c.* 11. prope amnem *Farkas*, qui paulo infra in Alutam cadit. Ad radices montium, in limite Moldaviæ, 15. milliar. German. à Cibinio in Ortum, uti 29. à Claudiopoli, & 22. ab Alba Julia. Hodie Transsylvaniæ urbs. *Baudr.*

STEPHANOS, apud Plin. *l.* 15. *c.* 30. lauri genus, quæ Græcis στέφανος Ἀλεξάνδρου, *corona Alexandri*, dicta est, vide suprà ubi de *Alexandrea Lauro*. Στέφανος enim corona, aliàs στέμμα & στέφος: quas voces tamen qui subtilius distinguunt, στεφάνους vocant coronas in sacris certaminibus publicaque lætitiâ reportari ac gestari solitas: στέμματα, coronas sacras, quas Sacerdotes, cum cultu divinô defungebantur, gerebant, item quibus victimæ coronabantur: στέφη verò, coronas funebres, & quarum in exequiis usus fuit, uti videre est apud Car. Paschalium *in Coronarum libris*. Translata dein vox ad alia: Sic Στέφανος Ἐπιγραμμάτων, nomen fuit libri à vetustissimo Poëta Meleagro compositi, quem quòd ex omnibus antiquis Epigrammatibus contexuisset, ordine alphabeticô positis eorum nominibus ac singulis Poëtis cum totidem floribus comparatis, hôc titulô insignivit: Ad cujus exemplum, Philippus postea parem Epigrammatum Στέφανον composuit, & vulgavit, ex omnibus Poëtis, qui post Meleagrum ad suam usque ætatem vixêre. Eos secutus Agathias similem Epigrammatum συναγωγὴν concinnavit, ex recentioribus compilatam Epigrammatariis, eamque sub certis materiarum titulis redactam. Στέμμα vocavit, item Συλλογὴν & Κύκλον. Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 848. & 849. uti de στεφάνῳ κλειδίῳ in galea, *p.* 546. de στεφάνοις urbium, *p.* 63. &c.

STEPHANOVERDA, oppid. permunitum Geldriæ superioris ad Mosam, in Insula, vix 5. mill. pass. supra Ruremundam in Meridiem, Trajectum ad Mosam versus 20. Sub Hispan.

Reges Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, &c.

STEPHANUS, Angliæ Rex, ex Comitum Blesensium & Boloniensium stirpe, Henrici I. ex Adelaide sorore nepos, in avunculi aula educatus est. Quô mortuô, immemor juramenti, quod Regis filiæ Mathildi, Henrici V. Imperatoris prius, tum verò Godofredi Comit. Andegavensis uxori præstiterat, à Gulielmo Archiepiscopo Cantuariensi coronam accepit. Nec hucusque processisse contentus, Normanniâ quoque agnatam spoliavit: in principio regni strenuè Davidi Scoto obnixus, postmodum à Roberto Glocestriæ Comite, fratre notho Mathildis, captus est: quem cum vicissim captivum fecisset Guil. Iprensis, permutatione utrinque factâ, concessum Stephano est, ut per vitam regnaret, mortuo verò sine liberis Henricus Mathildis fil. succederet: quod factum. Obiit autem A. C. 1154. regni 12. Duchesnius *Hist. Angl. l.* 11. Polydorus *l.* 11. & 12. *Buchananus* &c.

STEPHANUS I. Hungariæ Rex, patri Geisæ, primo Regi Christiano, successit A. C 997. Fidei in regno propagandæ summô zelô intentus, leges tulit in 55. capitula divisas, ob sanctitatem, Sanctis adscriptus. Obiit Budæ A. C. 1038. regni 41. Maritus primò Giselæ, sororis Henrici II. Imperatoris dein alterius ejusdem nominis, cujus pater Gulielmus erat Burgundionum Rex, ex hac Emerici fuit pater, immaturâ morte extincti. *Apostolus & Legislator Hungarorum* dictus, Bonfin. *Histor. Hungar.* Colmannus *in vita ejus*, *&c.*

STEPHANUS II. *Fulmen* dictus, post fratrem Colmannum, præfuit ann. 18. bellis contra Venetos, Polonos, Russos & Bohemos fortiter gestis clarus. Primis nuptiis sibi junxit filiam Roberti Apuliæ Ducis: secundis Juditam Boleslai Poloniæ Ducis filiam. Obiit A. C. 1131. Bonfin. *Histor. Hungar.*

STEPHANUS III. patris Geisæ III. successor, defendit se strenuè contra Ladislaum III. & Stephanum IV. avunculos suos, quibus sceptrô ei ereptô ad breve tempus sunt potiti. Bellô contra Venetos & Emanuelem Imperatorem Illyrici causâ, felix: Obiit A. C. 1173. regni 12. Ei frater Bela successit. Bonfin. *Dec.* 2. *l.* 6. 7.

STEPHANUS IV. alias V. patrem Belam IV. excepit. Hic Mysiâ sub tributi leges redactâ, vicit Bohemiæ Bulgariæque Reges. Obiit A. C. 1272. regni 13. *Bonfinius*, *Crantzius* &c.

STEPHANUS, ex Bathoria familia, Transsylvaniæ primò Princeps, dein Poloniæ Rex Maximilianum Cæsarem, a Procerum quibusdam electum, celeritate antevertit, ductaque Annâ Sigismundi Augusti sorore, Rex coronatus est, A. C. 1576. Dantiscum, quod Austriacis adhæreret, proscripsit, & ad obsequium adegit, A. C. 1579. Contra Basilium Moscorum Ducem res præclarissimè gessit, hostibus victis sæpius, pluribusque urbibus captis. Dixit Deum sibi reservasse hæc tria: *vim creandi ex nihilo, præscientiam futurorum, & imperium in conscientias.* Tandem à Moscico bello reversus, irâ adversus Rigenses, qui Calendarium novum respuebant, sic excanduit, ut in morbum prolapsus, obierit A. C. 1586. Princeps magnanimus. Ei successit Sigismundus III. Vide Neugebauer. *Hist. Polon.* Thuan. *l.* 53. Varsovicium *in reb. Polon.* *&c.*

STEPHANUS, Vaivoda Valachiæ & Moldaviæ, victoriis contra Mahometem Turcarum Imperatorem, Matthiam Hungariæ & Albertum Poloniæ Reges, Tartaros insuper, obtentis inclytus. Fratres Bohemos benignè excepit. Obiit A. C. 1504. Michovius *l.* 4. *c.* 84. *&c.*

S. STEPHANUS, nomen Diaconi, Ecclesiæ Christianæ protomartyris. Actor. *c.* 6. *v.* 5. Vide Moretum *Diction. Histor.*

STEPHANUS, fil. Ruperti Imperatoris frater Ludovici II. cognomine *Barbati*, Electoris Palatini, in divisione paternæ hæreditatis, Simmerensem & Bipontinum tractus sortitus, Simmerensis seu Electoralis posterioris lineæ, quæ etiamnum floret, Auctor fuit. Is enim, maritus Annæ, filiæ Friderici, ultimi Comitis Veldentiani, è duobus filiis, Friderico quidem Simmerensem, de quo dictum: & Ludovico, Bipontinum ramum, progenuit, è quorum posteriore, hodierni Principes Bipontini, Neoburgici, Sulzbacenses, Birckenfeldii, Lutzelsteinii, seu Veldentii, descendunt. Fratris autem Ludovici posteritas defecit A. C. 1559.

STEPHANUS, Dux Bavariæ, cognomine *Fibulatus* fil. Ludovici V. Imperatoris post mortem Rudolfi II. Electoris Palatini dignitatem hanc ambivit, sed frustrà: transegit dein, à morte Patris, cum patruelibus Palatinis, solutâ certâ pecuniæ summâ, in compensationem detrimentorum, quæ bellô civili à fratre Ludovico Rudolphus Elector acceperat: Sed cum ea minimæ jacturæ pretium adæquare diceretur, postea quoque continuata prætensio est. Pater fuit trium filiorum, *Stephani*, qui Ingolstadiensem: Friderici, qui Landshutensem & Johannis, qui Monachensem, familias orsi sunt, quarum duabus prioribus extinctis, postrema superest, rerumque in Bavaria potitur.

STEPHANUS, fil. prioris natu maximus, Ingolstadiensem ditionem nactus A. C. 1392. Pater Ludovici cognomine *Barbati*, (quô genitus Ludovicus cognomine *Gibbosus* lineam terminavit) & Isabellæ, seu Elisabethæ, quæ nupta Carolo VI. Galliæ Regi Regno tantum non penitus exitiosa fuit. Odiô enim in Delphinum, quamvis proprium filium, flagrans, & mariti mente capti infirmitate abutens, factionem Anglicam Burgundicamque omnibus modis fovit, sceptrum etiam Anglo genero conciliatura. Eadem luxu muliebri multùm in Regno auctô, tandem mortua, postquam omnium odium incurrisset, sine ulla pompa solemni, sepulturæ illata est. Spenerus *in Fam. Palatina*. Idem nomen aliquot Burgundiæ Comitibus fuit, inter quos duo inprimis celebres fuêre, *Stephanus* fil. Gulielmi Comitis sub A. C. 1101. & *Stephanus* alter sub A. C. 1147. à quo posteriore *Stephanienses* dicti sunt, moneta Burgundiæ Comitum, vulgò *Estevenans*, ut videre est apud Car. du Fresne *Glossar.*

Pontifices Roman.

STEPHANUS I. Lucii successor, in Pontificatu Romano A. C. 255. dirum excommunicationis fulmen strinxit in varios Asiæ Africæque Episcopos, qui Hæreticos rebaptizari volebant. E quibus Firmilianus Cæsareæ Cappadoc. Episcopus & S. Cyprianus præcipui erant, quem *Pseudoapostolum* vocavit: ab Orientalibus Episcopis propterea increpitus, quòd, licèt in causa meliori, lenitatem & humilitatem Apostolicam non servâsset. Martyrium sub Valeriano Imperatore pertulit, suspendiô enectus, A. C. 257. Attribuuntur ei duæ Epist. Decretales. Vide Cyprian. *Ep.* 62. 72. *&c.* Euseb. *Chron.* & *Hist. l.* 7. *c.* 2. 3. 4. *Augustinum*, *Optatum*, *Nicephorum*, &c. Ei successit Sixtus II.

STEPHANUS II Zachariam excepit, A. C. 752. per tres solum aut quatuor dies. Onuphr. & Genebrardus *in Chron.* Ciacconius *in ejus vita*, Maurus *Amat. in S. Antonin. part.* 2. *tit.* 14. *c.* 1. §. 3. Ei successit

STE-

STEPHANUS III. Romanus, fil. Constantini. Hic ab Aistulfo Longobardorum Rege infestatus, ope Constantini Copronymi Imperatoris non magno cum successu implorata: ad Pipinum Franciæ Regem confugit, quem una cum filiis inunxit. Transgressus postea in Italiam Pipinus, Aistulfum Ticini ad obsequium redegit. Sed paulo post cum pacis initæ immemor Romam obsedisset, eundem reversus denuo superavit, atque Exarchatum Ravennæ, cum Pentapoli aliquotque aliis urbibus sedi Romanæ donavit. Hæc Patrimonii Petri, ut vocant, origo est, cui postea Carolus M. & Comitissa Mathildis plura adjecit. Obiit A. C. 757. Vide Sigebertum & Adon. *in Chron. &c.* Ei successit Paulus I. frater.

STEPHANUS IV. Synodo Laterana, ex Francia & Italia A. C. 769. coacta, detrusit in cœnobium Constantinum Papam, Cæsareque Constantino Copronymo excommunicato, decreta Synodi ejus, quæ septima generalis erat, abrogavit, cultu Imaginum confirmato. Quæ in electione Pontificis observanda, instituit, a Desiderio Longobardorum Rege qui Romam venerat, ut de iis, qui Constantino se opposuere, pœnas sumeret, male habitus, obiit A. C. 772. sedis 3. S. Antoninus, Volaterranus, Sigonius ad A. C. 769. Ei successit Hadrianus I.

STEPHANUS V. post Leonem III. Papa, coronavit Remis Imperatorem Pium, cum uxore ejus Hermengarde. Reversus inde Romam, obiit A. C. 816. mense sedis 7. Ei successit Paschalis I. qui ambo sine consensu Imperatoris electi, apud eum postea sese purgarunt, moniti, ne in posterum Majestatem læderent, Platina *in vitis Pontif.* Thegan. *de gestis Ludov. Imp. &c.*

STEPHANVS VI. Adriani III. successor, A. C. 885. scripsit Basilio Imperatori ne Photio adhæreret, Guidonem postea Imperatorem electum adoptavit, purgationem ferri candentis & ferventis aquæ in Germania, per Archiepiscopum Moguntinum sustulit: & quia Photius Spiritum Sanctum ex Filio procedere negavit, voluit addi Niceno Symbolo vocabulum, quod jam in Gallia, Hispania ac Germania usitatum erat, *Filioque*. Obiit A. C. 890. *St. Antoninus, Volaterranus, Sigebertus, Onuphrius, Ciacconius, Platina, &c.* quibus adde Flodoardum *Histor. Rem. l. 4. c. 1.* Ei Formosus successit.

STEPHANUS VII. se ipsum in sedem intrusit, circa A. C. 897. post pulsum Bonifacium VI. qui, defuncto Formoso, Papatum rapuerat. Sævit horribiliter in cadaver Formosi refossum: ipse in vincula compactus & strangulatus est, A. C. 900. Ei successit Romanus. Vide Baron. *A. C. 897. n. 1. & 900. n. 6.*

SEPHANUS VIII. post Leonem VI. biennium solum præfuit, Obiit A. C. 931. *Luitprand. Sigebert. Baron.* Ei successit Johannes XII.

STEPHANUS IX. gente Germanus, ab Ottone I. Imperatore surrogatus est Leoni VI. A. C. 939. quem proin æmuli male habuerunt. Ludovico Ultramarino, contra subditos rebelles, favit. Obiit A. C. 943. *Baron. S. Antoninus. Volaterranus, &c.* Ei successit Martinus II.

STEPHANUS X prius Fridericus dictus, fil. Gozelonis Magni, frater Godofredi Barbati Ducis Lotharing. successit Victori II. A. C. 1057. Obiit biennio post, cum Florentiam excurrisset, ut ibi fratrem salutaret, qui Beatricem Tusciæ Marchionissam, viduam Bonifacii, ducturus advenerat, Leo Ostiensis *l. 2. c. 8. l. 3. c. 101.* Ciacconius *in ejus vita; Baron, &c.*

Patriarchæ & Episcopi.

STEPHANUS I. Patriarcha Constantinopolitanus fil. Basilii Imperatoris frater Leonis VI. in Photii locum substitutus est, A. C. 886. Obiit A. C. 888.

STEPHANUS II. successit A. C. 930. Nicolao Mystico. Obiit A. C. 933. Baron *in Annal.*

STEPHANUS I. Patriarcha Antiochenus, Arianismi fautor, caput eorum fuit, qui S. Athanasio obnisi sunt, & Sardicensi concilio excommunicati, Antisynodo Philippopoli instituta novam Fidei formulam ediderunt. Legatos dein Concilii Sardicensis ad Constantium Imperatorem Antiochiæ tum degentem, Euphratem Coloniensem & Vincentium Capuanum Episcopos, perditurus Stephanus immissa in Euphratis cubiculum fœmina impudica, frustra fuit. Fraude enim detecta sede pulsus est A. C. 448. Athanas. *Epist. ad Solit.* Theodor. *l. 2. c. 9. & 10.* Baron. *A. C. 343. 348. &c.*

STEPHANUS II. ab Eutychianis trucidatus est, in ipso altari, A. C. 479. sedis 3. Ei successit

STEPHANUS III. qui obiit A. C. 482.

STEPHANUS IV. Monachus Syrus, postquam Ecclesiæ ann. 40. Pastore caruisset, Patriarcha electus est, A. C. 742. Obiit A. C. 744. Baron. *A. C. 479. 481. 742.*

STPHANUS, Patriarcha Hierosolymitanus, prius Abbas fuit S. Johannis, in Valle Carnotensi cujus urbis Vicedominus quoque erat. Aliqua affinitate Balduino Regi Hierosolymor. innexus, ejus favore promotus est. Obiit A. C. 1130. sedis 2. S. Bernardus *Epist. 82.* Guil. Tyrius *l. 3. c. 25.* Baron. *A. C. 1128. 1130.*

STEPHANUS Episcopus Ephesinus, *Collectionem Canonum* edidit. Floruit is sub Theodosio M. post Concilium Constantinopolitanum I. & Canonibus Nicænis, Ancyranis, Neocæsariensibus, Gangrensibus, Antiochenis & Laodicensibus, addens Constantinopolitani primi Canones VII. suum iis nomen præfixit; quod prætulisse veterem Codicem Bibliothecæ Palatinæ, refert Christoph. Justellus apud Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. 61.* Quem postea imitati Episcopi sequentes collectionibus suis similiter nomen suum adscripsere, *Ibid. num. seqq.*

STEPHANUS, Episcopus Sarmatarum, gentibus illis ad Christi fidem perductis, crescente sequentibus temporibus superstitione, divino honore coli cœpit, in regione Permia, quæ tractus est Sarmatiæ Europeæ Obio fluv. & Kitaja lacu terminatæ. De eo sic Sigismundus Liber Baro Herberstein *Commentar. rer. Moscovit. Idioma (in Permia) proprium habent, characteres item proprios, quos Stephanus Episcopus, qui eos in fide Christi vacillantes confirmavit (nam antea adhuc in fide infantes Episcopum quendam idem attentantem excoriaverant) primus adinvenit. Hic Stephanus postea Demetrio Johannis filio imperante, apud Ruthenos, in numerum Deorum relatus est. Supersunt adhuc ex iis in silvis passim plures Idololatræ; quos Monachi & Eremitæ eo proficiscentes non cessant ab errore vanoque cultu revocare.* Similiter Sanctum Vitum a Rugiis pro Deo habitum, & *Sanctum Vitum* appellatum fuisse, diximus supra. De utroque Vide Ger. Johann. Voss. *de Idololatr. l. 1. c. 41.*

STEPHANUS, fundator Ordinis Grandis montis, ex Arvernis ortus, Obiit A. C. 1126. a Clemente III. Sanctorum catalogo insertus, A. C. 1189. Vinc. Bellovacensis *Spec. Hist. l. 5. c. 46. & seqq.* Ciacconius & Genebrardus *in Gregorio VII.* Sammart. *Gall. Christ. tom. 3. p. 492. & seqq.* Moreri *Diction. Hist. &c.*

STEPHANUS, Augustodunensis Episcopus fil. fuit Gauserani IX. Domini Baugiac. & Bressiæ. Scripsit *de 7. ordinib. Eccles. de ceremoniis & canone Missæ, &c.* Obiit A. C. 1117. Vide Moreri. *Diction. Hist.* Item Episcopus Coloniensis, magni nominis, seculo 10. Coccius *in Catal.* Item Episcopus Hieropolitanus, scripsit vitam Golanduchi martyris, Euagr. *l. 6. c. 19.* & Niceph. *l. 18. c. 25.* A. Persis necatus, martyrium subiit, vide & Theophyl. in hist. Mauritii Imperator *l. 5. c. 11.* Item Episcopus Leodiensis.

STEPHANUS, 60. annos probatissimus Monachus, fuit, & Antonio Magno notissimus; de quo Sozom. *l. 8. c. 1.*

STEPHANUS, Historicus ἐν τῷ ϛ' Κόσμου citatur ab Etymologo in Σφάκτα. Fortassis idem est ac *Stephanus* Byzantinus: de quo Voss. *Hist. Græc. l. 2. c. 22.* Vide *infra*.

STEPHANUS, Comicus poëta. fil. Alexidis. Item Diaconus. S. Cæsarii, Episcopi Arelatensis. Barralis *Chron. Lirin.* Item, Presbyter Africanus, Ab Amatrico Episcopo Antissiodorensi rogatus, *vitam S. Amatoris* prosa, & *S. Germani* versu scripsit. Voss. *de Hist. Lat. part. 4. l. 3. c. 3.* Item Presbyter Anglus, auctor *vitæ Sancti Wilfridi* cujus epitomen scripsit Gulielmus Malmesburiens. Item auctor *historiæ inventi S. Maximi Abbatis*, circa A. C. 990. Surius *die 10. Jun. &c.*

STEPHANUS Botskai, vide *Botskai*.

STEPHANUS Brickingtonus, Benedictinus Anglus: in Monasterio Cantuariensi, scripsit *de Præsulibus hujus Ecclesiæ & Episcopis Eliensibus*.

STEPHANUS Byzantinus, auctor *libri de Urbibus & gentibus*: cujus *epitomen* concinnavit Hermolaus Grammaticus Constantinopolitanus, secul. 6. Justiniano Imperatori inscriptam, *Suid.* Voss. *de Hist. Græc. l. 2. c. 22.*

STEPHANUS Carolus, vide *Carolus*.

STEPHANUS Cremonensis, scripsit *vitam S. Ubaldi*, Surius *d. 16. Mail.*

STEPHANUS Doletus, Aurelianensis, plurima præterito seculo Græce Latineque, res gestas inprimis Francisci I. ab A. C. 1513. usque ad 1539. scripsit, Verderius *Biblioth. Gall. p. 273. 274.*

STEPHANUS Durantius, primarius Tolosani Parlamenti Præses, scripsit *de ceremoniis Missæ*.

STEPHANUS Edo, Anglus, composuit *vitam Regis Eduardi II.* *Sanderus* & Voss. *de Hist. Lat. l. 2. c. 65.*

STEPHANUS Henricus, vide *Henricus*.

STEPHANUS Hispanus, Monachus Cluniacensis scripsit *de miraculis S. Rodesindi Historici*, Ambros. Morales *Hist. l. 6. c. 16.*

STPHANUS Forcardellus, Legum Tolosæ Professor, varia Græce Latineque edidit, Verderius *Bibl. p. 280.*

STEPHANUS Jodellus, Parisinus, Poëta insignis Gallus, Verderius *Biblioth. p. 285. & seqq.*

STEPHANUS Juliacus, auctor *vitæ S. Coletæ*. Surius *die 6. Mart.*

STEPHANUS Leodiensis, Episcopus scripsit *vitam S. Lamberti*, aliaque, de quibus vide Sigebertum *in Chron.* A. C. 203. Duorum ejusdem nominis Præsulum, ut & Abbatis Leodiensis, meminit Voss. *de Hist. lat. l. 2. c. 39. & 48.*

STEPHANUS Lusignanus, Dominicanus, ex Cypri Regum familia, condidit *historiam genealogicam Regum Hierosolymæ, Cypri & Armeniæ*.

STEPHANUS Mediolanensis, *patriam* versu descripsit, Possevin. *Appar. Sacr.*

STEPHANUS Niger, Cremonensis, docuit diu Mediolani, transtulit Latine *Philostrati Heroas*, & in dialogo quodam, quidquid de Græcia memoratu digni narrat Pausanias, recenset. Obiit misere, Pierius Valerianus *de infelic. erudit.*

STEPHANUS Paschalis, scripsit *res Gallicas*, plurimaque alia. Item *Plutarchi quædam Latio donavit*, Verderius *Bibl. p. 301.*

STEPHANUS Paulus, fil. *Henrici*, quem vide.

STEPHANUS, Robertus, vide *Robertus*.

STEPHANUS Salazarius, Carthusianus Hispanus, scripsit plurima, quorum catalogum exhibet Petrejus *Bibl. Carthus. p. 263.*

STEPHANUS Senensis, Carthusianus, fuit Catharinæ Senensi a secretis, cujus *dialogos* edidit, cum *vita illius*, Idem *notis* ad Dorland. & *in Bibl. Carthus.*

STEPHANUS Taboureus, Advocatus Divionensis, scripsit varia, sub nomine *des Accors*, Verderius *Bibl. p. 333.*

STEPHANUS Tornacensis, Episcopus auctor varior. operum, vide *Bibliothec. Patrum.*

STEPHANUS Tritheita, cognomine *Gobar*, scripsit opus, memoratum Photio, *Bibl. cod.* 232.

S. STEPHANUS, ordo Militaris Florentiæ, institutus à Cosmo I. A.C 1560. in honorem Stephani X. Confirmatus est, à Pio IV. & V. qui iisdem illum privilegiis, quibus Melitensem, ornaverunt. Sedes ejus præcipua Pisæ est: Officium, servire terrâ marique, ubicunque à M. Duce jussi fuerint. In pompis festisque solennibus utuntur palliô camelinô candidô, cum limbo purpureo, & cruce ei appicta. Vide Spond. A. C. 1554. *num.* 5. Favin. *Theatr. d'honn. & de Chev. &c.*

STEPHON, Tanagricæ regionis in Bœotia locus. Plut. in *Qu. Græcis.*

STEPHUSA, inter Praxitelis ex ære opera, memoratur Plinio *l.* 34. *c.* 8. ex Græco στέφουσα, i. e. *cingens, coronans.* Ita enim is, *Praxiteles marmore felicior --- Fecit tamen ex ære pulcherrima opera, Proserpinæ raptum, Catagusam --- Stephusam, Spilumenem* &c.

STERCORA, à Commodo cibis mista, apud Lamprid. *c.* 11. *Dicitur sæpe pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse, nec abstinuisse gustu, aliis (ut putabat) irrisis.* Quod, cùm ab illo per summam proterviam & impietatem factum sit, meliori fine à veterib. quibusdam Medicis usurpatum esse, in sanandis videl. oris vulneribus, ut & cœteris humani corporis partibus, docet Galenus *l.* 9. *de Simplic. medicam. facult.* Alia ratio fuit, cùm Ezechielem Propheram jussit Deus *comedere placentam bordeaceam: & ad orbes excrementi humani parare placentam istam*, *c.* 4. *v.* 12. cujus locô posteà supplice Prophetæ rogatu exoratus, panem suum facere super bovis stercora ei permisit, *v.* 15. Non enim exegit hîc Deus à Propheta, ut pani stercus misceret, uti Veteres quidam accepêre: Sed tantùm voluit, ut panem pro carbonibus humanô stercore coctum comederet, quô miseri homines quandoque pro ligno utuntur. Idque symbolica de causa, & ut significaret Israëlitis, fore ut in captivitate Babylonica in summa omnium rerum inopia versarentur & cogerentur etiam immundis cibis pollui. Quod quia Prophetæ gravius videbatur, indulsit ei Deus, ut humano bubulum substitueret: quod hodieque in Frisia ad ligni materiam siccari, testatur Erasmus *in Adag. Boinu panam*, i. e. *bubuli stercoris*, quod βόλιτον Græcis dicitur. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior l.* 2. *c.* 33. & suprà ubi de *Pane subcinericio*, talem enim *locô cit.* Ezechielis intelligi, liquet ex *v.* 12. De more sceleratos, item statuas tyrannorum, stercore lutôque inquinandi, diximus aliquid suprà, in voce *Cænitus*, item ubi de *Statuis*: de Aurigarum Venetæ ac Prafinæ factionis, apud Romanos, etiam *stercora* equorum odorandi, quò ex iis animalium habitus atque temperamenta internoscerent, videbimus infrà ubi de *Veneta factione*: de ratione verò *Stercorandorum* agrorum, quam primus dicitur invenisse in Græcia Rex Augias, divulgâsse autem in Italia Hercules, vide Plin. *l.* 17. *c.* 9. ut & in voce *Stercutius*, item *Excrementa.*

STERCUTUS, Prudentio *Steph. Hymn.* 3. v. 449. Vide *mox.*

STERCUTIUS, dictus est Saturnus, quòd primus stercorandi agri rationem invenerit: ex quâ re fortassis regni ejus tempora felicissima fuisse feruntur. Vide Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 7. In ejus cultu, non *stercore* res fiebat divina, sed Telluri, fimo lætanti, vel Naturæ virtuti, quâ plantæ, post fimum agro adspersum, feliciter provenirent. Voss. *ibid. l.* 2. *c.* 61.

STEREA, vel STIRIA, vicus Atticus in tribu Pandionide, *Steph.* Unde *regiabit.*

STEREONTIUM, Germaniæ urbs, *Ptolem.* vulgò *Cassel*, Hassiæ urbs nota. Vide *Cassela.*

STERIS, oppid. olim Phocidis mediterran. 60. ab Ambrosso stadiis. Pausan. *l.* 10.

STERLINGA, & STRIVELINGA, provincia Scotiæ meridialis. Habet ad Boream Menteithiam & Fifam; ad Meridiem Glottianam, ad Ortum Laudoniam, ad Occidentem Leviniam provincias. Ejus primaria est *Strivelinum*, seu *Sterlinga*, ad Fortheam fluv.

STERLINGUS, vide etiam *Starlingus.* Dedêre hanc monetam Franci Galliæ, quorum posteri illam diu servârunt; Normanni dein asciverunt, & in Angliam propagârunt. De vocis origine, præter ea, quæ dicta sunt, in voce *Starlingus*, addit *Gronov.* quosdam à *stella*, signô impressô, quasi *Stellatos*, sic dictos esse contendere; alios à *starro*, quæ vox Apocham significaverit, in Anglia, fœneratoribus Judæis. Apud eundem docti cujusdam Viri sententia est, descendere vocabulum à Saxonico *steore*, quod *legem, canonem, regulam* significet, ut *steoran*, regere: tanquam nummus indicetur legi vel canoni nummario consentaneus, pondere legalis & regularis. Sanè *steuren* Germanis hodieque est, *continere, compescere*; & *stieren*, gubernare; *stier*, gubernaculum; *stiermann*, gubernator Saxonibus & Belgis. Sed non videtur vox significationis vel tam ampiæ, vel tam remotæ, huc potuisse accommodari. Vicinius foret *steur* & *stuyr*, tributum, & ipse *stuferus* Belgicus, si sic agere sufficeret. Sed dubium non est, si Saxonibus Anglis deberetur ea vox, in monumentis illorum alicubi repertum iri: præterea Saxones aliter libram partitos, ita ut 48. Solidos, quinum singulos denarium, haberet, tradit *Spelmannus.* Constat porrò inter omnes ante Normannorum ingressum in Angliam, non reperiri mentionem vocis: cum ipso Guilielmo eam primùm legi: & *Sterilenses, Stellinosque*, dein *Sterlingos* & *Esterlingos* appellatos. Normannos à Francis mutuatos descriptionem libræ per solidos denariosque, probat Gronov. pluribus: Denariis autem nomen etiam *Sterlingis* fuisse in Continenti, quà Normanni imperabant, ostendunt duo rescripta Pontificum Romanor. *in Decret. Gregorii.* Proin his videtur omnino ea vox in Anglia deberi; incertum tamen, utrum ab ipsis imposita, an & à Francis illius ævi accepta: Nam in Gallia quoque valere illam vocem non quidem pro nummo, sed pro pondere, *Budæus* ostendit. Vide Joh. Frid. Gronov. *de Pecunia vet. passim, inprimis in Addendis.*

STERNEBERGUM, oppid. Pomeraniæ, *Merell.*

STERNERE, Græcè τὸ καταβαλεῖν, finis luctæ olim fuit, uti Plut. docet *Sympositac. l.* 2. *c.* 4. unde responsum Laconis de antagonista, οὐ ῥίψας κρείττων, ἀλλὰ καταβαλλοντικώτερος. Omnis namque luctæ ratio ad victoriam in subvertendo adversario, eoque dejiciendo ac solo illidendo, consistebat: quod ἐκβαλεῖν ex Luctatorum disciplina dictum. Faciendum autem id erat ter, quod τριάξαι vocabant, uti diximus suprà in verbo *Cadere.* Vide quoque *Dejicere.* Alia notio vocis, cum de signate, matr, viis lectis, jumentis quoque usurpatur; quod postremum σαγάττειν Græcis est. Unde οἱ σαγολεῖς *stratores*, de quibus infrà. Sed & apud Spartian. *c.* 1. *in Vero, sternere*, est referre in literas, & historiæ inserere, ut apud Græcos καταστρωννύειν, apud vetustiores καταχωρίζειν, Casaubonus *ad loc.*

STERNUTATIO, Græcè Πταρμὸς, inter omina olim erat minima, apud Romanos. Plin. *l.* 2. *c.* 7. *Fulgurum monitus, oraculorum præscita, Aruspicum prædicta, atque etiam (parva dictu) in auguriis* Sternutamenta *& offensiones pedum.* Cicer. *de Divin. l.* 2. *c.* 40. *Quæ si suscipiamus & pedis offensio nobis, & corrigiæ abruptio &* Sternutamenta *erunt observanda.* At apud Græcos maximi habebantur, idque jam ab Heroicis temporibus. Divinitatis enim quiddam continere augurabantur, eaque proin in Cereris potestate esse volebant, teste Suidâ in voce Σύμβολον. Socrates ipse, tam emunctæ naris Philosophus, ab alterius naso dependere, *Sternutationemque* alienam, pro Dæmonio, consulere, non erubuit. Imò Diis etiam hæc illata, teste Aristotele *in Problem.* τὸ Πταρμὸν θεὸν ἡγούμεθα, *Sternutamentum Numen arbitramur.* Unde factum, ut à cerebri, unde *Sternutatio* profluit, esu solicitè veteres Græci abstinerent; caput sacrum haberent. Aristot. *Problem. sect.* 33. §. 9. & *sternutantibus* solemne illud apprecarentur, Ζεῦ σῶσον, *Jupiter serva*: ut ex joco Ammiani in hominem bene nasutum colligere est,

> Οὐδὲ λέγει Ζεῦ σῶσον, ἐὰν πτάρῃ, οὐ γὰρ ἀκούει
> Τῆς ῥινὸς, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

Quòd sic vertit Thomas Morus, Angliæ sub Henrico VIII. Cancellarius,

> *Quando Jovem inclamas sternutans, quippe nec audis,*
> *Tam procul ab nasus prominet aure tuus.*

Alius,

> *Non vocat ille Jovem sternutans, sed nec id audit,*
> *A naso extremo tam procul auris abest.*
> Vel sic,
> ——— ——— *sed nec is audit*
> *Hunc nasi strepitum, tam procul* &c.

Latini *salvere* jusserunt. Petron. *Satyr. Gyton collectione Spiritus plenus, ita continuò sternutavit, ut grabbatum concuteret, ad quem motum Encolpius conversus* salvere *Gytona jubet.* L. Appulejus *Milesiarum l.* 9. *Crebras ei sternutationes commovebat, quod cùm putaret ab ea profectum, solitô sermone salutem ei fuerat apprecatus* &c. Bene precatos autem fuisse, genu flexô, adnotavit Athenæus *Dipnosoph. l.* 2. *c.* 27. tantô cultu, seu potiùs superstitione, rem tantillam fuêre prosequuti. Attendebant autem tum ad utrum latus, tum quô tempore, fieret sternutatio; ut inde rei seu suscipiendæ seu omittendæ auguria captarent. Meridianæ *Sternutationes* faustæ habebantur, matutinæ infelices, Plin. *l.* 18. *c.* 2. cujus rei causas inquirit Philosophus *in Problem.* Qui *sternutabat*, cùm tolleretur mensa, infaustum quid sibi credebat portendi. Plin. *loc. cit.* Ad sinistrum quoque latus *Sternutamentum* aversabantur miseri: ut & cùm idem alicui prope sepulchrum accidisset. Sic *Antholog. l.* 2. *c.* 19. *Epigramm.* 5. ubi Macedonii Principis habetur versus,

> Ἔπταρον ἄγχι τάφοιο.
> *Sternutabam prope sepulchrum.*

Mox sequitur omen,

> Ἔπταρον εἰς ἀνέμους.
> *Sternutabam in ventos*,

i. e. *frustra.* Vide Joh. Brodæum *ad loc.* Contrà ad dextram audita *Sternutamenta*, faustum erant omen. Hinc Xenophonti *concionanti ad milites, felix inde auspicium, ut Imperator postea fieret, l.* 6. & Euphrantides eôdem omine confirmatus, Themistoclem hortatus est, ut prælium capesseret, Ἅμα δὲ πταρμὸς ἐκ δεξιῶν ἐσήμηνε. Ipse verò Themistocles, in sacrificiis solennibus *sternutans*, certa hinc victoriæ argumenta cepit, captivosque immolavit, apud Plut. *in ejus vita.* Similiter apud Theocritum *Eidyll.* 18. itineris eventum ex hoc omine venatus est quidam,

> ----- Ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
> Εἰς Σπάρταν.
> ----- *Bonus quispiam adsternutavit eunti tibi*
> *Spartam.*

Vide quoque Homer. *Od.* ρ. & alibi. Cur autem id creditum, ratio est, quòd communiter *Sternutamentum* σωτηριῶδές ἐστι, unde prædictus Euphrantides mox addit, ἔστι γὰρ σωτηρία τε καὶ νίκη τοῖς Ἕλλησι. At quàm hoc ineptum & frivolæ plenum superstitionis! Egregiè Joh. Sarisberiens. *de Nugis Curial. l.* 2. *c.* 1. *Quid enim refert ad consequentiam rerum, si quis semel aut ampliùs sternutaverit.* Inter ipsos proin Græcos sapientiores vanum hoc omen riserunt. Unde Timotheus, celebris belli Dux, cùm militem, dum navem conscendebat, *sternutâsse*, atque hinc à Nauclero, ne conscenderet, absterritum, audisset, in cachinnum solutus, ποῖον γὰρ

αἰτ-

[illegible], inquit, [illegible]. Ipse à dextris [illegible] in Duce quodam veteri milites ad prælium incitante, tam dirus ac infaustus habitus fuit, ut imminens malum non aliter, nisi solenni supplicatione, averti posse arbitrarentur, apud Franc. Roslæum *Archæol. Attic. l. 7. c. 2.* Fuit verò *Sternutatio*, inter omnia strictè sic dicta tria, quæ erant [illegible], i. e. *Salissatio*, [illegible] i. e. *Sternutatio* & [illegible] i. e. *Tinnitus aurium.* Vide Jos. Scaligerum *Ausonian. Lection. l. 1. c. 16.* Thom. Dempster. *Paralipom. in Joh. Rosin. l. 3. c. 8.* Alios: ex Veteribus inprimis Aristotelem *Problemat. sect. 33. c. 11.* Adde Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. l. 3. c. 30. §. 3.* ubi morem Christianorum *sternutanti* bene precantium his verbis, *te Deus adjuvet*, arcessit ex morbo epidemio, tempore Pelagii II. Pontificis Romani oborto, quô correpti cum *sternutatione* plerunque animam exhalaverint. De *sternutante* oryge, in ortu Caniculæ, vide Salmas. *ad Solin. p. 473. & 474.* ubi & *sternutantes* non solùm ab aliis salutatos, sed etiam Deum sibi ipsos propitium precatos esse & adoràsse, observat. Ut de Hebræis aliquid aspergam, & illi *sternutantem* salvere jubebant, dicentes [illegible], i. e. *Medicina, Salus sit tibi* vel [illegible] quod idem. Fingunt nempe Magistri, morbum quendam, quem vocant [illegible], h. e. *anginam*, primitùs familiarem fuisse infantibus die quartô à nativitate; unde eô die parentes jejunare solebant, ut morbum hunc ab infantibus deprecarentur. Posteà volunt etiam adultos corripuisse, atque strangulàsse, maximè in sternutatione, unde moris origo, ut sternutanti apprecarentur, quæ diximus. Jac. Ouzelius *Animadversion. ad Minucium Fel.* ubi varia in hanc rem, de sententia inter alia Plutarchi, [illegible] fuisse Socratis Dæmonium asserentis, quam suprà indigitavimus, lectu non injucunda.

STERO, vide *Henricus.*

STEROPE, Atlantis filia, una Plejadum, quæ Marti Oenomaum peperit. Hygin. *Fab. Poët. c. 15.*

STEROPES, unus ex Vulcani ministris, à *fulmine* nomen habens. Vide *Brontes.*

STERPINIACUM, villa olim Galliæ publica & fiscalis, in Veliocassibus Normannis, trans Ittam, non procul à Gisortio ac Gamapio: Vulgò *Estrepigni*, aliàs *Estrepagni.* A Dagoberto Rege Monasterio Beati Dionysii data. Est & *Sterpiniacum*, vicus in confinio Parisiorum & Senonum, ad Junnam fluvium, inter Bonnam vicum & Stampas, vulgò *Estrechi*; ab Anselmo & Haimone Mauriniacensi monasterio datus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

STERZER, inter nomina Waldensibus afficta, occurrit apud Reinerum *de Waldensibus.*

STERZINGA, oppid. Comitatus Tirolensis ad *Ulze* fluv. ubi dives vena metalli, & cultri ensesque eximii. *Metel.*

STESIARUS, Molossiæ mons. Vibius Sequ.

STESICHORUS, poëta Lyricus ex Himera Siciliæ urbe, à qua Himeræus dictus est, Olymp. 42. Nomen suum obtinuit ab eo, quòd primus cum citharæ cantu chorum conjunxerit, nam verò nomine *Tisias* dicebatur. Hic cùm aliquando acerrimô carmine in Helenam, tanquam belli Trojani facem, esset invectus, à Castore & Polluce luminibus dicitur orbatus, aliôque rursus carmine cantatâ palinodiâ visum recepisse. Philostratus *l. 6. c. 4.* Ejus fragmenta solùm quædam supersunt: Cæterùm stylus ejus sublimis, & majestate plenus fuit, ut ex *Horatio*, *Dion. Halicarnass.* & *Quintiliano* patet. Vide Euseb. *in Chron.* Suid. *in Lex.* Lil. Giraldum, *Hist. Poët.* Voss. *de Poët. Græc. c. 3.* Horat. *l. 4. Carm. Od. 9. v. 8.*

Stesichorique graves Camenæ.

Vide inprimis Quintilian. *l. 10. c. 1.* Hujus tumulus, *S. Maria di Betlem* hodie, Fazello, locus Siciliæ, apud Catinam urbem. *Nic. Lloydius.* Illius Sepulchrum octo columnis insigne fuit, unde in tesserarum certo quodam genere, *Stesichorius jactus*, dicebatur, qui ex 8. numeris constabat. Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l. 2. Sect. 3. c. 13.* Qua de re sic Jul. Pollux in explicatione ludi taxillorum *l. 9. c. 7.* *Tum & Stesichorus nuncupatur quidam in astragalorum ludo numerus, qui octonarium significat; Poëtæ enim hujus in Himera sepulchrum, ex octonis omnibus compositum, peperisse tradunt,* [illegible], *parœmiam.* Quem numerum declarans Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l. 20. c. 7.* infit, *Quin & in talorum ludo numerus quidam* Stesichorius *dicebatur, qui non alius erat, quàm octonarius; Quoniam ejus Poëtæ conditorium, magnificè extructum impendiô ex octonis constabat omnibus, angulis videl. columnis, gradibus. Fuit in Himera, Siciliæ civitate, alii in Catana scribunt.* Vide Fortun. Licetum *de Lucernis l. 6. c. 1.*

STESICLIDES, Atheniensis, laudatur à Laërtio *in Xenophonte:* [illegible].

STESILEA, mulier admodum eleganti vultu, rarâ pulchritudine, cujus spectabilis forma causa fuit litium inter Aristidem & Themistoclem, qui eam amabant. Plutarch. *in Them.*

STESIMBROTUS, ab Epaminonda patre Thebanorum duce interfectus est, quòd contra mandatum patris cum hostibus Lacedæmoniis manum conseruisset, quamvis partâ victoriâ, *Plut.*

STESIMBROTUS, Historicus, scripsit res gestas Cimonis ducis Atheniensium, Plut. *in Cim.* Vide Voss. *Hist. Græc. l. 4. c. 7.*

STESIMBROTUS, Thasius, *citharâ canere, ad chordarum sonum, à Dionysio edoctus est*; ut & Epaminondas. Cornel. Nepos *in ejus vita c. 2.*

STETINUM, seu STETTINUM, urbs German. permunita, Pomeraniæ citerioris caput, quæ ex vico post Vinetæ excidium in urbem maximam crevit; vulgò *Stetin*, ad Viadrum fluv. sub Sueciis, 8. leuc. ab ora maris Baltici in Meridiem 4. à confinio Marchiæ Brandeburg. 9. ab Usedomia in Eurum. Ibi aliàs sedes Ducum Pomeraniæ in arce elegantis structuræ. Urbs Hanseatica est. Stetinum olim nactus Otto, Barnimi I. filius *Stetinensem* lineam, ficut frater ejus *Bogislaus IV.* Wolgastensem, orsos, bellum adversus Megapolitanos & Ludov. dein Bavarum Electorem Brandeburg. habuit: Pater Barnimi Magni, successoris A. C. 1345. qui bellô sæpius victor, tandem tamen in casum deficientis prolis, Brandeburgicis successionem addixisse legitur. Ei mortuo A. C. 1360. successere filii Bogislaus VII. Casimirus IV. & Suantiborus II. huic A. C. 1413. Otto II. & Casimirus VI. Casimiro A. C. 1433. Joachimus, in cujus filio Ottone III. extincto ramo A. C. 1464. bellum acre inter Brandeburgicos, & agnatos Wolgastenses exarsit: quod his conditionibus compositum est A. C. 1471. ut *Stettinensem* Ducatum Pomerani à Brandeburgicis in feudum acciperent, servatis insignibus, titulô & quæ occupaverant locis, quæ transactio à Friderico Imperatore confirmata est. Pædagogium *Stettini* fundavit Barnimus X. Pius, qui obiit A. C. 1573. Rex dein Sueciæ A. C. 1630. vim ante *Stettinum* ostentans, à Bogislao totius familiæ ultimo, ut reciperetur, obtinuit: quô sine hærede mortuô, cùm ex antiquo pacto ad Brandeburgicos successio devolveretur, pace Monasteriensi citerior Pomerania, in qua *Stettinum*, Suecis cessit, Marchioni ulterior, cum aliis quibusdam, æquivalentiæ nomine, data est. Vide Phil. Jac. Spenerum *in Fam. Wandalica*, Tob. Pfannerum *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus, c. 4.* ubi *de Gente Brandeburgica*, & suprà in voce *Pomerania.*

STETTINUM Novum, oppid. Pomeraniæ ulterioris sub Electore Brandeburgico. Pessimè habitum bellô Germanicô à paucis inhabitatur.

STEUCHUS Augustinus, Eugubinus sive Iguinus (quæ ejus fuit patria insignis, in Umbria, *Possevin.*) Canonicus Regularis Congregationis S. Salvatoris, Romani Pontificis Bibliothecarius, Episcopus Kisamus, celebris inter suos fuit Theologus. Extat ejus *Recognitio V. T. ad Hebraicam veritatem. Annotationes in Pentateuchum. In c. 3. Genes. Expositio, Enarratio in Jobum*, item *in Psalmos à primo usque ad 138. inclusivè* &c. Prodierunt Opera 3. Tom. in fol. Parisiis A. C. 1576. 1578. & Venetiis A. C. 1591. E quibus *Recognitio*, item *in Job & Psalmos Enarrationes*, nisi corrigantur, prohibentur. James. *Linguas, Latinam, Hebræam, Arabicam, Syriacam, Scientias omnes, Philosophiam inprimis & Theologiam, perdidicit*, Possevin. *Vir æternâ dignus memoriâ, & Italiæ verum ornamentum*, Eidem.

STEUNOS, Phrygiæ antrum. Pausan. *in Achaicis.*

STHENELUS, Argivorum Rex III. patri Crotopo successit, per annos 11. ac regnum Gelanori filio reliquit, Pausan. *l. 2.* Vide *Crotopus*, it. *Gelanor.*

STHENELUS, Mycenarum Rex à Perseo quintus, ex Astydamia Pelopis filiâ successorem habuit Eurystheum, cujus jussu Hercules, Alcmenâ Electryonis filiâ genitus, tot agones exantlavit. Thucyd. *l. 1.* ipse verò Electryoni successerat; regnavit ann. 8. Euseb. *Chron. Pausan. Apollodorus*, Joh. Marshamus *Canon Chron. ad Sec. XI.*

STHENELUS, Actoris fil. unus ex iis, qui Herculem expeditione contra Amazonas sunt comitati; è bello rediens ab una Amazonum sagittâ interemptus ac in Paphlagoniæ litore sepultus est. Cùm Argonautæ illac iter facerent, à Proserpina impetravit, ut sibi ad heroës illos videndos, exeundi ex inferno copia fieret. Quô apparente & statim evanescente, Mopsus vates Argonautas monuit, ut ad litus applicarent, eique justa solverent.

STHENELUS, Capanei & Euadnes fil. unus ex Græcorum ducibus, qui bello Trojano interfuerunt. Hunc Virg. *Æn. l. 2. v. 261.* inter eos annumerat, qui lignei equi alvo fuerunt inclusi. Sic enim inquit:

Thisandrus, Sthenelusque duces & dirus Ulysses.

Hujus elogia habes *in Heroicis* Philostrati. Illud maximum, invitè illum inclusum in hanc machinam. Verba Philostrati hæc sunt: [illegible]. Horat. *l. 1. Carm. Od. 15. v. 23.*

Urgent impavidi te Salaminius
Teucerque & Sthenelus sciens pugnæ.

Idem *l. 4. Od. 9. v. 20.*

—— Non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus
Dicenda Musis prælia: ——

Fuit alter ejusdem nominis, quem, in concione Agamemnonis, refert Homerus Persei filium fuisse ex Andromedâ conjuge. Hinc *Stheneleius* Ovidius *Ep. 9. Heroid. v. 25.*

Quem non mille feræ, quem non Stheneleius hostis, &c.

Idem *Met. l. 2. v. 367.*

—— Proles Stheneleia Cycnus,

Nic. Lloydius.

STHENELUS, Tragicus actor & mimus, eò penuriæ adactus, ut choragium vendiderit. Aristoph. *Crabron.*

STHENELUS, vide quoque *Narses.*

STHENIPPUS, Lacon, mulctatus pecuniis ab Ephoris, fictè ad Tegeates transfugit. Quibus eum recipientibus, quasi justam iræ causam habentem, corrupit, qui Principi eorum adversabantur, Aristocli; iisque sociis usus inter pompam sacrificare eum volentem aggressus occidit. Polyænus *l. 2. c. 26.*

STHENIUS Jupiter, i. e. potens, apud Argivos colebatur.

STHENOBOEA, Præti Corinthiorum, aut, ut alii malunt, Argivorum Regis, uxor, filia Jobatæ Regis Lyciorum, quæ Bellerophontis amore capta, cùm repulsam tulisset, apud virum eum detulit, tanquam vim sibi afferre voluisset.

STHENOCRATES, Atheniensis, socius conjurationis, quâ Heraclidem Demetrii præfectum trucidare & Athenas præsidiô liberare tentabant, ab Heraclide oppressus & occisus. Polyæn. *l.* 5. *c.* 17.

STHENYO, una ex filiabus Phorci, & belluæ marinæ, Medusæ soror, & Euryales.

STIBADIUM, Græcè Στιβάδιον, torulus fuit è gramine, herbis frondibus seu floribus stipatus, à στείβω, *Hesych.* Στιβὰς ἀπὸ ῥάβδων ϗ χλωρῶν χόρτων στρῶσις ϗ φύλλων, ὁ Χαμεύνιον, *Stratum è frondibus, viridique gramine, ac foliis constructum & lectus humi positus.* Unde alibi apud eundem, Χαμεύνη εὐνὴ ϗ ταπεινὴ κλίνη, *Thorus & humilis lectus.* Stratum enim pauperum erat, eadem proin alibi iterum κλινίδιον πενιχρόν, *lectulus pauperrimus*, appellatur. Sed & Ascetarum fuisse, diximus in voce *Somnus. Isidorus Camam* vocat, cùm ait: *Cama est brevis lectus & circa terram; Græcè enim* χαμαὶ *humi dicunt*; hincque tunicas lineas interiores *Camisias* dici tradit, *quod in his dormimus in Camis.* Verùm non *Camas*, sed *Cameunas* Græci, strata istiusmodi humilia, & lectulos humo propiores vocârunt. Vide Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. Part.* 1. *l.* 3. *c.* 5. Inde *Stibadium* tricliniare: de quo sic Martialis *l.* 14. *Epigr.* 87. cui tit. *Stibadia*,

Accipe Lunatâ scriptum testudine Sigma,
Octo capit: veniat quisquis amicus erit.

Ubi cùm *Stibadium* idem faciat cum *Sigmate*, Vide hanc vocem suprà: & quia in Triclinii locum successère *Stibadia*, *Antiqui enim Stibadia non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur, unde & Triclinium sterni dicebatur*, Servius *ad Æneid. l.* 1. *v.* 701. quoque infrà, in voce *Triclinium.* Aliter *Accubita* quoque Stibadia, dicta sunt, Græcis ἡμικύκλια, Latinis etiam hôc sensu *hemicyclia*, à forma scil. lunata seu semicirculari. Unde *Apulejus semirotundum suggestum* vocat &c. qua de re vide Salmas. *ad Lamprid. in Heliogabalo passim.*

STIBIUM, inter ea, quæ in argenti metallis inveniuntur, memoratur Plinio *l.* 33. *c.* 6. *Spumæ lapis candidæ nitentisque, non tamen translucentis stimmi appellant, alii stibium --- duo ejus genera, mas & fœmina --- vis ejus adstringere & refrigerare, principalis autem circum oculos, namque ideo etiam plerique platyophthalmon id appellavère, quoniam in calliblepharis mulierum dilatet oculos.* Nempe sicut ad ruborem genmis conciliandum anchusæ radice mulieres antiquæ utebantur, sic nigrô *stibii* pulvere supercilia rasa circumducebant & in arcum formabant, sicque oculorum spatium velut producebant, id quod inter pulchritudinis priscæ præcipua reputabatur momenta, ut ex epitheto Junonis Homerico βοῶπις liquet. Hinc Ion *in Omphale*, stibium ὀμματογράφον vocat,

Καὶ τὸν μέλανα στίμμιν ὀμματογράφον.

Et *Hesychius* ὀμματογράφον, interpretatur στιμμίζοντα ὀφθαλμοὺς &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1148. & Dalechampium *ad Plin.* Et hæc *fuligo* est, *Tertulliano*, *Arnobio*, *Juvenali* memorata locis suprà citatis in ea voce. *Fucor*, in illis Cypriani *de Habitu Virg. oculos circumductô nigrare fucore.* Unde *oculos stibiô fuliginatos* legas apud Hieronym. *de Viduitate ad Furiam Tomo I. Ep.* 10. *c.* 11.

STIBOETES, vide *Zoobetes.*

STICA, apud Catonem, *c.* 70. ubi de quadam medicamenti compositione, quæ bubus paratur: *Si morbum metues, sanis dato salis micas III. folia laurea III. porri fibras III. ulpici spicas III. alii spicas III.* Plinio *nucleus*, Græcè ἄγλις & γέλγις, tunica est. Στίχος enim & στοῖχος series dicitur rerum inter se junctarum, & continenter invicem hærentium, unde στοιχή, pro tunica corpori adhærente & ex eo Latinum *Stica.* Sic Græci recentiores στίχιον & στιχάριον passim pro tunica usurpant, inprimis cùm de vestitu Sacerdotali agunt, uti docet Salmas. *ad Tertullian. de Pallio.* Vide quoque eum *ad Solin. p.* 1062. & hîc infrà. Apud Scriptores citimæ ætatis, Anglos potissimùm, *Stica* certus numerus anguillarum est, Angl. *istlicke*, Car. du Fresne *Glossar.*

STICHARIUM, Dominico Macro tunica est Episcopalis, quâ Græci in sacris functionibus locô albæ utuntur; Quam sericis rubeis albisque fasciis virgandam esse, ait Sim. Thessalonicensis, vide quoque Gregoram *l.* 6. *c.* 1. quô quid significatum velint, vide apud eundem Macrum *in Hierolex.* ubi addit, Episcopos & Diaconos Græcorum, in Quadragesimali & mœstitiæ tempore, *Sticharìo* rubri coloris uti, ex *Demetrio Chomateno.* De nominis origine dictum suprà. In optimo *Glossario Strictoria* dicuntur στιχάρια, quòd ad corpus *stringerentur* hujusmodi tunicæ; hinc infimis Græcis στιχάρια vel στιχαρίδια. Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano, c.* 46. Eundem de Στιχολόγοις, quâ voce Mimi insigniti, Vide ibidem suprà.

STICHOMETRIA Veterum vide suprà *Linea.*

STIFELIUS Michaël, Eslingensis, Minister Euangelii in Saxonia & Prussia, scripsit *Arithmeticam*, cui præfationem Melanchthon addidit. Obiit A.C. 1567. Jenæ, ætatis 30. Thuan. *Histor. Quenstedius*, *Possevinus*, Jos. Blancanus, qui ejus Arithmeticam & Algebram mirè laudat, *Mathem. Chronol. p.* 62. & Spondanus *ad A.C.* 1555.

STIGMATIÆ, dicebantur olim Servi fugitivi, qui è fuga retracti *stigmatibus* notabantur. Qui mos quàm antiquus, ex Herodoto *l.* 7. discimus, ubi *stigmata* Xerxem Hellesponto inussisse, præter alias serviles pœnas eidem inflictas, tradit: Et confirmat idem, apud Eundem *l.* 5. capitalis ille Tabellarius ab Histiæo ad Aristagoram missus; Artemisiæ item tropæa apud Rhodios, de quibus vide Vitruvium *l.* 2. *c.* 8. Imò & *Phocylidem* legimus præcipientem.

Στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονείδιζον θεράποντα.

Et his notis insignes fuisse videntur Pagasæi servi, quos Hermippus apud Athenæum *Deipnosoph. l.* 1. recensuit. Id autem *inscribere* dixit Ausonius *Epigr.* 15. unde *facies inscripta*, apud Claudian. *l.* 2. *in Eutrop.* Locus inustionis fuit frons, uti monstrat Lucianus *Reviviscentes*, qui fugitivos nescio quos Philosophos, typô vulpis aut simiæ, censet in ea parte vultus inuri debere. Diphilus quoque *Deipnos. l.* 6. quendam insectatur, qui comam se alere Deo dicebat, ut capillis promissis obvelaret frontem inustam. At quænam hæ notæ? Fuerunt qui statuerunt Φ. & F. quod utique non improbatur. Illud injicit scrupulum, quòd *Petronius* narrat, Eumolpum implevisse frontes Encolpii & Gytonis ingentibus literis, quas appellat *notum fugitivorum epigramma.* Val. certè Maximus memoriæ prodidit, servum Restionis inexpiabili literarum notâ, per summam oris contumeliam inustum; ubi vox illa *literarum* minus aptè ad unicum Φ. vel F. videtur posse referri. Nec eximit scrupulum Martialis *l.* 2. *Epigr.* 29. *v.* 9. ubi invehitur in quendam, qui ex servili conditione pervenerat ad equestrem dignitatem, insigniaque equestria gerebat. Ita autem de illo, inter alia,

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem,
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

Splenia profectò numerosa videntur adhibita, ut contegerent numerosas inscriptas literas; nec repertâ literâ Φ. vel F. frontem implêsse verisimile est; sed potiùs inscriptionem hanc fuisse conceptam illis verbis, quæ in eorum collaria & æreas lamellas incisa Romæ hodieque visuntur. Cùm enim Constantinus Aug. ad normam ejus, quam profitebatur, humanitatis, vetuisset in facie noxiorum inscribi, quòd dedeceret faciem maculari, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis esset figurata, non defuerunt leves domini, qui obicquerentur, & frontis contumeliam in prædicta transferrent. Collaria enim fuisse apta fugitivis, testatur & Lucilius apud Nonium;

Cum Manicis, Catulo, Collarique ut fugitivum.
Deportem.

Et est Collare apud Læl. Paschalinum Romæ cum hac inscr. *Tene me quia fugi, & revoca me domino meo Bonifatio Linario* A ☧ Ω. Apud eundem extat ærea lamella utrinque inscripta suntque illæ, quæ in ipsa adversa leguntur literæ non prominentes, sed incisæ & quidem non ineleganter; at quæ in eadem aversa conspiciuntur, in summa velut cute, cultelli acumine videntur exaratæ negligentiùs. Et ex hoc demum capite erat olim Collaris ferrei gestatio famosa, ut notat Metaphrastes in *Actis SS.* Martyrum Carpi, Papyli, Agathodori & Agathonicæ; ut quæ liberos homines dedeceret. Neque verò non poterant verba in fronte commodè imprimi, cùm Theophilus Imperator undecim versus Theophanis & Theodori fratrum frontibus inscripsisse legatur, apud Baronium *Not. in Martyrol.* Et hæ lamellæ clavis fortè capitatis ad collaria affigebantur, in indiciô suô fugitivos proderent. Quid autem sibi hæc nota ☧ in fronte Inscriptorum voluerit, vide Licetum *de Lucernis Antiqq.* & plura hanc in rem, apud Pignorium *de Servis.* Baron. *loc. cit.* & Hieron. Aleandrum *Comment. in Instit. Caji.* De illis ita Ausonius *Epigramm.* 15.

Pergame, non rectè punitus, fronte subisti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coerce,
Injustum, falsos excruciare reos.
Aut inscribe istam, quæ non vult scribere, dextram,
Aut profugos ferri pondere necte pedes.

Quomodo *Stigmata* delere conati sint, innuit Columella *l.* 10.

Ponitur & lactis gustum quæ condiat herba,
Deplexura quidem fronti data signa fugarum,
Vimque suam idcirco profitetur nomine Græjo, &c.

Sed & Milites Romanorum, priusquam matriculis eorum nomina insererentur, *stigmata*, in brachio vel manu, accipere consuevisse, patet ex L. Arcadii & Honorii: *Stigmata, i. e. notæ publicæ fabricensium brachiis, ad imitationem tironum infligantur*: more, ut videtur, à Græcis receptô, ad quem alludere Apostolum in *Epistolis* retro vidimus, ubi de *Signatis manu.* Mansit vox etiam recentiori ævô, de lemnisco nodato, vulgò *Las* qui Militi, post balneorum ceremoniam, longiori tunicâ induto, ad sinistrum humerum alligabatur, ut videre est apud Uptonum *de Militari Offic. l.* 1. *c.* 3. Ut de *stigmasi* reorum, item Clericorum graviter delinquentium, de quibus *cap. audiem. de crim. falsi*, nil addam. Vide quoque suprà, voce *Inscripti*, item *Literati.*

STILBA, genus lucernæ, vide suprà *Lucerna.*

STILBE, Nympha Lapitham filium ex Apolline peperit, à quo Lapithæ populi dicti.

STILBO, is qui Diodorum dialecticum mori coëgit, cùm ei lusorias quæstiones objiceret, Plin. *l.* 7. *c.* 53.

STILBON, Mercurii stella dicitur, i. e. *radians*, quòd ejus orbis splendeat.

STILICO, Vandalus, Dux copiarum Theodosii M. cujus ex fratre neptem Serenam in matrimonio habuit. Tutor Honorii, quem Pater Occidentis Imperatorem declaraverat, prosperè rem gessit, usu rerum & fortitudine inclytus: Hinc elatior. Gothos in Liguria vicit, A.C. 402. & Alaricum, qui per Ann. 30. Thraciam, Græciam & Illyrium vastaverat, in fugam conjecit: interim, cùm illum perdere posset, fœdere cum illo initô, elabi eum permisit. Posteà Radagisum superavit, Imperatori Mariam primò, dein Thermantiam, filias suas, elocavit: Tandem Eucherium filium ad Imperium evecturus, clam cum Barbaris amicitiam fovit, Athalaricum modò vicit, modò vincere permisit: Sed perfidiâ detectâ, Honorii jussu occisus est, A.C. 408. Eucheriô filiô

cum

ciam Serena strangulatô, quam Placidia Imperatoris soror Barbaros Romam invitâsse ostendit. Decreto Senatus nomen ejus ubique deletum, statuæque disjectæ sunt. Prosper & Marcellin. *in Chron.* Oros. *l.* 7. Claudian. *de Stilic.* Addo hic, quod tres libros Sibyllinos, post Sullanum incendium utcumque reparatos, quibus fortuna Urbis Populique contineri credebatur, uti supra diximus, aboleri idem præcepit, teste Lactantiô *de Ira Dei* c. 23. Sed & nummos eundem aureos, solâ formâ ab Imperatoriis discrepantes cudere ausum esse, notat Philostorgius *l.* 12. *c.* 2. *n.* 1. & hoc inter affectatæ ab eo tyrannidis signa reponit. Verùm ab Honorio potiùs, in locum Stilichonis honorem, & memoriam rerum ab hoc præclarè gestarum, factum id esse, contendit Car. du Fresne *Dissertat. de infer. ævi Numismat. num.* 63. De figura gemmis insculpta, repertâ in Mariæ filiæ ejus sepulchro, Imperatori modò dicto nuptæ, vide aliquid infrà, in voce *Vive.*

STILIO, Philosophus, inter præceptores Alexandri Sev. apud Lamprid. *c.* 3.

L. STILO, Nobilis Romanus, sine causæ dictione, jussu Severi Imperatoris, occisus, de quo vide Spartian. in *Vita* hujus. *c.* 13.

STILPÆ, urbs Siciliæ, *Stephan.*

STILPO, Megarensis Philosophus tempore primi Ptolemæi, discipulus Pasiclis Thebani; præfuit scholæ Megarensi, scripsitque *dialogos non minus* 90. *Suidas.* Tantâ eloquentiâ & gratiâ fuit ut omnes Philosophi ad eum certatim confluerent. Megarâ captâ, à Ptolemæo Sotere & Demetrio, magni fuit habitus. Caput Stoicorum. De hoc Cicer. *in l. de Fato: c.* 5. *Stilponem Megareum philosophum, acutum sanè hominem, & probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares & ebriosum & mulierosum fuisse. Neque hæc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrinâ, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit.* Vide & Diog. Laert. *l.* 2. Sen. *ep.* 9. & *de Const. c.* 5.

STILUS, vide *Graphium.*

STIMICON, vel STIMICHON, pastor quidam apud Virg. *Eclog.* 5. *v.* 55.

Jampridem Stimichon laudavit carmina nobis.

STIMULATI, vide suprà, *Majorenses.*

STIMULUS, apud Terentium *Phormione, Act.* 1. *sc.* 2. *v.* 28.

Nam quæ inscitia est
Advorsum stimulos calces,

supple *jactare?* κέντρα est Æschylo, *Agamemn. v.* 1620.

Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε ———

& Scriptori sacro Actorum *c.* 9. *versu* 5. & *c.* 26. *v.* 14. ubi eadem phrasis, non ex profanis tamen his Auctoribus, sed ex Mose, qui Æschylum mille circiter præcessit annis, desumta Deuter. *c.* 32. *v.* 15. Hebr. דרבן *dar'ban*, 1. Sam. *cap.* 13. *v.* 21. ubi Israëlitæ leguntur ivisse ad Philistæos, *ad aptandum stimulum*; item מלמד *malmad*, Judic. *c.* 3. *v.* 31. ubi Samgar *stimulô* boum sexcentos Philistæos percussisse legitur: quod utrumque à radice, *acuendi* & *fodicare* significante, ortum est. Græcè propriè βουπλὴξ, cujusmodi telis armatum Lycurgum Bacchi copias & nutrices, circa Nysam, fugâsse, ait Homerus *Il.* ζ. fabula ex Historia sacra forsan detortâ. Quamvis *hypemem* quoque sic vocet Oppianus *Halieut.* *l.* 5. *v.* 257. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 39. & suprà *Samgari.* Fustis est acutæ cuspidis, quô boves suppunguntur. Imò & equi; Unde Statius *l.* 1. *Silv.* 1. *v.* 39.

Cra stimulis accendat equum ———

Cujusmodi *Stimuli* quales fuerint, ostendit pictura Circensium, apud Philippum Rubenium *Elector. l.* 1. *c.* 30. ubi tres pari longitudine expressi cubitalem & ultra habuisse videntur. Inde per translationem, omne id, quô vexamur. Namque apud Romanos in crucem agendos, qui deducebantur ad eam non sine vexatione, per viam quoque stimulis agi pungique, inprimis quoties retrospicerent, aut obniterentur, consuevisse, testis est Plautus *Mostellar. Actu* 1. *sc.* 1. *v.* 52. apud quem conservo servus,

O carnificinum cribrum! quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si noster huc reveneri senex.

Ubi habemus *Stimulos*, idque in *patibulato* (ad furcam adstricto) & *per vias.* Idem *Asinar. Actu* 3. *sc.* 2. *v.* 4. jungit, cum cruce, *Stimulos, Laminas, Crucesque* & aliis meminit, sed sic, ut seorsim eos fuisse intelligamus, inter cruciatus & tormenta, sicut laminas & ignes. Pictores quidam asserculum sive tabellam imæ CHRISTI vesti appingentes, quæ clavis præacutis confixa pedibus calcibusque euntis illidatur, fortè ad hanc *destimulationem* alludere voluerunt: quæ tamen *Stimulis* aliis facta, quos oblongos, sive è sudibus præacutis & ferrô præfixis, gestabant ad hunc usum. *Sed nisi ea Pictorum mens, ipsi vidento: ego inventiuncula ejus nec auctor sum, nec interpres*, inquit Lipsius de Cruce *l.* 2. *c.* 6. Vide quoque Plut. *in Coriolano.* unde phrases ortæ, *Stimulô fodere*, Plaut. *Curcul. Actu* 1. *Sc.* 2. *v.* 40. & *Stimulos pugnis cædere*, Idem *Truculent. Act.* 4. *Sc.* 2. *v.* 55. Interim non desunt, qui hoc pœnæ genus, *Stimuleum supplicium* Plauto *Milit. Actu* 2. *sc.* 6. *v.* 31. dictum, non tam publicâ, iis qui in crucem agendi erant, quàm privatâ auctoritate, ab heris adhibitum fuisse servis nequam, ut ad frugem redirent, contendant, Namque tali pœnâ affectum servum, per contemtum, à conservis *carnificinæ cribri* hinc dictectum tulisse, supra ex aliquoties jam memorato Comico ostendimus. Quòd si verò placet, publicæ id pœnæ genus agnoscere, videtur id in fures, antequam crimen confiterentur, fuisse exercitum, ut sic veritas eliceretur: unde *Centrones* illos appellatos legimus, à κέντρον, i. e. *Stimulus.* Vide Cœl. Rhodig. *Antiquar. Lection. l.* 10. *c.* 5. & Thom. Godwynum *Anthrop. Rom. lib.* 3. *Sect.* 3. *c.* 4. nec non suprà voce *Centones.* Apud Poëtas ad quemvis affectum denotandum, vox adhibetur. Unde veterem picturam Christianam, ubi, repræsentatis Inferis, iracundum hominem quatuor dæmones, in pœnam tam facilè apud Superos motæ *iræ*, distimulent, memorat Barthius *ad Stat. Theb. l.* 11. *v.* 497. Impulsiones item divinas. Virgilius *Æn. l.* 7. *v.* 405.

Reginam Alecto stimulis agit undique Bacchi &c.

Vide eundem Barthium hanc in rem multa afferentem, *ad Musam*, ut & suprà ubi de *Bubulis.*

STIPA, ex Græco στοιβὴ, unde *stoepa* & *stupa* primitùs, Latinis est ἡ στοιβὰς, quidquid nempe componendis vasis interponeretur, in navi, ut firmiùs hærerent. Servius *stipant, densant, translatio est à navibus, in quibus stuppa interponitur vasis, quam stipam dicunt.* Et stuppâ quidem plerumque ad hanc utebantur, sed & aliis nonnunquam rebus, ut fœnô & palea. Nec stuppa idem planè cum *stipa* est, quippe ex Græco ὁ στύππος originem trahens. Porro palea fœnumque *stipa* dicebantur, quâ amphoræ firmari solent, cum extruuntur; *etiam stipites*, inquit *Festus*, *qui ob eam rem destituuntur.* Ad quam rem tortô fœnô uti consueverunt Figuli. Ut plurimum verò fiebat στοιβὴ ex scirpo vel papyro, quam Græci φλέων appellant, undè & hanc στοιβὴν, *stoeben* quoque Plinio, *l.* 22. *c.* 21. cujus ad comprimenda & stipanda vasa fictilia & amphoras, texta item conficienda, quæ fictilibus olearis circomponerentur, multus fuit usus. Unde & spinæ genus, quod aliàs Græcè φέως & ἱππόφεως, στοιβὴ quoque appellata est, quòd eâ in acervum compositâ fullones vestimenta pectebant &c. Quam in rem vide Salmas. *ad Solin.* 1001. 1062. &c. Hinc *stipare*, implere est, farcire, densare. Græcè πυκνοῦν. Ut *stipare calceum multiformem*, apud Tertull. *de Virgin. vel.* Apud eundem *de Pallio c.* 3. *in angustias se stipare* i. e. infercire se & insulcire in angustias &c. Indeque *Stipatores* dicti Servio, qui in navibus componebant, h. e. qui vasa in naves illata compositè ordinabant ac densabant, interjectis, ut firmiter omnia cohærerent, stuppis, paleâ, fœnô. Idem Salmas. *ad Pallium Tertullian. d. l.* Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 465.

——— *stipatque carinis*
Ingens argentum ———

STIPATORES Inquisitorum, in Eccl. Rom. milites dicuntur; qui Inquisitori ad inquirendos & puniendos hæreticos auxilium & comitatum præstant: inde *Familiares* vulgò, velut ex Inquisitoris familia; in aliquot Italiæ provinciis *Cruce-signati*, in aliis *S. Petri Martyris Scholares*, dicti, ac cruce in extima veste insignes. Eorum officium & immunitates prolixe describit Jac. Simancas Pacensis Episc. *de Catholicis institutionibus tit.* 41. §. 15. Numerum quod attinet, illorum in Toletana civ. ab Inquisitoribus eliguntur 50. Hispali 50. in regno Granatensi, 50. in Cordubensi, & Conchensi & municipio Valdolitano, 40. in Calagyrria & Ilerena 25 in quolibet oppido trium millium municipum 6. in singulis aliis quingentorum, 4. in vicis minoribus, 2. in vicis verò maritimis & limitaneis, 4. Vide Phil. à Limborch *Historiâ Inquisit. l.* 2. *c.* 9. & suprà voce *Crucifere.*

STIPENDIARIÆ, provinciæ olim dictæ sunt, quæ Romanis vectigal *seu stipendium* pendebant: exceptis civitatibus iis, quæ propter merita sua aut immunitate aut libertate donatæ, atque in Amicorum formulas relatæ essent. Cùm enim unius regionis populi ac civitatis non eôdem modô se adversus Popul. Roman. gessissent, nec omnes eôdem pactô tractatæ sunt, verùm pro suis quæque meritis leges à Victore acceperunt. Quô factum, ut in devicta provincia civitatum quædam vectigales, aliæ immunes, quædam servitute affectæ, aliæ libertate donatæ sint. *Vectigales* dictæ, quibus vectigal aliquod seu tributum impositum est; *Immunes*, quibus nullum; *Servitute affectæ*, quas Magistratui Rom. parere voluerunt; *Libertate*, quas ab ejus jurisdictione solverunt. Vectigal porrò ipsum, aut certum fuit, aut incertum. Certum definita ferè *Stipendii* summa erat, quam domatim quotannis, pacis quoque tempore, pendere tenebantur, dicebaturque propriè *Stipendium*, sive *Tributum*, & qui hoc pendebant, *Stipendiarii* sive *Tributarii*: Incertum, propriè *Vectigal* nuncupatum, portubus rebusque venalibus, pascuis agrisque constituebatur, unde & *Portorium*, quod ex portubus: *Scriptura*, quod ex pactione pascuorum publicorum, & *Decuma*, quod ex agris, dictum. Meminit hujus rei Turnebus *Adversar. l.* 1. *c.* 11. *Latini coloniæ jus civitatis, suffragii & Magistratus capiendi, si in sua Colonia Magistratum gessissent, habebant. Italicis autem jus civitatis & suffragii nullum erat, immunes tamen erant, nec tributum aut* Stipendium *pendebant, ut solebant provinciæ.* Vide quoque Sigonium *de jure Rom. l.* 1. *c.* 16. & Rosin. *l.* 10. *c.* 22.

STIPENDIUM, à STIPE dictum, quòd *æs quoque stipem dicebant: Nam quod asses libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant.* M. Varro de *L. L. l.* 4. & verbo *pendo*, quasi *Stipipendium*, quod ante nummum signatum Quæstores *stipem* militibus appendere solebant, non numerare: Unde non aliter militibus, quàm ad stateram antiquitus divisa stipendia sunt. Fuit propriè æs militare, quod militi semestre aut annuum dabatur, teste eôdem Varrone *de vita* Pop. *Rom.* ὀψώνιον *quoque dictum*, *Obsonium militare* quoque dictum, eò quòd non semper æs aut pecunia, sed aliquando & panis ac obsonium *Stipendii* locô erogabatur. Hinc *Obsonii* vocabulo pro *Stipendio* utitur Polybius *l.* 2. quam rem discusserunt egregiè Justus Lipsius *Elect. l.* 2. Car. Sigonius *de antiquo jure Civ. Rom.* Joh. Stadius *Not. ad L. Florum*, Andr. Tiraquellus

quellus ad *Alex. Neapolit. l. 6. c. 22.* &c. Imò & *Stipendium* posteà annus dictus est quilibet, ab anno ætatis decimo septimo, usque ad quadragesimum secundum vel juxta alios, sextum, quòd eò temporis intervallò in bello mererent. Annò enim præfatò, qui primus erat post prætextam positam, militiæ adscribebantur, tenebanturque permanere per annos 25. continuos, quod illi, qui de iis scripserunt rebus, *Stipendia* vocant. Servius ad *Æn. l. 7. v. 614. ipse vocat pugnas completa stipendia, i. e. militiæ tempora.* Hinc Polybius *l. 6. Peditem, ait, nisi necessitate Resp. non posse cogi, ultra 46. annum, E, [illegible] ultra 10. Stipendia.* Vide quoque Livium *Dec. 3. l. 5. in longinqu.* [illegible] meminerunt, quorum unus Moguntiæ ita habet, apud W. Lazium *Comm. Reip. Rom. l. 5. c. [illegible] L. Julio Flaviano. Cornicularis. leg. XXII. p. p. p. f. Stipendium. 17. qui. vixit. ann. 35. mensib. 11. dieb. 25. Circia. Chrysis. conjugi. incomparabilis. pietatis* &c. Ab initio autem milites Romani *Stipendium* non meruère, sed de suo quisque eò munere functus est. Annò demum 347. Anxure Volscorum oppidò captò ac direptò, pedites primum *Stipendium* acceperunt, & trienniò post, bellò Vejenti etiam Equites, Liviò teste, *l. 5. c. 7.* Et *Polybius* quidem, diurnum Peditis stipendium *obolos duos* statuit, Centurionis *duplex*; Equitis *drachmam*, quæ eadem ferè Græcis, ac denarius apud Latinos. Oboli autem duo supputante Lipsiò *Elect. c. 2.* faciebant asses Romanos tres: vile profectò vitæ pretium, pro quo tot adire labores ac pericula cogebantur, & de quo vestes etiam atque frumentum comparanda erant. Horum enim quicquam si à Quæstore accepissent, tantundem de pecunia detractum esse, docet Polybius *l. 6.* donec tandem C. Sempronius Gracchus Tribunus Plebis lege cavit, ut vestis è publico militi daretur: &, ut nihilominus pecuniam quoque totam acciperet, uti dicimus ex Plut. *in Gracchis*, existimatque Just. Lipsius, etiam de frumento priori aliquâ lege gratiam factam esse. Post aliquod tempus, C. Jul. Cæsar, ut Sueton. scribit, *c. 26.* legionibus *Stipendium* perpetuum duplicavit; quod Lipsius sic interpretatur, constitutum fuisse à Cæsare stipendium *6. aut 7. assium.* Ejus Successor Augustus, *constitutâ Rep. & Imperii jam certus, quidquid ubique militum esset*, verba sunt Suetonii, *c. 49. ad certam Stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit.* Formula Augusti latior Juliâ, videl. in diem *deni asses*, ita ut menstruum militis sub Augusto esset circiter 25. denarii, i. e. aureus unus Roman. monetæ nostræ aurei duo. Ab Augusto, quis stipendium militum auxerit, incertum. Lipsius Caligulam vel Claudium addidisse alterum aureum, tertium fortasse additum per bella civilia Vitellii & Othonis: quartum etiam à Domitiano, autumat, de quo ita Sueton. *c. 7. Addidit & quartum stipendium militi, aureis ternis*, ut legi vult præfatus Vir eruditus. Sic Rosinus *l. 10. c. 25.* Gronovio, *Stipendium* militare, ante Julium 5. *asses* in diem erant, ut agnoscit *Polybius*: postquam 2. *asses dodrans*, primum fuêre *Stipendium* bellò Vejenti, arctis etiamnum publicis privatisque opibus, sicque Pediti mille æris annuum collatum. Secundum, quod 5. assium esse diximus, in ære priore multò recisius fuit; binas enim libras & novem uncias æris prius continebat diurnas: sed amplius ratione formarum signatarum, quæ tunc valebant, & argenti, cui exæquabatur; sestertium enim faciebat & assem, quùm prius sestertium & quadrantem. Ita nec miles querebatur, qui cùm accipere solitus esset undecim quadrantes, denarii partem quartam & quadragesimam; nunc accipiebat quadrantes 20. denarii propemodum tertiam: & Resp. lucrabatur, quæ, quod fuerat *Stipendium* militis unius, eò jam undecim tuebatur, assibus ad semuncias redactis. Tertium, quod Julio debuerunt dominationis Auctori, *quini alii ad pristinos quinos asses* adjecti. Quartum addidit Domitianus, *Stipendium militi aureos ternos*, super novem, quos habebat annuos, sive singuli sint additi pensionibus quadrimestribus, sive terni fuerint quater dati trimestris. Unde Lipsium *in Mil. Rom.* rem à Julio motam hîc non stetisse, sed auxisse Augustum, contendentem, reprehendit, docens *denos asses*, quorum Tacitus meminit *Annal. l. 1. c. 17.* à Julio esse, neque auctos ab Augusto, nisi in cohortibus prætoriis & urbanis ab ipso institutis; quibus binos in diem denarios adsignavit, Tacit. *ibid. c. 17.* Accipiebant autem quartò quòque mense *Stipendium* milites, tres nempe aureos sive 75. denarios, quibus Domitianus aureum unum seu 25. denarios adjecit. Sic enim *Zonaras*, [illegible Greek] : quod cùm neque de annuo, neque de menstruo *Stipendio* intelligi possit, quadrimestre fuisse necesse est. Quare, cùm Suetonius *loc. cit.* Domitiani accessionem *quartum stipendium* vocat, intelligit, Militem accepisse anteà tria stipendia, seu 3. pensiones quadrimestres unius anni; Domitianum verò pro tribus his articulis seu pensionibus numerandi militibus annui stipendii, instituisse pensiones quatuor, quas trimestres fuisse oportet: ut nempe quater in anno acciperent stipendium singulis vicibus trium aureorum; qui sunt omnes, aurei 12. seu denarii 300. asses 4800. in mensem aureus, sive denarii 25. vel asses 400. in diem 13. asses cum triente. E quibus patet, præterquam quòd *Stipendium* significat omne id, quod annuum dabatur, inolevisse usu castrensi, ut quia illud annuum 3. ante Domitianum numerabatur pensionibus, *Stipendium* per Synecdochen interdum dicatur pro pensione qualibet: etiam illâ, quâ barbararum gentium pacem redimere soliti sunt Romani, more à Domitiano eòdem primùm introductò, quem secuti Imperatores alii, ut existimationi suæ consulerent, pensionem hanc annuam, quæ verum erat tributum, honestiori vocabulò *Stipendium* nominârunt, Isaac. Casaubon. ad Spartian. *in Hadriano, c. 6.* Donativa item, apud Capitolin. *in Maximo, c. 12.* Vide quoque Joh. Frid. Gronov. *de Pecun. Vet. l. 3. c. 2.* ubi de his fusè disputat. Idem *Stipendia* peditum duplicata Centurionibus, data tripla Equiti, quadrupla Tribunis & Præfectis Equitum, docet *l. 3. c. 4.* *Stipendia* item sub primis Imperatorib. non nisi in ære fuisse numerata, *l. 3. loc. cit.* Porrò quod veteranis militibus persolvebatur, dicebatur *Emeritum* quoque, quod cum præmio malè nonnulli confuderunt. Paulus enim [illegible] *excubiis*, & Menander J. C. *l. non omnes ff. de Re mil.* distinguunt; ut videatur *Emeritum* magis eorum possessione, præmium in pecunia constitisse, Thom. Dempsterus *Paralipom. in Rosin. l. 10. c. 25. de Stipendiis militum.* Sic *Stipendium* cum *Salario* non pauci idem faciunt, quæ tamen distinguit Jul. Capitolin. *in Clodio Albino, c. 10.* & Vopiscus *in Probo, c. 4.* ubi, postquam *stipendium*, quod in auro & argento dabatur, memoravit & vestem, subjungit de *salario*: *Infantario diurno bubulæ pondo esse, porcinæ pondo sex* &c. Salario nempe continebatur caro bubula & porcina, vinum, oleum, olera, ligna, sal, quod *Salario* nomen dedit &c. Vide Salmas. *ad loc. cit.* Sed ut *Stipendio* auctorabantur Milites ad rem fortiter gerendam, ita inter pœnas militares ejus fuit fraudatio. Hinc *ære dirùti* appellati milites, teste *Nonio*, quibus *Stipendium*, quod erat in numeris æreis, ignominiæ ergò subtrahebatur, & *diruebatur in fiscum, non in militis sacculum*: Dabatur enim pecunia hæc vel ex Ærario vel ex Fisco Principis. Integram Legionem sic punitam, suggerit Liv. *l. 40.* [illegible] *sâ ignominiâ, ut semestre stipendium in eum annum esset decretum.* Apud Festum, *resignatum æs dicitur militi, cùm ob delictum aliquod, jussu Tribuni militum, ne Stipendium ei detur, in tabulas refertur,* &c. Vide quoque suprà, ubi de *Militibus*, item voce *Logariastes*, & *Tacitus* uti de *Stipendio* militum, apud Athenienses, voce *Obolus*. Aliam verò vocis notionem paullò antè indigitatam suprà etiam habes, ubi de *Pensitationibus publicis*, & voce *Paurasmauts*.

STIPES, fustis terrâ defixus. Cujusmodi *stipes ingens quernens*, cæsus olim prima metâ fuit, uti admonet Barthius ad *Stat. Theb. l. 6. v. 552.* Et *stipitibus* munimenta facta, occurrunt apud Spartian. *in Adriano, c. 12. Per ea tempora — plurimis in locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus, dividuntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus jactis atque connexis barbaros separavit.* Non multùm diversa ab iis, quæ contendibus fiebant. Vide Casaubon. *ad l.* & suprà *Sepes*, infrà *Vallensis corona*. Sed & ad stratêgemata, vide suprà *Murices*: [illegible] troppæa vide, ubi de iis: etiam ad supplicia *stipites* adhibiti: Unde *Stipes crudelis*, apud Prudentium *hymno 14. v. 114.* pro Eculeo: *Stipes infelix*, pro cruce, apud Minutium Felicem, *Deus ligneus rogi fortasse, vel Stipitis infelicis portio. Infamem* dixit Poëta incertus in *Catal. Virg.*

Nonne infamis districtus Stipite membra,
Speras & à fixa posse redire cruce.

Inprimis autem pro simplici Cruce vox sumitur, cui *infigebantur* Rei: Erat verò infixio, cum *nudum hominem erecto acutoque* Stipiti *infigebant*; vel *affigebant*; quemadmodum ad arborem sive stipitem alligatum fixumque proponit Cupidinem Ausonius *in Cupidine crucifixo, Edyll. 6. v. 59.*

Hujus in excelso suspensum Stipite Amorem,
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Adfigunt. ---- ----

Tertullian. idem de rudi *stipite* refert, *Apolog. c. 16. Quanto distinguitur à crucis stipite Pallas Attica, vel Ceres Farrea, quæ sine effigie, rudi palo & informi ligno prostant?* Prius supplicii genus, *Impalatio* vulgò, sic describitur Senecæ *Ep. 14. Cogita hoc loco carcerem & cruces, & adactam per medium hominem, qui per os emergat, stipitem.* Ubi videmus clarè medium hominem scissum & transfossum. Quod imagine etiam illustrat *Hesych.* [illegible Greek] *Sudi fixionem* dixeris, *quasi Assationem. Nam antiquitus maleficos sudi infigebant, acuto ligno penetrantes spinam & dorsum, sicuti assos in verubus pisces.* Ubi ampliùs discimus, propriè hoc esse [illegible Greek], & [illegible Greek] ubi legitur, plerumque referendum esse ad hanc crucem: An & Mæcenati illa descripta, cujus versus apud Senec. *Ep. 101.* sic legit Lipsius:

Hanc mihi, vel acutâ
Si sedeam cruce, sustine.
Vita dum superest, bene est.

In quibus crucem illam maximè cruciantem, signanter dixit *Acutam*: Sed ait etiam *sedere*, nam ille profectò habitus hominis ab infero in superum sic transfixi. Quod ipsum genus [illegible Greek] dictum Græcis, quasi *diffindere* & *dissecare*: Utitur voce Plato *de Rep. l. 2.* Ad eandem promptam & fortuitam in *Stipite* infixionem, Plinii Sen. *l. 8. c. 16.* verba referri possunt, narrantis Polybium cum Scipione in Africa leones homicidas cruci fixos vidisse, quia cæteri metu pœnæ similis absterrerentur eâdem noxâ. Just. Lipsius *de Cruce l. 1. c. 6.* Aliud supplicii genus est, quod Vulc. Gallicanus his verbis exponit in *Avidio Cassio, c. 4. Primus etiam id supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum — & à summo usque ad imum damnatos ligaret: & ab imo focum apponeret, incensisque aliis, alios fumo cruciatu, timore etiam alios necaret*: ad quem locum consule Salmas. Vide quoque infrà in voce *Surrectus*, it. *Truncus*, ut & suprà *Codex*, *palus*, it. *Semaxiarii*.

STIPHANA, lacus in Amasensium agro piscosus, & variis pisciis abundans. Strabo *l. 12.*

STIPHELUS, unus ex Lapithis in convivio à Cæneo interfectus. Ovid. *Met. l. 12. v. 459.*

Quinque neci Cæneus dederat, Stiphelumque Bromumque
Antimachumque Helimumque Securiferúmque Pyracmon.

STIPS, vel STIPIS, IS, pro ære, pecuniæ genus, quod per capita colligi solet. Alias, merces, quæ stipatoribus & militibus dabatur: à sti-

à *stipando*. Nam quia asses libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non reponebant in arca, sed in aliqua cella *stipabant*, i. e. componebant, quo minus occuparent loci. Vide suprà in voce *Stipendium*. De Metragyrtis impensius vox usurpata occurrit, de quibus Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices l. 1. c. 29.* ubi de Ludis Megalensibus, *sodalitates etiam, quas Idææ matris vocabant familias: quibus stipem cogere mos fuit. Id quod Prætoris edicto conflabat his verbis, Idææ matris famulus, eoque justis diebus, ne quis præterea stipem cogito*. Vide suprà, ubi de *Metragyrtis*, item ubi de *Cybele*, *Iside*, *Quindecim viris Telchinibus* &c. Etiam de mercede, quæ Genethliacis dabatur, apud Capitolin. *in Pertinace, c. 1.* *Hunc te pater motus ad Chaldæum tenuit. Qui quum ei futura ingentia prædixisset*, stipem *se perdidisse dixit*, ad quem locum vide Casaubon. Aliis item circulatoribus, qui in Circo, quem idcirco *fallacem* appellat Satyricus, Foro, & celebrioribus plateis stabant, ad portas etiam ac alia loca frequentiora, & *λωποδύτας* sua, uti vanitates illorum vocat Celsus apud Origenem *l. 3.* ostentantes & venditantes *stipem* corrogabant. Sicut Aruspices, Conjectores, Arioli, Vates, in templis præcipuè stipes consultoribus excutiebant, uti loquitur Arnob. *l. 1.* hinc *stipulatores* dicti, à *stipe* scil. quos Sordidulos describit Firmicus *Mathes. l. 3. c. 13.* alibi: sicut *Arioli* ab *aris*, quòd *aras ambientes nomen de nidore conceperint*, Tertullian. *Apolog. c. 23.* Πρoΐκτας Græci i. e. *mendicos*, hos omnes dixêre, ἀπὸ τοῦ ἐπιπροΐσχειν, *protensa manu stipem rogare*. Unde προῖξ, *donum*, προΐκτης, *mendicus*, & Latinum *precari* ac *procare*. Est enim *precari*, quasi porrectâ manu *procare* & postulare aliquid &c. Quam in rem vide, quæ, erudito labore, congessit Desid. Heraldus *Animadversionibus Arnobianis loc. cit.* uti *de cava manu*, *qua stipem accipiebant*. Veterum item *de more stipem fontibus & lacis sacris inferendi*, Casaubonum *ad Sueton.* suprà *Fons*, *Piscina*, *Sortes*: nec non hic passim voce *Largitio*, item ubi de *Eleemosyna*, *Pauperibus*, *Sirenis* &c. de *stipe* vero *collatitia*, tenuiorum solatio, apud Græcos Romanosque, voce *Opifices*.

STIPULA, unde *Stipulatio*, Isidorus *Orig. l. 5.* *Veteres enim*, inquit, *quando sibi aliquid promittebant*, *stipulam tenentes frangebant*, *eamque iterum jungentes sponsiones suas agnoscebant*. Aliter *Varro* & Jurisconsulti. Interim hodieque in insula maris Hibernici Manna antiquus mos viget, ubi equorum aliarumque rerum venditiones traditione stipulæ seu culmi ratæ fiunt. Traditiones Fuld. *l. 1. Chart. 106.* *Hoc ut actum coram testibus subter positis culmo subnixum*, &c. Vide *Culmo subnixa*. Cæterùm ex *stipula* hordeacea calamus agrestis conflabatur, unde *stipula* pro calamo, apud Virgilium, *Ecl. 3. v. 27.*

Stridenti miserum stipula *disperdere carmen*.

Cujusmodi calami genere inducti bubulci, fistulâ ex harundinibus compactâ ludere nescientes, utebantur: [illegible] hinc Græcis dicti. *Hesych.* [Greek illegible]. Propriè autem *stipula* καλάμη iisdem dicebatur, harundo verò κάλαμος. Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p. 832.* Sed & *stipula* alicubi pro ligno usus, memoratur Plin. *l. 17. c. 4.* *Inter argumenta stipulæ crassitudo est, tanta alioquin in Laborino Campaniæ nobili campo, ut ligni vice utantur* &c. Vide quoque suprà *Mannus*, it. *Pramnium*, & *Psychrometrica*.

STIREA, vide STEREA.

STIRIA, Germaniæ provincia, undique montibus cincta, hodie *Stirmarck* dicta, olim verò *Valeria*, in honorem Valeriæ Diocletiani filiæ, ut Marcellinus memoriæ prodit; Eam quoque Volaterranus *Japidiam* dictam putat *l. 8. Geogr.* *Stiriam* autem à Tauro dictam esse vix dubium est, cui opinioni subscribit etiam *Ægid. Tschudus*. Quados aliquando hæc loca tenuisse ex eo eruitur, quod *Sext. Rufus* scribit, sub Julio, Marcomannos & Quados de locis Valeriæ, quæ sunt inter Danubium & Dravum fluv. pulsos esse. Est vero & hæc regio olim Norici Mediterranei & Pannoniæ superioris pars, versus Mutam & Dravum, & Illyrici provinciis annumerata. Germaniæ quoque posteriùs accessit, quanquam Stirriani hodie cultu & sermone Germani sunt, præter Dravi accolas, qui Illyricâ utuntur linguâ. Terminatur hæc regio, ab Ortu quidem, Hungariâ: à Meridie Carnioliâ Carniaque ab Occidente ditione Salisburgensi & Carinthiâ: à Septentrione Austriâ, longitudin. habet ab occasu in Ortum milliar. Germanicor. 40. in latitud. autem extenditur à Meridie in Septentrionem ad milliaria Germanica 22. cum dimidio. Fuit olim Marchionatus, ut etiam hodierna demonstrat ejus Germanica appellatio, *Stirmarck*: posteà ab Imperatore Friderico Barbarossa, in Ducatum mutata, tempore Ottocari Stiriæ postremi Marchionis, ac primi Ducis, Austriis Ducibus accessit, quibus etiamnum paret. Distinguitur autem in *superiorem Stiriam*, ubi Muræ fluvii divertigium; & *Inferiorem*, juxta Dravi & Muræ confluentes, quæ Pannoniæ secundæ seu Hungariæ proxima est. Refert *Vadianus*, quòd superiori seculo Viennæ Austriæ constans fama increbuerit, ardere in Stiria cæpisse montem, quò pellectus Maximil. Cæsar. Augustus, nuntiis ad inquirendum missis, ita esse, ut ferebatur, compererit: hæc verò accidisse verisimile est, circa A. C. 1510. quô tempore *Vadianus* hæc videtur scripsisse. Est quoque in Stiria incolarum numerus haud exiguus strumis deformis, quæ in aliquibus tantæ reperiuntur magnitudinis, ut loquelam non parum impediant, quas mulieres (ut commodiùs infantes lactent) ad humeros rejiciunt, alioquin pectus seu ubera velaturas lactantibus: earum causam plerique dicunt aquam esse quæ illic potatur. *Natal. Metel.* Fodinis ferrariis ferè omnibus totius Europæ regionibus præstat. Præterea nullius rei, quæ usui esse homini potest indiga, vini, frumenti, pecoris, salis abundans. Ei etiam unitus est Comitatus Cillejensis. Obtigit regio hæc, cum Carinthia & Carniola, Carolo, filio minori Ferdinandi I. fratri Maximil. II. & Ferdinandi, qui Tirolim & anteriores ditiones nactus est. Ita Carolus hic, *Styriæ* seu *Græcensis* lineæ auctor, cùm in Stiria Statibus Religionis exercitium concessisset, illud posteà A. C. 1580. abrogare conatus est, sed Statuum intercessione consilium mutavit; Obiit A. C. 1590. etat. 50. Pater inter alios Ferdinandi II. Viennensis lineæ Auctoris, posteà Imperatoris electi, & Leopoldi, à quo Æniipontana linea initium sumpsit. De Viennensi linea, vide in *Vienna*. Leopoldus, Episcopus primum Argentinensis & Passaviensis, dein Claudiæ Mediceæ maritus, genuit Claram Isabellam Caroli Mantuæ uxorem, Mariam Leopoldinam, quæ Ferdinando III. nupsit, Ferdinandum Carolum & Sigismundum Franciscum, qui ambo sine prole mascula decessêre: successione ad Leopoldum I. Imperatorem ex linea Viennensi devolutâ. Ferdinandus Archidux, de quo suprà, Caroli Fil. à Jesuitis excitatus, his Augustanæ Confessionis à Patre permissum exercitium ademit: Pastores ac alios dissentientes, Ordinibus privilegia frustra obtendentibus, monstrantibusque, se idcirco patri ejus Carolo vicies centena aureorum ciↃ. mutuo dedisse, accessisseque ab eo tempore IↃccc. flor. Rhenensium ciↃ. è ditionibus suis expulit. Joh. Hofmanni, nobilissimi Viri tum non solùm arx direpta, sed & templum pulvere nitrato eversum, cadaverumque ossa disjecta sunt, Græcii quoque corpus Vilhelmi Zimmermanni, qui magnâ nominis famâ Pastoris ibi munere defunctus fuerat, refossum & in fluvium Muram, urbi vicinum, projectum est. A. C. 1598. 1600. Vide Thuan. *l. Hist. 124.* Lud. Lucium *Hist. Jesuit. l. 4. c. 7.* &c. Addo saltem, quòd provinciam hanc a Savorgnanis, Italicæ gentis Dynastis, Ducum titulô aliquando habitam, cum Leopoldus Victoriosus Austriæ Dux, ex Babebergensi stirpe (defunctus A. C. 1132.) à genero Sigismundo (*Ottocarum* alii vocant) inopiâ adacto, quam in gente *Stiriæ*, Carinthiæ, Tyroli & Goritiæ, hactenus imperante, multæ partitiones, ut solet, effecerant. Posteà deficiente priscâ Austriacorum familiâ, uxoris nomine sibi Ottocarus Bohemus asseruit, qui illam Imperio restituere jussus, cùm parere detrectaret, invitus relinquere adactus est, impar armis, quæ hanc ob causam ipsi Rodolfus, jubente Ordinum Imperii Senatu, intulerat: eûque devictô *Stiriam* filio Alberto unà cum Austria atque Carinthia pater Rudolfus addixit. Tob. Pfannerus *de præc. Germaniæ Princip. gentibus c. 1.*

Stiriæ Urbes:

Cillejum, *Cilley*.	Marcpurgum, *Marcpourg*.
Græcium, *Gratz*.	Pœtovium, *Petaw*.
Judenburgum, *Judenburg*.	Pons ad Muram, *Pruck am Muer*.
Rachelsburgum, *Rakelsbourg*.	

STIRIS, Phocidis oppidum. Pausan. *l. 10.*

STIRITES, cognomen S. Lucæ Eremitæ, à quo Monasterium totius Græciæ pulcherrimum, in monte *Stiri* extructum, nomen suum habet. Vide Jac. Sponium *Itiner. Græc. Part. 2. p. 75.*

STISSUM, seu *Cissa Polybio*, pagus Hispaniæ citerioris in Catalauniâ.

STIVA, apud Domnizonem *de Vita* Mathildis *l. 2. c. 10.*

Tympana cum citharis, stivisque lyrisque ——

instrumenti Musici species.

STIVAGIUM, vetus ad flumen Mortam Galliæ Abbatia, vulgò *Estivay*. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall. in Megeni Monast.*

STLUPI, *Meletio Ostrobiza*, oppid. Liburniæ mediterraneum inter Adrotium ad Occasum, & Curcum ad Ortum.

STOBÆUS Johannes, antiquus author, scripsit seculi 4. ann. 5. *sententias* ex Græcorum thesauri delectas, item *Eclogarum libros* 2. quorum prior Physicas, posterior Ethicas complectitur. Ex veteribus autem neminem invenio, qui Stobæi mentionem fecerit nisi quòd in Suidæ *Lexico* hæc verba leguntur: [Greek illegible]. Vide Phot. *Cod. 167.* Gesn. *in proleg. Collect. sent. Stobæi & in Biblioth.* Nic. Lloydius.

STOBI, Macedoniæ urbs in Pelagonia. *Stat Achino Nardo*.

STOBORRHUM, Africæ propriæ promontor. *Ptolem.*

STOCHUM, oppid. Episcopatus Leodiensis, ad sinistram Mosæ ripam. *Metellus*.

STOCKHOLMIA, vide *Holmia*.

STOCKIUS Simon, vide *Simon*.

STOECHADES, insulæ Galliæ Narbonens. contra Citharisten promontor. oræ inter Massiliam, & Forum Julium adjacentes. *Isles des Ieres* plerisque dictæ, *Lloydius*. *Ligystides* eas vocat *Stephanus*, quòd cum Massilia Liguriæ olim tributæ, quas Ptol. *l. 10. c. 2.* & Strabo *l. 5.* faciunt, tres memoratu dignas, parvas duas, quas hic non nominat, tantùm à Massiliensibus coli, & portus suos habere ait. Alii 3. *Proten*, *Mesen* (quam & *Pomponianam*) & *Hypæam*, ut Plin. *l. 3. c. 5.* qui unus & solus de Stœchadibus diligentissimè scripsit. Mela *l. 2. c. ult.* quidquid insularum est, inter ostium Vari finemve Galliæ atque Massiliam. *Stœchadum* appellatione designat, sic erunt insulæ plus minus 40. Sed neminem in partibus *Mela* habet. A Massiliensibus, Græcis vicinis; qui earum & totius ferè oræ maritimæ olim domini erant, Στοιχάδες ab ordine appellatæ sunt, quòd ex adverso Massiliæ, rectô æqualique ordine ac distantiâ sint sitæ. Lucanus *l. 3. v. 516.* sic de Decimo Bruto prætore classis Cæsaris, per C. Trebonium Legatum Massiliam oppugnante:

Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis,
Stœchados arva tenens. ——

Bendrands sunt in ora Provinciæ, contra Olbiam, & inter sinum Sambracitanum ad Ortum & Telonem ad Occasum. Tres præcipuæ, Hypæa, *l'Isle du Levant*, seu *du Tuan*, magis ad Ortum. Mese seu Pomponiana, *Porteros*, & Prote, *Porquerolles*, quæ ad Occidentem. Eis adjacent duæ aliæ parvæ admodum, nempe Sturium, *Ribaudon* & Phœnice *Ribaudas*, in ora, inter promontor. Olbiæ ad Boream & Proten ad Austrum. *Hadr. Vales.* Pomponianam, *la Pomegue* hodiè dici, quô nomine, cùm illa Stœchadum maxima sit, omnes reliquæ aliquando vera-

veniant, ut vulgò *les Pomegues*, appellentur: & Hypæam *If* nuncupari, in qua arx *le chateau d'If*, aliàs *la tour d'If*, refert: qui idem tres tantùm Plinii Stœchadas propriè dictas agnoscit: quibus decem plus minus insulæ vicinæ sunt, in quibus Panaria, ubi vicus cum turre, *Planier*: *Espobolen*, *Rieuls*, cultæ singulæ, Callis longus, Callis Saracenus *Calle Sartane*, Carchedonia *Cassidaine*, à Carthaginensibus quibuscum Massilienses bellum gessêre, dicta, &c. Adeò fertiles autem hæ insulæ sunt, ut, post Rhodum amissam, Equites à Galliæ Rege hic commorandi veniam petere sibi proposuerint. Hic *Stœchas* herba copiosè crescit, & circa corallium laudatissimum, quò Galli gladios, scuta & galeas adornâsse, testatur Plin. *l.* 32. *c.* 2. In Stœchadibus monasterium jam Cassiani tempore, qui A. C. 430. sub Placido & Valentiniano floruit, fuisse legimus. Pars maris Gallici circa Massiliam & insulas has, mare Massiliense, vulgò *mer de Marseille* dicitur. Vide Hadr. Vales. *Notit Gall.* Cassian. *in Coll.* Bouch. *Hist. Provinc.*

STOECHUS, Eratosthenis Thebanorum in Ægypto Regum VII. excepit patrem Tœgar Amachum Momchiri, dictus Ἄρης ἀναίσθητος, *Mars sine sensu*, regnavitque annos 6. successore Gosormie, circa tempora Tharæ Abrahami Patriarchæ avi. Vide Joh. Marshamum *Can. Chron.*

STOFLERUS Justingensis, celebris Mathematicus, Sebastiani Munsteri Præceptor, Tubingæ docuit, sub initium seculi præteriti Christianus Urstisius *Epit. Hist. Basil.*

STOICI, Philosophorum secta, cujus auctor est Zeno Citticus, Strabo *l.* 14. Κίτιον ἔχει λιμένα κλειστόν. ἐντεῦθέν ἐστι Ζήνων ὁ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἀρχηγέτης. Stoicis autem nomen à *porticu*, ubi docuit Zeno. Quasi dicas, *porticenses*, vel *porticuarios*. Docuit enim (ut ait Laërtius *l.* 7.) ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ τῇ καὶ Πεισιανακτείῳ καλουμένῃ, ἀπὸ δὲ τῆς γραφῆς τῆς Πολυγνώτου ποικίλῃ. Addit deinde, discipulos ejus, priusquam ἀπὸ τῆς στοᾶς Στωϊκοὶ dicerentur, à magistro Zenone *Zenonios* vocatos: atque ejus rei auctorem laudat Epicurum in *Epistol.* Nec tamen eos primos Στωϊκοὺς vocatos; sed prius hoc nomen possedisse τοὺς διατρίβοντας ἐν αὐτῇ ποιητάς. A στοὰ verò Στωϊκὸς factum, auctâ vocalis quantitate: quâ reservatâ, etiam Στωϊκοὺς olim dixêre: ut Comicus ille apud Athenæum *l.* 12.

Ἀκούσατ' ὦ Στωϊκοὶ ἔμποροι λήρου.
Vos Stoici me nugivenduli audite.

Ad Stoicam porticum allusit Tertullian. cùm *in præscriptione advers. hæreticos* ait: *Nostram institutionem de porticu Solomonis esse.* Ac Apostolorum etiam ætate Stoicos Athenis durasse, vel ex Actis eorum *c.* 17. *v.* 18. liquet, ubi dicitur eos Athenis Paulo restitisse de Resurrectione docenti. Habuit hæc secta societatem cum Cynica & Academica. Unde Juvenalis, *Sat.* 13. *v.* 120.

——— *Et Stoica dogmata legit,*
A Cynicis tunica distantia. ———

Universam autem Stoicorum philosophiam breviter docebit Laërtius *in Zenone*: fusiùs *in moralibus* Enchiridion Epicteti; item Simplicius *in Scholiis*, & eo copiosior Arrianus, qui dissertationes ab Epicteto domi, vel in viâ habitas collegit ac digessit. Adeundus præterea recentior his Barlamus Gyracensis Episcopus, *in Physicis*, ut & Cleomedes *in Meteoris*. In utrisque L. Seneca. Vide & Cicer. *Paradoxa*, ac Plutarchum περὶ Στωϊκῶν ἐναντιωμάτων, καὶ περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν. E junioribus juvabunt Schoppii *moralia Stoica*, ac imprimis adeunda Lipsii *duplex Stoica manuductio*. Multi ex Nobilissimis Romanorum hanc sectam sequebantur, ut Tubero, Cato, Varro; posteàque Thraseas Pætus, Helvidius Priscus, Robellius Plautus: etiam hanc amplexus Imperator M. Antoninus, cujus tempore plures erant Stoici, quam alias sectæ, ut S. Empiricus narrat. Nec mirum, si secta hæc placuerit gravissimis quibusque, cùm nulla magis animum formet ad contemptum rerum humanarum, & patientiam in adversis. Unde Seneca *de Constant. Sap. c.* 1. *Tantum interesse inter Stoicos & cæteros sapientiam professos, quantum inter viros & fœminas.* Et *ep.* 83. vocat *fortissimam*, & *sanctissimam sectam.* Et quàm pulchrum illud elogium apud Cicer. *l.* 4. *Tusc.* *Licèt insectemur istos* (Stoicos) *metuo ne soli philosophi sint.* Etiam ex antiquis Theologis plerique à Stoicis profecti sunt. In his Pantænus Alexandrinus Antistes: qui, ut de eo refert Beat. Hieronymus, ad Indorum Brachmanas missus fuit, ut Christum prædicaret, philosophus philosophos faciliùs converteret. Stoicus Brachmanas, qui in multis conveniunt. Discipulus ejus Clem. Alexandrinus, qui & ipse passim se Stoicum prodit. Quid mirum? quando ea secta in aliquibus convenit cum religione Christiana. Hieronym. *in Esaia c.* 10. *Stoici cum nostro dogmate in plerisque concordant.* Nec tamen cuivis indoli æquè hæc secta conducit: nam eos, quibus natura est fastu turgida, si corrigere non valet, magis etiam inflabit; sin modestum ingenium obtingat, magnis illud passibus ducet ad virtutem. Non hoc diffiteri potuit Plutarchus, etsi Academicus ipse, & aliàs Stoicis satis iniquus. Sic enim scribit *in Cleomene*: Ἔχει δέ τι ὁ Στωϊκὸς λόγος πρὸς τὰς μεγάλας φύσεις καὶ ὀξείας ἐπισφαλὲς καὶ παράβολον, βαθεῖ δὲ καὶ πράῳ κεραννύμενος ἤθει, μάλιστα εἰς τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν ἐπιδίδωσι. Voss. *de Sectis Philosophor. c.* 19. Hinc *Stoicida*. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 65.

Fugerent trepidi vera ac manifesta canentem
Stoicidæ. ——— ———

Eloydius. Ad eosdem proximè Pharisæos, celebrem inter Judæos olim sectam, accessisse docet Josephus; nec immeritò. Nam & vitæ austeritate & dogmatum viciniâ iis affines omnino fuêre. Unde ἐθελοθρησκεία ipsis tribuitur, Matth. *c.* 6. *v.* 16. & multa de eorum ὑπομονῇ memoriæ tradidêre prisci. Inprimis memorabile, quòd quosdam ex illis tabulas exiguas parâsse, iisque incubuisse, ut, si quando urgerentur somnô, protinus in terram volverentur atque hâc ratione ad se redirent: alios silices, vel spinas sibi dormituris substravisse, tradit *Epiphanius*. Quô non aliud spectabant, quam ut somnolentiam omni ratione à se abigerent ac propulsarent. Dan. Heinsius *c.* 3. *Exerc. in Nonnum.* In quo planè *Stoicorum* fuêre æmuli, qui, præ cæteris, vigiliæ studuerunt; ut colligimus ex Persio *Sat.* 3. *v.* 53.

Quæque docet sapiens braccatis illita Medis
Porticus insomnis, quibus & detonsa juventus
Invigilat, siliquis & grandi pasta polentâ.

Ubi quòd ait, *detonsa juventus*, indigitat morem *Stoicorum* à cæteris Philosophis planè etiam in hoc diversum, quòd, sicut Ægyptiorum Sacerdotes, ad cutim usque rasi erant. Ægyptios autem Sacerdotes, omnes totius corporis pilos studiosè tertiô quoque die erasisse, ne quid, inter Deorum cultum, pediculorum aliarumque sordium crearetur, testis est Appulejus *Milesiar. l.* 2. Præterea, αὐτοχειρίαν quoque, *Stoicorum* proprium dogma, ut rem patiente virô maximè dignam, amplexi sunt Pharisæi, quam in rem vide inprimis orationem Eleazari, Judæorum Ducis, qui Massadam tuebatur, apud Josephum *l.* 7. *c.* 28. Etiam Essenos non pauca cum Philosophis hisce communia habuisse, docet ex eodem Georg. Hornius *Histor. Philosoph. l.* 4. *c.* 2. Vide quoque Voss. *de Sectis Philos. c.* 19. ubi hoc ordine illi *Stoici præcipui* recensentur: Zeno Citticus, Sectæ conditor; Cleanthes Assius; Chrysippus; Diogenes Babylonius; Antipater; Posidonius; Panætius. Quos sequuti ex Romanis, Tubero, Cato, Varro, Thraseas Pætus, Helvidius Priscus, Rubellius Plautus, Antoninus Imperator, Pantænus Alexandrinus. Vide & *Zeno*.

STOIDIS, insula quæstuosa margaritis, juxta fretum Persicum. Plin. *l.* 6. *c.* 25.

STOLA, tunica fuit muliebris. Cùm enim Toga antiquissimis temporibus commune Virorum & Fœminarum Romæ gestamen fuisset, posteà, Togâ penes viros remanente, solasque fœminas, quæ se viris vulgarent; matronis fœminisque honestis, atque ingenuis Tunica, quam & *Stolam* dixerunt & *Pallium* sive *Pallam*, in usum cessit. Quam utramque unô hôc versu complexus est Horatius, *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 99.

Ad talos Stola demissa & circumdata Pallâ.

Itaque *Stola*, Matronarum tunica est propriè dicta, licèt apud Græcos, (qui ei ἀπὸ τοῦ στέλλειν nomen indiderunt) & Barbaros, pro communi veste & maximè virili, accipiatur. Cicer. *Philipp.* 2. *Sumsisti virilem Togam, quàm statim Stolam reddidisti.* Sic Caligula Livium *Ulyssem stolatum*, appellare solebat, apud Sueton. *Calig. c.* 23. Seneca *de Beata vit. c.* 13. ubi *de Epicuro*, *Hoc tale est, quale Vir fortis stolam indutus.* Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. *ex.* 5. *Sed quò matronale decus, verecundiæ munimentô tutius esset, in jus vocanti Matronam corpus ejus attingere non permiserunt, ut inviolata manus alienæ tactu Stola relinqueretur.* Et de matre ac uxore Coriolani, *l.* 5. *c.* 2. *In quarum honorem Senatus Matronarum ordinem benignissimis decretis adornavit. Sanxit namque ut fœminis semitâ Viri cederent, confessus plus salutis Reip. in* Stola, *quàm in armis fuisse.* Idem confirmat Vitruvius *l.* 1. *c.* 1. loquens de Caryatidibus, *Itaque oppidô capto, viris interfectis, Matronas eorum in servitutem adduxerunt. Nec sunt passi Stolas neque ornatus Matronales deponere.* Hinc Martialis *Stolam* simpliciter pro Matrona posuit *l.* 10. *Epigr.* 5. *v.* 1.

Quisquis stolæve purpuræve contemtor.

Stolam autem ad talos, ut loquitur *Flaccus*, demissam & institâ ad oram ornatam, docuit Turnebus *l.* 29. *c.* 31. & ex eo plures. Ubi duo insignia in cultu Matronarum notat: vittas, queis crines ligabantur & talarem tunicam adsutâ institâ culcam. Cùm enim primitus à Libertinis crinium tantùm sertis distinguerentur Matronæ, quæ solæ habere poterant, novum discrimen à Senatu adjectum, scil. vittæ seu fasciolæ, quibus ut & *Stolâ* semper, præcipuè à Poëtis, Matronæ denotantur. Libertinis itaque nec vittæ nec *Stolæ* jus fuit. Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 6. *v.* 67.

——— *Quamvis non vitta ligatos*
Impediat crines, nec Stola longa pedes.

Ovid. *l.* 1. *Art. Am. v.* 31.

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegis medios, instita longa, pedes.

De instita Horat. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 29.

Quarum subsutâ talos tegat instita veste.

Ubi Acron, *Quia Matronæ Stolâ utuntur demissâ usque ad imos pedes, cujus imam partem ambit instita subsuta*; quòd institâ subsueretur. Sed fallitur, vestis enim institæ subsuebatur, quæ imam *Stolæ* oram prætexebat. Rectiùs Porphyrio, *Stolæ imam partem ambit instita assuta.* Ovidius proinde *Arte l.* 2. pro veste Matronali *Institam* simpliciter ponit. Idem *l.* 3. *v.* 169.

Quid de veste loquar? non tam segmenta requiro,
Nec quæ bis Tyriô murice lana rubes.

Ubi segmenta cum veste purpurea rectè conjungit; fascias nempe seu virgas purpureas & aureas, vesti ad ornamentum insui solitas, quod solis Matronis concessum, quòque habitu usque ad Imperatores insignes fuêre. Ingenuarum ergo & honestarum Matronarum propria *Stola* fuit, *tunica scil. manicata seu manuleata ad plantas fluens, purpura, segmentis sive limbis aureis ornata, multisque rugis ac*

plicis

plicis constricta. Unde Vetustinæ Martialis *l. 3. Epigr. 93. v. 4. Rugosiorem Stola frontem* exprobrat. Ita autem demissa ad talos *Stola* totum corpus operiebat, ut nihil præter faciem appareret. Hinc male *Junius*, *Stolam* caput operuisse, à dextro latere in lævum humerum missam, tradit, *Stolam* cum Palla seu Pallio muliebrium ac Recinio confundens: Et errat *Baysius*, tunicarum muliebrium alas non fuisse consutas, sed more Spartanarum ad femora apertas credens: cùm tamen id apertè neget Plutarchus *in Lycurgo*, ubi attentiorem curam circa Virgines à Numa adhibitam, quàm à Lycurgo, cujus institutô nudis femoribus Virgines incederent, docet. Quod si apud Macrobium legimus *Saturnal. l. 1. c. 6.* Libertinas quasdam longâ veste usas esse, de iis id intelligendum, quæ Patronis nupsissent, ideoque tanquam justæ Matresfamiliâs factæ longâ veste i. e. *Stolâ* Matronali uterentur. Cæterùm, ut virilis tunica, ita & *Stola*, cingebatur, ut veteres statuæ ostendunt & Scriptores testantur. Vide Ovid. *Amor. l. 1. El. 5.* & *l. 3. El. 1.* ubi cùm solutæ meminit tunicæ, interiorem intelligit: iterum *l. 1. El. 7.* & Martialem *in Apophoretis l. 14. Epigr. 151.* ubi muliebris Zonæ in superiori tunicâ, seu *Stola*, uterque disertè meminit. Diximus, & manicatas fuisse has tunicas, hinc viris id probro datum. Eas manicas autem interdum luxum muliebrem non consutas, sed fibulis nexas, excogitavisse, tradit Ælian. *Var. Histor. l. 1. c. 18.* cujusmodi tunicæ iconem dedit Rubenius *in Electis*, & ex eo in opus suum *de Re Vestiar. l. 3. c. 17.* transtulit Ferrarius. *Stolæ* tandem, mulieres honestæ injiciebant Pallium, quod *Palla* dicebatur, de quo Idem *c. seq.* Et hæc propria significatio vocis hujus est, apud Romanos Scriptores. Apud Dionem Cassium Στολὴν ἀρχικὴν *Prætextam*: apud Appianum Στολὴ βουλευτικὴ *latum clavum*: apud eundem *l. 5.* Στολὴ ἑλληνικὴ, *pallium*, Græcorum vestem, denotat. Sic apud Plutarchum *in vita Alexandri*, Persicorum Regum habitum Στολὴν βαρβαρικὴν vocari legimus: *Stolæ Medicæ* meminit Zonaras *Annal. tom. 1.* Ælian. *Var. Histor. l. 1. c. 32.* & Athenæus *l. 2.* Περσικὴν Στολὴν dixêre, quam aurô gemmisque consuevisse adornari depingique & talarem itidem fuisse, docet Procopius *de bello Pers. l. 1.* & Brissonius *de Persar. Princip. l. 1.* Armis fuisse superinductam, conjicit *Dempsterus*, ex eô quòd στολάδα armaturæ genus vult esse *Suidas*: & χιτὼν στολιδωτὸς *Pollucis l. 6. tunica striata*, i. e. *plicata*; armis superinducbatur. Unde Pollux *l. 1. c. 10.* Ἔστι δέ τις καὶ στολὴ ἀντὶ θώρακος, *Est & Stola quædam thoracis locô*: & Dionys. Halicarnass. *l. 6.* πολεμικὰς στολὰς seu *militares* ob id vocat. Verùm utut hæc de Barbaris, quemadmodum diximus suprà, benè habeant, meritò in Caligula Imperatore quòd *Stolam* gestaret, reprehendit Flav. Josephus *Jud. Ant. l. 19. c. 1.* à masculo Gentis more degenerâsse eum subinnuens &c. Sed & *Stola*, apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores, una è vestibus Ecclesiasticis, aliâs *Orarium* dicta, absque qua incedere vetantur Presbyteri, apud Hincmarum & Reginonem *de Vita & conversat. Presbyterorum c. 62.* Propriè verò Diaconorum vestis est, super sinistrum humerum ferri solita, uti monet Gillebertus Lunicensis Episcop. *l. de Usu Eccles.* hodieque Venetis vox panni notat segmentum oblongum dodrantali latitudine, quod sinistro humero injicitur. Unde *Stolâ & annulô privati Abbates*, qui deponebantur à sua dignitate; occurrunt apud Hugonem Flaviniac. *p. 258. Sub stola*, i. e. sumtâ stolâ, majoris auctoritatis ergò, *excommunicare*, apud Browerum *in Antiqq. Trevir. Stola cum tintinnabulis*, apud Auctorem *Monastici* Anglic. *Tom. III. p. 317.* &c. Vide Car. du Fresne *in Glossar.* Macros Fratres *in Hierolex.* & suprà in voce *Orarium*. Imò & Pallium Archiepiscopale sic passim vocatur, uti docet idem Car. du Fresne *Dissertat. de Numism. infer. ævi n. 10.* ubi à fascia Consulari & Imperatoria, *lorum* Latinis, λῶρον Græcis recentioribus dicta, *Stolarum Sacerdotalium & Pallii Archiepiscopalis* originem arcessit, & de Græcis addit, quoties communicaturi erant, σταυροειδῶς præcingere *Stolam* antè & retro, ita tamen, ut pectus ambiret, consuevisse, ex tabella, quam *ad Euchologium Græcorum p. 258.* delineavit Goarus &c. Nec omittendum, apud Epiphanium quoque *Hær. 15.* στολὰς & ἀμπεχόνας dici pallia, quæ supra colobiones, sive dalmaticas accipiebantur, vide Salmas. *ad Tertull. de Pallio c. 5.* A *Stola*, apud Tullium *Verrin. 6.* habemus *Stolatam Dianam*: sic *Stolatum Ulyssem* à Caligula Liviam vocatam, vidimus. Consule, præter Ferrarium laudatum, Baysium *de Re Vestiar.* Thom. Dempster. *in Rosin. l. 5. c. 35.* Alios. Aliud quid erant Στολίδες, rugæ videl. quas, in fine tunicarum certô modô atque ordine invicem nexas, vinculum retinebat; unde στολιδωτοὶ χιτῶνες; *qui rugis hujusmodi & plicis striabantur*, ut ex *Polluce* docet idem Salmas. ubi suprà, non à στολὴ, quod *Dempstero* suprà visum, ex *Xenophonte* &c.

STOLBERGIA Familia, inter Germaniæ illustres, in Circulo Superiore Saxonico, secundùm quosdam auctorem habuit Ottonem Columnium, Justini Junioris Imperatoris militem A. C. 566. quem dominiô Hercíniæ Silvæ donatum esse perhibent. In ea lineas diversas orsi sunt Ottonis, ex Anna Comite Kœnigstenia, filii Wolfgangus, Ludovicus, Henricus. Sed *iste* orsus tantùm, nam non nisi filias (à quarum una Comitibus Lewenstenis multa obrigêre) genuit: *ille* diutius produxit, ut cujus nepos Wolfgangus Georgius demum fatô functus est A. C. 1631. *Hic* autem, Henricus videl. per filium Christophorum (ex altero enim filio Ludov. Georgio natus nepos Henricus Volrath, sine masculis extinctus est, A. C. 1641.) ad nos usque stirpem propagavit. Cùm enim is duos filios suscepisset ex Hedvige Comite Reinstenia, Henricum Ernestum, & Joannem Martinum, duæ iterum hinc lineæ ortæ sunt. Et quidem prior, ex Anna Elisabetha (Henrici Volrathi præfati filia) genuit Ernestum (1650.) Annam Eleonoram (1651.) & Ludovicum Christianum (1652.) Posterior Agnetem Comitem Barbiensem sibi junxit, atque ex ea pater fuit Christophori Ludov. (nat. 1634.) Sophiæ Hedvigis (natæ & denatæ 1635.) Henrici Guntheri. (1637) Friderici Wilhelmi (1639.) &c. qui omnes Comites Stolbergæ &c. E quibus Christophorus Ludovicus, ex Luisa Christiana Hassiæ Landgravia suscepit Georgium (A. C. 1666.) & Carolum (1668.) Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. p. 19. 95.* [illegible] & *Part. 3. p. 86.* plura verò hanc in rem, apud eundem *Artis Heraldicæ Parte Spec.*

STOLHOFFA, urbecula munita Sueviæ, ad Rhenum in Marchionatu Badensi, 2. milliar. German. ab Hagenoa in Ortum 3. ab Argentorato in Cæcium in limite Ortnaviæ.

STOLISTES, in pompâ Sacra Ægyptiorum veter. quæ peculiarem gentis Philosophiam exhibebat, incedebat quartus, post Scribam scil. Sacrorum, *cubitum Justitiæ, manus & Calicem ad libandum*. Hic omnia noscit ad disciplinam Deorum & Victimarum Sigillationem pertinentia. Erant autem X. libri, qui ad Deorum honorem pertinebant, & Religionem Ægyptiacam complectebantur, nempe *de Sacrificiis, de Primitiis, de Hymnis, de Precibus, de Pompis, de Diebus festis*, & hujusmodi 4. alii. Clemens, *l. 6. Strom.* Vide quoque voce *Propheta*, hic enim *Stolistem* sequebatur.

STOLO, vide *Licinius*.

STOLPE, oppid. Pomeraniæ ulterioris *Metrop.* in Wandalia tractus, juris Brandeburgens. ad Stolpam fluv. 3. leuc. supra ejus ostia in Merid. 7. à Leoburgo in Occasum, Colbergam versus 13.

STOLUS, urbs Thraciæ, *Stephan.*

STOLUS Alexandrinus, in *l. 7. Cod. Theod. de Navicular.* ex Græco στόλος, classis est, de qua vide suprà passim, inprimis in voce *Cataplus*, *Mictilis Merx*, & ubi de *Rhinopolis*.

STOMA, palus Troadis circa Scamandri ostia. *Strabo.*

STOMA, apud Paulum Diaconum *l. 18. Erant autem Arabum juxta positorum quidam, qui accipiebant ab Imperatoribus rogas pauxillas, ad custodiendum* stoma *Eremi*; ingressus deserti est, ex Græco στόμα, ος, *oris*; item *ostium*, de fluminibus, lacubus, stagnis, etiam de finibus maris, ut videre est passim ad Salmas. *ad Solin.* & diximus suprà voce *Stagna*. Aliud est στόμωμα, *acies ferri*, Plinio item *stomoma*, *l. 34. c. 11.* posterioribus Latinis *Aciarium*, à verbo στομόω, quod *indurare*, item *acuere* notat. Vide eundem de variis στομώματων generibus *p. 1084. & 1085.*

STOMALIMNA, meliùs *Astromela*. Vide ibi. *Mer de Martegues*, in ora Provinciæ, inter Massiliam ad Ortum & ostia Rhodani in Occasum.

STON Johannes, vide *Johannes*.

STONIA, Ponti Galatici urbs in Cappadocia, *Ptolem.*

STANOS, oppid. Venetiæ in finib. Euganeorum, eorum caput, *Strenga* hodie, vicus agri Patavini.

STORAX, apud Terentium *in Adelphis, Act. 1. sc. 1. v. 1.*

> *Storax, non rediit hac nocte à cœna, Æschinus:*

nomen pueri est, *ab odore*, ut ait *Donatus*. Στύραξ nimirum in Græca fabula hic puer vocabatur. Est autem *Storax*, uti Virgilius vocat in Scylla:

> *Et storace Idæo vinclos perfusa capillos.*

Seu *Styrax*, ut perpetuò appellat Plin. *l. 12. c. 25.* aromatis species, per se odorata, cujus duo genera facit *Dioscorides*, alterum magis concretum, ad instar gummis, adeoque alterum χελάιον, alterum θυμιατὸν. Nempe arbore à vermiculis, quos codici ejus innasci, θηρίδιον, ait *Strabo*, erosâ exinanitâque, & omni exhaustâ scobe cum plurimo succo, gutta seu lachryma, quæ posteà egeri consuevit, more gummis concrescens, virgis illis styracis, exenteratæ arundini similibus, adhærescebat & concrescebat, unde καλαμίτης στύραξ Græcis dictus est, eratque purissimus & mundissimus, adeoque rarissimus. At ille, qui in terram distillabat cum scobe arboris & corticis egestus ac effusus, immundus, & impurior erat, ac χυματίας dictus est. In illo, siccioři scil. genere, albida & pellucida lachryma probabatur, & gummi similis. De hoc *Dioscorides*, probari dicit, τὸν ξανθὸν καὶ λιπαρὸν, ῥητινώδη, θρόμβους ἔχοντα ὑπολεύκους, καὶ ἐν τῷ μαλάσσεσθαι ἀφιέντα ὑγρότητά τινα μελιτώδη, *flavum & pinguem, resinosum, grumos habentem albentes & qui dum malaxatur ac subigitur, melleum quendam liquorem emittit*. Ubi liquor ille melleus, qui è *storace* premitur, nihil aliud est, quàm *liquidus storax*, quemadmodum è myrrha similiter, qui exprimebatur liquor, myrrha erat liquida, *Stacte* hinc dicta, quæ per se unguentum faciebat, uti *storax*, quô capillos perfundi consuevisse, Virgilius suprà innuit. Quæ duo malè Arabes & Neoterici omnes Medici confundunt, ob magnam storacis vulgaris, cum myrrha, affinitatem, cùm *stacten* nullam jam habeamus, nec myrrha ipsa satis sincerè ad nos advehatur. Utebantur autem *storacis* thymiamate Veteres in ceremoniis Deorum; Arabes etiam & Sabæi, acri ejus odore, ad odorum suorum thuris & myrrhæ fastidia abigenda: qui præstantissimus è Pamphylia advehebatur, in massa & in pellibus hircinis ac saccis, non secus ac myrrha & alia gummium genera; quemadmodum hodie in vesicis affertur aut massa, uti pluribus videre est, apud Salmas. *ad Solin. p. 541. & seqq.* Vide quoque suprà *Calamites Styrax*. A' *Storace*, dictum posteà colorem ipsum *storacis*, vel *stauracis*, *flavacinum*, unde *stauracinæ vestes*, apud Anastasium Bibliothec. & Hariulfum *l. 2. c. 10.* censet Car. du Fresne, ut vidimus suprà.

STORCKIUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

STOREA, & *Matta*, recentioribus dicta est, quæ *tegiculum* Plauto apud Porphyrionem,

> *Ante hæc in pellis tegiculum protenditur;*

quæ pellem scil. pro *tegeculo* habebat, sic enim *stramen* vocabant. Donatus, φορμὸν *tegiculum dicunt Græci, quod insternitur, pavimentum*. Vide Salmas. *ad Capitolinum in Vero c. 3.* & suprà in vocibus *Matta*, *Psiathium*. &c. uti de subtilissimis ac nobilissimis *storeis* Sinensium, in quibus ad ipsum Regem plerique nudi, dum somnum capiunt, decumbere consuevêre, infra voce *Teng*. A' Græco στορέννυμι, à quo etiam

etiam στορὰς, lignum, quod *substernebatur* olim, ad ignem excipiendum, aliter ἐσχάρα etiam dictum. Vide suprà, ubi de modo ignem eliciendi, Veteribus usitato, in voce *Ignitabulum*.

STORION, Dacorum Dux prudentissimus, quem cùm Barbari sæpe incitâssent ad bellum gerendum, contra Populum Romanum dissidentem & in studia scissum, nunquam tamen adduci potuit: quoniam fore prospexerat, posse obtingere, ut bellô externô ingruente domestica restinguerentur incendia. Cumque illi tamen instarent & præclara de se minarentur, lepidâ ratione repressit: Commisit enim inter se duos, in conspectu eorum, canes: iisque acriter depugnantibus medium immisit lupum: quem canes visum, omissâ protinus inter se irâ, ut communem hostem alacriter invadentes confecere.

STORMARIA, provinc. Holsatiæ, versùs Germaniam Terminatur à Septentrione Holsatiâ propriâ, ab Ortu Wagriâ, & Lauenburgensi ditione, ab Occidente & Meridie ditionibus Bremensi & Lunenburgensi, à quibus Albi Separatur. Sub Danis. Ejus urbes sunt Gluestadium, Crempa & Pinneberga, tractus cognominis caput. Eam *Comitatus* titulô quondam insignitam, *Ducis* titulô à Friderico II. Imperatore Christianus I. Daniæ Rex accepit: cujus tamen se *Principem* jam ante hunc Henricus V. Schauenburgius publicis literis tulit, Tob. Pfannerus *de prac. Germaniæ Principp. gentibus c.* 11.

STORNA: urbs Indiæ extra Gangem. *Ptolem.*

STORTHYNGA, vertex Lacinii promuntor. Magnæ Græciæ. *Lycophor.* hodie Nau, à Crotone supra 12. mill. pass. in Meridiem.

STOTAVILLA, vulgò *Estouteville*, locus Galliæ Ducatus titulô insignis in Caletis & diœcesi Rotomagensi, non procul à Fiscamno. Fortè olim *Stultavilla*, vel *Asinavilla*: Certè multi in Normannia vici à *sottis*, & *solles*, i. e. stultis cognominati sunt, ut testatur Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

STOVEUS Johannes, vide *Johannes*.

STOVINUS, Ligurum oppid. *Stephan.*

STOUFACHERUS Wernerus, Suitius, unus ex tribus Helveticæ libertatis triumviris. Hic magnâ apud suos auctoritate, cùm ædes paulò ampliores & elegantiores, quam pro regionis more, haberet, & à Grislero præfecto Austriodira minante increpitus esset, mœrorem celare impos, ab uxore, muliere supra sexum prudente & forti, bene sperare jussus est; *Nos desuturum Deum, cui omnis vis injusta summopere displiceat, invocantibus se; quærat viros fortes eâdem tyrannide pressos, & cum illis ad patriam liberandam vires consiliaque jungat.* His verbis erectus, postquam diu secum deliberâsset, Uriam profectus, Walterum Furstium adiit, qui ambo Arnoldô Melchtaliô in societatem pulcherrimi simul & difficillimi agonis ascitô, in loco ad Uriensem lacum, *in Gruth* dictô, fœderis Helvetii fundamenta prima jecerunt, A. C. 1307. Quibus dein alii, inter quos Wilhelmus Tellus præcipuus, accedentes, Calendis Januarii anni sequentis, in omnibus tribus Pagis arces dejecerunt, redditâ Patriæ libertate, Simlerus *de Rep. Helvet.*

Celtissima Uxoris ad maritum.
Fide Deo, cui nulla potest placuisse tyrannis,
Atque opibus patriam consiliisque juva.

STOZA, post eversum in Africa Vandalorum regnum, à militibus Rex electus, sed à Justiniano Imperatore mox oppressus est, A. C. 534.

STR. in nummis Constantini M. aliorumque, vide suprà ST.

STRABA seu STRAVA, apud Jornandem *de Rebus Goth. Stravam super tumulum ejus, quam appellant ipsi, ingenti comessatione concelebrant*: ubi de Attilæ Regis sepultura, vox Gothica est, & pyram rogumque notat, ex armis & instrumentis bellicis conflatum. Hoc enim genus pyras vocare & suâ etiam ætate barbaras gentes tales condere, scribit Lutatius, laudatus Barthio *ad Stat. Theb. l.* 12. *v.* 62. ubi *bellicum aggerem* Poëta istiusmodi rogum appellat. Vide Frid. Lindenbrogium *Notis ad Jornandem*, Kirchmannum *de Funeribus l.* 3. *c.* 18. nec non infrà.

STRABELLINI, Apuliæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 11.

STRABO, Cnossô quidem Cretæ civitate oriundus, ut *l.* 10. ipse refert, sed natus Amasiæ civitate Ponti, ut ipsemet de se profitetur *l.* 12. Philosophus fuit Stoicus, quanquam & Philosophiam Peripateticam Xenarchi discipulus attigit. Geographus præstantissimus fuit, cujus 17. *Geographiæ libri*, quos Tiberiô Cæsare rerum potiente conscripsit, ut ex *l.* 4. & 13. colligere est, etiamnum hodie extant. Scripsit & alios, ac inter eos, *Commentarios historicos* utiles ad moralem ac civilem philosophiam, ut ipse testatur *l.* 1. sed ad nos non pervenerunt. Obiit circa A. C. 12. imperii Tiberii, extremæ senectutis, cùm *l.* 2. Cornel. Gallum, Ægypti Præfectum amicum suum fuisse dicat. Vide Voss. *de Hist. Græc. p.* 185. *l.* 2. *c.* 6.

STRABO, vide *Walafridus Strabo*.

STRAGONA, Germaniæ urbs, *Ptolem. Posnavia* in Poloniæ regno, teste *P. Aviano.*

STRAGULA Vestis, quando primùm Romam invecta, habet Liv. *l.* 39. *c.* 6. *Luxuriæ peregrinæ origo, ab exercitu Asiatico invecta in urbem est. Ii primùm lectos æratos, vestem* stragulam *pretiosam, plagulas & alia textilia Romam advexerunt.* Ubi per *plagas* & *stragulam* tapetia seu aulæa intelligit, *Annotat. prior.* Papiæ *Stragulum, est vestis discolor plumariô opere facta.* Unde *Stragulati*, dicti olim sunt Carmelitæ, aliter *Radiati*, vel *Barrati Fratres*: donec Martinus Pontif. A. C. 1279. nomen eorum mutavit & habitum, convertens vestes *stragulatas* in capas albas, *Carmelitarum* inditâ appellatione. Qua de re vide Walsinghamum ann. 1282. Apud Appulejum, *Stragulâ veste, aurô ac murice Tyriô depictâ*, cubiculares lectos insterni consuevisse, legimus *l.* 10. nec minus tricliniares & accubitales, apud Salmas. *ad Tertull. de Pallio c.* 3. Inter munera quoque Aureliano missa à Valeriano Aug. *tapetia Afra decem, stragula Maura decem*, aliaque memorantur Vopisco *in Aureliano c.* 12. Unde *stragulum*, quidquid insternebant: Et certè originem vocis arcessit à *stratum*, sicut *regula* à *rectum* *tegula* à *tectum* dicta, Becmann. *Manud. ad L. L. p.* 171. & *de Origin. p.* 310. De *Stragulis* equorum vide suprà *Dorsale Scordisca* & *Sella equestris.*

STRALENUM, oppid. munitum Geldriæ superioris medium inter Geldriam urbem ad Ortum & Venloam, ad Africum. Sub Hispanis.

STRALESUNDA, urbs Pomeraniæ citerioris frustra tentata ab Erico VII. Danorum Rege A. C. 1317. & Duce Fridlandiæ, A. C. 1629. Vide *Sundis*.

STRAMBÆ, urbs Thraciæ, *Stephan.*

STRAMEN, ex Græco στρῶμα, quod ex hordeo optimum esse, habet Plin. *l.* 18. *c.* 7. inter alios usus, non capiti solùm, contra Solis ardorem, æstivô tempore, tuendo, sed & calceandis quoque pedibus inservire, tradit de populatibus suis Ben. Balduinus: Fiunt autem istiusmodi calcei e contusis contexusque segetum calamis, quemadmodum veteres Ægyptii juncum marinum, Hispani spartum malleis contudére, quo facilius in funes contorqueri aut in strata contexi, aut in calceos compingi possent. Idem vero eorum usum domorum septis non egredi, docet *l. de Calceo antiquo c.* 9. Insuper somnum Afceris & mollitiem aversantibus gratiorem reddit. Sic de Agesilao C. *Nepos c.* 8. *Quum — in actâ cum suis accubuisset, sine ullo tectô, stratumque haberet tale, ut terra tecta esset* stramentis, *neque huc amplius quam pellis esset injecta* &c. Quod Lacedæmonios cum Gallis Germanisque veterib. commune habuisse, ex *Athenæo* discimus: Κελτοὶ τὰς χορτοῦ τίθενται χαμαὶ ἐσθίοντες καὶ ἐπὶ τραπεζῶν ξυλίνων μικρὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπηρμένων. Simile quid de Tuberone Stoico Tullius narrat *Orat. pro Muræna*. Vide de hujusmodi veter. stratis, Hier. Magium *Miscellan. l.* 2. *c.* 16. Idem vero & in Sacris inprimis Veter. adhibitum. Sic apud Romanos Matronæ, quæ in castio Isidis aut Cereris erant; & apud Athenienses mulieres Θεσμοφοριάζουσαι, quia per eos dies, quibus castum observabatur, à lectis suis genialibus secubabant, *stramenta* habebant in templo, ut plurimum farta iis herbis ac foliis, quæ castitati conducere existimabantur, iisque incubabant, uti diximus suprà in voce *Cadurcum*; quæ cùm propriè Cadurciam culciatam ex lino apud Cadurcos nato factam significaret, *postmodum duravit in appellatione stramenti*, uti loquitur Plin. *l.* 19. *c.* 1. &c. Porro *Stramineas casas* ab antiquis fieri consuevisse, docet Cæsar *de Bello Gall. l.* 5. *c.* 42. qui suâ quoque ætate Gallis eas in usu fuisse testatur. Et Ovidius *l.* 2. *Amor. eleg.* 9. *v.* 17. ubi de veterib. Romanis,

Roma nisi immensum vires promôsset in orbem,
Stramineis esset nunc quoque densa casis.

Unde apud C. Nepotem *Alcibiade c.* 10. Sunt qui legant, *Noctu ligna contulerunt, circa* stramineam *casam, in qua quiescebat.* Vide Keuchenium aliosque *ad loc.*

STRAMIACUM, locus Galliæ in agro Lugdunensi, non longè ab Antone, & Rhodano, 5. à Lugduno leuc. vulgò *Cremieu*. Hic Ludovicus Imperator conventum habuit cum Pippino & Ludovico filiis, A. C. 836. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

STRANGFORDIA, oppid. Comitatus Dunensis, in Ultonia, cum portu peramplo adjacente, 5. mill. pass. à Duno in Cæciam, 16. à Dromora in Ortum.

STRANGULATIO, Græcè τραχηλισμὸς, in lucta olim & pancratio laudata est, non minus ac ἀκροχειρισμός. Et quidem, uti in ἀκροχειρισμῷ, sine corporum complexu, manibus tantùm collatis ac consertis, pugnabant, sic in τραχηλισμῷ, alter alterius cervici ac gulæ manus admovebat, velut suffocaturus, sicque solo illisurus. Unde inter præcipuos luctæ gestus ac conatus, memorantur ista: *tenaciter amplecti, loco movere, præfocare & in altum sustollere adversarium*, apud Lucianum *de Gymn.* In quo dum erat Athleta, ἐπὶ τοῦ λαβέσθαι, *quando adversario implicitus erat*, dicebatur παλαιστὴς & ἀγωνιστὴς & παλαιστικός. Vide Car. Paschalium *Coronar. l.* 6. *c.* 23. suprà Nodus brachiorum; & infrà in voce *Subplantare*. Inprimis Pancratiastes, etiam solo prostratus pugnabat tamen, & quà mordendo, quà depilando, quà fauces stringendo, alterum ad ἀπαγόρευσιν adigere quærebat, Salmas. *ad Solin. p.* 291. Sed & *Strangulatio* atrocioris supplicii genus est, de quo vide in voce *Pœna*, it. *Robur*.

STRASBURGUM, urbec. Prussiæ regionis ad Dribentium amnem, in limite Mazoviæ. Etiam *Brodnitz* Polonis 6. milliar. German. à Torunio in Ortum Pluries capta & recepta. Hîc obiit A. C. 1625. Anna Sigismundi III. Regis soror. Gustavus verò Adolphus Suecorum Rex Polonos profligavit, A. C. 1626.

STRATA, locus Galliæ, ad ripam Angeris, vulgò *Estrée*, Abbatiâ *Stradensi* nobilis: Hîc S. Gengulphi corpus cubat, à Carolo Calvo Mainardo Abbati permissum. Vide Hadr. Vales. in voce *Cella Sancti Genulfi*.

STRATA Equorum, vide suprà *Dorsale*.

STRATA Montana, German. *Bergstrass*, tractus terræ in ditione Archiepiscopi Moguntiacensis; à Diethero Isenburgico, pro 100000. florenis, cum pacto perpetuæ reluitionis, oppignerata Friderico I. cognomine *Victorioso*, Electori Palatino, A. C. 1463. pace Monasteriensi A. C. 1648. iterum redemta est, uti habet Georg. Hornius *Orb. Polit. cum Not.* L. Ottonis Menckenii *p.* 167. Spenerus, bellô Friderici modò dicti, pro Diethero (quem Pontifex excommunicaverat) feliciter gestô, ad Palatinos eam devenisse ait, *Sylloge Geneal.* Est autem *Strata*, vox medii ævi, & significat propriè viam publicam seu *silice munitam*, ut Sueton. alicubi ait: Gallicè *pavé*, Jac. Cujacio *ad l.* 4. *Cod. de priv. dom. Aug.* Cujusmodi vias, *priùs Pœni, post Romani per omnem penè orbem disposuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs otiosa esset*, uti habet *Papias*.

Atque eô sensu etiam Procopius vocem usurpat *de Bello Persic. l. 2. c. 1.* Στρατηγῷ ἡ ἰσημερίη ὁδὸς &c. Inde ad quamvis viam designandam translata est. Vide Paul. Warnefridum *l. 5. c. 17.* Petrum de Vineis *l. 3. Ep. 69.* Bergerium *de Itineribus Rom. l. 3. c. 54. §. 3. 4.* ut & in voce *Strataburgum*, ac infrà ubi de *Viarum Curatoribus*.

STRATÆBURGUM, quasi viæ militaris oppidum, dici cœpit Argentoratum, circa ætatem Gregorii Turonens. qui *Histor. Fr. l. 10. c. 19. Ad Argentoratensem urbem*, inquit, *quam nunc Strateburgum*, (potius *Strataeburgum*) *vocant, deductus*, &c. Ibi enim, præter duas alias vias publicas sive militares, tres erant celeberrimæ, una per Alpes Grajas Mediolanum ducens: altera Lugdunum Batavorum: tertia Augustam Trevirorum. Hinc urbi nomen, ut videtur, quam proin, præter cæteros Eutropius *in Aureliano*, vocat *Stratam*, Gallis *L'estrade*, & *L'estree*. Secundum, inter provinciæ Germaniæ primæ civitates quatuor, locum obtinet. Vulgo *Strasburg* Germanicè, *Strasbourg* Gallicè. Aliter *Argentoratum*, meliùs quam *Argentina*, vide ibi. *Sub dispositione viri Spectabilis Comitis Argentoratensis, tractus Argentoratensis*, fuit stante nomine Imperióque Roman. Fuêre & *sub dispositione viri illustres Magistri Officiorum, fabricæ in Galliis octo*, & inter eas prima fabrica Argentoratensis armorum omnium, i. e. spatharum, scutorum, loricarum, sagittarum, ballistarum & clibanorum vel cataphractarum, Hadr. Valesi. *Notit. Gall.*

STRATARCHAS, Dorylai filius, frater Lagetæ Strabonis avi, dux Cretensium, quem Strabo se vidisse asserit, *l. 10.*

STRATEGI, Græcè Στρατηγοὶ, inter præcipuos Atheniensium Magistratus, numerò decem quotannis bello præficiebantur, ut Grammatici docent ex *Aristotele* & *Hyperide*. E singulis Tribubus unum fuisse creatos docere videtur *in Cimone* Plutarchus: Pollux verò *l. 8.* Στρατηγοὺς χειροτονεῖν ἐξ ἁπάντων scribens, non tam de omnibus Tribubus, quàm de omnibus Atheniensibus, desumtos esse, innuit. Eligebantur diebus Comitialibus, qui anni vertentis ultimi erant, a Populo, ut colligitur ex Æschine *contra Ctesiph.* Idque in Pnyce, etiam ubi Theatrò extructò desitum est concionem habere, *Pollux*: *Hesych.* Demosthenes *contra Aristocr.* ubi de Chabria *Stratego*: Nam quòd Cleo Boëdromione mense id muneris nactus legitur, id extra ordinem factum, eô quippe suffectô in locum Niciæ, qui ultrò se hôc Magistratu abdicaverat. Atque ii sunt, qui dicuntur Στρατηγοὶ ἐπὶ τῶν ὅπλων, ut ab aliis distinguerentur: Hi non omnes simul præerant, sed singuli in orbem suum imperabant diem, ut ex exemplo Miltiadis videre est, apud *Herodot.* & Corn. Nepotem, *l. 1.* quanquam sæpe factum, ut penes eum esset summa auctoritas, atque imperium, non in unum tantùm diem & vicem suam, qui auctoritate aut peritiâ aut gratiâ apud plebem valebat plurimùm. Lege autem cavebatur, ut creandus *Strategus* agrum intra fines Atticæ possideret, & liberos legitimos aut jam haberet aut susciperet: Τὸν στρατηγὸν παιδοποιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ γῆν ἐντὸς ὅρων κεκτῆσθαι, Dinarch. *contra Demosth.* Nempe bona oppignorabantur Reip. liberique erant paternæ fidei obsides, itaque factum aliquando, ut paterna luerent delicta. Unde *Themistoclis etiam liberos cruciatos*, ait Cic. *Ep. 15. ad Brutum*, & videtur huc respexisse Sinon ille Virgilianus, ubi de liberis suis loquitur ita, *l. 2. Æn. v. 139.*

> *Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent*
> *Effugia, & culpam hanc miserorum morte piabunt.*

Postquam creati essent, ἐδοκιμάζοντο è Lege; ut cœteri Magistratus; meminitque hujus *Strategorum* δοκιμασίας Aphthonius, *c. ult.* Ubi vero approbati fuerant, jusjurandum concipiebant ex Lege, cujus extat Caput. Δὶς ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὴν Μεγαρικὴν ἐμβαλεῖν, *Bis quotannis in agrum Megarensem irrumpam*; quod additum esse, Charinô rogante, paulò ante belli Peloponnesiaci initia, discimus ex Plut. *Pericle*, idque ob Anthemocritum Præconem ab iis occisum. Quemadmodum autem apud Judices ἐδοκιμάζοντο, ita etiam rationes referebant, nisi Populus Atheniensis esse voluisset Αὐτοκράτορας (sicut apud Romanos Dictatores) ut creatus est olim Aristides, bellô adversùs Barbaros, Plut. *in eo.* Item Alcibiades, Nicias, Lamachus, apud *Eund.* Atque hæc αὐτοκράτεια posita erat tum in belli apparatu adornando, tum in bello administrando: Id est, Militum habebant dilectum, necessaria ad bellum parabant, ipsum denique bellum pro arbitrio administrabant, &c. Porrò, si naves Sociorum intercipiebant, aut injuriâ illos afficiebant, publica adversus *Strategos* ὑπεύθυνας instituebantur judicia, hâc Lege: Τοὺς στρατηγοὺς εἶναι ποιοῦντας καὶ κατάγοντας ἐν πλοίῳ τῶν συμμάχων εἰσαγγέλλεσθαι; cujus meminit Demosthenes ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Χερρον. Primum itaque adversùs absentem *Strategum* plebiscitô dabatur publicum judicium, quod ut institueretur, *Stratego* præsente opus erat; qui proin arcessebatur, mittebaturque Paralus aut Salaminia navis, quâ adveheretur. Vide Plut. *in Alcibiade*, ubi hunc, cùm violatæ Religionis accusaretur, missâ harum navium alterâ è Siciliâ, in qua Exercitui præerat, fuisse revocatum, tradit. Cujus moris etiam meminit Aristophanes *Avibus*, cùm ait,

> ——— ——— Μανθάνω.
> Ἡ μὲν ὅμως ἡ θάλαττα, ἵν' ἀνακύψεται
> Κλητῆρ' ἄγουσ' ἕωθεν ἡ Σαλαμινία, &c.

Sequentibus verò temporibus, οἱ ἐπὶ τῶν ὅπλων Στρατηγοὶ Ædiles fuère, ut Athenæus scribit *l. 7.* quod confirmat etiam Philostratus *in Lolliano*, στρατηγήσας δὲ καὶ τῶν Ἀθηναίων δήμου, στρατηγίαν αὐτοῖς τὴν ἐπὶ τῶν ὅπλων. ἡ δὲ ἀρχὴ αὕτη πάλαι μὲν κατέλεγέ τε καὶ ἐξῆγεν ἐς τὰ πολέμια. νυνὶ δὲ τροφῶν ἐπιμελεῖται καὶ σίτου ἀγορᾶς, ubi disertè olim quidem Militarem, tum verò Urbanum Magistratum hunc fuisse, ostendit. Plura hac de re vide apud Samuelem Petitum *Commentar. in LL. Atticas l. 3. c. 2.* Recentiori ævô, ex Græca hac

voce

voce Στρατηγὸς, *Strategus*, *Straticus*, *Stratigus* &c. dictus est Latinis Scriptoribus passim Præfectus seu Rector civitatis alicujus, vel provinciæ. Unde *Strategi*, seu *Scholæ Strategorum* occurrunt, apud Guil. Bibliothecarium *in Hadriano II.* Græcè Στρατηγοὶ, pro Urbium Rectoribus, apud Harmenopulum *l. 5. tit. 11. §. 19.* Gregorius *Protospatharius & Straticus universæ Dalmatiæ*, apud Jo. Lucium A. C. 1036. Marianus *Anthypatus Imperialis Patricius & Strategus*, *i. e. Dux Calabriæ ac Longobardiæ*, apud Leonem Ostiensem *l. 2. c. 2.* &c. Hinc *Straticotia Civitatis*, Strategi præfectura, in *Charta* Friderici III. Siciliæ Regis A. C. 1302. Στρατηγὶς & Στρατηγάτον Græcis recentioribus, de qua voce vide Car. du Fresne *ad Annæ Comnenæ Alexiadem p. 399.* Alias Στρατηγὸς, *Dux exercitus* in genere, unde Στρατηγικὴ, posterior Politicæ pars, *de Re Militari* agens, de qua legendus *Onosander*, quem transtulit Joach. Camerarius, Vegetius, aliique, quos P. Scriverius edidit. Vide Voss. *de Philosophia c. 19. §. 26. 27. 28.* At *Strategemata*, scripsit è Latinis Frontinus: è Græcis, Polyænus, qui Antonino & Vero Imperator. venustâ dictione (Orator nempe & Patronus) octo libros condidit, de *Stratagematis* Græcorum, Romanorum, Barbarorum: quem Scriptorem, ære suô emptum, primus Græcè edidit Isaac. Casaubonus, Idem *ibid. §. 30.*

STRATEGIS, vide *Electra*.

STRATHERNIA, seu *Convallis ad Ernum*, provincia Scotiæ meridialis, seu Cis Taanæ, inter Albaniam & Atholiam provincias ad Boream, Perthiam ad Ortum & Menthitiam ad Occasum & Meridiem, Ejus caput Abernethæa, ad Tavum fluv.

STRATHNAVERNIA, provinc. Scotiæ, totius regni extrema ad Boream, Cornabiorum olim sedes. Habet à Septentrione & Occidente Oceanum Deucaledon. ab Ortu Cathanesiam, à Meridie Sutherlandiam & Rossiam. Sylvosa & vasta, montibus quàm vicis ditior. Dividitur in 5. regiunculas: *Halcundail*, *Strath-Navern*, *Kunthail*, *West Moan*, & *Durenisch*. Ejus oppidula præcipua *Inner Navern*, *Balna*, *Strathy*, & *Durenis*, &c. Dicitur quasi *Vallis ad Naveram*, teste *Timoth. Pont.*

STRATIA, urbs Arcadica, à Phauæi filia nominata; *Steph.*

STRATILATES, apud Joannem Diaconum in *Vita* S. Nicolai Episcopi Myrrh. *Tres militiæ Principes*, *quos Dolopes* Stratilates *vocant*, ex Græco Στρατηλάτης est: quâ voce *Magistratum Militum* indigitat *Zosimus*. Sic Jordanes, Arcadii principatu, Στρατηλάτης τῆς Ἀνατολῆς occurrit, i. e. *Magister militum per Orientem*, qui nempe pedites equitesque Magisteriô suô per Orientis diœcesim tenebat, in *veter. inscr.* apud Salmat. *ad Solin. p. 804.* quem vide.

STRATIOTICI, Græcè Στρατιωτικοὶ, i. e. *Militares*, dicti sunt in Ægypto Hæretici, qui alias *Borboriani*, h. e. *cœnosi*, à sceleratissima vivendi consuetudine, ex Valentini seminibus suborti: De quibus vide Irenæum *l. 1. c. 24.* Epiphanium *Hæres. 6. §. 3.* ubi de Gnosticis, qui iidem, Theodoretum *Hæret. Fab. l. 1.* & supra in voce *Milites*.

STRATIPPUS, filius Niciæ, Atheniensium ducis.

STRATIS, Poëta Tragicus, cujus Drama Ἀταλάντη laudant Scholia *in Aristophan. Ranas Act. 1. Sc. 2.* Iterum *Sc. 6.*

STRATIUM, urbs Acarnaniæ, *Steph.*

STRATIUS, Jovis cognomen qui apud Caras colebatur, Herod. *l. 5.*

STRATIUS, unus ex Nestoris filiis.

STRATO, Aradi insulæ, maritimæ circum oræ & plerorumque etiam à mari recedentium Rex, ab Alexandro Magno in fidem acceptus. Curt. *l. 4. c. 1.*

STRATO, Sidonis Rex, Darii cliens: quia deditionem non suâ sponte fecit, Alexandro summotus. Curt. *l. 4. c. 1.*

STRATO, Sidonis regulus, qui (ut *Hieronymus* scribit) manu propriâ se volens confodere, ne imminentibus Persis ludibrio foret, quorum fœdus Ægypti regis societate neglexerat, retrahebatur formidine, & gladium, quem arripuerat, circumspiciens, hostium pavidus exspectabat adventum. Quem jamjamque capiendum uxor intelligens, extorsit acinacem de manu, & latus ejus trasverberavit compositoque ex more cadaveri se moriens superjecit, ne post virginalia fœdera alterius coitum sustineret. Ælianus quoque *in varia historia*, *l. 7. c. 2.* Stratonem Sidonium quendam scribit in conviviis valdè delicatum, amicissimum Neoclis Cypri regis pari luxuriâ certantis, fuisse.

STRATO, Lampsacenus, Physicus dictus, fil. Arcesilai, discipulus Theophrasti Peripatetici, Præceptor Ptolemæi Philadelphi: Successit Theophrasto, Olymp. 123. docuitque Ann. 18. Scripsit de *Regno*, *Justitia*, *Bono*, &c. Diogen. Laërt. *l. 5.* Item, Medicus, discipulus Erasistrati. Item, auctor *Historiæ Philippi & Persei*. Item, Geographus, *Suid.* Item, *Epigrammatum* auctor. Item, Comicus poëta. Item, Medicus, *Aristot.* Item, Philosophus Peripateticus. Diogen. Laert. *in Stratone*, *l. 5.* Voss. *de Hist. Græc. l. 1. c. 20.*

STRATOCLES, Atheniensium Dux, Philippo Macedoni oppositus, quem dum astutè servatis ordinibus recedentem avidius persequitur & intra Macedoniam inclusurum esse se jactat, ab illo ingenti præliô victus est, ad Chæroneam, Polyæn. *l. 4. c. 2.*

STRATOCLIA, Asiæ urbs ad Bosporum Cimmerium, Plin. *l. 6. c. 6.*

STRATON, Adolescens Athenis mollitie infamis, quem merito levem & semimarem traducit Comicus, *Equit. 5.* Vide Scholia.

STRATON, antiquus Comicus, cujus Cinesiam laudant Schol. *in Aristophan. Aves.*

STRATONES, octo fuerunt. Primus Isocratis auditor. Secundus Lampsacenus philosophus, Theophrasti familiaris & successor, qui vocatus est Physicus, & Præceptor fuit Ptolemæi Philadelphi, scripsitque multos libros. Tertius, Medicus, qui Erasistratum audivit. Quartus, Historicus, quem tempore Ptole-

mæi

mæi Philometoris, & Persei ultimi Macedoniæ regis vixisse putat Voss. loc. cit. eò quòd illud potissimum bellum tractandum susceperit, quod Romani cum Perseo, & patre ejus Philippo gesserunt. Quintus quis sit, apud Diogenem desideratur. Omnino aliquid deest. Sextus est poëta, epigrammatum scriptor. Septimus, Medicus antiquus, etiam memoratus Aristoteli, sive Aristocli, prout legit Laërtii interpres. Octavus vocatur *Περιπατητικὸς βιβλιακὸς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ*, quem opus historicum de rebus inventis reliquisse scribit Clemens *l.* 1. *Strom.* Videmus interim, non meminisse Laërtium Stratonis Geographi, quem sub Tiberio vixisse ait *Suidas*. Sed fortasse is erat quintus, qui nunc desideratur. Mirum verò, quòd & Strato iste Amasenus fuisse dicatur. Nam Amasenus quoque erat Strabo, & Geographus quoque fuit, ac sub Tiberio vixit. Quare vel Suidas, vel librarius, Strabonem, Stratonemque confudisse videtur. Sanè hoc verisimilius sit, quàm, quod somniabat Franciscus Patricius, nobilem illum Geographum, quem veteres omnes *Strabonem* vocant, *Stratonem* dici oportere.

STRATONICA, Macedoniæ civitas in ora ad Ortum ad sinum Singiticum. *Ptol.* A *Stratonice* Antiochi uxore dicta. *Franco castro*: Fuit in Chalcidica provinc. ad radices Atho, in ora Boreali Sinus Singitici, 30. mill. pass. à Nymphæo promontor. in Occasum 20. ab Acantho in Ortum. *Sophianus*. Item *Stratonica*, seu *Stratonicia Strab.* urbs Cariæ Alabandis finitima, sed hodie jacet. Alia item erat in Lydia, & ipsa extincta.

STRATONICE, Ariarathis Cappadocum Regis filia, uxor Eumenis Pergami Regis, cui Attalum peperit, qui illi in regno successit. Strab. *l.* 13.

STRATONICE, filia Demetrii Poliorcetæ & Phyllæ, uxor Seleuci.

STRATONICEA, urbs Macedoniæ prope Chriam. Condita est autem ab Adriano, & *Adrianopolis* dicta. Est & aliud oppidulum juxta Taurum. *Steph.*

STRATONICUS, Citharœdus, qui habuit in ludo 9. Musarum imagunculas, & Apollinis unam, discipulos duos. Propterea interroganti cuidam, quot haberet discipulos, cum Diis, inquit, duodecim. Fuit & *Stratonicus* Philippi Macedonum regis, & Alexandri deinde filii Quæstor, homo ditissimus, ex quo illius nomen in proverbium abiit; sicut Crassus apud Latinos, uti *Diodor. Sic.* & *Ælianus* prodiderunt. Plautus *in Rudente, Actu* 4. *sc.* 2. *v.* 27. *Post animi causâ mihi navem faciam, atque imitabor Stratonicum, Oppida circumvectabor.*

STRATONIS Insula in sinu Arabico. Plin. *l.* 6. *c.* 29. *Strabo.*

STRATONIS Turris, vide *Cæsarea Palæstina.*

STRATOR, quis dictus sit olim, docet *Suidas*, qui quum dixisset eos qui Latinis *Stratores* vocantur, quia equum *sternerent*, Græcis, quia ab iisdem, quum equum ascenderent, in eum sublevarentur, Ἀναβολεῖς nuncupari: subjungit, *Ἀναβολεῖς δὲ καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων λέγουσι σκάλα.* Unde colligas, *Stratoris* officium fuisse, Principem equitaturum, in equum attollere; idque inprimis, ante repertum Stapiarum usum, quibus posteà inventis idem nomen, quod anteà fuerat *Stratorum*, hæserit. Ita & la Cerda, *ad Virg. Æn. l.* 12. *v.* 288.

——— *Aut corpora saltu*
Subjiciunt in equos.

Saltu: inquit, *signatè & propriè; Nam apud Veteres nullus usus Stapedæ, aut subicis pedauri. Hispani quidem* Estrivos *dicunt: sed Saltu fiebat ascensio: Senibus quidem & Principibus tollendis Vir erat huic rei præfectus, quem Spartianus in Caracalla & Ammianus l.* 30. *vocant* Stratorem, *Græci* Ἀναβολέα. *Inter equitandum autem pedes erant penduli* &c. Erigebant autem *Stratores* dextrâ manu equo insessurum; à quibus diversi erant, qui inclinati dorsum conscendenti equum domino præbebant, uti de Valeriano apud Saporem Persar. Regem & de Bajazethe apud Tamerlanem captivis detentis legimus, hi enim non *Stratoris* propriè munere, sed stapedæ seu scalæ, fungebantur. *Stratores* verò se præbuêre, Constantinus Sylvestro I. Fridericus Ænobarbus Imperator Alexandro III. Wenceslaus Gregorio XI. Conradus Urbano II. Palæologus Orientis & Carolus IV. Occidentis Imperatores Urbano V. Fridericus III. Nicolao V. Sigismundus Eugenio IV. &c. Pontificibus Romanis uti habet Domin. Macer *in Hierolex.* Vide quoque suprà, in voce *Staffa*. Nomen inde, quòd equum Domini *sternerent* hujusmodi ministri, eique sellam ac stragulum injicerent: Namque & eorum fuisse, equos Imperatorios curare, auctor est Ammianus *l.* 29. Vide Salmas. *ad Spartian. in Caracallo*, *c.* 7. *ad Treb. Pollion. in Valeriano*, *c.* 3. Voss. *de Vit. Serm. Lat.* Car. du Fresne *Not. ad Cinnam. p.* 475. & suprà in voce *Protostrator.*

STRATORES, dicti milites, qui castra præibant, ut loca accommodatiora ad traducendum exercitum facerent: de quo Vegetius *l.* 2. *c.* 9. Hôc etiam verbô usus est Otto Pont. Spiegel. *in illud Ligurin. l.* 2.

Strator erat de plebe quidam, neque nomine multum
Vulgato medica in castris mercede merebat.

Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.* Apud eosdem erat custodiæ reorum cura, uti discimus ex Cod. *Theodos. de custodia reorum.* Unde in *Passione* B. Cypriano duo Principes seu primates officii *Stratorum* Paterni Proconsulis Africæ nominantur, ad quos Cyprianus adductus est: *Venerunt ad eum duo principes, quorum unus officii Galerii Maximi Proconsulis Strator & alius equî Strator, & à custodia ejusdem officii, qui & in curriculum eum levaverunt.* Paulo pòst, *Et ita Cyprianus ductus ad Principem & Stratorem ejusdem officii est.* Vide Salmas. *ad Capitolin. in Marco. c.* 8. Hinc *Schola Stratorum*, de qua vide Macrum *in Hierolex.* Alii ab his, *Stratores lagunculorum*, i. e. compositores, memorantur Jo. Calvino *in Lexico Jurid.*

STRATOS, urbs Acarnaniæ, *Strabo*; in ipso limite Ætoliæ, 17. mill. pass. ab ora maris Ionii in Cæciam 30. à Sinu Ambracio in Eurum. *Baudr.* Liv. *l.* 43. Ætolis tribuit: *Stratos*, ait, *validissima tum urbs Ætoliæ erat. Sita est super Ambracium sinum, prope amnem Acheloum.*

STRATTIS, Olynthius, Historicus Græcus, Alexandri M. in militia comes. *Diarium, de rebus hujus, libris* 5. scripsit: Item *de ejus morte, de fluviis, lacubus & fontibus.* *Suidas.*

STRATURA, Græcè *ἀναβολική*, munus *Stratoris*, quem *ἀναβολέα* Græcis appellatum suprà diximus. Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano*, *c.* 45. Item species structuræ, illius potissimùm, quâ pavimentum, & ea, quibus incedimus, instruimus. Usitatum enim olim fuit & etiamnum est, ut pavimenta lapidibus strata, *straturis* ex tabulis factis hyeme tegerentur, tum ut commodior usus esset, tum ne marmora & lapides nimidum pedes refrigerarent. Qua de re vide Goeddeum *Com. ad l. malum navis*, 242. §. 4. *ff. de ver. & sig.*

STRAVA, seu STRABA, apud Jornandem *de rebus Geticis c.* 49. ubi de Attilæ funere, quid sit Luctatio Statii Interpreti, vidimus suprà, in voce *Straba*. At Wormius *in Monumentis Danic. l.* 1. *c.* 6. *p.* 56. ipsum convivium, in honorem defuncti celebratum, hâc voce innui contendit. Nec dissentit Martinus Schodelius *Disquisit. de Regno Hungar.* *c.* 181. qui ait *Stravam* esse vocabulum purum Scythico-Hunnicum, quo Hunni silicernium, quod ingenti comessatione concelebrari consueverit, denotârint. Vide suprà quoque in voce *Silicernium.*

STRAUBINGA, Bavariæ oppid. ad Danubium, cum ponte 6. milliar. German. infra Ratisbonam in Ortum Passavium versus 11. Aliàs *Servioderus*, ut quidam volunt.

STREBÆUS Jacobus Ludovicus, vide ibi.

STREBULA, apud *Plautum*, & *Strebula caro*, apud Arnobium *adv. Gentes l.* 7. ubi de sacrificiis earum, *Quæ causa, quæ ratio est, ut caro strebula separatim, rumæ, caudæ & plasea separatim, istium solum, omentum solum, augmentorum adjiciatur in causam*: Cimbrica vox *Festo est*, & coxendicem hostiarum denotat, seu carnem, quæ ex taurorum coxendicibus demebatur, ut cum reliquis, quæ hîc memorantur, partibus, augmenti locô, altari imponeretur, de quo usu diximus suprà voce *Prosiciæ*. Vide quoque Jos. Scaligerum *ad Festum*. Nomen ab à Græco *στρεβλὸς*, à *curvatura* &c.

STREHAMUM, oppid. Normanniæ, ad ostia Olinæ fluv. in littore maris Britannici 4. leuc. intra Cadomum in Cæciam. *Estrehan*

STREINIUS Richardus Liber Baro, Austrius, scripsit *de Gentibus & Familiis Romanorum* magni habitum Vossio librum *de Philos. p.* 69. It. *Commentarium de Rob. Bellarmini scriptis atque libris*; etiam scriptô editô libertatem Belgarum tuitus est, sed nomine suppressô. Zelô pro Religione Protestantium, quos omni ope apud Imperatorem juverat, inclytus, Dav. Chytræus *Epist. p.* 676. Obiit A. C. 1601.

Maximus ingenio, doctrinâ maximus heros,

judice Nath. Chytræô. Vide Anton. Teissier *Elog. Part.* 2.

STRELICI, pedites dicuntur sclopetarii Russorum, in quibus præcipuum robur militiæ eorum consistit: Equites verò omnes sunt ex Bojaris, ut vocant, i. e. Nobilibus. Et quidem in milite Russico laudatur inprimis obedientia, & laborum tolerantia. Paucis sunt contenti, alliô nonnunquam solô: ad oppida & castra defendenda aptissimi, in prælio campestri non eâdem virtute pollent; quippe semel in fugam versi adeò abjectô sunt animô; ut neque insequentibus resistant, licèt possint, neque mortem deprecentur, sed pro lubitu se occidendos hostibus exponant. G. Hornius *Orb. Politic. cum Not.* Menckenii *p.* 45.

STRENA, urbs Cretica, *Steph.*

STRENA, à Græco *στρῆνος* quòd missa, ut quis luxurietur & in deliciis vivat, dabatur apud Romanos *die religiosô*, *ominis boni gratia*, Fest. ubi eam *à numero, quò significatur alterum tertiumque venturum similis commodi, veluti Trenam, præpositâ S. literâ*, dictam ait. Meminit istius Q. Flor. Tertullian. *l. de Idolol.* ubi inter præcipua Romanarum solemnitatum festa, *Strenarum diem* fuisse indigitat. Usus & origo à Romuli tempestate. Q. Symmachus *l.* 10. *Ep.* 28. *Strenarum usus adolevit auctoritate Tatii Regis qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ, anni novi auspices, primus accepit.* Receptam eandem Kal. Jan. solemnitatem, idem non obscurè indicat, *eôdem l. Ep.* 20. *Kalendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis* Strenis *dicavit Antiquitas.* His enim Kalendis amici lætis precationibus faustum sibi invicem ominabantur. *Plin. Ovid.* simulque boni ominis causâ munera sibi mittebant, caricas, caryotides & mella, ut dulces dies anni à dulcibus auspicarentur rebus: stipem item, i. e. nummum signatum, quæ omnia simul *Strenas* appellârunt. Nec nomen hoc aliud quid, quàm bonum omen significabat, Festus *l.* 17. Unde Plautus *Sticho*, *Actu* 5. *Sc.* 2. *v. ult.*

Bona scæva, Strenaque obviam accessit mihi.

Eô itaque die, qui *Strenas* mittitabant, prodigii instar habebantur verba ominosa, ut pluribus docet Lipsius *ad Taciti Annal.* Atque eam ob causam *novus Consul*, *omina fausta captaturus*, *Annum novum incipiebat*, Aur. Cassiodorus *l.* 2. *Ep.* 1. Statius *Theb.*

——— *Insignemque aperit Germanicus annum.*

Nec verò munera hæc, lætitiæ insignia, aliô nomine, quàm *Strenarum* appellatione, venire fas erat: Proin Ulpianus, quod *Ἐπινομίδα*, i. e. *Distributionem largitionemque* vocâsset, dictam à Romanis Strenam, à Cynulco reprehenditur, apud Athenæum *l.* 3. *c.* 10. Dona

hæc,

novâ ductu manufcula interpretatur, Symmachus *l.* 10. *Ep.* 28. offerri solebant Patronis à clientibus, uti discimus ex Martiali *l.* 8. *Epigr.* 33. *v.* 13.

Hic lintur sputo Jani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.

Ubi Heraldus: *Cum caryota simul & assem porrigebant pauperes. Nam ineunte anno stips Jano offerebatur: Sic & Diis suis penatibus singulis Kalendis pecuniolam aliquam porrigebant.* Quod verò de *sputo* ait Poëta, interpretatur is *de tenui corio, crusta vel tectorio, an forte in deaurando sputo vice gummi usi?* Aliud tibi suggeret, quod supra diximus, in voce *Sputum.* Amici sibi invicem, passim apud Auctores. Donec, constitutâ per Oct. Augustum Monarchiâ, mos inolevit, ut Senatus totaque Civitas, velut publico Parenti, Imperatori quoque *Strenas* mittere cœpit. Sueton. *in eo, c.* 57. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant, item Kal. Jan. Strenam in Capitolio, etiam absenti, ex qua summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandaliarium & Jovem Tragœdum.* Post quem mos idem sub Tiberio Principe retentus, teste Eodem *in Tiberio c.* 34. *Quotidiana oscula prohibuit edictô, item Strenarum commercium, ne ultra Kal. Januar. exerceretur.* Impudentiùs multò scurriliusque Caligula, apud Eund. *c.* 42. *edixit & Strenas ineunte annô se recepturum, stetitque in vestibulo ædium Kal. Jan. ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus & sinu omnis generis turba fundebat.* Adeoque non accipiebant modò *Strenas* Imperatores sed & emendicabant stipes, ut etiam videre est in Augusti vita, apud sæpius laudatum Auctorem *c.* 91. Interim non accipiebant modò, sed & dantibus sibi atque offerentibus *Strenas* pares aut majores reddebant. Suetonius iterum *Tiberio c.* 34. *Consueverat & quadruplam strenam & de manu reddere, sed offensus, interpellari se toto mense ab iis, qui potestatem sui die festo non habuissent ultra non reddidit.* Idem proin, ne *Strenæ* ampliùs darentur, edictô perpetuô cavit, cujus quoque meminit Dio Coccej. *l.* 57. quod similiter fecerunt Cajus & primæ Ecclesiæ constitutiones *cap. non observetis c.* 26. *quæst.* 7. *Non observetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Kal. Januar. in quibus cantilenæ quadam & comessationes & ad invicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio.* Quò referendum & illud Tertulliani *l. de Idolol. Saturnalia & Kal. Januariæ & Brumæ & Matronales frequentantur, munera commeant,* Strenæ *commeant, lusus, convivia constrepunt.* Sed hæc de *Strenarum* abusu, non verò legitima consuetudine, intelligenda sunt, quam utique Imperatoria edicta admiserunt. Anastasius Aug. Eustathio *l.* 4. *C. de advocat. divers. Judicum. Laudabile vitaque hominum necessarium advocationis officium maximè Principalibus officiis oportet remunerari, ideoque jubemus viros Clarissimos, Fisci pro tempore, Patronos Fori tuæ Celsitudinis, solemni die festivitatis Kalendarum Januar. ipsius tantummodo anni, quem per tale peragunt officium, inter Spectabiles sacri nostri Consistorii Comites, divinâ Serenitatis nostræ manu punctis, consequi solatia.* Ubi *solatia* glossa Accursiana *Strenas* reddit: quanquam alii ex Ulpiano *l.* 1. *ff. de Commun. præd.* interpretentur *laboris præmia, mercedem.* De *Strenis*, præter consueta salaria, ab Imperatorib. missis Professoribus, diximus *alibi.* A *Strenis* distinguenda Xenia & Apophoreta, de quibus *suô locô.* Præfuit autem *Strenis* Dea *Strenia*, de qua hic *infra.* Addam saltem, tributi seu vectigalis speciem, apud Dalmatas & Croatas, Venetis vel Hungariæ Regibus, quibus subinde paruêre, solvi solitam, ultroneæ pensitationis, velut *strenarum*, vice, dictam hinc fuisse *Strinam* seu *Strenuum*: uti discimus ex Jo. Lucio *de Regno Dalmat. l.* 3. *c.* 10. Auctor enim est Constantinus *de Admin. Imp. c.* 29. Basilium Imperatorem suasisse Dalmatis, ut, quæ Prætori hactenus solverant, ea Sclavis darent pacis causâ & Prætori exiguum quid dependerent, quò debitam Imperio subjectionem testarentur. Sed & in urbe Roma hodieque morem obtinere, ut *strenam*, & quidem satis importunè, servi ab heris suis exigant, quo de sic Car. Mecet, *Tantus inolevit servitiis insolentiæ abusus, ut quasi de jure sibi debitum proventum prætendat, quam* Mangia *vocant, unde intolerabiles Molestiis. Aulicis & Longantibus sunt prorsus tales Ministrorum importunitates*, in hac voce, quam apud Siculos, & Melitenses hodieque retineri addit.

STRENIA, Dea memoratur Varroni *de L. L. l.* 1. *Ceroliensis à Carinarum junctis dictus, Carinæ, postea Ceriona, quòd hinc oritur caput sacræ viæ, à Streniæ sacello.* Item Festo Pomp. *l.* 17. *Itaque neque eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est à Regia, ad domum Regis Sacrificuli, sed à Regis domo, ad Sacellum Streniæ.* Quô locô imperitè quidam *Sireniæ* legerunt: Nam *Streniam* Deam dictam, quæ *Strenis seu muneribus Kal. Jan. dandis accipiendisque præesset*, auctor est Augustin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 16. *Cui à strenuitate* aut bellica fortitudine nomen deductum, *Id.* Non. Marcellus *c.* 1. *num.* 56. *ex Pomponio in Pictoribus, Asside,*

Si qua est alia ventura Strena strenuè.

Et hæc ratio, quòd Tatius, quem primum *Strenarum* auctorem fuisse vidimus, has accepit, quia *strenuis illas viris convenire* judicavit. Sextus Rufus *p.* 229. *Streniæ*, (ubi corruptè quidam *Sirenæ* reposuerunt) sacellum, in 4. regione constituit: Alii ædiculam nominant. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 4 *c.* 5. & Dempsterum *in eum Paralipom. l.* 1. *c.* 13. Casaubon. *ad Athen. l.* 3. *c.* 18. & *ad Suet. Aug. c.* 57. Alios.

STRENGNESIA, urbs Sudermanniæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Upsalensi. Clara Caroli IX. tumulô, in ora Meleri lacus, 8. leuc. Suecic. ab Holmia in Occasum, Toesiliam versus 3.

STRENSUNDA, vide *Hunonia.*

STRENUA, Dea, quæ & *Strenia* dici videtur Varroni, *loc. cit.* D. Augustin. *loc. cit.* à *strenuè* faciendo denominatam ait. Lil. Gyraldus *Synt.* 1. *l. Hist. Deorum.* Imò meliùs *Strena*, vide ibi.

STREPITUS Obscœnus, apud *Petronium*, Græcè πορδὴ & ἀνατροπὴ, Alex. Aphrodis. *l.* 1. *Problem.* 164. inter Ægyptiorum olim *sacra numina.* Minucius Fel. de iis, *Nec Serapidem magis, quam Strepitus per pudenda corporis expressos contremiscunt.* Ubi liceat usurpare, quod Hieronym. *in Esai.* dixit *l.* 13. de Pelusiaco cepe; *Horribile & formidolosum fuit hortensis apud Pelusium Dei dissipasse tonitru, quo decussi Canidiæ dentes & exturbatum Saganæ caliendrum.* Et *Martialis Epigrammate* 78. *l.* 12. *videtur misellus Atheniensis, qui Jovem salutans in Capitolio pepedit, adfectus ob istud Regnium tamquam decidium.* Cato, *orat. de Sacrileg. Dum cum auspicamus, inquit, servi, ancillæ, siquis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit.* Fatuamque admodum circa hæc superstitionem Metrodis, Theophrasti discipuli, narrat *Laertius.* Et est Nicarchi *Epigramma* εἰς πορδὴν, quò dicatur, non minùs ac Reges, jus vitæ necisque habere. Inde igitur Ægyptiorum veneratio orta: Πορδὴ ἀπαγχονίζει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα. Vide Nic. Rigaltium *ad Minucium Felic.* & suprà voce *Hiatus.*

STREPIUS, prænomine *Gregorius*, vulgò *Grisca Utrepaja*, juvenis origine Russus, à Polonis à prima juventa ad futuram sceptri præparatus ac præceptis imperii egregiè imbutus, Theodorô M. Moscorum Duce defunctô A. C. 1605. & Borisio affini Imperium invadente, è Schola Jesuitarum privata progressus, Demetrii dudum extincti nomen ac personam adsumere, sese legitimum hæredem jactare, apud vulgus fidem reperire, totius denique Russiæ Monarcha fieri; quô eventu, vide suprà ubi *de Pseudo-Demetrio I.*

STREPSA, urbs Macedoniæ. *Steph.*

STREVELINUM seu STERLINGA, vide ibi. Urbs in limite Menthitiæ. 12. milliar. Scot. ab Edimburgo in Occasum 3. à Dumblano in Meridiem. Ibi sæpe Comitia regni celebrantur.

STREVINTA, Germaniæ oppid. *Ptol.*

STRIA, an à *stringendo*, an quòd *striga* quædam sit certæ cavitatis & eminentiæ? Hinc *striatæ columnæ*, in quibus *strigiles*, vel *strigiæ* sunt canaliculi, seu *striarum cavi*, ut *striæ* ipsæ, ἐξοχαὶ & partes, quæ eminebant. Cujusmodi *striis* seu rugis, non fortè, sed industriâ, factis, togas Veterum antè & retro multiplici contabulatione strui & ordinari consuevisse, umbone vel umbilicô omnes togæ plicas, quasi nodô quôdam, constringente, docet Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c.* 5. Græcis tunicas, quæ sic *striabantur*, κολοβωτοὺς χιτῶνας, dictas esse, vidimus suprà in voce *Stola.* Vide quoque infrà in voce *Talia*: de *Striis* verò columnarum, Savaronem *ad Sidonium l.* 4. *c.* 8.

STRICTA Frons, apud *Petronium,*

Quid me spectatis cum stricta fronte Catones?

rugata est: subintellectâ voce, quam supplet *Appulejus Strictam rugis frontem* dicens, ubi tamen alii *striatam* legere malunt. Metaphorâ desumtâ à tunicis, quæ *strictæ Hieronymo*, κολοβωτοὶ Græcis, rugas & plicaturas habebant, uti diximus. Unde *strictæ mentes*, pro severis & tetricis. Manilius, *l.* 2.

——— & strictas pondere mentes.

Et *stricti Catones* eidem, *l.* 5.

——— ——— nec crede severa
Frontis opus signo, strictos nec crede Catones.

At *stricti*, de avaris & sordidis aliâ ratione dicuntur, apud *Firmicum*, ubi largis opponuntur & liberalibus: à vestibus itidem, quæ corpori pressè adhærent, σπιχάρια Græcis, *strictoria* Latinis recentioribus, *justaucorps* Gallis dicta, translatô vocis usu. Vid. Salmas. ad Capitolin. *in Maximo & Balbino, c.* 6. nec non *ad Vopisc. in Aureliano, c.* 46. *Stricturæ* verò, *Nonio* propriè *scintillæ sunt, quæ de ferro fervente micant, cùm tunditur.* Item ferri massæ, seu laminæ, cum varia ejus frusta in unum coëunt, à *stringendo* & colligando, Unde *in stricturam cogi* Latini dicebant, quod in massam ac corpus stringitur & ligatur, ac in unum coit, Græci συνεστάναι vocârunt. Vide quoque infrà in voce *Strigiles.*

STRICTI Fontes, castrum Galliæ, 3. leuc. ab urbe Tolosa, vulgò *Castel-nau de Stretefons*, à strictis, i. e. oris angusti fontibus cognominatum. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall*

STRIDERE, à serra, dentibus, sagittis inprimis, ad animas corporibus excedentes, ab Homero primùm translatum est, qui verbum τρίζειν de illis passim usurpat. Unde ad versum hunc Statii *Theb. l.* 4. *v.* 428.

Hujus inadspecta luco stridere sagitta.

sic Priscianus *l.* 1. *c.* 9. *Strideo quoque stridi facit — i. autem tam in præsenti, quàm præterito, productam habet. Virgilius in VIII. — stridunique cavernis Stricturæ chalybum. Lucanus l. VI. Auribus incertum feralis strideat umbra — Actius in Alcestide, Constriderat retracta rursus inferis* &c. Ubi notabilis hic postremus versus est, propter sonum umbræ *stridentis* affectatum. Virg. *Æneid. l.* 12. *v. ult.*

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

STRIDON, urbs Pannoniæ superioris in Illyrici confinio sive è contra, S. Hieronymi solum natale, intra Petram Pilosam, Porculam & Primentum, *Blondus*, à Gothis versum. *Hieronymo Sdrigna*, seu *Sdrin*, teste *Blondô* cum aliis, oppid. & Comitatus. Fortè *Sidrona Ptolem.* Aliis fuit ad Muram fluv. in Stiria hodie, 15. mill. pass. infra Rakelspurgum in Eurum, versus confluentes Muræ in Dravum totidem, prope oppid. Limbacum inferius.

STRIGA, castrense vocabulum, in qua equi ordine dispositi tenebantur in castris. Imò & milites per strigam sub papilionibus tetendisse, Hyginus docet *Gromaticè de Castrametatione*. Erat enim *Striga* spatium in castris longum pedes 120. latum pedes 60. quod in duo semistrigia dividebatur, latitudine singulâ pedum 24. ex quibus decem dabantur Papilionis tensuræ; quinque armis, jumentis novem: inter duo semistrigia pedes patebant duodecim, qui conversantium spatio sufficerent. Sic *Striga* integra lata erat pedes 60. per longitudinem verò semistrigiorum, ab utroque latere, tendebantur decem Papiliones, qui singuli decem pedes occupabant, & pro incremento tensuræ, ut intervallô aliquô separarentur, pedes binos, fiunt pedes 120. adeò quæ longitudo erat unius semistrigii atque strigæ. Sic dimidiô longior, fuit striga. In agris quoque dividendis *strigam* vocabant, quod in longitudine dimidiò plus habebat, quàm in latitudine; ut *scamnum* contrà. Imo in genere ordo rerum continuatè inter se collocatarum, *Striga* dictus, *Festo*. Ab hujusmodi verò *strigis castrensibus*, appellata sunt *Strigaria septa*, in quibus exerceri docerique consueverant equi, quos Circo præparabant: Nec aliunde dicta *Trigaria septa*, vicina Equitiis, in IX. regione urbis collocata Victori. In iisdem equi *strigabantur*, ait *Charisius Sosipater*, & venales à Mangonibus videntur habiti &c. Sed & ipsi equi *strigare* dicebantur, cum interquiescebant, quod velut in *striga* politi cessarent. Alii tamen *strigarium*, à *striga* malunt deducere, quæ ψήκτρα aut ξυστρα significat, ut sit ψηκτήριον, in quo scil. equi destringuntur, vel, quod idem est, *strigantur*: *Striga* autem à *strigo*, pro *stringo* est, quod inter alia & ψήχειν notat. Inde diminutiv. *strigula* & *strigila*, ἡ ξύστρα. Quô pactô *strigam* etiam Latini cimoliam dixere, quâ utebantur ad desquamandas ac poliendas vestes apud fullonem. A *striga* itaque, τῇ ψήκτρᾳ, dictus equus *strigosus*, male habitus, impolitus, qui strigâ nimirum opus habet, ὁ ψηκτός. Sic *strigare* equum, est ψηκτρίζειν τὸν ἵππον, & *strigarium*, locus in quo strigatur & reliquis exercitiis curatur, Italis hodie *Maneggio*. Inde & *strigare* videri possit dictum, pro cessare & quiescere: nec enim currendo, sed stando curantur equi &c. Ab equis vox ad homines translata est, qui *strigare*, h. e. resistere, & restringere cursum dicuntur Plinio *l.* 18. *c.* 19. & Senecæ *Ep.* 31. Unde *strigillare* & *obstrigillare*, pro obstare, & impedimento esse, apud Varronem *de Vita Pop. Rom. l.* 4. & Ennium, Nonio laudatum *Satyr. l.* 2.

—— restitant,
Occurrant, obstant, obstrigillant, obagitant.

Hincque *Obstrigillum*, de annuli pala, & *obstrigilla* soccorum, apud Plinium *l.* 9. *c.* 35. Quam in rem vide pluribus disserentem Salmas. *ad Solin. p.* 55. & 56. Addam hoc unum, apud recentioris ævi Scriptores, *Strigam* quoque Veneficam dici, quæ & *Stria*. Unde *Strioportius*, qui *strias* ad nocturna sacra deportare credebatur, in *L. Sal. tit.* 57. §. 1. an à *Strix*, de qua voce infrà.

STRIGELIUS Victorinus, Kaufburâ Suevus, Philosophus Theologusque insignis. Jenæ primùm, inde Lipsiæ, tandem Heidelbergæ, Theologiæ Professor, Melanchthonis præceptoris sui methodô feliciter usus est. Interfuit Colloquio Altenburgensi, A. C. 1568. Obiit A. C. 1569. ætat. 45. Scripsit complura, quorum seriem habes in *Elogiis* A. Teisslier *part.* 1. vide quoque Melch. Adami *Vit. Theol.* Thuanum *Histor.* Quenstedium *de Patriis Illustr. Vir.* Alios. Volumina 2. *Epistolar. Mss.* Tiguri asservantur in Bibliotheca Hottingeriana. Teissier *Part.* 2.

STRIGILIS, inter Aliptæ olim instrumenta, quæ erant *Strigilis*, *Lintea*, *Guttus* &c. Seneca *Ep.* 95. *Vetemus lintea & Strigiles Jovi ferre, & speculum tenere Junoni. Non quærit ministros Deus. Quidni? ipse humano generi ministrat.* Juvenalis *Sat.* 3. *v.* 263.

—— —— Domus interea secura patellas
Jam lavat, & buccâ foculum excitat & sonat unctis
Strigilibus, *plenô componit lintea guttô.*
Hæc inter pueros varie properantur, &c. ——

Nempe, qui loturi vel sese exercitaturi in Gymnasium veniebant, majori ex parte spoliabantur in Apodyterio: posteà horum nonnulli, & præsertim, qui vel luctam, vel pancratium inire intendebant, in quarta Gymnasii parte, quæ *Elæothesium*, Polluci Ἀλειπτήριον, Plin. Jun. *l.* 2. *Ep.* 17. *Unctuarium*, dicta, ungebantur, atque ita ad locum, ubi erat pulvis, transeuntes, pulvere conspergebantur, sicque deinceps in exercitationes diversas diversi prodibant. Postquam verò sese, quantum lubuerat, exercuissent, ad Alipterium revertentes, ibi à Mediastinis & Reanctoribus *Strigilibus* ferreis detergebantur; in qua detersione oleum, pulvis & sudor, quæ deradebantur, simul mixta in usum Medicum adservabantur, & ab Atticis κονίσαλος, ab aliis verò πάτος, vocabantur. Fuêre autem hæ *Strigiles* ferreæ, ut dictum, de quibus etiam Martialis *l.* 14. *Epigr.* 51.

Pergamus has misit curvô destringere ferrô
Non tam sæpe teret lintea Fullo tibi.

Sed & aureæ, argenteæ, corneæ, eburneæ, æneæ, ad strigmenta hæc & sordes Gymnastarum deradendas adhibebantur. Atque ænearum quidem, quæ olim inter Trajani Imperatoris Thermarum ruinas inventæ sunt, iconem exhibet *Mercurialis*. Similiter *Pignorius* antiquæ *Strigilis*, quam vidisse se ait apud *Nicol. Fabricium*, exemplum Lectori curioso subjicit: quô typô Appuleji *Florid.* verba explicat, *Juxtaque honestam strigileculam, rectâ fastigiatione clausulæ, flexâ tubulatione ligulæ; ut & ipsa in manu capulô moraretur & sudor ex ea rivulô laberetur.* Per tubulationem quippe ligulæ sudor dilabebatur: Ligulam autem vocat partem incurvam superiorem, quod sit non absimilis ligulæ, oblonga, fornicata & contracta; cujusmodi argenteam eleganter elaboratam Romæ spectâsse apud Lxl. Paschasium, inscriptam CRES✱CENTIA, idem Pignorius tradit. Ex hâc *Strigilis* parte Medici videntur usi quoque fuisse aliquando. Scribonius Largus *Compos.* 39. *Ad auriculæ & tumorem & dolorem facit ..., prodest herba urceolaris aut cucurbitæ ramentorum succus tepens per Strigilem in foramen auris dolentis infusus.* Vide quoque Plin. *l.* 25. *c. ult.* Balneorum *Strigiles* verò plerumque erant spongiæ, vel linteæ, neque communiter semper administrabantur, sed quisque propriam secum afferebat, ut innuat Persius *Sat.* 5. *v.* 126.

I puer & Strigiles Crispini ad balnea defer.

Quod autem suprà Martialis dixit, *Pergamus has misit*, sunt qui inde colligant, vel inventas primitùs in illo Asiæ oppido, vel plerumque inde *Strigiles* allatas fuisse. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 8. Laur. Pignorium *Comment. de Servis*, Fabricium *Romæ* &c. Quia autem hôc munere defungi inter alia quoque Parasiti amabant, hinc *strigilem* illis & ampullam tribuit Plautus, *Pers. Actu* 1. *sc.* 3. *v.* 44. Vide Jul. Cæs. Scaligerum *Poetices l.* 1. *c.* 24. Origo voci à *striga* ceu *strigila* est, quomodo striarum σύριγγας seu cavos dictos esse, suprà vidimus. Sic enim & in *strigilibus* canaliculi erant, quibus sudor defluebat. Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c.* 5. Vide etiam suprà in voce *Striga*. At apud Plinium *l.* 33. *c.* 3. *Strigiles* vel *Strigiles*, sunt auri parvulæ massæ, quod purum putumque in metallo vel ramento capiebatur: à *stringendi* vel ligandi notione, quod aurum in has massulas *strictum* ac per se coactum, nihil terreni admixtum haberet: ad quem locum vide Salmas. *ad Solin. p.* 1082.

STRIGLATA Vasa, in *Glossis* veterib. ξυστωτά; à *striga*, ξύστρα, de qua voce dictum. Aliâ notione, *Striglatas stolas* vertit σωληνωτὰς στολάς, apud *Cedrenum*, Salmas. Nempe vestium rugas, quæ in *strias* deducebantur ac ordinabantur, σωλῆνας, h. e. *tubulos*, Græci vocaverunt. Unde *expeditior canabulatio*, in veste Isidis, apud *Appulejum*. Sic itaque σωληνωταὶ στολαί, *striglatæ* sunt, seu canaliculatæ, cùm in columnis striatis *striglas* & *strigiles*, cavos striarum appellari constet, uti dictum supra in voce *Stria*. Vide Salmas. *ad Tertullian. ubi supra.*

STRIGMENTA, vide suprà *Strigilis*, it. *Palæstra*.

STRIGONIUM, Hungariæ urbs ad Danubium, ubi Granum recipit, 6. milliar. German. ab Alba Regia uti à Buda, Comaram versus 6. *Aquincum* olim quibusdam. A Turcis capta A. C. 1543. recepta à Rodolpho II. nunc iterum sub Turcis. *Gran Lazio*.

STRIGULIA, hodie *Chepstow*, teste *Lelandô*, oppid. Albionis in Wallia contra Bristolium, inter Glocestriam ad Ortum, & Landavam ad Occasum, ad 20. mill pass. ab Herefordiâ tondem in Austrum, in Monumethiæ Comitatu ad Confluentes Vagæ in Sabrinam, 18. mill. pass. à Bristolio in Boream Monumethiam versùs 10. *Baudrand.*

STRINGERE Metam, toties Scriptoribus, ubi de Circo, pro artificio positum, est proximè ipsam rotas circum vertere, in quo magnum ad victoriam momentum. Unde Statius *Theb. l.* 6. *v.* 440.

Speravit flexæ circum compendia metæ
Interius ductis Phœbeius augur habenis
Anticipâsse viam, nec non & Thessalus heros
Spe propiore calet, dum non cohibente magistrô
Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.

Cùm enim septies in orbem circumagenda meta esset, qui breviore gyrô eam circumibant, curricula sua absolvebant citiùs: sed artis hoc erat. Ovidius *Amor. l.* 3. *El.* 2. *v.* 69.

Me miserum, metam spatiosô circuit orbe;
Quid facis? admotô proximus orbe jubi.

Qui & sinistrum mox orbem, utpote interiorem, commendat euranti, *v.* 71.

—— perdis bona vota puellæ.
Tende precor validâ lora sinistra manu &c.

Vide Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* Sed & *stringere*, de auro usurpatum Veterib. quod igne conflatum in unam massam cogebatur, ut vidimus suprà in voce *Strigilis*: ut alias verbi notiones omittam.

STRIPINIACUM, vide *Sterpiniacum*.

STRIX, apud Horatium *Epod. od.* 5. *v.* 20.

Plumamque nocturnæ Strigis,

Statium *Theb. l.* 3. *v.* 511.

Nocturnæque gemunt Striges ——

Alios: Hebraicè בנות יענה *babbenot iaana* est nonnullis, apud Jeremiam *c.* 50. *v.* 39. qui ululæ quondam speciem *Strigem*, & ἐλεολογία fic reddi Græcè, in *Glossario* antiquo, volunt, eamque ajunt solitudinis amantem, cujus voces tristes ac ferales semper fuerunt existimatæ. Iidem *strigum* proprium esse volunt τὸ τρίζειν, *stridere*, unde & nomen accesiunt. Sic Ovid. *Fastor. l.* 6. *v.* 139.

Est illis Strigibus *nomen: sed nominis hujus*
Causa, quòd horrendum stridere nocte solent.

Verùm nec τὸ τρίζειν, Strigum proprium, cùm & passeribus tribuatur: nec *Strix* verum animal est, uti vel ex Plinio constat, *l.* 11. *c.* 39. *Fabulosum enim arbitror de* Strigibus, *ubera eas infantium labris immulgere, esse in maledictis jam antiquis strigem convenit: sed quæ sit avium, constare non arbitror.* Ubi quod de *infantibus* habet, confirmatur ex Sereno *c. de infantibus dementatibus & strige vexatis.* Ubi tamen per *Striges* sagæ potiùs intelligendæ videntur, quas, sicut Caprimulgum & Lilith, pueris dormientibus insidiari credatas, allio, alysso, vel re turpi in collo ex annulo appensâ, abigere se Roma-

Romani erant perfusi. Certè Maleficæ fœminæ, & quasi Lemures, *Stria* & *Striga* recentiori ævô, hodieque Italis *Strighe* vocantur. De *maledictis* verò, notum in Græcorum diris & execrationibus *Striges* advocari: Στρίγγ' ἀποπέμπειν νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀνώνυμον ὄρνιν κτλ. apud Dalechampium *Not. ad l.* Sed *nec dubitamus*, ait Barthius, *primis Mundi temporibus, Dæmonibus omnia latè tenentibus, visibilia talia monstra hominibus nonnunquam insultâsse, eosque affixisse: cùm plurima antiquissima literæ in talia consentiant, quarum consensus, etsi fabulis res gestæ sint undique dilatatæ atque confusæ, raro non aliquid veri in penitiori sinu gerit. Animadvers. ad Statium Thebaid. l. 1. v. 601.* Apud Abdiam verò, *Strix*, pro *hystrix* poni, cùm ait, *Habebant alas spineas, sicuti strix*, docet Salmas. *ad Spartian. in Adriano c. 27.* & *Capitolin. in Marco. c. 1.*

STROBILUS, Græcè στρόβιλος seu στροβίλιον, propriè *pineam nucem* significat, qualem in insignibus suis Augustam Vindelicorum præferre, ex Velsero diximus, *suô locô*: ob similitudinem, Inauris genus, gestamen ex auro Barbarorum quorundam. Ideo Beatus Rhenanus, cùm apud Tertullian. *l. de veland. Virgin.* putâsset in prima sua editione pro *Crobulos Barbarorum* legi debere *Scrobulos*, quod diminutivum est à *scrobe*, aurium nempe foramina, per quæ Barbari trajiciebant gemmas & annulos; in altera editione reponit *Strobulos*. Et certè στρόβιλος Julio Polluci *Onomast. l. 5. c. 9. n. 17.* & *l. 4. c. 10.* Latinè *turbo* redditur à Rud. Gualtero. Et apud eundem, *l. 5. c. 16.* στροβίλια, *Inaures*, in mundo muliebri, inter ἐνώτια, ἑλικτῆρας &c. reponuntur, quas Interpretes *Rotulas* reddunt: Unde colligere est, Inaures fuisse formâ rotundâ, seu turbinatâ, qualis pineæ nucis. Hinc Bartholinus Proverb. *c. 25. v. 12.* ex vulgata Versione, *Inauris aurea & margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem* ubi נזם זהב וחלי כתם Schol. ἐνώτιον χρύσεον καὶ πίνωσις χρυσῆ, *Inauris aurea & pinosis aurea*: per *Pinosin* intelligi posse ait, istiusmodi Inauris genus, pineæ nucis seu *Strobili* formam referens. Nisi meliùs pro *Pinosi* Hieronymus vertat *Margaritum fulgens*, LXX. σάρδιον πολυτελές. Chald. Paraphrastes, *vasa smaragdina*, vide Casp. Bartholin. *de Inauribus Veterum c. 3.* Sed & Στρόβιλος, saltationis genus Veterib. & quidem ex fœdis fuit, à *versatione* nomen nactum. Eôdem vocabulô motus is insignitus est, cùm in modum *turbinis* versarentur, quod hodieque fit. Vide Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtices l. 1. c. 18.* ubi de *Saltatione*.

STROBOS, arboris genus, apud Plin. *l. 12. c. 17.* *Petunt & in Carmanos arborem* strobum, *ad suffitus, perfusam vinô palmeô accendentes. Hujus odor redit à cameris ad solum jucundus, sed aggravans capita, citra dolorem tamen. Hôc somnum ægris quærunt. His commerciis Carras oppidum aperuêre, quod est illis nundinarium* &c. Recentioribus *ladanum Arabicum* est, qua de re vide Salmas. *ad Solin. p. 363.* & *367.*

STROBUS, urbs Macedoniæ, Romanorum structura. *Steph.*

STRODUS Radulphus, vide *Radulphus*.

STROE, urbs Libyæ. *Steph.*

STROEBUS, Byzantis frater. Vide Steph. in *Gynæcopolis*.

STROGOLA, urbs Lydiæ. *Steph.*

STROMA, una Orcadum, 2. milliar. à Cathanesia provinc. cujus nunc pars est, in Pictico Freto. Parva.

STROMA, Græcè στρῶμα, culcitra est sive stratum variis coloribus contextum; hinc titulus Operis Clementis Alexandrini, ob rerum in eo contentarum varietatem, sic dicti. Quam ob causam & ipse Auctor Στρωματεὺς à Græcis passim vocatur. *Octo* autem Στρωματέων *libros* habemus, uti videre est in voce *Clemens*.

STRONGOLI, vide *Pergola* & hîc infrà.

STRONGYLA, Salmasio statua dicta est pectore tenus, quæ scutô rotundô continebatur. Unde is apud Tertullian. *l. de Pallio*, *Aurem quoque foratu effœminatus, quod illi apud Sigeum statua servat*: pro *Statua* legit *Strongyla*, sensu manente eôdem. Sermo enim ibi de statua Achillis, quam apud Sigæum Inauribus ornatam monuit Servius *ad Æn. l. 1.* ubi ait, *apud Sigæum Achillis statuam fuisse, quæ in ima auris parte elenchum more fœmineô haberet*; Id quod Tertullian. dixit, *Aurem foratu effœminatus*. Vide eundem *ejusd. l. c. 10.* Ex Græco στρογγύλη: quomodo absolutè Scriptor is vocavit τὴν ἀσπίδα sive εἰκόνα, in qua solus vultus erat expressus. Κύκλους & δίσκους etiam appellatos esse, & θυρεοὺς Græcis, notum. Latini *Clypea* vel *Clypeos* appellârunt, qui rotundi sunt. Nempe στρόγγυλον, *teres* est & rotundum, σφαιρικόν. Unde στρογγύλαι nuces, στρογγύλα mespila, & στρογγύλη, genus aluminis, à figura dictum, ut Bolites lapis. Vide iterum Salmas. *ad Solin. p. 708. 869.* & *1166.* ut & suprà in voce *Clypeus*.

STRONGYLE, insul. maris Tyrrheni, non procul à Sicilia, una Æolidum, ignivoma, 30. milliar. à Lipara in Cæciam, 40. ab Amantea oppid. Calabriæ citerioris. Hujus incolæ triduô antè ex fumo prædicere solebant, quinam flaturi essent venti; unde factus est locus fabulæ, ut Æolus, qui in hac insul. regnabat, ventorum rex crederetur. Plin. *l. 3. c. 9.* *Tertia Strongyle in qua regnavit Æolus*. Servianum fragmentum: *Æolus Lipari filiam Cyaneam in matrimonium sumpsit, & Strongylam insulam, in qua maneret, accepit*, Stromboli *Leandro* dicitur. A rotunditate sic dicta fuit; nam Græci rotundum Στρόγγυλον vocant. Cornel. Severus *in Ætna*:

Insula, cui nomen facies dedit ipsa rotunda.

Silius Ital. *l. 14. v. 260.*

Mille Agathyrna dedit, perflataque Strongylos Austris.

Item insul. maris Ægæi, una Cycladum, quæ notiore nomine *Naxos* appellatur. Cum oppido cognomine, quod nunc *Pergola*, in saxo, ubi rudera templi Baccho olim sacri. Item Insul Cretæ, ante Lygdum oppid. Naxi, Solino, *c. 11.* & Insula parva Lyciæ, Plin. *l. 4. c. 12.* Item, urbs magnæ Græciæ, in ora, inter Crotonam ad Austrum. 16. & Chrimissam ad Arctos 8. mill. pass. olim Macalla, nunc Strongoli. *Nic. Lloydius.*

STONGYLUM, castrum suburbii urbis Constantinopolitanæ, ubi Constantinus Copronymus Iconomachus miserè obiit, teste *Glyca*.

STRONGYLUS, mons Carmaniæ, *Tochisandan Castaldo*.

STROPHADES, Insulæ 2. in mari Ionio ad Occidentale latus Peloponnesi, quæ & Plotæ. Apollonius *l. 2.*

Οἱ δ' ὑπὸ γαῖαν ἔδυσαν ὑποστρέψαντες ὀπίσσω
Σεύοντ', Στροφάδας δὲ μεταλλάξαντες ἄνθρωποι
Νήσους τοῖό γ' ἕκητι, πάρος Πλωτὰς καλέοντες.

Sic dictæ sunt ἀπὸ τοῦ στρέφειν, h. e. à *conversione* Calais & Zethæ, qui ad has usque insulas Harpyias persecuti, inde retrorsum se converterunt. Virg. *Æn. l. 3. v. 210.*

——— *Strophades Graiô stant nomine dictæ*
Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ. ——— ———

Ovid. *Met. l. 13. v. 709.*

Sævit hyems, jactatque viros, Strophadumque receptus
Portubus infidis. ——— ———

Nic. Lloydius.

STROPHIUM, item *Stroppus*, ut Ateius Philologus existimat, Græcè στρόφιον, vocabatur olim, quod Sacerdotes seu Flamines in capite habebant pro insigni; ex Græco στρόφος, quod est aliquid *contortum*, Festus cum Scalig. qui & *in Conjectaneis ad Varronem*, sic de Flaminum pileo, *Totus pileus*, inquit, *vel potiùs velamenta Flaminum dicebatur: unde Flamines dicti. Porrò desinebat in conum, unde Apex dictus. Summum autem fastigium vocabant Tutulum. Addebatur virgula ex felici arbore, quæ in Flaminibus dicebatur* Stroppus, *in Flaminicis Inarculum*, &c. Quidam hunc *Stroppum* seu *Strophium*, coronam vocant, aut quod pro corona insigne capiti imponebatur, fuisse ajunt. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 3. c. 15.* Etiam *Stroppi* reperiuntur, serta ex foliis connexta impositaque Idolorum capitibus, apud Isidorum *Etym. l. 19. c. 4.* Vide quoque suprà *Pulvinar*. Imò coronæ ex fascia tortili, seu tortiles coronæ ex fasciis implexis. Sicut enim Regales fasciæ, h. e. diademata, latæ: sic Sacerdotales tortiles erant hincque στρόφια vocabantur: unde coronis illis apud Plinium *l. 21. c. 1.* nomen, cùm ait, *Quædam coronæ per coronas currunt; tenuioribus utebantur antiqui*, stroppos *appellantes, unde nata Strophiola*. Nempe duæ aut tres tæniæ invicem tortæ hujusmodi coronam faciebant, quod is ait, *quasdam coronas per coronas currere*. Nam totidem coronæ, quot tæniæ tortæ. His usos fuisse antiquos Romanos scribit, nondum scil. inventô coronas è floribus texere: quin & ipsum vocabulum *coronæ* tardè communicatum esse, addit. Sed & Græci στρόφιον interpretantur στρογγύλην ζώνην; στροφίολα, *strophiola*, ἐν ταῖς ἐπικαλύπτραις, *in vestium fentalaturis* recenset Hero, lora sic vocans, ut videre est apud Salmasium *ad Solin. p. 371.* Vide quoque Car. Paschalium *in Coronarum libris*. Aliàs *Strophium*, teste Noniô, *brevis fuit fascia, virginalem papillarum tumorem cohibens*. Licèt enim Viri & in calceis & in capite & in cruribus fascias ferrent, tamen muliebre propriè id gestamen fuisse, ex Sacris quoque adparet. Hinc apud Prophetas legimus, *Nunquid obliviscetur virgo ornatus sui & Sponsa fasciæ pectoralis!* Item, *pro fascia pectorali cilicium*: quæ *fascia pectoralis* nomine *Strophii* Latinis Scriptoribus sæpissimè venit. Meminit ejus Cicero de *Aruspicum Respons.* *Clodius à crocota, à mitra, à muliebribus soleis purpureis fasciolis, à* Strophio, *à psaltrio, à flagitio, à stupro, est factus repentè popularis.* Turpilius *in Philopatr.* *Me miseram, quod inter vias epistola excidit mihi infelix inter tuniculam &* Strophium *collocata.* Catullus, *Epigr. 65. v. 63.*

Non contectâ levi velatum pectus amictu,
Non tenui Strophiô *lactantes vincta papillas.*

Ubi Dempster. *Nec tereti*, legit. Succingebantur verò istiusmodi fasciis, quò graciliores apparerent, Virgines. Ita capiendus Claudian. *in Eutrop. l. 3. v. 95.*

Stat tamen, atque alias succingit lena ministras.

Et *de Consul. Honorii 6. v. 526.*

——— *Viridique angustat Iaspide pectus.*

Ubi tamen de ægide potiùs, quæ pectori, velut ornamentum necessarium, imponebatur, quàm de *Strophio*, loquitur. Disertiùs Terent. *Eun. Actu 2. Sc. 3. v. 22.*

Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas
Matres student
Demissis humeris esse, vinctô pectore, ut
Graciles sient, &c.

Intra has fascias, furtivas recondidêre puellæ lascivientes epistolas, ut ex Turpilio jam dictum: & confirmat Ovid. *l. 3. Art. Am. v. 621.*

Conscia cùm possit scriptas portare tabellas,
Quas tegat in tepido fascia lata sinu.

Ubi has fascias *latas* fuisse, indigitat: quemadmodum aliquid de colore suggerit Appulejus *Met. l. 2.* *Ipsa lineâ tunicâ mundulè amicta, & russeâ fasciolâ prænitente altiusculè sub ipsas papillas succinctula.* Et meminisse *purpurearum fasciolarum* Varronem, suprà vidimus: Thom. Dempster. *Paralipom. in Antiqq. Rom. l. 5. c. 35.* Hinc *Strophiarii*, memorati Plauto, ubi fœminei luxus infantiam multis traducit, *Aulular. Actu 3. Sc. 5. v. 42.*

Petunt Fullones, Sarcinatores petunt,
Strophiarii adstant, astant Semizonarii;
Jam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt.
Trecenti cum stant Phylacistæ in Atriis,
Textores, Limbolarii &c.

Vide Octav. Ferrarium *de Re Vest. part.* 1. *l.* 3. *c.* 21. Apud recentioris ævi Scriptores, pallium virginale *Strophium* vocari docet Car. du Fresne *Gloss.*

STROPHIUS, Rex Phocidis, pater Pyladis, cujus beneficiô Orestes matris suæ crudelitati est ereptus, & unà cum Pylade ejus filio liberalissimè educatus. Vide *Pylades.*

STROZZA Hercules, vide *Hercules.*

STROZZA Laurentia, vide *Laurentia.*

STROZZIUS Cyriacus, Florentinus Nobilis, Philosophiam Aristotelis docuit annos 20. Pisis, postquam Bononiæ jam ann. 8. & priùs Linguam Græcam ac Philosophiam in patria professus esset. Peregrinationis eruditæ ferme per universum orbem laude inclytus, & in Philosophiæ gratiam cœlebs, addidit VIII. *libris Aristotelis librum nonum, imò & decimum, Græcè;* ac ex Arabum Commentariis quoque de *prima Philosophia libros* supplevit. *Stromatum* etiam Clementis Alex. *l.* 8. Latinè vertit. Obiit A.C. 1565. Thuan. *Histor.* Papyr. Massonius & Anton. Teissier. *Elog.* Vide & suprà ubi de *Laurentia Strozzia*, nepte ejus.

STROZZIUS Petrus, vide *ibi*; ut & *Philippus.*

STRUCTOR, Petronio Arbitro *qui fercula puerorum manibus allata aptè disponit.* Juvenalis *Sat.* 7. *v.* 184.

---- Veniet qui fercula doctè
Componat ----

Quæ itaque Coquus elaboraverat, collocabat *Structor.* Unde iterum Petron. *Superque propriam convenientemque materiam* Structor *imposuerat cibum.* Græcè proin Τραπεζοποιὸς dictus, apud Athenæum *Dipnosophist. l.* 4. Ἰόβας ὁ βασιλεὺς τὸν αὐτὸν εἶναί φησι τραπεζοποιὸν καὶ τὸν παρὰ Ῥωμαίοις καλούμενον Στρούκτορα: I. e. *Juba Rex eundem censet esse mensæ curatorem, quem Romani* Structorem *appellant.* Et hunc famulitii ministerialis Præsulem videtur constituere Macrobius *Saturnal. l.* 1. *c. ult.* *Inter hæc servilis moderator obsequii, cui cura vel adolendi Penates, vel struendi penum & domesticorum actuum ministros regendi, admonet dominum, familiam pro solemnitate annui moris epulatam.* Virgilium autem imitatur Macrobius, qui sic *Æn. l.* 1. *v.* 706.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longò
Cura penum struere, & flammis adolere Penates.

Ubi Servius, *Struere*, inquit, *ordinare, componere: unde & Structores dicuntur ferculorum Compositores.* Donatus verò procurationem Cellarii, & Deorum Penatium cultum interpretatur. Quæ sequuntur, *v.* 709.

Centum aliæ, totidemque pares ætate Ministri,
Qui dapibus mensas onerent & pocula ponant:

de Infertoribus & Pocillatoribus accipienda sunt. *Structoris* enim erat componere & servare fercula, non inferre. De eodem Seneca *l. de Vita beata c.* 17. *Quare Ars est, apud te ministrare: nec temerè, &, ut libet, collocatur argentum, sed peritè struitur.* Plautus *Menæchmis, Actu* 1. *Sc.* 1. *v.* 25.

Cereales cœnas dat, ita mensas extruit,
Tantas struices concinnat patinarias, &c.

Dum autem Seneca pergit, *Et est aliquis scindendi obsonii Magister:* Scissorem quoque habemus, quem unà cum *Structore* producit: ut & Juvenalis facit *Sat.* 5. *v.* 120.

Structorem *intereà, ne qua indignatio desit,*
Saltantem spectes, & Chironomunta volanti
Cultello donec peragat dictata Magistri
Omnia.

Quamvis enim partes hæ aliquando ab ipso Tapulla seu convivii Magistro, nonnunquam à Coquis obirentur, communiùs tamen erat, ut servi edocti inspectantibus convivis cibos dividerent. Sed de *Scissore* dictum supra, in hac voce, ut & in voce *Carptor.* Sunt quoque, qui Architectum *Structorem* vocent, seu potiùs Architecti Ministrum. Abdias *Histor. Apostol. l.* 9. *A Domino*, inquit, *meo Rege Indiæ missus sum, requirens Artificem* Structorem, *qui ei palatium possit ædificare.* Vide quoque D. Zenonem *c. de præc. Attende tibi*, & plura hanc in rem, apud Laur. Pignorium *Com. de Servis*, Tit. Popmam, *de operis Servorum*, Dempsterum *Paral. in Rosinum l.* 5. *c.* 29. Alios. Hinc *Structores* conviviorum οἰκοδόμους δείπνων eleganter vocat *Hesychius*, qui Græcè propriâ voce τραπεζοποιοὶ dicebantur. Eorum frequens in *Inscr.* mentio est. Quid autem *Structura* propriè sit, vide & hîc infrà.

STRUCTURA, Latinis quod è lapide *structum* est. Ejus vulgatissima olim genera tria, *Latericia*, ἡ ἀπὸ πλινθίων; *Ordinaria*, similis lateritiæ, sed ex lapide duro vel silice, quam ἐγχώρητον dixit Constantinus; Tertia ex *saxo quadrato*, quam τετραπέδινον λίθον idem appellavit. E quibus *Latericia* & *Ordinaria* aliquando commiscentur: *Ordinaria* enim dicta esse τὰ ἐγχώρητα, seu ex latere, seu silice structa essent, discimus ex Vitruvio, quem de hac re pluribus vide, ut & Salmasium *ad Solin. p.* 1230. *& seqq.* ac suprà passim.

STRUDÆ, paludis nomen circa Drinum fluvium, in Macedonia, *Callisth.*

STRUES, memorata A. Gellio *l.* 10. *c.* 15. ubi de ceremoniis Flamini Diali impositis loquens, inter alia ait, *Neque eo in lecto cubare alium fas est, neque apud ejus lecti fulcrum capsulam esse, cum Strue atque ferto oportet &c.* genus fuit libi, cujus in solo tracta farinacea multa, velut toruli aut digiti, ordine *structa* & serie conjuncta adponebantur: ut in Sphærita sphæræ vel globuli multi, in solo placentæ, ponebantur. *Fertum* verò, quod ad sacrum ferretur, interpretatur *Verrius*: Alii *Ferctum* legunt, ut libi genus sit, intus aliquâ re farciri solitum. Et conjungitur etiam in antiq. *Inscript.* utrumque, *Porcam. & agnam. struibus. & fertis.* Antonius Thysius *Notis in Gellii loc.* Salmas. *Ferctum* exponit *bonum*, τὸ χρηστόν. Antiqui enim *Forctum*, & qui eos sequuti, *Fretum*, pro bono, dixere. Hinc compositum genus libi *Strufercium*, quasi *strues bona*: quemadmodum ἰλάσχερα Græcis quoque liba sunt. Vide eum *ad Solin. p.* 1163. A *Struefertium*, ducti sunt *Struefertarii*, homines conducti, qui ad arbores fulguritas aut piacularium commissorum causâ, *strue & fercto* sacra faciebant, *Festus.*

STRUM, vulgò *Estrum*, monasterium virginum Benedictinarum, in agro Atrebatico: cum castello, à Ludovico Rege contra Normannos extructo, A. C. 881.

STRUMAS sanandi donum, Regibus nonnullis, uti quidam scribunt, divinitùs concessum, quale sit, exponere conatur pluribus Christian. Becmannus *Notit. Dignitatum Illustr. Dissertat. V. c.* 11. §. 4. *& seqq.*

STRUPPI, vide suprà *Strophium*

STRUTHAS, Artaxerxis dux, contra Lacedæmonios, constitutus, qui, occisô Timbrone, Spartanorum plurimos interfecit aut cepit, Olymp. 97. annô tertiô.

STRUTHEA Mala, Græcè στρούθεια, apud Plautum *Persa, Act.* 1. *Sc.* 3. *v.* 7.

Commisce mulsum, struthea, *coluteaque appara,*
Bene ut in scutris concaleat ———

de genere sunt cydoniorum malorum, de quibus Plin. *l.* 15. *c.* 11. *Minora*, inquit, *ex eodem genere* strutthia *odoratius vibrant.* Alii contrà majora cotonea ita appellari volunt: in quibus *Dioscorides* κίτρια vocat minora Cydonia, & distinguit à majoribus, quæ *Struthea* vocat. *Cotonarea* vulgò appellant Galli. Sunt tamen, qui Cydonia mala eadem cum *Struthiis* fecerunt, ut *Nicander & Philemon*, quem notat *Athenæus* ἐν κυδώνια μῆλα στρούθεια καλῶν. Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 710.

STRUTHIA, urbs Phrygiæ in finibus Lycaoniæ. *Steph.*

STRUTHIO, seu *Struthiocamelus*, avis omnium maxima, ex Græco στρουθίον, i. e. *passerculus*, στρουθὸς quoque Græcis passim dictus, i.e. *passer*, unde & *passer marinus*, in Plauto, *Persa, Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 17. Ausonio, *Epist.* 11. *Festo*, aliis, per ironiam hyperbolicam. Vide suprà *Passer. Struthiocameli* verò appellatio vix ante *Strabonem* usurpata reperitur: nisi quòd Diodorus, paucis annis vetustior, eam videtur designare, cùm *l.* 3. narrat, quoddam esse in Struthophagis avis genus, *quæ mixtam habet naturam cum animali terrestri, ac proin compositum nomen adepta est.* Apud Hebræos duplici voce insignitur, mas enim *thachmas*, i. e. *iniquus & impius*, quia prolem suam negligit, Jobi *c.* 39. *v.* 17. 18. fœmina verò *bathjaana*, quasi *clamosam* dicas, aut *filiam clamoris*, appellatur. Clamosum enim est animal, & in Brasiliæ mediterraneis tam altum clamat, ut ad dimidiam leucam audiatur, Joh. de Laet *Americ. l.* 15. *c.* 7. De iis Plin. *l.* 10. *c.* 1. *Struthiocameli Africi vel Æthiopici altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem vincunt, ad hoc demum datis pennis, ut currentem adjuvent: cæterò non sunt volucres, nec à terra tolluntur. Ungulæ iis cervinis similes, quibus dimicant, bisulcæ, comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus. Concoquendi sine delectu devorata mira natura, sed non minor stoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine, cùm colla frutice occultaverint, latere se existimantium. Præmia ex iis ova, propter amplitudinem, pro quibusdam habita vasis, conosque bellicos & galeas adornantes pennæ.* Cujusmodi ovorum, (quæ inter præcipua Mesquitarum Turcicarum ornamenta hodie habentur) quædam, candidissimæ testæ, solidæ adeò substantiæ, ut in lapidem coaluisse videantur, quorum maximum palmum in diametro compleat, asservati in Musæo Kircheriano, docet in *Descript.* ejus Georg. de Sepibus *p.* 34. Uti autem pennæ eorum galeas etiamnum ornant, sic pellibus illorum olim pro scutis & thoracibus in bello, Arabes, in venatione verò, hâc specie illos faciliùs delusuri, Struthophagi usi leguntur. Sed & ipsi, vivi mortuique, homini inservire didicerunt. Στρουθῶν enim συνωρίδας ὀκτὼ, *Struthionum bigas octo*, in Ptolomæi pompa, processisse, narrat Callixenus Rhodius apud Athenæum *l.* 5. quemadmodum *sedentem ingentibus struthionibus vectum esse, & quasi volitasse Firmum*, narrat in eo *Vopiscus, c.* 6. In Sylva Gordiani memorabili (de quo Spectaculi genere infrà dicemus) *struthiones Mauri miniati* CCC. memorantur Capitolino, *c.* 3. miniari autem solebant Romæ, quæ ad spectacula aut pompam producerentur, uti constat ex *Plinio.* Et nota Commodi in *Struthionum* venatione dexteritas, ex Herodiano, *l.* 1. *c.* 15. Mortui esui fuerunt, non Judæis quidem, utpote Lege prohibiti: aliis tamen. Sed de Heliogabalo Lamprid. *c.* 28. *Struthiones*, inquit, *& camelos exhibuit in cœnis aliquoties, esse dicens præceptum sui Dei, ut ederent.* Ubi veram lectionem restituit Bochartus, cùm aliàs pro *sui Dei*, legeretur *Judæis*, perperam. Imò *sexcentorum struthionum capita unâ cœnâ multis mensis exhibuisse, ad edenda cerebella*, eundem, habes *ibid.* Firmus etiam unum integrum unâ vice comedisse legitur, apud Vopisc. *c.* 4. Qui anteà in Syria huic cibo assueverant. Ut de Afris, Arabibus, Indis, Persis, Struthophagis, quibus vel caro illorum, vel ova in deliciis fuêre, nil dicam: petenda, ut & plura alia hanc in rem, ex Sam. Bocharto *Hieroz. Parte poster. l.* 2. *c.* 14. ubi *de Struthione fœmina, c.* 15. ubi *de Struthione mare*, & *c.* 16 & 17. ubi Jobi locum *de Struthione* agentis, *c.* 39. *v.* 16. *& seqq.* eruditè explicat. E quo hoc unum addo, de stoliditate ac celeritate hujus animalis. Nempe, cùm cœtera animantia cibos naturæ suæ congruos deligant, hoc quodcunque se offert, ferrum,

ferrum, ossa, vitrum, lapides, terræ glebas, carbones, candentes prunas, gemmas ex adstantium auribus pendentes, sine ullo delectu vorat. Deinde, cùm caput inter frutices abdit, latere se totum retur. Porrò, cùm alii struthiones arcu venentur, alii pellibus eorum id faciunt: nam dextram manum colli pelle induunt, atque eam sic movent, ut animalia collum; sinistra verò semen spargunt, ab appensa pera eductum, quò avem simplicem allicientes in convalles detrudunt, Strabo *l.* 16. Sed & ova derelinquit sua, & cùm brevissimæ sit memoriæ, loci statim obliviscitur. Quare fœmina in ea incidens sive propria, sive aliena, incubat & calefacit, Leo Africanus *l.* 9. Quin tandem facit, quod corpus ingens, collum longum, caput exile, cerebrum ei fere nullum sit: unde apud Arabes Proverb. *Struthione stultior.* Interim saluti suæ celeritate consulit. Cyri namque equites onagros & capreas in Arabia cepisse, Struthiones verò nullô modô potuisse assequi, refert Xenophon *Anabas. l.* 1. Hodieque una est species equorum, qui *Arabes* dicuntur: *Ii sunt mirè veloces, nec majus ullum est eorum celeritatis experimentum, quam cùm feram Lampten nomine, aut Struthiocamelum assequuntur. Ideo talis equus mille ducatis aureis, aut centum camelis, æstimatur.* Sed in Barbaria tales pauci sunt, Marmolius *l.* 1. *c.* 23. Nempe non *capite* solùm, *alis & cauda etiam stulti* hæc avis, uti Arabes ajunt, sed & sese ipsa ad cursum incitat, spiculis quibusdam osseis, qui sub alis latent & iis pro calcaribus sunt &c. Vide quoque Voss. *de Idol. l.* 3. *c.* 49. 55. 59. 62. 65. 85. & 92.

STRUTHION, Græcè Στρούθιον, herbæ nomen, vulgò Græcorum hodie καλοσγοῦλι, *à pulchritudine* scil. & similitudine alarum *passeris*, quam præfert foliorum situ: *floret æstate, grata aspectu, verùm sine odore*, uti de illa habet Plin. *l.* 19. *c.* 3. hinc in coronas expetita, & quidem eas, quæ ex uno flore constantes, illius nomen sibi sumebant, Car. Paschal. *Coron. l.* 2. *c.* 14. Insuper lanis lavandis bona fuit. *Hesych.* Στρούθιον, πόας ῥίζα ἰσχυρὰ, ἀφ' ἧς ἔρια πλύνουσι. Unde lanæ στρουθιζόμεναι dictæ, cùm herbæ hujus radice lavabantur. Eadem quoque κάθαρσις propterea, hodieque nonnullis *Saponaria*, appellatur. Quam cùm Plinius *radiculæ* nomine insignivit, quæ magna est radix, & eam tingere asserit, quidquid est quod cum ea decoquitur, cum radicula Syria confudisse convincitur, ex qua mulieres genus rubro fucandis medicamentum olim conficiebant, Salmas. *ad Solin. p.* 1165. Vide quoque suprà in voce *Radicula*. Cæterùm vox στρουθὸς, de omni ave, imitatâ inprimis, unde στρουθοθηρικὸς *auceps*, apud Græcos occurrit, idem *ibid. p.* 444.

STRUTHOPHAGI, populi Æthiopiæ sub Ægypto, passeribus vescentes *Strab. Ptol.*

STRUTHUNTUM, promontor. Argiæ. Pausan. *l.* 2.

STRYBIA, insula Sporadum. *Steph.*

STRYCHNOS, planta rarissima, hodieque ignota, Dalechampio ad Plin. *l.* 21. *c.* 31. insaniam facit, parvô quoque succô. Quanquam & Græci Auctores in jocum vertêre. *Drachmæ enim pondere lusum pudoris gigni dixerunt, species varias imaginesque conspicuas obversari demonstrantes. Duplicatum hunc modum legitimam insaniam facere. Quidquid verò adjiciatur ponderi, mortem esse:* Salmasio *Solanum* est, vide suprà.

STRYME, insula maris Ægæi, apud Thasoninsulam. *Stephanus* urbem Thraciæ eam facit.

STRYMODORUS, Civis Atheniensis, cujus meminit Aristoph. *Acharn. Act.* 2. *Sc.* 1. è tribu Conthyle, *vide & Vespas* ejus.

STRYMON, oppid. Thraciæ. Scholiastes Callimachi *Hymno in Delum*, Στρυμὼν πόλις ἐστὶ καὶ πόλις Θρᾴκης. Item regio, de qua Plin. *l.* 5. *c.* 32. Equus quoque, apud Statium *Theb. l.* 6. *v.* 464.

Audit & Herculeum Strymon *Chromin. Eumenon audit*
Igneus Æthon ———

Cæterùm *Strymoniæ anguillæ* in pretio, non olim solùm fuêre, uti docet ex Antiphanis *Thamyra* Athenæus *l.* 7. *c.* 13. sed hodieque sunt, referente Bellonio *Observ. l.* 1. *c.* 55.

STRYMON, antè *Conozus* teste *Plut.* fluv. Macedoniæ ex Orbelo monte manans, inque Ægæum mare influens, sinum *Strymonicum* denominat, qui hodie *Golfo di Contessa*, ab oppido cognomine adjacente, inter Athon est ad Austrum, & limites Thraciæ ac Macedoniæ ad Boream, vel ex Scomio monte per Græcos & Læos, teste *Thucyd.* fluens. *Stromona Sophiano*, *Ryndaei* aliis, *Radini Nardo*, *Marmora Bellonio*, *Iscar Lazio*; sed hic Mysiæ, non Macedoniæ fluvius est. Hinc *Strymonius*, ut *Strymoniæ grues*, de quibus Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 120.

----- Improbus anser
Strymoniæque grues, & amaris intyba fibris
Officiunt, aut umbra nocet. --- -----

Ubi indicat grues venire ad Italos ab Strymone fluvio. Consentit Papinius *l.* 4. *Sylv.* 6. *v.* 9. vocans *gruem hybernam*, & statuens illam in Rhodope. Ideo Nonnus *l.* 14. appellans grues Thracias, Θρηϊκίους γεράνους, istam attingit migrationem. Herodotus autem *l.* 2. ait, illas ex Scythia ire in Ægyptum. Id ipsum indicat Aristot. *l.* 8. *Hist. An. c.* 18. Seneca Tragœdus *in Oedipo* ab Thracia in Ægyptum, Oppianus *l.* 1. *Halieut.* ab Ægypto & Æthiopibus ad loca alia. Virgil. *Æn. l.* 10. *v.* 265.

----- Quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore secundô.

Lucanus *l.* 5. *v.* 711.

Strymona sic gelidum, brumâ pellente, relinquunt,
Potura te, Nile, grues, primoque volatu
Effingunt varias, casu monstrante, figuras.
Mox ubi percussit tensas Notus altior alas;
Confusos temerè immistæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis.

Statius *l.* 7. *Theb. v.* 287.

----- Qualis cùm pallida cedit,
Bruma renidentem deducunt Strymona cycni.

Claudian. *de bello Gildonico*, *v.* 474.

Pendula ceu parvis moturæ bella Colonis
Ingenti clamore grues æstiva relinquunt
Thracia, cùm tepido permutant Strymona Nilo.

Apud hunc fluv. sedit Orpheus post amissam Eurydicem. Virgil. *Georg. l.* 4. *v.* 507.

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
Flevisse, & gelidis hæc evolvisse sub antris,
Mulcentem tigres & agentem carmine quercus.

Papinius *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 201.

----- Qualis conspectâ conjuge segnis
Odrysius vates, positis ad Strymona plectris
Obstupuit, tristemque rogum sine carmine flevit.

Καλλιγέφυρον ποταμὸν vocat Euripides *in Rheso. Nic. Lloydius.*

STUART, nomen Regiæ in M. Britannia Familiæ. In qua Robertus *Stuartus* (quod nomen officii prius, transiit in nomen familiæ) Mariâ Davidis II. ex Brussiis, Scotiæ Regis, Sorore genitus, hôc extinctô, Regnum nactus est A. C. 1370. Ex ejus progenitoribus Malcolmi frater Ferquhartes Thanus vel Princeps Loquuhabriæ fuit; primusque Waltherus *Stuarti*, h. e. Magni Scotiæ Senescalli, nomen assumsit, gentique suæ hæreditarium fecit, A. C. 1086. A Roberti Regis Fratre Alexandro, *Stuarti* Dni *de Darnley*, & *de Aubigny* & Comites Lenoxiæ, atque ex his Jacobus VI. Rex Scotiæ vel I. Rex M. Britanniæ, avus moderni Regis oriundi sunt. Ab ipso Roberto, in directa linea descendunt reliqui Reges Scotiæ *Stuartini* sanguinis, usque ad Mariam Reginam, extinctam A. C. 1587. cujus ἀπογονολογίαν exhibet Spenerus *Theatr. Nob. Eur. Part. I. p.* 114. Hodierni Regis Majores quod attinet, Jacobus fil. fuit Henrici *Stuarti*, Ducis *Rothesaye*, ex Maria modò dictâ, & junctâ sibi Annâ (filiâ Friderici II. Daniæ & Norveg. Regis) Carolum I. Regem M. Britanniæ genuit. Quô & Henricâ Mariâ Francicâ (filiâ Henrici IV.) nati sunt Carolus (natus & denatus A. C. 1629.) Carolus II. Rex M. Britanniæ (natus A. C. 1630. maritus Catharinæ Lusitanæ) Maria (nata A. C. 1631. uxor Guilielmi Principis Arausionensis, denata A.C. 1660.) Jacobus Dux Eboracens. natus A.C. 1633. maritus Annæ filiæ Edoardi Hyde Cancellarii Angliæ primùm, nunc ... Duc. Mutinensis, utrôque conjugiô fœcundus, Elisabetha (nata A. C. 1635. denata A. C. 1650.) Henrica Anna (nata A. C. 1636. uxor Philippi Ducis Aurelianens. denata haud pridem) & Henricus Dux Glocestriæ (natus A. C. 1640. denatus 1660.) omnes *Familiæ Regiæ M. Britanniæ nominis Stuartorum.* Idem *ibid. p.* 30.

STUBA, hypocaustum, locus ad sudandum. A Germanico *Stube*, Gall. *Estuve*, vel *Estuve*, Ital. *Stufa*. Omnia à verbo *to stue*, i. e. leniter coquere, sudare, calefacere; unde Angl. *a Stue*, vel *hothouse*. Vox in usu Dithmari ævô, quod Lipsius notat *in Tacit. Germ.* Hinc etiam *Stues*, Gall. *Estuves*, dicta Lupanaria sunt: cujusmodi sita olim in Australi Tamesis ripa, Henricus VIII. A. C. 1546. solenni edictô in perpetuum profligavit, voce præconis & tubâ præcinente. Etiam *a Stue* Angli vivarium dicunt, ad conservandos pisces, Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.* Sed & sic dictæ sunt in Monasteriis Cameræ Capituli seu, ut vocant, ipsa *Capitula*, quod in iis æstuaria ac hypocausta essent. Ericus Upsaliensis *Hist. Suecic. l.* 4. *p.* 145. *Omnibus oppidanis in* Stuba *communi S. Gertrudis convenientibus*, apud Car. du Fresne *Glossar.* Voci origo, à Græco τύφω, *accensio*, hanc enim addito *s*. Latini *stufam* fecêre. Salmas. *ad Vopisc. in Proculo*, *c.* 13.

STUBENBERG, nomen illustris in Germania familiæ, quæ è præcipuis in Stiria ab antiquo tempore floruit, cùm Wolphgangus *Stubenbergius* Elisabethæ Comitis Ortenburgicæ matrimoniô dignus fuerit habitus A. C. 1237. Ab ejus filiis 2. (nam tertius Wulfingus Episcopus Bambergensis fuit) Ulrico & Friderico, duæ lineæ descendunt, *Wurmbergia* & *Kapfenbergia*, hodieque florentes. V. in hac posteriore Georgii Baronis *de Stubenberg*, defuncti A. C. 1639. filii Georgii Hartmanni Domini *de Stubenberg* & Dorotheæ Thanhausiæ, progenitores, apud Phil. Jac. Spenerum ubi suprà, *Parte I. p.* 83. In priori verò, majores Georgii Wilhelmi (nati A. C. 1660. denati 1669.) & Amaliæ Julianæ Reginæ (natæ A. C. 1661.) *Parte* 3. *p.* 26. uti plura hanc in rem apud eundem *Art. Her. Part. Spec.*

STUCIA, hodie *Istuyth*, vel *Y-stwith*, teste *Camden*, fluv. Albionis in Wallia meridionali inter Bangorium urbem, & Cardiganiam oppid. in Oceanum Hybernicum apud Aber *Y-stwith* oppid. decurrens. *Baudrando* est in Cardigania Comitatu, & cadit in mare Hibernicum 28. mill. pass. à Cardigano in Cæciam 55. à Bangorio in Meridiem.

STUCKIUS Johannes Guilielmus, è familia virorum doctorum feracissima, Theologus Tigurinus celebris: doctissimis scriptis immortale nomen meritus, præteritô seculô.

STUDENTES, dicuntur hodie, qui olim *Sectatores*, Gell. *l.* 1. *c.* 2. & 9. *Sequentes*, Quintilian. *Instit. Orat. l.* 2. *Auditores*, eidem Gellio *l.* 12. *c.* 1. Posterioribus seculis *Scholastici*, quæ tamen vox ferè in contemtu erat, donec eam sibi Doctores Theologiæ ac Philosophiæ vendicarent; antiquitus Declamatorum ac Sophistarum propria, ut ex *Petronio* aliisque patet. &c. Qui nempe depositô tyrociniô, in Academiis operam dant literis. Sed & priscis temporibus non insolens vox fuit. Isidorus *in Gloss.* Pappas, Pædago-

dagogus qui sequitur studentes. Quintilian. *Instit. l.* 1. *c.* 2. *Utilius ne sit domi atque intra privatos parietes* Studentem *continere.* Sic enim verbum *Studeo* usurpatum Antiquis. Appulej. *de Phil. Mor. l.* 2. *Virtutes eas doceri & studeri posse arbitratur.* Iterum Quintilian. *Inst. l.* 6. *præf. Quis enim mihi bonus Parens ignoscat, si studere amplius possim?* Et *Studia*, pro honestis disciplinis usurpantur, apud Minutium *in Octav.* ubi Cæcilius *Studiorum rudes* vocat eos, qui literarum expertes sunt, &c. Vide Georg. Hornium *Hist. Phil. l.* 7. *c.* 1. Initia autem *Studiorum* data Poëticis olim literis, tum alii, tum Casp. Barthius *ad Petronium aliosque* pluribus docet. Quorum appellatio postmodum ad ipsa loca, in quibus *Studiis* vacare mos, transiit. Capitolin. *in Marco, c.* 26. *Apud Ægyptios civem se egit & Philosophum, in omnibus* Studiis, *Templis, locis.* Quæ Μουσεῖα Græcis, unde *Musium*, apud Spartian. *in Hadriano c.* 20. hodie *Academiæ*, vide Casaubonum *ad loc.* Salmas. tamen *Stadiis* legit apud Capitolin. cùm in Stadiis & Gymnasiis frequenter id fieret apud Græcos, ut homines docti eò convenirent, & sermones de studiis ac literis communicarent: censetque *Studium* pro loco, recentioris Capitolinô ævi esse. De gradibus & situ *Studentium*, suprà voce *Femur*, *Gradus Academ.* it. *Lecticula Rabbi* &c. De *studiis* verò factionum in Circo, in voce *Favor*: Sicut de *Studitis*, certo Monachorum genere, in urbe olim Constantinopoli, in voce *Studius*: ut & aliquid suprà in lemmate, *Phronistæ fidei*, ubi de Ascetis & Monachis κατ' ἐξοχὴν *Studium* dici, ex Hieronymo & Euagrio vidimus.

à STUDIIS, vide suprà *Liberti.*

STUDIORUM Feriæ, vide suprà *Feriæ.*

STUDITA, Theodorus, vide *ibi.*

STUDIUS, Consul, an. Urb. Cond. 1206. Auctor cœnobii Monachorum insomnium, qui *Studitæ* dicti, circa A. C. 459. Lætus *Comp. Histor. Univ.* Vide ubi de *Acœmetis.*

STUGARDIA, urbs Ducatus Wittembergici, Ducum sedes, cum castro splendido, prope Nicrum fluv. 1. milliar. German. ab Eslinga in Occasum, 4. à Tubinga in Boream. Extructa à Wandalis, & restaurata à Johanne I. Electore Brandeburgensi & Ottone III. *Mercat. Metel. Baudrand. Stugardianæ* lineæ auctor Ulricus fuit, fil. Eberhardi Ducis A. C. 1397. ad Nicopolim, prælio contra Turcas occisi. Pater is Eberhardi fuit & Henrici, qui posterior mortuus Uraci A. C. 1519. reliquit Ulricum Ducalis primæ, & Georgium Montispelicardensis vel Ducalis secundæ, linearum auctores. Georgius hic mortuus A. C. 1558. filium habuit Fridericum, patrem 5. filiorum, è quibus Joh. Fridericus iterum lineam Stutgardiam orsus est, è qua hodierni Duces Wittembergici: Joh. Ludovicus Monpelicardensem inchoavit, Julius verò Fridericus Apennagiatæ seu Julianæ aut Brentianæ familiæ auctor fuit. De quibus vide accuratè disserentem Philippum Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

STUINUS, urbs Ligurum. *Steph.*

STULINGA, Germanicè STULINGEN, oppid. Sueviæ, cum titulo Comitatus, sub proprio Comite, ex Familia Furstenbergia. In hac enim cùm duo sint rami. Heiligenbergo-Werdenbergius & Blombergius; hic iterum in Meskirchium & *Stulingensem* abiit. Ex quidem Christophorus Comes *de Furstenberg*, in *Blomberg* (qui obiit A. C. 1614.) suscepit, ex Dorothea, Dn. *de Sternberg*, minorem natu filium Fridericum Rudolphum, cui *Stulinga* obtigit, fratre Meskircham nactô. Fridericô Rudolphô (qui obiit A. C. 1655.) ex Maximiliana Maria Pappenheimia (filia Maximiliani Comitis Pappenheimii, Landgravii in *Stulingen*) genitus est Franciscus Maximilianus, qui, ductâ Magdalenâ *de Bernhausen*, lineam propagavit. Spenerus *Theatro Nob. Eur. Part.* I. *p.* 33. Vide eundem *in Arte Herald. Parte Spec.*

STULPINI, Liburniæ gens, Plin. *l.* 3. *c.* 21.

STULTORUM Feriæ, vide suprà *Feriæ*, item *Kalendæ* & *Quirinalia.* Porrò *fatui, Moriones, Salii, Sottus.*

STUMPFIUS Johannes, Tigurinus, auctor Chronici Helvetici floruit seculô præteritô. Idem nomen fuit quinto Superintendenti Baruthino, Théologo inter suos famigeratissimo, extincto A. C. 1632. quô genitus Joh. Matthæus ibidem Capituli Camerarius & in illustri Christiano-Ernestino Collegio Theologiæ Moralis Professor fuit. Vide Paul. Freherum *Theatro Viror. erudit. claror.*

STUMPFIUS Johannes Rodolfus, Tigurinæ Eccl. Episcopus. Obiit A. C. 1592. ætat. 61. Bucholcerus *Indic. Chronol.*

STUMPIUM, Thraciæ urbs videtur apud *Nicetam*, *Stypium Cedreno.*

STUPANUS Antonius, Rhætus, auxit *Dispensatorium medicamentorum compositorum Nicolai*, Lugduni A. C. 1543. Obiit peste Basileæ A. C. 1551.

STUPANUS Joh. Nicolaus, Pontrasino Rhætus, fil. Nicolai, natus est A. C. 1542. Ætatis annô 15. Basileam delatus, eô successu studiis, Medicæ inprimis, ibi incubuit, ut A. C. 1569. à celeberrimo Medico Theodoro Zuingero Doctoratus axioma magno cum plausu impetraret. Post quæ Logica primò Professio in Academia Basil. illi concredita est, quâ per quadriennium defunctus, Joh. Hospiniano Organi Professori successit, A. C. 1575. tandem in cathedra Medica præfato Zuingerô surrogatus, A. C. 1589. Scripsit quàm plurima, inter quæ eminent *Medicina Theorica*, edita Basileæ in 8. A. C. 1614. Cœterùm ex Italico idiomate latinè ab ipso versa; *Alex. Piccolominei, de Sphæra libri* 4. *Ejusdem Compend. de Stellis fixis*: ut &, *liber de magnitudine terræ & aquæ. Pandulphi Collenutii Histor. Neap. libri* 6. *Joh. Petri Contareni Veneti Histor. de bello Venetis à Selimo* II. *illato. Nicolai Machiavelli de Principe, unà cum scriptis contra Auctorem. Ejusdem Discursus de Rep. Dialogi* 10. *Historici. Liber de Holometri fabrica & usu, &c.* Idem revidit & diligentissimè castigavit, *opus Mathem. Petri Pitaci Veronensis, Tridentinis Concilii patribus exhibitum, de vera Solaris atque Lunaris anni quantitate, aliisque rebus ad Calendarii Rom. emendationem pertinentibus. &c.* Habetur quoque ejus *Oratio de vita & obitu Cælii Sec. Curionis*, Basileæ A. C. 1570. Obiit A. C. 1621. ætatis ferè 80. Pater Emanuelis.

STUPANUS Emanuel, prioris fil. Medicus Basiliensis itidem celeberrimus. Natus is A. C. 1587. Philosophiam domi primùm, dein Genevæ sub Colladone & Casp. Laurentio excoluit: Posteà Medicinæ se totum dedit, eô quidem successu, ut post visitatas celebriores Germaniæ, Galliæ, Italiæ Academias, à Petro Ryffio Medicus Doctor, summa cum laude renuntiaretur, A. C. 1613. successit dein Patri in statione Medica, A. C. 1620. postquam vicariam ei operam per complures annos exhibuisset. Ejus extant, *Aphorismorum Hippocr. enarratio & commentar. Lexicon Medicum Græco-Latinum à Barthol. Castello Messanense inchoatum, ab ipso verò illustratum & consummatum. Oratio in obitum Caspari Bauhini &c.* Idem edidit *Institutiones Medic. Leonhardi Fuchsii, correctiores & auctiores: Systema Johannis Riolani senior. cum Indice gemino annexo: Ejusdem morborum curandorum rationem &c.* Obiit A. C. 1664. ætat. 76.

STUPIDI, apud Arnob. *l.* 7. mimi ac γελωτοποιοί: quòd in iis quidam *stupidorum* partes agebant: tarditatem simulabant & idcirco salapittis quandoque objurgabantur. Talis ille, qui præsente Antoninô Philosophô in scena nomen adulteri uxoris à *Serva* cum quæsivisset, & ille dixisset ter *Tullus*, non desinebat tamen quærere, respondente illô, *Jam dixi ter, Tullus dicitur*: alludens ad nomen Tertulli, qui inter adulteros Faustinæ erat, ab Imperatore prandens cum uxore deprehensus. Atque hos, ut & cœteros γελωτοποιούς, capite penitus rasô fuisse ex *Artemidoro* vidimus suprà, ubi de *Radendi more.* Firmat id Juvenalis *Sat.* 5. *v.* 171.

——— Omnia ferre
Si potes, & debes pulsandum vertice rasô
Præbebis quandoque caput ——

Cœterùm, qui naturâ tales, asininarum aurium ostensione, à Veteribus deridebantur; sicut improbi & obscœni mediô digitô exertô, vel manibus in obscœnum formatis modum: de cujusmodi digitorum ad deridendum formationibus, vide suprà, ubi de *Digitus*, item voce *Sanna*; uti de *Stupore* morionum in delitias adhibito, voce *Moriones*; de *Stupore*, Muhammedicæ superstitionis arcano, ubi de *Muhammede*; de flore nomen à *Stupore* nactô, voce *Narcissus*; de pisce stuporem inferente, *Torpedo*: de *Stupore* autem Magicis Artibus immisso, vide *Nodus.*

STUPPA, ex Græco ὁ στύππος, *quod proximum cortici, appellatur, deterrimi lini, lucernarum ferè luminibus aptior. Et ipsa tamen pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur*, Plin. *l.* 19. *c.* 1. De quo ejus in lucernis usu, *Moreti* auctor,

Et producit acu stupas humore carentes.

Græci dicunt στυππεῖον ἐλλύχνιον, στυππεῖον λύχνον & στυππύελον, uti vidimus suprà, in voce *Myxa.* Sed & *stuppa* componendis in navi vasis plerunque interponebatur. *Servius*; *Stipant, densant. translatio est à navibus, in quibus* stuppa *interponitur vasis, quam stipam dicunt.* Ubi tamen in eo errat, quòd *stuppam* cum *stipa* confundit, vide in hac voce. Porrò rimæ navium *stuppâ* stipabantur, unde & *stupare* hodieque obturare Gallis dicitur. Vide Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c.* 3. Ejusdem usum, in Pontificum Romanor. inauguratione, indigitavimus suprà, ubi de *Pontificalibus ceremoniis.* Suppliciis etiam adhiberi consuevisse, iis præsertim, quibus igni vel fumô rei necantur, notum &c. Hinc *Stuppacium*, apud Auctorem *de Vita Erem. Tom.* I. *Operum* S. Augustini *c.* 20. i. e. pannus ex *stuppis* confectus.

STURA, fluv. geminus Galliæ Subalpinæ unus ex Alpibus Cottiis per Marchiam Salucienfem fluens, ac apud Clarascum oppid. Tanaro fluv. congrediens, maximæ claritatis: alter fines Taurinorum in Padum labens. vix 3. mill. pass. infra Augustam Taurinorum.

STURÆ, insulæ in Gallico Oceano, inter Helium & Flevum. Plin. *l.* 3. *c.* 16.

STURE, nomen illustrium in Suecia Familiarum duarum quarum altera deducitur à Tunone *Sture*, Equite Aurato, qui Ingerdim uxorem habuit, Suantopulci Legiferi Ostrogothiæ filiam, ex Suercherii II. Regis nepte. Hanc Steno *Sture* senior, Regni Gubernator, terminavit, qui sororem habuit Brigittam, Joanni *ab Oreby*, ex Wasarum familia oriundo, nuptam. Altera, *Junior* dicta, à quodam Matthæo incepit, cujus fil. Benedictus Regni Senator fuit A. C. 1220. In ea Boëtius Regni Senator, fil. Stenonis, qui Regni Marescallus fuerat, uxorem habuit Catharinam, filiam Stenonis Sturii Dani, unde fil. Nicolaus cognomen *Sturii* assumsit. Hôc genitus Suanto, post Stenonem Sturium, ex priori stirpe, Sueciam gubernavit, ab A. C. 1504. sicut ejus fil. Steno junior, ab A. C. 1512. de quo utroque diximus suprà, in voce *Steno.* Plura vide apud Spenerum *Theatro Nob. Eur. part.* 3. *in Indice*, & *p.* 35. nec non *Art. Herald.*

STURII, vulgò STAVEREN, populi & urbs Frisiæ occidentalis in Batavorum confinio. Vide *Stavera.*

STURIO, seu STURGIO, apud recentioris ævi Scriptores, qui de *Re Piscaria* scripsêre, piscis est maximo in mensis honore habitus, apud eos, in quorum litoribus invenitur, subit enim è mari flumina, adeoque marinus simul & fluviatilis est: Hinc apud Anglos ad solum Regem pertinere, legimus in *Fleta l.* 1. *c.* 45. alibique. Quò respiciens Alanus de Insulis *in Planctu Nat. Illic sturgio* ait *sui corporis nobilitatem, individuali sui corporis benedictione, mensis offerebat regalibus.* Qui Veterib. dictus sit, non liquet. cùm alii *silurum* Ausonii, nonnulli *hiccam* Athenæi, quidam *tursionem* Plinii, aut *lupum*, non pauci *attilum* Padi, Rondeletius tandem *accipenserem*, Romanorum literis nobilitatum, esse contendant. Sed acipenser marinus tantùm & squamis tectus, *sturio* corium habet, squamisque caret: ille rarus admodum fuit, hic frequens est. Nec reliqua omnino quadrant, nisi quòd propiùs ad verum accedere videantur,

tur, qui *silurum* Ausonii hunc piscem esse volunt; animal innoxium & a siluro Danubii longè diversum, ita enim is *in Mosella*, v. 148.

Hic tamen, hic nostræ mitis balæna Mosellæ
Exitio procul est, magnoque honor additus amni.

Et talis omnino *Sturio*, inter pisces maximè innocens, cui rostrum porrectum, os parvum: seu potiùs oris locô exiguum foramen, quo udum sugit, omniumque interim amnicorum piscium maximus. Nomen non tam depravatum ex voce *Thursio*, quâ, cum propriè longum segmentum piscis salsi ab una parte crassius denotetur, ex eo piscis genus, rostrum habentis marinis caniculis simillimi, fabricavit Plinius: quàm ex Gothico vocabulo *Stur*, uti hodie vocari ajunt. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1314. & *seqq.* & plura de hoc pisce apud Bruyerinum Champerium *de Re Ciburia l.* 20. *c.* 22. Vossium *de Idol. l.* 4. *c.* 10. & 29. Alios nec non suprà, voce *Balena*.

STURIUM, insul. Galliæ Narbonens. una Stœchadum *Ribaude Pineto. Valesio* potiùs una est ex Insulis Areensibus (*les Isles d'Hiers*) sic dictis, quòd Areis, portui Provinciæ, objaceant: quæ quibusdam Insulæ *Aureæ*, *les Isles d'Or*, à colore soli quoque appellantur, nunc Marchiæ titulô illustres. Sunt autem harum tres, *Sturium*, Phœnice & Phila, sitæ inter Stœchadas, & Leronem ac Lerinam Insul. magnitudine supra reliquas Galliæ. Harum prima, culta quidem ac vicô insessa, sed duabus reliquis minus spatiosa est: dicta Porcariola, Gallis *Porquerolles*, vel Ribadio, Liguribus Tuscisque. Secunda, *Porto Crozo*, Gall. *Port Cros*, quasi portus profundus: Item Cava vel Cavia *la Cavi*: Tertia eaque cœteris multo latior & longior, montosa & sylvestris, nunc *Bonomio*, nunc *Bonomo* Italis Gallis *l'Isle Bonhomme*; item Insula Titanis *l'Isle du Titan*, vel *del Titon* nuncupatur. Sunt autem duæ posteriores incultæ ac desertæ. Circum tres has Areensium insulas jacent aliquot aliæ, Ripaldinum *Ribaudin*, contra Telonem & Ripaldanum *Ribaudan*, priore major insula: ambæ litoreæ hincque dictæ. Inter Ripaldanum & Porcariolam sunt tres minimæ insulæ Modi *les Modes*: circa Portum Crosum hinc & inde duæ. Bononio Pergantionem spectanti proxima est pesis obscura, & supra Bononium, non procul à litore Formica *Formique*. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

STURMIUS Jacobus, an Sleidâ, an Argentoratô oriundus, Reipublicæ hujus sæpius Legatus, Academiæ illi erigendæ, uti Sleidano Historiæ scribendæ, auctor fuit. De omnibus Germaniæ Protestantibus bene meritus, obiit A. C. 1553. ætat. 63. Verheiden *Icon.* Melchior *Vit. JCtor.* Beza *Icon. Nobilitatis Germ. decus* Thuano, & primus Academiæ Argentinens. Rector. Teissier *Elog.*

STURMIUS Johannes, Argentinæ, magna cum prudentiæ & eruditionis laude, Scholam olim moderatus, cùm Eloquentiam doctissimis scriptis illustrâsset, obiit A. C. 1598. ætat. 82. *Cicero*, *Plato* & *Aristoteles Germanus* dictus, ac de Re literaria tum aliàs, tum Scriptis quam plurimis Teisserio præfato enarratis *Part.* 2. optimè meritus; Rector Academiæ Argentoratensis cujus consiliô illam erectam quidam dicunt, quod priori alii tribuunt, ut vidimus. Ei successit Melchior Junius. Lætus *Compendio Hist. Univ.* Melch. Adami *Vit. Philol. Quenstedius* &c.

STURMIUS Johannes, Mechliniensis, Medicinam & Mathemata Lovanii docuit, Scripsit nonnulla, ut *De Rosa Hierichuntina*, *Theoremata Physices*, *Psalterium B. Virg. Meditationes versibus Trochaicis dimetris*, *Ludum Fortunæ Ænigmata* &c. Ant. Teissier *Elog. Part.* 2.

STURNI, gens in Sarmatia Europæa. *Ptol.*

STURNINI, Calabriæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 11.

STURNUS, Hebr. *Zarzir*, inter aves Lege Dei Israelitis olim vetitas, recensetur Majemonidi *l. de Cibis vetitis*, eò quòd corvi species sit; unde Proverbium hinc natum legas *in Bava Kama fol.* 92. *Non frustra corvum adit sturnus, cùm sit ejusdem speciei.* Verùm, cur sturnum corvi esse speciem potiùs quam cornicem, antipicam, aut graculum & monedulam, velint Hebræi, cùm hæ ad corvi naturam propiùs accedant, meritò miratur Bochart. quem vide *Hieroz. Parte post. l.* 2. *c.* 33. Est autem *Sturnus* inter migratorias aves, propriumque ejus generi, *catervatim volare & quôdam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus.* Plin. *l.* 10. *c.* 24. quod ad coturnices perperam transtulit Solin. *c.* 11. Eadem avis inter eas, quæ humanum sermonem sonare discunt, numeratur eidem Plinio *l. cit. c.* 42. *Habebant & Cæsares juvenes* sturnum, *item luscinias, Græcô atque Latinô sermone dociles: prætereà meditantes in diem, & assiduè nova loquentes longiore etiam contextu.* Unde Papinius *l.* 2. *Sylv.* 4. v. 17.

——— *Plangat Phœbeius ales*
Auditasque memor penitùs dimittere voces
Sturnus. ———

Plura apud Vossium *de Idol. l.* 3. *c.* 89. & 93. Vide quoque infrà *Sudaria*, & suprà *Atabilo*.

STUTGARDIA, vide *Stugardia*.

STYELLA, Megaridis castellum in Sicilia. *Steph.*

STYLITES Simeon, vide *Simeon*. Nempe *Stylita* seu *Stylites*, quasi *columnaris*, cognomen Simeonis, de quo Lætus, *Simeon Stylita*, inquit, *qui in columna* LXXX. *annis steterat, vivus miraculo est, mortuus Antiochenis & Leoni Imperatori materia rixæ*, in *Compendio Hist. Univ. p.* 145. Floruit autem is A. C. 460. sequutique eum alii quoque, à tam insolito ἀσκήσεως genere, idem cognomen sunt adepti. Columnam ejus describit Macer, *quòd habuerit quadratum spatium duorum cubitorum ex utroque latere, in quo circumcirca substructio altitudinem lumborum non excedens, cum porticula & lignea scala*, in *Hierol.* Vide Euagrium *l.* 1. *c.* 13. 13. & suprà quoque in *Cionita*.

STYLLAGIUM; urbs Triphyliæ. *Steph.*

STYLUS, Gr. Γλυφίον; Ausonio *calum*, item *calites*, ab eadem origine nonnullis dicitur. Et habemus *calitis* vocem in *veter. lapide* apud Aldum Orthogr. & Gruterum *Inscr. p.* 329. *Nam neque hic atramentum; vel papyrus, aut membrana ulla adhuc; sed malleolô & calite literatus silex.* Ferreum autem fuit instrumentum, quô antiquissimi literas saxis & lateribus insculpserunt. Unde vetus Hiobi Interpres *c.* 19. *v.* 24. *Quis mihi det, ut exarentur in libro Stylô ferreô aut plumbi lamina vel calite sculpantur in silice?* Mansitque ejus usus, etiam cùm in ceratis tabellis scribi cœptum; Sed modò ex ære, modò ex osse, modò ex alia materia confici consuevit, uti diximus suprà voce *Graphium*. Mucronem enim & aciem Graphii unô nomine *Stylus* complectabatur. Quintilianus *l.* 1. *c.* 1. *Cùm verò jam ductus sequi cœperit, non inutile erit eas* (literas videl.) *tabellæ quam optimè insculpi, ut per illos velut sulcos ducatur Stylus.* Althelmus *Heptastich.* in ænigm. cui titul. *de Elementis*, de *Stylo* sic scribit,

Nascimur ex ferro, rursus ferrô moribunda,
Nec non & volucris penna volitantis ad æthram.

Prudentius *in Passione Cassiani*, v. 51.

Inde alii stimulos & acumina ferrea vibrant,
Quâ parte aratis cera sulcis scribitur;
Et quâ secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innovatur area.
Hinc foditur Christi confessor, & inde secatur,
Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.

Vide quoque Symposium *Ænigm.* 1. ubi figuram ejus exactè expressit, acumen ei in imo latitudinem in summo tribuens. Quemadmodum & Althelmus, *ferrum* utrobique appellat, & *ferri stimulum* non inelegantet; quia mucrone scribebant, planitie scriptum abradebant. Columella *de Horto l.* 10.

Nomine tum Grajo, ceu litera proxima primæ
Pangitur in cera docti mucrone Magistri,
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur, foliô viridis, pede candida Beta.

Hinc Hieronymus *ad Domnion. Stultus ego, qui me putaverim hoc absque Philosophis scire non posse, qui meliorem Styli partem eam legerim, quæ deleret quàm quæ scriberet.* Quia itaque Veteres inferiori parte *Styli*, quæ acuta erat, in scribendo utebantur: superiore verò, quæ obtusa erat, in cera prius scripta inducebant ac delebant; inde factum, ut *inducere* pro *obliterare* & *abolere*, reperiatur apud Cicer. *l.* 4. *ad Attic. Ep. ult.* vel magis emphaticè, *in cera aliquid eradere*, apud *Hieron.* Cum verò in cera scriptum inducerent, *Stylum* vertebant; hinc apud Cicer. iterum *Verrin.* 4. *Stylum vertere*, pro *delere*, adhibetur. Ut de aliis loquendi modis, qui apud Scriptores passim occurrunt, qualesque sunt, *Stylum infigere*, *Stylô appetere*, *Stylô depascere* nihil dicam. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Ad *Stylum decretorium*, cùm Pater accedere dicitur apud Senecam *de Clem. l.* 1. *c.* 14. intelligitur, cum, post aliquam moram, tandem certò statuisse filium abdicare, adeoque ad tabulas exhæredationis conscribendas jamjam se accingere. *Styli Censorii* meminit Cicero *pro Cluent.* unde *Censorium stylum distringere* dicimur, cùm vel scriptô vel verbis aliquem acriùs castigamus & carpimus: *Censoriam virgulam* dixit Fabius *l.* 1. *c.* 2. *Castigatoriam severitatem*, Sidonius Apollinaris *l.* 4. *Ep.* 1. E quibus patet. Metonymicè *Stylum* pro ipso scripto non rarò venire. Joh. Laurentius JCtus *Notis in Phædrum l.* 3. *Prolog. in versum*,

Librum exarabo tertium Æsopi Stylô.

In *Styli* locum, postqnam literæ non incidi ampliùs in saxis, lateribus, metallô, cerâ: sed pingi cœperunt, in arborum foliis, biblo ac papyro, charta, linteo &c. calami successêre, qui optimi juxta Memphim, Nilum vel Gnidum, proveniebant, teste Pliniô *l.* 16. *c.* 36. Hos denique excepêre avium pennæ, quibus hodieque utimur. Sed & penicilli usus apud Sinenses in scribendo est, è leporinis pilis confecti, quem atramentô tingunt, uti nos docet Nicolaus Trigaultius *Expedit Sinic. l.* 1. *c.* 14. Vide Joh. Gerh. Voss. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 34. 35. 36. uti de alio *Styli* usu suprà voce *Præductal.* Duplicis *Styli* minusculi majusculique iconem habes, apud Pignorium *locô cit.*

STYMBARA, civitas quondam Græciæ, non procul à Tripoli in terra Ionica. Strab. *l.* 7. *Baudrando* Deuriopum urbs in Macedonia, fortè *Stubera* Livii *l.* 31. *c.* 39.

STYMMA, apud Plin. *l.* 13. *c.* 1. *Ratio faciendi* (unguenti) *duplex, succus & corpus. Ille olei generibus ferè constat, hoc odorum: quorum hæc* stymmata *vocant, illa hedysmata.* Græcè στῦμμα est, à verbo στύψαι, quod de unguentis *spissare* significat. Nempe duo sunt quibus unguenti confectio constat, ἡδύσματα & στύμματα, succus & corpus, oleum & odores. Succus oleum est, quod & ἥδυσμα, condimentum nempe liquidum, quô veluti condiuntur odores: ipsi verò odores corpus sunt qui in oleum adduntur, ut serventur quasi quâdam conditurâ. Sic in salgamis condiendis, acetum & muria, h. e. jus vel succus, conditurræ vicem obtinent: res verò ipsæ, quæ eò immittuntur servandæ, corporis instar sunt, ut herbæ omne genus, quæ ad hunc usum reponuntur, pyra etiam & mala, cucumeres & alia similia. Dicta autem στύμματα sunt aromata seu odores, quòd in oleum additi corpus facerent & oleum spissarent; quorum qui novissimus indebatur, is potentissimus & unguento ut plurimum dabat nomen. Qua de re vide Dalechampium *ad Plin. dictô locô.* & Salmas. inprimis *ad Solin. p.* 466. Aliter sumitur vox, cùm de coriis sermo est: tum enim στῦμμα, idem quod βάμμα, *tinctura* &

τύψαι conficere est. Et quidem τύψαι non omnem tincturam, sed eam solùm, notat, quâ simul tingitur & alligatur color, aliter κατοχὴ, qua de aliquid diximus suprà, in verbo *Alligari*. Hinc *στυπτικὰ infectoria* medicamenta, quæ conficiendis coriis inserviunt; *στυπτηρία*, *aluta*, *alumen* &c. de quibus vide eundem Salmas. ubi suprà p. 465. & 1166.

STYMPHA, mons ex quo Arachthus fluv. Epiri profluit. *Strabo.*

STYMPHALIA, quæ STYMPHALIS Livio, *l.* 45. *c.* 30. regio Macedoniæ, Estiotidi finitima. *Ptol.*

STYMPHALUS, mons Peloponnesi altissimus in Arcadia, *M. Poglisi*, teste Nigrô. Statius l. 4. *Sylv. Carm.* 6. *v.* 100.

> ——— *Quantusque nivalem*
> *Stymphalon, quantusque jugo Erymanthon aquosis*
> *Terruerit.*

Idem *l.* 4. *Theb. v.* 298.

> *Monstriferumque Erymanthon, & ærisonum Stymphalon.*

Urbs verò quæ & *Stymphalum* Plinio, *l.* 4. *c.* 6. *Vulsi Negro*, seu *Langanico Negro*, ad montis prædicti radices fuit, Tegeæ proxima. Est & *Stymphalus*, vel *Stymphaus* lacus, & fluv. qui per agrum Argivorum ex eodem monte fluens, mutatô nomine *Erasinus* dicitur, teste Pausaniâ, *l.* 8. Ab hoc lacu *Stymphalides* aves appellatæ sunt, quæ tantæ magnitudinis fuisse dicuntur, ut Solis radios obumbrarent omnemque Arcadiam devastarent, donec ab Hercule ænei crepitaculi sonitu pellerentur. Lucret. *l.* 5. *v.* 31.

> ——— *Uncisque timenda*
> *Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes.*

Placet verò in hoc Mnaseæ sententia, quòd non aves, sed homines fuisse arbitretur. Videntur autem prædones fuisse, ac uncos habuisse ungues, ob rapinas quas exercebant. Planè verò errat *l.* 7. *c.* 1. Nat. Comes, qui *Stymphalides* & *Harpyjas* pro iisdem habet: clarè enim distinguit Petronius,

> *Tales Herculeâ Stymphalidas arte coactas*
> *Ad cœlum fugisse reor, pennâque fluentes*
> *Harpyjas cum Phineo maduêre venenô*
> *Fallaces epulæ.*

Plura de hisce avibus, ut Poëtas prætercam, Pausan. in *Arcad.* & Apollon. *Schol. in* 2. *Argon. v.* 1050.

STYRA, urbs Eubœæ prope Carystum. *Steph.*

STYRACIUM, Cretæ mons; unde Styracites Apollo. *Steph.*

STYRAX, vide *Storax.*

STYREI, Græciæ populi, Herodot. *l.* 6. & 8.

STYRIA, vide *Stiria.*

STYRUS, Albaniæ Rex, à quo, ut auxilia Æetes, impetraret, despondit illi suam filiam Medeam. Val. Flac. *l.* 3. *v.* 497. Periit naufragiô, dum cum Absyrto classe subitô fabrefactâ Argonautas persequitur, ut idem canit *l.* 8. *v.* 358. *& sequentibus.*

STYX, fons Arcadiæ, ex Pheneo lacu, & ex Nonacri monte manans ex saxo (cujus aqua illicò pota necat) & in fluvium evadens. Ferrum ac æs erodit, solaque mulæ ungulâ aqua ejus contineri potest, cætera vasa frigoris vehementiâ dirumpens. Hôc venenô quidam Alexandrum ab Antipatro sublatum putant; non sine consilio Aristotelis. Sed & lethales pisculos generare dicitur, apud Plin. *l.* 31. *c.* 2. Palus item Thessaliæ, teste Pliniô, *l.* 2. *c.* 103. ex qua Titaressus fluv. egreditur. Styx etiam apud Poëtas Inferorum fluv. Ovid. *Pont. l.* 4. *eleg.* 14. *v.* 11.

> *Styx quoque (si quid ea est) bene commutabitur Istro,*
> *Si quid & inferius quàm Styga, mundus habet.*

A superis tantâ veneratione habitus est hic fluv. ut nefas ducerent, quicquam eorum, quæ Styge teste jurâssent, quovis modô violare. Si quis contra fecisset, totos centum annos divinitate spoliatus à nectare arcebatur. Virg. *l.* 6. *v.* 323.

> ——— *Stygiamque paludem*
> *Dii cujus jurare timent & fallere numen.*

Hunc honorem ei datum volunt fabulæ, vel quòd hujus filiæ, Victoria, Vis, Robur, Zelus Jovi opem tulerint adversus Titanas: vel quòd Styx ipsa patefecerit Jovi conjurationem Deorum, qui ipsum volebant vincire. Hom. *Il.* 15. & Od. 5. de juramento Stygis ait, *ὅρκος*, & addit Od. *ε. v.* 186. *δεινότατος μακάρεσσι θεοῖσι*: & *Il.* 14. *v.* 271. *Ἀάατον Στυγὸς ὕδωρ*, *inviolabilem Stygis aquam*. Hesiod. *in Theogonia, v.* 775.

> *Ἔνθα δὲ ναιετάει στυγερὴ θεὸς, ἀθανάτοισι*
> *Δεινὴ Στύξ.* ———

Idem eundem *ibid. v.* 805. vocat *ἄφθιτον* & de hoc fluv. *ἱερὸν ὕδωρ.* Quin & Apollonio 2 *Argon.* juramentum ejus dicitur *ἄργιον* & *ἐπιδόξιον θεοῖς.* Apulejus etiam *l.* 6. ait aquas Stygis esse *formidabiles Jovi*, Diisque aliis. Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 480. & *Æn. l.* 6. *v.* 439.

> *Alligat, & novies Styx interfusa coërcet.*

Unde Papinius *Theb. l.* 2. *v.* 5.

> ——— *Styx inde novis circumflua campis,*
> *Hinc objecta vias torrentum incendia claudunt.*

Hujus Stygiæ paludis nomen quibusdam ἀπὸ τοῦ στυγεῖν deductum videtur; quod est *odisse, aversari, reformidare.* Unde Virg. ubi suprà: *Tristis palus inamabilis undâ* dicitur, item Hesiodo *loc. cit. στυγερὴ θεός.* Alii statuunt Στύγα esse ex שתיקה cum Sheva, ut fiat *Stika*, atque derivari à שתק *siluit*, quod mortuis convenit: unde Seneca in *Hippolyto*, *Actu* 2. *v.* 625.

> *Regni tenacis dominus, & tacitæ Stygis.*

Nic. Lloydius. Addo, quod paulò aliter de pœna pejerantium per *Stygem*, Hesiodus, qui annum integrum *νήυτμος*, h.e. *ἄπνους*, sive *Spirans* atque *anima* expertes, jacuisse tradit *Theog. v.* 793.

> *Ὅς κεν τὴν ἐπίορκον ἀπολλείψας ἐπομόσσῃ*
> *Ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,*
> *Κεῖται νήυτμος τετελεσμένον εἰς ἐνιαυτόν.*
> *Quisquis perjurium libans juraverit*
> *Immortalium, qui tenent verticem nivosi Olympi,*
> *Jacet Spiritus expers integrum per annum.*

In quæ verba vide Lamb. Barlæum Comm. Ad 9000. annos pœnam extendisse Orpheus legitur, apud Servium *Æn.* 6. *Fertur namque ab Orpheo, quod Dii pejerantes, per Stygiam paludem novem millibus annorum puniuntur in Tartaro.* Quod intelligit Minutius *Octavio*, cùm ait: *Ideo apud eos etiam ipse Rex Jupiter per torrentes, ripas & atram voraginem jurat religiosè: destinatam sibi cum suis cultoribus pœnam præscius perhorrescit: nec tormentis aut modus ullus aut terminus*, Joh. Meursius in *Lycophron. Accessit post annum illum, Dei perjuri, e veterno ejusmodi experrecti, exilium (seu plane excommunicatio) decennale, ut novem scil. integros annos relegato, decimô demum Immortalium cœtibus iterum jungi liceret, ibid.* ubi etiam addit quoties Jupiter mendacii reum esse Deorum quempiam suspicaretur, Isidem accersere consuêvisse, ut poculum Aquæ Stygiæ afferret, veluti juramenti materiem. Sed de juramento hoc plura apud Jo. Seldenum *de Synedriis vett. Ebr. l.* 2. *c.* 11. § 3. Nec verò ficto illo Inferorum flumini Styx illa, ad Nonacrin Arcadiæ oppid. fluens, solùm occasionem præbuisse videtur. Imò contra credibile est, Homerum, eorum, quæ de *Styge*, Acheronte & aliis infernis fluminibus, tradidit, vel præcipuè occasionem cepisse, ex calidis illis fontibus Campaniæ prope Lucrinum & Avernum lacum; ubi & Cimmerii collocantur, qui nec orientem vident nec occidentem Solem. Quod cognoscere est ex Od. *κ. v.* 511. ubi Circe, cui domicilium in Circejo, novi Latii monte, sic alloquitur Ulyssem, à se ad Cimmerios iturum: quod unius diei iter facit,

> *Νηᾶ μὲν αὐτοῦ κέλσαι ἐπ' Ὠκεανῷ βαθυδίνῃ,*
> *Αὐτὸς δ' εἰς Ἀΐδεω ἰέναι δόμον εὐρώεντα.*
> *Ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα, Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι,*
> *Κωκυτός θ', ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ.*

Cimmerios autem hìc à Poëta statui, atque ad eos una à Circejo die pervenisse, indicant ejusdem Ulyssis verba, Od. *v.* Vide quoque Lycophronem in *Cassandra*, ubi liquido in Ausonia, Italiæ parte & Cimmerios & Acherontem & Pyriphlegethontem & *Stygis* fluvium reponit. Sed & Homeri hos Cimmerios, non juxta Bosphorum, sed magnæ Græciæ Avernum, constituunt Strabo *l.* 1. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Maximus Tyrius *Dissert.* 26. & Festus *his verbis: Cimmerii dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt: quales fuerunt inter Bajas & Cumas, in ea regione, in qua convallis satis eminenti jugô circumdata est, quæ neque matutinô neque vespertinô tempore Sole contegitur.* Sic igitur colligit Vossius, Homero, vel iis, quos is secutus est, fingendi istos Inferorum fluvios occasionem eò præbitam esse, quòd illa Campaniæ pars, ubi Avernus & Bajæ, tot calidos habeat fontes & priscis temporibus gravissimi odoris, quorum à sulfure & ignibus subterraneis causam esse, docet Dio *l.* 48. Vide quoque Varronem *de L. L. l.* 4. Festum, Servium in *Æn. l.* 3. &c. quorum ultimus hic Augustum Cæsarem, *dejectis sylvis, quarum densitate Averni lacus ambiebatur, ut exhalans inde per angustias aquæ sulphureæ odor gravissimus, supervolantes aves necaret, ex pestilentibus amœna loca illa reddidisse*, narrat. Ab Agrippa id, sed jussu Augusti, factum fuisse, docet Strab. *l.* 5. Inde igitur loci in posterum salubritas, quò respiciens Silius ait *l.* 12. *v.* 120.

> *Ille olim populis dictam Styga, nomine verso*
> *Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Avernum.*

Ubi videmus, *Stygis* etiam nomen quam in Arcadia posuimus, Averni in Campania putâsse. Vide de iis prolixè disserentem Gerhard. Jo. Voss. *de Idol. l.* 2. *c.* 81.

SUA, Rex Ægypti 2. Reg. *c.* 17. *v.* 4. Vide So.

SUA, socer Judæ filii Jacob. Gen. *c.* 38. *v.* 2.

SUA, frater Caleb. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 11.

SUA, homini *natura* sunt, *Vita, corpus, membra, fama, honor, actiones propriæ*; non quidem ad perdendum, sed ad custodiendum. Alia item *sua* facit, *dominiô* & *pactis*; ex *Lege* item. At ex sola aptitudine, non oritur verum dominium, ac proinde restitutionis obligatio: quia non id alicui *suum* est, ad quod aptus est. Qua de re vide Hugonem Grotium *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 17.

SUAA, fil. Heber. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 32.

SUADA, & SUADELA, persuasionis Dea, quæ Græcis Πειθὼ dicitur: Hæc comes Veneris fingitur, quòd qui amantur, gratiâ & oratione capiantur.

SUADUS Cruor, apud Statium *Theb. l.* 4. *v.* 452. ubi de sacris Infernalibus,

> *Inclinat Bacchi latices & munera verni*
> *Lactis, & Actæos imbres, suadumque cruorem*
> *Manibus* ———

Glossographo est *acceptus*, gratissimus Lutatio, *qui persuadeat Manibus ad supplicia tenere. Oculorum enim maximus pulatum fumigatum, pannus ab ævi Homero dictum.* Vide Barth. *Animadv. Stat. l. p.* 1091. & 1092. Ab eodem verbo, *Suasa* & *insuasa* Latini dicunt, *inquinata*, seu *tincta* colorata & fucata, quæ *πιν ωτρῆμα* quoque Græcis. Quomodò eleganter, qui penitus adusti sunt & profundè colorati Sole, *πεπυρωμένοι ἐκπεπαυμένοι* vocat Strabo *l.* 15. Hinc *Festus*, *Non deesse, ait, qui dicant, eorum colorem, qui fiat infulmento, suasum vocari, quòd quasi persuadeatur in alium ex albo transire.* Quia vero tignum, quod diutinà fumi infectum est, vel ea, quæ ex stillicidio fumoso colorata, eum colorem penitus imbiberunt, eoque protinus imbuta ac velut insuasa; validè retinent, ideo *suasum* & *suasum* de hoc fumido colore, κατ' ἐξοχὴν usurpatum est. Salmas. *ad Solin. p.* 346.

SUAGELA, urbs Cariæ, ubi sepulchrum erat regibus Carum. Vocant enim Cares *Suan*, *Sepulchrum*, *Gelam* vero *regem*. Civis *Suagelens*. *Steph.*

SUAL, fil. Suphæ, 1. Paral. c. 7. v. 36.

SUALBACUM, oppid. Germaniæ, mineralium aquarum, acidularumque salubritate, celeberrimum, in ditione Ernesti Landgrav. Hassiæ lineæ Cassellanæ, de quo vide Auctorem Anonymum *Histor. Orbis Terr. Geogr. c.* 3. *de Hydrographia, num.* 20. Supra fontes hosce medicos in valle angusta lucum, in rotundum quasi attonsâ & fastigiatâ comâ, adeò densam, ut nulli radii Solis penetrare queant, hincque verè sylvæ delitium, memorat Ad. Preyelius *Sinæ & Europ. c.* 55.

SUALVA, fluv. Britanniæ Insul. juxta Cataractam vicum, *Beda.*

SUANA, urbs Hetruriæ, *Ptol. Souana*, in ditione Senensi, apud Osam fluv. patria Gregorii VII.

SUANAGURA, urbs Indiæ extra Gangem, *Ptol.* nunc forsan *Patna*, in regno cognomine sub M. Mogole.

SUANETES, qui *Suanitæ Ptol.* populi Rhætiæ, quorum regio *Algeew* in Suevia, teste *Simlerò*, & urbs *Ravenspurg* libera, teste Tschudò, inter Ulmam & Constantiam, ab Augusta Vindelicorum 14. mill. pass. in occidentem. *Guilimannus* Glaronenses per illos intelligit, non solùm, quia inter Alpinos populos collocantur, sed etiam quia in ejus regionis medio præcipuus locus *Suanda* dictus est. *Rerum Helvet. l.* 3. *c.* 6. Sed tum à *Ptol.* præfato, tum à Plinio *l.* 3. *c.* 20. juxta Reguscos *Suanetes* collocantur. Aliis quasi *Sarunetes* dicti, i. e. fluv. *Sar* accolæ, hodie Comitatus Saruneganensis in Rhætia populi videntur. Vide *Sarunetes.*

SUANI, Colchidis populi aurô abundantes. Plin. *l.* 33. *c.* 3. ut regnum ipsum velleribus aureis, trabibus & columnis scateret. Ibericam nationem ultra Caucasum vocat *Agathias*. Inter Lazicas gentes numerantur, in *Authentica*. Ibidem ferè sunt *Ptol.* in Sarmatia Asiatica ubi *Suani* legunt Interpretes.

Principes Viti.

SUANTIBORUS I. filius Bogislai, nepos Mistævonis Wandalorum Regis, qui Saxonum fuit terror: Pomeraniæ Dux, à Bela Ungaro, auspiciis Micislai Poloniæ Regis victus & ad Christianam religionem perductus, eô digressû in libertatem se iterum vindicavit & eundem Deum cum hostibus colere renuit. Inde gravia inter Polonos (quibus parere recusabat, sed tandem coactus se submisit) & Danos bella. Filios reliquit quatuor, qui omnes Christiana coluêre sacra & Ottone Andechsiô Episcopô Bambergensi, Cancellariô Henrici IV. Imperatoris (qui ex eô *Pomeranorum Apostolus* dictus & Sanctis annumeratus est) adscitô, gentem suam ad eandem adduxêre. Cæterum ex his Wartislaus & Ratiborus citeriorem, Suantopulcus ac Bogislaus, ulteriorem sortiti sunt Pomeraniam. Ipse verò *Suantibori* pater Bogislaus, Pomeraniæ Ducum conditor, fratrem habuit natu majorem Udonem, à quô Megapolitani Principes originem suam traxêre. Circa initium seculi 12.

SUANTIBORUS II. fil. Barnimi Magni, cujus Pater Otto Stetinensem ramum orsus est, Patri A. C. 1368. extinctô, post fratres Bogislaum VII. & Casimirum IV. successit: per uxorem Annam Hennebergicam, Kœnigsbergam Franconiæ nactus, ex ea reliquit A. C. 1413. Ottonem II. & Casimirum VI. in cujus nepote Ottone III. ramus Stettinensis desiit A. C. 1464. acteque bellum inter Brandeburgicos, quibus Fridericus III. Imperator feudum contulerat & agnatos reliquos Wolgastenses exortum est. Spenerus *de Familia Wandalica.*

Viri Illustres.

SUANTO Sturius, fil. Nicolai, (ex eo nepos Boëtii Sueciæ Senatoris, qui maritus erat Catharinæ, filiæ Stenonis Sturii Dani) post Stenonem I. Sturium, ex altera Sturiorum familia ultimum, Sueciam gubernavit, ab A. C. 1504. usque ad A. C. 1512. Calmariam aliaque Christierno Daniæ Regi eripuit A. C. 1510. obiit 1512. Pater ex Ilsana Gæddea, Stenonis II. cui ex Christiana Guldensternia, natus est.

SUANTO Sturius Comes de *Westerwyck*, ex Mercta seu Martha Lewenhaupta, numerosæ prolis parens. Nicolai nempe, Erici, Stenonis, Mauritii, Caroli, præter 5. filias. Nunc verò familia penitùs defecit, Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. part.* 3.

Principes Viti.

SUANTOPULCUS, fil. Suantibori præfati, cum fratre Bogislao, in divisione paternæ hæreditatis, ulteriorem sortitus Pomeraniam, à Boleslao Crivousto Polono captus est, ac sine hærede decessit. Idem *in Familia Vandalica.*

SUANTOPULCUS, Legifer Ostrogothiæ, ex Suercheri Sueciæ Regis nepte, filiam habuit Ingerdim, quæ nupsit Tunoni Sturio Equiti, Aurati senioris familiæ Sturiæ in Suecia auctori: cujus ultimus fuit Steno I. regni Gubernator. Idem *in Theatr. Part. cad.*

SUAR, pater Nathanaël principis tribûs suæ Issachar. Numer. c. 1. v. 8.

SUARDONES, populi Germaniæ Tacito, *de German. c.* 40. sub Vindilis, quorum urbs *Swerin* episcopalis sub archiepiscopo Bremensi in ducatu Megalopolitano, inter Wismariam ad Arctos, & Domitium in Austrum 4. leuc. quot à Gustrovia in Occidentem, à Lubeca 7. Cluverio habitabant, ubi nunc Pomerania citerior & minuta pars Ducatus Meckelburgici. *Varinos* quibusdam & *Pharodini Ptol.* Non autem Suevinum usque extendebantur.

SUAREZ de Figueroa, nomen est illustris in Hispania familiæ, in qua celebris fuit *Suarez de Figueroa Dn. de Zafra & Feria*, sub Henrico II. Joanne I. & Henrico III. Regibus. Idem M. Ordinis S. Jacobi fuit, & post egregia gesta excessit A. C. 1409. Et ex conjuge *de Orozco* natus Gomezius *Suarez de Figueroa* successor, non minus gestis & officiis clarus, sororem habuit Catharinam, Inico Lopezio *de Mendoza* Marchioni Santillanæ nuptam. Ab hac filius tertius Laurentius *Suarez de Mendoza & Figueroa* appellatus est, & cum prius Vicecomes *de Torija* fuisset, Comes *Crunnæ* creari meruit: cujus etiam posteri cum hæreditate ejus, cognomen *Suarezium*, nunquam non Mendozio annexum, servârunt. At Gomezius præfatus, Patris successor, & iterum pater fuit Laurentii atque Petri, à quorum isto derivatur linea Dominorum *de Barrat & Cueva*, qui cognomen *Lasso de Vega* gentili suo prætulêre: ab illo vero, qui primus elogium *Comitis Feriæ* obtinuit, genitus est Gomezius, pater Laurentii *Suarez de Figueroa* & Garsiæ, matre cognomen *de Toledo* nacti. Garsiæ successio per fœminam ad Fonsecas Marchiones Orellanæ translata est, cum nomine *de Figueroa*. Laurentius, cujus uxor March. *de Priego* fuit, ex ea genuit Petrum Fernandinum *de Cordeba Figueroa*, Catharinæ M. *de Priego* parens, Gomesium *Suarez de Figueroa*, Ducem primum Feriæ & reliquorum satorem, atque Alfonsum Fernand. *de Cordoba & Figueroa*, nepotis maritum & Marchionum *de Priego* continuatorem: de quibus vide in vocibus *Feria* & *Priego*, plura vero de Familia hac illustri, apud Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ.* passim, & *Artis Heraldicæ Parte Speciali.*

SUARNI, populi indomiti Gordiæorum montium incolæ, auri tantum metalla ibi fodiebant. Plin. *l.* 6. *c.* 11. Nunc *Curdi* cum Gordæis.

SUASA, *Ptol.* oppid. Semnonum mediterraneum in Umbria transapennina, in agro Senogaliensi. *Sasa* locus ruderibus plenus dicitur. Item Æthiopiæ sub Ægypto oppid. *l.* 6. *c.* 29.

SUASTUS, Græcè Σουαστὸς, amnis Indiæ, olim *Cophes*, quod vide.

SUATHAMIUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

SUATIEVITUS, stupendæ magnitudinis idolum, in Rugia à Valdemaro Dano ad Christianismum perducta, eversum A. C. 1161. Crantz. *Hist. Dan. l.* 6. *c.* 28. *& Vandal. l.* 5. *c.* 11. vox corrupta est, ex *Sanctus Vitus*, ut diximus in voce *Rugii*.

Reges Moraviæ.

SUATOPLUCUS I. *Dobravio*, qui *Suatho*, Bonfinio *Decad.* 1. *l.* 9. filius Marochi, qui in Moravia regnavit circa A. C. 700. patri successit A. C. 740. sed ab Hungaris, secundò ipsorum adventu, magnâ Pannoniæ (quæ cum Poloniæ & Austriæ variis ditionibus Patri paruerat) parte exutus, Regni sedem in Moraviam transtulit.

SUATOPLUCUS II. quem alii *Suendopolcum*, alii *Suendopolcum* vocant, ultimus Moravorum Rex, magna nominis sui famâ Orbem implevit, eversus tandem ab Arnulfo Imperatore circa A. C. 898. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. cum Notis* L. Joachimi Felleri p. 124. & 125. Nempe bello cum Germanis implicitus, à Zemovito Polonorum Principe domi infestatus est A. C. 884. Matt. Cromerus *l.* 2. Ab Arnulpho dein Imperatore ope Ungarorum victus & occisus. Hujus filio Suatobojó postmodùm pulsô, Borzivous Dux Bohemus sceptrum Moraviei regni ad Bohemos transtulit, A. C. 894. *Cosmas Bohemus*, &c.

SUATOSLAUS seu STOSLAUS, Græcis Scriptoribus *Sphendosthlabus*, post Olpham seu Helenam, Russorum Semiramidem, genti huic imperavit, dominâ Bulgariâ ad Pontum Euxinum & Thraciam usque Imperiô dilatatô. Quô mortuô, Russiâ pro numero filiorum divisâ, in tres Ducatus, Kioviensem, Pazinacensem & Norogardiensem, solus tandem fratribus superstes Vladimirus illos iterum univit A. C. 976. Annæ, Basiliô Imperatore genitæ, maritus. Idem ubi suprà p. 373.

SUAVIS Petrus, aliàs Paulus Servita, Theologus Venetus. Sub ficto hic Petri Suavis nomine, Concilii Tridentini historiam edidit, pro libertate Resp. Venetæ scripsit contra Paulum V. Pontificem Roman. per sicarios graviter paulo post sauciatus. In literis ad Dan. Heinsium, hoc de Synodo Dordracena, judicium tulit: *Illam Apostolorum doctrinæ congruam esse; Batavos felices, quibus divinæ gratiæ cœlitus detecta essent mysteria. Sapientibus mundi, rationique humanæ ea esse adversa, quæ sui intellectus lumine percipere nequeant. Sicuti ad lucem noctuas, ita illos ad divinam lucem cæcutire.* Vide Antonium Thysium *in Orat. fun. Dan. Heinsii* & suprà in voce *Paulus Servita*.

SUB auro statua, in veter. saxo, STATUAM. SUB. AURO. CONSTITUI. LOCARIQUE. JUSSERUNT. est statua aurata, quæ aliter *in auro*, item *auro illustris*, *auro superfusa*, in veterib. *Inscr.* dicitur, Græcè ἐγχρυσος. Cui haud dissimili loquutionis genere *hominem in armis* & *sub armis*, i. e. armatum, vocabant. Ennius.

> *Ter me sub armis malim vitam cernere.*

Virgilius *Æn. l.* 5. *v.* 440.

> ---- *sedet circum castella sub armis.*

Sic Manilio, *l.* 1. *Centaurus in arcu & sub arcu* &c. Dicebatur autem statua *sub auro decerni*, eâdem loquutione, quâ opus aliquod *sub aspectu dedicari*. Salmas. *ad Trebell. Pollion. in Tito, c.* 32. Vide de hac præpositione plura suprà, ut compositis ex Græco ὑπό, lit. H.

SUBADJUVA, in *Breviculo* Historiæ Eutychianistarum, *Superveniente Uranio Subadjuva*; nomen dignitatis est, indigitatæ in *Histor. Misc. l.* 17. *Qui Subadjuvæ dignitate habebatur insignis.* Adjutor seu Adjutoris, qui videl. in aliquo officio Magistratus, præcipuo Adjutori aderat, ejusque vices, cùm opus erat, agebat. Hinc *Subadjuva Magistri*, in *Chronico* Alexandr. p. 870. ὁ Σουβαδιούβα τοῦ Μαγίστρου; *Subadjuvæ fabricarum diversarum*, in *Not. Imp. Occid.* c. 29. &c. Vide C. du Fresne *in Glossar.* & Salmas. *ad Pollion. in Claudio*, c. 14.

SUBALARES Culcitræ, apud Lamprid. *in Heliogabalo*, c. 19. *Nec cubuit in accubitis facile, nisi iis, quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum*, subalares *sæpe* culcitras *mutans*: Casaubono pulvini sunt, quibus undique fulciebantur delicatiores, cùm accumberent, ὑπαγκώνια Græcis, uti videre est apud Lucian. *in Somnio sive Gallo*. Cujusmodi pulvillos apud Israëlitas quoque in usu fuisse, discimus ex Ezechiele c. 13. v. 18. ubi is væ denuntiat, nomine Domini, Pseudoprophetis, *consuentibus pulvillos pro omnibus axillis brachiorum populi* &c. Vide quæ suprà diximus, *de Pulvillis*. Salmas. tamen *in edit.* Mediolan. & Gruterus in Codice Palatino, verba Lampridii sic interpuncta deprehenderunt, *aut plumas perdicum subalares: sæpe culcitras mutans*. In omni sanè avium genere plumæ sub alis delicatissimæ videntur, *perdicum* inprimis, quibus eôdem fine Othonem Imperatorem usum legimus: etiam à Medicis magni habitis. Vide eos *ad loc.*

SUBANELLATUS Capillus, apud Arculfum *d. Locis sacris*, qualem is Christo tribuit, ut & vetus Auctor apud *Suidam*, οὖλος est, *crispus*, quem *in annulos positum* vocat *Quintilianus*, *flexum ingenio suo Petronius*. Inflexio enim ipsa & crispatio capillorum nexiles annulorum orbes imitatur: quos postmodum delicatiores per gradus ponebant & ordine digerebant, ita ut unaquæque annulorum series stationem quasi suam servaret, & gradatim alveolatimque alia super aliam scanderet: quod *crines in ordine* seu *statione ponere* vocat Ovid. *l.* 3. *Art. Am.* v. 434. Alii erant capilli arte in annulos torti &c. Vide Salmas. *ad Capitolin. in Pertinace*, c. 12.

SUBARMALIS, apud Treb. Pollionem *in Claudio*, c. 14. *Albam subsericam unam cum purpura Girbitana*: subarmalem *unam cum purpura Maura*; vestis est πομπική & ostensionalis, quòd sub *armum* rejiceretur, nomen id adepta. Postquam enim in præcedentibus Valerianus enumeravit vestes ad quotidianum usum, ut sunt tunicæ russæ, & sagochlamydes: ponit dein separatim, quæ ad pompam tantùm erant, *albam subsericam* &c. Nam & albatos fuisse milites in die pompæ & triumphi constat. Præterea ex istis vestibus pompicis unam tantùm, nec eam annuam dari jubet Princeps, quòd & raro sumantur nec quotidianæ sint hæ vestes & frequenti usu non deterantur, ita ut una sufficere posset longo tempori. Sed &, cùm de Severo legimus, apud Spartianum, c. 6. eum, quum Romam venisset, *Prætorianos cum* subarmalibus *jussi sse sibi inermes occurrere*, Herodianus eadem de re agens, κελεύει, ait, *l.* 2. c. 13. πάντας ἐξελθεῖν εἰρηνικῷ σχήματι, ὥσπερ εἰώθασι ἔθος ἢ ἑορτάζοντος τοῦ βασιλέως προπέμπειν, *jussit omnes obviàm sibi prodire in habitu pacis, quo uti solebant festis diebus & cùm Imperatores prosequerentur triumphantes*: statimque eas πομπικὰς ἐσθῆτας appellat. Nec Prætorianorum verò solùm, sed & Ducum ac Tribunorum vestis hæc erat. Unde apud Pollionem d. l. sequitur, *Hæc autem omnia icirco specialiter non quasi Tribuno, sed quasi Duci, detuli.* Idemque Valerianus, apud Vopisc. in brevi munerum, quæ in Aurelianum conferri voluit, pro rebus gestis, *Subarmalem profundam* (i. e. ποδήρη, & infra genua demissum) numerat cum tunicis ducalibus, toga picta, tunica palmata &c. Uti autem in usu quotidiano sagochlamydes supra tunicas russas; sic diebus festis & solennibus, *subarmales* supra albas subsericas, sumebant. Alba igitur subserica tunica erat; *subarmalis*, chlamys vel byrrus, qui in humero fibulâ connectebatur brachioque dextrô exclusô sub armum descendebat. Nam etsi pacificæ essent hæ vestes, ex parte tamen militarem habitum referebant. Purpurâ quoque ornari consuevisse *subarmales* hos *peplos* (hoc enim substantivum subintelligendum esse Pollio docet, *Imperatorium peplum* hunc habitum vocans) alibi legas. Vide Casaubon. *ad Spartian. Severo* & Salmas. *ad Vopisc. l. cit.* Quibus adde Car. du Fresne, qui *Subarmalem*, Consulum insuper, aliorumque Magistratuum, habitum εἰρηνικὸν, quô illi in solennibus Imperatorum processibus & festis diebus usi fuerint, idemque cum *Fascia Consulari*, seu *Clavo*, quem posterior ætas *Lorum* dixerit, fuisse contendit, *de infer. ævi Numismatis num.* 6. Apud Martian. Capellam *Subarmalis vestis* integrè occurrit, *initio l.* 5. *Subarmalis autem illi Vestis peplô quodam circa humeros involutô Latialiter tegebatur.* Ubi *Latialiter*, laciniis sub armo seu brachio circa humerum convolutâ & subductâ veste antiquô Latinorum ritu, & Gabino non dissimili, exponit Casp. Barthius *ad Papin. Thebaid. l.* 4. v. 19.

SUBARRANDI Ritus, memoratur in *Canonibus* passim. Julianus Pontifex *in sec. Decreti parte*, *Si quis desponsaverit uxorem vel subarraverit.* Innocentius III. c. 14. *de despons. impub. quidam filiam suam circiter XII. annos habentem, cuidam nobili desponsavit, qui* subarravit *eandem, consensu mutuô accedente* &c. Recentiores Græci ἀῤῥαβωνίζειν id dixerunt; & quia ejusmodi arræ (*subarrare* enim aliud nihil est, quàm *arras* sponsalitias dare) in monilibus plerunque consistebant, ὁρμίζειν, & ὁρμίζεσθαι. Vide Salmas. *ad Capitolin. in Maximino Jun.* c. 1. & suprà ubi de *Arris, Nuptialibus* & *Sponsalibus*.

SUBATRII, Germaniæ inferioris populi quos Drusus Germanicus in triumphum traxit, Sicambris bellô victis. Strab. *l.* 7.

SUBAUGUSTA, urbs fuit Latii, cujus vestigia manent, ubi *Torre Pignatara*, in Campania Romana. Ibi condita fuit Helena Augusta, mater Constantini M. *Luc. Holstenius.*

SUBCAMERARIUS, *Subcancellarius*, *Subcapellanus*, *Subcastellanus*, vide suprà *Camerarius*, *Cancellarius*, *Capellanus*, *Castellanus*.

SUBCENSOR, Græcè Ὑποτιμητής, nomen officii, quod Mæcenas institui Augusto suadet, apud Dionem *l.* 52. Postquam enim Cæsares Censoriam potestatem, quamvis nomine abstinentes, sibi quoque sumerent, quia laboriosum & vile visum Principi censum agere, qui vice ejus id facerent, *Subcensores* dicti. Marcilius *ad Titum Suet.* c. 6.

SUBCENTURIO, vide *Centurio*.

SUBCINCTORIUM, vide suprà *Epigonation* & infrà *Subcingulum*.

SUBCINERICIA, Græcè ἐγκρυφίας, in versione Gen. c. 18. v. 6. ubi de iis, quæ hospitibus suis Abraham edenda obtulit; panes sunt supra carbonibus, in scrobe quadam in terra facta, tosti, qui inde, quod dum coquuntur in cineribus latent, ἐγκρυπτοὶ Græcis, & ἐγκρυφίαι, quasi *abditivi* seu *occultatitii* dicti sunt: aliàs ἐσχαρίται, ab ἐσχάρα, seu *foco*, in quo coquebantur. Cujusmodi panem ἐσχαρίτην, inter panem & placentam medium, Rhodiis in usu, *Pollux*; melle condiri consuevisse tantæque fuisse suavitatis, ut eô vescentes vix satiarentur & inter edendum semper esurirent, Lynceus Samius apud Athenæum *l.* 3. tradunt. Vide suprà in voce *Panis Focatius*, seu *Subcinericius*, item *Reversatus*. De illis loquens Ambrosius, *ad Genes. locum cit. Græcè ἐγκρυφίαι dicuntur*, inquit, *hoc est absconditæ, eo quod latere debeat omne mysterium & quasi operiri fidei silentiô, ne prophanis temerè divulgentur auribus. Hôc pascitur divina Majestas, hunc epulatur affectum, qui parcus loquendi sit, ne sacra in medium ferat.* Quo de silentio in Sacris, diximus suprà in voce *Mysterium*, item *Silentium*.

SUBCINGULUM, apud Honorium Augustodun. *l.* 1. c. 206. idem cum *Succinctorio*, Papiæ aliisque memorato, ab Innocentio III. *Myster. Missæ l.* 1. c. 10. 52. inter novem specialia Pontificum ornamenta recensetur. Græcè περίζωμα & ὑποζωστὴρ, Latinis quoque *Rebrachiatorium*, quod vide. Aliam vocis notionem habes voce *Cinctus*.

SUBCINUM, vide *Subsicinum*.

SUBCONFESSIO, apud Ughellum in *Acherontinis Archiepisc.* sacellum est subterraneum, seu crypta, quæ sub *Confessione* (uti altare Ædis sacræ vocant ejus ævi Scriptores) extructa est.

SUBCONSUL, in *Inscr.* Brigantii reperta, *Severius Severianus Subcos. Leg. III. Ital. F. Gordian.* Proconsul est Josepho Scaligero *Ep.* 66.

SUBDERUS Simon, vide *Simon*.

SUBDIACONUS, vide ubi *de Diaconis*, & voce *Kalendæ*, it. *Oblationarius* &c.

SUBDIALE, in *Gloss.* ὑπαίθριον, seu ὕπαιθρον, pars domus, quæ *sub divo* est, hinc *Subdival* Tertulliano *adv. Judæos, Ezechielis IX. & claritas Dei Israel ascendit à Cherubim, quæ fuit super ea in* subdival *domus.* Nempe *Subdivus* Latinis, idem quod ὕπαιθρος & αἴθριος Græcis, i. e. *clarus*, apertus, dilucidus, aliter quoque *dius*. Unde *dium fulgur*, i. e. matutinum. Ὕπαιθρον πρᾶγμα Græcis *conspicuis manifestum* &c. Inde ὑπαιθριάζειν τὰς νεφέλας, apud *Aristophanem* nubes, serenare & *subdium reducere* est. Vide Salmas. *ad Tertullian. de Pallio* c. 2. Quod verò lignum *subdialibus* aptum, vide suprà ubi de *Junipero*.

SUBDOCTOR. vide suprà *Baccalaureus*, item *Proscholus*.

SUBER, Græcè φελλὸς, *arbor* est *non minima*, *glans pessima, rara, cortex tantùm in fructu præcrassus ac renascens, atque etiam in denos pedes undique explanatus*, Plin. *l.* 16. c. 8. imò vix aliud quàm cortex, unde etiam ex Græco σύβαρ, quod *pellem* & exteriorem cutem notat, Latina vox orta est, & Græci *non infacetè corticis arborem appellàrunt*, *Ibid.* Usus ejus varius: *ancoralibus maximè navium, piscantiumque tragulis, & cadorum obturamentis; præterea in hiberno mulierum calceatu*, *Ibid.* Nempe & viris id apud Græcos Romanosque factitatum, sed mulieribus præcipuè. Fecerunt autem id mulieres, non valetudinis solùm causâ, sed & ut grandiores viderentur. Hinc de uxore, Ischomachi Xenoph. *l. de tuenda re famil.* Ὑποδήματα δ' εἶχε ὑψηλὰ ὅπως μείζων δοκοίη εἶναι ἢ ἐπεφύκει, *Calceos autem habentem altos, ut grandior, quàm fuit, appareret.* Et clariùs Clemens Alex. *l.* 3. *Pædagogi*, ex Alexi Comico, τυγχάνει μικρά τις οὖσα, φελλὸν ἐν ταῖς βλαύταισιν ἐγκεκάττυται, *Cùm quæ pusilla est, suber in sandaliis insutum habet.* Porrò, *ubi non nascitur ilex, pro ea subere utuntur, in carpentariis præcipuè fabricis, circa Elin & Lacedæmonem*, Plin. *ibid.* ubi cùm addit *in Italia tota non nasci*, *aut in Gallia omnino*, refellitur à *Dalechampio*, cùm Tyrrheniæ, i. e. Hetruriæ, familiarissimam & penè propriam esse, tradat Theophrastus. De usu ejus in natando vidimus alibi. Sed & Lithuanos, quoties à Russis vincebantur, tributi locô *subera*, *restes*, & *fasces frondeos*, quibus in balneis, ad eliciendum sudorem, genti uti mos, pendere jussos esse, discimus ex Cromero *l.* 7. &c. Hinc *Subari*, apud Innocentium III. *l.* 1. *Ep.* p. 29. calceamenti hiberni species, Gall. *Pantoufles*. Vide quoque suprà. *Calcei*.

SUBFODIENDI muros artificium, indigitatur Papinio Statio *Theb. l.* 2. v. 418.

.... ceu septa novis jam mœnia laxet
Fossor, & hostiles inimicent classica turmas.

Quod ita fiebat, ut *subfossos* muros fulcirent ligneis tignis, aut trabibus erectis, quibus materiam igni opportunam circumgerebant; tum ignem à longè fomentis grassantem ponentes abscedebant. Quô pactô palis illis aut destiquis adesis flammâ ruebant moles. Sic cuniculo sub mœnia Cumarum actô, ea tignis subfulsit, tignisque mox exustis propugnacula evertit Narses, apud Agathiam *l.* 1. ubi prolixè operis hujus rationem exponit. Vide quoque Guil. Tyrium *Historiæ Palæstinæ l.* 3. c. 20. *l.* 11. c. 12. *l.* 16. c. 5. & suprà in verbo *Minare*, ac infrà voce *Talpa*, it. *Troja*.

SUBHASTARE, quid sit, diximus suprà in voce *Auctio*, item *Hasta*. Illud verò non prætermittendum, quòd apud Thraces *nuptura, non parentum arbitriô transeunt ad maritos, sed, quæ præ aliis specie valent*, subhastari *soliti*, *& licentiâ taxationis admissâ, non moribus*

nubunt.

mibuta, *sed præmiis*, apud Solin. c. 10. Imò quòd *vendebatur Deus*, *ut prodesset emptori*, *& emptor suppliciter adorabat*, *quidquid paulo ante viderat subhastatum*, apud Firmicum *de errore Prof. Relig.*

SUBI, *Beles Morals*, fluv. Hispaniæ citerioris in Cosletania reg. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

SUBIGUS Deus, adhibitus, ut virgo à marito subigeretur. Aliis *Subjugus*, quod vide. Augustin. *l.* 6. *de Civ. Dei c.* 9.

SUBINTRODUCTÆ, in Concilio Rom. sub Zacharia Pontif. *can.* 2. *Ut Presbyteri vel Diaconi* subintroductas *mulieres nullò modo secum audeant habitare, nisi forsitan matrem suam, aut proximitatem generis sui habentes*: dicuntur *Extraneæ l.* 19. *Cod. de Episc. & Cler.* Συνεισάκτους, in Concilio Nicæno I. *can.* 3. de quibus vide passim, qui Concilia expendèrunt, Justellum, Binium, alios; ut & suprà in voce *Agapeta*.

SUBINVITATORIANUS, apud Monachos Cistercienses, qui, *defectu primi Choristæ, in choro intonat*, dictus est, Dominico Macro in voce *Invitatorianus*.

SUBIS, apud Plinium *l.* 10. *c.* 14. *appellatur avis, quæ aquilarum ova frangit.* Avicula est, non major hirundine, quam σίττην vocat Aristoteles *Historiæ l.* 9. *c.* 1. Σίττη καὶ τροχίλος αὐτοῖς πολέμια ἐστι, ἡ γὰρ σίττη κατάγνυσι τὰ ᾠὰ τοῦ ἀετοῦ. Pici speciem esse putant. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 5. *c.* 18.

SUBISIUM, vel SOBISÆUM, oppid. Santóniæ, ad Carentonum fluv. cum titulo Ducatus 5. leuc. à Rupella in Meridiem, Broagium versus 2.

SUBITI pavores, Pani ac Corybantibus adscripti. Vide suprà, de *Metu*.

SUBJUGUS Deus, inter Deos Romanorum nuptiales, aliter *Subigus* dictus est. Ejus, ut & Virginensis Deæ, item Premæ, Pertundæ, Veneris ac Priapi simulachrum, in cubiculum Nuptæ novæ inferri solebat. Augustin. *de Civ. Dei l.* 6. *c.* 9. & *l.* 7. *c.* 24.

SUBLACEUM, Villæ nomen Neronianæ, apud stagna Imbrivina: à Frontino *de Aquæductibus*, vocatur *Villa Sublacensis*, in qua Neroni calix, quem jam ori admoverat, inter epulas fulmine excussus est. Philostratus *l.* 4. *de Vita Apollonii.* Vide *Sublacum*.

SUBLACUM, Æquorum in Latio oppid. mediterraneum est. *Hermolaus ex Frontino.* *Sublaqueum* Tacito *l.* 14. *Annal. c.* 22. & Plinio, *l.* 3. *c.* 12. *Sollago* hodie *Leandro*. Aliis *Subjaco*, cujus Abbatia, quæ nullius est Diœcesis, 14. vicos sub se habet. In confinio regni Neapolitani. In colle, ad fontes Anienis, 36. milliar. à Roma in Ortum, 10. à Præneste. In Campania Romana sub Pontifice.

SUBLATIO Infantum, à Parentibus olim facta, memoratur Senec. *Consul. ad Marciam c.* 18. *Consulti sunt de nobis Pa[illegible]es nostri, qui cùm conditionem vitæ nossent, in hanc nos sustulerunt.* Item Terentio *Andriâ Actu* 2. *Sc.* 6. *v.* 33.

Nam quod peperisset, jussit tolli.

Celebris fuit ritus: quô infantes, postquam ab Obstetrice mox à partu in terram statuti essent, à Patribus tellure suscipiebantur, vel ab eorum Procuratoribus, quò inter legitimos numerarentur hæredes. *Tollere* enim pro *generare* positum, quia pro mortuis habiti, qui non suscipiebantur, ut *servi*; imò pro *necare*. Fiebat autem *Sublatio* ea ope Levanæ Deæ, Augustin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 2. sed à Patris pendebat voluntate, cui vitæ & mortis potestas in eos, quos pro suis agnoverat, licèt eam amori Uxoris vel Pellicum plerumque submiserit. Itaque ex terra *sublatum* infantem suscipiebat per servum Parens, vel ejus vice Puerpera ipsa, vel soror illius, vel familiaris aliqua, Obstetrices quoque: Unde *Terræ Matres* dictæ. Partum vero non tollebant Patres, si sexus esset sequioris, quippe masculus boni ominis erat: Sexûs proin sequioris partum potius necari præcipiebant. Uti discimus ex Ovidio *Metamorph. l.* 9. *v.* 677.

Edita fortè tuo fuerit si fœmina partu;
(Invitus mando: pietas ignosce!) necetur.

Contraria Indis Lex, de quibus sic Curtius *l.* 9. *c.* 1. *Genitos liberos non Parentum arbitrio tollunt aluntque, sed eorum, quibus spectandi infantium habitum cura mandata est. Si quos insignes, aut aliquâ membrorum parte inutiles notaverunt, necari jubent*; ad quem *loc.* Freinshemium vide: Lacedæmoniis item. Omnes Judæi *tollebant*, Crotoniatæ nullos. Contra quam tollendi libertatem natæ Leges Papiæ & jus tot liberorum, apud varias gentes. Quos suscipere nolebat Parens, ominis ergò ac metus, more à Diis derivatô, expositi fuerunt, &c. Vide Thom. Bartholinum *de Puerp. Veter.* & suprà, ubi de *Infantibus*, *Levana* Dea &c.

SUBLAVIO, urbs Norici. *Antonin. Brixino* posteà, ad fluv. Eisocum, in Comitatu Tirolensi.

SUBLICIUS Pons, qui posteà *Æmilius*, teste *P. Victore*, unus ex Romæ pontibus, cujus adhuc durant vestigia sub monte Aventino, ubi l'*Arsenale*.

SUBLIGACULA, Veterib. eadem cum Campestribus, pannus erat, quô verenda velabant Ephebi exercentes, Luperci currentes, Scenici, Athletæ, Popæ, Coci, & alia vilia servitia inter ministrandum, item Cauponum *αἱ* [illegible], ut notat Philostratus *Vitâ* Apollonii, & ex eo Casaubon. *ad Augustum Suet. c.* 82. Vide quoque suprà, ubi de *Ficu*, item voce *Cinctum*, & *Semicinctium*; nec non ubi de *Palæstra*, Herculis filiâ, & Veterum *Zonis*. uti de *Subligaculo* seu theca Judæorum, quâ inter Romanos olim circumcisionem abscondere arcebant infrà aliquid, voce *Verpus*.

SUBLIMES, dicti sunt olim Viri potentes, honoribus & dignitatibus insignes. Quorum meminit Augusti Libertus, Phædrus, *Fabul. l.* 1. *fab.* 28. *v.* 1.

Quamvis Sublimes *debent humiles metuere,*
Vindicta docili quia patet solertiæ.

Hinc *Sublimissimi Judices* dicebantur Præfecti Prætorio, Quæstores, Magistri Officiorum *l.* 37. §. *pen. l. pen. C. de appell.* Et Sedes Prætoria, *Sublimissima*, *l.* 14. *C. de Judic.* Laurentius *Notis in Phædrum*. Et *Sublimitas*, apud medii ævi Scriptores, titulus honorarius Regum, vide Nicolaum I. *Ep.* 36. 50. &c. item Episcoporum, vide Ruricium *l.* 2. *Ep.* 11. 40. 52. &c. Græcè ὕψωμα est, quâ voce in Latium translatâ, *hypsoma* quoque appellans, utitur Tertullian. *ad Scapulam*.

SUBLINERE Os, in Proverb. de eo propriè dicebatur, qui, simulans se os alicui linere ad decorem, uti mos fuit olim, contrà & secus quàm erat consuetudo, os illi ridiculis picturis deturpabat, ut qui gryllum pingebant. Linebant autem Veteres faciem, vel ad oculorum ὑπογραφάς, vel ad glabritiem & lævigationem, vel ad sollicitandum candorem, vel denique ad nævos faciei occultandos: ut ille apud Martialem libertinus, frontem literatus, *l.* 2. *Epigr.* 29. *v. ult.*

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem:
Ignoras, quid sit? splenia tolle, leges.

Vide suprà ubi de more *Os oblinendi*. Hinc *Os sublimatum*, apud Symmachum, *l.* 1. *Ep.* 3. *Næ ego sum stultus ac nihili, si os sublimatum esse non sentio.* Ubi libri omnes legunt, *sublinitum*, vitiosè, uti docet Salmas. *ad Solin. p.* 168. Sic *inlimati*, in *Glossis*, ἀσβολωθέντες, fuligine inliti &c.

SUBLO, vide infrà *Subulo*.

SUBLUCARE Arbores, *Festo* est *ramos earum supputare, & veluti lucem subtus facere*: *conlucare autem succisis arboribus locum implere luce.* Ad quem locum vide Salmas. *ad Solin. p.* 585. & suprà in voce *Coinquere*, item *Conlucare* & *Interlucare*.

SUBMERSIO, supplicium olim fœminarum, quæ furtum commiserunt, sicut suspendium virorum. Unde jurisdictionis ejusmodi indicium, hodieque in Scotia, *Pytte and gallowes* Furca & Fossa. *Submersionis* celebre exemplum, sub Richardo I. seu A. C. 1200. in Anglia exhibet Henr. Spelmannus. Etiam apud Germanos pervetustum hunc ritum fuisse, docet Tacit. *de mor. Germ. c.* 12. *Distinctio*, inquit, *pœnarum ex delicto. Proditores & Transfugas arboribus suspendunt, ignavos & imbelles & corpore infames, cœnó ac palude, injectâ insuper crate.* Apud medii ævi Scriptores, *Submergium*, passim dicitur, & piratis inflictum legitur. Blasphematoribus item, de quibus Wilh. Armoricanus *Philipp. l.* 1.

Sic ut, qui legem fuerit transgressus eandem:
Quisque quater solidos teneatur solvere Christi
Pauperibus, vel flumineas jaciatur in undas &c.

Porrò Lenonibus & Meretricibus, vide suprà *Accabussare*. Grassatoribus item, de quibus suô locô. Martyribus insuper, ut diximus in *Flustra*. Vide quoque in *Mare dejectio*. Imò *Mergi in amnem, sicut vincti erant*, militum quosdam, qui seditiosè agebant, jam Alexander jussit, apud Curtium *l.* 10. *c.* 4. sed *externi moris supplicium* vocat. Uti, *novum genus lethi*, Liv. *l.* 1. *c.* 51. ubi de Turno Herdonio, *dejecto ad caput aquæ Ferentinæ, crate superne injectâ saxisque congestis*: Sed & apud Germanos olim *ignavos & imbelles & corpore infames, cœno ac palude injectâ insuper crate, mergebant*, Tacit. *German. c.* 12. Unde fortasse manavit hodieque in illâ gente receptus mos, Meretrices in amnes mergendi; quem tantopere mirabantur in Concilio Basileensi Italici Proceres, Freinshemius *ad Curtium d. l.* ubi & verbum de Romulo ac Remo, ab Amulio, in profluentem abjici jussis addit, ex Floro *l.* 1. *c.* 1. Mitior servorum apud Romanos, pœna fuit, qui *mergebantur* in cloacas, uti videre est suprà, verbò *Mergere*. Aliud rursus *Superundatio*, de quâ infrà.

SUBMITTI, ad venerationem divinam pertinet. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 93.

----- *mugire adytis cortinâ reclusis,*
Submissi *petimus terram & vox fertur ad auras.*

Statius *Theb. l.* 8. *v.* 284.

------ *oblatas frondes* submissus *adorat* &c.

Quod quô gestu factum, monet *ad l. h.* vetus Glossa, cùm ait, *in genua procidens.* Nempe cùm pedes esset. At qui hæc veneratio peracta ab iis, qui in equo, discimus ex eodem Statio *Achilleidos l.* 1. *v.* 124.

Tunc blandus dextrâ, atque imos summissus *in armos.*

Ubi *vetus Schol. Caput*, inquit, *& humeros inclinans in armos usque equinos.* Nempe venerabundi Numina ita faciebant, à quibus ad Principes ritus transiit. Unde Principem suum à *summisso Oriente* adorandum, dicit Claudianus *alicubi*. Sic autem adoraturi *submittebant*, quæ manibus habebant. Lucan. *l.* 6. *v.* 242. Scævæ verbis,

----- *pacem gladiò si quærit ab isto*
Magnus, adoratò submittat Cæsare signa.

De cujus moris vetustate, vide Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.* Addam saltem, *Submissionis* genus, Persiæ olim Regibus exhiberi solitum, quod προσκυνεῖν dictum esse, ait Corn. Nepos *in Conone*, *c.* 3. prædictis aliquid in se habuisse humilius. Non enim in horum Principum conspectum, nisi qui humi planè prostratô corpore esset, admittebatur, quod in Oriente passim fuisse receptum, etiam è Sacris discimus. Nomen & occasio à *canibus*, qui veniam alicujus delicti ab heris suis petituri, capite primò, mox totô corpore humi depositô, velut illam subituri, se prosternunt. Indorum hodie Regem salutantes, utrâque manu caput pectusque ferire, mox terram percutere, se dignos judicantes, qui illius se *submittant* pedibus, notat Frid. Hildebrandus *ad Cononem Nepotis.* Vide quoque hic passim, inprimis in voce *Reverentia*, item ubi de *Signis honoris*.

SUBMONITOR, in *Tabulario* Vindocin. apud C. du Fresne, *Per ordinarium Submonitorem in Curiam vocatus*, Gallis *Semonneur*, apparitor est, in jus vocans, de cujusmodi *Submonitorum* officio, prolixè agit Radulfus Henghamus *in Summa magna c.* 5. Et quidem, in controversiis, quæ inter ipsos *Pares* enascebantur, reum Dominus evocabat vel per *Pares* ipsos seu vassallos, quorum erat judicio interesse: Sic Angliæ Regem Eduardum III. à duobus Paribus Franciæ, Bellovacensi & Noviomensi Episcopis, *submonitum* fuisse auctor est, qui *Chronicon* Flandricum condidit c. 53. Vel per *Milites*, quomodo Eduardus I. Angl. Rex & Dux Aquitaniæ, *submonitus* est, à Senescallo Petricoricensi & duobus aliis Militibus, A. C. 1293. Idemque jus Barones quoque Franciæ sibi asserere conatos, ut non nisi à Militibus submonerentur, præfatus Car. du Fresne docet, qui etiam Episcopos non nisi à paribus & Prælatos Normanniæ, ab Apparitore quidem Regio, sed Militibus stipato, submoneri consuevisse refert. Alia fuit *Submonitio militaris*, quarum formulas habes apud eundem. Sed Baronum Franciæ non nisi per proprias Principis literas fiebat, cæterorum verò per *Submonitores*, huic rei destinatos, ut idem pluribus ostendit in *Glossar.* & *in Elogio Joannis D. Joinvillæ p.* 19. At veter. Heroum *Submonitores*, Græcè *Mνήμονες*, dicebantur viri moribus & ætate graves, qui juventæ heroicæ impetus prudentibus *monitis* intra honesti limites continebant, quales Nestori Phœnix, Tybris Æneæ, Epitydes Julo, aliis alii fuêre. Sed & *Mνήμονες* Doriensibus dicebantur, qui *Metatores* Romanis, ut videre est apud Joh. Meursium ad *Lycophronis Cassandram*. Vide de *Submonitoribus Heroum* quoque supra in vocibus *Cantor*, *Custos*, *Monitor* &c. Hinc *Submonitoriæ Epistolæ*, quibus Episcopi ad Concilium convocantur, apud *Radulfum de Diceto*.

SUBMOVERE, verbum Lictorum fuit, apud Romanos, qui Magistratui eunti turbam submovebant, viamque faciebant. Ad quem ritum alludens Plinius de Api bove, ait *l.* 8. *c.* 46. *Cum se proripuit in cœtus, incedit submoto, grexque puerorum comitatur, carmen ejus honori canentium.* Ubi *submoto incedere*, sicut apud Lactantium *dimoto incedere*, Salmasio, est turbam dimovere, viam sibi facere, quod Galli dicunt *fendre la presse*. Nempe, quasi lictores haberet Apis, ad *submovendam* turbam, cùm in cœtus se proripiebat, populi conferti sponte se dimovebant, religione ac veneratione ducti & venienti viâ decedebant, ut ei religio pro lictore esset. Salmas. *ad Solin. p.* 107.

SUBNERO, apud Tertullian. *de Pallio c.* 4. *impuriorem Physcone, molliorem Sardanapalô Cæsarem designare & quidem Subneronem*: est qui Neronem proximè accederet, ac Neroni similis esset, quasi *parvus Nero*; quo convitio Domitianum hic Scriptor aspergit, qui *Nero sui temporis* dictus est: Ausonius de eodem, *in XII. Cæsarib. in Monostichis v. ult.*

——— *quem calvum dixit sua Roma Neronem.*

Imitatus Ciceronem est, qui *Submarium* appellâbat eum, qui crudelitate Marium referret, *l.* 10. *ad Attic. Ep.* 1. Sic idem Tertullian. *in Apologetico*, eundem Domitianum *portionem Neronis* vocat, quasi pusillum Neronem. Græci *ὑπὸ τὸ Νέρωνα*, istiusmodi pusillum Neronem dicerent. Ita Philistium Historicum Cicero vocat *pusillum Thucydidem*, *Strabo* Amasiam ob meretricum greges, *μικρὰν Κόρινθον*. Nempe dicere vult Afer, Domitianum impuritate quidem & mollitie fuisse Nerone inferiorem, Sardanapalô tamen & Physcone his vitiis superiorem. Qualem igitur putamus ipsum fuisse Neronem, si talis extitit, qui ejus erat diminutivum? vide Salmas. *ad locum Tertulliani*.

SUBNERVANDI equos mos, vide infrà ubi de *Suffraginibus*.

SUBOCRINI, populi Istriæ; ad Ocram montem, inter Tergestum & Polam. Plin. *l.* 3. *c.* 20.

SUBOLA, vallis; linguâ Vasconicâ *regio silvestris*, pagus est sub radicibus montis Pyrenæi, Ellorenensis Ecclesiæ finibus inclusus, & Malleone oppidô celeberrimus. Vulgò *Sole*, vel *Soule*. Ejus pagi Basclensibus attributi domini Vicecomites Subolæ dicuntur veter. Irrigatur autem Malleô Sasone fluviô optimis troctis abundante, *le Gave du Saison*, qui cum Gabero Ellorenensi & Sabiensi in Benearnensem, atque hinc in Aturum defertur. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SUBOTA, & Æ, Insul. inter Erythras & Chium, exigua & obscuri nominis. Liv. *l.* 4. *dec.* 5.

SUBPARUS, vide infrà *Supparus*.

SUBPLANTARE, Luctatorum verbum, Græcè *ἀγκυρίζειν*, pedibus pedes subvincire notat. Unde *Hesychius*, *ἀγκύρισμα*, *σχῆμα τι ἐν πάλῃ*. Ut enim *nodum* vocabant & *nexum* Latini, Græci *ἅμμα*, brachiorum circa collum implicationem & strangulationem, sic *ἀγκυρισμὸν subplantationem* appellabant, cùm alter alterum pedum implicatione evertere conabatur. Quod utrumque simul faciebant experti palæstritæ, & unô tempore pedes subvinciebant, ac manibus brachiorumque nodis collum stringebant. *Epigramma* Græcum,

Οἶσϑ' ὁ τάχιστος τοῖς ποσὶν ἀγκυρίσας ἐπὶ πάλην
Ἤπειγον, ἀμπλέξας τῇ χειρὶ τὴν φάρυγα.
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἀπώλετ' ὁ διαστρεφὴς ἀγωνίσματι,
Παύσας, πνίξας φησὶ τὸ παιδάριον.

apud Salmas. *ad Lamprid. in Commodo. c.* 17. Esavum à Jacobo in utero matris jam *subplantatum*, atque hinc nomen ei inditum habes in Genesi, *c.* 27. *v.* 36. ad quam historiam vide Andr. Rivetum, aliosque.

SUBPRIOR, apud Ordericum Vitalem *l.* 5. est, qui absentis Prioris in cœtu Monastico vices gerit.

SUBPULMENTARIUS, cujus meminit Luithprandus. *l.* 6. *c.* 6. officialis fuit Ecclesiæ Romanæ, quem pauperibus, quæ vel mensæ Pontificis supererant, vel quæ ad cibum pertinebant distribuisse, *Panvinius* existimat: mox eundem cum Paracellario esse addit. Vide Car. du Fresne *Glossario* & Dom. Macrum *Hierolex*.

SUBREFECTORARIUS, vide suprà *Refectio*.

SUBREGULUS, apud Witekindum *de Gestis Saxonum l.* 2. Princeps est Regali propè potestate, quasi *parvus Rex*, ut videre est suprà in voce *Subnero*. Seu *Half-king*, h. e. *Semirex*, uti apud Anglos Æthelstanum Ducem East-Anglorum, propter summam, quam sub Æthelstano Rege potentiam obtinebat, appellatum fuisse legimus. Similiter Majores-Domus, sub prima Franciæ Regum stirpe, quod rerum summa penès eos esset, *Subregulorum* nomenclatione fuisse insignitos, docet idem C. du Fresne, de Gundulpho, ex *Vita* S. Arnulfi Metensis *c.* 4. de Ebroino, ex Ursino, qui S. Leodegarii *Vitam* condidit, *c.* 8. de Waratone, ex Frigebodo in *Vita* S. Audoëni. Sic Carolum Martellum compellat Gregorius III. *Ep.* 5. & 6. *Dominum excellentissimum filium Carolum Subregulum*. Etiam in *veterib.* quibusdam *Chartis* Offæ Regis A. C. 786. Eadwi item, & Athelstani, Proceres nonnulli hôc titulô ornantur, qui idem videntur cum iis, quos *Vice Reges* hodie appellamus, vel saltem potioris fuisse dignitatis, quam Comites. Plura vide apud Joh. Seldenum *de Titulis Honorar. p.* 603. ut & suprà, in voce *Regulus*.

SUBRICIUM, seu SUBRICULA, in *Gloss.* *ὑποκεφάλαιον*, operimentum capitis est muliebre, quod sub rica gestabatur. *Tiufa* enim, ex Græco *τύφη*, inter alia velum etiam capitis muliebre significat, & ricam & mitram & galerum. Salmas. *ad Lamprid. in Alexandro, c.* 33. & *Vopisc. in Aureliano c.* 45.

SUBRITA, Cretæ urbs. *Ptol. Sandiosia Pineto*, nunc pagus inter Gortynam & Apteriam.

SUBRIUS Dexter, Prætoriæ cohortis, sub Galba, tribunus. Tacit. *Histor. l.* 1. *c.* 31.

SUBRIUS Flavius, tribunus Prætoriæ cohortis, præcipuus conjurationis in Neronem, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 49. Ideo à Flavio Vejano Nigro viæ duobus ictibus capite truncatus. Ibid. *c.* 67.

SUBROMULA, Italiæ urbs inter Hydruntum & Equotuticum *Antonini*.

SUBRUNCINATOR, in INDIGITAMENTIS Flaminis Cerealis, inter Divos Agricolas, post Occatorem & Sarritorem positus, eôque ordine, cum sacra Cereri & Telluri Flamen faciebat, invocatus, dicebatur Romanis, quem runcationi vel *subruncationi* præesse credebant. *Subruncinare* enim idem, quod *subruncare*, ut *intriturare*, *intricare*. A *subrunco* porrò, *limites subruncivi* Agrimensoribus dicti sunt, qui octonos pedes patebant, per quos aditus præbebatur vicinis, ad subruncandos agros: Alii *lineares* & *intercisivos* vocabant. Salmas. *ad Solin. p.* 728.

SUBSCRIBENDARIUS, in *Notit. Imperii*, unus omnibus per Orientem Comitibus & Ducibus rei militaris tribuitur, de cujus munere vide conjecturas Jac. Gothofredi *ad l.* 1. *Cod. Theod. t. de Erogat. milit. annonæ*, ut & suprà in voce *Regesium*. At *Subscripti*, apud Ecclesiasticæ Rei Scriptores, Baptismi sunt candidati, quod qui Baptismum postulabant, *scripto* nomen edere tenerentur, uti videre est suprà in voce *Competentes*, atque insuper ex *prologo Catecheseon* Cyrilli. De *Subscriptione* Diplomatum Literarumque hic passim, inprimis vocibus *Encaustum*, *Epistola*, *Minuculator*, *Monogramma*, it. *Litera Imperatoria*, *Sunt*.

SUBSELLIA, Tedilia erant, in Comitio, in quibus ii Judices, qui Magistratum Curulem non gerebant, considebant causasque cognoscebant: quemadmodum contrà tribunal, suggestus editior, locus erat, in quo Sella curulis, jurisdictionis insigne, constituta erat. Considebant autem in *subselliis* Tribuni Pleb. Quæstores, Triumviri, Ædiles Pleb. & qui cum Curulibus Magistratibus judicabant, Centumviri: Quinetiam ii, qui causas agebant, sive defenderent, sive accusarent. Vide Aldum Manutium de Quæsitis per *Epistolam l.* 2. *Ep.* 4. Cognoscebant verò solum, non autem judicabant hi Judices, Sigon. *de Judiciis l.* 1. *c.* 7. &c. Sed nec firma hæc subsellia erant, sed ad tempus extruebantur, quoties iis opus esset, à tribunalium & *subselliorum* mancipibus, qui pecuniam à litigantibus posteà repetebant. Donec id sublatum à Nerone, qui ex Ærario gratuita primus dedit, apud Sueton. *c.* 17. In Theatro *Subsellia*, per cuneos erant distincta, & alternatim viis, per ambitum in descensu, separata: erantque *cunei* spatia, in quibus subsellia componebantur; viæ verò per ambitum *cardines* dicebantur, quòd multis versuris cuneos intersecarent, uti videre est apud Tertullian. *de Spectaculis*. At in Circo, recti ac perpetui Sedilium ordines, per longitudinem porticus, quàm longa fuit, erant dispositi, quos proin *limites* vocat *Tertullianus*, *lineas Ovidius*: fortè ut minùs spatii perderetur. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 918 & *seqq.* nec non ubi de *Theatro*, & suprà in voce *Circus*, item *Fori*, *Porticus Triplex*, *Spectaculis* &c. Cæterùm *subsellium* propriè *ϑρόνος ἐυρύχωρος*, *ϑῶκος ἔχων καϑέδρας* Pausaniæ: unde Casaubonus *Subsellium*, in Theatris, sedem sive ligneam sive lapideam *κύκλῳ ὀρθήν*, in orbem extensam, definit, *ad Aug.* Suetonii *c.* 43. ubi de Ordinibus *Subselliorum Theatralium* plura. Vide & infrà *Synthronus*.

SUBSERICA Vestis, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 40. *Vestes sericas ipse raras habuit: holosericam nunquam induit, subsericam nunquam donavit*: propriè dicta est, cujus stamen sericum, trama de lino erat, atque adeo quæ subtextum habebat sericum. Aliàs enim etiam *subsericæ* erant, quarum trama serica, stamen lineum, quæque proin *tramosericæ* dicebantur. Et quidem primus *sericam*, id est, *holosericam* vestem, apud Romanos, Heliogabalus adhibuit, uti Lamprid. *c.* 26. docet, cùm antea *subsericis* tantummodò usi essent, quas tamen etiam *sericas* appellârunt. Unde apud Auctores Heliogabalo priores *sericarum vestium* nomine non nisi *subsericæ* intelligendæ sunt, ut cùm *Quintilianus* meminit *sericæ togæ*, quam viri gestabant.

bent. Post Heliogabalum verò, qui holosericæ vestis usum, hactenus mulieribus solùm frequentatum, ad fortiorem sexum primus transtulit, passim *serica* pro *holosericis* occurrunt. Sic *serica texta*, *serica fucata* & *serica varii coloris* in Cod. Theod. holoserica sunt &c. uti docet pluribus Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano c. 45.* & *Tertullian. de Pallio c. 5.* Mansêre autem Principibus sericæ vestes, nec ad privatorum usum transiêrunt, quibus *subsericæ* solùm concessæ, uti constat ex Vopisco *d. l.* & *titulo* Codicis. Unde inter munera, quæ Claudio Gallienus, apud Pollionem, misisse legitur, habemus, *Albam* subsericam, *paragaudem*, *triunciam unam*; ubi tunica intelligitur stamine sericeô subtexta; cujusmodi tunicas vel purpurâ, vel paragaude, ornare moris fuit, uti apud eundem Salmas. *ad loc.* videre est.

SUBSICINUM, oppid. Calabriæ juxta Medanam fluv. *Antonio.*

SUBSICIVUM, in re Agrimensoria, dictum est, quod in agro sterile atque ingratum esset; ac proin non assignabatur, vel propter macrem soli, etiamsi in mediis centuriis interveniret, vel quòd centuriæ modum non expleret, si in extremis assignationis finibus incideret: quæ duo *subsicivorum* genera, indigitantur *Flacco*. Et quidem *relicta* & *soluta* dicebantur illa loca, item *in soluto* & *absoluto* remansisse, quæ aut in saxosis & sterilibus locis erant, aut in paludibus, ubi nulla posset exerceri cultura, ut suprà diximus: pingues namque tantùm agros, aut illos, in quibus cultura exerceri poterat, assignatione dividi consuevisse, etiam Virgilianus ille Pastor docet, *Ecl. 1. v. 71.*

Impius hæc tam culta novalia miles habebit.

At *vacua centuria*, diversæ à *Subsicivis*; Subsicivum enim minus quàm centuria est. Centuriæ autem vacuæ vel vacantes dictæ sunt, integer modus, qui sub assignationem non cecidit, sed privatis fortè concessus est. Quam in rem vide Salmas. *ad Solin. p. 682.*

SUBSIDIA, in exercitu, pars magni momenti indigitatur Curtio ubi de acie Darii *l. 3. c. 9.* *In* Subsidiis *pugnacissimas locaverat gentes.* Optima enim ratio, & ad victoriam maximè idonea ut lectissimos de peditibus & equitibus, cum vicariis, comitibus Tribunisque vacantibus, habeat Imperator post aciem in subsidiis præparatos, alios circa cornua, alios circa medium, ut, sicubi hostis vehementius insistit, ne rumpatur acies, provolent subitò suppleantque loca, & additâ virtute, inimicorum audaciam frangant; Veget. qui Lacedæmonios inventores, alios imitatores, atque ad omnem usum præbi *Subsidia* necessaria, addit. *l. 3. c. 17.*

SUBSOLANUS, ventus spirans ab ortu Æquinoctiali adversus Favonium; ita dictus quòd *sub Sole* nasci videatur; unde & Græci *Apeliotem* appellârunt. Plin. *l. 2. c. 47.*

SUBSTERNI, de coloribus dicitur, cùm alii aliis superimponuntur: sic apud Veteres anchusa coloribus pretiosis, ut conchyliis & purpuris ac cocco; hodieque *garancia* & *guastum*, coccineis & purpureis, *substerni* solent, ut colorem alligent, qua de re vide suprà in voce *Alligari*. At *substratum*, Græcè τὸ ὑπόστρωμα, de gemmis, apud Plinium, *l. 37. c. 6.* ubi de Sardonyche gemma: *Arabicæ excellunt candore circuli prope lucidi atque non gracili, neque in recessu gemmæ, aut in dejectu renidentes, sed in ipsis umbonibus nitente, præterea* substratô *nigerrimi coloris, & hoc in Indicis cereum aut corneum invenitur.* Ubi *substratum*, mox *radicem* idem vocat. Nempe Indicæ sardonyches *substratum* corneum vel cereum, superficies rubra, adeoque hæc verè sardonyx erat. At in Arabicis nihil rubri supereminebat, *substratum* solùm nigrum erat; quod in Indica sardonyche aliquando quidem etiam visebatur, sed *sogue* semper, h. e. superficie, rubente cum alba zona, adeò ut arcum cœlestem plerumque imitaretur. Vide Salmas. *ad Solin. p. 563.* *Substratorium* verò, apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores, *mappa Altaris est, cui Corporale insternitur*, Car. du Fresne *in Glossar.* Sed & Durandus sic vocat tapeta, quæ pedibus, præcipuè Episcoporum, substernuntur, *Ration. l. 1. c. 3. num. 23.* Vide suprà in voce *Palla*, & de *Substratione*, tertio Pœnitentiæ gradu, suprà itid. in *Prostrati*.

SUBSTILLUM, apud Tertullian. *de Pallio c. 2.* *Substillum & demo sudum*: tempus est inter serenum & pluvium intermedium, cùm minutim rorat, priusquam pluvia incipiat, aut postquam desiit. Græcis ὁ ψεκασμός. Unde *substillum* ψεκασμόν & ὑετὸν Glossæ interpretantur. Vide Salmas. *ad loc.*

SUBSYLVANIA, vide *Sylvania*.

SUBTANEUM, in *Chron. MS.* Nonantul. apud Car. du Fresne, tunicæ species, hodieque *Soutane* Gallis, an quod *Sultanorum* olim fuerit propria?

SUBTEGMEN, seu meliùs SUBTEMEN, in tela, Veteribus idem erat cum *trama*, quam κρόκην Græci dixêre. Postmodum pro stamine sumi cœpit. Jul. Capitolin. *in Pertinace, c. 8.* *Vestis subtegmine sericô, filis aureis insignior*: ubi *fila* pro subtemine ponuntur. *Subtemen* verò pro stamine, Græcis στήμων, unde hujusmodi vestes aureis filis & sericô subtemine contextas, χρυσοϋφεῖς appellavêre. Aureô namque stamine texi non posse vestes, notat Servius *ad illud Virgilii, l. 3. Æn. v. 483.*

Et picturatas auri subtegmine vestes.

Sic *fila* pro *subtemine*, ponuntur, in *Cod. de vestibus holov. & aur. l. 4.* Itaque *Subtemen* Latinæ linguæ antiqui auctores tramam appellavêrunt, quòd *subiret* stamini & intra illud curreret; at recentiores pro stamine ipso usurpârunt, quòd quasi *subtexeretur* tramæ, hinc in *d. l.* *stamina subtexi* dicuntur. Qua de re vide Salmas. *ad Jul. Capitolin. loco cit.* & plura suprà in voce *Stamen*, infrà *Trama*. Translatè vocem usurpat Statius *Theb. l. 12. v. 774.* ubi crudum illud corium, quod *pectorale* Veteribus fuisse, dicit *Varro*, quodque loricæ subeat, & corpus tegebat intra illam, *Subtemen durum* vocat.

SUBTELARES, calcei sunt, appellati Latinis, qui calces plantarum infimè tegebant, uti sandalia & soleæ, quæ nil nisi πέλμα seu κάττυμα habebant, quod ad pedem habenis quibusdam religabatur circa digitos primores. A voce *subtel*, quæ *Prisciano* infimam pedis partem notat: unde *subtelaris* vel *subtolaris*, quòd *subtel* duntaxat tegeret. Infimæ ætatis Scriptores corruptè *subtlares*, *subtulares*, *sotulares* atque etiam *sutulares* scribunt, hodieque Gallis ab hac origine *Soulier* calceum signat. Salmas. *ad Pallium Tertulliani c. 5.*

SUBTERRANEÆ Cryptæ, vide suprà in vocibus, *Crypta*, *Favissa* &c.

SUBTILE, apud Ecclesiæ Rom. Scriptores vestis Subdiaconorum est, quæ & *Stricla tunica* & *Tunicella*, vide ibi, appellatur. Durandus *Ration. l. 3. c. 30.* *Tunica, quæ alibi* Subtile, *in lege verò* ποδήρης. Canonicis Regularibus illam tribuit Jo. Buschius, vestem lineam esse dicens, *quam Romani Roketum Romanum, Germani* Subtile, *Sarracium, sive Scorlicium appellant*, *in Chron. l. 1. c. 23.* Etiam Episcopis, *Missa* ab Illyrico edita, in qua hæc oratio *ad Subtile*, cùm scil. Episcopus sacra facturus illud induit, habetur: *Inclina me, Domine, vestimentô salutis & circunda me loricâ fortitudinis*, uti videre est apud Car. du Fresne *in Glossario*, in hac voce, ut & in *Superpelliceum*.

SUBTRAHERE, in *Regula* S. Benedicti *c. 14.* *Sexagesimus sextus psalmus dicitur sine antiphona* subtrahendo *modicè, sicut in Dominica, ut omnes occurrant*: est, canere longô pronuntiationis tractu, ut exponit Macer *in Hierolex.*

SUBUCULA, interior erat Virorum, apud Romanos, tunica, quæ proximè cutem attingebat. Olim enim tunicis saltem duabus usi in Orbe Romano homines, interiori lineâ sive *Subuculâ*, & exteriore, ex lana aliave materia, quæ propriè *Tunicæ* vindicavit nomen, olim quidem sine manicis, *Colobium*: pòst manicata, *Dalmatica*, nuncupata. Cui Togam quidam injiciebant, quidam Lacernam, aut Pænulam. Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. part. 1. l. 1. c. 38.* Quando autem primùm tunicæ lineæ interiores in usu apud Veteres esse cœperint, haud facile dictu est. Nam apud Romanos non nisi serò id factum, inde colligas, quòd nulla ferè mentio linearum, apud Antiquissimos; quique Interulam & Tunicam distinxêre, hoc solum posuerunt discrimen, quòd altera interior indueretur, altera superaria esset, addituri utique, alteram lineam, laneam fuisse alteram. Nec Plinius, *l. 19. c. 1.* cùm de lino agit, ullum lineæ vestis usum agnovisse videtur, præcipuè in viris: Scribit enim ex Varrone, in Serranorum familia gentilitium fuisse, fœminas lineâ veste non uti. Plautus etiam non semel mulieribus linea vestimenta adscribit, Viris nunquam: uti nec Martialis, qui omne vestimentorum genus tetigit, quidquam de linteis habet; & Horatius *Subuculam* tritam tunicæ pexæ opponit, quod in linea veste esse non potest, *l. 1. Epist. 1. v. 95.*

Si curtatus inæquali Tonsore capillos
Occurri: rides: si forte Subucula *pexæ*
Trita subest Tunica. ——

Ut de balneis nil dicam, quorum usus præcipuus erat, ut sordes depellerentur, quæ, cùm laneis vestibus etiam interioribus uterentur antiquitus, contrahebantur facilè. Ex Suetonio tamen *c. 82.* colligi videtur, *Subuculas* fuisse lineas, qui scribit, Augustum hyeme, *quaternis cum pingui Toga tunicis, ac Subucula thorace laneô muniri solitum.* Nam si laneæ Tunicæ fuerunt, quid opus erat *Subuculæ* thoracem laneum dicere? Sed Beroaldi lectio potior Eruditis, quæ habet, *Subucula & thorace lineo.* Non usi serò igitur lini usus in *Subucula*, quô tempore lineæ Tunicæ promiscuè usurpari cœperunt nec minima pars luxus addita iis purpurâ atque aurô. Ut enim Tunicis laneis & subsericis; ita propriè lineis Interulis aureæ fasciæ limbique ac segmenta addebantur, quas *Paragaudas* dixêre, ut nos Magnus Casaubonus docuit, sive ea vox Parthorum fuit, sive Syrorum: vide quoque Salmas. *ad Histor. Aug. Scriptores*, *Lamprid.* imprimis, ubi sic de Alexandro, *c. 40.* *Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri* (i. e. sine auro ac purpura) *dicens, si lintea idcirco sunt, ut nihil asperum habeant, quid opus est purpurâ*; &c. Orta verò *Subuculæ* & *Indusii* nomina sunt, cùm binas Tunicas Romani gestare cœperunt; ut sic ab interiore tunica superior distingueretur: dictaque *Subucula* est, interior Viri; *Indusium*, interior Mulieris tunica: quemadmodum superior in Viris *Tunica*, in fœminis *Stola* appellata est. Vide iterum Ferrarium *Part. ead. l. 3. c. 3.* Quomodo à Supparo *Subucula* distinguenda sit, vide Eund. *ibid. c. 20.* Græci ὑποδύτην *subuculam* dixêre, uti tunicam ἐπενδύτην, *superariam* hinc quoque Latini, docente Salmasiô *ad Pallium Tertull. c. 5.* ubi sub pallio Græci generis omnes cùm tunicam, tum interulam, indutti habuisse, haud minùs quàm Romanos, sub toga; solos Cynicos tunicam non gessisse, sed interulam tantùm, addit. Idem *Lineas* eas absolutè dictas esse, docet *ad Histor. Aug. Scriptores*. Vide suprà in hac voce.

SUBVENTIO, Festum in Gallia, in memoriam reditus S. Martini Episcopi ad suam diœcesim, institutum; aliter *Exceptio*; ut habet ex Odone Cluniacense Dominic. Macer. *in Hierolex.* Car. verò du Fresne sic nonnullis appellari ait Festum relationis corporis hujus Sancti, apud Turones, quod Monachi propter Danorum incursus occultaverant; neque id *Exceptionem* dictum esse, & præterea 4. Idus Mai celebrari consuevisse, addit, in *Glossario*.

SUBVERBUSTUS, apud Tertullian. *de Pallio*, *c. 4.* *Enimverò jam dudum censoriæ intentionis episcynio dispersô, quantum denotanti passivitas offert? libertinos in equestribus*, subverbustos *in liberalibus, dedititios in ingenuis* —— *vespillo, leno, lanista tecum vestiuntur*;

tur; Dominico Macro reus est, qui post verberum mulctam stigmatizabatur signô dedecoris & infamiæ in *Hierolex*. Nempe ex sententia illorum, quibus *verbustus* est, quasi *verberibus ustus*. Sed *verbustus*, unde vox illa, propriè ἀ μαστιγῶ est seu verbero, uti docet Salmas. *ad locum*.

SUBVICECOMES, apud Anglos JCtos est Officialis aut Deputatus Vicecomitis, de quo munere vide Spelmann. *in Vicecomes*: Sic *Subvicarius*, in veterib. *Chartis* apud Beslium *in Comitibus Pictav*. est, qui *Vicarii* absentis locum tenet, *Ypovicarius*, in alia *Charta*, apud eundem.

SUBVILLICUS, in *Inscr*. veteri.

HERMEROTI. VICARIO. SUO
LUPERCUS. SUBVILLICUS.
HORTORUM. ANTONIANOR.
BENE MERENTI. FECIT.

Nomen ministerii rustici apud Romanos, sub Villico seu Procuratore hortorum Imperialium aliorumque, de quibus vide infrà aliquid voce *Villicus*. Tengit *Subvillici* munus fortè Seneca Controv. *l*. 5. *Quo, inquam, tejsit efferent ad ostium alicujus ostiarii, ad hortos alicujus, ne ordinarium quidem habentis officium*. Vide Laur. Pignor, *Comm. de Servis*.

SUBUEL, fil. Gerson, 1. Paral. *c*. 23. *v*. 16.

SUBULA, quasi SUIBULA, à SUENDO, Sutoris instrumentum, de quo Martialis *l*. 3. *Epigr*. 16. *v*. 1. ubi in Cerdonem, qui, nescio quô casu amplas divitias adeptus, eò insaniæ devenerat, ut Gladiatoriæ munera Populo daret, sic invehitur:

Das Gladiatores, Sutorum Regule, Cerdo,
Quodque tibi tribuit Subula, *Sica rapit*, &c.

Eâ servorum perforari aures vetustissimus mos fuit, in Sacris quoque memoratus. Sulpit. Severus *l*. 1. *c*. 31. *Hebræus puer pecuniâ emptus sex annis serviet: post hæc liber erit, sponte autem permanenti in servitute auris forabitur*. Quod inter Edicta Dei ad Mosen fuit, & apparet ex Exodi *c*. 21. *v*. 6. ubi, si Servo Dominus uxorem dederat, finitô sexenniô manumittebatur quidem, sed uxor ejus, & ex ea nati liberi Heri erant: quorum amore si captus à domino discedere nollet, afferebat eum dominus Diis, i.e. Judicibus: eique ad postem applicato, *Subula* autem perforabat, ut ei perpetuò serviret. Eandem Legem repetitam habemus Deuteron. *c*. 15. *v*. 17. Unde apud Psalmographum, *Psalm*. 40. *v*. 7. CHRISTUS, ad se ritum hunc applicare dignatus, *Aures*, inquit, *perforâsti mihi*. Illum autem, ad libertatis studium ingenerandum, Deum præcepisse, *Cajetani* conjectura est, ut, si non servitutem, saltem ignominiam horrerent. Theodoretus hôc fortis argumentô perpetuam sub domino obedientiam significari putavit. Hinc lux *Petronio*, apud quem *pertusæ aures* Arabibus tribuuntur, scilicet quia servi apud Romanos erant. Imò & Pœni *cum annulatis auribus*, eandem ob caussam, inducuntur, apud Plautum *Pœnulo Actu* 5. *Scen*. 2. *v*. 21. Barbari quoque malè audiebant, apud Romanos, quippe qui eos ob servitutis stigma aversabantur. Lucilius,

Nequam est, aurum aures cujus vehementiùs ambit.

Hanc itaque Servitutis notam, libertate posteà donati, licèt omnem adhiberent operam, non tamen ita occultare poterant, quin ex fissuris fenestrisque aurium illa appareret, uti loqui amat Juvenalis, *Sat*. 1. *v*. 104.

——— ——— *Quamvis*
Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licèt ipse negem.

In quæ verba vetus Scholiastes, *Arguit homines, qui cùm propter libidinem libertatem meruissent, & in Libertinorum corpus & tribus relati essent, pertusis auribus signa Libertinorum celare non poterant*. Vide Caspar. Bartholin. *de Inauribus Veter*. *c*. 7. Ad ejus imitationem, veru vel ferrum longius ac præacutum, ad supplicia adhibitum, *subula* quoque & *subla*, dictum est recentioris ævi Scriptoribus. Unde Nicephorus Constantinopolitanus scribit, Justinianum Rhinotmetum aliquot ex primoribus Chersonensium ξυλίναις σούβλαις immissos ad ignem torruisse. Quô locô Theophanes habet, εἰς σούβλας ξυλίνας, *in subulas ligneas*: quod Moschopulus σουβλίζειν vocat. Etiam voce hâc Græcobarbara Græcorum *Synaxaria* utuntur, cùm *subulis* Martyrum carnes dilaniatas scribunt passim. Vide quoque infrà *Taurica*. Inter arma verò quoque *Subulas*, quibus scil. loricatum defectus scrutarentur, recenset Guil. Brito *Philipp*. *l*. 11.

Hic sudibus, talis hic dimicat, ille bipenni,
Hic verubus, cultris alter subularibus *arctis*
Scrutatur thorace vias, galeæque fenestras,
Quà ferrô queat immissô terebrare cerebrum.

Cujusmodi fortè fuerunt σουβλία illa, de quibus Leo *in Tacticis c*. 5. §. 4. &c. Vide quoque infrà in voce *Subulo*.

SUBULCI, apud Judæos, vilissimi. Unde est, quòd acolastum, ut ad extremas inedias sciatur fuisse redactus, Christus ad pascendos porcos rus amandatum fuisse, narrat Lucæ *c*. 15. *v*. 15. Nec ratio obscura est, cùm suillæ esus Lege olim fuerit prohibitus, ut notum. Sed & Ægyptii hoc hominum genus usque eo contemnebant, ut tanquam profanos homines à Templorum aditu arcerent, neque, etiam ex fæce plebis, quisquam esset, qui cum illorum familiis ullam conjugii societatem inire vellet, teste Herodotô *l*. 2. *c*. 47. Atque, utut Eumæum subulcum Poëta summus tam multis commendaverit, *Subulcos* tamen in Græcia non fuisse meliore locô, suadet, quod nusquam eos Theocritus inducit cum opilionibus aut bubulcis colloquentes. Quin, ut Donatus observat, tria sunt tantùm Pastorum genera, quæ in Bucolicis, dignitatem habent, bubulci, opiliones & omnium minimi αἰπόλοι, caprarii. Unde & in Virgilio altum de subulcis silentium. Et *Ecl*. 10. *v*. 19.

Venit & upilio, tardi venêre bubulci,

rectè observat vir doctus, à Servio perperam legi *subulci*. Quod docet *tardi* epithetum, bubulcis apprimè congruum, sed subulcis non item, quibus per porcorum celeritatem tardis esse non licet. Et Theocriti versus *Idyll*. 1. *v*. 80.

Ἦνθον τοὶ βοῦται, τοὶ ποιμένες, ᾠπόλοι ἦνθον,

quem Poëta hic imitatur. Sam. Bochart. *Hieroz*. *Parte prior*. *l*. 2. *c*. 56. Interim è *subulco* miles, è milite Imperator, factus est Justinus I. quem vide. Alius à *subulco porculator*, de quo discrimine vide suprà voce *Pastor*.

SUBULO, apud Plin. *l*. 11. *c*. 37. *Sparsit hæc in ramos ut cervorum; aliis simpliciter tribuit, ut in eodem genere* subulonibus *ex argumento dictis*: Græcè est ὀρυακίας vel πασσαλίας, cervus videl. secundô annô cornua edens simplicia ac recta, molliaque eadem & lanugine vestita, Gall. *brocard*: nam *broches* iis sunt veruta. Nempe *subula* etiam instrumentum fossorium est, & acutum, quô terra eruitur, & lapides primô rudimentô punguntur, priusquam poliantur. ὄρυξ Græcis *opppa* quoque Latinis: unde *subulis impoliti lapides*, apud Auctores *de Limitibus*. Hinc itaque, cornua illa recta & simplicia in cervis bimulis, *subulas* & *serulas* Latini, Græcis σκάπας & πασσάλους, Galli hodie *daguas*, uti in capreis *brocas*, vocârunt. Verùm, quia cornua hæc recta quidem, interim non acuta sunt, suspicatur Salmas. apud Plinium, potiùs voce hâc feram indigitari, quæ Græcis ὄρυξ hinc dicta, unicô cornu suô non malè refert illius, quod diximus, ferramenti formam: namque illud & simplex, & rectum, atque insuper acutum est. Quam in rem vide eum ad *Solin*. *p*. 222. & *seqq*. nec non suprà in voce Oryx.

SUBVOLUMINA, apud *Isidorum*, ubi de cameris, quid sint, vide infrà in voce *Volutiles Columnæ*.

SUBUR, oppid. Hispaniæ citerioris in ora Catalauniæ, hodiè *Siges*, vel *Ciges*, teste Villanovanô. Aliis *Cubilles* dicitur.

SUBUR, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ qui se in Atlanticum Oceanum exonerat. *Ptol*. & Plin. *l*. 5. *c*. 1. *Subu Marmolio* & *Castaldo*. Item fluv. Lusitaniæ, *Sor* vulgò, teste Vasconcellô in Tagum apud Salvaterram oppid. influens.

SUBURANA Tribus, inter Urbanas prima recensetur, à Varrone *de L. L. l*. 4. sic dicta, quod *sub muro* terreo Catinatum esset, vel quòd fuerit *sub* antiqua *Urbe*. Apud Sext. Pompejum verò, *Suburam* à pago *Sucusano*. Verrius appellatam ait; probatque eorum auctoritate, qui ajunt, ita appellatam & regionem Urbis & Tribum, à stativo præsidio, quod solitum sit *succurrere* Esquiliis, infestantibus eam partem Urbis Gabinis, indicioque esse, quòd adhuc ea Tribus per C. literam & non per B. scribatur. Complectebatur autem hæc Cælium montem, & circùm adjacentia loca. Vide quoque Dionys. *l*. 4. Liv. *l*. 1. Plinium, *l*. 18. *c*. 3. Alios. Paulus Manutius *Scholiis in* 8. *l*. *Epist*. *Cicer*. *ad Famil*. existimat, de ea Ciceronem locutum fuisse *Orat*. 2. *Agrar*. ubi tamen in vulgatis legatur *Ogricolana*; in libris autem quinque antiquis, *Aburfurana*, pro quo ipse legendum putat *Suburana*. Vide Joh. Rosin. *Antiqq*. *Rom*. *l*. 6. *c*. 15.

SUBURBANUM, vide suprà *Proastium*.

SUBURBICARIA REGIO, vide infrà *Urbicaria*.

SUBURGIA, hodie BURGI, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis mediterraneum apud Tœmphœtium fluv. & Auximum oppid. *Ptol*.

SUBURRA, vicus Romæ, de quo vide Varronem *l*. 4. *de L. L.* in parte, quæ *Rione de Monte* dicitur. Hinc vicina regio dicta est *Suburrana*, in qua meretricum diversoria erant, quæ ob id *Suburranæ* vocantur. Martial. *l*. 11. *Epigr*. 79. *v*. 11.

Ergo Suburranæ tironem trade magistræ.

Idem l. 12. *Epigr*. 21. *v*. 5.

Nulla nec in mediâ certabit nata Suburrâ.

Juvenalis *Sat*. 3. *v*. 5.

----- *Ego vel Prochytam præpono Suburræ.*

Persius *Sat*. 5. *v*. 32.

----- *Totâque impunè Suburrâ*
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Nic. Lloydius. *Regionem urbis frequentissimam*, appellat Vetus Schol. Juvenalis, *ad Satyr*. 11. *v*. 50. Sed constat, viam, non autem regionem fuisse, celebrem habitatione Cæsaris, apud Suetonium *c*. 46. nisi fortè ante Urbem ab Augusto in regiones XIV. distributam, quælibet via nomen *Regionis* obtinuit, ut colligere est ex Varrone *l*. 4. *de L. L.* ubi Regioni secundæ eam attribuit, & Festo *l*. 7. ubi Regionem is vocat: Si enim Regioni attributa, ergo non ipsa fuit Regio, Dempster. *in Rosin. loc. cit.* Sub muro Catinatum collocat Varro *loc. cit.* in ipsa verò Urbe, Juvenalis *Sat*. 10. *v*. 155.

——— *Nisi Pœno milite portas*
Frangimus & mediâ vexillum pono Suburrâ.

Sed

Sed, si Tonsores ibi meritorias suas tabernas habuerunt, ut constat ex Martiali *l.* 2. *Epigr.* 17. *v.* 1.

Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent quà flagella tortorum.

extra pomœrium *Suburram* fuisse necesse est. Servus enim publicus sive tortor in urbe habitandi veniam non habebat. Ibidem venales rure merces exponi solitas fuisse, putà, ficus, olivas, poma, idem docet *l.* 7. *Epigr.* 30. & *l.* 12. *Epigr.* 18. ubi, quòd clamoribus præconum & aliorum, res venales ac promercales clamitantium, perpetuo streperet, *clamosam* eam vocat. *Summœnium* quoque locum dictum esse, patet ex eodem, *Epigr.* 35. *l.* 1. ubi meretricum in Summœnio meminit: Unde *Summœnianæ uxores* dictæ, ut & *Suburanæ*. Ideò verò *Summœnium*, quòd sub antiquis *mœnibus*, via vocata est. Vide Thom. Dempsterum *Paralipom. in Rosinum*, *ubi de secunda Regione*. Sed & furtivarum rerum hic forum fuisse, dicemus infrà voce *Vespertilio*. In eadem via Stellam habitâsse, prædictus Martialis indigitat *l.* 12. *Epigr.* 3. *v.* 9.

Vel si malueris, primâ gradiere Suburâ:
Atria sunt illic Consulis alta mei.

In quæ verba Scholiastes. *Ad Consulem*, inquit, *Stellam*, *in prima Subura*, h. e. *aditu Suburæ habitantem. Incipiebat à Foro Romano; desinebat ad initium viæ Prænestinæ.*

SUB-UTRAQUE, dicti ex Hussitis, qui & *Calixtini* & *Utraquista*, vide *ibi*.

SUBUTTUM, urbs Indiæ citerioris *Ptol.* Item, urbs Insul. Mindanao, unius ex Philippinis. *Natal. Metel.*

SUCCA, in Concilio Palentino A. C. 1322. *can.* 6. lineæ vestis species, Episcopis & Prælatis usitata, apud Car. du Fresne *Glossar.*

de SUCCA *Maria*, vide *Maria*.

SUCCABAR, seu SUCCUBAR, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis unde *Succubaritana purpura*, apud Pollion. *in Claudio*, *c.* 14. uti quidem legi posse ait Salmas. Nam quòd alii *Succubitanam* legunt, à *Succubone* Basteraniæ oppido quod *Succubianum Municipium* quoque dictum occurrit, ideo minùs placet, quòd hoc in mediterraneo est, purpuræ autem baphia non alibi, quàm in locis ad mare sitis, sunt instituta. Vide eum *Not. ad l.*

SUCCADANA, urbs Bornei Insul. cum portu, in ejus parte Occidentali in ora maris Indici.

SUCCASSES, Aquitaniæ populi Plin. *l.* 4. *c.* 19. inter Aquitaniæ minoris populos memorati: Horum nomen locus vulgò *Socas*, vicus Gassiæ, inter Garumnam & Letiam amnes, 3. ab urbe Burdigala leuc. servat. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SUCCEDERE, vox Circi. Uti enim de primo ostio missis dicebatur, *occupavit & vicit*; sic de secundo, *successit & vicit*. Nam secundô ostiô missus planè *succedebat* ei, qui primô ostiô exierat & proximè eum sequebatur. Silius *l.* 16. *v.* 346.

Proximus à primo distans, quantum æquore currus
Occupat ipse loci, tantum sed proximus ibat
Astur Panchates. ———

Unde in *vetere Inscr. successit & vicit*, verba accipienda sunt, tanquam si dixisset, *secundô ostiô missus est & vicit*. Et in Tabula agitatorum Circensium, verba hæc, *Occupavit & vicit: successit & vicit: eripuit & vicit*, de primo, secundo, tertio ostio missis, sunt exponenda. Vide suprà in verbo *Occupare*, item ubi de Circi *Ostiis*.

SUCCENTOR, Præcentor, & Concentor, Musicorum in Ecclesia Romana genera, inter quos *Præcentor vocem præmittit in cantu; Succentor canendo subsequenter respondet; Concentor verò, consonat*, Durandus *Ration. l.* 2. *c.* 2. *num.* 1. Joh. de Janua *Succentor est, qui post Præcentorem seu principalem Cantorem subsequenter canendo respondet, vel qui facit officium principaliter in Choro sinistro*. Ejus munus seu dignitas *Succentoria* dicitur. Vide de illa Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolex.* quorum hi aliquibus solùm Ecclesiis Cathedralibus eam vindicant, & Messanæ alibique in Sicilia *Succantro* voce Gallicâ appellari, addunt.

SUCCESSOREM dare, apud Spartian. *in Hadriano*, *c.* 8. *Cui* (Titiano) *cùm successorem dare non posset, quia non petebat, id egit, ut peteret*: phrasis est illis temporibus adhibita, ut verba invidiam mollirent, pro *summovere*, *exauctorare*, Græcè *καθαιρεῖν*. Sic idem paulo pòst, *c.* 11. *Septitio Claro & Suetonio Tranquillo successores dedit.* Capitolin. *in Pio*, *c.* 5. *Successorem viventi bono Judici nulli dedit.* Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 32. *Si unquam alicui præsentium successorem dedit, semper illud addidit, Gratias tibi agit Resp.* &c. Idem est *mittere successorem*, *διάδοχον πέμπειν*, apud Herodian. *l.* 7. *c.* 9. Simile ratione, *accipere successorem* dicebantur, qui dignitate privabantur. Plin. *Ep.* 43. *l.* 9. *Collega Certi consulatum, successorem Certus accepit.* Unde jure notat ejusdem Spartiani, ubi suprà, pleonasmum, Casaubonus, cùm de Catilio Severo Præfecto Urbis ait, *Quâ re produtâ, successore acceptô, dignitate privatus est*, vide eum *ad loc.* & suprà, voce *Adalingi*, uti de *Successu* inter Numina velato, suprà ubi de *Diis*.

SUCCI, *Lazio Turckzuesl*, oppid. olim Mysiæ superioris inter Thraciam & Daciam, ubi Succorum angustiæ. *Ammian.*

SUCCIDANEA hostia dicebatur olim, teste *Festô*, *quæ secundò locô cædebatur, quòd quasi succideretur, dicta. Quidam à succedendo, non à succidendo, dictam putant.* Cum nempe primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ cædebantur, quæ quasi prioribus jam cæsis, luendi piaculi gratiâ subdebantur, & *succedebant*. Et quidem, *Si per marem litare non possent, succidanea dabatur fœmina; si autem per fœminam non litâssent, succidanea adhiberi non poterat.* Meminit earum vetus Senatusconsultum, quòd in Regia hastæ Martiæ movissent, M. Antoniô A. Postumiô Consulib. factum: *Quod C. Julius. L. F. Pontifex. nuntiavit. in. Sacrario. in. Regia. hastas. Martias. movisse. de. ea. re. ita. censuerunt. uti. M. Antonius. Consul. hostiis. majoribus. Jovi. & Marti. & cæteris. Diis. quibus. videretur. placandis. uti. procurasset. satis habendum censuerunt. si. quid. Succidaneis opus. esset. Robigus. accederet.* Alius codex habet, *Robius accederet*: Dicebantur autem *Robi* boves à colore rufo, quem Græci *ξανθὸν* appellant. Sic & antiqua inscript. *Robius vitulus occurrit, ut Prætor cui hæc regio sorti obvenerit, litaturum se sciat, aliusque quis Magistratus; Volcanalibus* 10. *Kal. Sept. omnibus annis vitulô Robio & Verre.* Vide A. Gellium *l.* 4. *c.* 6. *cum Notis* Anton. Thysii JCti. *Præcidaneæ* contrà hostiæ dicebantur, quæ ante sacrificia solennia pridie cædebantur: quemadmodum *porca præcidanea*, piaculi gratiâ, ante fruges novas captam immolari Cereri consuevit. Vide suprà.

SUCCIDI, apud Plin. *l.* 16. *c.* 12. *posteà tota arbor* succiditur & *medulla ejus uritur*: de arbore dicitur, cum cæditur funditùs & evertitur. Sic idem de oleastro Megarensi, in Foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultaverat, *l. eôd. c.* 39. *Fuitque*, ait, *arbor illa fatalis excidio urbis præmonitæ oraculô, cùm arbor arma peperisset: quod succisæ accidit, ocreis galeisque intùs repertis.* Qua de arbore loquens *Theophrastus* habet, *ἐν ἐκκαθάρσει*. At *conlucari* dicuntur arbores, cùm rami superflui luminique officientes reciduntur. Quæ proin duo malè Festo confunduntur, & Plinio *l.* 17. *c. ult.* ubi, *Idem*, inquit, *Cato arbores religiosas lucosque* succidi *permisit, sacrificio priùs factô.* Locus enim, quem is designat, sic habet, *lucum conlucare Romanô more si oportet, porco piaculo facito.* Nempe incædui prorsùs luci erant, nec ramum aut frondem inde decidere, nisi factô sacrificiô, quô facinus illud expiarent, licuit: Ut totus verò lucus aut integra aliqua arbor exscinderetur, nullô piaculô poterat fieri satis, quò tantum, ut rebantur, scelus purgaretur; nisi eô casu, quando arbores fulguritæ erant, tum enim non solum, sacrificiô priùs factô, interlucare, sed etiam penitùs exscindere eas, erat permissum. De cujusmodi arboribus videtur intelligenda *vetus Inscr. Earumque arborum adolefactarum & coinquendarum, & in eo luco aliæ sint repositæ.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 585. & suprà in voce *Coinquere*.

SUCCINCTORIUM, vide suprà *Subcingulum*: item *Cincti* & *Cinctum*, nec non *Epigonation* & *Præcinctorium*.

SUCCINCTUS Renibus, seu lumbis, Proverb. *c.* 30. *v.* 31. Hebræis canis est tenuibus lumbis, venaticus, vertagus: *Bocharto* equus animal superbi incessus, & lumbos *succingi* solitum, vide suprà *Lumbus*, infrà *Vertagus*: uti de Virtutis simulachro *succinctis vestibus* contrà quam aliarum Dearum, pingi solito, itidem infrà voce *Virtus*.

SUCCINUM, à SUCCO compacto dictum, Græcis *ἤλεκτρον*; Persis *Carabe*, ut & Saracenis; Arabibus *Ambra*; priscis Germanis *Glessum*, seu vitreum; Prutenis *Gentarus*; cùm nigrum est, Carbo &c. *Andreæ Aurifabro* gluten, viscum, bitumen, aut tale quid; sudor certè terræ est, qui in mare per venas & meatus effusus, mollis adhuc & liquidus, obvia quæque amplectitur, retinet, includit: fluctu verò lambente in altum provolutus, maris vertigine ac salsugine, temporisque diuturnitate, lapidescit & sic concretus, vel piscatu (de quo infrà in voce *Sudeni*) extrahitur, vel in littora ejus scaturigini opposita adversis ventis ejicitur. Et quidem, quamvis dicatur per multa inveniri littora, conveniunt tamen Auctores maxime in Insulas Septentrionales, Prussiam præcipuè, quæ vera *Succini mater* meritò cluet: cujus proin Principes vel unius anni decursu triginta millia marcarum argentearum, ventô & mari propitiis, ex hac piscatione confecisse leguntur. Hinc Plin. *l.* 37. *c.* 3. *Affertur*, inquit, *a Germanis in Pannoniam maximè provinciam. Inde Veneti primum* —— *rei famam fecêre* —— *id accipientes circa mare Adriaticum. Padi verò adnexa fabula evidente causa* &c. quod ab Equite quodam Romano misso ad id comparandum à Juliano, curante gladiatorium munus Neronis Principis, qui proin hæc commercia & litora peragraverit, exploratum esse addit. Color varius est, nigrum aliquando mari ejicitur, vel terrâ, cum per alluvionem collibus arenosis impactum est, effoditur. Album, idque nobilissimum, diutiùs agitatum & procellis Oceani excoctum est, hinc gradus dehiscentes ad nigredinem, scil. color mellis cocti auri & croci, unde Græcis suum *chryselectrum*: cinericei coloris est impurius. Nec idem sapor omnibus, nigrum est insipidum; album dulce, quod secundùm gradus remittit. Odor quidem myrrhæ genuinus ipsi, sed diversô gradu; liquidius rarum inventu (quod quidam cum Anime Orientali Lusitanorum confundunt) asperrimè fœtet. Duritiei summam tenet nigrum, secundum locum sibi album vindicat, iterum ex gradibus deficiens. Concinnantur hinc globuli, annuli, cochlearia, pyxides & imagunculæ quævis, utpote materiâ tornô, pro diversitate colorum, valde obsequenti. Segmenta & ramenta suffitui inserviunt: Etiam oleo addita, flagrant dilucidiùs, diutiùsque, quàm lini medulla. Iisdem manubria cultorum ornantur: globuli perforati torques efficiunt, & intuentium oculis gratos, & ferentium utiles. Idem Plinius ubi suprà, *Hodieque transpadanorum agrestibus fœminis, monilium vice succina gestantibus, maximè decoris gratiâ, sed & medicinæ.* Indidem armillas confici consuevisse, ex Juvenali discimus *Sat.* 9. *v.* 50. ubi *succina grandia*, vetus Interpres *dextrocheria* exponit. Sed & in munere Neronis anteà indigitato, *retia arcendis feris podium protegentia succinis nodata, arma verò & libitinam* (h. e. sandapilas & lectos, quibus mortui gladiatorum efferebantur) *totumque unius diei apparatum, è succino fuisse*, ex Plinio iterum discimus. Tantâ copiâ cùm invectum est ab Equite prædicto, qui maximum inter alia pondus attulit, XIII. librarum; è quo Solinum *c.* 23. XIII. millia facientem, adfingentemque de suo, *donum Germaniæ Regis fuisse*, meritò perstringit Salmasius. Porrò, à succino Pictores, rerum obliniendarum gnari, speciem

glutinis

glutinis mutuantur tenuissimi ad splendorem. Ut de usu ejus, oleique inde confecti, Medico, qui multiplex est, nihil addam. Spectaculo inprimis sunt pellucido & pretioso huic carceri inclusa: Licet enim Gedani spectare succinum, in quo rana & lacertus sepulti, jucunda oculorum admiratione; imò concavum quid in medio apparet, cum aqua fluida, quæ juxta Lunæ phases augetur & minuitur. Certum namque, animalcula, & quæ præterea clauduntur succino, adeo perfectè servare situm membrorum, colorisque splendorem, ut modò incidisse videantur, modò cum naturalibus certare, imò superare possint, nullo sui detrimento, usque naturam, sed in syllabum rerum immortalium relata, supra omnem ætatem, quæ tamen omnia alia consumit &c. Quam in rem vide plura apud Plinium *d.l.* Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 31. Salmas. *ad Solin. passim*, & supra ubi de *Ambaro*, ac *Electro*. Quia verò *Succinum* gummi pinus arboris, vel populi, Veteribus creditum est, hinc eodem cum illo nomine variæ gummium species appellatæ leguntur: inter quas B... apud Græcos recentiores appellatæ electrum, diximus in voce *Beronice*. Inde *succini crines*, pro *flavi*, quos in Poppæa sua carmine quodam laudaverat Nero. Plin. *loc. cit.* *Domitius Nero in cæteris vitæ suæ portentis, capillos quoque conjugis suæ Poppææ in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine succinos appellando.* Sic ... apud *Artemidorum*, *succinarium*, qui ex succino. Et *succina gemma* Martiali, *l. 4. Epigr.* 59. *v.* 2.

Repsit in obstantem succina gemma feram:

qui Poëta *succina trita*, inter odoramenta præstantissima, passim quoque commendat, *l. 3. Epigr.* 65. *v.* 5. *l.* 11. *Epigr.* 9. *v.* 6. &c.

SUCCOLLATOR, vide infrà *Sipa*.

SUCCOSA, quibusd. est *Saz de Sarsa*, castrum Aragoniæ. Aliis *Argia*, oppid. in vicinias ad Cincam fluv. Sobrarbiæ caput, 25. mill. pass. Barbastro in Boream, Pyrenæos versus totidem.

SUCCOTH-BENOTH, 2. *Reg. c.* 17. *v.* 30. nomen idoli est, quod, è populis ex Assyria in Judæam à Salmanassare translatis, Babylonii coluerunt. Talmudicis, qui illud exponunt *gallinam cum pullis suis*, in ... *c.* 7. *fol.* 63. *b.* Bochartus vero, סכות בנות ad verbum significare ait, *pavillon*, vel *puellarum tabernacula*. Itaque cum Babylonii legantur fecisse *Succoth-benoth*, eos struxisse intelligit sacellum Dearum, quæ בנות *benoth*, i.e. *Puellæ*, dicebantur: uti Græcos Protospinant ..., i.e. *pavillon*, appellasse, notum. Sic Amos. c. 5. *v.* 26. סכות מלככם *Siccuthalem Regis vestri*, i.e. idoli vestri sacellum. Vide eum *Hierozoici Parte poster. l.* 1. *c.* 16. Gerh. Joh. Vossius & Jo. Seldenus Mylittam seu Venerem Assyriam hoc nomine intelligentes, *funibus* corollis redimitas, ad Templum ejus, hospites opperiri solitas, & post Deam solenni formula invocatam, injectamque feminæ, quæ maximè arrideret, sinui quantulamcunque pecuniam, in proximum *tabernaculum*, abduci consuevisse, neque ulli earum à fano recedere licuisse, nisi his ritibus idolo initiata fuisset, referunt, *de Orig. Idolol. l.* 2. *c.* 22. & *de Diis Syris Synt.* 2. *c.* 7. Vide & suprà.

SUCCUBAR, colonia Tingitaniæ apud Mauros. Plin. *l.* 5. *c.* 2.

SUCCUBO, quod *Succubitanum municipium* Jul. Capitolino, *in Marco*, *c.* 1. oppid. Hispan. Bæticæ, patria proavi Antonini Philosophi: locus apud Arundam urbem. *Sierra de Ronda Morale.* Hinc *Succubitana purpura*, cujus meminit Pollio *in Claudio. c.* 14. Salmas. tamen mallet *Succabaritana*, ut vidimus suprà in *Succabar*.

SUCCUMBENTES, vide suprà *Excommunicatio*.

SUCCUS, in arboribus Nympharum olim sanguis, uti ipsæ, animæ velut arborum, habebantur. Servius ad *Æn.* 9. *v.* 62. *Hamadryades cum arboribus & nascuntur & pereunt. Unde plerumque cæsâ arbore sanguis emanat.* Unde apud Ovidium *Met. l.* 8. *v.* 761. ubi quercus antiquissima exditur, legimus,

Cujus & in trunco fecit manus impia vulnus,
Haud aliter fluxit discusso cortice sanguis,
Quam solet ante aras, ingens ubi victima taurus
Concidit, abruptâ cruor e cervice profundi.

Vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad Stat. Sylvar. l.* 1. *Carm.* 3. & *Thebaid. l.* 6. *v.* 95. ac 113. de *Succo* vero *tinctorio*, suprà ubi de *Cocco*, *Conchylio*, *Purpura*: & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solinum* passim, inprimis *p.* 1282. & *seqq.*

SUCCUSANUS, pagus qui & Suburra. Vide Varronem *l.* 4. *de L. L.*

SUCHE, oppid. Æthiopicum circa sinum Adulitanum. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

SUCHEUM, urbs Sinarum in Queichea, intra montes. Item tertia provinc. Nanchinensis, in regione perferaci, intra fluv. prope Lacum Tajum. Emporium celebre, cui 6. urbes minores subsunt. *M. Martinius.*

SUCHINA, urbs Quansiæ, nunc in regno Tunchini, ad radices Lengvuni montis. *Idem.*

SUCHUENSIS i. e. *quatuor aquarum*, provinc. ampla Sinarum maximè ad Occasum extensa, versùs Indiam & regnum Thibeti. Dividitur in duas partes à fluv. *Kiang*, pessimè bello Tartarico habita. Terminatur à Septentrione Xensiâ, uti ab Ortu Huquanâ, à Meridie, Queicheâ & Junnaniâ, ab Occasu Indiâ ulteriore. Primaria Urbs *Chingtu*. Aliæ *Paoning*, *Xunking*, *Suchen*, *Chungking*, *Queichen*, *Lungyan* & *Mahu*, sub quibus 89. urbes minores cum 29. aliis. *Idem.*

SUCHUS, Græcè Σοῦχος, nomen Crocodili, Sacerdotibus mansueti, qui in Arsinoite Nomo Ægypti, cujus metropolis *Arsinoë*, prius *Crocodilorum urbs* vocabatur, impensè coli olim solebat, teste Strabone *p.* 812.

SUCIDAVA, oppid. Mysiæ inferioris apud Danubium, inter Durostorum ad Meridiem 18. & Axiopolim in Cæciam 12. mill. pass. *Antonin.*

SUCRO, fluv. & oppid. Hispaniæ Tarraconensis in regno Valentiæ, & finibus Contestanorum. Fluvius *Xucar* hodiè, *Xucaro*; Oritur ex eodem monte, quo Tagus, in Castella nova in limite Aragoniæ; dein Concham urbem & Alarconium rigat. Hinc auctus fluviis *Gabriel*, *Algarra*, &c. in Sinum Suctonensem se exonerat. Oppidum adhuc *Sucra*, vix 1. leuc. à Cullera. Sed paucis constat incolis. Sil. *l.* 3. *v.* 372.

Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus undis,
Atque atrox celsa mittebat Setabis arce.

De *Sucrone* Strabo nonnulla *l.* 3. sed rigoris haud meminit, uti nec Mela *l.* 2. *c.* 6. Ubi Vossium vide. *Nic. Lloydius.*

SUCRONENSIS Sinus, hodie *Golfo de Valencia*, pars maris Mediterranei inter ostia Iberi ad Boream & Dianium promontor. ad Meridiem in ora regni Valentiæ.

SUCU, pomi species, in Sinensi Imperio, provinc. inprimis Xantonia, frequens. Exsiccatum ad modum ficuum in Europa, asservatur pro quacunque anni tempestate, perque totum Imperium à Mercatoribus distrahitur. Nostratibus aliquanto majus, rotundâ fere figurâ, puniceum aut rubicundum: intra pulpam carnis ossicula habet, seu acinos planos ac rotundos, ad teruncii fere molem, omnia duro occluta cortice, veluti ex ligno essent. Non sunt autem in medicullio pomi, sed intra pulpam, ad superficiem cohærentia, non jacentia plana, sed verticaliter erecta, numerò quidem incerta, subinde decem, subinde quinque, pauciora plurave, pro pomi magnitudine, quod subinde quoque exossest. Cæterum caro tota rubescit, & cum pomum maturum est, ut sorba, mollescit, estque suavissimi saporis. Siccatum quasi crustam melleam aut sacchari emittit, mali autem corticem sacchiarò conditum credas. Sunt etiam quædam cortice viridi, quæ matura etiam non mollescunt, sed, veluti nostra, cultello aut dentibus minuuntur decorticanturque in reliquis à puniceis illis non diversa. Proprius autem hic Sinarum fructus est, & nascitur in mediocri arbore, quæ vix ullâ culturâ indiget. Auctor Anonym. *Sinæ & Eur. c.* 36.

SUCULÆ, proprie sunt *parvæ sues*, quo nomine cur astrum *Hyades* dictum, indignantur Romani, rationem dat Salmas. *Notum*, inquiens, *quam rudes fuerint prisci Romani in plerisque nominibus e Græco vertendis, vel uno exemplo adparebit: ὕαδες sunt parvæ ..., ut & ὑάδες, parvæ sues.* *Hesychius --- Sidus in fronte Tauri, cujus occasu pluvia, ... ὑάδας itidem dixerunt ἀπὸ τοῦ ὕειν (i. e. à pluendo) Latini Suculas eadem nominavere, quasi parvas sues.* Vide eum *ad Solin. p.* 954. ut & suprà, voce *Hyades*.

SUCZOVA, urbs Moldaviæ caput, ad amnem *Strech*, in limite Transylvaniæ 50. mill. pass. ab Jassio in Occasum.

SUDA, apud mediæ ævi Scriptores, pro *sudatura*, vel *sudato*, à *sudando*, Salmas. *Not. ad Spartiani Pescennium Nigrum*, *c.* 3. Item pro *sudato*, quod *sudibus* scil. conclusum est, fossâ seu vallo potius, vel sudibus, quibus vallum ipsum & castra muniebantur. Ammianus *l.* 31. *Vallo sudibus fossaque firmato.* Latini enim infimæ ætatis *sudem*, pro *sepe* dixerunt. Unde & Græcis recentioribus σοῦδα interdum fossam, interdum vallum & sudes munientes fossam, denotat, ut videre est apud Scylitzen *p.* 660. Leonem in *Tacticis* passim, Alios. In *Chron. Alexandr. p.* 906. σοῦδαι occurrit, quod Latini inferiores etiam *Palatium* seu *Paticium* & *Palatum* appellavere. Hincque fortè Σοῦδα vocatum est Orontis fluvii ostium, apud Annam Comnenam *Alexiad. p.* 368. ubi editio Hœschelianæ habet σοῦδα, quasi *profundioris fossæ* speciem prætulerit. Vide ad eam *Notas* Car. du Fresne, & plura de voce hac, apud Salmas. *ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 12. nec non suprà, ubi de *Muralibus*, ac *Sepe murali*; nec non voce *Sepes*.

SUDANIA, ab Arabibus fides, Romæ est avis ex ære conflata, arbori æreæ insidens, quæ, cum olivæ maturuerunt, omnes *sudanias* sibilo suo evocat. Illæ autem statim advolant undecunque locorum, singulæ cum tribus olivis, unde Romani oleum exprimunt, quantum satis est in totum annum. *Sturni speciem avem hanc esse*, ait Assaphius in *Mirabilibus*. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 6. *c.* 14.

SUDARIUM, linteum operimentum, apud Antiquos, capitis hominis demortui; memoratur Joh. *c.* 11. *v.* 44. ubi de Lazaro à CHRISTO resuscitato, *Tum qui fuerat mortuus, prodiit pedes & manus vinctus fasciis, vultus autem ejus* Sudario *erat obvinctus.* Et Joh. *c.* 20. *v.* 7. ubi de CHRISTO ipso, *Et Sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteis positum, sed seorsim involutum in unum locum.* E quibus locis patet, licèt *Sudarium* non omne fuerit tegmen capitis mortuorum, tegmen tamen hoc *Sudarium* dictum esse. Nam Pauli viventis *Sudarium* memorat Lucas, Actor. *c.* 19. *v.* 12. atque ideirco Proclus *Orat.* 19. quæ Pauli encomium continet, ait *Pauli Epistolas fuisse salutis retia, tubam, Crucifixi tubam, plagas, universi orbis in delam, Sudaria, falces morborum.* Similiter apud Lucam *c.* 19. *v.* 20. servus piger & incurius, refert Domino suo mnam, *quam ait se habuisse in Sudario repositam.* Suetonius quoque in *Nerone*, *c.* 51. ait eum *plerumque ligneo circa collum Sudario prodiisse*; ut alia omittam. Interim velum, quo hominis demortui caput obnubebatur, *Sudarium* appellatum esse, e *locis* supradictis apparet: Quò ipsum Neronis *Sudarium* aptè omnino referas, quò obtectum eum Româ prodiisse, scribit Suetun. *c.* 48. aut qui se haberet pro conclamato, adeoque tegmen mortuale assumpserit, ut quidam volunt: Aliis potius ut in fuga lateret, illud tum ab eo adhibitum, contendentibus. Quidquid autem ejus sit, ex *c.* 20. Johann. *v.* 7. prædicto certum est, *Sudarium* à sindone, corpus totum contegente ac obvolvente, secernendum esse. Seorsim enim ibi linteamina exhibita, & seorsim *Sudarium*, quod fuerat supra caput, fuisse positum, legimus. De quo cum Pontificii Scriptores multa scribant. M. Attilò Serrano in *Syllab. Reliq.* in Basilica Lateranensi; Quibusdam Taurini; aliis Vesontione apud Sequanos hodieque adservari, contendentibus: nihil

nisi addam, nisi acquiescere nos posse, in verbis laudatis; ultra quæ Spiritus S. à suis Amanuensibus nihil consignari de hoc capitis demortui, quod nec SERVATOR noster dedignatus est, operimento, voluit. Chiflerius pro linteo alteram tantùm cadaveris partem, à capite ad pedes usque, contegente & superinducto toti antico corpori, sed tantùm ad collum religato, sumit, apud Anselm. Solerium *de Pileo c.* 17. ubi multa de hoc capitis involucro disputat, iconem simul tum Lazari, tum CHRISTI, demortuorum & sepulchrali hôc tegmine opertorum, exhibens. Verùm priorem sententiam fulcit Salmas. docens, fuisse *breve aliquod textum, quo sudorem vultus extergebant, complectendo capiti aptum. Mediæ Comœdiæ Poëtis καψιδρῶτιον· ἀπὸ τοῦ καψιδρῶν. An ergo similiter sudarium à sudore? --- Mœris tamen Atticista in Lexico notat, apud Hermippum, veteris Comœdiæ Poëtam, σουδάριον reperiri, eô sensu quo Σουδάριον vulgò tum in Græcia sumebatur.* Vide eum *ad Solin. p.* 1211. Cùm verò in triclinio discumbebant, habebant illud circa collum ligatum, uti *ad Neronem Suetonii c.* 51. adnotat Casaubon. ubi illum habitum discumbentium fuisse docet. Sed &, uti in Circo quosdam favoris signum orariis; sic *sudarii* jactatione alios, dedisse legimus. Utque in Ecclesiis Christianorum Diaconus Lectorem orarió monebat, quando vel ad fideles vel ad catechumenos flectenda esset oratio. Sic in Judæorum Synagogis legem è pulpito recitanti aderat aliquis, qui *sudarium* motitando populo signum dabat, ut *Amen* diceret. Apud eosdem *jactató sudarió*, qui in Prætorii foribus stabat, ubi de rei, qui ad supplicium educebatur, innocentia constitisset, executionem impediebat sententiæ latæ. uti videre est apud Cl. Suicerum voce Ὀράριον, & Auctores illi laudatos, uti suprà passim: De *Sudario* verò, veste Sacerdotali in Ecclesia Romana quæ aliàs *Manipulus*, it. *Mappula*, Amalarium *Eccles. Offic. l.* 2. *c.* 24. iterumque Suicerum voce Ἀήρ, & suprà *Aër*.

SUDATIO Assa, vide suprà *Calidarium*.

SUDATORIUM, Senecæ *in Ep.* 51. memoratum, Græcis πυριατήριον sive λακωνικὸν, *Lycophroni* θερμὰ λουτρῶν ἐγκυτα, *calida balnei cavea*, dictum est, quod intrabant à laboribus vacantes & otiosi, uti Agamemnon à bello Trojano reversus, aut à morbo se recolligentes, uti legimus apud Artemidorum. Et quidem Homerus *Od.* λ. in mensa canit necatum Agamemnonem, quem alii non pauci sequuntur; *Lycophroni* verò in *Sudatorio* seu Balneo necatus est, cui *Æschylus* quoque & *Seneca* suffragantur. Hoc itaque, ab itinere laboribusque fessus, dum ingreditur Agamemnon, & Clytemnestra ei, officii specie, injicit exomidem, nullas manicas sed unicum foramen, quà collum exereretur, habentem, manibus ita constrictis ut resistere non posset, ab Ægysto obtruncatus est. Vide Meursium *ad loc.* & plura de hac Balnearum parte, suprà passim, ubi de *Balneis*, *Cellis balnearibus*, *Hypocausto*.

SUDATUM, **Suidæ Σούδαι vide suprà** *Suda*, **item** *Charax* **&** *Fossatum*.

SUDENI, *Ptol.* populi Sarmatiæ Europææ ad oram sinûs Venedici incolentes: quorum regio *Sudaw* solitudinibus sylvisque horrens, in Prussia Ducali, in peninsul. apud Regium montem. *Sansoni* sub Venedis erant, ubi nunc Palatinatus Vitebscensis, in Lithuania. Sed priorem sententiam fulcit Georg. Agricola, ubi de succini piscatione, *Sudini*, ait, *Insulares*, *ad Brustam, in triginta & plures divisi pagos, noverant --- reticula, tanquam pisces, extrahere, libero usu, quamdiu libertas constitit; sed, sub imperium redacti Germanorum, inviti compelluntur ad opus, quod à majoribus ultimis in servos descendit nepotes. Flantibus Favonió aut Coró, insurgit mare procellosum, tum Sudini agminatim, sive de die, sive de nocte convolant, ubi litus à vento aut procellis vapulat. Veris in promtu sunt retia de pertica furcata extensa, & à mulierculis annona, cum supellectile. Sic præstolantur, donec ventus desinat, & in æstuantes undi procurrant aquas recedentes, succinumque ex fundo protrahunt, ab ingruentibus undis propulsum: accedit herba pulegio similis, velut cognata. Sed advigilandum, ne præda referatur ante refluxum Oceani, qui tardiusculos haurit. Excutiuntur tum retia, mulierculæ mundant cum sobole, rejectaneis separatis, quidquid fuerit relatum. Tum frigidó calló maritum fovet uxor ad focum, & in lectulum componit, ut iterandæ excursioni sufficiat, ad ultimam piscationem --- Est & alia ratio piscandi succinum, cùm juxta litus fossas ducunt latas & quadratas, quarum fundum stipitibus acutis sollicitant, altissimè impactis, sed creberrimè concussis, ut succinum, si maximè illic lateat, redundet, tanquam è fonte, quod inductô reti per superficiem aquæ conducant*, apud Auctorem Anonymum *Sina & Europa c.* 31. Succini autem matrem Prussiam esse Ducalem, suprà vidimus.

SUDERCOPIA, oppid. Ostrogothiæ, 7. mill. pass. à Norcopia, in Eurum 15. à Stegeburgo & ab ora maris Baltici in Occidentem Vastenam versus 50. circiter; *Suderkoping*.

SUDERMANNIA, provinc. Sueciæ propriæ inter Westmanniam & Uplandiam ad Boream, mare Balticum ad Meridiem, cum titulo Ducatus. Ejus urbes sunt Nicopia, Stregnesia & Trosa.

SUDERNUM, Tuscorum urbs mediterranea. *Ptol.* hodie *Madirno Leandro*.

SUDERTANI, populi Hetruriæ, quorum oppid. *Souretto*, teste *Volaterrano*.

SUDES, vide suprà *Suda*. Addo hîc saltem, *Sudenam* & *Sudem*, genus quoque piscis esse, Græcis σφύραιναν & σκόλοπα dictam, à similitudine *sudis*, quæ propriè σκόλοψ Græcis. At in *Glossis* est χάραξ, i. e. φραγμὸς vel περίφραγμα, *sudatum* medii ævi Latinis, à *sude* dictum; quod pro castris usurpari cœpit, quoniam illa valló & fossâ circumcingi mos est. Sed & *Sudem* in *LL.* Longobardorum legere est, pro porcorum caula, quod hodieque vocabulum Galli retinent. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 231. & 1203. uti de *Sudibus ferreis*, ad Martyres excruciandos, adhibitis, infrà voce *Taurica*: de *Sudibus præustis*, frequenti in bello teli genere, apud gentes, quibus aut ferri usus incognitus aut copia rarior, suprà ubi de *Ligno igni durato*.

SUDETI, Σούδητα *Ptol.* montes Germaniæ inter Franconiam ad occasum & Voitlandiam ad ortum, *Wendenberg*, & *Fichtelberg*. Ex quibus 4. flumina originem trahunt, Mœnus, Egra, Sala, & Nabus. Quà Bohemiam attingunt, *Risenberg* dicuntur.

SUDIDENIS, Africæ propriæ urbs. *Ptol.*

SUDINES, vide *Sunnoes*.

SUDINI, vide *Sudeni* suprà.

SUDINUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

SUDOR Larium, indicium multarum ærumnarum civitati creditus olim. Statius *Theb. l.* 4. *v.* 374.

> *Nuntiat excubiis vigiles arsisse Plateas,*
> *Nam Tyrios sudasse Lares ---*

Lucanus *l.* 1. *v.* 549.

> --- --- *Vestali raptus ab ara*
> *Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas*
> *Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,*

v. 556.

> *Indigetes flevisse Deos, urbisque laborem*
> *Testatos sudore Lares &c.* ---

Aliarum item statuarum. Florus *l.* 2. *c.* 8. *Cùm humore continuo Cumanus Apollo sudaret. Sed hic favemus Asiæ suo Numinis timor erat.* Silius Ital. *l.* 1. *v.* 97.

> *Tunc Magicó volitant cantu per inania manes*
> *Exciti, vultuque in marmore sudat Elysa.*

Sic simulachrum Averni sudâsse legitur, apud Junium Philargyrium in *Georgic. Virgilii l.* 2. & in prodigiis mortem Cæsaris consecutis *Georgic. l.* 1. *v.* 480.

> -- *Mæstum illacrimat templis ebur, æraque sudant &c.*

Plura vide apud Plutarchum & Obsequentem, *c.* 112. 115. quorum illum rationibus compingendis laborantem vide in *Coriolano*.

SUDORE uno devincere, apud Capitolinum *in Maximinis*, *c.* 2. *Maximinus XVI. lixas unó sudore devicit*, locutio è media est palæstra elegans & τεχνικὴ, & significat, πρὶν ἀπειπεῖν, priusquam defatigaretur. *Symmachus* eadem de re, *Tunc Maximinus*, ait, *sedecim lixas tantâ felicitate prostravit, ut vincendo singulos nullam sibi requiem intercapedine temporum daret.* Aliàs ita Athletæ pugnabant, ut aliquantulum respirarent, quô factô πάλιν ἀνταπεδύοντο τοῖς αὐτοῖς ἀγωνίσμασι, *rursus inibant eadem certamina*. Philo περὶ μεθ. Unde idem *alibi* Ægyptios comparans Athletis ait, *Διαπνεύσαντες ἐκ κακώσεως ἐπ' ὀλίγον, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἀθληταί, Cùm verò paulum respirâssent ab ultione, quemadmodum in certaminibus Athletæ.* Cùm verò rigidiùs certamen iniretur, *Διαπνεῦσαι καὶ συλλέξαι δύναμιν εἰς ἑτέρου ἀγῶνος ἀρχὴν, respirare & colligere vires ad instaurandam pugnam*, ut idem loquitur, περὶ καθαρ. ἀρχῆς, non licebat. Quod sponte suâ apud Capitolinum Maximinus fecit, ut robur suum Severo redderet probatum &c. Vide suprà ubi de *Lucta*.

SUE, fil. Abrahæ ex Cetura. Gen. *c.* 25. *v.* 2.

SUE, fil. Jahaddai. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 49.

SUE, fil. Supha. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 36.

SUEBI, Scythiæ intra Imaum montes. *Ptol.*

SUECIA, Regnum Europæ, ita denominata à Suionibus, ac Sitionibus, qui Suevorum gentes fuerunt in Germanico Oceano sitæ, nec ineptè possunt videri ii, quos nostra ætas *Suedos* & *Suecos* vocat, aliquot saltem literis mutatis. Sueciæ regnum, immensæ illius peninsulæ Arctoæ, quam *Scandinaviam* veteres nominant, mari Glaciali Noricô & Balthicô circumfusæ; Gothiam & regiones amplissimas, latissimeque adversus orientem patentes, hôc tempore obtinens: ab occasu Norvegiâ: ad meridiem, sinu maris Balthici seu Germanici, Vistulæ & Viadri ostiis objectô, versus Boream, non procul à mari Glaciali; ad ortum, Russiæ Neugardiâ terminatur: à gradu latitudinis 55. usque ad 73. longitudinis 35. usque ad 58. extenditur. Provincias multas continet, quarum aliæ *Gothicæ* sunt, ut Ostrogothia, cujus Lincopia metropolis, Westrogothia, lacu Vetere ob Orientali sejuncta, cujus Scara, Episcopi sedes: Australis Gothia, seu Smalandia, Tuiscia, Verendia, cujus Vexio præcipuum oppidum: Moringia & insula Selandia, Smalandiæ in longitud. 18. milliar. objecta, & in totidem parochias distincta, ac arce Borgholmiâ munita. Aliæ *Norica*, seu *Suecica* sunt, ut Oplandia, cujus Upsalia ad Salam sita, in centro Sueciæ, sedes Archiepiscopi & scholæ publicæ, ac Stocholmia metropolis. Meridianæ Meleri ripæ, Sudermanniæ oppida, Telgo, Stringenes, Episcopi sedes, & arx Gryphisholmia adjacent: Neriicæ Orelo arx præcipua est: Occasus versùm Westmannia regio & urbes Arosia & Arboga lacui incumbunt. Inde versus occasum æstivum Dalia occidua, Eva & Solier Dalia à Slacu Solion sic denominata jacent, quæ tres provinciæ, unà cum majore parte montanarum provinciarum, sub Episcopi Harosiensis inspectione continentur. Oplandiæ, versus Boream, finitima Gestricia, inde Helsingia, post Middelpadia, ulterius Angermannia, Borea & Notia. Inde Nortbotnia in Westbotniam & Ostbotniam divisa, longô terrarum tractu diffusæ provinciæ. Tandem Boream versùs Scricfinnia, Lapponia, Biarmia; has propriè regni Suecorum provincias antiquas, plerasque sinus Bottnicus ex Balthico in Boream, rectâ Toroniam, & ultra circulum arcticum porrectus, à Finlandia amplissima peninsula dirimit. Dividitur Finlandia in Notiam & Boream, quibus Natagundia superior & inferior, Savolosia, Tavastia, Finnonicæ regiones latè patentes adjunctæ sunt. Inde trans Finnicum sinum Carelia, cujus Kexholm metropolis est, & meridiem versus Woticbonia, in qua Lovati fluvii Novogardiam allabentis, quem *Ny* accolæ vocant, ostium: supra

Coporam Ingria, cujus Jamagrod, & Solonseia, cujus Ivanogrod è regione Nervæ, arces sunt præcipuæ. His contiguæ versus meridiem sunt Livonicæ Esthonum provinciæ, à Nerva ad Revaliam & Vernoviam usque pertinentes. Allantacia, cujus Nerva; Wiria, cujus Wesemberga; Wichia, cujus Ahabsal Episcopi sedes & insula Dagen. Quæ regiones trans Finnicum sinum pleræque omnes, Joannis III. Regis virtute ac felicitate, regno Suecorum, A. C. 1581. primùm accreverunt, cùm Revalia sponte Erico XIV. Suecorum regi se subjecisset, A. C. 1561. Est autem multis in locis aspera, montosa, humida & paludosa, unde multis in locis est invia, & rarior ibi fructuum proventus. Totum verò littus versus Livoniam, acutissimi scopuli occupant, quibus eæ oræ inaccessæ fiunt, ad quas gelatô mari lupi transmeant, prædæ gratiâ, ibique nimiô frigore privari luminibus feruntur. *Merul.* & *Metel. Baudrando Suecia*, incolis *Sueden*, Gallis *Suede*, Italis *Suetia*, regnum est Europæ versùs septentrionem. Majorem Scandinaviæ partem complectitur, aliàsque Daniæ & Norvegiæ unitum fuit; sed hodie proprio subest Regi. Terminatur à septentrione Lapponiâ Norvegicâ, ab oriente Moscoviâ, à meridie mari Balticô, & ab Occidente Daniâ & Norvegiâ. Ejus partes sunt sex, nempe Suecia propria, seu Suevonia, Gothia, Lapponia Suecica, Finlandia, Ingria, & Livonia: sub quibus sunt triginta quinque provinciæ, quibus additur Bahusiana Præfectura, quæ antea pars erat Norvegiæ. Subsunt etiam Regi Sueciæ Pomerania citerior, Ducatus Bremensis, & Principatus Ferdensis: sed hæc sunt in Germania. Totius autem regni caput est Holmia, *Stockholm*, prope Melerum lacum. *Morerio* regionis hujus aër tam purus est, ut ultra 100. annos vitam non rarò incolæ producant: quorum opes in fertilitate terræ, metallis & aliis: quod enim ejus citra sexagesimum gradum est, aëre satis miti & temperatô fruitur: quod inde usque ad gradum 66. scil. ad Arcticum circulum, excurrit, cœlum quidem inclementius habet, solum verò felicius: quod reliquum ultra circulum Arcticum restat, & sterile est & frigore horridum, feris tamen, piscibusque innumeris abundat. Unde multitudo incolarum olim tam prodigiosa, ut sylvas etiam colerent; quod & ruinæ passim occurrentes, & in reliquum penè totum terrarum orbem hujus gentis inundationes testantur. Incolæ autem naturâ feroces & truces durâ exercitâque educatione, contra omnes labores firmantur. Germanis mores similes habent, nisi quòd ab iis civilitate superantur, at industria eorum ingens, utpote quôvis Suecô rusticô omnes artes opificiaque callente. Integris sæpe sylvis incensis cineri grana ferentes miscent, admirandô successu. Rei bellicæ gloriâ sub Gustavo Adolpho inprimis & Carolo Gustavo Regibus emicuerunt: Linguarum exoticarum, & politicæ minimè rudes, magnificè hodie vestiri gaudent; Reges memorant antiquissimos à Magogo, Noachi ex Japheto filio nepote, usque ad præsentem Carolum XI. centum & quinquaginta. Regiam dignitatem, Electivam anteà, fecerunt Hæreditariam, sub Gustavo I. Erici filio, qui pulsô Danô Christiernô II. Rex factus est, A. C. 1523. Hic A. C. 1527. comitiis coactis, religionem Pontificiam abrogavit, Clericos, qui in regno manere mutatâ religione nolebant, dimisit. Olai Petri operâ usus, Antistites & Pastores dignos Ecclesiis præfecit: Biblia S. in Suecicum sermonem primus transferri & in omnia regni templa distribui curavit, Reformatos exules à Danis inhumaniter habitos clementer invitavit, non tutô solùm hospitiô, sed & libertate religionis oblatâ: Obiit A. C. 1560. regni 38. ætat. 70. Successit Ericus fil. ex Catharina Saxonica, qui, rebus regni turbatis, in carcerem conjectus à Johanne & Carolo fratribus, è Margareta Loholmia genitis, ibi obiit A. C. 1568. Johannes post eum præfuit, pater Sigismundi, qui A. C. 1592. electus Poloniæ Rex, cùm contra regni leges Latinos ritus Suecis obtrudere conaretur, à Proceribus depositus est, substitutô patruô Carolô: qui perpetuâ ferme vitâ infelix, obiit A. C. 1611. pater Gustavi Adolphi, illius tot victoriis & rerum gestarum magnitudine inclyti: Cui in prælio Lutzensi occiso A. C. 1633. successit Christina filia, quæ, pace Monasterii initâ, ingenti accessione regnum auxit, sceptrô dein A. C. 1654. sponte cessit, in gratiam Caroli Gustavi, quem Casimirus Bipontinus susceperat ex Catharina sorore Gustavi Adolphi. Mortuo A. C. 1660. successit Carolus XI. hodie regnans. Rex de negotiis regni deliberaturus, convocat Ordines, è Nobilitate, Clero, Mercatorib. & Rusticis constantes: quorum Primi capita familiarum: Secundi duos Pastores ex qualibet communitate: Urbes duos Mercatores, & quælibet villa duos è numero suo, illuc mittit. Reliqua minoris momenti in consessibus ordinariis peraguntur. Vide insuper Cluver. Ortelium, Sansonem & Du Val *Georg.* Saxonem Gramm. *Hist. Danæ*, Olaum M. *Histor. gent. Sept.* Joh. Magn. *Hist. Reg. Suec.* Alb. Crantz. *Chron. Dan. Suec. & Norveg.* Erpoldum Lindenbrog. *Script. rerum Germ.* Hug. Grotium *in Hist. Suecor. Goth. & Wand. &c.* ut & infra in voce *Suecones.*

Sueciæ provinciæ:

Angermania, *Angermanie.*	Kekholmia, *Kekholme.*
Blekingia, *Bleckinge.*	Lapponia, *Lapponie*. in quinque marchias seu provincias divisa.
Bothnia occidentalis, *Bothnie Occidentale.*	Livonia *Livonie*, in duas provincias divisa.
Cajania seu Bothnia orientalis, *Cajanie.*	Medelpadia, *Medelpade.*
Carelia, *Carelie.*	Nericia, *Nericie.*
Dalecarlia, *Dalecarlie.*	Nylandia, *Nylande.*
Dalia, *Dalie.*	Ostrogothia, *Ostrogothland.*
Finlandia septentrionalis, *Finlande septentrionale.*	Savolaxia, *Savolax.*
Finlandia meridionalis, *Finlande meridionale.*	Scania, *Schonen.*
	Smalandia, *Smaland.*
	Sudermania, *Sudermanland.*
Gestricia, *Gestricie.*	Tavastbia, *Tavastbus.*
Hallandia, *Halland.*	Vermelandia, *Vermeland.*
Helsingia, *Helsingie.*	Westmania, *Westmanie.*
Jemptia, *Jempterland.*	Westrogothia, *Westrogothland.*
Ingria, *Ingrie*, seu *Ingermanland.*	Uplandia, *Upland.*

Sueciæ urbes præcipuæ:

Aboa, *Abo.*	Lunda, *Lunden.*
Arosia, *Westeras.*	Nicopia, *Nycoping.*
Calmaria, *Calmar.*	Norcopia, *Norkoping.*
Carolstadium, *Carolstad.*	Orebroa, *Orebro.*
Christianopolis, *Christianopel.*	Revalia, *Revel.*
Coronia, *Landscron.*	Riga, *Rige.*
Daleburgum, *Daleborg.*	Scara, *Scare.*
Elleboga, *Ellebogen.*	Sigtuna, *Sigtun.*
Gothenburgum, *Gotemburg.*	Torna, *Toorn.*
Holmia, *Stockholm*, regni caput.	Viburgum, *Viborch.*
Lincopia, *Lincoping.*	Upsala, *Upsal.*

SUECIA NOVA, vulgò *nouvelle Suede*, provinc. Americæ Septentrional. in ora maris Borealis, inter novum Belgium ad Boream, & Virginiam ad Austrum; primò à Suecis habitata, & posteà à Batavis occupata, qui inde ejecti fuêre hisce ultimis temporibus; sicque etiamnum subest dominio Suecorum. Ibi oppida præcipua Christina & Gothemburgum, prope ostia fluvii Austrini.

SUECONII, Pliniô teste, *l. 4. c. 17.* Belgis populi fuêre; ubi hodie Tornacum, urbs Episcopalis Flandriæ, ad Scaldim fluv. ut quidam opinantur.

SUEDERICUS Jacobus, vide *Jacobus.*

SUEDIA, vide SUECIA, & SUETIA. Adde, quod *Sueonum*, *Sueciæ*, & *Suediæ* nomen Antiquos, boni ominis causâ, à juvenili vigore & mascula virtute, sumsisse censet Loccenius, quòd *Suen* denotet *juvenem* seu *masculum*: Ab exteris verò *Suedos* vocatos, quia Sueonum terra *Sueaod*, *Sueaöd* & *Suenod* dicta fuerit, indeque commodioris soni causâ *Sued* formatum, *Antiqq. Sueo Goth. l. 1. c. 1.* Regno conterminæ sunt, ab Austro Dania, ab Occasu Norvegia, à Borea Oceanus Septentrionalis, ab Ortu Russia: Partes ejus infrà recensitas vide. Metalli, maximè cupri, hîc fodinæ celebres, quarum intuitu eas *subterraneum* Regni *Ærarium* præfatus Auctor vocat *l. 2. c. 17.* Nec obscurum hujus rei testimonium elucet è collegio Montanorum Holmiæ à Christina Regina ante hàc instituto, in quo res Metallicæ promoverentur & controversiæ deciderentur. Idem *cit. loc.* Cœterùm terra apta cultui, pro natura ac benignitate soli communiter octuplum, decuplum, duodecuplum aliquando plus reddit. Quam, ut divinitus affluentem, benedictionem, agnoscentes Agricolæ, *Dei donum* vulgari sermone prædicant, & terram *Dei cellam penariam* vocant. Unde vetus inter illos Proverb. *I Gudz wisthuus ar myckin maat*, i. e. *In Dei cella penaria multum est cibi*, Idem *c. 19.* Regnum autem, postquam ultimò à Regno Daniæ avulsum fuit sub Daniæ Rege Christierno II. proprios retinuit Reges, qui è *Trollorum* familia fuêre sequentes; Gustavus Ericsonius instaurator Regni & Religionis, qui è captivitate Danica, inter venandum, habitu piscatoriô elapsus Lubecam se receperat & inde clam in *Suediam* delatus, specie procurandorum Christinæ Stenonis II. viduæ negotiorum Stenonisque filiâ in Uxorem acceptâ, Procerum favore ac Lubecensium præcipuè opibus, Regni vacui possessionem adeptus est, Thuan. *l. 1.* Ei successit filius Ericus II. qui tyrannide, nuptiisque (Elisabethæ Angliæ Reginæ conjugium postquàm frustra ambiisset) cum Catharina, ex infima plebe, an lictoris, an militis filiâ, contractis, notus: In carcere vitam finiit. Successore fratre Johanne, qui obiit A. C. 1592. Hunc excepit Sigismundus, ejus ex sorore Sigismundi Poloniæ Regis filius, quem, cùm à Polonis, Patre adhuc superstite, Rex electus A. C. 1587. Latinos ritus sequeretur, & proin in patrio Regno Religionis mutationem moliretur, ortis inter Suecos Polonosque dissidiis, *Sueciæ* regnô exuerunt Proceres, jure successionis simul omnibus ejus posteris abrogatô: inque ejus locum, Carolum patruum surrogârunt, Ducem Sudermanniæ, & Pro-Regem à Sigismundo constitutum, A. C. 1604. Qui defuncto A. C. 1611. filius successit Gustavus Adolphus, Princeps magni animi, quemque inter ipsos Pontificios Ambrosius Spinola, post victoriam Pragensem A. C. 1620. solum inter Protestantes Principes residuum judicavit, qui non irritari deberet, vide Petr. Bapt. Burgum *Marte Sueo-Germ. l. 3.* Post res in Germania & alibi præclarissimè gestas, obiit in prælio Lutzensi A. C. 1632. ætat. 38. Pater Christinæ, quæ Regno præfuit usque ad A. C. 1654. quô eô cessit, illudque in manus Caroli Gustavi resignavit, reservatis sibi Imperialibus 200000. ex Pomerania & Insul. Oelandia quotannis solvendis: cujus rei solemnitates habes *in Theatr. Europ. ad Ann. prædictum.* Eô factô Oeniponte ad Latinos transiit ritus, & ab Alexandro VII. *Christina Alexandra* appellari gestiit. Igitur Carolus Gustavus, Gustavi Adolphi ex sorore Catharina nepos, natus Nycopiæ A. C. 1622. patre Joh. Casimirô Bipontinô, inde supremus militiæ Suecicæ Dux, post A. C. 1649. Christinæ successor destinatus & A. C. 1650. Princeps hæreditarius renunciatus, Regnum capessivit, A. C. 1654. moxque bello Polonico ac Danico usque ad A. C. 1660. implicitus, obiit pace nondum conclusâ, d. 12. Febr. ejusdem Anni. Post eum regno præest filius Carolus, cum Daniæ Rege & confœderatis Imperii Principibus Belgisque aliquot annis, difficili bellô, collisus. Factum verò hæreditarium hoc regnum est A. C. 1544. Arosiæ sub Gustavo I. Rege, quod in electione Caroli A. C. 1604. renovatum fuisse, apud Thuanum legimus *l. 131.* Unde factum, ut Christina adhuc minorennis in subscriptionibus *Principis hæreditariæ & designatæ Reginæ*, titulum usurpârit, Rexque hodiernus, antequam ipse Regno præesset, *Principem Hæreditarium* se, omissô tamen *designati Regis* epithetô, scripserit. Negotia *Suedorum* cum Polonis, Danis, Moscis, Civitate Bremensi, pluribus exsequitur Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. Part. 2. c. 6. §. 4-8.* In arduis Regni negotiis militiæ legendæ, pacis con-

concludendæ, belli indicendi &c. res cum Senatorum consensu perficitur, qui in universum, inclusis majoribus officiis, numerantur XLIV. Inter quos necessarii & inseparabiles socii Consiliorum sunt, 1. Archidapifer seu *Trocksetus*, ferè idem cum Veteri Præfecto Prætorio, cujus munus est: *Leges custodire, Præsidem summi Dicasterii Holmensis agere, Regem officii admonere*, &c. 2. Marescallus Regni, qui *dirigit militare consilium & omnem curam militiæ terrestris gerit*, cum Veteri Magistro militum comparandus. 3. Archithalassus, qui *Leges nauticas custodit*, velut Magister Dodecanisi sub Græcis & Turcis. 4. Cancellarius, qui *reditus Regni, quæque ad Fiscum pertinent*, curat, velut olim Comes Sacrarum Largitionum. Atque hi durante minorennitate Regis, quæ annô 18. terminatur, cum Regina vidua, negotia Regni tractant, & subscriptionibus suis confirmant; quanquam non illi modò, sed & omnes Senatores, in transactione Polono-Suedica, volente ita Reginâ, subscripserint. Nec omittendum, quod singulare hoc regnum habet, ut Rex non solùm in antiqua Populi privilegia, sicut alibi quoque fit, sed & in Augustanam Confessionem jurare teneatur, quam si relinquat, vi pactorum deponi potest, bonis ipsius Fisco addictis. Hinc, recentioribus aliquibus Comitiis nonnulli Ordinum summam prædictam, quam sibi Christina reservavit, sublatam voluére; quod tamen à reliquis mitigatum, summâ ad 120000. Imper. reductâ, Sprengerus *Not. Regni Sued.* Vide plura de hoc Regno, apud Stiernhelmium *Glossar.* A. Bureum *Orbis Arctoi descr.* Andr. Hildebrandum *Geneal. Regum Sued.* Joc Loccenium *Antiqq. Sueo-Goth. l.* 3. Hornium *Orb. Imp.* Alios, ut & in voce *Suecia*, it. *Suecones*. Ut de Regnatrice Familia saltem aliquid addam, hodierna Palatinæ Stirpis ramus est. Joannes enim Casimirus, tertius Joannis Senioris Ducis Bipontini filius, natus A. C. 1589. *Sueticam lineam* prosevit, cùm in Suecia Catharinam (Caroli Regis filiam) uxorem promeruisset, A. C. 1615. His nati sunt (præter filias, Christinam Magdalenam Friderico Marchioni Badensi, Mariam Euphrosynam Magno Gabrieli Comiti *de la Gardia* Regni Cancellário, & Eleonoram Catharinam Friderico Landgravio Hassiæ elocatas) Carolus Gustavus, post Christinam, Sueciæ Rex, & Adolphus Joannes. Carolo Gustavo (defuncto A. C. 1660.) genitus, ex Hedvige Eleonora Holsatica, Carolus XI. Rex, hodie feliciter imperans (A.C. 1655.) Ulricam Eleonoram, Christiani V. Daniæ R. sororem sibi faustis auspiciis haud pridem junxit. Ipse vero Gustavus Magnus, qui à tyrannide Christierni II. Daniæ Regis Regnum vindicavit, domô *de Wasa*, ex vetusta Suecorum nobilitate & antiquorum Regum sanguine ortâ, descendit: è qua familia ultimi sunt, Joannes Casimirus nuperus Poloniæ Rex, & Christina Regina Suecorum, quæ abdicatô jam pridem Regnô Romæ maximam partem commoratur. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* & *Theatro Nobilit. Europ. Tom. II.* nec non *Artis Heraldicæ Parte Spec.*

Partes Regni Suediæ seu Sueciæ, ex Auctore Anonymo præfato.

α. Gothia, quò pertinent Scania, Halandia, Blekingia, Smelingia: Item *Ostro-Gothia* & *Westro-Gothia*; quarum priores ultimâ transactione Sueo-Danicâ, à Daniæ Regno avulsæ, *Suedico* Regno accessêre. β. Sueonia; quò pertinent Sudermannia (in qua Holmia Regia) Nericia, Westmannia, Dalecarlia, Uplandia: Dein Boream versùs, Gestricia, Helsingia, Medelpadia, Bothnia, Jemptia, quæ olim Danorum erant. Vide Articulos Bremsbroënses. γ. Lapponia, quò referas Lapmarckias & Finmarckiam. δ. Finlandia, à Boreali latere Sinus Finnici, quò spectant Cajania, Thavastia, Savolaxia, Finnia, Nylandia, Carelia, Europa. ε. Ingria, è regione Finlandiæ, atque ab altero latere Sinus Finnici, ut & Esthonia.

SUEDIUS Clemens, è primipilaribus, cui cum Antonio Novello & Æmilio Pacensi Otho, summam expeditionis in Galliam Narbonens. commisit. Tacit. *Hist. l.* 1. *c.* 87. Vertranius legit *Vedius*.

SUEL, Hispaniæ Bæticæ oppid. post Cartejam & Calpen. Σῦλ *Ptolem.* ejus meminére Mela, *l.* 2. *c.* 6. Plin. *l.* 3. *c.* 1. & *Antonin.* ubi corruptè *Sivel*. Hodie *Molina*, castrum parvum regni Granatæ in ora maris Mediterr. *Sanso.* A vulpibus dici putat Bochartus, *in Chanaan*, *l.* 1. *c.* 34. quia Ebræis שועל *sual*, est *vulpes*; & ex Bætica tam vulpium, quàm mustelarum pelles peti scribunt recentiores. Sic à vulpibus nomen habet in Mæotide *Alopecia*; in Hellesponto *Alopeconnesus*. Contra Smyrnam *Alopece*, in Bœotia mons *Alopecos*; in agro Attico *Alopeca* vicus tribûs Antiochidis, ex quo Socrates oriundus; in Judæâ *Saalim*, vel *Sualim*, ut legi mavult Hieronymus, 1. Samuel. *c.* 9. *v.* 4. In Phrygia denique Ἐξουάνων, de quo Stephan. in Ἀζανοί.

SUELLIS, urbs Sardiniæ, inter Calaim 30. & Arboream 40. mill. pass.

SUELTERI, populi Galliæ Narbonens. in Provincia, inter Argenteum amnem ad Boream & Olbiam oppid. ubi hodie pars Meridionalis Diœcesis Foro-Juliensis. *Baudrand.* Valesius horum pagum hodieque *le Sterel* dici, supra Forum Julii, illosque inter Pyrenæum & Alpes Maritim. sed his propiores fuisse, scribit *Notit. Gall.*

SUENTISIUS Pagus, vide *Sugintensis*.

SUEONES, item SUEDI, SUETHI, & SUECI, populi antiquissimi, Normannorum pars ut maxima, ita potentissima; quos non viris tantùm, armisque; sed & classe & opibus valuisse jam Taciti tempore, ex eo discimus. Et Saxo Suedorum Regem nominat, cui 2500. naves fuerint. Cum Norvegis & Danis Scanziam seu Scandinaviam, sed inæqualiter divisam tenent, pars enim & optima & maxima à Suecis incolitur. Latissimum autem Sueoniæ regnum, longissimisque terrarum spatiis regnare Sueones, ait Bremensis, additque: *Sueonia regio est fertilissima, ager frugibus & melle optimus, extra quod pecorum fœtu omnibus anteferetur: opportunitas fluminum sylvarumque magna: ubique peregrinis mercibus omnis regio plena. Nullius itaque egere dicas Sueonas opibus, exceptâ, quam no sadoramus, superbiâ.* Et mox: *Populi Sueonum multi sunt, viribus & armis egregii, præterea tam in equis quam in navibus juxta optimi bellatores. Unde etiam suâ potentiâ cæteras Aquilonis gentes constringere videntur.* Magnitudinis eorum invictum argumentum est, quòd ut Norvegia, sic & Æstonia à Suedis ex situ ad Suediam comparato nomina sua accepére. Idem auctor præfatus hospitalitatem *Sueonum* tantam esse prædicat, ut certamen habeant inter se, qui dignus sit hospitem recipere: Imo lex à Carolo Rege facta legitur, ut si quis externo hospitium negâsset, ejus domus incenderetur: nec privatis tantùm, sed & regibus Ducibusque ejectis tutum semper apud illos perfugium fuit. Solertissima porro *Sueonum* inventa sunt, ad tuendam valetudinem, ad itinera per montes, nivem, glaciem facienda; ad venatus, piscatus, aucupia, quæ omnia Olaus Magnus, si non nitidè, at diligenter descripsit. Quas terras aut pugnantes peragraverint, aut victores insederint, vide apud Hug. Grotium *Hist. Suec. Goth. Wandal.* qui ibidem ex Adamo Bremensi in superstitionibus illorum, antequam fidem suscepissent, prolixus est. Hanc S. Ansgarius Monachus sub Biorno, centesimo Suecorum Rege, A. C. 816. indigenas idololatras edocuit, Lotharius dein Imperator operâ Canuti Wandal. Regis Episcopos in Dania, *Suecia*, Normannia, Gronlandia & Islandia instituit, circa A. C. 1133. Cumque seculi errores aliquandiu gens posteà sectata esset, denuo veritas ei affulgere cœpit sub Gustavo I. qui Biblia S. Suecicè transferri, & in omnia regni templa distribui curavit, portâ sic Euangelio advenienti latè apertâ. Formâ sunt insignes, robusti, agiles, bellicosi, linguarum periti, prudentes, magnifici, sed feroces nimis, inprimis, cùm Fortuna favet, quod vitium tamen dextrè dissimulare nôrunt. Regnum olim Electivum, nunc Hæreditario propius, cùm Senatores à familia Regis non recedant. Gustavus I. fil. Erici, Danos regnô pepulit, & Rex coronatus. Obiit A. C. 1560. Ex Catharina Saxonica pater Erici, Joh. & Caroli, de quibus suprà. Horum ultimus obiit A. C. 1611. pater Gustavi Adolphi Magni, in prælio Lutzensi occisi, A. C. 1633. Huic Christina filia successit, quæ sponte, post complures annos, cessit Carolo Gustavo, filio Casimiri Bipontini Ducis ex Catharina, Gustavi Adolphi sorore. Hic obiit A. C. 1660. relictô filiô Carolo XI. qui hodie feliciter regnat. Cæterùm Lutheri doctrinam Sueci amplexi sunt seculô præteritô, quam hodieque retinent. Aratri apud illos usus ignotus, integris sylvis incensis, cineribus semina inspergunt, bienniô post divite messe potiti, &c. Vide supra *in Suecia*.

SUERINUM, urbs Saxoniæ inferioris aliàs partim sub Episcopo proprio partim sub Duce proprio è familia Megapolitana. Nunc tota sub hoc, pace Monasteriensi *Suerinensis* lineæ auctor Adolfus Fridericus est filius Johannis A. C. 1592. demortui, frater Johannis Alberti, qui Gustrovianam est orsus. Hi ambo à Cæsare proscripti A. C. 1628. & Ducatus Wallenstenio concessus est: sed restituit illos Gustavus Adolphus A. C. 1631. Postmodum in Monasteriensi tractatu, ut Wismariam Suecis cederet Dux Suerinensis, Episcopatus urbis cum Razenburgio, aliquotque commendis domui in compensationem data. Moriens Dux A. C. 1658. præter filias reliquit Christianum, qui ad Latinos accessit ritus, Carolum, Joh. Georgium, Gustavum Rodolfum, Fridericum, Philippum Ludovicum & Henricum Wilhelmum. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor. in fam. Wandalica.* Sedet urbs juxta lacum cognom. 7. milliar. Germanic. à Gustrovia, altera Ducum sede in Occasum 3. à Vismaria in Meridiem. Cæterùm, Origo Episcopatui ea fuit: Mecklenburgi Episcopatus, auctore Godescalcô Obotritorum Principe cœpit A. C. 1662. Cùm verò Antistes Joannes Scotus, juxtà cum Godescalco, à Wandalis avitæ superstitionis pervicacibus, morte sublatus esset, inde *Suerinum* Henricus I. illum transtulit, quò à Slavorum injuriis Antistites aliquantò tutiores degerent. Agrô postmodum reditibusque Henricus Leo instruxit. Quem cùm seculis prioribus multi ex Mecklenburgica gente jam obivissent, hæreditariô tandem jure in istos cessit, Westphalicæ pacis constitutione, sacrâ conditione solutus (*secularisirt*) unà cum Raceburgensi, in Wismariæ redhostimentum, ut dictum. Ex ratione hujus *Principes* cluent Mecklenburgici Duces: iidem *Comites Suerini* quoque insigniuntur, ob hanc causam. *Suerinensi* agro, victô Nicolottô Buthuis filio Guncelinum *Comitis* nomine præposuit Henricus Leo, cujus posteris possessionem, aliquandiu quietam (per duo scil. secula) turbaverunt Albertus atque Joannes Mecklenburgii, cùm *Imperii Principum* honore, etiam animis, aucti, clientelæ saltem titulô eam à Comitibus haberi postularent. Quô eventu, non adeò liquet: quanquam vero propius videatur, Comites, quò claritudinem Domus obsequiô protegerent, potentioribus concessisse. Eorum familiam finiit Otto, *Rosa*, cognominatus, cujus filia Richsa seu Richardis, nupta Alberto II. Duci Mecklenburgio, Regni quoque Sueciæ honore posteà aucto, titulum (quem tamen jam antè Albertum, primum Imperii ex Mecklenburgiorum Gente Ducem usurpâsse quidam volunt) terrasque Comitatus istius in domum mariti attulit. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germ. Principum gentibus c.* 6.

SUESIA, it. *Mesia*, & *Meissagum*, paludes ingentes German. in Comitatu Mansfeldensi. Quos *Ascaniam*, *Dulcem*, & *Salsam* Latio recenti, dici putat *Ortel.*

SUESSA, Campaniæ oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Intus colonia, Capua, Aquinium, Suessa, Venafrum.* Sil. *l.* 8. *v.* 398.

—— *Detritaque bellis*
Suessa. ----- ——

Vocatur *Aurunca*, sive *Auruncorum* ad discrimen *Suessæ Pometiæ*, seu *Pometiorum*, quæ erat in Volscis. At quia illa Pometia jam inde ab Tarquinio Superbo eversa, plerumque hæc in Auruncis simpliciter ab auctoribus dicitur *Suessa*, sine cognomine. Agrum habuit mirè fertilem. Oppidani inde *Suessani*.

SUESSA, Volscorum urbs, cognomine *Pometia*. Μεσσάπολιν Οὐόλσκων appellat Strabo *l.* 5. *Dionys.* ἐπιφανεστάτην πόλιν vocat & ἡγεμόνα τοῦ ἔθνους. Liv. *l.* 2. *opulentissimam*, sed addit; *ut tum res erant.*

glutinis mutantur tenuissimi ad splendorem. Ut de usu ejus, oleique inde confecti, Medico, qui multiplex est, nihil addam. Spectaculo inprimis sunt pellucido & pretioso huic carceri inclusa: Licet enim Gedani spectare succinum, in quo rana & lacertus sepulti, jucunda oculorum admiratione; imò concavum quid in medio apparet, cum aqua fluida, quæ juxta Lunæ phases augetur & minuitur. Certum namque, animalcula, & quæ præterea clauduntur succinô, adeò perfectè servare situm membrorum, coloremque splendorem, ut modò incidisse videantur, modò cum naturalibus certare, imò superare possint, nullô sui detrimentô, utique naturalia, sed in syllabum rerum immortalium relata, supra omnem ætatem, quæ tamen omnia alia consumit &c. Quam in rem vide plura apud Plinium *d.l.* Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 31. Salmas. *ad Solin. passim*, & suprà ubi de *Ambaro*, ac *Electro*. Quia verò *Succinum* gummi pinus arboris, vel populi, Veteribus creditum est, hinc eodem cum illo nomine variæ gummium species appellatæ leguntur: inter quas B*erenice* Græcos recentiores appellâsse electrum, diximus in voce *Berenice*. Inde *succini crines*, pro *succinei*, quos in Poppæa sua carmine quôdam laudaverat Nero. Plin. *loc. cit.* *Domitius Nero in cæteris vitæ suæ portentis, capillos quoque conjugis suæ Poppææ in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine succinos appellando.* Sic ... apud *Artemidorum*, *succinum annulis*, qui ex succino. Et *succina gemma* Martiali, *l.* 4. *Epigr.* 59. *v.* 2.

> *Repsit in extillantem succina gemma feram:*

qui Poëta *succina trita*, inter odoramenta præstantissima, passim quoque commendat, *l.* 3. *Epigr.* 65. *v.* 5. *l.* 11. *Epigr.* 9. *v.* 6. &c.

SUCCOLLATOR, vide infrà *Vispa*.

SUCCOSA, quibusd. est *Saz de Sarsa*, castrum Aragoniæ. Aliis *Ainsa*, oppid. in vicinis ad Cincam fluv. Sobrarbiæ caput, 25. mill. pass. Barbastro in Boream, Pyrenæos versus totidem.

SUCCOTH-BENOTH, 2. Reg. *c.* 17. *v.* 30. nomen idoli est, quod, è populis ex Assyria in Judæam à Salmanassare translatis, Babylonii coluerunt. Talmudicis, qui illud exponunt *gallinam cum pullis suis*, in *Sanhedrin c.* 7. *fol.* 63. *b.* Bochartus verò, סכות בנות ad verbum significare ait, *filiarum*, vel *puellarum tabernacula*. Itaque cùm Babylonii leguntur fecisse *Succoth-benoth*, eos struxisse intelligi sacellum Dearum, quæ בנות *benoth*, i. e. *Puellæ*, dicebantur: uti Græcos Proserpinam κόρην, i. e. *puellam*, appellâsse, notum. Sic Amos *c.* 5. *v.* 26. סכות מלככם *tabernaculum Regis vestri*, i. e. idoli vestri sacellum. Vide eum *Hierozoici Parte poster. l.* 1. *c.* 16. Gerh. Joh. Vossius & Jo. Seldenus Mylittam seu Venerem Assyriam hôc nomine intelligentes, *puellas* corollis redimitas, ad Templum ejus, hospites opperiri solitas, & post Deam solenni formulâ invocatam, injectamque fœminæ, quæ maximè arrideret, sinui quantulamcunque pecuniam, in proximum *tabernaculum*, abduci consuevisse, neque ulli earum à Fano recedere licuisse, nisi his ritibus idolo initiata fuisset, referunt, *de Orig. Idolol. l.* 2. *c.* 22. & *de Diis Syris Synt.* 2. *c.* 7. Vide & suprà.

SUCCUBAR, colonia Tingitaniæ apud Mauros. Plin. *l.* 5. *c.* 2.

SUCCUBO, quod *Succubitanum municipium* Jul. Capitolino, *in Marco*, *c.* 1. oppid. Hispan. Bæticæ, patria proavi Antonini Philosophi: locus apud Arundam urbem. *Sierra de Ronda Merula.* Hinc *Succubitana purpura*, cujus meminit Pollio *in Claudio*, *c.* 14. Salmas. tamen mallet *Succabaritana*, ut vidimus suprà in *Succabar*.

SUCCUMBENTES, vide suprà *Excommunicatio*.

SUCCUS, in arboribus Nympharum olim sanguis, uti ipsæ, animæ velut arborum, habebantur. Servius *ad Ecl.* 9. *v.* 62. *Hamadryades cum arboribus & nascuntur & pereunt. Unde plerumque cæsa arbore sanguis emanat.* Unde apud Ovidium *Met. l.* 8. *v.* 761. ubi quercus annosissima cæditur, legimus,

> *Cujus & in trunco fecit manus impia vulnus,*
> *Haud aliter fluxit discusso cortice sanguis,*
> *Quàm solet ante aras, ingens ubi victima taurus*
> *Concidit, abruptâ cruor è cervice profundi.*

Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad Stat. Sylvar. l.* 1. *Carm.* 3. & *Thebaid. l.* 6. *v.* 95. ac 113. de *Succo* verò *tinctorio*, suprà ubi de *Cocco*, *Conchyliis*, *Purpura*: & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solinum* passim, inprimis *p.* 1282. & *seqq.*

SUCCUSANUS, pagus qui & Suburra. Vide Varronem *l.* 4. *de L. L.*

SUCHE, oppid. Æthiopicum circa sinum Adulitanum. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

SUCHEUM, urbs Sinarum in Queichea, intra montes. Item tertia provinc. Nanchinensis, in regione perferaci, intra fluv. prope lacum Tajum. Emporium celebre, cui 6. urbes minores subsunt. *M. Martinius.*

SUCHINA, urbs Quansiæ, nunc in regno Tunchini, ad radices Lengvuni montis. *Idem.*

SUCHUENSIS i. e. *quatuor aquarum*, provinc. ampla Sinarum maximè ad Occasum extensa, versus Indiam & regnum Thibet. Dividitur in duas partes à fluv. *Kiang*, pessimè bellô Tartaricô habita. Terminatur à Septentrione Xensiâ, uti ab Ortu Huquaniâ, à Meridie, Queicheâ & Junnaniâ, ab Occasu Indiâ ulteriore. Primaria Urbs *Chingtu*. Aliæ *Paoning*, *Xunking*, *Sucheu*, *Chungking*, *Queicheu*, *Lungyan* & *Mahu*, sub quibus 89. urbes minores cum 29. aliis. *Idem.*

SUCHUS, Græcè Σοῦχος, nomen Crocodili, Sacerdotibus mansueti, qui in Arsinoite Nomo Ægypti, cujus metropolis *Arsinoë*, priùs *Crocodilorum urbs* vocabatur, impensè coli olim solebat, teste Strabone *p.* 811.

SUCIDAVA, oppid. Mysiæ inferioris apud Danubium, inter Durostorum ad Meridiem 18. & Axiopolin in Cæciam 12. mill. pass. *Antonin.*

SUCRO, fluv. & oppid. Hispaniæ Tarraconensis in regno Valentiæ, & finibus Contestanorum. Fluvius *Xucar hodie*; Oritur ex eodem monte, quò Tagus, in Castella nova in limite Aragoniæ; dein Concham urbem & Alarconium rigat. Hinc auctus fluviis *Gabriel*, *Algarra*, &c. in Sinum Sucronensem se exonerat. Oppidum adhuc *Sueca*, vix 1. leuc. à Cullera. Sed paucis constat incolis. Sil. *l.* 3. *v.* 372.

> *Sedentana cohors, quam Sucro rigentibus undis,*
> *Atque altrix celsâ mittebat Sætabis arce.*

De *Sucrone* Strabo nonnulla *l.* 3. sed rigoris haud meminit, uti nec Mela *l.* 2. *c.* 6. Ubi sis Vossium vide. *Nic. Lloydius.*

SUCRONENSIS Sinus, hodie *Golfo de Valencia*, pars maris Mediterranei inter ostia Iberi ad Boream & Dianium promontor. ad Meridiem in ora regni Valentiæ.

SUCU, pomi species, in Sinensi Imperio, provinc. inprimis Xantonia, frequens. Exsiccatum ad modum ficuum in Europa, asservatur pro quacunque anni tempestate, perque totum Imperium à Mercatoribus distrahitur. Nostratibus aliquanto majus, rotundâ ferè figurâ, puniceum aut rubicundum: intra pulpam carnis ossicula habet, seu acinos planos ac rotundos, ad seminis fere molem, omnia durô occluta cortice, velut ex ligno essent. Non sunt autem in medituilio pomi, sed intra pulpam, ad superficiem cohærentia, non jacentia plana, sed verticaliter erecta, numerô quidem incerta, subinde decem, subinde quinque, pauciora plurave, pro pomi magnitudine, quod subinde quoque exossest. Cæterum caro tota rubescit, & cum pomum maturum est, ut sorba, mollescit, estque suavissimi saporis. Siccatum quasi crustam mellis aut sacchari emittit, mali aurei corticem sacchatô conditum credas. Sunt etiam quædam cortice viridi, quæ matura etiam non mollescunt, sed, veluti nostra, cultellô aut dentibus minuuntur decorticanturque in reliquis à puniceis illis non diversa. Proprius autem hic Sinarum fructus est, & nascitur in mediocri arbore, quæ vix ullâ culturâ indiget. Auctor Anonym. *Sinæ & Eur. c.* 36.

SUCULÆ, propriè sunt *parvæ sues*, quô nomine cur astrum *Hyades* dictum, indigitârint Romani, rationem dat Salmas. *Notum*, inquiens, *quam rudes fuerint prisci Romani in plerisque nominibus è Græco ducendis, vel uno exemplô id patebit: ὑάδες sunt parvæ sues, ut & ὑνάδες, parvæ oves. Hesychius ... Sidus in fronte Tauri, cujus occasu pluviæ sequuntur, ὑάδας iidem dixerunt ἀπὸ τοῦ ὕειν* (i. e. à pluendo) *Latini Suculas easdem nominavêre, quasi parvas sues.* Vide eum *ad Solin. p.* 954. ut & suprà, voce *Hyades*.

SUCZOVA, urbs Moldaviæ caput, ad amnem *Strech*, in limite Transylvaniæ 50. mill. pass. ab Iassio in Occasum.

SUDA, apud medii ævi Scriptores, pro *sudatura*, vel *sudato*, à *sudando*, Salmas. *Not. ad Spartian. Pescennium Nigrum*, *c.* 5. Item pro *sudato*, quod *sudibus* scil. conclusum est, fossâ seu vallô potius, vel sudibus, quibus vallum ipsum & castra muniebantur. Ammianus *l.* 51. *Vallo sudibus fossaque firmato.* Latini enim infimæ ætatis *sudem*, pro *sepe* dixerunt. Unde & Græcis exterioribus σοῦδα interdum fossam, interdum vallum & sudes munientes fossam, denotat, ut videre est apud Scylitzen *p.* 660. Leonem *in Tacticis* passim, Alios. In *Chron. Alexandr. p.* 906. σουδάτον occurrit, quod Latini inferiores etiam *Paratum* seu *Palatium* & *Valiatum* appellavêre. Hincque fortè Σοῦδα vocatum est Orontis fluvii ostium, apud Annam Comnenam *Alexiad. p.* 368. ubi editio Hœschelliana habet σόδα, quasi *profundioris fossæ* speciem prætulerit. Vide ad eam *Notas* Car. du Fresne, & plura de voce hac, apud Salmas. *ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 12. nec non suprà, ubi de *Muricibus*, ac *Sepe muralis*; nec non voce *Stipes*.

SUDANIA, si Arabibus fides, Romæ est avis ex ære conflata, arbori æreæ insidens, quæ, cum olivæ maturuerunt, omnes *sudanias* sibilô suo evocat. Illæ autem statim advolant undecunque locorum, singulæ cum tribus olivis, unde Romani oleum exprimunt, quantum satis est in totum annum. *Sturni speciem avem* hoc ... esse, ait Assaphius *in Mirabilibus*. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 6. *c.* 14.

SUDARIUM, linteum operimentum, apud Antiquos, capitis hominis demortui; memoratur Joh. *c.* 11. *v.* 44. ubi de Lazaro à CHRISTO resuscitato, *Tunc qui fuerat mortuus, prodiit pedes & manus vinctus fasciis, vultus autem ejus* Sudariô *erat obvinctus*. Et Joh. *c.* 20. *v.* 7. ubi de CHRISTO ipso, *Et* Sudarium, *quod fuerat super caput ejus, non cum linteis positum, sed seorsim involutum in unum locum.* E quibus locis patet, licèt *Sudarium* non omne fuerit tegmen capitis mortuorum, tegmen tamen hoc *Sudarium* dictum esse. Nam Pauli viventis *Sudarium* memorat Lucas, Actor. *c.* 19. *v.* 12. atque idcirco Proclus *Orat.* 19. quæ Pauli encomium continet, ait *Pauli Epistolas fuisse salutis retia, ..., Crucifixi tubam; plagas, universi orbis in delam; Sudaria, falces morborum.* Similiter apud Lucam *c.* 19. *v.* 20. servus piger & incurius, refert Domino suo mnam, *quam ait se habuisse in Sudario repositam.* Suetonius quoque in *Nerone*, *c.* 51. ait eum *plerunque ligatô circa collum Sudariô prodiisse*; ut alia omittam. Interim velum, quo hominis demortui caput obnubebatur, *Sudarium* appellatum esse, è *locis* supradictis apparet: Quò ipsum Neronis *Sudarium* aptè omninò referas, quô objectum eum Româ prodiisse, scribit Sueton. *c.* 48. aut qui se haberet pro conclamato, adeoque tegmen mortuale assumpserit, ut quidam volunt: Aliis potius ut in fuga lateret, illud tum ab eo adhibitum, contendentibus. Quidquid autem ejus sit, ex *c.* 20. Johann. *v.* 7. prædicto certum est, *Sudarium* à sindone, corpus totum contegente ac obvolvente, secernendum esse. Seorsim enim ibi linteamina exhibita, & seorsim *Sudarium*, quod fuerat supra caput, fuisse positum, legimus. De quo cùm Pontificii Scriptores multa scribant, M. Attilô Serranô *in Syllab. Reliq.* in Basilica Lateranensi; Quibusdam Taurini; aliis Vesontione apud Sequanos hodieque asservari, contendentibus: nihil

hil addam, nisi acquiescere nos posse, in verbis laudatis; ultra quæ Spiritus S. à suis Amanuensibus nihil consignari de hoc capitis demortui, quod nec SERVATOR noster dedignatus est, operimento, voluit. Chiffletius pro linteo alteram tantùm cadaveris partem, à capite ad pedes usque, contegente & superinducto toti antico corpori, sed tantùs ad collum religato, sumit, apud Anselm. Solerium *de Pileo c.* 17. ubi multa de hoc capitis involucro disputat, iconem simul cum Lazari, tum CHRISTI, demortuorum & sepulchrali hôc tegmine opertorum, exhibens. Verùm priorem sententiam fulcit Salmas. docens, fuisse *breve aliquod textum, quo sudorem vultus extergebant, complectendo capiti aptum. Mediæ Comœdiæ Poëtis καψιδρῶτιον· ἀπὸ τῦ καμπτειν ἱδρῶτα. An ergo similiter sudarium à sudore? --- Mœris tamen Atticista in Lexico notat, apud Hermippum, veteris Comœdiæ Poëtam, σουδάριον reperiri, eô sensu quô Σουδάριον vulgò tum in Græcia sumebatur.* Vide eum *ad Solin.* p. 1211. Cùm verò in triclinio discumbebant, habebant illud circa collum ligatum, uti *ad Neronem Suetonii* c. 51. adnotat Casaubon. ubi illum habitum discumbentium suisse docet. Sed &, uti in Circo quosdam favoris signum orariis; sic *sudarii* jactatione alios, dedisse legimus. Usque in Ecclesiis Christianorum Diaconus Lectorem orariô monebat, quando vel ad fideles vel ad catechumenos flectenda esset oratio. Sic in Judæorum Synagogis legem è pulpito recitanti aderat aliquis, qui *sudarium* motitando populo signum dabat, ut *Amen* diceret. Apud eosdem *jactatô sudariô*, qui in Prætorii foribus stabat, ubi de rei, qui ad supplicium educebatur, innocentia constitisset, executionem impediebat sententiæ latæ, uti videre est apud Cl. Suicerum voce Ο'ράριον, & Auctores illi laudatos, uti suprà passim: De *Sudario* verò, veste Sacerdotali in Ecclesia Romana quæ aliàs *Manipulus*, it. *Mappula*, Amalarium *Eccles. Offic. l.* 2. *c.* 24. iterumque Suicerum voce Αἴρ, & suprà *Abr.*

SUDATIO Assa, vide suprà *Calidarium.*

SUDATORIUM, Senecæ *in Ep.* 51. memoratum, Græcis πυριατήριον sive ὑπόκαυστον, *Lycophroni* θερμὴ λουτρῶνος ἐσχάρα, *calida balnei cavea*, dictum est, quod intrabant à laboribus vacantes & otiosi, uti Agamemnon à bello Trojano reversus, aut à morbo se recolligentes, uti legimus apud Artemidorum. Et quidem Homerus Od. λ. in mensa canit necatum Agamemnonem, quem alii non pauci sequuntur; *Lycophroni* verò in *Sudatorio* seu Balneo necatus est, cui *Æschylus* quoque & *Seneca* suffragantur. Hoc itaque, ab itinere laboribusque fessus, dum ingreditur Agamemnon, & Clytemnestra ei, officii specie, injicit exomidem, nullas manicas sed unicum foramen, quà collum exereretur, habentem, manibus ita constrictis ut resistere non posset, ab Ægysto obtruncatus est. Vide Meursium *ad loc.* & plura de hac Balnearum parte, suprà passim, ubi de *Balneis*, *Cellis balnearibus*, *Hypocausto.*

SUDATUM, Suidæ Σούδατον vide suprà *Suda*, item *Charax* & *Fossatum.*

SUDENI, *Ptol.* populi Sarmatiæ Europææ ad oram sinûs Venedici incolentes: quorum regio *Sudaw* solitudinibus sylvisque horrens; in Prussia Ducali, in peninsul. apud Regium montem. *Sansoni* sub Venedis erant, ubi nunc Palatinatus Vitebsciensis, in Lithuania. Sed priorem sententiam fulcit Georg. Agricola, ubi de Succini piscatione, *Sudini*, ait, *Insulares, ad Brustam, in triginta & plures divisi pagos, noverunt --- reticulis, tanquam pisces, extrahere, liberò usu, quamdiu libertas constitit; sed, sub imperium redacti Germanorum, inviti compelluntur ad opus, quod à majoribus ultimis in seros detrudit nepotes. Flantibus Favoniô aut Corô, insurgit mare procellosum, cum Sudini agminatim, sive de die, sive de nocte convolant, ubi littus à vento aut procellis vapulat. Viris in promtu sunt retia de pertica furcata extensa, & à mulierculis annona, cum supellectile. Sic præstolantur, donec ventus desinat, & in æstuantes undas procurrunt aquas recedentes, succinumque ex fundo protrahunt, ab ingruentibus undis propulsum: accedit herba pulegio similis, velut cognata. Sed advigilandum, ut præda referatur ante refluxum Oceani, qui tardiusculos haurit. Excutiuntur tum retia, mulierculæ mundant cum sobole, rejectaneis separatis, quidquid fuerit relatum. Tum frigidô calô maritum fovet uxor ad focum, & in lectulum componit, ut iterandæ excursioni sufficiat, ad ultimam piscationem --- Est & alia ratio piscandi succinum, cùm juxta littus fossas ducunt latas & quadratas, quarum fundum stipitibus acutis sollicitant, altissimè impactis, sed creberrimè concussis, ut succinum, si maximè illic lateat, redundet, tanquam è fonte, quod inductô reti per superficiem aquæ conducant*, apud Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 31. Soccini autem matrem Prussiam esse Ducalem, suprà vidimus.

SUDERCOPIA, oppid. Ostrogothiæ, 7. mill. pass. à Norcopia, in Eurum 15. à Stegeburgo & ab ora maris Baltici in Occidentem Vastenam versus 50. circiter; *Suderkoping.*

SUDERMANNIA, provinc. Sueciæ propriæ inter Westmaniam & Uplandiam ad Boream, mare Balticum ad Meridiem, cum titulo Ducatus. Ejus urbes sunt Nicopia, Stregnesia & Trosa.

SUDERNUM, Tuscorum urbs mediterranea. *Ptol.* hodie *Mudrno Leandro.*

SUDERTANI, populi Hetruriæ, quorum oppid. *Sovretto*, teste *Volaterrano.*

SUDES, vide suprà *Suda.* Addo hîc saltem, *Sudenam* & *Sudem*, genus quoque piscis esse, Græcis σφύραιναν & σκόλοπα dictam, à similitudine *sudis*, quæ propriè σκόλοψ Græcis. At in *Glossis* est χάραξ, i. e. φραγμὸς vel ἀπόφραγμα, *sudatum* medii ævi Latinis, à *sude* dictum; quod pro castris usurpari cœpit, quoniam illa valló & fossâ circumcingi mos est. Sed & *Sudem* in *LL.* Longobardorum legere est, pro porcorum caula, quod hodieque vocabulum Galli retinent. Vide Salmas. *ad Solin.* p. 231. & 1203. uti de *Sudibus ferreis*, ad Martyres excruciandos, adhibitis, infrà voce *Taurea*: de *Sudibus praustis*, frequenti in bello teli genere, apud gentes, quibus aut ferri usus incognitus aut copia rarior, suprà ubi de *Ligno igni durato.*

SUDETI, Σούδητα *Ptol.* montes Germaniæ inter Franconiam ad occasum & Voitlandiam ad ortum, *Wendenberg*, & *Fichtelberg.* Ex quibus 4. flumina originem trahunt, Mœnus, Egra, Sala, & Nabus. Quà Bohemiam attingunt, *Risenberg* dicuntur.

SUDIDENIS, Africæ propriæ urbs. *Ptol.*

SUDINES, vide *Sunides.*

SUDINI, vide *Sudeni* suprà.

SUDINUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

SUDOR Larium, indicium multarum ærumnarum civitati, creditus olim. Statius *Theb. l.* 4. *v.* 374.

Nuntiat excubiis vigiles arsisse Plateas,
Nam Tyrios sudasse Lares ---

Lucanus *l.* 1. *v.* 549.

---- --- Vestali raptus ab arâ
Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,

v. 556.

Indigetes flevisse Deos, urbisque laborem
Testatos sudore Lares &c. ---

Aliarum item statuarum. Florus *l.* 2. *c.* 8. *Cùm humore continuô Cumanus Apollo sudaret. Sed hic favente Asiæ suæ Numinis timorebat.* Silius Ital. *l.* 1. *v.* 97.

Tunc Magicô volitant cantu per inania manes
Exciti, vultusque in marmore sudat Elysæ.

Sic simulachrum Averni sudâsse legitur, apud Junium Philargyrum in *Georgic. Virgilii l.* 2. & in prodigiis mortem Cæsaris consecutis *Georgic. l.* 1. *v.* 480.

-- Mœstum illachrumat templis ebur, æraque sudant &c.

Plura vide apud Plutarchum & Obsequentem, *c.* 112. 113. quorum illum rationibus compingendis laborantem vide in *Coriolano.*

SUDORE uno devincere, apud Capitolinum *in Maximino*, *c.* 2. *Maximinus XVI. lixas unô sudore devicit*; locutio è media est palæstra elegans & τεχνικὴ, & significat, πρὶν ἀναπνεῦσαι, priusquam defatigaretur. *Symmachus* eadem de re, *Tunc Maximinus*, ait, *sedecim lixas tantâ felicitate prostravit, ut vincendo singulos nullam sibi requiem inter, aprabine temporum daret.* Aliàs ita Athletæ pugnabant, ut aliquantulum respirarent, quô factô πάλιν συνεπλέκοντο τοῖς αὐτοῖς ἀγωνίσμασι, *rursus inibant eadem certamina.* Philo περὶ μέθ. Unde idem *alibi* Ægyptios comparans Athletis ait, Διαπνεύσαντες ὀλίγον, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἀθληταί, *Cùm verò paullum respiràssent ab ultione, quemadmodum in certaminibus Athletæ.* Cùm verò rigidiùs certamen initur, Διαπνεῦσαι καὶ συλλέγειν δύναμιν εἰς ἑτέρας ἀγωνίας ἀρχὴν, *respirare & colligere vires ad instaurandam pugnam*, ut idem loquitur, περὶ καλλονῆς ἀρχῆς, non licebat. Quod sponte suâ apud Capitolinum Maximinus fecit, ut robur suum Severo redderet probatum &c. Vide suprà ubi de *Lucta.*

SUE, fil. Abrahæ ex Cetura. Gen. *c.* 25. *v.* 2.

SUE, fil. Jahaddai. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 49.

SUE, fil. Supha. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 36.

SUEBI, Scythiæ intra Imaum montes. *Ptol.*

SUECIA, Regnum Europæ, ita denominata à Suionibus, ac Sitionibus, qui Suevorum gentes fuerunt in Germanico Oceano sitæ, nec ineptè possunt videri ii, quos nostra ætas *Suedos* & *Suecos* vocat, aliquot saltem literis mutatis. Sueciæ regnum, immensæ illius peninsulæ Arctoæ, quem *Scandinaviam* veteres nominant, mari Glaciali Noricô & Balthicô circumfusæ, Gothiam & regiones amplissimas, latissimeque adversus orientem patentes, hôc tempore obtinens: ab occasu Norvegiâ: ad meridiem, sinu maris Balthici seu Germanici, Vistulæ & Viadri ostiis objectô, versus Boream, non procul à mari Glaciali; ad ortum, Russiæ Neugardiâ terminatur; à gradu latitudinis 55. usque ad 73. longitudinis 35. usque ad 58. extenditur. Provincias multas continet, quarum aliæ *Gothicæ* sunt, ut Ostrogothia, cujus Lincopia metropolis, Westrogothia, lacu Vetere ob Orientali sejuncta, cujus Scara, Episcopi sedes: Australis Gothia, seu Smalandia, Tuiscia, Verendia, cujus Vexio præcipuum oppidum: Moringia & insula Selandia, Smalandiæ in longitud. 18. milliar. objecta, & in totidem parochias distincta, ac arce Borgholmiâ munita. Aliæ *Norica*, seu *Suecicæ* sunt, ut Oplandia, cujus Upsalia ad Salam sita, in centro Sueciæ, sedes Archiepiscopi & scholæ publicæ, ac Stocholmia metropolis. Meridianæ Meleri ripæ, Sudermanniæ oppida, Telgo, Stringenes, Episcopi sedes, & arx Gryphisholmia adjacent: Nericiæ Orelo arx præcipua est: Occasus versùm Westmannia regio & urbes Arosia & Arboga lacui incumbunt. Inde versus occasum æstivum Dalia occidua, Eva & Solies Dalia à Slacu Solion sic denominata jacent, quæ tres provinciæ, unà cum majore parte montanarum provinciarum, sub Episcopi Harosiensis inspectione continentur. Oplandiæ, versus Boream, finitima Gestricia, inde Helcingia, post Middelpadia, ulterius Angermannia, Borea & Noria. Inde Nortbotnia in Westbotniam & Ostbotniam divisa, longô terrarum tractu diffusæ provinciæ. Tandem Boream versùs Scricfinnia, Lapponia, Biarmia; has propriè regni Suecorum provincias antiquas, plerasque sinus Botnicus ex Balthico in Boream, rectà Toroniam, & ultra circulum arcticum porrectus, à Finlandia amplissima peninsula dirimit. Dividitur Finlandia in Notiam & Boream, quibus Naragundia superior & inferior, Savolosia, Tavastia, Finnonicæ regiones latè patentes adjunctæ sunt. Inde trans Finnicum sinum Carelia, cujus Kexholma metropolis est, & meridiem versus Wotichonia, in qua Lovati fluvii Novogardiam allabentis, quem *Ny* accolæ vocant, ostium: supra

concludendæ, belli indicendi &c. res cum Senatorum consensu perficitur, qui in universum, inclusis majoribus officiis, numerantur XLIV. Inter quos necessarii & inseparabiles socii Consiliorum sunt, 1. Archidapifer seu *Trocksetus*, ferè idem cum Veteri Præfecto Prætorio, cujus munus est: *Leges custodire, Præsidem summi Dicasterii Holmensis agere, Regem officii admonere*, &c. 2. Marescallus Regni, qui *dirigit militare consilium & omnem curam militiæ terrestris gerit*, cum Veteri Magistro militum comparandus. 3. Archithalassus, qui *Leges nauticas custodit*, velut Magister Dodecanisi sub Græcis & Turcis. 4. Cancellarius, qui *reditus Regni, quæque ad Fiscum pertinent*, curat, velut olim Comes Sacrarum Largitionum. Atque hi durante minorennitate Regis, quæ annô 18. terminatur, cum Regina vidua, negotia Regni tractant, & subscriptionibus suis confirmant; quanquam non illi modò, sed & omnes Senatores, in transactione Polono-Suedica, volente ita Reginâ, subscripserint. Nec omittendum, quod singulare hoc regnum habet, ut Rex non solùm in antiqua Populi privilegia, sicut alibi quoque fit, sed & in Augustanam Confessionem jurare teneatur, quam si relinquat, vi pactorum deponi potest, bonis ipsius Fisco addictis. Hinc, recentioribus aliquibus Comitiis nonnulli Ordinum summam prædictam, quam sibi Christina reservavit, sublatam voluêre; quod tamen a reliquis mitigatum, summâ ad 120000. Imper. reductâ, Sprengerus *Not. Regni Sued.* Vide plura de hoc Regno, apud Stiernhelmium *Glossar.* A. Bureum *Orbis Arctoi descr.* Andr. Hildebrandum *Geneal. Regum Sued.* Joc Loccenium *Antiqq. Sueo-Goth. l.* 3. Hornium *Orb. Imp.* Alios, ut & in voce *Suecia*, it. *Suenes*. Ut de Regnatrice Familia saltem aliquid addam, hodierna Palatinæ Stirpis ramus est. Joannes enim Casimirus, tertius Joannis Senioris Ducis Bipontini filius, natus A. C 1589. *Suecicam lineam* prosevit, cùm in Suecia Catharinam (Caroli Regis filiam) uxorem promeruisset, A. C. 1615. His nati sunt (præter filias, Christinam Magdalenam Friderico Marchioni Badensi, Mariam Euphrosynam Magno Gabrieli Comiti *de la Gardia* Regni Cancellario, & Eleonoram Catharinam Friderico Landgravio Hassiæ elocatas) Carolus Gustavus, post Christinam, Sueciæ Rex, & Adolphus Joannes. Carolo Gustavo (defuncto A. C. 1660.) genitus, ex Hedvige Eleonora Holsatica, Carolus XI. Rex, hodie feliciter imperans (A. C. 1655.) Ulricam Eleonoram, Christiani V. Daniæ R. sororem sibi faustis auspiciis haud pridem junxit. Ipse vero Gustavus Magnus, qui à tyrannide Christierni II. Daniæ Regis Regnum vindicavit, domô *de Wasa*, ex vetusta Suecorum nobilitate & antiquorum Regum sanguine ortâ, descendit: è qua familia ultimi sunt, Joannes Casimirus nuperus Poloniæ Rex, & Christina Regina Suecorum, quæ abdicatô jam pridem Regnô Romæ maximam partem commoratur. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* & *Theatro Nobilit. Europ. Tom. II.* nec non *Artis Heraldicæ Parte Spec.*

Partes Regni Suediæ seu Sueciæ, ex Auctore Anonymo præfato.

α. Gothia, quò pertinent Scania, Halandia, Blekingia, Smelingia: Item *Ostro-Gothia* & *Westro-Gothia*; quarum priores ultimâ transactione Sueo-Danicâ, à Daniæ Regno avulsæ, *Suedico* Regno accessêre. β. Sueonia; quò pertinent Sudermannia (in qua Holmia Regia) Nericia, Westmannia, Dalecarlia, Uplandia: Dein Boream versùs, Gestricia, Helsingia, Medelpadia, Bothnia, Jemptia, quæ olim Danorum erant. Vide Articulos Bremsbroënses. γ. Lapponia, quò referas Lapmarckias & Finmarckiam. δ. Finlandia, à Boreali latere Sinus Finnici, quò spectant Cajania, Thavastia, Savolaxia, Finnia, Nylandia, Carelia, Europa. ε. Ingria, è regione Finlandiæ, atque ab altero latere Sinus Finnici, ac & Esthonia.

SUEDIUS Clemens, è primipilaribus, cui cum Antonio Novello & Æmilio Pacensi Otho, summam expeditionis in Galliam Narbonens. commisit. Tacit. *Hist. l.* 1. *c.* 87. Vertranius legit *Vedius*.

SUEL, Hispaniæ Bæticæ oppid. post Carteiam & Calpen. Σύελ *Ptolem.* ejus meminère Mela, *l.* 2. *c.* 6. Plin. *l.* 3. *c.* 1. & *Antonin.* ubi corruptè *Sivel*. Hodie *Molina*, castrum parvum regni Granatæ in ora maris Mediterr. *Sanso*. A vulpibus dici putat Bochartus, *in Chanaan, l.* 1. *c.* 34. quia Ebræis שועל *sual*, est *vulpes*; & ex Bætica tam vulpium, quàm mustelarum pelles peti scribunt recentiores. Sic à vulpibus nomen habet in Mæotide *Alopecia*; in Hellesponto *Alopeconnesus*. Contra Smyrnam *Alopece*, in Bœotia mons *Alopecos*; in agro Attico *Alopeca* vicus tribûs Antiochidis, ex quo Socrates oriundus; in Judæâ *Saalim*, vel *Sualim*, ut legi mavult Hieronymus, 1. Samuel. *c.* 9. *v.* 4. In Phrygia denique Ἐζεῶνες, de quo Stephan. in Ἀζανοί.

SUELLIS, urbs Sardiniæ, inter Calarim 30. & Arboream 40. mill. pass.

SUELTERI, populi Galliæ Narbonens. in Provincia, inter Argenteum amnem ad Boream & Olbiam oppid. ubi hodie pars Meridionalis Diœcesis Foro-Juliensis. *Baudrand.* Valesius horum pagum hodieque *le Sterel* dici, supra Forum Julii, illosque inter Pyrenæum & Alpes Maritim. sed his propiores fuisse, scribit *Notit. Gall.*

SUENTISIUS Pagus, vide *Suyintensis*.

SUEONES, item SUEDI, SUETHI, & SUECI, populi antiquissimi, Normannorum pars ut maxima, ita potentissima; quos non viris tantùm, armisque; sed & classe & opibus valuisse jam Taciti tempore, ex eo discimus. Et Saxo Suedorum Regem nominat, cui 2500. naves fuerint. Cum Norvegis & Danis Scanziam seu Scandinaviam, sed inæqualiter divisam tenent, pars enim & optima & maxima à Suecis incolitur. Latissimum autem Sueoniæ regnum, longissimisque terrarum spatiis regnare Sueones, ait Bremensis, additque: *Suevonia regio est fertilissima, ager frugibus & melle opimus, extra quod pecorum fætu omnibus anteferetur; opportunitas fluminum sylvarumque magna: ubique peregrinis mercibus omnis regio plena. Nullius itaque egere dicas Sueones opibus, exceptâ, quam non amant, superbiâ.* Et mox: *Populi Sueonum multi sunt, viribus & armis egregii, præterea tam in equis quam in navibus juxta optimi bellatores. Unde etiam suâ potentiâ ceteras Aquilonis gentes constringere videntur.* Magnitudinis eorum invictum argumentum est, quod ut Norvegia, sic & Æstonia à Suedis ex situ ad Suediam comparato nomina sua accepêre. Idem auctor præfatus hospitalitatem *Sueonum* tantam esse prædicat, ut certamen habeant inter se, qui dignus sit hospitem recipere: Imo lex à Carolo Rege facta legitur, ut si quis externo hospitium negâsset, ejus domus incenderetur: nec privatis tantùm, sed & regibus Ducibusque ejectis tutum semper apud illos perfugium fuit. Solertissima porro *Sueonum* inventa sunt, ad tuendam valetudinem, ad itinera per montes, nivem, glaciem facienda; ad venatus, piscatus, aucupia, quæ omnia Olaus Magnus, si non vidè, at diligenter descripsit. Quas terras aut pugnantes peragraverint, aut victores insederint, vide apud Hug. Grotium *Hist. Suec. Goth. Wandal.* qui ibidem ex Adamo Bremensi in superstitionibus illorum, antequam fidem suscepissent, prolixus est. Hanc S. Ansgarius Monachus sub Biorno, centesimo Suecorum Rege, A. C. 816. indigenas idololatras educuit, Lotharius dein Imperator operâ Canuti Wandal. Regis Episcopos in Dania, *Suecia*, Normannia, Gronlandia & Islandia instituit, circa A. C. 1133. Cumque seculi errores aliquandiu gens postea sectata esset, denuo veritas ei affulgere cœpit sub Gustavo I. qui Biblia S. Suecicè transferri, & in omnia regni templa distribui curavit, portâ sic Evangelio advenienti latè apertâ. Formâ sunt insignes, robusti, agiles, bellicosi, linguarum periti, prudentes, magnifici, sed feroces nimis, inprimis, cùm Fortuna favet, quod vitium tamen dextrè dissimulare nôrunt. Regnum olim Electivum, nunc Hæreditario propius, cùm Senatores a familia Regis non recedant. Gustavus I. fil. Erici, Danos regnô pepulit, & Rex coronatus. Obiit A. C. 1560. Ex Catharina Saxonica pater Erici, Joh. & Caroli, de quibus suprà. Horum ultimus obiit A. C. 1611. pater Gustavi Adolphi Magni, in prælio Lutzensi occisi, A. C. 1633. Huic Christina filia successit, quæ sponte, post complures annos, cessit Carolo Gustavo, filio Casimiri Bipontini Ducis ex Catharina, Gustavi Adolphi sorore. Hic obiit A. C. 1660. relictô filiô Carolo XI. qui hodie feliciter regnat. Cæterùm Lutheri doctrinam Sueci amplexi sunt seculô præteritô, quam hodieque retinent. Aratri apud illos usus ignotus, integris sylvis incensis, cineribus semina inspergunt, bienniô post divite messe potiti, &c. Vide supra *in Suecia*.

SUERINUM, urbs Saxoniæ inferioris altàs partim sub Episcopo proprio partim sub Duce proprio è familia Megapolitana. Nunc tota sub hoc, pace Monasteriensi *Suerinensi* lineæ auctor Adolfus Fridericus est filius Johannis A. C. 1592. demortui, frater Johannis Alberti, qui Gustrovianam est orsus. Hi ambo à Cæsare proscripti A. C. 1628. & Ducatus Wallensteinio concessus est: sed restituit illos Gustavus Adolphus A. C. 1631. Postmodum in Monasteriensi tractatu, ut Wismariam Suecis cederet Dux Suerinensis, Episcopatus urbis cum Razenburgio, aliquotque commendis domui in compensationem data. Moriens Dux A. C. 1658. præter filias reliquit Christianum, qui ad Latinos accessit ritus, Carolum, Joh. Georgium, Gustavum Rodolfum, Fridericum, Philippum Ludovicum & Henricum Wilhelmum. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor. in fam. Wandalica.* Sedet urbs juxta lacum cognom. 7. milliar. Germanic. à Gustrovia, altera Ducum sede in Occasum 3. à Vismaria in Meridiem. Cæterùm, Origo Episcopatui ea fuit; Mecklenburgi Episcopatus, auctore Godescalcô Obotritorum Principe cœpit A. C 1662. Cùm verò Antistes Joannes Scotus, juxtà cum Godescalco, à Wandalis avitæ superstitionis pervicacibus, morte sublatus esset, inde *Suerinum* Henricus I. illum transtulit, quò à Slavorum injuriis Antistites aliquantò tutiores degerent. Agrô postmodum reditibusque Henricus Leo instruxit. Quem cùm seculis prioribus multi ex Mecklenburgica gente jam obivissent, hæreditariò tandem jure in illos cessit, Westphalicæ pacis constitutione, sacrâ conditione solutus (*secularisirt*) unà cum Raceburgensi, in Wismariæ redhostimentum, ut dictum. Et ratione hujus *Principes* cluent Mecklenburgici Duces: iidem *Comites Suerini* quoque insigniuntur, ob hanc causam. *Suerinensi* agro, victô Nicolottô Buthuis filio Guncelinum *Comitis* nomine præposuit Henricus Leo, cujus posteris possessionem, aliquandiu quietam (per duo scil. secula) turbaverunt Albertus atque Joannes Mecklenburgii, cùm *Imperii Principum* honore, etiam animis, aucti, clientelæ saltem titulô eam à Comitibus haberi postularent. Quô eventu, non adeò liquet: quanquam vero propius videatur, Comites, quò claritudinem Domus obsequiô protegerent, potentioribus concessisse. Eorum familiam finiit Otto, *Rosa*, cognominatus, cujus filia Richsa seu Richardis, nupta Alberto II. Duci Mecklenburgio, Regni quoque Sueciæ honore posteà aucto, titulum (quem tamen jam ante Albertum, primum Imperii ex Mecklenburgiorum Gente Ducem usurpâsse quidam volunt) terrasque Comitatus istius in domum mariti attulit. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germ. Principum gentibus c.* 6.

SUESIA, it. *Mesia*, & *Meisiagum*, paludes ingentes German. in Comitatu Mansfeldensi. Quos *Ascaniam*, *Dulcem*, & *Salsam* Latio recenti, dici putat *Ortel.*

SUESSA, Campaniæ oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Intus coloniæ, Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum.* Sil. *l.* 8. *v.* 398.

—— *Detrisaque bellis*
Suessa. —— ——

Vocatur *Aurunca*, sive *Auruncorum* ad discrimen *Suessæ Pometiæ*, seu *Pometiorum*, quæ erat in Volscis. At quia illa Pometia jam inde ab Tarquinio Superbo eversa, plerumque hæc in Auruncis simpliciter ab auctoribus dicitur *Suessa*, sine cognomine. Agrum habuit mirè fertilem. Oppidani inde *Suessani*.

SUESSA, Volscorum urbs, cognomine *Pometia*. Μητρόπολιν Οὐόλσκων appellat Strabo *l.* 5. *Dionys.* ἐπιφανεστάτην πόλιν vocat & ἡγεμόνα τοῦ ἔθνους. Liv. *l.* 2. *opulentissimam*, sed addit; *ut tum res erant.*

SUESSANÆ Aquæ, vide *Sinuessana*.

SUESSIONES, & *Suessones* Cæsari, *l. 7. Bell. Gall. c. 75.* & *l. 1. c. 3.* *Suesiones* Strab. *l. 4.* *Vessones* Ptolem. (cui Augusta *Vessonum*, pro Suessonum) populi & urbs Galliæ Belgicæ in Campaniæ & Picardiæ confiniis, ad Axonam fluvium vulgò *Soissons*. Apud hos, quos Remi consanguineos fratresque suos dixêre, fuisse regem suâ memoriâ Divitiacum, totius Galliæ potentissimum, etiam Britanniæ imperantem, posteà Galbam, ad quem propter justitiam prudentiamque, summam totius belli deferri: oppida habere numerô 12 polliceri millia armata 50. refert Cæsar *l. 2. Comm.* Post Bellovacos, secundum inter Belgas dignitatis, virtutis & potentiæ locum illis tribuit *Strabo*. His, utpote agilitate & levitate membrorum pollentibus, *longa arma* tribuit Lucan. *l. 1. v. 423.* ut Virg. *l. 8. Æn. v. 662.* Gallis Senonibus Capitolium furtô occupare conantibus *scuta longa*, propter proceritatem eximiam. Horum tractus *Suessionensis ager* in provinc. Insulæ Franciæ, aliàs in Picardia est, à qua terminatur ad Boream uti Laudunensi, Remensi ad Ortum, Valesiâ ad Occasum & Briâ ad Meridiem. Aliis. *Laudunensis*: Gall. *le Soissonnois*, & *le Laonnois*. Continentur Valesio *Suessionum* finibus, præter pagum Suessionicum, etiam pagus Tardanensis, Vadensis ex parte, & Urcensis; 390. Parœciæ, 23. Abbatiæ, de quibus sex cum 10. Parœciis & Monasteriis Canonicorum atque Mendicantium, sunt in urbe Suessionis, ejusque suburbanis ac burgis. Caput est Suessiones seu Aug. Suessionum, *Soissons*, ampla & munita, in Præfectura insulæ Franciæ, vix 5. leuc. à confiniis Picardiæ & Campaniæ, 10. à Remis in Occasum, 7. à Novioduno in Eurum, 12. à Meldis in Boream. Regnum hîc olim, sub Regibus primæ stirpis: dein Comites habuit. Vide Plin. *l. 4. c. 17.* Cæl. *l. 2. c. 12. 13. s.* Melam *l. 3. c. 2.* Gregor. Turonens. Flodoardum, Duchesnium *antiq. urb.* Concilium A. C. 743. Item 853. præsente Carolô Calvô, 866. 941. 1078. 1092. 1120. contra Petr. Abaillardum. 1155. 1202. ob repudiatam à Phil. Augusto Ingeburgen, quam dein recepit sponte, &c. hîc habitum. De regno quod dictum, post obitum Chlodovei I. A. C. 514. divisô in 4. partes Regnô seu in 4. Regna Monarchiâ, primum *Franciæ* Regnum, cujus sedes Lutetia; secundum *Belgicæ*, cujus sedes urbs *Suessionum*; tertium Aurelianense, & quartum Austrasiæ fuit, cujus caput Mediomatricum urbs. Quibus iterum in unum coëuntibus sub Clothario, *Rege Suessionum*, qui extinctis fratribus universâ iterum Franciâ potitus est, A.C. 558. eô defunctô eadem divisio facta est: donec Clotharius II. morte fratrum iterum evaderet Monarcha Franciæ A. C. 568. qua de re vide. Georg. Hornium *Orbe Imper. cum Notis* Felleri p. 205. Hodie Comitatus hic sub proprio est Principe, è familia Sabaudica. Franciscus enim Thomas Princeps Cariniani, ex Maria Borbonia (Caroli Borbonii Comitis *Suessionum* filia, Ludovici Principis Condei nepte) genuit Emanuelem Philibertum Amadeum, Principem Cariniani, & Eugenium Mauritium Comitem *Suessionensem*; cui ex Olympia Mancini nati sunt, Thomas Ludovicus Comes *Suessionensis*, Philippus & Julius, vide Spenerum *Theatrô Nobil. Europ. Part. I.* & *Artis Herald. Part. Special.*

Suessionensis agri oppida.

Augusta Suessionum *Soissons*,	Fara *la Fere en Tardenois*.
Brennacum vel Braina ad Vidulam.	Firmitas Milonis.
	Mons Mirabilis *Montmirail*.
Castellio ad Matronam.	Nantogilum.
Castrum Theodorici.	Petræ Fons, *Pierre Fons*.
Compendium.	Velliacum ad Axonam, *Vély*.

SUESSIONUM Augusta, caput gentis primò dicta est Gallicô vocabulô *Noviodunum*. Galbæ olim apud Cæsar. regia ac sedes, Primorumque civitatis domicilium. Posteà ab Octavio Augusto nomen Latinum accepit, & *Suessionum Augusta* dici cœpit: tandem communi Gentis nomine eam designavêre scriptores, & *Suesiones*, Galli *Soissons* vocavêre. Coloniam fuisse Augusti auspiciis ac jussu deductam probabile est. Fuit Ægidii primum ac Syagrii Gallorum Regulorum, deinde & Chlodovei Francorum Regis sedes, antequam interfectô Alaricô, Vesigothisque Aquitaniâ expulsis Luteciam Regiam elegisset: posteà Chlotarius major ac Chilpericus ejus filius per annos 74. hîc sedêre. Unde & Philippus pòst, & Carolomannus ejus fil. ibi Regni insignia receperunt. Rodulphus quoque Richardi Burgundiæ Marchionis fil. apud urbem Suessionis in Monasterio S. Medardi, ubi anteà Pipinus, Rex est pro Carolo constitutus. Hinc non solùm, stante imperiô Roman. sicut in plerisque clarioribus urbibus Galliarum, sed & imperante adhuc Ludovicô Piô Palatium hîc erat, prope Monasterium S. Medardi. Ibidem tres fuêre & etiamnum sunt Ecclesiæ S. Crispini Martin. una S. Crispini Majoris, aliàs S. Crispini Magni, cui suus est Abbas suumque Capitulum: altera S. Crispini Minoris, seu Parvi; tertia SS. Martyrum Crispini & Crispiniani in Cavea, collegium Canonicor. sub Abbate: quarum postrema extra muros, hodieque *S. Crespin en Chaye*, inde fortè dicta, quòd urbs olim Amphitheatrum suum habuerit, quod *Arenam Caveamque* sæpe ab interiore parte dici solere, notum. Una ex portis *Porta Crisiæ* nuncupata legitur, in tabulario Monasterii S. Crispini in Cavea, quia ducebat ad Crisiam fluviol. quem inter & Axonam stat Augusta Suessionum, quique vicos aliquot præterlapsus, paulo infra urbem in Axonam devolvitur. Prætereà est Augusta hæc puellari Monasteriô B. Mariæ ab Ebroino Majore Domus ante annos 1000. conditô illustris ac veteri Comitivâ insignis, ante annos circiter 670. sicuti Lugdunum, civit. Lingonum, Cabillonum, Matisco, Bajocæ, Ebroicæ, Lexovii, Turoni, Cenomanni, Andicavi, Namnetæ, Veneti, Agodincum Senonum, Carnutæ, Autissiodorum, Tricassæ, Parisii, Meldi, Tullum, Verodunum, Remi plurimæque aliæ urbes Galliarum, capita veterum Comitatuum fuêre. *Notitia* quoque *Imper.* docet sub dispositione V. I. Magistri Officiorum, ex Fabricis 8. in Galliis, quartam earum *Fabricam Suessionensem scutariam, balistariam & clibanariam extitisse, &c.* Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SUESSITANI, populi Hispaniæ Tarraconensis in Vasconibus, quorum oppid. *Suestasium Ptol. Sanguesa*, teste *Floriano*, & *Job. Mariana*, in regno Navarræ, à Pompelone 6. leuc. in Ortum, Jaccam versus, ad Aragonem fluv. Legitur & *Suessetani*.

SUESSULA, quæ SUESULA *Straboni*, colonia & oppid. Campaniæ apud Clanium fluv. ægrè habitatum, à Neapoli 8. mill. pass. distans. Populi *Suessulani* Plinio, *l. 3. c. 5.*

SUESTASIUM, vide *Suessitani*.

SUESTRA, villa pagi Mosani, à præterfluente rivo sic dicta, vulgò *Susler*, aut *Susteren*: quam Pipinus & Plectrudis Wilbrordo dedisse dicuntur. Hîc celebre Canonicarum collegium, in diœcesi Leodicensi ac Ducatu Juliacensi, à Zuentibaldo Arnulfi Imperatoris filio, Lotharienstum Rege, ibidem sepulto, auctum ac locupletatum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SUETA, vel SUITA, SUITES, inclyta in terra Hus urbs est, in tribu Manasse, distans contra Aquilonem à civitate Corozaim & ostio fluvii Jordanis 4. milliar. Regio autem in qua sita est, frumenti, vini, & olei ferax est, & cœlo ditata est optimo. Hîc sepulchrum Hiobi.

SUETES, è Ducibus auxiliaribus Persæ, in bello Colchico, contra Aeëtem, occisus à Phryxi filio. Val. Flacc. *l. 6. v. 550.*

SUETONIUS C. Tranquillus, fil. Suetonii Lenis, tertiæ Legionis sub Ottone Tribuni, vixit temporibus Trajani & Hadriani, sub quo Epistolarum magister fuit, ut ex Spartiano scimus in *Hadriano*, *c. 11.* ubi & illud narrat eô excussum honore, quia familiarius egerat cum principis uxore, Sabina. Plinium Juniorem amicum habuit, qui, vide *l. 1. ep. 18. l. 5. ep. 11.* eum monet, ut editionem operis sui ampliùs haud differat: *Perfectum opus*, inquiens, *absolutumque est, nec jam splendescit limâ, sed atteritur.* Intelligit autem *vitas* 12. *Cæsarum*. Scripsit quoque *de Grammaticis illustribus*, ut & *de Rhetoribus*: cujus major pars perdita, quemadmodum & *de vita Poëtarum* liber, maxima ex parte periit. *Terentii* enim *vitam* ab ipso conditam, Donatus quoque agnovit: Idem de Horatii, Juvenalis, Lucani & Persii dicendum. Eum imitatus videtur Hieronymus, in *libr. de Scriptorib. Eccles.* Suidas quoque huic auctori tribuit tractatum *de Ludis Græcorum*: *de Spectaculis Romanorum*: *de Rep. Ciceronis*: *de Re vestiaria*: *de Injuriis*: *de Urbe Roma*, &c. Ausonius *epist.* 19. quoque meminit *tractatus de Regibus*, *libb.* 3. quem Pontius Paulinus poëmatis sui argumentum esse jussit. Vide quoque *Gellium*, *Servium*, *Tzetzen* &c. Male fil. creditur quibusdam Suetonii Paulini Consulis, cujus meminit *Tacitus*, *Plinius* & *Dion* in Xiphilino. Lips. *not. ad Tac. l. 2.* Vide Voss. *de Hist. Lat. l. 1. c. 31.* qui alibi eum vocat *emendatissimum & candidissimum, & cui familiare sit amare brevitatem.* *Illud opinor*, inquit Erasmus, *apud eruditos omnes in confesso esse, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi Suetonio, qui, ut quidam non infestiviter dixit; Prorsus eâ libertate scripsit Cæsarum vitas, quâ ipsi vixerunt.* *Nic. Lloydius.*

SUETONIUS Optatianus, seu Actacianus, sub Tacito Imperatore hujus vitam scripsit. Vopiscus, *c. 11.*

SUETONIUS Paullinus, Consul. Britanniæ legatus, scientiâ militiæ & rumore populi Corbulonis concertator. Subegit Monam insulam, ac fanaticum Britannorum agmen disjecit. Posteà partium Othonianarum Dux. Sed in Africa bellum gessit. Plin. *l. 5. c. 1.* *Primus*, inquit, *Romanorum ducum transgressus Atlantem.* Scripsit Historiam, Tac. *in Agric. c. 5. & l. 1. Hist. c. 87. 90.* Voss. *de Hist. Lat. l. 1. c. 26.* Vide & *Cajus*.

SUEVI, populi German. qui magnam illius partem tenuêre, Mechelburgiam, Pomeraniam, & Marchiam (per quam *Suevus* fluv. labitur) incolentes, sic à *Suevone* monte (Germaniam à Sarmatia separante, teste Solinô *c. 23.*) dicti. Lucan. *l. 2. v. 51.*

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput. --

Claudianus *de laud. Stilic. l. 1. v. 221.*

Ut Suevus jam rura colat, flexosque Sicambri
In falcem curvent gladios. ---

Horum regio *Suevia* Tacito *in Germ. c. 43.* & *Eutropio* dicitur, vulgò *Schwaben*, multis & claris constans urbibus (quarum magna pars sunt liberæ) olim ducatus amplissimus. In hac Danubium oritur, teste *Ferrar. Baudrando Suevi* populi fuêre Germaniæ Septentrionalis sub Vindilis, & valde extensi, sub quibus 7. nationes fuêre, teste *Brietio*, nempe Angli, Varini, Caviones, Deuringi, Endoses, Huithones, & Suardones, ubi hodie Ducatus Megapolitanus & Pomerania. Caspar Peucerus credit Suevos totam illam oram Septentrionalem tenuisse, quam nunc incolunt Cassubii, Poloni ex parte, & Pomerani universi, ad Austrinum littus maris Baltici, quod Suevicum mare ab eis denominatum, ea in parte, ubi & flumen Suevi nomine, *die Schwein*, in mare influit. Hodie autem sunt in parte australi Germaniæ, versus fontes Danubii, ubi provincia Suevia dicta. *Suevorum* cis Rhenanorum, quos cum Sugambris se dedentes, Augustus Cæsar in Galliam traduxisse atque in proximis Rheno agris collocavisse legitur, meminit Dado *in vita Eligii*, *l. 2. c. 3.* tanquam ad diœcesin Turnacensem pertinentium: qui proin Andoverpensibus proximi ac maritimi, ut & Frisones, erant. Ex hac Germaniæ Suevorum gente quidam patriô solô relictô, Alanis Vandalisque juncti, Gallias intrârunt, circa A. C. 406. variisque ibi regionibus vastatis, inde in Hispaniam transgressi, A.C. 409. Gallæciâ & Lusitaniâ occupatis, Hermericum Ducem suum, Regem creârunt, qui obiit circa A. C. 440. Ei successêre Rechila, Rechiarius, Maldras, Frumarius, Remismundus, Theodomundus, Theodemirus, Miron & Eboricus: qui cum patri suffectus esset A.C. 583. ab Andeca, qui Mironis viduam duxerat, pulsus & in cœnobium detru-

[illegible] Leovigildi, Wisigothorum Rex, captô Tyrannô, regnum hoc suo junxit, circa A.C. 585. Joh. Gironus & Isidor. *Chron.* Marianâ *Hist. Hisp.* Vide quoque B. Rhenanum *Rerum Germ. l.* 1. *tit. Suevi in Hispaniam*, cum Cl. Ottonis *Notis p.* 125. Fuit olim in Imperio Suevix seu Alemanniæ Ducatu unus ex celeberrimis & amplissimis, è qua familia Conradus III. Frider. Barbarossa, Henricus V. Philippus III. Fridericus II. Imperiali fastigiô potiti sunt. Hi duces bonam Helvetiæ quoque partem, Turgoviam imprimis, ditionem Tigurinam in potestate habuêre, usque ad Henricum VI. Triplex autem Sueviæ Ducum familia fuit, una cujus auctor Rudolfus Dux, è familia Habspurgica oriundus, quem Henricus III. Imperator Ducem Sueviæ fecit, at hic mox Anticæsar electus, contra Henricum IV. perfidiæ pœnas luit. Itaque Henricus Friderico Comiti de Hohenstaufen Ducatum concessit, cujus stirps in Conradino, Neapoli decollato desiit. Tum Rodolfus I. Imperator non Austriam solùm, sed & Sueviam sibi vindicavit, filiisque illam Alberto, hanc Rudolpho concessit, A.C. 1283. Huic successit fil. Johannes patrui cæde infamis & demum Pisis monachus: cujus extincti hæreditatem crevêre patrueles. Leopoldus enim Alberti Imperatoris fil. Sueviam tenuit & Alsatiam, ab Helvetiis aliquoties victus. Frater Alberti Sapientis qui stemma propagavit. Ex hujus posteris Maximil. I. Imperator bellum, ex *fœdere Suevico*, cujus Fridericus III. auctor fuit, cum Helvetiis gessit acre, quod post 8. prælia his secunda, A.C. 1499. Basileæ compositum, & A.C. 1511. fœdus renovatum est, quod hucusque duravit, Spener. *in Gen. fam. Austriacæ.* Strumpf. autem A.C. 1533. desiisse ait, *d. Germ. l.* 2. *c.* 39. Sacerdotes Suevici, cùm Fridericus II. Imperator à Papa excommunicatus esset, acriter Papæ obniti & in tyrannidem atque avaritiam Pontificum invehi cœperunt: publicè docentes, non esse iis id potestatis concessum, ut Christianis sacrorum usu interdicant: non desierunt proin totô hôc tempore iis, more consuetô, defungi. Idem *ibidem c.* 29.

SUEVI, alii ab illis, qui in Germania & vulgô noti sunt; habitant trans Istrum, affiti Sarmatis; quibus Vannius à Druso Rex datus, quique inter Marisum & Cusum fluvios locati. Itaque militiâ plerumque sociati cum illis. Dio in *Fragmentis*. Vide B. Rhenanum *Rer. Germ. l.* 1. tit. *Marcomanni sive Suevi & Gothones, inter Marum & Cusum fluv.* cum *Notis* Ottonis JCti *p.* 119. & tit. *Suevi in Pannoniam p.* 123.

SUEVIA, vulgò SCHWABEN incolis, *Souabe* Gallis, *Suevia* Italis, provincia Germaniæ ampla, inter Bavariam ad Ortum, Rhenum ad Occasum, quô separatur ab Alsatia, Helvetios ad Meridiem, & Franconiam ad Boream. In ea autem sunt Suevia propriè dicta versùs Danubium & Lycum fluvios, Ducatus Wirtembergensis, Sylva Nigra, & Marchionatus Badensis & Burgoviæ; ejusque urbes præcipuæ sunt Augusta Vindelicorum & Ulma. Cæterùm *Sueviæ* Ducatum hunc, qui Regnum olim fuerat, primus Clodovæus Francorum Rex instituit, eumque primò non hæreditarium. Postquam verò talis esse cœpit, per aliquot familias vagatus est. Inprimis verò inde nomen accepit, quum, post Rudolfum Suevum ex Rheinfeldiis Comitibus ortum, Fridericus Antiquus Baro hactenus Hohenstauffæ, Friderici Barbarossæ Imperatoris avus, ab Henrico IV. Imperatore in navatæ contra Rudolfum operæ præmium, frustrà repugnante istius generô Bertholdô Zæringensi, accepit. Cujus familiâ in Conradino sublatâ, Rudolfus I. Imperator eum filio cognomini, ut dictum, contulit, multis tamen partibus mutilatum, quarum plures, ad Badenses & Wirtenbergios, aliæ ad alios devenêre. Sic autem habent Conradini, ultimi ex legitimis gentis hujus Illustrissimæ masculis, progenitores. Fridericus Cocles Dux Sueviæ, ex Judita (filiâ Henrici Nigri Guelfi Ducis Bavariæ) genuit Fridericum I. Imperatorem, quô, & Beatrice Comite Burgundiæ hærede, natus Henricus VI. Imperator junxit sibi Constantiam, hæredem Siciliæ & ex ea genuit Fridericum II. Imperatorem, maritum Joles, hæredis Regni Hierosolymitani & patrem Conradi IV. Imperatoris. Hôc & Elisabethâ (filiâ Ottonis Illustris Comitis Palatini Rheni Ducis Bavariæ) genitus est Conradinus Rex utriusque Siciliæ, maritus Brigittæ (filiæ Dieterici Sapientis Marchionis Misniæ) decollatus Neapoli A.C. 1269. Vide Tob. Pfannerum *de præc. Germ. Principp. Gentibus c.* 1. & Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 3. *p.* 11. nec non *Artis Heraldicæ Parte Spec.*

Sueviæ Urbes præcipuæ:

Augusta Vindelicor. *Augsbourg.*	Lindavia, *Lindaw.*
Bada, *Baden.*	Memminga, *Memmingen.*
Burgovia, *Burgaw.*	Nerolinga, *Nordlingen.*
Campidunum, *Kempten.*	Rhenofelda, *Rhynfelden.*
Constantia, *Constance.*	Rotevilla, *Rotweil.*
Eslinga, *Esling.*	Stugardia, *Stutgard.*
Halla Suevica, *Halle en Swabe.*	Tubinga, *Tubingen.*
Haylbruna, *Haylbrun.*	Uberlinga, *Uberlingen.*
Isna, *Isne.*	Ulma, *Ulm.*

SUEVICUM Mare, idem quod *Balticum*.

SUEVO, qui SEVO Solino, *c.* 23. mons Germaniæ Carpatis pars occidua, inter Moraviam & Hungariam Trans-danubianam ad Danubium usque extensus. *Laudrando* mons Scandinaviæ, hodie *Daars Field*, inter Sueciam & Norwegiam. Vide *Sevo*.

SUEVONIA, seu SUECIA *propria* pars ampla Sueciæ, inter Lapponiam ad Boream, mare Balticum, & Sinum Bothnicum ad Ortum, Gothiam ad Meridiem, & Norvegiam ad Occasum. Ibi X. provinciæ, nempe Uplandia, Sudermannia, Nericia, Vestmannia, Gestricia, Dalecarlia, Helsingia, Medelpadia, Jempsia, & Angermannia. Caput est Holmia, totius regni caput & regia sedes, vulgô *Stockholm*.

SUEVUS, vulgò SPRE *Albamero*, Germaniæ fluv. ex montibus Bohemiæ oriens, perque Lusatiam & Marchiam fluens, mixtusque Havellæ in Albim influens. *Becanus Oderam* esse scribit: Aliter *Viaarus*, *Viader*, & *Guttalus*. *Baudrando* oritur in ipso limite Moraviæ. Dein Silesiam bifariam secans à Meridie in Septentrionem per Marchiam Brandeburgicam labitur atque per Pomeraniam, ubi in mare Balticum abit. Vide *Odera*.

SUFFENUS, ineptissimus Poëta, qui in suis operibus mirabatur se plurimum, sibique blandiebatur & arridebat. Catullus ad *Varum epigr.* 22. *v.* 18.

Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam
Quem non in aliquâ re videre Suffenum
Possis. Suus cuique attributus est error,
Sed non videmus manticæ quid in tergo est.

SUFFETES, de quibus vir Magnus *de Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 24. hæc habet. Didone fatô functâ, regium Carthaginis regimen mutatum in populare, aut verè aristocraticum. Nam summa rerum erat penes paucos judices, quibus jus vitæ & necis summum fuit in universos cives. Liv. *l.* 33. *c.* 46. *Judicum ordo Carthagine eâ tempestate dominabatur, eo maximè quòd iidem perpetui Judices erant: Res, fama, vitaque omnium in illorum potestate erat. Qui unum ejus ordinis, & omnes adversos habebat.* Hannibal verò, ut nimiam horum potentiam retunderet, & in ordinem cogeret, legem promulgavit pertulitque Præturæ suæ tempore, ut in singulos annos Judices legerentur, ne quis biennium continuum Judex esset. Hi Judices, aut qui in illis principem locum obtinebant, à Romanis scriptoribus *Suffetes* appellantur. Liv. *l.* 28. *c.* 37. *Suffetes eorum, qui summus Pœnis est magistratus.* Et *l.* 30. *c.* 7. *Senatus itaque Suffetes, quod velut consulare imperium apud eos erat, vocaverunt.* Et *l.* 34. *c.* 60. *Cùm Suffetes ad jus dicendum consedissent.* Senec. *de Tranq. c.* 3. *Non vult enim nisi consul aut prytanis, aut ceryx, aut sufes administrare Remp.* Itaque *Suffetes*, vel *Suffetes* sunt שופטים *Sophetim*, i.e. *Judices*. Ita vocantur Ebræis summi magistratus, quos Judæorum Remp. administrâsse legimus, inde à morte Josuæ usque ad reges electos. Nemo non statim agnoscet, hoc esse verisimilius, quàm quod contendit vir maximus, *Notis ad Festum*, *Suffetes* esse צפים *Sophim*, i.e. ἐφόρους, ἐπόπτας, ἐπισκόπους. Vossius tamen *Sufes* legendum mavult, quàm *Suffes*. *Nic. Lloydius.*

SUFFETULA, urbs Africæ mediterran. *Antonin.*

SUFFIBULUM, Festo Pomp. *l.* 17. *vestimentum fuit album prætextum quadrangulum oblongum, quod in capite Vestales virgines sacrificantes habebant, fibulâ comprehensum. Sub mento fibulis* comprehendi solitum fuisse, unde ei nomen, docet Pierius *Hieroglyph. l.* 40. ubi addit, *Eadem penè specie, quâ Suffibulum erat, Romanæ matronæ nunc utuntur, quum domo exeunt, pudicitiæ simul & pietatis, quæ duo in illis egregiè vigent, indicia.* Quia verò non nisi in actu sacrificandi constitutæ Vestales *Suffibulum* in capite habebant, hinc non nisi bardocucullum, poderem & supra poderem, vestem exteriorem gerens istiusmodi Virgo, repræsentatur in lucerna Galvaniana, apud Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 83.

SUFFITU excipiendi adventantes Principes olim, postmodum Episcopos, ritus, occurrit passim, apud Curtium *l.* 5. *c.* 1. Plut. *Dione*, Justinum *l.* 24. *c.* 3. Suetonium *Tiberio c.* 97. *Caligulâ c.* 13. *Galbâ c.* 18. Corippum *l.* 1. Cyrillum *Epist. ad Presbyt. Alex.* Alios, ut suprà jam vidimus. Originem moris à Deorum imaginibus, cùm transferrentur, arcessente Cicer. 5. *Verr.* quod ipsum Simia Dei ab Israëliis suffuratus est, apud quos eximius in sacris *suffimentorum* fuit usus, ut infrà dicemus, voce *Thuribulum*, item *Thymiama* &c. Vide quoque suprà *Palilia*, *Populus*. Habebatur autem id difficillimum. Unde Sacerdos Summus, inter alia, quibus præparabatur ad celebrationem Diei Expiationis, deducebatur etiam in conclave *Aphtines* seu odoramentorum, ut suffitus faciendi rationem addisceret. Fr. Burmannus *Synopsi Theol. Chr. Parte prior. l.* 4. *c.* 18. §. 17. Puerum *Suffitorem*, inter opera ex ære Lychi, memorat Plin. *l.* 34. *c.* 8. Vide quoque suprà *Incensum*, it. Odores, *Storax*, *Strobus*, *Succinum*.

SUFFLATOR, in *Ordinatione* Hospitii Ludovici IX. Franc. Regis A.C. 1261. apud Car. du Fresne, officium in Coquina Regia est, vulgò *Souffleur*. Inter opera ex ære Buthyrei Lycii, Myronis discipuli, *puerum sufflantem languidos ignes* habes apud Plin. *l.* 34. *c.* 8.

SUFFOCATIO, inter Hebræorum pœnas, vide suprà voce *Pœna*.

De SUFFOCATO Lex, indigitatur Genes. *c.* 9. *v.* 4. *Carnem cum anima sua, (i. e.) sanguine suo non comedetis*: aliquoties postmodum repetita. Uti enim in Lege *adeps* omnis, sic & *sanguis* prohibitus est, Levit. *c.* 3. *v.* 17. utpote altaribus uterque facer ad expiationem, vide suprà suô locô, ut & ubi de *Munditie* ceremoniali. Quæ Lex licèt ad ceremonias & umbras V. Testamenti pertineret, nihilominus Apostoli Conciliô Hierosolymitanô, observationem ad tempus commendârunt, ne nimiùm offenderentur Judæi zelotæ, si viderent Gentiles credentes omnes planè ritus Mosaicos negligere, sicque citra intertrimentum libertatis Christianæ illius exercitium ad tempus per charitatem temperârunt, ne cederet in scandalum proximi, vide Actor. *c.* 15. *v.* 20. Quô scandali periculô postmodum cessante inprimis dirutô jam templô & confirmatô ab omni parte Evangeliô, etiam observationis hujus necessitas sublata est, tardiùs citius, pro eo, quò erant homines, ingeniô, & majore aut minore rerum sacrarum intelligentiâ præditi. Ex qua varietate factum est, ut variis etiam modis, Conciliis Ecclesiasticis, pœnisque politicis fuerit quandoque renovata. Vide quæ Baronius Cardinalis affert adversùs Partes Concilii VI. *Annal. Tom. VIII. A. C.* 692. *sect.* 30. Item Zachariæ Pontificis hac de re sententiam *Epist. ad Bonifac. Arch. Moguntin. Tom. II. capit. Edit. Quesnel.* 2.

tum Suevis dedentes se Cæsar in Galliam traduxit, atque in proximis Rheno agris collocavit; *Gugerni* post hæc dicti, *Cluver.* Ponuntur autem Gugerni à Plinio, *l. 4. c. 17.* in extrema Belgica, ad Rhenum, inter Ubios & Batavos, gentes Germanas. Cluverius 13. mill. pass. ab oppid. Gelra distare, & ad ejusdem amnis Nerisii videl. ripas infra Gelram positum esse oppid. *Goch* tradit, Gugernorum nomen retinens. Hadr. Vales. *Notit Gall.*

SUGDÆA, urbs Bulgariæ, vide *Curopalat.*

SUGDII, montes Sogdianæ, quæ inde *Sugdias*, apud *Dion. Afrum.*

SUGENUM, urbs Quansiæ, sub rege Tunchini; satis munita. *M. Martinius.*

SUGERUS, Abbas S. Dionysii, in Gallia, præcipuus regni Minister, & Regens, sub Ludovico VII. cùm hic in Orientem profectus esset: quò reduce Sugerus ipse suppetias Orientalibus adducturus, obiit, A. C. 1152. ætat. 70. impensè laudatus à S. Bernardo, *in Epist.* Scripsit *vitam Ludovici Crassi*, in cujus aula floruit: *Epistolas*, &c. Guilielm. monachus S. Dionysii, *in ejus vita.* Moreri. *Diction. Hist.*

SUGGESTOR, officium in Ecclesia Constantinopolitana, cui curæ erat Patriarchæ sacra peragenti ceremonias & verba *suggerere*: Galli Italique *Ceremoniarum magistrum* vocant; à *Memoria* Veteribus dictus est, in *Epist.* Concilii Lugdunensis ad Gregorium X. *Hypominniscon* appellatur, ex Ὑπομιμνήσκειν. Vide hic passim.

SUGGESTUM, & *us*, an quia inde Populo *suggerebatur*, quod in rem ejus esse posset: Inde enim in Concione verba ad populum facta, modò vidimus? an quòd constaret ex *suggesta*, i. e. congesta materia? *Comæ Suggestum.* Papinius Statius memorat *l. 1. Sylv. 2. v. 114.*

------ Celsos procul aspice frontis honores
Suggestumque *comæ.*

Idem quod *Tutulus* nempe fuit: quâ voce dicebantur capilli, quos Materfamiliâs Romanæ convolutos in capite gestabant Varro *de L. L. l. 6.* Extruebant enim in altitudinem multis gradibus & spiris cumulatam comam, quod Tertullian. *de Pallio* dixit *Comam struere.* Idemque indicat Juvenalis, *Sat. 6. v. 502.*

---- Tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. ---- ----

Non ineleganter ἐπανάστασιν τριχῶν, vocavit *Lucianus*; satisque expressit Lucanus, *l. 2. v. 358. verbis hisce*,

Turritâque gerens frontem Matrona corona.

Spiras alii dixêre; unde *Spirosus Capillus* Appulejo *Metam. l. 2.* Hieronymus *ad Marcell. Qui capillis alienis verticem struunt.* Quare admodum concinnè Tertullian. *de cultu fœm. Frustra laboratis ornatæ videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis.* Imò eousque sutilium atque textilium horum capillamentorum enormitates processêre, ut *nunc in galeri modum quasi vaginam capitis & operculum verticis; nunc in cervicem retro Suggestum capillum*, dixerit Idem. Et confirmant id veteres nummi, in quibus mulierum Augustarum imagines observantur. Faustinæ inprimis atque Plotinæ, quas Lectori exhibet Casp. Bartholinus *de Inauribus Veter. c. 1.* Plura hanc in rem vide apud Hadrian. Junium *de Coma c. 7.* Jan. Parrhasium *Ep. 57.* Lævinum Torrentium *ad Suetonii Neronem c. 51.* eundem Junium, *Centur. 7. Adag. 57.* Salmas. *ad Pallium Tertull.* Ausonium Popmam *ad Varr. div. virg.* Jo. Wowerium *ad Petronium p. 451. edit Goldast.* Gonsalium Salasium *ad eundem*, Jo. Passeratium *ad Propertium l. 4. Eleg. 3.* Gerh. Joh. Voss. *Rhetor. l. 4.* Jo. Gebhardum *Juvenil. Curar. l. 1. c. 12.* Jo. Antonium Saracenum *ad Dioscoridis Parabilium l. 2. c. 93.* Gevartium *Not. ad Statium d. l.* & hic passim in vocibus *Capillus*, *Coma*, *Tutulus* &c. Ut de priore notionis voce pauca aspergam, in Æde sacra S. Spir. Ravennæ hanc epigraphen reperiri, *Suggestum hoc, in quo Pontifices Ravennates olim à Deo per Spiritum S. sub columbæ specie creati conciones habuerunt* &c. adnotat Domin. Macer. *in Hierolex.* ubi etiam *Suppedaneum celebrantis ante altare in superiori gradu positum, quod Italicè Predella dicatur*, hâc voce nonnunquam indigitari addit. At de Veter. *Suggestis* plura suprà, ubi ritum de *Ara dicendi* exponimus, item voce *Ambo*, *Cubiculum*, *Pulpitum*, &c. uti de *Suggestis pusillis* in militarium viarum lateribus, in usum equitantium, excitatis voce *Stapes.*

SUGGRUNDARUM, à *subtus gerendo*, locus dicebatur olim, ubi infantes, qui ante dentes natos, obierunt, sepeliebantur. Ita enim Fulgentius Planciades de prisco Serm. *Suggrundaria Antiqui dicebant sepulchra infantium, qui necdum 40. dies implêssent, quæ nec jam Busta dici poterant, quia ossa, quæ comburerentur, non erant, nec tanta cadaveris immanitas, quâ locus tumesceret.* Unde Rutilius Geminus *Astyanacte* ait: *Melius Suggrundarium quæreres, quam sepulchrum.* Proin de infantibus istiusmodi sic Bartholinus *l. de Puerperio Veter. Mortuis inferias non libârunt: Nec eos ante dentes natos ussêre. Quarum ideò nulla Busta, sed Suggrundaria: quorum formam expressimus, corporibus eorum in urnulis, quia is vetustior mos, impositis. Chalcidenses extra Urbem in via ad Euripum humabantur. Grandiores natu Sarcophago integris corporibus conditi in loco communi vel ante aras.* Ubi non Busto solùm, sed & Sarcophago; *Suggrundarium* opponit, in quo nempe caput solùm cum duobus ossibus decussatim compositis cernitur; ut videre est apud eundem, è forma *Suggrundarii*, quam ex Joh. Bapt. Suarezii *Antiqq. Gaditanis l. 4. c. 4.* addidit Casp. Bartholinus. Aliàs *Suggrundæ*, & *Grundæ*, in Gloss. στέγη καὶ τὸ ὑπὲρ τῆς πυλεῶνα ἐξέχον, Græcis recentioribus γεῖσον. Nempe sic vocabantur prophora illa & meniana, ex provolantibus & projectis tabulatis composita, quæ foribus adjiciebantur & super januas extruebantur, de quibus vide Salmas. *ad Spartian. in Pescennio Nigro c. 12.*

SUGILLANDI oculos moribundorum ritus, vide supra *Oculi*: aliquid etiam infra *Thapsia.*

SUGINTENSIS Pagus, cujus populi cum finitimis Turensibus, Campanensibus, & Alesatiis Childebertus ex Austria abstractos Burgundiæ adjecit, ac Theodorico minori filio, quòd is in villa fiscali Marilegio apud Alesatios nutritus fuerat, testamentô reliquit: aliàs *Suentensis*, *Sointensis*, *Suentisius*, hodie *Sungovia*, vulgò *Sungow*, aut *Sungow* dictus, provincia est cis Rhenum, in provincia Maxima Sequanorum, Alesatiæ Austrinæ contermina, & ejus velut appendix, continens Ferritensem Comitatum, &c. Quidam pagum hunc cum Brisgavia, Alesatiâ superiore, Landgraviatus titulô clarâ, contineri ajunt. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Subest Galliæ Regi, pace Monasteriensi.

SUHAM, filius Dan, Numer. *c. 26. v. 42.*

SUHIT, vide *Suetha.*

SUI, apud Ovid. *Metam. l. 15. v. 821.* ubi Jupiter ad Venerem,

Nos in bella suos fortissimus ultor habebit:

faventes sunt incepto, seu secundi. Quomodo Cicero pro *Quinctio utebatur*, inquit, *populo non suo.* Sic *meos*, *nostros*, Deos, loca tempora, itidem pro secundis; *communes*, *æquos* pro ambiguis; *alienos* pro adversis & qui malo damnoque sint, Latinis dici, notat Gronovius *Observ. l. 4. c. 17.* At *sui coloris* Plinio vocantur, quæ suum & naturalem colorem retinebant, nec alienum imbiberant, de lanis; ita Tarentinas *pulliginis suæ* idem appellat, *l. 8. c. 48.* nigræ enim lanarum sui coloris sunt retinentissimæ, nec ullum alium sitiunt colorem: ἰδιόχρωμα Græci dicunt. Sic *homo sui moris* Latinis est ἰδιότροπος, qui sui moris tenax ad alienos mores sese accommodare non potest; *homo sui negotii*, ὁ ἰδιοπράγμων qui alienis sese minimè immiscens sua solùm curat &c. Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c. 3.*

SUIBDAGERUS, Rex Norvegiæ, primus tria Regna septentrionalia in unum conjunxit, de quo vide Georg. Hornium *cum Notis* Felleti *p. 355.*

SUICERI, seu *Swizzeri*, *Volaterrano & Hugoni Grotio*, *Suicenses Joh. Vitodurano*; *Suitones* Aventin. *Annal. Boj. l. 4.* Germanis *Schweitzer*, vel *Eydgnossen*, Italis *gli Suizzeri*, vel *Suizzari*, Gall. *les Suisses*, Helvetii hodierni dicuntur. Originem nomenque habent vel à Viris, quos è Saxonia à Carolo M. pulsos in Helvetia Alpina quidam consedisse olim volunt: circa A. C. 806. ut narrat *Nauclerus* Vel potius à Suecis seu Suedis, Gothorum gente, ut *Guillimanno* placet, quorum crebri per Alpes transitus suasêre partem ibi præsidio relinquere. Hinc Garissolius. *l. 10. Adolphidos de Helvetiis*:

Arctoô gens orta satu, generosaque factis
Æquans arma patrum, geminô Suecosque Gothosque
Sanguinis attingit titulô. Nam vulnere postquam
Dejectus Tejas vitalibus exiit auris,
Eousque solo regnavit in Ausone Narses,
Italiam liquisse Getas, montesque propinquos
Insedisse ferunt: Nec pristinus obstitit armis
Incola, sed facilis Latiô jam rure remotos
Excepit, regnique favens in parte locavit.
Complexus populare genus. Constantia Famæ
Nempe refert, patriô digressos Sueonas orbe
Auspiciis Götherice tuis, faustôque Gradivô
His sedem statuisse locis, perque oppida leges
Sancivisse suas, & longos regna per annos
Firmavisse manu, sic utraque finibus istis
Crevit & æternô se fœdere nexuit Arctos,
Helvetiosque dedit mundo, nec degener ortum
Dedecorat populus, sed nomine dignus avorum est.

Et Cl. Hottingerus *Meth. leg. Histor. Helv. p. 201.* utriusque non solùm gentis, sed & quorundam Dialecti idiotismorum magnam observavit affinitatem. Sunt nihilominus, qui *Suiceros*, *Suitenses* seu Helvetios, id nominis accepisse volunt à pago Suitensi: inter quos Osvaldus Molitor, *in Paneg. Glareani*: *Suicia*, inquit, *sequitur*, *unde omnibus Confœderatis nomen.* Et Conringius de *Imper. Romano Germ. Achæorum Resp. omnibus Fœderatis nomen dedit: urbs Romana omnibus sociis, hodie Fœderati omnes Helvetii, ab uno pago Suiceri, &c.* Rationes in promptu; Namque & initium confœderationis factum est in oppido Suitensi, & hujus incolæ diutissimè cum Abbate Eremitano pugnârunt, & primi omnium Austriorum irruptioni expositi fuerunt, majorque illorum reliquis primis pagis fuit potentia, & in hac primò regione pro libertate pugnatum est: *Unde posteà*, verba sunt Guillimanni *rer. Helv. l. 2. c. 15.* Suitiorum *nomine & famâ Helvetii omnes in celebritatem abierunt, Suitzerique gens universa appellati sunt.* Plura vide in vocibus *Helvetii* & *Suitium.*

SUICERUS Joh. Casparus, Tigurinus, Theologus & Philologus insignis. Natus A. C. 1620. studiorum in patria cursu emensô, Galliam lustravit A. C. 1640. ---- 1642. ubi Salmurii Amyraldum, Capellum, Placeum: & Montalbani, Garissolium ac Carolum audiit. Inde redux & laboribus in schola Tigurina consecratus, plerosque Scriptores Ecclef. Græcos evolvit, *Thesaurô Ecclesiasticô Græcô-Latinô septem in folio tomis constante*, viginti annorum spatiô inde collectô: *Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum* prolixô satis commentatiô ex antiquitate Ecclef. illustravit. Totus nunc à tribus annis est in conscribendo *Lexico Græco-Latino*, Postquam jam ediderat *Sacrarum Observationum librum*, *Miscellanea Græco-Latina ex Chrysostomo, Basilio, Nazianzeno collecta, cum Paraphrasi Jonæ, N. T. Syllogen, cum Prosodia, &c.*

Hoc Argos, claraque habitant in pectore Athenæ,
Et quidquid Patrum conditur historiâ.

SUI.

SUICIA, vulgò SCHWITZ, oppid. universæ Helvetiæ nomen communicat. Vide *Succia*, & *Suitium*.

SUIDAS, floruit temporibus Alexii Comneni, qui imperium suscepit, A. D. 1081. Hoc de ætate scimus ex iis, quæ scribit in voce Ἀδάμ, ubi à Christo nato usque ad id tempus, effluxisse ait ann. 1018. Sanè Suidam ante annos claruisse quingentos, etiam judicium est doctissimi Casauboni. Sed poterat *Sexcentos* dixisse, ut facit Andr. Schottus, *præfat. in proverb. ex Suidæ collectan.* Etsi autem, quantum ad Lexicon, propriè historicus non est; tamen magnam partem operis sui historiis, non semper tamen optimæ fidei, farcivit: quas à se ac discipulis suis, Latinè translatas seorsim dedit *Hieronymus Wolfius*. Primus verò Latinè transtulit, atque etiam annotationibus illustravit *Robertus Grossetest*, vel *Grosthead*, i. e. *Capito*, Anglus, Episcopus Lincolniensis, qui obiit, A. D. 1253. uti testatur *Baleus*. Sed omnium facilè industriam vicit *Æmilius Portus*, Francisci fil. qui Græcum textum cum MSS. contulit, multisque locis emendavit, obscura item explicuit, integrum quoque Latinè transtulit. Adhuc tamen locis penè infinitis medicas requirit manus. Videri verò possit Suidas etiam alia in literas retulisse. Sanè Σωΐδας ἐν Θεσσαλικοῖς adducitur ab Apollonii Scholiaste *in l. 1. Ἀργοναυτ.* Et *eôpse libro* legas, Σωΐδας καὶ Ἀριστοτέλης, οἱ περὶ Εὐβοίας πραγματευσάμενοι. Imò Suidam ἐν Θεσσαλογίαις citat Stephanus, in Ἄμυρος. Sed cùm Suidas ipse meminerit Hermolai, qui Stephani epitomen fecit: omnino alius iste Suidas fuerit. Videlicet duo minimum fuêre Suidæ. Unus ipso Strabone antiquior, de quo sic scriptor ille *l. 7.* Σουΐδας δὲ τοῖς Θετταλοῖς μυθώδεις λόγους προσχαριζόμενος, *&c.* Atque hujus etiam, tum libri Θετταλογιῶν, tum de Eubœâ, fuerint, quos Stephanus à Suidâ exaratos esse testatur. Alter Suidas, Lexici author, junior esse non potest Joanne Zimisce. Siquidem voce Ἀδάμ ab origine mundi exorsus temporum seriem usque ad Zimiscem perducit. Is autem imperare cœpit, A. D. 870. Et profectò, si multo pòst vixisset, credo, ulterius tempora perduxisset. Siqua recentius seculum indicare videntur, ea fortassis addiderint juniores. Vel hoc verum est; vel locum, quem dixi, transcripserit ex aliquo, qui Zimiscis tempore vixerit. Nam is mos Suidæ, ad verbum priores exscribere, neque mentione eos dignari. Nescio autem, quid in mentem venerit doctissimo Angelo Politiano, ut *epist. ad Bern. Ricium*, quæ legitur *l. 11.* dubitaret, an ullus unquam Suidas fuerit. Quam sententiam, quæ diximus, satis refellunt: Voss. *Erat Suidas non admodùm vetustus Grammaticus, nullius judicii, doctrinæ autem mediocris.* Vide hunc *de Hist. Græc. l. 2. c. 26. &c.* Ita Montacutius *Exercit. 7. Sect. 1. E Scholiis Aristophanis, ut & ex aliis Grammaticorum promptuariis in acervum suum infulta congessit.* Ita Des. Heraldus *ad Arnob. l. 3.* Denique Casaubon. *not. ad Diog. Laert.* *Nihil facilius fuerit, quam eum auctorem infinitis quibus scatet mendis liberare: quod tamen miror nequivisse videre virum eruditum ejus interpretem, cui, quum Suidas sæpissimè integras Laertii paginas describat, nunquam potuit hoc subolere: quod sanè miror.*

. SUIDNICIUM, Silesiæ oppid. bellô Germanicô varias subiit mutationum vices. Hic Fridericus Elector Saxoniæ tertiâ vice memorabile somnium habuit, de Monacho, qui Sanctis comitatus ad illum veniens, impetraverit veniam ostio Academico Wittebergæ quædam inscribendi: Scripsisse autem literis tam insignibus, ut Suidniciæ quoque scriptura legi posset; finem dein calami Romam usque se extendisse, & utramque Leonis X. aurem penetrâsse: sumptam verò fuisse pennam ex ala anseris Bohemici. A. C. 1517. pridie ejus diei, quâ Lutherus contra Tecelium *Theses* defendit. *Latus.* *Suidnicius* Principatus, unus ex 16. Silesiæ, ut habet *Cluverius*, obtigit in divisione hæreditatis paternæ, Boleslao seu Bulconi, Boleslai Sævi filio, Henrici, cui Lignicius obtigerat, fratri, A. C. 1278. Hic Brigam, & alia in sua ditione, munivit. Wenceslaum Bohemiæ Regem qui eum adoriri volebat, terruit, primus in Silesia juris feudalis German. & tributorum auctor: extinctus est A. C. 1301. Ejus filii Bernardus *Suidniciæ*, Boleslaus verò Monsterbergicæ lineæ, satores fuêre. Quorum ille Bohemis se strenuè opposuit, & cùm reliqui A. C. 1327. ipsis jurâssent, solus Polonis adhæsit. Mortuus A. C. 1347. Pater fuit ex sorore Vladislai Lochici Boleslai atque Henrici, qui cùm Patrem imitati Bohemiæ obsequium detrectarent, Boleslaus A. C. 1345. Suidniciæ à Johanne Rege obsessus, eum depulit, Landshutâ recuperatâ. Nec tamen cessavit eum Carolus IV. vexare, donec Boleslaus ei neptem ex fratre Annam, cumque ea Ducatuum successionem A. C. 1353. polliceretur. Ita extinctô sine prole Principe Carolus IV. principatus crevit, sub quo Silesia reflorescere & magis Germanico mori assuefieri incepit. De Boleslao Bernardi fratre, vide in voce *Monsterbergium*.

SUILIUS Cæsonius, libidinum Messalinæ particeps; patefactis ejus flagitiis protectus est vitiis, tanquam in illo fœdissimo cœtu muliebria passus. Tacit. *l. 11. Annal. c. 36.*

SUILIUS, prænomine *Publius*, Germanici Germanicô bellô Quæstor; Claudiô imperitante accusator terribilis ac venalis. Ejus opprimendi gratiâ repetitum SC. pœnaque Cinciæ legis adversus eos, qui preciô causas orâvissent: Eidem omnis Claudii sævitia objecta. Quare ademptâ bonorum parte in insulas Baleares pulsus est. Tacit. *l. 14. Annal. c. 42.* &c.

SUILIUS Servilianus, vide *Taurus*.

SUINBURGUM, oppid. amplum Fioniæ, in ejus parte Meridionali contra Tassingam Insul. 5. leuc. Danic. ab Ottonia in Austrum, 8. ab Haderslebia in Ortum cum portu utcunque capaci.

SUINFURTUM, oppid. Imperiale in umbilico Franciæ Orientalis à Suevorum trajectu, cùm sub Tiberio Imperatore in Rhætiam transierunt, quasi *Schwabenfurt* dictum. Olim sub Marchionibus, quorum primus Bertholdus Hennebergensis Comes ab Ottone III. Marchio creatus est: post cujus obitum civitas ad Ottonem, qui Marchio seu Burggravius *de Suinfurt* appellatus est, pervenit, reversa exin ad Hennebergenses. Posteà Würceburgensis Præsul Hennebergensem Comitem eo compulit, ut jus in civitatem ex parte sibi cederet, A. C. 1254. Alii referunt, A. C. 1300. ab Alberto Imperatore arcem cum Civitate, & A. C. 1310. ab Henrico VII. Imperatore, Berchtoldo Comiti Hennebergico eam oppignoratam esse: Civitatem autem posteà seipsam redemisse, sicque Imperio rursus accessisse. Bicipitis aquilæ gaudet insignibus. Plura vide apud Limnæum Enucl. *l. 4. c. 54.* & Cl. Ottonem JCtum *Notis ad B. Rhenanum Rer. Germ. l. 3. p. 430.*

SUINTILUS, vel A, vel Chintillanus, seu Senzila, ut Fredegario dicitur, Rex Wisigothorum in Hispan. XXV. coronam Recaredo II. fratri eripuit, A. 621. Richemarô consorte regni factô. Ingeniô & animi magnitudine inclytus, Romanos totâ Hispaniâ exuit, hinc *Rex* illius *primus* dictus: imò & *pater pauperum*. Dejectus à Sisenando, cui Chintilla, ac mox Tulga successit, Obiit A. 631. regni 10. Isidorus *in Chron.* Mariana *Hist. Hisp.* Rodericus Toletan. *in Chron.* Successit Sisenandus.

SUINUM, Piceni fluv. ultra Truentum in Aprutio ulteriore Angolum urbem alluens, ac inter Vomanum ad occasum, & Aternum ad ortum in mare decurrens. *Sino* ex *tabul. recent*: aliis *Salino* vel *Salinello* dicitur. *Baudrando* ortus ex Apennino monte, Civitatulam rigat, & paulo infra Juliam novam, in mare Adriaticum se exonerat. 7. milliar. ab ostio Truenti in Meridiem.

SUIONES, populi Germaniæ in ora maris Baltici in Pomerania, inter Lemovios & Rugios. *Willichius* Suedos interpretatur.

SUIRIUS, vulgò SEWER, fluv. Hiberniæ, in Momonia. Oritur in limite Lageniæ, in Comitatu Triperariensi, ubi Cassiliam & Carricum rigat; dein paulo infra Vaterfordiam Byrgo mixtus, cum ipso in mare Hibernicum cadit.

SUIS tricemparæ simulachrum memoratur Varroni *de R. R. l. 2. c. 4.* *Illud antiquissimum fuisse scribitur, quod sus Æneæ Lavinii triginta porcos peperit albos, itaque quod portenderit factum, triginta annis, ut Lavinienses conderent oppidum Albam. Hujus suis, ac porcorum, etiam nunc vestigia apparent. Namque simulachra eorum ænea etiam nunc in publico posita, & corpus matris à Sacerdotibus, quòd in salsura fuerit, demonstratur.* Vide Jo. Meursium *Comment. ad Lycophronem*, & Interpretes Maronianos.

SUISSATIUM, vide *Suessasium*.

SUITETUS Rogerius, vide *Rogerius*.

SUITHA, vide *Surta*, & *Capitolias*. Ibi regio Trachonitis incipit, Hermon & regnum Basan versus.

SUITIUM, seu SUITIA, vicus amplus Helvetiorum in Turgovia, ad Mutam amnem, 2. mill. pass. à lacu Lucerino & 18. à Lucerna in ortum, Glaronam versus totidem. Caput Pagi cognominis unius ex XIII. qui vicorum congeries est, sicut Uria, interclusa montibus, longè tamen, quàm Uria, situs amœnioris faciliorisque aditus, & extenditur inter Lacum Tigurinum ad Boream & Lucerinum ad Austrum, interque Pagum Glaron. ad Ortum, & Tugiensem ad Occasum. Gentem non minus ac Urienses, è Tauriscis oriundam dicit Guillim. *l. 3. c. 2.* sed posteà Cimbrorum i. e. Suecorum reliquias illa insedisse loca. Horum ducem, ex tribus unum, *Suiterum* nominat Stumpfius, *l. 6. de Turgovia c. 28.* unde genti nomen. Alii *Suitios* à Suitonibus, Aquilonari Sueviæ, gente secundùm Tacitum, *Germ. c. 44.* vel à Suessiis, Germaniæ populis juxta *Martianum*, appellatos malunt. Iis unà cum Uriis, Underwaldiis & Haselensibus Ludovicus Pius, rogatu Pontificis Romani propter fidelem fortemque operam bellô Saraceniô urbi Romæ, circa A. C. 829. navatam, αὐτονομίαν multasque alias immunitates: Pontifex quoque insignia, quibus hodieque utuntur, in rei præclarè gestæ monimentum concessit. Bis enim, duce Guidone quôdam Marchione Italicô, in Italiam transgressi, non solùm conciderant magnam Saracenorum partem, verùm & prædam ingentem, quâ potiti erant, D. Petri templo, quod ab hostibus spoliatum fuerat, magnô animô, donârant. Confirmârunt dein concessas immunitates, novâque accessione auctiores reddiderunt Fridericus II. Imperator in obsidione Faventiæ, A. C. 1240. Rudolfus A. C. 1291. & Henricus II. A. C. 1309. Ad libertatem itaque tuendam, cùm ei plurimi insidiarentur, primum cum Uriis & Tigurinis fœdus ineuntes in triennium, A. C. 1251. posteà interregni tempore rebus in Imperio turbatis, tres pagi, circa A. C. 1260. Rodolfum Habsburgicum, qui posteà Imperator factus est, ad defendendam armis, si opus esset, libertatem numeratô annuô stipendiô, ducem sibi ascivêre: cujus, aliis bellis occupati, auctoritate cùm Nobilitatis insolentia compesci non posset, Nobiles qui injustam vim aliis intulerant, regione ejecerunt, quô bellô pagi omnes suarum regionum aditus primùm munire cœperunt: & *Suitii* quidem in monte Sella, vulgò *Sattel*, turrim extruxêre, viamque publicam vallô & fossâ munivêre. Rodolfus dein Imperator, nomine Imperii, pagis Præfectos dedit, qui quotannis semel atque iterum evocati, illuc juris dicendi causâ profecti sunt: libertate interim pagorum illæsâ, unde idem Imperator literis datis Badæ A. C. 1291. disertè *liberæ conditionis homines Suitios* vocat. Verùm filius Rodolfi Albertus, novum in Helvetiis principatum molitus, postquàm plurimorum Cœnobiorum Advocatias in se traxisset, Comitesque & Barones in Helvetia plurimos, ut se in clientelam familiæ Austriacæ traderent, sollicitâsset, idem Suitios postulavit, omnia secunda pollicitus. Quod cùm hi à Wernhero Comite Homburgico præmoniti, re cum Uriis & Underwaldiis deliberatâ, renuissent, offensus Imperator, Præfectos misit, qui arces extruerent, & intolerandis imperiis patientiam populorum tentarent. Factum utrumque, & sævit aliquandiu apud Suitios & Urios Grisleri, sicut apud Underwaldios Landebergii, tyrannis. Interim fœdere decennali Suitii cum Comite Homburgico factô, graviùs offendêre Imperatorem, unde ira implacabilis, & sævitia Præfecti indies major, donec ex Suitiis Wernherus Stouffacherus, vir nobilis & magnæ auctoritatis, minacibus Grisleri contumeliis plus satis exagitatus, hortante uxore magni animi fœminâ, ad patriam ab intolerando hoc jugo liberandam

dam animum applicuit, & cum Walthero Furstio Urio, ac Arnoldo Underwaldio reliquis duobus fœderis Helvetii Principibus, jurejurando se ad tam ingens opus adstrinxit. Sic Kal. Jan. A. C. 1308. arcibus feliciter eversis pulsisque Tyrannis, iterum regionibus Libertatis sidus affulsit, quô hodieque cum reliquis *Suitii*, quintô inter Cantones locô, per Dei gratiam fruuntur, tantumque fortitudine suâ, & quia in illorum finibus primò pro libertate pugnatum, meruêre, ut omnes hinc Helvetii *Suiceri* vel *Suitenses*, (vide supra,) dicantur. Latinos autem sequuntur ritus, & eôdem ferè modô, quô Uranii, Remp. suam administrant. Regio illorum in partes 6. quas *Quartas* vocant, divisa est: è quarum unaquaque præcipuus Senator & præterea Ammanus VII. Virorum & arcanum dictum consilium constituunt. Emtionis jure sibi à Comite Eberhardo Habspurgico comparârunt varios vicos, A. C. 1309. ut, *Ardt*, Cussenacum *Kussnach*, &c. Cum Glaronensibus Uzenacum & Castra Rhætica: cum Uriis & Underwaldiis, cum quibus, debellatis Morgatensi prælio Austriacis, æternum inière fœdus A. C. 1315. Bilitionum, Vallem Bruniam & Rivieram: cum reliquis 6. pagis veter. Turgovienses & Rheguscos, Liberas Provinc. Sarunegaunenses: cum 7. pagis Aquensem Comitatum, cum omnibus Præfecturas Transalpinas communi jure possident. Fœdere præterea Abbati Sangallensi, ab A. C. 1311. & oppido Sangallo ab A. C. 1454. juncti sunt. Ipsi quatuor olim habuêre præfecturas Marchiam, Regionem ad Eremitanæ Virginis Fanum, Cussenacum & viculos ad lacum Tigurinum, qui villarum nomen habent, *die dinghof*, sed duæ priores jure quasi municipali donatæ sunt, ac è suo numero Magistratus eligunt: mittunt tamen quotannis ad conventum totius populi Suitensis pro more legatos, sibi jus eligendi Magistratus de novo petentes. Mittunt quoque Suitenses singulis annis ad festum Glaronensium Legatum, propterea, quòd triginta illorum commissô ad vicum Navalium præliô, cujus memoria eâ festivitate recolitur, interfuerunt. Vide Stumphium, Simlerum *de Rep. Helvet.* Joh Bapt. Plantinum *Helvet. Nov. Antiq.* &c. Glareanus *in Panegyr. Helvetiæ.*

Suitia bellipotens, in magnis inclyta rebus,
Et bellô & pace immensos perpessa labores.
Semper in Alpinis totô ævô exercita lustris
Figit apros, certatque ursis cursuque volanti
Prævertit damas, cogitque in retia cervos:
Ocia nulla sciunt juvenes, nulla ocia adulti;
Scandere ni montes, & durô vincere cæstu
Ocia quis dicat. Studium hoc ô Gothica nobis
Terra dabas, quando Italicis te sustulit oris,
Horrendasque tulit dux Byzantinus in Alpeis.
Post quoque difficiles omnino exosa tyrannos,
Arma secuta modis Uri Guilielmia miris.

SUKO-BADUR, Princeps Mogolum, pater Schinguis-Khani, vide supra.

SULCARDUS Westmonasteriensis, floruit sub Guilielmo Conquestore, Monachus Cluniacensis, scripsit *Chronicon*, *Homilias*, *epistolas*, *alia*. Obiit A.C. 1070. Pitseus, *de illustrib. Angl. Scriptorib.*

SULCERUS Simon, Theologus Basiliensis, & Ecclesiæ ibidem, post Oswaldum Myconium, per ann. 33. Pastor, obiit A. C. 1585. ætat. 77. Ei in S. ministerio successit Joh. Jacobus Grynæus, Buchole. *Ind. Chronol.*

Voce gregem pavi, dextrâ solatus egenos;
Post funus vivit Fama benigna meum.

SULCHI, Sardiniæ urbs notissima. Strabo *l.* 5. ubi de Sardinia: Πόλεις δ᾽ εἰσὶ μὲν πλείους, ἀξιόλογοι δὲ Κάραλις, καὶ Σοῦλχοι. Pomponius *l.* 2. *c.* 7. *Sardiniæ urbium antiquissimæ Caralis & Sulchi.* Pausan. *in Phocicis*: Ὤκισαν δ᾽ ἐν τῇ νήσῳ καὶ αὐτοὶ πόλεις οἱ Καρχηδόνιοι Κάραλίν τε καὶ Σοῦλχους. Claudian. *de bello Gildonico*, *v.* 518.

Pars adit antiquâ ductos Carthagine Sulchos.

Stephanus: Σοῦλχοι, πόλις ἐν Σαρδοῖ, Καρχηδονίων κτίσμα. Inde *Sulcitana* Insul. *Isola di S. Antiocho.* Populi *Sulcitani* Plinio, *l.* 3. *c.* 7. & Hittio, *de Bello Afric.* *c.* 98. Σολκιτανοὶ *Ptolemæo*, qui eos etiam μεσημβρινωτάτους, h. e. *maximè Australes* vocat. *Sulchis* autem inquit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 31. nomen fecit Syrum צולקא vel סולקא *sulka*, i. e. *exustio*, quia cùm urbs sit in insulæ parte maximè Australi, Noto plane est exposita, à quo Sardinia valde infestatur. Pausanias *ubi supra*: Ὁ δὲ ἀὴρ ὁ ἐν τῇ νήσῳ θολερός τε ἐς ἀνθρώπους ἐστὶ καὶ νοσώδης, &c. Claudian. ibid. *v.* 514.

—— Hinc pestifer aër
Sævit & exclusis regnant Aquilonibus Austri.

Nic. Lloydius.

SULCI & Fossæ, limites agrorum passim appellantur: in agris enim metandis limites, qui viæ veluti fuêre, *sulcis* agebant Romani; quomodo & viarum in urbibus sectionem delineâsse videntur, cùm & urbis condendæ ambitum aratrô circumduxerint, & vestigia murorum sulcô impresserint: quæ vel polentâ sparsâ, vel cretâ designâsse Græcos legimus. Aliàs quid *sulcus* propriè, notum, lacuna videl. vel stria vomere agris impressa, inter quas pars eminens & conspicua, *lira* & *porca* dicta, sedem siccam seminibus præbebat, aquâ per sulcos delabente, qua de re, ad prisci moris illustrationem, pluribus agit Salmas. *ad Solin.* *p.* 726. & *seqq.* In *indiculo* Paganiarum & Superstitionum *c.* 25. *Sulci circa villas*, superstitionis species est, apud Car. du Fresne *Glossar.* Impropriè *sulcare*, de avibus, navibusque dicitur: unde *Sulcator*, pro nauta, apud Statium *Theb.* *l.* 8. *v.* 18.

Umbriferaque fremit sulcator *pallidus undæ.*

Et *l.* 11. *v.* 588.

—— Qualis si puppe relictâ
Exosus manes nigri sulcator *Averni*
Exeat ad Superos ——

de Charonte, vide Gasp. Barthium *Animadv. ad loc.* Apud Auctorem *Chron.* Trudonensis *l.* 8. *sulcare*, est *sulcos* in pergameno ducere, Gall. *regler le parchemin*, quo de vide aliquid suprà, in voce *Prædatiat.* it. *Linea.*

SULCITANI, vide *Solci.*

SULCITANUS Sinus, *Golfo di Palma*, pars maris Sardoi, in ora Australi Sardiniæ, Africæ obversa, prope Sulcis rudera & Enosim Insul.

SULECHATUS Dionysius, vide *Dionysius.*

SULGA, seu SULGAS, fluv. parvus Comitatus Vindaxini, in Rhodanum cadens, supra Avenionem, *la Sorgue. Baudrand.* Oritur ex magno fonte, Petrarchæ carminibus tantopere celebrato, *fontaine de VauCluse*, à proximo oppid. quod alluit: dein Caprarias attingit *Cabrires*, Insulam *l'Isle*, locum à situ denominatum & in Insul. Sulgæ positum, Pontem Sulgæ, Portum Tralliæ *Port de Traille*: ac demum Rhodano miscetur: ad quos confluentes, circa urbem Vindalum, cui destructæ jam Portus Tralliæ successit, Allobroges à Cn. Ænobarbo victi sunt, Florus in *Liv.* *l.* 61. *epit.* Hadr. Vales. *Not. Gall.*

SULLA, Claudii, per nuptias Antoniæ, gener. Tacit. *l.* 13. *Annal.* *c.* 23. quem Nero suspectabat maximè, secors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque & simulatorem interpretando. Quare fraude *Grapti*, insidiarum in ponte Milvio structarum Neroni, accusatus & quasi convictus esset, Massiliam relegatus est. *c.* 48. *Ibid.* Ubi instinctu Tigellini pervectis percussoribus jussu Neronis interfectus est P. Mariô, L. Asiniô Consulib. *Ibid.* *l.* 14. *c.* 57.

SULLA, Mathematicus fuit, qui Calligulæ consulenti de genitura sua certissimam necem appropinquare affirmavit. Vide *Sylla.*

SULLIACUM seu SULLIUM, oppid. provinc. Aurelianensis, ad Ligerim cum arce magnifica, & titulo Ducatus, 8. leuc. supra Aurelias in Ortum, in ipso limite provinc. Bituricensis.

SULLIUS Mauritius, vide *Mauritius.*

SULLONIACÆ seu SULLOMACÆ, *Antonin.* *Camdeno* est locus, in agro Herfordiensi, juxta *Ellestre* pagum & *Brockley-hill* collem, non multum *Edgeworth* distante in Middlesexia.

SULLUCUM, Numidiæ Urbs. *Antonin.*

SULLUS, vide suprà *Porcus marinus.*

SULMO, seu SULMONA & SOLMONA, oppid. Pelignorum in 4. regione Italiæ, nonagesimô ab urbe distans lapide; Ovidii poëtæ patria, ut ipse testatur *l.* 4. *Trist.* *El.* 10. *v.* 3. Græcè apud *Ptol.* scribitur Σούλμων. Quod Latinô formatum ore *Sulmo.* At apud Strab. *l.* 5. accusativus casus legitur Σοῦλμον, corruptè forsan pro Σούλμωνα, à recto casu Σούλμων. Quippe Latinis auctoribus pariter omnibus constanter dicitur *Sulmo*, *Sulmonis.* *Baudrando* urbecula est Episcopalis Aprutii citerioris, 26. mill. pass. ab Aquila in Eurum, 30. à Venafro in Boream, cum titulo Principatus gentis Borghesiæ. Unde Cæsari *belli Civ.* *l.* 1. *c.* 18. & Plinio *l.* 3. *c.* 12. itemque Juvenali *Sat.* 6. *v.* 187. oppidani *Sulmonenses.* Ovid. *Pont.* *l.* 4. *El.* 14. *v.* 49.

Gens mea Peligni, regioque domestica Sulmo.

Aquis, iisque frigidis abundabat. Ovid. *Fast.* *l.* 4. *v.* 685.

Hâc ego Pelignos, natalia rura petebam;
Parva, sed assiduis humida semper aquis.

Idem, *l.* 2. *Amor.* *El.* 16. *v.* 1.

Me pars Sulmo tenet Peligni tertia ruris;
Parva, sed irriguis ora salubris aquis.

Et *Trist.* *l.* 4. *El.* 10. *v.* 3.

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis
Millia qui novies distat ab urbe decem.

Silius *Ital.* *l.* 8. *v.* 510.

—— Conjungitur acer
Pelignus; gelidôque rapit Sulmone cohortes.

Sulmonensis puella, pro rustica puella apud Juvenalem, *Sat.* 6. *v.* 187.

De Sulmonensi mera Cecropis. ——

Porro idem Ovidius *Fast.* *l.* 4. *v.* 77. à *Solymo* Phryge *Sulmonem* conditum, denominatumque fabulosè fingit,

Serus ab Iliacis, & post Antenora, flammis
Attulit Æneas in loca nostra Deos.
Hujus erat Solymus Phrygiâ comes unus ab Idâ:
A quo Sulmonis mœnia nomen habent:
Sulmonis gelidi, patriæ, Germanice, nostræ,
Me miserum, Scythico quàm procul illa solo est!

Silius Ital. *l.* 9. *v.* 67.

Xantippo captus, Libycis toleraret in oris
Servitium Satricus. Mox inter præmia regi
Autololum donô datus ob virtutis honorem.
Huic domus, & gemini fuerant Sulmone relicti
Matris in uberibus nati, Mancinus, & unâ
Nomine Rhætio Solymus: nam Dardana origo
Et Phrygio genus à proavo: qui sceptra secutus
Æneæ, claram muris fundaverat urbem,
Ex sese dictam Solymon, celebrata colonis
Mox Italis paulatim attrito nomine SULMO.

Verùm hanc fabulam, ex nuda vocabulorum similitudine confictam Virgilius etiam risisset: qui omnes Æneæ comites in unum confert Latium. Nisi fortè eorum heic amplectenda sit auctoritas,

qui ut habet Dio Chrysostomus *in oratione de Ilio non capto*, totius Italiæ Æneam fecêre Dominum. De cætero miserandam hujus oppidi calamitatem, quam bellô civili inter Marium & Syllam perpessum est, narrat Florus *l. 3. c. 21. Cluv. Nic. Lloydius.*

SULMO Aliter, SERMONETTA, oppid. Latii, inter Velitras & Privernum, ferè 13. mill. pass. cum Ducatus titulo. Sed hunc interiisse scribit *Plin.*

SULPHUR, *in terræ reliquis generibus vel maximè mira est natura, ut quo plurima domantur. Nascitur in insulis Æoliis, -- sed nobilissimum in Melo insula ---- Genera quatuor, vivum --- Alterum genus appellant glebam, fullonum tantùm officinis familiare. Tertio quoque generi unus tantùm est usus ad suffiendas lanas, quoniam candorem tantum mollitiemque confert ---- Quarto autem ad ellychnia maximè conficienda. Cætero tanta vis est, ut morbos Comitiales deprehendat nidore, igni impositum. Lusit & Anaxilaus eo, candens in calice novo prunaque subdita circumferens, exardescentis repercussu dirum pallorem, velut defunctorum, effundente conviviis.* Plin. *l. 35. c. 15.* ubi plurima de Medico ejusdem usu. Sed & in superstitionibus Veterum ei locus fuit, isque insignis, unde *Θεῖον* divinum, dictum, quòd quasi lustrationum caput esset. Ovid. *Fastor. l. 4. v. 739.*

Cærulei fiant puro de sulphure fumi,
Tactaque fumanti sulphure balet ovis.

In lustrationibus namque adhibebatur ovis cujus corpus vivô *sulfure* adurebatur. Alioqui in Ditis sacris integra corpora imponebantur igni. Vide suprà, ubi de prisco *Lustrandi ritu* & *Secularibus Ludis*. Sic Claudian. *l. VI. Consul. Honorii, v. 324.*

Lustralem sic ritè facem, cui lumen odoratum
Sulphure cæruleò, nigròque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda Sacerdos &c.

Ejusdem suffitu expiabantur domus, Plin. *ubi suprà*: lecti item aliaque loca Ovid. *de Arte, l. 2. v. 329.*

Et veniat, quæ lustret anus lectumque locumque,
Præferat & tremula sulphur *& ova manu.*

Quam in rem vide plura apud Hadr. Turnebum *Adversar. l. 1. c. 25.* Alexandr. ab Alexandro *l. 5. c. 27.* Alios, ut & de alio *Sulphuris* usu, hic infrà, in voce *Sulfurata*. Addam saltem, in opalo, quæ candidarum gemmarum dux & signifera olim, & post smaragdos primæ dignitatis habita est, præter carbunculi tenuiorem ignem, amethysti fulgentem purpuram smaragdique virens mare, *sulphuris* quoque *ardentem flammam*, commendari Plinio *l. 37. c. 6.* de qua gemma vide suprà. *Sulphur* ex plumbo excoctum, asservari in Musæo Kircheriano, habet Georg. de Sepibus *in Descript. ejus p. 41.*

SULPHURATA, apud Martialem *l. 1. Epigr. 42. v. 3.*

Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulfurata *fractis*
Permutat vitreis ----

ligna sunt exilia, vel fila *sulphure* inducta illitaque, ad ignem concipiendum, quæ contra fracta aut læsa vitra solebant vendi. Idem *l. 10. Epigr. 3. v. 3.*

Quæ sulphuratô nolit empta ramentô
Vatiniorum proxeneta fractorum.

Statius *l. 1. Sylv. 6. v. 74.*

--- ----- comminutis
Permutat vitreis gregale sulphur.

uti quidem Poëtam hunc exponunt Domitius Calderinus, Joh. Bernartius, Emericus Crucejus. Vide quoque Desid. Heraldum ad *Martial. d. l.* Fulv. Ursinum *de Triclinio*. A. Schottum *Nodorum Ciceronis l. 2. c. 16.* Guielm. Stuckium *Antiqq. Convival. p. 334.* Jac. Cujacium *Recitationum postumar. Tom. I. p. 614.* Alios. At Barthius, compactionem quoque vitreorum, quæ *sulphure* adhibitô fiebat, hic intelligi posse contendit: auctoritate Juvenalis *Sat. 5. v. 46.*

Tu Beneventani Sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam
Quassatum, & fractô poscentem sulphura *vitrô.*

Quem locum cùm Salmasius interpretetur de more sulphurata vitreis mutandi suprà indigitato, ipse de artificio fracta vitra *sulphure* solidandi & glutinandi exponit. Ibi enim vetus Interpres, *quia*, inquit, *hic solent vitrum solidare id est, malthare*. Certè ovô & calce glutinari olim vitra consuevisse, notat Is. Casaubonus ex Isidoro, *ad Vopiscum in Firmo*. Vide Casp. Barthium *Animadv. ad Statium d. l.* & Salmas. *ad Solin. p. 1096.* De coronis verò è *sulphure*, Artemidorum *l. 1. c. 79.* & Car. Paschalium *Coronar. l. 1. c. 10.*

SULPICIOS, gentem, Camerià Latinorum oriundam fuisse, cognomen Camerini, quod primum frequentavit, indicat. Cameria autem, sub Romulo, Romana colonia facta fuit. Quare haud absurdum est, hanc gentem à Romulo in urbem evocatam atque inter secundæ lectionis Patres relatam, quæ postea Romæ nobilissima fuit, cognominibus Camerinô, Cornutô, Peticô, Longô, Saverrione, Paterculô, Gallô, Maximô, Prætextatô & Rufô ornata. Quæ multiplices Consulatus, Censuras, Triumphos & Dictaturas Romæ est consequuta. Vide *Sulpitius*.

SULPITIA, Paterculi filia, & Fulvii Flacci uxor, fœminarum pudicissima fuisse matronarum sententià judicata est, quæ simulachrum Veneris ex Sybillinis libris dedicaret. Plin. *l. 7. c. 35.*

SULPITIA, vel SULPICIA Poëtria, sub Domitiano, cujus satyra extat unica. Sed castos prætereà amores scripsit marito Caleno. Meminit eorum præter Martialem, (qui *l. 10. epigr. 35. & 38.* impensè laudat) Sidonius Apollinaris *carm. 9.* Credit Vossius de *Poet. Latin. c. 3.* ex iis esse illud apud Juvenalis interpretem, *in Sat. 6. v. 537.*

Ne me cadurcis destitutam fasciis
Nudam Caleno concubantem proferat.

Caleni mariti ipsa meminit *in Satyra*, ac Martialis quoque epigr. 38. *l.* memorati. Est ejus de sese *in eadem Satyrâ*,

Primaque Romanas docui contendere Grajis.

Nic. Lloyd.

SULPITIA Lex, cujus Auctor P. *Sulpitius* Tribunus Pleb. an. Urb. Cond. 665. L. Corn. Sullâ, L. Pompejô Rufô Consulib. ad aucupandam Italicorum, qui in octo novas Tribus Lege Juliâ de Civit. adscripti erant, lata est: *Ut novi Cives Libertinique in 35. Tribus veteres distribuerentur*, Florus *Epit. 77.* Plut *in Sulla*. Verùm ea, aut perlata non est, aut eôdem annô P. Sulla Consul, cùm *Sulpitium* ipsum, Mariumque inimicos suos urbe expulisset, unà cum cæteris ejus legibus sublata est. Alia de bello Mithridatico, ab eodem, eôdem annô lata est, *ut L. Corn. Sullæ* (tum Consuli) *cui Asia provincia obtigerat, ut bellum Mithridaticum administraret, imperium abrogaretur, & C. Mario mandaretur*, Vellejus *l. 2. c. 18.* Florus *ubi suprà*, Plut. *in Sulla & Mario*, Appian. *de bell. civ. l. 1.* Alia de C. Pontinio, Auctore Serv. *Sulpitio* Galba Prætore an. Urb. Cond. 699. L. Domitiô Ænobarbô, Ap. Claudiô Pulchrô, Consulib. rogata voluit: *Ut C. Pontinio Proconsuli, quô die urbem triumphans ingrederetur, imperium esset*, Cicer. *l. 4. ad Att.* Dio *l. 40.* Alia, de debitis Senatorum, cujus Auctor Serv. *Sulpitius* Tribun. Plebis An. Urb. Cond. 665. L. Corn. Sullâ & C. Pompejô Ruffô Consulib. *Ne quis Senator supra duo millia drachmarum deberet*, sanxit. Plut. in *Sulla*. Ipse tamen Legislator ultra 300. myriades debiti nomine reliquisse legitur. Alia de Philippo Rege lata fuit à P. *Sulpitio* Galba Maximo II. Consule cum Centurione Cotta, annô 552. *Vellent, juberentne Philippo Regi Macedonibusque, qui sub regno ejus essent, ob injurias, armaque illata sociis Populi Rom. bellum indici*, Liv. *l. 31.* Alia, ad Sacra pertinens, dicta *Sulpitia Sempronia* ab Auctore, qui Consul erat annô 449. voluit, *Ne quis Templum, Aramve, injussu Senatus aut Tribun. Pl. majoris partis, dedicaret*. Ejus meminit Liv. *l. 9.* Vide Jo. Rosin. *Antiqq. Roman. passim.*

SULPITIA Prætextata, Crassi à Regulo subversi uxor. Tacit. *Hist. l. 4. c. 42.*

Viri Illustres.

SULPITIANUS, Præfectus Urbis, Pertinacis Imperatoris socer, hôc mortuô, Imperium sibi vindicavit, sed Didius Julianus, scriptô in tabulis, *se Commodi memoriam restituturum, Imperator est appellatus rogantibus prætorianis, ne Sulpitiano aliquid noceret, quod Imperator esse voluisset*, Spartian. *in Juliano. c. 2.*

SULPITIUS, vide *Publius*; it. *Servius*.

SULPITIUS Alexander, Scripsit *Historiam Gallicam* teste Gregoriô Turon. *Hist. l. 2. &c.*

SULPITIUS Apollinaris, Pertinacis præfati Præceptor, de quo tam multa apud A. Gellium, memoratur Capitolino in *Pertinace, c. 1.* Optimum codicem Palatinum *Sulpium* hic habere, monet *Salmas.*

SULPITIUS Asper, centurio Prætoriæ cohortis promptissimus conjurationis in Neronem. Tacit. *l. 15. Annal. c. 49.* Ideò caput amputatur, *c. 68.*

SULPITIUS Avenio, vide *Publius*.

SULPITIUS Camerinus, Africæ proconsul, sævitiæ in provinciales apud Neronem accusatus, cum absolutus. Sed paulò post cum filio interfectus. Vide Tacit. *l. 13. Annal. c. 52.* & voce *Quintus*.

SULPITIUS Canus, inter Nobiles Romanos, jussu Severi, sine causæ dictione, interfectos, occurrit apud Spartian. *in Severo, c. 13.* In eodem codice *Sulpius* itidem.

SULPITIUS Cossus, vide *Quintus*.

SULPITIUS Crassus, Proconsul Asiæ, jussu Commodi occisus est; Lamprid. *in Commodo, c. 7.*

SULPITIUS Florus, vide *Florus*.

SULPITIUS Galba, Avus Imperatoris, varia edidit ingenii monumenta. *Sueton.* Vide & *Cajus*, & *Publius*; it. *Servius* & *Sextus*.

SULPITIUS Gallus, Astrologus, qui in exercitu P. Æmilii contra Perseum, deprehensam noctu Eclipsin Lunæ mirantibus militibus enarravit. Plin. *l. 12. c. 21.* & Cicer. *l. 1. Offic. c. 6.* Vide & *Cajus*.

SULPITIUS Longus, vide *Cajus*: it. *Claudius* & *Publius*.

SULPITIUS Pœticus, vide *Ibid.*

SULPITIUS Paterculus, *ibid.*

SULPITIUS Quirinius, prænomine *Publius*; qui Æmiliam Lepidam habuit uxorem, affinis Libonis, cui extremas preces ad Tiberium mandavit. Tacit. *l. 3. Annal. c. 48.* Nihil ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: sed impiger militiæ & acribus ministeriis, Consulatum annô Urbis 742. cum M. Valerio Messalla sub Divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Defunctus Tiberii Augusti quartô & Drusi secundô consulatu: ejus mors ut publicis exsequiis frequentaretur, petiit Cæsar, vide & *Publius*.

SULPITIUS Rufus, ludi procurator, tanquam adulterii Messalinæ conscius, à Claudio ad supplicium tractus. Tacit. *l. 11. Annal. c. 35.*

SULPITIUS Rufus, prænomine P. frater Servii Sulpitii JCti, legatus C. Jul. Cæsaris in Gallia.

SULPITIUS Severus, presbyter, discipulus S. Martini, Aquitanus, vixit in conjugio. A S. Martino visitatus, ei adhæsit, illôque defunctô, Tolosæ aliquandiu moratus, dein in Galliam Narbonensem se recepit: Paulino Episcopo Nolano familiaris. Scripsit *epitomen Historiæ sacræ, à Mundo Condito usque ad Christum Natum*, imò & *trium primorum à Christo nato seculorum res gestas* exposuit. Ob styli elegantiam, Sallustio & Tacito comparatus, magnique apud Eruditos habitus: Scripsit quoque *dialogum*

de

de Eremitis Ægypti, ad quos Posthumianus, amicus ejus, triennô ante iter susceperat. Tandem à Pelagianis seductus est, sed ad se rediisse, & perpetuô silentio culpam eluisse, dicitur. Obiit A. C. 419. vel 420. circiter. Malè confunditur cum *S. Sulpitio I.* Episcopo Bituricensi, Remedii successore, qui Concilio Matisconensi interfuit, A. C. 585. eruditus, & Poëseos non ignarus. Gregor. Turon. *l. 1. de mir. S. Mart. & l. 6. Hist. c.* 39. ut & cum *Sulpitio II.* Pio, qui Concilio Remensi interfuit, A. C. 630. Vide de his tribus Paulin. *in Epist.* Hieron. *in c. 3. Ezech.* Augustin. *Ep.* 25. Gennad. *de Vir. Ill. c.* 19. Idacium *in Chron.* Aimoin. *Hist. l. 4. c.* 16. Honor. Augustodunens. *de Lum. Eccl. l. 2. c.* 19. Voss. *Hist. Lat. l. 2. c.* 12. Autaxeerem, *rer. Aquit. l. 5. c.* 6. 8. Georg. Hornium, *in edit. Sulpitii*, Barthium, Scaligerum, Gesnerum, Possevinum, &c. *Nic. Lloydius.*

SULPIUS, vide suprà *Sulpitius Apollinaris*; item *Sulpitius Canus.*

SULTANUS, seu SOLDANUS, uti Latini Scriptores efferunt, apud Turcos est supremus Princeps, quem titulum primùm sibi arrogâsse Tangrolipecem, post fugatos Saracenos eorumque Principem Masgudum A. C. 1055. vult Nicephorus Bryennius *l. 1. n.* 9. At longè ante hæc tempora *Sultanorum* nomen in usu fuit, nempe sub Basilio jam Porphyrogenito, uti liquet ex Constantino *de Themat. l. 2. c.* 11. Quin & vocem esse Persicam, probat Car. du Fresne ex vetere numismate Chosrois Cabadæ fil. Regis Persarum, in quo *Assoltan* inscribitur, i. e. *Rex Regum*; quod elogium sibi arrogat idem in *Epist.* ad Justinianum Imperatorem apud Menardum Protectorem *Ecl.* 1. ut & Chosroës, apud Theophylactum Simocattam *l. 4. c.* 8. &c. Unde hodieque in Persia Magnates Satrapasque Regios sic insigniri, deprehendas apud *Itinerariorum* Scriptores. Vide quoque suprà, *Ægyptus.* Uti autem Imperator Turcicus *Sultanus*, sic ex pellicum ejus immensô numero illa, quæ filium prima Imperatori enixa est, pro uxore habetur & *Sultana* cluet, Georgius Hornius *Orb. Polit. cum Notis Menckenii p.* 30. Sed & monetam *Sultanorum*, *Soldani* habuisse nomen, discas ex Wilhelmo de Nangiaco *in S. Ludov. vita* A. C. 1247. & Vincent. Bellovacensi *l. 31. c.* 140. 143. 144. & *l. 32. c.* 54. Imò *Soldanum Curiæ Rom.* occurrere in *Ceremoniali Rom. l. 1. sect.* 3. eôque nomine intelligi *Marescallum*, qui modò post Pontificem equitans, cum duobus sacculis pecuniarum ante sellam, illos projiciat in populum, viæ faciendæ, monet Car. du Fresne præfatus in *Glossar.* qui de *Sultanis* plura congessit *ad Joinvillam Dissert.* 16. Nomen verò quod attinet, Arabicum illud esse סלטאן & significare *Dominatorem*, Principem, Regem, à verbo סלט *Salat*, i. e. *dominatus est*, præfuit, potestatem habuit vel exercuit, docet Jo. Forbesius *Instructionum Historico-Theol. l. 4. c.* 15. §. 20. qui *de Sultanis Ægyptiorum l. 4. c. 18. §. 6.* & *de Sultanis Iconiensibus l. eod. c. 22. §. 2.* fusè agit, uti de Turcicæ potentiæ origine & incrementis *l. eod. passim.*

SULTS, oppid. Sueviæ, Latinis *Solicinium*, quod vide, sub proprio Comite, ex Familia perantiqua. In qua Rudolpho vel Alvico, sub principium seculi XV. uxor Ursula Habspurgia Kletgojæ seu Kletgoviæ Landgraviatum attulisse perhibetur. Cæterùm diversæ aliquoties lineæ in hac gente fuêre, sed pleræque minùs diuturnæ. Joannis Ludovici Comitis progenitores sic habent. Rudolphus Comes Sulzensis Landgrav. Kletgoviæ, ex Margareta Truchsessia Comite *de Sonnenberg*, pater fuit Joh. Ludovici I. qui, ex Elisabetha Comite Bipontina, genuit Alvicum, defunctum A. C. 1572. Hujus ex Barbora Comite Helffenstenia, filius Carolus Ludovicus, junxit sibi Dorotheam Catharinam Comitem Saynensem, atque ex ea Carolum Ludovicum Ernestum suscepit, extinctum A. C. 1642. Hôc & Mariâ Elisabethâ Comite Hohenzolleranâ genitus, Jo. Ludovicus II. ex Maria Elisabetha Konigseccia sobolem suscepit. Phil. Jac. Spenerus *Theatro Nob. Eur. Parte I. p.* 37.

SULTZBACHIUM, vulgò SULTZBACH, oppid. Palatinatus superioris cum titulo Principatus vix 2. milliar. Germanic. ab Amberga in Circium. Accepit id Augustus, alter Philippi Ludovici, Principis Neoburgici fil. pactis cum fratre Wolfg. Wilhelmo Neoburgico initis, A. C. 1615. Obiit A. C. 1632. Pater Christiani Augusti, qui Helmontii consuetudine corruptus à religione Euang. A. C. 1656. defecit: & Philippi, qui natus A. C. 1630. sub Lotharingicis primùm meruit, dein Suecis fidam operam navavit, victus in Fionia, A. C. 1659. Venetis posteà inservìit, Turcicô tandem bellô, in conflictu ad Arrabonem, prope Gottardi Fanum egregiè rem gessit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.* Hi præter fratres, Adolphum Fridericum (*natum A. C. 1623. denatum 1624.*) & Joh. Ludovicum (natum A. C. 1625. denatum 1649.) sorores habuêre Annam Sophiam (*natam A. C. 1621.* uxorem Joachimi Ernesti Comitis Oetingensis) Augustam Sophiam (natam A. C. 1623. uxorem Wencesiai Poppel Principis Lobkovicii) & Dorotheam Susannam (natam A. C. 1631. denatam 1632.) Vide eundem Spenerum, ubi suprà *p.* 109. & *Artis Her. Parte Spec.*

SUMA, castellum Persarum circa Tigrim alicubi videtur apud Zosimum *l.* 3.

SUMACHIA, seu SCAMACHIA, caput Servaniæ provinc. in Persia, versus mare Caspium, & confinia Georgiæ. In valle, intra montes. Vide *Olearium.*

SUMARA, oppid. Forojuliensium.

SUMATRA, Insul. ampla Asiæ, una ex tribus Sindæ Insul. In Oceano Indico ad Austrum Aureæ Chersonesi seu peninsul. Indiæ ulterioris, à qua separatur fretô Malacensi, 26. mill. pass. ad Ortum, ubi etiam ad Meridiem separatur à Java fretô Sundæ 20. mill. pass. circiter. Oblonga est, & extenditur à Circio in Eurum per 850. mill. pass. nempe ab Acemo ad fretum Sundæ. Insula hæc mineris ditissima, aurum, argentum & metallorum tormentis longè optimis fundendis commodum generat. Visitur ibi mons globos igneos evomens, sulphuris minerâ nobilitatus: affirmant fontem in eadem esse insula, qui balsami pretiosissimi oleô scaturiat. Est insuper insignis perenni fonte, ex quo Naphtha, instar olei, manat: & excelsô conspectu montem *Balaluanum* incolæ vocant, qui, ad similitudinem Siciliensis Ætnæ, fumum & flammas horribiles evomit. Regio est, ob frequentiam fluminum, ac paludum, nemorumque densissimorum, gravi admodum cœlô, ac præsertim advenis vehementer infestô. Præcipua regna hujus Insulæ sunt *Achem*, *Camper*, *Jamby*, *Menancabo*, *Pacem*, *Palimban* & *Pedir.* Totius Insulæ urbs præcipua *Achem*, in parte Boreali.

SUMEN, apud Martialem *l. 7. Epigr. 77. v.* 3.

Sumen, aprum, leporem ---

Venter suillus, in delitiis olim, præsertim ejectitius, ut nonnullis placet. Meliùs suis mamma, unde quasi *sugimen*, & quidem primiparæ, mox à partu resecta, antequam eam fœtus suxissent. Unde idem *Mammas suminis* vocat *l. 2. Epigr. 37. v.* 2. Hoc quô magis lacteum erat, eô ampliùs commendabatur. Idem iterum *l. 13. Epigr.* 44.

Esse putes nondum Sumen: *sic ubere largô*
Effluit, & vivô lacte papilla tumet.

H. e. non credas hoc farcimen esse è papillis suis à partu cæsæ resectis: sed etiamnum vivere in sue papillas, ita lacte exundant. Farciminis enim genus hinc fiebat, Romæ olim in summis delitiis. Juvenal. *Sat. 1. v.* 138.

Sumine cum magno lepus, atque aper; atque pygargus.

Calidum apponebatur. Persius *Sat. 1. v.* 53.

---- Calidum scis ponere sumen.

Et quidem cum muria Thynnive liquamine aut garo. Vide *Not. ad Martial.*

SUMEN Italiæ, campi Roseæ dicti sunt, apud Varronem *de R. R. l. 1. c.* 7. Vide *Roseæ Campi.*

SUMERE Sacrum, apud Tibullum, citante Salmasiô, *loc. mox adducendô.*

Hoc solenne sacrum, multos hoc sumet *in annos:*

idem quod *suscipere sacra*, apud Æl. Spartian. *in Hadriano, c.* 13. item *accipere sacra*, apud Apulejum *Miles.* 11. Græcè παραλαμβάνειν τὰ μυστήρια, propriè μυεῖσθαι, *initiari* est, item ἐποπτεύειν τὰ μυστήρια, ab eo, quod erat postremum, universum sacrorum illorum opertaneorum apparatum designans. Nam qui sacris initiabantur, ea *accipere* vel *sumere* dicebantur, ut tradere & ostendere ii, qui initiabant, Pontifices & Sacerdotes. Utrumque jungit Seneca *Nat. Quæst. l. 7. c.* 31. *non semel quædam sacra traduntur: Eleusina servat, quod ostendat revisentibus.* Sumebantur autem diversis gradibus temporibusque; nam, ut de Eleusiniis solùm dicam, quinquennii spatium vulgò intererat, inter μύησιν & ἐποπτείαν. Demetrio tamen olim & Hadriano dein Imperatori eâdem vice utrôque defungi concessum legimus. Quem postea secuti M. Antoninus aliique Principes eundem honorem sibi deferri voluêre. Qua de re vide Desid. Heraldum *ad Arnob. l.* 5. Salmas. *ad Spartian. d. l.* & supra passim, inprimis in voce *Mysterium*, & ubi de *Oris signatione*: uti de genere loquendi militari, *sumere conjurationem, prælia, terga* &c. Casaubon. *ad Cæs. Suetonii c.* 6.

SUMERIUM, locus Septimaniæ, vulgò *Sommieres*: suum habet Vicariatum, positusque est in Volcis Arecomicis, diœcesique Nemausensi: non procul à Salvia oppidulo & Vicariatu *Viguerie* pagi Nemausensis. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SUMINA, olim quoque *Samarus*, vel *Samara*, fluv. Galliæ, *Frudis* dictus *Ptolomæo*, oritur prope vicum Fontem *Suminæ* inde dictum, vulgò *Fon Somme.* Alluit Augustam Veromanduorum *S. Quentin*, Brajum, Hammum, *Han*; inde auctus Dalmannione *Daumignon*, Patronam Veromanduorum præterlabitur, tum Brajum alterum *Bray sur Somme*, Bosonis Curtem *Bousencourt*, Corbejam, ad Corbejæ, aliàs Incræ *Encre* & Suminæ confluentes; Albiniacum, Blangiacum, Samarobrivam Ambianorum caput, ubi Aurinam *Aureque* & Sallam *Selle* fluv. recipit: inde Hammum minorem *Hen*, Pinqueniacum *Pequigny*, Calciatam *la Cauchie*, Spinetum *Espinoy*, Pontum Remigii *Pont Dormy*, Abbatis Villam alluit & infra Monaster. ac opp. S. Walarici, quod olim Leuconaus vocabatur, *S. Valery*, in Oceanum influit. Vulgò *Somme.* Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SUMINATA, apud Lamprid. *in Alexandro, c.* 22. *Tunc ille --- jussit ne quis* suminatam *occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem*: Casaubono est (lectione hâc retentâ) saginata; quomodo accepisse vocem *sumen* recentiores Latinos certum est, pro pinguedine scil. arte quæsita. Salmasio verò *scrofa*, sicut *lactans* pro *lactens*, tener porculus, quantum enim interest inter vaccam & damalionem in buccino genere, tantum inter *suminatam* & *lactantem*, in genere porcino, ut ex verbis Lampridii liquet. Est nempe *sumen* propriè fœtæ suis mamma lacte plena. Vide utrumque *Not. ad l.*

SUMINGA, urbs Quansiæ, sub Rege Tunchini. Incolis *Sinhoa*, subsunt ei 5. urbes. *M. Martin.*

SUMMA, dicebatur Latinis, quæ & *prima*, dextri Lateris, in Tabula lusoria, linea: quam vocem recentiores Græci retinentes σοῦμμαν χώραν appellârunt. *Agathias* de Tabula Zenonis,

Ἑπτὰ μὲν ἐκτὸς ἔχεν, μίαν ἔνδοθεν· αὐτὰρ ὁ σύμμαχος
Δοιοὺς ἀμφιέπεν· ἐν δεκάτῳ.
Ὃς δὲ πέλε μετὰ σοῦμμαν, ἔχε δύο.

Vide infrà in voce *Tabula.* Aliàs *Summa* substantivè sumtum, idem quod κεφάλαιον Græcis est, unde *Summa naturæ, curæ, voti, libri,*

recentioribus *Summarium*, de quibus locutionibus vide Salmas. *Prolegom. ad Solin.* &c. In Arithmeticis numerorum collectionem vox notat, seu potiùs totum id, quod ex numerorum collectione exsurgit. Cujusmodi *Summas* singulis titulos præponi consuevisse in rationibus Græcorum olim Romanorumque, dicemus infrà voce *Titulus*. Unde *Summarii*, apud Jul. Antecess. *Constit.* 58. qui faciendæ rationis summarum quarumcunque periti sunt, de quibus vide Cujacium *ad Novell.* 30. & 44.

SUMMA-HARNA, vicus Galliæ ad caput Harnæ, vel Arnæ fluvioli, in Suppiam effluentis: Vulgò *Somme-Arne*, aliàs à Patrono loci *Saint Estienne d'Arne*: Sic *Summa-Turba*, villa Galliæ in pago Porcensi, &c. de hac voce *Summa* vide Hadr. Vales. qui *Massanum* corrigit, *Not. Gall. in voce Vidula.*

SUMMÆ Alpes, vide *Pœninæ*.

SUMMANUS, Pluto sic dictus, quasi *summus* Deorum *Manium*: ut *in Nupt. Philolog.* docet Capella. Huic Romani nocturna fulmina assignabant, quemadmodum diurna Jovi. Plin. *l.* 2. *c.* 52. Ovid. *l.* 6. *Fast.* v. 731.

> *Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur*
> *Tum, quum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.*

Lloydius. Ita Festus; *Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum, Summani.* Magis autem, quàm Jovem, cultum esse, docet Augustin. *de Civ. Dei l.* 9. *c.* 23. *Romani veteres nescio quem Summanum coluerunt magis, quàm Jovem, ad quem diurna fulmina pertineant* &c. Utrique autem, nempe tum *Summano*, tum Jovi Fulguritori sacrificabant, cùm *provorsum fulgur* micuisset: Sic autem dicebatur, quod incertum erat, noctu an interdiu esset factum. Jaculabantur verò etiam alii Dii fulmina, sed alba tantùm aut nigra: solus Jupiter rubra vibrare credebatur. Horatius *l.* 1. *Od.* 2. v. 2.

> —— —— *& rubente*
> *Dexterâ sacras jaculatus arces*
> *Terruit Urbem*, &c.

Vide Jo. Meursium *Comm. in Lycophr. vers. hunc*

> —— —— ὡς καταιβάτης,
> Σκηπτὸς καὶ ἔξοχον γλωσσῆς ἀναρίθμον.

Hinc *Samanalia* seu *Summanalia*, apud *Festum*, liba sunt farinacea, in modum rotæ facta, in honorem *Summani*, & ad ejus sacra: quæ *Suminalia* vocat Cœl. Rhodig. quasi à *summe*, *l.* 9. *Antiq. Lect.* *c.* 10.

SUMMARIUM, vide suprà *Index*, item *Summa*: uti de officio Cancellariæ Pontificiæ, cui *a Summariis Supplicationum* nomen, itidem suprà voce *Abbreviator*.

SUMMARUM, Æthiopiæ sub Ægypto oppid. in Nili ripa. *Ptol.*

SUMMATES, apud Spartian. *in Hadriano*, *c.* 17. *Quum cum compluribus* Summatibus *pejeceret*: iidem sunt cum *Optimatibus*, apud Capitolin. *in Marco c.* 22. & *Proceribus* alibi. Sic autem illis temporibus dicebantur Senatores, quos *Optimos Nobilium* vocat Aur. Victor Schotti, *Principes* Seneca *de Benef. l.* 2. *c.* 12. Glossæ Ἐπιφανεστάτους vertunt. Vide Casaubon. & Salmas. *ad Capitolin. in Marco*. In *l.* 32. *Cod. Theod. de Navicular. Summates classis Alexandrinæ*, præfecti sunt. At *summatim*, adverbium inde ortum, est ἄκρως, κεφαλαιωδῶς. *Summatim doctus*, ἀκρόσοφος. *Summatim tangere*, ἀκροθιγεῖν. *Marc.* 80, *panis summatim fermentatus*, ἀκρόζυμος; *summatim tinctum*, ἀκρόβαφις, quod in summa cute, ac leviter coloratum est &c. Salmas. *ad Solin. p.* 234.

SUMMOENIUM, dicebatur locus lupanaris, quòd fere sub mœnibus esset: quasi *Submœnium*. Inde *Summœnianæ* meretrices dicuntur. Martial. *l.* 3. *Epigr.* 82. v. 1.

> *Conviva quisquis Zoili potest esse,*
> *Summœnianas cœnet inter uxores.*

SUMMOLA, seu SUMMULA, apud Juvenal. ubi de frumenti populo distribui soliti tessera, *Sat.* 7. v. 174.

> *Summula ne pereat, quâ vilis tessera venit*
> *Frumenti* —— ——

est, quam *similam* Veteres dixêre, Galli hodieque *Semoule* appellant, Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano*, *c.* 35. Item nomen, sed ab alia origine, est variorum librorum, à Scriptoribus Eccles. Romanæ in lucem editorum. Nota *Summula Raymundi*, quæ Coloniæ prodiit A.C. 1502. cujus initium,

> *Summula de Summa Raymundi prodiit ista.*

Ubi notatio vocis indigitatur. Idem enim *Summam de Casibus* scripsit, typis excusam Romæ 1603. cujus compendium *Summulam* illam esse nonnulli volunt. Fuit autem is Raymundus de Penna-Forte Gregorii IX. Pœnitentiarius, qui Collectionem, quoque Decretalium, ordine sextam, in lucem edidit, uti superiùs diximus.

SUMMOTO incedere, vel agere, dicebantur Magistratus Romani, quum inter frequentiam hominum, lictorum ministeriò & animadversione cedere locumque dare jussam, progrediebantur vel agebant. Ita apud Livium *l.* 25. *c.* 3. *Quum in eo parùm præsidii esset, turbandæ rei causâ, publicani per vacuum summotô locum cuneô irruperunt*: Vacuus *summoto* locus est, qui per viatores Tribunitios discedere jussâ plebe, inter ipsam & Tribunos interjacebat, & intervallum faciebat. Quamvis enim Tribuni *submovendi* jus non habebant, tamen in Conciliis *summoto* considebant agebantque. Idem *l.* 2. *Neque illum ipsum summovere pro imperio posse more Majorum; quia ita dicatur: si vobis videtur, discedite Quirites.* Et paulò ante, *Summoveri Latorius jubet, præterquam qui suffragium ineant.* Et hic *l. cit. Testibus datis Tribuni populum summoverunt.* Adeoque relinquebatur summotô populô vacuus inter Tribunos & Plebem locus, in quod vacuum & intermissum spatium irrupisse tunc Publicanos, & Tribunos à Plebe interclusisse, cum utrisque jurgantes, liquet ex relatione Consulum, quæ mox interponitur, ubi suprà. Jo. Frider. Gronov. *Not. ad Livium.* Vide quoque suprà in voce *Submovere*,

SUMMULA, vide suprà *Summola*.

SUMMUM Pyrenæi, Zuritæ *S. Christina*, oppid. Hispaniæ Tarraconens. in finibus Vasconum, & Aquitaniæ confinio, quà Pyrenæus mons inter Hispaniam & Aquitaniam transitur, 14. leuc. à Pompelone: *Summus Pyrenæus Antonin.*

SUMMUNTORIUM, *Lazio Hohenwart*, oppid. Bavariæ inter Augustam 8. & Ratisbonam 9. leuc. 2. ab Ingolstadio in Austrum. Nunc pagus cum Cœnobio. *Antonin.*

SUMMURANUM, *Maxelle Castrovillarium*, oppid. Lucaniæ Mediterraneum.

SUMMUS, inter Apollinis epitheta, apud Virg. *Æn. l.* 11. v. 785.

> *Summe Deûm sancti custos Soractis Apollo.*

Sic Statius *Thebaid. l.* 7. v. 771.

> *Tandem se famulo summum confessus Apollo,*
> *Utere luce tuâ, longamque, ait, indue famam.*

Nempe Apollo Sol est, Græcis Ἥλιος, quod nomen Ethnici videntur mutuâsse, ex veri Dei epitheto Hebraico עליון *exceljon*, tantundem cum esse videtur Ἥλιος; quò nomine Solem Græci coluêre, ac *Lhon.* Franc. Burmannus *Synopsi Relig. Christ. Parte prior. l.* 1. *c.* 16. *de Nominibus Dei*, §. 24. Sicque nomine ipsò Solem *excelsum* seu *summum* indigitare voluerunt.

SUMPTORIUM, apud Flodoardum *Hist. Rem. l.* 3. *c.* 4. *Calicem majorem cum patera, sumptorioque fecit ex auro, lapidumque pretiosorum illustravit nitore*: Colvenerio est cochlear, *quo utimur, atque utimur in Calice sacro.* Sed Græcos quidem cochleari sanguinem Christi haurire consuevisse, Latinos verò fistulâ, refert Car. du Fresne, qui proin *sumptorium* hic pro fistula sumi posse vetur, tametsi cochlearia inter ministeria sacra vulgo etiam reponantur, in *Glossar.*

SUMPTUARIÆ Leges, crescente conviviorum apud Romanos luxu modum illis imposuêre, à Viris sapientibus latæ. Cùm enim à veteri & avita Majorum parsimoniâ posteri in tantum discederent, ut nullum ampliùs luxuria sciret modum, integrique apri ac visi mensas ornare inciperent & Cincii inventum, Porcus Trojanus, in patinis grunniret, hincque gulâ illecti plerique ingenui pueri pudicitiam & libertatem suam venderent, nec pauci de Populo Romano vinò madidi in Comitium venirent & ebrii de Republ. consulerent, non Tiberius modò Imperator pridianæ cœnæ semesas reliquias posterô die reponi curavit, ut ad frugalitatem civibus exemplô præiret, adagiò hoc fine usus: *Dimidiatus aper omnia eadem habet, quæ totus*, apud Suetonium *c.* 34. sed & jam ante ipsum non pauci hac de re Legibus latis, inundanti omnia luxuriei obicem ponere conati sunt: quæ quòd modum sumptibus in conviviis definirent, *Sumptuariæ*; quòd circa cibos occupatæ essent, *Cibariæ* quoque nonnullis dictæ sunt, Catoni inprimis, qui ita Leges has appellare maluisse apud A. Gellium, *l.* 2. *c.* 24. legitur. Et quidem rei primùm Senatus-Cto obviàm itum: inde Lege Fanniâ, hinc Liciniâ; huic eâ, quam Sulla tulit; item lege Æmiliâ, porrò Antiâ, item edictô Capitonis Ateji: postremò Lege Juliâ, quæ ad populum pervenit imperante Augustô, uti habet G. Stewechius *Electis ad Arnobium adv. Gentes l.* 2. Vide quoque Anton. Augustin. *de LL.* & quæ paulo infrà dicemus. Sed & illas *Sumptuarias* appellari deprehendas, quæ in vestitu, aliisque rebus, quis modus servandus sit, præscripsêre. Sic de Marco Imperatore Jul. Capitolin. *c.* 11. *Cavit & sumptibus publicis*: quod ab aliis Imperatorib. quoque sæpe factum legimus. Spartian. de Hadriano, *c.* 22. *Judicum sumptus constituit & ad antiquum modum redegit.* Quô fine etiam sacrificia & ludos multos Nervam sustulisse, *Xiphilinus* refert. Magni enim Ludorum cura & Præsidatus constabant, sub Valeriano inprimis & seqq. Principibus: quô tempore *sumptibus* & profusionibus planè infamebant Consules Prætoresque, cùm Magistratum inibant, ut videre est suprà, in phrasi *Consulatum edere*. Unde sumtuum hujusmodi licentiæ coërcendæ, legem tulit Constantinus, eumque secuti Imperatores Constantius, Theodosius, Arcadius, Alii. Vide inter alias *l.* 1. *Cod. Theodos. de Ludorum expensis.* Aliquando tamen tenuioris census hominibus, vel quibus aliàs cuperent Imperatores, simul cum honoribus *sumptus* quoque decreti sunt, ut videre est apud Spartian. *in Hadriano*, *c.* 3. Mamertinum *Grat. act. ad Julianum*, Alios. Cujus moris causam præclarè explicat Valerianus *Ep. ad Aurelianum*, *Levanda*, inquiens, *est paupertas eorum hominum, qui diu Republica viventes pauperes sunt, ut nullorum magis.* Vide hanc in rem multa egregia, apud Casaubon. & Salmas. *Not. ad Spartian. d. l.* Sic in funeribus, cùm summis impendiis in nihilum profusis, ad refrigerandum rogi ferventis ardorem; tota patrimonia sæpe prodigerentur, Legg. XII. Tabb. apud Romanos, Solonis item apud Græcos, sumptibus modus impositus est, ut suprà vidimus. Plura hanc in rem apud Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 13. & Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 3. *Sect.* 4. *c.* 12.

Leges Sumptuariæ, quo ordine latæ.

α. Orchia Lex, numerum convivarum præscripsit. Ejus meminit Macrob. *Saturn. l.* 3. *c.* 17. an. Urb. Cond. 566. lata est. β. Fannia, annô 588. lata, sumtibus modum fecit assibus centum: hinc *Lucilio Centussis* festivè dicta: Nempe ludis Romanis, Plebejis, Saturna-

Jurnalibus & aliis quibusdam diebus. Decem aliis diebus, in singulis mensibus tricenos: cæteris autem denos tantùm concessit. γ. Didia, post annos 18. rogata, universam Italiam eadem lege teneri voluit: neque solùm qui cœnas majore sumtu dedissent, sed & qui vocati interfuissent, pœnâ coërcuit. δ. Licinia, in plerisque cum Fanniâ congruens, cæteris diebus, qui eâ excepti non essent, carnis aridæ pondo tria & salsamentorum pondo, solùm apponi jussit. Ea autem quæ ex terra, vite, arbore nata essent, promiscuè largita est. Ab illa *Centenaria cœna* nomen habuêre. ε. Cornelia non multo post sequuta, minora rebus pretia imposuit: Cæterùm permisit, ut Kalendis, Idibus, Nonis, diebus Ludorum & Feriis quibusdam solemnibus H.S. tricenos insumere jus potestasque esset; reliquis verò diebus non ampliùs senis. ζ. Æmilia, ciborum genus & modum præscripsit, sumtum cœnarum non moderata. η. Antia, paucis interjectis annis, præter sumtum æris, id etiam sanxit, ut, qui Magistratus esset Magistratumque capturus, ne quò ad cœnam nisi ad certas personas iraret. θ. Julia postremò ad populum venit, Augustò imperante, quâ profestis quidem diebus ducenti, Kalendis, Idibus, Nonis aliisque quibusdam festivis diebus treceuti: Nuptiis autem & repotiis H.S. millies finiebantur. Vide Macrob. *l.* 3. *c.* 17. A. Gellium *l.* 2. *c.* 24. Stuckium *Conviv. l.* 1. *c.* 3. &c. His liceat adjungere duas, quibus in vestitu luxus prohibitus. ι. Cœcilia igitur rationem poliendarum vestium Fullonibus præscripsit, lata an. Urb. Cond. 533. κ. Oppia, non ita longè pòst, annô nempe 450. lata in medio ardore secundi Belli Punici voluit, *ne qua mulier plus semunciâ auri haberet: neu vestimentô versicolore uteretur, neu junctô vehiculô in urbe, oppidove aut 2. propius inde mille passus, nisi Sacrorum publicorum causâ, veheretur.* λ. Julia, ne quis in argento & auro plus LX. H.S. possideret, sanxit. Vide harum quamque suprà, suis *locis*.

SUNA, vulgò SOUNA, insula est parva Scotiæ, & Orcadum Australium una, à Cathanesia extima Borealis Scotiæ parte decem ferè dissita milliaribus, & tribus tantùm ab Australi Rhanalsha insula; estque in Pictico freto.

SUNAM, seu SONNA *Josepho*, oppid. olim Palæstinæ, in tribu Issachar, ad latus Australe montis Hermon, 11. à Bethsan milliarib. nunc pagus. *Torondolos Gabwarelis* hodie, teste *Benjam. Tudelensi*.

SUNGANI, ex Sequanis ii sunt populi, qui in campestribus habitant.

SUNANUM, vulgò SUNAN, urbs est Imperii Sinarum, in Queichea provincia, cujus tertium locum obtinet, ad radices montium; & ab ea pendet etiam altera urbs.

SUNDA, portus est Insulæ Javæ majoris, à quo fretum, quod est inter illam & Sumatram, denominatur, abundatque pipere, quod Indico & Malacensi præstat: abundant ibidem thus, camphura, & adamantes. *Natal. Metel.*

SUNDERBURGUM, vulgò SUNDERBURG, oppid. Daniæ in Jutia meridionali, & in insula Alsa, in mari Baltico & in ora Ducatus Slesvicensis. Arcem habet magnificam Ducum è familia Holsatiæ, 3. leucis distans à Flensburgo in ortum, & 5. à Slesvico in Boream, Ottoniam versus 8. & ferè 2. ab alia arce Norderburgo in eadem insula. Vide *Sonderburgum.*

SUNDICUM Fretum, *Die Sund* seu *Ore Sund* Danis, *le Sond* Gallis, fretum maris Baltici inter Scaniam provinciam Sueciæ ad ortum & Selandiam Daniæ insulam ad occasum. Extenditur ad 30. mill. pass. à septentrione in meridiem. Ejus verò latitudo alicubi est 15. mill. pass. ubi major; sed inter Elsingoburgum Scaniæ & Coronæburgum Selandiæ est tantùm. 3. mill. pass. hicque naves transeuntes ex mari Baltico in Germanicum, seu è contra, demissis velis Regi Daniæ telonium solvunt Elsingoræ secundùm taxam bonis impositam, quia aliter fulmine tormentorum arceri possunt ab ingressu & egressu.

SUNDIS, vulgò STRAELSUNDT, urbs Pomeraniæ litoralis præclara, & emporium apud Rugiam insulam, ex Arconæ & Carenti urbium ejus insulæ propinquarum ruinis aucta, à Bardo urbe 4. in ortum, Gripswaldum versus ad 3. leuc. recedens. *Ferrar. Baudrando* urbs est permunita Germaniæ in Pomerania citeriori, & in ora maris Baltici, cum portu contra Rugiam insulam. Frustra obsessa fuit A. C. 1629. ab Austriacis duce Wallsteniô. Nunc juris est Suecici pace Monasteriensi. Distat 5. milliarib. Germanicis à Gripswaldia in Boream, uti 10. ab Anclamo, vix distat quartâ parte milliarii Germanici à Rugia insula in meridiem, & ab ea separatur fretô Gella dictô. Urbs est Hanzeatica, libera, & emporium celebre; cingiturque pro majori parte à mari & à lacu *Franckenteich*.

SUNDUS, Provincia regni Congiani, proxima regni metropoli Congo. Confinia ejus 40. milliar. ab hac civitate incipiunt, & extenduntur usque ad Zairem fluvium, ultra nimirum ejus cataractas, ambas fluvii ripas continentes, usque ad Anzicanam, versus Septentrionem: versus Orientem verò ascendunt fluvium Zairem, usque ad ejus, cum Brancatis, confluentes, & inde usque ad radices montis Christalli. Provincia hæc primaria est ferè ipsius regni patrimonium, unde etiam aut regis primogenitus, aut alius, qui ad regni successionem destinatus est, ei præficitur. *Natal. Metel.*

SUNGKIANUM, vulgò SUNGKIANG, urbs est Imperii Sinarum, in Nanquinensi provincia, versùs Cechiangensem provinciam & oram litoralem Oceani Sinensis. Emporium est celebre, & ab ea pendent duæ aliæ urbes.

SUNI, fil. Gad. Gen. c. 46. v. 16.

SUNICI, Tacito, *l.* 4. *Hist. c.* 66. populi Germaniæ inferioris, ad Rhenum, quorum oppidum *Zuns* seu *Zons*, & *Sunß*, teste *Divaó*, inter Coloniam Agrippinam 3. leucis, apud Durnomagum, *Ferrar, Baudrando*, ubi posteà Ubii, & hodie ditio Archiepiscopi Coloniensis, inter Rhenum ad ortum & Ducatum Juliacensem ad occasum.

SUNIDES, Chaldæus aruspex, in exercitu Eumenis, de quo Polyænus *l.* 4. *c.* 19. apud Frontinum *l.* 1. *c.* 11. *n.* 15. vitiosè vocatur *Ismdes*.

SUNIUM, promontor. *Capo delle Colonne*, teste *Sophiano*, sic ob multas columnas marmoreas ibi existentes dictum, promontor. Atticæ inter Piræeum portum Athenarum ad occasum, 37. mill. pass. cum oppido cognomine, teste Cicerone, *l.* 7. *ad Attic. Ep.* 3. & *l.* 13. *Ep.* 10. Stat. *l.* 12. *Theb. v.* 624.

Linquitur Eois longè speculabile proris
Sunion. — —

Dionysius v. 511.

Πρόσθε δ' ἄρ Σουνιάδος κορυφῆς ἐφύπερθεν Ἀθήνης,
Φαίνονται Σαλαμίς τε καὶ Αἴγινα [illegible].

Vide Ptol. *decimâ Europæ Tabulâ*. Strab. *initiô l.* 9. Pausan. *l.* 1. itemque Aristophanem *p.* 321. *Nic. Lloydius.*

SUNIUS, *Arabica* scripsit, quorum librum 4. citat Stephan. in Ἐδουμαῖοι.

SUNNIA, apud Marculfum Monach. *Formular. l.* 1. *c.* 37. *Ipse nec venisset ad Placitum, nec ulla* Sunnia *nuntiasset*; idem quod *Exonia* (Gall. *Essoine*) in *Ep.* Hincmari ad Carol. M. *Qui mittens ad Dominationem vestram, excusationem impossibilitatis veniendi mandavit, requisita est, quam patriotica linguâ nominamus, exonia*: quæ vox etiam unde detorta, *impedimentum* notat in veterib. *Gloss.* hinc *excusationem*, quam affert quispiam, quo minùs juri stare possit, apud Jurisconsl. Gallos, Anglosque frequentissimè. Cujus etymon à *Sontico* morbo arcessit Salmasius *ad Spartian. in Hadriano*, c. 10. Wendelinus à Teutonico *Sun*, i. e. separatus, segregatus, quia qui *sunnim* vel *sunniam* proponunt, ut plurimum abesse à judicio propter negotia coguntur: Alii à voce Germ. *Saumnuß*, i. e. *cunctatio*, mora: Car. du Fresne, à verbo medii ævi *soniare*, i. e. curare, Gall. *soigner*: qui enim *sonium*, *sunnim*, vel *sunniam* (his enim omnibus modis vox effertur) habent, vel circa rerum domesticarum curam occupati sunt, vel morbô detenti. Vide eum in *Gloss.* ubi plurima hanc in rem, inprimis de variis *Essonii* speciebus, congessit, in verbo *Soniare*, item in voce *Sunnis*.

SUNNIS, altera ex duabus primariis Muhammedicæ superstitionis sectis, de quibus suprà voce *Muslemi*.

SUNONENSIS Lacus, *Ammian. Lago di Comidia*, lacus Bithyniæ apud Nicomediam urbem, qui Plinio *l.* 5. *c. ult.* Nicomediensis lacus dicitur.

SUNTGOIA, seu SUNTGOVIA, vulgò SUNTGAW, provincia Germaniæ, Alsatiæ annexa, quæ aliter *le Comté de Ferrette* dicitur ab ejus primaria urbe; subestque dominio Regis Franciæ pace Monasteriensi. Terminatur à septentrione Alsatiâ, ab ortu Rhenô fluviô & pagô Basileensi, à meridie ditione Episcopi Basileensis, & ab occasu Burgundiæ Comitatu. Ejus urbes sunt Ferrera, *Pfirt* seu *Ferrete*, Befordia, *Beford*, Masonis monasterium, *Masmunster*, & Mulhusia, *Mulhusen*, quæ tamen sui juris, & Helvetiis fœdere juncta, vide quoque *Sugintensis pagus*.

SUNTHEMIUM, Germ. *Suntheim*, oppid. Franconiæ. Vide suprà *Sonthemium*.

SUNTONATOR, in vetere *Inscr.* quæ Genuæ visitur.

C. . . TVSTACTVS
SVNTONATOR
REGIS THOLOMEI.
L. V. ANN. L.

Musicus est seu Symphoniæ Præfectus, ut ex Græco exponit Jac. Sponius *Itinerar. Pars.* 3. *p.* 35. & 36. Vide quoque infrà in voce *Syntona*.

SUODONA, Arabiæ Felicis urbs, teste *Ptolemaô*, *Vodona* Interpretibus.

SUOVETAURILIA, vide suprà *Solitaurilia*.

SUPANUS, aliàs SOPANUS, Nobilis primarius, hæres Magnus apud Bohemos, unde Freherus esse docet *Pany* eorum, Spelmann. *Gloss. Archæol. in Superillustres.* Spec. Sax. *l.* 1. *Art.* 3. *Ad hunc modum clypeus seu cingulum militare in septimo terminatur: Primum quippe habet Rex Roman. Secundum Episcopi, Abbates & Abbatissæ, qui* Superillustres *dicuntur; Tertium Laici Principes, ex quo facti sunt Episcoporum subditi & vasalli, qui Illustres nuncupantur. Quartum nobiles & liberi Domini; Quintum obtinent prædictorum Nobilium vasalli, & etiam banniti: Ipsorumque ulterius vasalli sextum.* Aliter *Zupanus*, medii ævi vox, ζουπάνος; quæ Græcis Scriptoribus regionis præpositum notat, hâc notione Croatis aliisque Slavorum gentibus familiaris, ut quorum provinciæ in *Zupanias* distinguuntur, quibus hi præfecti. Obtinuêre hi olim Comitum vicem, ut *Bani* Ducum, & pro arbitratu Principis ad urbes, aut regiones administrandas mittebantur; atque ad omne Concilium vocati, simul cum Ducibus, dein Regibus, deliberandi jus habebant. At postquam Croatia Dalmatiaque in Hungariæ Regum jura concesserunt, *Zupanorum* jurisdictiones Comitibus attributæ sunt, atque inde eorum appellatio viluit, minoribus Præfectis postmodum, vel etiam Judicibus, concessa. Præsertim verò sic Serviæ Principes dicti sunt, uti videre est apud Nicetam *in Isaacio l.* 3. *num.* 4. Guil. Tyrium *l.* 20. *c.* 4. *Cinnamum*, apud quem Ἀρχιζουπάνος τῶν Σέρβων, sicut alibi Μέγας Ζουπάνος occurrit, Alios. Imò & apud Hungaros datum id nomen iis, quibus proxima à Rege potestas erat, teste eôdem Cinnamô *l.* 5. *c.* 20. & *l.* 6. *c.* 4. Etiam Bohemis non defuisse suos *Supanos* vel *Sopanos*, docet ad *Alexiadem* Car. du Fresne. Uti verò Μεγάλοι Ζουπάνοι, unde factum *Megajupani*, in *Actis* Innocentii *p.* 65. sic & *Postzupani*, Zupanorum vicarii, memorantur. Nomen à *Zupa* vel *Zuppa*, aliis *Jupa* vel *Juppa*, quâ voce hodieque, apud Croatas & Dalmatas, indigitatur regio habitata, vel homines

ejusdem regionis in unum congregati &c. Vide Jo. Lucium *de Regno Dalmatiæ l. 2. c. 15. l. 3. c. 12. l. 6. c. 1.* alibique passim, & illustrem *Glossarii* Auctorem præfatum.

SUPARA, Indiæ intra Gangem urbs, teste *Ptolemæo. Uppara* videtur Arriano.

à SUPELLECTILE, nomen ministerii apud Romanos, tum urbani tum castrensis. Ut de urbana enim *supellectile* nil dicam, de quâ abunde suprà, ubi de *Ancillis, Servisque*: in veterib. *Inscriptionibus* Augusti Libertus quidam memoratur, *à Supellectile castrensi*, adnotante Salmasiô ad *Lamprid. in Alexandro c. 41.* Præter quæ *Supellex* quoque *rusticana* occurrit apud Columellam, uti videbimus infrà, voce *Villa*, quam ut curaret, Atriensi rustico, is injungit. Quod tamen non modò ruri, sed & in urbe nonnunquam, placuit, parcis inprimus Patribus famil. qui nolebant supervacuum *Supellectilicarium* domi habere &c. De *Supellectile Sacra* Tabernaculi, in V. Testam. diximus suprà, ubi de *Atrio* & *Sanctuario*: quam omnem, cum ipso Tabernaculo, sanguine dedicatam aspersamque esse, docet Apostolus Hebr. *c. 9. v. 19.* Vide quoque supra, ubi de *Aspergendi ritu*, infrà voce *Vinea*, alibique: sicut de more *Supellectilem Regiam*, apud Hebræos, post Regis obitum, *comburendi*, infrà ubi de *Vidua Regis*; *reorum*, item *Episcoporum defunctorum diripiendi*, in hac voce, alibique: de *obsignandi* verò more, voce *Annuli*.

SUPER Planetam, vide suprà *Manipulus*, ut & lemmate Super *Pædagogos*.

SUPERACUTA, apud Hugon. à S. Victore *in Spec. l. 1. c. 3.* *Voces autem graves & acutæ*, & supervacuæ *innuunt tribus modis judicandum esse tribus ordinibus Ecclesiæ*: est tonus in Musica sublimior & acutior, κορυφαία ἁρμονία Maximo Tyrio *Serm. 3.*

SUPERÆQUUM, *Lib. limit.* oppid. erat Latii, in Pelignorum confinio, cujus populi *Superæquani*, & apud Plinium *l. 3. c. 12.* *Superequani*, *Ferrar. Baudrando Superæquum*, seu *Colonia Superæquana* in Valeria, nunc est oppidulum *Castel vecchio Subequo* in Aprutio, in Valle Superequa, teste Lucâ Holsteniô.

SUPERALTARE, apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores modò Ciborium notat, Altari imminens, de quo vide suprà, in voce *Ciborium*: modò Altare portatile, seu Tabulam Itinerariam, quòd Altari non dedicatò superponatur, Car. du Fresne *in Gloss.* Vide quoque Dominic. Marcum *in Hierolex.*

SUPERANTIUS Lazarus, Venetus, scripsit *de Rebus Turcicis*, multâ prudentiæ & judicii laude. Obiit A. C. 1602. Thuanus, *Histor.*

SUPERARIA in *Glossis* Isidori, *vestis, quæ superinduitur*, Græcè ἐπενδύτης. Ita tunica dicebatur, respectu subuculæ, seu interulæ ὑποδύτης Græcè dictæ, quam sub tunica gestabant. Horat. *l. 1. Ep. 1. v. 96.*

——— *Subucula pexæ*
Trita subest tunicæ ———

non verò pallii vel togæ, quæ ipsi tunicæ superinjiciebatur. Et quidem interula linea, *superaria* ex lanis, fuit: utramque sub pallio togaque, Græci ac Romani induti habuerunt, Cynicis solis exceptis, qui tunicam non habebant, & proin *pallium duplicare* πτύξας θοιμάτιον, ut Antisthenes ad Diogenem dixit, cogebantur. Quæ causa, quòd Stoicam Sectam à Cynica solo tunicæ gestamine distare, scribit Satyricus, Juvenal. *Sat. 13. v. 121.*

——— *Et Stoica dogmata tantùm*
A Cynicis tunicâ distantia ———

Vide Salmas. *ad Tertullian. de Pallio c. 5.* & Suicerum voce Ἐπενδύτης.

SUPERAZEMULARIUS, in *Curia Gen.* Catalaniæ in villa Montissoni A. C. 1363. apud Car. du Fresne, *Azemblariorum* vel *Azemulariorum*, i. e. Mulionum præfectus est, vide eundem quoque in voce *Azemila*.

SUPERBIA, in corde nascitur, in superciliis sedem habet. Plin. *l. 11. c. 37. Hæc* (Supercilia) *maximè indicant fastum. Superbia aliubi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur; huc subit, hic pendet. Nihil altius simul abruptiusque invenit in corpore, ubi solitaria esset. Subjacent oculi, pars corporis pretiosissima, & qui lucis usu vitam distinguant à morte.* Unde Supercilia *membrum non contemnendum humani corporis*, dicere solebat Demetrius Peripatet. teste Laertiô *l. 5.* eo quòd possit ὅλῳ ἐπισκοτῆσαι τῷ βίῳ, *toti vitæ caliginem offundere.* Utpote cùm *Superbia*, ibi residens, omnes reliquas virtutes inquinet, Claudian. *de 4. Consulat. Honorii, v. 304.*

Inquinat egregios adjuncta Superbia *mores*,

Inprimis verò eam superbiam Diis exosam rebantur Veteres quum quis rebus secundis nimium efferretur. Unde illis religio maxima fuit, *secundâ fortunâ nec animum extollere, nec dictis factisque aliquid invidiosum præ se ferre.* Hinc Statius *Theb. l. 2. v. 689.*

——— *Jam pone modum, nimiumque secundis*
Parce Diis: huic una fides optanda labori:
Fortunâ satis usus, abi ———

Qua de re vide Casp. Barthium *Animadv. ad hunc Poëtam Thebaid. l. 9. v. 814.* At de colore *Superbia* austeritas est. Unde *superbia candoris*, apud Vitruvium: Græcè ὁ βαθύτης τοῦ λαμπροτέρου, *l. 7. c. 3.* & *superbia lapillorum*, apud Tertullian. *de Habit. mul.* de quibus proin etiam *improbitatis* vox usurpata. Nempe excellentem illum & eminentem, & super cæteros omnes colores vividum fulgentemque *improbum* appellârunt, quasi *superbum* & cæteros colores infra se positos prægravantem: Galli *altum colorem*, ut & Germani, vocant. Inprimis autem *purpureus* sic dictus. Virg. *l. 1. Æn. v. 643.*

Arte laboratæ vestes, ostróque superbô,

Hinc *arrogantes lacernæ* purpureæ Martiali, *l. 5. Epigr. 8. extr.*

Illas purpureas & arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas &c.

Vide Salmas. *ad Spartian. in Pescennio Nigro, c. 6* & suprà in voce *Improbus color*, nec non in *Austerus*, alibique passim, ut alias vocis notiones omittam.

SUPERCILIA, in Junonis olim tutela fuêre, teste *Sext. Pompejô*, quod iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam à Junone tribui putabant *Lucina* inde dicta: Quemadmodum ipsos oculos Cupidini, Veneris filio, in quibus ceu speculâ quâdam excubet, sacros fecêre prisci, ut ex Philostrato discimus. Vide Lil. Gyraldum *Syntag. 1. Deorum Gentil.* & Hadr. Junium *Animadvers. l. 4. 12.* Atque de hoc usu pulcrè Basilius Magnus, in illud, *Attende tibi ipsi*, in fin. *Et quidem oculi praecelsam illam, occupaverunt arcem, speculationi destinatam, ne qua partium corporis liberum sibi adimeret prospectum, aut inumbraret, quin ut in directum potius è superiore loco--aciem intendant, sub tenui tegumento* Superciliorum *desidentes.* Sed post lapsum superbiæ sedes hîc facta est, verum & sic pars ista οὐ μικρὸν μέρος non *contemnendum membrum* humani corporis æstimatum *Demetrio Peripatetico* ut paulo suprà dictum. Inde porrò Cosmeticæ circa illa quoque occupari, & nigrô stibii pulvere ea circumducere, ac in arcum formare, in sequiore sexu cœpit. *Pollux* de stibio, Τὰς ὀφρῦς ὑπογράφειν, τὰς ὀφρῦς μελαίνειν, εἰς γραμμὰς ἡμικυκλίων ἀγάγειν, vide ubi de hoc medicamine suprà, & Plin. *l. 30. c. 15.* Iisdem amaracinum unguentum destinatum olim, diximus voce *Unguentum*. Imò & è pyxide *supercilia* deprompta habes suprà, ubi de Veter. *Ornatricibus*. Alius abusus, quòd inter tria omina, strictè sic dicta, quoque fuit dextri oculi seu *supercilii* παλμὸς seu *Saltatio*, juxta Theocriteum illud *Id. 3.* Ἄλλεται ὀφθαλμός μοι ὁ δεξιός. Aliud est quòd Barbaros quosdam *Supercilia* tingere consuevisse, ut formidabiliores essent hostibus, diximus alibi. Cæterum in Scenicis personis, Adolescens frugi tugas olim aliquot in fronte habebat, *quod indicium Prysiognomones optimi animi statuunt---Intenta quoque* supercilia *consideratum hominem designabant: quemadmodum corrugata dijudicantem* &c. J. C. Scaliger *Poetices l. 1. c. 14.* Ab homine vox transiit ad declivitates planiores monticulorum minutiorum, aut tumulorum, qui colles ob exiguitatem dici non possunt, apud Agrimensores *Hyginum, Frontinum, Flaccum.* Quô sensu Statius *Theb. l. 6. v. 63.* ubi de summitate lecti funebris.

Summa crepant aurô, Tyriôque attollitur ostrô
Molle Supercilium ——— ———

De cujusmodi Superciliis, vide quæ Guil. Philander & Bernardinus Baldus *ad Vitruvium* notant: de cæteris verò pulcra tradit N. Cressollius *Vacationum Autumn. l. 2.*

SUPERDICTIO, Præconis apud Romanos vox dicta est, qua rei, qui ad supplicium ducebatur, crimen populo fieret manifestum, neglectô titulô seu elogiô, quod aliàs adhiberi solebat, ut vidimus suprà voce *Crux*, it. *Elogium*, alibique passim.

SUPEREROGATIO, Græcè ἐθελοχορηγία, Vide suprà *Roga*.

SUPERFLUI, dicti sunt in Concilio Chalcedonensi Doctores ii, qui præter Patres ad discutiendas quasdam quæstiones, acciti erant. Vide Macrum *in Hierolex.*

SUPERFUSI, in quoddam vetere *Pœnitentiali MS.* apud Car. du Fresne, iidem cum *Clinicis*, dicti sunt, quibus, ob mortem vel mortis periculum, baptismus conferebatur, *superfusâ* salutari aquâ non immersione, ut videre est apud Cyprianum, *Ep. 76.* Nempe hi aspergebantur solùm, non toti lavabantur: uti in primæva Ecclesia præsertim in regionibus calidioribus, fieri consuevit. Atque hâc occasione videtur in Occidente, ac plaga mundi frigidiore, invaluisse aspersio, quæ ibidem hodieque in usu est, ob teneritudinem infantium: præsertim postquam adultorum Baptismus rarior esse cœpit. Vide suprà ubi de *Clinicis*. Sed & *Superfusionem* passim dici, cum aqua, post communionem Sacerdotis, calici à ministro infundatur, apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores, docet idem Auctor *in Glossar.*

SUPERHUMERALE, Hebr. *Ephod*, inter indumenta octo attrea erat, quibus Sacerdos olim Summus apud Hebræos ornatus, quotidie in Sanctuario ministrabat, & quidem inter quatuor illa, „ quæ Pontifici propria fuêre. Fuit illud ex auro, hyacinthino & „ purpureo & coccineo dibapho & xylino internexo, opere artifici- „ osissimô. Duo illi humeralia conjungentia erant in duabus ex- „ tremitatibus quibus conjungebatur; & cingula quoque amictus „ ejus, quæ in ipso, prout opus ejus fuerat, ex ipso erat. Duo „ porro lapides Sardonyches, quibus nomina filiorum Israëlis in- „ sculpta, humeralibus illius Amiculi impositi erant, cum duabus „ catenis auri puri æquabilibus, opere tortili factis: atque ad an- „ nulos ejus Pectorale sacrum annulis suis vittâ hyacinthinâ ita adne- „ xum fuit, ut incumberet ipsi cingulæ Amiculi seu *Superhumeralis*, „ neque ab illo separaretur. Exodi *c. 28. v. 6. & seqq.* Significabat „ autem, SERVATOREM nostrum, cujus illustris typus Pontifex erat, repræsentare coram Deo Ecclesiam suam, Electorumque suorum nomina, quasi humeris suis ferre, imò pectore suô indi- vulsô

vulsè recondere & gratos acceptosque reddere Patri cœlesti, vide Roman. *c.* 8. *v.* 34. Hebr. *c.* 7. *v.* 27. 1. Joh. *c.* 2. *v.* 2. &c. Defuisse illud Templo secundo, non legitur: Et Joseph. *Jud. Antiqq. l.* 3. adfirmare videtur, extitisse illud tempore secundi Templi unà cum Rationali, sed utrumque desiisse fulgere annis ducentis, antequam ille Historiam suam scriberet, h. e. centum circiter annis, priusquam Dominus noster nasceretur: quod tamen Rabbinorum traditioni, de amissis *Urim & Thummim*, repugnat. Quinque enim res in Domo secunda desideratas fuisse, memorant: *Ignem*, *Arcam Rationale Judicii* sive *Urim* & *Thummim*, *Oleum unctionis* & *Spiritum* S. Vel, ut alii recensent, *Arcam*, *Propitiatorium*, *Cherubim*, *Ignem*, *jugem*, *Præsentiam divinitatis*, i. e. *Urim* & *Thummim seu Spiritum* S. Proin Casaubonus Baronium, unà cum Stola Summi Pontificis, à Præsidibus Romanis *Superhumerale* & Rationale asservari fuisse solita, contendentem refellit *Exercit.* 10. §. 2. Et tale quidem erat *Superhumerale* seu *Ephod* Summi Pontificis. Quod autem Sacerdotes reliqui gerebant Amiculum, merè lineum erat; quale & ab iis qui non erant Sacerdotes, fuisse gestatum, discimus ex 1. Sam. *c.* 2. *v.* 18. ubi de Samuele puero legimus, *ministrâsse illum in conspectu Johovæ, cinctum Amiculo lineo*, & 2. *Sam. c.* 6. *v.* 14. ubi idem vestimenti genus Davidi, coram Jehova saltanti, adscribitur. Vide Franc. Burmannum *Quæst. in Exod. c. cit.* De *Superhumerali* seu Amiculo, è manubiis hostium factô & in tropæum à Gideone Judice, in civitate Hophræ, statuto, vide Judic. *c.* 8. *v.* 27 & *seqq.* ut & de altero à Micha facto atque ad idololatricum cultum consecrato, ejusdem libr. *c.* 17. *v.* 5. In Ecclesia Romana retenta vox est, de Pallio Archiepiscopali, quod Ω'μοφόριον Græcis, vide Anastasium Biblioth. *in Concil. VIII. Act.* 2. 9. & supra suô locô, nec non Domin. Macrum in hac voce, ubi de *Humerali* & *Superhumeralis* discrimine quædam addit.

SUPERI Armorum, apud Statium *Theb. l.* 10. *v.* 762. in precatione Menœci, jamjam pro patria morituri,

Armorum Superi, tuque ô qui funerê tanto
Indulges mihi, Phœbe, mori ———

Dii sunt, bellorum Præsides, Mars, Minerva, Bellona, uti exponit verba *vetus Scholiastes*. Quos *armorum Deos* idem Poëta appellat *l.* 11. 412.

—— *ter nigris aridus Regnator ab oris*
Intonuit, terque ima soli concussit, & ipsi
Armorum fugêre Dii ——

Nempe *Superi*, quicunque Dii. Unde *Superi inferorum*, i. e. Dii, apud Lucan. *l.* 6. *v.* 749. Aliàs *Deos Superos*, à *Terrestribus* & *Infernalibus* distinxêre. Festus, *Altaria ab altitudine dicta sunt, quod antiqui Diis superis in ædificiis à terra exaltatis sacra faciebant, Diis terrestribus in terra, Diis Infernalibus in effossa terra.* Sed & *Superorum* nomine viventes nonnunquam indigitari, notum. Vide Barthium *Animadv. ad Statium* passim, inprimis *Theb. l.* 4. *v.* 457. &c.

SUPERICONICÆ, apud Gregorium Turon. *in Vitis* Patrum *c.* 6. Nesciebat tamen quid caneret, quia litteras ignorabat. *Videns autem in Oratorio literas* supericonicas *Apostolorum reliquorumque Sanctorum exemplavit eas in Codice*: dicuntur Dominico Macro, *literæ in imagine alicujus Sancti appositæ.* Imaginum epigraphe, εἰκὼν enim *imago* Græcis est.

SUPERILLUSTRES, dicuntur in *Speculo* Saxon. *l.* 1. *art.* 3. Episcopi, Abbates, & Abbatissæ; sicut *Laici Principes, ex quo facti sunt Episcoporum subditi & vassalli*, Illustres *nuncupantur*, *Ibid.*

SUPERINDICTUM, unus ex titulis Codicis Justin. & Theodos. seu *Superindictio*, præstatio fuit extraordinaria, quæ præter *indictionem*, pro aliqua imminente necessitate, imponebatur. Vide Asconium in 3. *Verr.* ubi *de Canone*, *Oblatione & indictione*, tribus pensitationum generibus, ut & hic in vocibus *Canon*, *Indictio*, *Tributum*.

SUPERIOR Palatinatus, German. *die Obere Pfalz*, dicta Norici portio, quæ Adolpho Simplici Electori Palatino, filio Rudolphi Electoris, quem frater Ludovicus Imperator ditionibus suis pepulerat, ab hoc restituta est, Secul. XIV. velut compensationis vice, cùm Johannis inferioris Bavariæ Ducat. hæreditatem soli sibi vindicâsset. Rediit tandem ad Domum Bavaricam Pace Osnabrugensi. Vide Tob. Pfannerum. *De præcipuis Germaniæ Principum Gentibus*, *c.* 3. ubi *de Gente Palatino-Bavarica*, ut & suprà aliquid, voce *Palatinatus superior*.

SUPERISTA, adup Luithprandum *l.* 6. *c.* 6. *sub finem*, ubi inter primates civitatis Romanæ recensetur *Stephanus filius Joannis Superista*; & in *veter. inscript. Mediolan* apud Puccinellum *in Zodiaco Mediol. Part.* 3. *p.* 378. † *Guilelmus de Pomo Superistes hujus Ecclesiæ, hoc opus multaque alia fieri fecit*; ut quidem eam restituit Car. du Fresne: dignitas fuit in Ecclesia & Palatio, sed quæ, & unde dicta, ignotum. Idem in *Glossar.*

SUPERJUMENTARIUS apud Sueton. *Claudio c.* 2. Jumentariis præfectus est. Vide suprà.

SUPERLIMINARE, vide suprà *Hyssopi fasciculus*.

SUPERMANICALE, Græcè Ἐπιμανίκιον, ornatus maniciæ Sacerdotis in dextero brachio. Vide Meursium *Glossar.*

SUPERNAS, in *veter. Inscr.* Romæ, quam honori Quinti Herennii Etrusci Cæsaris Consulis & Principis juventutis, Trajano Decio Imperat. geniti, dicaverunt.

—— ARGENTARII ET EXCEPTORES
ITEMQUE NEGOTIANTES VINI SU-
PERNAT. ET. ARIMIN.

dicitur veniens ab oris maris Adriatici, *Mare Superum* dicti, ut suô locô vidimus. Jac. Sponius *Itinerar. Gr. Parte* 3. *p.* 38. At *Supernatica* Plinio persica dicuntur, quæ à Sabinis veniebant, *l.* 15. *c.* 12. Vide Salmas. *ad Pollionem in Galienis*, *c.* 2.

SUPERPELLICEUM, apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores vestis est linea manicata, sic dicta, *quòd antiquitus super tunicas pelliceas de pellibus mortuorum animalium factas induebatur*, uti habet Durandus *in Ration. l.* 3. *c.* 1. *n.* 10. & 11. Non Sacerdotibus solùm, sed Diaconis quoque, imò Clero universo communis, uti legas apud *Macrum*. Inprimis verò Canonicis Regularibus in usu, qui eam nunquam deponunt: unde de Canonicis Ecclesiarum. Cathedral. statutum in Concil. Basil. *Horas Canonicas dicturi cum tunica talari, ac superpelliceis mundis ultra medias tibias longis, vel cappis juxta temporum ac regionum diversitatem, Ecclesias ingrederentur: non capucia, sed almucias, vel birota tenentes in capite.* Horum verò non eadem forma. *Ex Constitutione* quippe Benedicti XII. Superpelliceum, quô in Choro utuntur, longiores manicas habet. Cui non amplæ, sed strictæ manicæ sunt, Rochetum nuncupatur, seu *Romana camisia*, quòd eô Itali utantur potissimùm. Quod undique per circuitum clauditur, *Cotta* dicitur. *Sarrocia* ad latus aperta sunt & non nisi ad quatuor digitos infernè clausa, sine manicis, colobium referentia: cùm foras prodeunt, *parva sarrocia* sumunt, qualia Novitiis dantur. Latitudo 4. digitos non excedit, &, instar scapularis Monachorum, hinc inde dependet, non tamen sine plicis. Auctores *fasciam* & *hastam* appellant, uti habet Car. du Fresne, *in Glossar.* Colorem ei album, formam crucis, tribuit *Macer*. qui *tempore Quadragesimali ex lana candida constare, & in aliquibus Ecclesiis adhuc primævam superpellicei formam retineri, nempe eâ rotunditate, antiquæ planetæ sine manicis: sub qua ex lateribus brachia extollantur*, addit, *in Hierolex.* Vide quoque suprà passim in vocibus *Cotta*, *Rochetum*, *Subtile*.

SUPERPONERE apud Solin. *c.* 27. ubi de leonibus, in tria genera divisis. *Pariter omnes parcunt à sagina, primùm quòd alternis diebus potum, alternis cibum capiunt, ac frequenter, si digestio non est insequuta, solitæ cibationi* superponunt *diem.* Græcis ὑπερτιθέναι, differre & suspendere diem; hincque abstinere est. Qui enim solitæ refectioni diem superponit, utique diem unum jejunus manet. Unde *Superpositio* veteribus Christianis pro jejunio. Concil. Eliberitanum *can.* 26. *Errorem placuit corrigi, ut omnis sabbathi die superpositiones celebremus*, i. e. jejunia, & quidem unius diei, cùm dies unus cibo superponebatur, cujusmodi Veter. jejunia erant: Integrum scil. diem refectioni superponebant. Sic Græci ὑπερτιθέναι ἡμέραν de unius diei jejunio dixêre *Epiphan.* Ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς καὶ τριπλᾶς καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, *duos, tres, quatuor dies superponunt.* Atque eâ re *superpositiones*, à *stationibus* differebant: hæ enim erant jejuniorum dies stati, quæ horâ nonâ solvebantur, non superpositô solidô die, ut in aliis jejuniis quæ *Superpositiones* hinc dictæ. Ita *Epiphanius* idem, & *Dionys. Alexandrin.* ὑπερτίθεσθαι ἡμέρας dixêre de Hebdomadis sanctæ jejuniis, quæ in multam noctem, etiam à nonullis ἄχρις ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς, *usque ad Galli cantum*, protendebantur. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 324. Cujusmodi fortè & illud jejunium SS. Patrum fuit, de quibus Nilus *Narrat.* 3. qui παρὰ μίαν ἡμέραν *alternis diebus* reficiebantur & ἄσιτοι, *à cibo potuque abstinentes*, transigebant. An & illud, quod Monachos Ægyptios Quadragesimali tempore observâsse, tradit Hieronym. *Ep.* 22. ubi eô tempore *districtiùs illos vivere*, nempe tum quoad durationem, tum quoad abstinentiæ rigorem ait? At *Superpositio Psalmorum & officii*, apud Stephan. Paris. *in Regulas S. Bened.* officii & cursus Ecclesiastici augmentum seu additio ad consuetum officium: & *Superpositio Silentii*, apud *Columbanum* pœnæ species est, quâ reus silere prorsus jubebatur, Car. du Fresne in *Glossar.* ubi quoque *Superpositionis*, de Jejunio vocem, de jejunio strictiori quod *jejunium duplex* aliis, Gallicè *Redoublement de Jeune*, appellatur, explicat; quasi *superpositionem jejunii.* At Græcos non ὑπερτιθέναι τὴν νηστείαν, sed τὴν ἡμέραν, dicere consuevisse, ostendit Salmas. uti vidimus.

SUPERPOSITUS Medicorum, in *vetere Inscr.* idem qui *Archiater* aliàs. Vide suprà. Sic *Superpositus Monasterii*, in *Diplom.* Muncimiri Croatiæ Ducis ann. 992. apud Joann. Lucium *de Regno Dalmatiæ l.* 2. *c.* 2. Abbas est, Græcis Ἡγούμενος, quas voces iterum retro vide, ut & in voce *Super*.

SUPERSPERSUS, apud Solin. *c.* 30. ubi de camelopardali, *collo equi*, ait, *similem, pedibus bubulis, capite camelinô, nitore rutilô, albis maculis* superspersô: idem quod *stellatus* est, ut habet scriptura τῶν ἀντιγράφων. Sed neutrâ lectione rei veritatem, aut Plinium, quem exscribit, assecutus Auctor est. *Stellatum* enim & *Superspersum*, de rotundis maculis & in vortices sparsis dicitur: *distinctum* verò, de longis & lineatim ductis, quales Camelopardalis maculæ sunt: ῥαβδωτὰς σπίλους, *virgatas maculas*, vocat Strabo *l.* 16. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 388.

SUPERSTITIO, Græcis Δεισιδαιμονία, *Plutarcho* definitur δόξα ἐμπαθὴς καὶ δέους ποιητικὴ ὑπόληψις ἐκταπεινοῦντος καὶ συντρίβοντος τὸν ἄνθρωπον, οἰόμενον τ' εἶναι θεούς, εἶναι δὲ λυπηροὺς καὶ βλαβερούς. Nascitur nempe, ab immani divinitatis metu, quô Deum horremus, ut asperitate nimiâ truculentum, & idcirco omnes divinæ culturæ minutias, quæ nobis in mentem veniunt, scrupulosè, nihil omittentes, persequimur. Hinc formido hominis animum deprimens ac frangens, quam *inanem Deorum timorem* Cicero appellat *de Nat. Deor. l.* 1. ac Varro, *Deum à religioso vereri, à superstitioso timeri* ait, apud *B. Augustinum.* Maximus quoque Tyrius eleganter, τὸν μὲν εὐσεβῆ φίλον θεῷ, τὸν δὲ δεισιδαίμονα, κόλακα θεοῦ vocat, *Serm.* 4. Eandem formidinem ταπεινοῦσαν καὶ ἐκταπεινοῦσαν sic Lucretius *l.* 6. *v.* 49. ex Veterum Philosophorum sententia describit;

Cætera, quæ fieri in terris, cæloque tuentur
Mortales, pavidis quum pendent mentibu' sæpe,
Efficiunt animos humiles formidine Divûm,
Depressosque premunt ad terram ——

Vide

Vide Desid. Herald. *Animadvers.* ad *Arnob. adv. Gentes l.* 6. Apud Statium *Theb. l.* 12. *v.* 487. ubi de Clementiæ idolo:

> *Audit, quicunque rogant, noctesque, diesque*
> *Ire datum, & solis Numen placare querelis.*
> *Parca* superstitio: *non thurea flamma, nec altus*
> *Accipitur sanguis, lachrymis altaria sudant.*

Sumptus est omnis religioni impensus. Hinc parvâ eâ opus hîc esse ait Poëta, cùm lachrymis huic Numini litetur, quæ miseris non emuntur pretiô. Bene omninò. Nam qui verum unicumque Numen cor & mentem humanam habitare novit, omnia utique cætera pro *superstitione* habebit. Elegans vocis etymon apud eund. Lucretium est *l.* 1. *v.* 63.

> ——— *gravi sub religione,*
> *Quæ caput è cœli regionibus ostentabat,*
> *Horribili* super *aspectu mortalibus* instans.

Quòd nimirum ex alto *superstet* & immineat desuper capitibus mortalium, Casp. Barthius *Animadversion ad Statium d. l.* ut alias vocis notiones in præsens omittam. Addam saltem, quidquid *super statas* & ordinarias præstationes exigitur, *Superstitionis* quoque nomine venire, in *Charta* Caroli Crassi Imperatoris apud Ughellum; & *vestimentorum superstitionem* i. e. superfluitatem ac luxum occurrere, in *Epistola* Bonifacii Moguntin. ad Cuthbertum Archiepiscopum Cantii, præfixâ Concilio Cloveshov. apud Car. du Fresne in voce *Superstitio.*

SUPERVENTORES, militum genus apud Ammian *l.* 19. Hinc *Superventores Juniores*, sub dispositione Magistri Peditum Præsentalis, & *Milites Superventores*, sub Duce Scythiæ, in *Notit. Imperii*, qui hostem primi aggrediebantur. Idem Car. du Fresne. Vide de hac voce, ut & verbo *Supervenire*, plura apud Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium passim*, *Thebaid.* inprimis *l.* 2. *v.* 298.

SUPERUM mare, Cicer. *pro Cluent. c.* 68. & *pro Flacco c.* 13. Plin. *l.* 3. *c.* 26. idem quod Hadriaticum: inferum idem Tyrrheno est.

SUPERUNDATIO, apud Radulfum *de Hengham in Summa parva*, *c.* 3 pœnæ genus, cùm quis in mare demergitur, seu aquis ac *undis* operitur, rursumque vivus inde extrahitur: apud gentes maritimas hodieque usitatum. Vide Joh. Bapt. Tavernier *Tract. Gall. de Batav. in India Orient. agendi rat.*

SUPH, fil. Thau. 1. *Sam. c.* 1. *v.* 1. Fil. Elcana. 1. *Paral. c.* 6. *v.* 35. Nomen loci. 1. *Sam. c.* 9. *v.* 5.

SUPHA, fil. Helem. 1. *Paral. c.* 7. *v.* 35.

SUPHAM, fil. Benjamin. Numer. *c.* 26. *v.* 35.

SUPHIS I. Memphitarum Rex X. præfuit post Sorim, regnavit ann. 63. Gosormie, Mare & Anoyphe, in Thebaide; Bochô & Cræchô apud Thinitas, Sesonchose & Ameneme, in inferiore Ægypto imperantibus. Auctor pyramidis maximæ, juxta *Africanum*, ad quam struendam *lapides ex Arabico montis lapidicinis trans Nilum vectos*, ait Herodotus *l.* 2. *c.* 124. quasi non fuissent latomiæ viciniores, quum *pyramides in monte saxeo sitæ sint*, Diodor. Sic. *l.* 1. Ex inscriptione ejus 1600. *talenta in operarios pro raphano, cæpis & alliis erogata fuisse*, eidem Herodoto ajebat Interpres, ibid. *c.* 152. ubi tamen illam à Cheope *ꝑ* à Phiope erectam vult. Idem verò Suphis *περιόπτης εἰς θεοὺς ἐγένετο, καὶ τὴν ἱερὰν συνέγραψε βίβλον*, *contemplator in Deos fuit, & sacrum conscripsit librum*, *Manetho* apud Syncellum, ubi & librum hunc, velut, rem magni pretii, cùm in Ægypto esset, se nactum esse, gloriatur. Forsan Theologica ista stelis hieroglyphicis primitus exarata, in librum (postquam ars libraria inventa est) demum translata sunt. Et hanc *Suphidis* ætatem, hunc illius librum intellexisse videtur Jamblichus, quando dixit, *Primi omnium Ægyptii præsentiam participationemque Deorum sortiti sunt*, Myster. Ægypt. p. 151. *Sanè*, inquit Marshamus, *ex hac Regis θεοπτίᾳ nova in Ægypto religionum ludibria excogitata sunt & sacris tradita commentariis. Nam ex Thinitarum synchronismo manifestum est Boüm Hircique ἀποθέωσιν eô ipsô tempore originem habuisse*, Can. *Chronico* ad *Secul. IV.* ubi de *Θεοπτίᾳ & Idololatriæ vetustate.* Et quidem, cùm in *εἰδωλομανίᾳ* pictura cœperit, tempore Serugi, sub Thara avo Abrahami Patriarchæ Suphidi contemporaneo, *simulachra figulinô opere ex argilla fieri cœpêre*, Epiphan. *Hær. l.* 1. §. 6. & Suidas in *Σερούχ.* Excepit autem Suphidem, alter cognominis, de quo mox: ubi de *Mente-Suphide* & *Mathu-Suphide* suô locô.

SUPHIS II. Acesephtre in inferiori Ægypto regnante, præfuit Memphitico regno, per ann. 66. ut *Manetho* tradit: auctor pyramidis præfatæ *Eusebio*, quam Syncellus priori tribuit. Sed, *dubitari potest*, verba sunt eruditissimi Marshami, *utrum duo essent Suphides, qui regnârunt uterque supra annos* 60. *an unus idemque sit Rex Suphis? d. l.* Successit *Mencheres*, quem vide.

SUPHTHA, urbs Parthiæ. *Gestie Theveto.*

SUPIA, vulgò SUIPPE, fluv. Galliæ, in pago Remensi. Oritur ad vicum Summum Supiam *Somme Suippe*, & Supiam municipium, quaternis quoque annô nundinis celebre, Juncarium *Jonchery*, Albam Ripam *Auberive*, Pontem Fabricatum *Pont Faverge*, Cellam, Warmerii Villam, Insulam, Alamannorum cortem *Aumencour*, Bettrici Cortem, Acutiorem Cortem *Agulecourt* alluit, atque apud Condate *Condé* in Axonam decurrit. Memoratur Frodoardo *in hist. Eccl. Remensis.* In illum influunt duo fluvioli, Pidus & Arna: quorum ille, vulgò *Py*, alluit vicos Summum Pidum *Somme-Py*, aliàs *Sompi* & *Soupi*, ad caput ipsius positum, vicum S. Mariæ ad Pidum, ad S. Sulpicium *S. Soupple* & vicum S. Martini ac in Supiam effluit. Iste, vulgò *Arne*, ad fontem vicum habet Summa Harnam *Somme Arne*, & attingens vicos S. Petri & S. Clementis, similiter in Suniam delabitur. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

SUPINÆ Manus, apud Statium *l.* 4. *Sylv.* 1. *v.* 16.

> ——— *levat ecce* supinas
> *Hinc atque inde manus, geminaque hac voce profatur:*

ad cœlum erectæ extensæque sunt. Hic enim ritus erat venerantium Deos, inprimis cum vehementissimè aliquid ab iis peterent, de quibus, vide notata Barthio *ad Claudian. in Ruffin. l.* 2. *v.* 205. & *ad Theb. Papin.* passim: nec non Casaubono ad *August. Sueton. c.* 16.

SUPPARUM, inter feminei sexus vestimenta, memoratum Plauto *Epid. Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 47.

> *Indusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam,*
> Supparum *aut Subnimiam* &c. ———

Nonio *linteum fuit femorale, usque ad talos pendens, dictum, quòd subtus appareat.* De eodem Novius Pedio, *Supparum purum, bellientem interim, escam meram*, (*Velientem interim Oscam meram*, corrigit Lipsius) Afranius *Epist. Tace, puella non sum, Suppato si induta sum.* Varro *Eumenid. Hic indutus Supparum, coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit.* Festus *vestimentum puellarum lineum* interpretatur, *quòd ea Subucula diceretur.* At Varro de *L. L. l.* 4. à Subucula distinguit, & ab eo deducit, quod est supra: *Alterum genus*, inquit, *quod subtus est: à quo Supparus.* Quod verisimilius *Ferrario* est. Si enim interior vestis fuisset, quomodo ille apud Afranium negaret, se puellam esse, etsi *Suppato* indutus, si vestis latuisset? Non fuisse autem puellarum tantum, indicare videtur Lucanus, ubi de Marcia Catonis matrimonium repetente, *l.* 2. *v.* 364.

> —— *Humerisque hærentia primis*
> *Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.*

Ubi & vestem superiorem fuisse apparet, & primis humeris hæsisse. Cur autem dicatur nudatos lacertos cinxisse, ea fortasse causa est, quòd recens à funere Hortensii mariti, nudis ad planctum pectore & lacertis, veniebat. Subjicit enim, *v.* 365.

> *Sic, ut erat, mœsti servans lugubria cultus.*

Porrò eleganter Tertullian. *contra Gentes*, vexillorum vela transversis hastulis alligata *Suppara* vocat & *Stolas* appellat *crucium.* Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. Part. I. l.* 3. *c.* 20. Vide *de Suppato* Classis Alex. Casaubon. *ad Aug. Sueton. c.* 97. & supra *Cataplus.* Salmasius verò vocem compositam esse docet, ex præpositione *sub*, & antiquo nomine *parus*, Græcè *φᾶρος*, ac proin *Subparum* vel *Supparum*, tunicam fuisse ait seu subuculam, quæ sub *paro* accipiatur: *φᾶρος* autem Græcis vocari omne vestimentum, quod injiciatur, circumjiciatur atque etiam insternatur, *Not. ad Tertullian. de Pallio c.* 3.

SUPPEDANEUM, Græcè *ὑποπόδιον*, vide supra *Scabellum.* Sed & *suppedaneam tabellam* vocant Ecclesiæ medii ævi Scriptores, quæ sub pedibus crucifixi depingi solet, quod hodieque à Græcis observari, disces ex Domin. Macro *in Hierolex.* Cujusmodi imaginem delineatam habes apud Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Parte* 2. *p.* 211. Nempe vulgari *Cruci* sunt qui *suppedaneum* appositum volunt, ut non ut cruciarii corpus in illo pedibus sistentis, requiesceret, quod quibusdam visum; sed ut pede in eo positô cruciarius posset inscendere per se, & lignum, quod in medio fixum erat, insidere, eôdem prorsus modô, quô eques, pede stapedi impositô, ad sublevandum se, equum ascendit. Medium namque crucis lignum, quod eminebat ex anteriore parte, equi lignei vicem habuit, quod inscendens equitabat cruciarius. Unde & *ὀχούμενον*, eô dixit crucifixum Justinus *Dial. Tryphonis.* In eo ligno veluti subsidebant totô corpore sustentati, quia illud natibus premebant, cruribus hinc inde pendulis: hominis autem ita subsidentis brachia utrinque expansa ad duas latitudinis partes extremas deligabantur: clavis quoque affixa; pedes in ima extremitate longitudinis vinciebantur, & clavis itidem configebantur; caput habebatur reclinatum ad extremitatem longitudinis summam. Tribusque sic partibus tota crux constabat, *Arrectariô lignô* sive stipite sive palô, qui erectâ statione in terram defixus totum corpus sustinebat rectum; *Staticulum* & *Statumen* appellant Scriptores: *Antennâ*, h. e. lignô transversariô, quæ dispassis brachiis cruciatis & alligatis quasi vestita erat: & *Sedili*, i. e. ligno, quod à medio staticulo eminebat ac insidentem sustinebat cruciarium. Ita enim Tertullian. *ad Nationes l.* 1. *Pars major crucis est omne robur quod rectâ statione defigitur, reliquæ partes sunt antenna & sedile.* Appendicis locô censetur fuisse *Suppedaneum*, de quo tamen meritò dubitatur, cùm nulla ejus apud Veteres mentio, nisi nos Gregorii Turon. *de Glor. Martyr. c.* 6. moveat auctoritas. Ultimò erat superiùs tabula alba, Græcè *λεύκωμα*, nigris literis notata, in qua causa mortis describebatur: Salmas. *ad Justin. l.* 2. *c.* 5. ubi Crucem non *Tau* Samaritano, quod ex Origene tradit Hieronymus, sed Ægyptio *Salebdi*, vel *Tavi* literæ Abyssinorum similem fuisse, addit. Id saltem ex *Suppedaneo* hoc confirmatur, quod & aliunde discimus, cruces vulgares non admodùm altas fuisse: extra ordinem verò sublimes aliquas statutas notum &c.

SUPPEDIA, quoque *ὑποπόδια* Græcis, ad verbum Latinis dicta sunt, lignea sandalia regulâ ferreâ, ut majorem sonitum ederent, suppacta, quibus utebantur olim, qui choro *ἐνδόσιμον* dabant aut saltantibus Pantomimis, strepitum edebant, *ποδοκτύποι* hinc & *ποδοψόφοι* Græcis appellati. Vide supra in vocibus *Crupezia*, *Pedicularii*, *Scabella.*

SUPPENTONIA, castrum Hetruriæ, cum cœnobio, in finibus Faliscorum, inter Nepitam & Soracte, à Nepita vix 3. mill. pass. in Ortum; *Castel di S. Helia* Baron.

SUPPLANTARE, verbum Luctæ veteris, vide supra *Ordine* ..., *Nodus brachiorum*, *Supplantare.*

SUPPLICANDI Ritus, apud Veteres varius fuit. Antiquissimis temporibus quomodo ille fuerit peractus ex Homero patet. Apud eum enim *Il. α.* Thetis ante Jovem, cui erat supplicatura, *sedit*: quem morem alibi non est tam facile reperire. Illud canrum Interpretes

pretes Apollonii fuggerunt, folitos fuiffe *Supplices*, apud Larem tacitos federe. Quæ fequuntur, fic fe habent prout illa quoque Rhodiginus *l.* 15. *c.* 18. ex Euftathio & aliis Interpretibus Græcis ftudiosè collegit: *Veteribus*, inquit, *poft illos diu receptiffimi moris fuit, ut* Supplicantes *caput, dextram, genuaque ejus, cui fe ingererent fupplices, contingerent, nec totum tamen caput fed mentum modò, vel barbæ meditullium, quorum illud Homerus, iftud Euripides habet.* Non quòd omnia fimul hæc membra tangerent fupplices, fed quod vel eorum duo, ut Thetis apud Poëtam, quæ finiftra manu genua, dextrâ mentum Jovis apprehendit; *Il. α. v.* 360.

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα

Vel faltem aliquod illorum attingeret, nempe vel caput, aut fi illud averteret, cui fupplicabatur, dextram, vel fi & hanc abfconderet, ut apud Sophoclem factum legimus, citatum Euftath. *in Homerum dicto l.* genua faltem amplecterentur iifque inhærerent. Namque & hoc quoque negare *Supplicibus* inufitatæ feritatis erat, factumque plerunque eft, ut Supplices ad genua accedentes; clementer exciperentur & gratiam invenirent. Unde Lycaon [illegible] vocat [illegible], & Achilli hôc ritu fupplicans, Σὸ δ', inquit, μ' αἴδεο καί μ' ἐλέησον, *Il.* φ. Ofcula quoque genibus iftiufmodi miferos pofuiffe, patet ex ritu fequenti ævô Tyrannis retento, de quibus fic Amm. Marcellin. *l.* 28. *Ex his quidam, cùm falutari pectoribus oppofitis cæperunt, ofculanda capita obliquantes, offerunt genua fuavianda & manus.* Soliti autem *Supplices* hæc tria potiffimum funt membra, non fine ratione, tangere: Et caput quidem διὰ τὸ ἡγεμονικὸν, quia fit in nobis ea pars princeps; dextram verò, διὰ τὸ πρακτικὸν, quoniam ibi maxima ad agendum facultas; genua tandem, διὰ τὸ βαδιστικὸν, propter motus & progreffionis neceffitatem. Quæ tria fymbolicè con fenfum, actionem & progreffum, ad ea quæ peterentur præftanda, complecti videntur, etenique velut [illegible] τέλος, id eft, *auguria fupplicandi finis* &c. Aliquando verò ante provolvebantur. *Petronius, Servus nobis difpoliatus ante pedes procubuit.* Claudian. *de Raptu l.* 1. *v.* 49. ubi de Parcis,

Ante pedes folìumque Ducis fudere feverum
Canitiem ---

Cùm accedere non dabatur, manus tendebant. Statius *Theb. l.* 12. *v.* 587.

--- *Excipiunt cuncta, tenduntque precantes*
Cum clamore manus &c. ---

Poftmodum in ara quoque federe fupplicibus in ufu effe cœpit. Sic apud Corn. Nepotem *Paufan. Argilius, adolefcens nobilis, qui Epiftolæ, quam à* Paufania ad Artabazum deferendam *acceperat: vinculis laxatis fignòque detractô, fi pertuliffet*, fibi effe pereundem cognoverat; *in Fanum Neptuni, quod Tænari erat, confugiens, ibi in ara confedit, c.* 4. Quemadmodum paulò pòft Paufanias ipfe, *in ædem Minervæ, quæ Chalciœcus vocabatur, fe conjeciffe* legitur; *c.* 5. Unde Virgilius *Æn. l.* 2. *v.* 523.

--- *hæc ara tuebitur omnes.*

Alium *Supplicandi* ritum idem fuppeditat Auctor, *Themiftocle c.* 8. ubi de hoc ad Admetum Moloflorum Regem profugo, *Quo majore*, inquit, *religione fe tueretur, filiam ejus parvulam arripuit, & cum ea fe in Sacrarium, quod fummâ colebatur ceremoniâ, conjecit. Inde non prius egreffus eft, quàm Rex eum datâ dexterâ in fidem reciperet: quam præftitit. Nam cùm ab Athenienfibus & Lacedæmoniis expofceretur publicè*, Supplicem *non prodidit* &c. De Scytharum ritu fanctiffimo *Supplicandi*, cùm in corio bovis mactati humi fedebant, diximus ex *Lucanio* fuprà: ut & de Servis ad aras ftatuafque vel etiam fepulchra confugientibus. Vide Rhodiginum præfatum. Apud hodiernos Turcas; *Supplex*, pro more gentis inolito, ignem capiti imponit, ficque Seraglium ingreffus, quantô poteft maximè concitatô curfu ad Imperatorem accurrit, caufamque ei fuam commendat, nec cuiquam mortalium fic accurrentem inhibere, aut fiftere licet, quod idem in Abyffinorum quoque Regis Aula obfervari reperimus, vide Petrum de Valle *Itiner. tom.* 1. Ut de ritu Cornua Altaris amplectendi, apud Ifraëlitas olim ufitato, de ritu lingendi pulverem fuprà memorato, verbo *lingere*, aliifque, jam nil dicam &c. veftigia adorandi lachrymifque tingendi morem infrà tangemus, voce *Veftigium*. Habitum quod attinet, & infignia *Supplicum*, fuêre illa infulæ, velamenta, (quô nomine intelligit Heraldus laurum five oleam & vittas, feu vittatam laurum & oleam, unde λευκοστεφεῖς ἱκετηρίαι. Æfchylo *Supplic.* quæ [illegible] Homero *Il. α. v.* 14. *infulæ* Arnobio *l.* 5. & nonnunquam ad genua eorum, quibus fupplicatum, protendebantur, quandoque etiam deponebantur feu adfigebantur quod [illegible], item [illegible] Græcis; aris quoque, in quibus fupplices fedebant, imponebantur, uti pluribus docet præfatus Auctor *ad Arnob. l. cit.*) rami, oleæ, fordida veftis, uti apud Livium plurimis locis videre eft, inter alia *l.* 35. *c.* 24. *l.* 36. *c.* 20. *l.* 37. *c.* 28. *l.* 45. *c.* 25. alibi. Caput præcipuè obvolvebant. Statius iterum *Theb. l.* 12. *v.* 469.

--- *ramofque oleæ, vittafque precantes*
Tradit & obtenta fubmittere lumina palla,
Et præferre docet vacuas fine manibus urnas.

Cujus rei illuftre exemplum in Priamo, Homerus exhibet. *Il.* ω. fed & manu coronas geftabant, Æfcyl. *Suppl.* aut coronati ipfi ...., apud Sophoclem *Oedipo Tyr.* etiam fæpe coronas offerebant, quô exemplô Mageres Cybiræ tyrannus Confuli Romano quindecim talentûm coronam obtuliffe legitur, apud Polybium *Ecl. legat.* &c. Vide Car. Pafchalium *Coronar. l.* 1. *c.* 12. Atque fic hominibus *Supplicatum*, ut & quædam addam, de ritibus Gentilium, cum in publicis præfertim calamitatibus, Diis fupplicabant, commemorat quofdam illorum Arnob. *adv. Gentes l.* 1. *Quot multa vulnera nobis debitum vobis oftendi, quot tabificis affectos morbis nullam omnino retuliffe Medicinam, cùm per omnia Supplices irent templa, cùm Deorum ante ora proftrati limina ipfa converrerent ofculis: cùm Æfculapium --- & precibus fatigarent & invitarent miferrimis votis!* Nempe in magna aliqua calamitate, five publica, five privata, *per omnia fupplices ibant templa*. Polyb. *l.* 9. [illegible]. Sic enim fore exiftimabant, ut tandem Deorum aliquem propitium invenirent. Quò pertinet formula, Veter. *Si Deus, fi Dea* &c. de qua fuprà. Dein, procumbebant humi & pandebant palmas, *ante Deum delubra*, Lucret. *l.* 5. *v.* 1200. *ante aras*, *ibid. ante fimulacra*, Æfchylus *Thebaid.* quorum non genua folùm, verum etiam pedes quandoque ipfos, & plantas, ut ait Arnob. *l.* 6. ac veftigia comprehendebant ac ofculabantur. Unde Prudentius *contra Judæos*.

Auguftum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis, & foleas Junonis lambere; plantis
Herculis advolvi, genua incurvare Dianæ.

Vide quoque infrà *Veftigium*. Etiam in ingreffu ftatim templorum, confpectis iis, in ipfo limine: in terram effundebantur, ipfique nonnunquam limini ofculum figebant, Lucan. *l.* 2. *v.* 28. & quidem mulieres paffis crinibus, quibus limen folumque verrebant, quod [illegible] Artemidorus, *l.* 2. *c.* 33. uberi infuper fletu fimulachra rigebant, quod κλαίειν τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν. Polyb. vocat, *ubi fuprà*. Accedebant preces & vota &c. Vide Defid. Heraldum iterum *ad Arnob. d. l.* & hic paffim, ubi de *Afylis*, *Creta*, *Cruce*, *Luctu*, *Mæftitia*, *Nudipedalibus* &c.

SUPPLICATIO, apud Romanos honos fuit, qui unà cum *Imperatoris* nomine decernebatur Victori: Nempe, cùm Senatus Populo Deûm templa aperiri, ac gratias Diis, Imperatoris nomine, agi juberet. Erat enim moris, ut Confules vel Prætores, poftquam à militibus appellati *Imperatores* fuerant, Lictores, laureatos præferrent, literafque laureatas ad Senatum, de re gefta, mitterent quibus *Imperatoris* nomen ac *Supplicationes* à Senatu poftularent. In qua pompa, quæ alias pauciores continuabatur dies, Senatus ad templa Deorum folemniter fe conferebat ibique facrificabat & dabat in templis epulum: Omnis autem Populus agebat Diis gratias pro fpe victoriæ, quæ affulgebat, & feftos celebrans dies, vota faciebat, ut Dii hôc modô placati, quod oftenderant beneficium, perficerent. Quamvis verò primis temporibus in unum alterumve diem *Supplicatio* ægrè decernebatur, tamen ad poftremum eò progreffa eft, ut etiam in quinquagintà decretæ fint. Marco enim Valerio & M. Horatio Confulib. A. Urbe Cond. 304. devictis Sabinis, *Supplicatio* in unum diem; Camillo Vejis captis, in quatriduum quidem, decreta eft: At Cn. Pompejo Mithridaticô bellô confectô, duodecim: Cæfari bellô Gallicô, primùm quindecim; poftea viginti: Hirtio Panfæ & Cæfari Octaviano, Mutinâ Coloniâ liberatâ, quinquaginta dies dati funt: in qua varietate, cùm magnitudinis victoriæ; tum dignitatis ejus, qui vicerat, ratio videtur fuiffe habita. Idem honoris genus fibi fuiffe conceffum, poft repreffam conjurationem Catilinariam, refert Cicero *Catilin* 3. & 4. *Philipp.* 2. & *alibi* Vide Joh. Rofin. *Antiqq. Roman. l.* 10. *c.* 28. Hinc phrafis *Decernere Supplicationes*, quem honorem Græci hâc periphrafi exprimunt: ἡ Σύγκλητος ἐψηφίσατο θύειν τοῖς θεοῖς καὶ σχολάζειν ἑορτάζοντας, *facrificiis & feftivis vacationibus*, eum denotantes. Qui iidem [illegible] quoque, item θυσίαν καὶ ἱερομηνίαν, hunc ritum vocant. Salmaf. *ad Spartian. in Hadriano, c.* 12. In Ecclef. Romana *fupplicare* dici Monachos, cùm ante Abbatem in Capitulo aut alibi fe inclinent, feu cùm eum falutent, refert Car. du Frefne, ex *Ufibus antiquis* Ciftert. *c.* 70. & 83. Guigone *in Statutis Ord. Cartuf. c.* 43. §. 5. & *Statutis* Ordin. Præmonftr. *dift.* 1. *c.* 19. Vide quoque infrà: at de *Libellis fupplicibus*, qui Græcis δεήσεις, uti qui iis præerat, ὁ ἐπὶ τῶν δεήσεων, Meurfium *Gloffar.* fuprà quoque *Epitrudefion*.

à SUPBLICATIONUM Summariis, nomen officii, in Cancellaria Papali, vide fuprà *Abbreviator*.

SUPPLICIUM more majorum, apud Romanos, quid propriè fuerit difcimus ex Suetonio *Nerone c.* 49. ubi inter alia fic de illo: *Inter moras, perlatos à curfore Phaontis codicillos, præripuit, legitque, fe hoftem à Senatu judicatum, & quæri, ut puniatur more Majorum. Interrogavitque, quale id genus pœnæ effet? Et cùm comperiffet, nudi hominis cervicem inferi furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos fecum tulerat, arripuit* &c. Sic Victor. *in eod. Senatus fententiâ*, ait, *conftitutum, ut more Majorum, collô in furcam conjectô virgis ad necem cæderetur.* Ac reperiuntur exempla in Hiftoriis, etfi haud crebra. Livius *l.* 22. *c.* 57. inceftum cum Veftale fic punitum oftendit: *L. Cantilius, Scriba Pontificum, quos nunc minores Pontifices appellant, qui cum Floronia ftuprum fecerat, à Pontifice Max. eoufque virgis in Comitio cæfus eft, ut inter verbera exfpiraret.* Dionyfius in culpa fimili, & de iis, qui Urbiniam ftuprârant, *Antiqq. l.* 9. ubi Interpr. *Ex iis autem qui illicitam corruptionem patraverant, alter feipfum interemit; alterum ii, qui facris præerant* (Pontifices) *comprehendentes in Foro flagris fecantes, tanquam mancipium, interemerunt.* Nam etfi neuter Furcæ hic mentionem faciat, tamen cùm verberibus ad necem datos denarrent, probabile, id ita ritu prifcô factum: hôc magis, quòd Dionyfius indicans addidit, κατὰ τὸν ἀνδράποδον τρόπον, *fervilem in modum*. Quod autem liberi etiam fub Furca interdum cæfi, exemplum in *Epit.* Livii clarum, de C.

Matieno *l.* 55. *qui accusatus apud Tribunos, quòd exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque, sub Furca diu virgis cæsus est & sestertiô nummô venit.* Licèt enim is non ad veram mortem cæsus: tamen ad civilem, & libertatem civitatemque pariter amisit. Vide Justum Lipsium *de Cruce l.* 3. *c.* 2. Diversum autem id *supplicii* genus fuit à decollatione, Græcè πελεκισμῷ, quæ cum priori conveniebat in ἀνασκολοπισμῷ seu alligatione ad Furcam & μαστιγώσει, seu flagellatione, sed in eo differebat: quòd in *Supplicio more Majorum* reus virgis cæderetur ad mortem; in πελεκισμῷ autem virgis quidem cæderetur, sed posteà securi percuteretur, ut ex historia Antigoni Judæorum Regis hôc modô interemti patet, apud Dion. *l.* 40. Vide quoque infra Virga. De reliquis *Suppliciorum* generibus apud nobiliores Gentes, Romanos inprimis, Græcos & Hebræos olim usitatis diximus passim, præcipuè autem in voce *Pœna*: uti de officiis *ultimô supplicio afficiendis* præstari olim solitis, deque libertate iis concessa, supra lemmate. *Muratum vinum*. Vide quoque voce *Sortes*. De nomine saltem addam, à *supplicando* nonnullis id, h. e. precando, dici, quòd supplices soleant esse homines in deprecandis pœnis: vel quòd prisca paupertas noxiorum bonis sacra facere consueverit, in *Supplicationibus* Deorum, delatis non in Ærarium mulctis, sed in aras Deorum, velut anathematibus. Alii à *Supplendo* deducunt, quòd in *Suppliciis* injuriarum compensatio & velut suppletio fiat. Sed prius etymon *Isidoro* potius.

SUPPLINBURGIUS Comitatus Saxoniæ vetus, olim sub proprio Comite. In qua Familia Lotharius Comes Supplinburgius, Comitum Querfordiensium prosapiâ oriundus, &, qui jam Rixæ uxoris jure, (Henricô Comite Northemiô & Gertrude ex Misniæ Marchionum Familia prognatæ) non spernendam Saxoniæ partem adeptus erat, volente Henricô V. Imperatore, Magno Saxoniæ Duci, ex Billingianis ultimo, successit A. C. 1106. casô memorabili prœliô Hojerô Mansfeldiæ Comite, cui Cæsar, mox benevolentiæ pœnitens, provinciam destinavit. Post Henricum dein idem Imperator creatus, generum Henricum Superbum sibi in Ducatu suffecit: quem postmodum Albertus Ursus Anhaltino Lauenburgicæ gentis conditor excepit. Pfannerus *de præcipuis Germ. Principp. Gentibus c.* 2.

SUPRA Hereditates, *Supra Velarios* &c. officiorum nomina, apud Romanos, vide hîc passim.

SUPRA Numerum, militiæ imaginariæ genus, à Claudio Principe inventum. Suetonius *in eo, c.* 25. *instituit & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur* supra numerum: *quô absentes & titulô tenus fungerentur.* Lamprid. *Adscriptos* vocat & *vacantes*, *in Alexandro Sev. c.* 15. ubi, *ne annonis Remp. gravaret*, Imperatorem eos dimisisse, docet. Nempe supernumerarii hi milites ad commoda solùm participanda erant in numeros relati. Quibus non dissimiles *Supernumerarii* illi *Palatini*, quorum meminerunt Imperatores in Codice, Theod. *tit. De Palatinis sacr. largit. & rerum sacr.* Vide Casaub. *ad Lamprid. d. l.*

SUPRAJUNCTARII, apud Aragonios, jussu Jacobi II. Regis A. C. 1300. appellati sunt, qui prius *Vicarii & Paciarii*, Justitiæ Aragonum sententias exequebantur, uti apud Gallos *Præpositi Marescallorum* faciunt; de quorum munere multa habentur in *Foris* Aragonensibus passim. Vide suprà in voce *Juncta*.

SUPRANOMEN, apud citimi ævi Scriptores dictum cognomen, nomen videl. quod nomini proprio addi consuevit, Gallis *Surnom*. In Charta vetere apud Ughellum A. C. 954. *Petro viro Magnifico, qui & supernomen vocatur Pazzii seu Gregorii & Rota.* Sic autem dictum est, quòd in actis præsertim publicis, quibus testes subscriberent, seu ad discrimen similium nominum; seu ad pleniorem personarum designationem, *supra* singulorum *nomina*, locorum & prædiorum, quæ incolerent: aut quorum domini erant, nomenclaturas adderent Notarii. *Epinomen* voce hybridâ vocant *Notæ* Tytonis *p.* 35. Et quidem in Francia *Supranomina* hujusmodi vix, ante tertiam Regum familiam, innotuisse docet Duchesnius *in Histor. Momnor. l.* 2. *c.* 1. Quod cùm & secundogeniti observarent, prædiorum, quæ in hæreditii sortem à Parentibus acceperant, nomina vice cognominum usurpantes, ac in posteros similiter transferentes, inde postmodum enatæ sunt tot difficultates in familiarum stemmatibus enucleandis. Alius & longè diversus cognominum inductus usus, ex nominibus, quæ *Jocularia* vocat *Ausonius*, quibus discernerentur à se invicem ejusdem nominis viri, Nobiles atque inferioris etiam conditionis, ut cùm modò à colore, *Albi*, *Nigri*, *Rufi*; modò à vestitu, *Capeti*, *Grisa-gonella*, *Pellis lupi*; modò à moribus, *Hutini*; modò à fortitudine, *Martelli* &c. cognomina adsumerent; Hæc enim eorum singulis propria fuerunt, nec ad posteros transiêre. Car. du Fresne *in Glossar.* de veterum verò Romanorum Cognominibus, vide suprà in voce *Nomen*.

SUPRARBIENSE Regnum Hispan. conditum à Garsia Gothô, post urbem Aynsam Saracenis ereptam, circa A. C. 729. Ei successit filius Garsias, A. C. 770. Sanctius posteà Rex, à Mauris victus ac trucidatus, regnum Navarræ & Suprarbiæ amisit, A. C. 832. Vasæus *in Chron.* Vide in voce *Sobrarbii*. Cæterùm, Titulus Regni à Garsia Ximenio seu Innico conditi fuit, *Suprarbia & Ripagorça*, fuitque tum sedes Regni Insa. Dein sub Garsia Innico II. captâ Pompejopoli Regnum *Pampelona* & peculiari nomine *Navarra*, dici cœpit. Idem ductâ Urracâ Fortunii Ximenii Comitis Aragoniæ VI. filiâ, Aragoniam ditionibus junxit, pater Kasæ Abarcæ, qui primus se *Aragoniæ Regem* dixit A. C. 895. à quo tempore priscis nominibus oblivio inducta & Regna hæc in posterum *Aragonia* ac *Navarra* dicta sunt. G. Hornius *Orb. Imper. cum Notis* Felleri *p.* 270. & *seqq.* Vide quoque suprà in voce *Ripagorça*, & plura hanc in rem, apud Phil. Jac. Spenerum *Art. Herald. Part Spec.*

SUPREMA, apud Plin. *l.* 7. *c.* 60. ubi de primo Horologiorum apud Romanos usu, *Duodecim tabulis ortus tantùm & occasus nominantur: post aliquot annos adjectus est & Meridies, Accensô Consulum id pronuntiante, quum à Curia inter Rostra & Græcostasim prospexisset Solem, à columna Mænia ad carcerem inclinatô sidere, supremam pronuntiabat*: tempestas est seu pars diei novissima, ante Solis scil. occasum, Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 316.

—— Jam Sol inclinat, eundum est.

Quamvis enim, juxta XII. Tabul. *Sol occasus suprema tempestas esto*, vox de Sole, qui jam occidit, dicatur: posteri tamen non ita eam accepêre; sed de Sole jam inclinato ad vesperam, quam inclinationem catenus definiêrunt, quum Sol à columna Mænia ad carcerem radios jacularetur. Id quamprimum viderat Accensus, *Supremam* pronuntiabat. Et hôc sensu intelligendum scitum Prætorii Tribuni Pleb. *ut Prætor Urbanus usque ad* Supremam *jus diceret*. Post eam *Censorinus* ponit *Vesperam*, dein *Crepusculum*, post Crepusculum τὸν λυχναψίαν, quod Græci dixêre περὶ λύχνων ἁφὰς, *luminibus accensis*: adeoque *Suprema* illa respondebat nonæ horologiorum seu tempori inter nonam & vesperam, quæ inter legitimas horas orationis in prisca Ecclesia habebantur. Canon XVIII. Concilii Laodic. περὶ τὴν αὐτὴν λειτουργίαν τῶν εὐχῶν πάντοτε καὶ ἐν ταῖς ἐννάταις καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις, *easdem supplicationes orationum ad horam nonam & vesperam oportere celebrari.* Atque sic vixêre Romani, absque ulla alia temporum discretione: περὶ λύχνων ἁφὰς, ante primum bellum Punicum, quô demum Horologiis uti cœperunt, Salmas. *ad Solin. p.* 649. & *seqq.* Vide quoque suprà, ubi de *Nona horologiorum*.

SUPREMA, apud Virg. *Æneid. l.* 6. *v.* 213. ubi de funere Miseni,

Nec minùs interea Misenum in littore Teucri,
Flebant, & cineri ingrato Suprema *ferebant:*

Sepultura est & inhumatio corporis & extrema exequiarum officia, quæ mortuis exhibentur. *Supremum honorem* vocat idem, *l.* 11. *Æn. v.* 61.

—————— qui supremum comitetur honorem.

Supremitatis honorem Amm. Marcell. *l.* 31. *c.* 39. ἔσχατα σώματος Græci Poëtæ. Sed & cineres ac reliquiæ sic dictæ. Idem Ammianus *l.* 21. *Inter quæ Helenæ conjugis defunctæ* suprema *miserat Romam, in suburbano viæ Nomentanæ condenda.* Solin. *c.* 1. *Priscorum autem testantur molem Orestis suprema*, i. e. τὰ λείψανα. Alii. Quô sensu & τοῦ σώματος ἔσχατα, *corporis ultima*, in Græco *Epigrammate*, quod Aureoli tyranni insculptum est, & sic habet in fine,

Κεῖνος δ' οἰκτείρων, καὶ σώματος ἔσχατ' ὀνήσων
Αὐρεόλου γέφυραν εἵσατο τήνδε τάφον.

Salmasius *cineres vertit*,

Hinc pius atque sub cineres dignatus honore
Aureoli pontem condidit & tumulum.

Vide eum *Not. ad Pollionem in Aureolo, c.* 11. & *ad Solin. p.* 43.

SUPREMA Cœna, vide suprà *Missellanea*.

SUPTARUS, Hunnorum Rex, qui regionem Burgundionum cum multis millibus invasit. Huic ut resistere possent illi, sacris Christianis se initiari voluerunt, neque spe suâ sunt frustrati. Nam quum hostium Rex, per noctem, fuisset ciborum nimiâ ingluvie saburratus, Burgundiones gentem inimicam sine duce reperientes & paucitate plurimis resistentes conflictu superârunt. Nam quum essent istorum tria milla, circiter decem millia peremerunt.

SUPTU, urbs Mauritaniæ Cæsarensis; *Ptolem.*

SUR, pater Cozbi, Madianitidis illius, quæ cum Zambri interfecta est in genitalibus, qui quidem Sur princeps erat Madianitarum. Item fil. Abigaboan. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 30.

SUR, nomen portæ in templo Solomonis. 2. Reg. *c.* 11. *v.* 6.

SUR, desertum, quod extenditur usque ad mare rubrum & ad Ægypti confinia, ejus multa in scripturis mentio est. Gen. *c.* 16. *v.* 7. & alibi. Hieronym. *in loc. Hebr.*

SURA, apud Æl. Spartian. *in Hadr. c.* 3. *Prætor factus est Surâ bis, Serviano iterum Coss.* lege *Surano*, ex vetere lapide, apud Onuphrium, C. JULIO. SERVILIO. URSO. SERVIANO. ET. SURANO, Fuit sanè etiam Licinius *Sura* eôdem annô Consul, sed ordinarius, collegâ Senecione: Servianus & Suranus suffecti. Casaubon. *ad loc.*

SURA Æmilius; Scripsit *de annis Populi Romani*, Vellejô Paterculo teste, *l.* 1. *c.* 6. An idem cum Manilio Sura? de quo Plin. *in Indic. præfixo*; *l.* 8. 10. 17. 18. & 19. Vide & *Papyrius Sura*. Item *Licinius Sura*.

SURA, Syriæ urbs juxta Euphratem. Item pagus Lyciæ, inter Myram & Phellum, ubi piscibus insidentes auguria exercebant, & responsa dabant, teste *Plutarchô*. Item urbs Phœniciæ. *Steph.*

SURA, fluv. qui aquas suas in Mosellam evomit: supra Treviros 2. mill. Belg. hodie *Saur*. De hoc ita Ausonius *in Mosella*, *v.* 354.

Namque & Pronæa Nemesisque adjuta meatu
Sura, tuas properat non degener ire sub undas.

Alluit vicum Suram, non procul à suo capite, & Ascam *Esche*; inde Alisontiam Attatô præ cœteris auctum recipit, *Alsitz*, aliàs *Alsat*, Luciliburgi oppidi flumen, mox Decciacum *Decker* attingit, & apud Valdorphium *Waldorff*, Urtam minorem admittit, cui Urta Castellum & Vienna *Vianden* assident. Tum Andethannale *Echternach*, præterlapsus, Proneam & Nemesam, ac tertium quemdam fluv. junctos accipit, ac demum apud vicum Bellicum, *Wasser Bellich*, è regione Bellici superioris *Oberbillich*, in Mosellam influit,

Augustam Trevirorum. Pronea autem fluv. vulgò nunc *Prumia*, nomen dedit loco & Monasterio illustri, ad caput suum sito, ut & vici: Prumiæ, *Prum* & *Nider-Brum*: recipitque Nemesam, *Nym*, qui Schoneckium, Villarim *Villers* & Bidburgum castellum prætetlabitur, Hadr. Valef. *Nott. Gall.*

SURA, vox Arabica propriè *passus* seu *gradus*, inde pro intervallis & spatiis, quibus Alcoranus distinctus est, adeoque pro capitibus ejus usurpatur. Sed & lectio seu pensum pueris propositum *Sura*; unde & Suras illas Alcorani quidam volunt dictas, quasi *dictatas* ab Angelo Mohammedi, ut ipse credi voluit. Imò & *Sura*, pro qualibet librorum distinctione, majori minorive; uti videre, est apud Salmaf. *Prolegom. in Solin.* ubi de librorum divisione, apud Veteres, Hebræos, Græcos, Romanos, Arabes, varia egregia. Vide quoque suprà *Coran.*

SURA Licinius, Consul. sub Hadriano Imperatore vide hîc suprà.

SURA Petronius, Commodi jussu occisus, memoratur Lampridio *in eo. c.* 7.

SURAD, unum ex quinque animalibus, quæ apud Mahometanos occidere non licet: *lanius major* Latinis, qui passeres venatur. Vide suprà *Rana.*

SURATA, urbs & emporium percelebre Indiæ intra Gangem, *Syrastra* fortè antiquis. In ora Sinus Cambajæ, in regno *Guzaratte*, sub M. Mogole, 100. mill. pass. à Cambaja in Meridiem cum portu capaci & valde ab Europæis frequentato. Nuper vastata; nunc indies restauratur.

SURCOTIUM in *Statutis* Conradi Archiepiscopi Coloniens. A. C. 1260. *can.* 5. *Statuimus inhibendo, ut aliquis Monachorum* surcotiis, *caligis coloratis*, *calceis nodatis --- aut maffulbris fericis utatur*: vestis species, Gallis *Surcot*, fortè quòd *Cotis* superinduceretur. Itinerariam vestem fuisse, colligitur ex *Statutis* Ordinis Benedict. in Provinc. Narbonensi A. C. 1226. ubi *Supertotus* dicitur, apud Car. du Fresne in *Glossar.* Idem clamor olim militaris Anglorum fuit; ut videbimus infrà voce *Tabardum.*

SURDAONES, Hispaniæ Tarraconensis populi. Plin. *l.* 3. *c.* 3. quorum tractus *Campos de Cerdanna* à *Varrerio* indigitatur, in Cœretanorum finibus.

SURDI, inter octonos illos, quos ridiculi gratiâ ad convivium solebat invitare Heliogabalus, apud Lamprid. *in Vita* hujus, *c.* 29. Ab hominibus vox translata ad serpentum illos, qui ad cantum videntur obsurdescere, quia illô non magis afficiuntur, quàm si surdi essent: cujusmodi, præter regulum, seu basiliscum, quem *primum surdorum* vocat, aspidem, cerastem, hydrum & chersydrum, esse ait *Avicenna*. Imò omnes serpentes *surdos* Arabes vocant, quos ab incantatione credunt esse immunes, quorumque porrò virus in supremo gradu intensum est. Sed certas sibi serpentum species fingere, in quas Magorum carmina nihil possint; necesse non est. Certum enim, à Diabolo hydrum & aspidem &c. tam facilè posse compesci, quàm quemvis alium serpentem, si modò permittat Deus: sed Deus non vult, ut Diabolo omnia liceant. Dein in eâdem serpentis specie potest esse varius successus, prout vanè Deus Diabolo habenas aut adducit aut remittit. Adde, quòd Dæmon paredrus, à quo pendet incantationis tota vis, ad Magi nutum non semper se accommodat: Quam in rem vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 3. *c.* 6. & suprà in voce *Aspis surda*. Inde ad inanimata: Sic *surdus arcus*, apud Statium *Theb. l.* 9. *v.* 864.

——— frustra Superos Triviamque precatus.
Molitur pallens & surdos expedit arcus.

Inutilis est, & nihil præstiturus. Alluditur illud Maronis, *Georg. l.* 1. *v. ult.*

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Aut Ovidii, *Met. l.* 5. *v.* 380.

——— de mille sagittis
Unam sepofuit, sed quâ nec acutior ulla;
Nec minus incerta est, nec quæ magis audiat arcum.

Etiam ad colores. Plinio namque color *βαρὺς*, qui minùs acutus & splendidus, oculorum aciem veluti contundit & specie surdâ verberat, *surdus* dicitur. Quæ enim, in re auditus, differentia est inter fuscam vocem & candidam, ea est ferè in re visus, inter austerum & floridum colorem. Et quemadmodùm vox acutis sonis intenditur, gravioribus remittitur, ita in coloribus *ὀξὺς acutus* & floridus dicitur, qui acuitur & intenditur; *βαρὺς* & *austerus*, qui ex acumine summo descendit & nigrô infuscatur. Unde acutidis & splendidis Fulgentes colores *floridos* appellavit idem, *austeros* verò remissiòs & surdius relucentes, quos & *surdos*, vocabulis è Musica petitis; Salmaf. *ad Solin. p.* 100. Vide quoque infrà *Tristis* Sed & *Surdus* idem aliquando, quod *ignobilis*, est. Statius, *Theb. l.* 4. *v.* 359.

——— surdum atque ignobile muros
Firmat opus ———

Qui contrà *sonoram Phocidem*, quòd Oraculô Apollinis nobilis esset, *l.* 11. *Theb. v.* 281. dixit. Quam in rem vide Casp. Barthium *Adversarior. l.* 33. *c.* 4. &c.

SURGERE dextrâ, apud eundem Poëtam *Theb. l.* 9. *v.* 276.

Surgentem dextrâ Chalcetum, vulnusque minantem
Sorbebat rapidus nodatò gurgite vortex.

gestus militaris est, totò nempe conamine corporis dextram extendere. Sic *in hastam surgere*, *Achilleid. l.* 1. *v.* 485. uti apud Virgilium, *l.* 11. *Æn. v.* 284.

——— experto credite, quantum
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.

Et *l.* 12. *v.* 929.

Alte sublatum consurgit Turnus in ensem.

SURGERIÆ, castellum Galliæ in Santonibus, vulgò *Sugeres*, aliàs *Surgeres*. Hadr. Valef. *Nott. Gall.*

SURENA, Parthus, qui Tiridatem contra Artabanum insigni regiò evinxit, Q. Plautiô, Sext. Papiniô Consulib. Tacit. *l.* 7. *Annal. c.* 42. Idem nomen fuit Satrapi, qui Crassum decepit spe pacis. Polyæn. *l.* 7. *c.* 41.

SURIA, pro SYRIA, & SURUS, pro SYRO, sicut *Ludius* & *Ludio*, qui saltator propriè Latinis, à *Lydis* dictus est. Vide Salmaf. *ad Vopisc. in Carino*, *c.* 19. An inde *Suriani*, in Terra Sancta, mediò ævô servi dicti sunt, ac tributarii quidam, ad usus agriculturæ aliasque inferiores necessitates, dominis suis reservati, de quibus multa habet Jacobus de Vitriaco *in Historia Hierosolym. c.* 74. Certè *Syrus*, servile nomen apud Romanos fuit, uti ex Comico constat. At in porcorum genere *Surra* vel *Suritus* est, qui Græcis *καπρίας* verres; unde de fœminis suibus *surire*, h. e. verrem appetere, Græcè *καπρᾶν* dicitur: *ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare & surire dicuntur*, ut ait *Festus*. Vide Salmaf. *ad Solin. p.* 941.

SURIACO, Urbs Insul. Mindanao. *Nat. Merel.*

SURICINIUM, Monasterium pagi Tolosani, à Ludovico Pio inter ea numeratur, quæ solas orationes pro salute Imperatoris domusque Augustæ & pro stabilitate Imperii debent. Hic locus vetere Monasteriô Abbatiali clarum, à soricum copia nomen accepisse videtur. Hodie *Soreze*: Hadr. Valef. *Nott. Gall.*

SURIEL, fil. Abihail, princeps Moholitarum. Numer. *c.* 3. *v.* 35.

SURIGA, *Ptol. Gozporto Aug. Curionl*, vel *Abet Castaldo & Moletio*, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ in ora Oceani Atlantici, inter Usadium promontor. & Atlantem majorem.

SURINA, provinc. Americæ Meridionalis inter confluentes Cayanæ & Cusiguatæ fluv. in Amazonum flumen. *P. Texeira*. Item fluv. Sylvaniæ infra sylvam, in Helvetia, à quo Surichgoviæ nomen.

SURISNÆ, vel SORISNÆ, vulgò SURENES, vicus est Galliæ, in pago Parisino, in Decanatu Castri Fortis, pertinens ad Abbatem S. Germani de Pratis, Hadr. Valef. *Nott. Gall.*

SURITA Hieronymus, Cæsar. Augustâ Arago, scripsit in *Itinerarium Antonini* eruditè: *Notas* it. *in Cæsarem & Claudianum*, ut & *Indices Rerum Aragoniæ*, sed paulò prolixior est; Inquisitioni à Secretis illum fuisse, dolet Thuano *Hist.* Obiit A. C. 1580. ætat. 67. Vofs. de *Scient. Mathem. c.* 70. §. 24. & 29. Auctor *Bibliothec. Hisp. Possevinus*, Alii. Vide *Hieronymus Surita.*

SURIUM, urbs Colchidis mediterranea *Asso* Moletio. Inter Saracen ad Occasum & Zadrim ad Ortum apud Albaniæ confinia.

SURIUS Laurentius, Carthusianus Lubecensis, scripsit *Vitam Caroli V.* in qua Sleidanum falsitatis arguere conatus, sed ab ipsis Fratribus suis in proposito pergere prohibitus est. Varia it. alia, quæ in *Elogiis* Ant. Teisserii habes *Part.* 1. Georg. Michaëli Lingelhemio *Simius & dehonestamentum Historicorum*, & Card. Perronio *indocti* cognomine aspersus. Obiit A. C. 1578. Thuanus *Hist.* Corn. Loos Callid *Catal. Illustr. Germ. Scriptor.* ubi eum ex milite Monachum factum memorat, Joh. Metellus *Epist. Belgar. Cent.* 1. *epist.* 65. *Perroniana*, Gasp. Peucerus *in Epist. Dedic. l.* 5. *Chron. Melanchthonis*, ubi de continuatione Chronici Naucleri usque ad A. C. 1574. ab illo factâ, judicium ferens, *ardelionem* illum potiùs, quàm Historicum, agere ait &c. Vide & *Laurentius Surius.*

SURIUS, fluv. Colchidis, in Phasim fluens, & ligna in lapides convertens, Plin. *l.* 2. *c.* 103. Super quo *Surium*, à Phaside in Ortum.

SURRA, meliùs SURRIA, Comitatus Angliæ Meridionalis inter Middlesexiam ad Boream à qua separatur Tamesi, Cantium ad Ortum, Sussexiam ad Meridiem, & Hantomam ad Occasum. Ibi aliàs *Regni* ex parte. Hîc nulla urbs alicujus notæ, licet ad Londini suburbia extendatur; *Sarrey.*

SURRECTUS, apud Vopisc. *in Aureliano*, *c.* 37. *Mnestheus postea* surrectus *ad stipitem bestiis objectus est*: aliis *surreptus* est, uti etiam Palatinum codicem habere, notat Salmaf. & *ad bestias surripi*, legitur in vetere *Martyrologio*. Idem tamen eorum sententiæ accedit, qui *surrectus* præferunt. Namque *Subrigenda* hinc *libb. de offic. proconsulis Ulpiani*, *ἀνόρθωσις θηριομάχου* exponitur in veter. *Glossario*, *Ad subrigendam*, *εἰς ἀνόρθωσιν θηριομάχ*, ubi *Subrigenda* est, pro subrectione, quemadmodum *prebenda*, pro præbitione, *παροχὴ* in *Gloss.* &c. Verùm *Subrigendam* Ulpiani fortasse meliùs ad eculeum referas, in quo *surrigebantur* & extendebantur homines, ac quasi suspendebantur, sicut in machina, quam Græci *ξύλον* appellabant. Salmaf. *ad Vopisc. d. l.* Vide quoque suprà ubi de *Bestiariis* & *Cruce*. Cæterùm *Surrigendo* corpori Antoninus Pius tabulas adhibuit tiliaceas, quibus in pectore positis fasciabatur, quum ætatis progressu incurvesceret, apud Capitolin. *c.* 13. Hodie earum vice adhibere fœminas ferulas è balænæ costa aut ebeno, notum, vide infrà voce *Tabula.*

SURREGIUM, castellum Galliæ, Ararim attingens, hodie *Bellegarde*, à Rogerio de Bellegarda, cujus in gratiam Ludovicus XIII. in Ducatum & Pariatum *Surregium* evexit. Vulgò *Sevre*. Est & vicus ejusdem nominis ad Ararim, inter Cabillonum Æduorum & Tinurtium positus, sed priori propior. Hadr. Valef. *Nott. Gall.*

SURRENTUM, Campaniæ oppid. perantiquum; quod etiam nunc vulgò incolis dicitur *Sorrento*. Memoratur Ennio, Diodoro, Straboni, Melæ, Silio, Plinio, Statio, Tacito, Suetonio, Frontino, Ptolemæo, Dioni, Tabulæ Itinerariæ. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Herculaneum, Pompeji: haud procul spectante monte Vesuvio, alluente verò Sarnô* amne,

Augustam Trevirorum. Pronea autem fluv. vulgò nunc *Prumia*, nomen dedit loco & Monasterio illustri, ad caput suum sito, ut & vicis Prumiæ, *Prum* & *Nider-Brum*: recipitque Nemesam, *Nym*, qui Schoneckium, Villarim *Villers* & Bidburgum castellum prælabitur, Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

SURA, vox Arabica propriè *passus* seu *gradus*, inde pro intervallis & spatiis, quibus Alcoranus distinctus est, adeoque pro capitibus ejus usurpatur. Sed & lectio seu pensum pueris propositum *Sura*; unde & Suras illas Alcorani quidam volunt dictas, quasi *dictatas* ab Angelo Muhammedi, ut ipse credi voluit. Imò & *Sura*, pro qualibet librorum distinctione, majori minorive; uti videre, est apud Salmas. *Prolegom. in Solin.* ubi de librorum divisione, apud Veteres, Hebræos, Græcos, Romanos, Arabes, varia egregia. Vide quoque suprà *Coran*.

SURA Licinus, Consul. sub Hadriano Imperatore vide hîc suprà.

SURA Petronius, Commodi jussu occisus, memoratur Lampridio *in eo. c. 7.*

SURAD, unum ex quinque animalibus, quæ apud Mahometanos occidere non licet: *lanius major* Latinis, qui passeres venatur. Vide suprà *Rana*.

SURATA, urbs & emporium percelebre Indiæ intra Gangem, *Surastra* fortè antiquis. In ora Sinus Cambajæ, in regno *Guzaratte*, sub M. Mogole, 100. mill. pass. à Cambaja in Meridiem cum portu capaci & valde ab Europæis frequentato. Nuper vastata; nunc in dies restauratur.

SURCOTIUM in *Statutis* Conradi Archiepiscopi Coloniens. A. C. 1260. *can.* 5. *Statuimus inhibendo, ut aliquis Monachorum* surcotiis, *caligis coloratis, calceis nodatis --- aut masslabris fericis utatur*: vestis species, Gallis *Surcot*, fortè quòd *Cotis* superinduceretur. Itinerariam vestem fuisse, colligitur ex *Statutis* Ordinis Benedict. in Provinc. Narbonensi A. C. 1226. ubi *Supertotus* dicitur, apud Car. du Fresne in *Glossar*. Idem clamor olim militaris Anglorum fuit, ut videbimus infrà voce *Tabardum*.

SURDAONES, Hispaniæ Tarraconensis populi. Plin. *l. 3. c. 3.* quorum tractus *Campos de Cerdanna* à *Varrerio* indigitatur, in Cœretanorum finibus.

SURDI, inter octonos illos, quos ridiculi gratiâ ad convivium solebat invitare Heliogabalus, apud Lamprid. *in Vita* hujus, *c. 29.* Ab hominibus vox translata ad serpentum illos, qui ad cantum videntur obsurdescere, quia illô non magis afficiuntur, quàm si surdi essent: cujusmodi, præter regulum, seu basiliscum, quem *primum surdorum* vocat, aspidem, cerastem, hydrum & chersydrum, esse ait *Avicenna*. Imò omnes serpentes *surdos* Arabes vocant, quos ab incantatione credunt esse immunes, quorumque porrò virus in supremo gradu intensum est. Sed certas sibi serpentum species fingere, in quas Magorum carmina nihil possint; necesse non est. Certum enim, à Diabolo hydrum & aspidem &c. tam facilè posse compesci, quàm quemvis alium serpentem, si modò permittat Deus: sed Deus non vult, ut Diabolo omnia liceant. Dein in eâdem serpentis specie potest esse varius successus, prout variè Deus Diabolo habenas aut adducit aut remittit. Adde, quòd Dæmon paredrus, à quo pendet incantationis tota vis, ad Magi nutum non semper se accommodat: Quam in rem vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l. 3. c. 6.* & suprà in voce *Aspis surda*. Inde ad inanimata: Sic *surdus arcus*, apud Statium *Theb. l. 9. v. 864.*

——— frustra Superos Triviamque precatus
Molitur pollens & surdos expedit arcus.

Inutilis est, & nihil præstiturus. Alluditur illud Maronis, *Georg. l. 1. v. ult.*

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Aut Ovidii, *Met. l. 5. v. 380.*

——— de mille sagittis
Unam sepofuit, sed quâ nec acutior ulla;
Nec minus incerta est, nec quæ magis audiat arcum.

Etiam ad colores. Plinio namque color θαρὸς, qui minùs acutus & splendidus, oculorum aciem veluti contundit & specie surdâ verberat, *surdus* dicitur. Quæ enim, in re auditus, differentia est inter fuscam vocem & candidam, ea est ferè in re visus, inter austerum & floridum colorem. Et quemadmodùm vox acutis sonis intenditur, gravioribus remittitur, ita in coloribus ὀξὺς *acutus* & *floridus* dicitur, qui acuitur & intenditur; θαρὸς & *austerus*, qui ex acumine summo descendit & nigrô infuscatur. Unde acutiùs & splendidiùs fulgentes colores *floridos* appellavit idem, *austeros* verò remissiùs & surdiùs relucentes, quos & *surdos*, vocabulis è Musica petitis; Salmas. *ad Solin. p. 200.* Vide quoque infrà *Tristis* Sed & *Surdus* idem aliquando, quod *ignobilis*, est. Statius, *Theb. l. 4. v. 359.*

——— surdum atque ignobile muros
Firmat opus ———

Qui contrà *sonoram Phocidem*, quòd Oraculô Apollinis nobilis esset, *l. 11. Theb. v. 281.* dixit. Quam in rem vide Casp. Barthium *Adversarior. l. 33. c. 4.* &c.

SURGERE dextrâ, apud eundem Poëtam *Theb. l. 9. v. 276.*

Surgentem dextrâ Chalcium, vulnusque minantem
Sorbebat rapidus nodatô gurgite vortex.

gestus militaris est, totô nempe conamine corporis dextram extendere. Sic *in hastam surgere*, *Achilleid. l. 1. v. 485.* uti apud Virgilium, *l. 11. Æn. v. 284.*

——— experto credite, quantum
In clypeum assurgat, quò turbine torqueat hastam.

Et *l. 12. v. 729.*

Altè sublatum consurgit Turnus in ensem.

SURGERIÆ, castellum Galliæ in Santonibus, vulgò *Sugeres*, alias *Surgeres*. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

SURENA, Parthus, qui Tiridaten contra Artabanum insigni regiô evinxit, Q. Plautiô, Sext. Papiniô Consulib. Tacit. *l. 7. Annal. c. 42.* Idem nomen fuit Satrapi, qui Crassum decepit spe pacis. Polyæn. *l. 7. c. 41.*

SURIA, pro SYRIA, & SURUS, pro SYRO; sicut *Ludius* & *Ludio*, qui saltator propriè Latinis, à *Lydis* dictus est. Vide Salmas. *ad Vopisc. in Carino, c. 19.* An inde *Suriani*, in Terra Sancta, mediô ævô servi dicti sunt, ac tributarii quidam, ad usus agriculturæ aliasque inferiores necessitates, dominis suis reservati, de quibus multa habet Jacobus de Vitriaco *in Historia Hierosolym. c. 74.* Certè *Syrus*, servile nomen apud Romanos fuit, uti ex Comico constat. At in porcorum genere *Surra* vel *Suritus* est, qui Græcis κάπρος ac *verres*; unde de fœminis suibus *surire*, h. e. verrem appetere, Græcè καπρᾶν dicitur: *ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cùm subare & surire dicuntur*, ut ait *Festus*. Vide Salmas. *ad Solin. p. 941.*

SURIACO, Urbs Insul. Mindanao. *Nat. Metel.*

SURICINIUM, Monasterium pagi Tolosani, à Ludovico Pio inter ea numeratur, quæ solas orationes pro salute Imperatoris domusque Augustæ & pro stabilitate Imperii debent. Hic locus veterè Monasteriô Abbatiali clarum, à soricum copia nomen accepisse videtur. Hodie *Soreze*: Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

SURIEL, fil. Abihail, princeps Moholitarum. Numer. *c. 3. v. 35.*

SURIGA, *Ptol. Gozporto Aug. Corioni*, vel *Abet Castaldo & Moletio*, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ in ora Oceani Atlantici, inter Usadium promontor. & Atlantem majorem.

SURINA, provinc. Americæ Meridionalis inter confluentes Cayanæ & Cusiguaræ fluv. in Amazonum flumen. *P. Texera*. Item fluv. Sylvaniæ infra sylvam, in Helvetia, à quo Surichgoviæ nomen.

SURISNÆ, vel SORISNÆ, vulgò SURENES, vicus est Galliæ, in pago Parisino, in Decanatu Castri Fortis, pertinens ad Abbatem S. Germani de Pratis, Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

SURITA Hieronymus, Cæsar. Augustâ Arago, scripsit in *Itinerarium Antonini* eruditè; *Notas* it. *in Cæsarem* & *Claudianum*, ut & *Indices Rerum Aragoniæ*, sed paulò prolixior est; Inquisitioni à Secretis illum fuisse, dolet Thuano *Hist.* Obiit A. C. 1580. ætat. 67. Voss. de *Scient. Mathem. c. 70. §. 24.* & 29. Auctor *Bibliothec. Hisp.* *Possevinus*, Alii. Vide *Hieronymus Surita*.

SURIUM, urbs Colchidis mediterranea *Asso* Moletio. Inter Saracen ad Occasum & Zadrim ad Ortum apud Albaniæ confinia.

SURIUS Laurentius, Carthusianus Lubecensis, scripsit *Vitam Caroli V.* in qua Sleidanum falsitatis arguere conatur, sed ab ipsis Fratribus suis in proposito pergere prohibitus est. Varia it. alia, quæ in *Elogiis* Ant. Teisserii habes *Pars. 1.* Georg. Michaëli Lingelhemio *Simius & dehonestamentum Historicorum*, & Card. Perronio *indoctis* cognomine aspersus. Obiit A. C. 1578. Thuanus *Histor.* Corn. Loos Callid *Catal. Illustr. Germ. Scriptor.* ubi eum ex milite Monachum factum memorat, Joh. Metellus *Epist. Belgar. Cent. 1. epist. 65.* *Perroniana*, Gasp. Peucerus *in Epist. Dedic. l. 5. Chron. Melanchthonis*, ubi de continuatione Chronici Naucleri usque ad A. C. 1574. ab illo factâ, judicium ferens, *ardelionem* illum potiùs, quàm Historicum, agere ait &c. Vide & *Laurentius Surius*.

SURIUS, fluv. Colchidis, in Phasim fluens, & ligna in lapides convertens, Plin. *l. 2. c. 103.* Super quo *Surium*, à Phaside in Ortum.

SURRA, meliùs SURRIA, Comitatus Angliæ Meridionalis inter Middelsexiam ad Boream à qua separatur Tamesi, Cantium ad Ortum, Sussexiam ad Meridiem, & Hantoniam ad Occasum. Ibi aliàs *Regni* ex parte. Hîc nulla urbs alicujus notæ, licet ad Londini suburbia extendatur; *Surrey*.

SURRECTUS, apud Vopisc. *in Aureliano, c. 37. Mnestheus postea* surrectus *ad stipitem bestiis objectus est*: aliis *surreptus* est, uti etiam Palatinum codicem habere, notat Salmas. & *ad bestias surripi*, legitur in vetere *Martyrologio*. Idem tamen eorum sententiæ accedit, qui *surrectus* præferunt. Namque *Subrigenda* hinc *libb. de offic. proconsulis Ulpiani*, ὑποστατικὴ ἡμερασία exponitur in *veter. Glossario*, *Ad subrigendam*, εἰς ὑπόστασιν ἡμερασίας, ubi *Subrigenda* est, pro subrectione, quemadmodum *præbenda*, pro præbitione, παροχή in *Gloss.* &c. Verùm *Subrigendam* Ulpiani fortasse meliùs ad eculeum referas, in quo *surrigebantur* & extendebantur homines, ac quasi sustollebantur, sicut in machina, quam Græci γέρανον appellabant. Salmas. *ad Vopisc. d. l.* Vide quoque suprà ubi de *Bestiariis* & *Cruce*. Cæterùm *Surrigendo* corpori Antoninus Pius tabulas adhibuit tiliaceas, quibus in pectore positis fasciabatur, quum ætatis progressu incurvesceret, apud Capitolin. *c. 13.* Hodie earum vice adhibere fœminas ferulas è balanæ costa aut ebeno, notum, vide infrà voce *Tabula*.

SURREGIUM, castellum Galliæ, Ararim attingens, hodie *Bellegarde*, à Rogerio de Bellegarda, cujus in gratiam Ludovicus XIII. in Ducatum & Pariatum *Surregium* erexit. Vulgò *Sevre*. Est & vicus ejusdem nominis ad Ararim, inter Cabillonum Æduorum & Tinurtium positus, sed priori propior. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

SURRENTUM, Campaniæ oppid. perantiquum, quod etiam nunc vulgò incolis dicitur *Sorrento*. Memoratur Ennio, Diodoro, Straboni, Melæ, Silio, Plinio, Statio, Tacito, Suetonio, Frontino, Ptolemæo, Dioni, Tabulæ Itinerariæ. Plin. *l. 3. c. 5. Herculaneum, Pompeji: haud procul spectante monte Vesuviô, adluente verò Sarnô*

num: ager Nucerinus; & 9. mill. pass. à mari ipsa Nuceria: Surrentum, Cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede. Mela *l.* 2. *c.* 4. adversô litoris ordine: *Minervæ promontorium, sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum.* *Ptol.* Νεάπολις. Πικεντίνων ὁμοίως [illegible] Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, Σάλερνον [illegible], Σύρρεντον. Hoc quidem falsò, atque imperitè sic tradidit Ptolemæus; nisi auctoritas ejus plus valeat, quàm reliquorum scriptorum omnium, qui Picentini agri initium statuunt post Minervæ promontorium. Strabo *l.* 5. Συνεχὲς δ' ἐστὶ τῇ Πομπαίᾳ τὸ Σύρρεντον τῶν Καμπανῶν [illegible] τὸ Ἀθηναίων ἀκρωτήριον. Ubi malim Σύῤῥεντον, ut est apud eundem Strab. *l.* 1. Diodor. Sic. *l.* 5. ac Dionem, *fine l.* 52. Unde Latini suum *Surrentum* formaverunt. Quin à *Sirenum* nomine (vide *Sirenes*) oppidi vocabulum deductum esse, maximè credibile est; quando illæ circa hæc loca sedem habuisse feruntur. Quod ipsum apertè adfirmat Statius *Sylv. l.* 2. *carm.* 2. *v.* 1. *s.* quo Pollii celebrat *Surrentinum* his versibus:

> *Est inter notos Sirenum nomine muros,*
> *Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,*
> *Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi:*
> *Quâ Bromio dilectus ager; collesque per altos*
> *Uritur, & prælis non invidet uva Falernis.*

Cæterùm *Surrentini colles*, qui oppido imminent, circumjacentque, vini præstantiâ maximè celebrantur. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 709.

> *Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ,*
> *Et Surrentinô generosos palmite colles.*

Statius, *l.* 3. *Sylv.* 5. *v.* 102.

> *Caraque non molli juga Surrentina Lyæo.*

Martial. *l.* 13. *epigr.* 110.

> *Surrentina bibis? nec Myrrhina picta, nec aurum*
> *Sume; dabunt calices hæc tibi vina suos.*

Columella, *R. R. l.* 3. *c.* 2. de vite Aminea loquens; *Campaniæ celeberrimos Vesuvii colles, Surrentinosque vestit.* Strabo, *l.* 5. ubi nobilissima Campaniæ vina enumerat: Ἡ [illegible] Συρρεντῖνος [illegible]. Plin. *l.* 14. *c.* 6. *Ad tertiam palmam variè venere Albana vina, Urbi vicina, prædulcia, ac rara in austero. Item Surrentina; in vineis tantùm nascentia; convalescentibus maximè probata propter tenuitatem, salubritatemque. Tiberius Cæsar dicebat, consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino darent: alioquin esse generosum acetum: Cajus Cæsar, qui successit illi, nobilem vappam.*

SURSEJUM, vulgò SURSEE, oppid. Helvetiæ, 1. à Sempaco milliar. in Lucernatum clientela, ad egressum fluvii *Sur* è lacu Sempacensi, qui ab oppido Sursejo quoque nomen trahens, à Meridie Septentrionem versus porrigitur. Habet proprium consilium quod causas tam civiles quàm criminales indicat: cujus princeps *der Schultheyß* Surseji Lucernatibus jurejurando se obstringit. Olim sub Nobilibus cognominibus dein ad Habspurgicos pervenit, quibus prælio Sempacensi fidam navavit operam. Arx prope oppid. ab Helvetiis capta A. C. 1388. ipsum dein à Lucernatibus occupatum, A. C. 1415. iisque ab Imperatore concessum est: oppignoratum posteà à Sigismundo Imperatore Tigurinis cum Bada, Mellinga & Bremogarto, mansit nihilominus Lucernatibus ab illo tempore, Stumpf. *de Argovia l.* 7. *c.* 35.

SURSUM, pro *susvorsum*, Græcè ἄνω, Salmas. *ad Solin. p.* 786. Apud Veteres Laconicæ claves, quibus conclavium & interiorum omnium membrorum fores, præter pessulos obicibus ferreis munitæ, aperiebantur, non circumagebantur intra claustrum, uti nostræ solent, sed *sursum* impulsæ pessulum posti impactum ferrataque claustra succutiebant, donec ex uncinis, quibus injecta erant, exirent, ac removebant sicque, [illegible] fores pandi faciebant, [illegible] hinc appellatæ. Habebant nempe claves hujusmodi scapum rectum, & suprà transversariam virgulam aliquot dentibus divisam, tridentis instar, qualibus hodieque Carthusianorum familiæ in sui Monasterii conclavibus utuntur. Vide hujusmodi antiquæ clavis iconem, apud eundem p. 932. At βαλανάγρας, alterum antiquatum clavium genus, unicô dente constantes & longiores, in βάλανον seu *glandem ferream*, immissæ, eam ex sera *sursum* trahebant, quod [illegible] Græci vocavêre. Vide suprà in his vocibus. Sed & *sursum versùs* texendi modus omnibus gentibus, præterquam Ægyptiis, usitatus, memoratur Herodoto *l.* 2. Ὑφαίνουσι οἱ μὲν ἄλλοι ἄνω τὴν κρόκην ὠθέοντες, Αἰγύπτιοι δὲ κάτω. Nempe apud cæteras gentes, cùm trama vel fila infrà essent, in superioribus texebant vestimentum: & sic trama semper pectine *sursum* ducebatur & trudebatur, atque id ἄνω ὑφαίνειν *sursum versùs*, vel *in altitudinem texere*, vocabant. Contrariô modô Ægyptii, ex superioribus, ubi erant fila vel licia, ad inferiora, ubi vestimentum vel tela inerat, procedebant, quam in rem insignis est locus Theophylacti *in Evang.* adductus Casaubono *Exerc. XVI. num.* 84. de quo infrà videbimus. Hinc [illegible] hôc genere texta, itamque & [illegible] dicebant de hoc genere texturæ, quod sursum fiebat: Latinè *recta*. Unde fasciæ pectorales, seu potiùs capitales, sic texi solitæ, *recta reticula* Festo, & *tunica recta* &c. Fiebat autem textura hujusmodi à stantibus, cùm contrà Ægyptii sederent: quam consuetudinem posteà Græci sequuti sunt, veteri more apud solos linteones retentô. Porrò non pectine, sed spathâ telam percutiebant, qui stantes texere soliti sunt &c. Qua de re vide plura apud Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano, c.* 46. & hîc passim, inprimis ubi *de Texendi ratione* seu *Textoria Arte*: uti de more holocausta *sursum* tollendi, apud Israëlitas suprà, voce *Æneus serpens*.

SURSUM Corda, Græcè ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας; dici olim solitum, in Mysteriorum celebratione, reliquoque Dei cultu, quo de ritu sic Cyprianus, apud Gratianum *Distinct.* 1. *de Consecr. can. Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, invigilare & incumbere ad preces totô corde debemus — Ideo & Sacerdos ante orationem, præfatione præmissâ, parat Fratrum mentes, dicendo,* Sursum corda: *ut, dum respondet plebs,* habemus ad Dominum; *admoneatur, nihil se aliud, quàm Dominum, cogitare debere. Claudatur contra adversario pectus & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis venire patiatur.* Et Augustin. *de Bono persever. c.* 13. Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, ut *Sursum corda habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere &c.* Apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores sacra hæc formula populum excitandi, *Præfatio* dicitur, quam vocem vide.

SURTA, urbs Armeniæ majoris. *Ptol.*

SURTARIA, apud Gregorium *in Regist. l.* 7. *c.* 53. *Ideoque direximus tibi* Surtatias duas, *imaginem Dei Salvatoris & Sanctæ Dei Genitricis:* Dominico Macro vox est Arabicæ originis, ut in qua lingua *Surat* effigies & imago dicatur. Carolo fratri ejus SyroGræca, à σύρω, nam *effigies*, inquit, *picta seu sculpta nihil aliud est, quàm transsumptum & extractum ex originali, unde Itali Ritratto, quod fit ad similitudinem, dicunt.* Meliùs Car. du Fresne corrupta, pro *Scutaria*. Walafridus namque Strabo *Scutaria* hæc *Thoracida* appellat *de Rebus Eccles. c.* 8. imagines nempe pectore tenus, in *scutis* clypeisque, depingi solitas, qua de re diximus hic passim, in vocibus *Clypeus, Scutum, Strongyle. Glossæ Græco-Lat.* σκουτάριον, *cetra.* Suidas, θυρεός, ὅπλον τὸ παρ' ἡμῖν σκουτάριον. Sed & *Stethiaria* legi posset, ex Græco στῆθος, *pectus*. Vide utrumque Macrum in *Hierolex.* & Car. du Fresne *in Glossar.*

SURUBA, urbs Sarmatiæ Asiaticæ. *Ptol.*

SURUNGA, urbs Japoniæ, cum regno cognomine in Niphonia Insula, & Quantoa regione, in ejus ora Meridiali. *Cardimus.*

SURUS, Æduus, qui & generis & virtutis summam nobilitatem habebat: solusque ex Æduis usque ad annum octavum in armis permansit, captus in Treviris à Labieno. Hirt. *l.* 8. *Bell. Gall. c.* 35.

SUS Alba, memorata Propertio *l.* 4. *El.* 1. *v.* 35.

> ——— *Alba suis omine natam,*

Æneæ fuit, &, Varrone teste *de R. R. l.* 2. *c.* 4. *Lavinii triginta porcos peperit albos, itaque factum triginta annis, ut Lavinienses conderent oppidum Albam. Ejus Suis ac porcorum etiam nunc vestigia adparent. Namque simulacra eorum ænea etiam nunc in publico posita & corpus matris ab Sacerdotibus, quòd in salsura fuerit, demonstratur*, vide Meursium, *in Lycophr. v.*

> Σὺος κελαινῆς, ἣν ἀπ' Ἰδαίων λόφων &c.

Et hinc fortè factum, ut quintæ fuerit Legionis signum, in tam fausti ominis memoriam: quamvis Festus aliam hujus rei rationem reddit, *quoniam*, inquit, *bellô omnia geruntur propter pacem, cujus conditiones, porcâ cæsâ, iniri solent.* Ulteriùs progressi Cretenses inter Numina *Suem* habuêre, teste Athenæô, *l.* 9. ἱερὸν εἶναι τὸ ζῶον παρὰ Κρησί, *sacrum est hoc animal Cretensibus.* Et deinde, διὸ πάντες τὸ ζῶον τοῦτο σεβάσμιον ἡγοῦνται, *Propterea omnes animal hoc censent summâ veneratione dignum.* Addit & carne suillâ abstinuisse. Quod cùm Judæi quoque facerent, hinc credidêre Gentiles, *Suem* illis in veneratione esse. Ita Petronius Arbiter,

> *Judæus licèt & porcinum Numen adoret.*

Quemadmodum iisdem Asini tributus est cultus, quòd eô monstrante aquas repererant, Gen. *c.* 36. *v.* 24. Quorum proin exemplô Gnostici utrumque animal coluisse dicuntur: Saltem Deum Sabaoth utrâque expresserunt figurâ, de quo vide *Epiphanium*. Nempe ita colligebant Gentiles, cum Judæis esse comparatum, uti cum Ægyptiis; qui, quæ animalia adorarent, minimè comederent. Reliquis Gentibus in sacrificiis frequentissimè placuit: quo de sic Gyraldus *Syntagm.* 17. *Sicut Hebræi Sue abstinebant, ita Gentes ex ea maximè rem divinam fecêre; Ægyptii Lunæ & Libero suam immolabant.* Et mox, *Proditum est, è suilli pecoris genere immolandi initium Romæ primùm factum, eô argumentô, quòd sus Fæderibus & Sponsalibus adhibeteur.* Hinc & Varro *de R. R. loc. cit.* *Porci*, inquit, *qui à partu decimâ die habentur puri: & ab eo appellantur ab antiquis sacres, quòd tum ad sacrificia primùm idonei dicuntur. Itaque apud Plautum, in Menæchmis, cum insanum putat, qui ei pietur, in oppido Epidamno, interrogat; Quanti hi porci sunt sacres? Fulgentius item ad Chalcidium, Diophanetus ait, apud Athenas Marti solere sacrificari sacrum, quod Hecatomphoneuma appellabatur.* Et paulo pòst, *posquam Atheniensibus displicuit, cœperunt offerre porcum castratum, quem Nephrendem vocabant, quasi sine renibus:* Additque, *apud Romanos Sicinium Dentatum, qui centies & vicies pugnaverat singulari certamine, cicatrices habuerat supra 45. coronas acceperat 26. & armillas 140. istud sacrum primùm Marti fecisse.* Ubi obiter nota, *Sues nefrendes* Varroni potiùs dici, quæ, lactentis nomine amissô, nondum fabam *frendere* i. e. *frangere* possunt. *Sed & in initiationibus Cereri Sus mactabatur: Et quamvis in sacris ipsius Deæ vinum adhibere nefas esset, in hoc tamen sacro, de vino libâsset, Pontificales libri non vetabant: quam quidem Suem immolari ab eo, qui mortuo justa fecisset, crimen habebatur.* Deorum quoque *Matri nullum sacrum nisi de porca fieri, quidam prodidêre: & lustrari exercitum. In mysteriis Athenienses Sues immolâsse, propter perniciem, quam segetibus inferunt, scribit* Ælianus. Et mox, *Proditum tamen est, in Thessalia Veneris Fanum fuisse, & aliud in Sida Pamphyliæ & in Aspendo & Argis, in celebritate, quæ Hysteria dicebatur, in quibus præter institutum moremque aliorum Sues mactare licebat, quum in cæteris nullo*

nulli modo fas esset. Aristophanes tamen suum plerumque & porcorum sacrificium commemorat. Notat & Galenus in Comm. Chirurgiæ Hippocr. Glyciam à Græcis vocari suem vel porcum in sacrificio, blandâ scil. voce, uti simiam Calliam eâdem ratione &c. Hactenus Gyraldus. Itaque *Sus* immolabatur pluribus Diis, Soli, Baccho, Marti, Cereri, Matri Deum, Lunæ atque Veneri. Quin & Majæ, Diisque terrenis & aliis multis, observat Valerianus Pierius *Hieroglyph. l. 9.* qui & immolari porcum à laborantibus insaniâ consuevisse, ex Plauto docet *Menæchmis*, & Horatio *Sermon.* Additque animalium solas sues *Troyas*, à θύειν, quod *immolare* est; sicut Latin. *Sacres*, meruisse appellari: easdem in vetere Comœdia *Sues mystericos* nuncupari, eamque laudatissimam fuisse hostiam, si quis inventus esset porcus, qui solidas ungulas, non divisas, haberet. Per porcum sanè jurare Agamemnonem apud Homer. legimus: Et pugiles, certamen inituros, juxta Jovis statuam, in Elide, mactato porcô, jurare solitos, sine fraude sese comparâsse, tradit Pausan. *in Eliac.* quod etiam fecêre Judices Præfectique certaminis. Nulli vero porcum istiusmodi edere licuisse, Talthybius Homericus ostendit, qui porcum, quem pro juramento statuerat Agamemnon, in mare egit præcipitem. Ut de Solitaurilibus, solemni Censorum Romanor. sacrificio, nil dicam. Porrò in Nuptiarum initiis, antiquis Regibus, *Suem* mactare, mos erat: In Hetruria inprimis, potentiores quique in nuptialibus conviviis Novæ nuptæ Maritique Diis tutelaribus, porcum immolabant; quod etiam à priscis Latinis & Græcis in Italia factitatum. Unde is, Sponsam ducturus, quum omnia apparâsset, sed spe potiundæ Sponsæ excidisset, in has voces erupit:

Periit quidem Sus & talentum & nuptiæ, &c.

Vide Fortun. Licetum *de Gemmis Annularibus*, *Schem.* 32. in quo repræsentatur vetustus ritus *Suem* ad sacrificium ducendi: Ibi enim porcus exsertis dentibus, & Sacerdos mulier cum cultro jugulatorio, ponèque sequens Tibicen, cum altera muliere, quæ pateram plenam rerum in ignem conjiciendarum gestat, exprimitur, c. 119. Idem ibidem marmoris sui antiqui hanc Inscription. exhibet: *Stat hic Sylvanus inter quercum & palmam, altera manu falcem putatoriam habens, alterâ ramum, cujus extremô nescio an nux pinea emineat. A dextris ad altare Tibicen canit adstantibus duobus aliis: A sinistris duo item adstant, quorum hic nescio quid vasculi utrâque manu capiti impositum sustentat: ille porcam ducit ad tergum vittatam; subscribitur: Sacrum. Sancto. Silvano. Aug. voto. suscepit. ex visu.* ex Grutero. Verùm nec in sacrificiis solum, sed & in cibis, plurimis Veter. *Sues* placuêre; fuitque vulva inprimis in deliciis. Juvenal. *Sat. 11. v. 81.* ubi de Romanorum sui ævi luxurie,

Squalidus in magna fastidit compede fossor,
Qui meminit, calidæ sapiat quid vulva popinæ.

Posterior videl, porcæ pars & in illa crassæ atque pingues pulpæ. Alii intelligunt uterum suis ejectitium delicatè in popina præparatum. Martialis, *l. 13. Epigr. 56. v. 2.*

Me maternâ gravi de sue vulva capit.

Vide Plin. *l. 11. c. 37.* & *l. 8. c. 51.* *Neque alio ex animali numerosior materia ganeæ: quinquaginta prope sapores, cùm cæteris singuli,* Idem *l. 8. c. 51.* Sed & testiculorum meminit, in sacris Gentilium, Arnob. *adv. Gentes l. 7. Polimina porro sunt ea, quæ nos proles verecundius dicimus: à vulgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari.* Ubi *Polimina*, non à *poliendo*, quod *Festo* placet, sed à *pelle*, appellari adnotat *Desid. Heraldus.* Imò & inter convivii fercula Plautus *in Milite.* Quod non ignoravit hospes ille Chalcidensis: qui T. Quinctio Flaminio variam stupenti venationem, respondit, *condimentis varietatem illam & speciem ferinæ carnis, ex mansueta sue factam,* apud Plin. *l. 35.* & Plut. *in Flaminio* ac *Apophth.* Nullum verò gulæ majus argumentum porcô Trojanô; quem ita, Macrobiô Auctore *Saturn. l. 3. c. 13.* dixerunt, quia sic foret *aliis animalibus gravidus, ut ille equus Trojanus gravidus armatis fuit.* Quanquam non solis animalibus, sed aliis etiam cupediis farciretur, ut ille apud Athenæum *l. 9.* in quo turdi, & aliæ aviculæ, item vulvæ concisæ, ovorum vitelli & isicia: qui cùm exenteratus & variè adeo repletus foret, non tamen apparebat in corpore ejus ullum jugulationis & apertionis signum. Præterea, cùm integer apponeretur, dimidiâ tamen sui parte erat elixus, alterâ autem assatus. Porcorum autem sapidiores habebantur castrati, ut anteà *Verres*, sic posteà dicti *Majales*, à Dea Maja, cui sacrificari solebant. Nec porci solùm castrabantur, sed & porcæ: à quo more, sive Gyges Lydorum Rex sive Andramytes Crœsi frater, exemplum petiit fœminas castrandi, quô florenti semper ætate iis uterentur. Contrà *Suilla* Judæis divinitus fuit prohibita, cujus rei triplex ratio: Una est, quòd animal hoc nec ab humanis abstineat carnibus; Altera, quòd cœnô se volutare gaudeat; Tertia, quod in Judæa, ut & in aliis quibusdam Orientis terris, item Ægypto, ejus esus lepram ac vitiligines conciliaret, ut est apud Plut. *Sympos. l. 4. quæst. 5.* Atque idem fortè movit Ægyptios, ut eâdem abstinerent. Unde patet, Judæos non veneratione, sed abominatione, à *Sue* abstinuisse. Hanc ἄναγνα ζῶα, i. e. *immunda & impura animalia*, Josepho vocantur passim: sic aptissimè exprimenti vocem Mosis טמאים, Levitici c. 11. v. 8. ubi LXX. ἀκάθαρτα ζῶα, *impura*, h. e. ἃ οὔτε θυτὰ οὔτε ἐδώδιμα, *neque sacrificio neque esui apta.* Imò observant Rabbini, (paulò ante CHRISTUM) Hyrcani & Aristobuli tempore, factum esse decretum in hæc verba, ארור מי שיגדל חזיר, *Maledictus esto, qui aluerit suem:* quô avaritiæ eorum, qui quæstus sui causâ porcorum alebant greges, obviam irent. Interim, quod de paratura *Suillæ* conditis militaribus Romanorum inferendæ, notat Baronius, verum esse confirmat Casaubon. *Exercitat.* 13. §. 34. Ægyptii verò etiam cultus ergo carnis hujus esum aversabantur. Nempe quia *Sus* rostrô humum fodiendo semina terræ commissa adoperit, ne ab avibus devorentur. Gyraldus tamen *loco cit.* sic de iis: *Scripsit Ælianus, Ægyptios persuasum esse, Suem & Lunæ & Soli esse inimicissimum, hinc semel tantum, quum festos dies agunt, eos Lunæ singulis annis dicasse: alias vero nunquam nec huic ipsi, nec cuiquam Deorum sacrificasse, id propterea facientes, quia execrandum & detestandum existimabant: ut Judæi quoque.* Ab eadem Gallogræcos etiam Pessinunta incolentes, Arabes, hodieque Muhammedanos, Sinenses, Tartaros, abstinere diximus alibi. Vide Gerh. Joh. Voss. *de origin. & progr. Idolol. l. 3. c. 65.* & 66. 67. ubi à *Sue* homines aratri usum didicisse, Veterum fuisse opinionem, ex Plut. *Sympos. l. 4. quæst. 5.* unde vomer Græcis ὕνις, ab ὗς, docet; Sam. Bochart. *Hieroz. parte prior. l. 3. c. 29.* ubi etiam ad agrorum cultum illis Ægyptios, sed solos mortalium, usos esse, ex Æliani *l. 10. c. 16.* docet, Alios. Addam pauca de dentibus suum; Apud Salaminios legem invaluisse, quâ oportebat ἐξαιρεῖν [illegible] *dentes evelli* suis aliena sata depascentis, docet Ælian. *l. 5. c. 45.* Ad cujusmodi morem jam Homerus respexit *Od.* σ. *v. 29.* ubi Irus Ulyssi minatur, se pugnis omnes ejus dentes excussurum,

—— συὸς ὣς ληϊβοτείρης.

Heroas verò, dentes aprorum, quos venando interfecerant, galeis suis superaddidisse, docet Car. Paschalius *Coronar. l. 10. c. 17.* Vide quoque suprà in voce *Porca*, uti de *Sue* in nummis sculptâ, ubi de *Monetæ usu*; de *trunculis suum* infrà voce *Truncus*.

SUS, in *Chron.* Leodiensi laudato ab If. Pontano *in Orig. Francic.* *Misit Leodium mangonalia, vel arietes, aut sues, vineas* &c. machina est bellica, quæ alias *Scropha*. Gall. *Truye*, ad suffodiendos olim muros adhibita: *Levibus lignis colligata, tectô tabulis cratibusque contextô, lateribus crudis coriis communitis, protegit in se subsidentes, qui, quasi more suis, ad murorum suffodienda penetrant fundamenta*, Wilh. Malmesburiensis *Histor. l. 4.*

SUSA, nomen scribæ. 1. Paral. c. 18. v. 16.

SUSA, provinc. meridionalis regni Marochii, in ora Oceani Atlantici; *Sus* vulgò dicta à fluvio cognomine illum perlabente. Amœna est, fertilis, & dives. Ejus urbs præcipua *Tarudante*. Reliquæ urbes Tejeuta & Tagavostum. *Baudrand.*

SUSA, ORUM, urbs Asiæ nobilissima, Susianæ regionis, quæ, post Abradatæ mortem, à Cyro subjugata est, Xenoph. *in Cyropæd.* caput & regia, à Tithono, Memnonis patre, condita, reparata à Dario, Plin. *l. 6. c. 27.* *Ptol.* Curtius *l. 5. c. 1.* ad Eulæum fluv. inter Seleuciam magnam ad occasum, 450. & Persæpolim ad ortum, 275. mill. pass. ab Ecbatanis 450. in meridiem. De illa *Dionysius*:

Χωρὶς μὲν Κίσσος ἱερὸν μέγας, χωρὶς δὲ Χοάσπης,
Εὐλαῖον ἴδιον ὕδωρ, παρά τε ῥέειν χθόνα Σουσῶν.

Ubi sis vide *Montanum.* Junguntur Susa & Ecbatana, quia ut æstivos dies in Ecbatanis, ita hybernos Susis agebat rex Persarum. Ita Xenoph. *Cyropæd. l. 8.* Strabo, *l. 15.* Plut. *de exil.* Athenæus, *l. 12.* Eustathius *in Dionys.* Aristides, *in orat. de Roma.* Ut vel falli necesse sit, vel corruptum esse Ælianum, *de Animal. l. 10. c. 6.* ubi Regem Persarum describit θερίζοντα μὲν ἐν Σούσοις, χειμάζοντα δὲ ἐν Ἐκβατάνοις, repugnante naturâ rerum. Ecbatanis enim æstate multò commodius degebatur, quia clima frigidius est quàm Susis, ubi aër æstivus est tàm fervidus, ut lacerti & angues circa meridiem in viis intercepti ustulentur. Ita habetur apud Strab. *loc. cit.* Populi *Susiani*, ob artem sagittariam olim clari. Propert. *l. 2. El. 13. v. 1.*

Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis.

Claudian. *de bello Gildonico*, *v. 32.*

—— *Nostraque premant pharetrata secures*
Susa. —— ——

Lucan. *l. 2. v. 48.*

—— *Conjuret in arma*
Mundus, Achæmeniis decurrant Medica Susis
Agmina. —— ——

Dicta autem putatur hæc vox, à liliorum copia, quæ illorum linguâ *Susa* dicuntur. Athen. *l. 12.* Καλεῖσθαι δέ τὰ Σοῦσά φησιν Ἀριστόβουλος καὶ Χάρης διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου. Σοῦσον γὰρ εἶναι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον, *Stephanus.* Σοῦσα, &c. κέκληται ἀπὸ τῶν κρίνων, ἃ πολλὰ ἐν τῇ χώρᾳ φύεται ἐκεῖ. Σοῦσον γὰρ αὐτὸ καλοῦσιν οἱ βάρβαροι. *Etymologus*: Σοῦσα ἡ πόλις ἀπὸ τοῦ ἀφθονωτάτου κρίνου. Σοῦσα γὰρ τὰ λείρια λέγεται. Quod multò verius, quàm quod ibidem alii volunt, *Susa* dici ἀπὸ τοῦ ἱππάζεσθαι εἰς τὴν ἕω, καὶ γὰρ νῦν Σοῦσον τὸν ἵππον λέγεσθαι. Chaldæis quidem & Syris equus dicitur סוסא *susa*, & סוסיא *Susia*. Sed Scriptura differt à שושן. Ut taceam Susa nusquam ab equitatu commendari. Bochartus, *l. 2. Chanaan, c. 14.* *Nic. Lloyd.* Susa hodie *Souster*, *Sansani*, estque etiamnum urbs ampla Persiæ, ad Eulæum fluv. *Tiritiri*, versus montes. 180. mill. pass. à Bagdato, seu Seleucia in Ortum, paulò minùs à sinu Persico in Boream.

SUSA, oppid. Pedemontii, ad montis radices.

SUSALEI Villa, seu *Susaleus vicus*, hodie *S. Pietro*: castrum Sardiniæ, in provinc. Calaritana, 17. mill. pass. à Calari in Circiam.

SUSANNA, oppid. Hispaniæ Tarraconens. quod & *Susanna*. *Campanillo*, teste *Hieronymo Suritâ.* Silius *l. 3. v. 384.*

At non Sarmaticos attollens Susana muros.

in confinio Arragoniæ & Castellæ veteris.

SUSANIDÆ, vide *Chosrawi*.

De SUSANIS Marquardus, vide *Marquardus*.

SUSANNA, uxor Joachim. Item mulier quæ Christum sequebatur. Lucæ *c.* 8. *v.* 3.

SUSANNA Haberta, gente Galla, Hebraicè, Græcè, Latinè, Hispanicè & Italicè docta: Philosophiæ perita, in S. Scripturæ & Patrum lectione egregiè versata. Scripsit *explicationem Symboli Athanasii, tractatum de Precibus*, & *de Sacramentis*: Item *Catechismum*, &c. Obiit A. C. 1633. Morer. *Diction. Hist.*

SUSARION, (vide & *Sysarion*) cum Dolone, Icarienses (à pago dicti) inventores Scenæ tabulatæ, in Comœdia, memorantur in *Marmore* Arundeliano, apud Joh. Marshamum *Secul.* XVIII. Et quidem ille, in Dionysiorum celebritate hos 4. senarios de fœminis cecinisse traditur:

Ἀκούετε λεὼς, Συσαρίων λέγει τάδε,
Κακὸν γυναῖκες. ἀλλ' ὅμως ὦ δημόται,
Οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ,
Καὶ γὰρ τὸ γῆμαι, καὶ τὸ μὴ γῆμαι κακόν.

Audite populus, Susarion hæc dicit:
Malum mulieres: sed tamen ô cives,
Non est domum invenire sine malo.
Uxorem enim ducere & non ducere, malum:

apud Stobæum *Serm.* 67.

De SUSATO Jacobus, vide *Jacobus*.

SUSATUM, urbs libera & Hanzeatica Westphaliæ, in Comitatu Marchiæ, 4. leucis ab Hamo in Ortum, Paderbornam versus 7. ab Arnsperga in Boream tribus; 7. à Monasterio in Meridiem, Marpurgum versus 14. *Sosst.*

SUSCEPTI, apud Salvian. *de Gubern. Dei l.* 5. *Ecce quæ sunt auxilia & patrocinia majorum: nihil susceptis tribuunt, sed sibi*: Clientes sunt, de quibus suprà. Ita namque disertè Servius *ad Æn. l.* 6. *Vult intelligi prævaricatores, qui patroni sunt clientum, quos nunc Susceptos vocamus.* Et Jul. Severian. Rhet. *Solicitudinem* suscepti, *vel cætera ejus infortunia memoramus.* Vide quoque Augustin. *Epist.* 59. Ambrosium *Sermone* 93. insuperque ex recentioribus Lindenbrogium *ad Ammian. l.* 17. Wouwerium & G. Elmenhorstium *ad illa Minucii Fel. Nos tamen cùm Sacrilegos aliquos & incestos --- defendendos & tuendos suscipiebamus &c.*

SUSCEPTORES, Græcè Ἀνάδοχοι, aliàs *Duces* καθηγεμόνες, & *Manuductores*, Græcè χειραγωγοί, *Sponsores* item, in Baptismo dicuntur, qui infantes, à naturalibus eorum parentibus sibi traditos, offerunt baptizandos, eosque abrenuntiationem malorum & confessionem fidei facere dicunt, i. e. uti exponit Dionys. Areopag. *de Eccl. Hierarch. c.* 7. *promittunt se pueris illis, cùm intelligere sacra per ætatem potuerint, suasuros, ut & nuntium mittant adversariis, & divinam confessionem faciant, in eaque perseverent.* Quo fine operam dare jubentur, ut infantes crescente ætate pietatis religionisque principiis probè imbuantur, *Concil. Arelat. Can.* 19. *Ut parentes filios suos & Patrini* (i. e. Susceptores, qui & *Fidejussores*) *eos, quos de fonte suscipiunt, erudire summoperè studeant.* Neque verò infantibus solùm, sed & adultis, Baptismum accipientibus, Ἀνάδοχος tribuit idem Dionysius: quibus, ut & infantibus, nomen imponebant, atque in Ecclesiæ tabulas referebant. Atque hic mos Sponsores baptizandis adhibendi, ferventibus persecutionibus, usurpatus, posteà quoque in Ecclesia retentus est, atque etiamnum obtinet. Franc. Burmannus *de Baptismi administr. num.* 14. Vide quoque Joh. Forbes. *Instructionum Historico-Theologic. l.* 10. *c.* 5. §. 22. & hîc passim, inprimis voce *Compatres*, it. verbô *Tenere*: uti de *Susceptoribus*, *campanarum*, in Eccles. Romana suprà. Alii in utroque Cod. *Susceptores* indigitantur, qui videl. annonis & tributis utriusque ærarii recipiendis præpositi, sub dispositione Rationalium, erant. Vide Tit. *de Susceptoribus*, & ad illum, Cujacium, Gothofredum, Alios. Etiam Justino memorati *l.* 8. *c.* 3. & *Redemptores* quoque ac in *l. un.* C. *de Monopol. Ergolabii*: in *LL.* Longobardicis fortè *Magistri Comacini*, appellati, Berneggero *ad Justinum l. c.* Item apud Hincmarum *de Ord. Palat. c.* 23. ubi hôc nomine veniunt, qui Principem iter agentem, aut ejus comitatum, in ædibus suis *suscipiebant*, vel excipiebant. At *Suscepti*, apud Augustinum *Ep.* 54. Salvian. *de Gubernat. Dei l.* 5. Cæsarium *Arelat. Serm.* 5. Alios, clientes sunt: & apud Rei Monasticæ Scriptores ii, qui habitu Monachi donantur in morte & *suscipiuntur* inter Monachos, uti habet Car. du Fresne in hac voce.

SUSCIPERE Sacra, vide suprà *Sumere Sacra*.

SUSCITIUM, vulgò SASCHITZ, oppid. Bohemiæ versus Hercyniam sylvam, & limites Bavariæ, ad Octavam amnem, medium ferè inter Pilsenam ad Boream & Patavium ad Meridiem 15. mill. pass.

SUSDALA, urbs Moscoviæ, 80. mill. pass. à Moscua, in Cæciam 130. à Novogradia parva in Africum. Caput provinciæ cognominis inter Rostoviam ad Occasum & Volodimiriam ad Ortum sitæ. Episcopalis sub Archiepiscopo Rostoviensi.

De SUSE Henricus, vide *Henricus*.

SUSENBERGA, nomen Comitatus primò, dein Landgraviatus, in ditione Marchionis Badena-Durlacensis. Et quidem proprios ei fuisse Comites ambiguum non est, ab iis ad Hochbergensem Familiam transiisse circa A. C. 1300. matrimonii jure, sunt qui memorent, sed inter quos contracti, non expediunt. Eadem de Landgraviatus istius initio Scriptorum incuria fuit. Nam quod *Usenbergæ* (cujus pars ad Rudolfum III. pervenit, ab uxore Anna, ut infrà dicemus in voce *Usenberga*) vocabulô terram istam fortè designari nonnulli putant id obstat, quod *Susenbergia* Familia diversa ab Hochbergia deprehendatur, & antiquior nominis ejus titulique apud istos usus, quàm ad hos Usenbergæ dominia venissent. Fuit autem *Susenbergici* rami auctor præfatus Rudolfus (juxta Spenerum) extinctus A. C. 1313. cujus fil. Henricus, auctus dominiô Rœtelensi, sedem, quæ antè Susenbergæ fuerat, Rœtelium transtulit, unde posteà *Marchiones Rœtelani* dicti. Clausit ramum Philippus, Joannæ, Ludovico Aurelianens. Duci Longavillano nuptæ, pater, agnatô Christophorô Badensi successore, qui, ob Rœtelanum dominium, *Susenbergam* & Budævillam, cum Ludovico jure disceptare, in Camera Spirensi, necesse habuit. Vide Phil. Jac. Spenerum *in Famil. Badensi* & *Artis Heraldicæ Parte Spec.* nec non Tob. Pfannerum *de præcip. Germ. Principp. gentibus c.* 9.

SUSENNES, Rex in Ægypto Pastorum XIII. Pinachi successit, regnavit annos 14. Eum Pelubates excepit: Amosi qupe Thebaitas regnante, Barakô verò Nephthalitâ judicante Israelitas. Vide Manethonis *Fragmenta* apud Josephum *contra Apionem l.* 1. Joh. Marshamum *Canone Chronicô*, & hîc passim, voce *Amosis*, *Pastores*, *Tanitæ*.

SUSIANA, seu SUSIS *Strab.* Regio Asiæ inter Assyriam ad Occasum & Persidem ad Ortum, cui Media ad Arctos incumbit, sinu Persicô ad Austrum definita. *Susistan*, vulgò & *Cusistan*.

SUSIDÆ Pylæ, angustiæ montium, ex Susiana in Persidem ducentes. Qu. Curtius, *c.* 3. *l.* 5.

SUSPECTA, vide infrà ubi de *Zelotypia*.

SUSPENDI, apud Curtium *l.* 10. *c.* 4. *Miserum quippe Medicum tanquam in curando* (Hephæstione) *negligentior fuisset*, suspendi *jussit*: est in crucem agi, Freinshemius *ad l.* Quâ notione vox apud Romanos quoque Scriptores frequens. Et quidem tum apud alios, tum apud veteres Romanos, caput velatum habuêre, ex lege horrendi carminis, Livio memoratâ *l.* 1. *c.* 26. *Caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Posteà verò, ritum hunc antiquatum fuisse, docet Tullius *Orat. pro Rabirio*; qui proin *Verrinâ* 6. crimini dat Verri, quòd cives Romanos obvolutô capite ad supplicium abduci mandâsset: *Quem obtortâ gulâ, de convivio, in vincula atque in tenebras abripi jussit.* Et *Orat.* 7. *Cives Romanos, capitibus involutis ad necem rapiebat.* Idque est, quòd obtortô collô & faucibus intortis vel adstrictis aut cervice colligatâ tractos aliquos, legimus apud Plin. *l.* 7. *c.* 44. Suetonium, *Julio c.* 62. Alios. Veste enim ab imo reductâ & supra caput ac circùm collum & fauces intortâ, rapiebantur. Faciebant verò idem Romani in omni functione luctuosa: Ut cum quis pro Rep. se devovebat & ruebat in mortem, Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3. Cùm Tribunus Pleb. bona alicujus damnati consecrabat, Cicer. *pro Domo*: in Vere sacro, & in genere, in luctu. Persius *Sat.* 3. *v.* 106.

Hesterni capite induto subière Quirites.

Vide Anselm. Solerium *de Pileo sect.* 2. & 8. Quia verò *suspendiosis* justa fieri non licebat, oscillis, velut per imitationem mortis, iis parentatum est, ut suprà diximus voce *Oscilla*. Apud Anglos *Suspensio corporis per pedes*, inter pœnarum genera, memoratur in *Fleta l.* 1. *c.* 26. §. 4. Vide quoque suprà, ubi *de Cruce*, *Facinorosis* & *Furca*; nec non voce *Hardes*. Gauros verò, (sic dicuntur hodie inter Persas illi, qui pristino Gentilismo etiamnum inhærent) mortuos suos *suspendere*, & si dextrum oculum priùs eruant corvi, lætos ac vitulabundos abire, sin verò sinistrum illi invadant priùs, demissô vultu & aliis signis mœstitiam testari, hôcque pactô defunctis suis justa solvere, scribit Jo. Baptista Tavernier *Itinerar. Pers.* De *suspensione ossium Magica*, ad vitandam animalium pestem, vide suprà voce *Ossa*.

SUSPIRIA, novi amoris, vel & inoliti jam, indicia. Claudian. de suo Principe, amare incipiente, *in Epithalam. Honorii & Mariæ v.* 2.

——— primoque rudis flagraverat æstu.
Nec novus unde calor, nec quid suspiria vellent,
Noverat; incipiens & adhuc ignarus amandi.

Unde ad Stellam, cum felicitatis magnitudine attonitum Statius.

—— Pone ô dulcis Suspiria vates.

l. 1. *Sylv.* 2. *v.* 33. Cujus rei causam enarrare conantem vide Alexandrum Aphrodisæum *Problemat.* 22. In re Musica *Suspiria* voce Gall. *Hoquetæ* dicuntur in *Extrav.* Joannis XXII. *cap. un. de vita & hon. Cleric.*

SUSSEXIA, provinc. Angliæ meridialis, ubi olim *Regni* populi ex parte. Terminatur à Septentrione Surriâ, ab Ortu Cantiô, ab Occasu Hantoniâ, à Meridie mari Britannicô. Extensa versus Ortum per 60. mill. pass. Urbs præcipue ejus est *Cicestria*.

SUSUDATA, Germaniæ civitas, *Ptol. Wilsnach*, *P. Apiano*, in Marchia Brandeburgica, apud Albim, inter Havelbergam & Perlebergam ad Boream 3. leuc. Aliis *Stettinum*. Vide ibi.

SUTA, apud Statium *Theb. l.* 3. *v.* 585.

Hi teretes galeas, magnorumque ærea suta
Thoracum ———

Et *l.* 4. *v.* 131.

Ferrea suta tegunt ———

Gloss. MS. *metallum insutum, ne lædat corpus, quando induitur.* Suta nempe, ferro inducta dicit seu laminis, vel squamis, arma quæ superinducuntur. Explicat seipsum *l.* 7. *v.* 310.

——— clypei septemplice tauro
Læva, ter insuto servant ingentia ferro
Pectora. ———

Dicit ergo interjunctis ferreis circulis *sutos* thoraces, non totos ferreos. Unde non planè ista percepisse Lipsium *de Milit. Rom. l.* 3.

l. 3. *c.* 6. ait Casp. Barthius *Animadversion. ad loc.* Sic *suta alvearia*, vimine textis opposita, apud Virgilium, *l.* 4. *Georg.* v. 34. filis scil. colligata &c. At *suta manulea*, ἐξωμιαῖον μαγχάλη, apud *Hesychium*, fibulata est seu nodô stricta. Talis enim erat operaria servorum tunica, de qua ibi sermo, ut unâ quidem parte μαγχάλην haberet, in quam brachium immitteretur, altera verò manuleam non haberet, sed in modum pallii amiciretur & fibulâ necteretur. Quæ autem ex utraque parte in humeris fibula stringebantur, Græcis χιτῶνες χιτοὶ, συμπεραντοί, & ῥαπτοὶ dicebantur, quibus oppositæ tunicæ ἄῤῥαπτοι, *inconsutiles*, ex toto tectæ conclusæque & nullâ parte sutiles scissilesque erant, quemadmodum interulæ nostræ sunt, sive lineæ, sive laneæ. *Sutum* enim hîc pro *fibulatum*, uti *resutum*, apud Suetonium *Aug.* c. 94. pro *refibulatum* poni, vel hinc pateat, quòd ῥαπτὰ πτερύγια dicunt Grammatici, & συῤῥαπτῶν πτερύγων, legimus apud Lucianum *Dial.* Ἐρώτ. Quam in rem vide pluribus Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano*, c. 46.

SUTHALA, fil. Ephraim, Numer. c. 26. v. 35. Filius item Zabab, 1. Paralip. c. 7. v. 21.

SUTHERLANDIA, provinc. Scotiæ Borealis versus oram maris Germanici inter Cathanesiam & Strataverniam ad Septentrionem & Rossiam ad Meridiem urbs præcipua Dunrodunum, *Dornock*, in ora littorali.

SUTHSEXIA, unum ex VII. Anglo-Saxonum in Britannia Regnis, fundatum ab Ella A. C. 488. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper.* Felleri p. 333. nec non in voce *Sussexia*. *Suth* autem Saxonicè Auster est, unde *Suthdoore*, i. e. porta Australis, præcipuum ostium dictum est in Æde Cantuariensi, ubi olim facta *Judicia Dei*, cùm lites ordinatiô judiciô dirimi non possent, notat Gervasius Dorobernensis *l. de Reparat. Eccl. Cantuar.*

SUTILES Coronæ, dictæ sunt, quarum flores, unde necterentur, consui solebant; antiquissimi apud Romanos usûs, ut qui eas in Saliorum sacris à primis temporibus adhibuêre & in Saliaribus dapalibusque exhibuêre: ad rosaria inde transeuntes, imô procedente luxu, ad mera harum folia, Plin. *l.* 21. c. 3. Ad consuenda autem & concinnanda sic folia, necesse fuit ea priùs probè macerari, ut manum artificis, & puncturas, quibus necterentur, pati possent, uti discere est ex Apicio *Rei Culin.* c. 1. ubi folia rosarum huic fini destinatarum, septem diebus in vino macerari consuevisse, legas. Nempe primitùs toti flores, dein rosæ solùm, sed & illæ totæ, inserebantur sutilibus, tandem *eò luxuria processit, ut non esset gratia, nisi mero folio.* Quô pactô omnis tum harum coronarum decor videtur constitisse artifice quâdam suturâ & foliorum mixtione: in quod artificium numerus florum innumerus congerebatur. Inde, in hoc coronamenti genus, acrem habes invectivam, apud Plut. *Sympos.* 3. Inprimis cùm è pretiosioribus foliis nardi videl. aut veste Serica versicolores, unguentis madidas, dari placuit. Hinc Ovid. *Fastor.* l. 5. v. 335.

Tempora sutilibus *pinguntur tecta coronis* &c.

Vide Car. Paschalium *Coronar.* l. 1. c. 14. & suprà ubi de *Rosariis*. Apud Val. Flaccum *Sutilis Domus*, occurrit l. 6. *Argon.* v. 81.

——— *ibi* sutilis *illis*
Est domus, *& crudo residens sub vellere conjux*,

de qua vide Barthium *Animadvers. ad Stat. Theb.* l. 3. v. 585. Celebres inprimis *Sutiles Naves*, apud priscos; in quibus *suturas* seu ῥάμματα, Homerus σπάρτα *Il.* β. v. 135. vocavit, uti docet *Hesych.* quæ è lino, sparto, cannabe, loris quoque fieri solebant, ut videre est, apud Salmas. *ad Solin.* p. 263. De tunicis *Sutilibus*, dictum aliquid suprà, in voce *Suta*.

SUTOR, à *suendo*: Interim Romanis *Sutores* dicti, non illi qui acu vestes consuebant; sed qui coria in usum calceorum. Et Plato *Politic.* de artificiis vestimentorum disserens, commemorat τὴν τρητὴν καὶ ῥαφῇ χρωμένην σύνθεσιν, *Confectionem illam, quæ fit perforatione & sutelâ*: quâ generali descriptione Sartores quum possent comprehendi, Plato tamen illorum non meminit, sed tantùm τῆς σκυτοτομικῆς, *Artis consuendi coria*, i. e. *Sutorum*. Unde colligit Casaubonus, aliam rationem parandarum apud Veteres vestium; &, cùm à Textoribus vestes absolverentur, Sartores vel Sarcinatores, refectores potiùs veteris vestis, quàm novæ confectores, fuisse, *Exercitat.* 16. *ad Annal. Baronii*, §. 84. Meminit *Sutoris*, Martialis *l.* 9. *Epigr.* 75. v. 1.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere lutô putre vetusque solum;
Prænestina tenes defuncti rura Patroni,
In quibus indignor, si tibi cella fuit.

Ut qui ex ergastulo fuisset. Jurisconsultus hinc *l.* 78. §. *hered. ff. ad SC. Trebell. hoc amplius eidem alumno meo hominem calaflanenm & vernam* Sutorem, *qui cum artificiô suô mercede delatâ alere posset.* Græcè Σκυτοτόμος, quô nomine pagani Paulum Apostol. (qui σκηνοποιὸς erat, Actor. c. 18. v. 3. *tentoriorum fabricator*, quæ ex corio fiebant) per contemtum olim appellare soliti sunt, uti docet Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* in hac voce &c. Hujus instrumenta erant, *scalpra & formæ*, Ulpianus *l.* 5. §. 3. *ff. ad Leg. Aquil.* Unde Horatius, *l.* 2. *Sat.* 3. v. 104.

Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli;
Si Scalpra & Formas non Sutor.

Opera fuerunt *Caligæ, sandalia, soleæ, crepidæ, calcei*; à quibus *Solearii, Sandaliarii, Sutores caligarii*, dicti, vide iterum Horatium *l.* 2. *Sat.* 3. De *Sutore* Cæsatiano, festiva extat narratiuncula, apud Arrian. *in Epict.* l. 1. c. 19. sicut de *Sutore* Medicum professo, elegantissima fabula, apud Phædrum, *l.* 1. *Fab.* 15. Servi *Cerdonis* meminit Papinianus *l.* 42. *ff. de oper. Libert.* cui *Subulam* tribuit Martialis *l.* 3. *Epigr.* 16 Vide suprà in voce *Subula*. Sed nec servilis solùm hæc opera: Collegium enim *Sutorum* memoratur Romæ, apud Joh. Rosin. *Antiqq. Rom.* l. 8. c. 6. Et quamvis Pelliones sive Coriarii olim Urbe excluderentur, ut ex Artemidoro discimus: *Sutores* tamen sive Calceatios in ipsa habitâsse, patet ex Plinio *l.* 10. c. 43. ubi *sub Imperio Tiberii corvum, è summa Castorum æde, in Sutoris officinam è regione positam se dedisse*, scribit. Et paulo pòst, *Calcearius alter*, inquit, *qui propinquam incolebat officinam, corvum illum occidit.* Unde colligere est, *Sutoribus* in urbe suum fuisse locum, suam sedem, suam regionem. Nam Castorum Templum Urbis antiquæ mœnibus fuisse inclusum & quidem in octava ejus regione, ex *Onuphrio* aliisque notum. Inprimis autem in mulleis conficiendis eorum conspicua fuit industria; quippe qui multis elegantibusque *suturis* præ cæteris insignes fuêre. Quæ quidem suturæ, suggerente *in brevibus ad Plinium Notis l.* 9. c. 17. Pineto, filum sericum ut plurimum atque alterius (ut decori ratio suadet) a rubro coloris punctuatim eminens, in diversis calceorum illorum partibus, ostentabant: Cùm contrà viliorum calcei crassiore rudiorève filô consuerentur; ut ex Juvenale liquet *Sat.* 3. v. 149.

——— *Si ruptâ calceus alter*
Pelle patet, vel si consutô vulnere crassum,
Atque recens linum ostendit non una cicatrix.

Primum verò *Sutrinæ* inventorem Boëthium quendam fuisse, scribit Plin. *l.* 7. c. 56. sed quando is, aut ubi vixerit, non docet. Potiori jure Adamo id laudis vindicat Cl. Vossius, quem verisimile est, terrâ, ex divina comminatione, spinas ac tribulos proferente, calceis pedes suos munivisse, quos è crudo primitus corio fuisse etiam hinc patet: quòd apud Romanos quoque tales fuerint illi rusticorum, quin & plebejorum diu, quibus per nives & lutum ibant: *Perones* eos dixêre, uti suprà vidimus. Vide Voss. *de Idolol.* l. 3. c. 70. & Anselmum Solerium *de Calceo* passim, inprimis c. 1. 7. & 10. Præcipuè autem *Sutrinæ* olim *Venetæ* celebres fuêre, ut ex Tertulliano *de Pallio* patet c. 5. *magnum incessui munimentum* sutrinæ Venetiæ *prospexêre*; uti veram lectionem restituit Salmas. cùm aliàs *Sutrinæ Venetiæ* legeretur. Nempe in Venetia aut Veneta regione pelles olim optimè curari & confieri solitæ sunt, suendis calceamentis aptæ: utpote in qua magna pecudum copia, ut ex frequenti Altinarum & Euganearum ovium mentione, apud Auctores, clarum est. Fortasse ibidem & calcei sive perones optimi concinnabantur, unde *Sutrinas Venetias* dixerit Tertullian. ἀρχαϊκῶς, pro *Venetas*. De *Sutrinarum coriis in cibum versis*, vide Livium *l.* 33. c. 30. Non verò in calceis *sutura* solùm, sed & in lacerna, fibulæ usum aliquando *Suturam* præstitisse, annotavit Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. Parte* 2. *l.* 1. c. 16. Vide & suprà in voce *Suta*.

SUTOR Petrus, vide *Petrus*.

SUTRIUM, vulgò SUTRI, urbs priùs Tyrrhenorum, deinde Romanorum. Apud Appianum *Civil. bell.* l. 5. Σύθριον corruptè legitur, quod imperitus Geographiæ interpres, unà cum sequenti voce χωρίον malè vertit *Insubrium regionem*. Oppidani Livio, *l.* 9. c. 32. & Frontino *Sutrini*: Σουτρῖνοι *Stephano*. A Romanis cùm defecissent, eos ad fidem reducendum mittitur Camillus, qui ut celeritate eos opprimeret, jussit milites 3. dierum commeatum secum ferre, teste Liviô *l.* 6. c. 3. Hinc natum proverbium: *Quasi Sutrium eant*, apud Plautum *in Casina*, *Actu* 3. *sc.* 1. v. 10. & Festum, cùm quid celeriter fit & instructè. Hinc etiam *Sutrius*. Sil. *l.* 8. *Sutria tecta*, Coloniam Romanam fuisse, & quô tempore deductam, docet Vellejus *l.* 1. c. 14. *Post septem annos, quàm Galli urbem ceperant, Sutrium deducta colonia est.* Nunc Urbecula Episcopalis provinc. Patrimonii, ad amnem *Pozzolo*, 5. milliar. à Nepete in Occasum 3. à Capranica in Ortum. Hic Concil. ab Henrico III. Imperatore celebratum est, A. C. 1046. quô fœdum schisma trium Pontificum sustulit, electione Pontificis sibi reservatâ: quod etiam Clemens II. quem promoverat, confirmavit. Petr. Damianus, Sigon. *l.* 8. Item A. C. 1059. contra Johannem Mincium, Antipapam, à Nicolao II. habitum, &c.

SWIDNIA, urbs Silesiæ, caput Ducatus cognominis ad fluv. *Westritz*, 30. mill. pass. ab Uratislavia in Occasum, 25. à Lignitio in Meridiem, 12. à limite Bohemiæ. Satis munita, pluries tamen capta receptaque bellô Germanicô ultimô, *Schweidnitz*. Vide *Suidnicium*.

SWOLLA, vide *Zwolla*.

SUUS, apud Æl. Spartian. *in Præf. Vitæ Ælii Veri, Diocletiano Aug. Ælius Spartianus* suus *Sal.* Græcè est ὁ αὐτοῦ ἴδιος. Quâ adjectione vocis insolentis videtur significare, non tam amicitiâ Diocletiani valde familiariter se usum, quàm Libertum ejus, fuisse. Ut cùm Dio Cassius Heliodorum Epistolarum Hadriani Magistrum τὸν αὐτοῦ ἴδιον, *suum* illius nominat. Et Eutropius *Ep. ad Valentem*, sed paulo aliter: non enim epistolæ nomen suum præscripsit, sed in ima cera, more, qui hodie obtinet, subscripsit hôc modô, *Eutropius V. C. peculiariter suus*, i. e. vestræ clementiæ peculiaris servus ac domesticus. Hoc enim est τὸ *suus*, ut rectè observat magnus Cujacius, vide Casaubon. *Not. ad Spartian. in Hadriano & Vero. loc. cit.* Uti autem *Suus* in hisce servum notat, sic vi relatorum Cyrus Patriarcha Alexandrinus Sergium Patriarcham Constantinopolitanum vocat ἴδιον Δεσπότην, *suum Dominum* apud Cl. Suicerum *Thesauro Eccl.* voce Μαρία, quod eodem redit. Vide suprà *Domina nostra*: plura verò de hac voce, apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, inprimis *Thebaid.* l. 4. v. 836. ubi eâ nativum, ingenuum, fugientem aliorum commercium denotari ait, inter alia afferens illud ejusdem Poëtæ *Theb.* l. 9. v. 563.

—— *vendet thori decus & suus ordo*
Manibus, interea justos dum reddimus ignes,
Hoc ultor Capaneus operit tua membra sepulchro:

ut & suprà in voce *Sui*, aliquid etiam infrà in *Tuus*.

SYAGRA, regio Ciliciæ prope Adum & Laërtem. *Steph.*

SYAGRIUS, vir illustris, de quo Symmachus *l. 3. ep. 19.*

SYAGROS, extremum Arabiæ Felicis promontorium ad mare Rubrum, Plin. *l. 6. c. 23. 28.* Nunc *Cap. Facalhad* incolis: in ora maris Arabici, 180. mill. pass. à Fartacluo Urbe in Ortum. Item loci nomen apud *Sophoclem*, à suum veneratione impositum. Græcis item *Syagros*, aprum significat. Cæterùm *Syagros* primum erat promontor. Sachalitis sinus, haud longè à thurifera regione, ubi & portus erat & castrum, turrisque, quod ex tota regione colligebatur, horreum, Auctor *Peripli*, Hinc Σύαγρος dictum thus Indicum, quod in Indicis Insulis Arabiæ adsitis natum eò deferebatur; sicut cinnamomum Μόσυλον dicebatur à Mosylico emporio. Vide Salmas. *ad Solin. p. 593. & seqq.* Sed & *Syagros* palmulas habet Plinius, de quibus nihil jam nosci posse, idem ait *Ibid. p. 1323.*

SYAGRUS, primus bellum Trojanum carmine cecinit, ut ait Ælian. ποικιλ. *l. 14. c. 21.* Sed incertum, utrum fide ad historicâ egerit, an, ut ab Homero posteà factum, fabulosè. Voss. *l. 3. de Hist. Græc. p. 417.*

SYALIS, urbs Mastienorum, *Steph.*

SYASSUS, vicus Phrygiæ.

SYBARIS, Medi cujusdam servus, Justin. *l. 1. c. 6.* Ubi MS. *Sebares.* Sed legendum *Sobares.* Is autem est *Oebares*, Græcè Οἰβάρης, utrumque enim dicitur. Sic *Androcottus, Sandrocottus, Merdis, Smerdis; Osthanes Æschylo* est Σουθάνης. Voss. *in Justin. loc. cit.*

SYBARIS, M. Græciæ oppid. inter Crathin & Sybarim amnes, ab Achivis conditum, Diodor. Sic. *l. 12.* Olymp. 17. An. 45. Urb. Cond. qui post Trojæ excidium vi tempestatis eò fuerunt appulsi. Nunc in ruinis. Situm erat in ora Sinus Tarentini, inter ostia Sybaris & Crathis, *Baudrand.* Hujus olim tanta fuit potentia, ut quaternas proximas rexerit gentes, & 25. urbes suo subdiderit imperio, & contra Crotoniatas 100. hominum millia armârit, annô 4. Olymp. 67. Strabo *l. 6.* qui illos, sub Milonis auspiciis, vicerunt, urbe eversâ, An. 244. Urb. Cond. Sed hæc à Sybaritis denuo extructa, An. 308. Thessali auspiciis, qui Sybaritarum reliquias collegerat: illi autem post sexennium à Crotoniatis iterum ejecti sunt. Annô demum 3. Olymp. 83. Athenienses urbem rursus instaurârunt, prope Sybarim antiquam, ad scaturiginem *Thuria* vocatam, unde urbs Θούριοι dicta, Latinè *Thuriorum* nomen accepit, coloniis Atheniensium mirè aucta. Hi, initâ cum Crotoniatis amicitiâ, Remp. bene administrârunt. A' Romanis tandem, deductâ an. Urb. Cond. 560. coloniâ, *Copiæ* nomen habuit. Unde in eorum nummis, tam ΣΥΒΑΡΙΤΩΝ & ΘΟΥΡΙΩΝ legitur, quàm ΚΟΠΙΑ, cum cornu copiæ, apud Joh. Marshamum *Canone* Chron. Sec. XVII. ubi *de Magna Græcia*, ex Goltzio *Tab. 29. 35.* Rudera ejus, prope Sinum Tarentinum, *Sibari ruinata.* Diod. Sic. *Bibl. Hist.* Athen. *l. 7. c. 12. & 13.* Senec. *l. 12. de Ira.* Euseb. Plin. *l. 3. c. 11. &c.* Ejus quoque meminit Ovid. *Met. l. 15. v. 51.*

Præterit & Sybarim, Salentinumque Neæthum.

Postea *Thurium*, ut dictum, & *Copiæ* vocabatur. *Steph. ex Strab.* Θούριοι, πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις, ὕστερον δὲ Κωπίαι. Dionys. *v. 372.*

Ἐπὶ δέ οἱ καὶ κεῖθι Λάος μέγα χωσαμένοιο
Δειλαὶ Σύβαρις, κεῖνας ποιήχυτα τεῖχεα,
Μαρνάμενοι ὑπὲρ αὐτῶν ἐπ' Ἀλφειῷ γεγάασιν.

Ubi quam exitii causam innuat Poëta, dum eos *Jove valdè iratô* periisse indicat, hoc posteà subjiciens de furiosâ Olympicorum præmiorum cupiditate, vix satis constat. Narrat verò Eustathius, eos τὰ ἐν τῷ ναῷ ἀναθήματα, dona Jovi Olympio dedicata, diripuisse; quæ Dionysio Ἀλφειόγεια vocantur, quòd Jovis Olympii templum positum esset in Olympia, quæ & Pisa, Elidis urbe, quam Alpheus fluv. alluit: urbi autem Olympiæ nomen impositum ferunt ab Olympo monte vicino, Thessalico Olympo cognomine, teste Strab. *l. 8.* Hæc quidem commodissima videtur interpretatio, si quâ melioris historiæ fide firmetur. Receptius tamen est (quod non modò Eustathius, verùm & Stephanus περὶ πολ. aliique tradunt) *eos oraculô monitos, Sybarin tunc interituram, cùm hominem plusquam Deum colerent, idque evenisse cùm ab hero servus flagris cæsus primò in templum confugeret, nec tamen dominus à verberibus temperaret; cùm verò ad herilis patris sepulchrum confugeret, tum demum, monumenti paterni veneratione, abstineret.* Hinc, Jove iratô, in perditissimam luxuriem eos ruisse ferunt, quam proximam fuisse exitii causam apud omnes constat. Oraculum, de quo modò dictum, ab Erasmo in *Chiliad.* è Stephano recitatur:

Εὐδαίμων Συβαρῖτα, πανευδαίμων σὺ μὲν αἰεὶ
Ἐν θαλίῃσι θεῶν γένος ἀίδιον τίουσα.
Εὖτ' ἂν δὲ πρότερον θνητὸν θεοῦ ἄνδρα σεβίζῃς,
Τηνίκα σοι πόλεμός τε καὶ ἐμφύλιος στάσις ἥξει.

Cæterùm de luxu & mollitie Sybaritarum Plut. hoc refert *in convivio 7. Sap.* Συβαρῖται, ὡς ἔοικε, πρὸ ἐνιαυτοῦ τὰς κλήσεις ποιοῦνται τῶν γυναικῶν, Ὅπως ἐνσκευασάμεναι κατὰ σχολὴν ... ἐσθῆτι καὶ χρυσῷ φοιτῶσιν ἐπὶ τὸ δεῖπνον. Zenobius Cent. 5. Συβαριτικὴ τράπεζα (ἀντὶ τῆς ἐν πολυτελείᾳ. Τρυφηλοὶ γὰρ οἱ Συβαρῖται. Idem ibidem, ubi quoque Diogenianus, Cent. 8. Συβαρῖται διὰ πλατειῶν) ... ἐπὶ τῆς συβαρικῆς παρακειμένων. Vide Cluverium *de Ital. Antiq. l. 4. c. 14.* Nic. *Lloyd.* Hinc *Sybaritis*. Ovid. *l. 2. Trist. v. 417.*

Nec qui composuit nuper Sybaritida fugit.

Ubi opus intelligit Hemitheontis cujusdam cinædi, de generibus voluptatum, & obscœnarum libidinum. Vide quoque infrà voce *Thuriæ.* Addam hic, quòd hi in Deos retulêre puerum cruribus hircinis, tanquam Sylvanum quendam. Natus is erat ex caprario Crathide & capra; quam cùm flagitiosè deperiret Crathis, in somno interfectus est ab hirco, rivali suo: de quo impuro amore ac numine, vide Ælian. *de Animal. l. 6. c. 42.* Voss. *de Idolol. Or. & progressu l. 1. c. 40.* Hinc *Sybariticus missus*, apud Lamprid. occurrens, *in Heliogabalo, c. 30. Sybariticum missum semper exhibuit ex oleo & garo; quem quô annô Sybaritæ repererunt, perierunt.* Plura de *Sybaritis*, apud Salmas. *ad Solin.*

SYBARIS, quæ *Cochile*, teste *Barrio*, & *Sabaro* teste Marzellâ, fluv. M. Græciæ, ex finib. Brutiorum apud Muranum oriens, ac in sinum Tarentinum non longè à Crathi fluv. sese exonerans, *Ferrar.* Oritur ex Apennino, in Calabria citeriore & in Sinum Tarentinum se exonerat, *Baudrand.* Ejus aqua oves & boves nigros facit, sicuti contra Crathis albos. Plin. *l. 31. c. 2.* Aristotel. *in Mirandis*: Ὁ μὲν ἐν Συβάρει τοὺς πίνοντας ἀπ' αὐτοῦ πτυρτικοὺς εἶναι ποιεῖ, ὁ δὲ Κρᾶθις τοὺς ἀνθρώπους, λευκότριχας. Idem habet Strabo *l. 6.* Pythagoras apud Ovid. *Met. l. 15. v. 315.*

Crathis, & huic Sybaris nostris conterminus arvis,
Electro similes faciunt auroque capillos.

Nic. Lloydius.

SYBENNITICA, præfectura maritima in Ægypto, *Steph.*

SYBEROS, urbs Illyriæ, *Idem.*

SYBOTA, numeri plural. *Sivita Sophiano*, portus & oppid. Epiri & insula apud Leucimnam promuntor. Corcyræ insul. in ora orientali. Aliam insulam hujus nominis Plin. *l. 4. c. 12.* ante Leucadiam locat. Apud illam ingens pugna navalis inter Corinthios olim & Corcyræos fuit, teste Xenophonte.

SYBOTAS, Rex Messeniorum, excepit Doridam; quô tempore Agesilaus & Lycurgus Legislator Spartanis, Pompus verò Arcadibus imperabant. Illi successit Phinta. Pausan. *Messeniacis.*

SYBRA, Phrygiæ castellum, *Stephan.*

SYBRIDÆ, vicus in Erechtheide tribu.

SYBURPORES, vel SUBURPORES, Libyæ gens, *Ptol.*

SYCÆ, urbs apud novam Romam, *Stephan.*

SYCALLIS, vide *Ficedula.*

SYCAMINON, urbs Phœnicum, *Idem.* In Palæstinæ confinio inter Ptolemaidem ad Boream & Cæsaream ad Austrum utrinque 10. mill. pass. Locus nunc *Capo Carmelo* Nigro. Solebant hi malas cerussâ aliisque unguentis fucare. Unde *Calathum Sycaminorum in mala habet.* Proverb. apud *Aristot.*

SYCAMINUM, Græcè Συκάμινον, oppidulum olim Bœotiæ, Oropô haud procul, in ripa Asopi, hodieque vicus est satis grandis, incolis *Sycamino* aut *Scamino* appellatus, in quo Græci complura habent templa, inter quæ unum *Agios Saranda*, h. e. XL. Sanctorum, *Panagia* alterum, tertium *Agios Elias*, i. e. Sancti Eliæ, antiquis Inscriptionibus referta, uti docet Jac. Sponius *Itinerario Græciæ Part. 2. p. 318.* Aliàs Συκάμινον Græcis morum est, antiquis & morus arbor & fructus arboris Συκάμινος, quomodo in Pandectis Florentinis morus Ægyptia, vide infrà, appellatur. Hinc Attici Scurræ versus in Sullam,

Συκάμινόν ἐσθ' ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον.

Morum est Sulla polenta sparsum:

quô ejus crudelitatem perstrinxit, quod albâ corporis cute, & sub candido vultu cruentum & sanguinarium animum tegeret. Συκάμινος verò ἀγρία iisdem rubus est, cujus fructum μόρον vocari Phanias Eresius apud *Athenæum* ait. At Συκάμινος Αἰγυπτία, sui generis arbor est, quam à mori similitudine alii συκάμινον vocitant, alii συκῆν, *Ficum*, quòd fructum edat ficui similem: alii rursus compositô nomine συκόμορον, quasi *Moroficum*; de quibus arborum generibus, vide prolixè disserentem Salmas. *ad Solin. p. 459. & seqq.* ut & de *Sycomoro* hic infrà.

SYCE, insula parva Ioniæ, *Steph.* Plin. *l. 5. c. 31.*

SYCEUS, unus Titanum, quem fugientem Tellus mater suscepit, & inde ficum protulit.

SYCHEUM, oppid. Arabiæ Felicis littorale, ubi Ambra nascitur. *Symeon Sethi.*

SYCINNUS, Servus Themistoclis & ejusdem liberorum Pædagogus, ad Xerxem specie benevolentiæ missus, ut indicaret, fugere Græcos, & Xerxem ad dimicandum in angusto mari commoveret. Fuit præterea Eunuchus. Vide Polyæn. *l. 1. c. 30. n. 2. p. 41.*

SYCITES, Bacchus dictus est ἀπὸ τῶν συκῶν, quòd is non solùm vini sed etiam ficorum, & fructuum prope omnium fuerit inventor. *Hesychio* verò non est Συκίτης sed Συκεάτης.

SYCOMOROS vellicans, Amosi *c. 7. v. 14.* *Neque Propheta eram, neque Prophetæ filius, sed bubulcus, vellicans sycomoros*, ut Hieronym. reddit, LXX. κνίζων συκάμινα, pro Hebræo, בולס שקמים *boles schikmim*; idem est, ac infimæ sortis homuncio & in re tenui natus, ita ut miseram vitam parcô & frugali victu ægrè sustinuerit. *Sycomori scil. agrestes afferunt ficus, quæ, si non vellicentur, amarissimas caricalas faciunt*, Hieronym. unguibus proin ferreis vellicari, Theophrastus *Hist. l. 4. c. 2.* seu, ungue vel ferrô scalpi, debere, Dioscorides habet *l. 1.* tumque demum maturescere. Nempe lachrymam extrahere vere oportebat, priusquam fructum ederet, Salmas. *ad Solin. p. 1285.* Unde Plin. *l. 13. c. 7.* *Ficus est prædulcis sine granis interioribus, perquam fœcunda proventu,*

scalp-

scalpendo tantùm ferreis unguibus, aliter non maturescit. Interim ἄτροφος & κακοστόμαχος hic fructus est & facilè corrumpitur, ut *Dioscorides* & *Aëtius* tradunt. Ex eodem in Syria panem confici, cujus esu capilli defluant, legas apud Athen. *l.* 3. Itaque non videtur magnæ rei; unde Prophetam, qui *sycomoros vellicando*, seu *ficus colendo*, vitam sustentare cogebatur, non in lauta re natum fuisse oportet. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 39. & suprà in voce *Caprificus*. Non enim solùm in Ægypto, vide suprà: sed & in Judæa, provenisse id arboris, ex *c.* 19. Lucæ discimus, ubi συκομορέας nominatim fit mentio *v.* 4. *Præcurrens igitur* (Zachæus, quod staturâ parvus esset) *ἀνέβη ἐπὶ συκομωραίαν, ascendit in sycomorum, ut eum* (Jesum) *videret* &c.

SYCOPHANTÆ, Græcè Συκοφάνται, dicti sunt Athenis, qui ficus aliis surripientes indicarent, teste *Festo*, vel qui ficus ex urbe exportantes proderent, ut habet Plut. *de Curios. a ficuum delatione.* Lex enim erat in ea Civitate. *Ficus Athenis aliò ne importanto*, cujus sæpe meminerunt Græci in suis Commentariis: interque eos Interpres inprimis Comici ad *Plutum* & alibi, Ister quoque *in Atticis* &c. Sam. Petitus *Comment. in LL. Atticas l.* 5. *tit.* 5. Qui igitur contra legem delinquentes ob parvulum lucrum persequebantur, *Sycophantæ* sunt dicti. Vox dein translata ad denotandos Auscultatores seu Delatores quoscunque, invisissimum hominum genus, qui in Principum inprimis Aulis locum inveniunt, uti suprà vidimus, de variis gentibus, Romanis præcipuè, in voce *Auscultatores*. Apud hos enim rabies ista, cùm jam antè sensim grassari incepisset, caput tandem sub Tiberio inprimis extulit, teste Suetoniô *in Tib. c.* 61. ubi ab Imperatore *decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus, neminique delatorum fidem abrogatam*, refert: liberrimè indignante Seneca *de Benef. l.* 3. *c.* 26. Vitellius dein in Mathematicis inprimis deferendis, aurem illis præbuit, Sueton. *in eo c.* 14. summô verò studiô eos affectavit Domitianus, *c.* 12. *dum bona vivorum & mortuorum usquequaque quolibet & accusatore & crimine corripiebantur*: de cujus temporis injuria & nimia apud sceleratum Principem horum hominum libertate, graviter conqueritur Plin. *in Panegyr. Trajani.* De eodem Juvenalis, *Sat.* 1. *v.* 33.

----- Et post hunc magni delator amici,
Et citò rapturus de nobilitate comesa
Quod superest, &c.

Et hæc quidem Tyrannide jam confirmatâ: Initiô verò Principatus *fiscales calumnias magnâ calumniantium pœnâ repressit, ferebaturque vox ejus: princeps, qui delatores non castigat, irritat*, Sueton. *in Domitian. c.* 6. Unde Martialis, *l. Spectac. Epigr.* 4.

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes:
Traducta est Gyaris. ———

Contrà Titus ejusdem frater, *flagellatos per arenam egit*, Sueton. *in eo, c.* 8. Eosdem Pertinax urbe expulit: Gordianus partim patibulis suffixit; partim exiliô multavit, Opilius Macrinus, *si non probarent objecta crimina, capite multabat, si probarent, oblatô præmiô infames dimittebat*, Jul. Capitolin. in eo, *c* 12. i. e. ex lege Rhemnia K. notam frontibus eorum candenti ferrô imprimebat. Trajanus è medio sustulit, &c. Honorii inprimis tempora laudata, de quo Claudian. *l.* 2. *de laudibus Stiliconis*, *v.* 119.

Denique non dives sub te pro rure paterno,
Vel Laribus, pallet; non Insidiator oberrat
Factus quemcunque reum. ———

Vide Thomam Dempster. *in Rosin. Antiqq. Rom. Paralipom. ad l.* 9.

SYCORIS, vide *Sicoris*.

SYCOTINA Aloë, recentioribus dicta est, quæ veterib. Græcis ἡπαλίς vel ἡπατίτις, *hepatis* seu *hepatica*. Συκωτὸν enim pro jecore infima Græcia dixit, quod priscis propriè notabat jecur anseris vel porculi ficis pasti solùm, Latinè *Ficatum*, Gall. *Foye*. Inde itaque *Sycotina Aloe*, Gallis *Sycotin*, aloë medicamentaria scil. non aromatica, quæ quòd optima afferretur è Sycotora Indiæ Insula, ei hoc nomen conciliavit, non, ut volunt Arabes, ab Insul. nomen accepit. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1055. & 1319. ubi Aloën hanc cum Xylaloë, seu aloë odorata confundentes, pluribus refellit.

SYCTA, *Nigro Syra*, Persidis urbs, *Ptolem.*

SYCURIUM, *Plinio Sicorium*, oppid. Thessaliæ fuit, ad Ossæ radices

SYCUSSA, insula parva ante Ephesum, Plin. *l.* 5, *c.* 31.

SYDECK, vide *Sydyk*.

SYDERIS, fluv. Parthiæ; seu Mediæ, in Caspium mare influens, quod inde Hyrcanum incipit appellari, Plin. *l.* 6. *c.* 16.

SYDIMA, urbs in montanis Lyciorum, Idem, *l.* 5. *c.* 27.

SYDON, vide *Sidon*.

SYDRUS, urbs Indiæ citerioris. *Ptolem.*

SYDYK, pater Dioscurorum. Eusebius, *Præpar. l.* 1. Ἐκ τοῦ Συδὺκ Διόσκουροι, ἢ Κάβειροι, ἢ Κορύβαντες, ἢ Σαμοθρᾶκες. *Ex Sydyk Dioscuri, seu Cabiri, seu Corybantes, seu Samothraces* orti *sunt*. Est autem *Sydyk*, secundùm Theologiam Sanchuniathonis ibi loquentis, Jupiter. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron.* Sec. 1. ubi de *Thoth Mercurio. Diis Cabiris*, nec non hîc voce *Cabiri*, *Esmunus*, it. *Samothraces* &c.

SYEDRA, urbs Isauriæ, *Steph. Sydre* Straboni, *l.* 14. Pamphyliæ adscribet *Eustathius*. Potiùs urbs Ciliciæ Trachææ, *Steph.* Κιλικίας τραχείας, Κορακήσιον, Σύεδρα. Straboni Σύεδρα, *l.* 14. Ejus meminit Florus de Pompejo, *l.* 4. *c.* 2. *pulsus* Syedris, *desertô Ciliciæ scopulô.* Et Lucan. *l.* 8. *v.* 258. de ejusdem fuga loquens,

----- . sequitur pars magna Senatus
Ad profugum collecta Ducem: parvisque Syedris
Quo portu mittitque rates, recipitque Selinus.

Uti veram lectionem his locis restituit Salmas. qui etiam apud Strabonem, *d. l.* Σύεδρα reponit. Vide eum *ad Solin. p.* 771.

SYENE, vulgò *Asna*, teste Jo. Leone, urbs Ægypti extrema, in Æthiopiæ confinio ad Nilum, olim Romani Imperii, sicut & nunc Turcici, terminus, inter Alexandriam Ægypti ad Arctos 570. & Meroën ad Austrum 962. mill. pass. teste Plinio, *l.* 2. *c.* 73. Sed apud *Strabon.* abest a Meroë 5000. stad. & apud *Antonin.* ab Alexandriâ 600. mill. pass. à Memphi 160. schœnis, à Thebis 60. Ovid. *Ponticor. l.* 1. *eleg.* 5. *v.* 79.

Quid tibi, si calidâ, prosit, laudère Syene,
Aut ubi Taprobanen Indica tingit aqua?

Dionysius:

——— Βαθυκρήμνοιο Συήνης.

Πολλὴ ἐν ἱστορίαις (inquit Scholiastes *ad v.* 223. *ejusdem Dionysii*) ἡ Συήνη, διὸ Συήνης ἔθνος οὕτω κληθέντα, ἐν ᾗ καὶ φρέαρ εἶναί φασιν ὑπὸ θερινὰς τροπὰς ... ἡλίου τροπάς. ὅπου καὶ ἄσκιοι κατὰ μεσημβρίαν εἰσὶν οἱ ὡρολογικοὶ γνώμονες διὰ τὸ ... τοὺς ... τοῦ τροπικοῦ. Amm Marcellin. *l.* 22. *Dein Syene, in qua Solstitii tempore, in quo Sol æstivum Austrinus cursum extendit, rectè omnia ambientes radii excedere ipsis corporibus non sinunt. Inde si stipitem quisquam fixerit rectum, vel hominem aut arborem viderit stantem, circa lineamentorum ipsas extremitates contemplabitur umbras absumi.* Heliodor. Æthiopic. *hist. l.* 9. Ἐδείκνυσαν δὲ καὶ τοὺς τῶν ὡρονομίων γνώμονας ἀσκιεῖς κατὰ μεσημβρίαν ὄντας, τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος κατὰ τροπὰς θερινὰς ἐν τοῖς περὶ Συήνην εἰς ἀκρίβειαν κατὰ κορυφὴν ἐπισταθείσης, &c. Lucan. *l.* 2. *v.* 587.

----- Umbras nusquam flectente Syene.

Claudian. *atram vocat*, *Eidyllio de Nilo*, *v.* 17.

Is loca continuò Solis damnata vapore
Irrorat, populisque salus sitientibus errat,
Per Meroën, Blemyasque feros, atramque Syenen.

Statius *Eoam*, *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 86.

----- Quod Eoæ respergit vena Syenes.

Idem *l.* 4. *Theb. v.* 738.

----- Nullâque umbratam nube Syenen.

Obiter emenda *Stephanum*: Συήνη, inquit, πόλις Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας ἐπὶ τοῦ Νείλου. Lege μεταξὺ Αἰγ. καὶ Αἰθ. *Nic. Lloyd.* Hodie *Asua* ut dictum, urbs est Ægypti superioris in præfectura *Girgiu*, 450. mill. pass. ab Alexandria in Meridiem, 200. ab ora proxima Sinus Arabi in Occasum, uti 480. in Ptolemaide Feratum. *Baudrand.* Addo, quòd in ea tres sub Romanis cohortes olim prætendebant. Unde vetus Auctor *Vitæ* Juvenalis, Poëtam hunc, *per honorem militiæ, quanquam octogenarium, urbe summotum, missumque ad præfecturam cohortis in extrema parte tendentis Ægypti*, dicens, *Syenen* omnino intelligit, quæ in fine Imperii & extrema Ægypti parte sita erat. Factum id autem, Domitianô imperante, quod in Paridem Pantomimum versus quosdam composuit, Salmas. *ad Solin. p.* 449. qui plura de nobili hac urbe *ibidem* passim.

SYENES, sive urbis sive regionis in Ponto, meminit Val. Flacc. *l.* 6. *Argon. v.* 75. At Janus Gebhardus ait, *Syenes* viri nomen esse ac Ducis, gentis Hylææ.

SYENITES, apud Diodorum Sic. ubi de monumento Regis Olymandæ, haud longè à Thebis, *In introitu autem statuas esse tres, ex uno omnes lapide Memnonis Syenitæ*, ut vulgò legitur: nonnullis Statuarius est, *Memnon Syenita* dictus, cujus opus tres illas statuas esse volunt. Sed *ex uno lapide Syenite cæsas & factas*, legendum esse, docet Salmas. *ad Solin. p.* 475.

SYENESIUS, Cilix, unà cum Labineto Babylonio, pacem inter Alyattem Lydorum & Cyaxarem Medorum Reges, fervente præliô Solis defectu territos, conciliavit, apud Herodotum *l.* 1. *c.* 74. Vide *Alyattes*, *Aryenis*, *Cyaxares*. *Labinetus*, *Scythæ*.

SYENNESIS, Ciliciæ satrapa versutissimus, qui Cyro Juniori, cum copiis provinciam suam intranti, idoneos Cilicum & alterum ex filiis in commilitium addidit: alterum verò filiorum, mente ambiguâ eventum belli speculans ad Artaxerxem clam misit, conata Cyri detecturum, simulque se excusaturum, quòd vi in partes fratris pertractus; occasione autem paratus sit eum deserere Artaxerxique se adjungere.

SYESSA, tugurium quoddam in Lyciâ, à vetula quadam *Syessa*, quæ Latonam excepit. Gentile *Syessæus*, & *Syessens*. Item urbs Tyrrhenorum. Gentile *Syessenus*, *Steph.*

SYGAROS, insula in sinu Arabico, in qua nulli sunt canes, atque aliunde importati, circa litora moriuntur, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

SYIA, urbs parva Cretæ, navale Elyri, *Stephan.*

SYIS, urbs Ægypti; unde præfectura *Syitis*. *Stephan.* aliis *Sylæus*.

SYLÆI, populi vel montes, prope Succos montes, in finibus Thraciæ, apud St. Diaconum. *in vita Steph. jun.*

SYLBURGIUS, Wetteraviâ Germanus, prænomine Fridericus, in revidendis & emendandis Græcis Latinisque Scriptoribus, quos Wechelius & Commelinus typis edebant, occupatissimus. ipse quoque complura edidit, ac inter alia *Poëmata Græca*. Obiit Heidelbergæ A. C. 1596. nondum senex, sed assiduitate laborum fractus. Melch. Adami *Vit. Philosoph.* Ejus scripta recenset *in Elogiis* Anton. Teissier, *Part.* 2.

SYLEON, urbs Phrygiæ, secundùm alios Pamphyliæ, *Steph.*

SYLINA, insula ultra Britanniam, *Sulp. Severus.* Sunt qui eâ insulâ *Sorlingas*, vel *Sylley* putant denotari.

SYLIONES, populi Chaoniæ, *Steph.*

SYLLA, integrô nomine, Luc. Cornelius Sylla, Romanus nobilis, ex antiquâ Scipionum familia, sextus à Cornelio Rufo, qui, in bello contra Pyrrhum, ex præcipuis Romanorum ducibus fuit. Hæc cùm multum pristini splendoris & opulentiæ amisisset, is à scorto quodam nobili hæres scriptus, ut & à socru, multùm auctus est: in adolescentia omnibus vitiis inquinatus. Quæsturam sub Mario, sub quo in Gallia meruit, adeptus, in hac vitam omnem penitus commutavit. Literis Græcis & Latinis benè eruditus, facundus, acer, astutus, gloriæ cupidus, sui securus, pecuniæ maximus largitor, animô grandis; *ut de illo dubitari potuerit* (inquit Sallustius *Bell. Jugurth. c. 95.*) *fortior ne, an felicior esset.* Missus à Mario ad Bocchum regem legatus, Jugurtham vinctum retulit: Ad Consulatum dexteritate suâ evectus, Asiam sortitò accepit, cùm circa Nolam, in Marsico bello finiendo, occupatus esset. Mithridatem Asiam crudelissimè vastantem compescuit; Socialis belli luctus repressit; Cinnæ dominationem fregit, & Marium, qui olim se Quæstorem fastidierat, cùm lege per Sulpitium latâ, Asiæ provinciam in se transtulisset; Romam profectus, occisô Sulpitiô, ipsam illam provinciam proscriptum & exulem petere coëgit. Dein feliciter contra Mithridatem, in Bœotia, Macedonia, Græciaque bellum gessit, captisque Athenis, ut & aliis locis, illum pacem petere coëgit: quod dum per 2. vel 3. annos eum occupatum teneret, intereà hostes ejus Romæ rerum potiti sunt. Quare reversus, Norbanum prope Canusium vicit, An. 671. Urb. Cond. annô post Mariô Juniore superatô: Posteà, per portam Collatinam, urbem ingressus, Dictator factus ita Rempubl. oppressit, ut teste Cicerone *in Verrem*, *nemo, illô invitô, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere potuerit.* Privatus ad postremum Dictaturâ depositâ Puteolis periit phthiriasi, i. e. morbô pediculari, An. 676. Urb. Cond. ætat. 60. Hic egregias dotes, immani sævitiâ commaculavit; Mæcenas eruditorum, ipsemet Historiam vitæ suæ, quam postea Corn. Epicadius, libertus ejus, continuavit, orsus est. Aristotelis libros, Athenis expugnatis, reperit. Vide Vellej. *l. 2. c. 12. 17. 23. 25.* Plutarchum *in Sylla*, Liv. Florum, Eutrop. & Lubinum *ad illud Juvenalis Sat. 1. v. 16.*

----- ----- Et nos
Consilium dedimus Sylla, privatus ut altum
Dormiret. ----- -----

Sosipater Charisius, *l. 1. Sybillam Epicadius de cognominibus ait appellatum, qui ex Sibyllinis libris primò sacrum fecit: deinde Syllam: qui quòd flavô & comptô capillô fuerit, consimiles Syllæ sunt appellati: Inde effœminati hodieque Sylli dicuntur, quos vulgus imprudenter Psyllos appellat.*

SYLLA Cornelius, prodigus & ob flagitia egens: ideoque à Tiberio Cæsare Senatu motus. Tacit. *l. 2. Annal. c. 48.*

SYLLA Punicus, per convitium à quibusdam dictus est Severus Imperator, quòd, bellô civili tertiô factus durior, innumeros Senatores interemisset, uti habet Æl. Spartian. *in Pescennio Nigro. c. 6.* Cœterùm non primus *Sylla* ille famosus sic appellatus, sed cognomen hoc erat familiæ è Græco ductum, ut alia ferè omnia Latina, ὕλλος, ὕλλας, *Sulla.* Salmas. *ad Solin. p. 462.* Hinc *Lanx Syllana* centenarii ponderis, indigitata Tertulliano *de Pallio c. 5. Adigo cauterem ambitioni, quâ --- lances centenarii ponderis Sylla molitur: vereor sanè, ne parva sit ista trutina, cùm Drusillanus & quidem servus Claudii, quingenariam promulsidem ædificat*, ad quæ verba vide Salmasii *Notas*, ut & aliquid suprà voce *Sycaminum.*

SYLLABÆ, apud Quintilian. *l. 11. c. 3. nec volubilitate nimiâ confundenda, quæ dicimus, quia & distinctio perit & affectus & nonnunquam etiam verba aliquâ sui parte fraudantur*: fraudari dicuntur, quas pronuntiatio non exprimit, sed supprimit & intervertit; nos *comedi & vorari syllabas*, dicimus, quæ hôc modô fraudantur. Salmas. *Not. ad Tertullian. de Pallio, c. 2.* Ut itaque integræ pronuntiarentur, Grammatistæ opera fuit, de qua vide suô locô. Apud medii ævi Scriptores, *Syllabarum* nomine literæ, seu Epistolæ, passim veniunt. Zacharias Pontif. Bonifacio Episcopo. *Cum nobis Sanctissimæ fraternitatis tuæ* syllabæ *delata fuissent.* Et infrà, *Juxta syllabarum vestrarum commonitionem.* Græcis quoque Βασιλικαὶ συλλαβαὶ, pro *Imperatoriis Literis*, ut videre est apud Cyrillum *Ep. ad Acacium Melitenæ Episcopum* &c.

SYLLANION, statuarius nullo doctore nobilis.

SYLLANUM, vulgò SILLANO, castrum seu arx Hetruriæ, in agro Volaterrano, à Sylla Dictatore condita, apud Cæcinam fluv. inter Volaterras & Massam 10. mill. pass. *Raph. Volaterranus.*

SYLLANUS Marcus, vide *Marcus.*

SYLLINA, vide *Silline.*

SYLLOGE, Græcè Συλλογὴ, titulus libri ab *Agathia* compositi, qui, post Meleagrum & Philippum, qui Στεφάνους Ἐπιγραμμάτων edidêre, h. e. *Serta* ex omnibus antiquis *Epigrammatariis* contexta, ordine alphabeticô positis eorum nominibus, ac singulis Poëtis cum totidem floribus compositis & comparatis; ipse similem Epigrammatum συναγωγὴν, ex recentioribus compilatam Epigrammatariis, & sub certis materiarum titulis redactam, concinnavit, eamque Στέμμα, i. e. *Coronam*, item Κύκλον, & Συλλογὴν νέων Ἐπιγραμμάτων, *Cyclum*, seu *Collectionem novorum Epigrammatum*, appellavit. Salmas. *ad Solin. p. 849.*

SYLOES, *Herodoto* Σολόεις, Africæ promontor. quod Sataspes, postquam ex Ægypto solvit, ad Columnas Herculis navigans, circumvectus in meridiem cursum tenebat. Idem alibi scribit, hoc promontorium Libyam terminare. In Hannonis periplo ejus etiam mentio est; fortè ubi *Ptolem.* post Cotes promuntor. (quò Africa ad meridiem inclinare incipit) *Syliæ* fluv. ostium describit. *Ramusius* subdubitans *Cabo Cantin* hoc in loco ponit.

SYLOSON, vir egregius, aliquando exiliô mulctatus est, sed quia divitiis & corporis præstantiâ affluebat, chlamydem sumptuosam semper gestabat. Quam cùm Dario (qui posteà Persarum rex effectus est) donô dedisset, is posteà regnum adeptus, beneficii memor Sylosontem solo natalitio restituit. Vide Strab. *l. 14.*

SYLVA, juxta Bethel, in tribu Benjamin, ex qua immissi à Deo ursi devorârunt pueros 40. qui illudebant Helizæo Prophetæ.

SYLVA, de montibus propriè. Unde quod Solinus de myrrha loquens, *c. 33. saltus*, Plin. *l. 12. c. 35. sylvas*, Theophrastus ὄρος vocat. Hinc in Glossis, *Saltuarius*, ὀρεοφύλαξ, & *Sylvestria ac montana Numina*, Fauni Poëtis. Et quidem minorum arborum, uti Græcorum ὕλη. Unde ὑλήματα, *frutices*, & ὑλώδη χωρία, fruticeta ac loca minusculis arboribus consita. Quum de grandioribus & consecratis arboribus, *lucus* dicatur: unde *roborum lucos* Plin. dixit, ad verbum δρυμοί. Qua de re vide Salmas. *ad Solin. p. 585. alibique* passim. Sed hæc discrimina plerunque confunduntur. Et quidem Sylvarum insignibus Romam olim distinctam, habet Plin. *l. 16. c. 10. Sylvarum certè distinguebantur insignibus, Fagutali Jovi etiam nunc, ubi lucus fageus fuit, porta Querquetulana, colle in quem vimina petebantur, totque lucis, quibusdam & geminis. Q. Hortensius --- legens in Esculeto tulit* &c. Vide & suprà voce *Nemus.* Earum quasdam profanas, quasdam sanctas, fuisse habitas, notat Joh. Meursius *ad Catonem de Re Rust.* Vide quoque suprà in voce *Coinquere*, item ubi de *Lucis.* E quibus illæ utrinque lineâ & pennis, venationis tempore, claudi consuevêre, ut earum formidine cervi & aliæ feræ in retia impellerentur, Seneca *de Clementia l. 1. c. 12. de Ira l. 2. c. 12.* Alii. Nempe capreas, cervos, ibices, & reliquas hujusmodi feras, quas cursu assequi facile non est, vel Musicæ illecebrâ ad retia pelliciebant, vel Sylvis formidine cinctis claudebant. Lucanus, *l. 4. v. 437.*

—— sic dum pavidos formidine cervos
Claudit odoratæ metuentes æra pennæ.

Vide suprà in voce *Formido*, alibique passim. Fuit autem *Sylvarum* cura, apud Romanos, inter Consulis officia, uti apud Suetonium *in Cæsare* legimus; id quod quum à Senatu, ad occupandam extorti Consulatus auctoritatem, decretum esset: post *sylvarum* mentionem, subjungit Virgilius, *Ecl. 4. v. 3.*

———— sylvæ sint Consule dignæ:

ut, quantum depressisset Consulatus dignitatem Senatus, *ad sylvarum* usque humilitatem, tantum suis versibus, novaque materiæ dignitate, extollat ipse silvas, ad fastigium Consulatus. Jul. C. Scaliger *Poetices l. 1. c. 4.* &c. Apud Sanutum *l. 3. part. 11. c. 13.* montes Riphæos, *Sylvas κατ' ἐξοχὴν* dici legimus, vide suprà, & Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 3. c. 29.* uti *de regalibus olim in Gallia Sylvis*, voce *Arduenna*: *de Sylvis muro* cinctis, *Brolia.* Adde, quæ dicta in vocibus, *Casia*, *Foreste*, *Parcus.*

SYLVA, apud Jul. Capitolin. in *Gordianis Tribus, c. 3. Extat Sylva ejus* (Gordiani Senioris) *memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeji --- in qua pictura etiamnum continentur cervi palmati ducenti mixtis Britannis: equi feri XXX. oves feræ C. alces X. tauri Cypriaci C. struthiones Mauri miniati* CCC. *onagri* XXX. *apri* CL. *ibices* CC. *damæ* CC. genus est venationis ludicræ vel spectaculi, in quo omnia, quæ producebantur animalia, diripiebantur à populo. Hinc sequitur, *Hæc autem omnia populo rapienda concessit, die muneris, quod sextum edebat.* Nomen inde, quòd totus Circus, ad *sylvæ* speciem, tum arboribus consitus esset. Arbores enim per milites radicitus evellebantur, quæ in Circo connexis longè lateque trabibus, terrâ subjectâ, affixæ plantarentur, ita ut sylva planè esset, quâ differtâ omni genere Herbaticorum animalium, immittebatur populus, qui omnia diriperet. Nullæ autem aut feræ noxia vel dentibus vel unguibus animalia exhibebantur in illo venationis ludicro, sed talia, quæ rapi ab inermibus popularibus facilè possent: viva namque diripiebantur. Sic cervos, oves feras, equos feros, tauros Cypriacos, onagros &c. exhibuit Gordianus. Probus item, *struthiones mille, mille cervos, mille apros, mille damas, ibices, oves feras* &c. in simili ludicro, apud Vopiscum, *c. 19.* ubi id *Venatio direptionis* vocatur, quæ ab Heliogabalo initium sumsit, uti apud Lampridium videre est: cùm in priorum Imperatorum missilibus tesseræ tantùm spargerentur, non res ipsæ diripiendæ populo darentur. Sed nec sub novis Imperatoribus, h. e. à Constantini M. temporibus ad Justinianum usque, hujusmodi venationis mentio amplius comparet. Nam qui scribunt παγκάρπιον, cujus meminit *Nov. CV.* idem fuisse cum *Sylva*, multum falluntur, ut videre est suprà in voce *Pancarpum.* Utrumque indigitatur in eorundem Gordianorum *Vita, c. 33.* ubi de Philippo: *Quæ omnia* (recensita autem in prioribus varia sunt animalium genera) *ludis secularibus Philippus vel dedit, vel occidit: dedit* nempe, in *Sylva; occidit*, in *Pancarpo.* Pingi porrò hujusmodi ludos consuevisse, docet Plin. *l. 35. c. 7. Pingi gladiatoria munera atque in publico exponi cœpta à C. Terentio Lucano. Is mortuô avô suô, à quo adoptatus fuerat, triginta paria in Foro per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianæ posuit.* Vide Salmas. *ad Histor. Aug. loc. cit.*

SYLVA Aurelianensis, *la Forest d'Orleans*, sylva est ampla Galliæ in Aurelianensi tractu, & versùs Aurelias in Boream. Aliàs perampla fuit, nunc indies minuitur.

SYLVA Ducis, vulgò *Bosleduc* Gall. *Hertzogenbosch* Belgica urbs Brabantiæ, à Theodorico Hollandiæ Comite expugnata, A. C. 1210. qui paulo pòst à Duce Brabantiæ prædâ exutus, unaque cum Geldriæ Comite captus est, Matth. Vossius, *Annal. 2. l. 11.* Iterum post quadrimestre obsidium expugnata ab Henrico Friderico Principe Arausion. A. C. 1629.

Sylvæ à veteribus memoratæ:

Agnitia, *Selva d'Albi*, aliter Angitia; estque satis parva, inter Albam & lacum Fucinum, in finibus Marsorum.
Algidum, *Selva dell'Aglio*, Latii.
Angitia, eadem Agnitiæ.

Arduen-

Arduenna sylva, vulgò dicitur *la Forest d'Ardenne* ab incolis, seu *les Ardennes*; Extenditur per Hannoniam meridionalem, Luxemburgensem provinciam, & Leodiensem ditionem, eratque aliàs amplior.

Bacenis sylva, quæ & Semana, nunc *der Hartzwaldt* dicitur. Vide *Bacenis*.

Bohemica, *Bohemischwaldt*, pars Hercyniæ.

Dodone, in Epiro.

Gabreta, *Frieslerwaldt*, vel *Friesletterwaldt*, Bohemiæ.

Herculis, *Hartzwaldt*, Germaniæ, pars Hercyniæ.

Hercynia, maxima Germaniæ, in plures divisa, & ipsa *Hartzwaldt*. Aliàs major fuit, & per Germaniam longè latéque extensa: nunc valde est imminuta, & pro majori parte restringitur versùs confinia Bohemiæ, unde *Behemerwaldt* vulgò dicitur, ut etiam *Thuringerwaldt* versùs confinia Thuringiæ. Vide *Hercynia*.

Litana, *Selva di Lugo*, in Æmilia.

Mæsia, *Bosco di Baccano*, Hetruriæ. Parva est admodum.

Marica, Campaniæ, ad Lirim fluvium.

Martiana, Germaniæ, pars Hercyniæ, *Schwartzwaldt*, inter Nicrum & Rhenum.

Molorchos, Peloponnesi apud Nemeam.

Nemæa, *Selva di Tristena*, Arigæ.

Nigra, *Schwartzwaldt*, Germanicè *la Forest Noire* Gallis, aliàs Martiana dicta, est in Germania, versùs montem Abnobam & fontes Danubii, inter Brisgaviam & Sueviam. Vide *Hercynia*.

Othonia, *Ottenwaldt*, Germaniæ, pars Hercyniæ: est in Sueviæ & Franconiæ confinio, inter Nicrum & Mœnum fluvios.

SYLVA Pinea, Berytensium civitati vicina, quæ Christianis eandem oppugnantibus urbem, ad componendum scalas, ligneas turres, arietes, & alias quaslibet rei bellicæ machinas, copiosam & idoneam præbebat materiam. Tyrius *l.* 12. *bell. sacr.* 13. est in tribu Aser.

Sacer lucus, *Selva d'Hami*, Latii.

Semana, pars Hercyniæ, *Thuringerwaldt*.

Syla, *Sila*, Brutiorum, quæ & Sila, ubi pix laudatissima.

Tempe, Thessaliæ.

Thymbria, Phrygiæ.

Vetulonia, *Selva Velletta*, Hetruriæ.

Volsiniensis, *Bosco di Monte Fiascone*, in Hetruria.

SYLVÆ, dicta sunt Poëmatia quædam, *subitò excussa calore*, vel *à multiplici materia* (sylva enim ὕλη Græcis, quæ vox & *materiam* & *sylvam* notat) *vel à frequentia rerum inculcatarum*, *vel ab ipsis rudimentis: rudia namque Poëmata, & sane effusa, posteà castigabant*, Quintilian. apud Scaligerum *Poët. l.* 3. *c.* 100. Celebres inprimis Statii *Sylvæ*, 5. libris constantes, quas ille exempló Lucani scripsisse videtur; ut de quo X. libros hoc genus reliquisse, à Suetonio memoratur. Barthius tamen unicum ab hoc *Sylvarum* librum, qui X. habuerit carmina, compositum vult, eo quòd à Grammaticis nusquam citentur, cùm præcipuè amœnissima, & varietate ipsâ Lectorem provocantia, esse oportuisset: *Nisi si dicas*, addit, *idem Lucano obtigisse decem suis Sylvarum libris, quod Papinio suis quinque; quorum adeò memoriam Thebais obliteravit, ut, cùm ista sæpissime, illi nunquam prorsus à Grammaticis citentur.* Vide eum *Animadvers. ad Statium Sylv. l.* 1. *sub init. & Thebaid. l.* 6. *v.* 322.

SYLVANECTUM, vulgò SENLIS, Galliæ Belgicæ oppid. in Picardiæ provincia, sic dictum à *Sylva*. Gregor. Turonens. *l.* 9. *c.* 20. Ad fluv. *Nonette*, Episcopalis sub Archiepiscopo Remensi. Quibusdam videtur *Augustomagus* Ptolemæi, & *Silviacum* Lupi *Ferrar.* Situ amœnissimó, prope Sylvam Ratiatensem *de Retz*. Primus Ecclesiæ Sylvanectensis Episcopus Proculus fuit. Urbs præteritó seculó à Ligistis obsessa est, fuitque spectatrix pugnæ, inter Ducem Longævillanum & Aumalium commissæ, Duchesn. *recher. des ant. des villes*, Sammart. *Gall. Christ.* Concilia hîc celebrata A. C. 863. quô Rothadius Suessionensis Episcop. sede motus est, A. C. 873. quô Carolomannus Diaconus, contra patrem Carolum Calvum rebellis, condemnatus pauloque pòst excæcatus est. A. C. 990. quô Carolus Lotharingiæ Dux ob Adalberonem Episcopum Laudunensem in vincula conjectum, & agrum circumjacentem miserè vastatum, excommunicatus est. A. C. 1310. ob Templarios, A. C. 1316. 1317. 1326. 1402. ubi actum de Schismate, inter Bonifacium IX. & Benedict. XIII. finiendo, &c. Vide Moretium *Dict. Hist.* & supra in voce *Silvanectum*.

SYLVANIA, urbs & conventus Helvetiorum, inter Uriam & Suitiam, vulgò *Underwalden*, Angl. *Underwald*. Unus ex XIII. Pagis Helvetiorum, cujus vicus primarius *Stantz*. Separatur à Septentrione à Suitensi Pago Lucerino latu, ab Ortu habet Uriensem Pagum, à Meridie Bernensem, ad Occidentem Lucernensem. Estque ex minoribus Pagis. *Baudrand.* & Latini ritus tenacibus. Sylvâ interjacente Carnâ, in Superiorem & Inferiorem *ob und under* vel *nidden Wald* dividitur, vulgò ab hac, *Subsylvania*, German. *Underwalden* denominata. Multis abundat pagis, montosa prorsus, latissimis tamen atque fœcundissimis pratis viret: In pago sedet veteri Tugino. Incolæ maximam olim partem Cimbri, Rumone Principe hanc vallem occupaverunt: reliquos suppeditavit Roma, ex Augusti, Tiberii, Caligulæ & Neronis Imperatorum proscriptionibus: unde Romana apud Sylvanios nomina, inter quæ præcipuus locus, ut dictum, *Stantz*, quòd ibi demum stetissent: à quo Sylvanii omnes *Stantes* nominat, & regio ipsa *Vallis in Stantz* dicta est, Guill. *l.* 3. *c.* 3. His quomodo ob rem præclarè contra Saracenos gestam, *αὐτονομία* à Ludovico Pio, & insignia à Pontifice Romano concessa sint olim, vide in voce *Suitum*. Huic libertati cùm plurimi insidias struerent, Pagi circa A. C. 1260. Nobilibus, qui injustam vim aliis intulerant, ejectis, tunc primùm aditus regionum clauserunt, & Sylvanii ad Stanzium vicum, lacum undique acutis vallis sepserunt, turrique excitatâ portum munierunt. Sub Rodolfo I. Imperatore quotannis, ut in reliquos pagos, ita huc Præfectus juris dicundi causâ, salvâ regionis libertate missus est. Sed ejus fil. Albertus duriùs Helvetios habiturus, cùm blanditiis in nassam verbis pertrahi non possent, Peregrinum Landebergium illis Præfectum misit, cui arces duæ erant, Sarna infra sylvam & Rotzbergum supra sylvam. Hic post varia intolerandæ tyrannidis facinora, cùm Henricum Melchtallum, senem opulentum, oculis maximâque bonorum parte, sine causâ mulctâsset, pudicitiam dein matronarum sollicitare non destitisset, in balneo cæsus est. Quô factô, cùm & in reliquis duobus pagis tyrannis ad ἀκμὴν pervenisset, Arnoldus præfati Henrici filius, cum Fürstio & Stauffachero, prima fœderis Helvetii fundamenta jecit, A. C. 1307. qui tres pertractis in tam egregii discriminis societatem viris aliquot præstantibus, arcibus Kalend. Januar. anni sequentis eversis, patriæ libertatem reddiderunt: & quidem Rotzbergum, per ancillam: Sarnam, per insidiosa munera, egregió utramque strategemate, occupârunt. Dirutis arcibus, omnes cum rebus suis & Præfecto, ad fines deduxêre, jurejurando astrictos, ne unquam in regionem redirent. Infestos cùm dein Alberti Imperatoris liberos haberent, navem egregiè instructam, quæ Lucernâ Underwaldios petebat, hi ab Uriis adjuti, in portu oppressêre: hinc induciæ. In pugna postmodum Morgartensi, eorum 300. rem præclarè gesserunt, die 16. Novembr. A. C. 1315. sed & domi eòdem die, à Strasbergio Comite impetiti, binis eum prœliis profligârunt: tum primùm tres Pagi fœdus, quod antea in decennium fecerant, in perpetuum pepigerunt, atque in literas retulerunt; à juramento quô se devinxerunt *Eydgenossen*, à pagorum potentissimo *Suitzeri* in posterum dicti. Ab eo tempore omnia iis, cum reliquis Helvetiis communia: Sextum occupant inter Cantones locum. & cum reliquis duobus Bilitionum, Vallem Bruniam & Rivieram, cum sex Turgovienses, Rheguscos, Sarunegaunenses, liberas Provincias cum septem veteribus pagis, Comitatum Badensem, cum omnibus denique Cantonibus communes Præfecturas obtinent. Duo habent publica consilia, seu judicia, unum Stantii, infra sylvam: alterum Sarnæ, supra sylvam, quorum utrumque peculiarem suum Ammanum habet: factaque hæc divisio dicitur A. C. 1150. cùm inter ipsos controversia de tributo conferendo exorta fuisset. Prius enim unus conventus totius regionis, unum caput Stantium, unum vexillum & insigne fuerat, ab eo verò tempore in duas partes itum, & singulæ partes unam clavem pro insigni, cùm anteà gemina esset, servârunt, ac vexillum antiquum albi & rubri coloris hi, qui supra sylvam, retinuerunt, quod hæc major pars regionis esset: alterum verò signum à Pontificibus duplici clave ornatum reliqui sibi vindicârunt. Ad Helvetica Comitia duos mittunt legatos, quibus tamen unum suffragium: in dividendis stipendiis, aliisque superior pars duas portiones sortitur, inferior unam tantùm accipit. Patria hic pagus Nicolai fuit Eremitæ, cujus maxima inter suos olim hodieque auctoritas, namque & tum arbiter controversiarum Helveticarum, velut oraculô, lites decidebat, hodieque adhuc solemni pompâ quotannis ab incolis colitur. Filius ejus Sylvaniæ Consulem egit, circa A. C. 1510. In superiore parte regionis infra sylvam Abbatia est Benedictinorum, *Engelberg* nomine, sub Henrico V. Imperatore A. C. 1120. à Conrado Seldeburio Equite condita. Adelhelmus primus Abbas erat. Et quia in cineres resedit, circa A. C. 1197. iterum ab Henrico Abbate VII. erecta est. Sub eodem accessit Monasterium Virginum, quod combustum funditus, A. C. 1449. intra sexennium caput denuò extulit. Utrumque ab Imperatorib. Principibusque insigniter dotatum est. Vide Stumpf. *Chron. Helvet. c.* 2. *de Argovia*, Jos. Simlerum *de Republ. Helvet.* Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. Nova Antiq. &c.* Glareanus *in Panegyr. Helvetiæ*:

Sylvanam gentem Romano è sanguine cretam,
Quam scindit geminans nemorosò robore sylva,
Quis dignè satis extollat! Cui lucidus aër,
Lucidaque amne loca, & fœcundò gramine campi,
Miles & in jaculis & longâ turbidus hastâ
Libertatis honos & priscæ gloria Romæ.
Sarnenses arces infestò sidere natæ,
Ipse tyrannus idem, tua jura Agriane perosus
Ostendunt: huic est vastæ pius incola eremi
Nicoleos, qui unó & viginti sobrius annis,
Nil potus esusque tulit, mysteria cœli
Edoctus, sacro vivebat corpore Christi.

SYLVANIUS Lacus, à Sylvaniis seu Underwaldensibus ita dictus, influit in lacum Lucernensem: Propriè vocatur *der vier Waldstadten-see*, quia medius inter quatuor illos pagos, vulgò *die vier Waldstät*, Uriam, Suitiam, Sylvaniam & Tugium situs est. Ab hoc non longè Occidentem versùs in pago Sylvanio, visuntur parvuli lacus, quos veriùs cùm Marcellino paludes dixeris: Orientalior *Hawylsee*, Occidentalior *Lungernsee*; qui duobus effusi rivis, dein simul juncti, in alium laculum influunt *Sachslersee*; ex quo effunditur rivus *Aa*, se, infra Stantium, in lacum Lucernensem præcipitans. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Antiq. & Nov.*

SYLVANUS, Deus Sylvarum. Servius *ad istud Virg. Æn. l.* 8. *v.* 600.

Sylvano fama est veteres sacrâsse Pelasgos
Arvorum, nemorumque Deo lucemque diemque &c.

Publica, inquit, *ceremoniarum opinio hoc habet, pecorum & agrorum Deum esse Sylvanum. Prudentiores tamen dicunt esse eum ὑλικὸν θεὸν, i. e. Deum τῆς ὕλης. Hyle autem est fæx omnium elementorum, id est, ignis sordidior & aër, item aqua & terra sordidiora, unde cuncta procreantur: quam Græci ὕλην, Latini materiam appellârunt: nec incongruè, cùm materia sylvarum sint.* Quòd si igitur Deus τῆς ὕλης est, idem erit cum Pane. *Veter. Glossa, Sylvanus, Πάν, θεὸς ὑλαῖος.* Virg. tamen *l.* 1. *Georg. v.* 20. manifestè eos distinguit. Nam cùm dixisset: *Pan ovium custos, &c.* interjectâ deinde Minervæ ac Triptolemi mentione, subdit tandem:

Et tenerain ab radice ferens, Sylvane, cupressum.

Lucan. *l.* 3. *v.* 402.

Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Sylvani, Nymphæque tenent. ——

Propert. *l.* 4. *El.* 4. *v.* 5.

Sylvani ramosa domus. ——

Gratius Faliscus *in Cynegetico, v.* 20.

—— *Inculto Sylvanus termite gaudens.*

Vide Lil. Gyraldum, *Synt.* 15. Horat. *l.* 3. *Od.* 29. *v.* 20.

Jam pastor umbras cum grege languido,
Rivumque fessus quærit & horridi
Dumeta Sylvani. ——

Apud eundem, *l.* 2. *ep.* 1. *v.* 139. & 143.

Agricolæ prisci, fortes, parvóque beati
Tellurem porcó, Sylvanum lacte piabant.

Juvenalis, *Satyr.* 6. *v.* 445.

Nam quæ docta nimis cupit, & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.

Statius, *l.* 6. *Theb. v.* 109.

Non grassante Notô citiùs nocturna peredit
Flamma nemus. Linquunt flentes dilecta locorum
Otia, cana Pales, Sylvanusque arbiter umbræ,
Semideumque pecus, migrantibus aggemit illis
Sylva, nec amplexæ dimittunt robora Nymphæ.

Nic. Lloydius. Matronali pudicitiæ insidiari creditus est. Augustin. *de Civ. Dei l.* 15 *c.* 22. *Creberrima fama est, multosque se expertos, vel ab iis, qui experti sunt, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Sylvanos & Faunos, quos vulgò Incubos vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus & earum appetisse ac peregisse concubitum.* Et eundem sanè esse *Sylvanum* & Incubum, patet ex *Glossario veteri,* in quo Πὰν ὁ Δαίμων, *Incubus Sylvanus.* Hinc Puerperis statim post partum custos adhibebatur, ne *Sylvanus* per noctem ingrederetur & jacentem vexaret: & ut id significaretur, constituebatur quidam, qui pilô limen feriret, ut idem disserit Augustin. *de Civ. Dei, l.*6. *c.* 9. & notavit Joh. Meursius *Criticarum Exercitat. parte* 2. *c.* 1. Locus Augustini hic est: *Mulieri fatæ post partum tres Custodes commemorat* (Varro) *adhiberi, ne Sylvanus illam vexet: Eorumque Custodum significandorum causâ tres homines noctu circumire limina domus, & primò limen securi ferire, posteà pilo, tertiò deverrere scopis: ut his datis culturæ signis Deus Sylvanus prohibeatur intrare.* Additque, ab his tribus totidem nuncupatos Deos, *Intercidonam, Pilumnum & Deverram.* Eundem omni invidiâ abigebant, etiam coronato Asini capite ad lectum Puerperæ suspenso, Bartholinus *de Puerperio Veter.* Quemadmodum autem *Sylvanus* Puerperis, ita pueris dormientibus Caprimulgus insidiabatur & Lilith, item Sagæ & Stryges variis fascinis, quæ vel alliô, vel alyssô, vel Returpi in collo ex annulo appensâ, abigebantur, Idem. Statuam illi positam fuisse, manu protensâ & cupressô ornata, cujus sationem primus invenerit, conjicit Dempsterus, ex Gratio, *Cyneget. v.* 20.

—— *Inculto* Sylvanus *termite gaudens.*

Et Martiano Capella, *Nupt. Mercurii & Philol. l.* 5. *in principio,*

Tunc primùm positâ Sylvanus *fortè cupresso*
Percitus, ac trepidans dextram tendebat inermem.

Eidem inter Romanos tantùm cultus exhibitus est, peractaque sacrificia à viris tantùm. Ver. Scholiastes Juvenalis *ad Satyr.* 6. *v.*447. *Sylvano mulieres non licet sacrificare.* Et quidem primitus, ut rusticum decebat Deum, lac ei oblatum. Horat. *l.* 2. *Ep.* 1.

Tellurem porco, Sylvanum *lacte piabant.*

Posteà porcus ei cæsus est, ut diximus suprà, in voce *Sus,* & docet Juvenalis *loc. cit.*

Cædere Sylvano porcum.

Mentio ejus in vetustis marmoribus, quorum fragmenta: *Sylvano. Sancto. Larum. Philemon. P. Seanii. Eleutheri. d.d.* Item, *Silvano. Sancto. Sacro. Larum. Cæsaris. N. & Collegii. magni. Cn. Turpilius. Trophimus. voto. suo. suscepto. aram. de. suo. d. d.* Item, *Silvano. Sacrum. Sodal. ejus. & Larum. donum. posuit. Ti. Claudius. Aug. lib. Fortunatus. à cura. amicorum.* E quibus patet, non sylvestrem tantùm Deum, sed etiam domesticum, unum nempe ex Larium numero, fuisse. Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 2. *c.* 20. Catoni *de R. R. c.* 84. *Mars Sylvanus* dicitur, quô nomine Solem à Rusticis Romanis cultum fuisse, contendit Voss. *quem,* inquit, *Sylvanum dixere, non quasi solis præesset sylvis, sed quia vim suam exereret in universam Elementorum ὕλην, sive materiam.* Quod confirmat his verbis Servii *ad Æn. l.* 8. quæ in Lexico citata. Similiter Macrobius *Saturn. l.* 1. *c.* 22. *Pan ipse, quem vocant Inuum, sub hoc habitu, quô cernitur, Solem se esse prudentioribus permittit intelligi. Hunc Deum Arcades colunt, appellantes τὸν τῆς ὕλης κύριον, non sylvarum dominum, sed universæ substantiæ materialis dominatorem, significari volentes.* Ideoque *Sylvano* & Pani omnia sua consecrabant. Vetus Scriptor *de finibus agr. Nam omnis possessio tres Sylvanos habet: Unus dicitur* Domesticus, *possessioni consecratus: Alter* Agrestis, *Pastoribus consecratus: Tertius,* Orientalis, *cui est in confinio lucus positus, à quo inter duo plurave fines oriuntur.* Ubi non dubium, quin *Sylvanus Agrestis* sit Ἀγρέτης καὶ Νόμιος Ἀπόλλων: quomodo & *Aristæus* Arcadibus vocabatur, ut cognoscere est ex Scholiaste Pindari *in Pythia.* Atqui Νόμιος Ἀπόλλων Sol fuit. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 13. & suprà in voce *Silvanus.* De *Sylvano* verò *Dendrophoro,* cujus in *veter. Saxo* mentio, suprà ubi de *Dendrophoris.* Passeratius *Sylvani* nomine quemlibet Dæmonem sylvestrem denotatum fuisse Veteribus, observat *ad Propertium, l.* 4. *Eleg.* 4. qua de re vide Barthium *ad Statium, l. Theb.* 6. *v.* 111. &c.

SYLVANUS, avi sui & sororis filius, hôc modô. Valeria Tusculanaria, ob iram Veneris, Valerium patrem suum deperibat, remque nutrici communicat, quæ dolis adorta herum, puellam quandam ex vicinis eum dixit adamare, quæ adspectum ejus, apertumque concubitum vereatur. Aliquando pater postmodum debacchatus lumen petiit: nutrix verò præveniens, fugiensque sese præcipitavit, filia quoque inde evadens peperit Sylvanum, quem Græci *Ægypanem* vocant. Pater quoque Valerius dolore affectus sese dedit in præcipitium.

SYLVANUS, Consul, ann. Urb. Cond. 833.

SYLVANUS, fil. Boniti Galli, de Constante Imperatore egregiè meritus, cùm calumniis se apud illum impetitum cerneret; Coloniæ à militibus Imperatorem se salutari passus est: sed Ursicinus eum paulo pòst, ab Imperatore missus, sustulit. Vide Amm. Marcellin. Item comes S. Pauli. 2. Corinth. *c.* 1. *v.* 19.

SYLVANUS Poppæus, vide *Poppæus.* It. *Silvanus.*

SYLVARUM Comites, vide infrà ubi de *Wildgraviis.*

SYLVATICUS Matthæus, vide *Matthæus.*

Pontifices Romani

SYLVERIUS, Papa, successit Agapeto I. Filius Hormisdæ, postmodum Papæ, A. C. 536. Hunc Vigilius Diaconus, ope Theodoræ Augustæ, pollicitus Eutychianum se fore, non tantùm dejecit, sed & sustulit, A. C. 540. Anastas. & Platina, *in vitis Pontif.* Baron. *in Annal.*

SYLVESTER I. Romanus, Melchiadi successit, A. C. 314. Contra Donatistas, & Judæos Zelotes: Arrio quoque strenue se opposuit. Huic plurima quidam tribuunt, inter alia *Donationem Constantini,* lepræ fictitiæ Constantini & occisorum infantum balneo, paris commatis, innixam: quod ipsimet Pontificii scriptores hodie, velut ὑποβολιμαῖον, explodunt. *Iidem.* Obiit A. C. 335. Successit Marcus.

SYLVESTER II. nomine *Gerbertus,* Arvernus, Mathematum, & aliarum scientiarum peritus, Hugonis Capeti filio Roberto admotus, posteà Archiepiscopus Remensis evasit: sed Arnolpho, filio Lotharii Regis notho, cedere coactus, in Germaniam abiit, & Ottonis III. præceptor, Archiepiscopatum Ravennatem nactus est, A. C. 997. Gregoriô dein V. mortuô, Papatum mercatus pretiô animæ suæ à Diabolo, ut tamdiu eum teneret, quamdiu Hierosolymam non vidisset; ab eo delusus, in sacello *Hierusalem,* post biennium, nuntium mortis accepit; Matth. Westmon. *in Hist. Angl.* Anton. Archiep. Florentin. Platina, Martin. Polonus, &c. Scripsit varia, *Epistolas* 149. *Tractatus Mathematicos,* &c. Composuit *Organa hydraulica,* Guil. Malmesburius: Horologium Magdeburgi effecit, in quo stella Polaris conspicua erat, &c. Successit Johannes XVII. Morer. *Diction. Hist.*

SYLVESTER III. Antipapa, Benedicto IX. oppositus A. C. 1043. vel 1044. tertiô pòst mense à Comite Frescati pulsus est, Benedictô restitutô.

Viri Celebres.

SYLVESTER Aldobrandinus, JCtus Florentinus; Scripsit *Commentar. in Institutа Justiniani.*

SYLVESTER Dionysius, vide *Dionysius.*

SYLVESTER Giraldus, Anglus, eruditione inter primos sui seculi. Elegantiorum literarum, Philosophiæ & Mathematum peritissimus, Parisiis Theologiam docuit. Ab Henrico II. in Angliam vocatus, Johannis filii præceptor fuit, Regi à secretis. Dein Oxonii professus, Regem in Hiberniam comitatus est, cujus exactam descriptionem edidit. Ob eruditionem æmulos nactus, secessum impetravit, Episcopus S. Davidis factus. Obiit A.C. 1210. vel 1214. plurimis scriptis, *Commentariis imprimis in S. Scripturam, tractatibusque Theologicis* inclytus; Lelandus & Pitseus, *de ill. Angl. Script.* Balæus, *de Scriptorib. Britann.* Voss. *de Hist. l.* 2. *c.* 54.

SYLVESTER Maurolicus, auctor *Maris Oceani Religionum, &c.*

SYLVESTER Mazolinus, cognomine Prierius, Pedemontanus, Dominicanorum Generalis. Obiit A. C. 1520. Scripsit *contra Lutherum; Summam Sylvestrinam; Postillas in Euangelistas, ex S. Thomæ Commentariis depromptas: Auream Rosam,* &c. Morerius *in Diction. Histor.*

SYLVESTER Medices, Florentinus, Mercator prædives & præcipuus Nobilitatis adversarius, floruit seculô XV. Cujus posteri indies opibus augescentes, & favore populi adjuti, ad summam illam potentiam & dignitatem, quâ hodie Serenissima Medicæorum Familia floret, viam stravère. Occasio fuit exilium Cosmi I. qui, cùm à factione Nobilium in exilium pulsus esset A. C. 1433. alterô statim annô ab amicis suis revocatus, Principem Reip. se constituit, ut alibi diximus. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. cum Notis* L. Joachimi Felleri *p.* 194.

SYLVESTER Meuctius, Augustinianus Venetus, commentatus est *in Apocalypsim,* &c.

SYLVESTRES Populi, aliàs *Vallium civitates,* vulgò *die drey Länder,* Item, *die drey Waldstädt,* dicuntur vetustissimi tres Helvetiæ pagi, Urii, Suitii & Underwaldii, quibus aliquando quartô locô Lucerna adnumeratur. Incolunt hi Alpinas valles, inter Rhætos, Lepontios, & Viberos, ac partim Tigurino, partim Verbigeno Pago attributi sunt. Ab his lacus Sylvanius *der vier Waldstädtensee* appellatur, vide ibi. Aliàs nomine *die Länder,* sex pagi intelliguntur, qui vicatim habitant: ut sunt Uria, Suitia, Underwaldia, Tugium, Glarona & Abbatiscella. Vide Jos. Simlerum *descript. Helvet.*

SYLVIA, nomen quo Ilia Romuli mater vocata est. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 487.

Assue-

Assuetum impexis soror omni Sylvia curâ,
Mollibus intexens ornabat cornua sertis.

Ovid. *Fastor. l.* 2. *v.* 383.

Sylvia Vestalis cœlestia semina partu
Ediderat, patruô regna tenente suô.

SYLVIUS, Æneæ fil. à quo posteà omnes Albani reges *Sylvii* dicti sunt. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 761.

——— *Primus ad auras*
Ætherias Italô commistus sanguine surget
Sylvius. Albanum nomen, tua Posthuma proles.
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet sylvis regem, regumque parentem:
Unde genus longâ nostrum dominabitur Albâ.
Proximus ille Procas Trojanæ gloria gentis,
Et Capys & Numitor, & qui te nomine reddet
Sylvius Æneas. --- ---

Ovid. *Fastor. l.* 4. *v.* 41.

Posthumus huic: qui, quod sylvis fuit ortus in altis,
Sylvius in Latiâ gente vocatus erat.

SYLVIUS Jacobus, vide *Jacobus*.

SYLVIUS Nimrodus, fil. Julii Friderici Ducis Wittembergensis, lineæ Julianæ seu Brentianæ Auctoris, A. C. 1635. extincti, in studiis, Historicis præsertim ac Theologicis, tantum profecit, ut in his etiam μελετήματα quædam publicis typis vulgare promiserit. In comitatu celeberrimi Ducis Bernardi Vinariensis aliquod exegit tempus: Demum Elisabethâ Mariâ Monsterbergensi hærede ductâ, Socero, impetratâ investiturâ Cæsareâ (quâ ipsa Conjux simul investita & beneficium ad secundum si iniret matrimonium protensum) in Ducatu Oelsensi in Silesia successit, eumque ad mortem usque, quâ raptus A. C. 1664. tenuit. Pater Ferdinandi Caroli, *Sylvii* Friderici, Christiani Ulrici, & Julii Sigismundi; qui, Patre moriente, dimissi, in illustri Collegio Tubingensi & Aula Altenburgica, ad digna familiæ & fortunæ sublimitate decora & virtutes, cum cura, formati sunt. Phil. Jac. Spenerus *in Fam. Wirtemberg.*

SYLVIUS, Vallesiæ mons, ad Septentrionem Sideriani conventus, vulgò *Austelberg* dicitur, *Mercat.* Alibi tamen eum collocat Simlerus *descr. Vall. l.* 1. cum ait, Martiam vallem, in conventu Vespiano, incipere à monte *Sylvio*, per quem iter est ad Salassos & Ajazam vallem *das Kremerthal*, &c. Apud Sedunos quoque mons est, quem quidam *Sylvium* nuncupant, à Salassis Rosa dictus. In hoc ingens perpetua glaciei copia, &c. Idem *Comment. de Alp.* Et *alio locô*: per juga montis *Sylvii*, quem nos *Gletscher* vocamus, duo sunt itinera, unum ad Salassos, alterum in vallem Sessitis. Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Antiq. & Nov.*

SYMA, vel SYME, urbs Asiæ. Homer. *in Catalogo*,

Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐΐσας.

SYMÆTHA, urbs Thessaliæ, *Stephan.*

SYMÆTHUS, fluv. Siciliæ non longe ab Ætna. Vide Cluver. *Sic. Ant. p.* 124. Vide *Simathus*.

SYMANDRUM, instrumentum ligneum, quô hodierni Græci, in convocando cœtu sacro, campanæ vice utuntur. Meliùs *Semantrum* vel *Simantrum*, quod vide.

SYMBOLÆ, publica convivia, ex singulorum *symbolis*, instituta, Scriptoribus Ecclesiasticis Ἀγάπαι, Græcis veterib. Ἔρανοι, item ἀπὸ Σπυρίδος, Καταβόλια quoque dicta sunt. Joh. Tzetzes *ad Hesiodum l.* 2. Καλοῦσι Καταβόλια, ὅταν κοινῶς ἴδοντες δαπάνην συμποσιάζωσιν. Quibus apud Romanos respondebat *Sportula*, quam Nero publicarum cœnarum locô instituit. Juvenalis *Sat.* 3. *v.* 249.

Nonne vides, quantô celebretur sportula fumô?
Centum convivæ: sequitur sua quemque culina.

Atque qui sic de suo cœnabant, αὐτοδιακόνοι Græcis appellati sunt, Romani *Sodales* appellàrunt, uti suprà diximus. Vide Jo. Meursium *ad Lycophronem*, ubi cœtera conviviorum apud Veteres genera, Γάμοι & Εἰλαπίνη vocata esse, docet, ut & hîc infrà.

SYMBOLON, & SYMBOLORUM PORTUS, qui & PACTORUM PORTUS Straboni, SIBULA Mercatori & alias portus Taurici inter Eupatoriam ad Isthmum, & Chersonesum urbem ad sinum Carcinitem.

SYMBOLUM, locus Macedoniæ, in Thraciæ confinio, in faucibus montium, inter Philippos & Neapolim. *Plut.*

SYMBOLUM, latissimè patet, cum sit *nota & signum rei animô conceptæ*; Itaque tesseræ hospitales, militares, theatrales dicuntur *Symbola*; collatio quoque convivarum nomine σύμβολοι censeri solet, sive annulus esset, aut nummus, sive cibus. Non enim illud perpetuum est, quod Casaubonus habet *ad Athenæum, l.* 3. *c.* 31. cum ait: Συμβολὴ *est collatio eranistæ ad convivium: Quique enim, quod ad manum erat, conferebant. Ex partes dictæ συμβολαὶ, & convivium hujusmodi* ἔρανος *vel* δεῖπνον ἀπὸ συμβολῶν. *Mutatô verò genere Symbolum vocabant annulum, vel quidvis aliud arræ locô solitum dari ei sodalium, qui jubebatur cœnam parare.* Quamvis enim συμβολὴν *Symbolam*, rectè usurpari pro ista collatione ciborum ad convivium, ex *can.* quoque 54. Concil. Laodiceni discamus, ἐκ συμβολῆς συμπόσιον ἐπιτελεῖν: tamen & *Symbolum collationem*, ac *cibos afferri à quoque solitos*, dici legimus apud Hieron. *Comment. in Prov. l.* 2. *c.* 24. Appellabantur igitur hæc *Symbola*, sive quod essent mentis, voluntatis stipulationisque signa, sive ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν, quòd *simul* essent *conjecta* atque *collata*. In veteri Philosophia *Symbola* propriè appellata sunt, *occultæ rei signa*, vel ut Budæus vult, similitudines & quædam naturæ communitates; quô fit, ut vox hæc, si fusè sumatur, omnem penè similium rationem complectatur; si propriè, ea dicantur *Symbola*, quæ rem, in qua inest aliquid obscuritatis, figuratè significant: Unde Emblemata & Parabolæ & Apologi, quibus in philosophando Veteres creberrimè usi sunt, ut & alia hujusmodi, communi *Symbolorum* nomine veniunt. Usi autem præ aliis hâc docendi ratione, inter Græcos, sunt Heraclitici, qui Ephesi & in Ionia philosophati, si quid ab iis quæsitum esset, ænigmatica quædam verba, quasi sagittas ex arcu, projiciebant, quorum si rationem quis petiisset, aliô ænigmate percutiebatur, Euseb. *Præpar. l.* 14. *c.* 1. Pythagorei inprimis, qui, quòd Magister eorum pleraque sua ex Oriente (*Symbolicæ* Sapientiæ Auctore) hauserat, in plerisque cum eo conveniebant. Hi itaque sapientiam αἰνίγμασι quibusdam & integumentis repræsentabant, quæ *Symbola* dixêre; qualia collegerunt Marsilius Ficinus & Lilius Giraldus, magnâ diligentia. In quibus ita Philosophiæ præcepta comprehensa erant, ut vel ambitionis dissuasionem & otii fugam, vel pravorum sodalium declinationem continerent, Plut. *l. de educ.* Hieronymus *Apol.* 2. *adv. Ruff.* Laërt. *l.* 8. Sic, quemadmodum Deus suis interdixit, *ne porcinâ vescerentur*, i. e. *ne porcorum imitarentur sordes*, Lactant. *l.* 4. *c.* 17. ita Pythagoras, Discipulos à Venere illicita dehortaturus, κυάμων ἀπέχεσθαι, *fabis* illos *abstinere*, jussit, de quo vide fusius A. Gellium *l.* 4. *c.* 11. Idem literâ Y. virtutis significabat studium, de quo Virgilii *Epigramma* extat, vide quoque Lactantium *l.* 6. *c.* 3. Quæ proin *Pythagoræ littera* vocatur, non quòd eam primus Pythagoras invenerit, (quod sexcentis ante eum annis à Palamede factum) sed quia mysticum ejus sensum primus Auditoribus suis monstravit. Ut de aliis ejus *Symbolis*, quæ legere est apud Laërtium, Malchum & Jamblichum, vitæ Pythagoreæ Scriptores: Cyrillum *contra Julianum l.* 9. ac è junioribus, Erasmum *initiô Chiliadum* & Lilium Gyraldum, præfatô *libello pecul.* nil addam. Non verò is omnia *Symbolorum* involucris texit, sed, cùm duplex ei esset docendi ratio, una διεξοδική, altera συμβολική, prior aperta magis ac facilis; posterior obscura & mystica fuit, Porphyrius *de vita Pythag.* Ad quod posterius doctrinæ genus pertinent brevia illa atque ænigmatica dicta, quibus, ut visum, utilia vivendi præcepta complexus est. Præter quæ, numeris, figuris ac propositionibus Naturæ, & Dei etiam mysteria velans, Apollinem *unitate* signavit, *binariô* Dianam, *septenariô* Minervam; *primô cubô* Neptunum, apud Plut. *de Iside & Osir.* Cujus vestigia habemus *in Timæo* Platonis & Proclo ejus Interprete. Vide & Athenæum, *Dipnosoph. l.* 14. ubi ex Pythagoræ sententia, universum hoc Musicâ constare vi ac propterea ex Diis Apollinem, ex Semideis Orphea credi μουσικώτατον καὶ σοφώτατον, ait. Gerh. Joh. Voss. *de Sectis Philosoph. c.* 6. §. 12. 13. 14. 15. De *Symbolicâ Ægyptiorum* aliarumque Gentium *Sapientiâ*, prolixum scripsit Commentarium Nic. Caussinus. Vide quoque quæ diximus in voce *Hieroglyphicâ*, Item *Hierogrammates*, ut & apud Tob. Pfannerum *System. Gentilis pur. Theol. c.* 1. §. 8. uti de *Symbolica Theologia* Israëlitarum ac Christianorum hic passim ubi de *Ceremoniis*, *Ritibus*, *Sacramentis*, *Sacrificiis*; tum Gentilium, suprà voce inprimis *Mysterium*, ubi de variis *Symbolis*, ad imitationem verorum Dei cultorum, in Sacris eorum, usurpatis; infrà quoque voce *Tadules*. Addam hic saltem, *Symbola* seu signa, συνθήματα Clementi Alex. apud Gentiles sacratorum, quibus sese invicem internoscerent, indigitari, Appulejo *Apolog. Ceteris* --- *profiteor, si qui fortè adest eorundem Solennium mihi particeps; signum dato, & audiat licet, quæ ego asservem. Nam equidem nullô unquam periculô compellar, quæ reticenda accepi, hæc ad profanos enuntiare.* Ubi vocale signum habemus. Apud eundem muta sunt quædam, à Sacerdotibus dari sacratis solita, ut *ibid.* docet: *Sacrorum pleraque initia in Græcia participavi. Eorum quædam signa & monumenta tradita initiô Sacerdotibus sedulò conservo. Nihil insolitum: Nihil incognitum dico. Vel unius Liberi patris symmystæ, qui adestis, scitis, quid domi conditum celetis &* ----- *tacitè veneramini.* Nempe ut in militia, signorum duo erant genera, vocalia & muta, ita in his sacris: quibus tum ipsi initiati se internoscebant mutuo, tum arcana illa sacramenta in memoriam sibi revocabant. Unde eadem *ibid. memoranda* appellat, & propter priorem illam causam, *crepundia*, h. e. γνωρίσματα. Vide Desid. Heraldum *ad Arnob. l.* 5. ubi de Symbolis Eleusiniorum, *Jejunavi atque ebibi cyceonem, ex cista sumpsi & in calathum misi: accepi rursus, in cistulam transtulli*: & suprà aliquid voce *Notaculum*. Nec omittendum, etiam *Symbola* nonnunquam aliquot, pro elogio mortui, nullâ inscriptione additâ, cippis sepulchralibus insculpi consuevisse. Sic in Lysidicæ columna insculpta fuêre, *fræna*, *capistrum*, *gallus gallinaceus*, quorum illô moderatrix domus potestas, istô taciturnitas, hôc vigilantia illius indigitata, uti exponit Antipater *in Epigram. Græc.* In alio ejusdem de quadam fœmina Myro nomine, *arcus*, magistram domus intentam; *canis*, liberorum amantem; *lorum*, servorum castigatricem; *anser*, domus custodem; *noctua* Palladis ministram in opere textorio, ostendit. Quam in rem vide plura apud Salmas. ad *Solin. p.* 1221.

SYMBOLUM Apostolicum, omnium Symbolorum (namque & alia quædam composita fuisse, infra dicemus) præcipuum, quod ex *Apostolorum* scriptis haustum summa Christianæ fidei capita continet, nomen adeptum est. Videtur id paraphrasin quandam complecti & explicationem formulæ in Baptismo adhibitæ, sicque per singula ejus capita ire, confessionem veluti edens de Patre, Filio & Spiritu S. Unde & ea, velut à singulis Christianis usurpanda, in singulari numero effertur, *Credo* &c. Originem tempusque ejus, à Synodo Nicæna, quidam arcessunt. Sed, cum illa Synodus proprium condiderit symbolum, verbis sententiisque ab hoc Apostolico

multum discrepans, probabilius est, ab Episcopo & Clero Romano, hoc conditum: ab illa autem Ecclesia, ad alias Occidentis Ecclesias derivatum esse, Orientis Ecclesiis interim alia Symbola usurpantibus. Non simul porrò & semel eâ formâ, quâ nunc extat, compositum, sed paulatim variorum articulorum, adversùs exorientes hæreses, adjectione auctum & in hanc tandem formam redactum est. Principales autem & primogenii articuli fuerunt illi, *de SS. Trinitate, de Persona, Officio, & Statu Christi*. Reliqui diversis occasionibus contra Hæreticos adjecti sunt. Speciatim illa verba, *descendit ad Inferos*, ex Aquilejensi Symbolo adoptata videntur; cùm in veterib. tum Romanæ, tum aliarum Ecclesiarum Symbolis, non occurrant. Quin & antiquissima Symbola in articulo de *Spiritu S.* desierunt. Alia dein Symbola, contra particulares Hæreticos illi adjecta sunt, in IV. Conciliis generalibus, Niceno, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedonensi: quò etiam refertur *Symbolum* Athanasio à nonnullis tributum. Vide Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christ. Part. poster. l. 6. c.* 3. §. 2. & *seqq.* Joh. Forbesium *Instructionum Historico-Theologicarum l.* 1. *c.* 1. 2. & *seqq.* Alios. Ubi verò baptizandi adulti, antequam tingerentur, *Symbolum Apostolicum* memoriter proferre necesse habebant, quod *Symbolum accipere & reddere* Latinis, σύμβολον ἀπαγγέλλειν Græcis, dictum est, (Sponsoribus id hodie in infantum Baptismo obeuntibus) & ex hac confessione Christiani æstimamur eamque in Sacris publicè privatimque, sæpe iteramus: sic & sua verba solennia esse Muhammedanis, quæ velut *Symbolum* iis sint, Schudletus docet. cùm ait, *Hoc* (quod Arabicè sic habet, *La alah alla allah, Muhammed rasul allah*, non est Deus, nisi Deus ille, Muhammed nuncius Dei illius) *coguntur erectâ manu pollice recitare, cùm annos octo nati & sermonis periti pueri ipsorum circumciduntur; & puellæ, sed à circumcisione liberæ: ad hoc initiò gentes quoque gladiò cogebantur: hoc morientes pronuntiant: præcones ante orationem in templis suis hoc proclamant: hoc in funeribus Sacerdotes, illa comitantes, identidem concinunt. Turcæ item in exercitu, cùm cubitum eunt, aut castra movent aut pugnam ineunt, altâ voce ter clamant allah allah, allahu* &c. Vide eum *Lexicò Pentaglottò*, in radice אלה. De *Symbolo* verò *Apostolico*, quando illud publicè recitetur, quando omittatur, in Ecclesia Romana, Macros Fratres *in Hierolex.* & plura de eo, cæterisque *Symbolis* apud Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* in ea voce.

SYMBRIVIUM, Vide *Simbrivium*.

SYMBURTIUS, Vide *Clisthenes*.

SYME, insula inter Rhodum & Gnidum, Plin. *l.* 5. *c.* 38. Sic dicta à *Syme*, Jalysi filia, cum prius *Metapontis*, deinde *Ægle* vocaretur.

SYMIA Syra, Eutropio, *l.* 8. *c.* 13. dicitur, quæ *Semiamira* Capitolino, *in Macrino*, *c.* 9. mater Heliogabali. Nempe ex Σοαμὶς vel Σοαμμὶς, *Soamis*, vel *Soamias*, quò nomine illa Græcis dicta est: Latini, qui illis temporibus raras diphthongos ponebant, fecêre *Soemia*, inde contractione sequutâ *Semia*, posteà diphthongô illa degenerante in *y*. Græcum, *Symia*. Salmas. *ad Capitolin. in Opilio Macrino. loc. cit.* Vide quoque suprà *Semiamira*.

SYMITHA, Mauritaniæ Cæsariensis oppid. *Ptolemæo*.

SYMMACHI, apud Ægyptios, *portitores literarum velocissimi*, Lib. Diaconus, *c.* 23.

SYMMACHIA, Venus dicta est à Mantinensibus, quod in Actiaco prælio Romanis opem tulisset.

SYMMACHUS, è Sardinia, post Anastasium II. litibus de Episcopatu subortis, Papa à Theodorico Gothorum Rege pronuntiatus est, A. 498. à Nato Christo contra Laurentium, quem Patritius Festus promotum ibat. Anastasium Imperatorem quod, Eutychianis favens, Concilio Chalcedonensi se opponeret, anathemate ferit: templa nova splendidè exstruxit, vetera magnificè exornavit. Obiit Romæ A. C. 514. Vide Morer. *in Diction. Hist.* successit Laurentius. Item, Hæreticus, Samaritanus gente, à suis non satis æstimari ægrè ferens, transiit ad Judæos, secundò circumcisus: Dein Christianus factus, Ebionitis accessit, Bibliorum versionem adornare conatus, quæ depravationibus plena est. Alius fortè fuit, à quo *Symmachiani* dicti Judicium ultimum negabant, omni licentiâ cuilibet permissâ. Epiphan. *de pond. & mens.* Hieron. *l.* 2. *adv. Rufin.* Ambrosius, *Præf. in epist. ad Gal.* Philostr. *de Hær.* Baronius A. C. 203. *num.* 15. & 16.

SYMMACHUS, Fil. Symmachi, qui epigrammatis in Magnatum honorem editis, inclytus fuerat, Romanus orator, Præfectus urbis, Pontifex Maximus missus à Senatu Constantinopolim ad Theodosii liberos, rogatum, ut Vestales & templum Victoriæ à Christianis destrui minimè paterentur; cujus rei gratiâ putabant se adversa multa à Diis esse passos. Ejus igitur orationem & Prudentius *libris* 2. & Ambrosius *ep.* 30. acerrimè confutârunt. Ad Valentinianum secundâ vice conversus, iterum frustra fuit. Cùm Maximum tyrannum adulatoriè prius laudâsset, ut culpam repararet, justis elogiis Theodosium M. extulit: sed quòd de templo Victoriæ aliquid immiscuisset, Româ pulsus; tamen in gratiam posteà receptus, & Consulatu auctus est, A. C. 391. Scripsit Epist. libros 10 Eloquentiâ & eruditione inclytus, Plinii imitator. Macrob. *Saturn. l.* 5. *c.* 5. Prosper *Chron.* Cassiodor. *Chron.* Symm. *l.* 1. *Ep.* 2. & 3. Fuit alius ejusdem nominis sacrorum librorum Interpres Græcus, parum doctrinæ sinceræ, & Christianæ. Euseb. *Hist. Eccl. l.* 6. *c.* 14. Vide suprà.

SYMMACHUS, Thasius, dux auxiliorum in Exercitu Agesilai, de quo Polyæn. *l.* 2. *c.* 1. *in Agesilao com.* 27.

SYMMACHUS, in Macedonum exercitu nobilis juvenis, sed temeritate atque audaciâ insignis: de cujus exitu in insula fluminis Hydaspis, vide Curt. *l.* 8. *c.* 13.

SYMMACHUS, Grammaticus, ut videtur, infelix, qui cùm citatur, vapulat saltem ab Auctore Scholiorum in *Aristophanis Fabulas*.

SYMMACHUS, auctor Historiæ, laudatus Jornandi *in Geticis*, *l.* 15. Item auctor historiæ Medorum & Assyriorum, Agath. *l.* 2. Item Præfectus Romæ, & Consul, A. C. 522. scientiâ, probitate, usu rerum, sapientiâ, decus Senatus. Socer Boëtii, cum hoc, à Theodorico Gothorum Rege ob vanas suspiciones neci est datus, A. C. 526. Conscientiæ furiis Regem immaniter posteà exagitantibus. Vide *Theodoricus*, & de pluribus *Symmachis* Vossium *ad Boëtium p.* 36.

SYMMETRIA, terminus Picturæ. Vide *Pictor*.

SYMNI, gens Æthiopum ad occidentem, Curt. *l.* 4. *c.* 7.

SYMPÆCTÆ, vide suprà *Sempectæ*.

SYMPATHICÆ materiæ species, soli Auctori nota, aquæ subere fulta innatans, Horoscopium, lucis dominum sequi cernitur, magnum naturæ opus, in Musæo Athan. Kircheri Romæ. Georg. de Sepibus *Descript. ejus p.* 1.

SYMPHONIA, apud Isidorum *Origin. l.* 2. *c.* 21. vulgo dictum est, *lignum cavum ex utraque parte pelle extensâ, quam virgulis hinc inde Musici feriunt*. Scribit quoque Hieronymus *Ep. ad Damasum*, quosdam de Latinis putavisse, *Symphoniam* genus esse organi musici. Quomodo etiam de Latinis fuère, qui putârunt *Chorum* esse genus instrumenti, ut ex Auctore *Epistolæ ad Dardanum*, quæ eidem tribuitur, liquet. Et certè Isidorum secuti plurimi Auctores citerioris ævi, *Symphoniæ* voce modò tibiam, modò sistrum, modò instrumentum peculiare, *cujus media pars in similitudinem cribri, & virgulâ percutitur*, ut ait *Ugutio*, indigitâsse deprehenduntur. Propriè verò *Symphonia*, Græcè Συμφωνία, *Musicum concentum*, notat: unde *Symphoniaci* servi, Luciano *in Gallo* [illegible], qui, ne solus in conviviis delectaretur venter, apud Romanos, sequiori ævô, in Tricliniis adhiberi cœperunt. Non enim unum solùm aut alterum *Symphoniacum* vel Cantorem, in Magnatum fuisse conviviis, sed ingentem penè & prodigiosum numerum, docet Cicero, *Verrin.* 6. ubi Verrem *Symphoniacos sex cuidam Amico suo Romam misisse muneri*; & Seneca, *Ep.* 84. ubi scribit, *De Choro dico, quem Veteres Philosophi noverant, in commessationibus nostris plus Cantorum est, quàm in Theatris olim spectatorum fuit; cum omnes vias ordo canentium implevit, & cavea æneatoribus cincta est & ex pulpito omne genus tibiarum organorumque consonuit*. Hinc CHRISTUS in parabola filii prodigi, Lucæ *c.* 15. *v.* 25. Ἦν δὲ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ὁ πρεσβύτερος ἐν ἀγρῷ· καὶ ὡς ἐρχόμενος ἤγγισε τῇ οἰκίᾳ, ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν. Vide quoque Cicer. *pro S. Roscio*. Sidonium *l.* 1. *Ep.* 2. Sueton. *Aug. c.* 74. ubi *Acroamata, Symphoniaci* sunt, Alios. Et hi plerumque familiares erant, non tamen semper. Namque, ut Gladiatores, alebantur à Mangonibus, collatâque mercede, in privatas civium aulas, publicaque Principum palatia itabant. Plinius, *l.* 7. *c.* 12. *Toranius M. Antonio jam Triumviro eximios formâ pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, ut geminos, vendidit: Tanta unitas erat*. ubi MS. Foxiense legit, *Toranius mango Antonio jam* &c. Sueton. *Aug. c.* 69. *Thoranium* vocat, ut & Macrob. *Saturnal. l.* 2. *c.* 4. cùm ait, *Delectatus erat inter cœnam Symphoniacis Toranii mangonis atque eos frumentô donaverat*: nec non Solinus, *c.* 5. *Denique cùm Antonio Triumviro Thoranius quidam eximios forma pueros, velut geminos, trecentis HS. vendidisset*, &c. Hi quâ veste induti, quomodo compti quâque ratione famularentur, pluribus exsequitur Philo Judæus, *l. de Vita Contempl.* Non defuère tamen, inter ipsosmet Romanos, qui immodicum hunc luxum acriter castigarent, inter quos Seneca inprimis. Vide quoque A. Gellium, *l.* 1. *c.* 11. & Æl. Lamprid. *in Vero*. D. Hieronymus *Epist. ad Furiam*, *Fidicinas*, inquit, *& Psaltrias & hujusmodi Chorum Diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina proturba ex ædibus tuis*. Hinc Theodosius Senior magnoperè commendatur, quòd *non solùm aliis, sed & sibi has voluptates interdixerit*, Aur. Victor. *in eo* & Paulus Diac. *Histor. Rom. l.* 13. Claudianus idem in *Stilichone* laudat, *l.* 2. *v.* 141.

— Nullâ Cytharæ convivia cantu,
Non pueri lasciva sonant. —

De Trajano Aug. vide Plinium *Panegyr.* Neque verò pueri modò procaciores hisce officiis, sed & puellæ adhibitæ sunt. Macrob. *Saturn. l.* 2. *c.* 1. *Sub illorum supercilio non defuit, qui Psaltriam, intromitti peteret, ut puella ex industria supra naturam mollior, canorâ dulcedine & saltationis lubricô exerceret illecebris Philosophantes*. E quibus hæ, Gadibus petitæ; sicut illi Alexandriâ. Unde Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 63. *v.* 5.

Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat.

Musicorum verò horum corpus *Chorum* appellabant, Servius *ad Georg. l.* 1. JCti, *l.* 75. *de Leg.* 3. *l.* 34. *de Ædil. Edict.* Hinc eleganter Seneca, *Ep.* 84. *Non vides, inquit, quàm multorum vocibus Chorus constet, unus tamen ex omnibus sonus redditur. Aliqua illic acuta est, aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ: singulorum illic latent voces, omnium apparent*. &c. Vide Thom. Dempster. *Paralipom. l.* 5. *c.* 29. ubi à Græcis & Barbaris ad Romanos hunc morem delatum esse docet: & Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, ubi multa de Symphoniacis his in genere, & in specie, de Choraulis, Citharœdis & Citharistis, Psaltriis, Fidicinibus & Fidicinis, Tibicinibus & Tibicinis, Sambucinis, Crotalistriis, Tympanistriis, Organariis, Hydraulicis, Lyristis, Chordacistis &c. *Symphoniacorum* organa hisce complexus est Petr. Chrysologus *Serm.* 93. *Venit pietatis illa; non voluptatis, exhibitura convivium: denique & pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis adponit, pauem doloris infert, potum lachrymis temperat in mensura, & ad delitias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui & corporis* Symphoniam. *Organi planctu dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam, & dum pectus ipsum conscientiam arguens*

sæpe

saepe percutit, facit plaitura Deo cymbala personare. Fuere porrò *Symphoniaci* aliquando, & alii è Triclinio servi. Apud Petronium siquidem *Pueri ad pedes & Pocillator cantant, in ipso, quo fungebantur, munere, paronychia tollendi & vinum ministrandi.* Et, quod ex eodem discimus, *ministeria, in Triclinio singula ad* Symphoniam *exequi mos fuit: Ita Trimalcio ad Symphoniam illatus in convivium est. Diribitores symphonia strepente paleam scrutantur, gustatoria à choro cantante rapiuntur, ad Symphoniam tripudiantes superiorem partem repositorii auferunt. Scissor demum ad Symphoniam gesticulatus obsonium lacerat* &c. quod & Juvenalis cum stomacho animadvertit *Sat.* 5. Imò & Pacuvius nescio quis, apud Senecam *Ep.* 47. ad *Symphoniam* in cubiculum quotidie à cœna referebatur. Tandem & navi fuisse *Symphoniacos*, qui celeusma remigibus canerent & *per assam vocem*, ut ait Asconius *ad divin. Cicer.* i. e. ore prolatam, &, ut in Argo navi, per citharam, illis praeirent, discimus ex Cicer. in *Ver. Ab hac Praefectus Antonii quidam Symphoniacos servos ducebat per injuriam, quibus se in classe uti velle dicebat.* Et sanè, in Argo navi, testatur *Hyginus*, Orphea per citharam celeusma modulatum esse, quod & Val. Flaccus tetigit, *Argonaut. l.* 1. *v.* 470. Duris quoque Samius auctor est, in Alcibiadis ab exilio redeuntis nave fuisse Chrysogonum quendam modulatorem, qui suâ arte remigum direxerit manus, ut, cùm illi remorum pulsum cum ejus cantu conjungerent, jucunda audientibus redderetur harmonia. Hinc *nauticum carmen* memoratum Panegyristae: *Nauticus cantus*, Ciceroni, *l.* 2. *de Nat. Deor. Nauticus clamor*, Virgilio, *Aen. l.* 3. *v.* 128. cujus illud specimen, teste Servio,

Hortantur socii, Cretam, Proavosque petamus.

Quod celeusma hodiè voce vel parvâ fistulâ peragitur. Etiam *ad hoc Symphoniacos capi solitos fuisse, ut in classe pugnantibus classicum canerent*, tradit Paedianus. Nec in venatione *Symphoniae* non fuit locus, ut paucis indigitavimus suprà, in voce *Sylvae* &c. Vide iterum Pignorium *l. cit.* Tit. Popmam, *de Operis Serv.* nec non suprà ubi de *Musica*, de *Scabellis* voce *Vasca* &c. sicut de insulis ad *Symphoniae* cantum saltantibus, in voce *Calaminae*, item *Saliares*.

S. SYMPHORIANI Castellum, vel mandamentum, vulgò *S. Siphorien le Chastel*, est in Pago Galliae Forensi inferiori Rhodanum inter & Ligerim: cujus nominis quoque est alter locus ad Rhodanum Lugdunum inter & Viennam; vulgò *S. Saforin.* Hadr. Vales. in voce *Ulsejum.*

SYMPHORIANUS Campegius, Medicus Lotharingiae Ducis, Eques S. Georgii, Lugdunensis fuit: Collegii Medici in hac urbe fundator, plurima in omni literarum genere scripsit. Inprimis *de Mirabilibus Scripturae libros* 2. Floruit circa A. C. 1510. Vide Simler. *in epit. Bibl. Gesn.* Pater Claudii, qui scripsit de *Galliarum admirandis.*

SYMPHOROSA, Getulii Martyris uxor: quae mortem 7. filiorum pro religione Christiana occumbentium tulit patientissimè, imò verò eos ad supplicium animavit: *Hist. Eccles:*

SYMPINIUM, apud Arnobium, *l.* 7. *adversus Gentes. Pateras Sympiniaque depromite*; à Graeco συμπίνειν. an idem cum *Simpulo* seu *Sympuvio*, de quibus vocibus suprà. Certè & in Sacris suis Gentiles reliquias & pocula delibata tradere consuevisse, ex Minucii Felicis *Octavio* discimus.

SYMPLATOR, vel SYMPULATOR, amicus Sponsi, qui cum eo per convivium ambulat, apud Fulgentium *de vocibus antiquis.* Isidorus, *Symplum* vocat in *Gloss.* Sed & *Symplones*, apud *Arnobium*, Sponsi convivae sunt: an ex Graeco συμβολὴ, quâ voce unum ex tribus conviviorum generibus, apud Veteres usitatis, denotatum esse, diximus suprà in voce *Symbolae*. Vide Beroaldum *ad Sueton.* & suprà *Simpulum.*

SYMPLEGADES, quae & *Cyaneae*, hodie *le Pavonare*, insul. duae, sive potius scopuli, trans Bosporum Thracium, in ipso Ponti Euxini ostio, mille quingentis passibus ab Europa distantes; tam modicô autem inter se discretae intervallô, ut ex adverso quidem intrantibus geminae cernantur, paulum verò deflexâ acie, coëuntium speciem praebeant. Quae res occasionem praebuit poëtarum fabulis, qui eas olim inter se concurrisse tradunt; unde & nomen acceperunt ἀπὸ τοῦ συμπλήττεσθαι, h. e. *à concurrendo*, seu *confligendo.* Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 337.

——— Timuit concursibus Argo
Undarum sparsas Symplegadas elisarum.

Idem, *l.* 1. *Trist. Eleg.* 9. *v.* 47.

Altera namque parat Symplegadas ire per altas,
Scindere Bistonias altera puppis aquas.

Et rursus *in Epistola Medeae* 12. *Heroid. v.* 121.

Compressas utinam Symplegades elisissent.

Euripides, *in Prologo Medeae*:

Εἴθ᾽ ὤφελ᾽ Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
Κόλχων ἐς αἶαν κυανέας Συμπληγάδας.

Ubi *Scholiastes*: Τὰς περὶ τὸ στόμα τοῦ Πόντου λέγει, αἱ δὲ ἀπαντῶν τῇ ὄψει δοκοῦσιν εἰσιέναι κατὰ φέρεσθαι. Eratosthenes Συνορμάδας vocavit, *Isacio* teste, ut Latini *Concurrentia saxa.* Alii Συνδρομάδας dixêrunt. Unde Val. Flacc. *l.* 1. *v.* 59.

——— Certus Scythico concurrere Ponto
Cyaneas ———

Est etiam *Symplegas* sing. numero. Lucan. *l.* 2. *v.* 715.

Ut Pagasaea ratis peteret cùm Phasidos undas,
Cyaneas tellus emisit in aequora cautes,
Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
Vacuique percussit Pontum Symplegas inanem.

Seneca Tragoedus, *in Hercule Insano, Actu* 5. *v.* 1211.

——— Illaque Pontum Scythen
Symplegas arctat. ———

Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 100. *v.* 5.

Si constringantur geminâ Symplegade culi,

Vide *Cyaneae. Nic. Lloydius.*

SYMPLEGMA, Graece Σύμπλεγμα, inter opera Cephissodori, Praxitele geniti, ex marmore, celebratur Plin. *l.* 36. *c.* 5. *Ejus laudatum est Pergami* symplegma, *digitis corpori veriùs, quam marmori, impressis.* Complexus erat duorum puellorum, mutuò sese osculantium; vel duorum colluctantium, quale illud *Heliodori* paulo infrà: *Pana & Olympum luctantes, eôdem locô Heliodorus fecit, quod est alterum in terris* symplegma *nobile.* Certè συμπλοκαὶ, Pancratiastarum nexus, humi explicandi & implicandi ab illis, quasi cadentibus jacentibusque, propriè: unde, qui hâc arte valebant, Κυλιστικοὶ dicti sunt, uti docet Salmas. ad *Solin. p.* 290. Vide etiam suprà non unô locô. Alia notio vocis apud Arnob. *l.* 7. *Mimis nimirum Dii gaudent .... quorum* symplegmatibus *plurimis intermixtos se esse, in derisionis materiam, norunt.* Ubi mimorum strophas sic appellari, existimat Heraldus.

SYMPOSIARCHA, quem alii *Regem*, alii *Magistrum convivii*, Varro *Modimperatorem*, Festus *Tapullam* appellat, sorte olim eligebatur. Plut. in *Apoph. Laconic. Cùm Agesilaus Rex sorte factus fuisset.* Tacit. *Annal. l.* 13. *c.* 15. *Festis Saturno diebus, inter alia aequalium ludicra, regnum lusu sortientium.* Horat. *l.* 1. *Od.* 4. *v.* 17.

——— Quò simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis,

Idem, *l.* 2. Od. 7. *v.* 25.

——— Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi?

Nonnunquam tamen solâ corollae impositione, citra sortem, constituebatur, Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 30. Praefigebat autem is leges convivales. Unde Cicer. *in Verrem, Iste enim Praetor severus ac diligens, qui Populi Rom. legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus, quae in poculis ponebantur, obtemperat.* Nempe epulandi modum constituebat, cyathos ebibendos praescribebat, neque pincernae licebat, ulli convivae potum subministrare, nisi ex praescripto *Symposiarchae*, qui ob id ipsum, quòd *modum imperaret*, dictus est *Modimperator*, ut suprà suô locô vidimus. Hinc pro *Symposiarchae* genio, modò modestiae litatum est: Qualiter, Agesilaum *à pincerna rogatum, quantum vini unicuique daret? Si parum est vini, omnibus aequaliter; si abundè, quantum unicuique libet respondisse*, legimus apud Plut. *ubi suprà.* Modò intemperantiae, cùm nempe is juberet, sicut apud Laërtium *c.* 8. extat, πίνειν ἢ καταχεῖσθαι τῆς κεφαλῆς. Et meminit istiusmodi Magisteriorum, quae & *Regna vini* dicta, Cato apud Ciceronem *de Senect.* ut & alii complures: Plutarchus verò, qualis *Symposiarcha* eligi & qualem is se praebere debeat, pluribus exequitur *Symposiac. l.* 1. *quaest.* 4. Vide quoque suprà in voce *Magister* & *alibi.*

SYMPULUM, & *Sympuvium*, vide quoque suprà *Simpulum* & *Simpuvium.*

SYMUS, mons Armeniae majoris, ex quo Araxes fluv. manat. Cujus meminit Orph. *in Argon.*

SYNAGOGA, à Graeca voce συνάγω, i. e. *congrego, colligo*, Hebr. בית הכנסת *Beth Hacneseth*, i. e. *domus congregationis*, de Christianorum quidem coetibus interdum usurpatur, ut Jacob. *c.* 2. *v.* 2. Hebr. *c.* 10. *v.* 25. propriè tamen Judaeorum conventibus haesit. De iis agi quibusdam, licet parum certò, videtur Psalm. 74. *v.* 4. 8. *Rugierunt hostes tui in medio* מועדך *loci condicti tui. Cremârunt omnes* מועדי אל *Synagogas Dei in terra.* Cùm autem Deus in iis non habitaret, ut in Templo, nec universus ac praecipuus cultus in illis peragеretur, sed partes tantùm ejus quaedam, ut *Preces, Lectio, Scripturae* &c. hinc nullam peculiarem sanctitatem habebant, non magis quàm nostrae aedes sacrae. Primae earum originis nullum certum indicium extat, nisi circa Ezrae & Nehemiae tempora: de quibus intelligi potest locus Actor. *c.* 15. *v.* 21. *Moses, ab aetatibus antiquis, oppidatim habet, qui ipsum praedicent, quùm in* Synagogis *per singula Sabbatha legatur.* Tum enim non solùm septennalis Legis lectio, praescripta Deuteron. *c.* 31. *v.* 11. quae in desuetudinem venerat, 2. Regum *c.* 22. *v.* 8. repetita, sed & Sabbatica introducta, ac Oratoria extructa sunt, tum ad sacram lectionem, tum ad preces peragendas. Unde & *Proseuchae* dictae, quae nonnullis eaedem cum *Synagogis* fuisse videntur, ex Actor. *c.* 16. *v.* 13. Vide suprà ubi de *Proseuchis.* Habebant verò singulae *Synagogae* duo Auditoria; in quorum altero Scriptura, altero traditiones, docebantur: erantque ipsae mediô septô divisae, ac unô latere viri, alterô foeminae adsidebant. Singulis praeerat Ἀρχισυνάγωγος, cui subordinabatur *Synagogae Minister*; ac docebant in eis Scribae; ut & ipse Christus, Lucae *c.* 4. *v.* 15. & *seqq.* ac post illum Apostoli, Actor. *c.* 13. *v.* 14. 16. & *c.* 16. *v.* 13. Quibus *Synagogae* minister modò memoratus, Hebr. שליח צבור *Scheliach Tsibbur*, codicem sacrum porrigere, & post Textum praelectum, ab iisdem recipere solebat, ut colligere est ex Lucae *c.* 4. *v.* 20. Numerus earum tantus, ut solis Hierosolymis ad 460. vel 480. à Talmudicis numerentur: & speciatim in monte *Zion* septem fuisse dicantur. Quarum plurimae pro indigenis, quaedam etiam pro peregrinis, fuêre. Unde *Libertinorum Synagogae* mentio fit, Actor. *c.* 6. *v.* 9. qui an à *libertate* seu ingenuitate natalium: an à voce *Lubar*, i. e. *Excelsum?* dicti videntur; Non enim Templum solùm, sed & *Synagogas* ac Scholas Judaeorum in sublimi conditas fuisse, discimus, ex Proverb. *c.* 1. *v.* 21. *in summo* (Sapientia) *clamat*: quibus verbis huc alludi Eruditorum quibusdam

dam placet. Sed & extra Hierosolymam, ipsamque Terram sanctam, ubicunque Judæi degerent, eæ quoque fuêre frequentissimæ. *Obivit totam Galilæam Jesus, docens in* Synagogis *eorum*, Matthæi, c. 4. v. 23. *Et statim in* Synagogis *Damasci prædicavit Paulus Christum*, Actor. c. 9. v. 2. Sic *Synagogæ* Salaminiæ. Act. c. 13. v. 5. Antiochenæ eod. c. v. 14. mentio fit. Imò traditio Hebræorum est, ubicunque decem ex Israële virorum cœtus esset, ibi *Synagogam* construi fuisse solitam, Maimon *in Tephilla c. 11. sect.* 1. Supra portam *Synagogarum* scriptum erat, ex Psalmo 118. *v.* 20. *Hæc ipsa porta ad Jehovam, per quam justi intrant.* In parietibus legebatur, *Memento Creatoris tui, & humili animô ingredere domum Domini Dei tui.* Item, *Oratio absque attentione, corpus est sine anima.* Item, *Silentiô, cùm oramus, opus est*, &c. Connexæ *Synagogis* Scholæ erant sive Collegia sublimiori legis studio dicata; quæ בית המדרש *Beth hammidrasch*, à subtiliori inquisitione dicebantur. Hæc enim à *Synagogis* fuisse diversa, patet ex Actor. *c.* 19. *v.* 8. 9. ubi Paulus, relictâ *Synagogâ*, in qua integrum trimestre docuerat, in Scholam cujusdam Tyranni, cum discipulis suis transiisse legitur: & ex illo Hebræorum, *A Synagoga in Scholam, non verò è Schola in Synagogam transire licet.* Maimon, *loco cit. sect.* 14. Vide quoque suprà ubi de *Scholis*, de quibus, quantum ad Judæos, hoc solùm addam. Post Urbis per Titum Vespasianum excidium, multi nihilominus in terra Israëlis passim Viri docti remanserunt, fueruntque reliquiæ Judæorum partim in Babyloniam rejectæ, partim manserunt in Palæstina, seu terra S. ubi in locis & Urbibus commodioribus Scholas & Ecclesias paulatim restaurârunt. Inter quas, quæ Sapientum aliquot nominibus celebriores redditæ, referuntur in Hebræorum scriptis *Jafne* seu Joppe, ubi primus Rector fuit Rabban Jochanan fil. Zachæi: cui successit Rabban Gamaliel secundus, Rabban Gamalielis senis, Pauli Apost. præceptoris, filius: Zephoria, quam cum Tiberiade antiquâ quidam eandem faciunt: Cæsarea, ubi *Rabbi Ashu* habitabat & Tiberias; ubi Rabbi Jehuda sanctus, sub Antonino Imperator. celebris fuit, quem & Imperator largissimâ clementiâ summôque favore prosecutus est. Hunc A.C. 190. collectis omnium superiorum Rabbinorum Placitis & Constitutionibus in certos quosdam Aphorismos, iisque certis libris ac partibus distinctos, Librum edidisse משנה quasi *Legum iteratam* vel *secundam* dictum, tradunt Hebræi. Qui liber deinceps in Scholis Judæorum publicè prælectus & variis Doctorum disputationibus illustratus atque auctus, circa A.C. 230. in *Talmud* Hierosolymitanum. ex his omnibus in unum conjunctis concinnatum, excrevit ac etiamnum Textum Juris Judaici constituit. Quô publicatô, cùm obiisset Rabbi Jehuda, animam penè omnes Scholæ in terra Israëlis cum ipso exhalârunt. Ilico enim, post ejus excessum, aut paulo pòst, duo primarii ejus discipuli, *Raf* & Samuel, in Babyloniam migrârunt, ubi studia cœperunt esse longè cultiora eoque maximam partem Doctorum Discipulorumque è Judæa secum pertraxerunt. Tres autem in Babylonia celeberrimæ fuêre, *Naardensis*, ab urbe Nahardea, ad ripam Euphratis sita: *Sorana*, à Sora, & *Pumbedithana*, à Pumbeditha Urbe, itidem ad Euphratem posita, appellatæ: de quibus, earumque præcipuis Rectoribus ac Doctoribus, vide *Chronica* Hebræorum quæ continuant usque ad A. C. 1037. quô Scholæ Babylonicæ prorsus fuerunt abolitæ, Sapientibus in Hispaniam aliasque Europæ partes profugis, ut testatur R. Abraham *in Kabala, fol.* 32. *col.* 4. Nihilominus post præfatum Rabbi Judam & scholarum in Babyloniam translationem, aliquos tamen adhuc in Palæstina Sapientes remansisse, docent *Rabbi Ammi* & *Rabbi Assi*, qui circa A. C. 300. in terra Israëlis floruêre: Item *Hillel Hannasi*, qui novum computum, quem hodieque Judæi universi sequuntur, confecit, vixitque A C. 340. Sed sub eo dignitas Promotionum Magistralium desiit; neque post hunc Hillelem quidquam ampliùs de Scholis Palæstinæ Chronica prædicta referunt, Joh. Buxtorfius *Comment. Masoreth. c.* 5. 6. 7. Plura de Judæorum *Synagogis* suggerent, Franc. Burmannus *Synopsi Theol. Chr. Tom.* I. *l.* 4. *c.* 16. & Thom. Godwynus *de Ritibus Hebræor. l.* 2. *c.* 2. quarum recentiori ævô celebris inprimis fuit *Spelunca Matronæ*, de quâ suprà aliquid. Addam hoc unum, videl. Templi positionem, tam ante ejusdem excidium, quàm post, *Synagogas* quoque & Proseuchas Judæorum fuisse imitatas. Unde sicut in Templo introitus erat à parte Orientali, hacque ingredientes, in Occidentem versi, preces ac sacra peragebant: sic de *Synagogis* Majemonides, *Non fieri debent ostia* Synagogæ *alibi atque in Orientem* &c. apud Jo. Seldenum *de Synedriis veter. Hebr. l.* 3. *c.* 16. §. 1. Romæ hodie, & in tota ditione Romana, quamlibet *Synagogam*, decem aurea scuta solvere quotannis, ad sustentationem domus Catechumenorum urbis, notat Car. Macer. *Hierolex.*

SYNAGOGA Magna, i. e. *Concilium magnum*, seu *Senatus Ecclesiasticus magnus*, Hebræis אנשי כנסת הגדולה, dictum his fuit Concilium, ab Ezra Sacerdote ejus Præside, post exilium Babylonicum, Hierosolymæ congregatum, cujus ope & auxiliô is Ecclesiam Judaicam universam restauravit, & à multis corruptelis, erroribus ac vitiis in Babylonia attractis, repurgavit ac reformavit. Quam reformationem absolutissimam & omnibus seculis memorandam tantopere spirant libri Esræ & Nehemiæ Historici, Haggæi, Zachariæ & Malachiæ Prophetici. Hoc autem officii Ezræ ex Babylonia Hierosolymam abeunti, ex gratia Dei & auctoritate Artaxerxis Regis demandatum fuisse, patet ex diplomate regio, cum quo ipsum Rex ablegâsse legitur, Ezræ c. 7. Cui non longè post, Nehemias additus, magnô animi fervore opus promovit: qui ambo alios ex sapientioribus & primoribus Populi sibi adjunxêre, ut integrum Concilium numerum compleret 120. Virorum, cujus frequentissima & laudatissima passim apud Hebr. Scriptores memoria est. Hinc in *Thalmud Hierosolym. l. Megilla c.* 3. *Quando exsurrexerunt Viri Synagogæ magnæ, illi restituerunt magnificentiam in pristinum statum*, i. e. *coronam Legis, cujus magnificentiâ nulla alia major est*, in Targ. Cant. c. 7. v. 2. S. Scripturam videl. à Pseudoprophetarum falsis libris omnibusque corruptelis repurgando. Eorum 12. principes viros commemorat Abarbinel Præf. in lib. אבות נחלת his verbis: *Catalogus virorum Concilii magni, sunt Haggæus Propheta, Zacharias Propheta, Malachias Propheta, Sorobabel filius Schealtielis, Mordechai Bilschan, Esra Sacerdos & Scriba, Jeschua fil. Jehotzedeck Sacerdotis, Seraja, Realia, Mispar Bigvæus, Rachum, Baana, Nechemia filius Chachilia, Hi sunt* 12. *Primores nominibus suis expressis, qui ex Babylonia Hierosolymam ascenderunt*, Abraham verò Ben David *Kabal. Histor.* scribit, *Josua tradidit eam* (Legem) *Senioribus tradidêrunt eam Prophetis, Prophetæ tradidêrunt eam alter alteri, per continuas generationes usque ad Haggæum, Zachariam & Malachiam: qui tradiderunt eam viris Concilii magni, qui fuerunt, Sorobabel, & qui cum eo venerunt, Jeschua, Nehemia* &c. Ubi tres isti Prophetæ in numero virorum Concilii non ponuntur, non tamen ab iis planè separantur, quòd per ipsos Legis doctrina & propagatio viris Concilii mandata sit. Danielem quoque alii addunt: ultimus hujus Synodi Simeon Justus, qui Alexandro M. obviam ivit, aliô nomine *Jaddus* dictus: quæ historia cùm contigerit, juxta Hebræos, annô 40. ab extructo Templo secundo, colligitur ultra quadraginta annos *Synagogæ M.* Viros supervixisse. Caput & Præses Synodi Ezra fuit, de quo Hebræi. *Dignus erat Ezra, quod data fuisset Lex per manus ejus Israeli, si non præcessisset eum Moses*, Talmud *Sanhedrin*, c. 2. *f.* 21. Unde reformationem prædictam, à primario ejus auctore, *Ezraiticam* appellat Burmannus, *Synopsi Theol. Tom.* I. *l.* 4 *c.* 37. Is itaque de Ecclesia reformanda solicitus, officia Ecclesiastica distribuit, Sacrificia instituit, vasa usibus divinis destinata consecravit, festa solennia celebravit, jejunia & pœnitentiam indixit, Populum à conjugiis alienigenarum repurgavit, impuros hypocritasque Cuthæos seu Samaritanos rejecit, consuetudini plures uxores ducendi & legitimè junctas, leviculas ob causas, repudiandi, longâ seculorum serie inveteratæ, se opposuit omniaque ad præscriptum divinæ Legis componere tentavit, ut verò Lex ipsa hæc totaque S. Scriptura genuina, integra & incorrupta in populo Dei extaret, & quidquid labis per diuturnæ captivitatis difficultates in eam invectum videri poterat, tolleretur, convocatâ Synodô, primariò de illa cognovit, ac Mosaicos, Propheticos aliosque libros divinos definiendo, & quidquid heterogeneorum scriptorum irrepserat, rejiciendo, Canonem librorum V. T. condidit: nec satis habuit, illum tradidisse Ecclesiæ, sed & modum eundem dilucidè legendi & exponendi præscripsit. Nempe non solùm septennalem legis Lectionem, in Deuteronomio præscriptam restituit, sed & Sabbaticam introduxit, effecitque, ut in Synagoga prælegeretur primò textus libri Legis Hebraicè, distinctè & intelligenter juxta pausas; deinde explanaretur linguâ Chaldaicâ, quæ tunc erat Populo vulgaris, ex Babylonia allata. Libros porrò sacros partitus est in tres classes, *Legem, Prophetas* & *Hagiographa*, quam divisionem tempore CHRISTI etiam obtinuisse, colligitur ex Lucæ *c.* 24. *v.* 44. Ipsas dein has tres partes in alias subdivisit, libris etiam aliô atque aliô ordine collocatis. Et quidem Lex subdivisa est, in libros 5. qui nobis dicuntur, *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomion.* Prophetæ *in priores*, quorum quatuor numerati, qui librorum *Josuæ, Judicum, Samuelis* & *Regum*, titulô nominantur: & *posteriores*, itidem quatuor, *Jesajas, Jeremias, Ezechiel*, & XII. *minores*, qui postremi, ne parvitate suâ distraherentur, in unum conjuncti sunt librum, unde, quod ex Amos *c.* 5. *v.* 25. citatur in Actis Apostol. *c.* 7. *v.* 42. dicitur *scriptum esse in libro Prophetarum.* Hagiographa omnes reliqui libri dicti sunt, atque sic Libri Biblici in universum computati 22. juxta numerum literarum Hebraicarum; vel 24. prout Doctores Talmudici eos numerant, unde in hunc usque diem עשרים וארבעה *Viginti quatuor*, Biblia appellantur. Hôc factô, Textus in sectiones & versus fuit distinctus, adhibitis notis סוף פסוק, quòd ibi cujusque versus finis esset. Cura dein adhibita, ut voces juxta nativam originis suæ proprietatem essent scriptæ, atque unà cum vocalibus atque accentibus ritè legerentur ac proferrentur: Imò his non contenti Viri illi Sapientes, literas, voces & versus in singulis libris numerârunt, ut sciretur, quæ litera, quæ vox, qui versus in singulis libris medium occuparet; quæ vox, non nisi semel occurreret: & idcirco errorem aut corruptionem aliquam facile admitteret: quæ voces sæpius, & quoties sub hac vel illa forma legerentur & hujusmodi infinita alia circa Textus Sacri explicationem, tradiderunt, ut sic eum quasi sepe munirent, & à corruptione omni præservarent. A' qua officii parte *Sopherim*, i. e. *Numeratores* dicti sunt: Sicut eidem ab antiquitate & præstantia ab Hebræis vocantur ראשונים, *Primi, Prisci, Antiqui.* Notas tandem Criticas קרי & כתיב secundùm quosdam, seu *diversas lectiones* addiderunt: qui omnis, circa S. Scripturæ textum, impensus labor *Masora* vulgò, Auctoresque ejus *Masorethæ* nuncupantur. Vide plura apud Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebræor. l.* 6. *c.* 7. Franc. Burmannum, *loc. cit.* inprimis verò Joh. Buxtorfium *Commentario Masorethico*, *c.* 10. & *seqq.* suprà quoque aliquid voce *Masora.*

SYNANGUS, urbs Phœnicum. *Steph.*

SYNAPTA, Græcè Συναπτὴ, preces dicuntur, quæ in Græcorum Missa pro salute Patriarchæ, & Imperatoris olim recitari solebant, Dominic. Macer *in Hierolex.* Sic autem dictæ sunt, quòd variæ precationum formulæ *connecterentur* & simul à Diacono pronuntiarentur; erantque duplices, τῶν εἰρηνικῶν, *precum pro pace* & τῶν αἰτήσεων, *petitionum.* Priores rursus duæ, ἡ μεγάλη συναπτὴ, in qua ad finem singulorum versuum populus respondebat. Κύριε ἐλέησον, *Domine miserere*; ad penultimum, Σοὶ Κύριε, *Tibi Domine*, ad ultimum, Ἀμήν, *Amen.* Et ἡ μικρὰ συναπτὴ, in qua ad priores duos versus, Κύριε ἐλέησον, ad reliquos, uti in altera Populus respondebat. In *Synapte* verò *petitionum*, ad singulos versus respondebat populus, Παράσχου Κύριε, exceptis penultimô & ultimô, ubi eadem erat responsio, quæ suprà. Exempla habes apud Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* in hac voce. Vide quoque suprà *Collecta.*

SYNAUS, *Ptol. Sinau* vel *Sinau Leuncl.* urbs Phrygiæ magnæ,

propè

prope Sangarium fluv. in limite Bithiniæ, 40. mill. pass. à Nicæa in Ortum, Pessinuntem versus 120.

SYNAXIS, Græcè Σύναξις, apud Græcos Patres, variosque medii ævi Scriptores Latinos, inter quos vide Cassiodor. *l.* 4. *c.* 16. participationem divinæ Eucharistiæ seu Communionem corporis & sanguinis Domini notat, præeunte Scripturâ, Actor. c. 20. v. 7. 1. Corinth. c. 11. v. 20, 26, 27, 33. Aliter Σύναξις Græcis, Latinis eôdem sensu *Conventus* quoque & *Collecta*. Inde vox translata, ad Conventum seu Congregationem Monachorum, orationis & psalmodiæ ergô, coëuntium: item ad Cursum seu Officium Ecclesiasticum, significandum, uti videre est apud Car. du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolex.* Hinc *Synaxaria*, Ecclesiastici Græcorum libri nomen, in quo vitæ Sanctorum & Martyrum in compendium redactæ & succincta expositio habetur solennitatis, de qua agitur, Xanthopulô auctore: Vide Cl. Suicerum in hac voce. Sed & detestanda ac incesta sua convivia veteres Hæreticos, *Christianæ cœnæ* & *Synaxeos* nomine, insigniviſſe, ex Patribus scriptoribusque aliis notum, uti docet Geverh. Elmenhorst. *ad Minutium Fel.* ut diximus suprà, voce *Infanticidium*.

SYNCELLUS, apud Græcos quis dictus sit, in Ecclesia Constantinopol. hisce exponit Zonaras, *Annalium Tom* 3. ubi, de Constantino Monomacho agens, *Scriphis* apud Turcas dignitatem explicat: verbis Interpretis, *Hic autem apud illos est, quod olim erat apud nos ille, qui Syncellus dicebatur. Nam ut* Syncellus, *mortuô Patriarchâ, in ejus locum subſtituebatur: Ita & Scriphes, mortuô Chalifâ, defuncto successit.* Sic Joannes Cappadox Timotheo, Epiphanius quidam Joanni, alii Nicephoro in *Chronol.* recensitis aliis, *Syncelli* Patriarchis, successerunt. Sed & longè plures Patriarchas fuisse constat, qui *Syncellatus* munere priùs nunquam erant functi. Itaque probabilius judicant alii, *Syncellos* primùm datos esse Patriarchis, ut & cæteris Episcopis, qui essent vitæ eorum testes, cubiculo & secretioribus quibuslibet obsequiis adsisterent, vigilantes, orantes, sacra eloquia scrutantes jugiter attenderent, ut est in Synod. Ticinensi A. C. 850. *can.* 1. Certè Ignatius Episcopus in *Vita* S. Tarasii Patriarchæ *n.* 36. ei ab Imperatore adhibitos custodes tradit, qui, sub *Syncellorum* nomine ac dignitate, eum diligenter observarent, viderentque, ne iis inconsultis ageret quidquam. Unde *Oculum Patriarchæ* Syncellum vocat Theodosius Patriarcha Hierosolymitan. quia nempe vitæ Patriarchæ invigilabat. Quô fine in eadem cum Patriarcha *cella* habitabat, unde nomen, Latini *Cellulanum* vocaverunt: quem in Ecclesia Constantinopolitana præcipuum & honoratissimum obtinuisse locum, statim ab instaurata urbe, testantur Cedrenus & Zonaras *ad ann.* 24. *Theodosii Jun.* & Victor Tunuensis *in Anastasio*. Unde in Conventibus publicis ante Metropolitas sedebant, usque ad Constantini principatum, Jo. Curopalates in Constantinop. &c. Postmodum invaluit, ut qui *Syncelli Patriarcharum*, vel *Episcoporum*, erant & dicebantur, *Syncelli Ecclesiarum* appellarentur: transiitque progressu temporis munus in dignitatem Ecclesiasticam, quorum numerum ad binos auxit Heraclius; ad plures cæteri dein Imperatores, qui iis denique *Proto-Syncellum* præfecerunt. Præterea *Syncelli* dignitas ab Imperatorib. Constantinopolit. Episcopis & Archiepiscopis titulo tenus attributa est, præsertim Archiepiscopis Tranensibus Joanni, & Byzantio, qui *Pontificales & Augustales Syncelli* vocantur, apud Anonymum Autorem *Vitæ S. Lucii Episc. Brundusini. Præfat.* apud Bolandum, *Tom. I. Jan.* &c. Sed & cæteris in Patriarchis suos fuisse *Syncellos*, colligitur ex Synodo Nicæna II. Synodo Chalcedonensi *Act.* 1. ex Niceta, in *Vita* Ignatii Patriarchæ Constantinopolit. Aliis. Unde Σύγκελλος Ἀποστολικοῦ Θρόνου, i. e. Ecclesiæ Hierosolymitanæ, dicitur Michaël Presbyter apud Theodorum Abucaram, *Ep.* 4. Imò & Romanis Episcopis, auctore Luciô I. qui *præcepit, ut duo Presbyteri & tres Diacones in omni loco Episcopum non desererent, propter testimonium Ecclesiasticum*, uti habet Liber Pontifical. Damasi Pontif. *in Lucio*. Hinc Augustino, Anglorum Apostol. à Leone Papa hunc titulum tributum legimus, *Ep.* ad Kenulphum Merciorum Regem, apud Wilh. Malmesburiensem *de Gestis Reg. Angl. lib.* c. 4. Postmodum tamen apud eos vel officium hoc, vel saltem appellationem, desiisse par est credere, cùm de iis fere sileant cæteri Ecclesiæ Romanæ Scriptores. Affinis significatio vocis *Syncellita* est, quô nomine Monachum, in eadem *cella*, i. e. Monasterio, habitantem, aliàs *Concellaneum* dictum: aliquandô Monachum in genere, indigitari, docet Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque Macros Fratres *in Hierolex.* & suprà in voce *Cella* ac infrà *Testimoniales*.

SYNCELLUS, quô nomine communiter venit Georgius Monachus, Syncellus Tarasii Patriarch. Constantinopol. *Chronographiam* scripsit A.C. 1652. primùm editam, in qua Dynastias Ægypti (inter alia) ex Africani Eusebiique calculo recenset: atque inde Scaliger, quæ de Dynastiis Ægypti habet *Can. Isagog. l.* 2. transcripsit. Quidquid certè supellectilis hodie superest, ad instaurandas Ægyptiorum origines, id fere totum debetur Syncello: neque tanti sunt momenti, quæ Herodotus omnium primus, aut illum secutus Diodorus, de Regibus Ægypti tradiderunt. Idem memorant Antiquitatum Ægypti auctores: tres Ethnicos, *Vetus Chronicon*, *Manethonem* ac *Eratosthenem* & totidem Christianos, *Africanum*, *Eusebium* atque ipsum *Georgium*, Joh. Marshamus, ἐν τῷ παραινετικῷ *Canonis Chronici*, *p.* 1. Vide quoque eum, *p.* 7. ubi quid in illo probandum, quid reprehensione dignum, candidè exponit.

SYNCLETICUS, apud Baronium, *Not. ad Martyrolog.* 5. *Januar.* ex Græco Συγκλητικὸς, an nomen proprium sit, an nomen dignitatis, non adeò liquet. Senatorem certè hâc voce vocari in illo, *Syncleticum amisisti & Monachum non fecisti*: dictô in Senatorem quendam, qui relicta Senatoriâ dignitate, Monachismum amplexus fuerat, ait Dominic. Macer, *Hierolex.*

SYNDEROVIA, urbs Serviæ munitissima, Georgio Despotæ socero erepta, ab Amurathe Turcarum Imperatore A. C. 1439. Laonic. *l.* 10. Leunclavius *Hist. Turc.*

SYNDICUS, urbs contigua Scythiæ cum portu. Aliqui *Gorgippia* vocant. *Steph.*

SYNDICUS, Græcè Σύνδικος, defensor Civitatis vel Reip. qui ad certam causam agendam vel defendendam eligebatur olim dictus est: ut notat Arcadius, *l. de muneribus civil.* Hinc. *defensio civitatis est*, inquit Hermogenianus, *l.* 1. *Epitom. ut Syndicus fuit.* Meminit & *Harpocration*, è quo constat, post exactos triginta Tyrannos, id munus Athenis esse institutum. De iis Lex, *Ne cui Syndico iterum fieri liceret crearique à Populo*: Cujus ratio fuit, ne id munus ob publicam utilitatem inventum, verteretur in quæstum compendiumque privatum. Demosth. *contra Leptin.* Ulpianus, ἐπὶ τοῦ ἐν ἀρχῇ ... ἐξῆν, μὴ δίς ... συνδικεῖν ... ἵνα μὴ διὰ τὸ ... Idem quoque docet Paulus, *l.* 1. *sentent.* *Defensionem Reipubl. amplius quàm semel, suscipere nemo cogitur*, *l.* 14. §. 3. *D. de muneribus & honor.* Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 3. *tit.* 2. Sed & *Syndicus* dignitatis nomen est apud Burdegalenses Aquitanos, apud quos occurrunt Nobiles quidam *Soudics* appellati, cum adjectione castri nominis, quos ordini Comitum, Vicecomitum & Baronum accenset *Jus municipale* Burdigalense. Et quidem duo inprimis eâ nomenclaturâ Proceres insigniri consuevêre. *Soldicus*, scil. *de l'Estrade* & *Soldicus de la Trau*, qui hanc fortè in iis castris primitus *Syndicorum* dignitatem obtinuêre, quæ dein hæreditaria facta ad posteros transiit. Defensorum enim & *Syndicorum* civitatis amplam fuisse auctoritatem & jurisdictionem, docet Guido Pancirolus, *l. de Magistratibus municip. c.* 9. & Raimund. Montanerius *in Chron. Regum Aragon. c.* 185 laudati Carolo du Fresne *Glossar.* ubi *Soldicis de l'Estrade* veterem armorum librum pro insignibus designare *leonem muniatum in area aurea* addit.

SYNDROMADES Insul. vide *Symplegades*.

SYNEDRI Dii, Græcè Σύνεδροι, dicti sunt Dii ex hominibus facti qui aliàs σύνθρονοι, πάρεδροι, & Latini *Consentes*, quòd quasi assessores cæterorum Deorum futuri, eorum synodo seu collegio adscriberentur, de quibus pluribus agit Salmas. *ad Spartian. in Hadriano*, c. 14. & nos quædam diximus in voce *Paredri*. Vide quoque in voce *Synodus*.

SYNEDRIUM, nomen domus Judicii, apud Hebræos. Ordinariæ enim Præfecturæ Juridicæ, quibus suberant Judæi tum Originarii, tum Proselyti Justitiæ, בית דינים *Domus judiciorum*, dictæ sunt, quarum eminentiores nomine plur. *Sanhedrim*: singulare etiam *Sanhedrin* & per apocopen *Sanhedri* denotari: sicut obscuriores *domus judiciorum Trium virorum*, nuncupari consuevêre. Sed verò tam hæ, quàm illæ, aliæque pariter ejusmodi non ita vulgò eis dictæ, τὸ *Sanhedri* nomen æquè merebantur. Domus enim judicii quælibet, cujus Collegæ essent plures, iique, ut in Judiciis fit, considentes revera pariter erat *Sanhedrin*, i. e. *Consessus* sic dictus, à Græco Συνέδριον, in Rabbinismum adeoque Hebraismum, cum plurimis istiusmodi aliis, antiquitus recepto. Usitatissimum autem fuisse Græcis vocabulum συνέδριον, atque eadem in notione, elicitur è Scævola, *l. ult. D. tit. de decr. ab Ord. fac.* ubi obiter è Municipali aliqua lege id, ut nomen admodum receptum, memoratur: Et Συνέδριον ἐν Σμύρνῃ γεγονὸς habetur in marmore veteri, apud Seldenum. Hæ eminentiores itaque Præfecturæ, *Synedriorum* nomine venientes, fuêre *Sanhedri Haggedola*, i. e. *Synedrium Magnum* seu *Beth din Haggadol*, i. e. *Domus Judicii Magna*, illa unica & illustrissima; ac complura Synedria Minora, & *Sanhedrioth Haketanne*, quod nomen sortiebantur, respectu *Synedrii* illius Magni, per excellentiam sic appellati. Cujus origo & institutio apertè cernitur in historia sacra, ubi Moses gubernationis in rebus difficilioribus summæ unus, tum ob pervicaciam Populi, tum ob juris jam nuper inducti quæstiones multiplices, sibi grave nimis sentiens, sublevari à Deo petiit; qui mox annuens, *Congrega mihi*, respondit, *septuaginta Viros de Presbyteris seu Senioribus Israel, quos tu nosti esse Seniores seu Presbyteros populi & Præfectos seu Magistros* (Græcis heic ut & alibi Γραμματεῖς) *eorum & duces eos ad Tabernaculum testimonii facies-que ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi & (separabo) accipiam de Spiritu, qui super te est, & ponam super eos, ut sustentent tecum onus populi, nec tu solus ferre cogaris*, Numeror. c. 11. v. 14. Ubi, quòd dicitur, *tecum*, docemur, illorum fuisse LXX. præter Mosen: unde post ejus obitum in ejus locum semper elegêre Israëlitæ quendam, velut *Synedrii caput*, quem LXX. illis Judicibus non adnumeratum vocavêre, *Nasi*, i. e. *Principem seu Caput*, Reliqui septuaginta è qualibet Tribu seni, è tribu verò Levi quaterni fuerunt, ut discimus ex Franc Junio, *Analyt. Exposit. Num.* c. 11. Alii, inter quos Salomon Jarchi, eos hôc modô eligi consuevisse, contendunt: Seni, è quaque Tribu, scribebant nomen suum quisque, in schedula suâ: à quibus septuaginta habebant inscriptam vocem *Zaken*, i. e. *Senex seu Presbyter*; reliquæ duæ, *Chelek* i. e. *Pars*. Quibus omnibus in eandem conjectis urnam, qui schedulam *Zaken* extrahebant, inter Judices allegabantur, reliquis duobus rejectis, Numeror. c. 11. v. 26. Qui verò inter septuginta hos ætate anteibat, vocabatur *Ab beth din*, i. e. *Pater domus Judicum*. Sedebant autem in Judicio ita, ut toto consessu semicirculum referente *Nasi* in medio, editiorem sedem occupans, Judices circum se undique haberet, adque dextram ejus proximè Pater *Synedrii* esset. Locus *Synedrii* Hierosolyma erat & quidem sola, in qua extra Atrium Templi, certa quædam domus, quam Hebræi appellare solebant *Liscath hagazith*, Græci λιθόστρωτον, ei erat destinata, cujus mentionem facit Joh. c. 19. v. 13. Et quidem in eo continuavit *Synedrium M.* sub Templis primo & secundo; hôc verò à Romanis exciso, migravit illud primò Jabnen seu Jamniam. Licet enim sub Romanis permissum esset Judæis Hierosolymæ *Synedrium M.* eique in loco consueto seu *Liscath hagazith*, judicia etiam capitalia exercere fuisset concessum; Tamen sub annum ante Templi excidium quadragesimum, ob Sicariorum frequentiam, qui sæpius Præsidis favore aliterve tuti, etiam *Synedrii* judiciô subinde eripiebantur, visum est, è loco judiciis hujusmodi adeò proprio, ut alibi ritè exerceri ab iis nequirent, migrare locum in alium, ibique sedes ponere ob causas suprà dictas, voce *Lithostrotus*.

In Tabernas igitur primò migrârunt, seu locum illum *Hanoth* seu *Chanoth* appellatum; dein in alias Urbis ædes, prout Principi placuit, aut commodius visum est. Donec Templô, ut dictum, excitô, & Hierosolymis dirutis, extra Urbem facta migratio est, Principe *Jochanan Ben-Zacai*, in Jabniam urbem: inde in Usham Principe Rabban Gamaliele I. & demum in Urbes cæteras, temporibus Principum qui usque ad ejusdem finem, juxta eorum seriem, in *Catena Cabal.* exhibentur. Auctoritas *Synedrii* hujus omninò magna fuit, unde ad illud à minoribus Synedriis provocare licebat, ab illo verò ulteriùs non concedebatur appellatio. Prætereà, cùm *Tribus integra*, cùm *Sacerdos summus*, cùm *Pseudopropheta* judicandi erant, non aliò res spectabat: neque à minoribus Consessibus aliæ gravioris momenti causæ decidebantur. Unde Hierosolymam SERVATOR noster alloquens, *Hierusalem, Hierusalem*, inquit, *quæ trucidas Prophetas*, Lucæ *c.* 13. *v.* 34. Etiam Interregni tempore, *cùm neque Judex neque Rex esset in Israële*, ut aliquoties dicitur *in libro* Judicum, vigebat illibata *Synedrii* auctoritas. Quòd verò illi ipsum Regem subjectum fuisse, Pseudo-Philonem sequutus asserit Baronius, meritò à Casaubono refellitur. Hactenus de *Synedrio M.* quod Συνέδριον quoque vocavit Christus, Matthæi *c.* 5. *v.* 22. Ὃς δ' ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ῥακά, ἔνοχος ἔσται τῷ Συνεδρίῳ. *Synedria minora* κρίσεως nomine ibidem videntur indigitata, Πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, atque iterum subdividebantur, in *Synedria Viginti trium viralia*, & *Synedria Trium viralia*. Quorum illa partim Hierosolymis, partim alibi in urbibus, ubicunque familiæ essent 60. constituebantur & quidem Hierosolymis bina erant alterum ad introitum montis Templi: Dijudicabantque quidem causas capitales, sed auctoritate limitatâ & *Synedrio M.* obnoxiâ. Illa erigebantur in urbibus minoris notæ, ubi ad 60 familias vel 120. personas incolarum numerus non assurgebat & causas leviores pecuniarias, aliasque istiusmodi solùm decidebant &c. Vide Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr.* *l.* 5. *c.* 4. Mosen Kotsensem, *fol* 185. & 186. *col.* 2. Cunæum, *de Republ. Hebr.* Alios, inprimis verò Johannem Seldenum, qui *Synedria & Præfecturas Juridicas Veter. Hebræorum tribus tomis* integris prosequutus est, ut & supra aliquid, vide *Judicia*, it. *Pater Synedrii* &c. Aliam vocis notionem infrà habes in *Toparchia*

SYNEPHIUM, oppid. Ciliciæ, à Phoca Imperatore occupatum. *Cedren.* & *Glycas.*

SYNESIUS, è Pentapoli Africæ Philosophus Christianus, Præsul Ptolemaidis factus, scripsit *libros in Grammaticam, Philosophiam, panegyricos, epistolas* & alia, pietate & eruditione inter primos sui ævi. Cùm Hypatiæ Alexandrinæ, filiæ Theonis, discipulus fuisset, Platonis Philosophiam sectatus est, postmodùm baptizatus, uxorem duxit, quatuor ex illa filiis susceptis, quos omnes ipsemet erudiit. Missus an 400. Constantinopolim, scripsit *de Regno* librum, eumque Arcadio, cum coronis aureis, quas cum provinciæ deputatis attulerat, obtulit. Dein infulâ donatus ann. 410. successorem habuit fratrem Euoptium. Opera ejus Petavius edidit, A. C. 1612. & 1633. cum notis. Inter quæ *liber de Regno, libri 2. de Providentia, epist.* 155. *Dio. Calvitii encomium*: *Catastasis in barbarorum excursionem*; *Catastasis in laudem Anysii. De dono Astrolabii. Homiliæ.* Euagr. *Hist. l.* 1. *c.* 15. Photius *Bibl. cod.* 26. *Suidas, Niceph.* &c.

SYNGRAPHÆ, apud Æl. Spartian. *in Adriano*, *c.* 7. *Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens — debitoribus — ingentes summas remisit, syngraphis in Foro Divi Trajani —— incensis* sunt Tabulæ seu Chartæ publicæ, quæ postmodum *Polyptica* dicta, quibus nomina eorum, qui Fisco debebant, tum civium urbanorum atque Italicorum tum provincialium, erant inscripta. Nempe non infrequens hoc bonorum Principum factum, ut pluribus demonstravit exemplis Gruterus, *ad Tacitum*, *Annal. l.* 13. *c.* 23. constititque hæc liberalitas Adriano viginti duobus millionibus & præterea summâ excurrente, aureorum solatorum quingentorum millium: qui proin *Soteris* elogium à populo adeptus est, ut vidimus suprà. *Vetus Inscr.* hâc de re sic habet, apud Salmas. *ad Spartian. d. loc.*

NVMINIB. DEORVM. AVG. JOVI. OPT.
MAX. ÆDEM. VOTO. SVSCEPTO. Q. LE-
PIDVS. M. F. L. CVRIVS. M. P. COSS.
III. S. P. Q. R.
IMP. CÆSARI. DIVI. TRAIANI. PARTHI-
CI. F. D. NERVÆ. NEP. TRAIANO. HA-
DRIANO. AVG. PONT. MAX. TRIB.
POT. II. COSS. II. QVOD. VNVS. OM-
NIVM. PRINCIPVM. ET. SOLVS. REMIT-
TENDO SESTERTIVM. NOVIES. MIL-
LIES. DEBITVM. FISCO. NON. PRÆSEN-
TES. MODO. SED. ET. POSTEROS. SVOS.
PRÆSTITIT. HAC. LIBERALITATE.
SECVROS. IVLIA. AVG. MATER. AVGG.
ET. CASTRORVM. MATRONIS.
RESTITVIT. SABINA.
AVGVSTA. MA-
TRONIS.
DIVVS. AVG. PONT. MAX. EX. S. C.
REFECIT.

De quorum verò nomine *Syngraphæ* insignirentur olim, diximus suprà voce *Sacerdos*: Vide quoque aliquid infrà ubi de *Tabulis Syngrapharüs*. Aliàs vocem Συγγραφὴ, de historia pedestri sermone conscriptâ, propriè Græcos usurpare, unde Κορινθιακὴ συγγραφὴ Eumeli fil. Amphilyti, *Historia Corinthiaca, soluta oratione scripta*, Pausaniæ sæpissimè memorata, observat idem Salmas. *ad Solin.* *p.* 858.

SYNHODI Archiereus, vide infrà *Synodi Archiereus.*

SYNICENSE Castrum urbs Africæ olim episcopalis Hipponi regio finitima. *D. Augustin.*

SYNNADA, seu SYNADA *Ptol.* singular. & plural. num. *Sinada*, urbs Phrygiæ magnæ archiepiscopalis & metropolis, ingens, sub qua 20. urbes episcopales olim fuêre, marmore clara, quod *Synadicum* appellatur, teste Strab. *l.* 12. Claudian. *in Eutrop.* *l.* 2. *v.* 271.

> —— *Pretiosaque picto*
> *Marmore, purpureis cui cedunt Synnada venis.*

Vide sis illic *Heinsium*. *Stephanus*: Σύνναδα, πόλις Φρυγίας. Hîc quidam Præsules, circa coactô, A C. 265. Baptismum ab Hæreticis administratum, nullum pronuntiârunt. Euseb. *Histor. l.* 7. Baron. *in Annal.* Papinius *Synnaden* vocat. Sic enim ille in Surrentino Pollii, *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 87.

> *Synnade quod mæstâ Phrygia fodêre secures,*
> *Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto*
> *Candida purpureô distinguitur area gyro.*

Nic. Lloydius.

SYNNADES Columnæ, apud Jul. Capitolin. *in Gordianis*, *c.* 32. ubi de domo horum, & villa ducentas columnas in tetrastylo habente, *quatuor quinquaginta Carystiæ —— quinquaginta* Synnades, *quinquaginta* &c. sunt *Synnadicæ*, ab urbe Phrygiæ ἐν Σύννα, Latin. *Synnas*, unde illud nobile marmor. De quo accipiendi versus illi Papinii, *loc. cit.*

> —— *ubi marmore picto*
> *Candida purpureo distinguitur area gyro:*

quos de marmorationis genere ex duobus marmoribus composito, intellexêre nonnulli. Tale enim marmor *Synnadicum*, candidum scil. & ovatis figuris, vel orbiculis rubris vel sanguineis interstinctum: quam ob causam Alabastritæ lapidi, ob varietatem, illud, comparavit Strabo. *Docimiticum* alias, à Docimio ejusdem regionis vico, ubi lapidicinæ fuerunt hujus marmoris: Imò & *Onychites*, ob præmemoratam cum Alabastrite similitudinem. Ad conciliandum pretium, fabulam addit Statius idem, *l.* 1. *sylv.* 5.

> —— *cavo Phrygiæ quam Synnados antro*
> *Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys.*

Ibi enim Atyn exectum, & proin Corybantes quoque perpetuò se vulnerâsse atque ad sacra Cybeles excidisse, dicitur. Vide eundem Poëtam, *l.* 2. *sylv.* 2. *v.* 87. & plura de marmore isto, apud Hermolaum Barbarum, *ad Plinium*, *l.* 2. *c.* 103. Bernard. Cyllenium *ad Tibullum*, *l.* 3. *Eleg.* 3. Salmasium, *d. l.* & *ad Solin.* *p.* 559. Alios. Ejusdem meminit Paul. Silentiarius, *in Descript. S. Sophiæ*,

> Καὶ Φρύγα δαιδαλέοιο διάστιχον αὐχένα πέτρης,
> Τὸν μὲν ἰδεῖν ῥοδόεντα μεμιγμένον εἴδεϊ λευκῷ,
> Τὸν δ' ἄμα πορφυρέοισι καὶ ἀργυφέοισιν ἀωτοις
> Ἄνθεσιν ἀστράπτοντα.

SYNOCHITIS Gemma, Græcè συνοχῖτις, à retinendis Deorum Manium imaginibus, quas in Necyomantia olim evocare solebant gemmæ anagogitidis ope, nomen accepit. Ejus meminit Plin. *l.* 37. *c.* 11. A verbo συνέχειν, *continere*, *detinere*. Vide Salmas. *ad Solin.* *p.* 1091. ut & suprà in voce *Anancitis.*

SYNODALES Testes, in Concil. Cabilon. A C. 813. *can.* 21. *Testes publicos, quos Civitas nuncupat Synodales*, Cireno & Altaleræ, *Dissertat. Juris Canon. l.* 2. *c.* 12. sunt, qui publicè recepti ac probati in Synodo, quasi custodes & speculatores eorum, quæ fiunt in Ecclesiis vel contra Synodi decreta decernuntur & geruntur, quos Græcis Παραφύλακας appellatos, notavit Cujacius, *ad c.* 7. *de Test. cog.* Vel potiùs, qui in quacunque parœcia vel Episcopatu eligebantur, adhibitô super IV. Euangelio, vel Martyrum reliquias juramentô, ut omnia, quæ contra fidem & religionem fiebant, observarent & inquirerent, ut patet ex Concil. Lateran. sub Innocentio III. *can.* 6. Eos eligendi modum prolixè exponit, ex Concilio Rotomagensi apud Reginonem, *l.* 2. *c.* 2. & Burchardo, *l.* 1. *c.* 91. Car. du Fresne *Glossar.* in voce *Testis.* Sic *Synodalis Liber*, Ecclesiasticis libris accensitus, Guilleberto Lunicensi Episc. *lib. de usu Eccl.* vocatus est, vel quòd ad Synodales Conventus spectantia contineret, vel quòd *Synodi* in illum *Episcopales* referrentur: quomodo appellari consuevêre, quæ ab Episcoporum quolibet cogebantur, convocatis quotannis Parœciæ suæ Presbyteris. Cujusmodi *Synodorum*, cùm Aliæ fierent tempore Quadragesimali, in quibus vicarii Presbyteri, qui in urbem commeabant, ab Episcopo Theologicis doctrinis imbuebantur, eas sustulit Ludovicus Pius, ut quæ Presbyteros à gregis sui curâ, tempore sacro, avocarent, in *Capitul. Aquisgran. ann. Imperii* 3. Aliæ instituebantur ad coërcendos Presbyteros ac Clericos, si quâ in Canones peccâssent, quod bis quotannis contigisse, mediô scil. Majô & Kal. Nov. patet ex Concilio *Autisiodor.* 6, 7. Et ad has Synodos annuas venientes Clerici, Episcopo censum pendere solebant, qui *Synodus* quoque, item *Synodalis census* & *Synodaticum* dictus est: improbantibus istiusmodi præstationem non paucis Episcopis, inter quos Rodulphus Episcopus Eugubinus, *nullum assuetæ oblationis vel exeniorum canonem a Clericis exigi permittebat* —— *absit, inquit, ut Synodum vendam*, apud P. Damianum, *l.* 1. *Ep.* 9. Vide plura hanc in rem apud præfatum *Glossarii* Auctorem, nec non Macros Fratres *in Hierolex.*

SYNODI Archiereus in *veter. Inscr.*

L. AVRELIO.
APOLAVSTO. MEMPHIO.
AVGG. LIB. HIERONICÆ.
CORONATO. ET. TON. DIAPAN
DON. APOLLINIS. SACERDOTI.
SOLI. VITTATO. ARCHIERI
SYNHODI. ET. AVGG.

U:

Ut & primus *Sacerdos Synhodi*, in alia:

M. AVRELIO. AVG. LIB.
AGILIO. SEPTENTRIONI.
PANTOMIMO. SVI
TEMPORIS. PRIMO. SACERDO
TI. SYNOD. APOLLINIS. PA
RASITO.

est collegii Scenicorum Pontifex: cujusmodi Collegia sua sacra, suos Pontifices & Sacerdotes habuêre. Nempe *Synhodus*, etiam simpliciter & absolutè, de Scenicorum Collegio & congregatione: *gregem* Latini dicebant. Uti & de Xysticis, in veter. *Inscr.* quæ ἡ σύνοδος ξυστική, in alia, ὁ Ἀρχιερεὺς τῆς συμπάσης ξυστ. Sic Σύνοδος μουσική, in alia. Apud Strabonem eâdem voce insignitur collegium Philologorum, qui publicô sumptu in Musæo Alexandrino alebantur. Unde sumptâ occasione Tertullian. de Antinoi, Hadriano in delitiis, consecratione agens, *Apolog. c. 13.* *Cùm de pædagogiis aulicis nescio quem Synodi Deorum facitis*, inquit, i. e. in Synodum & collegium Deorum cooptatis. Ubi *Synodum Deorum* vocat, quod *Collegium Deorum*, *Deorum Concilium*, *Consessus Deorum* in veterib. *Inscr.* dicitur passim. Qui enim de hominibus in Deorum numerum referebantur, hi πάρεδροι eorum & σύνθρονοι, quasi *adsessores & ejusdem cum illis Sedis participes* fieri dicebantur: quod Tertullianus *Synhodi Deorum fieri*, & collegio eorum adscribi, vocat. Et quidem *Synhodus Deorum* apud Græcos ex XII. Diis erat, quos *magnos* appellabant; in quorum numerum qui ex hominibus referebantur, hi πάρεδροι appellabantur τῶν μεγάλων θεῶν. Unicuique enim Deorum suos attributos παρέδρους suprà diximus &c. Vide Salmas. ad *Spartian. in Adriano*, c. 14. & suprà ubi de more *in Deos referendi*.

SYNODICA Epistola, Græcè Συνοδικὰ & Συνοδικὰ γράμματα, Epistola est; à Patribus Concilii seu Synodi scripta, de iis quæ inibi decreta actaque essent. Cujusmodi literæ complures habentur in Conciliorum *Collectione*, de quibus copiosè agit Bernardinus Ferrarius, *de Epist. Eccl. l. 2. c. 6.* Sed & Veteribus fuit in more positum, ut sedis alicujus, præsertim eminentioris, Episcopus recens promotus, fidei suæ confessionem scriptam mitteret ad alios Episcopos vel Patriarchas: in quo se imitari dicebant exemplum Apostoli Pauli, de quo vide *Galat. c. 2. v. 2.* ut sic in Ecclesia & fidei sinceritas & Catholica unitas conservaretur. Quale scriptum Græci similiter Συνοδικὰ appellare solebant, quòd non minus de fide ageret, ac ea quæ ab ipsis Synodis mitti consuevêre. Seu potius, quod novus Præsul ea scriberet, cum consensu Synodi suæ. Vide de iis Jo. Garnerium, *Notis ad Liberatum c. 18.* Hinc Sergius, *Ep. ad Honorium* scribit, se ea solo auditu percepisse promotum esse Sophronium ad Episcopatum Hierosolymitanum, eò quòd nondum acceperit ab eo hujusmodi scriptum, *Nondum enim ejus Synodicam epistolam, ut moris est, accepimus*. Vide quoque Gregorium M. *l. 1. ep. 25. l. 6. ep. ex registro c. 169. & 188.* & plura hanc in rem apud Jo. Forbesium *Instruction. Historico-Theolog. l. 5. c. 9.* ubi de præfati Sophronii *Synodica*.

SYNODICÆ Stellæ, vide suprà *Absconsæ*.

SYNODITÆ, in *l. 57. Cod. Th. de Appell.* *Addictos supplicio —— nulli Clericorum vel Monachorum, eorum etiam, quos Synoditas vocant, per vim atque usurpationem vindicare liceat ac tenere*, alibique Græcè Συνοδῖται, Cœnobitæ sunt, οἱ ἐν κοινοβίοις ἢ συνοδίαις μοναχοί, apud Socratem, *Hist. Eccl. l. 4. c. 23.*

SYNODIUM, apud Diomedem, *Sed quod paribus tibiis aut imparibus invenimus scriptum, quod si quando monodio agebat artifex, unam tibiam inflabat, si quando synodio, utramque*: chori concentus est, sicut *Monodium*, cantici cantus. Et quidem Artificem, si quando monodiô ageret, unam tibiam inflâsse dicit, si quando *Synodio*, utramque: per illam *pares*, per has *impares* intelligens. Sed nec *pares tibiæ* de una tibia dici possunt, omnesque illæ antiquæ Comœdiæ, quæ inscribebantur, *actæ tibiis paribus aut imparibus*, chorô caruêre, & solis canticis ornatæ fuêre. Qua de re vide Salmas. *ad Vopisc. in Carino*, c. 19.

SYNODUS, Græcè Σύνοδος, item Συνέδριον, Hebr. כנישת, vox Ecclesiastica est, coetum denotans factum ex Ecclesiæ Præstitibus membrisque illustrioribus, munere, doctrinâ, pietate collectum, ad fidem contra Hæreticos defendendam, moresque Ecclesiæ, lapsos in deteriora, denuo corrigendos, juxta infallibilem Spiritus S. normam in Verbo Dei nobis præscriptam. Cujusmodi conventus *Synodique*, pro Ecclesiarum eò convenientium numero, vel *Provinciales* vel *Nationales* vel *Oecumenicæ* dicuntur. Vide suprà in voce *Synodales*, item ubi *de Oecumenicis Conciliis*. Unius autem Ecclesiæ Rectorum Conventum specialius Πρεσβυτέριον appellari, notum. Vide Cl. Suicerum, *Thes. Eccl* voce Σύνοδος, ubi etiam de Conciliis Oecumenicis VI. Nicæno I. Constantinopolitano I. Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II. & III. succinctè agit.

SYNOECIA, Græcè Συνοίκια, festum Athenis de quo sic Thucydides *l. 2.* *Cecrope priscisque Regibus usque ad Theseum, Attica semper oppidatim incolebatur, Prytaneaque & Curias habens suas Archontes & Magistratus. Neque Regem consulebant, quando nullus erat ex periculo metus, sed per se quique suarum Remp. administrabant & consilium habebant —— Theseus autem regnum adeptus, (vir & prudens & potens) cùm —— tum etiam Concilia & Magistratus aliarum urbium sustulit: omnesque in unum Concilium & Prytanæum Athenis cogens, Singuli res suas, ut ante, possidebant; sed una hac civitate uti necesse erat: in quam cùm omnes jam convenirent, pertinereque ad usus publicos consequi, auctior illa posteris à Theseo tradita est. Inde* [illegible] *Συνοίκια, publicum Minervæ festum celebrant. Antehac urbs erat, quæ nunc est arx —— igitur, & ante & post in agris cum tota familia habitabant liberi & sub jure.*

SYNONETA, in *l. Cod. Theod. de publ. comp.* publica est comparatio specierum, ex Græco σὺν & ὠνή. *Coemptionem* appellari, in *l. 1. C. de frum. urb. Constant.* & in rubr. *ut nem. liceat in coemp. spec. se excus.* docuit Jac. Cujacius, *Observat. l. 1. c. 35.* Quam coëmptionem sic accipit Accursius, ut Provinciales à Fisco res annonarias emere cogantur: Alii, ut eas Fiscô vendere forensibus pretiis compellantur. Vide de hoc *Synoneti* seu Συνωνῆ, uti appellat, onere, *Suidam*, Cassiodorum, *Var. l. 12.* ubi lardi & tritici species exceptas docet, Pratejum, Alios, laudatos Joanni Calvino, *Lex. Jur.*

SYNOPE, urbs Asiæ, captâ ab Ottomanno, cum Natolia, Ancyra & Sebastia, A. C. 1308. Curio, *Hist. Sarac. l. 3. v. 2.*

SYNORIS vide suprà *Curulis vectatio*.

SYNTAXIS, Græcè Σύνταξις, nomen speciosum ac leve, quô molestum φόρον nomen lenire solebant Athenienses, teste *Harpocratione*. Isocr. [illegible] ἡμεῖς [illegible] τὴν θάλατταν [illegible] ὡς πόλεις συντάξεις [illegible]. C. Nepos reddit, *quantum pecuniæ quæque civitas daret*, *Aristid. c. 3.* Et [illegible] tamen appellasse, discas ex Æschine, [illegible]. Vide collecta Meursio, *Fortuna Attica*, c. 7. p. 32. & seqq.

SYNTHESIS, communis apud Romanos convivantium vestis fuit. Licet enim in conviviis publicis ac solemnibus Toga adhiberetur, cœnæque imprimis Imperatoriæ nemo nisi togatus interesse auderet; domi tamen privatis conviviis Togas Cœnatoriis mutabant, quas & *Syntheses* dixêrunt. Harum mentio frequens in antiquis Scriptoribus, præcipue apud Martialem, eaque omnibus obvia. Justus Lipsius *in Saturnalibus suis* ditiorum solum & lautiorum illas fuisse existimat, ex eo, quòd apud Martialem, *l. 5. Epigr. 81. v. 2.* Zoilus quidam unâ cœnâ undecies Synthesin mutâsse, quodque apud Suetonium, *c. 51.* Nero plerunque *synthesinatus* prodiisse in publicum, legitur. Interim viliorum quoque hanc vestem fuisse, etiam in municipiis, ex eodem Poëta, *l. 4.* discimus, ubi, quamvis Poëticè ait. *Epigr. 66. v. 4.*

Duxit & æstates Synthesis *una decem*.

Fuit autem ad instar Pallii, & lintea sindon, quâ involvebantur in convivio, reliquis utplurimum depositis vestimentis, quamvis Martialis & Ovidius *Pallia* appellent communi voce, quæ de omnibus vestium generibus non raro usurpatur. Sanè in antiquis Tricliniorum figuris homines seminudi cubant, solô lineô, quod fortasse *Synthesis*, semiamicti. Atque ita sindonem, quâ *indutus super nudo adolescens* ille erat, qui CHRISTUM à Judæis captum sequebatur, quâque relictâ nudus aufugit, Marc. *c. 14. v. 51.* *Synthesin* fuisse, credit Ferrarius, vel certè vestem convivalem, quas non fuisse pretiosas, ut volebat debili conjecturâ Baronius, ostendit Casaubonus *Exerc. 16.* Muliebres quoque cœnatorias fuisse, docet Pomponius, *de auro arg. leg.* *Q. Mutius, ait, fecisse quendam Senatorem muliebribus cœnatoriis uti solitum*; quæ colore fortasse à virilibus distinctæ. Martial. *l. 10. Epigr. 29. v. 1.*

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti dominæ Sextiliane, tuæ:
Et quam donabas dictis à Marte Calendis,
De nostra Prasina est Synthesis *empta toga*.

Pretiô nempe, quô emere solebat togam, quam Poëtæ natali suô mitteret, emit viridem cœnatoriam amicæ. Et fortasse *Synthesis* est, quâ indutum videmus senem discubiturum, in monumento quod publicavit Ursinus, *ad Ciacconii Triclinium*. Non verò solùm *Synthesis* in cœnis, sed & totô Saturnalium tempore, usus fuit. Romani enim omnes, his durantibus, *synthesinati* sive in cœnatoriis, quasi eô tempore esset perpetuum convivium, incessisse leguntur. Quare meritò Catisianum reprehendit Poëta sæpe laudatus, quòd Saturnalibus togatus incederet, *l. 6. Epigr. 24.* Et Seneca, *December*, inquit *Ep. 18.* *est mensis cum maxime civitas desudat.* [illegible] *Si te hic haberem, libenter tecum conferrem, quid existimares esse faciendum, utrum nihil ex quotidiana consuetudine movendum: an ne dissidere videremur, cum publicis moribus & hilaris cœnandum & exuendam togam* &c. Unde colligimus, *Synthesin* à tunica fuisse distinctam, alioqui enim Romani, non in conviviis modò, sed & Saturnalium tempore, saltem incessissent tunicati. Sic apud Xiphilinum, *l. 65.* Cornelius Fronto, causarum Patronus, cùm aliquando altâ nocte domum rediret, ac intellexisset à quodam, cui patrocinium promiserat, Hadrianum jus reddere, ὡς εἶχε τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι, *ut erat in cœnatorio amictu*, ad Tribunal accessisse legitur. Octavius Ferrarius, *de Re vestiaria*, Part. 1. *l. 1. c. 30. & 31.* Interim æstate quidem *Syntheses*, quæ ex lino & leviore materia erant: hyeme verò lænæ, utpote indumentum densum ac villosum, adhibebantur. Unde Martialis, *l. 14. Epigr. 136.* cujus titul. *Lana*, sic ait:

Tempore brumali non multum levia prosunt,
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

De *Synthesi* Gallorum, i. e. Sacerdotum Cybeles, ita Dionys. *l. 2.* *Ingenuus Romanus nemo est mitriatus, nec oberrat ad Phrygios modulos indutus Synthesin, neque ex decreto Senatus initiatur magnæ Matris Orgiis*. Vide Rosin. *Antiqq. l. 5. c. 32.* Sed & elegantiorem vestem, quâ certis diebus festis populo Rom. extra ordinem uti licuerat, hâc voce denotatam vult Turnebus, *Advers. l. 23. c. 19.* ubi eam inde dictam, quòd cum eâ rarò uterentur, domi in arca & prelis compositam haberent, addit. Salmasio vestes aliæ singulares, sparsæ & solutæ erant, Græcis μονοχίτωνες dictæ, aliæ in *Synthesin* compositæ & congregatæ. Et quidem quæ in synthesi struebantur, certô numerô solebant secundùm species inter se jungi ac componi, septenæque vestes ejusdem coloris, facturæ & materiæ, synthesin unam constituebant: ut *septem tunicæ subsericæ coloris, septem purpureæ, septem pallia aureô sparsa* &c. Septenariô enim numero semper construebantur hæ vestium syntheses: unde

Septenaria synthesis Sagunti,

apud Martialem, *l. 4. Epigr. 46. v. 15.* pro septem vasis paribus fictilibus. Namque & ad vasa vocabulum translatum. Sic Statius, *l. 4. Sylv. 9. v. 44.*

Aut unam dare synthesin (quid horres?)
Alborum calicum atque caccaborum?

Ubi *Synthesis calicum*, sunt septem calices: *Synthesis caccaborum*, septem caccabi. Sic itaque septenæ vestes Synthesin faciebant. Pretiosæ verò tantùm illæ, & quæ rarò usurparentur, quæque diebus festis solùm sumerentur, ita per syntheses disponebantur.

Unde *Synthesina vestis*, quæ de synthesi, pro sumptuosa & pretiosa quà coloribus, qua materiâ, qua plumandi artificio. Et *Syntheses* quoque ipsæ vestes, quæ in synthesi poni solebant, Græci καθεκλιτικὰς vocârunt. Origo vocis à Græco συνθέσθαι, *condi, componi* &c. Vide Auctorem præfatum, *Not. ad Vopisc. in Bonoso*, *c. ult.* & *ad Solinum*, *p.* 1170. nec non suprà in voce *Cataclista*.

SYNTHRONUM, Græcè Σύνθρονον, apud Jo. Curopalatem, *in Constantino*, ubi die Pentecostes in Liturgia turbas ortas esse, quòd Metropolitæ non sustinerent, Syncelli ἐν τῷ συνθρόνῳ *in synthrono* præsiderent: subsellium est, de quo etiam *Euchologium*, ubi, de consecratione Templi, alibique ubi in *sanctum Synthronum*, post consecrationem Episcopos deferri, ut in eo, veluti Majestatis throno, sedentes suæ auctoritatis se compotes factos agnoscant, consuevisse refert. At Σύνθρονος, qui *eodem thronô sedet*: ut σύνθρονοι θεοί, *Synthroni Dii*, qui & *Paredri*, de quibus suprà.

SYNTIA Terra, apud Ovidium, *Ep. 6. Hysipyles*, *Heroid. v.* 141.

> *Dic age, si ventis, ut oportuit, actus iniquis*
> *Intrâsses portus, tuque, comesque, meos:*
> *Obviaque exissem fœtu comitata gemellô,*
> Syntia *nonne tibi terra roganda foret.*

Uti genuinam lectionem restituit Barthius, ex Apollonio, *l.* 1. *v.* 608. qui Σιντηΐδα vocat, Lemnos est insul. cujus primos incolas ex Thracum genere Σίντιας dictos esse, habes apud Strabonem, *l.* 7. Vide in voce *Sintii*.

SYNTONA, apud Quintilian. *l.* 9. *c.* 4. *In universum autem si sit necesse, duram potiùs atque asperam compositionem malim esse —— quotidie magis lascivimus* syntonorum *modis saltitantes*: sunt scamella seu scabella Symphoniacorum, quòd sine ulla toni variatione tenore quôdam continuô & æquali ad pedem feriebantur, vulgò sic dicta. Σύντονον enim Græci, non tantùm, quidquid vehemens est rigidum & incitatum, sed etiam quod unius toni, ejusdemque tenoris est, appellant. Unde *Syntonarius*, qui scabella aut cymbala pede percutit. Glossæ, *Pedicularius*, Συντονάριος, sicut Τονάριος ἀπὸ τοῦ τόνου, à quo τονάριον, fistulæ genus, quô vocis modos regebant ac temperabant Musici, apud eundem Quintilianum, *l.* 1. *c.* 10. & Plut. περὶ ἀοργησίας, ubi de Graccho concionante, & Musico post eum consistente, qui istiusmodi fistulâ modos ei ministrabat. An indidem *Sintonator*, in *veteri Inscr.* quâm suprà vidimus in hac voce? Vide Salmas. *ad Vopisc. in Carino*, *c.* 19.

SYNTYCHE, mulieris nomen. Philip. *c.* 4. *v.* 2.

SYNUSIASTÆ, Græcè Συνουσιασταί, Hæretici dicti sunt, qui asserebant Christum unicam tantùm οὐσίαν, *substantiam* habuisse, nec ex utero Virginali carnem sumpsisse, sed potiùs aliquam portionem Divinitatis Verbi conversam fuisse in carnem, credebant: ac proin constituebant Verbum Patri ὁμοούσιον, *consubstantiale*, non solùm in Divinitate, sed etiam in Humanitate, unde vocis etymon clarum est, apud Car. Macrum in *Hierolex.* Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Συνουσιασταί, & suprà in voce *Christomachi*.

SYOPII, populi Liburnis vicini. *Steph.*

SYPALETTUS, vicus in Cecropide tribu. *Steph.*

SYPERIS, apud Plin. *l.* 6. *c.* 23. uti in quibusdam libris extat, aliàs *Hyperis* legitur, de quo fluvio. Vide in hac voce.

SYPHAX, partis Numidiæ seu Masylorum Rex, qui cùm Scipioni per Lælium fuisset conciliatus, bellique societatem cum eo iniisset, posteà, violatâ fide, Hannibali adhæsit. Hunc Scipio in Africa, cum Asdrubale, filio Gisconis bis vicit: priori prælio cæsis aut exustis hominum 40000. captis 6000. posteriori verò, copiis penitus dissipatis, ipsôque à Lælio & Masinissa. cum uxore Sophonisba, captô: quam cùm deperiret Masinissa, à Scipione prohibitus est, animos filiæ Asdrudalis & odium ejus in Romanos veritô. Dein victô quoque Verminâ filiô vivus in Scipionis manus traditus est, à quo in triumpho circumductus, & in carcerem inclusus, mediâ vitam finiit, regnô Masinissæ concessô. Plut. *in Scip.* Liv. *l.* 24. *c.* 48. 49. *l.* 27. *c.* 4. *l.* 28. *c.* 17. *l.* 29. *c.* 23. *Polyb. Eutrop.* &c. Ovid. *Fast. l.* 6. *v.* 769.

> *Postera lux melior, vincit Masinissa Syphacem.*

Propert. *l.* 3. *El.* 10. *v.* 59.

> ———— *Victi monumenta Syphacis.*

Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 170.

> *Tolle tuum precor Annibalem, victumque Syphacem*
> *E castris, & cum totâ Carthagine migra.*

Corripuit secundam syllabam Claudian. *l. de Bello Gildonico*, *v.* 91.

> ———— *Haurire venena*
> *Compulimus dirum Syphacem, fractumque Metello*
> *Traximus immanem Marii sub vincla Jugurtham.*

Vide sis illic *Barthium*. *Nic. Lloyd.*

SYPHEUM Brutiorum oppid. Liv. *l.* 30. *c.* 19. Hodie *Castrovillare*, oppid. Calabriæ citerioris ad Sybarim fluv. prope Apenninum, 36. mill. pass. à Consentia in Boream, 5. à Cassano in Occidentem in edito loco.

SYPONTUM, vide *Sipontum*.

SYRA, sive *Syria Dea*, tantopere Priscis celebrata cum Atergati eadem quibusdam videtur, ex illo Strabonis, *l.* 16. ubi Interpr. *Sita est trans flumen, quatuor schœnorum spatiô, Bambuca, quam Edessam & Hierapolim, sive Sacram Urbem, nuncupant: in qua colunt Deam* Syriam, *quæ dicitur Atergatis*. Sed Atergatin constat quidem unam fuisse ex Syrorum Deabus, ab hac verò aliam arbitratur Vossius, quæ κατ' ἐξοχὴν *Dea Syra* appellabatur. Nam Atergatis sive Derceto erat semimulier & semipiscis; ut ex *Luciano* patet: Quæ autem Hierapoli colebatur, tota erat mulier, unde idem, Ἡ δὲ ἐν Ἱρῇ πόλει πᾶσα γυνή ἐστι. Dein hæc *Syria Dea*, non tam animale, quam naturale Numen videtur fuisse; vis nempe generatrix, quæ tum Veneris, cum Matris Deûm, nomine intelligitur. Vel si cum naturali hoc Numine pariter coluerint animale, non hoc Derceto erit, Semiramidis mater; sed Semiramis ipsa: cùm nulla Syris heroina celebratior fuerit Semiramide, uti nulla Diva iis divinior *Dea Syria*. Accedit, quòd Semiramis dicitur educata à columbis & columbæ etiam symbolô signabatur: Dea autem Syria, ex ovo, cui columba insederit dicitur prognata; idque ad Euphratem ubi Babylon Semiramidis Regia. Vide Gerh. Jo. Vossium *de Idol. l.* 1. *c.* 23. & Salmas. *ad Solin. p.* 474. & *seqq.* Redeo ad id, quòd naturale potiùs Numen hôc nomine indigitatum diximus, & quidem non Lunam solùm, sed & Terram. Idem enim numen sunt, *Dea Syria*, *Juno Assyria* & *Dea Hierapolitana*. Unde Lucianus in erudita *de hac Dea* disserat. sic orditur, Ἔστιν ἐν Συρίῃ πόλις, οὐ πολλὸν ἀπὸ τοῦ Εὐφρήτεω ποταμοῦ, καλέεται δὲ Ἱρή, καὶ ἔστιν ἱρὴ τῆς Ἥρης Ἀσσυρίης. Nec quòd *Dea Syria* sit Juno, ei obstat, quòd Tellurem signare dictum, Juno enim Orienti est aggregatum ex Luna & omni Natura Lunæ subjecta; quocirca probè hoc convenit cum eo, quòd Lucianus *ibid.* refert, audisse se ex sapiente Viro, Deam hanc Hierapolitanam esse Rheam: *Nam*, inquit, *& Leones ipsam ferunt, & tympanum habet, & coronam in capite turritam gestat; qualem & Lydi Rheam effingunt.* Subditque, *ut Galli Rheæ sic & Hierapolitanæ Deæ sacerdotes castrari solent: exemplô Attinis.* Templum ei condidit Stratonice, Antiochi Soteris noverca & uxor, quæ Combabum adeò perditè amavit: Sed vetus illius Templum, à quo extructum sit, ob antiquitatem ejus non convenit. Aliqui attribuêre Libero, cùm in Orientem expeditionem suscepisset: Alii Attini Lydo, ex Phrygia in Syriam profectô: Alii Semiramidi, cujus & imago ad sinistram Templi erat, dextrâ ædem demonstrans, ut ostenderet, non se, sed Deam Hierapolitanam coli oportere. Alii denique tribuêre Deucalioni Scythæ, quô nomine non illum, Mosis æqualem, sed Noachum, diluvio cum suis superstitem, signari: liquet ex iis, quæ eruditus ille Syrus *locô cit.* narrat, de antiquis hominibus universali diluviô sublatis, & λάρνακι sive arca, quâ Deucalion cum uxore & liberis & omnis generis animantibus fuerit servatus. Mentio Deæ sæpius est in *Collectione Inscr. Gruteriana p.* 86. unde & discere est, quomodo solita fuerit effingi: Nempe velata caput tiara sive diademate lunatô, ac dextrâ tenens noctuam, lævâ autem quiddam non absimile cochleari, parte pectoris nudâ, reliquâ verò lacinio sâ veste contectâ. Vide iterum Voss. *l.* 2. *c.* 55.

SYRA, locus Judææ, qui secundùm Josephum 20. stadiis ab Hebrone distat. 2. Sam. *c.* 3. *v.* 26. Item Insul. maris Ægæi, proxima Delo, patria Pherecydis. Vide *Syros*. Eadem enim videtur.

SYRACES, equiso Saccarum, qui naribus auribusque abscissis se transfugam mentitus, Darium cum exercitu Saccas oppugnantem, in maximas difficultates conjecit. Vide Polyæn. *l.* 7. *c.* 10. *Dario com.* 8.

SYRACI, Hyrcaniæ, vel secundùm alios, Armeniæ majoris populi, qui regem legebant procerissimum, cuique caput longissimum esset, ut tradit Zenodotus, *in adagio* Νόμος καὶ Χώρα.

SYRACIDES, vide *Ecclesiastus*, it. *Jesus*.

SYRACUSÆ, quæ SYRACUSSÆ *Theocrito*, prius *Ortygia*, urbs Siciliæ amplissima, in ora ad ortum, inter Catinam 48. & Pachynum promuntor. in Austrum 40. mill. pass. Magnitudinem ejus innuit Pindarus, quando μεγαλοπόλιες Συρακόσαι, h. e. *grandiurbes Syracusas* vocat. Erat siquidem urbs non Sicularum modò, sed & Græcarum omnium celeberrima, ab Archiâ Corinthio annis ante Christum plus septingentis condita. Hujus partes 4. *Insulam*, *Acradinam*, *Tychen*, & *Neapolin* multis describit Cicero, *Verrinâ quartâ*. Unde Ausonius, *de Clar. urbib. Epigr.* 11. *v.* 1.

> *Quis Catinam sileat, quis quadruplices Syracusas?*

Alii quintam addunt *Epipolas*. Portus duplex: Major unus octoginta stadiorum, cujus fauces quingentis passibus patent, ad Ortygiam ins. Arethusâ fonte insignem. Murorum ambitus apud Strab. erat ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα σταδίων, i. e. 24. mill. pass. Dicit Liv. *l.* 25. *c.* 31. in Syracusis captis, *prædæ tantum fuisse, quantum vix captâ Carthagine fuisset.* Plut. etiam *in Marcello*: Λέγεται δὲ ἐλάττονα τοῦ τότε ὕστερον ἀπὸ Καρχηδόνος διαφορηθέντα πλοῦτον γενέσθαι. Diu illi cum Atheniensibus, Pœnisque bellum: Dein sub Dionysio & Hierone, patriæ tyrannis fuit: sæpe obsessa, nunquam expugnata, donec Marcellus illâ, non obstante Archimedis multijugâ arte, quâ satis diu hostem remoratus erat, tandem potitus est. Hic spolia Romana Constantinus Pogonatus, Imperator Græc. amisit A. C. 669. Postmodum urbs solo est à Saracenis æquata, A. C. 884. Patria Archimedis, Antiochi Historici, Epicharmi, Aristarchi, Phormionis, Theocriti, Stephani III. &c. Olim Metropolis nunc Episcopatûs solùm. Vincent. Mirabella, *Antiq. Siracusa*. Jacobus Bonannius, *l'antica Sirac. illustr.* Vide infrà quoque. Vocis originem quod attinet, doctissimus Fullerus, *Miscel. l.* 4 *c.* 10. Syracusarum nomen Punicè scribit צור כוסיא *Sor Cosia*, quasi *Tyrum latentem* dicas. Frustrà, inquit Bochartus, cùm Syracusas non condiderint Phœnices, sed Græci Dorienses, Archiâ duce; vide *Thucydidem*, *Strabonem*, & *alios*. Sed præcipuè Marcianum Heracleotam, qui simul nominis originem [illegible] his verbis,

> Τὰ δ' [illegible] τῆς Ἰταλίας οἱ Δωριεῖς
> Κατέσχον Ἀρχίας δὲ τούτους συλλαβὼν
> Ὁ Κορίνθιος μετὰ Δωριέων, κατῴκισεν
> Ἀπὸ τῆς ὁμόρου λίμνης λαβούσας τοὔνομα
> Τὰς νῦν Συρακούσας παρ' αὐτοῖς καλουμένας.

Paludem intellige *Syraco*, de qua Steph. ubi de Syracusis: καὶ λίμνη, ἥτις καλεῖται Συρακώ. Meliùs quàm *Tyraca*, quomodo scripsit Vibius *in catalogo paludum*, *Tyraca Syracusis*. *Syraco* autem vox Phœni-

cia

cia est, ut *Hanno*, *Gisco*, *Dido*, *Samatho*. Radix סרח *serach*, vel *sarach* fœtere est. Nec immeritò, ἀπὸ τῆς δυσωδίας, nomen paludi factum, cujus exhalationes morbos creabant plurimos. Id ipsum enim Syracusani dammô suô multoties experti sunt, & ferè quotquot hostes æstatis aut auctumni mensibus Syracusas circumsederunt. Hinc illud Diodori, *l.* 13. de Atheniensibus hanc urbem obsidione prementibus: *Διὰ δὲ τὸ κατακείμενον τόπον ὑπάρχειν ἑλώδη, λοιμικῆς καταστάσεως εἰς τὸ στρατόπεδον ἐμπεσούσης.* Et *l.* 14. de Carthaginensibus, quos ibidem per æstivos ardores gravis invaserat lues: *Ἐοίκει δὲ ὁ τόπος αἴτιος γεγονέναι πρὸς τὴν ὑπερβολὴν τῆς συμφορᾶς. Καὶ γὰρ Ἀθηναῖοι πρότερον τὴν αὐτὴν ἔχοντες παρεμβολὴν, πολλοὶ διεφθάρησαν ὑπὸ τῆς νόσου, ἑλώδους ὄντος τοῦ τόπου καὶ κοίλου.* Ita cùm eidem urbi Marcellus immineret: *Accessit* (inquit Livius, *l.* 25. *c.* 26.) *pestilentia, commune malum*. Et paulo post: *temporis & loci vitiò & ægri erant, & moriebantur*. Causam ad conditorem referunt. Myscellus enim & Archias, cùm Delphos se contulissent, oraculum consulturi de loco condendæ urbis, ab Apolline rogati utrum mallent,

Πλοῦτον ἔχειν κτεάνων, ἢ τερπνοτάτην ὑγίειαν.

Salubritatem Myscellus, & Archias divitias elegit. Quatum urbium illa salubertima, sed pauper fuit; hæc ditissima, sed insalubris. Hanc sive historiam sive fabulam referunt Strab. *l.* 6. Steph. in *Συρακοῦσαι*, Aristophanis Interpres *in Equit.* ad verbum *πλουθυγίεια*, quô Comicus tribuit Athenis Syracusarum opes, & Crotonis salubritatem, Suidas denique in *Ἀρχίας*, & rursum in *Μύσκελλος*. *Bochartus*. Et quia opibus florebant, unde proverb. *Ne decima quidem Syracusan. pars*, hinc voluptatibus erant deditissimi, unde *Mensa Syracusia* proverb. apud *Athenæum*, *Aristoph. alios*. Patria insuper fuit hæc Urbs, Demolchi fil. Epicharmi, Philemonis, qui novæ Comœdiæ scriptor, sub Alex. M. anno 90. nimiô risu obiit &c. Photinus item Comicus sub Gelone floruit. Plura de civitate Syracusana legere volentibus adeundi sunt *Facellus* & *Cluverius*. *Nic. Lloyd*. Hodiè *Saragosa*, in ora & Orientali Vallis Neætinæ. Tota compacta in Insul. Ortygiam, undique mari eluta, cum duplici portu, *Porte Maggiore* & *Piccolo*, cum unica porta ad Isthmum, ubi & duo excitata sunt propugnacula. Chersonesus ipsa in mare porrecta Insulæ formam effingit. In vertice habet Arcem *Maniace*, & scopulis undiquaque munitur. Nunc urbs ipsa deficit in dies; vinó suô celebris. 40. mill. pass. à Catana in Austrum uti 23. ab Augusta 38. à Pachyno promontor. in Boream *Baudrand*. Plura apud Marshamum *Canone Chron. Sec. XVI.* tit. *Syracusa condita*, ubi *de tempore quó extructa, de situ, partibus, opulentia* & *nummis* accuratè agit.

SYRACUSÆ, locus in edito singularis Augusti, quem *Τεχνόφυον* Græcè vocare solitus est. Casaub. *ad Capitolin. in Pertinace*, *c.* 11.

SYRACUSANUS Portus, vulgò *Golfo di S. Manza*, Sinus parvus Corsicæ, cum uno alterove castro in parte Austral. Insulæ, in ora maris Tyrrheni 7. milliar. à Bonifacio arce in Boream paulò minus à Portu veteri in Meridiem 48. ab Aleriæ ruderibus, 40. ab Adjacio in Eurum.

SYRACUSARUM in India ab Alexandro expugnatarum, meminit Diodor. *l.* 17. *fol.* 613. *f.* nisi ibidem nomen corruptum est.

SYRACUSIUS, Athenis quidam *causidicus*, quem ob garrulitatem & caninam facundiam Comici traducunt. Vide *Scholia in Aristophanis Aves*. 602. *D.* 1.

SYRASTENE *Ptol.* *Cambaja* Stuckio, regio Indiæ citerioris, apud Indi ostia, ubi vicus *Saurac Castaldo*.

SYRASTRA, Indiæ intra Gangem vicus, *Ptol.* *Saurac* Castaldo.

SYRBANE, insul. in Euphrate. *Steph.*

SYRE, Persica vox, *Deum* denotans, de qua vide Tob. Pfannerum, ubi ex Marsilio Ficino, apud omnes gentes, præcipuum Dei nomen quatuor solùm literis pronuntiari, docet *Systemat. Theolog. Gentil. pur. c.* 2. §. 11.

SYRENTION & SYRCENTIUM, oppid. Hetruriæ. *Steph.* De quo nihil apud alios.

SYRGIS, fluv. Scythiæ Europææ in Mæoticam paludem influens.

SYRI, apud Sidonium Apollinarem, *l.* 1. *Ep.* 8. *Fœnerantur Clerici, Syri psallunt*, Hieronym. item in *Ezech. l.* 8. *c.* 26. Salvianum, *de Provid. l.* 4. Aliosque recentioris ævi Scriptores, Negotiatores sunt, qui ex *Syria* in Occidente mercaturam exercebant, de quibus vide Savaronem *ad Sidonium*, Gravium ad *Hieronymum Ep.* 8 Nic. Fullerum, *Miscellan. Sacrorum l.* 1. *c.* 11. & Altaserram *ad l.* 3. *Gregorii M. Epist.* 43. laudatos C. du Fresne *in Glossar.*

SYRI Dii, apud Arnobium, *l.* 1. *Titanes & Bocchores Mauri, & ovorum progenies Dii Syri*, & passim in *veter. Inscr.* Salmasio sunt Dea Syria, h. e. Venus, & ejus filius Cupido, fortè & Adonis, qui Veneri *πάρεδρος* & pariter à Syris cultus est. Eos Persius intelligit, cùm dicit, *Sat.* 5. *v.* 187.

Incussêre Deos inflantes corpora ——

Dicit autem illos *ovorum progeniem* Arnobius, quasi non sola Venus ex ovo edita, sed etiam filius ejus ita natus sit. Certè Venerem cum filio in Syriam ad Euphratem, metu Typhonis, venisse, & figuram piscium formâ mutâsse, scribit *Hyginus*; *Eratosthenes* verò ex eo pisce natos illos dicit. Quô pactô ovorum planè progenies fuerint. Sed & Germanicus Arati interpres piscium cœlestium par, *duo Syriæ numina* vocat: quasi pisces illi duo cœlestes Veneris & Cupidinis instar referant, quos fabulæ volunt piscium figuram ad Euphratem sumpsisse. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 281, 282, 574. ut & hîc ubi de *Piscibus* & *Syra Dea*, nec non hîc infrà.

SYRIA, provincia maxima Asiæ, inter Ciliciam & mare Syrium ad occasum & Mesopotamiam ad ortum, Euphrate fluv. hanc disterminante, illam monte Amanô: cui Armenia minor incumbit ad Arctos, ad meridiem verò Arabia deserta, & Palæstina; (quæ apud *Ptol.* à Syria divisa est, sed apud alios in Syria comprehenditur, ut pars illius) Dividitur in plures regiones, Comagenem ad septentrionem, Phœniciam ad occasum, Cœlesyriam ad meridiem, Palmyrenem ad ortum & Seleucidem circa medium. Longa inter Ciliciam & Arabiam 470. mill. pass. lata inter Seleuciam Pieriam & Zeugma 175. teste Pliniô, *l.* 5. *c.* 12. *Hesych.* annotat *Συρίαν λέγεσθαι γῆν τὴν ἀπὸ Φοινίκης μέχρι Βαβυλωνίας*. Producit nigros Leones, *Plin.* fuitque in tribu Manasse. Vide *Assyria*, ut & Seldenum *de Diis Syris, Proleg. c.* 1. ac Montanum *ad Dionys. v.* 772. Regnum olim celebre fuit, cujus fundamenta jecit Seleucus Nicanor, duravitque ann. 246. sub 25. Regibus, quorum ultimus Antiochus fuit XII. Vide *Annales V. T.* Joseph. Appian. Alex. *de bello Syr.* A Pompejo dein in provinciam redacta, à Saracenis seculô 7. & 8. occupata est, quibus eam Constantinus Imperator A. C. 932. posteà Godofridus Bullionæus eripuêre: Sed postmodùm Saraceni denuo hîc rerum potiti sunt, donec, postquam Balduinus IV. Hierosolymor. Rex eam bis vastavit, circa A. C. 1173. Seraph autem Sultanus Babyloniæ totam occupavit A. C. 1292. ad Ægyptios tradente illam iis, Caycapho, quem Cazanus Tartarus regioni præfecerat, A. C. 1304. tandem ad Turcas, sub Selimo I. A. C. 1517. devolveretur. Hodiè *la Sourie* Gall. *Souristan* incolis, cùm latè sumitur, complectitur Syriam propriam Palæstinam & Phœniciam. Tota sub Turcis, cùm anteà Ægyptiis pareret. Vide suprà. Syriæ propriæ maxima latitudo est ab Ortu in Occasum 175. mill. pass. longitudo à Septentrione in Meridiem 430. nempe inter Ciliciam ad Boream & Phœniciam ad Meridiem. Terminatur ab Occasu mari Mediterraneó seu Syriacô hinc dictô, ab Ortu Arabiâ desertâ & Assyriâ, Ejus præcipuæ partes fuêre Syria propriè dicta, Cœlesyria, Comagene & Palmyrene. Caput Antiochia, ad Orontem, hodie *Antachia*, *Baudrand*. Addo quòd adeò laxè nonnunquam Veteres *Syriæ* voce usi deprehenduntur, ut Mesopotamiam quoque, Babyloniam, & Assyriam complecteretur. Unde Mela, *l.* 1. *c.* 11. *Syria & Cœle dicitur & Mesopotamia & Damascene, & Adjabene, & Babylonia, & Judæa & Sophene.* Vide quoque Plin. *l.* 5. *c.* 13. Itaque videas ab ipso Cicerone *de Divin. l.* 1. Chaldæos in *Syria* statui; & Sardanapalum dici *Syriæ Regem*, *Tuscul quæst. l.* 5. quem *Assyrii* alii nuncupant. Nec mirum, quando *Syria* priùs *Assyria*, quique *Syri*, illi anteà *Assyrii*, ut ex Herodoto, *Polyhymnia*, Trogo, *l.* 1. *c.* 7. Aliis constat. Maro proin quoque *Georg. l.* 2. *v.* 465. *Assyrium venenum*, pro *Syra* seu *Tyria purpura* dixit; & Senecæ *in Hippol.* Actu 1. *v.* 87. mare Mediterraneum *Assyria tenus* se extendit Voss. *de Idol. l.* 2. *c.* 9. qui etiam *l.* 1. *c.* 24. Strabonis quidem temporibus, ad sinum Issicum, sed antiquioribus, usque ad Pontum Euxinum, extendisse se *Syros* tradit. Strabo enim id *l.* 16. indigitat, ubi ostendit, Cappadoces utrosque, & qui Taurum & qui Pontum accolunt, *Leucosyros* vocatos, ut distingerentur à *Syris* nigris, qui erant extra Taurum, ad Amanum usque montem: Unde Armenia minor & Cappadociæ pars olim Syriæ tributa. Porrò *Syriæ* nomen aliter usurpant Scriptores sacri, aliter profani. Scripturæ enim more *Aram*, quam *Syriam* reddunt Interpretes LXX. tum de Mesopotamia dicitur, quæ vocatur *Aram Naharaim* & *Padan Aram*, tum de Cœlesyria, unde legas *Aram Dammesek*, h. e. *Syria Damascena*: Item *Aram Zoba*, h. e. *Zophena*, ut vocat *Josephus*, & sic in aliis. Itaque eædem S. Literæ nomine *Aram* distinguunt Syriam à Phœnicia & Palæstinâ, ut videre est Judic. *c.* 10. *v.* 6. & 2. sive 4. Regum *c.* 24. *v.* 2. Græci verò ac Romani laxiùs voce utuntur ut vidimus. Adde, quæ de homonymia vocis habet Salmas. *ad Solin. passim*, qui inter alia nihil odorum, præter calamum & juncum, in *Syria* nasci, adnotat, *p.* 1059. & 1068. Inter *Syrorum* Deos, de quibus Jo. Seldenus integrô opere commentatus est Jephthæ quoque filiam locum habuisse, suggerit Epiphanius, *hær.* 55. ubi de Melchidecianis, *ἐν δὲ τῇ Σεβαστῇ τῇ ποτὲ Σαμαρείᾳ καλουμένῃ, τὴν θυγατέρα Ἰεφθάε θεοποιήσαντες εἰς αὐτὴν τελετὴν κατ᾽ ἔτος ἄγουσι*, *Sebaste verò, quæ olim Samaria, Jephthæ filiam divinis honoribus consecrârunt, in cujus memoriam solemne quotannis festum celebrant.* Cujus festi originem cognoscimus ex Judic. *c.* 11. *v.* 39. 40. Et fortè ex *Ἴεφθις*, quomodo filia sit à Patre dicta, correptum *Ἶφις*, uti ex eo & *ἄνασσα*, conflatum *Ἰφιάνασσα*: item, quia genita ex *Iphe*, h. e. *Jephthe*, dicta est *Iphigenia*: quæ Homero fabulæ de Agamemnone, filiam Iphigeniam sacrificare parato, occasionem præbuisse videtur. Et hæc quidem Numina à *Syris* culta, dum res florerent Assyriæ. Postquàm verò Persæ rerum potiti sunt. Naturæ solùm partes pro Diis coluêre: donec in Græcorum potestatem *Syria* pervenit de quorum cultu dicetur infrà in voce *Syromacedones*. Cur piscium & columbarum esu abstinuerint *Syri*, Vide suprà in voce *Atergatis* seu *Derceto*: item in voce *Piscis*; Pisces enim duo Venerem & Cupidinem indigitantes, Veteres *Deos Syros* dictos esse, præcipuô à Gente honore cultos, ibi ostendimus. Imò & capturam piscium hinc aversati sunt, ut ex *Hygino* patet. Quare Poëta incertus *Ἀνθολογ. l.* 6. Heliodorum rete suum Deæ Syriæ dicâsse, ait: sed

Ἁγνὸν ἀπ᾽ ἰχθυβόλου θήρης,
Purum à venatione pisces capiente, &c.

Vide Voss. *l.* 2. *c.* 36. Cæterùm Græcis *Syrorum* non minùs, ac Medorum & Persarum, res ante Persicum bellum quasi ignotæ erant: quemadmodum clarè ait Strabo, *l.* 15. gravi Auctore Homero illud astruens: ubi Interpr. *Nec enim Homerus* Syrorum *vel Medorum nôrat imperium Alioqui cùm Thebas Ægyptias & earum & Phœnicum nominaret divitias: minimè præteriisset divitias Babylonis ac Nini & quæ Ecbatanis.* Fuit quoque *Syrus*, servile nomen, à natione inditum, quemadmodum *Dacus* & *Geta*, apud Athenienses, teste Strabone, *l.* 7. Item *Mysis*, *Phryx*, *Lydus*, *Japix* &c. Sicut autem Alexandrini, nequitiis, salibus, cantu: Asiatici *Phryges* inprimis & *Lycii* formâ: Sic Medi, Mœsi, Galli, Bithyni, Cappadoces, Liburni,

burni, *Syrique*, viribus valentes, ad lecticas & onera parabantur, &c. Laur. Pignorius, *de Servis*. A *Syria* porrò dicti *Syriarchæ*, Sacerdotes provinc. Syriæ, de quibus prolixè agit Jac. Gothofredus, *ad l.* 1. *Cod Theod. de Prædiis Senator.* Vide quoque ubi de *Asiarchis*, *Lyciarchis* &c. uti de *Syria* triplici Salmas. *ad Solin.* p. 470. & 488.

Syriæ propriæ urbes præcipuæ.

Alexandria, *Alessandretta.*	Hierapolis, *Tedith.*
Antiochia, *Antachia.*	Laodicea, *Laudichea.*
Berrhœa, *Alep.*	Palmyra, *Fayd.*
Emessa, *Hems.*	Samosata, *Scempsat.*
	Zeugma, *Interiit.*

Populi *Syri*, quorum lingua, ut & Chaldæorum, magna ex parte Hebræorum sermoni continuis est, atque eôdem quidem literarum sive elementorum sonô, sed diversis duntaxat in iis exprimendis utuntur characteribus. Ipsi verò Syri molles sunt, effœminati, debiles, unde *Syrissare*, & ad res novandas magnopere leves. Perunguntur oleô pretiosô, & liniuntur unguentis. Ludis præterea celebritatibusque dediti, ad nullam aliam rem promptiores sunt quàm ad iracundiam: ad hæc astutiæ notâ infames sunt & mercaturæ lucroque maximè addicti. Hinc proverbium: *Syri adversus Phœnices*, apud *Suidam*, in versipelles & fraudulentos mutuo, quales erant inter se Syri & Phœnices. *l.* 2. *c.* 7. Φιλόσοφοι οἱ Σύροι. *Multa Syrorum olera* apud Plin. *l.* 20. *c.* 5. vice proverbii habeatur in eos, qui in rebus plus voluptatis, quàm utilitatis afferentibus occupantur. *Syrus cùm non sis, ne Syrissa*, h. e. ne alius videri velis, quam sis. Hinc *Syrius*, Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 88 *Crustumiis, Syriisque pyris, gravibusque volemis.* Propert. *l.* 2. *El.* 13. *v.* 30.

Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.

SYRIACA Radicula, fucando apta, & cibis Syrorum expetita, aliàs *Syriacus Color*, Græcis Συριακὸς κόκκος, absolutè σύριον, Antiquis ὄνυξ & χρῶμα, vide suprà *Radicula*.

SYRIACUM Mare Ptol. *Sidonium* Eustath. *Judaicum* Tacit. *l.* 5. *Histor. c.* 7. *Mare di Soria*, apud Syriam, Phœniciam Palæstinamque alluit.

SYRIACUS Pons, locus Galliæ, quem vulgò Pontes Icaunæ, *Pons sur Yonne* vocant, 7. mill. pass. à civitate Senonum. Hic signum majoris Ecclesiæ Senonicæ, quod miram habebat dulcedinem, de quo vide *in vita S. Lupi Episcopi Senon.* Chlotarius Rex Chlotarii majoris nepos, Chlodovei pronepos circa A. C. 620. navibus imponi jussit, ut secundo fluv. Icaunâ, deinde Sequanâ Lutetiam deferretur: quod posteà Agedicum Senonum reportatum est. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* qui occasione hujus signi, de Veter. campanis egregiè disserit, in voce *Siriacus pons*.

SYRIÆ Portæ, *Ptol.* Vide *Portæ Amanicæ* & Ciliciæ.

SYRIANI Hæretici, vide ubi de *Eutychianis* & *Nestorianis*.

SYRIANUS, Alexandrinus Philosophus Platonicus, An. 470. docuit Athenis, scripsitque *in totum Homerum commentarios*, *libros* 7. *in Platonis Remp. libb.* 4. & alia. Hujus discipulus & successor fuit Proclus. *Suidas.* Item, Præfectus Ægypti, Athanasii persecutor.

SYRIATICUS, apud Solin. *c.* 1. *Regem Antiochum Artemon quidam e plebe Syriatica sic facie æmulâ mentiebatur* &c. idem quod *Syrus*, è Σ... enim gentile, unde Συριατικός. Sic *Syriaticum bellum*, apud Florum, *l.* 2. *c.* 9 pro *Syriaco*, Salmasius, *ad l.* ... vox sumitur apud Baldricum Noviom. *Chron. l.* 2. *c.* 63. *Syriaticô turgore inflatus*. Hic enim sic dicitur, qui voce Gall. *Sire*, quâ donabantur Magnates, compellari superbiebat. Originem ejus è Græco Κύριος, seu, ut Byzantini efferebant, Κύρος vel Κύρις, nonnullos arcessere, diximus suprà in hâc voce.

SYRICA Carpenta, apud Propertium; *l.* 3. *El.* 8. *v.* 23.

Syrica nam taceo Volsi carpenta nepotis:

pigmentô syricô miniata sunt. *Syricum* nempe, seu *Sericum*, dictus color ruber & sandaracinus: quem ex sandice & sinopide mixtis fieri Plin. *l.* 35. *c.* 6. habet. A *Syro* insula, de quâ suô locô. Idem cum *Sori* facere Recentiores, & genus Silis esse (imò vocem *Syl* vel *Sil* inde ortam) refert Salmas. *ad Solin.* p. 1158.

SYRICIUS, Roman. post Damasum, Papa, A. C. 385. ope Valentiniani Imperatoris Ursicinô frustra renitente. Primus inter suos Sacerdotibus conjugiô interdixisse fertur, malè intellectô dictô Pauli Roman. c. 8. v. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*: cùm concil. Nicenum libera ea esse voluerit. Hilariusque Pictaviensis, Nazianzeni pater, Nyssenus Basilii M. frater aliique plurimi conjugati, imò & posteà, Alcimus Ecdicius Avitus, qui floruit sub finem seculi 5. patri successerit in Archiepiscopatu Viennensi, nepos insuper, pronepos, & abnepos Episcoporum fuerit. Usus est autem Cœlibatus promotoribus, in Oriente Eustathiô, & Epiphaniô: in Occidente, Ambrosiô & Hieronymô, *contra Jovinianum*. Nihilominus tamen etiam 100. ann. post Ecclesiastici, in Hispaniâ Galliâque, ubi tot synodi eô fine celebratæ, uxorati mansêre. Tanti erat Cœlibatus condere legem. Mart. Chemnitius, *exam. part.* 3. *de Cœlib.* Socrat. *l.* 1. *c.* 14. Salvian. *l.* 5. *de Provid.* Obiit A. C. 398. Isidor. *de Vir. Illustr. c.* 3. Anastasius & Ciaccon. *de vit. Pontif.* *Trithem* &c. Successit Athanasius.

SYRICIUS, Sophista Sichemiensis, in Palæstina. Docuit Athenis, & scripsit quædam. Suid. *in Lex.*

SYRICTÆ, gentes inter Nomadas & Indos, narium locô foramina tantum habentes, *anguium* modo loripedes. Plin. *ex Megasthene l.* 7. *c.* 2. Ubi Salmas. legendum censet *Syrtas*; quia nempe traherent podes, ἀπὸ τοῦ σύρειν. Sed rectè sese habet vulgata lectio. Quâ enim fistulâ sorbebant, eâdem etiam sibilabant. Confirmat hanc lectionem Ælian. *de Anim. l.* 16. *c.* 22. ... Malè vulgò Συρίκται. Sed & sequentia quis intelligat? Ridiculè verterunt interpretes: *Sunt & Syrictæ gens ultra Indiam, simis naribus, sive stamnis, sive à teneris aspectu in mari degere, & urinando nasum offendere ad saxa.* Profectò scripsit Ælianus ἐν σπαργάνοις, non ἐν θαλάσσῃ. Hæc vera est causa, quamobrem Mauri, & variæ Indorum & Æthiopum gentes simas habeant nares, quia nempe recens natis nasus infringitur. Voss. *ad Melam*, *l.* 3. *c.* 9. Nic. Lloydius.

SYRIMALAGA, urbs Indiæ intra Gangem. *Ptol.*

SYRINGES, locus Ægypti apud Thebas, trans Nilum, in quo stelæ à Mercurio primùm hieroglyphicis literis exaratæ, conditæ erant. De illo sic Pausan. *l.* 1. *non procul à sonante Memnonis statua: locum hic Σύριγγας appellant.* Et Amm. Marcellin. *l.* 22. *Sunt Syringes subterranei quidam & flexuosi secessus, quos ... periti rituum vetustiorum (adventare Diluvium præscii metuentesque ne ceremoniarum oblitteraretur memoria) penitus operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt: & excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, & animalium species innumeras quas Hieroglyphicas literas appellant.*

SYRINTHUS, urbs Cretæ: Nunc in ruinis. Gentile *Syrinthius*. *Steph.*

SYRINX, Nympha Arcadica, una Naidum, quæ cùm vim Panos alioqui effugere non posset, invocatô sororum numine, in calamos palustres est mutata. Ovid. *Met. l.* 1. Σύριγξ nempe Græcis *calamus* est, seu fistula, propriè πολυκάλαμος, Marsyæ inventum, vide suprà. Sed & genus ornamenti circa crines, quô continebantur cirri, quodque aliàs καλάμις dictum, hâc voce occurrit. Vide Salmas. *ad Solin.* p. 761. Unde συριγγίας κάλαμος, *Syringia* Plinio, item *fistulatorii* dicti non quòd ex eo fierent fistulæ, sed quòd toti essent concavi, ad fistulæ instar, minimumque haberent carnis & ligni. Indidem verbum συρίζειν, *fistulà canere*, & συριγμὸν *ore sibilum edere*: de quibus vide Salmas. *ad Solin.* p. 220. 221. 1299. & *seqq.*

SYRIS fluv. Magnæ Græciæ, vide *Siris*.

SYRIUM, fluv Bithyniæ.

SYRIUS Ros, apud Tibullum, *l.* 3. *El.* 4. *v.* 28.

Stillabat Syriô myrrea rore coma:

stacte est, quod erat liquidissimum ac pinguissimum è myrrha expressum, & per se unguentum faciebat, *myrrhæ* nomine Latinis dictum: adeoque *ros Syrus*, est stacte myrrhæ Syriæ. Sic autem hæc dicta est, non quòd in Syria nasceretur, nusquam enim ibi inveniebatur, nisi advectitia. Sed eôdem modô, quô Malabathrum *Syriacum* Nardus *Syriaca* &c. quòd è Syria, aliunde in illam advecta, ad Romanos ista deferrentur. Quod minimè novum, cùm hodieque merces ab emporiis æquè, ac à solo natali, denominationes sumere soleant. Salmas. *ad Solin.* p. 1061.

SYRMA, Tragœdis proprium. *Ut enim personæ communes eâ formâ introducebantur, quæ à veris sustinebatur: Sic seorsim pro statu cujusque aut fortuna, Reges Latini, cum trabea & lituo, Romani Imperatores paludati, cum purpura & laurea & stipatoribus & igni, qui præferebatur. Regina cum Palla & croceo velo. Pallæ faciès tralatitia unde, & Syrmata & συρτὰ à Græcis & πέπλοι & ποδήρεις, omnes demissæ: Cujusmodi liberas uti solitas scribunt, nunc tota Asia & Europa universa.* Jul. Cæs. Scaliger, *Poetices l.* 1. *c.* 16. Itaque ea vestis pars fuit, quæ oblonga solum verrebat. Quô factum, ut pro Tragico stylo ab Auctoribus non rarò usurpetur. Unde Martialis, *l.* 4. *Epigr.* 49. *v.* 9.

A nostris procul est omnis vesica libellis,
Musa nec insano Syrmate nostra tumet.

Idem *Syrmatis* quoque meminit, *l.* 12. *Epigr.* 94. *v.* 3.

Transtulit ad Tragicos se nostra Thalia cothurnos,
Aptâsti longum tu quoque Syrma tibi.

Unde meritò Auctorem Prolegom. *Terentii*, Comœdiæ tribuentem *Syrma*, refellit Octav. Ferrarius, *de Re Vestiar. Parte* 2. *l.* 4. *c.* 1. Sed & σύρμα, Græcis de filis, propriè de argenteis. Unde συρματῖνον & συρματωτόν, *vestimentum filis argenteis textum & opertum* apud infimæ Græciæ Scriptores. Qua de re vide Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano*, *c.* 46. & *ad Tertull. Pallium c.* 3. uti de pileis συρματικοῖς Procerum olim in Aula Constantinopol. à Magno Primicerio usque ad Curopalatem, infrà voce *Umbella*.

SYRMA Antigones, locus Pausaniæ memoratus, *l.* 9. à Polynicis corpore, per illum ægrè ab ea *tracto*, nomen adeptus, de quo vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad Statium Theb. l.* 12. *v.* 411.

SYRMÆUM, campus inter Nomadas & Nabatæos. *Steph.*

SYRMATÆ, iidem qui *Sauromatæ*: Scribit enim Eudoxus, Syrmatas ad Tanaim fluv. habitare. *Steph.*

SYRMIUM, Pannoniæ inferioris oppid, cujus Episcopus Photinus Sabellii & Samosateni dogmata resumpsit, sed concilii ibidem convocatô condemnatus, A. C. 352. Occupatum à Theodorico, Anastasio Imperatore irato, quòd Bulgaros in Pannoniam immisisset. A. C. 504. Vide *Syrmium*.

SYRMUS, Triballorum Rex. Arrian. *l.* 1.

SYRNA, urbs Cariæ à Podalirio condita. Ajunt enim Podalirium cùm aberrâsset, delatum in Cariam à capratio quodam servatum esse, & ductum ad Cariæ regem Damæthum, cujus filiam è tectô delapsam, & detractô ab ambobus brachiis sanguine ille curavit: quod admiratus rex filiam ei conjunxisse fertur; & Chersonesum donâsse, in quâ Podalirius 2. civitates, alteram uxoris nomine, *Syrnam*; alteram verò pastoris nomine, à quo servatus fuerat, *Capraciam* condidit. *Steph.*

SYR-

SYRNOS, insul. maris Ægæi, ab Andro 80. mill. pass. *Sirna nunc in tabulis recent.*

SYROCILICES, populi in confinio Syriæ, ad Amanum montem. Mela, *l.* 1. *c.* 2.

SYROMACEDONES, dicti sunt Græci, postquam in *Syria* rerum potiti sunt. Hi, ex sua gentis consuetudine, cùm Persæ Naturæ solùm partes, non verò defunctorum animas in illa colerent, alium videntur invexisse morem, illi consimilem, quem apud Syros, cùm Assyriæ res florerent, viguisse diximus. Ante omnes honore cœlesti ab iis celebratus Seleucus Nicanor, ut Macedones vocârunt: sive Nicator, ut reliqui nominabant Græci. In cujus honorem cùm variæ sint conditæ Seleuciæ; Fanum honori ejus, fortè & alibi, sed saltem in ea Seleuciæ urbe fuit, quæ erat in littore Maris Mediterranei, prope Phœniciam, uti discimus ex Appiano in *Syriacis*: ubi Νικατόρειον, *Nicatorium* dictum fuisse tradit. Ab ejusdem Seleuci initiô, sive duodecimô annô ab excessu Alexandri, populi hi, ut & plerique Orientis alii, annos numerare consuevêre; quemadmodum Romani olim ab Urb. Cond. Græci veteres ab Olympiadum initio, ab Orbe condito Constantinopolitani; Christiani, præeunte Dionysiô, cognomine *Exiguo*, Abbate Rom. circa A.C. 526. à nato CHRISTO, illos orsi sunt. Gerh. Jo. Voss. *de Scient. Mathem. c.* 40. §. 11. Vide eundem *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 23.

SYROMEDIA, regio Asiæ, in qua Cyropolin constituit Ammianus, Eam Persidi prætendi, *Ptolomæus* habet. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1193.

SYROPHOENIX, habitans in ora maritima Syriæ. Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 158.

Sed cùm pervigiles placet instaurare popinas;
Obvius assiduô Syrophœnix udus amomô
Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ.

Mulier *Syrophœnissa* dicitur. Marc. *c.* 7. *v.* 26. Item regio Syriæ, eadem Phœniciæ. *Ferrar.* Quà ad Boream Libani sita, Syriæ potiori conjungitur: Fuit in tribu Aser.

SYROS, hodieque *Siro*, maris Ægæi insul. quam Homerus *Syriam* vocat *in Odyss.* uti *Strabo* & *Stephanus* testantur. *Syra* Sophiano adhuc dicitur. Satis culta. Sub Turcis. Habet Episcop. Latini ritus. 16. milliar. à Thera Insf. Locus Hom. *est* Od. O. *v.* 402.

Νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται (εἴ που ἀκούεις)
Ὀρτυγίης καθύπερθεν, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο.
Εὔβοτος, εὔμηλος, οἰνοπληθὴς, πολύπυρος.
Πείνη δ' οὔ ποτε δῆμον ἐσέρχεται, οὐδέ τις ἄλλη
Νοῦσος ἐπὶ στυγερὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Inde per aphæresin Phœnicibus familiarem, vel שירה *Sira* pro עשירה, i. e. *dives.* Vel שורה *Sura* pro אשורה *Asyra*, i. e. *beata* dicta est hæc insula, *Scyron* verò pro Syro perperam habent *Scylax*, Mela, *l.* 2. *c.* 3. & *Ptol* Sed in censu Cycladum apud Plinium Scyros est intrusa perperam, & libris repugnantibus, ut observatum est à magno Salmasio. *Bochart. l.* 1. *Chanaan. c.* 14. *Nic. Lloyd.* Syros quoque fluv. Arcadiæ in Alpheum influens. Pausan. *in Arcadic.* Item fluv. M. Græciæ in Calabria ultima, in sinum Scyllaceum per Chonam urbem se exonerans. *Nascar* Barrio. Vide *Steph. Ferrarius.*

SYRTÆ, apud Plin. *l.* 7. *c.* 2. *anguium modo loripedes vocari Syrtæ*, nomen populi, de quo vide in voce *Syrictæ.* Nempe sic appellati sunt, quòd pedes habeant lentos & fluxos anguium instar vel lori, adeoque *trahant* pedes & repant potiùs, quam ambulent, ἀπὸ τοῦ σύρειν τὼ πόδε, ut habet Salmas. *ad Solin.* Sed *Syrictæ* quos ille locò movet, apud Plin. retinendos esse, jam diximus.

SYRTES, mare vadosum & scopulosum Africæ inter Byzacenam ad occasum & Cyrenaicam ad ortum longè lateque diffusum; vulgò *le Secche di Barbaria, & Baxos di Barbaria* Hispanis, *mare Syrticum* apud Senecam. In magnam & parvam dividitur. *Magna*, sinus est maris Africi, inter Leptin magnam ad occasum & Berenicen urbem Cyrenaicæ ad ortum aditu 316. mill. pass. patens, circuitu 625. teste Plinio, *l.* 5. *c.* 4. *Golfo di Solocho*, & *Golfo de Palo* in tabul. *Parva*, inter Taphruras ad occasum & Zetham promuntor. ad ortum apud Leptim magnam, quæ inter utramque intercedit, ambitu 300. mill. pass. patens, quot à Carthagine distat, *Golfo di Caps* Ortelio: & *Golfo di Beito* Fazello. Utraque navigantibus est periculosissima, quòd mare ibi vadosum sit, arenæ vehens cumulos, qui loci faciem vicissim immutant, dorsaque & brevia in alia atque alia loca transferunt. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 114.

——— *Tres Eurus ab alto*
In brevia & Syrtes urget (miserabile visu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

Idem *l.* 4. *Æn. v.* 41.

Et Numidæ infræni cingunt & inhospita Syrtis.

Horat. *l.* 2. *Carm.* Od. 6. *v.* 3.

Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Æstuat unda.

Idem, *l.* 1. Od. 22. *v.* 5.

Sive per Syrtes iter æstuosas.

Idem, *Epod.* 9. *v.* 31.

Exercitatas aut petit Syrtes Noto.

Propert. *l.* 2. *El.* 9. *v.* 33.

Non sic incertò mutantur flumine Syrtes,
Nec folia hybernô tam tremefacta Notô.

Inde *incerta Syrtis* dicitur Senecæ, *in Hyppolyto. Actu* 2. *v.* 570. Idem Propert. *l.* 3. *El.* 18. *v.* 7. ubi de Impossibilibus:

Et placidum Syrtes portum, & bona litora nautis
Præbeat hospitio sæva Malea suo.

Silius, *l. ultimo, v.* 639.

——— *Et semper naufraga Syrtis.*

Val. Flaccus, Argon. *l. penultimô, v.* 86.

——— *Et sævas accedere Syrtes.*

Lucanus, *l.* 9. *v.* 304.

Syrtes vel primam mundo Natura figuram
Cùm daret, in dubio pelagi terræque reliquit.
(Nam neque subsedit penitus, quæ stagna profundi
Acciperet, nec se defendit ab Æquore tellus,
Ambiguâ sed lege loci jacet invia sedes:
Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundô,
Et post multa sonant projecti litora fluctus.
Sic malè deseruit, nullosque exegit in usus
Hanc partem Natura sui.) vel plenior altô
Olim Syrtis erat pelagô, penitusque natabat:
Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens,
Æquora subduxit Zonæ vicina perustæ:
Et nunc pontus adhuc Phœbo siccante repugnat.
Mox ubi damnosum radios admoverit ævum,
Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda superne
Innatat, & late periturum deficit æquor.

Sallustius, *in Jugurtha, c.* 78. *Cæterùm situm erat inter duas Syrtes, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura, quorum proxima terræ præalta sunt, cætera, uti fors tulit alta, alia in tempestate vadosa: nam ubi mare magnum esse, & sævire ventis cœpit, limum, arenamque & saxa ingentia fluctus trahunt; ita facies locorum cum ventis simul mutatur.* Seneca, *l. de Vita beata, c.* 14. *Sicut deprehensi in mari Syrtico, modò in sicco relinquuntur, modò torrente unda fluctuantur.* Vide Plin. *l.* 5. *c.* 4. Mela, *l.* 1. *c.* 7. *Syrtis sinus est centum ferè millia passuum, quà mare accipit, patens: trecenta, quà cingit. Verùm importuosus, atque atrox, & ob vadorum frequentium brevia, magisque etiam ob alternos motus pelagi affluentis & refluentis infestus.* Solinus, *c.* 30. *Inter duas Syrtes quas inaccessas vadosum ac reciprocum mare efficit. Cujus sali defectus atque incrementa haud promptum est deprehendere, ita incertis motibus, nunc in brevia rescinditur dorsuosa, nunc æstibus inundatur inquietis.* Hactenus Latinè; jam Græcos videamus. Dio Chrysostomus *in fabula Libyca, Orat.* 5. Ἔστι δὲ ἡ Σύρτις κόλπος θαλάττης εἰσέχων ἐπὶ πολὺ τῆς χώρας, καὶ τριῶν ἡμερῶν φασι πλοῦν ἀκωλύτως πλέοντι. Τοῖς δὲ κατενεχθεῖσιν, ἀδύνατον ἔκπλουν εἶναι. Βράχη γὰρ καὶ διθάλαττα, καὶ ταινίαι μακραὶ μέχρι πολλοῦ διήκουσαι ποιοῦσι τὸ πέλαγος ἄπορον καὶ δύσπλουν... ὁ γὰρ ... τῆς θαλάττης ἀγγείου καθαρόν, κοῖλος δὲ καὶ ψάμμος... ὑπὸ τῆς ... τοῦ πελάγους, οὐδὲν ἔχων στερεόν. &c. Strabo, *l.* 17. Ἡ χαλεπότης δὲ καὶ ταύτης τῆς Σύρτεως καὶ τῆς μικρᾶς, ὅτι πολλαχοῦ τεναγώδης ἐστὶν ὁ βυθὸς, κατὰ τὰς ἀμπώτεις, καὶ τὰς πλημμυρίδας, συμβαίνει ἔστιν ὅτε ἐμπίπτειν εἰς τὰ βράχη, καὶ καθίζειν, σπανίαν δ' εἶναι τὴν σωτηρίαν τοῦ σκάφους. Διόπερ τὸν παράπλουν ποιοῦνται, φυλαττόμενοι μὴ ἐμπέσοιεν εἰς τοὺς κόλπους ὑπ' ἀνέμων ἀπαρασκεύαστοι ληφθέντες. Vide seqq. *Nic. Lloydium.*

SYRTIS Judææ, scopuli & brevia maris Æthiopici inter Delphinam Insul. seu Madagascariam ad Ortum & oram Zanguebariæ ad Occasum. Extensi ad 50. mill. pass. à Septentrione in Meridiem. *Os Baxos de Judea* Lusit. *les Basses de la Juifve* Gall.

SYRTIS Magna seu Major, sinus est magnus maris Mediterranei in ora Africæ, extensus inter Cyrenaicam & Tripolitanam regionem, hodie *les Seiches de Barbarie* Gall. *Baxos de Barberia* Hisp. *Golfo de Sidra* Italis: Ejus circuitus est 400. mill. pass. circiter. Sed nullus in eo portus. *Baudrand.*

SYRTIS Maxima, mare vadosum Americæ Septentrionalis, versus partem Orientalem Insulæ Terræ Novæ; *le grand Banc*, Gall. Extensum ad 500. mill. pass. à Septentrione in Meridiem, sed 100. tantùm ab Ortu in Occasum, ubi quotannis maxima Molucii piscis piscatio ab Europæis. Hinc in Ortum altera Syrtis minor, *le petit banc*, distat.

SYRTIS Parva seu Minor, Sinus ejusdem maris, in ora Africæ, inter Tripolitanam & Byzacenam regiones extensus, hodie *Golfe de Capes* Gall. seu *Capsus sinus*, cujus circuitus 190. mill. pass.

SYRTITES, nomen gemmæ, apud Solin. *c.* 2. *Eruitur gemma in parte Lucaniæ, facie adeo jucunda, ut languentes intrinsecus stellas & subnubilo renidentes croceo colore perfundat, ea quoniam in littore Syrtium inventa primum est, Syrtites vocatur.* Simpliciùs & veriùs Plinius, *Syrtitem e melleo colore croco refulgentem, stellas intus continere languidas*, ait, *l.* 37. *c.* 10. Sensus est, Syrtitæ melleum colorem in croci fulgorem exire. Dicitur autem *color* in gemma, quem prima ἔμφασις exhibet, *fulgor* verò, qui in suspectu vel despectu, luce aliter & aliter acceptâ, variè nunc igne, nunc sole, nunc inclinatione excitatur & radiat. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 91.

SYRUS, Ionica insula, Asiæ opposita, unde Pherecydes ortum habuisse dicitur. Strabo, *l.* 12. Vide *Steph.*

SYSARION, Icariensis (à pago dictus) Comœdiæ auctor. Clemens, *l.* 1. *Strom. Jambum excogitavit Archilochus Parius: claudum Jambum Hipponax Ephesius; Tragœdiam Thespis, Comœdiam* Sysarion *Icarieus.* Quam primò ... fuisse, ex *fragmento* ejus apud Stobæum liquet, quod vide suprà voce *Susarion*, namque & sic scribitur.

SYSCIA, vide *Scissa.*

SYSIGAMBIS, mater Darii ultimi ab Alexandro ad Isson capta, ac matris veneratione culta.

SYSIMETHRES, Persarum satrapa fuit, qui duos ex matre liberos suscepit. Nam, authore Qu. Curtiô, apud Persas parentibus stuprô coire cum liberis fas est, *l.* 5. *c.* 1. Infandum scelus, & per quod jure gentium incestus committitur, *leg. fin. de R. N.* sed viderit ibi Paulus, quid appellet jus gentium. Ecce enim, quod nos meritò abhorremus, probabatur Arabibus, Persis, Assyriis, Parthis, Medis, Ægyptiis, Phrygibus, Galatis, Æthiopibus, Indis, Scotis, Hibernis, Nauræ regionis incolis, Nomadibus; ut ex variis Auctoribus ostendit Tiraquellus, *leg. Connub.* 7. 30. 32. 33. & Alexandri *Dier. Genial. l.* 1. *c.* 24. Quibus accedunt haud pauci ex incolis terrarum recens repertarum. Eò respicit Ovidianum illud, *Metamorphoseon l.* 10. *v.* 331.

——— Gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur. ———

Orosius, *l.* 1. *c.* 4. à Semiramide hunc morem introductum refert. Theodoretus *contra Græcos*, Grat. 9. *de legg.* ait, Persas, ex Zaradæ cujusdam instituto, matribus misceri. Apud Diog. Laërtium, Pyrrho, hâc consuetudine, & aliis similibus, demonstratur: *idem aliis bonum, aliis malum videri.* Quomodo & Corn. Nepos, *proœmio*: *Non eadem omnibus esse honesta, atque turpia, sed omnia Majorum institutis judicari.* Eôdemque sensu Artabanus in Plut. *Themistocle*, c. 46. Summus quoque gentilium Philosophor. *Ethic. l.* 1. *c.* 3. τὰ καλὰ, inquit, καὶ δίκαια τοσαύτην ἔχει διαφορὰν, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. Quorsum hæc? Ut nempe constet, certos indubitatosque bonorum & malorum fines constituere, non esse Naturæ, sed Gratiæ, Freinshemius *not. in locum Curtii suprà citatum.* Cœterùm *Sysimethres* hic, adventu Alexandri, cum 2000. armatis fauces regionis, validô munimento, sepsit. Sollicitatum ad deditionem, mater eademque conjux morituram se ante denuntians, quàm in ullius veniret potestatem, barbari animum ad honestiora, quàm tutiora flexerat. Mox tamen, quum hostis vires, suasque pensaret, permisit se victori, imperium recepit: quam gratiam paulo pôst largè retulit, cùm multa jumenta & camelorum duo millia adduxit, pecoraque & armenta: quibus distributis miles Alexandri & damno & fame quâ laborabat, liberatus est, Rege præfato, *gratiam sibi relatam à Sysimethre*, Idem Curtius, *l.* 8. *c.* 4. *Nic. Lloydius.*

SYSINAS, Datamis natu maximus fil. qui à Patre ad Artaxerxem desciit & ad Regem de defectione detulit, Nepos *l.* 14. *c.* 7. Ita enim ibidem rectiùs libri scripti legunt, quàm *Scismas*, teste *Janô Gebhardô.*

SYSTATICÆ, in *Nov.* 6. *c.* 3. *Ne Episcopi ad Principis comitatum accedant, sine* systaticis *literis*: i. e. *commendatitiæ*, dictæ sunt, *quæ Clericis peregrinantibus ab eorum Ordinariis concedi solent*, uti legimus apud Domin. Macrum, *in Hierolex.* Græcè συστατικαί. Paulus, 2. Corinth. *c.* 3. *v.* 1. Ἀρχόμεθα πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνειν; Εἰ μὴ χρῄζομεν, ὥς τινες, συστατικῶν ἐπιστολῶν πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐξ ὑμῶν συστατικῶν; ad quem locum vide Bezam, Grotium, Alios, ut & suprà in voce *Commendatitiæ*: plura verò hanc in rem apud Cl. Suicerum *Thesaur. Eccl.* in voce Σύστασις, quæ inter alia quartam quoque in Ecclesia olim stationem Pœnitentium, qui *Consistentes* Latinis dicti, notat, item voce Συστατικὸς

SYTHAS, fluv. Peloponnesi, per Sycioniam regionem in Sinum Corinthiacum fluens. Pausan. *l.* 2.

SYVERUS, fluv. Atticæ, in quo chrysoprasus. *Plin. l.* 37. *c.* 8.

SYZETETÆ, Græcè Συζητηταὶ, Latinè *Disquisitores*, Hebraic. *Darschan*, post Sapientes & Scribas, memorati Apostolo, 1. Corinth. 1. *v.* 20. dicebantur apud Judæos, qui Allegoriis intenti, Biblici textus mysticum sensum eruebant; unde ipsi *Darschan*, & expositio illorum *Midrasch*, ac Schola *Bethhammidrasch* appellata. Profundissimi Scripturæ interpretes habebantur: quæ causa, quòd verba Davidis Psal. 48. 7. *Qui pergunt ab acie ad aciem*, vulgò exponantur, *A templo ad Beth Hammidrasch*, h. e. à schola inferiori ad superiorem. Sapientes contrà, quorum meminit Paulus, Traditiones docebant, Scribæ verò literam urgebant. Dicti autem Συζητηταὶ sunt Apostolo, quia dum illi solas Allegorias sectati fabulosis expositionibus sæpe textum involverent, ζητήσεις inde & disquisitiones quamplurimas oriri necessum erat, unde iterum alibi de illis Apostolus verba faciens, Timotheum monet, ab hoc Scripturas interpretandi modo sibi caveat, 1. Timoth. 4. *v.* 7. &c. Vide Thomam Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 6. & aliquid suprà, voce *Physica.*

SZEGEDINUM, inferioris Pannoniæ emporium, sale Transylvanicô celebre. Patria fuit Stephani Szegedini, cognomine *Kis*, ex genere Cumanorum, Theologi clarissimi, qui discipulus Lutheri ac Melanchthonis, variis in Hungariæ urbibus, etiam postquam esset à Turcis captus ac malè habitus, privatim, Evangelium prædicavit ad se venientibus, inque ipsis vinculis varia scripsit, ac inter alia *Locos Communes Theologiæ sinceræ*: Obiit A. C. 1572. *Ætat.* 67. Auctor porrò *tabularum Analyticarum Vet. Testamenti*, *edit. in fol.* A. C. 1595. *Speculi Romanor. Pontificum, cum quæstionibus quibusdam de Traditionibus Pontificiis*, & *Assertionis de Trinitate.* Thuanus *Histor.* Anton. Teissier, *Elog.* Part. I. *Quenstedius*, *Melchior Adami* &c.

T.

T instar reliquarum mutarum, non sine difficultate aliqua pronuntiatur, hinc ei ab *M.* apud Lucianum, *Dial. Voc.* exprobratur, quòd discerpere velle vocem videatur. Sæpe pro *S.* ponitur: unde *Puttare*, pro *Pulsare*: locô *D.* quoque, cum quo ei magna affinitas est, haud rarò adhibetur, unde *Alexanter* & *Cassantra*, pro *Alexander* & *Cassandra* quandoque dicitur. Apud Romanos usurpatum, significabat Tribunos ratum habuisse decretum Senatus. Malo navis comparatur, apud Auson. *in Technopægnio, de liter. Monosyll.*

Malus ut antennam fert vertice, sic ego sum T.

Et quia crucis figuram imitatur, hinc prædonis supplicium denotare Lucianus, *ibid.* ait: In Romana autem communione Monachi S. Antonii Viennensis *T.* cœruleum in vestibus gestare solent, ut se sub protectione Crucis Christi, uti dicunt, esse ostendant: quamvis necdum liquidò constet, quæ figura cruci fuerit, cui affixus est SERVATOR noster, &c. Vide Voss. *in Aristarcho, l.* 1. *c.* 28. *l.* 2. *c.* 32. Sed & litera Senatusconsultis olim subscribi solita: Val. Max. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 7. Iidem Romani, per Θ & H. in urnam conjectas literas, in judicio capitis, condemnabant: per T. & A. absolvebant. Etiam nonnulli, in nomenclatura militum, per T. superstites, per Θ. defunctos in acie Tribunos annotati, prodiderunt. Vide Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 5. Contrà apud Angles, in palma manus sinistræ sub pollice, furibus inuritur litera T. quòd fur in ea lingua *Thef* dicitur, instituti auctore Henricô VII. uti discimus ex Polydoro, *Angl. Hist. l.* 26. De baculo Abbatum Græcorum, formam hujus literæ exprimente, diximus suprà, ubi de *Baculo Episcopali* &c. Vide quoque infrà *Th.*

TA, fluv. Sinarum, in parte Australi in Quansia & Quamunia. *Martin.*

TAAUTES, fil. Misoris, ut habet Sanchoniathon, apud Eusebium, *Præpar. Evangel. l.* 1. artem scribendi reperit, primusque rerum gestarum Commentarios reliquit: ac Ægyptiis quidem Θωὺθ, vel potiùs Θωὺθ, Alexandrinis autem Θὼθ, Græcis Ἑρμῆς dictus est. Ejus nomine extitêre olim *rerum ab Ægyptiis Regibus gestarum* commentarii, qui ob benefacta divinô honore colerentur: iisque apertè omnia narrabantur. Sed Sacerdotibus satius visum, si rebus gestis allegoricus tribueretur sensus: quod proin reprehendit in illis Philo Byblicus, sic tenebras historicæ veritati offusas, questus; commendatque contrà Sanchuniathonem Berytium, qui ad vetustissimos Ammunæi Templi libros admissus, resectis fabulis, omnia uti gesta prodiderit. Alterius ejus operis meminit ex eodem Sanchoniathone Eusebius, *l. cit. c.* 7. *Hæc in libris Taauti de origine Mundi conscripta reperimus*: additque, *Theologiæ* ejus *mysteria* non nisi per allegorias tradita, primùm à Surmobuio & Thurrone, in lucem fuisse producta. Phœnicium fuisse, & primum omnium Deorum, Ægyptiis *Thoth*, quod ex Hebr תהו *Tohu*, sicut *Bau* ex בהו *Bohu*, quâ voce noctem à Phœnicibus indigitatam docent Eruditi, notat Martinius, *Lexic. Phil.* Quis autem is propriè fuerit, Deus ne summus, an homo propter inventas Artes divinis honoribus excultus, discrepantes enim Auctorum de eo sententiæ sunt; disquirit Georg. Hornius, *Histor. Philos.* variis in locis, *l.* inprimis 2. *c.* 12. ubi *Taautis*, seu potiùs *Thohuthi* nomine non verum Deum, cœli terræque conditorem, sed antiquum quidem interim ignotum Numen, à quo omnia, & hinc ipsæ quoque artes, originem sumpserint, cultum fuisse ostendit. Vide infrà in vocibus *Teuth* & *Theuth*, item *Teutates*. Addo saltem cum Mercurio eundem haberi Vossio, de *Idol. l.* 1. *c.* 22.

TABACI Insula, quæ & *nova Valachria*, Insula Americæ meridialis, in mari Boreali sub Hollandis. Vide *Insula Tabaci*. Cœterum dicta est à *Tabaco* herba, quæ ibi magna copia provenit; Olim & *Nicotiana*, à Nicotio inventore appellata, quòd primus eam ex India ad nos adduxit, Indis suâ linguâ *Piciel* vocatum. Fuit autem Nicotius is Lusitanus qui cùm ornatûs solùm gratiâ *Tabacum* herbam, in hortos suos transtulisset, vis ejus innotuit famulo, hâc occasione. Fecerat is sibi per imprudentiam in digito vulnusculum, quod neglectum & nimiô muneris exercitiô adeoque madore aquæ irritatum, cœpit inflammari: unde lancinatio interior, extus inflammatio & doloris in partes proximas diffusio tanta, ut febricula universum tandem corriperet corpus. Quare, cùm vidisset brassicæ folia, carbonibus aliquantillum ad expellendam frigiditatem fracta, imponi partibus affectis & sic eas demulceri: folium *Tabaci* dextrâ illæsâ atterit & sinistræ laboranti imponit; mirum, continuò virtutem fruticis experitur, videt evanescere vulnus adeoque coire & sanari: quod hero relatum, frutici honori, mortalibus usui fuit. Factum id præteritô seculô. Inde in Galliam delata herba, *Medicea*, à Catharina de Medicis, Regina Matre, nomen accepit: Hinc in alias Europæ regiones diffusa. Itaque Lusitanis, sed & Anglis debet hoc Europa, è quorum provinc. *Virginia* dicta, laudatissimum adfertur. Semen spargitur in solum fœcundum, quod rigatum, pro more brassicæ, producit germen bifolium, id propaginem liceat dicere, quod ex lectulo revulsum agro committatur pingui, ut adolescat: Cùm autem plurimum sitiat, scrobem amat sibi fieri, ut pluviam copiosiùs hauriat & ad radicem fovendam corrivet, adeò ut cœlô longùm siccô à cultore poscat fluvialem, putealemve. Hinc fabula nata, *Tabacum* nubes attrahere, pluvium facere cœlum, remorari messem: scil. ad Septentrionem emittet frutex exhalationem & effractis abyssi repagulis remulcô attinebit nubes, quæ nostrum obtegant Horizontem, ut cœlum vehementiùs lachrymetur. Fuit tamen, cùm hæc opinio pervasisset & frutex novus per agrum secalem sparsus abundaret humidô cœlô, messe ob id tardiuscula, per flagellationem annonæ, ut pueri ex urbe M. ad Mosellam proruerent agminatim in agrum suburbanum, ac *Tabacum* nihil tale metuens crudelissimè invo-

involarent, apicemque, posterorum spem, à caule non ferrò, quod brevissimum supplicium, separarent, sed manibus digitisque revellentes, radicitus extirpatum irent. Actum erat de universa colonia, nisi miles impetu factò sclopetos ad terrorem innocuè explosisset, pueris que pulsis ac fugatis miseras conservasset reliquias. Sed Germania superior acceptum hoc naturæ arcanum Gallo cuidam fert, qui in Virginia diutius commoratus, modum ejus plantandi & funiculandi probè animadvertit, & rei conficiendæ gnarus, tamen cum scientiæ sacrario apud amicum J. Pide deposuit, ac peregrè abiens, tractum Rhenanum, maximè ubi Alsatia audit, nihil despecto Mœnò inferiori, sibi elegit. Ubi conductis agris, confecit ex foliis aridiusculis chordas digitali crassitie aut minutiores, admiscensque fæces vini & herbarum nonnullas virtutes (tinctorum atramentum tamen ob sal nitri perosus, fuscâ non atrâ specie gaudens) fistulas Lemnias, porcellanas, figlinas subactâ cretâ obductas, paravit, quæ capitolium latissimò labrò præferrent, ad Tabacum excipiendum, jam funiculatum quidem sed minutissimè concisum & nonnihil tostum, unde admotò igni arderet & fumum, per fistulam sequisesquipalmalem, attrahenti ori permitteret; fumus autem per guttur nullus descenderet, ne arteriis infestior pervasò ventriculo intestinorum fæces unò ictu resolveret: alvumque citò citiùs dejiceret, nullò ad compositionem corpori indultò tempore. Tantus vindictæ ardor & raptus. Verùm subtilior pars fumi tentat cerebrum, quod Natura homini frigidissimum fecit, & humores superfluos præcipitat in linguam, unde sputi copia & necessitas, dum crassior pars fumi semihiante labellò in aërem remittitur: quemadmodum omnis digestio, omnis cribratio & & filtratio purum ab impuro separat. Porrò, redigitur quoque filium chordarum in pulverem, cui lilium convallium & aliæ herbæ acrioris virtutis admixtæ, ad concitandam sternutationem, si ex superficie convexæ manus tantillus naribus attrahatur ad vestibulum syncipitis, egregio cerebri evacuandi & extergendi remedio: Ajunt tamen, nimiò usu illud exsiccari instar pyri in fornace, etiam fuligine admissâ. Nunquam verò satis laudari potest vel cineris virtus, qui in vulnus sparsus mordet quidem sed à putredine abstinet, sanationis fidissimus minister: etiam inveteratis & serpentibus fistulis feliciter adhibitus. Et sustulit Tabacum, in prædictis Germaniæ locis nasci solitum Virginiam quoque desiderium; quin & inde in Inferiorem Germaniam descendit ut non nisi, ad summam laudem, compage ac signò exoticò opus habere videatur. Volunt tamen æstu marinò & solari reddi exilius, quòd navigationes aliquot mensibus egeant, aliquando etiam merces hæ negligentius condiantur, habeanturque & pro cursu Solis umbras modò dextras modò sinistras spargentis, cis Æquatorem, diversum quid aut tenuius spirent. Adamus Preyelius, Sinæ & Europæ c. 32. In agris Angliæ Glocestriensibus magno cum successu ejusdem plantæ proventus tentatus est, sed edictis Regiis, quanquam ægrè retracti sunt incolæ quòd metueretur, ne, si in ipsa Anglia negotium institueretur, Coloniæ Americanæ inde caperent detrimentum, Auctor Anonymus Hist. Orbis Terr. l. 1. c. 3. §. 4. Plura de usu abusuque Tabaci, Vide in Jac. Balde Satyra in Tabaci abusum, cujus Præfatio sic orditur: *Invadimus totò orbe celeberrimum, sed ancipitis Famæ germen, Tabacum, sive potiùs amatores ejus fumandi acerrimè nimis obnoxios. Invadimus autem scriptione vel idcirco non timidâ, quòd multorum mortalium odio gratificari atque votò nos præstamus. Præstantissimum ajunt ex Brasilia adferri, navibus Lusitanis, Britannicis, Batavis. Primarium ex Insula Ferino; quanquam & tota Virginia commendabilem virtutis hujus herbam copiosè submittit. Aliàs &* Pætum, & Nicotiana herba *vocatur: qui honorificentiùs sentiunt ac Medicè loquuntur*, Panaceam *quoque appellant*. Ut autem Americam Tabacum, sic Orientalem Indiam Betella celebrem reddit, cujus folio Arecæ fructus adhibetur, quò utrôque hospites, appositâ quadrâ calci dicatâ, quam ex ostreis excoctam, & modico usu innoxiam, Betelæ illinunt, solent excipi. Qua de re præter alios, vide Auctorem Sinæ & Europæ, loc. cit.

TABÆ, à Tabo conditore dicta, urbs Lydiæ in Pisidiæ Cariæque confinio. Item oppid. Cariæ, Syriæ item in Peræa regione. Dicuntur Tabæ quasi petræ, in petris enim conditæ, teste Steph. quem sis vide. Sed Alexander in libro de Syria interpretatur *bonam*. Sane Tobh Hebræis *bonum* significat.

TABÆ, Græcè Ταβαί, promontor. in Arabico Sinu, apud Auctorem Peripl., de quo vide Salmas. ad Solin. p. 996. ut & in voce Tabæ.

TABAITÆ, Græcè Ταβαῖται, apud Amyntam, l. περὶ Ἀσίας σταθμῶν, laudatum Athenæo, l. 11. Julio Scaligero sunt Populi interioris Libyæ, iidem cum Tapanitis Ptolemæi, infrà Nasamones siti: Salmasio verò poculi genus lignei, in quo mannam suam Veteres dissolvebant; cui proin Ταβαλίδας hos scyphos appellatos visum, quòd essent instar ταβάλων. Tabala autem Parthi vocabant tympana ænea, ad formam clibani facta, quibus in bellis utebantur: hodieque Atabala Mauris. Cujusmodi pocula etiamnum tornantur, quæ si statuantur inversa, clibani formam referunt. Vide eum ad Solin. p. 1019. & 1020.

TABANA, oppid. Chersonesi Tauricæ, Ptolem.

TABANUS, Varroni à tabe, quòd corpore tabeat, i.e. gracilis sit, Græcè μύωψ, à plerisque Scriptoribus, cum asilo, quem οἶστρον Græci appellant, confunditur. Inter quos Plin. l. 11. c. 28. *Quibusdam aculeus in ore, ut asilo, sive tabanum dici placet*. Et Servius, *œstrum autem Græcum est, Latinè asilus, vulgò tabanus vocatur*. Inprimis Poëtæ passim hæc duo promiscuè sumunt: at aliter sentiunt, qui scribunt accuratiùs. Vide Aristot. Hist. l. 1. c. 5. & l. 4. c. 4. & 7. & l. 8. c. 11. Nempe asilus ex latis animalculis nascitur, quæ feruntur super amnes; unde est, quòd circa amnes plurimi sunt: At tabani ex ligno originem habent, Idem l. 5. c. 19. Dein asilus mole & aculeò, tabanus bombò superior est, Ælian. Hist. l. 6. c. 38. Porrò asilus solis bobus, equis & camelis, tabanus etiam aliis animalibus infestus est. Quippe etiam ex anguium genere chelydrum invadit, uti docet Nicander, Theriacôn v. 416. Bobus tamen tam asilum, quàm tabanum, esse maximè infestos, clamant Poëtæ omnes. Unde βοῶν μύωψ, *boves vexans tabanus*, Tryphiodoro in Ilii excidio v. 348. Et quidem ὑπαὶ λαγόνων, *subter ilia*, ut ait Q. Smyrnæus, l. 11. v. 207. seu, quod idem, λαγόνεσσιν ἀραιοῖς, *laxis ilibus*, uti Oppianus, Halieut. l. 2. v. 521. boves uterque pungit, quia hæ partes, utpote molliores, eorum aculeis maximè patent. Plutarchus verò & aures ingredi ait, l. de Discrim. adul. & amici. Sed quocunque locò id fiat, certum est, boves hôc vulnere ita affici, ut non ampliùs sui compotes, &, omni jugò excussò, in devia ferantur, tanquam rabie perciti, uti apud Poëtas passim videre est. Vide hanc in rem plura, apud Sam. Bochart. Hieroz. Parte poster. l. 4. c. 14.

TABARA, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ Pimentelliæ stirpis ramus est. Et quidem in hac Alfonsi Comitis Beneventani filia minor natu Petrus Dn. de Villafafila, ex filio cognomine, Agnetis Henricæ marito, avus exstitit Bernardini I. Pimentellii, Marchionis de Tabara; qui ex Constantina de Baçan suscepit Petrum, maritum Leonoræ Henricæ, ex ea patrem Bernardini II. quô & Joannâ Toletanâ (nepte, ex patre Garsia Petri Toletani Proregis Neapolitani defuncti A.C. 1553. genitus Antonius Pimentellius Marchio de Tabara, junxit sibi Isabellam de Mosco, s. Osorio, atque ex ea genuit Henricum Pimentellium, Joannem (uxorem Francisci de Mello, Marchionem de Ferreira Comitem de Teatugal, qui obiit A.C. 1645.) Lupum, Leonoram, Bernardinum &c. Vide Phil. Jac. Spenerum, Theatr. Nobil. Eur. Part. II. p. 102. de Arte Herald. Tom. II. & suprà, ubi de Pimentellia Famil.

TABARDUM, in Statutis Hospitalis S. Juliani in additam. ad Matth. Paris. p. 164. *Fratres Sacerdotes dicti Hospitalis tunica, supertunica*, tabardò *& capuciò nigri coloris* —— *utantur*: alibi Tabardus, item Tabaldus, Italis Tabarro, Hispanis Tavardo, Anglis Tabar & Tabard, Boxhornio in Lex. Cambro-Brit. tunica est longa, chlamys, toga. in Concilio Budensi A.C. 1279. c. 2. *mantellus rotundus*, Macro in Hierol. *pallium usuale*. Quò sensu ταμπάριον dixit Nicetas in Manuele, l. 4. num. 2. Vide quoque Codinum, de Officiis, c. 3. num. 4. Ea voce in prælio, signi olim locô, usos Scotos, habent Henr. Knyghton A.C. 1295. *Dederuntque signum inter se, ut sic suos mutuo cognoscerent in congressu cum Anglicis, ut Scotus diceret Anglicè* Tabart, *alter responderet Surcote, & è converso* &c. Vide Car. du Fresne Glossar. & Dominic. Macrum in Hierolex.

TABAROSTANIA, provinc. Persiæ, versus Septentrionem & mare Caspium, ubi aliàs major pars Hyrcaniæ, inter provinc. Khœmum ad Ortum, & Geylanum ad Occasum. Ejus præcipua urbs est Asterabatum.

TABAS, oppid. in Parætacene ultima, Curt. l. 5. c. 13.

TABASCA, provinc. novæ Hispaniæ in Præfectura Mexicana, inter Sinum Mexicum ad Boream & Chiapam provinc. ad Meridiem. Ad Occidentem ab Ortu extensa per 46 leucas Hispanicas. Ejus urbs primaria Tabasca, seu Nuestra Senora de la Vittoria, Laët.

TABASO, urbs Indiæ citerioris, nunc Ulabad, seu Dultabad, in regno Decani, munita, in regione Balagatte, ad radices montium, juxta fluv. Guengam, in limite regni Golcondæ & ditione Magni Mogolis.

TABATHA, vicus in tribu Simeon, Hilarionis patria, 5. à Gaza milliaria. Hieron. in vita Hilarionis.

TABBOATH, nomen viri, Esdr. c. 2. v. 43.

TABEÆ, vide Tavium.

TABEE, fil. Nachor ex Româ concubina, Gen. c. 22. v. 24.

TABEEL, nomen viri, Isaiæ c. 7. v. 6.

TABELIAS, nomen viri, 1. Paral. c. 26. v. 11.

TABELLA, olim chartæ locò. Postquàm enim literæ, quæ priùs sculpebantur, pingi cœpêre; materiem, in qua illæ pingerentur, initiò arbores, hinc quadrupedia, posteà & linea præbuêre. Et quidem ex arboribus huic rei primùm folia inservierunt, posteà libri, sive interior corticis tunica, postremò & tabulæ seu tabellæ dolatæ: quibus Græci pariter ac Romani usi sunt. Hieronymus, l. 1. Ep. 1. ad Nitiam: *Ante chartæ aut membranarum usum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuò Epistolarum alloquia missitabant: unde & portitores earum tabellarios & scriptores à libris arborum librarios vocavêre*. Festus, *Tabellis, pro chartis utebantur, quibus ultro citroque, sive privatim, sive publicè opus erat, certiores absentes faciebant*. Symmachus, l. 4. c. 28. *Malim scribere Aborigenum more dictionem salutis alterna ligno aut corticibus*. Vide Just. Lipsium, Instit. Epist. c. 1. Erant autem formâ triangulari, uti docet Eustathius, ad Dionys. [illegible] E quibus, è buxo plerumque constitisse patet. Joh. Meursius, Comm. in Lycophronis hunc versum.

Σφραγῖδα δέλτου [illegible]

Duplicis verò generis erant, Scheda & Tabella ceratæ, quarum illæ fuêre Tabellæ nudæ, sive non inductæ cerâ. Plin. l. 13. c. 11. *Privata monumenta linteis confici aut schedis*: eæque cùm simplices, crassiores erant, ut è quibus pueri discerent. Plautus Bacch. Sc. Nunc experiar, v. 37.

Ex templò puer Pædagogo tabulâ dirumpit caput.

Quod tenuis tabella non potuisset. Sin plures jungi opus foret, secabantur in tenues laminas, uti discimus ex Martiali, l. 14. Epigr. 3. lemm. Citrei pugillares,

Secta nisi in tenues essemus ligna Tabellas.

Præterea dolabantur, sicut dictum, ut faciliùs in iis scriberetur. Isidorus, l. 6. c. 8. *Ante usum chartæ & membranorum, in dolatis ex ligno codicillis scribebatur*. De iisdem Cassiodorus, l. 11. *Erat indecorum, fateor, doctos sermones committere tabulis impolitis, & in veternosis ramalibus imprimere, quod sensualis poterat elegantia reperire*. Dicti autem codices & codicilli, quia ex caudice: Similiter libros

Dani boger appellant, quia res gestas in fagis consecrarent. Ol. Wormius in *Fastis Danicis*, *l.* 1. *c.* 6. Ceratæ Tabellæ reliquæ vocabantur, quòd essent crustâ ceræ illitæ. Unde A. Gellius, *l.* 17. *c.* 9. *Pugillaria nova nondum etiam cerâ illita.* Polyænus, *l.* 2. *c.* 20. Δημάρατος ἐπιστεῖλαι Σπαρτιάταις περὶ τῆς Ξέρξου στρατείας ἐν πτυχίῳ ἐγγράψας τὴν ἐπιστολὴν κηρὸν ἐπέχεεν, ἵνα ὡς ἄγραφον διὰ τῶν φυλάκων κομισθῇ, & apud Auctores passim, Pollucem inprimis, *l.* 10. A' cera notæ loquendi formæ, *in summa*, vel *ima cera*, h. e. initio vel fine libelli seu epistolæ. Quemadmodum autem in libro scribebant, nec delebant: in *tabellis* seu codicillis, quæ scripta erant, postmodum inducebantur stylô versô, qua de re vide, ubi de *Graphio & Stylo.* Cùm Epistolas *tabellis* continebant, signum imprimebatur ceræ lino impositæ, quô illæ perforatô constringebantur, quod cum Jac. Cujacio doctissimo JCto observavit olim eruditissimus Juvenis P. Colvius. Nec solùm ab his *Tabellis*, *Tabellarii* & *Tabelliones*, ut dictum, sed & *Tablinum*, locus in Atrio, in quo servabantur codices rerum in Magistratu gestarum. Vide Vitruvium, *l.* 6. *c.* 4. Item *Tabularii* &c. de quibus infrà. Plura hanc in rem vide apud Gerh. Joh. Vossium, *de Arte Gram. l.* 1. *c.* 38. Successêre *Tabellis* libri membranacei (apud Græcos citiùs, apud Romanos tardiùs) in quibus nomen pristinum mansit, atque uti *paginæ* de libris chartarum propriè dicebantur, sic *tabellæ* de membranis, Græce πτυχία, sicut paginæ σελίδες. Et quidem tabellæ ex utraque parte scribebantur, paginæ ex una tantùm, uti pluribus docet Salmas. *ad Fl. Vopisc. in Firmo*, *c.* 3. Donec lintei venêre in usum, de quibus vide suô locô. Apud Lamprid. *Alex. Severo*, *c.* 58. *ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ*: *Tabellæ laureatæ*, sunt literæ lætæ ex provinciis afferentes; quas laurô ornatas, sicut & summa pila militum, qui eas portabant, notum. Sicut contrà, qui tristia ferebant, pinnas in summo hastarum gerebant fixas, Πτεροφόροι hinc appellati. Inde *Tabellarii milites*, Græcis Ἀγγελιαφόροι, quos cum Speculatoribus plurimi confundunt, *Dio* verò separat, hos illis ordine inferiores fuisse, indigitans. Vide eund. *ad Lamprid. d. l.* Casaubon. *ad Sueton.* & hic ubi de *Curiosis*, *Frumentariis*, *Speculatoribus* &c. In Græcorum libris crebra mentio πίναξ ἀγυρτικὸς seu ἀγυρτικὸν σανίδιον *tabella*, in qua versus fatidicos describebant, & talorum arbitrante alea divinationem peragebant, ut vidimus suprà ubi de Veterum *Rhapsodomantia*, nec non voce *Sortes*, it. *Sortes Virgilianæ*. Simile quid infra habes, ubi de *Virgis natalitiis*. Ovidius *tabellæ* meminit, *l.* 3. *Amor. El.* 2. *v.* 38. cujus motitatione ventulum sibi in æstu faciebant mulieres, Græci ῥιπίδιον dixêre, vide suprà *Rhipidion*.

TABELLÆ, apud Romanos in Comitiis adhibitæ sunt, quemadmodum ὄστρακα seu testæ, apud Athenienses. Postquam enim Populus diu suffragium vivâ voce tulisset, posteà, ut quisque liberiùs sententiam suam proferre posset, inventæ *tabellæ*, Legesque variæ hinc *Tabellariæ* dictæ, latæ sunt; quarum prima Gabinia anno Urb. Cond. 614. rogata, earum usum invexit, cavitque, ne quis *Tabellam* inspiceret, ne rogaret, ne appellaret, ut ita ab omni parte liberum judicium suum in Magistratibus creandis Populus haberet, Cicer. *de LL. l.* 3. *de Amicit. & pro Plancio.* Sequutæ illam sunt Cassia, Papiria, Coelia, quæ in perduellionis judicio, quod Cassia lege exceptum erat, Populum itidem tabellâ sententiam ferre voluit; Sempronia, Maria, Fusia & Antonia, de quibus omnibus suô locô. Ac in Comitiis quidem Magistratuum oportuit *Tabellis* nomina Candidatorum inscribi, ut daretur iis per tabellam Magistratus: Tot autem tabellæ unicuique de populo dabantur, quot essent Candidati, quorum rationem haberi oportere judicatum esset. Non verò integrè Candidatorum nomina, sed. brevitatis ergô, primas tantùm literas in tabellis scribi consuevisse, docet Cicero, *Orat. pro Domo.* In Comitiis legum duæ dabantur, una, in qua scriptum U. R. i. e. *uti rogas*: altera, in qua *A.* i. e. *Antiquo*: quod etiam in Comitiis Judiciorum factum esse, legimus. Non verò domô afferebantur *Tabellæ* illæ à Populô, sed erant, qui eas Populo, suffragium inituro ministrarent, *Diribitores* dicti; hôc ordine. Postquam sortitio inter Tribus & Centurias de prærogativa facta esset, & Magistratus in Tribunali sedens, per præconem prærogativam Centuriam ad suffragium vocâsset, illa de loco, in quem consistebat, discedebat in Septum, per pontem, in cujus initio stabant præfati Diribitores, qui *Tabellas* singulis ministrabant. Ingredientibus dein in Septum seu Ovile, Rogatores cistam proponebant, in quam conjicerent suffragium laturi eam quam vellent tabulam, sicque totius Centuriæ *Tabellis* collectis, Custodes eas educebant, quorum munus erat describere suffragia, ut ea Centuriæ sententia renunciaretur, in quam plures inclinâsse conspiceretur. Hoc autem erat describere suffragia, tot puncta in tabella notare, quot *Tabellæ* similes reperirentur; Dionysius, *l.* 7. Postquam ita Prærogativæ Centuriæ suffragium renuntiatum esset, tum ea ex Ovili discedens, locum faciebat primæ Equitum Centuriæ, post quam singulæ Centuriæ primæ Classis ordine eôdem modô, ad suffragium vocabantur; donec omnes primæ Classis Centuriæ suffragium tulissent, tum ea iterum numerabantur &c. Vide Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 14. Etiam in Judiciis *Tabellæ* tres Judicibus dari solebant; una absolutionis, cum nota A. altera condemnationis, in qua C. tertia ampliationis, duobus his elementis inscripta N. L. id est, *Non liquet.* Dabantur autem à Prætore, qui cùm illos ad urnas ire, atque in earum unam *Tabellas*, sententiam continentes conjicere juberet, *mittere* seu *dimittere Judices in consilium* dictus est. Idem, *l.* 9. *c.* 24. Vide quoque suprà, ubi de *Suffragiis*, & hic pauló pòst. Plura verò de *Tabellis* Veter. varii generis suprà in vocibus *Diploma*, *Diptycha*, *Pittacium*, *Polyptycha* &c. it. de *Tabella Pythagorica*, ubi de *Sortibus*: de *Tabella*, supra Magistratuum sedem Carthagine suspensâ, voce *Presbyter*, ubi de Aristone Tyrio: de aliis infrà lemmate *Tabulam tenere*.

Tabellariæ Leges, quando & à quibus latæ?

Gabinia, cujus Auctor A. Gabinius Tribun. Pleb. Cn. Calpurniô Pisone, M. Poppiliô Lænate Consulib. an. Urb. Cond. 614. lata est, *ut Comitiis, quibus Magistratus crearentur, Populus non voce, sed per tabellam, suffragium ferret.*

Cassia, non Judicum tantùm, in Judiciis, sed etiam Populi in Comitiis; verùm in Tributis tantùm, quibus de mulctis judicaretur: suffragia similiter libera esse voluit: an. Urb. Cond 616.

Papiria, idem in Legibus faciendum esse, suasit, lata à C. Papirio Carbone Tribuno Pleb. P. Polliô Lænate, P. Rupiliô Consulib. an. 621. Ut in jubendis aut vetandis Legibus, Populus tabellâ suffragium ferret.

Cœlia, à Cælio Tribun. Pleb. rogata, Q. Cœliô Metellô Balearicô, T. Quinctiô Flaminiô Consulib. an. 635. etiam in Perduellionis crimine, *tabellâ* sententiam ferri jussit.

TABELLARII, portitores olim dicti literarum, quas in *Tabellis* è ligno, buxo an citro, dedolatis, exarari consuevisse, diximus: memorantur Petronio, *Anus enim ipsa inter diversitores diutiùs ingurgitata, ne ignem quidem admotum sensisset, & forsitan pernoctâssemus in limine, ni* Tabellarius *Trimalcionis intervenisset vehiculis dives.* Ciceroni item, *l.* 9. *Famil. Ep.* 15. *Duabus tuis Epistolis respondebo, uni quam triduo antè acceperam à Zetho; alteri, quam attulerat Phileros Tabellarius.* Ubi *Zethi* nomen ex Ælii Cæsaris instituto, Cursori non potest non convenire: Illum enim Spartian. *c.* 5. refert, *Cursoribus suis, exemplô Cupidinum, alas frequenter adposuisse, eosque ventorum nominibus sæpius vocitâsse* &c. Ad quam normam, *Currentius* ille, cujus meminit D. Hieronymus, *Ep. ad Marcellam*, nomen sine dubio nactus est. *Tabellarii* videl. laus est, cursus & festinatio, Laur. Pignorius, *Comm. de Servis*, vide quoque suprà, ubi de *Cursoribus*. Item in voce *Mazyes*. Pontium *Tabellariorum* mentionem servat vetus lapis *Viam. fecei. ab. Regio. ad. Capuam. & . in. ea. via. pontes omnes. meiliarios. tabellariosque. poseivei.* Ubi Gualterus *Pontes milliarios* interpretatur, columellas numerô milliarium insignitas; *Tabellarios* lapides, minori, quam milliaria, intervallô distantes, positosque, ut illis adjuti commodiùs equis insilirent. Sed, *quis non miretur*, verba sunt Gronovii, *pontes esse columnas, & tabellas lapides! Quid vetat autem intelligere, è tabulis seu asseribus, pontes milie pedum longitudine: Pontibus autem propter vias interruptas, opus est.* Vide eum de *Pecunia Vet. l.* 1. *c.* 3.

TABELLICUM, item *Tallebergus*, vel *Taleaburgus*, vulgò *Taillebourg*, munitio Galliæ ad ripam Carantoni, non procul ab urbe Santonis. Hucusque Henricus Rex Angliæ captis vi Santonibus, Richardum filium rebellem fugavisse legitur, A. C. 1173. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TABELLIO, seu à *Tabulis*, ex eadem origine, unde *Tabellarius*, idem olim qui Exceptor fuit & Scriba publicus. Porrò excipere Actuariorum erat, sive Notariorum, quô munere aliquandiu functi sunt Genesius & Cassianus, clarissimi Martyres; quorum ille Exceptoris officiô fungens, cùm impia edicta, quibus Christiani puniri jubebantur, nollet excipere &, projectis in publicum *tabulis*, se Christianum esse fateretur, comprehensus atque decollatus est; Alter, execrabile ducens, Christianorum deservire neci, sub Christianæ fidei confessione, triumphum similiter Martyrii meruit. Et hinc, quod cecinit Juvenalis, *Sat.* 7. *v.* 104.

Quis dabit Historico, quantum daret acta legenti?

Ubi Glossæ veteres *acta legenti*, *Exceptori*. Sic *Tabularii*, quos Arcadius & Honorius AA. *l.* 5. *C. Th. de Tabul. Logogr. & Censf.* servituti obnoxios esse vetuerunt, rationes publicas tractabant; hinc aliquando *computare* dicti unde *Numeratores* quoque & *Calculatores*. A' *tabulis* verò denominati videntur, eâ propriè ratione, quâ *Tabularium*; quod Italis, sumentibus à Græcis mutuum, *Archivum* est. Ovidius eleganter, *Metam. l.* 15. *v.* 810.

——— *Intres licèt ipsa sororum*
Tecta trium: cernes illic molimine vasto
Ex ære & solido rerum Tabularia *ferro.*

Nec malè Marcianus Capella, *l.* 1. *Clotho verò, Lachesis Atroposque, quoniam sententias Jovis orthographa studiô veritatis excipiunt, utpote Librariæ Superum Archivique custodes, cùm Senatum Curiamque contraho & ipsum Tonantem exuviis indusiari publicè cernerent, Magistratus in acta, cælestiumque consultum, stylos acuunt, cerasque componunt.* Alii ab his *Tabulariis* publicis fuerunt illi, qui Palatini Ministerii portio erant non contemnenda. Hi cùm complures essent, ut hic pauló infrà videbitur, sanè non paucos habuerunt Adjutores, tum ut moli negotiorum partes omninò essent, tum ut Cæsarum Majestas ex hoc quoque capite elucesceret. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* De *Tabellionibus* verò, qui, cùm antè Romani in faciendis omnibus paulo majoris momenti contractibus, itemque in scribendis testamentis, ad Juris peritos adiissent, posteà has partes sibi vindicârunt, à quibus proin juris peritia exigitur, vide Suidam in Ταβελλίων, Auson. & Is. Casaubonum ad *Suet. Ner. c.* 33. Adde Jo. Meursium, *Glossar.* Wowerium, *Polymathiâ*, Jo. Brodæum, *Miscellan. l.* 4. *c.* 9. & plura de Scribis, *in Verrinis action.* ac suprà passim.

Tabularii Palatini varii, in vetere marmore.

Tabularii Augustorum vel Augustarum.
Cypri.
Fisci Alexandrini.
à Muneribus.
Tabularii provinciarum, Cypri, Piceni, Lusitaniæ Vettoniæ.
Rationis Fisci, Hæredit. XX.
Hæreditatum Patrimonii, seu à Patrimonio.
Tabularii rationis à Vehiculis, Vestiariæ.
Tabularius villæ Tiburtis &c.

TABELLIONES Inquisitionis, quos & *Notarios & Secretarios* vocant, denuntiationes, accusationes & omnia causarum acta scribunt. Nec scribunt solùm, sed etiam diligenter explicare & extendere debent in processu accidentia testificantis, & denuntiantis vel inquisiti, ut, *si faciei color mutatus est, si trepidat, si balbutiendo loquitur, si frequenter excreando aut exspuendo interrogationem divertere conatur, si vox tremula redditur, aut quid simile patitur*: ne possit argui Judex, quòd absque indiciis inquisitum torqueri jusserit. Plura de iis, vide apud Phil. Limborch. *Historiâ Inquisitionis*, *l.* 2. *c.* 6.

TABENI, populi juxta desertum Carmaniæ habitantes, *Steph.*

TABENNA, insul. Thebaidis, intra Nilum, ubi *Tabennis* vicus. *Cellar.*

TABERENI, vide *Tabareni.*

TABERLA, vide *Tarbellicæ Aquæ.*

TABERNA, quæ & *Trischene*, urbs Calabriæ ulterioris ad Semirum fluv. & radices Apennini, 15. mill. pass. à Scyllacio in Boream, 14. à Nicastro in Ortum Siberenam versus 20. & 34. à Besidiano in Meridiem parva.

TABERNA, oppid. Germaniæ secundæ triplex. Unum in Alsatia inferiori *Zabern*, simpliciter, vel *Elsaszabern* incolis, amplum, aliàs munitum, cum arce valida, nunc disjecta. *Baudrand.* de novo instauratur, A.C. 1675. Ad amnem *Sorr*, 4. leucis ab Argentorato in Circium, 4. ab Hagenoa in Occasum, Nancejum versus, in limite Lotharingiæ, sub Episcopo Argentoratensi, cujus sedes est. Munimentum olim Roman. contrà Alemannorum incursiones in Gallias. Ab Alemannis dirutum, sed à Juliano restitutum, *Amm. Marcellinus* scribit. An à Cæsare extructum? Alterum *Bergzabern*, interdum parvæ Tabernæ, Gall. *le petit Saverne*, in Palatinatu Rheni, ad amnem *Erlbach*, versus montes, in limite Alsatiæ inferior. vix 1. leuc. à Weissenburgo, 7. ab Argentorato, in cineres à Gallis redactum, A.C. 1675 Tertium *Rhein Zabern*, Gall. *Saverne*, oppid. Palat. ad amnis *Erlbach* confluentes in Rhenum, vix 2. milliar. German. à Philippoburgo in Meridiem uti 3. à Spira. De Medio ita Ausonius, *Edyllio* 10. *v.* 1.

Transieram celerem nebuloso flumine Navam,
Praetereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas:
Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Nivomagum, Divi castra inclyta Constantini.

TABERNA, quid olim fuerit, docet Cassiodorus *in Psalmum* 14. *Majores nostri* Tabernas *domos appellaverunt pauperum, & quòd ibi habitabant, & cœnabant; Sicut antiquis mos erat semel cibum sumere: ex duobus nominibus unum traditur factum esse vocabulum, scilicet Tabernaculum.* Hinc in genere sic dictum omne ædificium popularis usus, ex eo, quòd *tabulis* claudatur: qualia domicilia primis temporibus omnium Romanorum fuêre, uti *Festus* auctor est, laudatus Jac. Ouzelio *Animadversion. ad Minucium Fel. p.* 4. Unde *Tabernacula* & *Contubernales* appellantur, *l.* 183. *& seq. ff. de verb. signif.* Isidoro, *Etymologic. l.* 15. *c.* 2. *Tabernæ olim vocabantur ædiculæ parvæ & simplices in vicis, axibus & tabulis clausæ. Unde & Tabernariæ, quòd soleant considere. Dictæ autem Tabernæ, quòd ex tabulis lignisque erant constructæ.* Posteà verò sic dici consueverunt, ubi merces venales exhibentur. Ut *Taberna casearia*, *l.* 8. §. *Arist. ff. si serv. vind.* Et *Taberna ferraria*, *l.* 13. *ff. de instr. & instrum. leg.* Sic *Tabernæ negotiatoriæ & Purpurariæ*, mentio, *l.* 2. *ff. de Institor. Act. l.* 91. §. *pater ff. de legat.* 3. &c. Vide hîc infrà, *Tabernas* quoque ad *merces* & *negotiationes* adhiberi, dicitur *l.* 27. §. 1. *ff. de usufr.* Hinc *Tabernam exercere*, *l.* 13. §. *ult. ff. de Institor. act.* quod qui faciebat *Tabernarius* dictus est, *l.* 52. §. 1. *ff. ad leg. Aquil. l.* 5. *ff. de Inst. act.* qui alibi *Tabernæ præpositus*, *l.* 3. *l.* 19. §. *Tabernæ. & l.* 8. *ff. de Inst. act.* Item *Institor* vocatus. *Institor enim is est, qui Tabernæ locove ad emendum vendendumve præponitur*, Paulô teste & Ulpianô, *l.* 18. *&* 3. *ff. de Instit. Act.* In *Tabernis* hisce, canis videtur fuisse custodiæ gratiâ: ut iterum docet Paulus JCtus, *l.* 2. § 1. *ff. si quadr. paup. fec. dic. Si quis aliquem evitans, Magistratum fortè, in Tabernam proximam se immisisset, ibique à cane feroce læsus esset, non posse agi canis nomine quidam putant. At si solutus fuisset, contrà.* Illud sanè observatum, in *Tabernis* quandoque fuisse adfixos titulos, qui cum aliquo servo prohiberent negotium geri. *l.* 47. *ff. de pecul.* Operam horum Institorum statariam & sedentariam fuisse, ut ideo vestes non succingerent, discimus à Vertumno, apud Propertium, *l.* 4. *Eleg.* 2. *v.* 38. ubi is ita de se,

——— ——— *& ibo,*
Mundus, demissis Institor in tunicis, &c.

Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Atque hinc *Tabernarii*, qui in tabernis negotiantur, apud Cicer. pro *Flacco, c.* 8. *Opifices* & Tabernarios, *atque illam omnem fæcem civitatis, quid est negotii concitare?* Vide quoque infrà *Tabernariæ.* Porrò, quales in Græcia *Λέσχαι*, tales Romæ quoque *Tabernæ.* Erat autem *Λέσχη*, locus confabulationibus destinatus, isque vel pauperum vel divitum. Pauperum, in omnibus Fabrorum officinis, ad quas hyeme maximè ad calefaciendum conveniebant & confabulabantur, de quibus vide Homerum *passim*, Hesiodum, *l.* 2. Antiphontem *Orat. ad Nicocl.* & suprà in voce *Lescha.* At aliæ divitum erant, nempe in partibus domus secretioribus, ubi similiter hyeme, ad accensum ignem, *διημέρευον ἀδολεσχοῦντες καὶ φλυαροῦντες*, ut ait Etymologici auctor. Sed quod magis huc facit, *Λέσχαι* quoque olim vocabantur loca aprica, in quæ commentandi causâ conveniebant Philosophi. Unde Hierocles *Philos. l.* 1. ait *λέσχας* dictas fuisse cathedras & conventicula, in quibus de Sapientia disputationes habebantur. Eæque proin Leschæ Apollini sacræ erant, vide Harpocrationem, Scribonem, Phurnutum, *de Nat. Deor.* & Bon. Vulcanium, *ad Callimachum.* Tales itaque & *Tabernæ* Romæ, quæ ad pilas fuêre. Horatius, *l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 71.

Nulla Taberna *meos habeat, neque pila libellos,*

Catullus, *Epigr.* 38. *v.* 1.

Salax Taberna, *vosque contubernales,*
A pileatis nona fratribus pila, &c.

Sed & *Tabernas καπηλεῖα & πανδοχεῖα* Suidas interpretatur: quas *Tabernas cauponias* vocat JC. *l.* 43. *pr. ff. de rit. nupt. Apothecas* Vitruv. *l.* 6. *c.* 9. *O'πῶνας* Xenophon. Sic Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 302.

——— *Nam qui spoliet te*
Non deerit, clausis domibus postquam omnis ubique
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.

Unde *Tabernæ* & *Popinæ* conjunguntur, *l.* 41. §. 8. *ff. de legat.* 1. & talem Phædrus fortè intelligit, *l.* 4. *fab.* 6. *v.* 1.

Cùm victi mures mustelarum exercitu,
(Historia quorum in Tabernis *pingitur)*
Fugerent, &c.

Et quidem medii ævi Scriptores *Tabernas* tantùm de vinariis dixêre, quod Galli in lingua sua retinent: cùm Veteres *lustra* & *ganea* ista loca appellarent. Aperiebantur hæ apud Romanos, eâdem horâ, quâ balnea & lupanaria, ad nonam videl. at in Coloniis maturius ut Salmas. docet. *ad Hadrian. Spartiani, c.* 22. Sed vilissimi tantùm homines inde vinum petebant, reliqui è cella sua, Cicer. *in L. Pisonem.* Vide quoque Plutarch. *in Timoleonte*, ubi de Dionysio Juniore post amissam tyrannidem, Corinthi in summâ tenuitate degente, ut & suprà in vocibus *Copa* & *Cupa*. Plura verò hanc in rem, apud Schefferum *de Arte Pictoria*, *c.* 4. B. Brissonium *de verbor. signif. sub tit. l.* 18. & Joh. Laurentium JC. *Notis in Phædr.* inprimis de *Tabernis* Romæ à Tarquinio factis, Liv. *l.* 1. *c.* 35. de claudendi eas in luctu more, eund. *l.* 3. *c.* 27. &c. uti de *Comœdiis Tabernariis*, infrà.

Tabernæ urbis Romæ, quarum Veteres Scriptores meminêre.

Argentaria, apud Liv. *l.* 26. *c.* 11. circa Forum. Harum 7. olim, posteà 9. fuêre, vide Hadr. Turnebum, *l.* 20. *c.* 10. Juvenalis tempore 5. Ita enim is de libertino divite, *Sat.* 1. *v.* 105. ——— *Sed quinque tabernæ Quadringenta parant* ———	Ferraria, apud Scævolam, *l. pen. de legat.* 2.
	Fullonia.
	Laniona.
	Medicinæ exercendæ causâ.
	Pellesuina.
	Pistoria.
	Purpuraria.
Casearia, in *l. ficus* §. *Aristor. D. si servi vendi.*	Sutrina.
	Vinaria.
Cauponia.	Unguentaria, &c.
Cretaria.	
Diversoria.	

TABERNA Meritoria Romæ, apud ædem S. Mariæ trans Tiberim ubi milites emeriti & infirmi habitabant. Hic horti & turris, ex qua Nero incendium urbis spectavit.

TABERNACULORUM Festum, Græcè Σκηνοπηγία, Hebr. חג הסכות *Chag Hassuccoth*, unum erat ex tribus anniversariis Judæorum Festis, quod incidens in diem 15. mensis Tisri, qui primus erat anni civilis, durabat septiduum integrum, quò in Tabernaculis commorabantur. Octavus autem dies, quo illis exibant, ut & primus Festi, peculiari religione sacer erat & pubicâ panegyri celebrabatur, ac simul frugum serotinarum primitiæ offerebantur Deoque gratiæ agebantur pro universa messe. Exodi *c.* 23. *v.* 16. Levit. *c.* 23. *v.* 34.-- 36. Numeror. *c.* 29. *v.* 12. Deuteron. *c.* 16. *v.* 13.-- 15. Agitabatur hoc Festum in tuguriolis & umbraculis, à quibus ei nomen, ex frondibus, in ædium ferè tectis constructis: quæ non in fastigium surgentia, sed plana & cubantia erant. Quem in usum deligebantur arbores frondosæ comatæque ac vivacioris succi, quæ virorem suum per dies aliquot illibatum servare possent, Levit. *c.* 23. *v.* 40. *Sumptis itaque pro vobis ipsô die primo terminibus arborum speciosarum, spathis palmarum & ramis arborum densarum, cum salicibus torrentis.* Et Nehem. *c.* 8. *v.* 16. *Exite in montana & afferte ramos olivarum, & ramos arborum oleosarum; ramosque myrti & spathas palmarum, cum ramis arborum densarum.* Quibus in locis 4. arborum genera indigitantur, Citrus, Palma, Myrtus & Salix torrentis, docente Godwyno. E quibus omnibus fasciculum quôlibet manè attulisse unumquemque Israëlitarum, sub pœna jejunii illô die tolerandi, fasciculumque illum *Hosanna* dictum, tradunt Rabbini. Quò pertinet id, quod legimus Matthæi *c.* 21. *v.* 8. & 9. *Alii verò cædebant ramos ex arboribus & sternebant in via. Porro turba quæ præibat, & quæ sequebatur, clamabat dicens; Hosanna filio David.* Alii *Hosanna*, sacrum fuisse carmen volunt, quod universus populus quotidie in cœtus ac conciones prodiens, ramosque palmarum præferentes ac festum in modum agitantes, soliti fuerint inclamare. Quod cùm solennius & crebrius facerent die octavô seu ultimô, ille *Hosanna Rabba* appellabatur. Unde occasio nata Plutarcho, comparandi Festum hoc sacrum cum Liberalibus, in quibus Bacchæ huc illuc discurrebant, gestantes hastas hederâ circumdatas, i. e. thyrsos, hocque ipsum Festum *Θυρσοφορίαν* propterea vocandi. Nec abludebat multum illa Atheniensium festivitas, quam *Εἰρεσιώνην* dixêre. Eadem de causa, ipsi etiam hujus Festi dies *Hosannoth* dicti sunt. Porrò singulis diebus Sacrificia offerebantur, de quibus prolixè agitur Numer. *c.* 29. *v.* 13. 34. unde hoc tantùm notamus, quòd, cùm singulis diebus ejusdem generis sacrificia peragerentur, in eo tamen discrimen esset, quòd numerus quotidie minueretur. Die enim 15. mensis, & primò Festi *juvenci subrumi, terni deni*, secundò *duodeni*, tertiò *undeni* & sic consequenter offerri solebant, usque ad diem septimum seu ultimum, quô *septeni* mactabantur: cujus rei rationem vide apud Hospinianum, *de orig. hujus Festi.* Causa Festi, ut in reliquis, partim Veterum fuit beneficiorum commemoratio, partim futurorum adumbratio. Ita enim Israëlitæ errorum suorum in deserto totque annorum sub Nube, tanquam *Tabernaculo*, atque in tentoriis actorum, recordabantur, Levit. *c.* 23. *v.* 43. Deoque pro illis finitis gratias agebant. Simul publicas grates egerunt Deo, ob collectas atque reconditas omne genus fruges Unde

Psalmos illos, qui על הגתית, *pro torcularibus*, appellantur, in hoc Festum compositos esse, docent nonnulli. Sed & altiùs spectare jubebantur Israëlitæ. Cùm enim integram hebdomadem in tuguriolis istis habitarent, sese advenas in terra esse confitebantur, nec sedes mansuras in ea habere; quod totô incolatus sui tempore identidem fateri, ac ad meliores sedes interim suspirare, monebantur, vide 2. Corinth. *c.* 5. *v.* 1. 2. Petri *c.* 1. *v.* 13. Cumque Zacharias Proph. *c.* 14. *v.* 16. Festum hoc sub Nov. T. extremis ejus temporibus, ubi Ecclesia tabernaculis illis exire seculo valedicere Christoque occurrere gestiet, celebrandum dicat, ad CHRISTUM quoque spectat qui *ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν*, ut loquitur Johannes Euangelista ad Festum hoc alludendo *c.* 1. *v.* 14. Addebatur autem huic Festivitati & nonus dies, quô festum *lætitiæ Legis* agebant, quod quamvis à priori distinctum esset, Nehem. *c.* 8. *v.* 18. tamen quia illud immediatè sequebatur, ei accenseri solebat. Eô die Legis lectionem absolvebant, rursusque inchoabant. Eôdem, quamvis id alii referant ad diem octavum seu ultimum *Festi Tabernaculorum*, ex instituto Haggæi, Zachariæ, aliorumque virorum Synagogæ M. aqua è fonte Siloæ peti, ad Sacerdotes afferri, & in Altare unà cum vino, effundi solebat, cantante populô illud Esaiæ *c.* 12. *v.* 3. *Haurietis aquas cum gaudio e fontibus hujus salutis.* Quo allusisse videtur Christus Joh. *c.* 7. *v.* 38. ubi hâc aquarum libatione Spiritus S. copiam adumbratam fuisse, docemur; quemadmodum per ramos illos ac frondes, de quibus suprà, Ecclesiæ fœcunditas significata est, vide Joh. *c.* 15. *v.* 1. 2. Psal. 92. *v.* 13. 14. &c. Nec omittendum, quod Hospinianus observavit *de Orig. Festorum c.* 7. proximô nempe post Festum hoc die, Altare septies cum palmis in manibus circumire solitos, in memoriam Hierichuntis septuplici Populi circuitu expugnatæ, & proin, diem hunc *Palmarum*, appellatum esse, vel quia palmas gerebant, vel quia in fasciculo, de quo suprà, præcipuum frondium genus ex hac arbore esset desumptum. Vide quoque Munsterum *in Calend. p.* 150. qui idem in Levit. *c.* 23. præfatum, ait, *Tabernacula* hæc ab Israëlitis sub dio fuisse extructa, eaque nec vestibus contecta, nec ita densè compaginata, ut radiis Solis pluviæque non essent pervia. Hîc porrò habitasse illos totô eô tempore, adeoque supellectilem omnivariam eò detulisse, ut ibi cibum capere, commorari & dormire commodè possent; nec inde exiisse, nisi pluviâ ingruente, tum enim, donec illa præteriisset, domum se recipere fuisse solitos. Infirmos autem homines, ac seniô graves ab hoc rigore fuisse liberos. Idem temporibus Nehemiæ *Populum fecisse Tabernacula, quemque in tecto suo aut in atriis suis, ac in atriis domus Dei: etiam in platea portæ aquarum & in platea portæ Ephraim*, tradit ex *c.* ejus 8. *v.* 17. Vide præter Auctores supra memoratos, Franc. Burmannum *Synops. Theol. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 18. Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. l.* 3. *c.* 6. &c. ut & infrà *Tensa*.

TABERNACULUM, locus erat sacer, divinô jussu & instinctu, à Mose extructus, in quo Israëlitæ in deserto degentes, imò & jam Terrâ S. potiti, usque ad Salomonem Regem, cultu Numinis religiosè defuncti sunt. Hoc medium ac velut centrum castrorum obtinebat, *Castra Divinæ Majestatis*, vocatum: circa quod proximè dispositi erant Sacerdotes ac Levitæ *Tabernaculo* inservientes; quibus tandem tribus XII. Populi circumfundebantur, ut videre est Numer. *c.* 1. *v.* 53. sic ut extima castrorum à *Tabernaculo* milliaris spatiô distarent, quod *Sabbathi* fuisse *iter*, colligitur ex Josuæ *c.* 3. *v.* 4. Structuram *Tabernaculi* hujus quod *Tabernaculum testimonii* dici consuevit, pluribus *capp.* exsequitur Moyses, Exodi *c.* 25. *& seqq.* cùm totiùs Universi conditum unicô eôque brevi capite absolverit. Sic autem dicebatur, ut & porrò *Tentorium conventus*; quia Populus eò coibat, tum ad cultum publicum, tum ad Deum per Mosen consulendum, Exodi *c.* 25. *v.* 22. quæ antea in Mosis *tabernaculo*, vel alio peculiari loco peragebantur, Exodi *c.* 33. *v.* 7. Architectus ipse fuit Deus, cujus jussu, ut dictum, exornatum & juxta formam, ab ipso in monte ostensam, extructum fuit, Exodi *c.* 25. *v.* 40. vocatis ad id opus, ac divinitus instructis Besaleele & Aholiabô, Exodi *c.* 31. *v.* 2. 3. & *c.* 35. *v.* 30. 31. Quod non leviter mirandum, in isto exulum agmine, qui tamdiu non nisi servilibus ministeriis exerciti, recensque ex Ægyptiorum ergastulo educti erant, repertos fuisse, qui tantæ artis opus, Dei ædem ac templum, quod una cum Israëlitis desertum perambularet, tam brevi spatiô absolvere potuerint. Strui enim cœptum est mense *Tisri* seu Septembri (quô Festum *Tabrnaculorum* celebratum fuisse diximus) annô primô exitus, ac sequenti Martiô, intra sex menses non totos, perfectum est, Exodi *c.* 40. *v.* 1, 2. Materia erat aurum, argentum, æs, serici ac lanarum fila, hyacinthina & purpurâ ac coccô tincta, linum Xylinum, caprarum pili, arietum ac melium vellera, ac denique cedrorum ligna, Exodi *c.* 35. *v.* 5. --- 9. Longitudo ejus cubitorum 30. latitudo 12. altitudo 10. comprehendebat: Latera tria 48. cedrinis tabulis in altum porrectis constabant, quæ singulæ duobus stylobatis innitebantur & lignis transversis conjungebantur. Ad Orientem anteriora spectabant, ubi aditus quinque columnarum ordine aperiebatur: Sanctuarium autem sub Occidentem recedebat. Intus totum pretiosis aulæis obvelatum erat, quæ ex pretiosissimo lino confecta & Cherubinorum formis picta, interiorem *Tabernaculi* ambitum incingebant. Exteriùs verò triplici velô erat contectum, quorum primum è caprarum pilis, secundum ex arietum, tertium ex melium pellibus constabat: quæ contra aëris injurias, portatile hoc Templum, tuerentur, vide Exodi *c.* 26. Ambiebatur undique *Atriô* sive porticu, quò Populus ad cultum quotidiè conveniebat, 100. cubitos longâ, 50. latâ, & 5. altâ: ac in circuitu dispositas habebat 56. columnas, quæ tapetes & pretiosa vela sustinerent. Ingressus ad Orientem erat, quem 4. columnæ præbebant; quæ oppansô velô apperiebantur & concludebantur. Ipsius autem *Tabernaculi* duo erant thalami sive cellæ, quorum primum *Sanctum*, alterum *Sanctum Sanctorum* appellabatur, de quo utroque suprà dictum, in voce *Sanctuarium*. Vela, præter aulæa & tapetes, terna erant. Primum, ad ingressum Atrii, ad 4. columnas erat appensum, Exodi *c.* 27. *v.* 16. Secundum ante Sanctum extendebatur, ac Sacerdotibus inter quinque columnas deauratas aditum præbebat, Exodi *c.* 26. *v.* 36. Tertium, in interiori *Tabernaculi* parte, Sanctum Sanctorum à priori thalamo separabat, & 4. columnis suspensum, Pontifici Max. per illas quotannis aditum dabat Exodi *c.* 26. *v.* 31. *ac seqq.* & *c.* 36. *v.* 35. Super *Tabernaculum*, unde ab omnibus conspici posset, imago ignis, nube inclusa, undique refulgebat, divinæ gloriæ vehiculum ac sedes &c. Significabat autem illud cùm Christum tùm Ecclesiam: Unde *exemplar & umbra rerum cœlestium* dicitur Apostolo, Hebr. *c.* 8. *v.* 5. Vide Franc. Burmannum, *loc. cit. c.* 13. In illius locum, sub Salomone, successit Templum, ædes stabilis & magnificentissimè extructa, typus Ecclesiæ Christianæ ac Triumphantis in cœlis: quemadmodum *Tabernaculum* imago erat Ecclesiæ Judaicæ, ac ulteriùs Christianæ militantis. Hinc utrumque conjungens David, Ps. 15. *v.* 1. *Jehova, quis commoratus est in tentorio tuo? quis habitaturus in monte Sanctitatis tuæ?* ubi per *Tentorium*, *Tabernaculum*; per *montem Sanctitatis Jehovæ*, *Templum* indigitat. Factum est autem Templum, ad *Tabernaculi* omnino formam, constabatque similiter, Atriô, Sanctô, & Sanctô Sanctorum. Nisi quòd cùm in *Tabernaculo* unum tantùm esset Atrium, hîc varia erant, Atrium videl. Sacerdotum, Atrium Israëlis, hocque à Josaphato divisum in Atrium mulierum & virorum; quibus Herodis tempore accessit quartum, pro Gentibus & immundis &c. De *Tabernaculo* Dei Molochi & Remphan. Vide Amos *c.* 5. *v.* 26. & Actor. *c.* 7. *v.* 43. uti *de Vasis Tabernaculi Testimonii*, & quidem *Atrii*, suprà voce *Altare*, item *Mare Æneum*: *Sancti*, & *Sancti Sanctorum*, suprà voce *Sanctuarium*.

TABERNACULUM, fabrica honestior, quâ Sacramentum, quod vocant Altaris, conservatur in Eccles. Romana, pyxide inclusum, Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

TABERNÆ, locus Hierosolymis, ubi Synedrium M. aliquandiu sedem habuit, vide suprà in voce *Jabne*.

Tres TABERNÆ, locus non longè à Româ, Actor. *c.* 28. *v.* 15. Item *Tabernæ*, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ inter Lixum & Zilam. *Antonin.*

TABERNÆMONTANUS Joh. Theodorus, à Tabernis-Montanis natali solo nomen nactus, Archiater Electoris Palatini, Marquardi Episcopi Spirensis aliorumque Principum virorum, Wormatiâ, ubi Physicus Ordinarius erat, Heidelbergam migravit. In Medicina facienda, extra Theriacum & Mithridaticum, paucissimis usus exoticis, Deum herbis nostratibus vires indidisse corporibus nostris familiares, statuit: in obsidione Metensi certè A. C. 1552. cùm castrensem ageret Medicum, multos globis tormentorum ictos artemisiæ saltem pulvere curavit. Obiit A. C. 1590. pater 18. liberorum, inter quos *Joh. Jacobus* & *Phil. Jacobus* iidem Medicinæ laude floruerunt. Elucubravit, *Herbarium 36. annorum spatiô congestum, in quo ultra 3000. simplicium continentur*; Hieron. Bauhini Medici clariss. Basiliensis operâ haud pridem insigniter locupletatum: it. *Thesaurum Thermarum & Acidularum*, cum titulo *Waßerschatz*. Melch. Adami *Vitis Medicor.*

TABERNARIÆ, Comœdiæ dictæ sunt Togatæ, minus nobiles Prætextatis, in quibus Senatores privati cum Togis introducebantur, ut Scaliger vult, *Poëtic. l.* 1. *c.* 7. Sed cur soli Senatores togati, cùm gens universa togata esset? subjicit idem: Ultimum genus fuisse, quod capiebat humilem fortunam negotiorum popularium, cum tunicis tantùm. Eas autem non *Tunicatas* dictas, sed ab habitaculis *Tabernarias*, quòd cum tabernis Scenæ disponerentur. Verùm, si nullus in illis Togæ usus, cur inter Togatas recensitæ? Auctor *Prolegomenon* Terentii contrà *Tabernarias* palliatas fuisse, tradit: *Palliatæ Græcum habitum ferentes, quas nonnulli* Tabernarias *vocant.* Idem tamen paulò ante, si modò unus Auctor est, *Tabernarias* ab humilitate argumenti & styli dictas contendit. Sed quòd palliatæ fuerint, falsum: quis enim ignorat, infimam plebem ac minutum populum in cœnaculis habitâsse? Togatæ ergo fuerunt, unde & Diomedes *l.* 3. Togatas nomen genericum facit, ad *Prætextatas*, sic dictas ab argumenti gravitate & honestate, & *Togatas* in specie sic vocatas seu *Tabernarias* in quibus Opifices, Institores ac Sellularii, qui in *Tabernis* degebant, introducebantur. Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. Parte* 2. *l.* 4. *c.* 3. Apud *Monasticæ Rei* Scriptores, *Tabernaria*, præpositura est in Monasteriis, cui incumbit cura *tabernarum* Monasterii, seu *tabernagia*, h. e. mulctam, quâ tenentur caupones, qui Statuta Superiorum de tabernis transgrediuntur, exigendi, vide Car. du Fresne *Gloss.*

TABERNIACUM, vulgò *Taverni*, vicus Galliæ in agro Parisiensi, à *tabernis* dictus, quòd militibus Romanis iter facientibus, instar tabernarum esset. Hîc graviter ægrotâsse Johannem Ducem Normanniæ A. C. 1335. scribit Appendix Chronici Nangiacensis, apud Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Parisii*.

TABIA, castellum Liguriæ, vinis Apianis inclytum, ambitu quidem exiguô, sed nomine celeberrimum, ob generositatem succi nec Malvatico Cretæ, nec Cyprio, vel ulli tum Italico, tum exotico vino, suavitate cedens.

TABIANA, seu TIBIANA *Marcellino*, Persici sinus insul. *Ptol.*

TABIENSIS Johannes, vide *Johannes*.

TABII, urbs Italiæ, in qua Remus institutus est, *Steph.* Ita quidem vulgò apud eum legitur, sed per summam imperitiam. Nam pro Τάβιοι, Γάβιοι reponendum, illic enim Remus Romulusque nutriebantur, Plut. *in Romulo*: Οἱ κρύφα εἰς Γαβίους κομισθέντες.

TABINUM, promontor. Scythiæ, magis ad Boream protensum, Plin. *l.* 5. *c.* 5. Quibusdam est *Tabis*, promontor. Scythiæ in ora maris Eoi.

TABIS, urbs Arabiæ, *Stephan.*

TABIS, promontor. Scythicum, Oceano Serico seu Scythico incumbens, apud Melam, *l.* 3. *c.* 7. de quo vide Salmas. *ad Solin. p.* 995. & *seqq.*

TABITHI, vesta apud Scythas Herodot. *Melpomene*.

TABLA, oppid. fuit Batavorum; hodie *Alblas*, vicus Hollandiæ. *Phil. Cluverius.*

TABLINA antiquorum, codicibus & monumentis rerum, in Magistratu gestarum, impleri solita, occurrunt apud Plin. *l.* 35. *c.* 2. qualis verò is locus fuerit, vide suprà in voce *Tabella*, & infrà *Tabularium.*

TABOR, urbs Levitarum, in tribu Zabulon, Jos. *c.* 19. *v.* 12. 1. Paral. *c.* 6. *v.* 77.

TABOR, mons Galilææ rotundus ac sublimis. Vide *Thabor.*

TABORELLUS, apud medii ævi Scriptores, instrumenti Musici species est, de quo vide aliquid suprà, in voce *Baudosa.*

TABORITÆ, an quòd in saxoso monte, decimô ab urbe Pragâ lapide, sub nomine *Tabor*, urbem fundârint & Remp. uti mox videbimus; an potiùs à *castris*, quæ Sclavonicâ linguâ *Thabor* dicuntur? Hussitarum appellati, quinam sint, vide infrà voce *Taborum.* Horum dux ipse Ziska, seductus cùm Calixtinis accessisset, in illos non minùs quàm in Pontificios ferrô, ac igne, sæviit: qui præliô à Calixtinis superati A. C. 1434. imposterum non nisi *Verbi* gladiô & *patientiâ* se tuebantur. Reliquiæ eorum fraude, Rokyzanæ tantùm non penitus extinctæ sunt, pellicientis eos blandis verbis, ut controversias suas judicio *Ordinum* sine *provocatione* subjicerent. Quod cùm simplices illi fecissent, pro Calixtinis pronuntiatum, *Taboritæ* ad consensum adacti, &, quòd eum differrent, urbs Tabor à Georgio Podiebradio Bohemiæ Rege capta, cœtusque illorum dissipati sunt A. C. 1544. Nova quidem illis spes affulgere cœpit, cùm Rokyzana elusum se à Papa videns, in hunc velut Antichristum denuo detonare, ac secessionem ab Ecclesia Romana iterum & cum Græcis unionem, moliri aggressus est. Sed parum inde illis præsidii, ut vidimus suprà voce *Jamnici*, plura apud Mutium in *Chronico*, Regensvolcium *Historiâ Sclavonicâ*, Alios.

TABORUM, oppid. Bohemiæ, ad amnem *Laufnicz*, 20. mill. pass. à Budovissa in Boream, Pragam versùs 45. Castrum habet aliàs munitum ab Hussi discipulis, qui inde *Taboritæ* dicti, superstitiones omnes Papales rejiciebant, à *Calixtinis*, qui, calicis communione retentâ, in cæteris Ecclesiæ Romanæ institutis se attemperabant, distincti. Hæ piæ Hussi reliquiæ, cætus peculiares, Ordinem atque Consistorium Lhotæ (quæ vox è servitute liberationem notat) prope Richnoviam erexêre, congregationi *Fratrum* nomine impositô, A. C. 1457. Camerar. *in Hist. Fratrum Bohem.* Vide suprà.

TABOURETA Stephanus, vide *Stephanus.*

TABRACA, quæ TABRACHA Plinio, *l.* 5. *c.* 3. *Tabratha* Stephano, *Thabraca* Ptolemæo, vulgò *Tabarca*, colonia & urbs olim Episcopalis Africæ maritima, cum insula vicina cognomine, inter Hipponem ad Occasum & Uticam ad Ortum quasi 100. m. p. coralii piscatione dives. *Baudrando* urbs Episcopalis fuit Africæ propriæ in ora maris Mediterranei nunc oppidul. tenue, cum portu capaci, in regno Algerii, & provinc. Constantina. Insula autem *Tabarca* pertinet ad Lomellinos, nobiles Genuenses; estque satis parva, contra Tabracæ portum, 50. mill. pass. ab Hippone in Ortum 90. ab Utica. Claudian. *Prolog. l.* 2. *in Eutrop. v.* 71.

Inclyta captivo memoratur Tabraca Mauro.

Silius, *l.* 3. *v.* 256.

Tabraca tum Tyrium vulgus, Sarranaque Leptis.

Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 194.

Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia buccâ.

Ad quæ verba vetus Scholiastes: *Opacas silvas esse in Africâ Poëta dicit in regione Tabracenâ.* Nempe ורק Syris est libri folium, & Arabibus etiam arboris: unde הוריק *thauric*, φυλλῶτις, φυλλοφορία. Itaque תורקא *Thaurica* est, cujus nominis in Thessalia fuit oppidum, *Stephanô* & *Strabone* testibus. *Nic. Lloyd.*

TABREMON, fil. Rezonis seu Hezonis, qui post cladem domino suo Adad-ezeri à Davide illatam, Regnum Syriæ Damascenæ à Syriæ Sophenæ Regno avulserat, memoratur 1. Regum *c.* 15. *v.* 18. pater Benhadadi Regis Syriæ, *Ibid.*

TABRESIUM, seu TAURISIUM, *Cedren.* urbs ampla regni Persarum, aliàs sedes regia, in provinc. *Servan.* Pluries capta fuit à Turcis, sed recepta à Persis, 1100. mill. pass. à Byzantio. Vide *Taurisium.*

TABUDA, fluv. Belgii, fortè ostium seu alveus Scaldis, *de Honte*, inter Zelandiam propriam & Flandriam. *Ptol. Cluver.*

TABULA, ab inusitato *taba*, & hoc à Græco τάζω, quòd *tabulata* in ædibus & ulmis planitiem extendebant: de pluribus rebus dicitur, uti ex parte videre est suprà ubi de *Tabellis.* Apud *Festum*, ubi de igne æterno, si quando defecerat, à Vestalibus reparari solito, *Hic mos erat*, tabulam *felicis materiæ tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem in cavo æneo virgo in ædem ferret*: tabula τορεὺς est seu ἐσχάρα, lignum quadratum felicis materiæ, quod ad excudendum ignem terebrâ perforabant ferreâ; quod igniarii genus inventum Mercurio Homerus canit in *Hymno* ejus, vide suprà, ubi de Veterum re *Igniaria.* Apud Capitolin. *in Pio, c.* 13. *Cùm esset longus & senex, incurvareturque tiliaceis* tabulis *in pectore positis fasciabatur, ut rectus incederet*: vox idem notat, quod νάρθηξ, παρένθεμα & ὑποστήριγμα *Hippocrati* dicitur. Cujusmodi *tabularum* in Medicorum libris multiplex docetur usus. Utebantur & fœminæ, ad celanda corporis vitia, quas Alexis Comicus κοίλας Comicè appellat. Hodie fœminæ surrigendo corpori earum vice ferulas, è balenæ costa, aut ebeno, aut alia materia non rigida nimis, pectori adponunt, Casaub. *ad loc.* Sed & de naufragiis usurpat vocem hanc elegans Fabularum Scriptor Phædrus, *l.* 4. *Fab.* 21. *v.* 24.

——— *Cæteri* tabulam *suam*
Porrigunt, rogantes victum ———

Nempe naufragi, ut etiam ex *Juvenale* discimus, stipem ostiatim corrogaturi, in tabula quadam depictum exhibebant naufragii sui casum, commiserationi excitandæ, Joh. Laurentius *Not. ad loc.* quemadmodum in Gladiatoriis, aliisque Ludis Veter. Editores *tabulâ* publicè affixâ, in qua simulachrum ludorum exprimebatur, hominum desiderium excitare & frequentiam spectaculis conciliare consuevêre. Apud Athenienses, *Tabellæ* ædibus prædiisque affigebantur, quæ ære alieno obstricta & Danistis oppignorata essent, ὅροι illis dictæ. *Etymologicum M.* Ὅ... *tabella ædibus apposita* &c. Affigebantur autem ab ipsis Creditoribus, ut suprà dictum in *Oneris Excussio.* Apud Monasticæ rei Scriptores, *tabula lignea* occurrit, cujus percussione excitabantur Monachi, σφυρίον ἰδιωτικόν Palladio *Histor. Lausiacâ c.* 104. vel ad sacram Synaxin evocabantur, Matth. Paris. A. C. 1196. vel ad precandum pro Monacho in extremis agente cogebantur, Udalr. *Consuet. Cluniac. l.* 3. *c.* 29. Eadem pulsabatur, cùm *Breve*, uti vocant, *Defunctorum* advenisset, Herbertus *de Mirac. l.* 1. *c.* 1. cùm ad laborem conveniendum esset, *Liber Ord.* S. Victoris Paris. *MS. c.* 5. cùm licentia item loquendi daretur, Udalricus iterum *l.* 3. *c.* 8. Hodieque in Ecclesia Romana *tabula* hujusmodi percutitur tribus diebus *majoris*, ut appellant, *hebdomadæ*, quibus campanarum cessat usus, Idem *l.* 1. *c.* 12. Vide quoque infrà *Tarabat*; uti de Græcis suprà in voce *Simandrum*: plura verò de vocis hujus in Ecclesia Romana usu, apud Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *Hierolex.* Addo saltem, *Tabulam* quoque dictam fuisse, genus instrumenti Musici, quod in Ecclesia Cantor manibus tenebat, ex Jo. Abrincensi *de Offic. Eccles. p.* 13. quas *de offc* fieri solitas, habet Amalarius *de Div. Offic. l.* 3. *c.* 16. pluribus verò describit, Gaufredus de Vinosalvo *in Poëtria MS.* quæ in Thuanæa Bibliotheca extat, laudatus eidem *Glossarii* Auctori &c. In plurali *Tabulæ*, literæ sunt varii generis, quòd in *tabulis* olim ceratis scriptitatum fuerit, uti pluribus visum suprà, in voce *Tabella.* Unde *Tabulæ* publicæ quæ in *Tabulario*, hodie *Archivo*, asservabantur: *Tabulæ* accepti & expensi aliæque complures, de quibus hìc paulo infrà. Imprimis *Tabularum* appellatione Gellius Chirographa & Syngraphas designare videtur, *l.* 14. *c.* 2. Ubi tamen Salmas. non tantùm Chirographarias Syngraphariasque intelligit, verùm etiam Expensi *tabulas* & scripturam mensæ, quæ in *Tabulas* quoque ab Argentario seu Mensario regerebatur, in quibus rationes suas perscribere solitus erat. Sic ut, ex ejus sententia, Gellius omnes tunc solennes debiti, si negaretur, probandi à creditore modos his duobus verbis *tabulis testibusque* complexus sit, omnes nimirum, quos speciatim mox *ibid.* diducit & explicat, scil. expensi lationem, mensæ rationes, chirographi exhibitionem, *Tabularum* obsignationem testiumque intercessionem, Jac. Oiselius JCtus *Notis in Gell.* Cujusmodi *tabulas*, civium subditorumque debita continentes, boni Principes non semel exussisse leguntur. Ut inter alia de Aureliano, Vopiscus, *c.* 39. *Tabulas*, inquit, *publicas ad privatorum securitatem exuri in Foro Trajano semel jussit. Amnestia etiam sub eo delictorum* &c. Vide suprà in voce *Soter*; & plura hanc in rem hìc passim.

Tabulæ varii generis, apud Veteres.

α. *Accepti*, & *Expensi*, erant vel menstruæ, quæ dicebantur *Adversaria*, quòd *adversâ* etiam parte scriptis implerentur: vel perpetuæ, quæ propriæ *Tabulæ Accepti* & *Expensi* vocabantur, in quas ex Adversariis rationes transcribebantur. Vide quoque infrà *Expensi. Ascetarion* exigua, cui incumbentes somnum capiebant, vide suprà *Somnus* it. *Stoici.* β. *Auctionariæ*, in quibus Argentarii, quarum rerum auctio futura esset, præscribebant: Mentio earum apud Cicer. *in Catil.* & Quintilian. *l.* 11. Vide Casaubon. *ad Capitolin. in Pertinace, c.* 8. γ. *Chirographariæ*, solebant scribi propriâ debitoris manu, nullis testibus adhibitis neque obsignabantur: unde à Syngrapharis multum distabant. Salmas. *de Usura c.* 10. & 11. δ. *Dati* & *Expensi*, inprimis celebres in Foro erant, quas Accusator à reo postulabat in certis causis, ut repetundis & peculatus: Sic enim de iis Asconius: *Moris fuit, unumquemque domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere, ex qua appareret, quid quisque de reditibus suis, quid de arte, fœnore lucroque seposuisset quoque die, & quid item sumptus damnive fecisset: sed postquam obsignandis literis reorum ex suis quisque tabulis damnari cœpit, ad nostram memoriam tota hæc consuetudo cessavit.* Fuère & *Tabulæ* rationum relatarum, quibus Judices docebantur quæ publicè data & accepta essent, *Festus.* ε. *Dotales*, quibus dos perscripta. Hæ dote dictâ signabantur, postquam solemnis stipulatio fuisset interposita, acclamatumque est sponsis, *Feliciter*, & nuptiæ sic firmabantur; contrà dissolvebantur, iis fractis: uti dictum suprà, ubi de *Repudio.* ζ. *Expensi* erant, in quibus, qui pecuniam, quam mutuò dabant, numerabant ex arca sua, nomen illius, cui dederant, perscribebant unà cum summa debiti. Quæ *Tabulæ*, etsi domesticæ, in judicio prolatæ, fidem tunc faciebant ad debitum probandum. Dicebaturque *Expensi latio*, quia creditor in tabulis suis scribebat nomen debitoris, cui expensam illam crediti summam ferebat, quam dedisset mutuam. Cùm debitum illud receperat, tunc acceptum in iisdem ferebat: Inde *accepti* & *expensi Tabulæ*; hæcque mutui contrahendi obligatio erat, quæ olim *nominibus* fieri dicebatur. Vide iterum Salmasium de *Modo Usurar. c. cit.* η. *Legis divinæ*, duæ fuère, quibus Decalogi præcepta ipse Deus expressit, Exodi *c.* 31. *v.* 18. Illas Judæi albicantes & sapphirinas atque ad unius cubiti mensuram longas latasque, crassitie autem dimidii cubiti fuisse tradunt; & alii bis mille annis ante mundum conditum, alii primæ hebdomadæ feriâ sextâ exaratas, nugantur: Scriptura verò *digitô Dei* fuisse *scriptas refert loco citat.* ac מזה ומזה *hinc inde*, utraque facie, peraratas adeoque opistogra-

phas, Exodi c. 32. v. 15. aliter ac Pictores eam exhibent. Quibus à Mose, ob Populi apostasiam, non sine divino instinctu, confractis, alias rursus ipse edolavit, quibus Deus easdem fœderis conditiones inscripsit; quæ postmodum in Arca Fœderis fuêre repositæ. Earum instar aliquod quô pactô *τετράμμα* suo in Eleusiniis simia Dei exhibere conatus sit, vidimus suprà, in voce *Petra*. θ. *Legum*, apud Romanos variæ fuerunt: Scriptâ enim lege, Legislator bene de Rep. sentiens antequam eam promulgabat, i.e. in publico ponebat, ut inspiceret in *tabula* scriptam, qui vellet, inspectam consideraret; sicque, quivis monere eum posset, vel de corrigenda, vel de antiquanda Lege. Spatium autem promulgationis trinundinum erat. Post tertias verò nundinas, Populus convocabatur, & unicuique diribebantur duæ *Tabulæ*, ut dictum in voce *Tabella*. Diremptis dein suffragiis, vel de antiquata, vel de accepta Lege cognoscebatur: Et scitam quidem atque acceptam, omnes cives jurejurando confirmabant. Quô factô, in æs, sive æneas *tabulas* Lex incidebatur, quæ publicè interdum proponebantur, ut oculis civium paterent; interdum verò ad Ærarium deferebantur & ibi reconditæ adservabantur. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 2. De Legibus Solonis & Lycurgi, vide suprà passim, in vocibus, *Axones*, *Cyrbes*, *Lex*. ι. *Mensæ* rationes continentes: Creditores enim, cum pecuniam, quam ibant creditum, ex arca sua non numerarent, sed per Argentarium sive Trapezitam suorum nomine id fieri curarent; ista pecunia ex mensâ dari dicebatur sive ex mensæ scriptura; Trapezita autem in rationes suas referebat, se nomine & mandatô Sempronii Titio tantam pecuniam numerâsse: quam si hic inficiaretur, tum ille rationibus mensæ id factum probare potuit, Salmas. *loc. cit.* κ. *Novæ* dicebantur, quæ in Foro suspendebantur jussu Imperatorum in gratiam hominis alicujus obærati quibus is contra Creditorum rigorem tutus præstabatur, Fr. Sylv. *in Orat. Catilin.* Earum mentio apud Justinum quoque *l.* 16. *c.* 4. *Passi sunt* (Atheniensés) *inter plurima mala etiam tyrannidem: siquidem cum plebs etiam* Novas tabulas; *& divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret &c.* uti Betneggerus duas hasce leges, alteram *Novarum tabular.* (*χρεωκοπίαν* & *σεισάχθειαν* Græci) alteram agrorum viritim ex æquo dividendorum, *duas esse faces novantibus res, ad plebem in Optimates accendendam*, ex Liv. *l.* 32. *c.* 38. adnotat. λ. *Nuptiales*, vide suprà. μ. *Pactionales*, in quas obsignatas pacta referebantur. Meminit earum Cicer. *de Orat. l.* 1. ν. *Tabula Patronatus*, veteri Interpreti Juvenalis, *Sat.* 10. quam Poëta *paginam honorum* vocat, *curea est pagina, quæ ante imagines patriciorum stans omnes eorum gradus honorum scriptos continet.* Effigies enim majorum, cum titulis suis, in prima ædium parte poni consuevisse, notum. Quô exemplô, & in Provincialium atriis, Præsidum benemerentium, & Imperatorum imagines, cum titulis positæ sunt. Idemque clientes suis patronis fecêre, qui cùm statuas hujusmodi illis dedicarent, in tabulis æneis, eorum honores ac Magistratus gestos describere sunt soliti, uti passim discimus ex *veterib. Inscript.* ξ. *Tabulæ Picta*, vide suprà *Pinacotheca*. ο. *Publica*, in quibus scribebantur, quæ ad Remp. pertinerent; adservabantur in Ærario. De iis sic Seneca, *de brev. vitæ l. c.* 13. *Plurium tabularum contextus caudex apud Antiquos vocabatur: Unde* publicæ Tabulæ *Codices dicuntur.* Hinc *Tabularium* locus, & *Tabularius* is qui publicas istiusmodi rationes tractabat. Codices verò rerum, in Magistratu gestarum, in Atrio *Tablinum* servabat, uti dictum suprà. π. *Rationum* relatarum, quibus Judices docebantur, quæ publicè data acceptaque essent. Vide *Festum*. ϙ. *Sponsalitiæ*, vide suprà. σ. *Syngraphariæ*. Syngraphas continebant; Syngraphæ enim in *Tabulis* à Tabellione publico scribi & à testibus subscribi & observari solebant: Atque ab utroque contrahentium, apud amicum vel mensarium aliquem, quorum publica erat fides, deponebantur, ut, si quid controversiæ ortum esset, ex *Tabulis* dirimi posset. Per has, quia obsignabantur, longè validiùs, quàm Chirographô, debenti reus fidem suam obstringere censebatur; cùm publica insuper instrumenta essent. Salmasius ubi *suprà*. υ. *Testamenti*, celebres admodum apud Antiquos: Unde *secundùm & contra Tabulas bonorum possessio*. P. Pellitar. *in Orat. pro Cæcinna*. Item, *Heredes primæ ceræ*, i.e. *primæ tabulæ, & in primo gradu instituti*. Vide plura, ubi de *Testamentis*. φ. *Tetragona*, haud pridem invecta, quæ ædium fastigiis solita adfigi spirantem ventum indicat, vide infrà *Ventilogium*. ψ. *Votivæ*, suffigi solebant non columnis modò, & parietibus Templorum, sed & tholis ipsis seu fastigiis, ab his, qui vel sanitatem recuperârunt, vel victoriam de hostibus reportaverunt, vel è naufragio emerserunt. Hinc Templum Ephesinum, istiusmodi *Tabulis*, remedia continentibus, quibus quis à morbo liberatus erat, non minùs, quàm structuræ magnificentiâ celebre fuisse legitur. Hector similiter *Il.* η. Ajacis arma Apollini vovet: & de *Tabulis* naufragorum diximus paulo antè. Vide quoque suprà, ubi de *Donariis*, infrà ubi de *Votivis Tabulis*.

TABULA, vel Mensa *Rotunda*, condita, Walsingh. *p.* 164. *l.* 33. Festum *Tabulæ rotundæ* ab Eduardo I. solenniùs celebratum, A. C. 1281. regni 9. Holl. *p.* 280. *col. b.* 56. Sed prius institutum à Rogero Mortimero, heroë bellicoso, A.C. 1279 ad castrum Killingworthiæ, conscriptis huic ludo militari 100. Equitibus auratis, & totidem dominabus. Stow. *p.* 309. Eduardus III. A C. 1344. domum ædificavit, ad castrum *Windelesbores*, quæ *Tabula rotunda* vocaretur, diametrum habens 200. pedum &c. Ypodig. *p.* 515. apud Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.* Fuit nempe decursionis aut hastiludii species, à certo & definito Militum numero obiri solita, qui, priusquam in arenam descenderent, vel etiam, postquam prælis & velitationibus defuncti essent, ad mensam orbicularem unà cibum capiebant, ne quod discrimen inter Nobiles ex sedis prærogativa, indeque jurgia ac dissidia emergerent. Quod vetus Gallorum institutum, quos mensis hujusmodi rotundis circumsedisse, armigeris eorum à tergo astantibus, Athenæus memorat, *l.* 4. renovatum ab Arthuro Britanniæ Rege cujus *Tabula rotunda* in omnium ore versatur: at sublatum à Clemente V. Pontifice, quòd cædes aliaque pericula non mediocria inde subinde emergerent, ait Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque hîc passim, ubi de *Mensa rotunda*, *Monomachia*, *Torneamentis*, nec non in voce *Justa*.

TABULÆ, seu TABLÆ, locus Bataviæ, cujus in *tabula Theodosiana* mentio, vicus *Alblas* Cluverio exponitur.

TABULÆ Lusus, apud Isidorum, *Origin. l.* 18. in *Epigramm. veter.* *Tabula* simpliciter, Græcis recentioribus quoque *τάβλα*, lusus est, qui in *tabula* calculis tesserisque peragebatur, *Alea* nomine *κατ' ἐξοχὴν* insignitus. *Casum tabulæ* dixit Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 9.

> ——— *nec enim loculis comitantibus itur*
>
> *Ad casum tabulæ, positâ sed luditur arcâ &c.*

Nempe in *Tabula lusoria*, uti hodie apud nos, sic olim apud Veteres duplex præcipuè ludus ludebatur, *Calculorum*, quos & *Latrunculos*; & *Tesserarum*, quem propriè *Tabulæ lusum* seu *Tabulam* dicebant: Siquidem, ut alterum *Tabulæ* latus calculis seu latrunculis inserviret, de quibus vide in his vocibus, item infrà in voce *Zatricium*: alterum tesseris, quod lineis vel punctis duodecim descriptum distinctumque erat, in quibus calculi variè disponebantur, prout tesseræ cecidissent. Utrumque usum indicat Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 17. cujus lemma *Tabula Lusoria*,

> *Heic mihi bissenô numeratur* tessera *punctô*:
>
> *Discolor heic geminô* calculus *hoste perit.*

Lineæ autem illæ sive puncta, *scripta* etiam Latini vocabant, unde idem Lusus *Duodecim scriptorum* dictus est. Per quæ scripta quia commeabant calculi, *scriptorum tramitem* vocat vetus Epigr. *de Tabula*, *ἴσον* Agathias *in Græco Epigr.* *νόμους* quoque & *χώρας* alii, unde *μονόχωρος*, infelix tabulæ lusor, qui ad unum scil. calculum redactus erat, in *Gloss.* In hoc enim lusu vincebatur, qui cum paucioribus calculis erat relictus, imò qui omnes ad unum remittebat, Artemidorus, *l.* 3. *c.* 1. Porrò, uti in lusu latrunculorum loculi lineis distincti, in quibus calculi statuebantur, dicti sunt *carceres* & *mandræ* & *septa*: sic etiam *in tabulæ lusu* lineæ, per quas currebant calculi, dicebantur *capsi* & *septa*, Græcè *χαρακώματα*. Certabat autem in ea ars cum fortuna, & fortuna quidem ex tesserarum jactu pendebat, at ars in calculorum dispositione posita erat: licebatque quod fortè malè cecidisset in arte corrigere, & tesserarum *jactu* minùs favente calculum tamen bene *dare* seu promovere. Imò & aliquando calculum jam datum, si pœnitentia subiret, & adversarius permitteret, in pristinam sedem *revocare*, quod *ἀναθέσθαι ψῆφον* Græci dixêre. Calculi verò sive *ψῆφοι*, quibus *in Tabula* ludebatur, erant rotundi, Græcis propriè *πεσσοί*, unde toti ludo nomen, qui & *πεσσεία* hinc dicebatur, seu *πεττεία* iique numerô triginta, quindecim nigri, quindecim albi. Quem totum lusum, Ægyptiorum, ut videtur, inventum, philosophiâ multâ refertum fuisse, vidimus suprà, ubi de *Ægyptiaca Πεττεία*. Hujusmodi autem *Tabulæ lusoriæ* formam, ex *Thesauro antiqq. Inscriptionum* Gruteri, exhibet Salmas. *ad Proculum Vopisc. c.* 13. Tabula est marmorea, longior, quàm latior: tertiam enim partem latitudinis ad longitudinem adjici consuevisse, in hujusmodi alveis lusoriis fabricandis, ex Plinio discimus, ubi de actis triumphorum Pompeji M. *transtulit*, inquit, *alveum lusorium cum tesseris è gemmis duabus latum pedes tres; longum pedes quatuor*. Inscriptionem Græcam habet à Christiano homine factam: namq; & crucem in medio fingendam curavit, & Christi nomen scribendum, parùm Christianè. Imò & impiè adjutorem illum futurum dicit ludentibus aleam, legibus vetitam, bonisque moribus contrariam, omnibus olim Christianis impermissam, posteà solis prohibitam Clericis, *Nov.* 123. Justin. Ipsam porrò tabulam quod attinet, eam per partes ac velut per lineas, accuratè explicat Salmas. *ubi suprà*. Vide quoque hîc passim, ubi de *Alea*, *Fritillo*, *Palamede*, *Pyrgo*, *Regnula*, *Tesseris*, *Tricitraco* &c. Aliud est, quum in plurali Latini *tabulis ludere*, & Græci *τάβλαις παίζειν*, dicunt. Tum enim per *tabulas* non intelligunt alveos lusorios, sed vel tesseras ipsas, vel calculos, quibus in tabula luditur. Græci enim recentiores *τάβλας* etiam & *ταβλία* pro tesseris dixêre. Hinc *ταβλία* pro clavis aureis purpureisque, quibus vestes intexi prætexique solebant, occurrunt in *Chron.* Alexandrino non semel: *κύβους* etiam Græci veteres, dixêre, ut *Hesych.* docèt. Sicut *tesseras* Latini, Anastasius quoque *tabulas* in *Hormisda* alibique. Sed cùm tesseræ quadratæ fuerint, *tabulæ* autem hæ vestium apud Anastasium orbiculares, videtur hic potiùs ad alteram notionem vocis respexisse, quâ ipsos calculos seu orbiculos ligneos vel eboreos illa (quod hodieque Galli retinent) notabat. Ita enim *in Leone* III. *Pontifex fecit* ——— *tetra vela rubea holoserica alethina, habentia* tabulas seu orbiculos *de chrysoclavo* &c. Quam in rem vide plura apud eundem Salmas. *Not. ad Vopisc. in Vita Carini, c.* 20. ut & suprà passim, ubi de vestium *Clavis*, *Oculis*, *Plumis*: adde Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce *Τάβλα*.

TABULÆ Sinus, parvus admodum Cafreriæ, prope bonæ Spei promuntor. ubi arx à Batavis nuper excitata, in colle in insula parva adjacente, *Taffel Bay* Hollandis.

TABULAM tenere, dicebatur olim apud Catalanos, Vicarius seu Judex, qui post exactum officium, eo in loco, ubi illud exercuerat, statis diebus 30. videl. à Kal. Jan. incipiendo, morabatur, quò de se conquerentibus coram alio Judice, à Principe delegato, responderet. Car. du Fresne, ex Curia Gen. Barcinonensi Jacobi II. Aragon Regis, A. C. 1291. & 1299 *MSS. in Glossar.* ubi etiam de *Tabula Cambii*, quam *tenere* dicebantur Mensarii, seu Nummularii, quî inde Græcis *τραπεζῖται*, ex ejusdem Regis Curia General. Cataloniæ Ilerdæ A. C. 1301. celebratâ: *de Tabula Altaris*, in Ecclesia Romana quam vulgò *Mensam Sanctam* vocant, & de qua idem *in Descript. S. Sophiæ num.* 53. pluribus; de *Tabula* porrò alia, non quæ Altari superponitur, sed eâ, quæ solida & figuris exornata ipsi Altari prætenditur; *de Tabula itineraria*, quæ vulgò *Altare portatile*: de *Tabula Offi-*

cialis,

riali, quæ seriem ministrorum & officialium, qui hebdomatim publicis functionibus deputantur, in Monasteriis, continens, in Capitulo seu exedra ad communem omnium notitiam exponi, legique solet, antequam pronuntietur commemoratio Sanctorum; de *Tabula Peregrinantium*, in qua illi, quoties in via quiescunt, legere tenentur, aliisque, varia habet. De *Tabula Pacis*, suprà in hâc voce.

TABULARII, vide voce *Tabellio*. Sed & *Tabularii* sive Chartularii, in *LL. Francicis*, frequenter dicuntur Libertorum apud veteres Germanos genus, in quos jus habebat Ecclesia: qui & *Chartularii*, in *LL.* Ripuar. it. *Homines Ecclesiastici*, ibid. Vide de iis Cl. Ottonem JCtum *ad Res Germanicas B. Rhenani, l. 2.p.*192.

TABULARIUM, dicebatur locus, in quo servabantur Acta publica, eratque is Romæ in Atrio Libertatis. Liv. *l.* 25. *c.* 7. *Censores exemplò in Atrium Libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausôque* Tabulariô *& dimissis publicis servis* &c. Nempe, uti in ædibus privatis atria habebant *tablina* & pinacothecas adjunctas, in medio aream sub dio columnis cinctam, quæ *peristylium* hinc, aliter *impluvium* appellabatur: Sic Atrium Libertatis, quod fuit in Aventino, & quò docti tanquam ad λέσχην conveniebant, similem formam, similiterque *Tabularium* habuit &c. Casaubon. *ad Aug. Suetonii c.* 29. Idem in Provinciis obtinuit. Jul. Capitolin. de Marco Imperat. *c.* 9. *Primus jussit apud præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine impositô* (dicere vult, vetus inventum in melius reformavit) *Per provincias* Tabulariorum *publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret* &c. Ubi *Tabularii* servi erant publici, qui in provinciarum civitatibus *Tabularia*, in quibus Acta publica, suæ curæ habebant commissa: unde *in lege* 3. *Cod. De serv. publ. manum.* quidam, quòd *Tabularium* administrâsset, status controversiam patitur. Sed id posteà mutatum, Constitutione Arcadii & Honorii, qui *Tabularios* non nisi liberos jusserunt ordinari. Diversi ab istis *duo illi Tabularii* per singulas provincias constituti, quorum unus fiscalis arcæ ratiocinia, alter largitionales titulos curaret, de quibus in Cod. Theodos. *l.* 1. *tit.* 8. Sed & *Tabularii castrensis* mentio, in antiquo Lapide, de quo vide Salmas. *ad Lamprid. Alexandro Sev. loc. cit.* Apud recentioris ævi Scriptores, *Tabularii* dicuntur servi, per *tabulas* seu *per instrumenta manumissi*, de quo ritu vide *l. Ripuar. tit.* 58. §. 1. & suprà, ubi de *Manumissione*. In Ecclesia Romana *Tabularii* dicuntur, qui *tabulas* Officiales in Monasteriis curant &c. Vide quoque suprà passim.

TABULATA, in Circo Romano, in quibus stantes spectabant, ξυλίνοις ἰκρίοις, *ligneis crutibus*, ut ait Dionysius Halicarn. *l.* 3. seu *furcis*, ut Livio vocantur, sustinebantur primitus: faciebatque ea quisque sibi tumultuariâ operâ, & ad spectaculi solùm tempus. Artem aliquam addidit Tarquinius Superbus, & mansura fieri publicâ impensâ curavit. Donec per ambitum Circi porticus extruxit Cæsar &c. Vide suprà passim, inprimis in voce *Fori*, item *Spectaculum*. Alia erant postmodum in medio Constantinopolitano Foro *Tabulata*, de quibus Corippus *de Consul. Justin. Jun. l.* 4.

Exornantque locos & festa fronde coronant
Partes quisque suas: fixis tabulata *virebant*
Palmarum ramis, & amica pacis oliva,

Septa videl. de ligno, gradibus distincta haud secus atque in Theatro & Amphitheatro, in quibus populus per ordines divisus stabat, ut exciperet missilia, quæ à Principibus & Consulibus spargebantur, nummos scil. aureos, argenteos, æreos & tesseras quoque panarias. Ad eadem quotidie manè ventitabat populus καλαμηφορῶν, h. e. *calamos* vel *tesseras ferens*, ut panes acciperet, *gradiles* hinc dictos. Ἐξέδρας vocat Themistius, *Orat.* 4. *arcus* quoque idem Corippus, *l. eod.* ubi & sic prolixiùs de illis:

Omnia roboribus sternunt loca plana politis,
Conjungunt tabulas & ferri nexibus arctant,
Quæ pondus strepitusque virum, motusque faventis
Ferre queant populi: cunctorum terga locorum,
Alternumque latus conclusit sectile lignum,
Undique munimen, decus & tutamina præbens,
Disposuêre gradus &c.

Vide Salmas. *ad Vopisc.* in *Vita* Aureliani, *c.* 35. & hîc passim. Apud Scholiasten Juvenalis, *tabulatum* est aplustre, tabula scil. affixa in navibus ad summitatem puppis, ornamenti gratiâ, interdum scuti vel clypei formam referens è quo pinnæ ac cristæ, ut in galea, eminebant, quemadmodum videre est in nummis M. Antonii & Hadriani, aliisque quamplurimis, & suprà diximus in voce *Aplustre*. Σανίδιον itidem vocat vetus Apollonii Interpres. Vide Salmas. eundem *ad Solin. p.* 572. & 573. Aliàs *tabulata* navium τὰ συνεδριάσματα sunt seu ἰκρία, aliter *Fori*, compositura viles ex tabulis junctis, ut cùm de classe Stiri canit Val. Flaccus, *l.* 8. *v.* 305.

——— *vocibus urgent*
Intereà, & pedibus pulsant tabulata *frementes.*

Postquam dixisset, *v.* 287.

Illi autem intorquent truncis frondentibus undam;
Quæque die fuerat raptim formata sub uno,
Et tantùm dejecta suis de montibus arbor,
Haud longis jam distat aquis &c.

De *pontili strato*, ut vocat Vegetius, *l.* 3. *c.* 7. *tabulatum*, quô stabuli pavimentum consterni solitum, & hinc voce recentioris Græciæ ποντίλα, quam usurpârunt etiam pro quibuslibet tabulatis, etiamsi ad speciem pontis strata non essent, sed suspensa, verboque inde orto ποντιλῶσαι, pro *pontem sternere*, vel *pontilem stratum facere*, diximus itidem suprà &c.

TABULEJUM, posteà *Theologium*, sive *Dologium*, hodie *Tholie*, teste Wasserburgiô, cœnobium in monte apud Treviros. *Surius, in vitis SS.*

TABULIUM, oppid. agri Tarvisini.

TABUR, apud Radulfum de Diceto A. C. 1191. *Juxta sonum illius instrumenti, quod Ripatoribus vocatur* Tabur, *subitò cercella quædam alarum remigio perniciter evolavit*: Sanuto *Tamburlum, l.* 2. *part.* 4. *c.* 22. hodieque *Tambour* Gallis, ex Arab. *Al-tambor*, tympanum est bellicum notissimum, à Saracenis excogitatum primitus, qui *voces emittebant terribiles --- manumaque percutientes tympana cum baculis retortis, ad terrendum inimicos*, uti ait Auctor *MS. Historiæ Excidii Acconis* A. C. 1291. apud Car. du Fresne, qui de hoc Saracenorum invento pluribus agit, *Not. ad Joinvillam p.* 61.

TABURNUS, mons Campaniæ, olivetis abundans. Virg. *Georgic. l.* 2. *v.* 37.

——— *Juvat Ismara Baccho*
Conserere, atque oleâ magnum vestire Taburnum.

Hodie *Taburo* dicitur, teste *Leandrô*.

TACAPE, urbs Syrtis parvæ, *Ptolem.* vulgò Capes, & *Caps*. Pœnis, inquit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 25. erat תכב *tacabh*, h. e. locus humidus & irriguus. Proin ager hic fertilissimus, vitesque biferæ, Plin. *l.* 18. *c.* 22. *Civitas Africæ in mediis arenis, petentibus Syrtes, Leptinque magnam vocatur Tacape, felici super omne miraculum riguô solô. Ternis ferè mill. pass. in omnem partem fons abundat, largus quidem, sed certis horarum spatiis dispensatur inter incolas.* An à *Capsa* diversa? Vide *Capsa*.

TACARA, regnum parvum Guineæ, in ora Aurea.

TACUSASTA, urbs Ægypti, inter Memphim & Pelusium, *Antonin. Tacasiris, in libro Notit. Simlero.*

TACASIN, civitas in tribu Zabulon, Jos. *c.* 19. *v.* 13.

TACASUS, fluvius ingens regni Abassinorum. Ortus in finibus regni *Angote*, tribus præcipuè fontibus, aliquousque tendit in Occasum inter Daganam & Hoagam; unde versus Boream se incurvat, præterfluens regnum *Tigre*, ejusdemque regni provinc. *Sire* mediam dividens rigat desertum Oldebam, olim cœnobiis famosum: Conjungitur dein *Marabo* fluv. qui non procul Baroâ oritur, cujus fluentis multùm auctus, pergit ad regnum Dengini, quod tenent Mauri *Belloi*, mox alios invisit Mauros, *Bugabos*, aut *Funchos*, ac demum Nilo sociatur, ad oppid. *Jalac*; Tacaze vulgò, *Voss.*

TACATUA Plin. *l.* 5. *c.* 3. *Tacatue Ptol. Tacatta Anton. in Suchaida Moletto*, oppid. Africæ, in ora littorali inter Collopem magnum, sive Cullu ad Occasum 22. & Hipponem Reg. ad Ortum 54. mill. pass. apud Collopem parvum, ab eo parum in Occidentem distans.

TACELLOTHIS, Rex Ægypti, in Bubastitarum Dynastia III. & ultimus, successit Osorthoni, regnavit ann. 13. & cum reliquis Ægypti Regulis, de quorum πολυκοιρανίη diximus aliquid voce *Dodecarchia*, à Sabacone Æthiope, sub initium Olympiadum, oppressus est. Joh. Marshamus, *Canone Chron. Seculo* XVI. Vide *Sabacon*. Ejus tempore apud Saitas Nechus sive Nechao I. alibi in Ægypto, Bocchoris & Anysis, rerum potiti sunt, de quibus hîc passim.

TACENDI in Sacris Ritus, vide suprà ubi de *Silentio*.

TACFARINAS, natione Numida, in castris Romanis auxiliaria stipendia meritus, mox desertor inconditam turbam primùm congregavit, dein Musulanorum dux factus. Mauros quoque in arma traxit: Decium ad Pagydam vicit, sed victus à Furio Camillo proconsule Africæ. Iterum rebellans, Corneliô Cethegô, Visellô Varrone Consulib. & Africam raptans, auctus Maurorum auxiliis, à Dolabellâ Africæ proconsule, apud Castellum Auzea, oppressus est cum suis omnium rerum securis. Cumque Proconsul per manipulos promulgâsset, *Tacfarinatem* omnes notum tot præliis consectarentur: nonnisi duce interfectô requiem belli fore; ille dilectis circum stipatoribus vinctôque jam filiô, & effusis undique Romanis, ruendo in tela captivitatem haud inultam morte effugit. Vide Tacit. *Annal. l.* 2. 3. & 4.

TACHASARA, urbs Mediæ, *Ptolem.*

TACHEMPSO, Nili insula, Herodot. *l.* 2. *Stephano* insula Æthiopiæ juxta Libyam. Gentile *Tachempsites*.

TACHOS, Rex Ægyptiorum, qui, cùm Agesilaum Lacedæmoniorum Regem, brevis staturæ hominem, qui idcirco venerat ut cum eo belli societatem iniret, eique auxilium ferret, hôc intempestivô jocô lacessisset: *Parturiebat mons, ac Jupiter metuebat, ille autem murem peperit*: regnô suô est spoliatus, alienô à se Agesilaô, societateque diremptâ. Athen. *l.* 14. Plut. *in Agesilao*.

TACHYGRAPHIA, Ars est celeriter scribendi; quô fine varias scripturas humana curiositas, pro scriptionis compendiis, excogitavit. Apud Romanos certè jam tum in peculiari charactere à Notariis desudatum fuit, ut verba non perscriberent, sed signarent, prout Lipsius loquitur, *Cent.* 1. *ad Belg. Ep.* 27. Et apud Græcos famosa tria illa triangula in se invicem ducta, non obscurum hujus rei specimen præbent, quæ Antiochus Soter omnibus nummis suis insculpi curavit, quæque vocem ΥΓΙΕΙΑ denotare creduntur. Vide suprà, ubi de *Notis, Siglis, Signis* &c. Nunquam autem melius se habuit, quàm inter Anglos nostrô tempore, quô prolixas conciones seu sermones sacros eâ celeritate consignare visi sunt, ut verè Martialis illud in eos quadret, *l.* 14. *Epigr.* 208.

Currat lingua licèt, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum dextra, peregit opus.

Describit hanc Artem Jo. Wallis *The Schoolmaster to the Art of Stenography Lond.* A. C. 1647. Thomas item Schelton *Tachygraphy or Shortwriting. Lond.* A. C. 1647. & Joh. Wilkins *c.* 12. *Libri*, cui tit. *Mercur or the secret messenger*; nec non Jer. Rich. *Tab. maj. manuductio-*

dictionis locò emissâ; qui & integrum Psalterium in minutissimam formam hâc viâ contraxit & edidit. Principia ejus breviter hæc sunt: 1. *Ut normam unice habeat pronuntiationem vocum, non autem scriptionem ordinariam.* 2. *Literarum locò ductus simplicissimos rectos, circulares, semicirculares, aut seorsim aut junctos, usurpat.* 3. *Vocales nullas ponit, sed omnes ex positu literarum judicat.* 4. *Articulos plane omittit.* 5. *Verba auxiliaria, præpositiones, conjunctiones, terminationes frequentiores, non scribit, sed signâ dignoscit.* 6. *Communioribus quoque vocabulis & phrasibus ac sententiis abstinet, signis tantum earum vice positis.* Iidem Angli, an universalis ejusmodi character sperandus sit, quem unaquæque Gens patriâ linguâ legere & reddere possit, non minùs solicitè quæsiverunt; sed successus huc usque minùs ex voto respondit. Plura hanc in rem vide apud Auctorem Anonymum *Historiæ Orbis Terr. l. 1. c. 9. sect. 3. §. 14.*

TACINA, fluv. magnæ Græciæ in sinum Scyllacæum, ultra Scyllacium urb. 22. mill. pass. Corinthum promontor. versus influens, *Antonin.* An *Targines* Plinii?

TACITA, Dea apud Romanos.

TACITUM Senatusconsultum, dicebatur apud Romanos, cùm rebus creperis Patres convenientes, non solitò more in Curiam, sed in Capitolium, & Jovis Capitolini cellam remotis servis publicis ac censualibus, eò se includebant solos, & velut in ipsius Jovis oculis, deliberabant, quid factò opus esset: uti pluribus videre est apud Jul. Capitolin. *in Gordianis*, c. 12. ubi locus est hâc de re plane singularis, ad quem vide Casauboni *Notas*, ut & suprà, ubi *de Senatusconsultis Veter.* De Areopagitis, qui *tacentes* judicabant in causa homicidii, Vide in hac voce.

TACITUS M. Claudius, Imperator, prudentiâ inclytus, successit Aureliano, post 7. mensium interregnum, approbante electionem exercitu, & ab ætate ejus provectâ, multum felicitatis sibi pollicente. Tacitum Historicum familiarem agnovit, ejusque statuam & scripta in omnibus Bibliothecis, ne interirent, collocari jussit. Occisus à militibus prope Thyanam, A. C. 275. ætat. 65. sextò Imperii mense. Ei successit Florianus, frater illius uterinus, qui non nisi 2. mens. præfuit. Vopiscus *in Tacito & Florian.*

TACITUS Cornelius, sub Adriano Principe orator clarissimus, æqualis ac familiaris Plinii Junioris. Galliæ Belgicæ rationes procuravit, ad Vespasianos usque pervenit, ab iisque honoribus evectus, *historiam principum* scripsit *ab Augusto ad Adrianum*: An sub Trajano id factum? cujus libri quinque solùm supersunt; dein *Annales* orsus est, quos etiam mutilos habemus. Porrò scripsit, *de variis Germaniæ populis, eorumque moribus*: *vitam* quoque *Agricolæ*, soceri sui. Quod enim librum *de causis corruptæ Eloquentiæ Latinæ* attinet, illum sunt qui Quintiliano ascribant, Lipsius neutrius horum esse censet. Fulgentius Planciades, librum *Facetiarum*, sub Taciti nomine, laudat, sed immaniter fallitur. Plin. *in epist. l.* 1 4. 6. *&* 7. Lips. *not. ad Tac.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 1. *c.* 30. *&c.* De hoc scriptore nos alibi plura. *Nic. Lloydius.* Vide suprà voce *Cornelius*.

TACITUS Mensis. September dictus est à Tacito Imperatore, quòd eò & natus & factus esset Imperator, apud Vopisc. in *Tacito*, *c. ult.*

TACOLA, Indiæ emporium extra Gangem, *Ptol.* Hodiè *Malacca*. Aliis *Juncalaon*, urbs regni Siami, in ora sinus Gangetici 400. mill. pass. à Malacca in Circium.

TACOMPSOS, vicus in finib. Ægyptiorum & Æthiopum juxta Philiam insul. Gentile *Tacompsites*, *Steph.*

TACTICE, Græce Τακτικὴ, aciem instruendi Ars; unde *Tactici* Scriptores, qui de ordinibus militaribus literis quædam consignârunt, dicti sunt. Quantum verò insit in acie disponenda instruendaque momenti, cum res ipsa, tum Vegetius docet, *l.* 3. *c.* 14. Nam *si sapienter*, inquit, *ea disponitur, plurimum juvat: si imperitè, quamvis optimi bellatores, malâ dispositione franguntur.* Cujus rei præceptum vix ullum antiquius ac melius illô Homericô est, ubi Nestoris in acie instruenda artificium, his verbis describit. *Il. δ. v.* 297.

> Ἱππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισι καὶ ὄχεσφι,
> Πεζοὺς δ' ἐξόπιθε στῆσε πολέας τε καὶ ἐσθλοὺς,
> Ἕρκος ἔμεν πολέμοιο, κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν,
> Ὄφρα καὶ οὐκ ἐθέλων τις ἀναγκαίῃ πολεμίζοι.

> *Atque Equites posuit cum Curribus, ordine primò:*
> *At Peditum à tergo florem que & robora, belli*
> *Munimen septumque: sed in medio agmine viles,*
> *Ignavosque, uti vel nolentes depugnarent.*

Cui subscribens Xenophon, *Memorabil. l.* 3. *p.* 602. *In bello*, ait, *fortissimi quique primò ultimóque locò sunt collocandi, pessimi verò in medio, ut ab illis ducantur ab his impellantur.* Nec è Romanis militiæ Doctoribus ab istis diversus abit Vegetius, qui *l.* 3. docet, instructionis esse legem, ut in prima acie milites exercitati veteranique collocentur, quos anteà *Principes* vocârunt, In his enim, qui & ætate maturiores & usu confidentiores, præcipuè virtus militaris conspicitur. Idemque sextum, h. e. ultimum ordinem, à fortissimis item ac scutatis, & omni armorum genere munitis bellatoribus, teneri debere monet, quos antiqui *Triarios* vocabant. Idem Germanis in usu fuisse, Tacitus *de eorum more* docet, ubi ait, *c.* 6. §. 6. *Ex omni juventute delectos ante aciem locant.* Et *c.* 31. §. 4. *Penes fortissimos* (Cattorum) *initia pugnarum omnium.* Porrò per gentes & familias acies disponendas esse, monent harum rerum periti. Ita enim Onosander, *Stratag. c.* 24. *Est prudentis Imperatoris, ordines ita disponere, ut fratres cum fratribus, amici cum amicis unà sint. Quum enim, qui in discrimine versatur, proximus illi est, à quo diligitur, tunc necessario evenit, amicum pro amici salute audacius depugnare. Pudet quippe gratiam benemerenti non referre* &c. Hinc Xenophon, *Cyripæd. l.* 2. non esse *phalanga validiorem* scribit, *quàm cùm fuerit ex amicis congregata*: & Leo Imperator, *Constit.* 20. *belli tempore amicos, familiares & cognatos prope inter se collocabis*, jubet. Atque hæc aciei disponendæ ratio Persis placuit, apud Curtium, *l.* 4. Britannis Gallisque, apud Tacitum, *Annal. l.* 12. *c.* 33. qui idem *Histor. l.* 4. *c.* 16. ob eandem causam, Caninefates, Frisios, Batavos *proprie cuneis*, à Civili, compositos fuisse, refert. Idem de Germanis sic, *c.* 7. §. 3. *Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ & propinquitates.* Quò pertinere videtur & illud, quod Plut. *in Pelopida*, de sacra Thebanorum cohorte scribit, quæ 300. constans viris delectis, quòd amoris mutuò nexu jungeretur, *ἱερὰ* nuncupata fuit, cujusque virtus invicta, ad Chæronense usque prælium. durâsse, traditur. Matth. Berneggerus *in Taciti German. Quæst.* 25. & 40. De Romanorum acie, prolixè agit, Liv. *l.* 8. Polybius, *l.* 6. & ex utroque Rosinus, *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 14. Scriptores *Tacticos* celebriores hîc infrà videbis.

Tactici Scriptores, prisci ac recentioris ævi.

Æneas, cognomine *Tacticus*, Aristotelis σύγχρονος, scripsit Στρατηγικὰ seu *de Arte Imperatoria*, è quibus superest Τακτικὸς καὶ Πολιορκητικὸς, *Tacticus & Obsidionalis liber.* Primus autem *Tactica* hæc vulgavit Casaubonus, qui & Ælianı Τακτικὰ, à se emendata & observationibus illustrata, edere decrêrat.

Cineas Thessalus, qui Pyrrho à consiliis fuit, Æneæ *Tactica* in Epitomen redegit. Meminit librorum ejus Cicer. *l.* 9. *Ep.* 25.

Sextus Julius Frontinus, Vir Consularis, post Stratoclem & Hermiam, scripsit de *Tactica*, quæ Homeri temporibus obtinebat. Ælianus *Frontonem* vocat: Floruit autem sub Vespasiano, usque ad Trajanum.

Claud. Ælianus, sub Trajano & Adriano Cæsar. similiter Τακτικὰ sive *de acie ordinanda* composuit: Quem librum Latinè reddiderunt tres hi Theod. Gaza, Franc. Robortellus & Sextus Arcerius. Voss. *Hist. Græc. l.* 2. *c.* 11.

Arrianus Nicomediensis, ob suavitatem sermonis *Xenophon junior* dictus, *Tactica*, sub eodem Hadriano, composuit. Quorum supersunt tria capita, hactenus inedita. Idem de *Mathemat. Scient. c.* 48. §. 13.

Julius Africanus, sub M. Antonino Elagabalo, & ipse, inter alia, *Tactica* scripsit, quæ MS. adhuc in sua cimelia habuit *Vossius*.

Pappus, de eadem Arte, sub Theodosio M. egit. Idem, *de Scientiis Math. c.* 16. §. 8.

Urbicius, sub Anastasio Imperatore, cujus jussu, *Tactica* Græcè literis mandavit. Transtulit verò, quæ Trajanus & Hadrianus hac de Arte scripserunt: sed sic, ut non pauca adderet de suo. Extant MS. Florentiæ & Mediolani.

Mauritius quoque Imperator *Tacticis* inclaruit, quæ multum cum Urbicii conveniunt. XII. ejus libb. *de re militari*, meminit Gesnerus *in Biblioth.*

Leo, fil. Basilii Macedonis & fil. ejus Constantinus cognomine *Porphyrogennetus*, Imperatores *Tactica* quoque ediderunt: Et quidem illa Leonis Latinè prodiêrunt A. C. 1554. Basileæ; Græcè autem primus illa edidit Joh. Meursius; ut & postea *Tactica* Constantini.

Asclepiodotus, *Tacticis* etiam innotuit: quæ extant in Biblioth. Florentina, Regia Paris. aliis. Atque hi omnes fuêre ante A. C. 1500. Quibus addere placet, ob similitudinem argumenti, qui *Poliorcetica*, aliaque *ad bellum* spectantia, tradidêre.

Æneas Tacticus, Πολιορκητικὸν edidit, ut diximus, in quo non tam obsessis, quàm obsidentibus præcepta dat. Suidas perperam vocat *de Stratagematis*, vera enim inscriptio est Στρατηγικὰ, seu *de Arte Imperatoria*.

Archimedes, inter Mechanicos Scriptores principatum meritus, sine dubio & in hac arte non pauca edidit: cùm Mechanicos ejus libros plures recenseant Strabo, *l.* 2. Pappus, *Collect. Mathem. l.* 8.

Athenæus *de Machinis bellicis* libros dedicavit Marcello, à cujus milite Archimedes interemptus est.

Heronis Alexandrini, inter alia, & *Poliorcetica* extant. Vide Bernardinum Baldum, qui *Belopoeicis* suis ejus scripta subjecit.

Diades, Ctesibius, Nymphodorus, Philo Byzantius, Diphilus, Charicles, Polyidus, Pyrrhus Agesistratus, *de Arte Machinali* scripsêre, quorum è Commentariis, ut & Archytæ, suum confecit M. Vitruvius Pollio.

Jul. Africanus, præter *Tactica* suprà memorata scripsit περὶ πολεμικῶν παρασκευῶν, *Præparationes* seu *fabricas militares*.

Pappus, eodem de argumento egit, sub Theodosio M.

Bitonis quoque, in Bibliothecis variis, supersunt κατασκευαὶ πολεμικῶν ὀργάνων, καὶ καταπελτικῶν.

Daimachi similiter *Hypomnemata Poliorcetica*, in Bibliothecis Italiæ servantur.

Posidonius Rhodius *de re Militari* Commentarium reliquit.

Basilius Patricius *Naumachica* scripsit.

Vannocius Biringucius *Pyrotechniam* scripsit *libris* 10. A. C. 1540.

Nicolaus Tartalea, A. C. 1550. multa exaravit ad *Nauticam* & *Artem militarem* spectantia &c. Vide præfatum Voss. *de Scient. Math. c.* 48. 49. 50.

TACUBIS, *Ptol.* *Tubucci Antonin.* oppid. Lusitaniæ, amplum & elatum, ubi Reges Portugalliæ coronabantur, ad Nabanem fluv. *Tomar Moletio.* Sed situs *Tubucci* apud Antonin. non congruit, *Ferrar.*

TADER, fluv. Hispaniæ Tarraconensis in mare Ibericum influens. *Segura Floriano* & *Navageri.* Nunc *Rigo Seguro.* Oritur in limite Castellæ novæ; dein per regnum Murciæ, inibi Ilorcim & Murciam rigat, uti & Orialem, in regno Valentiæ, & in Sinum Illicitanum se exonerat, 5. leuc. Hispanic. ab Alona in Meridiem, *Baudrand.*

TADI-

TADINUM, urbs fuit Episcopalis Umbriæ, cujus vestigia in via Flaminia, prope Gualdum, ultra Nuceriam, in summo Apennino, *L. Holstenius*.

TADIUS, vide *Cadius*.

TADUSSACUM, oppid. novæ Franciæ, cùm portu amplo, & colonia Francorum, in ora Boreali magni Sinus seu æstuarii S. Laurentii, ubi recipit Saguenæum fluv. 140. mill. pass. à Quebeco in Cæciam.

TÆDA, an quasi δετὴ, quòd esset *fax in fasciculum colligata*, an ex ἀπὸ δᾳδὸς &c. frequenti in usu priscis fuit, unde inter servos, non solùm *ad Lychnum, ad funale, ad laternam Lampadophorique*, sed & *Tædigeri* fuêre: Inprimis in Sacris Nuptiis & Suppliciis. Apud Romanos enim (ut de Sacris jam nil dicam de quibus apud Farnabium aliquid, *ad Phœnissas Senecæ v.* 263.) pueros quinque Sponsæ ad domum Mariti eunti prætulisse faces, diximus suprà, ex Plutarcho *Problem. Rom. c.* 20. quod apud Græcos ipsa Sponsæ mater obire est solita, Eurip. *in Phœnissis*. Quas faces *Tædas* communiter vocant Scriptores. Materia illis pinus ut plurimùm. M. Varro *Gerontodidasc.* & *de vita Pop. Rom. l.* 2. *Cùm à nova Nupta ignis in face adferretur, de foco ejus sumtus, cùm fax ex pinu ablata esset, ut eam puer ingenuus adferret.* Virgilius, *in Ciri.*

Pronuba nec castos accendit pinus odores.

Ovid. *Fast. l.* 2. *v.* 558.

Exoptat puros pinea Tæda *Deos.*

Vel ex spina alba, Massurius Sabinus apud Plinium; *l.* 16. *c.* 18. Festum, *l.* 14. in voce *Patrimi* Q. Catullus *in Epithalamio Mallii*, 62. *v.* 15.

Spineam quate Tædam.

Ubi tamen editio Achillis Statii Neapolitani, *pineam* disertè habet: Vel denique ex picea, larice, aliisque resiniferis arboribus, quarum interiores & crassiores partes abundantiùs flammam spargunt. Unde *Tædæ pingues*, Virgilio, *Eclog.* 7. *v.* 49. ubi Scholiastes, *Tæda*, inquit, *est species pinus, ignem facilè concipiens.* Sic per Metonymiam materiæ, & Synecdochen speciei, *Tæda* denotaret quamvis facem ex prædictis arboribus desumptam. Incidebantur autem illæ; uti discimus ex eodem, *Ecl.* 8. *v.* 29.

Mopse novas incide faces: ———

cùm nempe inspicabantur, i. e. in modum spicæ in apice diffindebantur, ut lubentiùs arderent. Unde Idem iterum *Georg. l.* 1. *v.* 292.

——— *Ferroque faces inspicat acuto.*

Vide Demster. *Paralipom. in Rosin. l.* 5. *c.* 37. & suprà ubi de *Facibus* ac *Nuptiis*. Sed &, quibus rei olim, sancti inprimis Martyres, adurebantur facibus, duplicis fuêre generis, *Tædæ* & Funalia, de quibus *suprà*. Utrarumque meminit Plut. *in Cicerone*, *Funalia præterea per Urbes, vicos elucere, lampades, faces*, Tædæque *in foribus figi*. Et quidem de *Tædis* testes sunt Acta S. Barbaræ virginis; quam cùm alii facibus adustam, Metaphrastes *Tædis* excruciatam fuisse, memoriæ tradidit: *Accensus Præses ad majorem iracundiam & non valens se continere, jubet iis qui aderant, ferreis pectinibus latera Virginis scindere &* Tædis *igneis membra jam lacerata urere.* Accedit, quòd *Tædæ* temporibus priscis admodum in usu essent; cùm teda redundantior sit humore aliis arboribus resinam ferentibus, parcior liquidiorque, quàm picea *flammisque*, ut inquit Plinius, *l.* 16. *c.* 10. *& lumini sacrorum gratior.* Vide Gallonium *de Martyr. Cruc.* & *Notas* Goth. Jungermanni *in Hier. Magium de Eculeo.* Sed & *tædam* coronamentum vocat Calpurnius, *Ecloga* 2.

Me Sylvanus amat, dociles mihi donat avenas,
Et mea frondenti circumdat tempora tædâ.

Quod genus antiquum fuisse agrestibus incultisque temporibus & hominibus, testatur Ælian. *pineos ramos* in coronas adscribens Centauris, *Var. l.* 13. *c.* 1. Imò & unius ex celeberrimis Græciæ agonibus victorem non aliter olim coronatum fuisse, vidimus suprà. Vide quoque Casp. Barthium, *Animadvers. ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 582. & *Adversar. l.* 103. *c.* 15. uti de *tæda*, unà cum sulphure & bitumine, populo distribui solitâ, in Secularibus olim ludis suprà ubi de iis: plura verò de *tæda*, quam arboris certum genus & quidem à picea diversum (fortè πεύκη Græcis) facit Plin. quoque *loc. cit.* Salmas. verò propriè δᾷδα esse dicit seu λαμπάδα, non ex una aliqua certa arbore, sed ex omnibus δᾳδοφόροις, inter quas πεύκη Græcorum eminet; desumi solitam, apud Auctorem hunc *Exercitat. Plin. ad Solin. p.* 502. & *seqq.*

TÆNARIA, vulgò *Capo Matapan* Sophian. *Capo Matna* Gregoræ, promontor. Peleponnesi, dividens sinum Messeniacum à Laconico, à Malea promuntor. 84. mill. pass. *Suidas*: Ταίναρος, ἀκρωτήριον Λακωνικῆς. Statius, *Theb. l.* 2. *v.* 32.

Est locus Inachiæ, dixerunt Tænara gentes,
Quà formidatum Maleæ spumantis in auras
It caput, & nullos admittit culmine visus.
Stat sublimis apex, ventosque imbresque serenos
Despicit, & tantùm fessis insiditur astris.

Hic specus horrendi, & hiatus profundi, ubi Cerberum, inferorum canem, ab Hercule occisum fabulantur. *Tænarus* Straboni, *Tænarum* Solino, *c.* 13. nomen non tam promuntorii, quam urbis Episcopalis, sub Archiepiscopo Lacedæmoniensi, quæ Ptolemæo *Tænarium* dicitur, vulgò *Matna*, à Lacedæmone 45. mill. pass. in Africum. Sed Nigro *Porto delle Quaglie*, à coturnicum copia, nominatur, Lucan. *l.* 9. *v.* 36.

Dorida tunc Malean & apertam Tænaron umbris.

Plin. *l.* 4. *c.* 5. *Oppida, Tænarum, Amyclæ, Pheræ, &c.* Solin. *loc. cit.* percurrens hunc tractum: *Est & oppidum Tænarum nobili vetustate.* Incolæ *Tænaritæ*. *Pro Pytho Tænarum* adagium est, cùm permutantur inæqualia, teste *Eustathio*. Item *Tænarium malum* proverbium est, cùm crudeliùs in servos sævitur. Nam Lacedæmonii servos, qui Tænarum confugiebant, reductos capite plectebant. Cæterùm *Tænarus*, non solùm oppidi & promuntorii nomen est, sed portus; de quo sic Papinius, *l.* 2. *Theb. v.* 43.

Interiore sinu frangentià litora curvat
Tænarus, expositos non audent scandere fluctus:
Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos
In portum deducit equos.

Apollonii Scholiastes, *in l.* 1. *ex Pherecyde*: Ταίναρος ἀφ' οὗ Ταίναρος καλεῖται, ἡ πόλις, καὶ ἡ ἄκρα, καὶ ὁ λιμήν. Fuit in hoc loco antrum, per quod aditus erat ad inferos. *Suidas* post nuper adducta verba: ἐν ᾧ στόμιον ἦν κατάγειον εἰς ᾅδου. Euripides *in Hercule*: Ταινάρου στόμα. Solinus *ubi suprà*: *In Lacònia spiraculum est Tænaron.* Apulejus, *l.* 6. de Tænario: *Inibi spiraculum Ditis, & per portas hiantes monstratur iter invium.* Senec. *in Hippol. Actu* 5. *v.* 1201. *Tænarii specus.* Et *in Hercul. Oet. Actu* 3. *v.* 1061. *Tænarias fores.* Lucan. *l.* 6. *v.* 648.

——— *Non Tænariis sic faucibus aër*
Sedit iners, mæstum mundi confine latentis
Ac nostri. ——— ———

Papinius, *Theb. l.* 1. *v.* 48.

Hoc, ut fama, loco pallentes devius umbras
Trames agit. ——— ———

Val. Flacc. *l.* 1. *Argon. v.* 365.

——— *Semperque patentem*
Tænaron. ——— ———

Horatius, *l.* 1. *Carm. Od.* 34. *v.* 10.

Quo Styx, & invisi horrida Tænari
Sedes, &c.

Descensus Orphei hoc locô ad inferos ipse in primis meminit *in Argonaut.*

Ταίναρον ἤλυθ' ἰὼν σκοτίην ὁδὸν ἄϊδος εἴσω,
Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ δι' ἔρωτ' ἀλόχοιο.

Virg. *Georgic. l.* 4. *v.* 467.

Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigrâ formidine lucum
Ingressus, manesque adiit, regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

Ovid. *Metam. l.* 10. *v.* 13.

Ad Styga Tænariâ est ausus descendere portâ;
Perque leves populos, simulacraque functa sepulcro
Persephonen adiit, inamœnaque regna tenentem
Umbrarum dominum. ——— ———

TÆNARUS, (inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan, c.* 22.) vel Ταίναρ, est ipsissima vox Phœnicia טינר *tinar*, quæ pro rupe passim occurrit in Chaldæa paraphrasi. Syri verò trajectis literis scribunt טירן *tiran*, & טירנא *tirno*. Itaque *Tænar* est rupes. Et verò in Tænaro monte lapidicinas describit Strabo, *l.* 8. Εἰσὶ δὲ, inquit, λατομίαι λίθου πολυτελοῦς, τοῦ μὲν Ταιναρίου ἐν Ταινάρῳ παλαιαί. Fuit & circa Tænarum, ut in Cytheris, purpuræ piscatio: Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 512.

Accipe Tænarei chlamydem de sanguine aheni.

Nic. Lloydius.

TÆNARUM, Leuncl. *Tunza*, fluv. Thraciæ, apud Ænum urbem, in mare Ægæum fluens.

TÆNIA, fascia seu vinculum est. Cæcilius apud *Festum*.

Dum tæniam, qui vuldus vinciret, petit.

Et quidem τὸ τῶν μαστῶν γυναικεῖον ζῶσμα, *uberum muliebrium cinctus*, Pollux, *l.* 7. *c.* 13. sed & τὸ ἀφ' οὗ τὰς κόμας συνδέονται, *vitta quâ crines ligabantur*, Luciano *de Domo*, seu potiùs fascia è vitta dependens. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 352.

——— *fit longa* tænia *vitta.*

Oblongus nempe & angustus pannus, qualis est apud Oppianum illa *Kynyg. l.* 4.

Τῆς δ' ἤτοι μὲν κρέμαται περιδαίδαλα παμφανόωντα
Ἄνθεα ταινιῶν, πολύχροα δείματα θηρῶν.

Ex lana ut plurimùm, Appulejus *Metam. l.* 8. sed & ex sparto, Idem, *l.* 9. alibi communiter coloris; Plin. *Proœm. l.* 3. postquam verò ad ornatum *tæniæ* adhibitæ, purpurei quoque aureique. Namque ἐκ τῆς στηθοδέσμης, *è fascia pectus obligante*, facta est, περιτραχήλιος κόσμος, *ornatus seu torques, cervicem ambiens.* A cervice ulteriùs ascendit ad ornandum caput, ut apud Achillem Tatium Ταινία περὶ τὴν κεφαλὴν φοινικοβαφὴς, tænia *circa caput purpurâ tincta*, *l.* 8. Vide quoque Platonem *Sympos.* Non verò ipsa corona *tænia* fuit, sed ei adhæsit, èque illa facta est περιείλησις ἐν τῇ κεφαλῇ, *circumvolutio in capite*, ut ait *Scholiastes* Aristophanis. Cujusmodi tænias lanceæ circumvolutas, unà cum coronamen-

tis, taga Marii ferre solita erat, apud Plut. *in eo.* Vide eundem *Timoleonte*, unde *tænias* sæpe coronas adhæsisse discas. Vide Muretum, *Variar. l. 15. c. 7.* Videnturque hæ *cum tæniis conjunctæ coronæ* fuisse illa præclara munera, quibus coronabantur victores illi maximorum bellorum, atque adeò in ipsis tæniis videntur fuisse notæ, tantas eas victorias dilertè designantes. Idque non solùm ex hoc loco conjici potest, sed & ex hocce Appiani παρεμβ. ωε. αγεοβ. ubi, στεφάνοις τε, ait, καὶ ταινίαις ἀνέδησαν τὸν στρατηγὸν, *Coronasque & tænias* (i. e. cum tæniis) *conjecerunt in Ducem*, de quo ritu vide suprà in voce *Jacere*. Ut plurimum verò adhibebantur tæniæ coronis feralibus, i. e. iis, quæ mortuis imponebantur, aut etiam sacerdotalibus. Urnam certè Philopœmenis mortui tæniis & coronis circumdatam, ipsamque hydriam præ multitudine earum vix visam esse, narrat idem Plut. *in eo.* Factumque hinc, ut *tæniæ* pro omine mortis haberentur, uti legimus apud Lucianum, *in Dial. mort.* ubi Alexandrum Diogenes apud Inferos facit διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλὴν, *evinctum caput albâ tæniâ*. Sed & *tænia*, *Hesychiô* auctore, signant στέμματα τῶν ἱερῶν, διαδήματα ἀρχιερατικά, δεσμοὶ ἱεροὶ, *insignia Sacerdotum, diademata Pontificalia, vincula sacra*. Quô factum, ut *tænia* pro ipsa corona, & τὸ ταινιοῦν pro διαδεῖν, non rarò occurrat. Potissimùm, quoties caput evinciebat aut demortui, aut Sacerdotis, aut Regis, aut aurigæ, aut etiam alicujus præclarissimi Athletæ. Quippe victoribus etiam *tænias*, quibus redimirentur, datas, habemus ex Xenophonte *in Conv.* & Virgil. *Æn. l. 5. v. 269.*

> *Jamque adeò donati omnes, opibusque superbi*
> *Puniceis ibant evincti tempora tæniis.*

Erat autem hæc *tænia*, diversa à corona Hieronicarum, unde utramque obtinuisse legitur Polycles, apud Pausan. *l. 6.* utraque Pericli decreta, apud Plut. *in eo.* Utraque in statua Pelichi Ducis Corinthii conspicua fuit, apud Lucianum *Philops.* & infrà dignitatem ejus, sæpe enim *tæniæ* privatim dabantur, uti de Brasida Thucyd. *l. 4.* & de Pantarce, sibi ipsi *tæniâ* caput vinciente, Pausan. *l. 5.* tradunt. Quid quòd Priapo, utpote minori Deo, *tænias*, at Ariadnæ, cœlo receptæ, sertum ex auro & gemmis, tribuit Diodorus apud Tertull. *de Cor. Milit.* At cùm utraque uni data est, id verò spectatissimum coronamenti genus fuit &c. Sed & extra coronarum usum, *tænia* aliis quoque rebus adhibitæ sunt. Χρυσαῖς ταινίαις τὴν ἐσθῆτα πεποικιλμένοι, *aureis segmentis vestem habentes variegatam*, memorantur Luciano *de Gymnas.* qua de re vide hic passim in vocibus *Fascia*, *Institu*, *Lorum*, *Pannus*, *vitta*, ut alia omittam: postquam aliquid addidero, de usu *Tæniarum*, in donariis & anathemasi Veter. olim frequentato. Eum indigitat Arnob. *adv. Gentes l. 1. Picturatas veternosis in arboribus tænias si quando conspexeram — tanquam inesset vis præsens adulabar, affabar, & beneficia poscebam.* Ubi *arbores* dicit, in quibus spolia suspensa erant & Diis consecrata de quo more diximus suprà. In his verò donariis & anathemasi *tæniæ* erant & aliquid inibi depictum. Plut. *Timoleonte*, Ἐν γὰρ τῶν προαναθημάτων ἀναθήματα ἦσαν ἐν Δελφοῖς ... ἐκ τῇ κεφαλῇ τοῦ Τιμολέοντος. Vide Desid. Heraldum, *Animadversion. Arnobianis*, *ad d. l.* A ταινία, *tænia*, fit ταινίδιον, *teniola*, in supellectile histrionica memorata Polluci, *l. 4. c. 19.* ubi lenones lenasque meretricularum caput purpureâ tæniolâ, veræ tæniæ imitatrice, in Comœdia, evincire solitos tradit. Quam in rem vide plura apud Car. Paschalium, *Coron. l. 4. c. 8.* & *l. 9. c. 1.* Indidem per tralationem dicta *Tænia*, urbs Ægypti, cujus meminit Athenæus, *l. 1.* Et sic interpretatur ταινίαν στενήν, i. e. *fasciam angustam Vossius*, quam inter Canopicam fossam & mare statuit *Strabo*. Hinc charta *Taniotica*, plebeji usus & Saiticâ deterior. Hoc enim ordine Chartarum genera præfatus recenset Vossius, Hieraticam, Augustam, Liviam vel Livianam, Claudiam (quæ tenuior Liviâ, minùs Augustâ tenuis) Amphitheatricam, quæ & *Fannia* seu *Fanniana*, Saiticam, *Taniaticam* & Emporeticam, *de Arte Grammat. l. 1. c. 37.* Item *Tæniense* genus purpuræ, lutensi & algensi meliùs; sed vilius ac dilutius calculensi, apud Plin. *l. 9. c. 37.* quòd in *tæniis* maris colligatur, sic appellatum, de quo plura apud Salmas. *ad Solin. p. 1135. b.* quem etiam *Hieronicarum tænias Sacerdotalibus infulis* similes facientem, vide *p. 370.* Eâdem metaphorâ *nigram tæniam* in onagri dorso ducit Oppianus, *Cynegetic. l. 3.* & ταινίας maculas tigrium oblongas vocat alibi &c.

TÆNIAS, pars Mareotidis paludis, inter Mare & fossam Canopicam. *Strab. Ptol.*

TÆNIOLONGA, Mauritaniæ Tingitanæ oppid. ad mare Ibericum, *Ptol. Alesenna* Castaldo.

TÆPOCON, in aliis Codicib. *Taenpocon*, item *Tahenpocon*, Festo fuit *genus scribendi deorsum versus, ut nunc dextrorsum scribimus.* Quarum lectionum cui adhæreant, non habent Eruditi: Quidam tamen observant, habere hoc scribendi genus, aliquid commune ἀκροστιχίδι, de qua M. Tullius *de Divin. l. 2. Non esse autem illud carmen furentis, cùm ipsum Poema declarat, tum verò ea, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cùm deinceps ex primis versûs literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, QUÆ ENNIUS FECIT, id certè magis attenti est animi, quam furentis. Atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ primis literis illius sententiæ carmen omne prætexitur.* Et quidem aliquid commune ἀκροστιχίδι habuisse, verum est, inquit Petitus, *sed tota difficultas posita est in eruendo nomine, quô apud Græcos hoc scribendi genus appellatur. Scripta,* inquit idem, *sunt literæ perpendiculatim, ita ut sub unum oculi intuitum caderent, ita ut non opus esset oculum huc illuc moveri: unde & ei nomen; itaque rescribendum existimo, apud Festum τὰ ὑπ' ὄκκον, Ta hyp ocon, i. e. quæ sub oculum. Hesychius* certè, ὄκκον, ὀφθαλμόν, unde Latini suum *oculum* fecisse videntur ἀπονοματικῶς. Vide præfatum Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas l. 2. c. 1.* Secundùm alios, vocem hanc Græci acceperunt à Phœnicibus Syris. Hebræis enim הפך *Hapach*, est *vertit, convertit, evertit, subvertit*: cujus futurum תהפך *Tahapoc*, h. e. *invertes, evertes, perverties*; unde *Tapocon*. Quia cùm Phœnices sinistrorsum, Græci dextrorsum scriberent; utrumque facerent βουστροφηδὸν περιστρέφοντες: hîc diversô ac perversô modô, non ad alterutrum latus, sed deorsum proceditur. Nec tamen hoc genus planè ignorârunt Græci, ut vidimus. Ita ergo scribendi hôc genere à summo ad imum perveniebatur: quomodo incolas Taprobanæ, quæ in Australi est Oceano, jam olim scripsisse, testis est Diodor. Siculus pæne *extremô l. 2.* Γράφουσι δὲ τοὺς στίχους οὐκ εἰς τὸ πλάγιον ἐκτείνοντες ὥσπερ ἡμεῖς, ἀλλ' ἄνωθεν κάτω καταγράφοντες εἰς ὀρθὸν, *Scribunt versus, non eos in transversum extendendo, ut nos; sed à summo ad imum rectâ deducendo.* Uti hodieque Indos scribere, proditum est à Joh. Francisco Poggio Florentino, *l. de var. Fortunæ, ubi Indiæ mirabilia narrat.* Idem de Sinensibus memorat Nicolaus Trigaultius *Sinensis Expeditionis l. 1. c. 5.* De Japonensibus, scripta eorum, quæ è Sinis harum rerum curiosi in Europam adferunt, testantur. Vide Gerh. Jo. Voss. *de Arte Gramm. l. 1. c. 34.* & Cl. Suicerum, qui vocem corruptam esse docet, ex τὰ ἐπ' ὄρχον, i. e. quæ ἐπὶ στίχον, ἐπὶ βάθος & πυργηδὸν, *deorsum, secundum altitudinem & turris instar*, scripta sunt: quod scribendi genus κατάβατον quoque, στοὰς, & στυλίδιον, dictum, *Thes. Eccles.* voce Στίχος.

TAFFATA, in *Monastico* Anglic. *Tom. III. part. 2. p. 86. Unum mantellum — duplicatum cum viridi taffata*; sericus pannus, quem hodieque *Taffetas* Galli vocant. Voss. *de Idolol. l. 4. c. 9. Jam quanti istud existimandum, quod bombyces suppeditant vestem sericam? Quare vel æstivô tempore aptior, vel hibernô, vel vernô, vel autumnali. In æstu magno ob levitatem accommodatissima tafetata, in minori, ormesina &c.* A' *Taÿro* urbe, vide ibi.

TAFILETA, regnum Biledulgeridis regionis in parte *Darha*. Inter regna Segellomesæ ad Ortum & Darhæ ad Occasum. Terminatur ad Boream regnô Marocanô. Ei subest Itata, provinc. perampla ad Meridiem cum urbe primaria cognomine A paucis annis Mex Tafiletæ & Maroci Fezzæque regna, post multas insignesque victorias sibi subjecit. *Marmol. Baudrand.* Regnum hoc, quod proximis hisce annis demum innotuit, fertur pars veteris Numidiæ, seu hodiernæ Biledulgeridiæ urbique Fezzæ versus Austrum objacere, adque sole Septentrionalia signa transeunte, Becmannus *Histor. Orbis terrar. Geograph. & Civil.*

TAFROS, unus ex tribus canalibus, quibus Alexandria olim adibatur, apud Plin. *l. 5. c. 31.* κιβωτὸς *Straboni*, qui, quòd fossilis esset, τάφρος, i. e. *fossa*, nomen accepit. Salmas. *ad Solin. p. 479.* & 480.

TAGABESA, *Ptolemæo*, *Stagabaza* Interpret. urbs Indiæ intra Gangem.

TAGÆ, populi Asiæ ad Oxum fluv. Bactrianæ incolentes, Solin. *c. 51.* Urbs Parthiæ, Polybio, *l. 10. c. 26.* *Ortelius* ex tabulis *Tursus* interpretatur.

TAGASTE, urbs Africæ inter Hipponem Regium ad Boream, & Siccam Veneriam ad Merid. 54. mill. pass. In Numidia, aliàs clara D. Augustini natalibus, & Episcopalis nunc paucis incolis constat. In Mediterraneis, in regno Algerii & provinc. Constantina. *Baudrand.*

TAGAVOSTIUM, urbs Susæ provinc. in regno Marrochii, prope Susum fluv. 45. mill. pass. à Tarodanto in Merid. 70. ab ora Oceani in Ortum.

TAGENO, Decanus Passaviensis, in Germania, cum Friderico Barbarossa, in Orientem profectus, expeditionis hujus sacræ historiam scripsit, à Marquardo Frehero, inter Germaniæ Historicos, editam. Aventin. *l. 7. Annal. Bojor.* Voss. *de Histor. Lat. l. 2. c. 54.*

TAGES, Genii filius, teste *Festô*, & nepos Jovis, qui adhuc puer 12. Hetruriæ populos haruspicinam traditur docuisse, Cicer. *l. 2. de Divin. c. 23. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cùm terra araretur, & sulcus altius esset impressus, extitisse repentè & eum affatus esse, qui arabat: Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentiâ. Ejus aspectu cùm obstupuisset bubulcus, clamoremque majorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamque brevi tempore in eum locum Hetruriam convenisse, tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, literisque mandaverint: omnem autem orationem fuisse eam quâ aruspicinæ disciplina contineretur;* De hoc Tage, quem nonnulli malum genium fuisse putant, Ovid. *Met. l. 15. v. 553.*

> *Haud aliter stupuit, quàm cùm Tyrrhenus arator*
> *Fatalem glebam mediis aspexit in arvis,*
> *Sponte suâ primum, nulloque agitante moveri,*
> *Sumere mox hominis, terræque amittere formam,*
> *Oraque venturis aperire recentia fatis.*
> *Indigenæ dixêre Tagen: qui primus Hetruscam*
> *Edocuit gentem casus aperire futuros.*

Lucan. *l. 1. v. 635.*

> ——— *Dii visa secundent,*
> *Et fibris sit nulla fides: sed conditor artis*
> *Finxerit ista Tages.* ———

Alii dicunt hominem fuisse obscurum, qui subitò inclaruit, quum artem divinandi esset professus. Vide Lindenbrog. ad *Censorin. de Die Nat. c. 4. Nic. Lloydius.* Ejus præceptô asini caput præfigi fuisse solitum ruri, ad arcenda incommoda, docet Johannes Britannicus *ad Juvenal. Sat. 11. v. 97.*

> ——— *Parvis frons ærea lectis*
> *Vile coronati caput ostendebat aselli.*

Clariùs Jun. Mod. Columella *de R. R. l. 10.* in hortorum cura,

> *Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli*
> *Tyrrhenus fixisse Tages in limine ruris.*

Imò &, quod primus animadvertit Dempsterus, scriptis Auguralem hic Artem mandavit. Namque in voce *Præsegmina*, Fortuna Fulgentius, *l. de vocibus antiqq. ad Chalcidium*, laudat Tagetem in Aruspicinis, dicentem, *Præsegminibus amputatis.* Vide Thom.

Dem-

Dempster. ad Rosin. Antiqq. l. 3. c. 8. 9. 11. Hinc itaque magna in veneratione Hetruscis Tages fuit; vix tamen, ut pro Deo haberetur. Unde Cicero, de illo verba faciens, l. 2. Divin. loc. cit. Deum, quæris, dicam, an hominem? Si Deum, cur se contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem adspiceret? Quid? idem nonne poterat Deus hominibus disciplinam superiore ex loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit: quonam modo potuit terra oppressus vivere? Unde porro illa potuit, quæ docebat alios, ipse didicisse. Meminêre quoque illius Censorinus de die Natali, c. 4. Ammian. Marcellin. l. 17. & 21. Mart. Capella, l. 6. Isidorus, Origin. l. 8. c. 9. Alii. Vossius totum hoc de Tage fabulam esse judicat, quæ originem trahere potuerit ab Adamo Terræ filio, à quo primùm homines cultum Dei edocti sunt. Vel si puer ejusmodi è terra exiit, à quo Lucumones Etrusci disciplinam extispicii didicerent, malignum eum fuisse Spiritum, ait; quem Deus non permiserit cœlitus descendere, quod majorem addidisset impietati fidem, eoque ab Acheronte venerit. Qua de causa etiam videntur sacra ipsius Acherontia dicta, ut discimus ex Servio, qui in illud Æn. l. 8. v. 398.

Nec Pater omnipotens Trojam, nec Fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.

Sciendum, ait, secundùm Haruspicinæ libros & sacra Acherontia, quæ Tages composuisse dicitur, Fata decem annis quâdam ratione differri: quod nunc dicit Vulcanus potuisse fieri. Vide præfatum Voss. de Idolol. l. 1. c. 40.

TAGONIUS, Plutarch. Rio de Henares Morali, fluv. Hispaniæ Tarraconensis Complutum alluens. Aliis Tajuna, in Aragoniæ & Castellæ novæ confinio, in Tagum influens.

TAGRUS, fortè Tagus, mons, pars Herminii, sicut & mons Lunæ vicinus, uterque Monte di Sintra: ubi equas ventô concipere scripsit Plin. l. 8. c. 42.

TAGURA, & Thagura, urbs olim Africæ, in Numidia, in mediterran. nunc paucis admodum incolis constat.

TAGURUS, mons Scitæ, pars Tauri.

TAGUS, viri cujusdam nobilis nomen. Sil. Ital. l. 1. v. 263.

——— *Volitabat ovans, aciesque per ambas*
Jam Tagus auratis agnoscebatur in armis.

Alius fuit ejusdem nominis apud Lucan. l. 3. v. 585.

——— *Cujus dum pugnat ab altâ*
Puppe Tagus, Grajamque audax aplustre retentat,
Terga simul pariter missis & pectora telis
Transigitur. ———

TAGUS, mons Lusitaniæ, apud quem equæ dicuntur è vento concipere. Vide Tagrus.

TAGUS, fluvius Hispaniæ celeberrimus, vulgò Tajo. Oritur ex monte Orospeda in Celtiberis geminô fonte, ac per Toletum, Liboram, Norbam Cæsaream, Scalabim & Ulyssipponem longô decurrens tractu, in Oceanum occiduum sese (latus in ore 2. leuc.) exonerat. Baudrando oritur in Castella nova, in ipso limite Aragoniæ, 4. leuc. à Lobero in Occidentem prope fontes Sucronis & Turiæ; dein per Castellam novam fluens, auctus aliquot minorib. juxta Toletum & Talaveram labitur. Hinc rigatis Norbâ Cæs. & aliquot oppidis Estremaduræ, per Portugalliam fluit, ubi receptis aliquot fluviis æstuarium amplum efficit, & 2. leucis infrà Olissyponem Oceano miscetur; aurum gignens, Mela, l. 3. c. 1. Ulyssippo & Tagi ostium, amnis aurum gemmasque ferentis. Plin. l. 4. c. 22. Tagus auriferis arenis celebratur. Et ex eo Solinus, c. 26. Tagum ob arenas auriferas cæteris amnibus prætulerunt. Audiamus Poëtas, Ovid. Met. l. 2. v. 251.

Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.

Idem, Amor. l. 1. El. 15. v. 33.

Cedant carminibus reges, regumque triumphi;
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Martialis, l. 10. Epigr. 96. v. 3.

Auriferumque Tagum sitiam, patriumque Salonem.

Idem, eodem librô; Epigr. 16. v. 4.

Aurea quicquid habet divitis unda Tagi.

Idem, l. 1. Epigr. 50. v. 15.

Æstus serenos aureô franges Tagô.

Seneca Tragœdus, Hercul. Fur. Actu 5. v. 123.

Tagusque Iberâ turbidus gazâ fluens.

Quòd autem turbidus dixit, idem est quod Martialis, l. 8. Epigr. 78. v. 5.

Non illi satis est turbatô sordidus aurô
Hermus, & Hesperiô qui sonat orbe Tagus.

Et ante eum Virgilius, l. 2. Georg. v. 137.

——— *Atque auro turbidus Hermus.*

Juvenal. Satyr. 3. v. 55.

——— *Tanti tibi non sit opaci*
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum.

Idem, Satyr. 10. v. 298.

Sed, cujus votis modò non suffecerat aurum,
Quod Tagus & rutilâ volvit Pactolus arenâ.

Silius, l. 1. v. 234.

Hic certant, Pactole, tibi Duriusque Tagusque,
Quique super Gravios lucentes volvit arenas,
Infernæ populis referens oblivia Lethes.

Et ante omnes Catullus, Epigr. 30. v. 20.

——— *Amnis aurifer Tagus.*

Nomen ejus, quod attinet, Phœniciè dictus est דג Dag, (si Bocharto, l. 1. Chanaan, c. 35. credas) vel דגי Dagi, i. e. piscosus. Et laus à Trogo tribuitur in genere Hispaniæ amnibus, qui sunt, ut ait, lenes, & virentes, consitique irriguo, estuariisque Oceani affatim piscosi. At alii solum Tagum à piscium ubertate commendant, Strabo, l. 3. Πλεῖστος δ' ὁ ποταμὸς (Τάγος) ἐστι ἰχθύων πλήρης. Martial. l. 1. Epigr. 78. v. 12.

Piscosi calamo Tagi notata.

Claudianus:

Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi.

Nic. Lloydius.

TAHAT, filius Asir, 1. Paral. c. 6. v. 37. Filius Bared, 1. Paral. c. 7. v. 20.

TAHUANTISUYO, nomen priscum Peruviæ Regni, de quo suprà.

TAJAHA, Calipha Arabum seu Saracenorum secundùm quosdam XLV. successit Motyæ, de quo ac ejus decessoribus vide aliquid suprà, voce Imprator. Regnavit annum 1. extinctus A. C. 1013. Quô tempore Caliphæ solo nomine præfuerunt, aliis regna & provincias Persici Imperii tenentibus. Et successerunt, Kaimer, mortuus A.C. 1032. Alkaiem, & Abujafar, mortuus A. C. 1074. Almoktady, mortuus A.C. 1089. Almostanser i. mortuus A. C. 1129. Almostarched, mortuus A. C. 1136. Rachea, mortuus A. C. 1139. Almoktafi, mortuus A. C. 1161. Almostanger, mortuus A.C. 1171. Almostansyd, mortuus A. C. 1180. & Nasser-Ledin, sub quibus Tartari sæpius, præcipuè sub ultimo, Persicas provincias miré deprædati, ut & successores ejus, Altaher, mortui A. C. 1226. & 1227. victi sunt ab Almostancero III. penultimo Calipha, de quo vide suprà.

TAICHEUM, urbs Chequiamensis provinc. decima, in Sin. In monte: sub qua quinque aliæ, cum territorio peramplo & montuoso. M. Martinius.

TAIFALI, Gallicani, gens Scythica, puerorum stupris infamis, in agro Galliæ Pictonico Sellensique, duce Ataulfô Gothorum Rege aut ductu Goaris Regis cum Alanis gente finitima, olim sedem fixit: Teifali Gregorio. Ab his Austrapius Dux, apud Sellense castrum in Pictonibus Episcopus ordinatus, interemptus est. Ex iisdem Senocus presbyter, Clericus factus, in Monasterio Turonico, multis virtutibus inclaruit, pauloque post Sigeberti Regis cædem decessit. Taifalia vico nomen dedêre, in finibus Pictonum, inter Clechionem & Mortaniam, ad Separim fluv. apud Namnetas in Ligerim exeuntem, hodiè Tifauge. Fuere & Taifali gentiles, quorum unà cum Sarmatis præsidium Pictavis fuisse, docet Notit. Provinciar. Imp. Romani. Vide Hadr. Valesium, Notit. Gall.

TAJIMA, oppid. Japoniæ, cum tractu cognomine in parte Boreal. Niphoniæ Insul. & Jamoshiæ regionis. Dict.

TAINNI, populi à Saracenis ad Meridiem vergentes, Stephan.

TAJOANUM, vide Tayoanum.

TAIPINGA, urbs Sinar XI. provinc. Nanchinensis, prope lacum cognominem & fluvium Kiang. Sub qua duæ aliæ. Martinius.

TAIPINGA, urbs VIII. Quansiæ, in regione feraci; sed jamdudum sub Rege Tunchini, cum 22. urb. ei annexis. Idem.

TAIRA, una ex illustribus Cleopatræ ancillis, ἡ ἐμπλέκουσα τὰς τρίχας ἐυπρεπῶς, quæ comam illius decenter implicabat: Sicut Charmione altera erat, ἡ λεπτύνουσα τὰς ὄνυχας ἀκρων ἐυφυῶς, quæ extremos ungues ei dextrè præcidebat, Galen. de Ther. ad Pison. l. 1. c. 8. ubi malè Naeras, sicut Plut. qui illam Cleopatræ κουρεύτριαν, tonstricem, vocat, non meliùs Εἰράς habet. Ταίρας enim verum illius nomen fuit, quod etiam retinet Tzetzes, Chil. 6. Hist. 44. sed malè interpretatur, columbam voce hâc indigitari notans, cùm Arabicum tair vel taira, avem in genere significet. Atque hæ duæ ancillæ maxima Imperii negotia, sub Cleopatra, administrabant, ejus etiam in morte comites. Et quidem Taira αὐτῆς παρὰ τοῖς ποσὶν ἀπέθνησκεν, ad pedes ejus exspiravit, Plut. in Antonio, de Charmione vide suprà.

TAITUNGA, urbs Xansiæ tertia. Intra montes, valde munita. Sub qua 10. urbes. Martinius.

TAJYVENUM, urbs Xansiæ primaria prope fluv. Fuen; magni circuitus, ad radices montium. Sub qua 24. urb. Idem.

TAIZALI, (vide Texali, ut in codice Græco habet Ptolemæus.) Northumbri, teste Lhuydô, populi Albionis in ora Angliæ Orientali, & Scotiæ confinio, Vernicontibus (in codice Græco Venicontibus) finitimi, quorum regio Northumberland vocatur. Sed ex Ptolemæi descript. in ora Scotiæ orientali sunt, ubi Devana urbs, quæ Aberdene hodie dici putatur: Taizalo promontor. (de quo mox) Borealior. Baudrando, meliùs Taxali, fuêre in illa parte, ubi hodiè Buchan, provinc. Scotiæ Trans-Taanæ, in ora maris German. Eorum caput fuit Devana, nunc in ruinis; quanquam quibusdam sit Deer, oppid. in illo tractu, longè ab Aberdonia.

TAIZALUM, seu Taxalum, Ptolem. promontor. Albionis in ora Scotiæ Orientali, inter ostia Celnii & Divæ fluv. in Ortum maximè porrectum, inter oppid. S. Joannis, & Aberdonam urbem Borealiorem. Hodie est Buquhaneße, in Buchania provinc. 24. mill. pass. ab Aberdonia in Boream.

TAKORAJUM, portus Guineæ, in ora Aurea, intra montes, ubi aliàs castrum & colonia Francorum, vix 9. leuc. à promontor. Trium Cuspidum, 6. à Botrova arce Holandorum in Ortum.

TALA, arbor Indica, apud Arrianum in Indic. in cujus summitate τολύπαι, i. e. lanæ glomera nascuntur, cortice verò Indi sapientes, qui Gymnosophistæ vocabantur, vivere consuevêre. Vide de illa aliisque arboribus lanigeris linigerisque Salmas. ad Solin. p. 297. & 298.

TALABRICA, & TALABRIGA, Lusitan. urbs, Ptolem. Talaga Jac. Vasconcello, Baudrando Talega, vicus Beiræ Provic. in Portugallia, versus Vagum fluv. 10. leuc. Portugall. suprà ejus ostia in Ortum, totidem à Conimbrica in Boream.

TALABROCA, oppid. Hyrcaniæ, Strab.

TALACATIUM, Latii castrum.

TALACORI, emporium Taprobanæ, nunc Jafanapatan fortè, caput regni cognominis in parte Boreali.

TALALATUM, urbs Africæ propriæ *Antonin.*

TALAMINA, oppid. Hispan. Tarraconens. inter Astyres & Callaicos, *Ptol. La Vega* Moletio.

TALAMITA, vulgò *Talande*, vel *Talegande*, locus Galliæ in Arvernia superiori.

TALAMONA, vicus Lombardiæ Transpadanæ.

TALANTIA, Spartana mulier, cùm audivisset, filium suum Pædaretum, inique se apud Chios in regni administratione gessisse, his ad eum verbis scripsit: *Aut te melius in Chii administratione gerito, aut istic maneto. Nam si Spartam redieris, non est quod ultra speres te victurum.*

TALAON, fil. Lasii apud Argos regnavit. Boccat. *l.* 2. *c.* 38. *Talaos*, habet Pausan. *l.* 2. Biantis, qui tertiam regni partem tenebat, filius patri successit: pater Adrasti, quem vide.

TALARA, urbs Indiæ, intra Gangem, *Ptolem.*

TALARIA, urbs Syracosiorum. Gentile *Talarinus*, *Stephan.*

TALARIA Lex, memoratur Plauto *Milit. Glorioso*, *Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 9.

> *Atque adeò, ut ne legi fraudem faciam* Talariæ,
> *Accuratote, ut sine talis domi agitent convivium.*

Ubi facetè ad Legem aliquam de alea *Talorumve* lusu veterum, Publiciam fortè aut Titiam, alludit. Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 31. de *Talaris* verò vel *Taxillatis flagris*, vide suprà.

TALARIS Vestis, vide suprà *Poderis* & *Stola*, item in voce *Tunica.*

TALASSIO Latinis, qui Græcis *Hymenæus* dictus est. Causam afferunt è raptu Sabinarum, quæ historia est à *Plutarcho* conscripta. Ambigit tamen, indene an à lanificio ducta sit ea vox: τοὺς ταλάρους enim etiam ταλάσους vocatos ait, in quibus lana continetetur, unde & ταλασιουργοί, lanarii Opifices, haud sanè ineptè. Novæ enim Nuptæ pellem cum vellere substerni, lanâ postes obnubi, colum in pompa ferri consuevisse notum: tanquam ad opus faciendum, non ad virginitatem deponendam deduceretur. Aut sanè, quòd ejusmodi argumentis sedulitas futuræ Matrisfamiliâs designaretur. Sicut apud Græcos etiam cribrum præferebant, & ante thalamum pistillum alligabant. Non id Romæ: factâ enim de raptu cum Sabinis pace, inter eos convenit, ne ipsorum uxores molerent, neve coquinam facerent. A' lana igitur sic *Talassionem* deducunt. Illud tamen secretioris fortasse fuerit eruditionis, θάλαν τὴν μεμνηστευμένην, i. e. *desponsatam virginem*, dicebant Veteres, quare eadem vocis vestigia cum *Talassione* maximam habere videntur affinitatem. Eâ autem voce usus est Sophocles *in Antigone*. Vide Jul. Cæs. Scaligerum, *Poetic. l.* 3. *c.* 101. In nuptiis itaque *Talassionem* Romani, non minùs ac Græci *Hymenæum*, inclamare sunt soliti; qua de re sic Rosin. *l.* 5. *c.* 37. *Acclamationem hanc ex eo inolevisse Livius, l.* 1. *c.* 9. *auctor est, quòd in Sabinarum raptu Virgo una longè ante alias specie & pulchritudine insignis, à globo cujusdam Talassii rapta fuerit: multisque sciscitantibus, cuinam eam ferrent deducendam? ne quis violaret, Thalassio eam ferri clamitatum: Quâ de causâ vocem hanc nuptialem factam & ad posteros inde manâsse*, *Plut. quoque in Romulo & Quæst. Rom. quæst.* 31. *censet. Nonnullis tamen ad lanificium vocis hujus originem causamque referendam esse videtur. Qua in sententia Varronem fuisse, Sextus Pompejus testatur: Talassionem, inquiens, Varro ait, signum esse lanificii. Ita enim vocabant quasillum, qui aliò modô calathus, vas utique lanificiciis aptum. Constat autem lanificiis priscas Matronas valde deditas fuisse, præcipuamque his curam & operam impendisse.* In *fœdere etiam inter Romanos & Sabinos percusso, lex hæc atque conditio dicta est, ut volentes nuptæ apud Viros quibus conjunctæ erant, manerent, omnium operum ac munerum vacationem præterquam lanificii habituræ.* Vide quoque in voce *Thalassius.*

TALAVERA *la Reyna*, urbs Castellæ novæ, ad Tagum 12. leucis Hispanic. infrà Toletum in Occidentem versus Pontem Archiepiscopi 5. Ibi fluv. *Alberche* in Tagum se exonerat.

TALAURUS, vide *Galaurus.*

TALAUS, Argivus, ex Argonautis unus, Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 358. & *l.* 3. *v.* 471. 480. Pater Adrasti. Memoratur Statio, *l.* 5. *v.* 406.

> *Nunc magnum Oeniden, nunc ille hortatibus Idam*
> *Et* Talaum, *& cana rorantem aspergine ponti*
> *Tyndariden iterans gelidique in nube parentis*
> *Vela laborantem Calain subnectere malo*
> *Voce, manuque rogat* ———

Ubi in uno libro versus isti sic leguntur,

> ——— *hortatibus Idam*
> *Tyndariden iterans, gelidique in nube parentis*
> *Æthalium, & cana rorantem aspergine ponti*
> *Vela* &c.

Sicque *Talaus* omittitur, sed nihil mutandum, suadet Barthius. Hinc itaque Adrastus *Talaonides* Papin. Statio, *Theb. l.* 2. *v.* 141.

> *Cùm senior* Talaonides, *nec longa morati*
> *Dircæusque gradum, pariterque Achelous heros*
> *Corripuêre toris* ———

TALAUS, melius *Laus*, oppid. & fluv. Brutiorum in Lucaniæ confinio in ora Calabriæ citerioris *Strabo. Scalea*, teste *Barrio.* Vide *Laus.*

TALBENDA, urbs Pamphyliæ, *Ptolem.*

TALCA, *Ptol. Talga* Melæ, *l.* 3. *c.* 6. *Tazata* Plinio, *l.* 6. *c.* 17. insul. maris Caspii fertilissima, ex qua aliquid contingere nefas erat veteribus, quod Diis sacra habebatur; Hyrcaniæ adjacet, & *Alea* hodie dicitur.

TALCHUM, Arabibus *talck*, *Avicennæ* est aster Samius Veterum, aliis alumen Scaïolæ, at Græcis omnibus recentioribus, præcipuè Χυμευταῖς, Veterum ἀφροσέληνον, qui aliò nomine Σεληνίτης λίθος, lapis inanis & levis, quod per lunæ augmenta plenior ac solidior inveniretur, sic dictus. *Dioscorides*, εὑρίσκεται δὲ ἐν Ἀραβίᾳ λευκὸς, διαυγὴς, κοῦφος, *nascitur autem in Arabia albus, pellucidus & levis.* Unde & κουφόλιθος recentioribus appellatur. Recensetur *Stephano Alexandrino* inter ea, quæ calcinantur, & quorum cineres magnos præbent effectus in arte sufflandi: & ex Lunari effluvio originem capere τῆς χημείας Auctoribus Græcis traditur, unde nomen ἀφροσελήνου, quasi *ex spuma Lunæ concreti.* Lunam enim spumare in herbas & lapides Veteribus creditum esse notum:

> ——— *quod Luna novas despumat in herbas.*

Inde *Lunare virus* Lucano, quod Luna magicis cantibus affecta despumavit &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1098. Auctor Anon. *Sinæ & Europ. c.* 33. inter ea refert, è quibus ellychnia incombustibilia fiunt: *In regno Tanyu nascitur herba quædam super lapides incombustibilis* ——— *Ex ea fortè Veteres asbeston suum sive pannos illos confecêre, in quibus mortuorum comburebant cadavera, ne cineres cum rogo miscerentur* ——— *Neque enim fuerit ex amiantho lapide, ex alumine plumæ, aut* Talco, *quod est vitrum Moscoviticum, ex quibus, ut & ex hac herba, Tartari concinnant ellychnium perpetuum* &c.

TALCINUM, *Ptol. Talsini* hodie territorium, oppid. olim Corsicæ mediterraneum circa ortum Tuoli fluv. inter Niolum & Curiam oppida ex majorib. inter Bastiam & Adiacium, 40. mill. pass. in Corsicæ umbilico.

TALEA, vide infrà *Talia.*

TALEACOTIUM, vulgò *Tagliacozzo*, oppid. Aprutii ulterioris cum titulo Ducat. Columnarum 8. mill. pass. à lacu Fucino in Occasum 18. ab Aquila, in Africum, versus confinia ditionis Pontific.

TALEMANNI, dicuntur apud Grôninganos Triumviri, velut Collegii Præsides ac Rectores, eò quod nomine reliquorum in Senatu verba faciunt; ex *taele*, oratio, sermo, & *man*, vir. Ubbo Emmius, *in Groninga*, *p.* 61. At *Talemarii*, vel *Talemellarii* apud Rerum Gallicar. Scriptores, panifices sunt, uti ex veter. *Regestis* A. C. 1228. & 1231. docet Car. du Fresne, ubi suprà.

TALENTUM, Græcè τάλαντον, instrumentum propriè, quô ponderabatur, unde illud Homeric. *Il.* β. *v.* 636. Διὶ ἀτάλαντος, *Jovi æquiparandus:* Per tralationem, ipsum pondus. Vox Græcis olim in frequenti usu, qui summas rei pecuniariæ Minis & *Talentis* designare solebant; Romanis adhibita non est, nullum enim illis *Talentum* fuit, unde Sardum, quem stupor alicujus, qui Servium interpolaverat, decepit, ex Plauti *Mostellaria*, *Actu* 3. *sc.* 1. *v.* 109. Romanum quoque *Talentum* facientem, meritò refutat Gronovius. Sine adjectione, Scriptoribus antiquis semper Atticum significat: Sic enim idem Gronovius: *Talentum Atticum sive sex milium drachmarum semper significant Græci & Latini, quoties nullum ei alterius gentis cognomen adponunt.* Cum adjectione, *magnum*, soli Latini dixerunt passim: quod Priscianus 80. librarum facit, fingitque, quod nusquam apparet, *parvum Talentum* minarum 60. Sed hoc omnibus Antiquis ignotum est, *magnumque* Plautus, *loc. cit.* non 80. sed 60. minarum facit. Scaliger id sic dici censet Latinis, quod Græcis ἀδρὸν & παχὺ, quum necesse sit, si mina quædam fuerit παχεῖα, etiam *Talentum* fuisse. Verùm & hoc non minus in quæstione est apud Veteres, ut Prisciani parvum; nec si μισθὸς ἀδρὸς & παχεῖα δραχμὴ alicubi reperitur, necesse est & hæc *Talentis* fuisse tributa. Præterea destruit hanc interpretationem Plautus, *in Rudente*, *Actu* 5. *sc.* 2. *v.* 31. *Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena.* Si *magnum* παχὺ, junguntur dissociabilia: Nam *commodum*, ipso interprete, ἀκριβὲς, *justum*, *modicum* & nihil ultra. Sic *commodum* particula, quod aliis *tantum quod.* Petitus *magnum* putat argenti Talentum; *parvum* auri, quum illud 60. minarum sit, hoc 60. drachmarum, tres stateres complectens. Huic validè obstat Virgilii illud, *l.* 9. *Æn. v.* 362.

> *Et tripodas geminos, auri duo magna talenta.*

Ubi expressit Homericum, *Il.* ι. *v.* 122.

> Ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα.

Vult quidem Petitus, illud auri Talentum *parvum* etiam Diphilo appellari, βραχὺ τὸ τάλαντον, sed argenti *Talentum* intelligendum est vel cum Scaligero, *cui aliquid deest*, ut *curtò centusse*, Persio, *Sat.* 5. *v. ult.* vel cum Salmasio, ipsum commodum, strictum, *cui si nihil deest*, *certè nihil superest.* Sic μέτριος *Hesychio* μικρός. Sic *modicum* & *mediocre*, pro *parvo*, Virgil. Et verba Seuthæ sunt apud Xenoph. ἀναβάσ. *l.* 7. Ἀργύριον μὲν οὐκ ἔχω, ἀλλ' ἢ μικρόν τι, & τοῦτό σοι δίδωμι, τάλαντον, *Argentum quidem*, (i. e. argenti copiam) *non habeo, præter commodum quoddam, quod tibi dono, talentum.* Videtur ergo Romanis id discrimen additum vocabulo, quòd illis, quàm interiori & Asiaticæ reliquæque Europææ Græciæ viciniores Græcorum coloni id usurparent pro summa haud quaquam grandi: quibus cum quia frequens erat commercium, & consuêssent nominare *Talentum*, pro pauculis nummis, ad significandam pensiorem illam summam, quod solum *Talentum* noverant remotiores Græci sive auri sive argenti, *Talentum magnum* dixêre. Hi populi erant Neapolitani, Rhegini, Syracusani, de quibus Festus: *Talentum Neapolitanum sex denarium, Syracusanum trium denarium, Rheginum victoriati.* Hoc itaque primò noverunt Romani solùm, utpote Italiæ aut proximis Italiæ incolis usitatum: At ubi cum aliis Græcis commercium esse cœpit, inveneruntque tantò majorem pecuniam eâ nuncupatione finiri, ad vitandam ambiguitatem 60. minas Atticas *Talentum magnum argenti*, 60. drachmas vel tres stateres, *Talentum magnum auri*, appellaverunt. Denique frequens usus horum & in vicinis locis cum potentia Romana recepta etiam pecunia, mersit, inque desuetudinem egit istam *Talenti* pro

summa-

minutis usurpationem, mansitque ea vox sine alia adjectione pro amplioribus pecuniæ peregrinæ summis, vide Gronov. *de Pecunia vet. l. 3. c. 4.* Sic *Talentum magnum* & *Talentum Atticum*, res eadem, minarum 60. seu 6000. denariorum, seu drachmarum. De quo sic Rhemnius Fannius,

Cecropium superest post hæc docuisse Talentum,
Sexaginta minas, seu vis, sex milia drachmas,
Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis.

In pecunia Romana 60. libras, 24 Sestertia, facit. Imò *Talentum* quodvis 6000. drachmarum sui generis habere, quæ ad Atticas reductæ varient, monet idem Gronov. *c. præc.* de variis, apud varias Gentes, *Talentis*, vide hic *infrà*. Recentiori ævô, pro *libra* vox occurrit *in Alexiade* Annæ Comnenæ, & apud alios citerioris ætatis Scriptores: Theophanes verò annô 9. Nicephori Generalis, pro centenario, seu centum libris, eam usurpavit. Sed & pro numismate, seu nummo aureo, adhibitam docet *Hesychius*: ἢ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν Ταλάντου. ὅ ἐστι νόμισμα. Atque sic videtur accepisse idem Theophanes annô I. Michaëlis Curopalatæ, quô locô scribit, cum militum provincialium, qui belló Bulgaricó perierant, uxoribus concessisse πέντε ταλάντα χρυσίου, cùm vix probabile sit, de centenariis auri hæc accipienda, Car. du Fresne *Dissert. de infer. ævi Numism. num.* 81. Vide eundem, *Notis ad Alexiadem cit.* adde Covarruviam *de Vet. Numism. Hispan. c. 4. num.* 5. & Suicerum in Τάλαντον.

Variæ Talentorum, apud diversos Populos, species.

Achaicum proprium nullum fuit: unde sententiam quorundam Eruditorum illud octo millium trecentarum triginta trium drachmarum Atticarum trientis sive duorum obolorum, somnium dicit Gronov. *loc. cit.*.

Æginæticum, seu Æginæum, ejusdem cum Corinthiaco valoris, 6000. drachmarum Æginæarum fuit. Sed quia Æginæa drachma decem habebat obolos Atticos, & 6. Æginæticæ drachmæ 10. Atticas habuêre: hinc mina Æginæa 166. drachmas & 4. obolos, qui respondent nostris uncialibus 20. ac proin *Talentum Æginæum* 10000. drachmarum Atticarum, h.e. 1000. coronatos, 1200. unciales, fecit, Idem *l. 3. c. 5.*

Ægyptium, 80. librarum fuit Romanarum, ut testatur apud Plinium, *l. 33. c. 3.* Varro: qui ambo Ægyptii numerum tertiâ parte Alexandrinô minorem faciunt; unde frustra sunt, qui utrumque confundunt, 80. itaque minas Atticas, totidem libras Roman. nostros 800. coronatos fecit.

Alexandrinum duodecim millium denarium fuit, seu totidem drachmarum, adeoque duplum ad Atticum.

Argenti, 60. fuit minarum, 6000. drachmarum, ut suprà visum.

Atticum, Auctoribus sæpe sine adjectione *Talentum*, Romanis *Talentum magnum* dictum; constabat sexaginta minis, sive 6000. drachmarum Atticarum. Ad Romanam pecuniam redactum constituebat 24. sestertia, 60. libras argenti. Apud *Priscianum* itaque cùm dicitur constitisse minis 100. seu drachmarum 7500. minæ intelliguntur, quales fuêre ante Solonem; quarum quælibet 75. drachmas habebat. Idem, *l. 3. c. 3.*

Auri, 60. fuit drachmarum.

Babylonium, vide *Pollucem*.

Cistophorum, idem cum Rhodio, 4500. denarium fuit, *Festus*.

Corinthiacum, δραχμῶν παχειῶν habuit sex millia, quæ Atticarum μυριάδι respondent: ut evidenter patet ex A. Gellio, ubi Laida narrat Demosthenem μυρίας δραχμὰς, ἢ τάλαντον, poposcisse. *Quod facit*, addit *nummi nostratis denarium decem millia. l. 1. c. 8.* Idem itaque cum Æginetico fuit.

Cyrenæum, 120. minarum fuit, adeoque idem cum Alexandrino. Ejus meminit Plautus, quod drachma Cyrenis erat.

Hebræum, ככר *Cicar*, cùm argenti erat, valebat 3000. siclos, vide Exodi *c.* 38. *v.* 25. 26. Cùm auri, duodecimô tantô fuit majus. Godwyn. *de Ritibus Hebr.*

Magnum Romanis, idem cum Attico, vide suprà.

Neapolitanum, sex solùm denarium fuit.

Παχὺ, non minùs in quæstione est apud Veteres, ac *Magnum*, ut vidimus; vel potiùs *Parvum* Prisciani.

Rheginum, victoriati solùm fuit valore.

Rhodium, ejusdem cum Cistophoro pretii.

Romanum, nullum fuit.

Siculum seu Syracusanum, 30. fuit denarium.

TALERUS, nomen monetæ, apud Germanos, insignioris, *ein Thaler*: nomine à Valle Joachimica. German. *Thael* desumptô, ubi primùm cusi sunt per Slicones Comites, Georg. Agricol. *l. 2. de pond. & mensur.* circa A. C. 1520. qui adhuc non infrequentes apparent, unâ parte Joachimum Abbatem & insignia Slikensia præferentes, cum literis: *AR. DOMI. SLI. STE. & FR. A. COM. B. B.* alterâ Leonem Bohemicum, cum literis: *LUDOVICUS PRIM. D. GRACIA R. BO.* quos alii dein sunt imitati: Interim & antiquiores Joachimicis, minus tamen frequentes, sunt aliqui, ut quem *MAXIMILIANUS. MAGNANIMUS. ARCHIDUX. AUSTRIÆ. BURGUND. ET MARIA. KAROLI. FILIA. HERES. BURGUND. BRAB. CONJUGES.* A. C. 1479. Item, quos Sigismundus Archidux A. C. 1486. nominis æternandi ergo formari jusserunt. Vide Christ. Becmannum *Hist. Orbis Terrar.*

TALETUM, fanum erat Soli dicatum, in Taygeti montis vertice. Pausan. *l.* 3.

TALI pedum in Thetidis olim fuêre potestate; ut & plantæ: quemadmodum ipsos pedes Mercurius sacros habuit, teste *Serviô*. Vide Lil. Giraldum *Syntgm.* 1. *Deorum Gentil.* & Hadr. Junium, *Animadvers. l. 4. c.* 12. nec non infrà *Talus*. Iidem cum Tesseris, de quibus infrà, Ludi fuêre genus, in conviviis, usque ad *Talariam* legem latam, non minus ac Latrunculi, adhibiti: Inter quæ tamen sic distinguit Godwynus, ut Aleam dicat utriusque ludi fuisse genus, Tesseram autem à *Dye*, sed *Talum* Anglicè *an huckle-bone*, interpretetur *Anthol. Rom. l. 2. Sect. 3. c.* 13. Hadr. Junius, ubi modò, *l. 2. c. 4.* similiter diversos hos ludos efficit Dempsterus hoc solum inter utrosque agnoscit discrimen, quod *Tali* 6. angulos haberent, Tesseræ quatuor. Punctis Tesseras fuisse notatas, observavit Hadr. Turnebus, *Adversar. l. 5. c.* 6. unde *Numeri eburni*, pro *Tesseris* apud Ovidium, *de Arte l. 2. v.* 183. At *Tali pro numeris effigies animalium habebant, ut vulturum aut Regulorum*, teste eôdem Turnebô *locô cit.* Unde eosdem *Vulturios*, item *Regulos* dictos reperimus. Et *Vulturiorum* quidem meminit Plautus, *Curculione, Actu 2. Sc. 3. v.* 78.

Tace parumper, jacit Vulturios quatuor.

An verò iidem & *Reguli* dicti sint, ambigit præfatus Godwynus, cùm *Regulum* Latinis idem significare velit, quod *Basilicum* Græcis, nempe non minùs in Tesseris, ac in *Talis*, totum jactum fortunatum ac felicem, Vide Cœl. Rhodig. *l. 20. c.* 18. & suprà in hac voce: qui aliàs, & *Venus*, dictus est, ut videbimus. Numerô certè differebant, nam *Talis* quatuor, Tesseris tribus usi sunt Veteres: frequentiorque ille, quàm iste ludus fuit. Martialis, *l. 14. Epigr.* 15.

Non sim Talorum *numero par Tessera.*

Ad quem, *tribus quoque* Talis *aliquando lusitatum esse*, notavit Scholiastes, *Epigr. præc.* Ludebant verò *Talis* Veteres hôc modô: Quatuor talis in fritillum sive pyrgum sive orcam (nam hoc commune *Tali* quoque cum Tesseris habebant) conjectis, juxta illud Horatianum, *Sat. 7. l. 2. v.* 17.

Mitteret in pyrgum Talos.

eôque concussô, super tabulam effundebant: dicebaturque jactus felicissimus, quando videl. omnes quatuor *Tali* diversum ostendebant latus, *Venus*, uti dictum. De quo sic Lucianus *Amor.* Καὶ βαλὼν ἐπὶ σκοπῷ, μάλιστα εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν εὐβαλήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι προσεκύνει, τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων. *At quoties jecerat id, quod intendebat, maximè si quando Deam ipsam feliciore jactu sortitus erat, nullô* Talô *pari figura cadente, adorabat eam, sperans se id esse consecuturum, quod expetebat.* Contrà infelicissimus jactus, tam in *Talis*, quàm in Tesseris, habebatur *Canis*, qui semper nummis suis ludentes mulctabat, unde *damnosi Canes*, sæpe apud Auctores. De priori jactu Martialis, *l. 14. Epigr.* 14.

Cum steterit vultu nullus tibi Talus *eôdem,*
Munera me dices magna dedisse tibi.

Ovidius, *locô cit.*

Damnosi tacito stent tibi sæpe Canes.

De utroque Propertius, *l. 4. El. 9. v.* 17.

Me quoque per Talos *Venerem quærente secundos,*
Semper damnosi subsiluêre Canes.

Dicebatur verò *Canis*, quoties in aliquo laterum superiorum *unio*, (secundùm eos, qui punctis seu numeris *Talos* notatos fuisse volunt) prodibat. *Quatuor enim* Talorum *latera numeros aut puncta sic habuêre disposita, ut, quæ in duobus lateribus essent, puncta semper efficerent septem, hoc nimirum modô,*

1. ———————— 6.
3. ———————— 4.

E quibus qui Senionem, qui & Cous dicebatur, jaciebat nummum ex acervo lucrabatur. Hinc Persius, Sat. 3. v. 48.

——— *Quid dexter Senio ferret,*
Scire, erat in votis, damnosa Canicula quantum
Raderet.

Nisi aliter ex lusus lege convenerat, ut de Augusto legimus in ejus ad Tiberium *Ep. apud Sueton. c. 71. Inter cœnam lusimus γεροντικῶς & heri & hodie.* Talis *enim jactatis, ut quisque Canem aut Senionem miserat, in singulos* Talos *singulos denarios in medium conferebat, quos tenebat universos, qui Venerem jecerat*, Jac. Oiselius, *Notis in A. Gellium, l. 18. c.* 13. Ubi tamen pro *Aut*, Godwynus *Et* legi vult; Si quis enim Senionem cum Cane jecisset, hunc jactum quoque infelicem fuisse habitum, docet Martialis, *l. 13. Epigr. 1. v.* 6.

Senio nec nostrum cum Cane quassat ebur.

Aliter Bartholomæus Merula, *in Ovidium, de Arte am. l.* 2. Unde patet, *jactuum* in Talorum lusu nomina, unde originem habeant, adhuc incertum esse. Non verò *jactus* solùm, & sed *missus*, & *manus*, in Talis Tesserisque locum habuit. Namque Suetonius, *Aug. c.* 72. *Si quas manus remisi cuique exegissem aut retinuissem, quod cuique donavi, vicissem* &c. Erant illi, aut è ligustro, Plin. *l. 16. c.* 18. aut ex ebore, Martialis, *l. 14. Epigr.* 14. cujus lemma est, *Tali eborei.* Fuitque hic ludus apud Græcos quoque jam olim in usu. Nam Homerus, *Odyss. α.* in templo Minervæ procos ludentes *Talis* inducit: & consuetum in Templis fuisse ludere, observat Fr. Lusinus, *Parerg. l. 5. c.* 21. Dicebant hi illum ἀστράγαλον, unde ἀστραγαλίζειν; Item κύβον, sed voce magis generali: Unde Polycletus Sicyonius ex ære duos pueros, *Talis* nudos ludentes, qui vocarentur *astragalizontes*, fecisse legitur, apud

apud Plinium, *l.* 34. *c.* 8. Interim id inter Romanos Græcosque discrimen fuit, quòd apud illos senile plerumque exercitamentum esset. Cicer. *de Senect. Nobis senioribus ex lusionibus multis* Talos *relinquant & Tesseras*: Unde suprà Augustus, *loc. cit. lusimus γεροντικῶς*. Apud Græcos verò pueris ludus is familiaris erat: ut de Cupidine ac Ganymede proditum Apollonio Rhodio *Argonaut. l.* 3. de pueris Polyclen, Plinio paulò suprà; & notum Proverb. *Pueros astragalis, viros perjurandis fallendos*. Heraclitus quoque Ephesius hinc, propter facti novitatem, quòd *Talis* luderet, puerorum instar, *Astragalizon* nominatus legitur, apud Diog. Laërtium, *in vita ejus*. Non omittendum, Romanos, cum *talis* luderent, scorta sibi auxiliatura invocare consuevisse; ut docet Plautus, *Asinariâ Act.* 5. *Sc.* 2. *v.* 54.

> AR. *Jace pater* Talos, *ut porro nos jaciamus.* DE. *maxumè,*
> *Te Philenium mihi, atque Uxoris mortem; hoc Venereum est,*
> *Pueri plaudite & mihi ob jactum cantharo mulsum date.*

Et in Captivis Actu 1. *Sc.* 1. *in principio*,

> *At ego ajo rectè, nam in convivio sibi*
> *Amator*, Talos *cùm jacit, scortum invocat* &c.

Vide Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. loc. cit.* Thom. Dempster, *Paralipom. in Rosin. l.* 5. *Antiqq. Rom. c.* 1. Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 4. *c.* 2. Alios, ut & infrà. ubi de *Talorum lusu*: de *Talis* verò *aureis* in Aponi fontem olim conjici solitis quæ *παγομαντείας* species erat, diximus voce *Fons*: it. de ratione divinandi è *Talis in mensam conjectis*, ubi de *Sortibus*.

TALIA, urbs Mœsiæ superioris *Anton.* *Saliata* Mœsiæ primæ, *Libr. Notit. Tavatu, Ptol.*

TALIA, seu TALEA, apud Tertullian. *de Pallio c.* 5. ubi de transitu à toga ad pallium, *nullo tædio constat, adeò nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in talias* &c. ruga est in longum deducta ac directa, à similitudine *taliarum*: prius enim in toga rugæ illæ formabantur, deinde in talias deducebantur. Est autem *talia* propriè arboris ramus, ex utraque parte æqualiter præcisus, Græcis *χίδα* aut *χίδζα*, seu brevis baculus utrinque pariter crassus; unde *taliare* scindere est, Græcè *χίζειν*. Ad ejus similitudinem *χίζιοι* Græcis appellantur homines crassi & compacti, *ἐν μικρῷ παχεῖς*, qualem Dicæarchus Herculem fuisse scribit, apud Clementem *in Protreptico*. Hodieque *taliam* Galli vocant *τὸν τοῦ σώματος χύσιν*, & *belle talie* homines dicunt, bene formatos & corpulentos, *Casuram* quoque Latini dixêre. Lucretius, *l.* 3. *v.* 220.

> *Extima membrorum circùm casura tamen se*
> *Incolumem præstat* ———

Ubi *casura* idem quod *talia* & *χίζα*. Sic ergo rugarum in veste partem eminentem ac protuberantem, quæ & *feria* vocabatur, *taliam* appellavit Tertullianus, quia Græci *χίδας* etiam nuncupârunt, ut ex Hesychio discimus, Salmas. *ad Tertullian. d. l.* Sed & *Taleam* seu *Taliam*, vulgò *taille*, Galli appellant tesseram ligneam in duas partes fissam, in quarum utraque debitum continetur transversariâ quadam cæsurâ denotatum, alterâ penès emptorem, alterâ penès venditorem vel creditorem remanente; de qua vocis notione vide Car. du Fresne *Glossar.* in hâc voce: ut & in *Tallia*, quod præstationis genus est, hinc nomen nactum; infrà quoque aliquid voce *Tenus*. Diminutivum *Taleola*; unde *Taleolæ militares*, de quibus infrà vide, voce *Vigil.*

TALIFRAGIUM, inter Veter. pœnas, quibus de suprà voce *Pœna*.

TALIO, fœmin. Plinio, ex *talis*, quasi *talis retributio*: Tale enim patimur, quale fecimus. Unde Lex *Talionis*, Lex paris vindictæ, vel *similitudo vindictæ*, Isidor. *Pœna reciproci*, *l.* 11. *Cod. de exhib. reis*, aut *similitudo supplicii*, Honor. & Theodos. Augg. *l.* 17. C. *de Accus.* Græcis *Antipelargosis* apud Isidor. *in Gloss.* melius *ἀντιπεπονθός*, *Glossar.* Philoxeni, vel *ἀντιπεπονθότες* &c. *Hoc enim naturâ & Lege institutum est, ut lædentem similis vindicta sequatur*, Isidor. *l.* 5. *c.* 27. Apud Romanos in usu fuit, in criminibus cujuscunque conditionis vindicandis: inprimis verò in prævaricationibus, uti docet Franc. Polletus, *Histor. Fori Rom. l.* 4. *c.* 3. quod ipsum loquitur Paulus JCtus, *l.* 6. *ff. de prævaric. l. fin.* C. *de Accus.* Sed multo magis in calumnia, ut apud eundem Polletum videre est, *l.* 4. *c.* 5. Imo in atroci quoque injuriâ valuit, ut ex XII. Tabb. fragmentis liquet, apud A. Gellium, *l.* 20. *c.* 1. *Si. membrum. rupserit. ni. cum. eo. pacit. Talio. esto.* Cui simile quid ex Catone *Orig. l.* 5. adducit Priscianus de *Gramm. l.* 6. *Si quis membrum rupit, aut os fregit,* Talione *proximus agnatus ulciscitur.* Festus sic legit, *Si. membrum. rupsit. ni. cum. eo. pacit. Talio. esto.* De cujus iniquitate Favorinum, æquitate Cæcilium, egregiè disputantes, vide apud Gellium, *loco cit.* Ejusdem pœnæ usus apud alias quoque plerasque Gentes receptus est. Et quidem de Græcis ac præsertim axonibus Solonis, vide Diog. Laërtium, *l.* 1. de Indis, Strabonem, *l.* 15. de aliis alios. Ipsi Rhadamantho placuisse, tradit Aristoteles, *Ethicorum l.* 5. *c.* 5. *Rhadamanthæum* hinc *jus* vocans, quod tamen ipse non omni ex parte probat. De Populo sancto, à quo fons Constitutionis hujus, in natura ipsa fundatæ omnino repetendus est, ita legimus Levitici, *c.* 24 *v.* 19. 20. *Quod si quis intulerit corporis vitium proximo suo, quemadmodum fecit, sic fiat ei. Fracturam, pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente: prout intulerit corporis vitium homini, ita inferetur ei* &c. Vide quoque Deuteron. *c.* 19. *v.* 21. Ubi, quum duplex *Talio* sit, *Talio identitatis* seu *Pythagorica*, quâ secundùm literam Legis, idem omninò, quod quis fecit, patitur; & *Talio similitudinis*, seu *Analogica*, cùm certâ & proportionatâ pecuniæ summâ, seu mulctâ, damnum illatum pensatur: Hebræi posteriorem intellectam volunt, & *oculum pro oculo*, interpretantur *pretium oculi*. Targum Jonathanis & Rabbi Salomon *ad Deuteron. loc. cit.* Non enim semper *Talionem identitatis* possibilem esse, varii casus evincunt, ut cùm cæcus videnti oculum effodit, aut edentulus alteri excutit dentes: & atrocior quandoque pœna foret delicto, ut si unoculus alteri binos habenti oculos alterutrum eruat. Proin in mutilationibus corporis, Hebræi doctores quintuplicem rependendam esse mulctam, statuerunt, *pro damno, pro læsione, pro dolore, pro medicina & confusione*. Vide Munsterum, *in Exod. c.* 21. Apud Romanos quoque, Reum habuisse facultatem paciscendi, neque necesse fuisse pati *Talionem*, nisi eam elegisset, discimus ex Gellio, *l.* 11. *c.* 1. *l.* 16. *c.* 10. Apud quos cur Legem hanc placuerit tolli, ut & plura hanc in rem, vide apud Thomam Dempsterum, *Paralipom. in Rosinum passim, inprimis l.* 9. *c.* 17. De impendiis verò, Legem vide Exodi *c.* 21. *v.* 19. & pecuniaria multa, quæ ultra ea exigi solebat, Coustantin. *c.* 8. §. 1. apud Hug. Grotium, *de Jure Belli & Pacis*, *l.* 2. *c.* 10. *Reciproca pœna* porrò dicitur Talio, *in l.* 5. Cod. Theodos. *de Exhib. reis* &c. *ἀμοιβαία ἀντεκδίκησις*, apud Dionys. *Eccl. Hierarch. Vicarium pœnæ genus*, apud Valerianum, *de Bono disicpl.* uti docet *in Glossar.* Car. du Fresne, hanc in rem varios Auctores laudans, Jac. inprimis Gothofredum, *ad l.* 7. *Cod. Th. Accus.*

TALISMANI, sacerdotes Turcarum: hos, quoties convivas vocabant, Ottomannus, & Successores ejus, filius Urchan, ac Morates, mensæ adhibuisse leguntur, ut eorum præceptis & admonitionibus aurem præberent, ac Alcorani lectioni vacarent. Lipsius, *Mon. Polit. l.* 1. *c.* 2. De iis ita Augerius Busbequius *Legationis Turc. Ep.* 1. *Talismannos*, inquit, *habent hominum genus Templorum ministerio dicatum. Hi mensuris utuntur ex aqua, quibus postquam adventare Auroram cognoverunt, clamorem tollunt ex celsa turri, in eum usum constructâ, quo homines ad venerandum Deum hortantur & accersunt. Idem faciunt medio tempore, inter exortum Solis & meridiem; Item inter meridiem & occasum: Postremo, Sole occidente, voce utuntur acutissimâ, cum non injucundâ modulatione vibrantes; quæ longius, quam credi possit, exauditur*, &c. Juxta Templa enim Turcæ altas turres multilateras constituunt, quarum fastigia in pyramides exeunt ligneas, plumbeis laminis, ad imbrium vim arcendam, contectis. Non longè autem à pyramidis initio ita constructæ sunt, ut circumire quis facilè possit, eoque scalâ cochlide ascenditur, in cujus summitate ostiola, quibus egressus est circulare in podium, omnia orientem spectant Solem: Ex his itaque turribus podiisque *Talismanni* isti, sive Sacerdotes, statis diei noctisque horis, ut dictum, Omnipotentis Dei nomen Stentoreâ voce inclamant, hominesque ad Templa, ut nos campanis solemus, convocant, vide Hieron. Magium, *l. de Tintinnabulis c.* 15. cum *Notis* Franc. Swertii. De *Talismanis* verò, seu *εικόσι* vel *characteribus*, aliisque rebus Magicis ita appellatis, consule Salmas. *in Kerkoetium*, *p.* 75. *de Annis Climacter. p.* 578. Gafarellum, *de Curiositatibus inaud.* Alios. Addo hic saltem, Græcam hanc vocem esse, sed modicè flexu in Arabismum detortam. *Talisman* enim *τέλεσμα* est, seu *τετελεσμένον*; sicuti sunt *τετελεσμένοι* annuli, de quibus vide suprà, in voce *Eleazarus*; *τετελεσμένοι ἀνδριάντες*, & cætera ejusmodi, de quibus aliquid diximus, *ubi de Consecratione Magica*, ex Salmasio eodem, *Not. ad Aurelianum Flavii Vopisci*, aliquid etiam infrà dicemus voce *Telesies*.

TALITRUM, seu manus ad *Talitrum* faciendum compositæ icon in monumento Sardanapali, cum lemmate, *Omnia nil tanti*. Eorum in pancratio usum, vide suprà voce *Pancratium*.

TALIUM, urbs Junnaniæ in Sina versus partem ejus Borealem, & regni Tunchinensis confinia, juxta lacum Siulum. Sub qua quinque urbes. *Martinius*.

TALIUS Geminus, Accusator Fabricii Vejentonis. Tacit. *l.* 14. Annal. *c.* 50. Mureto, *T. Allius*.

TALLA, apud Lucillium.

> *Flebile cæpe simul, lacrymosaque ordine tallæ:*

folliculus propriè cepæ est, ex Græco *θύλακος*. Cæterùm, quia eodem folliculô, quô caput cepæ velatur, etiam magna pars caulis integitur, hinc *tallam* pro caule cepæ posuit Columella, *l.* 12. *c.* 3. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1068. 1069. & suprà in voce *Cepa*.

TALLEBURGUM, vulgò *Taillebourg*. oppid. Santoniæ, ad Carentonium fluv. S. Ludovici victoriâ contra Hugonem Marckium, A. C. 1242. clarum, 2. leuc. infrà Mediolanum Santonum in Boream, Angeriacum versus 5. & 8. à Broagio in Ortum.

TALLEDIUS, vide *T. Alledius*.

TALLIA, vide suprà *Talia*.

TALLIATES, populi Germaniæ inferioris quorum pagus cum arce *Tallendorff*, seu *Dallendorff*, vel *Dollendorff*, in regione Fisalia, apud Bonnam urbem, vix milliar. Germ. versus *Ranigdorff* pagum.

TALMÆ, in *Itiner.* Antonini, locus est in Occidentali Nili latere, de quo vide Salmas. *dicto loco p.* 438.

TALMONTIUM, oppid. Pictaviæ, in ora Oceani Aquitanici, cum titulo Principatus, 8. leuc. à Luciona in Ortum, Arenas Olonenses versus 3. Cum portu capaci.

TALMUD Judæorum, circa A. C. 422. à Rabbinis compositum est, nugis, fabulis, blasphemiis refertum. Textus ejus volumina superant paginas S. Bibliorum in decuplo, glossis antiquis & modernis, suprà illud factis quàm plurimis, exceptis. Digestores codicis edixêre, *ut omnes ordinationes in eo libro, tantam haberent efficaciam, quantam ea, quæ a Deo in lege Mosaica constituta sunt*. Vide Hieron. *de sancta fide in Hebr.* Lætum *Comp. Hist. Univ. &c.* *Pandectæ sunt rerum Judaicarum, divinarum ac humanarum, inprimis Juris illorum Canonici ac Civile*, Martin. *Lexic. Philol.* de quo sic Buxtorfius: *Antonini cognomine Pii Imperatoris indultu, Rabbi Jehuda cognomine* Sanctus, *qui apud Talmudistas* Rabbi, *sine adjectione, per excellentiam dicitur*, A. C. 190. (*juxta quosdam* 220. *supputatione Judaicâ*) *collegit omnium superiorum Rabbinorum Placita & Constitutiones in certos Aphorismos & certis libris partibusque distinxit, quibus in Judæa communes juris auctoritas attributa fuit: Hacque Liber* משנה Mischna *quasi* Lex iterata *vel* secunda,

da, dictus est, qui etiamnum hodie Textum Juris Judaici constituit. Conscriptus autem est vel in urbe Tiberiade, ubi præfatus Rabbi vixisse videtur, vel Sephoræ, ubi sepultus est. Hic deinceps sequentibus annis in Scholis Judææ publicè prælectus, & variis Doctorum disputationibus illustratus ac auctus est, è quibus omnibus in unum congestis A.C. 230. prodiit Talmud Hierosolymitanum, *sic dictum, non quòd ibi concinnatum esset, sed quòd in Judæa, sive terra Israelis, cujus illa caput ac Metropolis fuerat. Translatis posteà, extinctô Rabbi Jehudâ, doctis præcipuis è Palæstina in Babyloniam, ibi deinceps studia literarum ferventissimè fuerunt exculta. Præcipue Professio Judaici Juris ibi viguit, quod libro* Mischna, *tanquam Corpore Juris authenticô, erat comprehensum; & hoc quidem continuis prælectionibus disputationibusque eousque ventilatum ac discussum est, ut inde annô post excidium Urbis* 436. *juxta computationem Eliæ, i.e. Christi* 506. Talmud Babylonicum, *in* 6. *Partes principales &* 63. *libros distinctum, prodierit, quô etiamnum hodie universa Judæorum natio regitur.* Vide Joh. Buxtorfium *Commentar. Masorethico c.* 5. & 6. ut & in voce *Talmudistæ*, item suprà *Kabbala*, ac *Synagoga*. Adde de origine Talmud præclarè differentem Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. IV.* Vide *Talmud*.

TALMUDISTÆ, dicti, qui doctrinam Talmud, libri apud Judæos summoperè æstimati, sequuntur. Significat hujus nomen *Disciplinam*, & creditur præcepta continere utilissima, velut Epitome quædam divinarum, humanarumque legum. Has dicunt conservatas esse, in scriptis Pontificum, quarum compilator Rabbi Juda Hakkadosch, edidit A.C. 188. *Misna*, i.e. repetitionem legis. Dein, A.C. 469. Rabbi Johanan, ab aliis quibusdam adjutus, novam concinnavit syllogen Judaicorum præceptorum, quæ priori adjuncta est: Dictum hoc opus Talmud Hierosolymitanum, quia in hac urbe conflatum est: Post hæc, Asé & Hammai, Rabbini Babylonii, addiderunt A.C. 476. varios tractatus, unde Talmud Babylonicum exortum: Sed cùm prior, morte præpeditus, opus affectum reliquisset, perfecit id filius ejus R. Mayr. Hunc librum magno in pretio Judæi habent, & ipsi S. Scripturæ non rarò anteferunt. Interim nil aliud est, quam farrago injuriarum & blasphemiarum atrocissimarum, contra JESUM nostrum, & Ecclesiam ejus: Proin condemnavit eum etiam Gregorius IX. A.C. 1230. Innocentius IV. A.C. 1244. Jul. III. A.C. 1553. Paulus IV. A.C. 1559. Dividunt illum Judæi in tractatus 6, quorum quilibet in plurima capita subdividitur. Sixtus Senensf. *Bibl. Sacr. l.* 2. Genebrard. *l.* 2. & 3. Bellarmin. *l.* 2. *de S.S. c.* 6. &c.

TALORUM Lusus, in cœnis Veter. frequens. Sueton. *Aug. c.* 71. *Inter cœnam lusimus γεροντικῶς —— talis enim jactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui venerem jecerat.* Hinc inter alia apophoreta *talos* quoque datos, ex *Martiali* & *Athenæo* discimus. *Talis* autem, juxta Casaubonum, ita ludebant: quatuor talos vel ex auro factos vel argento vel ebore, vel revera *talos* alicujus animalis (unde lusui nomen) in fritillum conjiciebant, eòque concussô super tabulam fundebant. Quô jactu casuque varietates exhibebant numerô triginta quinque: partes enim tantùm habebant quatuor, quibus insistebant & incumbebant, atque ab utraque longitudinis suæ parte rotundabantur: cùm in tesseris sex occurrant. Imò licèt *talus* haberet 4. πτώσεις seu varietates, ferè tamen cùm jacerentur, non aliter cadebant, quàm duobus modis: vel in eam faciem, è duabus, quas habebat latiores, quæque cava erat, vel in oppositam, quæ eminebat & protuberabat. Has talorum πτώσεις Græci ajunt ἐξ ἰσοδυνάμου κατ' ἀντίθεσιν συγκειμένας fuisse, h.e. puncta vel numeros sic habuisse dispositos, ut qui in oppositis duobus lateribus essent, juncti semper efficerent septem. Ἀντίκειται γὰρ, ajunt, μονὰς καὶ ἑξάς, δυὰς καὶ πεντάς, τριὰς καὶ τετράς. *Opponebantur monas & senio, item trias & quaternio.* Cùm in tesseris quoque essent δυὰς καὶ πεντὰς, *binio & quinarius.* Qui itaque πλειστοβολίδα ludebant, singulis jactibus infelicibus certam pecuniam, prout convenerat, in medium conferebant: aliquando in singulos talos singulos nummos, ut Augustus d. l. aliquando in singulas unitates, quas jactus ostendebat, sive *in punctum*, ut ait Idem *in Nerone, c.* 30. singulos nummos. Atque hæ *manus* fuit, quas vocat Augustus in *seqq.* Porrò vincebat, qui Venerem jaciebat, ut hic; aliquando qui punctorum numerô esset superior, ut apud Pollucem. Sic cùm non in pecuniam facta erat conventio, sed in aliam conditionem, semper vincebatur, qui minus punctorum jecisset, Athen. *l.* 10. &c. Finis oblectatio fuit, ut hic: vel lucrum & quæstus, ob quem legibus alea prohibita. Sed & in futurorum exploratione *talos* adhibitos, declarat Ἀστραγαλομαντεία appellatio, & locus ejusdem Suetonii *in Tiberio, c.* 14. ubi *in Aponi fontem talos aureos* eum jecisse refert. Vide ad utrumque locum *Animadversiones* If. Casauboni: ut & suprà in voce *Tali*, it. *Monas*.

TALPA, Levit. c. 11. v. 29. חלד *choled*, à verbo *chalad*: quod penetrare & suffodere est: ad id enim videtur nata & instituta, ut in desinenti labore terram subruat & suffodiat, hinc ζῶον γεώρυχον *Hesychio*. Quem in usum rostrum habet acutissimum, & priorum crurum pars anterior ossibus geminis brevissimisque constat, quæ in os humeri statim inseruntur, ut fortiùs sic fodere queant. Eadem de causa priores pedes & digiti non deorsum, sed ad latera, spectant, volamque habent benè latam, & ungues robustissimos, proque corporis modulo longè majores, quàm in reliquis animantibus. Unde est, quòd tam facilè tamque expeditè terram fodiunt, ut fidem id propè superet: quemadmodum rerum nostrarum damnô quotidie experimur; & de integro Thessaliæ oppido testatur Plin. *l.* 8. *c.* 29. Hinc σπάλαξ Græcis idem animalculum vel ἀσπάλαξ, per metathesin ex σκάλοψ, quod vetus fuit *talpæ* nomen, apud Athenienses, ἀπὸ τοῦ σκάλλειν, seu σκαλεύειν, à *fodiendo*: & voce composita σκαλίζω, apud *Hesychium*. Est autem è murium genere *talpa*, ut volunt Arabes, vel saltem muri simile animal, ut habet *Suidas*. In Lege immundis animalibus accensita, cùm neque bisulca sit, neque ruminet. Præterea, dum in terra fodienda jugiter occupatur, typus eorum hominum qui nil nisi terrestria curant, & cœcitate suâ illorum, quorum mentes excæcavit Deus hujus seculi, ne iis oboriatur Evangelii splendor. 2. Corinth. 4. v. 4. Inde & cœcitatis apud Ægyptios hieroglyphicum & ex Græco τυφλὴ vox orta videtur. Si cutem tamen detraxeris, vestigia oculorum conspici, docet Aristoteles, *Hist. Animal. l.* 1. *c.* 9. imò, quantum iis satis est, videre, Gesnerus, apud Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 58. Ad eas proin ut *vespertiliones abjici*, proverbiali Hebræorum locutione, *idola* dicuntur, tanquam in summo contemptu futura, Esaiæ c. 2. v. 20. Ad vestium tamen usum & *stragulorum cubicularium*, ut habet Plinius, inservire, alibi diximus. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 35. de usu verò Magico, cui aptissima Romanis visa *talpa* est, Plinium, *l.* 30. *c.* 3. ubi inter alia: *Peculiare vanitatis sit argumentum, quòd animalium cunctorum talpas maximè mirantur —— Nullis æquè credunt extis: nullum religionis capacius judicant animal* &c. Per metaphoram apud Petrum Tudebodum, *l.* 3. Robertum Monach. *Hierosol. l.* 4. aliosque medii ævi Scriptores, *talpa* vocatur, machina ad suffodiendos muros, sub quo latent, qui cuniculos conficiunt. Gotefridus *Viterb. part.* 27. *Chron.*

Hinc cibus arctatur, fons tollitur inde paratur
Talpa cavans arces, mangonibus injaculatur.

Ἀσπάλαξ itidem Annæ Comnenæ *Alexiad.* Vide quoque suprà, ubi de *Cuniculis*, item in voce *Ericius*. Hinc *Talparii*, cuniculari, qui sub *talpis latent*, apud Monachum Altissiodorens. A.C. 1188. laudatum Car. du Fresne *Glossar*.

TALTHYBIUS, præco in Græcorum exercitu. Homer. *l.* 1. *Iliad.* qui unà cum Eurybate ab Agamemnone missus est, ad Achillis castra, ut Briseidem ab eo abduceret. Ovid. *Ep.* 3. *Heroid. v.* 10.

Eurybati data sum Talthybioque comes.

TALUS, adolescens, sororis Dædali filius, repertâ serpentis maxillâ, parvulum cùm secuisset lignum, imitatum posteà dentium serpentis spissitudinem, serram ferream primus omnium fecit. Reperit etiam tornum, & rotam figuli. Ita cùm pluribus rebus profuisset, magnâ laude celebratus est. Hunc igitur puerum Dædalus, invidiâ motus, existimans turpe, magistrum ab adolescente gloriâ vinci, dolô interfecit. Diodor. *Sic. l.* 5.

TALUS, quid propriè in Animali, notum. His, qui insistunt, πτερνίζοντες Græcis, Latinis *talipedes* dicuntur. Unde *talipedare* apud Auctorem *Miracul. S. Adelardi Abb. Corbej. c.* 8. Et *ipse cœpit vix subsistens quasi ebrius talipedare.* Iis contrarii *attæ*, quasi οἱ ἀτθίζοντες, qui inter ambulandum stare nesciunt, sed semper quasi subsiliunt: quòd necessario evenit iis, qui non ὅλῳ ποδὶ βαδίζουσιν in primos pedes insistunt, de quibus vide Casaubon. *ad Tiberium Suetonii c.* 1. uti de *Talorum lusu* suprà.

TALY, fluv. Ægypti, per Bolbitinum Nili ostium, in mare se exonerans, *Ptolem.* de quo vide Salmas. *ad Solin. p.* 477. & suprà ubi de ostio præfato, nec non in voce *Delta*.

TAMACA, fluv. Portugalliæ, qui & *Tamaga*, Aquiflavienses alluit, in finibus Bracarum, in Durium, inter Lamacum & Portum influens. *Inscr. Vet.* in Aquis Flaviis.

TAMALABATHRA, seu TAMALAPATRA, Indis dicitur Folium Indicum, unde μαλάβαθρον suum Græci formâsse videntur. Salmas. *ad Solin. p.* 1072. Vide suprà ubi de *Folio Indico* & *Malabathro*.

TAMALE, urbs cum portu & promontor. in India extra Gangem, è quo in Auream Chersonesum navigabant, Chryse haud procul, apud *Melam*. *Ptolemæus* tamen spatium, quòd à Tamala ad Chrysin interjacet, mille & octingentis stadiis taxat. Fuit autem *à Cory seu Coliaco promontorio ad Tamalam cursus, deinde à Tamala in Chrysen*, Salmas. *ad Solin. p.* 997. Vide etiam Isaac. Voss. in *Melam*.

TAMARACA, Insula parva, in ora Orientali Brasiliæ, quibusdam *Itamaraca*. Versus oram littoralem ad 10. milliar. extensa, 13. ab Olinda in Boream Circuitus 22. milliar. Ibi oppid Beatæ Mariæ de Conceptione. Hinc *Præfectura Tamaraca*, una ex XIV. Brasiliæ partibus in ora maris Borealis satis parva. Inter Præfecturas Paraibæ in Boream & Pernambuci in Meridiem. Sub Lusitanis.

TAMARE, *Ptolem. Tamerton*, teste Camdenô, oppid. Albionis in Damnoniis, & Cornubia regione inter Exoniam ad Ortum 30. & Bodminum ad Occasum 20. mill. pass. Aliis *Tavestock* esse videtur oppidum ejusdem regionis.

TAMARICA & TAMARIX, arbor inter infelices olim numerata, quòd ne semen quidem ferat, sed tota infrugifera est. Vox è Græco μυρίκη corrupta. Vide suprà, ubi de arboribus *Infelicibus*, nec non in voce *Myrica*, plura verò hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 536. & *seqq.*

TAMARIS, seu TAMARA, *Ptolem. Tamar* vulgò fluv. Hispaniæ in Callaicis, à quo populi *Tamarici*, per quos fluit, mari apud Celticum promontorium exceptus. Hujus fontes habebantur in auguriis, teste Plin. *l.* 4. *c.* 20. *Baudrand. Tambre* hodie, fluv Gallæciæ, qui in Oceanum Atlanticum cadit prope oppidul. *Muros*, 6. leuc. à Celtico promontorio in Meridiem.

TAMARITÆ, populi Asiæ Hyrcanis finitimi. Hi Baccho ex India victori, sacra tempore vindemiæ statuerunt, choreas circum torcularia, mustô despumantia, agentes. *Avien Dionys.*

TAMARUS, mons Epiri, *Strab.* Vide *Tmarus*, & *Tomarus*.

TAMARUS, qui TAMER, vel TAMAR, *Camdeno*, fluv. Albionis, per oram Cornubiæ Australem fluens; *Tamaram* oppid. alluens, marique apud Plymmouthum (Plymouth) oppidum & portum exceptus. Aliis *Tore* dicitur.

TAMASIDAVA, urbs Mœsiæ inferioris *Ptolem.*

TAMASIS, urbs Indiæ intra Gangem, *Idem.*

TAMASSUS, Cypri insulæ urbs, Ταμάσος *Stephano*, ἡ Ταμασσὸς *Straboni*, Ταμασὸς *Ptolem.* Ταμασία *Polybio*, Ταμασία Constantino Porphy-

Porphyrogennetæ *in Them.* *Tamasseum* etiam hanc urbem vocat Plinius, *l.* 5. *c.* 31. apud quem tamen codd. nonnulli antiqui *Tamasum*. Eam innuere videtur Ovidius, *Metam. l.* 10. *v.* 644. *ex emendatione Nicolai Heinsii.*

Est ager, indigenæ Tamasenum nomine dicunt,
Telluris Cypriæ pars optima.

Tamassum, ubi *μέταλλα χαλκοῦ* seu *ἄφθονα*, testibus Strab. *l.* 14. & Stephan. in Ταμασσός, Phœnices condidisse nemo scripsit. Nomen tamen est Syrum, à metallorum fusione. Nam תמסא *temesa* verbum est *liquescere*. At תמס *temes* est Hebræis *liquefactio*, dubitant autem interpretes utrum ad hanc Tamassum, an ad Brutiorum Temesam, ab Ausonibus primùm, dein ab Ætolis Thoantem sequutis, conditam, quæ & ipsa ære abundavit, pertineat illud Homer. *Odyss.* α. *v.* 184.

——— Ἐς Τεμέσην μετὰ χαλκόν.

Nic. Lloydius. Vide *Temesa.*

TAMASTANI, municipium Mauritaniæ Cæsariensis. *Peuting. tabul.*

TAMBRAS, urbs Parthyænorum, *Stephan.*

TAMBURLUM, vide *Tabur.*

TAMERLANES, vel *Temur Lanem*, à suis vocatus *Temir Cuthlu*, i. e. felix, Tartarorum Imperator, formidabilem se seculo 14. reddidit. Filius pastoris, virtute emersit. Dux enim primò paucorum, sæpius cum Persis feliciter conflixit: dehinc majoribus copiis, quæ ad 800000. excreverunt, collectis, brevi tempore Parthos sibi subjecit, superatóque murô Sinicô, varias Indorum provincias, cum Mesopotamia & Ægypto, imperio suo adjecit: trium sic orbis partium domitorem se jactans, tria O. O. O. insignibus suis inseruit. De hoc variè sentiunt auctores, quorum quidam clementiam ejus & ingenium extollunt, alii sævitiam detestantur: Interim certum est, illum Mathematicarum artium non planè rudem, Theologiam quoque Mahometanam percalluisse. Urbem aliquam obsessurus primò die album, secundô rubrum, tertiô atrô colore funestum tentorium erigere solitus est; non aliâ victoriâ magis memorabilis, quàm de Bajazête Turcarum Imperatore reportatâ, prope Angoriam, in Galatia, A. C. 1402. quem cùm victum primò clementer habuisset, ferociâ ejus & superbiâ irritatus, ferreæ caveæ postmodum inclusum circumduxit. Salutavit hic Tamerlanes, per legatos, Carolum VI. Galliæ Regem Obiitque An. circiter, 1406. imperiô, filiorum dissensionibus, miserè discerptô è quorum, posteris hodierni Magni Mogores, in India potentissimi, orti, Petrus Perondinus, *in vita Tamerl.* Chalcond. *Hist. Turc. l.* 3 Bizar. *l.* 9. *Hist. Pers.* Joh. Heroldus, *in Contin. belli sacri*, Monachus S. Dionysii, *in Carolo VI.* P. de Valle, *Itiner. tom.* 3.

TAMESIS, vel THAMESIS, *Ταμίσσα Ptolemæo*, vulgò *Thames* (*Tems* verò pronunciant) fluv. Albionis maximus, Londinum Angliæ regiam interluens, ac à Roffa urbe 5. mill. pass. fluens, mari Britannicô contra portum Iccium urbem Gallicam exceptus. *L. Lloyd.* Oritur in limite Glocestriæ; dein in Ortum per Viltoniam fluens, uti inter Bercheriam & Oxoniensem Comitatum auctus aliquot fluv. Oxonium, ubi nomen suum, à confluxu fluviorum *Tame* & *Isis*, demum accipit, rigat. Hinc Surriam à Midlesexia separans, juxta Londinum labitur: & Essexiam à Cantio dividens, ibi æstuario amplô in Oceanum Germanic. se exonerat, prope Roffam, sed ferè 55. mill. pass. ab Iccio portu in Circium. *Baudrand.* Ei adsident, præter Oxonium & Londinum, Windsora, Greenvicum, Gravesandia, urbes: Ostium est ad Insul. *Sheppey*, quà simul Medweagus *Medwy*, fluv. sed Tamesi minor, in mare effluit. Julius Cæsar, *l.* 5. *de B. Gall. c.* 11. *Cujus* (loquitur de Cassibellauno) *fines a maritimis civitatibus flumen dividit, quod appellatur Tamesis, à mari circiter milia passuum* 80. Et pauló post *c.* 18. *Quod flumen unô omninò locô pedibus, atque hoc ægrè transiri potest.* Ubi vetus Interpres, (quem nonnulli Max. Planudem fuisse volunt) Θάμεσιν vocat. Dioni vero, *l.* 40. Ταμέσας vocatur. Vide Burton. *in Anton. p.* 173. Camdenum, *Histor. Cantii. &c. Nic. Lloydius.* Pauló ante felicem in Britanniam trajectum Wilhelmi III. subitò fisus ita, ut siccum transitum volentibus præberet, augurium mox secuturi memorabilis hujus transitus, à quo Angliæ pendebat salus, faustissimum præbuit.

TAMI ALA, *Lazio Tamberg*, pagus territorii Salisburg. haud procul Salisburgo.

TAMIA, *Ptol.* nunc *Tana* aut *Tayn*, oppid. Rossiæ, in Scotia; seu *Tunge*, ut in *tabulis*, ad oram Boreal. à Torysdala oppido, 12. milliar. in Occasum.

TAMIACA Prædia, *rubr. C. de præd. tamiac.* possessiones erant in Cappadocia, & domus propriæ Patrimonii Principis; sic dictæ, quòd earum reditus deputati essent τῷ Ταμείῳ, i. e. *Cubiculo & Cellario Sacro*, Vide Joh. Cujacium, *Novell.* 50. Alciatum, Alios, Cæterùm Ταμεῖον propriè *cella penuaria* est *penu, horreum, conclave.* In Templis Græcorum locus tabulato inclusus sacer ac venerandus, Clericis tantum, viris secularibus raró, mulieribus nunquam penetrabilis: ἱερὸν Ταμεῖον vocatur, qui aliàs Θυσιαστήριον, ἅγιον βῆμα κτλ. Latinis *Oratorium*, item *Cubiculum*, &c. Suicerus *Thes. Eccl.* voce *ἱερατεῖον*.

TAMIATIS, urbs Ægypti. *Steph. Damiata*; hodie ex primis Ægypti, probè munita & culta.

TAMINGA, urbs provinc. Pechinensis VII. Sinensis versus Guejum fluv. cum lacu adjacente, sub qua 11. urbes, *Martinius.*

TAMISIUS, vide *Tamusius.*

TAMNA, urbs Arabiæ *Steph.* Catabanensium regia. *Strab. Steph.*

TAMNUM, seu TAVIUM, oppid. Segusianorum, quibusdam *Bourg en Bresse*; caput Bressiæ, 4. leuc. à Matiscone in Ortum, uti ab Arari fluv. 10. à Lugduno in Boream cum arce alias munito.

TAMNUM Alterum, *Antonin.* vulgò *Talmont*, ad Garumnam. Oppid. Aquitaniæ, Blavæ proximum, inter Burdigalam 55. & Santones ad Arctos 27. mill. pass.

TAMOME, fluv. regni Mogor, se in Gangem exonerans.

TAMOS, Memphites genere, Tissaphernis primò legatus, postea verò à Cyro fratre regis Persarum, quod illius consilia juvabat, Ioniæ præfectus est. Cyrô autem superatô, cæsôque à fratre, veritus regis iram, liberis, pecuniisque in naves impositis, in Ægyptum ad regem Psammeticum navigavit: quem quia beneficiis coluerat, perfugium sibi futurum sperabat. Sed is pecuniarum, quas advexerat ille, cupiditate illectus, supplicem & benemeritum, contrà jus fasque peremit. Olymp. 95. Diod. Sic. *l.* 14. Thucyd. *l.* 8.

TAMOS, promontor. Eoi vel Indici maris, non longè à Gange, apud Melam, *l.* 3. *c.* 7. ad quem vide If. Vossium.

TAMPIUS, Historicus Romanus memoratur Suetonio *in Vita Julii, c.* 77. *Nec minoris impotentiæ voces propalam edebat, ut* Tampius *scribit*: quemadmodum legi vult Ursinus, ex antiquis *Inscr.* & *Tampia familia* denariis; cùm aliàs T. *Ampius* habeatur. Vide Casaubon. *ad l.*

TAMUDA, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ cum fluv. cognomine, *Tamuda* Melæ, *l.* 1. *c.* 5. *Bedia*, teste *Olivario.*

TAMUGADA, urbs Africæ mediterranea in Mauritaniæ confinio à Lambesa 14. mill. pass. distans.

TAMUL, regnum exiguum Bisnagaris.

TAMULLUMA, urbs Africæ propriæ teste Victore Uticensi. Forsan aliis *Tamannuna* & *Tamannuna*, *in tabulis Peutingerian.*

TAMUSIDA, *Ptol.* urbs Mauritaniæ Tingitanæ mediterranea Fessæ finitima. *Tisteilelt Marmolio.*

TAMUSIGA, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ extra Herculis columnas, in ora Oceani Atlantici. *Ptol. Gazela Moletio.*

TAMUTZ, quartus Hebræorum mensis, jejuniô 25. diei, de quo Zachar. *c.* 8. *v.* 19. memorabilis.

TAMUZUS, sive THAMMUZUS, nomen Idoli, magna in veneratione, apud Judæos Idololatras habiti, de quo Ezech. *c.* 8. *v.* 14. *Et deduxit me ad ostium portæ domus Jehovæ, quæ ad Aquilonarem tractum: ecce autem mulieres sedebant, deflentes Thammuzum.* Adonim interpretatur Hieronymus *Comm.* 3. *in Ezech.* Adonis autem Sol dictus est, ab Hebr. *Adon.* i. e. *Dominus*, idem cum Baale & Molocho, quæ nomina itidem *Dominum* ac *Regem* denotant, Soli apprimè convenientia, qui *Rex* quasi ac *Princeps Planetarum* est. Mensis certè, qui nobis *Junius*, Hebræis *Tamuz* & Solis ingressus in Cancri signum, *Tekupha Tamuz*, i. e. *Revolutio Tamuzi*, dictus est iisdem. Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. l.* 4. *c.* 2. Quô pactô verò Adonidi, quem *Gingram* quoque Phœnices dixêre, in Phœnicia, apud Biblios inprimis, sacra fieri olim fuerint solita, legere est apud Lucianum, *de Dea Syria* Nempe ad repræsentandum Veneris dolorem, ob Adonim ab apro interemptum, totâ regione luctus indicebatur: Tum lacerabant se verberibus, quasi Adonidi parentantes; etiam capita radebant, ὅκως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντος Ἄπιος, *ut Ægyptii faciunt mortuô Ape.* Quod si quæ mulierum formæ studiosiores radi abnuerent, eæ die unô pudorem peregrinis prostituebant, mercedem Veneri oblaturæ. Post luctum die unô repræsentatum, postridie omnes pariter gaudium testabantur, ob vitæ Adonim redditum; de quibus Mulierum planctibus in Adoniis meminit Plut. *in Alcibiade & Nicia*; Indeque Aristophani *in Pace*, Ἀδωνιασμὸς, ὁ ἐπὶ τῷ Ἀδώνιδι θρῆνος, *lamentatio ob Adonidem*, ut *Hesychius* exponit. Et satis verisimile est, Ἀδωνιασμὸν hunc signari, apud Ezech. *l. cit.* Cui simile quid est apud Poëtas, Phaëthontiadum luctus; Nam Phaëthon itidem Sol est. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 4. sub cujus finem monet, non defuisse, qui per Adonidem non Solem intelligerent, sed frumentum, quod parte anni in terra sepultum latet; parte item feliciter germinans se nostris offert obtutibus. Et fortasse inde est, quód in Adoniis frumentum ferebant & hortos faciebant Adonidis, vide Scholiastem Theocriti *ad ejus Idyll.* 15. Idolum hoc oculos habuisse plumbô oppletos, quô vi ignis intus latentis liquefactô, lachrymantis exhibuisse imaginem tradit R. David Kimchi *radic.* Regnâsse in Ægypto *Thamum*, tempore Mercurii Trismegisti, cujus hic scripta compilaverit, tradunt nonnulli; & meminit ejus Plato, è quo antiquissimum illum fuisse constat: non æquè quis ille fuerit. Adamum quidam hôc nomine designari contendunt; Hornius vel ipsum Chamum, unius literulæ mutatione, universæ Ægypto dominatum, Psalmo 105. *v.* 27. vel ipsum Noachum, qui Genes. *c.* 6. *v.* 9. תמים appellatur, quod cognomen ab improbis fortasse, quibus pœnitentiam prædicabat, ei inditum est. *Thoui* Ægyptii meminit Homer. Ὀδυσσ. Δ. *v.* 228. Nec insitatum huic genti nomen *Thamus* fuisse, *Thamnus* ille ostendit in historia Panis demortui, apud Plut. *de def. Orac.* E quibus Orientalibus Sacris Macedonibus fortè *Thammus* pro Marte innotuit, teste *Hesychiô*: Seldenus etiam dubitat, num ejus nomen ad *Tamuzum* seu *Thammuzum* spectet. Philastrius *Thamuz* vocat illum Regem, qui Mosis ætate Ægypto præfuit. Hoc certum *Thammuz* Adonim & Osiridem, unum eundemque fuisse, ut videre est apud Joh. Seldenum, *Syntagm.* 2. *de Diis Syris c.* 11. Unde fortasse & *Thamus* idem, quod *Dominus*. Vide Georg. Hornium, *Histor. Philosoph. l.* 2. *c.* 6. ut & suprà in vocibus *Adonis, Gingras, Osiris* &c.

TAMYNA, urbs Eretriæ. *Strabo.* Hic Jupiter *Tamynæus* colebatur. *Steph.*

TAMYRACE, oppid. Sarmatiæ Europææ olim caput, ad Carcinitem sinum promuntor. cognomine. *Strabo.*

TAMYRAS, fluv. Phœniciæ inter Tyrum & Sidonem, vulgò *Damor. Damyras* Polybio, *l.* 5. *c.* 68. *Nagoras*, vel *Magoras* Plinio, *l.* 5. *c.* 20. & *Leon. Ptolemæo* dici videtur.

TAMYRAS, vide *Thamyras.*

TANAC, sive TANACH, urbs magna & potens, cujus regem occidit Josue, urbem tamen initiô expugnare non potuit, sed expugnatæ

gnavit posteà, est data Levitis. Est villa nunc prægrandis, distans à Legione tribus milibus. In tractu Aser. Judic. c. 1. v. 27.

TANAGRA, *Ptol.* Bœotiæ nobile oppid. *Græa* Homero, teste *Stephanô*, coi *Gephyra*, ut & Oropus ab *Aristotele* dicitur. Hodiè *Anatoria* dicitur *Castaldo*. Ejus meminit Statius, *l.* 7. *Theb. v.* 254.

Mille sagittiferos gelidæ de colle Tanagræ.

Nemo paulo humanior est, inquit vir magnus, Bochart. *l.* 1. *Chanaan. c.* 16. qui non aliquid audiverit de Tanagræis gallis ad certamina natis. De illis ita Varro, *de Re Rust. l.* 3. *c.* 9. *Sine dubio sunt pulchri, & ad certandum inter se maximè idonei.* Plin. *l.* 10. *c.* 21. *Quidam Galli ad bella tantùm & prælia assidua nascuntur, quibus etiam patrias suas nobilitârunt Rhodum ac Tanagram.* Et Pausan. *in Bœoticis*, ubi de Tanagra: Ἔστι δὲ καὶ γένη δύο ἐνταῦθα ἀλεκτρυόνων, οἵ τε μάχιμοι, καὶ οἱ κόσσυφοι καλούμενοι, *Sunt ibi gallorum genera duo, pugnaces, & qui merulæ vocantur.* Columella, *l.* 8. *c.* 2. *Tanagrici plerumque Rhodiis ac Medicis amplitudine pares.* Idem, *Deliaci, quoniam procera corpora & animos ad prælia pertinaces requirebant, præcipuè Tanagricum genus & Rhodium probabant.* Unde est, quod proverbio jactabant veteres: Ἀλεκτρυόνα πάλην τὴν Ταναγραῖον, *Gallum pugilem Tanagræum.* Hi galli Colæphryges dicti sunt, à monte cognomine prope Tanagram, in quo alebantur. *Hesych.* Κολοίφρυξ, Ταναγραῖος ἀλεκτρυὼν καὶ ὄρος Βοιωτίας. Unde Bochartus, *loc. cit.* nomen Phœnicium esse suspicatur. Gallus enim Syris est תרנגל *tarnegal.* Græci autem *L.* finali rejectô, ut in Ἀμίλκα & Ἀσδρούβα, ex *Tarnega* unius literæ trajectione *Tanagram* fecêre. Ita ut urbs Tanagra sit urbs galli, i. e. gallorum. Ad hanc aliquando Cetô ingenti delatô, *Cetus Tanagræus* in Proverb. abiit, apud Athen. *l.* 22. de obeso &c. *Nic. Lloydius.* Vide ubi de *Alectryomachia* seu *Gallorum gallinaceor pugna.*

TANAGRUS, sive TANAGER, *Negro*, teste Celsô Cittadinô, fluv. Lucaniæ aliàs, nunc principatus citerioris, ex Alburno monte apud Picenum oppid. oriens, haud procul à Potentia decurrens, Auletamque opidum alluens, qui in campo Atinate mersus sub terrâ; post 20. mill. pass. emergit. Virgil. *Georg. l.* 3. *v.* 151.

——— *Et sicci ripa Tanagri.*

Baudrando oritur prope lacum Nigrum, in limite Basilicatæ, 12. milliar. à Policastro in Ortum, ad radices Apennini. Dein in Boream tendens, rigatis Atinâ, Auletâ aliisque oppidulis, in Silarum fluv. se exonerat, receptis priùs aliquot fluviis minoribus, & nominatim *la Botta*, qui propè Picernum oritur.

TANAIS Dea, colebatur, ab Armeniis, præcipuè in urbe Arilesina, ubi servos servasque dedicant: nobilissimi etiam filias ei dedicabant, quibus lex erat, ut diu apud deam prostitutæ essent, donec nuptui darentur, nullo renuente talibus conjungi.

TANAIS, nomen proprium viri, Horat. *l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 105.

Est inter Tanaim quiddam socerumque Viselli.

TANAIS, urbs & emporium celebre (maxime pellium) Sarmatiæ, ad ostia Tanais fluv. ab isthmo Tauricæ, ubi Precopensium regia, itinere 5. dierum, seu 30 leucis Germanis distans *Asoph* incolis, teste *Mercatore*. *Azak* Baudrando, urbs emporiumque celebre Tartariæ Precopensis, in limite Moscoviæ; juxta Tanaim fluv. 15. mill. pass. supra ejus ostia, 400. autem à Theodosia in Cæciam Capta fuit à Moscis, verùm recepta à Turcis. Sed nunquam fuit Precopensium regia.

TANAIS, incolis *Don*, fluv. Sarmatiæ Europææ notissimus & maximus, illam ab Asia disterminans, in Moscorum finibus oriens, & in meridiem obliquè decurrens, ac in Mœoticam paludem magnâ vi aquarum influens. *Silis* Scythis dicitur, teste Plinio, *l.* 6. *c.* 7. *Danubius* quoque olim dictus fuit, teste Acrone Horatii Scholiaste. Dixi hunc fluv. Asiam disterminare ab Europa. Diodor. Sic. *l.* 1. Μέχρι Ταναΐδος ποταμοῦ τοῦ διορίζοντος τὴν Εὐρώπην ἀπὸ τῆς Ἀσίας. Incertus auctor *in Pont. Euxin. & Mæotid. palud. periplo*: τὸν δὲ Τάναϊν ποταμὸν, ὅς ἐστι τῆς Ἀσίας ὅρος τέμνων τὴν ἤπειρον ὁμωνύμως δίχα. Lycophron *in Cassandra*,

Λίμνην τε τέμνων ἤπειρον ἀγχιβαθῆ μέσην.

Dionysius, *v.* 14.

Εὐρώπην δ' Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει:
Ὅς ῥά θ' ἱλισσόμενος γαίης διὰ Σαυρομάτιδος
Σύρεται ἐς Σκυθίην τε καὶ ἐς Μαιώτιδα λίμνην.

Et posteà *v.* 661.

Ὅστε καὶ Εὐρώπην ἀποτέμνεται Ἀσίδος αἴης
Ἐς δύσιν Εὐρώπην, ἐς δ' αὐγὰς Ἀσίδα γαῖαν.

Ovidius, *l.* 4. *Ep.* 10. *è Ponto*, *v.* 55.

Quique duas terras, Asiam, Cadmique sororem
Separat, & cursus inter utramque facit.

Hinc ab Horatio *discors* vocatur *l.* 3. *Carm. Od.* 29. *v.* 28.

——— *Tanaisque discors.*

Lucanus, *l.* 3. *v.* 273.

Riphæo Tanais diversi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiæque & terminus idem
Europæ; media dirimens confinia terræ,
Nunc hunc, nunc illum, quà flectitur; ampliat orbem.

Qu. Curtius, *l.* 6. *c.* 2. *Tanais Europam & Asiam medius interfluit.* Mela, *l.* 1. *c.* 1. *Hòc mari & duobus inclytis amnibus Tanai & Nilô in tres partes universum dividitur. Tanais à Septentrione ad meridiem vergens in mediam ferè Mæotida defluit.* Vide eundem, *l.* 4. *c.* 5. Ammian. *l.* 22. *Qui (Tanais) inter Caucaseas oriens rupes per sinuosos labitur circumflexus, Asiamque disterminat ab Europa, & in stagnis Mæoticis delitescit.* Marcianus Heracleota: Καὶ μετὰ τοῦτο ὁ Τάναϊς ποταμὸς, ὅστις τὴν Εὐρώπην ἀπὸ τῆς Ἀσίας ὁμοίως καὶ τῷ Ἀραξεῖ διορίζει μέρος, εἰς τὴν Μαιῶτιν ἐκβάλλων λίμνην. Herodot. *l.* 4. Ὄγδοος δὲ ὁ Τάναϊς ποταμὸς, ὃς ῥέει ἄνωθεν ἐκ λίμνης μεγάλης ὁρμώμενος, ἐκδιδοῖ δὲ ἐς μέζω ἔτι λίμνην καλεομένην Μαιῆτιν, ἣ οὐρίζει Σκύθας τε τοὺς Βασιληίους καὶ Σαυρομάτας. Addenda etiam erant è Plutarcho nonnulla, sed lectorem ad authorem ipsum remittimus (modò Plut. auctor sit) *l. de fluminibus.* Aristoteles *in Meteorologicis* docet, veterum nonnullos credidisse, Tanaim fluv. ex Araxe profluere. Locus est, *l.* 1. Ἐκ μὲν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πλεῖστοι τε ἐκ τοῦ Παρνάσου καλουμένου φαίνονται ῥέοντες ὄρους καὶ μέγιστοι ποταμοί. Τοῦτο δ' ὁμολογεῖται πάντων εἶναι μέγιστον ὄρος τῶν πρὸς τὴν χειμερινήν. Ὑπερβάντι γὰρ τοῦτο ἤδη φαίνεται ἡ ἔξω θάλαττα, ἧς ὁ πέρας οὐ δῆλον τοῖς ἐντεῦθεν. Ἐκ μὲν τούτου ῥέουσιν ἄλλοι τε ποταμοί, καὶ ὁ Βάκτρος, καὶ ὁ Χοάσπης, καὶ ὁ Ἀράξης. Τούτου δὲ Τάναϊς ἀποσχίζεται μέρος ὢν, εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην. Sic scribendus ille locus, Παρνασός; Dionysio & aliis dicitur *Paropanisus*, uti suprà vidimus. Frustrà verò hic Olympiodorus Parnassum in Asia quærit. Ineptè item Orpheus *in Argon.*

Ἔνθεν Ἀράξεω ῥεῦμα μεγαρρείτου ποταμοῖο
Ἐξ ὃ Θερμώδων, Φᾶσις, Τάναϊς τε ῥέουσι.

Nugatur, more suô, poëta ille. Fragmentum Peripli Ponti Eux. & Mæot. pal. à Vossio editum (cui hanc notam debeo) Ἐξίησι δὲ δίστομος ἔχων τὸ εἰσβολήν. Ubi rectè Tanaim δίστομον vocat, ut & alii omnes. Ne fallant Troades Senecæ Tragici, cujus in exordio statim Tanais septem ora habere dicitur:

——— *Columen eversum occidit*
Pollentis Asiæ, cœlitum egregius labor.
Ad cujus arma venit, & qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit;
Et qui renatum primus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto.

Sic legendum ex MS. sed nemo unquam Græcorum tam imperitus fuit, ut Tanaim ἑπτάστομον esse proderet. Error iste solùm est Romanorum. Quod jam Acron, *in Commentario ad Horatium*, videtur subodoratus fuisse. Romani namque solent sæpe confundere Tanain & Istrum. Testis ejus rei etiam Seneca in *Qu. Nat. l.* 6. *c.* 2. *Hinc qui medius inter pacata, & hostilia fluit, Danubius ac Rhenus; alter Sarmaticos impetus cohibens, & Europam Asiamque disterminans: alter Germanos, avidam gentem belli, repellens.* Non sollicitanda est hæc lectio, quod tamen quidam faciant. Danubium etiam Tanaim vocat Tibullus, *l.* 4. *ad Messalam, Epigr.* 1. *v.* 147. cùm inquit:

Quaque Hebrus, Tanaisque Getas rigat, atque Sigynos.

Sic emendandus iste versus: Getæ enim & Sigyni, ad Istrum sunt, non Tanain. Noli audire eos, qui *Mosonos* substituunt: nam immensum quantum ab Istro, & Tanai, distant. Ineptissimi verò, qui *Morinos* cogitârunt; qui tantum absunt,

Quantum Hypanis Veneto distat ab Eridano.

Mirabitur forsan aliquis, quòd auctor fragmenti suprà memorati inquiat, in Bosporum Cimmerium exonerari Tanain; & quòd infrà os Mæotidis paludis idem faciat ac os Tanaidis, cùm tamen tam vastum intersit spatium. Sanè id ipsum quoque innuit Arrianus, in περίπλῳ Ponti: Τάναϊς ποταμὸς λέγεται ὁρίζειν ἀπὸ τῆς Ἀσίας τὴν Εὐρώπην, καὶ ὁρμᾶται μὲν ἀπὸ λίμνης τῆς Μαιώτιδος, ἐκβάλλει δὲ εἰς θάλασσαν τὴν τοῦ Εὐξείνου Πόντου. Quem locum frustra emendare aggressi sunt viri docti. Plutarchus Junior *in l. de Flum.* Criumetopon ad Tanaim collocat: Παράκειται δὲ τῷ Ταναΐδι ὄρος τῇ διαλέκτῳ τῶν ἐγχωρίων [illegible] Βραξάβα, ὅπερ μεθερμηνευόμενόν ἐστι Κριοῦ μέτωπον. Alibi quoque similia occurrunt exempla, ubi urbes Bosporanæ, Tanaiticæ dicuntur. Ratio ejus rei est, quòd Bosporus Cimmerius etiam Tanais appellatus fuerit. Ostendit hoc Procopius, *l.* 4. *de Gothis*: Τάναϊς δὲ καλοῦσι καὶ ἐπιχώριοι [illegible] λίμνης ἀρξάμενον τῆς Μαιώτιδος, ἄχρι ἐς Εὔξεινον Πόντον. Hactenus Is. Voss. *in Melam. Nic. Lloydius. Baudrando* est fluvius Moscoviæ, in Rezan Osera oriens, ex lacu *Jwanowo Iezioro*, i. e. lacus Johannis, qui latus est verstas 500. Primùm rectà per Tartarorum Precopensium agros versus Ortum labitur, & haud longô à Volga intervallô & oppido Sanissa cubitô se flectens, atque aliquot amnibus auctus, in Mœotidem paludem duobus ostiis prope Urbem Tanam, commune olim Europæorum, Asiaticorum, & Tartarorum Nomadum emporium, nunc *Azoph* dictum, munitumque arce & firmô præsidiô Turcarum, se exonerat. Hujus cum Volga conjunctionem tentavit aliquando Chamus Tartarorum, Turcis ita in mare Caspium & Moscoviam aditum aperturus, sed operi jam accinctô Russi cladem gravissimam intulêre, quô factum fuit, ut propositô suô absistere cogeretur. Id tamen postmodum perfecit Sachambejerus Camouz, à quo & *fossa Camouz* dicta fuit, extructis in ea præsidiôque munitis 17. turribus. Vide Fourn. *l.* 12. *c.* 7. Becmannum *Hydrographiæ, &c.* Est & alter Tanais minor qui in Siberiensi Ducatu oriens, unde *Donroz Seversky* dicitur, suprà Tanaim seu Tanam urbem in Tanaim magnum influit.

TANAQUIL, Tarquinii prisci uxor fuit perita, ut vulgò Etrusci, cœlestium prodigiorum mulier. Hæc, cùm aquila, suspensis demissa leniter alis, pileum viri abstulisset, sursusque, velut mini-

sterio divinitus missa, capiti aptè reposuisset, hæc inquam, virum amplexa, alta sperare jussit: id siquidem factum est, ipsis primò Romam ingredientibus, antequam regnaret ipse Tarquinius Priscus. Ponitur & pro quavis uxore viro imperante. Auson. *epist.* 23. *v.* 31.

> ——— *Tanaquil tua nesciat illud.*

Vide Scal. Auson *lect. l.* 2. *c.* 6. Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 565.

> *Consulit ictericæ lento de funere matris*
> *Ante tamen de te Tanaquil tua.* ———

TANARUS, fluv. Lombardiæ Cispadanæ. *Tanaro* Leandro. Corruptum ejus vocabulum legitur apud Ælianum Ταίναρος pro Tanaros, quod inscitiâ librarii factum, cui notius erat extimum Peloponnesi versus Meridiem promontorium hôc nomine, quàm *Tanarus* Italiæ amnis. Locus est, *Hist. Anim. l.* 14. *c.* 29. ubi ὁ ποταμὸς γνώριμος ... dicitur.

TANATIS, Insul. in Oceano Britannico, memoratur Solino, *c.* 22. ubi de Britannia, *At Tanatis insula alluitur fretò Gallicò, à Britanniæ continente æstuariò tenui separata, frumentariis campis felix, & glebâ ubere, nec tantum sibi, verùm & aliis salubris locis: nam cùm ipsa nullô serpatur angue, asportata inde terra quoque gentium invecta sit, angues necat.* Unde *Thanaton*, à morte serpentum dictam, nugatur *Isidorus*. Sed *Tanatis* verum ejus nomen, quâ terminatione & Ἴκτις in illo Oceano, apud *Diodorum*, quæ Οὐηκτὶς *Ptolomæo*, Plinio *Vectis*. Hodiè *Tenet*. Salmas. *ad Solin. d. l.*

TANATIS, Mœsiæ superioris oppid. *Ptol.* apud Danubium ubi Moschium excipit. *Terriana* Nigro.

TANCARDI Villa, vulgò *Tancarville*, ad dextram Sequanæ ripam in Oceanum properantis, à conditore vel possessore suo sic dicta. Forte meliùs *Tancredi Villa*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TANCHELINUS, vel Tandemus, impostor quidam Antverpiæ, A. C. 1125. Moretio fuisse dicitur, à S. Norberto convictus, *in Diction. Histor.*

TANCREDUS, Bononiensis Archidiaconus, quintæ Collectionis Decretalium Auctor, in qua sunt Honorii III. Constitutiones, sub cujus nomine etiam publicari debuit: Prodidit illam A. C. 1227. quò Honorius obiit. Ejus interpres perhibetur Jacobus Albanus Faventinus Episcopus Henrici Ostiensis Præceptor. Quam diu desideratam, neque unquam editam, quia Gregorius Honorii successor de nova editione statim cogitabat, cùm Antonius Augustinus inter suas Collectiones non edidisset, tandem in Bibliotheca Albiensi repertam, Tolosæ A. C. 1645. edidit Innocentius Cironius Academiæ Tolosanæ Cancellarius, & *Notas* addidit doctissimas. Gerh. von Mastricht JCtus *Hist. Juris Eccl. num.* 352. Vide quoque Arthur. Duck *de Auctor. Juris*, *l.* 1. *c.* 7. §. 6.

TANCREDUS de Hauteville, Normanniæ Ducis Roberti vasallus, cùm numerosam haberet familiam, nec pares opes, filiorum duos natu maximos, in Italiam misit, qui, Siciliâ occupatâ, regnum hujus Insulæ ad posteros transmiserunt. Post mortem Guilielmi II. Boni; A. C. 1189. Siciliâ divisâ, *Tancredus*, fil. nothus Rogerii, Apuliæ Ducis, thronum conscendit, trienniô pòst mortuus; filius autem ejus Rogerius, in carcere, oculis orbatus, obiit. Vide *Sicilia*.

TANDAIA, una ex Philippinis: aliter *Achan*. Ad Eurum Manillæ Insulæ à qua separatur Fretô *Manillæ*. Sub Hispan Sæpe *Philippina propria* dicitur, quia primò detecta ab Hispan. Longa, 50. leuc. lata 40. circiter.

TANDRA, Insul. Ponti Euxini, prope ostia Borysthenis. Recens nomen ignoratur.

TANEGAXIMA, Insul. parva Japoniæ, ab Austro Ximoæ Insul. *Briet*io.

TANES, vir Persa ex ducibus Darii.

TANETOS, seu *Toliapis Ptol.* insul. parva Albionis in Anglia in ora Cantii, vix angustô fretó ab eo separata, prope Sandvicum, 15. mill. pass. infrà ostia Tamesis ad Ortum, uti 7. à Cantuaria, vulgò *Tenet*, vel *Thanet*. Dicitur & *Thanatos*.

TANETUS, quod TANNETUM *Anton.* TANITUM *Ptol.* oppid. olim nunc pagus Æmiliæ in agro Regiensi, apud Niciam fluv. inter Regium Lepidi 9. & Parmam 6. mill. pass. *Taneta* P. Diacono.

TANFANÆ Templum, *Benthemerberg*, teste *Geo Brunô*, locus German. in Westphaliæ & Frisiæ confinio apud veteres Marsos & Sabos, ubi Benthema oppid. & Comitatus à veteribus Saliis vix milliari Germanicô in ortum distans.

TANFELDIA Elisabetha, vide *ibi*.

TANGATANGA, i. e. *in tribus Unus, & in uno Trinus*, Numen Peruvianorum, cujus effigiem Chuquisacæ se vidisse, testatur Jo. Hugo Linschotanus *Hist. Ind. Occident.* Vide Tob. Pfannerum *Systhem. Theol. Gentil. purior. c.* 3. *de Deo Trino*, §. 3.

TANGENDI lanuginem, per blanditias, mos memoratur Suetonio *in Nerone*, *c.* 34. *Quam* (amitam suam) *cùm ex duritia alvi cubantem visitaret: & illa tractans lanuginem ejus, ut assolet jam grandis natu* &c. Sed & mentum, dextram, vel genua *tangebant* supplices, ut suô locô vidimus. De *sceptrum tangendi* ritu apud Persas usitato, res è Sacris notissima: de more *terram tangendi*, vide infra *Terra*; *vestes*, quod timidiores faciunt, honoratiorem aliquem compellaturi, suprà *Lacina*, infrà *Vestis*. Tralatitia phrasis apud Poëtas est, *tangere Divos*, vel *Cœlum*, summam felicitatem inferens. Statius, *Thebaid. l.* 3. *v.* 155.

> *Vos, uteri fortuna mei, quâ tangere Divos*
> *Rebar* ———

Ausonius,

> *Tunc ero bis Consul, tunc tangam vertice cœlum.*

Seneca *Thyeste*, *Actu* 5. *v.* 885.

> *Æqualis astris gradior, & cunctos super*
> *Altum superbo vertice attingens polum* &c.

Quam in rem vide plura apud Casp. Barthium, *Animadv. ad Statium d. l.* De *tactu* rerum sacrarum alibi. Apud Judæos verò, non tantum esui immunda erant animalia quædam, sed & ipso *contactu* nonnullis, licèt non adeò certò, immunda alia fuisse videntur, ut *sus* &c. præcipuè verò contaminabant mortua, sive immunda, sive munda fuissent. Et quidem immunda animalia, ex quorum contactu immunditiem contrahebatur, enumerantur Levit. *c.* 11. *v.* 24. 27. quibus adduntur octo reptilium species, *versibus* 3. *seqq.* quin imò contaminabatur omnis res, quæ tale cadaver *tetigisset*, *v.* 32. & 33. munda verò tacta contaminabant, si morticina essent i. e. suâ sponte, nullâ vi extincta, vel suffocata, absque amissione sanguinis. At ipsius hominis cadavere nihil erat contagiosius, quippe quod ex sola præsentia, non tantùm ex contactu omnem inficiebat, qui eodem in loco erat, Numeror. *c.* 19. *v.* 14. ut suprà vidimus, ubi de *Immunditie Legali*, *Morticino* &c. Hinc nec accedere quidem ad mortui cadaver unquam Pontifici licuit, ne ceremonias contaminaret; quoniam in mortem imperium penes Vet. Testam. Sacerdotium non erat, in CHRISTO solo, cujus is typus erat, quatenus qui sine pollutionis metu mortuos *tangebat*, cùm solò attactu vitam illis dare posset. Idem verò & Nazaræis interdictum, qui proin, quoties mortui vel morticini attactu polluerentur, votum redintegrare & de novo Nazireatus tempus implere necesse habebant, Numeror. *c.* 6. *v.* 9. 10. qua de re vide Franc. Burmannum, *Synopsi Theol. Christ. Part. prior. l.* 4. *c.* 10. §. 5. uti de arrogantia Novatianorum aliorumque, *tangi* ab aliis indignantium, suprà *Noli me* &c. plura verò de verbo *tangere* infrà *Taxare*.

TANGERMUNDA, oppid. veteris Marchiæ Brandeburgens. ad Albim, ubi recipit amnem *Tanger*, 7. leuc. infrà Magdeburgum in Boream, Havelbergam versus. Aliàs munitum, & pluries vastatum ultimô bellô Germanicô.

TANGMARUS, Presbyter Ecclesiæ Hildesheimensis, in Saxonia, floruit seculô 11. Scripsit vitam Bernwardi Episcopi cujus præceptor fuerat, ab illo in Italiam deductus, Brouverius, aliique ediderunt. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 43.

TANGROPOLINICES Mucaletus, sub quo initia Turcicæ potentiæ jacta sunt, à Mahomete Persidis Sultano contra Calipham evocatis Turcis; quibus cùm reditum parantibus Mahometes intercluderet, ab iis desperabundis regnô vitâque exutus est, A. C. 1037.

TANGUM, oppid. Niphoniæ, in parte Boreali Jamasotiæ regionis cum tractu cognomine. *Briet. Tango.*

TANGUTUM, regnum in parte Meridionali Tartariæ veræ, versus Sinas. Aliter *Tanìu* & *Bagbargar*; Ejus caput *Tangu*, dicitur etiam *Campion* & *Tanìu*, *G. Sansoni*; Eratque aliàs ibi Sericæ regionis pars Australis.

TANGUUM, regnum Indiæ ulterioris juxta Menanum fluvium, cum Urbe primaria cognomine aliàs sub Rege Peguano.

TANIAORIUM, urbs Coromandeliæ, aliàs sub Rege Bisnagaris, nunc sub proprio Principe, cum tractu adjacente, 60. milliar. ab ora Coromandelis & à Franquebaria in Occasum Princeps *Naique de Taniaor* dicitur, clientelaris Regis Bisnagaris; & ei subest Negapatanum.

TANIAXARCES, vide *Smerdis*.

TANIS, unde *Tanitis præfectura* Plinio, *l.* 5. *c.* 9. *Taphnis* Ezechieli, *c.* 30. *v.* 18. urbs Ægypti inferioris apud ostium Taniticum, à Gigantibus condita & nominata teste *Isidorô*, ac Pharaonis quondam regia, ubi Moyses tot edidit signa. *Tanes* adhuc dicta, teste *Nigrô*, urbs quondam magna, *Stephanô* authore, & metropolis inferioris Ægypti sub Pastoribus, qui ibi sedem suam habuerunt, cùm anteà Heliopolis illius regni fuisset caput: unde illi Τανῖται βασιλεῖς *Tanitæ Reges*, ab hac urbe, Syncello dicuntur, *p.* 103. quos in Ægypto regnâsse annos 511. à Salate primo Rege, usque ad Zet ultimum, suprà vidimus. Mentio fit urbis Psalmo 78. *v.* 12. *Deus mirabilia fecerat in terra Ægypti in campo Taneos*, tempore videl. Mosis, ut jam indigitavimus: id quod factum est sub *Tanitarum* Rege IV. Aphophe, de quo suô locô. Nimirum Ægyptus ita propriè dicta, & à Thebaide distincta, in 2. partes divisa fuit, una *Superior Ægyptus*, Thebaidi contermina, cujus caput Memphis; altera *Inferior* dicta, Judææ, propior, cujus metropolis Pastorum tempore erat *Tanis*: atque in hac Israëlitæ degebant. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron.*

TANITICUM Ostium, *Saiticum Strab. Tanicum* Pomponio, unum ex 7. Nili ostiis inter Pelusiacum ad ortum & Mendesium ad occasum, *Calixene*, teste *Bonacciolô* cum aliis: per quod Osiris olim arcâ inclusus in mare dejectus est, Plut. *in Isid.*

TANNETUS, locus Campaniæ, ubi Buccilinus à Narsete superatus. P. Diaconus, *l.* 2. *de gestis Longob.* Legitur & *Tannetum* & *Tanetum*.

TANOS, urbs Cretæ. Gentile *Tanius Steph.*

TANTÆUS, Assyriorum Rex, A. M. 2881. post *Tautanem*, qui regnaverat ann. 32. Obiit Ann. 1920. *Thinæô* successore. Euseb. *in Chron.*

TANTALIS & TANTALI *stagnum*, in Lydia. Plin. *l.* 5. *c.* 29. Vid *Sypilus*.

TANTALUS, Jovis & Nymphæ Plotæ fil. teste Eusebiô, *l.* 2. *Præp. Evang.* cùm tamen Jo. Diaconus & Didymus Jovis & Plutus Nymphæ filium fuisse arbitrentur: quem Tzetzes *hist.* 10. *chil.* 5. prædictâ quidem matre genitum, ac patre Imolo Lydiæ rege scribit. Lucianus *in Dipsadibus*, Æthonis filium facit, uti testantur carmina sequentia:

> Τοῖον παιδὸς ἐμοὶ καὶ Τάνταλος Αἴθωνος υἱὸς
> [illegible]

Fuerunt qui dixerint, Deos aliquando in hospitium ab hoc fuisse acceptos, qui cùm lautum convivium illis paràsset, Pelopem fil. cæsum inter cæteras epulas apposuit. Id cum Dii cæteri cognovissent,

vissent, ab iis epulis abstinuerunt, præter unam Cererem, quæ ob raptæ filiæ dolorem pene desipiens inconsultò humerum edit. Tum Dii reliqui ejus filii miserti, eum rursus jecerunt in lebetem, ac recoctum vitæ restituerunt, teste Pindarô. Cùm verò illi deesset humerus, Dii eburneum fecisse dicuntur: qui humerus omnium postmodo Pelopidarum signum fuit, ut Spartis pilum, sicuti testatur *Isacius*. Verùm, quia deorum Epulas humanâ cæde contamināsset, perpetuô epularum desideriô ad inferos adductus est, qui tamen præsentes lautissimô regióque apparatu semper habet epulas, quas nullô pactô potest attingere, quamvis is insatiabili fame excrucietur. Homer. *Odyss.* λ. v. 581. ait, Tantalum apud inferos perpetuâ siti vexari, & in aquâ esse pepetuò, quæ usque ad mentum assurgit: sed quoties labris attingere conatur, illa statim refugit: quod ipsum faciunt varia fructuum genera, quorum desideriô semper discruciatur, ut est *in his*,

> Καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα,
> Ἑστεῶτ' ἐν λίμνῃ, ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ·
> Στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι,
> Ὁσσάκι γὰρ κύψει' ὁ γέρων πιέειν μενεαίνων,
> Τοσσάχ' ὕδωρ ἀπολέσκετ' ἀναβροχέν, ἀμφὶ δὲ ποσσὶ
> Γαῖα μέλαινα φάνεσκε, καταζήνασκε δὲ δαίμων.
> Δένδρεα δ' ὑψιπέτηλα κατὰ κρῆθεν χέε καρπὸν,
> Ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ, καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι,
> Συκαῖ τε γλυκεραὶ, καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι
> Τῶν ὁπότ' ἰθύσει' ὁ γέρων ἐπὶ χερσὶ μάσασθαι,
> Τὰς δ' ἄνεμος ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα.

Alii putârunt, lapidem illius capiti imminere, qui quoties bibere conaretur, toties illius caput perceuteret. Cicer. *l.* 4. *Tusc. Qu. c.* 16. *Poetæ impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt ob scelera, animique impotentiam & superbiloquentiam.* Euripides, *in Oreste*:

> Διὸς πεφυκὼς (ὡς λέγουσι) Τάνταλος,
> Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον
> Ἀέρι ποτᾶται, καὶ τίνει ταύτην δίκην·
> Ὡς μὲν λέγουσιν, ὅτι θεοῖς ἄνθρωπος ὢν
> Κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον
> Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.

Ovid. *l.* 2. *El.* 2. *v.* 53.

> *Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat*
> *Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.*

Tibullus, *l.* 1. *Eleg.* 3. *v.* 77.

> *Tantalus est illic, & circum stagna, sed acrem*
> *Jam jam poturo deserit unda sitim.*

Cornelius Gallus:

> Οὗτος ὁ πρὶν μακάρεσσι συνέστιος, οὗτος ὁ νηδὺν
> Πολλάκις ἐμπλήσας νέκταρος ἀμβροσίου,
> Νῦν λιβάδος θνητῆς ἱμείρεται, ἡ φθονερὴ δὲ
> Κρᾶσις ἀεὶ χείλευς ἐστὶ ταπεινοτέρη.
> Πῖνε λέγει τὸ τόρευμα, καὶ ὄργια μάνθανε σιγᾶν,
> Οἱ γλώσσῃ προπετεῖς τοῖα κολαζόμεθα.

Alii, ut Tzetzes ac Didymus, putârunt hanc pœnam irrogatam Tantalo, quia nectar & ambrosiam suis æqualibus impertiverit. Pindarus, *Olympion. Od.* 1.

> Μετὰ τριῶν τέταρτον
> Πόνον, ἀθανάτων ὅτι κλέψαις
> Ἁλίκεσσι συμπόταις
> Νέκταρ, ἀμβροσίαν τε δῶκεν.

Propert. *l.* 2. *El.* 1. *v.* 65.

> *Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus*
> *Tantalea poterit tradere poma manu.*

Idem *Eleg.* 17. *ejusdem libri, v.* 5.

> *Vel tu Tantaleâ moveare ad flumina sorte,*

Idem, *l.* 4. *El.* 12. *v.* 24.

> *Fallax Tantaleo corripiare liquor.*

Ovid. *Amor. l.* 3. *El.* 7. *v.* 51.

> *Sic aret mediis facilus vulgator in undis,*
> *Pomaque quæ nullo tempore tangat, habet.*

Claudianus:

> *Non aqua Tantaliciis subducitur invida curis.*

Seneca, *in Thyeste*: *Actu* 1. *v.* 152.

> *Stat lusus vacuô gutture Tantalus,*
> *Impendet capiti plurima noxio,*
> *Phineis avibus prædo fugacior, &c.*

Idem, *in Herc. Fur. Actu* 3. *v.* 752.

> *In amne medio faucibus siccis senex*
> *Sectatur undas, abluit mentum senex:*
> *Fidemque cùm jam sæpe decepto dedit,*
> *Perit unda in ore: poma destituunt famem.*

Hujus meminit Statius, *l.* 1. *Theb. v.* 246. licèt pœnam non addit,

> ——— *Neque enim arcano de pectore fallax*
> *Tantalus, & sævæ periit injuria cœnæ.*

Tantali fabulam de divitibus avaris interpretatur Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 69.

> *Tantalus à labris sitiens fugientia captat*
> *Flumina; quid rides? mutatô nomine de te*
> *Fabula narratur.* ———

Petronius Arbiter.

> *Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit*
> *Tantalus infelix, quem sua vota premunt.*
> *Divitis hæc magni facies erit, omnia latè*
> *Qui tenet, & siccô concoquit ore famem.*

At Cicero curas & timores inanes videtur putâsse à mentibus hominum, per hanc fabulam, expellendos. Quod etiam sensit Lucretius *in his carminibus, l.* 3. *v.* 994.

> *Nec miser impendens magnum timet aëre saxum*
> *Tantalus, ut perhibent, cassâ formidine torpens:*
> *Sed magis in vita Divûm metus urget inanis*
> *Mortales, casumque timent, quem cuique ferat sors.*

Nic. Lloydius. Cæterùm, Jupiter Phrygius hic fuit, Ganymedis raptor. Eusebius, *ad ann.* 42. *Aod seu Ehud Judicis Israel. Ob raptum Ganymedis Tros, pater Ganymedis & Tantalo, bellum exortum est, ut Phanocles Poëta scribit. Frustra igitur Jovis fabula & raptrix aquila confugitur.* Phryges nempe & Paphlagonas texit, raptôque flagitiosissimo Trojani Regis filiô, bellum id conflavit, uti Orosius de eodem Jove refert, *l.* 1. *c.* 12. Vide quoque Herodianum *in Commodo*, & hanc in rem plura, apud Ger. Jo. Vossium, *de Idol. l.* 1. *c.* 15. Ex eadem fabula, de pœna *Tantali* apud inferos colligit Epiphanius, non animam solum, sed & corpus impiorum, cruciatum iri in inferno, Gentilibus quoque non penitus ignotum fuisse, *in Ancorato p.* 577. Hinc appellationem accepit *Tantali Poculum*, in *Musæo* Kircheriano Romæ. Scyphus est, supernè in hemicyclum arcuatus, totôque ore patulus, intra cujus latentes anfractus purpureus vini Falerni latex captivus hæret, adeò ut credas scyphum ad summa labra repletum, qui tamen inversus ne guttulam quidem remittit. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jesu Musæo p.* 14.

TANTALUS, mons Lesbi, à *Tantalo* dictus. *Steph.* Item oppid. Lydiæ, in Cariæ confinio apud Mæandrum, inter illum & Sipylum montem. *Nicet. Tausanle Leunel.*

TANUS, fluv. Peloponnesi per Argiam fluens. Pausan. *l.* 3. *Tanaus* Euripidi dictus, agrum Argivorum à Spartano dividens. Item Siciliæ mons, teste *Fazellô*.

TANUSIUS Geminus, Historiæ scriptor ignobilis, Ciceroni familiaris, qui inter alia scripsit *de conjuratione Cæsaris cum Crasso, P. Sulla & P. Antronio.* Senecæ, *Ep.* 93. vocatur *Tanusius*, nisi fortè rectiùs ex Suet. *Cæs. c.* 9. corrigendus Seneca, nam & *Plut.* dicitur Τανύσιος. A' Cicerone impensè commendatur. *Nic. Lloyd.*

TAOCA, Persidis urbs *Ptol.* quam *Thevetus Thanat* vocari ait. Populi *Taoci.* Dionysius, *v.* 1060.

> Πρὸς Σάβας, μετόπισθε Πασαργάδαι, ἄγχι Ταωκοί.

Ubi vulgò ἄγχι δὲ Ταοκοί. Atqui cùm *Tascorum* alibi non fiat mentio, *Salmasio* libens assentior, qui Ταοκοὺς pro Ταώκας in auctore aliquo malè exarato Dionysium legisse arbitratur. In maritima enim Persidis ora, non longè à Pasargadis, *Taocene* regio, ubi *Taoce* urbs cum promuntor. cognomine à *Ptol.* statuitur, cujus quoque meminêre tum *Arrianus*, tum Strabo, *l.* 15. urbem regiam nominans: Ubi enim in editis libris est ἐν τῇ ... καὶ τὴν Ὦκαν λεγομένην, pro τὴν Ὦκαν Ταόκην legendum esse monent *Casaubon.* & *Salmas. Montaurs.* Idem *Lloydius*.

TAPABORDUM, Gallis *Tapabord*, Anglicum bardocuculli nautici genus, quô in obsidione Rupellana milites usos, refert *in Dictionar. Gall.* Richelietus.

TAPÆ, Daciæ oppid. sub Decebalo, *Xiphilin.*

TAPAISA, fluv. amplus Americæ meridionalis. Oritur in limite Brasiliæ, & post longum decursum in flum. Amazonum se exonerat, in Guajana regione & in Tapaisa provinc. *P. Texeira.*

TAPANITÆ, populi Lybiæ inferioris, infrà Nasamones siti, apud *Ptolem.* quos pro *Tabatis* populis malè Virum Eruditum accepisse, docet Salmas. *ad Solin. p.* 1019. Vide quoque suprà, ubi de *Tabatis*.

TAPARA, emporium ad Sinum Arabicum inter Avalitem & Malao emporia, in Arriani *Periplo*, *Taphara* fortè *Niceph. Callisti.*

TAPE, urbs Hyrcaniæ regia fuit, apud oram maris Caspii à portis Caspiis in ortum stadiis 1400. distans. *Strabo.*

TAPETES, Græc. Τάπητες, *Ammonio* οἱ ἐκ τοῦ ἑτέρου μέρους μαλλοὺς ἔχοντες, sicut Ἀμφιτάπητες οἱ ἐξ ἀμφοτέρων; ubi μαλλοὺς pro molli villo, sive pilorum mollitie posuit: idem fuêre cum Gausapis, sicut Amphitapetes cum Amphimallis. Nempe *Tapetes* ex una parte villos habebant, Amphitapetes utrinque. Unde *Amphitapas vestes*, teste *Nonio* Latini dixêre, apud Octav. Ferrarium, *de Re Vestiar. Part.* 2. *l.* 1. *c.* 14. Pensilibus *Tapetibus*, in Theatro olim Tragico, palatia Regum cernebantur obducta, partim ut Regiarum ædium verâ species exhiberetur, quas etiam Heroicis temporibus, *Tapetibus* insterni fuisse solitas, ex Homero discimus. Primus verò illorum usus fuit, ut pedibus substernerentur, unde Tapeta, quasi *Tapedia*, Isidor. *l.* 19. *c.* 26. aliis Τάπης, quasi πάτης, παρὰ τοῦ πατεῖσθαι, quod *calcaretur*, nonnullis δάπις, ex δάπεδον. Posteà & lectis cubitoriis insternebantur, Curtius, *l.* 8. *c.* 5. *Cum post aulæa, quæ lectis obducebantur, staret Rex.* Jul. Pollux, *l.* 6. *c.* 1. *Amphitapetia*

& *Tapetia*, in ornatu convivantium, reponit. Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 325.

> ——— *Qui fortè* Tapetibus *altis*
> *Extructus.*

M. Varro *in Hercule Socratico*,

> *In omnibus rebus bonis quotidianis*
> *Cubo in Sardianis* Tapetibus.

Et in quocunque lautioris convivii apparatu parietes totos velabant: ut de Adrasti magnificis epulis, quibus Polynicem & Tydeum acceperat, habet Statius, *Theb. l.* 1. *v.* 518.

> ——— *Pars ostro tenues, auroque sonantes*
> *Emunire thoros, aliosque inferre* Tapetas &c.

Ad quem sensum Bacchylides, apud Athenæum *l.* 11. *c.* 1. *οὐ βοῶν πάρεστι σώματα, οὔτε χρυσὸς, οὔτε πορφύρεοι τάπητες, ἀλλὰ θυμὸς εὐμενὴς, Μοῦσά τε γλυκεῖα*, *Non adsunt boum corpora, neque purpurei tapetes, sed animus benevolus Musaque dulcis.* Corippus ad Spectacula Scenica, ut dictum, eos Byzantii adhibitos fuisse, insinuat, *l.* 2. *num.* 8. & *l.* 4. *num.* 2. Quia autem eorum in Assyria præcipuus honor primaque ferè peristromatum hujusmodi inventio, hinc *Babylonica* vocata sunt, Plin. *l.* 8. *c.* 48. quibus diversicolores effigies intexi consuevisse animalium Heroumque priscorum, docuit Ægidius Maserius *ad Val. Flacc. l.* 1. *v.* 147.

> ——— *Acclinisque* Tapetis
> *In mediis vacuo condit caput Hippasus auro.*

Vide quæ suprà diximus, de *Peristromatis*. Meminit *Tapetum fucô ebriorum*, apud Aulum Gellium, *l.* 20. *c.* 9. C. Mattius *in Mimiambis*,

> *Jam tonsiles* Tapetes *ebrii fucô,*
> *Quos concha purpura imbuens venenavit.*

In quæ verba eruditissimas vide *Notas* Jac. Oiselii JCti. Vide quoque in *Vilum*, uti de more *tapetibus insidendi* Turcarum, Persarum aliarumque in Oriente gentium, P. de Valle *Itiner.* Apud veterem Poëtam, d. l. *Tapetes tonsiles* sunt brevibus ac tonsis villis, *ἀκρόμαλλοι* Græcis, Salmasio *ad Solin. p.* 1000.

TAPHÆ, locus Ægypti, in Occidentali Nili latere, memoratus in *Itinerario* Antonini, de quo vide Salmas. *ad eundem, p.* 438.

TAPHETH, Solomonis filia. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 11.

TAPHI, fluv. regni Mogor, Urbem *Cirare* præterlabens.

TAPHIÆ, insulæ maris Ionii, quas prope Echinadas Strabo, *l.* 10. ponit, quarum caput *Taphus.* Inter Achajam seu inter fauces sinus Corinthiaci ad Ortum & Leucadiam ad Occasum. Iis Taphii ac Teleboæ imperârunt, de quibus hujuscemodi repetit originem Scholiastes *Apollonii.* Perseo ex Andromeda, ut narrat Herodotus 4. fuêre filii, Alarus, Sthenelus, Nestor & Electryon, qui simul regnaverunt. Ex Hippothoë Nestoris filiâ & Neptunô Pterelas genitus est, ex eo Telebos & Taphus, à quo *Taphus* insul. in qua Teleboæ ac Taphii communi nomine, & imperiô fuêre. Igitur ii Hippothoës eorum aviæ pecuniam ab Electryone eorum necessario, qui pro ea respondit, repetebant; quâ negatâ ad arma venêre, armenta abegerunt, ipsum denique ac filios sustulêre. Alcmena verò Electryonis filia patrem ultura, Amphitryonem Thebanum, hominum potentissimum, in matrimonium accepit, atque hôc pactô, bellô inter eos conflatô, ab eodem Amphitryone deleti sunt, eorumque regnum Cephalo profugo Atheniensi, qui exercitui præerat, donatum est, quod ad Ulyssem successione pervenit, Hæc ille, *Taphiorum* nomen deducit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan, c.* 23. per aphæresin ab חתף *hataph*, i. e. à *rapiendo.* Erat enim gens latrociniis admodum dedita Homer. *Odyss.* O. *v.* 426.

> Ἀλλά μ' ἀνήρπαξαν Τάφιοι ληΐστορες ἄνδρες.

Idem, *Odyss.* Π. *v.* 426.

> Οὕνεκα ληϊστῆρσιν ἐπισπόμενος Ταφίοισιν.

Apollonius, *l.* 1. *Argon. v.* 749.

> ——— Ἀλλ' ἄρ' οἵγ' ἐθέλοντες ἀμείρειν
> Ληϊσταὶ Τάφιοι. ———

Nic. Lloydius.

TAPHII, populi Scythiæ Europææ ad ultimum recessum Carcinitis Sinus habitabant. *Strab.* Fortè *Taphræ* Plin. *l.* 4. *c.* 12. quod rectius.

TAPHIUS, mons Locrorum Ozolorum, in confiniis Ætoliæ, ubi Nessus, quem Hercules occidit, conditus, *Antigonô* teste. *Taphiassus Strab.* & Plin. *l.* 4. *c.* 2. apud Calydonem urbem.

TAPHIUSA, locus juxta Leucadem, in quo *Taphiusius* lapis nascitur. Plin. *l.* 36. *c.* 21.

TAPHIUSSA, urbs Cephalleniæ, quondam *Taphos* appellata. Cives *Taphii*, vel *Taphiussei. Steph.*

TAPHNE, uxor Pharaonis regis Ægypti. 1. Reg. *c.* 11. *v.* 19.

TAPHNIS, civitas Ægypti, munitissima, capta à Johanne Brenna, cum Damiata A.C. 1219. Blondus *dec.* 2. *l.* 7. Populi *Taphnxi.* Vide *Tanis.*

TAPHRA, quæ *Taphrura Ptol.* Africæ minoris urbs. *Fachs Moletio*, & *Oleario*, inter Usillam ad occasum, & Theænas ad ortum à Carthagine 300. mill. pass.

TAPHRÆ, seu *Taphros Ptol. Precop.* vel *Przecop.* Mercatori, aliis *Mancup*, urbs Tauricæ Chersonesi in Isthmo, regia Tartarorum Precopensium, à Tanais ostiô 30. milliar. Germanica in Austrum Axiacam, sive (ut nunc vocant) Oczacoviam versus, 14. à Bosporo Cimmerio 260. mill. pass. in occasum teste Plin. *l.* 4. *c.* 12. quanta est Tauricæ longitudo. Auspiciis Trajani Imperatoris capta fuit, teste *Horô*, qui eâ tempestate vixit. *Taphræ Stephano* dicitur, à servis, qui, dominis cum Thracibus bellum gerentibus, se eorum uxoribus commiscuerant, habitata. Fortè & *Neapolis*, *Baudr.* hodie *Precop.* 110. mill. pass. à Theodosia in Boream, 140. à Bosphoro Cimmerio in Occasum uti 380. à Tanais ostio. Parva, sed cum castro munito, inter Carcinitem Sinum ad Occasum & Bugem lacum ad Ortum. Or Tartaris, *Perecop* Polon. Hinc Tartaria minor *Precopensis.*

TAPHRON, Arabiæ Felicis urbs apud *Marcellinum.*

TAPHROS, quod *Fretum Etruscum* Melæ, *Fretum Gallicum* Antonino, *Sinus Sardonius* Eustathio, mare quod inter Sardiniam & Corsicam intercedit. Hodiè *le Bocche di Bonifacio.* Latum 6. mill. pass. inter Corsicam ad Boream & Sardiniam ad Austrum. Vide *Fretum* Taphros.

TAPHSAR, nomen regionis. Jerem. *c.* 51. *v.* 27.

TAPHUA, villa, terminus Palæstinæ ad Ægyptum. Item alia in tribu Manasse Jos. *c.* 12. *v.* 17. & *c.* 15. *v.* 34. data filiabus Salphaad. Jos. *c.* 17. *v.* 7. Filius Hebron. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 43.

TAPHUS, vide *Taphiussa.*

TAPIACHIA, oppid. Prussiæ Ducalis cum arce, ad influxum *Deme* fluv. in Pregelam, aliàs *Sugurbi.* Ibi obiit Albertus Brandeb. Prussiæ Dux primus, 30. Mart. A.C. 1568. 5. milliar. Germ. à Regio monte in Ortum, 4. à Curonio Sinu in Occasum.

TAPIÆUS Mons, *Monte Ansidiano* A. *Resendio*, mons Lusitaniæ, inter Thomariam & Conimbricam, in quo Ansidianum oppid.

TAPIUS fluv. Oritur in limite Brasiliæ & post longum cursum in fluv. Amazonum abit. *P. Texeira.*

TAPOSIRIS, TAPHOSIRIS, *Plut.* & *Apulejo*, oppid. Ægypti parvum, inter Alexandriam & Canopum, ubi Osiridis templum erat.

TAPROBANE, ZEILAN, teste *Jo. Barriô* cum *Varrerio*, insul. magna maris Indici intra Gangem contra Cory promontor. (non *Sumatra*, ut *Mercator* ait, longè in ortum distans, cùm *Ptol.* illam apud Cory promontor. Indiæ citerioris describat) cujus ambitus 2000. mill. pass. esse traditur. Lucet ibi Canopus, sidus clarum & amplissimum. Homines corporum magnitudine alios antecellunt, cæruleis oculis, atroci visu, terrificô sonô vocis. Montem habent *Pico d'Adam* celsissimum, in quo Adamus conditus creditur, ejusque vestigia rupi impressa & sacellô jam tecta, ostendi solent. Incolæ plurimi ad extremam senectutem perveniunt, ultra 100. annos vitam extendentes, cujus causam *Saarius* in masticatione certæ alicujus radicis, alii melius in aromatico odore, quô Insula donata est, sitam putant. Nascuntur in ea berylli & hyacinthi, ut Ptol. refert *l.* 6. Item aurum & argentum, & marmor testudini simile; præterea gemmæ & margaritæ præcipuæ bonitatis, majores, quàm in India, teste Capellâ) inprimis apud Palægones populos sicuti apud Perimulam, & alia Indiæ loca: sed laudatissimæ in Tyla, insula sinus Persici, teste Pliniô, *l.* 9. *c.* 35. sunt. Apud eos annona nunquam augetur, neque sunt fora, aut lites. Herculem colunt. Populus regem eligit, senectâ, clementiâque venerandum, & liberos non habentem. Et si posteà gignit, abdicant, ne fiat hæreditarium regnum. Dionysius, *v.* 591.

> Κεῖθεν δὲ στραφθεὶς, νοτίας παράσιθε κολώνας,
> Ἀψ ἄγε Κωλιάδος μεγάλην ἐπὶ νῆσον ἱκέσθαι,
> Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων·
> Αὐτὴ δ' ἀργινόεσσα μέγεθος πέλει.

Hæc insula olim Σιμούνδου (vel πάλαι Σιμούνδου) dicta est, teste *Ptol.* ipsius verò ætate Σαλικὴ & ejus incolæ Σάλαι. Sic enim ille: Ταπροβάνης, ἥτις ἐκαλεῖτο πάλαι Σιμούνδου, νῦν δὲ Σαλικῆς, καὶ οἱ κατέχοντες αὐτὴν κοινῶς Σάλαι. Eadem etiam habet Steph. *de urb.* uti etiam *Marc. Heracleota*, & *Peripli auctor*; nisi quòd hi duo Παλαισιμούνδου habent, ubi *Ptol.* & *Steph.* divisis vocabulis πάλαι Σιμούνδου. Sanè Plinius *Palæsimundi* fluvii cum oppido cognomine in Taprobana meminit à quo insulam denominatam verisimile fit. Unde satis probabiliter contendit Salmasius, in cæteris etiam Παλαισιμούνδου legendum. A Σαλικὴ autem vel Σάλη *Seilan*, vel *Zeilan* deduci videtur. Quòd autem Dionysius Taprobanen elephantis abundare ait, idem est quod apud alios authores traditur. Solinus, *c.* 56. ex Plinio: *Elephantis repleta est majoribus multò quàm fert India.* Alexander Lychnus apud *Stephanum*,

> Θηρειόμων πέπληθεν ἐϋβρίθων ἐλεφάντων.

Ælian. *Hist. Animal. l.* 16. *c.* 18. ubi de hâc insulâ: *ἔχει δὲ καὶ νομὰς ἐλεφάντων πολλῶν καὶ μεγίστων, &c.* Tzetzes, *Chil.* 8. *Hist.* 213.

> Ἡ Ταπροβάνη τῶν Ἰνδῶν νῆσός ἐστι μεγίστη,
> Ἐν ταύτῃ καὶ ἐλέφαντες, &c.

Hujus insulæ meminit quoque Ovid. *Pont. l.* 1. *El.* 5. *v.* 79.

> *Quid tibi si calidâ, prosit, laudère Syene,*
> *Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua!*

Nomen ejus quod attinet, *Taprobane* Bocharto est טף פרון *Taph Parvan*, i. e. littus Parvan, seu Parvain, quod facit Solomonis Ophir; vide sis doctissimum auctorem *Geogr. p.* 768. *Lloydius.* Baudrando *Taprobana*, hodie *Ceylan*, seu etiam *Ceylon* quibusdam, insula est ampla Asiæ & Indiæ intra Gangem, in mari Indico & in ora sinus Gangetici prope promontorium Commarium & partem Australem peninsulæ Indiæ cis Gangem, à qua tantùm dirimitur fretô *Manaar* dictô 60. mill. pass. In ea sunt septem regna, nempe *Candea*, totius insulæ præcipuum,

cipuum, *Batecala*, *Jala*, *Jafanapatan*, *Ceitavaca*, *Chilao*, & *Trinquilemale*. Dicitur autem *Tenarifin* incolis, i. e. terra delitiarum; & ejus circuitus est 650. mill. pass. circiter. Subest propriis Regibus: sed in ejus ora occidentali Holandi habent Columbum & aliquot alias arces munitas. Dicitur ab Arabibus *Zeylan Dive*, i. e. Ceylanum insula; estque felici aromatum proventu nobilis. Cinnamomi in primis feracissima, quò fit, ut è loginquo suavissimum odorem spiret: quem advenæ ad tertium & amplius milliare in mari jam sentiunt. Sed plurimæ insulæ sunt ipsâ majores in toto orbe terrarum nempe Albion, Madagascaria seu Delphina, Java, Sumatra, Bornei insula, Celebum insula, Manilla seu Lussonia, Mindanoa, Japonia, Islandia, Terra Nova, Hispaniola, Cuba, California, & Terra Ignium, cum aliquot aliis: Idcircò inter maximas non est censenda, nec inter insulas primum locum tenet, quidquid de ea dixerint antiqui. Quid inter Portugallos & Belgas hujus Insulæ causâ gestum sit, latè prosequitur Joh. Jac. Saarius *in Itinerar.* cui adde Georg. Spilbergii *Itiner.* Cæterùm, ut & hoc addam, ante Alexandrum M. vel nomine tenus ignota fuit, demum per Præfectos ejus patefacta, Onesicritum & Nearchum. Posteà, cùm Romanos, cum Annii Plocami liberto, in Insulam suam tempestate fortuitò delatos, hospitaliter excepissent incolæ, ibi Libertus hic sex mensium alloquiô imbutus, cum Rege communicavit, qui & amicitiâ Cæsaris ac Romanorum expetitâ legatos cum iis ad pacem petendam misit, principe eorum Rachiâ, uti docet Plin. *l. 6. c. 22.* A quo tempore Romani Negotiatores eò commeare cœpêre &c. Vide Salmas. *ad Solin. p. 1111. & seqq.* & suprà ubi de *Indica navigatione*.

Taprobanæ insulæ urbes præcipuæ:

Baticala, *Batecala*.	Columbum, *Colombo*.
Candea, *Candia* seu *Candy*, insulæ primaria.	Gallum, *Galo*, seu *Punta Galo*.
	Jafanapatanum, *Jafanapatan*.
Cetavaca, *Ceitavaca*.	Jala, *Jala*.
Chilaum, *Chilao*.	Trinquilemala, *Trinquilemale*.

TAPSACUM, Cyrenaicæ regionis oppid. Plin. *l. 5. c. 5.*

TAPSACUM, vel TAPHSACUM, Theveto *Bebech*, urbs Mesopotamiæ, ad Euphratem, in Arabiæ desertæ confinio apud Scenitas, à Zeugmate 250. mill. pass. in Ortum Babylonem versus 562. *Xenoph. Strab.* Plin. *loc. cit.*

TAPSUS, Cyzicenus, à Polluce, in conflictu nocturno, confixus. Val. Flac *l. 2. v. 191.*

TAPSUS, vide *Thapsus*. Item urbs Africæ maritimæ inter Ruspinam, & Rhuspas, Lepti parvæ vicina. *Baudrando* urbs est Africæ propriæ in ora maris Mediterranei, & regione Byzacena. Hodiè *Africa* seu *el Madia*, urbs munita regni Tunetani, cum portu capaci; 100. ferè mill. pass. à Tuneto in Ortum, uti 30. à Thysdro. Sil. *l. 3. v. 261.*

Et Zama, & uberior Rutulorum sanguine Tapsus.

TAPUAGUAZUA, regio Paraguajæ, prope lac. Xarajorum, in limite Brasiliæ.

TAPUJÆ, populi Brasiliæ, in Præfectura Spiritus S Etiam quamplurimi, inter Præfecturas Pernambuci & fluv. Januarii. Aliter *Tapojones* dicti. Quæ gens, inter Siaram & Maramhon sita, vagabunda & locis incultis, & desertis, fera, ἀνθρωποφάγος, nullâ parte corporis velata, vel non aliâ saltem quàm verendis. Imò, cùm Hollandi aliquammultis vestes donâssent, priùs quidem rei illos delectavit novitas, sed intra biduum illas vel restituerunt, vel aliis largiebantur, vel abjecerunt. Iidem præputium obligant ligulâ bombycinâ, vimineâ vel alsius materiæ, ne caput penis fœdè assurgeret, quod unum sedulò cavent. Labiis, genis, naribus & auribus perforati, è foraminibus ornamenta gestant, è ligno, osse, lapide, palma. Pro armis clavam è durissimo habent ligno, sagittas ex arundine, ex eadem jacula, longitudine hastæ: Nullum iis auri vel argenti pretium; sic ut cùm scrinia aureis & argenteis referta armis, quæ humô condiderant Lusitani, effodissent, adventantibus Hollandis vili venderent, nunc securibus commutantes, nunc canibus venatui deditis, cui admodum student, nunc vulgaribus etiam ac vilissimis. Carnibus vescuntur humanis, ut dictum, sed eô se meliores putant aliis ἀνθρωποφάγοις, quòd hi carnes edant hostiles: ipsi manducent cadavera amicorum, præliô vel morte extinctorum; idque ad testandum suam erga eos pietatem ac amorem: Itaque ab istiusmodi epulo, præter consanguineos, omnes alii arcentur. Quæ comedi nequeunt, ut crines, ungues, dentes, ossa, in cinerem rediguntur, cujus portionem aliquam poculis indunt bibuntque, donec longiori compotatione universus absumatur. Religionem quod attinet, Numen agnoscunt duplex, *Bonum* & *Malum*. Illud verò, quia sponte faciat bene, affligat neminem, nullô prosequuntur honore: Malum contrà venerantur ac invocant, quia iracundum sit, & cultum sui negligentes, miserè perdat. Nec vel iter instituunt, vel adversùs hostem tendunt, nisi hôc Numine, quem *Dæmonem* dicimus, certis priùs ritibus consultô. Hinc divinandi sibi arrogant scientiam, & certum est, varia sæpe prædicere, quæ prospicere mens humana nequeat &c. Vide plura hanc in rem, apud Gerh. Jo. Vossium, *de orig. ac progr. Idol. l. 1. c. 8.* Eôdem modô antiquos Saxones, præter Finnum Deum & Deam Sibam, malum Deum, quem *atrum* ajebant, coluisse, legimus apud Georg. Fabricium, *Origin. Saxonic. l. 1.*

TAPULLA, quòd *tapulo* seu mensæ præsideret, dictus Veteribus est, qui aliàs *Magister*, seu *Rex convivii*, item *Symposiarcha*, quas voces vide suprà. Item Lex convivalis de qua sic Festus Pomp. *l. 18. Tapullam legem convivalem, fictô nomine, conscripsit jocosô carmine Valerius Valentinus, cujus meminit Lucilius hôc modô,*

Tapullam rident legem conterere optimi:

Quem locum Jo. Meursius *Criticar. Exercit. parte 2. c. 2.* aliter censuit legendum, nempe *Tapullam, legem convivalem*: deinde versum Lucilii nonnulli sic describunt,

Tapullam rident legem concerræ optimi.

Aut parvô discrimine sic:

Tapullam rident lehem congeræ optimi.

Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l. 5. c. 29.*

TAPYRI, populi non procul ab Hyrcanis. *Dionysius*,

Ὑρκάνιοι, Τάπυροί τε. ———

Ubi *Montanus*: Tapyros quod attinet (neque enim admitti potest altera lectio, Ὑρκάνιοι τ' Ἄπυροί τε, obstat enim aliorum scriptorum auctoritas, qui nusquam Ἀπύρους, sed Ταπύρους appellant) eos Hyrcaniæ propinquos faciunt Q. Curtius & Plinius, quamvis de accurato eorum situ nihil ex illis colligi possit. Sed si rectô ordine hic progrediatur Dionysius, eos Hyrcaniâ Orientaliores, & proinde in Margiana esse oportet, ubi Ταπύρους quosdam locat *Ptol.* Atque eô ferè situ eos locat *Eratosthenes*, teste *Strab.* affirmans μεταξὺ Ὑρκανῶν καὶ Ἀρείων Ταπύρους οἰκεῖν: manifestius verò consentit ipse *Strabo*, dum μεταξὺ Δρεβίκων τε καὶ Ὑρκανῶν eosdem constituit. Alibi tamen Ταπύρους habet *Ptol.* in Media scilic. Tapuræos cum Tapuris montibus in ipsa Scythia. His mos fuit, ut proprias uxores aliis viris nuptui concedant, cùm 2. aut 3. liberos ex iis suscepissent. Vinô iidem ac unguentô oblinuntur. Justitiam colunt. Strabo, *l. 2.* Vide *Steph.*

TAR, pro PAR, in nummis Crispi, *percussa Arelate* notat, Car. du Fresne, *Dissertatione de infer. ævi Numismatibus.*

TARA, vulgò TERRAIN, fluv. parvus Insulæ Franciæ, alluit Curticulam *Courcelle*, Villam Dei, Cannetum *Canni*, Campellos *Campeaux*, Fontanetum, Solliacum, Gerboredum *Gerberoy*, Milliacum, Bellovacum, Taram *Taire*, Villare ad Taram, Condate ad confluentes amniculi & Taræ, Montiacum castellum *Monchi le Chasteau*, Mellotum *Merlou*, Marcellum *Maisel*, Tiberniacum *Tiverni*, Pontem Taræ *Pont-Terin*, Montem Taræ *Mont à Taire*, infrà quem locum, in Isaram seu Oesiam fluv. se exonerat, apud Creolium *Creil*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TARA, fluv. Rasciæ, in Drinum fluens. Cinnami Τάρα.

TARABAT, vox Gallica ὀνοματοπεποιημένη, notans instrumentum ἀφωνητικόν, apud Augustinianos discalceatos, Capucinos, aliosque Religiosos, in Ecclesia Romana, usitatum, quô noctu ad preces in Choro fundendas signum datur. Idque non unius generis; Crepitaculi enim instar est, quo in Sancta, ut vocatur, Hebdomade, ad vespertina solenniorum dierum officia, Monachi convocantur; Aliàs tabellâ utuntur ligneâ, quam ferreô bacillô percutientes strepitum edunt &c. Richelietus *Diction. Gall.* Vide quoque suprà in voce *Tabula*.

TARABOCCI, Hæretici Anconitani, apud Waddingum *in Annal. Min. ann.* 1331.

TARACHIE, Insula parva apud Corcyram, Plin. *l. 4. c. 12.*

TARACHUS, *Africano* in Æthiopum Ægypti Regum Dynastia III. Successit Sevecho, Græcè Ταρακός: & quidem annô 14. Regis Ezechiæ contra Senacheribum processisse legitur *Tiraca* seu Θαρακὰ βασιλεὺς Αἰθιόπων, 2. Regum *c. 19. v. 9.* Sed in Ægypto regnâsse, non habetur. *Herodotus* certè unius Sabaconis annos 50. numerat, cùm *Africanus* tribus suis Regibus annos tantùm 40. attribuat, *Eusebius* & *Syncellus* 44. hi tamen ambo & quartum addiderunt, Merrem Æthiopem. Vide *Sevechus*.

TARACINA, vide *Tarracina*.

TARACO, vide *Tarraco*.

TARAGA, fascia est, quâ Episcopi peregrinantes uti jubentur in *Ceremoniali l. 1. c. 3.* quâque utuntur Doctores Ecclesiæ Siculi & Melitenses supra superpelliceum, in stolæ modum, cùm concionantur aut processionibus intersunt: Arabicæ originis vox, de qua vide Macros *in Hierolex.* & suprà in *Bosa*.

TARAN, sive THARANIS, veteribus Celtis Jupiter dictus est, quem & Suecones *Thor* vocârunt: de quibus sic Adamus Bremensis, *Thor, inquiunt, præsidet in aere: qui tonitrus, & fulmina, ventos imbresque, serena & fruges gubernat.* Posteàque Thor *cum sceptro Jovem exprimere videtur.* Quasi Βροντᾶον seu *Tonantem* dicas. Nam hodieque Cambro Britannis sive Wallis, tonitru *Taran* vocatur; quod trajectis ultimis duabus consonis, foret *tanar*. Sed Saxones pro eo *Donner*, aliqui *Tonner*, Batavi & vicini Belgæ *Donder*; unde Jovis dies *Donders-tag*. Imò ex *Taran*, per aphæresin, factum fuisse Sueonibus Tor sive *Thor*, præter Adamum præfatum, docet Ericus Olaus, *Histor. Suec. l. 1. c. 1. Thor, tanquam potentissimus & summus Deorum, in medio & aliis altior residebat, imagine viri nudi, dextrâ quidem sceptrum, sinistrâ verò septem stellas præferentis, insignis.* Et mox, *Pro pluvia & aura necessaria invocabant* Thorum: *cui singulis septimanis quinta feriâ per deputatos Sacerdotes sacrificia offerebat, à quo erat dies illa dicta* Thorsdag. Vide Gerh. Jo. Voss. *de orig. & progressu Idolol. l. 2. c. 33.* & in voce *Taranis*.

TARANDRUS, regio Phrygiæ. Gentile *Tarandrius*, *Steph.*

TARANDUS, animal Scythiæ peculiare. Plin. *l. 8. c. 34. Mutat colores & Scytharum* tarandus —— *magnitudo ei, quæ bovi, caput majus cervinô, nec absimile: cornua ramosa, ungula bifida, villus magnitudine ursorum. Sed cùm libuit sui coloris esse, asini similis est. Tergori tanta duritia, ut thoraces ex eo faciant. Colorem omnium arborum, fruticum, florum locorumque reddit, in quibus latet, metuens, ideòque rarò capitur. Mirum esset habitum corpori tam multiplicem dari, mirabilius & villo.* Solinus Æthiopiæ quoque adscribit, *c. 30.* sed nullâ auctoritate nixus. Omnes enim, qui de eo scripsêre, Scythiæ faciunt proprium & peculiare. In specie Gelonis illud tribuit Aristoteles, Sarmatis Theophrastus, uti docet Salmas. *ad Solin.* Vide quoque Schefferi *Lapponiam c. 28.*

TARANIS, Jupiter à Gallis sic dictus, cui humanô sanguine litabant. Lucan. *l.* 1. *v.*446.

Et Taranis Scythicæ non mitior arâ Dianæ.

Ubi Taranis idem est quod Jupiter βροντᾶιος, hoc est, tonans, à *Taran*, quod Britannis *touarn* sonat, ut videtur Cluverio, *l.* 1. *Antiquit. German. c.* 9. *Taramis* legit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan c.* 42. cui nomen factum videtur ex Phœnicio תרעם *tarem*, servili ת præfixô, à radice רעם *tonare*. *Nic. Lloydius.*

TARANNIUS seu TARANIUS, in MS. Foxiensi Tolosæ, *Toranus* Plinio, *l.* 7. *c.* 12. *Toranius* seu *Thoranius* Suetonio, *in Aug. c.* 69. mango fuit celebris Augusti Imperatoris principatu ex illorum genere, qui Symphoniacos pueros domi alebant, collatáque mercede in privatas civium aulas publicaque Principum Palatia mittebant. Hic *M. Antonio jam Triumviro eximios formâ pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, ut geminos vendidit; tanta unitas erat. Postquam deinde, sermone puerorum detectâ fraude, à furente increpitus Antonio est, inter alia magnitudinem pretii conquerente; Nam ducentis mercatus erat sestertiis: Respondit versutus ingenii mango, ob id ipsum se tanti vendidisse, quoniam non esset mira similitudo in ullis eodem utero editis, diversarum quidem gentium natales, tam concordi figura reperiri, super omnem esse taxationem.* Eandem historiam refert Jul. Solinus, Polyhistor. *c.* 5. Aliud ejus argutè dictum Aur. Macrobius habet *Saturnal. l.* 2. *c.* 4. *Delectatus erat inter cœnam Symphoniacis Toranii Flacci mangonis, atque eos frumentô donaverat, cum in alia acroamata fuisset liberalis nummis, eosdemque postea Toranius æque inter cœnam quærenti Cæsari sic excusavit. Ad molas sunt.* Suetonius quoque ejus meminit, *Aug. c.* 69. *Ætate adultas virgines denudarent atque perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 29. *cum Paralipom.* Dempsteri.

TARANTASIA, Gall. *la Tarentaise*, provinc. Ducatus Sabaudiæ, inter Alpes Grajas ad Ortum, Maurianam ad Meridiem, Sabaudiam propriam ad Occidentem & Folliniacum tractum ad Boream, ubi alias Centrones, populi Galliæ Narbonensis. Ejus primatia olim Forum Claudii seu Tarantasia. Metropolis ab An. 800. nunc dicitur *Moustiers*, seu *Moutiers en Tarentaise*, ad Isaram fluv. 6. leuc. à Fano S. Joannis in Boream, 10. à Civarone in Ortum. Moret. *in Dictionar. Histor.*

TARANTUS, urbs Bithyniæ, ubi *Taranteus* Jupiter colitur. *Steph.*

TARAPHA Franciscus, vide *Franciscus*.

TARARIA, vulgò TARARE, oppidulum provinc. Lugdunensis, in valle, ad radices montis cognominis ad amnem Tordivam, in limite provinc. Forisiensis, medium ferè inter Lugdunum ad Ortum, & Roduninam ad Occasum 6. utrinque leucis. Vide infrà in voce *Taratrum*.

TARARIUM, *Ptolem. Trairn Moletio*, oppid. Bithyniæ, in ora Propontidis, inter Chalcedonem ad Boream & Nicomediam ad Meridiem, Olbiæ vicinum. Τάραρον in MSC. Seldeni.

TARAS, Neptuni fil. quem *Tarentum* ædificâsse nonnulli autumant. Unde ΤΑΡΑΣ delphino insidens, in Tarentinorum nummis. Vide *Tarentum*, quod Græcis, Τάρας dicitur. *Dionys.*

——— Τάρας δ' ἁλὸς ἔγχυθι κεῖται.

TARAS, Asiæ minoris urbs, *Curopalates*. Est etiam Scythiæ fluvius. Valer. Flacc. *l.* 6. *v.* 102.

Quosque Taras, niveûmque ferax Evarthus olorum.

Ubi alii *Tarax*.

TARAS fluv. Italiæ juxta Tarentum *Stephano*. Inter Metapontum ac Tarentum *Appiano*. Pausanias quoque *in Phocicis*, dicit fluvium eôdem nomine, quô urbs, vocari.

TARASCO, vulgò TARASCON, oppid. Occitaniæ, ad Alburacim fluvium, *Baudrand. Valesius* habet ad flumen Lettium, in Comitatu Fuxiensi, 3. leuc. suprà Fuxium in Meridiem ad radices Pyrenæorum.

TARASCON, vulgò TARASCON, oppid. Provinciæ Salvorum olim, contra Belcatum oppid. inter Avenionem ad Boream 3. & Arelatum in Austrum 6. leuc. *Baudrand.* ad sinistram Rhodani ripam, contrà Urgernum & Belloquadrum, Hadr. Valef. *Notit. Gall.* amplum. Populi *Taurusii Ptolem.*

TARASIUS, vide *Tharasius*.

TARATRUM, vulgò TARARE, vicus Galliæ, unde mons *Taratrensis*, ultimum Cebennarum jugum Lugduno proximum, & Luteriâ Lugdunum petentibus superandum nomen accepit. Valef. *Notit. Gall.*

TARAXIPPUS, Deus cultus ab Eleis, cujus ara erat, in stadiodromo, ad ipsum aggeris exitum, figurâ rotundâ: Ad eam Deus hic colebatur, quem *Taraxippum*, ab incutiendo equis pavore, nuncupabant. Solebant enim, injectô terrore, circa aram hanc equi tam vehementer consternati, ut incertum unde coortâ trepidatione, sæpe illæsis curribus affligerentur aurigæ. Quò igitur æquô & propitiô uterentur *Taraxippo*, ad eam aram aurigæ vota nuncupabant. Ita Pausanias *in Eliac. poster.* Ibi nempe sepultus creditur quidam Ischenus gigas, qui ad famem sedandam Oraculi jussu immolatus est. Lycophron *v.* 42.

Κρόνου παρ' αἰπὺν ὄχθον, ἔνθα γηγενὴς
Ἵππων ταρακτὴς ἐστιν Ἰσχένου τάφος.

Saturni ad celsum, clivum, ubi terrigena
Equorum perturbator est Ischeni tumulus.

Ubi Scholiastes, *Taraxippum* eum vocari ait, ob causam dictam. Alii Myrtili patrem aut filium hôc nomine indigitari malunt. Etiam quidam Myrtilum ipsum, cui Pelops cenotaphium ibi erexerit, ut à se perempto parentaret. Nonnulli ab Oenomao hos terrores equis immissos volunt. Quidam denique Pelopem asserunt aliquid, ab Amphione acceptum, eo in loco defodisse, cujus arcanâ vi cùm Oenomai equi conterriti essent, alii quoque equi postmodum eôdem modô consternarentur. Atque hæc de *Taraxippo*, in Ludis Olympicis. Alius fuit in Isthmo, ut iidem indigitatum, Glaucus scil. Sisyphi filius, in funebribus ludis, quos patri fecerat Acastus, ab equabus discerptus. Etiam in Nemea, pro Heroe *Taraxippo* rutilum fuit saxum in ipso curriculi flexu, cujus fulgore equi non aliter concitabantur, quàm si objectis ignibus trepidatio fuisset orta, eôdem *Pausaniâ* teste. Quod tamen Apollini ipsi tribuit Statius, *Theb. l.* 6. Ita nempe Diis imputabant miseri, quæ vel propriâ, vel equorum imperitiâ, sibi acciderant. Plerunque enim naturâ equi tales, nec nisi curâ ad ferendum fulgorem aut bellicos strepitus, assuefiunt. Itaque moris olim erat equos *κωδωνίζειν, tintinnabuli sonô explorare*, an intrepidi esse didicerint, uti pluribus docet Sam. Bochartus, *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 8.

TARAXIPPUS, vir quidam in Isthmo ab equis interemptus, Cæl. Rhodig. *l.* 13.

TARAXOPOLIDES, Philoni *adversus Flaccum* dicuntur, qui plebem contra Remp. concitare audent, *Civitatis turbones*, de quibus vide Gothofredum, *Not. ad rubr. Cod. de Seditiosis.*

TARBA, vulgò TARBE, urbs Episcopalis lepida & culta Aquitaniæ, ad Aturum fluv. in planitie, 9. leuc ab Auscis in Africum, totidem à Palo in Ortum. Ejus Episcopi vetustissimi, Aper, A. C. 506. Julianus A. C. 541. Amelius, A. C. 585. &c. Gregor. Turonens. *l.* 9. *Hist. c.* 6. Oihenart. *Notit. utriusque Vascon. &c.* Item oppid. Cretæ, in ora Australi inter Criumetopon ad Occidentem, & Pœcilasium oppid. in Ortum, nunc in ruinis.

TARBELLI, populi Galliæ Aquitanicæ apud Pyrenæi montis radices; *Strabone* teste, Sinum Aquitanicum cum Santonibus incolunt, & metallis auri excellentis nobilitantur. *Quatuorsignani* à Romanis appellati, quòd quatuor militum signa apud se haberent in præsidio. Ab his Tibullus *Pyrenen Tarbellam* cognominavit, *l.* 1. *Carm.* 7. *ad Messalam*, *v.* 9.

——— *Tarbella Pyrene*
Testis, & Oceani littora Santonici.

Horum urbs *Tarba*, & *Aquæ Tarbellicæ*, *Ferrar. Baudrando* sunt in limite Hispan. versus ostia Aturi in Oceanum, ubi nunc Navarra inferior, seu cis montes & tractus *Labour*, versus Bajonam & Aquas Tarbellicas. Sed longè à Tarba in Occasum. Eorum finibus, juxta Valesium, continentur Aquæ Tarbellicæ, & pagus Aquensis, in arenis, quas *Landas* vocant, atque Lapurdum seu Bajona, cum pago Lapurdensi. Nec confundendi sunt, quod Massonus facit, cum Tarbiensibus, quorum caput Tarbia, in Bigerronibus, est, *Notit. Gall.* Vide infrà in voce *Tarbellicæ Aquæ*. Hinc *Tarbellius*, & *Tarbellicus*, nomen gentile. Ausonius *in Mosel. v.*468.

Numine adoratô Tarbellius ibit Aturrus.

Lucan. *loc. mox citandô.*

——— *Et ripas Aturi, quà litore curvo*
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor.

Straboni Ταρβέλλοι, à Cæsare, *l.* 3. *Bell. Gall. c.* 27. inter populos Aquitaniæ suæ, Garumnâ flumine, Pyrenæis montibus & Oceanô clausæ, primi omnium numerantur, Plinio, *l.* 4. *c.* 19. inter *Begerros* sive Bigerrones & *Cocosiates & Sexsignanos*, quòd hi sex signa militum apud se haberent in præsidio, sic dictos, ponuntur. Apud *Ptolemæum*, sub Biturigibus Viviscis usque ad saltum Pyrenæum habitare dicuntur, & certè inter *Tarbellos* & Santones soli alicujus nominis Bituriges hi Vivisci sunt. Sinum, quem *Tarbelli* incolunt, Lucanus designat his verbis, *l.* 1. *v.* 419.

——— *Tum rura Nemetis*
Qui tenet, & ripas Aturi, quà littore curvô
Molliter admissum claudit Tarbellius æquor.

Ita restituit Valesius ultimum hunc versum, sublatâ unâ literulâ, & *Tarbellius* à Poëta positum esse pro *Tarbellus*, cùm vulgò *Tarbellicus* legatur, contendit. Caput eorum *Aquæ Tarbellicæ*. Vide Hadr. Valef. *Notit. Gall. in hac voce*, ut & aliquid, apud B. Rhenanum *Rer. Germ. l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p.* 616.

TARBELLICÆ Aquæ, aliis *Aquæ Augustæ*, *Taberla* & *Vibio*, Gall. *Dax*, vel *Acqs*, civitas Episcopalis Aquitaniæ, sub Archiepiscopo Auscitano, sedes Seneschalli, præcipua Tarbellorum est, & inter 12. civitates provinc. Novempopulanæ secunda collocatur; Ejus Episcopus primus est inter decem Antistites Auscitano Vasconiæ Archiepiscopo suffragantes. Sub Merovingis Comites habuit: sub Capevingis Vicecomites, usque ad Richardum Aquitaniæ Ducem, qui Petrum Vicecomitem ultimum, contra se rebellem, sibi subjecit, A. C. 1177. Olim quoque *Civitas Nobilium* dicta est, quia à 12. Nobilibus aliquando fuit gubernata. Coronæ unita est à Carolo VII. A. C. 1451. qui civibus, quòd Anglis adhæsissent, ignovit. In media urbe aquæ sunt admodum calidæ & propè ferventes, ac circa fontem largum atque exundantem folia marmorea hodieque spectantur, quibus aquis nunc Pyrenaicæ præferuntur. Ab his olim celeberrimis locus *Aquæ* olim & à gente *Tarbellicæ* dictus: unde & *Aquitaniæ* quidam nomen arcessunt. Scalig. *l.* 1. *Auson. Lect. c.* 6. *Ptolemæus*, *Gregorius Turon. Duchesnius*, Moterius *Diction. Hist. &c.*

TARBELUS, mons Cariæ, Cauno urbi maritimæ imminens. Qu. *Calaber.*

TARBIACI, populi in finibus Agrippinensium, *Tacitus*.

TARCHAN, apud Tartaros, dicitur, qui ab omnibus quæ à Rege imponuntur, immunis est, eo usque, ut ei, quidquid in bello spoliorum reportaverit, totum cedat, nullâ inde parte Regi decisâ. Abul-Faragius, *in Histor. Dynastiarum p.* 281. apud Car. du Fresne *Glossar.*

TARCHETIUS, impius Albanorum Rex, de quo Plut. *in vita Romuli.*

TARCHIA, urbs Siciliæ, *Stephan.*

TARCHO, vel TARCHON, Hetruriæ Dux, & aruspex insignis, qui Æneæ suppetias tulit adversus Turnum & Rutulos. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 603.

TARCHO, vel TARCHON, Cilicum princeps vulgò creditur apud Lucanum, *l.* 9. *v.* 219.

Cùm Tarcho in motu linquendi signa Catonis
Sustulit. —— ——

Ubi anteà: *Tum Tarchon motus.* Sed in MS. P. inter lineas adscriptum erat, *alias: dimotus*; quod vim præit ad veram lectionem, *Tarcondimotus*: sic enim apud Florum vocatur, *l.* 4. *c.* 2. & Græcè Dioni eôdem modô, Ταρκονδίμοτ☉. *Tarcondemus* est apud Plutarch. *in Antonio.* Quem Cicer. *l.* 15. *ep.* 1. *Fidelissimum socium amicissimumque* P. R. appellat. Ταρκονδίμοτ☉ Straboni, *l.* 14. Cæsari, *l.* 3. *Bell. Civ. c.* 4. verò *Tarcundarius* dicitur. *Nic. Lloydius.*

TARCHONIUM, urbs Tyrrheniæ, à Telepho *Tarchonis* filio condita, *Stephan.*

TARCUM, urbs Georgiæ, in provinc *Daghestan*, in ora maris Caspii. Adam Olear. *Tarku.*

TARCUNDARIUS Castor, Gallo-græciæ regulus, qui CL. Equites auxilio contra Cæsarem Pompejo adduxerat. Ciceroni vocatur *Tarcondimotus*, *l.* 15. *Ep.* 1. Vide Dionem, *l.* 41. Cæsarem, *l.* 3. *de Bell. Civ. c.* 4.

TARDA Avis, ex genere anserino, memoratur Plinio, *l.* 10. *c.* 22. *extr.* Vide suprà *Otis.*

TARDANENSIS, pagus Galliæ in Capitulis Caroli Calvi: vulgò *le Tardenois*, vel *Tartenois*, inter Matronam & Vidulam fluv. situs est, ubi Fara Tardanensis, Mons St. Mariæ, Nigella *Neelle*, Longa Villa, Alta Ripa *Auterpe*, Caviniaca, Cartobra *Chartreuve*, Villa Turba, Bracanecum super fluv. Rotumnam *Bricquenay*, Bobiliniaca suprà Suipiam *Boul sur Suippe.* Continetur, unà cum pago Vadensi, diœceseos Suessionicæ finibus. Vide Hadr. Valesi. *Notit. Gall.*

TARELEI, populi Æthiopiæ, circa Nigri fluv. ortum. Plin. *l.* 5. *c.* 8.

TARENTASIA, *Antonin.* & alibi *Darantasia*, regio & urbs Archiepiscopalis Allobrogum, cujus Antistes Monasterii oppid. inde ad 2. leuc. distante moratur. Vide *Tarantasia.*

TARENTINA Familia, *de Tarente*, inter Galliæ illustres, ramus est stirpis Tremolliæ, quæ ob jura, quæ prætendit in successionem Friderici Aragonii Regis Neapolitani singulari prærogativâ, in patrio Regno, gaudet. Et quidem ex Francisci, qui obiit A. C. 1441. & Annæ Lavalleæ (Friderici præfati, per filiam Carolam neptis) filiis, maximus natu Ludovicus, primus Thoarsii Dux, defunctus A. C. 1576. ex Joanna Montmorentia, pater fuit Claudii, qui obiit A. C. 1604. Hôc & Carolâ Brabantinâ (filiâ Guilielmi Principis Arausionensis genitus Henricus, Mariam Turriam sibi junxit, exque ea suscepit prolem: in quâ primogenitus Henricus Carolus *Princeps Tarenti*, maritus Æmiliæ Hassiacæ (Wilhelmo Hassiæ Langr. genitæ) pater est Caroli Belgici Hollandi D. Thoarsii (nati A. C. 1655.) ... Principis Talmontii (nati .....) Carolæ Æmiliæ &c. Phil. Jac. Spenerus *Theatro Nobil. Europ. Part.* 1. *p.* 93. & *Part.* 2. *p.* 121. Vide eundem *Arte Heraldic. Tom.* 2.

TARENTINI Ludi, vide suprà *Seculares Ludi.*

TARENTINUS Sinus, *Thurinus* Ovidio, *l.* 15. *Met. v.* 52. sinus M. Græciæ inter 2. promuntoria Japygium ad Boream, & Lacinium ad Austrum terminatus. *Golfo di Taranto* vulgò. *Baudrando* pars est maris Ionii, inter Calabriam citeriorem, Basilicatam & Terram Hydruntinam. A' Taranto, urbe in ejus intimo recessu.

TARENTUM, vel TARENTUS, M. Græciæ urbs clarissima, *Calabriæ*, quondam & *Apuliæ totiusque Calabriæ caput; magnitudine & muris portuque nobilis*, Flor. *l.* 1. *c.* 18. in intimo recessu sinus Tarentini, à *Tarante*, Neptuni filio primùm condita. à quo & nomen accepit: deinde à Partheniis Laconibus aucta, qui duce Phalantô illuc adventantes, expulsis incolis (ut Justinus, *l.* 3. *c.* 4. scribit) eam tenuerunt, ab anno 1. Olymp. 18. juxta Eusebium, vide suprà *Parthenius.* Annibali se dedidit, sed à C. Fabio Max. An. 545. Urb. Cond. recepta est. Colonia Romana evasit, anno Urb. Cond. 631. Henricus IV. Imperator Vilhelmum, Tancredi filium, ad preces Sibyllæ matris Principem Tarenti creavit, sed ne spes prolis esset, ademptâ virilitate, A. C. 1194. Posteà Carolus Claudus, è captivitate hac lege dimissus est, ut Neapoli, Calabriâ, Apuliâ, & Tarentô contentus, Siciliam, Sardiniamque Aragoniis cederet. A. C. 1288. Hinc Taruntulis nomen, phalangiorum generi, quorum morsus solâ musicâ medicabilis est, Strab. *l.* 6. Liv. Justin. *loc. cit.* Albert. *descr. Italiæ.* Ostrea ejus in pretio, A. Gellius. *l.* 7. *c.* 16. ut & sal candidissimus, suavissimusque, Plin. *l.* 31. *c.* 7. Patria Architæ, & Pacuvii tumulô clara. *Baudrando* urbs fuit aliàs magnæ Græciæ in Calabria, sub Salentinis, nunc in Terra Hydruntina, Archiepiscopalis cum arce permunita. Sita in peninsula, cum titulo Principatus. Portum habuit capacissimum, nunc ferè corruptum, 32. milliar. à Brundusio in Occasum, 20. à Metaponto in Ortum, 90. à Japygio promuntorio in Boream. Ampla & munita, cum valido præsidio Hispan. sed sensim deficit. Incolæ *Tarentini*, qui cum Romanis aliquandiu bellum gesserunt: quibus cùm pares non essent, Pyrrhum Epirotarum Regem auxilio sibi acciverunt. Sunt qui *Tarentum*, non à *Tarante* Neptuni filio, sed à Sabinâ voce *Terentum* deducant, quæ illis *molle* significat, propterea quòd in in agro Tarentino & nuces & lanæ mollissimæ provenirent. Locum luxui deditum fuisse innuunt *Strabo* & *Eustath.* qui τρυφὴν illi tribuunt. Unde Horat. *l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 34.

Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.

Idem *l.* 1. *Ep.* 7. *ad Mæcenatem*, *v.* 44.

—— *Mihi jam non regia Roma;*
Sed vacuum Tibur *placet, aut imbelle* Tarentum.

Juvenalis, *Satyr.* 6. *v.* 298.

Atque coronatum & petulans, madidumque Tarentum.

Sidonius, *Carm.* 5.

Ipsaque, quæ petiit, trepidaverat uncta Tarentus.

Lacedæmonium vocant Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 5. *v. ult.* & Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 50. Hinc *Tarentinus.* Horat. *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 207.

Lana Tarentino *violas imitata veneno.*

Vide omnino clarissimum Cluverium, *de Ital. Ant. p.* 1229. & suprà voce *Taras*, quæ etiam in Tarentinorum nomismatibus occurrit. Addo, *Herculeum* cognominatum esse, quòd Phalantus, ejus conditor ex Heraclidis unus, & quidem ab Hercule octavus esset. Hinc à Tarentinis *Heraclea* colonia nomen accepit, quum *Polieon* vocaretur Ionum tempore, qui, Lydorum imperium fugientes, illam priùs tenuerant, & ante Ionas, *Siris.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 58. qui etiam *de Tarentinis avellanis & castaneis* non pauca habet, ubi, quid Διὸς βάλανον Græci vocaverint, disquirit *p.* 662. & 663. Sed & scapis candelabrorum nobile Tarentum fuit. Plin. *l.* 14. *c.* 18. A' *Tarento*, medio ævo *Tarentinus* dictus est nummus aureus, quòd ibi primùm cusus. *Bulla MS.* Nicolai IV. *ann.* 3. de Censibus Eccles. Roman. *Monasterium S. Nicolai de Calusis* 1. *Michaletum auri, quod valet* 5. *Tarentinos Regis.* Posteà voce contractâ *Tarenus*, item *Taris*, cujus apud Apulos & Siculos frequens usus olim, hodieque in Sicilia utraque & in Insul. Melita durat, vulgò *tari.* Et quidem Siculum *tarenum* respondere octo-baroccis Romanis, sed Neapolitanum longè plus valere, legas apud Domin. Macrum *in Hierolexico.* Vide quoque *Glossar.* Car. du Fresne. Ut de *Principatu Tarentino* verbum addam, titulus hic tum primùm emersit, cùm Rogerius Siciliæ Rex Simonem filium nothum eô moriens testamentô honestaret. Sed Gulielmus Rex legitimus filius hunc Simoni ademit, dicens, *Ducatus Apuliæ Tarentique & Capuæ principatum legitimis tantùm filiis concedi*, ut est apud Palcandum, *p.* 659. Posteà Boëmundus Tancredi filius, in hæredii sortem, à fratre Rogerio *Tarenti* & Baris principatus nactus, Antiochiam quaque titulis adjecit: unde *Principis* axioma ad Galilææ quoque seu Tiberiadis, in Regno Hierosolymitano, Dominos transiit, inde ad Achajæ & Moreæ, in Imperio Constantinopolitano, sub Imperatorib. Francis, Dynastas delatum. Vide suprà in voce *Princeps.*

TARENTUM, ara fuit, quæ ludis solummodò secularibus aperiebatur, aggestâque deinceps terrâ, usque in alterum seculum occultabatur. Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 63. *v.* 3.

Bis mea Romanò spectata est vita Tarentò.

TARGA, regio & desertum Africæ, cum urbe cognomine juxta lacum, in Zaara regione. Dicitur aliter *Zaghara*, & *Sagra* Arabib. Estque inter desertum Lemptam ad Ortum & Zuenzigam ad Occasum inter Biledulgeridim ad Boream, & Nigritiam ad Meridiem.

TARGA, seu TARGIA, apud medii ævi Scriptores, Britannos inprimis Gallosque, clypeus est seu scutum longum, amplum validumque, totum militem tegens, cujus inprimis usus erat, cùm copiæ militares ad muros admoverentur. Matth. Paris A. C. 1240. *Oppositis corporibus suis propriis, & amplis clypeis, qui* Targiæ *appellantur.* Quô casu cùm scuta hæc milites prætenderent, *targer* ii Gallis dicebantur. Sed quia ob gravitatem earum ac pondus lentè procederent milites, hinc porrò *targer*, qui morarentur, & *targa*, mora dicta est uti docet Menagius *in Origin. Ling. Gall.* & Ferrarius, *in Ital.* Nangius à similitudine *testudines* vocat hujusmodo scuta, in *Vita S. Ludovici*, *p.* 345. de quarum usu pleuè *Vegetius*, & alii. Hinc nomen datum monetæ 2. denar. Ducum Britanniæ, quòd in ea scutum insignium effictum esset, apud Hautinum *de Monetis Franc. p.* 102. alii item in Vasconia ut & in Hispania, quam 4. maravedinos valuisse scribit Joh. Mariana *de Ponder. & Mensur. c.* 22. Cœterùm vocis etymon nonnulli à Bohemico *Tarts*, quibus sic dicuntur scuta prælonga, penè totam corporis inferioris partem tegentia; alii ex Germanico *Tartsch*; Bochartus ex Arabico *tarka*, vel *darca*. i. e. *clypeus*, arcessit. Vide Car. du Fresne *Glossar.* ubi & navis speciem hôc nomine habet, ex Vitriacensi & Matth. Paris. A. C. 1219.

TARGARUM, oppid. Africæ propriæ, *Ptol.*

TARGINES, vulgò *Vernauda*, teste *Barriò*, fluv. M. Græciæ apud Locros decurrens. *Mazellà* verò teste, antiquum nomen retinet, ac per agrum Crotoniensium fluit, ubi *Bernalda* oppidum.

TARGOVISCUM, caput Valachiæ, ad Launizam fluv. *Tervis* quibusdam versùs confinium Moldaviæ. Vide *Tergovistus.*

TARGUM, Chald תרגום, plural. *Targumim*, significat *Interpretationem, Versionem, Paraphrasin*, quæ non tam verbum de verbo, quàm sensum ex una lingua in aliam transferat: & propriè de *Paraphrasibus Chaldaicis*, quæ apud Judæos maximo in usu sunt & æquali cum Scripturis honore, sumitur. Originem iis dedit mutatio Linguæ Hebrææ durante 70. annorum captivitate, in Chaldaicam: quò factum, ut licèt multi reducum, præsertim ætate grandiores ac senes, Sacerdotes inprimis & Scribæ, Hebræam adhuc tenerent: in usum tamen plebis ut Scripturas intelligerent, in Synagogis ac Templo

plo prælegi solitas, introductæ sunt *Targumim*, sive explicationes linguâ ipsi notâ scil. Chaldaicâ, sive quæ eadem fuit, Syriacâ, ut colligere est ex Nehem. c. 8. v. 8. Factæ verò sunt illæ, non solùm in Legem, Actor. c. 15 sed etiam in Prophetas, Lucæ, c. 4. v. 21. idque à temporibus Antiochi Epiphanis, qui cùm Legis lectionem prohiberet, inceptæ sunt lectiones ex Prophetis, sectionibus Legis respondentes, quas *Haphtoras* vocârunt. Et quidem primò absque punctis fuêrunt editæ, posteà cùm de punctatione desperâssent, Christianorum varii opus aggressi sunt, quod tandem Johan. Buxtorfius immensis laboribus ad umbilicum perduxit, vide Buxtorfii *Gramm. Chaldaic. & Syr.* ac Lud. *de Dieu in compar. 3. lingg.* Hæ itaque post lectionem textus Hebraici publicè prælegebantur: Unde exemplaria etiam hodieque extant antiqua, in quibus alternatim scribuntur Textus Hebraicus & Paraphrasis Chaldaica, ita ut singulis versibus Hebræis statim Paraphrasis Chaldaica subjuncta sit. Originem proin *Targumim*, quod attinet, non altiùs, quàm ab Esdræ temporibus arcessenda est: scriptæ verò sunt non ante Jonathanem & Onkelosum, qui circa tempora Christi floruerunt. Ex quidem pro partitione triplici sacrorum Codicum à Judæis facta, *Targum* seu Paraphrasis Pentateuchi ad Onkelosum: in Prophetas ad Jonathanem, filium Uzielis, exceptis libris Esræ, Danielis & Chronicorum: Hagiographorum, ad Josephum quendam cæcum communiter referuntur. Præter quas cùm duæ extent, in Pentateuchum; una eidem Jonathani adscribitur, altera, quæ *Hierosolymitana* dicitur, incerti Auctoris est: ut de aliis taceam, de quibus prolixè agitur à Briano Waltono *Prolegom. in Biblia Polyglotta*, *Prolegom.* 12. cui tit. *De lingua Chaldaica & Targumim.*

TARICHEA, oppid. munitissimum Palæstinæ in Galilæa ad lacum Genesaret. *Jesserkin*, teste P. Lachsteniô. In tribu Issachar. Fuit etiam *Tarichea* oppid. Ægypti apud *Canopum*, teste *Stephano*: & alterum apud Someas. Græcè Ταριχεῖα, quô nomine & aliæ nonnullæ urbes veniebant. *Stephanus*, Ταριχεῖαι πόλεις πολλαί, αἱ μὲν Μενδήσιαι, αἱ δὲ Σαϊτικαί, αἱ δὲ Κανωβικαί. Quod videl. in his omnibus multæ essent Ταριχεῖαι, *conditura piscium* seu *salsura*: à quibus urbium etiam harum nomen per ει diphthongum scribendum fuisset, sed ad distinctionem ita obtinuit, ut urbes Ταριχέαι, salsuræ verò hæ Ταριχεῖαι dicerentur. Hinc & ipse lacus Genesara, quòd multas ταριχείας exhiberet, Ταριχέας nomen accepit, Salmas. *ad Solin.* p. 578. Incolæ Ταριχεᾶται &c. Cæterùm & corpus exenteratum, cerebrô per nares extractô, intrinsecus condire, qui Ægyptiorum mos, ut vidimus, ταριχεύειν sicut unguento & aromatis extrinsecus curare, dein fasciis involvere mortuos, quæ Hebræorum consuetudo, ἐνταφιάζειν Græci dixêre. Vide Cl. Suicerum voce Ἐνταφιάζω.

TARIDA, in *Pacto* inito inter Philippum Imperator. Constantinopolit. & Venetos A. C. 1281. quod descripsit Car. du Fresne *in Histor. Gallo-Byzantina* p. 30. *Quia Imperator & Rex non proponunt habere, nisi vasella pro deferendis gentibus, equis & victualibus, videlicet naves & taridas*: Græcis ejus ævi Scriptoribus ταρίς, navis onerariæ species est, quæ vulgò *Tartana*, ut nonnulli volunt. Vide præfatum Auctorem *in Glossar.*

de TARIFA, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ Henriqueziæ Stirpis ramus est. In hac enim Petrus, minor natu filius Friderici Castellæ Thalassiarchi, ab uxoribus Beatrice & Catharina, successionem & nomen *de Ribera* suæ domui, cum officio Supremi Judicis Vandalitiæ seu Andalusiæ, intulit. Inde Comites *de los Molares*, & Marchiones *de Tarifa* descendunt, quibus axioma Ducale titulo *Alcala* accessit, ut suprà vidimus in hac voce. Vide quoque *Tariffa*. Alias ταρίφη Græcis arca sepulchralis est. *Hesych.* Ταρίφη, νεφόμενος, οἱ δὲ νεκροφορικὸν ἀγγεῖον. Vide Salmas. *ad Solin.* p. 1205. & hîc infrà.

TARIFFA, urbs Vandalitiæ, juxta fretum Herculeum, olim ampla & munita, nunc ferè in ruinis, à paucis habitata. Aliàs *Tartessus*. Hîc Alfonsus, Castellæ Rex, à Mauris profligatus, ut obsidionem solveret, ad CCM. illorum posteà cecidit, A. C. 1340. Mariana *de reb. Hisp.* Vide *Tartessus*.

TARINATES, vel TARANATES, populi Sabinorum, quorum oppid. Taranum ad Himellam fluv. apud montem Severum & Cures, à Reate 10. mill. pass. in Occasum distans, quot à Colle Scipionis.

TARINCA & TARINGA, apud Scriptores medii ævi, qui *Passiones* Sanctorum scripsêre, Gallicâ linguâ veteri, sudem ferream notat. Cujusmodi sudes modò naribus & auribus immittebantur, modò à cervice usque ad crura defigebantur, duæ pluresque. Vide Car. du Fresne ubi suprà, & Macros Fratres *in Hierolex.* quorum hi *subulam* vocem interpretantur.

TARIONA, Liburniæ castellum. *Tuina Nigro*. Plin. l. 3. c. 22. incolas vocat *Tariotas*.

TARIUS Ruffus, civis Roman. ex infima plebe ortus, Consulatum tamen in militari gloria adeptus est.

TARNA, urbs fertilissima, Homer. *Il.* 5. quam Enarratores vocatam posteà *Sardis* dixerunt. Τάρνα *Stephano*, urbs Achajæ: civis *Tarnius*.

TARNADÆ, vulgò *S. Maurice*, oppid Helvetiorum, in Vallesiis, ad Rhodanum, caput Veragrorum Volaterrano, l. 3. & Marliano *in Cæs.* Priùs *Agaunum*, quasi *Am Gand*, id est, ad rupem seu montium prærupta. Posteà à Monasterio S. Mauritii à Sigismundo Burgundiæ Rege hîc exstructo, recens nomen traxit. Antiquitatem loci testantur inscriptiones: Munitum à Cæsare bellô Gallicô videtur ut in sua potestate Alpium haberet transitum. Fuerunt quoque hîc Flamines Sacrorum administri, ut ex *inscript.* patet. Vide Johan. Bapt. Plantinum *Helvet. Ant. & Nov.* ut & *Agaunum*.

TARNE, vulgò *le Tarn*, nonnunquam & *Tar*, fluvius Aquitaniæ, unus ex maximis & navigabilibus fluviis, quibus Garumnam augeri, Strabo scripsit. Nitiobriges à Tolosatis dividit, Plin. l. 4. c. 19. *aurifer*, Ausonio *in Mosella*, v. 465. dictus: turbidus semper fluit. Oritur ex Cebennis montibus, seu ex harum portione Lesura monte, *le Losere*, in Gabalico tractu. Hinc auctus aliquot rivis, in Rutenis, Millialdum rigat, *Millau en Rouergue*, ad Turbidæ *Dorbie* & ejus Confluentes, Castra *Castres*, Turrim, Villam Novam S. Andreæ, Bonam Vallem, Condominas, Lescuram, Albigam; Castellum Novum, Barnacum, Bastitam *la Bastide*, Galliacum, ubi navigari incipit, Insulam Albigensium, & Rabastencium *Rabastens*, ubi Agotium *l'Agout* fluv. non contemnendum recipit: Tum per Occitaniam fluens, Villam Murorum *Ville Mur*, & Montem Albanum attingit, moxque Avarione *Aveirou*, fluv. illustri haustô, ipse demum paulo infrà Moissacum in Garumnam cadit 5. leuc. supra Agennum, ad locum *la Pointe*, dictum. Duo enim amnes confluentes angulum efficiunt, & Galli extrema quarumlibet rerum in angulum vel amnem desinentia *Punctas* appellare consueverunt. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* A paucis mensibus lintrium capax effectus est in Ruthenensi provinc. *Baudrandus*. *Tarnis* Sidonio, *Carmin. ultim.*

Hinc te Lesora Caucason Scytharum

Vincens aspiciet, citusque Tarnis.

Item fons Lydiæ ad Tmolum montem cum oppido cognomine, *Strabo*.

TARODANTUM, urbs regni Marrochii, primaria Susæ provinc. & ampla. Principes aliàs habuit proprios, 30. mill. pass. ab ora Oceani Atlantici.

TARODUNUM, *Ptolem.* oppid. Alemannorum, hodie *Fribourg*, Cluver. urbs munita & Academia Brisigaviæ caput juxta amnem *Treisf.* 2. leuc. à Brisiaco in ortum sub Austriac. Vide *Friburgum*.

TAROTUS, canis nomen Cornelio Agrippæ dilecti, cujus mentio frequens in Epistolis ejus. Inter alia ad quendam domesticorum, *Commendo tibi* scribit, *uxorem, filios, familiam*, Tarotum *cum sua familia*. Atque hic vicissim Antuerpiâ sic ad illum, *Taros, Franza, Muza, diu noctuque personant, furibusque cruces minitantur; qui quotidie per viridarium deambulantes vereor ne pro canibus aut hortorum Dii, aut Academici fiant*, idem aliâ epistolâ, *Tarot, Franza, Musa, Ciciolus, Bartassa, valent, salutant, redeas citò precantur*. Rursumque in alia ejusdem, *Salutat te*, ait, *venustissima uxor major Maria & turba canum &c.*

TARPEJA, virgo Vestalis, teste *Varrone*, l. 4. *de LL.* quæ arcem Capitolinam patris sui Tarpeji custodiæ commissam Sabinis prodidit: à quibus cùm proditionis mercedem peteret (pacta enim erat, quicquid in finistris brachiis gestarent, armillas intelligens, quas illi aureas, gemmatasque lævo in brachio ferebant) scutis illorum obruta, *Tarpejo* monti nomen fecit, qui prius *Saturnius* dicebatur, ubi Tarpejæ arces. Sed alii pactam illam ab hostibus volunt, quod illi sinistrâ gererent, scutaque intellexisse, eâ spe ut illos exarmaret, nudatosque scutis, Romanis suis feriendos traderet. Florus in ambiguo rem ponens, *Hist. Rom.* l. 1. c. 1. *Sabinis*, inquit, *prodita porta, per Virginem; nec dolô; sed puella pretium rei, quam gerebant in sinistris, petierat: dubium clypeos an armillas. Illi, ut & fidem solverent & ulciscerentur, clypeis obruêre.* Vide Statium & Freinshemium *Not. in loc.*.

TARPEJA Lex de mulctis, eadem cum Ateria: quam enim *Ateriam* A. Gellius, l. 11. c. 1. eam *Tarpejam*, Festus *de Pecul.* vocat. Nempe de mulctis Primi Legem tulêre, Sp. *Tarpejus* Montanus Capitolinus, & Aur. Aterius Fontinalis Consules an. Urb. Cond. 299. *Ut omnibus Magistratibus mulcta dicenda jus esset, cùm anteà solis Consulibus id liceret. Ut duas oves, triginta boves mulcta non excederet.* Ad cujus prius caput respexisse videtur Ulpianus, *l. un. ff. si quis jus dic. non obtemp.* ubi ait: *Omnibus Magistratibus secundum jus potestatis suæ concessum est, jurisdictione pœnali judicia defendere.* Eam biennio post sequuta est Lex Sextia Menenia. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom.* l. 8. c. 21. & l. 9. c. 17. ut & suprà *sub locô*.

TARPEJA Rupes, seu *Tarpejum saxum*, miræ altitudinis Romæ erat, in monte *Tarpejo*, è quo certorum criminum reos dejici antiquitus moris erant, quod supplicium *Dejectio è saxo*, vel *Dejectio è Tarpeja Rupe*, propterea dictum est. Et quidem falsi testimonii convictos, de hac rupe dejici voluerunt Leges XII. Tabular. *Ut qui falsum testimonium dixisset è rupe Tarpeja dejiceretur.* Cujus tam atrocis pœnæ causa fuit, ut acerbitas ulciscendi maleficii benè atque cautè vivendi disciplina esset. Posteriori tamen ævô, aliquando in Judicum arbitrio fuit positum, qualis pœna falso testi irroganda esset: aliquando Legis Corneliæ pœna ei fuit irrogata, deportatio videl. & omnium bonorum publicatio, quod posterius testatur Marcianus JC. *l. 1. ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.* Eadem affectati fuit Imperii pœna: unde Manlium ex arce *Tarpeja* dejectum fuisse, legimus apud Florum, *Hist. Rom.* l. 1. c. 26. *Manlium verò Capitolii vindicem, quia plerosque debitorum liberaverat, altius se & incivilius efferentem, ab illa, quam defenderat, arce dejecit.* Vigilis item, qui Gallicô tumultu officii negligens sunt, Liv. l. 5. c. 47. &c. Facta autem hæc dejectio est per Carnificem, prægressâ verberatione, jussu Magistratus, eôque suppliciô liberi homines sunt affecti, uti scribit Appianus, *Bell. Civ.* l. 1. cujus locô servi in crucem agi solebant, Val. Maximus, l. 8. A. Gellius tamen etiam servos manifesti furti prehensos, verberibus affectos & de saxo præcipitatos fuisse, jussu Decemvirorum, l. 11. c. 18. refert. Vide Rosin. *Antiqq. Rom.* l. 9. c. 31. Quibus verò vel amicorum intercessione, vel aliam ob causam, pœnæ hujus gratia facta erat, dicti sunt *de Lapide empti*; quam phrasin, cum illa, *à furca redempti*, multum affinitatis habere, docet Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect.* l. 25. c. 22. Nempe utrique quidem vitam servabant, sed non sine perpetua nota. Vide Thom. Godwyn. *Anthol. Rom.* l. 3. *Sect.* 3. c. 8.

TARPEJI Ludi, Jovi Feretrio in *Tarpejo* monte, à Romulo instituti, *Capitolini* quoque dicti sunt, teste Pisone apud Joh. Rosin. *Antiqq.* l. 5. c. 22.

TARPEJUS, prænomine *Spurius*, arcis Romanæ sub Romulo custos,

ftos; à quo gens *Tarpeja* patricia majorum gentium & consularis fluxit, cognominibus Montani & Capitolini affecta. Vide & *Spurius*.

TARPEIUS, citharœdus Vespasiani tempore.

TARPEJUS mons, idem cum Capitolino. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 652.

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat.

Propertius, *l.* 4. *El.* 4. *v.* 1.

Tarpejum nemus, & Tarpejæ turpe sepulchrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis.

Tarpeja sedes & *rupes Tarpeja* Lucano dicitur, *l.* 1. *v.* 196. *l.* 3. *v.* 154.

TARPHA, *Steph.* urbs Locrorum Epicnemidiorum juxta Phrygas. Homer. *in Catal.* Nomen habet à *Tarphe* propinquo fonte, sive ab arborum densitate: Ταρφειὸς enim Græcis *densus* dicitur.

TARPHARA, urbs Arabiæ, *Stephan.*

TARQUINIA Molza, fœmina Mutinensis, Hebraicè, Græcè, Latinè doctissima: sub censura sua habuit opera Tassi, Guarini, &c. In aula Alphonsi II. Ducis Ferrar. cum Livia Præparata, & Ursina Cavalleta, commercium literarium fovit: à Senatu Romano Civitatis jure, cum familia tota, donata, A. C. 1600. Petr. Paulus Ribera, *l.* 14. *de glor. immortal. Fœmin. illustr.* Hilario Costus *Elog. Fœmin. illustr.*

TARQUINII, colonia & urbs Hetruriæ; *οἱ Ταρκυνίοι Dionysio Halicarnassensi. Strab.* verò ac *Stephano ἡ Ταρκυνία*, *Ptolemæus* habet Ταρκυνίαν; quem tamen, quia Romanorum plerumque sequitur formationes, suspicari possis scripsisse Ταρκυνίους. In ruderibus, & hodie *la Tarquinia* dicitur, atque ita Cornetani cœterique accolæ, quanquam rustici *la Turchina* dicant. *L. Holstenius.* A' Tarconte, qui Æneæ contra Turnum opem tulit, condita *Tarcona* primùm dicta est, posteà *Tarquinia* à Tarquinio Rege. Oppidani inde dicuntur Vitruvio, Varroni, Tullio, Livio, Plinio, ac Frontino, *Tarquinenses*, qui Dionysio, *l.* 5. & 6. Ταρκυνιῆται, & Straboni *l.* 5. Ταρκυνιᾶται. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 518. Virgil. *Æn. l.* 6. *v.* 818.

Vis & Tarquinios Reges animamque superbam
Ultoris Bruti. ——————

Nic. Lloydius.

Reges Romani.

TARQUINIUS I. Priscus, Demarati Corinthii fil, Tarquiniis, urbe Tuscorum natus, primum Lucumo dictus; qui ubi se in patria nullo in honore esse vidit, quod peregrinô patre esset prognatus, suasu uxoris (ea mulier fatidica fuit, nomine Tanaquil) Romam sese contulit: ubi brevi propter opes ingeniique dexteritatem, in Anci regis amicitiam insinuatus, ab eo relictus est liberorum ejus tutor: quorum tamen commoda propriis rationibus posthabuit, brevique perfecit, ut magno plebis consensu rex crearetur, An. 139. Urb. Cond. Quare ut regnum parum justè partum stabiliret, centum patres in Senatum allegit, qui minorum deinde gentium dicti sunt, suæ eos factionis futuros ratus, cujus beneficiô in Senatum venissent. Bellum primum cum Latinis gessit, oppidumque Apiolas vi cepit. Circo maximo primus locum designavit, locaque patribus equitibusque divisit, ubi sibi quisque spectacula faceret. Sabinos victos Collatiâ, agrôque Collatinô mulctavit. Corniculum, Ficulneam veterem, Cameriam, Crustumerium, Ameriolam, Meduliam & Nomentum, priscorum Latinorum oppida partim expugnavit, partim in deditionem accepit. Capitolii fundamenta primus jecit, ingentibus operibus, contra Tiberis exundationem, substructis. Fascium, togarum, quæ Regibus Auguribusque convenirent, Sellæ eburneæ, queis Senatores uterentur, annulorum, &c. quibus Equites insignes essent, inventor: 12. populorum victor. Tandem, cùm annos 38. regnâsset, dolô liberorum Anci, in curiâ obtruncatus est, An. 177. Urb. Cond. ætat. 80. Successit in regno Servius Tullius. Florus, *l.* 1. Dionys. Halicarn. Liv. *l.* 1. &c.

TARQUINIUS II. Superbus, septimus & ultimus Roman. Rex, à moribus cognomen adeptus. Tulliam, Servii Tullii filiam uxorem duxit, præferoci ingeniô mulierum, cujus consiliô socerum interfecit, regnumque sceleste occupavit. Bellô tamen strenuus fuit, Latinos, Sabinosque domuit Suessam Hetruscis eripuit, Gabios per Sextum filium simulatô perfugiô in ditionem redegit. Ferias Latinas primus instituit. Carceres, exilium, tormenta excogitavit, sævus in subditos cujuscunque conditionis. Templum omnibus Latinis commune condidit: Capitolium structurus, caput humanum in fundamentis invenit; quâ de re aruspices consulti responderunt, eam arcem caput gentium futurum. Demum cùm Sextus ejus filius Lucretiæ per vim stuprum intulisset, cum universa familia in exilium actus, An. 245. Urb. Cond. cum in Ardeæ obsidione hæreret, ad Porsenam Hetruriæ regem se contulit, qui pro ejus restitutione nequicquam Romanis bellum intulit. Liv. *l.* 1. Plutarch. Florus, Dionys. Halicarn. &c.

TARQUINIUS Collatinus, Ægerii, ex Tarquinii Superbi sorore filius, gener Sp. Lucretii, qui Romæ præfecturâ urbis fungebatur. Cùm in Ardeæ obsidione cum regiis juvenibus cœnaret, exortâ de uxoribus mentione, cùm suam quisque certatim laudaret, Collatinus negat verbis opus esse, paucis id quidem horis sciri posse, quantum cæteris præstet sua Lucretia. Quid multa? citatis pariter equis Romam advolant, regiasque nurus in conviviis, luxuque cum æqualibus deprehendunt. Deinde Collatiam petentes, Lucretiam noctè serâ lanæ deditam inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt. Quare muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. Adveniens vir, Tarquiniique benignè accepti, victor maritus comites invitat regios juvenes. Ibi S. Tarquinium mala libido stuprandæ per vim Lucretiæ capit: tum forma, tum spectata castitas incitat. Dissimulatâ tamen in præsens cupiditate, tum quidem unà cum cæteris in castra redit; sed paucis post interjectis diebus Collatiam reversus, & à muliere propinqua hospitiô exceptus, nocte intempestâ conceptum animo facinus vi, minisque exequitur. Quam rem mulier castissima, tam ægrè tulit, ut postridiè viro, patreque per literas accersitis, cum rem, uti gesta erat, exposuisset, necem sibi consciverit. Pulsis deinde ob facinus tam tetrum Tarquiniis, Collatinus Bruto in Consulatu datus est collega: quô tamen non multò pòst coactus est se abdicare, non aliam ob causam, nisi quòd Tarquiniorum propinquus esset, eôdemque quô ille nomine diceretur. Liv. *l.* 1. & 2.

TARQUINIUS Lucius, vide *Lucius*.

TARQUITIUS Crescens, nomen centurionis, sub Cæsennio Pæto, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 11.

TARQUITIUS Priscus, Legatus Statilii Tauri Africæ Proconsulis, ejusdemque accusator. Sed ideò curiâ exactus est, quòd Patres, odiô delatoris, contra ambitum Agrippinæ pervicêre. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 59. D. Juniô Q. Hateriô Consulib. Damnatus Cæsoniô Pætô, Petroniô Turpilianô Consulib. repetundarum, Bithynis interrogantibus, magnô Patrum gaudiô, qui accusatum proconsulem ipsius meminerant, Idem, *l.* 14. *Annal. c.* 46.

TARRABENI, Corsicæ insul. populi, *Ptol.* quorum tractus & oppid. *Basilica* Leandro dicitur. Imò potius apud Bonifacium oppidum, ubi *Carabem* pagus.

TARRACINA, quæ & Anxur prius dicta, teste Pliniô, *l.* 3. *c.* 5. *Taracina* Straboni, *Tarrachina* Stephano, colonia & urbs Latii Episcopalis in colle apud Ufentis ostia, media ferè inter urbem Romam & Neapolim. A Græcis urbi hoc nomen fuisse impositum testatur Strabo, *l.* 5. *Sequitur post centum stadia à Circæo Tarracina*, Τραχῖνα καλουμένη πρότερον ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος, i.e. ab asperitate. *Nic. Lloyd. Baudrando* urbs aliàs Volscorum, in Latio, nunc Campaniæ Romanæ in confinio regni Neapolitani. Ad radices collis, in ora maris Tyrrheni sed ejus portus arenâ obductus est. Cum castro satis munito. Urbs deficit indies, ob aëris inclementiam, & paludes Pomptinas adjacentes. In ditione Pontificis.

TARRACO, insignis Hispaniæ civitas, Scipionum opus, à qua provincia ipsa *Tarraconia*, & *Tarraconensis* vocatur. Mela, *l.* 2. *c.* 6. *Tarraco urbs est in his oris maritimarum opulentissima.* A' Martis mœnibus circumdata est. Hanc nunquam captam gloriantur Hispani. De Conciliis hîc habitis, Moter. Hinc *Tarraconensia vina* optima. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 118.

Tarraco Campano tantùm cessura Lyæo.

Silius, *l.* 3. *v.* 369.

——————— *Dat Tarraco pubem*
Vitifera, & Latio tantùm cessura Lyæo.

Plin. *l.* 14. *c.* 6. *Hispaniarum Laletana (vina) copiâ nobilitantur, elegantiâ vero Tarraconensia.* Syrum habet nomen טרכון *Tarcon*, quasi regiam, aut palatium dixeris. Martial. *l.* 10. *Epig.* 104. *v.* 4.

Hispanis pete Tarraconis arces.

Ausonius, *in Emerita*, *Clar. Urb.* 9. *v.* 4.

Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certat.

Quod verò ait auctor noster, Tarraconem esse Scipionum opus, testes secum habet Plinium, *l.* 3. *c.* 3. & Solinum, *c.* 26. idque quia non parum auxerunt. Alioquin autem de Tarracone jam scripserat *Eratosthenes*, antequam Scipiones pedem in Hispaniâ fixissent. *Nic. Lloyd. Baudrando* fuit urbs aliàs Coletanorum, nunc Cataloniæ, cum portu, in ora maris Mediterranei, parvi circuitus, deficit indies. Archiepiscopalis ad ostia Tulcis fluv. 12. leuc à Dertosa in Ortum, Barcinonem versus 15. & 250. ab Olarsone oppid & Fonte Rapido in Eurum. Ab ea tractus adjacens, *Campo de Tarragona.* Vide Oihenart. *utr. Vasc.* Nec omittendum quòd *Tarraconenses* primi Augusto Templum posuerunt, adhuc vivo, *datumque in omnes provincias exemplum*, Tacitus, *Annal. l.* 1. *c.* 78. quos tamen in ejus cultu parùm fuisse diligentes, notum est ipsius Augusti joco, apud Quintilianum: *Ædem* postea, quum labebatur, *restituit sumptu suô Hadrianus, omnibus Hispaniæ Tarraconem in Conventum vocatis*, apud Spartian. *c.* 12. Idem & Severus fecit, somniô monitus, ut in ejus *Vita* habet Spartianus &c. De *Tarraconensi Conventu*, Spartiano indigitato, Plinius, *l.* 3. *c.* 3. & antiquæ *Inscriptiones* plures. Vide quoque Salmas. *ad Solin. p.* 276. & *seqq.*

TARRACONENSIA Juga, *B. Cemosio los Romelinos*, mons Hispaniæ citerioris apud Cæsar-Augustam, 3. leuc. ab ea ubi sal suavissimi saporis.

TARRACONENSIS Hispania, ab Ortu in Occasum, ad 660. mill. pass. extendebatur, à Templo Veneris, ad Nerium promontor. lata non æquè. Vide *Hispania Tarraconens.*

TARRAGA, colonia & oppid. Hispaniæ citerioris haud obscurum in Catalaunia. Populi *Tarragenses* Plin. *l.* 3. *c.* 3.

TARRAS, quæ THARROS *Antonin. Larghier*, teste *Nigrô*, urbs Sardiniæ litoralis ad Occasum, Episcopalis sub Archiepiscopo Turritano. Sed *Algiers* aliis est Catacodes. Fortè locus in ora, inter Bosam & Algarium. *Baudrand.*

TARRHA, urbs Lydiæ, & alia Cretæ, patria Lucii Grammatici, ubi *Tarrheus* Apollo colitur. Item alia juxta Caucasum, colonia Cretensium. *Stephan.*

THARRÆUS Lucillus, vide *Lucillus*.

TARRUBIUS, cui prænomen *Lucius*, Mathematicorum nobilissimus, qui Natalem Urbis Romæ reperit, familiaris Varronis, ac M. Ciceronis. Vide Plutarch *Romulô*, qui eum vocat *Tarrutium*. Solin. *c.* 2.

TARRUTINUS Paternus, Præfectus Prætorio, conspirationis

Quadrati & Lucillæ, contra Commodum, conscius & interventor eâ detectâ per lati clavi honorem à præfecturæ administratione primo submotus, postmodum cum Juliano, quem sibi generum destinaverat, & Vitruvio Secundo, interfectus est, apud Lamprid. *in Commodo* c. 4. *Tarruntius* dicitur in l. 12. *ff. de re Mil.* & apud Dionem *in Legationum Excerptis e Marci Vita.* Ταρρούντιος, *Tarruntenus*, in vetere Indice Pandectarum. Vide Casaub. & Salmas. *ad Lampridii locum.* Meminit & *Lucii Tarrutii*, *Mathematicorum nobilissimi*, Solinus c. 1. qui Græcis Ταρούτιος: sicut iisdem Ὁρτήσιος, qui Latinis *Hortensius*, uti docet idem Salmas. *ad loc.*

TARSA, unus è Ducibus Thracum montanorum, contra Tiberium rebellium, qui, postquam à Poppæo Sabino in castello ac conjunctis tumulis cum sociis artâ obsidione premeretur, iisque aqua & pabulum erepta essent; deditioni mortem antetulit. Nam properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans, dedit exemplum demissô in pectus ferrô, nec defuêre qui eôdem modô oppeterent. Tacit. *l. 4. Annal. c. 50.*

TARSA Samuel, vide *Samuel.*

TARSA, vicus olim Comagenes in Syria populosus, ad Euphratis ripam, à Samosatis 150. stad. in Meridiem.

TARSATICA, seu TARSATICUM *Antonin.* oppid. Liburniæ litorale. *Tersacz* Lazio. *S. Maria de Transfiarth.* Simlero. Baudrando est *Tersacz*, seu *Tersethe* ex *Lazio*, castrum Liburniæ in colle, prope amnem *Fiume Carnero.* Vix 1. milliar, German. à Vitopoli in Boream, ubi abrupta sinus Carnarii & maris Hadriatici in Carniola sicca; sub Austriacis.

TARSEA, urbs Bithyniæ, aliâs Tarsus dicta. *Steph.*

TARSEION, *Steph*, oppid. Hispaniæ apud columnas Herculis; quod aliis Carteia est.

TARSIA, Græcè Ταρσία, vel Ταρσίη ἄκρη, promontorium apud Arrianum, *in Indic.* quod *Themisteas* Plinio, *l. 6. c. 25.* Vide Salmas. *in Solin. p. 118.* Item Regnum Asiæ, *Cathaji*, & *Turquestani* Regnis vicinum, apud Aithonum c. 2. Sanutum, *l. 3. part. 13.* & in *vetere Geographia*, quæ habetur *in Gestis Dei per Francos*, *Tom. 2. p. 85.* Unde *Tarsicus*, panni pretiosioris species, in *Visitat.* Thesaurariæ S Pauli Londin. *ann. 1295. Dalmatica de panno Indico Tarsico Besantato de auro.* Item, *Casula de panno Tarsico*, *Indici coloris* &c. apud Car. du Fresne *Glossar.* ubi Scriptores alios inferioris ævi *Tartaros Tarsosque* vulgò confundere, addit. Aliàs ταρσοὶ, Græcis viminea texta vel crates arundineæ, super quibus siccabantur casei, ut suprà vidimus. Unde *ταρσοὶ καλάμων*, *texta cannecea* ad continendam structuram lateribus interposita, qua de re vide Salmas. *cit. loc. p. 1230.*

TARSIS, sive TARSES, Jonæ *c. 1. v. 3.* & *l. 1. Reg. c. 10. v. 22.* (quæ *Tharsis*, & *Tharses* cum aspiratione apud alios leguntur) locus est maritimus, per quem classis Salomonis ad Ophir deferebatur, & quò Jonas Propheta, jussus ire in Niniven, aufugit. Quis sit hic locus, digladiantur inter se scriptores. Non desunt, qui Tarsum urbem Ciliciæ præcipuam interpretentur. At huic interpretationi repugnat utraque historia, præsertim Jonæ; qui cùm nollet ire Niniven, urbem Babyloniæ sive Assyriæ, fugit ad Tarsum locum ex adverso, qui non Niniven duceret, non ad Tarsum, ex quo brevis est in Mesopotamiam trajectus. Aliis *Tarses* idem, quod Tartessus urbs & insula Hispaniæ Bæticæ in mari seu freto Gaditano, unde brevior in Ophir (quam diximus esse vel Peruviam, vel insulam maris Atlantici) est navigatio: Qua de re vide Becanum *in Hispanicis.* Vide quoque in voce *Tharsis.*

TARSIUM, *Ptol.* oppid. Pannoniæ inferior. ubi Maximinianum Imperatorem occubuisse Aurel. Victor testatur, *Tarsogo* habent alii codices.

TARSIUS, fluv. Troadis, *Straboni*: apud Zeliam, & viam eandem vicies secans, sicuti Rhebus Bithyniæ fluv. inter Nicomediam & Nicæam vicies quater.

TARSURAS, fluv. Colchidis, Arrian. *Tersor* etiam dictus & *Thessyris*, nunc *Ocharus*, Archang. Lamberto. Oritur ex Colchicis montibus, & in Pontum Euxinum cadit, juxta Tersuram oppid. quod *Tassiros*, & *Tarbedi* dictum est, nunc in ruinis jacens.

TARSUS, aliàs dicta *Antoniana Severiana*, & *Hadriana*, ut patet ex numism. Gr. Anton. Caracallæ, urbs Ciliciæ clarissima, Strabo, *l. 15.* & regionis totius caput, in campis sita, & Cydno amne irrigata: cujus conditorem volunt fuisse Perseum, Danaës filium. Solin. *c. 41. Matrem urbium habet Tarson, quam Danaës proles nobilissima Perseus locavit.* Unde Lucan. *l. 3. v. 225.*

Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos.

Alii tamen urbis hujus originem ad Sardanapalum referunt, postremum Assyriorum regem: cujus etiam monimento incisum erat, quòd Tarsum & Anchialum die unô condidisset. Hæc fuit Antipatri Stoici, Archidemi, Nestoris, Athenodori utriusque, &c. &, quòd præcipuum, Apostoli Pauli, patria. Ibidem claruit Apollodorus Tragœdus, sicut Athenis Apollodorus Comœdus, Menandri synchronus. Actor. *c. 21. comm. 39.* Εἶπε δὲ ὁ Παῦλος. Ἐγὼ ἄνθρωπος μέν εἰμι Ἰουδαῖος Ταρσεὺς, τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. Dicta verò Tarsus est, ut quidam existimant, à siccitate. *Τερσαίνειν* enim & *Τέρσειν* siccare significant, vel quòd hujus regionis loca primò post diluvium siccarentur: vel, ut Eratosthenes, quoniam in eo tractu primi degentes homines, tritici, & leguminum fruges, ut reconditæ perdurarent, exsiccâsse perhibentur. Quidam à Tharsi, filio Javanis, & Japeto oriundi, dictam: Allii à parte pedum, quæ *Tarsus* dicitur, ut in manu, sic vocatam volunt; quoniam eô locô Bellerophon de Pegaso cecidisse, pedemque offendisse dicitur. Dionysius Periegetes, *v. 869.*

Ταρσὸν ἐϋκτιμένην, ὅθι δή ποτε Πήγασος ἵππος
Ταρσὸν ἀφεὶς χώρῳ λίπεν οὔνομα, τῆμος ἀφ' ἵππων
Ἐς Διὸς ἱέμενος μέγαν ἤλασε Βελλεροφόντης

Polyhistor tamen non Bellerophontem, sed Pegasum eo in loco crus fregisse scribit. Joco Juvenalis de Tarso, *Sat. 3. v. 118.*

——— *Ripâ nutritus in illâ,*
Ad quam Gorgonei delapsa est penna caballi.

Nic. Lloydius.

Hodie *Terassa* incolis, & *Tersis* Turcis, teste *Leunclavio.*

TARTALEA Nicolaus, Brixianus, Rem Mathematicam pluribus egregiis scriptis illustravit; in Patria malè habitus, Venetias se contulit, ibique Proceribus Reip. ac Legatis Principum exterorum magni æstimatus, obiit A. C. 1557. Opera ejus in quibus Tractatus *de Numeris & Mensuris* præ cæteris Thuano laudatur, enumerat Anton. Teissier. *Elog. part. 1.* Vide etiam Auctorem *Theatr. d'huom. Lett. p. 2.* & supra *Nicolaus Tartalea.*

TARTARI, populi partim Asiæ, partim Europæ, qui olim *Scythæ* appellabantur, nomen acceperunt à tribu *Tartar*, ex qua senex quidam, *Cangio* appellatus, vir obscuri quidem generis, verùm prudentiâ & sanctitatis opinione insignis, natus, Rex atque Imperator ab illis factus est. Quorum originem antiquissimam multi ad decem Israelis tribus referunt; quod unde habeant, non video: illud quidem constare videtur, Scythas à Magogo, Japeti filio, cujus in sacris literis sæpè mentio fit, originem ducere, decem illas tribus à Persarum Rege, non in Scythiam, sed in Mediam Persidemque translatas fuisse. Hodie longè lateque in Scythia & Sarmatia dominantur. A *Tartar* vel *Tatar* fluv. denominare illos malunt alii. Qui in Asia, excussô hic Sinensium dominatu, Cathaium amplissimum regnum, nomine *magnæ Tartariæ* condiderunt, A. C. 1203. Auctore Changiô Chamô, qui suo jussit unicum Deum colere. Ei ex 12. filiis maximus natu Hogotius Chan successit: quem excepit fil. Ochtai, A. C. 1226. qui fratres cum copiis ad cæteras orbis partes subjugandas misit, è quibus Batto, cui Septentrio obvenit, Moscoviam subjecit, Russiâque, Poloniâ & Silesiâ devastatis, Henricum Ducem ad Lignitium cruentissimô prœliô, incantationibus adhibitis vicit, A. C. 1242. Degunt sub Magno Chamo, fævi, crudeles, bellorum avidi, sagittandi peritissimi: diripiunt, vastant, quidquid Mars obtulerit: tranquillioris inter illos vitæ amantes, in tentoriis degunt, pastoritiam vitam sectati. Equitatu maximè Chamus valet; Cæterùm ferè omnes Mahometani sunt, licèt Judæorum, Hæreticorum, & Schismaticorum, à parte Moscoviæ, inter illos non pauci. Tartari Europæi, olim sub propriis Principibus, postmodum à Tauris Scythis subacti nomen quoque acceperunt. His pulsis, Mithridates regione potitus est, donec Romani illô victô, in Chersoneso Taurica proprios Reges instituerunt, Bosphori Reges dictos. Postea divisô Imperiô, Orientalis Imperii pars Tartaria fuit, à Genuensibus dein subacta. Sed A. C. 1250. Tartari superiores ipsos Genuenses tributum sibi pendere coegerunt. Mahometes tandem II. captâ Caffâ, A. C. 1452. illos penitus expulit. Excursionibus continuis vicinis infesti, Kanum Principem habent, Turcæ tributarium, qui illos sæpe contra Polonos, qui ipsis olim tributa penderunt, ut auxiliaribus illorum copiis ad omnes casus uti possent, & Cosacos emittit. Sic in Poloniam irruptione factâ, A. C. 1289. unum & XX M. innuptarum puellarum abduxêre, ut recentiora omittam. Panem contemptum bestiarum pabulum vocant, carne solùm vescentes, quas sæpissimè coquunt, sub ephippiis. Tartarorum Chamum Turcici Imperii hæredem esse, si Ottomanorum familiam extingui contigerit, refert Petrus de Valle *Itiner.* præter quem vide Bergeron. *tract. de Tartar.* Nicol. Huenium, *Hist. Tartar.* Guil Bruilium, *Diar. de Tartar.* Mich. Lithuanum de moribus *Mosc. Lithuanorum & Tartar.* Guil. Rubruquisium, Joh. Carpinum Ascelinum, *Itiner Tartar.* Martin. Martinium, & Palafoxum, *Hist. occup. Sinens. Monarch.* Marc. Paulum, P. de Valle, *Itiner. tom. 3.* Becmannum, *Hist. Orbis terr.* ubi *Tartaros* ex Septentrionali Asia accessit, propriòque τῷ *Tartar* nomine venire, qui Mogolorum partem constituunt, Scythas extra Imaum montem: nunc autem in universum omnes Septentr. Asiæ incolas ad extremum Orient. usque sic appellari refert. Georg Hornius, *Hunnos* olim *Scythasque* dictos ait, & de nominis origine ex Monacho Rubruque, ante 4. secula in Tartariam à Galliæ Rege missô, ista habet: *Tartari, tribus quædam sive horda Scytharum fuit sic appellata, à fluvio Tater. Qui cum in exercitu Mogolum seu Scytharum militantes, perpetuo præmitterentur, sparsa adventus eorum fama, populus passim inclamavit*, Tataros *adventare, quo pacto nomen illud paulatim toti genti hæsit. Quæ opinio etiam hinc capit fidem, quod ipsi Scythæ sese in hunc diem non Tataros sed Mogolos apellant.* Idem primam mentionem Imperii Tartarici in A. C. 400. incidere, apud Emircontum Scriptorem *Rerum Pers.* Regumque commune nomen fuisse Hakon, unde *Chagan*, apud Latinos & Græcos, addit. Quò pactô postmodum *Cingis Chan* seu *Schinguis-Kan* Imperium totô orbe amplissimum, *Tartariæ Magnæ* nomine, condiderit, sub finem seculi XII, & quo modo, postquam intestinis posterorum ejus dissidiis prope collapsum esset, illud *Temir Lenkus* seu Tamerlanes restauraverit, circa A. C. 1370. ut & alia huc pertinentia, diximus passim. Plura vide apud Georg. Hornium præfatum *Orb. Imper cum Animadv. L. Joach. Felleri, p. 426. & seqq.* & *Orb. Polit. cum Animadv.* itidem *I. Ottonis Menckenii Part. 3. p. 417.* ubi *de Memorabilibus Tartaricis*: Martin. Bromovium *in Tartar. descr.* Alios. Vide quoque infrà.

Series Magnorum Tartariæ Regum.

Schinguis-Khan, cùm 4. haberet filios, singulis quidem aliquam ditionum partem assignavit, primogenitum vero *Magnum Chamum* appellari, cæterosque fratres ei subesse voluit. Itaque ei successit.

Octai seu Hokota, qui totam Persiam pulsis Turcis perdomuit.

Man-

Mango, Christianam religionem amplexus, amplissimum Chinense Regnum in suam potestatem redegit.

Klubai seu *Cobila*, urbem Chinensium maximam *Cambalu* seu *Peking* extruxit. In ejus aula M. Paulus Venetus per 17. annos vixit.

Ulacucan seu *Alau*, urbem Bagdadum, necatô in thesauris suis Chaliphâ ultimô, expugnavit. Post eum intestinis dissidiis omnia in pejus ruere, usque ad Tamerlanem, ut dictum, de quo vide suô locô, & plura apud Bœclerum *Diatribâ pecul. de Tamerlane.*

TARTARI Budziacenses, vulgò *les Tartares de Budziack*, populi sunt Europæ in parte inferiori Daciæ, ubi nunc Bessarabiæ pars Australis, versùs oram Ponti Euxini, & inter ostia Danubii & Tiræ fluviorum.

TARTARI Dobrucienses, vulgò *les Tartares de Dobruce*, populi sunt Europæ in parte Orientali Bulgariæ, ubi aliàs Scythia provincia Mœsiæ inferioris; extenduntúrque inter ostia Danubii ad Boream & Varnam ad Austrum, sub dominio Turcarum.

TARTARI Oczacovienses, vulgò *les Tartares d'Oczacow*, sunt in ora Ponti Euxini, inter ostia Borysthenis & Tiræ, in ipso limite Poloniæ & Tartariæ minoris, cum urbe primaria Oczacovia; suntque Turcarum vectigales, ut alii Tartari Europæi.

TAPTARIA, vulgò TARTARIE, pars Asiæ amplissima, magis ad Boream extensa, ubi aliàs Scythia intra & extra Imaum & Serica regio. Dividitur à quibusdam in quinque partes seu regna, nempe in *Tartariam veram*, quæ ad Boream; *Catajam*, quæ ad Ortum; *Tartariam desertam*, quæ ad Occasum; *Zagatayam*, quæ versùs Persiam: & *Turchestaniam*, quæ ad Austrum versùs Indiam propriam. Alii autem, & meliùs, ut Arabes, dividunt *Tartariam magnam* in plures partes Europæis vix nomine notas: quarum præcipuæ sunt Thibetum regnum, *le Thibet*, seu *Tobbat*, ubi aliàs pars Australis Scythiæ extra Imaum; Mauralnaharia, *le Maurenaher*, seu *Mawarainahra*, ubi olim Jaxartæ & Sogdiana pro majori parte; Olgaria seu Calmuchi populi, *l'Olgarie ou les Kalmuki*, ubi aliàs Orgasi populi Scythiæ intra Imaum; Chazalgitæ, *les Chazalgites*, ubi olim Sacæ populi Scythiæ intra Imaum; Chaulachitæ, *les Caulachites*, seu *Kara Cathay*, ubi Alani Scythæ in Scythia etiam intra Imaum montem; Mongalia, *Mongal* seu *Moal*, & *Magog*, ubi olim Hyperborei Scythæ; Kaimachitarum seu Naimanorum regio perampla, *les Kaimachites ou Naimans*, ubi aliàs pars Borealis Scythiæ extra Imaum & Sericæ regionis; Tangutum regnum, *le royaume de Tangut*, seu *Taniu*, & *Bagargbar*, ubi pars Australis Sericæ regionis: Niucanum regnum, *le royaume de Niuche*, seu *Tenduc*, ubi minor pars Sericæ Australis; & Jupia regio, *Ypi*, maximè in Ortum extensa. De quibus omnibus pauca dici possunt, cùm in his raræ sint urbes: & de illis Abulfeda fusiùs. Subest Tartaria plurimis Regibus, ex quibus Reges Niucani Sinarum Imperium devastârunt hisce ultimis temporibus, & etiamnum occupant. Ipsa autem Tartaria, quæ meliùs *Tartaria magna*, terminatur a Septentrione mari Boreali seu Scythicô, uti ab Oriente, & mari Kaimachitarum, ab Occidente Moscoviâ, & à Meridie Persiæ, Indiæ, & Sinarum Imperiis.

Tartariæ Magnæ urbes secundùm recentiores:

Asmirea, *Chacan Kaimach.*	Damna, *Mostanah.*
Auzacia, *Sisian.*	Issedon Scythica, *Caracoram.*
Baghara, *Baghar.*	Issedon Serica, *Suchur.*
Camulum, *Camul*, & *Xamo.*	Maracanda, *Samarcand.*
Casgarium, *Kasgar.*	Ottorocora, *Tuluphan.*
Cialium, *Cialis.*	Soeta, *Tobbat.*

Thagura, *Campion*, seu *Tangut.*

TARTARIA Minor, seu *Precopensis*, vulgò *la petite Tartarie*, seu *Krimsky*, & *Nahaisky*, regio est Europæ inter Pontum Euxinum ad Meridiem, paludem Mæotidem ad Ortum, Moscoviam ad Boream, & Podoliam atque Volhiniam provincias Poloniæ ad Occasum ubi aliàs parva Scythia seu Cimmeria, & Scythia Europæa, in parte Australi Sarmatiæ Europææ. Duplex est, nempe *Tartaria Crimea*; seu *Precopensis propria*, vulgò *Krimsky ou Tartarie de Precop*, aliàs *Taurica Chersonesus*, & *Tartaria Nogajensis*, vulgò *Nahaisky ou Tartarie des Nogais*, ubi olim pars Borealis parvæ Scythiæ, & populi Basilides Scythæ, Nomades Scythæ & Mœotæ. Patet autem tota propriis Principibus è gente Gereja sub clientela Turcarum. In Nogajensi raræ admodum sunt urbes præter Tanaim emporium, *Assoph*, & *Azak*. Sed in Taurica Chersonesô sunt Precopia, aliàs Taphræ, *Perecop*, à qua nomen regioni inditum, Baccalara, *Bacisaray*, Mancupia, *Mancup*, Cercum, *Kerci*, Crimea, *Solat*, seu *Crimenda*, & Cossovia, *Coslow*: Cavum verò, *Caffa*, emporium celebre in ora Ponti Euxini subest dominio Turcarum. Vide *Taurica Chersonesus.*

TARTARIA, vulgò TARTAR, urbs ampla Asiæ, Tartariæ veræ caput, ad fluv. cognominem ut quidam tradunt. Sed de ea pauca dici possunt, cùm etiam aliqui dubitent, an in præsens extet.

TARTARON, apud Order. Vitalem, *l.* 10. *Imperator autem plurimas naves* Tartaronibus *onustas misit*, aliosque est moneta ænea Græcanica, Græcis ipsis τεταρτηρὸν dicta, quam Nicephorus Phocas Imperator primus cudi curavit, teste Cedrenô, *p.* 658.659. & Zonarâ, *p.* 162.

TARTARUS, fluv. Venetiæ, ex Athesi in Padum per Hadriæ fines decurrens; unde unum ex Padi ostiis *Tartarum* à Plinio, *l.* 3. *c.* 16. nominatur. Est & *Tartarus*, & *Tartara* numer. plural. locus inferorum à poëtis plurimùm celebratus; in quo sontes plectuntur, Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 543.

Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

A verbo Græco ταράττω, *conturbo*, quòd illic omnia plena sint perturbationis; vel ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν, i.e. à tremore frigoris. Sole enim caret, inquit *Servius.* Aliis placet ab ταρὸ derivari, secundò indefinitô τοῦ τείνω, Τάρος, atque per anadiplosin Τάρταρος. Doctissimo D. Windetto origo Chaldaica multo magis placet, à themate דרדר *dardar*, i.e. *decidit*; quô sensu Tartarus pro eo quod subsidit, ac fundum petit, accipitur. Sic Hebræi תחתיות ארץ *infima terræ* pro Gehenna usurpant. Homer. *Iliad.* 9. *v.* 481.

Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς Τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ' ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
Τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 577.

——— *Tartarus ipse*
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

Non desunt, inquit vir magnus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 40. quibus Tartarus nihil aliud est, quàm aer crassus, frigidus ac tenebrosus circa polos. Ita *Crates* apud *Stephanum*: Τάρταρος, Κράτης, τὸν ὑπὸ τοῖς πόλοις ἀέρα παχυμερῆ τε καὶ ψυχρόν τινα, καὶ ἀφώτιστον. *Hesych.* Τάρταρος, ὁ ὑπὸ τὴν γῆν κατώτερος τόπος. *Nic. Lloydius.* Duplicia verò habuisse *Tartara* Poëtas, liquet ex Papinio Statio, *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 192.

Sic ego, nec Furias, nec deteriora videbo
Tartara, *& Elysias felix admittar in oras.*

Ubi *deteriora* vocat, in quibus pœnæ exercerentur. Altera *Elysias oras* mox appellat. Vide quoque Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 578. &c.

TARTASSIUM, vulgò TARTAS, urbs culta Vasconiæ, in tractu Lebretensi, ad Midutium fluvium, 5. leuc. supra Testam in Ortum; 16. à Burdegala in Meridiem.

TARTESSOS, quæ *Carteia*, vel *Carteia Ptolemæo*, nomen habet à fluv. præterlabente. *Stephan.* vulgò *Tariffa*, oppid Hispaniæ Bæticæ in ora, inter Calpen & Bellonem. Apud Sil. Italicum Carteia à Tartesso diversa est. Livius autem Carteiæ situm describens, omninò eadem fuisse ostendit. *Uno verbô* (inquit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan, c.* 14.) *triplex est Tartessus apud veteres. Una propriè dicta in insula ad Bætis ostia, qui & ipse Tartessus de nomine urbis dictus est. Duæ sic dictæ καταχρηστικῶς, Carteia, nimirum, & Gades. Has condidêre Phœnices, ac primam illam jam conditam invenerunt.* Vide quæ sequuntur, imò & quæ præcedunt apud authorem eruditissimum *Geogr. p.* 671. *Nic. Lloydius. Baudrando* Tartessus, *Tariffa*, urbs fuit Vandalitiæ, in ora freti Herculei; contra Mauritaniam Tingitanam hinc 6. leuc. distantem. Cum portu amplo. Nunc diruta paucisque habitata. Mauris à Sanctio erepta est A. C. 1292. Hinc *Tartessius.* Ovid. *l.* 14. *Met. Fab.* 9. *v.* 416.

Presserat occiduus Tartessia litora Phœbus.

Item *Tartessiacus.* Martial. *l.* 9. *Epigr.* 62. *v.* 1.

In Tartessiacis domus est notissima terris.

TARVANNA, melius TERVANNA, vel TARVENNA, urbs Belgii, Morinorum olim metropolis, in *Notit. veter.* inter Provinc. Belgicæ secundæ civitates duodecim undecima, in recentioribus sexta melius: in veteri nummo apud Goltzium *Colonia Marmorum*, sita fuit in Picardiæ & Artesiæ confinio Episcopalis. Dein urbs munita Artesiæ, ad Legiam amnem, à Carolo V. Imperatore solo æquata, A.C. 1552. Cujus rudera, à paucis habitantur, vix 2. leuc. ab Aria in Occasum sub Francis. *Baudrand.* Caput olim pagi Tarvennensis *le Terouannois*, cujus pars est pagus Ternensis, vel Toënnensis, *le Ternois*, à Terna fluv. cognominatus: Ejus olim & Bononiæ unus Episcopus fuit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide *Tervanna.*

TARUDA, Civitas Mauritaniæ Cæsareensis, *Ptolem.*

TARVEDUM, quod *Orchas*, *Ptol. Orcha Diodoro Siculo*, promontor. Albionis in ora Scotiæ Boreali, contra Orcades porrectum. *Howburn* Camdeno.

TARVESEDE, pagus Rhætiæ, S. *Jacob in Clavenerthal* Scudo. *Speluga* verò Simlero.

TARUGIUS Franciscus, vide *Franciscus.*

TARVISANI montes, colles ad Alpium Tridentinarum radices, inter Feltriam, Belunum, ac Cenetam.

TARVISINA Marchia, vide *Marchia Tarvisina.*

TARVISIUM, incolis *Trevigi*, caput Marchiæ Tarvisinæ, urbs ampla & munita, sub Venetis. 20. milliar. à Venetiis in Circium, uti 15. ab Opitergio, in Africum, 24. à Patavio in Cæciam Cenetam versus. A. C. 1509. à Maximil. I. Imperatore expugnata fuit. Condita est ab Noricis, Osirianis & Taurisanis, unde *Taurisium* Joh. Annio dicitur.

TARUM, aromatis genus. Plin. *l.* 12. *c.* 20. *Ex confinio casiæ cinnamomique & cancamum ac* tarum *invehitur, sed per Nabatæos* &c. Ubi Dalechampius, Lusitanis hodie *Aquila brava*, i.e. agallochum sylvestre, lignum odoratum, agallocho verò nonnihil simile, dici, nascique in promontor. Comorino, & in Zeilana insul. notat. Garcias quoque ab Orto in Malaca agalochum *garo* vocari, hincque sumtum *tari* nomen, contendit *de Aromat. l.* 1. *c.* 16. Sed Salmasius, qui agallochum, cum aloë aromatica, idem esse docet, *tarum Plinianum* existimat id esse ligni odorati genus, quod Arabes absolutè *Haud*, i.e. *lignum*, nuncupant, quodque Aëtius in σκευασίᾳ Myrepsici Thymiamatis ξυλαλόης interpretatur. Vide eum *ad Solin. p.* 1054. & 1055.

TARUNTIUS, vir Philosophiæ, tum Mathematicarum inprimis studiosus; de quo Plut. *in Romul.* Vide *Tarutius.*

TARUS, Lombardiæ Cispadanæ fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 16. *Taro* Leandro.

TARUSATES, Plin. *l.* 4. *c.* 19. populi Galliæ Aquitanicæ quorum oppid. *Tarse*, teste *Marliano* in Auscensi diœcesi, inter Vocates & Flu-

ſtates. *Bandrando* horum tractus parvus adhuc *le Turſan* dicitur, in diœceſi Aturenſi, prope Aturum caput, P. du Val. 15. circiter leuc. Aquitan. ab Auſciis in Occaſum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

TARUSCUM, Saliorum urbs in Gallia. *Ptol.* vulgò *Taraſcon.*

L. TARUTIUS Firmanus, familiaris Ciceronis, inprimis Chaldaicis rationibus eruditus, Urbis natalem diem repetebat ab iis Palilibus, *quibus eam à Romulo conditam accepimus* (inquit Cicero) *Romamque cùm eſſet in jugo* (ἐν ζυγῷ vel ἐν συζυγίᾳ) *Luna, natam eſſe dicebat, de Divinat. l.* 2. Idem, rogatu Varronis, etiam Romuli geneſin ex ejus apoteleſmaſi indagavit, Plut. *in Romulo*: qua de re vide Joh. Marshamum, *Canone Chronicô Sec. XVI.* ubi *de Roma condita.*

TASACORA, urbs Mauritaniæ Cæſarienſis *Antonin. Taſaccura Victori Uticenſi.*

TASARTA, oppid. Africæ propriæ. *Antonin.*

TASCA, vide *Phaſca.*

TASCI, vide *Paſagardæ.*

TASCIA, in nummis antiquis apud Camdenum *in Britannia.* ubi eos exhibet, cum equo abſque fræno currente, & *inſcr.* TASCIA. in una parte; ex altera, in medio, cum literis his tribus VER. Davidi Povello *tributum* notat, adeoque is *Tributum Verulamii* (urbs Britanniæ eſt) utramque vocem interpretatur: alios, nummos tributarios fuiſſe, qui in caput & agros impoſiti quotannis exigerentur à Romanis, exiſtimare addens. Vide Camdenum, *p.* 314. 3. *edit.* Certè *Taſca* Gallica vox vetus eſt, quam pro præſtatione agraria recentiores ſumpſère, uti pluribus docet Car. du Freſne. Unde, quòd agri, hujuſmodi præſtationibus obnoxii, inquinati & commaculati quodammodo ſint, factum ut Hiſpani vocem *tacha*, & Galli *taſche*, pro quolibet defectu, aut macula ſumant. Sed & *taſca* Italis pera, ſeu ſacculus eſt: hodieque Abbavillenſes marſupium, quod à cingulo Majoris pendet, & ſymbolum Magiſtratus eſt, vocant *la taſſe du Majeur.* Vide præfatum Auctorem in *Gloſſar.* pluribus de hac voce agentem.

TASCODRUGITÆ, Hæretici circa ann. 19. Antonini, ſic dicti à τασκὸς, quod illis *paxillum* ſonabat, & δρουγγος, *naſus*, quòd indicem digitum inter orandum naſo apponerent, ut animi triſtitiam & affectatam quandam ſanctitatem præ ſe ferrent. Aliàs Πασσαλορυγχῖται: item *Phrygiaſtæ* & *Montaniſtæ*, Epiphan. *Hæreſ.* 48. de quibus vide Jacob. Gothofredum, *ad l.* 10. *Cod. Theodoſ. de Hæret.* laudatum Car. du Freſne ubi ſuprà, ut & in voce *Paſſalorhynchitæ.*

TASCODUNITARI, Plin. *l.* 3. *c.* 4. populi fuêre Occitaniæ, ubi nunc oppid. *Caſtelnaudarry*, prope Fanum S. Papuli, 6. leuc. à Carcaſſone in Ortum, Toloſam verſus 9. *Sanſon.*

TASCUTINI, populi Ponticæ regionis, circa Colchidem, Diodor. Sic. *l.* 14. niſi locus vitiatus ſit.

TASGETIUS Carnutus, cujus majores in ſua civitate regnum obtinuerant. Hunc Cæſar in majorum locum reſtituerat, Cæſ. *Comment. l.* 5. *c.* 25. Tertium jam hunc annum regnantem inimici palam, multis etiam ex civitate auctoribus, interfecerunt. *Ibidem.*

TASIBIS, Græcè Τάσιβις. Solymis cultus; Theodoret. *Græcar. affect. cur. l.* 3. Τάσιβιν vocat Euſebius, *Præp. Evangel. l.* 5. *c.* 5. ut & *Suidas*: Τερασιβιν Plut. *de Def. Oracul.* Vide ſuprà *Solymi.*

TASITIA, Æthiopiæ ſub Ægypto vicus. *Tapis* Anton.

TASSILO, vide *Thaſilo.*

TASSINGA, Inſul. parva Daniæ, in mari Balticô juxta partem Auſtralem Fioniæ, prope Suinburgum oppid. & Ariam Inſul.

TASSUS, vide *Torquatus.*

TASTA, vulgò *Acqs* ſeu *Dax*, urbs Vaſconiæ lepida & culta; balneis ſuis celebris. 5. leuc. à Tartaſſio in Occaſum Bayonam verſus 9. & 5. ab ora maris Aquit. in Ortum.

TASTACHE *Ptol. Teſte* Moletio, urbs Parthiæ, ultra Marrichen 45. mill. paſſ. in Ortum.

TATA vel TATTA, apud Romanos idem cum Nutricio. Thom. Bartholinus, *de Puerper. Veter. Papa pro Patre, apud Græcos & Romanos, ſeu Avo, ut apud Arabes, pro quo alii Atta, quod ad fratres etiam tranſiit, vel Abba, item Tatta. Mater nutrixque Mamma, quòd mammas porrigerent, & Pappi, qui pappum miniſtrant* &c. Meminit eorum *Inſcript.* vetus quæ Romæ in hortis, ad aquam Virginis, extat, & apud Gruterum legitur *Inſcr. p.* 662. *Dis. M. Zetho. Corinthius. Tata. ejus. & . Nice. Mamma. f. v. a.* 1. *d.* 16.. Hinc Τάτας τῆς αὐλῆς, *Tata Palatii*, apud Pachymerem, *l.* 4. *c.* 29. qui Τᾶς τῆς αὐλῆς: Matthæo Mon. & Τάς τῆς αὐλῆς, Auctori Anonymo ex Bibliotheca Mazarin. ſed utrique metri cauſâ, dicitur, officium Palatinum, apud Imperatores Byzantinos: quod quale fuerit, non liquere, ait Codinus *de Offic.* Petrus Poſſinus *Obſerv. ad Pachymerem*, Eunuchum majorem fuiſſe exiſtimat, qui Imperatoriæ prolis Nutricibus fuerit præfectus, quod admodum veriſimile eſt. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Dominic. Macrum *Hierolex.* in hac voce.

TATIANUS, Orator Latinus, Præceptores inter Maximini Junioris, *filius Tatiani, qui Provinciarum libros pulcherrimos ſcripſit, & dictus eſt Simia ſui temporis*, memoratur Capitolino *in Maximino Jun. c.* 1. Sed *Titianus* utrobique legi jubent Gruterus & Caſaubonus. Vide ibi. Sic quem apud Spartian. *in Adriano, c.* 5. editi libri *Tatianum* vocant tutorem quondam & præfectum; poſtmodum inter præcipuos amicos hujus Imperatoris *Altianum* dictum eſſe, monet Salmaſ. *ibi.*

TATIANUS, Rhetor Chriſtianus, de quo Euſeb. *l.* 4. *c.* 16. *Hiſtor Eccleſ. Tatianus quoque vir*, inquit, *eruditiſſimus, in prima ætate ſua magnâ cum admiratione oratorium docuit, ex qua non parum gloriæ quæſierat: poſtmodum ad noſtra ſe ſtudia convertens, libros etiam ipſe adverſus gentes dignos memoria reliquit.* Gente Syrus diſcipulus Juſtini Martyris fuit. Sic diu pietatis & eruditionis ſecundâ floruit famâ, laudatque Origenes tractatum ejus, *pro Chriſtianis contra Græcos*, quem Geſnerus vertit: in quo nihilominus varia falſa & ſuſpecta, ut cùm Animam noſtram, naturâ ſuâ mortalem fieri dicit &c. Poſt Præceptoris mortem, Româ in Orientem reverſus, ſcientiâ animum inflante, in Valentinianorum & Marcionitarum deliria incidit, poſteà Encratitarum anteſignanus factus. Adamum damnatum, conjugium illicitum, &c. eſſe dixit: In Harmonia 4. Euangeliſtarum, quam *Diateſſaron* vocavit, quæque cum præfatione Victoris Capuani, qui claruit A. C. 480. extat in Bibl. PP. omne id omiſit, unde veritas Corporis & naturæ Chriſti humanæ probari ſolet. Tribuitur ei quoque opus, *de perfectione Servatoris*, quam in abſtinentia à conjugio, aliiſque rebus in Euangelio conceſſis, conſiſtere ſtatuebat. Vide Iren. *l.* 1. *c.* 30. Tertullian. *de Præſcr. c.* 52. Clem. *l.* 3. *Strom. & l.* 2. *Pædag. c.* 2. Origen. *l.* 1. *in Celſ.* Euſeb. *in Chron.* A.C 172. *& in Hiſt. l.* 4. *&* 5. Epiphan. *Hær.* 46. Auguſtin. Philaſtrium & Joh. Damaſcen *de Hær.* Theodoret *l.* 1. *Hær. fab.* Hieron. *Cat. de Vir. Ill. c.* 29. *&c.* Dicitur *Aſtronomus excellentiſſimus* Sixto Senenſi.

TATIENSES, tertia pars populi Romani à T. *Tatio* dicta. Fuêre nempe Sabini, & quotquot ex ea regione vel cum T. *Tatio* vel poſtmodum venerunt. Coluerunt autem Capitolinum & Quirinalem: quemadmodum Ramnenſes, à Romulo dicti, Palatium ac Cœlium montes; Luceres verò, loca inter Palatium & Capitolium plana, atque circum Forum, tenuère. Fuêre poſteà diviſi in *Tatienſes primos & ſecundos*, ut & Rhamnenſes ac Luceres ſimiliter. Cùm enim ſub Tullo Hoſtilio Albani victi in Rhamnenſium Tribum adſcripti, cœterique omnes populi, qui ſub Regibus Romam venerant habitatum, præter Sabinos, Lucerum tribui incluſi fuiſſent, neque hæ Tribus, urbe jam multùm auctâ, ſufficerent: L. Tarquinius Priſcus numerum Tribuum augere & de ſe aliiſque amicis nominare volens, cùm ne id faceret, ab Augure Navio prohiberetur, veteres illas, ſub iiſdem, quibus inauguratæ ſub Romano erant, nominibus duplicavit, *primoſque & ſecundos Tatienſes*, Ramnenſes & Luceres conſtituit, quod, inter alios, ex Sexto Pompejo manifeſtum eſt, cùm ſcribit: *Sex Veſtæ Sacerdotes conſtitutæ erant, ut Populus pro ſua quiſque parte haberet miniſtram ſacrorum. Quia Civitas Romana in 6. diſtributa erat partes, in primos ſecundoſque Tatienſes, Ramnenſes & Luceres.* Quomodo Equitum eundem centurias duplicâſſe, tradunt Dionyſius & Liv. *l.* 1. *c.* 35. Manſitque hoc uſque ad Servium Tullium, qui, Tarquiniô Priſcô, filiorum Anci Marci inſidiis è vivis ſublatô, aliam Tribuum diviſionem inſtituit, urbemque poſt 7. colles, muro incluſos in quatuor partes *Palatinam, Suburanam, Collinam & Eſquilinam*, à totidem collibus denominatas, diviſit, quatuorque in poſterum Tribus eſſe juſſit. Dionyſ. *l.* 4 &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 15.

TATIUS, Sabinorum Dux, acertimus populi Romani hoſtis, qui proditione Tarpeiæ virginis Capitoliô captô, ex ſuperiore loco adverſus Romanos in aciem deſcendit: ubi cùm aliquandiu acerrimè ſed variâ victoriâ pugnatum eſſet, tandem diremptô interventu Sabinarum prœliô, An. 4. Urb. Cond. pax ita convenit, ut Sabini in urbem, Tatius in regni partem acciperetur. An. 7. Urb. Cond. Verùm, cùm poſteà Tatii propinqui Laurentium legatos pulſâſſent, eamque injuriam Tatius inultam reliquiſſet, illorum pœnam in ſe convertit. Nam cùm Lavinium ad ſolenne ſacrificium veniſſet, concurſu opidanorum factô, eſt interfectus: quidam id ex ſuggeſtione Romuli factum autumant. Liv. *l.* 1. *c.* 10. 11. 14. Virg. *Æn. l.* 8. Plut. *in Romulo, &c.*

TATIUS Cyrillus, Hiſtoricus, memoratur Capitolino in *Maximinis, c.* 1. *Servavi —— ordinem, quem pietas etiam tua à* Tatio Cyrillo *clariſſimo viro, qui Græca in Latinum vertit, ſervari voluit.* Ubi *Statium*, habere Regium codicem, notat Caſaubonus.

TATIUS Gratianus, præturâ functus, majeſtatis lege extremum ad ſupplicium damnatus ſub Tiberio, C. Ceſtio, M. Servilio Conſulib. *Tacit. Annal. l.* 6. *c.* 38.

TATIUS Maximus, Præfectus Prætorio, ſub Antonino Pio, poſt Gavium Maximum in cujus demortui locum duos præfectos ſubſtituit Imperator, Fabium Repentinum & Corn. Victorinum, Capitolin. *in Pio, c.* 8.

TATO, cujus meminit Paulus Varnefridus *de geſtis Longob. l.* 1. *c.* 20. *Tato Rodulfi vexillum, quod Bandum appellant, ejuſque galeam, quam in bello conſueverat geſtare, abſtulit.* Fuit autem Rodulfus hic Rex Herulorum, *Tato* verò filius Claffonis, in regno Longobardorum, Patris ſucceſſor: cujus filia Rumetruda, Rodulfi Regis Legatum, in ipſa Parentis aula, crudeliter transfigi ac trucidari juſſit, unde bellum. Quod cùm viribus ſuis fidens Rodolfus negligentiùs adminiſtrat, victus & extinctus eſt, atque ex illo tempore omnis Herulorum virtus concidit, ut ulteriùs Regem non haberent: Longobardi verò magna inde ceperunt incrementa. Verùm non diu *Tato* triumphô lætatus, à Wachone, germani ſui Zuchilonis filio, paulò pòſt necatus eſt: qui idem filium quoque *Tatonis* Hildechim ad Gepidas ſeſe recipere coëgit, Idem, *l. eôd. c.* 21.

TATTA, urbs Indiæ propriæ caput regni cognominis ad Indum fluv. ſub Mogole M. ſed in limite regni Perſarum, & ferè 200. mill. paſſ. ab ora maris Indici in Boream. Dicitur etiam *regnum Sindæ* hoc regnum.

TATTA, lacus ingens Phrygiæ magnæ, in Piſidiæ & Lycaoniæ confinio *Acrioteri* Bellonio, inter Pertam ad occaſum, Iconium ad Ortum. *Strab.* Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Dioſc.*

TATTIMUTHES, Dux Juſtiniani Imperatoris in Vandalos, Tripoli præfectus. Vide Procopium Cæſarienſem, *Hiſtor. Vandal. l.* 1. & 2.

TAVA, urbs Ægypti. *Steph.*

TAVACA, urbs Siciliæ. *Steph.*

TAVASTHIA, regio Finlandiæ, lacum habet, è quo ferrum extrahitur. Terminatur ab Ortu Savolaxiâ & Careliâ; à Meridie Nylandiâ; ab Occaſu Finlandiâ propriâ; à Septentrione Bothniâ Orientali, cum præcipuo oppido cognomine, quod aliàs *Cronburgum* dictum, intra paludes & olim munitum, contra Moſcorum irruptiones, 90. mill. paſſ. ab ab Aboa urbe in Cæciam. Arcem ibi excitavit Birgerus Jarl. A. C. 1250. ut Tavaſtios contineret, vulgò *Tavaſthus.*

TAU-

TAUBMANNUS Fridericus, fil. Marci, Consulis Wonfelensis, in Franconia, Sutoris, Wittenbergæ Philosophiæ Professor, post Lauream Poëticam à Paulo Melisso impetratam, factus, A.C. 1595. obiit A. C. 1613. Ætat. 48. Literarum Græcarum & Latinarum vindex acerrimus, Barbariei exstirpator felicissimus, Poëta incomparabilis, ut ex Scriptis ejus liquet. In ultima editione Plauti sui S. Bibliorum Codicem decies novies à se perlectum affirmat: & in Epigrammmate Phalæcio, quod sub finem Schediasmatum ad *Christianum* fil. suum, puerum sexennem, cygneæ cantilenæ instar, exaravit, se ipsum foris & intus contemplandum egregiè depingit. Et quidem filius hic, Patris *Commentarios in Virgilium* posteà publici juris fecit, & Doctor U. J. Basileæ creatus A. C. 1628. Wittebergæ Jus docuit, extinctus A. C. 1651. Ætat. 55. Vide Andr. Sennertum Biblioth. Academiæ Witteberg. & P. Freherum, *Theatrò Viror. erudit. clarorum*.

TAUCHIRA, Libyæ civitas, *Arsinoe* posteà dicta. *Steph.*

TAVERNICORUM Regalium Magister, officium in Aula Hungarica, in *Decretis* Ludovici Regis *ann.* 1351. & Sigismundi Regis *ann.* 1435. nec non Odorico Raynaldo *num.* 24. Thomæ Archiepiscopo *in Hist. Salon. c.* 39. Aliis, memoratum. Dicta autem sunt *Tavernica* Hungaris, Judicia de liberarum Civitatum controversiis dici solita, quæ remitti solebant ad personalem hunc Præfectum, Car. du Fresne *Glossar.* Eundem *Tavernicum*, & *Camerarium* appellat Rogerius, *de Destruct. Hungar. per Tartaros c.* 10. & inter potentiores Proceres, recenset.

TAVIRA, urbs Algarbiæ, in ora Sinus Equarum, media inter ostia Anæ ad Ortum, 5. leuc. & Faram ad Occidentem totidem, cum portu satis capaci, & arce ad ostia flumin. *Xitaon.*

TAVIUM, Galatiæ urbs. *Ptol.* Trocmiorum gentis, teste Pliniô, *l.* 5. *c.* 32. Vulgò *Tabi.* Sic & serica opera, ibi confecta, dicuntur.

TAULANTII, qui TAULANTI Plinio, *l.* 3. *c.* 22. *Talantii* Procopio, populi Macedoniæ mediterraneæ, Dyrrachio finitimi & Apolloniæ, quorum regio *Tallandi* Lazio, *Tamoriza* Castaldo, *Musachia* Nigro apud quos vinum ex melle fit, ut *Aristot.* author est. Urbs Arnissa, *Alado* Moletio. Zonaræ sunt inter Dalmatas. Lucan. *l.* 6. *v.* 16.

Quemque vocat collem Taulantius incola Petram.

Silius, *l.* 15. *v.* 294.

Quaque per Illyricum Taulantius incola litus, &c.

TAUNAIS, si rectè scribitur apud *Steph.* secundùm aliquos eadem est, quæ *Taurica.*

TAUNIACUM, oppid. Galliæ duplex, alterum ad Carentonum fluv. vulgò *Tonay-Charente*; alterum ad Vultunnam fluv. *Tonay-Boutonne*, in finibus Santonum utrumque, & alterum alteri vicinum. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

TAUNUS, Tacit. *l.* 1. *Annal. c.* 56. *&* *l.* 12. *c.* 28. mons Germaniæ apud Cattos. Cluverio *der Haywch* seu *der Hoherucke*, prope Rhenum, ex adverso Moguntiaci. Vide Cl. Ottonem JCtum, *Notis ad B. Rhenanum, Rer. Germ. l.* 3. *p.* 633.

TAURACUS, tractus Helvetiorum, Fano S. Galli finitimus, inter Tigurum & Abbatiscellam. Vide *Turegum.* German. *Turgaw.*

TAURANIA, urbs Italiæ Hipponatium fuit in Brutiis, quæ *Tauranium* Pomponio, *l.* 2. *c.* 7. & Plinio, *l.* 3. *c.* 5. dici videtur, seu *Taurianum*, cujus rudera nunc prope Palmam, in Calabria ulteriore, & ora maris Tyrrheni, vix 3. milliar. à Seminaria, ad quam Ferdinandus Arag. à Gallis victus est. 23. mill. pass. à Rhegio in Boream, Hipponium versus. 29.

TAURANTES videntur Tacito, *l.* 14. *Annal. c.* 24. populi Armeniæ, inter Artaxatam & Tigranocertam.

TAURARII, populi in Taurica regione.

TAURAS, urbs Armeniæ, *Cedreno*: *Turas* *Curopal.* fortè in Taurantiorum regione.

TAUREA, apud Juvenalem, *Sat.* 6. *v.* 492.

——— taurea punit
Continuò flexi crimen facinusque capilli.

ex Græco ταυρέα, lorum bovinum est, quô sontes flagellabantur, ut ex *Pœnulo* Plauti, *Actu* 1. *sc.* 1. *v.* 11. discimus, ubi *corium bubulum*, uti *censionem bubulam in Aulular. Actu* 4. *sc.* 1. *v.* 15. appellat. *Bikkoreth* dictum esse Hebræis id pœnæ genus, vidimus supra. Sed & *taurea*, Græcè ταυρεία, tubæ species, an tympani est, quâ exercituum motus significabantur, apud Leonem, *Tactic. c.* 7. §. 31. 68. Et Mauritium, *Strategic. l.* 1. *c.* 19. Statius certè *Theb. l.* 2. *v.* 78.

——— tunc plurima buxus
Æraque taurinos sonitu vincentia pulsus:

tympana ex taurinis coriis tenta indigitat, uti docet Barth. *ad loc.* Sed & tubas hujusmodi sonum nonnunquam æmulatas, indidem colligas. Vide Joh. Meursium & Carolum du Fresne *in Glossar.*

TAUREA Inbellius, Campanus, memorandâ vir fortitudine, cùm in castris Annibalis Claudium Asellum Romanum ingenti hominem robore, in exercitu apud Nolam, provocâsset, post inania verba & garrulitatem, ejus congressum minimè sustinens, refugiebat. Claudius verò insequens cum illo urbis portam ingressus, tutus, stupentibus hostibus, per alteram cursu contendens evasit. Hic posteà captâ à Fulvio Capuâ manu propriâ conjuge, liberisque interfectis, se postremò ante pedes Imperatoris gladiô transfixit. Livius, *de Bell. Pun. l.* 2.

TAUREDUNUM, quibusdam est *Tournon*, oppid. amplum tractus Vivariensis. Castrum habet amplum in colle. 9. leuc. à Vienna in Austrum Valentiam versus, è regione Tini, oppid. Delphinatus.

TAURELEPHAS, animal è boum genere, apud Philostorgium, qui, *l.* 3. quosdam se Romæ vidisse, è Meridianis locis advectos, scribit: ταυρελέφαντας λεγομένους· ὧν τὸ μὲν ζῆλος καὶ μὲν ἄλλα κατὰ βοῦς ἐς μέγιστος, τὴν δὲ βύρσαν καὶ τὸ χρῶμα ἐλέφας, καὶ σχεδὸν ἴσον καὶ τὸ μέγεθος, *Taurelephantes dictos: quod genus quoad cætera omnia bos maximus est, corio verò & colore elephas, ipsaque adeò magnitudine.* Idem in Nicèphoro legas, *Histor. l.* 9. *c.* 19. Sed vox ταυρελέφαντας utrobique corrupta; in illo enim ταρελέφαντας, in hoc scribitur ταρελέφαντας, quod *sparsos elephantas* perperam reddunt. Fortè *rhizes* intelliguntur, quos formâ quidem *tauris* similes, victu vero & magnitudine, & viribus ad pugnandum *elephantis* pares, ait Strabo, in descriptione Æthiopiæ, quæ suprà Mauritaniam est, *l.* 17. fueritque barbarum hujus animalis nomen *rhizes*, ut Græcum ταυρελέφαντες. An hi sunt Æthiopici tauri, vulgaribus duplò majores, quos multis describit Ælian. *l.* 17. *c.* 45. Bochartus *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 23. Vide quoque Plinium, *l.* 8. *c.* 21. quem ex Agatharchide, circa eorum descriptionem, semel atque iterum corrigit Salmaf. *ad Solin. p.* 1010. & 1011.

TAURENTA, castellum Massiliensium apud Cæs. *l.* 2. *de bello Civ. c.* 4. Holstenius Civitatem interpretatur, *la Ciotat* vel *la Ciotad*, quibusdam *la Cintat*: qui locus ad mare, vinô suô notissimus positus est inter Telonem Martium & Carsicos portum *Carsis* vel *Cassis* vulgò dictum. Hadrian. Valef. *Notit. Gall.* Vide & infrà in voce *Taurentinum.*

TAURENTINUM, quod TAUROENTIUM *Ptol.* *Taurenta* Cæsari, *loc. cit.* *Taurentum* Antonino, *Talon*, ut plerisque videtur, urbs Galliæ Narbon. in ora Provinciæ inter Massiliam, & Forum Julium 12. leuc. in ortum. Sed apud *Antonin.* Telo à Taurento diversus est, 12. mill. pass. ab eodem distans in Ortum *Taurees*, seu *Tauroes* à *Steph.* Massiliensium colonia dicitur. Forsan melius est *la Seine*, oppidul. in ora prope Telonem, seu locus dictus, juxta promontor. Telonense, in ora maris Mediterranei. Vide & *Taurenta.*

TAURESIUM, oppid. Macedoniæ in Mysiæ confinio in Dardania regione Justiniani Imperatoris patria, quæ aliis *Prisliena*, seu *Prisdona* nominatur, apud Justinianam primam, teste *Procopiô*, quæ à Nicephoro Callisto *Achridus* appellatur, *Lychnidus* Ptolemæo. Item *Tauresium*, urbs Mediæ, Persarum olim regia, quæ *Tabresium* quoque dicitur, & melius. Urbs ampla, ultimô seculô à Turcis pluries capta & recepta, in provinc. *Adirbeitzan*, sub Persis. Sansoni 1100. milliar. à Constantinopoli in Ortum, Maracandam versus 800. circiter. Nunc autem Haspahamum sedes regia translata est.

TAUREUS, Neptuni epitheton, quoniam ei tauros immolabant, vel quia sit Deus maris, quod sonum emittit similem voci taurinæ.

TAURI, populi Sarmatiæ Europææ, qui teste Pliniô, *l.* 4. *c.* 12. Tauricam Chersonesum incolunt, qui & *Tauroscythæ Plin.* ac *Ptolemæo* dicuntur, sed teste *Procopiô* Dromum Achillis insulam inhabitant. *Baudrando* fuêre populi Scythiæ parvæ, qui Tauricam Chersonesum incoluêre, uti & Dromum Achillis peninsul. & tractum, inter Carcinitem Sinum ad Ortum, & Borysthenis ostium ad Occasum. Lucan. *l.* 2. *v.* 594.

Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi.

Ovid *Pont. l.* 3. *Eleg.* 2. *v.* 45.

Est locus in Scythia, Tauros dixêre priores.

TAURI Pylæ, portæ Tauri, per quas ex Cappadocia in Ciliciam Tarsum versus transitus. *Cicer.*

TAURIA, Græcè Ταύρεια, festum Neptuni, apud Hesychium in Ταύρεια, qui *Taurius* dictus est, Suidæ in Ταυρεῶνι; ex eo quòd eidem præ aliis, ut & Apollini, *taurorum* sacra fierent, idque interdum ex oraculo, uti docet Pausan. in *Phocicis.* Vide in voce *Taureus*, & infrà in *Taurus.*

TAURIACI, sunt Turani, à *Tura* amne, qui fors aliis *Taurus* sive *Tauria* nominatus sit, Rhætiæ populi qui nunc *Tragai* vel *Turoci.*

TAURIACUM, castrum Galliæ, in Belsia provinc. in finibus Carnutum & diœcesi Aurelianensi, proximum castro Puteolo *Puiset*: vulgò *Taury en Beausse* dicitur, & cum Tibernione, Tilieto Godini ac Tilieto Pagani *Tily le Paineux* continetur Archidiaconatu Belsiæ: qui inter 6. Archidiaconatus Ecclesiæ Aurelianensis tertius est, Castellaniis quoque adnumeratur. Aliud in Secalaunia, inque diœcesi Aurelianensi, non procul à Ligere & Balgentiaco. Aliud in pago Tricassino, cujus meminit Aimoinus, *l. de miraculis S. Benedicti.* Vide Hadrian. Valef. *Notit. Gall.*

TAURIANUM, urbs Brutiorum à Saracenis excisa, cujus rudera apud Palmam pagum cernuntur: cui *Seminaria* oppid. successit amplum.

TAURIANUS Scopulus, *Ptol.* *Tirinaus* Plin. *l.* 3. *c.* 5. locus Brutiorum in ora litorali, *la Nave*, teste *Barrio.*

TAURICA Chersonesus, Ptol. *Scythica* Straboni, *Peninsula Taurorum* Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Chersonesus Pontica* Appiano, vulgò *Tartaria minore* Europæis & Italis, *Gazaria* aliis, & incolis *Precopska*, peninsula Europæ Peloponneso æqualis, secundum Strabonem, cujus fines sunt Isthmus, Palus Mæotis, Pontus & Cimmerius Bosporus. Ibi Taphræ in Isthmo, Precopensium Tartarorum regia, & Theodosia apud Cimmerium Bosphorum, à Taphris in Ortum suprà 200. mill. pass. sub Turcis, sedes Satrapæ, cùm olim Genuensibus pareret, & Panticapæa ad eundem Bosphorum, à Theodosia 30. mill. pass. *Ferrar.* Famosa olim arâ Dianæ, sive, ut *Herodotus* vult, Iphigeniæ Aga-

 memno-

memnonis filiæ, cui ibi humanis hostiis immolatum. Ovid. *Trist. l.* 4. *El.* 4. Qu. Curtius, *l.* 4 Augustin. de *Civ.Dei*, *l.* 7. *c.* 19. & 26. Hæc ara posteà Ariciam in Italiam translata est, teste vetere Scholiaste ad *Ep. Horatii ad Pisones*, *v.* 16. Ovid. *Pont. l.* 1 *Ep.* 2. *v.* 79.

Aut quid Sauromatæ faciant, quid Jazyges acres,
Cultaque Oresteæ Taurica terra Deæ?

Lucan. *l.* 1. *v.* 446.

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 117.

——— *Quippe illa nefandi Taurica sacri*
Inventrix. ———

Nic. Lloydius.

Baudrando Chersonesus hæc, vulgò *Crimsky* incolis, *la Tartarie du Krim ou de Perecop* Gallis, seu *la petite Tartarie*, habet à meridie Pontum Euxinum, ab ortu Bosphorum Cimmerium, ab occasu Carcinitem sinum, & à septentrione Bugem lacum & Paludem Mæotidem; subestque dominio proprii Principis, qui Turcarum vectigalis est, & cui parent Tartari Nogaicenses, *les Nogais*, extra Chersonesum & inter ostia Tanais & Borysthenis fluviorum Tauricæ. Circuitus est 550. mill. pass. circiter: & ejus urbs præcipua est Bacasara, *Baciesaray*, Principis sedes. Sed Cavum, hodie *Caffa*, subest dominio Turcarum. Distat Taurica Chersonesus 240. mill. pass. ab ostio Tiræ fluvii in ortum, 360. ab ostio Tanais in Africum. Ejus promontorium Australe Criumetopon dictum, distat 350. mill. pass. à Byzantio in Cæciam, & ejus Isthmus prope Perecopiam urbem distat 460. mill. pass. à Moscua urbe in meridiem. Taurica dicta fuit *Gazaria* ab antiquis, ac celebris fuit tum propter soli ubertatem, tum propter piscationes. Longò tempore sub variis fuit dominis, qui *Principes Bosphorani* vocabantur, ac confusa fuit regiminis forma, donec eam Tauri Scythæ populi occupârunt, & *Tauricam* eam denominârunt. Mithridates posteà Rex Ponti hos devicit, & provinciam vasto suo adjecit Imperio. Sed à Romanis victus, non Tauricam modò, sed & Pontum amisit: & post hanc victoriam Romani novos in hisce partibus constituerunt Reges, quos Bosphori Reges appellârunt. In Imperii divisione hæ provinciæ Orienti adscriptæ sunt, quô nomine etiam Genuenses majorem ac meliorem Tauricæ partem classibus suis occupârunt, & totam ferè maritimam Provinciæ partem possederunt. Annô posteà 1250. Tartari in eam ingressi, Genuenses quidem non prorsùs expulerunt, quamvis maximis eos affecerint damnis, donec in dona quædam tributorum locô consentire coacti sunt, Tartaris reliquum tam in Paludis Mæotidis & Ponti Euxini littoribus, quàm in continenti, ac etiam extra Peninsulam eam Scythiæ partem, quæ Nogaja dicitur, possidentibus. Sed ex quo Mahumetes II. Turcarum Imperator Constantinopolim expugnavit A. C. 1452. Genuenses paulò post è Taurica ejecit, & Caffam aliaque oppida oræ meridionalis suo subjecit imperio.

Tauricæ Chersonesi urbes.

Assyrani, seu Baccasara, *Baciesaray*, Principis sedes.
Carasini, *Karasu*,
Cavum, *Caffa*.
Cherronitarum portus, seu Cossovia, *Coslow*.
Cimmerium, seu Crimea, *Solat* seu *Crimenda*.
Pallacium, *Baluclawa*.
Panticapæum, *Pantico*.
Taphræ, seu Neapolis, *Or* & *Perecop*.
Tractari, *Mancup*, arx munita.

TAURICA Sacra, memorata Prudentio, *contra Symm. l.* 1. *tit. in Spectac. v.* 396.

In cassum arguere jam Taurica *sacra solemus:*

videntur *Taurobolia*, de quibus infrà, innuere vel saltem complecti; licèt à variis viris doctis sumantur illic, pro *tauris* Plutoni immolari solitis. Et Pluto quidem ibi memoratur ut hostiis humanis placari solitus, cui alia etiam pariter sacrificia; sed interim etiam *Taurorum*, ut ex Horatio, *Carm. l.* 2. *Od.* 14. scimus aliisque. Qualia verò *Taurica* illa fuerint, in incerto est. Inprimis verò *Sacra Taurica*, dicebatur id, quod Dianæ in honorem fiebat, sacrum: aliàs etiam *Tauropolion* vocitatum & *Tauropolia*. *Hesych.* Ταυροπόλια, ἃ ἐς ἑορτὴν ἄγουσι Ἀρτέμιδι. Sed & & hocce festum quale fuerit, incertum est. Ταυροπολικά memorat Athenæus, *Dipnosoph. l.* 6. ut satis detestanda. Etiam Is. Casaubonus illum explicans, *Qualia*, inquit, *fuisse legimus Sacra Cotytiis omnis turpitudinis & obscœnitatis plena, talia erant Tauropolia, quemadmodum colligas rectè ex hoc loco.* Sed originis horum se nescium planè fatetur. Certè Diana ipsa *Taurica*, à Scythiæ cognomine regione, Ταυροπόλα Sophocli *in Ajace* (quod nomen etiam Minervæ tributum) uti etiam Ταυροπόλος & Ταυρώ & Ταυρικὴ & Ταυροπόλος Eurip. *Iphigenia in Tauris*, Diodor. Siculo, *l.* 2. aliis, atque Dea Ταυρική. Et templum narrat fuisse in Icaria Maris Ægæi insul. Strabo, *l.* 14. *Tauropolium* nuncupatum, quod dum ex eo citat Stephanus, in Samo insula perquam vicina collocat. Dum verò nominibus hisce Dea, templumque ejus sic celebratur, nihil omninò de *tauri* sacrificiis apud Veteres admittitur in nominum illorum ratione haberi; sed voces has à gente Scytharum *Taurica* tantùm deductas esse (quasi diceres *Diana in Tauris*) adeò ut Diana Ταυροπόλος aliud non fuerit, quam quæ versabatur seu colebatur, apud præfatam gentem; aut ab eo, quòd præfuerit illa armentis, in quibus *Taurus* adeò princeps; aut quòd, cùm Luna fuerit, *Tauris* vehatur, Schol. *Sophoclis in Ajac.* Sacra autem ei hôc nomine fuisse peculiaria, scimus è Diodor. *loc. cit.* uti satis ex Templo, *Tauripolio* dicto & festo cognomine apud *Hesychium*. Atque illa humanô, seu hospitum immolatorum sanguine, non *taurinô*, *in Tauris* peragi solebant, Herodot. *Melpomene*. Nec postquam Orestes simulachrum inde surripuerat & in Græciam detulerat dedicâratque, Sacra ejus quidquam omninò habuêre taurini sanguinis: sed humani, interim non ex immolatione, ut in *Tauris*, sed ex flagellatione, Philostratus *in vita Apollonii l.* 8. *c.* 10. Neque enim Græci aliter pristinorum Sacrorum, memoriam aut reliquias inter se admittendas voluêre. Verum quidem, obtinuisse opinionem, *Tauricæ* ipsius gentis nomen ortum, ἀπὸ τοῦ ζώου Ταύρου διὰ τὸ ἐκεῖ τὸν Ὄσιριν ζεύξαντα βοῦν ἀρόσαι γῆν, ut narrat Eustathius, *in Dionys. Perieg. à Tauro animali, quoniam ibi bovem junxit Osiris, ad tellurem arandam*; atque ex eo quod oriunda sit ab Ægyptiis Apin bovem colentibus, sed hæc nihil ad animalis sacrificium. Ipsique Eustathio videtur Ταυροπόλου Dianæ nominis originem causamque tantùm à gente, in qua versata est, & hospitibus cæsis coli solebat, esse. Nec obstat, quòd nonnulli voluêre, in Iphigeniæ, cùm in Aulide ei immolanda esset, ab ea abreptæ locum, non ursam aut anum, ut voluêre aliqui apud Isac. Tzetzem *in Lycophron*, nec cervam, ut Euripid. *Iphigen.* sed *taurum* fuisse substitutum, adeoque ei immolatum; id enim sacrificium nec pro recepto admittitur, nec in morem transiit. Adeoque haud in Dianæ sacris *Tauricis* vel *Tauropoliis* dictis, *taurus* locum sortitus est ullum, magis quàm in ejusdem apud Phocenses Elaphoboliis cervus. Illic enim placentæ tantùm sacrificabantur, ex adipe, melle & sesamo confectæ, quas ἐλάφους Græci dixêre. Sunt tamen, qui *Tauropolia* Dianæ cum Deorum Magnorum Tauroboliis commune quid habuisse velint, vide Dempster. *in Rosin. l.* 2. *c.* 4. Athenæum, *l.* 14. & plura in hanc rem apud Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Ebræorum l.* 3. *c.* 14. §. 9.

TAURICI & TAURII Ludi, item *Taurilia*, quibusdam quoque *Boalia* & *Bupetia* dicti, Romæ celebrari solebant, in Circo Flaminio, in quibus *circum metas currebant*. ut Varro habet *de L. L. l.* 4. Fuit verò Circus ille, extra portam Carmentalem, teste eôdem. In honorem Inferorum instituti leguntur, hac de causa: *Regnante Tarquiniô Superbô, cum magna incidisset pestilentia in mulieres gravidas, quæ facta erat facta ex carne divisa Populo taurorum, ob hoc Diis Inferis ludi instituti sunt, & Taurii dicti*, Paulus Diaconus *Festi abbrev.* Idem habet Sext. Pompejus. Contrà eos ludos Varro ait vocari, *quòd discipulus prudens à Doctore inter* * * * *solitus sit impelli, atque usque eò cogi docere, quoad consisteret & virtute talorum cõnstaret pedum firmitas*, Festus. Quod apud nullum veterem Auctorem temerè invenias. Apparet tamen Varronem ludos *Taurios* ab eo dictos sensisse, quòd in corio *Tauri* id genus ludi fieret à Ludimagistris, eô die, quô ludi Circenses, qui dicti sunt *Taurii*, in Circo Flaminio, fierent; aut quòd scuticâ *taureâ* discipulus impelleretur: idque explendum fuisse in ea lacuna, in qua causa hominis desiderari videtur, Scaliger *ad Festum*. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 21.

TAURINA, porta, eadem Esquilinæ. Vide ibi.

TAURINI, populi Italiæ in Gallia Subalpina & Pedemontana regione inter Libycos ad ortum, Suetrios ad occasum, & Salassos ad Arctos, Padô eos ad Austrum terminante. Licet eos Leander *Piemonte* indigitet: Horum caput est *Augusta Taurinorum*, urbs, & Academia, totius principatûs Pedemontani conventus juridicus. Principis sedes est & vulgò *Turin* vocatur: expugnata, à Ludovico XIII. per Harcurtium, in gratiam sororis viduæ, cui Thomas Sabaudus tum adversabatur. Vide Galeazzum Gualdum *Histor. Italicè conscriptâ*. *Baudrandô* fuêre ad radices Alpium Cottiarum, inter Segusinos, Salassos, Libicos, Vagiennos & Brigantios, sed à Suetriis remotiores. Ubi nunc pars propria Pedemontii, versus Taurinum, & pars Borealis Marchionatus Salutiarum. Ragumbertus, Taurinatium Dux Italiæ regnum Luitberto, Cuniberti fil. eripuit: Successit fil. Eripertus. A.C. 702. De Taurinensi Episcopo insigni Claudio, vide in *Claudius*. *Taurinorum* meminit Sil. Ital. *l.* 3. *v.* 645.

Hic tandem ignotas transgressus casibus Alpes,
Taurinis ductor statuit tentoria campis.

TAURINIACUM, castrum Galliæ, vel potius oppid. Comitivæ titulô clarum, in confinio Bajocassium & Constantiensium, 2. milliar. à fluv. Vira, qui ambos Comitatus terminat. Vulgò *Torigny*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TAURINUS, Imperator in Syria proclamatus est, tempore Alexandri Severi, A. C. 233. vel 234. quô appropinquante, tantô metu perculsus est, ut Euphrate se mergeret. Lamprid. *in Alexandro Severo*, *c.* 36.

TAURISCI, populi Pannoniæ superioris quorum regio *Steyrmark*, teste *Laziô*, dicitur.

TAURISCI, populi Alpini in finibus Helvetiorum apud Alpes summas, & ortum Rhodani, quorum urbs *Uren*, (*Eltorff*, teste *Scudô*) nominatur ab *uris*, qui sunt genus taurorum, primus Helvetici conventus, qui ex Italia in Helvetios euntibus occurrit, inter Adulam montem 20. & Lucernam urbem 20. mill. pass. *Taurini* etiam *Antonin.* teste *Orteliô* dicuntur. Sunt & *Taurisci* Plinio, *l.* 3. *c.* 26. & *Livio*, populi Norici Alpini, Alpes Noricas incolentes: in plures tractus divisi, *Krumler Taurn*, alibi *Felber Taurn*, alibi *Karn Taurn*, *Ortel.* Carni quoque *Taurisci* Plin. dicuntur, qui Carnicas Alpes incolunt. *Taurisci* etiam apud Steph. popul. Alpini, quos & *Taurinos* dici ait apud *Polybium*. Ferrar. Cluverius, *Germ. Antiqq. l.* 1. *c.* 5. & *lib. de Vindel. c.* 2. omnes Alpinos populos unius ejusdemque gentis fuisse, communiter Græcè & Latinè *Taurisci*, sibi ipsis *thi Thaurischon*, dictos appellatione ex Alpium nomine desumtâ, quô in commune hodieque nonnullis appellantur *Taurn*, refert. Romani omnem *Tauriscorum* gentem dixêre Alpinos & Inalpinos populos; Plut. *in Marcello*, Polyb. *l.* 4. Orosius, *l.* 4. *c.* 13. Sabellic. *Ennead.* 4. *l.* 6. &c. Hos Phocæorum fuisse colonos, qui relictâ Asiâ in Galliam Taurô navi appu-

appulerint, & Massiliam, *Taurœntium Ptolom.* & *Strabone* auctoribus, condiderint, postmodum mutatis iterum sedibus eum Helvetiæ tractum, qui inter Ursam Rhenumque est, occupaverint, sunt qui dicant vide Gillim, *l.* 3. *c.* 1. Marcellinus verò *l.* 15. de Taurisco, Galliæ tyranno, ab Hercule interfecto loquens, aliam nominis originem videtur suppeditare. Sed hoc fabulam sapit. Eorum reliquiæ Urani sunt, vide ibi. Guillimannus non minus, qui Suitiam incoluerunt olim, antequam Cimbrorum reliquiæ ea insedere loca, *Tauriscos* fuisse existimat, *l.* 3. *c.* 2. Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Ant. & Nov.*

TAURISIUM, urbs Persiæ, in provinc. *Adirbeizan.* Veterib. Ecbatana: opulenta & mercaturâ florens, aërem habet salubrem, solum, fertile, &c. Theatrum frequens belli inter Turcas Persasque: quorum illos Schach Ismaël repulit, hos vicissim Solimannus, qui urbem immanissimè diripuit: inde ablatô, quidquid Usum Cassanis Ismaëlis, aliorumque Regum magnificentiam testebatur. Schach Thamas illam recuperavit, sed fil. ejus Chodabendes eam denuo amisit à Mahomete III. occupatam, verùm denuo Schach Abbas recepit, à quo tempore sub Regibus Persarum mansit. Paul. Jov. *Hist. l.* 14. Samson. *Geogr.* P. de Valle, *Itiner. t.* 2. & 3.

TAURIUM, urbs Peloponnesi, ab Antigono capta, tempore Peloponn. belli *Polyb.*

TAUROBOLIUM, Græcè Ταυροβόλιον, & *Criobolium*, Græcè Κριοβόλιον, sacrificia fastidiosissima atque operosissima Veter. alibi quàm in saxis rarò occurrentia, usitata fuêre, in dedicationibus Deûm Magnorum, Matris Deûm & Attidis, quibus ut propria memorantur. Adr. Turnebus, *Adversar. l.* 17. *c.* 21. & Jan. Gruterus, *ad Lamprid.* Meminit tamen eorum Julius Firmicus, *l. de errore profan. religion.* ubi diu legebatur, *Miseri sunt, qui profusione sacrilegi sanguinis* (i.e. taurini & arietini) *cruentantur, Tauribolum vel Orobolium (* pro *Taurobolium* & *Criobolium) sceleratâ te sanguinis labe perfundit.* Ita scil. Sacerdos perfusus, inquinare etiam, ut videtur, solebat Sacrificii Auctores. De dedicatione verò, post illa ut prævia, peractâ Romæ extat hæc in marmore grandi Inscr. apud Smetium *fol.* 20. 1. Gruterum *p.* 28. 2. *Dis. magni. Matri. Deûm. & . Attidi. Sextilius. Agesilaus. Aedilius. V. C. Causarum. non. ignobilis. Africani. Orator. & . in. consistorio. Principum. item. Magister. Libellorum. & . cognition. sacrarum. Magister. epistular. Magister. memoriæ. Vicarius, Præfectorum. per. Hispanias. vice. S. IC. Pater. patrum. Dei. Solis. invicti. Mithræ. Hierophanta. Hecatæ. Dei. Liberi. Archibucolus. Taurobolio. Crioboliοque. in. æternum. renatus. aram. sacravit. dd. an. Valente. V. & . Valentiniano. Jun. Augg. Coss. Idibus. Augustis.* Sub ann. nempe Christi 376. Nec dum enim publicus paganicarum superstitionum usus Romæ, nedum per Italiam evanuerat. Ejusdem ipsius anni diεique aut dedicatio ejusmodi, aut sacrificiorum eorundem Diis Magnis peragendorum votum habetur, apud Smetium *fol.* 19. 11. Ulpii Egnatii Faventini. Etiam sexennio antè Petronius Apollodorus, Pontifex Major, *Taurobolio. Criobolioque. percepto. unà. cum. Ruf. Volusiana. c. f. conjuge.* 16. *Kalendas. Julias. dd. nn. Valentiniano. & . Valente. III. Coss. aram. dicavit*: apud eundem *ibid.* 13. & Gruterum, *p.* 28, 1. In qua etiam Numinum figuræ & sacrificiorum symbola. Et Valentinianô ac Neotericô Consulib. A. C. 390. Kal. Junii Cejonius Rufius Volusianus, *Iterato. viginti. annis ex. perceptis. Taurobolis. aram constituit.* Idem *ibid.* 5. Ubi supernè arietes quinque & unus mactatus, ad Kriobolii conjuncti quod Attidi; ut Matri Deûm *Taurobolium* perfici solebat, designationem. Hinc *Taurobolium & Kriobolium facere*, in saxis obvium pro initiatione cujuspiam Diis illis Magnis; adeoque pro sacrificiis iisdem propriis, atque in dedicationibus, aut proximè antè perficiendis. Inde etiam *Tauroboliatus* dictus, qui sacra illa perficeret, Lamprid. *in Heliogabalo, c.* 7. & Jan. Gruterus *ad eum.* Ita etiam *Taurobolini* & *Tauroboliti.* Renovari ab his Tauroboliatis ac Crioboliatis sacrificium illud, ut forsan & dedicatio, solebat quôlibet vicenniô, intra quod tempus *renatus* (ut Sext. Agesilaus in marmore anteà allato) per sacrum illud, velut per initiamentum, mundusque habeatur, usque in vicennii proximi initia. Sed ut hoc vicennale erat, ita alia sacra Matris Deûm annua, teste Jul. Firmicô, *loc. cit.* Sacra autem bina illa in aris aliisque saxis à *Tauroboliatis* Diis Magnis dedicatis sic sæpius memorantur: nec in ejusmodi sive aris sive saxis, alia sacrificia ipsi dedicationi adhibita aut prævia solent occurrere. Sunt verò dedicationes etiam illic, Diis illis breviusculè & sine Sacrorum illorum mentione, conceptæ, Gruter. *p.* 29. 1, 2, 3, 6. Nec rarò etiam sine dedicatione expressa, perfectum aut celebratum à quopiam *Taurobolium* esse inscribitur Idem *ib.* 10, 11, 13, 14 Etiam, pro salute Augg. aut Civitatis, à Civium Ordinibus & Provinciis. Cujusmodi lapis Narbonæ cum multis capitibus bubalinis, *ibid.* 12. *Imperio. D. M. Tauropolium, provinciæ Narbonensis. factum. per.* C. *Batonium. Primum. Flaminem Augg. pro. salute. Dominorum. Impp. L. Septimii. Severi* &c. Ubi *Tauropolium* scribitur, sicut interdum *Tauripolium* & *Tauribolium*, pro *Taurobolio*, quod genuinum nomen est. Et *Tauropolium accipere*, locutio solemnis, pro *Taurobolium perficere, facere, celebrare.* Fœminæ autem non minùs ac viri, sic initiatæ, apud eundem Gruterum *pag.* 30. 4. & 31, 1, & 4. Sacrum horrendum quoque, à Prudentio descriptum *in Peristeph.* ubi Sacerdos summus in scrobem defossus, *tauri*, super tabulata perforata mactati sanguinem in oculos, aures, os, nares, avidè combibebat, *Taurobolium* fuisse ipsum, existimat Claudius Salmasius *ad Lamprid. loc. cit.* qui de facto illo antè nimis ignorato compluria docuit. Sed alii, aliter Videsis Georg. Fabricium *ad Prudentii loc.* & Petrum Aringhium *in Roma Subterr. l.* 2. *c.* 5. §. 15. nec non Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum l.* 3. *c.* 14. §. 8. Addo saltem, ex eodem Salmasio, *taurobolio* facto, cornua tauri, quo fecerant, consecrâsse illos & dedicâsse. ex *Inscr.* hac, *Severus: Julii. F. L. vires. tauri.* (h. e. cornua) *quo. propr. per. tauropol. pub. fac. fecerat. consecravit.* Vide eum *ad ista Lampridii in Heliog. Matris etiam Deûm sacra accepit, & tauroboliatus est, ut typum eriperet*; nec non Gerh. Joh. Vossium, *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 52. & 53. ubi *de cultu Telluris & Sacris Cybeles* prolixè agit. Quia verò Fabricii *ad Prudentium* facta mentio, qui *Romanum* hoc *sacrum Inferis factum* vocat, illudque multis verbis commemorat, eorum verborum summam, uti eam in *Commentario MS. ad Statium Theb. l.* 4. *v.* 451. ubi de Manium evocationibus multus Poëtæ sermo est, reperit Casp. Barthius, adscribere placuit: *In hic sacris pedum viginti scrobis fodiebatur, in quam Sacerdos descendebat, omni Antistiti ornatu, vittis, infulis, corona aureâ togâ pretiosâ cultus. Superducebatur scrobi, quæ perforatis hinc inde asseribus tecta erat, ut in tenebris prorsus esset Sacerdos, taurus atri coloris, cornibus auratis, collo & armis sertis nigrantibus incinctus. Is taurus crebris ictibus à Flamine spiculorum conficiebatur, ut undique sanguis ebulliens per tabulatum crebris guttis in cryptam destillaret. Eum sanguinem totô corpore subtus latens Pontifex excipiebat; quô temporis spatio lac, mel & vinum, cæteri Flamines desuper invergebant. Hoc tandem specu emergens cruore totus perlitus se in populi conspectum Egregius Pontifex proferebat. Populus, pro se quisque procul monstrosum schema deveneratus, salutabat, apprecabatur, & solemnia festæ dies peragebat. Quô genere cultus propitiatos Inferos in eum annum credebatur. His sacris constituti erant menses September, October, December. Ita ut continuis tribus noctibus semel quoque mense hæc fierent.* E quibus liquet, non idem planè esse hoc cum *Taurobolio* sacrum, quod non pro populo Romano neque Diis Inferis, neque quotannis fiebat, sed vicesimô quôque demum annô, ut plurimum pro suis, ut rebantur, παλιγγενεσίᾳ, tauroboliati faciebant, uti ex isto quoque *Poemate antiquo MS.* cujus Salmasius ubi suprà meminit, videre est:

> *Quis tibi taurobolus vestem mutare suasit*
> *Inflatus dives subitò mendicus ut esses:*
> *Obsitus & pannis modicis tepefactus....*
> *Sub terra missus pollutus sanguine tauri,*
> *Sordidus, infectus, vestes servare cruentas,*
> *Vivere cùm speras viginti mundus in annos.*

Vide quoque Anton. van Dalen *Dissertat. de Oraculis* & suprà voce *Criobolium*, it. ubi *de Civit. Lactoratensi* &c.

TAUROBOLOS, Græcè Ταυροβόλος, cognomen quoque Minervæ, quæ in Andro Insul. colebatur, teste *Suidâ*: item Dianæ, fortè ut Deæ venatricis. Quæ posterior etiam Ταυροπόλος nuncupatur, apud Istrum, *Miscell.* 3. Suidæ laudatum, fortè quia Luna, quæ est Diana corniculata, eoque tauri referens cornua, cursu suô diu noctuque omnem lustrat terrarum orbem. Gerh. Joh. Vossius ubi suprà *c.* 53. Vide quoque retro dicta, ut & quæ paulo pòst dicemus.

TAUROCATHAPSIA, Græcè Ταυροκαθάψια, à ταῦρος & καθάπτομαι, apud Græcos nomen Ludi ac certaminis, quorum mentio vix ulla in Veterib. libris. Reperit in marmore ex Græcia Asiaticâ pridem allato, quod in hortulo Musæi sui Carmelitici se habere cum figuris ac Inscr. hac ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΩΝ ΗΜΕΡΑ, docet Seldenus memoratus, *loc. cit.* §. 9. Thessalorum ibi cum tauris certamen, de quo dicemus paulo pòst ex Capitolino, voce *Taurus*, repræsentatur, quò Ταυροκαθάψια utique indigitar, etiam ex ipsa voce discas. Unde fortè sinè ratione ludum hunc aliò nonnulli trahunt. Sed & Salmasius, fœneas illas imagines vel pilas, quibus ad pugnandum in Ludis Romanorum tauri proritabantur, quasque hi discerpebant ac lacerabant cornibus, *Pilas taurarias* vocari in *veterib. Glossis*, & exponi Ταυροκαθάπτας, adnotat *ad Spartian. in Pescennio Nigro, c.* 12. Vide de illis hic passim, ubi de *Fœneis nominibus*, in *Pila prima* nec non in *Taurus.*

TAUROCHOLIA, Ταυροχόλια Græcè Cyzicenorum festum apud *Festum*, aliter fortè ignorata, Selden. *d. l.*

TAUROCILICIA, pars Ciliciæ, Tauro hærens. *Chrysost.*

TAUROCINIUN, fluv. Brutiorum per agrum Rheginorum fluens *Calopinaco*, teste *Barrio.*

TAUROIS, vide *Taurentium*, & *Taurianum.*

TAUROMENIUS, *Vib. Sequestr.* fluv. Siciliæ prope Tauromenium urb. fluens, *Acesine* Thucyd. *Aside* Plin. *l.* 4. *c.* 5. *Cantara* Leandro.

TAUROMINIUM, seu *Tauromenium Ptol.* Paterculo, *l.* 2. *c.* 79. & *Strab.* quod & *Naxos*, teste Plin. *[l.* 3. *c.* 8. & Solinô, *c.* 11. (licet apud *Strab.* sint urbes diversæ, colonia & oppid Siciliæ inter Messanam ad Boream & Catanam ad Austrum 30. mill. pass. nunc *Taormina.* A Siculis, Zanclæis Hyblensibus præcipuè, quibus Naxiorum eversorum agrum donaverat Dionysius Sen. in monte sive vertice Tauro conditum, cùm Himilcon eos in deditionem perduxisset; sic dictum, quòd unà in promontorio Tauro congregati, cum muris sepsissent Siculi: & nequicquam à Dionysio tentatum, cùm hoc loco, subactô Rhegiô, copias admovere cogitaret. Diod. *l.* 16. ab Andromacho Timæi Patre instauratum scribit, nominatumque, quòd tàm diu in colle Tauro, qui Naxo imminebat; habitâsset ibique esset moratus. Congregavit autem is in Urbem reliquias exulum Naxi; quibus incrementis acceptis, urbs cito opes & dignitatem acquisivit. Demum sub Augusto Cæs. translatis è patria Taurominitis, Romanam Coloniam recepit. Unde Plin. præfatus *l.* 3. *c.* 8. *Colonia Tauromininium, quæ antea Naxus.* Non quòd Naxum incoluerint Tauromenitæ, Sed τὸν ὑπὲρ τῆς Νάξου λόφον *collem, qui imminebat Naxo*; Strabo, *l.* 6. Apud Goltzium *Sic. tab.* 6. nummus est ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ Cum VII. Chordarum plectro: & aversa parte ΑΡΧΑΓΕΤΑ cum laureato Apollinis capite: quæ Naxiorum religio fuit. Theocles enim Naxum condidit & Apollinis Ἀρχηγέτου h.e. Ducis aram: cum Naxiorum dein agris etiam sacra Tauromenitæ acceperunt. Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec.* XVI. At recentiori ævô Saraceni illud expugnârunt, A.C. 891. cum portu in ora Orientali in valle Demonæ, in planitie 6. milliar. ab ostio Tauromenii fluv. in Boream 33. à Catania in Cæciam. *Tauromenon* Ovidio, *l.* 4. *Fast. v.* 475.

> *Himeraque & Didymen, Agrigentaque Tauromenonque,*

Hinc *Taurominitanus* nomen gentile. Lucan. *l.* 4. *v.* 461.

> *Taurominitanam vincunt fervore Charybdim.*

Silius, *l.* 14. *v.* 257.

> *Taurominitanâ cernunt à sede Charybdim.*

Jui

Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 92.

> *Mullus erit domino quem misit Corsica, vel quem*
> *Tauromenitanæ rupes.* ———

Nic. Lloydius. Vide & *Naxus.*

TAURON, Agrianorum, in Exercitu Alex. M. præfectus. Curt. *l.* 8 *c.* 15.

TAUROPOLIS, urbs Cariæ quæ & *Tiauropolis.*

TAUROPOLIUM, urbs Aquitaniæ. Erat & templum Dianæ in Samo insul. præclarum, Steph. in *Icaria. Dionysius,*

> ——— Ὅθι Ταυροπόλοιο θεοῖο
> Βωμοὶ κιονέοντες ἀδευκέα καπνὸν ἔχουσι.

Vide Suidam in Ταυροπόλαν. Quibusdam idem cum *Taurobolio*, de quo suprà. Et certè Minerva Ταυροβόλος in Andro Insul. colebatur teste *Suidâ*: & Diana quoque vocata est Ταυροπόλος, quia confecit telis suis taurum à Neptuno immissum Hippolyto, juxta Poëtas. Simplicius, quia venationi præposita. Sed & eadem Ταυροπόλος nuncupata est, an, quia, ut Ister, *Miscell.* 3. *apud Suid.* taurum præfato Hippolyto immissum in varias egerit terras: an, ut Apollodorus, quia ipsa tauri instar omnia circumeat: quod Græcè est πολεῖν. Simplicissimè dixeris, inquit Vossius, Lunam, quæ est Diana, sic jure appellatam, quia corniculata, eoque *tauri* referens cornua, cursu suô diu noctuque omnem lustrat terrarum orbem, de *Idol. l.* 2. *c.* 53. Interim, ut ad *Tauropolia*, seu *Taurica* sacra Dianæ, nihil omninò attinere boves, aut capita bubalina, sic nec revera ad sacra ejus ulla, exceptis iis, quæ Dianæ Aventinæ fiebant, in quibus, dum aliis in Artemisiis, quæ non pauca Romæ fuêre, cervorum cornua adfigi solebant (velut primitiæ à Venatoribus allatæ) cornua ex jure singulari boum adfigebantur, teste Plut. *in Quæstion. Rom* diximus suprà in voce *Taurica.* Quia verò & *Taurobolium* sacrum, aliquando *Tauropolium*, quamvis minùs rectè, dicitur, pauca hæc ultra prædicta hìc adjungere libuit; Romæ ara est marmorea in ædibus (quæ fuêre Cardinalis Cæsii) in qua Cybele capite turritô, insidens currui à leonibus vecto, dextrâ spicas ac milium, lævâ autem tympanum habet, à tergo pedum: cum Inscript. M. D. M. I. ET. ATTINIS. i. e. *Magnæ Deum Matris Ideæ*; & subscr. ista: *L. Cornelius. Scipio. Orestus V.C. Augur. Taurobolium. sive. Criobolium. fecit. die.* 4. *Kal. Mart. Tusco. & . Annullino. Coss.* Dextrô latere binas est conspicere incisas faces transversas, unà cum crotalis; sinistrô autem fistulas, vide Gruterum, *p.* 27. *num.* 3. Sed & Romæ, haud procul à Cæsia domo, ara est Cybeles: cujus prima facies habet inscriptionem; aversa duas lances, poculum, lituum, aliud instrumentum ad cochlearis modum. In dextro latere est pinus, & sub ea *Taurus*; appendent item tympanum & fistulæ: In sinistro itidem pinus & sub ea aries atque appendent mithra, pedum & quiddam simile lanci. Vide *ibid.* Sic in ara, quæ Romæ in æde S. Nicolai in Calvaria visitur, ab Apollodoro, de quo suprà, dedicatâ, in latere dextro turrita ast Cybele à leonibus vecta; adstat pinus & sub ea *Taurus*: lævô habes mithratum Attin, bis cinctum; cujus dextra tenet fistulas & crotala, læva autem pedum. Superiùs est cernere tympanum; ponè autem pinum, & sub illa arietem; sub quibus seorsim est *taurus*. In parte aversa videas transversas tædas, lituum, pateram, guttum sive urceum & sympinium, apud eundem, *p.* 28. Et aries quidem, unde *Criobolium*, arbori alligabatur, priusquam mactaretur: quod Julius Firmicus ab exemplo Abrahæ Patriarchæ tractum ait. Vide Gerh. Jo. Voss. *de Idolol. locô cit.* & *suprà.*

TAURORUM Peninsul. Vide *Taurica Chersonesus.*

TAUROSCYTHÆ, populi Sarmatiæ, qui Taurum montem habitant penes Achilleum cursum. Eorum belli cum Olbiopolitis meminit Jul. Capitolin. *in Pio, c.* 9. *Olbiopolitis contra* Tauroscythas *in Pontum auxilia misit: & Tauroscythas usque ad dandos Olbiopolitis obsides vicit.* Ubi Casaubonus, *Olbiopolitæ*, inquit, *Græci erant, aut certè Græcis mixti; Tauroscythæ barbari, vel Scythæ, vel Gothi, sive Getæ: à quibus etiam Borysthenem civitatem fuisse habitatam, auctor est Dio Chrysostomus, qui omnia illa loca lustraverat.* Vide hujus *Serm.* τοῦ Βορυσθενιτικοῦ.

TAURUM, vulgò TORO, urbs regni Legionis ad Durium fluvium, aliàs *Sarabris*, quibusdam media est inter Septimancas ad Ortum, & Senticam ad Occasum, 6. leuc. Hispanic. utrinque. Deficit in dies.

TAURUNUM, quod TAURURUM *Ptol. Belgrado* Italis, *Nander Alba* Hungaris, *Griechisch-Weissemburg*, i.e. *Alba Græca* Germanis, urbs Pannoniæ inferioris ad Savi cum Danubio confluentiam, in Mysiæ superioris confinio, caput Serviæ. *Baudrando* Taurunum fuit 3. milliar. à confluente Savi in Danubium è cujus ruinis crevit in viciniis *Alba Græca* Hungaris antiquis *Alba Bulgarica*, recentioribus *Nandor Alba*, Italis *Belgrado*, Germanis *Grichisch-Weissenburg*, Gallis *Belgrade*, Slavis *Biograd*, teste Johanne Luciô. In Servia, ad radices collis, sub Turcis ab A. C. 1520. usque ad præsens bellum, quô quidem iis à Christianis erepta, sed à Turcis recuperata est. Cum arce validâ. Permunita est & ampla ac in Episcopalem sedem evecta recens ab Alexandro VII. Vide *Alba Græca.*

TAURUS, seu TAUROPHAGUS, Bacchus dictus est, quòd tauro assimiletur, ex ebriorum violentia, aut quòd natus sit tauri specie, aut quòd primus tauros jugo subjecerit, & arare docuerit, aut quòd Poëtis hymnos in Bacchi honorem canentibus, taurus pro præmio daretur.

TAURUS, unus ex illis legatis, quos Lacedæmonii, octavô Peloponnesiaci belli, ad faciendam pacem, ad Athenienses misêrunt.

TAURUS, ex Græco ταῦρος, ἀπὸ τοῦ τείνειν τὴν οὐράν; Hebr. אביר *abbir*, à robore, dictus est: *fortis* epithetô hinc à Poëtis crebrò donatus, Virgilio, *Georg. l.* 3. *v.* 65. Tibullo, *l.* 2. *El.* 2. *v.* 14. Ovidio, *Met. l.* 9. Aliis. Speciatim de Syriacis. Oppianus, *Cynegetic. l.* 2.

> Αἴθωνες, κρατεροί, μεγαλήτορες, εὐρυμέτωποι,
> Ἄγρυλοι, ἀστεμφεῖς, κεραλκέες, ἀγριόθυμοι

Ut de Æthiopicis, quorum suprà aliqua mentio, nihil addam. Itaque ἐπίταυροι Veteres pro *valido* usurpârunt, uti *Hesychius* docet, qui etiam Gandaros, Indiæ populos, circa Gangem, à taurinis viribus Indorum linguâ sic appellari contendit. Latin. à *torvo* intuitu quibusdam nomen accepit. Præter robur enim maximè probatur in *tauro* quædam in aspectu generositas,

> ——— *torvique decorus*
> *Frontis honos* ———

Proinde Josepho Moses benedicit his verbis, Deuteron. *c.* 33. *v.* 17. *Decor* (aut *majestas*) *illi est primogeniti bovis.* Et *taurum* coli voluit Ægyptiorum Rex Mnevis, ἁπάντων ὡραιότατον αὐτὸν εἶναι πεπιστευκώς, *cùm omnium formosissimum illum esse crederet.* Cotta quoque in Epicureos disputans, qui homine statuerunt nihil esse pulchrius, *At mehercle*, inquit, *ego quamvis amem me ipse, tamen non audeo dicere, pulchriorem esse me, quam ille fuit* taurus, *qui vexit Europam*, apud Ciceronem, *de Nat. Deorum l.* 1. *c.* 28. Ob quas causas *eorum victimæ Diis lautissimæ*, Plin. *l.* 8. *c.* 45. taurusque non solùm, in sacrificiis olim eximius, imò non *hostia* solùm major, sed & simpliciter *victima* dictus est, ut docet Scaliger *ad Catal. Virgil.* Et quidem *Taurorum* sacra fiebant Diis Magnis, ut suprà visum; Plutoni apud Horatium, *l.* 2. *Carm. Od.* 14. Neptuno, cujus is opus fingitur, idque interdum ex Oraculo, & Apollini. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 119.

> ——— *Meritos aris mactavit honores,*
> Taurum *Neptuno*: Taurum *tibi pulcher Apollo.*

Mari item & fluviis, ut ex Homero liquet, *Il.* δ. quos ταυρομόρφους fingi consuevisse, diximus suprà voce *Flumen.* Etiam triumphantes Diis simul Capitolinis *Tauros* sacrificabant: ut & Sabini Marti, apud Strabonem, *l.* 5. Sed ita evenit, ut etiam apud Veteres recentioresque tum *Taurica* quorum genera etiam sunt alia sacra, tum nomina alia à *Tauro* aut *Tauris* quomodocunque sumpta, in obscuro nimis & incerto, si quæ alia, latuerint. Labeo apud Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 10. Neptuno tantùm, Apollini & Marti *Taurum* ritè immolari voluit; nec omninò Jovi: quod tamen sine temperamento (utcunque etiam Jovi *Taurum* immolare non licuisse, in libris de Jure Sacrificiorum scripserit) haud verum est. Nam, ut ex Diis Capitolinis erat, seu Jupiter Capitolinus, à triumphantibus ritè ei cum reliquis *Tauro* litabatur, Serv. *ad Æn. l.* 9. sed nec aliter. Quod disciplinæ Homericæ consonum, *Il.* λ. *v.* 726.

> Ἔνθα Διῒ ῥέξαντες ὑπερμενεῖ ἱερὰ καλά,
> Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι κτλ.

Ubi quasi expressim Jovi negatur *Taurus.* Vide Selden. *de Synedriis*, *l.* 3. *c.* 14. §. 9. Baccho quoque hostiam fuisse, discimus ex veter. Schol. Statii *ad Theb. l.* 2. *v.* 616. Certè & ipse *capite* colebatur *taurinô*, teste Tzetze *ad Lycophr.* & Nicandri Scholiographô, qui à vetustissimo more *è cornibus bibendi*, vel ferocia ebriorum, rei rationem arcessunt. De Luna alibi dictum. Vide quoque suprà in voce *Integer*, it. *Nivei tauri.* Non tamen hic omittendum, quòd *taurum aureum* Typhi seu Typhonis, in Ægypto maximè culti, symbolum fuisse asserit, & ad hujus imitationem Israëlitas vitulum aureum fabricâsse, Philo *de Vita Mosis*, *l.* 3. alibique passim: qua de re vide Bochart. *Hieroz. part. prior. l.* 2. *c.* 34. Cœterùm & ob eximios usus, quos in humana vita *tauri* præstant, magni semper habiti. Ut alia omittam uti Europam Poëtæ, ita Romani Histriones Herculem *taurô* vexêre, ut discimus ex Martial. *l. Spect. Epigr.* 16. *v.* 3.

> *Vexerat Europen fraterna per æquora taurus:*
> *At nunc Alciden* taurus *in astra tulit.*

Certè & feretro hoc animal se submittere, & puerum aut puellam cervice, dorsô mulierem gestare, Ælianus ait *Hist. l.* 7. *c.* 4. Mediô ævô, Galliæ Reges boves vel *tauros* curribus suis junxisse tradit Eginhardus in *Vita* Caroli M. unde *taurus Regis*, *in Pacto L. Sal.* §. 10. *Si quis Taurum Regis furaverit*; nec in India hodieque quidquam est frequentius, quàm boves videre gerulos, vide Bochartum ubi suprà *c.* 33. Sed & oblectationi, in Spectaculis, inservit, uti vidimus suprà in voce *Taurocathapsia*: & de *Tauris Cypriacis* (qui gibberi) refert Capitolin. *in Gordianis*, *c.* 3. inprimis Equites Thessali taurorum pugnâ clari, qui juxta tauros per spatia Circi adequitantes, usque eò donec defatigâssent, ita eos conficiebant cornibus ad terram detractos. Plin. *l.* 8. *c.* 45. *Thessalorum gentis inventum est, equò juxta quadrupedante, cornu intortò restibus* (vel *retibus*) *tauros necare: primus hoc spectaculum dedit Romæ Cæsar Dictator.* Quæ suprà dicta omnino *Taurocathapsia* esse videntur. Vide quoque Sueton. *in Claudio*, Dionem *in Nerone*, ubi simile certamen; Pollionem *in Gallienis*, ubi taurum ingentem in arenam missum, sed jaculis conficiendum habes; Artemidorum, ubi in Ionia, Thessalia, Attica, alibi, generosissimos quosque ταύροις ἀγωνίζεσθαι, *cum tauris pugnare*, consuêsse ait: Alios. De *taurorum pugna*, quæ in Regia Hispaniæ urbe hodieque quotannis exhibetur, res notissima: de *tauro* vero Epicorum Poëtarum in certaminibus olim præmio, diximus suprà, ubi *de Epico poemate.* Caput porrò Ægyptiis Regibus principatus & regii dominatus insigne, apud Diodor. *l.* 2. etiamnum fortissimæ gentis symbolum est. At tessera cædis apud Scotos. Vide suprà. De cornibus suô locô vidimus. Corium, vetustissimis mortalium, pectoralis ac clypei in usum adhibitum est. Tympana de taurinis tergis, habes apud Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 78.

Æra-

Æraque taurinos sonitu vincentia pulsus.

Bvia terga vocat idem *Achill. l. 2. v. 154.* Vide infrà ubi de *Tympanis*; uti de loro taurino, suprà in voce *Taurea*. Sanguis *pestifer potu maximè*, Plin. *l. 11. c. 38.* Quô prom usus fertur Themistocles; cùm, quæ Artaxerxi promiserat, præstare vel nollet, vel non posset, Vide Aristophanem *Equit.* Excipit tamen Ægiram idem Plin. *ubi Sacerdos Terræ vaticinatura, tauri sanguinem bibit primùm* (hôc indiciô virginitatem suam comprobatura) *quàm in specum descendat*, *l. 28. c. 9.* &c. Plura de hoc animali, vide hic passim, inprimis in voce *Bos*; de *tauro Marathonio* è luna delapso, Vossium, *de Idolol. l. 2. c. 18.* ut de *tauro* ave, cui à voce id nomen, *l. 3. c. 88.* de *tauro*, scarabæi terrestris genere, Salmas. *ad Solin.* p. 438. de *tauro æneo*, ad homines excruciandas adinvento, in voce *Perillus*; de alio, Cimbrorum olim signo, Alex. ab Alex. *Gen. Dier. l. 4. c. 2.* de apum ex tauri putredine generatione, Bochartum præfatum, *Hieroz. Parte post. l. 4. c. 10* de eorum insuper cum ursis frequenti lucta, eundem, *ibid. Part. prior. l. 3. c. 9.* &c.

TAURUS Antonius, vide *Antonius*.

TAURUS Berytius, Philosophus Platonicus sub Antonino Pio. Scripsit *de differentia Philosophiæ Platonicæ & Aristotelicæ, de corporeis & incorporeis*, & alia. Vide *Suid.* Gesner. *in Biblioth.*

TAURUS, Cæsaris Augusti præfectus, totam penè Siciliam, ferrô perterritam, in fidem recepit. 44. legiones sub unius tunc imperio Augusti erant. Hinc milites, multitudine ferociores, quosdam pro ambiendis agris tumultus excitaverunt, sed Cæsar animô ingens, 20000. militum exauctoravit, 30000. servorum dominis restituit, 6000. quorum domini non extabant, in crucem egit. Vide Sueton. *in Augusto.* Id factum est circa annum mundi 3932. ante Christum natum 30. Cæterum de canone legionum Romanarum consule Vegetium, *l. 2. c. 4. 5. 6.* & Budæum *de asse*, *l. 2.*

TAURUS Statilius, Præfectus urbis, ab Augusto Cæsare in locum Messallæ Corvini suffectus. Quod munus, quanquam provectâ ætate egregiè toleravit. Tacit. *l. 6. Annal. c. 11.*

TAURUS Statilius, opibus illustris, Africæ Proconsul, quem Agrippina, hortis ipsius inhians, pervertit, accusante Tarquitiô Priscô, Tauri legatô. Objecit verò ei pauca repetundarum crimina, cæterùm magicas superstitiones. Nec *Statilius*, diutius falsum accusatorem indignâ sorte perpessus, vim vitæ suæ attulit, ante sententiam Senatûs. Tacit. *l. 12. Annal. c. 59.*

TAURUS, mons Asiæ totius longè maximus, qui ab Indico mari exsurgens vastè satis attollitur: dein dextrô latere ad Septentrion. sinistrô meridiem versùs flectitur, in occidentem, rectus, & perpetuô jugô, multarumque gentium, qua deorsum agit, terminus, sed pro gentium ac linguarum varietate diversa nomina sortitur. Nam in Lycia *Cragus*, in Pamphylia *Coracesius*, & *Sarpedon*, in Cilicia *Taurus*, vulgò *Caraman*, (unde Ovid. *Met. l. 2. v. 217.*

Ardet Athos, Taurusque Cilix, & Tmolus & Oete)

in Armenia minore *Antitaurus*, incolis *Muntzarrum*, in Syria *Amanus*, in Mesopotamia *Chaboras*, in Armenia majore *Paricarus*, & *Gordiæus*, ac *Moschicus*, in Mesopotamiæ & Armeniæ majoris confinio *Niphates*, in Colchide *Coraxicus*, in Iberia & Albania *Caucasus*, in Media *Zagrus*, in confinio Assyriæ ulterioris *Orontes*, *Iasonius*, *Coronus*, & *Choatras*, in Parthia *Paracoathras*, in Carmania *Strongylus*, in Bactrinia *Parepamisus*, in Scythia *Imaus*, inter Scythiam & Indiam *Emodus*: quos montes in universum *Ceraunos* vocari à Græcis testatur Plinius, *l. 6. c. 7.* Mela, *l. 1. c. 19.* & *l. 2. c. 3.* etiam sub eodem vocabulo maximam ejus partem comprehendit. Qu. Curtius videtur eum duobus tantùm nominibus designare, *Taurô* & *Caucasô*. *Lloyd. Ferrar. Christiano Beemanno Tauri* montis jugum, oritur in Asia minore à Pamphylio mari, progrediturque ab Occasu in Ortum, usque ad Indiam, & dividit Asiam universam in duas partes, Septentrionalem, quæ Asia intra Taurum, & meridionalem, quæ Asia extra Taurum dicitur. A latere stipatur Antitaurô majori ac minori, qui Asiam majorem ac minorem intersecant, *Hist. Orbis Terr.* De periculosissimo montis hujus transitu, vide Herbertum *Itiner. p. 94. 95.*

TAURUS, mons German. in finibus Cattorum Tacito, *l. 6. Annal. c. 41.* & *l. 12. c. 49.* & *Jornandi* mons Sarmatiæ Europææ juxta Mæotidem paludem & Herodiano, *l. 3. c. 1.* mons Tauricæ Chersonesi, & Melæ, *l. 3. c. 7.* mons Germaniæ seu Norici in tractu Salisburgensi & Corinthiæ confinio altissimus, teste *Ortelio*, *Thaurn* incolis, in plures divisus *Kornthaurn*, *Krumlechthaurn*, & *Rhadstratterthaurn*, unde Taurisci populi. Item *Taurus*, mons Arabiæ Petrææ ad sinum Arabicum cum oppido cognomine *el Tor*, à monte Sinâ 60. mill. pass. in meridiem ab Heropoli urbe 60. in ortum. Item *Taurus*, promontor. Siciliæ in ora Orientali. *Capo di S. Croce* Fazello. Item fluviolus Peloponnesi per Argiam apud Troezenem fluens.

TAURUS, fons & fluv. Helvetiæ, in agrô Tigurino, in villa *Illnach* nomine, cujus aqua hausta homines strumosos efficit, in Rhenum elabitur, Dan. Eremita *de Helvet.*

TAURUS, secundum Zodiaci signum, stellarum, ut Hygino *Poet. Astron. c. 20.* placet, 14. quod à sole subitur 3. Idus Apriles. Hunc Poëtæ fabulantur Taurum eum fuisse, qui Europam rapuit. Vide Cæsii *Cœlum Astronomico-poët.* ubi *de Tauro*. Vossio potiùs Osiridis vel Josephi Patriarchæ signum fuerit, ut princeps Zodiaci signum figuram Arietis accepit, in honorem Chami sive Jovis Ammonii, quô Osiris genitus. Osiris enim, sive *Misraim*, seu *Mizraim*, Ægyptum agriculturam docuit, cujus bos symbolum. Josephus autem, propter servatam in fame Ægyptum, bovis symbolum meruit, & tandem in eo divinos adeptus est honores, ut Vossius contendit *de Idol. l. 1. c. 29.* Vide & H. Grotium *in Sophomphania*, ubi inter alia ait:

—— Honores ad tuos addi volo,
Ut more Eoæ gentis, astrifera plagæ
In spatia venias, nominis titulo tui,
Grandisque meritis grande monumentum ferat
Agricola Taurus, arce siderea micans.

Josephum tamen divinis in Ægypto honoribus cultum non esse, adeoque, quæ de boum cultu, apud Ægyptios tam celebri olim, traduntur, aliorsum spectâsse, multis docet Bochartus, *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 34.* è quo hoc unum adjecisse liceat, quòd, Josephô mortuô, Regem alium surrexisse, qui Josephum non noverat, i. e. qui nullâ ejus, nec fratrum & posterorum ratione habitâ, gravissimam in eos tyrannidem exercuit, legimus Exodi *c. 1. v. 8.* Nota astri hujus, ♉, quâ hodie pingi solet, satis antiqua est, uti patet ex veteri sigillo apud Gorlæum *in Dactyliotheca*: sed qualis ab initio illa fuerit, docet Salmas. *ad Solin. p. 1636.*

TAURUS, Vide *Ur.*

TAUS, Scotiæ fluv. *Tay* Camdeno, per Perthiam Comitatum fluens. Vide *Tavus*.

TAUSIUS Tunger, ex occisoribus Pertinacis, apud Capitolin. c. 11.

TAUTANTUM, urbs Valeriæ Ripensis. *Lib. Notit.*

TAUTICE, urbs Mediæ. *Ptol.*

TAVUS, incolis *Tay*, fluv. amplus, Scotiam bifariam secans, nempe in Septentrionalem seu Trans Taanam & in Meridionalem seu Cis-Taanam. Oritur in Albania, ex monte Grampio & lacum Tavum efficit. Dein in Atholia, aliquot fluviis auctus, per Perthiam fluit, ibique Duncaledonium & Fanum S. Johannis rigat; tandem rigata Abernetheâ, per æstuarium *Fyrth of Tay*, inter Comitatus Fifam & Angusiam, in Oceanum Germanicum se exonerat, paulo infrà Donum Dei, 7. mill. pass. ab Andreapoli in Boream 50. ab Aberdonia in Meridiem.

TAXARA, urbs Armeniæ minoris olim *Colonia*. *Nicet. Choniat.* Vide ibi.

TAXARTES, Vide *Jaxartes*.

TAXATI, apud Landulphum, *l. 20. Annô tertiô Imperii Leontii, acie Arabes in Africam mota hanc obtinuerunt, & ex proprio exercitu taxatos in ea quosdam constituerunt*; & in *Historia* Miscell. passim, Græcis recentioribus, Theophani, Constantino, aliis, Ταξᾶτοι milites sunt stipendiarii, qui *taxam* seu stipendium accipiebant. Sedes eorum ταξάτιον Cedreno *in Leontio an. 3.* ad quem vide Meursii & Fabroti *Glossaria*. Nempe *taxare*, æstimare est, pretium imponere, à Græco verbo τάσσω τάξω, *ordino*: Unde recentioribus *taxa*, certum pretium, & hinc *taxati*. Aliud est *taxare*, à vetere verbo *tago*, pro *tango*, videl. jocis & maledictis aliquem fatigare. Namque & hoc inter alia *tangere* significat. Comicus, *in Eun. Act. 3. sc. 1. v. 30.*

Quô pactô Rhodium tetigerim in convivio.

Sicut eôdem sensu Græci verbum θίγειν usurpârunt. Hinc *Taxatores* Scenici olim appellati, quòd alter alterum maledictis tangerent. Vide Marcilium *ad Vespasian. Suetonii*, c. 13. & *Titum*, c. 2. ubi de differentia verborum *taxare* & *tractare* pluribus disserit, ut infrà videbimus: adde Salmasium *ad Vopisc. in Carino*, c. 8.

TAXEOTÆ, Græcè Ταξεῶται, in *Gloss. Græco-Latin.* Ταξεωταί, apud Palladium, *in Hist. Lausiaca*, c. 63. 67. apparitores Principum sunt Magistratuumve. Car. du Fresne *Glossar.* At *Taxiarchi*, apud Jo. Diaconum in *Vita* Gregorii Pontific. *Ille* Taxiarchis *vocatis*, *ait*: *Nimia mihi videntur gravia Imperatoris præcepta*: sunt *ordinum* militarium præfecti, Græcè Ταξίαρχοι, *Ordinarii* Latinis, de quibus *ad Bonosum Vopisci*, c. 14. pluscula habet Salmas. Vide quoque suprà, ubi de *Evocatis*, namque & sic Græcam vocem *Glossæ* interpretantur, item in voce *Ordinarius*.

TAXES, Dux auxiliaris, in bello Colchico. Val. Flacc. *l. 6. v. 252. Argonaut.*

TAXGÆTIUM, oppid. Rhætiæ propriæ nunc *Tawetsch*, ad Rheni superioris fontem, in limite Helvetiorum, & pagi Uriensis. Ad radices Alpium, 30. mill. pass. à Curia in Occasum.

TAXIANA, insul. circa Peloden sinum. *Steph.* Susianæ adjacens ad sinum Persicum.

TAXILA, numeri plural. urbs maxima Indiæ citerioris inter Indum & Hydaspen, quam Strabo, *l. 15.* amplam & legibus munitam scribit. Arrianus, *l. 5. Expedit. Alexandri M. Alexander trajectô Indô Taxila venit urbem magnam, & felicem, omnium quæ inter Indum & Hydaspen, maximam.* Hodie, quid sit, ignoratur: licèt quidam Cambajam esse velint. Regia fuit olim Phraotis, habuitque omnes ædes subterraneas. Strabo, *l. 15.* Vide Philostratum *de vita Apollonii*. Populi *Taxili*.

TAXILIS, vide *Omphis*.

TAXILLATA Flagra, vide *Flagra*.

TAXILUS, Taxilorum Rex. Strab. *l. 15.* ὁ βασιλεὺς αὐτῶν Ταξίλος. Hunc vocat *Appianus* ὕπαρχον, non βασιλέα. *Diodorus Sic.* auctor est, Mophin tunc fuisse vocatum, quando venit Alexander, sed ab Alexandro *Taxilum* mutatô nomine fuisse appellatum, quod fuerat ipsius patri paulo antè mortuo nomen. *Omphis* Q. Curtio dicitur. *Omphis*, inquit, *l. 8. c. 12. permittente Alexandrô, & regium insigne sumpsit, & more gentis suæ nomen, quod patris fuerat: Taxilum appellavêre populares, sequente nomine imperium, in quemcunque transiret. Nic. Lloydius.*

TAXIMAGULUS, Rex in ea parte Britanniæ, quæ est ad Cantium, & tota maritima est. Cæs. *l. 5. Comm. c. 22.*

TAXIS, nomen Familiæ in Belgio illustris, quæ Turrianæ Stirpis ramus est. In hac enim Franciscus, tertius filius Pagani Vicarii Imperat. Mediolani, defuncti A. C. 1241. prælio contra Vicecomitem occisus, Guidonem filium reliquit, Mediolani feudô Imperiali Dominum, patrem inter alios Lamorati, qui, domûs infortunio cedens, in Bergomensem agrum transivit, ac in Valle Cornelia sedem fixit, monte *Tassô* acquisitô: unde *Tassiorum* seu *Taxiorum* nomen, Turrianô omissô, natum est. Ex hujus poste-

tis Rogerius I. Austriacæ Familiæ se addixit, in Aula Friderici III. gratiosus. Inde fil. Franciscus, ac ex alio Simone nepos Fanciscus Junior & Rogerius II. familiam meritis illustârunt. Illi Generalis postæ, vide in hac voce, sive veredariorum Præfecti, munus collatum est à Maximiliano I. Hic à tribus filiis totidem lineas propagavit. Et quidem ex iis Joh. Baptista in Belgio sedem fixit, & ex Raimundo, Comitum *de Villamediana* in Hispania, qui jam extincti atque ex Leonardo Barone *Belgici Rami*, in quo Lamorallus ejus fil. Comitis dignitatem primus impetravit; sator extitit. David alter Rogerii filius, in Tirolensi Comitatu vixit, eorum, qui præfecturam cursuum publicorum Venetiis exercent, auctor. Demum Simon in Italiam rediit, ac ab ejus filiorum altero Rogerio, linea, quæ Mediolani sedem retinuit, altero Antonio Marchiones *de Paul* descenderunt. Belgici rami, qui nunc Gentis caput, ista series est: Rogerius Turrianus *de Taxis*, ex Alegria *de Albricio*, genuit Joh. Baptistam, maritum Christinæ Wachtendonckiæ, & ex ea patrem Leonardi Baronis. Quô & Ludovicâ *Boisot Dn. de Huysinghe*, natus Lamorallus Comitis dignitatem nactus, ex Genovefa agnata, suscepit Leonardum; qui, junctâ sibi Alexandrinâ *di Rye*, pater fuit Lamoralli Claud. Francisci Comit. *de Turri, Vallis Saxinæ, Tassis ac S. Rom. Imp.* Huic Anna Franc. Eugen. Hornana genuit Philippum Leopoldum, Eugenium Alexandrum, Inicum Lamorallum, Franciscum Sigismundum, Antonium, Genovefam, Ernestinam Mariam, Elisabetham Mariam, & Mariam Theresiam, omnes *Comites de Turri Vallis Saxinæ Tassis ac S. R. I.* Spenerus, *Theatr. Nob. Eur. part.* 2. *p.* 5. & *Ind.* ac *Art. Herald. Tom.* 2.

TAXO, seu TAXUS, de animali, vox nova, neque audita, ante Scriptorem, cujus opus *de Mirabilibus Scripturæ*, inter opera Augustini habetur, 7. aut 8. ut videtur, seculô scriptum. Ita autem is *l.* 1. *c.* 7. *Quis enim, verbi gratia, lupos, cervos, & sylvaticos porcos & vulpes*, taxones *& lepusculos, & sciuriolos in Hiberniam deveheret.* Quibusdam meles est antiquorum, sed melem esse, quam *fovinam* vel *putorium* Galli vocant, contendit Salmasius. Alii glirem Veterem, recentioribus *taxonem* appellatum, ajunt: sed ἔλειον μῦν glirem Græcos, item μυοξὸν, quasi *murem arboreum* nuncupâsse, idem docet, *ad Solin. p.* 1009. & 1010. Potiùs id animal Veteribus parùm cognitum dicamus: cùm neque Latinum neque Græcum nomen habeat. Certè vox Gallicæ originis est. Isidorus, *Origin. l.* 20. *c.* 2. *Taxea lardum est Gallicè dictum. Unde dixit Afranius in Rosa, Gallum sagatum pingui pastum taxeâ.* Inde *taxo* meritò dictus. Nam, ut *Gesnerus* observat, *habet cum sue communem pinguitudinis abundantiam.* Proinde cùm Galenus, *de Alim. Fac. l.* 3. *c.* 1. animal in Lucanis describit, μεταξύ πως ἄρκτου τε καὶ συὸς *medium inter ursum & suem*; *Cæl. Sec. Curio* intelligit *taxonem*, qui & in Lucania est frequens, &, nonnulla habet cum urso communia, ita Autumnali tempore pinguescit, suis in modum, ut meritò ἀρκτοσῦς, vel σύαρκτος, queat nominari. Pelle ejus muniri pharetras & equorum helcia, scuta quoque obtegi, canumque millos confici, scribitur. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 30. ubi voce Hebr. תחש *thachas*, Exod. *c.* 26. *v.* 14. & Ezech. *c.* 16. *v.* 10. non *taxum*, sed *colorem hysginum*, aut *hyacinthinum*, significari docet: adde Barthium *ad Nemesian. Ecl.* 4. *v.* 52.

TAXUS, *Theophrasto* μίλος, *Dioscoridi* σμῖλαξ, arbor *minimè virens, gracilisque & tristis, ac dira —— in Arcadia tam præsentis veneni, ut, qui obdormiant sub ea, cibumve capiant, moriantur*, Plin. *l.* 16. *c.* 10. Hinc infausta coronamentis habita; minimeque proin (quod tamen *Hesychio* contigit) confundenda cum smilace coronaria, frutrice hederaceo seu hederæ simili, de quo diximus suprà. Interim & è *taxo* coronæ occurrunt, sed funestæ, & non nisi, in luctu usurpari solitæ. Statius, *l.* 5. *Sylv.* 5. *v.* 29.

—— en taxea marcet,
Sylva comis, hilaresque hederas plorata cupressus
Excludit ramis ——

Apud Inferos namque provenire credita. Silius, *l.* 13. *v.* 596.

—— Vasta comas nemorosaque brachia fundit
Taxus; *Cocyti riguâ frondosior undâ.*

Et Lucanus, *l.* 6. *v.* 645. de ditis domo,

—— pallida pronis
Urget silva comis, & nullò vertice cælum
Suspiciens, Phœbo non pervia taxus *opacat.*

Iterque ad Inferos eâ arbore obsitum, Ovidio, *Metam. l.* 4. *v.* 432.

—— via declivis funestâ nubila taxô
Ducit ad infernas per multa silentia sedes.

Indidem Furiis faces, apud Claudianum, *de Raptu, l.* 3. *v.* 386.

Qualis pestiferas animare ad prælia taxos
Torva Megæra ruit ——

Infera quoque Numina animas venientes *taxô* fumigatas lustrare ficta, Statio, *Theb. l.* 8. *v.* 9.

Nec dum illum aut trunca lustraverat obvia taxo
Eumenis ——

Quam ob causam non alia arbor Inferorum victimis aptior. Val. Flaccus, *l.* 1. *v.* 777.

—— multâ pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc, cui cærulea per cornua vittæ,
Et taxi *frons hirta comis ——*

Certè Cantabros, postquam extrema viderent, *certatim igne, inter epulas, ferrô, venenóque, quod ibi vulgò ex arboribus taxis exprimitur, percepisse mortem*, legimus apud Florum, *Hist. Rom. l.* 4. *c.* 12. & de umbra ejus, maximè cùm floret, exitiosa, Plut. *in Sympos.* agit pluribus. Unde Lucretius, *l.* 6. *v.* 786.

Est etiam magnis Heliconis montibus arbos
Floris odore hominem tetro consueta necare.

Cœterùm lignum haud aliud habet, præter medullam, idque durissimum, estque nigra & punicea in Arcadia, in Ida monte flava & cedrinæ similis; unde taxi ligna, ob similitudinem, non rarò pro cedrinis vendita &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1040. & *seqq.*

TAXUS, fluv. Thraciæ, circa umbilicum illius. *Suid.*

TAYGETE, vel TAYGETA, Atlantis & Pleiones filia, teste Hyginô, *Fab.* 155. 192. una Pleiadum, quæ Jovi peperit Lacedæmonem, urbis sui nominis conditorem. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 232.

Taygete simul os terris ostendit honestum
Pleias, & Oceani spretos pede repulit amnes.

TAYGETUS, seu TAYGETA, pluralis numeri *Portes*, teste *Nigrô* mons Laconicæ apud Eurotam fluv. & Spartam urbem Amyclis imminens, cujus bona pars, cùm terræ motu corruisset, Spartanorum urbem oppressit. Cicer. *l.* 1. *de Divin.* Claudian. *de Bello Getico*, *v.* 193.

Culmina Taygeti trepidæ vidistis Amyclæ.

In hoc monte venari solebant veteres. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 44.

Taygetique canes. ——

Propert. *l.* 3. *El.* 13. *v.* 15.

Et modò Taygeti crines aspersa pruinâ
Sectatur patrios per juga longa canes.

Lacænæ virgines ibidem bacchabantur. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 488.

—— Virginibus bacchata Lacænis
Taygeta. ——

Servius: *Mons Laconum Baccho consecratus.* Erat enim vitifer. Theognis, *v.* 875.

Πῖν' οἶνον, τὸν ἐμῆς κορυφῆς ἀπὸ Τηϋγέτοιο
Ἄμπελοι ἤνεγκαν.

Hunc montem Strabo vocat ὑψηλὸν, *l.* 8. Unde Statius, *l.* 1. *Achil. v.* 426.

—— Minor Othrys, & ardua sidunt
Taygeta. ——

Imò Taygeti tanta est altitudo, ut, qui in ejus sit cacumine, totam Peloponnesum videre queat. Stasinus apud utrumque *Tzetzen*,

—— Αἶψα δὲ Λυγκεὺς
Τηΰγετον προσέβαινε ποσὶν ταχέεσσι πεποιθὼς,
Ἀκρότατον δ' ἀναβὰς, διεδέρκετο νῆσον ἅπασαν
Τανταλίδου Πέλοπος.

Longitudinem ejus innuit Homer, Od. ζ. *v.* 103.

Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον.

Lucan. *l.* 5. *v.* 52.

—— Gelidique inculta juventus
Taygeti.

Unde Statius, *l.* 1. *Sylv.* 3. *v.* 77.

Et Dryadum viduare choris algentia posset
Taygeta. ——

Nic. Lloydius.

TAYLOR Jeremias, Anglus, Capellanus Regius, & Theologiæ Professor Oxonii A. C. 1642. creatus, exortis posteà turbis multa passus, à Carolo II. in patrium Regnum restituto, ob invictam in Regem fidem, ad Episcopatum Dunensem & Connorensem in Hibernia, & aliquanto pòst Dromorensem quoque ex indultu Regio administrandum, vocatus est. Obiit A. C. 1667. eruditione omnigenâ, eloquentiâ suavi & exundante, vitæ sanctitate, & scriptis variis Theologicis egregiis inclytus. A. à Wood, *Historiâ & Antiquitatibus Universitatis Oxoniensis*; ubi Episcopatum & Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam ac Ministerium validissimè propugnâsse eum, addit.

TAYOANUM, oppid. munitum, in ora Occidentali Formosæ Insulæ Batavis haud pridem à Sinensibus ereptum. 120. mill. pass. ab ora littorali Sinarum in Ortum.

TAZATA, insul. Oceani Scythici; quæ *Talga* Melæ, *l.* 3. *c.* 6. dici videtur, & *Chalca Ptolemæo* in mari Hyrcano.

TAZUS, Tauricæ Chersonesi oppid. mediterran. *Ptol. Theodoro* Nigro. Item oppid. Sarmatiæ Asianæ in orâ maris Euxini, ad sinum Cerceticum, inter Achæam vicum ad occasum & Ampsalim urbem ad ortum *Ptol. Susaco Mercatori.*

TCON, pro PCON, in nummis Juliani, Gratiani, Valentiniani, *percussa CPoli notat*, C. du Fresne *de infer. ævi. Numismatibus.*

TE Deum laudamus, Hymnus Ecclesiasticus pro victoria de hostibus obtentâ, Deo decantari solitus, vide suprà ubi de de *Hymnus.*

TEANUM, cognomine *Sidicinum*, Plin. & aliis, vulgò T*iano* colonia & urbs Campaniæ, à Capuâ 12. mill. pass. Casinum versùs 20. in colle, inter Cales 4. & Suessam 8. à Venafro 18. in meridiem. Nomen Gentile T*eanus* apud *Stephanum.* Hinc 4. milliar. sunt Acidulæ, calculosis salubres. Plin. *l.* 31. *c.* 2. *Teanum* alterum, *Apulum* cognomine T*heanum* Ciceroni, urbs Apul. Dauniæ apud Frentanorum fines excisa, in monte Apenino inter Luceriam ad ortum, & Larinum in Corum, ab eo 18. mill. pass. distans. Hujus locus nunc *Civitate* dicitur, *L. Holstenio.*

TEARI, qui & Julienses, Hispaniæ citerioris populi, Plin. *l.* 3. *c.* 3.

TEARUS, fluv. Thraciæ, qui ex 36. fontibus manat, teste Herodot. *l.* 4. ubi scribit Darium ad Scythas proficiscentem pervenisse, & castra ad eum triduô continuâsse, aquâ illius dulcissi-

cissimâ & limpidissimâ delectatum, columna ibi cum inscriptione erectâ.

TEATEA, quæ TEATE Silio, *l.* 17. *v.* 458. *Tegeate* Straboni, urbs Marucinorum metropolis inter Atriam ad occasum, 12. & Anxanum ad ortum 15. *Baudrando*, in Aprutio citeriore in limite ulterioris, ad Aternum fluv. in colle. *Chieti* multis. 8. milliar. ab Aterno in Meridiem, 8. ab ora maris Adriatici in Occasum, uti 35. ab Aquila, & media inter Anxanum ad Eurum, & Atriam ad Boream. Hîc *Teatinorum* Societas exordium habuit, cujus auctor Paulus IV. priùs Archiepiscopus Teatinus. Sunt autem illi Clerici Regulares. Populi *Teatini* Plin. *l.* 3. *c.* 12. *Teates* Appiano Alexandrino. Silius, *l.* 8. *v.* 521.

Corfini populos, magnumque Teate trahebat.

Monachos verò præfatos quod spectat Nigro vestiuntur, & regularum primam habent, carere reditibus, nec tamen mendicare. Parisios primùm venerunt, invitatu Mazarini Cardinal. Richelietus *Diction.* Cœterùm virorum in hoc Ordine eruditione florentium vis ingens &c.

TEBA, nomen illustris Familiæ in Hispania, quæ Guzmanniæ stirpis ramus est. In hac enim Comites *de Teba* & Marchiones *de Ardales*, auctorem habuerunt Petrum Suaretium Toletanum, *Dns de Bolannos.* Mariæ Ramirezæ *de Guzman* maritum. Eorum dein hæreditatem crevit alia non minus Guzmannia linea, à Ludov. Consalvo *de Guzman*, M. Mag. Calatravæ sata, Dominorum & deinceps Marchionum *de Algava*; cùm Ludovicus *de Guzman*, Marchio, *de Algava*, suo avunculo Marchioni *de Ardales* succederet. Ex hujus qui *Marchion. de Ardales* & *de Algava*, Comit. *de Teba*, titulos gessit, & Agnetis Portocarreræ connubiô prodierunt Petrus Andr. *de Guzman M. del Algava & Ardales* Comes *de Teba* (maritus Johannæ Henriciæ Cordubensis) Caspar (Eques Calatravæ) Balthasar, Melchior, Mariana (uxor Centurionis M. de Laula) Leonora & Brianda Moniales. Phil. Jac. Spenerus, *Theatro Nobil. Europ. Tom.* 2. *p.* 67. Vide quoque eum *Arte Herald. Tom. II.*

TEBAOTH, nomen viri. Nehem. *c.* 7. *v.* 46.

TEBATH, nomen urbis. 1. Paral. *c.* 18. *v.* 8.

TEBBATH, nomen loci. Judic. *c.* 7. *v.* 23.

TEBENDA, urbs Ponti Galatici. *Ptol.*

TEBENNUS, Græcè Τήβεννος, Togæ genus, cui nomen ab Arcade *Tebenno, qui primus eam chlamidem induit, cùm Ionium sinum ingressus esset, & ab illius loci incolis susceptus; à quo edocti indigenæ eòdem modò se vestiêrunt, & vestem Tebennam vocârunt, quæ postmodum nomine corruptò* Tebennus *vocata est*, Jo. Meursius, *in Curis Criticis, parte* 2. *c.* 31. ex Dionys. Halicarnasseo, *l.* 3. Vestitum *Temenum* ab inventore *Temeno*, qui tamen pòst corruptô nomine *Tibennus* dictus sit, habet Artemidorus, *Oneirocrit. l.* 2. *c.* 3. Idem cum Toga vestis genus Dionysio, *loco cit.* Ῥωμαῖοι μὲν τόγας, Ἕλληνες δὲ τήβεννον καλοῦσι, *Romani certè togas, Græci quidem* Tebennum *appellant.* Unde apud eundem Τήβεννα περιπόρφυρος idem cum *Trabea*, quam peregrinæ fuisse originis, nec Romanorum in principio propriam, uti nec *Tebennum*, certum est, vide Thom. Demster. *Paralipom. in Rosin. l.* 5. *c.* 32. *Ferrarius* verò negat Τήβεννον *Trabeam* esse, simpliciter *Togam* interpretandam asserens, *de Re vestiaria, l.* 2. *c.* 3. Namque & apud *Hesychium*, ubi ait, Τήβεννος ἱμάτιον περιβόλαιον παρὰ Ῥωμαίοις; doctissimus Criticorum περιβόλαιον appellat, quemadmodum *Artemidorus* voce περιβολαίου usus est, quòd nempe Toga ita injiceretur sive circumjiceretur, ut totum corpus involveret. *Etymologo* Τήβεννος dicitur *Regium gestamen*: Sed si Romani Reges excipiuntur; nullus exterorum Tyrannorum Togâ usus est, nisi ex dono Populi Romani aut ejus imitatione. Malè itaque ex Polybio apud Athenæum id firmare docti conantur; qui Antiochum Epiphanem memorat, depositô Regiô cultu amictum Togâ, Forum circumire solitum; [Greek illegible] ἀναλαβὼν ἀγοράν. Id enim & præter morem fuisse, notat Polybius & ad imitationem Romanorum fecisse subjicit; [Greek illegible] Ῥωμαίοις ἔθος. Vide eundem Ferrarium, *l.* 1. *c. c.* 1. *statim ab initio.*

TEBESCA, seu TEVESTA, urbs Africæ, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Carthaginensi.

TEBESTA, urbs Africæ mediterraneæ & *Tevesta, Ptol. Antonin.*

TEBETH, nomen mensis, Esth. *c.* 2. *v.* 16.

TEC, in nummis Justini, *Thessalonica* nota est. Car. du Fresne ubi *suprà.*

TECCALA Lapis, marmoris genus est, è quo concinnata vasa tanta pollent refrigerandi vi, ut liquores isti infusi eòdem gelu confestim imbuantur, Georg. de Sepibus *in Descript. Musæi Kircher. p.* 33.

TECCIUM vel TECCIA, oppid. olim & arx Germaniæ, in Suevia, unde illustrissimæ familiæ *Ducum Decensium* vel *Teccensium*, nomen. Fuit sub antiquis Zeringiæ Ducibus, è quibus Conradus Conrado III. Imperatori rebellis, captis Zeringâ & Tecciô, in ordinem redactus est. Bertholdi IV. dein frater Adelbertus *Teccensis* lineæ conditor, Comitis Ducisque Tecciæ titulò primò promiscuè usus: tandem hîc retentus est. Post hunc Albertus II. Albertus III. (à cujus fratre Ludovico genitus est Hermannus I.) Hermannus II. pluresque alii Ducatum tenuêre: è quibus Conradus, Agnetis Hohenbergiæ maritus, hôc ornatus legitur epitaphiô: *Annô Chr.* 1292. *obiit Venerabilis Dominus Conradus Dux de Teck, electus in Regem Romanum.* Inter hujus posteros clari Ludovicus IV. qui Ludovico Imperatori pergratus: Fridericus VII. qui bellis exercitatus, atque apud Carolum IV. gratiosus fuit: Advocatus provincialis (*Landvogt*) Sueviæ & Alsatiæ factus, Fridericus VIII. Sigismundi Imperatoris in Italia miles: Georgius, Theologiæ Doctor ordinis Augustiniani, Ludovicus VIII. in concilio Basiliensi mortuus: Conradus VI. qui A. C. 1371. cum Huldrico Wirtembergico depulit Burgoviâ Bavaros, & ex Hedwige Atestina, genuit Fridericum, ultimum Teccensium Ducem, defunctum A. C. 1439. Hujus filia hæresque unica Beatrix seu Juditha, marito Eberhardo Comiti Wirtembergico Ducatum pro dote attulit: Mundelhemium tamen dominium à Jutha ac Irmgardi Friderici VII. filiabus Werthemiæ & Rechbergiæ stirpi illatum est. Phil. Jacobus Spenerus, *Syll. Geneal. Hist.* Cœterùm Teccensem terram, ad Nicri ripam, Tectosagibus quondam habitatam, unde nomen, Stumphius habet *Chron. l.* 3. *c.* 10. Eam primùm Albertus I. Conradi I. Zeringiæ Ducis fil. à Friderico Barbarossa, Sueviæ tum Duce, impetravit, *Comitis* titulô; è cujus successoribus Albertus II. Friderico coævus, *Ducis* nomen assumpsit. Tandem ea Wirtenbergiis accessit, ut diximus: sed quamvis cum Wirtenbergica terra unum in Ducatum coaluerit, constituente ita Maximiliano literis, quibus *Principum* dignitatem Wirtembergiæ Comitibus contulit, iisdem tamen cautum permissumque, *dass sich obgemeldte Herzogen von Wirtemberg von solchem Herzogthumb Teck, Tituls, Wapens und Namens gebrauchen sollen und mogen*, verba sunt *Diplomatis sub fin.* apud Tob. Pfannerum, *de præcip. Germ. Principp. Gentibus, c.* 7. Vide & *Tectosages.*

TECELIA, *Ptol.* oppid. German. in Westfalia, à Monasterio ferè 5. milliar. in Boream, *Tekelenborch Ortelio.*

TECHEDIA, Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Teclida Bertumio*, Insul. parva maris Ægæi, 5. mill. pass. à Pharmacusa.

TECHNATIS, Plutarcho *de Iside*, Rex Ægypti, qui aliàs *Tnephachthes*, vide ibi.

TECHNICI, Græcè Τεχνικοὶ, memorati A. Gellio, *l.* 17. *c.* 5. *acutuli subtre & minutuli Doctores, in disserendo tamen non impigri.* Quasi dicas *Artificiales.* Maximus Victorinus *de Arte Gramm. l.* 1. interpretatur *Artium traditores*: à mediæ ætatis Scriptoribus Latinis *Artigraphi* nominantur, ut sæpius facit Albinus Flaccus Alcuinus, *l. de sept. Art.* Ita autem Gellio dicuntur Doctores isti, qui totam Philosophiæ & Eloquentiæ Artem per præcepta, in compendium redacta, & libellos exiguos, se tradere profitebantur. De quibus & Quintilianus ait, *l.* 2. *c.* 14. *Nolo se juvenes satis instructos, si quem ex his, qui breves plerunque circumferuntur, artis libellum edidicerunt & velut decretis* Technicorum *tutos putent.* Græci tamen Τεχνικῶν vocem in laude ponunt. Sic Eunapius *in Juliano*, [Greek illegible] Τεχνικοῦ [Greek illegible]. i. e. *Erant eòdem tempore alii nonnulli, qui honestatis amore accensi, ad illius gloriam adspirantes, animos erigebant, quos inter & Apsines Lacedæmonius, Technici,* (sive ut vertit Hadr. Junius *Professoris Artium Liberalium*) *nomen adeptus.* Tzetzes quoque, *Chiliad.* 2. *Rhet.* *Technicorum* eloquentiam & in dicendo vim laudans, inquit:

[Greek illegible] τῶν Τεχνικῶν τὸ [Greek illegible],

Vide Jac. Oiselium JCtum, *Notis in Aulum Gellium.*

TECHNOPHYON, inter loca deliciarum Augusti, de quo vide aliquid suprà voce *Sicilia*, it. *Syracusæ.*

TECHORTINA, regio Biledulgeridiæ, cum urbe primaria cognomine & fluv. in limite Zaharæ regionis prope regiones Guargalam, Biledulgeridiam, Mezzabam & Targam. Ibi etiam *Techortum* desertum.

TECLATURA, incisio seu cæsura, in arbore terminali; cujusmodi incisiones, vel saltem frusta avulsa hodieque *eclats* & *eclatures* Gallis, vide suprà *Arbor finalis.*

TECKLENBURGUM, oppid. Westphaliæ, Latin. *Tecelia*, quod vide. Sub proprio olim Comite, postea ad Benthemios Comites pervenit. Eberwinus enim Comes Benthemius, qui obiit A. C. 1562. ab Anna (filia Conradi Comitis Tecklenburgii & Mechtildis Hassiacæ) successionem nactus est. His genitus Arnoldus Magdalenam Comitem Neuenariam sibi junxit, à qua Comitatus Limburgius & alia obtigêre. Quibus cùm numerosa obtigisset soboles, filius Arnoldus Justus seu Jodocus, Benthemium Comitatum nactus est; Adolphus verò *Tecklebargios* novos ex se dedit, uti diximus suprà, in voce *Benthima.* Vide quoque Spenerum, *Arte Heraldicâ, Tom. II.*

TECLITIUM, & TEGLITIUM, oppid. Mœsiæ inferioris ad Danubium à Dorostoro 12. mill. pass. in Occasum *Antonin.*

TECMESSA, ancilla, de qua Horat. *l.* 2. *Od.* 4. *v.* 5.

Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivæ dominum Tecmessa.

TECMON, urbs Thesprotorum. *Steph.*

TECOLATA, meliùs *Tegulata*, urbs Saliorum, in Gallia Narbonensi in Provincia. *S. Maximin* Simlero: ad Larium fluv. 6. leuc. ab Aquis Sextiis in Ortum. Aliis est *Trets*, vicus Provinciæ, 3. leuc. ab Aquis Sextiis in Ortum versus Fanum S. Maximini paulo minùs.

TECOLITHOS, nomen gemmæ, quæ & *Syriacus Lapis* & *Judaicus* Aëtio, à *calculis liquefaciendis* comminuendisque nomen accepit. Plin. *l.* 37. *c.* 10. *Tecolithos oleæ nucleus videtur, neque est ei gemmæ honos, sed lingentium calculos frangit pellitque.* Ubi *haurientium* mallet Salmasius; solutum enim in aqua calida haustumque renum & vesicæ dolores levare, fractis & pulsis calculis, *Aëtius* tradit. Vel *ungentium*, addit enim idem ex *Necepso*, si teratur ex aqua & inungatur partibus circa vesicam & pudenda depilatis, calculos vesicæ liquefacere & comminuere. Vide eum *ad Solin. p.* 712. ubi hanc de *Tecolitho* [illegible] ex sæpius dicto Aëtio addit,

Χαῖρε Σάλμων' Ἀ[illegible]
Φάρμακα [illegible]
[illegible] Τεκόλιθον.

TECTA, Æ, apud Plin. *l.* 8. *c.* 35. *Hystrices generat India & Africa spinea cum tecta*: integumentum est seu tegmen tergoris, Gr. ἡ καλυψις, *tectio*. Uti *remissa* pro *remissione* &c. Salmas. ad *Solin. p.* 390. At in *Glossis* Isidori, ubi basternam exponit *tectam mannalem, tecta* absolutè est pro *tecta lectica*, i. e. operta; Græcè καθίστρον φορεῖον, matronis olim in usu. Tegebantur enim basternæ, tum specularibus seu fenestris, tum velis, uti suprà diximus: sicque, ut habet vetus *Epigramma*, de hoc vehiculi genere,

Provisum est cautè, ne per loca publica pergens
Fuscetur visis casta marita viris.

Vide Salmas. eundem *ad Lamprid. in Heliogabalo*, c. 21. & infrà *Tegere*.

TECTA, pluraliter apud Veteres erant vel plana, vel fastigata. Et quidem in Græcia, Asiaque, imò toto penè Oriente, ædium privatarum tecta plana fiebant: ædes verò sacræ habebant culmen & fastigium, quod αἰετὸς & αἴτωμα Græci, atque inde πτερύγια & πτερὰ dixêre. Hieroymus ad Suniam & Fretell. *Δῶμα in orientalibus provinciis ipsum dicitur, quod apud Latinos tectum. In Palæstina enim vel Ægypto, vel ubi scripti sunt divini libri —— non habent in tectis culmina, sed domata, quod Romani vel solaria vel meniana vocant, i. e. plana tecta, quæ tansversis trabibus sustentantur.* Cujusmodi solaria in planis tectis strui solita, Græcis ἡλιαστήρια & ἡλιακὰ & ἐξώσται, Latinis *tecta*, & *projecta tecta* dicebantur, in quorum circuitu περίβολος, seu *podium* erat, ne facilis in præceps lapsus esset. *Deambulatoria* recentiores appellavêre, quòd in hisce solariis seu menianis ambularent ut de Davide ex Sacris, de Augusto ex Suetonio, *c.* 83. 96. notum. Ibidem cultu divinô, & pii, uti de Petro in Actis *c.* 10. *v.* 9. legimus, & idololatræ, uti alibi defungi consuevêre. Unde in Isidori *Glossis*, *Tegularia malefica, quòd supra tegulare sacrificet.* Delinquentes porro exponebantur, uti videre est suprà ubi de *Solario expositionis*; & hostes exinde non rarò submovebantur, à civibus, qui domibus clausis in tecta evaserant, uti Freinshemius docet *ad Curt. l.* 4. *c.* 4. &c. Laqueabantur autem ornatûs ergò tecta hujusmodi tabulis in varias figuras cælatis; ut in mæandros & lacus & πλινθία, & orbes vel triangulos & alia: quibus quæ carebant, φατνώματα Græcis vocata sunt, item στεγίδια ἄγλυφα, Salmas. *ad Solin. p.* 1215. Arabes & Sabæi, ebore, aurô, argentô, sumptuosô lapide quoque & smaragdô, illa ornavêre, Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 24. Vide quoque suprà de *Pantheo* ubi laminas *tecti* ejus argenteas primùm fuisse, in quarum locum Constans Imperator plumbeas reposuerit, vidimus: ut & voce *Stephanomata*. In iisdem porro elegantiores Romani & φιλόκαλοι nemora habuêre, Senecâ passim teste. Et recentiori ævô prata Gothi, de quibus Olaus, *l.* 9. *c.* 38. *domos*, inquit, *tignis abietinis & corticibus arboris betulæ exquisitâ industriâ tegunt, cespites virentes —— superimponentes, quos submissô avenæ vel hordei semine, firmioribus radicibus nectunt. Quò fit, ut tecta pratorum virentium speciem æmulentur. In hæc tecta obsidionum tempore pecora passim agunt, ne recentibus destituantur carnibus.* Imò in summis ædium culminibus *navigabilium aquarum fretum* memorat Seneca Rhetor, *Controvers. l.* 5. *c.* 5. &c. Reliquis *tecta* erant, in duas partes devexa, quæ *pectinata* Romanis dicebantur, habebantque & ipsa suas projecturas, ad stillicidia arcenda, & pluribus fastigiis plerunque fiebant: τρίχωρα Græcis, & ἀναξῶτες etiam appellata. Quorum à *planis* diversitatem accuratè explicat Galenus, *Commentar.* περὶ ἄρθρων, quem vide. Hæc culmina seu fastigia in templis, statuis, victoriis & aliis Deorum simulachris, exornabantur, quibus privatorum ædificiorum culmina carebant: ἀκρωτήρια vocat Plin. *in Cæsare*, ubi cùm multa Cæsari essent decreta ut Deo, etiam id ornamenti tectis illius accessisse, refert. Vide suprà in voce *Fastigium*, ut & inferiùs ubi de tectis *Trichoris*. Uti verò, non Principes solùm, sed & civium ditiores, ædibus, cœnationibus, tricliniis, supellectile, annulis, aliis æstate, aliis hyeme, utebantur, ut Theod. Marcilius docet *ad Horatium Ep.* 1. *ad Mæcen.* Ita & nonnullis *tecta* fuisse *temporaria*, quæ videl. ponerentur hyeme, tollerentur æstate, argumento est Javolenus, *l.* 242. & §. 2. *de verb. signif.* apud eundem, *ad Titum Suetonii c.* 24. De *Imbricibus, Pinnaceliis, Scandulis*, quibus Romam usque ad Pyrrhi bellum tectam, Plinius ait, *l.* 16. *c.* 10. *Tegulis*, aliisque huc pertinentibus, vide hîc passim, ut & infrà in voce *Tectum*. Addam verbum de *foramine* in carinatis Parapamisadarum tectis relicto, ad lumen intromittendum, cujus Curtius meminit, *l.* 7. *c.* 3. & Diodorus, *l.* 17. *c.* 82. κατὰ δὲ μέσην τὴν ὀροφὴν ἀπολελειμμένης διαυγείας, *In medio tecto foramen luci excipiundæ est relictum.* Quod hodieque in locis quibusdam Septentrionalibus videre est, teste Loccenio *ad Curtium d. l.* Vide quoque aliquid suprà, voce *Carina*. Nec omittendi *Tectorum Domuumque Lares* seu *Custodes*, memorati Arnobio, *adv. Gentes l.* 3. ubi G. Elmenhorst, & Des. Heraldus videndi.

TECTA Navis, vide suprà *Navis*.

TECTAMUS, Dori fil. Hellenis Deucalione geniti nepos, cum Æolibus & Pelasgis in Cretam trajiciens ibi regnavit; & ex Crethei filia genuit Asterium, patrem ex Europa Minois I. Regis, Rhadamanthi Legislatoris & Sarpedonis, qui Lyciam occupavit. Diodorus Sic. *l.* 4. & Herodot. *l.* 1. *c.* 173.

TECTOR, in *Glossis* Κονιατὴς, dictus est, qui parietes *tegeret* ac solidaret: unde *solidati parietes tectorio*, passim apud Vitruvium. Fiebat autem tectorium calce arenatâ, vel marmoratô, eratque proprium *Tectorum* linere & polire. In *veter Inscr. Calce harenatâ lito politoque.* Et quidem linebant primò calce & arenâ parietes, deinde inductum tectorium fricabant ac subigebant liaculis, quæ instrumenta fuisse levigando jam inducto tectorio, suprà diximus. At tectorium calce merâ constans *albarium* propriè opus dicebatur; & ab Albariis seu Albinis, quibus *dealbare* proprium fuit, inducebatur. Quæ tamen non rarò confundunt Auctores, quemadmodum & Græci Κονιατὰς utrosque dixêre. Opificium *Tectorum* Tertullianus *de Idolol.* sic explicat: *Scit Albarius tectoria inducere & cisternam liare, & cymatia distendere & multa alia ornamenta, præter simulachra, parietibus incrispare.* Vide plura hanc in rem, apud Plin. *l.* 36. *c.* 23. Jac. Cujacium, *Observation. l.* 10. *c.* 9. & *ad l.* 1. *Cod. de Excusat. Artif. l.* 10. Salmas. *ad Solin. p.* 1213. & *seqq.* & hîc ubi de variis Veterum *Cameras Parietesque* ornandi modis, item *voce Phleos*. Sed & *Tectoria* eleganter Juvenalis, in egregia illa *Sat.* 6. adversùs sequiorem sexum, vocat καλλωπίσματα, panem videl. quô madido faciem linebant, aliaque, quæ deinde abstergebant smegmate ex lacte asinino, cùm ad mœchos irent. *v.* 467.

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit,
Incipit agnosci &c.

Qua de re suprà diximus non uno in loco.

TECTOSAGES, populi German. juxta sylvam Hercyniam incolentes. Cæsar, *l.* 6. *Bell. Gall. c.* 23. quos B. Rhenanus apud Sylvam nigram juxta Nicri fluv. ripas habitasse tradit. Quorum adhuc extat vestigium *Teck* arx, antiquum nomen redolens in Ducatu Wirtembergensi. Vide eum *Rer. Germ. l.* 1. & 2. cum *Notis* Ottonis JCti, *p.* 242. & 417.

TECTOSAGES, qui TECTOSAGÆ *Steph.* & singulari *Tectosax*, *Tectosagi* Trogo, *l.* 3. *c.* 9. *Tolistobogi* Floro, *l.* 2. *c.* 11. populi gemini: primi Galliæ Narbonens. quorum metropolis est Tolosa. Dicti sunt & *Volcæ Tectosages*; Erantque versus Garumnam, inter Volcas Arecomicos, Heleuteros, Consoranos & Auscios. Vide *Volcæ Tectosages*. *Baudrand.* Ausonius *in Catalogo urb. de Narbone*, *v.* 8.

Interiusque premunt Aquitanica rura Gebennæ
Usque in Tectosages. ——

Alteri Galatiæ populi in Asia, *Tectosacæ Ptol. Tolistobogii Steph.* quorum urbs Ancyra, Olenus, & Corbeuntus, à Tectosagibus Galliæ profecti, qui & regioni nomen indiderunt, Galatiam appellantes. Vide *Tolosa*, & in voce *Volcæ Tectosages*.

TECTUM, apud Plinium, *l.* 8. *c.* 47. genus ovium, ob lanæ præstantiam, pellibus tegi solitum. Unde *pellitæ oves*, apud Horatium; *l.* 2. *Carm. Od.* 6. *v.* 10. de quibus suprà diximus. Aliàs *Tectum* communiter, quô ædificia teguntur, quod primitus culmô fiebat, inde scandulis, porrò tegulis, ardesiisque &c. In cujusmodi *tecto* ædium stramineo Anglos Orientales puerulos suos collocare attendentes num timidè illis hærerent, an comprehensô stramine alacriter proreperent & se fortiter sustinerent, sicque futuræ indolis auguria captare solitos, diximus in voce *East Anglia*. At *super tectum pro sanitate febris filium ponere*, superstitionis genus fuit, damnatum in vetere *Pœnitentiali*, apud Car. du Fresne *Glossar.* Cæterùm *Tectum*, pro domo tota, *in l.* 1. §. 19. *ff. de Ventre in poss. mitt. tectum præstare*, & *L.* 5. *Cod. Theod. de Desertor. Agro tectoque suscipere.* Sic *tectum & focum hospiti negare*, vetitum in *L.* Burgund. *tit.* 38. §. 1. & 9. Quam Germanorum Celtarumque hospitalitatem commendant passim Scriptores, apud Cluverium *Germ. Antiq. l.* 1. *c.* 19. & Lindenbrogium, laudatos præfato *Glossarii* Auctori. Reliqua vide suprà in voce *Tecta*.

TEDA, è pinu, in communi usu, cùm cereus ditiorum mensis inserviret. Orientius, *Commonitorii Dist.* 68.

Accendis pinguem quæcunque in lumina pinum,
Nobilibus mensis cerea flamma micat.

Hodieque videmus pineos ramusculos à pastoribus & rusticis in partes dissici, atque inde minutas, longas tamen, in usum hibernæ lucis tædas confici. Vide Barthium, *Animadvers. ad Papin. Statium Theb. l.* 2. *v.* 248. At atrox ille foribus ædium atque horreorum appendendi *tedas* ritus, mediô ævô frequens, cum literis annexis, quibus scelerati latrones incendium aliaque nequissima minabantur, *nisi intra certum tempus eisdem malefactoribus aliqua pecuniæ summa, pro ipsorum arbitrio, persolveretur*, uti habet Synodus Coloniensis A.C. 1300. &c. Plura vide suprà in voce *Tæda*.

TEDANIUM, fluv. Illyrici, hodie *Zermagna*, & Liburniam à Japidia separat. *J. Lucius.*

TEDIASTUM, urbs Liburniæ in mediterran. *Ptol. Smodrusch* hodie dicitur, 3. leuc. German. à Senia, in Boream Zagabriam versus.

Sext. TEDIUS *Afer*; Consul designatus, se præcipitavit.

TEDLESA, provinc. regni Marochii, in mediterran. inter provincias Chaus ad Boream, Hasgaram ad Occasum ac Meridiem Segelmessam ad Ortum. Caput ejus *Tesza*, ad amnem Drinam, versùs Magranum montem. 80. mill. pass. à Marochio in Cæciam.

TEGAMUS, canalis maris apud Alexandriam Ægypti, per quem ad urbem accedunt navigia. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

TEGANUM, urbs Sinarum Huquaniæ quarta. Ad radices montium, prope lacum *Tunmung*. Sub qua 5. urbes. *M. Martinius.*

TEGANUSA, seu THIGANUSA *Ptol.* insul. sinûs Messeniaci parva, inter Sphagiam insulam & Acritam promontor. *Caura* Sophiano.

TEGASSA, urbs Fezzæ, in ora maris Mediterranei cum portu in provinc. Errifis. Vix 15. mill. pass. ab urbe *Velez* in Eurum, Mezemmam versus.

TEGAZA, desertum Nigritiæ.

TEGEA, seu TEGÆA Poëtis, à *Tegeate* conditore dicta, urbs Peloponnesi in Arcadiâ, & Mantinea 12. mill. pass. distans. Hic ossa Orestis Gigantis Olymp. 58. inventa, teste Solinô, *c.* 5. Hic & Aristarchus floruit, Euripidis σύγχρονος; qui scripsit Tragœdias 70. vixitque annos 80. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 299.

Alter ab Arcadiâ Tegeæ de sanguine gentis.

Hinc *Tegeæus*. Ovid. *Fast. l.* 6. *v.* 531.

Liba suâ properata manu Tegeæa sacerdos.

Propert. *l.* 3. *El.* 2. *v.* 30.

——— *Calami, Pan Tegeæe, tui.*

Item *Tegeaticus*. Stat. *l.* 1. *Sylv. carm.* 2. *v.* 18.

Et de Mænaliâ volucer Tegeaticus umbrâ.

Quomodo Tegeatæ & Pheneatæ diutinô bellô se mutuò afflixerint, docet Plut. *in Parallelis*. Item *Tegea*, *Tege Ptol.* oppid. Africæ mediterran. Thebanæ proximum ad 6. mill. pass. distans, apud sinum Numidicum. *Nic. Lloydius*.

TEGERE arma, antiquum Romanorum institutum. Cùm enim argentô & aurô ea polire in more habuerint: Sueton. *in Cæsare c.* 67. *Milites — habebat tam cultos, ut argentô & aurô politis armis ornaret: simul & ad speciem, & quò tenaciores eorum in prælio essent.* Unde Juvenalis, *Sat.* 11. *v.* 108.

Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.

Ideò semper *tecta* arma gerebant, nisi prælii tempore: tum splendida vestis indui solita, armaque ad splendorem dari, detractis tegumentis, quæ fere erant è corio vel pelle. *Josephus θήκας* appellat, Attici σάγματα, Plutarchus σκῦλα τῶν ὅπλων σκεπάσματα, *Lucullo*. Sed & nudabant arma in exercitus lustratione, nec non in omni transvectione pompæ, uti docet Josephus Ἁλώς. *l.* 5. *c.* 25. & Sueton. *Julio*, ubi de funere ejus. Vide ad hunc Casaubon. in *Vita* ejusdem *d. l.* Uti verò extra prælium *tegebant arma*, sic in prælio *tegebant Ducem*: Statius, *Theb. l.* 8. *v.* 691. ubi de Eteocle,

——— *Retroque datum Thebana tegebant*
Arma Ducem ———

i. e. corporum clypeorumque objectu eum tuebantur ac defendebant. Quod militum erga Ducem periclitantem officium, etiam Curtius ingerit *l.* 8. *c.* 1. de Clyto illo infelice, *Hic erat, qui apud Granicum amnem nudò capite dimicantem Regem clypeô texerat.* Mox, *se corpus ejus protexisse clypeô suô.* Denuo, oratione Hermolai, *Lyncestes, Alexander & Clytus — stant in acie, te clypeis suis protegunt, & pro gloria tua vulnera excipiunt* &c. Vide C. Barthium *ad Statii locum*, uti de *sandalia*, it. *venabula tegendi more* suô locô, plura verò hanc in rem suprà, ubi de *Pecoris usu*, voce *Corytos*, it. *Tecta*, ac infrà *Theca*, it. *Zaba*.

TEGERE Latus, vide suprà *Latus*.

TEGERE Pedes, phrasis Hebræorum, usitata in mentione τῶν περὶ κοιλιολυσίαν ὄντων, uti inter alia videre est, 1. Sam. *c.* 24. *v.* 4. de Saule, qui *texit pedes suos*. h. e. in terram se demisit; subsedit, scil. ad necessitatem naturæ: quod Attici θακεύειν dixêre i. e. *sedere*, ut in Lege Pisistrati, quæ vetabat ἐν Πυθίῳ θακεύειν. Cùm enim braccas antiqui non nôssent, subsidere hôc casu necesse habebant, & ne aliqua corporis pars nudaretur, ἐκ ἰδρῦναι τῶν μηρῶν καθίλκειν, uti habet Herodianus *in Macrino, l.* 14. *c.* 13. Quemadmodum metu talis ἀσχημοσύνης, Cæsar, cùm occideretur, sinum vestis ad ima crura deduxisse, legitur. Qua de re vide plura apud Casaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 82. & Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 56. De Pisistrati lege præfata ut aliquid addam, integra sic habet: Τὸν ἀπόπατον θακεύσαντα ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος ἑαυτὸν αἰτιάσασθαι, καὶ θνήσκειν, *Qui in æde Apollinis ventrem exoneraverit, seipsum in judicio deferat, eique capital esto*, apud Hesychium, Suidam, & in Vaticana *Proverbiorum Append. Centur.* 1. *Prov.* 82. Itaque ædis profanatæ, quam nemo Diis supplicandi causâ adit, indicium erat in illa mejere, aut θακεῖν, uti patet ex *Pluto* Aristophanis. Quò allusit Persius, *Sat.* 1. *v.* 112.

——— *Heic, inquis, veto quisquam faxit oletum.*
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra
Meite, discedo ———

Hinc bonæ illæ meretrices, apud Juvenalem, *Sat.* 6. *v.* 308. ad aram pudicitiæ mejunt, quia omnem illius, quam à se longè amandabant, religionem atque cultum sublatum vellent &c. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. Caverunt autem puritati ædium sacrarum hâc ratione Gentiles, imitatione, ut in aliis plurimis, Hebræorum, quibus inter alias leges castrenses hæc quoque data est, Deuteron. *c.* 23. *v.* 12. 13. 14. *Spatium esto tibi extra castra, ut egrediaris illuc foras: Et paxillus esto tibi, præter arma tua: eritque quum sessurus eris foris, ut eô fodias, & rursus tegas excrementum tuum. Nam Jehova Deus tuus indesinenter ambulat in medio castrorum tuorum — ideoque non est visurus in te turpitudinem ullius rei* &c.

TEGES, Græcè ψίαθος, pauperibus pro culcita fuit, uti ad *Theophrastum* notat Casaubonus. Fiebant illæ è phleo, herba palustri & fluviatili, è qua sportæ quoque & vestes texebantur. Unde uti φλοΐνη ἐσθὴς, *vestis è phleo*, apud *Herodotum*, ubi de Indis; sic φλοΐνη ψίαθος, *teges ex phleo*, apud *Pollucem*. Sic de scirpo Plin. *l.* 17. *c.* 27. *Nec in fruticum, nec in veprium, caulium ve, nec in herbarum, aut ullo alio, quàm suo, genere, numerentur jure scirpi fragiles palustresque ad tegilum tegetesque.* Ubi *tegilla* sunt cuculli, vel petasi ex scirpo facti: sicut *tegetes*, ex eodem conficiebantur. De junco idem *l.* 21. *c.* 18. *Similia præcipit & de junco, quem mariscum appellant, ad texendas tegetes, & ipsum Junio mense exemi.* Sed & è papyro Ægyptia *tegetes* nectebantur. Nempe ex ea tota & solida navigia texebant Ægyptii, ex cortice interiore, sive libro, funes, *tegetes*, vela, vestes; quô detractô medulla serviebat candelis faciendis, cerâ circumdata. Salmas. *ad Solin.* p. 1005. Vide quoque suprà, in voce *Matta*, item *Psiathus* & *Storea*, sic enim Recentiores appellare cœperunt.

TEGESSUS, urbs Cypri. *Steph.* promontor. *Hesychio*.

TEGESTRA, urbs Illyriæ. *Steph.* Vide *Tergeste*.

TEGIACUM, vicus Pictavorum, *Fortun.*

TEGLAPHALASSAR, melius *Teglat-Phul-Asar*, Assyriorum Rex, totam Galaitidem regionem vastavit. 2. Reg. *c.* 15. *v.* 29. Vide *Tiglatpileser*.

TEGNA, vulgò *Tin* vel *Tain*, locus Galliæ, inter Viennam ac Valentiam, & ripam Rhodani, contra Turnonem: qualis est ad eundem situs Belliquadri & Tarasconis. Unde Proverb.

Entre Beaucaire & Tarascon,
Ne rapaist brebis, ne mouton,
Non plus qu'entre Tin & Tournon:

Non magis pasci boves ac verveces, inter Bellumquadrum & Tarasconem, quàm *Tegnam* inter & Turnonem. Vales. *Notit. Gall.*

TEGORARINA regio Biledulgeridiæ, cum urbe cognomine inter Zebum regionem ad Ortum & Segelmessam ad Occasum.

TEGRIMUS Nicolaus, vide *ibi*.

TEGULA vide *Licinius*.

TEGULÆ, Cinyræ inventum, Agriopæ filii, Plinio, *l.* 7. *c.* 56. quæ cùm primùm rudi arte ex argilla fierent, *Dibutades primus personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia prostypa vocavit. Postea idem ectypa fecit. Hinc & fastigia templorum orta, propter hunc plastæ appellati.* Idem *l.* 35 *c.* 12. ubi de Plastice agens, inter hujus laudes etiam reponit, *quæ assiduitate satiant figlinarum opera imbricibus, tubulis tegulisque ad balneas hamatis, vel ad tecta coctilibus laterculis frontatisque* &c. Ex lapide *tegulas* primus fabricavit Byzes Naxius, quibus intexit templum Dianæ, tempore Halyattis, Crœsi patris, Lydorum Regis, teste Pausan. *l.* 5. Vide quoque suprà in voce *Ardesia*. Iis tectum instratum κεραμώσιμον Græcis, quæ quales esse debeant, docet Galenus *Commentar.* περὶ ἀέρων ubi planorum tectorum fastigiorum differentiam multis explicat. Quòd si deessent *Tegulæ* scandulæque *de cannis ulva vel ulmo, hyemis tempore, porticus tegi solitas* docet Vegetius *de Re mil. l.* 2. *c.* 23. Aliis arundines adhibitæ, Vitruvius, *l.* 2. *c.* 1. *Montium accolæ crustis marmoreis tecta contegunt; alii plumbi laminis. Septentrionales nostri harundine domus suas operiunt, durantque ævis tecta alta.* Penès Germanos materiâ informi domus tegi consuevisse, Tacitus auctor est. Vide etiam Stewechium *ad Veget.* De culmo res protrita, unde *Culmen*, de quo suô locô &c. Neque verò ædibus solùm tegendis inserviebant, sed & *in tegulis quassis* seu *curtis, focum sibi pauperes parabant*, uti docet Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*. Quam in rem Ovid. *Fastor. l.* 6. *v.* 315.

Suppositum cineri panem focus ipse parabat,
Strataque erat tepido tegula quasso solo.

Et Propertius, de paupere anu, *l.* 4. *El.* 5. *v.* 67.

Hanc vidi in tegetes animam expirare paternas;
Horruit algenti tegula *curta foco.*

Etiam maleficas *suprà tegulas sacrificâsse*, hincque *Tegularias* fuisse vocitatas, legimus apud Papiam, & in *Glossis* Isidori: De mysterio *tegularum marmorearum* in æde Junonis Laciniæ, vide Liv. *l.* 42. *c.* 3. Val. Maximum, *l.* 1. *c.* 1. ex 10 & Servium, *ad Æn. l.* 3. uti de *Tegulis animatis*, apud Vitruvium, suprà.

TEGULARIÆ, castrum Normanniæ non obscurum, ad Arvam fluv. *Aure*, Franciæ Normanniæque terminum. Conditum à Richardo Duce, Roberto apud Francos regnante, A. C. 660. Eversum jussu Henrici Francorum Regis à Gulielmo Duce: quod tamen adhuc fumans paulo pòst restauravit, præsidiòque militari munit. Vulgò *Tilliers*, corruptè pro *Tuilliers*, Comitivæ nunc titulô clarum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TEGYRA, oppid. Bœotiæ, ubi Apollo cultus fuit, qui propterea *Tegyræus* dicitur.

TEJAS, Ostrogothorum in Italia Rex VIII. & ultimus successit Totilæ; victus à Narsete, Gothico in Italia regno finem imposuit, A. C. 553. regni 1. Procopius *Gothicor. l.* 4. Paulo pòst Exarchi Ravennates in Italiam mitti, & Longobardi regnare inceperunt, sub Alboino.

TEJEUTA, urbs Marochii regni, in provinc. Susa, juxta fluv. *Sus* 25. mill. pass. ab ejus ostiis, & ab ora littorali Oceani Atlantici in Ortum, Tarodantum versùs totidem.

TEJUM, urbs Paphlagoniæ in ora maris Euxini, Anacreontis patria. Licet aliis patria ejus *Tejos*, vel *Teos*, urbs Ioniæ; unde *Tejus*, Horat. *Epod. Od.* 14. *v.* 9.

Non aliter Samiô dicunt arsisse Bathyllô,
Anacreonta Tejum.

Ovidius, *Trist. l.* 2. *v.* 364.

Præcepit Lyrici Teia musa senis.

TELA, oppid. Hispaniæ Tarraconens. *Antonin.* Hinc *Telense concilium*.

TELA, apud Virgilium, *Georg. l.* 1. *v.* 285.

——— *& licia* telæ
Addere ———

instrumentum jugale est, seu jugum, in quo *tela* texebatur & in quo extendebantur stamina. Hinc *tela jugalis*, Catoni, *c.* 14. ubi in villa ædificanda telas jugales duas, cum scamnis, cum fenestris, cum fulloniciis, & aliis id genus fieri jubet. *Tela*, eodem sensu, apud Valer. Flaccum, *l.* 3. *Argonaut. v.* 339.

Dat pictas aurô atque ardenti murice vestes,
Quas rapuit telis formosa, vocantibus Austris,
Hypsipyle ———

i.e. desecuit à telis, quibus tenebantur; quæ detextæ quidem erant, sed nondum desectæ; quæ adhuc in telis erant; namque quælibet vestis erat in sua tela. Sic Græcis [illegible] ἱστῶ [illegible] χλαμύδα [illegible]: enim iidem quoque vocant ligna illa erecta, vel juga, quibus stamina intendebantur, ad telam faciendam. Et quidem primum in tela contexenda erat, *telæ pedes*, Græcè ἱστόποδας, erigere & jugum iis imponere, quod Ovidius, *l. 6. Met. v. 55.* *telam jugo jungere* dixit, Hesiodus, in Ἔργ. v. 777. ἱστὸν στήσασθαι. Deinde stamina telæ vel jugo telæ adnectere, quod *telam stamine intendere*, & *de tela suspendere*, est eidem Ovidio, ibid. v. 54. Græcis [illegible], Atticis [illegible], Hesiodo, [illegible]; propriè [illegible], ut *ordiri* Latinis. Ad extendendum autem stamen, pondera appendebantur, Senecâ teste *Ep. 91.* quæ [illegible] Græcis. Constitutô stamine, stamen cum subtemine connectebatur; quod Latini *connexionem staminis*, Græci [illegible], appellabant. Subtemen verò radio textorio circumvolutum erat, quod utrumque [illegible] dicebatur. Sic *tela*, i.e. textura, fiebat &c. Qua de re vide pluribus disserentem Salmas. *ad Capitolin. in Pertinace, c. 8.* nec non *in Maximinis, c. 13.* ubi vocis etymon à *texo* arcessit; adde, quæ infrà dicemus, ubi de *Texendi Arte*. De *Telarum* autem *corrugatarum*, quas hodie collo aptare mos, vestigio apud veteres Romanos, Græcosque, diximus aliquid suprà, ubi de *Fimbriis*, item in voce *Focale*: uti de *Tela crebrasa, crudaria, jugali, recta*, suis locis.

TELADEUS, vide *Theodorus*.

TELAMON, Rex Salaminis insulæ, Æaci fil. unus ex Argonautis, sociusque Herculis in expugnatione Trojæ, qui quòd omnium primus murum conscendisset, virtutis ergò donatus est Hesione, Laomedontis filia, ex quâ Teucrum suscepit, cùm jam Ajacem ex alia uxore genuisset, qui à patris sui nomine *Telamonii* passim à poëtis appellantur. Ovid. *Met. l. 13. v. 151.*

Dummodo quod fratres Telamon Peleusque fuerunt,
Ajacis meritum non sit. ———

TELAMON, sive TELAMO, Etruriæ portus, Plin. *l. 3. c. 5.* *Mox Umbro navigiorum capax, & ab eo tractus Umbriæ, portusque Telamon.* Τελαμὼν *Stephano*, qui etiam πόλιν eum vocat, *Ptolem.* Τελαμῶν ἄκρα dicitur. Originem oppidi, nominisque ad Argonautarum usque tempora antiquissimi Græcorum scriptorum retulerunt, teste Diodorô Siculô, *l. 4.* cui Τελαμὼν λιμὴν dicitur. *Baudrando* nunc *Talamone*, oppidul. tenue, in maritima parte agri Senensis, cum portu utcunque capaci, in ora maris Tyrrheni prope Almianæ fluv. ostia. Tantisper munitum sub Hispan.

TELAMONTIUM, German. *Tellsperg*, quasi oppidum vel mons Teli, in agro Raurico, ad fluv. Birsam, ubi Sornæ fluviolô augetur, occurrit: cum arce. Hic Gallici sermonis initium. Urbs cum arce terræmotu corruit A. C. 1356. fuitque olim sub propriis dominis, nomine Sperderis, hodie Episcopo Basiliensi paret, cujus hæreditarii Mareschalli priores fuêre. Nunc proxima vallis, *Delspergerthal*? quam, ut & Monasteriensem proximam, ingressi Bernenses, quibus tum bellum cum Episcopo, longè lateque omnia vastârunt, petræâ Portâ perruptâ, A.C. 1376. causa belli fuit incendium Biennæ urbi ab Episcopo oblatum. Stumpf. *de Rauracis, c. 17.* Ager circa oppidum ad portam usque Petræam paulo asperior est, quàm ut frumentum proferat, hordeô æstivô exceptô, unde agricolis acerosô pane, præcipuè autem lacte & caseô, qui illic præstantes fiunt, victitandum est. Christ. Urstisius *Epitom. Histor. Basiliens.*

TELANDRUS, seu TELANDRUM, vel TELANDRIA, urbs Cariæ, *Steph.*

TELANE, urbs antiquissima Syriæ, quam Ninus inhabitabat ante Ninum conditam, *Idem.*

TELAUGES, Philosophus, fil. Pythagoræ, Olympiad. 65. Præceptor fuit Empedoclis Agrigentini, auctor variorum operum; Vide *Suidam, Diogen. Laërt. Theodoretum*, &c.

TELCHINES, popul. Rhodi insulæ, eò ex Creta profecti (unde Rhodus *Telchinia* dicta) Ialysum urbem incolentes. Ovid. *Met. l. 7. v. 365.*

——— *Ialysios Telchinas,*
Quorum oculos ipsô mutantes omnia visu
Jupiter exosus fraternis subdidit undis.

Malefici siquidem homines fuisse perhibentur, aspectu solô omnia effascinantes. Unde *Hesychius* & *Suidas* interpretantur Τελχῖνας βασκάνους, γόητας, φθονερούς. Statius, *l. 4. Sylv. 6. v. 47.*

——— *Idæis quicquam Telchines in antris.*

Nic. Lloydius. Sacerdotes Rheæ, uti Κουρῆτες, *Curetes, Corybantes, Cabiri, Idæi Dactyli* dicti sunt, ita & *Telchines* appellatos esse, quod novem numerô Rheam è Rhodo in Cretam comitati essent, quæ cùm priùs *Ophiusa*, posteà *Telchinis* dicta, docet Vossius ex Strabone, *l. 4.* & 10. in quo posteriore loco ista habet, Οἱ [illegible] τὰ Κρητικὰ καὶ τὰ Φρύγια, ἱερουργίαις τισὶν ἐμπεπλεγμένοις [illegible] [illegible], [illegible] τε τῆν τοῦ Διὸς παιδοτροφίαν τὴν ἐν τῇ Κρήτῃ καὶ τοῖς τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ὀργιασμοῖς ἐν τῇ Φρυγίᾳ καὶ [illegible] τὴν Ἴδην τὴν Τρωϊκὴν [illegible]. [illegible] ἐστιν ἐν τοῖς λόγοις τούτοις ποικιλία, τῶν μὲν τοὺς αὐτοὺς τοῖς Κουρῆσι τοὺς Κορύβαντας, καὶ Καβείρους καὶ Ἰδαίους Δακτύλους καὶ Τελχῖνας [illegible], [illegible] [illegible] ἀλλήλων καὶ μικράς τινας αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς διαστελλόντων, *Qui Cretenses res tradunt, Phrygiasque, iis quibusdam sacris ministeriis implicant Curetes, cùm arcanis, tum aliis Jovis in Creta educationi puerili, & Matris Deûm sacrificiis, in Phrygia ac locis circa Idam Trojæ montem. Ingens est diversitas istarum narrationum: alii eosdem cum Curetibus ponunt Corybantas, Cabiros, Idæos Dactylos, Telchines: alii cognatos inter se & exilibus distinctos differentiis.* Iidem *Galli* quoque vocabantur, Herodian. *l. 1.* in quibus Sacerdotibus ac famulis Deæ Matris novem ista præcipuè observant Auctores, 1. *Evirationem*: evirabantur enim testâ Samiâ, ad tibiæ cantum, Plin. *l. 35. c. 12.* 2. *Furorem*, de quo multa Vossius, *de Idol. l. 1. c. 20.* 3. *Vestitum multicolorem*, quem ποικίλην στολὴν vocat Dionysius, *Antiq. l. 2.* 4. *Capitis jactationem*, de qua Naso, *Fastor. l. 4.* unde *Tremulos* vocat Hieronym. *Ep. ad Marcellam.* 5. *Capillorum munditiem*; crines enim aromatibus habebant delibutos, vultumque candidâ velabant byssô. 6. *Mollitiem incessûs*: quæ tria, inter alia, complexus est Augustin. *de Civ. Dei l. 7. c. 26.* *De mollibus eidem Matri Magnæ, contra omnem virorum mulierumque verecundiam, consecratis: qui usque in hesternum diem, madidis capillis, facie dealbatâ, fluentibus membris, incessu fœmineô, per plateas vicosque Carthaginis, etiam à populis, unde turpiter viverent, exigebant.* 7. *Lacertorum sectionem.* Tam molles namque tamen quædam masculè videbantur agere. Nam, inspectante populô, lacertos ferrô cruentabant: partim ad placandam Deam, quia sanguine, ac præcipuè humanô, Numina propitiari credebantur: partim ob causam naturalem. Quo de ritu vide Statium, *Thebaid. l. 10.* Appulejum, *Metamorph. l. 8.* Tertullian. *Apologet. c. 24.* Prudentium, *Passione S. Romani* &c. 8. *Ejulatum ac planctum*, vide Vossium, *loco cit.* Tandem *æruscationem*, Stipem cum mendicando cogebant; eò dicti μητραγύρται, h.e. *æruscatores Matris Magnæ*. Quod commune fuisse Rheæ ac Isidi, docent eruditi. Romæ autem, non nisi ad paucos, eosque præfinitos dies, colligere stipem licuit; idque ne implerent animos superstitione, quam rationem adfert Tullius, *de LL. l. 2.* Atque hanc æruscationem quoque Carthagine obtinuisse, D. Augustini temporibus, cognoscere est ex verbis superiùs allatis. Vide iterum Gerh. Jo. Vossium, *de orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 53.* & suprà *passim*. De gente verò ita Diod. Siculus *l. 5.* *Rhodus insul. Telchinum olim sedes fuit; qui è Caphira, Oceani filia nati Neptunum à Rhea sibi commissum educârunt: Primi etiam Deos statuis honorarunt, unde & apud Lindios Apollo* Telchinius *vocabatur: Ajunt & formas, cùm vellent, immutâsse, & potuisse nubes, pluvias, grandinem & nives inducere; quæ Magorum propria habentur. Sororem habuêre Aliam: cui Neptunus jam adultus fuit mixtus. Inde nati, puella una Rhodos, à qua Insulæ nomen: filii item sex. Ac* Telchines *quidem, cùm diluvium fore præsagirent, Insulâ egressi sunt ac variis vagati locis. Unus eorum, illam in terram, quæ ab eo dicta est* Lycia, *ubi Apollinis Lycii Fanum. Diluvii tempore plurimi periêre; servati qui se in montem receperant. Posteà Sol amore Rhodi captus, Insulam exsiccavit, eamque reddidit fœcundam, unde septem orti* [illegible], *qui à Sole* Heliades *dicti: propriis verò nominibus appellati sunt, Ochimus, Cercaphus, Macar, Actis, Tenages, Triopas & Candalus. Soror iis unica Electryone, quæ cùm virgo obiisset, divinos meruit honores. Cæterùm Heliadæ omnes originis memores Astrorum studio se dederunt; in quo præcipuè cùm excelluisset Tenages, fratrum invidiâ sublatus est. Quibus proin solum vertere coactis, Actis in Ægyptum profectus, Astrologiam illuc studium invexit.* Quæ fabula ex eo orta est, quòd Rhodi fint homines Insulares ac diu maris potentes, atque Astrologiæ gnari, quando ad Nauticam hac scientiâ opus est; ipsaque etiam Insul. Soli fuerit sacra, ut & Pindaro traditum Εἰδύλλ. ζ. Hinc Neptunus Rhodiis à matre commendatus: idem cum sorore Telchinum Alia, [illegible], commixtus: fratres *Heliadæ* à Deo, in cujus forent tutela, appellati; fratrumque unus, qui in Ægyptum profugus Heliopolim ibi condidit, *Actis* vocatus dicitur. Ἀκτὶς autem Græcis *radius* est. Vide Voss. eundem, *de Scientiis Mathem. c. 32. §. 5. 6.*

TELCHINIA, Peloponnesi urbs, *Sicyon* posteà dicta, *Steph.* à *Telchinibus*, quos unà cum Caryatis bellum intulisse Phoroneo & Parrhasiis, legas apud *Syncellum*. Posteà Apin, Phoronei fil. Thelxionis & *Telchinis* insidiis peremptum, tradit Apollodorus, *l. 2.* quem tamen Apin alii rejiciunt. Tandem *Telchines*, [illegible] *expulsi Peloponnesô Rhodum migrârunt*, idem Syncellus, *p. 149. b.*

TELCHINIUS, Apollo dictus est apud Lydios, à Telchinibus, hominibus maleficis & fascinatoribus, qui Rhodum incolebant, quòd quemadmodum illi animalia & stirpes aquâ Stygiâ inspersâ fascinarent, sic Apollo quoties irritaretur, immissâ peste, homines & pecora perderet.

TELCHIR, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

TELCHIS, urbs Æthiopiæ in Libya. Vide *Steph.*

TELCHIUS, alter ex Castoris & Pollucis aurigis, qui unà olim Amphito Dioscuriadem urbem apud Colchos traditur condidisse, Plin. *l. 6. c. 5.* Ab his gens Heniochorum orta est, Strabo tamen *l. 11.* Rhecam & Amphistratum vocat, ut in alterutro mendum sit. Sed fieri potest, ut horum fratrum plures fuerint aurigæ.

TELEAS, homo duplex, qui à Platone *in Syrphace* traducitur, ob mores cinædicos, timiditatem, luxuriam & malitiam. Vide Scholia *in Aristoph. Aves p. 549.*

TELEBA, Albaniæ oppid. *Ptol.*

TELEBOÆ, vel TELEBOES, (vide *Taphii*) populi Ætoliæ, seu Acarnaniæ, ut apud Aristoph. *in polimcis*, & Caprearum insularum latrociniis dediti.

TELEBOAS, fluv. ad Tigridis fontem, *Stephan.* Item unus ex Centauris, Ixionis ex Nubis fil. Ovid. *Met. l. 12.*

TELEBOIDES, Insulæ ante Leucadiam, Plin. *l. 4. c. 12.* Vide *Taphiæ*. Græcè Τηλεβοῶν νῆσοι, Insulæ plures inter Achajam & Leucadiam, à *Teleboïs* populis qui eas tenuerunt, sic dictæ; uti à Taphiis populis eædem *Taphiæ* appellatæ sunt, Plin. *loc. cit.* Statius *Teleboum domos* Capreas vocat, *l. 3. Sylv. 5. v. 100.*

Teleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit pharus æmula Lunæ.

Quà de pharo, i.e. præcelsa in hac insula turre cum nocturnis luminibus, vide Lipsium *ad Tacitum, Annal. l. 4.* Dionys. Gothofredum *ad Pandectas, p. 1733.* Phil. Beroaldum *ad Propertium, l. 2. Eleg. 1.* Alios, ut & supra in hac voce.

TELEBOIS, regio Acarnaniæ, *Stephan.*

TELECLES, Lacedæmonius, Heraclides, ab Euristhene VIII. filius

lius Archelai, pater Alcamenæ, Herodot. *l.* 7. Collegam regni ex altera ſtirpe Charillum primò habuit, ac Amyclas, Pharin, Geranthraſque oppida finitima (quæ ab Achæis adhuc tenebantur) bellô capta evertit, & de Amyclenſibus, qui fortiter reſtiterant multaque dederant virtutis documenta, tropæum erexit. Dein Charilli fil. Nicandrum, quô unà regnante, in Dianæ Limnadis fano, à Meſſeniis occiſus eſt, quòd impuberes, in morem virginum ornatos, cum pugionibus diſpoſuiſſet, qui primores Meſſeniorum ad templum venientes ex improviſo adorirentur ut quidem Meſſenii dicebant: Lacedæmoniis Virgines illuc ad ſe de more miſſas, à Meſſeniis violatas, & *Teleclum* injuriam propulſare conantem, interemptum fuiſſe, contrà affirmantibus. Sanè Lacedæmonii cædem Regis ſui non vindicârunt, quaſi eſſent facinoris conſcii. Erat autem tum Meſſeniorum Rex Phinta. Pauſan. *Lacon.* Regnavit annos 40. ſucceſſore filiô Alcamene, quem vide.

TELECLES, Philoſophus, Lacidæ diſcipulus. Diogenes Laërtius, *l.* 4. *c.* 60.

TELECLES Mileſius, qui talem inſtituit Rempubl. ut ad concionem certus deligatur numerus, excluſô tamen nullô; ſed alium poſt alium, adeoque omnes tamen ordo vocet. Ariſtot. *l.* 4. *Polit. c.* 14.

TELECLIDES, Athenienſis, Scriptor quidam, Olymp. 84. quem laudant Scholia *in Ariſtoph. Acharn. p.* 413. *D.* 1. quòd τεγχέαν τύλας dixerit. Scripſit Ηγεμόνας, ut laudant Scholia, *p.* 490. *E.* Comicum appellant *in Aves, p.* 543. *E.* Commentatus eſt in Heſiodum. Vide *p.* 595.. *F.* Athen. *l.* 7. 9. 11. *Suid.*

TELECLYTUS, Lacedæmoniorum Rex, in prælio contra Meſſenios occiſus. Vide ſuprà *Telecles.*

TELECLYTUS, Pater Α'θέω, h. e. Deos negantis Diagoræ, Scholia *in Ariſtoph. Ranas, Act.* 1. *Sc.* 7.

TELECON Cyzicenus, cui ab Ancæo Argonautarum comite, in nocturno conflictu, caput ſecuri fiſſum eſt. Val. Flacc. *l.* 5. *v.* 140.

TELECRUS, Rex Laconiæ.

TELEDA, vicus maximus Syriæ juxta Coryphen promontorium, *Theodoretus.*

TELEGENNIUS, notæ fatuitatis homo, tempore Claudii Imperatoris cujus proin *quotidiana & planè omnium horarum —— vox erat. Quid? ego tibi* Telegennius *videor & λογοί ἔσω*, apud Sueton. *in eo, c.* 40. Fuit autem inter gentes Romanas & iſtô nomine una. Lapis vetus, DIS MANIBVS C. TELEGENNI OPTATI. Caſaubon. *ad locum Suetonii.*

TELEGONUS, filius Ulyſſis, ex Circe, qui cùm jam adoleviſſet, videndi patris cupidus, in Ithacam navigavit: cumque à miniſtris paternis incognitus aditu prohiberetur, aliquot ex iis occidit. Ad quem tumultum excitus Ulyſſes, cùm ipſe jam ſenior ſuis opem ferret, à filio ſuo occiſus eſt oſſe piſcis cujuſdam, qui à Græcis Xiphias dicitur. Unde Horatius, *l.* 3. *Carm. Od.* 25. *v.* 8.

Telegoni juga parricidæ.

Quod ubi cognovit Telegonus, relictâ Ithacâ in Italiam venit, ubi Tuſculum condidit. Ovid. *Faſt. l.* 3. Primus prædictionum ex aruſpicina & augurio, apud Græcos fuiſſe, inventor traditur, à Suida in Τηλέγονος. Quemadmodum in Latio Hetruſci ſe artis hujus auctores prædicabant, quibus illa à *Tage* primùm tradita. Vide Thom. Demſter. *Paralipomen. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 8. 9. 11.

TELEM, civitas in tribu Judà, Joſ. 15. *v.* 24. Nomen viri, Eſdr. *c.* 10. *v.* 24.

TELEMACHUS, Ulyſſis ex Penelope filius, quem ad Trojam proficiſcens apud matrem reliquit, multis à procis affectus injuriis, tandem patre domum reverſô, in illis ulciſcendis ſe præbuit adjutorem. Ovid. *Epiſt.* 1. *Heroid. v.* 97.

Tres ſumus imbelles numerô, ſine viribus uxor,
Laërteſque ſenex, Telemachuſque puer.

Horatius, *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 40.

Haud malè Telemachus proles patientis Ulyſſei.

Penelopæus Telemachus apud Catullum, *epigr.* 62. *v.* 229. Celebratur ejus dictum apud Homerum, *Od.* α. *v.* 397.

Αὐτὰρ ἐγὼ οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο,

Nic. Lloydius.

TELEMACHUS, Monachus, *Romæ gladiatoriô ludô celebratô, increpitans populum attentiùs Spectaculis inhiantem, ab eo lapidatus eſt.* Vinc. Bellovacenſis *in Spec. Hiſt.* ex Theodoreto, *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 26. & Aur. Caſſiodoro, *Hiſtor. Tripart. l.* 10. *c.* 11.

TELEMUS, Eurymi fil. inter Cyclopas vates egregius, qui Polyphemo prædixit quæcunque ab Ulyſſe paſſus eſt. Ovid. *Metam. l.* 13. *v.* 771.

Telemus Eurymides, quem nulla feſellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit: lumenque quod unum
Fronte geris mediâ, rapiet tibi, dixit, Ulyſſes.

TELENICUS, vir adeò notæ paupertatis, ut Seriphii verbum inde finxerint, dicantque Τελενικίζειν, pro evacuare. Inde proverb. *Telenicô pauperior.*

TELENIS, peſſimus & indoctus tibicen. Dicitur & *Tellen.* Vide Eraſmum *in Chiliad.*

TELENSIUM, ſeu TELENSIN, ſeu TREMISEN, urbs regni Algerii, ad fluv. Seffiſum, 15. mill. paſſ. ſupra ejus oſtia, & ab ora maris Mediterranei, elegantiſſima habet rura. Aliàs *Tunici dicta.* Vide ibi.

TELEPHAE, uxor Cadmi, quam duxit ante Hermionem, Stephan. *in Dardano.*

TELEPHANES, ad regnum Lydiorum Cumis ex oraculo acceſſitus, qui anteà currus factitabat. Item tibicen, de quo Demoſthenes *in oratione contra Midiam.*

TELEPHASSA, uxor Agenoris, mater Europæ, in inſul. Thaſo, cui Thaſus Agenoris fil. Cadmi frater, nomen dedit, mortua eſt. Steph. in Θ. Nempe Phœnices, duce Cadmô, ad quærendam Europam, an ad imperium in Europa comparandum? navigantes, Thaſum Herculiſque ibi templum condiderunt, Thaſô ibi relictô: inde in Bœotiam pergentes Thebas extruxêre, Conon. *in Biblioth. Photii, p.* 4 .6. *Narrat.* 37.

TELEPHE, Europæ mater, in Thaſo inſula obiit, *Steph.* Vide *Telephaſſa.*

TELEPHIS, oppid. Colchorum juxta Phaſin fluv. in ripa prærupta.

TELEPHIUS, vicus & fons Lyciæ à Patara urbe 7. ſtad. diſtantes.

TELEPHUS, Myſorum Rex, Herculis filius ex Auge Nympha, qui cùm avi ſui juſſu in ſylvis expoſitus eſſet, à cerva aliquandiu dicitur educatus. Quæ res tantam futuræ claritatis opinionem de eo præbuit, ut mox à Myſiæ rege adoptatus ſit, & regni hæres inſtitutus. Factus itaque Myſorum Rex, cùm Græcos ad Trojanam expeditionem proficiſcentes prohibere conaretur, ne per Myſiam iter facerent, ab Achille vulneratus eſt. Cujus plagæ cùm nullum ſatis efficax remedium inveniretur, oraculô reſponſum eſt, fore ut eâdem haſtâ, quâ vulneratus erat, ſanaretur. Reconciliatus itaque Achilli, ab eo impetravit, ut ex haſta, quâ vulneratus erat, ſanaretur, rubigine malagma conficeret, & vulneri ſuo imponeret: quô factô ſtatim ſanitatem conſecutus eſt. Propert. *l.* 2. *El.* 1. *v.* 63.

Myſus & Hæmonii juvenis qui cuſpide vulnus
Senſerat, hâc ipſâ cuſpide ſenſit opem.

Ovidius, *l.* 5. *Triſt. El.* 2. *v.* 15.

Telephus æternâ conſumptus tabe periſſet,
Si non quæ nocuit dextra tuliſſet opem.

Seneca Tragœdus, *in Troadibus, Actu* 2. *v.* 215.

Inhoſpitali Telephus regno impotens
Dum Myſiæ ferocis introitus negat,
Rudem cruore regiô dextram imbuit
Fortemque eandem ſenſit & mitem manum.

Horatius, *Epod.* 17. *v.* 8.

Movit nepotem Telephus Nereium,
In quem ſuperbus ordinârat agmina
Myſorum, & in quem tela acuta torſerat.

Alii dicunt herbarum virtute reſtitutum. Claudianus:

Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis,
Cujus pertulerat vires, & ſenſit in uno
Lethalem placidamque manum, medicina per hoſtem
Contigit, & pepulit quos fecerat ipſe dolores.

Nic. Lloydius. Addo, quòd inter opera Paraſii, quorum olim ingens fama, & *Telephus* memoratur Plinio, *l.* 35. *c.* 10.

TELEPHUS, Grammaticus Pergamenus, ſcripſit ferè omnia, quæ ad Grammaticam pertinent; inter alia *collationes epithetorum* eidem rei congruentium, ad copiam parandam elocutionis, *Suidas.* Item *hiſtoriam Pergami, vitas Poëtarum,* &c. Floruit ſub Adriano Imperatore & Verum græcam linguam docuit. Jul. Capitolin. *in Vero.* Voſs. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 16. Item amicus Horatii, *l.* 4. *Od.* 19.

TELEPHUS, mendicus quidam peram geſtans, apud Ariſtophanem. Item nomen Juvenis apud Horatium, *l.* 3. *Od.* 11. *v.* 25.

TELEPHUS, ſervus mulieris Romanæ nomenculator, conſpiratione in Auguſtum famoſus. apud Sueton. in *Vita Auguſti, c.* 19. ubi eum & Senatum aggredi, & Imperium arripere, animô deſtinare auſum, memorat.

TELEPISSA, vel TELPISSA, fons, cujus aquâ Tireſiam extinctum fuiſse fabulantur poëtæ, vide *Telphuſſa.*

TELEPTE, urbs Africæ, Auguſtin. & Cyprian. in Concilio Carthag. Byzacenæ provinc. metropolis. Donatus hîc Concilium contra Pelagianos celebravit, A. C. 418.

TELERIDUS, Bulgarorum Princeps, perfidiâ ſuâ Conſtantinum Copronymum, Bulgarorum priùs & regis eorum Zeletinis victorem irritavit, qui, in ipſo apparatu belli, obiit A. C. 775. Hunc poſteà Leo IV. prioris filius & ſucceſſor pulſum, in fidei communionem ac affinitatem aſsumpſit, A. C. 779. Paul. Diaconus, *l.* 23. *&c.*

TELESARCHUS, ἐν Α'ργολικῷ citatur Sexto Empirico, *l.* 1. *Adverſus Mathematicos, c.* 12.

TELESCOPIUM, tubus Opticus vocatur, cujus beneficiô noſtra ætas multa in cœlo admiranda, quæ Veteribus planè fuerunt ignota, detexit; à τῆλε, *procul,* & σκοπεῖν, *ſpectare.* Hinc enim in ipſo Sole maculas & faculas jam cognoſcimus: Lunam, quaſi alium terrenum orbem eſſe, noſtro perſimilem, ejuſque ſuperficiem inæqualem, terrâ ac aquâ diſtinctam, ac quaſi montibus attolli vallibuſque deprimi; Venerem, Lunæ inſtar, nunc plenam eſſe, nunc in cornua abire; Mercurium etiam, reliquorum Planetarum inſtar, à Sole lumen accipere, & modò in orbem, modò ſemiplenum ſeſe conſpiciendum præbere, deprehendimus. Circa

Jovem

Jovem quatuor cernimus Planetas, qui, tanquam Lunæ totidem, certis periodis & intervallis ejus circuitum faciunt: Ipsum etiam Jovis corpus, quasi fasciis quibusdam cingi; earumque situm mutari, prout scil. ipse Jupiter super centrum suum rotatur: Eôdem modô Lunulam quandam Saturnum decem & sex dierum spatiô circumire, ejusque corpus annulô circumcinctum esse; atque exinde, pro ratio ad Solem Terramque nostram situ, modò ansatum, modò rotundum, nonnunquam etiam lineâ rectâ ad utrumque latus extensâ apparere: Viam denique lacteam, quod jam olim Democritus suspicatus fuisse legitur, scimus jam nihil esse aliud, quàm congeriem stellarum minimarum, quemadmodum & sunt stellæ, *nebulosæ* vulgò dictæ, quæ ita constipatæ ex minutis stellulis, albedinem quandam, nebulæ instar, repræsentant &c. Vide Jac. Oiselium JCtum, *Notis in A. Gellium, l.* 16. *c.* 18.

TELESETES, vel TELESTES, Poëta Comicus, Olympiad. 95. Ejus versus Harpalus Alexandro M. obtulit. Vide *Suid.*

TELESIA, urbs Episcopalis excisa provinc. Terræ Laboris, prope Sabatum fluv. 16. milliar. à Benevento in Occasum, 13. à Capua in Ortum, 28. ab Esernia in Meridiem. Ejus nunc vix apparent vestigia. Ab Annibale captam scribit, Liv. *l.* 2. *dec.* 3.

TELESIAS, vide *Telestes.*

TELESIAS, saltationis genus, ab inventore *Telesia* nomen trahens; Non absimilis fuit priscæ illi, severæ atque asperæ, in qua puelli etiam Lacones sese exercebant, recti perfectâ integrâque armaturâ; quam proin *πυρρίχην* alii, ipsi *πυρριχίζειν* nominabant. Hanc Scaliger & sæpe & diu coram Divo Maximiliano, jussu Bonifacii patrui, non sine stupore Germaniæ, se repræsentâsse, & illam ex Imperatore elicuisse vocem, *Hic puer thoracem aut propelle, aut pro cunis habuit*, tradit, vide eum *Poetices l.* 1. *c.* 18.

TELESILLA, mulier poëtria nobilis, cui etiam apud Argos ante Veneris templum statua posita est, Pausan. *l.* 2. quia Cleomene, ruente ad expugnationem Urbis, mulieres armavit vimque hostis depulit. Clem. *l.* 1. *Strom.* Polyæn. *l.* 8. *c.* 33.

TELESINICUS, Corinthius, inter auxilia Syracusanorum. Polyæn. *l.* 5. *c.* 28.

TELESINUS, vide *Lucius*, Item *Pontius.*

TELESIPPUS, pauperculus Pheræus, pater Diniæ tyranni. Id. *l.* 2. *c.* 34.

TELESIPPUS, Demophon, Pericles filii Hippocratis, ob porcinos atque insulsos mores, famosi. Schol. *in Nub. Aristoph. Act.* 3. *Sc.* 3.

TELESPHORUS, Græcus, VI. Pontifex Roman. sedit ann. 12. A. C. 152. Martyriô coronatus. Euseb. *Hist. Eccl. l.* 5. *c.* 6. Anastasius *in vit. Pontif.* Successit Hyginus.

TELESSIA, Ptol. TELESIA, colonia & urbs Samnii, inter Beneventum ac Teanum. *Thelesa* Leandro.

TELESTAGORAS. Naxiorum opulentissimi, imperiô abusi, plebis in se odium concitârunt. Habitabat autem in eorum vico bonus quidam vir, nomine *Telestagoras*, quem populus, ob morum probitatem, valde amabat, adeò ut qui venderent res venum expositas; si quis emptor fortè difficilis esset in emendo, dicerent, malle se Telestagoræ donare, quàm tam vili vendere. Accidit, ut nobiles adolescentuli quidam piscem aliquem magnum emere cogitarent; qui cùm de precio itidem cum Piscatore contenderent, excidit idem illi verbum, quod aliis, malle se piscem Telestagoræ donare. Quô dictô adolescentes, merô jam antè calidi, in furias insuper acti, Telestagoræ domum irrumpunt, contumeliâque ipsum & nubiles filias duas afficiunt: Cujus facti indignitate moti Naxii, Principe & Capite Lygdamide sumpserunt arma, & nobilitatem insulâ expulerunt. Athen. *l.* 8.

TELESTES, Rex Corinthiorum, ex Heraclidis IX. impubes relictus à patre Aristomede Rege sub tutela Agemonis avunculi fuit, donec adultus regnum ipse administraret: regnavit autem ann. 16. Agemon post quem Alexander regnum occupavit, per annos 25. qui tandem à *Teleste*, hactenus exule, sublatus, huncce, per annos 12. successorem habuit. Eô verò per cognatos sublatô Automenes regnavit in annum; Bacchidæ autem omnes, è quibus *Telestes* ordine quintus erat, imperium retinuerunt, Prytane è numero suo electô, qui Regis locô esset. Diodorus apud Syncellum. Vide suprà *Agemon*, *Alexander*, *Automenes*. Pausanias ab *Arico* & *Peranta* Telestem ob simultatem interemptum, nec Regem post illum ampliùs fuisse ait, *l.* 2. *p.* 92.

TELESTES, Æschyli saltator, cùm Æschylus *χαμαιλεοντικ* in choros Tragicos primus intulisset, veteribus modis novos addidit, ut *Chamæleo* auctor est. Appellabant autem Veteres *χαμαιλεοντικ* eos corporis modos, in quibus non soli motus, sed & quietes numerabantur, *stantis*, *dormientis*, *cogitantis*, *sedentis*, *fessi*, *ignavi*, *metuentis*, *admirantis*; etiam à partibus quibusdam corporis, ut *nutus*, *nictus*, *oscitatio*, *risus*, *fletus*, *digitorum concrepatio*. Quæ omnia apud Græcos & Mauros: itemque eorum soboles, Hispanos, etiam suô ævô vidisse, refert Jul. Cæsar Scaliger, *Poët. l.* 1. *c. cit.* Vide quoque Salmas. *ad Carinum Vopisci.*

TELESTES, Selinuntius, Poëta Dithyrambicus, floruit Olymp. 95. Extant ejus versus, super harmonia Phrygia, lepidissimi: quos idcirco operi suo inseruit Scaliger, *l. eod. c. seq.*

> Πρῶτοι παρὰ κρατῆρας Ἑλλάνων ἐν αὐλοῖς,
> Συνοπαδοὶ Πέλοπος ματρὸς ὀρείας,
> Φρύγιον ἄεισαν νόμον,
> Τοὶ δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς
> Κρέκον Λύδιον ὕμνον.

In Phrygiis enim excitabatur impetus ad insaniam usque: quod Philosophus docet, Poët. *l.* 8. Quâ minùs incitata fuit Lydia. Vide Auctorem *locô modò laudatô*. Aliàs Græcis Τελεσὶς, *Magus* est, uti Laius ille apud *Tzetzem*, quem hic Φιλόσοφον, & Τελεστὴν & Μάγον vocat, quòd Antiochenses peste liberâsset, erectâ Charontis statuâ τετελεσμένα, *magicè consecrata.* Sic Asium quendam, qui Dardano Trojam condenti Palladium, ad Urbis & Regni conservationem, dono dedit, Φιλόσοφον item & Τελεστὴν appellat *Suidas. Olympiodorus* quoque meminit Libanii cujusdam, quem ἄκρον τελεστικὸν fuisse dicit &c. Hujusmodi enim consecrationem Græci τελετὴν, & simulachra sic consecrata, τετελεσμένα (unde corrupta vox *Talisman*) hincque ipsos Magos Τελεστὰς nuncupavêre, Salmas. *ad Vopisc. Aureliano, c.* 18. Vide quoque suprà, ubi de hujusmodi *Consecratione.* Sed & Τελετὰς, majores festivitates dixit Homerus, cum sacra quadam constitutione, ob impensas, quæ in eas fiebant, magnificas; τελεῖν enim *impendere*, Athenæus, *l.* 2. *c.* 1. Imò & *perficere*, unde aliis mysteriosa hæc & sumptuosa sacrificia dicta potiùs videntur, quò sacrificantes crederentur τελεσιοῦν, *perficere.* Qualia erant sacra Solis & Lunæ, ut scribit Porphyrius, Bacchi item, & quædam expiationes, quæ libris Orphei (cujus, post Cadmum, inventum τελετῶν Auctores faciunt) & Musæi continebantur, sicut Plato docet, *de Rep. l.* 2. quibus scelera non privatorum modò, sed publicè quoque civitatum, & pro viventibus, & pro vita jam functis expurgarentur, per sacrificia ludosque & omne genus oblectamentorum. Etsi Plato eo loci *Teletas* ad solos mortuos pertinere dicit, & inde dictas ait, nempe à τελευτᾶν: αἳ τῶν ἐκεῖ κακῶν ἀπολύουσιν ἡμᾶς, *quæ nos malis, quæ apud inferos sunt, liberant.* Vide Lud. Vivem *ad Augustin. de Civ. Dei, l.* 4. *c.* 31. Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l.* 18. *c.* 23. Alios. Imò & in genere quodvis mysterium τελετὴ dictum, unde apud *Platonem* τετελεσμένοι, *mystæ*, seu sacris initiati, ἐπόπται verò *epoptæ*, dicti. Quam postmodum vocem, sanctiori sensu, ad sua, & vera Sacra Patres Græci transtulerunt, apud quos τελετὴ, item τελειωτήριον, de S. Cœna & τελετάρχης, de Christo, mysteriorum sacramentorumque cœlesti Auctore, passim occurrit. Vide Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Τέλειος, aliisque cognatis, & suprà *Mysterium*, ac infrà *Theurgia*, it. *Vivens.*

TELESTO, Nympha Oceani ac Tethyos filia. Hesiod. *in Theogon. v.* 358.

TELESTOR, pater Euripidis poëtæ.

TELETHRION, mons Oechaliæ in Eubœa apud Chalcidem urbem, *Stephanus.*

TELETHUSA, uxor Lycti, seu Lygdi, mater Iphidis puellæ, quæ in puerum mutata fuit. Ovid. *Met. l.* 9.

TELEURIAS, Macedonum Rex, in portu Atheniensi, Atheniensium & naves & homines plures cepit. *Xenoph.*

TELEUTIAS, frater Agesilai, cecidit ad Olynthum Olymp. 99. An. 3.

TELEUS Jupiter, h. e. perfectus vel adultus, in nuptiis olim colebatur. Hujus Jovis Tragoëtæ aram in foro habuêre, statuamque quadrangularem illi statuêre, quâ figurâ ipsi gaudebant, inde *teleum poculum* appellabatur illud, quod Jovi Servatori propinabatur.

TELGA, urbs Sudermanniæ, in Suecia, ad partem Australem Meleri lacus, 4. leucis Suecicis ab Holmia, in Africum, Trelam versùs 3. uti ab ora maris Baltici.

TELINUM, apud Tertullian. *de Pallio, c.* 4. ubi de Hercule apud Omphalem deside, *Ne sobriæ mulieris quidem aut virginis alicujus scapulæ sub exuvias bestiæ tantæ introire potuissent, nisi diu mollitas & evigoratas & exodoratas, quod apud Omphalem balsamô, aut telinô spero factum:* Græcè τήλινον, unguentum est, Menandri Comici Poëtæ tempore celeberrimum, in cujus compositione τῆλις, i. e. *fœnum Græcum*, præcipua res erat, unde ei & nomen. Quinque enim libras fœni Græci, olei libras novem calami odorati libram unam, cyperi duas, sumi ait *Dioscorides*, quæ omnia, addit, [illegible] Vide quoque Plin. *l.* 13. *c.* 1. & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 466.

TELIS, *Le Navagiero*, fluv. Galliæ Narbonens. Obri finitimus.

TELIUM, *Teglio*, castrum in Rhætorum & Insubrum confinio, medium inter Sondrium & Tiranum oppid. 8. mill. pass. unde *vallis Telina.* Caput est tertiæ Præfecturæ Volturenæ seu Vallis Telinæ provinciæ, cujus totius arx & propugnaculum, utpote in edito loco situm ac munitum, habetur. Vide *Tellina.*

TELLAU, seu TALOGIENSIS Furnario, pagus Galliæ, in Capitularibus Caroli Calvi memoratus, inter pagos Rotomagensem & Vitnau, ad amnem Earam, inter Deppam & Ancum fluvium medium, qui alluit Alberti Mansionile, Fulcardi Montem, Bettonis Cortem, Petreum pontem, Septem Molas, Vallem Regis, Telliam, S. Sulpitii, & apud Criolium, in Oceanum effunditur. Pars fuit Caletorum. Deppam, Arcas, Bettonis curtem *Betencourt*, Balltolum, ad ripam Heldonæ, Ulmitum & Warinnam villas fiscales comprehendens: Nomen ei à *Telli* fluv. qui idem cum Eara prædicto, hodie *Iere.* Pertinuit à Warinna fluv. qui est Sedæ vel Siæ amni proximus, ad Earam fluv. aut etiam ultra, ejusque amnes extitêre Warinna vel Guarenna, Deppa, Heldona, Eara: nec valde arguendus est *Furnarius*, qui illum à Bresla ad Siam, i. e. ab Anco fluv. ad Sedam pertingere asserit, promotô trans Earam pagi *Tellau* limite ad Aucum usque. Præter Tellyam *Tilly*, cujus suprà mentio est haud procul à Novo Castro & fluv. Deppa vicus *le Til*: quæ duo loca vetus pagi nomen videntur hodieque servare. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TELLEN, vide *Tellenius.*

TELLIAS, Herod. *l.* 8. vates Helæus, qui Phocensibus cum Thessalis bellum gerentibus rem hujusmodi commentus est. Sexcentos viros è Phocensibus præstantissimos, gypsô tam ipsos, quàm arma illevit, eosque sub noctem in Thessalos dimisit, datô præceptô, ut quemcunque albicantem non cernerent, cum obtruncarent. Hos

primum

primum Thessalorum excubitores prodigium quoddam esse arbitrati, deinde ipse exercitus adeo exhorruerunt, ut 3. millibus cæsorum, atque scutorum Phocenses potiti sint.

TELLINA Vallis, seu *Volturena*, Gall. *Valteline*, German. *Veltlin*, pars Rhætiæ propriæ, ubi aliàs Vennonetes, ad radices Alpium. Sub Rhætis, quibus illa ab Hispanis erepta, sed à Gallis reddita est, A. C. 1620. & seqq. Dividitur in tres Tertianas, Ital. *Terzero*, nempe *Terzero di Sopra*, seu superiorem, *Terzero di mezzo*, seu mediam, & *Terzero di Sotto*: quibus additur etiam Comitatus Bormiensis. Terminatur à Septentrione Rhætiâ propriâ; à Meridie dominiô Venetô; ob Occasu Ducatu Mediolanensi; ab Ortu Comitatu Tirolensi. Pars fuit antiquitus Italiæ, uti posteà Ducatus Mediolanensis, sed à Maximiliano Sfortia Rhætis donata est, A. C. 1512. Vinô suô nobilis. In ea circa A. C. 1620. magna fidelium ex insidiis oppressorum strages edita & Euangelium exiliô mulctatum est. Continet oppida 4. non contemnenda, Morbenium, Tiranium, Sondrium & Bormium. Vide quoque *Vallurena*.

TELLINA, vel TELLENA, Straboni *Tellenæ*, oppid. Latii olim nobile.

TELLIUS Guilielmus, vulgò *Wilhelm Tell*, clarum ac dulce Helvetiis nomen. Hic Uriâ Helvetius, post prima fœderis Helvetici à Melchtalio, Stouffachero & Furstio jacta fundamenta, fœderatis inter primos accessit, ingens ad libertatem pondus. Pileum mox jussu Grisleri præfecti, Altorffii in foro, adorationi publicè expositum, cùm nullo honoris signô exhibitô præteriisset, comprehensus tyranno sistitur: coactusque è vertice filioli charissimi sagittâ pomum decutere, post rem feliciter peractam, alterâ sagittâ, quam thoraci insertam habebat, se tyrannum transfixurum fuisse, si puerum confodisset, postquam acriter urgeretur, confessus est. Tum Præfectus, qui vitam vera fassuro promiserat, in perpetua cum vincula Suitiam parans abducere, obortâ in lacu tempestate, Tellium solvit: qui gubernaculô sumptô, vix multâ vi è fluctibus navem eripit, & eam adversus Suitiorum terram dirigit, quô locô non multum à littore ingens saxum suprà undas eminet, quod hodie *Tellii saxum dicitur*. In hoc desilit heros, & simul quantô maximô potest nisu, navim pedibus in fluctus repellit, sicque cum filio, arcu & telis, nam hæc omnia cum eo in navem conjecta, dextrè feliciterque eripuerat, cursim festinat per Suitiam, in vicum Cavum à Cussenaco, quò abducendus fuerat, porrectum ad lacum usque Tuginum. Ibi quærit insidias, contra quarum locum cùm Præfectus ægrè undis emersus, pervenisset, ille telô emissô ipsum trajicit, dein revertitur ad suos, rem totam ut gesta erat commemorans, Stouffachero, atque Furstio, qui re prudenter aliquandiu perpensâ, ascitis undique fœderis sociis, Kal. Jan. A. C. 1308. in omnibus tribus pagis, arcibus dejectis, libertatis Helveticæ tropæum erexêre. Extat nostrâ ætate sacellum eô locô, quô Præfectus cæsus est, & alterum in saxo, in quod Tellius è navi desiliit, perpetua rei gestæ monumenta. Canitur hodieque apud liberam gentem, non minus ac Gulielmus Arausionensis. Belgicæ libertatis auctor, cujus laudibus eosdem modulos sui aptârunt, quibus Tellius apud Helvetios celebratur. Arcus ejus cum gladio, in armamentario illustri Reip. Tigurinæ ostenditur. De hoc Glarean. *descr. Helv. mox ab initio*:

> *Causam ortus nostri, qui sit quoque fœderis auctor,*
> *Tantique imperii, cur malum fronte pusilli*
> *Invisum certâ figis Guilielme sagittâ:*
> *Non nostris puto carminibus celebranda.*

Et *in panegyrico Uriæ*:

> *Nemo illâ major bellô, nemo acrior armis,*
> *Hæc nostri fons imperii, quæ prima tyrannos*
> *Corripere est ausa, & volitanti plectere ferrô.*

Idem, *sub finem*:

> *Brutus erat nobis, Uro Gulielmus in arvo,*
> *Assertor patriæ, vindexque ultorque Tyrannûm, &c.*

TELLUMO, vim masculam Telluris, quæ semina producit, apud Veteres, denotavit. Ita enim Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 7. *c.* 23. de Tellure: *Est igitur Tellus nihil aliud, quam vis, & quidem fœmina, quæ semina recipit & nutrit: Vim autem masculinam, quæ semina producit*, Tellumonem *dixêrunt*, vide hîc *infrà*.

TELLUS-LURIS, terræ Dea, rerum omnium mater & alumna: quanquam frequenter pro ipsa terra accipitur. Prima ex elementis in Deos relata est: idque laxè acceptâ voce, ut signat hunc globum terræ & aquæ, qui opponitur cœlesti, h. e. æthereo & aëreo corpori. Nec enim primitùs inter æthercam, & aëriam substantiam, distinxêre; nec, terram colentes, seorsim aquam honore dignabantur cœlesti. Imò Sapientes in *Tellure* universam coluêre Naturam; quatenus ea, ut fœmina, consideratur, prout attenditur vis Naturæ seminibus, è mascula Naturæ vi conceptis, novas rerum formas, nova corpora, producens; sive alia atque alia singularia ejusdem generis ac speciei pariens: Uti masculam illam Naturæ vim Osiridem, Saturnum aliisque nominibus vocârunt, ita fœmineam hanc Isidem, Opim &c. appellantes. Donec paulatim gliscente Deorum Dearumque numerô, separatô dignati sunt cultu terram & aquam; separatô item æthera & aëra. De Ægyptiis tamen non refragatur Vossius, si quis Aquam ab iis priùs cultam arbitretur: de cæteris verò nationum aliter censendum esse statuens. Namque & Plato *in Cratylo* tradit, Græcorum antiquissimos tantummodò coluisse Solem, Lunam, Astra, Cœlum ac *Tellurem*. Nec mirùm adeò, si miseri illi ab æthereis corporibus prolapsi etiam sint ad *Telluris* cultum; quando post cœlos ea princeps Mundi pars est: unde & *Cœli ac Terræ* nominibus, in Sacris quoque literis, rerum intelligitur universitas. Imò Deus die primâ dicitur fecisse Cœlum & Terram; ut planè his debeatur principatus; utcunque diebus sequentibus major iis ornatus accesserit. Etiam, uti in cœlis Sol & sidera continuò se ingerunt, in sensus: ita in partibus Mundi inferioribus, primò oculis & corporis & mentis, Telluris se bona offerebant. Videbant homines hanc esse locum & sedem suam: atque eandem esse altricem & hominum & omnium animantium: hanc quoque esse metallorum & omnium divitiarum productricem. Quas ob causas *Hesiodus* principem illi in elementis locum tribuit: uti & *Pherecydes Syrius*. Plato etiam *in Timæo* vocat Deorum antiquissimam: ac Avicenna, *l. de Cœlo, c. ult.* censet: *Naturam primò propositam sibi habuisse productionem Terræ; dein autem elementa cætera, quia his egeat terra ad custodiam sui*. Denique prope omnium ea est Veterum opinio, *Tellurem* esse Antiquam matrem; quam Cœlo nuptam dixêre, quia ut in rerum generatione Cœlum refert marem; sic in eadem *Tellus* esset alma mater. Proin minimè dubium, quin ea præ aliis visa sit divinum promereri cultum. Ut mirari quis meritò possit, à Scriptore Salomonicæ Sapientiæ cultum eum præteriti. Cùm enim is *c.* 13. *v.* 2. referat cultum Cœli, Siderum, Ignis, Aëris, Venti & Aquæ; de *Tellure* silet, quam tot Gentes, ut infrà videbitur, coluêre. Præcipuæ, earum Phryges, Syri, Ægyptii, Samothraces, Græci, Romani: è quibus tum Græci, tum Romani, non sub aliis modò nominibus, ut reliqui; sed & eô ipsô, quô vulgò hoc Elementum venit, illud venerati sunt. Apud Athenienses enim Dii nuptiales fuêre Οὐρανὸς καὶ Γᾶ, *Cœlum & Terra*. Quibus connubiô jungendi sacra illa faciebant, quæ ἀνθίλεια γάμων dicebantur, vide Proclum, *in Plat. Timæum Comment.* 5. Etiam leviculâ immutatione Elementi nomen habes, in Δημήτηρ; ut quæ sic dicatur, quasi Γῆ μήτηρ: Item in *Rhea*, quæ per metathesin ex ἔρα, ut hoc ex Hebr. ארץ *erets*. Similiter apud Romanos, tum Elementi, tum Numinis appellatio erat *Tellus*: quæ & *Tellumo*, ut suprà visum. Et quidem *Telluris* ædes, quæ Romæ prima memoretur, ea est, quam extruxêre in area Cassii Spurii, publicatâ an. Urb. Cond. 268. Cicer. *pro Domo* & Val. Max. *l.* 6. *c.* 3. ex 1. Annô quoque 485. P. Sempronius Sophus ædem *Telluris* vovit, cùm, acie jam instructâ, adversùs Picentes, terra contremuisset, eaque res ingentem Romanis incussisset horrorem, sic ut ad pugnandum vix possent compelli, uti docet Florus, *l.* 1. *c.* 19. & Orosius, *l.* 4. Etiam Deæ hujus ædem memorat Plin. *l.* 34. *c.* 6. quam non multùm abfuisse à Carinis, indicat Suetonius, *de Illustr. Gramm.* item *P. Victor*, qui in quarta collocat Urbis regione, itidem à Carinis non procul. Nec omittendum, quòd *Telluris* cultum primum Melissæum quendam instituisse, Lactantius ex Didymo docet, *l.* 1. *c.* 22. Sed mirum potuisse pro Deo coli, quod vulgò omnes pro corpore haberent maximo: eòque ligonibus fodicare, calcare pedibus, cibi etiam retrimentis & humore obscœnô conspurcare, non verentur. Stultitiam hanc videbant prudentiores: Itaque dixêre, *Tellurem* esse animal, vel partem magni Animalis Mundi. A qua sententia seculô nostrô non abhorruisse videtur summus Mathematicus Keplerus. Ita enim is, *l. de Cometis* A. C. 1618. *Facultas mundi sublunaris Cometam* persentiscit atque obstupescit, *unaque facultates cæteræ omnium rerum sublunarium*. Ac posteà. *Facultas telluris, insolenti Cometæ apparitione consternata, unô terrestris superficiei locô multum exudat vaporum, pro qualitate illius partis sui corporis, hinc diuturnæ pluviæ & eluviones*. Quæ referre est refellere. Non malè de *Telluris* cultu sui temporis homines, his verbis, admonuit Lucretius, *l.* 2. *v.* 654.

> *Heic si quis mare Neptunum Cereremque vocare*
> *Constituet fruges & Bacchi nomine abuti*
> *Mavolt, quàm laticis proprium proferre vocamen:*
> *Concedamus, ut hic Terrarum dictitet orbem*
> *Esse Deûm Matrem, dum re non sit tamen apse.*

Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 4. Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 2. *c.* 51. & *seqq.* Alios, ut & infrà in voce *Terra*.

Nomina varia, quibus Tellus olim culta.

α Apia, apud Scythas, Herodot. *Melpomene*. β. *Atergatis*, dicta ab Assyriis est, ut exponit Phurnutus, περὶ θεῶν. Vide quoque Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 23. Vossius tamen, non solùm Terram, sed omnem Naturam Soli subjectam, hôc nomine vult intellectam, *l.* 2. *c.* 55. γ. *Bendis*, Thracibus tum Lunam, tum terram signabat; more priscô quò Lunam Terramque eôdem cultu complectebantur. Vide Hesych. δ. *Bona Dea*, apud Romanos appellata est, cujus festum *Damium*, Doricè Δάμιον, pro δήμιον. ε. *Cabiri* Samothracum, cùm 4. quibusdam recenseantur, ex his *Axieros*, Terram frugiferam: *Axiocersus*, interiorem terram ratione virtutis activæ: *Axiocersa*, eandem ratione passivæ, denotârunt. Interpres Apollonii *Argonaut.* ζ. *Camilius*, Cabirorum quartus, idem cum Mercurio Terrestri, cui χύτρας seu Ollare festum sacrârunt, priorum trium administer fuit. Idem & *Cadoles* dictus. Vide Dion. Halicarn. *l.* 2. η. *Ceres*, apud Romanos terram frugiferam designavit, hinc quasi *Geres* quibusdam, quòd *fruges gerat*. Intelligenda autem terrestris Ceres, quæ θεὰς χθονία, & cujus Festum χθόνια, Pausan. in *Corinth.* Cœlestis enim Luna fuit. θ. *Cybeles* nomine, apud Phrygas fuit celebris: per quam vel sola, vel præcipuè *Tellus*, indigitata est. Cujus varia rursus nomina, quæ vide suprà. ι. *Dea Syria* sive Hieropolitana, apud Syros, & ab urbe Hieropoli dicta est. Vide suprà *suô locô*. κ. *Derceto*, vide Atergatis. λ. *Dii potes* Latinis, qui Græcis θεοὶ δυνατοί. Samothracibus culti, fuêre *Tellus* & *Cœlus*, Varro *de L. L. l.* 4. Secundùm Macrobium, *Saturn. l.* 3. *c.* 4. *Jupiter*, i. e. medius & imus æther, cum summo aëre: *Minerva* seu supremus æther, & *Juno*, i. e. medius ac imus aër, cum Terra. μ. Δημήτηρ. Vide *suprà*. ν. *Erigone*, eadem ac Atergatis aut Ceres; hinc spicas tenet. Vide Bassum *Comment. in Germanic. Aratea, ubi de Virginis signo*. ξ. *Fauna*, quæ & *Fatua*, apud Romanos culta est, Voss. *l.* 1. *c.* 12. ο. *Flora*, apud eosdem: Quô nomine *Tellus* plantifera, ac præcipuè florifera intelligenda. π. *Fornax*, apud eosdem, frumento præerat, sed cùm *fornacibus* torreretur. ρ. *Hertha*, Germanis in veneratione

fuit: quibus etiamnum *Erde*: sicut Anglis *Earth*, ex Græco ἔρα: quod ab Hebr. *Erets*, dicitur. 6. *Hostilina*, quòd in segete aristæ novæ aliæ alias *hostirent*, i. e. æquarent, Romanis vocata est. 7. *Isis*, apud Ægyptios, venerationem invenit, eadem cum Cerere. Non universa tamen per Isidem signata est *Tellus*, sed ea tantùm, quæ à Nilo fœcundata: eoque ex Nili & Isidis concubitu Orus natus fingitur, i. e. aëris ac terræ temperies, rebus producendis apta, Plut. *de Is. & Osir.* υ. *Juno*, apud Romanos itidem Terram denotavit, nempe Naturam Jovi subditam, seu aëri. Servius *Æneid. l.* 8. φ. *Lactucina* vel *Lactens*, à *lactente* frumento, apud eosdem cognominata est. χ. *Mercurius* terrestris, vide paulo suprà *Camillus*. ψ. *Nodina* vel *Nodinus*; seu *Nodotus*, Romanis, à *nodis* & geniculis plantarum dicti. ω *Ops*, vide *sub litt.* αα. *Orthesia*, Thracibus in cultu fuit. ββ. *Pachamama* nomine, Peruanis culta est. Jos. Acosta, *l.* 5. *c.* 4. γγ. *Pales*, vide *suprà*. δδ. παιδεχὶς, cognomen Isidis. εε. *Patalena*, cùm segetes & folliculi *patescunt*, Romanis appellata est. ζζ. *Pluto* Græcis Romanisque cultus, *Telluris* divitias indigitavit. Sic sub *Ditis* nomine Celtis olim *Tellus* culta, unde & originem suæ gentis arcessebant, Cæs. *de bello Gall. l.* 6 *c.* 17. ηη. *Polybæa*, cognom. Proserpinæ. θθ. *Pomona*, pomorum Præses, apud Romanos. ιι. *Proserpina*, Græcè Περσεφόνη; eadem cum *Tellure*, Is. Tzetzes in *Lycophr.* Sic tamen, ut Ceres, mater ejus, Lunam: ipsa verò, vim Terræ frugiferam notet. Item, ut Ceres segetem, ipsa semen, ejusque receptricem terram inferam. κκ. *Puta*, ab arboribus putandis, apud Romanos. λλ. *Rhea*, Phrygibus in præcipuo honore. Vide suprà. μμ. *Robigus*, quatenus *robiginem* à segete arcere credebatur, inter *Telluris* quoque Deos fuit. νν. *Segesta*, nomen sortita à *segete*, Plin. *l.* 18. *c.* 2. ξξ. *Sera*, à *serendo*: Utriusque simulachrum Romæ in Circo fuit. οο. *Spinensis*, vide *suprà*. Ut & πω. *Sterculius*: in cujus cultu *Telluri*, fimo lætanti: vel Naturæ virtuti, quâ plantæ, post fimum agro adspersum, feliciter proveniunt, litabatur. ρρ. *Tellus* culta Græcis, Samothracibus, Romanis, Germanis, Scythis, Tartaris, ipsô Elementi nomine, Γῆ, *Tellus*, *Herthus* vel a &c. σσ. Θεοὶ δυνατοὶ, vide paulo suprà *Divi potes*. ττ. *Tithrambo*, Isidis cognomen. υυ. *Tutulina*, Romanis, quòd *segetis* tutatrix. φφ. *Venus* Byblia, Phœnicibus in veneratione, aggregatum quid erat ex Luna & globo Terraqueo, quatenus ab iis generantur omnia, quibus genus nutritur humanum, Voss. *l.* 2. *c.* 55. χχ. *Vesta* quoque *Tellurem* signavit, Græcis Latinisque. Vide Suidam in Γῆ σταγμάλμα, & Augustin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 10. ψψ. *Volutrina*, apud Romanos etiam dicta est *Tellus*, ab *involucris* segetis &c. Sic apud Scythas Ἀπίας nomine *Tellurem* in honore fuisse, testis est Herodotus *Melpom.* ut alia omittam. Nec verò solùm tota terra, sed & partes ejus exiguæ honorem invenêre divinum. Montes pro Diis habuêre Cappadoces & Daci, Voss. *Orat. Instit. l.* 1. *c.* 5. *sect.* 39. De Carmelo monte, vide Tacit. *Hist.* 2. *l. c.* 78. De Peruanis, Jos. Acostam, *l.* 5. *c.* 2. Apud Græcos Romanosque urbs Roma pro Numine fuit: quod non κατ' ἐπίθετον solùm, sed propriè etiam accipiendum esse, hinc patet, quòd *inter sidereos recepta polos*, dicitur Claud. Rutilio, *Itiner. l.* 1. & templum Romæ habuit, cujus meminêre Livius & alii multi: uti pluribus dictum Vossio, *Orat. Instit.* *l.* 4. *c.* 6. *sect.* 5. &c.

TELLUS, nescio quis pauper, cujus inopiam Solon Crœsi divitiis feliciorem esse prædicavit. *Plutarch.*

TELMERA. urbs Cariæ, *Stephan.*

TELMESIUS. Thebanorum mons, Paleph. *c.* 29.

TELMESSUS, urbs Cariæ, in qua excellebat olim Aruspicum disciplina, Tullius, *de Divin. l.* 1. Strabo tamen, non Cariæ, sed Lyciæ facit oppidum prope promontor. *Dædala* dictum, *l.* 14. Claruit certè Aruspicinæ gloriâ, usque ad ætatem Alexandri M. quâ Aristander floruit *Telmissensis*, in hac arte celeberrimus, & magno illi Regi apprimè charus. Vide Q. Curtium Rufum, *l.* 4. *c.* 2. Arrianum [illegible] *gestis Alex. Mag. l.* 1. Rigaltium *observat. ad Artemidorum*, *l.* 1. *c.* 33. Plinium, *Nat. Hist. l.* 17. *c.* 25. Tertullianum *de Anima*, *c.* 46. Alios: Ex est egregia concertatio de cadavere Alexandri, inter Ptolemæum & Perdiccam, finita ab Aristandro, apud Ælianum, *Hist. Var. l.* 12. *c.* 64. Ad eosdem *Telmessenses*, primum Oniroctitices seu Interpretationis Somniorum inventum quidam trahunt, inter quos Tatianus est Martyr: quod tamen non de inventione, sed frequenti exercitio sumendum existimat Dempsterus. Nec plus infertur ex Tertulliani *loco cit. Telmissenses enim nulla somnia evacuant, imbecillitatem conjectationis incusant.* Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Joh. Rosin. Antiquit. Rom. l.* 2. *c.* 2. Salmas. *ad Solin.* ubi urbem hanc Lyciæ ultimam & initium Asiæ minoris, insuper portu celebrem, fuisse docet, *p.* 782. & *seqq.* nec non in voce *Telmissus*.

TELMISINA, nomen urbis de qua vide Voss. *ad Justinum*, *l.* 11. *c.* 7.

TELMISSUS, urbs Pisidiæ, de qua sic vir magnus, *de Phœn. Colon.* *l.* 1 *c.* 6. Solymi, inquit, Strabone authore, *l.* 13. *Termissenses* appellantur à *Termesso* promontor. cui imminet Solymus: Τῆς γὰρ Τερμησσέων ἄκρας, inquit, ὁ ὑπερκείμενος λόφος καλεῖται Σόλυμος, καὶ αὐτοὶ δὲ οἱ Τερμησσεῖς Σόλυμοι καλοῦνται. Ubi lege *Telmissum*, & *Telmissenses*. Nam pro Τερμησσέων libri scripti habent Τελμησσέων, ut observatum est à Casaubono. Sic in his verbis *l.* 14. Ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὰ Σολυμικὰ ὄρη, καὶ Τερμησσὸς Πισιδικὴ πόλις ἐπικειμένη τοῖς στενοῖς. Ubi malè pro *Telmisso* legi *Termissum* patet ex *Eustath.* qui hunc ipsum locum sic citat, ubi de Phaselide, habet enim Τελμησσός. Sed & Arrianus, *l.* 1. ἀναβάσ. constanter scribit Τελμισσεῖς & Τελμισσέας. Et *Hesychio* Τελμισσεῖς sunt ἔθνος περὶ Λυκίαν; & apud Cicer. *de Divin.* *l.* 1. *Telmessus in Caria est.* Suidas etiam habet Τελμισσεῖς, ex Polemone ac Dionysio Chalcidensi, qui scripsit urbium origines. Et verò Solymorum linguâ *Telmissus* erat תהלמיש *Tahalmis*. Nempe *halmis* Ebræis *rupem* sonat, & ad formam nominis pertinet [illegible] præpositum: Quod à saxo deductum seu monte præterpro cui incumbebat. *Arrianus*: χωρίον δὲ οἰκοῦσιν ὑπερύψηλον καὶ πάντη ἀπότομον. *Nic. Lloydius.*

TELMISUS, fluvius Bœotiæ, Thespias alluens: à quo circumfluo mons *Telmessius*, *Orph.*

TELMON, nomen viri, 1. Paral. *c.* 9. *v.* 17.

TELO Martius, *Antonin.* Galliæ Narbonensis portus. Hodie *Tolon*, vel *Toulon*. Urbs est munita Provinciæ, cum portu capacissimo, in ora maris Mediterranei, & armamentario instructissimo. Ibi regia classis præparatur, 15. leuc. à Foro Julii, 2. ab Olbia. In planitie, probeque culta. Episcopalis est sub Archiepiscopo Arelatensi ultima. An à Telone Martio, qui huc coloniam duxit? an à Telone celebri apud Lucan. *in Pharsalia l.* 3. *v.* 592. nauclero? an à Tolumno Gotho, qui sub Theodorico Italiæ Rege urbem reparavit, dicta? An potius à Marte, & Græco Τέλος, vel Τελώνης, quòd ibi portoria & tributa à mercatoribus publicani, nomine Massiliensium, qui fortè urbem hanc condidêre, exigere solerent? Ab Henrico IV. egregiè munita est. Vetustissimus ejus Præsul S. Honoratus fuit, cui Cyprianus, auctor vitæ S. Cæsarii Arelatensis successit. Boucheus *Hist. de Prov.* Moret. *Dict. Hist.* Hadr. Vales. *Notit. Gall.* &c.

TELOBIS, Hispaniæ Tarraconensis in Jacetanis oppid. *Ptol.* *Torrosilla Moletio.* Apud Emporias, inde 1. leuc. Palmos versus 5.

TELON, Massiliensis, navigandi & astrorum peritissimus. Lucanus, *l.* 3. *v.* 592.

Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,
Quâ nullum melius, pelago turbante, carinæ
Audivere manum, nec lux est notior illi
Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua Lunæ.

TELON, Oebali pater. Virgil. *l.* 7. *Æn. v.* 734.

——— *Quem generasse Telon Sebethide nymphâ*
Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret.

TELONARIUS, qui TELONIUM exercet, publicani species, *l.* 3. Cod. Theod. *De Indulg. debit.* Publicanus namque, sive terrâ, sive mari aut flumine vectigal exigit: *Telonarius* autem propriè est, qui mari aut flumine. *Moschopulus*, τελώνης ὁ ἐν τῆ θαλάσσῃ καὶ ἐν τῷ ποταμῷ δημόσια ἀπαιτῶν. Cujusmodi officiô functus est Sabinus, Vespasiani pater, qui, ut ait Suetonius, *publicum quadragesimæ in Asia egit. Manebantque imagines à civitatibus ei positæ, sub hoc titulo* ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ, *in Vespas. c.* 1. i. e. BONO QUONDAM TELONARIO, aut qui bene telonium exercuit, uti interpretatur Theod. Marcilius. Sequenti ævô *Telonarius*, dignitas fuit Palatina, apud Franciæ Reges, sicque dicebatur, qui omnibus Regni portitoribus præerat, & ab ipsis portoria recipiebat. Sic Helmigarii, *Mercati Palatii Telonearii*, meminit Hincmarus Rem. *Opusc.* 35. namque, uti ex *telonium*, processu temporis, *teloneum*, sic & *tolonium*, factum est. Vide Car. du Fresne *Glossar.* & hîc ubi de *Publicanis*, & *Vectigalibus*.

TELONIUM, pagus Batavorum, apud Lugdunum, inde vix 1. milliar. versus ostium Rheni distans. *Rynsburch*, vel *Reynsburch*.

TELONIUM, domus erat mari Galilææ juxta Capharnaum adjacens, in tribu Nephthalim, in qua publicani, hoc est, qui publica Senatus populique Romani tributa & vectigalia à subditis pendenda, certô constitutô pretiô redemerant, ea à prænavigantibus & applicantibus recipiebant.

TELONUS, fluvius. Vide *Tolenus*.

TELOS, vel TELUS, insula maris Carpathii, ante Gnidum urb. Cariæ, quæ *Agathussa Callimacho*, teste Plin. *l.* 4. *c.* 12. Unde *Telina unguenta* eidem Plin. *l.* 13. *c.* 1. *Episcopia Sophiano.*

TELPHUSSA, fons, cujus aqua adeo frigida est, ut Tiresias vates ex ea bibens senex obierit. Item urbs Arcadiæ, à *Telphussa* Nympha Ladonis filia id nomen habens, *Steph.*

TELPHUSSIUM, vel TILLPHOSSIUM oppid. Bœotiæ, ubi laudatus Bacchus est à *Pindaro*. Item mons & fons ibidem.

TELUM, cujus mentio in *XII. Tabb. Qui noctu furtum faxit, aut interdiu telo se defenderit, cum domino cum clamore testificanti occidere jus esto. Si neque noctu, neque se telô defendens prehendatur, virgis cæsus, ei, cui furtum fecit, addicitur.* Cajo idem vulgo *dictum est, quod ab arcu mittitur, sed nunc omne significat, quod mittitur manu. Ita sequitur, quòd & lapis & lignum & ferrum hoc nomine contineatur: dictumque ab eo sit, quòd in longum mittitur, Græcâ voce figuratum, ἀπὸ τοῦ τηλε·* Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. Salmas. verò vocis etymon arcessit à *tego*, sicque dictum vult, quasi *tegumentum*, *quò vim à nobis arcemus, quò nos contra insultum alterius tuemur.* Tegere enim quoque tueri est, ut vidimus. Fuêre hæc Heroicis temporibus gravia admodum, unde Poëtæ, in majus omnia augentes, tanti illa ponderis Heroibus suis ascribunt, ut ab alio nemine torqueri potuerint, ad vires eorum indicandas. Statius, *Theb. l.* 4. *v.* 176.

Prominet arce gigas, atque uni missilis illi
Cuspide præfixâ stat frondibus orba cupressus.

Unde *telum arboreum*, Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 888. *telum ingens*, Claudian. de Marte *in Eutrop. l.* 2. *v.* 165.

Tunc adamante gravem, nodisque rigentibus, hastam
Telum ingens, nullique Deo jaculabile torsit.

Insula jaculabilis, Sidon. *Epithalam. Polemii* &c. Veriora, quæ ex Sacris hanc in rem habemus. Ea fracta, tropæorum truncis affixa, legimus apud Virgilium, *Æn. l.* 11. ubi, præter galeam, thoracem, clypeum, aliaque, *tela* quoque *trunca* Mezencii, in tropæum appensa memorat, *v.* 9. Hinc Prudentius quoque *in Symmachum*, *l.* 2. *v.* 560. narrat,

Suspensa gravi telorum fragmina trunco.

Venenata ea, occurrunt passim: de cujusmodi *telis*, sic Sidonius *Panegyr. Majoriani*,

Spica-

Spiculaque infusum ferro latura venenum,
Quæ feriant bis, missa semel ———

Et quidem hujus rei nec veteres Germanos puduisse, testis est Sulpitius Alexander, ubi de Francis; nec Imp. Græcos, docet Nicetas Choniates, ubi de Joanne Comneno sui ipsius insidiis perempto, vide notata Dausquerio, *Commentar. ad l.* 15. *Silii Ital.* Ut minus mirum sit, si idem de Getis, apud Ovidium, de Parthis apud Lucanum, de Afris apud modò dictum Poëtam: & nominatim de Æthiopibus apud Claudianum legamus. Qua de re dicemus plura infrà, ubi de *Veneno.* Ad divinationem porrò adhibita variè. Sic inter alia Ezech. *c.* 21. *v.* 21. *Stetit Rex Babylonis in capite viæ, in bivio, ad divinandum divinationem, expolivit tela:* Species fuit βελομαντείας, juxta Kimchium, *Quia acuebant & expoliebant aciem ferri telorum, ut valde splenderet & conjectores in ea viderent, quod futurum erat; quomodo vident in ungue pollicis manus, ita etiam in gladio vident, & in speculo.* Unde patet, pertinuisse hanc divinationem ad Καθοπτρομαντείαν &c. Sed & *Telum,* quodvis adjumentum ac instrumentum quandoque notat. Cicer. *de Amicitia, c.* 17. *Nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium.* Et apud eundem, *l.* 7. *Ep.* 16. *ad Trebatium, hic versus citatur ex vet. Poëta,*

Usquequaque sapere oportet, id erit telum acerrimum,

ὅπλον ἰσχυρότατον, Salmas. ad *Solin. p.* 1319. &c.

TELUMNUM, Aquitaniæ urbs, *Anton.*

TELYS, Sybaritarum tyrannus. Herodot. *l.* 5.

TEMALA, urbs & fluv. Indiæ extra Gangem, *Ptolem.*

TEMARETUM, oppidul. Africæ, Zocotoræ Insul. præcipuum in ora Æthiopiæ inferioris, sedes Principis.

TEMATHEA, Messeniæ mons, Pausan. *l.* 4. *Monte di Coron.*

TEMBASA, Lycaoniæ oppid. in Tauro monte, Plin. *l.* 5. *c.* 27.

TEMBRIUM, urbs Phrygiæ, Charax *Tymbrium* vocat. *Steph.*

TEMBRIUS, fluv. juxta Pontum. Orpheus *in Argon.*

TEMBROGIUS, Phrygiæ fluv. in Sangarium influens, teste Plin. *l.* 6. *c.* 1.

TEMBROS, urbs Cypri, in qua Helates Apollo colitur, *Steph.*

TEMENIA, urbs Phrygiæ, *Idem.*

TEMENIUM, locus Messenes, ubi Temenus sepultus est, Idem, Item vicus in Argia ad Argolicum sinum, *Strabo.*

TEMENOS, locus Siciliæ infra Epipolas, juxta Syracusas. Incola *Temenites.* Est & *Temenites* collis in Thracia juxta Triballum. *Stephan.*

TEMENTHES, Rex Ægypti, à Psammeticho servo suo, ut habet Polyænus sublatus; qui Ammonis oraculum de regno consuluit, apud Polyænum, *Strategem. l.* 7. *c.* 3. Fuit ex partiariis Ægypti Regulis, qui post Thebanorum Regum potentiam collapsam, surrexêre, vide suprà *Dodecarchia,* it. *Psammetichus I.*

TEMENUS, frater Cresphontis Heraclides: post feliciter recuperatam Peloponnesum, in divisione illius *Argos,* uti fratres ejus Cresphontes Messenem & Aristodemus Spartam, nactus est. Vide suprà voce *Aristomachus.* Ejus verò posteris Argivi τὸ ὄνομα τῆς βασιλείας μόνον, *nomen regni solum,* reliquerunt. Pausan. *l.* 2.

TEMERANI, apud Calecutenses, Deus mundi conditor, cui vicarium *Deum* attribuunt. Vide suprà *Damos.*

TEMERARII, vide suprà *Audaces.* Addo hîc *temerariam desperationem,* ab Arnobio, *l.* 6. tribui illis, qui divinam iram contemnentes, simul omnem salutis abjiciunt curam verè desperati & ἀπονενοημένοι. Et certè ἀπόνοιαν, *temeritatem* cum ἀνοίᾳ Demosthenes quoque jungit *adv. Leocharem.* Nascitur autem temeritas sæpe à promptitudine, quæ, si nimia est, τόλμα est planè ἀλόγιστος, unde loquacitas emergit ac temerarius sermo, è quibus omnibus constatur ἀπόνοια. Graphicè Poëta,

Ingenium velox audacia perdita, sermo
Promptus ———

Hinc *temeritatem* ac temerariam futilitatem *cum desperatione,* idem Arnobius jungit etiam *l.* 1. Τόλμαν ἀξύνετον istiusmodi velocitatem ingenii vocat Dionysius Halic. *l.* 6. ubi de L. Junio Bruto, plebis Rom. in prima secessione antesignano. Θρασυμάχους quoque Æschylus *Thebaide,* ubi nautas temerariâ in Deos desperatione detestandos, θρασεῖς vocat, eosque τοῖς εὐσεβέσιν opponit &c. Heraldus ad *Arnobium, l.* 6.

TEMESA, meliùs TEMPSA, urbs fuit ampla Brutiorum, in ora maris Tyrrheni prope Sinum Hipponiatem: ære celebris, ab Hannibale & Romanis excisa. Juxta erat sacellum Politæ, uni ex Ulyssis comitibus, sacrum, quod à Barbaris violatum, graves in illos pœnas exercuit. Ejus rudera hodie *Torre Loppa,* in Calabria Citeriore in limite Ulterioris *Brietiô,* teste, 4. mill. pass. ab ostio Sabati fluvii, in Meridiem, 6. à Marturano in Occasum. Quanquam aliis sit *S. Lucido,* castrum prope oram maris Tyrrheni, 4. mill. pass. à Paula in Meridiem. Hinc *Temesæus,* Ovid. *Fast. l.* 5. *v.* 440.

Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra.

Proverb. *Temesæus Genius,* de pœna res sacras violantibus imminente. Vide suprà. Pausanias, *l.* 6. rem paulo aliter sic memorat: Politâ ab incolis, propter stupratam virginem, interfectô, larvæ illius, nisi quotannis oblatâ virgine placarentur, grassati in illos, atque omni sexui perniciem afferri sunt solitæ: sicque Genius Temesæus in proverbium abiit. Gravia enim mala alicui minitantes, dicere solebant. *Aderit Temesæus Genius.* Fuit & *Temese Steph.* aliisque oppidum Cypri. Vide *Tamassus,* item ubi de *Brettiis.* Cæterùm, Ausonios habuit conditores, & æris fodinis olim inclaruit. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Unde *Temesæa æra,* Ovid. *Fastor. l.* 5. *v.* 441.

Rursus aquâ tangit, Temesæaque concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.

Ubi de sacrificio agitur, ad spectra fuganda suscepto: ad cujus finem crepitus fiebat, ut volens discederet umbra. Et sanè æris tinnitum ad spectra solvenda aptum esse, credidit vetustas, ut videre est apud Theocriti Scholiasten. Fuêre & in succurrendo Lunæ laboranti nobilia olim hæc æra, Hadr. Junius, *Animadversorum l.* 3. *c.* 11. Quô nomine an tintinnabula vel campanæ intelligenda sint, quærit Magius, *de Tintinnab. c.* 1. ubi sic habet: *Campanam quoque à Campania urbe dictam opinantur, ab ære scilicet Campano, vel quod in urbe Campaniæ primum reperta sit. Sanè à Temesa, Campaniæ urbe, in qua æris extiterit vis ingens, quidam ab Ovidio Temesæa æra dici autumant.* Similis celebritas Dodonæorum fuit lebetum, ut visum est *suô locô.*

TEMESEUS, fœnerator quidam, quem Eutymus Locrensis athleta coëgit reddere, quicquid usurariô quæstu sibi paraverat.

TEMESIUS Clazomenius, Abderæ Thraciæ urbis fundamenta primus jecit, sed nihil fructus inde à Thracibus retulit, ut quem expulerint. Posteà verò, cum eò coloniam duxissent Teji, ab his divinis honoribus cultus est. Herodotus *in Clio,* Ὑπὸ Τηίων ἐν Ἀβδήροισι ὡς ἥρως ἔχει· ubi quidem heroici solùm honoris meminit, sed is in conditoribus urbium divinus esse consuerit. Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 39.

TEMESNA, provinc. Fezzæ regni, in ora Oceani Atlantici, à quo terminatur ab Occidente, a Septentrione, Fezzâ provinc. ab Ortu *Chaus* provinc. à Meridie Duccalâ & Tedlesâ provinciis regni Marochii.

TEMESVARIA, vulgò TEMESWAR, urbs ampla & munita Hungariæ. *Temesia* etiam quibusdam ad fluv. *Temes,* in limite Transylvaniæ, 5. leucis German. à Lippa in Africum, Belgradum versus 10. circiter. Caput Comitat. *Temesvensis,* qui à 100. annis sub Turcis. Postquam enim Solimannus ab urbis obsidione à Gregorio Vaivoda ac Castaldo submotus esset, mox tamen, ob Vaivodæ necem dissidiô ortô, victisque Hungaris, reversus, eam acerrimè oppugnatam, ad deditionem compulit, in deditos, Præfectum inprimis Lozantium, immaniter sæviens, A. C. 1151. Thuan. *l.* 9. & 11. Terminatur hic Comitatus à Septentrione Chonadiensi Comitatu, ab Ortu Transylvaniâ, à Meridie Danubiô separatur à Servia, uti ad Occasum Tibiscô fluv. à Comitatu Bodroghensi.

TEMETUM, Græcis ἄκρατος, item μέθυ, vinum meracum, cujus usu fœminis Romanis olim inderdictum, loream, passam, murrinam, aliaque id genus potu dulcia, ejus locô usurpantibus, uti diximus suprà voce *Lorea,* plura vide infrà ubi de *Vino.* Addo saltem causam seu fabulam poetiis, cur mulieres Italicæ vinum non biberint, postquam Herculi potum petenti aquam mulier porrexit, in Athenæi *Canu* haberi, *l.* 10. *c.* 13. cui junge Dionysium Halicarnass. *l.* 1. Plutumque *l.* 14. *c.* 13. Atque hinc institutum, *ut cognatis osculum* ferrent, ex Gellio notum &c.

TEMIAMUM, vulgò TEMIAM, regnum Nigritiæ. Terminatur à Septentrione Gangarâ regnô, ab Occidente regnô Biro, à Meridie Nigrô fluv. ab Ortu desertis *Seri* & *Seu.* Ejus urbs præcipua Temicanum. Teste *Davitô.*

TEMNES, Sidoniorum Rex, civitatis proditorem interfici curavit. *Diod.* Sic. Orosius, *l.* 3. *c.* 7.

TEMNOS, Æolidis urbs mediterranea ultra Hermum flv. patria Hermogoræ. Plin. *l.* 5. *c.* 30. *Steph.* Populi *Temnitæ.* Item mons inter Asiam & Thebeum campum. *Ptol.*

TEMO, Varroni, *l.* 6. *de LL.* à *tenendo,* quòd plaustrum teneat ac gubernet. Græcè ῥυμός; in antiquis curribus duplex erat. Veteres enim, ut passim ex antiquis monumentis, nummis, annulis, videre est, quatuor equos sic jungebant, ut duplici *temone* equis interjectô, perpetuum jugum omnibus conjiceretur. Tum nullus in quadriga funalis equus fuit, sed omnes jugales, quorum duos sinistros temo unus interjectus continebat, duos dexteros alter temo. Donec Clisthenes Sicyonius rationem hanc immutavit & *uno temone* currum fecit, ac mediis tantùm duobus jugô junctis, eis singulos adjunxit ex utraque parte lorô vinctos, uti videre est pluribus, apud Salmas. *ad Solin. p.* 897. Ejus pars ima *Buris,* quod vide. Paxillô *temonis* (clavô scil. ligneô per medium temonem trajectô, cui vinculum adstrictum) jugum temoni in plaustro Gordii detraxisse Alexandrum M. cùm alii gladiô nodum solvisse scribunt, tradit Plut. *in eo, c.* 8. In Cod. Theodos. *Temonis onus, Necessitas, Temonaria functio,* munus dicitur *Temonariorum* (quibus *aurum tironum,* i. e. adæratio eorum & pretium solvebatur, quippe ad tironum præbitionem provinciæ tenebantur) atque inter vilia munera reponitur, locis à Jac. Gothofredo indicatis *ad leg.* 7. *de Tiron.* ubi de vocis etymo conjecturam suam profert.

TEMPE, regiuncula Thessaliæ, cum urbe Episcopali nunc *Licostoma,* in valle amœnissimâ, per quam Peneus fluv. decurrit, à Poëtis celebrata, inter Larissam, & oram maritimam, montibus Olympô, Ossâ, & Peliô cincta; ubi aqua æs erodit, Plin. *l.* 4. *c.* 8. & 31. *c.* 3. De quâ Ælian. *l.* 3. *c.* 1. Ovid. *l.* 1. *Met. Fab.* 11. *v.* 568.

Est nemus Æmoniæ, prærupta quod undique claudit
Silva: vocant Tempe, per quæ Peneus ab imo
Effusus Pindo spumosis volvitur undis,

Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 317.

Pastor Aristæus fugiens Peneia Tempe.

Hinc *Thessala Tempe,* Ovidio, *l.* 7. *Met. v.* 222. & Horat. *l.* 1. *Od.* 7. *v.* 4. qui *l.* 3. *Carm. Od.* 1. *v.* 24.

Non Zephyris agitata Tempe.

Virgil. ob frigiditatem laudat *Georg. l.* 2. *v.* 469.

——— *Aut frigida Tempe.*

Negantur Grammatici, cùm *Tempe* dicta esse putant, tanquam τέμπη vel τέμνω. A religione loci nomen hoc inditum est. Itaque rectè Mela, *l.* 2. *c.* 3. *Hic sacrô nemore nobilia Tempe.* Ἀ τέμνω enim fit τέμενος, & contractè τέμπος. Pro eô verò Macedones & Æoles, quibus ubique placet π, ἀντὶ τοῦ μ, dicebant τέμπος. Itaque τέμπος atque ac τέμενος & *lucum* & *fanum* significat. Hinc quoque Romani

suum fecêre *tempus*, cujus tantùm superest diminutivum *tempulum*, vel *templum*, obliteratô priori ad vitandam ambiguitatem ejusdem, sed aliud significantis vocabuli. Qui τέμπη interpretantur ξένα, illi non vocem exprimunt, sed situm describunt. *Is.* Vossius, *in Mela loc. cit.* Est qui τέμπεα, ab Ebræo צפן deducit, i.e. *abscondere*. Sanè Ovidius, *loc. cit.* Tempe describit per nemus *Prærupta quod undique claudit Sylva.* Unde Seneca *in Troadibus*, *Actu* 3. v. 815.

> —— *Thessali montes & opaca Tempe.*

Statius, *Theb. l.* 6. v. 88.

> —— —— *Umbrosaque Tempe.*

Idem, *l.* 10. v. 119.

> —— *Tenebrosaque Tempe.*

Lucanus, *l.* 8. v. 1.

> —— —— *Nemorosaque Tempe.*

Sunt & *Tempe* Bœotiæ, quæ *Teumessia* dicuntur à Teumesso oppid. Stat. *l.* 1. *Theb.* v. 485.

> *Illius in speciem, per quem Teumessia Tempe.*

Ovidius, *l.* 7. *Met.* v. 371.

> *Inde lacus Hyries videt, & Cycneia Tempe.*

Sunt & alia in Sicilia. Ovid. *l.* 4. *Fast.* v. 477.

> *Hinc Camerinam adiit, Thapsonque & Heloria Tempe.*

Denique loca quælibet amœna, nemora præsertim atque aquas habentia καταχρηστικῶς *Tempe* vocamus. *Nic. Lloydius.* Apud Græcos recentiores, Τέμπη, montium angustiæ sunt, *clusura*, uti docet Car. du Fresne *ad Alexiadem*, p. 328.

TEMPESTAS, Romanorum numen. Ovid. *Fast. l.* 6. v. 193.

> *Te quoque Tempestas, meritam delubra fatemur,*
> *Cùm pene est Corsis obruta classis aquis.*

Ædes ei à M. Marcello extra portam Capenam fuit constructa, cùm is liberatus esset à periculo & *tempestate*, quam, cùm in Corsicam & Sardiniam navigaret, passus erat. Joh. Rosinus, *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 21. Hinc *Tempestarii*, in *Capitular.* Aquisgran. ann. 789. *c.* 93. *qui tempestates & alia maleficia faciunt*, in *Capitul.* 2. *ann.* 805. *c.* 25. *emissores tempestatum* alibi, Græcis Νεφοδιώκται, in Synodo Trull. *can.* 61. Magi videl. quos ventis imperare, *tempestates* ciere sedareque, Poëtæ passim testantur. Tibullus, *l.* 1. *El.* 2. v. 51.

> *Quum libet, hæc tristi depellit nubila cœlo,*
> *Quum libet, æstivo convocat orbe nives.*

Ovidius, *Amor. l.* 1. *El.* 8. v. 9.

> *Cùm voluit, totô glomerantur nubila cœlô,*
> *Cùm voluit, puro fulget in orbe dies.*

Empedocles, apud Laërtium, *l.* 8. *c.* 59.

> *Θήσεις δ' ἐξ ὄμβροιο κελαινοῦ καίριον αὐχμὸν*
> *Ἀνθρώποις, θήσεις δὲ καὶ ἐξ αὐχμοῖο θερείου*
> *Ῥεύματα δενδρεόθρεπτα, τά τ' ἐν θέρει αἴθρῃ* &c.

Quam de *Tempestariis* opinionem pluribus suggillat Agobardus Lugdun. *l. de Grandine & Tonitru.* Vide quoque Delrium, *Disquis. Magic. l.* 2. *quæst.* 11. P. de Valle *Tom.* 2. *Ep.* 5. Alios, nec non Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *Hierolex.* De *Tempestate Cypriana*, diximus suprà. Addam hic saltem locum Procopii sub fin. *l.* 1. qui Latinè sic habet, *Nautæ verò non parebant: littus enim illic portu carere dicerent & tempestatem insignem statim maximè futuram videri, ἣν δὴ οἱ ἐπιχώριοι Κυπριανὴν καλοῦσι, quam indigenæ Cyprianam vocant.* Vide quoque Meursium, *Glossar.* & Suicerum *Thes. Eccl.* voce Κυπριανή.

TEMPESTIVA Convivia, apud Sueton. *Calig. c.* 45. *Senatum populumque objurgavit edictô, quòd Cæsare præliante* tempestiva *convivia, circùm & Theatra & amœnos secessus celebrarent*: sunt quæ horâ solitâ maturiùs ac *tempestiviùs*, de meridie videl. inibantur, ut ferè moris erat in sumptuosioribus conviviis, & quæ festis diebus agitabantur, quod *de die epulari* quoque dicebant, ut vidimus. Atque hæc, uti temporiùs iniri, sic etiam seriùs finiri, de more fuit, adeò quidem ut etiam in multam noctem protraherentur, & usque ad galli cantum. Silius de Campanis, *l.* 11. v. 41.

> —— *medioque dierum*
> *Regales epulæ, atque ortu convivia Solis*
> *Deprehensa* ——

Unde de Pisone Cicero, *ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat, mensam tolli jubet.* Et de Nerone Sueton. *c.* 27. *epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat.* Non tamen hinc, quòd *in intempestam noctem* producerentur, *Intempestiva* hujusmodi convivia dicta ullibi reperias, quod Erudito Viro placuit, sed à *tempestiva commissione* illis nomen est datum: quamvis reverà & intemperantes hæ epulæ, & sub sensu *intempestæ* fuerint. Stata verò & legitima cœnæ hora decima fuit, imò & seriùs cœnabant homines actiosi & in re sua vel publica occupati. Martialis. *l.* 7. *Epigr.* 50. v. 11.

> *Hunc licèt à decima, neque enim satis antè vacabit,*
> *Sollicites, capiet centum parva duos* &c.

Vide Salmas. *ad Florian. Vopisci*, *c.* 6. & suprà passim.

TEMPLA, loca dicuntur publica, in Dei honorem erecta, ejusque cultui destinata. Aliàs *Sacræ Ædes, Fana, Delubra, Basilicæ, &c.* quæ tamen voces, rem accuratiùs pensiculanti, non unum idemque penitus designant. Clemens, cui Eusebius astipulatur, non aliunde sacrarum Ædium originem deductam putat, quàm à sepulchris, quæ quidem magnificentiùs condita, *Templorum* appellatione primum vocata sunt. Eunapius certè *in vitis Sophistarum*, suggillat Christianos, quòd ad mortuorum sepulchra convenirent, tanquam ad novos Deos. Primos autem omnium Ægyptios Diis & aras & simul sacra & *Delubra* statuisse, docent Herodot. *l.* 2. & Strab. *l.* 17. In Græcia primus Deucalion Deorum *Templa* ædificavit, & civitates condidit, Apollon. *l.* 3.

> *Προμηθειάδης ἀγαθὸς γένε Δευκαλίων,*
> *Ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις, καὶ ἱδρύσατο νηοὺς*
> *Ἀθανάτοις.* ——

His remedia olim inventa affixêre prisci, unde non minor, quàm à structura, Templi Ephesini fuit gloria. Sic apud Græcos in Æde Æsculapii, Apollinis, atque etiam ipsorum Morborum sacris locis, remedia contra morbos usu valida affigi, simulque morbi genus, signa & symptomata describi solita sunt. Idem mos apud Romanos fuit, teste Valer. Maxim. *l.* 2. *c.* 5 *ex.* 5. qui Febrem, quò minus noceret, templis coluerunt, in quæ remedia delata. Asylorum item præstitêre vicem, tum apud Romanos, apud quos Solis Templum Heliogabalo securitatem præstitit, ne à Macrino interficeretur, tum apud Christianos medii ævi, unde legimus Bonifacium V. instituisse, ut ad *Templa* confugientes salvi essent, Volaterr. *l.* 22. *Anthrop.* &c. Alaricum quoque edixisse, ne illi læderentur, neve eorum bona diriperentur, qui in Apostolorum *Templa* se recepissent, Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 1. *c.* 2. In illidem jurare olim Christianos solitos esse refert Gregor. M. *l.* 5. *ep.* 33. Sic Armenii in templo Anaitidis Deæ, Græcique in Jovis Olympii templo, jusjurandum de rebus magnis præstitisse, leguntur, apud Alexand. *l.* 5. *c.* 10. Non intravit templum Victorinus Rhetor, apud Augustin. *l.* 8. *Confess. c.* 2. Omnia in Ægypto templa obseravit Cleopes, Ægypti Rex, ne populus Diis sacra faceret, Herodot. *l.* 2. Portatile *Templum* habuit Constantinus Magnus, Nicephor. *l.* 7. *c.* 46. Euseb. &c. Apud Æthiopes Christianos, nisi nudis pedibus, intrare templum non licuit, Osorius, *l.* 9. &c. Magnificum fuit olim templum Dianæ Ephesinæ, in quo extruendo ornandoque tota Asia occupata fuit annos 220. quodd cùm conflagrâsset, sub tempus nascentis Alexandri, à Lysimacho posteà Thraciæ Rege reparatum fuisse pari magnificentiâ legitur. Sed nihil fuit ad Hierosolymitanum, cujus architectus Salomon, per instinctum divinum, illud ad symmetriam cœlestem & prorsus mysticam, sic exegit, ut ad illud quidquid Architectorum est, meritò obstupescat. De templo Meccbano, tantæ inter Muhammedanos religionis, aliisque; vide Adam. Pryelium, *Sinâ & Europâ*, *c.* 13. 15. &c. ut & infrà. Addo, quòd non omnibus fuêre Gentibus. Complures enim utcunque Numina colentes varia, aut Solem saltem sub variis nominibus, neque aras, nec statuas imaginesque ullas eorum habuêre, nec *Templis* eos circumscribebant; hostias interim pro placito, loco in quocunque, immolantes, atque Orbem terrarum Cœlô tectum Mundumque ipsum tantùm esse Deorum suorum *Templum* existimantes. Sic ex Magorum disciplina, Persæ, Scythæ, Afrorum Nomades seu Numidæ, aliique, apud Herodot. *Musâ* 1. Strabonem, *l.* 15. Cicer. *in Verrem Orat.* 2. Alios. Vide quoque Celsum apud Origenem, *in eum*, *l.* 7. ubi de Scythis. Imò nec Romanos ipsos statuis seu simulachris Deorum plusquam annos 170. in cultu usos esse, testis est Varro apud Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 4. *c.* 31. i. e. ab Romuli initiis, usque ad Tarquinii Prisci fermè excidium, qui Hierosolymorum excidio primo erat coævus. Quod & de *Templis* confirmat Tertullian. *Apolog. c.* 25. *Etsi à Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulachris aut* Templis *res divina apud Romanos constabat; frugi religio & pauperes ritus & nulla Capitolia cœlo certantia, sed temeraria de cespite altaria.* Alii verò, de simulachris quidem & tot annorum spatio consentiunt, sed *Templa* interim (ναοὺς καὶ τεμένη) tunc à Romanis, sine illis extructa, adjiciunt. Et nihil magis sub Regum tempora obvium, quàm ab ipsis *Templa* dedicata, sed sine simulachris, quæ posteà inolevêre &c. Ab Judæorum autem exemplis, sicut & alia complura, ita & dedicandi ac sacros usus consecrandi, manavit mos apud Gentiles, ut Ædes eorum, Aræ, Deorum statuæ, ambitusque circumjacentes, per solemnia sacra, dedicarentur, uti & interdum transferrentur, ampliarentur, reficerenturque, uti diximus suprà, ubi *de Dedicandi ritu.* Ad id autem publica auctoritas necessaria: uti de Atheniensibus discimus, ex Harpocratione in ἀνιέντες ἱερὰ, Isocrate *Areopag.* & Lysiâ *Apolog. ad Mixodemum.* Quemadmodum idem obtinuit apud Hebræos Romanosque. Et quidem quod ad *Templorum* ac Delubrorum, adeoque dedicationum illorum initia, apud Gentiles, attinet, varia traduntur: Fertur quidem Epimenides Cretensis (cui ut Deo à Cretensibus litatum) πρῶτος οἰκίας καὶ ἀγροὺς καθῆραι καὶ ἱερὰ ἱδρύσασθαι, *primus domos & agros lustrâsse ac* Templa *dedicâsse*, Laërt. *l.* 7. Quod si de *Templis* apud Græcos primis verum esset, videtur disciplina ejus in Græciam introducta, planè coæva Hierosolymorum *Templi* excidio illi primo, sub quod ipsum simulachra in *Templa* receperunt primò Romani; quibus ita templa, antequam Græcis in usu. Floruit enim Epimenides, *Olymp.* 47. Tarquinio Prisco coævus: Et veri non est dissimile, ex vagante de clade Hierosolymitana passim famâ cultusque ibi antè Numinis ratione perpensâ, varias in Græcorum Romanorumque mentes ingestas, circa cultum suum, aras, *Templa*, persuasiones. Alii Ægyptiis tribuunt non solùm Deorum XII. nominum Græcis communicationem, sed & *Aras & simulachra &* Templa *Diis statuisse ipsos primos*, ajunt: quasi inde illa Græci, ut alia, didicissent. Quorum quidquid sit, invaluit

valuit apud Græcorum aliorumque non paucos, aut potiùs continuatum est diuque permansit postmodum dogma vetus illud, de *Templis* arisque non adhibendis. Unde etiam circa annos 500. ab Epimenide Zeno Citticus ejusque sequaces, *Templa* omnimoda ex professo improbabant; tametsi, sibi ipsis adversi, sic dedicata laudarent interim usque uti fecit nihilominus consuevescerent, Plut. *de Stoicorum repugn.* Interim & ante Epimenidem *Templa* apud Græcos fuisse in usu, probatur ex Pythagora, qui non solùm de iis passim *in Symbolis*, sed & in *Templo* Montis Carmeli fertur plerumque μονάσαι. Sic Abaris Hyperboreus in Græciam veniens dicitur καταλύειν ἐν τοῖς ἱεροῖς, *hospitari solitus in Templis*, velut locis tunc satis obviis, Jamblichus, *Vit. Pythag. c.* 28. Imò traditur quidem annos circa 1400. ante Epimenidem, in Creta, à Crete primo illic Rege & Curetibus cæteris conditum Cybeles Matris *Templum*; uti etiam in Delo Apollinis *Templum* ab Erisichthone, filio Cecropis, fabricatum esse, Euseb. *Chron. l. poster. num.* 56. De Ægyptiis autem legitur, Mosis jam tempore Diospoli ναοὺς illos habuisse, apud Eusd. *de Præpar. Evang. l.* 9. *c.* 18. Vide quoque *c.* 17. Imò apud Græcos quoque eôdem ævô *Templa* fuisse & simulachra, hinc videtur colligi posse, quòd comites ejus in Cananæam, fingebatur apud Græcos, fuisse Ægyptios, illumque eos docuisse Numinis simulachrum non omninò formare. Τέμενος δὲ ἀποδείξαντας καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν ἄνευ ξοάνου, *Sed Templum ei adsignare & habitationem* (illam sacram) *honorare, citra simulachrum*, Strabo, *l.* 16. In Palæstina non minùs, circa secula illa adeò vetusta, *Templa* in usu fuisse, satis cernitur in Asdodorum בית דגון *Domo Dagon*, 1. Sam. *c.* 5. *v.* 2. unde urbs ipsa sic denominata, Josuæ, *c.* 15. *v.* 41. sicut & aliæ, à *Templis* tunc suis: ut *Beth-Phegor*, *c.* 13. *v.* 20. *Beth-Shemesh*, *c.* 15. *v.* 10. à *Templo* Phegoris, Solis, dictæ &c. Nec desunt, qui Phalegi jam seculo *Templorum* tribuant initia, ut inter alios Isidorus Hispal. *Chron. at.* 2. sed quàm incerta eorum origo, ex aliis eam in rem Lil. Gyraldo *Syntagm. de Diis* 17. & Rud. Hospiniano, *de orig. Templorum l.* 1. *c.* 5. congestis, videre est. In scriptis tum chartaceis, tum marmoreis Romanorum, dedicationes *Templorum* solennes frequentissimæ, quarum etiam, illis in usu, sura, ritusque expressius occurrunt, ut vidimus *d. l.* adi quoque Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 6. *c.* 14. cum *Notis* Tiraquelli, Stuckium *de Sacrificiis*, Alios: qui inter alios dedicationum ritus, pulvinaribus quoque, fasciculos de verbenis factos, qui *Struppi* Festo, & pro Deorum capitibus ponebantur, addi consuevisse memorant. In specie de Junonis *Sospitæ* dedicationis festo, vide Ovid. *Fastor. l.* 2. eundem de Concordiæ ædis dedicatione *Fastor. l.* 1. de Jovis Victoris, *l.* 4. de Palladis Aventinæ *l.* 6. de Fortunæ Publ. *l.* 4 de Junonis Monetæ, *l.* 6. &c. Scilicet, ut Urbium, Principum, Privatorum, natalitia redeuntia festa agebantur, ita & *Templorum* dedicationes. De Sacrificiis, in Deûm Magnorum, Matris Deûm & Attidis, dedicationibus usitatis, diximus suprà *in Taurobolium*. De more Ægyptiorum, in quolibet suorum Fanorum virgam, Moysis virgæ (cui, quidquid miraculi ad motum ejus patraverat Deus, tribuebant, ad veram eorum causam non assurgentes) similem consecrandi collocandique, dicemus infrà, ubi de *Virga Moysis*. Foribus eorum Dei Deæque nomen inscribi consuevisse, vidimus voce *Inscriptio*. Nec omittendum, quòd *Templa* saltem citerioris ævi hominibus, quasi *Deorum Domicilia* credita, & idcirco Græcis ναοί, τεμένη & ναΐσκοι, οἶκοι it. nonnunquam & οἶκοι Θεῶν, δόμοι quoque ἅγιοι καὶ ἱεροί. Latinis *Sacræ ædes*, ac *domus*, appellatæ sunt: quod non solùm salsè ridet Arnob. *adv. Gentes*, *l.* 6. sed & Lucian. *l. de Sacrificiis*. In iis conclavia & cellulæ, simulachrorum receptacula, describuntur Vitruvio, *l.* 4. *c.* 4. 5. 7. quas ναοὺς Græcis dictas, *Hesychius* notat, vide quoque Diodorum Sic. *l.* 1. aliquid etiam paulò infrà: quam tamen appellationem alii Herois peculiarem faciunt, de quibus suprà, & nonnulla, apud Desiderium Heraldum, *ad Arnobium loc. cit.* De aliis huc pertinentibus, vide eruditè disserentem Joh. Seldenum, *de Synedriis Veterum Hebr. l.* 3. *c.* 13. & *seqq.* cui adde Thom. Dempster. *ad Rosin. l.* 2. *c.* 2. Brissonium, *Formularum l.* 1. Joh. Catanæum *ad Plinium*, *Ep.* 4. *l.* 4. Jac. Gutherium *de vet. Jure Pontificio l.* 3. *c.* 11. & qui primò locô dicendus erat, Jac. Godofredum, *Exercit.* 1. *de Eccl*-ubi, inter alia hanc in rem præclara, post imagines à Gentilibus receptas, hæc duo Ναὸν καὶ ἄγαλμα, *Ædem & signum*, ad legitimum *Templum* cultumque requisita fuisse, docet, & de *Templorum* columnis, tum iis, quæ in principiis seu vestibulis illorum, in pronao, ut & in postico & pteromatis, aliisque, quæ ante *Templa* solutæ stabant: tum iis, quæ intrà ipsa Templa partim fornicem, lacunar, culmen, sustinebant, partim solutæ *simulachra Deorum* imposita; *arma*, *clypeos aliaque* appensa; *elegos*, *elogia*, *fœdera*, *ψηφίσματα*, *narrationes* & *traditiones historicas*; *curationis* item *morborum indicia*, *Leges*, *Decreta*, *morum* seu *virtutis præcepta*, *hieroglyphica* & *oracula*, inscripta habebant, accuratè agit. *Templa Christianorum* quod attinet, post Apostolorum tempora, eversô jam *Templô* Hierosolymitanô (de quo infrà) & deletâ gente Judaicâ, Christiani in cœmeteriis conveniebant, donec post 300. A. C. ἐκκλησίας & οἴκους ἐυκτηρίους, i. e. *Templa* & *Orationum Domus*, majores magnificentioresque, quàm hactenus per tyrannorum sævitiam & vulgi rabiem licuerat, condere cœperunt. Quæ tamen felicitas Diocletiani edictô, de Christianorum Templis funditus evertendis, interturbata est. At Constantinô M. ad Imperium promotô ubique locorum vel Gentilium Templa in Christianorum usum conversa, vel nova ex fundamentis, ipsius Imperatoris jussu magnificentissimè extructa sunt, ut videre est apud Eusebium, *Vitâ Constantin. l.* 2. Theodoretum, *Hist Eccl. l.* 1. *c.* 1. Hospinianum *de orig. Templor. c.* 6. Alios. Cæterùm partes *Templorum* in Græca Eccles. quinque fuêre, Βῆμα, Ἱερατεῖον, i. e. *Chorus*, (locus Clero & Cantoribus assignatus) Ἄμβων, i. e. *Pulpitum* (ubi recitabatur Euangelium ac Epistolæ & verba fiebant ad populum) Ναὸς, i. e. *Navis* (ubi populus orabat sexu per tabulata divisô) & Βαπτιστήριον prope πρόναον, ubi hærebant pœnitentes. Ipsorum Templorum totidem formæ: Τετραγωνά, Κυκλοειδῆ, Σταυροειδῆ, Δρομικά & ex his mixta. In atriis labra erant, pollubra, fontes &c. in quibus manus ingressuri lavabant, uti pluribus videre est apud Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ναὸς, ubi de *Templis Dianæ*, seu Ναΐσκοις, (in Actis Apostol. indigitatis) alibique, inprimis voce Στῦλος, ubi multa de *Templo Eleusiniæ Cereris*, & *Dianæ Ephesinæ*, præcipuè. Addam verbum, de more *Templa coronandi* apud Gentiles, tempore publicæ lætitiæ, passim apud Auctores obvio. Ita enim Propertius, *l.* 4. *El.* 3. *v.* 57.

> *Flore sacella tego* ———

Valerius Flaccus, *Argonaut. l.* 2. *v.* 187.

> ——— *æquora cuncta*
> *Prospiciunt, simulantque choros; delubraque festa*
> *Fronde tegunt* ———

Et de antro, unde Apollinea responsa edebantur, Pythia apud Æschylum, *Eumenid.*

> Ἐγὼ μὲν ἱερὸν τὸν πολυσκιῶν μυχὸν:

ubi antrum illud πολυσκιῶν, multâ scil. fronde umbratum, vocat. Quò faciunt, quæ *de Vittatis Templis* congessêre, Bernartius *ad Statium*, *l.* 4. *Sylv.* 8. Hadr. Turnebus, *Adversf. l.* 22. *c.* 12. Matt. Roa, *Singularium l.* 2. *c.* 11. Alii. Quem morem ad Christianos quoque transiisse, discimus ex Hieronymo. *l.* 2. *Ep.* 22. *Qui basilicas -- diversis floribus & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrant, ut, quidquid placebat in Ecclesia tam dispositione, quàm visu, Presbyteri laborem & studium testaretur.* Nec omittendum, quod in *Templis* thesauri publici, tanquam in loco tutissimo, recondi consueverint: ut de Templo Hierosolymit. apud Josephum, de Æde Saturni apud Romanos, suprà in voce *Ærarium*, de aliis alibi legas. Sic *in Templo Parisiensi*, h. e. in Æde Templariorum, reconditum olim Regium Thesaurum, & penès illos ejus fuisse custodiam, docet ex *Charta* Philippi Pulchri A. C. 1309. Car. du Fresne *in Glossar.* idem de Novo Templo Londinensi, refert Matth. Paris ann. 1232. &c. De more Sanctorum nomina *Templis* imponendi, qui seculô tertiô, aut quartô inter Christianos ortus est, diximus aliquid suprà, ubi *de Basilicis*: de partibus *Templorum* præcipuis apud Gentiles πρόναον seu πρόδομον, τὸ πυλαῖον seu πυλεῶνας, *Ædis cellâ* seu σηκῷ, cujusmodi cellæ nonnunquam in eodem consepto plures erant, præsertim si pluribus Divis una eademque ædes sacra esset; ὀπισθοδόμῳ tandem, seu *postico*, & περιδρόμοις seu *deambulationibus* circa latera templorum factis, apud Christianos, *narthece*, qui locum pronai obtinebat, *vestibulis* seu *ingressu*, Græcè πυλῶνι βασιλικοῖς, Latin. *Regiis*, *Templo ipso*, quam *Navem* vulgò vocant, cum aliis suis utrinque, umbilico ejus seu μεσομφαλῷ, *apside* denique seu *concha*, seu *choro*, aliisque supra indigitatis, vide hic passim: uti de voce Gallica *Vasse*, templum Martis Savaroni, aliis templum in genere significante infrà suô locô.

TEMPLARII, Hæretici in Solymorum civitate A. C. 1030. post interitum Philippi Augusti, quia frequenter in templis versabantur, sic dicti. Simulacrum habebant factum summô artificiô, cui hominis cutem superinduxerant, & binos præfulgentes carbunculos sub ipsâ fronte collocaverant, qui micabant oculorum vice. Huic autem simulachro sacra faciebant mortuorum corpora in cineres redacta, cæterisque potum dabant, qui hac potione firmiores & constantiores se futuros putabant. Eos verò qui ex Templarii virginisque conjugio nati fuissent, subjectô igne torrebant, simulque ex humore deliquati suum perungebant simulachrum, quo majorem probarent religionem, *Lloydius*. Alii sic habent. Ordo fuit militaris, qui initium sumpsit A. C. 1118. Hierosolymæ, tale. Hugo de Paganis, Godofridus de S. Audomaro, cum septem aliis, Deo se consecrârunt, votô Religionis coram Patriarcha conceptô. His prope Salomonis templum ædes concessit Balduinus II. unde *Templarii* dicti. Scopus erat, peregrinantes, contra Infidelium injurias, tueri, viasque à Turcarum insidiis liberas præstare. Hi novem socii A. C. 1128. in Concilio Trecensi, Regulam petierunt, cujus cura S. Bernardo commissa est. Jussi candidâ veste incedere, & addita est A. C. 1146. ab Eugenio III. crux rubicunda. Ab eo tempore famâ & opibus tantopere hic Ordo crevit, ut 9000. ædium numerarentur. Matth. Paris. *Histor. Angl. An. Chr.* 1244. Hinc fastus, inobedientia erga Patriarcham, bellum contra Principes Christianos, clandestina cum Infidelibus consilia, ut qui Soldano Ægypti Fridericum II. Imperatorem prodere ausi sunt, &c. Certè Fulco Richardum I. Angliæ Regem reprehendens, ob tria aulæ ejus vitia, Superbiam, Incontinentiam & Avaritiam; responsi locô tulit, se Superbiam Templariis &c. elocâsse. Tandem gravissimorum criminum convicti, coram legatis Philippi Pulchri & Clementis V. Conciliô Viennensi condemnati, Jacobus Molæus Burgundus, M. Magister ordinis vivus exustus Parisiis, A. C. 1312. & magna redituum pars Ordini S. Johannis adjudicata est, Guil. Tyr. *l.* 12. *c.* 7. *de bello sacro.* Tom. Walsinghamus, *in Eduard. II.* Rob. Gaguinus, *Hist. l.* 7. Paradin. *Hist. Saband. l.* 2. *c.* 106. Miræus, *in Origin. Ord. Equest. l.* 1. *c.* 4 & 5. du Puy, *Hist. Condemn. Templar.* Uti verò in Gallia, sic in Anglia pariter unô eôdemque die, h. e. 4. Idus Jan. A. C. 1307. ad instantiam Regis Philippi, comprehensi, dein variis pœnis addicti, eorumque bona Hospitalariis concessa sunt, Knyghton A. C. 1307. Cujus rigoris veram causam, opum fuisse magnitudinem potiùs quàm scelera, quæ iis impingebantur, volunt, Antoninus, *Part. Hist. Volum. III. tit.* 21. *c.* 1. § 3. Trithem. *Chron. Hirsaug.* p. 227. Hartm. Schedel, *Chron. M. Noremb.* Alii, laudati Cl. Zuingero *Disp. Histor. Theol. de Festo Corp. Chr. Parte* 2. *p.* 36. & *seqq.* cui adde Nic. Gürtlerum, *Historiâ Templarior.* ubi plura hanc in rem. Ædes eorum Parisiis *Templum* dictum est, atque etiamnum *le Temple* appellatur, ubi thesaurum Regium olim asservatum diximus. Ordinis Magni Magistri, Τεμπλομαΐστορες dicuntur Cinnamo, *l.* 4. quorum seriem *in Familiis Hierosolymitanis* seu *Ultramarinis*, hanc exhibet Car. du Fresne.

Series M. Magistrorum Ordinis Templariorum.

Hugo de Paganis, Trecensis, Ordinis fuit institutor.
Robertus cognomine *Burgundio.*
Ebrardus de Barris.
Hugo, sub A. C. 1151.
Bernardus *de Tremelay*, Sebusianus.
Bertrandus *de Blanchefort*, interfuit Christianorum cladi ad *Harenc* A. C. 1165. Quò tempore Gaufr. Fulcherius Domus Templi Hierosol. Præceptor floruit.
Andreas, S. Bernardi avunculus
Philippus Neapolis in Syria dominus.
Odo de S Amando, interfuit prælio, quô Balduinus IV. Saladinum ad Ramam fudit.
Arnoldus de Torogio, obiit A. C. 1184.
Theodoricus interfuit cladi Guidonis Regis A. C. 1187.
Girardus *de Ridesford*, cæsus est in prælio inter Guidonem Regem & Saladinum A.C. 1188
Gualterus.
Robertus *de Sabloil*, A. C. 1155.
Gilbertus Eral, A. C. 1196.
Pontius Rigaldus, A. C. 1198.
Philippus *du Plessiez*.
Theodatus de Bersiaco.
Gulielmus *de Montedon* A. C. 1216.
Gulielmus de Carnoto, interfuit obsidioni Damiatæ A. C. 1219.
Thomas de Monteacuto, sub quo Honorius III. *Templarios* à Patriarchæ Hierosolymitani & Episcoporum jurisdictione exemit.
Armandus.
Hermannus *de Perigord*, à Saracenis cæsus interiit A.C. 1244.
Gulielmus Sonnac, cum Ludovico IX. Gall. Rege Damiatæ obsidioni interfuit A. C. 1249.
Renaldus *de Vihcier*, A. C. 1247.
Aimericus, A. C. 1260.
Thomas Berart, A. C. 1273. cui morem impium Christum abnegandi in professione (qui cæteris *Templariis* in eorum condemnatione objectus est) ascriptum, notat Puteanus, *Hist. Templar. p.* 20.
Robertus.
Guiffredus *de Salvaing*, Delphinas.
Gulielmus de Bello joco, periit in obsidione Acconensi, cum omnibus ferè *Templariis*, decem solùm Ordinis Militibus fugâ elapsis, A.C. 1291. à quibus
Monachus Gaudini Magnus Magister electus in Cyprum Insulam secessit.
Jacobus *de Nolay* (non *Molay*, ut vulgò) Burgundus, Tortosam cum Almerico Tyri domino expugnavit; exinde aliquot annis contra Saracenos fortiter rem gessit: donec à Sultano Babylon. pulsus in Franciam venit, ubi cum aliis Templariis igni consumptus est Parisiis. Vide de his omnibus Auctores Car. du Fresne ubi suprà & *in Glossar.* laudatos. Cæterùm *de Militia Templi*, *primam solitam esse in congressu & ultimam in recessu*, scribit Oliverius Scholiasticus, ubi de Guil. Carnotensi suprà memorato.

TEMPLI Mons, in *Misna tit. Celim c.* 1. *Mons Templi, sanctior est Urbe -- Intermurale sanctius est Monte -- Atrium Mulierum Intermurali sanctius erat* &c. est Mons Moriah, in quo Templum Hierosolymitanum erat conditum, & ipse aliquando *Templi* nomine insignis. Nempe non solùm ab Atrio Sacerdotum, & eo, quod Israelitis Laicis & Proselytis Justitiæ, tertioque quod mulierum proprium erat, verùm etiam ab ipso Intermurali, quod חל dictum, loco scil. latitudinis 10. cubitorum, qui muros Templi vulgò & signatiùs dicti præcingebat, ita arcebantur Gentiles, ut nec intra eum precari, aut hostias sive immolare, sive popis aut Sacerdotibus in holocaustis offerre, iis fas esset: sed tantùm in *Monte Templi*, seu spatiis ac porticibus exterioribus, quibus etiam, uti dictum. *Templi* nomen tributum est. Usque ad hujus radices Urbis aream, vocabant *Castra Israëlitarum*; quæ inde ad portam Orientalem, *Castra Levitica*; & demum quidquid erat inde Templi, in atriis, conclavibus, cæterisque structuræ partibus, *Castra divinæ Majestatis*. Atque sic capiendum volunt Ebræi id, quod de Gentilium precationibus in Salomonis oratione ad Deum O. M. habetur 1. Reg. *c.* 8. *v.* 42. ut & illud Josephi de Alexandro M. quem *ascendentem in Templum immolâsse Deo* ait, *Origin. l.* 11. *c.* 8. de loco videl. præfato exteriore, qui & *Atrium Gentium*, quibusdam & *porticus Salomonis*, & ob Templi viciniam: etiam id nomen aliquando accepit, nonnunquam & *Templum primum* dictus, ad discrimen *secundi* & propriè sic appellati, ad cujus frontem columnis inscriptum, literis tum Græcis, tum Latinis, Μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι, *Alienigenam in locum sanctum introire non debere.* Etiam θανατικῆς ἀπειλουμένης τῆς ζημίας, *sub interminatione pœnæ capitis.* De iisdem porticibus aut locis intermurali exterioribus, Templi nomen in Euangelio aliquoties occurrere, docet Constantinus *L'Empereur ad tit. Middoth, c.* 2. *sect.* 3. *p.* 44. 45. & 190. Ibidem festis diebus celebrioribus cohortes Romanæ stationes habuisse videntur ad custodiam, cohibituræ scil. tumultum, si quis fortè existeret, qua de re vide Josephum, *Orig. l.* 20. *c.* 4. & 7. & plura huc pertinentia, apud Jo. Seldenum *de Jure Nat. & Gentium, juxta Discipl. Ebræor. l.* 3. *c.* 6.

TEMPLUM, Ligurum pars, Tacitus, *Agric. c.* 7. Locus in Africa propria, *Antonin.*

TEMPLUM, Scaligero ex Græco τέμενος, aliis à τέμνω, *abscindo*, locus est ab aliis separatus & quasi abscissus, religionis causâ. Imò locus omnis sacer & conseptus claususque palis, vel subdialibus saltem finitus, licèt sine tecto, qui σηκὸς ἀκάλυφος *Sophocli*, (quamvis nonnulli *Sacellum* hoc vocent, & à *Templo* distinguant) Ara quoque vel Puteal: Etiam figmentum ligneum quadratum, templi instar, in quo aquila Romanæ Legionis sita; vel quod supra eam positum erat olim, hôc nomine venit. Cujusmodi instar ædiculæ planè expressum conspicitur, in columna Trajani, quod inde sumtum *in Exercit. suis Plin.* exhibet Salmas. *Dio* νεὼν μικρὸν vocat *templum parvum*, Ὁ γὰρ αἰετὸς, inquiens, ὄρνεον μέγα, ἐστι δὲ νεὼς μικρὸς καὶ ἐν αὐτῷ αὐτὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται. Sic *Polybio* ναΐδια dicuntur loculi vel armaria, quibus imagines suas reponebant Prisci. Et in Actis Apostolicis *c.* 19. *v.* 34. ναοὶ ἀργυροῖ dicuntur parvulæ effigies argenteæ, ad instar *Templi* factæ, quæ templum Dianæ Ephesiæ repræsentarent. Cujusmodi templorum simulachra ex ligno quoque fiebant, & ex alia materie, ab iis, quos Ναοποιοὺς hinc vocat vetus Interpres *Rhetoricorum* Aristotelis, & exponit, οἱ τοὺς ναοὺς ποιοῦντες, ἤτοι εἰκονοστάσια τινὰ μικρὰ ξύλινα, ἢ πηλῶτα, Salmas. *d. l. p.* 1140. & *seqq.* Vide quoque infrà *Tranquillina Augusta*, ubi in nummo quodam Smyrneusium Amazon Smyrna dextrâ ναΐδιον tenens conspicitur. Sed & *Templum* antiquis dicebatur locus, sub dio extra Urbem, augurii aut auspicii causâ, quibusdam conceptis verbis factus. Ubi Candidati, nocte, quæ Comitia præcedebat, cubabant: deinde è lecto manè surgentes & solidâ sellâ sedentes, expectabant, dum ipsis Deus aliquis bonum signum mitteret, more à Romulo ipso traditô, & diutissimè in Rep. Romana servatô, quem prolixè explicat Dionys. Halicarn. *l.* 2. Atque hoc *augurium capere* dicebatur. Inde visis auspiciis tollebant se ex templo ac surgebant unde verba Augurum *tollere se & extemplo*, de quibus, aliisque in hanc rem vide apud Casaubon. *ad Augustum Suetonii, c.* 95. Omnis tandem tractus, Deorumque ac hominum habitatio. Varro *de L. L. l.* 6. laudatus Delrio *ad Her. Fur. Sen. v.* 3. De *Templi* communi notione, ut aliquid præter superiùs dicta addam, in porticibus eorum, ut & aliis locis publicis, mendicos; Philosophorumque non paucos, peregrinos item, qui hospitem non haberent, habitasse, discimus ex *Dione Chrysostomo*, ubi de Diogene, διετέλει, inquit, ἐν τοῖς κοινοῖς τε καὶ ἱεροῖς. Et *Athenæo*, ubi Stilpon alliô satur κοιμᾶται ἐν τῷ τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ἱερῷ. Sic Spartian. *in Severo, c.* 7. *Totâ Urbe milites* in Templis, *in porticibus, in ædibus Palatinis, quasi in stabulis, manserunt.* In iisdem cubabant, somnia capturi, quo de more affatim suprà, in verbo *Dormio*, alibique: uti de ritu Ædes sacras circumeundi Salmas. *ad Solin. p.* 936. de quo aliquid, & suprà, in voce *Dextratio.* De consuetudine omnium ferme gentium, in bello, *Templis* locisque sacris, imò & hominibus propter *Templa*, parcendi, legi poterit, præ aliis, H. Grotius *de Jure Belli & Pacis, l.* 3. *c.* 12. §. 6. &c. Sed nec omittendum, *Templa* appellatas olim potissimùm paganorum ædes sacras, uti docet ex Cod. Theodos. *tit. de Paganis, sacrificiis & templis*, Jac. Gothofredus *in Paratit. ejusdem tit.* §. 3. & Heraldus *ad Arnobium l.* 6. de Christianorum tamen, etiam vocem occurrere, *l.* 4. *de his qui ad Eccl. confug. a.C.* Vide quoque suprà in voce *Ædes.*

TEMPLUM Æsculapii, Liv. *l.* 45. *c.* 28 *Æsculapio*, locus Peloponnesi, apud Epidaurum 5. mill. pass.

TEMPLUM Dianæ Ephesiæ, *Strab.* & aliis unum ex septem Orbis admirandis operibus, à Cresiphonte architecto designatum, 220. annis exædificatum est, habens pedes in longitudine 425. in latitudine 220. columnis 127. à totidem Regibus factis, longitudine 60. pedum, è quibus 36. quarum una à Scopa, cælatæ, constans. De cujus constructione plura Vitruvius, *l.* 2. *c.* 9. In solo palustri locatum erat, ne terræmotus sentiret, aut hiatibus absorberetur. Rursus, ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis ponerentur, calcatis ea carbonibus primùm, dein lanæ velleribus substravêre. Miraculo imprimis fuit, epistylia tantæ molis attolli potuisse, sed consecutus est id Architectus peronibus arenâ plenis, molli pulvinô super capita columnarum exaggeratô, paulatim exinaniens imos, ut sensim totum insideret. Difficilimè hoc in ipso limine contigit: etenim ea maxima moles fuit, nec sedit in cubili, anxiô artifice mortis destinatione supremâ, traduntque in ea cogitatione defessum, nocturnô tempore in quiete vidisse præsentem Deam, hortantem ut viveret: se composuisse lapidem, ut posterô die apparuit. Habuit templum hoc ingentem libertatem, donisque ex omnibus regnis ac civitatibus locupletatum est: accessit à præstantissimis adversus varia morborum genera remediis ibi affixis ingens Fama. At tandem ab Herostrato, ut famam maleficiô sibi compararet, incensum fuit, eâdem Olympiade ac die, quâ Alexander M. natus est. Post hujus obitum, urbe à Lysimacho renovatâ, cives, si *Straboni* credimus, Templum instaurârunt, tantâ quidem sedulitate ac diligentiâ, ut prioris etiam gloriam superaret: ad quam rem fœminæ quoque ornatum suum, è locis etiam maximè dissitis, aliasque res pretiosas liberali manu suppeditârunt, &c. Vide Adamum Preyelium, *in Admirandis Sinæ & Europæ, c.* 13.

TEMPLUM Fortunæ Prænestes, fuit aliàs celeberrimum, & ipsô Syllâ vetustius, prope Prænestem urbem Latii. Sed & hujus nostris temporibus pars aliqua spectanda simulque admiranda remanet in crypta quadam, quæ ad inferiores cellas ædium Episcopi abscondita est. Illius fragmenta collegit & delineari jussit Cardinalis Franciscus Barberinus, antiquitatis vindex. Templum seu templa potiùs stupendæ molis omne ferè hodiernæ civitatis occupant spatium, apposita namque devexis inferioribus partibus ascensum compositis distinctum arcis duodecim exhibebant, erectis ad eas peramplis ædibus, diversis scalarum ordinibus, parietibus in unum beneque elatum prospectum cingentibus multiplici porticu, theatrô columnis distinctô, cavædiô, arcubus spectandis, fontibus, lacusculis, viridariis. Excisus erat ipse mons, & pluribus quasi planis gradibus fretus in templi conscensum, excavatusque medio in monte aquæductus piscinas seu potiùs lacus in ipso Fortunæ templo constituebat. Cortina templi eminebat in apice, ubi nunc palatium Principis, in eoque summo excitabantur ignes accensis facibus, quæ navigantibus etiam in mari Tyrrheno noctu religiosè conspectæ prælucebant, ut invocandum ipsis Fortunæ numen, admonerent. Ædificium istud immane abs inferioribus sacellis assurgit quatuor gradatis molibus, aliarum quarundam gradibus quasi adjectis ad summam usque in vertice positam obrotundæ in tholum erectionis. De his pluribus & doctissimè suô more Josephus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis *in suo Prænest. antiq. l.*

TEMPLUM Hierosolymitanum, à Salomone Rege sapientissimo in monte Morija extructum, describitur 1. Reg. *c.* 6. &c. Hoc cùm dedicaret Salomon, nubes & gloria Domini implevit illud, ignisque è cœlo missus sacrificia in eo oblata devoravit, 1. Reg. *c.* 8. *v.* 10. 11.

v. 10. 11. Introitus ejus, contrà ac nunc moris est, ad Solis Ortum; posteriora vero ejus ad Occidentem respiciebant: unde hic Sacerdotes, unà cum reliquis Judæis, ad Occidentem versus orabant, Deique cultum peragebant: donec Regum populique impietate, spurcitiis idolorum aliquoties profanaretur: Tum factum, ut anno 441. à prima sui fundatione, per Nabuchodonosorem, Babyloniæ Regem, in cineres redigeretur, sicque 70. ann. maneret desolatum. Dein illustris Judæorum Dux Zorobabel, eodem in monte annis 46. templum magnificè restauravit; quod licet magnæ quoque per universum mundum æstimationis esset, ad gloriam tamen prioris minimè accedebat. Hoc post ann. 354. ab Antiocho Epiphane spoliatum, ac idolis pollutum, tertiô contaminationis annô, Judas Maccabæus purgavit, ac ne iterum gentibus in prædam cederet, in modum castri fortissimi munivit; in quo à 120000. hostium diu obsessus non poterat expugnari. Centesimô annô ferè post, à. M. Pompejo occupatum, atque in eo 12000. Judæorum interfecta sunt. Neque verò victor, qui usque ad Sancta Sanctorum ingressus cuncta ibi ex auro fulgentia, & in sacræ pecuniæ thesauris 2000. talenta vidit, eorum quidquam attigit, qum potiùs postridie, æditurum templum purgare, & legitima ac solennia sacrificia celebrare mandavit. Hoc ipsum posteà relapsum Herodes Ascalonita annis 9. sumptuosè reparavit, mox CHRISTUS, præsentiâ, doctrinâ ac miraculis sanctificavit, priorique illô magnificentissimô longè gloriosius reddidit. Sed postquam Dominum hunc gloriæ crucifixissent Judæi, totiusque proin gentis excidium immineret, annô à fundatione sui sub Zorobabele 580. per Titi Cæsaris milites, post dubium cruentumque conflictum, expugnatum, tantaque circum altare holocausti Judæorum cædes facta est, ut per gradus templi, torrentis instar, interfectorum sanguis profluerct. Ipsum, in primo prælii furore, per militem quendam, Cæsare invitô, face incensum, sicque hoc non Judææ modò, sed totius Orbis prælustre Ornamentum concrematum est, die 10. Augusti quô mense & die primum quoque conflagraverat. Post annos dein 65. Judæis denuò rebellantibus, & eôdem hôc locô templum restituere volentibus, Ælius Adrianus Imperator quinquaginta octo myriades eorum unô die interfecit, & residuis Hierosolymorum ædificiis prorsus destructis, montem Moriah, multum complanavit, atque rudera sabulumque ejus in vallem Josaphat ac torrentem Cedron projecit, ne urbs montis & templi præsidiô confisa, jugum denuo excuteret. Imperator posteà, Julianus Apostata, post an. 227. ut Christi Oraculum de Templi ruina eluderet; datâ Judæis ex publico ærario pecuniâ, mandavit eis Templum de integro restaurare, ibique juxta Mosis legem sacris defungi. Quod cum magnâ alacritate molirentur, apertisque & purgatis jam fundamentis, ædificationem inchoaturi essent, nocte præcedente vehemens procellosæ tempestatis ventus calcem, gypsum ac materiam longè latèque dispersit. Insuper terræ motus ingens universa veterum Templi fundamentorum saxa excussit, ac dissipavit, permultis Judæorum oppressis: qui cùm ne sic quidem inceptô desisterent, postridiè ignis celô emissus, flammaque è templi fundamentis erumpens, plures eorum quàm anteà consumpsit, malleis, securibus, serris, ligonibus, omnibusque aliis opificum instrumentis, in cineres illô die redactis. Sic tandem Judæis ab opere repulsis, Christiani eôdem ferè locô, opere rotundô & Græcô labore amplum & præaltum Templum erexerunt, quod per aliquot secula Patriarchali Cathedrâ decoratum, tandem à Saracenis occupatum, ac spurcô Muhammedis cultu annis 463 contaminatum est. Idem posteà A. C. 1098. à Christianis duce Godefridô Bullionæô expugnatum, 10000. Saracenorum sanguine restagnavit, victorque Canonicorum Collegium ibi instituit. Verùm dènuò, per Christianorum dissidia, Saracenis cessit, qui in ejus summitate dimidiæ lunæ formâ collocatâ; in atriorum loco ficus & & olivas plantare cœperunt. Idem à Turcis nunc possessum detestabili Muhammedis cultu polluitur, ejusque ingressu penitus Christiani arcentur. Colitur autem à Turcis tantâ religione, ut ad rupem parvam, ferrô undique cancellatam, de qua, in medio Fani sita, mira fabulantur, nulli Saracenorum vel Infidelium appropinquare liceat. Non procul hinc Ægyptiorum Sultanus, seculô præteritô novum ædificavit Templum, sive Muschkeam, in qua 88. lampades continuò ardent. Vide Adam. Pryclium, *in admir. Sinæ & Europæ c.* 14. & suprà in voce *Hierosolyma*. Addo hic, quòd ætas secundi *Templi* decenniô major, quàm prioris fuisse creditur, secundùm nonnullos. Tertium nunc exspectant Judæi, juxta Ezechielis typum *c.* 40. & *seqq.* quod sub Messia Rege exstruendum sit: sed vanâ & mendaci spe. Cùm Messias ad secundum & ad Zionem, venire debuerit, Hagg. *c.* 2. *v.* 8. & Psalmo 132. *v.* 17. *Templum* verò Ezechielis, non in Zione, sed alio longè situ, ponatur, Ezechiel. *c.* 40. *v.* 2. & *c.* 45. *v.* 1--9. & *c.* 48. *v.* 8. tandemque multa aliâ illi adscribantur, quæ juxta literam intelligi nequeunt, vide *c.* 47. *v.* 1, 7, 8, 9, 12. ut, quanquam ad templum Zorobabelis breviter tunc extruendum in quibusdam spectaverit: præcipuè tamen secututam olim sub Novo Test. Hierosolymæ novæ seu Ecclesiæ faciem ac statum adumbraverit. *Templo* Hierosolymitano æmulam molem exstruxêre Judæi segreges, primò in monte *Garizim*, in Samaria, auctore Manasse, fratre Jaddi Pontificis Max. quod dissidium inter Judæos & Samaritanos non parùm adauxit: Joh. *c.* 4. *v.* 20. *Patres in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis, quòd Hierosolymis sit locus, ubi oporteat adorare.* Verùm hoc, cùm 200. annos stetisset, ab Hircano dirutum est. Præter id & alia *Templa* in Ægypto extructa sunt. Unum ab Onia, Simeonis Justi filio minore; in præfectura Heliopolitana: quæ quia sub Alexandria erat, aliquando illud *Alexandrinum* reperitur nuncupatum. Alterum ab Onia, filio Oniæ III. Pontificis M. sub Antiocho Epiphane & Ptolemæo Philometore, Leontopoli: Quorum prius stetit annis 343. tandemque sub Vespasiano clausum est; posterius annis 200. Tuebantur autem hi apostasiam suam oraculô Esaiæ *c.* 19. *v.* 19. *Illo die erit altare Jehovæ in medio terræ Ægypti; & lapis erectus apud terminum ejus Jehovæ.* Nec in Ægypto quoque solùm, sed & in Phœnice, alibique, Fana & Sanctuaria sua potuisse Judæorum quosdam legimus. Vide Franc. Burmannum, *Synopsi Theol. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 15. *ubi de Templo*, & suprà *Templi Mons*.

TEMPLUM Minervæ, *S. Maria*, urbs Salentinorum excisa, ad Japygium promontorium.

TEMPLUM Musarum, *Procop. Cinquefrondi*, teste *Barriô*, pagus Brutiorum mediterraneus in Calabria ulteriore, Polisthinæ oppido propinquus, (ad 2. mill. pass. distans) & Morgetiæ.

TEMPLUM Veneris, *Ptol.* oppid. vulgò *Cap. de Crux*, vide *Aphrodisium*; quod ab Helena 4. à Narbone 25. à Pyrene 80. leucis.

Templa urbis Romæ ex P. Victore:

Bellonæ, apud circum Flaminum.
Bonæ Deæ, ubi nunc ædes S. Mariæ Aventinæ.
Bonæ Fortunæ erat apud Pantheon.
Cæsaris, ubi ædes S. Anastasiæ.
Castoris & Pollucis erat apud ædem S. Mariæ Liberatricis.
Concordiæ, apud Capitolium & porticum Liviæ. Ovid. *l.* 1. *Fast.* *v.* 639.

Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam:
Nunc te sacratæ constituêre manus.

Item apud arcum Septimii, & S. columnas.
Dianæ, in Aventino, ubi ædes S. Sabinæ & S. Joannis in Porta Latina & in insula Lycaonia.
Fauni, ubi ædes S. Stephani Rotundi. Ovid. *l.* 2. *Fast.* *v.* 193.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

Faustinæ, ubi ædes S. Laurentii in miranda.
Floræ, ubi ædes S. Ursulæ ad sedes.
Fortunæ publicæ, apud ædem S. Vitalis.
Herculis, ubi ædes S. Stephani protomartyris, ad Tiberim.
Jani, supra ædem S. Vitalis. Ovid. *l.* 1. *Fast.* *v.* 317.

Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis,
Janus agonali luce piandus erit.

Iridis, apud ædem S. Mariæ novæ.
Isidis, ubi basilica S. Mariæ Majoris. Aliud ubi ædes S. Marcelli.
Martis, ubi ædes S. Martinæ virginis. Aliud ubi ædes S. Martini. Aliud ubi ædes S. Sixti.
Minervæ, ubi basilica S. Mariæ Minervæ, *la Minerva.*
Pacis, apud ædem S. Mariæ Novæ; vel ibi, ubi nunc dicta ædes.
Palladis, ante porticum Faustinæ.
Pantheon, *S. Maria Rotonda.*
Penatum, apud templum Romuli.
Pietatis, in theatro Marcelli, & ubi ædes S. Nicolai in carcere.
Pudicitiæ, ubi ædes S. Mariæ Ægyptiacæ.
Quirini, ubi nunc ædes S. Vitalis, & ubi ædes S. Susannæ.
Romuli, ubi nunc ædes SS. Cosmæ & Damiani. Non longè erat templum Faustinæ.
Serapidis, apud ædem S. Mariæ novæ in horto.
Solis, in supercilio montis Quirinalis, *in Monte Cavallo.*
Telluris, ubi nunc Ara cœli.
Veneris genitricis, in foro ubi nunc tres columnæ marmoreæ, & ubi ædes *S. Maria Libera nos.*
Veneris & Cupidinis, apud basilicam S. Crucis in Hierusalem.
Vestæ, ubi ædes S. Mariæ Liberatricis.
Vulcani, ubi nunc ædes S. Theodori. De quo Ovid. *l.* 5. *Fast.* *v.* 725.

Proxima Vulcani lux est, quam Lustria dicunt.
Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Alter index templorum Romæ ex Sexto Rufo & aliis:

Æsculapii, in 5. regione, in insula Tyberina, cum Jovis & Fauni: ubi cœnobium Sanctimonialium.
Divi Antonini, in 9. regione, cum columna Cochlidæ apud ædem sanctorum Cosmæ & Damiani.
Apollinis & Cloatræ, in 6. regione.
Apollinis, in 9. regione.
Apollinis Palatini, in 10. regione.
Apollinis in Vaticano, in 14. regione, apud. S. Petrum. Aliud ubi ædes S. Apollinaris.
Augusti, in 8. & 10. regione. Ovid. *l.* 1. *Fast.* *v.* 609.

Sacra vocant augusta patres; Augusta vocantur
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu.

Bacchi, in 2. regione.
Bonæ Deæ, in 13. regione, in Aventino.
Boni eventûs, in 9. regione.
Bruti Callaici, in 9. regione.
Carmentæ, in 8. regione, ubi ædes sanctæ Catharinæ.
Castoris, in 11. regione.
Castorum, seu Castoris & Pollucis, in 8. regione.
Divi Claudii, in 2. regione.
Concordiæ virilis, in 3. regione.
Concordiæ in porticu Liviæ, in 4. regione.

Con-

Concordiæ cum cella, in 8. regione.
Consi, in circo maximo, in 11. regione. Ovid. *l.* 3. *Fast.* v. 199.

Festa para Conso: Consus tibi cætera dicet.

Deæ Carnæ in 2. regione.
Deûm Penatûm, in 8. regione.
Dianæ commune, in 3. regione.
Fauni, in 2. regione.
Divæ Faustinæ, in 4. regione.
Febris, in 10. regione, in Palatio.
Fidei, in 6. & 10. regione.
Fidii, in 13. regione.
Floræ, in 6. & 10. regione. Ovid. *l.* 5. *Fast.* v. 195.

Chloris eram, quæ Flora vocor: corrupta Latinè
Nominis est nostri littera Græca sonô.

Fortunæ, plura.
Fortunæ viatorum, in 1. regione.
Fortunæ liberæ, in 6. regione.
Fortunæ feiæ, in 6. regione.
Fortunæ statæ, in 6. regione
Fortunæ primigeniæ & publicæ, in 6. regione.
Fortunæ reducis, in 6. regione.
Fortunæ novum, in 7. regione.
Fortunæ fortis, in 14. regione.
Fortunæ liberæ, alterum, ibidem.
Gentis Flaviæ, in 6. regione.
Divi Hadriani in 14. regione.
Herculis Victoris, in 11. regione, in foro boario.
Jani gemini, in 8. reg. Alterum extra portam Carmentalem.
Jani Bifrontis, in 9. reg. apud theatrum Marcelli.
Jani ad forum olitorium, in 11. reg.
Jovis Fagutalis seu viminei, in 5. reg.
Jovis Capitolini sive Optimi Maximi, in 8. regione, apud montem Tarpeium, cum templo Cereris ultoris in 9. regione, ubi Pantheon, & Cybeles.
Jovis seu Solis Algabali, in 10. regione.
Jovis propugnatoris, ibidem.
Jovis statoris, ibidem.
Isidis, in 1. regione.
Isidis & Serapidis, in 3. regione.
Isidis & Serapidis, in 9. apud ovile.
Isidis in 13. regione.
D. Julii Cæsaris, in 8. regione.
Junonis Lucinæ, in 5. regione, ubi ædes S. Laurentii in Lucina. Ovid. *l.* 3. *Fast.* v. 255.

Dicite; tu nobis lucem Lucina dedisti:
Dicite; tu voto parturientis ades.

Junonis maritalis, in 8. regione.
Junonis reginæ, in 13. regione.
Larum, in 8. regione.
Libertatis, in 13. regione.
Lunæ, in 4. regione.
Lunæ, in Palatio, seu in 10. regione.
Lunæ in Aventino, in 13. regione. Ovid. *l.* 3. *Fast. extr.*

Luna regit menses: hujus quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

Martis extramuranei, in 1. regione.
Matris Deûm, in 10. regione.
Mentis, in Capitolio.
Mercurii, in 11. regione, ubi ædes S. Angeli. Ovid. *l.* 5. *Fast.* v. 673.

Est qua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere, numen habet.

Minervæ Medicæ, apud Pantheon in 5. regione.
Minervæ Flavianæ, in 6. regione.
Minervæ vetus, in 8. reg. Ovid. *l.* 3. *Fast.* v. 837.

Parva licèt videas captæ delubra Minervæ,
Quæ Dea natali cœpit habere suô.

Minervæ Chalcidicæ, in 9. regione.
Nemesis, in 8. regione.
Neptuni, in 9. regione apud septa, ubi ædes sancti Blasii in via Julia, & ubi ædes sanctæ Anastasiæ.
Divi Nervæ in foro transitorio, in 4. regione.
Pacis, in 4. regiône. Ovid. *l.* 3. *Fast.* v. 882.

Et Romana salus, araque Pacis erit.

Panis, ubi nunc ædes S. Stephani Rotundi.
Pantheon, in 5. regione. Ovid. *l.* 4. *Fast.* v. 157.

Roma pudicitiâ proavorum tempore lapsa est:
Cumæam, veteres, consuluistis anum.

Quirini, in 6. regione.
Quirini novum in 7. regione.
Quirini, in 10. regione prope lupercal. Ovid. *l.* 1. *Fast.* v. 69.

Dexter ades patribusque suis, populoque Quirini.

Remi in 4. regione. Ovid. *l.* 5. *Fast.* v. 151.

Huic Remus institerat frustra, quò tempore fratri
Regna Palatinæ prima dedistis aves.

Romuli, aliàs Quirini, in 8. regione.
Salutis, in 6. regione, in colle Quirinali.
Salutis aliud, in eadem regione.
Saturni, in 8. regione.
Serapeum, in 6. regione.
Serapidis, in 1. regione.
Silvani, in 5. regione, sub colle Viminali.
Solis, in 4. & 7. regione.
Spei novum, in 7. regione.
Telluris, in 4. regione.
Divi Trajani, in 8. regione.
Tulli Hostilii, in 2. regione.
Veneris cloacinæ, in 4. regione.
Veneris Erycinæ, apud portam Collinam in 5. regione. De templo Veneris Erycinæ inter alia Ovid. *l.* 4. *Fast.* v. 871.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet: à Siculo nomina colle tenet.

Veneris aliud, in sexta regione, apud hortos Sallustii.
Veneris calvæ novum, in 8. regione.
Veneris calvæ vetus, in 8. regione.
Veneris genitricis, in 8. regione.
Divi Vespasiani, in 8. regione.
Vestæ, ibidem.
Urbis Romæ & Augusti, in 4. regione.
Fuêre etiam alia Romæ sequentia templa à veteribus scriptoribus memorata:
Adonidis.
Annonæ sanctæ.
Apollinis Sosiani.
Apollinis tortoris.
Augusti ad Minervam.
Cereris, de quo Ovid. *l.* 4. *Fast.* v. 619.

Alba decent Cererem: vestes Cerealibus aptas
Sumite; nunc pulli velleris usus abest.

Clementiæ Cæsaris.
Ditis, seu Plutonis.
Fortunæ barbatæ.
Fortunæ blandæ.
Fortunæ benesperantis.
Fortunæ convertentis.
Fortunæ equestris novæ.
Fortunæ masculæ
Fortunæ muliebris, extra Portam Latinam.
Fortunæ plebeiæ.
Fortunæ privatæ.
Fortunæ viscatæ.
Divi Hadriani.
Herculis, via Latina.
Herculis defensoris.
Honoris.
Jovis invicti.
Jovis Mariani.
Jovis prædatoris.
Jovis pugnacis.
Jovis tonantis, in Palatio. Ovid. *l.* 6. *Fast.* v. 349.

Nomine, quàm pretiô celebratior, arce tonantis,
Discite Pistoris quid velit ara Jovis.

Jovis Victoris.
Junonis Caprotinæ.
Justitiæ.
Justitiæ Augusti.
Mentis: de quo Ovid. *l.* 6. *Fast.* v. 241.

Mens quoque numen habet: Menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.

Næniæ, extra portam Viminalem.
Palladis, apud porticum Faustinæ. Ovid. *l.* 3. *Fast.* v. 815.

Pallada nunc pueri teneræque orate puellæ,
Qui bene placârit Pallada, doctus erit.

Pietatis apud theatrum Marcelli.
Pudicitiæ
Quietis, via Lavicana.
Ridiculi, extra portam Capenam, ubi Hannibal consedit.
Themidis.
Vacunæ.
Veneris lubentinæ.
Veneris victricis.
Victoriæ, apud arcum Septimii, & statuam Morphorii.
Virtutis.
Vulcani.

Præter templa fuerunt & basilicæ plures, ædes sacræ, & ædiculæ penè innumeræ, delubra, & aræ. Extra urbem verò erant templa, sive ædes Diis malis dicatæ; quibus, ne nocerent, statis temporibus sacra faciebant: veluti Timoris, Palloris, Paupertatis, & Senectæ. Fuit & templum Vejovis in Capitolio; cujus meminit Ovid. *in Fastis*, *l.* 3. v. 430.

Templa putant lucos Vejovis ante duos.

de TEMPORIBUS Johannes, vide Johannes.

TEMPSA Romanorum colonia, an. urb. Cond. 660. Vide *Temese*.

TEMPSIS, cacumen Tmoli montis, in quo 100. annos vivunt incolæ. Plin. *l.* 7. *c.* 48.

TEMPUS, in Saturno cultum Gentilibus; qui *und manu*, *scilicet dextera, falcem tenere, & in ea serpentis portare effigiem, qui caudam propriam dentibus commordebat*, fingebatur, uti ait Albinus, pejoris ævi Scriptor, sed meliorum exscriptor, addens, *Saturnus hic temporis erat effigies, dracunculus anni*. Nempe, uti hoc hieroglyphicum de falce, exponit Fulgentius, *Mytholog. l.* 1. *Falcem ferebat* ——— *sive quod omne tempus in se vergat, ut curvamina falcium, sive propter fructum*. De serpente, Martianus Capella, *Sator Deorum gressibus tardus ac remorator incedit* ——— *prætendens dextrà flammivomum quendam draconem, caudæ suæ ultima devorantem, quem credebant anni numerum nomine prodicere*. Veteres certè Ægyptios annum dracone notâsse, docet Orus Apollo sive Philippus Byzantinus non unô locô: quem, dictô schemate expressum, insculpsisse quoque pyramidibus, *æternam circumactionem rerum significantes*, legas apud Anastasium Sinaxm Commentar. in *Hexaemeron*, *l.* 1. Quam in rem pulchrè Statius, *Theb. l.* 5. *v.* 460.

——— *velox in terga revolvitur annus*,

Ubi vetus Scholiastes, *Retro*, inquit, *repetit enim jam transacta, ut rursus transigat*. De anno sic multi, quia scil. tempus omne redit per sua momenta & vestigia. Estque elegans periphrasis temporis, *in immensum orbem revertens ab emenso, seque repetens atque consumens*, quô genere suavi acumine omne genus Poëtarum lusit. Namque unius anni exitum haurit in se alterius anni initium, seque consumit & reparat ex se, quique consumi videbatur, redit ex involucro quasi suo in semet, renascitur de suo fine, orbem perpetuum obiens, & circulum infinitum decurrens. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 401.

——— *redit agricolis labor actus in orbem*
Atque in se, sua per vestigia, volvitur annus &c.

Vide quæ de *Temporis* ratione scribunt, præter Aristotelem *Physicor. l.* 4. *c.* 16. ejusque Commentatores, Niceph. Blemmydes, *Physicor. c.* 9. Stobæus, *Eclogis Phys.* Laërtius, *Platone*, Plato *Timæo*, Timæus, *de Universo*, Seneca *de brev. Vitæ*, Plotinus, *non unô librô*, Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 12. & *Confess. l.* 11. Plut. *de Placitis Philos. l.* 1. *c.* 21. Sextus Pyrrhonius, Zacharias *de Opificio Mundi*, Alii. Addam saltem, ad eundem rerum orbem exprimendum aliis quoque figuris Veteres usos. Namque & annulo annum comparat Servius, *ad Æneid. l.* 1. & in Daphnephoriis ad idem signandum coronæ adhibitæ sunt, qua de re vide Proclum, *in Chrestomathia Poëtica Photiana*, & adde superioribus Casp. Barthium, *Animadv. ad Statium locô cit.* de cultu verò temporis religioso plura suprà, ubi de *Diis Gentilium*, item voce *Cronus*. Ad usum ejus sacrum quod attinet, quamvis illud totum jure suô vindicare potuisset temporis Æternus Auctor, ejus tamen velut primitias solùm à cultoribus suis decidi & offerri voluit, unô tantùm hebdomadis die solenni suo cultui, ut & paucis aliis, ex toto temporis nobis induiti thesauro, celebrioribus beneficiis suis commemorandis, sepositis ac destinatis, uti videre est hic passim, ubi de Vet. Test. *Festis*, *Neomeniis*, *Sabbatho*, alibi. Superstitio verò Gentilium hic immane quantum exerravit: ut qui non solùm Dæmonibus suis magnam *Temporis* partem consecrârunt, sed & dierum quosdam aliis auspicatiores, vel minùs auspicatos esse, sibi persuaserunt. Et quidem apud Romanos publicô more observatum est, ut dies postridie Nonas, Idus Kalendas atri haberentur, *ἀνέξοδοι καὶ ἀνεπιτήδειοι*, *quibus nec exire, nec aliquò proficisci* tutum judicabant. Augustus etiam postridie Nundinas diem inominatum habuit, an quia aliquoties erat expertus res eô tempore inceptas non vertisse benè an ad imitationem superioris observationis, ut est superstitio fœcunda & solers. Nam & pertinet eodem, quòd post Latinas Ferias duos dies Romani observabant ut religiosos & rebus inchoandis infaustos, quod discimus ex M. Tullio, *ad Q. Fratrem*. Porrò & Nundinarum dies videtur rebus inchoandis parùm utilis æstimatos: unde quoties in Kalendas Janua. incidebant, intercalatione extra ordinem *ἐμβολίμῳ* illam Pontifices declinârunt, teste Dione, *l.* 48. Et Nonas Augustum similiter devitâsse legimus. Nec solùm observatio hæc temporum in suscipienda profectione & inchoandis rebus seriis, locum habuit, uti de eodem Imperatore Sueton. habet *c.* 92. de aliis *Plut.* Sed & quidem eâ fuêre superstitione, ut in rebus prope nugatoriis etiam dies observarent: Quod notat in Tacito Imperatore Vopiscus, & rident in mulieribus suorum temporum *Juvenalis* ac *Lucianus*. Totum verò id Gentilium reprehendit Ambrosius facundè, ubi explicat Pauli verba ad Galatas, *c.* 4. *v.* 19. Ἡμέρας παρατηρεῖσθε, καὶ μῆνας καὶ καιροὺς, καὶ ἐνιαυτοὺς, *Dies observatis, & Menses, & tempora & annos*. Vide Casaubon. *ad Suetonium*, *d. l.* uti de *Temporis* partium unaquaque, ut & Epochis ejus celebrioribus, hîc suis locis. A' tempore, Χρονίτας olim Orthodoxos ab Eunomianis apellatos, quasi novam & *brevi tempore duraturam* doctrinam profiterentur, observat Cl. Suicerus in ea voce.

TENÆ seu TILLEMONTIUM, oppid. amplum Brabantiæ, ultimô bellô miserè deformatum: Ad amnem *Gheste* 3. *leuc.* à Lovanio in Ortum, 6. à Namurco in Boream sub Hispan. *Thienen*, incolis: *Tillemont* Gallis.

TENAGUS, locus Susianæ regionis ad sinum Persicum. *Ptol.*

TENASSERIUM, vulgò TENASSERIM, urbs Indiæ ultra Gangem in regno Siami, in ora Sinus Gangetici media inter Siamum ad Boream, & Juncalaonum ad Meridiem. Dicitur & *Tanasserium*, vide ibi.

TENAX, in laude ponitur, est enim parcus cum modo, at sordidè parcus *pertinax* Latinis est. Lapis vetus in Anglia: PATRI. PIENTISSIMO. ET. SOCERÆ. TENACISSIMÆ. MEMORIÆ. POSVIT. Casaubonus, *ad hunc Spartiani locum, in Severo, c.* 17. *Cognomentum Pertinacis* ··· *ex morum parsimonia videtur habuisse*.

TENCTERI, aliàs THENCHTHERI, TANCHARI *Appiano*, *Tenteritæ Plutarcho*, *Tenchateri Livio*, populi German. quorum regio *Drent*, teste *Hadr. Junió* dicitur, inter Frisiam ad Boream, & Occidentem Westphaliam ad Ortum, & Transisalanam ad Austrum. Cluverio erant versùs Rhenum, ubi nunc Montensis Ducatus, pars Westphaliæ & pars Marchiæ Comit. Vide Cl. Ottonem ad *B. Rhenanum*, *l.* 1. *p.* 128.

TENDA, vel TENDE, oppid. Italiæ, caput Comitatus cognominis in Comitatu Nicæensi, intra Apenninum, in limite ditionis Genuensis. Inde mons *le Col de Tende*, 18. milliar. ab Albio Intemelio in Boream, Fossanum versus 25. Aliàs Comites habuit proprios, nunc Sabaudiæ Duci subest.

TENDEBA, Cariæ vetus oppid. *Steph.*

TENDERE, apud Romanos dicti sunt Duces & exercitus, ubi castra essent metati, quòd ibi tentoria explicarent, vel in tentoriis subsisterent. Sueton. *in Galba*, *c.* 12. *Cohors Germanorum juxta hortos tendebat*. Tacitus, *l.* 13. *Annal. c.* 36. *Milites tendere omnes extra vallum jussit*. Virgil. *l.* 2. *Æn. v.* 29.

——— *hic sævus tendebat Achilles &c.*

Sicque *tendentes* reponit Palmerius, *ad Salustium*, *p.* 520. pro *tentoria figentes*, vocabulum esse Numidarum addens. Contrà *prætendere* dicebatur de illis præsidiis militum, quæ ante justum exercitum aut pro cæteris excubabant: quam in rem plurima congessit Gronov. *Observat. in Eccl. Script. c.* 2. Hinc recentioribus *Tenda*, tabernaculum est, seu tentorium. Tudebodus, *Hist. Hierosolym. l.* 2. *Et in nostras laxatis frænis concurrerunt tendas*. Hodieque *Tente* Gallis, & *Tienda* Hispanis, sed his propriè stationem notat, seu Officinam, in Foro, aut locis publicis, exponendis & vendendis mercibus, erectam. Car. du Fresne *Glossar*. De reliquis verbi significatis, vide Barthium, *Animadvers. ad Statium passim*.

TENDUCUM, vulgò *Tenduc*, regnum Tartariæ, in limite Sinarum cum urbe primaria cognomine. Quibusdam recentioribus *Charcher & Niucke*; unde profecti, qui Sinarum Imperium haud pridem occupârunt. Pars est Australis Sericæ antiquæ, terminaturque à Septentrione Tartariâ magnâ, seu [illegible]achitarum regione ab Ortu Jupiâ regione, ab Occasu Tangutô regnô, à Meridie Imperiô Sinarum. Sed de urbibus ejus nondum constat. Ejus pars est etiam Niulhanum regnum, *Egrigaja* quibusdam.

TENEA, quæ TENÆA *Suidæ*, pagus agri Corinthiaci, arboribus consitus. Unde Proverbium:

Εὐδαίμων γε Κόρινθος, ἐγὼ δ' εἴην Τενεάτης

TENEA, fluv. Umbriæ. Vide *Tinia*.

TENEBION, corruptum nomen, apud Diodor. Sic. *l.* 14. loci in Cilicia, quem nulli in Asia amœnitate cedere scribit. Alii legunt, ὡς τι πεδίον, teste *Henr. Stephanô*.

TENEBRÆ, quibus nominibus cultæ fuerint Gentilibus, diximus suprà ubi de eorum Diis. Per easdem jurâsse Prienenses, tradit Plut. *Probl. Græc.* Sunt autem *nihil aliud, quam umbra major, ut umbra nil nisi lumen imminutum*, Vossio, *de Idol. l.* 3. *c.* 24. qui & (post Casaubonum *ad Tiberium Suetonii*, *c.* 68.) compluria adducit exempla eorum, qui tenebricosô quoque aëre viderint, hincque etiam in tenebris corpora de se species fundere, colligit, *c. seq.* At nihil tale in *Ægyptiis Tenebris, quæ extiterunt in terra tota Ægyptiorum tribus diebus*, *Non videbant alter alterum, neque surgebat ullus à loco suo tribus diebus*, Exodi, *c.* 10. *v.* 22. & 23. Quod nec Scriptores Gentiles latuisse, discimus ex fabula de Jovis cum Alcumena congressu, quem præcepisse Soli, ut triduum lateret, quò gignendo Herculi vacare posset, passim legimus. Unde Herculem τριέσπερον λέοντα Lycophron, Statius, *ternoctem* vocat *Theb. l.* 12. *v.* 301. ut videre est apud Meursium, *ad Lycophronem*, *p.* 107. ubi plura hanc in rem. Quemadmodum & totum hunc Cœli Terræque orbem densissimis *Tenebris* initiô creationis immersum fuisse iidem non ignorârunt. Namque ἀέρα ζοφώδη, *aërem tenebrosum*, principium hujus universi posuit Phœnicum Theologia, uti videre est apud Sam. Bochartum, *Geogr. Sacr. l.* 2. *c.* 2. Et Aristophanes apud Lucianum *Philopatr.*

Νὺξ Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς

Et Ovid. *l.* 1. *Met. v.* 10.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe &c.

Vide infrà *Thenth*. Imò & Inferis suis *tenebras* inducunt passim. Sophocles apud *Plut. de aud. Poët.*

Ἔνθεν τὸν ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον
Βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί.

Unde *loca nocte silentia latè*, Virgilio dicta, *Æn. l.* 6. *v.* 265. atque *silentem nocte perpetua domum* Seneca vocat, Hyppolyt. *Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 221. Vide Tobiam Pfannerum ubi suprà *c.* 21. §. 9. De *Tenebrarum* verò Hieroglyphico, caudâ videl. crocodili Orum, *in Hieroglyph.* &c. In Ecclesia Rom. *Tenebræ*, officium Eccles. dicitur, quod peragitur Feriâ 4. 5. & 6. majoris, ut vocant, hebdomadæ: *Primò, quia in luctu & mærore (Ecclesia) est, propter Domini passionem; & propter ejus triduanam mortem exsequias celebrat triduanas. Secundò* offi-

officium Tenebrarum *significat tenebras, quæ fuerunt super faciem terræ, dum pendebat Sol justitiæ in cruce* &c. Duraudus *Rational.*

TENEBRIA, vicus Iberiæ. *Steph.*

TENEBRIUM, promontor. Ilercaonum, Hispan. Tarraconens. cum oppid. cognomine inter ostia Iberi in 2. alveos infrà Dertusam urbem divisi. *Cabo de Alfaques* Moletio. *Capo Forbat* hodie, *Baudrando*, in ora regni Valentiæ, prope oppid. Peniscolam, vix 3. leuc. à limite Cataloniæ in Occas. 6. ab ostio Iberi, 4. ab Oropesa in Ortum.

TENEDO, oppidul. Silvæ Martianæ, in Suevia, in limite Helvetiorum, prope Rhenum, ubi Arolam recipit, supra Valdshutum oppid. 18. mill. pass. infrà Scaphusiam; vulgò *Dengen Cluver.*

TENEDOS, quæ *Tenedo Sophiano*, insul. maris Ægæi, sive Hellesponti parva, amœna, contra Sigeum, Troadis promontor. inde 12. mill. pass. (sed teste *Strabone* 40. stad. ad 80. patens) in Occasum & Circium distans, Apollini, qui ibi præcipuè colebatur, sacra, prius *Calydne*, testibus Pausaniâ ac Diodorô. Sic. *Phœnice* & *Lyrnessus* etiam, uti Plin. auctor est, *l.* 5. *c.* 13. Insul. hæc ante bellum Trojanum florentissima fuit, in qua Græci supremas illas, quibus Troja periit, insidias struentes, sese occultârunt. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 21.

Est in conspectu Tenedos, notissima famâ
Insula, dives opum, Priami dum regna manerent.

Dionys. *v.* 537.

Αἰγῶν τ᾽ ἱερὸχθονοι, καὶ ἱμερτῆς Τενέδοιο.

Scribit Plinius, *loc. cit.* in hac insula esse fontem, qui solstitii æstivi tempore, à tertia diei hora, ad sextam usque, tantâ aquâ scaturiebat, ut omnia vicina loca inundaret, reliquò autem tempore exsiccabatur. *Strabo* templum Neptuni, extra civitatis muros fuisse tradit. Vulgò dici putatur quasi Τένε ἕδ☉, à Tene quodam, quem Cygnus pater à noverca concitatus cum arca inclusum in mare projecisset, is ad insul. Leucophryn ejectus est, & ab incolis Rex creatus, & post obitum pro Deo cultus. Atque ita factum, ut insul. pro Leucophry *Tenedos* appellaretur. Ita referunt Aristot. & Heraclides *in politiis*. Strabo, *l.* 5. Pausan. *in Phocicis*. Plut. *in Hellenicis*, Conon apud Photium, Serv. *in Æn. l.* 7. Eustath. *in Il.* α. Itacius *in Lycophronem*, Suidas in Τενέδι☉ ἀνθρωπ☉, *Stephanus*, *Phavorinus*, aliique. Tenem verò hunc a Tenediis relatum fuisse in Deos, docent hæc Ciceronis *in Verrem* 1. *Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus Deus habetur, qui urbem illam dicitur condidisse, cujus ex nomine Tenedos nominatur.* Tamen hanc fabulam non esse ex ultima vetustatis memoria repetitam, ex eo colligere est (inquit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 9.) quòd de Tene nil quicquam habetur apud poëtas vetustiores. Sed nec in *Apollodoro*, *Hygino*, *Palæphato*, & *Mythologorum* aliis. Nec à *Tene* fieret *Tenedos*, sed Τένε ἕδ☉, ut Κελῶ μέτωπον, neque enim fert Græcæ linguæ genius, ut aliter coalescant substantiva cum adjectivis. Denique Τένεδ☉ vel Τενέδ☉ neutrum esset, non fœmininum. Sed fingenda fuit hæc fabula, quia pudebat Tenedios nescire suas origines, & rationem nominis sui. At Phœnices si consuluissent, insulam suam didicissent Tenedum dici quasi insulam טין אדום *tin-edom*, i. e. *luti rubri*, cujus plurimus in figulinis usus. Et in Tenedo celebres fuêre figulinæ. Unde *Tenedia vasa*, magno in pretio apud veteres, quod Plut. *in l. de vitiosâ censura*, & ex eo Aristoph. *in Nub. Act.* 4. *Scen.* 3. his verbis docent: Τὴν δὲ πτάρνυσθαι ἡ καλὲ Αὐλὶς, ἡ Τένεδ☉ ἀλλοκοτωμένοις τοῖς κεραμεῦσι καθυμερτέροις ὁμοῦ τῶν ἀγγυρῶν. *Bochart. Tenedius tibicen*, de falso dicitur, apud *Steph. Securis Tenedia* pro expedita & severa justitiâ. *Tenes* enim (de quo supra) legem tulit, atque induxit morem, ut à tergo Judicis astaret quispiam securim tenens, videl. in hoc paratus, ut qui perperam quid in judicio dixisset, mendacium, opinor, aut falsum testimonium, cum protenus securi feriret. *Nic. Lloyd. Baudrando* hæc insul. 5. mill. pass. abest, à Sigæo promontor. 25. à Lesbo, 65. à Mitylene Urbe in Boream versus Thracicam Chersonesum 15. Haud pridem capta & munita à Venetis, sed recepta à Turcis. Ei ad Austrum adjacent Calydnæ Insul. duæ, hodie *Mauro*, *Nigro*, melle fœcundæ.

TENERA, fluv. Hannoniæ, *Dender* incolis, *Denre* Gall. 2. leuc. à Montibus oritur; dein Athum & Lessiniam rigat, uti & Gerardimontium & Alostum urbes Flandriæ, tandem ad Teneramundam in Scaldim se exonerat.

TENERAMUNDA, incolis *Dendermonde*, Gallis *Dermonde*, urbs munita Flandriæ, ad Scaldim, ubi recipit Teneram, vix 2. leuc. ab Alosto in Boream ferè media inter Gandavum & Antverpiam, 4. utrinque leuc. 5. à Bruxellis in Circium.

TENERCHEBRAJUM Castrum, vulgò *Tinchebray*, locus Galliæ, in Pertico, ad Comitem Moritonii olim pertinens, Willelmo Gemeticensi, *l.* 8. *c.* 13. memoratum. A *Brajo*, i. e. luto, quòd in loco palustri ac cœnoso situm, nomen accepit. Hadrian. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Brajum*.

TENERE, apud Optatum, *l.* 5. *Nam & quivis —— scrobem fodere & plantaria ponere potest: imperare, ut* teneat, *non potest*: idem est, quod *comprehendere*, apud Columellam, *l.* 3. *c.* 5. *depositæ stirpes validò solò, quamvis celeriter comprehendant.* Vide quoque eum, *l.* 3. *c.* 5. 7. alibi. *Solum apprehendere*, apud Senec. *Ep.* 86. *prendere*, simpliciter, apud Ambrosium de Tobia, *c.* 13. *coalescere*, apud Varronem, *de L. L. l.* 4. & in *Vita* Virgilii. Hoc imperare non potest vinitor, aut agricultor, dicere vult Optatus, ut stirpes depositæ radices agant, ipse non potest nisi optare: efficere ejus est, qui adoratur. Hinc in *seqq. Est enim hoc solius Dei, de medullis palmitum producere radices coalescentes in terram.* Quod ubi factum, *tenent plantaria*: cùm enim comprehendimus, tenemus, Joh. Frid. Gronov. *Observ. in Eccl. Script. c.* 13. Apud recentioris ævi Scriptores, *tenere* dicuntur infantes Patrini, seu Susceptores cùm baptizantur: hos enim reverà in brachiis tenent, dum orationes baptismales à Sacrorum Ministro recitantur, infansque salutari fonte tingitur. Concil. Nicænum Arabic. Pisani, *can.* 22. *Ut viri non teneant in baptismo puellas, aut mulieres, neque mulieres teneant masculos.* Inprimis in Foro Feudali frequens id verbum, de eo qui prædium à Domino Feudi dependens, & in ejus feudo vel dominio, possidet. In specie *tenere in capite* dicitur, qui nullo medio ratione feudi Domino subjectus est; apud Anglos specialitèr qui à Rege seu Corona feudum suum tenet &c. Qua de vocis notione plura habes *in Glossario*, Caroli du Fresne.

TENERICUS Campus, circa lacum Copaidem. *Strabo.*

TENERIFFA, una ex Insulis Fortunatis, aliàs *Nivaria*, *Sansoni*. 150. mill. pass ab ora proxima Biledulgeridiæ in occasum, uti 35. à Canaria Insul. Circuitus 140. mill. pass. Ejus oppid. sunt Palus, *Laguna*, Insulæ præcipuæ S. Crucis, *S. Croce*, cum portu amplo, *Garrico* cum portu, S. Christophori *S. Christoval* & *Rialejo*. Ibi etiam *Monte de Pico* seu *de Teyda* incolis, *le Pic de Teneriffe* aliis, mons altissimus de quo multa indigenæ, Ex eo omnes simul Canarias videre licet, unde & Geographorum aliquammultorum calculum meruit, ut primum ab eo Meridianum ducant, Chr. Becmannus, *Hist. Orbis Terr.* Ad insulam hanc cùm Hispanorum classem ex India Orientali portum S. Crucis appulisse, rescivisset Blackius, Anglicæ classis Præfectus, ille facinore ab omni memoriâ dignissimô nihil moratus circumjacentia castella, & innumera tormenta inde in naves suas confertim displosa, portum ingressus est, totamque classem Hispanicam destruxit: annulum hinc quinque millium librarum à Parlamento meritus, Idem *de regno Angliæ c.* 4. §. 6. Olim Duces habebat IX. liberâ electione sibi succedentes. Postmodum una cum reliquis Insulis a Joanne *de Betacourt*, Robini Bracomontii Franciæ Archi-Thalassi filio, cum titulo Regio possessa, sub Successoribus ejus fuit, usque ad Didacum *de Herrera*, qui omne jus suum Ferdinando Aragoniæ Regi transcripsit, à quo tempore Insula hæc, cum reliquis Canariis, Hispanici juris est, Georg. Hornius, *Orb. Imper.* cum *Not.* L. Joachimi Felleri, *p.* 480.

TENERIFFA, urbec. regionis Terræ Firmæ, in Gubernio S. Marthæ, juxta confluentes fluv. S. Magdalenæ in fluv. magnum S. Marthæ. 90. mill. pass. à Carthagine nova in Eurum in America meridionali.

TENES *Diod. Siculo* Τέννες, Cygni filius, ab Achille, cùm *Tenedum* Græci vastarent, interemptus; præcipuâ post mortem apud Tenedios in veneratione fuit, ut Athenagoras tradit in *Legat.* Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3. & pleniùs *l.* 1. *in Verr.* Vide in voce *Tennes*, it. *Tenedos*.

TENESIS, Æthiopiæ sub Ægypto regio. *Strabo.*

TENEZA, vulgò *Tenez*, urbs munita regni Algerii, in ora maris mediterranei cum portu satis tuto & promontor. cognomine adjacente, 100. mill. pass. ab Algerio in Occasum. Aliàs *Julia Cæsarea*, *Sansoni*. Caput tractus cognominis versùs oram littoralem maris Mediterranei inter Algeri provinc. ad Ortum, & Telensinam seu montes ad Occasum ubi aliàs par Mauritaniæ Cæsariensis.

TENG, Sinensibus dicitur vimen illud mirabile, è quo corbes, crates, sedilia: maximè verò subtilissimas illas ac mollissimas storeas, in quibus plerique, ad ipsum Regem, nudi, dum somnum capiunt, decumbere consueverunt; lectos tandem & pulvinaria, quæ rebus quibusdam odoratis ad delitias inferciunt, solent conficere. Lusitanis *Rota*, quod vide. Aliud quid Indorum *tenga* est, è cujus liquore saccharum, quod *Jagara*, aut *Jagra* appellatur, confieri, docet Salmas. *ad Solin. p.* 1313.

TENGCHEUM, vulgò *Tencheu*, urbs quinta Xantoniæ, in Sinaa, sub qua 7. minores. In ora Oceani Eoi & Sinus Nanquinensis. Probè munita. *Martinius.*

TENION, urbs Achajæ. *Steph.*

TENISSA, Mauritaniæ Cæsariensis oppid. *Ptol. Tremissen Nigro.* Aliis est *Tenez*.

TENITRUS, mons Macedoniæ, in ora Occidentali inter Apolloniam, unde nunc *Monte di Polline*, & Dyrrhachium.

TENIUM, urbs Achajæ. *Steph.*

TENNAGORA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

TENNES, qui & *Tenes*, vide *Tenedos*.

TENNES Rhodius, trium millium Græcorum mercenariorum, ab Ægyptiis auxilio Phœnicibus missorum Dux. Diod. *l.* 16. *p.* 532. A Mentore, Sidoniorum Principe, in proditionis societatem assumptus; sed Sidone proditâ, ab Artaxerxe Ocho, ejus perfidiam suspectante, occisus est.

TENNUM, oppid. ex Æolicis, unde Hermagoras fuit is, qui de dicendi arte conscripsit. Strab. *l.* 14. Unde *Tennites* Ciceroni, *pro Flacco*.

TENOS, vulgò *Teno*, insul. parva in Ægæo mari, una Cycladum, in qua urbs est ejusdem nominis, quam propter aquarum abundantiam, *Aristoteles Hydrussam* appellatam dicit, alioqui *Ophiusam*. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Steph.* à *Tene* conditore dictam scribit. Ejus meminit Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 469.

At non Oliaros, Didymeque & Tenos & Andros.

Tenos, inquit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 14. Doricè Τᾶν☉, Phœnicè insula תנות *thannoth*, i. e. draconum, seu serpentum. Aristoph. Schol. *in Plutum*: Ἐν τῇ Τήνῳ μία τῶν Κυκλάδων πολλοὶ ὄφεις καὶ σκορπίοι ὀξεῖς ἐγίνοντο. *Ibidem* Ὀφιοῦσσα, i. e. *Anguina* dicitur ab *Antimacho*. Quod & alii imitati sunt. Atque eodem referri potest quòd à nonnullis *Hydrussa* dicebatur: nempe ab *hydris* factô nomine, non ab aquis, ut veteres volunt, *Eustath.* Ὕδασι κατάῤῥυτ☉, διὸ καὶ Ὑδροῦσσα ἐκαλεῖτο. *Steph.* Ἐκλήθη δὲ Ὑδροῦσσα, διὰ τὸ κατάῤῥυτ☉ εἶναι, καὶ Ὀφιοῦσσα. Plin. *loc. cit. Tenos cum oppido* 15. *mill. pass. porrecta, quam propter aquarum abundantiam Aristoteles Hydrussam appellatam ait, aliqui Ophiussam.* Quin & vipera *Tenia* dicta est, tanquam esset à Teno. *Hesychius*: Τηνία, ἔχιδνα: quia Tenus fuit ὀφιώδης,

ut

ut habet Scholiastes qui *suprà*. Aristoteles, *in fine l. de Mirab.* narrat de serpente quodam in *Teno* urbe Magicis cantibus exanimato. Sed *Tenus* illa in Thessalia fuit, non in insula *Teno*. *Τήνιον σκορόδων alliorum ex Teno* meminit Aristoph. *in Pluto*, quæ volunt fuisse *δριμύτατα acerrima.* in Aristoph. autem non occurrit, quod ex eo citat Stephan. ibi *Θύλακον σύγκομμα οἷος ἐξ ἧς πῶς ἀνάπτεται πάνυ ῥᾳδίως*. Nihilò fortasse verius, quàm quod asserit Athenæus, *l.* 1. ibidem esse fontem, cujus aqua vino non miscetur. *Antholog. l.* 1. *c.* 38. Antipater Tenum ita cum Delo confert,

Νῦν δέ σὺ ῥομβεύεις, ἢ ἄδην ἔτι; τίς κεν ἰάλλει
Ὄψιαξ Τήνου Δήλου ἐρημοτέρην;

Unde colligitur Tenum insulam esse non magnæ rei. Circuitus est 35. mill. pass. cum arce permunita, in monte, sub Venetis, à tribus ferè seculis. Episcopalis, habet Latinos ritus, & 12. mill. pass. distat ab Mycono Insul. in Boream; *Tenos* item apud scriptores Britannicos insul. Albionis, ante ostia Tamesis, Cantio adjacens, vulgò *The Isle of Tenet. Nic. Lloydius.* Prior hodie *Tiné* Cl. Sponio, qui eam Cycladibus reliquis, quæ sub Turcico sunt Imperio, longè altiorem, 24. vicis circiter habitatam, (inter quos reliquiæ Urbis hujus insulæ, 3. solùm aut 4. domibus constantes, nominis tamen Πόλις antiqui adhuc tenaces) frumenti insuper, ficuum vitium feracem esse ait. Idem duplicis nummi antiqui meminit, quorum unus, alterâ facie caput Ammonis cornigeri, alterâ uvam, præfert, cum duabus his literis TH. quæ initiales sunt vocis *Τηνίων* alter, in antica parte caput Neptuni, qui in hac Insul. ubi celebre Templum habuit, peculiari veneratione, & anniversariâ solennitate cultus est, ad quam ex Insulis vicinis longè lateque confluxus fuit; in postica, tridentem cum gemino delphine & voce THNI*ων*, *Itinerar. Part.* 1. *p.* 168. & *Part.* 3. *p.* 171. & *seqq.*

TENOS, Laconiæ urbs. *Steph.*

TENSA, M. Græciæ insul. ab Ionibus instituta. Solinus, *c.* 8.

TENSA, non *ἀπὸ τοῦ θείου*, quod etymon legas apud Asconium, *in* 3. *Verr.* nec à *Papia* solùm comprobatur; sed Cæsare etiam Scaligero *de Re Poëtic. l.* 1. *c.* 32. verùm à *tendendo*. Ita autem vocabantur tentoria, sive umbracula, quæ simulachra Deorum continerent, vel tabulis, quæ propriè *Tabernacula*, vel pellibus aut linteis *tensis*, quæ propriè *Tentoria* & *Tensæ*. Ac hujusmodi quidem *Tensæ*, vel à bubus, aut equis aut asinis trahebantur; Unde in glossis veterib. *Tensa* non solùm exponitur *θρόνος*, sed etiam *ἅρμα θεῶν*: vel ab hominibus gestabantur; quod indicat locus Amosi, *c.* 5. *v.* 26. *Imò portâstis tabernaculum Meleci vestri, & Basin imaginum vestrarum: sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis:* & Actor. *c.* 7. *v.* 43. *Imò bajulâstis tabernaculum Molochi* &c. Hujusmodi porrò portatiles lecticas cum velis *tensis* habuisse delubri figuram, argumento est etiam, quòd Philo Byblius, Phœniciam describens Theologiam, apud Eusebium *Præp. Euang. c.* 10. dicat, Dei illius eximii, qui Phœnicibus Ἀγρὸς, Ἀγρότης & Ἀγρώτης vocabatur, *ξόανον εἶναι μάλα σεβάσμιον καὶ ναὸν ζυγοφορούμενον ἐν Φοινίκῃ, Simulachrum esse magnæ venerationis & ædem à jugalibus* (seu bubus seu equis) *solitum deferri in Phœnicia.* Nempe forma erat, qualis lecticæ ejus, quam vulgò *papilionem*, Galli *le Pavillon*, dicunt; à figura tentorii è pellibus aut velis tensi, quod & ipsum Plinio, Tertulliano, Vegetio *papilio* vocatur, à forma insecti prælargas alas suas extendentis *Gloss. veter. Papilio, σκηνώματα.* In istis itaque sacris *Thensarum* vehiculis, Ludis Circensibus, Romæ Deorum imagines vehebantur, quem ritum graphicè describit Dionys. Halicarnass. *l.* 7. Unde multum lucis Ovidio, *Amorum l.* 3. *Eleg.* 2. qui illum quoque tangit, *Fast. l.* 4. *v.* 391.

Circus erit pompâ celeber, numeroque Deorum.

Uti & M. Tullius, *de Arusp. Resp.* Varro de *LL. l.* 4. Suetonius, *Augusto, c.* 16. Festus in *Thensa* & tot alii. Acceperunt autem id moris Romani vel ab Asiaticis vel ab Ægyptiis. De Asiaticis, conjectura ex eo, quòd apud Cappadoces, ut Strabo ait, *l.* 4. *ξόανον τοῦ Ὠμάνου πομπεύει, Simulacrum Omani defertur in pompa.* Omanus verò Persicum Numen erat. De Ægyptiis ac Æthiopibus suspicamur ex Eustathio, *Il. δ.* *Ἐν Διοσπόλει μέγιστόν ἐστι Διὸς ἱερόν, ἀφ' οὗ λαβόντες Αἰθίοπες Διὸς ξόανον καὶ ἄλλων δαιμόνων κατὰ τεταγμένον περινοστοῦσι κατὰ τὴν Λιβύην, καὶ πανηγυρίζουσι σὺν αὐτοῖς, κατὰ ἴσα πολυτελῶς ἐπὶ δώδεκα ἡμέρας, ἐπεὶ καὶ τοσοῦτοι παρ' αὐτοῖς θεοί. Diospoli* (civitate Ægyptiâ) *grande est Jovis delubrum: unde Æthiopes accipientes simulachrum Jovis & aliorum pariter Deorum, statis ea temporibus per Libyam circumferunt, publicaque in celebritate magnificè duodecim diebus feriantur, quoniam totidem habeant Deos.* Ubi si ex Romanis sacris de Ægyptiis liceat judicare, intelligit XII. Deos Consentes, notissimis Ennii apud Appulejum, *De Deo Socratis* versiculis comprehensos, de quibus ipsis, ut & Carthaginensibus, sic Servius commentatur *in illud Virgilii Æn. l.* 6. *v.* 68.

Errantesque Deos: agitataque mœnia Trojæ:

Signa ξόανα dicit, i. e. simulachra brevia, quæ portabantur in lecticis & ab ipsis mota infundebant vaticinationem: quod fuit apud Ægyptios & Carthaginenses. Sanè & apud Antium promovebant simulachra Fortunarum, ad danda responsa, ut Macrob. tradit *Saturnal. l.* 1. *c.* 23. qui *præced. c.* 21. de Sole Heliopolitanis culto, affinia habet: *Vehitur simulachrum Dei Heliopolitani ferculò: uti vehuntur in pompa ludorum Circensium Deorum simulachra.* Hebræis *Saccot* סכות dictæ sunt hæ *Thensæ*, ut apud Amosum *locò cit.* videre est, &c. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 10. & hîc ubi de *Circensibus*, de *Pompa*, &c. It. in *Thensa*. Aliud quid vox sonat apud Recentiores, unde *tensare* illis defendere, securum facere, protegere, & *tensamentum*, pensatio est, quæ à vassallis aut subditis domino, pro protectione exsolvebatur; aliàs *Commendatio, Salvamentum*, & *Tutamentum*, dicta: qua de vocis notione complura habet Car. du Fresne *Glossar.*

TENSERA Georgius, *vide Georgius.*

TENSI Cothurni elegantioribus olim in usu. His enim ut & ævi nostri hominibus, decorum maximè visum est; si strictim calcearentur, ut auctor est Festus in voce *Tentipellium*, quod calceamenti quoddam genus nonnullis erat. Unde Sidonius Apollinaris, *l.* 4. *Ep.* 13. *tensum Cothurnum* dicit, ubi de Germano quodam, homine lauto, loquitur. Minùs lauti enim, incurii & negligentis hominis judicium erat, si pedes in laxa calceorum pelle natarent. Quæ causa, quòd Ovidius elegantiæ præcepta suæ puellæ tribuens, ait, *l.* 1. *Artis*, *v.* 516.

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Ita Sidonius præfatus, Thaliam alloquens, *l.* 8. *Ep.* 11.

Soccos ferre cave, nec, ut solebat,
Laxus pes natet altus in cothurno.

Quod item D. Hieronymo *Ep. ad Eustochium* expressum, ubi malesanum fœminini cultus studium perstringit: *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes in laxa pelle non folleat.* Nec verò follicarent calcei, si quando pedum modulò laxiores essent, solebant eos vel tomentò vel quâvis aliâ re idoneâ stipare. Quô sensu Tertullianus inter cætera, quibus operosam puellarum in sui ornatu curam exagitat, dixit: *Calceum stipant multiformem, l. de vel. Virgin. c.* 12. Sic enim *ad eum locum* illius interpres Rhenanus, *Stipant*, ait, *ne follicet calceus.* Atque ad hanc rem multum etiam conferebant ansulæ sive corrigiæ, quibus calcei pedibus strictiùs firmiusque aptabantur. Unde Tibullus, *l.* 1. *El.* 8. *v.* 14. ait,

Ansaque compressos alligat arcta pedes.

Et Sidonius iterum, *Carm.* 2. *v.* 401. *& seqq.*

——— *Retinacula bina cothurnis*
Mittit in adversum vinclo de fornice pollex,
Quæ stringant crepidas &c.

Vide Benj. Balduinum, *de Calceo antiquo, c.* 21.

TENSURAS, ad occidendum lupos, ponendi consuetudo indigitatur, in *L.* Burgundionum, cujus *tit.* 46. est, *de his, qui tensuras ad occidendum lupos posuerint.* Est autem *tensura*, tensio arcus, Italis etiamnum *Tesa*. Nempe posuerunt Veteres arcus seu balistas certis in locis tensas, ita quidem, ut motis quibusdam lineis ad id extensis, statim laxarentur ac sagittas emitterent. Itaque ne hominum fortè quis læderetur, jubentur in contextu ii qui arcus posuerint, ut id vicinis suis statim indicent, *ac tres lineas ad prænoscenda positi arcus indicia diligenter extendant, ex quibus duæ superiores sint*, ut videl. hosce locos devitare haberent, ne laxatis arcubus illi mortis periculum incurrerent. Ita ut *si ab homine per ignorantiam veniente, aut ab animali domestico tacta fuerint, sine periculo sagittas arcus emittat* &c. Vide Carolum du Fresne ubi suprà.

TENTIPELLIUM, apud *Festum*, nonnullis genus est calceamenti ferratum, quô *pelles extendebantur*; aliis medicamentum, quô *cutem* erugabant, ac *tendebant* luxuriæ ac mollitiei illa apud Romanos mancipia. Nempe linere illâ faciem solebant tum ob alias causas, tum ut cutis tenderetur. E quibus medicamina hæc *τετάσεις* & *τετάσματα* Græcis, Latinis *Tentipellia* dicta sunt. Juvenalis, panem eô fine adhibitum ait, *Sat.* 2. *v.* 107. contra sequiorem sexum,

Et pressum in facie digitis extendere panem.

Item asininum lac. Idem, *Sat.* 6. *v.* 468.

Incipit agnosci, atque illò lacte fovetur.

Quô videl. *tectoria prima* uti de pane loquitur, abstergebant. Vetus Interpres, *Asininò lacte*, inquit, *faciem linit, ut cutem tendat, & candorem eliciat.* Martialis lomenti meminit, in hac re, *l.* 3. *Epigr.* 42. *v.* 1.

Lomento rugas uteri quòd condere tentas &c.

Plura vide apud Aëtium, *l.* 7. ubi hujusmodi *σκευασιῶν* genera varia recenset, Salmas. *ad Spartian. Hadr. c.* 4. & hîc passim, inter alia in *Ichthyocolla.*

TENTORIUM, à *tendendo*: De militibus propriè, quorum *Tentoria* antiquitus è pellibus fuisse, docet Val. Maxim. *l.* 2. *c.* 7. ex 15. *Decreverunt, ut ex iis, qui equô meruerunt, peditum numerô militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur, neve quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallò aut fossâ cingeret, neve* Tentorium *ex pellibus haberet.* Unde *Tentoriæ pelles*, Treb. Pollio, *in Claud. c.* 14 Neque tamen ab Urbe Cond. statim id observatum: Nam *In Vejorum obsidione*, verba sunt Livii, *Dec.* 1. *l.* 5. *primùm sub pellibus hyemare cœperunt*, h. e. annò 327. ab Urb. Cond. adnotavit Joh. Camers L. Flor. *l.* 1. *c.* 12. *Vejentum quanta res fuerit, indicat decennes obsidio: tunc primùm hyematum sub pellibus, taxata stipendio hiberna*; quæ ille, ut alia plurima, ex Livio exscripsit. Consuetudo posteà diu retenta Cæs. *de Bell. Gall. l.* 3. *in fin. Ejusmodi tempestates sunt consequutæ, uti opus necessario intermitteretur, & continuatione imbrium diutiùs sub pellibus milites contineri non possent. Bell. Civ. c.* 13. Qui idem mos & post illam ætatem rursus invaluit, sub Nerone scilicet. Tacit. *Annal. l.* 13. *c.* 35. *Retentus omnis exercitus sub pellibus, quamvis hyeme sævâ, adeò ut obductâ glacie nisi effossa humus* Tentoriis *locum non præberet.* Post Neronem quoque, sub Theodosio Imperatore disciplinæ militaris observantissimo, *hyemes alias sub pellibus*,

libus, memorat Lat. Pacatus *Panegyr.* Sic de Stilicone Claudianus, *l. de laud. ipsius, v.* 122.

——— Quoties sub pellibus egit?

Id ipsum à Græcis factitatum esse, & ab eis demum ad Romanos transiisse morem colligitur ex Curtio, *l.* 7. *c.* 8. *Sæpe pellibus Tabernaculi allevatis, ut conspiceret hostium ignes*: & Amm. Marcellino, *l.* 9. *Sub pellibus exercitu diffuso, per Istri fluminis margines, Barbaros observabat.* Meminit eorundem Arrianus, *de gestis Alex. l.* 1. Tentoria *militum erant ex pellibus levi materie repletis*: ac *l.* 3. *Jubet* Tentoriis *pelles detrahi, easque minutis ac levibus festucis repletas consui.* Adhibitæ autem pelles, sive quòd antiquorum id indumentum, seu quòd faciliùs sic ab aëris injuriis defendi possent. Qua de re vide suprà in voce *Pellis*. Postmodum, ut alia omnia, sic *Tentoria* quoque, luxus invasit. Cujus insigne specimen, ut alia omittam, *Tentoria* fuêre *sigillata*, memorata Pollioni *in Herode*, Odenati filio, de quo inquit, *c.* 16. *Triginta Tyrannor. Homo omnium delicatissimus & prorsus Orientalis ac Græcæ luxuriæ, cui erant* sigillata tentoria *& aurati papiliones* &c. Dicta autem sic sunt, quæ Græcis *ζωδιωτὰ*, quibus *sigilla* seu *ζώδια*, h. e. vel hominum vel bestiarum figuræ ex auro vel purpura erant intextæ; aliàs *belluata* Latinis quoque, uti pluribus ostendit *ad Pollionem* Salmas. Vide quoque suprà. Honestus verò is ornatus erat, cùm militum victorum *tentoria* hederâ & laurô olim ornarentur. Quemadmodum de Romanis, è prælio, quô Perses Macedonum Rex victus est, reversis, invenisse eos τὰς σκηνὰς φωτὶ λαμπρομένας καὶ κεκοσμημένας κιττῷ καὶ δάφνης στέφανοις, *tentoria luce splendentia, ornataque sertis hederæ & lauri*, refert Plut. *in Æmilio Paulo*: quo de ritu vide Car. Paschalium, *Coronar. l.* 1. *c.* 17. Sed & sub *Tentoriis* prisci degebant, antequam ædes sibi struerent, atque in Urbes commigrarent, ut de Patriarchis atque Israëlitis totô peregrinationis tempore, legimus, in cujus rei memoriam Tabernaculorum Festum institutum, de quo suprà: quamvis *Tentoria* à Tabernaculis, si penficulatiùs voces consideremus, utcunque distingui consueverint, suprà diximus in voce *Tensa*. Hodieque Arabes Scenitæ, prisci tenaces moris, non nisi in *Tentoriis* habitant, habitaculô mobili & pro commoditate hominum aliò, ubi lubet, transferri idoneô. Vide Petr. de Valle *Itiner. Tom.* 4. & suprà *Pastor*. In sacris etiam *Tentoria* habuisse locum, dictum itidem in in voce *Tensa*: & cui ignotum Tabernaculum Testimonii, quod, portatilis Templi instar, Deus ipse sibi fieri, inter Israëlitas jussit? Cujus simia Satanas, inter suos quoque *Tentoria* seu Tabernacula erexit. Sic, inter alia, Babylone, in Templo Veneris Uraniæ, illis *Mylittæ*, quam Lunam fuisse docet Vossius, sua puellis, apud Herodotum, *l.* 1. *Tentoria* fuisse legimus, in quibus considebant tempora corollis religatæ, usque dum advenarum aliquis, pronunciatis his verbis, Ἐπικαλέω τοι τὴν θεὸν Μύλιττα, *Invoco tibi Deam Mylittam*, pecuniam immitteret in ejus, quæ ei placebat, sinum, sicque illi à Fano abductæ sese misceret. A quo ritu Templum ipsum סכות בנות *Succoth Benoth* h. e. *Tabernaculum filiarum*, vocitatum est. Vide Joh. Seldenum, *Syntagm. de Diis Syris* 2. *c.* 7. & Voss. *de Idol. l.* 2. *c.* 22. De *Tentoriis* autem militum Romanorum plura, apud Car. Sigonium, *Scholiis in Liv. l.* 5. Jac. Rævardum, *Variorum l.* 4. *c.* 3. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 31. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempsteri: uti de *Tentorio*, Imperatoris Turcarum munere, quo sepulchrum Mahometis quotannis exornari, quodque Pontifici Muslimorum, qui Meccæ sedem habet, maximè lucrosum esse solet, suprà ubi de *Muslimis*, &c. de *Tentoriorum* verò *mutatione*, pœna militari, ubi de *Militibus*; uti de *Thalamo* nuptiali ad *Tentorii* instar facto infrà.

TENTUGAL, nomen Familiæ, in Portugallia, illustris, cum titulo Comitivæ, quæ Brigantinæ Stirpis ramus est. Hanc enim cùm orsus esset Alphonsus, Dux Brigantiæ, Joannis I. Regis filius nothus, ex filio ejus Ferdinando I. tres lineæ originem habuerunt. Primus nempe, Ferdinandus II. Ducalem Familiam (quæ jam Regnum tenet) continuavit, tertius verò Alfonsus, Comites *de Faro*, *Odemira* atque *Vimiero*, cognomin. *de Faro & Norogna*, profevit. At medius Alvarus Dn. *de Ferreira*, numerosæ posteritatis sator fuit: In qua, præ aliis, cum nomine *de Mello*, Marchiones *de Ferreira* atque Comites *de Tentugal*, hîc memorandi. Alvarus enim is, & Philippa *de Mello* genuit Rodericum *de Mello* Marchionem *Ferreira* Comitem *de Tentugal*, cujus pronepos Franciscus *de Mello* Marchio *de Ferreira*, Comes *de Tentugal* obiit A. C. 1645. post geminum matrimonium, cum Maria primùm Osoria, inde Joanna Pimentellia, contractum. Vide suprà in voce *Mello*, & Philipp. Jacob. Spenerum, *Arte Heraldic. Tom. II.*

TENTYRA, ORUM, & TENTYRIS, urbs & nomus Ægypti ad Nilum cum insul. teste Pliniô, *l.* 5. *c.* 9. Incolæ *Tentyritæ*, qui tantô crocodilis terrori esse dicuntur, ut solâ voce eorum auditâ in fugam vertantur. Plin. *l.* 26. *c.* 8. Strab. *l.* 17. Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 76.

Quà vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.

Hinc qui crocodilos Romæ ex piscina in pegma visendos extraherent, retraherentque, non alii, quàm *Tentyritæ* fuêre, teste Strabone & Plinio. Iisdem bellum cum Ombitis, quibus in veneratione id animal erat, internecinum, Juvenali descriptum, *Sat.* 15. quo de, cùm populi hi duo longè à se invicem dissiti essent, quos Poëta tamen vicinos facit, vide judicium Salmasii *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 449. *& seqq.* Sed & de *Tentyritarum* κροκοδειλομαχίᾳ, cujus nullum hodie illis in locis vestigium, Sam. Bochartum, *Hierozoici Part. poster. p.* 775.

TENTYRA locus Thraciæ in ora contra Samothraciam insulam, cujus meminit Ovid. *l.* 1. *Trist. El.* 9. *v.* 21.

Saltus ab hâc contrà brevis est Tentyra petenti.

Ita quidem locus ille vulgò legi solet. Pro *Tentyra* verò (notante doctissimo Nic. Heinsiô) veteres plerique *Empira*, vel *Empyra*, Combianus autem pro diversâ lectione *Tempyra*, quomodo & duo alii, rectè. Liv. *l.* 38. *c.* 41. *Inde Æniorum fines, præter Apollinis, Zerinthium quem vocant incolæ, templum superant. Alia angustiæ circa Tempyra excipiunt, (hoc loco nomen est) non minus confragosæ.* Facessat ergo Ortelius, qui cum *Merula Stentora* emendandum censet. Populi *Tentyritæ*, qui accipitrem pro Deo colebant, & olfactu serpentes fugabant. *Nic. Lloydius.*

TENUIARIUS, in *vet. lapide Romæ*, M. CINCIUS. M. F. THEOPHILUS. VESTIARIUS. TENUIARIUS. In alio, MATTIUS. PATROBIUS. VESTIARIUS. TENUIARIUS. Vestiarii (quô nomine omnis vestium, institor vel confector vocatur) species est, cujus artificium in *tenuibus* vestibus conficiendis consistebat. Salmas. *ad Capitolin. Maximo & Balbino, c.* 5.

TENUPSIS, oppid. Nubæorum in Æthiopia sub Ægypto, Plin. *l.* 6. *c.* 30.

TENUS, apud Tertullian. *de Pallio, c.* 3. ubi de invento torquendi lanas & in fila deducendi ad eundem modum, quô priùs torquebantur restes ex philyra, *Mercurium*, inquit, *fortè palpati arietis mollitie delectatum, deglubâsse oviculam, dumque pertentat, & ——— tractu prosequente filum eliquat, in restis pristini modum, quem philyræ tenus junxerat, exisse*: ex Græco τεῖνω vel τείνω, dicitur, quidquid in longum ducitur & extenditur, unde fascias & laqueos propriè sic appellârunt. Idem enim τένος & τεῖνος, atque inde ταινία & ταινίδιον, *parva fascia*. Pro vinculo vel laqueo Plautus usurpat, *Bacchid. Actu* 4. *sc.* 6. *v.* 22.

Nunc ab transenna turdus lumbricum petit:
Pendebit hodie pulchrè, ita intendi tenus.

Atque hinc tenues etiam virgulas & festucas *tenos* dixêre, ut φιλύρεα Græci: minutas porrò ac tenues de virga præcisa tesseras, quibus ad sortiendum utebantur, in *L.* Frisonum, *tit.* 14. §. 1. *Tali de virga præcisi, quos tenos vocant.* Infrà, *tunc unusquisque illorum septem faciat suam sortem, i. e.* tenum *de virga & signet signo suo* &c. Ubi *tenus* est ξυλάριον, καρφίον, festuca & forticula lignea, unde καρφία βάλλειν, pro *sortes ducere*, apud Constantinum *de Imperio*. Agitur enim hic de ῥαβδομαντείᾳ, i. e. *divinatione per tenos* vel *virgas*, quam olim Scythis Herodotus, *l.* 4. Alanis Ammian. *l.* 31. Saxonibus Adamus Bremensis, *c.* 6. adscribunt. Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect.* 1. *c.* 29. Lindenbrogium, *ad Ammianum*, & *LL. Antiqq.* Delrium, *Disquis. Magic. l.* 4. *quæst.* 7. *sect.* 1. *n.* 1. Car. du Fresne *Glossar.* ubi in Concil. Autissiodor. ann. 578. *c.* 3. verbis illis, *Non licet -- ad sortes - quas de ligno aut de pane faciunt, aspicere.* hanc τεινομαντείαν indigitari censet &c. Salmas. *curtam festucam* vulgò Gallis id sortium genus appellari ait *Not. ad Tertulliani locum*, ubi plura hanc in rem.

TEORACIA Silva, ac Fania, altera alteri proxima, pagis itidem nomina dedêre, *la Tierasche* & *la Faigne*. Hic Avalle, ubi Carolomannus Normannos vicit, A. C. 882. *Avaux*, cum titulo Comitatus non procul ab urbe Remis: Fusniacum, Auriniacum, Monaster. S. Michaëlis, veterib. memorata. Hodieque plena silvis est *Teoracia* regiuncula, sed inter cæteras eminet illa, quæ Picardiam ab Hainoo dividens, sola meretur *Teoraciæ* nomen. Circa hanc sunt Monasterium Abbatiale S. Michaëlis, Iritio *Hierson*, Fusniacum, *Foisny*, vicus Fleo major & minor *le grand & le petit Floyon*, ut & Telomiæ in Hainoo castellum, *Trelon*. Eidem attribuuntur nunc Mons Cornutus *Moncornet*, Rosetum *Rosoy*, Ruminiacum, Albento *Aubanton*, Lefcheriæ *Leheries*, Auriniacum *Origni*, Strata ad pontem *Estreaupont*, Altaripa *Autrepe*, Gusia, Verbinum, & Capella *la Chapelle en Terasse*. Unus est hodie inter Ecclesiæ Laudunensis Archidiaconatus. Vide Hadr.. Valef. *Notit. Gall.*

TEORREGUM, vulgò TEORREGU, tractus parvus Biledulgeridiæ, versus confinium regni Tripolitani & regni Barcæ, Gramajus, & *Johan. Leo.*

TEOS, quæ TEJOS, Thucydidi, *Sufor* nunc *Theveto* & *Moletio*, urbs olim Episcopalis sub Archiepiscopo Ephesino, & portus Ioniæ in ora litorali inter Erythras ad Boream & Colophonem ad Austrum Anacreontis, & Erinnæ poëtricæ patria, licèt alii *Teium* Anacreontis patriam scribunt. Hinc *Teius* adject. Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 17. *v.* 18.

——— Et fide Teiâ
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.

De Colonia eorum, Abdera, vide suprà. Est alia in Scythia, de quâ fis *Stephanum* consulas.

TEPHENE, Palæstinæ toparchia. Plin. *l.* 5. *c.* 14.

TEPHLIS, *Cedreno Tiphlis Curopalati*, urbs Mediæ, seu potius Armeniæ majoris in Georgianis, munitissima, ubi diu Turcarum præsidium fuit; sed nostrâ tempestate à Persis recuperata est. *Artaxata* veteribus dicta putatur.

* TEPULA Aqua, urbis Romæ. Plin. *l.* 36. *c.* 5. etiam *Julia* vocatur apud *Florentinum*.

TER dejecisse, in Lucta veteri adversarium, vicisse erat, quod τριάξαι & ἀποτριάξαι Græci dixêre. *Pollux*, ἐπὶ δὲ τοῦ ἐκβάλλειν ἀποτριάξαι λέγεται. Ubi ἀποτριάξαι non solùm est, τρεῖς πληγὰς δοῦναι, *tres plagas infligere*, uti vocem exponit *Hesychius*, sed *ter dejicere*, aut tres ictus infligere, quos adversarium prosternant & solo allidant, uti docet Salmas. *ad Solin. p.* 291. plura vide suprà in verbo *Cadere*: item voce *Cursus*, uti de *ter lustratis qui funeri interant*, suprà, ubi de *Cremandi eadem consuetudine*, de jure Parentum *ter vendendi liberos*, apud Romanos, infrà *vendendi liberos jus*.

TERACATRIÆ, campi German. juxta Danubium, *Ptol. Kungwiser*, & *Marchfelder* dicit *Lazius* eos hodie vocari.

TERAPHIM, memorari Genes. *c.* 31. *v.* 19. *Furata est Rachel* Teraphim *Patris sui*: & alibi; ut videbitur, vox est Hebr. à singul.

gul. תרף *Taraph*, quod in genere significat *perfectam viri imaginem*, ut 1. Sam. c. 19. v. 13. *Michal verò assumptam quandam imaginem* (Hebr. Teraphim) *imposuit lecto & caprinum pulvinar cervicali ejus.* In specie *Idolum, cui domus credita tutela*, quales apud Romanos Dii Penates ac Lares erant; Cujusmodi videntur fuisse illi, de quibus Genes. *locô cit.* item, quorum mentio Judicum c. 17. v. 5. ubi Micha dicitur habuisse *ædem Deorum, & factô amiculô ac imaginibus consecrâsse ministerium unius è filiis suis* &c. Vide quoque c. 18. v. 17. 18. 20. ubi vox illa in Hebræa lingua similiter usurpatur. Figuram habuisse *humanam*, videtur colligi posse ex *loco* Sam. *cit.* Angelorum fuisse symbola, vel iis consecratos, in quos sese Angeli insinuantes responsa darent, quidam inde arguunt, quod levi mutatione ex *Seraphim* vox *Teraphim* orta videtur. Certè à *sculptili & fusili* Micæ distinguuntur, Judic. c. *cit.* Unde quoque patet, Micham in suis *Teraphim* voluisse colere Deum Israëlis. Sic enim is, v. 13. *Nunc novi Jehovam esse benefacturum mihi: eò quod est mihi Levita hic in Sacerdotem.* Credebant nempe miseri illi, in *Teraphim* habitare Deos & ex iis Oracula fundere, Ezechiel. c. 21. v. 21. vel 26. quibus certis ritibus fuêre dedicati: unde & in Judicum loco Eruditi *Sculptile & Fusile*, Micæ Numen fuisse ajunt, cui *Teraphim* dicati. Alii tamen hisce imaginibus Cherubinos Tabernaculi à Mica adumbratos intelligunt: vel si hi jam per *Sculptile & Fusile* repræsentati, aliud quiddam *Teraphim* fuerint, ad Oraculum eliciendum adhibitum, ut præter Genes. *locum*, videre est apud Hoseam, c. 3. v. 4. *Nam diebus multis desidebunt Israelitæ, nullô Rege nulloque Principe, & nullô sacrificio, ac nullô statutô, nullô denique amiculô aut* (Teraphim) *imaginibus.* Ubi quòd vox *Teraphim* amiculo seu *Ephod* jungitur, ad cultum Pontificis Max. sacrum, Deum consultum euntis, pertinuisse, sunt qui credant: Superstitione postmodum usum hunc in abusum vertente. Namque eô fine imagines has usurpatas, ut Deus per illas consuleretur, clarè patet ex Judicum, c. 18. v. 5. *Consule Deum quæsumus.* Neque aliô fine Rachel *Teraphim* Patris furata nonnullis creditur, quàm ne, illis in consilium adhibitis, de Jacobi fuga is admoneretur. Modum conficiendi Idola hæc, talem fuisse legimus apud Rabbinos: *Occidebatur vir, qui primogenitus esset Parentum suorum, ejusque caput à trunco revulsum sale ac aromatibus condiebatur; dein lamina aurea, cui nomen Dæmonis inscriptum, sub capite in pariete constituto ponebatur, sicque idolum religiosè colebatur.* Interim imaginem, quâ Michal usa, integri hominis figuram habuisse vidimus. Ut autem *Teraphim* ad vaticinandum fierent apti, Astrologorum monitu, certô stellarum situ observatô, ut inde receptô influxu effari discerent, fieri consuevisse, monet Aben Ezra ad Genes. *loc. cit.* Imò & figuram illorum habuisse siderum, quibus idola hæc consecrata erant, observant nonnulli. Imprimis autem consulebantur, de rebus agendis vel omittendis; quam vanitatem ridet Propheta Zacharias c. 10. v. 2. *Nam* (Teraphim) *imagines loquuntur vanitatem* &c. Nec omittendum, locô sæpius laudatô Geneseos primam Idololatriæ mentionem his verbis fieri, licèt ea jam priùs in Mundo esset, sine dubio ab ipsis Caini temporibus, vide Franc. Burmannum, *Explicat. & Medit. in loca cit.* A voce verò *Taraph*, seu, ut alii legunt, *Tharaph*, θρησκεύειν Græcorum, i. e. *colere, venerari*, originem habet: Quô sensu verbum hoc usurpat Hesiodus, Ἔργ. καὶ Ἡμέρ. v. 133.

——— Οὐδ' ἀθανάτους θρησκεύειν
Ἤθελον.

Vide Thomam Godwyn. *de Ritibus Hebr.* l. 4. c. 9. & infrà *Theraphim*.

TERAPNÆ, vide *Therapnæ* & *Theramnæ*.

TERAPSA, insul. non magna juxta Carthaginem. *Steph.*

TERBETIA, urbs Siciliæ. *Steph.*

TERCATUM, sive TRECATUM, oppid. agri Novariensis, ex præcipuis Orobiorum habitatum, *Treca* vulgò, quasi tres casæ. 5. pass. mill. à Novaria, Viglebanum versus.

TERCERA, vide *Tertiaria*.

TERCHIUM, vulgò TERCHI, urbs Asiæ, prope mare Caspium, in limite Georgiæ; in ditione M. Moscoviæ Ducis. *Olear.*

TERDONA, vide *Dertona*.

TEREBINTHUS, arbor in Syria frequens, pluribus describitur Plinio, *l.* 13. *c.* 6. fructu, lignô, resinâ utilis. Est autem fructus ejus balsami fructui non absimilis, ut & semen, quô proin balsami semen adulteratum olim; edulis Dioscoridi, qui unum ejus genus facit, Theophrastô duo genera, alterum φακοειδῆ, alterum κυαμοειδῆ, statuente. Et quidem Persarum Reges, inter alios Regni ineundi ritus, *terebinthum* gustâsse, habet Alex. *Gen. Dier.* l. 1. c. 28. Lignum quod spississimum ac nigrum adeò, ut vel ebenum ipsam nigredine superet, ad manubria cultellorum adhiberi consuevit. Ex eodem tornabantur pocula thericlea, quæ à fictilibus dignosci non poterant. Vide infrà ubi de *Thericle*. Etiam laminæ lectorum inde conficiebantur sectiles, in quibus glutinandis lignum vilius iis operiebatur uti de citro quoque & acere, ebore item ac cornu lectili fiebat. Tabulam lusoriam ex eodem ligno habes infrà, ubi de *Tesseris*. Solebat autem oleô in hunc finem ungi, hôc enim pactô pulchrius nitidiusque evadebat. Plin. idem, *l.* 16. *c.* 40. *Omnium hæc sola ungi vult, meliorque oleô fit.* Postmodum cùm *testudo in hoc secta — principatuque Neronis inventum esset ut pigmentis perderetur, imitata lignum*, ut apud eundem legas, *ibid.* c. 43. hujus colore testudo potissimum cœpit pingi. Ita enim sequitur, *Sic lectis pretia quæruntur, sic* terebinthum *vinci juvat.* Nempe testudo terebinthini ligni colore picta terebinthum ipsam vincebat, uti eadem citri instar picta, facticium erat citrum, verô citrô pretiosius &c. Resina ex *terebinthis* Petræ Arabicæ optima, estque & semen *terebinthi* ἰνώδης ac jucundi odoris. Incidebatur autem in terebintho, ad desudandam resinam, non codex tantùm detractô cortice, ut in abiete, picea, pinu, sed & rami; è quibus tamen manabat illa parciùs, & minus pretiosa, quàm ex caudice &c. Quam in rem, ut & plura de hac arbore, vide apud Salmas. *ad Solin.* passim, inprimis *p.* 417. 502. 529. 1041. 1291. & *seqq.* uti de *nucibus terebinthinis*, inter alia munera, Josepho à Jacobo Patre missis, Genes. c. 43. v. 11.

TEREBRA, ex Græco τέρετρον, cujus mentio in *Epigr. veter.* de Instrumentis fabrilibus,

Τρύπανα, τ' ἀδέλητα, καὶ εὐάκτα τέρετρα.

Ubi τρύπανα, *furfuracula*, seu *perforacula* τέρετρα, *terebræ* sunt. Inter Dædali inventa, Plin *l.* 7. *c.* 56. qui idem *terebris vaginas ex oleastro, buxo ilice, ulmo, fraxino, utilissimas fieri*, docet, *l.* 16. *c.* 43. cui de oleastro præivit Theophrastus, *Hist.* l. 5. c. 9. Usus in bello quoque: Ita enim cùm Henricus III. Petri Hungar. Regis ab Andrea excæcati mortem ulturus, Posonium obsideret, Zothmundus quidam, nandi peritissimus, intempestâ nocte clam hostium naves subiisse, sensimque eas tenui *terebrô* perfodisse, ut secundâ ac tertiâ die imô desidere cœperint atque Imperator obsidionem solvere fuerit coactus, legitur, apud Bonfinium, *l.* 2. *Dec.* 2. Item in re igniaria Veter. ut vidimus suprà voce *Pyreum*.

TEREBS vel TEREBUS, fluv. Hispaniæ Taraconens. in mare Ibericum inter Carthaginem novam & Alonas influens, qui idem cum Tadero Plinii esse videtur. Vide *ibi*.

TEREDO, inter species vermium, in ligno nascentium, memoratur, Theophrasto, *Hist.* l. 5. c. 5. Ἐσθίεται δὲ τὰ μὲν ἐν τῇ θαλάττῃ σηπόμενα ὑπὸ τερηδόνος, τὰ δ' ἐν τῇ γῇ ὑπὸ σκώληκος καὶ θριπός· οὐ γὰρ γίνεται τερηδὼν, ἀλλ' ἢ ἐν τῇ θαλάττῃ· ἔστι δὲ ἡ τερηδὼν τῷ μὲν μεγέθει μικρὸν, κεφαλὴν δὲ μεγάλην, καὶ ὀδόντας &c. Unde sumpta hæc Plinii, licèt nonnihil diversa, *l.* 16. *c.* 41. *Infestantium* (ligna) *quatuor genera. Teredines, capite ad portionem gravissimô, rodunt dentibus. Hæ tantùm in mari sentiuntur, nec aliam putant* teredinem *propriè dici. Terrestres tineas vocant*, & quæ seqq. Ad quam utriusque *teredinem* pertinent hæc Poëtæ, *de Ponto*, l. 1. *Ep.* 1. v. 69.

Estur ut occultâ vitiata teredine *navis.*

Alii solùm dicunt *teredinem* in ligno generari, Plut. *Sympos.* l. 2. *Quæst.* 3. & *Hesychius*, quam proin generali epithetô ξυλοτρώκτην vocat *Suidas*. Vide Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte posterior.* l. 4. c. 27. ubi *de vermibus in plantis, ligno & cibis*. Cæterùm *ei natura dentes dedit ad robora, etiam cum sonitu, perforanda*, Plin. iterum, *l.* 11. *c.* 2. Verùm *nasci* illam, juxta reliquos lignorum hostes, *prohibet in aliis amaritudo, ut cupresso: in aliis duritia, ut buxo. Tradunt & abietem, circa germinationes decorticatam —— non corrumpi. Alexandri M. comites prodiderunt, in Tylo rubri maris insula arbores esse, ex quibus naves fiant, quas C. annis durantes inventas, & si mergerentur, incorruptas*, Idem, *l.* 16. *c. cit.* &c.

TEREDON, urbs ad sinum Persicum. *Ptol. Balsara Ortelio.* Hujus meminit Dionys. v. 982.

Τεύχεος ἀγχόθι Τερηδόνος ἐγγὺς ὀδεύων.

Ubi Scholiastes πόλιν Περσικὴν vocat. *Nic. Lloyd. Baudrando, Balsora* & *Bassora*, urbs Arabiæ felicis in ipso limite Arabiæ desertæ Emporium celebre, ubi Tigris & Euphrates confluunt, & in sinum Persicum se exonerant. A Babylone 15. dierum itinere; Ex quo Rex Persarum Armuzium expugnavit, solent Angli, Lusitani & Batavi merces Indicas huc advehere; Habitant in ejus viciniis plurimæ familiæ Sabborum Mendajorum, qui vulgò Christiani S. Joannis dicuntur. Antè sub Turcis, nunc sui juris. Vide P. de Valle, *Itin. tom.* 4.

TERENTIA, Ciceronis uxor, 103. vitæ annum explevit. Val. Max. *l.* 14. *c.* 8. Sed Plin. *l.* 7. *c.* 48. annos 117. vixisse tradit. Repudiata à Cicerone nupsit Sallustio, deinde Messalæ Corvino. Hieronymus contra Jovinianum: *Illa conjunx egregia, & quæ de fontibus Tullianis hauserit sapientiam, nupsit Sallustio inimico ejus, & tertio Messalæ Corvino, & quasi per quosdam gradus eloquentia devoluta est.* De hac flebiliter Tullius ipse, *ad Att.* l. 11. *Ep.* 16. *De Terentia*, inquit, *auditum ex Philotimo, eam sceleratè quædam facere.*

TERENTIA Æmylia, Scipionis Africani uxor, præter uxorum morem, cùm videret senem maritum ancillulam deperire, ne ejus dignitas imminueretur, retinuit, constantique animô pertulit: quin etiam eô mortuô, ad tollendam suspicionem, ancillam manumisit, libertoque suo in matrimonium collocavit. Vide *Supplement. Chron.*

TERENTIA Lex, C. *Terentium* Arsam Tribunum Pleb. auctorem habuit. Cùm enim Consules multa tyrannicè ac licenter agerent, quippe quorum Imperium nullis erat legibus circumscriptum, præfatus Terentius (post Leges Valerias de provocatione, quibus jam imminui cœperat Consulum potestas) legem tulit an. Urb. Cond. 291. L. Lucretiô Tricipitinô, T. Veturiô Geminô Cicurinô Consulib. *Ut Quinqueviri crearentur, Legibus de Consulari imperio scribendis, ne ipsi libidinem ac licentiam suam pro lege haberent.* Dionys. *l.* 3. ubi quidem non perlatam eam esse scribit: Interim fuisse causam creandis Decemviris Legibus scribendis Consulari potestate. Fuit & *Terentia* Cassia Lex, de re frumentaria, post Semproniam ac Liviam, lata à M. *Terentio* Varrone, Lucullo, C. Cassio Consulib. an. Urb. Cond. 680. *Uti frumenti alteræ decimæ à provinciis coëmerentur pretiô in singulos modios H. S. trium constitutô.* Item, *ut civitatibus æqualiter imperaretur, pretiô in singulos modios H. S. quatuor constitutô.* Cicer. *Verrinâ* 5. & 7. apud Rosin. *l.* 8. *Antiq. Rom.* c. 5. & 12. Eam Clodia excepit, an. Urb. Cond. 695.

TERENTIANUS, vir quidam, cui librum suum *de sublimi dicendi genere* dedicavit Dionys. Longinus. Utrum verò ille ipse fuerit, cujus hodieque libellus extat *de metris*, opus omni elegantiarum genere conditum, & amabili quâdam ingenii amœnitate temperatum res est quæsitu digna, inquit vir doctiss. Tan. Faber, *notis ad Longinum nuper editis*, & aliàs se quæsiturum promittit. Vide infrà.

TERENTIANUS, præfectus prætorianorum, sub Juliano Apostata, & Joviano. S. Johannem & S. Paulum in carcere clam occidi jussit, mentitus illos in exilium actos. Converso dein filio Terentiano, ipse similiter fidem amplexus, *Martyrum horum*, ut & *Ovini Gallicani*, qui Constantini gener fuit, *Historiam* scripsit. Vossius, *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 2. Ado *in Martyrologio.*

TERENTIANUS Maurus, Præfectus Syenes, in Ægypto. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 87. *v.* 6.

Tam longè est mihi, quàm Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenem.

Floruit sub Trajano: auctor *de arte Metrica*, vide Girald. *Dial.* 10. *Histor. Poët.* Voss. *de Poët. Lat. c.* 3. Vide suprà.

TERENTINA Tribus, cum Aniensi, reliquis Urbis Romæ Tribubus addita, à *Terento*, qui locus erat in Campo Martio, nomen videtur accepisse. Ejus meminit Cicer. *Orat. pro Plancio*: *Quas Tribus edidisti? Terentinam credo.* Et paulò post, *Prioribus Comitiis Aniensem à Polito, Terentinam à Plancio esse concessam.* Item Cœlius, *Epist. ad Cic. l.* 8. *Ep. ad Famil. M. Oppius M. F. Terentina.* Antepenultimam inter 35. Tribus eam ponit, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 19. De *Terentina* Lucerna, infrà.

TERENTIUS, Poëta Comicus, Carthagine natus, Terentii Lucani libertus, qui cùm esset egregiâ indole, à patrono eruditus, & libertate donatus, Comœdiæ egregiam rationem excogitavit, in dramatibus suis inimitabilis: Regula puritatis & elegantiarum Latini sermonis à Tullio habitus. Sic venit in amicitiam nobilium, maximè Lælii & Scipionis; quorum operâ adjutus in scribendo fertur ob elegantiam sermonis, teste Cicerone, cui adstipulatur etiam Varro. Quid quòd eandem ipse famam augere videtur, non enim nisi leviter se tutari conatur Prologô Adelphorum. Sex ejus Comœdias habemus. Obiit in Græciam profectus, An. 595. Urb. Cond. 2. Olymp. 155. *Hieron.* Et quidem eum in Arcadia quidam defunctum, Volcatius mari mersum scribit:

Sed ut Afer sex populo edidit Comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit: navim cùm semel
Conscendit, visus nunquam est: sic vitâ vacat.

Sueton. *in ejus vita.* Crinitus *de Poët.* Scaliger, *in Poët.* & Voss. *de Poët. Lat. p.* 9. *Nic. Lloydius.*

TERENTIUS Culeo, vel Culleo, senator Roman. captus à Carthaginensibus, redemptus est ab Africano majore, ac currum ejus cum pileo capiti imposito sequebatur. Liv. *l.* 30. *c.* 45. Hinc natus error apud quosdam, Terentium Comicum hunc esse putantes.

TERENTIUS Evocatus, secundum quosdam, percussor Galbæ. Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 41.

TERENTIUS Gentianus, Adriano Imperatori exosus, *eò vehementius, quòd à Senatu diligi videbat*, memoratur Spartiano *in Vita Adriani, c.* 23.

TERENTIUS Lentinus, Eques Romanus, falsi sub Nerone damnatus. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 40.

TERENTIUS Libo, Poëta, Fregellis natus. Voss. *de Poët. Lat. c.* 8. *p.* 86.

TERENTIUS, prænomine *Marcus*, Amicus Sejani, qui quòd constanter id, quod ei crimini dabatur, nempe familiaritatem cum Sejano, confessus erat; discrimini exemptus est; ejusque accusatores additis, quæ antea deliquerant, exsiliô aut morte multati sunt. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 8.

TERENTIUS Scaurus, Grammaticus, quem Gellius, *l.* 11. *c.* 15. dicit floruisse Adriani temporibus, ac librum de Cæsellii Vindicis Grammatici erroribus scripsisse. Vide & *Scaurus.*

TERENTIUS Varro, collega Æmilii Pauli post cladem Cannensem cum reliquiis exercitus Canusium se recepit. Cui Romam redeunti gratulatus est popul. Romanus, quòd de Rep. non desperâsset. *Plut.* Vide quoque *Varro*, & Varro *Atacinus*: it. voce *Cajus* & *Marcus.*

TERENTUS, locus in Campo Martio, haud procul à Capitolio, ubi templum Plutonis & Consi, araque sub terra Inferis dicata, sic à *terendo* dictus, quòd ibi Tyberis ripas rumpens, terram tereret. Ejus meminit Papinius, *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 18.

Aut instaurati peccavit ora Terenti.

Hinc *ludi Terentini*, qui & *Seculares.* Martial. *l.* 4. *Epigr.* 1. *v.* 7.

Hic colat ingenti redeuntia secula lustrô,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.

Nic. Lloydius. De hoc loco ita Val. Max. *l.* 2. *c.* 4. ex 5. *Quum ingenti, inquit, pestilentiâ Urbs antiqua agrique vastarentur, Valesius vir locuples, rusticæ vitæ, duobus filiis & filiâ ad desperationem usque Medicorum laborantibus, aquam calidam iis à foco petens, genibus nixus, Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, oravit. Orta deinde vox est, habiturum eos salvos, si continuò flumine Tiberis devectos* Terentum *portâsset, ibique ex Ditis Patris & Proserpinæ ara petitâ aquâ calidâ, quam illi desiderarent, recreâsset. Eò prædictô magnopere confusus, quòd & longa & periculosa navigatio imperabatur, spe tamen dubiâ præsentem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus detulit: Habitabat enim in villa sua, prope vicum Sabinæ regionis Heretum; ac lintre Ostiam petens, noctè concubiâ ad Martium Campum appulit; sitientibusque ægris succurrere cupiens, igne in navigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit haud procul apparere fumum & ab eo jussus egredi* Terentum *cupidè arreptô calice, aquam flumine haustam, eò, unde fumus erat obortus, jam lætior pertulit; divinitùs dati remedii quasi vestigia quædam in propinquo nactum se existimans: inque solo magis fumante, quàm ullas ignis habente reliquias, dum tenaciùs omen apprehendit, contractis levibus & quæ sors obtulerat, nutrimentis, pertinaci spiritu flammam evocavit, calfactamque aquam pueris bibendam dedit, quâ potatâ, salutari quiete sopiti, diutinâ vi morbi repentè sunt liberati: Patrique indicaverunt, vidisse se in somnis nescio à quo Deorum spongiâ corpora sua pertergi & præcipi, ut ad Ditis Patris & Proserpinæ aram, à qua potio ipsis fuerat allata, furvæ hostiæ immolarentur, lectisterniaque & ludi nocturni fierent. Is, qui eò loci nullam aram viderat, desiderari credens, ut à se exstrueretur, aram empturus in Urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratiâ terram ac solidum foderent: hi Domini imperium exsequentes, quum ad* 20. *pedum altitudinem humô egestâ pervenissent, animadverterunt aram* Diti. Patri. Proserpinæque. *inscriptam. Hoc postquam Valesius nuntiante servô accepit, omissô emendæ propositô, hostias nigras, Terenti immolavit: ludosque & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculô liberati erant, fecit. Cujus exemplum Valerius Publicola, qui primus Consul fuit, studio succurrendi civibus, secutus, apud eandem aram publicam nuncupatis votis cæsisque atris bobus, Diti maribus, fœminis Proserpinæ, lectisternioque ac ludis, trinoctio factis, aram terrâ, ut antè fuerat, obruit.* De quibus Ludis vide suprà in voce *Seculares.* Visum verò à Valesio fumum è terra aræ superjacente erumpentem, non aliunde, quàm ex lucerna prope aram ab antiquissimis temporibus ardente sive una, sive multiplici, sursum ascendisse, satis verisimile esse judicat Fortun. Licetus *de Lucernis Antiqq. l.* 3. *c.* 24. Plura de *Ludis* præfatis, & *Terento*, vide apud Politianum, *Miscellan. c.* 58.

TERENUTHIS, urbs Ægypti; *Steph.*

TERERE, de Torno signanter dictum. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 444.

Hinc radios trivere rotis. ---

i. e. tornavêre. Unde *Tritores*, *οἱ τορευταὶ*, vel *τορνευταὶ* & *tritum argentum* Phædro, *l.* 5. *Fab.* 2. *v.* 7. *τόρευμα.* Quin & verbum ipsum *tero*, ex Græco *τορῶ*, quod Æoles dicebant *τερῶ*: indeque *τορὸς* Æol. *τερὸς*, Latinè *teres*, quidquid politum & veluti tornô exactum esset. Aliàs *terere* omnium commune est, Tornatorum, Sculptorum, Cælatorum & Rasorum: possuntque Tornatores etiam *γλυπταὶ* dici, i. e. *Sculptores* seu *Cælatores*, non tamen vicissim. Illi namque exsculpunt quoque atque insculpunt ligna, at hi non tornant. Præterea strias & sulcos in ligno tornatili illi facere possunt, figuras & sigilla tornô exprimere, quod hi faciunt, non possunt. Sic & radunt tam Tornatores, quàm Rasores. Poëta,

—— *& torno rasile buxum.*

Aliud tamen propriè *ξύσαι* vel *ξέσαι*, *radere*, aliud *τορνεῦσαι*, *tornare*; uti ab utroque *γλύψαι* accuratè loquendo diversum est. Sed & *τορευταὶ* propriè *Cælatores*, uti *τορνευταὶ Tornatores* Hinc *in Glossis c. de argenteis*, ubi est *pocula tornata*, *ποτήρια τορευτὰ*, reponit Salmas. *τορνευτά.* Instrumentum indidem ferreum, quô *teruntur* ligna in torno, *τορνευτήρες* Græcis &c. Vide Auctorem modò laudatum *Exercit. Plinian. ad Solin. p.* 1045. Porrò autem *teruntur* & lapides, ut niteant; quod *σμήχειν*, item *σιλβῶσαι* Græci dixêre, unde *σιλβωταὶ* lapidum hujusmodi artifices: *λιθουργοὺς Dionysius.*

--- *ἢ χλωρὴ λιθουργοῖς ἐντορνεύεται ἴασπις.*

Quod Festus Avienus reddit,

—— *His glauca dehinc tornatur jaspis:*

impropriè, quia quæ tornô fiunt, etiam *teruntur*, ac lævigantur. Et quidem hodie adamante in minutissimum pulverem contritô cæteras gemmas poliunt Gemmarii, attenuantque: apud Veter. smiris eâdem fini adhibitus est, Cypriæ item & Armeniæ cotes &c. Idem *ibid. p.* 1101.

TERES, fil. Sitalcis, Thracum Regis ab Atheniensibus civitate donatus. Vide Aristoph. *Acharn. Act.* 1. *Sc.* 4.

TERES, formositatis vocabulum. *Petronius*,

Moles, teretes, *Deliaci manu recisi.*

Horatius, *Epod.* 11. *v.* 27.

Sed alius ardor, aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri, longam renodantis comam.

Catullus, *Epigr.* 62. *v.* 181.

Mitte brachiolum teres.

Sic Cæsari *teretia membra* ascribit Suetonius, *c.* 45. &c. Inprimis de cervice seu collo. Lucretius, *l.* 1. *v.* 35. ad Venerem,

Atque ita suspiciens tereti cervice repostam
Poscit amore avidos, inhians in te, Dea, visus.

Et Statius, *Achill. l.* 1. *v.* 605.

Ut verò à tereti *demisit Nebrida* collo.

In ea namque parte magna pars fœmineæ speciositatis. Unde Caligula, *Quoties uxoris vel amiculæ collum exoscularetur, addebat: Tam bona cervix, simul ac jussero, demetur*; apud Sueton. *c.* 33. ab hac inprimis corporis parte eas collaudans. Vide Caspar. Barthium, *Animadv. ad Statium, Theb. l.* 3. *v.* 263. Propriè autem *teres*, quòd ab Æolico *τερὸς*, ut dictum, quidquid politum ac veluti tornô exactum ac rotundatum est, *τὸ ἐπὶ μῆκος στρογγύλον*, *in oblongo rotundum*; quales aurium elenchi; unde Martialis pueros formosos *uniones* appellavit, *l.* 9. *Epigr.* 81. & *l.* 12. *Epigr.* 49. *v. ult.* quos *teretes* alii dixêre. Inde non ad corpus solùm, sed ad animam vox translata. Cicer. *qui teretes habent aures, intelligensque judicium.* Horatius de vito bono, *l.* 2. *Serm. Sat.* 7. *v.* 86.

--- *In*

——— *in seipso totus teres atque rotundus* &c.

Vide Salmas. *ad Solin. p.* 713.

TERESSA, Æolidis urb.

TEREUS, Rex Thracum, Martis ex Bistônide Nympha fil. qui, cùm Prognen, Pandionis Atheniensium regis filiam, uxorem duxisset, ejus etiam sororem Philomelam per speciem visendæ sororis abductam vitiavit, vitiatæque linguam præcidit, arctissimæque eam custodiæ inclusit. Quod facinus cùm illa indicare non posset, acu in tela depictum sorori suæ transmisit. Quâ re cognitâ, Progne ultionem in Orgiorum tempus differt: quô tempore matronis pluribus comitata, quæ Bacchantium ritu thyrsos & cornua gestabant, sororem carcere eripit, Bacchantisque habitu indutam in aulam perducit, ubi cum illa communicatô consiliô, Itym filium direptum dilacerat, patrique comedendum apponit. Quod cùm ille ex pueri capite, sub cœnæ finem in convivium allato, cognovisset; jamque strictô gladiô ad ultionem properaret, Progne mutata est in hirundinem, Philomela in avem sui nominis, Itys in Phasianum, Tereus autem in Upupam. Hanc fabulam multis versibus describit Ovid. *Met. l.* 6. Virg. *Ecl.* 6. *v.* 78.

Aut ut mutatos Terei narraverit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona parârit?

Martial. *l.* 4. *Epigr.* 49. *v.* 3.

Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos; aut cænam, crude Thyesta, tuam.

Idem, *l.* 14. *Epigr.* 75.

Flet Philomela nefas incesti Tereos ———

Stat. *l.* 12. *Theb. v.* 480.

——— *Et iniquam Terea clamant.*

Nic. Lloydius.

TERGA, desertum Nigritiæ. Aliter desertum *Hayr*, ab oppido primario.

TERGEDUM, Æthiopiæ sub Ægypto oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

TERGEMINA, Diana dicta est. Solet enim Luna in triplicem speciem sese convertere; aut quòd ipsa tres facies, seu tres vias, h. e. tria nomina in diversis locis habeat; est enim Luna in cœlo, Hecate apud inferos, sive Proserpina, Diana verò in terra seu sylvis vocatur. Horatius, *l.* 3. *Carm. Od.* 22. *v.* 1. *s.*

Montium custos, nemorumque virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho
Diva triformis.

Et Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 511.

——— *Tria virginis ora Dianæ.*

Incertus auctor:

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,
Ima, superna, feras, sceptrô, fulgore, sagittâ.

Nic. Lloydius. Sic *tergemini vigiles*, apud Ausonium, *Gripho Ternarii*,

——— *noctisque per umbras*
Tergemini vigiles ———

Ubi Scaliger, *cùm sint quatuor vigiliæ, in singulis ternos vigiles*, hic intelligendos censens, duodecim vigiles constituit. Bochartus verò Poëtam Christianum Hebræos vetustiores, apud quos non nisi tres vigiliæ fuêre, sequi totidemque, nec plures, vigiles intelligere judicat. *Tergeminum* enim non nisi triplex, seu ternum. Ut, præter dicta, *trigemini in duobus exercitibus fratres*, apud Liv. *l.* 1. *c.* 24. de tribus Horatiis, totidemque Curiatiis; *tergeminus Geryon*, apud Virgilium, *Æn. l.* 8. *v.* 202. *tergemina via*, de trivio, apud Senecam, *Oedipo, Actu* 2. *v.* 278. *tergemini libri*, de tribus Sybillinis, apud Ausonium, *d. l. tergeminum caput* Cerberi apud Tibullum, *l.* 3. *El.* 4. *v.* 88. &c. Eôdem modô *quadrigemina*, de quaternis cerastarum corniculis, apud Plin. *l.* 8. *c.* 25. *septemgeminus*, de Nilo septem ostia habente, apud Catullum, ut plura omittam, quæ videre est apud præfatum Bochartum, *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 40.

TERGESTE, seu TERGESTUM, *Ptol.* & Melæ, *l.* 2. *c.* 3. & 4. colonia & urbs Carnorum, seu Histriæ in confinio maritimo ab Aquilejâ 25. mill. pass. in ortum; nunc Istriæ. *Baudrando* in ora maris Adriatici & infimo recessu Sinus Tergestini. Parva sed munita, sub Imperatore. Cum portu capaci, cui adjacet castrum *Euchi*; 33. mill. pass. ab Aquileja, 50. à Pola in Circium, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi. Hinc *Comitatus Tergestinus* tractus adjacens, sub Austriacis. Populi *Tergestini*. Hic *Tergestinus sinus*, qui & *Aquilejus* dicitur. Nunc *Golfo de Trieste*; intimus maris Hadriatici recessus, inter Carnos & Istros, seu inter Sontii fluv. ostia, in ora Foro-Julii & promontori. Albram, prope Umacum in ora Istriæ. *Tergestra* vocatur *Stephano*. Dionys. *v.* 380.

——— Τόδε τέρξας Ἀδρίας ἅλμα
Πόντου ἐς αἰγιαλοὺς Ἀκυληΐου ἔνθα τίνουσι
Ἄστυ Τεργέστινον, ... ἐπὶ πείρασι Πόντου.

Nic. Lloyd.

TERGIDUCTOR, officium militare apud Romanos, de quo vide aliquid infrà, voce *Vigil*, it. *Virga*. Οὐραγὸς Græcis.

TERGILANI, Lucanorum gens, Plin. *l.* 3. *c.* 11.

TERGIS, urbs Libyæ juxta Æthiopiam, *Steph.*

TERGOLAPE, vulgò *Lampach*, monasterium in Austria superiore ad Traunum fluv. inter Laciacum & Ovilabam, aliàs celebre oppid. 5. milliar. Germ. à Lintio in Merid.

TERGOVISTUS, seu TARGOVISCUM, incolis *Terwisch*, Gall. *Terve*, Ital. *Targovisco*, aliàs *Tirischam*, & *Taros*, sedes est Principis Valachiæ, ad Launizam fluv. vix 60. milliar. à Nicopoli in Boream.

TERGUM, an quia in in eo supini *terra* jacemus, an quia onere crebrò *teritur*, Græcè νῶτον est, de qua corporis humani parte diximus aliquid, in voce *Catomidiare*, item in *Catenio*, *Dorsum*, alibique. Paucis addo, *tergô* & capite etiam antiquissimis Romæ temporibus punitos fuisse, Legis Duiliæ violatores, uti diximus suprà, ubi de hac lege. Hodieque & fustibus virgisque & cauteriis obnoxium est. A' *tergo* verò, Parthi Persæque olim, jaculari avertisique sequentes hostes, perinde ac adversi, lædere consuevêre: qui mos Moscis, Turcis, Tartarisque etiamnum frequens est, Zuingerus, *Theatr. Vitæ Hum.* Eôdem gestu Veteres olim pyras, in quibus cadavera comburebantur, face admotâ accendisse, retro quoque vidimus. Porrò *post Terga* revinctis manibus in triumpho olim captivi Duces trahebantur. Quem ritum indigitat Seneca, *Troadibus*, *Actu* 1. *v.* 153.

Non assuetas ad sceptra manus
Post terga *dabit.*

Instar habes in duobus nummis antiquis Cæsaris, in quibus tropæum expressum, cum imagine sedentis supplicis, nudi & *post terga* ligati apud J. Frid. Gronov. *Not. in h. l.* Persas simili gestu, prostratis corporibus, Reges suos adorâsse, Lucian. *Navigiô* testis est. &c. Impropriè νῶτα θαλάσσης, apud Musæum & Nonnum: *terga* itidem vocat Virgilius, *Georg. l.* 1. *v.* 97.

——— *proscissô quæ suscitat æquore terga;*

i. e. summitas, superficies, planities. *Dorsum* eôdem sensu, dicit Statius, *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 31. ad quem locum vide Casp. Barthium, *Animadv.* ut & ad eundem Poëtam, *Thebaid. l.* 6. *v.* 795.

TERGUS, ab Æolico, τέργος, à τέρφος, propriè *corium* est ἀδέψητον *non confectum*, δέρμα, βύρσα, unde *terginum*, ὠμοβύρσινον sicut μασθλήματα, sunt *aluta* seu pelles confectæ. Neque enim de feris solùm, ut quibusdam placet, vox in usu est: nam & *tergora boum* dicuntur, & aliarum animantium, quæ feræ non sunt. De utrisque Plin. *l.* 11. *c.* 39. *Boum tergora, setas suum, obstare tenuitati immeantis spiritus* ——— *ceu verò non crocodilis & duritia tergoris tribuatur & solertia. Hippopotami corii crassitudo talis, ut inde tornentur hastæ, & tamen quædam ingenio medica diligentia. Elephantorum quoque tergora impenetrabiles cetras habent, cùm tamen omnium quadrupedum subtilitas animi præcipua perhibeatur illis* &c. Ubi quod de *tergore* crocodili habet, mirè confirmatur ipsius Dei verbis apud Hiobum, *c.* 41. *v.* 6. & *seqq. Tergum (ejus) est, ut laminæ scutorum, clausa arctô sigillô. Una alteri tam vicina est, ut ventus non ingrediatur* ——— *Appetentis eum gladius non consistet, neque lancea, telum ac spiculum. Reputat ferrum, ut paleam ac ut lignum putridum. Non fugat eum sagitta: In stipulam ei vertuntur lapides fundæ* &c. ad quem locum vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster.* ubi de *Leviathane*. Adde Salmas. *ad Solin. p.* 443. ubi inter alia, *cataphractam tergoris*, hanc squamatam crocodili cutem, eleganter & verè ab *Ammiano* appellari, notat. De ritu *in tergore bovis recens cæsi sedendi*, quod fidei ac protectionis sanctissimum olim apud Scythas sacramentum erat, diximus suprà. Vide quoque in voce *Corium*, item *Pellis*. Sed & *tergus* & *tergum* non rarò promiscuè sumpta, apud Veteres. *Terginum* verò, pro loro è tergo, i. e. corio crudo, occurrit apud Plautum, *Pseud. Actu* 1. *sc.* 2. *v.* 21. *Nunquam ædepol tergum vestrum durum erit, quam hoc terginum meum.* Et Lucilium,

Solvi, dum saivo tergô, & terginô, licet.

Dum enim quis loris cæditur, tam lorum, quàm tergum, cædendo disperit &c. Salmas. ubi suprà, *p.* 1006.

TERIAS, qui TYRIAS *Diodoro*, Siciliæ fluv. inter Amenanum & Simæthum apud Catanam urb. fluens. *La Jaretta*. Hodie *Fiume di S. Leonardo*, *Cluver. Briet.* vix mill. pass. à Leontinis labitur in valle Neerina, dein in mare Ionium se exonerat, 12. mill. pass. à Catana in Meridiem *Baudrand.*

TERIBAZUS, magni nominis apud Persas Purpuratus, nauticis copiis ab Artaxerxe, ad bellum Cyprium contra Euagoram, præpositus. Cùm jam in eo esset, ut Salaminem expugnaret, invidiâ Orontis, novarum rerum defertur, apud Artaxerxen revocatusque atque in vincula conjectus causam capitis dixit. Quomodo ab Oronte barbarâ calliditate in potestatem redactus sit, docet Polyæn. *l.* 7. *c.* 13.

TERIDATA, Mesopotamiæ urbs, *Ptolem.*

TERINA, urbs Italiæ in Brutiis, à Crotoniensibus condita *Nocera Barrio*, ad sinum Hipponiatem (qui & *Terinæus* Plinio, *l.* 3. *c.* 5. ex ea nominatur, vulgo *Golfo di S. Eufemia*) in Calabria citeriore à Consentia 16. mill. pass. ab Amantia in Boream, 8. apud ostia Ocinari, sive Sabbati fluv. *Terina* etiam fluv. qui oppid. irrigat, appellatur, teste *Steph.* qui *Terinam* à Crotoniatis conditam scribit. In nummis legimus ΤΕΡΙΝΑΙΩΝ, it. ΑΧΕΡΟΝΤΑΝ, quia enim intus in peninsula fluv. Acheron, inde oppidani *Acherontini* quoque ex Plinio *l.* 3. *c.* 4. Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi de *Magna Græcia*.

TERIOLTES, ab Alexandro Parapamisadis præfectus, quem, cùm, provincialibus arguentibus, multa avarè ac superbè egisse cognôsset, interfici jussit. Curt. *l.* 9. *c.* 8.

TERIOLUM, vulgò *Tyrol*, oppid. aliàs Rhætiæ, nunc castrum tenue in colle, prope Athesim fluv. & Meranum oppid. ad radices Alpium Tridentinarum, aliàs caput Comitatus Tyrolensis, hine dicti.

dicti. Medium inter Oenipontem ad Boream & Tridentum ad Meridiem. 9. milliar. Germanic. utrinque. Sub Austriacis.

TERIRES, vicit Olympia, Olymp. 97. An. 1. Diod. *l.* 14.

TERIS, urbs. Polyænus ejus meminit, *l.* 2. *c.* 10. *in Cleandrida.* Sed *Terina* erat alia lectio & vera. Nam idem *Terinaos* gentiles inde habet; quos *Terina* quoque facit *Stephan.* Vide *Terina.*

TERIUM, Pieriæ urbs in Macedonia. Polyb. *l.* 4.

TERLUINUM, seu *Teloniæ* Hermanno, *l.* 3. *de mir. S. Mariæ Laudun.* vicus seu castrum Galliæ Belgicæ nunc *Treslon*, in Hainoo, inter Cimacum, & Avesnas, in sylva maxima diœceseos Lauduuensis, Terrascea vel Teoracia: dirutum ab Henrico II. Galliæ Rege. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TERMANTIA, seu TERMES, *Ptol.* oppid. Hispaniæ Tarraconensis in Arevacis, apud Durium fluv. excisum *Nuestra Senora de Tiermes* adhuc nominatur, teste *Morali*, apud Uxamam urbem. Populi *Termestini* Tacito, *l.* 4. *Annal. c.* 45.

TERMELA, vel TERMERA, urbs Lyciæ, à *Termero* dicta. Vide *Steph.*

TERMERIUM, promuntor. Myndiorum in Caria.

TERMES, vide *Termantia.* Hic Lucius Piso, Prætor Hispaniæ citerioris ob nimia tributa, ab Agricola Termestino confoditur, circa A. C. 20. qui nullis tormentis, ut socios proderet, potuit adigi.

TERMESSUS, fluv. Arcadiæ. Pausan. *l.* 9. *In Helicone, quà itur ad Musarum lucum, ad lævam fons est Aganippe. Filiam Aganippen* Termessi *fuisse dicunt. Circumfluit Termessus.* Strabo aliique *Permessum* vocant: qua de re vide Barthium, *ad Statii Theb. l.* 7. *v.* 283.

TERMESUS, vide *Termissus.*

TERMES, Asiæ minoris mons, Olympi radicibus junctus, Plin. *l.* 5. *c.* 29. *extr.*

TERMILE, mons Lyciæ. Vide *Tremile.*

TERMINALIA, festa à Romanis Termino Deo nuncupata; quem Numa Pompilius, cùm cum finitimis agri terminos constituisset, in finibus, tanquam horum præsidem, amicitiæque ac pacis custodem, posuit, Plut. *in Probl.* 13. Horum vice Angli, ex vetustissima consuetudine parochiarum terminos lustrant: Hodie *Processiones*, & *Rogationes* appellantur. Vide Henr. Spelmann. *Gloss. Archæol.* Eorum quoque meminit Dionys. *l.* 2. ubi cum multa de *Terminis* Deis verba fecisset, tandem ita concludit: *Nam Deos putant* Terminos *eisque Sacra faciunt, non hostias cædentes, quòd nefas sit cruentari hos lapides, sed liba Cerealia, frugumque offerentes primitias.* Celebrata sunt d. 22. Febr. magnâ rusticorum solennitate, sed variatô pro seculorum ratione cultu; quippe cùm Numa nihil animatum ei immolari vellet Deo, uti dictum, posteà tamen ea sacrificandi ratio mutata est & Termino non minùs ac reliquis Diis, hostia cæsa, Cicer. *Philipp.* 12. Alii: quæ vel porca fuit, ut docet Ovid. *l.* 2. *Fastor. v.* 656.

Nec queritur, lactens, cùm sibi porca datur.

Aut agnus, idem *ibid. v.* 655.

Spargitur & cæso communis Terminus agno,

Et Horat. *l. Epod.* Ode 2. *v.* 59.

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Fiebat id sacrum sub dio, Servius, *ad Æn. l.* 9. *v.* 446. ingens enim & patulum in Termini templis omnibus fuisse foramen, notum. Obvius haud omnibus de *Terminalibus* locus est Livii, *Dec.* 5. *l.* 3. *Hôc annô intercalatum est, tertiô die post Terminalia: Kalendæ intercalares fuerunt*: quem diligenter & eruditè discutit Marcellus Donatus Poncenus *in Scholiis suis*, è quibus totam intercalandi rationem ac methodum percipere non erit difficile. Vide Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 4. *c.* 6. *& infrà.*

TERMINALIS, Jupiter cui termini agrorum sacri erant, Romanis dictus est. Ita enim Dionys. Halicarn. *l.* 2. *Ut Romani contenti propriis aliena non concupiscerent, Numa lege cavit, de terminandis prædiis. Cùm enim unumquemque jussisset agrum suum circumscribere ac in finibus statuere lapides, hos sacros esse* Jovi Terminali *voluit, jussitque, ut quotannis statô die res divina eo in loco, in paganorum cœtu, fieret, sacratô cumprimis nobili festô in honorem Deorum, qui terminis tutelares præsunt. Id Romani vocant* Terminalia, *sicut lapides ipsos* Terminos, *quos nostri variante unâ literâ* Termonas: *quos si quis transferre ausus fuisset, aut tollere,* Lege Terminali *caput ejus his Diis devovit, interfectori ipsius tanquam sacrilegi impunitate promissâ & puritate à scelere. Nec de privatorum tantùm agris hoc jus sanxit, verùm etiam de publicis* &c. Neque verò *lapides* solùm *Terminales* reperimus apud Antiquos; sed & *Arbores Terminales*, apud Paulum JC. *Receptar. Sent. l.* 5. *tit.* 22. & indiscretè, *arbores lapidesve Terminales*, apud JC. *legg.* 1. 3. *ff. de Term. moto.* Signatè Ovid. *Fast. l.* 2. *v.* 641.

Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis sic quoque Numen habes.

Et ex ejus imitatione Tibullus, *l.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 11.

Nam veneror, seu stipes habet defossus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.

Frequentius tamen lapide terminatos fuisse agros, docet idem *Eleg.* 3. *l. ejusd.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 20. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempsteri, suprà voce *Silvanus*, qui primus in terra lapidem finalem posuisse olim creditus est, hincque *Terminalis* quoque nomen accepit, ut & hic *infrà.*

TERMINARII, in Eccles. Roman. dicuntur apud Ordines Mendicantes, qui habendis per agros cuique Conventui addictos concionibus destinantur. *Habent enim singuli Ordinum istorum Conventus descriptos circumjecti territorii pagos, intra quos duntaxat eleemosynas colligere liceat, ne cum jactura charitatis & periculo scandali, mutuis officiant commodis*, Car. du Fresne *Glossar.* At *Terminator*, Officialis est in Ecclesia Panormitana, Agrigentina, aliis, qui aliter *Magister Ceremoniarum* dictus *invigilat, ut in celebrandis sacrificiis, officiisque recitandis, unanimiter procedant Sacerdotes & Clerus, quale item sacrum & officium sit recitandum, edicit*, Rocchus Pirrus *Tom. I. p.* 210. laudatus eidem qui *Terminatorem* veste uti violaceâ addit. Ipsum officium *Terminatio* appellatur, in *Charta* Friderici II. Imperatoris an 1211. pro Eccles. Panormitana. *Et quatuor beneficia, videlicet Cantoriam & Thesaurariam, Subcantoriam & Terminationem* &c. apud Rocchum modò dictum *Tom. I. p.* 244.

TERMINUS, Dei locô habitus est, quòd, post Saturnum exactum, cædes ac lites rusticorum dividendis agris sustulisset. Sacrificabant ei mense Februar. in æde, quâ super eum foramen in tecto patebat, quòd nefas esse putarent Terminum intra tecta consistere. Numa Pompilius, secundus Romanorum Rex, cùm publicum agrum Populo Romano & privatum certis limitibus, terminisque definivisset, sacellum erexisse Termino traditur, in colle Tarpejo: cui nihil animatum sacrificaretur, sed liba tantùm, pultes, & frugum primitiæ. Saxum verò fuit hic Deus, unde & termini agrorum tales fuerunt, licèt & posteà stipes & arbor & tegula etiam pro termino posita. Existimat Lactantius in *primo*, *c.* 20. *Terminum* eum fuisse lapidem, quem pro Jove devoravit Saturnus, quem Græci *βαίτυλον* vocant, *Abadir* Latini, ut Priscianus & alii scribunt. De hoc extat lepidum ænigma apud Agellium, quòd Jovi solus omnium Deorum cedere noluerit, *l.* 12. *c.* 6.

Semel minusne, an bis minus sit, non sat scio,
An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier,
Jovi ipsi regi noluit concedere.

Festa ejus dicuntur *Terminalia.* Horat. *Epod.* Od. 2. *v.* 59.

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Ovid. *l.* 2. *Fast. v.* 655.

Spargitur & cæso communis Terminus agno:
Nec queritur, lactens cùm sibi porca datur.
Conveniunt, celebrantque dapes vicinia simplex;
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.
Tu populos urbesque, & regna ingentia finis:
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est: nullô corrumperis aurô:
Legitimâ servas credita rura fide.

Hinc Erasmi Symbolum: *Cedo nulli. Nic. Lloydius.* Cæterùm, inter antiquissimos Romanorum Deos fuisse habitum, loquuntur Legg. Regiarum fragmenta, à Viris doctis digesta, & argumento liquido est, nullum Deum priùs illô, ex Legum præscripto, cultum, vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 6. Nomen ejus *à terminando* desumptum, Græcâ origine. Xenoph. *de Laced. Rep.* Τῷ τέρματι τοῦ βίου τὴν κρίσιν ἀπέδωκε, *Judicium retulit ad finem vitæ.* Statua illi erecta erat, quadratô lapide vel stipite dedolatô, unctô, coronatô. Arnob. *contra Gentes, l.* 1. *Venerabar (ô cæcitas) nuper simulachra, modò ex fornacibus prompta, incudibus Deos & malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus tænias; si quando conspexeram lubricatum lapidem & ex olivi unguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar.* L. Appulejus, *Floridorum, l.* 1. *Vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Et *Apolog. l.* 1. *Negant se vidisse aut lapidem unctum, aut ramum coronatum in finibus ejus.* Similiter Siculus Flaccus, *l. de conditionibus agr. Cùm terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant, proximè ea loca quibus fossis factis defixuri eos erant & unguentô velaminibusque & coronis eos coronabant.* Plura vide apud Minucium Felicem *Octav.* Clementem Alex. *l.* 7. *Strom.* & *in Protrept.* Lucianum, *in Charonte* Petr. inprimis Colvium, *in Appuleji locum cit.* In eodem Poëtæ frequentes: inter quos Prudentius, *in Symm. l.* 2. *v.* 1005.

——— *Vel lapis illic*
Si stetit antiquus, quem cingere sueverat error
Fasceolis.

Et T. Lucretius Carus, *l.* 5. *v.* 1197.

——— *Velatum sæpe videri*
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras &c.

Coluerunt autem Romani *Terminum* in Capitolio inprimis, ubi cùm Tarquinius Superbus templum amplissimum Jovi Opt. Max. exstruere vellet & propterea omnium aliorum Deorum ædes exaugurarer, *Terminus* & Juventus ei cedere noluerunt, uti discimus ex Livio, *l.* 5. *c.* 54. Dionysio Halicarn. *l.* 2. Lactantio *de falsa religione l.* 1. *c.* 20. Augustino, *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 23. Aliis. Unde ænigma apud A. Gellium, *l.* 12. *c.* 6.

Semel minusne, an bis minus, non sat scio:
An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier,
Iovi ipsi Regi noluit concedere.

Et Poëta *alibi* propterea

——— *Capitoli immobile saxum*

vocat. De sacrificio ei offerri solito, diximus suprà in *Terminalia*: quod festum incidebat in 7. Kal. Martias, Vide de Termini sacris Justum Ryequium. *de Capitolio Rom. c.* 14. Sacra autem, præter alia loca, acta in via Laurentina, intra quintum & sextum ab urbe lapidem, quòd illi essent antiqui agri Romani *termini*, ut testatur Strabo, *l.* 5.

ubi

ubi inter alia Sacerdotes facrificium eo in loco peragere, quòd *Ambarvalia* appelletur, refert. Ovidius verò *Fastor. l.* 2. tertium ab Urbe lapidem fuisse dicit, vide Anton. Thysium JCtum, *Notis in A. Gellium, l.* 12. *c.* 6. Quod verò à *Termini* facris omnem fanguinem abesse voluit Numa, significare hôc modô voluisse, ad quietem & certam pacem nihil utilius esse, quàm fuis se finibus tenere, docet H. Grotius, *de Jure Belli & Pacis, l.* 3. *c.* 15. §. 7. Ejusdem imagine Erasmum Roter. signare consuevisse, cum lemmate prædicto, refert Muretus, apud Jo. Kirchmannum, *de Annulis, c.* 11. Nec omittendum, quòd ad Christianos quoque priscæ superstitionis Deo huic sacra facientis stricturas exiluisse legimus, apud Burcardum, *l.* 8. *c.* 94. *Vel si aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides faciat, vel ibi candelam, seu quodlibet munus deferat, velut ibi quoddam Numen sit.* Quos *sacularum accensores* appellatos hinc esse, Car. Macer. ait in *Hierolex.* &c. Hactenus de Deo *Termino*: Agrorum *terminos* seu limites quod attinet, olim nulli. Seneca, *Hippolytô, Actu* 2. *Sc.* 2. *v.* 528.

——— Nullus in campo sacer
Divisit agros arbiter populis lapis,

Tibullus, *l.* 1. *Eleg.* 3. *v.* 43.

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arva lapis.

Posteà Numa, ut dictum, finibus agros quà publicos, quà privatos accuratiùs *terminisque* distinxit, quod alii post exactum statim Saturnum factum fuisse contendunt: & quidquid ob servationem finium in agro operâ manuum factum est, *Limes* nonnullis auctore Aggenô Urbicô est appellatum. Quorum ponendorum ritum, sic describit Siculus Flaccus, *loco cit.* *Cùm terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant proximè ea loca, quibus fossis defixuri eos erant & unguentô velaminibusque & coronis eos coronabant: In fossis autem, quibus impositiuri erant, sacrificiô factô hostiâque immaculatâ cæsâ, facibus ardentibus in fossa cooperti, sanguinem instillabant, eoque fruges & thura jactabant: favos quoque & vinum aliaque quibus ea consuetudo erat terminis sacrum fieri, adjiciebant, consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides conlocabant, atque ita diligenti curâ confirmabant.* Figuram eleganter expressit Andr. Alciatus JC. *Emblem.* 157.

Quadratum infoditur firmissima tessera signum,
Stat curvata super pectore imago tenus:
Et sese nulli profitetur cedere, talis
Terminus *est.*

Propriè verò aliud *limes* olim, aliud *terminus*. Limites enim terminis distinguebantur, solique agri assignati continebantur limitibus. Hodie nullus ager limitatur, sed omnes terminantur, sicque omnis ager jam eâ conditione est, quâ Veter. arcifinius fuit, nullâ videl. mensurâ, nec ullis limitibus clausus, sed montibus aut viis, aut rivis, aut fossis, aut aquarum divergiis, aut arboribus antemissis, aut quodam culturæ discrimine, terminatus. Agri verò privatorum invicem separantur lapidibus &c. Includebant autem apud Veteres centurias limites, per actus divisas ac in singulas centurias *lapides* ponebantur *terminales*, qui invicem distabant ped. II CCCC. si centuriæ 200. tantùm jugeris constarent: at in singulos actus pali defigebantur, pedes 120. à se invicem distantes, quæ unius actus longitudo est. Salmas. *ad Solin. p.* 680. ubi rem Agrimensoriam Veterum accuratè persequitur. Sicut de *Terminis* plura congessit Car. Paschalius, *Coron. l.* 4. *c.* 4. Vide quoque suprà in voce *Confinia*. Addo saltem, *arcas finales* passim dictos esse veter. Romanorum terminos, quòd ex lapide in modum arcæ struerentur. Atque hæ arcæ nonnunquam tantùm finiendis agris inserviebant, ut plurimùm verò simul sepulchrales erant, unde & *sepulturæ finales*, & *monumentales termini*, & *memoriæ in fine constitutæ*, in libris Agrimensorum occurrunt passim. Certè & arcæ juxta sepulchra plerumque ponebantur, & in ipsis sepulchris aræ consecrabantur finales, solebantque hujusmodi arcæ sepulchrales arcuatô tectô concamerati, cujusmodi *termini*, ut & alterius, qui nil nisi terminabat, figuram ex Hygino expressam habes apud retro laudatum Salmas. *d. l. p.* 1206. Vide quoque aliquid supra, in voce *Area*. Apud eosdem porrò Romanos, Leges *terminorum* causâ latæ variæ sunt, de quibus hic *infrà*. Plura autem in hanc rem, præter Auctores præfatos, vide apud Angelum Politianum, *Miscellan. c.* 36. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 20. *l.* 4. *c.* 6. & *l.* 8. *c.* 11. *cum Paralipomenis* Th. Dempsteri, Casp. Barthium, *ad Statium*, Alios: ut & suprà *passim*. De *Termino*, in Ludis Veter. ubi consistebant cursores & quadrigæ, cursu legitimô peractô, quod *νύσσα* Græcis, vide suprà in voce *Calx*, item *Creta*, *Meta*, alibique: Antequam autem muris & sepimentis loca designata essent, stipes quernus aut quercus ipsa circumcisa, ne frondeteret ampliùs: vel ingens lapis, aut plures lapides iidem in statuam aut molem rotundam compositi, ejus vicem præstitêre: uti discimus ex Statio, *Theb. l.* 4. *v.* 351. ad quem vide Barthium modò dictum: plura apud Jac. Ouzelium, ad Minucium Fel. *p.* 13. & *seqq.* &c. uti de vitro confracto minutatimque contuso ac *Terminis* nonnunquam subdito, infrà voce *Vitrum*.

Leges de terminis seu limitibus rogatæ.

α. Numa Pompilius Legem tulit, *qui Terminum exarassit, ipse & boves sacri sunto*, Fest. Dionysius Halicarn. &c. β. T. Sempronius Gracchus Tribun. Plebis an. Urb. Cond. 620. P. Mutiô Scævolâ, L. Calpurniô Consulib. *Ut per actuarios limites populo jus eundi esset*, sanxit. Hyginus *libellô de limit. constit.* γ. Mamilia posteà, à C. Mamilio qui hinc *Limitanus* dictus, lata est, *quæ in finibus agrorum* 5. *aut* 6. *pedum latitudinem præscripsit*, quos usu capi vetabat. Cicer. *de LL. l.* 1. & *in Bruto*. Eâdem *singulos arbitros regendis finibus datos esse*, docet idem. δ. Cornelia Lex, L. Cornelii Sullæ Felicis; & Julia C. Julii Cæsaris Dictatorum, repetitio Semproniæ fuit. Hyginus ubi *suprà*. Præter has reperiuntur *in lib. Variorum Auctorum de agrorum conditionibus*, fragmenta aliquot legis Mamiliæ, Rosciæ, Peduceæ, Allienæ, Fabiæ, quæ, uti à Justo Lipsio annotata sunt, in opus suum transtulit Rosinus, *l.* 8. *c.* 11. *ubi multa addit de limitibus decumanis, cardinibus prorsis, transversis, maritimis, montanis, æstuariis, linearis aliisque huc spectantibus.*

TERMISSUS, Strabo, *Termessos* Ptolemæo, *Termesus* Livio, *l.* 38. *c.* 15. (vide *Telmissus*) urbs Pamphyliæ in Pisidia, inter Pergen ad Austrum, & Antiochiam ad Boream. Item fluvius Bœotiæ, Heliconem circumfluens.

TERMISUM, Hispaniæ oppid. amplissimum, Romanis semper infidum; quod T. Didius ex loco tuto in planitiem transtulit, jussis oppidanis sine munimentis habitare. Appianus in *Ibericis*. Fortè *Termes* Plinii, *l.* 5. *c.* 29. & *Termestini* Tacit. *Annal. l.* 4. *c.* 45. Quô loco nunc sacrarium Virginis matris cernitur, Tiermes nomine; ut habet *Joan. Mariana*.

TERMULÆ, urbs Capitanatæ provinc. in ora maris Adriatici Episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, ad ostia Tiferni fluv. in limite Aprutii citerioris 30. mill. pass. ab Anxano in Ortum, uti 22. à Tridento, 11. à Larina in Caciam. Vulgò *Termin*.

TERMUS, Sardiniæ fluv. *Ptolem.*

TERNARIUS Numerus, perfectionis symbolum. Ita enim Servius *ad illud Virg. Ecl.* 8. *v.* 75.

——— Numerô Deus impare gaudet.

Aut, inquit, *quemcunque Superorum, juxta Pythagoræos, qui ternarium numerum perfectum summo Deo assignant; à quo initium & medium & finis est: aut revera Hecaten dicit, cujus triplex potestas esse perhibetur: unde est Tria virginis ora Dianæ. Quamvis omnium propè Deorum potestas triplici signô ostendatur: ut, Jovis trifidum fulmen, Neptuni tridens, Plutonis canis triceps. Vel quod omnia ternariô continentur: ut Parcæ, Furiæ: Hercules etiam trinoctiô conceptus: Musæ ternæ.* &c. Ubi mirum, de Gratiis præteriri; de Musis adferri, quæ novenæ. Sed & hæ primis ternæ, & apud Servium *ter ternæ* rescribendum putat Vossius, *de idolol. l.* 2. *c.* 29. Hinc & in Sacris hôc numerô passim Gentiles usi, præcipuè in lustrationibus. Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 188.

Ter circùm accensos, cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos ———

Statius, Theb.

——— lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum, & stantes inclinant pulvere flammas.
Ter curvos urgêre sinus ———

Columella, *l.* 10.

Fœmina, quæ, justis tum demum operata, juventæ
Legibus obscœno manat pudibunda cruore,
Ter circum areolas & sepem ducitur horti &c.

Imò de Diis suis dixêre, *τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται*, *trifariam omnia divisa sunt*: quanquam ad fabulas suas traducant, Zoroastres quoque hanc trinitatem aliter intelligat, apud Plethonem *Scholiis ad Oracula Magica*. Quin & numerus hic juxta Pythagoræos, ut jam indigitatum, *πάντα ἐν τριάδι συνέχει*, *omnia humana complectitur.* Vide Aristotelem, *de Cælo l.* 1. *c.* 1. Marcianum Capellam, Porphyrium *Vitâ Pythagoræ*, Chalcidium *in Timæum*, A. Gellium, *l.* 1. *c.* 20. cum *Notis* Anton. Thysii JCti. Casp. Barthium, *ad Statium d. l.* Alios, ut & suprà in voce Ter.

TERNARIUS Nummus, seu *Ternio*, nummus aureus ternos simplices pendens, sub Heliogabalo in usu fuit. Æl. Lamprid. *in Alex. Severo, c.* 39. *Formas binarias, ternarias &c. quas Heliogabalus invenerat, resolvi præcepit, neque in usu cujusquam versari.* Vide *Notas* Salmasii.

TERNATA, Insula parva, una ex Moluccis propriè dictis, aromatum proventu dives: Vulgò *Ternate*. Anteà sub Rege proprio, dein sub Hispanis, tandem Batavis cessit; qui ibi aliquot habent arces, uti Gammalamnam & Malayum oppid. ubi hodieque commoratur Rex Ternatæ. Vix 2. mill. pass. à Tidore insula in Boream, 44 ab ora Occidentali Giloli insul. Vide *Molucca*.

TERNATUM, seu US, pagus Insubriæ, *Trina*, vel *Terna*, [illegible] lacum cognominem Verbano lacui propinquus, inter Mediolanum 30 & Angleriam 6. mill. pass.

TERNOBUM, seu US, *Nicet. Gregoræ Trinabum Laonico*, *Ternova*, urbs Mysiæ, in Thraciæ confinio, ad Hæmum, Bulgariæ metropolis, munitissima.

TERNODURUM, meliùs TORNODURUM, oppid. aliàs Lingonum, nunc tractus Senonensis, ad Armantionem fluv. cum titulo olim Vice-Comitatus, nunc Comitatus etiamnum Lingonensis est Diœcesis, 24 leuc. à Lingonibus in occasum Antissiodorum versus 8. Vulgò *Tonnerre*. Caput est pagi *Ternodorensis*, in quo ponuntur Ciconiæ *Cichees*, Anciacum *Ancy le Franc*, Rapariæ *Ravieres*, Marcomania, *Marmaigre*. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TERPANDER, Antissæus, sive Lesbius, poëta Lyricus, primus in lyra *Heptachordum & lyrici carminis canonem* scripsit; quanquam id Philemoni quidam adscribunt, *Suid.* Hujus famæ ac nominis maximi judicium patet, quòd Lacedæmonii seditione quâdam admoniti fuerint ab oraculo, ut ad Terpandrum mitterent, qui lyræ & poëseos dulcedine animos vulgi ac tumultus sedaret. Unde proverbium

apud Græcos, *Lesbius cantus*, pro dulci Musices concentu. Vixit Olympiade 33. Eusebius *in Chronolog.* Lil. Giraldus, &c. An idem cum eo, quem primùm τὰ Κάρνεια νικῆσαι, *in Carniis vicisse*, Hellanicus tradit apud Athenæum, *l.* 14. In catalogo autem Σταδιονικῶν cum Eusebianis edito, *p.* 217. *Olymp.* 26. Κάρνεια ἐτέθη πρῶτον ἐν Λακεδαίμονι κιθαρῳδῶν ἀγὼν *Carniorum festô primum introductum est certamen citharædicum.* Erat & is peregrinus, & à Lacedæmoniis, *qui, cùm essent literarum artiumque imperiti, quando opus erat, consulebant peregrinos*, Ælian. *Var. Histor. l.* 12. *c.* 50. accersitus. Ejus meminit Marmor Arundelianum, annô Atticô 381. monente *Marshamo.* Vide de festo præfato plura suprà, voce *Carnia.* De eodem Salmasius, *Terpander*, inquit, *antiquissimus* νόμων κιθαρῳδικῶν ποιητὴς, *nomos suos versibus Heroicis composuit, quibus modulos addebat. Idem quoque de Homeri versibus faciebat. Post eum Phrynis Mitylenæus* τὸ ἑξάμετρον τῷ λελυμένῳ *conjunxit & numerum chordarum auxit* &c. *Not. ad Capitolin. in Pio, c.* 7. ubi plura de Poëta hoc & Citharœdo. Vide quoque eum, *ad Solin. p.* 854.

TERPHALÆI, populi, Esdr. *c.* 4. *v.* 9.

TERPNUS, citharœdus; cujus cantu oblectatum Neronem scribit Suetonius, *c.* 20. *in his: Statim ut imperium adeptus est, Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios accersit, diebusque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paulatim & ipse meditari, exercitarique cœpit, nec eorum quicquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conservandæ vocis causâ, vel augendæ factitarent.*

TERPSICHORE, una 9. Musarum, sic dicta quòd *choreis* & *tripudiis delectetur.* Huic quidam citharæ inventionem tribuunt.

TERRA, communis omnium parens, ut cœlum Deorum, credita est, Plin. *l.* 2. *c.* 63. unde pro Numine olim culta, quod modò aliter, modò *Vestam* vocabant, Servius, *ad Æn. l.* 3. *v.* 283. *Nam & Vestam ideò Trojani colunt, quia eadem* Terra, *terrigenas autem Athenienses nemo dubitat.* Cujus simulachrum muliebris forma, tympanum gestans, quòd *Terra ventos in se contineat*, Suidas in voce γῆς ἄγαλμα. Hinc per eam juratum Romanis, Græcisque, uti *in Theatro Hum. Vita* docet Zuingerus, *p.* 142. Vide quoque Cœl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 14. & hìc passim, inprimis in voce *Herthus*, ac *Tellus*, quæ in Sacris usitata, plura verò *de cultu, habitu* & *statuis* ejus habes legere apud Pausaniam, *l.* 8. & *in Superstitionibus* Caspar. Barthii. Addo saltem tunicam *Terræ* tribus coloribus variari consuevisse, pro temporum anni ratione, viridi in segetibus lactentibus, flavô in maturis & candidô in nivibus, uti apud Salmas. videre est *Not. ad Tertullian. de Pallio, c.* 2. In hanc infans, modò in lucem editus, solenni ritu olim statutus est, postquam esset lotus: Quæ causa, quòd apud plurimos Auctorum infantes nudos *Terra* excipere dicitur. Quò eleganter collineat Plin. *l.* 7. *in proœm. Natura hominem tantùm nudum & in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus statim & ploratum.* More è sacris Hebræorum ad Romanos translatô, qui tamen ante Justinianum desiit. Religiosè autem ea, quamprimum attigissent Augusti, consecrata est, Sueton. *Octav. c.* 5. Causa ritus triplex fuit, sive ut vocem, *Terræ* contactu, acciperet infans, Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 12. sive, ut auspicaretur rectus esse Diis Conjugalibus, Varro, *de R. R. l.* 2. unde ab Obstetrice erectus in *Terram* statuebatur: sive denique, ut Opem seu Matrem communem salutaret. Macrob. iterum *Saturn. l.* 1. *c.* 10. Et sic in *terra* constitutis Statina Dea puerilis, vel, ut aliis visum, Statarius, præfuit. Inde suscipiebantur à Parente, vel Procuratore ejus, quò inter legitimos numerarentur hæredes: quæ sublatio ope Deæ Levanæ facta credebatur, uti dictum pluribus, suprà *non in uno loco.* Sed & in Opalibus tangebant *Terram* ut suprà diximus ubi de iis. Contrà, Parricidis, ex veter. legum Romanarum præscriptô, soleæ ligneæ inductæ sunt, sicque in carcerem ii ducti. *Ne terram communem omnium parentem attactu improbô contaminarent*, Hadr. Turneb. *Adv. l.* 13. *c.* 13. Postea que, ob eandem rationem, culeo insuti ac in mare projecti sunt, uti *suprà* dictum. At scelerati alii vivi eâ obruti, uti Vestales stupri convictæ. Sed & Olha Plescoviensis legatos Dreulianorum, qui eam Malditto Principi suo, à quo Igorus Russorum Princeps Olhæ maritus cæsus fuerat, in uxorem peterent, eôdem suppliciô affecit, teste Sigismundô Herberstenio *de Rebus Moscov.* Aliás sepultis *terram levem* precabantur Veteres, insepultis *terræ* aliquid injiciebant, uti diximus suprà in voce *Gleba*, item *Pulvis*: quemadmodum *de more terram & aquam offerendi*, in signum deditionis, Persis olim usitato alibi. Vide quoque Alexandrum ab Alex. *Gen. Dier. l.* 4. *c.* 7. de simulachro verò Terræ Athenis, à Jove suppliciter petentis aquam, eundem, *c.* 16. &c. Cæterùm Geographis *Terra* seu *Orbis Terrarum*, orbem denotat *Terraqueum*, partibus suis solidis ac liquidis constantem, h. e. ipsâ *Terrâ*, Aquâ & Aëre, cujus ambitum vocant *Atmosphæram.* Et quidem, quod ad figuram *Terræ*, non tantùm vulgus credit, in latissimam planitiem eam excurrere, cujus terminus sit circularis linea, sed & Patrum non paucis idem creditum: illam nempe infinitis radicibus extendi ac fundari. Lactantius, *Inst. div. l.* 3. *c.* 24. Augustin. *de Civ. Dei l.* 16. *c.* 9. Alii: quod nostrâ quoque ætate Franc. Patricius magnô nisu contendit. Unde error ortus alter, *Antipodes non dari*, vide Nicol. Nancel. *Microscomi l.* 9. ubi Lactantii, Augustini, Nazianzeni verba laudantur: Quod Christiani plerique mediæ ætatis senserunt, & Bonifacius Episc. Moguntinus hôc argumentô confirmavit, *Si essent Antipodes, alii homines, alius Christus*, Aventin. *Ann. Bojor. l.* 3. Cui cùm Virgilius in Bavaria Episcopus adversaretur, Bonifacius apud Zachariam Pontificem Roman. tantum effecit, ut is ad Utilonem Regem Bavariæ literas daret, quibus hic motus Virgilium exiliô multavit. Hodiè verò rotunditas *Terræ* experientiâ & rationibus ita demonstrata habetur, ut omnis planè scrupulus facilè cuique demi possit. Neque obstat Joh. Childrei, Angli diligentissimi, *in Britannia Baconica* sententia, quâ *Terram ovalem* facit. Vide quoque suprà *Globus.* Magnitudo illius 5400. milliar. German. quorum singula 1900. perticas Rhinlandicas contineant, æstimari solet: *Hoc scil. est punctum illud, quod inter tot gentes ferrô & igni dividitur*, Seneca *præfat. l.* 1. *Natural. Quæst. O quam ridiculi mortalium termini, Ultra Istrum Dacus ne exeat: Strymo Thracas includat: Parthis obstet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana disterminet: Rhenus Germaniæ modum faciat: Pirenæus medium inter Gallias & Hispanias jugum extollat: Inter Ægyptum & Æthiopiam arenarum inculta vastitas jaceat.* Idem paulo pòst, *Punctum est istud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis, minima, etiam cùm illis utrinque Oceanus intercurrit.* Modos magnitudinem istam inveniendi prolixè tradit Varenius, *Geogr. l.* 1. *c.* 4. & Willibrordus Snellius in *Eratosthene Batavo.* Causam cum Ricciolo, *Geogr. l.* 5. balbutimus: Hominem unô annô, ab uno Polo ad alterum ambulare posse, si, quod non adeò difficile iter est, septem milliaria cum dimidio quotidie conficiat; *Videri itaque probabile, Deum O. M. admensum fuisse Terræ Globum humanæ staturæ, & facultati ambulandi, ut homo, si velit, possit unô annô discernere omnes tempestatum vicissitudines, quas Sol abeundo ab uno Tropicorum & redeundo ad eundem efficit & ex ea contemplatione rapi in admirationem ac amorem Sapientissimi ac Munificentissimi Conditoris.* Longitudo ejus extensio est ab Occidente in Orientem; Latitudo, extensio ejusdem versùs Polos: quam utramque Geographi in *Terrestri* globo certis exprimunt circulis. E quibus circuli longitudinis, quos & *Meridianos* vocant, Æquatorem ad angulos rectos secant, & integri exhibentur numero 18. dimidiati seu semicirculi 36. Latitudinis verò Circuli, ad Æquatorem parallele ducuntur & ad utrumque Polum usque pertingunt, denis à se invicem gradibus distantes. Inter quos occurrunt obliquè ducti circuli seu arcus reliquos omnes variè secantes, hincque *Loxodromiæ* appellati numerô totidem, quot venti sunt, quorum etiam nominibus veniunt, in re nautica magni usus &c. Vide hac de re pluribus disputantem Auctorem *Orbis Geogr. ac Civilis, part. I. c.* 1. uti de *Terræ meditullio* aliquid infrà, voce *Umbilicus.* Quod verò *Terræ* totius proportionem attinet, inter Christianos, Muhammedanos & Paganos idololatras instituendam, Edwardus Brerewodus Anglus *in sua Investigatione Linguarum ac Religion. c.* 11. & 14. hanc init: *Si cognitas Mundi regiones* (videl. Europam, Asiam, Africam, Americam & iis contributas insulas) *dividamus in triginta portiones æquales; Christiani possident portiones quinque, Muhammedani portiones sex, idololatræ sive pagani portiones novendecim. Quamvis interim omittas considerationem terræ Australis sive Antarcticæ, quam Magellanicam vocant.* Ubi meritò usurpes illud Servatoris nostri: *Ampla quidem est messis, operarii autem pauci. Rogemus igitur Dominum messis, ut emittat operarios in messem suam*, Matth. *c.* 9. *v.* 37, 38, & *c.* 24. *v.* 14. De investitura *per Terram*, diximus suô locô. De *Terræ motu*, ut hoc unum addam, tremente *Terrâ* Neptuno olim, illô tamen non nominatô, sacrificatum fuisse, diximus suprà, in *Neptunus*: quem proin cum ea commune habuisse templum, ex Musæo apud Pausaniam notavit Marcellus Donatus *in Dilucidationibus suis* citatus Dempstero, *in Rosin. l.* 4. *c.* 11. Vide & suprà aliquid voce *Pithaules.* De *Terris medicinalibus*, vide Plin. *l.* 35. *c.* 16. Salmas. *ad Solin. p.* 130. Alios, ut & hìc passim quædam etiam suprà, vocibus *Geographia Geomantia*, & *Geometria*, nec non *Iter extaticum terrestre.*

TERRA Antarctica quid sit, non constat, cùm nondum detecta sit. Vide *Antarcticæ regiones*, seu quæ magis versùs Antarcticum circulum extenduntur, & terra Australis.

TERRÆ Arcticæ seu Arcticæ regiones, *les Terres Arctiques.* sunt regiones orbis magis versùs Boream & Polum Arcticum extensæ, uti Spitzberga seu regio montium acutorum, *Spitzberg*, Gronelandia seu terra Viridis, *le Groneland*, nova Dania, *le nouveau Dannemarck*, Estotilandia, *l'Estotiland*, & aliæ plurimæ versùs fretum Hudsonium, fretum Davisium, mare Christianum, & Baffinium sinum protensæ, in parte Septentrionali Americæ Borealis, vix nomine notæ. Minimum hæc *Terra* intervallum à veteri orbe habet, ad Fretum *Waygats*, ab America ad Fretum *Davis.*

TERRA Australis, *la terre Australe*, pars est amplissima orbis versùs Austrum extensa, sed etiamnum pro majori parte incognita, & vix lustrata quibusdam in locis versùs oram littoralem; ita ut de ea pauca admodum dici possint. Ejus partes hactenus cognitæ sunt nova Hollandia, ubi terra Concordiæ & terra Nuitii; terra Diemeni, nova Zelandia, terra Quiri, & terræ incognitæ, quæ protenduntur versùs austrum Africæ & terræ Ignium, quanquam multùm ab ipsis sint dissitæ. Hinc Fero Menpezio de Quiro *Australia incognita* dicitur. Maximè vicina est *Terra Australis* veteri orbi ad procurrentem tractum N. Guineæ, Americæ verò ad fretum Magellanicum, solamque hanc constat mari undique cinctam esse. De semestri die ac nocte regionum, vide Becmannum, *Histor. Orbis Terr.* qui sub ipsis Polis perpetuam & saltem creperam lucem dari ostendit. Cæterùm Kircherus animadvertit, esse in Regionibus hisce Subpolaribus ingentes voragines, quibus mare sub Polo Arctico absorbeatur, sub Australi iterum emergat: hincque fieri quòd maria Subpolaria ob rapiditatem superari non possint, *in Itin. Ecstatico* 2. *Dial.* 1. & *M. S. l.* 3. *c.* 2.

TERRA Chabul sive Cabul, regio est in tribu Aser, Galilææ gentium, Tyriorum finibus vicina, cujus viginti civitates non procul à Tyro dissitas Tyriorum regi Hyram Salomon Rex gratitudinis ergò dedit.

TERRA Concordiæ, *t'landt van Eendracht* Batavis, *païs de Concorde* Gallis, pars est terræ Australis & novæ Hollandiæ. Vide *Concordiæ regio.*

TERRA Esonis, *terre de Jeso*, seu *de Jedzo*, & *Jesso*, regio est perampla inter Californiam insulam Americæ Septentrionalis ad Ortum, & Tartariam Japoniamque ad Occasum, nuper detecta versus oram Australem. Sed an sit insula aut continens non constat, quanquam lustrata sit à Batavis A. C. 1643. & sequentibus. A qui-

busdam conjungitur cum parte Boreali Japoniæ, ab aliis autem ab ea separatur angusto fretó 15. mill. pass. Extenditur verò, uti narrant, ab Ortu in Occasum per 3000. mill. pass. & ejus præcipua urbs est *Matsumay*, seu *Matsmay*, in provincia cognomine. Sed in illa regione nulla est colonia Europæorum, & de ea pauca admodum dici possunt.

TERRA Ethim, in tribu Ephraim, in qua Luza ædificatur, Judic. *c.* 1. *v.* 23.

TERRA Firma, *Terre ferme* Gallis, *Tierra Firme* Hispanis, regio Americæ meridionalis, quæ duplex est, vel lata, vel stricta. Terra firma lata, aliàs Castella aurea dicta, complectitur provincias Terram firmam, Popayanum, novam Granatam, Pariam, novam Vandalitiam, & Gubernia Venezuelæ, sanctæ Marthæ, fluvii Facis, & Carthaginis novæ, quæ omnia subsunt Hispanis pro majori parte.

Terræ firmæ in America urbes præcipuæ:

Fanum S. Mariæ de Remediis, seu fluvius Facis, *nuestra Senora de Remedios, ò Reo de la Hacha.*
Calium, *Cali.*
Carthago nova, *nueva Carthagena.*
Corum, *Cori.*
Fanum S. Fidei de Bogota, *S. Fé de Bogota.*
Fanum S. Marthæ, *S. Marta.*
Nova Corduba, seu Comana, *Nueva Cordoua, ò Comana.*
Panama, *Panama.*
Popajanum, *Popajan.*
portus Belus, *Puerto Belo.*

TERRA firma autem strictè sumpta, *Tierra Firme* vulgò dicta ab Hispanis, pars est parva Americæ meridionalis versùs Isthmum Panamæ, & inter sinus Panamæ & Urabæ, ubi urbes præcipuæ Panama, vulgò *Panama*, & Portus Belus, ut ajunt, *Puerto Belo*, sub Hispanis.

TERRA Genesar, quæ & Græcè *Genezareth*, in tribu Zabulon, regio est naturâ ubertate simul & pulchritudine tam admirabilis, ut naturæ magnificentiam hanc esse quis dixerit. Ejus tanta temperies ut omium, quæ terra profert, conveniat diversitati. Illic & quæ frigore aluntur, sese multipliciter effundunt, & quæ æstu foventur, nullumque pro ubertate sua negat arbustum.

TERRA Hus, regio quæ Hebraicâ voce *Hus*, sive *Huz* dicitur, in tribu Manasse, à multis interpretibus *Αὐσῖτις Ausitis*, quasi *Οὐσῖτις, Hustis* nominatur: sita est ultra Jordanem in Trachonitide regione, inter Palæstinam & Cœlesyriam media. Juxta Josephum & Hieronymum condita est ac nomen accepit, ab *Hus*, filio Aram, filii Sem, filii Noë, qui & Trachonitidis & Damasci quoque conditor fuit.

TERRA Ignum, *Tierre del Fuego* Hispanis, *terre de Feu* Gallis, insula est ampla Americæ meridionalis, inter fretum Magellanicum & fretum Mæreum extensa, & primùm à Ferdinando Magellano detecta. Vide *Ignium regio.*

TERRA Laboris, *terra di Lavoro*, provincia regni Neapolitani, in ora maris Tyrrheni, ubi aliàs Campania felix cum parte Latii novi. Irrigatur Liri & Vulturnô fluviis, & terminatur à Septentrione Aprutiô, ab Oriente Comitatu Molisinô & Principatu ulteriori, à Meridie Principatu citeriori, & ab Occasu mari Tyrrhenô & Campaniâ Romanâ. Tota admodum fertilis est & rigua. Provinciæ urbs primaria est Neapolis, *Neapoli*, totius regni caput & amplissima. Aliæ urbes præcipuæ sunt Capua, *Capoa*, Surrentum, *Sorrento*, Cajeta, *Gaeta*, Puteoli, *Pozzuolo*, Nola, *Nola*, Suessa, *Sessa*, Sora, *Sora*, & Venafrum, *Venafro*.

TERRA Magellanica, *la Magellanique*, regio est Americæ meridionalis, in ejus parte Australi. Vide *Magellanica.*

TERRA Mauritii, *Maurice land* Batavis, tractus Americæ Australis, in parte Occidentali terræ Ignium, juxta fretum Mæreum. Sic dicta fuit à Batavis A. C. 1616. in honorem Mauritii Principis Auraici.

TERRA Nova, *Isle de terre Neufve*, insula Americæ Septentrionalis, in nova Francia, perampla, & figuræ ferè triangularis, prope sinum Sancti Laurentii, cum aliquot coloniis Francorum. Vide *Insula terræ novæ.*

TERRA Nova, *terra Nova*, oppid. Siciliæ, in Valle Neetina, in ora maris Africi, Ducatus titulô clarum Gentis Cordubæ, aliàs *Gela* dictum. Vide *ibi.*

TERRA Nuitii, *païs de Nuits*, pars est ampla terræ Australis & novæ Hollandiæ recens detecta. Vide *Nuitii regio.*

TERRA Papuorum seu Nigrorum, *terre des Papous*, regio ampla Asiæ, in parte Australi Oceani Indici, inter novam Guineam ad Ortum & Moluccas insulas ad occasum. Hisce ultimis temporibus detecta fuit à Batavis, sed tantùm versùs oram littoralem, & à multis creditur pars novæ Guineæ ei adjacentis.

TERRA Quiri, *païs de Quir*, pars est terræ Australis versùs meridionalem partem maris Pacifici. Vide *Quiri regio.*

TERRA Salica, in *Traditionibus* Fuldens. *l.* 3. *tradit.* 28. *Centum quinquaginta* terræ Salicæ *& Ecclesiam cum omni decimatione ad eam pertinentem*: portio est terræ *Salio* militi, atque adeò Principi seu Regi assignata ex iis, quas in Gallias virtute bellicâ acquisierant, partitione inter Victores factâ. Harum enim aliæ ab omni munere ac servitio præterquam militari, immunes dictæ *Salicæ*, utpote assignatæ *Salis*, i. e. viris principibus, vel certè ex Salica gente, quæ primas tenuit, inter Septentrionales illas gentes, quæ in Gallias irruperunt easque Romanis ademerunt: aliæ *Letica* & *Lidiales*, quæ Lætorum vel Litorum erant h. e. virorum obnoxiæ conditionis, quales Læti fuerunt, vel quos *Romanos* appellabant, de quibus suô locô. Erat verò *Terra Salica* ea prærogativa, ut cùm sub militaris obsequii conditione assignata esset, ad mulierem pervenire non posset, vide *l. Sal. tit.* 60. & plura hanc in rem, apud B. Rhenanum, *Epist. ad Petrum Meldingum*, Dominic. *de prærog. alodiorum, c.* 7. Car. du Fresne, *Dissert.* 17. *ad Joinvill.* & hîc ubi de *Salica Lege.*

TERRA Sancta, *la Terre Sainte*, regio est Asiæ, quæ aliàs Palæstina & Judæa dicta fuit; estque pars Syriæ latè sumptæ: & subest nunc dominio Turcarum. Terminatur ab Occidente mari Mediterraneô seu Syriacô, à Septentrione Syriâ propriâ, & ab Oriente & Meridie Arabiâ. Nunc ejus partes sunt sex, nempe pars regni Arabum trans Jordanem fluvium, Principatus Sidonis, *la Principauté de l'Emir de Saide*, Principatus Cæsareæ, *Principauté de l'Emir de Casair*, Præfectura Neapolis, *le Sangiacat de Naplouse*, Præfectura Hierosolymitana, *le Sangiacat de Hierusalem*, & Præfectura Gazæ, aliàs Principatus, *le Sangiacat de Gaze.* Ejus præcipua urbs est Hierosolyma, *Cons Xerif* Turcis. Vide *Palæstina.* Addo hîc, quòd universa hæc, quæ & *Terra Israëlis*, olim sancta erat, quam proin velut Mundi corculum, ejusque delicias etiamnum Judæi habent: reliquum Mundum, tanquam impurum & profanum, tantùm non abominati, cunctosque mortales per opprobrium גוים *Gojim*, quasi alterius & vix humani generis forent, ac *Mundum*, Lucæ *c.* 12. *v.* 30. item τοὺς ἔξω, Marci *c.* 4. *v.* 11. vocantes. Et quidem triplicem ejus consecrationem commemorant, universam gentis suæ Politiam, Judicia & Leges cùm politicas, tum sacras, ab ea pendere, dicentes: Ita, ut ne promotionem quidem Scholasticam manuumque impositionem, extra illam ritè peragere sese posse putent. Quæ, quanquam superstitione non careant, tamen cùm *Terra* illa cœlestis hæreditatis pignus ac arrhabo fuerit, non leviter illam olim adamare & vitam longam ac pacem in ea exoptare tenebantur. Nunc autem typô istô impletô, ac universâ *Terra* per sanguinem Christi lustratâ, frustra tum ii sunt, tum ex Christianis quidam, qui *Terram* hanc religiosis peregrinationibus frequentant: *Domini* Terra *& plenitudo ejus*, Ps. 24. *v.* 1. Vide Franc. Burmannum, *Synopsi Theol. Parte* 1, *l.* 4. *c.* 16. Plura verò de *Terra Israëlis* ab Jo. Selden. *de Jure Nat. juxta Discipl. vett. Ebræor. l.* 6. *c.* 16. Addo hîc saltem, quòd B. Augustinus *terram sanctam, de Hierosolymis allatam*, contra vexationes Spirituum malignorum & contra morbos valuisse scribit, qua de re vide judicium If. Casauboni *ad Annales Eccl. Baronii Exercit. XVI. num.* 104.

TERRÆ Filius, apud Cic. *l.* 7. *ad Trebatium*, *Ep.* 9. ignobilis, ignotus est. Minucius Fel. *Ignobiles & ignotos*, Terræ filios *nominamus.* Tertullianus, *Apolog. c.* 10. *Terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est.* Ipse Cicer. *ad Attic. Ep.* 13. *l.* 1. *Huic* Terræ filio *nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo.* Sic Ion. apud Euripidem, Γῆς ἀφ' ἐκπέφυκα μητρὸς, *Terrâ matre editus sum.* Omnia nempe è cœlo & terra, mari item, orta credebant Veteres unde ignotorum origo eò relata; ut Cœli, Telluris, Neptuni; filii viderentur. Ita de Saturno Minucius, *ibid. Homo --- qui fugit, homo qui latuit, & pater hominis & natus ex homine: Terræ enim & Cœli filius, quòd apud Italos esset ignotis parentibus proditus.* Sed & Scholiastes Apollonii monstrosos *Terræ filios* truculentos Neptuni habitos scribit. Aristophanis Schol. τοὺς γηγενεῖς, *Terrâ genitos* appellatos addit, διὰ τὸ ἄγχους ἢ ... ἀγνῶτας εἶναι, ἢ ἀζώους, ἢ θεομάχους διὰ τοὺς γίγαντας. E quibus discimus, quid Juvenalis, *Sat.* 4. *v.* 98. *fraterculo Gigantis* notet. Nævius apud Priscian. *Titanes filii terræ.* Orpheus, *in Hymno*,

Τιτῆνες γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀγλαὰ τέκνα &c.

Wowerius, *ad Minucium Fel. d. l.* Penitiùs qui rem inspiciunt, sub appellatione hac altiùs quid latere deprehendunt, uti videre est suprà voce *Lutum*: stricturam nempe veteris historiæ, de prima hominis origine, cujus corpus è terra & aqua anima è cœlo fuit. Hodie in Anglia, quotannis *Terræ filius* in Comitiis Academ.

TERRA Societatis, *terre de la Compagnie*, pars est ampla terræ Esonis, in America Boreali, recens à Batavis detecta, versùs Statuum insulam & fretum *Uries* dictum: Sed à quibusdam creditur insula.

TERRA Thob, est in tribu Gad, ad hanc fugit, hicque habitavit Jephthe, Judic. *c.* 11. *v.* 3.

TERRA Viridis, *Groneland*, pars terræ Arcticæ, quæ aliter & sæpius dicitur Gronelandia. Vide *ibi.*

TERRACINA, civitas Latii, exigua sed frequens.

TERRÆ Mater, quare Obstetrix dicta? Vide suprà *Infans.*

TERRARIUS Turdus, apud vet. Interpretem Persii & Juvenalis, *ad illud*, *Sat.* 6. *v.* 25.

——— *turdorum nosse salivam,*

cognoscere turdorum sapores; solent enim quidam gulæ dediti tantæ subtilitatis habere palatum, ut dignoscant turdos, an cellarius, an terrarius *sit*, qui in aviario inclusus pascitur. Ex avibus enim quæ villæ septis inclusæ tenentur, aliæ *terrâ* tantùm contentæ sunt, ut turdi, pavones & turtures, aliæ etiam aquam requirunt, ut anates, & anseres & querquedulæ, Varro *de R. R. l.* 3. *c.* 3. Peristyla autem satis ampla in villis suis ædificabant Veteres, in quibus aliquot millia turdorum includi possent, idem *c.* 5. His igitur amplis septis inclusi turdi *terrarii* dicebantur, & longè erant melioris saporis, quàm qui apud fartores urbanos in cellis angustis & obscuris alebantur, ut citò pinguescerent, inde *cellarii* vocitati. Utrisque opponebantur *aërii*, qui scil. liberô aëre fruuntur, unde *aëriæ volucres* apud Poëtas passim. Eôdem sensu, murænam piscinâ conclusam, *bestiam terrenam* vocat Tertullian. *de Pallio, c.* 5. Vide quoque infrà, ubi de *Terrenis piscibus.* At apud citimæ ætatis Scriptores, *Terrarii* dicuntur, qui multas *terras* seu prædia possident, *grand Terriers* Gallis. Sic *Terrarius Cypri*, apud Vinc. Belvacensem, *l.* 32. *c.* 89. *Terrarii Angliæ*, in *Annal.* Waverleiens. A. C. 1086. &c. Vide Car. du Fresne *Glossar.*

TERRASIDIUS, prænom. Titus, eques Roman. præfectus militum, in legione, 7. Cæsare in Gallia bellante *l.* 3. *Comm. c.* 7. *&* 8.

TERRASSONIUM, vulgò *Terrasson*, oppid. Petrocorii, ad Veseram fluv. in limite Lemovicensi, 5. leuc. infrà Brivam Curretiam in Occidentem, uti 5. à Tutela.

TERRENA Opera, apud Vitruvium, dicuntur ligna, quæ in fundamentis ponuntur & *terrâ* obruuntur, de quibus vide Salmas. *ad Solin. p.* 1034. At *Terreni Pisces* Plinio sunt, *l.* 9. *c.* 57. *qui prope rigua Babylonis decedentibus fluviis, in cavernis aquas habentibus remanent.* Sed &, qui cavernas sibi faciunt, circa extremas fluminum oras, quique in altis scrobibus effodiuntur, etiam ubi nullæ restagnant aquæ, quales in multis locis pisces olim reperiebantur, hodieque reperiri ajunt, Græci ὀρύκτους vocant, uti docet apud Athenæum, *l.* 7. Timæus. Idem Plinius, *l. eod. c.* 16. *terram* vocat vadum maris excavatum, quò per hyemem piscium quidam conduntur: *terrâ quidem, hoc est, vado maris excavato condi per hyemes torpedinem, psittam soleamque tradunt.* Quos pisces itidem *terrenos* liceat nominare. Quin & sic non ineptè dicantur, qui in terra haberi nutririque solent, in piscinis scil. longè à mari factis, ad differentiam marinorum & qui in pelago degunt. *Terreni* enim illi potius, quàm marini pisces, qui in piscinis nutriuntur, imò nullò modò marini: piscinæque *terricipinæ* nuncupatæ, quod intra *terram* constitutæ essent & terrâ conciperentur, uti est apud Isidorum, *in Glossis*. Quemadmodum hodieque Galliæ rustici fossas, quæ in agris fiunt, ad accipiendas aquas, *terrata* & *terrolia* vocant. Hinc Tertullianus murænam piscinâ conclusam *terrenam* vocat, ad discrimen marinæ, quæ in alto degit & aquâ suâ fruitur, *d. l.* ad quem vide Salmasii *Notas*.

TERRICULÆ, in versu Lucilii apud Lactantium, *l.* 1. *c.* 22.

> Terriculas, *Lamias, Fauni quas Pompiliique*
> *Instituêre Numa* ———

Idola dicuntur, seu facies barbaræ, quas *terrendis* pueris Veteres pingebant; uti de Batavo vultu testatur Martialis, *Apophoret. l.* 14. *Epigr.* 176.

> *Sum figuli lusus, rufi persona Batavi,*
> *Quæ tu derides, hæc timet ora puer.*

Ubi quòd *rufi* ait, nota *personas* quoque seu larvas *histrionicas* *rubricâ* & minio ac quasi cerotô sanguineô ac rubrô plerunque lini consuevisse, ex Heraldo, *ad Arnobium l.* 6. ubi hic, *Inter Deos videmus vestros leonis torvissimam faciem, merò oblitam minio* —— *Ergo & in cælo habitare dicendus est Deus talis* — *persona & facies sola, frementibus biatibus, torvis rictibus, sanguineo de ceroto.* Vide suprà in voce *Formido*, it. *Larvati*, de *terriculamentis* autem, quæ veteris ævi Duces galeis addebant, ad hostes, quæque hortis templisque imponi solent, ad aves terrendas, suprà ubi *de Cassida & Galea*, nec non in voce *Probascanion*.

TERRIPAVIUM, vide infrà *Tripudium*.

TERRITORIUM, non tam à *terendo*, ut Varroni; vel à *terra*, ut Frontino; vel à *terrendi* jure, quod habet Magistratus, ut Pomponio JCto, quàm à *terrendis hostibus*, H. Grotio dictum. Is enim ager demum captus ac noster censetur, qui mansuris munitionibus ita includitur, ut nisi iis expugnatis, parti alteri, palàm non sit aditus. Vide eum *de Jure Belli ac Pac. l.* 3. *c.* 6. §. 4. Græcè χωρία, περίχωρος, item ἐπικράτεια, ἀγροὶ τῇ πόλει, *in Gloss.* Salmasius verò compositum id vocabuli esse ait, ab antiqua voce *tores* seu *torres*, quæ terminum significabat, (unde *extorris* exul) & *terra*: cui proin sic dicitur omne terræ vel agri spatium, certis terminis finitum delimitatumque, intra quod jurisdictionem civitas aliqua habere debet. Gallis ad verbum *Finagium*; aliter *Banleuca*, quod vide: plura verò hanc in rem apud Auctorem laudatum, *ad Treb. Pollionem in Tetrico Sen. c.* 24. ubi *de Territorio veteris urbis Rom.* De quæstione autem, an *Territorium*, vel *pars territorii à populo libero aut Rege etiam alienari possit?* Vide præfatum Grotium ubi suprà *l.* 2. *c.* 6.

TERROR, inter Martis comites, apud Homerum, *Il.* ξ. Vide suprà *Mars*.

TERSA Leporia, una ex tribus partibus Lapponiæ Moscoviticæ, maximè in Ortum extensa, inter Oceanum Septentrionalem & mare Album, sub Moscis; Vulgo *Terskoy Leporie*.

TERTA, oppid. Thraciæ, inter Sardicam & Philippopolim, *Ptolem.* *Tirio*, vel *Tirio Moletio*. *Tedia* aliis.

TERTIA, sive TERTULLA per diminutionem, Bruti soror, uxor Cassii, sic dicta, quia post 2. edita esset. Hæc abortum fecerat, quod queritur Cicer. *Ep.* 20. *ad Attic. l.* 14. *Tertullæ nollem abortum: tam enim Cassii sunt jam, quàm Bruti serendi.*

TERTIA, inter statas precum ac publicorum sacrorum horas, apud Judæos (qui tres earum præcipuè numerant, tertiam, sextam & nonam) indigitatur voce *manè*, Psalmo 55. v. 18. *Vespere & manè & meridie meditabor*; & exprimitur disertè Actor. *c.* 2. *v.* 15. *Non, ut vos præsumitis, isti ebrii sunt, quum sit hora diei tertia.* Notum autem, diem à Solis ortu inchoâsse, horasque inde numerare cœpisse Hebræos. Sic *tertia* eorum cum nostra nona coincidet: quâ etiam sacrificium juge, ex duobus agnis anniculis alter, sicut alter vespere seu circa horam eorum 9. nostram *tertiam* (quâ & Servator noster, hôc sacrificiô imprimis repræsentatus, mortuus est) mactari consuevit. Vide Franc. Burmann. *Synopsi Theolog. Christ. Part. prior.* ubi *de Sacrificiis, & Temporibus Sacris V. T.* nec non suprà aliquid voce *Nona*. In Ecclesia Romana *Tertia* vocatur officium Ecclesiasticum diurnum, quod horâ *tertia* canitur. Gregorius Turon. de Injurios. Episc. Turon. *Hic instituit* Tertiam *& Sextam in Ecclesia dici.* Vide suprà ubi *de Horis Canonicis*. Item tertia pars oblationum Episcopo debita, in Concil. Aurelianensi I. A. C. 511. *can.* 15. At in L. Wisigothorum, *l.* 10. *tit.* 1. §. 8. *nec de tertia Romani Gothus sibi aliquid audeat usurpare*, portio agri est antiquis possessoribus relicta. Debellatâ enim & subjugatâ Italiâ, à Gothis & Visigothis ita divisi agri sunt, ut victoribus partes duæ, *tertia* victis & in obsequium redactis priscis colonis cederet. Quod etiam Burgundos observâsse in Galliæ, quam occupârunt, parte, docet *L.* Gundebalda *capp.* 54. 57. 79. Sic tamen, ut in hac agrorum divisione Princeps exactionem & tributum aliquod in veterum possessorum *Tertiis* sibi reservaret, quæ quotannis Fisco inferrentur. Uti verò iidem agrorum partem tertiam victis relinquebant, alteris duabus sibi vindicatis: sic contrà, mancipiorum duabus partibus illis concessis, sibi tantùm *tertiam* asserebant, uti docet *L.* Burgund. *tit.* 54. §. 1. & *tit.* 57. Sed & *Tertia* dicta, quam libet homo dabat Sponsæ suæ ad ostium Ecclesiæ, tempore desponsationis: *Dos* scil. *rationabilis*, quæ tertia pars erat totius *tenementi* viri sui, quod tempore desponsationis habuit &c. de quibus vocis notionibus vide plura apud Car. du Fresne *Glossar*. *Tertium* verò, apud Plantavitium, *Episc. Lodov.* alibique tertia pars est pretii divenditi prædii, quæ Domino feudali debetur: in *Charta Ludovici Hutini* Regis Franciæ pro Normannis A. C. 1315. apud eundem, jus, quod Rex habet in forestis & sylvis Normanniæ, in quarum cæsionibus ac venditionibus pretii tertiam partem percipit &c. Sed & *Tertium defunctorum diem* à Christianis olim festivè habitum, memorat Ambrosius, *Orat. de Theodosii Imp. obitu*. τρίτα τῶν κεκοιμημένων appellantur in Canonibus, qui *Apostolici* dicuntur. Sicut & *tricenarium*, aliosque, de quibus suô locô. Hinc *Tertiatores*, quorum frequens mentio in *Capitulari* Sicardi Principis Benev. A. C. 836. Longobardis oppositi, fortè à *tertia* agrorum, quam possidebant prisci incolæ, victorum concessu, uti diximus. Vide Dominic. Macrum, *in Hierolex*. De *tertiatione* verò, voce Romanæ Agriculturæ, Salmas. *ad Solin. p.* 728. & *seqq.* nec non aliquid suprà ubi de *Imporcatione & Iteratione*.

TERTIARIA, Gall. *la Tercere*, Azorum insul. præcipua, quæ hinc *Tertiariæ* sæpe dicuntur. Media ferè inter Africam & Americam Septentrionalem. Ab Ortu in Occidentem extensa per 25. mill. pass. non æquè lata. Caput ejus Angra, in parte Australi 90. milliar. ab Insula S. Michaëlis in Occidentem 40. ab Insul. Pici in Ortum, cum arce S. Philippi, *Fortalezza di S. Felippe*, prope Angram, permunita; *Baudrand.* Tanta est circa hanc insulam, ventorum, turbinum, imbrium procellarumque vis & potentia, ut sata, ferrum, & quicquid ventis expositum est, arrodatur atque atteratur. Terræ motu crebrò concutitur: ignes quoque & flammarum spiracula in ea videntur: fontes in ea sunt, in quibus ova velut ignis beneficiô coquas. Duas habet urbes Ancam, & Villam de Prapa, *Merul. Bert.*

TERTIOLUS, nomen monetæ Mediolanensis in *Charta* A. C. 1171. apud Puricellum, *in Ambrosiana Basil.* Item accipitris minoris species, quem Galli *Tiercelet* vocant, apud Fridericum II. Imperatorem de *Art. Ven. l.* 2. *c.* 19. Vide suprà ubi de Veterum Re *Accipitraria*.

TERTIUS Julianus, septimæ legionis in Mœsia legatus, ad quem interficiendum Aponius Saturninus Mœsiæ rector misit centurionem ob simultates, quibus causam partium prætendebat. *Julianus*, compertô discrimine & gnaris locorum adscitis, per avia Mœsiæ ultra montem Hæmum, profugit, Tacit. *l.* 2. *Hist. c.* 85. Dein huic Prætura, quòd transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, ut in Plotium Griphum transferretur, *l.* 4. *c.* 39. Verùm mox reddita, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse, *c.* 40. Pro *Tertius*, lege *Titius*. *Nic. Lloydius.* Vide *Julianus*.

TERTIUS, nomen viri, Roman. *c.* 16. *v.* 22.

TERTIUS, Ordo S. Francisci, seu congregatio Pœnitentium, non nisi secularium primò hominum cœtus fuit. Regulares dein facti sunt, sed cùm luxu laxata disciplina esset, Vincentius Massartius Parisiensis reformationi ejus incubuit, A. C. 1595. Tum primum Ordinis Monasterium erectum est, in vico Franconville, inter Parisios & Pontosium: secundum in loco, dicto *Piquepuz*, in extremitate suburbii S. Antonii, unde vulgus illos *Piquepusses* vocandi occasionem sumpsit. Hodie in quatuor provincias diffusus, ultra sexaginta Monasteria numerat. Vide Moretium, *in Diction. Histor.*

TERTONA, vide *Dertona*.

TERTULLIANUS Quintus Septimius Florens, Theologus, patriâ Carthaginensis, nobilitate insignis, variâ doctrinâ instructissimus, floruit A. C. 200. Historia ejus hæc est: Presbyter Carthaginensis fuit, patre Ethnicô, virô proconsulari natus, qui, sub Præfecto provinciæ, cohortis centurio fuit. Ut baptismum accepit, fidei brevi ingens zelator extitit, ingenii dotibus super omnes. Philosophiæ, Legum, Historiæ, Idololatriæ Ethnicæ peritissimus: Eloquiô insignis Scripturarum callentissimus, pietate illustris. In juventute librum *de curis Conjugii* scripsit, *Hieron.* teste: pauloque pòst, *de Præscriptionibus, contra hæreticos*, quorum catalogum ab Ecclesiæ incunabulis pertexit. Dein, ut Severianæ persecutionis furor inhiberetur, & calumniatorum os obturaretur, doctissimum *Apologeticum* Romæ edidit, quem suppressô nomine, Magistratibus Judicibusque inscripsit per Imperatoris absentiam, in Parthia acerrimè Plautianô, urbis Præfectô, in fideles sæviente. Alia quoque in lucem edidit, tum contra Apostatas, Hæreticosque, Marcionitas, Valentinianos, Judæos, &c. quos eloquentiæ fulmine, & rationum pondere prostravit potiùs quàm convicit. Unde Vincent. Lirin. *Tertulliani quot voces tot sententiæ, quot sententiæ tot victoriæ.* Tantus at Doctor Ecclesiæ, ô dolor! Ecclesiam tandem deseruisse potuit, an quia in Episcopatu Romano Victor ei prælatus, an quia Sedi Carthaginensi frustra inhiavit, an quòd Presbyteri Romani illum acriùs insectarentur. Zephyrini Papæ lenitate erga adulteros, quos ad publicam pœnitentiam admittebat, offensus, homo naturâ austerus, & quæsitâ meritis superbiâ elatior: Procli, qui Montani discipulus fuerat, vitam suo genio convenientiorem credidit. Cùm enim contra Trinitatem & Incarnationem nihil doceret, discipulosque suos jejuniis perpetuis, continentiæ admodum rigidæ, Martyrii desideriô &c. adstringeret, Montani discipulis apertè adhæsit. Obiit decrepitus. Sectatores ejus *Tertullianistæ*, jam Augustini ætate, extincti vel conversi. Ex præcipuis illius erroribus fuit, quòd Animam hominis ex traduce esse, docuerit. Opera ejus cum eruditorum Commentariis, Rigaltii inprimis & Pamelii, qui videri possunt, sæpius prodière. *Solertissimus omnium doctrinarum scrutator, impatiens omnis rigidissimus censor.* Ita de eo Montacutius Anglus. Duriusculè cum eo agit Calvinus: *Scis*, inquit,

quit, *quàm durus sit*, *& asper sermo Tertulliani*, *certè stridit magis quàm loquitur.* Quanto melius Junius, cui dicitur *Auctor antiquitate celebris*, *auctoritate gravis*, *sermonis proprietate purissimus*, *& scientiarum nervis instructissimus*: & Casaubonus, cui *inculpata Latinitatis auctor* dicitur. Sanè B. Cyprianus adeò Tertulliani scriptis delectabatur, ut quotidie aliquid ejus ante oculos habuerit, servo suo inquiens; *Da mihi Magistrum*, i. e. Tertullianum. Vide præter Auctores supra laudatos, Euseb. *in Chron. A.C.* 107. *& l.* 2. *Hist. c.* 2. Lactant. *l.* 1. *divin. Instit. c.* 1. Hieron. *c.* 53. *Catal.* Hilarium *c.* 5. *in Matthæum*, Niceph. Calixtum, Augustin. *de Hæres.* Claud. *Salmasium*, *Petavium*, &c. Alius fuit ejusdem nominis Jurisconsultus, ab hoc diversus, de quo vide Menagium *Juris Civ. Amœnit. c.* 12.

TERTULLINUS, Martyr, A.C. 260.

TERTULLUS, nomen Oratoris cujusdam, accusatoris Pauli, *Actor, c.* 24. *v.* 1. Item Consul, A.C. 412.

TERTULLUS, inter adulteros Faustinæ, apud Capitolin. *c.* 29. *in Marco.*

TERTULLUS Qu. Flavius, Consul, cum T. Flavio Clemente, A.C. 195.

TERVA, urbs Armeniæ, *Ptol.* Vide *Gerva.*

TERVANNA, vulgò *Terouenne*, urbs Episcopalis Artesiæ, anteà Morinorum caput, ad Legiam fluv. à Carolo V. capta & solo æquata est, in odium Gallorum, Annô quô DeLetI MorInI, seu, 1553. 1. leuc. cum dimid. ab Aria in Occidentem 2. ab Audomaropoli in Meridiem 6. à Bononia in Ortum. Paucis nunc incolis constat. Sub Gallis. Moter. *in Diction. Hist.*

TERULUM, vulgò *Teruel*, urbs Aragoniæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsaraugustano, ab Turiam fluv. ubi Alhambram recipit, 5. leuc. à Lobeto in Ortum, uti à confinio Castellæ novæ. Dertusam versus 24 & 18. à Valentia in Boream.

TERUNCIUS, fuit primò nummulus argenteus, sicut & libella & sembella: posteà dum frangi argentum in exiguitatem tantam displicuisset, retenta sunt vocabula in rationibus argenteæ pecuniæ, ne quid scilicet ibi nominaretur præter argentum, etsi res esset ex ære. Quemadmodum hodieque passim nummos imaginarios in ore habemus: quos fuisse olim credibile est, nunc cùm formentur nusquam, ad summulas, quas valuerunt, in ea, quâ utimur, pecunia, compendiô velut enuntiandas revocantur & retinentur. Et quidem summatum auctores Romæ, qui æs excurrens ultra denarium, victoriatum, & sestertium, *libellam*, *sembellam* vel *singulam*, ac *teruncium* dicebant, pro asse libellam, pro semisse sembellam, pro quadrante *teruncium* posuêre, quandiu denarius decem, victoriatus quinque, sestertius tandem duobus & dimidiatô assibus æstimatus est. Postquàm verò denarius sedecim, victoriatus octo, sestertius quatuor assium facti, & ad æs excurrens denarii denotandum traductaerunt vocabula & notas ærariæ rationis, hæserunt in rationibus ad sestertium libellæ, sembellæ & *teruncii*, & quæ pro decima, vicesima, quadragesima denarii parte in æreis nummis fuerant, easdem partes sestertii in ære sustinere jusserunt. Sic *teruncius* quadragesima pars sestertii esse cœpit. Nomen, non à dodrante unciæ, ut quidam volunt, sed à *tribus unciis*, quæ quadrantem assis constituunt. Unde *hæres ex teruncio*, apud Cicer. *ad Atticum*, *lib.* 7. *Ep.* 2. de testamento Curii, *Fecit palàm te ex libella*, *me ex teruncio* &c. Vide Frider. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 3. *c.* 12.

TES. in nummis, Constantii, Constantis, Helenæ, Phocæ: uti TESA, in Arcadii, *Thessalonicæ* nota est. Car. du Fresne *de inscr. ævi Numismat.*

TESA, Carmaniæ urbs. *Ptolem.*

TESAN, in tribu Juda, Hieron. *in Loc Hebr.*

TESCHINA, vulgò *Teschen*, urbec. Silesiæ, caput Ducatus cognominis prope confinia Moraviæ, ad Elsam fluv. 4. milliar. German. in confinio Poloniæ superioris in Occasum ferè 7. supra Ratiboriam in Meridiem. Olim sub Principe proprio, è familia superioris Silesiæ Ducum. Auctor rami *Teschinensis* Casimirus II. fuit, fil. Vladislai superioris Silesiæ Ducis. Hic Casimirus A.C. 1288. Wenceslao Bohemiæ Regi se submisit, & sequenti annô extinctus, reliquit ex Beatrice Brandeburgica Johannem, cujus familia in abnepote Duce Teschinensi, Domino Zatoriæ, A.C. 1513. defecit: & Casimirum III. cujus filius alter Primislaus Teschinensem principatum tenuit, inde fratris Semoviti Glogoviensis hæres, & posteà quoque Falcoburgiô, ex donatione Wenceslai Imperatoris auctus est, obiit A.C. 1407. pater Boleslai, qui Wenceslao itidem charus, Sigismundi adjutor A.C. 1417. adversus Borussos fuit. Hôc natus Boleslaus, obiit A.C. 1460. pater ex Anna Mazovia Casimiri IV. qui partem dimidiam Glogoviæ suam regi Bohemiæ cessit: mortuus A.C. 1528. utriusque Silesiæ Capitaneus. Hujus postumus Wenceslaus Adamus, Austriacis fidissimus, filium Adamum Wenceslaum successorem reliquit A.C. 1579. qui in aula Christiani I. Electoris Saxoniæ educatus, posteà in bello Turcico se strenuè gessit, & A.C. 1617. supremus Silesiæ Capitaneus constitutus, sequente annô obiit, cùm ad Latina sacra transiisset: in quibus etiam, filius ejus ex Elisabetha Curlandica Fridericus Wilhelmus, educatus, nostrâ memoriâ morte suâ totam Micislai, cui superior Silesia A.C. 1664. sicut fratri ejus Boleslao inferior, obtigerat, lineam terminavit. Vide Phil. Jacobum Spenerum *Syllog. Genealog. Histor.*

TESECA, oppidum agri Tarvisini, juxta quod Calorus in Anaxum evolvitur.

TESQUA, apud Papinium Statium, *Theb. l.* 12. *v.* 447.

> *Vix ea, cùm subitus campos tremor, altaque tesqua*
> *Impulit* ——

Ubi *tesca* habent optimæ membranæ; spatia sunt campi inculta, religione quâdam à cœteris distincta. Quasi *tuesca* Festo, à *tuendis sacris*; à Græco δάσκια, pro δασύσκια, *umbrosa*, *opaca*, Scaligero. Sabinam vocem esse, & *quævis inculta loca* denotare, ait Scholiastes Horatii *ad l.* 1. *Ep.* 15.

TESSARACOSTE, Græcè Τεσσαρακοστή, intervallum inter Pascha & Ascensionem 40. dierum, unde nomen: cujus solenne ipsâ Ascensio, *Scal.* Vide Cæl. Rhodig. *Antiqq. lect. l.* 27. *c.* 21. & suprà *Quadragesima.*

TESSARESCÆDECATITÆ, vide ubi de *Quatuordecimanis.*

TESSELLATA Pavimenta, apud Sueton. *Julio c.* 46. *In expeditionibus tessellata & sectilia pavimenta circumtulit*: sunt materia pavimentorum, ipsa nempe sectilia, marmorisque crustæ & tesseræ; quas in expeditionibus circumferebat Cæsar, ut, quoties castrametandum esset, pavimenta ex iis in prætorio struerentur, ab Artificibus huic rei destinatis; cùm apud Veteres τὸ περὶ τὴν σκηνὴν τῶν ἐδαφῶν gregariorum militum munus fuerit, ut ex Polybio discimus. Fuêre istiusmodi pavimenta in frequenti usu apud Romanos; adeò ut, cùm plurima eorum essent genera, istud tamen *pavimenti* appellationem propriam sibi fecerit. Itaque auctor *Glossarii* vertit, *Pavimentum*, ψηφολόγημα, ψηφολόγητον ἔδαφος: & Cicero porticum domus suæ *pavimentatam* ait fuisse, *Pro domo*, non simpliciter ἐσχροβόλω, sed *arte pavimenti*, ut *Lucilius* dixit. Meminit artis Seneca *l.* 2. *Controv.* 1. Augustinus *l.* 1. *de ord. c.* 1. Gregor. Nyssenus *in Theod. Teronem Mart.* ubi Artifex talis ὁ τὰ ψηφίδων συνθέτης appellatur. Alii. Idem verò & ψηφοθέτης & χονδροβόλος dictus. Est autem ψῆφις, item χάλιξ, *glarea* & *minutissimus calculus.* E cujusmodi calculis quadratis in varios colores tinctis ac artificiosè inter se junctis, structum pavimentum exprimebat varias imagines aut avium, aut piscium, aut hominum, aut alias quascunque. Unde Providentiam Dei, similitudine ab hujusmodi pavimento petitâ, elegantissimè illustrat Augustinus *d. l. Si quis*, dicens, *tam minutum cerneret*, *ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius tessellæ modulum acies ejus valeret ambire*, *vituperaret artificem*, *velut ordinationis & compositionis ignarum*; *eo quòd varietatem lapillorum perturbatam putaret*, *à quo illa emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia simul cerni — non possunt*, & quæ seqq. Recentiores *marmorea exempla*, ἐξομμάλατα dixêre, ut vidimus &c. Ab his diversa lithostrota, quæ postquam sub Sulla demum cœpêre, cùm pavimenta tessellata jam ante Cimbricum bellum frequentata essent, teste Plinio *l.* 36 *c.* 25. lithostrota in pavimento ac solo mansêre, *tessellata* verò ad cameras translata, & *Musivi operis* nomine appellata sunt. Vide Casaub. *ad Suetonium*, *d. l.* Salmas. *ad Pescennium Nigrum Spartiani*, *c.* 6. & *ad Solin. p.* 1214. nec non hîc passim, ubi de *Calculis*, *Lithostrotis*, *Musivo opere*, item in voce *Pavimentum.* Addam saltem, ex Plinio *d. l.* apud Græcos originem hujusmodi pavimenta habuisse, & celeberrimum in hoc genere fuisse Sosium, qui Pergami statuit, quem vocant, *asaroton œcon*, mirabilis operis, de quo suprà. Vide apud eundem. *Tessellata vestimenta* occurrunt *l.* 35. *c.* 9. de quibus aliquid infrà.

TESSERA, ab Ionico τέσσερα pro τέσσαρα, i. e. *quatuor*, quòd omni ex parte *quadrata* esset; in genere idem cum signo symboloque: Quæ quanta apud Veteres in celebritate fuerit, nemo est qui nesciat, in Ludorum Hospitalitatisque ratione inprimis. Cujus figuræ essent, nomen satis indicat: materia ligustrum fuit, teste Pliniô, *Hist. Natur. l.* 16. *c.* 18. Pignorius eburneas se vidisse ait non paucas, ac ejusmodi unicæ, quam penès se habebat exemplum apposuit, in *Comm. de Servis*, cum *inscr.* ΦΙΛΟΜΟΥΣΟΣ ΠΕΡΕΙ in uno latere: in altero SPECTAVIT; & icone *fuscinæ trifurcæ*, in tertio; ac *rami olivæ*, in quarto. Unde probat, notas illas SP & SPECT. sicut in aliis expressum ostendit, quæ doctos viros hucusque torserunt, nihil aliud significare, quàm SPECTAVIT: ut detur intelligi, conductos fuisse aliquos, velut ab Editore Gladiatores insignes, rude olim donatos, spectandi gratiâ, non pugnandi: *Et sanè*, pergit, *in his Tesseris vix aliud symbolum videas*, *quàm fuscinarum & palmarum*, *vix ad ludum gladiatorium pertinent. Vulgârunt earum inscriptiones* (vide Aldum *in Orthogr.*) *alii cum titulo nescio cujus eburnei Figlini*, *quod ego non satis capio. Nomina*, *quæ in ipsis leguntur*, *servilia procul dubio sunt* ANTHUS, FAUSTUS, INGENUOS, OLYMPUS, REPENTINUS, HERMES, FELIX, PHILODAMUS, PHILARGYRUS: *& me judice*, *non alios innuunt*, *quàm tesserarios nostros*, *ut is*, *cui Tessera obtigerat*, *haberet statim in promtu nomen erogatoris familiaris. Non pugnabo tamen admodum*, *si quis Gladiatores*, *qui spectabant*, *interpretetur*: *pronior utique in priorem illam seu divinationem*, *seu conjecturam.* Ut ut res sit, illud profectô statuendum videtur, hujusmodi *Tesseras* in usu fuisse, ut Spectatores inde aliquid lucrarentur. Martialis *l.* 8. *Epigr.* 78. *v.* 9.

> *Nunc veniunt subitis lasciva nomismata nimbis*,
> *Nunc dat spectatas tessera longa feras*,
> *Nunc implere sinus securos gaudet*, *& absens*
> *Sortitur Dominos*, *nec laceratur avis.*

In quæ verba sic Turnebus, *Adv. l.* 29. *c.* 9. *In sphærulis*, inquit, *seu tesseris ligneis*, *quæ spargebantur in Populum*, *inscripta sunt munera vulgò tessera vel visarum & præsentium*; *vel absentium ferarum aviumque. Tesseras ergo & sphærulas seu globulos populus rapiebat*, *quum jactarentur*, *& quod quisque in Tessera signum habebat*, *illud accipiebat ab Imperatore ut si inscriptus esset cervus*, *equus*, *domus*; *domum*, *equum vel cervum*, *à Cæsare vel Munerario acciperet. Missilia itaque rem ipsam spargebant & mittebant*: *Tesseræ promittebant. Ita non lacerabatur rapientium manibus absens avis*, *& implebat sinus securos.* Et sic demum intelligitur, quod est apud A. Gellium, *l.* 10. *c.* 27. de Q. Fabii Epistola ad Carthaginenses missa, *M. Varro autem non hastam ipsam*, *neque ipsum caduceum missa*, *sed duas Tesserulas*, *in quarum altera caduceum*, *in altera simulachra hastæ fuerunt incisa.* Ad eandem videtur respexisse Claudian. *de laud. Stiliconis Panegyr.* 3. *v.* 345.

> *Tum virides pardos*, *& cætera colligit Austri*
> *Prodigia*, *immanesque simul Latonia dentes*,
> *Qui secti ferrô in tabulas*, *auroque micantes*,

In-

Inscripti rutilum caelatô Consule nomen
Per Proceres & vulgus eant.

Descripsit autem hic Diptycha, quorum meminêre Valentinianus, Theodosius & Arcadius A. A. A. *Illud etiam constitutione solidamus, ut (exceptis Consulibus ordinariis) nulli prorsus alteri auream Sportulam & Diptycha ex ebore dandi facultas sit; cùm publica celebrantur officia, sit Sportulis nummus argenteus, alia materia Diptychis.* Et Symmachus, *l.* 2. *Ep.* 80. *Quaeso igitur, ut ejus nomine Diptycha & Apophoreta suscipere digneminî, qui apparatui ejus plura & praeclara tribuistis, praeterea, Domino & Principi nostro, ad referendam largitatis ejus sedulam magis, quàm parem gratiam, aurô circumdatum Diptychum misi, ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus & canistellis argenteis honoravi.* Et hae Tesserarum epigraphae explicant nobis sententiam Theodosii & Valentiniani, *l.* 3. *C. Theodos. de divers. resc. Perissochoregiae nomen penitus amputetur & Tesserae designentur, & nostrae pietatis nomine censeantur*: quod est, *felici nomine pietatis nostrae impressô signentur*, ut Imperator Zeno loquitur, *l.* 10. *C. de aquaduct. l.* 11. Non enim satis erat, ut *Honoriana* appellarentur. Vide Pignorium, *locô praef.* Hospitalitatis *Tesseras* quod attinet Veteribus usitatissimas & Homero saepius memoratas, erant itidem ex ligno; aliave quandoque materia: quae in duas divisae partes jus inter duos hospitii firmabant, ad posteros quoque transmittendum. Hinc apud Plautum, *Poenul. Actu* 5. *sc.* 1. *v.* 25. *it*, qui Antidomô hospite usus erat, post hujus obitum, filium ejus adoptivum, certâ hospitii spe adiit, *Deum*, inquiens, *hospitalem & tesseram mecum fero*: Contrà fidei in hospitem violatae reus, *Tesseram hospitii confregisse* dictus. Qua de re vide plura suprà, ubi de *Hospitibus*. Praeter has *Tesserae frumentariae* saepius occurrit; apud Suetonium inprimis. Cùm enim lege Gracchi esset obtentum, ut frumentum populo divideretur, & quidem senis aeris trientibus in singulos modios veniret; P. autem Clodii rogatione effectum esset, ut gratis daretur: Octavius Aug. ubi Imperium adeptus est, summopere curavit, ut illud institutum observaret, hâcque liberalitate Populus benevolentior ei redderetur. Ideoque *ter in annum quaternum mensium* Tesseras *dare destinavit, desiderantique consuetudinem veterem concessit rursus, ut suis quisque mensibus acciperet.* Sueton. *in eo*, *c.* 40. Atque insuper Praefectum frumenti Populo dividendi constituit, Fuêre autem hae *Tesserae* signa, quae qui exhiberent, frumentum Romae accipiebant. Hadr. Turnebus, *Adv. l.* 19. *c.* 26. existimat, fuisse frustilla lignea quadrata, certâ insignita, & notata formâ, quae data sint iis, quibus jus fuerit petendi frumenti publici, ideoque à Graeco *τέσσαρα*, uti dictum, derivat. Hoc certum, est, & ipsas minutas fuisse, *Tesserulas* proin Persio dictas, *Sat.* 5. *v.* 74.

Publius emeruit scabiosum Tesserulam *Far.*

An autem eodem referendi sint parvi globuli lignei, de quibus *Joh. Xiphilinus*, Epitomator Dionis, dubitat Pignorius, formâ reclamante. Interim cùm videamus non raró transire in aliam figuram res, quae ab arte sunt, manentibus tamen primigeniis nominibus: non temerè *σφαίρια* haec Dionis è numero *Tesserarum* eximenda videntur. Accedunt ad ea, eburnea quaedam circularia segmenta, notis numeralibus inscripta: de quibus Romae erutis A. C. 1607. Pignorius quaedam ex archetypis expressit in suo *de Servis Comm.* vide quoque suprà *Globuli*. Ab his *Tesseris Frumentariis*, an diversae fuerint *Tesserae nummariae*, an hae in vicem frumenti datae, quarum idem Suetonius, ubi suprà, meminit, quaerunt Eruditi: ad inopiam certè Plebis sublevandam & illas fuisse adhibitas, ibi legimus. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 34. Thomam Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *Sect.* 3. *c.* 13. Is. Casaubon. *ad Severum Spartiani*, *c.* 23. ubi *tesseras* has *frumentarias* choenicarias fuisse cum Guil. Budaeo statuit, Salmas. *ad Aurelian Vopisci*, *c.* 35. Alios; nec non suprà passim, ubi de *re Annonaria* & *Frumentaria* Veter. item in voce *Ligustrum* item *Panis*. De *Tessera Militari*, infrà dicemus: de *Tesseris Vestium* seu *Scutulis* quadratis videl. clavis, quae vestibus intexi apud Veteres quoque solebant & Graecis *κύβοι, πλίνθοι, ῥόμβοι*, infimae Latinitatis Auctoribus *tabulae* dicuntur (sicut rotundi clavi in iis, *oculi* Latinis, Graecis *σφραγῖδες, κόγχοι* & *κογχάρια* dicti sunt) egimus suprà non unô locô. Addam Plinii locum de Zeuxide Pictore, *l.* 35. *c.* 9. *Opes tantas acquisivit, ut in ostentatione earum Olympiae, aureis literis, in palliorum* tesseris, *intextum nomen suum ostentârit.* Sed & ad mandata perferenda *tesserae* adhibitae, ut ex Livio discimus passim. Quâ notione vox extat apud Sueton. *Galba*, *c.* 6. *solemni forte spectaculô plaudentes inhibuit, datâ tesserâ, ut manus paenulis continerent.* Ubi *tesseram* vocat Ducis praeceptum, quod ab iis, qui proximi erant, primò exceptum per successionem ad omnes pervenit: nec refert sive id voce datum est, sive in pittacio scriptum. Utrôque enim modô fieri solitum. Casaubon. *ad loc.* In divinatione quoque per Sortes, quam vocem suprà vide, ubi *γραμματεῖα* hujusmodi *tesseras* Graecis dictas esse vidimus. Ad debiti porro memoriam servandam. Vide suprà *Talea*. Ad alia item: cujusmodi *Tesserarum* magnam copiam adfert Tomasinus, *de Tesseris hospitalitat.* non ita pridem juris publici factus, è quo duas mutuò sumtas transtulit Andr. Frisius, *in ultimam Pignorii editionem* unam cum *inscript.* MANLII MARTIALIS spectaculis destinatam; alteram, quam amatoriam fuisse amantiumque nomina peculiaribus intricata notis exprimere, arbitratur Olaus Wormius, *in Monum. Dan. l.* 22. &c. Hinc *Tesserarii* in familia dicti, qui adferentibus *Tesseras*, quas acceperant, frumentum, nummos, vestem, gemmas, mancipia, jumenta, & cetera hujusmodi vicissim erogabant. De iis extat vetus Romae *Inscr. Symphoro Tesserario Ser. Caesaris de domo Gelotiana fecit Philodespotus ex Hermeo Fratri b. m.* apud eundem Pignorium, ubi *suprà*.

TESSERA Militaris, Palamedis inventum, Plin. *l.* 7. *c.* 56. tabella erat inscripta, quae Sole occiduô à Tribuno accepta ferebatur ad signorum Principes, rursumque ad Tribunum redibat, unde is omnibus datum esse signum cognoscebat, necdum se intendentibus tenebris, perque omnes ad se pervenisse, Cael. Rhodig. *l.* 27. *c.* 21. *πινάκιον* vocat Polybius, quòd taleola esset vel tabella *ita* inscripta; item *ξυλήφιον*, quòd è *ligno*. Parthenii Spartani lutô ejus vice, aliàs Spartani arundine, usi sunt: Septem Persae, dum Magos noctu adoriuntur, nodum posticum tiarae in frontem, eôdem fine rejecerunt; nonnunquam & voce seu clamore, buccinâ, antiquitus scil. dabatur. Nempe hôc bellicô symbolô signôque socii milites dignoscebantur ab hostibus, ut pro quibus, & contra quos, arma sumerent, haberent notum, ut hodieque fieri videmus. Dabatur autem illa celerrimè. Statius, *Theb. l.* 7. *v.* 256.

——— *Fugit ordine velox*
Tessera ———

Et quidem Iphicrates militibus suis dedit tesseram, *Mercurium Philium*; Julius Caes. *Victoriam*, Pompejus M. *Herculem Invictum*. In Pompeji Junioris castris tessera fuit, *Pietas*; in M. Antonii *Lardeus*, Syllae *Apollo*, ut & Bruti in Philippicis. Augustus *Venerem dedit Genetricem*, Nero *Optimam matrem*, Antoninus *aequanimitatem*, Severus *Laboremus*, Pertinax *Militemus*, Manuel Comnenus *Ferrum*; Christiani in Orientem militatum proficiscentes, *Deus vult* &c. Sed & Cyri tessera fuit, *Jupiter belli socius & dux*, Demetrii Poliorcetae *Jupiter & Victoria*, Antiochi Soteris adversus Galatas moturi, *Benevalere* &c. Vide Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 2. Hanc qui militibus tribuebat ac per contubernia militum praetorianorumque nuntiabat, *Tesserarius* iisdem dictus est, apud Romanos, cujus officii mentio non infrequens in *veteribus Inscr.* Sic legimus, TESSRARIO. OPTIONI FISCI. CURATORI. Item IN. EIS. TESSERARIO. OPTIONI. VEXILLARIUS, apud Salmas. *Not. ad Adrian. Spartiani*, *c.* 11. In quarum illa miles ex *Tesserario* promotione factus Optio & posteà Procurator Fisci: in hac ex *Tesserario* item Optio, inde Vexillarius factus, indigitatur. Vide hanc in rem apud eundem, *ibid.* plura, nec non apud Lipsium *de Militia Rom. l.* 5. *c.* 9. & *ad Polyb.* Bernartium *ad Statium* *cit. l.* 10. Alios infrà itidem voce *Vigil.* *Tesseras* verò dare non esse Imperatorum, sancit Leo Imp. *in Tacticis c.* 20. *v.* 180.

TESSERAE, nomen ludi apud Veteres multùm usitati. A. Gellius, *l.* 1. *c.* 20. *Κύβος est figura ex omni latere quadrata: quales sunt* Tesserae, *quibus in alveolo luditur: ex quo ipsa quoque appellata κύβος.* Ubi *Tesseras* sive cubos à *cubo* denominari scribit: aliis *Tesserarum* figuram, quae *cubi* appellantur, cubo nomen dedisse existimantibus. Quale id ludi genus fuerit, non adeò obvium: Dempsterus cum *Talis* confundit, uti visum; At numerus Talorum major. Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 15.

Non sum Talorum numero par Tessera ———

Talis enim ludebatur quatuor, *tesseris* verò duabus, ad summum tribus. Et distinguit Gellius, *l.* 18. *c.* 13. *Talos aut tesserulas*: ut alia omittam. Gronovius hôc nomine intelligit Ludum duodecim scriptorum, admodum similem illis, qui hodie *Trictrac*; aut *Verkeeren* aut *Lurtschen* aut simplicius genus *Aus und ein* Gallis Germanisque utrisque appellantur. Et certum in tabula lusoria, ut apud nos, sic olim apud Veteres duplicem praecipuè lusum viguisse, *Calculorum* seu *Latrunculorum* & *Tesserarum*, quem & *Tabulae lusum* simpliciter nominabant; in quo calculi quoque adhibiti. Mittebantur itaque *Tesserae* vel jactabantur per pyrgum seu fritillum, (praeter pyrgum etiam *ψηφοβόλον* habet Joh. Antiochenus) ut hodièque inter collusores diffidentes: Calculique dabantur & movebantur in eadem tabula vel alveo lusorio, notato duodecim lineis, sive scriptulis utrinque, Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 17.

Hic mihi bisseno numeratur Tessera *punctô*:

Per quae collocabantur & procedebant calculi, prout illos Fortuna jactus & ars jactum disponentis jussisset: Calculum verò reducere licitum non erat, nisi adversarius concederet. Erant calculorum triginta, quindecim rufsei seu nigri & quindecim albi: *Tesseris* verò plurimùm duabus, interdum & tribus utebantur. De illis cento Virgilianus,

Triginta magnis adversos orbibus Orbes.

De istis, Seneca *in ludo de morte Claudii*, *extr.*

Nam quoties missurus erat, resonante fritillô,
Utraque subductô fugiebat Tessera *fundo.*

Seriem linearum seu scriptorum, *Iter* Petronius; *Tramitem* vetus Epigr. vocat; quem qui occupâsset, & adversarium cum calculis in sua parte frequentibus, minimùm uno, reliquisset, victor erat: Quod Petronius *omnium tesserarum iter consumere*, ait, vide Joh. Frider. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 3. *c.* 15. & suprà, ubi de *Scriptorum duodecim* ludo. Inventorem Ludi, Graec. *τῆς πεττείας*, Palamedem faciunt plurimi. Nonnulli de Latrunculorum id concedentes ludo, *Tesserarum* ludum ab Aegyptiis ortum fuisse, contendunt ex Platone *in Phaedro*: Nam *πεττεία* haec cursum Solis ostendebat, per duodecim Zodiaci signa, ut Eustathius monet. Vide Anton. Thysium, *Notis in Gellium*, *l.* 1. *c.* 20. Salmasius duplicem apud Graecos usitatam *πεττείαν* contendit, alteram simplicissimam, quinque solùm calculis (quos Graeci *πεσσοὺς* dicunt) ab utraque ludentium parte, absque tesseris, tractatam; alteram, longè operosiorem & ingeniosiorem, tesseris calculisque 15. utrinque ludi solitam: In illa, tabulam decem lineas habuisse, quinas ab utraque parte, & mediam inter illas, *Sacram* dictam, ad quam victus quasi ad ultimam anchoram confugerit; in ista, duodecim lineas sive scripta fuisse,

fuisse, in quibus ad *tesseræ* jactum calculi fuerint dati: illam Palamedis, hanc Ægyptiorum fuisse inventum ait. Certè *Sophocles* de his πεσσοῖς loquens, quos primus invenit *Palamedes*, semper eos ἀπὸ τῆς κύβου separat: *Hesychius* quoque, ubi πεττείαν ἀπὸ τῆς κυβείας distinguit, priori voce simplicem illam, quæ meris calculis: posteriore vel simplicem item, in qua meris tesseris, vel duplicem illam, in qua & tesseræ jactabantur, & ad earum jactum calculi movebantur, quamque διὰ κύβων πεττείαν plenè alibi vocat, intellectam vult. De *Latrunculorum ludo* suô locô. Materiam quod attinet, apud Petronium *Satyr.* Trimalcionem tabulâ terebinthinâ, *Tesseris* crystallinis, & locô calculorum aureis argenteisque denariis, usum fuisse legimus: E ligustro & ebore aliàs *Tesseræ* frequentes, &c. Hæc de ludo, in quo & *Tesseris* & calculis pugna fiebat: Sed & solis *Tesseris* non rarò ludebant, & quidem tribus antiquitùs; mediâ ætate duobus, postremò ævô ad ternos redeunte. In hoc ludo, missus seu jactus duo inprimis notabiles erant, *Senio* & *Monas*; quorum ille Græcis Κῷος, hic Χῖος, dictus est: Suid. in voce Κῷος, ὁ μὲν γὰρ Χῖος ἐδύνατο ἓν ὁ δὲ Κῷος ἕξ. Unde Proverb. Κῷος πρὸς Χῖον, de comparatione maximè imparium. An autem hi jactus à numero punctorum, an *Tesserarum* omnium situ, nomen nacti sint (Non enim singulis *Tesseris*, sed tribus, ut dictum lusisse videntur) incertum est. Interim hoc certum est, *Tesseras* punctis notatas fuisse, Hadr. Turnebus, *Adversar. l. 5. c. 6.* Quo proin trahit Gronovius *versum* Martialis *de bisseno puncto*, proximè laudatum: quæ cùm alii explicent de lineis seu scriptis seu γραμμαῖς tabulæ; ille de numeris, in ipsis *Tesseris* punctis ac signatis, accipit; Ita enim is, *Unde numeros pro Tesseris, in quibus numerantur puncta*, Ovidius *l. 2. Artis, v. 203. Numerosque manu jactabit eburnos. Et nihil verius illâ vulgi Interpretum sententiâ, in hac Tabula binis tesseris ludi, sive exerceri Tesserarum & calculorum lusum, quò Tesseræ summum habebant duodecim puncta, nempe si existant duo seniones: in quo per tesseras numerantur usque ad 12. puncta. Si plura numerari dixisset, plures fortè Tesseras intellexisset, loco cit.* Videtur tamen, *Senio*, qui aliàs *Basilicus*, item *Venus*, (namque nomina hæc *Tesserarum* æquè ac Talorum ludo nonnulli communia faciunt) is dictus esse jactus, cùm omnes tres Tesseræ senionem ostenderent; cui *Canis* seu *Canicula*, cùm nempe tres monades prodirent; opponebatur. Persius, *Sat. 3. v. 48.*

——— Quid dexter Senio ferret,
Scire erat in votis, damnosa Canicula quantum
Raderet.

Quod probatur veriverbiô, *Aut tres sex, aut tres Tesseræ*: quô indigitatur, aut omnia lucrari, aut omnia perdere nobis constitutum esse. Eundem *Senionem* Rhodiginus *Midam* quoque nominatum esse, annotavit, *In Tesserario ludo Midas jactus erat fortunatissimus*; ex *Suida*, ubi ait,

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν ἄριστος βουλευτής,
Midas in tesseris consultor optimus.

Aliud significabat senio in Talorum ludo, ubi similiter felicissimus habebatur. *Stesichorius jactus*, cujus mentionem facit præfatus Cœl. Rhodig. *l. 20. c. 27.* aliud ludi genus innuere videtur, in quo octonarius numerus victoriam dabat: idque ex eo, quòd monumentum Poëtæ hujus *ex octonis constaret omnibus*, unde Proverb. Ἄπαντα ὀκτώ. Porrò, *Tesseræ* in conviviis, non minùs quam Latrunculi frequentissimæ. Jul. Capitolin. *in Vero, c. 5. Post convivium lusum est Tesseris usque ad lucem.* Senile inprimis exercitamentum, Cicer. *de Senect. c. 16. Nobis senibus ex lusionibus multis Talos relinquant & Tesseras*: apud Latinos nempe; Græcis enim puerile id &c. Vide Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l. 2. Sect. 3. c. 13.* Thom. Dempst. *Paralipom. in Rosin. l. 5. c. 1.* Alios; inprimis verò Claud. Salmas. qui ludum hunc Veterum præclarè illustravit, ad Flav. Vopisc. *in Vita Proculi, c. 13.* nec non hic passim, præsertim ubi de *Alea*, item in voce, *Planum*, *Plistobolinda* & *Tabula*: uti de voce Ambigua Lartis Tolumnii Vejentium Regis *in Tesserarum jactu*, Legatis Romanis exitiali, Liv. *l. 4. c. 17.*

TESSETA, vulgò *Tesset*, regio in parte Occidentali Biledulgeridæ, cum urbe primaria cognomine inter regnum Marochi ad Boream, Oceanum Atlanticum ad Occasum, Darham Segelmessam ad Ortum, Zanhagamque desertum ad Meridiem extensa.

TESSUINUM, oppid. Piceni; in finibus Aprutii apud Truentum fluv. *Mario Trassino Blondo.*

TESTA, quasi *tosta*, à *torreo*, Græcè ὄστρακον, multiplici usu inclaruit. Namque & in suffragiis *testæ* adhibitæ sunt Athenis, unde *testulâ collabefactus*, *testarum suffragiis ejectus*, aliæque phrases apud Corn. Nepotem in *Aristide, c. 1.* & *in Themistocle, c. 8.* & celebre illud Ὀστρακισμοῦ nomen, de quo suô locô: & chartæ locô fuêre. Boum enim ossibus & *testis fictilibus* inscribere solitum Zenonis præceptoris dictata Cleanthem, ex *Laërtio* discimus. Porrò saltantibus Pantomimis, præter scabellorum crepitum, de quo suprà, solebant etiam *testæ* percuti. Vetus Scholiastes Juvenalis *ad illud, Sat. 11. v. 169.*

---- audiat ille
Testarum crepitus ----

Testis, inquit, *anteà percutiebant saltantibus Pantomimis, quoniam tunc non erat, ut Mesochori percuterent manibus.* Etiam *testarum jaculatione in mare* ludebant olim pueri, de quo sic Minucius Felix, *Octavio*, *Is lusus est*, inquit, *testam teretem, jactatione fluctuum levigatam, legere de litore: eam testam planô situ digitis comprehensam, inclinem ipsum atque humilem, quantum potest, super undas inrotare: ut illud jaculum vel dorsum maris raderet, vel enataret, dum leni impetu labitur: vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduò saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cujus testa & procurreret longiùs & frequentiùs exsiliret.* Græci ἐποστρακισμὸν hunc lusum appellant. *Hesych.* ἐποστρακίζειν, ὀστράκοις παίζειν, vide Paul. Leopardum *Emendat. l. 6. c. 8.* Desider. Heraldum, *Castigat.* & *Notis*, ut & Jac. Ouzelium JCtum, *Animadversion. ad Minutium*, Alios. Sed hîc *testa*, pro calculo est seu lapillo, uti *testium* apud Petronium, ubi de XII. Scriptorum ludo, *Dum ille*, inquit, *omnium testiorum iter lusu consumit.* Aliud erat ὀστράκου περιστροφὴ, *testæ conversio*, indigitata Platoni, *l. 7.* & *Polluci* descripta, hôc modô: Pueri ductâ in medio lineâ, duas in partes sese distribuebant; quarum altera *intra testam*, altera *extra* dicebatur. Deinde mittente quôpiam ad lineam *testam*, utrius partis superior extitisset aliquis, hunc insequebantur, qui illi adhærebant reliquis in fugam conversis. Cæterùm e fugientibus, qui comprehensus esset, is considebat, Ὄνος, *asinus*, dictus, testâque projectâ dicebat, *Nox dies*: nam interior testæ pars pice sublita erat, quæ nocti respondebat. &c. Vide Erasmum *in Adagiis.* Sed & sævitiæ instrumenta *testæ*. Ut enim væcordiam Gallorum Cybeles prætercam, qui *testâ* (quam *Samiam* ἐπιθετικῶς appellat *Lucillius* à loco, quòd *testæ* ibi optimæ fierent) virilitatem sibi olim demessuêre: *testarum fragmenta impolita jacentibus substrata*, inter Veterum tormenta, memorantur Eusebio, *Histor. Eccl. l. 4. c. 14.* etiam miserè jam laceratis ac concisis corporibus, velut pulvillorum vicem præstitura, *Epist.* Seniorum Eccl. Smyrn. *de Martyrio B. Polycarpi.* Quin & iisdem vulnera fricabantur. *Passio* Tharaci & Sociorum *Interrog. 1. Præses dixit: Tollite* testam, *& plagam refricate. Minutatim te exterminabo.* De quo supplicii genere, in Martyres à Tyrannis crebrò usitato, multis agit Prudentius, *Coronâ Passionis Vincentii, v. 257.* & *seqq.* ubi inter alia:

Fragmenta testarum *jubet*
Hirta, impolitis angulis
Acuminata, informia,
Tergo jacentis sternerent.
Totum cubile spiculis
Armant doloris anxii
Insomne quæ subter latus
Mucrone pulsent obviò &c.

Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l. 5. c. 17.* ubi illa verba Dei de Leviathane, apub Jobum, *c. 41. v. 21. Pro eo* (cubili, ut quidam capiunt) *sunt acumina testæ*, explicat, Casp. insuper Barthium *Animadversion. ad Statium, Theb. l. 5. v. 597.* Gallonium, *de Martyrum Cruciatibus, c. 6.* Alios: ut & plura hanc in rem suprà, in voce *Calculus*, *Lapillus* &c. uti de *Testæ tritæ* in picturis colorandis antiquo usu, suprà ubi de *Pictura*. Nec omittendum, quòd & ex *testa* Dii memorantur Arnobio, *adv. Gentes, l. 7. Dii ex ære facti*; testa, *gypso*: qui & *l. præc. colligati*, inquit, *nobilitent testulas; & cætera, quibus signa consiunt.* Addo tribus verbis, *testam* vas vinarium fuisse, apud Martialem, *l. 1. Epigr. 27. v. 7.* testâ mensas suas fulcire consuevisse pauperes, *l. 2. Epigr. 43. v. 10.* iisdem urinam excepisse fullones: *l. 6. Epigr. 93. v. 2.* Sed & in angiportis paratas fuisse iis, qui illam emittere cupiebant. Unde idem, *l. 12. Epigr. 48. v. 5. f.* statim à cœna nullam manere gulæ voluptatem ostensurus ait,

Lauta tamen Cœna est: fateor, lautissima: sed cras
Nil erit, imo hodie; protinus imò nihil;
Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ,
Vel quicunque canis, junctaque testa *via*;

De *testaceis navibus* hîc infra; uti de *testuatio*, libo in Matralibus offerri solito, suprà, ubi de festo hoc.

TESTACEA, in Aquatilibus, *lepas*, *ostrea*, *conchæ*, *cochleæ*; *sicut crustata*, cancer, pagurus, maja, locusta &c. Homini inserviunt, ad cibum, ut ostrea: ad ornatum, ut conchylia & murices, unde purpura; pinnæ item, unde margaritæ eruuntur: ad suffitum, ut ὄνυξ, conchylii operculum, Hebr. *Secheleth*. quod inter aromatum species censetur, Exodi *c. 30. v. 34.* & Ecclesiastic. *c. 24. v. 21.* Bochart. ubi suprà, *l. 1. c. 8.* Plura verò, apud Ulyssem Aldrovandum *de Testaceis*, ubi iconas ferè sexcentas testudinum & ostreorum expressit &c. Sed & *scaphis testaceis* in Nilo Ægyptios usos legimus, apud *Strabonem*, ubi de canalibus ac fossis Nili: καὶ μεγάλων πλοίων τοσούτων, ὥστε καὶ ὀστρακίνοις εἶναι πορθμεῖα. Quod Juvenalis *Sat. 15. v. 127.* explicat,

Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis
Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.

Nempe ex *testa fictili*, de qua suprà, istiusmodi schaphas factas, indigitans. Sed & testudinum marinarum *testas* Chelonophagis populis casarum vice fuisse, suprà diximus: quidni & scapharum? Plura vide infrà, in voce *Testudo*.

TESTACEUS Mons, seu *Doliolum*, Romæ est, inter Aventinum, Tiberim fluv. & Portam Ostiensem seu S. Pauli. Hodieque *monte Testaccio*, à testis fractis illuc comportatis.

TESTAMENTARIUS, in Ecclesia Romana Officium Monasticum est, penès quem fuit dispositio piorum legatorum, seu ab exteris ea, seu à domesticis proficiscerentur, tanquam *testamentorum* exsequutorem, uti discimus ex Brouvero, *Antiqq. Fuld. l. 2. c. 10.*

TESTAMENTUM, alienationis species est, & juris naturalis. Quamvis enim id, ut actus alii, formam certam accipere possit à jure civili, ipsa tamen ejus substantia cognata est dominio, & eô datô juris naturalis. Possum enim rem meam alienare, non purè modò, sed & sub conditione; nec tantùm irrevocabiliter, sed & revocabiliter, atque etiam retentâ interim possessione & plenissimô jure fruendi. Alienatio autem in mortis eventum, ante eam revocabilis reten-

retentô interim jure possidendi, ac fruendi est *Testamentum*. Vidit hoc rectè Plutarchus, qui cum à Solone dixisset permissam civibus Testamenti factionem, addit: Τὰ χρήματα κτήματα τῶν ἐχόντων ἐποίησε, *Effecit, ut res cuique suæ propria & in pleno dominio essent*. Quô jure Abrahamus Patriarcha si sine liberis decessisset; res suas Eliezero relicturus fuerat, ut indicat locus Genes. *c.* 15. *v.* 2. Quòd verò alicubi externis *Testamentum* facere non conceditur, id non est jure Gentium, sed ex jure proprio illius civitatis, & fortè ab illa veniens ætate, quâ externi quasi pro hostibus habebantur: itaque apud moratiores populos meritò exolevit. Sic Grotius *de jure Belli ac Pacis l.* 2. *c.* 6. *sub fin.* Apud Romanos tria fuisse *testamentorum* genera, A. Gellius docet, *l.* 15. *c.* 27. *Tria enim genera Testamentorum fuisse accepimus, unum quod Calatis Comitiis in populi concione fieret: alterum in procinctu, quum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur: tertium per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhiberetur.* Quæ verba haud aliunde meliorem accipient lucem, quàm ab iis, quæ Theophilus scribit *in Paraphr. Instit. l.* 2. *tit.* 10. *de Testamentis*. Et quidem de *Testamento*, quod *Calatis Comitiis* dicebatur, *Testamentum*, inquit, *hôc tempore pacis fiebat bis in anno hunc in modum. Præco universam circumibat civitatem conclamans & totus Populus congregabatur, & ita qui volebat, teste Populô, Testamentum scribebat*. De Testamento in procinctu paulo pòst: *Procinctum vero Testamentum est, quod fiebat, cùm in prælium essent exituri: nomenque ab habitu, in quo Testamenta fiebant, sortitum est. Nam cùm in incerto esset, an redituri essent procincti* (i. e. parati ad prælium) *Testamentô priùs factô in pugnam exibant.* Pergit dein, *Porrò cùm hæ duæ species tantùm in usu essent, eveniebat, ut nonnulli repentinâ morte sublati intestati morerentur; neque enim Calatis Comitiis testabantur, quia nondum instaret tempus; neque item in Procinctu, quia bellum non esset. Deinde & illud mali ominis videbatur, sanô quempiam & valente corpore* Testamentum *facere. Ob hæc igitur tertia species inventa est, quæ dicebatur* per Æs & Libram: *Fiebat enim per emancipationem Porro emancipatio est imaginaria venditio: In hunc verò modum vendebatur: Quinque aderant testes & Libripens, cives Romani, hique puberes. Atque his præsentibus, is qui successor defuncti erat futurus, patrimonium morituri emebat, verba quædam dicens solennia, & imaginarii pretii nomine nummum rerum domino dabat; appellabaturque* Familiæ Emptor. *Deinde ordinabat moriens, quid post mortem suam fieri vellet, dicebat enim Familiæ emptori sive hæredi: Huic volo dari fundum, illi domum, alii centum solidos. Quô Testamenti genere inventô, priora illa jam longô tempore in desuetudinem abierant. Sed & testandi genus per Æs & Libram, paulatim sperni cœperat. Nam cùm idem Familiæ emptor esset & hæres, pro certo habens is se hæredem futurum, in dominum hæreditatis insidias comparabat; unde complures pro veteri more familiæ emtorem adhibebant; qui imaginariâ emptione patrimonium morituri emeret, Sed Testator seorsim in tabulis aut chartis, quem sibi hæredem esse vellet, scribebat*, vide de hoc ultimo *Testamenti* genere, Joh. Frider. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 4 *c.* 7. Ordinem in *Testamenti* observari solitum, annotavit Alex. ab Alexandro, *Genial. dier. l.* 1. *c.* 1. *Primò capite* (seu in prima cera) *hæredis fiebat institutio, sive unus, sive plures essent, qui in universum bona ex defuncti voluntate caperent. Sequenti capite & in ima cera, secundi hæredes, legata & reliqua Testatoris voluntas ac dispositio ponuntur: sive aliquos onere gravare, aut si quibus dari, fierive oportere, Testator pro sua voluntate, arbitratus esset: qui non Heredes, sed Legatarii sunt dicti.* Fiebat autem id, ut etiamnum, septem testibus præsentibus, origine consuetudinis tractâ ex Leg. XII. Tabb. *Ut cùm Pater familiàs super familia sua legaret, nexum faceret, perque Æs & Libram familiam mancíparet: ac præter Libripendem cives Romanos puberes ne minus quinque adhiberet*: Ubi de *Testamento per Æs & Libram*, quod aliàs quoque *Testamentum per Nexum*, agentes Decemviri, in hac imaginaria venditione quinque cives Romanos, Libripendem & emtorem, adeoque numerô 7. requirebant. Verba solennia, quæ dicens Emptor, patrimonium morituri emebat, uti diximus, hæc erant; *Hujus ego familiam, quæ mihi empta est hôc ære, æneâque libra, jure Quiritium, meam esse ajo*: Deinde ære percutiens libram id æs dabat ei, à quo hæreditatem exspectabat, quasi locô pretii. Quæ mancipatio cùm facta esset, tum ordinabat Venditor, quid post mortem suam fieri vellet: atque hæc *Testamenti nuncupatio* dicebatur, quæ sic consueverat fieri, teste Ulpianô *tit. Institut.* 20. *Tabulas Testamenti Testator tenens ita dicebat, Hæc uti his tabulis cerisque scripta sunt, ita do, ita testor. Itaque vos Quirites testimonium præbitote.* Fuisse verò *testandi* jus solis Patribus familiàs, annotavit Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 6. *in tertia parte Legum XII. Tabularum* n. II. &c. Cæterum ingens apud Romanos *Testamentorum* licentia, notatur Suetonio in *Aug. c.* 56 ubi, *Jocis quorundam invidiosis aut petulantibus lacessitum, contradixisse edicto. Et tamen de inhibenda Testamentorum licentia, ne Senatus quicquam constitueret, eum intercessisse*, refert. Mos scil. fuit Romanorum in Testamentis increpare alios, maledicere aliis, & liberam, de quibuscunque vellent, etiam de Augustis ipsis, vocem edere, uti discimus ex Luciano, apud quem Nigrinus Romanos per totam vitam μίαν φωνὴν ἀληθῆ, *unicam vocem veram*, edere, in Testamentis videl. ait. Clausula usitata fuit, *ut tribus pensionibus solverentur*, Casaubonus *ad Sueton. Aug. c.* 101. Obsignabantur dein solenni ritu, de quo pluribus agit Jo. Kirchmannus, *de Annulis, c.* 3. Vide quoque suprà *Obsignatores*, it. *Signatores*. Sic condita autem Testamenta iidem Vestalibus plerumque commendabant, uti de Cæsaris testamento legimus, apud Sueton. *inco, c.* 83. Nonnunquam plura ultimæ voluntatis exemplaria seu ἀντίγραφα, diversis locis, majoris securitatis causâ deponebant, de quo more *ad eundem in Aug. c.* 101. Casaubonum vide &c. Sed nec privatorum solùm opes, verùm integra quandoque Regna *Testamentô* ad alios transiêre, quod de Regnis patrimonialibus, non verò de iis, quæ Populi voluntate delata sunt, intellectum vult Grotius. Sicuti Rex Salomo Regi Phœnicum Hieromo dedit urbes 20. 1. Regum *c.* 9. *v.* 11. quas propriô jure possederat: ita Attalus Rex Eumenis fil. Regnum Pergamenum; & posteà Nicomedes Rex Bithyniam, Romanis *Testamentô* legavit, apud Florum *l.* 2. *c.* 20. *Epit. Liv.* 58. & 59. Unde Cicero 2. *Or. in Rullum, Hæreditatem cernimus, regnum Bithyniæ.* Libyæ quoque pars Cyrenaica eisdem ab Apione Rege relicta est, Tacit. *Annal. l.* 14. *c.* 18. Et *quis ignorat*, verba sunt Tullii *de lege Agr. Regnum Ægypti, testamentô Regis Alexandrini, Populi Romani esse factum?* Vide plura apud prænominatum Grotium, *de Jure B. ac P. l.* 1. *c.* 3. nec non *ad Justin. l.* 5. *c.* 11. de Legibus verò *Testamentorum* nomine latis vide infrà. Apud Athenienses ante Solonem neminem licebat extra gentem & familiam suam hæredem scribere, ex Lege memorata Plut. *in Solone*: Ἐν τῷ γένει τοῦ τεθνηκότος δεῖν τὰ χρήματα καὶ τὸν οἶκον διαμένειν. Cujus ratio est apud Platonem, *de LL. l.* 11. quia *bona testantis non sunt, sed gentis & familiæ*. Neque tamen omnibus fas fuit indiscriminatim è Solonis lege, sua *Testamentô* dare legare: Feminis namque & pueris non licebat dare legare Testamento cuiquam, quod excederet pretium medimni hordei, Παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν: apud Isæum *de Aristarchi hær*. Quæ lex non fuit solis divitibus, sed etiam pauperibus scripta: habuitque pro modulo, pauperiorum censum, seu fœnus annuum census eorum. Cœteris concessit Solon necessitudini generis amicitiam præferre, & bona in uniuscujusque posuit manu, ut possent quem vellent hæredem scribere, nullis superstitibus liberis masculis; si modò non essent furiosi, aut vi morbi aut senectutis, vel pharmacorum de mentis statu dejecti, aut ab uxoribus circumventi, aut denique necessitate impulsi, aut in vinculis habiti, ex Lege, Ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο ὥστε μήτε ἀπειπεῖν, μήτ' ἐπιδικάσασθαι; ὅτε Σόλων εἰσῄει, τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ, ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄρρενες, ἂν μὴ μανιῶν ἢ γήρως, ἢ φαρμάκων, ἢ νόσου ἕνεκεν, ἢ γυναικὶ πειθόμενος ὑπὸ τούτων του παρανοῶν, ἢ ὑπ' ἀνάγκης ἢ ὑπὸ δεσμοῦ καταληφθείς, Demosth. ψευδομαρτ. β. Quâ solis civibus Aboriginibus & indigenis *Testamentum* facere concessum est: cùm ascriptorum civium, qui orbi essent, bona in Ærarium fuerint relata. Qui verò hæredes scribebantur, etiam in filios adsumebantur, Isæus *l. c.* inde peregrini hæredes scribi non poterant ab Atheniensi cive, Plato, *ubi suprà*: quod etiam apud Romanos obtinuisse colligitur, ex Rescripto Imperatoris Titi Ælii Antonini A. ad Antestianum, *l.* 1. *C. de hæred. instituend.* Nec nothi, nisi adoptione in familiam essent adsciti &c. In conscribendis tabulis Magistratum advocabant qui præsentiâ suâ illas vel confirmaret & stabiliret, vel solveret ac infringeret: *Harpocration è Dinarcho, Suid. Isæus, Alii.* Nominatim verò Astynomus advocabatur, Idem de *Cleonymi hær*. Nonnunquam, qui *Testamenti* tabulas consignabant, advocabant testes, non eorum, quæ Testamentô suô dabant legabant, signatæ enim erant jam tabulæ, sed ut meminissent & testarentur, illum Testamentum fecisse, Idem de *Nicostrati hær*. Factum etiam est, ut nullæ tabulæ scriberentur (sicut apud Romanos calatis Comitiis) sed Testator voluntatem suam pro concione declararet & voce nuncuparet, Plut. *in Alcibiade*: quod tum fiebat quando convenerat Populus, ἐν ταῖς κυρίαις ἐκκλησίαις. Quod si Pater *Testamentum* scripserit, & liberis masculis hæredes substituerit, si ante annum vicesimum ætatis liberi decederent, ratum id erat ex Lege: Ὅ,τι ἂν γνησίων ὄντων υἱῶν ὁ πατὴρ διαθῆται, ἐὰν ἀποθάνωσιν οἱ υἱεῖς πρὶν ἐπιδιετεῖς ἡβᾶν, τὴν τοῦ πατρὸς διαθήκην κυρίαν εἶναι, apud Demosthenem *locô cit.* Superstite tamen fœminâ prole, licebat *Testamentô* sua dare legare alteri, sub hac conditione, ut filiam superstitem in uxorem duceret: Ita enim Lex, Ἐξεῖναι διαθέσθαι ὅπως ἂν ἐθέλῃ εἰς ἢ αὐτῷ ἂν θηλείας γνησίας καταλίπῃ, ἐπὶ ταύταις, apud Isæum *de Pyrrhi hær*. Adoptatis autem, si orbi decederent, *Testamentum* scribere non licebat: Nam aut filios habebat Pater adoptans superstites, aut ab intestato hæreditatem illius adibant ejus propinqui ex Lege: τοὺς ποιηθέντας μὴ ἐξεῖναι διαθέσθαι, ἀλλὰ ζῶντας ἐγκαταλιπόντας υἱὸν γνήσιον ἐπανιέναι, ἢ τελευτήσαντας ἀποδιδόναι τὴν κληρονομίαν τοῖς ἐξ ἀρχῆς οἰκείοις οὖσι τοῦ ποιησαμένου, apud Demosth. *contra Leocharem*. Itaque Pater naturalis cernere non poterat hæreditatem filii, quem adoptandum dederat in alienam familiam, *Ibid.* &c. Vide Plura apud Sam. Petitum, *Comment. in Leges Atticas, l.* 6. *titulô* 6. alibique passim. Ut de veteribus Germanis hoc unum addam, *testari* illos non fuisse solitos, sed mortuis parentibus liberos, vel si non adessent, proximos agnatos, in eorum successisse bona, *ab intestato*, adnotat Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 6. *c.* 10. &c. Atque hactenus de *Testamento Civili*, præter quod aliud *Physicum* dictum, occurrit apud Varronem *in Sesquiores*. Mandatum videl. morientis; cujusmodi est Micipsæ Regis apud Sallustium, *in Jugurth. c.* 5. 6. 7. *f.* Archippi & Antigenis *in Epigramm.* Pæti, apud Propert. *l.* 3. *El.* 6. &, ut alios omittam, Othonis Imperatoris apud Sueton. *Vespas. c.* 6. ubi is *extremâ obtestatione ultionem mandâsse* Vespasiano, ut hæredi & amico, legitur. Ultionem enim mortis suæ Romanos hæredibus Testamentô commendâsse, etiam aliunde discimus. Vide Marcilium, *ad loc.* Ex hoc verò testamentorum genere nata esse civilia, Tullius notat, *de Finib. l.* 3. Hinc *Testatio* apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ jus dicitur, quod Episcopi habebant disponendi *de quarta*, interdum *nona* parte relictorum in Testamentis, in pios usus; inde ortum, quod antiquitus statutum sit, ut rerum Testamentis relictarum auctoritate Ecclesiæ distributio deinceps fieret, & ut Episcopis in pios usus certam illorum partem distribuere liceret. *Decima* postmodum pars concessa, teste Matth. Paris, A. C. 1190. eosdem in usus: *Quartam* tandem sibi arrogâsse, nec ampliùs in pios usus expendendam, sed tanquam sibi propriam, & de qua disponere ipsis omnino esset liberum, uti de *intestatorum bonis*, docet C. du Fresne *Glossar*. Vide quoque suprà, *Andecabeo, Hæres, Intestatus*.

Leges

Leges Testamentorum nomine scriptæ, apud Romanos.

Furia, à C. Futio Tribuno Plebis lata est: *Ne cui, nisi Manumissoris cognato, certisque aliis personis supra mille asses legare, mortisque causâ donare liceret.*

Voconia, à Q. Voconio Saxa Tribuno Plebis. *Ne qui census esset, Virginem neve Mulierem supra quadrantem suorum bonorum hæredem institueret: plusque cuiquam legaret, quàm ad hæredem hæredesve perveniret. Ne fœminæ, ultra consanguineos, ab intestato succederent.*

Falcidia, auctore P. Falcidiô Tribuno Plebis lata annô 613, varia habuit capita, de quibus suprà *suô locô*,

Cornelia, cujus auctor L. Cornelius Sulla Felix Dictat. & Consul. an. Urb. Cond. 673. sanxit: *Ut eorum testamenta, qui in hostium potestate essent, perinde essent rata, ac si in hostium potestatem non pervenissent.* Eque hac Lege inducta fictio est, ut qui captus apud hostes decederet, mortuus eôdem momentô, quô captus esset, putaretur.

Junia Velleja, duo capita habuit: Primum, *ut mortuo Filio, nepotes nondum nati possint institui* &c. Alterum, *ut nepotes jam nati, vivente filio, ab avo hæredes instituantur vel nominatim exhæredentur, ne fortè mortuô post Testamentum filiô sui hæredes, ad exemplum postumorum, Testamentum infirment.*

Julia de vicesima.

Julia Caducaria.

Julia Miscella, vide *suis locis.*

Pappia decimaria, *ut vir & uxor, nullis ex eo matrimonio extantibus liberis, decimam ex Testamento, matrimonii nomine, capere possit. Si verò extent liberi ex alio matrimonio, pro unoquoque ex liberis aliam decimam, & pro communi filio, post nonum diem amisso, aliam: pro duobus post nonum diem amissis, duas.*

Glicia lex, de ratione inducendæ quærelæ inofficiosi. Testamenti. Vide suprà.

TESTAMENTUM, præter significata, quæ in seculo habet, sacra vox est, & modò propriè, modò Metonymicè pro tabulis Testamenti, quibus Deus credentibus vitam & cœlestia bona morte Filii sui parta pollicetur, sumi solet: Unde *Veteris & Novi Testamenti* appellationes ortæ, quorum illud Mosen, Psalmos & Prophetas: Hoc Euangelia cum Actis, & Epistolas cum Apocalypsi, complectitur. In *Utrumque Testamentum*, sive universa Biblia plurimi commentati sunt: Extant Adriani *Isagoge Sacr. Lit.* Græcè in 4to. Augustæ Vindel. A. C. 1602. Albæ, *Annotationes Selectæ*, in 4to. Valentiæ A. C. 1614. de Alliaco. Alberti M. *Commentar.* in fol. Alloti *Thesaurus Bibliorum*, in 8t. Coloniæ, A. C. 1612. Althameri, *Sylva Biblicorum nomin.* in 8t. Basileæ, A. C. 1538. Item *Conciliationes locor. S. Scripturæ, quæ in speciem pugnare videntur*, in 8t. Wittebergæ, A. C. 1581. Amœni *Encheridion*, in 4to. Basileæ, A. C. 1564. Andreæ Ἀ'ποσπάσματα, in fol Angl. Londini, A. C. 1657. Anselmi *Glossa.* Antonini *Chronica.* Arborei *Expositio locor. difficil.* in tom. 2. in fol. Parisiis, A. C. 1599. Aquinatis *Comment.* Athanasii *Synopsis.* Augustini *Locutiones.* Aureoli *Breviarium.* in 12. Bailii *Chronol. Sacra.* Balduini *Idea Dispositionum. Biblic* in 8t. Witteberg: A. C. 1622. de Balinghem *Loci Communes morum* in 2. tom. in fol. Duaci, A. C. 1624. Ballestri, *Onomatographia*, in 4to. Lugduni, A. C. 1617. Basilii *Homiliæ.* Becani *Analogia V. & N. Test.* Bellabuccus. Benedictus. Bergamensis. Berthorius. Bertramus. Bidembachius. Blancus. Bocharti *Geographia Sacra*, in fol. Cadomi; A. C. 1646. &c. Bohæmus, Bovillus. Boulæse. Brandmylleri. Joh. *Conciones*, in 8t. Basileæ, A. C. 1572. & 1608. Bravus. Brenii *Annotationes*, in fol. Herbornæ, A. C. 1646. Brucciolus. Brugensis. Bruno. Buchius. Bullocus. Buntingerus. Burgensis. Bustamantius. Cajetani *Commentaria*, in tom. 5. in fol. Lugd. A. C. 1639. de la Camera, *Quæstiones Conciliatrices*, in 4to. Compluti, A. C. 1587. Capito. Castalius. Cassiodorus. Castanæi *Exercitationes*, in fol. A. C. 1646. Castellionis *Annotationes.* Catharinus. Celada. de Cerda. Chrysostomi *Homiliæ.* Chytræi *Onomasticon*, in fol. Lipsiæ, A. C. 1591. Clarius. Cockburne *libri* 2. in 8t. Paris. A. C. 1552. Codomanni *Annales*, in 4to. Witteberg. A. C. 1581. 1602. Cloppenburgi *Deliciæ*, in 12. Franek. 1652. Comestor. *Critici Sacri*, in 10. Vol. Londini, A. C. 1660. Cumiranus. Curiel. Deucerus. de Dieu *Animadversiones.* Diodati *Annotationes.* Dionysius. Dorotheus. Doughtejus. Draudii *Pandectæ.* in 8t. Francof. A. C. 1618. Drusii *Parallela sacra.* Item *Quæstiones & Resp.* Ederus. Enjedini Socin. *Posthumæ Explicationes.* Estius. Eucherius. Fabri *Enchiridion Bibl.* in 12. Colon: A. C. 1568. Fayardus. Ferdinandus. Finckii *Clavis*, in 4to. Jenæ. A. C. 1618. Flamma. Floravantius. Flumaro. Frantzius. Friedlibius. Frisius. Fulleri *Miscellanea.* in 4to. Londini, A. C. 1617. in 8t. Argentor. A. C. 1650. de Furno. Galarza. Gaudentius. Gastius. Garakeri *Cinnus*, in fol. Londini, A. C. 1658. Genebrardus. Gersonis *Tractatus.* Gesselius. Glassii *Philologia sacra*, in 4to. Jenæ. Gomezius. Gordonius. Grasseri *Theologia Mystica*, in 8t. Argentinæ, A. C. 1618. Gregorius. Grossii *Theatrum*, in 2. Vol. in 4to. Francof. A. C. 1615. Grotii *Annotationes.* Guernerus. Hackspani *Miscellan. sacra.* Hallus, Angl. inter opera 3. Vol. in fol. Londini, A. C. 1660. &c. Harlæus. Harlemius. Heggus. Herlini *Isagoge Analytica*; 3. part. in 8t. Bernæ, 1608. Helpidius. Hieronymi *de Locis & nomin Hebr.* Himmelius. Hofmeisterus. Holkoti *Allegoriæ.* Hottingeri *Thesaur. Philolog.* in 4to. Tiguri, A. C. 1659. Huetii *de claris Interpretibus S. Script.* in 4to. Hugo. Hulsii *Nomenclator*, in 8t. Bredæ, A. C. 1650. Jacobus. Illyrici *Clavis*, in fol. Basileæ, A. C. 1567, 1628. Joachimi *Concordantia*, in 4to. Venet. A. C. 1519. Isidorus Hispal. & Pelusiota. Junii *Parallela Sacra.* Justinianus. Kilius. Lanselius. à Lapide *Commentaria.* Lauretus. Leigh *Critica sacra*, in fol. Londini, A. C. 1662. Lemnichius. Lemnius. Lossius Luppius. Luscinius. Lyrani *Glossa ordin.* in fol. 6. Vol. Basileæ, A. C. 1501. Mailrosius. Maldonatus. Mammotreptus. Maria. Mariana. Marlorati *Thesaurus Locorum Comm.* in fol. A. C. 1624. &c. Marinarius. Martinii *Hypotheses Theol.* in fol. Salmanticæ, A. C. 1563. Matthiæ Martinii *Memoriale Bibl.* in 12. Francof. ad Oderam, A. C. 1618. Mathesius. Menochius. Medi *Diatribe*, in 4to. Londini, A. C. 1642. Mettingerus. Montani *Apparatus.* Morinus. Mori *Exercitationes*, Genevæ, in 4to. Nannius. Nierembergius. Novarinus. Novocampianus. Oleaster. Oonselius. Origenis *Philocalia.* Osiander Andr. & Lucas de Padua. Pagninus. Palladius. Paludanus. Panvinius. Paræus in 3. Vol. in fol. Francof. A. C. 1647. Parez. Patherius. de Payva. Pellicani *Commentaria Cathol.* 3. tom. in fol. A. C. 1533. Peregrinus. Perionius. Perkinsi *Harmonia*, in 4to. Genevæ. Petrasancta. Pflacheri *Analysis typica*, in fol. Basileæ, A. C. 1587. 1606. in 4to. Londini. Pineda. Pinto. Piscatoris *Comment.* Herbornæ, A. C. 1646. Placo. Placus. Polyandri *Harmoniæ.* Pomerius. Pontanus. Prætorius. Prynneri *Comment.* in fol. Francof. A. C. 1668. Pulsictus. Quistorpii *Annotationes*, in 4to. Rostochii, A. C. 1648. Rabanus. Rabus. de Rampelogis. Ravanelli *Bibliotheca Sacra*, in fol. 2. Volum. Genevæ. Regius. Reneccius. Reudenius. del Rio. Rivetus. de la Roa. Robertsius. Robinsoni *Lapis ad altare.*, in 8t. Londini, A. C. 1656. Rueus. Ruisius. Rupertus. Ruthenus. Sà. Sachsius. Salmeron. Salzedi. Sarcerius. Scharpius. Schererzii *Animadversiones Isagogicæ*, in 12. Leidæ, A. C. 1655. Schickardus, Schindlerus. Schwebelius. Serarius. Serpensis. Sibelius. Simondus. Simpsonus. Sixtus Senens. Speranza. Stephanus. Strabus. Sturmius. Szegedini *Tabulæ Analyt.* in fol. Scaphusiæ, A. C. 1595. Tarnovii *Exercitationes*, in 4to. Rostochii, A. C. 1622. de Tena *Isagoge*, A. C. 1620. Thaddæus. Theodoretus, Theodorus. Thesaurus. Thyræus. Tilemannus. Tirini *Commentarii.* 3. Vol. in fol. Antverpiæ, A. C. 1645. Torniellus. Tossani *Index locupletiss.* in. fol. Hannoveræ, A. C. 1624. Turnerus. Valesius. Venetus. Victor. Vio. Vitus. Ursini *Exegesis.* Usserii *Annales*, in fol. Londini, A. C. 1650. 1654. Waltheri *Harmonia*, in 4to. Norimberg. A. C. 1654. Weberi *Scrutinium*, in 8t. Giessæ, A. C. 1614. Westhemeri *Phrases & Tropi*, in fol. Basileæ, A. C. 1551. Wittichii *Dissertationes*, in 12. Amstelod. A. C. 1653. Wowerii, *Syntagma de Græc. & Lat. Interpretatione Bibliorum* in 8t. Hamburg. A. C. 1618. Zanchius. de Zamora. Zehneri *Adagia & Similitudines*, in 4to. Lipsiæ, A. C. 1601. 1603. Zenonis Veron. *Sermones*, Præterea seorsim in *Vetus Testam.* extant:

Ex Hebræis, Rabbi Abraham Aben Esra. Rabbi David Kimchi. Rabbi Levi ben Gerson. Rabbi Salomo ben Melech. Rabbi Salomo Jarchi, aliàs Raschi. Rabbi Simeonis *Jalkuth*, &c.

Ex Christianis: Abrami *Pharus Vet. Test.* in fol. Parisiis, A. C. 1648, Alcasaris *Commentaria*, in fol. Lugdun. A. C. 1631. Amamæ *Antibarbarus Bibl.* in 8t. Amstelod. A. C. 1628. Ambrosius. Backmeisteri *Explicatio typorum* in 8t. Lubecæ, A. C. 1604. de Baëza. Bootii *Animadversiones Sacræ*, in 4to. Londini, A C. 1644. Bruno. Buxtorfius. Caninius. Caraffa. Capellus. Chrysostomi *Homiliæ.* Cooperi *Expositio.* Crameri *Schola Prophetica.* Cyrilli *Interpretatio Anagogica.* Drusii *Fragmenta Vet. Interpr.* Item *Parallela Sacra*, in 4to. Franekeræ, A. C. 1618. 1581. Epiphanius. de Escalante. Fabritii *Partitiones Cod. Hebr.* in 8t. Witeberg. A. C. 1626. Fernandius. Fortius. Freculphi *Historia Univ.* Galatini *Enodatio locorum difficil.* Galesinii *Comment.* Rom. A. C. 1586. Helvici *Vindicatio locor.* in 8t. Giessæ, A. C. 1620. Hibernici *Flores*, in 12. Colon. A. C. 1631. Hillesemii *Antiquitates Sacræ*, in 8t. Antverp. A. C. 1577. Hunnii *Epitome Bibl.* in 8t. Witeberg. A. C. 1603. Jansenii *Canticorum Paraphrasis*, Lovan. A. C. 1586. Leusden *Philologus Hebræus*, in 4to. Ultrajecti, 1657. Loniceri Συναθροισις *figurarum*, &c. Francof. A. C. 1560. Musculus. Meuschii *Chronologia* in 4to. Spiræ, A. C. 1612. Munsteri *Annotationes.* Nobilius. de Padua. Pampolitanus. Philippi *Chronol. V. Test.* in 4to. Colon. A. C. 1637. Philo Judæus. Polani *Exegesis Analyt. Vaticiniorum*, in 8t. Basileæ, A. C. 1615. Regii *Collectio Prophetiarum V. Test.* in fol. Norimb. A. C. 1562. Richardsoni *Observationes selectæ*, Angl. in fol. Londini, A. C. 1655. del Rio. Saliani *Annales V. Test.* 3. Vol. in fol. Parisiis, A. C. 1624. Samerius. Scotani *Bibliotheca Hist. sacræ Vet. Test.* tom. 2. in fol. Franequeræ, A. C. 1661. Selneccerus. Spangenbergius. Stenus. Steuchi *Recognitio Vet. Test. ad veritatem Hebr.* in 4to. Venetiis, A. C. 1617. Szentkitali *Vindicatio locorum*, in 8t. Hanoviæ. A. C. 1620. Theodoretus. Vatabli *Annotationes*, in fol. Paris. Victor. Usserii *Annales V. Test.* fol. Londin. A. C. 1650. Worthingtoni *Annotationes*, tom. 2. Duaci, A. C. 1609. Waseri *de Nummis antiquis, & mensuris Hebr.* in 4to. Tiguri, A. C. 1605. Vide Crowæi *Elenchum.*

In *Novum Testam.* in universum extant: Alardi *Pathologia sacra N. Test.* in 12. Alulphi *Gregorianum*, in 4to. Argentinæ. A. C. 1516. de Aquino, *in Nov. Test.* in fol. Paris. A. C. 1640. Aretii *Commentarii*, 3. Vol. in fol. Bernæ, A. C. 1607. Bedæ *Expositiones.* Benedicti *Observationes*, in 8t. Colon. 1564. Betuleji *Symphonia*, in fol. Basileæ, A. C. 1546. Bezæ *Annotationes*, 2. part. in fol. Cantabrig. A. C. 1642. &c. Brentius. Bridges *Hexametri*, in 8t. Londini, A. C. 1604. Bullingerus. Camerarii *Notatio figurar.* Græc. Lat. in 2. Vol. in 4to. Lipsiæ, A. C. 1573. Cameronis *Prælectiones*, 3. tom. in 4to. Salmurii, A. C. 1628. Caninii *Disquisitiones*, in 8t. Francof. A. C. 1602. Capelli *Observat.* in 4to. Amstelodami, A. C. 1657. & *Specilegium:* Ibid. Cartwrighti *Commentaria Practica*, 3. Vol A. C. 1630. Clarii *Scholia*, in 8t. Antverp. A. C. 1543. Costerus. Chrysost. *Expositio.* Crellii Socin. *Commentar.* Crinesii *Analysis.* Croji *Observation. sacræ & Hist.* in 4to. Genevæ, A. C. 1644. Drusii *Præterita.* Episcopii quædam. Erasmi *Paraphrases.* Fabri *Commentarii Initiatorii.* Gagneji *Scholia* in 8t. Parisiis, A. C. 1631. Gatakeri *Dissertatio.* Gorranus. Grotii *Annotationes.* Gualteri *Homiliæ.* Gualtperii *Sylloge Vocum exoticarum*, 2. part. in 8t. Hamburg. A. C. 1608. Hammondi *Annotationes*, in fol. Londini, A. C. 1659. Haymo. Heinsii *Exercitat. & Aristarchus sacer.* Heshusius. Illyrici *Glossa compendiosa*, in fol. Basileæ, A. C. 1570. de Lapide. Leigh *Annotationes Philolog. & Theol.* in fol. Lond. A. C. 1650. Lightfooti *Horæ Hebraic.* Leusd. Lorichius. Mahusii *Epitome.* Marlorati *Exposit. Eccles.* in fol. A. C. 1570. & 1620.

Mathesii *Versio vulgata Nov. Test. correcta ad normam libri Concordiæ*, in 4to. A.C. 1611. Montanus. Nortoni *Animadversiones Paradoxæ Orthod.* in 8t. Londin. A. C. 1659. de la Nuza *Tractatus Evangelici*, 2. tom. in 8t. Venetiis, A. C. 1630. Obenhemii, *Locorum pugnantium expositio.* Origenes. Paulutii *Annotationes*. Pfochenii *Diatribe*, in 12. Amstelod. A.C. 1629. Piscator. in fol. 2. Volum. Herbornæ, A, C. 1621. Revii *in Vallæ Annotationes*, Salmeronis *Comment.* inter opera. Schotti *Adagialia sacra*, in 4to. Antverp. A.C. 1629. Stephani *Annotationes marginales*, Strigelii Ὑπομνήματα, in 4to. Lipsiæ, A. C. 1565. Theodori *Annotationes compendiariæ*, in 4to. Francof. 1545. Thyræi *Apparitiones divinæ*, lib. 3. in 4to. Colon. A. C. 1625. Tossani 2. Volum. in 4to. Hannoviæ, A. C. 1604. Trostii *N. Test. Syr. cum var. lectionibus.* Vallæ *Annotationes.* Walæi *Comment. Philolog.* Zegeri *Castigationes*, in 8t. Colon. A. C. 1555. Vide Crowæi *Elenchum*, Ut & hoc addam: *Vetus* totum rejecerunt Marcionitæ, Manes, Cerdo, Agapius, Bogomili, Simoniani, Cajani, Archontici, Apellitæ, alii, *Pentateuchum* solum admiserunt Samaritani, & Sadducæorum quidam: *Leviticum*, *Josuam* aliosque inutiles censuerunt nonnulli, apud Chrysost. *Hom. 31. in ad Rom. Danielem*, aliqui Judæorum, apud Theodoretum, *præf. in eum. Novum* totum repudiârunt iterum Bogomili, Nepos &c. *Evangelia* corrupit Tatianus: solô Matthæi utebantur Ebionitæ & Cerinthus: solô *Lucæ* Marcion: *Joannis* rejecerunt & Ἄλογοι *Acta*, Severiani & Encratitæ: *Pauli Epistolas*, iidem cum Cerinthianis & Elcesæis: Aliorum *Epistolas*, ut & *Apocalypsin*, non pauci, ut videre est apud Cl. Suicerum *Thesauro Eccl.* passim, inprimis voce Γραφή.

super TESTIBUS Aprinis Herculi juratum, docet Pausan. sicque fœdus factum cum Nelei liberis. *l.* 4. Cujus juramenti inde solemnis omnibus Athletis, eorum parentibus, fratribus, Gymnasiarchis, ad Olympiacos Ludos ritè faciendos, idem meminit, *l.* 5. Vide Caspar. Barthium *ad Papinium*, *Theb. l. 5. v.* 329. ubi de variis Veterum juramentis: uti de *Testiculis victimarum* inter alia, Diis offerri solitis, Clem. *l. 7. Strom.* & Arnob. *l.* 7. Hebræis agnus, qui castratur, ut ex eo vervex fiat, quatuor nominibus appellatur מעוך *contusus*, כתות *avulsus*, נתוק *compressus*, & כרות *excisus*, i. e. cui *testiculi contusi*, vel *avulsi*, vel *compressi* vel *excisi* sunt. Tot enim modis castratio ejus, ut & capri ac vituli, de quibus vide Aristotelem, *Histor. Anim. l. 9. c.* 50. ex Magone Columellam, *l. 7. c.* 25. Palladium, *l. 6. c.* 7. & Sotionem *in Geoponicis*, peragitur: inde ad nobilius animalium genus hominum sævitiâ more transiatô, uti suprà vidimus non unô locô. Quibus 4. vocabulis Hebræorum examussim respondent Græcorum hæc, θλαδίας, σπάδων, θλιβίας, & τομίας, seu ἐκτομίας. Vide Levit. *c. 22. v.* 22, 23, 24. ubi de duodecim vitiis, quæ animal ab Altari, quô minùs in eo offerretur, excludebant, agitur. Sed & in sacris suis Græci ac Romani accuratè observabant, ut hostiæ lectæ & eximiæ essent, neque claudæ nec vitiosæ: An verò & castratas illis offerre fuerit nefas, non adeò liquet: certè ubi de victimarum probatione Plinius agit, *l. 8. c.* 45. & 47. hujus rei disertè non meminit. Interim, uti Eunuchos à sacra congregatione excludit Deus Deuter.. *c. 23. v.* 1. sic in *Eunucho* Luciani, Diocles asserit, Eunuchos non solùm à Philosophia ejusque præmiis, ἀλλὰ ϗ ἱερῶν αὐτῶν ϗ περιρραντηρίων, ϗ τ̃ κοινῶν ἁπάντων συλλόγων, *sed & ab ipsis sacris, & aspergillis, & publicis omnibus cœtibus* excludendos esse. Unde de hoc hominum genere Claudian. *in Eutropium*, *l. 1. v.* 330.

Hi nullas meriti vittas, semperque profani &c.

Vide Bochart. *Hierozoici Part. prior l. 2. c.* 46. De *suspensione per testes*, inter supplicia Martyrum, nonnunquam adhibitâ, uti de Didymo apud veteres, de Waldensibus apud recentiores Scriptores, legimus, alibi. In *Statutis* Synodalibus Nicolai Episcopi Andegav. A. C. 1163. ubi legitur, *Prohibemus singulis Sacerdotibus Parochialibus, ne ipsi Parochianis suis die Paschatis testes, seu hostias locò panis benedicti ministrent, ne ex ejus ministratione, seu receptione erubescentiam excitare videantur, sed panem benedictum faciant, sicut aliis diebus Dominicis fieri consuevit*: Car. du Fresne, *fortè*, inquit, *intelliguntur paniculi seu oblatæ in testiculorum figuram formatæ, quas in hoc Festo Paschali, locò panis benedicti, dabant*, in *Glossar.* &c

TESTIMONIALES, in *l.* 8. Cod. Theodos. *de Honorariis codicill. Testimonialibus dignitatem adipisci*; diplomata sunt vel epistolæ, quæ à Principibus concedebantur iis, *qui militiam sub armorum labore exegerunt*, ut sic, in emeritæ militiæ præmium, in Protectorum, Præpositorum, vel Tribunorum ordinem ascriberentur. Vide Jac. Gothofredum *ad eund. Cod. tit. de Testimoniali ex Tribunis & Protector.* Apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ *Testimoniales* dicuntur Diaconi Assistentes, qui videl. assistebant Episcopis, ut eorum vitæ ac conversationis *testimonium*, cùm opus esset, perhiberent, uti legas apud Macros Fratres *in Hierolex.* qui moris hujus originem à Symmachi Episcopi Romani ætate, imò altiùs arcessunt.

TESTIS, Isidoro, *à quo quæritur veritas in judicio, quem quisque ante judicium sibi placitis alligat, ne ei sit posteà liberum, aut dissimulare aut subtrahere se*: Unde *alligatus* quoque Cicer. *l. 2. ad Q. Fratr. Ep.* 3. *Nerius index edidit ad alligatos, Cn. Lentulum & C. Cornelium.* Erant illi homines liberi, de quorum conditione vide Callistratum *ff. de Testibus*, & quæ ibi Arcadius ac Papinianus. De iis verò, qui testimonium dicere non potuerunt, vide A. Gellium, *l. 15. c.* 13. Qui idem, *omnium fœminarum unam Tarratiam virginem Vestalem lege super ea ad Populum latâ testabilem* (idoneam ad testimonium dicendum) *factam esse*, refert, *l. 6. c.* 7. Testimonium autem alii illorum spontè dicebant, alii inviti, quibus lex jubebat ut testimonium denuntiaretur ab Accusatore, qui uti eorum testimoniô cupiebat. Val. Max. *l. 8. c.* 1. & Cicero *in Verrem*, *Non putâsti me in hanc rem tuis familiarissimis testimonia denuntiaturum.* In quibus causis verò invitis testimonium denuntiari non potuerit, ostendit Lex Julia publicorum Judiciorum, de qua *suprà*. Et de his *Testibus*, si testimonium dicere respuissent, sic scriptum reperitur *in XII. Tabb. Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portam obvagulatum ito.* i. e. si quis, cui testimonium denuntiatum sit, ipsum testimonium deseruerit, tum ad ædes ejus, ad dicendum convitium, ito. In interrogando *Teste* summam industriæ laudem fuisse positam, discimus ex Quintiliano, *Institut. orator. l. 5. c.* 7. ubi de tota ratione interrogandorum ab utraque parte *Testium* pluribus ac subtiliùs agit. Vide quoque Ciceronem *pro Flacco.* Formula interrogandi fuit: *Quæro de te, arbitrerisne?* Cui respondebant *Testes* jurati. *Arbitror*, Asconius. *Religione hinc adducti Testes* à Cicerone dicuntur, quia illi jurati produci solebant, non solum, ne falsa dicerent; verùm etiam, ne quæ vera essent, tacerent, Cicer. *in Lucullo.* Cæterum interrogatio hæc ipsam accusationem præcessit, id quod tùm aliis legibus cautum est, tum Pompejâ, de vi. Vide *suô locô.* Aliæ tamen leges, post causam actam, *Testes* dari voluerunt, ut Lege Corneliâ *de repetundis*, *in Verr.* Addit Quintilianus, aut à præsentibus testimonia dicta, aut per tabulas simpliciorem fuisse contra tabulas pugnam: Et adjicit, sæpe contigisse, ut testes laudare opus esset, cujus rei ratio ex artificio Oratorio repetenda. Vide Joh. Rosin. *Antiq. Rom. l. 9. c.* 21. Apud Hebræos duo vel tres *Testes*, ad probandum requirebantur; duo autem ad minimum, Deuteron. *c. c. 19. v.* 15. Hi in causa capitis, post sententiam latam, unà cum Judicibus manu impositâ condemnati hominis capiti, dicebant: *Sanguis tuus super caput tuum.* Quò respicientes Judæi, clamabant: *Sanguis ejus* (Christi) *super nos & super filios nostros.* Matth. *c. 27 v.* 25. Cùm dein ad solum supplicii deducebatur, ante eum incedens Præco publicus altâ voce clamabat. N. N. *ad mortem ducitur, ob commissum tale vel tale crimen, in hoc vel illo loco, hôc vel illo tempore, cujus rei* Testes *sunt N. N. Quod si quis noverit misero homini futurum utile, proferat*, Moses Kotsensis *in Sanhedrin.* In ipso supplicio primi manum admovebant *Testes*, & cùm reus e. g. lapidandus erat, primum in eum lapidem conjiciebant ex lege Deuteron. *c. 17. v.* 7. *Manus Testium primùm esto contra eum, & morte afficiant eum, posteà vero manus totius populi* &c. At si quis falsum dixisset *Testimonium*, quô pœnæ genere affectus fuerit, videndum. Et Carolus quidem Magnus *Capitular. l. 3. c.* 41. simpliciter, *Falsi testes, ut non reperiantur*, edixit: eademque præscripsit Synodus Bavarica, *p.* 146. Sed cùm in id flagitii nimis proclives sint plurimi, apud varias gentes varia illis supplicia destinata sunt. *Cappadoces enim*, verba sunt Pseudocornuti *ad A. Persium Sat. 6. v. 77. dicebantur habere naturale studium ad falsa testimonia dicenda; qui proin nutriti in tormentis à pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, cumque in pœna perdurare apti sint, ad falsa testimonia se bene venundent.* Similiter non incelebris hodie Europæ gens est, quæ vili mercede conduci se patitur, ad idem faciendum, ut de aliis nil dicam; de quibus verè usurpes illud Juvenalis, *Sat. 14. v.* 218. & 219.

Falsus *erit* Testis, *vendet perjuria summa*
Exiguâ, Cereris tangens aramque pedemque.

Apud Hebræos itaque talibus Talionis pœna irrogabatur, Deuteron. *c. 19. v.* 19. *Omnino facietis ei*, (qui falsum testatus fuerit contra fratrem suum) *quemadmodum molitus fuerat facere fratri suo: ut tollas malum è medio tui.* Ægyptii capite plectebant. Diodor. Sic. *Biblioth. l. 1. c.* 3. Lydi, tanquam societate suâ indignos, vendebant, Melchior Junius, *Quæstionum Politicarum tom. 3. qu.* 98. Indi, quàm graviter in eos animadverterint, docet Strabo, *l.* 15. De Romanis vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 1. c. 26. cum Paralipomenis* Thomæ Dempsteri. Addo saltem, apud Hebræos decem fuisse hominum genera, qui *in testimonium* à Synedriis neutiquam recipiebantur: *Fœminas*, *Servos*, *Minores*, *Fatuos*, *Surdos*, *Mutosque*, *Cæcos*, *Impios*, *Impudentiores*, *Propinquos*, & *Perjurii falsique ante convictos*, de quibus ut & *Testium falsorum* pœna, vide Jo. Seldenum *de Synedriis veter. Hebr. l. 2. c. 13. §.* 11. de accurato verò *Testium* in eadem gente examine, *ibid.* Indico saltem breviter rationes, ob quas Magistri hæc hominum genera ad testimonium perhibendum velint esse inidonea. Et quidem *Fœminas* arcent, quòd ubi testes in Lege sacra designantur: masculinè semper, nunquam verò proferantur fœmininè, vide Numer. *c. 35. v.* 30. Deuter. *c. 17. v.* 6. & *c. 19. v.* 15. *Servos*, quia *fratris* nomen iis non competat, quod adhibetur in hac materia Deuteron. *c. 19. v.* 19. *Minores*, quia dicatur, & *stabunt bini viri* aut *vir uterque* &c. ubi de *Testibus* agitur. Nec tamen majores admitti volebant, sine ætatis integræ signis, nec insuper illos, nisi rerum agendarum scientiores essent, ad testimonium de fundo aut prædiis, sed tantùm in causis rerum mobilium. *Fatuum*, juxta Legem excludi ajunt, *quoniam non sit filius Præceptorum. Surdum* porrò *Mutumve* velut fatuum censebant. *Cæcum* (de utroque oculo intellige) noluêre admitti, quia in Lege habeatur, *& testis fuerit, aut viderit* &c. *Impium*, quia legatur, *non pones manum tuam cum impio, ut sit testis iniquus*, Exodi *c. 23. v.* 1. Impii autem nomine intelligunt quemque reum facinoris alicujus, sive capitaliter, sive verberum pœnâ plectendi. *Impudentiores* ob eandem rationem arcent, uti visum suprà, in hac voce. *Propinquos* item, nempe paternô sanguine conjunctos. Maritus quoque & uxori in testium recipiendorum jure, velut pro una persona, ita habebantur, ut si alteruter inidoneus esset, utrique pariter essent inidonei. Et quidem hos exclusos ajunt, quod affectu facilè abripi possent in transversum, &c. Præterea Pontifex Maxim. non obligabatur in testimonium, nisi tantùm pro causa Regis Israëlis, uti habet Majemonides, *Tract. Aidoth c. 1. §. 3. & c. 11. §.* 9. Vide quoque *Gemaram* Babyloniam *ad tit. Sanhedrin. c. 2. fol.* 18. 2. &c. Nec omittendum, quòd *Classici testes* Romanis dicti sunt, *qui signandis testamentis adhibebantur*, *Fest.* aliàs *Signatores* quoque & *Obsignatores* appellati, septem numerô, vide suprà. Apud Scriptores Ecclesiasticos *Testes Synodales* testes sunt publicè recepti à *Synodo* & probati, qui velut custodes & speculatores erant eorum, quæ in Ecclesia fiebant, vel contra Synodi decreta decernebantur gerebanturque, Græcis Παραφύλακες nominati, ut notavit Jac. Cujacius *ad cap. septim. de Testibus cog.* It. qui in quacunque parœcia eligebantur, adhibitô super 4. Evangelia vel Martyrum reliquias

quias juramentô, ut omnia, quæ contra fidem fierent, observarent ac inquirerent, *Juratores Synodi* etiam dicti, Car. du Fresne *in Glossario*, qui idem in *Chartis* Angliæ Regum, quibus solus Rex subscribit, *Teste me ipsô* vel *Teste Rege*, formulam esse usitatam, Pio II. olim sugillatam *Commentar. suorum l.* 3. ubi de mandato Henrici VI. alibi observat &c.

TESTON, nummi genus, quod 18. denarios valebat olim apud Anglos; æreum autem & argentô delibatum sub Henrico VIII. ad 12. Eduardi VI. postmodum principatu ad 9. denarios contractum est. Tandem, quale hodieque permanet, ad sex pervenit, sed hoc optimi argenti. In Francia idem nummo nomen, qui sub Francisco I. 10. sol. aliquot denar. valens habebat utplurimum expressam imaginem Regis, aut provinciæ, urbisque in qua cusus, ab una parte; ab altera ejus insignia: sub Henrico verò II. imaginem Regis, cum lemmate: HENRICUS II. DEI GRATIA FRANCORUM REX, in uno; in altero latere. 3. lilia in scuto coronato, cum verbis, CHRISTUS. VINCIT. REGNAT. IMPERAT. Ascendit posteà ad 14. sol. sub Carolo IX. & in postica parte ad latus 3. illorum duplex præferebat C. cum Inscr. SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM; uni geminum H. sub Henrico III. cætera prioribus similis. Sub Henrico IV. dein inprimis frequens, & Ludov. XIII. 19. sol. cum dimidio valuit, donec in usu esse desiit A. C. 1641. Richelietus *Diction.* Vide quoque Car. du Fresne *Syntagm. de Monetis Francicis argent.* quod *Glossar.* suo inseruit voce *Moneta*, ut & suprà in voce *Capito*, German. *Kopfstuk*, namque & alibi locorum ejusmodi monetam; adhiberi consuevisse, notum.

TESTREBANTUM, vulgò *Teysterbant*, quasi Toxandriæ limes, ut vult Wendelinus Belga, qui regionum limites ac confinia linguâ patria *Bant* vocari prodidit. Comitatus fuit, in divisione regni Lotharii A. C. 870. facta, memoratus; Batuæ *Betuwe*, seu Comitatui Batavorum proximus, sub proprio antiquitùs Comite. In eo fuisse Dorestadum, i. e. Batavodurum, vulgò dictum vicum Durostare *Wych de Duerstede*, item oppidum Heusdam Transmosanum, referunt. Quidam Ducatus Brabantiæ faciunt portionem. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TESTUDO, Hebr. צב, *gal*, à *testæ* forma, quæ ferè est orbicularis, Græcè χελώνη. Arab. *sulachphia*, quasi cortice vel putamine latens; & in specie mas, *gailam*, à libidine. Terrestris enim testudo, ζῶον λαγνίστατον· ἀλλ' ὅγε ἄῤῥην ὁμιλεῖ ἡ δὲ θήλεια ἀκκίζεται, *animal est salacissimum; illius mas scilicet, fœmina enim non nisi invita coit*, qua de re vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 4. *c.* 8. Carnes earum *suffitionibus propriæ magicisque artibus refutandis*, &c. Plinius, *l.* 32. *c.* 4. ubi de omnibus *testudinum* generibus, *terrestribus*, *marinis*, *lutariis & quæ in dulci aqua vivunt*, complura habet. De marina inprimis porrò dicam: inter præcipua illa Veterum luxuriæ instrumenta fuit; primùm quidem in Oriente: Inde Romanis Græcisque ad lectos, repositoria & similia olim adhibita. Plin. *l.* 9. *c.* 11. *Testudinum putamina secari in laminas, lectosque & repositoria his vestire, Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii.* Quem luxum suô ævô fuisse, docet Philo Judæus ad Tiberium Imperatorem legatus, Τρίκλινα καὶ ἀμφίκλινα χελώνης ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα, καὶ τιμαλφεστέρας ὕλης ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα, *Tricliniares lecti & stibadia testudine aut ebore adornata, & meliore etiam materia atque ea pleraque gemmata. Clemens* Alexandrinus χελώναις πεποικιλμένας κοίτας, *Testudine variegatos lectos* hinc dixit. Sic cùm mensarum fulcra eburnea essent, laminis putaminum testudineorum minutim sectis obducebantur cooperiebanturque. Inserebatur autem & purô lignô *Testudo* secta, ut ex utroque velut unum corpus affabrè fieret. Lucian. *in Asino*, κλίνη ἦν μεγάλη ἀπὸ χελώνης Ἰνδικῆς, *Lectica erat magna ex testudine Indica.* Nempe probata inprimis in hos usus longè advecta & è maximè dissitis petita regionibus. Hinc *Lecti Indicâ testudine pellucidi*, quoque Appulejus meminit *Metamorph. l.* 10. & vetus Schol. Juvenalis *ad Sat.* 11. *v.* 94. *& seqq.*

> *Qualis in Oceani fluctu* Testudo *nataret,*
> *Clarum Trojugenis factura, ac nobile fulcrum,*
> *Sed nudò latere & parvis frons ærea lectis*
> *Vile coronati caput ostendebat aselli,*
> *Ad quod lascivi ludebant ruris alumni,*

Ut lectum, ait, *testudinem haberet. Lectos namque antiqui Testudine Oceani ornabant* Unde gravis querela Senecæ *de Benefic. l.* 7. *c.* 9. *Video elaboratam scrupulosâ distinctione* Testudinem *& fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretiis emtas, in quibus ipsa, quæ placet, varietas subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur.* Ubi, quòd de *Medicamentis*, egregiè illustratur è Plinio *l.* 16. *c.* 43. *Excogitatæ sunt & ligni bracteæ, nec satis; cœpêre tingi animalium cornua, dentes secari: lignumque ebore distingui: mox operiri placuit deinde materiam & in mari quæri.* Testudo *in hoc secta. Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret, imitata lignum.* Nempe ut luxuriæ fastidio subveniretur, postquam verô ejus colore lassata est, *testudinem* terebinthi vel citri vel aceris colore pingere cœpêre, sicque eam in lignum quâ pote transformare. Unde pergit idem, *Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci juvat, sic citrum pretiosius fieri*, apud quem locum vide egregiam *Exercitationem* Salmasii *ad Solin. p.* 416. & 417. ut & 1189. ubi inter alia *testudinum* piscationem, tam in Æthiopia, quàm India, celebrem, & ex utroque latere Romanis allatas fuisse, ex *l.* 16. *ff. de Public.* ubi *Æthiopicæ & Indicæ testudinis* mentio; insuper oculum Indicæ testudinis, *cheloniæ* nomine, in gemmis numerari Plinio, docet. Sed & ad excaldationes puerilès datas *testudines*, discimus ex Capitolini *Albino*, *c.* 5. &c. Martialis, *l.* 12. *Epigr.* 67. *v.* 5.

> *Gemmantes, primâ fulgent* Testudine *lecti*
> *Et Maurusiaci pondera rara citri.*

Ac *l.* 9. *Epigr.* 60. *v.* 9.

> *Et testudineum mensus quater Hexaclinon;*
> *Ingemuit citro non satis esse suo.*

Vide Thomam Dempster. *Paralipom. in Job. Rosin. l.* 5. *c.* 26. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 48. Alios. Ut & hoc addam, carne *testudinum* vesci, & testas earum, ædium locô, inhabitare, cymbarumque adhibere vice, Chelonophagi leguntur, de quibus vide suô locô. Quam in rem faciunt verba Georg. de Sepibus *in Musæo Kirch. n.* 26. *Testudo Marina, animal tardigradum, visu horridum, cætera animal innoxium, imò inter mensarum delitias connumeratum, putamine robustissimò ita contectum est, ut plaustrum etiam supervehens sustinere possit. Quatuor ejus pedes, cute squamosâ contecti, ungues habent acuminatos, & versus terram sic arcuatos, ut alterutris, dum se tanquam uncinis solo astringit, versùs terram fixis, protrahat. Cujusmodi Testudinum exuvias seu testas, magnitudine bipalmares, Kircherianum Musæum habet; quarum 4 tantæ sunt capacitatis, ut qualibet earum pro clypeo esse possit. Brasiliæ littus tam grandes habet, ut referant nonnulli, unam solam hominibus* 80. *lautam cœnam suppeditare posse. In Mari verò Indico reperiri, quæ accolis cymbarum, item domiciliorum, vicem sustineant.* Ubi quod de magnitudine habet, confirmat Auctor Anonymus *Sinæ & Eur.* in Quantonia provinc. Sinici Imperii ad *Hoeichen* mare adeò magnas testudines, ut longè aspectantibus scopuli esse videantur, nutrire, referens *c.* 41. ubi in Huquania provinc. ejusdem Imperii, etiam parvas, quæ magnitudinem aviculæ quandoque vix superent, sed adeò pulchras, ut proin domi passim voluptatis ergò alantur, reperiri, addit. Vide quoque Jo. Bapt. Tavernier, *Royaume de Tunquin*, *c.* 3. ubi inter Tunquinenses & Cochinenses non minùs de *Testudinum*, quàm inter Batavos & Anglos, de Harengarum piscatione, lites ac bella perpetuo fervere refert. Majori apud Troglodytas *Testudo* in honore, quibus illam pro Numine fuisse, discimus ex Plinio, *l.* 9. *c.* 10. *Troglodytæ cornigeras habent*, (Testudines) *ut in lyra, annexis cornibus latis, sed mobilibus, quorum, in natando, remigiô se adjuvant. Celtium genus id vocatur eximiæ Testudinis, sed raræ. Namque scopuli præacuti Chelonophagos terrent. Troglodytæ autem, ad quos adnatant, uti sacras, adorant.* Quem tamen cultum symbolicum fuisse contendit paulo antè laudatus Vossius *de Idolol. l. eôd. c.* 51. Nec omittendum; quòd *testudine* olim signavêre Peloponnesii, unde & monetæ apud illos χελώνης nomen, de qua alibi, uti de Venere *testudini* insidente à Phidia pictâ: Vide quoque suprà in voce *Chelonia* & *Chelonis*.

TESTUDO, species cameræ, *Hemisphærii* instar referens, nisi quòd *testudo* ex duobus arcubus constet, in medio centro invicem se secantibus, hemisphærium verò in convexo totum sit sphæricum; Salmas. *ad Solin. p.* 639. Quemadmodum rursus *Concha*, alia cameræ species, sphæræ quadrifariam divisæ quartam partem, & *Fornix* hemicylindri figuram adsimilat, Idem, *p.* 1216. Fuit autem *testudo* Arthemonis Clazomenii inventum, teste Pliniô, *l.* 7. *c.* 56. Sicut *Testudo*, celebre Musicæ organum *dulce laborum lenimen*, ut Horatius habet, *l.* 1. *Carm. Od.* 32. *extr.* à Mercurio excogitata dicitur Servio *ad Georg. l.* 4. *v.* 464. ubi ait, *Cùm regrediens Nilus in suos meatus varia in terris reliquisset animalia, relicta etiam* testudo *est. Quæ cùm putrefacta esset, & nervi ejus mansissent extenti, intra corium, percussa à Mercurio, sonitum dedit, ex cujus imitatione cithara composita.* Idem *de lyra* refert Scholiastes Germanici. Nempe utraque *testudinem* habebat, uti patet ex pictura lyræ, inter imagines veteris Germanici *Arato* inditas, & Favonio Eulogio *in Somnium Scip.* Vide quoque supra in voce *Chelys*: quæ tria, *lyram*, *citharam* & *chelyn* Poëtæ unam rem faciunt, cùm volunt, Casp. Barthius *ad Statium l.* 1. *Sylv.* 5. *v.* 4. Hujus lyræ Mercurialis testudinem seu tympanum quòd referret comatum ille suggestus, quem in mulierum cervicibus multi veter. nummi exhibent, *testudinis* quoque nomen accepit. Ovid. *l.* 3. *Artis*, *v.* 147.

> *Hanc decet ornari* testudine *Cyllenæa;*
> *Sustineat similes fluctibus illa sinus.*

Vide de hoc capitis ornatu hîc passim, ubi de *Capillis* & *Coma*, item in voce *Collyra*, *Suggestus*, *Tutulus* &c. aliam vero notionem vocis suprà in *Targa*.

TESTUDO, in re militari tabulatum erat ex trabibus pluteisque factum, coriisque ac ciliciis contectum, adversùs flammam & incurrentia saxa, sub qua latebant milites, qui viam turribus ac vineis muniebant, saxa de via removebant, solum æquabant, ac muros oppugnandæ Urbis tentabant, Vitruvius, *l.* 10. *c.* 20. 21. & Cæsar, *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 6. *l.* 5. *c.* 9. 41: 42. 50. & *passim.* Interdum etiam significat cratem scutorumque continuitatem, quâ sublatis supra capita scutis protecti pedites sagittantium nubem vitabant. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 16. Cujusmodi *Testudinis* meminit Florus, *l.* 3. *c.* 10. *Quis calor in præliando militum fuerit, nullô magis exprimi potest, quàm quòd elatis super caput scutis, quum se* Testudine, *Barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt: Et inde in jugulos gladiis descendebant*, Ubi Stadius, *Testudo*, ait, *hôc locô militum manus est, quæ consertis super caput scutis sese contra impetus lapidum & telorum desuper cadentium protegit*, vide *Lipsium Poliorcet. l.* 1. *c.* 5. Similiter reliquiæ Crassiani exercitus, *urgentibus* (Parthorum) *telis in modum grandinis procubuêre in genua & elatis super capita scutis, cæsorum speciem præbebant, dein cùm se rursus extulissent, miraculo fuêre*: apud eundem, *l.* 4. *c.* 10. Fiebat autem illa hôc modô: Impedimentis & levis armaturæ militibus equitibusque in me-

dium receptis, gravis armaturæ pedites, qui oblongis & in morem tubi convexis utebantur clypeis, undique extrema claudebant, clypeosque hostibus objiciebant. Cœteri, qui lata gestabant scuta, in medio conferti, ea supra se & reliquos extollebant, ut densitate ordinum à telis desuper labentibus protegerentur: Hinc itaque *Testudini* nomen factum, à *testæ*, quá cognomine animal se protegit, similitudine. Ejusdem usus erat & in urbium oppugnatione, & quando à Sagittariis, ut in Flori hoc loco, circumfusus erat exercitus. Stadius *in locum*. Sed & *Testudo* cuniculus subterraneus, quô sensu *cæca testudo*, occurrit apud Statium, *Thebaid. l. 10. v. 542.* ubi vetus Scholiastes, *Subfossis*, inquit, *testudine muris. Testudo enim omnis concavitas.* Vel, *quia tecti testudine suffodiebant cuniculo muros.* E quibus priorem interpretationem probat Barthius. *Cæca* enim, ait, *testudo nihil aliud quam cuniculus subterraneus est, qualibus turres præcipuè suffodi solitas notum.* Vide eum *ad loc.* nec non *ad Claudianum* & *Guil. Brittonem*: adde Lipsium, ubi supra, *c. 8.* & quæ retro dicta, ubi de *Cuniculis*.

TETARTERON, & contractè *Tartaron*, apud Alb. Aquensem, *Imperator —— de moneta, quæ dicitur* Tartaron, *modium unum exercitui illius erogavit, l. 1. c. 16.* aliosque *Rerum Hierosol.* Scriptores, monetæ nomen est Byzantiæ, quam Græci τεταρτηρὸν vocavêre, uti Lamprid. *quartarium* dixit in *Alexandro Severo, c. 39. Tunc primùm semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, quum ad tertiam partem vectigal decidisset; tremisses, dicente Alexandrô, etiam quartarios futuros, quòd minus non posset.* Ubi *quartarii* sunt, qui quartam aurei solidi partem appenderent. Et quidem ad verbum τεταρτηρὸς *quartarius* est; nam τετάρτη *quarta* est *pars* & *quadrans*, aliter τέταρτον. Sed tum nondum vox Græca in usu fuit, nec, postquam de nummo dici cœpit, idem valuit quod *quartarius* Lampridii. Nempe Nicephorus Phocas, *Zonara* teste, cupiditate & avaritiâ impulsus, cum priùs aureus nummus sextam unciæ auri partem penderet, τεταρτηρὸν formari jussit, pondere longè leviore: & exactiones quidem graviore illô & justi ponderis solidô celebrari voluit, impensas verò & largitiones, istô quartariô tum primùm à se inventô & editô. Sic autem dicebatur, non quòd *quartam* unciæ partem appenderet (sic enim major fuisset vetere solidô, qui sextam tantùm pensabat) sed quòd *quartam* aurei solidi partem solùm haberet in pondere; an quòd quarta ei legitimi ponderis abesset? Salmas. *ad Lamprid. d. l.* Priorem sententiam probat Car. du Fresne, sic tamen, ut paulo plus pependisse asserat, cùm octo solidi legitimi ponderis dicantur efficere 35. *solidos tetarterorum*, in veterib. Tabulis Constantinopoli scriptis A. C. 1064. post Phocæ interitum 450. apud Ughellum, *Tom. 5. p. 1505.* Imò prorsus diversam ab aureis & Byzantiis nummis seu solidis hanc monetam fuisse firmat idem, ex Fulcherio Carnotens. qui exertè scribit *Tartarones* æreos fuisse, *l. 1. c. 4.* & Orderico Vitali, qui *quadratos ex cupro nummos* vocat, l. 10. *p. 791.* & 792. Fuêre namque ex monetarum genere, quas τετραγώνους vocat *Nov.* Justiniani 105. *c. 3. Cujusmodi & argentei sunt nummuli*, ait Scaliger, *quos Græci ἄσπρους vocant.* Item *tetarii* Tartarorum, quorum meminit Jos. Barbarus, *Itiner. ad Tanaim*, quique itidem argentei sunt, & *Tetartηροί* quoque dici possunt, cùm id appellationis ad monetas minutiores quascunque videatur extensum. Vide præfatum Auctorem *Dissertat. de infer. ævi Numism. n. 87.* Reperitur & τετάρτη apud *Hesychium*, Ἕκτη, τρίτη, τετάρτη, νομίσματα ἀργυρᾶ, καὶ χρυσᾶ καὶ χαλκᾶ. Ad quæ verba Gronovius. *Non*, inquit, *singula nummorum corpora fuerunt eô nomine: & tamen nummos vel summulas pecuniæ significant hæc vocabula: & quidem χρυσοῖς, quia sunt partes solidi, qui aureus; ἀργυρᾶ, quia possint esse in argento, ἡ ἕκτη milliarenses bini, ἡ τρίτη quaterni, ἡ τετάρτη milliarenses tres: χαλκᾶ, quia possint esse in ære, ἡ ἕκτη folles XLVIII. ἡ τρίτη folles XCVI. ἡ τετάρτη folles LXXII. de Pec. vet. l. 4. c. ultimo.*

TETBERTI Villa, vulgò *Tiberville*, locus Galliæ, in pago Lexoviensi.

TETEGUINA, seu TETUANUM, urbs munita Habatæ, in parte Boreali regni Fezzæ, cum portu, in ora maris Mediterranei prope fretum Herculeum 25. mill. pass. à Septa in Eurum; Vulgò *Tetuan*.

TETHYS, uxor Oceani, Terræ & Cœli filia. Hesiod. *in Theogonia, v. 134.*

> *Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,*
> *Κοῖόν τε, Κρεῖόν θ', Ὑπερίονά τ', Ἰαπετόν τε,*
> *Θείαν τε Ῥείαν τε, Θέμιν τε, Μνημοσύνην τε,*
> *Φοίβην τε χρυσοστέφανον, Τηθύν τ' ἐρατεινήν.*

Ovid. *l. 5. Fastor. v. 81.*

> *Duxerat Oceanus quendam Titanida Tethyn.*

Catullus, *Epigr. 67. v. 70.*

> *Luce tamen canæ Tethyi restituor.*

Ovid. *l. 2. Fastor. v. 191.*

> ——— *Canamque petit Saturnia Tethyn,*

Virg. *l. 1. Georg. v. 31.*

> *Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.*

Dicta est quibusdam hôc nomine quasi τιθήνη, i. e. *nutrix*, cùm aliorum, tum Deorum. Est enim humiditatis domina, quâ omnia aluntur. Homer. *Il. ξ. v. 201. 302.*

> *Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.*

Aliud tamen etymon exsculpsit Plato *in Cratylo*: Τὸ μὲν τῆς Τηθύος οὐκ ἐπιεικῶς ὄνομα, τί βούλεται. ΣΩΚΡ. Ἀλλὰ μὴν σχεδόν γε ὀλίγου αὐτὸ λέγει, ὅτι πηγῆς ὄνομα ἐπικεκρυμμένον ἐστί. Τὸ γὰρ διαττώμενον καὶ τὸ ἠθούμενον πηγῆς εἴκασμά ἐστι. Ἐκ δὲ τούτων ἀμφοτέρων τῶν ὀνομάτων ἡ Τηθὺς τὸ ὄνομα σύγκειται. Ponitur aliquando pro mari. Lucan. *l. 6. v. 67.*

> *Aut vaga cùm Tethys Rutupinaque litora fervent,*
> *Unda Caledonios fallit turbata Britannos.*

Idem, *l. 1. v. 413.*

> ——— *An sidere mota secundo*
> *Tethyos unda vagæ lunaribus æstuet horis?*

Ubi maris fluxûs, refluxûsque causam facit lunare sidus, uti Tullius, *l. 2. de Nat. Deor. c. 7.* Senec. *de Provid. c. 1.* Plin. *l. 2. c. 99.* Strabo, *l. 1. & 3.* Photius doctè & ubertim, *c. 24.* Solin. *c. 36.* Vide Melam, *l. 3. c. 1.* Et adde Silium, qui sic de hac re, *l. 3. v. 58.*

> *Cymothoes ea regna vagæ, pelagique labores*
> *Luna movet. Luna immissis per cærula bigis,*
> *Fertque refertque fretum, sequiturque reciproca Tethys.*

Nic. Lloydius. Ex Oceano Doridem sustulit, *Thetidos* ex Nereo matrem, sicque ejus avia extitit, ut disertè testatur Catullus, *de Nupt. Pelei & Thet.* Quam in rem vide plura apud Voss. *de Idolol. p. 708.* ut & infrà in voce *Thetis*.

TETRACHORDUM, instrumentum Orphei 4. *chordis*, unde nomen, constans, quorum sonis permixtis suavissimus edebatur sonus. Figurabat IV. Elementorum concordem discordiam, quorum concursu mixta omnia generantur, hôc modô: Chorda ὑπάτη ὑπάτων sonum edebat gravissimum, νήτη, acutissimum; ad quorum illum proximè accedebat παρυπάτη ὑπάτων, ad istum παρανήτη. Sic enim in elementis unum est gravissimum Terra; unum levissimum, Ignis: ac prætereà duo intermedia sunt, unum gravius, Aqua; alterum levius, Aër. Qui admirandus elementorum concentus, cùm disertè ostendat esse Numen, per quod tantoperè dissita pugnantiaque in mixtione rerum ita consentiant ac conspirent: hallucinatus est Pythagoras, qui τετράδα seu τετρακτὺν, *quaternarium* ipsum, ob hanc elementorum fœcunditatem, non solùm vocavit πηγὴν ἀενάου φύσεως, *fontem æternæ naturæ*, sed etiam Deum dixit, & quidem undecunque divinum, neque sanctius, quàm per τετράδα, habuit juramentum. Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 51.* Aliam vocis explicationem habes suprà. Plut. *de Iside*, Ἡ καλουμένη τετρακτὺς τὰ ἓξ καὶ τριάκοντα (μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται) καὶ κόσμος ὠνόμασται, τεσσάρων μὲν ἀρτίων τῶν πρώτων, τεσσάρων δὲ τῶν περισσῶν, εἰς τὸ αὐτὸ συντιθεμένων, ἀποτελούμενος. *Quæ vocatur* Τετρακτὺς, *constat 36. unitatibus (maximum erat jusjurandum, ut fertur, & appellabatur Mundus) Conficitur autem primis quatuor paribus* Scilicet 2. 4. 6 8. *& primis quatuor imparibus* Scilicet 1. 3. 5. 7. *in unam summam collectis.* Qui Τετρακτὺν sumunt pro *Anima*, ajunt illam ex *Quaternione* hoc, *Mente* scil. *Scientia, opinione, Sensuque* constare, uti est apud Plut. *de Placitis Philosophorum, l. 1.* Vide & quæ suprà diximus, voce *Quaternio*. Imitatione Τετρακτύος Pythagoricæ *Tetractly virtutum* vocat quaternionem Virtutum Cardinalium Justitiæ scil. Prudentiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ, Ingobertus Caroli M. Scriba, in versibus Car. du Fresne *in Gloss.* laudatis. Vide eum etiam *Not. ad Alexiadem*, & Nic. Alemannum, *Dissertat. de Lateran. Parietinis c. 9.*

TETRACHORITÆ, populi qui aliàs *Bessi* ac *Tetracomi*. Strab. *l. 7.*

TETRADITÆ, Græcè τετραδῖται, dicti sunt Sabbatiani, quòd in festo Paschatis, ceu feriâ IV. jejunarent: Item Manichæi, aliique qui *Quaternitatem* pro *Trinitate* admittebant, Dominico Macro in *Hierolex.* A Græco τετρὰς *quaternio*, quam vocem in Latium transtulit S. Ambrosius, *de Incarn. Domin. c. 7.* ubi hac ipsa de re loquens, *Nec timeo*, ait, *ne tetrada videar inducere.* Idem Halithgarius *in Pœnitentiali*, ubi *jejunare sive tetradas sive Parasceve*, ait. Sic autem hic vocat *quartam* cujusque hebdomadis feriam, quam non minùs olim quidam, ac sextam jejuniô solebant transigere. Νηστεύειν ἕως τετράδος dixit Socrat. *l. 7. c. 21.* &c. Vide Car. du Fresne *Glossar.* & Cl. Suicerum, *Thes. Eccles.* voce hâc, ubi etiam eos, qui cum Petro Fullone additionem in Trisagio defendebant, sic dictos fuisse, addit. Sed & jam olim sic dicti, qui, *quartâ Lunâ editi*, infelices habebantur, qualem fuisse Herculem ferunt, cujus proin *sidus* quartam Lunam appellat L. Florus, *Hist. l. 1. c. 18.* Vide adagium ἐν τετράδι γεγονέναι.

TETRAETERIS Ægyptia, item Eudoxi, vide suprà ubi de *Canario Anno*, nec non voce *Eudoxus*, it. *Octaeteris*.

TETRAGAMI, à veterib. Christianis rejecti, vide suprà ubi de *Nuptialibus moribus*.

TETRAGONIS, Aachosiæ oppid. sub Caucaso. Plin. *l. 6. c. 23.* Quod ante *Cartana* dictum fuit.

TETRAGRAMMATON, Græcè τετραγράμματον, i. e. *quatuor literarum*, dictum est proprium apud Hebræos nomen Dei; quod *Jahve* vel *Jabawe* Samaritani; *Jao* Græci veteres alii *Jova*, alii *Jehova* vel *Jehovi*; quidam *Jeheve*, *Jehve* & *Jihve* pronuntiabant: Josephus Ιαυα per *quatuor* vocales legit, & Judæi ἀνεκφώνητον, *ineffabile*, vocant. *Quod ex religione primùm ortum, cùm in hoc nomine primarium Religionis mysterium agnoscerent, in superstitionem tandem vertit: unde ejus usus extra sacras actiones fuit vetitus & tandem in desuetudinem ac oblivionem venit. Rectiùs autem ἄρρητον dictum fuit, quia Græcis literis exprimi non poterat*, Franc. Burmannus, *Synopsi Theol. Christ. Part. prior. l. 1. c. 16. §. 10.* Vide quoque suprà in voce *Jabel*, item *Jehova*, uti *de excommunicatione in secreto nominis tetragrammati* suô locô. Sed & apud alias plerasque gentes nomen Dei *quatuor literis* constare, adeoque τετραγράμματον esse, suprà ostendimus.

TETRAO, apud Sueton. *Calig. c. 22. Hostiæ erant phœnicopteri, pavones, tetraones, Numidicæ, Meleagrides, phasianæ, quæ generatim per singu-*

singulos dies immolarentur, ubi de sacrificio, quod sibi ipsi fieri jussit ut Deo, Caligula: Græcè τετράων, notum avis nomen ex *Athenæo* & *Hesychio*, de quo sic Plin. *l.* 10. *c.* 22. ubi de anserum variis generibus, *Decet tetraonas suus nitor, absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor. Alterum eorum genus vulturum magnitudinem excedit, quorum & colorem reddit. Nec ulla ales, exceptô struthiocamelô, majus corpore implet pondus, in tantum aucta, ut in terra quoque immobilis prehendatur. Gignunt eos Alpes, Septentrionalis regio. In aviariis saporem perdunt. Moriuntur contumaciâ spiritu revocatô. Proxima eis* —— *otid*. & &c. Urogallum alii appellant. Vid Mactos Hierolex.

TETRAODIUM, Græcè Τετραῴδιον, hymnus est magnô Sabbatô, in Ecclesia Græca cani solitus, quòd 4. partibus, quas ᾠδὰς dicebant, constaret, id nomen adeptus. Eum à Patriarcha Thoma inceptum, absolvit Marcus Monachus, teste Cedrenô, *Compend. Hist.* Vide Cl. Suicerum *Th. Eccl.* in hac voce.

TETRAPHARMACUM, ferculum Ælii Veri Augusti. Post Asiam enim domitam, luxus in urbem invectus, usque ad lapsam Reipubl. majestatem invaluit, usque adeò, ut ingeniosi in gulam & helluationem Principes, in id unicè incubuerint, ut novum aliquod convivandi delitiarumque genus excogitarent. Unde nonnulli apros integros convivis adponebant, Vetus Schol. Juvenalis, *ad Satyr.* 1. *v.* 140. Quidam tot in mensa stationes faciebant, quot essent literæ, quod commentum Getæ fuit, Severi Principis filii, apud Spartianum, *in eo*, *c.* 5. Erant qui ex omnibus Naturæ Elementis, quod exquisitissium erat, gulæ parabant. Lucan. *Pharsalia l.* 10. *v.* 156.

Infudêre epulas auro, quod Terra, quod Aër,
Quod Pelagus, Nilusque dedit ——

Nec defuêrè, qui, in vicinia præparatos cibos fastidientes, è longinquo advectos impensè probarent: Ita enim frater Vitellii *in patina, quam ob immensam magnitudinem Clypeum Minervæ dictitabat, scarorum jecinora, fasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes Carpathiô usque fretoque Hispaniæ per Navarchos ac triremes petitarum, commiscuit*, apud Sueton. *Vitellio*, *c.* 13. Plura suprà, ubi de *Luxuria*. Hujusmodi itaque delicatioris gulæ Candidatos æmulatus Verus, in una paropside varias rerum species confundere gaudens, *Tetrapharmacum*, seu, ut alii, *Pentapharmacum*, excogitavit, ferculi genus, in quo *sumen, phasianus, pavo, crustulata, aprugna.* Vide Æl. Spartian. *in ejus Vita*, *c.* 5. & plura hanc in rem apud Thom. Dempster. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 29. Imò *tetrapharmacum* Hadriani fuit, cui pavone addito pentapharmacum fecit Verus. Vide Salmas. *ad Spartian. in Æl. Vero*, & suprà in voce *Pentapharmacum*.

TETRAPHYLLUM, Græcè Τετράφυλλον, Latinè *Quadrifolium* dicas, nomen pilei, quod Imperatores Constantinopolitani in publicis solennitatibus, quemadmodum & *Crinonâ*, utebantur. In usu enim communi, pileum adhibebant non multum à reliquis diversum: quem posteà, vel *Tetraphyllô* vel *Crinonâ*, cùm pompa & splendor id posceret, mutabant. Et quidem *Crinoniam*, à specie lilii, quod κρίνον Græcis: *Tetraphyllum* à quatuor foliis denominatum, censet Gretserus, *Commentar. l.* 3. *c.* 1. §. 8. *ad Codin. de Officiis Constantinop. c.* 6. *n.* 18. &c.

TETRAPLA, vide *Biblia*.

TETRAPOLIS, Regiæ Syriæ, in qua sunt quatuor urbes à Seleuco rege conditæ, quæ sorores appellantur, *Antiochia*, à patre, *Seleucia*, à se, *Apamia*, ab uxore, & *Laodicia*, à matre, nominatæ. Item locus Atticæ, 4. oppidis constans, *Oenoë*, *Probalinthô*, *Tricorythô*, & *Marathone*. *Steph.*

TETRAPOLIS, vide *Zea*.

TETRARCHA, Græcè Τετράρχης, nomen dignitatis, regiæ proximæ: Lucæ *c.* 3. *v.* 1. *Tetrarchâ Galileæ Herode, Philippô autem ipsius fratre Tetrarchâ Ituræa & Trachonitidis regionis & Lysaniâ Abilenes Tetrarchâ*. Nempe amplissimum Herodis regnum mutatâ formâ in Ethnarchias tres ab Augusto sic divisum est, ut maximam & cœteris duabus patem Archelaus, eôque pulsô, Cæsaris Procurator obtineret: reliquas duas Herodes Antipas & Philippus haberent. Unde Imperatori Lucas statim subjecit Procuratorem Pontium Pilatum, huicque demum *Tetrarchas*: quod Joseph fecit, in divisione Regni Herodis, *l.* 11. *de Bello c.* 13. Et quidem de *Tetrarchia* Herodis ac Philippi nullum dubium: Sed quare Lucas *Tetrarchiæ Lysaniæ* deinceps meminerit, quærunt Eruditi. Ubi notandum, Euangelistam in designando tempore, quô DOMINUS noster ministerium suum inchoavit, maximam adhibuisse diligentiam, ut plurimis rem hanc indiciis insigniret redderetque illustrem ac testatam. Erat autem illis temporibus *Tetrarchia*, quæ dicebatur *Abilena Lysaniæ*: quam pro voluntate Imperatoris, vel proprius obtinebat Princeps, vel major aliquis accesionis locô capiebat. Proin cùm acceptabili hôc ac verè magnô annô quidam Lysanias eum Principatum teneret; nec hunc quidem Lucas putavit sibi esse prætermittendum; quum præsertim Judæi non pauci in ejus ditione habitarent, in finibus Decapoleos, quò venisse Christum atque Euangelium prædicâsse, legimus Matthæi *c.* 4. *v.* 25. Sedem verò hic dominationis suæ collocavit Abilæ, quô nomine vocabatur urbs quædam Syriæ, quam Plinius unam facit è *Tetrarchiis* sex, quæ urbibus Decapoleos immixtæ erant. Unde videmus vocem *Tetrarchæ* non semper præcisè eum indigitâsse, qui *quartæ regni parti* præesset, uti de Archelao, Herode & Philippo vidimus. Sed & laxiùs usurpari consuevisse, pro *Regulo* seu *Principe*. Ita ante natalem DOMINI quinquaginta circiter annis, vivebat in Syria Ptolemæus Mennæ F. *Tetrarcha* sive Regulus Ituræ regionis parvæ in confinio Syriæ & Arabiæ; cui montana Ituræ, Marsyan, Heliopolin & Chalcidem, paruisse tradit Strabo, *l.* 16. Hunc fil. Lysanias in *Dynastia* excepisse dicitur, apud Josephum, *l.* 14. *c.* 23. quem proin beneficiô Antonii *Ituræ Regem esse factum*, ait Dio, *l.* 46. Eô, ejusdem Antonii, ut Cleopatræ gratificaretur, jussu, occisô (precariò enim solùm Dynastæ hi dominabantur, Cleopatra hanc *Tetrarchiam* possedit: posteà Augustus Fisco addixit, & certâ impositâ pensione colendam tradidit Zenodoro cuidam: qui quamdiu eam in potestate habuit, *Zenodori Tetrarchia* dicta est; Josephus appellat Ζηνοδώρου οἶκον, quæ vox Autori huic sæpè idem est, quod *Dominatio* seu *Tetrarchia*. Herodi dein eam Augustus donavit, an. Urb. Cond. 734. teste Dione, *l.* 54. ante Natum Christum 8. Quô mortuô, quum inter possessas ab illo terras esset reperta hæc *Tetrarchia*, Augustus partem illius Philippo ejus filio attribuit de reliqua quid statuerit, neque dicit Josephus, neque ullus alius Historicus. Sed docet nos Lucas *l. c.* Lysaniam quendam hujus nominis II. parte præcipuâ illius atque adeò ipsâ Abilenâ fuisse ornatum, vel à Tiberio, vel potius ab ipso Augusto. Qui quis fuerit, aut quô fatô vitam finierit, non annotatum reperimus: illud scimus paulo pòst, h. e. decem ferè pòst annis, redusse ejus *Tetrarchiam* in potestatem filiorum Herodis. Scribit enim Josephus, *l.* 18. Cajum inter alia plura, dedisse Agrippæ τὴν Λυσανίου τετραρχίαν, quam olim Lysanias Ptolomæi fil. obtinuerat, paulo ante Lysanias Lucæ. [blot] tamen transmisit ad filium Agrippa Dynastiæ possessionem; sed Agrippa junior à Claudio sibi donatam accepit, annô Imperii ejus, 12. Joseph. *l.* 20. *c.* 3. Vide Isaac. Casaubon. *Exercit. l.* 13. *ad Annales Baronii*, §. 3. & suprà *Lysanias*. Adde Salmas. *ad Solin.* ubi in Syria & Phœnice singulas urbes dictas fuisse *Tetrarchias*, propriè verò *Tetrarchiam* esse, quaternorum simul in una eademque provincia vel gente principatuum, cujusmodi Principes habuerit natio Galatarum, in tres populos divisa, quorum singuli in quatuor partes distributi totidem subfuerint Τετράρχαις, docet, *p.* 596.

TETRAS, apud Hyginum, *in castris groma ponitur in Tetrantem*, non idem est, quod aliàs *quadrans* Latinis, & quartam partem denotat: sed *quatuor partes* significat, diciturque groma *in tetrantem poni* Agrimensoribus, cùm figitur ad tetrantem faciendum, i. e. quatuor partes, in quas sic divisus est locus, ut quatuor angulos normales faciat dirigendos. Hinc apud eundem, *Tetrantum lapides inscripti*, & *in mediis tetrantibus lapides defigere*; Et *tetrantis locus*, qui aliàs *umbilicus soli*, in castris *locus gromæ*, Græcis τὸ μέσον vocatur. Quam in rem vide Salmas. *ubi suprà*, *p.* 672. & 690. Et hoc Græcè Τετρὰς, ἀντὸς, aliud Τετρὰς ἀδὸς, de qua voce vide retro dicta in *Tetrachordum*, & *Tetradita*.

TETRASSARIUS, apud Marcellum Empir. τετρασσάριος, in *Epicteto* Arriani, semuncia est. Τετράσσαρον verò Γάλλοις unciam esse, scribit Cleopatra apud Car. du Fresne *Glossar*, vide quoque suprà *Assar*. At *Tetrastater* Cyrenaicus, 8. drachmarum fuit, Gronov. *de Pecun. vet. l.* 3. *c.* 7. Vide retrò voce *Stater*.

TETRASTICHE, apud Treb. Pollionem *in Galienis*, *c. ult.* *Porticum Flaminiam usque ad pontem Milvium & ipse paraverat ducere, ita ut* tetrastiche *fieret* --- *ita ut primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis, secundus & tertius, & sic deinceps* διὰ τεσσάρων *columnas*, vox Græca est, sed minus Græcô more enuntiata, unde *tetrastichæ* reponit Salmasius. Fuêre nempe τετράστιχοι, quatuor scil. ordines columnarum: vel columnæ quaternis ordinibus positæ. Vide eum *Not. ad l.* Simile quod de villa Gordiani *ducentas columnas in tetrastylo habuisse*, legimus apud Capitolin. *in Gordiano III. c.* 32.

TETRASTYLUM, Græcè Τετράστυλον, locus seu spatium Vestibuli, apud veteres Romanos, quatuor columnis distinctum, quod omnibus deambulaturis patebat, Vitruvius, *Archit. l.* 4. *c.* 1. Vide quoque infrà *Vestibulum*,

TETRAUANGELIUM, nomen codicis IV. Euangeliorum Historiam complexi. Platina *in Marco. P. Constantini temporibus fuit Juvencus Hispanus Presbyter genere nobilis, qui* Tetrauangelia *hexametris versibus ferè ad verbum transferens, quatuor libris composuit.* Vide in voce *Juvencus*. Græcè Τετραευάγγελον quoque corr. ex Τετραδιάγγελον seu Τετραδιαγγέλιον, vide Cl Suicerum *Thesaurô Ecclesiasticô*.

TETRAVELUM, apud Anastasium *in Leone III. Super altare majus fecit* tetravela *holoserica*, alibique passim, Græce τετράβηλον, *velum* est *quadruplex* seu vela quatuor, *quæ in circuitu Ciborii, quô Altare tegitur, expandi solent*, uti loquitur C. du Fresne *Glossar.* Vide quoque eum *in Descript. Ædis Sophianæ num.* 65. & Dominicum Macrum *in Hierol.*

TETRICUS Senior Cajus Pesuvius dictus, populi Romani Senator, cùm præses in Gallia esset, ad capessendum imperium instigatus est, à Victorina. Augustum itaque eum appellari fecit, filiumque ejus Cæsarem noncupavit, mortuô Victorinô ejusque filiô. Tandem cùm multa feliciter gessisset, ab Aureliano victus an sponte se ei permittens; & in triumphum ductus, posteà tamen Italiæ præfectus, & in summa dignitate collocatus est ab ipso Aureliano, pudore victô. Filius ejus cognominis, similiter triumphi pars fuit, posteà in Senatum admissus tranquillus omnibusque æstimatus reliquum vitæ exegit. Trebellius Pollio, *de* 30. *tyrann. c.* 23. & 24. Vopiscus *in Aureliano*, *c.* 39. Cœterùm, *Tetricorum domus* — *in monte Cælio inter duos lucos, contra Isium Metellinum, pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, utrique prætextam tribuens & Senatoriam dignitatem, accipiens ab his sceptrum, coronam, cyclum, picta omnia de Museo*, memoratur Treb. Pollioni *in Tetrico Jun. c.* 25. ubi, quum hanc domum dedicâsset Aurelianus, ab utroque Tetrico convivio adhibitum, addit.

TETRICUS, (inquit Servius, *in Virgil. loc. mox citand.*) *mons in Sabinis asperrimus, unde tristes homines tetricos dicimus*: In tres divisus, quorum unus *Monte di S. Giovani*, alter verò *Monte Severo*, tertius *Monte Nero* dicitur, *Tetrica* Virgil. *l.* 7. *Æn. v.* 713.

Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum
Casperiasque colunt. ——

Itemque Silio Italico, *l.* 8. *v.* 418.

---- Necnon habitata pruinis
Nursia, & à Tetrica comitantur rupe cohortes.

TETRINIUS, latro quidam, de quo Sueton. *in Calig. c.* 30.

TETUANUM, & Teteguina, urbs & Resp. parva, in regno Fezzano, cum portu.

TETUS, vulgò *Trieu B. Argentræo*, seu *Cæsnon*, *Cænali* fluv. Galliæ Celticæ per minorem Britanniam fluens. *Ptol.* Τίτος *MS. Seldeni.*

TEUCA, quæ & TEUTHA, regina Illyricorum, Romanos sæpe fregit, castitate admodum clara. P. Junium & T. Coruncanum legatos Romanorum summâ injuriâ interemit. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

TEUCER, Babylonius, de *Decanis* scripsit, memoratus Salmasio *ad Solin. p.* 654. Vide suprà de hac voce.

TEUCER, Crustarius, apud Plin. *l.* 33. *c.* 12. *Habuit & Teucer Crustarius famam. Subitoque ars hæc ita exolevit, ut solâ jam vetustate censeatur.* Ubi *Crustarium* interpretatur *Dalechampius*, qui in tenuissimis argenti laminis & quasi *crustis* incisas castigatasque scalpebat imagines, non autem extantes, & à corio frontis extimæ prominentes: Gallicè *Ciselées à demy bosse*. Vide suprà.

TEUCER, Cyzicenus, Historicus, edidit volumen de *terra aurifera*, *de Byzantio*, *rerum Mithridaticarum libros* 5. *de Tyro totidem*, *totidemque rerum Arabicarum*, adhæc *historiæ Judaicæ libros* 6. & alia. *Suidas.*

TEUCER, Scamandri Cretensis fil. qui in Troade unà cum Dardano genero, qui Baticam filiam ejus sibi junxerat, regnavit; unde Iliensium regum fluxit origo. Ab hoc Troja, quæ à nepote ejus Troë hoc nomen nacta est, *Teucria* dicebatur. Virg. *l.* 2. *Æn. v.* 26.

Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.

Et populi *Teucri*. Ovid. *l.* 1. *Trist. El.* 2. *v.* 6.

Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Idem, *l.* 13. *Met. v.* 705.

Inde recordati Teucros *à sanguine Teucri.*

TEUCER, Telamonis ex Hesione fil. sagittandi peritissimus, quem Homer. *Il.* 8. inducit sub Ajacis fratris sui clypeo latentem, multosque Trojanorum occultè ex insidiis vulnerantem. Hic cùm eversâ Trojâ, in patriam rediisset, indignatus Telamon, quòd necem Ajacis fratris sui, Ulyssis insidiis circumventi, ultus non esset, Salamine eum expulit. Patriâ itaque profugus, navigavit in Cyprum, ibique urbem condidit, quam de nomine relictæ patriæ Salaminem vocavit. Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 7. *v.* 21.

——— *Teucer Salamina, patremque*
Cùm fugeret. ———

Idem, *l.* 1. *Carm. Od.* 15. *v.* 23.

Urgent impavidi te Salaminii,
Teucerque & Sthenelus sciens pugnæ.

Et *l.* 4. *Car. Od.* 9. *v.* 17.

Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu. ——— ———

• *Nic. Lloydius.*

TEUCERA, vulgò TIEURE, vicus Galliæ Belgicæ in finibus Ambianorum, ad Altuliam vel Altejam fluv. hodie in Artesia, sed in ipso limite Picardiæ, 1. leuc. suprà Dulendium in Ortum.

TEUCHIRA, urbs Cyrenaicæ maritima, quæ & *Arsinoë*, vulgò *Tocara*.

TEUDERIUM, *Ptol.* urbs German. in Westphalia; vulgò *Paderborn*. *Cluverio* oppid. fuit Eburonum, hodie *Tudder*, vicus Ducatus Juliacensis, ad amnem *Robeke*, prope Sitardum oppid. 6. mill. pass. à Mosa in Ortum, Juliacum versus 23. Vide T*heudurum*.

TEVIOTIA, vulgò T*ivedall*, provinc. Scotiæ meridionalis in ipso limite Angliæ, juxta fluv. Teviotam, inter Marchiam & Tuediam provincias Scotiæ ad Boream & Northumbriam in Meridiem. Ibi Jedburgum & Rosburgum oppida.

TEUMESSUS, mons Bœotiæ (vide T*heumesius*) ubi Hercules Teumessium leonem, adhuc puer, occidisse traditur. Hinc T*eumesius*. Papin. T*heb.*

Non alias tacitâ juvenes Teumesius iras
Mente acuit. ——— ———

Item parvum oppid. in Thebanorum finibus, fluv. quoque & regio.

TEUOCHIS, urbs Ægypti, & lacus. *Steph.*

TEURIOCHÆMÆ, populi Germaniæ. *Ptol.* T*huringer Peucero.*

TEURNIA, oppid. Norici mediterranei, nunc *Villach*, oppid. amplum ad Dravum, ubi Geylam recipit, in Carinthia superiore sed sub Episcopo Bambergensi 4. milliar. Germanic. suprà Clagenfurtum in Occidentem, 6. à Gurchio in Meridiem. *Cluver. Baudrand.*

TEUSARA, seu *Biledulgerid*, urbs Biledulgeridiæ propriæ in confinio regni Tunetani, vix 60. mili. pass. à Tebessa in Eurum.

TEUTAGONUS, Bastarnarum dux, auxilia adducens Persæ, contra Æëten. Flac. *l.* 6. *Argon. v.* 97.

TEUTAMUS, alter Argyraspidum Macedonum Dux, qui Eumenem Antigono prodere adjuvit.

TEUTANA, locus Sicyoniæ, qui priùs T*itana*. *Steph.* Τίτανα χωρίον τῆς Σικυωνίας. νῦν δὲ Τευτάνιον καλεῖται. Hinc *Teutani* populi; quos conditores Pisarum in Italia nonnulli tradiderunt, Plin. *l.* 3. *c.* 5. Nisi malis à Teuthea urbe Elidis, vel à fluv. Teuthea in Peloponneso arcessitos illos, Teutham urbem in Italia, quæ postmodum Pisa, exstruxisse, qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 60.

TEUTATES, linguâ Gallicâ dictus est Mercurius. Lucan. *l.* 1. *v.* 444.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, *horrensque feris altaribus Hesus.*

Liv. *l.* 26. *c.* 44. *Scipio in tumulum obversus, quem Mercurium Teutatem appellant.* Teutates igitur Gallis idem qui Phœnicibus Τάαυτος & Ægyptiis T*houth*, vel T*heuth*, & T*hoth*. Philo Byblius ex Sanchoniathone Phœnicio, scriptore vetustissimo: Ἀπὸ Μισὼρ Τάαυτος, ὃς εὗρε τὴν τῶν πρώτων στοιχείων γραφήν, ὃν Αἰγύπτιοι μὲν Θωὺθ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θωὺθ, Ἕλληνες δὲ Ἑρμῆν ἐκάλεσαν. Plato *in Philebo*: Φωνὴν ἄπειρον κατενόησεν, εἴτε τις θεὸς, εἴτε καὶ θεῖος ἄνθρωπος, ὡς λόγος ἐν Αἰγύπτῳ Θεὺθ εἶναί τινα τοῦτον γενέσθαι. Idem πατὴρ γραμμάτων appellatur *in Phædro*, ubi Rex Ægypti T*hamus* multis cum illo disserit, de usu literarum. In Cicerone, *l.* 3. *de Nat. Deor.* legitur T*hoyth* & T*heuth*. In Lactantio, *l.* 1. *c.* 6. T*heutus* & T*hot*, ut in Græco epigrammate, *l.* 1. *Anthol. c.* 91.

Πρῶτος Θωὺθ ἰδίῃ ὀργανάδην ἐπὶ βίβλοις ἐγείρει.

Quomodocunque legas, Gallicum Tentatis nomen inde apparet esse deflexum. Bochart. *l.* 1. *Chanaan, c.* 42. *Nic. Lloydius.* Ejusdem meminit Lactantius, *l.* 1. *c.* 21. *Galli Hesum atque* Teutatem, *humanò cruore placabant*: quibus T*aranim* addit Lucanus, uti dictum suprà. Et ex hisce *Teutatem* fuisse Mercurium, hæc ipsa victima probare videtur: Mercurio enim homines à Gallis solitos fuisse mactari, judicat etiam Tertullianus, *Apologet. c.* 9. & Minucius, *Octaviò.* Verùm non commodè satis hâc voce Mercurium reddi; cùm non Mercurii sidus, sed Solis, vel vis Jovis, h. e. cœli, eâ fuerit indigitata, contendit Vossius: *Nam quis*, inquit, *credat, vel Martis* (quem *Hesum*) *vel Mercurii planetam* (quem *Teutatem*, Galli, *Wodan* Germani dixêre) *majori eos in veneratione habuisse, quàm Solem ipsum? Utrobique igitur Sol intelligendus, quem quia diversimodè Germaniæ gentes expressêrunt: diversis quoque Martis atque Mercurii vocabulis reddiderunt Romani; sed parùm appositè. Quia Latinè qui loquerentur, non Solem, sed duos è quinque Planetis, per Martem & Mercurium intelligerent; ea verò quæ ab antiquissimis hominibus prodita essent de Martis ac Mercurii cultu ad Solem reduci, paucilli scirent; nempe non nisi homines eruditissimi & qui omnis Theologiæ arcana penetrâssent. Quare satius fuerat, retinere appellationes Barbaras: vim autem vocum rectius per Jovis aut Apollinis nomina expressissent, de orig. & progress. Idol. l.* 2. *c.* 13. Ab hoc *Teutare*, Germanis *Teuth*, populus hic appellationem nactus est, *Teutsche*. Nationes enim Germanicæ à Deo, sua quæque dialectô, nomen assumpserunt: ut à *Wodan* seu *Godan*, non solùm Insul. *Godanonia*; sed etiam elisô O. *Gdan*, & primâ literâ per aphæresin ablatâ *Dan*, *Dani*. Quasi *populum Dei* dixeris: quod facere iis visum ad cultum Dei inculcandum suis & simul ad terrorem incutiendum hostibus. Vide eundem, *l.* 1. *c.* 37. Georg. Hornius tamen, ex Aventino, in Germania regnâsse *Teuttem*, *Teutonem* vel *Teutanen*, virum sapientem & disciplinarum apud Germanos auctorem, qui post obitum divinos honores meruerit, tradit; Ab eodem hodieque vocem *Deuten* pro יהוה derivans: unde *Teutonem* ac Jovem significatione planè convenire contendit, *Hist. Phil. l.* 2. *c.* 12. Vide quoque infrà in voce T*heut*.

TEUTH, vide similiter in T*heuth*.

TEUTHA, vide T*euca*.

TEUTHADAMAS, pater Pelasgi. Homer. 2. *Iliad.*

TEUTHEA, Græcè Τευθέα & Τευθὶς, urbs Elidis. Et T*eutheas* fluv. Peloponnesi, de quibus vide suprà in voce T*eutana*.

TEUTHIS, vir princeps, qui ad expeditionem Trojanam cum Græcis navigare volens, dum in Aulidis rupes impegisset, indignatus Palladem vulneravit. Item urbs Arcadiæ. *Steph.*

TEUTHLACOCAUHQUI nomen serpentis, Indis Occidentalibus in cibo & delitiis, hinque patriô sermone *domina serpentum* dicti. Quatuor est pedes longus, vel ampliùs, & caninorum dentium tubulis venenum jaculatur; quibus Mexicani pungunt collum ac cervicem illorum, qui gravi corporis dolore laborant: carnem verò ita præparare nôrunt, ut non minùs iis sapiat quàm nobis altilium eximia. Gerb. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 62.

TEUTHRANIA, vulgò T*ripoli* Moletio, urbs Paphlagoniæ ad Carambim promuntor. Stephanus verò T*euthraniam* à T*euthrante* dictam, urbem Mysiæ, non Paphlagoniæ facit. Unde Ovid. *l.* 2. *Trist. v.* 19.

Forsitan ut quondam Teuthrantia *regna tenenti*,
Sic mihi res eadem vulnus opemque feret.

TEUTHRAS, Pandionis fil. Ciliciæ & Mysiæ Rex, qui Augen Alei filiam ab Hercule compressam, ideoque patris jussu unà cum Telepho filio arcæ inclusam, ad ostium Caici fluv. delatam uxorem duxit, filiumque ejus Telephum pro suo educavit: ut ex Euripidis sententiâ refert Strabo, *l.* 13. Sunt qui Teuthrantem hunc 50. filias habuisse tradunt, quas Hercules omnes nocte unâ compressit, gravidasque reliquit. Ovid. *Ep.* 9. *Heroid. v.* 51.

Non tibi crimen erunt Teuthrantia *turba sorores.*

Regnum reliquit Argiopæ filiæ, ἄῤῥενας οὐκ ἔχων υἱούς, *non habens mares liberos*, apud Diodor. Sic. *l.* 4. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* IV. ubi, *de Regnandi jure Muliebri*, apud omnes gentes jure antiquis-

æquissimo, deficiente mare, fœminam succedere docet. Hinc *Teuthranteus*. Ovid. *l.* 2. *Met.* v. 243.

Peneusque senex, Teuthranteusque Caicus.

TEUTHRAS, fluv. nomen. Propert. *l.* 1. *El.* 11. *v.* 11.

Aut teneat clausum tenui Teuthrantis in undâ.

Apud Strab. *l. 6.* est Italiæ urbs aut fluv. de quo sis ibi consule Casaubonum. Sanè Silius, qui solet à fluviis nomina fingere, Cumanum quendam Teuthrantem vocat, *l.* 2.

TEUTHRONE, Laconicæ urbs. *Ptol. Scopia Nigro.*

TEUTI, seu TEUTISCI & TEOTISCI, vide *Teutones*.

TEUTLUSSA, Insul. Ioniæ. *Thucyd.* Gentile *Teutlussæus. Steph.*

TEUTOBODIACI, inter Gallorum gentes, quæ Galatiæ, à se occupatæ nomen dederunt, memorantur Plinio, *l.* 5. *c.* 32. de quibus vide Salmas. *ad Solin. p.* 876.

TEUTOBURGENSIS saltus, sylva German. in Westphalia, inter Amasium & Lupiam fluv. apud *Falckenberg* arcem, inter Monasterium, & Paderbornam.

TEUTOBURGIUM, quod *Drasat Lazio*; aliis *Erdewdy*, & *Szenna Erdet* oppid. proximum, urbs olim, nunc pagus Pannoniæ superioris Drai cum Danubio confluentiam, à Buda 22. leuc. in Euronotum. ad Alii, ut Lazius, *Funfkirchen*, i. e. Quinque ecclesias, illam indigitant. *Baudrando* urbs aliàs Pannoniæ insul. nunc castrum *Erdewdy*, in Insul. Danubii, ubi recipit Dravum, in Comitatu Bodroghiensi & Hungaria inferiore 15. mill. pass. à Mursa in Ortum, 55. suprà Belgradum in Circium, *Teutoburgium* alterum, *Dœsburg*, quasi Drusiburgum, oppid. Germaniæ inferioris in Geldria, ad Fossam Rheni Drusianam, inter Noviomagum ad occasum, & Zutphenum ad ortum.

TEUTOBURGIUM, oppid. Westphaliæ, in Lemgoviensi agro, *Dietmele*; ubi Chassuarii populi. Non procul hinc Saltus Teutoburgensis, ubi Q. Varus cæsus sub Augusto prope fontes Amasis & Lupiæ fluv. 12. mill. pass. à Paderborna in Boream, *Cluver.*

TEUTOMATUS, Rex Nitiobrigum, cujus pater ab Senatu Romano amicus appellatus erat. Cæs. *Comm. l.* 7. *c.* 31. & 46.

TEUTONI, & TEUTONES populi German. mare Germanicum apud Cimbros incolentes, in Fionia & Selandia. *Ptolemæus* non longè ab Albi fluvio, inter Pharodinos & Suevos ponit. Vicus hodie est, è regione urbis Agrippinæ trans Rhenum, nomen regis Tuisconis obtinens, ut putant. Neque verò Teutones & Germani iidem sunt; sicut neque Alemanni & Germani. Quanquam hodie omnes Germani *Teutones* vocantur. Horum lingua, vulgò *Teutonica* seu *Celtica* Boreales Europæ partes, sicut Latina Occidentales, Slavonica Orientales & Græca Australes, occupavit: latissimè diffusa. Ejus dialecti sunt vel *Remotiores*, quales sunt Islandica, Norvegica, Danica, Suecica, Anglica, Scotica, Hibernica, Wallica, Gothica, quæ superest in Taurica Chersoneso: vel *Propiores*, ut *Teutisca*, seu vetus Saxonica vel *Theotisca*, seu Francica *die Hochteutsche*. Illa originarii Genii magis tenax, subdivisa est in idiomata varia: Belgicum seu Hollandicum, Brabanticum, Frisicum, Westphalicum, & Brunsuicense, seu Inferius Saxonicum propriè dictum, Holsaticum, Meckelburgicum, Pomeranicum, Marchicum, Borussicum, Livonicum, & Saxonum veterum in Transylvania. Ista successu temporis expolita, habet suas iterum dialectos: Austriacam, Helveticam, Bavaricam, Franconicam, Suevicam, Misnicam, Thuringicam, Hassiacam & Silesiacam, Schottelius. Becmanno matrices Teutonicæ propagines præcipuæ sunt, dialectus, *Francica*, in superiore Germania: *Saxonica*, cujus subdialecti in Germania inferiore, Belgio & Anglia, quæ postrema iterum Anglicismum & Scotismum genuit: & *Danica*, cujus iterum tria discrimina sunt, Danorum Limitaneorum, quos *Dennemarckos* vocant, Suedorum & Norvegorum: à quorum idiomate Islandica hodierna profluit, quam ita Norvegi intelligunt, ut linguam Belgicam Germani, *Hist. Orbis* Terr. Lucan. *l.* 6. *v.* 259.

Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.

Hinc *Teutonicus*. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 741.

Teutonicô ritu soliti torquere cateias.

Claudian. *in Eutrop. l.* 1. *v.* 406.

Teutonicus vomer, Pyrenæique juvenci
Sudavere mihi.

TEUTONICO LEOPOLDINA Societas Historiæ Univers. Germaniæ, paulò ante novissimum hoc bellum, quô Imperium Germanico-Roman. imò præter illud magna Europæ pars, concutitur, felicibus auspiciis inchoata, Præside Jobô Ludolfô Syndicô, N. Paulinô Medicô & Historicô Isenacensi, Sub-Syndicis per omnes Imperii Circulos, ac Collegis, Viris undiquaque Illustribus, Excellentissimis, πολυμαθεστάτοις, hactenus sub umbone Augusti feliciter processit. E quibus annô præteritô eruditas suas in *Res Germ. B. Rhenani Notas* Ulmæ in lucem edidit Vir Amplissi. D. D. Jac. Otto, cœteri Viri Insignes in penso quisque suo, ad unguem elaborando graviter desudant. Vide *Leges pro fundando Collegio Imperiali Historico; ad conscribendos Germaniæ Annales, Francofurti editos* A. C. 1691. *Delineationem Imperialis Collegii Historici*, it. *Propositionem Imperialis Collegii Historici, quâ omnes Germani ad conscribendos Patriæ Annales à primordio gentis inter Collegas distribuendos invitantur*, aliaque hanc in rem publici jam juris facta. Cui pulcherrimo cœpto sic bene ominatur Auctor Ode ad Joh. Lentium Prof. Herborn.

Rem geres,
Junctus Ludolphis, junctus Othonibus,
Consorsque Paulino laborum,
Et Pregizere tibi diserte,
Vobisque tantis, quos dabit indies
Excelsa virtus connumerarier:
Sors namque dictat, ne venire
Omnibus hanc liceat Corinthum.
Vos Magna saltem nomina pergite
Sibi celebrem reddere Teutona,
Et jura Mannorum tueris
Vos calamô, LEOPOLDUS *ense!*

Basileæ, mense Sept. A. C. 1690.

TEUTONICUS Ordo Militar. *die Teutsche Herren*. Hujus primus auctor Germanus quidam fuit, qui, occupatâ à Christianis terrâ sanctâ, Hierosolymis tum populares suos, tum alios, linguæ loci ignaros, hospitiô excepit. Quod ut commodius faceret, impetravit à Patriarcha veniam Xenodochium, cum Sacello B. Virgini dicato, extruendi. Huic dein alii quoque Germani juncti, Bremenses inprimis & Lubecenses nonnulli, opibus affluentes, novum Xenodochium Acræ excitârunt, A. C. 1191. titulô Equitum Teutonicorum sub regula S. Augustini, cum duplici cruce in pallio albo, assumptô: hinc *Crucigeri* quoque dicti. S. Ludovicus, Galliæ Rex postmodum caput Ordinis fuit, ut quidam volunt: qui à Cælestino III. A. C. 1195. confirmatus & à successoribus ejus insignibus privilegiis donatus est. Primus Ordinis Magni Magister fuit Henricus à Valpot; Captâ à Saladino Hierosolymâ, Equites Ptolemaidem concesserunt, inde in Germaniam translati, Prussiam occupârunt, per duo secula famâ viribusque florentissimi. Albertus Brandeburgicus Magnus Magister, A. C. 1525. à Sigismundo Poloniæ Rege. Prussiæ Dux creatus, hâc lege, *ut in Ducatu Kintbergensi, cum posteris suis legitime susceptis, ut & in terra Sammia regnaret: deficiente stirpe, Ducatus feudali jure ad regnum Poloniæ devolveretur*: Euangelium amplexus est, in exules Bohemos hospitalis: Proin Equites in Germaniam se receperunt reliquam, in qua amplissimi illis reditus Magnumque Magistrum creârunt, Albertum de Volfang: à quo tempore juniores filii Principum Procerumque in Imperio, Ordini ascripti, iis gaudent. Gaignius & Cromer. *Hist. Poton.* Jac. Vitrius, *Hist. Or. c.* 66. Joh. Eustachius Sollius, *Hist. Ord. Teuton.* Thuanus, *in Histor.* Albertus Miræus, *de orig. Ord. Eq. l.* 1. *c.* 3. Vide *Crucigeri* & *Ensiferi*. Item *Prussia*.

TEUTRIA, vulgò *S. Domini*, vel *S. Domo*, Insul. una ex Diomedeis, vide *Diomedeæ*.

TEUTUS, Vessæ seu Inessæ Princeps, dolo Phalaridis subversus. Polyæn. *l.* 5. *c.* 1. *in Phalar. com.* 4.

TEXALI, horum urbs *Devana*, vide ibi, & *Aberdonia*. Quidam cum Taizalis confundunt.

TEXELIA, vulgò *Texel*, Insul. Hollandiæ Septentrional. in Oceano German. prope ostium Sinus Aust. cum arce permunita, in ora Meridonali portu capacissimo vix 3. mill. pass. ab ora Septentrionali Hollandiæ, 24. ab Alcmaria in Boream. Hic quinque vici seu castra, & aggeribus munitur contra Oceani furias.

TEXENDI Ars, Græcè Ὑφαντική, unde *Hyphantice* eadem ex Græco dicta, Senecæ, *Epist.* 90. definitur Græcis ἡ σύνθεσις τῆς κρόκης πρὸς τὸν στήμονα, *subteminis ad stamen connexio*: connexu namque staminis ad subtemen tota telæ structura constat uti habet Vitruvius, *l.* 10. *c.* 1. Quam in rem vide Salmas. ad *Tertullian. de Pallio, c.* 1. & quæ jam suprà diximus, ubi *de Stamine, Subtemine, Telo* &c. Originem ejus, ex Ægyptiorum sententia, hanc refert Tertullian. ubi modò, *c.* 3. *Ægyptii narrant — eâ tempestate Osiridis, quâ ad illum ex Libya Ammon vasit, ovium dives: — Mercurium — forte palpati arietis mollitie delectatum, diglubâsse oviculam: dumque pertentat, quod materiæ facilitas suadebat, tractu prosequente filum eliquâsse & in vestis pristinæ modum, quam philyræ tenus junxerat, exisse* &c. Sed ultima verba sic legit Salmasius, *& quod materiæ facilitas suadebat, tractu prosequente filum eliquat, in vestis pristini modum, quem philyræ tenus junxerat, exisse.* Sensumque loci esse vult, floccum lanæ ex ovicula à Mercurio vulsum manibusque ejus tractum & eliquatum in filum exiisse, quales è philyra restes priùs necti moris erat, hincque artem materiamque *texendis* vestibus Isidem excogitâsse. At Græci, ut idem pergit Scriptor, *omnem lanitii dispensationem structuramque telarum Minervæ maluerunt, cùm penes Arachnen diligentior officina*, ad quæ verba ejusdem Salmasii *Notas* vide, ut & suprà in *Naama*. Et quidem gemina erat *Texturæ* apud Veteres ratio. Antiquitus enim stantes & sursum subtemen impellentes spathaque percutientes telam texebant, quod ἄνω ὑφαίνειν Græci, item ἀνακρέκειν, Latini *sursum versum & in altitudinem texere*, dicebant. Trama enim vel fila infrà erant, in superioribus texebatur vestimentum; sicque trama semper spathâ ad superiorem partem ducebatur ac trudebatur. Quô genere texta ἀνάκρεκτα dicebantur illis, uti *Isidorus Pelusiota* docet, qui ἐπιθωρακίδας, *fascias pectorales* sic vulgò texi consuevisse inter alia ait, de Galilæis loquens, item ὀρθοϋφῆ *Hesych.* & ὀρθά: his *recta*, unde *rectæ tunicæ*, eâdem ratione textæ, cujusmodi fuisse & tunicam Domini nostri ἄῤῥαφον, *inconsutilem*, ut vulgò redditur, Salmasius censet, ut infrà videbimus. At apud Recentiores à sedentibus tela texebatur & pectine feriebatur, ac subtemen deorsum trudebatur: cùm enim in superioribus fila haberent vel licia, ad inferiora procedebant, ubi vestimentum, vel tela, quæ texebatur, inerat. Quod inventum Ægyptiorum fuit, atque inde ad Græcos Romanosque dimanavit, veteri in altum texendi more apud solos Linteones remanente, uti notat Servius, *ad illud Virgilii*, *l.* 1. *Georg. v.* 294.

Argutô conjux percurrens pectine telas.

Unde & *Minervæ sedentis* ἀγάλματα dedicâsse Ægyptios, Grammatici referunt. Utrumque modum indicat Herodotus, *l.* 2. ὑφαίνου-

ὑφαίνουσι δὲ οἱ μὲν ἄλλοι ἄνω τὴν κρόκην ὠθέοντες Αἰγύπτιοι δὲ κάτω. Et Seneca, *Ep.* 90. *Possidonius — dum vult describere primum — quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat, quemadmodum subtemen insertum, quod duritiam utrinque comprimentis tramæ remolliat, spathâ coire cogantur & jungi: textricum quoque artem à sapientibus dixit inventam, oblitus posteà repertum hoc subtilius genus, in quo*

Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo:
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod lato feriunt insecti pectine dentes.

Ubi habes utrumque texendi modum *per spatham* & *per pectinem*. Tela, quæ jugo jungebatur, *Jugalis* hinc Catoni; eam sedentes mulieres detexebant & pectine feriebant: quæ verò suspensis ponderibus rectum stamen extendebat, & ipsa recta erat & à mulieribus stantibus ac ambulantibus pertexebatur, quò illud Homericum *ἱστὸν ἐποιχομένη* pertinet &c. Plura vide apud Salmas. *ad Aurelian. Flavi Vopisci*, c. 46. ut & paulò infrà; De araneorum autem in *texendo* sagacitate, unde prima fortè artis occasio, Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idol.* l. 4. c. 73. ubi & à *tego*, quòd videl. trama stamen trameet, & alternis nunc illud tegat, nunc ab eo tegatur, verbi etymon arcessit. Sed & *texere* Plumarii dicti, de quibus suprà.

TEXMINANI, quasi *Oculipeta*, quòd de arbore jaculi instar, in prætereuntium oculos, se evibret, virulentus apud Quanahuacenses Americæ populos serpens est. Amoris hieroglyphicum, in quo *duces oculi* Poëtæ veteri verbô. Vide Voss. ubi suprà, c. 57.

TEXTOR, servilis ministerii apud Romanos nomen. Marcianus, *l.* 65. §. 2. *ff. de Leg.* 3. *Si unus servus plura artificia sciat, & alii Coci legati fuerint, alii Textores, alii Lecticarii, ei cedere servum dicendum est, cui legati sunt, in quo artificio plerunque versabatur.* Apud Sueton. *de Ill. Gramm.* c. 23. *Remmius Palæmon Vicentinus, mulieris verna, primò ut ferunt textrinum; deinde, herilem filium dum comitatur in Scholas literas didicit.* Hinc *Textrix*, de qua C. JC. *l.* 27. *ff. de pecul.* *Et ancillarum & filiarum familiâs nomine, de peculio actio datur, maximè si qua Sarcinatrix, aut* Textrix *erit.* Et Ulpianus, *Quare si lanam conduxeret usuarius expediendam, poterat etiam per usuarias ancillas opus perficere. Itemque si vestimenta texenda redemerit.* Portius quoque Latro apud Senecam *Controv. ult. l.* 2. *Ex omni rupe conchylium trahitur, quô vestis cruentetur, infelices ancillarum greges laborant, ut adultera tenui veste pelluceat.* Atque hoc artificium adeò ancillas decuit, ut Ammianus, *l.* 14. universas unicô *Textrini* nomine comprehenderit. Vide de lana & lino, quatenus in *Textrinum* recipiuntur, Ulpianum, *l.* 70. *ff. de Legat.* 3. Partiebantur verò inter Lanificas pensa ipsæ dominæ; imò & laudatas Matronas lanam fecisse olim laudatum: at postquam ea illis munera sordere visa sunt, Lanipendiæ sunt institutæ, de quibus Plaut. *Menæchmis, Act.* 5. *Sc.* 2. In familia quoque rustica *Textores* fuêre & *Hyslones*, inquit Varro, *de re Rust. l.* 1. *c.* 2. Et sanè curam vestis conditæ uni villicæ præscribit Columella: & insuper, ut præparatas & pectitas lanas habeat, è quibus sibi actoribus & aliis in honore, servilis vestis domi conficiatur; Monet præterea ut ad telam accedat, & si quid melius sciat, doceat, *l.* 12. *c.* 3. Confecerunt autem sicut hodie *Textores* telas & pannos è lana aut serico aliave materia, uti, artem earum *Hyphanticen* ex Græco dictam eleganter describens, Seneca habet, *Ep.* 90. Neque hoc solum, sed & integras vestes absolvebant: non utentes operâ eorum ut plurimùm, quos Galli *Couturiers*, Latini *Sartores* vel *Sarcinatores* dicunt; quæ vocabula refectorem potiùs veteris vestis, quàm novæ confectorem, indigitant. Hinc Galenus, *l. ad Thrasyb.* ubi multam facit mentionem earum artium, quæ vestes Veter. conficiebant, nostrorum Sartorum non meminit, solam in eo genere agnoscens *Textoriam*: quasi illa non tantùm pannos confecisset, sed etiam vestimenta absolvisset. Unde sequitur, aut eosdem, qui erant *Textores*, etiam Sarcinatores fuisse, qui tamen à parte artificii præcipua *Ὑφάνται*, *Textores*, potiùs dicti sint: aut certè longè aliam fuisse rationem olim indumentorum faciendorum, quam hodie &c. Vide quæ hanc in rem eruditè congessit Isaac. Casaubonus, *Exercit.* 16. *ad Annales Eccl. Baron.* §. 48. & suprà ubi legimus *de Sarcinatoribus*. Proprium autem *Textorum Textricumque plaudere* fuit, cùm licium densius inculcabant & cum plausu collidebant: Græcè *ἀνακρούειν* vel *κροτεῖν*. Appulejus, *Metamorph. l.* 1. *Dextra savienter frontem replaudens*, i. e. repercutiens. Undè posteà verbum in Theatrum migravit, eoque peractis fabulis Spectatores dimitti cœperunt, Joh. Laurentius JC. *in Phædrum, l.* 5. *fab.* 7. Cantilena eorundem dicta Λίνος est, à *lino*, ut videtur Scaligero, sicut Ἴουλος ad lanificia adhibebatur. Vide eum, *Poëtices l.* 1. *c.* 55. &c. Ovidius *Textrinum* & *Textricem* ob oculos his versibus ponit *Met. l.* 6. *v.* 53.

Haud mora; constituunt diversis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt stamine telas.
Tela jugo vincta est; stamen secernit arundo.
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percussô feriunt insecti pectine dentes.
Utraque festinant: cinctæque ad pectora vestes
Brachia docta movent, studiô fallente laborem.

Textrinum rusticum sic describit Sidonius, in Burgo Pontii Leontii, *carm.* 22. *v.* 192.

Continuata dehinc videas, quæ conditor ausus
Æmula Palladiis Textrina ducere templis,
Hac celsi quondam conjux veneranda Leonti
(Qua non ulla magis nurus unquam Pontia gaudet
Illustris pro sorte Viri) celebrabitur æde,
Vel Syrias vacuâsse colus, vel Serica fila,
Per cannas torsisse leves, vel stamine fulvô
Pragmatis fusi mollitum nôsse metallum.

Ubi quòd *Palladiis templis* æmulam *Textrinam* dicit, Minervam Artis hujus vel Inventricem vel Præsidem, indigitat. Vide Laurentium Pignorium, *tr. de Servis.* Unde Tibullus, *l.* 2. *El.* 1. *v.* 65.

Atque aliqua assiduè Textrix *operata Minervam*
Cantat. ——

Plura suprà, ubi de *Fuggeris, Lana, Lino, Texendi Arte, Tunica inconsutili*, ubi veram Veterum textrinam nostrâ demum memoriâ denuo in apricum productam dicemus, &c. *Textores Plumarios* habes, ubi de *Plumandi artificio* &c.

TEXTOR Joh. Ravisius, vide ibi.

TEXTORES Gall. *Tisserans*, inter nomina, quibus Albigenses olim aspersi. Vide iis suô locô.

TEXTRICIUM, aliis *Testricium*, vicus non procul ab Augusta Veromanduorum, ad Dalmanniolem fluv. ad quem Theodoricus Francorum Rex à Pippino Majore Domus acie fusus est, A. C. 687. vulgò *Tertri* vel *Testri sur Daumignon*: inter Augustam Veromanduorum & Peronnam. Dalmannio hic, postquam Viromandum Monaster. *Vermand*, Textricium, Montiacum *Monchi vel Moussi la Gasse*, Atteiamque *Atie &c.* alluit, in Suminam influit inter Hammum & Perronam. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TEXTUALES, vide suprà *Scripturarii*.

TEXTUS, apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ liber dicitur seu codex Euangeliorum, qui inter Cimelia Ecclesiastica reponi solet, aurô gemmisque ut plurimum exornatus, interdum & aureis literis exaratus. Seu verbis Fridegodi.

Codex auratô conscriptus grammate scriptus,
Auctus Euangelicum servans in corpore textum:

quem Pontifici apertum, cæteris clausum osculandum deferri & super quo, Altari imposito, jurati consuevisse, habet Hildebertus Episcopus Cenom. *Ep. l.* 15. & diximus suprà, ubi de variis *Jurandi* ritibus. Vide Car. du Fresne *Glossar.* & suprà voce *Postilla*: ubi de investitura *per Textum Euangelii* suô locô.

TEYDERA, vulgò TEYDER, fluv. Litlandiæ provinc. in Livonia. Adzeliam, Volmariam & Segevoldiam urbes illius provinc. rigat; dein in Sinum Rigensem se exonerat, 12. mill. pass. ab ostio Dunæ in Boream, uti 17. à Riga.

TEZELIUS Johannes, vide *Johannes*.

TH. in nummis Constantii, *Thessalonicæ* nota est, vide suprà *Tes.* Græcis Θ, damnationis apud hos, sicut C. apud Romanos fuit litera. Persius, *Sat.* 4. *v.* 13.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

An quia Θ, ut vult Erasmus, cor hominis telo in medio vulnerati repræsentat, an quia vocem Θάνατος, i. e. *mors*, inchoat? juxta illud,

Infelix multis Theta est, mihi litera felix,
Si Θάνατον scribis, scribes & illa Θε[illegible]

Quam ob causam inter quinque literas Græcorum mysticas etiam hanc reponit Isidorus, *Origin. l.* 1. *c.* 3. mortem significare, dicens & idemque annotat, in breviculis, quibus nomina militum continebantur Θ. *ad uniuscujusque defuncti, nomen apponi* consuevisse. Imò eandem notam in variis sepulchris Christianorum exaratam, à fronte nominis defuncti, discas ex Browero, *in Annal. Trevir. l.* 9. & 10. & *Antiqq. Fuldens.* non unô locô. Vide quoque Jan. Gruterum, *Inscr. p.* 567. 6. ut & in voce *Theta*. In veterib. lapidibus & libris Θ ut & O. ac P. sæpe pro figura rotunda quadratam habere, adnotat Voss. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 30. qui idem Θ. & X. ab Epicharmo Syracusano, inventa esse, ex Aristotele, ac Plinio, *l.* 7. *c.* 56. docet, *de Arte l.* 1. *c.* 15.

THAAS, fil. Nachor ex Româ concubinâ. Gen. c. 22. v. 24. Latin. *hyacinthinus, festinans*, aut *silens*.

THABATA, pagus Palæstinæ. Hilarionis patria.

THABENNA, Hirt. *de Bello Afric.* c. 77. *Thabba Ptol.* urbs Africæ mediterran. Posidonius, *in Vita D. Augustini.*

THABIS, Scythiæ mons. Mela, *l.* 3. *c.* 7.

THABOR, mons Palæstinæ in Galilæa apud campum Esdrelon, à Nazareth ad. 6. mill. pass. in ortum distans. Alter est in tribu Nephthali versus Dan. Est & *Thabor*, urbs Bohemiæ, quæ & *Thaboria*, valdè munita, civibus *Hradstle Hori Tabor*, i. e. castrum montis Tabor, ab Hussi discipulis conditum. Urbs est Bohemiæ propriæ in Brechiniensi circulo, ad amnem *Lauznicz*, 6. milliar. German. à Budovissa in Boream, 11. à Praga in Meridiem. In ejus viciniis, & prope Janovitium castrum A. C. 1645. Austriaci grandi clade affecti fuêre à Suecis, duce Leonhardô Tornstensoniô. *Baudrand.* vide suprà, voce *Tabor*.

THABORITA Henricus, vide *Henricus*.

THABRACA, Vide *Tabraca*.

THADAL, vel TIDAL, Rex Gentium. Gen. c. 14. v. 1. Latinè *conterens jugum*, sive *scientia elevationis*, vel *ascensionis*.

THADDÆUS, unus ex XII. Apostolis, qui & *Lebbæus* Matth. c. 10. v. 3. De quo Euseb. *l.* 1. *c.* 5. *Hist. Eccles.* Vide *Judas*.

THADDÆUS, Abbas, Scotus gente, floruit Ratisbonæ, A. C. 1457. Precibus Conradi præpositi, *Chronica patriæ suæ in unum collegit, & vitas Sanctorum aliquot.* Canisius, *Tom.* 4. *Antiqq. Lect.* Alius eôdem tempore, Romanus, scripsit *Historiam Friderici I.* quâ Cuspinianus se usum refert. Item, Medicus Florentinus, doctrinâ & scriptis inclytus, seculô 13. Galenus sui temporis dictus, Bononiæ docuit.

Com-

Commentatus est *in Aphorismos Hippocratis* &c. Obiit A. C. 1270. vel 80. Justus in *Coron. Med.* Castellan. *in vitis Medic.* Vander Linden *de Script. Med.*

THADDÆUS de Pepulis, Doctor Juris Utriusque muneribus amplissimis defunctus, scripsit varia. Antonius Bumaldi, *Miner. Bonon.*

THADDEUS Perusinus, Ordin. D. Augustini, cujus etiam Generalis fuit. Scripsit *Comment. in Esajam*, qui 2. tom. in quarto, Perusii prodierunt A. C. 1598. & 1600.

THÆMA, *Ptol.* urbs mediterran. Arabiæ Felicis hodieque *Theama.*

THÆMAN, seu THEMAN, urbs Edom, apud Petram Deserti, inter montes Hor & Seir. Patria Eliphazi, inter Jobi amicos.

THÆNA, seu THENÆ, urbs fuit Byzacenæ, in ora littorali maris Mediterranei, & Syrtis parvæ, inter Usiliam ad Boream, & Macomades ad Meridiem, 56. mill. pass. à Tacapis in Boream 160 à Carthagine in Eurum. 360. à Lepti magna in Occasum. Ejus rudera visuntur prope *Casar Cerona*, vicum regni Tunetani.

THAGASTA, Vide *Tagasta.*

THAGENO, seu TAGENO, Decanus Pataviensis, scripsit *Historiam Expeditionis Friderici I. in Terram Sanctam*, editam inter Historicos German. vixitque sub eodem Imperatore.

THAGURA, vide *Tagura.*

THAHAN, fil. Thale. 1. Paral. *c. 7. v.* 25. Latinè *deprecans*, aut *misericors*, sive *gratiosus*, vel *gratia.*

THAHATH, nomen viri. 1. Paral. *c. 6. v.* 37. Latinè *subter*, vel *pavor*, vel Syriacè *descensio.* Est item 23. Israëlitarum mansio. Numer. *c.* 33. *v.* 26.

THAINUS, seu *Thanus*, nomen dignitatis olim apud Anglo-Saxones, dein Normannos, Angliâ potitos. Fuêre autem duplicis ordinis, *Thaini* scil. *Regis* & *Thaini mediocres*, quorum illos Baronibus majoribus, hos minoribus, h. e. maneriorum Dominis non malè æquipares. Nempe Canutus M. Danor. Rex ad suum comitatum adscitos præcipuos è nobilitate Danica, *bipennibus mucronumque capulis deauratis coruscantes*, ut ait Sueno in *LL. Castr. c.* 2. quorum numerus ad tria millia Militum selectorum ascendebat, suô idiomate *Thinglith* nuncuparit, voce conflatâ ex *lith*, quæ *ordinem aciei* sonat & *Tein*, *Thein* vel *Theing*, quâ Nobilium ordo efferebatur: unde posteà hi *Thaini* & *Thani* dicti. Vide Seldenum *de Titulis Honor. Part.* 2. *c.* 5. §. 2. 4. & *Notis ad Eadmer. p.* 170. nec non suprà, voce *Ministri*, at plura hanc in rem, apud Car. du Fresne *Glossar.*

THAIPHALI, populi Scythiæ Europææ circa Hierasum fluv. à Trajano victi. *Aur. Victor.*

THAIS, meretrix nobilis, patriâ Alexandrina, quæ cùm Athenas quæstûs gratiâ sese contulisset, Atticæ juventutis florem in sui amorem pellexit. Hanc carminibus suis celebravit Menander, unde & *Menandrea* dicta est. Propert. *l.* 2. *El.* 6. *v.* 3.

> *Turba Menandreæ fuerat nec* Thaidos *olim.*
> *Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.*

Idem, *l.* 4. *El.* 5. *v.* 43.

> *Sed potiùs mundi* Thais *pretiosa Menandri,*
> *Cùm ferit astutos Comica mœcha Getas.*

Lemma est apud Martialem, *l.* 14. *Epigr.* 18. *Menandri* Thais, cui subscriptum est,

> *Hac primùm juvenum lascivos lusit amores,*
> *Hac Glyceræ, verè* Thais *amica fuit.*

Lege Athen. *l.* 13. *c.* 13. Qu. Curt. *l.* 5. *c.* 7. Plut. *in Alex.* Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 15. *v.* 17.

> *Dum fallax servus, durus pater, improba lena*
> *Vixerit, & meretrix blanda, Menandros erit.*

Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 93.

> ——— *An melior cùm* Thaida *sustinet, aut cùm*
> *Uxorem Comœdus agit, vel Dorida nullo*
> *Cultam palliolo.* ———

Nic. Lloydius. Gronovio *Thais Menandri*, non est nobile illud scortum. Glyceram enim is amaverat; sed fabula ejus celeberrima, *Thais* inscripta. Hæc *primùm lascivos amores juvenum lusit* h. e. primùm in scena exhibuit & materiam Comœdiæ fecit amantem, seu partes amantis ephebi tractavit. Significat itaque Poëta, Menandrum auctorem fuisse Novæ Comœdiæ, & *Thaidi* auspicatum; Cujus cùm tanta virtus, ars tanta, tanta suavitas ut dicere possis hoc excellentissimum Poëma verè fuisse amicam Poëtæ, i. e. noctes diesque ab eo cultam, curatam, exornatam, velut hoc unum egisset (adeò illa omnes Attici leporis sales, totumque tanti ingenii μυροθήκιον, omnesque scenicæ festivitatis arculas & pigmenta absumpserat) denique animam & delicias fuisse illius unicas; non illam Glyceren, quæ tam potens fuisse fertur: hinc addit in minore versu; *Nec Glycere, sed verè Thais fuit amica Menandri.* Joh. Frid. Gronov. *Observat. in Eccles. Scriptores, c.* 2. Sed & Θαΐς fascia dicitur Medica, apud Soranum, ἐπίδεσμος ἰατρικὸς, quòd eô genere *Thais* caput ornare esset solita. Quemadmodum alius capitis ἐπίδεσμος, ab alio capitis ornamento muliebri, κεκρύφαλος, alius ἱέραξ, quòd ad eam plane formam factus esset, quâ hodie accipitres caput redimitum habent, appellatus est. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 759.

THALA, urbs Africæ propriæ Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 21. *Strabo. Ptolemæo* mons est in Libya interiore ubi & *Thalas* populos habet.

THALAMA, nomen urbis, Xenoph. Ἑλλην. *l.* 7. Ἀποκεχωρηκότας ἐπὶ τ̃ Θαλάμων. Lege cum Θ majusculo. Est enim urbis proprium, de qua Polyb. *l.* 4. & Eust. *Odyss.* 1.

THALAMÆ, urbs Messeniæ, Pasiphaës templô & oraculô nobilis. Plut. *in Agide. Basilipotamo Nigro. Calamata Gemisto.* An *Theramne* Plinii & *Therapne* Solini?

THALAMANÆI populi Persis subditi. *Steph.*

THALAMEGOS, apud Sueton. *Julio, c.* 52. *cum qua* (Cleopatra) *& convivia in primam lucem sæpe protraxit, & eâdem nave* thalamego *pæne Æthiopiâ tenus Ægyptum penetravit*: Græca vox est, παρὰ τὸ *ἄγειν τὸν θάλαμον, quod cubiculum ferret* dicta, *Cubiculata* hinc Senecæ, item *Lusoria*, *l.* 7. *de Benefic. c.* 20. quòd voluptati solùm & oblectationi inserviret. Cujusmodi naves parata habebant Ægyptii Reges DCCC. ut videre est apud Appianum, *Proœmio.* Similes, si usum spectes, veterum Gallorum *paradæ* sunt, de quibus *Ausonius* & *Sidonius.* Item illa Neronis, de qua Plut. περὶ ἀοργησίας. Gripus *Rudente*,

> *Pòst animi causâ mihi navem faciam, imitabor Stratonicum,*
> *Oppida circumvectabor* &c.

Inprimis verò celebris fuit *Thalamegos*, navis à Philopatore ædificata, quâ voluptatis gratiâ cum uxore & liberis per Nilum veheretur. Ejus longitudo fuit dimidii stadii, h. e. pedum 312. latitudo major quàm cubitorum 30. altitudo cum tabernaculi subrecto fastigio, parùm à 40. cubitis aberat. Figurâ nec longas naves imitabatur, nec rotundas, sed ab illis diversa, pro usus commoditate & altitudine fluvii: infernè quidem ad carinam lata & humilis, at ejus summæ partes præcipuè ad proram, multùm extendebantur: duplex prora, duplexque puppis. In alvo media, cœnationes erant & constructa cubicula: in ambitu navis, duplex deambulatio, non minore circuitu, quàm jugerum quinque & Inferioris quidem humoque propioris species ac dispositio portui similis, quam columnæ sustinebant: superior autem & à terra distantior, camerata, fenestris fenestrarumque intersepimentis undique circumdata. Vestibula ambulationum ex ebore aliave materia pretiosissima. His adjuncta fuit domus, unô tantùm columnarum ordine circumvallata, quæ lectos 20. capiebat, maximâ ædificii parte è cedro fissili materiata cupressoque Milesia: Fores ex assamentis thyinis coagmentatæ, cum eburneis ornamentis; in quarum fronte clavis ostiorumque marculis & annulis, ex ære rubro conflatis, color aureus igne adscitus est. Columnarum scapi è cupresso; capitula operis Corinthiaci, aurô & ebore ornata; epistylium (trabs est columnarum capitulis imposita) totum aureum, cui diasosma seu præcinctio aptata, cum insignibus animantium imagunculis eburneis, cubitô majoribus, artificii mediocris, sed numerô materiâque admirandis. Cœnationi tectum superstabat elegans, è cupressi ligno, cum variis ornamentis sculptis, inauratâ superficie. Inde dormitorium cubiculum cum lectis quinque, cui conjunctus fuit angustus canalis, in latum per navis alveum distentus, mulierum conclave dirimens, in quo cœnaculum fuit cum lectis novem, sumptu & magnificentiâ par majori ac cubiculum cum lectis quinque. Atque ad primum usque tectum hæc ita disposita fuerunt. In scalas verò cubiculo vicinas ubi ascendisses, alia domus apparebat, instructa quinque lectis, convexâ tecti summitate, figurâ rhombo simili: & prope ipsam, ædes Veneris camerata, in testudinis rotundum fastigium desinente cacumine, in qua marmorea Divæ statua. E' regione hujus domus aliud erat cœnaculum sumptuosum, unô columnarum ordine circumseptum, columnis constructis è lapide Judaico: cui propinqua cubicula iis, quæ anteà declaravimus, ornatu simili respondebant. In proram euntibus Bacchica domus subjacebat, unô columnarum ordine cincta, inauratis suggrundiis, sive tecti prominentiis, usque ad epistylia circumdata. Tecti fabrica eadem, quæ & Veneris ædis: ad dextrum latus antrum effossum fuit, eô prorsus colore, qui videtur in lapideo cæmentitioque opere, ex variis lapidibus atque aurô confectum. In eo regiæ stirpis ac cognationis imagines collocatæ, ex lychnitide arbore. Fuit & alia cœnatio perquam amœna, super maximæ domus tecto posito, ordine & formâ tentorii: Adversô flumine cùm navigabatur, aulæa in ea expandebantur purpurea. Cœnationem excipiebat locus dialis, cujus in superiore parte navis ea collocatio fuit, quæ subjectæ prostadis seu viæ, quæ à porticu in Gynæceum ducebat. Hinc vicina scala tortilis, quæ ad occultam ambulationem tendebat & cœnationem novem lectis instructam, fabricâ Ægyptiacâ. Nam teretes quæ illic columnæ fuêre, vertebratis scalpturis differebant, candidæ vicissim ac nigræ. Rotunda in illis forma capitulorum totaque circumscriptio rosis aliquantulum dehiscentibus similis. Circa partem, quam calathum vocant, nullæ volutæ fuerunt, quemadmodum in Græcis: crassa nulla folia, sed loti fluviatilis calyces & palmæ nuper germinantis fructus. In quibusdam aliorum florum multa genera exsculpta. Quod autem radici capituli suberat, nempe quod vertebræ jungenti cum scapo insidebat, ciboriorum, h. e. fabæ Ægyptiacæ, floribus & veluti complicatis foliis cælatum erat: Sic enim Ægyptii parietes construebant & ornabant, quos nigris lateribus & albis variabant, interdum etiam lapide, quem alabastritem vocant. Ædificia quoque multa, alia in media mole alvi navis & in cunctis ejus partibus fuêre: Malus cubitorum 90. velum byssinum, i. e. è tenuissimo lino, purpureis funibus ornatum. Vide Adam. Preyelium, *Sinæ & Europæ c.* 25. *ubi & aliam ab eodem Philopatore navem exstructam pluribus persequitur.* De *Thalamegis* hodiernarum gentium, Sinensium inprimis, suprà aliquid, ubi de *Navibus.* Addam hoc unum, quod vocem nonnulli, quasi *θάλαμον μέγαν*, *Thalamum*, seu *Cubiculum*, seu *Palatium magnum*, appellatam malint. Namque *thalami* nomine domus quoque magnificas & palatia venire, notum.

THALAMETUM, vulgò *Talemoy*, vicus in insula Vinnecennæ fluv.

THALAMIA, urbs Thessaliæ, quæ & *Thameia Steph.*

THALAMUS, Græcè Θάλαμος, item θαλάμη: quæ tamen sic distinguit *Ammonius*, ut θαλάμαι propriè sint delubra Dioscurorum, imo omnium Deorum interiores cellæ, Dearum præprimis, quæ aliàs καλύβαι, παστὰς i.e. *velis plumario opere variegatis* clausæ, de quibus vide suprà in vocibus *Calyba*, *Oecus*, *Pastophori* &c. Θάλαμοι verò de hominibus dicantur: quod tamen discrimen non est perpetuum, cùm & Dearum calybæ θάλαμοι appelientur passim. Est autem *Thalamus* propriè, remotissima pars ædium,

Virginibus quà fida domus ———

Uti ait Statius, *Achilleid. l. 2. v. 77.* aliàs Δόμος Græcis, item οἶκος & παρθενὼν; inde Νυμφικὸς οἶκος, seu *Nuptialis œcus*, in quem è *virgineo thalamo transmittebantur*, ut loquitur vetus ejusdem Schol. *ad Theb. l. 4. v. 751.* Novis enim nuptis conventuris novi fiebant *thalami*, i.e. thori, instar conclavium exstructi, idque singulari artificiô. Claudian. *Nuptiis Honorii, v. 214.*

——— *alii* thalamum *doctô componite textu*,
Stamine gemmatô, picturatisque columnis
Ædificetur apex ———

Componebantur autem instar tentoriorum; ut nunc etiam. Unde σκηνοπαγεῖς dicti Poëtæ veteri, apud *Suidam*:

——— ἐκ δὲ μελιχρῶ
Νίκαρχος ἐμπλήσας σκηνοπαγεῖς θαλάμους &c.

Quam in rem vide Casp. Barthium, *ad Statium, d. l. alibique passim.* Apud Hebræos *Nuptialis Thalamus* dictus est חופה *Chuppa*, cujus vocis hæc primaria notio est, ut scil: interiorem illum domus recessum seu thalamum notet, in quem Deductio nuptialis fieri solebat. Quô proin significatu occurrit in Benedictione Sponsalium, in ea gente usitata, quâ inter alia gratias Deo agunt, quod *incestu interdicto, uxores tam Thalamô* (ubi vox Chuppa) *quam Sponsalibus conjunctas sibi permiserit*: adduntque, *Benedictus qui sanctificavit populum suum Israël per* (chuppa) *Thalamum & Sponsalia*; Vide Gemar. Babylon. *ad tit. Chetuboth, c. 1. fol. 7.* Quæ postrema verba Genebrardus *in subjunctis Chronol. p. 73.* sic vertit, *Permittens ductas in matrimonium interventu thori genialis & consecrationum conjugalium.* Et hæc, ut dictum, primaria significatio vocis, tum in ipsis complendis nuptiis, tum in earum celebratione. Aliàs, usurpatur etiam τὸ חופה *Chuppa*, pro velamine Sponsorum, quô velut flameô capita eorum obtegi: item pro tentoriolo illo, quô obumbrari, in ipsa Benedictione Nuptiali Sponsi consuevêre. Quemadmodum vicissim vox אפריון, propriè Velamen nuptiale denotans, etiam pro ipso Thalamo conjugali nonnunquam sumpta reperitur. Idem Thalamus etiam חדר *Cheder* dicitur Joëlis *c. 2. v. 16.* ubi Thalamus ejusmodi memoratur, idque quatenus tempus nuptialis celebrationis spectat, *Exeat* seu *exibit Sponsus è cubiculo suo & Sponsa è Thalamo suo.* Quibus in verbis Sponsæ tribuitur *Chuppa*, quod vocabulum plerunque ferè semper pro Thalamo, in quem solennis deductio facta est, usurpari diximus & *Cheder* Sponso. Verum quidem, *Chuppa*, à verbo חפה deductum, quod *obtegere* denotat, ex natura sua locum, quô obteguntur seu occultantur Sponsi, significare adeoque thalamum seu παστὸν (quod habent Hellenistæ, vide *infrà*) in quem ad concubitum Sponsorum deductio fiebat; *Cheder* verò *cubiculum* seu *conclave* denotare: Sed in idem planè ita recidunt. Chaldæi etiam גנון & בית גנון vocavêre. In hunc itaque Thalamum deductio fiebat, sicque Sponsa omnimodâ ratione perfecta uxor regulariter habebatur: & Sponsi ex eo, tum splendidis vestibus, tum nuptialibus comitum officiis, iisque lætissimis, durante Nuptialis celebritatis tempore, ornati progressus, Soli comparatur, Psalm. 19. v. 6. Sponsis enim amici ac ministri aderant, quorum officia nuptialia Sponsis, durante illô sive tridui sive septidui tempore, præstanda fuêre. Quo respicitur Math. *c. 25. v. 10.* *Dum irent emere* (Virgines fatuæ) *venit Sponsus: & quia paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias & clausa est janua.* Ubi, quod in Græco est, εἰς τοὺς γάμους, à Syro redditur, *in domum chori, lætitiæ & nuptiarum*, cui etiam alibi sæpius οἱ γάμοι, *nuptiæ*, nuncupatur *Symposium nuptiale.* Quò autem ibant Virgines hæ? εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου, *in occursum Sponsi*, Syrus addit, *& Sponsæ*, quibus venientibus amici in occursum ibant, υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, *filii Thalami Nuptialis* propterea dicti. Matth. *c. 9. v. 15.* Inter quos duo erant præcipui, videl. alter Sponsi, alter Sponsæ; è quibus ille, qui Sponso, ut amicus fidelissimus, ita tempore nuptiarum officium præstaret, innuitur in similitudine illa sacra Johannis, *c. 3. v. 28.* *Ipsi testimonium mihi perhibetis, quòd dixerim, Non sum ego Christus, sed quòd missus sum ante illum.* Et mox, ὁ ἔχων τὴν Νύμφην, Νυμφίος ἐστιν· ὁ δὲ φίλος τοῦ Νυμφίου ὁ ἑστηκὼς &c. *Qui habet Sponsam, Sponsus est. Amicus autem Sponsi, qui stat & audit cum gaudio, gaudet propter vocem Sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Vocis Sponsi Sponsæque mentio tum in sacris literis solennis, tum in ipsa, quæ deductioni erat præviâ, Benedictione, vocemque mutuos conjugum seu sponsorum affectus atque exhilarati animi invicem effata indicantem denotari, dubium non est: quam audire atque observare, etiam inter primaria Paranymphorum seu Amicorum Sponsi Sponsæque officia fuisse, indeque more nuptiali lætari eos consuevisse, certum. In Judæa verò (alius enim in Galilæa mos) eorundem usus erat, non tantùm in Deductione, sed & in ipso cubili seu *Chuppa*, idque totâ deductionis nocte. Tametsi namque passim fermè, pudoris causâ, in more sit positum, ut cohabitatio etiam conjugalis, *remotum ab arbitris cubile conquirat, omnesque famulos atque ipsos etiam Paranymphos & quoscunque ingredi qualibet necessitudo permiserat, ante mittat foras, quàm vel blandiri conjux conjugi incipiat*, ut loquitur Augustin. *de Civ. Dei l. 14. c. 18.* in Judæa nihilominus ipsi thoro Conjugali Paranymphi officiosè adfuerunt, ne fraus alterutrinque de Virginitatis testimonio committeretur. Vide Seldenum, *Uxor Ebraic. l. 2. c. 7. 13. & 16.* ut & suprà in voce *Nuptialis Deductio.* Adde historiam Nuptiarum Raguelis & Saræ, Tobiæ, *c. 7. & 8.* Occasione *Thalami* de velandi more Nuptiali pauca aspergam. Apud Hebræos Velaminis duplex genus occurrit, in Nuptiis adhibitum. Alterum, quô Sponsorum capita, ut Flameô, obtecta; alterum quod in ipsa Benedictione nuptiali, velut tentoriolum portatile, eos obumbrabat. Prioris mentio in Misna tit. *Sota c. 9.* Talm. Babylon. *fol. 49.* *Temporibus bellicis, quæ sunt insequuta, decretum est, ne prodiret* (in Deductionem) *Sponsa, velamine obvoluta intra Urbem. Sed Rabbini nostri postmodum permisêre, ut etiam intra Urbem velamine prodiret obvoluta.* Posterius, quod in atrio Synagogæ præparari nunc solitum, an veteribus Ebræis quoque in usu fuerit, nondum satis compertum. Solebat autem hæc vestis seu pannus expandi super caput Sponsi ac Sponsæ, ac tenebatur quatuor vectibus, tempore Nuptiali. Utrumque *Chuppa* quoque nonnunquam appellari consuevisse, dictum suprà. Velamina verò Sponsos ita *verecundiæ causâ* obtegere solita ex sindone aliave ejusmodi materia confecta sunt, non sine monilibus, lemniscis, aliisve id genus, pro utentium lubitu, hinc inde pendulis. Ipsum autem אפריון, quod in loco Misnæ citato Sponsæ prodeunti tantùm attribuitur, velamen hujúsmodi utrisque commune denotare, manifestò liquet ex utraque Gemara, ut videre est apud Seldenum. Quamvis autem, pro utentium libitu, hæc velamina fiebant; tamen plerumque fastigiata seu in conum sursum desinentia, quæ etiam figura tentoriolo tribuitur, confici consueverunt. Eorum usus hodieque solennis in *Ritualibus* hodiernis, pro vario locorum more, memoratur, Mabaril *fol. 82.* & Machzor *Gem. part. I. fol. 336. col. 4.* & *337. col. 1.* Transiit, ut alia multa, Velaminis Nuptialis ritus, ad alias quoque gentes, de quibus nos alibi. De Occidentali saltem ut aliquid Ecclesia dicam, in Responso ad Bulgaros Nicolai I. Pontif. Rom. *Respons. 3. & Caus. 30. quæst. 5. c. 3.* inter alia legimus: *Apud nostrates posteà Sponsalia —— fœdera —— celebrantur. Et postquam arris Sponsam sibi Sponsus per digitum fidei annulô insignitam desponderit --- ambo ad Nuptialia fœdera perducuntur & primùm in Ecclesiam Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo, per Sacerdotis manum, statuuntur, sicque demum Benedictionem &* VELAMEN *cœleste suscipiunt, ad exemplum videlicet, quòd Dominus primos homines in Paradiso collocans benedixit eis dicens, Crescite & multiplicamini &c. —— Veruntamen* VELAMEN *illud non suscipit, qui ad secundas Nuptias migrat. Post hæc autem de Ecclesia egressi, coronas in capitibus gestant. &c.* In *Archiepiscopali* Bononiensi, hæc verba legimus: *Tunc* (Annulo nempe benedicto) *cingit Parochus Sponsorum colla candidô aliquô velô, ad instar Stolæ accommodatô & eos matrimonio jungit.* In Diœcesi Leodiensi, postquam Sacerdos Sponsos copulavit, eos ad gradus Altaris procumbere jubet, illisque benedicit: dein stolæ è colo dependentis extremitates duas super caput Sponsi & Sponsæ (quod veli vice est) ponit dicitque: *Dominus vobiscum. R. & cum Spiritu tuo.* Initium Euangelii Johannis, & post laudes aliquot ac preces, faciendo super eos signum crucis, dicit *Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti descendat super vos & maneat semper.* Aspergit posteà Sponsum & Sponsam, aquâ benedictâ, & illum primò, dein hanc Altare reverenter osculari facit, sicque domum remittit in pace. In *Formula* verò, quæ est Ecclesiæ Argentinensis, in Agendis ejusdem ab Johanne Episcopo editâ, Coloniæ, A. C. 1590. Sacerdos partem Stolæ Sponsorum manibus circumvolvit, dicitque, *Ideo Matrimonium per vos contractum confirmo, ratifico & benedico: in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.* In *Sacerdotali*, quod Venetiis prodiit A. C. 1576. Velum unicum inducitur Sponsorum spatulis, ad altare procumbentium. In Anglia olim prostratis Sponso & Sponsâ ad gradum Altaris, extendebatur super eos pallium, *quod tenebant 4. Clerici per quatuor cornua, in superpelliceis*, nisi alter eorum priùs esset dispensatus ac benedictus: tunc enim non habebatur pallium super eos, nec dicebatur Sacramentalis Benedictio. Etiam cùm mutuò interrogabantur Sponsi & mulier respondebat, *Volo*: dabatur illa à Patre suo, vel ab Amicis, Sponso, & habebat, si vidua esset, manum *velatam* (Virgo verò discoopertam) quam Sponsus recipiebat, in Dei fide &c. Vide denuo Seldenum, *lib. cit.* passim inprimis *c. 15.* ut & infrà ubi de *Velandi ritu*: Ut & quæ suprà diximus, voce *Alkova*, item ubi *de Lecto nuptiali.* Vocis origo, ἀπὸ τοῦ θάλλειν, *florere, virescere, germinare.* &c.

THALASSAR, & THELASSAR, regio Syriæ, Es. *c. 37. v. 12.* Latinè *suspensio*, vel *tumulus principis*, aut *suspendens canticum*, vel *tumulus canentis*.

THALASSIARCHUS, vulgò *Admiralius*, de qua voce, ex Spelmanni *Glossario Archaol.* pauca hæc aspergere lubet. Ex Arabici & Græci connubio vox orta videtur, namque Arabicum *Amir*, princeps, præfectus, Ἅλιος Græcis marinus est: ut sic Præfectum marinum denotet. Reperitur in Orientali Imperio vox perspicuè, de Magistratu navali, non autem summo illo, cui hodie id nominis opponitur; sed de subordinato quopiam ejus præfecto (quem tunc magnum Ducem appellabant) ejusque vicario i. e. Magno Drungario classis inservienti. Vide Curopal. *in Officialibus Aulæ Constant.* Sed hæc ipsa appellatio communis etiam fuit terrestribus Principibus. Babylonis enim tyrannum *Amiralium* vocat Huntindoniensis, qui sub Stephano Rege floruit A. C. 1148. & Sigeberti Auctuarius. Imò occurrit apud Monstreletum Arcubalistariorum *Admiralius*, i. e. Præfectus. Verùm hic terrestris *Admiralius* solis Turcis & Asiaticis innotuit. Marini in Orientali Imperio prima mentio deprehenditur. Hinc enim ad Italos Siculosque transmigrâsse videtur nomen *Admiralii.* Gallis inde porrectum, qui in navalibus præliis Italis plerumque usi sunt Præfectis, ad Anglos tandem pervenit, sed confectâ jam Hierosolymitanâ militiâ: incognita enim *Admiralii* vox illis mansit usque ad Eduardum I. sed nec tunc pro Thalassiarcho. Sensim tum peregrinus hic titulus tribui cœpit Præfectis classicis, dum nec adhuc perpetuus quis esset, aut universalis rei mariti-

maritimæ administrator. Perpetuus enim nullus olim fuit in hoc munere, sed ex arbitrio Regis, aut annuus aut biennalis, aut paulo diuturnior; aliquando ne semestris quidem, sed veluti repentinæ alicui expeditioni datus: dictus sæpe non Admiralius maris sed *flottæ navium*, i. e. classis. Classis autem Admiralius nemo salutabatur, qui non denis præficeretur navibus, quod à Genuensibus primò latum. Primus qui universali nomine *Admiralius Angliæ* dictus est, fuit Richardus fil. Alani junior, Comes Arundelliæ & Surregæ, hôc munere, & titulô donatus, d. 10. Sept. Annô 10. Richardi II. Causarum verò nauticarum cognito & Forum rei marinæ, quod hodie *Curiam Admiralitatis* vocant, Admiralio primùm illuxit, sub Eduardo III. Seriem Admiraliorum, qui in Anglia floruêre, exhibebimus infrà ex præfato auctore. Apud Gallos vix antiquior Admiralii institutio, cùm vox capitur de summo stationarioque Magistratu, qui universæ marinæ Reip. præest, suôque forô & amplissimâ jurisdictione, tam in causis civilibus judicandis, quàm in classe regia gubernanda insignitur. Et probabilis sententia eorum est, qui primum apud Gallos Admiralium faciunt, vel Enguarranum Dominum de Caccy, sub Philippo III. filio S. Ludovici, A. C. 1280. vel Americum Vicecomitem Narbonensem, sub Johanne Rege postquam nempe Galliæ Rex, Johanni Anglo Normanniam aliosque Galliæ tractus maritimos, ob Arthori, Ducis Britanniæ cædem abstulisset. A Principibus Hispaniæ Christophorum Columbum, ob egregiè expeditam navigationem, *Admirantis*, quod idem, titulô donatum refert Munsterus, *Cosmograph. l. 5. c. 159.* Huic Magistratui si nomen à Romanis peteretur, magis congruum id videtur, quod offert Cicero, *in Ep. 7. ad Atticum l. 11.* cùm ait: *Vult me Pompejus esse, quem tota hæc maritima ora habet ἐπίσκοπον, speculatorem & custodem.* Quemadmodum autem apud Romanos, qui oræ maritimæ prospiciebat, *Episcopus*, sic idem Athenis appellatus est Ἀπόστολος, Apostolus, ἀπὸ τοῦ στόλου &c. *Nic. Lloyd.* Vide suprà voce *Amir*, item *Megadux*, aliquid etiam voce *Satrapa*, quà primitus Maris præfectum apud Persas denotatum diximus.

Angliæ Thalassiarchi seu Admiralli.

Richardus filius Alani, Comes Arundel. & Surregiæ. An. 10. Richardi II.
Eduardus Comes Rotland. & Corcagiæ, An. 15. Richard II.
Joh Beaufort Comes Somerseti, An. 21. Richardi II.
Thomas Percey. Comes Wigorniæ, An. 22. ejusdem.
Thom. Lancastrius Regis Henrici IV. filius. An. 6.
Joh. Beaufort prædictus, An. 8. Henrici IV. quô tempore jurisdictio Admiral. magnum accepit incrementum.
Edm. Holland, An. 8. Henrici IV.
Thom. Beaufort, An. 9. Henrici IV.
Joh. Lancastrius, An. 4. Henrici VI.
Joh. Holland, An. 14. Henrici VI.
Wilh. de la Poole, An. 25. Henrici VI.
Henr. Holland, An. 28. Henrici VI.
Rich. Nevil. An. 1. Eduardi IV.
Wilh. Nevil. An. 1. Eduard IV.
Wilh. Nevil. An. 2. Eduardi IV.
Richardus Dux, frater Regis.
Richardus Nevill, Comes Warc.
Richardus Dux Glocestriæ, An. 11. Eduard. IV.
Joh. Howard, An. 1. Richardi III.
Joh. de Veer, Comes Oxon. An. 1. Henrici VII.
Eduard. Howard, An. 4. Henrici VIII.
Thom. Howard. An. 5. Henrici VIII.
Henricus fil. Nothus Henrici VIII. An. 17.
Will. Fitzwilliam, An. 28. Henrici VIII.
Joh. Russel, An. 32 Henrici VIII.
Joh. Dudley, An. 34. ejusd.
Th. de S. Mauro, An. 1. Eduardi VI.
Joh. Dudlejus, An. 3. Eduardi VI.
Eduard. Clinthon. An. 4. Eduardi VI.
Will. Howard, An. 1. Mariæ.
Eduard. Clinton, An. 3. Mariæ.
Carolus Howard, An. 27. Elizabethæ.
Georgius Buckingham An. 16. Jacobi.
Rupertus Princeps Palatinus, sub Carolo II.
Jacobus Dux Eboracensis Caroli II. Regis frater.

Reliquos, alicujus tantùm Regni partis, Borealis putà, Meridionalis vel Occidentalis, duarum extremarum inprimis Admirallos vide apud eundem Spelmannum.

THALASSIO seu THALASSIUS, carmen Nuptiale, apud Romanos, vide suprà *Talassio*. Aliàs θαλάσσιος, *marinus*: unde θαλασσίτης, primum genus hyacinthi, de quo Salmas. *ad Solin. p. 1107.* & *thalassites* genus vini falsi, apud *Plin. l. 14. c. 8.* propriè verò θαλάσσιον, *quod in mari nascitur, propiùs terram aut littora*; sicut πόντιον seu πελάγιον, *quod in alto*, vide eundem Salmas. ubi modò *p. 1146.* ut & suprà, in voce *Mare*.

THALASSIUS, Deus nuptiarum, vel vox nuptialis, ut quidam volunt, quà se ad operas domesticas duci novæ sponsæ admonebantur; ταλάσιον enim Græci *lanificium* vocant. Originem exponit. Liv. *l. 1. c. 9.* Sed prolixiùs Plut. *in Romulo.* Catull. *in Epithalamio Juliæ, c. 62. v. 132.*

> ——— *Satis diu*
> *Lusisti nucibus, lubet*
> *Jam servire Thalassio.*

Martialis, *Thalassum* vocat. Sic enim ille, *l. 12. Epigr. 42. v. 4.*

> *Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.*

Item, *Thalassionem* legimus apud eundem, *l. 1. Epigr. 36. v. 6.*

> *Quid si me jubeas Thalassionem*
> *Verbis dicere non Thalassionis?*

Nic. Lloyd. Vide & suprà.

THALASSIUS Comes, sub Constantino & filiis ejus: gratus Constantino, quòd Arianismo adhæreret, variis negotiis ab eo adhibitus, illius quoque nomine Concilio Sirmiensi interfuit; Ammian. Marcellin. *l. 14. & 22.* qui eum præfectum prætorio fuisse refert; Athanas. *Ep. ad Solit. & Apol. ad Const.* Scripsit *Historiam sui temporis. Zosim. l. 2.* Suidas in Θεόφιλος. Epiph. *hær. 71.* Voss. *de Hist. Gr. l. 4. c. 10.*

THALASSIUS Jupiter, Θαλάσσιος Ζεὺς, Sidone olim cultus, occurrit apud *Hesychium* Θ. an idem cum Belo, apud eundem, Βῆλος, Οὐρανὸς καὶ Ζεὺς Ποσειδῶνος υἱὸς, *Belus, Cœlum & Jupiter Neptuni filius* in Β. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. 1.* ubi *de Mene, Hammone, Belo*.

THALASSIUS Monachus, Maximi martyris familiaris, floruit An. 650. Scripsit, *de Sincera Charitate, ac vera continentia: de Regimine mentis.* Vixit in Africà, & scripsit Græcè.

THALASSOCRATIA, Latin. *Maris Imperium.* Hujus primum auctorem Minoëm facit Thucydides, qui eum Imperio Maris Carici, posteà *Græci* dicti, longè lateque potitum esse, Insulas Cycladas sub ditione tenuisse, & in plerasque primùm coloniam deduxisse, piratas è mari sustulisse, ac constitutâ ejus classe, maria ultro citroque liberius navigari cœpisse, ait, *l. 1.* Tantum interest humano generi, ut penès unum harum rerum summa consistat. Qualis autem fuerit Minois classis, hinc conjicere liceat, quòd Dædalus, ab eo fugiens, omnium primus velificatus sit: & Aminocles Corinthius post annos fermè 600. i. e. 300. circiter annos ante finem belli Peloponnesiaci, primus triremes quatuor Samiis fabricaverit: postque annos inde 40. pugna navalis vetustissima inter Corcyræos & Corinthios commissa sit, Idem, *ibid.* Post Minoëm multos populos θαλασσοκρατήσαντας, ex Castore Rhodio, recenset Euseb. *in Chron. Lydos, Pelasgos, Thracas, Rhodios, Phrygas, Cyprios, Phœnices, Ægyptios, Milesios,* Cares, *Lesbios, Phocæenses.* Thucydides præfatus Ionum meminit, *Polycratis* & *Phocæensium*: è quibus Polycrates Samius erat & Minoë recentior annis 750. primus Græcorum, qui post Minoëm θαλασσοκρατεῖν ἐπενόησε, *animum induxit, ut mari potiretur*, Herodoto, *l. 3. c. 122.* Post quæ, Romani hôc jure freti pacem, Carthaginiensibus eâ lege concesserunt, Τὰ μακρὰ πλοῖα παραδοῦναι πάντα πλὴν δέκα τριήρων. Πόλεμον μηδένα τῶν ἔξω τῆς Λιβύης ἐπιφέρειν καθόλου, μηδὲ τῶν ἐν τῇ Λιβύῃ χωρὶς τῆς Ῥωμαίων γνώμης, Polyb. *l. 15.* Livius vertit, *Ut naves rostratas, præter X triremes traderent, bellumve neque in Africa, neque extra Africam, injussu Pop. Rom. facerent, l. 30. c. 37.* &c. Vide Joh. Marshamum, *Can. Chron. Sec. XI.* ubi Edgarum Anglo-Saxonum Regem *Minoem Britannicum* indigitat, & suprà voce *Mare*.

THALCA, in tractu Simeon. Hieronym. *Loc. Hebr.*

THALE, nomen viri. 1. Paral. *c. 7. v. 25.* Latinè *humectans aut virescens.*

THALERUS, vide *Talerus*.

THALES, Milesius, Examii è Cleobulina filius; natus Olymp. 36. Cadmum Agenoremque inter Majores habuit. Auctor Sectæ Ionicæ, primus è 7. Græciæ sapientibus quoque Physicen primus, & astrologiæ secreta deprehendit. Aquam, rerum omnium principium esse, mundum animam habere, Spiritibusque plena omnia, asseruit. Temporum vices accuratè observavit, annumque in dies 365. dispescuit: quam scientiam, hactenus Græciæ incognitam, ab Ægyptiis Sacerdotibus partim, partim propriâ industriâ adeptus est. Crœso, quomodo absque ponte Halyn trajicere posset, ostendit: Solis eclipsin primus prædixit, quæ fuit A. M. 3379. contigitque durante prælio inter Cyaxarem Medum & Alyatten Lydum. De qua sic Herodot. *l. 1. c. 74. Bellum quinquennale inter Medos Lydosque conflatum eventu vario: semel etiam noctu pugnatum est. Sextò demum annò signis collatis, quum æquò Marte certarent, inter pugnandum contigit, ut dies repentè in noctem verteretur. Hanc diei immutationem* Thales Milesius *Ionibus prædixit, annum hunc ipsum præfiniens* —— *Tam Lydi, quàm Medi, diem noctescere videntes, à pugnando destiterunt, & ad pacem propensi* —— *fœdus sanxerunt, ac Alyattes filiam Aryenim Astyagi Cyaxaris filio nuptum dedit, Mutuum delingendo sanguinem, sancitum est fœdus* &c. Quod factum annô 4. Olymp. 45. cùm Thales ageret ætatis annum 43. vult Petavius; annô regni Cyaxaris 38. Nabonassaris 151. addit Marshamus, *Canone Chron. Sec.* à diluvio XVIII. Vide quoque de hac pace voce *Syennesis*. Excessit è vita, dum Gymnicum certamen spectaret, æstu ac siti lapsus, jam senex Olymp. 58. An. 209. Urb. Cond. 95. ætat. Dicebat, difficilimum esse, seipsum nosse, facilimum alteri consulere: Felicitatem corporis in sanitate; Animi, in sapientia consistere: Deum vetustissimum, Mundum pulcherrimum, locum capacissimum: Spiritum pernicissimum, necessitatem validissimum, tempus sapientissimum esse, &c. Insuper ajebat, se trium maximarum rerum causâ gratias Fortunæ agere: Πρῶτον μὲν ἄνθρωπος ἐγενόμην, καὶ οὐ θηρίον· εἶτα, ὅτι ἀνὴρ, καὶ οὐ γυνή· Τρίτον, ὅτι Ἕλλην, καὶ οὐ βάρβαρος. Vitam ejus habes apud *Laërtium.* Nonnulla etiam de eo invenies apud Plutarchum, Plin. *l. 2. c. 12.* Lactant. *l. 3. c. 14.* Apul. *Flor. l. 4.* Cicer. *l. 1. de div. &c.* Scripsit *de Meteoris, de Æquinoctio*, &c. It. poëta Lyricus, Cretensis, quem è Creta Solon Spartam misit, cujus odis ac poësi Spartani deliniti, animarum feritatem nimiam ex Lycurgi legibus imbutam castigabant. Plut. *in Solone.* *Thaletem* verò Milesium primum Σοφὸν dictum, Cretensem autem primum Creticis rhythmis usum, primumque τὰ ὑπορχήματα composuisse, habes apud Salmasium qui de prioris ætate, scriptis obituque satis multa congessit, ubi suprà, *p. 656 843. & seqq.*

THALESTRIA, vel *Thalestris*, regina Amazonum, quam alii *Minitheam* vocant, quæ 35. dierum inter confertissimas gentes itinere factô, cum 400. mulieribus occurrit Alexandro in Hyrcania res gerenti, ut liberos ex eo susciperet: & ut visa est uterum implêsse, discessisset. Strabo, *l. 11.* Curt. *l. 6. c. 5.* Aliter rem narrat Arrian. *de rebus Alex. l. 7.*

THALI, populi Sauromatis vicini, qui Caspii maris fauces attingebant, apud Plin. *l. 6. c. 5.*

THALIA, una ex IX. Musis, ἀπὸ τοῦ θάλλειν, *virere, seu florere*, quòd

Poëtarum fama nullô tempore marcescat. Horatius *argutam* eam appellat, *l.* 4. *Carm.* Od. 6. *v.* 25. Statius verò *lascivam*, *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 116. Inventrix Geometriæ & Agriculturæ dicitur: Præsidet Comœdiis, pingiturque vultu lascivô, cincta ex hedera sertô, larvam manu, & soccos in pedibus gestans. Sed & *Thalia* una ex Gratiis. Licèt enim Placidius Luctat. *Thebaid. l.* 2. *v.* 284. nomina Gratiarum, *Pasithea*, *Aglaja*, *Euphrosyne* esse dicat; Plutarchus tamen Pasitheæ locô *Thaliam* ponit, *l. Philosopho cum principibus viris esse disputandum*, Α'λλὰ σοφὸς ἦν ὁ ταῖς χάρισι τὰ ὀνόματα θέμενος, Α'γλαΐαν, Εὐφροσύνην καὶ Θαλείαν, τὸ γὰρ ἀγαλλόμενον καὶ τὸ χαῖρον ἐν τῷ διδόντι, *Et sapuit, qui Gratiis nomina imposuit, Aglajæ, Euphrosynes & Thaliæ: Major enim & purior est lætitia in eo, qui dat.* Similiter, Homerus quidem *Il.* ξ. *v.* 269. in numero Gratiarum *Pasitheam* reponit, quam Papinius quoque *locô cit. primam sororum* vocat: At Orpheus pro communi stans sententia, *in Hymno Grat.* ait,

Α'γλαΐη τε, Θάλειά τε καὶ Εὐφροσύνη πολύολβε,
Χαρμοσύνης γενέτειραι, ἐράσμιαι.

Aglaiaque Thaliaque & Euphrosyne dives
Gaudii genitrices, amabiles.

Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 2. *c.* 10. & in voce *Gratiæ*. Aliàs *Thalia* Græcè θάλεια, *convivium* est, unde *Thaliarchus*, apud Horatium, *l.* 1. *Carm.* Od. 9. *v.* 8. de Magistro convivii, item liber Arii in quo ad fœdissima carnis vitia homines excitabat, memoratus Sozomeno, *l.* 1. *c.* 20. & Athanasio, *Orat. contra. Arian.* Ubi tamen alii *Thalea* legunt, quod nomen fuit nobili scorto Romæ olim, uti habes apud Dominic. Macrum, *Hierolex.* Sed & θαλία vel θαλλία, *risus* vel *cistella*, item *saccus* vel *marsupium* Græcis est θάλοι & θάλια & θαλίαι, *folia palmea* à θαλλὸς, quod propriè *termes olivæ*, inde ad aliarum arborum, ramos extendi cœpit. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 281. & 1169. ut & hîc infrà.

THALIA, insul. Tyrrheni Maris, Aristot. *in Mirabilibus.*

THALISAMUS, pagus Mesopotamiæ, apud Amidam urbem ab ea 40. stadiis distans. *Procop.*

THALLO, & *Auxo*, inter Atheniensium Numina, παρὰ τῷ θάλλειν καὶ αὐξάνειν, ab eo quòd *germinare* ac *crescere* plantas facere crederentur. Franc. Rossæus, *Archæol. Atticæ l.* 2. *c.* 1.

THALLOPHORI, apud Jo. Chrysostomum, *Hom.* 8. *de Anna*, *Annon videtis frequenter quòd, qui in urbibus versantur, pueros nuper lacte depulsos faciunt thallophoros*: sunt *frondiferi*, seu ramos olivæ aliarumque arborum manibus ferentes, ex Græco Θαλλοφόροι. Apud Athenienses inprimis sic dicti sunt Senes in pompa Panathenaica ramos hujusmodi gestantes. A' quibus occasione sumptâ Chorus apud Aristophanem *Vespis*, de senibus loquens, ait eos, ut inutiles rebus agendis ac pompæ tantùm traducendæ idoneos, per risum vocari θαλλοφόρους.

Σχεπτόμενοι γὰρ ἂν ἐν
Ταύτῃ οὐδεὶς ἀπάσαις
Θαλλοφόροι καλοίμεθα κτλ.

Vide suprà ubi *de Panathenaicorum Festo.* Vestigium moris, apud Christianorum non paucos ad hanc usque ætatem superest: Romæ abolitum ab Alexandro VII. ubi Kalendis Maji ramos virentes, in anni recentis signum, sustollere consuevére; nisi hæc potius Majumæ Festi λείψανα fuerint. Vide Dominic. Macrum, *Hierolex.* Sed & in aliis superstitionibus θαλλοὶ adhibiti. Oedipus namque jubetur ter novem ramos oleæ ambabus manibus offerre, apud Sophocl. *in eo.* Caducea θαλλοῖς, i. e. *ramis oleaginis* circumvolvi solita sunt, Dinarch. *in Demosth.* &c. Et quia θαλλὸς, ut dictum, propriè Palladis ramus, ex eo Sapientiæ corona constabat, quam, Miltiadi negatam, auctore Sachare Doceleô, Themistocli dederunt, post Xerxem devictum, Lacedæmonii, Eurybiadi fortitudinis coronâ collatâ, uti legas apud Plut. *Themistocle.* Sed & θαλλὸν coronamentum Magistratus recèns creati fuisse, apud Athenienses, discas ex Platone, *de LL. l.* 12. plura de his θαλλοῖς vide apud Car. Paschalium, *Coronar. l.* 6. *c.* 16. ut & suprà in voce *Ramus*, it. *Osanna.*

THALLUMETUS, literatus Titi Pomponii Attici servus, de quo Cicer. *l.* 5. *ad Attic. Ep.* 12.

THALLUS, Augusto Imperatori à manu, cui, *quòd pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effringi* Imperator jussit, uti habes apud Sueton. in *Vita* ejus, *c.* 67.

THALLUS, historiam Syriacam diligenter tractavit, ut auctor est Africanus, apud Euseb. *l.* 1. *Chron.* & *l.* 10. *de Præp. Euangel.* Ejus meminêre Justinus Martyr. *paræn. ad Gent.* Tertullianus, *in Apol.* Minucius Felix & Lactantius, *l.* 1. *c.* 13. & 23. Vide *Castor.*

THALLUSA, libertæ nomen in vetere Lapide, apud Causabon. *ad Sueton. d. l.*

THALO Cretensis, primus mares amâsse perhibetur, unde aversa Venus, lege etiam latâ apud Cretenses permissa.

THALPUSA. urbs Orchomeni in Arcadia. *Steph.*

THALUCTÆ, Indiæ populi apud Plinium, *l.* 6. *c.* 19. *Insula in Gange est —— ultra siti ——* Thaluctæ. *Rex horum, peditum L. M. equitum IIII. M. elephantos* CCCC. *in armis habet.*

THALUDA *Ptol. Tagazza Marmolio*, ab urbe quam alluit, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ in Jagath ad Occasum apud Abylam & Oleastrum promontor. ad Ortum ibi mari exceptus. *Moletio* verò *Tafanel* dicitur.

THALYSIA, Græcè Θαλύσια, sacra Cereri Liberoque communia: Eorum meminit Menander Rhetor, *c.* περὶ λαλιᾶς: Τῶν λόγων τὰς ἀπαρχὰς ἀνάθεις τῇ πατρίδι καὶ τοῖς πολίταις, ὥσπερ τῇ Δήμητρι καὶ τῷ Διονύσῳ, οἱ γεωργοὶ τὰ Θαλύσια, *Primitias orationum dedicans Patriæ & civibus, ut Agricolæ Thalysia Cereri & Libero.* Ab Agricolis itaque celebrantur, quibus summo Dii hi duo in pretio fuêre. Nempe per *Cererem* Tellus fruges producere idonea indigitabatur: *Liber* autem aqua fuit, quâ omninò opus Tellurem humectari, ad rerum generationem. Eadem proin Numina junxit Virg. *l.* 1. *Georgic. v.* 7.

Liber & alma Ceres ——

Quòd verò de Libero dictum, *aquam* denotâsse; notat Vossius, Græcis, postquam sacra recepêre Ægyptia, nomine Osiridis in Διόνυσον, uti Isidis in Cererem, conversô, Liberum quidem cœlestem fuisse Solem: Subcœlestem verò, Aquam seu liquorem potabilem; qualis pluvia, fluvialis, fontana & putealis. Unde causa patet, cur à nonnullis Liber *Lunæ filius* dictus sit. Ulpianus *in Midiana*, Ε'νιοι δὲ καὶ παῖδα Σελήνης Διόνυσον καλοῦσι. Eò videl. attenderunt, quod Luna imperium habeat in humorem sive aquam. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 79. & suprà suis locis.

Rabbi THAM, prænomine Abraham, nepos Rasi ex filia, scripsit librum *Jaschar*, obiit in Gallia, A. M. 4930. juxta Rabbi Ganz *in Chronologia Rabbinorum.*

THAMANÆI, Persis tributarii. Herodot. *l.* 3.

THAMAR, uxor Her, quæ ex incestu gravida gemellos peperit, è quibus Perez, ex progenitoribus CHRISTI fuit, Gen. *c.* 38. *v.* 6. Matth. *c.* 1. *v.* 3. Filia David, quæ à fratre Amnone violata fratrem ultorem habuit, 2. Sam. *c.* 13. *v.* 1. Filia Absolon. 2. Sam. *c.* 14. *v.* 27. Item urbs Syriæ. Latin. *palma*, *dactylus*, *consummatio*, *permutatio*, aut *amaritudo*. Urbs Arabiæ Felicis, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

THAMARITA, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis *Ptol.*.

THAMARUS, *Antonin. Tamaro Mazzellæ*, fluv. Samnii, ex Apennino, per Sæpinum, in Calorem paulo suprà Beneventum influens inque Austrum decurrens.

THAMESIS, vide *Tamesis.*

THAMIMASADES, veteribus Scythis idem fuit, qui Romanis *Neptunus*: Herodotus, *Melpomene*, Ο'νομάζονται δὲ Σκυθιστὶ Ι'στίη μὲν, Ταβιτί· Ζεὺς δὲ καλλιόμενος Παπαῖος, Γῆ δὲ, Α'πία. Α'πόλλων δὲ Οἰτόσυρος, Οὐρανίη δὲ Α'φροδίτη Α'ρτίμπασα, Ποσειδέων δὲ, Θαμιμασάδης, *Vesta Scythicè vocatur* Tabithi; *Jupiter autem*, *Papaus*; *Tellus*, *Apia*, *Apollo*, *Oethosyrus*; *Cœlestis Venus Artimpasa*; *Neptunus*, *Thamimasades.* Quem locum etiam Origenes adducit, contra Celsum, *l.* 6. Scythæ videlicet, uti Solem & Lunam; aërem & terram, sic aquam etiam colebant: Unde verò nomina ista, post tot secula, difficile dictu est; cùm ne illud quidem satis constet, utrum Herodotus ea fideliter expresserit. Ferè enim ita usu venit, ut, cùm nomina in aliam transfunduntur linguam, multum de genuinis deperdant, sic ut illi, unde profecta, vix ea pro suis agnoscant. Interim *si de origine eorum commentari animus sit*, verba sunt Vossii, *non ea aliunde arcessam, quàm è veteri Germanorum lingua, cui proxima erat ista Scytharum; quando ex Asiatica Scythia Europæam vicinasque magnæ Germaniæ gentes ducere, validis evincere argumentis admodum proclive sit.* Vide eum *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 82.

THAMISSA, *Ptol. Tamacrati*, urbs Africæ littoralis, Uticæ proxima. Forsan pro *Thinissa.*

THAMMATA, oppid. Palæstinæ mediterraneum in Arabiæ Petrææ confinio *Timia* hodie *Benjamino Tudelensi.*

THAMNA, concubina Eliphaz. Gen. *c.* 36. *v.* 12. Latinè *prohibita*, aut *perfecta*, vel *consummata commotio.*

THAMNA, urbs Palæstinæ. Steph. Vide Gen. *c.* 36. *v.* 40.

THAMNA, civitas in tribu Judâ. Jos. *c.* 15. *v.* 57. Latinè *imago*, vel *figura*, aut *numeratio*, vel *numerans*. Item in tribu Dan, Inter Ptolemaida & Gazam.

THAMNATH, oppid. tribus Dan, inter Modin & Emmaum, Arimathiæ proximum, ac Nibe.

THAMNATHSARA, seu THAMNATHSARE, una ex undecim Judææ Toparchiis, ordine quarta, in tribu Ephraim regio, præfectura & urbs maxima sita in montanis Ephraim: data est ab Israëlitis Josuæ duci hæreditaria, in qua habitavit & sepultus est; quæ & *Thamnath hares* per literarum transpositionem. Latinè *figura*, vel *imago extensa*, vel *remanens*, aut *fœtens*, sive *numeratio residua*, aut *numeratio extensionis*, vel *fœtoris.*

THAMNUS, apud Plin. *l.* 21. *c.* 15. ubi de herbis sponte nascentibus, *in Italia paucissimas novimus*, *fraga*, thamnum, *ruscum*, *murinam*: & Columellam, *l.* 10.

—— *jam* thamni *sponte virescunt*,

genus oleris est vel herbæ, quæ sale condiebatur & servabatur ad cibos. Idem, *l.* 12. *c.* 7. *vitis alba*, *ruscus & thamnus — generatim in alveos componuntur, & sale conspersa biduo sub umbra, dum consident, reponuntur.* At apud Græcos θάμνος, *frutex* est quilibet, unde θαμνῶδες δένδρον, *arbor* minuscula, in *fruticum* potiùs, quàm in arborum numero, reponenda. Vide de *thamno* Latinorum, Salmas. *ad Solin. p.* 225. de θάμνῳ Græcorum, eundem, *ibid. p.* 363. 1031. & *seqq.*

THAMPHTHIS, Memphitarum Rex XVI. post Seber-Cherem præfuit annos 9. Ramesse in inferiore Ægypto regnante: cum excepit Othoës. Joh. Marshamus, *Canone Chron.* ex *Manethone.*

THAMUDA, locus prope Nabatæos Arabas. *Steph.*

THAMUZ, idolum memoratum Ezechieli, *c.* 8. *v.* 14. Adonis erat, ut Hieronymus interpretatur, *Com. in locum*, & *Epist. ad Paulinum, de institut. Monachi*; Hinc Procopius quoque *in Esaj. c.* 18. Ezechielis locum adducens, post Θαμμοὺς addit ὅπερ ἐστὶ τὸν Α'δωνιν, *quod est Adonim.* Adonis autem Sol fuit, Veneris amasius verè, quo-

quomodocunque hanc sumas sive de Luna, sive de Lucifero, sive de Venere subcœlesti, terræ nempe superficie, uti pluribus ostendit Voss. *de orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 4.* Idem Osiris fuit Ægyptiorum, in cujus sacris, *Adonia* Græcis dictis, duo inprimis celebria erant; ejus Ἀφανισμὸς, & Εὕρεσις *Disparitio & Repertio.* Ubi igitur, ob mortem ejus, dolor ingens & luctus ciebatur,

---- -- - Nunquamque satis quæsitus Osiris,
Semper enim perdunt: ---- ----

à fœminis præcipuè: Sic ingens contrà gaudium, ob eundem redditum. Quem ritum etiam Græcos imitatos esse, docet *in eund. Prophetam* Cyrillus, *l. 2. Græci hinc latè festum excogitavère, ut sic cum Venere, propter mortem Adonidis mœsta, condolere & lugere; redeunti autem ex Orco & inventum esse dicenti, quem quæsiverat, gratulari, & unà exultare simularent.* Sic itaque fœminæ Hebræorum Idololatricæ *loc. cit.* dicuntur *sedisse deflentes Thammuzum.* Rationem ritus, ex Sacrorum ratione, his verbis illustrat Macrob. *Saturnal. l. 1. c. 21. princip. Adonin quoque Solem esse, non dubitabis, inspectâ religione Assyriorum, apud quos Veneris Atergatis & Adonis maxima olim veneratio viguit: quam nunc Phœnices tenent. Nam Physici terræ superius hemisphærium, cujus partem incolimus,* Veneris *appellatione coluerunt; inferius verò, Proserpinam vocarunt. Ergo apud Assyrios sive Phœnices, lugens inducitur Dea: quòd Sol, annuo gressu per 12. signorum ordinem pergens, partem quoque hemisphærii inferioris ingreditur: quia de duodecim signis Zodiaci sex superiora, sex inferiora censentur: Et cùm est in inferioribus, ideoque dies breviores facit, lugere creditur Dea, tanquam Sole raptu mortis temporalis amisso & à Proserpina retento: Rursumque Adonin redditum Veneri credi volunt; cùm Sol, evictis sex signis inferioribus, incipit nostri Circuli lustrare hemisphærium, cum incremento luminis & dierum. Ab apro autem tradunt interemtum Adonin, hyemis imaginem in hoc animali fingentes: quòd aper hispidus & asper gaudet locis humidis & lutosis, pruinâque contectis. Ergo hyems veluti vulnus est Solis; quæ & lucem ejus nobis minuit & calorem,* &c. Nec obstat prædictis, quòd Ægyptii Adonia sua mense Novembri, Judæi verò idololatræ mense Juniô ea celebraverint; illi enim Solis à nobis recessum Austrum: hi Septentrionem versùs, hócce sacrorum commentô coluêre. Biblienses verò inprimis atque Alexandrini Adonia ista celebrârunt, idque his ritibus: Cùm Biblienses celebratum irent ἀφανισμὸν Ἀδώνιδος; Alexandrini epistolam, in qua scriptum erat, *Adonidem repertum esse,* in arca scirpea reposuerunt eamque certis ceremoniis adhibitis, flumini commiserunt Biblum deferendam; cujus cives appulsâ arcâ reclusisque literis; nunciô reperti Numinis læti, magna gaudii signa edebant. Procopius & Cyrillus ubi *suprà.* Jul. Mat. Firmicus, *l. de errore profan. relig.* ritum paulo aliter describens, nocturnô tempore, coram Idolo, mulieres planxisse; posteà introlatô lumine (quò Solis ad nos reditus mysticè signabatur) Sacerdotem, submissâ voce murmurâsse, Θαῤῥεῖτε τῷ Θεῷ, ἔσται γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία, *Confidite Deo, liberatio enim nobis à doloribus aderit,* refert. Vide præter Auctores laudatos, Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l. 4. c. 2.* ut & suprà in voce *Tammuzus.*

THAMYRAS, Cilix, qui scientiam artemque haruspicum in Cyprum intulit; ita pactus, ut familiæ utriusque (& suæ & regiæ) posteri cærimoniis præsiderent. Tacit. *l. 2. Hist. c. 3.*

THAMYRAS, vel THAMYRIS, *Suidas.* Poëta Thrax, qui cùm omnes pulchritudine præcelleret, ab initio mares dilexit, deinde mutatâ consuetudine, Musas amavit, cum quibus de cantu certavit hisce conditionibus, ut si vinceret, earum complexu potiretur; si succumberet, ab illis pateretur, quicquid eis videretur. Itaque superatus, & oculis & lyrâ privatus est. Hinc proverb. in eos, qui præter ingenium proprium aliquid agunt, *Thamyras insanit. Nic. Lloydius.* Et versus de Musis apud Homerum, *Il. β. v. 595.*

Ἀπὸ παῦσαν Θάμυριν τὸν Θρήϊκα παῦσαν ἀοιδῆς,

Fuit is Philammonis, de quo suprà, filius, ex Argiope nympha, Parnassi incolâ, quæ quòd postmodum in Odrysas migravit, inde Thamyris *Thrax* vocatur. Lini discipulus, scripsitque poëma *de Titanum bello contra Deos*; ac in Pythiis Ludis cantu tertius vicit. Pater Musæi Thebani Μελοποιοῦ. Diodorus Sic. *l. 3.* Pausan. *Phocicis*, Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec.* XV. ubi *de Hesiodo Poëtâ*, & *Sec.* XVIII. ubi de *Pythiis Ludis.* Cœterùm, tum citharâ, tum cantu, principibus in utraque arte jungitur Platoni *in Ione*, opulentiâ Regibus, Chrysostomo, *Orat. de Fuga.* De cujus patria porrò Homerum, de cœteris Apollodorum consule, *l. 1.* Lucianum, *Comm. de Domo*, Alios; è recentioribus Casp. inprimis Barthium, qui de eo multa, *ad Theb. l. 4. v. 181.* à Theone pictum habes, apud Plinium, *l. 35. c. 11.*

THAMYRIS, unus ex Sacarum regulis, quos Darius opugnabat. Vide Polyæn. *l. 7. c. 10 in Dario, com. 8.*

THANATHSELO, villa in tribu Ephraim, *Jos. c. 16. v. 6.* Hieronym. *de Loc. Hebr.* videtur urbs fuisse in 10. miliario Neapoleos contra Orientem descendentibus Jordanem.

THANATOS, à Cantio, cujus pars est, fluviô Sturâ in duas partes sectô separatur. Ibi 10. parochiæ. Longa est ab Ortu in Occasum 6. milliar. Angl. lata 4. vide *Tanetos.*

THANEHUMETH, pater Sarajæ. Jerem. *c. 40. v. 8.* Latinè *motus*, sive *donum indignationis*, vel *caloris*, aut *requies mortis.*

THANEUM, urbs Ægypti. Vide *Tanis.*

THANNOM, Suntgoviæ oppid. in Comitatu Ferretano. *Merel.*

THAPHNES, vel TAPHNIS, civitas Ægypti. Ezech. *c. 30. v. 18.*

THAPSACUM, vide *Tapsacum.*

THAPSACUS, urbs Syriæ juxta Euphratem. Steph. Anteà *Europum*, posteà *Amphipolis* dicta fuit. Plin. *l. 5. c. 24.*

THAPSIA, Græcè θαψία, herba ferulacea, *foliis fœniculi, inani caule --- fodientibus nocet: si minima aspiret aura, intumescunt corpora, faciemque invadunt ignes sacri: ob id cerato prius illinunt --- in Africa est vehementissima. Quidam caulem incidunt per messes, & in ipsa excavant, radice, quò succus confluat, arefactumque tollunt. Alii folia, caulem, radicem, tundunt in pila & succum in sole coactum dividunt in pastillos,* Plin. *l. 13. c. 22.* Usus autem hujus succi ad tincturam. Unde Θαψία disertè Chymicis inter herbas numeratur, quæ βαφικὰ ζώματα ad luteos colores conficiunt: quam ob causam & σιχερῖον dixerunt; fortè quod colorem efficeret luteum ex pallido, qualis ἐν τοῖς σιχερίοις, *in morientibus*, cernitur. Quemadmodum & inde fortè, quòd colorem ostenderet, ut in sepeliendis esse solet θαψίας nomen, ἀπὸ τοῦ θάψαι. Tinxerunt autem eô crinem priscæ mulieres, & lanam, &c. *A thapsi* ligno, quod in Scythia nascitur, & glycyrrhiza nonnullis videtur, quodque χρυσόξυλον Græcis, item Σκυθικὸν ξύλον, id factum docet Salmasius. Hoc certum, *Thapsiam* sugillata mirificè sanare, atque hinc ὑπώπιον accepisse nomen. *Certè Nero Cæsar claritatem ei dedit initiô Imperii, nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum thure ceraque, & sequentâ die contra famam cutem, sinceram circumferens,* Plin. ubi suprà. Ejusdem succus, ad reficienda præputia recutitorum, naturâ idoneus, uti docet Salmas. modò laudatus, *Exercit. Plin. ad Solin. p. 1050.* qui plura de hac herba ac ligno, *ibidem* congessit, *p. 1163. & seqq.* nec non *in Addendis.* Hinc Θαψιναί mulieres, quæ luteô colore deformes, vel ex morbo pallidæ, quòd *thapsiæ* herbæ, cujus flores lutei, vel *thapso*, ligno planè buxei ac pallidi coloris, similes sint &c.

THAPSIPOLIS, prope Chalcedonem est. *Steph.*

THAPSUS, oppid. Siciliæ vetus in peninsula situm non procul à Syracusis, plana & quàm minimum à mari eminens, adeò, ut undis mersa videatur, unde & nomen ἀπὸ τοῦ θάπτεσθαι, quod in mari quodammodo *sepulta* videatur. Unde Virgil. *l. 3. Æn. v. 698.*

---- Thapsumque jacentem.

Ita vulgus Grammaticorum. *Thapsi* verò nomen è Phœnicio תפסיתא *thapsitha* sumptum, putat Bochartus ὁ μέγας, *l. 1. Chanaan, c. 28.* quod pro abscissione sumitur, in Ebræorum libris. Nempe Siciliæ Thapsus tam angustô colle cohæret, ut ab ea putetur esse divulsa, & planè abscissa. Thucyd. *l. 6.* Ἔστι δὲ χερσόνησος μὲν ἐν στενῷ ἰσθμῷ προέχουσα ἐς τὸ πέλαγος, ἡ δὲ Συρακουσίων πόλεως οὔτε πλοῦ οὔτε ὁδοῦ πολλοῦ ἀπέχει. *Stephanus.*: Θάψος πόλις Σικελίας ἐστὶ καὶ χερσόνησος ἐν τῷ στενῷ τοῦ ἰσθμοῦ. Reverâ enim tam angustâ cervice continenti jungitur, ut eminus conspicientibus videatur esse insula. Nec desunt, qui *insulam* appellent. Servius *in l. 3. Æn. Thapsus insula non longe à Syracusis, plana & penè fluctibus par.* Neque alia mens Dioscoridis, cùm *Thapsiam* scribit ἐν Θάψῳ τῇ νήσῳ primùm esse repertam. Neque enim terrarum uspiam ulla alia est insula *Thapsus.* Et fallitur Marcellus, cùm vult unam esse Sporadum, quamvis præeuntem habuerit Nicandri Scholiastem, *in Theriaca, v. 539. Nic. Lloydius. Baudrando* est *Isola delli Magnisi,* peninsula parva Siciliæ, cum oppidulo cognomine in ejus ora Orientali in valle Netina. 14. mill. pass. à Syracusis in Boream, Megaram versùs & Augustam, cum portu capaci. Addo hoc unùm, quòd hanc urbem lunatis castris circummunivisse legitur Cæsar, *in Histor. Belli Afric. c. 30.*

THAR, urbs Arabiæ Felicis. Ptol. *Ithar* Interpretes.

THARA, fil Micha. 1. Par. *c. 8. v. 35.* Latinè *ululans*, aut *malefaciens*, vel *cubiculum malitiæ*, *pastoris* vel *socii.*

THARA, nomen viri. 1, Par. *c. 9. v. 41.* Latinè *contentio prava*, aut *socii*, vel *pastoris.*

THARACA, Rex Æthiopiæ. Esai. *c. 37. v. 9.* Latinè *explorator*, vel *contemplator obtusus*, sive *legis hebetudo*, vel *impedimentum*, vel *turturis obtusio*, aut *hebitudo.*

THARANA, fil. Caleb. 1. Paral. *c. 2. v. 48.* Latinè *explorator*, vel *contemplator gratiæ*, aut *misericordiæ.*

THARASIUS melius *Tarasius*, Patriarcha Constantinopolitanus, stirpe, variâ eruditione, muneribus illustris. Consul enim primò, dein Constantino & Irenæ à secretis, tandem Paulo Patriarchæ surrogatus est, A. C. 784. Præsedit in Pseudo Concilio Niceno, quô, rebus ita instructis, ut nemo disputare auderet, substratis fundamenti locô figmentis & fabulis, imaginum cultus, & adoratio stabilita est: Carolô M. in Occidente contra nixô, qui Francofurti Conciliô 300. Episcoporum convocatô, A. C. 794. Synodum hanc Nicenam destruxit acta rescidit, statuitque, ut nec septima, nec Oecumenica, sed Pseudosynodus diceretur. M. Chemnit. *in exam. de imagin.* Simoniæ postmodum accusatus, scriptâ ad Adrianum Papam epistolâ, se purgavit. Obiit A. C. 806. Theoph. *in Annal. Gr.* Baronius, *in Annal. Eccl. &c.*

THARE, fil. Nachor, propter Chaldæorum idololatriam, qui tunc ignem præcipuè colebant, tum propter obitum filii sui Aran, in Mesopotamiam perrexit, ac in urbe nomine Charan, obiit, A. M. 2114. ætat. 205. Sculptorem eum fuisse, & primum imagines effecisse, adorationi exponendas, Epiph. *l. 1. de Hær.* refert: & *Suidas* eidem artis hujus inventionem & idololatrici cultus originem adscribit. Hinc probabiliùs eruditi credunt, illum, post discessum demum ex Ur, à filio Abramo verum Dei cultum edoctum esse. Gen. *c. 11. v. 24.* Latinè *odorans*, *spirans*, aut *abigens.* Vide Augustin. *de Civ. Dei, l. 16. c. 13.* De illo sic Epiphanius præfatus, *Hær. l. 1. §. 6.* Ναχὼρ δὲ γεννᾷ τὸν Θάῤῥα ἐντεῦθεν γεγόνασιν ἀνδριάντων ἐκ πηλοῦ ἀπὸ κεραμείας καὶ κεραμευτικῆς ἐπιστήμης, διὰ τῆς τοῦ Θάῤῥα τέχνης, *Nachor genuit Tharam: tum simulachra ficta sunt figulinô opere, ex argilla, artifice Tharâ.* Nempè, cùm sub avo ejus Sarugo Pictura incepisset Idololatriæ adhiberi, jam Statuaria quoque in superstitionem vocata est. Hujusmodi verò statuas Ἀνδριάντας πηλοῦ vocat Ce-

drenus, *lapides scil. informes & impolitas statuas*, quum ἀγαλματουργικὴ ars affabrè cœlandi nondum extiterit. Sanchuniathon Βαιτύλια vocat apud Eusebium, *Præpar. Evang. l.* 1. Bochartus vertit *lapides unctos*. Sanè non ita multo pòst Jacob lapidem, quem pro cervicali supposuerat capiti, ἔστησεν αὐτὸν στήλην, *erexit in statuam, & effudit oleum in summitatem ejus: & vocavit nomen loci Bethel*, Οἶκος Θεοῦ, *Domus Dei*, Gen. *c.* 28. *v.* 18. Unde *Bætylorum* nomen. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. IV.* ubi de *Idololatriæ vetustate*, & hic passim.

THARELA, civitas in tribu Benjamin. Jos. *c.* 18. *v.* 27. Latinè *exploratio*, vel *tertur maledictionis*, aut *fortitudinis*, aut *ilicis*, aut *explorans ilicem*, vel *fortitudinem*.

THARES, Eunuchus, Esth. *c.* 2. *v.* 21. Latinè *hæres*, *miser*, vel *exul*.

THARGELIA, festus dies apud Athenienses Apollini & Dianæ facer, à quo mensis Aprilis denominatus est. Gyraldus, *l. de an. & mensibus. Suid.* Θαργήλια, ἑορτὴ Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος. Juxta *Etymologum* ab omnibus Terræ fructibus nuncupatum est. Colebatur autem his sacris, uti Apollo i. e. *Sol*, ita Diana, i. e. *Luna*, terras illuminans, & calore suô generationem uterque promovens, qui ambo proin, inter alia, & agriculturæ præesse credebantur. Eandem ob causam Diana Ephesia, cum multis mammis fingebatur, tanquam uberibus suis nutriens genus humanum. Unde B. Hieronym. *Ep. ad Ephes. Erat Ephesi templum Dianæ, & ejusdem in ipso Multimammia, i. e. multarum mammarum effigies, quâ cultores ejus decepti, putabant eam omnium viventium nutricem.* Et ante eum Min. Felix, *Octavio: Diana est altè succincta venatrix Ephesiaque mammis multis & uberibus multis extructa.* Etiam in antiquis numismatis DIANA POLYMAMMA reperias: quam Lunam esse ex Trebellio Pollione discimus, *in Gallienis duob. c.* 6. ubi pro *Dianæ Ephesiæ templo* (in veterib. libris *Lunæ Ephesiæ* legas. Extat de *Thargeliis* lex Solonis, ὅταν ἡ πομπὴ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοὶ, καὶ ἡ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ καὶ οἱ τραγῳδοὶ καὶ οἱ κωμῳδοὶ, καὶ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ κῶμος καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοὶ, καὶ Θαργηλίων τῇ πομπῇ καὶ τῷ ἀγῶνι, μὴ ἐξεῖναι μήτε ἐνεχυράσαι, μήτε λαμβάνειν ἕτερον ἑτέρου, μηδὲ τῶν ὑπερημέρων ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις κτλ. *Cùm pompa Libero ducitur in Piræeo, agunt Comœdi & Tragœdi; item Lenæa pompâ; & agentibus Tragœdis; item Lenæa pompâ, & agentibus Tragœdis atque Comœdis: Astycorum quoque Liberalium pompâ astante puerorum choro, dum fit Comus, aguntque Comœdi atque Tragœdi: Thargeliorum item pompâ ac certamine: neque pignus neque quidquam alterius capito, neve pœnam pro mora exigito ab eo, qui judicatum non solverit* &c. apud Demosthenem *in Midiana*. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas, l.* 3. *tit.* 1. Celebrabantur illa Athenis die 6. *Thargelionis*, quô peccatorum universi populi fiebat expiatio. Solebant enim Athenienses è publico nutrire hominem aliquem infimæ plebis, quem dein, cùm vel pestis, vel alia Deûm ira ingruere videretur, pro totius Civitatis peccatis sacrificarent. Scholiastes Aristophanis *Equit.* binos illorum sic ali consuevisse ait, qui δημόσιοι dicti: sed magis propriè vocabantur καθάρματα, item φαρμακοί, Idem *Ranis*. Quò fortè respiciens Apostolus, inquit 1. Corinth. *c.* 4. *v.* 13. ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν. Vide Franc. Rossæum, *Archæol. Atticæ l.* 2. *c.* 11. & Voss. *de Idol. l.* 2. *c.* 35. nec non suprà ubi de *Expiationis festo*.

THARGELLA, nobilis fœmina, Philosophiæ sectatrix, Plut. *in Pericle*.

THARIADES, inter Duces Antiochi M. unà cum Artaxia, Armeniam majorem brevioribus anteà finibus comprehensam, ampliârunt, & regnum ejus tandem usurpârunt, ex regionibus vicinis ad suam ditionem adjunctis, quæ finitimis populis ademerant, ut Medis, Iberis, Chalybibus, Cataonibus, Syris &c. Strab. *l.* 11.

THARIBA, vicus quidam, cujus meminit. Steph. in *Candara*.

THARIBAEL, Rex Homeritarum & Sabaitarum, apud Arrianum, *Periplô*. Vide suprà *Charibael*.

THARO, Græcè Θαρώ, Insul. Sinus Persici, *Ptol.* Δώρα *Stephano*. Vide *Dora*.

THAROPS, Oeagri pater, Orphei avus, cui Bacchus regnum Thraciæ, Lycurgô occisô, dedit, eo quòd Lycurgi insidias detexisset. Diodor. *l.* 3.

THARRELIDES, civis Atheniensis, ob exilitatem, à Comicis traductus. Vide Schol. *in Aves*.

THARSIS, oppid. seu locus Comagenes, à Samosatis 13. milliar. distans. *Tharsis* item in Sacris literis memorata *Tharsus* est, teste *Josepho*, urbs Ciliciæ præcipua. Eusebius autem ad Hispaniam refert: Θαρσεῖς ἐξ ὧν Ἴβηρες. Vide Bochartum in תרשיש *Phal. l.* 3. *c.* 7.

THARTRAC, Idolum Hevæorum. 2. Reg. *c.* 17. *v.* 31. Latinè *concatenatus*, sive *retrusus*, vel *conclusus*.

THARTAN, princeps quidam. Esajæ *c.* 20. *v.* 1.

THASCIUS, prænomen S. Cypriani, apud Prudentium, *de Martyrio ejus*: ubi tamen *Tatium* alii legunt, & cognomen illius esse volunt: nonnulli patriæ id nomen censentibus. Marci Fratres *Hierol.*

THASILO, seu *Thassilo*, *Tassilo*, Bavariæ Dux nepos Pipini Galliæ Regis fidem huic sanctè juratam non servavit, sed cum Longobardorum Rege, socero suo, fœdere initô, frustra fuit. Idem, cùm erga Carolum M. perfidè ageret, excommunicatus & hujus armis expositus, pacem petit, *Theudone* filiô obside datô. Verùm cùm uxoris instinctu, nova moliretur, unà cum filio ad mortem damnatus, &, ad mitiora inclinante Carolô, in Monasterium detrusus est, A. C. 788. Aimoin *l.* 4. Otto Frising. *l.* 5. Hunc an alium, per Danckonem filium Comites Zollerios, hodiernæ familiæ Brandeburgicæ progenitores, per alium Gotboldum Habspurgios & Columnios proseviſſe quidam volunt. Certè Danckonem arcem Zolleranam A. C. 829. tenuisse à certo parùm abest. Ejus posteri illâ graduum serie enumerantur, Rudolfus, sub Henrico Aucupe, Otto, Wolfgangus, Fridericus II. & III. Burcardus, cæsus ex partibus Rudolfi Anticæsaris ad Mersburgum A. C. 1080. Fridericus IV. Rudolfus II. frater Friderici V. Fridericus VI. Comites Zollerani à patre in filium transmissâ successione: cujus filii Fridericus Burggravios Norimbergenses, Eitelfridericus verò Zollerenses hodiernos genuêre. Ex fratre vero Danckonis Gothaldo, non sine ratione Comites Saulgaviæ, Sigmaringæ, Landenbergæ & Pfullendorfii, celebres & affinitatibus illustres, deducuntur. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Histor. in Fam. Zollerio Brandeburgica*.

THASSI, fil. Mathathiæ. 1. Mach. *c.* 2. *v.* 3.

THASUS, frater Cadmi Phœnicis, ab illo ad comparandum sibi in Europa imperium profecto, in Insula *Thaso*, cui is nomen dedit, relictus, ibi regnare cœpit. Photius, *Biblioth. p.* 446. *Narrat.* 37.

THASUS, vel potiùs *Thassus*, insul. Thraciæ in mari Ægæo, prope ostia Nessi fluv. versus Strymonicum Sinum, 60. mill. pass. ab ostiis Strymonis in Ortum, 8. ab Abdera in Meridiem, 40. à Lemno in Boream, 30. ab Atho promontor. Ab Ortu in Occasum 25. mill. pass. extensa. Stat. *l.* 5 *Theb. v.* 182.

> *Et Paros, & nemorosa Thasos, crebræque relucent*
> *Cyclades.* --- ---

Item oppid. ejusdem nominis in eadem insul. à Pariis conditum, teste Strab. *Thasium vinum* laudatur apud Apul. *in Apol.* Unde adagium *Thasium infudisti*, ubi quis vinum temperat non aquâ, sed alio vinô potentiore; ex Aristoph. *in Pluto*. Antiphanes apud *Athenæum*:

> Οἶνός τε Θάσιος καὶ μύρον καὶ ταινίαι.

Plin. *l.* 14. *c.* 7. *In summa gloria fuêre Thasium Chiumque.* Dio Chrysost. Orat. 6. Ἥδιος δὲ οἶνος ὁ Φοίνιξ ὁ Θάσιος ... Vide Ælian. ποικιλ. *l.* 12. *c.* 31. & 13. *c.* 6. Erat autem vinum istud suavi odore maximè celebratum, Unde Athen. *l.* 1. vocat ... Et Clement, *Pædag. l.* 2. *c.* 2. *Thasium odoriferum* dixit. De la Cerda *in illud l.* 2. *Georg. v.* 91.

> *Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ.*

Dionysius *Frumenti* feracem esse innuit hanc insulam, *v.* 523.

> --- Ὠγυγίητε Θάσος, Δημήτερος ἀκτή.

Mira quoque ejus fertilitas commendatur à *Zenodoto*, qui scribit, Callistratum oratorem Atheniensibus persuadere conatum, ut regionem illam occuparent, tanquam fœcundissimam, & quæ auri etiam venas haberet: qui tandem orationem concludens, dixit? *Summa Thasus bonorum est.* Unde *Thasi* nomen à טסא *Thase*, i. e. *auri bractea*, deducit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 11. Ante Phœnicum adventum Græcis nomen erat Χρυσῆ, propter aurum. Eustathius ex *Arriano*: Ἐκαλεῖτό ποτε καὶ Χρυσῆ ἡ νῆσος διὰ τὰ χρυσᾶ μέταλλα. An eodem referendum, quòd etiam *Odonis* dicta est? Sane *Hesychius*: Ὀδωνίς, ἡ Θάσος τὸ πάλαι, tanquam ab Arabico עדן *adana*, unde addito servili Mim, מעדן *madan*, est *fodina*, ut Hispanis *Almaden*. Hic & marmor variô colore, & auri venis respersum. *Nic. Lloydius.* Ibidem Telephassa, Europæ mater, decessit, Steph. in Θ. Herculis templum à Phœnicibus conditum in eadem Insul. celebre fuit: unde in statere Marshami ΘΑΣΙΩΝ, stat ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΟΣ simulachrum: Phœnicii nempe, non Thebani, qui quinque ætatibus posterior fuit. Vide eum, *Canone Chron. Sec.* IX. ubi de *Cadmo*.

THATANAI, vel *Tatni*, nomen viri. Esd. *c.* 5. *v.* 3. Latinè *donans*, vel *donator*.

THAULERUS Johannes, gente Germanus, Dominicanus, floruit A. C. 1350. Scripsit in lingua vernacula *Homilias*, *de veris Virtutibus*, *Epistolas*, *Prophetias*, *Cantica*, &c. In quibus cùm Joh. Eccio plurima displicerent, defensus est à Blosio & Surio, qui scripta ejus Latinè versa Coloniæ edidit, A. C. 1548.

THAUMACIA, urbs gemina: una in Magnesia, altera in Phthiotide, *Thaumaco*, vulgò, ad sinum Maliacum, teste Strabone, apud quem *l.* 9. Θαυμακοί, legas. Liv. *l.* 32. *c.* 4. *Thaumaci à Pylis sinuque Maliaco per Lamiam eunti, locô altô siti sunt, ipsis faucibus imminentes ejus quem Cœlen vocant: Thessaliaque transeunti confragosa loca, implicitasque flexibus vallium vias, ubi ventum ad hanc urbem est, repente velut maris vasti, sic immensa panditur planities, ut subjectos campos terminare oculis haud facilè queas: ab eo miraculo Thaumaci appellati.*

THAUMANTIAS, Iris sic dicta, Thaumantis & Electræ filia, nuncia Deorum in rebus malis, ut Mercurius in bonis. Cæterùm, & ex admiratione hoc nomen accepit, quæ de ejus coloribus nascitur. Auctor Servius *in illud Virg. l.* 9. *Æn. v.* 5.

> *Ad quem sic roseô Thaumantias ore locuta est.*

Hinc *Thaumantis*. Stat. *l.* 3. *Sylv. carm.* 3. *v.* 81.

> ---- *Imbriferâ potitur Thaumantide Juno.*

Item *Thaumantea*. Ovid. *l.* 14. *Met. v.* 845.

> --- *Romuleos cum virgine Thaumantea*
> *Ingreditur colles.* --- ---

THAUMASIUM, Mons Arcadiæ, in quo Saturnus lapidem devoravit. *Steph.*

THAUMATOPOEI, Græcè Θαυματοποιοὶ, dicti sunt vulgò, qui periculosas, sed ludicras simul artes ostendunt, ac profitentur. Quales apud Maternum Firmicum, *l.* 8. *c.* 13. de Delphino orien-

te,

te, in octava parte Capricorni, *Petaminarii*, *Ephalmatores*, *Petauristarii*, *aut certè innatâ cursus agilitate perspicui*: alibi *Contopæctæ*; *Funambulones*, &c. de quibus hic passim. At *Thaumaturgus*, Græcè Θαυματουργὸς, cognomen Gregorio Neocæsar. Episcopo obtigit, quòd non miranda solùm, ut priores; sed *miracula*, virtute divina, operaretur. Vide de illo suô locô, & Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* in hac voce, uti de *Thaumaturgice*, parte Mechanices, suprà.

THAURUS, vel *Durus*, German. *Thur*, aut *Dur*, fluv. Helvet. oritur in montibus Werdenbergensibus, aut in Toggiis, supra pagum qui Sylvestris domus *Wildhauss* dicitur, & Zvinglii patria fuit. Inde in Septentrionem decurrens, Turgoviam, cui fortè nomen dedit, irrigat: à Finibus dein *Psin*, in Occidentem curvatur, donec ad Schellembergam in Rhenum influit. Recipit plurimos amnes, Joh. Bapt. Plantinus *Helvet. Ant. & Nov. &c.* Oswaldo Molitori *notis in Glareani Panegyr.* oritur in finibus diœcesis Curiensis, valle S. Johannis, inde per Toggios, &c. Ab eo *Durtal*, *Winterthur*, pluraque alia loca nomen habent. De eo præfatus Glareanus:

Primus adest Duras, pleràque in parte vadosus,
Durus agris, pinosque & summò littore fagos
Evertens, caulasque trahens & ovilia secum,
(Terribilis lapsu) caulas grassatur in omnes.

THEA, Nympha, Oceani ac Thetyos filia, Hesiod. *in Theog.* v. 213. 314. Stephano Θία est urbs Laconiæ.

THEÆTETUS, Atheniensis ex iis, quorum alios pedibus, alios manibus, auribusque amputatis inustisque barbararum literarum notis, in longum sui ludibrium, reservaverant & in Perside locaverant. Curt. *l.* 5. *c.* 5. Item, Mathematicus, Olymp. 86. Scripsit quædam in Geometria. Proclus Diadochus *l.* 2. *Comm. in l.* 1. *Eucl.*

THEAGENES, Dux* Atheniensium, quomodo æmulantes & de ordinibus militaribus disceptantes sine invidiâ, solius virtutis respectu compescuerit ac dignô quemque locô reddiderit, vide Frontin. *l.* 4. *c.* 1. *exempl.* 8. à Polyæno, *l.* 5. *c.* 28. vocatur *Theogenis*.

THEAGENES, occidendis divitum jumentis, Populi favorem Megaris captavit Tyrannidemque invasit. Aristot. *l.* 5. *Polit. c.* 5.

THEAGENES, tres Athenis diversis temporibus *Suidas* fuisse recenset. Unum, qui de Homero scripsit, de quo Tatianus λόγῳ πρὸς Ἕλληνας, & ex eo Euseb. *de Præp. Euang. l.* 10. Alium, qui καπνὸς, i.e. *fumus* est appellatus, quòd multa promittens nihil præstaret; pauper enim erat, ac dives videri volebat. Vide Schol. *in Aves*. Tertius fuit vir potens ac dives, qui liberalitate ac beneficentiâ, publicè ac privatim multa laude digna gessit. Quartum addit Pausanias, athletam, patriâ Thasium, qui 140. coronas è certaminibus retulit; Thasiis pro Deo cultus, Pausan. *Eliac.* & Athenagoras *Legat*.

THEAGENES, vir quidam usque adeò superstitiosus, ut domi haberet Hecates simulachrum, nec usque pedem moveret, nisi illô consultô. Unde proverbium: *Theagenis Hecateum.* Fuit & *Theagenes* Megarensium rex, Cytonis socer, juxta *Thucydidem*. *Theagenes* quidam dux erat, tempore Philippi Macedonis apud Plutarch. in Alexandr. *Theagenem* Cnidium Criticum, Herodis sub Adriano magistrum laudat Philostratus, *l.* 2. *Sophist.* Herodes: *Theagenem* Cynicum ab Attalo Sorani Methodici discipulo suâ ætate occisum fuisse, auctor est Galenus, *l.* 13. *Meth. Med. c.* 15. *Theagenes* quidam Marino Philosopho Platonico æqualis erat, teste Damasciô apud Photium, *Eclog.* 242. *Theagenes* Charicleæ amicus; ab Heliodoro *in Æthiopicis* memoratur. De φιλοπλούτῳ autem isto Theagene Prisco, apud *Aristophanem*, agit quoque Suidas in Θεαγένης, & Ἀρχιάδας.

THEAGENES Rhegius, Historicus Græcus, tempore Cambysis, Olympiad. 63. Scripsit varia, Euseb. *l.* 10. *Præpar. Euangel.* Item, Grammaticus, Cariciæ & Macedonicæ conditor historiæ. Voss. *de Histor Græc l.* 1. *c.* 1. *p.* 6.

THEAGES, Philosophus, cujus meminit, Plato; *l.* 6. *Polit.* de quo etiam Ælianus ποικίλ. *l.* 4. *c.* 15.

THEANDRICUS, Græcè Θεανδρικὸς, Latin. *Dei-virilis*: vox à Monothelitis inventa, ad opinionem suam, de unica in Christo Θεανθρώπου operatione denotandam, eô sensu & Orthodoxis jam olim damnata; & sanctiore notione ad apotelesmata Meditatoris, in qua utraque Natura, quod suum, divina, quod divinum, humana, quod humanum est, facit, uti sunt *Redemtio generis humani*, *miraculorum patratio*, *mortuorum vivificatio*, &c. significanda, translata est. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.* nec non ubi de *Monophysitis*, ac *Monothelitis*.

THEANGELA, urbs Cariæ. *Steph.*

THEANO, Metaponti Icari Regis uxor, quam cùm ob sterilitatem maritus repudiare vellet, illa pastores subornat, ut puerum, unum vel alterum invenirent, quem pro suo supponeret. Opportunè tunc temporis Menalippe, Desmontis filia (quam Neptunus compresserat) gemellos peperit. Quod tam ægrè tulit Desmontes, ut & filiam excæcatam carceri incluserit, infantes autem feris objici jusserit. In hos itaque cùm pastores incidissent, divinitùs sibi eos oblatos rati, ad Theano deferunt, quæ eos pro regis pueris educavit. Verùm cùm postea ex Metaponto concepisset, gemellosque peperisset, virumque suum animadverteret majore suppositiitiorum, quam legitimorum amore teneri; utcunque potuit ad tempus dolorem dissimulavit. Verùm cùm jam ad legitimam ætatem liberi pervenissent, indicat iis duos majores natu, quos fratres suos esse rebantur suppositiios esse, hortaturque ut in venationem perductos interficerent. Quòd cùm illi conarentur, Neptunus filiis suis suppetias tulit, cujus operâ adjuti illi Theanûs filios interfecerunt. Quorum corpora cum in regiam essent allata, Theano venabulo incumbens se interfecit. Hygin. *Fab Poët.* 186.

THEANO, Antenoris uxor, sacerdos Palladis, Homer. *Il.* 6. Palladium Græcis prodidit. Suid. in voce *Palladium*.

THEANO, Metapontina, vel Thuria Brontini Pythagorei uxor. Scripsit versu εἰς Πυθαγόραν; & ἀποφθέγματα Πυθαγορείων, teste Suidâ in Θεανώ. Sed cùm multæ ejus nominis fuerint, magna deinde orta est confusio. Theano Crotoniada Pithonactis filiam Pythagoræ uxorem facit Suidas in Θεανώ, quam primam fœminarum fuisse philosophatam, & poëmata scripsisse, Didymus *l. de Philosophia Pythagorica* tradit, apud Clem. *l.* 4. *Strom.* Hujus Theanûs Pythagoricæ quædam citat idem *ibid.* Hæc defunctô maritô scholæ præfuit, teste Theodoretô, *Sermon.* 2. Fortè est illa Πυθαγορικὴ φιλόσοφος, cujus apophthegmata laudat Theo, *Progymnasm. c.* 5. *Theano* Locrensis, *Lyrica* scripsit *carmina*. Vide Voss. *de Poët. Græc. c.* 4. Jamblich. *de vita Pythagor. c.* 17. *&c. Nic. Lloydius.*

THEANO, Pausaniæ mater, quæ dicitur laterem primum ad introitum, in qua proditor filius erat, attulisse, ut eum exitu prohiberet, & fame necaret. Polyænus, *Stratagem. l.* 8. *c.* 51.; Corn. Nep. *in Pausania*, *c.* 5.

THEANO, Scedasi filia, pauperis sed honesti viri Leuctris habitantis, quæ cum à Spartanis legatis violata esset, doloris impatientiâ manus sibi attulit, cùm prius diris urbem tales homines producentem devovisset. Vide Diodor. Sic. *l.* 15.

THEANUM, corruptè pro *Teanum*.

THEARIDAS, alter Dionysii superioris frater, cui, rejectô Leptine, fratre quoque, classem commisit. Diodor. Sic. *l.* 14.

THEARUS, fluvius Thraciæ, in Hebrum confluens, omnium illius regionis optimus est; ad morbos & scabiem curandam hominum & equorum, *Metel.*

THEATE, vide *Teate*.

THEATINI, Congregatio Clericorum Regularium in communione Roman. instituta, à Joh. Petro Caraffa, Episcopo Theatino, in regno Neapolitano qui posteà, nomine Pauli IV. assumptô, Papa creatus est: Approbata à Clemente VII. A. C. 1524. Nihil proprii habent, eo solùm vivunt, quod aliorum liberalitate, citra illorum preces, suppeditatum fuerit. Joh. Bapt. Tuffius, *in Annal. Theatin. &c.*

THEATRALES Leges, ex paucis illis ad Religionem veterum Romanorum, quæ ex tanto Scriptorum naufragio ad nos pervenerunt, spectantibus, duæ occurrunt, de locis sive sedibus Ordinum in Spectaculis agentes. Postquam enim per annos 505. Senatus Populo mixtus spectaculis Ludorum interfuerat, ut Val. Max. docet *l.* 2. *c.* 4. *n.* 3. cum morem Attilius Serranus & L. Scribonis Ædiles, Ludos Matri Deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, solverunt: quæ res avertit vulgi animum, & favorem Scipionis maximoperè quassavit. Aliquanto dein post etiam Equitum loci à Populi sedibus sunt discreti, Lege Rosciâ *Theatrali*, quam tulit L. Roscius Otho Tribun. Pleb. L. Cæliô Metellô, Q. Martiô Rege Consulib. an. Orb. Cond. 685. *Ut in Theatro Equitibus Romanis, qui HS. quadraginta possiderent*, 14. *gradus spectandi gratiâ adsignarentur: exceptis iis, qui sive suô: sive Fortunæ vitiô, decoxissent.* Cicer. *Philipp.* 2. Asconius *in Cornelian.* Florus, *Epit.* 99. Dio, *l.* 36. Plin. *l.* 7 *c.* 30. & Tacit. *Annal. l.* 15. *c.* 32. qui tamen legem interpretatur, hanc habuisse vim, ut Equites non ante plebem ac separatim, sed confusè tantum 14. ordines haberent. Post aliquot inde annos, cùm C. Octavius Augustus ordinem Equestrem recognovisset, censumque ejus auxisset, multi autem, quibus census ille non esset, à 14. illis gradibus Lege Rosciâ excluderentur, mitigavit eam aliquô modô Augustus & Juliam Legem tulit, *ut Equitibus Romanis, quibus ipsis, parentibusve equestris census unquam fuisset, in quatuordecim ordinibus, lege Rosciâ Theatrali constitutis considere liceret*, Sueton. *Aug. c.* 40. Plin. *l.* 33. *c.* 2. Alii. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Romanar. lib.* 5. *c.* 10. & plura in voce *Theatrum*.

THEATRAPUS, in *Bulla* quadam Martini I. nomen officii in Aula Pontificis Romani, corruptum fortè ex *Theopropus*. Est autem Θεοπρόπος Græcè *oraculorum interpres*, qualis Cancellarius dicatur seu Bibliothecarius, cujus officio olim in eadem aula Cancellariatus annexus erat. Amandus certè Elnonensis Episcopus, qui in *Bulla* citata *Theatraptus*, in alia ejusdem Pontificis, *Bibliothecarius S. Sedis Apostolicæ*, vocatur. Vide infrà *Theprōpia*.

THEATROQUINEGIUM, pro *Theatrocynegium*, ex Græco Θεατροκυνήγιον, inter processiones Consulis recensetur tertiô locô, Juliano Antecessori, *Constit.* 98. *Processiones autem ipsius volumus esse septem omnes in circo & harena & in theatro. Et prima quidem processio erit Kalendis Januariis: secunda autem ea, quæ Mappa, tertia autem quæ* Theatroquinegium *appellatur*, &c. Vide infrà ubi de Theatrali *Venatione*.

THEATRUM, locus fuit, in quo Deorum immortalium, ut Gentilibus visum erat, diebus festis ludos spectabant Romani sedentes cum conjugibus & liberis: Hîc enim scenici ludi, sicut Circenses in Circo agebantur. Figuram habebat hemicycli, cujus ab utroque cornu scenæ erant, cum singulis aris, quarum una Bacchi: altera ejus Dei, in cujus honorem ludi fiebant. Partes *Theatri* erant Scena, Orchestra, proscenium, & Pulpitum. Origo hæc: Apud Romanos *Theatrum* diu nullum fuit: Olim enim in diem ad locum indictum convenientes, qui specimen firmitatis, aut dexteritatis aut pernicitatis edituri erant, in medio nomina profitebantur. Aderant Judices & Spectatorum turba, qui cùm in plano commodè omnes spectare non possent, aggestis cespitibus editiorem locum sibi pulvillis actis faciebant: Hinc medius locus depressior, *Caveæ* nomen accepit, & illi qui post initia stantes spectabant, posteà *Subsellia* sibi quisque afferebant. Tandem *Theatrum* faciendum primi locârunt M. Valerius Messala atque C. Cassius Longinus, Censores, An. 599. U.C. verùm auctore P. Scipione Nasicâ, omnem ejus apparatum hastæ subjectum venire placuit: Mox Senatusconsultô cautum est, ne quis in urbe propiusve passus 1000. subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet, quò scil. remissioni animorum juncta standi virilitas propria

Romanæ gentis esset, Val. Max. *l.* 2. *c.* 4. Vide quoque Vell. Paterc. *l.* 2. *c.* 40. & Liv. *l.* 48. Deletâ Corinthô L. Mummius ludis, quos in Triumpho fecit, *Theatrum* erexit, sed temporarium. Sumptuosissimum M. Scauri fuit, quod describitur à Plinio, *l.* 36. *c.* 15. Amplissimum Curionis, apud eundem, paulo pòst. Primum mansurum C. Pompejus M. extruxit lapide quadratô, auctore Corneliô Tac. *Annal. l.* 14. *c* 20. exemplum ejus, quod Mitylenis viderat, bellô Mithridaticô: Hoc *Veneris templum* potiùs, quàm Theatrum cur vocari voluerit, vide Tertull. *l. de Spectaculis.* Cæterùm usque ad An. Urb. Cond. 558. Senatus populo mistus ludis interfuit, juvandæ concordiæ, fovendæque libertatis gratiâ: quem morem, cùm Attilius Serranus & L. Scribonius Ædiles, ludos Matri Deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus Populique sedibus solvissent, res nova vulgi avertit animum & Scipionis favorem non parum imminuit. Latâ dein lege Rosciâ de XIV. Ordinibus, Metellô & C. Martiô Consulib. an Urb. Cond. 659. Eques quoque à Plebe distinctus est, sic tamen, ut qui ex Equite vel vitiô, vel fortunâ decoxissent, ab aliis separarentur, vel remotiori locô considerent, vide Horat. Juvenal. Cicer. præsertim *Philippicâ* 2. Plut. *in ejus vita*, & Plin. *l.* 7. *c.* 30. Posteà verò Augustus, cùm plerique Equites attritô bellis civilibus patrimoniô, metu pœnæ Theatralis sedere in XIV: non auderent, eâ neminem teneri voluit, quibus vel ipsis, vel quorum parentibus equestter census unquam fuisset. Idem primum subselliorum ordinem Senatoribus relinqui voluit: militem præterea secrevit à populo, ac maritis è plebe proprios ordines: Prætextatis quoque suum cuneum attribuit, vide Lævinum Torrentium, *Comm. in Suetonii Neronem.* Nomina peculiarium locorum hæc; ex Orchestra spectabant Senatores: Senes in Buleutico sedebant, Juvenes spectabant ex Ephibico: Imperatores aut Consules è Podio; In quatuordecim gradibus Eques sedebat: Habebant Vestales virgines suum à reliquorum cœtu locum discretum: Caveam plebs implebat, &c. Duo *Theatra* juncta Amphitheatrum faciebant, quæ vel circulari integrâ formâ construebantur, vel ovali & oblongâ, in quibus exhibebantur gladiatorii ludi & conclusarum ferarum venationes, in area, quam *Arenam* dixêre. Ut de luxu sensim etiam in hisce crescente quædam addam: C. Catulus, Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit. Cneus Pompejus, ante alios, aquæ per semitas decursu, æstivum minuit fervorem. Cl. Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis antè picturâ tabulis extentam: Eam totam argentô Cajus Antonius, aurô Petrejus, eborê Q. Catulus prætexuit: Versatilem fecêre Luculli, argentatis choragiis P. Lentulus Spinter adornavit: Tabulatum anteà Phœniceis indutum tunicis M. Scaurus exquisitô genere vestis cultum induxit. Val Max. *loc. cit.* Vide plura apud Thom. Dempsterum *in Antiq. Rom.* Lipsium, Al. Rossæum, Georg. Fabric. *Româ*, *c.* 12. Onuphr. Panvinium *de* 14. *Regionib. urbis*, qui quatuor Theatra recenset, Balbi Marcelli, Lapideum & Pompeji: Amphitheatra tria, Magnum, Castrense & Statilii Tauri, Odea quinque, &c. Nec omittenda superior *Theatri* pars, κερκὶς, ut quibusdam videtur, dicta Dioni, *l.* 49. in quam ascendere solebant Imperatores, missilia sparsuri, ut idem refert ubi de Tito, &c. Cœterùm eam reverentiam Theatro Histriones præstabant, ut in eo non minùs ac in Templo, excreare aut emungere nefas esset, qua de re vide quæ suprà diximus, in voce *Excreare.* Interim non solùm decoctores, aliique per theatrum ignominiosè traducebantur, uti de Stephanione Togatario, cui in puerilem habitum circumtonsa matrona ministraverat, *per bina Theatra virgis caso*, legas apud Sueton. *Aug. c.* 45. quod θεατρίζειν, & παραδειγματίζειν Græci appellabant. Vide quoque suprà in voce *Catomidiare.* Sed & Deorum hominumque imagines non rarò, ab infenso populo, lapidibus petebantur, qua *de Theatrali lapidatione* multa Casaubono dicta *Animadversion. in Athenæum*, *l.* 6. *c.* 11. Imò tanta petulantia in illis locis agebatur, ut apud Græcos Romanosque, qui severiùs juventutem instituebant, eam à theatris arcerent, aut non nisi pædagogis comitatam eò ire paterentur. Vide Julianum *Misopogone l.* trium Augg. *in Cod. Theodos. tit.* 8. Casaubon. *ad August. Suetonii*, *c.* 44. & eundem *ibidem*, *c.* 83. ubi de *Theatri refrigerandi ratione*, à Pompejo Magno inventa, &c. Sed & *Theatrum* Græcis ac Græciensibus plerisque pro Curia, Foro, Comitio fuit, ut adnotat Bosius *ad ista Nepotis*, *Timoleonte*, *c.* 4. *Veniebat autem in* Theatrum, *quum ibi concilium populi haberetur.* Vide Just. Lipsium *ad Tacitum*, *Histor. l.* 2. Berneggerum *ad Justin. l.* 22 *c.* 2. Jo. Pricæum, *Notis ad Actor. c.* 19. *v.* 29. & Farnab. *ad illud Juvenalis*, *Sat.* 10. *v.* 128.

> *— quem mirabantur Athenæ*
> *Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.*

THEATRUM Catoptricum, in *Musæo* Kircheriano, Instrumentum est, quò quæstionem inter Physicos tam celebrem de *Infinito actu.* Auctor pluribus planis speculis ingeniosè decidere conatur. Cista est sub forma *Theatri*, quæ ex interiore parte undiquaque planis speculis circumvestita est. Specula hæc ex parte posteriori, non ad latus seu angulum rectum, sibi invicem conjuncta sunt, sed ad angulum acutum, unde in cavum quatuor laterum se arcuat. Planum verò horizontale quadrilaterum est, quod in centro super axem mobilem convolvitur & ita quadrivariam objicit figurarum seu planorum differentiam. Sic specula plana mutuatâ reflexione, unum alteri objectorum planorum species reflectunt, communicant & multiplicant, semperque easdem species recolligendo opticè diminuunt, ut easdem numerare impossibile sit, adeoque infinitum actu spatium repræsentent. Vides ergo mox viridariorum ad utramque partem se opticè protendentium series, ut oculus tuus tali labyrinthô delusus, in infinitum spatium & campos protractum se putet. Mutatô mox planô machina te in tam uberem & locupletem Bibliothecam introducit, ut ejus apparatu attonitus, librorum incredibilem copiam te videre fateri cogaris. Quæ dum tibi ab oculis subducitur, se visendum sistit magnificentissimorum Palatiorum & Fabricarum Theatrum; quò evanescente, ecce Triclinium omni adornatum fructuum florumque genere, vel gustum allectantium ciborum tragematumque deliciis abunde refertum intuearis. Ad cujus imitationem, varias scenicas projectiones, ornatissima conclavia, infiniti columnarum productarum ordines, varia ambulachrorum diverticula, horti omni florum plantarumque genere instructissimi, mensæ omni cupediarum genere refertissimæ, thesauri inexhausti, anfractus infiniti &c. repræsentari possunt. Georg. de Sepibus *in Collegii Roman. Societ. Jes. Musæo p.* 30. & 31.

THEATRUM Cornelii Balbi, apud circum Flaminium. Ovid. *de arte*, *l.* 3. *v.* 394.

> *Visite conspicuis terna theatra locis.*

THEATRUM Marcelli Romæ, *P. Vict.* ubi palatium Savellæ familiæ, ubi erat templum Pietatis, & porticus Octaviæ.

THEATRUM Pompeji, ubi palatium Ursinorum, in campo Floris.

THEATRUM Statilii Tauri erat ante ædem S. Crucis in Hierusalem, sive ubi nunc eadem est, apud templum Veneris. Theatra etiam plura extra urbem fuêre. Fidenis, ubi theatrô corruente 20000. hominum interiêre, ut Suetonius auctor est, *in Tiber. c.* 40. Hispelli in Umbria. Adhuc reliquiæ theatri extra urbem secus viam conspiciuntur. Casini in Latio, & Minturnis apparent vestigia. Veronæ ingens theatrum ferè integrum est, quòd vulgo *l'Arena di Verona* nominatur. Præneste, præterea, Spoleti, Vincentiæ, & Polæ in Histria, & alibi fuêre. Nemausi in Gallia, inter alia antiquitatis monumenta, etiam theatri nobilis vestigia apparent. Tolosæ item, & Arelati sunt antiqua theatra. In Hispania quoque fuêre theatra haud contemnenda, præsertim Tarracone, & Saganti. In Thracia Perinthi amplissimum erat amphitheatrum.

THEAVA *Ptol. Tivica Morali*, oppid. Hispaniæ Tarraconens. in finibus Ilercaonum, apud Carthaginem veterem & Iberum fluv. in confinio Aragoniæ & Cataloniæ, nunc pagus.

THEBÆ, Ciliciæ urbs, Straboni, *l.* 11. & Ciliciæ Q. Curtio, *l.* 3. *c.* 4. Uterque Lyrnessum & Thebem urbes inter se vicinas facit. Vide *Thebe.* Est & nomen urbis in Palæstina, Judic. *c.* 9. *v.* 50. Prior verò potiùs juxta Corycum Pamphyliæ. Nempe Lyrnessus & *Thebe* in Cilicia Hypoplacia, prope Trojam sitæ erant, quas urbes cùm Achilles evertisset, incolæ inde ejecti aliam Lyrnesson & Thebem, in Pamphyliæ ora condiderunt, quarum vestigia, inter Attaliam & Phaselidem Pamphyliæ, monstrata fuisse, docet ex Strabone, Salmas. *ad Solin. p.* 775. De *Thebis Ægyptiis Bœotiisque* infrà.

THEBÆA Legio, decimata à Maximiniano Imperatore, A. C. 297. Vide Oros. *l.* 7. *c.* 17. *&c.*

THEBAIS, quæ in Sacris *Pathros*, Australior Ægypti pars, & ab Ægypto propriè dictâ distincta, indigitatur, Jerem. *c.* 44. *v.* 1. ubi separatim nominat *habitantes in terra Mitsrajim*, i. e. in Ægypto propriè dictâ, & *in terra Pathros*, h. e. in illi contermina *Thebaide*, uti docet Bochart. *Geogr. S. l.* 4. *c.* 27 adeò ut illa Ægypti partitio, quâ *Thebais* ab Ægypto propriè dicta disjungitur, quæ in infima Romanorum tempora duravit, etiam ab ultima antiquitate obtinuerit. *Æthiopia* nomine non rarò venit, metropolimque *Thebas* habuit, totius aliquando Ægypti, imò & sub Sesostre ejusque successoribus, totius Asiæ insuper, dominam. Vide infrà *Thebe.* Nomi ejus *Lycopolites*, *Aphroditopolites*, *Thinites*, *Diospolites*, *Tentyrites*, & *Hermonthites*, juxta *Ptolem.* quibus quosdam alios, Plin. addit *l.* 5. *c.* 9. ut videbimus & hi erant ab Occident. fluminis latere. Arabici ejus Nomi sunt, *Cynopolites*, qui tandem *Antinoites*, *Panopolites*, *Coptites*, & ὁ Θηβῶν νομὸς, *Thebarum Nomus*, cujus caput Diospolis Magna, non solùm Ægypti sed & Thebani Imperii sedes primaria, *Thebæ* videl. modò indigitatæ: de quibus omnibus vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* XV. *tit. Thebais*, & alibi passim.

THEBAIS, insigne Statii opus, totis 12. annis summâ curâ ab eo elaboratum. Nomen autem habet ab argumento, eò quòd bellum contineat inter Eteoclem & Polynicem ad Thebas gestum, in quo duo fratres mutuis vulneribus perierunt. Juvenal. *Satyr.* 7. *v.* 82.

> *Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ*
> *Thebaidos, lætam fecit cùm Statius urbem;*
> *Promisitque diem, tantâ dulcedine captos*
> *Afficit ille animos, tantâque libidine vulgi*
> *Auditur. — —*

Item, fluv. Lydiæ, Tralleis alluens. Item *Thebais*, nomen patronymicum fœmin. Ovid. *l.* 6 *Metam. v.* 163.

> ——— ——— *Et omnes*
> *Thebaides jussis sua tempora frondibus ornant.*

Nic. Lloydius. De ea affatim, apud Casparum Barthium *Animadvers. in Statium.* Sed & Θηβαΐς, *Thebais*, pars fuit Epici Cycli, post Iliadem & Odysseam, omnium optima, cujus auctor incertus habitus est jam veteribus Criticis. Athenæus, *l.* 11. Ὁ δ' Οἰδίπους [illegible] Ab hac diversa fuit *Thebais* itidem Antimachi, quem Athenæus ἐν Θηβαΐδι tribus aut quatuor locis laudat, *ibid.* Apollonius quoque, qui ex *l.* ejus *primo*, istud hemistichium,

> [illegible] — —

Et ex *l.* 3.

> — — [illegible]

citat

citat. Vide de utraque Salmas. ubi suprà *p.* 948. & *seqq.* De *Thebaide* verò, Ægypti regione, hic infrà.

THEBANUS cognomen *Herculis*. Vide suprà.

THEBE, uxor Alexandri Pheræorum tyranni, quæ maritum cum fratribus Lycophrone & Tisiphono occidit, Olympiadis centesimæ quintæ annô quartô.

THEBE, seu THEBA, & THEBÆ, vulgò THEVES, teste Jo. Leone Africanô, urbs Ægypti, superioris Thebaidis, unicè miranda, tum ob magnitudinem, tum ob antiquitatem, tum ob potentiam, quam proin *nemo non novit*, Ammian. in ea sub Diocletiano ingens fidelium numerus sublatus est, A. C. 304. Euseb. *l.* 8. *c.* 6. & 12. hodie *Minio* Sansoni, caput Præfecturæ seu Callisatus cognominis, paucorumque nunc incolarum, sub Turcis. Excisam tamen penitus jam olim fuisse, infrà videbimus. A Busiride, an Osiride Rege condita, ambitu 140. stad. uti refert *Herodotus*; centum portis nobilis. Dionys. *v.* 249.

> Θήβην Ὠγυγίην ἑκατόμπυλον.

Juvenal. *Sat. penultimâ*, *v.* 6.

> *Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.*

Mela, *l.* 1. *c.* 9. *Et Thebæ, (ut Homero dictum est) centum portas, sive (ut alii ajunt) centum aulas habent, totidem principum domos; solitasque singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere.* Ubi nunquam sine laude nominandus clarissimus Vossius: Primus Pintianus hunc locum ita conatus est corrigere, *ducentos armatos milites effundere*: eamque emendationem valde probant viri eruditi. Nempe non rectè intellexerunt versus istos Homeri, *Il.* 9. *v.* 381.

> —— οὐδ' ὅσα Θήβας
> Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται,
> Αἵθ' ἑκατόμπυλοί εἰσι, διηκόσιοι δ' ἀν' ἑκάστην
> Ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν.

Loquitur hîc, non de universa Thebanorum militia, sed de solis aurigantibus & ἁρματοτρόφοις. Viginti enim curruum millia ex hac urbe ad bellum solita fuisse prodire, affirmat Diodorus Siculus. Sed verò numerus militum is omnem videtur fidem superare. Nam si ex unâ quaque porta dena armatorum millia ad bellum proficiscerentur, jam oportet, ut numerus militum fuerit decies centenûm millium. Rectè tamen sese habere locum hunc Melæ, apparebit ex illustri loco vetustissimi cujusdam auctoris, cujus verba nobis servavit Scholiastes quidam, *ad nonum Homeri librum*, ante aliquot annos in Germania editus. Is itaque hôc pactô de Thebis loquitur; Ἐν ταύτῃ δὲ ἦν ἐστρατεύσατο βασιλεία τῆς Αἰγύπτου, εἰς ἣν πολλοὺς ἔφερον φόρους Λίβυες, Αἰγύπτιοι, Αἰθίοπες. Νῦν δὲ Διόσπολις ὀνομάζεται· εἶχε δὲ κώμας μὲν τρισμυρίας τρισχιλίας τριάκοντα. Τὸ δὲ ἄστυ εἶχεν ἀρούρας γψ', καὶ πύλας ἑκατόν, ἀνδρῶν δὲ μυριάδας ψ'. Ταύτην ἐτείχισεν ὁ βασιλεὺς Ὄσιρις. Ἐξ ἑκάστης δὲ πύλης ἐστράτευον ὁπλῖται μὲν μύριοι, ἱππεῖς δὲ χίλιοι, ἁρματηλάται δὲ διακόσιοι. Hæc verba unicè confirmant hanc, quam reddidimus Melæ lectionem. Sed quis non obstupescat, tam portentosô numerô, aut credat in una urbe vel mille millia armatorum, vel septuagies centena hominum millia claudi potuisse & comprehendi? Docet tamen id ipsum etiam Strabo, qui eos centum myriadum exercitus habuisse scribit. Aliquanto pauciores refert Corn. Tacitus. Is namque *l.* 2. *Annal. c.* 60. Thebis olim habitâsse, inquit, septingenta millia ætatis militaris. Nonnulli viri eruditi, & hanc summam nimiam esse existimant, ideoque *septuaginta* millia pro *septingentis* reponunt. Verùm illos errare, satis indicat is quem adduximus locus. Sunt tamen & in hoc nonnulla, de quibus aliquis meritò possit inquirere. Quî enim fieri potuit, ut hîc centum equitum millia alerentur, cùm tantùm centum illic numerârit equilia Diod. Siculus, quorum unumquodque ducentos caperet equos? Possit tamen hoc ita excusari, ut nempe 100. ista equilia dicantur destinata fuisse equis tantùm Curulibus. Strabo suô tempore, cùm minimæ essent Thebæ, in longitudine occupâsse inquit octoginta stadia. Sed verò, antequam Cambyses urbem eam vastaret, tum longè maximam fuisse certum est. Eustathius *ad Dionysium* inquit, eam tunc extensam fuisse ad 420. stadia. Porphyrius *in optimis Scholiis ad Iliada Homeri nondum editis*, nec non Stephanus Grammaticus similia supra memoratis ex Catone citant, ac 400. stadiorum faciunt longitudinem. Sed quomodo tanta potuit esse longitudo Thebarum, si mille tantùm & septingentas ἀρούρας comprehenderit? Iste enim ἀρουρῶν numerus commodè contineri potest ambitu ducentorum & sexaginta quatuor stadiorum. Videtur autem hæc urbs in longum fuisse porrecta, ad ripas Nili, ac non multùm possedisse latitudinis. Sed verò omnia prius credam, quàm tantam incolarum copiam in ulla unquam fuisse urbe. Unum adferam, unde quàm maximè absurdum id esse apparebit. Tradunt Diodorus Siculus & alii, Ægyptum cùm maximè populô aubundaret, habuisse in universum septuagies centena hominum millia. Atqui si totidem quoque Thebis fuissent, jam oporteret cæteras Ægypti urbes vacuas fuisse habitatoribus. Hinc apparet, quæcunque de Thebanis, Ægyptiis eorumque potentia dicuntur, accipienda de tota Ægypto. Verum id esse & universam Ægyptum Thebas olim fuisse vocatam, luculentissimus testis est Herodotus, *l.* 2. ubi de Delta, Πάλαι, inquit, αἱ Θῆβαι Αἴγυπτος ἐκαλέετο. Sed & Aristoteles, *Meteorolog.* 1. Τὸ ἀρχαῖον ἡ Αἴγυπτος Θῆβαι καλούμεναι. Hæ Thebæ palmis inclytæ fuerunt. Vide Passeratium *in illud Propert. l.* 4. *El.* 5. *v.* 25.

> *Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ.*

Eas verò Corn. Gallus, Poëta insignis, Virgilii Ovidiique σύγχρονος, Ægypto ab Augusto præpositus, exspoliavit. Unde de repetundis accusatus & à domo Augusti exclusus, sibi ipsi mortem ferrò attulit, invisus omnibus, ob maledicentiam. Amm. Marcell. Suetonius; Adde his Strab. *l.* 17. Plin. *l.* 5. *c.* 9. &c. *Nic. Lloydius*: Ejus pars in Libyco littore, Μεμνόνιον dicta est, à *Memnonis* statua, quæ ibi erat, unde *Thebæ Memnoniæ* Poëtis appellantur. Cæterùm urbs hæc regionis *Thebaidis* caput fuit, quæ in summa parte Ægypti posita, sicque Arabiæ contermina, plures continebat Nomos, *Ombitem*, *Phaniten*, *Apollopoliten*, *Hermonthiten*, *Thiniten*, *Phaturiten*, *Coptiten*, *Tentyriten*, *Diospoliten*, *Antæopoliten*, *Aphroditopoliten*, & *Lycopoliten*, quô ordine eos enumerat Plin. *l.* 5. *c.* 9. à summo incipiens, id est, Ombite, qui prope Syenen, & ad infimum ordinem descendens: Græcè ἡ Θηβαῒς χώρα. Fuit illa una ex V. Ægypti provinciis, sub Romanis, in *primam* & *secundam* divisa, uti patet ex *Excerptis Geogr.* Bibliothecæ Regiæ, ubi ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Θηβαΐδος collocantur Ptolemais metropolis & Coptus seu Justinianopolis, apud Salmas. *ad Probum Vopisci*, *c.* 17. Habuit etiam tum proprium Regem, Spartianus *in Pescennio Nigro*, *c.* 12. Inde *Thebaicæ palmæ*, seu caryotæ, jam suprà indigitatæ, macrô corpore exiles, & *crustâ placentes*, ut ait Plinius, quæ præstantissimæ *Straboni*, ut quarum facultates non multum à chrysobalani virtutibus diversæ, in cados propterea condebantur servabanturque: sicut caryotæ Judaicæ, *succô* magis commendabiles, de quibus idem Salmas. pluribus agit *ad Solin. p.* 1319. & *seqq.* uti de *Thebaico lapide* seu gemma, aurô scintillante, *p.* 1075. de *Thebaica Spina*, *p.* 532. &c. Sed de hac totius olim Ægypti metropoli, & Regni Thebani, antiquissimi simul omnium & potentissimi sede, ultra XV. secula: de illius magnitudine, Regibus, excidioque tandem, nemo accuratiùs Ill. Marshamô Equit. *Canone Chron.* quem vide. Ex illo pauca hæc superaddam: *Thebarum fortuna adhuc superba* (Secul. XV.) *indies crescebat: posteà verò declinavit illa, urbsque à Sabachone, Nabuchodonosoro, Cambyse, capta est & malè mulctata. Post conditam Alexandriam primatum amisit: à Ptolemæo Philometore II. ob defectionem ad paupertatem redacta; à Cornelio Gallo (primo Ægypti Præfecto Augustali) penitus excisa est.* Rex primus Menes seu Chamus, potentissimus Sesostris & aliquot Successores ejus, ultimus Thuoris fuit, quorum indicio reliquos Reges hîc passim, simulque præcipua augusti hujus Regni memoranda, facilè reperies. Vide & voce *Diospolis*.

THEBE, Latinis *Thebæ*, urbs Bœotiæ ad Ismenum fluv. aliquot milliar. ab Asopo in Boream regionis quondam primaria. *Tiva* Sophiano, & *Stives*, vel *Stibes*. Ejus arx *Cadmæa* dicta fuit. Nunc vicus, paucorum incolarum, sub Turcis, 50. mill. pass. ab Athenis, 30. à Chalcide, 50. ab Oropo in Occidentem. *Baudrand.* A Cadmo condita fuisse dicitur. Hinc Propert. *l.* 1. *El.* 7. *v.* 1.

> *Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ,*
> *Armaque fraternæ tristia militiæ.*

Alius.

> *Hâc duce Cadmeæ viderunt prælia Thebæ.*

Condita, inquam, à Cadmo A. M. 2620. vel arce Cadmæâ saltem aucta: A. 37. ante Trojam captam, à Polynice, Adrasti soceri opibus adjuto, obsessa est; quod bellum septem Ducum appellatum, Statio poëmatis argumentum, successu cùm caruisset, à filiis horum, decenniô post, A. M. 2843. capta est. Potentes olim Thebani, cum Atheniensib. & Spartanis diu colluctati, hos ad Leuctra, per Epaminondam, ingenti clade affecerunt. A Philippo Macedone victi, jugum ejus subierunt, præsidiô intra urbem receptô; falsô dein de Alexandri morte rumore permoti, rebellantes, eversi sunt penitus, solâ Pindari domô manente intactâ. Olymp. 111. A. 419. Urb. Cond. Urbs dein ab Antipatri filio Cassandro annis 20. post reparata, Archiepiscopalis sedes sub Christianis fuit. A Statio *Aoniæ* vocantur, ab Horatio & Statio *Echioniæ*, ab Ovidio & Lucano *Oedipodioniæ*, à Seneca *Herculeæ*. Hæ Thebæ septem portas habuere. Unde Juvenalis de bonorum paucitate, *Sat.* 13. *v.* 26.

> —— *Numerò (inquit) vix sunt totidem, quot*
> *Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.*

Hesiodus, Ἔργ. α. *v.* 161.

> Τοὺς μὲν ἐφ' ἑπταπύλῳ Θήβῃ, Καδμηΐδι γαίῃ.

Ubi *Tzetzes*: Τρεῖς εἰσι Θῆβαι. Αἱ ἑπτάπυλοι, ἃς ὁ Κάδμος ἔκτισεν ἐν Βοιωτίᾳ. Αἱ ἑκατόμπυλοι ἐν Αἰγύπτῳ καὶ αἱ Ὑποπλάκιαι περὶ τὸ Ἀτραμύττειον. *Eustath.* novem Thebas fuisse memorat, sed non nominavit. In hac Bœotiæ urbe hirundines non nidificant, sicut nec cornices Athenis: & Amphiaraus vates, apud Thebas pugnans hiatu terræ absorptus est. Sunt qui vocis originem ab Ægypto accersunt, & Bœoticas Thebas volunt ab Ægyptiis nomen mutuari. Varro autem *Thebas*, vel sine afflatu *Tebas*, ex Sabinorum lingua *colles* exponit. Alii Cadmum sibi fingunt, urbem à se conditam à תבה *Theba* nominâsse, i. e. nave, in formam arcæ, quâ in Bœotiam sit advectus. Pausan. *l.* 9. à *Thebe* deducit, Asopi scil. filiâ. *Eustathius*, ἀπὸ τοῦ θεῖν ἀεί. ἐκ τοῦ δρόμου τοῦ βοός, à cursu bovis, quem ducem itineris habuerit Cadmus. Quin si fides Etymologo, & Isacio *in Lycophronem*, Θῆβα Σύρισι λέγεται ἡ βοῦς. Nugæ nugacissimæ. *Thebæ* igitur Bocharto תבצ à בצ *bes*, vel בצה *betsa* lutum. Quod etymon quàm sit appositum, te docebunt hæc Dicæarchi in libro, cui titulus: Βίος Ἑλλάδος, *p.* 174. ubi de Thebis, Εὐχείμερος χρεῖσιν διὰ τὰ ποτάμια, καὶ τὰ πνεύματα, καὶ γὰρ νίφεται καὶ πηλὸν ἔχει πολύν. Vide sis Xenoph. *l.* 6. Diodor. Sic. *l.* 15. & *seqq.* Justin. Arrianum, Pausaniam, Strabon. Plin. Plutarch. & doctissimum authorem *de Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 16. *Nic. Lloydius.* Urbis

fundamenta prima Antiopes filios locâsse, ex Homero, Od. λ. discimus, & à *Thebe* Nympha, Promethei filia, ei nomen imposuisse, ex Pausania, *loc. cit.* Cœterùm altissimis muris munita fuit, τείχ☉ Α'-φειον appellat idem Homerus, *Il. δ.* habuitque stadiorum 43. ambitum, teste Dicæarchô *in Jambicis Geogr.* Leges à Philolao accepit, Aristot. *Polit. l.* 2. *c.* 10. &c. Ipsam urbem simulachrô expressam, & apud Messenios, in Æsculapii Fano dedicatam, se vidisse, memorat Pausan. *l.* 4. Incolas quod attinet; Mares bellicosissimi fuêre, quippe qui, cùm robore reliquos Græcos omnes superarent, illud exercitiis ita excoluêre, ut nullis illorum in re militari cederent, Diodor. Siculus, *l.* 15. Sphinge, pro signo usi, Plutarch. *in Pelop.* Fœminæ inter alia eo nobiles, quòd solæ Deos peperissent. Quam in rem notus Sophoclis versus,

Θήβας λέγεις μοι, τὰς πύλας ἑπταστόμους,
Οὗ δὴ μόναι τίκτουσιν αἱ θνηταὶ θεούς.

Thebas dicis mihi, septem portis apertas,
Ubi solùm pariunt mortales fœminæ Deos.

Eædem principes Græcarum formâ, ore tectô, crine in apicem convolutô, quem ornatum λαμπάδιον dixêre, veste prolixâ candidâque, pedibus per calceos penè nudis, inambulavêre, uti Dicæarchus *Vitâ Græciæ*, ubi de habitu illarum, refert. Plura de veteri Urbis statu, apud Casparum inprimis Barthium, *Animadversion. ad Thebaida Papinii*, innumeris locis. Hodie *Thiva* dicitur, sed in ruinis est, arce exceptâ, cujus muri & turres aliquot superstites Cadmi ævum satis superque testantur. Ibi duæ mesquitæ Turcarum & Græcorum aliquot Templa, quorum primarium *Panagia Chrysophoritza* vocatur. Incolarum numerus ad tria circiter millia ascendit, si unà suburbia computes, quorum pulcherrimum *S. Theodori* nomine insigne, fontem habet eximium, fortè eundem cum illo quem *Dircen* appellavâre Veteres. Haud procul terra eruitur fistulis, quibus tabaci fumus hauritur, aptissima; unde vico 300. pass. ab urbe distanti *Tabaklides* nomen. Vide Jacob. Sponium, *Itinerar. part.* 2. *p.* 90. & *seqq.*

THEBE, vel THEBÆ, Ciliciæ urbs, Eetionis regia, patria Andromaches, quam Ovidius idcirco *Thebaidem* cognominat, *l.* 3. *de Art. Am. Philippopolim* vocatam refert Polybius, *l.* 5. Stephanus, *Philippos*, qui eam in Thessalia ponit. Hodie *Zetion* appellari ait, Sophianus. Ovid. *l.* 12. *Met. v.* 110.

Eetioneas implevit sanguine Thebas.

THEBE, vel THEBÆ, Lucaniæ, cognom. *li Luzzi*, oppid. Bruttiorum mediterraneum in Calabria citeriore, ad Crathin fluv. Item oppidum Troadis, ab Achille cum Lyrnesso eversum, *Homer.* Sunt & *Thebæ* Saxonicæ, oppid. inter Witebergam & Lipsiam, vulgò *Dieben*, à Witeberga 6. leuc. in Meridiem.

THEBE, vel Æ, tandem Phthiotidis urbs, ad Sinum Maliacum, vulgò *Ziton*, 300. stad. in Austrum, à Larissa, Polyb. *l.* 17. *c.* 3.

THEBES, urbs terræ Chananææ, Judic. *c.* 9. *v.* 50. Latinè, *caenosus*, aut *sericeus*, vel *ovum*.

THEBES, urbs olim insignis, in tribu Manasse, sita in solo mirum in modum fertili, cujus cives *Thebitæ*, *Thebei Ægypti*, *Thebai*, & *Thebani*: distat ab hac Neapolis unô stadiô. Et autem, ut ait Hieronymus, usque hodie vicus nomine Thebes pergentibus Scythopolim, in 13. ejus lapide.

THEBESTE, vide *Tebesta*.

THEBETA, castellum Mesopotamiæ, *Steph.*

THEBIT, Astrologus Anglus, A. C. 1300. Trepidationis motum primus introduxit, ab August. Riccio oppugnatum, in tractatu motu Sphæræ octavæ. Blancan. *in Chron. Math.* Voss. *de Scient. Math. c.* 35. Item *Thebit* Ben Coré, Mathematicus Arbs.

THEBNI, filius Gineth, 1. Reg. *c.* 16. *v.* 21. Latinè, *palea*, vel *fœnum*, *intelligens*, aut *filiatio*.

THEBUTES, Hæreticus, tempore Apostolorum; Episcopatui frustra inhians, varios docuit errores, qui illi cum Simone Mago & Menandro fuêre communes. Hegesippus, Nicephorus Calistus, *l.* 4. *c.* 7. *&c.*

THECA, in *Vita* Eligii Episcopi Noviom. *Multis Sanctorum ex auro, argento atque gemmis fabricavit thecas sive tumbas*, capsa est SS. reliquiis instructa. Ex Græco θήκη, quod inter alia loculum, in quo defuncti corpus efferebatur, inprimis notavit. Eâdem voce veniebant apud Ægyptios lignei loculi, in quibus cadavera, odoribus condita, domi apud se in conclavibus ei rei destinatis, asservabant: ξυλίνας τύπους ἀνθρωποειδέας, item θήκας ξυλίνας Herodotus appellat; γλωσσόκομα Aetius, *l.* 16. Nec verò arculas solùm in quibus jacebant, (vel, ut apud Ægyptios, stabant) condita cadavera, sed etiam monumenta ipsa, plurium arcarum capacia sic vocârunt. Æschylus, σεσηπότα τε θήκαις, *monumenta Majorum*. Plato, *de LL. l.* 12. τελευτήσαντι τε ἀποθέσεις τε, καὶ σφαγαῖς, θήκας δὲ φέρεις εἶναι τῷ ἄλλῳ πολιτῶν. Ubi quod θήκας vocat, paulo pòst explicat de monumentis hypogæis & fornicatis, in quibus plures lectuli lapidei, Græcis κλίναι, repositi condendis corporibus. *Diodorus*, νεκρῶν θήκας appellat. In veteri *Inscript. Armarium dissegum*, pro monumento vel theca mortuorum. Unicâ voce Νεκροθήκας dicere liceat, uti Ζωθήκας dicebantur cellæ, in quibus viva animalia, turdi, gallinæ, alia saginabantur &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1208. & 1222. & Suicerum in voce Θήκη: uti de Judæorum *theca*, quâ circumcisionem inter Romanos celatum olim ivêre, infrà voce *Verpus* at plura suprà, ubi de more *Tegendi arma*.

THECOLITHOS, lapis pretiosus, in spongiis nascens, Plin. *l.* 36. *c.* 19. *oleo nuclei similis videtur --- lingentium calculos frangit.* Idem *l.* 37. *c.* 10. Meliùs *Tecolithos*, quod vide suprà.

THECUA, pater Sellum mariti Holdæ Prophetidis, 2. Paral. *c.* 34. *v.* 22. Latinè *spes*, *funiculus*, *linea*, vel *congregatio*.

THECUA, civitas in tribu Juda, in monte sita, uberrimis abundat pascuis, distat à Bethlehem miliaribus duobus, Ferrario 7. mill. pass. hanc Roboam munivit ædificiis. Est autem nunc Thecua vicus, ait *Hieronym.* in nono ab Ælia miliario contra meridionalem plagam.

THEGANUS, Chorepiscus Trevirensis, secul. 9. sub Ludovico Pio, *cujus historiam* scripsit: divisam in 58. partes à Walafrido Strabona. Pithœus edidit. Eruditus, & Principi suo gratus, sed muneris negligentior. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 33. *p.* 305.

THEGILIS, epitheton Minervæ, Steph. *in Pamphylia.*

THEGLAT-PHULASSER, Assyriorum Rex, successor & filius, ut quidam volunt, Phul: ab Achazo Judæorum Rege contra Phaceam, Israëlis Regem evocatus, Israëlitas in captivitatem abduxit, A. M. 3295. Vide 2. Reg. *c.* 15. *v.* 29. Torniel *in Annal. Vet. Test.* Marshamo *Teglat-Phul-Asar*, sive alius à *Phule*, sive idem, Damascenum Regnum excidit, & Galilæam in provinciæ formam redegit, anno Templi 260. circa vel paulo ante initium Nabonassari Babylon. Regis ex 2. Regum *c.* 15. *v.* 29. Vide præfatum Marshamum, *Canone Chron. Sec. XVIII.* ut & suprà voce *Phul.*

THEGONIUM, urbs Thessaliæ, *Stephan.*

THEHEN, filius Ephraim, Numer. *c.* 26. *v.* 35. Latinè *deprecans*, aut *misericors*, *sive gratiosus*, vel *castrametans*.

THEISPEUS, Nobilis Persa, Achæmenis pronepos, Arsamis avus cujus ex filio nepos fuit Darius, post Cambysem, Persarum Rex. Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec.* XVIII. ubi de *stemmate Cyri*.

THELAMUSA, castellum Arabiæ juxta Euphratem, *Steph.*

THELASSAR, regio Syriæ, 2. Reg. *c.* 19. *v.* 12. Latinè *coacervationem*, vel *suspensionem auferens*: aut *coacervationis recessus*.

THELBENCANE, Babyloniæ urbs juxta Euphratem fluv. *Ptolem.* Hodie *Maraga*,

THELDA, Mesopotamiæ oppid. *Ptol. Bachdad. Nigro.*

THELEBRÆ, apud Statium, *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 129.

——— *dites Capreæ, viridesque resultant*
Thelebræ, *& terris ingens redit æquoris Echo:*

loci nomen, de quo vide Lucam Joannem Scoppam, *Collect. l.* 1. *c.* 30.

THELESINUS, vir quidam, quem turpi quæstu divitem factum ridet Martial. *l.* 6. *Epigr.* 50.

Quum coleret puros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelidâ sordidus in tegulâ:
Obscœnos postquam cœpit curare cinædos,
Argentum, mensas, prædia solus emit.

Fuit etiam Thelesinus poëta, de quo, & ad quem Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 25.

——— ——— *Quæ*
Componis, dona Veneris, Thelesina, marito.

Item Anglus, aliàs Teliesinus Helius, scripsit A. C. 540. *historiam Arthuri*, *Prædictiones*, *Poëmata*, &c. Item *Thelizus*. Eliud, Episcopus Anglus. A. C. 563. scripsit varia. Pitseus *de Angl. Scriptor.* *Nic. Lloyd.*

THELESIS, Argiva mulier, Argos oppid. Græciæ, à Cleomene, Spartanorum rege obsessum, unà cum cæteris mulieribus tutata est.

THELESPHORUS Deus, à Pergamenis cultus, ex Oraculo sic nuncupatus, quem Epidaurii *Acesion* vocant, Sicyonii *Euamerion*.

THELIS, fluv. Galliæ Narbon. hodie *Egli*, *Sansoni*, *Briètio*. Oritur in Occitania ex Pyrenæis montibus, dein aliquot fluviis auctus, per Comitatum Ruscinonensem fluit, & ibi in Mare Mediterraneum labitur, 50. mill. pass. ab ostiis Ruscinonis fluv. in Boream. Parvus est, sed ubi increvit, persævus.

THELLA, vicus Jordani proximus in tribu Nephthalim, versus Orientem, Galilææ superioris finis. Joseph. *l.* 3. *c.* 2. *de bello Jud.* *Thalla* Hegesippo.

THELLA, vicus grandis Judæorum, in tribu Juda, ætate Hieronymi quasi in decimosexto milliario Eleutheropoleos contra Orientalem plagam, *in Loc. Hebr.*

THELMINISSUS, Syriæ oppid. ad Orontem fluv. *Ptol.*

THELONUS, fluv. Latii, idem cum Liri, *P. Marso*, seu non longè fluens, ex finibus Marsorum, Lirique congrediens. Ibi Rutilium cum 7000. Roman. à Marsis captum scribit *Orosius*.

THELPHUSSA, vide *Telphussa*.

THELSEA, *Antonin.* *Thalsea lib. Notit.* oppid. Cœlesyriæ, in Phœniciæ confinio 24. mill. pass. à Damasco in Boream.

THELXINIA, una ex tribus Ogygis filiabus, quæ omnes Πραξιδίκαι nuncupatæ, vide *Ogyges*.

THELYPHONUM, vide *Cammoron*.

THEMA, filius Ismaëlis, Gen. *c.* 25. *v.* 15. Latinè *admiratio* aut *consummatio*, vel *Auster*.

THEMA, Græcè θέμα, uti & θέσις, *positio* est, situs, regio; *situm* certè pro regione Plinius, *l.* 6. *c.* 15. habet, ubi de Choara Parthiæ regione; & θέμα recentioribus inprimis, de regione aut provincia, frequenter usurpatur. Sic Α'νατολικὸν θέμα appellata est regio aut provincia Orientalis, quam *Natoliam* vulgò dicunt; Θρακήσιον θέμα, provincia Thracensis, quam *minorem Asiam* prius dixêre &c. apud Constantinum *de Thematibus*. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 805. & *seqq.* Atque hinc Legiones nonnullis, quæ in hisce provinciis præsidio erant

erant. Nisi malis cum Car. du Fresne. Legiones primùm θέματα, i.e. τάξεις, inde demum provincias sic appellatas esse. Vide in *Glossar.* & plura hanc in rem apud Bonavent. Vulcanium, & Freder. Morellum, *ad libb. Thematum Constantini Porphyrog.* Fabrottum, *Glossar. ad Cedrenum*, Macros Fratres *in Hierolex.* ubi locum Luithprandi, *Duo illa themata, quæ ultra mare habet, volebant auferre*, exponentes, *Thema* Italicè esse dicunt *Un posto diseso, o presidiato da Soldati*, Alios. Sed & ædificia θέματα dicta, Codinus, *Origin.* Constantinop. mensæ quoque tripodes, quæ consecratæ in Templis ararum vicem tenebant, Idem *ibid.* Statuæ denique, *ibid.* Hinc Θεματάρχαι *provinciales* &c. Vide Cl. Suicerum, *Thesauró Ecclesiasticó* voce Θέμα.

THEMACI, vicus in tribu Erechtheide, *Steph.*

THEMAN, civitas Principum Idumæorum, quæ à *Theman* filio Eliphaz ex Adâ uxore nomen accepit. Inde *Themanites*, Job. *c.* 4. *v.* 1. In tribu Manasse.

THEMAN, alias THEMA, alia est urbs ab ea, quæ est in dimidia tribu Manasse, metropolis Idumææ, & regia Principum Edom, sita in montibus Seir, in Australi parte Idumææ, ita dicta à Theman primogenito Eliphaz, ex Ada uxore primogeniti Esau; Gen. *c.* 36. *v.* 15. Jer. *c.* 49. *v.* 20. Ab hac urbe tota Idumæorum Australis regio nomen accepit.

THEMANI, filius Ashur ex Naari uxore, 1. Paral. *c.* 1. *v.* 44. & *c.* 4. *v.* 6.

THEMANIM, vide Hammondum *in Annotat. ad* 2. *Petr. c.* 2. *v.* 5.

THEMBRIMUS, urbs Cariæ, à *Thembrimo* quodam, *Steph.*

THEMESION, Eretriensis tyrannus, occupavit Olymp. 103. Ann. 3. Oropon, sed dum Thebanus, contra Atheniensium copias, urbem sibi vindicantium, advocat, illi urbem reddere recusárunt, Diodor. *l.* 15.

THEMILAS, proprium viri, *Servius.*

THEMINÆ, castrum Galliæ, cum titulo Marchiæ, vulgò *Themines*: Memoratur in literis datis A. C. 1210. in quibus Dominorum de Toiraco *Toiras*, & hominum castri de Theminas, ac hominum de Montemirato mentio fit, apud Valeſ. *Notit. Gall.*

THEMIS, IDIS, vel, ut nonnulli, *istos*, Cœli ac Terræ filia, quæ Jovis nuptias fugiens, ab eo in Macedonia compressa fuit. Hæc Oraculorum, divinationumque prima inventrix, Dea putabatur, quæ præciperet hominibus id petere, quòd fas esset, ut ait *Festus*. Nam θέμις Græcè *fas* dicitur: habuitque vetustissimum oraculum in Bœotia ad Cephisum amnem. Hesiod. *in Theog.* Diodor. *Bibl Histor. l.* 5. Ovid. *l.* 1. *Met. v.* 321.

Fatidicamque Themin, quæ tunc oracla tenebat.

Calpurnius:

——— *Tandem squallore, situque*
Alma Themis positó. ———

Claudian. *l.* 1. *Rapt. Proserp. v.* 218.

Sic cecinit longæva Themis. ———

Nic. Lloyd.

THEMIS, quam Euseb. *l.* 3. *Præp. Evang.* Carmentam vocat, ex Jove, Justitiam, Legem, Pacemque suscepit, vi compressa.

THEMIS, oppid. Africæ propriæ *Ptol.*

THEMIS, fluv. in Angliæ Walliæque confinio in Sabrinam immittens, apud Vigorniam urbem. *Theme*, vel *Temde*.

THEMISCYRA, quæ *Livio Nigro*, *Fanagoria*, teste *Pinetó* (eo quòd in Phanagoriâ sit, quæ apud Strab. *Themiscyra* dicitur, unà cum fluv. qui in Irim labitur) urbs Cappadociæ maritima apud ostia Iridis fluv. (à quo nunc accipit nomen vulgare) in Ponti Galatici & Pelomoniaci confiniis. Aliis *Temir*, & *Temisira* dicitur apud Thermodoontem Buvium sita. Salmasio campus est Amisenæ Regionis 60. ab urbe stadiis distans, quem statim ingreditur Iris postquam cum Lyco sese junxit; ad ipsam verò utriusque amnis συμβολὴν Eupatoria fuit seu Magnopolis. *Amazonum campus* eidem ex Strabone, *l.* 2. Vide illum *ad Solin. p.* 802. & 889. Barthius Scythicam urbem hujus nominis Amazonum Regiam habet, *Animadvers. ad Statium, Thebaid. l.* 12. *v.* 635. &c.

THEMISON, Medicus Laodicenus, auditor Asclepiadis Myrleani, quem Pompeji Magni ætate vixisse dicit Vossius. Hic cùm præceptor novam sectam condidisset, multa in eo innovavit, tertiamque Sectam fecit: Hinc Senec. *Ep.* 95. *Adjice nunc, quòd artes quoque pleræque imo ex omnibus liberalissimæ habent decreta sua, non tantùm præcepta: Sicut Medicina. Itaque alia est Hippocratis Secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis.* Ea Themisonis secta fuit Methodica. Meminerunt ejus Dioscorides, *l.* 7. *c.* 2. Corn. Celsus *in proœmio*, & Plin. *l.* 14. *c.* 17. & *l.* 29. *c.* 1. Ubi *summum authorem* vocat. Non audiendus autem Interpres Juvenalis, *ad illud Satyr.* 10. *v.* 221.

Quot Themison ægros auctumnó occiderit unó.

Ubi ait:

Themison Archiater illius temporis, cui detrahit.

Vult igitur vixisse temporibus Domitiani: nempe non vidit, Themisonis nomen poni pro quovis Methodico; quia cùm primitus multi Themisonem sequi se profiterentur, neutiquam tantum præstarent, ac sectæ conditor, sed multis necis causa forent. Crebra quoque mentio *Themisonis* apud Cælium Aurelianum, ut mittam Paulum Æginetam, *l.* 12. *c.* 15. atque alios. Castellan. *in vita Medic.* Vossius.

THEMISON, in Pellenide citatur ab Athenæo, *l.* 6.

THEMISONIUM, regio Phrygiæ magnæ, & urbs ejusdem: cujus populi *Themisonii* dicuntur, à Cibyris parum in Occasum distantes.

THEMISSUA, Africæ propriæ oppid. *Ptolem.*

THEMISSUS, urbs Cariæ, quam condidit Dadus, à *Themisso* filio, quem lupi dilaniavére. *Steph.*

THEMISTAGORAS, auctor fuit Aurei libri. Ita enim inscripsit Etymologus in Α'γυρτάλαιος.

THEMISTIANI, iidem cum Agnoëtis, quos vide: dicti à *Themistio* Diacono (quem malè cum Themistio Philosopho, de quo mox, Nicephorus confundit) Fuit hic corrupticola, & Timotheo Episc. Alexandr. similis sectæ, *Si corpus Christi*, dixit, *corruptibile est, debemus dicere eum etiam quædam ignorâsse, sicut de Lazaro.* Quod cùm Timotheus negaret dicendum, separavit se à communione ejus, ac schisma fecit *Themistianorum*, quorum dogma, *Christum ultimum judicii diem & alia quædam penitùs ignorâsse, adeò ut ne quidem secundum Deitatem ea cognoverit*: malè intellectis locis Matth. *c.* 13. *v.* 32. Luc. *c.* 11. *v.* 39. Joh. *c.* 11. *v.* 34. de quorum sensu, inter Monophysitas Corrupticolas, hæc digladiatio cœpit, circa A. C. 530. Georg. Hornius, *Histor. Eccl. ex edit. Leydeckeri*, *p.* 231.

THEMISTIUS, Philosophus sub Juliano Imperatore apostatâ, cujus præfectus prætorii fuit Constantinopoli, ob eloquentiam *Euphrades* dictus; Augustin. *præc. lib. de Categ.* Scripsit *Paraphrasin in Aristotelis Physicam libris* 8. &c. Prætereà edidit sua, videl. *de interpretatione, & inscriptione prædicamentorum, disputationes etiam quasdam & orationes, ad Principes*, sub quibus vivebat. Hic licèt gentilis Valentem Imperatorem quotidiè sævientem in Orthodoxos, authoritate suâ & epistolis reddidit mitiorem. Sozom. *l.* 9. *Suid.* Vide & fusam ad illum Juliani *Epistolam*, in ipsius operibus.

THEMISTO, Crithonis Neantii filia, à Phricodemo tyranno, in matrimonium filio suo Philoni petita. Cui cùm invita copularetur, noctu è thalamo, sponsi juguló haustó, profugit. Vide Polyæn. *l.* 8. *c.* 46. *f.* 623.

THEMISTO, filia Zabii Hyperboreorum regis.

THEMISTOCLEA, soror Pythagoræ, cujus placitis & opinionibus plerisque in locis usus est Pythagoras.

THEMISTOCLES, Archon Athenis. Olympiad. 108. An. 2.

THEMISTOCLES, Neoclis filius, ex matre Halicarnassita, Atheniensis clarissimus, qui cùm adolescentiam in omni luxûs lasciviæque genere peregisset, tandem cùm in virum evasisset, juventutis suæ maculas præclarissimis gestis delevit. Nam & primus Piræeum munivit, pulsis, bellô Corcyræó, piratis, & præliô navali Persas Olympiad. 75. apud Salaminem vicit. Post hæc, ab ingrata patria exul factus ad Admetum primò Molossorum Regem, dein ad Xerxem confugit, à quo dux exercitûs adversus Athenienses magno cum honore creatus, cùm videret patriæ suæ ingentis cladis periculum imminere, haustô tauri sanguine seipsum Salamine interfecit, ne aut Regi de se benè merito infidelis esset, non pugnando viriliter, aut patriæ suæ hostis atque oppugnator videretur. Plutarchus, *in ejus vita*, Olympiad. 78. An. 290. Urb. Cond. Vir alioqui tantus, *ut nemo Græcorum ei anteferatur, pauci pares putentur*, quemadmodum de eo Nepos, *c.* 1. censuit, qui ejus vitam scripsit, quam post eum Plutarchus Græcè dedit; Itaque & jactare solitus fuit, *ferocissimos pullos generosissimos equos evadere, si rectè docti, formatique fuerint.* B. Hieronymus, *ep. ad Nepotianum* scribit, Themistoclem, cùm expletis centum & septem annis se mori cerneret, dixisse, dolere se, quòd tum egrederetur è vita, quando sapere cœpisset: Sed ibi pro Themistoclis nomine Theophrasti substituendum, monet Casaub. *ad Characteres Theophrasti. Themistocles cùm recusâsset lyram, habitus est indoctior*, Cicer. *l.* 1. *Tusc. Qu. c.* 46. Quintil. *l.* 1. *c.* 17. Idem Cicer. *de Fin. l.* 2. Themistocles cùm ei Simonides artem memoriæ polliceretur: *oblivionis*, inquit, *mallem. Memini enim etiam quæ nolo, oblivisci non possum quæ volo.* Idem cùm ex duobus filiam suam ambientibus, bonis moribus præditum diviti prætulisset, Α'νδρα, ἔφη, ζητεῖ χρημάτων δεόμενον μᾶλλον, ἢ χρήματα ἀνδρός. Plut. *in Apophth.* Ælian. *l.* 11. & alii hoc Themistocli etiam tribuerunt: Εἴ μοί τις ὁδοὺς δύο δείξειε, τὴν μὲν εἰς ᾅδου φέρουσαν, τὴν δ' ἐπὶ τὸ βῆμα, ἥδιον ἂν τὴν ἑτέραν ἔλθοιμι τὴν εὐθὺ τοῦ ᾅδου. *Nic. Lloydius.*

THEMISTOGENES, Syracusanus historicus, tempore Artaxerxis Mnemonis, Cyri expeditionem, & bella, quæ in historia Xenophontis continentur, composuit, *Suid.* Vide Xenoph. *l.* 3. *c.* 1. *Hist. Græc.*

THEMMA, Arabiæ desertæ oppid. *Ptolem.*

THEMNA, civitas maxima in tribu Dan, sita in monte Ephraim, Jos. *c.* 19. *v.* 43. Latinè *imago*, vel *figura*, aut *mutatio*.

THENACH, vel *Thanach*, civitas in tribu Manasse, Jos. *c.* 17. *v.* 11. Latinè *confringens*, vel *humilians te*, aut *respondens tibi*.

THENÆ, urbs Cretæ *Callimacho* vel Arcadiæ, alii montem esse dicunt. Stephano *Thenna*. Item oppid. in monte, in Brabantiæ Hasbaniæque confinio, inque diœcesi Maalinensi: Incolis *Thienen*. Gallicè *Tillemont*.

THENÆ, Colonia in Africa celebris. Item pro *Athena*, in optimo Codice Spartiani, apud Salmas. *Notis ad eum in Adriano, c.* 20.

THENNA, Africæ propriæ urbs, *Antonin.* vide *Thena*.

THENSA, Græcis ἅρμα πομπικὸν sive ἱερὸν: in *Glossario*, ἅρμα θεῶν, quod *Diomedes* exponit *Deorum vehiculum*, inter Divinitatis apud Gentiles insignia fuit. Hinc inter ea, quæ Julius Cæsar humanó fastigió ampliora sibi decerni passus est, *sedem auream in Curia & pro tribunali, thensam & ferculum Circensi pompâ, templa, aras, simulachra juxta Deos, pulvinar*, alia recenset Sueton. *in eo, c.* 76. Plura de ejus usu suprà in voce *Tensa*. Addam hîc saltem, pueri ἀμφιθαλοῦς in tenenda *Thensa* meminisse Ciceronem, *Aut puer ille patrimus & matrimus, si tensam non tenuit, aut lorum omisit.* Unde Arnob. *adv. Gentes*, *l.* 4 *Aut si patrimus ille, qui vocitatur puer omisit per ignorantiam lorum aut tensam tenere non potuit.* Tunc nempe infelici auspiciô ludi polluti existimabantur. Vide Desid. Heraldum, *ad h. l.* ubi *Tensam* ὄχον Dioni dici, *l.* 44. & ex ebore ac argento fuisse, ex *Festo*, observat. Sed & *Tensam Jovis deducere*, inter Imperatoris fuisse partes, at in Republica vetere Consulis, vel Prætoris, eô absente, uti apud Juvenalem, *Sat.* 10. in descriptione Circensis pompæ. De Imperatore insignis est

locus ejusdem Suetonii, *Aug.* c. 43. *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lecticâ cubans,* thensas *deduceret*. Unde, Nerone per quietem monitû *ut thensam Jovis — è Sacrario in domum Vespasiani & in Circum deduceret*, translationem Imperii ab illo ad illum denuntiatam hôc pactô esse, legimus apud eundem, *Vespas.* c. 5. Ideo verò Jovis thensam deducere solitus Princeps, quia prima illa, & quam alii sequebantur, ut & deductorem illum alii deductores. Erant hi triumphali habitu, & tenebant lora tensæ illius, quam deducebant, Asconius, *in* 2. *Verr.* capitique habebant imminentem coronam Hetruscam quæ & ipsa Jovi sacra erat. Tertullian. *de Coron. Militari*, c. 13. Id verò peculiare Heliogabalo, quòd, cùm Deo suo thensam duceret, tetro ambularet, ἀφορῶν εἰς τὸ ἔδαφος τοῦ Θεοῦ, *defixis oculis in anteriora illi*, neve fortè, non respiciens, qua vaderet, laberetur, viam aurosâ harenâ sparsam haberet, apud Herodian. *l.* 5. *c.* 6. &c.

THEO, vide *Theon.*

THEO, Chius, Cæsarianorum temporum Scriptor, memoratur Vopisco *in Aureliano*, c. 6. uti quidem legit Casaubonus, pro *Theoclius*, quod vulgati Codd. præferunt. Nisi malis *Theocles*.

Reges Austrasiæ, Navarræ, & Ostrogothorum.

THEOBALDUS, Austrasiæ Rex filius Theodeberti, cui A. C. 548. ætat. 12. successit: septennio post improlis obiit: cujus viduâ Valdradâ ductâ Clotarius, patruus ejus magnus, opulentâ hâc hæreditate potitus est. Gregor. Turonens. *l.* 3. & 4.

THEOBALDUS I. Navarræ Rex, Comes Campaniæ hujus nominis VI. filius Theobaldi V. ex Blanca Navarræa, fil. Sancti Sapientis & sorore Sancti Fortis: Posthumus, Magnus, & Psalmodus dictus, Bellum cum Gallis gessit, Ludovicô IX. adhuc minorenni, quod brevi finitum. Dein Avunculi successor, in reditu ex Oriente, Obiit Trecis, A. C. 1254. Eô genitus ex Margaretha Borbonia, filia Archembaldi VII.

THEOBALDUS II. Junior qui ductâ Isabellâ, filiâ Ludovici IX. ex Oriente redux, in Sicilia obiit A. C. 1270. Frater Henrici III. successit.

THEOBALDUS, seu THEODEBALDUS, aliis *Ildibaldus* vel *Ildowaldus*, Ostrogothorum in Italia Rex V. successit Vitigi, regnavit ann. 1. à suis interfectus, A. C. 541. Illum excepit *Araricus*, quem vide. Procopius, *l.* 3. *initiô.*

Comites Campaniæ.

THEOBALDUS I. Comes Campaniæ, celebris secul. 10. Vide *Flodoard.* ex Leutgarde, filia Herberti II. Veromandui pater Comitis Eudis I. cujus filius

THEOBALDUS II. & Eudis II. quô genitus

THEOBALDUS III. Hunc Gofofridus Martellus Comes Andegavens. captum, Turonum urbe mulctavit. Pater fuit Stephani, cujus fil.

THEOBALDUS IV. virtutibus inclytus: Obiit A. C. 1152. Hujus filius Henricus I. pater Henrici II. cujus filius fuit

THEOBALDUS V. mortuus A. C. 1201. Vide *suprà.*

Principes Lotharingiæ.

THEOBALDUS I. Lotharingiæ Dux post patrem Fridericum I. Occisus in prælio, ad Bovinas, A. C. 1214. vel vulneratus, secundum alios, Obiit A. C. 1220. Ejus frater Matthæus II. pater fuit Friderici II. à quo natus

THEOBALDUS II. in prælio Curtracensi captus est, A. C. 1302 Hic Henricum Valdemontium sæpius vicit, in obsidione Florentiæ, sub Henrico VII. Imperatore interfectus, A. C. 1312.

THEOBALDUS, Auctor vitæ S. Gulielmi, Comitis Pictaviensis & Aquitaniæ. Item Carthusianus Anglus, A. C. 1320. Scripsit *de vita Contemplativa, & progressu SS. Patrum.* Pitseus, *de Scriptor. Angl.* &c.

THEOBRICULA, Hispaniæ urbs circa Auriam. *Antonin.*

THEOCI Curia, oppid. amplum Glocestriæ, ad Sabrinam, ubi Avonam recipit. In ipso limite Comitatus Vigorniæ, 12. milliar. Anglic. à Vigornia in Meridiem, Glocestriam versus, *Tewkesburye*. Notum prælio Lancastrensi familiæ funestô, quô ita eorum res excisa, sublatô Eduardô, Henrici VI. filiô unicô, ut jam inde contra Eduardum IV. signa non extulerint, A. C. 1471.

THEOCLES, Chalcidenses ex Eubœa in Leontinorum civitatem deduxit, eamque cum Siculis obtinuit. Quos ope Megarensium ejecit, his in societatem adscitis. Paulò post à Megarensibus, armis, ad festivam pompam celebrandam utendis, acceptis, socios contra datam fidem expulit. Vide Polyænum, *l.* 5. *c.* 5.

THEOCLES, vel secundùm Casaubon. *Theo Chius*, scripsit Historiam, cujus meminit Vopiscus, *in Aureliano*, c. 6. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 4.

THEOCLIA, soror Alexandri Severi memorata Capitolino, *in Maximinis*, c. 3.

THEOCLYMENUS, vates, qui Penelopæ prædixit Ulyssis in Græciam reditum. Homer. Od. 17.

THEOCRATIA, status Reip. Israëliticæ ante Reges. Vide suprà *Judices*. Simile quiddam de Atheniensibus legimus, apud Scholiastem Aristophanis *ad Nubes, initiô, verb.* Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ: τοῖς Ἀθηναίοις πολεμουμένοις ἔχρησεν ὁ Θεὸς καταλῦσαι μὲν τὰς βασιλείας, προστάξαι δὲ Δία βασιλέα, *Oraculum Apollinis in causa fuit, cur Athenienses Reges suos exigerent, & Jovem Regem constituerent.* Nempe, cùm post mortem Codri, filii ejus de regno contenderent, arbitriô disceptationis Oraculo Delphico permissô, Pythia Medonti dedit Atheniensium regnum, qui verò non Regis, sed *Archontis* nomine, præfectus, potestatem non parùm imminutam, utpote ὑπεύθυνος, *rationi reddendæ obnoxiam*, habuit. Atque sic uti Moses pridem Θεοκρατίαν declaravit Hebræorum Rempublicam, ne sibi potestas regia deferretur, *Josephus contra Apion. l.* 2. Sic Athenienses, Θεοκρατίαν suam ab Apolline retulerunt, ut *Regis* nomen Jovi cederet, neque tam titulus, quàm potestas imminueretur, Marsham. *Can. Chron. Sec. XIII.*

THEOCRESTOS, *res Libycas* conscripsit, quarum primum librum citat Apollonii *Schol. in l.* 4.

THEOCRINES, viri proprium, qui primùm Tragœdiarum actor fuit, deinde calumniator, & Sycophanta. Unde Demosth. *pro Ctesiphonte*, Æschinem tragicum Theocrinem vocat.

THEOCRITIANUS, cui à militibus imperium cùm emendum esset, per Justinum, hic acceptâ ab Amantio Eunucho pecuniâ, illud sibi conciliavit, A. C. 520. Paul. Diacon. *l.* 15. Zonaras, *tomô* 3. *&c.*

THEOCRITUS, poëta Syracusanus suavissimus, floruit sub Ptolemæis, Lagide ac Philadelpho, qui sic ipse de se:

> Ἄλλος ὁ Χῖος, ἐγὼ δὲ Θεόκριτος ὃς τάδε γράψα,
> Εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρακοσίων,
> Υἱὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς τε Φιλίννης,
> Μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔτιν' ἐφελκυσάμην.

Jussu Hieronis tyranni, ob maledicentiam, occisus. Scripsit linguâ Doricâ quæ extant *Idyllia* 36. Quod scripti genus in Bucolicis Virgilius imitatus est. Unde *Eclog.* 6. v. 1. 2.

> *Prima Syracusiô dignata est ludere versu*
> *Nostra, nec erubuit sylvas habitare Thalia.*

Item auguris nomen apud Plut. *in Pelopida*. Alius inter historicos recensetur à Fulgentio, Mythol. *l.* 1. *Nic. Lloyd.*

THEOCRITUS, Sciô oriundus, Orator & Sophista, discipulus Metrodori. Scripsit *Epistolas* maximi æstimatas, & *Libyæ historiam*, *Suid.* Strabo, *l.* 14. Olymp. 94. An idem cum eo, cujus Fulgentius meminit, Mythol. *l.* 1? Vitam illius scripsit Ambrion, quem in Aristotelem Epigrammate quôdam acriter invectum memorat, Diog. Laërt. *l.* 5. *in Aristotele.*

THEODAMAS, pater Hylæ fuit, qui cùm Herculi cum Dejanirâ, & Hyllô filiô ad Dryopes venienti, esurientique cibum denegâsset, ille arreptum unum ex bobus Theodomantis mactavit, atque coxit. Quapropter Theodamas arma adversus Herculem movit: feruntque Herculem in eo certamine ita ab hostibus pressum, ut etiam Dejaniram uxorem armârit, quæ & in mamillâ vulnerata est. Ipse tamen victoriam obtinens Theodamantem occidit, filiumque ejus Hylam secum abduxit, quem tum deinde pro charissimo habuit, eumque etiam cum Argonautis proficiscens, abduxit: Vide *Hylas.*

THEODAS, Vide *Theudas.*

THEODATUS, seu Theodahadus, Ostro-Gothorum in Italia Rex III. filius Amalfridæ, sororis Theodorici Regis ex nobili quodam aulico. Hunc Amalsuntha, amissô Athalaricô filiô, regni compotem fecit, hâc lege, ut ipsa, dum viveret, præesset: Sed thronô potitus ille, Reginam in Insulam relegatam, ibi in balneo strangulari curavit, A. C. 534. Hanc necem ulturus Justinianus Imperator per Belisarium Dalmatiam, per Mundum Siciliam subegit: quô successu territus Theodatus, per Agapetum Papam, Constantinopolim missum, pacem petiit. Sed, dum Ebremundus, qui Theodenandam illius filiam sibi junxerat, se Belisario Neapoli potito dedidit, à Vitige, copiarum præfecto, quem Gothi Regem proclamaverunt, A. C. 537. cum filio Theodegisilo, occisus est, cùm Româ Ravennam rediret. Procop. *l.* 1. *de Bell. Goth.* Marcellin. *in Chron.* Interim eruditus fuisse dicitur & Historiæ conditor. Cassiodor. *l.* 10. *Ep.* 3. Possevin. *in Appar.*

THEODATUS, Archon. Athenis, Olymp. 98. An. 2.

THEODATUS Frithona, Anglus, A. C. 664. Honorato Cantuariensi familiaris, hujus suasu, *Historiam Episcoporum hujus Ecclesiæ* conscripsit. *Beda, Guiliel. Malmesbur. Lelandus*, eum impensè commendant.

THEDAXIUM, vulgò TIAIS, vicus agri Parisini, ad Sequanam, inter Aureliacum & Vitriacum positus, non incelebris: in Decanatu Montis Leotherici, sub Archidiacono Josacensi. Alii tamen eum ponunt in Decanatu Linatiensi, & Ecclesiam vici numerant inter Ecclesias, quas Abbas Monasterii S. Germani de Pratis donare consuevit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

THEODE, nunc *Gomera*, una ex Insul. Fortunatis, inter Nivariam ad Ortum, & Pluvialiam ad Occasum. Satis parva, cum urbe cognomine sub Hispan.

Reges Austrasiæ.

THEODEBERTUS, vel Thetbertus I. Metensium Rex successit patri Theodorico, A. C. 534. S. Niceti vel Nizetii, Episcopi Trevirensis monitis in melius mutatus, justitiæ in posterum & pietatis laudem tulit. Hic cernens Romanos cum Gothis colluctari, cum exercitu C. M. hominum, Procop. *de Bell. Goth. l.* 2. vel CCM. secundùm *Jornandem & Freculphum*, Italiam ingressus, vicit utrosque: sed commeatus inopiâ, post Genuam, aliasque Liguriæ urbes direptas, reversus, Deuteriâ repudiatâ, Wissigarden jam priùs sibi desponsatam, duxit. Dein, contra Justinianum moturus, Longobardis sibi faventibus, in venatione obiit: Liberalis, Fortis, Prudens, Clemens, Pius, &c. Pater, ex Deuteria, Theobaldi successoris. Gregor. Turonens. *Hist. l.* 3. Aimoin. &c. A. C. 548.

THEODEBERTUS II. Austrasiæ Rex, patri Childeberto successit, A. C. 596. ditionibus inter illum, & fratrem Theodoricum, divisis. Brunechildem aviam, ob mores, aulâ pepulit, quæ fratre contra illum suscitatô, frustra fuit: postmodum eundem contra Clotharium II. agnatum incitavit, majori successu, cùm à fratre adjuvaretur. Tandem, fratribus iterum inter se collisis, Theodebertus, à suis

à suis Coloniæ occisus est, A. C. 612. Bilichildis ancillæ primò maritus, illâ A. C. 610. occisâ, Teudechilden duxit: pater Merovei & Clothari, quos Brunehildis occidi curavit, & Berthoaræ, quæ Adalvado, filio Agilulphi Longob. desponsata est, nuptura patruo Theodorico, ni eadem Brunehildis obstitisset. Fredegar. *in Chron. c.* 35. *& seqq.* Aimoin. *Histor. l.* 3. *Paulus Æmylius* &c.

THEODEBERTUS, fil. Chilperici I. a Patre, contra Sigebertum Austrasiæ Regem, fratrem suum missus, Turones & Pictones acerrimè infestavit, Gondevaldô, duce Sigeberti, in acie occisô. Sed, variante vices fortunâ, sequenti prælió à suis desertus, & à Bosone occisus est. A. C. 575. Gregor. Turonens. *l.* 4. *c.* 40. Aimoin. *Hist. l.* 3.

THEODECTES, orator, Cilix genere, Olymp. 103. discipulus Platonis, Isocratis & Aristotelis, qui ei suos de Rhethorica libros dedicavit: ab Artemisia, ut Mausolum pro Funere laudaret, adhibitus est: Conversus deinde ad Tragœdias, scripsit *fabulas L.* Decessit Athenis annos natus 41. Scripsit & *versibus artem Rhetoricam*, laudavit & *virum Artemisiæ*, ut dictum, unà cum claris eô tempore oratoribus. Alius orator, prioris fil. qui scripsit *encomium Alexandri* regis Epirotarum, *commentarios historia*, *artem Rhetoricam libris* 6. aliaque quamplurima. *Suidas*, Voss. *de Poet. & Hist. Græc.* quòd S. Scripturam in scenam transferre vellet, divinitus punitus, sanatusque. *Joseph.*

THEODELINDA, Longobardorum Regina, vidua Autharis, A. C. 592. summâ rerum retentâ, Agilulpho nupsit, eumque cum tota gente ab Arianismo convertit: posteà tamen Schismati Episcoporum Istriæ, ob tria capitula, involuta est, sed Gregorii M. monitis, ad se rediit. Mortuô secundô quoque maritô, iterum clavum Regni moderata est, per ann. 10. ab A.C. 616. usque ad A.C. 626. cum filio Adeluvaldo: qui ambo ab Arioaldo pulsi sunt. Paul. Diac. *Hist. Longob. l.* 4. Gregor. *in Epist.*

THEODEMERENSIS Pagus, pars exigua pagi Carnutini, vulgò *Thimerais*, à castro cognomine vulgò *Thimer* nomen habet. Hoc, à Guazone quodam, ante annos circiter 600. conditum, & Theodemeris cujusdam nomine appellatum, obsessum est, circa A.C. 1059. ab Henrico Galliæ Rege, Pagi caput nunc Castrum Novum est, *Chasteau Neuf en Timerais*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

THEODEMIRUS, Suevorum vel Galiciæ in Hispania Rex, post Remismundum, vel Theodomundum, A. C. 558. Arianus, Ariamirô vel Mirone fil. à S. Martino sanatô, hæresin ejuravit, obiit A. C. 570. Gregorius Turon. *de Mirac. S. Mart. l.* 4 *c.* 7. *Mariana*, &c.

ad S. THEODORICUM, locus est Galliæ, in pago Remensi à Monaster. *S. Theodorici* vetustissimo dictus, vulgò *S. Thierri*. Huic Theodorico Abbati Gaugiacum in pago Remensi *Gueux*. ac Germiniacum contulit Theodoricus, Chlodovæi filiorum maximus, cujus etiam exsequias celebravit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

THEODISCUS, Visigothorum in Hispania Rex XIV Theudæ successor: Eum Agilas mox excepit, A. C. 1548. Isidor. *in Chron.*

THEODOMIRUS, Monachorum præfectus, cùm Claudium Taurinensem Episcopum in imagines acriter pugnare videret, illum reprehendit: sed Apologeticô insigni causam Episcopus tuitus est, circa A. C. 810.

THEODONIS Villa, à Thedone, homine Franco, conditore suo, dicta, villa olim regia, seu fiscalis fuit, nunc urbs permunita Belgii, ad Mosellam, 9. leuc. à Treviris in Meridiem Metas seu Di vodurum versus. Sub Gallis ab A. C. 1643. *Diedenhoven* German. *Thionville* Gallis. In Ducatu est Lucilburgensi, Præpositurɶ ac dominii titulô clara. Secessus olim Caroli M. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Imperatrices Romanæ.

THEODORA, uxor Justiniani Imperatoris Augusta pronuntiata est, eôdem tempore, quô maritus à Justino Seniore coronam accepit. Ob Anthimum Patriarcham Agapeto Papæ infensa; plurimum apud Imperatorem valuit, ejus autoritate ad varia abusa. In negotio trium Capitulorum, Eutychianis impensè favit, Vigilium quoque contra Sylverium Papam tuita; obiit A. C. 548. Vide Procop. *de Bell. Goth. & Pers. in Anecdot.* Euagr. *Histor. l.* 4. Baronium, *in Annal.*

THEODORA, Theophili Balbi Imperatoris, uxor, avara ac quæstus studiosa. Hujus cùm appellentem ad portum navem mercibus plenam, quibus illa compendium facere cogitabat, deprehendisset maritus, incendi jussit, his verbis conjuge compellatâ, *Non te pudet Theodora, nos, quos Deus Christiani Orbis Principes fecit, caupones & portitores efficere.* Hæc cùm sponte in imagines inclinaret, post obitum mariti, excitata insuper à Manuele, filii tutore, imagines restituit, Johanne Patriarchâ depositô: A filio postmodum Michaële III. impulsu Bardæ, qui frater Theodoræ fuit, cum filiabus, in monasterium detrusa, & tonsa. Vide Sigon. *l.* 5. Zonar. *tom.* 3. Cedren. *in Hist.* Manichæos Paulicianos magnô numerô, per immissos tortores, sustulit. &c.

THEODORA, filia Eutropiæ, uxoris Maximiani Herculis, nupsit Constantio Chloro, Imperatori patri Constantini M. Item, filia Constantini Junioris soror Zoës. E monasterio, in thronum evecta, successit Constantino Monomacho Zoës marito, A. C. 1054. Obiit, A. C. 1056. Michaële VI. Imperatore creatô. Curopal. *in Annal.*

THEODORA, illustris fœmina Romana, Molis Adriani & Papatus arbitra, ope Tusciæ Marchionum, A. C. 908. Johannem X. Adulterum suum, post Landonem, Papam esse jussit: Maroziæ mater, quæ non minus impudica, Romanæ sedi diu insultavit. Luitprand. *l.* 2. Leo Ostiens. *in Chron. l.* 2.

THEODORA, virgo Antiochena sub Diocletiano, quæ cùm ob Christianam fidem in carcere detineretur, militis cujusdam ad eam stuprandam missi libidinem & furorem adeò verbis emollivit, ut non solùm à flagitio hominem deterruerit, verùm etiam mutatis vestimentis cum eo exitum è carcere, quo per Diocletianum fuerat inclusa, & impunitatem meruerit.

THEODORETUS, Episcopus Cyri, in Syriâ, floruit seculô 5. eruditione & judiciô inter primos. Patriâ Antiochenus, genere nobilis, discipulus Chrysostomi fuit; domi parcus, urbem magnificè exornavit, à Pulcheria quoque impetravit, ne tributa in diœcesi sua intenderentur: quæ cùm 800. contineret parœcias, quarum plurimæ hæresibus variis infectæ, omnes magnâ industriâ & felicitate purgavit. Ob eloquentiam, doctrinam & pietatem Antiochiæ Præsulibus tantopere gratus, ut illum diu secum retinerent, concionibus frequentibus ibi defunctum. Cum Johanne dein Patriarch. Primate suo, qui nimis præcipitem ratus est Nestorii condemnationem, à Concil. Ephesino factam, collisus: Scripsit quoque contra 12. anathemata, à S. Cyrillo, in Synodo Alexandrina, vulgata contra Nestorium: sed utrique postmodum reconciliatus, tandem Nestorii, cujus personam aliquandiu defenderat, hæresin impugnavit, ut in Pseudo-Synodô Ephesina ab illis Episcopatu sit motus, sed à Concilio Chalcedonensi magna cum gloria restitutus est: Obiit fortè A.C. 451. quidam tamen A. C. 460. nonnulli quoque A. C. 470. habent. Opera ejus à Sirmondo ultimò edita, A.C. 1642. quatuor Voluminib. constant: quorum duo priora varios in S. Scripturam Commentarios complectuntur: Tertium Expositionem Epistolarum S. Pauli, libros 5. Historiæ Eccles. ab Ario, usque ad Theodosium Junior. quibus additos fuisse quinque alios, usque ad Leonis Imperium Gennadius refert: Epistolas porrò 147. continet. Quartum, comprehendit 1. Eranistem, seu Polymorphum, tribus dialogis, libros 5. de fabulis hæreticorum, 3. Orationes 10. de Providentia 14. Discursus 12. contra Gentiles. In opere, cui titulus, *Medela passionum Græcarum*, tota veterum Philosophia & Theologia latet. Gennadius quoque libri ejus, contra Eutychem & Dioscorum, meminit; cujus argumenta recenset Photius, *Cod.* 31. 46. 56. 204. 205. *&* 273. Involutus fuerat insignis hic Præsul negotio trium Capitulorum, cum Theodoro Mopsvestio & Iba Edesseno, damnataque ejus censura anathematum Cyrilli. Concilio II. Constantinopolit. A. C. 553. sed, ut dictum, Nestorium publicè postmodum verbis & scriptis impugnavit, à Concil. Chalcedonensi in Communionem receptus. Fuit *Ingeniô excellentissimô, & ad omnis generis disciplinas percipiendas capacissimô*, Catal. Test. Ver. *Vir sui seculi eruditissimus*, Dallæo, *Sanctissimus, & S. literarum intelligentiâ præcellentissimus Theologus*, Brusio: *Sectator Magni Joh. Chrysostomi, cujus imitatione fluidus admodum & in elocutione facilis, & Atticam gravitatem redolens*, ex Vita. Hinc & Caussino *Cl. Alexandrinus, Cyrillus & Theodoretus inter eloquentes summè docti, inter doctos summè eloquentes.* Vide & Leon. in *Epist.* Gennad. *in Cat.* Sigebert. *c.* 9. Nicephorum Calistum, Vossium, *l.* 2. *de Hist. Græc. c.* 20. *p.* 261. Rivetum, *l.* 4. *Critici sacri*, *c.* 21. Possevinum, *in Apparat.* &c. *Nic. Lloyd.*

THEODORETUS, Præceptor Tiberii Imperatoris. Scripsit *Historiam.*

THEODORIAS, urbs Phrygiæ, quæ & *Laodicea.*

de S. THEODORICO Hugo, vide *Hugo.*

Galliæ & Austrasiæ Reges.

THEODORICUS, I. fil. Clodovæi II. frater Clotarii III. & Childerici II. Gallorum Rex, qui ignaviæ deditus, adeundi salutandique sui copiam nulli, nisi Calend. Maji faciebat, & per Ebroinum regnum administrabat. Hanc ignaviam regni proceres indignè ferentes, Theodoricum & Ebroinum monasteriis incluserunt, advocatô in regem Childericô, A. C. 673. Sed ambo, post hujus mortem, inde liberati sunt; & Ebroinus quidem, dignitate Majordomatus potitus denuò, non paucos Procerum ultioni suæ sacrificavit: Theodoricus autem, regni umbram tenuit, usque ad A. C. 690. per ann. 14. vel 24. Ex Clothilde, pater Clodovei III. & Childeberti Justi, qui familiam propagavit. Vide *Gregor. Turonens. Aimoinum*, &c.

THEODORICUS II. fil. Dagoberti II. molliter in monasterio quodam educatus, indeque throno impositus est, à Carolo Martello, qui sub Regis nomine res felicissimè gessit. Obiit A.C. 737. ætat. 25. regni 17.

THEODORICUS I. Austrasiæ Rex primogenitus Clodovæi M. Hermenfridum Thuringiæ Regem cui opem tulerat, ingratum, in aulam pellexit, illumque de muro præcipitem dari jussit: Childebertum, dum ille bellô detineretur, Arverniam invadentem, redux pepulit, Obiit A. C. 534. Successit fil. Theodebertus. *Gregor. Turonens. Aimoinus* &c.

THEODORICUS II. Austrasiæ & Burgundiæ Rex fil. Childeberti, frater Theodeberti: ab avia Brunehilde contra fratrem concitatus, eum vicit. Contra Clotarium denuo moturus, obiit Metis A. C. 613. Filius ejus à Brunhilde saxo illisis Clotarius II. insignem hanc hæreditatem adiit. *Iidem.* Vide *Brunehildis & Clotarius.*

Reges Gothorum.

THEODORICUS, Ostro-Gothorum in Italia Rex I. fil. Valemeri, Daciæ & Mysiæ ex parte Regis, è pellice Erlieva, vel Eusebia. *Amalus* quibusdam dictus, quia à prisco quodam Rege hujus nominis oriundus esset. In juventute, per decennium, obses fuit, in aula Leonis Thracis, inde in patriam redux, post patris, & patruorum Theodemiri & Widemiri obitum, Rex coronatus est. Paulò post Zenoni Imperatori à Basilisco pulso, opem tulit, hinc triumphi honore, statuâ equestri in urbe, & Consulatu, A. C. 484. ornatus, adoptatusque insuper, partem inferioris Mœsiæ, cum urbe *Novi*, in qua communiter versabatur, accepit, veniam quoque in Italiam, contra Odoacrum movendi, in cujus locum, Rex Italiæ, ab Imperatore creatus erat, nactus. Hic enim cùm Herulorum Re-

gem Felethum vel Phœbam vicisset, filius hujus Fridericus apud Theodoricum perfugium habuit, qui, lætus occasione, in Italiam profectus, Odoacrum tribus præliis, primò ad Sontium flumen, mox ad Veronam, unde *Veronensis* dictus, tertiò ad Abduam, victum Ravennæ, per biennium obsedit, illi tandem, A. C. 493. pace concessâ, & imperiô divisô: mox rerum novarum accusatum è medio sustulit. Sic Italiæ totius dominus Anafledam, vel Audofledam, Clodovei Galliæ Regis quem tamen paulò post per Hiddam vicit, sororem duxit; Sororum suarum unâ Alarico, Wisigothorum Regi, alterâ Sigismundo, filio Gundebaldi Burgund. Regis, filiâ verò Amalesvinthâ, Eutharico Regi Gothorum in Hispania, elocatâ. Pace dein cum Anastasio Imperatore cui iratus, quòd Bulgaros in Pannoniam immisisset, iis devictis, Sirmiôque occupatô Panoniam rapuerat, & Vandalis in Africâ initâ, regno suo exornando incubuit, Cassiodori ad id, qui ipsi à secretis fuit, operâ usus. Orthodoxis, licet ipse Arianus, libertatem dedit, Diacono etiam suô, qui in Regis gratiam Arianismum amplexus erat, occisô: dicens, *Non servaturum sibi fidem, qui Deo non servasset*. Interim quia Arianâ hæresi commaculatus (hâc enim à Valente Imperatore Gothi imbuti erant) Joannem Episcopum, Agapetum, & Petrum Consul. Theodorum & Importunum legatione ad Justinum misit, ut expulsos Episcopos revocaret, aliàs se Italiam devastaturum minatus; cui à Justino Episcoporum restitutio fuit negata: Proin à Joanne & Romanis Senatoribus coronari Imperator voluit. Post Papam Anastasium, lite obortâ, A. C. 1408. Symmachum successorem ejus renuntiavit: dein contra Bulgaros, & Gallos, quorum hi Arelatum obsidebant, felix, magnâ apud omnes nominis famâ fuit: Romam magnificè ornavit, muris reparatis: insigniter prudens, quod inprimis ex Johannis I. legatione colligere est. Leges 150. novas veteribus addidit, asylorum licentiam coërcuit, aliaque plurima egregiè sanxit: à Cassiodoro *in Epist. & Chron.* nec non Ennodio, Diacono Roman. panegyricô, laudatus. Tandem, postquam Johannis Papæ mortem jussisset, Symmachum & Boëtium viros totius Italiæ clarissimos, conjurationis cum Justino Imperatore suspectos, securi percussit: inde trimestri elapsô, cùm eximii piscis caput mensæ inferretur, quasi Symmachi capite visô, territus, in morbum incidit, sibi lethalem. Obiit A. C. 526. regni 37. Jornand. *de reb. Goth.* Procop. *l. 1. de Bell. Goth.* Sigonius, *de regno Ital. &c.* Ei successit ex filia Amalesventa Athalaricus nepos. Vide *Amalasunta*, it. *Athalaricus*. Memorabilis fuit statua *Theodorici* affabrè facta, quam Neapoli erexerat, Fati Gothici prænuntiam: In qua, paulo ante Theodorici mortem, compago lapillorum caput constituentium soluta: ante Athalarici mortem venter dissiliit: Amalesvinthâ occumbente virilia collapsa sunt: tandem Gotthis urbem obsidentibus, femora, pedes ac reliquum ejus omne concidit. Graserus, *in Hist. exot.* Addo, quòd Rex hic Gladiatorum usum universum, postquam tam diu inter Romanos viguisset, penitus sustulit. *Quid enim immanius, quam vitam dare hominibus, ut eam ipsi mutuis cædibus à sese auferant?* Jul. Cæsar. Scaliger, *Poetices l. 1. c. 35.* Ejusdem non vulgaris apud Scriptores laus, quòd, dum epularetur, *Organa hydraulica non sonarent*, Sidon. Apollinaris, *l. 1. Ep. 2.* damnatô sic Romanorum luxu, de quo nos suprà &c. Vide quoque retrò *Dietericus*, item *Dietherus*.

THEODORICUS I. Wisigothorum Rex in Hispania VI. *Theoderedus* Scaligero, aliis, Valliæ successit, A. C. 419. vel 29. Ab Arelati obsidione, virtute Aëtii repulsus, paulò pòst Litorium, Ducem Romanum, Ethnicum, cepit duxitque Tholosam. Dein Merovæo Gallorum Regi, Aëtio, Theodorico & Gundicatio Burgundionum Regi junctus, Attilam in campis Catalaunicis, vel, ut *Morerio* visum, Secalaunicis vicit, re ibi fortissimè gestâ, occisus in prælio A. C. 451. regni 23. an 33.? Idacius, & Isidorus *in Chron.* Paul. *Diac. l. 15.* Jornandes *de rebus Goth.* Greg. Turonens. *l. 2. &c.* Vide quoque *Theoredus*.

THEODORICUS II. fil. prioris, fratrem Thorismundum vitâ & regnô exuit, A. C. 453. Per Romanorum dissidia mirè ampliatis Imperii finibus, Narbonâ potitus est, tradente illam Comite Agrippinô, A. C. 462. Hispaniam ingressus, cum ingenti exercitu, Rechiarium vel Rectiarium, Suevorum Regem, Affinem suum, præliô prope Asturiam vicit, & ad se perductum, necari jussit. Ipse tandem insidiis fratris sui Euarici occisus, A. C. 466. Isidor. *in Chron.* Jornandes *in reb. Goth.* Successit *Euaricus*, seu *Euricus*.

Principes varii.

THEODORICUS, cognomine *Fortunatus*, Comes Oldenburgicus, fil. Christiani, lineatum reliquarum familiæ Oldenburg. bona collegit: ex pacto etiam A. C. 1360. Comitatum Delmenhorstanum sibi adversus Bremenses asseruit, & ob uxorem Hedvigem filiam Gerhardi Holsati Ducis Slesvici, familiæ Schawenburgicæ, jus successionis in Slesvicensem Principatum & Holsatiam liberis reliquit. Pater Christiani I. Daniæ Regis, à quo hodierni Daniæ Reges & Holsatiæ Principes, ac Gerardi, qui Oldenburgicos continuavit, e quibus ultimus Antonius Guntherus haud pridem decessit: relictô Antoniô filiô, ex impari Ungnadiæ conjugio, qui Comitis Imperii, Domini in Oldenburg, nobil. Domini in Varel, Dn. in Kniphausen titulum à Cæsare nactus, Augustam Wittgesteniam uxorem meruit.

THEODORICUS, fil. Diethmari, Saxoniæ Ducis, ab Henrico Aucupe Imperatore bonis restituti, cæsus est A. C. 1009. in prælio, adversus Wernherum Marchionem, pater Dedonis II. cui à matre Juditha Mersburgica agnata ille Comitatus, præter avita *Sorbeck*, *Wethin*, *Wittenberg*, *Budsez*, ab Ottone III. collatus est. Eô geniti Fridericus Comes Palatinus Saxoniæ fevit, & *Theodoricus*, gener Eccardi Marchionis Misnensis, Marchionatu Landsbergensi & Comitatibus Eulenburgicô, ac Seuselicensi ab Henrico II. intercessione Kunigundæ Augustæ, auctus est. Hic pater fuit Dedonis Lusatiæ Marchionis, Geronis Comitis Brenæ, & Thiemonis: quô Conradus genitus Marchio Misniæ A. C. 1126. & Lusatiæ A. C. 1136. factus, pater ex filiis Henrico Wethinensium, *Theodorico* Lusatorum, Friderico Bremensium & Dedone Rochlicensium fuit, qui omnes tamen rami brevi extincti sunt. Solus Otto Dives, à repertis argentifodinis, Fribergæ conditor, Friderici I. Imperatoris adversus Henric. Leonem miles, per filium *Theodoricum* genus ulterius produxit.

THEODORICUS, Ottonis præfati filius, à fratre Alberto Superbo, qui Patrem quoque in vinculis habuerat, vexatus & ditione ejectus, improli demum successit. Obiit A. C. 1222. veneno, Medici, à Lipsiensibus, quos bellô urserat, corrupti perfidiâ. Pater ex Juditha Thuringica Henrici cognomine *Illustris*, qui Thuringiæ Landgraviatum, post Henricum gentis ultimum extinctum A. C. 1249. sibi vindicavit, cumque eo Palatinatum Saxoniæ in domum suam postliminiò reduxit. Eô genitus est *Theodoricus* cognomine *Sapiens* pater Friderici Theut, Friderici Rigorosi & Alberti, hodiernorum Saxoniæ Principum conditoris. Spenerus, *Syll. Geneal. Hist.*

THEODORICUS, Dux Lotharingiæ, fortitudine inclytus, fil. Gerhardi Ducis, qui primus Ducatum jure hæreditariò ad posteros transmisit, tam directâ lineâ, quàm laterali. Unde Simoni II. Duci absque liberis defuncto, successit A. C. 1207. Fridericus III. ejus ex fratre nepos.

THEODORICUS, è Westphalia tonsor, Sigbrittæ commendatione, à Christistiano II. Daniæ Rege Archiepiscopali dignitate ornatus suasit Regi, ut novas exactiones victui imponeret, Scholasticosque alumnos urbe ejiceret. Posteà Sueciæ regno à Christiano occupato Prorex impositus, cùm innumeris flagitiis populo se exosum redderet, à Gustavo, Dalecarlorum ope, fugatus est. Hinc à Rege suo, velut odii publici victima, in vincula compactus, inde cum scala, è qua suspensus erat, in rogum conjectus atque combustus, argumento fuit, non nixam virtute felicitatem calamitosâ innocentiâ longè miseriorem esse.

Johannes THEODORICUS, fil. Ludovici, Comitis Werthemii, è familia Leonstenia, Rupifortiæ lineæ auctor, linguis literisque in variis regionibus vacavit: In Hungaria dein, contra Turcam, præliô inter Hidvegum & Castrum Ferreum, fortissimè pugnavit, adversô corpore vulneratus. Quæ pro patre contra Herbipolenses, ob Comit. Werthemium, acta, vide apud Thuan. *l. 158.* Spinola in Palatinatum abituro, sub Archiduce 500. cataphractorum Dux, strenuè se gessit, & inter alia tractum ab Heidelberga Darmstadium usque in potestatem redegit. Obiit A. C. 1644. Pater Ferdinandi Caroli, Camerarii Ferdinandi III.

Viri Celebres.

THEODORICUS, Triarii filius, Thraciam vastavit, imperante Zenone, A. C. 482. Vide Euagr. *l. 3. c. 24. 25. 26.*

THEODORICUS de S. Albano, Monachus Moguntinus, scripsit seculô 10. *vitam S. Benedicti. Historiam Episcoporum Moguntinorum* &c. Voss. *de Hist. Lat. l. 3. Nic. Lloydius.*

THEODORICUS de Appoldia, Dominicanus Erfordiensis, seculô 14. scripsit *vitam Dominici*, &c. Quidam eum confundunt, cum *Theodorico* vel Dieterico de Thuringia, auctore *vitæ S. Elizabethæ*. Vide Voss. *ibid. l. 2. c. 62.*

THEODORICUS de Niem, Pontificibus à secretis, dein Episcopus Verdensis, in Germania. Scripsit *libris 4. historiam Schismatis seculi 14. & 15. grassantis.*

THEODORICUS Pauli, Gorichemiô Hollandus; scripsit A. C. 1450. varios tractatus Historicos. Vide Voss. *de Hist. Lat. l. 3. c. 6.* Valer. Andr. *in Biblioth. Belg.* &c.

THEODORICUS Schnepfius, Germano-Suevus, patriâ Greichgæensis, oppidô Wimpinâ oriundus, fil. Erhardi, Theologus *de Germanis minimè postremus, doctus, disertus, in concionibus fervidus, acer in reprehendendo, suavis in consolando, gravis in verbis vitaque tota, liberalis in egenos, in officio tam assiduus, ut ad centena & decem horarum millia, docendo, commentando, disputando, aliisque sui officii negotiis consumpsisse visus sit*: Melch. Adami *in vita ejus*. Scripsit varia: Obiit A. C. 1586. ætat. 64.

THEODORICUS Trivultius, Comes ex Insubria, vir magnæ virtutis & experientiæ, Obiit in conflictu Mulhemico, ad Ruram, A. C. 1605.

THODORICUS Uricus, magni nominis in Concilio Constantiensi, seculô 15. *Opus de Consolatione Philosophiæ* metrico-prosaicum inscripsit Imperatori Sigismundo.

THEODORIDES, Vide *Theoredus*.

THEODOROPOLIS, Thraciæ urbs in Mœsia regione à Justiniano rege condita. *Procopius.* Vide Zonar. *l. 3.*

Pontifices Romani.

THEODORUS I. Hierosolymitanus, post Johannem IV. Papa, A. C. 641. Monothelitis acriter se opposuit, missis in Orientem, ubi virus jam latè serpserat, legatis, Typô damnatô, & ad fidem perducto Pyrrhô, Patriarchâ Constantinopolitano, qui tamen Româ, ubi confessionem suam Theodoro obtulerat, discedens, Ravennæ denuo ejuratum errorem docuit, excommunicatus, cum Paulo Patriarchâ. Obiit A. C. 649. Anastas. *in vit. Pontif.* Victor Carthag. & Sergius *Cyprius*, *Ep. ad Theodor. ex Cassio.* Successit Martinus.

THEODORUS II. Romanus, successit Stephano VI. per dies 20. A. C. 901. Ciacconius, Genebr. Duchesnius, *de Rom. Pont.* Ei successit Johannes X.

THEODORUS, post Johannis I. mortem, A. C. 687. à militibus electus contra Petrum Archipresbyterum, à Clero creatum; unde dissidium, quod Conone substitutô utcunque sedatum est. Post cujus mortem, Theodorus cum Paschali Archidiacono de successione contendit, obtinuitque contra Sergium I. qui non, nisi post mortem Theodorici, sedem occupavit.

Patri-

Patriarchæ Constantinopol. & Alexandrini.

THEODORUS I. Patriarcha Constantinopolitanus, A. C. 666. Monothelita, è sacris Diptychis nomina Episcoporum Romanor. erasit, conciliô 6. Generali A.C.681. restitutus, post simulatam pœnitentiam, actisque Synodi corrumpendis intentus, Obiit A.C.684.

THEODORUS II. præfuit A. C. 1117.

THEODORUS III. Michaëli successit, secul. 13.

THEODORUS, Patriarcha Alexandrinus, post Eulogium, cognomine *Scribonius*, obiit A. C. 610. post biennium. Item Patriarcha Antiochenus, A. C. 751. ab Hali Saracenorum Principe, ob literas ad Constantinum Copronymum missas, in exilium pulsus. A. C. 756. Item, Patriarcha Hierosolymitanus A. C. 759. Baron. *in Annal.*

Principes, aliique Viri Celebres.

THEODORUS, fil. Johannis Basilidis II. inde *Feder-Janowitz* patriô sermone dictus, M. Moscoviæ Dux, successit Patri A. C. 1584. Vallum ingentis longitudinis inter Tartariam Precopensem & Russiam, quod desectis arborum truncis superingestâ terrâ constat, ad prohibendos Tartarorum quotidianos incursus, struxit: cetera ingeniô socors socium in Imperio fecit Borisium Fedrovitium. Obiit A. C. 1597. successore Borisiô seu Borislaô: sed huic mox turbata successio, & per integrum decennium tota Russia, à Pseudo-Demetriis inprimis variis, miserum in modum afflicta est; donec Michaël Fedrovitius, ex ejusdem Johannis Basilidis Ducis familia pristinam quietem reduxit, in cujus posteritate hodiernum Imperium durat. Vide hîc passim, ubi de *Michaële* modò dicto, *Moscovia*, *Pseudodemetriis* &c.

THEODORUS, Episcopus Heracleæ, in Thrâcia, sub Constantino Imperatore commentatus est in *Psalmos*, *Matthæum* & *Johannem*, ut & *Epistolas Paulinas*. Hieronym. *de Scr. Eccl.* Item Presbyter, discipulus S. Pachomi, scripsit *Epistolas* insignes, &c. Gennad. *Catal. Vir. Ill.* Item, Episcopus Ancyranus, scripsit *contra Nestorium*. Item Presbyter, Scripsit *de libris S. Dionysii*, Photius Cod. 1. Item, Monachus Alexandrinus, auctor libri *contra Themistium*, Phot. *cod.* 108. Item Colophonius, *Poëmatis* auctor. Jul. Pollux, *l.* 4. *c.* 7.

THEODORUS, Vide *Methodius I. Patriarch. Constantinopolitanus.*

THEODORUS, à Sallustio Prætorii Præfecto quæstioni subjectus, in eculeo, vultu lætô & securô Psalmum cecinit, obstupescente Sallustiô; cui juvenis, causam rogatus, se à juvene quodam, sudores sibi abstergente & subinde frigidam affundente, corroboratum fuisse, respondit. Rufin. *l.* 1. *c.* 36. Imperante Julianô.

THEODORUS, Præsidiariorum Sesti præfectus, rem cum quadam muliercula in suburbio habuit, atque aquæductu per muros tenui penetrante lapidem unum eximens sub noctem exibat; & intrans lapidem reponebat: idque clam. Quam rem Cleoni quasi ludicrum quoddam fassus est. At ille, Abydenis hoc renuncians secretum, noctemque illunem observans, per aquæductum, cùm lapidem *Theodorus* exemisset & adulteriô occupatus esset, milites clam introduxit: qui custodibus interfectis & portis intus reseratis omnes copias admiserunt, sine labore Sestô potiti sunt.

THEODORUS, Archiepiscopus Doruvernensis, in Anglia, quò Româ missus fuerat, cùm patriâ Tharsensis esset, seculari & divinâ literaturâ & Græcè instructus & Latinè, nonnullis Auctor est, vel saltem Collector *Codicis Canonum Ecclesiæ Britannicæ*, eò quod in Concilio Herefordiensi A. C. 673. librum protulisse legitur, in *Antiqq. Britannicæ Ecclesiæ*, qui *Patrum Canones* vocabatur, atque in eo Concilio probatus est, uti colligitur ex Beda, *Hist. Eccl. l.* 4. Sed librum illum non alium fuisse, quàm *Codicem Romanæ Ecclesiæ*, ab eo Româ allatum, contendit Gerh. von Mastricht *Hist. Eccl.* §. 89. & 91.

THEODORUS, Monachus Sanctogallensis, in Helvetia, A.C. 680. Scripsit *vitam S. Magni*. Item Presbyter seu Episcopus Cantuariensis: Scripsit *Pœnitentiale*, A. C. 690.

THEODORUS, è municipio Diomeâ, ob mollem libidinem infamis & servili origine. Vide Schol. *in Aristoph. Acharn. p.* 399. G. 2.

THEODORUS, Philosophus, qui Ἄθεος cognominatus est, discipulus Anicetis, Dionysii Logici & Aristippi, dicebat nugas esse, qui de Diis sermones haberentur, nec Deos esse; quare omnes ad furta, perjuria & rapinas hortabatur. *Suidas*. Finem omnium rerum gaudium & dolorem, quorum unum è prudentia, alterum è stultitia fluat, asseruit: Prudentiam & justitiam bona; habitus his contrarios, male: voluptatem & dolorem medium quid esse statuit. Crimina, non naturâ suâ, sed hominum opinione turpia esse docuit. Ob Atheismi dogma Athenis pulsus, secundùm alios quoque, occisus est. Diogenes Laërtius tamen *l.* 2, ejus libri *de Diis* meminit, illumque magnopere laudat.

THEODORUS, Tragœdus antiquissimus, quem Laërtius in *Theodoro* Atheo laudat, inter nobiliores histriones. Hic ferre nunquam voluit, ut actor aliquis fabularum ante se prodiret in scenam, etiamsi humilis esset & nullius præ se existimationis, rationemque ejus rei attulit, quòd spectatores ita primis actionibus capi solerent, ut non facile sequuturas deinde, quanquam meliores, probare vellent. Aristot. *l.* 8. *Polit. c.* 17.

THEODORUS, & TELADEUS, fratres Samii sculptores celeberrimi, quorum alter in Samo Pythii Apollinis signum incepit, alter Ephesi eôdem tempore ex alio saxo absolvit; quibus simul compositis ita convenit, ut unum corpus ab uno artifice, & ex uno lapide sculptum videretur. De hoc Diodoro Diogenes testatur, quòd non solùm sculptor, sed etiam architectus fuerit, unusque consuluerit subjiciendos esse carbones fundamentis Ephesii templi. Nam cùm humidus esset locus, omissâ ligni naturâ, soliditatem accepit humor immobilem. Idem primus ferrum fundere docuit, statuamque ferream fecit. Pausan. *l.* 3. 8. & 10.

THEODORUS Æliota, Abbas, Imaginum cultûs acer defensor, cujus doctrinam probavit Jo. Damascenus, *Orat.* 1. *de Imag. sub fin.* & *Orat.* 3. & Synodus Nicæna II. pondus addidit. Vide Jo. Forbesium, *Instructionum Historico-Theolog. l. VII. c.* 2. *n.* 30.

THEODORUS Anagnostes, secul. 5. Lector Ecclesiæ Constantinopolitanæ Scripsit *Historiam* 2. *libris* cum titulo *Collectanea Histor. Eccles.* à morte Theodosii Junioris usque ad Justinum. Possevin. *in appar.* Voss. *de Hist. Græc. l.* 2. *c.* 22. *&c.*

THEODORUS Ascidas, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Origenis & Origenistarum fautor ac defensor Liberato, Euagrio & Nicephoro; qui, eô permovente dilatam in Synodo V. quæstionem de Origenistis, scribunt: sed aliud suadent ipsius *Theodori* verba in hac Synodo, *Collat.* V. è quibus illum Origenis damnationi consensisse patet, Joh. Forbesius ubi suprà *l. III. c.* 22. *n.* 8.

THEODORUS Balsamo, Diaconus, dein Nomophylax, & Cartophylax, tandem Patriarcha Antiochenus, eruditissimus sui seculi. Spe sedis Constantinopolitanæ, ab Isacio Angelo Imperatore lactatus, in Præsulum cœtu, translationem ex una sede in aliam Canonibus non esse contrariam obtinuit, sed Dositheô, qui Patriarcha Hierosolymitanus fuerat, ab Imperatore promotô, deceptus est. Scripsit *notas in Nomocanonem Photii*, & *syllogen Constitution. Ecclesiasticarum*, quorum ille in Biblioth. Juris Canonici Justelli, hæc cum notis Car. Annibalis Fabroti prodierunt. Sed commentarius ejus in Nomocanonem, in Biblioth. Basiliensi, longè amplior extat, quàm qui Parisiis habetur: Scripsit porrò *meditationes in privilegia Patriarcharum*, *Responsiones ad Marcum Patriarcham Alexandriæ*: ubique acris contra Latinos, qui tum Antiochiam tenebant. Obiit A. C. 1203. Nic. Choniates, *l.* 2. *Histor. Isacii Angeli.* Justellus, Fabrotus, &c. *Nic. Lloydius.* Restituerunt illi Viri docti jam pridem opusculum, quod sub *Paratitlorum* nomine, Auctoris nullâ mentione factâ, Latinè ediderat Leunclavius, cùm verus ejus titulus sit, *Συναγωγὴ τῶν κειμένων ἐν τῷ Κώδικι, καὶ τοῖς Διγέστοις, καὶ νεαραῖς διατάξεσι, περὶ Ἐπισκόπων καὶ Κληρικῶν, καὶ Μοναχῶν, καὶ πραγμάτων ἁγίων, ἔτι δὲ καὶ Ἰουδαίων καὶ αἱρετικῶν*, *Collectio expositionum in Codice & Digestis & Novellis constitutionibus de Episcopis & Clericis & Monachis & rebus sacris, atque etiam de Judæis & Hæreticis*, uti in *Bibliotheca Juris Canonic. veter.* editur. Constat id *libris* 3. Vide jam laudatos Justellum filium & Fabrottum, istum *princ. Notar. ad hanc Collect. in Bibl. cit. p.* 1377. illum *Præfat. ejusd. Bibl. sub fin.*

THEODORUS Beza, vide *Beza*.

THEODORUS Bibliander, vide *Bibliander*.

THEODORUS Byzantius, sophista, qui à Platone *Λογοδαίδαλος* vocatus est. Scripsit *contra Thrasybulum & Andocidem* & alia quædam, *Suidas*. Cæterùm de variis *Theodoris* præter Laërtium, vide Vossium & Jonsium. *Nic. Lloydius.*

THEODORUS Canterus, Ultrajectinus, Scripsit seculô præteritô *Varias lectiones*, *Notas in Arnobium, &c.* Vide *les Eloges* Anton. Teissier, *Part. I.*

THEODORUS Cæsareensis, Episcopus Justiniano Imperatori gratus. Origenista & Acephalus clam fuit, persuasitque Imperatori, ut tria capitula, vide *Theodorus Mopsvestenus*, condemnaret, A. C. 538. unde non parvæ in Ecclesia turbæ. Eutychianismum similiter fovit, tantumque apud Justinianum effecit, ut ad Incorruptibiles accederet. Baronius *in Annal.* Facundus *in defensione* 3. *Capitul.* Eustathius, *in vita Eutychii.*

THEODORUS Crithinus, Iconomachus, cùm missô ad se numismate, characterem ferente Basilii Imperatoris hujusque per Legatos acri hortatu, à sententia dimoveri se non pateretur, condemnatus est, Synodô Constantinopolitan. sub hoc Imperatore habitâ. Vide hujus *Actionem* 8.

THEODORUS Douza, Hollandus, Fil. Johannis, edidit de novo *Chronicon Georgii Logothetæ*, *Epistolas Johannis Zonaræ*, &c.

THEODORUS Forojuliensis, Episcopus post Leontium, ei Victorinus successit sub initium seculi 6. Vide Leon. *in epist.* Moterium *in Dict. Hist.*

THEODORUS Gadareus, nobilis orator (Gadara verò civitas est non longè ab Ascalone) verùm ipse dici maluit Rhodius, teste *Strab.* cujus tempore fuit. Ejus discipuli *Theodorei* dicti sunt, inter quos fuit Hermagoras, qui *de arte Rhetorica* scripsit. Tiberius quoque Imper. cùm secessisset Rhodum, eum studiosè audivit. Quintil. *l.* 3. *c.* 1.

THEODORUS Gaza, Thessalonicensis, Constantinopoli à Turcis captâ, in Italiam pervenit, à Cardinale Bessarione insigniter adjutus. Latinam linguam ad unguem perdidicit, *Aristotelis Histor. animalium vertit*, cum *Historia plantarum Theophrasti* &c. In *Græcam* verò *linguam transtulit Ciceron. de Senectute*, Idem scripsit de *Mensibus*, *de origine Turcarum* &c. Alia quoque elaboravit, quæ cùm Sixto IV. obtulisset, nec magnificè satis esset donatus, in Tiberim abjecit, addens: *sibi satius esse in Calabriæ, ubi* beneficium aliquod possidebat, *deserto habitare, quàm Romæ vivere*, ubi *quò pinguiores asini, eò pertinaciùs optimum frumentum aversentur.* Obiit A.C. 1478. Paul. Jov. *in Elog. Doct. c.* 26. Vossius, *l.* 4. *de Hist. Græc. c.* 19. *Leo Allatius* &c *Nic. Lloyd.*

THEODORUS Lascaris, Imperator Græcorum, Niceæ. Gener tyranni Alexii Angeli seu Comneni, qui cùm fratri Isacio Angelo successisset, & nepos ejus Alexius Junior à tyranno Alexio Duca Murtzulffo strangulatus, hic autem à Latinis, urbe captâ, A. C. 1204. depositus esset; Theodorus à Clero Despota pronuntiatus, cum Anna uxore, & Irene, Maria Eudoxiaque filiabus ex urbe Niceam se recepit, ibi Imperator coronatus. Tabulis aliquot naufragii collectis, regnavit usque ad A.C. 1222. Post obitum Annæ Comnenæ uxoris, Armenam sibi junxit, hâcque mox repudiatâ, Mariam Curtenæam Petri Imperatoris filiam duxit: Ei successit gener Johannes Ducas, qui obiit A. C. 1255. pater *Theodori Lascaris* Junioris cui cognomentum Ducas & Constantinus. Mortuus hic A.C.1259. relictô filiô Joh. sub tutela Patriarchæ Arsenii & Georg. Muzalonis Proto-

vestiarii. Niceph. Gregoras, *l.* 2. *&* 3. *Hist.* Georg. Logotheta *in Chron.* Spondus *in Annal.* *&c.* Idem *Lloyd.*

THEODORUS Lector, *Collectaneorum* edidit libros aliquot, Seculô VII. de quo vide Joh. Forbesium, *d. l. l. VII. c.* 8. *n.* 10.

THEODORUS Marsilius, Arnhemio Guelrus, Criticus eruditissimus, scripsit notas *in Persium, A. Gellium,* Orationem *de Nemo*, *&c.*

THEODORUS Metochites, Logotheta seculô 14. floruit, eruditione inter primos, ab Andronico Imperatore amplissimis muneribus adhibitus. Tam felicis memoriæ fuit, ut nihil unquam eorum, quæ vel legisset, vel vidisset, oblivisceretur, *Bibliotheca ἔμψυχος* proin quô elogio Longinum Eunapius ornavit, dictus: nihilominus stylus ejus non omnium puncta fert, & rotas in scriptis ejus quærentibus non raro spinæ occurrunt. Scripsit *historiam, a Jul. Cæsare, usque ad Constantinum M.* quam Joh. Meursius edidit, cum notis: Item *Paraphrasin Physica Aristotelis*, à Gentiano Herveto, publici juris factam: *Historiam* quoque *sacram libb.* 2. *Historiam Constantinopolitanam*, &c. Obiit A. C. 1332. A Nicephoro Gregora discipulo funebri oratione laudatus, vide hunc *l.* 7. 8. 9. Joh. Cantacuz. *Hist. l.* 1. *c.* 59. *& l.* 2. *c.* 1, Meurs. *in not. ad Metoch.* Voss. *de Hist. Græc. l.* 2. *c.* 29. *&c. Lloyd.*

THEODORUS Mopsvestinus, Episcopus hujus urbis, Hæreticus & Præceptor Hæresiarchæ. In monasterio educatus, incontinentissimè vixit, à Joh. Chrysostomo commonitione insigni invectivâ, cui titulus, *Theodorus lapsus*, reprehensus. Hinc paulo melior, ad Episcopatum evectus est, sed in luxum revolutus, in illo obiit. Ab hoc Nestorius hæresin suam imprimis hausit. Acta 5. Concil. *Act.* 4. Liberatus *in Breviar. c.* 4. Gregor. M. Scripserat in hujus favorem, quod opus Nestoriani, post Concil. Ephesinum, A.C. 431. non Græcè solùm, sed & Syriacè, Armeniacè & Persicè ediderunt. Laudatus à Theodoreto, qui non noverat errores in scriptis ejus latentes, à S. Cyrillo, Proclo Constantinop. & Rabullo egregiè refutatus. Quorum ultimus hic Episcopus Edessenus, Ibam successorem habuit, qui in epist. ad Marinum Persam, Rabullum reprehendit, quod de Theodoro sinistrè sensisset: idque eôdem tempore, quô Theodoretus Cyri Episcopus contra anathemata Cyrilli scripsit. Sed Ibas & Theodoretus, in melius mutati, à Concil. Chalcedonensi restituti sunt, Theodorici non nisi historicâ mentione injectâ. Dicti hi tres *tria Capitula*, quorum, ob turbas in Ecclesia, famosum adeò nomen est: nec terminatum negotium, nisi Conc. V Generali, A.C. 553. quô contra personam & scripta Theodori anathema pronuntiatum est. Vide *Evagr. Theodoret* &c.

THEODORUS Petrejus, Campensis Trans Isalanus, Carthusianus. Edidit *varias Confessiones è scriptis S. Gregorii, Cypriani, Tertulliani, Leonis, Bernardi &c. excerptas. Chronicon Carthusianum Dorlandi notis* instruxit, condidit *Bibliothecam sui Ordinis*, &c. Vide Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

THEODORUS Pharanius Episcopus in Arabia, Monothelitarum sectæ auctor: à quo illam Sergius Episcopus Arsinoës hausit, qui Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, Cyrum Episcopum Placidensem aliosque Præsules in suas partes pertraxit: damnata hæresis est Concil. VI. Oecumen. A.C. 681. Baronius *in Annal.*

THEODORUS Raitensis, Monachus, idem cum presbytero Antiocheno, cujus meminerunt Gennadius *de Vir. Ill.* & Honor. Augustod. *de Lumin. Eccl.* Scripsit *libb.* 15. *quemque* versibus mille constantem, *de Incarnatione* CHRISTI, *contra Nestorium*: quod opus periit. Seculô 5. Item Presbyter seu Abbas Raitensis, seculô 7. ad quem Maximus martyr *Epistolam* exaravit, *de Voluntatibus & Operationibus* JESU CHRISTI Idem auctor est *Commentarii de Incarnatione Filii Dei, contra errores Manis, Apollinaris, Nestorii, Eutychis* &c. Photius Cod. 38. 81. & 177. Possevinus, *in Appar. sacro &c.*

THEODORUS Samius, Toreutices inventor, memoratur Plinio, *l.* 7. *c.* 56.

THEODORUS Siceotes, urbeculâ cognomine Galatiæ oriundus, Anastasiopolis Episcopus, obiit sub Heraclio Imperatore A. C. 613. Miraculis claruisse dicitur. Ejus vitam scripsit Georgius Presbyter, discipulus.

THEODORUS Studita, Abbas monasterii, quod Consul Studius sub Leone M. Imperatore in suburbio Constantinopolitano exstruxerat; Sanctitate & eruditione inclytus. Junctus Platoni Abbati, Tarasii Patriarchæ, qui repudium Mariæ, à Constantino fil. Leonis IV. factum, ut Theodotam duceret, silentiô transmiserat, communionem deseruit: Interim, imaginum cultum contra Leonem Armenium, Michaëlem Balbum, &c. defendendo aliquid humani passus, in Chalcide exul, obiit A. C. 826. ætat. 67. Scripsit *Homilias Catech.* 134. *Epistolas*, &c. Michaël Studita vitam ejus delineavit. *Zonar. Curopal. Cedrenus*, &c.

THEODORUS Syncellus, Patriarcha Constantinopolitanus, interfuit Synodo VI. Monothelitarum fautor, de quo in voce *Theodorus I.* & plura apud Joh. Forbes. *d. l. l.* 5. *c.* 11. *num.* 3. & *c.* 12. *num.* 1. 2. & *seqq.*

THEODORUS Zuingerus, Medicus apud Basilienses excellentissimus Auctor *Theatri vitæ humanæ*. Pater Jacobi, Avus *Theodori*, Theologi præclarissimi, qui sextus Eccles. Basiliens. Antistes, à Reformatione, *Theatrum Sapientiæ cœlestis, Commentar. in Epist. ad Roman.* aliaque æternùm victura sacræ eruditionis monumenta, edidit. Obiit ante aliquot lustra: avus, ex Johanne Filio *Theodori*, Medicinæ eidem Doctoris, ac in Academia Raurica Prof. Physicæ, scriptis jam inclyti. Vide *Zuingerus*.

THEODORUS, Asiæ fluv. circa Bactros aurum secum ferens. *Aristot.* Item, palus, circa Hispaniam Bæticam. *Avienus.*

THEODOSIA, quæ *Theudosia Appiano, Polyæno, & Stephano*, *Caffa* Italis, *Cafo* vel *Cafe* Turcis, teste *Leunclavio*, urbs Tauricæ Chersonesi & regni Bosphorani præclara, ac Satrapæ Turcici sedes, inter Chersonesum urbem ad Occasum 165. & Panticapæum ad Ortum 35. mill. pass. à Byzantio 470 mari rectâ navigatione in Boream olim Genuensium colonia, à Mahomete II. Turcarum Imperatore capta. *Baudrando* ad ostia Istriani fluv. hodie *Caffa* creditur, caput Tartariæ minoris cum portu in ora Ponti Euxini 140. mill. pass. à Chersoneso in Ortum, & 70. à Panticapæo. 400. à Byzantio. *G. Sansoni* tamen nunc *Turba* dicitur, *Caffa* vero ei fuit aliàs Cavum, ubi Tauro-Scytharum portus, quod crevit ex ruinis Theodosiæ, à qua 30 mill. pass. in Occidentem distat. Item *Theodosia*, urbs Paphlagoniæ Archiepiscopalis & Metropolis, *Gangrorum* cognominata ad alterius discrimen. Vide *Gangra*.

THEODOSIANI, Hæretici corrupticolæ, *φθαρτολάτραι* à *Theodosio* Patriarcha Alexandrino dicti sunt, de quo sub loco. Vide quoque Forbes. sæpe memoratum *l.* 3. *c.* 18. *num.* 2. item ubi de *Christomachis, Eutychianis* & *Severo Hær.*

THEODOSIANUS Codex, in epitomen 16. libb. redactus, auctore Aniaro publicatus est ab Alarico Visigothorum Rege in Aquitania, A. C. 506.

THEODOSIOPOLIS, vide *Apros*, quæ sic dicta est in Theodosii Imperatoris honorem.

THEODOSIOPOLIS, *Procop. Esdron P. Gyllio*, aliis *Esdrelon*, urbs Armeniæ majoris ad Euphratem Episcopalis sub Archiepiscopo Antiocheno. Item Phrygiæ Pacatianæ; Item Ioniæ, priùs *Peperine*. Episcopalis sub Archiepiscopo Ephesino, vide ibi.

THEODOSIUS, Dux inclytus, pater Theodosii Imperatoris, Saxones & Scotos vicit. Latinus Pacatus de eo, *Saxo consumptus bellis navalibus offeretur: Redactum ad paludes suas Scotum loquar!* Quò respiciens *Sidonius*,

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus ——— ———

Vide quoque Frid. Gronov. *Observat. in Eccl. Script. c.* 1. ubi de ætate Hegesippi, qui eorundem gestorum meminit, *l.* 3. *c.* 15.

Imperatores Romani.

THEODOSIUS I. Magnus, Imperator Fil. Theodosii, Ducis inclyti, qui Valentis, quem à tyrannide Firmi liberaverat, jussu in Africa occisus est. Gente Hispanus, per omnes militiæ gradus, brevi Ducis legatus, in Mœsia, contra Sarmatas, evasit. Auditâ patris morte A. C. 374. jam sæpius contra hostes victor, prudentiæ quoque non vulgaris varia edidit specimina: in tantum, ut Gratianus Imperator quo Gothis & Alemannis acriùs obsisteretur, Theodosium collegam asciverit, quem Aur. Victor *in epit. Cæsar.* à Trajano descendisse ostendit. Purpurâ ergo Syrmii ornatus, A. C. 379. ætat. 43. mox in Thracia, Gothos ad internecionem cæcidit, ipsemet Gratiano victoriæ nuntius. Anno pòst, Thessalonicæ æger Baptismum recepit, edictisque variis contra Hæreticos evulgatis, pacem Unionemque in Ecclesia omni ope conservare annisus est. Athanaricum dein Gothorum Regem regnô suô exutum, Constantinopoli humaniter excepit, paulo pòst pace Persis petentibus concessâ. Sed, *quia magis gaudebat, quòd membrum Ecclesiæ esset, quàm quòd in terris regnaret*, Theodor. *l.* 5. *c.* 24. Concil. II. Constantinop. A. C. 381. indictô, Macedonianos & Apollinaristas condemnavit, fide Concilii Nicenæ stabilitâ. Postmodum, contra Maximum Tyrannum, qui Gratianô occisô se Imperatorem fecerat, Valentiniano in Occidente regnanti gravis, movit, precibus priùs & jejuniô præparatus, eumque binis prœliis, in Hungaria & Italia fractum, Aquilejam usque persecutus est, illi tamen dedito parsurus, nisi milites è tentorio extractum illum capite truncâssent. A.C. 388. Annô sequente Romam pervenit, triumphaturus, ibique Idololatriæ reliquias abolevit: à Latino Pacato, in Senatu Panegyricè laudatus. Sed A. C. 390. ob occisum Præsidem Boterícha, in Thessalonicenses sævus, 7000. è plebe sustulit: ob quod crimen excommunicatus ab Ambrosio Episcopo Mediolanensi, octo mensium censuram benignè tulit, absolutusque, ejusdem consiliô, capitalem sententiam in posterum, in tricesimum diem differri præcepit. Idem Antiochenis ob dejectas suas conjugisque Placillæ statuas, iratus, per Flavianum Episcopum, qui Imperatoris Musicis, ut in cœna lugubres Antiochensium cantiones decantarent, suaserat, placatus est. Tandem Arbogastum, qui occisô Valentinianô, Eugenium de vulgi fæce, ut qui Grammaticem docuerat, ad imperium evexit, acie vicit, A. C. 394. Eugeniô capite plexô, & Arbogastô ad desperationem adactô. Ita victor Mediolanum regressus, obiit A. C. 395. ætat. 60. Arcadiô & Honorio filiis, quorum illum Orientis, hunc Occidentis Imperatorem declaravit, pietate legatâ: *Hic enim*, inquiebat, *& pax conservatur, & bella conficiuntur, & hostes dantur in fugam, & trophæa excitantur, & conciliatur victoria.* Theodor. *l.* 5. *c.* 25. Princeps laudatissimus, à solo Zosimo idololatra minus commendatus. Vide Paulin. *ep.* 9. *Socr. Sozom.* &c. *Theodosii* nomen nummi præferunt varii, qui verò an Seniori, an Juniori, adscribi debeant, non usque adeò liquet. In iis tamen bini aurei, quorum alter SALVS REIPVBLICÆ, alter VOT. XXX. MVLT. XXXX. indubitatè Junioris sunt: cùm prior par Consulum referat, ipsius Theodosii & Valentiniani; posterior per vota tricennaliorum Vicennalia describat, quæ Senior non attigit, Imperii quippe annô 16. defunctus. At quia bini hi nummi Theodosii protomen cum casside, spiculo ac clypeo monstrant, probabili conjecturâ similis figuræ nummos juniori; cæteros, in quibus figurâ luscâ exprimitur Augustus, Seniori adscribit Car. du Fresne quem vide *Dissertat. de Infer. ævi Numism. n.* 70.

THEODOSIUS II. Junior, fil. Arcadii ex Eudoxia, A. C. 401. Hic cum baptizatus è templo in aulam referretur, Porphyrius Episcopus Gazensis, qui ejus nativitatem prædixerat, obtulit illi supplicem libellum, quo Idolcium quoddam Gazæ destrui petiit, impetra-

virque à patre, Eudoxiæ consiliô: quô mortuô relictus sub tutelâ Isdegerdis, Persarum Regis, ab Antiocho, quem tutor miserat, inprimis autem à Pulcheria sorore optimè educatus, tam religiosus fuit, ut non tantùm regia ejus, sed & urbs veluti in templum commutata videretur. Vide Socr. *l. 7. c. 22.* Imperium auspicatus, à severis contra Judæos hæreticosque edictis, Pulcheriam A. C. 415. Augustam pronuntiavit: Prudentiâ, pietate, Philosophiæ amore inclytus. Interrogatus, cur non morte puniret eos, à quibus offensus esset: Utinam, regessit, etiam illos è sepulchro revocare possem, qui propterea mortem subierunt: Et cœlitus pietati ejus Deus benedixit. Rhodas enim Scytharum Dux, Danubiô trajectô, Thraciam vastavit, ipsi Constantinopoli minatus, sed cum exercitu misso cælitùs igne consumptus est, ut alia omittam. Interim bonum virum potiùs, quàm Principem præstitit, omnia administrante Pulcheriâ, cujus suasu Athenaidem filiam Leontii Philosophi, quæ in baptismo Eudoxiæ nomen acceperat, uxorem duxit. Acta dein rescissurus Synodi Ephesinæ, contra Nestorium, exercitum sub Aspare, contra Gensericum missum, amisit, mox meliùs à Patribus Concilii edoctus, in Nestorii condemnatione acquievit, eumque Urbe pepulit; postmodum reconciliationi Johannis Antiocheni & Cyrilli Alexandrini intentus, tandem nova quoque edicta contra Paganos, Judæos, Samaritanos & Hæreticos publicavit. Interim nova ejus classis, sub Areobindo, Anaxillo & Germano, contra Gensericum, emissa, postquam diu inutilem circa Siciliam moram traxisset, revocata est, ut Hunnis, sub Attila, Thraciam infestantibus, opponeretur: Verùm antequam rediret, coactus Imperator, pacem à Barbaris, oblatâ magnâ auri vi, & promissis M. libris annuis redemit. De negligentia ejus, in subscribendo, à Pulcheria correcta, de nece Paulini & Pulcheriæ ex aula secessione, alibi. A Chrysaphio dein ad varia se indigna abripi passus, Eutychis partes amplexus est, & Synodum Lystricam Ephesi coactam approbavit: Sed reversâ in aulam Pulcheriâ, ab Eunucho deceptum se edoctus, novum Concilium mente volvit, at præreptus est morte, in venatione equô lapsus, A. C. 450. ætat. 49. nullis liberis relictis. Quidam tamen morbô illum obiisse, alii, ut *Theodorus Lector*, flumine mersum, referunt. Post mortem ejus, Pulcheria soror, occisô Chrysaphiô, fratris votum implevit, Conciliô Oecum. 4. Chalcedone celebratô. Successit ei Martianus, cui Pulcheria nupsit. Socrat. *Hist. l. 7.* Theodoret. *Hist. l. 5.* Niceph. *l. 14.* Evagrius, Liberatus, &c.

THEODOSIUS III. cognomine Adramyttenus, in thronum invitus evectus est, A. C. 715. ab exercitu navali, contra Saracenos emisso, post Ducem occisum: Anastasiô II. qui Monachum se fecerat, nequicquam contra nitente. Interim Leo Isaurus, Nicomediæ Imperatorem se proclamari curavit, cepitque filium Theodosii, qui transitu ipsum arcere conatus est. Constantinopolim hinc venienti, cessit sponte Theodosius, A. C. 717. seque ipsum cum filio Ephesi monasterio inclusit. Hic jussit in Epitaphio scribi, Ὑγίεια. *Theophan. Zonar. Cedr.*

Viri Clari.

THEODOSIUS, Diaconus, frater Constantis Imperatoris hujus jussu occisus est: qui proin furiis mox agitatus, in somnis subinde fratrem, calicem cruore plenum exhibentem, vidit & exhorruit. A. C. 659. Cedrenus *in Hist.*

THEODOSIUS, Patriarcha Alexandrinus, hæreticus, ope Theodoræ Imperatricis, quæ Eutychianis favebat, muneri admotus, A. C. 535. post Timotheum, eôdem tempore, quô Gajanus quoque electus est. Sed hôc pulsô, ille paulo ultra annum præfuit, urbe inter Gajanitas & Theodosianos divisâ, quorum hi Corrupticolæ, illi Incorruptibiles & Phantastici dicti sunt. Posteà Constantinopolim veniens, Imperatricem sibi faventem habuit, novosque ibidem errores disseminavit. Joh. Damascenus, *de Hæres. l. 3.* Baronius, *in Annal.*

THEODOSIUS, Pseudopatriarcha Hierosolymitanus, A. C. 451. Eutychianus Monachus cùm esset, Patres Concilii Chalcedonensis, velut Nestorianos, traduxit, tantumque per socios suos effecit, ut Juvenalis Episcopus Constantinopolim fugere coactus fuerit. Ipse domos incendendo & plurimos fideles neci dando sævus, criminum reos vinculis exsolvit, urbisque portis clausis quidvis faciendi dedit licentiam: Imo, Eudoxiam Theodosii Junioris viduam quoque aggredi, illamque seducere ausus est. Auditô postmodum, sibi Martiani jussu, quem his de rebus Euthymius monuerat, vincula parari, in montana Sionis confugit, Martianô, cum Pulcheriâ, acerbissimis conviciis proscissô. Sed hæc Hierosolymæ incolas meliora edocuit, in literis Monachum hunc infelicem, discipulum Simonis Magi & Antichristi præcursorem vocans. Euagr. *l. 2. c. 5.* Nicephorus, *l. 15. c. 9.*

THEODOSIUS, Bithynus, qui & Tripolites, teste Vossiô, quem sis vide *de Scient. Mathemat. c. 16. §. 6. & l. 33. §. 8.*

THEODOTA, uxor Constantini Junioris post Mariam repudiatam. Unde inter Tarasium Patriarcham & Abbates, Theodorum Studitam & Platonem, turbæ.

THEODOTIO, Ephesius, seculô 2. Discipulus Tatiani, dein Marcionem sectatus, tandem ad Judæos transiit, qui ipsi Vet. Test. Græcè vertendi legem imposuerunt. Quod sub Commodo Imperatore effectum dedit. Versio ejus Aquilæ exactior est translatione, interim varia & ibi vel omissa, vel addita, quod Origenes probè observavit. Baron. *ad A. C. 184.* Serarius, *in proleg. Bibl. c. 16. & 17.*

Viri Illustres.

THEODOTUS, Gallieni Dux, Æmilianum, qui apud Ægyptum Imperium sumsit, *consiliu habitô cepit, atque Imperatori vivum transmisit* — Inde contra Posthumium, quem Galli ad Imperium vocaverant, exercitum duxit, sed ab hoc victus & in urbem aliquam compulsus ac obsessus est; in qua obsidione sagittâ ictus est Gallienus, qui illum venerat liberatum, Trebell. Pollio *in Gallienis*, c. 4. ad quem vide Casauboni *Notas.* Eidem cùm in Ægypto Imperium proconsulare decernere vellet Imperator, à Sacerdotibus est prohibitus, qui dixerunt, *Fasces Consulares ingredi Alexandriam non licere*, Idem *in Æmiliano.*

THEODOTUS, Patriarcha Constantinopolitanus, dictus *Cassitera*, fil. Patricii Michaëlis, cujus sororem Constantinus Copronymus duxit. Leoni Armenio gratus, magno cum zelo Imaginum abolitionem ursit. Tenuit sedem ab A. C. 816. usque ad A. C. 831. *Cedren. Zonaras*, &c. Item, Patriarcha Antiochenus post Alexandrum, A. C. 411. ob probitatem & lenitatem morum, commendatus à Theodor. *l. 5. c. 37.* Obiit A. C. 427.

THEODOTUS, septimum locum inter Chiliarchas, præmium fortitudinis, ab Alexandro M. cùm in Satrapene subsisteret, tulit. Curt. *l. 5. c. 10.* Fortè is est, qui posteà Lysimacho militavit, ab eo arci Sardium & ibidem thesaurorum custodiæ præpositus. Eam arcem obsidens Seleucus, cùm ob firmitudinem expugnari posse diffideret, per præconem promulgavit, se centum talenta daturum esse interfectori Theodoti. Quâ re milites spe & ille diffidentiâ accensus, ne prodiit quidem in publicum. Vulgus vero molestè ferens, sibi fidem non haberi, occultam vindictam agitabat. Hoc animadvertens Theodotus, prævenit noctu portamque aperuit & introducto Seleuco thesauros tradidit. Polyæn. *l. 4. c. 9. in Seleuco comm. 4.* Ejus quoque facit mentionem in Apollodoro, *l. 6. comm. 2.*

THEODOTUS, Bactrianorum præfectus, regem se appellari, jussit. Justin. *l. 41. c. 4.*

THEODOTUS; *res Phœnicum* consignavit, sed linguâ Phœniciâ. Græcè eas sive Χαῖτος, sive Ἄιτος (variant enim codd.) transtulit, teste Tatianô, *Orat. ad Gent.* Euseb. *de Præp. Euang. l. 10.* Joseph. *l. 1. contr. Appion.* Alius ab hoc videtur *Theodotus*, cujus quartum adversus Epicurum librum citat Laert. *l. 10.* Alius item Grammaticus Etymologo in Ὀέγυμος celebratus. Alius quoque hæreticus, ex Montanistarum præcipuis, qui in aërem à Satana sublatus, in terram dein præceps datus, miserè vitam finiit, de quo Euseb. *Eccles. Hist. l. 5. c. 8.*

THEODOTUS Argentarius; Filium Dei dixit esse inferiorem Melchisedecô, quem absque patre, absque matre, Angelorum advocatum asseruit: Cùm Christus, non nisi merus homo, saltem pro hominibus officiô Mediatoriô defungatur. Ejus sectatores vocati Melchisedeciani. Tertull. *c. ult. de præscr.* Euseb. *l. 5.*

THEODOTUS Byzantinus, Coriarius; postquam persecutionis tempore CHRISTUM abnegâsset, crimen crimine cumulans, eum merum hominem, aliis tamen sanctiorem esse docuit. A Victore Episcopo Rom. cùm illuc pervenirer, pulsus. Euseb. *Hist. l. 5.* Epiphan. *Hær. 54.* Theodor. *Hær. Fab. l. 2. c. 10.* Baron. *A. C. 196. n. 9. &c.*

THEODOTUS Chius, præceptor ultimi Ptolemæi in Rhetorica: Decertantibus in Consilio regis, an profugus Pompejus esset recipiendus, solus consuluit interfici debere: quod sanè factum est. Hunc posteà Brutus jam Augusto inimicus in Asia compertum & ad se adductum interfici jussit. Plut. *in Pompejo.* Alius fuit qui tempore Herodis Attici præfuit Atheniensium scholæ. Philostr. *in Soph.*

THEODULPHUS, Episcopus Aurelianensis, floruit seculô 9. eruditione & auctoritate apud Carolum M. cujus Testamentum signavit, & Ludovicum Pium, inter primos. Nihilominus conspirationis cum Bernardo Italiæ Rege contra Pium accusatus, aliquandiu in vinculis fuit, quibus, cùm prætereunte fortè Imperatore Hymnum Eccles. à se compositum, *Gloria laus & honor*, de carceris fenestra recitaret, solutus est. Scripsit quædam, à Sirmondo edita, A. C. 1646. ubi inter alia, *Capitula ad presbyteros Parochiæ suæ.* Obiit A. C. 821. vel 822. Successit ei Jonas. Scripsit quoque de *Ordine Baptismi, ad Magnum Suess. de S. Spiritu, ad Carolum M. Carmina*, &c. Alcuinus *ep. 4. ad Carol. M.* Thegan. *de gestis Ludov.* Eginart. *in Annal. &c.*

THEODULUS, Italus, Episcopus Palæstinæ, interfuit Concilio Ephesino, Obiit A. C. 480. decrepitus. Scripsit *de Consonantia Scripturarum, de miraculis V. T. de Fabulis, à Poëtis inventis.* Gennad. *Cat. Vir. Ill.* Sigebert. *in Catal.* Lil. Girald. *Hist. Poët. &c.*

Viri Celebres.

THEOGENES, quidam fuit Acharnensis, qui, quia altum pedebat, deridebatur à Comicis.

THEOGENES Thasius, statuam æream è foro succollatam, in ædes suas, transtulerat. Deinde, cùm id ægrè ferret populus, rursum ex ædibus suis in forum deportavit, unde magnam a populo inivit gratiam & laudem sibi ingentem parasse dicitur, *Suidas.*

THEOGNETE, Laodici filia, Iasonis mater. *Apollon. Schol.*

Viri Illustres.

THEOGNIS, Episcopus Nicæensis, discipulus Luciani martyris. Sub Diocletiani persecutione, idolis adolevit, posteà Arium sectatus: proin motus sede, mox tamen restitutus est, amore nihilominus hæreseos semper mordicus retentô. Baron. *in Annal.*

THEOGNIS, Poëta Græcus, Olymp. 59. natus Megaris, non Siciliæ, ut Plato putavit, sed Atticæ, ut ex ipso Theognide non obscurè colligit *Val. Harpocration*, Crœsi temporibus fuit, sed diu supervixit, nempe ad initium belli Persici. *Theognis* alter Comicus, sed frigidus adeò, ut Χιὼν, sive *Nix* diceretur. Euseb. *in Chron.* Voss. *de Poet. Græc. c. 4. & 6.* Scalig. Vide Aristoph. *Acharn. & Schol.* Lil. Girald. &c. Ætatem ejus indicat, quòd cum Euripide à Nicomacho sit victus, *Theognis* (alius ut arbitratur Vossius, tam à Tragico, quàm ab eo, cujus Γνώμας habemus) volumen composuit de sacrificiis Rhodiis, cujus ex operis 2. libro testimonium petit Athenæus, *l. 8.* *Theognis* dux quidam Atheniensium, cujus meminit Polyænus, *Stratagem. l. 5. c. 28. p. 397.* Unus item è sectatoribus Arii. Socr. *Hist. Eccles. l. 3. c. 8.*

THEOGNIS, vide *Theogenes*.

THEOGONIA, Græcè Θεογονία, nobile Hesiodi Poëma, quô Deorum Gentilium ortum & genitores prosequutus est. Lutatius ad Papinium, *Theb. l. 4. v. 482. Quidam volunt, non filium Jovis Mercurium, sed Pyrrhæ, in qua opinione & Hesiodus versatur, in his libris, quos de* Theogonia *scripsit*. An autem hæc eadem, cum illa, quæ hodie Hesiodi nomine inscribitur, dubitat Barthius, imò disertè negat, ut quæ ab initio ipsamet prodat, Hesiodi ante se scriptam esse, *v. 22*.

Αἵ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδὴν,

nec dictione Hesiodeâ exarata sit. Vide eum *Animadversion. ad Statium, d. l.* Sed & Θεογονίαν Pherecydes contexuit, quem titulum cùm quis pertendere posset, omnium librorum ejus fuisse, quibus fabularem historiam complexus est (Nam & Apollodori liber, de eadem re *Βιβλιοθήκη ἢ περὶ θεῶν* inscribebatur, à nobiliori scil. parte, & quòd à *Deorum generatione* primaque illorum origine auspicium operis sumpserat) peculiare tamen opus extitisse censet Salmasius, partemque Epici Cycli, qui à prima conjunctione Cœli & Terræ, unde Deorum turba nata est, usque ad Ulyssis reditum, totam Græcorum Mythologiam comprehenderat. Vide illum *Exercit. Plin. ad Solin. p. 647.* & *648.* ad *Theogoniam* autem *Hesiodo* tributam, insignem *Comment.* Lamberti Barlæi.

THEOLOGIA veterum Romanorum Græcorumque, ut & cæterorum Gentilium, triplex fuit, *Fabularis, Naturalis* & *Civilis*. Quarum prima hauritur ex Poëtarum figmentis: altera ex Naturæ mysteriis: tertia ex Legislatorum decretis. Præivit ad hanc divisionem primus Q. Mutius Scævola; non ille, quem *Augurem* Tullius vocare solet: Sed Publii filius, quem *Pontificem* appellat, cùm alibi, tum *de Nat. Deor. l. 3. Temperantiæ prudentiaque specimen, ante simulachrum Vestæ Pontifex Max. est Q. Scævola trucidatus*: quod factum à Marianis An. Urb. Cond. 671. Cicerone annum tum agente 25. Summo huic viro illam *Theologiæ* divisionem tripartitam deberi ex B. discimus Augustino, *de Civ. Dei, l. 4. c. 37. Relatum est in literas, doctissimum Pontificem Scævolam disputâsse, tria genera tradita Deorum, unum à Poëtis, alterum à Philosophis, tertium à Principibus civitatis. Primum genus nugatorium dicit esse, quòd multa de Diis fingantur indigna: secundum non congruere civitatibus, quod habeat aliqua supervacua; aliqua etiam, quæ obsit populis nôsse: Hæc, non esse Deos, Herculem, Æsculapium, Castorem, Pollucem. Proditur enim à doctis, quòd homines fuerint, & humanâ conditione defecerint.* Subjungit mox, *Hæc Pontifex nôsse populos non vult, nam falsa esse putat. Expedire igitur existimat, falli in religione civitates: quod dicere etiam in libris Rerum divin. ipse Varro non dubitat.* Addit dein de Poëtica Theologia: *Poëticum sanè Deorum genus cur Scævola respuat, eisdem literis non tacetur: quia sic videl. Deos deformant, ut nec bonis hominibus comparentur.* Quod Scævolæ judicium sequutus est Terentius Varro, apud eundem Augustinum, *l. 6. c. 4.* quem locum videre operæ pretium est. In hac itaque *Theologia* triplici, nihil *Fabulari* illâ seu *Mythicâ* Poëtarum fuerit insulsius, nisi ad allegorias recurratur. *In ea,* namque ut Varro *loc. cit. multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta sunt. In hac enim est, ut Deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus. In hac, ut Dii furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini* &c. Atque ideo Dionysius Halicarnassensis *Antiqq. Rom. l. 2.* in eo Romuli commendat prudentiam, quod neutiquam admiserit Græcorum de Diis fabulas. Quæ licèt vel occultent naturæ arcana, vel ad solatium superstitum, aut aliud emolumentum fuerint confictæ, vulgus tamen, ut *ibidem* Dionysius censet, non penetrat hæc arcana; imò nec inquirit quidem; ut planè ea notitia sit damnosa: quia vel inde colligunt, non esse Numen, vel si ne Dii fœdis abstineant facinoribus, sibi quoque licere in istis Deorum imitari exemplum. Vide quæ pluribus hac de re dixit Voss. *de Re Poëtica, l. 1.* Multis verò partibus *Poëticæ* huic *Theologiæ* præferenda est *Civilis*. Et tamen nec illa probare se potuit vel Mucio Scævolæ, qui multa ei falsa inesse ait; vel Varroni, Romanorum doctissimo. Quid enim tantus vir senserit, indiciô sint, quæ ex eodem illius *Rerum Divin. opere* adducit Augustin. *de Civ. Dei l. 4. c. 31. Non ego illa judiciô meô sequor, quæ civitas Romana instituit. Nam si eam civitatem novam constituerem, ex Naturæ potius formula Deos, nominaque Deorum essem dedicaturus: sed quoniam in vetere populo est accepta, ab antiquis nominum & cognominum historiam tenere, ut tradita est, debeo, & ad eum finem illa scribere ac perscrutari, ut potiùs eos magis colere, quàm despicere, vulgus velit.* Quæ abunde ostendunt, Varroni non usquequaque placuisse Religionem Populi Romani, & si ipse locô fuisset Romuli, aut Numæ Pompilii, vel eorum, qui posteà consecuti, longè aliâ opinione de Diis imbuturum fuisse gentem Romanam. Placuit autem Varroni inprimis *Theologia Naturalis*, *de qua*, ut ejus verba habent, *multos libros Philosophi reliquerunt. In quibus est, Dii qui sint, ubi sint, quod genus, quale, ex quonam tempore, an sempiternò fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus; an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut Epicurus. Sic alia, quæ faciliùs intra parietes in Schola, quàm extra in Foro, ferre possint aures.* Et hanc in erudito suo *de orig. & progress. Idolol. opere* exponit Clar. Vossius: sed sic, ut suis misceat locis, quæ ad *Civilem* vel *Fabularem* meliùs intelligendam pertineant. Obtinebat autem *Theologia* prima, quæ Poëtarum erat, in Theatris: Secunda, quæ Philosophorum, in Scholis: Tertia, quæ in urbibus Civium, maximè Sacerdotum, in Templis. Unde iterum Varro, *Primam ad Theatrum; Secundam ad Mundum; tertiam ad urbem maximè accommodatam esse*, ait. Vide Voss. modò dictum, *l. 2. Operis cit. c. 1.*

THEOLOGIUM, Græcè Θεολογεῖον, sublimis dicebatur in Theatro locus, sive machina extraordinaria, si quando Numen introducebatur. Qualis in *Ajace* Sophoclis, & in *Hippolyto* Euripidis. Jul. Cæs. Scaliger, *Poëtices l. 1. c. 1.* Ei proxima alia machina versatilis, unde nomen Στροφεῖον, cujus operâ Heroës in Deos transformabantur, ut in Hercule Oeteo. *Ibid.* Vide Jo. Frid. Gron. *ad Senec. in eo, Actu 5. v. 1940.*

THEOLOGUS, Græcè Θεολόγος, cognomen D. Joannis Euangelistæ & Apostoli, quod inscriptio Apocalypseos à Veteribus addita præfert, Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, *Is enim, tanquam aquila, in verbi increati generationem sua lumina direxit, ac inde suam est exorsus Euangelicam narrationem*, Dominic. Macer *Hierolex.* Unde antonomasticè sub *Theologi* nomine semper hic Euangelista à Græcis intelligitur. Aliquando *Theologus Senior* dicitur, ad differentiam *Theologi Junioris*, Gregorii Nazianzeni, qui *Theologi* nomen inter Patres similiter præcipuô quôdam honore adeptus est, Tob. Pfannerus, *System. Theol. Gentil. pur. c. 7. §. 5.* Vide & Clar. Suicerum *Thes. Eccles.* in hac voce. Hodie, quinam voce hâc designentur, notum. In Ecclesia Romana, *Theologus*, in singulis Ecclesiis Cathedralibus, *qui Sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur*, institutus legitur *Statuto* Concilii Lateran. sub Innocentio III. c. 11. &c. *Θεῶν παῖδας καὶ πατέρας τὴν περὶ αὐτῶν ἀλήθειαν* Platonicis olim *Theologos* appellari consuevisse, diximus suprà, voce *Pater Synedrii*.

THEOMANTIS, Vates admodum pauper, de quo Aristoph. *Equ.*

THEOMNESTUS, *Artis Veterinariæ* scriptor Græcus. Alius Athenis clarus administratione Reip. & Niciæ æmulus. Strabo, *l. 14.*

THEON, Alexandrinus, Philosophus & Mathematicus celebris, floruit seculô 4. sub Theodosio Magno. *Commentatus est in Ptolemæum*, &c. Pater Hypatiæ, quâ magistrâ Philosophiam se didicisse, Synesius fatetur. Socrat. *Hist. l. 7. c. 15.* Voss. *de Scient. Mathemat. c. 16. §. 9. & c. 33. §. 17. 22.*

THEON Claudius, vide *Claudius*.

THEON, pictor Samius, Quintilian. *l. 12. c. 10.* Alter Mathematicus, qui scripsit *de spiritibus*, ad Ptolemæum Astrologum. Alius Medicus Alexandrinus, sub Nerone. Scripsit *de exercitationibus*. Vide Galen. *l. 2. & 3. de tuenda San.* Castellan. *in vita illustr. Medic.* Alius, qui Apollodori Ephilli *Φυσιολογικὴν εἰσαγωγὴν* commentariô illustravit, patriâ Alexandrinus, Stoicus sub Augusto. Suidas in Θέων. Cæterùm de hoc, uti de Theone Smyrnæo, vide Blancan. *in Chron. Math.* & Vossium *de Scient. Math. c. 14. §. 6. c. 33. §. 13. c. 62. §. 14.* Vide sis quoque Suidam, apud quem plures Theones invenies.

THEONAS, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, post Maximum, A. C. 285. *Euseb.* pius admodum; Ei A. C. 300. successit Petrus. Alius Monachus Ægyptius, Græcis & Latinis literis eruditus, A. C. 30. habuit silentium. Porro à nemine visus irasci, aut mentiri, aut vanum aliquid vel asperum, vel infirmum protulisse sermonem, Sozom. *l. 8.*

THEONINUS, ut *Deus Theoninus*, apud Horat. *l. 1. Ep. 18. v. 82.* i. e. dicax. Theon enim fuit dicacissimus & maledicus, per quem detrectatores & maledici intelliguntur, *Acron*.

THEON-OCHEMA, i. e. *Deorum currus*, jugum montis semper ardentis in Æthiopia seu Libya interiore. *Ptol.*

THEOPASCHITÆ, Hæretici, totam SS. Trinitatem passam esse delirantes. Vide *Petrus Fullo*.

Viri Illustres.

THEOPHANES, Siculus, Patriarcha Antiochenus, seculô 7. virtute & fide inclytus, à Patribus Concilii III. Oecumenici Constantinopol. A. C. 681. deposito Macario surrogatus. Obiit A. C. 685. Item, Patriarcha Constantinopolitanus, seculô ultimô.

THEOPHANES, Zonaræ *τοῦ μεγάλου ἀγροῦ καθηγούμενος*, *magni agri Magister*, *Annal. l. 3. in Leone Arm.* coævus Nicephoro Patriarchæ Constantinopolitano, *Historiam* suam perduxit usque ad Imperatorem modò dictum: quam Latinitate donavit Anastasius, sic tamen, ut aliqua omiserit perstrinxeritque aliquâ brevitate, sicut ipse de se hic testatur, referente Baroniô, A. C. 813. *num. 3.* Vocat autem eum *Abbatem Monasterii agri*, sicut Vossius *ruri cœtus degentis præfectum*, aliter atque aliter Zonaræ verba interpretati, vide Voss. *de Hist. Græc. l. 2. c. 24.* nec non ubi de *Theophane Abbate*.

THEOPHANES, Byzantinus, floruit sub Justino II. Auctor *historiæ libb. 10. de bello Justini, contra Chosroën*, &c. Ex hoc Scriptore refert Photius, Cod. 64. rationem serici per bombyces conficiendi, innotuisse Græcis, Romanisque, sub Justiniano. Vide Voss. *de Hist. Græc. l. 2. c. 22.* & *24. Gesner.* &c.

THEOPHANES, Mitylenæus Historicus, qui Pompeji M. res gestas conscripsit: quamobrem ab eo, in concione militum, civitate donatus est, libertate patriæ redditâ, Cicer. *pro Archia Poëta.* Ejus filius M. Pompejus Theophanes, Asiæ Procurator, Tiberio ex intimis amicis: tandem infelix fuit. Vide de Patre Jul. Cæsar. *l. 3. de bello Civ. c. 18.* Val. Max. *l. 8. c. 14. ex. 3.* Jul. Capitolin. *in Maxim. & Balb. c. 7.* Plut. *in vita Pomp.* Strabon. *l. 11.* & *13.* Cicer. *l. 2.* ad Attic. *ep. 17.* De Filio, Tacit. *l. 6. Annal. c. 18.* Vellej. Paterc. *l. 2. Hist. c. 18.* Voss. *de Hist. Græc. l. 1. c. 23.* &c.

THEOPHANES, Presbyter Constantinopolitan. auctor *Orationis de Nicephoro Patriarcha.* Item Episcopus Niceæ, scripsit *contra Judæos*, &c. Gesner. *in Biblioth.* Vide quoque *Methodium 1. Patriarch. Constantinopolit.*

THEOPHANES, qui ab Aristophane, *Equitib. Actu 3. Sc. 1.* per crasin Atticam *Thuphanes* nominatur, scriba & familiaris Cleonis Atheniensis, quem tanquam deceptorem & adulatorem Poëta traducit.

THEOPHANES Georgius, Abbas, nobilitate & opibus, inter Constantinopolitanos præcipuus; uxore desertâ, Monachatum amplexus est. Interfuit Pseudoconcilio Niceno, A. C. 788. quô imaginum cultus est restitutus. Obiit exul in Samothracia, A. C. 818. Scripsit *Chronicon*, & addidit quædam historiæ miscellaneæ. Glycas *in*

Annal.

Annal. Cedrenus & Curopal. *in Hist. Prооem.* Voss. *l.* 2. *de Hist. Græc. c.* 24. *Possevinus*, &c.

THEOPHANIA, vide *Epiphania.* Sed & *Theophania*, sacra quæ fiebant Delphis, Herodot. *l.* 1.

THEOPHILA, uxor Eustathii, aulici Imperatoris Trajani, qui dum cervum in venatione sectaretur, visô inter ejus cornua simulachrô; auditaque hac voce: Cur me persequeris? statim ad fidem Christianam se recepit unà cum uxore Theophilâ. Quod ubi postea rescivit Trajanus, ambos in tauro æneo comburi jussit. *Volaterran.*

THEOPHILA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

Imperator Roman.

THEOPHILUS, Imperator Orientis, Princeps justus. Successit A. C. 829. patri Machaëli Balbo, à quo jam antè in consortium fuerat ascitus. Leonis Armenii parricidas suppliciô, Petronam affinem, ob injuriam viduæ, verberibus affecit, Theodoræ uxoris avaritiam punivit, novercam Euphrosynen, in Monasterium, unde illam Pater rapuerat, remisit, Sozopetrâ, Syriæ urbe Amertæ patriâ captâ, XXV M. captivorum abduxit. Imagines ne quidem pingi voluit; quô tempore Synodus Parisiensis, illarum adorationem damnavit; & Claudius Taurinensis Episcopus cunctas Basilicas suæ diœceseos picturis atque imaginibus nudavit. Amorium patriam amisit, unde propinquos à Saracenis abductos cùm redimere non posset, mœrore animi extinctus est. A. C. 842. Imperii 12. Successit filius Michaël, sub tutelâ matris. Curopalates, Cedrenus & Zonaras *in Annal.*

Episcopi, & Viri Celebres.

THEOPHILUS, Episcopus Alexandrinus, post Timotheum, A. C. 385. eruditione clarus. Prudentiâ suâ Flavianum Episcopum Antiochiæ, cum Innocentio I. reconciliavit: Templi *Serapidis* destructô, (in quo variæ repertæ fraudes, inprimis idoli cujusdam, quod ingressus olim sacrificulus, sub prætextu Dei, Matronarum Virginumque pudori illudere solitus erat) aliud in honorem Johannis Baptistæ exstruxit; dissidium Ecclesiarum Ægypti & Orientis, ob Origenem, componendis intentus, Hieronymum quoque cum Ruffino in gratiam reduxit; Origenistas A. C. 399. totâ Ægyptô pepulit, propterea cum Johanne Chrysostomo gravissimè collisus. Obiit A. C. 412. sedis 27. Ei successit Cyrillus nepos. Scripsit *contra Origenistas, Anthropomorphitas, & de Fide. Cyclum* quoque *Paschalem annorum* 100. adhuc Presbyter, composuit, orsus à 1. Consulatu Theodosii I. ad Græcorum Latinorumque controversiam de Paschate dirimendam. De eadem re quoque tres epistolas scripsit ab Hieronymo Latinè versas. Fridericus Morellus, ejus *Dissertatiunculam, cujus rei homo similis sit*, Græcè Latineque edidit, Parisiis, A. C. 1608. Hieronym. *in Ep. & Apol.* 2. *adv. Ruffinum.* Synes. *Ep.* 9. Leo, *Ep.* 52. & 64. Gennad. *in Catal. c.* 33. Joh. Damascen. *l.* 4. *de Imag.* Socr. Sozom. & Theod. *in Hist. Eccl.* Baron. *in Annal.* Bellarmin. Possevin. &c.

THEOPHILUS, Episcopus Antiochiæ, seculô 2. sub Antonino Vero. Ejus supersunt *Commentarii in Evangelia*, & *libri* 3. *contra calumniatores Ecclesiæ Christianæ.* Euseb. *l.* 4. *Hist. c.* 19. & 21. & *in Chron.* A. C. 168. meminit quoque libri, *contra Hermogenis hæresin*, aliorumque in quibus Christianæ Religionis rudimenta docuit. Idem contra Marcionem scripsit. Vide quoque Hieronym. *c.* 25. *Catal. Script. Eccl.* Voss. *l.* 2. *de Hist. Græc. c.* 14. *extr.* Honor. Augustodunens. *l.* 1. *c.* 26. &c.

THEOPHILUS, Cæsareæ Palæstinæ præsul, Severô imperante, librum *in Marcionem* edidit, tum alia quæ ab Hieronymo commemorantur. Item Comicus antiquæ comœdiæ; cujus fabulas enumerat *Suidas.* Alius Martyr, *An. Dom.* 251.

THEOPHILUS, Archon Athenis, Olymp. 108. An. 1.

THEOPHILUS, vir ad quem scribit D. Lucas Evangelium & Acta Apostolica.

THEOPHILUS, Presbyter, Commentatus est in tractatum Leonis Sapientis Imperatoris. Possevin. *in Appar.* Item Medicus Græcus. Scripsit *de Corporis humani fabrica libb.* 5. quos Jul. Paulus Crassus Patavinus Latinè vertit. Item, Epidaurius Medicus. Item Poëta Comicus. Athen. *l.* 10. *Suid.* &c.

THEOPHILUS, quidam è clientibus Cnei Pisonis; quem quia Athenienses precibus patroni non concesserunt, sed Areô judiciô falsi damnàrunt; magnas inde in Pisonis offensas se conjecerunt. Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 55.

THEOPHILUS, Historicus, literis mandavit *Italica & Peloponnesiaca*, Plutarch. *in Paral. Min. Theophili* (ejusdem an alterius, non sat scio) librum 1. *περιηγήσεως* advocat Steph. in Πελλήνη. *Theophilum* quoque inter eos historicos, qui & Judæorum meminerint, reponit Flavius Josephus, *l.* 1. *contra Apion.*

THEOPHOBUS, nomen proprium Viri, apud Baronium, *A. C.* 842. *num.* 4. & *seqq.* Ex Græco Θεόφοβος, *Dei-timens.*

THEOPHORUS, Græcè Θεοφόρος, *Deifer*, cognomen apud Græcos Ignatii Martyris, de quo vide Macros Fratres *Hierolex.* plura verò de ipso Ignatio, suô locô.

THEOPHRASTUS, Archon Athenis, Olymp. 110. An. 1.

THEOPHRASTUS, Thaumantis fil. cum Lysistrato, ob paupertatem, exagitatus, vide & *Crabrones.*

THEOPHRASTUS, ex amicis, ut apparet, Antigoni Junioris, & ab eodem præsidio Acrocorinthi, cum Perseo Philosopho & Archelao duce, impositus. Proditâ, per quatergeminos fratres Syros, arce, inde discedere pertinacissimè recusans interfectus est. Vide Polyænum, *l.* 6. *c.* 5. *in Arato.*

THEOPHRASTUS, Philosophus ex Eresso Lesbi oppido sic vocatus ob vocis & eloquentiæ suavitatem quasi divinam, quum anteà *Tyrtamus* vocaretur. Strabo, *l.* 13. Τύρταμος δ' ἐκαλεῖτο πρότερον ὁ Θεόφραστος. Μετωνόμασε δ' αὐτὸν Ἀριστοτέλης Θεόφραστον, ἅμα μὲν φεύγων τὴν τοῦ προτέρου ὀνόματος κακοφωνίαν, ἅμα δὲ τὸν τῆς φράσεως αὐτοῦ ζῆλον ἐπισημαινόμενος, ἅπαντας γὰρ λογίους ἐποίησε τοὺς μαθητὰς Ἀριστοτέλης, λογιώτατον δὲ Θεόφραστον. Idem de hoc Tyrtami nomine habes apud *Diog. Laërt. Hesych. Illustrium, Suidam*, alibique. Filius fuit Melanthi, auditor Leucippi primò, dein Platonis, tandem verò Aristotelis. Successit Aristoteli in Schola Peripatetica. Dicere solebat, *doctum hominem ex omnibus solùm neque alienis locis peregrinum esse, neque inopem amicorum.* Oratorem absque judicio, equum effrenem vocavit: Tempus πολυτελὲς ἀνάλωμα dixit: Tacenti, *si sapiens es*, inquit, *male facis; si non, sapiens es.* Habuit discipulos ad 2. millia. Opera ejus à Diogene commemorantur, de quibus libro singulari egit Joh. Meursius. Vide Gellium, *l.* 13. *c.* 5. Diogen. *l.* 5. Strab. *l.* 13. *Suid.* &c. *Hominem doctissimum* vocat Cicer. *in Bruto.* Idem *Tusc. Qu. l.* 3. *Theophrastus moriens accusâsse naturam dicitur, quòd cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus quorum maximè interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrinâ hominum vita erudiretur.* Alter fuit Ephesius, de quo Ælian. *l.* 2. *Var. Hist. c.* 38. *l.* 9. *c.* 11. &c. *Nic. Lloydius.*

Præsules, & Viri Illustres.

THEOPHYLACTUS, Patriarcha Constantinopolitanus, filius Romani, qui juventute Constantini Porphyrogennetæ, generi sui, abusus, filios suos in thronum evectum ibat. Theophylactus an. ætat. 16. huic functioni destinatus, Tryphoni intereà sacrorum curâ commissâ, cùm hic postmodum cedere nollet, ei deposito surrogatus est. Eunuchus pietatis omnis expers, nullô rerum usu, munera aurô vendidit, ipse equorum amore, quorum 2000. delicatè alebat, insanus adeò, ut aliquando, cùm sacra obiret, auditô equam peperisse, inde in stabulum decurreret, nec nisi visô pullô rediret. Obiit hydrope, A. C. 956. Joh. Curopal. *in Hist.* Item, Patriarcha Antiochenus, post Stephanum IV. A. C. 744. urbe tum a Saracenis occupatâ. Obiit A. C. 751. Successit Theodorus, Baron. *in Annal.*

THEOPHYLACTUS, patriâ Constantinopolitanus, Archiepiscopus Acridæ in Bulgaria, magni nominis, sub Michaële Duca, Nicephoro Botoniata & Alexio Comneno Imperatorib. Constantinopolit. seculi sui decus: ingenti zelô Bulgaris convertendis intentus, Obiit A. C. 1071. Scripsit *in Evangelistas, Acta Apostol. Epistolas Paulinas, Abacuc, Jonam, Nahum & Hoseam*; ubi sententiis ex Johanne Chrysostomo frequenter utitur. Ejus opera prodierunt Græc. Latin. in fol. Parisiis, A. C. 1631. Græc. Latin. in fol. Londini A. C. 1636. Insuper Joh. Meursius edidit A. C. 1617. *Epistolarum* ejus 75. Lugduni Batav. quæ postmodum Latinè versæ sunt. Tandem A. C. 1651. prodiit, curâ Poussini, *Institutio regia, ad Constantinum Porphyrogennetum, Michaëlis Ducæ filium.* Sixtus Sen. *in Bibl.* Possevin. *in Appar.* &c. Pater hic *ita Chrysostomum secutus est*, scil. in *Commentar. in Evangelia & Epistol.* ut *Chrysostomi abbreviator dici possit*, Bellarm. *de Scriptorib.*

THEOPHYLACTUS Simocattus, Ægyptius, floruit A. C. 612. sub Heraclio Imperatore. Scripsit Græcè *Historiam Mauritii Imperatoris libris* 8. Item *Epistolas rusticas, morales, amatorias*, ab Aldo Manutio publici juris factas. Bonavent. Vulcanius edidit ejus Problemata Physica, Leidæ: ut & And. Schottus ac Gruterus, sed correctius, &c. Phot. *Cod.* 65. Suid. *in Lex.* Tzetzes, *Chil.* 5. *hist.* 69. Voss. *de Histor. Græc. l.* 2. *c.* 23. *Gesner. Possevin.* &c.

THEOPOLEMUS, & Hiero, fratres fuerunt, qui unà Apollinis fanum expilarunt; quo factô pœnam judicii reformidantes, domo profugerunt. Cicer. *Verr.* 5.

THEOPOLIS, maxima civitas Orientis, sic à Justiniano nominata post terræ motum, mutatô *Antiochiæ* nomine, *Steph.*

Reges, & Viri Illustres.

THEOPOMPUS, Lacedæmoniorum Rex, ex Proclidis, IX. successit patri Nicandro, regnante, ex Agidis, Alcamene, sub quibus ob leviculam causam Messenii bellô petiti sunt. Post eum fuit collega Polydori, quorum simulatâ discordiâ Messenii post 20. ann. certamina debellati sunt. Annô enim 3. Olymp. 10. uterque Rex, Messenios iterum invadunt: pugnatum est æquô Marte, sed Messenii, calamitatibus oppressi Ithomen muniunt in eamque se recipiunt. Hinc Ithome petita, iterumque pugnatum, sed ab Aristodemo Euphaïs Messenii successore victi Lacedæmonii: qui proin ad astum se convertunt, suadente Pythiâ (oracula recitat Pausanias) ac Ithomen expugnant annô 1. Olymp. 14. soloque æquant. Sub eodem *Ephori* Lacedæmone inducti sunt, qui exprobranti sibi uxori, *quòd regiam potestatem minorem, quam acceperat, filiis suis traditurus erat*, respondit, *Imo majorem, utpote durabiliorem.* Plut. *Lycurgo.* Illi successit ex Archidamo fil. præmortuo nepos Zeuxidamus I. quem vide, ut & vocibus *Aristodemus, Elatus, Euphaës, Ithome, Polydorus, Thyrea* &c.

THEOPOMPUS, Atheniensis, ex iis ducibus, qui CCCCXX. viris, noctu clam in urbem introductis, populum dominatu Demetrii & præsidiô Heraclidis liberare conati; sed re per Hieroclem Carem detectâ, oppressi sunt. Polyænus, *l.* 5. *c.* 17. *n.* 1.

THEOPOMPUS, Atheniensis Comicus, cujus *Pollux, Athenæus, Laërtius, Harpocration*, & alii veterum meminerunt.

THEOPOMPUS Chius, Orator & Historicus, inter Isocratis discipulos familiam ducebat. Vixit sub Artaxerxe Ocho, & Philippo Macedone. Scripsit *Orationes, Epistolas, Historias* sæpe priscis laudatas. Huic Aristæus *l. de LXX. Interpretib.* & Josephus, *l.* 15. *Jud. Ant.* cùm è Scriptura S. aliquid in opera sua transferre conaretur, divinitus calamitatem immissam esse, referunt: An potius alii hujus nominis longè juniori? cum Scriptura S. non nisi sub Philadelpho Græcè fuerit versa. Vide Voss. *de Hist. Græc. l.* 1. *c.* 7. ex priscis, Athen. *l.* 3. Strabon. *l.* 14.

THEOPOMPUS Cnidius, Orator & Historicus post Herodotum & Thucydidem, quibus ut in historia minor, ita oratori magis similis, ut qui antequam esset ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator: Jul. Cæsari gratus, Strabo, *l.* 14. Quintilian. *l.* 9. *c.* 4. Voss. *de Hist. Græc. l.* 1.

THEOPOMPUS Colophonius, ἐποποιὸς, cujus librum, nomine ἁρμάτιον citat Athen. *l.* 4.

THEOPOMPUS, Comicus, cujus *Paanas* laudat Auctor Scholiorum *in Aristoph. Aves* 614.

THEOPOMPUS, Philosophus apud Chæroneam. Europ. *l.* 10. Item Rex Spartæ, qui Ephoros instituit.

THEOPOMPUS, Sinopensis Historicus, cujus libri περὶ σεισμῶν meminit Phlegon Trallianus, *c.* 19.

THEOPROPIA, apud Augustin. *Ep.* 158. *Quod autem scripsit Eximietas tua, dubitare te, utrum in* theopropia *debeas eadem gesta jubere proponi, fiat* &c. Aliter *Theopropium*, locus videtur appellatus, in quo Cæsarum Edicta solebant promulgari. Θεοπροπία enim & Θεοπρόπιον, μαντεῖον ἐκ Θεοῦ, *Hesych. oraculum* Græcis notat. Vide Clement. *l.* 7. *Strom.* Unde Θεοπρόπος, *Oraculorum Interpres*, in *Prometheo* Æschyli, è qua voce corruptum fortè *Theatrapus*, in *Bulla* Martini Pontificis, de quo suprà.

THEOPTIA, vide suprà *Theophania*, it. *Adventus.*

THEOREDUS seu THEODORIDES, Visigothorum in Hispania Reg. VI. Walliam excepit, Romanis provinciis infestus. Obiit A. C. 451. regni 32. Isidorus *Erâ* 457. Eum excepit Thorismundus fil. vide quoque *Theodoricus I.*

THEORETICI, Medicorum genus, de quibus vide suprà, voce *Medici.*

THEORETRA, Græcè θεώρητρα, apud Harmenopul. dicta sunt Græcis munera, quæ Sponsæ dabantur ante nuptias, cum se visendam præberet, flammeô depositô: Ὀπτήρια quoque, item Ἀνακαλυπτήρια, & Προσφθεγκτήρια, quòd tunc Sponsa primùm à Sponso videretur, cumque alloqueretur, appellata. Unde ille Antipatri jocus, qui, cùm deformem duxisset & ἀνακαλυπτήρια poscerentur, ἐγκαλυπτήρια potiùs opus esse, respondit. Præterea apud Calv. Scaliger ad lectum perductam Sponsam primùm detectam, à Sponso, atque ab hoc ejus rei causâ θεώρητρα accepisse, docet. Alia sunt ὀπτήρια, apud Callimachum, dona videl. affinium seu parentum, cùm primùm infantes viderent &c. Vide Scaligerum, *Poetices l.* 3. *c.* 101.

THEORI, dicti olim, qui ab Atheniensibus ad Delphicum Oraculum mitti quotannis sunt soliti, quasi *Videntes.* Aliàs Δηλιασταί, à festo Delia, quò id fiebat. Hi, cùm eò ibant, dicebantur ἀναβαίνειν cùm revertebantur, καταβαίνειν. Caput eorum Ἀρχιθεωρὸς appellatus est: navis quâ vehebantur, Θεωρὶς, item Δηλιὰς dicta, erat navis illa, in qua virgines Minotauro offerendas, incolumes Theseus olim reduxerat: præter quam quatuor aliæ naves sacræ erant, videl. 20. Paralos, Antigonis, Ptolemais & Ammonis. Quæ ad celebrationem festi & sacrificia peragenda unà mittebantur, πομπεῖα nuncupata sunt. Eò igitur cùm perventum, post sacra peracta, Virgines peculiari choreæ genere, γέρανον dictô, quò Labyrinthi varios flexus & in se redeuntes gyros repræsentabant, circum altare, defungebantur: neque, quamdiu celebritas durabat, reum neci dare mos erat, unde & Socrates eò usque servatus est, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ Δήλου ἐπανέλθῃ. *Xenophon.* Redeuntes tandem domum *Theoros*, cives in occursum egressi, festivis acclamationibus passimque portis excipiebant. Unde ille apud Euripidem *in Hippol.* queritur:

> *Οὐ γάρ ἐς μ' εἰς θεωρὸν ἀξιοῖ δόμον,*
> *Πύλας ἀνοίξας δεξιοῦσθαι προσφθέγμασιν.*

Vide Franc. Roslæum, *Archæol. Attic. l.* 7. *c.* 2. *de Templo Delphico, de Theoris, & Oraculi cessatione.* Erant autem illi coronati, neque nisi re, ad quam missi fuerant, peractâ, coronam ponebant, in æde alicujus Dei consecrandam. Sed & Θεωρὶς, navis illorum, coronari consuevit. Plut. *de Fato*, Ἔτυχε γὰρ τῇ προτεραίᾳ τῆς δίκης ἡ πρύμνα ἐστεμμένη τοῦ πλοίου, ὃ εἰς Δῆλον Ἀθηναῖοι πέμπουσιν. Eratque hoc *theoria* principium, cùm Apollinis Sacerdos τῆς Θεωρίδος puppim coronaret. Quem in rem vide pluscula, suprà voce *Paralus*, nec non apud Car. Paschal. *Coron. l.* 4. *capp.* 18. & 19. & de velo hujus navis aliquid suprà, voce *Isthmia.* Apud recentiores Græcos sic vocantur, qui sacra vasa custodiunt eorumque conditoria, & ad Altare Sacerdoti ministrant, Meursius *Glossar.* ex Joannis Episcopi Citri *Resp. ad Cabasilam.* Voci origo ἀπὸ τῆς τῶν θείων ὤρας, *à sacrorum cura*, Suicerus *Thes. Eccl.* in Θεωρός.

THEORIANUS, ab Emanuele Comneno, missus A. C. 1170. ad Armenios convertendos, *historiam Legationis suæ* conscripsit, & *Dialogum Orthodoxi cum Episcopo quodam Armenio*: in *Bibliotheca Patrum.* Vide Morer. *in Diction. Histor.*

THEORICA Pecunia, dicebatur Athenis pecunia illa, quæ viritim Atheniensibus civibus distribuebatur, ad dies Festos, Ludos & Spectacula, τὰ θεωρικά. Fiebat autem hæc distributio à certo Magistratu, qui circa Dionysia τὰ κατ' ἄστυ, Elaphebolione mense, eligebatur: Nam tunc solemnia maximè spectacula, ut colligitur ex Æschinis *Orat. ad Ctesiph.* dicebaturque is *Quæstor* τῶν θεωρικῶν. Sustinuit id muneris Demosthenes, Lysimachidâ Prætore, annô 2. Olymp 110. quem cùm annô seq. Archonte Euthycle Ctesiphon coronandum judicâsset, Æschines Ctesiphontis nomen apud Archontem detulit, quòd Populi scitum fecisset ἀνυπεύθυνον, ut coronaretur Domostenes in hoc Magistratu priùs, quàm rationes retulisset. Memorantur de eo munere Leges duæ Æschini *loc. cit.* Nempe Νόμος περὶ τῶν ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένων, *Lex de Quæstoribus Theoricæ pecuniæ.* Et Ὁ Ἡγήμονος νόμος περὶ τῶν ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένων, *Lex Hegemonis de Quæstoribus Theoricæ pecuniæ.* Quarum priore, quæ in gratiam Eubuli lata est, hi Quæstores singulis Prytaneis, (ua Populo enumerabant vectigalia, Navalia & Armamentaria curabant; viarum quoque refectores erant & Quæstorum cæterorum obibant munera: Posteriore Hegemon fines rexit, motos restituit terminos distinctionemque dominiorum fecit, solâ *Theorica* pecuniæ administratione sibi servatâ. Lege autem sanxit Eubulus, ut capital esset ei, qui vellet τὰ θεωρικὰ *etiam ingruente bellô, etiam in militum stipendia, impendi*, Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas l.* 3. *tit.* 2. Quâ absterritus Demosthenes, licèt maximè vellet, tamen suadere contrarium Populo non ausus, quod Apollodorus anteà censuerat, destitit, *Olynthic.* 1. Quô factum, ut plus impensarum in ludicra hæc spectacula, quàm in Patriæ libertatis vindicias, facerent Athenienses: sed infelici tandem exitu, ut ex Justino discimus, ubi ita de Epaminondæ obitu, *l.* 6. *sub fin. Siquidem amisso, quem æmulari consueverant, in segnitiem torporemque resoluti, non ut olim in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum, reditus publicos effundunt: & cum Actoribus nobilissimis Poetisque Theatra celebrant frequentiùs scenam, quàm castra visentes; Versificatoresque Oratoresque meliores, quam Duces, laudantes. Tunc vectigal publicum, quô antè milites & remiges alebantur, cum urbano Populo dividi cœptum est. Quibus rebus effectum, ut, inter otia Græcorum, sordidum & obscurum anteà Macedonum nomen emergeret* &c. Fuit verò τὸ θεωρικὸν drachma instituta Archonte Diophantô, eô fine ut lites & pugnæ de sedibus in Theatro hactenus ferventes tollerentur, & quisque duobus obolis seu drachmâ emtum spectandi locum tueretur. Quam pecuniam cùm è populo pauperiores expendere non possent, Pericles plebis captans gratiam, Legem tulit ut è Fisco iis tantundem daretur, quo & illi Ludis pro libitu interesse possent. Non erogabatur autem, nisi quorum nomina Lexiarchico essent inscripta, ut ex Demosthene apparet *contra Leochar.* Vide Franc. Roslæum, *Archæol. Attica l.* 2. *c.* 9. *sub fin.* & Zenobium in Proverb. Δραχμὴ χαλαζῶσα, nec non suprà, in voce *Lucar.*

THEORODUNUM, vulgò *Wels*, urbs aliàs Belgarum, nunc Angliæ, in Comitatu Somersetensi, à fontibus dicta, qui passim in ipsa scaturiunt, unde & *Fontanensis Ecclesia* hæc dicitur. Parva est, sed satis culta, 15. mill. pass. à Bathonia, uti à Bristolio in Meridiem paulo minus ab æstuario Sabrinæ in Ortum.

THEORUS, Poëta quidam Comicus, qui scripsit κωμῳδίαν. Traducitur adulterii & adulationis & piscium cupiditatis nomine. Versatus est Corinthi plerumque, ob copiam scortorum, quæ ibidem est. Aristoph. *Equitib.* & Scholia *ibid. p.* 324. & 325. Ejus quoque meminit *Acharnens. Act.* 1. *Sc.* 4. & initio *Vesparum*, *p.* 434. Olim missus ad Sitalcem, Thraciæ regem, ab Atheniensibus: præfuit cum Cleone judiciis. Quòd autem esset improbus & nequam, θεοισεχθρίαν, odium Dei tribuit, *p.* 358. *E.* Vide & *p.* 519. *B.*

THEORUS, perjurus quidam, eòque crimine, ab Aristophane taxatus, *in Nubibus.*

THEOSTERICTUS, Auctor Græcus, sub Michaële Balbo, & filio hujus Theophilo, secul. 9. *Nicetam Confessorem*, præceptorem suum, *funebri oratione* laudavit.

S. THEOTFRIDI Monasterium, Galliæ, inter Monasteria à Ludovico Imperatore aut reparata, aut à fundamentis extructa: aliis communi nomine *Monastier*, aliis à Patrono loci, *S. Chaffre*, hoc enim incolis *Theotfridus* est, dicitur. Olim *Calmiliense* aut *Calmeliacense* Monasterium, à loco, in quo situm erat, appellatum fuisse ajunt, positumque esse in Vellavis, ad Ansam fluv. qui in Ligerim defluit, & ad radices celsissimi montis, non longè à Podio. Quædam tabulæ non *S. Chaffre*, sed *S. Clefride* nuncupant, atque à Monasterio *Monastier* distinguunt.

THEOTIMUS, in 2. *rerum Italicar.* testis adducitur à Plut. *Par. Min.*

THEOTIMUS, Eleus pugil, Pausan. *l.* 6.

THEOTUADUM Castellum, unum è quatuor nobilissimis Aquitaniæ Regum Palatiis, seu Villis Fiscalibus ac hibernis, fuit: cujus hodieque reliquiæ super, in confinio Andium & Pictonum: in Andicavensi diœcesi. Hodie vicus *Doue*, 15. mill. pass. à Ligere fluv. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

THEOXENA, mulier, quæ à Philippi Macedonis militibus cincta, cùm eorum manus effugere non posset, sese præcipitem dedit in mare. Liv. *l.* 40. *c.* 4.

THEOXENIA, apud Græcos erat sacrificium, quod omnibus simul diis exhibebatur. *Pollux & Hesych.*

THEOXENIUS, Apollo dictus est à Pellensibus, à quibus in honorem Apollinis Theoxenii certamina instituta fuerant, Græcè Θεοξένια, aliis Ἑρμαῖα, certamina hæc dicta, & in urbe Pellene celebrari solita, lænam pro præmio habuisse, adnotat Salmas. *ad Solin. p.* 849.

THERA, vulgò *Gozi*, teste *Nigrô*, insula maris Ægæi apud Cretam, quæ, ut primùm enata est, *Calliste* appellata fuit, teste Pliniô, *l.* 4. *c.* 12. juxta Diam, à qua Therasia posteà avulsa est, proxima Anaphe, ab Heracleo oppid Cretæ 85. mill. pass. in Boream, ab Io. 25. Callimachus apud Strab. *l. ult.*

> *Καλλίστη τὸ πάροιθε, τὸ δ' ὕστερον οὔνομα Θήρη,*
> *Μήτηρ εὐίππου πατρίδος ἡμετέρης.*

Pausanias *in Laconicis*: Τὴν δὲ ἀποικίαν ὁ Θήρας ἔστελλεν ἐς τὴν νῆσον τὴν τότε ὀνομαζομένην Καλλίστην, *Coloniam Theras* (Thebanus, Autesionis filius, ex Lacedæmoniis & Minyis, quos Pelasgus è Lemno ejecit) *deduxit in insulam, quæ anteà Calliste vocabatur.* Factum id ætate unâ ante Ionicam, Joh. Marshamus *Canone Chron. ad Sec. XIII.* &c. Ab eo igitur hæc insula sic dicta. Ex *Thera* autem posteris fuit Battus, qui Cyrenas in Africa condidit. Ἱερὰν νᾶσον vocat Pindarus *in Pythiis*, *Ode* 4. Vide ibi Benedictum. Apollonius, *l.* 4.

> Ὣς ἔφατ', οὐδ' ἁλίωσεν ὑποκρίσιν Αἰσονίδαο
> Εὔφημος. βῶλον δὲ, θεοπροπίῃσιν ἰανθεὶς,
> Ἧκεν ὑποβρυχίην· τῆς δ' ἔκτοθι νῆσος ἀέρθη
> Καλλίστη, παίδων ἱερὴ τροφὸς Εὐφήμοιο,
> Οἳ πρὶν μέν ποτε δὴ Σιντηΐδα Λῆμνον ἔναιον,
> Λήμνου τ' ἐξελαθέντες ὑπ' ἀνδράσι Τυρσηνοῖσι
> Σπάρτην εἰσαφίκανον ἐφέστιοι, ἐκ δὲ λιπόντας
> Σπάρτην Αὐτεσίωνος ἐῢς πάις ἤγαγε Θήρας
> Καλλίστην ἐπὶ νῆσον, ἀμείψατο δ' οὔνομα Θήρα
> Ἐξ ἕθεν.

In

in hac insula 7. aut 8. annorum pueros defunctos non lugebant. Est & insula maris Ægæi, apud Eubœam & apud Melon, unde *Antimilo* vulgò vocatur, teste *Bordonio*, Callimachi patria, *Ferrar*. Item Rhodi civitas humilis, & alia Sogdianæ, alia Cariæ, *Stephan*. Vide omninò Palmerium, *ad Strab. l. 1. p. 57. Nic. Lloyd*.

THERAMBES, urbs circa Pallenem. *Herodot.*

THERAMENES, Agnonis filius, ex Sterea municipio Atticæ, Pandionis tribus, Isocratis præceptor, Dux & actor scenicus. Huic plura alia attribuuntur, sed duo maxima & inprimis miseranda: Prætorum in Arginusâ adductio, & triginta tyrannorum, eversô populari statu, introductio. Qui quidem dignum vitâ ac moribus exitum sortitus est: nam ab ipsis illis triginta collegis suis sublatus est condemnatore Critiâ: de quo Cicer. *l. 1. Tusc. c. 40. Quam me delectat Theramenes, quam elatô animô est. Etsi enim flemus quum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur; qui cùm conjectus in carcerem 30. jussu Tyrannorum venenum ut sitiens obbibisset, reliquum sic è poculo ejecit, ut id resonaret. Quo sonitu redditô ridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuit teterrimus. Græci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sunt.* Hæc Cicero. Quidam affirmant, à focis Deorum abstractum ac trucidatum fuisse. Hic, ob mores varios & versipelles, *Cothurnus* appellatus est, quòd utrique parti in Rep. se æqualiter applicavit, utilitatem honestati ac fidei præferens, nam cothurnus calceamentum viris pariter atque fœminis aptari potest. Videtur idem illa tria locô multæ decrevisse vel vinciri in ligno, vel bibere cicutam vel pelli in exilium. Quidam existimant, ex Coo insul. oriundum esse & ob id haud legitimus civis dicitur. Alii notant *Theramenem* fuisse hominem astutum & temporibus servientem: conflatô inter Chios & Cios bellô utrisque se dabat, quando erat cum Chiis, se Chium, quando verò cum Ciis Cium se dictitabat: cùm revera esset *Chius*.

THERAMNÆ, oppid. Sabinorum, ex quo Actius Clausus, qui pòst Claudius dictus est, originem habuit.

THERAPEUTÆ, nomen Sectæ, apud Judæos, quos etiam Θεραπευτὰς vocat Philo, & ab Essenis, qui vitam activam exercebant, distinguit *de Vita Contempl.* Unde Photius, Ἀνεγνώσθη ... Ἰουδαίοις φιλοσοφησάντων ... Θεραπευτικὸν ... φιλοσόφων βίον· ὧν οἱ μὲν Ἐσσαῖοι, οἱ δὲ Θεραπευταὶ ἐκαλοῦντο. *Lecta sunt philosophantium apud Judæos vivendi rationes; & Contemplativa & Activa: quorum hi Esseni, illi* Therapeutæ *appellantur*, Scaliger, *de Emend. l. 6.* eumque sequutus Petavius, *Misc. Exerc. ad Julian.* utrosque Essenos esse scripserunt. Euseb. *Historia Ecclesiastica l. 2. c. 17.* Christianos. Vide ubi de *Essenis*.

THERAPHIM, 1. Sam. c. 19. v. 13. ubi Mical virô per fenestram fune demissô, posuisse in lecto pro Davide תרפים *theraphim* legitur, non sunt idola, ut in Scriptura passim; quippe veri Dei cultui addictior fuit David, quàm ut in ædibus suis ulla servaret idololatriæ monumenta. Nec imagines cœlestis influentiæ capaces, ut ait *Aben Esra*, namque & hoc, si minùs idololatricum, saltem est superstitiosum & Davidis ævô multò recentius. Sed grandes pupæ, cujusmodi unam aliquam fecit Mical, tumultuariô opere, quæ ad hominis formam utcunque accederet. Quales erant, quæ tauris objiciebantur in Circo, aut Argei, seu scirpeæ effigies è ponte Sublicio Romæ in Tiberim jaci solitæ, aut μορμολύκεια in hortis aut in agris ad terrendas aves, poni solita. Proin *Aquila* hîc vocem reddit μορφώματα, Hieronymus *statuam*, Septuaginta κενοτάφια, fortè quòd in cenotaphiis istiusmodi imagines, quæ absentem aliquô modô referrent, solerent poni &c. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 51.* Plura vide suprà in voce *Teraphim*.

THERAPNÆ, quæ THERAMNE Steph. *Terapna* Papinio, oppid. Laconicæ apud Eurotam fluv. proximum quoque Spartæ urbi, ubi Diana primùm coli cœpit, teste Solinô, c. 13. & Leda Castorem, Pollucem & Helenam peperisse traditur. Stat. *Theb. l. 3. v. 422.*

Taygetinque cacumen, Apollineasque Terapnas.

Idem, *l. 4. Syl. 8. v. 53.*

——— *Umbrosaque magis colubre Terapna.*

Terapne dicitur Silio, *l. 6. v. 303.* ubi

——— *Animosa Terapne.*

Hinc adjectivum *Terapnæus*, vel *Therapnæus*. Statius, *l. 2. Sylv. 2. v. 111.*

Blando Therapnæi placeant vincta Galesi.

Item urbs Cretæ una ex præcipuis, teste Solinô. *Nic. Lloyd.*

THERARCHUS, Græcè Θηράρχης, dicebatur olim, qui duobus elephantis in bello præerat, unde Θηραρχία ejus σύστημα. Sic Ζωάρχης, qui uni; Ἐπιθηράρχης, qui quatuor; Ἰλάρχης, qui octo; Ἐλεφαντάρχης, qui sedecim; & Κερατάρχης, qui triginta duobus, erat præfectus. Vide Ælian. *Tactic. c. 22.*

THERAS, Thebanus, fil. Autesionis, coloniam deduxit in insulam, quæ ab illo *Thera* accepit nomen. Vide suprà. Pausan. *l. 7.* Hæc altera Græcorum fuit colonia, primam enim Iolaus in Sardiniam deduxerat, uti vidimus. Plura apud Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. XIII.* ubi de vetustioribus *Græcorum Coloniis*.

THERASIA, insula maris Ægæi, in duas à terræ motu divisa, inter Delum ad Boream & Cretam ad Austrum, 160. mill. pass. *Santorino* Sophiano. Vide *Thera*. Baudrando, una Sporadum, *Santerini* dicta, circuitus 30. mill. pass. cum aliquot castris & vicis, à paucis habitata. Sub Turcis, 120. mill. pass. à Delo insula in Merid. 36. ab ora proxima Cretæ insulæ in Boream, ferè 40. à Melo in Ortum. Gallis *S. Erin*, seu insula St. Helenæ, ut ajunt nautæ. Ejus castrum præcipuum *Scaro*. Ad Occidentem adjacet ei altera insula minor, *Tiresia* etiam vocata, quæ A. C. 1507. terræ motu ab altera divisa fuit.

THERATÆ, Græcè Θηραταί, gens Troglodytarum, apud Plin. *l. 6. c. 29. Gentes Troglodytarum idem Juba tradit* Theratas, *à venatu dictos, miræ velocitatis.* Iidem cum Κυνηγέταις *Agatharchidis, Strabonis & Diodori: feras omne genus venabantur*, unde nomen, & earum carne victitabant. Salmas. *ad Solin. p. 1267.*

THEREBINTHUS, mediò milliari ab Jerusalem, sub qua quiescere solebat beata Virgo, ut author est Safign. *tom. 10. c. 2.* nominatur & in regnorum libris Therebinthus juxta Bethel, 1. Reg. c. 13. v. 14. ubi requiescebat vir Dei, qui maledixerat Jeroboam, sacrificanti idolis.

THERGUBIS, Mesopotamiæ urbs, *Ptolem.*

THERIACA, ex Græco θηριακή, antidotum contra venena, quod ex viperæ carne fieret, quæ per excellentiam θηρίον dicta, nomen accepit, Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l. 4. c. 62.* Cur verò non caro cerastæ, quod serpentis genus viperæ admodum simile, aspidis aliusve serpentis, eam ingrediatur, Galenum vide disquirentem *l. de Theriaca, c. 8.* qui Andromachi eam, Neronis Archiatri, inventum alibi facit. Scripsit autem hic *Theriacam* carmine elegantissimô. Nempe Andromachus hic, antidoto Mithridaticæ admiscuit non exiguam partem carnium viperæ: quô factum, ut hæc antidotus Andromachi propè antiquaverit Mithridaticum, *Theriaca Andromachi*, & aliquando *Theriaca* absolutè, nomine insignis. Sed & jam ante Mithridatem Nicander Colophonius *Theriaca* & *Alexipharmaca* scripsit. Vide Gerh. Joh. Voss. *de Philosophis, c. 11. num. 36. 37. & c. 12. num. 8.* de *Theriaca* Antiochi M. incisâ lapidi versibus iisdem, in limine ædis Æsculapii, Plin. *l. 20. c. 24.* de voce verò θὴρ, vel θηρίον, aliquid etiam suprà, in *Belua*, item *Fera*, & *Therarchus*. Aliàs θηρίον, in genere animantia notat, volucres quoque, in vivariis ali asservarique solitas, unde celebre θηριοτροφεῖον Hortensii, de quo alibi.

THERICLES, figulus Corinthius, à cujus nomine fictilia quædam vasa *Thericlea* dicta sunt, Plin. *l. 18. c. 40.* Ad poculorum horum imitationem, è terebintho postmodum calices facti sunt, adeò similes, ut à fictilibus vix dignoscerentur, atque hi tornatiles fuêre; Vide Theophr. ubi *de ebeno*. Inde & ex argento cælatiles fieri cœperunt, vide Cicer. *6. Verr.* quibus utrisque mansit propterà *Thericleorum* nomen. Fuêre autem *Thericlis* pocula, è terra nigra & summi nitoris, primusque is calices eâ formâ instituit; quam describit hisce *Athenæus*, Θηρίκλειος ἡ κύλιξ αὕτη λέγεται ... ταῖς λαγόσιν, ἱκανῶς βαθυνομένη, ὦτα δ' ἔχει βραχέα, ὡς ἂν κύλιξ οὖσα. Vide de illis plura apud Salmas. ubi Plinium, *Thericlem ex terebintho calices facere tornô solitum*, scribentem refellit, *Exercit. Plin. ad Solin. p. 1043. & 1044.*

THERIMACHUS, Spartiata, in prælio ad Methymnam, à Thrasybulo, duce Atheniensium, cæsus, Olymp. 97. Anno 1.

THERIONARCE, Doridis insula parva, circa Gnidum, Plin. *l. 5. c. 31.*

THERIPPIDAS, Lacedæmonius, Neogenem tyrannum arce Astiacorum & dominatu Oropiorum, scitô Ephorûm ejecit sociisque libertatem reddidit. Diodor. *l. 15. fol. 472. F.* Olymp. centesimæ, annô 4. Vide *Erippidas*.

THERISTRUM, Græcè Θέριστρον, memoratur Cœlio, *l. 13. Antiqq. Lection. c. 6.* ex Hieron. *Nam & Hieronymus de puella Christo destinata; Nunquam exeat (inquit) foràs, ne inveniant eam, qui civitatem circumeunt, ne percutiant & vulnerent, auferantque pudicitiæ* Theristrum *& nudam in sanguine derelinquant.* Ubi constat appellari *Theristrum*, id genus vestis, quod super nudo corpore gestatur; & vulgò *Subuculam* dicimus, Itali *Camiscia*: quæ linea est: Dicitur autem *pudicitiæ vestis*, quia ea pudoris est proprium velamentum; Nam pudica mulier neque se marito visendam præbet illô prorsus exutam: at eô solô contectas cuivis meretrices conspiciendas se offerunt. Quapropter ille non ineptè, mulieres fatuas ait una cum subucula simul pudorem exuere. Pergit autem Rhodiginus: *Ut verò Hieronymi verbum intelligas, multis incognitum, dicitur æstiva vestis Theristrum. Eadem alibi pallium dicitur; genus etiam nunc Arabici vestimenti, quô mulieres provinciæ illius velantur:* Et inferiùs addit, *l. 16. c. 10. Postremò æstivam vestem* Theristron *dicimus, &* Theristrion; *sicut hyemalem*, Chimastrum: *Homerus Alexamenon appellavit. Coccô tingi solita Theristra scribunt Eruditi, tenuissima adeò, ut diaphana forent planè. Meminit c. 3. Esajas, v. 22. Auferet Dominus discriminalia, periscelidas, murenulas & olfactoriola, metatoria, vittas & theristria.* Sic ergo *Theristrum* vestis erat linea, tenuissima, præ raritate transparens, tincta coccô, quam pudicæ mulieres aliis vestibus superinduebant; at meretrices super nudo gestabant, quô eo facilius ad libidinem prætereuntes allicerent; figuræ, quâ nunc *Cingaræ* dictæ, pallii nomine, usurpant. Unde, ut meretricem se socero suo mentiretur Thamar, *Deponens vestes viduitatis suæ, operuit se velo* (Theristro) *& obtexit se, conseditque in bivio*, Gen. c. 38. v. 14. In quæ verba Lyranus, *Assumpsit*, inquit, *Theristrum: vestis est linea, quâ mulieres utebantur æstate, & dicitur Græc.* Θέριστρον, *vestimentum messoris æstivum.* Sic Gesnerus *Onomast. Theristrum, velamen, vel vestis tenuis, quâ utebantur mulieres Palæstinæ.* Constantinus & Portus *in suo Lexicogr.* pariter, *Theristron possumus appellare*, ait, *palliola, quibus obvoluta erat Rebecca, & hodie quoque Arabiæ & Mesopotamiæ operiuntur fœminæ: ab eo quòd θέρει, id est, æstate & caumate corpora protegant fœminarum, ex Hieron. in Esaj.* Sed istiusmodi *Theristra*, sicut in calidissimis illis regionibus, ob subtilitatem, satis erant, ad corpora mulierum defendenda, ne nigrescerent ardore æstivi Solis, maximè superposita tunicis interioribus: ita sine aliis vestibus, immediatè nudo corpori circumvoluta transparens ostendebant corpus, uti dictum. Cæterùm, apud antiquos, linteum istiusmodi subtile, quô mulierum nihil ferè velabantur corpora, meretricium fuisse vestitum, Petronius Arbiter docet *Satyr. c. 37.* ubi *nebulam lineam* talem vestem vocat: quemadmodum *ventum*, Tibullus, *l. 3. eleg. 2. v. 21.* imò *ventum textilem*, iterum *Petronius*. Vide Fortun. Licetum, *de Lucernis Antiqq. l. 6. c. 69.* Alii Thamarem sumptô *Theristrô*, virginalem habitum ementitam fuisse contendentes, nuptialem fuisse amictum

θέριστρον; Hebræasque mulieres peplum tale, à capite ad talos ferè demissum, gestare consuevisse, quô virgines & faciem & corpus totum operuerint; uxoratæ corpus quidem, non verò faciem: fornicariæ autem, habitu Virginum ementitô, totum corpus involverint, ajunt. Unde quod Cantic. *c.* 1. *v.* 7. ait Sponsa: *Ne fortè vagari incipiam*, juxta textum primævum habet, *Cur ero quasi desuper amicta?* id est *velut meretrix huc illuc oberrans*, quæ est superamicta & contecta per totum, præferens externâ specie virginem, ut eò facilius procos seducat. Sic ergo meretrices Poppææ fuerint imitatæ astum, quæ nunquam totam faciem Neroni ostendit, ut formæ latentis desideriô acriùs ureretur. Ezechielis, *c.* 16. *v.* 13. Interpretes LXX. *Theristrum* dixêre τρίχαπτον, de qua voce pulchrè *ibi* Hieronymus, qui vertere maluit, *Indui te subtilibus*: valde enim hoc peplum, utpote ex lino, vel serico, tenue ac subtile fuisse, dictum. Idem, *ad Lætam, pudicitiæ* vocat *signum*: & *in Epist. de suspecto contubern.* humeros texisse docet. Hinc Solerius, *Theristrum* pallium dicit fuisse fœmineum, prælongum & laxum, sic ut etiam caput involveret; quod probat, inter alia, & ex Gen. *c.* 24. *v.* 65. ubi Rebecca, adventantem Sponsum audiens Isaacum, citò peplum suum arripuit, eôque vultum texit. Vide Tertullian. de vel. *Virg. c.* 11. &c. Quod verò de nuru Judæ *Thamar* dictum, negat Bochartus, more meretricis faciem *theristrô* obtexisse, sed ne agnosceretur, cùm meretricum non sit proprium velari, sed revelari potiùs, ex Esai. *c.* 47. *v.* 3. Ezech. *c.* 16. *v.* 36 37. & Nahumi *c.* 3. *v.* 4. Vide eum *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 46. ubi quoque ad Cantici locum citatum egregia quædam addit. Sed & virile *Theristrum* fuisse, docet Luitprandus, Episcopus Cremonensis, qui suam ad Nicephorum Phocam legationem describens, Imperatorem Græcorum, *Theristratum* fuisse, refert. Idem *Histor. l.* 3. *c.* 5. eum penè laceratum fuisse, per canes ab Hugone Rege missos, narrat, eò quòd Græcorum more *Theristrô* opertus, velut monstrum canibus apparuisset: & *in Legat.* à Curopalate, se monitum esse, *fas non esse quempiam, ubi Imperator esset, pileatum, sed Theristratum, incedere*, ait. Verùm aliud hoc planè à fœmineo fuit, maphorti simile fortè, quod breve capitis operculum, non nisi ad humeros demittebatur. Unde & Tertullian. *de Pallio, c.* 14. Herculem in *Theristro* fuisse referens, hujusmodi maphortem signâsse videtur. Cum *Theristro* & Flammeo Nuptiali, Calyptram confundit Delrio *ad Gen. c.* 24. *v.* 65. sed hæc propriè Reginarum tegmen erat; ut vidimus *suô locô*. Vide Anselm. Solerium, *de Pileo, sectione* 6.

THERMA, parva regio Siciliæ, *Steph.*

THERMA, Bithyniæ urbs, *Steph.* & Cappadociæ oppid. *Antonin.* Africæ quoque Propriæ, *Strabo.* Est & locus Prusiæ, *Steph.* & Galatiæ Episcopalis sub Archiepiscopo Pessinuntio, inde 16. milliar. in Ortum Ancyram versus 83. *Herma* in tabulis recentiorib.

THERMÆ, castrum agri Narbonensis, 5. leucis à Carcassona, in altissimi montis supercilio, quod unâ solùm parte adiri poterat. Ejus domini Raimundi Militis, sub dominio Vicecomitis Biterrensis, meminit Petrus *de bello Albig. c.* 41. Etiam castrum, *de Terminis* dictum est, hodie *Termes*, cujus ager *Termenez*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Item civitas Thraciæ; unde *sinus Thermaicus*, Ital. *Golfo di Salonichi*. Sinus maris Ægæi, in Macedoniam extensus, in cujus intimo recessu ad Boream Thessalonica est, ubi anteà Therma, unde ei nomen, vide infrà in voce *Thermaicus sinus*. Urbs quoque Angliæ, vulgò *Bathe*. Vide *Mons Badonius*, & *Bathonia* urbs. *Thermæ* quoque in Gallia sunt, vulgò *Chaudes Aigues*, oppid. Velaunorum, inter Fanum S. Flori & Mimatum. Baudrando oppid. Alverniæ superioris in limite Ruthenorum & Mimatum, longè à Velaunis in Occasum, 3. leuc. à Floriopoli in Meridiem, *Thermæ* item geminæ, Germaniæ urbes, superior & inferior, utraque *Baden* vulgò. Una in Helvetiis ad Limagum fluv. inter Tigurum 2. & Basileam 6. leucis, ubi comitia generalia Helvetiorum fiunt. Vide *Badena*. Altera urbs Marchiæ Badensis caput in Brisgoia & sylva nigra, inter Friburgum ad Austrum 8. & Spiram in Boream ferè totidem leuc. ab Argentorato 5. Vide *Bada*. Sunt & *Thermæ* Austriacæ, *Baden*, oppid. cum Balneis inter Viennam & urbem novam 4. leuc.

THERMÆ, species aquarum medicatarum, quarum seriem & virtutem recensent Kircherius, *Mund. Subterran. l.* 5. *sect.* 3. Bauhinus, Fallopius, Rulandus, &c. Et primus quidem observat, earum octo dari in Portugallia, 40. in Hispania: 45. in Gallia: 120. in Germania: 86. in Italia: 9. in Hungaria, locisque vicinis: 16. in Illyrico: in Græcia & vicinis Insulis 22. Polonicas certô numerô non prodit. Becmannus è thermis Anglicis nobiliores Bathoniensis tribus, & Buxtonenses, novem fontibus ebullientes, addit. Thermarum Japanensium lacûs *Singacko*, aqua adeò acris est, ut ad ossa usque carnem corrodat; quô suppliciô haud pridem Christianorum Nangelacensium constantia, post multa alia frustra tentata, expugnata est: Eorum enim nemo præ doloris magnitudine perstitit, præter adolescentulum septendecim annorum, qui multoties aquâ illâ stillatim nudo suo corpori affusâ cruciatus, mox refocillatus, dein iterum cruciatus, animam maluit Servatori hôc lotam liquore reddere, quàm fidem abnegare. Varen. *de religion. Japan. c.* 11. Parum absimiles *Thermis*, ignei sunt fontes, quorum magnus numerus in regni Chinæ provinc. *Xansi*, quibus & incolæ ad coctionem suam utuntur, Neuhof. *Itiner. Chinens. p.* 12. *&c.* Unde *Thermis* calor, Pontanus his verbis scribit:

Bajano sed ne fumare in littore Thermas,
Mirère, aut liquidis fluitare incendia venis,
Vulcani fora sulphureis incensa caminis
Ipsa movent, latè multum telluræ sub ima
Debacchari ignem camposque exurere apertos.
Inde fluit calidum referens ex igne vaporem
Unda fugax, tellis fervent & balnea flammis.

De quibusdam *Thermis* in specie, vide porrò *infrà*. Dictæ etiam sunt *Thermæ* loca balneis destinata, in quibus plus luxus & insaniæ quàm in ullis aliis operibus, apud Veteres Romanos deprehenditur, notatque *Ammianus*, Thermas Imperatorum provinciarum in modum extructas fuisse. Erant aut æstivæ aut hyemales, quales uno eodemque in loco extruere instituerat Gordianus: sed morte præventus non absolvit. Hyemales trans Tiberim Aurelianus fecit. Servierunt autem illæ primùm Imperatoribus privatim, posteà & populo vulgata sunt: patebantque aliquando interdiu, corruptioribus temporibus etiam noctu. Consuetô more mixtæ & communes minimè fuerunt, quod tamen malorum Principum culpâ aliquoties factum est. His, ut Aquæductibus, castella adjuncta erant, in quibus aqua conservabatur: & subjuncti canales, per quos caduca & inutilis effluebat. Parietes autem castellorum malthati erant tam tenaci ac durâ materiâ, ut vix ferrô frangerentur. Sola *Thermarum* Balnearumque interdum vitrô sternebantur, ut Agrippinarum: frequentius lapide, aut crustis marmoreis latis, tessellis quadratis varii coloris; nigri, ut Balneæ Palatinæ: nigri albique, ut *Thermæ* Commodi & Antonini, vide Nicol. Sipontinum, Lipsium, Rosinum, *l.* 1. *Antiqq. Roman. c.* 14. Alios: Inprimis Andream Baccium Elxidianum, *l.* 7. *de Thermis.* Hodie in urbe majora omnia ædificia ab imperitis *Thermæ* vocantur, inquit Dempsterus, propter Diocletianæas & Antonianas, quod suô quoque factum tempore non dissimulavit *Blondus*. Species quasdam *Thermarum* Romanar. Vide infrà. Adde de voce, Subintellig. *aquæ*, sicut Græci cùm θερμὰ dicunt, subintelligunt, ὕδατα, Salmas. *ad Solin.* ubi *de Thermis Himeræis*, Siciliæ urbe, Romanorum Colonia, multa; *p.* 114. Cæterùm *Thermæ* nunquam Romæ ante nonam olim patebant: Hadriani tempore octava iis aperiendis constituta est. Tacitus verò Imperator ante lucernam claudi jussit, ne quid per noctem seditionis oriretur; Quam in rem vide Salmas. *ad Historiam Aug.* ubi & *de Thermis Alexandrinis, Antonianis, Commodianis, Diocletianis, Gordianis, Hyemalibus, Neronianis, Severianis, Titianis, Varianis* passim: adde quæ suprà diximus *de Balineis* seu *Balneis, Gymnasiis* & *Lavandi ritu*.

THERMÆ Alvanienses, seu Alvonovanæ, à vico Alvanio vel Alvinovo *Alfenau*, in tertio Rhætorum fœdere, dictæ: Sulphureæ, mulieribus & febre diuturnâ laborantibus maximè conducibiles, Sprecherus, *Pall. Rhæt. l.* 9.

THERMÆ Brigenses, vel Brygenses, in Vallesia, à Briego vico dictæ: aquam habent limpidam, calidam & sulphur valde olentem. Vide Munster. Collin. & Simler. *de Vall.*

THERMÆ Fabariæ, vide *Fabariæ Thermæ.*

THERMÆ Helveticæ, seu *Castellum Thermarum* apud Tacitum, *Historiar. l.* 1. *c.* 67. ubi de Cæcina, *locus amœnô salubrium aquarum usu frequens*; urbs Helvetiorum inter Tigurum 2 & Basileam 6 leuc. ubi Comitia Helvetiorum generalia haberi solent, German *Ober-Baden*, ad discrimen *Thermarum* in Marchia Badensi. Vide Cl. Ottonem JCtum *Notis ad Rhenanum*, *p.* 430. & suprà vocibus, *Bada*, *Badena* &c.

THERMÆ Leucenses, in Vallesiæ conventu Leuciano, à præcipuo hujus pago Leuca, *Leuck* nomen habent. Sunt in loco aditu difficili, rupibus arduis & horrendis circumdato, scaturiuntque è 5. fontibus calidis nullius odoris, per cupri & auri, cum aliqua calcis portione, mineras defluentibus. Vide Munsterum, *l.* 3. & Collinum.

THERMÆ S. Martini, in valle Telina, saluberrimæ, podagricis, ischiadicis, sterilibus fœminis aliisque frigidis morbis utiles. Vide Gasp. Sermundum & Gulerum.

THERMÆ Himerenses, colonia & urbs Siciliæ in ora occidua, ad ostia Himeræ fluv. inter Panormum ad Austrum & Cephalœnium ad Boream. Vide Cluver. *Sicil. Ant. p.* 280.

THERMÆ Selinuntiæ, colonia & urbs Siciliæ in ora meridionali, inter Agrigentum ad Ortum 40. & Lilybæum ad Occasum 18. mill. pass. *Xacca*, vel *Sacca* hodie *Fazello*. Vide Cluv. *Ant. Sicil. p.* 222.

THERMÆ Stygianæ, Tusciæ urbs *Antonin. Bagni Sabatini Leandro. Baudrando Stigianæ*, seu *Stilianæ*, vulgò *Bagni di Stigliano*, prope Stilianum castrum Ducatus Braciani, in provinc. Patrimonii, in ditione Pontificis, 8. milliar. à Braciano & à lacu Sabbatino in Occidentem, 9. à Cære in Circium.

Thermæ urbis Romæ ex Publio Victore & Sexto Rufo:

Agrippinæ, apud Pantheon, inter illud & ædem Minervæ, ubi adhuc multa exstant vestigia.

Alexandrinæ, ab Alexandro Severo, cujus vestigia apud ædem S. Eustachii retro cernuntur.

Antonianæ, apud ædem SS. Sixti & Balbinæ, versùs ædem S. Gregorii, adhuc exstantes, sed semidirutæ. Antonianæ verò à Caracalla cœptæ, & à Severo perfectæ, in monte Aventino, ubi mula vestigia & rudera marmorea adhuc visuntur.

Constantinianæ, in dorso montis Quirinalis, ubi equorum statuæ, quorum adhuc aliquot exstant vestigia: vel inter Thermas Diocletianas & ædem S. Susannæ, ubi & Senatulus mulierum Romanarum.

Diocletiani, apud ædem S. Susannæ, ubi nunc granarium Pontificium.

Domitiani, quæ & Trajani, in campo Martio, ubi ædes S. Sylvestri, & ubi vestigia perdurant.

Gordiani, apud ædem S. Eusebii, ubi columnæ 200. marmoreæ & pulchræ fuerunt.

Neronianæ & Alexandrinæ, apud ædem S. Eustachii, ibi enim vestigia apparent retro: seu Neronianæ post Thermas Agrippæ. Locus dicitur *Palazzo di Madama*.

Novatianæ, ubi nunc ædes S. Pudentianæ.

Olympiadis ubi nunc ædes S. Laurentii in Panisperna.

Philip.

Philippi, in monte è regione ædis S. Matthæi in Merulana, ubi vestigia cernuntur cum inscriptione lapidea veteri.
Tatianæ, seu Titianæ, ubi ædes S. Petri in Vinculis, non procul ruinæ apparent.
Trajani, apud ædem S. Martini in montibus Esquilinis.

Præter memoratas fuerunt & sequentes:

Aurelianæ, ab Aureliano Imperatore trans Tyberim, ubi vestigia adhuc sunt.
Agrippæ, in 6. regione.
Commodianæ, in 1. regione.
Decianæ, in monte Aventino, ubi templum Herculis, & nunc ædes S. Priscæ virginis.
Privatæ, in Transtyberina.
Publicæ, ibidem.
Septimianæ, in Transtyberina, inter ædes S. Cæciliæ & S. Chrysogoni, ubi templum Jani & arcus Septimianus.
Severianæ, quæ & Severiæ, ibidem, in monte Aventino, inter portam Capenam & Hostiensem, à Severo Imperatore.
Titi Cæsaris Augusti, locus hodie *le sette Sale* appellatur, & apud Sanctum Petrum in Vinculis. De quibus Martialis, *in epigrammate de Spectaculis* 2. v. 7.

Hic, ubi miramur velocia munera Thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

Varianæ, in Aventino.
Harum verò nonnullarum vix locus indicatur, cùm sint penitùs excisæ.

THERMÆ Zeuxippi, vide *Zeuxippi porticus.*

THERMÆUS, seu, & meliùs, *Thermaicus*, vulgò *le Golfe de Thessalonique* Gallis, sinus est maris Ægæi in Macedoniam extensus, in cujus intimo recessu ad Boream Thessalonica urbs sita est, ubi anteà Therma oppid. Extenditur autem à meridie in septentrionem per 160. mill. pass. & in eum se exonerant Axius, Peneus, Chabrius, Aliacmon, & aliquot alii fluvii. *Thucyd. Strab. Tacit. l.* 5. *Annal. c.* 10.

THERMAYSTRIS, Græcè Θερμαυστρίς, inter saltantium olim schemata, quasi quis vellet vociferari ore apertô, elatis superciliis, cervicibus inflatis. Item alia Tragicæ saltationis species, quam magnum ac laboriosum motum in manibus præ se tulisse scribunt: inter furiosas recensita unà cum cernophoro & mooga, de quibus J. C. Scaliger, *Poetices l.* 1. *c.* 18.

THERMIA, nomen Insul. à *thermis* suis sic dictæ, de qua vide suprà in voce *Delos.*

THERMIDA, Carpetanorum urbs, *Ptol. Rajas Pineto.* Nunc pagus Madrito finitimus.

THERMIDAVA, Dalmatiæ oppid. *Ptol. Dagno Moletio*, in mediterran. inter Scodram & Siparuntum, à Scodra 20. mill. pass. in Ortum Episcopalis sub Archiepiscopo Antibarensi.

THERMODON, vulgo PORMON, teste *Nigrô*, fluv. Cappadociæ in mare Euxinum, inter Themiscyram ad Occasum & Polemonium ad Ortum prolabens. Est etiam fluv. Scythiæ Europeæ apud Plut. & Thraciæ apud *Suidam* & *Statium*. Thermodonta vero Amazones incoluêre. Unde *Dionysius* de Amazonibus:

[Greek verse, illegible] Θερμώδοντος.

Virgil. *l.* 11. *Æn.* v. 659.

Quales Threiciæ cùm flumina Thermodontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis.

Propert. *l.* 3. *El.* 13. v. 13.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontæis turba lavatur aquis.

Idem, *l.* 4. *El.* 4. v. 71.

Illa ruit celerem qualis prope Thermodonta
Strymonis abscissô fertur aperta sinu.

Claudian. *l.* 2. *Rapt. Proserp.* v. 61.

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Nuda cohors: quoties Arcton populata virago
Hippolyte niveas ducit post prælia turmas,
Seu flavos stravêre Getas, seu fortè rigentem
Thermodontiacâ Tanaim fregêre securi.

Nonnus, *l.* 10.

[Greek, illegible] Θερμώδοντος Ἀμάζονες.

Hinc ab Ovidio *Amazonius Thermodon.* Idem *Pont. l.* 4. *Ep.* 10. v. 51.

Et in fæmineæ Thermodon cognite turbæ.

Statius quoque Amazonas describens, *Thermodontiacas turmas* vocavit, uti Seneca Tragœdus, *in Oedipo*, v. 481. *Thermodontiacam catervam.* *Tryphiodorus*,

Αἱ δ' [Greek, illegible] Θερμώδοντος [illegible]

Dionys. Periegetes,

[Greek, illegible] Θερμώδων.

Quinctus Calaber, *l.* 1.

Καὶ τότε Θερμώδοντος ἀπ' [illegible]

Memoratur præterea ab Æschylo, Apollonio, Orpheo, &c. Homeri Interpres: [illegible] *Nic. Lloydius.*

THERMOMETRUM seu THERMOSCOPIUM Instrumentum est, quô Philosophi motum aëris, quoad qualitates seu gradus caloris & frigoris, humidi item & sicci, sensui oculorum dignoscibilem reddere conantur. Et quidem primi hujus Artis inventores vas vitreum parabant longioris colli, quod repletum alteri phialæ aquâ itidem repletæ inversô ore indebant, quô fiebat globus vitreus, qui ex superiori parte vacuus aquâ in canali ex aëris in globo contenti rarefactione vel condensatione mox deprimeretur calore vel frigore attolleretur. Verùm cùm vasa hujusmodi non perfectè, quod petitur, exhibeant: ut accuratior praxis fit, vult Kircherus, experiâre primùm, quousque aqua ascendere aut descendere possit. Quod fiet, si observâris, quousque in maximo frigore attollatur, aut in maxima æstate deprimatur aqua in canali. Tum signatis, inquit, extremitatis punctis intermedia spatia (si canalis ejusdem ubique crassitiei sit) in 4. æqualia spatia divide principaliter; quorum unumquodque iterum subdivide bifariam, signô tamen tali, ut notabilis sit graduum differentia. Harum porrò partium quamlibet (si proportionem quantitatis discretæ immutare velis) in 3. quomodo habebis decades minutorum, aut sex, & habebis quinarium numerum minutorum. Quòd si consultius visum, quantitatis continuæ proportionem sequi, imagineris tibi, quemlibet 4. graduum spatium palmare explere. Sic quodlibet in duodecim uncias harumque quamlibet in 5. minuta subdividendo, habebis 60. minuta. Qualitatem liquoris quod attinet, quô magis defæcatus fuerit, ut spiritus vini, eô accuratius evadet Thermometrum &c. Vide Athanas. Kircherum *in Arte Magnetica*, & Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jesu Musæo* p. 52.

THERMOPYLÆ, angustiæ montis Oetæ in Thessalia, in Phthiotide regione apud sinum Oetæum, seu Maliacum, ubi ex Phthiotide in Phocidem transitus est, 25. tantùm pedum spatiô, variè indigitatæ: *Scelos* Jo. Lydo: *Terremotto* Bonacciolo; *Bocca di lupo* Nardo, *Lycostoma* Græcis. Hic Persarum impetum Leonidas Spartanus cum paucis, nempe 300. sustinuit: ubi Eurhycus ob cæcitatem domum remissus, potiùs dimicando mori voluit, quàm solus periculum declinare. Cicer. *l.* 2. *de Fin.* Appellantur etiam *Pylæ* Livio, *l.* 6. *Decad.* 4. Catullus, *Epigr.* 69. v. 54.

Lymphaque in Oetæis Malia Thermopylis.

Claudian. *Bell. Get.* v. 188.

——— Primo communia ruptâ
Thermopyla. ———

Vide Strab. *l.* 9. Plut. *in Cat. Censor.* Herodotum inprimis illas prolixè describentem, *l.* 7. *Nic. Lloyd. Baudrando* hodie *Bocca di Lupo.* Eas præter retro laudatos *Appianus* accuratè descripsit. Juxta has erat conventus totius Græciæ statis diebus. Distant 110. mill. pass. ab Ambracia in Ortum, 90. à Chalcide in Circium, 70. à Crissæo sinu in Boream. Sed nulla urbs sic dicta, ut alii volunt. Istiusmodi aperturæ vel transitus montium sunt quoque *Portæ Caspiæ*, quarum unam juxta *Derbent*, ad mare Caspium, inter nobilissimas totius Orientis antiquitates numerat Mandelslovius, *Itiner. l.* 1. *c.* 4. Item *Porta Ferrea*, vulgò *das Eisen thor*, angustissimus in Transylvaniam ex Europa Orientali aditus, per quem A. C. 1661. Turcæ in Transylvaniam irruperunt, Joh. Beza *Descr. Hungar.* Insuper *Porta Cordillera*, qui transitus est per juga montium Americanorum unicus, *Varenius.* De vario Alpium transitu, vide Ricciolum, *Geogr. l.* 3. *c.* 1.

THERMUS, oppid. Ætoliæ, Gentile *Thermius*; possessivum *Thermicus. Stephan.*

THERMUSSA, mulier Romana, concubina Phraatis, Parthorum Regis, ex qua Phraates nothus genitus, qui, quatuor legitimis filiis Augusto obsidibus datis, astu matris in Parthis remansit.

THERMUTHIACUS fluv. Græcis ποταμὸς Θερμουθιακός, unus est ex ramis seu brachiis Nili. A cujus majori flumine, qui *μέγας ποταμὸς* Græcis, ad ipsum Deltæ verticem, duæ sese findunt ectropæ, quæ rectâ Septentrionem petunt. Harum altera dicitur *Thermuthiacus fluv.* & per Sebennyticum ostium exoneratur; alteri nomen est *Taly*, quæ per Bolbitinum exit. Inter majorem verò fluvium & fluv. Thermuthiacum, Sain urbem & Saiticum nomum collocat *Ptolemæus.* Vide Salmas. *ad Solin.* p. 477. & 478.

THERMUTHIS, Pharaonis filia, quæ Moysen educavit. Joseph. *Jud. Ant. l.* 2.

THERMYDRA, portus civitatis unius in Rhodo. *Steph.*

THERNE, urbs Thraciæ. *Steph.*

THERO, vel THERON, viri proprium. Virgil. *l.* 10. *Æn.* v. 312.

THERODAMAS, Rex Scythiæ, qui ne per insidias occideretur, leones hominum sanguine alebat, quò magis sævirent Ovid. *Pont. l.* 1. *El.* 2. v. 121.

Non tibi Therodamas, crudusque rogabitur Atreus.

Idem, *in Ibin*, v. 383.

Therodomanteos ut qui sensêre leones.

THEROMACHUS, statuarius egregius. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

THERON, Ænesidami filius, Hispaniæ citerioris Rex.

THERON, Agrigentinorum tyrannus. Vide Benedictum *ad Pindari Olymp.* Od. 2. Item nomen unius ex canibus Actæonis. Ovid. *l.* 3. *Met.* v. 211.

Nebrophonusque valens & trux cum Lælape Theron.

THERON, Miltiadis fil. civis Selinuntius. Vide Polyæn. *l.* 1. *c.* 28.

THEROTHOÆ, gens Troglodytarum, apud Plin. *l.* 6. *c.* 29. *Gentes Troglodytarum* —— *Juba tradit* Therothoas *à venatu dictos, miræ velocitatis.* Meliùs *Theratæ* Salmasio, de quibus vide suprà.

THERSA, civitas in alto sita monte, in tractu Manasse. A Josua capta, occisô Rege. Eâ Israëlitarum reges ante conditam Samariam pro regiâ usi sunt. 1. Reg. 15. *v.* 14. Item Salphaad filia. Numer. *c.* 26. *v.* 33. Latinè *complacens, volens, suavis,* vel *currens.*

THERSANDER, Polynicis fil. ex Argia, teste Statiô, qui unà cum cæteris Græcorum Principibus ad Trojam navigavit. Item tibicen Ionius insignis admodùm. De quo Polyæn. *l.* 6. *c.* 10.

THERSARA, Assyriæ urbs. *Ptol.*

THERSILOCHUS, Antenoris fil. in bello Trojano occisus: quem Virg. *l.* 6. *Æn.* inter viros fortes enumerat, qui etiam apud Inferos arma tractent.

THERSIPPUS Atheniensis, eximiæ fortitudinis & amoris in patriam, cùm prœliô mutilus debilisque factus esset, inde, decretô Solonis, statuta est lex, ut ex publico alerentur, qui in bello membrô aliquô fuissent mulctati, teste *Heraclide Pontico.*

THERSIPPUS, 4. Atheniensium princeps, regnavit ann. 12. A. M. 2971.

THERSIPPUS, lator literarum Alex. M. ad Darium. Curt. *l.* 4. *c.* 1.

THERSITÆ, gens Iberica. *Steph.*

THERSITES, Græcorum omnium fœdissimus, idemque ignavissimus, quem Achilles sibi procaciter convitiantem pugni ictu interfecit. Hujus insignis deformitas ab Homer. *l.* 2. *Il.* γραφικῶς expressa, effecit, ut cùm hominem vehementer fœdum significare volumus, *Thersitæ faciem* eum habere dicamus. Versus Homeri hi sunt, *v.* 212.

> Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα,
> Ὃς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη,
> Μάψ, ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον, ἐριζέμεναι βασιλεῦσιν,
> Ἀλλ' ὅ τι οἱ εἴσαιτο γελοίϊον Ἀργείοισιν
> Ἔμμεναι, αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε.
> Φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω
> Κυρτὼ, ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε· αὐτὰρ ὕπερθε
> Φοξὸς ἔην κεφαλὴν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Ovid. *l.* 4. *Pont. Ep.* 13. *v.* 15.

> *Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,*
> *Quàm pulchrâ Nireus conspiciendus erat.*

Juvenalis, *Sat.* 8. *v.* 269.

> *Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis*
> *Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas.*

Οὐτιδανὸς, *nullius pretii hominem* vocat Qu. Smyrnæus, *l.* 1. *Lycophron* verò πιθηκόμορφον, h. e. *Simiæ similem. Nic. Lloyd.*

THERUINGI, pop. trans Istrum, quos Trajanus Imperator subegit. *Eutrop.*

THERUMA, vox Hebræa de qua Rabbini: *Quidquid eduliorum ex terra incrementum capit, obnoxium est primitiis,* Therumæ *&* *decimis,* Moses Ægypt. *in Jad. part. tract. de Therumoth, c.* 2. Græci reddunt ἀφαίρεσις, i. e. *separatio,* erat enim separatio portionis Deo consecratæ, & oblationis Jehovæ de omnibus decimis quæ fieri solebat *per elevationem:* sicut contrà *Thenuphoth* offerebantur, per agitationem. Quò respiciens Paulus Apostol. se vocat ἀφωρισμένον εἰς τὸ Εὐαγγέλιον, Rom. *c.* 1. *v.* 1. Vide quæ diximus suprà, ubi de *Primitiis.*

THESAURARIUS, dignitatis nomen in aula Francica, quâ apud Dagobertum Regem Desiderius insignitus legitur, in Regis hujus *Præcepto,* de Episcopali dignitate Cadurcorum urbis ei collatâ: Idem cum *Thesaurorum Regalium summo Procuratore,* uti Rado vocatur, apud Fridegodum. In Anglica item, cujus descriptionem habes in *Fleta, l.* 2. *c.* 25. 28. Mediô ævô *Comes Thesaurorum,* cujus Officiales *Thesaurenses* dicti, *l.* 14. Cod. Theodos. *de divers. offic.* & *l.* 2. Cod. *de Palatin.* Vel potiùs *Comes Sacrarum Largitionum,* cui *Comes Thesaurorum* (in quibus vestes reponebantur sacræ privatæque Principis) suberat, ut Comes domorum Comiti privatarum, monente Salmasiô, *ad Alexandr. Sev. Lampridii, c.* 40. Antiquiori *Ærarii Præfectus,* apud Romanos: *Gazæ custos,* apud alias gentes, Orientales inprimis, uti videre est suprà in his vocibus. Eunuchi Candacis Reginæ Æthiopum, ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς, historiam habes in Actis Apostol. *c.* 8. *v.* 26. & *seqq.* Sed & apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores *Thesaurarius* dicitur, *cui in Ecclesiis Cathedralibus & Capitularibus, thesauri Ecclesiæ servandi cura incumbit,* uti habet Car. du Fresne *in Glossar.* ubi etiam *Subthesaurarii,* in Ecclesia Remensi meminit, ex Joanne Sarisber. *Epist.* 268. Vide quoque suprà, *Apocrisiarius, Gazophylaces.* Apud Hebræos, tres ad minimum erant, גזברין seu *Thesaurarii* itidem dicti, qui sacrum curabant Ærarium: è quo non solùm sacrificia omnis generis atque vestes Sacerdotales Pontificiæque alia item ad cultum spectantia, suppeditabant; verùm etiam Censorum seu Curatorum Urbis eorum qui Sacerdotes ritus immolandi atque id genus alios docerent, libros Hierosolymis descriptos corrigerent, judicia exercerent, aliorum etiam ejusmodi Reip. ministrorum operarumque stipendia ac mercedes in muros, arces, aquæductus, alia reficienda, solvebant, juxta Synedrii M. taxationem. In quos sumtus quotannis à quolibet 20. annorum, exceptis fœminis, servis & minoribus, dimidius siclus Sanctuarii, i. e. integer ex vulgaribus, didrachmæ Atticæ æquiparari solitus, conferendus erat, ex Lege Exodi *c.* 30. *v.* 12. Quæ summa si fortè non sufficeret, ex aliis spontè oblatis, quæ deerant, supplebantur; quemadmodum tertia pars sicli, sub initio templi secundi, ob graviores tum sacrorum operumque impensas, edicto temporario adjecta est, Nehemiæ *c.* 10. *v.* 32. &c. qua de re vide Jo. Seldenum, *de Synedriis veter. Ebr. l.* 3. *c.* 10. §. 1. & *seqq.* nec non suprà, vocib. *Apostoli, Arcarii, Archiclavus, Archidiaconus:* de *Thesaurario Garderobæ,* apud Anglos, vide suprà itidem.

THESAURUS, pecunia in futuros usus recondita à privatis, ita *ut neque memoria extet, neque dominum habeat, l.* 31. *ff. de acquir. rer. dom.* sive, ut definit M. Aurelius Cassiodorus, *l.* 6. *Ep.* 8. *Depositiva pecunia, quæ longâ temporis vetustate competentes dominos amisit.* Quemadmodum contrà omnes opes publicæ in unum locum congestæ ac depositæ, *Ærario* nomen dederunt, de quo dictum *suprà.* Latini veteres *Thensaurum secundùm Græcos proferebant.* Æl. Donatus *in Terentium,* atque ita ex ex fide Ms. codicis *in Prologo Eun. v.* 9. legendum:

> *Idem Menandri phasma nunc nuper dedit,*
> *Atque è Thensauro scripsit, causam dicere*
> *Prius, unde petitur aurum, quare sit suum,*
> *Quàm ille qui petit, unde is sit Thensaurus sibi.*

Deponebatur verò pecunia variè: Aliquando in tumulis Majorum, qui sacrorum in numero habebantur, neque sine piaculo poterant violari, Festus, *l.* 17. in voce *Sacrum:* & *l.* 16. in voce *Religiosum.* Unde Andromache, apud Senecam, *Troadibus, Act.* 3. *sc.* 1. *v.* 483.

> *Est tumulus ingens conjugis chari sacer,*
> *Verendus hosti, mole quem immensâ parens*
> *Opibusque magnis struxit in luctus suos*
> *Rex non avarus* ——

Et paulo pòst, *v.* 668.

> —— *Fuerat hoc prorsus nefas,*
> *Danai, inausum, templa violâstis, Deos*
> *Etiam faventes, busta transierat furor.*

Vide quoque Donatum, *in loc. cit.* Arrianum, *l.* 6. & Curtium, *l.* 10. *c.* 6. Alios, & suprà ubi de *Naulo Charontis.* Inde Theodorici, Gothorum Regis, extat Edictum, apud Cassiodorum, *l.* 4. *Ep.* 30. quô istiusmodi opes in tumulis reconditas, *compendio publico vindicari* jubet, *ita tamen ut à cineribus mortuorum manus abstineantur.* Ut de *talentis* 300. *ornatu ex auro & Thesauro multo,* è monimento Davidis ab Hyrcano & Herode, apud Josephum, *Ant. Jud. l.* 11. *c.* 11. deprompto, nil dicam. Non rarò in Templis recondebatur, ut de Populo sancto legimus, Josuæ *c.* 6. *v.* 24. *Nam totum argentum & aurum & instrumenta area aut ferrea, res sancta sunt Jehovæ: in Thesaurum Jehovæ venito:* ubi de Herichuntis expugnatione agitur. Memoratur quoque *Thesaurus* domus Domini, 2. Reg. *c.* 12. *v.* 4. & *Thesauri divini Præfecti,* 1. Paralip. *c.* 9. *v.* 26. Erant verò in *Thesauro* hoc sacro, non modò vestes sacræ (vide infrà *Theca*) aut pecunia, sed & spolia hostibus detracta, ut patet *de lanceis & sagittis aureis, quas à Rege Sophene captas* David gazophylacio *consecravit,* apud Josephum, *l.* 8. *Ant. Jud. c.* 10. Sed & privati in sacris ædibus pecuniam, tanquam in loco tuto, non rarò deponebant: apud Romanos inprimis. Ulpianus apud Jac. Rævardum, *Varior. l.* 1. *c.* 15. *Rem pecuniamque signatam in æde reponere.* Paulus JC. *Sed constat, ut ante litem contestatam Præses jubeat in æde sacra pecuniam deponi.* Cicer. *l.* 5. *Epist. famil.* 20. *Nam de Lucejo est ita actum, ut auctore Cn. Pompejo ista pecunia in fano poneretur.* Idem ad *Attic. l.* 15. *Ep.* 15. *Quum ex reliquis, quæ Nonis Aprilis fecit, abundarem, cogor mutuari, quodque ex istis fructuosis rebus receptum est, id ego ad illud Fanum sepositum putabam.* Meminit moris quoque Plautus, *Bacchidib. Actu* 2. *sc.* 3. *v.* 72.

> *Nos ibi apud Theotimum omne aurum deposuimus,*
> *Qui illic Sacerdos est in Dianæ Ephesiæ.*

Addebantur autem pretiosissima quæque in ipso Penetrali, parte Templi secretiore, ut metus præsentis Numinis sacrilegos deterreret. Quippe hîc simulachra ipsorum Deorum, apud Gentiles, erecta stabant, Claudian. *de Raptu, l.* 3. Plura apud Alexandrum ab Alex. *l.* 1. *c.* 24. Jo. Brodæum, *Miscellan. l.* 4. *c.* 17. Ferrandum, Schottum *ad Annibalem Nepotis, c.* 9. In fluminibus nonnunquam: sic Decebalus Daciæ Rex Trajanô urgente, *thesauros* omnes in Sargetiæ amnis aversi & mox reducti vado recondidit, operis mox interfectis &c. Inter *ἀδέσποτα* reponit Grotius *Thesauros,* i. e. pecunias, quarum dominus ignoratur; quod enim non apparet pro eo, est quasi non sit: quare & *Thesauri* naturaliter fiunt Inventoris, i. e. ejus, qui locô moverit apprehenderitque. Neque tamen id obstat, quò minus legibus aut moribus aliud constitui possit. Plato Magistratibus indicium fieri vult, & Oraculum consuli; Apollonius, *Thesaurum* quasi Dei beneficium, adjudicabat ei, qui ipsi optimus videbatur, *Philostr.* Apud Hebræos receptum, ut domino agri *Thesaurus* cederet, videtur colligi posse, ex parabola Christi, quæ extat Matthæi *c.* 13. Idemque in Syria juris fuisse, discimus ex historia, quæ est apud Philostratum, *l.* 6. *c.* 16. Romanorum Imperatorum Leges valde hac in parte variârunt; quod partim Constitutiones ostendunt, partim Historiæ Lampridii, Zonaræ, Cedreni. Germaniæ populi *Thesauros,* ut & alia *ἀδέσποτα,* addixerunt Principi: atque id nunc jus commune est & quasi gentium. Nam & in Germania, & Gallia & Anglia & Hispania, & Dania id observatur. Quod cur injuriæ accusari non possit, pluribus docet præfatus Grotius, *de Jure Belli & Pacis, l.* 2. *c.* 8. *ubi de acquisitionibus, quæ vulgò dicuntur Juris Gentium* &c. Cùm incidissent in *Thesaurum* Veteres qua exclamandi formulâ fuerint usi, suggerit Phædrus, *l.* 5. *Fab.* 6. *v.* 3.

> *Heja, inquit, commune quodcunque est lucri* [illegible]
> [illegible]

Si nempe quid κοινὸν ἢ δι' ἑρμαῖον fortè in via reperisset alter, ut alter hôc pactô ad ambos illud pertinere ostenderet. Cui similis inter nostrates quoque contestatio est, *Dein fund, men halb.* Unde facilius intelligitur, quis sensus sit adagii Græcorum, Κοινὸς Ἑρμῆς: Mercurius enim & lucri Præses & viarum habebatur. Theophrastus, *charact.* 14. [illegible] Ἑρμῆ. Vide & Phurnutum in *Mercurio*, nec non Æsopum *Fab.* Ὁδοιπόρος, & Camerarium, *p.* 110. & 118. In ejusdem Phædri, ibidem loci, verba, *v.* 6.

Carbonem, ut ajunt, pro Thesauro *invenimus*:

Notat Schefferus, natum hoc esse ex superstitione vulgi, cui persuasum, nisi observentur omnia in *Thesauris* effodiendis, quæ observanda præcipiunt hujus Artis periti, argentum omne disparere, illiusque locô meros relinqui carbones; à Dracone fortè, cujus idem Auctor meminit, *l.* 4. *fab.* 19. unde discimus, jam olim Dracones habitos fuisse custodes defossarum ac reconditarum opum, sicut hodieque vulgus credit. Vide quæ de vellere aureo, deque pomis aureis Hesperidum, Ovid. habet *in Metam.* &c. De ritu locum, ubi *thesaurus* inventus, coronandi, apud Veteres usitato, Vide Car. Paschal. *Coronar. l.* 4. *c.* 4. De *Thesauro* Galliæ Angliæque Regum, aliquid suprà, ubi de *Templariis*. Addo saltem, in *Thesauro San Dionysiano* eorundem Galliæ Regum asservari, pulcherrimum calicem ex agathe gemma, Caroli Simplicis munificentiâ thesauro illi illatum, unam ex 6. hydriis creditam, quarum in Historia Euangel. mentio, pallium Stephani Pontificis Sanctis annumerati, plurimos libros *MSS.* prætereà vas crystallinum insigne cum operculo aureo, poculum porphyreticum utrinque ansatum, cornu monocerotis 6. pedes longum, laternam Judæ, speculum Virgilii, gladium Joannæ Aurelianensis, septem coronas Imperatorias Regalesque, coronam Caroli M. Ludovici IX. Henrici IV. & Ludovici XIII. manum justitiæ Ludovici IX. ensem Caroli præfati, alia, legi apud P. Richeletum, *Diction. Gall.*

THESAURUS Corinthiorum, apud Herodot. *l.* 1. *c.* 14. *Gyges, regnô potitus, primus Barbarorum (post Midam Phrygiæ Regem) Delphos misit donaria, cùm argentea plurima, tum aureas sex pateras pondo talentorum XXX. quæ in* Thesauro Corinthiorum *(vel Cypseli potius) collocata fuerunt.* Loculus fuit seu ναὸς, ædicula, in Templo Delphico, in qua Corinthiorum donaria reponi solebant. Civitates enim Græciæ, in Apollinis Delphici templo donaria sua separatim condebant. Unde *Thesauri Sicyoniorum, Siphniorum (qui aurifodinarum decimam Apollini obtulerant) Thebanorum, Atheniensium (ob victoriam Marathoniam) Potidæatarum, in Thracia, & Syracusanorum*, memorantur Pausaniæ *in Phocicis*. Sed & Romanis & Massiliensibus, suus ibidem *Thesaurus* erat. Appiani *Excerpt. Valesii, Captis Vejis ex decima prædæ conflatus, crater aureus Delphos missus, in* Romanorum & Massiliensium thesauro *fuit repositus, p.* 546. Neque aliter Olympiæ. Pausan. *Eliacis, in Alti est crepido tophacea, super qua sunt* Thesauri *(quales Græci Delphico Apollini construxerunt) Sicyoniorum, Syracusanorum, Epidamniorum ædificârunt etiam Sybaritæ* Thesaurum *suum, & Cyrenæi, Selinuntii Metapontini, Megarenses, & Gelenses.* Sic Polemo apud Athenæum, *l.* 9. *In Olympia* ναὸς Μεταποντίνων, *in quo argenteæ phialæ* 132. ναὸς Βυζαντίων, *ædicula Metapontinorum* &c. *Byzantinorum* &c. Habebant autem inscripta nomina dedicatorum: sublatisque demum donariis, *Inscriptiones in thesauris manebant incolumes; quibus dedicatores indicantur Gyges, Crœsus, Sybaritæ, Spinatæ, alii*, Strabo, *l.* 9. Vide quoque suprà *Donaria*.

THESAURUS Orchivus, in *versu Nævii*,

Itaque postquam Orchivo *traditus* thesauro &c.

monumentum est, seu sepulchrum hypogeum. Nempe *Thesauri Templorum* dicebantur, in quibus res sacræ vetustate collapsæ reponebantur, erantque, in area Templi, structurâ & fornice sub terra facti ac operculô saxi clausi, uti diximus suprà, in voce *Cisterna*, item *Favissa*, quomodo thesauri illi quoque dicebantur. Hinc monumentum subterraneum simili ratione lapide impositô clausum, qualia apud Romanos olim Judæosque erant, *Orchivi thesauri* nomine à vetere Poëta eleganter insignitum est. Sed & Θησαυρὸς Græci dixêre locum circa Templa, in qua erat aqua inclusa, quâ sese templum ingressuri lustrabant: aliàs περιῤῥαντήριον. Imò vas sic vocabatur lustralis aquæ plenum, quod in ingressu Templorum ponebatur. Cujusmodi θησαυροὶ seu περιῤῥαντήρια rotulam ex ære habebant versatilem, ἁγνιστήριον dictam, quam templum intrantes vertebant, & aquâ inde effluente sese circumspergebant ac purificabant. Hero *Automat*: ubi de Ægyptiorum Templis, [illegible] κτλ. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 306. & suprà, ubi de *Aspergendi ritu* &c. Addo saltem, ipsum quoque Adytum, seu τὸ ἐνδότατον μέρος τοῦ ἱεροῦ, *Thesauri* & quidem *inferioris* nomine venire apud Arnob. *adv. Gentes*, *l.* 1. ipsius scil. Templi penetralia, ubi imago & cætera, quæ Mystis, cùm consecrarentur, ostendebantur, solebant custodiri. De cujusmodi imagine in thesauro asservata sic Themistius, *Orat.* 1. [illegible] Vide Desid. Heraldum, *Animadversion. ad Arnob. l.* 1.

THESBA, sive THESBE, civitas in tribu Gad regionis Galaad illustrata maximè natali Eliæ prophetæ, unde & *Thesbites* vocatur.

THESEA, dies festi, in honorem Thesei instituti. Nam postquam *Theseus* populo Atheniensi libertatem concessit, vivereque suis legibus permisit, Lycus quidam sycophanta, rem calumniis apud populum eò deduxit, ut testularum suffragiô urbe ejiceretur. Quare Heros Scyrum, ad Lycomedem, concessit, Insulæ illi dominantem, à quo, ob invidiam & æmulationem, dolô sublatus est. Ob eam caussam fame exortâ, oraculô jussi Athenienses *Thesea* ulcisci, Lycomeden necaverunt illiusque ossa Athenas detulerunt, ac templô, quod *Theseum* dixerunt, dedicatô heroïcos honores habuerunt. Nam in *Thesei* honorem octavum cujusque mensis diem celebrârunt. Cæterùm diebus illis festis (*Thesea* intellige) largitio fiebat populo, ut eô die non solùm divites, sed & cujuscunque generis homines convivia agitarent, solitôque splendidius viverent. Tantis autem honoribus eum cumulârunt; quod Athenienses dispersos & vicatim habitantes nactus, in unam urbem coegerit, statum urbis constituerit, mores & leges civitati dederit. Græcè Θησεῖα. *Hesych.* Θησεῖα, ἑορτὴ Ἀθήνησι. Celebrata esse octavô mensis die, Scholiastes docet Aristophanis. *Plato*, ταῖς ὀγδόαις ἐν Θησεῖα ἄγεται. *Suidas*, Ἡμέραι τινὲς ἀφωρισμέναι Ἀθήνησι θεοῖς εἰσιν: οἷον νουμηνία καὶ ἑβδόμη Ἀπόλλωνι, τετάρτη Ἑρμῇ, ὀγδόη Θησεῖ, *Dies quidam Athenis sacri sunt Diis quibusdam, ut mensis primus & septimus Apollini, quartus Mercurio, octavus Theseo.* Unde & sacrificium ipsi factum, Ὀγδόδιον dictum est. *Hesychius* iterum, Ὀγδόδιον, θυσία παρὰ Ἀθηναίοις τελουμένη Θησεῖ. Meminit certaminis *Theseis* celebrari soliti, A. Gellius, *l.* 15. *c.* 20. *Ac primò quidem* (loquitur de Euripide Poëta) *in certamen per ambiguam ætatem receptus non est. Post Eleusinio & Theseo certamine pugnavit, & coronatus est. Mox à corporis cura ad excolendi animi studium transgressus, auditor fuit* &c. Vide *Theseus*.

THESEIS, Græcè Θησηΐς, pars Cycli Epici, de quo dictum suprà. Vide quoque in voce *Theseus*. Item tonsuræ genus, apud Athenienses frequens. Quoniam enim inoleverat mos, ut, qui ephebi essent, capillum & barbam fluminibus, ac Apollini Κουροτρόφῳ primùm tonderent, & alii quidem temporum comam offerrent, alii posteriorem: *Theseus* Delphos profectus, comæ primitias Idolo obtulit, anteriore capitis parte abrasâ; qui modus tondendi posteà ab aliis quoque adhibitus ab eo Θησηΐς nomen accepit, Plut. in *Theseo*, *Pollux*, Alii.

THESEUS, Rex Atheniensium X. Ægei Regis fil. nothus, ex Æthra Pitthei filia, Pelopis nepte adhuc adolescens, operâ Medeæ novercæ, pene venenô periit. Sed post mortem patris ad regnum evectus, tam multa memoratu digna gessit, ut inter plures Hercules unus connumeretur. Debellavit Amazonas, earumque reginam Hippolyten secum abduxit, ex qua genuit Hippolytum. Creontem regem Thebanorum, cadavera Argivorum, qui in bello Thebano occiderant, sepeliri prohibentem, interfecit. Oppressit etiam terribilem taurum in Attica, Minotaurum in Labyrintho occidit, & Ariadnam, Phædramque Minois filias clàm secum abduxit: sed illâ relictâ in Chio insul. hæctam sibi conjugiô copulavit. Hæc fabulis involuta, ita autem se res habuit: Minos mari potens, Androgei filii necem ulturus, coëgit Athenienses nonô quoque annô tributi locô certum sibi juvenum puellarumque numerum mittere; à qua calamitate tandem liberati sunt, virtute Thesei, qui Taurô, insigni Minois duce, interfectô, monetam postmodum, in rei memoriam, bove signavit. An potiùs id factum, quòd Marathone cum bove luctatus, superior evaserit: an ut hôc pactô cives ad agriculturæ studium excitaret? Porrò Isthmios ludos, in Neptuni honorem, Sinoe occiso instituit, Herculem imitatus, qui Olympicos Jovi sacraverat. Scironem, Procrustèn, & Scinim latrones Atticæ neci dedit: Debellavit Centauros, Thebas domuit, Pirithoum præcipuâ coluit amicitiâ (vide *Pirithous*) quo cum descendit ad inferos ad rapiendam Proserpinam: Sed occisô Pirithoô, ipse aliquandiu in vinculis Plutonis fuit detentus, donec ab Hercule, qui illum summâ prosequebatur benevolentiâ, liberaretur. Postremò jam senior, tot, tantisque rebus gestis, patriâ, regnôque pulsus, in Scyrum insul. navigavit, ubi & periit, à rege Lycomede (ut quidam tradunt) interfectus: aut (ut alii malunt) cùm à cœna deambularet, ex loco edito delapsus. Vide Plutarch. in *Theseo*, & Meursium *de Reg. Athen. l.* 3. nec non Lud. de la Cerda *in illud Virg. Æn. l.* 6. *v.* 618.

— *Sedet, æternumque sedebit*
Infelix Theseus. —

Hinc *Theseis*, fabula scil. de Thesei rebus gestis conscripta, Juvenalis, *Sat.* 1. *v.* 2.

Vexatus toties rauci Theseide Codri.

Item *Thesidæ*, unde Athenienses *Thesidæ* dicuntur. Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 382.

Præmiaque ingentes pagos & compita circum
Thesidæ posuêre. — —

Hinc etiam *Theseus*. Propert. *l.* 1. *El.* 3. *v.* 1.

Qualis Thesêa jacuit cedente carinâ,
Languida desertis Gnosia litoribus. Vide & *Thesta*.

Addam hìc saltem, quòd *Atticas XII. Urbes in unam collegit & Remp. formam & statum popularem* .... in Marmore Arundeliano. Nempe hucusque Attica κατὰ πόλεις ᾤκειτο, πρυτανεῖά τε ἔχουσα καὶ ἄρχοντας, *oppidatim incolebantur*, Curias habens & Magistratus: neque Regem consulebant, ubi nullus erat ex periculo metus; sed per se quique suam Remp. administrabant & concilium habebant: quinetiam nonnulli bellum aliquando Regibus moverunt. *Theseus* autem

regnum adeptus, Conciliis & Magistratibus cæterarum urbium sublatis, *omnes in unum Concilium & Prytaneum Athenis coegit*; cui rei publicum Minervæ festum Συνοικίας nomine institutum est. Idem primus populum divisit in Εὐπατρίδας Γεωμόρους & Δημιουργοὺς, *Patricios, Agricolas & Opifices*. Monarchiam tamen non abolevit. Porrò Pallantidas (vide ubi de *Ægeo*) profligavit, agro Attico Megaricum adjecit: mansêre tamen factiosa ista Πεδιέων, Παραλίων & Διακρίων nomina, quæ demum in Pisistrati rebus se conspicienda præbuerunt. Thucyd. *l.* 2. Herodot. *l.* 1. *c.* 173. Joh. Marshamus, *Canone Chron. ad Sec. XI.* Circa tempora Baraci & Gideonis Judicum; quò & VII. ad Thebas, & Olympia ac ἆθλα Herculis, referunt. Illi successit Menestheus, quem vide. Addo, ex Petito, cùm ante ipsum Attica quidem oppidis frequens esset, κατὰ πόλεις ᾤκεῖτο, πρυτανεῖά τε ἔχουσα καὶ ἄρχοντας; sed non tantum, ut dictum, sua singulæ privatim urbes sibi procurarent atque administrarent, verùm etiam inter se essent discordes, ita ut ad arma venirent; teste Thucydide, *l.* 2. ipse maximè τὴν πολιτείαν ἐκίνησεν. Rerum namque potitus, omnes in unam convenire Athenarum urbem jussit, unô Senatu lectô, qui omnibus præesset, Democratiâque institutâ, omnibus hâc Lege idem jus esse voluit, τοῖς πολίταις τὰ ἴσα εἶναι, *Omnibus civibus jus idem esse*. Plut. *in Theseo*, quanquam cum aliqua exceptione. Nam solis ingenuis nobilibus Sacerdotia, Magistratus & Legum rerumque sanctarum atque divinarum interpretationem hâc suâ Lege concessit: τοῖς Εὐπατρίδαις γινώσκειν τὰ θεῖα καὶ παρέχειν ἄρχοντας καὶ νόμων διδασκάλους εἶναι καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητάς, apud *Eund.* Nempe tres in classes civitatem distribuit *Theseus*; Εὐπατριδῶν; qui cæteris dignitate; Γεωμόρων; qui utilitate; & Δημιουργῶν, qui necessitate antistabant. E quibus Εὐπατρίδαι, utpote αὐτόχθονες & Regibus editi, Patriciorum apud Romanos instar, in urbe suas sedes posuerunt; sicut & Δημιουργοὶ, qui, ut habet Auctor Etymologici hâc voce supplendus, erant Opifices: Reliqui verò, Γεωμόροι appellati, ruri habitabant, & agros colebant, ut idem docet. Mansitque hæc divisio Populi Atheniensis, usque ad Solonis ætatem, qui censum suorum civium egit, Atheniensesque universos in quatuor distinxit ordines, quos τιμήματα seu τέλη vocant Græci Scriptores, pro uniuscujuscunque censu: *Pentacosiomedimnorum* nempe, *Equitum*, *Zygitarum & Proletariorum* seu *Thetarum*, Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 2. *tit.* 3. Ob tanta itaque in Remp. merita, pro superstitione seculi, post mortem ab Atheniensibus pro Numine habitus est, & complura in Urbe Fana habuit: quorum unum inprimis memorabile in Urbe media, in quo ossa Thesei. Vide Plut. *loc. cit.* & Diodor. Siculum, *l.* 4. Ad hoc *Thesei* sacellum confugiebant servi, ab heris malè habiti, tanquam ad Asylum, ibique jus iis dicebatur, cùm πρᾶσιν peterent, humanioribus dominis vendendi. Grammatici. Θησεῖον, τέμενός ἐστι τοῦ Θησέως ὃ τοῖς οἰκέταις ἄσυλον ἦν. Ἐλέγετο δὲ ἄλλως οἰκοσίτα. Meminit moris Aristophanes Ὥραις, apud Pollucem, *l.* 7. *c.* 2.

> Ἐμοὶ κράτιστόν ἐστιν εἰς τὸ Θησεῖον
> Δραμεῖν, ἐκεῖ δ' ἕως ἂν εὕρωμεν πρᾶσιν,
> Μένειν ————

Idem verò jus habebat & alterum ejusdem Herois sacellum, sive ædicula, quæ, uti prius fuit prope Gymnasium, in media, ut dictum, urbe, extra Urbem erat, ad mare, in Piræeo, non longè à muro longo, intra μακρὸν τεῖχος sive τὸ Βόρειον & τὸ διὰ μέσου τεῖχος sive τὸ Νότιον, quod erat medium inter murum longum & Phalericum. De utroque capiendus *Hesychius*, Θησεῖον, inquiens, ναὸς Θησέως, ἐφ' ὃν οἱ ἀποδιδράσκοντες κατέφευγον. Vide Diodor. quoque Siculum, *l.* 4. Apud Auctorem Etymologici, non servos modò, sed & τοὺς ἄλλους ἱκέτας, *alios quoscunque supplices*, ad *Thesei* sacellum confugisse scribitur. Eôdem jure gaudebant, Minervæ templum in arce & Eumenidum ara, Plut. *Solone*. Ubi tamen observandum, in his ædibus sacris Asyli sanctitatem certis finibus circumscriptam fuisse: Proin, cùm neminem inde liceret vi abripere, ut tamen arcerentur, qui indigni essent, admovebant ignem, atque ita non ab hominibus, sed à Deo amoveri credebantur: uti suprà latiùs dictum est, ubi de *Asylis*. Vide iterum Petitum, *l.* 1. *tit.* 1. cui adde Jac. Sponium, *Itinerar. part.* 2. *p.* 188. & *seqq.* ubi Fani, post Marathoniam victoriam, in Herois hujus honorem, ab Atheniensibus media in Urbe conditi, faciem, qualis etiamnum est descriptionemque accuratam habes, & quæ suprà dicta, voce *Magistratus*. Nec verò fanis solùm templisque honoratus ab indigenis *Theseus* est, sed & gesta illius frequenter cantari atque fidibus celebrari consueverunt. Ovid. *Metam. l.* 7. *v.* 431. de Atheniensibus,

> ———— *agitant convivia Patres,*
> *Et medium vulgus: nec non & carmina, vino*
> *Ingenium faciente, canunt: Te, maxime Theseu,*
> *Mirata est Marathon Cretæi sanguine Tauri &c.*

Vide suprà ubi *de Cantilenis Veter.* & *Scoliis Convivialibus*. Etiam pingi solitus est, non nisi excellentissimis Pictoribus. Inter quos Parasius fuit, cujus *Theseus* Romæ Capitolium exornavit. Porrò, Deliis Atheniensium sacris quotannis saltatio *Thesei* repræsentabatur, quemadmodum & navis Δηλιὰς vel Θεωρὶς dicta, quâ Theori Delum vehebantur, ea fuisse credebantur, quâ *Theseus* virgines, Minotauro offerendas, reduxerat. Instituisse autem saltationem istam *Theseus* dicitur, devictô Minotaurô, ad Labyrinthi imitationem lusitque eam cum sociis redux, in Patria, circum aram Deliam κεράτινον βωμὸν dictam. Plures erant simul, verùm certis ordinibus; utrinque à capitibus lecti duces versus certos inter se subeuntes implicabant: qualem ludum Trojanum Virgilius descripsit, appositâ Labyrinthi comparatione. Γέρανον *Theseus* appellavit, i. e. *gruem*, tum ob aciem, tum propter commutationem certis legibus servatam. Vide Jul. Cæs. Scaligerum, *Poetices l.* 1. *c.* 8. Alii verò à puellis hunc γέρανον saltari consuevisse tradunt, ut videre est apud Franc. Rossæum, *Archæol. Att. l.* 7. *c.* 1. &c.

THESEUS, Historicus *Illustrium virorum vitas* consignavit *libris* 5. Suid. *in Lex.* Stob. de *Fortitud.* Item *Corinthiacorum libros* 3. Suidas & Etymologus. Etiam Thesei è scriptis narratiunculam adfert Stobæus, *Serm. de Fortit.*

THESEUS Junior, Hippasi & Alcestidis fil. Vide Schol. *in Crabrones*, *p.* 519. E.

THESIUS Mensis, i. e. Junius: perperam dictus pro *Desius*, sive Δαίσιος, qui mensis Græcorum est, Junio respondens, ut Beda notat *l. de nat. temp. c.* 24. Hepidannus *in Annal. An. Ch.* 973.

> *Hôc annô efficitur Notkerus, Abba benignus.*
> *Menstrua quindenas precedens luna Kalendas,*
> *Cùm fore venturas præsignet mense Theseô.*

Ibi Goldastus: *Mense Theseô*, Junio. Vide Spelmannum, *Glossar. Archæol.*

THESMOPHORIA, festum cui à Cerere Θεσμοφόρῳ nomen. Hujus enim beneficiô cùm fruges inventæ essent, quarum dein sationem Triptolemus docuit, decretô totius populi Atheniensis, sacra hæc instituta sunt, quæ à Cerere, ut dictum, *Thesmophoria*, & à patre Triptolemi Eleusio *Eleusinia* dicta sunt, Lactant. Placid. *ad v.* 383. *l.* 2. *Thebaidos Statianæ*, Strabo, *l.* 15. *Geogr.* Celebrabantur illa noctu, Stat. *Thebaid. l.* 7. *v.* 412.

> *Et non assuetis pernox ululavit Eleusis*
> *Mensibus* — —

Et *l.* 12. *Theb. v.* 132.

> *Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusin,*
> *Flevit & arcanos errantibus extulit ignes.*

Ubi *arcani ignes* faces sunt, quæ in *Thesmophoriis* accensæ gestabantur, exemplô Cereris, quæ sub noctem quærendæ filiæ laborem est exorsa. Claudian. *de Raptu l.* 3. *v.* 331.

> *Noctivago tædas inflammatura labori.*

Cum istis faculis autem lutô & furfure obliti currebant, *Brodaus*. Sic tamen, ut non unicuique fas esset, quam gestaret, sed currentes sibi mutuò traderent, quod fiebat hâc potissimum ratione: Unus ab ara facem accensam manu comprehendebat, & ad certum in templo locum currebat, quo cùm pervenisset, alteri successuro & cursuro eandem tradebat, verbis: *Tibi trado*. Inde Δᾳδουχία *facis gestatio*, & ἱεροφάνται Δᾳδοῦχοι *Doctores sacrorum faciferi*, in sacris recepta vocabula. Unde Callias Cereris sacerdos Δᾳδοῦχος, Plut. *in Aristide* dicitur. Porro in his sacris perpetua taciturnitas observata est, ideo Papinius *tacitos mystas* dixit: unde & Mysteria ἀπὸ τοῦ μύειν, quod est, os claudere, nomen acceperunt. Erant autem hæc duplicia: *Parva*, quæ Proserpinæ filiæ, Plut. *in Demetrio*, Tatian. *Orat. contra gentes &c.* & *Magna*, quæ in ipsius Cereris honorem fiebant Scholia Aristoph. *in Pluto*, *act.* 4. *sc.* 2. Addit Gebhardus, *parva sacra* fuisse velut προκάθαρσιν καὶ προάγνευσιν *lustrationem*. At in *magnis* qui initiari volebat, moris fuit, ut quam quis sub initiationis tempus vestem gestâsset, eam non prius exueret quam longô usu detrita gestari amplius non posset. Tum enim ferebatur in templum, dicanda Deo illi, cujus religionis candidatus esset, qui sacrandam offerebat. Hinc Aristoph. *locô laudatô*.

> Μῶν οὖν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;

Quod Nic. Frischlinus sic vertit:

> *Numnam hâc tu veste es, quâ in magnis sacris*
> *Initiatus es.*

Plura vide suprà in voce *Eleusinia*, *Nic. Lloydius*. Celebrabantur nempe illa quotannis Eleusiniæ quoque Cereri, idque ex lege, memoratâ Græco Theocriti Interpreti *ad Idyll.* 4. Κατ' ἔτος τελεῖν τὰ Θεσμοφόρια: ubi simul docet, festum procuratum fuisse à Matronis, sed quæ, ut aliunde constat, essent in casto; Νόμος ἦν Ἀθηναίοις, κατ' ἔτος τελεῖν τὰ Θεσμοφόρια, καὶ παρθένοι γυναῖκες τὸν βίον σεμναὶ τὴν ἡμέραν τῶν τελετῶν τὰς νομίμους βίβλους καὶ ἱερὰς, ἐπὶ τῶν κεφαλῶν αὐτῶν ἐπετίθεσαν καὶ ὡσανεὶ λιτανεύουσαι ἀπήρχοντο εἰς Ἐλευσῖνα. Quam in rem sumtus facere tenebatur maritus, siquidem uxorem duxisset, cui dos esset tria talenta, ut docet Isæus, *Orat. de Pyrrhi hær.* Sicut verò in Panathenæis & Liberalibus, ita quoque in *Thesmophoriis*, nexi vinculis solvebantur, ex Lege, Ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις λύειν τοὺς δεσμώτας; testibus *Marcellinô* atque *Sopatrô*. Sed illi tantùm, qui sacris poterant interesse: At quibus ob piaculum, aut alia de causa interdicebantur, illi vinculis neutiquam eximebantur. Quem imitati morem Christiani Imperatores idem indulgere consueverunt diebus festis Paschatis, idque quotannis Rescriptô caverunt. Vide Cod. Theodos. *de Indulgentiis criminum*, & plura hanc in rem, apud Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas l.* 1. *tit.* 1. Vossius Θεσμοφόρια non Cereri modò, sed & Proserpinæ fuisse facta: ac quanquam majori colerentur castimoniâ, quàm Eleusinia, Syracusis tamen in hoc festo utrique Deæ μυλλοὺς, seu naturæ muliebris simulachra, ferri consuevisse, docet. Et quidem Athenæus, *l.* 14. Ἡρακλείδης, inquit, Συρακούσιος ἐν τῷ περὶ θεσμῶν φησι ταῖς πεντελαίοις τῶν Θεσμοφορίων ἐκ σησάμου καὶ μέλιτος σκευάζεσθαι

ἰθύφαλλα γυναικεῖα ὄντα καλεῖσθαι τῶν Ἐπιπόλαια μόρια ἢ ἀφροδίσια ταῖς θεαῖς Qui mos flagitiosus quidem, at symbolicus fuit. Ut enim in Osiridis & Bacchi sacris, phallus est circumgestatus ad significandam generandi vim activam, quæ est in Sole & Humore: ita in Syracusanis *Thesmophoriis* circumferebantur μυλλοὶ, ad indigitandum principium generationis passivum. Vide Voss. præfatum, *de orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 59.* Nec verò, præter Athenas, Syracusis modò, sed & in aliis compluribus Græciæ Asiæque urbibus, Romæ quoque Atheniensium imitatione, hæc sacra celebrata sunt, uti pluribus docet Jac. Gronov. *Epistolarum*, quas Livianæ suæ editioni, Tomo II. subjunxit, *primâ.* Salmasio *Thesmophoria* cum *Eleusiniis* multa communia habuêre: Utriusque enim sacri eadem origo & causa, utrumque eidem Numini institutum; utrumque μυστικὸν & ἀρρητικόν; in utroque Iacchus cum Cerere & Libera colebatur, & porci mystici, quos Latini *porcos sacres* dixêre; immolabantur (*Pharnuchus* δελφακας *ἐγκυμονας* Cereri in Thesmophoriis mactatas ait) junctis præterea mensibus celebrabantur, Eleusinia Boëdromione, *Thesmophoria* Pyanepsione. Differebant verò, quod Eleusinia virorum, Thesmophoria mulierum, initia fuêre, qui ambo à Venere abstinere tenebantur; unde Θεσμοφοριάζουσαι *Aristophanis*. Præterea Thesmophoria cum luctu solebant agitari, utpote in quibus raptus Proserpinæ depalabatur, unde σκυθρωποτάτην Θεσμοφορίων ἡμέραν vocat Plut. *in Vita Demosthenis*: At omnia in Eleusiniis læta, quippe quæ Cererem, haustò cyceone, ad quem facetiis Baubonis incitata erat, exhilaratam repræsentabant. Sed & *Thesmophoria* in urbe, Eleusinia in agro, agebantur, &c. Vide eum *ad Solin. p. 750. & seqq.* ut & suprà voce *Humi*, item *Inauris*, ubi Βοτρύδιον dictum esse inauris genus, quô festo huic operantes ornabantur, vidimus: quemadmodum de placentæ genere in eodem matronis dari solito, diximus aliquid, ubi de *liberalis ritu.*

THESMOPHOROS, Cereris epitheton, quæ & *Legifera* poëtis dicitur: Servius Honor. *ad l. 4. v. 57. Leges*, inquit, *Ceres dicitur invenisse: Nam & sacra ipsius* Thesmophoria *i. e. legum latio, vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante frumentum à Cerere inventum, passim homines sine lege vagabantur, quæ feritas interrupta est, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura. An ideo* Thesmophori *dicuntur, quia in æde Cereris, æri incisæ leges asservabantur?* Vide quoque Clem. Alexandrinum *in Protrept.* Arnob. *contra Gentes*, Herodot. *l. 2. &c.* Inter recentiores Lilium Gyraldum, *Syntagm. Deor. Gentil.* 14. Wolphgangum Lazium, *l. 2. Comm. Reip. Rom. c. 7.* Bapt. Pium *Annotat. poster. c. 9.* Calimachus *in hymno ejus*:

> Ὡς πολίεσσιν ἑαδότα θέσμια δῶκε,

Virgil. *l. 4. Æn. v. 58.*

> *Legiferæ Cereri.*

Calvus antiquus Poëta, *de Cerere*:

> *Et leges sanctas docuit, & chara jugavit*
> *Corpora conjugiis, & magnas condidit urbes.*

Vide *Ceres.* Item Isis sic dicta, quæ leges Ægyptiis statuisset, quibus æque omnibus justitia servaretur. Diodor. *Nic. Lloyd.*

THESMOTHETÆ, inter præcipuos Atheniensium Magistratus, numerô sex erant: è Novemviris illis annuis, de quibus suprà. Horum enim unus *Archon* dicebatur, & signabat Fastos; alter Rex, qui sacra curabat; tertius *Polemarchus*, cui belli commissa cura; reliqui sex *Thesmothetæ* nuncupati, Legum ferendarum rationem habebant, Pollux, *l. 8. c. 9.* Et quidem, antequam hi Magistratum capesserent, in eorum vitam inquirebatur, idque prius apud Quingentorum Senatum, deinde apud Judices, fiebatque *Thesmothetarum ἀνάκρισις*, hôc modô, Εἰ Ἀθηναῖοί εἰσιν ἑκατέρωθεν, καὶ τῶν δήμων πόθεν· Καὶ εἰ Ἀπόλλων ἐστὶν αὐτοῖς Πατρῷος καὶ Ζεὺς Ἑρκεῖος καὶ εἰ τοὺς γονέας εὖ ποιοῦσι καὶ εἰ ἐστρατευμένοι καὶ εἰ τὸ τίμημα ἐστιν αὐτοῖς, Idem *loc. cit.* Quod ad omnes Novemviros trahit Demosthenes ἐν τῇ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων ἀνακρίσει. Ne quis verò *Thesmothetis* injurius esset, Lege cautum: Ἐάν Θεσμοθέτην ἢ Ἄρχοντα ἐστεφανωμένον, ἢ τινα τούτων, οἷς ἂν ἡ πόλις τινὰ ἄδειαν, ἢ στεφανοφορίαν, ἢ τινα τιμὴν, δῷ ὑβρίσῃ τις, ἢ πατάξῃ, ἢ κακῶς εἴπῃ, ἄτιμος ἔστω καθάπαξ, *Si quis Thesmothetam aut Archontem coronatum, aut aliquem eorum, quibus civitas aut immunitatem aliquam, aut coronam ferre, aut honorem aliquem concessit, contumeliâ affecerit, aut pulsaverit, aut maledixerit, ignominiosus esto*, apud Demosthenem *in Midiana.* Differebant autem hi *Thesmothetæ*, à Nomothetis, quorum quidam à Senatu Quingentorum è singulis Tribubus singuli eligebantur, *Thesmothetæ* quoque dicti, Scholiastæ Aristophanis; Alii, propriè *Nomothetæ* appellati, unus & mille legebantur: Quorum hi posteriores Leges novas à prioribus scriptas & publicè propositas debebant δοκιμάζειν καὶ κυροῦν suô calculô, vel ἀποχειροτονεῖν & ἀποδοκιμάζειν. Vide suprà, ubi de *Legibus.* Cùm verò fieri non posset, quin obreperent Leges aliæ aliis contrariæ, aut quæ ratæ non essent inter ratas, aut de una re plures: hinc *Thesmothetæ* quotannis in publico Tabulario convenientes in Leges inquirebant & cum cura videbant, utrum Lex ulla alteri contraria obtineret, aut quæ rata non esset: aut an plures essent scriptæ una eademque de re. Quòd si quam hujusmodi deprehendissent, descriptam in tabella ad Eponymorum statuas proponebant, Prytaneisque concione habitâ Nomothetas designabant, & Proëdrorum Epistates, populô in suffragia missô de Legibus, quæ vel abrogandæ vel ratæ habendæ essent, procurabat: ex Lege, cujus meminit Æschines, *Orat. contra Ctesiphontem.* Vocat domum, in qua conveniebant, τὸν οἶκον οὗ οἱ θεσμοθέται χάρτας εἶχον, Ulpianus, *in Demost. Orat. de Corona.* Apud eosdem dicas metallicas consuevisse scribi, diximus suprà, ubi de *Metallis.* Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas l. 2. tit. 1. & l. 3. tit. 2.*

THESPEUS Archon Athenis, τῶν διὰ βίου, seu perpetuorum, X. post Ariphronem præfuit ann. 27. circa tempora Ramessis Ægyptiorum Regis inclyti. Illum excepit Agamester, quem vide. Meliùs *Thespieus.*

THESPIA, Herodot. *Thespiæ* Xenophonti, Ptol. Plin. & Strab. *Tespe* adhuc, urbs Bœotiæ satis ampla, proxima Thebis, inde 12. mill. pass. in Meridiem, Megaram versus 40. ad Thespium fluv. (de quo *Hesych.* Θέσπιος, ποταμὸς Βοιωτίας) Platæis finitima. A Thespiade, Teutrantis, fil. condita. Episcopalis sub Archiepiscopo Atheniensi primùm, dein Thebano: Ejus meminit Actius Syncerus, *l. 1. Epigr.*

> *Ergo tu nobis Helicon, & udæ*
> *Phocidis saltus, hederisque opacum*
> *Thespia ripis nemus, & canorô*
> *Vertice Pindus.*

Hinc *Thespius*, ut *Thespia rupes* apud Catullum, *Epigr. 62. v. 27. 28.* Item *Thespiacus*, ut *mœnia Thespiaca* apud Val. Flaccum, *l. 1. v. 93.* Numeratur autem hæc urbs inter ea loca, quæ Musis consecrata credidit antiquitas, unde & Musæ ipsæ *Thespiades* cognominantur. Ibi fons, qui mulierum conceptus repræsentat, Plin. *l. 1. c. 2.* Et Glyceria Thespiensis, tabulam Cupidinis, magni æstimatam, quam à Praxitele donô habuerat, civibus suis donavit: Unde *Amor* ibi coli, cœptus. Vide etiam suprà, voce *Cupido.* Hodie vicus est urbs hæc prope Heliconem, in limite Phocidis; medius inter Copaidem lacum ad Boream & Corinthiacum Sinum ad Meridiem 12. mill. pass. utrinque; sed à Thebis 40. in Africum. Sub Turcis, *Baudrand.* Est & altera *Thespia*, urbs Thessaliæ, Val. Flac. *l. 2. v. 92.* Tertia Sardiniæ. *Lloyd. Thespiades* ex marmore Cleomenis opus, inter monumenta Asinii Pollionis, memorantur Plin. *l. 36. c. 5.* uti *Thespiadum prælium* ex ære, ab Euthycrate factum, *l. 34. c. 8.* Meminit quoque *Thespiadum, ad ædem Fortunæ, à Mummio dedicatarum*, Cicer. *6. Verr.* &c.

THESPIEUS Archon Athenis, de quo voce *Thespeus.*

THESPIS, ex Icaria Atticæ civitate, primus poëta Tragicus, & qui personas invenit. Floruit tempore Solonis, *Diog. Laert.* vel Olymp. 61. secundùm *Suidam.* Lil. Giraldus, *in Hist. Poet.* Horatius, *ad Pisones, de Arte, v. 275.*

> *Ignotum Tragicæ genus invenisse camœnæ*
> *Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis,*
> *Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.*

THESPIS, sive THESPIUS, Atheniensis, Erechthei Regis filius, qui è pluribus fœminis filias genuit 50. cum quibus vocatus ad epulas Hercules sigillatim concubuit, suscepitque totidem liberos mares, qui *Thespiades* dicti sunt. Hi cum Jolao, Herculis ex Iphicleo fratre nepote in Sardiniam profecti, civitates quamplurimas extruxerunt, Diod. *l. 5. Silius.*

> *Nec parvum decus, advectô cum classe paternâ*
> *Agmine Thespiadum, terris Iolae dedisti.*

THESPROTIA, nunc *Vajelitia* Nigro, Epiri regio Chaoniæ proxima. Plin. *l. 4. in Proœmio*, cujus incolæ *Thesprotæ* & *Thesproti* *Ptol. & Strab.* Horum meminit Lucan. *l. 3. v. 179.*

> *Thesproti, Dryopesque ruunt, quercusque silentes.*

Vide sis Passeratium in illud Propert. *l. 1. El. 11. v. 3.*

> *Et modò Thesproti mirantem subdita regno*
> *Proxima Misenis litora nobilibus.*

Hinc *Sinus Thesprotius* Liv. *l. 8. c. 24. Golfo di Butrinto*, Ptol. *Buthrotum Sin.*

THESSALIA, regio & pars ampla Macedoniæ apud *Ptol.* Achajæ, seu Helladi ad Meridiem, Epiro ad Occasum confinis; ad sinum Pelasgicum & Maliacum: licet apud Plinium, *l. 4. c. 8.* ac Melam, *l. 2. c. 3.* & Solinum, *c. 14.* sit regio à Macedonia distincta, inter illam ad Arctos, & Bœotiam ad Austrum, montibus Olympô, Ossâ, Peliô ad Boream, Othry, & Oetâ ad Meridiem, Pindóque ad Occasum cingentibus. Antiquitus sub Regibus propriis, dein Macedones Dominos habuit, his Romani, Romanis Græci, à quorum Imperatore Henrico, Bonifacius Marchio, Thessalæ Rex creatus est, A. C. 1210. successêre, donec sub Turcarum, quorum Imperator Amurathes, jam A. C. 1380. multa in Macedonia & Thessalia occupavit, jugum redacta est. Vide infrà. Varia nomina habuit apud veteres. *Æmonia* enim teste Halicarnass. *Dryopis*, teste Pliniô, *Hestiæotis*, teste Strabon. *Estiotis*, Ptol. *Pelasgia*, teste Steph. *Argos Pelasgicum* Homero, teste Strabone, & Solinô, *locis citt.* dicta est. Variè quoque vulgò nominatur. *Comenolitari* Castaldo. *Thumenestia* Anton. Geufræo, *Lamina* Lazio. In 4. reg. distribuitur à Strab. in *Thessaliotim*, *Phthiotidem*, *Pelasgiotim*, & *Hestiotim.* Hic genitus Rex, nomine *Græcus*, à quo *Græcia*; Hic Hellen, à quo Hellenes: quos Homerus Myrmidonas quoque & Achæos vocavit: donec *Thessalia* nomen invaluit. Ibidem primùm equi domari cœperunt. Vide Pausan. *initiô Phocicorum, sive l. 10.* Unde versiculus:

> Ἵπποι Θεσσαλικαὶ, Λακεδαιμόνιαί τε γυναῖκες.

Fuit & *Thessalia* oppid. illius regionis, olim, teste Solinô præcipuum. Populi *Thessali*, Cicer. Cæs. & aliis. In Thessalia diluvium sub Deucalione contigit, stagnante Peneô fluv. Unde Claudian. *l. 2. de Raptu Pros. v. 179.*

> *Sic cum Thessaliam scopulis inclusa teneret*
> *Peneô stagnante palus, & mersa negaret*
> *Arva coli, tridenti Neptunus cuspide montes*
> *Impulit adversos: tum forti saucius ictu*
> *Dissiluit gelido vertex Ossæus Olympo.*

Cæterùm ora Thessaliæ inter Penei fluv. ostia ad Boream & Thermopylas ad Austrum continetur. Incolæ edaces fuisse perhibentur, quod *Thessala bucca* fit in proverbio, apud *Athenæum* & *Jul. Pollucem*: sicut & *Thessalicum numisma*, apud *Suidam* & *Hesychium* pro pecunia adulterina, sive pro fuco & fraude. *Thessala equa*, pro præstantissimis. *Thessalorum* quoque *commentum* apud Suidam in eos, qui fraude alios circumveniunt, dicitur, & *Thessalicus missus*, apud Pausan. *in Atticis*, de lauta mensa. Thessali maleficiis addicti fuisse, à Medea superstitiones & veneficia edocti, traduntur: unde apud Aristoph. Apul. & Plin. *l.* 30. *c.* 1. magiam apud Thessalos propagatam apparet. testantur id passim Poëtæ. Plautus *in Amphitryone*, *Actu* 4. *sc.* 3. *v.* 9.

Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum.

Horat. *l.* 1. *Carmin. Od* 27. *v.* 21.

Quæ saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, &c. ———

Idem, *Epod.* 5. *v.* 45.

Quæ sidera excantata voce Thessalâ
Lunamque cœlo deripit.

Idem, *l.* 2. *Ep.* 2. *v.* 208.

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos Lemures, portentaque Thessala rides.

Tibullus, *l.* 2 *El.* 4. *v.* 56.

Quidquid & herbarum Thessalâ terra gerit.

Loquitur de venenatis. Unde Propert. *l.* 1. *El.* 5. *v.* 6.

Et bibere è totâ toxica Thessaliâ.

Idem, *l.* 3. *Epigr.* 23. *v.* 9.

Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.

Lucan.

Thessala quinetiam tellus herbasque nocentes
Rupibus ingenuit. ———

Claudian. *in Rufin. l.* 1. *v.* 147.

——— *Novi quo Thessala cantu*
Eripiat Lunare jubar. ———

Nic. Lloyd. Baudrando fuit hæc regio à Macedonia propria distincta, divisaque in V. partes, nempe in Thessaliotim, Phthiotidem, Pelasgiotim Æsthiotim & Magnesiam. Ejus urbes præcipuæ Larissa, aliæ minores fuêre Tricca, Demetrias, Pharsalus, Thebæ Phthioticæ, Pheræ & Gomphi, vide infrà. Nunc *Janna* maxima pro parte dicitur, *Brietiô* teste. Sub Turcis; ejusque primariæ urbes sunt *Janna* & *Larissa*.

Oppida & loca celebriora Thessaliæ.

Æstinium, in Estiotide.
Atra, in Pelasgia.
Castanea, in Magnesia.
Cypera, in Thessalia propria.
Demetrias, in Phthiotide.
Echinus ibidem.
Gomphi, in Estiotide.
Hermenium, in Magnesia.
Hypata, in Thessalia propria.
Jolcus, in Magnesia.
Larissa, in Phthiotide.
Melibœa } in Magnesia.
Methone }
Pagasæ, in Phthiotide.
Pharsalici seu Philippici campi.
Phestus, in Estiotide.
Phthia, in Phthiotide.
Pytheum, in Pelasgia.
Tempe, ad Peneum fluv. in Phthiotide.
Thebæ, ibidem.
Thermopylæ in Magnesia.
Tricca in Thessalia propria &c.

THESSALICUS, cognomen Valentis Imperatoris, quod is assumpsit, post Pisonem, qui à Macriano ad eum opprimendum missus erat, in *Thessalia* superatum occisumque, apud Treb. Pollionem, *Gallienis*, *c.* 2. De *Thessalis* verò *Equitibus*, Romæ in Circo, *feros tauros per spatia Circi agere, insiliréque defessos & ad terram cornibus detrahere solitis*, ut ait Suetonius, *Claudio c.* 21. diximus aliquid suprà, in voce *Taurocathaptæ*.

THESSALIDES, calcei dicti sunt, *Thessalis* usitati, sicut *Argia* Argivis; *Rhodiaca* Rhodiis, &c. Vide Lysyppum *Bacchadibus*. Pileos verò *Thessalorum* quod attinet, fuerunt illi arcendo maximè Soli accommodati, utpote largè marginati, ac petasis similes; quales galeri nostrates: Cùm pilei Veterum communes margine carerent, sicut ii, quibus cubitum ituri uti solemus. Vide Anselm. Solerium, *de Pileo*, *sect.* 8. & suprà passim.

THESSALION, servus Mentoris, Principis Sidoniorum, proditionis à Domino, cum Artaxerxe Ocho agitatæ, internuncius. Diodor. *l.* 16. *f.* 522.

THESSALONICA, hodie *Salonichi* Sophiano, & aliis, urbs Macedoniæ ad sinum Thermaicum clarissima, emporium amplum & sedes Præfecti. Hic Apostol. Paulus Euangelium prædicavit, magno cum successu, cum eò redire prohiberetur, Timotheum misit, qui illos in agnita veritate confirmaret. Hôc ad Paulum reversò, scripsit Apostolus Corinthi A. C. 52. duas Epistolas divinas ad Thessalonicenses: priorem 5. capitib. posteriorem, in quâ Antichristum graphicè depingit, 3. Vide infrà. Theodosius Imperator VII. M. è plebe hujus civitat. ob occisum Præsulem Botericha, nonnullosque Nobiles sustulit, A. C. 390. Expugnata à Saracenis est, A. C. 895. Ab Apollonia, & Dyrrhachio 165. mill. pass. in Ortum. *Baudrando* urbs etiamnum ampla, populosa & dives, cum portu commodissimo, in ipso recessu Sinus cognominis olim Thermaici. Vendita fuerat ab Andronico Palæologo Venetis, quibus erepta est A. C. 1432. ab Amurathe II. 220. mill. pass. à Dyrrachio in Ortum Byzantium versùs 350. Hic ingens Hebræorum, Christianorum, Turcarum numerus. *Strabo*, Plin. *l.* 4. *c.* 10. *Phranzes*, *Chalcondylas*, &c. Ejusdem urbis mentio in veterib. nummis ubi notæ SMTLS. SMTSE. TEC. TES. TESATH. THEU. THEUP. occurrunt, vide suô quamque locô, quòd ibidem cusi essent. Populi *Thessalonicenses*. Claudian. *l.* 2. *in Rufin. v.* 279.

Tangebat Macedum fines, millósque subibat
Thessalonica tuos. ———

In 1. *Epistolam ad Thessal.* prodierunt. Calixtus. Crellii Sociniani *Prælectiones*, Faucheur *in c.* 1. *Gall.* Godeau. Gomari *Explicatio loc. diffic.* Hunnius. Ivellus Angl. in 8t. Londini, A.C 1583. Morschovius. Martini *Analysis*. Musculus. Origenis *Tractatus*. Quistorpius. Rollocus, Sculteti *Idea Conc.* in 4to. Witteb. A.C. 1627. Sclaterus, *Angl.* in 4to A. C. 1630. Stevertius. Theveti *Expositio*. Gall. Vasquez. Vorstius. Weinrichii *Explic.* Wellerí *Enarratio*, in 8t. Norimb. A. C. 1561. Willichii *Comment.* Argentor. A.C. 1545. Zanchii ibidem, Zuinglii *Annotationes*. In 2. *Epist.* extant: Crellius. Godeau. Gomarus. Hofmanni *comm.* in 8t. Francofurti A.C. 1545. ut & Morschovii Socinian. Musculus. Rollocus. Sclaterus Angl. in 4to A. C. 1630. Sculteti *Idea Conc.* Stevartius. Thevetus. Vasquez. Vorstius. Weinrichius. Wellerus. Willichius. Zanchius. Zuinglius, &c.

THESSALONICE, ab Antipatro fil. quem frustra per ubera, quæ eum lactaverant, deprecata est, interfecta memoratur, à Pomp. Trogo.

THESSALUS, Archon. Athenis, Olymp. 107. An. 2.

THESSALUS, Medicus, qui conviviô institutô, Babylone invitavit Alexandrum, ut eâ occasione venenum ei ab Antipatri filiis Cassandrô & Jollâ propinaretur. Curt. *l.* 10 *c.* 4.

THESSALUS, fil. Hippocratis, Draconis frater: qui ambo Medicinæ gloriâ patrem æmulati sunt. Proverbium enim, *non minus rudis es, ac filii Hippocratis*, in alium quadrant Hippocratem. Castellan. *in vit. Medic. illustr.*

THESSALUS, Trallibus oriundus, Medicus sub Nerone Imperatore, qui triduanum jejunium ægris quibuslibet imperabat, totiusque Medicinæ perfectam cognitionem intra 6. menses pollicebatur, contra cujus placita multis in locis disputat Galenus. Solus Medicinæ arcana se pernôsse jactitans, scripsit *contra Hippocratis aphorismos*: cùm tamen ipsemet nihil novi invenisset, sed Themisonis principiis mordicus inhæreret. Obiit Romæ, in via Appia sepultus. Scripsit porrò de *Communitatibus & Syncritica*. Plin. *l.* 29. *c.* 1. Galen. *l.* 1. *Meth. c.* 2. Castellan. *in ill. Med.* Vander Linden, *de Script. Med. Nic. Lloydius.*

THESSYRIS, Sarmatiæ Europææ fluv. *Ptol.* qui & *Hethessyris* legit.

THESTIA, Acarnaniæ urbs. Polyb. *l.* 5. *c.* 7. & oppidum Laconiæ ad Eurotam. *Cedrenus.*

THESTIADES, vide *Thespis*, ubi *Thespiades*, de iis enim eadem historia narratur.

THESTIDIUM, urbs Thessaliæ, item stagnum Thraciæ. *Steph.*

THESTIS, urbs Arabum, & alia Libyæ. *Steph.* & fons in Cyrene. *Herodot.*

THESTIUS, Parthaonis fil. pater Toxei ac Plexippi, & Althææ matris Meleagri, quæ *Thestias* dicitur. Ovid. *Met. l.* 8.

THESTOR, Idmonis & Laothoës fil. pater Calchantis, qui ab eo *Thestorides* vocatur. Ovid. *l.* 12. *Met. v.* 19.

——— *Veri providus augur*
Thestorides.

Statius, *l.* 1. *Achil. v.* 496.

O nimium Phœbi, tripodumque oblite tuorum
Thestoride.

THESTORIDES Ludimagister, sibi datam ab Homero (quem hospitiô exceperat) Ἰλιάδα, i.e. *minorem*, Iliadem pro sua venditavit, teste Herodotô *in Vita Homeri*: inter Cyclicos Scriptores recensitus. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 853. & suprà, ubi *de Cyclo Epico, Cypriis*, ac *Iliade parva*.

THESTORUS, urbs Thraciæ. *Steph.*

THESTYLIS, mulier quædam rustica apud Theocritum & Virgil. *in Pharmaceut.*

THETA, olim capitali sententiæ præfigi solitum est. Isidor. *l.* 1. *c.* 20. & 23. Pseudo-Cornutus ad *v.* 12. *Sat* 4. *A. Persii*, *Judices inquit, literam* Theta *apponunt ad nomina eorum, quos supplicio afficiunt, meritò*, Θεῖα διὰ τὸ θάνατον *quod quasi habet telum suum, ideoque quasi triste intelligitur, vel mortis signum: Unde quidem ait*,

O meritò ante alias infelix litera Theta.

D. Auson. *Epigr.* 120.

Misselle Doctor, ô tibi sit obscœna,
Tuumque nomen Theta *sectilis signet.*

A. Per-

A Persius, *loco citato*:

Et potis es nigrum vitiis praefigere Theta.

Sidonius Apollinar. *Carm.* 9.

Isti qui volet exarationi
Districtum bonus applicare Theta.

Contrariò ritu Hebraeis salutiferam fuisse *Thau*, ex S. literis patet, vide *Ezech.* c. 9. *& c.* 59. Hieron. *ibidem*, *&c. Nic. Lloydius*.

THETAE, Graecè Θῆτες, dicebantur apud Athenienses, quos Romani *proletarios & capite censos* appellavêre. Postquam enim Solon civium suorum censum egit, Athenienses universos in 4. distinxit ordines, *Pentacosiomedimnos*, qui Reip. talentum pendebant: *Equites*, qui semitalentum: *Zeugitas*, qui minas decem: & *Thetas*, qui nihil conferebant; quique proin non habebant ad Magistratus aditum, ut constat è Plut. *in Solone*, & *Polluce*, *l.* 8. *c.* 10. vi Legis: Τοὺς Θῆτας μὴ ἄρχειν μηδεμίαν ἀρχήν. Interim, ne omnium omninò partium Reip. expertes essent, voluit Solon, ut & cum caeteris in concione suffragia ferrent, atque inter Judices adlegerentur; quod cùm primo leve videretur, maximae tamen fuit auctoritatis, quippe penès Judices omnium ferè rerum fuit arbitrium, cùm ad eos à Magistratibus soleret provocari, Plut. *ibid.* Adde, quòd utrumque rem eorum juvabat. Namque trioboli gratiâ, quod erat τὸ ἐκκλησιαστικόν à tempore Agyrrhii, maximè in concionem veniebant *Thetae*: unde jocus Comici *Pluto*,

Ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον γίγνεται.

Ubi Scholia, διὰ ταῦτα δὲ τὸ ἐπὶ φιλοτιμία τ̃ Ἀθηναίων συμβολον. Et cùm Judices essent, habebant unde viverent: Nam οἱ δικασταὶ ἐλάμβανον μισθὸν, *Judices accipiebant mercedem*. Iidem ex instituto Periclis, ut Ludos spectare possent, accipiebant ex publico τὸ θεωρικόν, drachmam videl. seu duos obolos, qua de re dictum suprà, in voce *Theorica pecunia*. Neque verò classi suae sic adfixi manebant, ut re familiari crescente, non allegerentur in superiorem aliquem ordinem; cujus rei illustre exemplum legitur apud Pollucem, *l.* 8. *c.* 10. de Anthemione Diphili filio, qui in Equitum ordinem ex illo *Thetarum* allectus est: cui proin icon in Acropoli posita, ἵππος ἀνδρὶ παρεστηκώς, *equus viro adstans*, cum Epigramm.

Διφίλου Ἀνθεμίων τὴν δ' ἵππον θεοῖς ἀνέθηκε,
Θητικοῦ ἀντὶ τέλους ἱππάδ' ἀμειψάμενος.

Vide Sam. Petitum, *Comm. in Leges Atticas*, *l.* 4. *tit.* 5. & suprà ubi de *Proletariis*, it. voce *Sextantuli*.

THETBOLDI Villa, *Thiboville*, locus Galliae, Order. Vitali, *l.* 12. non indictus, ad Riselam fluv. *Rille*, ubi Carentonâ augetur; inter Alnetum *l'Aunay* & Brioniam oppid eidem, *l.* 8. memoratum, vide Hadr. Valef. *Notit. Gall.* in voce *Risela*.

THETIS, Nerei & Doridis filia uxor Oceani, Nympharum mater: inter quas *Thetis* junior, quam cùm Jupiter, pulchritudine ejus captus, adamaret, uxoremque ducere decrevisset, monitus est à Prometheo, ita esse in fatis, ut quicunque ex ea nasceretur, patre major esset futurus. Quâ re auditâ, Jupiter à nuptiis ejus abstinuit. Thetidem verò posteà Peleus uxorem duxit, Aeaci filius, qui Achillem ex eâ suscepit. Ovid. *l.* 11. *Met.* Vide Nat. Com. *l.* 8. *c.* 2. Catull. *Epigr.* 65. *v.* 28.

Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?

Haec susceptos ex Peleo filios, igni imposuit, inque iis mortale corpus exurere cupiens immortalitatem acquirere studuit. Hôc pacto, multis combustis, editum Achillem flaminis injecit: quod animadvertens Peleus exclamavit; sed illa hoc aegre ferens divortium fecit. Alii ajunt, in cacabum aeneum ferventis aquae, ab ipsa filios conjectos esse, ut exploraret an mortales essent; quosdam in ignem, ut Achillem. Staphylus, *de rebus Thessaliae*, scribit Chironem Sapientiâ & rerum coelestium peritiâ insignem cogitâsse Peleum celebrem reddere, arcessivisse filiam Actoris Myrmidonis; divulgâsse verò famam: quòd Peleus Thetidem, Jove collocante, ducturus esset: Dixque nuptiis cum imbre & tempestate adfuturi. Hôc rumore delatô observavit tempus, quô ingentes pluviae ventorum turbines existerent, Philomelamque Peleo elocavit. Tali ratione, fama de Thetide ductâ invaluit. Accipitur quandoque pro mari. Virgil. *Ecl.* 4. *v.* 32.

——— *Tentare Thetim ratibus.*

Sic *plana Thetis* pro tranquillo aequore apud Statium, *l.* 5. *Theb. v.* 909. Claudian. *l. de Rap. Pros. v.* 148.

Hinc latrat Getula Thetis,

Nic. Lloyd. Caeterùm *Thetis* senior, per *y*. meliùs scribitur, & *Thetidis* fuit avia, ut infrà videre est. Sic autem clarè distinguit Catullus, *carm.* 65. *de Nuptiis Pelei & Thetidos*, *v.* 28.

Tene Thetis *tenuit pulcherrima Neptunine,*
Tene suam Tethys concessit ducere neptem?

Nempe *Tethys* ex Oceano Doridem sustulit, Doris ex Nereo *Thetidem*, Nereidum unam. Nec obstat, quòd *Neptuninen* eam Poëta vocat: Eos enim sequitur, quibus Neptunus ex Canache genuisse dicitur Nerea: quomodo Neptuni fuerit neptis. Quare secundùm hos quidem *Neptuninen*; secundùm alios verò *Oceaninen* rectiùs nuncupes. Imò etiam dicere possis, *Neptunum poni pro Oceano*; Namque & Poëtae, cùm ajunt, Neptuno maris imperium obtigisse, non internum duntaxat, sed externum etiam Mare, intelligunt. Illud magis mirum, *Thetin*, quae Nympha solùm marina erat, atque ex 50. Nereidibus una, non minùs tamen, quàm *Tethyn* ipsam, Oceani uxorem, pro mari poni. Ut apud Maronem *Pollione*, *loc. cit.*

Quae tentare Thetin *ratibus, quae cingere muris*
Oppida. ———

Quod vix aliter excusâris, quàm per Synecdochen. Quô sensu cùm *Thetis* sumitur, fabula de ea Peleo nuptâ, ad connubium Maris & Terrae egregiè quadrat. Πηλεὺς enim à πηλός, *lutum*, dictus est: Quò etiam respexêre olim, cùm dicerent, Μὴ δεῖν τ̃ Οἶνον Πηλέα ποιεῖν, *Oenea non convertendum esse in Pelea*; indigitantes, cavendum esse pincernae, ne vinum effundat in terram, atque sic lutum faciat. Sed & ad communem mortalium generationem, illud, de nuptiis hisce, referre possis, quod fecit Clemens Romanus, *Recognitionum l.* 10. ubi Achillem ait Pelei & Thetidos filium dici, quia homines cuncti componantur ex arido & humido, è quibus duobus fit lutum: unde & Gigantes non solùm Γηγενεῖς, h. e. *Terrigenae*, sed & Πηλογόνοι, h. e. *Lutigenae*, appellati leguntur. Ex hôc pactô Pelei ac *Thetidos* nuptiae, ad rerum pertinent Naturam: quomodo autem ad veterem etiam historiam eas reducere liceat, visum est. Plura apud Gerh. Joh. Vossium, *de Orig. & Progr. Idololatriae*, *l.* 2. *c.* 78. & in voce *Peleus*. E marmore *Thetis*, inter Scopae opera, memoratur Plinio, *l.* 36. *c.* 5. *Sed in maxima dignatione Cn. Domitii delubro in Circo Flaminio, Neptunus ipse, &* Thetis *atque Achilles* &c.

THETYS, meliùs *Tethys*, & Amphitrite, in muliebribus Marinis Numinibus, apud Poëtas, familiam ducunt: quarum haec Neptuni uxor; illa Oceani, ex hoc omnium Nympharum mater, Tethys appellata est, à τήθη vel τηθίς, quorum prius *aviam* vel *nutricem*; posterius *amitam* vel *materteram* signat. Latinis *Salacia* dicta est, ut Tullius indicat, *l. de Univers.* & ex eo Servius *in Georg. l.* 1. Favet proin Tullius iis, quibus *Tethys* mare. Aliquibus tamen connubium Oceani ac Tethyos, maris & terrae, Eust. *Iliad.* ξ. Sed omnino receptius est, ut Tethys sit mare, quàm tellus. Opponit enim haec Lucanus, *l.* 10. *Pharsal. v.* 204.

Luna suis vicibus Tethyn terrenaque miscet.

Atque apud eundem *Thetyos unda* legas; item *aequora Tethyos l.* 2. *v.* 414. & *l.* 3. *v.* 233. quod & epitheta docent, cùm eidem Divae haec *vaga*: *l.* 6. *v.* 67. Silio, *l.* 3. *v.* 60. *reciproca*; Ovidio *cana* dicatur, *l.* 2. *Met. v.* 509. Nec si & Oceanus & *Tethys* mare designent, eò ineptè haec Oceano nupta fingitur. Nam Oceanus saepe consideratur, quasi Spiritus vel anima marina: unde vis tanta Elementi: at *Thethys* est quasi corpus maris & principium passivum, vim illam recipiens. Illa igitur ex Oceano Doridem sustulisse fingitur, quae ex Nereo *Thetidem*, de qua *suprà*, suscepit. Vide Voss. *ubi supra*, ut & in voce *Tethys*.

THEU, in nummis Justini, Tiberii II. & Mauricii, *Thessalonica urbe* notat. Car. du Fresne *de infer. aevi Numismatibus*.

THEUDALE, Africae Propriae urbs *Ptol.*

THEUDAS, Wisigothorum in Hispania Rex, stabuli praefectus erat Theodorici II. à quo Amalarici filii tutor relictus, hôc occisô thronum occupavit, A. C. 531. Occisus à quodam amentiam simulante A. C. 548. dicitur vetuisse, ne quisquam caedem suam ulcisceretur, utpote divinitus, ob praedictum scelus, immissam. Ei *Theudeles* seu Theodogesilus successit, Hispali annô pòst similiter necatus. Isidor. *in Chron.*

THEUDAS, nomen viri, de quo vide Euseb. *l.* 2. *c.* 11. Ejus meminit Gamaliel, Actorum *c.* 5. *v.* 36. *Nam ante hac tempora exortus est Theudas, dicens se aliquem esse: cui agglutinatus est numerus virorum circiter quadringentorum, qui interemptus est, & omnes, qui assensi sunt ei, dissoluti sunt & ad nihilum redacti.* Quae historia circa nativitatem CHRISTI & ultimos Herodis annos contigisse videtur. Unde Origenes *contra Celsum*, *l.* 1. asserere non dubitat, *Theudam* Christi praecessisse nativitatem; fierique potest, ut occasionem iste arripuerit, ex periculo, in quo versatus est Herodes, sub postrema tempora, quando Augustus, accusatione Syllaei adversus illum irritatus, literas minarum plenas ad eum scripsit, de quibus vide Josephum, *l.* 16. *c.* 15. Alius posteà ejusdem nominis, sub Procuratore Judaeae Cuspio Fado, turbas dedit, teste eôdem, *l.* 20. *c.* 2. qui is esse non potest, cujus Gamaliel *locô cit.* meminit, cùm inter habitae concionis à Gamaliele tempus & procurationis Fadi extrema tempora, in quibus *Theudae* Josephus facit mentionem, anni minimùm quatuordecim intercedant. Vide Isaac. Casaubon, *Exercit.* 2. §. 18.

THEUDERICUS, vide *Theodoricus*.

S. THEUDERII, vicus Galliae in pago Viennensi, cum monasterio Abbatiali, à Theuderico, ante annos 1100. extructo, *S. Chef*.

THEUDURUM, oppid. olim nunc pagus Germaniae inferioris in ducatu Juliacensi. *Tudder* Simlero. 6. leuc. à Juliaco in Occasum apud Sittardum oppid.

THEVESTE, *Antonin. Ptol. Thebessa*, urbs regni Algerii, in regione Constantina, & limite regni Tunetani regionisque Biledulgeridiae, in mediterraneis 180. mill. pass. à Carthagine, 120. à Cirta, Thenas versus 185. Satis parva est, & à paucis habitatur.

THEVETUS Andreas, Engolismensis, edidit *Cosmographiam*, A. C. 1563. Item *Singularitates Franciae Antarcticae*, *de Praelio ad Drudam urbem*, &c. Peregrinatione annorum 17. defunctus. Praecipuum verò ejus opus, sunt *Icones virorum Illustrium*, Henrico III. dedicatae.

THEUP. *Thessalonica urbe percussa*, in nummis Justini Justiniani, Tiberii II. & Mauricii. Car. du Fresne *d. l.*

THEUMESIUS, vide *Teumesius*.

THEUPROSOPON, *Ptol.* seu *Theouprosopon* aliis; *Neufrus Brocardo*, promontor. Phœniciæ, vix 6. mill. pass. à Tripoli in Meridiem, Botrim versus.

THEURGIA, Græcè Θεουργία, Veteribus dicta est illa Magiæ species, quam *albam* vulgò; sicut Γοητεία, quam *nigram* communiter appellant. Quorum illi deditos, laudabiles ajebant; isti addictos, detestabiles, utrique Spirituum ope miranda sæpe edidêre. Sed, ut Augustinus ait, *de Civ. Dei*, *l.* 10. *c.* 9. *sunt utrique ritibus fallacibus Dæmonum obstricti, sub nominibus Angelorum.* Quamvis enim, qui hujusmodi Magiam exercebant, ferè cum ea conjungerent, naturalem ac artificiosam Magiam, ut cœtera etiam ab natura vel arte esse viderentur, ut de Anaxilao habet Irenæus, *l.* 1. *c.* 7. & de Marco Hæretico, *c.* 9. Ad ludicra tamen eorum accessit plerunque commercium cum maligno Spiritu, cujus operâ e. g. corpus humanum horæ spatiô transferebant ad centies mille passus, caput æneum ad quævis interrogata respondere faciebant, de furtis quibuslibet occultis cognoscebant &c. Gerh. Jo. Vossius *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 6. & infrà *Tacia*. Utebantur autem *Theurgiâ* ii inprimis, qui blandâ ac benignâ conversatione homines ad idololatriam atque impietatem pellicere satagebant, Sacerdotes Gentilium Hæreticique. Et quidem Porphyrius *quandam quasi purgationem animæ per Theurgiam, cunctanter tamen & pudibundâ quodammodo disputatione, promittebat. Reditum verò ad Deum hac arte præstare cuiquam ipse inficiatus, quod alii ibant assertum, quibusdam consecrationibus Theurgicis, quas Teletas vocant, idoneam fieri atque aptam susceptionem Spirituum & Angelorum ad videndos Deos arbitratus est.* Theodor. Zuingerus, *Theatrô Vitæ Hum. Vol.* 4. *l.* 4. *p.* 1329. Vide quoque suprà ubi *de Magia*.

THEUTH, vel THOT, THOYTH, aut THOUT, Ægyptiorum fuit Deus; Θεὺθ sæpè Platoni *in Phædro*, vocatus. Ciceroni *de Nat. Deor. l.* 3. est *Thoyt*, *Hunc* (Mercurium inquiens) *Ægyptii Thoyth appellant, eôdemque nomine anni primus mensis* (September nempe) *apud eos vocatur.* Sic editio Aldi senioris: nec longè abit, quæ est nepotis Aldi, ubi est *Thoit*. Illa quoque Robert. Stephani A. C. 1543. cum Aldi senior. convenit: uti & Lambiniana; nisi quod in ea ad latus annotatur, alios legere *Thouth*. Sed tanti aliis Platonis est auctoritas, ut, codicibus illis insuper habitis, præferant apud Tullium *Theuth*. Nec diffitendum, non longè hinc multos abire codices: ut, in quibus repertas *Theyn*, *Thear* & *Their*, quod postremum Vossius in veteri reperit editione; in isto Tullianorum codicum dissensu, eò potissimum propendens, ut *Thoyt* vel *Thout* scripserit Tullius. Movet eum meliorum è MSS. auctoritas: Eusebius item, *Præpar. Evang. l.* 1. *c.* 9. ubi legas, Αἰγύπτιοι μὲν ἐκάλεσαν Θωύθ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θώθ, Ἑρμῆν δὲ Ἕλληνες μετέφρασαν, *Ægyptii Thoyth vocârunt, Alexandrini Thoth, Græci Hermen, h. e. Mercurium interpretati.* Qui locus veterem lectionem Tullii confirmat, utcunque Xystus Betulejus & apud Tullium *l. cit.* & apud Lactantium, *l.* 1. *c.* 6. ubi *Thoth* editum est, etiam ab Aldo, *Theuth* legere malit: sanè aliter quàm Thomasinus, qui ad oram *Tooyth* reposuit. Porrò ab *Thoyth* sive *Thout*, est κατὰ μετάθεσιν *Thuoth*: quæ pronuntiatio durior, Germani igitur, qui literâ *VV.* gaudent, *T.* rejectô, fecêre *Woth*, sive terminatione additâ *Wothan* vel *Wodan*, vel *Woden* aut *Wode*: è quo *Wode* vel *Woth* est *Guoth*, *Goth.* God vel Got. Ab eodem *Theuth*, Græcorum fluxit Θεὸς, Latin. *Deus* &c. Hactenus Vossius *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 37. Hornius *Thoith* quoque potius, quàm *Theuth* probat, primævamque scriptionem *Thohu* vel *Thohuth* fuisse, contendit. Cùm enim à condito Mundo id egerit Diabolus, ut & Dei gloriam & S. Historiæ veritatem obscuraret, tot Deos & tot Deorum nomina antiquis, non aliunde quàm ex Sacris petita, obtrusit: inprimis Creationis historiâ pessimè abutens. Hinc, cùm in principio Cœlum & Terram scitet conditam, antiquissimos & primos hos Deorum finxit: à voce Hebr. *Schamajim*, *Bel-Samen* quoque & *Semones*, denominans. Cùm dein Scriptor sacer addat, terram fuisse תהו ובהו *Tohu Vabohu*; ex *Thohu* fecit *Theuth* sive *Thohuth*; à *Bohu* desumsit *Bau*, i. e. *Noctem*, ex qua, ut & vento Colpia, Phœnices tradidêre natos fuisse, Seculum & Primogenitum, teste Sanchoniathone apud Eusebium, *Præpar. l.* 1. Sic ergo initium statim S. Scripturæ ad Deos suos detorsisse videtur Satanas, ut legentes illud Gentiles nihil aliud, quàm rerum & Deorum origines, referri putarent: Primò quidem Cœli & Terræ, è quibus nati *Thohu* & *Bohu*; Dein Lux sive Ignis, Tenebræ sive Nox; Tandem Sol, Luna & reliquæ Stellæ, quæ omnia priscis illis Deorum numerum implebant. Quô factum, ut & Trismegistus apud Lactantium, *Instit. l.* 1. *c.* 11. Uranum, Saturnum, Mercurium, cognatos suos nominet. Imò, quô pactô totam Historiam creationis idem corruperit, per Phœnicum Theologiam, è Mose expressam, videre est apud Euseb. *Praparat. l.* 1 *c.* 7. Confirmat sententiam opinio, quam de Mundi & rerum omnium origine habebant Antiqui. Ex horum enim animis Creationis historia extinctâ, DEI hostis contra is è materia quadam æterna & confusa tandem emersisse Solem, cujus calore ad maturitatem cœtera sint perducta, inspiravit: quam *Thohu* Mosi dictam ipsi æternam ac increatam fingebant. Inde antiquissimi Græciæ Philosophi, qui sua omnia ex Oriente hauserunt, de Chao, Erebo, Nocte sive Ἅδῃ & Orco tam multa ratiocinati sunt. Ovid. *Met. l.* 14. *Fab.* 8. *v.* 404.

Et Noctem, Noctisque Deos, Ereboque, Chaoque.

Virg. *l.* 4 *Æn. v.* 510.

Tercentum tonat ore Deos Ereboque, Chaoque, &c.

Quarum rerum & nomina ipsa ex oriente. Χάος enim, quod priscis, *Festô* teste, *Cohum*, à *Thohu* vel *Bohu*, unius literulæ mutatione facilè deducitur, ut alia omittam. Ex his itaque tenebris, cùm seipsos extricare non possent Ægyptii, *Thohuth* vocâsse videntur primum & antiquissimum Deum, à quo essent omnia: Ovid *Met. l.* 1. *v.* 21.

Hanc Deus & melior litem Natura diremit.

Et paulo post, *v.* 32.

—— Quisquis fuit ille Deorum,
Congeriem secuit.

Cæsar quoque *Bell. Gallic. Comm. l.* 6. *c.* 17. satis clarè innuit, Ditem Gallis nihil aliud, quàm quod Hebræum est *Thohu*, fuisse, cùm ait: *Galli se omnes à Dite Patre prognatos dicunt. Idque ab Druydibus ajunt proditum: ob eam causam spatia omnis temporis non numerò dierum, sed noctium finiunt, & dies natales & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Unde patet, *Thohuthum* Ægyptiis non notâsse verum Deum, cœli terræque conditorem, sed antiquum quidem, ignotum verò Numen, à quo omnia & proin ipsæ quoque Artes initium sumserint. Hoc posteà cùm variis, nominibus a variis Gentibus insignitetur, errore vulgi Πολυθεΐα invecta, & qui primus erat *Theuth*, à Græcis Latinisque Mercurius, Hermes, Hercules, Apollo, Kadmus, aliisque nominibus appellatus est. Vide præfatum Georg. Hornium, *Hist. Philos. l.* 2. *c.* 11. & 12. ubi Germanorum *Teutatem* vel *Teutonem*, alium ab hoc Ægyptiorum Deo *Theuth* fuisse asserit, qua de re vide quoque suprà in voce *Teutates*. Vocem dein ad alios quoque fuisse translatam & Sapientissimo cuique ab Ægyptiis ac Germanis inditam, Scaliger docet *Epitaph. eorum, qui ad Viennam ceciderunt*, cùm ait: *Theuthus*, (*unde Teutones dicti*) *tantâ fuit sapientiâ, ut hoc ipsum nomen mutuati sint ii, penes quos summa divinitatis opinio extitisset. Ægyptii namque sapientissimum quemque Theuth vocârunt, quemadmodum & Mercurium illum.* Vide quoque Phil. Cluverium *de Germ. Antiq. l.* 1. *c.* 26. &c. Idem verò & mensis nomen; ad cujus diem octavam Judæos anniversariô jejuniô mœrorem suum doloremque, ob Sacrum Codicem, postulante Ptolemæô Philadelphô, Græcè versum, publicè profiteri consuevisse, tradit P. Cunæus, *de Rep. Hebr. l.* 3. *c.* 4. Vide Illustr. Marshamum, *Canone Chronicô, Sec.* 1. ubi *de Thot, Mercurio, Taaute, Menis filio*, it. *Sec. XI.* ubi *de Mense, quô Canicula sidus oritur*, Jac. Ottonem JCtum, *Notis ad B. Rhenanum, p.* 646. ubi de vocibus *Theut, Thiet, Diet* &c. Alios.

THEUTONI, vide *Teutoni*.

THEYA, vel *Deins*, vel *Thisia*, fluv. Moraviæ. Zuoynam præterfluit, & limitem Moraviæ Austriæque statuit. *Metel.*

THIA, mater Solis, Lunæ & Auroræ, ex Hyperione. Hesiodus, *Theogon. v.* 371. 374.

Θεία δ' ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε σελήνην κτλ.
Γείναθ' ——

Quod ideo confictum, ut omnia bona, in quibus hæc eminent, à divina procedere Natura & bonitate, indigitetur, ait Lamb. Barlæus *ad l.* Θεία enim *divinam* notat. Aliàs Euryphaëssam Solis matrem facit Homerus in *Hymno* ejus. Vide ubi *de Sole*.

THIA, Insul. maris Ægæi, circa Hieram, recens enata, Plin. *l.* 2. *c.* 87. Fortè *Dia Strab.* & *Ptolem.* Vide ibi.

THIAGOLA, palus Mysiæ inferioris ad ostia Istri *Ptol. Roxenes*, vel *Rosene Ortelio*.

THIARDÆUS Pontus, Matisconensis, τρίγλωττος insignis, Poëta eximius, Mathematicus & Theologus non incelebris in Aula perpetuò ferme vixit, ab Henrico III. Episcopatu Matisconensi honoratus. Ut erat corpore ingens, ac in studiis assiduus, cibôque & potu utebatur largô, vini ita patiens, ut nunquam illi succumberet. Moriturus sibi ipsi Epitaphium metricum composuit, defunctus A. C. 1605. ætat. 84. Thuan. *Histor.* Sammartan. & Anton. Teissier *Elog. Part.* 2. quorum hic scriptorum ejus catalogum exhibet. Cyro nepoti successionem vivus adhuc procuravit. Thuan. *d. l.*

THIASUS, apud Papinium Statium, *Theb. l.* 9. *v.* 612.

Si mihi non unquam thiasi, lususve protervæ
Noctis ——

alibique passim, ex Græco Θίασος, Bacchi chorea est, pueris & virginibus, Bacchis & Satyricis, quæ vinô ebriæ colebant cantu suum Numen, constans. Inde ad alia quoque pacifica sacra translata. Cujusmodi choream sic describit idem, *Achill. l.* 1. *v.* 153. & *seqq.*

—— *thiasis Ismenia buxus*
Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Evia pulsant
Terga manu, variosque quater legêre recursus.
Tunc thyrsos pariterque levant, pariterque reponunt,
Multiplicantque gradum, modò quô Curetes in actu,
Quoque pii Samothraces eunt, nunc obvia versæ
Pectine Amazonio, modò quô citat orbe Lacænas
Delia, plaudentesque suis intorquet Amyclis.

Porrò quodvis tripudium sic dici cœpit. Ita choros Virginum per littus tripudiantium ludentiumque *thiasos* idem Poëta vocat, *Theb. l.* 11. *v.* 213. inprimis convivialia tripudia, uti discimus ex Polluce, *l.* 6. *c.* 1. &c. Quam in rem vide plura, apud Caspar. Barthium *ad Claudian. de Raptu, l.* 1. ut & suprà ubi *de Choreis* & *Saltatione Veter.* Hinc θιασεύειν, ut ἐκθιασεύειν θιασεύειν, *thiasos in montem inducere*, in monte choreas celebrare, apud *Strab.* ubi de annua in montibus cursitatione, cum Hylæ inclamatione, fieri solita. Θιασῶνες, domus ubi *thiasi* agitabantur, cœnationes, loci convivales; θιασῶται, *qui simul choros exercebant*, hincque qui sacrificiorum & cultus Deorum obtentu, sodalitates temporarias quotannis coibant inque iis vino & epulis

epulis indulgebant, apud Aristot. *Ethic. l.* 8. atque porrò socii, sodales quicunque &c. Nomen ἀπὸ τῦ θεῖα ᾄσαι, quòd in choreis hisce *in Numinis honorem cantica recitarentur.* Athenæus verò sic appellatos vult, quasi σιάσας, à σιὸς, pro θεὸς, *l.* 8. *c.* 16. Vide Christ. Becmannum, *de Origin. L. L.*

THIBETUM, vulgò TIBET & THOBBAT, regnum Tartariæ, cum urbe primaria cognomine. Extenditur ab Ortu in Occasum inter Tartariam magnam, ad Boream & Indiam propriam, ad Meridiem, atque inter regnum Tangutum ad Ortum, & Mawaralhakariam ad Occasum. Erat ibi aliàs pars Scythiæ extra Imaum; Hinc moschum optimum advehi, magnò consensu scribunt Arabes, quò proin ipsi Indi libentiùs, quàm suâ, utuntur, ut & Sinenses. Rationem reddit Masudius, quòd capreæ Tubetienses pascantur spicâ odoratâ seu nardô, aliisque aromatibus, quodque incolæ muscum non è folliculis suis educant, sed in iis relinquant, apud Bochartum, *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 26. Vide quoque suprà ubi de *Moschi capreolo.*

THIBII, populi Ponti, oculis perpetuò nictantes; quod cùm ἴκταρ vocent Græci, ambiguitate vocis deceptus Plinius *in altero oculo geminam pupillam, in altero equinam effigiem*, habere scribit, *l.* 7. *c.* 2. Vide Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 23. Θιβεῖς Græcis & Θιβιοὶ, à loco *Thiba*, sic appellato de Amazone quadam, ibi ab Hercule occisa, *Steph.* imò Θιβιοὶ potiùs, cùm *Thibios* eos ex Phylarcho Plinius vocet. A quibus *Tibii* diversi, de quibus infrà. Vide Salmas. qui de iis plusculа congessit, *ad Solin. p.* 46. & 47.

THIBRON, Lacedæmonius, ut ex cruento ingenio conjicere licet & vafro, etsi cætera originis testimonia desient. Hic in Asia castellum oppugnans, præfectum præsidii induxit, ut ad incendum fœdus proditet, juramentô interpositô, si non inter se conveniтent, se ipsum in castellum esse remissurum. Qui progressus in colloquium venit. Custodibus autem spe pacis segnius agentibus, opportunè Thibronii irruptionem facientes vi munitionem capiunt. Thibron verò præsidio præfectum reductum in castellum, sicut juraverat, intus eum interfici jubet.

THIBRUS, nomen urbis apud Lycophronem. *Steph.*

THICHIS, Hispaniæ Tarraconensis fluv. ad Rhodam urbem, Pompon. *l.* 2. *c.* 5. *Ter Varrerio.* Quibusdam fluv. Cataloniæ, *Baudrand.* qui ex Pyrenæis ortus, in Meridiem labitur, versùs Ausam; dein in Ortum tendens, Gerundam rigat, & in mare Mediterraneum se exonerat, 15. mill. pass. à Rhoda in Meridiem. Sed hic fluv. ab aliis *Sambroca* dicitur. *Sansone* & *Brietiô* testibus. Alius ejusdem nominis est in Gallia Narbonensi. Idem *Pompon. le Tech*, in Comitatu Ruscinonensi. Oritur ex Pyrenæis montibus, in limite Ceretaniæ, Ceretumque rigat, & paulo infra Helenam mari Mediterraneo miscetur, 12. mill. pass. ab ostio Thelis in Meridiem.

THICON, nomen pagi. Ezech. *c.* 47. *v.* 16. juxta terminum Auranitidis in tractu Nephthali.

THIELA, seu TILA, vulgò TILE, vel TIEL, oppidul. Betuviæ, tractus Geldriæ inferioris ad Vahalim. Vide *Tiela.*

THIEMO, fil. Theodorici Saxoniæ Ducis, Henrici IV Imperatoris copiarum Dux, maternô jure A. C. 1075. ab eo Marchio Misniæ designatus est, sed cùm Bohemi eam tenerent, non obtinuit administrationem ipse, filius tamen Conradus, hodiernorum Saxoniæ Principum conditor, eam nactus est, A. C 1126. ab Imperatore Lothario. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

THIERRIUM, vulgò THIERS, oppid. Alverniæ inferioris juxta amnem *Durol*, in limite Forisiensis provinciæ, 6. leuc. à Claromonte in Ortum Lugdunum versùs.

THIERSTENIUM, vide *Tierstenium.*

THIETMARSIA, regio Daniæ & Holsatiæ ad Occidentem proxima, de qua vide Alb. Krantzium *in Saxonia.* Vide *Dietmarsia.*

THILIA, vel THILA, Gallus TI, accolis *Dile*, fluv. Brabantiæ, qui Lovanium alluens, Demesâ recipitur, sicque in Scaldim exit, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

THILON, fil. Simon. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 30.

THIMA, vide suprà *Ovicula.*

THIMBRON, Lacedæmonius, ab Ephoris, contra Persarum Regem, Dux belli electus. Qui cùm minùs dextrè ac feliciter rem gerere videretur, domum revocatus, eique *Dercyllidas* subrogatus est. Olymp. 95. an. 2. Sed Olymp. 97. an. 3. iterum contra Strutham Persæ ducem missus, ab eodem in prœlio, prope Jonda & Coreslon occisus est. Diodor. Sic. *l.* 14.

THIMBRON, amicus Harpali, ejus ad Tænarum Laconicæ interfector. Diodor. Sic. *l.* 17. & 18. Cùm magnis cladibus Cyrenenses afflictavisset, à prætore Ptolemæi Ophella superatus & vivus captus est. *Ibidem.*

THINÆ, Sinarum metropolis. *Ptol. Tenduc*, ut videtur *Mercatori. Baudrando* etiam *Thina*, & *Sina*, urbs fuit, ubi nunc Nanquinum, urbs ampla versus Oceanum Eoum & Sinum Nanquinensem, quæ aliàs Imperii Sin. sedes fuit.

THINGE, urbs Libyæ. *Steph.*

THINGUS, idem cum *Theino* seu *Thano.* Vide *ibi.*

THINIAS *Ptol. Capo Tynias Moletio*, promontor. Thraciæ ad mare Euxinum inter Bosporum Thracium ad Meridiem & Apolloniam urbem ad Ortum cum oppido cognomine, quod vulgò *Sagora.*

THINILLUS, Rex in Ægypto Thebanorum XXV. exponitur Αὐξίσας τῦ πάτριον κράτος, præfuitque post Thyosimarem annos 8. circa extrema, Josephi Patriarchæ, dum Salatis, Pastorum regnô in Ægypto inferiore excitatô, Israëlitas gravissimè premere inciperet. Eum excepit Semphucrates, quem vide.

THINISSA, Zeugitanæ provinciæ urbs, *Ptol.* Hodie *Tunis.*

THINIUM, oppid. Delphinatus, in Rhodani ripa. *Metel.*

THINUS, fluv. Angliæ in ora Orientali per Northumbriam fluens. *Tina Ptolemæo.* Vulgò *Tine*, apud Boderium cum portu *Tinmouth* vulgariter nuncupato. *Baudrando* fluv. Angliæ Borealis, *Thyn* incolis. Oritur in ipso limite Scotiæ; dein per Northumbriam fluens, rigatô Novocastrô, 5. mill. Angl. infra ad castrum *Tynmouth* in Oceanum Germanic. se exonerat, 12. milliar. à Dunelmo in Boream.

THIODAMAS, vide *Theodamas.*

THIRAS, fil. Japheth. Gen. *c.* 10. *v.* 2. Vide Bochart. *Phaleg. l.* 3. *c.* 2. ab eo Thraces orti; quorum originem proin ad Odrysum quendam cùm refert Epiphanius, *l.* 1. *p.* 8. non de gente universa, sed de parte saltem ejus intelligendus est. Ita autem is, Ἔπειτα ἦ ἀκινάκην νέβοντες εἶτε τῦ Σκυθῶν Σαυρόμαται, Ὀδρυσοί τε τῦ Θρᾳκῶν ἐστησάθη, ἐξ ὧ τῦ γένος καλεῖται Φρυγῶν. ὅθεν ἐ Θρᾳκες ἀπὸ τῦ Θείρας ἐπικλῶ τῦ ἐν τῇ πυργοποιΐᾳ γεγενημένυ καλεῖται, *Tum acinacem Sarmatæ, Scythici generis, pro Deo, colere cæperunt, ut & Odrysum, à quo Thraces oriundi, indidemque & Phrygum genus originem accepit: ex quo etiam accidit, ut à Thera, qui in illa turris exædificatione natus est, Thracum appellatio deducta sit.* Vide Gerh. Joh. Voss. *de Idol. l.* 1. *c.* 39.

THIRIA, fil. Jaleleel. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 16. Latinè *explicatio*; vel *contemplatio.*

THIRSIPPUS, Archon Athenis τῦ διὰ βίυ IV. post Archippum, præfuit ann. 41. circa tempora Salomonis Regis. Sub eo Thraces Asiam occupaverunt, *Euseb.* Ei successit Phorbas, quem vide: plura autem apud Joh. Marshamum, *Canone Chron. ad Sec. XIII.*

THIS, urbs Ægypti prope Abydum. Civis *Thinites. Steph.* Metropolis fuit regni vetustissimi *Thinitarum*, quod ad Libycam Nili ripam situm, per fluvium à Thebano, inter Ægyptiaca regna primo & potentissimo, diremptum videtur fuisse. Conditum à Cencene Athotis filio Menis nepote: desiit post aliquot secula sub Nechecrophe, Syncello memorato; *p.* 56. postquam duravisset annos 593. Reges, quorum tempora satis certa, & ab Africano minùs turbata sunt, accuratè enumerat Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec. I.* illorum autem res gestæ tenues sunt & obscuræ: cùm eô tempore nullum Ægyptiis adhuc commercium cum exteris esset. Venephes saltem *pyramides* struxit in Cochome, sub Cæacho *Apis*, *Menevis* & *Mendessius caper*, Dii sunt habiti; sub Nepher Chere Nilus *melle commixtus* 11. dies fluxit. Et sub ultimo, cùm Libyes defecissent, *auctu* territi prodigiosô *Lunæ*, *an Veneris*, sese dediderunt. Deficiente verò Regum horum successione, videtur regnum cum Thebano, cujus anteà pars fuerat, iterum coaluisse, sub Agappo Thebanorum Rege XX. qui *Maximi* hinc cognomen, ab Imperii incremento accepit. Interim *This* urbs primaria fuit usque ad Sesostris tempora, cùm ab illa *Nomus Thinites* nomen acceperit: postquam verò Memnon regiam in Abydo construxerat, *This* posthabita est, ac tandem desiit. Vide Ptolem. *l.* 4. *c.* 5. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 21. & Marshamum *d. l. passim*, inprimis *Sec. VI.* ubi an Reges Elephantini, quorum velut quintæ dynastia inter Memphitarum Regem XVI. & XVII. ab Africano intertexitur, non iidem cum *Thinis* sint, disquirit.

THISBE, puella Babylonica, vide *Pyramus.*

THISBE, quæ & *Ogygia*, & *Hyantis* dicta est, *Janizi* nunc, teste *Nigrô*, oppid. Bœotiæ mediterraneum sub Helicone monte, ubi ingens columbarum copia, Homerus, *Il. β. v.* 502.

Κώπας τ' Εὔτρησίν τε πολυτρήρωνά τε Θίσβην.

Eutresis autem erat pagus Thespius proximus.

THISIAS, Siculus, antiquissimus artium scriptor. Quinctilian. *l.* 3. *c.* 6.

THISICA, urbs Africæ propriæ. *Ptol.*

THISOA, urbs Arcadiæ. *Steph.*

THISSAMISSA, Cariæ portus. Mela, *l.* 1. *c.* 16.

THISSE, seu A, oppid. Siciliæ mediterraneum excisum, apud Nebrodidem montem, *Fazello*; inter Petram oppid. & Amestratam Urbem. Aliis *Tussa* vel *Tosa*, castrum apud Tusam arcem, 2. mill. pass. distans, Pittiam versùs 4. à Cephaledio Urbe 18.

THIUPHADUS, post Duces, Comites & Gardingos, præcipua in aulâ Gothicorum olim Regum dignitas fuit, cui suberant Millenarii, Quingentenarii, Centenarii, Decani; Exercitus etiam Compulsores, Annonarii, Defensores, Pacis Assertores, Numerarii, Villici, & Sajones. Habebat is civilem administrationem, & in omni criminalium negotiorum genere judicandi facultatem, exceptis iis criminibus, quæ Legum sententia apertè condemnaret, quibus proin obstrictos non judicare ampliùs, sed ut jam à lege judicatos, condemnatosque debitis pœnis subjicere tenebatur. Quòd si ad bellum, aliove avocaretur, vices suas aliis committere poterat. In bellum porrò provinciales suos educebat, uti Ballivi ac Senescalli apud Francos olim, & ad hostem exire compellebat Regios subditos, qui ex sua *Thiuphadia*, h. e. provincia seu districtu erant &c. uti docet Car. du Fresne, ex L. Wisigoth. *l.* 24. & 9. *Diploma* quoque hanc in rem citans Ervigii Regis, post Concil. Tolet. XIII. Origo nominis fortè à Germanic. *Tief*, i. e. profundus; erat enim hæc dignitas ex inferioribus prima.

THIYÆ, comites & ministri Liberi Patris.

THLADIAS, seu THLASIAS, ex Græco Θλαδίας dicitur, cui testiculi *contusi* conquassatique sunt; Sicut *Thlibiæ* dicti, Græcè Θλιβίαι, quibus ii *contriti.* Quod fiebat in infantia fotu calidæ aquæ & manuum attritione, donec evanescerent, ut hôc pactô pretiosiores essent, & in Principum deliciis. Sic Earini meminit, sine ulla profusione sanguinis, generandi potestate spoliati, Statius, *l.* 3. *Sylv.* 4. *v.* 70.

Haud

--- Haud ulli puerum mollire potestas
Credita, sed tacita juvenis Phœbeius arte
Leniter, haud ullo concussum vulnere, corpus
De sexu transire jubet ---

Atque hi, quia sanitatis spem habebant, adoptandi, imò & matrimonium contrahendi habebant facultatem, *l. si serva. §. si spadoni, ff. de jure dot*, Verùm & is castrandi modus Domitiani Lege inhibitus est, uti ex Statii loco patet. Aliàs enim herbis quoque eunuchi fiebant, Plin. *l.* 19. *c.* 8. aliterque uti suprà diximus locô non unô.

THMUIS, urbs Ægypti, *Steph.* olim Episcopalis sub Patriarcha Alexandrino: ubi Pan colebatur, apud Mendesium ostium, 66. mill. pass. à Pelusio. Thmuitæ hircum colebant; sicut Mendesii capram & Suitæ ovem. *Nic. Lloydius*, Vide suprà *Mendes*.

THNETOPSYCHITÆ, quos molli nimis nomine inter hæreticos refert Johannes Damascenus, *l. de Hæresibus*, ne Christianô quidem ullatenus digni, circa A. C. 530. *hominum animas pecudum animis similes induxêre, atque eos unà cum corporibus interire*, dixerunt. Quibus adhuc leviùs peccârunt, circa A. C. 249. *Arabici*, qui animas quidem cum corporibus interire, extremô tamen judiciô resuscitatum iri, crediderunt. Quorum causa cùm ingens convenisset Concilium, in eo omnes ad fidem rectam ab Origine sunt conversi. Vide de illis Augustin. *Hær.* 83. Rufinum, *c.* 27. Nicephorum, *l.* 5. *c.* 23. & Eusebium, *Histor. Eccles. l.* 6. *c.* 37. Adde Joann. Gerh. Voss. *de Idolol. l.* 3, *c.* 40.

THNOCIA, vel potiùs *Thocnia*, Arcadiæ urbs. Pausan. *in Arcad.*

THOA: vel *Thoe*, Nympha marina, Tethyos & Oceani filia, à *natandi celeritate* dicta, Hesiod. *in Theog.*

THOANA, Arabiæ Petrææ Oppid. *Ptol.*

THOANES, populi supra Colchidem, finitimi Phthirophagis, *Strab.*

THOANTIUM, litus Rhodi insul. *Strab.* & urbs Carpathi insulæ. *Ptol.* à Thoante conditore sic dicta. Cujus meminit Statius *l.* 5. *Theb.* & Ovid. *l.* 3. *de Ponto.*

THOAR, Meningis insul. oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 7. Vide *Gerba.*

THOARIS, Cappadociæ fluv. *Arrianus.*

THOAS, *antis*, Tauricæ regionis Rex, ad quem delata est Iphigenia Agamemnonis filia, & ab eo Tauricæ sacris præfecta. Eum posteà occidit Orestes, à sorore adjutus, cùm illum quoque Thoas Dianæ aræ destinâsset. Ovid. *l.* 3. *Pont. El.* 2. *v.* 59.

Regna Thoas habuit Mæotide clarus in orâ,
Nec fuit Euxinis notior alter aquis,

Hinc *Thoanteus*. Val. Flaccus, *l.* 8. *v.* 208.

Illa Thoantea transit desuxa Diana,

Item Lemni rex, Liberi patris fil. ex Ariadne Minois filiâ, pater Hypsipyles, solus filiæ pietate servatus, cùm cæteræ omnes Lemniæ mulieres viros suos & parentes trucidarent. Ovid. *l.* 7 *Met.*

THOAS, Acarnaniæ fluv. Vide *Achelous.*

THOCHEN, civitas, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 32.

THOCNIA, vide *Thnocia.*

THOE, una Amazonum præcipuarum, à Gesandro in prælio Colchico graviter sauciata. Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 375. Vide quoque *Thoa.*

THOE, equa funalis, in Admeti curru, apud Statium, *Thebaid. l.* 6. *v.* 461.

Nominibusque cient Pholoën Admetus, & Irim
Funalemque Thoën ----

ex Græca θοὴ, *cita*, Vide Salmas. *ad Solin. p.* 900.

THOES, ex luporum genere, *proceriores longitudine, brevitate crurum dissimiles, veloces saltu, venatu viventes, innocui homini*, Plin. *l.* 8. *c.* 34. imò φιλανθρωπότατοι, ut qui hominem occurrentem venerentur, ac, si feræ aliæ invadant, opitulentur, Cœlio Rhodigino, *Antiqq. Lect. l.* 23. *c.* 27. Cæterùm coloris egregiè fulvi, gregarii & acuti ululatus, unde איים *Ijim* Hebræis. Vide Esaj. *c.* 13. *v.* 22. *c.* 34. *v.* 14 & Jerem. *c.* 50. *v.* 39. Arabibus *filii awi* dicti. Inimicissimi leonibus, Plin. iterum, *l.* 10. *c.* 74. Hinc Aristoteles, *Histor. l.* 9. *c.* 44. Πολεμοῦσι δὲ τοῖς λύκοι, καὶ τοῖς λέουσιν (οἱ θῶες) διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ ζῆν. Ubi tamen πολεμοῦν, non est *collatis signis bellum gerere*, quod Eust. *in Iliad.* λ. contendit, sed simpliciter *dissidere*: ex quo dissidio fit, ut *thoës* à leonibus fugiant; ut quibus se multò infirmiores esse nôrint. In Homero res clara, cùm in Ulyssem graviter læsum irruisse fingit Trojanorum imbelle vulgus: sed eosdem in fugam se dedisse, quamprimùm conspectus est Ajax, quomodo in cervum jaculô percussum turma *thoum* irruens, leone visô, fugam capessit. Verba sunt. *Il.* λ. *v.* 480.

--- ἐπί τε λῖν ἤγαγε δαίμων
Σίντην, θῶες μέν τε διέτρεσαν ---

In Q. Smyrnæo item, in cujus *l.* 9. etiam aprum habes, non conferendum cum leone, *thoas* similiter fugantem. Neque verò solùm lupo, sed & hyænæ tam simile hoc animal, ut nonnulli Veterum lupis, alii hyænæ accensuerint, alii tertium esse animal dixerint, ex utroque mixtum, Aristoteles, *Histor. l.* 2. *c.* 17. Sed minus utrôque, unde inter minores feras recensens Pollux, mediô inter vulpes & lupos locô collocat. Græci recentiores σκύλακας, mediæ ætatis *λυκοπάνθηρας* & *πανθήρας*. Barbari *papionem* & *babuinum* vocant, de quo vide plura apud Samuel. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 12. *toto*, ut & infrà in voce *Thos*. Adde Salmas. *ad Solin.* ubi commune hoc animal esse in Græcia & aliis Europæ locis, in Africa etiam (adde Arabiam, Ciliciam, Syriam & totam penè Asiam) nasci docens, perstringit Solinum, *Æthiopici lupi* nomine (quasi in Æthiopia solùm reperiretur) id insignientem, *p.* 390. nec non eos, qui lupos cervarios cum *thoibus* confundunt, *Ibidem*: ubi & aliquid de quinque *Thoum* generibus, ex præfato Aristotele.

THOGARA, urbs Sericæ, melius *Thagura*, nunc teste *Sansone Tangut*, seu *Campion*, regni Tanguti primaria.

THOGARMA, fil. Gomer, Gen. *c.* 10. *v.* 3. Vide Bochart. *Phaleg. l.* 3. *c.* 11.

THOHU, fil. Eliu, 1. Sam. *c.* 1. *v.* 1. Fil. Suph. 1. Paral. *c.* 6. *v.* 34.

THOIREA, Familia Galliæ illustris, in qua Hugo Dominus *de Thoire* floruit circa A. C. 1080. Accessit dein etiam titulus *de Villars*, & in penultimo stirpis Humberto, *Comitum Geneve*, ut suprà vidimus. In secundogenitis nomina *de Beauvoir* & *de Montelier* reperiuntur. Cæterùm ex hac gente plurimi Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, prodiêre. Ex notho orta est linea, quæ cognomen *de Lyarens* seu *Glarens* assumpsit, ac alium ramum Dominorum *de Surpierre* ex se emisit. Utraque verò extincta est. Phil. Jac Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Part II. in Indice*, Vide eundem, *Arte Herald. Tom. II.*

THOLA, fil. Issaschar, Gen. *c.* 46. *v.* 13. Fil. Phua, dux in Israël, Judic. *c.* 10. *v.* 1. Judicavit autem populum Ann. 23. post Abimelech, ab A. M. 2804. usque ad 2836. Ei Jair successit. Torniell. & Salian. *in Annal. V. Test.*

THOLAD, civitas in tribu Simeon, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 29.

THOLMAI, fil. Enac, Jos. *c.* 15. *v.* 14. Rex Gessur, 2. Sam. *c.* 3. *v.* 3.

THOLOBII, Hispaniæ Tarraconensis fluv. & oppid. Nunc *Tamarit*. oppidul. Cataloniæ, 5. mill. pass. à Tarracone in Ortum, ostia fluv. *Caya.*

THOLOSA, urbs inclyta Galliæ, caput Aquitaniæ provinc. Archiepiscopalis, Academiæ & Parlamenti sedes. Hic Exuperium Episcopum *calice vitreô & vimineô canistrô, S. cœnam administrâsse*, refert Hieronym. *ad Rusticum, l.* 2. *ep.* 13. Expugnata est a Chlodovæo Rege, A.C. 508. Posteà Comes ejus Raimundus Albigensium, contra quos 12. ann. Dominicus Calaroguensis in urbe prædicâsse & certâsse fertur, defensor fuit, A. C. 1210. periitque in ejus obsidione Simon Montfortius, lapide ictus, A. C. 1218. Prope hanc Gasto Dux Aurelianensis frater Ludovici XIII. ope Hugonotarum, ut vocant, A. C. 1632. victus est, Henricô Monmorantiô exercitus Duce captô, qui paulo pòst Tholosæ capite rebellionem luit, Vide *Tolosa.*

THOLUBANA Indiæ intra Gangem Urbs. *Ptol.*

THOLUS, apud Statium, *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 3.

Quòd coleris majore tholô, *nec littora pauper*
Nuda tenes ----

Barthio est recavum templum, fornix. Propriè umbilicus testudinis in Templis, è quo donaria olim suspendi solebânt, quæ Græci *ἀναθήματα* dixêre. Erant autem hæc velut argumenta casuum præteritorum: Sic enim emeriti milites sua arma; qui naufragium evasissent, vestes in tabula depictas; qui à morbo liberati essent, ex auro vel argento membrum sanitati restitutum vel etiam remedium, quod saluti fuerat, descriptum, Diis dedicare publiceque exponere solebant. Unde Virg. *l.* 6. *Æn.* *v.* 32.

———— Casus effinxit in auro.

Similiter defuncti Duces, arma Diis quos coluissent suffigenda relinquebant, ut Parthenius ille moriturus apud Papinium Statium, *Thebaid. l.* 9. *in fin.* & reduces ab expeditione, ut videre est apud Ovid. *Ep.* 13. *Laodam.* &c. Quæ omnia suffigebantur non columnis modò & parietibus, sed & ipsis Templorum *Tholis*, seu fastigiis ædium sacrarum. Arnob. *l.* 6. *Multa Templa, quæ Tholis sunt aureis, & sublimibus clara fastigiis.* Luctatius Placid. *ad Thebaid l.* 2. *v.* 734. *Tholus est in media Templi camera locus, in quo voventium primitiæ aut exuviæ figebantur.* Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 71. *v.* 10.

Et Cybeles pictô stat Corybante tholus.

In quæ verba Scholiastes: *Et tholus*, inquit, *in Cybeles templo, supra quem Galli, Deæ evirati Sacerdotis, effigies stabat. Est autem* Tholus, *camera ædificii in fastigatum acumen desinens, in qua trabes coëunt, ibidemque scutum affixum, de quo dona suspenduntur.* Aliter tamen apud eundem vox sumitur, *l.* 2. *Epigr.* 59. cui titul. *de Cœnatione mica*, quô nomine, ob parvitatem, dictam seu cœnationem auream, à se extructam, Domitianus Imperator vocavit,

Mica vocor. Quid sim? cernis: Cœnatio parva.
Ex me Cæsareum prospicis ecce Tholum.
Frange toros: pete vina: rosas cape: tingere nardô,
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Hic enim, quid *Tholus* dicatur, non ita facilè sciri potest. *Non dubium est*, inquit Jos. Scaliger, *Lection. Ausonian. l.* 1. *c.* 36. *quin in cœnatione seu stibadio Domitiani Cæsaris, quam ipse micam auream vocavit, ex Tholo, cranium penderet mortui, quod mortis admoneret.* Simpliciùs tamen alii, etsi nec citra conjecturam, per *Tholum* intelligunt hic Mausolæum Augusti, quod, cùm in vicinia esset, ut consonat huic fidemque facit *Epigr.* 65. *l.* 5. posset mortis admonere, atque ad vitæ usum fructum spectantes hortari. Ramiresius verò, Micam hanc ita fuisse exædificatam existimat, ut ex ipso Triclinio prospiceretur aliquis *Tholus* ædificii, quod sepulchrum alicujus præteriti Imperatoris contineret: & *ausim*, inquit, *affirmare, esse Mausoleum Augusti, quod quidem, ut ex ejus ruderibus & modo ædificii conjectare nunc possumus, in tholum desinebat; quô visô admonebantur suæ sortis.* Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Jo. Rosin. l.* 2. *c.* 2. & suprà ubi diximus

mus *de Donariis*. Sed & omnia Templorum loca, quibus aliquid figi possit, *tholos* dici, notat Glossographus antiquus, uti observat Barthius *ad Papinianum illud, Theb. l. 2. v. 733.*

> ——— *figamque superbis*
> *Arma tholis* ———

Idem porrò ædificio nomen fuit, quale Æsculapii delubro adjectum scribit Pausanias *Corinthiacis*, ubi pernoctaverint ab eo quid petituri: τῷ ναῷ δὲ ἐστι πέραν, ἔνθα οἱ ἱκέται τοῦ θεοῦ καθεύδουσιν, οἰκημα δὲ περιφερὲς λίθου λευκοῦ, καλούμενον Θόλος — θέας ἄξιον. ἐν λαι δὲ ἑστήκασιν στῆλαι. ταύταις ἐγγεγραμμένα καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἐστιν ὀνόματα, ἀκεσθέντων ὑπὸ τοῦ Ἀσκληπιοῦ, προσέτι καὶ νόσημα &c. Quales *tholos* etiam aliis Æsculapii Fanis adfuisse, discimus ex Statio eodem, *l. 1. Sylv. 4. v. 99.*

> *Si qua salutifero gemini Chironis in antro*
> *Herba*: tholo *quamcunque tibi Trojana recondit*
> *Pergamus, aut Medicis felix Epidaurus arenis*
> *Educat*

Ad quem loc. Vide *Animadv.* Barthii suprà laudati: uti de *Templis* θολωτοῖς, seu θολοειδέσι, Suicerum *Thes. Eccl.* voce Ναός.

S. THOMÆ Insul. Vide *Insula S. Thomæ.*

THOMÆUS Nicolaus Lonic. Vide *ibi.*

THOMAITES, triclinii genus, Curopalates, *l. de offic. aulæ Constantinopol.* quod cum quibusdam D. Chrysostomi in S. Script. Commentariis conflagravit, tempore Irenes. Sic autem is de illo: Μετὰ τοῦ ἔσω ἀριστ. ἐστὶ ὁ τρίκλινος ὁ λεγόμενος Θωμαΐτης, ὡς τὸ Αὐγουστεῖον ὁμοίως, *Postea igitur ascendit triclinium, quod appellatur* Thomaites *& spectat Augustale versus, p. 128.* Vide Thom. Dempster. *in Rosin. l. 5. c. 28.*

THOMANII, pop. Asiæ, *Herodot.* quorum opp. *Tomanis* videtur, in Armenia majore quà Trapezunte Tauresium itur, inter Arzirim ad Occasum & Artaxata ad Ortum.

THOMAS, unus ex Christi Apostolis, cùm Domini sui resurrectionem credere nollet, ab illo convictus est, argumentò irrefragabili: Unde incredulitatem ejus plus profuisse nobis, quàm reliquorum Apostolorum fidem, ait Chrysost. *homil. 2. in Matth.* Dealbavit Æthiopes, verba hujus, iisque Euangelium annuntiavit, ut & Parthis, Persis, Medis, Indis, & Taprobanæ incolis. Lanceæ ictu, propè urbem Meliapur, hodie urbem S. Thomæ dictam, confossus, martyrium subiit. In regnis Narsinga, Cranganor, & vicinis regionibus hæc constans traditio est, & Christiani S. Thomæ dicti, qui ibi reperiuntur, varia de hoc Apostolo narrant, ex Annalibus suis desumpta, & à Malabarum infantibus decantari solita. Joh. *c. 20. v. 24.* Euseb. *Hist. l. 3.* Nicephorus, *l. 2. c. 46.* Maffæus, *Hist. Ind.* Petr. de Valle, *Itiner. tom. 4.* Latin. *Gemellus.* Ejus *Acta* jactabant legebantque Apotactici, Encratitæ, Quartidecimani; *Apocalypsin* citat Gratianus *Decr. part. 1. Euangelium* Manichæi adhibebant. Vide Suicer. passim.

THOMAS, Tyrannus Orientis, ex gregario milite. Hunc Leo Armenius Imperator Legionum suarum fortissimæ præfecit: cui cùm Michaël Balbus succederet, Thomas contra ipsum insurgens, totâ Asiâ potitus est, sub ultionis prætexto, throno inhians. Interim audiens, Saracenos rebellâsse, illos brevi devictos sibi junxit, & Antiochiæ purpuram sumpsit: Classe quoquè Imperatoris in suam potestatem redactâ, Constantinopolim obsedit. Sed bis mari, ter terrâ superatus, Adrianopolim confugit, à civibus Michaëli deditus, A. C. 823. à quo exquisitissimis cruciatibus, unà cum Anastasio, quem è Monasterio extractum Cæsarem creaverat, enecatus est. Alii tamen affirmant, eum Senatoris cujusdam uxore corruptâ ad Saracenos se recepisse, fide abnegatâ, dein Constantinum Irenes filium se mentitum Armeniam, sub Leone Armenio, occupâsse. Cedrenus, Zonar. Baron. *in Annal.*

Comites Sabaudiæ.

THOMAS I. fil. Humberti III. Comes Sabaudiæ, patri successit, A. C. 1188. Generosus & prudens, Obiit A. C. 1233. Pater *Thomæ II.* Avus *Thomæ III.* Comitum Mauriennæ & Pedemontii. Guic. *Hist. Sabaud.*

Patriarchæ Constantinopol. &c.

THOMAS I. Patriarcha Constantinop. post Cyriacum, A. C. 606. Obiit A. C. 608.

THOMAS II. Monothelita, A. C. 656. Obiit A. C. 658. Item Patriarcha Antiochenus, secul. 9. Item Patriarcha Hierosolymitanus, seculò 13.

THOMAS Maurocenus, Venetus, primus Latinorum Patriarcha Constantinopolit. post urbem captam.

THOMAS, Cardinalis Strigoniensis, indulgentiis liberaliter propositis, omnem plebem in Hungaria, ad pacem cum Turcis rumpendam, concitavit, A. C. 1514. Paul. Jovius *Hist. l. 13.*

THOMAS, Episcopus Apameensis, Cosroëm urbi dira omnia minitantem, scitò responsò, placavit, circa A. C. 544.

THOMAS, Diaconus, in cujus femoralia ludens ad Alachis, qui Cunibertum Italiæ regnò spoliaverat, odium sibi concitavit, A. C. 691. P. Diaconus *Longob. l. 5. c. 40. 41. & l. 6.*

THOMAS Aquinas, seu de *Aquino*, Neapolitanus, ex Aquino in Aprutio, genere illustri, natus quippe è Comitum Aquinatum prosapia, *Volaterr.* Dominicanus, Coloniæ Parisiisque literis incubuit, hîcque Doctor creatus Theologiam diu docuit. Dictus *Doctor Angelicus*, & *Theologorum aquila*, Obiit A. C. 1274. ætat. 50. A Johanne XXIII. canonizatus, A. C. 1323. Opera ejus, quà Theologica, quà Philosophica 18. Volumin. plurimis in locis edita sunt. Vide Moret. *Dict. Hist.* De eo Sixtus Senens. *Theologorum fuit ac Philosophorum omnium, quos in hunc usque diem Scholasticorum Academia protulit, sine ulla controversia Princeps: quippe qui primus omnium Latinorum Philosophorum, non minùs incredibili, quàm felici ausu omnem Aristotelis Philosophiam commentariis lucidissimis illustravit.* Idem, *Ita mentem D. Augustini introspexit & exhausit, ut juxta Pythagoræ μετεμψύχωσιν, communi omnium doctissimorum adagio jactatum sit, Augustini animam migrâsse in Thomam.* Volaterr. *l. 2. Anthrop. Sumpturus ad extremum Eucharistiam, Dominum Jesum flendo rogavit, ut ea quæ de ipsius mysteriis scripsisset, si minus rectè fuissent, veniam tribueret.* Hinc *Thomistæ*, qui sententias ejus sequuntur, Jacobini inprimis seu Dominicani, appellari consuevêre, Richelietus *Diction. Gall.*

THOMAS Argentina, Augustinianus Monachus, Ordinis sui Prior generalis, Parisiis creatus, A. C. 1345. Obiit Viennæ Austriæ, A. C. 1357. Scripsit varia, *Idem.* Item alius Dominicanus, Auctor *Homiliarum, Epistolarum, Quæstionum*, &c. A. C. 1495. *Trithem. Simler.*

THOMAS Basinus, Episcopus Lexoviensis, secul. 15. Ludovico XI. parum gratus, varias scripsit *apologias.* Obiit A. C. 1486. Gaguin. *in Lud. XI.*

THOMAS Bungæus, Franciscanus, docuit Theologiam Oxoniæ. Necromantiæ ab imperitis accusatus, quòd Rogerii Baconis familiaris, Mathematum non rudis esset, imprimis autem, quòd de *Magia naturali* tractatum edidisset: Ordinis sui Provincialis creatus est. Scripsit insuper *Commentar. in Magistrum Sententiar. & librum de Quæstionibus Theologicis.* Pitseus *de illustr. Angl. Script.*

THOMAS Campegius, Episcopus Velitrensis. Scripsit *de Cælibatu Sacerdotum, de Papa*, &c.

THOMAS Cantimpræus, Brabantus, discipulus Alberti M. Thomæ Aquinatis commilito. Theologiam Lovanii docuit. Scripsit *Bonum universale de Apibus, &c.* Obiit A. C. 1263. Voss. *de Hist. Lat. l. 2. c. 60. p. 487.* Moret. *Dict. Hist.*

THOMAS Cantuariensis, cognomine Becquetus, Londinensis, Cancellarius primò Henrici II. dein Archiepiscopus Cantuariensis: cùm Regi, jura regni antiqua restauraturo, obniteretur, jussu ejus occisus est, A. C. 1170. inter Martyres relatus ab Alexandro III. Math. Paris. *in Henr. II.*

THOMAS Cartwrigthus, Anglus, Herfordiensis, Theologus non è multis, D. Margaretæ S. Theolog. Prof. in Acad. Cantabrigiensi. Ejus extant: *Commentarii succincti in Proverbia, Metaphrasis in Ecclesiasten, Commentaria practica in Euangelia, Harmonia Euangelica, in ad Colossenses, contra Nov. T. Rhemense, &c.* omnia fermè Anglicè. Obiit A. C. 1603. Varvici sepultus.

THOMAS Cramerus, Præsul Cantuariensis, purioris Religionis insignis hyperaspistes, sub Eduardo VI. sæviente postmodum in fideles Mariâ, exustus Londini, martyrium subiit, A. C. 1556. ætat. 68. Balæus, Beza *in Iconibus.*

THOMAS Dempsterus à Muresk JCtus Auctor *Hist. Eccl. Scot.* Scotus. Idem *Antiquitatum Roman.* absolutissimum edidit corpus, in quo, præter ea, quæ Johannes Rosinus delineaverat, infinita supplentur, adduntur: ex Criticis & omnibus utriusque linguæ auctoribus collectum, Poëtis, Oratoribus, Historicis, Jurisconsultis, qui ibi laudantur, explicantur & corriguntur; in 4to Genevæ prodiit, 1658.

THOMAS Eliotus, nobilis Anglus, Thomæ Mori familiaris, Obiit A. C. 1546. Scripsit *Flores sapientia, de rebus Angliæ memorabilibus, Bibliothecam Dictionariam, &c.* Balæus & Pits. *de Ill. Angl. Script.*

THOMAS Fazellus, Dominicanus, auctor *Historiæ Siculæ*, divisæ in 2. Decades ad Carolum V. Imperat.

THOMAS Fienus, Medicus Antverpianus, scriptis inclytus.

THOMAS Fullerus, Anglus, *Alwinckle* in Northantonia editus, 3. milliar. ab Oundle, Præbendar. Sarisburiensis, S. Theol. D. Carolo II. à sacris. Ejus extant: *Commentarii in Ruth*, & *in Matthæi c. 4. v. 11. pr.* Anglicè. Plurima præterea scripsit tam Theologica quàm Historica. Obiit A. C. 1661.

THOMAS Gatakerus, Anglus, Londini natus in vico S. Edmundi, ex familia Gatakerorum de Gataker, in agro Salopiensi, Theologus egregius. Ejus extant: *Cinnus sive Adversaria Miscellanea, in quibus Sacræ Scripturæ primùm, deinde aliorum Scriptorum locis lux redditur*, Angl. Item, *de N. Test. stylo dissertatio.* Satur vitæ, tanquam conviva recessit A. C. 1654. ætat. 80. Barksdalii.

THOMAS Gratianus, Provincialis Augustinianorum in Belgio. Scripsit, *Anastasin Augustinianam.*

THOMAS à Kempis, Canonicus Regular. Ordin. S. Augustin. in diœcesi Coloniensi, floruit seculò 15. Opera ejus 3. Volumin. prodierunt, Duaci, Antverpiæ, &c. Inter quæ præcipuum est, *de Imitatione Christi*: Reliqua sunt, *Soliloquia Animæ, Hortulus rosarum, Vallis liliorum.* Obiit A. C. 1471. ætat. 91. Libellus ejus de Imitatione Christi, quem quidam Johanni Gersoni, alii Abbati Gesseno Benedictino, adscribunt, in varias linguas translatus, in Bibliotheca Regis Marocì Turcicè extat. Joh. Badius *in ejus vita.* Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* & Paul. Freherus *Theatrô Viror. erudit. claror.*

THOMAS Langfordus, Dominicanus Anglus. Scripsit *Chronicon Universale. Commentaria in Job, &c.*

THOMAS Linacer, Anglus, eruditione insigni præditus. Florentiæ Demetrium & Politianum; Romæ Hermolaum Barbarum audiit, manuscriptis in Bibliotheca Vaticana magnâ diligentiâ evolutis. In patriam redux Arturi, qui Henrici VII. primogenitus fuerat, educationi admotus, dein Medicus Henrici VII. & Henrici VIII. fuit. Scripsit varia, plurimos inprimis Galeni libros latinè vertit. Obiit A. C. 1524. Paul. Jov. *in Elog. c. 63.* Pitseus, *de illustr. Angliæ Script.* Erasmus, Budæus, vander Linden, &c.

THOMAS Mortonus, Anglus, Episcopus Dunelmensis. Item alius, cujus extat *Commentar. in prior. ad Corinthios*, Latin. 8. in Londini, A. C. 1596. *Acutus sanè accuratusque Scripturæ sacræ interpres*, Gatakero *in Cinno.*

THOMAS Morus, Londinensis, fil. Johannis, Cancellarius Angliæ, primus Minister Justitiæ, sub Henrico VIII. Oxonii Thomæ Linacri auditor fuit, tantumque in liberalibus studiis profecit, ut eru-

eruditione & plurimarum linguarum notitiâ multos sui seculi longô post se intervallô relinqueret. Ab Henrico hoc crebris legationibus adhibitus, Cameracensi pacificationi, inter Franciscum I. & Carolum V. Imperatorem interfuit, reversusque Magni Cancellarii axioma impetravit: Sed quod Regis divortium approbare nollet, menses 14. in carcere detentus, postmodum, cùm constanter in proposito perseveraret, capite plexus est, A.C. 1535. ætat. 62. Scripsit *Utopiam libb. 2. Historiam Richardi IV.* &c. Voss. *de Hist. Lat. l. 3. c. 13. p. 687.* Lilius Giraldus, *Dialog. 2. de Poet.* Erasmus, *in Ciceroniano*, Scævola Samnart. &c.

THOMAS Petrus, vide *Petrus.*

THOMAS Platerus, vide *Platerus.*

THOMAS Stapletonus, Anglus, è provinc. Sussexia, oppid. *Henfield*, genere nobili, Theologiam Duaci & Lovanii docuit. Obiit A.C. 1598. Scripsit *Antidota in 4. Evangelia*: Item *in Acta ad Rom. in utramque ad Corinthios, de tribus Thomis, Promptuarium Catholicum Concionum, de principiis Fidei, Manuale peccatorum*, & varia adversus Guil. Witakerum, &c. Ejus opera prodierunt 4. tomis in fol. Parisiis & alibi. De illo Aub. Miræus *in Elog. illustr. Theol. Paucos ætas nostra Theologos tulit, in linguarum trium eruditarum cognitione, in Historia tum sacra tum profana notitia, in eloquentiæ denique præstantia cum illo Stapletono conferendos.* Montacutius *Origin. Eccles. Stapletonus noster Owigensis, inter Theologos tam illustres, ut vel Bellarmino palmam præripere possit.* Idem *Exercit. Iracundus ille senex Stapletonus noster.* Pitseus, *de illustr. Angl. Script.* Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

THOMAS Villanovanus, Archiepiscopus Valentinus in Hispania, Carolo V. & Isabellæ Lusitanicæ, à concionibus: omnia pauperibus distribuit, moriturus, A.C. 1555. ætat. 97. Ab Alexandro VII. haud pridem Catalogo Sanctorum insertus est. Scripsit *Homilias*

THOMAS de Vio, dictus *Cajetanus*, à Cajeta urbe Neapolitani regni. Generalis Dominicanorum per Ann. 10. suæ Cajetæ Episcopus inter suos æstimatus, renascenti in Germania Evangelio, nequaquam se opposuit. Scripsit *de potestate Papæ, opera Philosophica & Theologica varia, Commentariosque in omnes Scripturæ libros*, exceptis Canticô Canticor. Prophetis Minorib. & Apocalypsi, quam de industria attingere noluit, Possev. tomô 1. in fol. Lugdun. A.C. 1639. Obiit A.C. 1534. ætat. 65. Moretius *Diction.* De eo Chamierus: *Cardinalis Cajetanus omnes Epist. Nov. Test. & Actorum librum recensuit ad veritatem Græcam, & Annotationibus illustravit, infra spatium circiter 10. mensium.* Bellarminus: *Vir fuit summi ingenii nec minoris pietatis.* Sixtus Sen. *Subtilissimus Dialecticus, admirabilis Philosophus, Theologus incomparabilis, & inter eruditissimos sui seculi longe eruditissimus.* Iterum Chamierus, *Vir meô judiciô candidus, plurimumque distans ab ea pertinacia, quam in reliquis deplorare cogimur.*

THOMAS Waldensis, Anglus, Carmelitarum provincialis: ab Henrico IV. V. & VI. magnis negotiis adhibitus, interfuit Concilio Constantiensi, ubi contra Hussitas & Wiclefi discipulos parum felici successu disputavit. Scripsit *Doctrinale Antiquitatum Fidei Ecclesiæ Catholicæ.* Item in multos Scripturæ libros in fol. Venetiis A.C. 1571. &c. Obiit A.C. 1430. *Idem.*

THOMAS Walsinghamus, Benedictinus Anglus, floruit A.C. 1440. Scripsit *Historiam majorem*, seu *Hypodigma Neustriæ*, &c. Pits. *de illustr. Angl. Script.* Balæus, Voss. *l. 3. de Hist. Lat. c. 9. p. 631.*

THOMASINUS Philippus, scripsit *Elogia virorum doctorum.*

THOMELLUS, Flander, Monachus S. Amandi, floruit A.C. 1080. Scripsit *vitam Balduini Pii, Comitis Flandriæ & Chronicon monasterii sui.* Voss. *de Hist. Lat. l. 3. c. 6. p. 769.* Mejer. *l. 3. rer. Flandr.*

THOMNA, Græcè Θωμνα, Gebanitarum regia, Plin. *l. 6. c. 2.* de qua vide Salmas. *ad Solin. p. 494* & 496.

THOMUM, Ægypti urbs, circa Chenobosciam, *Anton.*

THOMYRIS, Scytharum regina, quæ irata, quòd Cyrus Rex Persarum Sargapiscem filium bellô captum ad mortem impulisset, non prius finem fecit furori, quàm mortuum ulta esset. Contractis itaque copiis ita conflixit, ut maximam inimicorum partem, cum ipso etiamnum rege occiderit. Nec tamen hôc eventu propterea emollita est animi rabies: mortui enim caput in utrem humanô cruore plenum demisit, his verbis insultans: *Filii mei sanguinem hausisti, & meum sitivisti, Cyre, At ego te cruore saturabo.* Herodot. *l. 2.*

THON, primus apud Ægyptios medicinam in artem redegit, Homer. Od. 4. Alter, teste Hellanicô, rex Canopi, ad quem cum Menelaus Trojà cum Helena discedens, tempestate maris deduceretur, fuit primùm ab illo, antequam Helenam conspiceret, gratè susceptus. Sed ut illam conspexit, vim Menelao inferre conatus, ab illo interfectus est.

THON, Africæ Propriæ urbs, *Appian.*

THONIA, urbs & caput Gabaonitarum, à Gaza mille quingentos triginta septem passus distans.

THONIS, urbs Ægypti ad ostium Canopicum, ubi lacus *Thonites.*

THONITES, Armeniæ majoris lacus in confinio Mesopotamiæ piscosus est, & vestes polit, Eustath. Dionys. *v. 987.*

> Ἔστι δὲ καὶ ζ᾿ μίστα περίτροχ⊕ ὕδασι λίμνη
> Οὔνομα Θωνῖτις, ἣς ὁλκοῖς ἐν μυχοῖ Τίγρις
> Δινῆσι πολλῆσιν ἰεὶς δι᾿ πάλιν δ᾿ ἐξαῦτις ὑπεκπρὸ
> Ὀξύτερ⊕ φορέει κατὰ ῥόον.

Thonitis dicitur Straboni, *l. 16.* Διαρρεῖ δ᾿ ὁ Τίγρις τὴν Θωνῖτιν καλουμένην λίμνην. *Thospites* est Plinio, *l. 6. c. 27.* ubi de Tigri: *Fertur autem & cursu & colore dissimilis, transvectusque occurrente Tauro monte in specu mergitur: subterque lapsus, à latere altero ejus erumpit. Locus vocatur Zoroanda. Eundem esse manifestum est quòd demersa perfert. Alterum deinde transit lacum, qui Thospites appellatur, rursusque in cuniculos mergitur, & post 25. mill. pass. circa Nymphæum redditur.* Nic. Lloyd.

THONITIS, lacus Ægypti & amnis, apud Canopum, cum Thoni urbe, *Strab.*

THONIUS, unus ex Centauris, Ixionis & Nubis filius.

THONNA, vide *Tonna.*

THONOS-CONCOLOROS, Sardanapali cognomen. Jornandes *de regnorum successionibus*: *Thonos Concoloros, quem Græci Sardanapalum nominant.* Neque aliter Euseb. *in Chron.* (& ex eo *B. Hieronymus*) Σαρδανάπαλ⊕, ὅσπερ ἐστὶ Θῶν⊕ Κονκόλερ⊕ ὀνομαζόμεν⊕. Apud *Suidam* tamen non *Thonos*, sed *Conus Concolorus* vocatur. Ejus hæc verba sunt: Κωνοσκογκόλερ⊕ ὁ Ἑλληνιστὶ ὀνομαζόμεν⊕ Σαρδανάπαλ⊕. *Nic. Lloyd.*

THOON, vir. Trojanus ab Ulysse interemptus. Ovid. *l. 13. Met. v. 259.*

> *Exitioque dedi cum Chersidamante Thoona.*

THOOSA, Phorci filia, ex qua Neptunus Polyphemum suscepit. *Homer.* Alii, inter quos *Servius*, dicunt, Neptunum Thoosæ commistum, genuisse Phorcum.

THOOTES, unus ex præconibus Græcorum, Homer. *Il. 13.*

THOR, magus apud Saxonem Grammaticum, qui ludificatis idiotarum mentibus divinitatis fastigium sibi arrogabat. Adamus Brem. Sueonibus Jovem hôc nomine venisse indigitat. Sic enim ille, *Thor*, inquiunt, *præsidet in aëre: qui tonitrus & fulmina, ventos imbresque, serena & fruges gubernat.* Et paulo post, *Thor cum sceptro Jovem exprimere videtur.* Vide plura suprà voce *Tarau.*

THOR, vel THOUR, emporium & portus nominatissimus maris rubri, ubi applicant omnes naves, onustæ mercibus aromaticis ex India: sunt autem non clavis ferreis, sed ligneis tenaculis conjunctæ, propter scopulos magnetis, quos transire debent ne ab iis attrahantur & collidantur, atque hinc Alexandriam, inde Venetias aut alio transferuntur.

THORA, Campaniæ oppid. Florus, *l. 3. c. 20.* Cujus vestigia ad Thoranum fluv. in Aprutio, & limite Sabinorum, è regione Castri veteris & Antimi, paulo supra castrum *Colle piccolo*, ubi S. Anatoliæ celebre templum, in quo columnarum & inscriptionum vestigia visuntur, & ager ad flumen usque longè lateque oppletus cernitur. Est autem Thorax 7. mill. pass. à Trebula Mutusca, 15. à Reate. *L. Holstenius.*

THORACIDA, apud Walfr. Strabonem, *de Rebus Eccl. c. 8.* ubi dicitur, *Constantinum Imperatorem per* Thoracidas *Apostolorum, quos ipse in visione viderat, cognovisse*, ex Græco θώρακες, imago est pectore tenus expressa, seu, ut ait Treb. Pollio, *in Claudio, c. 3. expressa thorace imago*; aliter Græcis θώραξ, ὅπλον, δίσκ⊕, κύκλ⊕, ἀσπίδιον, στρογγύλη, recentioribus σκουτάρια, item εὐληπτικὸν (quod hujusmodi *disci* vel clypei, ac *columnas* templorum solerent affigi, in quarum cavitate historiæ eò pertinentes cœlo exprimebantur, unde) & μονώγραφοι ἀνάγλυφοι. Latinis *clypeus, cyclus, discus, scutum, thoracleta, thoracis, thorax* &c. Vide hic passim, & plura apud Salmas. *ad Histor. Aug. Divi Claudii* inprimis à Treb. Pollione exaratam, nec non *ad Solin. p. 869.* Quousque vero istiusmodi picturæ hominem expressserint, an à capite ad ventrem, an ulterius ad crura usque, ex Hippocrate *de Arte*, & Aristotele *Hist. Animal. c. 7.* eousque *thoracem* pertingere asserentibus, disputantem vide Domin. Macrum *Hierol.* ubi Apostolorum icones ad crura usque expressas in Basilica Vaticana ostendi addit.

THORACOMACHUS, vestimenti militaris genus, *quod mirâ utilitate ad levamen corporis armorum ponderi & asperitati subjecti antiquitas*, apud Auctorem Anonymum *de Rebus Bellicis, l. Thoracomachum*; Græci namque recentiores Θωρακομάχους, quasi θώρακας μαχης appellavêre, quos πιλωτοὺς dicebant Veteres, ex lana scil. *subcoactos*, ut ait Cæsar, seu *coactiles.* Hinc sequitur mox, *Hoc enim vestimenti genus, quod de coactili ad mensuram & tutelam pectoris humani conficitur, de mollibus lanis, timoris solicitudo solertia magistra composuit: ut hôc inductô primùm lorica vel clibanus, aut his similia, fragilitatem corporis ponderis asperitate non læderent: membra quoque vestientis, inter armorum hyemisque discrimen, tali solatiô adjuta labori sufficiant.* Vide Salmas. *ad Lamprid. Alex. Severo, c. 56.* & *ad Solin. p. 488.* Plura verò de operibus istiusmodi coactilibus, apud Gerh. Jo. Vossium, *de Idolol. l. 3. c. 70.* ut & suprà.

THORÆ, vicus in tribu Antiochide, *Steph.*

THORATES, Apollo sic dictus. *Hesych.* Θοράτης, Ἀπόλλων παρὰ Λάκωσι.

THORAX, mons juxta urbem Magnesiæ, in quem Thimbron urbem Magnesiæ transtulit, ne, se recedente, Tissapherni ac Persis ad direptionem foret exposita. Hic dicunt crucifixum fuisse Daphitam Grammaticum, propterea quòd reges versibus incesseret. Unde proverbium: *Cave à Thorace.* *Stephano* urbs est Ætoliæ, & alia Magnesiæ.

THORAX, Græcè θώραξ, à θορῶ, *salio*; quod in ea corporis parte cor perpetuò agitetur motu. Ejus partes pectus & venter, Philosopho, *Hist. Anim. l. 1. c. 1.* quemadmodum totus tractus anterior humani corporis, priscis Latinis: unde militare munimentum, quod eam partem, usque ad pubem tegeret, eâdem voce illi insigniverunt. Idem tamen Aristoteles alibi pectus solùm *thoracis* nomine intelligit, ut & Plinius passim. Celsus quoque, *l. 5.* Alii. Vide hanc in rem Casp. Hoffmannum *de Thorace.* Papinius Statius pro pectore sumit *Theb. l. 2. v. 634.*

> —— *Singultibus arctum*
> *Exhaurit* thoraca *dolor.* ——

ad quem locum vide *Animadvers.* Caspari Barthii. Virgilius pro munimento partis anterioris inprimis, *l. 11. Æn. v. 487.* ubi de Turno,

> —— *Rutulum* thoraca *indutus, ahenis*
> *Horrebat squamis* ——

Unde

Unde simul discas, multiplicibus circulis squamisque chalybe ductis, Veteribus fuisse in usu. Ut & ex Papiniano illo, *Theb. l. 4. v. 172.*

At laterum tractus spatiosaque pectora servat
Nexilis innumero chalybum subtemine thorax.

At alii solidô metallô factos induebant, uti de aureo Herculis Apollodorus habet, *l. 2.* Quin, ut audentiores adirent pericula, duobus *thoracibus* nonnulli se tutabantur. Val. Flaccus, *Argon. l. 6. v. 248.*

Contra autem geminis fidens thoracibus ictum
Sustulit, & gladiô Sibotes ferit ultima teli.

Ne verò *thoracum* hujusmodi asperitas corpus læderet, primò ex corio crudo pectorale eis subjecerunt, uti diximus in hac voce: postmodum ex lana coactili opere factum adhibere cœperunt, ut videre est suprà in voce *Thoracomachus.* Sed & ipsi tandem ferrei thoraces, quòd militantibus graves nimiùm essent, lineis expulsi sunt, uti vidimus, ubi de *Lineis thoracibus.* Vide quoque Jac. Cujacium, *Observ. l. 5. c. 11.* & suprà *Suta*, Recentiori ævô *vulgus Latinorum thoracem appellare cœpit: quod patria lingua Wammes —— Galli Pourpoint,* uti ait Philip. Cluverius, *Germ. Ant. l. 1. c. 16.* ubi χιτὼν χειριδωτὸς, ad inguina & nates usque demissos, de istiusmodi vestimenti genere, quod videl. quia ventrem & pectus tegit, à Saxon. *Wamb* nomen nactum est, exponit *Gambesones* Scriptores rerum Gallicar. passim vocant, de quorum frequenti olim in bello usu, vide Car. du Fresne, *Notis ad Vilharduin. p. 294. & ad Joinvillam, p. 74.* Aliam vocis notionem Veteribus usitatam vidimus suprà. Nec omittendum, quòd *thoracem* ex Britannicis margaritis factum Veneti Genitrici Cæsar dedicâsse legitur apud Sabellicum, *l. 6. En. 6.* quemadmodum Amasim Ægypti Regem *thoracem lineum*, frequentibus animalium figuris, ex auro & lana versicolore, intertextum, in quo venationes quælibet exiles singulæ in se habebant 360. bestiolas, Lacedæmoniis donô misisse, à Samiis interceptum, similemque alterum, in Lindo, Minervæ consecrâsse, refert Herodotus, *l. 1.* Ut nec illud, quòd ex accusativo θώρηκα, *dorica* primùm, inde *Lorica* Latinis, factum docet Salmas. *ad Solin. p. 872.*

THORIA Lex, vide *Thorius.*

THORICUS, vicus Ægypti prope Canopum juxta Alexandriam. *Stephanus.*

THORICUS, vicus in tribu Acamantide, ubi Smaragdus lapis reperitur. Hecatæus urbem esse tradit.

THORIGNIA Familia, inter Galliæ illustres, Gobioniæ (*Goyon*) Stirpis ramus est. In hac enim Stephanus, Alanô II. genitus, cùm tres filios suscepisset, primogenitus Bertrandus Comites *de Thorigny*, Dominos *in Matignon*, prosevit, uti videre est suprà ubi de *Gobionia Familia.*

THORISMUNDUS, Wisigothorum Rex in Hispania VII. primogenitus Theodorici I. in prælio contra Attilam occisi, A. C. 451. in eodem vulneratus, patri successit: quòd Ætius sibi in secundo contra Attilam bello suppetias non tulisset, iratus, ægrè *Orbiculô aureô 500. librarum, gemmis ornatô*, placari se passus est, annô pòst à fratribus, Theodorico & Friderico occisus, A. C. 454. Idacius *in Chron.*

THORIUS, Floro, qui *Thoranius* Plutarcho, unus ex Metelli Legatis, ad debellandum Sertorium missus; de quo vide Salmas. *ad Solin. p. 40.*

Sp. THORIUS, Tribun. Plebis legem tulit, *Ne quis vectigal ullum agrorum, quos possideret, solveret*, cavitque de pastione pecoris, Cicer. *in Bruto.* Duo hujus legis fragmenta ex æneis tabulis exscripta, ac suppleta habet Sigonius, *l. 2. de antiquo jure Italiæ, c. 2.*

THORNAX, mons Laconiæ. *Stephan. Hesych.* Θόρναξ, ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἐν τῇ Λακωνικῇ, ἀπὸ Θόρνακος, Θόρναξ γὰρ Ἀπόλλων. Meminit ejus quoque Herodot. *Musâ 1.*

THORNUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

THORONUM, vulgò THORON, amplum & nobile castrum est, in tribu Aser, naturali situ & artificiô munitissimum, quod in montanis tribus Aser, quæ Tyro ab Oriente adjacent, situm versus Boream, à Castro montis fortis quatuor, contra Africum, à civitate Aser totidem, versus Eurum verò, à Tyro septem milliarib. distat: ædificatum autem est Ann. nati Salvat. 1107.

THORONUS, insula prope Corcyram, inter Hydruntum 60. & Corcyram 40. mill. pass. *Phanu Nigro.*

THORSUS, Sardiniæ fluv. Pausan. *l. 10. Ptolemæo Thyrsus*, vide ibi.

THORUNUBA, urbs Africæ propriæ. *Ptolem.*

THORUNIUM, urbs Borussiæ ad Vistulæ ripam, condita à Crucigeris A. C. 1234. cujus muros spectans Vladislaus Jagello Polonor. Rex, à muliercula sordibus perfusus ei tamen pepercit A. C. 1405. Hic Synodô generali habitâ Proceres Poloni, A. C. 1595. querimonias libellô supplice comprehenderunt, Regi offerendas: Syncretismum quoque inter confessiones Augustanam, Bohemicam & Helveticam renovârunt. Unde exacerbati adversarii, mox sequenti annô res in Borussia pacatas turbârunt: Thoruniique in Fanum Johannis Jesuitæ se insinuaverunt, sed mox à Magistratu Scholâ & templô cedere jussi, quòd ex veteri pacto penes Plebanum, jus Patronatus penes Senatum, cesserunt, mox tamen ad intercessionem Regis rursus certis sub conditionibus admissi, A. C. 1596. Infeliciter posteà urbs tentata est, à Gustavo Adolpho Sueciæ Rege, A. C. 1628. Vide *Torunum.*

THORYCION, Atheniensis, qui, conspiratione cum Peloponnesiis initâ, clam eis Ægina suppeditavit lora, linum, & picem. Ut proditorem, traducit Semichorium in Aristoph. *Ranis, Act. 1. Sc. 7.*

THORYCIUM, urbs Italiæ versus Crotonem & Crimissam. Isac. *in Lycophr.*

THOS, Græcè θὼς, animal è luporum genere, ut nonnullis videtur, paulò vulpibus majus, hominibus armentisque innoxium, furtô magis & dolô, quàm vi, victum quærens, gallinis inprimis infestum, & avibus aquaticis, quas ingeniosè admodum venatur, uti apud *Alkazuinium* videre est. Unde ab harum ferarum ingenio Turcæ homines fraudulentos & versipelles, maximè Asiaticos, *Ciacales* appellant, quod corruptum ex σκύλακες, quâ voce recentiores Græci *thoes* indigitant. Nempe & *tentoria Turcarum, aut etiam domos, noctu subeunt, in quibus, quicquid inveniunt esculentum, vorant: Quòd si aliud deest, quicquid est operis coriacei, rodunt —— Neque deest ad furtum solertia, nisi (quod ridiculum est) suô se proderent indiciô. Nam, cùm maximè sunt in ipso furto occupati, si quis fortè gregalium, qui foris remansit, ululare incipiat, mox ipsi idem faciunt, parùm memores, ubi versentur. Quô clamore expergefacti homines, arreptis armis, fures manifestarios malè mulctant*, Albertus apud *Gesnerum*, ubi hoc animal circa Cæsaream abundare ait. Vide quoque Olearium, *Itin. Moscov. & Pers. l. 4.* ubi, de provinc. *Schirwan* agens, illis lanam pro pilo, ventrem album, aures nigras, caudam minorem, quàm nostratium vulpium, cœterùm vulpium similitudinem, & clamorem assiduum eumque protractum & quasi lugubrem, quô gregatim circa pagos noctu oberrantes obtundant homines, tribuit. Quem eorum clamorem Propheta Esaias quoque innuit, cùm de maceriis desolatæ Babylonis, *Clamabunt*, inquit, *c. 13. v. 22. alternis* איים *in palatiis ejus.* Hoc enim iis maximè proprium, quòd alternis ululatibus sibi mutuò respondent. Albertus, *Ululant uno præcinente, aliis respondentibus.* Scaliger, *Mutuis ululatibus quasi signô datô conveniunt* &c. quod illis adeò innatum, ut ne periculô quidem suô inde absterreantur, uti vidimus. Hinc *filium awi* thoëm Arabes vocant, acutum animalis ululatum utcunque sic expressuri, quô illi, gregatim cursitantes, Syriæ agros personant. Cœterùm, utut homini amicum animal, urgente tamen fame sepulchra aliquando ingredi & cadaveribus vesci dicitur, hyænæ more: quam in aliis etiam sic refert, ut, sicut nonnulli lupis illud annumerant, ita non pauci ex hyænarum genere esse velint, cùm tamen propriè sui generis esse videatur. Captivitatem verò impatientissimè fert, nec unquam in cavea calcitrare desinit &c. Reliqua vide suprà in voce *Thoes.*

THOSPIA, *Ptol. Tolgic Moletio*, urbs Armeniæ majoris ad Thospitem lacum & Tigridem fluv.

THOSPITES, Armeniæ majoris regio & urbs, *Ptolem.* Vide *Thonites.* Item lacus ingens Armeniæ, in Mesopotamiæ confinio, quem Tigris efficit, *Gabacu* hodie *Castaldo.* Ejus meminit *Ptolem.*

THOU, Rex Syriæ in *Hamath*, tempore Davidis Regis. Vide *Toi.*

THOU, Ægypti oppid. inter Pelusium & Memphim. *Antonin. Tobum in lib. Notit.*

THOUS, unus ex Trojanorum principibus. *Homer.*

THRABUNACTUM, Africæ propriæ urbs, *Antonin.*

THRACA Palus, apud Valer. Flacc. *l. 2. v. 202.*

THRACE, Titanis filia, ex Jove habuit Bithyn, à quo Bithyni; ex Saturno Doloneum, à quo Dolonci. Erant autem Bithyni & Thyni populi olim Thraciæ, qui in Asiam commigrârunt, Strabo, *l. 7. & 12.*

THRACENSIUM Præfectura, Græcè Θρακήσιον θέμα, recentiori Græcorum ævô dicta est Asia minor Antiquorum, quæ à Proconsule regebatur, uti quidem scribit Constantinus *de Themat.* ubi ex Lydia, Mæonia, Caria, Ionia & Phrygia minore hanc Præfecturam compositam fuisse, ait. Salmasius verò τὸ Θρακήσιον θέμα Asiæ citeriori, sicut τὸ Ἀνατολικὸν Asiæ ulteriori, respondisse, atque hinc utrumque *θέμα minoris Asiæ* nomine Veteribus venisse, docet. Θρακήσιοι autem nomen est, ex Latino Græcorum more modoque depravatum. Nempe Constantinopolitani, qui *Thraces* erant, partem eam Asiæ, quæ sibi i. e. Thraciæ propior esset, *Thracensem* inde appellâsse videntur, & eos Asiæ populos *Thracenses*, Θρακησίους; alteram autem & magis Orientalem partem, Ἀνατολικόν. Nisi malis Thracensium præfecturam ab aliqua cohorte, vel ala Thracum auxiliari, quæ ibi prætendebat, vel in præsidiis erat collocata, nominatam. Certè *Cohortis primæ, secundæ, tertiæ, quintæ, septimæ Thracum, & alæ Thracum*, frequens in veter. monumentis est mentio. Vetus quoque *Notitia* Arcadii *Thracum Auxiliarium* meminit, sub Magistro militum Præsentalis in Imperio Orientali. Sed &, uti Θέμα tertium Imperii illius in Asia minore Θρακησίων, à militibus dictum videtur, ita sextum Βουκελλαρίων, itidem à militibus Buccellariis, qui olim in ea regione excubabant, nomen accepit &c. Quam in rem vide Salmas. *ad Solin. p. 805. & seqq.* nec non suprà ubi de *Asia minore.*

THRACES, gens regionis, quæ *Thracia* dicta, de qua *suô locô.* Conditor eorum ex parte Odrysus, in universum *Thiras* fuit, uti vidimus. Eô nomine antiquitus etiam Getas, Dacos, item Mysos vocatos fuisse, Strabo testis est, *l. 7.* & Pomponius, *l. 2. c. 2.* Unde Herodotus, *Thraces* gentem esse, post Indos maximam, asserere haud dubitat, *l. 5.* Nempe quandoque *Thracum* & Scytharum vocabula promiscuè Veteres usurpant. Vide Gerh. Jo. Voss. *de Idolol. l. 1. c. 33.* Eos Orpheus *Thrax*, sacris initiatus Ægyptiis, illa primùm docuit: unde & Θρησκείας nomen: posteà verò & Thebanos iis imbuit; inque eorum gratiam, quæ honori fierent Osiridis, accommodavit Διονύσῳ, Cadmi ex Semele nepoti, ut *Diodor. Siculus* testatur. Unde factum, ut multi Osirim, idem cum Thebanorum Baccho Numen esse crederent, quamvis hic illô multis seculis fuerit recentior, Idem *præc. c. 27.* Sed de Diis illorum, hic infrà, ex eodem *c. 39. ejusd. libri & l. 2. c. 57.* uti de Philosophia eorum aliquid suprà diximus, voce *Orpheus.*

Thracum Dii, ex Vossio.

Βένδις, teste *Hesychiô*, Diana ipsis dicta est: quam alias & *Orthesiam* vocavêre. Intellexêre autem per Βένδιν, non Lunam solùm, sed & Terram, quæ ambo Prisci eôdem cul-

tu complectebantur. Μεγάλη ἐα θεὸς, *Magna Dea*, *Hesych.* Δίλογχος item appellata est, Cratino *Thrissis*, vel, *quia geminum sortita honorem, cœlestem & terrestrem; vel quia duas gereret lanceas, utpote venatrix; vel quia geminum habuerit lumen, Solare & proprium.* Cultus illius à *Thracibus* Athenas pervenit, ubi *Festum* Βενδίδεια, cujus meminit Xenophon, *Hellen.* 2. sicut Templi *Bendidiorum* Livius, *l.* 48.

Diana, *Thracibus* in veneratione fuit, apud quos Βένδις, Δίλογχος, Orthesia dicta est, uti vidimus.

Δίλογχος, vide suprà.

Liber, cultus est eidem genti, Herodot. *Terps.*

Mars præcipuus illorum Deus, vide *Thracia.*

Mercurius, non minùs à *Thracibus* honoratus est; utpote per quem solùm jurabant; & à quo se prædicabant oriundos. Idem *ibid.*

Musæus Poëta, domô *Thrax*, in numerum Deorum post obitum relatus est.

Odrysus, à quo ex parte gens oriunda, similes in illa honores est adeptus.

Orpheus, non Poëta, sed Argonauta, jure enim illos distinguit Scholiastes Apollonii *in Argonaut. l.* 1. vixit 30. circiter annis ante excidium Trojanum, & sicut Musæus divinos promeruit honores. Vide Voss. *de Re Poëtica* quoque *l.* 1. Fœminis ejus templum fuisse inaccessum, tradit Conon, *narrat.* 45. apud Photium *in Biblioth.*

Orthesia, *Thracibus* Diana nuncupata est, ἀπὸ τοῦ ὀρθοῦν, i. e. *erigere*, quia parturientes elevet & adjuvet. Eandem & *Bendim* vocavêre, uti vidimus.

Plestorus, Græcè Πλείστωρος, Herodoto *Calliop.* ἐπιχώριος θεὸς, *indigena Deus* dicitur, cui Oeobazum ritu suô immolaverint. Vossius dubitat, utrum naturale, an animale fuerit Numen.

Zamolxin quoque hominem fugitivum è Samo coluisse *Thraces*, testis est Lucianus, *Jove Tr.*

THRACES, Gladiatorum etiam genus Romæ, quorum arma fuêre *parma* & *sica*. Parmâ autem primos Thraeas usos fuisse, docet Adrian. Turnebus, *Adversar. l.* 5. *c.* 10. Similiter Sica fuit Θρακικὸν ξίφος ἐπικαμπές, *Thracicus ensis recurvus.* A' gente igitur Gladiatoribus hisce nomen: Sed & iidem à parma, *Parmularii* sunt appellati. Sueton. *Domit. c.* 10. *Patremfamilias, quòd Thracem Myrmilloni parem, Munerario imparem, dixerat; detractum è spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: Impiè locutus Parmularius.* Vide Alexandr. ab Alex. *Genial. dier. l.* 6. *c.* 22. & Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 2. *sect.* 3. *c.* 10.

THRACESIUM, Asiæ minoris tractus ad Ægæum mare. Complectitur ferè Lydos, Mœonas, Caras & Ionas: uti docet *Porphyrogen.*

THRACIA, sic à sævitia incolarum, teste *Isidorô* dicta, olim *Perca*, teste *Stephan.* & *Sithon*, teste *A. Gelliô*, regio maxima Europæ, mari Ægæô ad Austrum, Propontide, quâ ab Asia separatur ad Ortum & mari Euxinô definita, à Mysia superiore & inferiore ad Occidentem & Boream, Hæmô monte divisa: A Macedonia pariter ad Occidentem Nessô fluviô disterminata. Olim sub propriis Regibus, posteà Macedonibus paruit: à Cajo Scribonio Curione Proconsule Romanis subdita, postmodum easdem cum Græcia vices experta, captâ à Mahomete II. Constantinopoli, Turcicum jugum subiit; postquam à Bulgaris, imperante Basiliô, qui ab illis victus erat, vastata est, A. C. 978. Nicephorus Briennius hîc imperium arripuit, à Nicephoro Botoniate mox excæcatus, A. C. 1078. Scythas inde pepulit Calo Johannes Imperator A. C. 1118. Valachis prædæ fuit, regnante Balduinô, A. C. 1206. Andronicus illâ, uti mox totô imperiô avum Michaëlem exuit, A. C. 1326. Sed & Kosaci, A. C. 1616. usque ad Byzantina mœnia illam depopulati sunt. Dicitur *Romania* Sophiano. In ea Mars ubique colebatur; erant enim gens bellicosa. Unde Horat. *l.* 2. *Carmin. Od.* 16. *v.* 5.

> ——— ——— *Bellô furiosa Thrace.*

Et *l.* 1. *Carmin. Od.* 27. *v.* 1.

> *Natis in usum lætitiæ scyphis*
> *Pugnare, Thracum est.*

Ut & apud Ovid. *Ep.* 2. *Heroid. v.* 84. *Armiferam Thracen* legas. Quæ proinde forsan *horrida* Catullo, *Epigr.* 4. *v.* 8. & *sæva* Statio dicitur. Eidem Statio *Tumidi Thraces.* Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 13.

> *Terra procul vastis colitur Mavortia campis,*
> *Thraces arant.* ——— ———

Porrò de virtute Martia Thracum sunt illa Euripidis *in Hecuba*:

> ——— ——— Θρῄκης
> Λογχοφόρῳ, ἵππῳ, ὅπλοις, Α'ρεῖ κατόχῳ γένος.

Et in eadem Tragœdia de eadem gente, φιλίππῳ λαῷ. Minutius *in Octavio*: *Mars Thracius.* Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 462.

> ——— *Rhesi Mavortia tellus.*

Huc pertinet dici ab Arnobio, *l.* 4. ex sententia Sophoclis Martem *in Thraciæ finibus procreatum*, & ab Homer. Od. 8. Deum hunc absolutum à Vulcani vinculis abiisse in Thraciam. Datum locum credit Lud. de la Cerda huic natalitio à moribus Thracum bellicosissimis. Plin. *l.* 4. *c.* 11. *princip. Thracia inter validissimas Europæ gentes.* Plutarch. *l.* 1. *de LL.* Καρχηδόνιοι καὶ Κελτοὶ καὶ Σκύθαι καὶ Θρᾷκες, πολεμικὰ ἔθνη ὄντα. Ob hanc causam fortassè Pomponius Thracibus fœcunditatem negat, & solum fertile. Verba ejus apponam è *l.* 2. *c.* 2. *Regio nec cœlô læta, nec solô: & nisi quà mari propior est, infœcunda, frigida, eorumque, quæ seruntur, malignè admodum patiens. Raro uspiam pomiferam arborem, vitem frequentiùs tolerat: sed nec ejus quidem fructus maturat ac mitigat, nisi ubi frigora objectu frondium cultores arcuêre. Viros benignius alit, non ad speciem tamen: nam & illis asper atque indecens corporum habitus est: cæterùm ad ferociam & numerum, ut multi immitesque sint, maximè ferax.* Hæc ille. Interim voces illæ *colitur*, & *arant* apud Poëtam aliud planè præ se ferunt. Hinc fertilitatem ei dat Euripides *in Hecuba*, cujus hæc sunt ex versione Erasmi:

> ——— *Thraicô emisit solô*
> *Ad hospitam Polymestoris Thraciæ domum,*
> *Qui Cherronesi fertilem glebam colens*
> *Armis ferocem Martiis gentem regit.*

Ubi verba Græca signata sunt, ἀρίστην πλάκα. Quin & Plato, *l.* 7. *Leg.* loquens de Thracia, illi attribuit γεωργεῖν, βουκολεῖν, ποιμαίνειν. Ammianus dat Thraciæ *immensam camporum placiditatem.* Idem clarè, *l.* 31. loquens de Thracia, *cespitis*, inquit, *est feracissimi.* Iterum: *vicos uberes.* Apud *Cedrenum* orientales homines frumenti inopiam passi migrant in Thraciam, non facturi, nisi hæc fertilis. Vites verò quod attinet, Hippocrates *in Epp.* locum quendam Abderæ urbis (quod oppid. Thraciæ est) ornatum exhibet αὐτοφυέσιν ἀμπέλοις. Unde Athen. *l.* 1. Ε'παινεῖ δὲ ἡ Θρᾴκη ἰσθμιάζειν εἰς οἶνον. Verùm enim verò rectè Pomponius ait, infœcundam esse Thraciam, nisi quà mari vicina est. Universum enim hujus regionis litus Græcis erat refertum coloniis; vinaque hîc nascebantur generosissima, Maroneum, Biblinum, aliaque, vixque in ulla regione major erat cultus Bacchi, quàm in litoralibus illis Thraciæ oppidis, adeo illa passim erant πολύοινα. At verò interior tractus, qui propriè Thracia erat, altior & frigidior orâ illâ, quam Græci inhabitabant, vel nullum omnino, vel malignum satis producebat vinum. Neque id tam regionis, quàm incolentium vitio imputandum esse videtur. Barbari enim & bellatores erant plerique Thraces, agriculturæ ignari, lacte tantùm & pecoribus viventes, aut raptu vicinorum. Vitam illorum breviter sic descripsit Herodotus: Α'ργὸν εἶναι κάλλιστον, γῆς δὲ ἐργάτην ἀτιμότατον, τὸ ζῆν ἀπὸ πολέμου καὶ ληϊστύος, κάλλιστον. Apud *Zenodotum* perfidiæ notantur, unde pactis cum Bœotis induciis noctu populati sunt agros, hinc *Thracium commentum.* Poëtis *Bistonii*, *Ismarii*, *Mantini*, *Odrysii*, *Oeagrii*, *Pangæi*, *Rhodopæi* dicuntur. Fuit hæc regio, quæ hodie *Romania* dicitur, aliàs divisa in *Thraciam cis* & *trans Rhodopen.* Posteà in IV. provinc. Nempe in Thraciam propriam ad Occidentem, Hæmimontum ad Boream, Rhodopen ad Meridiem & Europam ad Ortum. Ejus primaria Constantinopolis. Vide ibi. Etiam *Rumelia* persæpe tota regio dicitur; sub Turcis, quibus *Icella* vocatur. Terminatur à Septentrione Bulgariâ, ut & [illegible] Occidente à Meridie mari Ægæô, ab Ortu Pontô Euxinô, Bosphorô Thraciô, Propontide & Hellespontô. *Baudrand.* Hinc *Thracius.* Ovid. *Ep.* 1. *Heroid. v.* 42.

> *Thracia nocturnô tangere castra dolô.*

Item *Threicius.* Virgil. *l.* 3. *Æn. v.* 51.

> *Infelix Priamus furtim mandârat alendum*
> *Threicio regi.* ———

Cujus fœminin. *Threissa.* Idem, *l.* 11. *Æn. v.* 858.

> ——— *Auratâ volucrem Threissa sagittam*
> *Deprompsit pharetrâ.* ———

Item *Thressa.* Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 9. *v.* 9.

> *Me nunc Thressa Chloë regit.*

Nic. Lloydius.

THRACIDÆ, præcipua familia Delphis, quos Philomelus Phocensium dux, conatibus suis adversantes, è medio sustulit, eorumque bona publicavit. Diodor. Sic. *l.* 16.

THRACIS, Phocica urbs, Pausan. *l.* 10.

THRACIUM Mare, pars Ægæi, quod Thraciam ad Meridiem alluit.

THRACIUS Lapis, Græcè Θρακίας vel Θρῄσσα λίθος, uti *Nicander* vocat, aquâ accenditur, accensusque odorem bitumini similem reddit, oleô verò restinguitur. Ita enim hic,

> Ἠὲ σύ γε Θρῄισσαν ἐνὶ φλέξας πυρὶ λᾶαν,
> Ἥ θ' ὕδατι βρεχθεῖσα σελάσσεται, ἔσβεσε δ' αὐτὴν
> Τυτθὸν ὅτ' ὀδμήσηται ἐπιρρανθεῖσα ἐλαίου.

At Veteres flabellatione restingui, scripsêre, uti videre est apud Aristotelem, *in Admirandis*, ubi de his lapidibus, ῥιπιζόμενοι, ait, σβέννυνται ἐχόμενοι. ὕδατι δὲ ῥαινόμενοι, ἀναλάμπουσι καὶ ἀνάπτονται κάλλιον. Sed nihil prohibet, & flabellatione simul, & oleô quoque eundem restingui, Salmas. *ad Solin. p.* 252. ubi Solinum ad gagatem referentem, quæ de *Thracio lapide* annotârunt Scriptores, pluribus refellit. Ab hoc diversus est alter in Thracia lapis, quem dissectum accendi & rursus in se compositum, ac aquâ aspersum, ardere carbonum instar, idem habet Aristoteles. Hic enim carbo metallicus est & lapideus, quô hodieque fabri ferrarii in fornacibus suis utuntur. Salmas. *ibid.*

THRACON, vicus prope Antiochiam. Incola *Thracocometes*; *Steph.*

THRÆSTUM, quæ & *Thraustum*, Acroriorum oppidum in Elide.

THRAMBUS, promuntor. Macedoniæ, *Steph.*

THRAMUS Dusis, oppid. Africæ propriæ *Antonin.*

THRASCIAS, Græcè Θρασκίας, ventus vicinus Argestæ, idem cum Circio nonnullis, inter tres ventos Septentrionales *imus* Senecæ, *l.* 5. *Natural. Quæst. c.* 16. inter Argesten seu Caurum & Aparctiam medius locatur Aristoteli, *Meteorolog. l.* 2. *c.* 5. Sic Appulejus *in tract.* cognomine, *Et Aquilo --- Huic vicinus est Aparctias. Hic propior ad diem medium. Thrascias & Argestes sunt in Indiam flantes.* Ubi Aparctian *in diem medium*, i. e. contra Meridiem, reliquos duos *in* i. e. contra *Indiam* flare ait. Nomen habet, ut & alii venti, à loco, unde flandi ei initium, sed quis ille sit, non liquet. Salmas. ubi suprà, *p.* 1259. &c.

THRASCYPOLIS, Dynasta, in finitimis Armeniæ locis, sub Nerone.

THRASEAS, vel *Thrasius*, Augur, qui in summa siccitate Busirim Ægypti tyrannum adiens, ostendit à superis posse exorari pluviam, si Jovi hospites immolaret. Quærente deinde tyrannô, quisnam & cujas esset, cùm se peregrinum profitetur, *Tu igitur primus*, inquit, *Ægypto dabis aquam.* Itaque primus immolatus est. Ovid. *l.* 1. *de Art. Am. v.* 647.

Dicitur Ægyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus: atque annos sicca fuisse novem;
Cùm Thrasius Busirim adit, monstratque piari
Hospitis effusô sanguine posse Jovem.
Illi Busiris, fies Jovis hostia primus,
Inquit: & Ægypto tu dabis hospes aquam.

Idem *in Ibin*, *v.* 397.

Ut qui, post longum sacri monstrator iniqui,
Elicuit pluvias Victima cæsus aquas.

THRASEAS Pætus, Patavio oriundus, admirator unicus Catonis, *de cujus vita* librum scripsit, quindecimvirali sacerdotiô præditus, Philosophus Stoicus sub Nerone, Maritus Ariæ, à quo cùm jussus esset mori, fletum suorum magnâ constantiâ compescuit: porrectisque alacriter ad incisionem brachiis, humumque cruore aspergens; Hunc, inquit, sanguinem libemus Jovi liberatori. Tacit. *l.* 16. *c.* 35. Dio, *l.* 16. Plin. *l.* 8. *ep.* 22. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 9. *v.* 1.

Quòd magni Thraseæ, consummatique Catonis
Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis, &c.

Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 36.

Quale coronati Thrasea Helvidiusque biberunt
Brutorum & Cassi natalibus. ----

Vide *Aria.*

THRASIDEUS, fil. & successor Theronis, Tyranni Agrigentini, victus ab Hierone, pauloque pòst à civibus suis, excussô jugô, occisus est. Diodor. Sic. *l.* 11.

THRASIMENUS Lacus. Vide *Thrasymenus*, & *Trasimenus.*

THRASIMUNDUS, Vandalorum in Africa Rex IV. post fratrem Gundebaldum, vel Gunthamantum, A. C. 496. Qui ambo, Ariani, crudeliter in fideles sævièrunt: posteriori inprimis, ne Episcopos sibi eligerent, inhibuit; quod cùm nihilominus facerent, illorum 126. inter quos Fulgentius, in Sardiniam relegavit. Cum Fulgentio inde revocato colloquutus, viri eruditionem & eloquium admiratus quidem est, persequi tamen Orthodoxos non destitit. Bellô contra Mauros infelix: obsessâ frustra Tripoli, quam Cabao, pietate & fortitudine inclytus, strenuè defenderat, animi mœrore extinctus est, A. C. 523. Procop. *l.* 1. *de bello Vandal.* Victor &c. Successit *Hildericus*, de quo suprà.

THRASIPPUS, Athenis dedicavit tabulam, in qua expressum, quòd chorum Ecphantidæ tibia præcederet ipse. Aristoteles, *l.* 8. *Politic. c.* 6.

THRASIUS, mercenariorum Phocensium in Sicilia Dux, seditionis contra Timoleonta auctor: secessit cum suis Syracusas; sed inde, devictis Carthaginiensibus, ejectus in Bruttiis, cum omnibus, suis, occisus est. Diod. Sic. *l.* 16.

THRASO, nomen militis gloriosi apud Terentium. Item pictor sic dictus. Strab. *l.* 14.

THRASYALCES Thasius, Scriptor vetustus, ex Æthiopiæ Superioris imbribus Nilum augeri, illisque desinentibus sensim imminui, tradidit: à quo id hausit Aristoteles. Ipse verò *Thrasyalces* ab alio id accepit, qui ab Homero, canente Od. *δ*. *v.* 581.

Ἄψ δ' εἰς Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο.
Rursus ad Ægypti (i. e. Nili) *cœlô delapsa fluenta.*

Posidonius apud Strabonem, *l.* 17. Atque hanc incrementorum Nili veram esse causam, non saltem exploratiùs posteà innotuit, sub Ptolemæis, Philadelpho inprimis, vide supra *Agatharchides*: sed & hodierna experientia confirmat, ut diximus, voce *Alvarez* Franc. it. *Nilus.*

THRASYBULUS, fil. Gelonis majoris, Olympiad. 78. frater Hieronis, qui, cùm Gelonem minorem ex fratre nepotem ad voluptates pelliciendo enervâsset, omnique imperiô submovisset, ejusdem Gelonis alii propinqui, Syracusanos contra Thrasybulum concitârunt: qui hâc occasione arreptâ & Thrasybulum occiderunt, & tyrannidem in totum sustulerunt. Aristotel. *l.* 5. *Polit. c.* 10. Aliter Diod. Sic. *l.* 11.

THRASYBULUS, Atheniensis exul, comparatô, exercitu 30. tyrannorum dominationem Athenis sustulit, juvante Lysandrô, Lacedæmoniorum duce, exulesque reduxit. Insuper plebiscitum tulit, quod ἀμνηστίαν vocant, quò injuriarum memoria deleretur, exulibus jurejurando adactis. Cicero, *Philipp.* 1. Val. Max. *l.* 4. *c.* 1. *de modestia. ex. ext.* 4. Rebus in Thracia præclarè gestis, plurimas urbes occupavit, Therimachumque Lacedæmoniorum Ducem acie vicit. Ipse tandem noctu interfectus est, ab Aspendiis, in Pamphylia; An. 364. Urb. Cond. Item dux Milesiorum, qui ut portum Sicyoniorum occuparet, ex adversa parte oppidanos tentavit: dumque sic detinerentur, cum insperatâ classe portum cepit. Frontin. *l.* 3. *c.* 9. *ex.* 7. *c.* 15. *ex* 6.

THRASYBULUS, Atheniensis, in commilitio Persarum, unà cum Memnone sustinuit oppugnationem Halicarnassi. Diodor. Sic. *l.* 17.

THRASYBULUS, Mathematicus, Alexandro Severo Imperatori quòd barbaricô is gladiô periturus esset, prædixit: gaudente Imperatore & dicente, optimos quosque violentâ morte consumptos, Alexandrum, Pompejum, Cæsarem, Demosthenem, Tullium. Ælian. Lamprid. *in vita* ejus, *c.* 62. Herodian. *Hist. l.* 6. *&c.*

THRASYLLUM, vel *Thrasyllus*, mons Mysiæ, Caico amni vicinus, *Theutras* posteà dictus Plutarcho *l. de Flum.*

THRASYLLUS, unus ex infelicibus Ducibus, qui re ad Arginusas improsperè gestâ, à Popul. Atheniensi morte affectus est. Schol. *in Ranas*, *Act.* 5. *Sc.* 1.

THRASYLLUS, Æxoneus, quem inauditus quidam ac novus dementiæ morbus invasit. Nam Athenis relictis migrabat in Piræeum, quumque ibi habitaret, omnes naves quæcunque in eo subducerentur, suas esse putabat, & in album suum referebat. Vide Ælian. ποικιλ. *l.* 4. *c.* 25. Auctor hujus rei Heraclides Ponticus, apud Athen. *in fine l.* 12. Sed ibi Θράσυλλος Ἀξωνεὺς vocatur. Alter Atheniensis rei militaris peritissimus, qui classis præfectus Mindarum Lacedæmoniorum ducem apud Sestum Hellesponti urbem navali prælio superavit. Thucydid. *l.* 8. Item vetus author, de quo Juvenalis Scholiast. *in Satyr.* 6. *Thrasyllus multarum artium scientiam professus, postremò se dedit Platonicæ sectæ, ac deinde Mathesi, quâ præcipue viguit apud Tiberium, &c.* Patriâ Mendesius fuit, & inter alia *de lapidibus* scripsit. Plutarch. *de Flum.* Sed prætereà *historiam Ægyptiacam* conscripsit, eôdem ibidem teste; Alius forsan est, qui *de lectione librorum Democriti* scripsit, de quo Laërtius, *l.* 3. *c.* 1. & *Plin. Nic. Lloydius.*

THRASYMACHUS, Cumis Democratiam solvit. Aristoteles, *l.* 5. *Politic. c.* 5.

THRASYMACHUS, Carthaginensis Sophista, Isocratis discipulus, periodon, & colon primus monstravit. Vide *Suidam.*

THRASYMEDES, Philomeli filius, amore filiæ Pisistrati captus, eam pompam celebrantem, accurrens osculabatur, fratribus puellæ id ægrè ferentibus & gravem injuriam interpretantibus. Pisistratus; Si, inquit, amantes pœnis affecerimus, quid iis faciemus, qui nos odiô prosequuntur? Thrasymedes, amore magis ac magis indies gliscente, adsumptis æqualibus suis, puellam in mari sacrificium obeuntem observavit: Qui districtis gladiis turbam disjecerunt inque navim eâ impositâ Æginam tetenderunt. Hippias adultior, Pisistrati filias, mare à latrociniis repurgans, hanc etiam navem ob remorum celeritatem latronum esse existimans, sororem recuperavit, eosque qui rapuerant, comprehensos reduxit. Thrasymedes aliique coram tyranno constituti, nullô modô supplices se præbuerunt, sed admodùm viriliter, ut pro lubitu se tractaret, hortabantur: dicentes ex eo tempore se contemnere mortem cæpisse, cùm primùm de raptu consilium iniissent. Tum Pisistratus admiratus in juvenibus animi celsitudinem, filiam suam Thrasymedi nuptum dedit. Polyæn. *l.* 5. *c.* 14.

THRASYMENUS, lacus in agro Perusino, *Lago di Perugia*; Item, *di Prassignano*, & *Castiglione*, Annibalis victoriâ, & Flaminii Consulis clade nobilis. Apud Strab. *l.* 5. ubi de maximis ei sermo est Etruriæ lacubus, per simplex *T.* legitur Τρασουμέννα λίμνη Polybius Θρασυμέννῳ λίμνῃ habet. Stat. *Thrasimenum* vocat, *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 86.

---- *Gaudent Trasimenus & Alpes*
Cannensesque animæ. ----

Ovid. *Fastor. l.* 6. *v.* 765.

Sunt tibi Flaminius Thrasymenaque litora testes.

Vide omnino Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *p.* 578.

THRATTA, ancillæ nomen, apud Aristophan. *Acharn. Act.* 2. *Sc.* 1. Sic dictæ, quòd Thressa esset.

THRAUSI, Thraciæ populi qui nascentes lugent, mortuos autem per lusum & lætitiam terræ mandant.

THRAUSTUM, Acroriorum oppid. in Elide, provinc. Peloponnesi. Vide *Thrastum.*

THRECIS, oppid. Phthiotidis, juxta Thermopylas. *Herodot.*

THREICIUS, vide *Thracia.*

THRENI, Græcè, Θρῆνοι, carmen lugubre, quale illud in libris divinis, quô deflet Vates sanctam civitatem, Inter Græcos ajunt primum Linum Poëtam *Threnos* fecisse: Alii verò propiùs accedere videntur; Eum Herculi succensentem, quòd esset ineptior ad discendum, ab irato ingratoque discipulo interemtum ab reliquis discipulis defletum carmine, quod ab ejus nomine & nota ejulationis *Ælinum* appellàrint; cujus vocis in luctu *Theocritus* meminit. Hinc & *Scaliger*, virum tam fortem, quàm infelicem, Patrem suum in agrestibus Poëmatis *Ælinum* vocavit, & à Threno, quem genetrici ejus fecit. Primum & postremum omnium *Euripidem* ajunt abusum Linô: à tristibus enim ad læta transtulisse, tum sine ulla imitatione, tum sine ullo imitatore. Idem carmen etiam Νήνιτον dixêre, i. e. *extremum*, & ἰάλεμον, eâdem ratione. Vide plura apud Jul. Cæs. Scaligerum, *Poët. l.* 1. *c.* 50. *ubi de Threnis, Hymenæis, Elegiis.* Cantari fuisse solitos Threnos, in eversione urbium ac regionum docet idem, *l.* 3. *c.* 122. Hinc Θρηνῳδοὶ, *Threnodi*, threnorum Cantores, in funeribus olim adhibiti, de quibus sic Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 17. *c.* 21. *Alexandriæ obolis conducuntur, qui mortuos fleant: quòd munus solicitè adeò ac planè præstant, ut ad eos funus pertinere putes. Ii ergo ab re vocantur Threnodi.* Vide quoque hìc passim.

THRENI, seu Lamentationes Jeremiæ, liber Vet. Test. Canonicus, in quo 5. Capp. Mortem Josiæ Regis & hinc Ecclesiæ Judaicæ statum afflictissimum deplorat Propheta. In hos extant:

Acosta *Comment.* in fol. Lugd. A. C. 1641. Agelii item, Romæ, A. C. 1589. Aquinas. Asclepius. Backmeisterus in octav. Rostochii, A. C. 1603. Bonaventura. Brandmyllerus. Broughtonus. Bugenhagii *Annotat.* Bullingeri *Conciones.* Calvinus. Capella. de Castro. Clenardi *Meditat. Hebr.* de Costa. Ferus. Figueiro, Ghislerius. Hieronymi *Commentaria.* à Jesu Maria. Kyberi *Meditationes Gramm.* de Lapide. Lateburius. Lavateri *Conciones.* Maldonatus. Malvenda. Martyr. Melanchthon. *Argum.* de Navarete. Oecolampadius, Argentinæ, A. C. 1530. Olympiodorus. Origenes. Palladius. Pampolitanus. Panicarola. Parez. Paulutius. Pintus. Polanus. Rabanus. Ratbertus. Rhumelius. del Rio. Sanctii *Paraphrasis metric.* Antverp. A. C. 1618. Strigelius. Szegedinus. Tallepied. Tossani *Paraphrasis.* Tossarii *Comm.* in fol. Basileæ, 1558. de Victore. Wicelius. Willetus, Zuinglius; &c. Vide Crowæi *Elenchum.* Item ex Rabbinis, in librum hunc prodierunt: Don Joseph. aben Jechija. Rabbi Isaac ben Arama. Lechem Setharim, Rabboth, &c.

THRIA, vicus in tribu Oeneide. Vide *Steph.* Inde *porta Thriasia* Athenis, quâ exibant Thriam profecturi; postmodum *Dipylon* dicta; de qua, uti & plura de vico hoc agrisque *Thriasiis*, vide apud Jac. Sponium, *Itinerar. Part.* 2. *p.* 195. Aliàs θρῖον Græcis folium ficus est, quod *ob asperitatem* sic dici, Plut. ait, *Sympos.* 5. Symbolum id Bacchi fuit, eôdem teste, *de Is. & Osir.* ubi θρῖα, inquit, *Australem mundi plagam* repræsentant. Et interpretantur θρῖα πατερ-μὴν, *& videtur genitali partis naturæ simile esse.* Hinc Liber insidens currui, quem leones trahebant, cinctusque coronâ è foliis *ficulneis*, de Indis triumphâsse, legitur: qua de re varia habet Car. Paschal. *Coronar. l.* 1. *c.* 5. Idem posteà nomen figuris foliorum hujusmodi in vestibus depictis impositum; sed & quandoque ad chamæpityn, onogyrum & sideritem extensum occurrit. Vide Scholiasten Nicandri *Alexiph.* voce θρῖον.

THRIÆ, tres Nymphæ, Apollinis, nutrices, Parnassum incoluêre, teste *Philochorô* apud *Zenodotum*, unde posteà receptum, ut calculi sortesque divinorum *Thriæ*, & qui thrias in urnam divinam jaciebant, Θριοβόλοι dicerentur. Vide Erasmum *in Adag.*

Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες,

& suprà, ubi de *Divinatione & Sortibus.*

THRIASIUS, pagus Atticæ, cum fluvio cognomine inter Athenas & Eleusin in mare influente, contra Salaminem insul. Hesiod. Plin. *l.* 4. *c.* 7.

THRINCE, urbs prope columnas Herculis. *Steph.*

THRIPS, inter quatuor vermium genera, quæ lignum infestant, memoratur Plinio, *l.* 16. *c.* 41. *Culicibus verò similes, thripas*: ex Græco θρίψ. A' quo erosa ligna priscos Lacones pro sigillis habuisse, Hercule inventore, refert apud Hesychium Philostephanus in Θριπηδέστῳ. Inde θριπόβρωτος σφραγὶς, Lycophroni, *v.* 508. Quô alludens in Luciano Lexiphanes olivas suas se servare ait, ὑπὸ σφραγῖσι θριπηδεστάτοις, *sub sigillis à thripe quàm maximè erosis.* Id enim est θριπήδεστος *Hesych.* Vide Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 4. *c.* 27. ut & supra, ubi de *Clavibus.*

THRISTISIMA, urbs Mauritaniæ Cæsariensis. *Ptolem.*

THRIUS, vel *Thryus*, oppid. Peloponnesi, priùs sub Patris, dein sub Elide, inter illas, unà cum fluvio cognomine in Alpheum labente. *Strab.* Q. Calaber *Thrion* Statio, *l.* 4. *Theb. v.* 180.

Quos Thrion & summis ingestum montibus Æpy.

THROANA, latronum, sive λῃστῶν regionis urbs in India extra Gangem. *Ptol. Targin Castaldo.*

THRONI, vulgò *Pile*, teste *Steph. Lusignano*, urbs (cum promontorio) Cypri olim Episcopalis nunc pagus in ora Australi, ubi Orientalis incipit. Aliis *Salinæ* dicitur.

THRONIUM, oppid. Achajæ geminum, unum in finibus Locrorum Epicnemidiorum, à Scarphia 30. stad. in Meridiem distans: Alterum Phocidis, Lilææ finitimum in Meridiem distans, inde 75. stad. recedens. Fortè idem cum superiore, ob vicinitatem utrique regioni attributum.

THRONUS, Coloss. *c.* 1. *v.* 16. *εἴτε θρόνοι εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἐξουσίαι, sive throni, sive principatus, sive dominia, sive potestates.* nomen Angelorum, quod nonnulli cum reliquis tribus idem valere volunt, indigitarique hôc pactô, Angelos esse instrumenta Dei & ministros, quibus *thronum*, h. e. regnum, dominium, principatum & potestatem suam, pro arbitrio, exerceat. Plerique verò diversis his verbis diversos Angelorum ordines & officii gradus denotari existimant. Et quidem Ecclesiæ Romanæ Scriptores, qui novem Angelorum gradus constituunt, in tres terniones seu hierachias divisos, in harum suprema infimô locô *Thronos* ponunt. Augustinus verò, *Tom. VI. contra Priscillian. ad Orosium, c.* 11. & *Enchiridio ad Laurent. c.* 58. *Quid*, inquit, *inter se distent quatuor illa vocabula --- dicant qui possunt: si tamen possint probare quod dicunt. Ego me ista ignorare confiteor.* Aliàs quid *Thronus* sit notum, sella videl. sublimis, unde à θρῶ, *salio*, nonnullis nomen habet. Certè *Solium eburneum* Salomonis, *quod obduxerat aurô depuratissimô, sex gradus habebat & fastigium rotundum à posteriori parte ejus.* 1. Regum *c.* 10. *v.* 19. Fulcris dein manuariis instructa, unde *ibid.* legas, *Et fulcra manuaria hinc & inde ad locum sessionis.* Et scabellum pedibus suppositum habens, uti docet Eustathius *ad Homer.* Quo referas illud Esajæ, *c.* 66. *v.* 1. *Sic ait Jehova, cœlum ipsum solium meum, & terra scabellum pedum meorum.* Quâ sede nemini privato sedere permissum. Unde apud Auctorem Aruch; inter triginta Regis Judæorum מעלות i. e. prærogativas, etiam hæc memoratur, *Nemo ejus sellâ sedet.* Nisi hæredi Regni, ac successori jam solenni ritu inaugurato, uti de eodem Salomone legimus, quem pater, inter alios ritus, quibus ille in Successorem erat consecrandus, etiam *in Solio suo sedere voluit.* 1. Regum *c.* 1. *v.* 35. Vide quoque *v.* 46. In Historia profana memorabilis *Thronus aureus, variè gemmatus effigiatusque*, Alexandri M. quem Babylone, post reditum ex India, sedem Imperii collocaturus, sibi fieri curaverat. In eo titulus *sequens & Græcis & Latinis literis sculptus inhærebat.*

Ortus & Occasus, Aquilo mihi servit & Auster.

uti habet Freinshem. *Not. ad Curtium, l.* 1. *c.* 4. citans in hanc rem Strabonem, *l.* 15. plura supra, in vocibus *Sella, Solium* &c. Apud Scriptores Ecclesiasticos *Thronus*, sedes Episcopalis passim dicitur: unde E'νθρονίζω, *in sede Episcopali colloco*, apud Socratem, *Eccl. Histor. l.* 2. *c.* 43. E'νθρονιστικὸν, quod *pro ordinatione Episcopi dabatur* ordinanti, vel Clericis, vel Notariis, apud Balsamonem *in Nomocan. Photii tit.* 1. *c.* 34. Vide quoque suprà ubi de literis *Inthronisticis*, it. in Voce *Synthronum.* Nec omittendum, quod Euangeliorum librum in Synodis ἐν τῷ μεσαιτάτῳ θρόνῳ, *in medio throno*, collocari consuevisse, legimus in *Actis* Synodi Ephesinæ, qua de re multa apud Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Εὐαγγέλιον &c.

THRYANDA, urbs Lyciæ, *Steph.*

THRYMSA, in LL. Æthelstani, ubi omnium capita æstimantur, & quidem *Archiepiscopi & Satrapæ* 15000. *thrymsis, Episcopi & Aldermanni* 8000. *Belli Imperatoris & summi Præpositi* (hodie Vicecomes) 4000. genus nummi est AngloSaxonici, trium solidorum *Lambardo* & *Spelmanno*, quos vide.

THRYON, vel *Thryum*, Messeniæ oppid. non procul ab Alpheo fluv. Homer. *in Catalog.* & Strabo, *l.* 8. Ejus quoque meminit Stat. *l.* 4. *Theb. v.* 180.

Quos Thryon & summis ingestum montibus Æpy.

Vide suprà.

THUANUS Christophorus, vide *Christophorus.*

THUANUS Jacobus Augustus, vide *ibi.*

THUANUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

THUBAL, fil Japheth, Gen. *c.* 10. *v.* 2. Vide Bochart. *Phaleg. l.* 3. *c.* 12.

THUBURSICA, urbs Africæ propriæ. *Ptolem.*

THUBUSCUM, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis aliàs *Tubusuptus*, & *Succubæ.*

THUCYDIDES, Milesiæ fil. Atheniensis, magnus adversarius Periclis & factionis sodalium princeps, Vir bonus & Orator optimus, Cimonis affinis, non tam belli gerendi, quàm civitatis regendæ peritus: primùm Dux fuit quadraginta navium & velut Triumvir cum Agnone & Phormione succurrentibus Pericli, teste *l.* 1. Thucyd. Deinde, ut ait *Philochorus*, cùm in Thracia suspicionem incurrisset proditionis, inque jus vocatus pro se quicquam dicere nequisset; indictâ causâ damnatus & ostracismô relegatus fuit.

THUCYDIDES, fuerunt quatuor; primus Historicus, secundus Gargettius, tertius Thessalus, quartus Milesiæ filius, quem ob improbitatem traducit Aristoph. *Acharn. l.* 2. *c.* 6. Antepirrh. *in Scholiis ad Crabrones, p.* 498. E. ita recenset. Quatuor fuêre Thucydidæ. Primus Milesiæ filius, ex Alopecide tribu. Secundus Gargettius. Tertius Thessalus vel Pharsalius. Quartus Historiæ scriptor, Olori ex filia Thraciæ Regis nati filius, qui genus à ducibus Miltiade & Cimone, qui & ipsi Æaco, Jovis filio, originem debuêre, duxit. Copiarum in Thracia Dux, ibi ob aurifodinas, quas possidebat, magni habitus est: Uxorem quoque habuit è Thracia oriundam, alioquin divitem, cujus opes assecutus, non in voluptates, sed partim in otium literarum erogavit. Juvenis admodum, cùm in Olympicis ludis, Herodotum historiam suam recitantem audiret, in lachrymas solutus est, quô visô gratulatus patri ejus Herodotus est, quod filium haberet tam proni in literas affectus. Pulsus dein injustè in exilium, à Cleonte, quòd Amphipolim non juvisset: durante exiliô tempus optimè collocare constituit. Nam bellum Peloponnesiacum scribere aggressus, quô tempore illud gerebatur, Atheniensibus pariter ac hostibus Lacedæmoniis militibus, qui bello interessent, mercedem præbebat, ut res quotidiè veras ei renunciarent, quas fideliùs se accepturum sperabat, si non solùm ab amicis, sed etjam ab inimicis edoceretur, ne partes quisque suas falsò tueretur. Comprehendere debebat opus bellum Peloponnensiac. quod ann. 27. duravit, inter Athenienses & Spartanos: sed morte præventus, usque ad an. ejus 21. saltem pervenit; quod reliquum erat, continuavit Theopompus, & post hunc Xenophon. Imo & sunt, qui nec 8. librum ab eo scriptum esse credant, sed vel à filiâ ejus, vel ab eodem Xenophonte, aut Theophane, doctoribus Criticis reclamantibus. Præceptores habuit, in Philosophia Anaxagoram, in Rhetorica Antiphontem, cujus & ipse meminit, *l.* 8. dicens, eum causam fuisse perdendæ Reip. & constituendæ tyrannidis trecentorum. Ejus cum Herodoto collationem vide apud Quinctilian. *l.* 10. *c.* 1. Dionys. Halic. scribit, Demosthenem adeò Thucydidis stylum probâsse, ut ejus librum octies scripserit, totumque ferè edidicerit. Cicer. *de Oratore, c.* 9. *Graviter sanè & probè res gestas & bella, & prælia narrat Thucydides.* Idem *l.* 2. *de Oratore, c.* 13. *Thucydides omnes dicendi artificiô meâ sententiâ facilè vicit.* Vide Voss. *de Hist Gr. l.* 1. *c.* 4. *Thucydides* alios Marcellinus ponit: Unum Melesium Athenis inter principes viros ac duces, æmulum Periclis, de quo suprà: Alium Pharsalicum, Memnonis filium, cujus meminit Polemon in iis quæ *de Acropoli* scripsit. Quartum poëtam, natione *Achedrysium*, cujus meminit Androtion *in Atthide*, dicens eum filium esse Aristonis, qui fuit tempore Aristonis Comici, & Agathonis Tragici, & Nicerati versificatoris. *Nic. Lloydius.*

THUISTO, Germanorum Deus, unde genti nomen *Teutsche.* Memoratur Tacito, *de moribus Germ. c.* 2. *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & Annalium genus est) Tuistonem Deum terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque.* Alii *Tuisconem* vocant, qui circa Pelegi tempora regnans Germanis præcepta bene vivendi carminibus, ne memoriâ exciderent, tradiderit,

derit, uti narrat Aventinus, *Annal. Bojor. l. 1.* Qui idem circa Mosis tempora, in Germania rerum potitum esse, *Teutatem*, *Teutonem*, virum sapientem & disciplinarum apud Germanos auctorem, ac, post obitum, divinos honores nactum, memorat, *Ibid.* Vide Georg. Hornium. *Histor. Philosophic. l. 2. c. 12.* & suprà in voce *Teutates*, ut & ubi de *Teutonibus*.

TULCIS, vide *Tulcis*.

THULE, nomen insulæ, de qua disserentem Bochartum his verbis audire operæ pretium fuerit. De Thules insulæ situ, inquit, tres sunt veterum sententiæ. Una Procopii, *l. 2. Gothicorum*, Thulen esse Scandiam, quæ insula non est, sed peninsula, & ab iis locis remotissima, in quibus alii Thulen describunt. Secunda Pytheæ Massiliensis, Thulen 6. dierum navigatione in Septentrionem à Britannia distare, habere Tropicum æstivum pro circulo Arctico, & solstitio nullas noctes, ut nullos contra per brumam dies, quæ ad amussim *Islandiæ* quadrant. Tertia sententia Marini est, & Ptolemæi, quibus Tule insula est non magna ad gradum 63. ubi maxima dies est 20. horarum, à Britannia vix bidui cursu remota; quæ Schetlandiæ conveniunt, uni Orcadum. Ex his tribus sententiis quarta emergit, quæ nostra est. Græcos & Romanos scriptores, cùm ex incerta fama accepissent, in ultimo Septentrione aliquam esse insulam hujus nominis, atque ea nusquam compareret, tamen quamque sic appellâsse, quam putârunt esse extremam. Hanc porro famam Phœnicibus ad Græcos dimanâsse suadent, primò ipsum nomen Thule טולי quod planè Phœnicium est, teth expressum per theta, ut in Cadmi Alphabetho, טולי *Thule* autem Syris propriè *umbræ* sunt. Hinc טולי רמשא *thule Ramsa*: *umbra vespertinæ*, Jerem. c. 6. v. 4. in Chald. Paraphr. Itaque Phœnicibus גזירת טולי *gezirat Thule*, erat *insula tenebrarum*, vel quod idem est, *tenebricosa*. Ita enim *Thule* à veteribus describitur. Stat. *l. 3. Sylv. ult. v. 20.*

Vel super Hesperiæ vada caligantia Thules.

Et *l. 4. Sylv. 4. v. 62.*

——— *Aut nigra litora Thules.*

Et *l. 5. Sylv. 2. v. 54.*

——— *Quantusque nigrantem*
Fluctibus assiduis fessoque Hyperione Thulen
Intrarit. ———

Apud Strab. *l. 4.* Ἥλιος οὐκ ἔχει καταδύσεις. Mela, *l. 3. c. 6.* *Noctes per hyemem obscuræ.* Plin. *l. 2. c. 75.* *Nulli per brumam dies.* 20. Antonius Diogenes, antiquissimus scriptor, qui τῶν ὑπὲρ Θούλην ἀπίστων λόγους κδ΄. h. e. *Incredibilium de Thule insulâ*, libros 24. scripsit, ὀλίγον πρὸ τῶν χρόνων τοῦ βασιλέως Ἀλεξάνδρου, ut testatur Photius *mem.* 166. vel fabulam, vel historiam suam profitetur, se descripsisse ex cypressinis tabulis Tyri effossis, cùm urbs capta est ab Alexandro, è Mantineæ & Dercyllidis tumulis, qui e Tyro profecti post varios errores tandem in Thulen migrârunt, & ibi aliquandiu hæserunt. Unde Græcos liquido constat à Phœnicibus didicisse de Thule insula quicquid afferunt. Hæc vir magnus de *Phœnic. colon. l. 1. c. 41.* Miror autem, quid Claudiano in mentem venerit, cùm scripsit,

——— *Ratibusque impervia Thule.*

Cùm disertè contrarium affirmet Dionysius ὁ Περιηγητής, v. 581.

Νῆσον ἐπὶ Θούλην [illegible] [illegible]

Hujus insulæ quoque meminit, Virg. *l. 1. Georg. v. 30.*

——— *Tibi serviet ultima Thule.*

Unde Claudianus,

——— *Thulen procul axe remotam.*

Nic. Lloyd.

Baudrando Islandia est, Insul. perampla maris septentrionalis sub Danis. Antea dicta est *Snalandia*, & à quodam Gadaro primo dicitur detecta, Sub initium IX. seculi ab Europæis, Danis inprimis, Norvegis & Belgis, frequentari cœpit. 410. mill. pass. ab ora proxima Norvegiæ in Occasum & 360. ab ora Boreali Scotiæ in Arctos. Extenditur majore ex parte ab Ortu in Occasum dividiturque in IV. partes, nempe in Orientalem, Occidentalem, Septentrionalem & Meridionalem. Ejus urbes sunt Hola & Schalotum, atque arx Besteda, ubi Prorex degit; Ibi & *Hecla* mons ignivomus, & spectris horrens. Tanta quoque hîc piscium copia, ut ossa exsiccata, ligni locô adurant. *Ortelio* tamen Thule est *Tilemarck*, tractus Norvegiæ, cui convenit longitudo & latitudo Thules, teste *Ptol. Camdeno* Thule est Schetlandia, *Thylensel* adhuc nautis. Sed sententia de Islandia verisimilior, quæ Insularum Europæarum Borealissima, in Oceano Septentrionali sita est ad 65. gradus, & amplius, reliquam ejus distantiam vide suprà. Incolas coloniam Norvegorum esse Scriptores plerique asserunt, unde & alia linguæ Islandicæ cum Norvegica affinitas. Huc ab Ansgario Christianam fidem introductam esse A. C. 824. probat Pontanus, contra Arngrimum Jonam Islandum, qui ex eo, quòd Islandiam demum vult detectam A. C. 874. negat Islandiam veteribus cognitam, atque adeò Thulen esse. Vide hujus tractatum *de Islandicæ gentis origine & vet. Rep. ejusdemque specimen Historicum Islandiæ*, ut & supra in voce *Islandia*.

THUMMIM, vide infrà *Urim*.

THUMMOSIS, vide *Tuthmosis*.

THUNENSIS Lacus Helvetiæ, in Argovia, vulgò *Thunersee*, ab oppid. *Thunum*, de quo infra. Amœnus admodum, 1. cum dimidio milliar. longus, ad sinistram Uchtlandiam habet, ad dextram Argoviam versus vitiferis collibus prætexitur. In hunc Brientzensis lacus, jam Arolâ auctus influit, qui inde prope oppidum præfatum, servatô nomine, iterum sese evolvit. Uterque magnam piscium vim habet, unde apud Abbatem præcipuè Interlacensem, aliquando piscatio tam copiosa est, ut prodigii speciem habeat: sed Brientzensi *Thunensis* major est: ex utroque Orientem versus, Alpium perpetuis nivibus albicantium prospectus patet. Lacum hunc *Thunensem*, Aimoinus *de gest. Franc. l. 3. c. 86.* ita, circa tempora Theoderici & Theodeberti Gall. & Burgund. Regum, internô æstu efferbuisse refert, ut magnam piscium copiam, velut tostam, ripam ejecerit, Stumpf. *de Argov. l. 7. c. 11.* Joh. Bapt. Plantinus, *Helv. Nov. Ant. &c.*

THUNICATES, pro *Rhunicatæ* legit Aventinus, apud *Ptol.* Vindeliciæ populi sunt, quorum tractus hodie *im Thanca* in Bavaria. Dicuntur & *Virunicates*.

THUNIUM, oppid. Hannoniæ, ad Sabim fluv. tamen in ditione Leodiensi; *Thuin*, 2. leuc. à Bellomontio, in Boream medium inter montes ad Circium & Philippovillam ad Eurum.

THUNNI, Græcè Θοῦνοι, Sarmatæ, vicini Chatpiis. *Dionysi*

Θοῦνοι δ' ἑξείης, ἐπὶ δ' αὐτοῖς Καλαρτοι ἄνδρες,

Et *Priscianus*.

Hinc Thunus sequitur, pòst fortis Caspia proles.

Iidem cum Chunis & Hunnis, qui Χοῦνοι Græcè, *Ptol.* Alii à *Thunis* seu *Thynis* Thraciæ populo, quos in Asiam commigrâsse, legas apud Strabonem, *l. 7.* Vide de utrisque Salmas. *ad Solin. p. 158.*

THUNNUS, vide infrà *Thynnus*.

THUNUM, vulgò *Thun*, oppid. pagi Bernensis, ad lacum cognominem, ubi ex eo Arola erumpit, quò oppid. in duas partes dividitur, quarum minor in Uchtlandia; major cum arce, in Argovia sita est. Olim sub propriis Comitibus, è quibus Henricus Episcopus Basiliensis, obiit A. C. 1238. Posteà ad Comites Kyburgios pervenit: è quibus cum circa A. C. 1320. Comes Eberhardus, fratris Hartmanni insidiis, uti creditum, occisus esset; hic odium civium veritus, oppidum Bernensibus, cum aliquot aliis dominiis, vendidit, iterumque ab iisdem feudi nomine accepit: Postmodum verò præsidiò oppidum contra Bernenses munit, qui injuriam ulturi, oppugnârunt illud, sed nullô successu: verum A. C. 1343. Thunenses iterum cum Bernensibus amicitiam coluêre: tandem Hartmannus Comes A. C. 1353. urbem cum arce acceptâ ingenti auri summâ, Bernensibus pignori dedit: à quo tempore illis subest, salvis tamen privilegiis suis: frustra insidiis Archiducis Leopoldi tentata, A. C. 1382. Habet proprium Senatum, cujus caput Scultetus, ut vocant German *Schultheiss*, ex urbe Berna præponitur. Distat 17. mill. pass. à Berna in Merid. 20. à Friburgo in Ortum.

THUORIS, Ægypti Rex, à Sesostri, qui Asiam primus obtinuit, VI. & ultimus Regum Thebanorum, quorum nomina supersunt, Ammenemi successit, Homero *dictus Polybus*, *Alcandræ maritus, qui excepit Menelaum* uti quidem *Eusebius & Syncellus Africanum* secuti, tradiderunt, sed perperam, docente Marshamô *Canone Chron. ad Sec. XVI.* imò ipsô Herodotô ex fide historica tradente, nullum fuisse in Ægyptum Græcis aditum, nullum commercium, ante Psammetichi tempora, *l. 2. c. 154.* Cæterùm non minùs, ac Ammenemus, inglorius erat, Thebani nominis splendore post Ramessem, sensim evanescente. Et sic à Mene, primo ad *Thuorim* ultimum, XVI. ferè annorum centuriæ effluxêre, de postremis verò Thebanorum Regum temporibus nihil certi habetur, tum ob auctorum exilitatem, tum discordiam. Labente intereà jam tandem fortunâ, immensa illa ultimorum à Sesostre Regum potentia intra Ægypti limites rursus redacta, & Imperium toto orbe splendidissimum, in minutulas quasdam dominationes dissipatum est Cùm enim Sabacon Æthiops Ægyptum occupans *Anysim* Regem in palustria pepulisse, *Bocchorim* Regem cepisse, *Nechum* Regem sustulisse dicatur, Diodor. *l. 1.* claret, sub ejus adventum Reges diversos, in diversis Ægypti partibus, simul regnâsse. Ejusdem temporis (nempe ante Æthiopum invasionem) fuit Dynastia Bubastitarum, & Thebanorum regnum (si *Africano* fides) nondum desiit, licèt tum valde imminutum. Post Æthiopum discessum, Δωδεκαρχίαν testantur *Herodotus & Diodorus*: repetentibus scil. cedente Sabacone, sua dominia Regulis, donec tandem tota illorum potentia Psammeticho collata est. Vide hic passim inprimis vocibus, *Dodecarchia*, *Sabacon*, *Sais*, &c.

THUPHA, animal carnivorum, pardo simile, sed non nisi felis aut catelli staturâ, cujus pellis apud Arabes & Persas in pretio est. Vide *Damirem* Scriptorem Arab. ubi de hoc animali pluribus, laudatum Bocharto, *Hieroz. Part. prior. l. 3. c. 1.* Vide quoque infrà *Tufa*.

THUR, seu THOR, Getharum Gothorumque Deus, cui humanô sanguine litabatur. Nonnullis Marti, aliis Saturno, quibusdam Jovi Romanorum respondebat: cui ultimæ sententiæ favet diei Jovis appellatio apud Anglos, Danos & Germanos, qui *Thursday* illum vocitant. Certè & Jovi apud Romanos humanum sanguinem fuisse sacrificatum, docet Tertullianus, *Apologet. c. 9.* Vide infrà voce *Tor*.

THURAS, sive *Thurras*, inter Deos ab Assyriis relatus, & Mars dictus. Vide Suidam in voce Θοῦρας.

THURI, populi Athacoris vicini, Plin. *l. 6. c. 17.* Θοῦροι, *Dionys.* Vide suprà.

THURIA, *Strab. Thurium Ptol. Thyrea*, ut videtur Plinio, *l. 4. c. 5.* oppid. Messeniæ apud fines Laconicæ, *Calamata Nigro*, *Cumestra Moletio*. *Thurii* ob animi fortitudinem & constantiam apud veteres celebrabantur. Unde natum adagium: *Thurium lerna* apud *Suidam*, de intrepido & ad bellum parato.

THU-

THURIA, fons Magnæ Græciæ, *Acqua Favella Leandro.*

THURIÆ, vel *Thurium*, vel *Thurii*, quæ anteà *Sybaris*; dein Copiæ, urbs ampla Magnæ Græciæ, olimque nobilissima, à Philoctete condita, *Trog.* ad sinum Tarentinum, sita inter ostia Crathis & Sybaris amnium. Nunc diruta, ubi locus *Torre Brodogneto*, in ora littorali ad ostia Sybaris, ubi etiam rudera visuntur, *Sibari Rovinata* dicta, in Calabria citeriore, 10. mill. pass. à Rosciano, 15. à Besidiis in Boream *Baudrand.* Populi *Thurii* & *Thurini*, de quibus Strabo, *l.* 6. & Diod. Sic. *l.* 12. Ovid. *l.* 15. *Met. Fab.* 1. *v.* 52.

Thurinosque sinus, Temesenque & Japygis arva.

THURIATES Ager, legitur à Josia Mercero, apud Tacitum, *l.* 4. *c.* 43. pro *Dentheliates*, quia in eo *Limnæ* vicus, sacer cultu Dianæ, atque inter Messenios & Laconas controversus.

THURIBULUM, vas in quo thus reponitur, magni olim in Sacris usus. Et quidem Hebr. *c.* 9. *v.* 4. inter instrumenta Sancti Sanctorum *thuribulum aureum* memoratur, quod nonnulli peculiare faciunt sanctiori huic loco, ex Levit. *c.* 16. *v.* 12. Alii Apostolum intelligunt, de *thuribulo*, quod Sanctum penetrale proximè ante velum sibi adjunctum habebat, quam in rem vide Franc. Gomarum *Analysi Epist. ad Hebr.* Certè in Sancto varia eorum erant, uti didicimus ex Exodi, *c.* 25. *v.* 29. Adolebantur autem suffitus super Altari aureo, quod *Altare suffitus* hinc dicebatur, bis de die: non à Pontifice solum, sed & à reliquis Sacerdotibus, Lucæ *c.* 1. *v.* 8. 9. 10. Semel verò quotannis solemniori modô odores in eo incendebat Pontifex; & piacularis victimæ sanguine illud expiabat ac lustrabat, Exodi *c.* 30. *v.* 10. Portò in Mensa Aurea, unà cum duodecim lancibus, in quibus panes propositionum; totidem acerræ erant, thure repletæ, quod singulis Sabbathis, cùm Mensam adornari ac de novo instrui oporteret, adolebatur, Levit. *c.* 24. *v.* 7. 8. Inprimis verò, in Expiationis Festo, sacrum hoc instrumentum usui fuit. Antequam enim Festum affulgeret, inter alia, quibus ad id præparabatur Pontifex, deducebatur in conclave *Aphtines*, seu odoramentorum, ut suffitus faciendi rationem edisceret, quod difficillimum habebatur. Postmodum inter ipsa Festi solennia, post juvencum pro se & domo sua oblatum, duosque hircos adductos, & confessionem pro se & domo sua nec non pro universis filiis Aaron, editam: *Thuribulum*, quod eô die *aureum* erat, ex Hebræor. *loco cit.* prunis ex Altari implebat, atque ex alio thuribulo suffimenta capiebat & ad Sanctum Sanctorum contendebat. Quod cùm intrâsset, thuribulum deponebat, injectisque odoribus fumi nubem excitabat, quæ locum impleret & adspectum prohiberet, uti videre est, Levit. *c.* 16. *v.* 12. 13. Quæ omnia Christi beneficia figurabant, qui inter alia *stat apud Aram, habens Thuribulum aureum*, h. e. intercedit pro nobis. Apocalyps. *c.* 8. *v.* 3. Plura vide apud Franc. Burmannum, *Synopsi Theol. Christ. part. prior. l.* IV. *c.* 14. *num.* 7. 11. & *c.* 18. *num.* 18. Gentiles, uti in aliis, sic etiam hac in parte sacros Vet. Test. ritus æmulati, Diis suis quoque odoramenta adolebant, uti de Alexandro M. inprimis nota res. proin & ipsi in sacra supellectile *thuribulum* habuêre, cujusmodi vasis iconem, quô veteres Romani usi, exhibet Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 32. Vide & retro, *Acerra.* Sed & inter ministeria sacra Ecclesiæ Romanæ, *thuribulum* memoratur Dudoni de *Moribus Normann. l.* 3 Leoni Ostiensi, *l.* 1. *c.* 38. Alcuino, *Poëmate* 3. Aliis: Vide quoque supra, voce *Navis.* Quod qui defert, Acolythus *Thuriferarius* dicitur. Durand. *l.* 4. *c.* 5. & *portator thuribuli*: Hugoni à S. Victore, *Specul. Eccl. l.* 1. *c.* 7. Suffiri autem in ea solent Altaria, S. Eucharistia, Ministrantes, Alia, uti pluribus videre est apud Macros Fratres, *Hierolex.* ubi & Græcos thuribulô formare signum crucis suffimentum adolentes addunt, & *Thuribulorum festivitatis*, in eadem Ecclesia Romana à Clero celebrari solitæ, *quando accipiebantur à Papa quædam munera, Presbyterium appellata*, meminêre. Vide quoque suprà in voce *Incensum*, ut & paulo infrà, ub de *Thure.*

THURIFICATI, dicti olim, qui ut persequutiones Imperatorum gentilium effugerent, thus Diis offerebant, Cypriano acerrimè increpiti, *Serm.* 5. *de lapsis.* His in exitu vitæ demum venia dabatur, cùm *Libellatici* mitius haberentur. Idem *Ep. l.* 3. *ad Nemesian. Ep.* 2. *l.* 4. *ad Antonianum &c.* Vide & *Mutentes*, *Negatores*, *Sacrificati.*

THURINGIA, vulgò *Thuringen*, provinc. Saxoniæ superioris ob fertilitatem *Samen German.* dicta *Georg. Agricola.* Aliàs amplior fuit, & Reges habuit proprios, tempore primæ stirpis Franciæ Regum: nunc valde imminuta. Subest partim Electori Saxoniæ, partim Ducibus Weimariensibus & Comitib. Mansfeldensibus. Historia paulo amplior hæc est. Olim sub Regibus propriis, posteà Franciæ Regibus ex prima familia paruit. Ludovicus I. Thuringiæ & Hassiæ Landgravius, à Carolo M. ortus, fil. creditur Caroli Ducis inferioris Lotharingiæ. Hermannus I, fil. Ludovici IV. frater Ludovici V. Pii, obiit Gothæ, A. C. 1215. pater Ludovici VI. ex Sophia, fil a Friderici, ultimi Saxoniæ Palatini, & Henrici, ex Sophia, filia Ottonis Bavari. Maritus fuit S. Elizabetæ hic Ludovicus VI. è qua Hermannum II. suscepit, qui an. ætat. 18. venenô sublatus est. Frater ejus Henricus, Thuringiâ occupatâ, Romanorum Rex electus est, A. C. 1245. bienniô post, alii A. C. 1240. in obsidione Ulmæ, sagittâ occisus. Post hunc variè discerpta provincia est. Hôc enim ultimô gentis extinctô, Theodorici Misnici filius ex Juditha, filia Hermanni Thuringiæ Landgravii, Henricus Illustris Landgraviatum sibi vindicavit, cumque eo Palatinatum Saxoniæ in domum suam postliminio intulit. Hinc bellum cum Sophia Brabantina consobrina, quod ita terminatum, ut Sophiæ filius Henricus, Hassiam, Thuringiam tenerent Misnici, confraternitate utriusque domus sancitâ. Hic Henricus ditissimus ex Friburgensibus fodinis factus, Northesii in ludis equestribus ingentem quercum argenteam, aureis ornatam foliis exhibuit. Vide de hujus successoribus Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.* Hanc dein Adolphus Nassovius Imperator pecuniâ, quam ab Eduardo I. Anglorum Rege ut se juvaret, acceperat; emit, ab Alberto Landgravio, qui propensus in pellices, legitimos filios Fridericum & Diezmannum exhæredaverat: unde cum his bellum, quô miserè provincia vastata est, A. C. 1295. & 1296. Polydor. *l.* 17. Trithemius *in Chron.* Albertus dein Imperator à Marchionibus Thuringiæ, quos principatu excutere voluit, magna clade victus est, A. C 1307. Cuspinianus *in Alberto.* Fridericus posteà Landgravius, Carolo IV. Imperatori à quibusdam Electoribus oppositus, sese Modeste excusavit, A. C. 1348. *Iidem.* Hodie diversis, ut dictum, Dominis paret: Caput totius provinc. est Erfordia; sub Electore Moguntino. Aliæ urbes sunt Mulhusia & Northusia, liberæ & sui juris; Weimaria, Jena, Gotha & Eysenacum, sub Ducibus propriis uti Mansfeldia, sub Comite proprio. Terminatur ab Ortu Misniâ, à Septentrione Principatu Anhaltinô & Ducatu Brunsvicensi, ab Occidente Hassiâ, in Meridiem Franconiâ & Principatu Hennebergensi, & Landgraviatus titulô insignitur. Sunt autem Thuringi victi cæsique ab Othone Imperatore A. C. 1069. Pfannero, *Thuringia* (quæ in Thuringiam Orientalem & Occidentalem divisa Thuringiam Hassiamque complectebatur) quondam *Reges* dominati sunt, quorum postremus Hermenfridus, multis facinoribus insignis, à Theodorico Francorum Rege, ope Saxonum, Trans-Unstrutbanam sive Septentrionalem Thuringiæ partem, in navatæ operæ præmium, adeptorum, victus capiteque & fortunis mulctatus est. Inde *Duces*, Regum, ut videtur, post Cæsarum nomine, provinciæ præfuêre; ex quibus Burcardô prælio contra Hungaros cæsô A. C. 908. & translata posteà ad Henricum Aucupem Imperii summâ, coaluit iterum cum Australi sive Francia Septentrionalis provinciæ portio. Inde eam tum ipsi Reges, Henrico prognati, jure patrimoniali atque hæreditariô, tum alii, istorum auspiciis, *Ducum*, *Comitum*, *Marchionumque* titulô, gubernârunt. Hujus familiâ in Henrico II. extinctâ, Conradus Salicus Imperator consobrino Ludovico Barbato Comiti, ex Aurelianensium Principum domo, provinciam dedit, cujus posteri *Landgraviorum* titulô (quô primum Ludovicum Barbati nepotem Socer Lotharius Imperator ornavit) ad seculum usque XIII. eam tenuêre. In postremis Hermannus fuit, cui duo filii, Henricus *Raspo* dictus, & Ludovicus, filia præterea, cui Juditha nomen, Theodorico Misniæ Marchioni elocata. Atque illis suô fatô, nullâ relictâ mascula sobole, defunctis, inde Henricus Illustris, Theodorici ex Juditha filius, hinc Sophia Ludovico nata, opulentam adeo hæreditatem ex asse utraque sibi asseruit eô eventu, quô diximus. Plura vide apud præfatum Tob. Pfannerum *de Præcipuis Germ. Princip. Gentibus*, *c.* 2. adde Hornium *Orbe Imp. cum Anim. Felleri p.* 203.

THURINUS, cognomen infanti Augusto inditum, in memoriam Majorum originis, qui hôc pagô oriundi; vel quòd in regione Thurina, recens eô natô, pater Octavius adversùs fugitivos rem prosperè gesserat. Eô inscriptam puerilem imagunculam Augusti veterem, ferreis ac penè jam exolescentibus, literis, habuit Suetonius, quam sibi ab illo donatum inter cubiculares suas coluit Trajanus. Sed & à M. Antonio in epistolis per contumeliam sæpe *Thurinus* appellatus est, & ipse nihil amplius, quàm *mirari se* rescripsit, *pro opprobrio nomen prius sibi objici.* Postea C. *Cæsaris*, & deinde *Augusti* cognomen adsumpsit. Vide Sueton. *in Eo*, *c.* 7.

THURNYSERUS Leonardus, vide *Leonardus.*

THURRAS, Assyriorum Rex Nino successit, Beli filio. Hic quod egregius bellator esset, Deus habitus & *Mars* dictus est; quemadmodum ante ipsum Nimrodus ac Ninus idem post mortem nomen eundemque cultum sustinuerunt, Suid. in Θοῦρας. Hunc Fasti Siculi seu Chronicon Alexandrinum, Μετὰ δὲ Νῖνον, inquit, ἐβασίλευσεν Ἀσσυρίων Θούρας ὀνόματι, ὃν μετωνόμασαν ὁ τούτου πατὴρ Ζάμης καὶ ἡ Ῥέα ἀδελφὸς Ἄρεα, εἰς ὄνομα τοῦ πλανήτου ἀστέρος, *Post Ninum Assyriis imperavit Rex nomine Thurras, cui Pater Zames, idemque ex Rhea frater, Martis nomen indidit à Planeta ejus nominis.* Ubi pro *Zames*, reponit Vossius Ζάνης sive Ζὰν, quæ est inter veteres Jovis appellationes: Primitus vero idem Jupiter ac Mars, imo & Sol, ut idem pluribus ostendit. Subjicit dein idem Chronicon, *Thurram* hunc fuisse στερεὸν πολεμιστὴν, *acrem bellatorem*, eumque Arctoas paterno Imperio plagas addidisse: Nempe, vel eò colonos miserit, vel, qui eò migrâssent, adegerit, ut se Dominum Principemque agnoscerent. Posteà indicat, hunc *Thurram* non solùm Martem creditum; sed etiam vocatum fuisse *Baal*, sive *Belum.* Sic enim subjungit: ᾧτινι Ἄρει ἐστήλωσαν πρῶτον στήλην οἱ Ἀσσύριοι καὶ ὡς θεὸν προσκυνοῦσιν αὐτὸν, ἕως τοῦ νῦν καλοῦντες Περσιστὶ τὸν Βαὰλ θεὸν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον Ἄρης, πολέμων θεός, *Cui Marti primam Assyrii columnam constituêre eumque velut Deum venerati sunt, & hactenus eum voce Persicâ nuncupant, Baalem Deum: quod si transferatur, fuerit Mars bellorum Deus.* Ubi pro θεὸν suspicatur Vossius positam fuisse aliquam Orientis vocem, quæ bellum notaret: ut si Hebr. dixisset בעל מלחמות hoc est, *Dominus bellorum*, quod optimè conveniret cum eo, quod transfertur πολέμων θεός. Sanè etiam Deus Hebræis vocatur יהוה צבאות, *Dominus Exercituum.* Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. ac progr. Idolol. l.* 1. *c.* 16. & *c.* 24. *sub finem*, ut & in voce *Thuras.* Adde Salmas. *ad Solin. p.* 1235.

THURSINUS, in Gallia Comes Tholosæ, Burdigalæ, Narbonæ & Provinciæ, factus est A. C. 779. ex quo descendêre Comites Pictonum, Phocensium & Castelli Boni. Georg. Hornius, *Orb. Imp. p.* 127. *edit. A.* 1668.

THURSIO, piscis genus simile delphini, rostrô caniculæ, Plinio, *l.* 9. *c.* 9. quibusdam phocæna est, de qua vide Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 32. aliis sturio. Salmasio pars salita seu frustrum caniculæ carchariæ, sic dictum à similitudine capitis *thyrsi*: Cùm enim omnibus thyrsis globus imponeretur, hunc & frustum salsamenti eâ formâ concisum θυρσίων appellatum. Vide eum *ad Solin. p.* 1316. & *seqq.* nec non suprà, voce *Cybium*, item *Pelamis.*

THUS, ex Græco θύον vel θύος, quod quamvis de quibuslibet odoribus in genere dicatur. κατ᾽ ἐξοχὴν tamen, [illegible]

Recene

Recentioribus *thus* notat, sicuti *Incensum* apud Latinos: Græcè λίβανος, unde Λιβανοφόρος χώρα, *Thurifera regia*, apud *Arianum*, quæ, juxta Sachalitem sinum extensa, Atramitis contigua erat, habebatque præcipuam urbem *Sabotha* vel *Sabbatha*, quò thus omne in illa regione proveniens camelis convehebatur, non longè à Cane emporio ejusdem. Minimè proin confundenda cum Sabæorum regione ad Occidentem Arabiæ Felic. posita, uti Veteres fecerunt, thus apud Sabæos provenire existimantes. Certè & diversis Dominis paruêre. Arriani quidem temporibus, & Charibaël Homeritarum Sabæorumque genti imperitabat, at Eleazas regnabat ἐν τῇ Λιβανοφόρῳ, vide eum, ubi de *Dioscoridis Insul.* quæ, licèt in mari Azanio, ad Charibaëlem pertinente, esset, parebat tamen Thuriferæ Domino. Equidem, *Thura, præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ. In medio ejus ferè sunt Atramitæ --- capite regni Sabota, in monte excelso --- regio --- undique rupibus invia --- Sylvarum longitudo est schœnorum XX. latitudo dimidium ejus --- Minæi --- primi commercium thuris fecère, maximeque exercent: à quibus & Minæum dictum est. Nec præterea Arabum alii thuris arborem vident, ac ne horum quidem omnes. Feruntque MMM. non ampliùs esse familiarum, quæ jus per successiones id sibi vendicent. Sacros vacari ob id, nec ullô congressu fœminarum funerumque, cùm incidant ejus arbores aut metant, pollui. atque ita religione merces augeri. Quidam promiscuum in iis populis esse tradunt, in sylvis: alii per vices annorum dividi. Nec arboris ipsius, quæ sit facies, constat. --- Cortice lauri esse constat: quidam & folium simile dixère. Talis certè fuit arbor Sardibus. Nam & Asiæ Reges serendi curam habuêre. --- Meti semel annô solebat, minore occasione vendendi. Jam quæstus alteram vindemiam affert. Prior atque naturalis vindemia, circa Canis ortum, flagrantissimò æstu, incidentibus quà maximè videatur esse prægnans, tenuissimusque tendi cortex. Laxatur hic plaga, non adimitur. Inde prosilit spuma pinguis. Hæc concreta densatur, ubi loci natura poscat, tegete palmeâ excipiente, alibi areâ circumpavitâ. Purius illô modô, sed hôc ponderosius. Quod in arbore hæsit, ferrô depectitur, ideò corticosum. Sylva divisa certis portionibus, mutuâ innocentiâ tuta est. Neque ullus saucias arbores custodit. Autumnô legitur ex æstivo partu. Hoc purissimum, candidum. Secunda vindemia est vere, ad eam hyeme corticibus incisis. Rufum hoc exit, nec comparandum priori --- Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, masculum vocamus --- à specie testium --- Præcipua autem gratia est mammoso, cum hærente lachrymâ priore consecuta alia miscuit se. Singula hæc manum implere solita invenio --- Græci stagoniam & atomum tali modo appellant, minorem autem orobiam: Micas concussu elisas mannam vocamus* &c. Plin. *l.* 12. *c.* 14. ad quem, ut & Solinum, qui Thuris historiam ex eo deprompsit, vide Salmas. *ad Solin. c.* 33. ut & suprà, in voce *Atomum*, item *Stagonias*. Thus autem collectum, *Sabotam*, ut dictum, *camelis convehitur, portâ ad id unâ patente. Digredi viâ capitale leges fecère. Ibi decimas Deo, quem vocant Sabin* (Soli Theophrastus ait tertiam partem) *mensura, non pondere Sacerdotes capiunt. Nec antè mercari licet: inde impensæ publicæ tolerantur. Nam & benignè certô itinerum numerô Deus hospites pascit. Evehi non potest nisi per Gebanitas*, & quæ *seqq.* apud Plin. *ibid.* ubi *optimi thuris libram*, post innumeras impensas itinerum XVI. *den.* Romæ suô tempore venisse, *probari autem candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat. Item ne dentem recipiat potiùs, quàm in micas frietur*, addit. Tantæ nempe molis erat præstantissimum hôc odoramenti genus nancisci, quod Diis suis, majori jam spe, ut rebantur, favoris eorum impetrandi, offerrent prisci, post Trojana scil. tempora. Iis enim nondum *thure supplicabatur: Cedri tantùm & citri suorum fruticum in sacris fumô convolutum nidorem veriùs, quàm odorem, noverant*, Plin. *l.* 13. *c.* 1. Quàm ob rem Homerus nusquam ejus meminit, quum tamen religiones antiquas & ceremonias diligentissimè frequentet, Sacrorumque ritus accuratè describat. Quando autem innotescere hominibus cœperit, Arnobius, disputat, *l.* 7. *contra Gentes*, *Percunctamur de Thure, unde aut quô tempore nôsse illud aut scire potueritis, ut meritò existimetis, aut esse Diis dandum, aut eorum acceptissimum voluntati; novella enim propemodum res est, neque annorum inexplicabilis series, ex quo ejus notitia profluit in has partes & delubris meruit interesse divinis: Neque enim temporibus, quemadmodum creditur & perhibetur, Heroicis, quidnam esset* Thus, *scitum est, Scriptoribus ut comprobatur à priscis, quorum in libris posita nulla ejus mentio reperitur, neque genitrix & superstitionis mater Hetruria opinionem ejus novit & famam, sacellorum ut indicant ritus: neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in usum cuiquam venit, sacra res cùm fieret: neque ipse Romulus, aut Religionibus Artifex in comminiscendis Numa, aut esse scivit, aut nasci.* Unde & quòd, *thus* inter alia, Jano oblatum fuisse, canit Ovidius, *Fastor. l.* 1. *v.* 171.

> —— *Cur, quamvis aliarum Numina placem,*
> *Jane, tibi primùm thura merumque fero:*

Vel de suo seculo intelligendum Poëtam, vel licentiâ huic hominum generi familiari, dictum id esse, arguunt eruditi; cùm Q. quoque Fabius Pictor *de Aureo Sec. l.* 1. far solùm & *vinum*, hunc in usum, nominaverit. Postmodum verò nihil in sacris *thure* pretiosius, quod quia magni constaret, publicè id Romæ suppeditatum sacrificantibus, ex Livio discimus, *l.* 10. *c.* 23. Atque hoc *Thus dare* dixerunt signatâ phrasi: Arnobius, *adv. Gentes l. cit.* ubi sacrificia Gentilium in suas species dividit, *Aut enim*, ait, *Thus datur, & liquefactum carbonibus disperit: aut animalis est hostia* &c. Ovid. *l.* 2. *Trist. El.* 1. *v.* 59.

> *Et pia thura dedi pro te.* ——

Thus nempe *dabant* primitus, cùm nondum hostiæ cæderentur, ut ex Theophrasto, Porphyrio, aliis, docet *Eusebius*. Imò & postmodum datum id sæpissimè, nullâ animali hostiâ adjectâ. Certè vix precabantur Deos, quin, si facultas daretur, *Thus* illis incenderent. Ovid. *de Ponto l.* 4. *Ep.* 9. *v.* 111.

> *His ego do toties cum thure precantia verba,*
> *Eoo quoties surgit ab orbe dies.*

Sed & quoties addebantur hostiæ, *Thus* tamen semper prius dabatur, *locumque sic sumebat in ceremoniis primum*, ut idem Arnobius ait, *ibid.* Ita enim res erat, ignem accendebant, tum in aram thus ingerebant, victimas posteà mactabant, uti ad eum ex Senecæ *Oedipode* Heraldus docet. Injectô verò aræ thure, vinum furtim ingerebatur & infundebatur, *quod pio in igne strideret*. Ovid. unde *merum thuris socium* iterum Arnobio. Fieri autem id solebât, *thure* ex acerra tribus digitis sumptô. Ovid. *Fastor. l.* 2. *v.* 573.

> *Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.*

Unde Lactantius, *Institut. l.* 5. *Nam cruciari atque interfici malle, quàm thura tribus digitis comprehensa in focum jactare.* Vide quoque Plautum *in Bacchid.* & *Milite*: plura verò de ritu isto, apud Brodæum, *Miscellan. l.* 6. *c.* 8. & Dalechampium *ad Plin. c.* 14. *l.* 12. *suprà cit.* Pertinet huc, quòd Alexander M. in pueritia sine parsimonia thura ingerens aris à Pædagogo Leonida increpitus legitur, apud Plut. aliosque. At apud aliquoties jam laudatum Arnobium legas, quosdam, qui religiosiores cæteris esse volebant, non solum thure altaria cumulâsse, sed & ipsas cum eo acerras in illa effudisse, *l.* 2. uti vidimus suprà, voce *Acerra*. Ex eodem porrò incensô, hôc pactô divinabant: Si ignis mox illud arreptum dissolutumque verteret in fumum, & suffitum cieret gratum, læta; si refugeret, aut odorem exprimeret, inde fœdum, & à natura thuris diversum, abominanda ostendi putabantur. Hinc meminit loci cujusdam Dion. *in Hist. Rom.* quem *Nymphæum* appellat, in quo ex suffito *Thure* hoc modo præscita de omnibus rebus futuris petita fuerint, præterquam de conjugio & morte. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 11. Vide quoque suprà *Mola*. Sed hic pretiosi hujus aromatis abusus; genuinus ejus in Ecclesia V. T. usus fuit, ubi, divinô jussu, in eo oblationum genere, quod *Munus* vocant Theologi, farinæ pugillus, cum olei ac *Thuris* libamine, offerebatur: Idem quotidie bis in Templo, singulis porrò diebus Sabbathi, quotannis tandem modô longè solenniori, adolebatur in Festo Expiationum, uti suprà diximus, in voce *Thuribulum*; vide quoque infrà, ubi de *Thymiamate* sacro, quod inter alia aromata, etiam ex *thure puro*, aliis *lucidissimo*, conficiebatur. Exod. *c.* 30. *v.* 33. imò ab ipso nomen trahebat. Masculum verò præstantissimum habebatur, quod *melato* hodie Arabes vocant. Quod proin Gentiles quoque qui sacris operando eblandiri favorem Deorum omni industriâ cupiebant, quique Magicô sacrô & amatoriis carminibus mentem alicujus mutare aut Deos sibi propensiores reddere conabantur, potissimùm adolebant. Virg. *Ecl.* 8. *v.* 65.

> *Verbenasque adole pingues & mascula thura.*

Quem locum explicantem Turnebum vide *Adversar. l.* 10. *c.* 2. Atque hinc *thus* inter præcipua dona, Principibus offerri solita, uti patet ex historia Magorum, qui cùm ex consuetudine gentis pretiosissima quæque recèns nato Servatori oblatum venirent, *thus* quoque ei obtulerunt. Quamvis in hoc Magorum factô sublimius quidpiam latere, piè agnoscant illi, qui ei aurum ut regi, *thus ut Deo*, myrrham ut homini, ab illis donata sentiunt: thus enim esse adhibitum in libamentis sacrificiorum, & thymiama de Thure soli Deo reservatum, retro diximus. Vide Spanhemium *Dub. Euangel.* 53. Uti porrò apud Gentiles, cùm imagines Deorum de loco in locum transferrentur, *thure* inter alia *odoribusque incensis, usque ad agri fines*, illas populus prosequebatur, uti docet Cicer. 4. *Verr.* sic honos postmodum idem Principibus viris exhibitus est, uti de Alexandro M. Babylonem ingresso, refert Curtius, *l.* 5. *c.* 1. de Augusto, Puteolanum sinum prætervehente, Sueton. *c.* 98. de Imperatoribus quoque Christianis, sive eorum laurata, sive cadavera, deferrentur, Corippus, *l.* 2. de aliis alii, Imò & Cyrillus è Concilio Ephesino ad sua reversus sic exceptus est, ut passim mulieres præirent, Θυμιατήρια κατέχουσαι, *thuribula manibus tenentes*, ut ipsemet memorat *Ep. ad Presbyteros Alexandr.* in Actis Concilii modò dicti: Qua de re suprà dictum non unô locô. Sed nec lignum suô usu caret, eô enim cibum Sabæos coquere, Plinius refert, *l.* 12. *c.* 17. & Scythas, balnei locô, uxoribus aquam fundentibus, corpora scabrô lapide contrita, cupressô, cedrô & *thuris* lignô confricare solitos, habet Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 30. Plura de *Thure*, apud Auctores retro laudatos, ut & suprà aliquid voce *Myrrha*, it. *Stagonia*. Hinc *Thurariæ tibiæ* de quibus suprà voce *Spondulea*. Thuri verò servando, malorum Poëtarum scripta destinari moris fuisse, apud Græcos olim Latinosque, discimus ex Athenæo, *l.* 6. ubi Anaxandridem Comicum, cùm adversarios Poëtas vicisse declaratus non esset, præ indignatione & morositate, senectutis, vitio, suas fabulas sumere consuevisse, atque *Thuri* mandare discerpendas refert: & Horatio, *l.* 2. *Epist.* 1. *in fin.*

> *Deferar in vicum vendentem* Thus *& odores,*
> *Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.*

Adde Martialem, qui librum suum sic admonet, *l.* 3. *Epigr.* 2.

> *Cujus vis fieri, libelle, munus,*
> *Festina tibi vindicem parare,*
> *Ne nigram cito raptus in culinam*
> *Cordyllas madidas tegas papyrô,*
> *Vel* Thuris *piperisque, sis cucullus.*

Vide quoque suprà ubi de *Pipere Scombrisque*: talia enim chartis ad nihil aliud profuturis à mercatoribus involvi solent.

THUSCANICUS Apollo, Romæ fuit in Bibliotheca templi Augusti, quinquaginta pedum à pollice, de quo Plin. *l.* 34. *c.* 7. *dubium esse* dicit, *ære mirabilior sit, an pulchritudine?*

THUSCIA, vel *Tuscia*, fœcundissima Italiæ regio à Latio Tiberi, à Liguribus Macrâ fluv. dirempta, aliô nomine *Hetruria* dicta, hodie verò *la Toscana*, ubi lingua Italica inprimis floret. Sic dici quibusdam videtur ἀπὸ τοῦ θύειν, h. e. *sacrificando*, propterea quòd Thyrreni semper habiti fuerint religiosi, deorumque cultui & sacrificiis, ad superstitionem usque dediti. Urbes olim Græcas habuit ΦΑΛΕΙΩΝ & ΚΟΣΩΝ, ut ex nummis docet Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi de *Græcorum coloniis*. *Baudrando* majorem Etruriæ partem comprehendit. Terminatur à Septentrione Appenninô, ab Occasu Macrâ fluv. & mari Tyrrhenô uti à Meridie, ab Ortu Tiberi, Blani & Martâ fluv. Hodie continet tantùm ditiones, Florentinam *il Florentino*, Senensem, *il Sinese*, Pisanam *il Pisano*, sub Hetruriæ Magno Duce & Lucensem, *il Lucese*, quæ Resp. libera est. His insertæ sunt aliquot minores ditiones, ut Carferoniana *la Grafignana*, sub Duce Mutinensi Ducatus Massæ, sub Duce proprio, Sciezana sub Genuens. Principatus Plombini, sub clientela Hispan. & Status præsidii seu Orbetellum cum annexis, sub Hispan. Totius Tusciæ caput Florentia est. Populi *Thusci* seu *Tusci*, & *Thuscus* nomen gentis. Ovid. *in Ibin. v.* 138.

Dum Tyberis liquidus Thuscus habebit aquas.

Vide *Hetruria*, vel *Etruria*.

THUSCUS, vide *Tuscus*.

THUSCUS Cornelius, vide *Cornelius*.

THUSCUS Vicus, Romæ dictus est, locus planus, in quem Hetrusci, qui montem Cœlium priùs incolebant, deducti sunt. Cœlius enim Vibennus Thuscus dux nobilis, postquam cum sua manu Romulo venisset auxilio, contra Sabinorum Regem; montem, qui antè *Querquetulanus* vocabatur, habitandum accepit atque à suo nomine *Cœlium* appellavit. Quem cùm Hetrusci nimis munientes in suspicionem, sequentibus temporibus, venissent, inde in locum planum deducti sunt, qui ab ipsis *Thusci vici* accepit nomen, Varro *de L. L. l.* 4. & ex eo Tacitus, *l.* 4. *Annal. c.* 6. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Romanarum l.* 1. *c.* 7.

THUSI-MARES, Rex inferioris Ægypti XX. post Ramesse-Menem præfuit annos 31. Phiô apud Memphitas regnante. Eum excepit Ramesse-Seos. Joh. Marshamus, *Canone Chron.* ex Syncello.

THYA, apud Plinium, *l.* 13. *c.* 16. ubi de citri arbore: *Inter pauca nitidioris vitæ instrumenta est hæc arbor — Nota etiam Homero fuit: Thyon Græcè vocatur, ab aliis Thya;* eadem est cum citro, unde citreæ mensæ fiebant, tanti olim Romanis habitæ. Sed Homeri ævô in Græcia passiva non fuit; utpote apud Hammonis fanum & in Cyrenensi tantùm agro proveniens, teste Theophrastô. Nec Θύον, cujus meminit Homerus, *Odyss. ε. v.* 60. ubi cum cedro & larice, in foco Calypsus, uri tradit, de citro, sed de brathy potiùs, seu herba Sabina, intelligendum venit, quam ante thuris notitiam, Veteres præ omnibus aliis ad suffitus adhibere soliti, per excellentiam Θύου nomine insignierunt. Virgilius *in Culice*, *v.* 402.

Herbaque thuris opes, priscis imitata Sabina.

Θύειν autem propriè *odores incendere* est; quâ ratione cùm primitus solâ Deos suos propitiare quærerent prisci, postmodum, ubi victimæ mactari cœperunt, id nomen abusivè de victimis cæsis usurpatum est &c. Itaque de *thya* arbore, quod arboris genus sit, frustra disputant Herbarii, quum non *thya*, sed *citrus* Latinè sit appellanda. Salmas. *ad Solin. p.* 950. & *seqq.* Hinc θύϊνος ἰσογράφος agallochum Dioscoridi dicitur, quòd maculas ligno citri similes habet, ut idem notat, ubi de agollocho, *p.* 1056. Vide etiam infrà *Thyon*. At Θυῖα, apud Eleos, nomen fuit festi, Baccho celebrari soliti, quô illati templo lebetes tres, foribus accuratè occlusis obsignatisque, noctu sponte vinô repleti credebantur, Cœlius, *Antiqq. Lect. lib.* 15. *c.* 23. qua de re diximus suprà aliquid in voce *Domus*, it. *Lebes*.

THYADES, Bacchi sacrificulæ, quas *amentes* vocat Statius, *pervicaces* Horat. *l.* 2. *Carm.* Od. 19. *v.* 9. *l.* 3. *Carm. Od.* 15. *v.* 10.

Pulso Thyas uti concita tympano.

Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 302.

— *Qualis commotis excita sacris*
Thyas. — —

Stat. Theb. *l.* 5. *v.* 92.

— *Insano veluti* Teumesia *Thyas*
Rapta Deo. —

Val. Flac. *l.* 5. *Argon. v.* 81.

— *Bœotia qualem*
Thyas, & infelix cuperet vidisse Cithæron.

Nic. Lloyd. Inter Praxitelis ex marmore opera, quæ Romæ olim visebantur in Asinii Pollionis monumentis, *Thyades* quoque memorantur Plinio, *l.* 36. *c.* 5.

THYAMIS, vulgò *Capo Nista*, Nigro, promunt. Epiri quod Thesprotiam regionem à Cestrina separat, inter Buthratum ad Arctos & Sybota ad Austrum ad ostia fluvii cognominis, Thesprotiam à Cestrinia dirimentis, teste *Thucydide*, qui nunc *Calama* incolis, *Thevet*.

THYAMUS, *Strab.* Thucyd. *Pausaniæ*, *Thyamis* Ciceroni. *l.* 7. *Attic. Ep.* 2. & *Ptolemæo*, fluv. Thesprotiæ in Epiro, apud Thyamim promontor. Sybota versus in mare Ionium fluens, vide suprà. Item mons ejusdem nominis, teste *Thucydide*, Thesprotos à Castriis dividens, Chimerio finitimus, *Ferrar*.

THYANA, urbs Cappadociæ, ad radicem Tauri, Archiepiscopalis patria Apollonii Thyanæi. *Strabo.* Plin. *l.* 6. *c.* 3. *Ptol.* &c. Hic conciliô, A. C. 365 habitô, Eustathius Episcopus Sebastes restitutus est, Thedoret. *l.* 4. *c.* 8. Sozom. *l.* 6. *c.* 2. Baronius *in Annal.*

THYATIRA, urbs Lydiæ ad Lycum fluv. *Pelopia*, & *Euhippa* aliquando dicta, teste Pliniô, *l.* 5. *c.* 29. *Semiramis & Mysorum ultima*, teste *Steph.* inter Sardes ad Meridiem 30. & Pergamum ad Boream 58. mill. pass. una ex 7. Ecclesiis Asiæ in Apocalypsi D. Joannis, *c.* 2. *v.* 18. memoratis. Baudrando *Thyatira* & *Tyatum*, est ad Hillum amnem, 85. mill. pass à Pergamo in Ortum prope Hermum fluv. Hodie Turcis *Ak-hissar*, h. e. *Castrum candidum*; in ipsis enim veteris urbis ruderibus id illi condiderunt, quod & à solis Turcis habitatur, nullô Christianæ religionis ibi loci vestigiô superstite. Superest tamen de Templo Bacchi, qui in urbe antiquitus colebatur, aliquid. Nec non inscriptiones quædam, quarum una sic incipit: Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ ΒΟΥΛΗ, &c. facta in honorem Ulpiæ Marcellæ Sacerdotis Dianæ, quæ & ipsa hic ædem habuit. Alia, in qua mentio Ludorum & Sacrorum publicorum Dei Tyrimni, Alia Clodio cuidam Aurelio Proclo facta ΕΠΙ ΣΕΜΝΟΤΗΤΙ ΒΙΟΥ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΙΣ ΠΑΣΑΙΣ. Alia, Marco Aur. Diadocho Hippico Pontifici Asiæ minoris in Templis Pergamensibus, & simul Patriæ tunc temporis suæ, (cujus & ΒΟΥΛΑΡΧΟΣ perpetuus ibi dicitur) honorato tantis muneribus à Caracalla Imperatore qui in alia *Inscr.* ejusdem loci Ο ΓΗΣ ΚΑΙ ΘΑΛΑΤΤΗΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ, *Terræ Marisque Dominus*, appellatur &c. Integras videre est apud Jac. Sponium, *Itinerar. Part.* 3. *p.* 111. & *seqq.* qui & nummi sub Alexandro Sev. ab hac Civitate cusi, cum nomine ΘΥΑΘΕΙΡΩΝ, & lupæ Romulum Remumque lactantis icone, in postica parte, typum exhibet, *ibid. p.* 183.

THYATIRA, una Echinadum. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

THYBARNI, populi Asiæ minoris circa Sardim urbem, Diod. *l.* 18. forte à *Thybarra*.

THYBARRA, locus in Asia minori, circa Pactolum fluvium, conventus incolarum Syriæ inferioris, Xenoph. *l.* 6. *Cyropæd. Thymbarrha* & *Thymbraia* in margine erat. Idem locus videtur ab eodem *l.* 6. *Thyrribarris* vocari. *Thymbraræ* autem legit *Steph.* idque ex *Xenophonte*.

THYBRIS, vide *Tiberis*.

THYELLA, quæ *Hyella Herodoto*, oppid. Brutiorum, ab Oenotriis habitatum apud Amantium urb. in Calabria citeriore *Thyeto*, vel *Gineto Barrio*, à littore 3. mill. pass. ab Artemisio *S. Agatha* 4. quot à Bombicino, ab Argentano seu Macropoli 20.

THYESSUS, urbs Lydiæ, à *Thyesso* caupone. Alia est Pisidiæ. *Steph.*

THYESTES, fil. Pelopis ex Hippodamia, Tantali nepos, qui cùm Atreo, fratri cui pessimè cupiebat, aliter nocere non posset, uxorem ejus per adulterium polluit, ac χρυσῆν ἄρνα, *aurei velleris agnum* ipsi abstulit, Pausan. *l.* 2. Atreus verò ei filium epulandum apposuit. Ob quæ flagitia, Sol, ne pollueretur, retro cursum fertur convertisse. Persius, *Sat.* 5. *v.* 8.

— *Aut si quibus olla Thyestæ*
Fervebit. —

Martialis, *l.* 4. *Epigr.* 49. *v.* 3.

Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos: aut cænam crudæ Thyesta tuam.

Idem, *l.* 10. *Epigr.* 35. *v.* 6.

Diri prandia nec refer Thyestæ.

Hinc *Thyesteus* Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 462.

Neve Thyesteis cumulemus viscera mensis.

Successit tamen fratri in regno Mycenarum, ut ex Homero colligitur, qui *Vulcanum Jovi fabricâsse sceptrum, quod Jupiter Mercurio, Mercurius Pelopi, Pelops Atreo, Atreus Thyesti. Thyestes Agamemnoni tradiderit*, canit *Il. β. v.* 100. Atque hoc sceptrum *præ Diis omnibus à Chæronensibus cultum esse*, Pausan. *l.* 9. docet. Ex filia Pelopea Ægisthum genuit: ipsi verò in regno successit, an Agmemnon Atrei fil. ut Homerus eum crebrò vocat, an Plisthenes, Atreô genitus, & pater Agamemnonis? ut *Herodotus* habet. Vide Joh. Marshamum, *Can. Chronicô ad Secul. XI.*

THYIA, Deucalionis filia, quæ ex Jove peperit Macedoniam, quæ regioni Macedoniæ nomen dedit.

THYLLESIUM, vide *Tyllesium*.

THYMALLUS, Piscis adeò boni odoris, ut thymum videatis olfacere, unde & nomen, ut omnino perperam apud Isidorum *timallus* scribatur, *Origin. l.* 12. *c.* 6. De eo Ambros. *Hexaemer. l.* 5. *c.* 2. *Neque te inhonoratum — Thymalle dimittam, cui à flore nomen inolevit: seu Ticini te unda fluminis, seu amœni Athesis unda nutrierit, flos es. Denique sermo testatior, — Aut piscem olet, aut florem: ita idem pronuntiatus est piscis odor esse, qui floris. Quid specie tuâ gratius, quid suavitate jucundius, quid odore fragrantius? Quod mella fragrant, hoc tu corpore spiras.* Nec odore modò: vel specie, placet; sed etiam sapore Salvianô *de Piscibus* teste; qui & majores præfert elixos ac butyro conditos, minores autem assos. Idem, sed adversante Gesnerô, negat opus esse, ut eximantur intestina, quia felle careant. Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 30.

THYMARADÆ, vicus in Hippothoontide tribu.

THYMATERIUM, Stephano *Thymiateria*, Marianæ & Ramusio *Azamar*, urbs Mauritaniæ Tingitanæ ad ostia Rutubis, extra columnas Herculis, in ora Oceani Atlantici, inter illas 197. & Atlantem montem majorem, 120. mill. pass. Sub Lusitanis.

THYMBRÆUS, Apollinis cognomen, sive à *Thymbra* Troadis campo, sive ab ejusdem nominis urbe in qua colebatur, impositum. Campo autem *Thymbræ* nomen factum putatur à *thymbræ* herbæ

herbæ copia, quam Latini *cunilam* vocant, cujus hoc in campo maximus est proventus. Servius in illud Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 85.

--- Da propriam Thymbraee domum.

Apollinis *Thymbræi* templum *Strabo* ponit ea in parte, quâ Thymbrius fluv. in Scamandrum influit, quo in templo ferunt Achillem à Paride fuisse interemptum: Unde factus est locus fabulæ, Achillem Apollinis sagittis occisum fuisse. Stat. *l.* 4. *Sylv.* 7. *v.* 21.

Torpor est nostris sine te Camenis.
Tardius sueto venit ipse Thymbræ
Rector. ---

Idem *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 97.

Pergama Thymbræa. ---

Nic. Lloydius.

THYMBRARA, civitas ad Pactolum sita.

THYMBRIA, pagus Cariæ, à Myunte urbe, apud Mæandrum, ad 4. stad. distans. *Strab.*

THYMBRIS, Siciliæ fluv. qui & *Thybris*. *Schol. Theocriti*. Bithyniæ fluv. qui oriens in Galatia, in Sangarium influit, Liv. *l.* 38. *c.* 18. *Thymbrius Strab. Tembrogius* Plin. *l.* 6. *c.* 1. *Tembrius Orph. Tiberis Procop.*

THYMELE, saltatricula nota Domitiani temporibus, cujus gesticulatione Domitianus impensè fertur delectatus; à qua & *Thymelicæ cantilenæ*, quibus olim plurimùm colebatur Bacchus, Martial. *l.* 1. *Epigr.* 5. *v.* 5.

Quâ Thymelem spectas, derisoremque Latinum.

Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 66.

---- Thymele tunc rustica discit.

Hinc *Thymelici*, artifices instrumentorum Musicorum. Isidorus tamen, *l.* 6. *c.* 47. nominis rationem à voce Θυμέλη, i. e. pulpitum arcessit. In pulpitis enim lyristæ, choraules, tibicines organarii, aliique artifices, sive scenarum, sive domesticarum oblectationum sedere atque inde audiri consueverunt, Vitruv. *l.* 5. *Archit. c.* 8. Celebrabantur autem hi laude digni olim, Jul. Firmicus, *Mathes. l.* 4. *c.* 15. & Ulpianus, *l.* 4. *ff. de his qui not. infamiâ*, inquit: *Neque* Thymelici, *neque Exustici, neque Agitatores, nec qui aquam equis spargunt, cæteraque eorum ministeria, qui certaminibus sacris deserviunt, ignominiosi habentur.* Cæterùm de *Thymelicis* vide Rittershusium *in Salvian. p.* 207. Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 9. & Angel. Polit. *Ep. l.* 7. *ad Bapt. Guarinum. Nic. Lloydius.*

THYMIAMA; Græcè Θυμίαμα. Latin. *Incensum*, in V. Test. sacrificii genus fuit, quod, in Altari thymiamatis seu suffimenti, quotidiè Deo offerebatur. Ita enim Dominus; Exod. *c.* 30. *v.* 1. *Facies Altare suffimenti; & pones illud ante velum, v.* 6. &c. *adolebit super illud Aaron suffimentum aromatum singulis matutinis, quando aptabit lucernas, adolebit illud, v.* 7. *non offeretis super illud suffimentum alienum, neque holocaustum, neque mincham, sed nec libamen libabitis super illud, v.* 9. &c. Itaque cùm filii Israël serpenti æneo adolerent incensum seu thymiama, confregit illum Ezechias Rex, utpote idololatricô cultu pollutum 2. Regum *c.* 18. *v.* 4. Et Sedulius, *Oper. Paschalis*, *l.* 2. scribens de muneribus Christo oblatis à Magis, à *thure* ei donato, divinitatem illius arguit, cùm ait.

Aurea nascenti fuderunt munera Regi,
Thura dedêre Deo, myrrham tribuêre sepulchro.

Apud Gentiles quoque ea opinio de *thymiamate* soli Deo offerendo eousque invaluit, ut verbum θύειν, quod propriè *suffire* solùm & *odores incendere* notat, ad totam cultus divini sacrificiorumque rationem denotandam, extenderint, uti diximus suprà in voce *Thya*. Fuit autem *Thymiama* illud sacrum, Deo offerendum, non humani arbitrii, sed ipsiusmet jussu compositum, ut cui non alius cultus placet, quàm quem ipse præscripsit. *Dixit itaque Dominus ad Mosen: Sume tibi aromata, stacten, & onycha, galbanum boni odoris & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia. Faciesque* thymiama *compositum opere unguentarii, mixtum diligenter & purum & sanctificatione dignissimum. Cumque in minutissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram Tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia Sanctum est Domino. Homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit*, Exodi *c. cit. v.* 34. & *seqq.* ad quem locum vide Andr. Rivetum *Commentar. in Exod.* ubi inter alia licèt ex quadruplici materia hoc Thymiama constaret, à *thure* tamen nomen maximè sumpsisse; dein situm Thymiamatis, è regione Propitiatorii (quô præfigurabatur Christus) sicque sine illo preces nostras, (quæ suffimentô illô sacrô denotabantur, Apocal. *c.* 5. *v.* 8.) Deo placere non posse, fuisse indigitatum, adnotat. Uti verò suffimentum alienum adolere erat nefas, sic ab aliis quàm à Sacerdotibus, fieri legitimè id non poterat. Unde cùm Huzzija Rex *ingressus esset in Templum Jehovæ, ut adoleret super Altare suffitus*, nec monitus quamvis absistere vellet, *lepra exorta in fronte ejus, coram Sacerdotibus, in domo Johovæ, ab altari suffitus* legitur 2. Chron. *c.* 26. *v.* 16. & 19. &c. Sed & Sacerdotes Ægyptii, ad purgandum aërem, quotidie ter Soli adolebant; Resinam sub ortum, Myrrham meridie Κῦφι circa occasum. Plut. *de Iside*. Cujus compositionem ex Manethone Ægyptio hanc tradit, Κῦφι, *mixtura est* XVI. *rerum, in unum compositarum, Mellis, vini, uvæ passæ, cyperi, resinæ, myrrhæ, aspalathi, seselis, junci odorati, bituminis, folii ficulni, rumicis, juniperi utriusque, cardamomi, & calamista non temerè componuntur, sed seplasiariis, dum miscent, sacræ literæ recitantur. Numerus* ἰσάκις ἴσος *quadratus à quadrato.* Cùm in Mosaica compositione quaternio esset, in quo Philo *stacten* ad aquam, *onycha* ad terram, *galbanum* ad aërem, *thus* ad ignem refert, *de Hærede Divin.* apud Joh. Marshamum, *Can. Chron. Sec.* IX. *ubi de Hirco* Ἀποπομπαίῳ. Plura vide suprà ubi de *Suffitu, Thuribulo*, & *Thure*.

THYMIATERIA, urbs Lybiæ ad Oceanum Atlanticum sita *Steph.* Hodie *Azamor* dici *Ramusius* conjicere videtur. Vide *Thymaterium*.

THYMIATHIS, fluv. Epiri, Strab. *l.* 7. Ἔπειτα Θυμιάθις ποταμός. *Thyamis Thucydidi* (de quo supra) sic enim ille Θύαμις ποταμὸς ὁρίζων τὴν Θεσπρωτίδα καὶ Κεστρίνην: quem locum cùm videatur Strabo exscribere, non est dubium scripsisse eum Θύαμις, Sic enim Plin. *l.* 4. *c.* 1. & *Ptol.* habent & libri veteres. *Nic. Lloydius.*

THYMNIAS, sinus Doridis, ubi promontor. cognomine inter Gnidum ad Occasum & Larumnam ad Ortum, ubi quoque *Schænus* & *Bubessus*, sinus parvi, contra Rhodum. Plin. *l.* 5. *c.* 28. Mela, *l.* 1. *c.* 16.

THYMODES, Mentoris fil. peregrinorum militum Dux, à Dario constitutus. Curt. *l.* 3. *c.* 8.

THYMOETES, Oxidiæ seu Oxyntis Regis fil. nothus, occisô fratre Aphidante Rege Atheniensium, Rex XV. regnavit ann. 8. ultimus ex familiâ Erectheidarum; qui quô pactô regnô exciderit, diximus suprà voce *Melanthus*, qui ei successit, it. *Apaturia*. Item Priami fil. ex Arisbe, aut, ut alii malunt, Arisbes maritus, cujus uxor cùm filium peperisset eôdem die, quô Hecuba Paridem, asserentibus hariolis, eô die natum esse puerum, cujus causâ Ilium everteretur, jussit Priamus utrumque interfici. Et Paris quidem matris astu clam traditus est educandus: Thymoetis autem puer est interfectus. Cujus injuriæ ultione in multos annos dilatâ, Thymoetes, cùm equi lignei dolum sentiret, commodum sibi vindictæ tempus oblatum ratus, primus author fuit, ut in urbem reciperetur. Servius enarrans locum illum Virgilii, *l.* 2. *Æn. v.* 32.

--- Primusque Thymoetes
Duci intra muros hortatur & arce locari
Sive dolô, seu jam Troja sic fata ferebant.

THYMOETES ætate Orphei, poësin Phrygiam *de Bacchi gestis* composuit, & sermone & literis vetustis. Diodor. *l.* 3.

THYMOTES, Rex Atheniensium, qui, cùm à Xantho, vel, ut alii, Xanthio Bœotorum rege, ad duellum, dirimendæ controversiæ de Celænis, castellô in finibus sitô, provocatus esset, pugnam detrectavit; quam tamen, vice ejus, subivit Melanthius. Vide Schol. *in Aristoph. Acharnens. p.* 378. Melius *Thymoetes*, quem vide.

THYMUM, & *us*, Græcis θύμον, & θύμος, vetustissimis temporibus iisdem θύμβρα, & θ, recentioribus hinc, transpositis literis θρύμβος, inter condimenta veterum Græcorum fuit, in lautioribus culinis usurpatum, quô & sales condiebant, unde θυμῖται ἅλες. *Alexis* Comicus, in recensione condimentorum,

Ὀρίγανον, γήτειον, ἄννησον, θύμον, σφάκον

At apud *Eubulum*.

Καὶ σίλφιον, θυμόν τε τὸν ὑμηττικόν.

Idem tamen in *Pluto* Aristophanis, inter tenuis victus, & agrestis cupedias commemoratur: Verùm eô locô vetus Interpres θύμον non de condimentaria herba accipit, sed bulbos ac cepas agrestes exponit. Quemadmodum & *Hesychius* θύμον κρόμμυον interpretatur: qua de re vide Salmas. *ad Solin.* ubi plura de hac herba passim, inprimis *p.* 1286. Porrò coronamentis inseri consuevisse, notum ex illo,

Pars thyma, *pars rorem, pars meliloton amant.*

Suavitate certè odoris commendatur Ovidio, *l.* 15. *Met. v.* 80.

--- --- nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi *redolentia flore.*

Tamque gratus & allubescens flos hic habitus, ut symbolum ejus gratiæ, quæ cuique rei nativa est, eum Horatius faciat, *l.* 1. *Ep.* 3. *ad Jul. Florum*, *v.* 21.

--- --- ipse quid audes?
Quæ circum volitas agilis thyma?

Vide Car. Paschal. *Coronar. l.* 3. *c.* 17. Et quidem purpurei floris vulgare thymum est, quod μέλαν proin seu *nigrum Theophrasto* dictum, præter quod aliud flore candidô est, de quo utroque Salmas. ubi supra. Ex *thymo* divites factos fratres duos Vejanios, habes apud Varronem *de Re R. l.* 3. *c.* 16. hôc enim pabulô apes delectantur maximè, unde mellis copia. Notum Poëtæ: *Ecl.* 5. *v.* 77.

Dum thymô pascentur apes &c.

Vide & Plin. *l.* 21. *c.* 10.

THYNE, urbs Libyæ. Inde *Thyneus Steph.*

THYNI Cirographi, apud Catullum, *Epigr.* 25. *v.* 6.

Remitte Pallium mihi meum quod involâsti,
Sudariumque setabum, cirographosque Thynos.

pro *Cerographi*, ex Græco Κηρογράφοι: annuli sunt signatorii, *ceram pingentes* & signantes vel charaxantes, qui in Bithynia fiebant, Salmas. *ad Vopisc. Aureliano, c. ult.* Vide quoque suprà *Cyrographi*. Aliàs *Thyni*, Græcè Θυνοί, populi olim Thraciæ, ut & Bithyni, quos in Asiam commigrâsse, legimus apud Strabonem, *l.* 7. & 12. Vide etiam in voce *Thynia*.

THUSCIA, vel *Tuscia*, fœcundissima Italiæ regio à Latio Tiberi, à Liguribus Macrâ fluv. dirempta, aliô nomine *Hetruria* dicta, hodie verò *la Toscana*, ubi lingua Italica inprimis floret. Sic dici quibusdam videtur ἀπὸ τοῦ θύειν, h. e. *sacrificando*, propterea quòd Thyrreni semper habiti fuerint religiosi, deorumque cultui & sacrificiis, ad superstitionem usque dediti. Urbes olim Græcas habuit ΦΑΛΕΙΩΝ & ΚΟΣΩΝ, ut ex nummis docet Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi de *Græcorum coloniis*. *Baudrando* majorem Etruriæ partem comprehendit. Terminatur à Septentrione Appenninô, ab Occasu Macrâ fluv. & mari Tyrrhenô uti à Meridie, ab Ortu Tiberi, Blani & Marrâ fluv. Hodie continet tantùm ditiones, Florentinam *il Fiorentino*, Senensem, *il Senese*, Pisanam *il Pisano*, sub Hetruriæ Magno Duce & Lucensem, *il Lucese*, quæ Resp. libera est. His insertæ sunt aliquot minores ditiones, ut Carferoniana *la Grafignana*, sub Duce Mutinensi Ducatus Massæ, sub Duce proprio, Serezana sub Genuens. Principatus Plombini, sub clientela Hispan. & Status præsidii seu Orbetellum cum annexis, sub Hispan. Totius Tusciæ caput Florentia est. Populi *Thusci* seu *Tusci*, & *Thuscus* nomen gentis. Ovid. in *Ibin. v.* 138.

Dum Tyberis liquidas Thuscus habebit aquas.

Vide *Hetruria*, vel *Etruria*.

THUSCUS, vide *Tuscus*.

THUSCUS Cornelius, vide *Cornelius*.

THUSCUS Vicus, Romæ dictus est, locus planus, in quem Hetrusci, qui montem Cœlium priùs incolebant, deducti sunt. Cœlius enim Vibennus Thuscus dux nobilis, postquam cum sua manu Romulo venisset auxilio, contra Sabinorum Regem; montem, qui antè *Querquetulanus* vocabatur, habitandum accepit atque à suo nomine *Cœlium* appellavit. Quem cùm Hetrusci nimis munientes in suspicionem, sequentibus temporibus, venissent, inde in locum planum deducti sunt, qui ab ipsis *Thusci vici* accepit nomen, Varro *de L. L. l.* 4. & ex eo Tacitus, *l.* 4. *Annal. c.* 6. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Romanarum l.* 1. *c.* 7.

THUSI-MARES, Rex inferioris Ægypti XX. post Ramesse-Menem præfuit annos 31. Phiô apud Memphitas regnante. Eum excepit Ramesse-Seos. Joh. Marshamus, *Canone Chron.* ex Syncello.

THYA, apud Plinium, *l.* 13. *c.* 16. ubi de citri arbore: *Inter pauca nitidioris vitæ instrumenta est hæc arbor — Nota etiam Homero fuit: Thyon Græcè vocatur, ab aliis Thya*; eadem est cum citro, unde citreæ mensæ fiebant, tanti olim Romanis habitæ. Sed Homeri ævô in Græcia passiva non fuit; utpote apud Hammonis fanum & in Cyrenensi tantùm agro proveniens, teste Theophrastô. Nec θύον, cujus meminit Homerus, *Odyss.* ε. *v.* 60. ubi cum cedro & larice, in foco Calypsus, uri tradit, de citro, sed de brathy potiùs, seu herba Sabina, intelligendum venit, quam ante thuris notitiam, Veteres præ omnibus aliis ad suffitus adhibere soliti, per excellentiam Θύον nomine insignierunt. Virgilius in *Culice*, *v.* 402.

Herbaque thuris opes, priscis imitata Sabina.

Θύειν autem propriè *odores incendere* est; quâ ratione cùm primitus solâ Deos suos propitiare quærerent prisci, postmodum, ubi victimæ mactari cœperunt, id nomen abusivè de victimis cæsis usurpatum est &c. Itaque de *thya* arbore, quod arboris genus sit, frustra disputant Herbarii, quum non *thya*, sed *citrus* Latinè sit appellanda. Salmas. *ad Solin. p.* 930. & *seqq.* Hinc ξύλινον ἀγάλλοχον agallochum Dioscoridi dicitur, quòd maculas ligno citri similes habet, ut idem notat, ubi de agollocho, *p.* 1056. Vide etiam infrà *Thyon*. At Θυῖα, apud Eleos, nomen fuit festi, Baccho celebrari soliti, quô illati templo lebetes tres, foribus accuratè occlusis obsignatisque, noctu sponte vinô repleri credebantur, Cœlius, *Antiqq. Lect. lib.* 15. *c.* 23. qua de re diximus suprà aliquid in voce *Domus*, it. *Lebes*.

THYADES, Bacchi sacrificulæ, quas *amentes* vocat Statius, *pervicaces* Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 19. *v.* 9. *l.* 3. *Carm. Od.* 15. *v.* 10.

Pulso Thyas uti concita tympano.

Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 302.

— *Qualis commotis excita sacris*
Thyas. — —

Stat. Theb. *l.* 5. *v.* 92.

— *Insano veluti Teumesia Thyas*
Rapta Deo. —

Val. Flac. *l.* 5. *Argon. v.* 81.

— *Bœotia qualem*
Thyas, & infelix cuperet vidisse Citheron.

Nic. Lloyd. Inter Praxitelis ex marmore opera, quæ Romæ olim visebantur in Asinii Pollionis monumentis, *Thyades* quoque memorantur Plinio, *l.* 36. *c.* 5.

THYAMIS, vulgò *Capo Nisla*, Nigro, promont. Epiri quod Thesprotiam regionem à Cestrina separat, inter Buthratum ad Arctos & Sybota ad Austrum, ad ostia fluvii cognominis, Thesprotiam à Cestrinia dirimentis, teste *Thucydide*, qui nunc *Calama* incolis, *Thevet.*

THYAMUS, *Strab. Thucyd. Pausaniæ*, *Thyamis* Ciceroni, *l.* 7. *Attic. Ep.* 2. & *Ptolemæo*, fluv. Thesprotiæ in Epiro, apud Thyamim promontor. Sybota versus in mare Ionium fluens, vide suprà. Item mons ejusdem nominis, teste *Thucydide*, Thesprotis à Castriis dividens, Chimerio finitimus, *Ferrar.*

THYANA, urbs Cappadociæ, ad radicem Tauri, Archiepiscopalis patria Apollonii Tyanæi. *Strabo*. Plin. *l.* 6. *c.* 3. *Ptol.* &c. Hîc conciliô, A. C. 365 habitô, Eustathius Episcopus Sebastes restitutus est, Theodoret. *l.* 4. *c.* 8. Sozom. *l.* 6. *c.* 2. Baronius *in Annal.*

THYATIRA, urbs Lydiæ ad Lycum fluv. *Pelopia*, & *Euhippa* aliquando dicta, teste Pliniô, *l.* 5. *c.* 29. *Semiramis & Mysorum ultima*, teste *Steph.* inter Sardes ad Meridiem 30. & Pergamum ad Boream 58. mill. pass. una ex 7. Ecclesiis Asiæ in Apocalypsi D. Joannis, *c.* 2. *v.* 18. memoratis. Baudrando *Thyatira* & *Tyatum*, est ad Hillum amnem. 85. mill. pass. à Pergamo in Ortum prope Hermum fluv. Hodie Turcis *Ak-hissar*, h. c. *Castrum candidum*; in ipsis enim veteris urbis ruderibus id illi condiderunt, quod & à solis Turcis habitatur, nullô Christianæ religionis ibi loci vestigiô superstite. Superest tamen de Templo Bacchi, qui in urbe antiquitus colebatur, aliquid. Nec non inscriptiones quædam, quarum una sic incipit: Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ ΒΟΥΛΗ, &c. facta in honorem Ulpiæ Marcellæ Sacerdotis Dianæ, quæ & ipsa hîc ædem habuit. Alia, in qua mentio Ludorum & Sacrorum publicorum Dei Tyrimni, Alia Clodio cuidam Aurelio Proclo facta ΕΠΙ ΣΕΜΝΟΤΗΤΙ ΒΙΟΥ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΙΣ ΠΑΣΑΙΣ. Alia, Marco Aur. Diadocho Hippico Pontifici Asiæ minoris in Templis Pergamensibus, & simul Patriæ tunc temporis suæ, (cujus & ΒΟΥΛΑΡΧΟΣ perpetuus ibi dicitur) honorato tantis muneribus à Caracalla Imperatore qui in alia *Inscr.* ejusdem loci Ο ΓΗΣ ΚΑΙ ΘΑΛΑΤΤΗΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ, *Terræ Marisque Dominus*, appellatur &c. Integras videre est apud Jac. Sponium, *Itinerar. Part.* 3. *p.* 111. & *seqq.* qui & nummi sub Alexandro Sev. ab hac Civitate cusi, cum nomine ΘΥΑΘΕΙΡΩΝ, & lupæ Romulum Remumque lactantis icone, in postica parte, typum exhibet, *ibid. p.* 183.

THYATIRA, una Echinadum. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

THYBARNI, populi Asiæ minoris circa Sardim urbem, Diod. *l.* 18. forte à *Thybarra*.

THYBARRA, locus in Asia minori, circa Pactolum fluvium, conventus incolarum Syriæ inferioris, Xenoph. *l.* 6. *Cyropæd.* *Thymbarrha* & *Thymbraia* in margine erat. Idem locus videtur ab eodem *l.* 6. *Thyrribarris* vocari. *Thymbrara* autem legit *Steph.* idque ex *Xenophonte*.

THYBRIS, vide *Tiberis*.

THYELLA, quæ *Hyella Herodoto*, oppid. Brutiorum, ab Oenotriis habitatum apud Amantium urb. in Calabria citeriore *Thyeto*, vel *Gineto Barreo*, à littore 3. mill. pass. ab Artemisio *S. Agatha* 4. quot à Bombicino, ab Argentano seu Macropoli 20.

THYESSUS, urbs Lydiæ, à *Thyesso* caupone. Alia est Pisidiæ. *Steph.*

THYESTES, fil. Pelopis ex Hippodamia, Tantali nepos, qui cùm Atreo, fratri cui pessimè cupiebat, aliter nocere non posset, uxorem ejus per adulterium polluit, ac χρυσοῦν ἄρνα, *aurei velleris agnum* ipsi abstulit, Pausan. *l.* 2. Atreus verò ei filium epulandum apposuit. Ob quæ flagitia, Sol, ne pollueretur, retro cursum fertur convertisse. Persius, *Sat.* 5. *v.* 8.

— *Aut si quibus olla Thyestæ*
Fervebit. —

Martialis, *l.* 4. *Epigr.* 49. *v.* 3.

Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos: aut cœnam crude Thyesta tuam.

Idem, *l.* 10. *Epigr.* 35. *v.* 6.

Dira prandia nec refert Thyestæ.

Hinc *Thyesteus* Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 462.

Neve Thyesteis cumulemus viscera mensis.

Successit tamen fratri in regno Mycenarum, ut ex Homero colligitur, qui *Vulcanum Jovi fabricasse sceptrum, quod Jupiter Mercurio, Mercurius Pelopi, Pelops Atreo, Atreus Thyesti. Thyestes Agamemnoni tradiderit*, canit *Il.* β. *v.* 100. Atque hoc sceptrum *præ Diis omnibus à Chæronensibus cultum esse*, Pausan. *l.* 9. docet. Ex filia Pelopea Ægisthum genuit: ipsi verò in regno successit, an Agmemnon Atrei fil. ut Homerus cum crebrò vocat, an Plisthenes, Atreô genitus, & pater Agamemnonis? ut *Herodotus* habet. Vide Joh. Marshamum, *Can. Chronicô ad Secul. XI.*

THYIA, Deucalionis filia, quæ ex Jove peperit Macedoniam, quæ regioni Macedoniæ nomen dedit.

THYLLESIUM, vide *Tyllesium*.

THYMALLUS, Piscis adeò boni odoris, ut thymum videaris olfacere, unde & nomen, ut omnino perperam apud Isidorum *timallus* scribatur, *Origin. l.* 12. *c.* 6. De eo Ambros. *Hexaemer. l.* 5. *c.* 2. *Neque te inhonoratum — Thymalle dimittam, cui à flore nomen inolevit: seu Ticini te unda fluminis, seu amœni Athesis unda nutrierit, flos es. Denique sermo testatior, — Aut piscem olet, aut florem: ita idem pronuntiatus est piscis odor esse, qui floris. Quid specie tuâ gratius, quid suavitate jucundius, quid odore fragrantius? Quod mella fragrant, hoc tu corpore spiras.* Nec odore modò: vel specie, placet; sed etiam sapore Salvianô *de Piscibus* teste; qui & majores præfert elixos ac butyro conditos, minores autem assos. Idem, sed adversante Gesnerô, negat opus esse, ut eximantur intestina, quia felle careant. Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 30.

THYMARADÆ, vicus in Hippothoontide tribu.

THYMATERIUM, Stephano *Thymiateria*, Marianæ & Ramusio *Azamar*, urbs Mauritaniæ Tingitanæ ad ostia Rurubis, extra columnas Herculis, in ora Oceani Atlantici, inter illas 197. & Atlantem montem majorem, 120. mill. pass. Sub Lusitanis.

THYMBRÆUS, Apollinis cognomen, sive à *Thymbra* Troadis campo, sive ab ejusdem nominis urbe in qua colebatur, impositum. Campo autem *Thymbra* nomen factum putatur à *thymbra* herbæ

herbæ copia, quam Latini *cunilam* vocant, cujus hoc in campo maximus est proventus. Servius in illud Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 85.

--- *Da propriam Thymbræe domum.*

Apollinis *Thymbræi* templum *Strabo* ponit ea in parte, quâ Thymbrius fluv. in Scamandrum influit, quo in templo ferunt Achillem à Paride fuisse interemptum: Unde factus est locus fabulæ, Achillem Apollinis sagittis occisum fuisse. *Stat. l.* 4. *Sylv.* 7. *v.* 21.

Torpor est nostris sine te Camœnis.
Tardius sueto venit ipse Thymbræ
Rector. ---

Idem *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 97.

Pergama Thymbræa. ---

Nic. Lloydius.

THYMBRARA, civitas ad Pactolum sita.

THYMBRIA, pagus Cariæ, à Myunte urbe, apud Mæandrum, ad 4. stad. distans. *Strab.*

THYMBRIS, Siciliæ fluv. qui & *Thybris. Schol. Theocriti.* Bithyniæ fluv. qui oriens in Galatia, in Sangarium influit, Liv. *l.* 38. *c.* 18. *Thymbrius Strab. Tembrogius* Plin. *l.* 6. *c.* 1. *Tembrius Orph. Tiberis Procop.*

THYMELE, saltatricula nota Domitiani temporibus, cujus gesticulatione Domitianus impensè fertur delectatus; à qua & *Thymelicæ cantilenæ*, quibus olim plurimùm colebatur Bacchus, Martial. *l.* 1. *Epigr.* 5. *v.* 5.

Quâ Thymelem spectas, derisoremque Latinum.

Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 66.

--- *Thymele tunc rustica discit.*

Hinc *Thymelici*, artifices instrumentorum Musicorum. Isidorus tamen, *l.* 6. *c.* 47. nominis rationem à voce Θυμέλη, i. e. pulpitum arcessit. In pulpitis enim lyristæ, choraules, tibicines organarii, aliique artifices, sive scenarum, sive domesticarum oblectationum sedere atque inde audiri consueverunt, Vitruv. *l.* 5. *Archit. c.* 8. Censebantur autem hi laude digni olim, Jul. Firmicus, *Mathes. l.* 4. *c.* 15. & Ulpianus, *l.* 4. *ff. de his qui not. infamiâ*, inquit: *Neque Thymelici, neque Exystici, neque Agitatores, nec qui aquam equis spargunt, cæteraque eorum ministeria, qui certaminibus sacris deserviunt, ignominiosi habentur.* Cæterùm de *Thymelices* vide Rittershusium *in Salvian. p.* 207. Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 9. & Angel. Polit. *Ep. l.* 7. *ad Bapt. Guarinum. Nic. Lloydius.*

THYMIAMA; Græcè Θυμίαμα. Latin. *Incensum*, in V. Test. sacrificii genus fuit, quod, in Altari thymiamatis seu suffimenti, quotidiè Deo offerebatur. Ita enim Dominus, Exod. *c.* 30. *v.* 1. *Facies Altare suffimenti; & pones illud ante velum, v.* 6. &, *adolebit super illud Aaron suffimentum aromatum singulis matutinis, quando aptabit lucernas, adolebit illud, v.* 7. *non offeretis super illud suffimentum alienum, neque holocaustum, neque mincham, sed nec libamen libabitis super illud, v.* 9. &c. Itaque cùm filii Israël serpenti æneo adolerent incensum seu thymiama, confregit illum Ezechias Rex, utpote idololatricô cultu pollutum 2. Regum *c.* 18. *v.* 4. Et Sedulius, *Oper. Paschalis, l.* 2, scribens de muneribus Christo oblatis à Magis, à *thure* ei donato, divinitatem illius arguit, cùm ait.

Aurea nascenti fuderunt munera Regi,
Thura dedêre Deo, myrrham tribuêre sepulchro.

Apud Gentiles quoque ea opinio de *thymiamate* soli Deo offerendo eousque invaluit, ut verbum θύειν, quod propriè *suffire* solùm & *odores incendere* notat, ad totam cultus divini sacrificiorumque rationem denotandam, extenderint, uti diximus suprà in voce *Thya*. Fuit autem *Thymiama* illud sacrum, Deo offerendum, non humani arbitrii, sed ipsiusmet jussu compositum, ut cui non alius cultus placet, quàm quem ipse præscripsit. *Dixit itaque Dominus ad Mosen: Sume tibi aromata, stacten, & onycha, galbanum boni odoris & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia. Faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter & purum & sanctificatione dignissimum. Cumque in minutissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram Tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia Sanctum est Domino. Homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit*, Exodi *c. cit. v.* 34. & *seqq.* ad quem locum vide Andr. Rivetum *Commentar. in Exod.* ubi inter alia licèt ex quadruplici materia hoc Thymiama constaret, à *thure* tamen nomen maximè sumpsisse; dein situm Thymiamatis, è regione Propitiatorii (quô præfigurabatur Christus) sicque sine illo preces nostras, (quæ suffimento illô sacrô denotabantur, Apocal. *c.* 5. *v.* 8.) Deo placere non posse, fuisse indigitatum, adnotat. Uti verò suffimentum alienum adolere erat nefas, sic ab aliis quàm à Sacerdotibus, fieri legitimè id non poterat. Unde cùm Huzzija Rex *ingressus esset in Templum Jehovæ, ut adoleret super Altare suffitus*, nec monitus quamvis abstistere vellet, *lepra exorta in fronte ejus, coram Sacerdotibus, in domo Jehovæ, ab altari suffitus*, legitur 2. Chron. *c.* 26. *v.* 16. & 19. &c. Sed & Sacerdotes Ægyptii, ad purgandum aërem, quotidie ter Soli adolebant; Resinam sub ortum, Myrrham meridie Κῦφι circa occasum. Plut. *de Iside.* Cujus compositionem ex Manethone Ægyptio hanc tradit, Κῦφι, *mixtura est XVI. rerum, in unum compositarum, Mellis, vini, uvæ passæ, cyperi, resinæ, myrrhæ, apalathi, seselis, junci odorati, bituminis, folii ficulni, rumicis, juniperi utriusque, cardamomi, & calamiflu non temerè componuntur, sed seplasiariis, dum miscent, sacræ literæ recitantur. Numerus* τετράγωνος ἀπὸ τετραγώνου *quadratus à quadrato.* Cùm in Mosaica compositione quaternio esset, in quo Philo *stacten* ad aquam, *onycha* ad terram, *galbanum* ad aërem, *thus* ad ignem refert, *de Hærede Divin.* apud Joh. Marshamum, *Can. Chron. Sec. IX. ubi de Hirco* Ἀποπομπαίῳ. Plura vide suprà ubi de *Suffitu, Thuribulo*, & *Thure.*

THYMIATERIA, urbs Lybiæ ad Oceanum Atlanticum sita *Steph.* Hodie *Azamor* dici *Ramusius* conjicere videtur. Vide *Thymaterium.*

THYMIATHIS, fluv. Epiri, Strab. *l.* 7. Ῥεῖ δὲ καὶ Θυμίαθις πλησίον. *Thyamis Thucydidi* (de quo supra) sic enim ille Θύαμις ποταμὸς ὁρίζων τὴν Θεσπρωτίδα καὶ Κεστρίνην: quem locum cùm videatur Strabo exscribere, non est dubium scripsisse eum Θύαμις, Sic enim Plin. *l.* 4. *c.* 1. & *Ptol.* habent & libri veteres. *Nic. Lloydius.*

THYMNIAS, sinus Doridis, ubi promontor. cognomine inter Gnidum ad Occasum & Larumnam ad Ortum, ubi quoque *Schænus* & *Bubessus*, sinus parvi, contra Rhodum. Plin. *l.* 5. *c.* 28. Mela, *l.* 1. *c.* 16.

THYMODES, Mentoris fil. peregrinorum militum Dux, à Dario constitutus. Curt. *l.* 3. *c.* 8.

THYMOETES, Oxidiæ seu Oxyntis Regis fil. nothus, occisô fratre Aphudante Rege Atheniensium, Rex XV. regnavit ann. 8. ultimus ex familiâ Erectheidarum; qui quô pactô regnô exciderit, diximus suprà voce *Melanthus*, qui ei successit, it. *Apaturia.* Item Priami fil. ex Arisbe, aut, ut alii malunt, Arisbes maritus, cujus uxor cùm filium peperisset eôdem die, quô Hecuba Paridem, asserentibus hariolis, eo die natum esse puerum, cujus causâ Ilium everteretur, jussit Priamus utrumque interfici. Et Paris quidem matris astu clam traditus est educandus: Thymœtis autem puer est interfectus. Cujus injuriæ ultione in multos annos dilatâ, Thymœtes, cùm equi lignei dolum sentiret, commodum sibi vindictæ tempus oblatum ratus, primus author fuit, ut in urbem reciperetur. Servius enarrans locum illum Virgilii, *l.* 2. *Æn. v.* 32.

--- *Primusque Thymoëtes*
Duci intra muros hortatur & arce locari:
Sive dolô, seu jam Trojæ sic fata ferebant.

THYMOETES ætate Orphei, poësin Phrygiam *de Bacchi gestis* composuit, & sermone & literis vetustis. Diodor. *l.* 3.

THYMOTES, Rex Atheniensium, qui, cùm à Xantho, vel, ut alii, Xanthio Bæotiorum rege, ad duellum, dirimendæ controversiæ de Celænis, castellô in finibus sitô, provocatus esset, pugnam detrectavit; quam tamen, vice ejus, subivit Melanthius, Vide Schol. *in Aristoph. Acharnens. p.* 378. Meliùs *Thymoëtes*, quem vide.

THYMUM, & *us*, Græcis θύμον, & θύμος, vetustissimis temporibus iisdem θύμβρα, & ος, recentioribus hinc, transpositis literis θρύμβος, inter condimenta veterum Græcorum fuit, in lautioribus culinis usurpatum, quô & sales condiebant, unde θυμῖται ἅλες. Alexis Comicus, in recensione condimentorum,

Ὀρίγανον, γήτειον, ἄννησον, θύμον, σφάκον·

At apud *Eubulum*.

Καὶ σίλφιον, θυμόν τε τ' ὑμηττίων.

Idem tamen in *Pluto* Aristophanis, inter tenuis victus, & agrestis cupedias commemoratur: Verùm eô locô vetus Interpres θύμους non de condimentaria herba accipit; sed bulbos ac cepas agrestes exponit. Quemadmodum & *Hesychius* θύμον σκόροδον interpretatur: qua de re vide Salmas. *ad Solin.* ubi plura de hac herba passim, inprimis *p.* 1186. Porrò coronamentis inseri consuevisse, notum ex illo,

Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amant.

Suavitate certè odoris commendatur Ovidio, *l.* 15. *Met.* v. 80.

--- --- *nec vobis lacteus humor*
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.

Tamque gratus & allubescens flos hic habitus, ut symbolum ejus gratiæ, quæ cuique rei nativa est, eum Horatius faciat, *l.* 1. *Ep.* 3. *ad Jul. Florum, v.* 21.

--- --- *ipse quid audes?*
Quæ circum volitas agilis thyma?

Vide Car. Paschal. *Coronar. l.* 3. *c.* 17. Et quidem purpurei floris vulgare thymum est, quod μέλαν proin seu *nigrum Theophrasto* dictum, præter quod aliud flore candidô est, de quo utroque Salmas. ubi suprà. Ex *thymo* divites factos fratres duos Vejanios, habes apud Varronem *de Re R. l.* 3. *c.* 16. hôc enim pabulô apes delectantur maximè, unde mellis copia. Notum Poëtæ: *Ecl.* 5. *v.* 77.

Dum thymô pascentur apes &c.

Vide & Plin. *l.* 21. *c.* 10.

THYNE, urbs Libyæ. Inde *Thyneus Steph.*

THYNI Cirographi, apud Catullum, *Epigr.* 25. *v.* 6.

Remitte Pallium mihi meum quod involâsti,
Sudariumque setabum, cirographosque Thynos.

pro *Cerographi*, ex Græco Κηρογράφοι: annuli sunt signatorii, *ceram pingentes* & signantes vel charaxantes, qui in Bithynia fiebant, Salmas. *ad Vopisc. Aureliano, c. ult.* Vide quoque suprà *Cyrographi.* Aliàs *Thyni*, Græcè Θυνοί, populi olim Thraciæ, ut & Bithyni, quos in Asiam commigrâsse, legimus apud Strabonem, *l.* 7. & 12. Vide etiam in voce *Thynia.*

THYNIA, regio Thynorum. *Steph.* Thyni autem popul. Thraciæ ex adverſo Bithyniæ. Unde illud,

Thyni Thraces erant quæ nunc Bythynia fertur.

Hinc adjectivum, *Thynus*, ut apud Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 7. *v.* 3. *Thynâ merce beatus*, i.e. inquiunt, *Bithynâ*. Idem *l.* 1. *Ep.* 6. *v.* 33.

Ne Cibyratica ne Bithyna negotia perdas.

THYNIAS, ſeu *Thynnias*, Plin. *l.* 5. *c. ult. extr. l.* 6. *c.* 12. Melæ, *l.* 2. *c.* 7. & aliis inſul. maris Euxini in ora Ponti, Bithyniæ adverſa. *Thyneis* Orpheo, *Thynis* & *Thyne*, Steph. *Apollonia* Arriano, *Farnaſia* nunc, teſte Nigrô. Catullus, *Epigr.* 32. *ad Sirmionem*, *v.* 5.

Vix mihi ipſe credens Thyniam atque Bithynos
Liquiſſe campos, & videre te in tuto.

THYNIAS, vulgò *Sagora*, teſte Nigrô, oppid. Thraciæ in ora maris Euxini ad Thyniam promunt. *Capo Tenia*, apud *Apollonium*, ab ea in merid. Byzantium versùs. Inde *Thyniacus ſinus*, *Golfo di Sagora* apud Ovid. *l.* 1. *Triſt. El.* 11. *v.* 35.

THYNNUS, à θύειν, *ruere cum impetu*, quod tum maximè facit, cùm œſtrô agitatur, adeò ut etiam in naves inſiliat. *Geſner.* Hujus piſcis fœtus σκορδύλη; ac fit ex ovo, quod *Thynnus* in ponto pepeṙit: Byzantii vocant αὐξίδα, quaſi dicas *auxumam*, quia citò augetur. At poſteà *Pelamys* appellatur, donec, hôc nomine annum obtentô, *Thynnus* dici mereatur, uti teſtis eſt Ariſtoteles, *Hiſtor. Animal. l.* 6. *c.* 16. & ex eo Plinius, *l.* 9. *c.* 15. his verbis: *Cordyla appellantur partus, qui fœtas redeuntes in mare autumnò comitantur. Limoſæ verò à luto pelamides incipiunt vocari & cùm annum exceſſère, Thunni.* Lucilius hinc apud Varronem, *l.* 6.

Thunnos captato: cordylum exclude

Imò ad ſuperiorem Ariſtotelis locum annotat Scaliger, ſi *Thunnorum* moles majus ſit nacta incrementum, vocari *Orcynos*: ſin ſupra modum creverint, *Cete* nuncupari. Ita quandoque in piſcibus nomina, pro ætatis incremento, variari videmus. Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 9. Præcipuâ magnitudine *Thynnum talenta quindecim pependiſſe: ejuſdem caud: latitudinem duo cubita & palmum*, refert Plin. *l.* 9. *c.* 15. ubi *vitam* eorum *longiſſimam biennio* definit. Pavidum eſſe piſcium genus, Ovidius habet, in *Halieut. v.* 98.

Et pavidi magnô fugientes agmine Thynni.

Hinc magna illis à Natura celeritas, ut dictum. Et quidem majorum *Thunnorum* caro excrementitia ac pravi ſucci: coque ſaliri eam jubet Galenus, *de Alim. facult. l.* 3. *c.* 37. ut ſic attenuetur & coctioni gignendoque bono ſanguini reddatur aptior. Sed juniorum caro non æquè fuit improbata. Itaque non ignobilis erat piſcatio *Thunnaria*, cujus fit mentio, *l.* 8. *Digeſt. Tit.* 4. *qui eſt Comm. præd.* Inprimis autem horum abdomina commendabant, ut ex Athenæo diſcimus, *l.* 7. Quod idem indicat Lucilius apud A. Gellium, *l.* 10. *c.* 20.

Ad cœnam adducam, & primùm his abdomina Thynni
Advenientibu' priva dabo, cephalæaque atarne.

Ubi mavult Voſſius *Atarnæ*, ab Myſiæ oppido è regione Lesbi: *l. cit. c.* 3. Plin. hac de re ſic *l. cit. Thynni membratim cæſi, cervice & abdomine commendantur atqe clidiò, recenti dumtaxat --- cætera parte plenis pulpamentis ſale aſſervantur. Melandria vocantur, cæſis quernis aſſulis ſimillima. Viliſſima ex his, quæ caudæ proxima, quia pingui carent. Probatiſſima; quæ faucibus -- Pelamides in apolectos particulatimque conſecta, in genera cybiorum diſpartiuntur.* Ubi quid *Apolecti*, *Cybia*, *Pelamides*, diximus ſuô locô. Nec ommittendum, quòd *Thynnum* Ariſtoteles tradit, in pontum navigantem dextrum littus radere, exireque lævô, quòd oculô dextrô plus cernat, ſiniſtrô hebetiore, apud Athenæum, *l. cit.* Unde prudentis ac conſiderati hominis hieroglyphicum fœneratur Cauſſinus: dextrum enim littus amica ſecuritas, oculus dexter, recta cognitio ſeu ratio eſt, *quâ duce per totam vitam eundum* eſſe, graviter monet Seneca *de Benefic. l.* 2. *c.* 18. Vide Nicol. Cauſſinum, *Parabolar. Hiſtoricar. l.* 8. *ubi de Piſcibus*, *c.* 42. *Intrant autem vernò tempore è magno Mari pontum gregatim*, Plin. ubi ſuprà, ad dulciora ſcil. pabula, *unà cum ſuis ducibus, nec alibi fœtificant -- Eorumdem captura eſt a Vergiliarum exortu, ad Arcturi occaſum: reliquò tempore hybernò latent in gurgitibus imis, niſi tepore aliquò evocati, aut plenilunio. Pingueſcunt & in tantum, ut dehiſcant. Vita longiſſima his bienniò*, *Ibid.* &c. Ad nomen ut redeam, ab Hebr. תנין *thannin*, etymon ejus mavult arceſſere Bochartus, quô *Cetus* ſignificatur. *Thynnum* enim, poſtquam in eximiam magnitudinem excrevit, cetis accenſeri, diximus, idemque teſtatur Soſtratus περὶ ζώων, & Archeſtratus, apud Athenæum, *l.* 7. Hinc apud Varronem, *cetarii* ſunt thynnorum piſcatores, qui aliàs *thynnoſcopi*, quòd ex ſuperiori littoris parte thynnos ſpeculari conſueverint, ſic dicti, Latin. *thynnarii* & *thunnarii*: Et in Horatio, *Serm. l.* 2. *Sat.* 5. *cetaria*, loca thynnis referta: Et in Æliano, *Animal. l.* 9. *c.* 49. κητοθηρεῖα, piſcatoriæ caſæ, reponendis retibus & reliquâ ſupellectile, thynnorum piſcationi deſtinatæ. A Phœnicibus certè, quos thynnorum piſcatione celebres fuiſſe cùm alii teſtantur, tum maximè Ariſtoteles *de Mirabil.* hoc illis nomen inditum eſſe, veriſimile eſt. Dignus proin, qui Neptuno olim ſacrificaretur, thynnus viſus eſt, uti ex Antigono Caryſtio docet Natalis Comes, *Mythol. l.* 2. *c.* 8. Nec mirum, Alexandri M. claſſem in Oceano Indico, cum ingenti thynnorum multitudine, non ſecus ac cum hoſte legitimo, navali prœliô decertâſſe, quod ſcribit Plin. *l.* 9. *c.* 3. Gaditanus autem, Samius & Byzantius maximè laudari, Athen. *l.* 7. *c.* 20. &c. Plura hanc in rem vide apud ſæpiùs memoratum, Plin. *c.* 15. *cit.* ubi inter alia de aſilo ſeu œſtro thynnorum, Voſſium itidem *d. l.* ubi & de ἀνοργίᾳ illorum, aliiſque huc pertinentibus, Alios: nec non ſuprà voce *Muria*.

THYNOS, oppid Ciliciæ, Plin. *l.* 5. *c.* 27.

THYNUS, viri proprium, cujus Orpheus meminit *in Argon.*

THYODAMAS, vel *Thiodamas*, aut *Theodamas*, fil. Melampodis, divinandi peritus. Statius, *l.* 8. *v.* 278.

Inſignem famâ ſanctôque Melampode cretum
Thyodamanta volunt, qui cùm ipſe arcana Deorum
Partiri, & viſas uni ſociare ſolebat
Amphiaraus aves, tantaque haud invidus arti
Gaudebat dici ſimilem, juxtaque ſecundum.

THYON, apud Plin. *l.* 13. *c.* 16. ſeu *Thya*, citri arbor, quam Græci Theræi, qui coloniam in Africam deduxerunt, & Cyrenas condiderunt, videntur notô ſibi nomine θύον nuncupâſſe, quòd haberet folia ſimilia θύῳ, h. e. brathy, vel herbæ Sabinæ, quam quia ante thus inventum non ex alio magis frutice vetuſtiſſimi Græci in ſacris convolutum nidorem odoremque noverant, θύον per excellentiam apellavêre. Aliàs enim θύον omne odoramentum Græci dixêre: Lat. verò *thus* inde ſuum formavere. A *thyo citrino*, Θύϊνα ligna dicta ſunt, memorat 1. Reg. *c.* 10. *v.* 11. è quibus ſimulachra Deorum, menſæ, imò & contignationes factæ, vide ſuprà in voce *Thya*. At à χιόν, i. e. *odoramento*, θυήεις & θυώδης dicitur Helenæ, i. e. *bonis odoribus repletus*, apud Homer. *Hymn.* 2. *v.* 87. 4. *v.* 59. Templa, aræ, loca ſacra, θυώδη, & θυσσὸν, & θυοδόκα, apud alios paſſim, ab odoribus ſcil. & aromatibus in ſacris incendi ſolitis, &c. Salmaſ. *ad Solin, p.* 950. & *ſeqq.*

THYONEUS, Bacchi cognomen ἀπὸ τοῦ θύειν, ut vulgò volunt, propterea quòd illi adhuc inter homines verſanti ſacrificaretur. Alii à Semele matre ſic vocatum putant, quæ aliô nomine dicta eſt *Thyone*. Horat. *l.* 1. *Carmin. Od.* 17. *v.* 22.

--- Nec Semelejus
Cum Marte confundet Thyoneus Prælia.

Catullus, *epigr.* 27. *v.* 5.

At vos quò lubet, hinc abite lymphæ,
Vini pernicies, & ad ſeveros
Migrate, hic merus eſt Thyoneus.

Ovid. *l.* 4. *Met. v.* 13.

Additur his Nyſeus, indetonſuſque Thyoneus.

Nic. Lloydius,

Item Liberi fil. qui in Chio inſul. regnavit, pater Thoantis Regis, cujus filia fuit Hypſipyle. Acron *in Horatii locum ſupra adductum.*

THYOSIMARES, Rex Thebanorum in Ægypto XXIV, exponitur Κραταιὸς, *Fortis*, i. e. *Sol.* dum Concharis in inferiore Ægypto regnaret, mox à Paſtoribus thronô deturbandus, & Iſraëlitæ in Ægypto valde multiplicarentur. Eum excepit Thinillus, quem vide.

THYOTES, ſacerdos Cabirorum, in Samothracia, à θύω. i. e. ſacrifico, Val. Flacc. *l.* 2. *v.* 438. Multumque fallitur, qui Deum Matrem *Thyoten* accipere mavult, quòd in Samothracia illi ſacra fiant. *Lloyd.*

THYRÆI, populi Salentinorum inter Tarentum & Brunduſium, quorum oppid. *Turi* in Apuliæ Peucetiæ finibus apud Nuces oppid. à Cuperſano urbe 10 mill. paſſ.

THYRÆUS, Græc. Θυραῖος, cognomen apud Græcos Apollinis, qui idem cum Romanorum Jano, cui *januæ* dicabantur, imò à quo *januæ* nomen ſuum habebant, quòd iis præeſſe crederetur. Utroque autem nomine Sol cultus eſt, qui & *Patulcius*, & *Cluſius*, & *Claviger*, Romanis eſt appellatus. Duæ enim Cœli portæ ſunt: Orientali ingreditur Sol, & omnia patefacit; unde Jano *Patulcii* nomen: nec aliunde *Pater matutinus* dicitur Horatio, *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 20. Occidentali exit, diemque claudit nobis, unde *Cluſii* appellatio: ad utramque verò *Clavigeri* pertinet vocabulum. Nam, ut virgam ſive ſceptrum, tenebat manu unâ, ad Imperium ſuum per orbem indicandum; ita manu alterâ geſtabat clavem, quia portas cœli aperit, & claudit: quomodo eâdem quoque clavi & fores aperimus, eâ in ſeram immiſſâ, reducentes ferreum illum peſſulum, qui januam poſti jungit: & eaſdem claudimus, adducendo eôdem per immiſſam clavem peſſulô. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 16.

THYRE, oppid. Meſſeniorum, cujus meminit Statius, *l.* 4. *Theb. v.* 48.

Et Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.

Hinc ager *Thyreates*, de quo quum bellum eſſet inter Argivos & Lacedæmonios, res pugnæ 300. militum utrinque commiſſa eſt: quibus omnibus interfectis, Othryades Spartanus, qui ſolus evaſerat, ſe interemit, & aliis ſe comitem dedit. Vide infrà.

THYREA, inſul. Peloponneſi apud Hermionem, Herodot. *l.* 4. ab Athenienſibus capta, A. M. 3538. unde *ſinus Thyreaticus*, qui & *Hermionicus*. *Thyrea* item *Strab. Thucyd.* & *Herod.* *Thyræa* Pauſan. *l.* 8. oppid. Peloponneſi mediterran. in Argivorum & Spartanorum confinio *Thyræum* Stephano, nunc *Burdugna*, teſte Nigrô. Ejus cauſa ingens bellum inter utramque gentem conflatum eſt, Theopompô ex Proclidis Spartanorum Rege, qui quidem ipſe non interfuit, ſeniò & animi ægritudine, ex Archidami fil. morte conceptâ, præpeditus, Olymp. 14. Compendium belli fuit pugna in trecenos ab utraque parte, de qua vide voce *Othryades*. Conditio, ut ubi ſuperiores eſſent, eorum regio foret, Eventus, bis ſecundùm Lacedæmonios ab Amphictyonibus αὐτίκα ὅμως deciſa. Joh. Marſhamus, *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi de *Bello Thyreatico*. Vide quoque Solin. *c.* 7. qui annô 17. regni Romuli, ingentibus id animis geſtum ait, & Scaligerum *ad Euſebium*.

Addo

Addo id saltem, quòd, in victoriæ apud Thyream obtentæ monumentum, Lacedæmonios coronas è palmis, quæ aliàs *psilinæ* dictæ, *Thyreaticas* appellasse, notat ex Athenæo, *l.* 15. Car. Paschalius *Coronarum l. 6. c. 21.*

THYREUM, urbs Arcadiæ ab Hypsunte filio Lycaonis condita. *Steph.*

THYRIDES, vertex Tænari montis, seu promontor. in ora Laconicæ, ab ipso 30. stad. Pausan. *l.* 3. Item Insul. tres parvæ maris Ionii: oræ Messeniæ adjacentes, in Sinu Asinæo. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

THYRION, Acarnaniæ oppid. *Thyrienses*, *Xenoph.*

THYROS, urbs in regno Nestoris. Homer.

THYRRENI, vide *Tyrrheni.*

THYRSAGETÆ, populi Sarmatiæ Gelonis ac Turcis finitimi, sylvas incolentes, victumque sibi venatu comparantes, *Tyrregetæ Strabon. Thussagetæ* Plin. *l.* 4. *c.* 12. & alibi *Thyrsagetæ*, in utraque Sarmatia apud Mæoticam paludem. Val. Flac. *l.* 6. *v.* 134.

Non ego sanguineis gestantem tympana bellis
Thyrsageten, cinctumque vagis post terga silebo
Pellibus. ———

THYRSUS, nomen pastoris apud Virg. *in Bucolicis.*

THYRSUS, fluv. Sardiniæ præcipuus, in ora occidentali vulgò *Torso. Baudrando* hodie *Thirso*, oritur in parte Boreali dein per mediam Insulam fluens, 5. mill. pass. ab Arborea in mare se Sardoum exonerat.

THYRSUS, hasta dicta est hederâ involuta, (unde *Hedereus* Pausaniæ *Attic.*) quam Bacchi in India exercitus, ad decipiendos rudes Indorum animos belloque inidoneos gestavit; Unde ejus in Bacchi sacrificiis frequens usus. Et quia Satyri, Libero Patri militantes, cum contis & *Thyrsis*, prælia iniisse credebantur, hinc θυρσάια Διονυσιακὰ Græcis dicta sunt, atque *Thyrsus* in Satyras etiam translatus est. Unde Scaliger, *A' characteribus species Satyræ duæ; Altera sedatior, qualis Horatiana, ac sermoni propior; Altera concitatior, quæ magis placuit Juvenali ac Persio. Hi strictam habent cuspidem: illi velut fronde contectum gerunt* Thyrsum, *Satyrorum more, quò feriant imprudentes. Hederâ namque obductus contus incautos vulnerabat: Hederam, quam contemnerent, non metuebant: cuspide, quam non viderent, transfigebantur*, Jul. Cæs. Scaliger, *Poëtices l.* 1. *c.* 12. & 17. qui etiam saltationem Thesei, γέρανον dictam, saltari cum *Thyrsis* fornicatis, non sine arte atque venustate, se vidisse, refert, *cap. seq.* Vide quæ, de Alexandro M. ex India reduce, Curtius habet, *l.* 9. *c.* 10. Cæterùm *thyrsum* circumloquitur, *l.* 3. Ovidius *Met.* his verbis, de Baccho loquens, *v. 666.*

Ipse racemiferis fronte circumdatus uvis
Pampineis agitat velatam frondibus hastam.

Ubi pampinis hastam circumplexam fuisse indigitat, quod & testatur Silius, *Punicor. l.* 7. Nempe & hederâ, ut dictum, & pampinis illa circumvicta erat. Et quidem corymbis summa, ima hastæ & media hederis implecti solita, docet Nonnus, *l.* 9.

Αὐτὴ δ' ἔπλεκε θυρσὸν ὁμόζυγον οἴνοπι κισσῷ
Ἀκροβάτῳ δ' εἴδηγον ἐπεστέφανε κορύμβῳ.

Unde καλύκισσοι, quòd sic *hederâ tecti* essent, thyrsi Græcis. In gracilitatem coni eos fastigiatos, discimus ex Plinio, *l.* 13. *c.* 11. ubi de papyro, *In gracilitatem*, inquit, *fastigatum, thyrsi modô cacumen includens, nullô semine*, ad quem locum vide Salmas. *ad Solin. p.* 536. qui etiam omnibus thyrsis globum impositum, ex antiquis monumentis, ostendit. Unde Hesych. θύρσους κάνας exponit, & κωνοφόροι in sacris Bacchi, iidem qui θυρσοφόροι; *thyrsio* quoque pars caniculæ salita, apud Romanos, & thymum capitatum θύρσιον Græcis, à similitudine baculi hujusmodi capitati, ut apud eundem videre est *ibid. p.* 1287. & 1317. &c. Denotabat autem *thyrsus* Bacchi de Indis triumphantis, h. e. vitibus seu racemis densis inducta hasta, vini vim virtuti Martiæ jungendam, Barthio *ad Papinianum illud Theb. l.* 8. *v.* 237.

Gemmiferum thyrso *populatus Hydaspen.*

At quia in vitia gens prona sumus, in deterius passim vox accepta. Idem certè Poëta *turpem hastam* vocat *Theb. l.* 9. *v.* 796. id est, imbellem: vinum enim immodicè sumtum inter tria illa, quæ maximè vires enervant. Unde idem *teretes thyrsos*, convitio imbellitatis dixit, *l.* 9. *v.* 614. *fragiles* item *l.* 2. *v.* 664. Sed & *leves* Ovidius, *Met. l.* 6. qui rationem indigitat *l.* 11. ubi de Ciconum mulieribus Bacchantibus, *v.* 6.

E' quibus una leves jactato crine per auram,
En, ait; en hic est nostri contemtor: & hastam
Vatis Apollinei vocalia misit in ora,
Quæ, foliis præsuta, notam sine vulnere fecit.

Talia scil. tela porrò dabantur Baccho, ad indicandum, si quis per ebrietatem quid peccaret in alterum, puerili more castigandum venire, non effundendas iras & quærendum sanguinem, uti idem Barthius ait *ad locum Statii postremò laudatum.* Thyrsi namque insuti erant foliis viteis, ut vidimus, nec vulnerabant, nisi solverentur &c. Istiusmodi autem *thyrsô* à Libero Patre percussi, furore Bacchicô statim rapiebantur. Græcis hinc θυρσοπλῆγες, ναρθηκοπλῆγες, & quia νάρθηξ seu *thyrsus* hederâ circumvolutus erat, κισσόπληκτοι appellati. Unde vox pro afflatu divino, occurrit apud Lucretium, *l.* 1. *v.* 921. Neque verò manu solùm *thyrsum* gestabat Liber, sed & *minuti thyrsi*, inter capitis ejus ornamenta, memorantur Papinio, ubi suprà, *l.* 9. *v.* 435. &c. Aliàs *thyrsus* in genere, quod in herbis virgulæ in modum consurgit. Nominis origo, à Græco verbo θύειν, an ob sacrificia, an ob furorem ac impetum solennem, quem in sacris suis Idololatricis Gentiles sibi, vel Magiæ beneficiô, vel etiam halicaccabi usu, conciliavêre, uti suprà diximus passim: id scil. ad religiones confirmandas pertinere rati. Salmas. *ad Solin. p.* 1078.

THYSDRUS, seu TISDRUS A. Hirtio, *de Bell. Afric. c.* 36. *Tisdrum* Jul. Capitolin. *Tusdrum*, seu *Tusdrus* Antonin. *Tusdritanum* oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 4. colonia & urbs olim Africæ mediterran. à Tevesta 185. mill. pass. ex Antonin. distans. *Baudrando Cairoan*, in regno Tunetano, ad Capulliam fluv. ampla & celebris etiamnum; Arabib. *Cairavan*, 40. mill. pass. ab ora maris Mediterran. & Syrtis minoris ad Occasum 45. ab Hadrumeto in Meridiem, uti 90. à Tuneto, paulo plus à Tacape in Boream.

THYSIAS, Græcè θυσίας, vox olim Baccharum vociferantium. Hesychius, Θυσιάδες, ἰαῖοι. τὴν τῶν Βακχῶν φωνὴν θυσιάδα φησί. Unde Θυιάς, i. e. *furens*, Baccharum nomen. Lutatius *ad Papinium Theb. l.* 5. *v.* 92. *Thyas* est Baccha, ἀπὸ θυσιάδος, ἢ θύειν Idem Hesych. θύει, μαίνεται, ἐνθουσιᾷ. Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad dictum Papinii locum*, ut & in voce *Thyades.*

THYSIUS Antonius, Antverpianus, natus A. C. 1565. Bonav. Vulcanii in patria discipulus, cum ad Græcam Cathedram Lugduni-Batav. vocatum A. C. 1580. ætat. 15. subsecutus est. Genevæ dein in Græcis Is. Casaubonô, in Theologicis Bezâ & Fayô præceptoribus usus, in Angliam abiit A. C. 1589. & Cantabrigiæ Witakerum, Oxonii Rainoldum, audiit. Lugdunum inde reversus, Minister Ecclesiæ Harlemensis aliquandiu fuit, annô seq. Pastor dein Amstelodami, A. C. 1594. Theologiæ Professor Hardervici, Gymnasiô tum primùm institutô, A. C. 1601. tandem in inclyta Leidensi, creatus, A. C. 1619. ibi obiit. Auctor *Corporis Doctrinæ Ecclesiarum Belgic.* & *Parænescos, de Theol. Studio capessendo.* Pater fil. cognominis, JCti & Philologi celebris. Ex eadem urbe *Jacobus*, Poëta & πολύγλωττος, in aula Mauritii Cattorum Principis, Bibliothecarii, & LL. exoticarum Interpretis munere per 20. annos functus, Historiarum & Poëseos Professor successit Herm. Kirchnero, circa A. C. 1615. Paul. Freherus *Theatro Viror. erudit. claror.*

THYSSAGETÆ, vide *Thyrsagetæ.*

THYSSUS, quæ THYSUS Herodot. *Thyssa* Strab. oppid. Macedoniæ in monte Atho.

THYSTADIUM, vulgò THYSTED, oppid. Jutiæ Septentrional. cum arce, in Diœcesi Alburgensi, juxta Sinum *Limford*, vix 2. leuc. Danic. ab ora Oceani German. in Ortum, 6. à Viburgo in Circium & 11. ab Alburgo in Occasum.

THYSTRUS, urbs Libyæ. Herodian. *l.* 6.

TI, in nummis Constantini M. *Treveris* fortè notat. Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus.*

TIAR Julia, urbs Hispaniæ Tarraconens. *Ptol. Teruel*, teste *Meletiô. Baudrando Tiar* Julia, seu *Tiara Julia*, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in Celtiberis, Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsaraugustano, in Aragonia apud fines regni Valentini, inter Valentiam 25. & Cæsaraugustam 35. leuc. quæ *Terulium*, seu *Turulium* à fluv. Turuli dicitur. Hîc tumulus duorum amantium visitur, quorum alter, nempe mas, ob basium sibi ab amasia negatum, obiit: Altera, hoc est, amasia ob basium amatori mortuo datum illico expiravit. *Brietio Indibilis* est oppid. Ilercaonum, hodie *Trayguera*, in regno Valentino, juxta amnem *Servol*, 3. leuc. Hispan. ab ora maris Mediterranei in Boream, 7. à Dertusa in Occidentem, 19. à Terulo in Ortum *Baudrand.*

TIARA, capitis tegmen vel vinculum, pavoninis pennis insigne, Schol. Aristoph. *ad Acharn. act.* 1. *sc.* 2. quod forsan de galea bellica, non de habitu pacifico intelligendum. Claudian. *de 6. Consul. Honorii, v. 69. s.*

Te linguis variæ gentes, missique rogatum
Fœdera Persarum proceres, cum patre sedentem,
Hac quondam vidêre domo, positâque tiarâ
Submisêre genu. ———

Hieron. *in Danielem, c.* 5. *Tiara est genus pileoli, quô Persarum Chaldæorumque gens utitur.* Vetus Scholiastes Juvenalis *ad Satyr.* 6. *v.* 516. Tiara *galea sacerdotis est, quæ per malas veniens mento subligatur:* Servius in *l.* 7. *Æn. v.* 247. *Tiara est pileum Phrygium, quod dicunt.* Quò allusit L. Seneca Tragœdus, *Thyeste, Act.* 4. *sc.* 1. *v.* 665.

Hoc Phrygius loco
Fixus tiaras Pelopis.

Ipse tamen Papinius, uti Claudianus, Regibus Parthorum ascribit, *l.* 8. *Theb. v.* 286. *s.*

Sicut Achæmenius solium, gentesque paternas
Excepit si fortè puer, cui vivere patrem
Tutius, incertâ formidine gaudia librat,
An fidi proceres, an pugnet vulgus habenis,
Cui latus Europæ, cui Caspia limina mandet,
Sumere tunc arcus, ipsumque onerare videtur
Patris equum, visusque sibi nec scripta capaci
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.

Nec minus Suetonius *in Nerone, c.* 13. cùm ait: *Deinde precanti, tiarâ deductâ, imposuit diadema.* In buccas autem propendebat, Justin. *l.* 1. *c.* 2. *Brachia ac crura velamentis, caput tiarâ tegit* (Semiramis) *& ne novô habitu aliquid occultare videretur, eôdem ornatu & populum vestiri jubet.* Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 516.

——— *Phrygiæ vestitur bucca tiaræ.*

Color illi purpureus, Ovid. *l.* 11. *fab.* 5. *Met. v.* 180.

Ille quidem celare cupit, turpique pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.

Gemmis & margaritis distinguebatur, ut regalem testaretur opulentiam, Val. Flaccus, *Argonaut. l. 6. v. 700.*

At viridem gemmis & Boæ stamine silvæ
Subligat, extremâ patriam cervice tiaram.

Assimilabat porro dimidiatæ lunæ effigiem, hinc *lunata tiara* Sidonio Apollinari dicitur, *Carm. 2. v. 51. & carm. 23. v. 251.*

Ut fastu positô tumentis aulæ,
Qui supra Satrapas sedet tyrannus,
Ructans Semideûm propinquitates,
Lunatam tibi flecteres tiaram.

Cœterùm cùm Regum Sacerdotumque tegmen esset, hoc tamen discriminis erat, quòd sacerdotalis tiara acumine carebat, quô regia erat insignis, Hieron. *in Epist.* Cumque & aliis quandoque illam gestare concederetur, differentiam tamen Philarchus docet *Histor. l. 11.* referente *Suidâ*: *Tiara ornatus capitis, quam soli Reges rectam ferebant, apud Persas, Duces autem inclinatam. Demaratus autem Lacedæmonius, qui cum Xerxe Athenas venit, ob successum aliquem lætiorem Rege ei permittente, petere quod vellet, petiit, in recta tiara Sardes invehi.* In quibus verbis historicum σφάλμα notat Th. Dempsterus *Antiq. Rom. l. 5. c. 35.* Non enim *ob lætiorem successum*, qui nullus fuit, sed ob salubre consilium ei datum, ne vellet bellum in Græcos jam destinatum exsequi: ut narrat L. Seneca copiosissimè *de Benef. l. 6. c. 13.* qui ubi totum belli apparatum ornatissimè expressit, tandem concludit: *Ita Xerxes pudore, quàm damnô miserior, Demarato gratias egit, quòd solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet; Petiit ille, ut Sardes maximam Asiæ civitatem curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens: id solis datum Regibus; dignus fuerat præmiô, antequam peteret: Sed quàm miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret Regi, nisi qui non dicebat sibi?* Quid discriminis sit inter tiaram & mitram, primus admonuit Brissonius, *de Persar. principatu, l. 1. p. 24.* Nam Max. Tyrius, *Serm. 10.* mitrophorum à *tiarophoro* distinguit, & Herodot. *l. 7.* tiaram Persas gestâsse scribit, Cisseos verò pileos seu mitras. *Nic. Lloyd.* Apud hodiernos Persas Regii capitis tegmen *Tag* i.e. Corona dicitur, cujus primus auctor Ismaël fuit Sophi. Hoc rubrum gestant etiam milites, Sophi seu sacerdotes & Regii satellites, nobilitatis insigne: quô discrimine, vide apud Petrum de Valle, *Itinerarii tom. 2.* Addo, quod *Tiara* Persarum inprimis tegebat capita, unde Cimonis astus, qui navibus aliquot Persicis interceptis, ut est apud Diodorum Siculum, *l. 11.* suos *Tiaris* instruxit, sicque Persas nihil à talibus sibi metuentes, oppressit. Quintuplicem verò eam fuisse, eruditè ostendit Paschalius, *de Coronis, l. 10.* quorum unus erat omnibus communis; alter Procerum, Judicum tertius, quartus sacrificantium, de quo Val. Flaccus, *loc. cit.*

Subligat extremâ patrium cervice Tiaram:

Quintus ac postremus Majestati Regiæ peculiaris. Et quidem primum pileoli genus intelligit Hieronymus *in Daniel. c. 3.* quando *Tiaram* Persis Chaldæisque communem facit. Regius verò *Tiara*, longè à reliquis diversus, erat rectus, tantisper à fronte remotior, & quà frons media est, exacutus ac in mucronem fastigiatus, ut ex Aristophanis *Avibus* colligitur. Nummi à Goltzio exhibiti, cum repræsentant figurâ erectâ & summâ sui parte turritâ, cum infulis à posteriori parte pendentibus & bucculis ad labra usque ex anteriore parte demissis: cujusmodi bucculas in Magorum quoque *Tiaris* describit Strabo, *l. 15.* Vide Paschalium, *loc. cit. c. 2.* In Basilio Imperatore *Tupham*, ob *typhum*, quem ingeneraret, vocatum esse rectum istiusmodi *Tiaram*, ait *Zonaras*. Persarum enim exemplô & alii Reges Orientales *Tiara* utebantur: fortè, ut, qui viribus impares erant, Majestate viderentur pares. Quin, quod plerunque fieri solet, ut cum regione mutemus mores, ipsi etiam Antonio, ex quo Romanæ gravitati Barbaricum superinduerat fastum, non displicuisse supremæ hoc potestatis insigne, nummus ostendit, in cujus antica parte, caput ejus, cum *Tiara*, & Inscript. *Antoni Armenia devicta*: in postica *Tiara* cum arcu, sagittis & lemmate *de Parthis.* Porrò *Tiaram* hunc nonnunquam cumulabat Diadema, uti liquet ex Xenophonte *Cyripæd. l. 8.* ubi Cyrum describit, in publicum prodeuntem, Regiô apparatu conspicuum; *habentem*, inquit, *Diadema circa Tiaram*: quod ipsum tradit Dio Prusæus, *Orat. 14.* Et hoc, quia lunatum erat, hinc factum, ut ipse *Tiara* dictus fuerit *lunatus*, Sidonio *passim*: Non enim ipsummet fuisse lunatum, docet Bulengerus *de Vestim. Pontific. c. 5.* Quamvis alii *lunatum* hîc intelligant, in quo efficta acu aut appicta esset imago Lunæ; quam Persarum fuisse symbolum, dixit Curtius, *l. 4. c. 10.* & omen habitum augendi semper Imperii censet Paschalius, *de Coron. l. 9. c. 18.* Græci *tiaras* communes ἀπαγεῖς dixêre, uti videre est apud Herodotum, ubi de vestitu Persico agens, πίλους ἀπαγέας illos vocat, h.e. *inflexos & incurvos*, quòd scil. recti non starent: at solus Rex πῖλον gerebat πεπηγότα, uti de Scythicis Sacis loquitur, idem, ubi de cyrbasiis illorum: *Hesychius* ὀρθὸν κάρην vocat. Cujusmodi pileô vulgari, acuminatô quidem illô (nam tiaræ omnes tales) sed in frontem prominente seu flexô & quodammodò plicatô, tectus Attis conspicitur in veterib. saxis ac gemmis, quæ Phrygia tiara est. Quòd vero mitra dicatur quum pileum fuerit, fortè inde factum, quòd mitris & redimiculis illæ Phrygum tiaræ subnecterentur. Poëta,

Mæonia mentum mitra, crinemque madentem
Subnixus ———

Nomen ab acumine Hesychio, qui κάρην λόφον seu *apicem* esse dicit. Qualia, præter tiaram, reliqua ferè omnia barbarica pilea, uti de *apicibus fastigatis* Alanorum, apud *Isidorum*, de pileis Scytharum, apud Herodotum, *d. l.* de cucullis Bardæorum, apud *Martialem* &c. legimus. In quibus tamen ultimis apex inflexus erat, non in ante, ut in Persicis & Phrygiis tiaris, vel etiam rectus, sed retro reflexus, uti sunt hodie cucullæ Monachorum & Benearnensium cappæ, quas vocant, Salmas. *ad Solin. p. 556.* Hinc impropriè de apice phœnicis κάρην apud *Epiphanium*. Becmanno tamen potiùs arridet originatio vocis ab Hebr. עטר *circumdedit, cinxit*, uti videre est in ejus *Origin. Lat. Ling.* Nec omittendum, Artaxerxem Mnemona Ducibus, si quid deliquissent, ignominiæ locô detractas vestes flagellari, & pro capite depilando, *tiaram depilari* jussisse, ut adnotavit Alex. ab Alexandro &c. Plura de celebri hoc tegmine capitis vide apud Casp. Barthium *ad Claudian.* Anselm. Solerium *de Pileo, c. 9.* alibique passim, inprimis *sect. 13.* ubi *de viridi Turcarum Tiara*, Alios. Hodie κατ' ἐξοχὴν de triregno Pontificis, *Richeliet.*

TIARANTUS, vulgò *Sereth*, teste *Peucerô*, fluv. Scythiæ Europææ per Daciæ fines, seu per Moldaviam, ubi oppid. cognomine alluit, in Istrum influens

TIASUM, vulgò *Diod*, teste *Laziô*, oppid. Daciæ in Valachiæ ac Trânsylvaniæ confinio.

TIBARENI, populi Cappadociæ apud Chalybes, inter eos ad Ortum & Cotyorum ad Occasum incolentes. Dionys. *v. 766.*

Μάκρωνες, Φίλυρές τε καὶ οἱ μόσσυνας ἔχουσι
Δουράτεους· τῶν δ' ἄγχι πολύῤῥηνες Τιβαρηνοί.

Hos inter Pharnaciam ac Trapezuntem locat *Strabo*, Plinius verò situ aliquanto magis Occidentali eos & Chalybas ponit, *l. 6. c. 4.* De his Mela, *l. 1. c. 20.* *Tibareni Chalybas attingunt, quorum in risu lusuque summum bonum est.* *Tibareni Strab.* His mos erat, ut à parturientibus jamque etiam partu liberatis uxoribus, viri in lecto mitrati collocarentur & ipsi vice puerperarum foverentur curarenturque.

TIBAS, Græcè Τιβᾶς, servi nomen in Comœdiis, de quo vide Salmas. *ad Solin. p. 796.* Τίβιος habet Metrodorus,

Ὀγδώκοντα Σύρος, Δᾶος δέκα, Τίβιος ἑπτά:

TIBEON, vide Ti*bium.*

TIBERIACUM, à *Tiberio* Aug. uti Juliacum, à Julio Aug. oppid. amplum in territorio Ravennate, à Ravennâ 13. mill. pass. Ferrariam versus, *Bagnacavallo*, teste *Hieronymô Rubeô*, in Ducatu Ferrariensi, sed Romandiolæ fere insertum. *Baudrando* 15. milliar. à Ravenna in Occasum, ad Senum fluv. 9. à Faventia in Boream. Item oppidulum German. inferioris olim Ubiorum, nunc in ducatu Juliacensi, ad Erstum fluv. inter Coloniam Agrippinam ad Ortum, & Juliacum ad Occasum, 3. leuc. *Bercheim*, teste *Ortelio*; Aliis est *Berrick* oppid. ad Rhenum ejusdem tractus.

De TIBERIADE Justus, vide *Justus.*

TIBERIADIS Lacus, vulgò *la Mer de Tabarie*, seu *de Galilée* in Terra S. in confinio Galilææ, per quem Jordanes labitur, à Septentrione in Meridiem, per 15. mill. pass. extenditur, inter Tribus Zabulon & Isaschar ad Occidentem, & dimidiam tribum Manasse ad Ortum. Vide *mare Galilææ.*

TIBERIANUS, *Syriæ Præses*, non esse se parem Christianis occidendis, Trajano Imperatori scribens, cùm & *Plinius* eorum innocentiam epistolâ ad Imperatorem data tueretur, auctor fuit, ut persecutioni poneretur modus, A. C. 116. Vide Plin. *l. 10. Epist.* P. Orosium, *l. 7. c. 8.* Euseb. *l. 3. c. 30.* &c.

TIBERIANUS, aliàs Titianus, Præfectus Prætorio, sub Constantino M. Poëta fuit Latinus. Hieron. *in Chron. Eus. Olymp. 278. an. 4.* Lil. Giraldus, *in Hist. Poët.* Voss. *de Hist. Lat. l. 2.* Vide & *Junius.*

TIBERIAS, vulgò *Tabarie* nunc, teste *Nigrô*, urbs insignis Palæstinæ cum lacu cognomine in Galilæa à Nazareth supra 10. mill. pass. in Ortum inter Scythopolin ad Meridiem & Capharnaum ad Boream. Erat in tribu Zabulon, in agro opimo, & ora Occidentali maris Galileæ seu Tiberiadis ab ea dicti, hodie *mer de Tabarie*, 30. mill. pass. à Nazareth in Ortum, 5. à Jotapata. *Baudrand.* Dicta est & *Genesareth. Idem.* Sub monte erat Metropolis & terminus Decapoleos Galilæarumque urbium maxima. Ab Herode in honorem Tiberii Cæsaris condita, teste *Steph.* Captâ à Godofr. Bullionæo Hierosolymâ, Hugo de S. Audomaro, Princeps Galilææ & Tabariæ, à Balduino I. creatus est. Hujus dein filia Eschina, nupsit Guillemino de Bures, Connestabili Hierosolymitano. Lacus autem *Genesareth*, & *mare Tiberiadis*, & *Galilææ* nominatur. Cœterùm, hîc celebris olim Hebræorum Schola. Post Hierosolymas enim à Vespasiano deletas, reliquiæ Judæorum partim in Babyloniam rejectæ sunt; partim manserunt in Palæstina, ubi in locis & urbibus commodioribus Scholas & Synagogas paulatim restaurârunt. Inter quas, quæ Sapientum aliquot nominibus celebriores redditæ, referuntur in Hebræorum scriptis, Jafne, Zephoria, Cæsarea & *Tiberias.* Et quidem hanc ultimam celebrem inprimis reddidit Rabbi Jehuda cognomine *Sanctus*, sub Antonino Pio Imperatore *Talmud* Hierosolymitani Auctor; cum quo *Tiberiade* Imperatorem aliquandiu conversatum fuisse, inque ejus gratiam urbem libertate donare omnique servitute ac tributi jugô eximere voluisse, tradunt Hebræi. Post Jehudam autem Fatô functum, sub finem seculi à Christo Nato tertii, duobus ejus primariis discipulis *Raf* & Samuele in Babyloniam migrantibus, eò quoque studia translata sunt, atque *Scholæ Tiberiacæ* ab illo tempore vix nomen superfuit: nisi quòd postea Rabbi Ammi & Rabbi Assi, in terra Israëlis floruisse dicuntur: atque A. C. 340. celebre inter Judæos omnes obtinuit nomen *Hillel Hanasi*, princeps sive Dux exulum Hillel, qui cùm simul esset Philosophus atque Astro-

Astronomus insignis, novum confecit Computum, quem *à Magistris Tiberiadis institutum esse*, refert Jos. Scaliger *de Emend. Tem.* Sed & D. Hieronymus in transferendis ex Hebræo in Latinum Bibliis occupatus, *Tiberiade* doctum Judæum, cujus operâ in libri Paralipomenon interpretatione fuerit usus, se ascivisse, scribit *Præfat. in l. illum.* Atque sic *Tiberiensis* Schola animam traxerat, usque ad A. C. 400. Sequenti verò ævô, altum de illa silentium: Unde Eliam Levitam circa A. C. 500. vel 600. Masorethas, Punctatoriæ Artis ingeniosos Artifices, inde arcessentem, solidè refellit Joh. Buxtorffius, *Comm. Masorethic. c. 5. & seqq.* Cœterùm de calidis urbis aquis Plinium vide, *l. 5. c. 14.* & ad h. l. *Exercitationem* Salmasii *ad Solin. p. 578.*

TIBERINA, insul. ut *Vitruvius* eam vocat, quam Tiberis fluv. in urbe Roma ambit. Nunc *Isola de S. Bartolomeo*, à templo D. Bartholomæi: *Lycaoniam* quondam dictam scribit *Blondus.* Æsculapio sacram scribit *Halicarnass.* cujus templum erat, ubi nunc cœnobium Monialium: Et Jupiter ibi cultus *Lycaonius.*

TIBERINA & *Augusta Tiberii*, dicta est Ratisbona. Vide ibi.

TIBERINA Castra, pagus Vindeliciæ in Bavaria apud Dingelfingum oppid. *Peringon*, teste *Lazio.*

TIBERINA, Ostia duo, quibus Tiberis fluv. in mare Tyrrhenum apud Ostiam & Portum Augusti, urbes excisas, ab urbe Roma 16. mill. pass. exoneratur. *Baudrando* melius *Ostia Tiberina*, vulgò *Ostia* urbs excisa Latii, ad ostia Tiberis, 12. mill. pass. Româ in Meridiem contra ostium Oriental. Tiberis, vulgò *Bocca del Tevere*, cùm Occidental. ostium, quod & maximè frequentatum, *Fiumicino* dicitur, sit prope Portum, & vix mill. pass. inter se distent, sed 120. circiter ab ostio Macræ fluv. in Eurum viâ rectâ, & 160. juxta oram littoralem maris Tyrrheni. Vide *Ostia Tiberina.*

TIBERINUS Campus, anteà *Tarquinius*, dein *Martius* vel potiùs priùs *Martius*, & nunc *Campo Marzo*, Romæ. *Liv.* A Caja Tarratia, virgine Vestali, secundùm A. Gellium *l. 6. c. 7.* vel ab Acca Laurentia, scorto nobili, ut alii volunt, Populo Romano donatus, à Romulo veró Marti dicatus est. Vide *Campus Martius.*

TIBERINUS Sylvius, Capeti fil. Albanorum Rex, qui in vicino fluv. submersus effecit, ut pro *Albula*, *Tiberis* diceretur. Item Tiberis fluv. præses; ponitur etiam pro ipso Tibere. Virg. *l. 1. Æn. v. 17.*

> *Carthago Italiam contra Tiberinaque longè*
> *Ostia.* —— ——

TIBERIOPOLIS, urbs Phrygiæ magnæ. Episcopalis sub Hierapolitano, apud ortum Caystri fluv. à Philadelphia ad 60. mill. pass. in Caciam. Altera Triballorum in Thracia in Mysiæ inferioris confinio. *Strumitza Curopalat.* Episcopalis olim sub Archiepiscopo Heracliensi, posteà Metropolis effecta, in monte prærupto & saxoso, vide Niceph. Gregoram, *l. 2.*

TIBERIS, idolum fluvii cognominis præses, cujus imago visitur in nummis, qualis apud Statium, *Theb. l. 6. v. 274.*

> *Lævus arundineæ, recubans super aggere ripæ*
> *Cernitur, emissæque indulgens Inachus urnæ.*

Ad quem loc. Barthium vide. Aliàs *Tiberinus*, de qua voce suô locô. Heliogabalus verò, uti *tractitius & impurus*, sic Tiberinus, post mortem dictus est, quòd tractum cadaver ejus per publicum, tandem, annexô pondere ne fluitaret, in Tiberim abjectum est, ne unquam sepulturæ tradi posset, uti legimus apud Lamprid. *in eo, c. 17.* de quo pœnæ genere, vide aliquid suprà, voce *Pœna.*

TIBERIS, vulgò *il Tevere*, celeberrimus Italiæ fluv. è media ferè longitudine Apennini, Aretinorum finibus defluens, qui multis deinde fluv. auctus, ab Hetruria Latium Janiculumque ipsum ab urbe Româ dirimit, tandemque decimô sextô ab urbe lapide 2. ostiis modicô intervallô diremptis in mare evolvitur, eâ in parte, quâ Ancus Ostiam extruxit, Dionys. Halic. *l. 1.* Ὁ Τίβερις ποταμὸς τὰς μὲν ἀρχὰς λαμβάνει ἐκ τῆς ὑπωρείας τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, εἰς δὲ τὸ Τυῤῥηνικὸν ἐξερεύγεται πέλαγος, ὠκεῖαι πόλεως πλησίον ἀνδιδοῖ. Strabo, *l. 5.* Ῥεῖ δ' ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ὁ Τίβερις· πληροῦται δ' ἐκ πολλῶν ποταμῶν· μέρος μὲν ῥέων δι' αὐτῆς φερόμενος τῆς Τυῤῥηνίας· τὸ δ' ἑξῆς διορίζων ἀπ' αὐτῆς πρῶτον μὲν τὴν Ὀμβρικὴν, εἶτα τοὺς Σαβίνους καὶ Λατίνους. Vide Plin. sen. *l. 3. c. 5.* & Plin. jun. *l. 8. ep. 17.* Dionys. *l. 9.* de latitudine altitudineque ejus, inter urbem & ostium ita tradit: Τοῦ δὲ Τιβέριος ποταμοῦ τὸ μὲν εὖρος ἐστὶ τετράπλεθρον μάλιστα, τὸ δὲ βάθος, οἷόν τε ναυσὶ πλεῖσθαι μεγάλαις· τὸ δὲ ῥεῦμα, ὥσπερ τι ἄλλο, ὀξὺ καὶ δίνας ἐργαζόμενον μεγάλας, ἐν ᾧ οὐκ ἔστι πεζοῖς διελθεῖν, εἰ μὴ κατὰ γέφυραν. *Baudrando* oritur ex Apennino, ex monte *Falterona*, ad vicum *monte Corvajo*, in agro Florentino, in limite Romandiolæ. Becmanno in Apenninis finibus Aretinorum, eâdem ferè parte, ubi fons Arni supra Aretium. Hinc in Meridiem tendens, Burgum S. sepulchri rigat. Dein per ditionem Pontificiam fluens, juxta Tifernum Tiberinum labitur, uti prope Perusiam; posteà recipit Tiniam, & Tudertum rigat. Hinc auctus fluv. Palliâ *Paglia*, cujus ostium scaphas tolerat, Nare 8. pass. supra Civitat. Castellanam, Aniene, aliisque minoribus amnibus usque ad 42. Romam interluit, & 12. mill. pass. infra in mare Tyrrhenum duobus ostiis, à quibus Ostiæ nomen, se exonerat. Ejus ostia 100. mill. pass. ab ostio Aterni in Occasum distant, inter ostia Vari flu. vix 400. & Leucopetram promontor. 370. circiter. Ex ejus ostiis hodie sinistrum subiri non potest, sed dextrum tantùm, quod *Fiumicino* vulgò, ideoque portum immensô sumptu & opere ad hoc ostium prisci Cæsares extruxêre; & nunc in ejusdem ostii conservatione multùm laborant Pontifices. Hujus fluminis inundationes magnæ calamitates belli famisque sequi solent. Gignit id lupum, ut Ravenna rhombum, elopem Rhodus. Sicilina murænam Plin. *loc. cit.* sed Tartessia muræna laudatissima, *Quintil.* Hôc Maxentius, hostis à Senatu judicatus, mersus est, A. C. 312. A Dracone terribili, comitata immani serpentum caterva ita infectus est, ut pestis hinc ingens sequeretur, paulo ante quàm Bonifacius II. *Universalis* titulum a Phoca impetrâsset, A. C. 606. Supra modum intumuit A. C. 717. sub Papa Gregorio II. qui conventu Lateranensi *imaginum venerationem* sanciverat, A. C. 715. Formosi dein Pontificis cadaver à Stephano VI. in eundem fluv. projectum est, A. C. 896. cujus undis multa millia hausta sunt, Henricô V. Imperatore cum Paschali de Investitura litigante, A. C. 1111. Iisdem sub Friderico Barbarossa, ob insolentiam verborum, A. C. 1155. mersi ad mille coërcitique Romani sunt. Iterum alveô egressus; longè lateque stragem dedit eâdem nocte, quâ cum Albano Romam obsidente transactum est, A. C. 1557. Pauli IV. statua, ob Inquisitionis rigorem in Tiberim præcipitata est, A. C. 1559. in eundem sparsi sunt cineres Marci Antonii de Dominis, cujus cadaver exustum fuerat, A. C. 1625. In hujus ponte olim Imperatores Germani, coronationis causâ Romam profecti, Equites creare in more habuerunt, edictô priùs per præconem promulgatô, an præsentes adsint unus vel plures è familia Monachorum Basiliensium, Beierorum Argentinensium, Camerariorum Wormatiensium, Boppartensiumque Bavarorum: prius enim nullus eques creari poterat. Joh. Heroldus *in Solone.* Ob turbam in Tiberis ponte periclitantem, à Nicolao V. Jubilæum, non sine clade celebratum est, A. C. 1450. &c. De ratione nominis diversi diversa prodidêre. Liv. *l. 1. c. 3.* à *Tiberino* Albanorum rege dictum existimat, in trajectu ejus submerso, quum ante *Albula* diceretur. In qua sententia Ovidius quoque fuisse videtur, *l. 2. Fast. v. 389.*

> *Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in undis*
> *Reddidit, hybernis forte tumebat aquis.*

Servius autem Tiberis nomen ipsâ etiam Albâ vetustius esse contendit, ideoque nominis ejus originem ad *Tybrim* potiùs Hetruscorum regem referendam putat, qui Latium etiam crebris latrociniis infestans, tandem circa hunc fluv. est occisus. Cui sententiæ Virgilius quoque non obscurè subscribit, apud quem sic loquitur Euander, *l. 8. Æn. v. 86.*

> *Tum reges, asperque immani corpore Tybris,*
> *A quo post Itali fluvium cognomine Tybrim*
> *Diximus, amisit verum vetus Albula nomen.*

Dicitur & Θύμβρις. *Steph.* Θύμβρις, ποταμὸς Ῥώμης ὃς καὶ Τίβερις. Vocabatur etiam Θύβρις, & sine aspiratione Τύβρις. Unde Servius *in loc. Æn. 8. cit. In sacris Tiberinus, in communi* Τίβερις, *in poemate Tybris vocatur.* Dionys. ubi de terra Latinorum:

> —— —— Ἧς διὰ μέσσης
> Θύμβρις ἑλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει,
> Θύμβρις ἐϋρρείτης, ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων,
> Θύμβρις, ὃς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην.

Silius, *l. 8. v. 368.*

> *Nec non scepteriferi qui potant Tybridis undam.*

Virg. *l. 8. Æn. v. 64.*

> —— *Ego sum pleno quem flumine cernis*
> *Stringentem ripas, & pinguia culta secantem*
> *Cæruleus Tybris, cœlo gratissimus amnis.*

Idem, *l. 2. Æn. v. 782.*

> —— —— *Ubi Lydius arva*
> *Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.*

Nic. Lloydius.

TIBERIS Alter, vide *Tyberis.*

TIBERIUS I. Claudiùs Nero, Roman. Imperator inter Cæsares notissimus, non usque adeo laudabilis, cujus tamen fuit vox honestissima: *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* Filius Tiberii Neronis, ex Livia Drusilla, quam Augustus sibi junxit; matris artibus Imperio admotus, A. C. 14. principiô satis clementem se præbuit, postmodùm, ne proximis quidem pepercit. Germanicum fratrem, cùm Agrippina, uxore ejus sustulit: in filios illorum Drusum & Neronem æquè sævus. Sejanum, quem præter meritum evexerat, rursus pessundedit, omnibus, quos suspectos habebat, calamitati ejus involutis. Senatorum florem extinxit. Dissimulator, crudelis, libidinosus. Primò Vipsaniæ, quæ Agrippæ filia erat, maritus, hanc repudiare coactus est, ut Juliam Augusti duceret: quam similiter paulo pòst dimisit. Pater ex priore conjuge Drusi, cujus filium Caligula sustulit. Conscientiæ stimulis agitatus, gravissima passus est: Successorem nominavit Caligulam, filium Germanici: qui quò maturiùs imperiô potiretur, Tiberium ægrotantem strangulavit propriis manibus. Alii tamen eum venenô ab hoc sublatum scribunt. Obiit A. C. 37. ætat. 78. Latinè Græcéque doctissimus, Julii Cæsaris mortem lyricô carmine prosequutus est. Græcos quoque versus condidit, imitator Euphorionis, Rhiani & Parthenii, quorum imagines in Bibliothecis publicis statui curavit: unde tot in Tiberium eruditorum encomia. Plura vide apud Sueton. *in ejus vita.* Tacit. *l. 6. Annal. extremo.* Dion. Victor. &c. De hoc Tiberio sic Plin. *l. 11. c. 37.* *Ferunt Tiberio Cæsari nec alii genitorum mortalium, fuisse naturam, ut expergefactus noctu*

pau-

paulisper, haud aliô modô, quàm luce clarâ contueretur omnia, paulatim tenebris sese obducentibus. De nomine Probus *in Epitome*: *Tiberii cœperunt vocitari, qui ad flumen Tiberim nascebantur.* Hinc adject. *Tiberetus*, Stat. *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 66.

——— Tibereta primùm
Aula tibi, vix dum ora novâ mutante juventâ
Panditur. —— ———

Vide & *Claudius*.

TIBERIUS II. Flavus Anicius Constantinus, Thrax, à Justino Juniore Cæsar creatus, spem de se conceptam egregiè implevit. Post Justinum solus regnans, Persas, qui sub Chosroë se formidabiles reddiderant, vicit. Obiit prope Constantinopolim, A. C. 582. Imperii 4. gloriæ satur. Ei successit gener Mauritius, quem post reditum è Persia Cæsarem creatum insigni oratione officii admonuit, vide Niceph. *l.* 18. *c.* 6. Euagr. *l.* 6. Agathiam, &c. ut & *infrà*.

TIBERIUS III. Absimarus, vide *Absimarus*.

TIBERIUS, Africæ Proconsul memoratur Tertulliano *in Apologet.* ubi usque *ad proconsulatum* Tiberii *penès Africam infantes immolari solitos*, refert, de quo vide ad *Spartian. in Hadriano* Salmas. *c.* 3.

TIBERIUS, Prætorio Præfectus à Justino minore adoptatus, Imperium accepit A. C. 578. Hic Cosroëm Persarum Regem devicit, castra, territorium, thesauros, ac *Ignem* Persarum Deum cepit. In pauperes hic largus, persuadens sibi, *non defuturam fisco pecuniam, quòd ipse Christi secutus præcepta in cœlo thesauros colligeret.* Niceph Cedren. Hinc locupletissimos thesauros tum Narsetis a sene indicatos, tum in palatio reperit. Mauritium generum & successorem sibi legit. Fuit & ejus nominis Grammaticus, qui *de Ideis orationis scripsit libros* 3. aliaque complura, *Suidas*. Item Artis Veterinariæ scriptor Græcus.

TIBERIUS Alexander, illustris Eques Romanus, minister bello in Armenia Corbuloni datus, pôst Procurator Judææ: cùm idem anteà Alexandriæ Halabarches extitisset, Joseph. *l.* 20. Tacit. *Hist. l.* 1. *c.* 11. *l.* 2. *c.* 74. 79. Pater ejus item *Tiberius Alexander*, qui Halabarches Alexandriæ & frater Philonis Judæi, cujus nunc scripta habemus.

TIBERIUS Drusus, Drusi filius, Tiberii Cæsaris nepos, quem Livia Germanici soror, statim post ejus mortem, Druso peperit gemellum: Unde & *Gemellus* dictus est. A Cajo Caligula posteà sublatus.

TIBERNIO, vulgò *Tivernon*, locus Galliæ in Belsia.

TIBESIS, Scythiæ fluv. Herodot. *l.* 4.

TIBIA, Phrygia, in universum sic dicta, *Suidas*: Τιβία. Φρυγία ὕλη. Vide Palmer. *p.* 575.

TIBIA, instrumentum maximè ὀργιαστικὸν καὶ παθητικὸν, Aristoteli *in Politicis*, & Appulejo *Miles. l.* 5. qui proin, uti *loqui* de cithara, *canere* de choro, sic *agere* de tibia, dixit: antiquissimis jam temporibus, in usu fuit, ac statim post fistulam, inter Pastores; quippe Apollinis inventum. Alii tamen Palladis malunt, à qua ille sit edoctus. Majores hi natu, quàm Mercurius, qui citharam primus commentus est ex testudine. Quin alii putant Hyagnidem ante Apollinem *Tibiâ* cecinisse: deinde ejus filium Marsyam, tertium Olympum. Olympi & famulus & discipulus Hierax, qui etiam ab sese leges & dederit & nominârit. Post hos Terpander, à quo Clonas, hunc Tegeatem Arcades Thebani suum prædicabant. Post illum Archilochus: alii præponunt Ardalum Lacedæmonium Clonæ. Quas qui temperent discordias, dixerint, Olympum in tibiis primùm leges instituisse, idque in Apollinis honorem; quam legem à numerorum frequentia nominavit πολυκέφαλον: Alii Cratetι ejus discipulo adscribunt hoc. Olympi autem eam extitisse legem, quam dixit ἁρμάτιον; unde & alia καλλιάνθολος nominata. Alii primùm ajunt Pronomum Thebanum *Tibiâ* ad harmoniam cecinisse. Omnino verò in Phrygia primas *Tibias* agnoscunt: adducentes pro re Mysorum gentem, quæ fuerit hujus artis peritissima & Alcmana Poëtam, qui *Tibicines* barbarô, nec aliô nomine, designârit, *Sambas, Adon, Telus*; item Hipponactem, apud quem ejusdem notæ nomina *Cion, Codalus, Babus*: unde Proverb. Κίων ὁ Βάβυς αὐλεῖ. Ipsis verò *Tibiis* ab inventoribus nomina nulla, nisi quòd Sirites quidam, qui primus in Libya tibicen fuit, *Lyben* cognomen tibiæ fecit: & ea quam Α᾽θηνᾶ vocabant, Palladis videtur fuisse, quâ usum scribunt Nicophelan. A' regionibus historia locupletior est. Syriacas audaciam atque impetum spirare prodidêre: quare si usum spectes, ad leges Entheas seu Orthias referantur. Syris similes Bombyces & orthiis modis aptæ. Lacones, sicut & saltationes, ἐμβατηρίας appellabant suas, quibus ad pugnas utebantur. Sonum autem illum *Castorium*, à Castore, Ledæ filio. Gingras sive *Gingris* aut *Gingros* Phœnicum inventum; Phrygiæ similis, quâ & Cares usi, apta inprimis funeribus: Phœnices enim Adonim *Gingram* dixêre, in cujus luctu illam ad cantum accommodabant: sicut affini voce apud affines Ægyptios *Gingl*arus habita est pusilla tibiola sonô acutô, ad monodias. Tyrrheni, non unô genere contenti, singulari quidem canebant in sacris eaque æneâ: tanto apud eos in honore, ut non solùm ad ejus sonum pugiles certarent; verùm etiam, cùm in servos flagris animadverteretur, illam adhiberent: Quin etiam, quod mirère magis, Coqui ipsi eâ præcinente epulas apparârent. Altera composita fuit ex duobus tubulis, quasi inversa Syrinx: Namque infernè tubus minor inflabatur buccâ, unde spiritus in majorem subibat, movebatque, quæ intus erat, aquam, atque ex ea harmoniam edebat multisonam. Id quod de Ctesibii quoque Hydraula conjicere possumus: Cornu tamen pro *Tibia* Tyrrhenos usos & Cretas legimus: etiam Romani olim ad prælia, etiam Helvetii. Nunc Germani è buxo cornua multis foraminibus inflant magnô spiritu non sine gratia ac decore; nocturnis præsertim festivitatibus: Ad prælia verò *Tibias* cum Tympanis. Scythæ Anthropophagi & Melanchlæni, item Arimaspi, ex aquilarum ac vulturum ossibus, Eburneas memorat Trypho & Cicero atque Virgilius: ex asininis ossibus Theatrales atque argento. Arundineas, ex Theophrasto & Plinio habemus. Internodium radici proximum excidebant ad lævam *Tibiam*, quod subesset cacumini, ad dextram; unde lævarum sonum gravem agnoscas, dextrarum acutum, ut Veteres tradidêre. At Latini ajunt, sinistras acutiores aptasque rebus ludicris; item Sarranas, quibus ajunt foramina fuisse æqualia, velut Spondiacis: Hinc sibi non constant. Spondiacæ enim rerum gravium affines fuêre: qua de causa Phrygiis foramina inæqualia, sicut dactylicis, quæ ludicris adhibebantur. Dextras autem apud Romanos funeribus dicatas, quia essent graves; cùm in funeribus Barbari acutissimis uterentur: Appellârunt verò dextras sinistrasque ab lateribus, unde inflarentur. Antiquissima porrò fuit è sambuco emedullata: mox è crurum ossibus hinnuleorum & capreolorum, unde & *Tibia* apud Latinos nomen; quod inventum Thebanis assignant quidam: quam Θηρίαν αὐλὸν dixerint, à ferarum ossibus atque ære texerint. E buxo primi Phryges, excavârunt eam, quæ *Berecynthia* cognominata est, quùm anteà *Elymos* diceretur. Alexandrini lotum exenterârunt, teste Euripide, *in Bacchis*: hancque tibiam patriâ voce φώτιγγα dixerunt. Afri Scenitæ è lauro fecerunt, soni acutissimi, eamque in pastuis equarum adhibuerunt. Osiris nonnullis excogitavit *Tibiam* ex hederaceis internodiis multiforem; quùm ante eum quaterna tantùm haberent foramina. Cætera à Diodoro Thebano àddita. At *Pollux* Osiridis inventum πολύφθογγον αὐλὸν ἐκ καλάμης κρίθινης, *multisonam tibiam, ex stipula hordeacea*, facit. Unde erat & pastorum tibicinium; *tenuis avena* Poëtæ dicitur, & *calamus agrestis & stipula*, cui opponitur ἡ σύριγξ, i. e. *fistula disparibus cannis juncta*. Hæ autem omnes ab summo inflabantur, directô flatu: Afri primi invenerunt eam, cui *Plagion* & *Plagiaulon* indidêre nomen; non quòd esset curva, sed quia ab latere, quemadmodum & Germanica, inflabatur. Alii tamen in Phrygia à Mida id primum excogitatum ajunt. Numerum quod attinet, singularem *Tibiam* seu Monaulon, Mercurius invenit; aliis ad Ægyptios hanc laudem trahentibus. Marsyas geminas primus instituit: quibus par magnitudo, in Tyrrheniis altera major: Præterea, utre additô *Ascaulos* prodiit, longè diversâ figurâ. Apud Mysos ac Pannonas tantâ acritate, ut penè tubam superet. Apud Gallos plenior, raucior, gravior, mollior, adeò ut in cubiculis quoque, sine aurium offensione, audiatur. Cùm autem in choris præcipuè, *Tibiæ* adhiberentur, primus Sacerdos Argivus docuit Choros canere tribus modis, Doriô, Phrygiô, Lydiô, ita ut ne miscerentur: quæ proin lex τριμερὴς seu τριμελὴς dicta. Dicebant verò *Leges*, quia aliter facere non licebat. Horum tonorum quilibet habebat, communes tonos veteres ἄδετον & χρωματικόν: quibus Olympus addidit ἐναρμόνιον. Modos qui faceret, *Choraules* dictus est; ceterum fabularum artifices succinuisse legimus. Et quidem apud Lacedæmonios primùm sub Terpandro facti in Choris modi, in quibus saltata fuit Γυμνοπαιδία. Sub Thaleta posteà Gortynio duo floruêre, Polymnestus Colophonius & Sacadas prædictus, qui, ad Terpandri æmulationem, contraria canentes, induti fuêre, non nudi. Canebant autem sub Thaleta Pæanas, sub Polymnesto Orthia, sub Saccada Elegias. Primus in tibiis convivalibus certos constituisse modos Philoxenus dicitur; quos *Legem Locricam* nominavit, à novo Harmoniæ genere, quod receptum Pindari ac Simonidæ tempore, inter Leges Lyricorum, Jul. Cæsar Scaliger, *Poëtices l.* 1. *c.* 2. è quo varia quoque *Tibiarum* genera ac modos hîc infrà subjungemus. Post *Tibiam*, cùm Lyra ab Apolline inventa esset, quæ suaviorem longè harmoniam edebat, pluresque omninò symphonias habebat, quàm cithara, & hæc quàm *Tibia*: hinc Marsyas, qui priùs summo in pretio apud omnes erat, multasque opes corrasserat, contemtui esse cœpit, & divitiis exutus, atque sic juxta fabulam excoriatus est, qua de re vide suprà in *ea voce*. Mansit tamen, etiam post Lyram inventam, ad sacrificia *Tibiæ* cantus. Unde Pausan. *Phocic.* *Ajunt Marsya inventum fuisse eum Tibiæ sonum, quem* Matroum *vocant: credo ob eam causam, quòd in Magnæ Matris sacris usurparetur.* Duas autem *Tibias* in sacrificiis unô solum ore canentes, antiquitus adhiberi consuevisse, prodit Martialis, *in Apophoretis*, *l.* 14. *Epigr.* 64.

Ebria nos madidis rumpi Tibicina buccis:
Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet.

Idem probat gemmula Galviana, duas tibias rectas inflantem hominem ad aram bellè repræsentans: Tabula item marmorea vetustissima, in qua Sylvanus, & sacrificium porcæ exprimitur, apud Fortun. Licetum, *Gemmarum Anul. Schem.* 32. *c.* 119. Namque & in hac posteriore, præter cæteros Cantores plures, qui tum lyras pulsarent, tum simplices tubas longiores inflarent, puer agrestis, ponè quadratam aram, distentis buccis geminam ne quid infaustum exaudiretur, aut hostiæ grunnientis, aut alius inconditè vociferantis, tibiam inflans cernitur. Et hoc quidem propriè Marsyæ fuit inventum. Athen. *l.* 4. *c.* 24. *Tibiamque* illam geminam, præter prædicta, in diversis licet reperire monumentis, quibus Veterum sacrificia exhibentur; sed in nullis *habenam* seu *capistrum*, quàm in laboriosis doctisque, *ad Plin. Exercit.* Salmasii. Cui similem in signo æreo, apud Jac. Gaffarellum, vidit Joh. Rhodius, unde clarissimè patet, Marsyam, ut ore simul unô duas posset animare *Tibias*, manumque digitis omnibus expeditis earum foramina percutere pulsareque faciliùs, quandam velut habenam, è summo capite *Tibias* ad os detinentem, gestâsse: cujus rei iconem exhibet idem Licetus, *locô cit.* pulchreque explicat Tzetzes, *Chiliade* 1. *Hist.* 15. ubi de Marsya,

Auro splendido adaptavit circa villosa
Tempora & os vehemens retro quibusdam loris, &c.

De

De *Tibiæ* in bello usu, vide A. Gellium, *l.* 1. *c.* 11. in Conviviis, in Ludis, in Funeribus, suprà *passim*. Artem inflandi his verbis expressit Cyprian. *l. de Spectac. Alter cum choris & cum hominis canora voce contendens spiritu suô, quem de visceribus suis superioribus nitens hauserat, tibiarum foramina modulatur, nunc effusô, nunc intus reclusô, nunc certis foraminibus emissô, atque in aërem profusô; item in articulos sonum frangens, loqui digitis elaborat, ingratus Artifici, qui linguam dedit,* &c. *Tibiæ*, ut & Sistri, Crotali, Fistulæ ac utriculi, figuram exhibet Laur. Pignorius, *Comment. de Servis*. Vide quoque infrà. De harundine verò *Tibialis calami*, quam inter varii generis harundineta, Orchomenius lacus gignebat, ejusque duobus generibus *Bombycia* & *Zeugite*, Salmas. *ad Solin. p.* 117. & *seqq.* nec non hic suis locis: ut etiam *de Cornu Liguliaque tibiarum*. Adde, quæ dicta voce *Calamaules*, it. *Codon*, *Plasma*. Nec omittendum, Christianos olim, cùm omnia luxuriæ & voluptatum instrumenta animosè aspernarentur, maximè si quæ species idololatriæ permista videbatur, hôc nomine *Tibiarum* quoque usum, quòd in Sacris Gentilium canerent, damnâsse. Clemens Alex. *Pædagog. l.* 2. *c.* 4. *Σύριγξ μὲν ἐν ποιμέσιν ἀπονενεμήσθω· αὐλὸς δὲ ἀνθρώποις δεισιδαίμοσιν εἰς εἰδωλολατρείας σπεύδουσι.* Unde Arnob. *adv. Gentes l.* 2. *Idcirco animas misit -- ut inflandis bucculas distenderent tibiis*, & quæ seqq. ubi Desid. Heraldi *Animadversiones* vide. Plura apud Casp. Bartholinum Thomæ fil. *libb.* 3. *De Tibiis Veter. & earum antiquo usu.*

Tibiæ variæ apud Veteres genera.

α. Ascaulos, dicta est *Tibia*, utre additô, Mysis, Pannonibus & Gallis in usu: β. *Ἀθηνᾶ* Palladis videtur fuisse: certè nomen convenit. Illâ usum scribunt Nicophelan. γ. Berecynthia, è buxo fuit, quam Phryges primùm invenerunt; Elymos antè dicta. δ. Choricæ, in Choris adhibitæ sunt. Vide suprà. ε. Citharisteriæ sunt appellatæ, quas ad citharam nonnulli excogitârunt. ζ. Conviviales, pares erant ac æquales, eæque pusillæ, ad significandam æqualitatem conviviorum. Quam ob causam & rotunda olim mensa; & *δαὶς ἐΐση* apud Homer. & Ceres *Θεσμοφόρος* dicta. Easdem *παρῳνίους* vocavère, primusque Philoxenus in illis certos modos constituit. η. Curva, seu *πλαγίαυλος*, Libyæ inventum, codonem è cornu habebat, uti & Phrygia, nisi quòd Libyca incurva esset, Phrygia recta. Unde *adunco cornu tibia* Ovidio, *l.* 3. *Met. v.* 533. Salmas. *ad Solin. p.* 123. θ. Dactylicæ, ad *ὑπορχήματα*, usurpatæ sunt. ι. Dextræ, quæ dictæ, vide suprà. Aliis tamen dextra, quæ recta; Sinistra, quæ obliqua & Phrygia. Vide & hîc infrà. κ. Elymus dicta est priùs, quæ *Berecynthia* posteà. λ. Funerales, Phrygiæ inprimis erant: quibus & Phryges & Cares hunc in finem usi. Minoris verò ætatis funera *Tibiæ* prosequebantur, idque non ultra Io. ex præscripto XII. Tab. μ. Ginglarus Ægyptiis nuncupata est Tibiola, sonô acutô, qua ad monodias utebantur. Vide Gingras, Phœnicum inventum, Phrygiæ similis, in Adonidis luctu, usurpata. ξ. Hydraula, Ctesibii fuit, vide suprà in hac voce. ο. Libyca, eadem cum plagiulo seu curva, ex loto. Salmas. ubi suprà. π. Ludicræ, Plinio, *l.* 16. *c.* 36. dicuntur agonales, quibus & in agonibus auletarum, & in theatris Veter. utebantur, de quibus idem, *p.* 122. ρ. Lydia, Tyrrhenorum fuit, qui Lydii. Eas *Thurarias* vocat Solinus, *c.* 11. quia his caneretur, cùm thus in aram libabant; *προσοδιακοὶ* ad verbum Græcis: *sacrificæ* Plinio, *ibid.* dicuntur. Erant autem illæ dextræ gravissimæ atque è buxo, aut ebore fiebant, Salmas. *p.* 124. σ. Milvinæ, Solino appellantur, *c.* 11. quæ in accentus exibant acutissimos, à milvorum voce, quæ acutissima. Vide Salmas. *ad loc.* τ. Monaulos, tibia singularis, vide suprà: ut & Multiforatilis υ. Nuptiales, vide suprà. φ. Palæomagadis, eôdem foramine tum gravem, tum acutum sonum edebat: quales etiam nostrates sunt. χ. *Παρθένιοι*, à Græcis ad Monodia adhibitæ, acutum & infractum spirabant. ψ. *Παροίνιοι*, Epulonum *Tibiæ*; quòd vinum esset anima conviviorum. ω. Phrygia, ex osse, vel buxo ad orificium cornu habebat repandum, similis tubæ Tyrrhenicæ, quantum ad formam: à plagiaulo diversa, licèt curva & obliqua, *ἔλυμος* Græcis: cujus modi tibiarum multus apud Alexandrinos olim usus. Salmasius *d. l.* αα. Plagia seu obliqua dicta est, quia à latere inflabatur, *Scaliger*: Aliis, quia cornu habebat, in extremitate inflexum. Vide quoque suprà, *Plagiaulos*. ββ. Puellatoria seu *puellaria* Solino ubi suprà, Græc. *παρθένιος αὐλὸς*, dicebatur, quæ sonum edebat acutissimum, de qua vide Aristotelem, *l.* 7. *c.* 1. & Salmas. *l. cit.* γγ. Pueriles appellatæ sunt, quibus pueri utebantur, an à voce eorum. δδ. Sinistra, quæ & *obliqua* & Phrygia *Scaligero*, à latere, quô inflabatur; Aliis inde appellata est, quòd in extremitate cornu haberet inflexum, reliquum verò buxeum vel osseum esset, teste *Polluce*. Hanc qui inflabat, *Ἐγχειρογάστωρ* proptereà dictus est, quia *ἔχει ὁ δεξιτερὸς κέρας*, uti inquit *Hesychius*. Hinc itaque legimus de Comœdiis Veter. *Acta est Fabula tibiis dextris & sinistris.* εε. Scytalia, pusilla fuit tibia & exiguo surculo similis, sonô prætenui ac rei ipsi respondenti. ζζ. Spondaicæ, ad Hymnos Deorum fuêre adhibitæ. ηη. Virginales, quibus Virgines. θθ. *Ὑπερτέλειοι*, quibus perfectæ ætatis Viri canerent, vocatæ sunt &c.

Modi varii in Tibiis olim usitati.

α. *Ἀπόθετος*, lex vel modus dictus est, qui remitteret. β. *Ἁρμάτειος*, lex ab Olympo excogitata. γ. *Βουκολιασμὸς*, Pastorum modus fuit. δ. Castorius, à Castore, apud Lacedæmonios dictus est, quô ad prælia utebantur. ε. *Δεῖπνος*, modus vetustus convivialis ζ. Dorius, gravis. η. Elegos; Exercuêre autem sub Sacada Elegias *Tibicines*. θ. *Ἐμβατήριος*, Laconibus dictus est modus, qui aliàs *Castorius*, ut vidimus. ι. *Ἐπιφαλλος*, Bacchanalibus aptus. κ. Ionicus, fractus & mollis recentiori ævô: antiquiori asper. Posteriores enim Iones mollissimè viventes, suis moribus similem harmoniam fecêre mollem fluxamque numerorum crebertimis concisiunculis. λ. *Καλλίνικος*, Pæanibus idoneus. μ. *Καταδάκτυλος*, frequens Stesichoro. ν. *Κῶμος*. ξ. *Κεντρίθυρος*, concitatior, cùm amatores desperati amicarum fores invadebant. ο. *Κωμάρχιος*, ex convivialibus modis. π. Locricus modus, novum fuit harmoniæ genus, à *Philoxeno* inventum, & Pindari Simonidæque tempore, inter Lyricorum leges receptum: Idque dicebatur agi *Λοκριστί*. ρ. Lydius à Cario Lydo inventus, haud multum à Phrygio distabat, minùs enim incitatus. His modis Epicedia primum ferunt cecinisse Olympum: Contrà nuptiis Niobes accommodavit *Pindarus*: Negantque ab eo id primùm institutum σ. Mixolydius, Tragœdiæ aptus: affectus plurimùm movebat. τ. Phrygius acutus & sacris aptus: utpote quô ad furorem usque excitabatur impetus. Eô incensos Dorica lex demulcebat & ad quietem revocabat. υ. *Πολεμικὸς*, in Orthiis adhibebatur. φ. *Σικινοτύρβης*, ridiculis idoneus. χ. *Θεσμώνιος*, ab Argolicis æstivò tempore, in Anthesmophoriis usurpari consuevit. ψ. *Θυρεοκοπικὸς*, Amatoribus in usu, cùm ante ostium moram deprecarentur. ω. *Ὑπερμιξολύδιος*. αα. *Ὑπερφρύγιος*. ββ. *Χόρειος*, in Choris &c. Fuêre & Æolicus; Æoles enim harmoniam Doricam tumidam fecerunt atque audacem, veteri tamen simplicitate retenta: qualis hodie Germanorum, bello apta, nec inepta conviviis, neque ab amoribus aliena: *Ἀμαβασύβεργος* Laso Poëtæ: *Ἡδύκωμος* dicacitati ac lusibus familiaris: *Ὑποδώριος* Doricæ Æoliæque legi affinis, & quasi media efficta ab ambitiosis; ut alia omittam.

TIBIÆ Pares & Impares, quarum frequens apud Auctores priscos mentio, quibusdam à magnitudinis æqualitate, aut inæqualitate, nomen accepêre. Alii singulares tibias seu *μονάυλους impares*, geminas autem *pares* dictas, existimavêre, ut vidimus. Nonnullis *pares* fuêre appellatæ, quæ unô spiritu animarentur, *impares*, quæ secus. Meliùs *Pares* Salmasio sunt dextræ duæ, vel sinistræ duæ; Impares dextra & sinistra: Quæ omnes unô eôdemque flatu inspirabantur. Hinc ænigma,

Εἷς ἄνεμος, δύο νῆες, ἐρέσσουσι δέκα ναῦται,
Εἷς δὲ κυβερνήτης ἀμφοτέρας ἐλάει.

Ubi *εἷς ἄνεμος*, flatus est tibicinis: *δύο νῆες*, duæ tibiæ: *δέκα ναῦται* decem digiti, qui foramina tibiarum percurrendo quasi remigant: *εἷς κυβερνήτης*, tibicen, qui utramque tibiam modulabatur. Et quidem inventionem geminarum Hyagnidi ab Apulejo, Marsyæ à Plinio, ascriptam, vidimus. Ut ut sit, constat à Phrygibus geminarum tibiarum usum manâsse, dextræ & sinistræ, quarum illa gravem bombum, ista acutum tinnitum emittebat, ideoque illa incentiva, ista succentiva erat. Hæ parem inter se foraminum numerum non habebant, adeoque *impares* dicebantur, plura autem foramina sinistra erant, cùm acutiùs tinniant tibiæ clariusque, quæ pluribus foraminibus apertæ sunt. Solinus *præcentorias* vocat dextras, *c.* 11. quæ propter gravitatem soni ad pulvinaria Deorum & aras inflari solebant quales & spondaicæ tibiæ, quibus *σπονδεῖα* seu *ἐπισπόνδεια μέλη* canebantur. *Vasca* verò tibiæ quæ numeris foraminum præcentorias antecedebant, eædem fuêre cum sinistris, & *à vasto*, i. e. levi acutoque sono, id nominis accepêre, Græcis *μεσαυλικοὶ* quoque *αὐλοὶ*, quod in his levioris & vasti soni tibiis flandi artem experiri meditarique consuêssent tibicines. Easdem Symphoniacorum fuisse, ex *Servio* discimus. *Pares* igitur *tibiæ*, quæ parem foraminum numerum habebant; *Impares*, quæ contrà. Erant autem impares semper dextra & sinistra; ut vidimus; at duæ dextræ pares, duæ item sinistræ pares: unde facile intelligere est, cùm *fabulam imparibus tibiis esse actam* legimus, de dextra & sinistra id accipiendum; cùm *paribus*, aut de duabus dextris, aut de duabus sinistris. Cùm verò *Andria* Terentii dicitur acta *tibiis paribus dextris & sinistris*, non intelligitur, acta dextrâ, simul & sinistrâ, sed 2. primùm dextris, dein 2. sinistris: sæpe enim modulationes in eadem Comœdia mutati solitas, etiam ex *Adelphis* patet. Hæc enim acta simul tibiis Lydiis, i. e. dextris, quæ gravitatem ostendebant, quâ fere in omnibus Comœdiis utitur Terentius: & Serranis, hoc est, sinistris, quæ acuminis levitate jocum significarent. Item ex *Heautontimorumeno*, quæ acta primùm tibiis imparibus, mox paribus dextris, inscribitur. Porrò dextra & sinistra, licèt impares essent, diversâ tamen ac dispari modulatione non erant compositæ, sed ejusdem carminis modos, dextra quidem incinebat, sinistra verò succinebat, & graviùs illa, acutiùs ista, sonabat. Atque hæ omnes, tum pares, tum impares, tum dextræ, tum sinistræ, in illis solis canticis, quæ *μονῳδίαι* tantùm erant, habuêre locum; una enim solùm canebat, supplebantque hæc cantica vicem Chori, quâ antiquæ Latinæ fabulæ carebant prorsus: Aliud erat *synodium* i. e. Chori concentus, de quo suô locô. Plura hanc in rem vide apud Salmas. *ad Vopisc.* in *Vita* Carini, *c.* 19. ut & hîc passim, inprimis ubi de Veterum *Musica*.

TIBIALIA, Veteribus in usu non erant. Unde vetustissimæ picturæ Apostolos accuratè exhibent cruribus nudis. Imò neque V. T. Sacerdotes in Ministerio Sacro ea adhibuisse, observavit Corn. à Lapide, *ad c.* 28. *Exodi num.* 42. Quod vel inde firmissimè probatur, quòd cùm adeô in Sacris numerus materiaque accuratè vestium Sacerdotalium præscripta sit, nulla tamen *Tibialium*, quibus crura tegantur, fiat mentio. Sed nec apud cultissimam Romanorum gentem illa in usu fuêre, quippe qui stante florenteque Rep. nudis omnino incedebant cruribus; neque ea, nisi togis demissis, tegebant. Quod in statuis videre est, & columnâ Trajana, in qua non modò gregarii milites, sed & ipse Imperator ac principes viri sine *Tibialibus* visuntur. Ciceronem quoque ad calceos usque togam demittere consuevisse, ut varices velaret, Quintilianus memorat ex Plinio *Instit. Orat. l.* 11. *c.* 3. quâ cautione non fuisset opus, si Tibialia gessisset. Saltem æstate atque aliis mitioribus anni tempestatibus: Augustum verò *hyeme femi-*

sed aromatum proventu dives. Vide Hugon. Grotium, *Histor. Belg.* & supra in voce *Molucca*.

TIELA, vulgò TIEL, vel TIELT, oppid. Geldriæ, in Batavorum finibus, ad Vahalim, 4. leuc. à Noviomago in Occasum, 4. Vorcum versus, Bomelæ oppido proximum.

TIELLA, una ex 3. Hyblis Siciliæ, *Steph.*

TIENA, urbs Brabantiæ, ad Getam amnem, *Merel.*

TIENCHEUM, vulgò *Tiencheo*, urbs Quansiæ, in Sina, nunc sub Rege Tunchini. Subsunt ei quatuor urbes, *M. Martinius.*

TIERSTENIUM, castrum celebre, in veteri agro Raurico, vulgò *Tierstein*, sedes Comitum olim, qui habitatâ prius Vuitnaugiâ, pagus is est Viesæ vallis, contra Basileam, versus Hercynium nemus, affinitate dein cum Vrohurgensi familiâ contractâ, matrimonii jure, novâ accessione in agro Raurico aucti sunt: hæredes posteà Sougerensium quoque facti. Defecit stirps, A.C. 1519. Henricô ultimô Comite defunctô. Primùm oppignoratum Solodurensibus, apud quos civitatis jure posteriori Comites fruebantur, plenô tandem dominiô ad eos devenit: reliqua illorum bona, partim iisdem, partim Episcopo Basiliensi, gente extinctâ, cesserunt. Vide Stumpf. *Chron. Helv.* Christ. Urstisium, *Hist. Basil. &c.*

TIESSA, Pausan. *l.* 1. *Tiassus* Athen. fluv. Laconicæ, per Spartam & Amyclas, in Eurotam fluens.

TIFATA, vulgò *Monte di Capoa & di Caserta*, Livio, *l.* 26. *c.* 5. & Vellejo, *l.* 2. *c.* 25. Campaniæ mons, Capuæ urbi imminens, inter eam & Nolam extensus, teste *Dionysio.* Ejus meminit, Stat. *l.* 4. *Sylv.* 4. *v.* 85.

Cessat apex procul ista tuis, Tifata, Teate.

Silius, *l.* 12. *v.* 487. ubi de Annibale;

——— *Arduus ipse*
Tifata invadit propior, quà montibus instat
Collis, & e tumulo subjectam despicit urbem.

Cùm oppido olim cognomine.

TIFATA Curia, una fuit ex 30. Curiis Romanorum, de quarum nominibus octo solùm apud rerum Romanarum Scriptores supersunt. Meminit ejus Festus, *Tifata*, inquiens, *Iliceta: Romæ autem Tifata Curia: Tifata etiam locus juxta Capuam*: apud Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 2. Vide in voce *Tifata*. Eam verò vocem apud Statium *d. l.* delendam, variis rationibus suadet Barthius, qui versum illum sic legit,

Cessat apex procul ista tuis sint fata, Teate,
Nec Marrucinos agat hæc infamia mares.

Vide eum *Animadvers. ad l.*

TIFERNAS, vide *Georgius*.

TIFERNUM, urbs gemina Umbriæ: unum *Tiberinum* cognomine, Episcopale, situm in planitie, non procul à Tiberi fluv. à quo denominatur, vulgò *Citta di Castello*. *Baudrando* regiunculæ cognominis caput, ad Tiberim, in limite Hetruriæ, 10. mill. pass. à Burgo S. Sepulchri in Meridiem 18. ab Arctio in Ortum Calium versus 22. Satis munita. Sub Pontifice. Hinc ager *Contado di Citta di Castello*. Alterum *Metaurense* dictum, ad *Metaurum* fluv. in valle, à priore 20. mill. pass. oppid. haud obscurum Ducatus Urbinatis. *Ferrar.* Vulgò *S. Angelo in Vado*, 6. milliar. ab Urbania in Occasum, uti 16. à Tiferno Tiberino in Boream, 13. ab Urbino in Occasum. Sub Pontifice *Baudrand.*

TIFERNUS, qui *Phiternus*, *Ptol.* (ut quibusdam placet) fluv. Frentanorum, illos ab Apulis Daunis dividens, ex Apennino monte in mare Hadriaticum per Larinum ad Thermulas influens. *Baudrand. Biferno* dicitur hodie, oriturque in Comitatu Molisino, prope Bovianum; hinc in Cæciam tendens, Guardiam Alferiam rigat & versus Larinum labitur, tandemque prope Thermulas Urbem Capitanatæ, in mare Adriaticum se exonerat.

TIGAVA, Plin. *l.* 5. *c.* 2. *Ptol. Tigavia Antonin.* urbs olim Episcopalis Mauritaniæ Cæsariensis mediterranea 2. mill. pass. ab Oppido novo. Episcopi *Tigabitani* meminit *Augustinus*.

TIGELLINUS Sophonius, vel *Tigillinus*, vir Romanus, vitæ corruptissimæ, qui Neroni intimarum libidinum conscientiâ cùm esset familiaris, plurimis summis viris per calumniam exitium machinatus est. Posteà rerum potitô Othone, ad aquas Sinuessanas, supremæ necessitatis nunciô acceptô, inter concubinarum oscula fauces sibi præcidit. Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 72. Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 155.

Pone Tigellinum: tædâ lucebis in illa,
Qua stantes ardent, &c.

Vide & *Ophonius* seu *Ofonius*.

TIGELLIUS, vide *Thermogenes*.

TIGERNUM, castrum vetustissimum Galliæ, in finibus Arvernorum, hodieque *Tiern*: cum Monasterio cognomine. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TIGIDIUS, inter Commodi ministros, apud Lamprid. *c.* 4. ubi *Actidius* alii legunt.

TIGILLUS, inter cognomina Jovis, de quo vide Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 7. *c.* 11. *Tigillum* autem à *tigno* est, unde fortè is dictus, quòd *tigni* instar Mundum sustineat. Aliud *tegillum*, pro integumento scil. corporis seu veste ... & plebejâ frequentatum, uti ex *Nonio* discimus. Vide de utroque Becmannum, *Origin. L. L.* Apud Livium, *Tigillum Sororium* occurrit, *l.* 1. *c.* 26. ubi de Horatio, qui sororem interfecit: *Is (Pater) quibusdam piacularibus sacrificiis factis ... transmissô per viam tigillô capite adoperto, velut sub jugum misit juvenem. Id hodie quoque semper refectum manet. Sororium tigillum vocant &c.*

TIGIS, Mauritaniæ Cæsariensis oppid. *Ptol. Tigisi Antonin.* Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsariensi, Rusucurro 12. mill. pass. in Meridiem distans: nunc *el col de Mudelares* dicitur; estque recens cultum à Mauris ex Hispania ejectis, 8. leuc. ab Algerio, teste *Sansone*.

TIGNIA, fluv. Piceni apud *Tignium* oppid. fluens. *Tenna Francisco Pamphilo*, *Tinea* aliis, inter Chientum & Asonem fluv. mari ad portum Firmianum excipitur.

TIGNIUM, Piceni oppidum Cæsari, medium ferè inter Firmum ac Tollentum, unde 16. mill. pass. abest. Vulgò *S. Maria in Giorgio*, *Leandro*.

TIGNUM, an à *tango*, quòd ad ædificia adhibeatur, ut inde oriatur contiguitas; an à *tego*, quòd *tigna* sint trabes, quibus summa domus contegitur? Hæc qui scindunt, quadrant & aptant ad ædificium, *Tignarii Fabri* Latinis, Græcis voce generali Τέκτονες dicuntur; etiam inter Artifices memorati Vegetio, *l.* 2. *c.* 11. qui exercitum sequebantur, & in singulis legionibus erant, sub Præfecto Fabrûm, de quibus vide Corrasium, *Miscell. l.* 3. *c.* 25. *n.* 1. 2. 3. Goeddeum *Comm. ad l. tigni*, 62. *n.* 3. 4. & *seqq. ff. de verbor. signif.* Cujacium *ad l.* 1. *in fin. Cod. de excus. Artif. lib.* 10. Salmas. *ad Lamprid. Alexandrô Sev. c.* 52. Cæterùm de *tigno*, domui exemto, Regiorum mandatorum transgressorem suspendere, Persici olim moris fuisse, discimus ex Esra, *c.* 6. *v.* 11. &c.

TIGRA, urbs Mœsiæ inferior. *Antonin. & Lib. Notit.*

TIGRANAANA, urbs Armeniæ majoris versus confinium Mediæ. *Simolachach* Georgianis: *Tauris*, Nigro & Theveto. Sed situs apud *Ptol.* haud convenit, cùm *Tauris* in Media sit, non in Armenia. Baudrando etiam *Tigranoama*, olim fuit inter Caspium montem ad Ortum & Arissam lacum ad Occasum. Quid hodie sit, difficile dictu.

TIGRANES, Rex majoris Armeniæ potentissimus, qui auxilium ferens Mithridati, victus est primò à Lucullo, deinde à Pompejo M. in deditionem acceptus, & in regnum restitutus, persolutis 6000. talentis. Crebra ejus mentio apud Cicer. *pro Lege Manilia.* Lucan. *l.* 2. *v.* 637.

Tigranemque meum, nec Pharnacis arma relinquant.

Vide Justin. *l.* 40. *c.* 1. & 2. Appian. *in Syr.* Liv. *Epit. l.* 100.

TIGRANES, Armeniâ quondam potitus, ac sub Tiberio reus, Qu. Plautiô, Sext. Papiniô Consulib. ne nomine regiô quidem supplicia civium effugit, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 40.

TIGRANES, à Nerone, ad capessendum Armeniæ regnum dilectus, Cappadocum ex nobilitate Regis Achelai nepos; Sed quòd diu obses fuerat apud Rom. usque ad servilem patientiam demissus. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 26.

TIGRANES Achæmenides, Medorum Dux, apud Herodot. *l.* 7.

TIGRINÆ Mensæ, sicut & *Pantherinæ*, memorantur Plinio, *l.* 13. *c.* 15. *Mensis præcipua dos in vena crispis vel in cortice variis; illud oblongô evenit discursu, ideoque tigrinæ appellantur; hoc intortè, & ideo tales Pantherinæ vocantur. Sunt & undatim crispæ, majore gratiâ, si pavonum caudas imitentur.* Ubi è citro mensas intelligit, quæ usque adeò Romanis olim in pretio fuêre, ut argenti aurique æstimationem ea arbor æquâverit. Idem, *ibid. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor citri & mensarum insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt.* Ad quem luxum fortè allusit Horatius, *l.* 2. *Ode* 18. *v.* 1. *s.*

Non ebur neque aureum
Meâ renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultimâ recisas
Africâ.

In his itaque maculæ pretiosæ erant, quæ quo majores eò cariores: & ab harum varietate *Tigrinarum* Pantherinarumque cognomina. Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 5. *c.* 26. Habebant autem *tigrinæ*, uti ex Plinio discimus, in morem venarum longas lineas discurrentes, tæniis similes, tales enim maculæ tigrium, quas propterea ῥαβδωτὰς, h.e. *virgatas*, appellaverunt: cùm pantherinæ in orbes parvos & intortos crispæ essent, ut sunt terga pantherarum. Quam macularum harum differentiam scitè describit Oppian. *Cyneget. l.* 1. Vide quoque Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 5. & suprà, ubi de *Mensis* alibique.

TIGRANOCERTA, urbs Armeniæ majoris quæ *Tigranopolis*, ac *Tigranopetra*, teste *Appianô*, dicta est, à Nisibi urb. Mesopotam. 36. mill. pass. in Boream, ad Nicephorium fluv. teste Tacitô, *l.* 14. *Annal. c.* 23. 24. *l.* 15. *c.* 4. 5. 6. 8. apud Masium montem, qui Gordyæo finitimus est, teste *Strabone*. Ea hodie *Sultania Jovio* dicitur, *Bonacciolo* verò *Sava*. Baudrando est ad Nymphæum fluv. versus confinia Assyriæ, inter Arthemitam ad Cæciam & Amidam ad Africum, 100. mill. pass. à Nisibi, sed à Masio monte remota. Hodie creditur *Bitlis*, urbs munita Turcomaniæ. Sub Turcis.

TIGRE, vulgò TIGRE, regnum Africæ, pars regni Abissinorum, cujus Prorex *Tigre mahon*. Hujus portio, quæ Sinui Arabico vicina est, regnum *Barnagassi* dicitur. Hieron. Lupus Lusitanus, *de orig. Nili & Æthiop. superior.*

TIGRES, Peloponnesi fluv. qui posteà *Harpys* dictus fuit à demersa in eo una *Harpyiarum*. Apollod. *l.* 1.

TIGRIS, quadrupedum pulcherrima, ut pavo avium, Oppianus, *Cyneget. l.* 3. *v.* 340.

Τίγριος αὖ μετέπειτα κλυτὸν δέμας ἀείδωμεν
Τῇ ἐριπρεπέεσσιν φύσις ὤπασε τεχνήεσσα,
Ὀφθαλμοῖσιν ἰδεῖν, θηρῶν μετὰ πολλὸν ὅμιλον,
Τόσσον δ' ἐν θήρεσσι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο τίγρις,
Ὅσσον ἐν ὀρνίθεσσι ταὼς καλὸς οἰωνοῖσι.

Cui proin, imitatione hujus, *virentes maculas*, tribuit Claudian. de *Rapiu*, *l.* 3. *v.* 265.

--- --- fremit illa marito
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Dispergit maculis. ---

Quomodo & pardum alibi *viridem* dicit idem Poëta. Inter quos tamen id discriminis est, quod *tigris* longis tæniis sit varia, pardorum verò maculæ rotundæ sint, unde *virgatæ tigres* passim apud Poëtas, & *tigrinæ* inde *mensæ* à pantherinis diversæ, ut vidimus. Eadem velocissima, unde ventis eam concipi finxère Poëtæ. Idem Oppian. *l.* 1.

Ὠκυτέρη πελάει δὲ θοὴ πανυπείροχα θηρῶν·
Αὐτῷ γάρ τε θέει ἰκέλη Ζεφύρῳ γενετῆρι.

Et *mobiliorem Zephyrô maritô* Claudianus modò dixit. Indidem ipsi nomen. Armeniis enim, Medis ac Persis, *tigris* sagittam notat; quæ vox etiam rapidissimo Hyrcaniæ fluvio indita. Arabibus eadem fera modò *albabir*, modo *alphuranik*, quorum utrumque cursorem ac veredum, & hoc quidem posterius *valde expeditum* notat, dicitur. Porrò robustissima, utpote leonibus ferè duplò major, & elephantorum quoque victrix, ut de Indicis tigribus Nearchus, apud Arrianum *in Indicis*, & de Prasiis ex eodem ac Megasthene Strabo tradit, *l.* 15. Adde & leonum, quod sub Tito Romæ stupuit, Martial. *l. Spect. Epigr.* 18. Unde *immanem* dixit Maro, *l.* 9. *Æn. v.* 730. & ad vim ingentem ejus alludens Statius, *Thebaid. l.* 2. *v.* 132.

Spirantem fert ore virum ---

canit. Quare falsum, cum cane coire, quò congressu Indici canes oriantur, ut Aristoteles, qui primus earum meminit, opinatus est, *Histor. Animal. l.* 8. *c.* 28. ad canis formam tigrim accedere falsò persuasus, *de Gener. l.* 2. *c.* 7. Sed veniam meretur, cùm id animal tum adhuc parùm cognitum fuerit, & Nearchus ipse, qui Hyrcaniam & Indiæ partem cum Alexandro peragraverat, & Indicæ classi præfectus fuerat, ipsum animal vivum nunquam viderit, sed pellem solùm. E cujus relatione Arriano memorata, ubi addit, *Eas verò, quas nos videmus, & tigres vocamus, thoes esse maculosos, & aliis thoibus majores*, jam tum pro tigri genuina suppositum fuisse animal, quod revera non esset tigris, (sed è thoum genere, thoibus tamen majus) facilè liquet. Vide de robore inprimis tigridis mira, apud Vossium *in Melam*, *p.* 248. & 249. Capitur tamen & tanta, vel rapitur potiùs; *Raptores* enim propriè Veteribus tigrium venatores dicti. Et quidem primitus, qui unum ex tigridis catulis volebant servare, universum fœtum, qui numerosus plerumque, raptum ibant, ut, sequenti matri subinde unum jaciendo, sic eam morarentur, donec ad mare pervenissent: quod faciendo vix tamen, ob feræ pernicitatem, ex universo fœtu unum poterant subtrahere. Postmodum, aliâ venandi excogitatâ arte, pro catulis vitreas sphæras currenti objiciebant, in quibus tanquam in speculo se ipsam intuens, dum, quam videt imaginem, putat esse sobolem suam, sic retardaretur. Quâ de re sic Claudianus, ubi suprà, *v.* 263.

Arduus Hyrcanâ quatitur sic matre Niphates,
Cujus Achæmenio Regi ludibria natos
Avexit tremebundus eques: fremit illa marito
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Dispersit maculis, jamjamque haustura profundò
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.

Vide quoque Ambrosium, *Hexaëmeri l.* 6. *c.* 4. Nec verò catuli solum, sed & ipsæ sic matres, dum pro fœtu satagunt, Venatoribus in prædam cedunt, audaciâ illorum industriâque cum tempore crescente. Dico *matres*. Mares enim, conspectis Venatoribus statim aufugiunt, ideoque non capiuntur, quæ causa, cur omnes tigrides fœminas esse, creditum sit non paucis. Varronis tamen tempore, *tigridem vivam posse capi*, Romanis adhuc fuit ignotum. Sed exinde Imperii hujus finibus usque ad Parthos propagatis, ex Armenia, aut India aut Hyrcania, per Parthos Romam usque cœpit adduci. Et *Q. Tuberone & Fabio Max. Coss. IV. Non. Maji, Theatri Marcelli dedicatione, tigrim primus omnium Romæ ostendit* (Augustus) *in cavea mansuefactam. Divus verò Claudius simul quatuor.* Plin. *l.* 8. *c.* 17. *extr.* Fuisse tigrim illam Augusti, inter munera Indorum, *Dio* addit. Nota autem, quòd *mansuefactam*: hucusque enim humano ingenio feritas cessit. Sic in caveis Romanarum delitiarum pars tigrides esse cœpere, quas inaurari consuevisse, testatur Petronius,

--- --- premit ad vena classes
Tigris & aurata gradiens vectatur in aula.

Domitianus verò etiam currui junxit. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 105. *v.* 1.

Pictò quòd juga delicata collò
Pardus sustinet, improbaque tigres
Indulgent patientiam flagello.

Junxit & Heliogabalus, *Liberum se vocans*, apud Lampridium, *c.* 28. Bacchi enim currum *tigres* traxisse, res in Poëtarum fabulis notissima &c. Quam in rem vide inprimis Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 8. Porrò non oblectationi solùm, sed & usui est tigris. Indos enim in mensis suis apponere, ut leones, sic *tigrium clunes*; cœteris verò partibus animalis (utpote religiosi, cùm simul ac natum est, priores pedes versùs Orientem attollat) abstinere, ex Damide tradit Philostratus, *de Vita Apollonii l.* 2. *c.* 12. In Congitana autem regione, totâ tigride vesci, carne eâ, in quâ myllaces, exceptâ, eo quòd veneratam hanc arbitrentur, testis est Jo. Linschottus, *Descript. Guineæ.* Nec carnes has bubulis sapere deteriùs refert Joan. Ledesma Hispalensis, apud P. Martyrem, *Oceaneæ Decad.* 3. *l.* 2. Pellis inprimis maximi æstimata, quæ Heroinis olim familiaris, ut diximus supra voce *Pellis*. Insuper bellatorum caput & superiorem corporis partem olim horrificabat. Val. Flaccus, *l.* 6. *v.* 704.

Perque levem & multò maculatam murice tigrim
Concita cuspis abit; subitos ex ore cruores
Saucia tigris hiat vitamque effundit herilem.

Venatorum item. Papinius *Theb. l.* 9. *v.* 686.

Venator raptabat equus, quem discolor ambit
Tigris & auratis adverberat unguibus armos.

Nempe ungulæ aureis laminis inducebantur, ne acie illorum quis vulnerari posset. Unde de tali tigride, i. e. tigrino opertimento Herorum, idem, *l.* 6. *v.* 724.

--- extremos auro mansueverat ungues:

ad quem locum vide Casp. Barthium: plura verò de nobili hac fera, apud Plin. *l.* 8. *c.* 4. 16. 18. ubi de matrum in catulos affectu inprimis, Salmasium *ad Solin. p.* 211. ubi itidem inter alia de Tigridis præsertim Indicæ, ereptis catulis, rabie, cernuatione & ruina, Barthium modò dictum *Animadv. ad Statium passim*, qui urbes quoque nonnunquam à tigribus obsideri adnotat *ad Theb. l.* 5. *v.* 204. Wottonum *de Different animal. l.* 5. *c.* 81. Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 60. 63. 65. 72. & *seqq.* P. de Valle *Itin. Part. IV.* ubi de pugna tigridis cum homine victore, in Aula M. Mogolis, Alios; uti de stella *Tigribus*; ursis & leonibus præfecta, apud Peruanos, infrà voce *Ursa*. Idem nomen, an à maculis, an à celeritate potiùs, equo Circensi, Martialis ævô percelebri, de quo vide illum, *l.* 7. *Epigr.* 7. Sed & quia vox primævâ notione *sagittam* sonat, ad aliud armorum genus translata reperitur, apud Gregorium Turonensem, qui, de Nunnio quodam Tribuno loquens, *tigrim* vocat ensem ejus, *de Gloria Confess. c.* 42. &c. De *Tigride* verò fluvio triplici apud Herodotum, *Tigride* item *Paphlagonico*, *Persico* & *Pontico*, ut & alia huc pertinentia, vide apud Salmas. *d. l. p.* 621. & *seqq.* aliquid etiam suprà, voce *Pasitigris*.

TIGRIS, sic à velocitate dictus, quasi *sagitta*, insignis Asiæ fluvius, qui in Armenia majore locô planô & conspicuô nascens per Arethusam lacum ita transfluit, ut neque aquæ, neque pisces commisceantur. Occurrente dein Taurô in specum, sicut Lycus in Asia, & Erasinus in Argia, pemergitur, & ab altero ejus montis latere erumpit, ac mox per Thospiten lacum transvectus, rursus in cuniculos mergitur, & post 20. mill. pass. luci redditur. Post hæc Mesopotamiam, quæ quòd inter Tigrim & Euphratem intercepta sit, sic dicta est, ab Ortu seu dexter alluit, tandemque in 2. divisus cornua, in Euphratem, qui similiter in Armenia majore oritur, ad locum ubi Seleucia à Seleuco Nicanore condita, influit, à quo in Persicum sinum defertur. Dionys.

--- Ποταμῶν ὤκιστος ἁπάντων
Τίγρις εὐῤῥείτης φέρεται. ---

Solin. *c.* 40. *In Armeniæ majoris regione caput tollit, mirè quàm lucidô conspicuôque fonte, in loco haud edito, qui Elongosine nominatur, nec tamen ab exordio totus est. Primùm pigrè fluit, non cum suo nomine, at cùm fines Medorum invectus est, Tigris dicitur: ita enim Medi nominant sagittam.* Lucan. *l.* 3. *v.* 256.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis, & incertum, tellus si misceat amnes,
Quod potius sit nomen aquis. Sed sparsus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ:
At tigrim subitò tellus absorbet hiatu
Occultosque tegit cursus, rursusque renatum
Fonte novô flumen pelagi non abnegat undis.

Justin. *l.* 42. *c.* 3. *A cujus* (Armeniæ) *montibus Tigris fluvius modicis primò incrementis nascitur: interjectô deinde aliquantô spatiô, sub terras mergitur; atque ita post quinque & viginti millia passuum grande jam flumen in regione Sophene emergit, ac sic in paludes Euphratis recipitur.* Boëtius, *l.* 5. *de Cons. Phil.*

Rupis Achæmeniæ scopulis, ubi versa sequentem
Pectoribus figit spicula pugna fugax;
Tigris & Euphrates unô se fonte resolvunt,
Et mox abjunctis dissociantur aquis.
Si coëant, cursumque iterum revocentur in unum,
Confluat alterni quod trahit unda vadi:
Conveniant puppes, & vulsi flumine trunci,
Mistaque fortuitos implicet unda modos;
Quos tamen ipsa vagos terræ declivia casus,
Gurgitis & lapsi defluus ordo regit.

nalibus & Tibialibus fuisse munitum, narrat Sueton. *c.* 82. mutatis videl. jam in delitias moribus severioribus. De Græcis aliisque idem legas. Vide Jul. Nigronium *de Caliga*, *c.* 2. *num.* 9. *& seqq.* & supra ubi egimus de *Nuditate*. Interim fasciis Antiqui pedes, *tibias*, crura & femora involvebant, idque in valetudine primùm, dein & extra illam, quod apud Romanos Ciceronis ætate cœpisse videtur, uti suprà diximus, ubi de *Cruralibus Feminalibusque fasciis*. Has autem fascias omnes, quæ unô tenore crura simul pedesque, quæque femora involverent, *bracas* communi appellatione vocaverunt, teste vetere Interprete Juvenalis, *ad v.* 111. *Sat.* 1.

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Unde *tubruci* Isidoro, *quòd tibias bracasque tegant*, i. e. crurum tegumenta vel pedum: quasi *tuborum ruci*, h. e. tuborum vel tubulorum, ut recentiores Latini *tibialia* vocabant, operimenta. Vide infrà ubi de *Tubrucis*. Propriè tamen Latinis *braccæ* de feminalibus, fasciæ verò de cruralibus pedulibusque, quas proin distinguit Lampridius *in Alex. Sev. c.* 40. *Fasciis semper usus est. Braccas albas habuit* Atque hæ braccæ, quos θυλάκους & σάκκους dixêre Græci, ut ex Euripideo apparet illo,

— ἢ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδὼν —

Posteà communiter Romanis usurpari cœperunt: intra urbem saltem usu illarum vetitô, lege Honorii & Arcadii Augg. 2. & *l.* 3. *Cod. Theod.* A' quo tempore cœpere novâ notione accipi *femoralia & tibialia*; quamvis & de Augusto, ut visum, nonnulli eôdem modô voces accipiant apud Suetonium *d. l.* aliis verba illa de fasciis solùm accipientibus. Quòd vero Casaubonus *tibialia*, quæ nos appellamus, Græcis recentioribus κνημόζευκτα dicta contendit, non assentitur Salmasius, *curtas bracas* eâ voce Codino aliisque indigitari, docens, *Not. ad Alexandrum Lampridii*, *d. l.* ubi plura hanc in rem, ut & apud modò laudatum Casaubon. *ad locum Suetonii*. Cœterùm *Tibialia* fasciis hodie cruralibus, quas Græcè περισκελίδας dixeris, ab elegantioribus constringi solent: aliud tamen propriè περισκελίδας Veterum fuisse, vincula nempe aurea, quæ in cruribus ad ornamentum mulieres gestabant, idem Salmas. docet, *loc. cit.* Vide quoque suprà, ubi de *Serico*. Sed & *Tibialia*, arma dicta, quibus crura muniebantur. Paulus *in l. qui comm. ff. de re milit. Si tibiale vel humerale miles alienavit, castigari verberibus debet* &c.

TIBIANA, Insula Persidis, apud Marcellin. *Cadiana* in codd. Msc. *Tabiana* dicitur *Ptolemæo*, quod vide.

TIBICINES, Festo quoque *Flatores*, ad varia olim adhibiti. Ovid. *Fastor. l.* 6. *v.* 657.

Temporibus veterum Tibicinis *usus Avorum*
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat Tibia Ludis,
Cantabat mœstis Tibia funeribus.

v. 667.

Quæritur in scena cava Tibia, quæritur aris.

Unde inter Sacrorum ministros, quorum proin Romæ frequens apud Antiquos usus. Non enim apud Græcos tantùm, verùm etiam apud Romanos *Tibicines* sacris præerant, hinc *Spondaulæ* appellati. Victorinus de Spondeo: *Dictus a tractu cantus, qui per longas tibias à supplicantibus editur: Unde Spondaulæ. Sicut, qui religionis causâ funeribus adhibebantur*, Τυμβαύλαι *dicti sunt, ut liquet ex Dione Chrysostomo*, Orat. 49. quos Appulejus, *Florid. l.* 1. *Monumentarios* vocavit *Ceraulas*. In tutela autem erant Minervæ Musices primæ repertricis, & minusculis Quinquatribus ad ejus ædem conveniebant, plenam iis feriis nacti per urbem vagandi, popinasque, etiam Censore contemtô, subintrandi licentiam. Varro *de L. L. l.* 4. *Quinquatrus minusculæ dicuntur Juniæ Idus, ob similitudinem majorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur & conveniunt ad ædem Minervæ.* Cujus ritus initia his verbis exponit Liv. *l.* 9. *c.* 30. *Ejusdem anni rem dictu parvam præterirem, nisi ad Religionem visa esset pertinere. Tibicines prohibiti à proximis Censoribus erant, in æde Jovis vesci, quod traditum antiquitus erat. Ægrè passi Tibur uno agmine abierunt, adeò ut nemo in urbe esset, qui sacrificiis præcineret. Ejus rei religio tenuit Senatum, legatosque Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benignè polliciti, primùm accitos eos in Curiam hortati sunt, ut reverterentur Romam: Postquam pelli nequibant, consiliô haud abhorrente ab ingeniis hominum, eos aggrediuntur. Die festô alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum causâ invitant, & vinô, cujus avidum genus est, oneratos sopiunt, atque ita in plaustra vinctos conjiciunt atque Romam deportant; nec priùs senêre, quàm plaustris in Foro relictis, plenos crapulâ eos lux oppressit: tunc concursus Populi factus, impetratóque, ut manerent, datum ut triduum quotannis ornati* (vestibus scil. floridis muliebribusque & capite personis tectô, ut Valerius aliique tradunt) *cum cantu, atque hac, quæ nunc solennis, licentia, per Urbem vagarentur restitutumque in æde vescendi jus iis, qui in sacris præcinerent.* Vide quoque Plut. *in Quæst. Rom. Quæst.* 55. Val. Maximum, *l.* 2. *c.* 5. *ex.* 4. Ovid. *Fastor. l.* 6. Alios. Ideò verò sacris adhibebantur, ne quid inter sacrificandum infausti audiretur; atque ad eum usum tibias è buxo adhibuerunt; quibus solis apud Græcos Latinosque in Templis fuisse locum, discimus ex Athenæo, *l.* 4. *c.* 24. & Lilio Giraldo, *Syntagm. Deorum Gentil.* 17. Collegium *Tibicines* in Urbe habuisse, docet Livius, & antiquæ Inscriptiones: Inter quas veteris marmoris fragmentum sic habet; *Imp. Cæsari. M. Aurelio. Antonino. Pio. Felici. Augusto. Tibicines. Romani. qui. sacris. publicis. præst. sunt.* Aliud, *Dianæ. Lucinæ. invictæ. Cn. Pompejus. Cn. Lib. Barbus. Procurat. Tibicen. Rom. voto. suscepto. l. m.* apud Thom. Dempsterum, *Paralipom. in Rosin. l.* 3. *c.* 31. qui de eorum in funeribus usu, *l.* 5. *c.* 39. *in conviviis, eod. lib.* prolixè agit, & Ludis quoque solennioribus seu commissionibus adhibitos docet, ex Varrone apud Nonium. Idem à Palmerio solo observatum addit, amantes ante dominarum suarum fores noctu *Tibicines* adhibere consuevisse: uti ex Scaligero κωμαστικοῦ & θυρωκοπικοῦ modi meminimus. *Si modulis lenibus Tibicen incinat, Ischiadicos juvari*, scribit A. Gellius, *l.* 4. *c.* 13. Ubi Ant. Thysius ex Theophrasto id fieri potiùs harmoniâ Phrygiâ docet, quæ omnium vehementissima est, & aptissima ad animos audientium divinô quôdam furore incitandos. Unde veretur, ut Gellius ista satis fideliter retulerit. Certè phalangiorum in Apulia, quæ hodie vulgò *Tarantulæ*, lethalis morsus est, neque aliud ejus exploratius remedium, quàm in Citharœdis & *Tibicinibus*: quibus auditis, velut è gravi somno excitatus, qui morsus est, attonitus, & extra se positus, saltare ac tripudiare incipit, sicque motu venenum excutere conatur, Muretus, *l.* 14. *c.* 6. &c. Sed & inter Familiares *Tibicines* atque *Tibicinæ* fuêre. Licèt enim Minerva tibias abjecerit, quòd vultum inflantis deformarent, non defuêre tamen ex ejus sexu quæ abjectas tollerent. Unde Plautus, *Stichô*, *Actu* 2. *Sc.* 2. *v.* 56.

Post, ut occœpi narrare Fidicinas, Tibicinas,
Sambucinas advexit secum formâ eximia.

Tibicen autem & Fidicen, qui Duillio, cujus primum Triumphum legimus navalem, præibant à cœna revertenti, an servi fuerint, nec ne, alii viderint. Laurent. Pignorius *de Servis*. Ut de ornatu verbum addam, *Tibicines* coronatos conviviis inductos habes apud Car. Paschalium, *Coronar. l.* 1. *c.* 4. de *Capistro* illorum suprà in hac voce: de *Tibicinum* verò, apud Hebræos, usu, ubi de rebus eorum.

TIBILITANÆ Aquæ, locus Africæ mediterraneæ ubi *Tibili* oppidum, seu *Tibilis* urbs, 45. mill. pass. in Meridiem, ab Hippone Regio. *Antonin. Augustin.*

TIBISCA, Mœsiæ inferioris oppid. *Ptolem. Sophia Nigro.* In Bulgaria, non illa *Sophia* in Mysia superiore quæ hodie Satrapæ totius Græciæ sedes, à Nicopoli ad Hæmum 60. mill. pass. à Thessalonica supra 100. à Justiniano Imperatore conditum, *Procop.*

TIBISCUM, Daciæ oppid. in Jazygum confinio ad *Tibiscum*, fluv. in Hungaria Transdanubiana. *Titul* Lazio, 4. leuc. ab Acuminco in Boream, Segedinum versus, a Tauruno urbe 61. Locus nunc cum præpositura.

TIBISCUS, fluv. Hungariæ, *Tyssa*, seu *Teissa* vulgò. Oritur ex Carpatho monte, in ipso limite Russiæ nigræ, & Transylvan. in Comitatu Moramarusiensi; dein in Occidentem tendens, auctus Zamô, Thurâ, rivisque plurimis, Tochæum rigat, recipitque Bodrocum & Tarczacum fluvium. Dein in Meridiem fluens, Zagivam recipit ad Zolnochium, Chrysium, *Kerez*, ad Czongradium & Marisum ad Segedinum; tandemque auctus fluv. *Temes*, paulò infra Tibiscum oppid. in Danubium se exonerat, 4. leuc. supra Taurunum, & vix 2. infra Petrovaradinum oppidulum. Cis & trans hunc fluv. Maximilianus II. ad 40. milliaria fines dilatavit, A. C. 1565.

TIBISENA Ostia, habet Val. Flacc. *Argonaut. l.* 6. *v.* 51. fortasse Scythiæ fluvius. *Abrahamo Ortelio* vox ignota hæc accidit dubitatque utrum *Borysthena* pro ea substitui debeat. Affirmat tamen fabulam, quam eô locô refert Flacc. describi ab Herodoti *Melpomene*, in Hyleâ regione vicinâ Borysthenis.

TIBIUM, Græcè Τίβιον, Phrygiæ mons, à *Tibio* quodam nomen nactus, unde venientes servi *Tibii* dicti, *Steph.* quorum ut emptitiorum meminit, Galen. *Methodi l.* 1. Unde apud veteres Comicos, uti Δᾶος, Σύρος, Γέτα, sic & Τίβιος servi nomen, uti diximus in voce *Tibius*. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 47.

TIBIUS, nomen servi, in Comœdiis, sicut *Sosias*, *Xanthias*. Vide Scholia *in Aristoph. Acharn.*

TIBIUS, & TYBIUS, vulgò TEIFI, vel TIVY, fluv. Albionis, per Walliam, in Oceanum Hibernicum, apud Cardengam oppid. fluens; forsan idem fluv. cum *Tuerobi*. Vide ibi.

TIBOON, mons Phrygiæ, à Tibeo quodam, hinc & servos *Tiboos* vocant, *Steph.*

TIBULA, hodie *Castel Aragonese*, *Briet.* urbs munita Sardiniæ, in ejus parte Boreali & in ora Occidentali contra Herculis Insul. 12. mill. pass. à Turri Libissonis in Boream, Juliolam versus paulo minus, 30. ab ora proxima Corsicæ in Africum, 110. à Calari in Boream, 70. ab Olbia in Occasum, uti paulo plus à portu Liguidonis.

TIBULLUS, cognom. Albius, Poëta elegiographus, & Eques Romanus, sub Augusto: natus Hirtiô & Pansâ Consulib. eôdem annô, quô Ovidius Sulmone in lucem editus est. Horatio, Ovidio, Macro, & Messalæ Corvino, quem contra Phæacas comitatus est, familiaris: in insula hac, æger sequens Epitaphium sibi confecit:

Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus,
Messalam terra, dum sequiturque mari.

Poëta juxta Quintiliani sententiam, *l.* 10. *c.* 1. inprimis elegans, tersus, ad amores & delicias aliquanto proclivior. Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 15. *v.* 27.

Donec erunt ignes, arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.

Horatius de patre suo, *l.* 1. *Serm. Sat.* 4. *v.* 109.

Nonne vides Albi ut malè vivat filius. —

Ubi Theod. Marcilius: *Ut Satyrâ* 2. *Mæcenati suo, ita nunc Albio Tibullo vertex hic dentis sui obliquum ictum infligit. Ibi Mæcenatis mollitiem, hic Tibulli miseram vitam, sive paupertatem adrodit.* Hæc ille. Atqui *l.* 1. *Ep.* 4. *v.* 6. de eodem Tibullo:

Non

Non tu corpus eras sine pectore. Dii tibi formam,
Dii tibi divitias dederant, artemque fruendi.

Et ibid. v. 1.

Albi, nostrorum sermonum candide judex.

Ubi alludere videtur ad nomen *Albii*. Hujus obitum insigni elegiâ Ovidius prosequutus est. Vide Bernard. Cillenium Veronensem, Marc. Antonium Muretum, Jos. Scaligerum, Achillem Statium, Lusitanum, *notis in eum*: Item Lil. Girald. *in Hist. Poët.* *Nic. Lloyd.*

TIBUR, civitas in Sabinis 16. ab Urbe lapide, crebris fontibus irrigua, & singulari aëris temperie commendata. Ovid. *l.* 4. *Fastor.* v. 71.

Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant; Argolicæ quæ posuêre manus.

Horat. *l.* 3. *Carm.* Od. 29. v. 6.

Ne semper udum Tibur & Æsulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ,

Hodiè *Tivoli*, civitas Campaniæ Romanæ in ditione Pontificis in colle, ubi cataractæ Anienis, & palatium superbissimum Card. Hippolyti Estensis, 12. mill. pass. à Frascata in Boream. *Baudrand.* Est autem hoc oppid. origine Græcum, à *Tiburto*, Catillo, & Cora Amphiarai liberis, post prodigiosum patris ad Thebas interitum, communiter conditum, & à *Tiburti* nomine natu maximi *Tibur* appellatum. Virg. *l.* 7. *Æn.* v. 670.

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia condunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus.

Silius, *l.* 8. v. 365.

——— *Et Tibur, Catille, tuum.*

Herculeum vocat Propert. *l.* 2. *Eleg.* 32. v. 5.

Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?

Credo, quòd ibi templum Herculis, Strab, *l.* 5. Τίβουρ⊗ ἐν ᾧ τὸ Ἡράκλειον. Fuit illud Fatidicum, in quo per Sortes, non minùs ac apud Antium & Præneste, Oracula reddebantur, ut ex Statio liquet *Sylvar. l.* 1. *Carm.* 3. ubi de *Villa Tiburtina*, v. 79.

Quòd ni templa darent aliàs Tirynthia Sortes,
Et Prænestinæ poterant migrare Sorores.

Et quidem structurâ ac magnificentiâ eximium, ut non obscurè docent hæc Juvenalis verba, *Sat.* 14. v. 90.

Vincens Fortunæ, atque Herculis ædem.

Porrò *Tibur* pomis abundabat. Horat. *l.* 1. *Carm.* Od. 7. v. 13.

Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Hinc *pomosum* vocat Columella, *l.* 10.

Hic Turni lucus, & pomosi Tiburis arva.

Idem Horat. *l.* 2. *Satyr.* 4. v. 70.

Picenis cedunt pomis Tiburtia poma.

Silius, *l.* 4. v. 224.

Quosque sub Herculeis taciturno flumine muris
Pomifera arva creant.

Vide Plinium, *l.* 17. *c.* 16. *Tiburtinæ* Bibliothecæ meminit A. Gellius, *l.* 9. *c.* 14. *Meminimus & in Tiburti Bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro scriptum.* Et *l.* 19. *c.* 5. *Sed quum bibendæ nivis pausa fieret nulla, promit è Bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis Templo satis commodè instructa libris erat, Aristotelis librum* &c. Ubi eam *in Herculis Templo* asservatam fuisse, docet. Videtur autem publica fuisse, forsan Hadriani, qui eò secessu magnopere lætabatur. Vide Lipsium, *de Biblioth. c.* 8. Idem Gellius *Tiburte rus* memorat *locô proximè cit.* quò nomine prædium circa *Tibur* intelligit, ubi ditiores æquè ac prope Tusculum prædia sua habere solebant, quò æstate secederent. Unde *Tusculana* & *Tiburtina* prædia dicta, quæ juxta alterutrum locum erant sita. Seneca *de Benefic. l.* 4. *c.* 12. *Nemo Tusculanum aut Tiburtinum emere paratus, salubritatis causâ & æstivi secessûs, quotô annô emtus sit, disputat: Cùm emerit, tuendum est.* Vide Jac. Oiselium *in Gellium Notis.* Adde de hodierno loci statu, variaque ad notitiam antiquitatum, quas suppeditat, Sponium, *Itin. part.* 1. *p.* 48.

TIBURNIA, melius *Teurnia*, urbs Norici, hodie *Villach*, urbs Carinthiæ superioris ad Dravum. Vide *Teurnia.*

TIBURTINA Villa, hodie *Villa d'Adriano*, in agro Tiburtino. Altera in eodem territorio, cujus meminit Vitruv. nunc *Taurma* dicitur, Cæs. Cæsarianus.

TIBURTINI, Romanis obedire, Romanoque Pontifici renuebant, A. C. 1146.

TIBURTIUS, prænomine *Lucius*, Centurio Cæsari, à Pompejanis, in colloquio ad Apsum fluv. vulneratus. Cæs. *l.* 3. *de bello Civ. c.* 19.

TICARIA, Insula Illyrici, inter Phariam ad Occidentem, & Corcyram nigram in Ortum, vulgò *Trucula*, vide *Trucones.*

TICARINIA, urbs ad Pontum Euxinum, *Palæphatt.*

TICARIUS, seu *Ficarius*, Corsicæ fluv. *Ptol. Grosso Leandro.* Parvus, in parte Austral. Insulæ. Quibusdam est *Bozzo*, Brietio *Ficari*; ac in Sinum Titianum se exonerat.

TICHASA, urbs Africæ propriæ. *Ptolem.*

TICHIOES, Castellum prope Trachinam, *Steph.*

TICHIS, fluv. Hispaniæ citerioris vulgò, *Tec*; apud Girundam decurrens pelagô ad Rhodam excipitur, vide *Ticbis*, apud Melam, *l.* 2. *c.* 5.

TICHIUM, oppid. Ætoliæ, *Thucyd.*

TICHIUS, cacumen Oetæ montis, Liv. *l.* 36. *c.* 16. & 19.

TICHOBATES, apud Flavium Vopiscum *Carino*, *c.* 19. *Nam & neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & tichobaten, qui per parietem ursô elusô cucurrit*: pro *Tæchobates*, ex Græco Τειχοβάτης: ex genere τῶν θαυματοποιῶν est, quibus nimium dediti Veteres. *Currebant* autem Tichobatæ *per parietes*, uti Vopiscus habet, sicut Neurobatæ per nervos seu fila tenuissima, Κρημνοβάται per præcipitia &c. τοῖχ⊗ enim *paries* Græcis, Salmas. *ad loc.* Vide quoque suprà *Oribata*, & infrà *Uncæ manus.* At *Tichodifrus*, genus machinæ est, ex Græco Τειχοδίφρος, *quòd per eum facilior in murum pareiur ascensus, ante balistæ semper ducendus incessum, quò protectior eadem balista operetur*, apud Anonymum *de Machinis Bellicis* subjectum *Notitiæ* Imperii.

TICHOS, castellum Achajæ, *Steph.*

TICIDA, poëta quidam, qui *epigrammata* scripsit tempore Valer. Catulli. Amavit *Metellam*, quam fictô nomine *Perillam* vocavit. Ovid. *Trist. l.* 2. v. 433.

Quid referam Ticidæ, quid Memmi carmen? apud quem
Nomen adest rebus, nominibusque pudor.

TICINENSIS Jacobus, vide *Jacobus.*

TICINUM, nobile Insubrum oppid. olim Longobardorum regia, in planitie ad Ticinum fluv. à Liguribus, Levis & Mariciis, ante Mediolanum, alii malunt à Gallis, paulo pòst hanc urbem, condita. Posteà *Flavia Papia* dicta, & *Papia*, Paul. Diac. Cum titulo Principatus, Academiâ fundatâ à Carolo M. A. C. 791. restauratâ à Carolo IV. A. C. 1361. & Episcopatu, qui immediate Romanæ sedi subest. Naturâ & arte egregiè munita, clavis Lombardiæ. Post Gallos subfuit Romanis, deìn ab Attila vastata, porrò Odoacrum, qui ibi Orestem obsedit, sensit infestum. Exin Longobardi, regnante Albinô, rerum hic potiti sunt, qui illam post diuturnam obsidionem captam, sedem regni, ut dictum, constituit. Sed cum Desiderio Longobardorum ultimo Rege, in potestatem à Carolo M. redacta est, A. C. 773. Post quæ sub Regibus Italiæ fuit, donec Otto I. illâ occupatâ, Berengarium cum filio regnô expulit, A. C. 951. Cum Mediolanensibus acre civibus bellum, A. C. 1059. quibus sequentibus temporibus varii imperârunt Tyranni, usque dum Vice-Comites Mediolanenses urbem ditioni suæ junxerunt. Franciscus I. Galliæ Rex posteà bellô Mediolanensi, cùm urbem hanc obsideret, cruentissimô præliô à Carolo V. Imperatore victus, captusque est, A. C. 1525. Occupata tamen est à Lautreco, Gallicarum copiarum duce, A. C. 1527. sed recepta, Hispanis mansit. Hic multa antiquæ nobilitatis monumenta, & pons lapideus, magnitudine & structurâ in Italia nulli secundus: Varia collegia, plurima templa magnifica, Augustinianorum inprimis, apud quos St. Augustini corpus asservatur, celebre. Hæc Othoni Imperatori se dedidit A. C. 911. Hic & Autbares Longobardorum Rex, cùm 6. annos cum Theodelinda Uxore regnâsset, dolô domesticorum poculô venenatô sublatus est. Conradus II. Imperator Ticinenses rebelles, qui Palatium regium dejecerant, domuit, novô erectô. Horribili pestilentiâ afflicta urbs est A. C. 680. immani arsit incendiô, A. C. 1004. Hic quoque Boëtius sepultus est, P. Diac. *l.* 4. *de gestis Longobardorum*, Luitprandus, Sigonius, Anton. Maria Spleta, Bernardus Saccus *in Histor. Ticin.* Leander Albertus, *descr. Ital* præter Plinium, Tacit. Ptolemæum, Strabonem, &c. Ibidem Concilium A. C. 850. quod à Ludovico & Lothario Imperatorib. confirmatum est. Carolus quoque Calvus, post coronationem Româ reversus Concilium ibidem convocavit, A. C. 876. Contra Simoniacos aliud à Leone IX. celebratum est, A. C. 1049. Gregorius porrò VII. ab iis qui Henrici IV. Imperatoris partes secuti sunt, Conciliô hic indictô excommunicatus est: A. C. 1076. qui idem Wormatiæ posteà in Synodo Necromantiæ, adulterii aliorumque scelerum est accusatus, A. C. 1078. &c. Vide Moret. *Hist. Lex.* Hodie *Papia* vocatur, vulgò *Pavie*: de Ticinensi terra vide *Papiense territorium.*

TICINUS, fluv. Insubriæ clarissimus, qui ex Adula erumpens, ac per lacum Verbanum, Ticinique urbis mœnia lambens, post 4. mill. pass. in Padum influit. Aquas suas limpidas, permixtas aquis Padi turbidis ad 10. mill. pass. conservat. Arenis alicubi aureis & thymallô pisce nobilis. *Tesino* hodie dicitur. Ejus meminit Silius, *l.* 4. v. 82.

Cæruleas Ticinus aquas, & stagna vadoso
Perspicuus servat turbari nescia, fundo.

Unde Claudian. *in* 6. *Consul. Honorii*, v. 196.

Cæla levant pulcher Ticinus, & Addua visu
Cærulus.

Nil. Lloydius.

TICLIVINNI, vicus hodie in Flandria, non procul à Gerardi Monte *Grammont*: Vulgò *Dickelveune.*

TICTA, vide *Tycta.*

TICUM, vulgò TICOU, urbs Sumatræ, cum portu capaci, in ora Occidentali, 180. mill. pass. à Malacca in Africum, & 400. circiter ab Acemo in Meridiem, sub Rege Acemi.

TIDORA, vulgò TIDOR, una ex Moluccis propriè dictis, inter Ternatam ad Boream & Motiram ad Meridiem, prope oram Occidental. Giloli Insul. sub Hollandis, qui ibi aliquot habent arces. Parva,

sed aromatum proventu dives. Vide Hugon. Grotium, *Histor. Belg.* & supra in voce *Moluccæ*.

TIELA, vulgò TIEL, vel TIELT, oppid. Geldriæ, in Batavorum finibus, ad Vahalim; 4. leuc. à Noviomago in Occasum, 4. Vorcum versus, Bomelæ oppido proximum.

TIELLA, una ex 3. Hyblis Siciliæ, *Stepb.*

TIENA, urbs Brabantiæ, ad Getam amnem, *Metel.*

TIENCHEUM, vulgò *Tiencbee*, urbs Quansiæ, in Sina, nunc sub Rege Tunchini. Subsunt ei quatuor urbes, *M. Martinius*.

TIERSTENIUM, castrum celebre, in veteri agro Raurico, vulgò *Tierstein*, sedes Comitum olim, qui habitatâ prius Vuitnaugiâ, pagus is est Viesæ vallis, contra Basileam, versus Hercynium nemus, affinitate dein cum Vroburgensi familiâ contractâ, matrimonii jure, novâ accessione in agro Raurico aucti sunt: hæredes posteà Sougerensium quoque facti. Defecit stirps, A. C. 1519. Henricô ultimô Comite defunctô. Primùm oppignoratum Solodurensibus, apud quos civitatis jure postremi Comites fruebantur, plenô tandem dominiô ad eos devenit: reliqua illorum bona, partim iisdem, partim Episcopo Basiliensi, gente extinctâ, cesserunt. Vide Stumpf. *Chron. Helv.* Christ. Urstisium, *Hist. Basil.* &c.

TIESSA, Pausan. *l.* 1. *Tiassus* Athen. fluv. Laconicæ, per Spartam & Amyclas, in Eurotam fluens.

TIFATA, vulgò *Monte di Capoa* & *di Caserta*, Livio, *l.* 26. *c.* 5. & Vellejo, *l.* 2. *c.* 25. Campaniæ mons, Capuæ urbi imminens, inter eam & Nolam extensus, teste *Dionysiô*. Ejus meminit, Stat. *l.* 4. *Sylv.* 4. *v.* 85.

Cessat apex procul ista tuis, Tifata, Teate.

Silius, *l.* 12. *v.* 487. ubi de Annibale;

—— Arduus ipse
Tifata invadit propior, quà montibus instat
Collis, & è tumulis subjectam despicit urbem.

Cùm oppido olim cognomine.

TIFATA Curia, una fuit ex 30. Curiis Romanorum, de quarum nominibus octo solùm apud rerum Romanarum Scriptores supersunt. Meminit ejus Festus, *Tifata*, inquiens, *Iliceta: Romæ autem Tifata Curia: Tifata etiam locus juxta Capuam*: apud Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 2. Vide in voce *Tifata*. Eam verò vocem apud Statium *d. l.* delendam, variis rationibus suadet Barthius, qui versum illum sic legit,

Cessat apex procul ista tuis sint fata, Teate,
Nec Marrucinos agat hæc insania mares.

Vide eum *Animadvers. ad l.*

TIFERNAS, vide *Georgius*.

TIFERNUM, urbs gemina Umbriæ: unum *Tiberinum* cognomine, Episcopale, situm in planitie, non procul à Tiberi fluv. à quo denominatur, vulgò *Citta di Castello*. *Baudrando* regiunculæ cognominis caput, ad Tiberim, in limite Hetruriæ, 10. mill. pass. à Burgo S. Sepulchri in Meridiem 18. ab Arctio in Ortum Calium versus 22. Satis munita. Sub Pontifice. Hinc ager *Contado di Citta di Castello*. Alterum *Metaurense* dictum, ad *Metaurum* fluv. in valle, à priore 20. mill. pass. oppid. haud obscurum Ducatus Urbinatis. *Ferrar.* Vulgò *S. Angelo in Vado*, 6. milliar. ab Urbanea in Occasum, uti 16. à Tiferno Tiberino in Boream, 13. ab Urbino in Occasum. Sub Pontifice *Baudrand*.

TIFERNUS, qui *Phiternus*, *Ptol.* (ut quibusdam placet) fluv. Frentanorum, illos ab Apulis Dauniis dividens, ex Apennino monte in mare Hadriaticum per Larinum ad Thermulas influens. *Baudrand.* *Bifterno* dicitur hodie, oriturque in Comitatu Molisino, prope Bovianum; hinc in Cæciam tendens, Guardiam Alferiam rigat & versus Larinum labitur, tandemque prope Thermulas Urbem Capitanatæ, in mare Adriaticum se exonerat.

TIGAVA, Plin. *l.* 5. *c.* 2. *Ptol.* *Tigaviæ Antonin.* urbs olim Episcopalis Mauritaniæ Cæsariensis mediterranea 2. mill. pass. ab Oppido novo. Episcopi *Tigabitani* meminit *Augustinus*.

TIGELLINUS Sophonius, vel *Tigillinus*, vir Romanus, vitæ corruptissimæ, qui Neroni intimarum libidinum conscientiâ cùm esset familiaris, plurimis summis viris per calumniam exitium machinatus est. Posteà rerum potitô Othone, ad aquas Sinuessanas, supremæ necessitatis nunciô acceptô, inter concubinarum oscula fauces sibi præcidit. Tacit. *l.* 1. *Hist.* *c.* 72. Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 155.

Pone Tigellinum: tædâ lucebit in illa,
Qua stantes ardent, &c.

Vide & *Ophonius* seu *Osonius*.

TIGELLIUS, vide *Thermogenes*.

TIGERNUM, castrum vetustissimum Galliæ, in finibus Arvernorum, hodieque *Tiern*: cum Monasterio cognomine. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TIGIDIUS, inter Commodi ministros, apud Lamprid. *c.* 4. ubi *Acidius* alii legunt.

TIGILLUS, inter cognomina Jovis, de quo vide Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 7. *c.* 11. *Tigillum* autem à *tigno* est, unde fortè is dictus, quòd *tigni* instar Mundum sustineat. Aliud *tegillum*, pro integumento scil. corporis seu veste [illegible]i & plebejâ frequentatum, uti ex *Nonio* discimus. Vide de utroque Becmannum, *Origin. L. L.* Apud Livium, *Tigillum Sororium* occurrit, *l.* 1. *c.* 26. ubi de Horatio, qui sororem interfecit: *Is* (Pater) *quibusdam piacularibus sacrificiis factis —— transmissô per viam tigillô capite adopertô, velut sub jugum misit juvenem. Id hodie quoque semper refectum manet. Sororium tigillum vocant* &c.

TIGIS, Mauritaniæ Cæsariensis oppid. *Ptol.* *Tigisi Antonin.* Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsariensi, Rusucurrô 12. mill. pass. in Meridiem distans: nunc *el col de Mudelares* dicitur; estque recens cultum à Mauris ex Hispania ejectis, 8. leuc. ab Algerio, teste *Sansone*.

TIGNIA, fluv. Piceni apud *Tignium* oppid. fluens. *Tenna Francisco Pamphilo*, *Tinea* aliis, inter Chientum & Asonem fluv. mari ad portum Firmianum excipitur.

TIGNIUM, Piceni oppidum Cæsari, medium ferè inter Firmum ac Tollentum, unde 16. mill pass. abest. Vulgò *S. Maria in Giorgio*, *Leandro*.

TIGNUM, an à *tango*, quòd ad ædificia adhibeatur, ut inde oriatur contiguitas; an à *tego*, quòd *tigna* sint trabes, quibus summa domus contegitur? Hæc qui scindunt, quadrant & aptant ad ædificium, *Tignarii Fabri* Latinis, Græcis voce generali Τέκτονες dicuntur; etiam inter Artifices memorati Vegetio, *l.* 2. *c.* 11. qui exercitum sequebantur, & in singulis legionibus erant, sub Præfecto Fabrûm, de quibus vide Corrasium, *Miscell. l.* 3. *c.* 25. *n.* 1. 2. 3. Gœddeum *Comm. ad l. tigni.* 92. *n.* 3. 4. & *seqq. ff. de verbor. signif.* Cujacium *ad l.* 1. *in fin. Cod. de excus. Artif. lib.* 10. Salmas. *ad Lamprid. Alexandrô Sev. c.* 52. Cœterùm de *tigno*, domui exemto, Regiorum mandatorum transgressorem suspendere, Persici olim moris fuisse, discimus ex Esra, *c.* 6. *v.* 11. &c.

TIGRA, urbs Mœsiæ inferior. *Antonin.* & *Lib. Notit.*

TIGRANAANA, urbs Armeniæ majoris versus confinium Mediæ. *Simolachach* Georgianis: *Tauris*, Nigro & Theveto. Sed situs apud *Ptol.* haud convenit, cùm *Tauris* in Media sit, non in Armenia. Baudrando etiam *Tigranoama*, olim fuit inter Caspium montem ad Ortum & Arissam lacum ad Occasum. Quid hodie sit, difficile dictu.

TIGRANES, Rex majoris Armeniæ potentissimus, qui auxilium ferens Mithridati, victus est primò à Lucullo, deinde à Pompejo M. in deditionem acceptus, & in regnum restitutus, persolutis 6000. talentis. Crebra ejus mentio apud Cicer. *pro Lege Manilia*. Lucan. *l.* 2. *v.* 637.

Tigranemque meum, nec Pharnacis arma relinquas.

Vide Justin. *l.* 40. *c.* 1. & 2. Appian. *in Syr.* Liv. *Epit. l.* 100.

TIGRANES, Armeniâ quondam potitus, ac sub Tiberio reus, Qu. Plautiô, Sext. Papiniô Consulib. ne nomine regiô quidem supplicia civium effugit, Tacit. *l.* 6. *Annal.* *c.* 40.

TIGRANES, à Nerone, ad capessendum Armeniæ regnum dilectus, Cappadocum ex nobilitate Regis Achelai nepos; Sed quòd diu obses fuerat apud Rom. usque ad servilem patientiam demissus. Tacit. *l.* 14. *Annal.* *c.* 26.

TIGRANES Achæmenides, Medorum Dux, apud Herodot. *l.* 7.

TIGRINÆ Mensæ, sicut & *Pantherinæ*, memorantur Plinio, *l.* 13. *c.* 15. *Mensis præcipua dos in vena crispis vel in cortice variis; illud oblongô evenit discursu, ideoque* tigrinæ *appellantur; hoc intortô, & ideo tales Pantherinæ vocantur. Sunt & undatim crispæ, majore gratiâ, si pavonum caudas imitentur.* Ubi è citro mensas intelligit, quæ usque adeò Romanis olim in pretio fuêre, ut argenti aurique æstimationem ea arbor æquaverit. Idem, *ibid.* *Confines ei Mauri, quibus plurima arbor citri & mensarum insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt.* Ad quem luxum fortè allusit Horatius, *l.* 2. Ode 18. *v.* 1. *s.*

Non ebur neque aureum
Meâ renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultimâ recisas
Africâ.

In his itaque maculæ pretiosæ erant, quæ quo majores eò cariores: & ab harum varietate *Tigrinarum* Pantherinarumque cognomina. Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 5. *c.* 26. Habebant autem *tigrinæ*, uti ex Plinio discimus, in morem venarum longas lineas discurrentes, tæniis similes, tales enim maculæ tigrium, quas proptereà ῥαβδωτὰς, h. e. *virgatas*, appellaverunt: cùm pantherinæ in orbes parvos & intortos crispæ essent, ut sunt terga pantherarum. Quam macularum harum differentiam scitè describit Oppian. *Cyneget. l.* 1. Vide quoque Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 5. & suprà, ubi de *Mensis* alibique.

TIGRANOCERTA, urbs Armeniæ majoris quæ *Tigranopolis*, ac *Tigranopetra*, teste *Appianô*, dicta est, à Nisibi urb. Mesopotam. 36. mill. pass. in Boream, ad Nicephorium fluv. teste Tacitô, *l.* 14. *Annal.* *c.* 23. 24. *l.* 15. *c.* 4. 5. 6. 8. apud Masium montem, qui Gordyæo finitimus est, teste *Strabone*. Ea hodie *Sultania Jovio* dicitur, *Bonacciolo* verò *Sava*. Baudrando est ad Nymphæum fluv. versùs confinia Assyriæ, inter Arthemitam ad Cæciam & Amidam ad Africum, 100. mill. pass. à Nisibi, sed à Masio monte remota. Hodie creditur *Bitlis*, urbs munita Turcomaniæ. Sub Turcis.

TIGRE, vulgò TIGRE, regnum Africæ, pars regni Abissinorum, cujus Prorex *Tigre mahon*. Hujus portio, quæ Sinui Arabico vicina est, regnum *Barnagassi* dicitur. Hieron. Lupus Lusitanus, *de orig. Nili & Æthiop. superior.*

TIGRES, Peloponnesi fluv. qui posteà *Harpys* dictus fuit à demersa in eo una *Harpyiarum*. Apollod. *l.* 1.

TIGRIS, quadrupedum pulcherrima, ut pavo avium, Oppianus, *Cyneget. l.* 3. *v.* 340.

Tige-

Τίγριδος αὖ κλείουσι κλυτὸν δέμας αἰόλον
Τὸν αἰ τερπνότεροι φῦναι ὀπάσ(σ)αι τεχνήεντα,
Ὁ Μαλμαίην ἰσῶν, θηρῶν μὲν παλαιὸν ὅμιλον,
Τόσσον δ' ἐν θήρεσσι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο τίγρις,
Ὅσσον ἐν ὀρνίθεσσι ταῶς καλὸς οἰωνοῖσι.

Cui proin, imitatione hujus, *virentes maculas*, tribuit Claudian. de *Raptu*, *l.* 3. *v.* 263.

> --- --- *fremit illa marito*
> *Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram*
> *Dispergit maculis.* ---

Quomodo & pardum alibi *viridem* dicit idem Poëta. Inter quos tamen id discriminis est, quod *tigres* longis tæniis sit varia, pardorum verò maculæ rotundæ sint, unde *virgatæ tigres* passim apud Poëtas, & *tigrinæ* inde *mensæ* à pantherinis diversæ, ut vidimus. Eadem velocissima, unde ventis eam concipi finxére Poëtæ. Idem Oppian. *l.* 1.

> Θηλύτεραι δ' ἑλικῶν πανυστίγεσσι θηρῶν
> Αὐτῷ γάρ τε θέρειν εἴδει Ζεφύρῳ γενετῆρι.

Et *mobiliorem Zephyrô maritô* Claudianus modò dixit. Indidem ipsi nomen. Armeniis enim, Medis ac Persis, *tigris* sagittam notat; quæ vox etiam rapidissimo Hyrcaniæ fluvio indita. Arabibus eadem fera modò *albabir*, modo *alphuranik*, quorum utrumque curlorem ac veredum, & hoc quidem posterius *valde expeditum* notat, dicitur. Porrò robustissima, utpote leonibus ferè duplò major, & elephantorum quoque victrix, ut de Indicis tigribus Nearchus, apud Arrianum *in Indicis*, & de Prasiis ex eodem ac Megasthene Strabo tradit, *l.* 15. Adde & leonum, quod sub Tito Roma stupuit, Martial. *l. Spect. Epigr.* 18 Unde *immanem* dixit Maro, *l.* 9. *Æn. v.* 730. & ad vim ingentem ejus alludens Statius, *Thebaid. l.* 2. *v.* 132.

> *Spirantem fert ora virum* ---

canit. Quare falsum, cum cane coire, quò congressu Indici canes oriantur, ut Aristoteles, qui primus earum meminit, opinatus est, *Histor. Animal. l.* 8. *c.* 28. ad canis formam tigrim accedere falsò persuasus, *de Gener. l.* 2. *c.* 7. Sed veniam meretur, cùm id animal tum adhuc partim cognitum fuerit, & Nearchus ipse, qui Hyrcaniam & Indiæ partem cum Alexandro peragraverat, & Indicæ classi præfectus fuerat, ipsum animal vivum nunquam viderit, sed pellem solùm. E cujus relatione Arriano memorata, ubi addit, *Eas verò, quas nos videmus, & tigres vocamus, thoes esse maculosos, & aliis thoibus majores*, jam tum pro tigri genuina suppositum fuisse animal, quod revera non esset tigris, (sed è thoum genere, thoibus tamen majus) facilè liquet. Vide de robore inprimis tigridis mira, apud Vossium *in Melam*, *p.* 248. & 249. Capitur tamen & tanta, vel rapitur potiùs, *Raptores* enim propriè Veteribus tigrium venatores dicti. Et quidem primitus, qui unum ex tigridis catulis volebant servare, universum fœtum, qui numerosus plerumque, raptum ibant, ut, sequenti matri subinde unum jaciendo, sic eam morarentur, donec ad mare pervenissent: quod faciendo vix tamen, ob feræ pernicitatem, ex universo fœtu unum poterant subtrahere. Postmodum, aliâ venandi excogitatâ arte, pro catulis vitreas sphæras currenti objiciebant, in quibus tanquam in speculo se ipsam intuens, dum, quam videt imaginem, putat esse sobolem suam, sic retardaretur. Quà de re sic Claudianus, ubi suprà, *v.* 263.

> *Arduus Hyrcanâ quatitur sic matre Niphates,*
> *Cujus Achamenio Regi ludibria natos*
> *Avexit tremebundus eques; fremit illa marito*
> *Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram*
> *Dispersit maculis, jamjamque haustura profundò*
> *Ore virum, vitreâ tardatur imagine formæ.*

Vide quoque Ambrosium, *Hexaëmeri l.* 6. *c.* 4. Nec verò catuli solùm, sed & ipsæ sic matres, dum pro fœtu satagunt, Venatoribus in prædam cedunt, audaciâ illorum industriâque cum tempore crescente. Dico *matris*. Marès enim, conspectis Venatoribus statim aufugiunt, ideoque non capiuntur, quæ causa, cur omnes tigrides fœminas esse, creditum sit non paucis. Varronis tamen tempore, *tigridem vivam posse capi*, Romanis adhuc fuit ignotum. Sed exinde Imperii hujus finibus usque ad Parthos propagatis, ex Armeniâ, aut Indiâ aut Hyrcaniâ, per Parthos Romam usque cœpit adduci. Et *Q. Tuberone & Fabio Max. Coss. IV. Non. Maji, Theatri Marcelli dedicatione, tigrim primus omnium Romæ ostendit* (Augustus) *in caveâ mansuefactam. Divus verò Claudius simul quatuor.* Plin. *l.* 8. *c.* 17. *extr.* Fuisse tigrim illam Augusti, inter munera ludorum, *Dio* addit. Nota autem, quòd *mansuefactam*: hucusque enim humano ingenio feritas cessit. Sic in caveis Romanarum delitiarum pars tigrides esse cœpere, quas inaurari consuevisse, testatur Petronius,

> --- --- *premit ad vena classes*
> Tigris *& aurata gradiens vectatur in aula.*

Domitianus verò etiam currui junxit. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 105. *v.* 1.

> *Pictò quòd juga delicata collò*
> *Pardus sustinet, improbaque tigres*
> *Indulgent patientiam flagello.*

Junxit & Heliogabalus, *Liberum se vocans*, apud Lampridium, *c.* 28. Bacchi enim currum *tigres* traxisse, res in Poëtarum fabulis notissima &c. Quam in rem vide inprimis Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 8. Porrò non oblectationi solùm, sed & usui est tigris. Indos enim in mensis suis apponere, ut leones, sic *tigrium clunes*, cæteris verò partibus animalis (utpote religiosi, cùm simul ac natum est, priores pedes versus Orientem attollat) abstinere, ex Damide tradit Philostratus, *de Vita Apollonii l.* 2. *c.* 12. In Congitana autem regione, totâ tigride vesci, carne eâ, in quâ mystaces, exceptâ, eo quòd venenatam hanc arbitrentur, testis est Jo. Linschotenus, *Descript. Guineæ.* Nec carnes has bubulis sapere deteriùs refert Joan. Ledesma Hispalensis, apud P. Martyrem, *ceanæ Decad.* 3. *l.* 2. Pellis inprimis maximi æstimata, quæ Heroinis olim familiaris, ut diximus supra voce *Pellis*. Il super bellatorum caput & superiorem corporis partem olim horrificabat. Val. Flaccus, *l.* 6. *v.* 704.

> *Perque levem & multò maculatam murice tigrim*
> *Concita cuspis abit; subitos ex ore cruores*
> *Saucia tigris hiat vitamque effundit herilem.*

Venatorum item. Papinius *Theb. l.* 9. *v.* 686.

> *Venator raptabat equus, quem discolor ambit*
> Tigris *& auratis adverberat unguibus armos.*

Nempe ungulæ aureis laminis inducebantur, ne acie illorum quis vulnerari posset. Unde de tali tigride, i. e. tigrino operimento Heroum, idem, *l.* 6. *v.* 724.

> --- *extremos auro mansueverat ungues;*

ad quem locum vide Casp. Barthium: plura verò de nobili hac fera, apud Plin. *l.* 8. *c.* 4. 16. 18. ubi de matrum in catulos affectu inprimis, Salmasium *ad Solin. p.* 211. ubi itidem inter alia de Tigridis præsertim Indicæ, ereptis catulis, rabie, cernuatione & ruina, Barthium modò dictum *Animadv. ad Statium passim*, qui urbes quoque nonnunquam à tigribus obsideri adnotat *ad Theb. l.* 5. *v.* 204. Wottonum *de Different animal. l.* 5. *c.* 81. Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 60. 63. 65. 72. & *seqq.* P. de Valle *Itin. Part. IV.* ubi de pugna tigridis cum homine victore, in Aula M. Mogolis. Alios; uti de stella *Tigribus*; ursis & leonibus præfecta, apud Peruanos, infrà voce *Ursa.* Idem nomen, an à maculis, an à celeritate potiùs, equo Circensi, Martialis ævô percelebri, de quo vide illum, *l.* 7. *Epigr.* 7. Sed & quia vox primævâ notione *sagittam* sonat, ad aliud armorum genus translata reperitur, apud Gregorium Turonensem, qui, de Nunnio quodam Tribuno loquens, *tigrim* vocat ensem ejus, *de Gloria Confess. c.* 42. &c. De *Tigride* verò fluvio triplici apud Herodotum, *Tigride* item *Paphlagonico*, *Persico* & *Pontico*, ut & alia huc pertinentia, vide apud Salmas. *d. l. p.* 621. & *seqq.* aliquid etiam suprà, voce *Pasitigris.*

TIGRIS, sic à velocitate dictus, quasi *sagitta*, insignis Asiæ fluvius, qui in Armenia majore locô planô & conspicuô nascens per Arethusam lacum ita transfluit, ut neque aquæ, neque pisces commisceantur. Occurrente dein Taurô in specum, sicut Lycus in Asia, & Erasinus in Argia, pemergitur, & ab altero ejus montis latere erumpit, ac mox per Thospiten lacum transvectus, rursus in cuniculos mergitur, & post 20. mill. pass. luci redditur. Post hæc Mesopotamiam, quæ quòd inter Tigrim & Euphratem intercepta sit, sic dicta est, ab Ortu seu dexter alluit, tandemque in 2. divisus cornua, in Euphratem, qui similiter in Armenia majore oritur, ad locum ubi Seleucia à Seleuco Nicanore condita, influit, à quo in Persicum sinum defertur. Dionys.

> --- Ποταμῶν ὤκιστος ἁπάντων
> Τίγρις ἐϋρρείτης φέρεται. ---

Solin. *c.* 40. *In Armeniæ majoris regione caput tollit, mirè quàm lucidò conspicuóque fonte, in loco haud edito, qui Elongosine nominatur, nec tamen ab exordio totus est. Primùm pigrè fluit, non cum suo nomine, at cùm fines Medorum invectus est, Tigris dicitur: ita enim Medi nominant sagittam.* Lucan. *l.* 3. *v.* 256.

> *Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus*
> *Euphrates, quos non diversis fontibus edit*
> *Persis, & incertum, tellus si misceat amnes,*
> *Quod potius sit nomen aquis. Sed sparsus in agros*
> *Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ:*
> *At tigrim subitò tellus absorbet hiatu*
> *Occultosque tegit cursus, rursusque renatum*
> *Fonte novò flumen pelagi non abnegat undis.*

Justin. *l.* 42. *c.* 3. *A cujus* (Armeniæ) *montibus Tigris fluvius modicis primò incrementis nascitur: interjectò deinde aliquantò spatiò, sub terras mergitur; atque ita post quinque & viginti millia passuum grande jam flumen in regione Sophene emergit, ac sic in paludes Euphratis recipitur.* Boëtius, *l.* 5. *de Cons. Phil.*

> *Rupis Achæmeniæ scopulis, ubi versa sequentum*
> *Pectoribus figit spicula pugna fugax;*
> *Tigris & Euphrates unò se fonte resolvunt,*
> *Et mox abjunctis dissociantur aquis.*
> *Si coëant, cursumque iterum revocentur in unum,*
> *Confluat alterni quod trahit unda vadi:*
> *Conveniant puppes, & vulsi flumine trunci,*
> *Mistaque fortuitos implicet unda modos;*
> *Quos tamen ipsa vagos terræ declivia casus,*
> *Gurgitis & lapsi defluus ordo regit.*

A Seneca *Violentus* dicitur, à Nonno *ἀνερείβαγος*, & in *Antholog. l.* 3. legimus:

Γηλωνὶς μετὰ Τίγριν ἀγάλλεται οἰκάδι καί.

Vide Lud. de la Cerdam *in illud Virgil. Ecl.* 1. v. 63.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Et Arrianum, *l.* 17. *de exped. Alexand. Sylax* quondam vocatum tradit *Eustath. Sollax* habet Plut. *l. de Flum. Hidekel* Ebræis dicitur, unusque est ex 4. fluviis Paradisiacis, teste *Ariâ Montanô. Tegil* hodie nominari scribit Castaldus & *Sir* Pinetus. *Diglath* vocat eum Josephus: *Diglito* quoque eum vocari, eâ parte nempe quâ tardior fluit, Plinius auctor est, cui etiam *Pasitigris* dicitur, ut & *Arriano. Lloyd. Baudrando* oritur ex montibus Ararat sive Armeniæ & inter Assyriam Mesopotamiamque fluens, & Chaldæam intersecans, Euphrate receptô, labitur in Sinum Persicum, Arabiam inter & Persidem, prope Teredonem. *Eustathius* alium *Tigrim* in Paphlagonia esse ait, ex *Xenophonte*, qui in Euxinum decurrit.

TIGULIA, sive *Tigullia*, oppid. Liguriæ in ora littorali, ad Ortum, medium inter Genuam urbem ad Occident. & Erycis portum ad Ortum, utrinque 30. mill. pass. *Sestri di Levante* teste *Aug. Justinianô.*

TIGURINI, posteà *Turicini*, & *Turegenses*, populi Helvetiæ fortissimi, quam in 4. pagos, è quibus unus *Tigurinus* appellatus fuit, divisam refert Cæsar, *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 12. Hi A. M. 3758. cum Tuginis & Ambronibus Gallis, Cimbris se junxerunt, & tripartitô agmine Galliam Narbonensem ingressi, illam vastârunt. Cassium dein Consulem Rom. devicerunt: de quo sic Cæsar, *Hic pagus unus cùm domô exisset, L. Cassium Consulem & L. Pisonem Legatum prælió interfecerat, incautos, exercituque Consulari pulsô & sub jugum missô, insignem calamitatem populo Romano intulerat.* Factum id autem est in finibus Allobrogum, qui dextrum Rhodanum accolunt, Florus, *Epit. l.* 65. belli Jugurthini temporibus; Orosius, *l.* 5. *c.* 15 qui addit, Quint. Publium, alterum Legatum, ne residua exercitûs portio deleretur, obsides & dimidiam rerum omnium partem *Tigurinis*, turpissimô fœdere, dedisse. Posteà, cùm Helvetii novas in Gallia sedes quæsituri, oppida quique sua incendissent, ne revertendi desideriô conatus tantus impediretur: occurrens Cæsar, insidiis & fraude *Tigurinos*, partem tum Helvetiorum quartam, circumvenit. Complectebatur autem tum *Tigurinorum* tractus Tigurinos, Tuginos, Uranios, Glaronenses, Abbatiscellanos, itemque Sangallum, Rupertivillam, Terminos seu fines Toggeburgenses, & eam regionem universam, quæ circa Podamicum est, & Rhenum, antiquumque Turgoviæ retinuit nomen, Guillim. *l.* 1. *p.* 1. Reliqua de hac gente vide infra in *Tigurinus* pagus, & *Tigurum*, quod caput ejus.

TIGURINUS Lacus Helvetiæ, *Zuricher zée* Helvetiis, *Lac de Zurich* Gallis, à Tiguro ei ad Boream adjacente dictus, partim est in pago Tigurino, partim prope pagum Suitensem: Ad 25. mill. pass. ab Euro in Circium. *Plantinus* habet, à Meridie in Septentrionem extenditur, vix 5. mill. pass. latus. Maxima autem latitudo inter Rupertivillam est & locum *Hurden*; exinde Tigurum usque, ubi Limagus ex illo effluit, paulatim arctior fit & angustior. Ei adjacet Rapersvilla oppid. cum ponte oblongo, non longè dissito, sub quo mensib. Septembr. & Octobr. uberrima piscatio, & per eum Limagus fluv. labitur. In quibusdam tabulis ea lacus pars, quæ à Rupertivilla ad Limagi ingressum extenditur, nominatur *Oberfee*, i. e. lacus superior: uterque mercibus ex Italia Rhætiaque Tigurum transvehendis ingentem affert commoditatem. De eo sic Henr. Stephanus: *Lacus est longus circiter* 12. *mill. pass. supra quem amœnus Alpium prospectus est, ut volupe sit vel in media æstate nives & quandam quasi hyemem intueri.*

TIGURINUS Pagus, pars fuit aliàs Helvetiorum, complectebaturque totum illum tractum, ubi nunc pagi Tigurinus, Scaphusianus & Abbatis Cellensis, *Briet.* Aliter *Guillimannus*, vide suprà. Hodie verò, unus est ex XIII. estque inter pag. Bernensem & Lucerinum ad Occasum, Scaphusianum ad Boream. Tugium ac Suitium ad Meridiem & Abbatis Cellam ad Ortum. Gall. *Canton de Zurich.* Hic quare Helveticæ civitati adscriptus sit, hæc causa traditur: Quum Tigurini Johannem Comitem Habspurgensem, ob insidias varias, in vinculis aliquot annos haberent: tota Alsatiæ Nobilitas unà cum Basiliensibus, Argentoratensibus, Friburgensibus Brisgoicis, Brisacensibus, Selestadiensibus & Colmariensibus fautoribus & auxiliaribus copiis bellum eis indixit, multisque incommodis affecit. Quod ubi *Tigurinus pagus* Carolo Quarto sæpe essent conquesti, ejusque opem frustrà implorâssent, sibi aliis modis consulere necessariò coacti sunt. Cùm enim viderent urbem suam titulo tenus Romani Imperii sociam esse, nec quicquam auxilii ab Imperatore sperandum, alios sibi & magis fidos socios Urienses, Suiteros, Subsylvanos ac Lucernates quærere visum est. Qui (quoniam ipsis quoque multum negotii præter meritum Nobilitas facessebat, & Austriæ Duci inprimis parum grati erant) gratantes eos Helvetico fœderi inaugurârunt, illisque principem locum inter omnes concesserunt. Anno Sal. M. CCC. LI. Caput *Tigurum* est: de quo vide infrà.

Pagi Reip. Tigurinæ seu Præfecturæ majores.

Andelfingensis, ab An. 1434.	Laufa ad Cataractas Rheni, ab A. 1543.
Eglisoviana, ab An. 1455.	Libera Provincia, ab An. Chr. 1424.
Grifensis, ab An 1402.	Regensburgensis, ab An. 1409.
Groningensis, ab An. 1418.	Vadisvillana, ab An. 1549.
Kyburgicus Comitat. ab Ann. Chr. 1424.	

Præfecturæ minores.

Allstetta, ab An. 1432.	Riedena, An. 1487.
Altosaxum, ab An. 1615.	Rumlangia, An. 1424.
Birmenstorffium, ab An. 1484.	Rutchlicona, An. Chr. 1406.
Bulacum, ab An. 1409.	Seldenbura, An. 1466.
Dietliconum, Dubendorffum, ab An. 1487.	Stadelhofia, An. 1385.
Erlibacum, ab An. 1400.	Skallicona, An. 1466.
Hegi, ab An. 1587.	Tallvila, Trichtenhusa, An. 1385.
Horgena, ab An. 1406.	Udorfium, An. 1495.
Kilchberga, ab An. 1424.	Wettisvila, An. 1466.
Knonovia, ab An. 1512.	Wiedikona, An. 1387.
Kusnachtrum, ab An. 1396.	Wollishofia, An. 1396.
Meila, ab An. 1410.	Zollikona, An. 1385. &c.

Steineccum in Turgovia, ad Fines *Pfim*, & Wynfelda Urbi cum aliis Condominis communes sunt.

TIGURUM, rectiùs secundùm quosdam *Turigum*, vel *Thuricum*, German. *Zurich*, una è vetustissimis non Helvetiæ solùm, sed totius Orbis, urbs ampla & culta; Hanc Limagus è lacu egressus separat in duas partes; Sedet inter duos monticulos, ad oram lacus, ubi Limagum, quem infra Glaronam excepit, rursus effundit. Publica ædificia, templa inprimis, habet magnifica: nec privatis suis splendor deest, verùm plateæ angustiores sunt. Origo urbis ad tempora Abrahami refertur, & Minoris quidem incunabula Thurico Regi: Majoris Suevo alii Regi tribuuntur. Sed hæc incertæ traditionis sunt. Sedecim annis post Trevirorum urbem conditam esse, Annales habent domestici. Fuit sine dubio unum ex 12. Helvetiorum oppidis, quæ Cæsaris tempore combusta, postmodum verò reparata sunt. Post devictos à Cæsare Helvetios, sub Romano fuit Imperio, usque ad irruptionem Alemannorum, à quibus destructum Tigurum est, circa A. C. 300. Sed Diocletianus, post reportatam de illis per Maximianum Herculem victoriam, castrum Tigurinum restaurandum curavit, in quo circa A. C. 296. martyriô affecti sunt Felix, Regula & Exuperantius. Iterum ab Attila eversum, Thuricum Theodorici Gothorum Regis filium, restauratorem utcunque habuit, ut conjicit *Simlerus*. Sic ad Francos transiit, vicus adhuc patens etiam Caroli M. ætate, in duos pagos, superiorem & inferiorem distinctus. Donec A. C. 883. a Carolo Crasso muris, fossis & turribus muniri cœpit, cui operi colophon demum A. C. 955. impositus est. Fuerunt hic à Francicis Regib. duo Collegia, virorum unum, *Carolinum*, fœminarum alterum, *Abbatissanum* dictum, instituta, penes quæ maxima ex parte imperium tum urbis fuit: Abbatissæ inprimis mansit potestas creandi Magistratum, usque ad tempora Friderici II. per annos 470. Nisi quod Præfectura castri seu arcis, *der Hoff*, Imperio fuit reservata: hæc itaque sedes Præfecti, qui Collegiorum & Urbis erat Advocatus. Seculô decimô ad Germanos transiens, in Imperii Germanici patrocinium urbs recepta est: quô tempore Præfectos quidem etiam habuit, sed qui non in arce habitarent, hoc enim munus plerumque Principibus plerumque Principibus viris fuit demandatum. Interim & suum consilium urbi fuit virorum 36. è quibus 12. quadrimestri tempore imperabant, quæ forma Reipubl. obtinuit circa A. C. 1100. usque ad A. C. 1336. Cæterùm seculô 13. cùm omnia dissidiis inter Imperatores & Pontifices ferverent, urbes plurimæ Imperatorium splendorem sequi maluerunt, à quibus, reluctante Clerô, privilegiorum accessiones subinde obtinuêre. His initiis crevit *Tiguri libertas*, multis immunitatibus à Friderico I. II. & Ludovico Bavaro donati. Frideric. II. inprimis mortuô Berchtoldô, ultimô Duce Zeringensi, Collegiorum & Urbis Advocatô, cives in Imperii tutelam recepit, circa A. C. 1218. ac posteà multa Collegiorum privilegia, & præterea jus eligendi Senatum in cives transtulit, statuitque ne unquam liceat urbem ab Imperio abalienare. Tum cives urbem vallô fossâque munierunt, arceque eversâ, permissu Imperatoris, libertati nascenti securitatem præstiterunt, sed quod Friderico constanter adhærerent, excommunicati à Pontifice, vicinam nobilitatem sensêre undique infestam, quô factum, ut serici commercium anteà in urbe frequens Novocomum ad Larium lacum migraret. Hîc minimè despondentes animum cives primum fœdus A. C. 1251. cum Uriis & Suitiis inierunt. Post Fridericum cùm Conradinus fundamenta libertatis convellere, & Advocatiæ titulô, urbem Ducatui suo Sueviæ adjicere vellet, hæc autem pro libertate fortiter niteretur, proscripta à Conrado Imperatore, sed mox à Richardo Roman. Rege proscriptione exempta est. Cùm dein in Imperio undique turbaretur usque ad Rodolfum I. Tigurini, ut sibi consulerent, Regenspergi Dominum, oblatô honestô stipendiô Advocatum sibi & belli Ducem postulant, à quo rejecti ad Rodolfum Habspurgic. se conferunt, ejusque auspiciis Regenspergium infestum eò redigunt, ut pace factâ Tigurum commeârit, acceptô à civibus exiguô annuô stipendiô. An. dein 1273. Rodolfus, Imperator electus, quod Tigurinorum forti & fideli operâ multis in bellis feliciter usus esset, novis illos privilegiis & signum eorum diademate purpureô ornavit. Post mortem Imperatoris Adolphi partes secuti Tigurini, ab hujus æmulo Alberto Rodolphi filio multa damna passi sunt. Namque & prope Vitodurum aliqua illis clades illata, moxque urbs ab Alberto obsessa est: sed egregium Tigurinarum mulierum stratagema & libertatem urbi, & pacem civibus gratiamque Imperatoriam conciliavit. A quo tempore Austriacorum amicitiam constanter coluêre, usque ad A. C. 1330. quô Fridericus, Ludovico Bavaro cessit: cui cùm pollicerentur non minùs se fideliter in posterum, quàm Austrio hactenus, adhæsuros, Austrii iterum offensi imperrârunt à Papa, ut novum in urbem excommunicationis fulmen stringeretur. Quare Sacerdotes partim sponte excedere, partim à civibus ejici:

soli

foli Francifcani unâ portâ egredi, alterâ redire: Nobiles undique urbi imminere: quo in difcrimine A. C. 1353. Bafilienfibus, Bernatibus & Argentinenfibus juncti, hosti fortiffime reftitêre, plurimis Nobilium arcibus captis everfifque. Cùm dein Duodecim-viri ob Remp. malè adminiftratam, ad rationes vocarentur, A. C. 1334. octo illorum urbe excefferunt, cœteri Magiftratu fponte abierunt: fic fublatâ Duodecim-virali poteftate, ea Magiftratuum ratio popularis, quâ in tributum deliguntur, inftituta eft, hodieque feliciter obtinet. Sed exules à Johanne è Comitum Habfpurgiorum familia, datô Rapperfvilæ perfugiô, Tigurinis molefti effe non defierunt: unde bellum, & victi primò, mox victores Tigurini, ad Grinovium cæciderunt Comitem A. C. 1337. cum multis è Nobilitate: Pax pofteà à Ludovico Imperatore & Alberto II. inter urbem & exules conciliata, quæ tamen ætatem non tulit. Itaque ut vires fuas confirmatiores redderent Tigurini, cum Conftantia & Sangallo civitatib. fœdus fecerunt: paulo pòft in ejus focietatem Scaphufiâ & Epifcopô ac civitate Bafilienfi allectis: quô pactô quies aliquandiu parta. Sed A. C. 1350. parum ab ultimo difcrimine urbs abfuit, confpiratione quippe Exulum & Nobilium noctutnô aftu tantùm non capta erat; fed confilium à fervulo quodam Confuli detectum, fcelus in autores retorfit. Mox Rapperfvila ad deditionem adacta, & vicinus Nobilium ager populationibus exhauftus eft. Intereà cùm variæ Imperii civitates Auftriis fe jungerent, neque ab Imperatore Carolo IV. levamen ullum affulgeret, fœdus cum Pagis Helveticis pro communi libertate tuenda, fanxiverunt A. C. 1351. primò inter illos ob urbis celebritatem & potentiam locô. Hinc graviores Auftriacorum iræ, & urbs denuò menfe Septembr. ejufdem anni obfeffa eft, fed, paucis pòft diebus pax iterum coaluit: quam cùm hoftes multis violarent modis, iterum in arma itum, & Glarona in fœdus pertracta eft. Poft quæ ad Tetvillam magnâ clade à Tigurinis Auftriaci affecti funt, fub finem anni. Annô verò fequente, poftquàm intereà Tugium fœderi nomen dediffet, Juliô menfe, denuo obfidione urbem Auftrius cinxit, denuoque certis conditionibus interventu Marchionis Brandeburgici pax facta eft. Bernâ inde in fœdus receptâ, tertium obfideri Tigurum ab Alberto Auftriaco cœpit, A. C. 1355. qui tamen adventu novi præfidii, quod Pagi Tigurinis mifêre, territus, tandem quintô hujus belli annô pacem admifit: à quo tempore Tiguro omnia cum Helvetiis communia fuêre. Inter hos tamen A. C. 1436. graviffimum bellum, Auftriorum artibus, conflatum eft, & primò quidem Tigurini cum Suitenfibus collifi funt, quibus pofteà & reliqui acceffêre. Pugnatum hôc bellô aliquoties, urbs quoque ab Helvetiis obfeffa eft, donec aurea pax A. C. 1450. divulfa bellô pectora amoris firmiffimô glutine denuo conjunxit. Celebris dudum Tiguri fuit fchola, è qua, tanquam equo Trojano, doctiffimi femper prodiêre Mufagetæ, à fuperiore præfertim feculo: *Theologi, Philologi, Hiftorici, Linguarum omnium, omnifque Antiquitatis periti[f]fimi*, Buxtorfius *præf. diff. Philolog.* Orthodoxiæ inprimis incolæ tenaciffimi funt: Unde Andream Lefzezinium, Reformatorum in Polonia caput, feculô præteritô ad *Tigurinorum* modum, ut Theologi docerent, juffiffe, referunt Sal. Neugeb. *l.* 8. & Joach. Bielcius *in Chron. Pol.* Prima in urbe Chriftianifmi femina, per legionis Thebææ reliquias Felicem, Regulam & Exuperantium feculô 3. fparfa leguntur. Per Gallum dein & Columbanum ad lacum Tigurinum, Tucconiæ annuntiatum Euangelium eft, A. C. 695. Pofteà feculi erroribus aliquandiu urbs abrepta, tandem feculô 16. inter primas Europæ purâ Euangelii luce illuftrata eft, Paftorem nacta A. C. 1519. Huldricum Zuinglium. Mercenariâ mox militiâ abrogatâ, A. C. 1521. difputationeque inter Zuinglium & Jo. Fabrum A. C. 1523. habitâ, impuro Cœlibatui honeftum conjugium antelatum, publicóque edictô A. C. 1524. imagines abolitæ, & Monafteria in Scholas domofque Charitatis verfa funt. Media eft inter Schaphufiam ad Boream, & Lucernam ad Meridiem 25. mill. paff. diftans, uti 11. à Rheno in Meridiem, 45. à Soloduro in Ortum. Caput eft territorii fatis ampli; Eorum, in quæ ei, ultra præfecturas, quas cum reliquis Pagis communes habet, imperium eft, feries fupra exhibetur. Plura de celeberrima hac urbe vide apud Stumpf. *Chron.* Simler. *de Rep. Helv.* Joh. Bapt. Plantin. Hotting. *in Speculo Tigur. &c.* Henr. Glareanus hôc eam *Panegyricô* ornat:

> *Salve belligeræ celeberrima gloria gentis,*
> *O Tigurum, urbs orbi & pando notiffima calo:*
> *Cui pro nominibus, meritisque & fortibus actis*
> *Nulla fat effe poteft immenfi gloria mundi.*
> *Te mediam fcindit viventi Limagus undâ,*
> *Et fuper incumbit fquamofis pifcibus ingens.*
> *Amne lacus, vitreoque relucens gurgite ripa.*
> *Nubiferas turres quid jam, fublimia fronte*
> *Tecta, quid ablotas fplendenti fonte plateas,*
> *Commemorem? Fora quid dicam? quid templa profabor,*
> *Atria cælicolis, & dignas Regibus aulas?*
> *Urbs cælo, & fuperûm Rectori chara fupremo.*

TIL, Afiæ amnis, quem gens Sogor accolit. Turci *Nigrum* vocant, & antiquiffimi principes *Ver* & *Cuni* nominârunt. Niceph. *l.* 18. *c.* 30.

TILA, fluv. Galliæ, *in Chron. Divionenfis Monafterii S. Benigni* fæpius memoratus, vulgò *Tilie*, quibufdam *le Til*: Alluit vicos Mariacum *Marcy fur Tille*, Foffatum, Icium, *Is*, Tilæ Caftrum *Tile-Chafteau*, corruptè *Trichafteau*, Faberniacum villam *Favernay*: ac demum in Ararim defluit. Eô excipitur Angio *Agnon*, qui Campiniacum, & Marginellum *la Margelle*, aliofque vicos præterfluens, Tilam auget. Vide Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

TILATÆI, populi Thraciæ, Thucyd. *l.* 2.

TILAVENTUM, majus & minus, Venetorum regionis flumina apud Plin. *l.* 3. *c.* 18. funt. *Tilavemptum* habet *Ptolemæus*. *Leander* hos fluvios hodie in Foro Julio defcribit, dicitque majus *Tagliamento*, minus autem *Stelle* ab indigenis vocari. Horum ille ex Alpibus Jul. in mare Hadriat. inter Concordiam & Aquilejam, hic apud Maranum oppidum influit.

TILEBORGUM, vicus Albionis apud Thamefim fluv. infra Londinum urb. haud procul Beda. Vulgò *Tilbury*.

TILENUS Daniel, vide *ibi*.

TILESIUS Bernardino-Confentinus, Mathematices, & Optices inprimis periti[f]fimus, in qua varia ipfemet invenit; Philofophus, eximius, novæque methodi auctor, quam Neapoli in Academia recèns erectâ publicè doceri vidit, fcriptis contra Ariftotelem clarus. Edidit *de Principiis Corporum natural.* opus, & alios quofdam Tractatus *Phyficos*. Romæ cùm effet, urbe ab Hifpanis occupatâ, non bonis folùm fuis exutus eft, fed vitæ quoque difcrimen adiit: extinctus A. C. 1538. ætat. 79. nepos fuit Antonii fcriptis profâ verfuque clariffimi: & apud Paulum gratiâ floruit. Thuanus *Hiftor.* Imperialis, *Mufæo Hiftor.* Nic. Toppius, *Biblioth. Neapol.*

TILIA, feu Philyra, & Papyrus, arbores erant, in quarum libris olim fcriptitatum, ita enim Plin. *l.* 13. *c.* 11. *In foliis primo fcriptum: deinde quarundam arborum libris.* Et de *Tilia* quidem, quæ φιλύρα Græcis, ita *Suidas*: φιλύρα, εἶδος δένδρου ἔχον φλοιὸν βύβλῳ παπύρου ὅμοιον, *Tilia eft arboris genus, quod librum habet fimilem byblo papyri.* In cujus proin libro fcribi olim confueviffe, clarè teftatur Herodianus, ubi de Commodo, *l.* 1. *c.* 17. Λαβὼν γραμματεῖον τούτων τῶν ἐκ φιλύρας εἰς λεπτότητα ἠσκημένων, ἐπαλλήλῳ τε ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένων, γράφει, οὓς χρὴ τῆς νυκτὸς φονευθῆναι, *Sumtô in manus libellô, quales ex Tilia tenui[f]fimi & utrinque plicatiles funt, confcribit in eo, quofcunque illâ nocte interficere ftatuiffet.* Similiter *Xiphilinus* de Domitiano, ἐν ὀνόματα, inquit, ἐς σανίδιον φιλύρινον δίθυρον ἐγγράψας, *Cùm eorum nomina fcripfiffet in duplicibus tabulis tiliaceis.* Martianus Capella, *l.* 2. *Cernere erat, qui libri quantaque volumina, quot linguarum opera ex ore Virginis defluebant. Alia ex papyro, quæ cedrô perlita fuerant, videbantur. Alii carbafinis voluminibus complicati libri: ex ovillis multi quoque tergoribus, rari vero in philyræ cortice fubnotati.* Ulpianus, *l.* 52. *ff. de legatis*, *l.* 3. *Librorum appellatione continentur omnia volumina, five in charta, five in membrana fint, five in quavis alia materia, fed & fi in philyra, aut in* Tilia, *ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio, idem erit dicendum.* Dictyn, *de toto bello fex volumina in tilias digeffiffe Phœniciis literis*, refert Q. Septimius Romanus, ejus, fi ipfi de fe credimus, Interpres. *Epift. ad Arcadium*, & Auctor *præfat. de vita Dictyos Cret.* Et mox, *Memoratas tilias in ftannea arcula repofitas ejus tumulo condiderunt*, Vide Gerh. Joh. Voff. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 36. Cœterùm, *mirum in hac arbore, fructum à nullo animalium attingi: foliorum corticifque fuccum effe dulcem. Inter corticem ac lignum tenues tunicas — è quibus — tenuiffimæ philyræ, coronarum lemnifcis celebres: antiquorumque honore. Materies teredinem non fentit, proceritate perquam modicâ, verum utilis*, Plin. *l.* 16. *c.* 14. Ubi quod de utilitate habet, præter jam dicta, idem pluribus locis confirmat, & quidem lignum, inter alia, aptum fcutis, *l.* 16. *c.* 40. corticem ad varia agreftium opera, *l.* 16. *c.* 9. florem & folia ad alia, alibi: ipfamque proin *tiliam*, *ad mille ufus petendam* dicit. Addo hoc unum, quòd *tiliaceis tabulis* curvitatem dorfi fuffulciviffe Antoninus Pius, hôc modô fcil. in pectore fafciatus, legitur apud Cufpinianum, ex Capitolino, *c.* 13. At fuperftitionis erat, quòd *tiliæ fronde trifariam fcifsâ digitifque fuis implicatâ ac refolutâ*, vaticinati olim Enaties, & Androgyni apud Scythas, divinationis genere à Venere, uti traditio erat, acceptô uti difcimus ex Herodoto, *l.* 4. &c. Ut alia quædam adjiciam, in valle viridi Zonienfis fylvæ, in Monafterio, *Tiliam* videre eft, quæ cùm vetuftate temporis exaruiffet, plufque viginti annis frondibus ac ramis penè denudata & carie penitùs exefa folô ferè cortice conftaret, ingenti omnium ftupore, quafi redditâ juventute, revixit, ramis ac frondibus onufta, atque etiamnum fpectatorum oculos reficit, abfque omni ariditatis vetuftatifque indicio: Quam ob caufam Ifabella Belgii Princeps fepimentô illam circumdediffe legitur. Habet autem *Tilia* obfequentes ramos, qui ex trunco, ubi is duodenos vel denos quinos fuccrevit pedes, undiquaque extenduntur; etiam per latitudinem in triginta & plus minùs pedes; ramis tum decem licet confurgere per extrema & parietes quafi formare, truncô in decem ulterius tendente pedes, ut illic contignatio faciat naturalem alteram, fed multo arctiorem, ac verticem in libero aëre ventis exponat. Sternuntur afceribus illæ contigationes & admittunt convivia vel nuptialia. Quæ ante bellum Germanicum curâ paganorum fuit, quibus folitum fub *Tilia*, bene culta conventus agere & fcifcere; fuperiùs deliciari, Auctor *Sina & Europa*, *c.* 35. De ejufmodi prodigiofæ amplitudinis *Tilia*, quæ Bafileæ eft, & Imperatori Maximiliano fubtus convivanti umbram præbuit, diximus in voce *Palatium* &c. Vide quoque fuprà: in voce *Philyra*: de voce *tilia* autem, in illo Tertullianeo de toga Romanorum, *qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias*, *l de Pallio*, *c.* 5. fuprà in *Talia*, fic enim hic legendum effe, docet Salmaf. *Not. ad l.*

TILETUM Godini, *Tilly le Godin* & *Tiletum* Paganelli, vulgò *Tilli le Paineux*, loca funt Galliæ, in Belfia; quæ cum Tauriaco, & Tibernione continentur Archidiaconatu Belfiæ, qui inter 6. Ecclefiæ Aurelianenfis Archidiaconatus tertium tenet locum, Hadr. Valef. in voce *Tauriacum*.

TILIUS Joannes, *Codicem Canonum Eccl. Orient.* ex antiquiffimo Ecclefiæ Hilarianæ Pictavenfis libro, primus Græcè edidit Lutetiæ A. C. 1540. poftmodum Epifcopus Meldenfis factus; dedit & *Codicem Theodofianum*, & *libros Caroli M. de Imaginibus*, quos ipfe primus fub nomine *Eli Phili* in Gallia publicavit, A. C. 1549. additâ fuâ præfatione. Idem verò, cùm de *Capitularibus* quoque reftituendis effet follicitus, morte præventus eft, paucis tantum foliis poft obitum illius vulgatis, quibus ufi recognitores & emendatores Gratiani. Perfecit dein opus Petrus Pithœus ediditque A. C. 1588. Vide Gerh. von Maftrich *Hiftor. Juris Eccl.* num 46. 189. & 207.

TILLABARUM, urbs Africæ propriæ, *Antonin.*

TILLETUS Johannes, nomen fratrum duorum, quorum alter in Parlamento Scribæ munere functus, alter Episcopus Meldensis, ambo eximiè eruditi, unâ die, unâ eâdemque horâ & annô, 1570. obiêre, Joh. Calvinô olim præceptore usi. Frater illorum Antonius, ex Canonico Encolismensi reformatus, & rursum ex reformatô Archidiaconus factus est. Spondanus *ad* A. C. 1534. Vide Sammarth. *Perroniana*, Popelniere *Hist. des Hist. l.* 1. Anton. Teissier utriusque Johannis scripta enarrat *Elog. Parte I.* Vide suprà quoque voce *Johannes.*

TILLIDUM vel *Tillum*, vulgò *Til* aut *Teil*, locus Galliæ, ad fluv. Vennam, non procul ab Agedinco Senonum: Hunc Leothericus Senonum Archiepiscopus Petri Vivi Monasterio, cum villa Arcia *Arecy* dedisse dicitur, apud Odorannum *in Chron.*

TILLIUM, Sardiniæ urbs litoralis versus Occidentem, *Ptol.* Hodie *S. Reparata* Moletio. Baudrando *Argentera*, in ora Occidentali ex Brietio. 15. mill. pass. à Sassari in Occasum, 25. à Tibula in Africum.

TILLIUS Cimber, prænomine *Lucius*, Cæsaris Dictatoris percussor, cùm anteà acerrimus ejus partium defensor fuisset: Homo ebriosus, sed tamen arcani reticens. Ipse de se jocatus est; *Ego quemquam feram, qui vinum ferre non possum!* De eo vide Ciceronem, *Philipp.* 2. *c.* 11. Sueton. *Cæs. c.* 82. Senecam, *Ep.* 83. *l.* 3. *de Ira*, *c.* 30.

TILLIUS Joannes, sub Ferdinando Imperatore Dux Ligæ militaris fortissimus, obiit in prælio ad Lechum Bavariæ fluv. quô Gustavus Adolphus, Suecorum Rex superior fuit, A. C. 1631. Genitus autem est Martinô *Tserclaes* Dn. *de Tilly*, ex cujus Majoribus Jodocus fil. primogenitus Gedeonis Dn. *in Ossel*, & *Marienhoven*, qui obiit A. C. 1064. Dominos *de Cruychenburg & Tilly* prosevit, sicut alter Henricus Dn. *in Gulpen*, & Philippus Dominus *in Beringen* ortus est. Frater Generalis præfati Jacobus *Tserclaes* Comes *de Tilly* Wernerum genuit, ex Dorothea Ostfrisia Dn. *de Falckenburg*; cujus filius Ernestus Emericus sibi Mariam Comitem Lambergiam matrimoniô junxit. Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Parte II. p.* 87. Vide eundem *Arte Heraldica Tom. II.*

TILOGRAMMUM, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol. Catigan* Castaldo: ad ostium Gangis Occidental. Insul. maris Rubri, cum oppido cognomine, margaritis, palmis, oleis aliisque arboribus semper virentibus ornata; Ibidem lanigeræ quoque arbores reperiuntur, Plin. *l.* 12. *c.* 3.

TILOS, vide *Tylos.*

TILOX, Corsicæ promontor. apud Calviam oppid. *Ptol.* Capo *Revelat* vel *Chevalar*, M. *Tignoso* Ferrario. Baudrando est in ora Occidentali. Quibusdam *Punta della Cavella*; Brietio *Capo Martello.*

TILPHOSSA, Strab. *Tilphusa* Apollodoro, fons Bœotiæ sub *Tilphosio* monte labens, ubi Tiresiæ vatis sepulcrum est, qui ibi ex aqua frigida epota interiit, teste *Aristoph. Pindarus.* Μελιγαθὲς ἀμβρόσιον ὕδωρ Τιλφώσσας ἀπὸ καλλικράνου. A *feracitate* dici videtur, quasi חל פוש *Tel phus*, h. e. *mons ferax*, Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 16.

TILPHOSSÆUM, regiuncula Thessaliæ. *Steph.*

TILURUS, fluv. Dalmatiæ, olim Nestus, nunc *Zetina*, *J. Lucius.*

TIMACHIDES, Grammatici cujusdam nomen, ut meminit auctor Scholiorum *in Aristophanis Ranas*, *Act.* 1. *sc.* 2. Item *Act.* 5. *Sc.* 2. ubi vocatur *Timachidas.*

TIMACUM Majus & Minus, flumina Bulgariæ, quæ simul juncta, unô ostiô in Danubium influunt: Et oppid. cognomine *Tiques* Moletio. Hic olim *Timotiani* populi habitârunt, aliquando Francis subditi. *J. Lucius.*

TIMÆA, Agidis Spartanorum Regis uxor, adulteriô Alcibiadis polluta. Qui quibusdam objurgantibus, non ex lascivia, respondit, id feci, verùm uti ex ea natus Spartæ imperium aliquando teneat; neque amplius Laconum Reges ab Hercule, sed ab Alcibiade oriri dicantur.

TIMÆA, Bithyniæ Urbs. *Ptol.*

TIMÆI, Siciliæ populi. Steph. in Εὐνομία.

TIMÆNETUS Corinthius, qui ex Demariste cive, genuit Timoleontem.

TIMÆUS, ex amicis Alexandri Magni, qui Regi in urbe Oxydracarum periclitanti subveniens multis adversô corpore vulneribus acceptis, egregiâque editâ pugnâ, cecidit. Curt. *l.* 9. *c.* 5.

TIMÆUS, Locrus, Philosophus Pythagoricus, cujus extat libellus *de natura & anima mundi*, Doricâ scriptus dialectô, quemque Plato loquentem inducit in dialogo suo, cui inde Timæo nomen; quem item *de Pythagora* librum scripsisse ait Suidas, vide Phot. Voss. *de Hist. Græc. l.* 1. *c.* 12. *l.* 4. *c.* 8. *&c.* Item Jonsium *de Script. Phil. p.* 32. Diversus ab his duobus est *Timæus* ille Lexici Platonici auctor, apud Phot. *Ecl.* 151. Itemque *Timæus* Mathematicus, laudatus Plinio. *Timæus* quidam *de Medicina metallica* scripsit, ut auctor est idem Plin. *l.* 33. *c.* 3. ubi perperam *Reneus* legitur. Item, Episcopus Antiochiæ, post Domnum secul. 3.

TIMÆUS, Siculus, Andromachi Tauromenitæ Principis fil. Historicus, qui res Græcas conscripsit, etiam usque adeò arrogans, ut Thucydidem & Philistum in historia à se facilè superatum jactet. Ipse verò Siculâ quâdam pinguedine delibutus ad ridenda, minimeque ad Historiæ gravitatem pertinentia digreditur. Plut. *in Nicia.* Vide Voss. *de Hist. Gr. l.* 1. *c.* 12. *Nic. Lloydius.* At Ciceroni *de Orat. longè eruditissimus.* Diodoro Sic. μεγίστην ἐσχηκὼς πεποιημένος τῆς χρόνων ἀκριβείας, καὶ πολυπειρίαν πεφροντικὼς, *maximam adhibens diligentiam in exquisitâ temporum notatione, & varia rerum cognitione abundans*, *l.* 5. Scripsit primus Ὀλυμπιονίκας, ἤγουν χρονικὰ πραξίδια, *Acta ad tempus Olympionicarum relata*, *Suid.* ac Ephoros à prima institutione; cum Regibus Spartanorum comparavit; & Archontes Athenienses, ac Sacerdotes Argivas cum Olympicis victoribus contulit. Unde verò sit orsus, non invenitur; neque an vixerit ultra Olympiadem 129. ad quam is Historiam suam perduxit; & quâ illum excepit Polybius, usque ad Olymp. 158. Floruit autem sub Ptolemæo Philadelpho. Post illum Eratosthenes *Canones Temporum* compegit, qui à plurimis sunt probati; & ab illis demum temporibus Olympiades quasi totius Græciæ Fasti haberi cœperunt. Joh. Marsbamus, *Canone Chron. ad Sec. XVI.* Vide quoque suprà voce *Corœbus*, it. *Eratosthenes.*

TIMAGENES, *de rebus gestis Alexandri M.* scripsit. Ut colligitur ex Curt. *l.* 9. *c.* 5.

TIMAGENES, Alexandrinus Rhetor, à militibus Pompeji captus, libertate Romæ recuperatâ, ibi docuit edidítque quædam, impensè commendatus, à Suetonio, Plinio, Jos. &c. Vide Lambin. *in Horatianum illud*, *l.* 1. *ep.* 19. *v.* 15.

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua.

TIMAGENES, Milesius Historicus, de quo & cæteris *Timagenibus*, vide Voss. *l.* 1. *de Hist. Græc. c.* 24. *p.* 151. & 420.

TIMAGENIS, Insul. Græcè Τιμαγένους νῆσος, in Sinu Arabico, nomen accepit à *Timagene*, qui primus eam detexit, aut navem ad illam appulit. Salmas. *ad Solin. p.* 1265. ubi de hujusmodi insulis varia.

TIMAGORAS, Atheniensis, capitali suppliciô affectus, quod Darium, ad quem legatus missus fuerat, more Persarum adulando adoraverat. *Suidas* & Val. Max. *l.* 6. *c.* 3. *ex. ext.* 2.

TIMANDRA, Ledæ filia Helenæ soror, Echemo Arcadi nupsit. Apollod. & Pausan. *in Arcad.* Servius *in Æn. l.* 8. Euandrum hujus Echemi filium facit.

TIMANTHES, pictor egregius Xerxis tempore. Hujus est Iphigenia poëtarum laudibus celebrata, quâ stante ad aras peritura, quum mœstos pinxisset omnes ac tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris vultum velavit, quem dignè non poterat ostendere. Pinxit & Cyclopem parvâ in tabulâ, cujus magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros thyrsô pollicem ejus metientes. Plin. *l.* 35. *c.* 10.

TIMARATE, Promenia & Nicandra, tres anus, per quas Oraculum Dodonæum responsa dabat. Unde de columbis Dodonæis commentum ortum, cum vox πελειάς, quæ columbam notat, Thessalicâ dialectô etiam anum significet. Alii tamen, ob incognitum sermonem, Barbaræ enim erant, in aves, Poëtarum fingendi audaciâ, conversas autumant. At, nil id absoni, apud veteres vates columbis assimilare. Unde Lycophroni Cassandra φάσσα, i. e. palumbes dicta est, quam alibi avi magis loquaci, hirundini nempe comparans, φοιβάζουσαν χελιδόνα vocat. Scholiastes verò Sophoclis *in Trachiniis*, vates illas πελειάδας vult appellatas, quasi πεπολιωμένας, à canitie, quâ venerabiles erant. Hæ igitur, responsa ferebant, in luco absconditæ, ut Oraculum è quercubus sub quibus illæ latebant, editum videretur: Unde quercus illæ προσήγοροι δρύες; Item μαντικαὶ δρύες dicebantur, & Lycophron navem Argo, ad quam conficiendam è Dodonea sylva materies petita fuerat, λάλητρον appellat κίσσαν: Claudian.

--- --- *Cæco Tomuri Jovis augure luco*
Arbore præsaga tabulas animâsse loquaces.

Strabo quatuor quoque ibidem Sacerdotum meminit, Ἑλλοὶ dictorum, à paludibus, quæ templum cingebant: Eosdem Sellos Homerus vocat, aliàs quoque *Tomuri*, à Jove Tomuro dicebantur. Vide Franc. Rossæum, *Archæol Attic. l.* 7. *c.* 2. *Nic. Lloyd.* Aliter *Timareta*, quod vide.

TIMARCHIDES, sculptor nobilissimus. Plin. *l.* 36. *c.* 5.

TIMARCHUS, Ætolus, incensis navibus, fugam suis præcidit sicque victoriam retulit. Polyæn. *l.* 5. *c.* 25.

TIMARCHUS, Cretensis, ob vim in minores, reus actus sub Nerone. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 20.

TIMARCHUS, statuarius nobilis. Plin. *l.* 34. *c.* 8. Alius in quem extat Æschinis accusatio, Demosthenis amicus. Alius Nicoclis fil. qui 2. ordines habuit maxillarum. Vide Plin. *l.* 11. *c.* 37. ut & voce *Claudius.*

TIMARETA, Sacerdos Dodonæa, memorata Herodoto, *l.* 2. *c.* 55. Vide suprà *Nicandra* it. *Timarate*, & *Promenea.*

TIMARIOTÆ, dicuntur in Imperio Turcico, qui feuda ac prædia militaria ab Imperatore possident. Horum cùm ingens sit numerus, quippe qui ad multa millia ascendant, quorum vel minimus quinque aut sex milites suô sumtu alere tenetur, Imperatori Turcico ingentes exercitus colligere breve intra tempus facillimum esse, ostendit Georg. Hornius, *Orb. Polit. p.* 33. Sed longè minorem horum hominum numerum esse, ex Auctore *Descriptionis Status Turcici*, Gall. editæ & Germanicè translatæ, uti *Diarii Europæi Continuatione* 21. videre est, ut monet L. Otto Menckenius *Animadversion. ad illum.* Vide quoque suprà *Spahi.*

TIMAS, Mariandynus, cum Otreo, ad Hesionam profecturus, & ab Amyco interceptus, lentâ morte perire destinatus est. Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 187.

TIMASITHEUS, Liparensium Dux, qui Olymp. 96. an. 4. Legatos Romanos, cum donario ex Vejentana præda proficiscentes Delphos, in via à latronibus interceptos, recuperavit. Ob quod meritum statim à Romanis magnis honoribus est affectus, eique publicum Romæ hospitium assignatum, Dein 137. annis post, ademptâ Carthaginensibus Liparâ, Patres Timasithei posteros immunitate donârunt, liberosque esse jusserunt. Diod. *Sic. l.* 14.

TIMA-

TIMASITHEUS, Crotoniata; insigni corporis robore, quem juvenem Milo senex luctâ in Olympiis superare non valuit. Pausan. *l.* 2. *Eliac.* Scribitur ibidem quoque *Timotheus.*

TIMAVUS, vulgò *Timavo*, fluv. maximus Carnorum, sed brevissimi decursus 19. fontibus ex vicino monte erumpens, quibus confluentibus vix ad 2. mill. pass. latissimus Hadriaticum pelagus ultra Aquilejam 7. Tergeste versus petit. Lacus apud quem oritur, Fanum Diomedis, vulgò *Giovanni.* In eo pingues & optimæ anguillæ, *Ælian.* Hujus fluvii meminit Virg. *l.* 1. *Æn.* v. 246. *de Antenore.*

Antenor potuit --- ---
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi.
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva sonanti.

Claudian. *de 6. Consul.* Honorii. *v.* 198.

Mincius, inque novem consurgens ora Timavus.

Lucanus, *l.* 7. *v.* 194.

Atque Antenorei dispergitur unda Timavi.

Martialis, *l.* 4. *Epigr.* 25. *v.* 5.

Et tu Ledæo felix Aquileja Timavô.

Hodie in foro Julio describitur à *Leandro*, qui dicit eum *Timavo* vocari. *Niger* verò eum *Larechio* nominat. Vide Cluv. *Ital. Ant. p.* 189. Ante ejus ostia Insulæ aliquot parvæ, sed claræ, ob fontes calidos, æstu maris crescentes. Plin. *l.* 2. *c.* 103.

TIMENUS Arcas, aliis *Tebennus*, primus togæ id genus, quod ab eo vestis *Tebennia* corruptè *Tebenum* appellatur, induit, cùm Ionium sinum navigâsset. A cujus incolis susceptus, eos eandem vestem conficiendi rationem docuit. Illi quæ forma, quis color, quod pretium, dubitant non seculi modò nostri scriptores, sed & inter antiquos non pauci. Vide Dion. Halicarn. *l.* 3. Suidam in voce Τήβεννος. Artemidor. *Onirocrit. l.* 2. *c.* 3. Hesychium, Eunapium *in Juliano*, Joh. Meursium *in Curis Criticis, part.* 2. *c.* 31. *&c.* Ut & in voce *Toga.*

TIMESIUS, Clazomenius, Abderam condere orsus à Thracibus pulsus est, circa Olymp. 31. posteà tamen Abderæ, quam Teji perfecerunt, ut Heros, cultus, Herodotus, *l.* 1. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 161.

TIMETHUS, Siciliæ fluv. *Il Patrese* Fazello, sic ab urbe nominatus. *Traina* aliis, fluv. Siciliæ in ora occidua, inter Agathyrium ad Austrum ac Tyndarum ad Boream, juxta urbem Pactensem mari exceptus. Brietio *Naso*, in ora Boreali inter Tyndarium ad Ortum & Agathyrnum ad Occasum in mare Tyrrhenum fluens, 12. milliar. a Pactis in Occasum.

TIMICA, Mauritaniæ Cæsariensis urbs mediterranea, *Ptol. Tremesin*, ac *Telensin* Marmolio. Olim Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsariensi, & regia clara ac ampla: à Siga urbe excisa in ora 14. mill. pass. in Austrum, à Julia Cæsarea supra 250. in Occasum. *Telmuconi* quoque incolis, inter Malvam & Quizam, à qua supra 75. mill. pass. abest. Hodie Urbs regni Algerii in tractu montium, etiamnum ampla & culta 14. mill. pass. ab ora maris Mediterranei in Meridiem, 45. à confinio regni Fezzæ. Populi *Timiticenses*, unde Episcopus. *Timiticensis*, in Concilio Carthaginensi.

TIMOCHARES, Atheniensis, Regis Pyrrhi amicus, qui ad C. Fabricium Consulem furtim venit, ac præmium petivit: & si de præmio conveniret, promisit regem venenis necare: idque facile esse factu dixit, quoniam filii sui pocula in convivio regi ministrarent. Eam rem Fabricius ad Senatum scripsit: Senatus legatos ad regem misit, mandavitque, ut de Timochare nihil proderent, sed monerent, ut rex circumspectiùs ageret, atque à proximorum insidiis salutem tutaretur. Gellius ex *Val. Antiate, l.* 3. *c.* 8. *Timochares* quidam ἐν τοῖς περὶ Ἀντιόχου citatur Eusebio, *l.* 9. *de Præp. Euang.* Alius forsan *Timochares* est Scholiastæ Arati laudatus.

TIMOCLEA, mulier Thebana nobilissima, Theagenis soror, stuprum à quodam barbaro Thracum principe per vim passa, injuriam hôc modô ulta est. Odiô enim dissimulatô, dixit stupratori, se scire locum, ubi plurimum esset auri perductusque est ad altissimum puteum, qui fuit in remotiore domûs parte. Quò cùm Thrax venisset, & jam pronus immineret puteo, à Timoclea, quæ à tergo stabat dejectus est in præceps, & saxis obrutus. Sabellicus ex Plut. Aliter Polyæn. *l.* 8. *c.* 40.

TIMOCLES, Comicus Atheniensis, fabulas scripsit, quorum nonnullas commemorat Athenæus. Vide Casaub. *in Athen. l.* 7. & 9.

TIMOCRATES, Archon Athenis, an. 1. Olymp. 104. quô principe certamen Olymp. non ab Eleis, sed à Pisæis & Arcadibus celebratum est.

TIMOCREON, Rhodius quidam, Poëta Comicus, Olymp. 75. qui propter cibi & vini aviditatem hoc tulit epitaphium,

Multa bibens, & multa vorans, malè denique dicens
Multis, hic jaceo Timocreon Rhodius.

Scripsit enim *contra Simonidem & Themistoclem.*

TIMOCREON, Rhodius Poëta, qui scripsit *carmen Scolion, contra Plutum*, cujus initium laudat author Schol. *in Ranas Aristoph. Act* 5. *Sc.* 2.

TIMOGENES, Palmyrenorum Dux, apud Treb. Pollionem *in Claudio*, c. 11. *Palmyreni ducibus Sabâ &* Timogene *contra Ægyptios bellum sumunt atque ab his --- vincuntur. Dux tamen Ægyptiorum Probatus Timogenis insidiis interemtus est.* Ubi *Timagenes* fortè scribendum, uti vocatur Græcis censet Gruterus.

TIMOGITTIA, oppid. Mysiæ inferior. apud oram maris Euxini, inter Dionysiopolim ad Merid. 24. & Calatim ad Boream, 18. mill. pass. ex *Itinerar.* Antonin.

TIMOLAUS, Odenati fil. ex Zenobia, *tanti ardoris fuit ad studia Romana, ut brevi consequutus, quæ insinuaverat Grammaticus, esse dicatur: potuisse quinetiam summum Latinorum Rhetorem facere*, Trebellius *in eo*, *c.* 28. Cum fratre Herenniano, & matre Zenobia, quæ horum nomine Imperium arripuit, captus ab Aureliano, an hujus jussu interemptus, an fatô suô, obiit. Idem *in Herenniano*, *c.* 27.

TIMOLAUS, Larissæus, è Larissa Macedoniæ, discipulus Anaximenis Lampsaceni. Scripsit *poëma de bello Trojano. Suidas.*

TIMOLEON, Corinthius dux inclytus viribus fortissimus, vitâque abstinentissimus, missus cum triremibus ad liberandas à Dionysii tyrannide Syracusas, quem Dion Syracusanus, imploratô Corinthiorum auxiliô, expellere conabatur, quinquagesimô postquam Syracusas appulisset die, urbe potitus ac Dionysius clam sese atque arcem Timoleonti dedens, ab eo cum paucis in exilium Corinthum missus est. Ille verò arcem solo æquavit, & Syracusanis libertatem restituit. Deinde contra Leontinos pergens, eorum tyrannum bello captum interfecit. In summa æqualis fuit Timotheo, Agesilao, Pelopidæ, Epaminondæ. *Plut.* Obiit Syracusis, Olymp. 110. an. 4. cùm Reip. 8 ann. præfuisset. Diodor. Sic. *l.* 16.

TIMOLUS, mons Lydiæ. Ovid. *l.* 11. *Metam*, *v.* 87.

Cumque choro meliore, sui vineta Timoli
Pactolonque petit ---

Vide *Tmolus.*

TIMOMACHUS, dux Atheniensium, àuxilio Thebanis, cùm à Thebanis oppugnarentur, missorum, apud *Xenoph.*

TIMOMACHUS, quô Duce Ægidæ Lacedæmoniis opem tulerant: adversùs Amyclæos, inter Heroas fuit Lacedæmoniis cultus: in cujus honorem, festô Apollinari χάλκεος θώραξ προτίθεται, *ærea lorica proponi* solebat: ut est apud Scholiastem Pindari, *Isthmiorum ode* 7. Quemadmodum eosdem Hyacinthi quoque sacra, eôdem festô, celebrare consuevisse, memorat Pausanias *in Laconicis.* Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idololatriæ*, *l.* 1. *c.* 13.

TIMOMACHUS, Byzantius, pictor nobilis, Jul. Cæsaris ætate, Fecit Medeam & Ajacem, quos ipse Cæsar 80. talentis emit, in temploque Veneris dedicavit. *Timomachus ἐν Κυνηγετικοῖς* advocatur ab Athen. *l.* 14.

TIMON, Apolloniates, seu Nicenus Philosophus, qui apud Chalcedonem philosophiam & oratoriam exercuit, charus Ptolemæo Philadelpho. Scripsit *Tragœdias*, *Comœdias*, *& Satyras.* Amarulentus & mordax fuit, *Sillorum*, i. e. dicacitatum scriptor. Item Philosophus, qui opera sua Tiberio inscripsit.

TIMON, Atheniensis, temporibus Peloponnesiaci belli, inhumanus, ac vitans hominum congressus; præter unius, Alcibiadis adolescentis. Interrogatus autem, quæ cum illo causa esset amicitiæ: *Quòd sciam*, inquit, *illum quandoque multorum malorum Atheniensibus causam futurum.* His de causis ab Atheniensibus μισάνθρωπος est appellatus, quasi *genus hominum infensum habens.* Sed & mortuo mirum contigit, ut sepulcrum ejus, quod erat in litore, mare quasi perosum exundatione ab se abstruserit, longeque expulerit. Erat autem Timon ex eo Atticæ populo seu oppid. cui Κολυττὸς nomen. Indidem oriundus Plato Philosophus. Κολυττὸς autem ad radices montis Hymetti jacebat. Patrem habuit Echecratidem, nullâ aliâ re insignem, quàm quòd Timonem genuit. De hominis moribus nil attinet dicere (verba sunt Tanaqu. Fabri ad Luciani Timonem) cùm eam rem Plut. διὰ κατασκευάσεως, *in vitâ M. Antonii*, absolverit. Hoc addam tantùm, Timonem virum bonum fuisse, & moribus adeo factum ad humanitatem, nihil ut ipsô χρηστότερος, nihil benignius extiterit. Nam quod illum μισάνθρωπον cognominârunt, id hercle perperam fecêre. Quid ita? inquies. Quia non homines ille, sed feras oderat, quibus ætas illa scatebat. Certè qui Aristophanis fabulas legerit, de his mecum 3. non commutabit verba. Accedat his Platonis testimonium, qui ita scripsit, *Ep.* 24. inter illas, quæ non ita pridem à Leone Allatio vulgatæ sunt: Συνίημι, inquit, ὅτι Τίμων οὐκ ἦν ἄλλως μισάνθρωπος. Μὴ εὑρίσκων γὰρ ἀνθρώπους οὐκ ἠδύνατο θηρία φιλεῖν. Extat ejus epitaphium olim à Callimacho scriptum; & item alterum, quod homo providus sibi fecerat. En tibi, ut quidem tali dignum ingeniô est:

Ἐνθάδ' ἀπορρήξας ψυχὴν βαρυδαίμονα κεῖμαι.
Τοὔνομα δ' οὐ πεύσεσθε, κακοὶ δὲ κακῶς ἀπόλοισθε.

Ait *Plut.* sepultum fuisse Ἁλῆσι, sed cum 2. sint Ἁλαί, locum illum Plut. de Araphenidibus intelligas, non de Æxonidibus: nam priores Ἁλαί ad tribum Ægeidem pertinebant, alteræ non item. *Nic. Lloydius.* Turris, nomine ejus insignita extra urbem Athenarum, haud procul locô, quem Academiam olim dixêre, memoratur Jac. Sponio, *Itinerar. Part.* 2. *p.* 192.

TIMON, unus ex primis VII. Diaconis.

TIMONAX, ἐν πρώτῳ περὶ Σκυθῶν citatur Apollonii Scholiastæ *in l.* 4. & eôpse Τιμῶναξ ἐν πρώτῳ τῶν Σικελικῶν.

TIMONION, diæta Antonini, de qua vide voce Zeta.

TIMONIUM, castellum Paphlagoniæ. *Steph.* Hujus tractus *Timonites Strab.* ac *Ptol.* Populi *Timoniacenses*, Plin. *l.* 5. *c.* 32.

TIMOPHANES, locupletissimus Mitylenensium, cujus duas relictas filias cùm Doxander quidam filiis suis non obtinuisset, Athenienses, quorum publicô hospitiô utebatur, ad bellum concitavit. Vide Aristot. *l.* 5. *Politic. c.* 4.

TIMOPHANES, Timæneti & Demaristes filius, Corinthius dux, à civibus in bello, adversus Argivos & Cleonæos, delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupavit: sed à fratre, per communis sororis maritum Satyrum aruspicem, occisus est. Plutarch. Cornel. Nepos.

TIMOR, inter Inferorum idola, Virgilio, Martisque asseclas, *Æn. l. 9. v. 719.* ubi de Marte,

Immisitque fugam Teucris, atrumque Timorem.

Etiam apud Romanos in veneratione, uti & Pallor, quem timor efficit. Utrumque, ne quid obessent, neve aliquid afferrent incommodi, persanctè habitos, cane & ove placabant, Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l. 1. c. 13.* Sed & apud Lacedæmonios *Timoris* ædes memoratur Plutarcho *Cleomene*, eaque juxta Ephororum triclinium: *Ibid.* Intellexerunt autem hôc nomine probri trepidationem atque infamiæ metum, Rebuspublicis utilissimum. Hôc enim qui correpti sunt cives pro patria pati quidvis timent minimè, quia maximè timent malè audire. Alia ratio cultus fuit, quòd mirandos *Timoris* effectus sensêre in plurimis; etiamque fortissimos sub imperio ejus esse. Seneca *de Ira, l. 2. c. 3. Fortissimus plerumque vir, dum armatur, expalluit; & signô pugnæ datô ferocissimo militi paululum genua tremuerunt; & magno Imperatori, antequam inter se acies arietarent, cor exsiluit; & Oratori eloquentissimo, dum ad dicendum componitur, summa riguerunt.* Unde de Heroibus suis Statius, *Theb. l. 6. v. 394.*

Nil fixum cordi pugnant exire, paventque.

Quò facientia legas in *Vita* Arati, apud Plutarchum, & de Ludovico Tremollio, *in Historia Francica præt. secul.* Contra vires infirmis non rarò dare observârunt. Qua de re idem, *l. 10. Theb. v. 493.*

Est ubi dat vires nimius Timor. ---

nempe desperationi proximus, uti multis Barthius docet *ad Guil. Britonem, l. 5. v. 525.* Vide quoque Jovian. Pontanum *de Fortitudine, l. 1. c. 17.* vel saltem alas, ut videre est apud eundem Barthium, *ad Statium Theb. l. 5. v. 168.* Porrò proprias illum divinationes habere crediderunt, uti ait Lutatius *ad Statium, Theb. l. eôd. v. 615.* In quam sententiam Lucan. *l. 9. v. 120.*

Tristis (ut in multo mens est præsaga timore)
Aspexit comites patrios à littore Magnus.

Imò Deorum suorum omnisque religionis parentem quid ni colerent?

Primus in orbe Deos fecit Timor. ---

quod hemistichion Petronii, sæpiùs laudatus Poëta *Thebaidi suæ* inseruit, *l. 3. v. 661.* ubi plurima hanc in rem egregia Barthius congessit. Certè & Servius *ad Æn. l. 12. Deus*, ait, Græcè φόβ☉, *id est*, Timor, *unde factum est Deus, Varro ad Ciceronem tertiô: Ita respondebant, cur dicant Deos, cùm omnes antiquitus dixerint divos.* Ursit nempe sententiam hancce Varro, ut fuit irrisor Philologicus veterum superstitionum, quarum consultior nemo unquam Romanus Græcusque homo fuit. Quod & Joh. facit Devonius, *l. 1.*

Quippe Deos genitore Metu mens cæca creavit.
Ditem Umbris, Cælo Superos & Numina Ponto.

Eâdem sapientiâ antiquum dicterium erat, *Timorem augere bona mentis & gignere omnes artes*, &c. An è sacris aliquid suffurata Dei Simia ad Gentiles detulit, pessimus rerum sacrarum interpres: Ibi enim *Timori* (non *Deo* sed *Dei*) *initium Sapientiæ*, effectuique admirabiles, adscripti passim? An פחד יצחק *Timor Isaaci*, ipsis per aliquam traditionis stricturam aliquô modô innotuit? Sic enim Deus ipse Genes. *c. 31. v. 53.* appellatur verbis Jacobi, *Juravit Jacob per Timorem patris sui Isaaci.* Ubi Deus dicitur *Timor Isaaci*, quòd Isaacus illum *timeret*, i. e. religiosè coleret ac veneraretur. Et quidem pro juramento epitheton *Timoris* Deo convenit optimè aptissiméque, quum ex hoc maximè homines inducantur, ut jurent religiosè, eo quod Deum perjurii vindicem *timeant*. Unde & Virgil. de suis minoribus Diis respectu Jovis, *l. 6. Æn. v. 324.*

Dii cujus jurare timent & fallere Numen &c.

Vide Rivetum, *Exercit. ad Genesin 135.* Verùm objectum cum affectu confudêre Gentiles, translatô cultu ab Eo, qui *timendus*, ad animi motum, quô *timere* Deum convenit. Vide quoque suprà, ubi *de Metu*, nec non in voce *Pavor*.

TIMORIA, Lacedæmoniis culta fuit: non autem eam venerabantur, sicut alios Dæmonas, quos tanquam noxios abesse procul à civitate volebant. Sed hâc Rempublicam maxime contineri arbitrabantur.

TIMOSTHENES, præfectus classis *Ptol.* Philadelphi. Scripsit *de portubus libros* 10.

TIMOTHEUS, discipulus S. Pauli, fil. matris Judææ, quæ Christianismum amplexa, ex patre Ethnico: Hunc Lystræ repertum secum sumsit Apostolus, eumque charissimum habuit, ob Juvenis fidem; constantiam, zelum: Ephesi dein Episcopum constituit: ubi, post præstitam CHRISTO JESU egregiam operam, lapidibus tandem obrutus, quòd Dianæ cultui acriter se opponeret, martyrium subiit. Ad hunc duas insignes epistolas è captivitate exaravit Apostolus, vide Actor. *c. 16. v. 1. s.* Euseb. *in Hist. Eccl.* Baronium *in Annal. &c. In priorem ad Timotheum Epist.* cujus 6. capita, extant Alesii *Expositio* in 8t. Basil. A. C. 1531. Lips. 1550. Areopagus, Basileæ, A. C. 1546. Chytræi *Enarrat. & Scholia.* Coccejus. Crocius. Codibundius. Crellius Socin. Cruciger. Dalæi *Concion. Gall.* in 4. vol. in 8t. Genevæ. Danæi *Comment.* in 8t. Gen. 1577. Didvadius, in 8t. Espencæi *Comment.* in fol. A. C. 1561. Parisiis. Faji *Comment.* in 8t. Genev. 1608. Gerhardus, in 4to. Jenæ, A. C. 1643. Godeau. Gothofredi *Excercitationes, in c. 3. v. 15. 16.* in 8t. Genevæ, A. C. 1649. Heilbrunnerus, in 8t. Lavingæ, A. C. 1588. Hesselii *Comment.* in 8t. Lovanii, A. C. 1605. Magalianus, in 8t. Meelfuher, in 4to. Norimb. A. C. 1628. Megandri *Comment.* Basileæ, A. C. 1536. Melanchthon. Musculus. Pricæi *Annotata.* Sculteti *Observationes Gram. Hist. Log. Theol.* in 4to. Francof. A. C. 1624. Witeb. 1630. Soto Major. Stevartius. Torres. Venatorius, in 8t. Basil. A. C. 1553. Weinrichii *in Tim.* in 4to. Lipsiæ, A. C. 1618. Willichii *Comment.* in 8t. Argentorati, A. C. 1524. Zuinglius. In 2. *Epist.* 4. capitibus constantem, prodiérunt: Alesius. Danæus. Espencæus. Godeau. Heilbrunnerus. Megalianus. Megander. Melanchthon. Pricæus. Scultetus. Soto Major. Stevartius. Weintichius. & Willichius. Vide Crowæi *Elenchum*.

TIMOTHEUS, dux Atheniensium felicissimus, Cononis filius, ad cujus imaginem pictores Fortunam depinxerunt cogentem urbes ad rete, ipsô juxta dormiente. Quod vel assentationis vel invidiæ causâ in eum sic excogitatum fuit. A Platone frugali, Musicâque cœnâ exceptus, cùm ex ea melius quàm post opiparas epulas se haberet, dicere consuevit: *Qui cum Platone cœnant, etiam postero die benè habent.* Vide *Suidam*, & Cicer. *l. 5. Tuscul. Quæst. c. 35.* 2. *Timotheus* Atheniensis, Comicus mediæ Comœdiæ, cujus fabulas nonnullas commemorat Athenæus *l. 3.* *Timotheus*, Poëta & Musicus Milesius, sub Philippo Rege Macedonum. Hic cùm decimam chordam Lyræ adjecisset, à Lacedæmoniis civitate ejectus est. Id SCtum apud Boëthium habes, *l. 1. de Mus. c. 1.* Vide *Suidam*. 4. Alius sculptor nobilissimus, unus ex illis, qui Mausoleum cælaverant. Plin. *l. 34. c. 8.* 5. Alius comes peregrinationum D. Pauli, Episcopus Ecclesiæ Ephesinæ, Martyr. sub Nerone Volaterr. *l. 2.* Vide suprà. De Musico præfato ut hoc addam, is cùm Terpander antiquissimus νόμων κιθαρῳδικῶν ποιητὴς, nomos suos versibus Heroicis composuisset, modulosque iis addidisset; Phrynis posteà Mitylenæus τὰ ἑξάμετρα τῷ λελυμένῳ conjunxisset, numerumque chordarum auxisset, rationem citharœdicarum cantionum ferè totam immutavit & illam ad numeros lege solutos dithyramborum deflexit, uti ex Plutarcho & Stephano pluribus docet Salmas. *ad Capitolin. in Pio, c. 7.* Vide quoque eum *ad Solin. p. 121. & 814.* in quo posteriore loco, mille siclorum aureorum mercede ab Ephesiis eum conductum, ut in honorem Dianæ; cujus ædes tum dedicata recènserat, carmen componerent, adnotat, ex vet. *Epigr.* Alexandri Ætoli, Macrobio laudati, in quo canit, de populo Ephesio,

Α'λλ' ὄγε πολλέδριθ☉ πάγχυ Γεραιοῦσι μελίᾳ
Τιμόθεον κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων,
Υἱὸν Θερσάνδρου, κοτλήσατο ἀνέρα σίγλων
Χρυσείων ἱερὴν τότε χιλιάδα.
Ὑμνῆσαι ταχέων Ὦπιν βλήτειραν ὀϊστῶν κτλ.

TIMOTHEUS I. Episcopus Alexandrinus, post fratrem Petrum, A. C. 380. Obiit A. C. 385. Scripsit *vitas aliquot Sanctorum*, &c. Codex Theodos. *l. 3. de ep. Jud.* Sozomen. *Hist. Eccl. l. 6. c. 29. &c.*

TIMOTHEUS II. Ælurus dictus, Eutychianus, sævus in Orthodoxos: à Præfecto propterea pulsus, per suos Proterium sustulit. Totô dein Imperiô exturbatus à Leone Imperatore restitutus est à Basilisco; tum priorem sævitiam redorsus, tandem seipsum venenô necavit. A. C. 477. Euagr. *l. 3. Liberat. Niceph. Baronius, Gennadius, &c.*

TIMOTHEUS III. Solofaciolus, priori in exilium pulso successit, Orthodoxus: posteà pulsus restitutusque, Obiit A. C. 482. Baron. *Annal.*

TIMOTHEUS IV. Hæreticus, successit Dioscuro juniori A. C. 519. pulsus à Justino, Anastasii successore, restitutô Asteriô, A. C. 521. *Idem.*

TIMOTHEUS, Episcopus Constantinopolitanus, Hæreticus, ab Anastasio Imperatore intrusus, pulsô Macedoniô, A. C. 511. Libidinibus infamis, fidem ludibrio habuit: Obiit subito, A. C. 517. Vide Euagr. *l. 4. c. 13. 17. 22.* Item, Patriarcha Constantinopolitanus hôc seculô Cyrillo Orthodoxo & Martyri, surrogatus.

TIMOTHEUS, Clearchi Heracleæ Ponticæ tyranni, filius, cæsô in Dionysiis patre, dominationi successit, Olympiadis centesimæ sextæ annô quartô, tenuitque eam annos quindecim. Obiit Olympiadis centesimæ decimæ an. 3, Diod. *l. 16.*

TIMOTHEUS Atheniensis, *volumine* claruit *de Vitis.* Laërt. *in Plat. Aristotele, Zenone, & Speusippo.* Voss. *l. 3. de Hist. Græc. extr. p. 421.* eundem putat cum Timotheo illo, cujus Ἀργολικὰ citat Plut. *de Flum. capp. de Inacho, & Hebro.* At omnino diversus est *Timotheus* gentilis Theologus, de quo Arnob. *l. 5.* Est & alius *Timotheus* Chronographus Christianus, qui *de initio rerum ac Deo* præclarè scripsit. Alius denique *Timotheus* Gazæus, de quo Voss. *Hist. Gr. l. 2. c. 21. extr. Lloyd.*

TIMOTHEUS, Grammaticus, cujus meminit auctor Scholiorum *in Ranas Aristoph. Act. 5. sc. 4. p. 279 G.*

TIMOTIUS, Philesius, Poëta Dithyrambicus, floruit circa Olym. 95.

TIMOXENES, Achæorum dux, A. M. 3745.

TIMOXENUS, ἐν τῷ περὶ λιμνῶν laudatur ab Æschyli Scholiaste *in Persas*; sed legendum περὶ λιμένων. Voss. *l. 3. de Hist. Græc. extr. p. 421.*

TIMOXENUS, Sicyonius proditor & urbi cui præerat, infidissimus. Nam cum Artabazo, urbem oppugnante, consilia communicavit proditionis. Convenit autem inter utrosque, ut exiguum libellum telô suspensum in locum destinatum ejacularentur atque inde epistolas reciperent. Polyæn. *l. 7. c. 33. in Artabazo, com. 1.*

TIMPIRUM, urbs Thraciæ, *Antonin.* 16. mill. pass. à Trajanopoli. Simlerus *Temporis* legit.

TIMUCHI, vocabantur Massiliensium Magistratus.

TI-

TIMUR, cognomine *Lenck*, i.e. claudus, vulgò *Tamerlanes*, circa A. C. 1370. Tartarorum res mutuis diffidiis penè collapsas, velut alter Schinguis Khan, ad summam iterum & longè majorem, quam unquam, majestatem perduxit: omnium terrarum à China usque ad Poloniam, adeoque universæ Asiæ; quod præter eum nemini hactenus contigerat, dominus effectus. Historiam ejus Arabicâ linguâ scripsêre Achmed Arabsiades, & Emirkondus: de eodem peculiarem *Dissertationem* edidit Cl. Bœclerus. Vide quoque in voce *Tamerlanes*.

TIMUS, urbs Asiæ propriæ sub Tiberio terræ motu eversa, *Callist.*

TIMYRA, urbs juxta Isauriam, & fluv. Indiæ. *Steph.*

TINA, vel *Tine*, *Aristot. Hydrusa*, aliis *Ophiusa*, insula in mari Ægeo, celebris fuit templô Neptuni, extra oppidum in luco extructo, quò ex omnibus aliis vicinis insulis, sacrificiorum causâ, concurrere solebant homines, quibus omnibus in cænaculis ad hoc paratis, victus dabatur. Distat à Delo insula 10. milliar. Ad ejus partem, quæ Septentrionem spectat, arx est in mari, quæ *S. Nicolas* nomine indigitatur. *Nat. Metel.*

TINA, in tribu Juda. Hieronym. *in Hebr. Loc.*

TINA, *Ptol.* fluv. Albionis per Northumbriam in Ortum fluens, vulgò *Tine Camdeno*, ad cujus ostium oppid. & portus *Tinmouth* à Bervico in confinio Scotiæ 30. mill. pass. in Meridiem.

TINA, in *versu* Lucilii,

Fulmentas senis ac tinis *subducere:*

Vas est vinarium, ex Græco δῖνος, quod *Hesychio* est εἶδος ἐκπώματος. Sic *Athenæo* μέγας δῖνος de poculo. Varro, *Antiquissimi in convivium utres vini primò, postea* tinas *ponebant* &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 233. & Car. du Fresne *Glossar.* ubi hic vocem eam Recentioribus quoque, de vase grandi ligneo tam lavationibus, quàm condendis vinis, parato, in usu esse, atque etiamnum Gallis *tine* dici, ostendit. Ad hujusmodi *tinæ* formam quòd fere Clericorum isti pilei, quos *Bonnets carrez* iidem Galli appellant, fieri soleant, hinc & ipsos *Tinarum* voce venire in Synod. Sodorensi Manniæ Insul. *c.* 7. habes, *ibid.*

TINAGOGO, h. e. Deus mille Deorum, cultus in quadam Asiæ regione apud Ferd. Pinto *Itinerar.*

TINCA, piscis glutinosus, magni usus in eluendis vestium maculis. Cardanus *de rerum varietate, l.* 7. *c.* 42. *Tincarum decoctô maculas omnes tolli existimant; quoniam lentum sit, ac viscidum; unde materiam maculæ ad se trahat.* Quô unô, ut videtur, Bellonius *de Aquatil. l.* 1. *c.* 17. impulsus, *Tincam* Ausonii *in Mosella*, quæ Italis hodieque *Tenca*, Φύλανα sive Γναφεία esse existimavit. Sed ficulneum verè est hoc argumentum. Quippe eadem vis est aliis non paucis, ut ichthyocollæ & id genus glutine abundantibus piscibus. Γναφεὺς autem is Latinis quoque *Fullo* est, cujus decoctô maculas vestium elui, Dorion tradit apud Athenæum, *l.* 7. *c.* 12. Vide Geth. Joh. Voss. *l.* 4. *Idolol. c.* 47.

TINCONTIUM, vulgò *Xancoinus*, seu melius *Sancoin*, locus Galliæ in Biturigibus Cubis: Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TINCTOR, Græcè Βαφεύς, à *tingendis* purpurâ, aliôque colorum genere vestibus, lapidibusque nomen habet: cujusmodi Artificum memoriam servat Hierapoli vetus *Inscr.*

ΤΟΥΤΟ ΤΟ ΗΡΩΟΝ
ΣΤΕΦΑΝΟΙ
Η ΕΡΓΑΣΙΑ ΤΩΝ
ΒΑΦΕΩΝ

Heroum hocce coronat corpus Tinctorum, apud Jac. Sponium, *Itiner. Græciæ Part.* 3. *p.* 150. Cæterùm ars eorum in quo constiterit, vide suprà in verbo *Allizari*; it. *Confectores*: de illorum verò officinis in voce, *Baphium*. Recentiores *Tinctam* dixêre. *Diploma* Friderici II. Imperatoris: *Donamus totam* Tinctam *nostram ipsius civitatis nostræ Panormitanæ -- communi jure*, &c. apud Rocchum Pirrum *in Archiepiscopis Panormitanis*. Item *Tinctoriam*, alibi. &c. At *Tinctorium*, apud Melam, *l.* 2. *c.* 1. de Scythis, *Mars omnium Deus, ei pro simulachris enses &* tinctoria *dedicant, hominesque pro victimis feriunt*: gladius est, quòd sanguine *tingatur*, ad verbum σφαγεῖον. Herodotus ἀκινάκην in ea Historia vocat. Sic Isidorus *in Gloss. tinctorium, gladius*. Et in vet. Elegia *de Spe*,

Et cui detenta in jugulo tinctoria *muto,*
Spem, quamvis lecto jam referatur, habet.

Unde *tinctoria mens* Plinio, pro cruenta & cædibus gaudente, *l.* 7. *c.* 7. *Tu cujus semper tinctoria est mens, tu qui te Deum credis, aliquô successu tumens, tanti perire potuisti.* Nisi malis in his locis *cinctoria* reponere, & apud Plinium legere, *Tu cujus semper in cinctorio est mens.* T. namque & C. non rarò permutari constat. Salmas. *ad Solin. p.* 185. De *tincturis*, ursorum capitibus corporibusque appendi, & cum pilis, tanquam phylacteria essent, ad depellendos morbos, atque adeò oculorum fascinos amoliendos, passim distribui solitis, qui mos *can.* 61. Synodi Trull. damnatus est, vide aliquid infrà voce *Ursis*.

TINDA, Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Stabulum Diomedis Antonin.* oppid. olim Thraciæ mediterran. inter Philippos ad Occasum 61. & Maximianopolim ad Ortum 18. mill. pass. À Chalcidensibus condita est, eôdem tempore quô à Clazomeniis Tejisque Abdera, qui populi Asiæ, dominium Persarum minimè tolerantes, in Thraciam migraverant; Salmas. *ad Solin. p.* 160.

TINDE, Chalcidica urbs Thraciæ. *Steph.*

TINDIUM, urbs Libyæ. *Steph.*

TINDUS, fluv. Angliæ, ubi monast. *Mailtas Bed.*

TINEA, à Græco φθείρ, Græcis communiter σὴς dicitur, ab Hebr. עש *es*, vel סס *sas*, quod à verbo *asas*, i. e. consumi & tabescere, etiam βρῶσις dicta occurrit Math. *c.* 6. *v.* 19. ubi βρῶσιν non esse *erosionem*, sed tineæ speciem, probari videtur posse ex Esai. *c.* 50. *v.* 9. ubi Hebræum עש, Theodotioni σὴς, Aquilæ ἐβρῶσις redditur, Cum blatta sæpe jungitur Poëtis. In quibus Horat. *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 118.

--- --- Cui stragula vestis;
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca.

Et Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 60. *v.* 7.

Quàm multi tineas *pascunt, blattasque diserti.*

Quare pro synonymis quidam habent. Sed *blatta* inter scarabæorum genera reponi videtur Plinio, *l.* 11. *c.* 28. & apud sequentis ævi Scriptores planè aliud est, purpura scil. aut purpuræ genus: quare ampliùs disquirendum. Ipsius verò *tineæ* nihil tam proprium est, quàm quòd præcipuè lanam & laneas vestes consumit, Jobi *c.* 13. *v.* 28. Esaj. *c.* 50. *v.* 9 *c.* 51. *v.* 8. &c. Vide quoque Aristotelem, *Histor. l.* 5. *c.* 32. Plin. *l.* 11. *c.* 35. Isidorum, Alios. Unde composita vox σητόβρωτος, *à tinea consumtus*, est in vestium epithetis, ut & σητόκοπος; *à tineis pertusus*, proprium enim earum κόπτειν; unde ἄκοπα, quæ *à tineis illæsa*, Salmas. *ad Solin. p* 949. Cui malo ut occurratur, polium Theophrastus *Histor. l.* 11. *c.* 16. absinthium Avicenna, *Tom. II. p.* 136. citreum malum Plinius, aliaque, in arculis vestimentorum recludi, vestibusque apponi jubent. Vide hunc *l.* 20. *c.* 5. 6 8. 9. *l.* 22. *c.* 25. alibique passim: ut & suprà, ubi de *Lapide* pisce. Sed & libris *tineas* nocere, Martialis habet, *d. l.* & *l.* 14. *Epigramm.* 37.

Constrictos nisi das mihi libellos,
Admittam tineas, *trucesque blattas.*

Ubi dicere vult, ne libri in arcula ac scrinio à *tineis* comedantur, non nisi compactos oportere reponi. In lapides & metalla quoque valere, videtur colligi posse, ex Matth. *c.* 6. *v.* 19. 20. & Luc. *c.* 12. *v.* 33. ubi thesauros Christus in terra congeri vetat, *ubi tinea corrumpit*. Sed non gemmas solùm & aurum vel argentem, verùm & Vestes à Veterib. in thesauris fuisse repositas, discimus ex Esdr. *c.* 2. *v.* 69. Nehem. *c.* 7. *v.* 70. Job, *c.* 27. *v.* 16. &c. Hinc apud Poëtam. *l.* 9. *Æn. v.* 26. describitur Messapus,

——— *dives pictai vestis & auri.*

Et Susis capitis, Alexandrum in Regiis thesauris reperisse purpuræ Hermionicæ talenta quinque millia, decem minùs ducentis annis ibi reposita, narrat *Plut.* Vide plura hanc in rem, apud Geth. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 4 *c.* 94. & Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. l.* 4. *c.* 25. quorum hic, inter alia præclara, de comparatione Dei cum *tinea*, Psalm. 39 *v.* 12. *dissolvis, tanquam tinea, desiderabilia ejus*: & Oseæ, *c.* 5. *v.* 12. *Ero ut tinea Ephraimitis*; *vult*, ait, *occultâ Dei maledictione reprobos ipsos tabescere & quidquid illis charissimum est, sensim dissolvi & consumi, quamodo* tinea *cæcô morsu absumit pretiosissima quæque vestimenta --- Neque timendum est, ut vilescat Dei Majestas, cùm a Prophetis confertur cum tam vili animalculo. Nam, si proprie loqui velimus, non confertur Deus cum tinea: sed lenta Dei judicia cum vitio, quod vesti à tinea accidit. Sensim enim id inolescit, ita ut, quod prius solidum atque integrum videbatur, tandem tacitô morsu conficiatur atque exedatur.* De *Tinearum & Murium* die, vide suprà *Dies*.

TINGCHEUM, vulgò *Tingcheu*: urbs Fochiensis provinc. sexta, in Sina. Intra montes, in limite Quansiæ, sub qua 7. aliæ. *M. Martinius.*

TINGE, promuntor. Africæ, quod ferunt ab Antæo conditum. Vocatur etiam *Ampelusia*.

TINGENDI faciem, palpebras, aliaque corporis membra, crines quoque, consuetudo, vide hic passim: uti de *Tinctæ vestis* usu Athenis olim interdicto, Sponsis exceptis, suprà aliquid voce *Pallium*, it. *Panathenæa*.

TINGI, seu *Tingis Ptol. Tingios Steph.* corruptè pro *Tingis*, vulgò *Tanger*, colonia & urbs Episcopalis, sub Archiepiscopo Eborensi, ab Antæo condita, Mauritaniæ Tingitanæ caput, extra Herculis columnas, inter Septam ad Ortum 60. & Zeliam ad Occasum 24. mill. pass. à Lixia 54. cum portu capaci. *Baudrando* in ora freti Hercul. 28. mill. pass. à Septa in Occas. 35. à Zilia in Boream. Anteà sub Lusitanis; nunc Anglis concessa, à quibus permunita est. In Habata, provinc. Fezzæ. De ea Silius, *l.* 3. *v.* 258.

Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus.

TINGOESI, populi Tartariæ desertæ versùs Oceanum Borealem nuper detecti à Moscis, quibus parent. Versus Jenesejam fluv. & prope Samojedas popul. Ultimi ferè sunt, qui ad Orientem nobis innotuerunt, strumosô gutture laborant, unde animi sensa non tam linguâ, quàm gutture exprimunt. Vide Appendicem ad Belgarum Navig. Boreal. tert. *p.* 64. *in tom.* 1. *Navig. Belg.* Quod ipsum & Montium Pyrenæorum Alpiumque accolis, non uno in loco accidit. Unde Juvenal. *l.* 13. *v.* 162.

Quis tumidum guttur miretur in Alpibus?

Vide de Stiriæ incolis testem Ortelium *ad tab.* 22. Nec dissimilem effectum, licet dispari è causa, vitiô naturali tamen ortum observare est, in comit. Leicestriæ pago *Carlton*, in Anglia cujus incolas merè inconditos sonos formare, eoque ab aliis vix intelligi posse, notat T. Fullerus, *Hist. Eccl. Angl. l.* 2. *p.* 125. *Nic. Lloyd.*

TINIA, Plin. *Teneas Strab.* Umbriæ fluv. ex Apennino monte apud Nuceriam manans, mœniaque Fulgini alluens, ac infrà

Meraniam acceptô Afiô, in Tiberim fluens. *Topino Leandro*. Sil. *l.* 8. *v.* 455.

In Tiberim properant, Tinaque inglorius humor.

Vide Plin. *l.* 3. *c.* 5. Item Urbs Liburniæ mediterran. apud ortum Titii fluv. Episcopalis sub Archiepiscopo Spalatensi 25. mill. pass. à Sebenico in Boream *Tine* vulgo.

TININIUM, Civitas Croatiæ. Vide *Arduba*.

TINISA, vulgo *Tunisi*, urbs Africæ ampla & regia, in ora, à Carthagine 15. mill. pass. in Ortum distans. Vide *Tunis*.

TINISSA, urbs Armeniæ majoris. *Ptol.*

TINMOUTHUS Johannes, vide *Johannes*.

TINNETIO, vicus Rhætorum *Antonin*. *Tinischen* Germanis, teste *Tschudo*, *Tinnezano* Rhæt. medius inter Curiam ad Boream & Stampam pagum ad Meridiem Clavennam versus 23. mill. pass.

TINNITUS auris, inter *omina trina*, ut Ausonius *in Gripho* habet, Veteribus sic propriè appellata. Quamvis enim pro quolibet auspicio augurioque vox *ominis* non rarò sumta reperiatur: ut in illo Tibulli, *l.* 1. *El.* 3. *v.* 17.

— — Aves dant omina dira.

Peculiari tamen ratione tria hæc, *Omina*, dicebantur, παλμὸς, *salissatio*; πταρμὸς, *sternutatio* & βόμβος, i. e. *tinnitus auris*. Et quidem cùm dextra *tinniret*, non minùs faustum habebatur, ac cùm dexter saliret oculus. Vide Jos. Scaligerum, *Ausonianar. Lection. l.* 1. *c.* 16. & Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 3. *c.* 8. De quo pulsu auris seu tinnitu sic vetus Poëta incerti nominis, *in Poemat. & Epigramm. vet.*

Garrula quid totis resonas mihi noctibus auris,
Nescio quem dicis nunc meminisse mei.
Hic quis sit, quæris? Resonant tibi noctibus aures,
Et resonant totis: Delia te loquitur:

Ut alia quædam addam, *tinnitus auxiliantes Lunæ*, in Ecclipsi videl. laboranti, occurrunt apud veteres Scriptores passim: inter quos Seneca, *Hippolyto*, *Act.* 2. *v.* 791.

Tractam Thessalicis carminibus rati
Tinnitus dedimus, tu fueras labor.

Et Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 443.

— Laboranti poterit succurrere Lunæ.

Vide quoque infrà, ubi de *Vociferatione*. Contra quam in vulgo regnantem persuasionem, extant Homiliæ veteris in Latina Ecclesia Tractatoris. Scripserunt & loca Auctorum plurium illustrârunt, Car. Paschalius *de Coronis*, Joh. Bernartius *ad Statii Thebaidem*, Lipsius *ad Tacitum*, Gonsalius *ad Petronium*, G. Elemenhorstius *ad Minutium Fel.* Hadr. Junius, *Animadvers. l.* 3. *c.* 11. qui nimis festivè campanas nostri ævi intelligit. Alii. Hodieque apud Turcas insolitam eam superstitionem vigere, docet P. de Valle *Itinerar. Part.* 2. Sed & aures eorum, qui Delphicum olim oraculum adibant, æris *tinnitu* circumsonare consuevisse, ne verba malè sibi ominata & inauspicata audirent, Plutarchus docet, *Quæst. Rom.* 10. ἐ ... [illegible Greek] ... De *tinnitibus*, in Jovialibus olim sacris diximus suprà ubi de *Corybantibus*, *Curetibus*, *alibi*. Quos etiam Romanis moribus servatos in iis, discimus ex Prudentio, *in Symm. l.* 2. *v.* 857.

Aut hos thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia festa.
Aut docet, occultus quæ sacra Diespiter infans
Inter tinnitus *solvi sibi poscat annos*, &c.

Vide quoque infrà, ubi de *Tintinnabulis*. Est autem *tinnire* vel aurium judiciô, propriè rerum exiliter sonantium, ut laminæ sistri &c. Becmannus *de Origin. L. L.* inde paulo latiùs nonnunquam voce extensâ. Unde & Ausonius *Epist.* 25. ubi proprium cuique instrumento sonitum adscribit, æri Dodonæo *tinnitum* tribuit, *v.* 23.

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quotiens radiis ferientibus ictæ
Respondent dociles, moderato verbere, pelves.

TINNULA, seu *Tinella*, Regum Palatia mediô ævô dicta, ut infrà videbimus, ubi de *Tintinnabulis*.

TINNUNCULUS, amica columbis avis: *Defendit enim illas, terretque accipitres naturali potentia, in tantum, ut visum vocemque ejus fugiant.* Plin *l.* 10. *c.* 37. ubi plura hanc in rem. Nempe inter volandum etiam vocem edit, illis infestam, unde quod semper *tinnitat*, nomen invenit, apud Latinos, sicut hodie *cercerelle*, quasi *crepitaculum*, eam Galli vocant. Græcis verò, κεγχρὶς, vel κέγχρις dicitur, colore namque cinereo punctis nigris, velut *milii granis*, sparsa est. Cæterùm & ipsa accipitris species est, uti docet Salmas. *ad Solin. p.* 319. & Bochart. *Hieroz. part. poster. l.* 2. *c.* 19. hominique in epistolis quoque perferendis inservit. Ita enim Plinius *d. l. Quin & internuncia in rebus magnis fuere, epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra Consulum Decimo Bruto mittente. Quid vallum & vigil obsidio, atque etiam retia amne prætenta profuere Antonio, per cælum eunte nuntio.* Vide quoque Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 98. & quæ suprà de *Columbis* ἐπιστολοφόροις. Inde est, *quod earum amore insanientes multi, super tecta eis exædificarent turres, nobilitatemque singularum & origines, narrarent, vetere jam exemplo. L. Axius Eques Romanus ante bellum civile Pompejanum denariis quadringentis singula paria venditavit, ut M. Varro tradidit. Quin & patriam nobilitavêre, in Campania grandissimæ provenire existimatæ*, Plin. *ibid.*

TINTINNABULUM, à *tinnitu*, quem, dum pulsatur, edere solet, nomen nactum est: Tinnitus autem est æris: unde ex ære primùm, mox ex ære, stanno, plumbo argentoque nonnunquam admistis, fieri consuevêre *Tintinnabula*, magni inter homines usus, sive profana, sive sacra respicias. An apud Antiquos recepta fuerint, dubitat Joh. Tortellius *in Lexic.* cùm rara illorum apud Veteres mentio: sed, ut de Campanis, quales suâ ætate in usu vidit, facilè id concedatur: de *Tintinnabulis* tamen quibuscunque, id concedi non potest. Horum inventor, ut & plurimarum aliarum rerum, in obscuro est, neque Plinius, qui *l.* 36. *c.* 13. *Tintinnabulorum* in sepulchro Porsenæ meminit, caputque integrum, 56. atque id satis prolixum, rerum Inventoribus dicavit, *l.* 7. de eorum primo Auctore quidquam in medium protulit. Certum est, parvorum *Tintinnabulorum* usum in Cœnobiis, ut & in privatis Nobiliorum ædibus jam extitisse, antequam vel Paulinus, Episcopus Nolanus; vel Sabinianus Pontif. Rom. campanis Templorum turres instruxisset. In Regum quoque palatiis fuisse hinc discimus, quòd Tinnula inde, vel *Tinella* sunt appellata, quoniam ad *tinnitum* campanæ, ut in monasteriis fieri solet, singuli Regii Palatii domestici ad epulas citentur. Unde *tenir tinel* Gallos dixisse, pro *Curiam Regis celebrare*, videri nonnullis, habes apud Car. du Fresne *Glossar.* Sed & antiquioribus, non minora solùm, verùm & majora fuisse, discimus ex Martiale, ubi *æris Thermarum*, cujus sonô lotum convocati fuerint soliti, meminit, *l.* 14. *Epigr.* 163.

Redde pilam, sonat æs Thermarum, ludere pergis?

Quod frustra quidam ad æneum referunt clypeum, de quo *Vitruv.* cum Ælius Spartianus nescio quem Imperatorem Rom. Thermis *Tintinnabulum* amovisse, disertè dicat. Hujus itaque tinnitu, non solùm qui pilà in Sphæristerio exercebantur & in Thermas conveniebant: sed & qui longè inde aberant, lotum convocabantur. Unde Cicero *in Tuscul. simulatque*, ait, *increpuisset, Romanos, relictis Philosophis & Præceptoribus, unctum* (nam qui lavissent, ungebantur) *ire solitos.* Jussisse *Tintinnabulo*, cujus sonus pisces vendi in Foro indicaverit, meminit Strabo, *Geogr. l.* 14. ubi lepidam de Citharœdo quodam, ab Auditoribus, ad æris hujus sonum, deserto, historiam affert. Neque verò in Thermis solùm aut Foro, sed & in privatis Romanorum ædibus, *Tintinnabula* sonuisse, docet Lucianus, ubi *in divitum ædibus, familiam Tintinnabuli sono excitari consuevisse*, tradit; Qui mos hodieque in Purpuratorum Flaminum ædibus perdurat: Vide autem Lucianum *tract. de iis, qui mercede conducti in divitum familiis vivunt.* Idem *horas per aquam & sonitum suâ ætate demensas*, docet; cujusmodi Horologii iconem exhibet Magius, *de Tintinnab. c.* 6. Syriæ quoque Deæ Sacerdotem *Tintinnabulô* usum refert, cùm ait: *Ante Syriæ Deæ Templum phallos duos miræ altitudinis fuisse statutos: in hos Sacerdotem eâ solitum arte conscendere, quâ Syri palmas ascenderent, nimirum fune caudici advolutô, ac paulatim ad superiores partes protractô. Cùm verò ad summas phalli partes pervenisset, orare, sacra facere ac inclamare consuevisse, atque interim tintinnabulô sonum edere, ut verbis tinnitus sociaretur:* Quod confirmat Plut. *in Crasso*, Tertullian. *Apologet.* Cicero, *de Nat. Deor. l.* 3. Eusebius item *Præp. Evangel. c.* 2. Æs namque in sacris non modicam habere vim, olim creditum. Unde ejusdem Deæ sacerdotes, qui stipem non modicam passim emendicabant, illam colligentes, *Tintinnabula* quoque usurpâsse, discimus ex antiqua Romæ statua, in qua *Sacerdos* hujusmodi, *cum pera & tintinnabulo*, visitur. Quem morem hodieque in Italia imitantur illi, qui *D. Antonii fratres* nuncupantur. Similiter Nic. Nicolai *de moribus diversarum Gent.* inter Saracenos, reperiri quoddam Religiosorum genus, qui, vitam aliàs solitariam agentes, nonnunquam latebris suis relictis civitates petant, ursumque vel cervum manu ducant, è cujus collo *Tintinnabulum* pendeat, quô populum, ad eleemosynam dandam, conciant, literis prodidit. &c. Neque verò homines solùm, sed etiam bruta, quæ sub hominis degunt imperio, olim *Tintinnabulis* personabant, *ut tinnitu eorum noxiæ ab illis feræ arcerentur*, Strab. Hodieque Pastores, more antiquô perdurante, gregibus armentisque ea adaptant, non tam ad terrendas feras (namque & pecora *tintinnabulata*, ut Sidon. vocat. Apollinaris, *l.* 2. *Epist.* 2. à feris imperi necatique compertum) quàm ad deprehendendum, quibus in locis nemorum, montium valliumque oberrent, atque hâc ratione longæ inquisitionis labor absit. Quare Justinianus Imp. *in LL. rusticis tit.* 2. §. 2. sanxit: *Si quis crepitaculum, sive tintinnabulum boves aut oves aut alterius cujusquam animalis sustulerit, convictus flagellatur, ut fur. Et si animal deperditum fuerit id damnum sarcito, quòd ejus crepitaculum sustulit.* Cujus rei meminit etiam Lex Burgundionum, *tit.* 4. §. 11. & Antiq. Bojariorum *c.* 8. *tit.* 11. §. 1. Eòdem respexisse videtur Fortunatus *de S. Medardo*, *l.* 2.

Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille,
Qui jumentorum colla tenere solet.

Quanquam & *Tintinnabuli* sonô perinde pecora, ac tibiæ, delectari atque pinguescere nonnulli existimant. Imò oblectamenti atque ornatus gratiâ Muliones atque Agasones equis mulisque *Tintinnabula* alligabant, ut de mulis Ovidius canit: de equis, Suid. in voce κωδωνοφορεῖν. Mediô inprimis ævô id Francis in usu, ut equorum maximè strata *tintinnabulis* exornarent, uti pluribus docet Car. du Fresne ubi suprà. Romæ quinetiam, in antiqq. marmoribus Elephanti videntur, è quorum collo propendent *tintinnabula*: Atque etiamnum Hieracarii aquilis, majoribus minoribusve accipitribus, alii ex ære, alii ex argento coriaceis compedibus assuunt, ut, cùm evolaverint atque conspectum effugerint, sonô crepitaculorum suorum iterum queant inveniri. Redeo ad homines: Aristophanes *in Avibus*, jubet Codonophorum i. e. *Tintinnabuli gestatorem*, circumcurrere, inquit enim, Κωδωνοφορῶν περιτρέχω. Ad quæ verba,

verba, Græcus Scholiastes scriptum reliquit, eos qui circumibant urbem ac φύλακας, i. e. excubias & vigiles, gestare *Tintinnabula* consuevisse, ut num vigiles verè essent vigiles deprehenderetur. Vide quoque Hesych. in Κωδωνοφορῶν. Quod Romani buccinâ, Germani nostrâ ætate tympani tibiæque sonitu facere soliti sunt. Sed & Caleti aliisque locis præsidiarios veterem Græcorum morem etiamnum observari legimus. Similiter, si quâ vis ingrueret, Campani æris tinnitu indicium dabatur olim; quemadmodum & hodie per universam Belgicam: Quò respexit Statius, *Theb. l. 6. v. 687.*

—— Procul auxiliantia gentes
Æra crepant.

Porrò habebant olim Codonophoros, qui funus atrati præcederent, Suid. & ex eo Guil. Budæus: Quod factum, tum ut ad spectandam pompam homines confluerent, tum ut Flamen Dialis funeris admoneretur, ne ille ex improviso occurreret & funebribus auditis tibiis pollueretur. Vide A. Gellium, *l. 10. c. 15.* Imò &, quampcimum quis excessisset vitâ, æra pulsari fuisse solita, petrtus Theocriti monet Scholiastes: quòd is sonus crederetur *καθαρὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων*, h. e. *avertere spectra & dæmonum ludibria*: Qua de causa etiam receptum, ut tonante cœlô campanarum boatu perstrepatur. Quamvis & alia subsit ratio, nimirum ut, illarum complosione aëre longè latèque diverberatô, vis tonitrui infringatur. Ut de Proserpinæ Sacerdote, Athenis ἠχεῖον pulsare solito, nil dicam. Zonaras è fontium quoque collo *Tintinnabulum* antiquitus suspendi consuevisse, ne ex eorum improviso contactu aliquis pollueretur, scribit *l. 2.* Quod de servis, cùm apud Romanos ad supplicium ducerentur, colligit Hadr. Turnebus, *l. 23. c. 11.* ex Plauto, *Pseudol. Act. 1. sc. 3. v. 98.*

— Verùm, extra portam Metiam currendum est priùs,
A. *Quid eo?* Pl. *Lanios inde accersam duos cum tintinnabulis.*

E' qua consuetudine idem Zonaras factum credit, ut Triumphantis currui *Tintinnabulum* cum scutica sive flagro adalligaretur, quibus instrumentis, reorum supplicio destinatis, in tantæ felicitatis cumulo Imperator admoneretur, ne plus quàm par esset efferretur, sed humanæ semper memor esset miseriæ. Contrà Indis Regibus *tintinnabula* & tympanum præcessisse, inter alia Regiæ dignitatis symbola, docet Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l. 4. c. 2.* &c. De Tympanis, quibus introrsum multa appensa essent *Tintinnabula*, vide Suid. *Crotala*, quibus *Tintinnabula* affixa, in antiquis visuntur marmoribus. De *tintinnabulorum* sive Campanarum, in quibusdam Europæ urbibus, Antverpiæ potissimùm, Insulis Flandrorum, Tungris, Ultrajecti, Amstelodami, Musico concentu, vide Magium *lib. cit. c. 17.* &c. Fuit verò & castrensis *Tintinnabulorum* usus: Superioribus enim seculis nec tamen admodum vetustis *Tintinnabulorum* usu jam in Ecclesias invectô, Imperatores in castris, quasi in civitate ambulatoria, *Carrocium* (voce Ital. quasi dicas *Currum magnum*) habuisse, in quo è turricula lignea campana pendens, Sole occidente & manè ante lucem, à milite fuerit pulsata, ut Deum precibus sibi redderent propitium, legimus: Eôdemque *Tintinnabulo*, cùm classicum cani oporteret, milites ad arma fuisse convocatos. Vide de hoc Carrocio Villanium Florent. *Chron.* ejusque figuram cum tintinnabulo & vexillo, apud Magium, *c. 13.* suprà item voce *Carrocium*, & plura hanc in rem *totô illô librô de Tintinnabulis*, *cum Notis* Franc. Swertii &c. Non sine piaculo tamen Sacerdotis Judæorum Summi *Tintinnabula* omisero, de quibus agitur, Exodi *c. 39. v. 26.* Hic enim *Tintinnabula* multa, ac mala punica itidem sonora, in extrema vestimenti ora gestare divinitus jussus est; Ut cùm in Sanctum Sanctorum ingrederetur, sonitus multiplex ab his, qui in templum convenerant, facilè posset audiri: Quæ figurabant, CHRISTO prædicante ac ministrante, clarum Euangelii sonum & germinantia Ecclesiæ prata virtutumque omnium florem odoremque futurum. Franc. Burmannus *Synops. Theol. Part. I. l. 4. c. 8.* Simile quid inter ritus Ecclesiæ Rom. in qua *tintinnabulis* exornatas interdum vestes Sacerdotales observat Car. du Fresne in vocibus *Capa*, *Stola*, *Tinniolum* & *Tunica*: quomodo & Procerum depingit Apulejus, *l. 10.* Nec *tintinnabula equorum*, apud Zachariam, qui in novo Test. iis inscriptum iri, *Sanctitas Jehovæ*, ait *c. 14. v. 20.* Solent autem, hæc iis appendi, non tam ornatus, quàm levaminis causâ, ut soni dulcedine deliniti laborem ferant faciliùs. Alia fuêre *tintinnabula*, quorum tinnitu explorabant veteres Persæ equos suos, an bellicos strepitus ferre possent, apud Ælian. *Histor. l. 16. c. 25.* quod κωδωνίζειν Græci. Vide suprà, & Ἐξακωδωνίζειν dixêre, qua de re plura apud Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 8.* ubi de *Tintinnabulorum* in toto Imperio Turcico, adeoque Ecclesia Græcorum, quæ sub illius jugo gemit, usu prohibito, alibi.

Tintinnabulorum quædam species.

Campana.	Nola.
Codon.	Petasus.
Hagiosidirum.	Signum.
Ἠχεῖον.	Simandrum.
Lebetes Dodonæi.	Squilla.

Vide de his omnibus *suô locô*.

TINTORETTA Maria, vide *Maria*.

TINUM, vulgò THAIN, oppid. Delphinatus, ad Rhodanum, è regione Turnonii oppid. in tractu Vivariensi, ferè 3. leuc. à Valentia in Boream totidem à Romano in Occasum. Est in tractu Viennensi.

TINURTIUM, oppid. Galliæ Celticæ ad Ararim fluv. Spartian. *in Severo*, c. 11. ubi refert, post multa prælia inter Imperatorem & Clodium Albinum Cæsarem, in Gallia, variâ fortunâ gesta, tandem *apud Tinurtium victum* Albinum, & reparatis viribus iterum apud Lugdunum acie fusum, interemptum, ejusque corpus in Rhodanum dejectum esse. Melius *Trenorchium*, Baudrando *Tornus*, in agro Matisconensi, in Ducatu Burgundiæ vix 5. leuc. à Comitatu Burgundiæ in Occasum. *Valesio* sedes, inter Matisconem & Cabillonum: cumque tribus suis partibus, Abbatiali nempe Monasterio S. Valeriani, Castro & Villa seu vico, unô & communi nomine, *Tornus* vulgò dicitur: è quibus castrum, suis munimentis nudatum, *le Chasteau demantele*, Villa *le Bourg* peculiariter appellatur. Olim quoque *Castrense horreum* oppid. hoc dictum est, mansio enim vel statio militaris fuit, annonam militibus iter facientibus servans: quales stante Imperiô Romanô mansiones fuêre in viis publicis, inque vicis plerumque ad flumina majora. Talia fuerunt *Horrea Cælia*, *Horreum Margi*, *ad Horrea* &c. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide & in voce *Horrea*.

TINUS, vide *Tina*.

TIORA, quæ & *Matiena*, oppid. olim Sabinorum, ad Velinum lacum, ubi Mars cultus, 30. à Batia stadiis. *Dionys. Halicarn.*

TIOS, oppid. Paphlagoniæ, à Tio Milesio sacerdote conditum, vide *Tium*.

TIPANILLÆ, populi juxta Caucasum, *Steph.*

TIPARENUS, Insul. Peloponnesi, ante Hermionem, in Sinu Argolico. Plin. *l. 4. c. 12*

TIPASA, colonia & urbs in ora Mauritaniæ Cæsariensis *Ptol.* Episcopalis olim sub Archiepiscopo Cæsariensi, *Teves* Mercat. *Sasa* Moter. *Tenes* Castaldo. Inter Juliam Cæsaream ad Occasum 16. & Icosium, ad Ortum 58. mill. pass. à Cirta, in Circium *Antonin.* Episcopi *Tipasitani* meminit *Victor Uticensis*.

TIPERARIENSIS Comitatus *County Tipperary*, provincia est Momoniæ, in Hibernia meridionali in limite Lageniæ & Connaciæ, seu inter Comitatus Kilkenniensem ad Ortum & Limericensem ad Occasum. Ejus urbes sunt Cassilia & Carica.

TIPHERNAS. Georgius, vide *Georgius*. It. *Gregorius*.

TIPHERNUM, vide *Tifernum*.

TIPHOEUS, vide *Typhœus*.

TIPHYS, primæ navis, quæ Argo dicta est, gubernator, & Argonautarum in Colchica expeditione socius; Hagnii fil. juxta Apollodor. *l. 1.* & Val. Flac. *Argon. l. 1.* At Hyginus *Fab. 14. 18.* Bœotum illum facit, Phorbantisque & Hyrmanes filium. Morbô præterea absumptum esse refert, in Maryandinis in Propontide apud Lycum regem. Vide Pausan. *in Bœot.* Steph. *de urb.* Apollon. & ejus Schol. Val. Flaccum (qui illi Erginum successisse vult) Apollodorum & Hyginum. *Orpheus*:

Τῖφυν δ' Ἀγνιάδην δολιχῆς ἰθυντῆρα νηός.

Virg. *Ecl. 4. v. 34.*

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas. ——

Ubi Servius *Tiphyn* poni ait pro quocumque navis gubernatore. Propriè accepit Ovid. *l. 1. Art. v. 6.*

Tiphys in Æmoniâ puppe magister erat.

Itemque Seneca *in Medea*, *Actu 2. v. 319.*

Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis.

Idem *ibid. Actu 3. v. 617.*

Tiphys imprimis domitor profundi.

Sic & Claudian. *l. 1. de bello Getico*, v. 1. *f.*

Intactà cùm claustra freti cœuntibus aquor
Armatum scopulis audax irrumperet Argo,
Omnibus attonitus solus post numina Tiphys
Inclamem rerum damno fertûsse carinam
Fertur, & ancipitem montis vitasse ruinam.

Sed proverbialiter idem Ovid. *ibid. v. 8.*

—— Tiphys dicar amoris ego.

Atque idem Seneca *ibid.* his versibus vaticiniô plenis, *Actu 2. extr.*

Venient annis secula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Tiphysque novos detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thyle.

Et in loco Virgilius superius adducto. Neque hoc solùm, sed à *Tiphy* dicti *Tiphacenses* populi Bœotorum, qui essent scientissimi rei maritimæ, quod est apud Pausan. *in Bœot.* Quin ab eodem gubernatore navigium sic dictum est, nam Sidon. Apoll. *l. 1. Ep.* ita scribit:

Tiphyn cursoriam, sic navigio nomen est, ascende.

Nic. Lloydius.

TIQUADRA, maris Balearici insul. Plin. *l. 3. c. 5.* sic à figura dicta: parva, ante Palmam urbem Majoricæ. Apud nonnullos *Triquadra* legi ait *Hermolaus*: Hodie *Conera* Floriano.

TIRACIENSES, populi Siciliæ, Plin. *l. 3. c. 8.* quorum oppid. *Randazzo* dici videtur, ad Ætnæ montis radices, supra 10. mill. pass. à Catana in Occasum. Vide *Trinacia*.

TIRALLUM, vide *Arcus* & *Tyrrhenum*.

TIRANUM, vulgò TIRANO, oppid. Rhætiæ, in valle Tel-

lina, ad Adduam fluv. 6. mill. pass. à confinio Italiæ & ditionis Venetæ, 30. à Clavenna & Lario lacu in Ortum A. C. 1672. fœdatum incendiô.

TIRAQUELLUS Andreas, Fontenæo Pictô, Jurecons. sui seculi princeps, Bezæ *alter nostri seculi Varro*, à Francisco I. in Burdigalensi, ab Henrico II. in Parisiensi Parlamento, Senator creatus, & jure reliquos omnes præcedendi Ornatus est. Vir immensæ lectionis, plurimorum librorum, & 30. liberorum, ex legitimo matrimonio parens. Chassanæum exscriptorem suum, Tract. *de LL. Connubial. & de Retractu*, arguit calumniæ plagii in Cœl. Rhodigino sibi impactæ. Obiit A.C. 1558. Thuanus *Histor.* Sammarth. Mornæus *Ver. Forens.* Laur. Crassus *Elogiis*, Forsterus *Hist. Jur.* Frey *Admirand. Gall.* Anton. Teissier *Elog. Part.* 1. ubi scripta ejus enarrat, Alii.

TIRAQUELLUS Andreas, fil. prioris, Senator itidem Parlamenti Parisiensis, quosdam Parentis tractatus in lucem edidit, cum Præfationibus, quas iis adjunxit. Teissier *ibid.*

TIRASCIA, vulgò TIERACHE vel *la Tierasche*, tractus Picardiæ, inter Hannoniam ad Boream, Campaniam ad Ortum, Veromanduos ad Occasum, & Laudunensem tractum ad Meridiem. Ibi oppida præcipua Guisia, Fara, Capella & Marla. Vide *Teoracia.*

TIRAUSTÆ, vide *Pirausta.*

TIRESIAS, vates Thebanus, Eueri fil. qui cùm aliquando in Cithærone vidisset 2. dracones coëuntes, observatâ fœminâ ex iis occidit illam, quô factô in fœminam & ipse mutatus est. Deinde cùm rursus post 7. annos eôdem pactô, & marem draconem interfecisset, in pristinam formam rediit. Quô factum est, ut exortô posteà jocosô inter Jovem & Junonem certamine, utrine an fœminæ majorem ex coitu voluptatem caperent, ille potissimum judex sit adhibitus, ut qui utrumque fuisset expertus. Tiresias autem pro Jove sententiam tulit, asserens multo plus de coitus voluptate percipere fœminas. Dixit enim *τῶν μοιρῶν ἰσῶν δέκα, τὴν ἄνδρα τέρπεσθαι τὴν μίαν, τὰς δὲ γυναῖκας τὰς ἐννέα*, ut ait *Phlegon.* Ob quod à Junone excæcatus est. Alii verò propterea excæcatum dicunt, quòd Palladem nudam in fonte conspexisset. Jupiter autem in solatium visus amissi, divinationis peritiam illi dedit, & ut 7. ætates viveret, inquit idem *Phlegon*; Licèt *Agatharchides* dicat, eum vixisse solùm *πέντε γενεὰς πλέον.* Hinc *Lycophron* eum vocat [illegible], Lucilius *grandævum*, Statius *l.* 2. *Theb. v.* 95. *longævum.* Hujus animam evocat Ulysses apud Homer. *Odyss.* 10. (vide his quoque Horatium, *l.* 2. *Sermon. Sat.* 5. *v.* 1.) multaque ab eo futura edocetur. *Strab. l.* 9. author est, ejus monumentum fuisse sub Tilphosso monte Bœotiæ, juxta fontem ejusdem nominis, ubi profugus diem suum obiit, cùm jam senex gelidissimam Tilphossæ aquam hausisset, ibidemque Thebanos sepulto divinos honores tribuisse. Vide Ovid. *Met. l.* 3. Ponitur pro cæco apud Juvenal. *Satyr.* 13. *extr.*

> —— *Tandemque fatebere lætus*
> *Nec surdum, nec Tiresiam quemquam esse Deorum.*

Nic. Lloyd. Ut infero certè Numini, sacra peculiariter facta esse, & ex Homero constat, *Odyss.* κ. & λ. eumque, cum filia Manto, ex hominibus duos Divos factos, ex Euripide producit Clemens, *l.* 1. *Strom.* Quam in rem vide plura, apud Casp. Barthium, *Animadversion. ad Statium*, *Theb. l.* 4. *v.* 443. qui etiam *de baculo*, ei à Pallade donato, *ad lib. eund. v.* 542. & de libro *de Thore*, illi adscripto à veterib. Græcis, *ad v.* 469. complura habet.

TIRGATAO, fœmina Mœotica, nupta Hecatæ, Sindorum Regi; Sed instinctu Satyri, qui eum in regnum restituerat, repudiata: quam contumeliam plurimis cladibus ulta est. Polyæn. *l.* 8. *c.* 55.

TIRIA, urbs Leucosyrorum. *Steph.*

TIRIDA, apud Solin. *c.* 10. ubi *de Thracia*, *Stagnum Bistonium. Nec longè regio Maronea, in qua Tirida oppidum fuit, equorum Diomedis stabulum: sed cessit ævo, solumque turris vestigium adhuc durat.* Quibusdam *Τίριζα* est Græcè, sed hanc in Paphlagonia collocat *Steph.* aliis eadem cum *Τίριζις Ptolomæi*, quam vide suô locô. Salmas. *Tinda* legi vult, quam *turrem Diomedis* vocare videtur Mela, *l.* 2. *c.* 2. *Turris, quam Diomedis vocant, signum fabulæ remanet.* Vide suprà.

TIRIDATES, Parthorum Rex, post obitum Phraatis IV. à Tiberio Imperatore Artabano II. oppositus, monitusque Phraatis avi & altoris Cæsaris meminisse, à Surena patriô more insigni regiô evinctus, sed paulo pòst à suis desertus proditusque Artabano interea exulanti iterum loco cessit. Tacit. *Annal. l.* 6. *c.* 32. 37. 42. 43.

TIRIDATES, Armeniæ Rex. Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 26. *v.* 5.

> *Quid Tiridatem terreat, unicè*
> *Securus.* ——

Meminit quoque *Tiridatis* Armeniæ regis, ejusdemque in urbem Rom. introitûs Tranquillus *in Neron. c.* 3. Item nomen magi cujusdam apud Plin. *l.* 30. *c.* 2.

TIRIDATES, pecuniæ regiæ Persepoli custos, qui eò procedenti Alexandro, literas misit, indicantes eos, qui in urbe essent, adventu ejus auditô, diripere velle thesauros; properaret occupare. Curt. *l.* 5. *c.* 5. 6. Gebhardus censet legendum *Teridates*, è Diod. *l.* 17. *c.* 69. *parte poster.*

TIRIS, Dux Thracum, initiô Antiocho resistentium armis, dein auxiliantium. Polyæn. *l.* 4. *c.* 16.

TIRISCUM, (quod jam *Teros* dicitur) oppid. Daciæ, *Tero Lazio*, aliis *Grosserbana* in Valachia. *Baudrando* hodie *Tergovisle*, & *Tarvis*, ad Tiarantum. Valachiæ caput & Principis sedes. Vide *Targovistum.*

TIRISSA, urbs Macedon. in Emathia. *Ptol. Lesteracori*, teste Moletiô. Vide *Tyrissa.*

TIRISTA, *Ptol.* vulgò *Drista*, urbs Mysiæ inferioris Episcopalis sub Archiepiscopo Ternobiano, hodie metropolis in Bulgaria.

TIRISTRIA, vulgò *Capo Lemano*. Mysiæ inferioris promont. in ora maris Euxini, inter Dionysiopolim & Odessum. *Ptol.*

TIRIZA, oppid. Paphlagoniæ. *Steph.*

TIRNAVIA, Hungaris *Tyrnaw*, Germanis *Dirn*, urbs parva Jazygum, in Hungaria superiore sed munita, ad Tirnam fluv. in Comitatu Posoniensi, sub Austriacis. Post Strigonium à Turcis occupatum sedes Archiepiscopi Strigoniensis, in cujus diœcesi est, sed caret Episcopali sede. Distat Strigoniô 8. leucis in Circium 6. à Posonio in Boream & Cæciam.

TIRO, Ciceronis libertus, occultas scribendi notas, quæ hodie *Siphræ* dicuntur, primus invenisse fertur. Hodie verò ita frequens est modus iste scribendi, ut nullus ferè sit neque princeps, neque nobilis, quin suas habeat siphras. Polyd. Virgil. *l.* 2. *c.* 7. *de rer. invent.*

TIRO, vide *Apinius*. Vide item *Tyro.*

TIROLIS, regio Germaniæ meridionalis non obscura, titulô Comitatus insignis, partem Rhætiæ, partem Norici magnam, & partem minimam Cenomanorum Italiæ complectens, continetur circulô Austriacô, qui ex decem Germaniæ circulis primus est. Baudrando *Tirolis*, *le Tirol* Gallis, *Tirolo* Italis, regio est Germaniæ meridionalis, partem orientalem Rhætiæ propriæ antiquæ tantum complectens. Anteà Principes habuit proprios è domo Austriaca, sed à paucis annis defectu prolis masculæ rediit ad Imperatorem, cui etiamnum subest. Terminatur à Septentrione Bavariæ Ducatu, ab Oriente diœcesi Salisburgensi & Carinthiâ, à Meridie ditione Venetâ, & ab Occidente Rhætis & Helvetiis. Rigatur Athesi & Oenô fluviis, & ab Alpibus Tridentinis ferè bifariam scinditur. Sic dicitur à Terioli, hodie *Tirol*, tenui castrô ad Athesim prope Meranum. Regionis partes sunt Comitatus Tirolis propriè dictus, *le Tirol propre*, Diœceses Tridentina & Brixina, *les Evesches de Trente & de Bressenon*, atque Comitatus Brigantinus, *le Comté de Bregents*, Feldkirkiæ, *le Comté de Feldkirk*, Pludentinus, *le Comté de Pludents*, & Monfortensis, *le Comté de Montfort*, versus Helvetios. Totius autem provinciæ caput est Oenipons, *Inspruck*, ubi anteà sedes Principis. Aliæ urbes sunt Bolzanum, *Bolzano*, Brigantium, *Bregents*, Brixino, *Brixen* seu *Bressenon*, Halla, *Hall*, & Tridentum, *Trente*. Tirolis Comes Mainardus, sub initium secul. 14. quòd Tridentini Episcopi ambitioni resisteret, excommunicatus, editâ in lucem apologiâ, in Præsulum vitia acriter invectus est, inter alia *sacrarum literarum contemtu & dominandi cupidine* ipsis objectâ. Aventin. *Annal. Bojor. l.* 7. Lineam *Tirolensem* seu Ænipontanam, orsus est Ferdinandus, Ferdinandi I. Imperatoris filius, frater Maximiliani II. qui Bohemicæ, & Caroli, qui Styriæ seu Græciensis auctor fuit. Ferdinandus hic, in divisione Tirolim & anteriores ditiones nactus, egregiam bellô Pannonicô fortitudinis laudem impetravit. Duxit clam patre Philippinam Welseram, patriciam Augustanam; eâque defunctâ Annam Catharinam Mantuanam, sibi sociavit, neptem è sorore: quod conjugium cùm sterile esset, & è Welseria suscepti non haberentur successionis capaces, alteri Carolo Burgoviâ ægrè relictâ, reliqua hæreditas inter agnatos divisa est. Iterum Ænipontanam lineam incepit Leopoldus Caroli Græciensis, de quo supra, filius, frater Ferdinandi II. Imperatoris. Is primò Ecclesiastico ordini ascriptus, Argentinensem Episcopatum, unde ei cum Joh. Georgio Brandeburgico bellum, A. C. 1609. & Passaviensem obtinuit: varias dein post res in Juliaco, Bohemia, Austria, tractu Rhenano, Rhætia gestas, Claudiam Mediceam duxit, A. C. 1626. mortuus A. C. 1632. Eô nati, Ferdinandus Carolus, qui orbus obiit A. C. 1662. & Sigismundus Franciscus, qui similiter absque prole mascula defunctus est, principatu ad Imperatorem, ut dictum, devolutô: cujus uxor Claudia Felicitas, filia postremi, obiit A. C. 1676. Adierant autem hanc hæreditatem filii Alberti Contracti Austrii, ex testamento Margaretæ Maultaschiæ, Henrici Ducis Carinthiæ & Comitis *Tirolensis*, vel, ut alii, Elisabethæ, Henrici istius sororis, quod mortuô filiô Meinhardô, ex Ludovico Ludovici Bavari Imperatoris filio suscepto, condiderat. Vide G. de Roo *l.* 5. Joh. Aventin. *Annal. Bojor. l.* 7. Tob. Pfannerum *de præc. Germaniæ Principum gentibus*, *c.* 1. Phil. Jac. Spenerum *Arte Herald. Tom. II.* &c.

TIRON, fluv. Galliæ Celticæ apud Mauritaniam, oppid. Comitatus Perticensis, *Irons.*

TIRONI seu TIRONENSIS Comitatus Hiberniæ duplex, Superior & Inferior, *Upper-Tyrone* & *Nether-Tyrone*: concessus ab Henrico VIII. Angliæ Rege Cono, ex clara Onealum familia, quæ Ultoniæ sibi principatum, mox & Hiberniæ totius ascribere olim ausa fuit, oriundo: hâc lege, ut ejuratô Onealis nomine, in Comitis *Tironi* nomen transiret. Hujus ex filio notho Matthæo nepos Hugo, patruô Johanne, ob rebellionem, interemtô, *Tironi* Comitatum, & quæ Conus possederat, Elizabethæ Reginæ beneficiô accepit; in quam ingratus A. C. 1595. turbas dedit ingentes, per totam Hiberniam rebellione excitatâ, sed eô successu, qui plerumque perfidiam manet. *Unde* A. C. 1607. Comes Tironus cum Tironello, in Galliam primùm, mox in Brabantiam profugus, cùm Romanæ religionis studium exilio suo præscriberet, id in se injurium Jacobus Rex existimans, libellô vulgavit, nimiùm receptô seculi more sceleribus causam religionis obtendi. Nam quæ sacrorum cura, verè barbaris, quibus conjugia ignota, cædes laudatæ, decus summum raptô vivere? Sed illos, qui dignitatem non sanguine aut meritis, sed ipsius aut Elizabethæ beneficiô obtinerent, suam ingratam mentem, suæ perfidiæ conscientiam perhorrescere, quòd semel condonata iterum ausi, sollicitatâ ad dissidium provinciâ, in Anglorum omnium occidionem conjurâssent, &c. Vide Hugon. Grotium *Historiar. l.* 14. & 16. Tuhan. *Hist.* & suprà in voce *Hibernia.*

TIRSE, urbs Mygdoniæ, *Stephan.*

TIRYNTHS, fluv. Argivus. *Tirynthi* verò, Tiryntha *Hesychio*, nomen urbis, patriæ Herculis in Peloponneso, quæ proxima Argis est,

est, unde Hercules *Tirynthius* appellatus est, quamvis Thebanus quoque vocatur.

TISÆUM, Thessaliæ mons, *Polyb.* Promuntor. quoque ibidem est. Apollon. *l.* 2. Magnesiæ regionis, in quo Diana culta.

TISAGORAS, frater Miltiadis, pro fratre, proditionis accusato causam dixit: uti Rutgersius è Libanio veram lectionem restituit, apud C. Nepotem, *l.* 1. *c.* 7. cùm Longolius *Stesagoras*, alii *Dizagoras*, *Sagoras*, *Diagoras*, habeant.

TISAMENES, Orestis fil. Argis & Lacedæmone regnavit, post patrem: sed expulsus est ab Heraclidis, tum in Peloponnesum reversis, & Argos Temeno, Lacedæmon Aristodemo cessit. Vide Pausan. *l.* 2. & suprà voce *Orestide*.

TISAMENES, Antiochi fil. qui apud Delphos oracula reddebat.

TISAMENUS, Peregrinus quidam & verberibus concisus, in comœdiis traductus fuit. Vide Scholiast. *in Aristophan. Acharn.* 399. *F.* 2.

TISANA, oppidum Foro-Julii.

TISANDRUS, vide *Thersander*.

TISARA, portus & oppid. Latinorum, *Steph.*

TISARANTHUS, fluv. Scythiæ, Herodor. *l.* 4. Lege *Tiarantus*.

TISARCHUS, ex amicis Agathoclis: qui à tyranno ob insidias, pro libertate publicâ, ei structas, in Timoleontio confossus est. Polyæn. *l.* 5. *c.* 3. *extr.*

TISDRUM, vide *Thysdrus*.

TISEBARICA, regio Æthiopica supra Berenicem, cujus partem maritimam Ichthyophagi incolunt. *Periplus* Arriani.

TISIA, urbs Italiæ, *Steph.*

TISIADES, nomen Comici Senis, Aristoph. *Vesp.*

TISIANA, Scythiæ fluv. *Jornandes*.

TISIAS, Coracis Rhetoris discipulus. Vide *Corax*.

TISIAS, Stesichorus poëta imprimis sic dictus, qui posteà à *Chorea* nomen sortitus est.

TISIAUS, Africæ urbs à Scipione deleta, *Strabo*.

TISIPHONE, voce Græca, *ultricem cædis* significat. Invidi enim & vindictæ cupidi furiis meritò agitari dicuntur. Monstrosam hujusce vocis notationem adfert Statii Schol. *in l.* 1. *Theb. Tisiphone*, inquit, *quasi τίσεων φωνή*, i.e. *istarum vox*. Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 8. *v.* 34.

—— Hecaten vocat altera, sævam
Altera Tisiphonen. ——

Tibullus, *l.* 1. *El.* 3. *v.* 69.

Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Sævit —— ——

Claudian. *l.* 1. *de Raptu Pros. v.* 40.

—— Crinitaque fontibus hydris
Tisiphone, quotiens infausto lumine ponens,
Armatos ad castra vocat pallentia manes.

Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 555.

Tisiphoneque sedens, pallâ succincta cruentâ
Vestibulum insomnis servat noctesque diesque.

Ultrix dicitur eidem, *ibid. v.* 570. ut & Papinio, *l.* 8. *Theb. v.* 66. *Nic. Lloydius*.

TISIPHONUS, & *Lycophron*, unà cum sorore *Thebe*, uxore Alexandri Pheræi, tyrannum affinem occiderunt dolò: ex qua re cùm primùm magnam adepti essent gloriam, tanquam vindices libertatis; postmodò ipsi tyrannidem retentârunt: sed ab Alevadis, ope Alexandri Magni, ejecti sunt. Diodor. *l.* 16. *f.* 517.

TISIS, urbs Ægypti, quam condidit *Tisis*, *Steph.*

TISOBIS, fluv. Albionis per Walliam fluens pelagô, apud Asaphensem urbem exceptus, vulgo *Tise*. Aliis *Cluyd*, *Conwey* verò Camdeno. *Tisobis Ptolemæo*, vide ibi. Sic enim ille *l.* 2. *c.* 3. Τισοβίου ποταμοῦ ἐκβολαί. *Baudrando Menay* hodie; potiùs fretum parvum Monam Insul. à Wallia Boreali separans, prope Arvoniam. Ejus latitudo vix est mill. pass.

TISSA, Siciliæ urbs, *Randazo Nigro*: eversa apud Gangium oppid. hodieque *Tissa*. Aliis *Tussa* arx, à Cephalodio 18. mill. pass. aliis *Tussa* castrum & arx esse videtur, inter Cephalodium & Amestratum. Silius, *l.* 14. *v.* 268.

Venit Amestra viris & parvò nomine Tisse.

TISSAMENUS, filius Orestis, Mycenis regnavit ann. 3. Unicò S. scribendum, apud Polyæn. *l.* 2. *c.* 37. & Frontinum, *l.* 1. *c.* 2. ex. 8. putat Casaubonus.

TISSAPHERNES, præcipuus Persarum Satraparum, qui, vulneratò à Cyro Artaxerxe, prælium sustentavit, donec Cyri copiæ funderentur; & cujus industriæ ac fortitudini illa victoria soli propemodum adscribitur. Navatæ operæ præmium Babylone à Rege consecutus est omnium provinciarum præfecturas, quas Cyrus obtinuerat; dein filiam Artaxerxis in matrimonium; tùm principem inter Satrapas locum. Sed cùm male rem adversus Agesilaum in Asia gessisset, Artaxerxi impellente matre Parysatide, exosus factus à subrogato Tithrauste, jussu regis, Colossis, oppidò Phrygiæ, ope Larissæi Satrapæ, comprehensus corpus curans, & capite truncatus est.

TISURUS, oppid. Africæ propriæ. *Ptolem.* mediterraneum, *Torsar*, ex tabulis recentiorib. Thysdro finitimum, apud Bagradam fluv. inter Carthaginem & Tebessam in Meridiem, ab ea fere 200. mill. pass. in Arctos.

TITA, catellæ nomen elegantissimæ, cui ab Antonio Theobaldo monumentum Romæ fuisse positum, scribit Vulturariensis Episcopus, apud Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l.* 2. *c.* 57.

TITACIDÆ, vicus in Antiochide tribu, à *Titaco*, qui Aphydnas Dioscuris prodidit. *Steph.*

TITÆA, mater Titanum, cum filiis culta, in Africa, teste Diodorô, *l.* 3. Hinc illi Τιταίανες primùm, inde Τιτᾶνες Doricè. Salmas. *ad Solin. p.* 825. Vide quoque infrà *Titea*.

TITAN, vel TITANUS, Cœli & Vestæ filius, frater Saturni natu major, ad quem quamvis paternæ hæreditatis jus pertineret, quoniam tamen matrem & sororem in Saturnum propensiores esse sentiebat, suo illi jure eâ lege cessit, ne quam sobolem masculam educaret, sed cœli imperium ad liberos suos rediret. Verùm cùm postea Opis dolô factum intelligeret, ut primùm Jupiter, deinde Neptunus & Pluto clam essent educati, eâque viâ liberos suos avitâ successione dejectos videret, unà cum filiis suis *Titanibus* bellum adversus fratrem suscepit, cujus exitus is fuit, ut victus præliô Saturnus, unà cum matre, & sorore in hostium manus perveneri, arctissimæque custodiæ fuerit inclusus, donec adultus Jupiter, victis Titanibus, eum liberavit. Ponitur aliquando pro *Sole*. Ovid. *l.* 1. *Met. v.* 10.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan.

Juvenalis Titanem posuisse videtur pro Prometheo, *Sat.* 14. *v.* 35.

E meliore luto finxit præcordia Titan.

Hesych. Τιτὰν, τιμωρητὴς, καὶ τὸ τοῦ Ἀντιχρίστου ὄνομα. Sed posteriore modò sumptum vocabulum scriberetur Τειτὰν, ut adpleatur numerus 666. qui in Apocalypsi notatur, ut numerus Bestiæ, vel Antichristi. *Palmerius*. Hinc *Titanius*, ut *Titania castra* apud Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 725. & *Titania bella* apud Sil. Italicum, *l.* 12. *v.* 725. Item *Titaniacus*; Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 398.

Hinc Titaniacis ablata draconibus, intrat
Palladias arces. —— ——

Item *Titanicus*. Unde proverb. Τιτανώδης βλέπειν *Titanicum tueri*. Vide Natal. Com. *l.* 6. *c.* 20. *Nic. Lloyd.*

TITANA, oppid. Sicyoniæ, Pausan. *l.* 2. à Sicyone 60. stad. Dictum & *Titanum*. Cum regiunc. cognomine.

TITANA, vide *Heliopolis*.

TITANES, filii feruntur Titani fratris Saturni, de quo suprà. Aliis videntur sic dicti ἀπὸ τῆς τίσεως, id est, ab ultione; aliquibus ἀπὸ τοῦ τιταίνειν, quod est *trahere*, vel *extendere*. *Diodorus* omnes communi nomine à Titea matre vult appellatos, quæ quidem fabulosa omnia. Eustath. *in Homer.* & alii intelligunt per eos spiritus & ventos, qui ex cœlo, id est, aëre, ad terram demissi occultantur in eâ, atque ita terræ motus generant, qui sæpe multos homines opprimunt & conficiunt. Atque eò etiam (si Physicè fabulam enodes) referri possunt & verba Hesiodi *in Theog. v.* 207 209. ubi simul etymon proditum ab eo, quod supra expressimus: Sic enim ait,

Τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκε·
Φάσκε δὲ τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι
Ἔργον, τοῖο δ' ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι.

Suidas: καταχθονίους δαίμονας exponit. Sanè Homerus Hymnô 2. *in Apollinem*, *v.* 335.

Τιτῆνές τε θεοί, τοὶ ὑπὸ χθονὶ ναιετάοντες
Τάρταρον ἀμφὶ μέγαν, τῶν ἐξ ἄνδρες τε θεοί τε.

Hos fama est omnium primos metendi artem à Cerere fuisse doctos. Apollon. *l.* 4.

Δηὼ γὰρ κείνῃ ἐνὶ δή ποτε νάσσατο γαίῃ,
Τιτῆνας δ' ἔδαε στάχυν ὄμπνιον ἀμήσασθαι.

Ex horum sanguine cum Diis bellum gerentium, qui in terram defluxit, varia serpentum genera exorta esse scribit Nicander in *Theriacis* hôc pactô:

Ἀλλ' ἤτοι κακοεργὰ φαλάγγια, σὺν καὶ ἀνιγρούς
Ἑρπηστάς, ἔχιάς τε καὶ ἄχθεα μυρία γαίης
Τιτήνων ἐνέπουσιν ἀφ' αἵματος.

Quin & Orpheus *hymnô in Titanes*:

Τιτῆνες Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἀγλαὰ τέκνα
Ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων, γαίης ὑπένερθεν
Οἴκοις Ταρταρίοισι μυχῷ χθονὸς ἐνναίοντες
Ἀρχαὶ καὶ πηγαὶ πάντων θνητῶν πολυμόχθων,
Εἰναλίων πτηνῶν τε, καὶ οἳ χθόνα ναιετάουσιν
Ἐξ ὑμέων γὰρ πᾶσα πέλει γενεὰ κατὰ κόσμον.

Nic. Lloydius.

TITANOMACHIA, Græcè Τιτανομαχία, pars Cycli Epici, composita ab Eumelo Corinthio, an Arctino? juxta Athenæum, *l.* 7. Οἶδα ὅτι ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ' Εὔμηλός ἐστιν ὁ Κορίνθιος, ἢ Ἀρκτῖνος: continebat *Titanum pugnam*, uti Γιγαντομαχία *Gigantum*; hos enim diversos fuisse, fabulis accuratiùs inquisitis notum. Casp. Barthius *ad Statium*, *Theb. l.* 10. *v.* 44.

TITANUS, fluv. & oppid. Æolidis, Plin. *l.* 5. *c.* 30. Item mons Thessaliæ.

TITANUS Mons, *San Marino* incolis, excelsus, cum oppido, quod Fanum S. Marini dicitur, inter Romandiolam & Ducatum Urbini, intra fines ditionis Pontificis, sui tamen juris, cum duodecim vicis ei subditis. Distat 6. milliar. à Leopoli in Ortum, uti 10. à Sarsina, & 24. à Cesena, Pisaurum versus totidem ferè. Dicitur aliter *Acer*.

TITANUS, portus Corsicæ, seu *Titanus*, hodie *Golfo di Talano*, *Britius*. *Titianus* autem fluvius, *Fiuminale d'Ornano*, in portum cogno-

cognominem se exonerat, in ora Occidentali Insulæ, ubi tendit in Meridiem.

TITARESIUS, vulgò TITARESO, *Hesych.* Τιταρήσιος, ποταμὸς Ἠπείρου. Ubi Grammaticus aliàs longè doctissimus suam in Geographicis inscitiam prodit: Est enim Pieriæ & Thessaliæ fluvius, apud Pharsalum urbem fluens, longè ab Epiro. Sed fefellit eum Homerus, qui eò quòd de Peræbis dixit *Il. β. v.* 749.

—— Μενεπτόλεμοί τε Περαιβοί,
Οἱ περὶ Δωδώνην δυσχείμερον οἰκί' ἔθεντο
Οἵ τ' ἀμφ' ἱμερτὸν Τιταρήσιον ἔργ' ἐνέμοντο.

Putavit Titaresium ac Dodonem, esse in eodem regionis tractu. Sed in eo falsus est. Duplices enim *Peræbi*, qui cùm a planis Thessaliæ locis à Lapithis pulsi fuerunt, bifariam divisi sunt: Alii ad Olympum, & Pieriæ loca montuosa, unde fluit Titaresius, habitavêre; alii ad Æthicas profecti sunt, & ibi manserunt in montibus Thesprotiæ ac Dodonæ vicinis; qui nihilominus propter idem nomen & consanguinitatem uniti sub Guneo duce ad Trojam profecti sunt. Lucanus hunc fluv. *Titaresium* vocat, *l.* 6. *v.* 375.

Solus in alterius nomen cùm venerit undæ,
Defendit Titaresus aquas, lapsusque supernè
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem,
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, superûmque sibi servare timorem.

Nimirum voluit exprimere illud Homeri *Il. B. v.* 751. ubi supra:

Οἵ τ' ἀμφ' ἱμερτὸν Τιταρήσιον ἔργ' ἐνέμοντο,
Ὅς ῥ' ἐς Πηνειὸν προΐει καλλίρροον ὕδωρ,
Οὐδ' ὅ γε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ,
Ἀλλά τέ μιν καθύπερθεν ἐπιρρέει, ἠΰτ' ἔλαιον,
Ὅρκου γὰρ δεινοῦ, Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ.

Oritur hic fluv. ex Titaro monte, nec aquas suas Penei aquis permiscet. Lucan. suprà. *Nic. Lloydius.*

TITARON, urbs Thessaliæ, *Steph.* & *Lycophr.*

TITARUS Mons, è quo Titaresius fluv. ut dictum, oritur.

TITENUS, Colchidis fluv. in Pontum Euxinum se exonerans, Apollon. *l.* 4.

TITELMANNUS Franciscus, vide *Franciscus.*

TITHOES, Rex Ægypti, apud Plin. *l.* 36. *c.* 13. ubi *Labyrinthum*, ait, *in Heracleopolite nomo factum esse (ante annos, ut tradunt, 3600.) à Petesuco sive Tithoe.* Vide suprà *Petesucus.*

TITHONUS, Laomedontis, Trojanorum Regis, fil. qui cùm ob formæ præstantiam ab Aurora adamaretur, ab eadem raptus est, & curru ejus in Æthiopiam advectus, ubi & Memnonem ex ea genuit. Vide Servium *in illud l.* 4. *Æn. v.* 585.

Et jam prima novô spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Fabulantur Poëtæ, hunc summi muneris locô longissimam vitam ab Aurora petiisse, eâque impetratâ cùm ætates plurimas vixisset, decrescente quotidie ex senio corpore, tandem in cicadam versum fuisse. Horat. *l.* 2. *Carm.* Od. 16. *v.* 30.

Longa Tithonum minuit senectus.

Idem, *l.* 1. Od. 28. *v.* 8.

Tithonusque remotus in auras.

Ubi Acro & Porphyrio, itemque alii oscitantes interpretes acceperunt pro Tithono mortuo. Atqui poëta fabellam perstringere voluit ex mythologia, ut dixi, de Tithono in cicadam verso, & suspenso in auris, sive aëre, in canistro sive fiscellâ. Eustath. *ad Iliad.* ψ. Οἱ ποιηταὶ λαλοῦντα περὶ Τιθωνοῦ, ὅτι τε εἰς τέττιγα ἀλληγοροῦντες μετεβλήθη, καὶ ὅτι ἐν ταλάρῳ, ἢ ἐν ἀγγείῳ ἐκρεμάσθη. Cleanthes apud Athen. *l.* 3. Τιθωνὸς ἀθανασίας ἐπιθυμήσας ἐν θαλάμῳ (lege ἐν θαλλίῳ) κρεμαστὸς πάντων ἀπὸ γήρως ἐστερημένος τῆς ἰδέας. Propert. *l.* 2. *El.* 18. *v.* 7.

At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoâ passa jacere domô est:
Illum sæpe suis decedens fovit in ulnis
Quàm prius abjunctos sedula lavit equos.
Illum ad vicinos cùm amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies, &c.

Nic. Lloydius.

TITHORÆA, urbs Bœotiæ à *Tithorea* Nympha, *Steph.*

TITHRAS, vicus in tribu Ægeide, *Idem.* Dictus à Tithrante, Pandionis filio, cujus populi nota perversitas est. Vide Schol. *in Aristophan. Ranas, Act.* 2. *Sc.* 1.

TITHRASUS, fluv. & oppid. Libyæ interioris, ubi Gorgones natæ, apud oram Occidentalem, *Suidas.* Etiam municipium Atticæ, quod Gorgonibus tribuitur.

TITHRONIUM, urbs Phocidis, *Steph.*

TITHYMALLI lacte occultè scribendi ratio indigitatur Plinio, *l.* 26. *c.* 8. *Tithymallum nostri herbam lactariam vocant ---- narrantque lacte ejus inscriptô corpore, cùm inaruerit, si cinis inspergatur, apparere literas & ita quidam adulteras alloqui maluère, quam codicillis:* qua de herba vide ibi plura, apud Salmas. *ad Solin. p.* 941. ubi de vi ejus caustica, & succo, qui inde colligebatur, nec non *p.* 1313. ubi de speciebus ejus, *Haoscer*, & *Alascar.*

TITI Livii duo fuère, alter *Tragœdiarum* scriptor, qui ob ingenii meritum à Livio Salinatore, cujus liberos erudiebat, libertate donatus est. Alter Patavinus, qui floruit sub Augusto ac Tiberio. Vide *Livius.*

TITIA, Apud Apollonium, *Argon. l.* 1.

Μητέρα Δινδυμίην, πολυπότνιαν ἀγκαλέοντες,
Ἐνναέτιν Φρυγίης, Τιτίην θ' ἅμα, Κύλληνόν τε.

Matrem Dindymenen multùm venerandam invocantes,
Habitatricem Phrygiæ, Titiamque *simul, & Cyllenum.*

Milesiorum fuit Dea, cui, ut & Cylleno, eos, quando Rheæ sacrificabant, priùs rem divinam fecisse, docet Scholiastes ex Menandro. Tellus scil. qualis primò fuit, rudis nempe & inculta, aquis item obruta, eoque lutosa, juxta veterem Gentium Theologiam, dicta est *Titia*, ab Hebr. טיט *Titb*, h. e. lutum. Hinc itaque ea *Titia*, sed & filii ejus *Titanes* ab eadem origine, quasi πηλόγονοι, *lutigenæ*, vel *terrigenæ*, uti Floro dicuntur *l.* 1. *c.* 17. &c. quam in rem vide Voss. *de Idolol. l.* 2. *c.* 2.

TITIA Curia, & *Titiensis* tribus, dicta à *Tito* Tatio, Sabinorum Rege, qui à Romulo prælió victus, ab eodem in urbem Romam & Imperii societatem receptus est, *Festus.*

TITIA Lex, de colligendo Vectigali: Lata est à Sext. *Titio* Tribuno Pl. C. Mariô VI. L. Valeriô Flaccô, vel potiùs, M. Antoniô, A. Posthumiô Albinô, Consulib. An. Urb. Cond. 654. *Ut Vectigal agris publicis impositum Quæstor colligeret.* Cicer. *de Orator. l.* 2. *pro Muræna, c.* 8. Alia de Lusu: *Ne quis in pecuniam luderet, Sponsionemve in ludo, nisi quis virtutis causâ susceptus esset, faceret.* Martianus *l.* 3. *ff. de alear.* Alia de Triumviris Reip. constituendæ: Auctorem habuit P. *Titium* Tribunum Pl. an. Urb. Cond. 710. C. Vibiô Pansâ, A. Hirciô Consulib. *Ut Tresviri Consulari potestate constituendæ Reip. in quinquennium crearentur, Cn. Octavius, M. Æmilius Lepidus & M. Antonius.* Appian. *de Bell. Civ. l.* 6. & Florus, *Epitom.* 120. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 5. 8. & 31.

TITIANUS, Othonis Cæsar. frater, dux belli, victis ad Bedriacum partibus, vallum ingressus, posterô die se cum reliquiis exercitus dedidit. Vide & *Julius.*

TITIANUS, collega Gallicani in Consulatu, annô Trajani decimô, memoratur Spartiano *in Hadriano, c.* 15. *Titianum, ut conscium tyrannidis, & argui passus est & proscribi.* Cùm Attiano, Imperatoris hujus tutore, malè *Onuphrio* idem habitus. Vide Salmas. *ad Spartian. c.* 1.

TITIANUS, Orator Græcus, præceptor Maximini Principis, Titiani filius, qui scripsit *libros provinciarum pulcherrimos*: Appellatus simia sui temporis, quòd omnia propè imitaretur. *Jul. Capitolin. in Maximino jun. c.* 1.

TITIANUS Vecellius, Pictor insignis, Venetus. Filius Gabrielis, sub Bellino graphicen addidicit, Venetiis. Mox, Magistrô superatô, Giorgium quoque vicit, Apellem sui seculi, & in præcipuis Italiæ civitatibus, artis monumenta reliquit; ab Ariosto, Marino, aliisque impensè laudatus. Carolus V. ejus manu pingi voluit, Equitemque & Comitem Palatinum creavit: Henricus quoque tertius, Galliæ Rex, Venetiis ipsum invisere dignatus est, cùm ex Polonia rediret. Obiit peste, A. C. 1576. ætat. 99. Rodolfius, *de Pict. Venetis.* Vasar. *de Pictor.*

TITICACA, vulgò *Titicaca Lago*, lacus Peruviæ, in provinc. *Collao.* Longus est 35. leuc. Hispan. latus 15. Circuitus 80. A mari Pacifico 60. leuc. in Ortum, & 24 à Pace in Circium. Ibi quamplurimæ Insulæ.

TITIENSIS Tribus, una ex tribus primis Tribubus, in quas Populum Roman. Romulus divisit. Fuère autem illæ, Rampensis, *Titiensis* & Luceres. Et quidem *Titiensis* nomen habuit à *Tito* Tatio Sabinorum Rege, qui, à Romulo præliô victus, in urbem & Imperii societatem receptus est. Itaque in illa Sabini fuère, & quotquot ab ea regione vel cum T. Tatio vel posteà venerunt, coluêruntque Capitolium & Montem Quirinalem. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 15. Vide quoque suprà in voce *Tatienses.*

TITII, sacerdotes Apollin. à *titiis* avibus, quas in auguriis certis observare solebant, sic dicti. Varr. *l.* 4. *de L. L.*

TITII Sodales, sic dicti à Tatio, rege Sabinorum, quos Romulus memoriæ Tatii sacrandæ instituit: ut scribit Tacit. *l.* 2. *Histor. c.* 95. Idem tamen *l.* 1. *Annal. c.* 54. à Tatio, retinendis Sabinorum sacris, institutos tradit. Vide Thom. Dempster. *Antiquit. Rom. l.* 3. *c.* 14. Ita autem habet locus *Histor. l.* 2. *Faces Augustales subdidêre; quod Sacerdotium, ut Romulus Tatio Regi, ita Cæsar Tiberius Juliæ genti sacravit.* Alter *Annal. l.* 1. *Idem annus novas ceremonias accepit, additô Sodalium Augustalium Sacerdotiô, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris Sodales Titios instituerat.* Hadr. Turnebus *Adversar. l.* 21. *c.* 1. ita de his: *Titios*, inquit, *Varro dictos esse ait à Titiis avibus: Sed illæ aves cui hodie aucupi notæ sunt? Equidem esse neminem puto, qui eas magis cognoscat, quàm spinturnicem, hominibus ignotam, ut censet Plinius.* Et paulo post: *Vetus Interpres Persii in illum locum, Ingentes trepidare Titos, à titiis Titos vocatos ait. Servius dicit palumbes vulgò appellari Tetas: Isidorus, Palumbes, inquit, eò quòd sint farta pabuli, quas vulgus Tetos vocat. An hæ sint Titiæ aves, intelligentioribus & doctioribus judicandum relinquo.* Meminit eorum Lucanus quoque *Pharsal. l.* 1. *v.* 601.

Et doctus volucres Augur servare sinistras,
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales,
Et Salius lætô portans ancilia collô.

Plerunque verò illos Adolescentes fuisse, discimus ex fragmento Lapidis antiqui: *Q. Cæcilio. Feroci. Kalatori. Sacerdotii. Titialium. Flavialium. Studioso. Eloquentiæ. vixit. annis.* 15. *mense.* 1. *diebus.* 24. *filio. optimo. ac. reverendissimo. M. Gavius. Karinus.*

TITILLATIONE pedum, somnum conciliandi ratio, delicatioribus in usu, memoratur *Aphrodiseo*, & *Argenterio*, quorum hic è cerebro sic advocari spiritus ad pedes partesque intermedias observat, annotante Gerh. Joh. Vossiô, *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 34. ubi *de Somno & Vigilia.* At titillatione præcedentium vel alarum risum-

sum excitati, notum. Hôc enim pactô calor inducitur; unde motus cordis & septi transversi musculorumque circa buccas. Ac eo magis id fit in homine, quòd is cutis sit tenuissimæ. Unde, etiam cùm quis vulneratur in septo illo, risum oriri, testis est Philosophus *de Part. Animal. l. 3. c. 10.* Plinius quoque, *l. 11. c. 37.* cùm dixisset, nusquam subtiliorem esse cutim ac sensum, quàm membranis, quæ cordi prætenduntur, subjungit, *Ob hoc in præliis, gladiatorumque spectaculis, mortem cum risu trajecta præcordia attulerunt*: Cui risui similis morientium esu herbæ Sardoæ risus est, qui labra contrahunt ridentium instar, cùm intus discrucientur quàm maximè. Voss. *ibid. c. 46.*

TITINIA gens, familias habuit Romæ patricias & plebejas. Patriciæ meminit Liv. *l. 5. c. 12.* *Non tamen ultrà processum est, quàm ut unus ex plebe, usurpandi juris causâ, P. Licinius Calvus Tribunus militum Consulari potestate crearetur: cæteri Patricii creati. P. Manius, L.* Titinius, *P. Melius, Sp. Furius Medullinus, L. Publilius Volscus* &c. Plebejæ idem mentionem, facit *l. 3. c. 54.* ubi M. *Titinium* nominat, Tribunum Pl. creatum an. Urb. Cond. 304. quô tempore plebs in Aventinum, ob facinus Ap. Claudii Crassini XViri secesserat. Fuit & C. *Titinius*, in denario apud Ursinum notatus, denariorum conflandorum Curator, an. Urb. 536. quò, ut Plinius ait, *l. 33. c. 3.* *Q. Fabiô Max. Dictatore, Annibale urgente, asses unciales facti sunt placuitque denarium 16. assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis.* Hinc, cùm in aliis denariis X. nota apponi solita fit, quòd denos asses valerent, in hoc nota XVI. apposita visitur. Meminit quoque C. *Titini* Minturnensis Val. Max. *l. 8. c. 2. ex. 3.* quem uxori à C. Mario dotem reddere coactum esse ait, quò eam impudicam de industria duxerat ut dote spoliaret, vide Plut. *in Mario.* Appianus, *Bell. Civil. l. 4.* & Plut. *in Bruto* mentionem faciunt *Titinii* ejus, qui bello Philippensi à Cassio de Bruti victoria sciscitatum missus, quòd tardius reversus Cassio mortis fuisset causa, seipsum interfecit. Idem Appianus, *Titinium* in bello navali contra Sext. Pompejum, Cæsarianæ classi præfuisse, tradit. *Sed longum esset Titinios omnes colligere, qui ab antiquis Scriptoribus nominantur*, Fulv. Ursinus *Volum. Familiarum Roman.* Vide quoque Fortun. Licetum *de reconditis Antiqq. Lucernis, l. 6. c. 82. ubi Lucernam servi phalerati cursoris, in cujus fundo scriptum TITINI. explicat.*

TITINNIUS Longus, vide *Lucius.*

TITINNIUS Marcus, vide *ibi*: it. *Publius.*

TITIO, aquæ lustrali immersus, inter sacrorum olim sepulchralium ritus, de quo vide aliquid suprà ubi de veterum *Parentalibus.*

TITIUS, Syriæ præfectus, A. M. 3956. Vide & *Julianus.*

TITIUS, Illyrici fluv. *Ptol. Gerba* Favolio, *Varicchia* incolis, teste *Nigrô.* J. Lucio *Kerka*, vel *Krka*; Scardoniam rigat, & Sibenicum; dein paulo infra & juxta arcem St. Nicolai, in sinum Venetum se exonerat, 38. mill. pass. à Jadera in Ortum.

TITIUS Proculus, illustris eques Romanus, Messalinæ sive à Claudio appositus uxori custos; sive à Silio, ut amicæ, interfectus à Claudio, patefactis Messalinæ cum Silio nuptiis. Tacit. *l. 11. Annal. c. 35.*

Sext. TITIUS, Tribunus Plebis, legem tulit, ab Auctore, *Titiam* dictam, *ut vectigal agris publicè assignatis impositum Quæstor colligeret*, Cicer. *de Orat. l. 2.* Item *pro Muræna, c. 8.* Factum id An. 654. Urb. Cond. M. Antoniô A. Posthumiô Albinô Consulib. Meminit etiam: *Titiæ* legis de lusu: *Ne quis in pecuniam luderet, sponsionemve in ludo, nisi quis virtutis causâ susceptus esset, faceret*, Martianus *l. 3. ff. de aleat.*

Sext. TITIUS, Orator, homo solutus, & mollissimi gestus à quo Saltationis generi nomen: unde Proverb. *Titium saltare*, Cicer. *in Bruto, c. 62.*

TITONEUS, mons apud Dionys. *l. 1. Gigantiadis.* Incola similiter *Titoneus. Steph.*

TITOPOLIS, quæ & *Titiopolis*, urbs fuit Isauriæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Seleuciensi, *lib. Conc.*

TITORMUS, bubulcus monstrosæ fortitudinis, cum Milone Crotoniata de robore certavit, vicitque, cùm pedem tauri unâ manu, alterâ verò alterius tauri pedem, ipsis per vim conantibus resilire, traheret. Ælian. *ποικ. l. 12. c. 22.*

TITUACIA, Carpetanorum urbs in Hispania Tarraconensi *Ptol. Xetafe Moletio.* Aliis *Vayona*, pagus apud Madritum. Inter Segoviam 48. & Complutum 30. mill. pass. ex *Itinerar.* Antonin. Vide infrà.

TITULCIA, locus Hispaniæ inter Emeritam & Cæsaraugustam. *Antonin. Vayona. Morali.*

TITULUS, propriè lapis seu cippus sepulchralis inscriptus, vel ipsa lapidis inscriptio, quæ aliàs *elogium* quoque. Virgil. *Culice, v. 409.*

——— *tum fronte locatur*
Elogium ——

Item pro inscriptione, quæ supplicii, quod de reo sumebatur, caussam indicabat, usurpatur à Suetonio, *in Domitiano, c. 24.* Hinc Τίτλος apud Johannem, ubi de cruce CHRISTI *c. 19. v. 19.* Ἔθηκεν ἐπὶ σταυροῦ τίτλον. Atque item Nonius:

Γράμμα, ὅπερ καλέουσι Λατινίδι Τίτλον ἰωῆ.

Matthæus *c. 27. v. 37.* Αἰτίαν benè & signanter dixit. *Glossæ* Græcanicæ veteres: *Αἰτία, causa, materia, titulus.* Eædem Latinæ, *Titulus, ἔλεγχος.* Latini etiam passim pro causa. Ut Ovid. *Ep. Heroid. 7. v. 76.*

Te satis est Titulum *mortis habere meæ.*

Vide quoque Val. Max. *l. 9. c. 12. ex. 8.* Atque hic *Titulus* præferri aut apponi solebat damnatis. Sueton. *Calig. c. 32.* *Præcedente titulô, qui caussam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumducitur.* Epistola Lugdun. de Attalo Martyre, Περιαχθεὶς κύκλῳ τὸ Ἀμφιθέατρον, πίνακος αὐτὸν προάγοντος, ἐν ᾧ ἐγέγραπτο Ῥωμαϊστί, Οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ Χριστιανός; *Circumactus per Amphitheatrum, tabellâ ipsum præeunte, in qua Latinè scriptum erat, Hic est Attalus Christianus*, Sed & appendebatur aut apponebatur. Sueton. *Domit. c. 10.* *Patremfamilias detractum è spectaculis in arenam canibus objecit, cum hoc titulo: Impiè locutus Parmularius.* Hinc Quintilianus, *Declam. 302.* Gladiatores sic quoque productos ostendit, *Quidam ut Patrem sepeliret, auctoravit se. Die muneris productus sub Titulo caussæ, rudem populô postulante accepit.* Sæpe tamen, neglectô aut spretô *Titulô*, contenti superdictione fuerunt, id est, ut Præconis præeuntis voce Populo id nuntiaretur, Vide Jus. Lipsium *de Cruce l. 2. c. 11.* Cui adde, quod Johanni Τίτλος, Matthæo *αἰτία*, id Marco, *c. 15. v. 26.* *ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας*, Lucæ, *c. 23. v. 38.* simpliciter *ἐπιγραφὴ*, Tertulliano, *Apol. c. 11.* & Suetonio, *Calig. Elogium* quoque dici. Sed & Servis venalibus suus erat *Titulus*, qui vel eorum collo appendebatur. Propert. *l. 4. El. 5. v. 51.*

Aut quorum Titulus *per barbara colla pependit,*
Cælati medio cùm saliêre Foro.

Ubi *cælati* idem, quod *signati*, nisi *cretati* legendum. Namque cretâ quoque mancipia, quæ venum exponebantur, notata fuisse, nemini ignotum. Vel in Venalitio (locus sic dicebatur in quo vendebantur servi) pingebantur. Petronius, *Ego autem spiritu non destiti totum parietem persequi. Erat autem Venalitium Titulis pictum.* Scribebantur in iis virtutes & vitia morbique mancipiorum, ut & quidquid aliud temporis intererat non nescire. Idque ex edicto Ædilium Curulium, teste A. Gelliô, *l. 4. c. 2.* *In edicto Ædilium Curulium, quâ parte de venundandis mancipiis cautum est, scriptum sic fuit:* Titulus, *servorum. singulorum. utei. scriptus. sit. curato. ita. utei. intellegi. rectè. possit. quid. morbi. vitii. ve. quoi. q. sit. quis. fugitivus. erro. ve. sit. noxa. ve. solutus. non. sit. Propterea quæsiverunt* &c. Quem locum, quòd in verbis Ædilitii Edicti, quæ extant in Jure civ. *l. 1. §. 1. eod. tit.* nulla *Tituli* fiat mentio, à Triboniano detruncatum fuisse, judicat Ant. Thysius JC. *Notis in loc.* Meminit quoque istiusmodi *Tituli*, Seneca, *Ep. 47.* *Stare ante limen Calixti Dominum suum vidi, & eum, qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Sueton. item *de Illustr. Gramm. c. 4.* *Nam apud Majores, cùm familia alicujus venalis produceretur; non temerè quem literatum in titulo, sed literatorem inscribi solitum esse; quasi non perfectum literis, sed imbutum.* Nec non Petrus Chrysologus, *Sermon. 141.* *Hoc implebat Paulus, qui servitutis suæ titulos scribebat: Usque ad hanc horam esurimus & sitimus: & nudi sumus & colaphis cædimur.* Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, Joh. Laurentium JC. *Not. in Phædr. l. 4. fab. ult. v. 41.* &c. Meretricum etiam cellas *Titulis* cum stupri pretio & nomine meretricis fuisse insignitas probat illud de Messalina Poëtæ, Juvenal. *Sat. 6. v. 122.*

——— *Tunc nuda papillis,*
Constitit auratis, Titulum *mentita Lyciscæ.*

Amphoras item vini, cum ejus patria & natali tempore, ubi videl. & quando esset natum, à quibus porrò conditum. Juvenal. *Sat. 5. v. 34.*

—— *Cujus patriam,* Titulumque *senectus*
Delevit multa veteris fuligine testæ.

Petroniusque Arbiter *Satyr.* *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ, diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum hoc* Titulo: *Falernum. Opimianum. annorum. centum.* Opimiô scilicet Consule natum, de quo vide Cicer. *de Orat. clar.* & Johan. Laurentium supra laudatum *in Phædrum, l. 3. fab. 1. v. 1, 2.*

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna fæce & testâ nobili &c.

Porrò *Tituli* statuarum & imaginum in Atriis, indigitantur Suetonio *in Tito, c. 4.* *Tribunus militum & in Germania & in Britannia meruit, summâ industriâ, nec minore modestiæ Fama: sicut apparet statuarum & imaginum ejus multitudine ac* titulis, *per utramque provinciam.* De quibus vide & Val. Max. *l. 8. c. 5. ex. 6.* Cicer. *Philipp. 9.* & *Verr. 4.* &c. *Pagina honorum* dicitur Juvenali *Sat. 10. v. 57. 58.* ubi Glossæ *Tabulam patronatus* appellant. Vide suprà in hac voce. Imò & *tituli* singulis summis in rationibus veterum Romanorum Græcorumque præponi consuevêre, uti vidimus supra in voce *Elogium.* Recentiori ævô *titulorum appositione*, h. e. tabularum inscriptarum cum velis purpureis, privatorum res aut reorum etiam Fisco addici consuevisse, discimus ex Anastasio, *in Nicolao I.* Senatore, *l. 4. Ep. 14.* Aliis. Sed & simile quid jam apud Tibullum occurrit, *l. 2. El. 4. v. 54.*

Ite sub Imperium, sub titulumque Lares.

Unde *domus titulata*, apud Gregorium M. *l. 1. Ep. 63.* cui fiscalis titulus appositus est: & *titulatio*, confiscatio *in Histor. Misc.* In libris *Titulum* A. Gellius, *l. 11. c. 8.* quoque *Indicem* vocat: Alioqui aliud *Index*, aliud *Titulus.* Hic enim proprie *ἐπιγραφὴ* est totius operis, qui unô plerunque vocabulô absolvitur & in fronte scribitur: Ille series est materiarum ordine digesta. Vide Salmas. *Prolegom. ad Solin.* Sic Legum, fabularumque capita, vel rubricæ seu inscriptiones, *Tituli* dicti sunt: *Titulis Edicti, l. 195. ff. de Verb. signif. l. 1. §. in princip.* & *§. uti initio, ff. de postul. l. 1. ff. de reb. cred.* Idem Laurentius *in v. 4. Phædri, l. 4. sub. fin.*

Nam si quis talis etiam est Tituli.

Pingebantur autem hi *Tituli* miniô. Unde *ad Persium, Sat.* 5. v. 90.

Excepto si quid Masuri rubrica notavit;

Glossæ veteres: *Rubricas vocat minium, quô tituli legum annotabantur.* Quod qui faciebant, *Miniculatores* fuêre appellati, uti discimus ex Laur. Pignorio, *l. cit.* &c. Vide quoque suprà *Liber, Pittacium* &c. Nec omittendus mos Magistratuum apud Romanos, qui munus edituri libellum edicti vicem proponebant, h. e. *Titulum* figebant, quô notatum, cui Deo, cui Deæ, cui rei Ludi futuri essent, uti docet Godesc. Stewechius, *Commentariô ad Vegetium*, *l.* 2. *c.* 14. Vide quoque Tertullian. *de Spectaculis*, Lipsium, *Saturnalib.* Alios. De *Titulis honorariis*, habes egregium Tractatum Joh. Seldeni, ut & hîc passim. Addam locum Cl. Suiceri, de hac voce: Τίτλος, *titulus --- erat tabella lignea dealbata gypso vel cerussâ, in qua literæ ex encausto, vel atramento scribebantur. Græci λευκώματα appellant --- Album hujusmodi tabula Latinis dicitur. Unde album Prætoris — Citharœdorum* &c. *Sic Tituli è servorum venalium collo suspensi — Tabula auctionariæ — Titulus Dominicæ crucis, λευκώματα fuêre — Apud Suidam vero — Tituli nihil aliud sunt quam sectiones, in quas divisi sunt sacri libri; atque ita vocantur, quòd singulæ ἐπιγραφὰς suos haberent titulos, suas — inscriptiones.* Vide eum *Thes. Eccl.* voce Τίτλος: adde quæ habet de Euangeliis in *Titulos* seu sectiones majores, & κεφάλαια, *capitula*, seu sectiones minores, divisis, voce Κεφάλαιον, ubi inter alia, primum Ammonium Euangelia in pericopas & capita divisisse, docet. De *Titulis Ecclesiarum*, aliisque huc pertinentibus, suprà voce *Presbyter*, it. *Presbyterium.*

TITURIUS, cliens Juniæ Silanæ, ab eo subornatus, Agrippinam deferre rerum novarum; sed falsi compertus relegatus. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 19. 22.

TITURIUS Sabinus, legatus Cæsaris in Gallia, falsâ Cativolci persuasione, de relinquendis hibernis, inductus, in insidias cum sua legione incidit & petitô ab Ambiorige colloquiô circumventus & trucidatus est. Cæsar *l.* 5. *c.* 29. 30. 36. 37.

TITUS, clarissimus Romæ Imperator Vespasiani ex Flavia Domitilla filius, Domitiani frater. A patre commissum sibi bellum Judaicum, ad umbilicum perduxit, captâque Hierosolymâ, triumphum meruit. Successit Patri A. C. 79. Mæcenas literatorum, literatus ipse. Dictus est *amor*, ac *deliciæ humani generis* Tranquillo *in ejus vitâ, c.* 1. Ubi vox *deliciæ* una ex illis est, quas observat Casaubonus negotium facessere Græcis interpretibus. Itaque ex iis alii omiserunt istô locô, ut Pæanius, qui ita vertit: Τὸ πλῆθος γὰρ αὐτὸν κοινὸν ἔρωτα ὠνόμαζεν. Alii pro ea posuerunt τρυφὴ cujus tamen dictionis similem usum non reperies apud eos, qui verè Ἑλληνίζουσι. Suidas: Ὡς αὐτὸν ἀνθρώπων ἔρωτα καὶ τρυφὴν τῆς θνητῆς προσαγορευθῆναι φύσεως. Memorabilis est vox illius apud Suet. *in ejus vita, c.* 8. *Amici, hodie diem perdidi.* Quod plenius explicat Themistius, *Orat.* 6. Τίτου τοῦ βασιλέως τοῦ λαμπροῦ καὶ μέγα οὕτως ῥῆμα, ὦ, Τήμερον οὐκ ἐβασίλευσα, οὐδὲν γὰρ εὖ ἐποίησα. Interfectum à Domitiano fratre A. C. 81. ætat. 41. Dio, ex eoque Zonaras, item alii, ut *Suidas*, notant, Sueton. tamen febri extinctum adstruit, ut & *Eutrop. Aurel. Victor*, aliique minorum gentium historici. Ludi ejus natalitii celebrari soliti sunt ad diem 9. Kal. Jan. Vide Theod. Marcilium *ad Sueton.*

TITUS, nomen viri, ad quem Epistolam 3. Capitum scripsit B. Paulus, cùm in Creta eum reliquisset, ut oppidatim presbyteros constitueret. Prædicavit Euangelium, in Dalmatia, obiit in Creta, An. ætat. 84. Eruditione, zelô, & laboribus, pro defensione veræ fidei, exantlatis, inclytus. In sacram hanc Epist. extant: Agricolæ, item Alesii *Commentar.* in octav. Calixtus. Coccejus. Crameri Ὑπομνήματα. Crellii Socin. *Prælectiones.* Crocii Joh. *Comment.* in 12. Cassell. A. C. 1638. Crocii Ludov. similiter, in octav. Bremæ, A. C. 1620. Dalæi 2. Volum. Concion. Gall. in octav. Genevæ. Espensæi *Commentar.* Paris. A. C. 1567. Godeau. Heilbrunneri *Loci Communes* in octav. Lavingæ A. C. 1588. Hieronymus. Hofmanni *Commentar.* in octav. Francofurt. ad Mœnum, A. C. 1582. Magaliani Op. *Hierarchicum*, Lugd. A. C. 1609. Megandri *Annotationes*, Basileæ, A. C. 1536. Quistorpius. Rhodomanni *Comment.* Jenæ, in octav. 1597. Schenkii *Enarratio*, Lipsiæ, A. C. 1542. Sculteti *Observationes Gramm. Histor. Log. & Theologicæ*, in quart. Francof. 1624. Witebergæ, 1630. Soto Majoris *Commentar.* in fol. Olysipponæ, A. C. 1610. Wallis *Expositio*, in octav. Oxonii, A. C. 1656. *Mens item sobria seriò commendata in c.* 2. *v.* 6. Oxonii, in octav. A. C. 1657.

TITUS, Tribunus primò Maurorum, sub Maximino Imperatore, hinc à militibus imperare coactus, post 6. mensium Imperium, ab iisdem occisus est. *Vir de primis erga Rempub. domi forisque laudabilis*, Trebellius *in eo.* De uxore illius *Calphurnia*, diximus suô locô. Plenum nomen videtur fuisse *Titus Quartinus*, ex Herodiano, qui eundem *Quartinum* vocat, quem *Titum* Scriptores Latini. Salmas. *ad loc.*

TITUS, Episcop. Bostrensis, in Arabia Petræa, interfuit Concilio Antiocheno, A. C. 364. Obiit sub Valente, A. C. 378. Scripsit *contra Manichæos, libros* 3. à Canisio editos. Alius auctor Commentariorum in Matthæum & Lucam; Non enim possunt esse prioris Titi, cùm is passim citet Chrysostomum, Cyrillum & Pelusiotam, qui pueri erant, cùm Titus moreretur, Bellarm. Sozom. *l.* 5. *Histor. c.* 14. Hieron. *in Catal.* &c.

TITUS Ælius Proculus, vide *Proculus.*

TITUS Æmilius Mamercus, Consul. A. M. 3494.

TITUS Annius Fusius, Cons. A. M. 3811.

TITUS Annius Rufus, cons. an. Urb. Cond. 626.

TITUS Antonius Xvir, an. Urb. Cond. 301.

TITUS Aproniaus, cons. an. Urb. Cond. 869.

TITUS Aurelius Fulvius Bojonius Antoninus Pius, decimus sextus Imperator Roman. erat post Adrianum A. M. 4101. à Christo nato 139. Barbarorum plurimæ nationes depositis armis, ad eum controversias suas litesque deferentes, sententiæ ejus paruerunt. Nullum sub eo bellum fuit, amor ac timor gentium in eo certârunt: bellum movere timebant adversus Principem, quem ut Numen aliquod venerarentur: nec ille gloriæ ita cupidus, ut per aliorum damna cædesque eam appeteret. Nam & à conjuratis vim omnem abstinuit, & in conscios quæri vetuit, ne plures inventi odium augerent. Hic ante Imperium ditissimus opes suas stipendiis militum, & liberalitate in amicos minuit: nihilominus tamen ærarium opulentum reliquit. Sub eo statutum, ut resurrectio Dominicô die celebraretur, quod posteà à Romanis Pontificibus est confirmatum. Febre obiit vitæ annô 78. Imperii 22. mens. 3. A. Sal. 140. Eutrop. *l.* 7. Vide *Antoninus Pius.*

TITUS Cæcilius Siculus, Trib. Mil. an. Urb. Cond. 311.

TITUS Calpurnius, vide *Julius.*

TITUS Claudius Nero, cons. an. Urb. Cond. 552.

TITUS Coruncanus, cons. an. Urb. Cond. 473. Item primus ex plebe Pontifex Max. post quem promiscuè ex utroque ordine Pontifices M. creari cœperunt, ad Julium Cæsarem usque.

TITUS Didius Vinius, cons. an. Urb. Cond. 656.

TITUS Ebutius Helva, cons. an. Urb. Cond. 255.

TITUS Furnius, cons. an. Urb. Cond. 737.

TITUS Geganius Macerinus, cons. an. Urb. Cond. 311.

TITUS Genutius Xvir, an. Urb. Cond. 303.

TITUS Herminius Aquilinus, cons. an. Urb. Cond. 248.

TITUS Junius, cons. an. Urb. Cond. 821.

TITUS Largius, apud Rom. primus Dictator, Liv. *l.* 2. *c.* 18.

TITUS Livius, Patavinus, Historicus. Ut Romam pervenit, Augusto Imperatori innotuit, cujus ope ad Historiam suam condendam insigniter adjutus est: illi partim Romæ, partim Neapoli, quô secedere amabat, ut minus ibi impeditus esset, intentus. Imperatore mortuô, Patavium reversus, Obiit Kalend. Jan. an. 4. Imperatoris Tiberii, qui Ovidio quoque fatalis fuit. Historia ejus, ab Urb. Cond. initiô ductô, finierat, in morte Drusi, in Germania defuncti, tum nondum in Decades divisa, sed in libros 142. è quibus vix 35. neque illos continuos habemus. Primam nempe, tertiam & quartam Decadem, cum parte quintæ dimidia, quam Wormatiæ invenit Celeberr. Simon Grynæus. Dein, inter manuscripta Bibliothecæ Bambergensis, repertum est initium lib. 43. quod tamen Vossius de *Hist. Lat. l.* 1. *c.* 19. genuinum esse negat. Prius etiam scripserat Livius *dialogos Philosophicos*, ad Augustum, Seneca *ep.* 100. & *præcepta Rhetorica* insignia, ad filium, Quintil. *l.* 10. *Inst. c.* 1. Claudii educationi admotus, juxta alios viros eruditissimos, Sueton. *in Claudio*, *c.* 41. Ingenium habuit par Imperio, famæ tantæ, ut Gaditanus quidam in Italiam profectus sit, cum illo collocuturus. Nihilominus *Patavinitatem* ei exprobravit Asinius Pollio, & Caligula statuas ejus scriptave abolitum ivit, Sueton. *in Caligul. c.* 34. Vide Plin. *l.* 2. *ep.* 3. Jac. Phil. Thomasinum, *in vita Virg.* &c. *Nic. Lloydius.*

TITUS Lucretius, cons. an. Urb. Cond. 246.

TITUS Manlius Torquatus Dictator, an. Urb. Cond. 404. 407.

TITUS Menenius Lanatus, cons. an. Urb. Cond. 277.

TITUS Minucius Augurinus, cons. an. Urb. Cond. 449.

TITUS Numicius Priscus, cons. an. Urb. Cond. 281.

TITUS Pinarius, magister equitum, an. Urb. Cond. 363.

TITUS Quintius, Dictator, *Præneste victum prætulit*, Liv. 1. *dec. l.* 6. De eodem Fest. Pomponius, *l.* 18. *Trientem tertium pondo coronam auream dedisse Jovi donum scripsit T. Quintius Dictator, cùm per novem dies totidem urbes, & decimam Præneste cepisset.* Quid sibi velit [illegible] donum, explicat ibidem loci Cincius *Mystagogic. librô secundô. Lloyd.*

TITUS Quintius Barbatus Interrex, an. Urb. Cond. 311.

TITUS Quintius Barbatus, cons. an. Urb. Cond. 312.

TITUS Quintius Capitolinus, Trib. Mil. an. Urb. Cond. 351.

TITUS Quintius Cincinnatus Pœnus, cons. an. Urb. Cond. 328. Item Trib. plebis, an. Urb. Cond. 310.

TITUS Quintius Crispinus, cons. an. Urb. Cond. 546.

TITUS Quintius Flaminius, cons. an. Urb. Cond. 556.

TITUS Quintius Flaminius Apellas, cons. an. Urb. Cond. 631.

TITUS Romuleius Xvir, an. Urb. Cond. 303.

TITUS Saturninus, cons. an. Urb. Cond. 950.

TITUS Sempronius Gracchus, cons. an. Urb. Cond. 577.

TITUS Sempronius Longus, cons. an. Urb. Cond. 536.

TITUS Servius Fidenas, Trib. Mil. an. Urb. Cond. 332.

TITUS Statilius Taurus, cons. an. Urb. Cond. 728.

TITUS Valerius, cons. an. Urb. Cond. 424.

TITUS Virginius Tricostus, cons. an. Urb. Cond. 258.

TITUS Virginius Cælimontanus, cons. an. Urb. Cond. 307.

TITUS Veturius Calvinus, cons. an. Urb. Cond. 433.

TITUS Veturius Xvir, an. Urb. Cond. 303.

TITUS Veturius Geminus, cons. an. Urb. Cond. 260.

TITUS Vinidius Quadratus, Syriæ præses, A. C. 52.

TITYRUS. Hic nomen peperit fistulæ cantus, cui vacabat. Aristophan. enim καλαμίνην σύριγγα dixit, quam Dorienses Τιτύρινον vocant. Athen. *l.* 4. ὁ δὲ καλάμινος αὐλὸς τιτύρινος καλεῖται παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσι. Grammatici veteres notant hircum appellari *Tityrum* Afrorum linguâ, eandemque ἡγεμόνα sortitum eorum custodem. At Servius asserit arietem majorem *Tityrum* dici linguâ Laconum. *Fungerus. Lloyd.* Item mons Cretæ, *Strab.*

TITYUS, Jovis filius ex Elara Orchomeni filia, quam cùm Jupiter compressisset, gravidamque reddidisset, veritus Junonis indignationem, inter terræ viscera eam occultavit; instante verò legitimô partus tempore, Elara miræ magnitudinis puerum enixa est, qui quòd dehiscente terrâ luci redditus esset, Terræ filius creditus est. Hic cùm posteà adultus, Junonis instinctu Latonam de stupro interpellâsset, vimque illi inferre conatus esset, Jovis fulmine ictus, aut (ut alii malunt) Apollinis telis confixus est, & ad inferos detrusus, ubi humi exporrectus 9. terræ jugera dicitur occupare, jecurque perpetuò cum Luna renascens vulturi, aut, ut Hygino placet, serpenti exedendum præbere. Hom. Odyss. Λ. v. 575.

Καὶ

> Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱὸν
> Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.
> Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον, *&c.*

Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 595.

> *Nec non Tityon terræ omnipotentis alumnum*
> *Cernere erat; per tota novem cui jugera corpus*
> *Porrigitur; rostróque immanis vultur adunco*
> *Immortale jecur tondens, fœcundaque pœnis*
> *Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto*
> *Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.*

Ovid. *l.* 4. *Fab.* 13. *v.* 456.

> *Viscera præbebat Tityus lanianda, novemque*
> *Jugeribus distractus erat.* ---- ----

Idem, *l.* 1. *Pont. Ep.* 2. *v.* 41.

> *Sic inconsumptum Tityi semperque renascens*
> *Non perit, ut possit sæpe perire jecur.*

Idem *in Ibin*, *v.* 181.

> *Jugeribusque novem qui summus distat ab imo,*
> *Visceraque assiduè debita præbet avi.*

Bene *præbet*. Ita quoque Seneca, *in Hercule*, *Actu* 3. *v.* 756.

> *Præbet volucri Tityus æternas dapes.*

Idem *in Thyeste*, *Actu* 1. *v.* 9.

> *Aut pœna Tityi semper accrescens jecur*
> *Visceribus atras pascit effossis aves.*

Tibullus, *l.* 1. *El.* 3. *v.* 75.

> *Porrectusque novem Tityus per jugera terræ*
> *Assiduas atrò pectore pascit aves.*

Claudian. *in Gigantom. v.* 25.

> *Quid dicam Tityum, cujus sub vulnere sævo*
> *Viscera nascuntur gravibus certantia pœnis.*

Horat. *l.* 3. *Carm.* Od. 4. *extr.*

> *Incontinentis nec Tityi jecur*
> *Relinquit ales.* ——

Idem, *l.* 2. *Od.* 14. *v.* 8. de Plutone:

> —— *Qui ter amplum*
> *Geryonem Tityonque tristi*
> *Compescit undâ.* ——

Statius, *l.* 1. *Theb. v.* 710.

> *Terrigenam Tityum Stygiis extendit arenis.*

Qu. Calaber, *l.* 3.

> Οἷος ὑπερφίαλος Τιτυὸς πέσεν ὁππότε Λητὼ
> Ἐρχομένην Πυθῶδε βιάζετο καὶ ἑ χολωθεὶς
> Ἀκάμαντα περ ἐόντα θοῶς ὑπεδάμνατ' Ἀπόλλων
> Λαιψηροῖς βελέεσσιν, ὁ δ' ἀργαλέῳ ἐνὶ λύθρῳ
> Πουλυπέλεθρος ἔκειτο κατὰ χθονὸς εὐρυπέδοιο,
> Μητρὸς ἑῆς, ἡ δ' υἷα κατεστονάχησε πεσόντα
> Ἀχθομένη μακάρεσσι, γέλασσε δὲ πότνια Λητώ.

Ait Tityum Apollinis telis confixum. Ita ante eum Apollonius:

> Ἐν καὶ Ἀπόλλων Φοῖβος ὀϊστεύων ἐτέτυκτο
> Βούπαις, οὔπω πολλὸς, ἑὴν ἐρύοντα καλύπτρης
> Μητέρα θαρσαλέως Τιτυὸν μέγαν, ὅν ῥ' ἔτεκέν γε
> Δῖ' Ἐλάρη, θρέψεν δὲ καὶ ἂψ ἐλοχεύσατο Γαῖα.

Callimachus verò in *in lavacrum Dianæ*, non ab Apolline sed à Diana confossum Tityum fuisse ostendit, cùm ait:

> Ἄρτεμι παρθενίη Τιτυοκτόνε. ----

At Pausanias *in Laconicis* scriptum reliquit, in quodam templo positas fuisse Apollinis & Dianæ imagines, à quibus utrisque Tityus sagittis conficeretur. Ejus quoque meminit Apollon. *l.* 1.

> Εὐρώπη Τιτυοῖο μεγασθενέος τέκε κούρη.

Strabo, *l.* 9. hanc fabulam ad historiam transtulit, dicitque quò tempore Apollo dictus est è cœlo in terras advenisse, ac homines mansuefecisse, qui prius arborum sylvestrium fructibus tantùm vescebantur, Tityum tyrannum Panopeæ crudelissimum, hominem fuisse violentum, atque prorsus flagitiosum, quem Apollo sagittis confecit. Lucretius verò, *l.* 3. *v.* 998. ad rei Venereæ cupiditatem, animique sollicitudines hanc fabulam retorsit; cùm dicit fieri non posse omnino multa, quæ traduntur de inferis, neque Tityum, si par jecur universo terrarum orbi habuisset, perpetuum dolorem ita pati potuisse; sed per hæc animi curas antiquos significare voluisse, ut ab iis retrahamur. Verba ejus apponam:

> *Nec Tityon volucres incunt Acherunte jacentem:*
> *Nec quod sub magno scrutentur pectore quidquam,*
> *Perpetuam ætatem possent reperire profectò,*
> *Quamlibet immani projectu corporis exstet,*
> *Qui non sola novem dispersis jugera membris*
> *Obtineat, sed qui terrai totius orbem:*
> *Non tamen æternum poterit perferre dolorem,*
> *Nec præbere cibum proprio de corpore semper.*
> *Sed Tityos nobis hic est, in amore jacentem*
> *Quem volucres lacerant, atque est anxius angor,*
> *Aut aliæ quávis scindunt torpedine curæ.*

Vide Natal. Com. *l.* 6. *c.* 19. Item Tityus Orator homo loquax sanè & satis acutus; de quo Cicer. *in Bruto*, *c.* 62. *extr. Nic. Lloyd.*

TIUM, seu TION *Ptol. Teium Strab. Tio* etiam hodie, teste *Moletiô*, urbs maritima Paphlagoniæ, à Milesiis condita, teste Melâ, *l.* 1. *c.* 19. à Tio, Milesio Sacerdote *Steph.* Episcopalis olim sub Archiepiscopo Heracleensi, inde 38. mill. pass. in Ortum, Cytorum versus 65. inter Psyllium & Amastrida. Quidam confundunt hanc urbem cum Teo urbe Ioniæ, Anacreontis patria. *Baudrando* urbs fuit Bithyniæ; in limite Paphlagoniæ, ad ostia Bilis fluv. ex *P.* à *Vico* aliisque.

TLAS, Manethoni Thinitarum in Ægypto Rex XII. post Binothrem, ante Sethenem: præfuit ann. 17. regnante Ranose in Thebaide, Suphide II. apud Memphitas, Amesise in Ægypto inferiore circa illud tempus, quô Abrahamus Patriarcha cum Sara in Ægyptum venit. Joh. Marshamus ex *Manethone.*

TLASCALA, vulgò TLASCALA, provinc. novæ Hispaniæ aliter *Angelorum* provinc. inter Sinum Mexicanum & Guaxacam provinc. ad Ortum & Mexicanum proprium ad Occidentem sub Hispan. in præfectura Mexicana. Ejus caput est *Angelopolis.* Hinc 5. leuc. est oppid. cognomine *Tlascala*, 27. à Mexico in Ortum, Veram Crucem versus 32. circiter; Urbs antiqua & aliàs Resp. potens: Nunc deficit indies.

TLEPOLEMUS, Herculis & Astyoches fil. quam ex Ephyra urbe Peloponnesi rapuerat. Homer. *in Catalogo.* Hic cùm adolevisset, clarus rebus bellicis, corporisque proceritate insignis, Lycimnium avunculum suum Marte progenitum, & patri suo charissimum jam senem interfecit. Propter quod fabricatis navibus, contractâque juvenum manu patriam reliquit, Rhodumque venit, in qua 3. urbium regnum obtinuit. Belli verò Trojani tempore 9. navium classe Græcis suppetias tulit, quo in bello à Sarpedone, Jovis filio, interfectus fuit. Ovid. *Ep.* 1. *Herod. v.* 19.

> *Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam,*
> *Tlepolemi leto cura novata mea est.*

Nic. Lloyd. In Cariæ opposita Insul. Rhodo, divinis honoribus cultus est, uti docet Scholiastes Pindari *Olymp. Od.* 7. Quemadmodum apud eosdem Alex. M. in veneratione fuisse, tradit Clemens Romanus, *Recognitionum l.* 10. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progressu. Idolol. l.* 1. *c.* 21.

TLEPOLEMUS, inter Duces Alexandri M. cui, post ejus excessum, in divisione Provinciarum, Carmania obtigit. Diodor. Sic. *l.* 18.

TLEPOLEMUS, Lycius, equô singulari vicit 131. Olympiadem: Μυρεὺς, i. e. *Myrensis*, Philoxeno dictus, in *vetere Epigrammate*, ubi Hermulatum in Ludis Olympiacis eum inventorem facit, de quibus vide suprà. Myra autem urbs Lyciæ, ut notum. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 924.

TLEPOLEMUS, actor Tragicus Sophoclis Tragœdiarum, de quo agunt Scholia *in Aristoph. Nubes.*

TLESIAS, 2. Archon, seu princeps annuus Atheniensium, annô 4. Olympiad. 23. quô bellum Messeniacum II. cœpit, annô 39. post Ithomes excidium. Pausan. *l.* 4. Archonta tertium facit, quem Marmor Arundel. *Lysiam* vocat; Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi de *Archontibus annuis.*

TLETES, populi Iberici juxta Tartessios, *Steph.*

TLOS, urbs Lyciæ, à *Tlo* Mileti & Praxidices Nymphæ filio, ad Tloum fluv. Episcopalis sub Archiepiscopo Myrensi, inter Xanthum ad Meridiem, & Araxam ad Arctos. Una ex maximis regionis: reliquæ sunt Xanthus, Olympus, Pinara, Myra, Patara. Gentile idem, vel *Tloeus, Tloites*, sive *Tloius.* Item urbs Pisidiæ, possessivum *Tloreus*, *Steph.*

TLUMACENSIS Benedictus, vide *Benedictus.*

TMARUS, mons Peloponnesi, apud Coryphasium promontor. Item nomen proprium viri. Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 685.

> *Et præceps animi Tmarus* -----

TMARUS, Thesprotiæ in Epiro mons, in quo 100. fontes. *Tomarus* Plinio, *l.* 4. *in principio*, & Solino. Unde *Tmarius. Hesych.* Τμάριος Ζεὺς ἐν Δωδώνῃ, Callimachus *Hym. in Cererem*:

> Ὤρτεν ἐν Τμαρίοισι. -----

Lloydius. Græcè Τόμαρος, & per syncopen Τμάρος. Ubi templum Dodonæi Jovis, Solin. *c.* 7. ad quem vide *Exercitat.* Salmasii.

TMOLUS, Lydorum Rex, ex Atyadarum Dynastia, maritus Omphales, huic moriens regnum reliquit, Apollodorus, *Biblioth. l.* 2. Ex Omphale dein Hercules Lamonem genuit, à quo Mermnadæ oriundi, tertiam Lydorum Regum Dynastiam orsi sunt. Vide *Lamon*, alibique passim.

TMOLUS, qui & *Timolus*, seu *Tymolus* Strab. Plin. *l.* 5. *c.* 29. Solin. & aliis, nunc *Tomalitze*, *Leuncl.* mons Phrygiæ magnæ, ex quo Pactolus fluit, in confinio Lydiæ (ad fluv. cognominem in Mæandrum per Sardes, quas alluit, influentem, cujus meminêre Herodot. & Plin. *loc. cit.*) in agro Trallensi & Sardensi, vitibus consitus, qui & *Timpsis* dictus est, teste Pliniô; quem vide *loc. cit.* Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 98. de variis vitium generibus:

> *Tmolus & assurgit quibus & rex ipse Phanæus.*

Theophrast. *l.* 4. *Histor. c.* 6. Τμῶλος ἔχει ἀμπέλους. Auctor Tragœdiæ *Thebaidos*:

> *Hinc nota Baccho Tmolus attollit juga.*

Ovidius, *Pont. l. 4. El. 15. v. 9.*

Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos.

Strabo, *l. 13.* in genere. Τμῶλος εὔδαιμον ὄρος. Et *l. 14.* inter loca quæ afferunt οἶνος ἄριστος, numerat Tmolum. Et iterum de eodem *Tmolo*, & locis aliis ita ait: ἀδιαφόρως χρηστὸν, ἢ ἀπὸ ἀλείμματος, ἢ ἀπὸ διαίτας ἰατρικάς. Huc pertinet hymnus Orphei ad Sabazium, ubi ait Bacchum insutum à Jove femori, & eductum.

—— Ὄφρα τετελεσφόρος ἔλθῃ
Τμῶλον ἐς ἠγάθεον. ----

Crocum quoque plurimum gignit hic mons. Virg. *l. 1. Georg. v. 56.*

---- Nonne vides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur? ——

Nam ibi per *odores croceos*, vulgaris Servius *crocum* intelligit, cujus interpretatio commoda est. Nam Solinus, Columella, & Martianus ajunt hunc montem esse florentissimum croco: primus *c. 53.* Secundus, *l. 3. c. 8.* postremus, *l. 6. c. de Phrygia*; in quo ubi legitur *Tmolus loco florens*, legendum *croco*, ex doctorum censura. Alii tamen per *croceos odores* vinum redolens & fragrans intelligunt. Sil. Italicus, *l. 7. v. 210.*

It montis decus, atque ex illo tempore dives
Tmolus. ---- ----

Dicitur quoque *Timolus*, vel *Tymolus*, teste *Steph.* Ovid. *l. 6. Met. v. 15.*

Deseruêre sui Nymphæ vineta Timoli.

Ubi tamen alii *Tmoli* legi debere contendunt. Idem Ovid. *l. 11. Met. v. 151.*

—— *Freta prospiciens latè riget arduus alto*
Tmolus in ascensu: clivôque extensus utróque
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.

Nic. Lloyd. Hinc *Tmolitæ*, montis hujus incolæ, quorum mentio in nummo Sabinæ Junioris in cujus postica parte Diana conspicitur cum arcu suo, & nomen ΤΜΩΛΙΤΩΝ. apud Jac. Sponium, *Itiner. Græciæ Part. 3. p. 193.*

TMOLUS, Lydiæ amnis, in quo coticula seu lapis, quô aurum & argentum probatur, *Lydius* inde dictus, primùm repertus est, Plin. *l. 33. c. 8.* Vide Salmas. *ad Solin. p. 1103.* Idem cum fluvio memorato, in voce *Tmolus*.

TMOUS, fil. Tremyli & Praxidices, in Lycia natus.

TNEPHACHTOS, unus ex partiariis Ægypti Regulis, post collapsam Thebanorum Regum potentiam, dum Necepsos inter Saitas, Osorthon inter Bubastitas, & Asychis in alia parte regnarent; in Arabes movit, cùm verò morarentur impedimenta, cibô obviô suaviter usus, cepit super thoro profundum somnum: Inde Menem exsecratus est, quòd is Ægyptios à tenui & opum pecuniæque non indigente victus ratione deduxisset; execrationemque, approbantibus Sacerdotibus, in stela incisam posuit in templo Jovis, Plut. *de Iside.* Pater fuit Bocchoridis τοῦ Σοφοῦ, *Sapientis*, cujus, ut & patris, abstinentiam, sub alio quoque nomine prædicat Alexis apud Athenæum, *Dipnos l. 10.* Ἔφη μετρίᾳ τροφῇ κεχρῆσθαι τὸν Βόκχοριν καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ Νεόχαβιν, *Dicit modicô victu usos fuisse Boccherim & patrem ejus Neochabim.* Namque & *Neochabis*, & *Gnephachtho*, & *Technatis*, Rex hic dictus occurrit. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Secul. XVI.*

TNYSSUS, urbs Cariæ. Gentile *Tnysseus*, *Steph.*

TOANI, populi Arabiæ Felicis ad fretum Sinus Arabic. seu apud fauces ejusdem, Plin. *l. 6. c. 28.*

TOARCIS, vel TUARCIUS, castrum Galliæ veterrimum, in Aquitania, ante annos 900. nobilissimum & munitissimum, sub proprio olim Comite: expugnatum est à Pipino, tertiò in Aquitaniam movente, unà cum civitate Biturigum, A. C. 762. Hodie *Toars*, vel *Touars*. Non longè Lausdunô & Moncontoriô abest, in finibus Pictonum, Vicecomitatûs quondam, hinc Rigordus *in gestis Philippi Aug.* Gundonis Vicecomitis *Toarcii*, omnes ferè Pictones potentiâ præcellentis, meminit: nunc Ducatus titulô illustre, à Tremolliæ dominis pridem possidetur. Caput est Vicariæ Toarcensis *Vigueria*, quô nomine ager loci aut castri, cui suus erat Vicecomes, sæpe pro Vicecomitatu, apud Auctores venire solet. In hac villæ Glandis, & fluvii Argentarii, vulgò *Argenton*, qui in Toëdum defluit, meminit Lil. Giraldus *l. de Turtiniaco*, apud Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TOBBAUS, i. e. *Imperator* seu *Rex*, titulus antiquorum Turcicæ gentis Ducum, de quibus Cl. Pocockius eruditè scripsit. Vide suprà *Muslimi*.

TOBIAS, nomen viri, Esdr. *c. 2. v. 60.*

TOBINIUM, vide *Zosinga*.

TOBIUS, vulgò TOWY, seu TOVY, *Camdeno*, fluv. Albionis per Walliam in Oceanum ad Maridunum decurrens.

TOBOLIUM, & TOBOLSCA, vulgò TOBOLSCK, urbs Moscoviæ Tartaricæ caput Siberiæ: haud pridem à Moscis extructa. *Is. Massa.* Ad flumen *Yrtim*, quod ab Austro exortum, rapidissimô cursu, in Obium, aquas suas evolvit. Ab altera parte est fluv. *Tobol*, unde urbi nomen, & in hunc influit fluv. Talsa.

TOBRUS, urbs Africæ propriæ, *Ptolem.* Eandem cum Tuburbe Antonini esse credit *Simlerus*. *Obros*, in tabulis recentiorib. media ferè inter Tabrachiam ad Arctum, & Tuburbem in Meridiem, ad 80. mill. pass. Vide *Tuburbis*. *Ferrar.*

TOCAIMA, vulgò TOCAYMA, urbs novi regni Granatensis parva, juxta fluv. Patum. Vix 18. leuc. Hispanic. ab Urbe S. Fidei de Bogota in Occasum, & 13. à Tutela in Meridiem. In America meridiali sub Hispanis.

TOCAJUM, oppid. Hungariæ, vinô suô nobile. Hic Johannes Vaivoda Transylvan. à Ferdinando victus est, A. C. 1527. Vide Thuan. *l. 1. & 5. 8. 9. & Tokaum* infra.

TOCHARI, populi Indiæ, *Tzetzæ*, vel Sericæ. *Ptol. Dionys.*

Καὶ Τόχαροι Φροῦροί τε. ——

Optimi textores, Plin. *l. 6. c. 17.*

TOCHATA, urbs Cappadociæ ad Lycum fluv. *Tocato.* Sedes Satrapæ, inter Neocæsaream & Gomana.

TOCIGONUS, Venetæ regionis in agro Patavino fluvius, *Scirocco Leandro.*

TOCOESIA, vulgò TOKOESI, Insula Oceani Eoi, & pars ampla Japoniæ. Dicitur aliter *Xicoca*; estque inter Niphoniam insulam præcipuam ad Ortum ac Boream & Ximum ad Occasum. Continet 4. regna seu provincias. Vide *Xicoca*.

TOCOLOSIDA, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ. *Ptol.* à Volubili colonia 4. mill. pass. à Tingi 148. *Itiner.* Antonin. *Mergo*, seu *Amargo Marmolio.*

TOEDUS, vulgò *Toüé*, vel *le Toüé*, fluvius est Galliæ, in Andibus, qui infra Salmurium in Ligerim effluit. Meminit ejus vetus descriptio Turoniæ: cujus Auctor, Majoris Monasterii Monachus, Comitatum Turonium ab Occidente ait terminari *fluviô Toëdo* nomine, qui inter Salmurium castrum & Abbatiam S. Florentii fluit, & sic in Ligerim *effluit*. Scriptoribus quibusdam recentioribus *Tueda* Latinè nuncupatur: Olim verò *Tuadus*, vel *Doadus* ac *Toadus* dictus videtur esse, unde *Teotuado* vel *Theodoado Doadove*, uni è 4. clarissimis ac nobilissimis Aquitaniæ Regum veter. Palatiis seu Fiscalibus villis ac hibernis, nomen: quod ad fluvium hunc situm. Recipit autem is amnes Toërium *Toëret*, Argentonem *Argenton* ac Devam *Dive*. Vide Hadr. Vales. *Notit. Galliæ*, in voce *Theotuadum.*

TOEGAR Amachus Momchiri, Eratosthen. antiquorum in Ægypto Thebanorum Regum VI. Memphites; exponitur ἀνὴρ περισσομελὴς, *vir membris redundans.* Successit Pempho, regnavitque annos 79. circa tempora Nachoris & Tharæ; pater Stoechi, qui ipsum in regno excepit. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron.*

TOENA, fluv. Galliæ Belgicæ in Quantiam defluens, aliis *Tena*, recentioribus *Terna*, vulgo *le Ternois*: unde pagus *Toënensis*, *Tenensis*ve posterioribus *Ternensis* nuncupatur, in Morinis. Ubi Blangiacum *Blangin Ternois*, & castrum S. Pauli *S. Paul en Ternois*, caput Comitatus cognominis ad *Toënam* amnem posita. Ibidem est & Balliolum *Bailleul en Ternois*, & vicus Hosium *Heux en Ternois*. Iperius Abbas *in Chron. Bertiniano*, Adalolfum Balduini Calvi fil. veluti jure hæreditariô Comitatus Boloniensem & *Ternensem*, circa A. C. 927. unaque Sithiensem Abbatiam militem & laicum totâ vitâ tenuisse dicit. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TOESOBIS, seu *Tisocus* fluv. seu potius fretum, mill. pass. latum, 20. mill. pass. longum, inter Monam Insul. & Walliam Septentrionalem, prope Arvoniam: Vulgò *Meyna*.

TOGA, Græcis Τήβεννος, Romanum tegmen, ipsis Quiritibus longe vetustior. Circummeâsse enim à Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos, auctor est Tertull. *de Pallio*: & cum *Suida Artemidorus* ejus originem ab Temeno Arcade deducunt; qui ad Ionii maris accolas navigans, primus eô modô chlamydem induit, à quo indigenæ edocti eâdem ratione habitum suum composuêre, vestemve *Tebennam* corruptâ voce à Temeno appellârunt. Etymologo Τήβεννος Regium gestamen dicitur. Sed, si Romani excipiantur Reges, nullus exterorum Tyrannorum togâ usus reperietur, nisi ex dono Populi Romani, aut ejus imitatione. Fuit autem Toga vestimentum clausum & rotundum, quod unô injectu corpus involveret, & utrumque brachium operiret, ut ex statuis antiquis veteribusque nummis patet. Hâc solâ primitus amicti incedebant Romani, cùm nullis adhuc tunicis uterentur: petitores quoque eâ solâ indutos in campum descendisse tradit. *Plutarch.* sive ut cicatrices adversô pectore ostenderent, sive ne pecuniam ad suffragia mercanda tunicâ occultarent, sive ut supplicarent humiliùs. Communis ejus gestandæ modus fuit, ut dextrum brachium, quâ parte ad cervices patuit, exereretur: & ita quidem, ut antiquissimis temporibus manus tantùm usque ad cubitum porrigeretur, posteà totum brachium, humerusque extaret: quod primum Romanorum C. Gracchum fecisse, memorat *Plutarch.* Sinistrum autem brachium sub ipsa toga extensum, extremam ipsius oram, quæ & lacinia dicebatur, in rugas, plicasque contractam, cui *sinus togæ* nomen, subducebat ad pectus lævâ manu extante. Togæ ora subjecto brachio subducta speciem normæ referebat, sive regulæ, fabrilis nempe instrumenti, ad quod omnia exigunt, super quod brachium, ut Quintilianus ait, *l. 11. c. ult. ora ex toga duplex æqualiter sedeat*, i. e. lacinia togæ veluti brachiô divisa, æquis partibus contineatur, nec altera longior aut brevior deformiter cadat. More veterum, brachium togâ juvenes Romani annô virilitatis 1. ætat. 14. cohibere tenebantur, Cicer. *pro Cœlio*: Idem in petitione honorum factum, docet Horatius, *l. 1. ep. 6. v. 50.*

Mercemur servum, qui dictet nomina: Levum
Qui fodiat latus: & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Porro licèt è toga brachium exereretur, & summa togæ ora à dextero humero deflueret: facile tamen fuit, cùm res posceret, eandem detectæ togæ partem revocare caputque etiam operire ac involvere. Unde de Cæsare scribit Tranquillus, *c. 82. cum se strictis pugionibus à conjuratis peti videret, togâ caput obvolvisse, simul sinistrâ manu sinum ad ima crura deduxisse: quò honestiùs caderet.*

Non

Non cingebatur toga: nec quicquam aliud cinctus Gabinus fuit, quàm cum togæ lacinia lævo brachio subducta in tergum rejiciebatur, ac retrahebatur ad pectus, sicque in nodum colligebatur, ut togam contraheret & breviorem ac strictiorem redderet. Neque fibulâ nectebatur, utpote vestimentum clausum & humero sinistro sic inhærens, ut lævô brachiô sustineretur, quô fiebat, ut nullô modô cadere aut defluere posset. Ea priscis ex lana, serò tandem & nonnisi sub Imperatoribus serica vestis Romanis cognita est. Communis color albus fuit, lanæ nativus, cui cùm creta accedebat, *candida* appellata est. Primis urbis temporibus uterque sexus togatus incessit: Verro *apud Nonium de vita Pop. Rom.* & tum quidem honestiores matronæ togam prætextam adhibuerunt: quam cùm posteà deposuêre, ea sola viris remansit, donec temporum mutatione fœminis quoque probrosis cederet. Habebat autem jus togæ omnis Populus Quiritum, diuque etiam plebs ipsa togata incessit. Imo sublatâ libertate ipsos Imperatores togâ usos legimus. Namque & Cæsar in toga confossus, & Caligula, cùm se è spectaculo proripere vellet, calcatâ laciniâ togæ præceps per gradus iit, & Domitianus *Mars togatus* Martiali appellatur, *l. 6. Epigr.* 76. &c. Sed non semper pura ac communis illa, verùm aliquando purpurea & triumphalis fuit. In luctu, depositâ togâ, ad saga itum est: in deprecatione quoque togam depositam docet Cicero, *l. 4. ad Attic.* vel saltem humeris dejectam, Sueton. *Aug. c.* 52. Nec forense solùm vestimentum antiquissimô tempore toga fuit, sed & domesticum: nocturnum non minus ac diurnum: mox alia vestis domestica, alia forensis, quæ toga fuit: neque publicè sine toga civis Romanus visus est: Interim conviviis quoque maximè publicis ac solennibus illam adhibitam ex historicis patet. Neque Romæ modo, sed quacunque Romanum patuit imperium, in pace Quirites togati fiêre; quô habitu & ii usi sunt, quicunque Romanis legibus gaudebant. Coloniæ item & Municipia, Tacitus, *Hist. l.* 2. Imò non socios solùm Populi Romani, sed Italos penè omnes togâ usos, illud argumento est, quòd ab iis Romani togas acceperint. Sed & Arcades sive Argivos, Lydos quoque togâ usos docent, Tertullianus & Artemidorus. Gentes etiam devictæ simul cum servitute togam accipiebant, ut Tacit. *in Agricola, c.* 21. de Britannis: Dio *l.* 46. de Gallia togata: Strabo, *l.* 3. de Hispanis docent. In bello quoque togatum militarium meminit Liv. *l.* 29. & alibi, quod vel de honestioribus tantùm, vel de antiquissimis temporibus intelligendum: vel fortassè, dum stativis in Urbibus ac Municipiis attinebantur, togâ usi milites sunt, nequaquam in castris. Hinc & milites Prætoriani, quia in urbe, remotô terrore chlamydum, forsan togati erant; saltem cohors, quæ more militiæ excubabat, ut vult Lipsius *ex Tacito, l. 1. Hist. c.* 38. *Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet.* In reliquis nullus togæ usus, pacemque togâ, bellum sagô notari quis nescit? Exutam simul à Romanis cum libertate togam, indicat Sueton. *Aug. c.* 40. sub quo penè usus ejus desierat, si officia clientum excipias, & in illius locum lacerna successit. Mansit tamen aliquandiu communis & continuus togæ usus apud paucos, eosque honestiores, donec Advocatis solis hæsit. Quintilianus tamen, *loc. cit.* Oratori quoque suo togam dat, eamque morosè usque ad rugas disponit. Proin veterem habitum reducere tentârunt Augustus, Domitianus & Hadrianus Imperatores, quorum ultimus Senatores & Equites Romanos semper in publico togatos esse jussit: nec minus Antoninus, qui etiam milites togatos esse voluit; sed tentârunt, nam id haud quaquam observatum, sensimque ex togato Populus lacernatus ac pænulatus factus est. Cæterùm togam in templo Capitolini Jovis Consules eô die, quô Magistratum inibant, sumere soliti sunt; quod quidam etiam ad omnes trahunt, cùm toga virilis sumebatur: vel saltem post eam domi sumtam, statim in Capitolium ad Jovis ædem itum esse. Vide Val. Max. *l. 5. c. 4. ex* 4. plura autem de nobili hac veste, apud Thom. Dempster. *Antiquit. Rom. l. 5. c.* 32. & Octavium Ferrarium, *de re Vestiaria, l.* 1. Nomen à *tego*, quod Veteribus *togo*: qui proin quidquid tegere aptum est, primitus *togam* dixêre. Sic *togam*, pro tecto, Poëta quidam apud Nonium dixit. Sanè vestem omnem, quæ tegendo corpori, *togam* dictam, legimus apud Varronem, *de Vita Pop. Rom. l.* 1. Nisi sit potiùs à Græco τέγω τογά. Nam & τέγω dicebatur pro eodem. Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*; ubi etiam de togæ *rugis*, *sinu*, *umbone*: item *de Togæ apud veteres Romanos gerendæ modo*; porrò *de Toga Græcanica*, uti *de Toga Præsidiaria*, *Picta*, *Pura*, *Serica*, *Submissa*, passim *Notis ad Historiam Augustam.*

TOGATÆ Comœdiæ, propriè Latinæ, sicut *Palliatæ* Græcæ; à vestitu utriusque Gentis. Vetus Interpres Juvenalis *ad illud*, *Sat.* 1. *v.* 3.

—— *Recitaverit ille Togatas.*

Togata, inquit, *sunt Comœdia Latina, Palliata Græca, quales Afranius fecit.* Ubi, cùm Afranium *Togatas* dedisse notum sit, verba illa, *quales Afranius fecit*, retrahi & *Togatis* subjici, jubet Ferrarius. Erant autem *Togatarum* aliæ nobiliores, quæ *Prætextatæ*, in quibus scil. Magistratus introducti, qui in prætextis: aliæ minùs nobiles, in quibus censet Scaliger, *Poëtices l. 1. c.* 7. *Senatores privatos cum Togis introductos.* Sed cur soli Senatores *Togati*, cùm Gens universa hôc habitu uteretur? Subjicit idem, ultimum genus fuisse, quod capiebat humilem Fortunam negotiorum popularium cum tunicis tantùm, eas autem non tunicatas dictas, sed ab habitaculis *Tabernarias* appellatas, quòd cum tabernis scenæ disponerentur. Sed si nullus in illis Togæ usus, cur inter *Togatas* recensitæ? Autor Prolegomenon Terentii Tabernarias fuisse Palliatas tradit, quod falsum: Sed paulo antè, si tamen unus Auctor est, *Tabernarias*, ab humilitate argumenti & styli dictas, putat. Meliùs dicemus, *Togatas* genericum fuisse nomen, ad Prætextatas & Tabernarias: nihilominus *Togatas* pro *Tabernariis* non communi tantùm errore, sed Poëtarum quoque auctoritate, usurpati, atque adeò nomen generis ad hanc posteriorem speciem restringi consuevisse. Ita enim Horat. *in Arte*, *v.* 288.

Vel qui prætextas, vel qui docuêre Togatas.

Ubi per *prætextas*, intelligit prætextatas, Comœdias videl. Magistratuum ac nobiliorum personarum: per *Togatas*, eas in quibus viliores personæ introductæ; qui quòd in cœnaculis ac tabernis degere soliti essent, ut Opifices inprimis, Institores ac Sellularii, *Tabernarias* easdem vocitatas fuisse, vidimus suprà in hac voce. Cæterùm *Togatarum* Auctores ab Acrone hi recensentur: Ælius Lamia, Antonius Rufus, Melissus, Afranius, Pompejus; qui omnes magnô literarum damnô, præter Afranii fragmenta, interciderunt. Primum autem Stephanionem *Togatas* saltare instituisse, auctor est Plinius, *l. 7. c.* 48. *Minus miror Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit.* Lege *Togatas*, ut & Sabellicus monuit, & de Pantomimo intelligit. Vide Octavium Ferrarium, *de Re Vestiaria, Part.* 2. *l. 4. c.* 2.

TOGATI, apud Spartian. *Hadriano*, *c.* 3. *Hodieque Imperatores sine pænulis a togatis videntur*: sunt, qui *ave matutinum* Imperatori portabant, seu saltatores, quos in alia veste hôc officio defungi nefas erat, ut notum ex Martiali. Nec soli salutantes *togati*, verùm & Imperatores. Treb. Pollio *in Gallienis*, *c.* 16. *Cum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis & aureis Romæ visus est: ubi semper togati Principes videbantur.* Usurpant autem hi Auctores *videre*, pro *salutare*, ut ex iis passim discimus. Et quidem, cùm Hadriani, Trajani & anteriorum Principum ævô cum pænulis nunquam esset Cæsar, postmodum, dum salutabatur quidem, *togatus* erat, ac post officium hoc pænulam sumebat. Salmas. *ad Spartian. d. l.* Porro, cùm Romani aliàs togas cœnatoriis mutarent accubituri, Imperatorum tamen mensæ non nisi *togatis* interesse licebat, qui milites non essent, quibus cinctus pro toga fuit, Spartian. *in Hadr. c.* 22. Imò nec aliâ ratione ad Imperatorem unquam accedere, uti docet Salmas. *ad Treb. Pollionem*, *ubi supra.* Etiam in Spectaculis idem habitus necessarius. Unde Commodus, *contra consuetudinem pænulatos spectatores, non togatos, ad munus convenire, quod funeribus solebat*, jussisse legitur apud Lamprid. *in eo*, *c.* 16. ubi iterum Salmas. vide &c. Apud Sueton. *Julio*, *c.* 48. *Convivatum assiduè per provincias duobus tricliniis: uno, quò sagati palliative, altero, quò togati cum illustrioribus provinciarum discumberent?* Casaubono *togati* sunt honestiores è comitatu, putà Consulares, Prætorii, Senatores, Legati & Quæstores. Idem verò & *togam*, ignominiæ causâ interdum sumi jussam, sed abscissis laciniis deformem, docet ex Val. Maximo, *l. 1. c.* 7. *ex* 9. *ad Augustum* ejusdem Auctoris, *c.* 24. Vide quoque hîc passim, inprimis voce *Causidici.*

TOGGENBURGIUS Comitatus Helvetiæ, in *Turgovia*, German. *das Toggenburg*, habebat olim è Nobilitate dominos, qui posteà Comitivâ dignitate aucti sunt. Horum ultimus majoribus suis longè potentior, Fridericus, in jus civitatis à Tigurinis receptus, obiit, A. C. 1436. Post ejus mortem crevit hæreditatem hujus Comitatus Petermannus Baro Raronius ex Valesia, sed incolæ, à Suitensibus & Glaronensibus, in amicitiam & jus civitatis recepti sunt, sic ut in criminalibus summa potestas penès Raronium esset, ipsi verò in proprio consilio, sub Landammanno capite, causas civiles judicarent. Postea Raronius A. C. 1469. Abbati Sangallensi jus suum vendidit, qui ab eo tempore regioni præfectum constituit, summum rerum capitalium judicem: Intereà mansêre *Toggenburgii*, cives Suitiorum & Glaronensium, suaque privilegia & immunitates habent, quarum beneficiô inter alia libertate Religionis hodieque fruuntur. Solum iis asperum & montanum, sed pascuis aptum: ipsi torosi & laboris patientes, candidi insuper & cordati sunt. Vide Stumpfium *de Turgovia*, *l.* 5. ubi seriem Comitum & res gestas succinctè exponit: de eorum verò origine, Philipp. Jac. Spenerum, *in familia Austriaca.*

TOGISONUS, Plin. *l. 3. c.* 16. *Sciocco Leandro*, fluv. Venetiæ per agrum Patavinum, in Medoacum fluv, post Plebem Sacci oppid. influens, à Patavio 8. mill. pass. Clodiam versus. Sed Plinius eum cum Athesi confluere, & Brundulum portum efficere scribit. Alii *Vigisonus* legunt, & lacus est *Vigazolo* 6. mill. pass. ab Ateste, ex quo fluv. in Athesim influens effluit. *Ferrar.*

TOGONIUS Gallus, ignobili origine Senator, qui Tiberium orabat diligere Senatores, ex quibus viginti sorte ducti & ferro accincti, quoties curiam inisset, salutem ejus defenderent. Tacit. *l. 6. Annal. c.* 2. cujus tamen adulatio à Cæsare elusa est.

TOGRUL Bekus, fil. Michaëlis, primus Turcarum in Persia Rex. Hujus enim patrem, Selgkuko Tartarorum Duce genitum, cùm Mahmudus Rex Persiæ & Indiæ captivum abduxisset, ex Mauaranalharia omnes Turcæ eum insequuti, in planitie *Chorasan* consederunt. Quod cùm Mahmudus ægrè ferret, filius ejus Masud Turcas bellô lacessere cœpit, qui irritati *Togrul-bekum* Regem creârunt A. C. 1038. & totâ mox Persiâ potiti sunt, à Boiitarum sic familia hactenus regnatrice ad Turcas translatâ. Post Togrul-Bekum Persiæ imperitaverunt Muhammed aliique, usque ad Mahmudum Abukalsem. Sub quo partim intestinis dissidiis, partim vicinorum conspiratione, regnum Turcarum in Persia destructum est, hæcque à Togrul Beki familia ad Chorasmios devenit, circa A.C. 1224. Qua de re vide Georg. Hornium, *Orb. Imper. p.* 403. & 420. ut & suprà ubi de *Persia*, *Turcisque.*

TOI, sive *Thou*, tempore Adad-ezeri, Syriæ, Sophenæ & Damascenæ Regis, à Davide victi, alius Syriæ Rex, regnabat in Hamath, missôque filiô suô cum muneribus ad Regem David, congratulabatur ei, *quòd Adad-ezerem debellâsset; quippe illi hostis erat*, 2. Sam. c. 8. v. 9. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. XIII.* ubi

de Regibus Syriæ, *ex Fragmento de iisdem præclaro Nic. Damasceni Historiarum*, apud Josephum, *Ant. Jud. l.* 7. *c.* 6. & de terra *Hamath* suprà.

TOJA, vulgò *Toy*, Insul. Japoniæ, in ora Orientali Niphoniæ Insul. & regionis Ochiæ, inter Matcuxinam Insul. ad Boream & Ynoximam Insul. ad Meridiem *Brietius*.

TOKÆUM, vulgo *Tokay*, urbs munita Hungariæ superioris cum arce ad confluentes *Bodrach*, fluv. in Tibiscum. Capta à Turcis sed recepta ab Austriacis. Vinô suô nobilis, 30. mill. pass. à Cassovia in Meridiem, totidem ab Agria in Ortum.

TOLA, vulgò *Tolen*, seu *ter Tolen*, insul. parva Zeelandiæ, in parte Orientali cum oppido munito cognomine prope brachia Scaldis, inter Bevelandiam Australem ad Meridiem & Transflaquæanam ad Boream in ipso limite Brabantiæ, vix 1. leuc. à Bergis ad Zomam. Eiadjacet agger S. Martini.

TOLBIACUM, Galliæ Belgicæ oppid. Tacit. *l.* 4. *Hist. c.* 79. Ubiorum in Germania inferiore; *Zulpick Divæo*. *Zulch*, *Baudrand.* oppid. Juliacensis Ducatus celebre victoria Clodovei I. de Alemannorum gente ac Rege, & Theodorici ejus abnepotis de Theodeberto, fratre suo, cæde item Herminafridi Toringorum Regis. Sedet ad Nafelam amnem, 18. mill. pass. à Bonna in Occasum totidem à Juliaco in Meridiem, uti à Colonia in Africum. Valesio castrum est in Ducatus Juliacensis regiuncula Eifia vel Eiflia *die Eifel*, non procul à flumine Rura & Marcoduro, quod Gallis *Souche* dicitur: *Notit Gall.* Vide Cl. Ottonem, *Notis ad B. Rhenanum*, *l.* 2. *p.* 261.

TOLCA, vel *Toucha*, fluv. Galliæ, in Comitatu Lexovino, Melsam *la Meauffe*, Fetvidas Aquas *Fervaques*, Montem Gomerici *Mongomery*, oppid. Comitatus titulô insigne alluit: dein auctus Orbeccô, Orbeccum & Villare alluente, Noviomagum Lexoviorum caput attingit, Pometum *la Pomeraye*, Brolium *le Breuil*, Pontem Episcopi, caseis suis nobilem vicum, Tolcam denique *Touque*, locum à flumine dictum, infra quem in Oceanum effunditur. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TOLEN, oppid. olim Æthiopiæ, sub Ægypto, à Meroë 5. dier. itinere, in Boream, Plinio, *l.* 6. *c.* 30.

TOLENTINUM, colonia & urbs aliàs Piceni, Episcopalis sub Archiepiscopo Firmano, nunc Marchiæ Anconitanæ, sub Pontifice parva, sed culta; ad Chientum fluv. inter Maceratam 10. & Camerinum 13. mill. pass. à Septempeda 6. in Ortum. Vulgò *Tolentino*. Hic requiescere dicunt corpus S. Nicolai Tolentini: Sedes autem ejus Episcopalis unita nunc est Maceratensi, Populi *Tolentinates*, Plin. *l.* 3. *c.* 13. *extr.*

TOLENTINUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

TOLENUS, fluv. Marsorum, in Lirim labens, ubi Rutilius cum 8000. Rom. à Marsis cæsus. *Oros.* Dicitur & *Telonus* & *Thelonus*.

TOLERIUM, urbs Latii antiqui. *Steph.* Locus hodie ignoratur. Populi *Tolerienses*. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

TOLETANA, Hispan. *Toledo*, nomen Familiæ in Hispania illustrissimæ, quam nonnulli è Græcia deducentes progeniem Palæologorum faciunt, qui Oriente olim potiti. Autori ejus Petro Alfonsus VI. Rex *Toletò* devictò multa prædia donâsse dicitur: quæ nominis *Toletani* origo. Ex ea Garsias *Alvarez de Toledo*, Alfonso Sapienti Regi Castellæ fideliter inservivit: Cujus filius Garsias Alvarus, aliis *Alvarus Garsias* dictus & nepotes Garsias Alvarus M. Magister S. Jacobi, (pro quo Magisterio à Rege Henrico Oropesam & Valdecornejam accepit) & Ferdin. Alvarus, à fratre Valdecornejam successione nactus. Inde duo capitales rami: *Oropesa* penès Garsiæ fil. Ferdinandum Alvarum remansit, qui Garsiam Alvarum genuit & Garsiam Fernandum Alvarum, *Comites de Oropesa* dignitate ornatum ac reliquorum Comitum satorem: Quorum successio, ob masculorum defectum, à Beatrice March. *de Xarandilla*, marito Bragantino Marchion. *de Frechilla* allata est. Præfati verò Fernandi patruus, Didacus Lopezius *de Ayala* Dominos *de Cebolla* & *Castillo de Villalva* sevit. In altero ramo primario Ferdin. Alvarus Dn. *de Valdicorneja*, præter Gutierium Alvarum Archiepiscopum Toletanum, genuit Fernandum Alvarum successorem in *Valdicorneja*, patrem Ferdinandi, qui primus Comes Albæ sive *de Alva de Tormes* nominatus est. Hujus filium Garsiam Alvarum Comitem *de Salvatiena*, Marchionem *de Coria* & Ducem *de Alba* Rex creavit: Inter cujus liberos Fernandus Dominos *de Villora*, ex quibus dein Comites *de Ayala*; Garsias Dominos *de Horcajada*; Petrus Dominos *de Mancera* dedit; sed primogenitus Fridericus Alvarus Ducale axioma propagavit. In hujus itaque liberis nova divisio orta est: cùm à Garsia Alvaro primogenitò reliqui Duces *de Alba* & *Huesca* descendant; ab altero, Petro Prorege Neapolitano & uxore Maria Osoria Pimentellia, March. *de Villafranca*, Marchiones reliqui, cum agnomine *de Toledo Osorio* deriventur: quibus titulus etiam Ducum *de Fernandina* & Principum *de Montalvam* accessit. Sed & præter enumeratas alia linea est Dominorum *de Tocenaque*, in quibus obtigit Comitis *de Cedillo* titulus uni Antonio, sed posteri ejus cum cognominibus *de Luna* & *Ponce de Leon* Dominorum appellatione fuere contenti. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. par. II. Indic.* qui Parte I. Ducum *de Toledo-Oropeza*: Part. II. Marchionum *de Toledo-Osorio* & *Part. III.* Ducum *de Alba* quoque, Progenitores exhibet. Vide eundem, *Arte Heraldicâ*, *Tom. II.*

TOLETANUM Regnum, *Reyno de Toledo* sub Mauris dictum, nunc postquam ab Hispanis receptum, dicitur *Castella Nova*, inter Castellam veterem ad Boream & regnum Granatense ad Meridiem.

TOLETANUS Julianus, vide *Julianus*.

TOLETUM, vulgò *Toledo* colonia, & urbs Hispaniæ Tarraconensis. Carpetanorum olim caput, in umbilico Hispaniæ ad Tagum fluv. Gothorum dein regia & Maurorum, hodie caput Castellæ novæ, & anteà Regum sedes, à tempore Alfonsi, qui illam Saracenis eripuit, A. C. 1085. Ampla est & elegans, Archiepiscopalis cum arce antiqua in colle: sed deficit in dies, à paucis habitata, vix 6000. incolas continens, 42. leuc. Hisp. à Corduba in Boream, 50. à Valentia. Ejus meminit Venantius Fortunatus, *l.* 6.

Quæ me dimittis, dura Toletè. vale.

Fuère sub Toleto, velut Metropoli, urbes Episcopales Cretum, Biatia, Mentesa, Acci, Basti, Urci, Illici, Bigastrum, Setabis, Dianium, Valentia, Valeria, Segobrica, Arcabrica, Complutum, Segontia, Uxama, Segobia & Palentia: quæ cum Metropoli, tempore Constantis M. Archiepiscopo Carthaginensi, unà cum Caraca & Castulone, subjectæ fuerunt. Hodieque prima in regno Hispaniæ dignitas Archiepiscopi Toletani est, qui, more omnibus Regnis receptô, Primas est Regni & simul Cancellarius Natus Castellæ; cujus ratio ex mediis seculis fluxit, quibus, cùm nulla eruditio extra sacrum Ordinem quæri poterat, ita nec officia, quæ Eruditum requirebant, aliis quàm qui è sacro Ordine essent, committi potuerunt, Beemannus, Franc. de Pisa, *descr. Toleti*, Garsias, *de Eccl. Tol.* Hic Concil. celebratum, A. C. 400. contra Priscillianistas. A. C. 531. sub Rege Almerico seu Theude, *Isidoro Hispalens.* teste: quô disciplina Ecclesiastica iterum stabilita, quæ sub Arianis Regibus multum remiserat. A. C. 589. quô Gothi, paulò antè fidem amplexi, confirmati sunt: sub Recaredo, qui jejunium triduanum Concilii celebrationem voluit præcedere. A. C. 597. sub eodem, contra impudicitiam Sacerdotum. A. C. 638. quô legitimum conjugium, damnatô ancillarum consortiô, concessum est Sacerdotibus. Elipandus Urbis Episcopus Nestorianismi damnatus est, à Carolo M. Synodô illâ celebri Francofurtanâ, A. C. 794. habitâ. In eadem urbe memorabile olim fuit palatium, clausum & validis vectibus, ferrôque munitum, quod reseratum excidio Hispaniæ futurum fama ferebat. Hujus seras cùm Rodericus, thesauros ibi occuli ratus, perfringi tandem curâsset, arcam solùm reperit in eaque linteum, in quo insolentes hominum facies vestesque depictæ erant, cum hac inscriptione, *à tali gente exitium Hispaniæ imminere*, brevique post à Saracenis & Mauris, Rodericus victus est, omnisque nobilitas Gotthorum cum illo cæsa. Lipsius *Monit. l.* 1. *c.* 5. Vide Moretium *Dict. Hist.*

TOLETUS Franciscus, Cordubensis, Philosophiam Salmanticæ juvenis adhuc docuit, dein Jesuitarum institutum sequutus, Romæ Pio V. à sacris concionibus fuit, Orator excellens, & *docendo* inprimis valens, sicut Lupus *movendo*, & Panigarola *delectando*. Comes dein Commendono Cardinali itineris ad Maximilianum II. & Sigismundum Poloniæ Reges exin sub Gregorio XIII. maximis negotiis, & Sixto V. revidendis Bibliis, quorum editionem moliebatur, adhibitus tandem sub Clemente VIII. purpuram meruit, primus ordinis sui, ac in reconciliando Ecclesiæ Rom. Henrico IV. Galliæ Regemultum operæ posuit. Obiit A. C. 1596. ætat. 74. plurium scriptorum auctor, inter quæ eminent *Commentarii ejus in Organum Aristotelis*, & *Euangelium Johannis*, reliqua habes *in Elogiis* Teisserii *Part.* 2. cæterùm non minus humilitate & temperantiâ, quàm eruditione, inclytus. Vide Thuanum, *Histor.* Laur. Crassum, *Elog.* Nic. Erythræi *Pinacothecam III. Perroniana*, *Scaligerana* &c. Addo elogia quædam doctorum. *Vir doctissimus & cùm aliis, tum verò Philosophicis ac Theologicis literis ornatissimus*, teste Alegambe Bruxellensi *Bibl. Script. Societatis Jesu.* Dominicum Sotum habuit inter cœteros Doctorem, qui propter ingenii excellentiam, *Prodigium* illum appellare solitus est, Id. Ejus extant *in Psal.* 17. *Commentarius; ut & in Lucæ capp.* 12. *priora*, *in Johannem*, *in ad Romanos*, &c. Guil. Crowæus, *in Elencho Scriptorum S. Script.* Eumdem Martin. Navarrus appellat, *Excellentem Ecclesiæ Doctorem & acerrimum Gymnasiam*; Stanislaus Rescius, *virum Virtutis & sapientiæ laude celeberrimum*; Andreas Eudæmon Joan. illius *eruditionem*, *ingenium*, *solertiam*, ait, *Orbem terrarum semper miraturum*, And. Victorellus, *Admiror*, inquit, *aureum sacrumque*, *quale Vet. S. Patrum*, *in concionibus eloquentiæ flumen*; Ferdin. Ughellus, *Virum ipsum fuisse*, ait, *ad Christianæ Reip. beneficium natum.* Sæpius auditus est dicere, *Malle se pauperem in Collegio, quàm in apparatissimo, quod Pontifex attribuerat, Palatio degere*, Iterum Alegamb. Vide quoque Isaac. Casaubonum ad Fronto-Ducæum & Thuanum præfatum, *Histor.* ubi de hoc Toleto plura.

TOLIAPIS, vulgò *Shepey* Camdeno, insul. Albionis in mari Germanico contra Trinobantes, & Thamesis ostia: ubi etiam Counos *Goeyinge* haud procul ab ostio Tamesis.

TOLISTOBII, qui *Tolistobogi Strab.* & *Ptol.* qui & *Tectosages*, populi Galatiæ in Asia; quorum urbes Germa colonia, & Pessinus, *Τολιστοβώγιοι Stephano*.

TOLLENDI Infantes ritus, vide suprà ubi de *Infantibus*, & *Levana Dea*, nec non in voce *Sublatio*.

TOLLENO, apud Plinium, *l.* 19. *c.* 4. *Hortos villæ jungendos non est dubium riguosque maximè habendos*, *si contingat præfluo amne, si minùs è puteo rota organisque pneumaticis*, *vel tollenonum haustu rigatos*: machina est *ἀνασπᾶν καὶ κατασπᾶν*, *sursum tolli ac deorsum mitti solita*, cui alligatus aquæ hauriendæ cadus. Græcè *κηλώνειον*, quod exponitur in *Gloss. ἀντλητήριον*: unde apposite *tollenonum haustum* dixit Plinius. Et quidem ex *κηλών*, *κήλωνος*, *celonus*, *celono*, & transpositis literis ac *c.* in *t.* mutatô, fit *Toleno*. His, ubi rigua desunt, aqua infertur; quod *κηλωνείοις ἀρύειν* Græci dixêre, uti patet ex Herodoto, *l.* 1. & 6. Sed & ad exhauriendam in navi sentinam *κηλών* adhibitus, *Hesych.* In re militari insignem eorum usum ostendit, Marcellô Syracusas obsidente, Archimedes, apud Liv. *l.* 24. *c.* 34. *Quæ propiùs subibant naves, quò interiores ictibus tormentorum essent: in eas tollenone super murum eminente ferrea manus firmæ catenæ alligata, cum injecta proræ esset; gravi libramentô plumbi recellente ad solum, suspensâ prorâ navim in puppim statuebat: dein remissa subitò, velut ex murô cadentem --- ita undæ affligebat, ut, etiamsi rectà reciderat, aliquantum aquæ*

, *aquæ acciperet*, &c. ubi Gronovium vide, & plura hanc in rem suprà, voce *Celone*, item ubi de *Hanſloriis machinis*.

TOLLENTINUM, vide *Tolentinum*.

TOLLERE ſe, verbum Augurum, de quo vide ſuprà, voce *Templum*.

TOLLIUM, vulgò *Dol* ſeu *Dohle*, vel *Dole*. Vide *Dola*.

TOLMIDAS, Dux Athenienſium, de quo, quomodo dilectum habuerit, vide Polyæn. *l.* 5. *c.* 3.

TOLMIDESSA, Syriæ urbs in Chalcidica regiuncula. *Ptol.*

TOLNENSIS Comitatus *le Comté de Tolne*, provinc. eſt Hungariæ inferioris prope Danubium, quò ſeparatur ad Ortum à Brachienſi Comitatu, ad Occaſum terminatur Comitatu Simigienſi, à Meridie Waranienſi. Sub Turcis. Urbs ejus præcipua eſt Tolna *Tolne*, ad Danubium, paulo infra Colociam,

TOLONIUM, vide *Telo Martius*.

TOLOPHON, urbs Locrorum Ozolorum, *Steph.*

TOLOSA, vulgò *Thoulouſe*, colonia & urbs Galliæ Narbonenſis in Aquitaniæ confinio ad Garumnam fluv. Dicitur & *Tholoſa Tectoſagum*, *Toloſatium*, &c. Metropolis Aquitaniæ, Archiepiſcopalis cum Academia, & Parlamento; pulchritudine, amplitudine, & vetuſtate inter civitates Galliæ primas. Tectoſagum olim, opulentiâ ſed perniciosâ inclytorum, caput. Colonia dein Romanorum, ut priſca magnificentiæ monumenta teſtantur. Poſteà ſub Gothis, quibus eam Clodovæus eripuit: ſequentibus temporibus Comites habuit, Corſone à Carolo M. hâc dignitate ornatô, A. C 778. cui Gulielmus Simus ſucceſſit. Raimundus poſtmodùm VII. Johannem hæredem Alphonſo, Comiti Pictavienſi, fratri Ludovici IX. clocavit, quibus abſque prole defunctis, Philippus Audax, urbem occupavit, A. C 1271. quam Johannes Rex coronæ uniit, A. C. 1361. Patria fuit hæc urbs virorum inſignium, unde *Palladia*, Auſonio dicta, *Epigr.* 3. *Parental. v.* 6. qui de Æmilio Magno Arborio patruo ſuo, Sedato & Exupero, Profeſſoribus Tholoſanis loquitur. *Baudrando Toloſa*, vulgo *Toulouſe* Gallis, urbs eſt perampla Galliæ, Occitaniæ provinciæ ſeu Languedocii caput, & Parlamenti ſedes, in ipſo limite Aquitaniæ: ita ejus pars minor trans Garumnam fluv. cenſeatur in Aquitania. Creſcit in dies, eſtque emporium celebre, 7. leuc. à Montalbano diſtans in meridiem, & 11. ab Auſcis in ortum. Sed longè à Toloſa victus fuit Attila à Meroveo Rege Franciæ, Theodorico Gothorum Rege, & Ætio Romanorum Duce. nempe in Catalaunicis campis, & prope Catalaunum urbem Campaniæ ad Matronam fluvium, quidquid dicat Paulus Diaconus in contrarium. Ad Toloſam autem nuper à Rege Ludovico XIV. inceptum fuit incile peramplum ſumptu vere regiô, ut mediante Atace fluviô, Freſquelô, Sorâ, Lerô, aliiſque minoribus ex monte Nigro profluentibus, lintres ab ipſa urbe Stagnum Magalonenſe & Setium montem uſque in ora maris Mediterranei pervenire poſſint, & vice verſâ à Setio monte ad Toloſam, hincque per Garumnam, Burdegalam & Oceanum uſque, maximô totius Occitaniæ commodô: ſicque Toloſa erit utriuſque maris emporium, Oceani nempe & Mediterranei. *Toloſanum* Epiſcopum Notitia Epiſcopatuum Galliæ quintô locô ponit, inter novem Epiſcopos Narbonenſi, Bitterenſi, Agathenſi Luteveńſique, quod mirère, ei prælatis. Johannes demum XII. Toloſam ad Metropolitanum ſive Archiepiſcopale extulit faſtigium, & ſeptem novas ſedes ei attribuit, Apamienſem, Mirapicenſem, S. Papuli, Montis Albani, Rivenſem Lumberienſem & Vaurenſem: veteremque provinciæ Metropolitanum Narbonenſem Carcaſſone, Elenâ, Biterris, Agathâ, Leutevâ, Magalonâ, Nemauſô, Uceciâ, antiquis ſedibus ac Tomeris S. Pontii & Electâ novis Epiſcopatibus ſuffraganibus contentum eſſe juſſit. Vide Cæſ. *l.* 3. *c.* 20. Strab. *l.* 4. Plin. *l.* 3. *c.* 4 *extr.* Melam, *l.* 2. *c.* 5. Juſtin. *l.* 32 *c.* 3. Ptol. *l.* 2. *c.* 10. Ammian Marcell. *l.* 15. Gregor. Turonenſ. Sidonium Apollin. Nic. Bertrandum, *Geſta Toloſanorum.* Anton. Noguerium, *Hiſtor. Toloſ.* Guil. Catel. *Hiſt. Com. Toloſ.* Moter. *Diction. Hiſt.* Concilium hic celebratum, A. C. 829. à Ludovico Pio Imperatore A. C. 863. contra Judæos 1056. contra Simoniam &c. Porrò Religio Urbi affulſit, ſeculô 12. quô ſub patrociniô inprimis Hildefonſi V. Ægidii Comitis & Toloſanorum, Petrus Bruiſius, Henricus Monachus aliique ſalutaris doctrinæ præcones docebant: Circa A. C. 1140. Unde crux in fideles ſumta, & Raimundus Comes, dux illorum ab hoſtibus graviter preſſus eſt, Simone Montfortiô Pontificiarum copiarum Anteſignanô, in obſidione Toloſæ, lapide occisô: ſeculô 13. &c. Contra hos igitur Synodus ibidem celebrata, A. C. 1228. Cardin. Romanô præſide. Vide Moter. *Diction. Hiſt.* & Phil. à Limborch, qui *Inquiſitionem Toloſæ* primò introductam, à Dominico primo Inquiſitore, circa A. C. 1208. 1212. 1215. *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 1. *c.* 10. docet, ac *de bellis contra Raymundum*, *patrem & filium*, *Comites Tholoſanos*, *c.* 11. ſequ. prolixè agit: idemque primus luci dedit Librum *Sententiarum Inquiſitionis Toloſanæ ab A. C.* 1307. *uſque ad ann.* 1321. Hinc *Aurum Tholoſanum*, adagium eſt, in eum qui fatalibus malis afficitur: ſive in eum, qui pœnas dat ſacrilegii, ut Cæpioni Conſuli Romano contigit, cum ſacram pecuniam Toloſæ abſtuliſſet, quemadmodum Strabo, *loc. cit.* teſtatur. Summa auri erat 110000. pondo, (quorum quodlibet, non minus eſt 100. aureis nummis,) argenti vero quinquies decies centena millia, vide Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor. c.* 30. Gellium, *l.* 3. *c.* 9. & Juſtin. *loc. cit.* Urbis hujus clariſſimæ meminit Auſonius, *in Claris Urbib. Epigr.* 12.

Non unquam altricem noſtri reticebo Toloſam
Coctilibus muris quam circuit ambitus in[illegible]
Perque latus pulchrè prælabitur amne[illegible]

Plura, vide apud Hadr. Valeſ. in voce [illegible] ubi de [illegible] tolio, Amphitheatro, Palatio, aliiſ[illegible]us T[illegible]

egregiè diſſerit, item voce *Apamia*, ubi de ſedibus Metropoli huic ſuffraganeis; nec non ſuprà in *Tholoſa*.

Loca Diœceſi Toloſanâ comprehenſa.

Alta Ripa.	Mons Laureus.
Aureolus mons *Montariol*.	Paulhacum.
Clarus Mons.	Placentia.
Judicatura Lauriacenſis *la Jugerie de Lauraguez*, vel *Lauragois*.	Sancta Fidis *Sainte Foy*.
	Vetus Toloſa *Vieille Toloſe*.
	Villa Franca.
Mons Acutus *Montagut*.	Villa Longa *Ville Longue*.
Mons Goliardus *Montgailhard*.	Villa Nova.

Vivaria.

TOLOSA, vulgò TOLOSA, urbs Hiſpaniæ, in Guipuſcoa provinciâ, prope Orium fluvium, ſatis culta, ad radices Pyrenæorum montium, & vix 4. leucis diſtans ab Oceano Cantabrico in Meridiem, uti à Fano S. Sebaſtiani, verſus Montem S. Adriani totidem. A Gallis autem *Toloſette* dicitur, ad alterius Toloſæ Occitanicæ differentiam.

TOLOSANUS Maximus, vide *Maximus*.

TOLPIA, legio 10. Vide *Tolbiacum*.

TOLSBURGUM: *Autown. Tolczburg*, oppidum munitum Sueciæ, in Livonia & in provincia Viria, in ora ſinus Finnici, ubi recipit *Semſckybeck* fluvium, 70. mill. paſſ. diſtans à Revalia in ortum, Narvam verſus 20. circiter.

TOLTA, apud Recentiores, exactio eſt quæ per vim fit, quod contra jus *tollitur*, quodvis tributum &c. Etiam *Tolta mala*, vel *Malatolta*, in Charta Philippi Aug. *A. C.* 1214. in Ducheſnii *Normannicis*, *De Malatolia*, *quam Joannes Rex Angliæ & ſui impoſuerunt*, *ſic erit.* Aliter *gravum Uſaticum*, in vetere tabula marmorea, characteribus aureis exaratâ, quam, in publica Montilienſis oppidi domo, 4. bullis plumbeis appenſis extantem, ut inſigne Ademarorum Familiæ antiquitatis monumentum, ex ſchedis Peireſcianis, *Gloſſario* ſuo inſeruit Car. du Freſne, ubi plurima hanc in rem. Vide quoque hic, ubi de *Tributis*.

TOLVERA, fluv. Galliæ, in agro Encoliſmenſi, vulgò *Touvre*, in Carantonum labitur, prope Encoliſmam. Huic adſita Magnacum & Juvenacum, inter villas ad cœnobium ſuum pertinentes, numerat monachus Ecoliſmenſis S. Eparchii *in vita Caroli Magni*, apud Hadr. Valeſ. *Notit Gall.*

TOLUMNIUS, augur, qui pro Turno bellavit in Æneam. Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 258.

Expediuntque manus; primuſque Tolumnius Augur.

Item Vejentum rex, qui Romanorum legatos interfici juſſit, an. Urb. Cond. 317.

TOLUS, nomen viri, à quo monti Capitolino ſeu *Capitolio* nomen; in eo enim cùm fundamenta ponerentur ædis Jovis, caput *Toli* repertum, augurio fuit, Romam imperatricem fore. Structum eſt Capitolium quadratô ſaxô; Inchoavit illud Tarquinius Priſcus, abſolvit Superbus, dedicavit Horatius Pulvillus. Motis inter Syllam & Marium armis civilibus incenſum eſt, Scipione & Norbanô Conſulib. an. à dedicatione 424. poſteà à Q. Catulo reparatum rurſuſque dedicatum, Plin. *l.* 3. *c.* 5. *l.* 7. *c.* 28. *l.* 10. *c.* 22. *l.* 33. *c.* 1. & 3. & 12. *l.* 34. *c* 7. Sueton. *Cæſare*, *c.* 15. Sed interjectis annis 136. à Vitellianis demuo incenſum, Dio, *l.* 65. iterumque à Veſpaſiano reparatum eſt, Sueton. *in eo*, *c.* 8. Auſonius *in Urbibus de Narbona*, *Epigr.* 13. *v.* 15.

Tantæ molis erat, quantam non ſperneret olim
Tarquinius Catuluſque iterum poſtremus, & ille
Aurea qui ſtatuit Capitoli culmina Cæſar.

Hîc ſolenne juramentum concipiebatur, Plin. *l.* 2. *c.* 7. præſertim, cum in acta Principum cives adigerentur Kal. Jan. Solennia item hîc vota fiebant, Tertullian. *l. de cor.* Tactum fulmine Capitolium inter prodigia recenſebatur, Cicer. *de Divin. l.* 1. Triumphantes curru illud conſcendentes, peractô triumphô, convivium in Jovis templo inſtaurârunt: quod tamen alii in Capitolii porticibus factum eſſe contendunt. Coli hîc ſolita ſunt omnium Deorum Dearumque ſimulachra, Liv. *Dec.* 1. *l.* 6. *&c.* Ad ejus imitationem, in aliis quoque urbibus: Corinthi, Antiochiæ, Toloſæ, Narbonæ, &c. Capitolia à Romanis coloniis extrui cœperunt. *Vide in voce Colonia*, & plura de Capitolio, apud Thomam *Dempſterum*, *Antiq. Rom.*

TOLUTARES, ſeu *Tolutarii* Equi à *tolutim incedendo dicti*, quod Aſturconum proprium eſt. Plin. *l.* 8. *c.* 42. *Gallaica gens & Aſturica, equini generis, quos thieldones vocamus, minori formâ appellatos aſturcones gignunt: quibus non vulgatus in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equis tolutim carpere incurſus traditur arte.* Nempe quòd crura altiùs tollant in currendo & ſubſultim incedant hujuſmodi equi, [illegible] videre eſt ſuprà, voce Calquoque ac [illegible], elegantiſſimè, [illegible] greſſibus terram ſeparare, item [illegible], quòd [illegible] tolutarii vocati, apud Seneriant, vide ſuprà *Acupedes.* [illegible], à *colo* vel *ſacco*, qui [illegible] 27. [illegible] diverſi guttonarii, qui idem [illegible] de quibus infrà. Quamvis & hi [illegible] & à *tol*[illegible] (*tollo*) *toluto*, *tluto*, [illegible] Aſturconum ſeu *toluta*[illegible] ac grata eſt: nul[illegible]lum

lum vero genus vectura, quod magis torqueat ac succutiat, quàm equi trepidiarii. Pomponius apud Nonium, *Ubi insilui incalceatum equuleum, ibi tolutim tortor.* Quod de trepidante omnino dictum, qui & ipse tolutim incedit altiusque pedes tollit, ac volubiliter gressus glomerat, sed cum tortura & succussione. Interim solebant trepidiarii condocefieri asturconum modô blandè molliterque vehere, gressuque spissô & minutô sedentem erigere & molliculâ gratâque succussione commovere, Parthorum inventô, ut Vegetius, *l.* 4. *c.* 6. ait: quâ arte molliter ac delicatè vehendi postquam edocti erant, mediam quandam ambulaturam habebant inter asturcones & trepidantes, atque *tricenarii* Latinis appellabantur, uti infrà dicemus. Plura hanc in rem vide apud Salmas. *ad Capitolin. in Maximinis*, *c.* 3. & hîc passim.

TOMADÆORUM, insulæ 2. Arabici sinus. *Ptol. l.* 4. *c.* 8. *Sovidan Ortel.*

TOMÆA, apud *Strabonem*, *Lazio Tomiswar* vel *Temeswar*, oppid. seu pagus Mysiæ inferioris in ora maris Euxini, apud Tomos, inde 250. stad. *Strab.* Aliis *Tomi* ipsi.

TOMÆUM, seu US, mons Peloponnesi, juxta Coryphasium promuntor. *Thucyd. Steph.*

TOMARIUM, vulgò *Tomar*, oppid. Extremaduræ, in Portugallia, ad amnem *Couros.*, 7. leuc. Lusitanic. à Leiria in Ortum, 3. à Tago.

TOMARUS, (vide *Tmarus*) *Strab.* & *Steph.* mons Thesprotiorum, Dodoneo oraculo imminens. Orpheus *in Argonauticis*, ubi de Argo:

Δή τοτ' ἐπιβεβρμίνζα Τομαρίας ἔκλαγε φηγός

Dicitur per concisionem *Tmarus*. Unde Virg. *Ecl.* 8. *v.* 44.

Aut Tmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

TOMASINUS Paulus, Patavinus, fil. Marci, Theologus Patavinus, Canonicus, & Ecclesiæ S. Laurentii Rector, obiit A. C. 1576. ætat. 66. in usum Virginum D. Stephani scripsit vernaculô idiomate, *De recta ipsarum vivendi ratione.* Alius ejusd. nominis, fil. Jacobi, indidem oriundus, JCtus & Philologus decessit A. C. 1643. ætat. 59. Auctor *Consiliorum & Allegationum*, *Observationum circa Statuta Patavina*; *Miscellaneorum & Adversariorum*, &c. Alius ex eadem familia vetustior, *Thoma* prænomine, Monachus Dominicanus, Philosophiam & Theologiam passim docuit: Gabrieli Condulmerio, susceptô nomine Eugenii IV. in Concilio Basiliensi aliisque negotiis cum fide & successu inservIit. Episcopus tandem Feltrensis & Bellunensis creatus, obiit A. C 1445. de quibus omnibus vide Jac. Phil. Tomasium Patavinum itidem, Episcopum Aemoniensem & Comitem S. Laurentii in Dayla; *Elogiis Virorum illustr. iconibus exornatis*, *A.* C. 1629. *Patavii editis*: qui idem plurima alia scripsit, *Prodromum Athenarum Patavinar. Petrarcham redivivum*; *de Donariis, seu Tabellis votivis*; *Bibliothecam Patavinam*, *Bibliothecam Venetam*, *Vitas clariss. Virorum*, *de Tesseris Hospitalitatis*, *Urbis Patavinæ Inscriptiones*, *Athenas Patavinas*, *Parnassum Euganeum*, *Chronotaxin Gymnasii Patavini*, *Elenchum Episcoporum Patavinor. De Claris Mulieribus*; *Causidicis & Pictoribus Patavinis*, *Inscriptiones & Elogia diversa*, *Historia dell' Istria*, &c. *Tomasinorum* autem Familia, cum 31. familiis è Tuscia Venetias concessit A. C. 1309. sericique commerciô floruit, inde Vicentiæ & Patavii se diffudit. Vide *ibid.*

TOMBUTUM, Gallis *Royaume de* Tombut, Regnum Nigritarum, Gualatæ regno præferendum, magnitudine, populositate, fertilitate, frumenti, pecorum, lactis, butyri, at salis inops: inter regna Agadum ad Ortum, Mandingam ad Meridiem, Genehoam ac Gualatam ad Occasum, & desertum Zanhagam ad Boream. Metropolis regni quoque *Tombutum* dicta ad Senegam fluv. tuguriolis cretaceis, gramineisque tectis constat, exceptis templô quodam, regiôque palatiô, lapideis muris, calceque vivâ extructis. *Natal. Meteti.* Est hæc urbs in limite regni Gambeæ, 130. mill. pass. supra Genehoam *Baudr.*

TOMENTUM Circense, quod scil. in Circo vendebatur, memoratur Martiali, *l.* 14. *Epigr.* 160.

Tomentum *concisa palus* Circense *vocatur*:
Hæc pro Leuconico stramina pauper emit.

Ubi *palus*, sumitur pro arundine, junco, ulva palustri, è qua *tomentum* fiebat; idem quibusdam cum stramento Orchomenio, de quo Plin. *l.* 19. *c.* 1. Hoc nempe pauperes in suum usum vertere consueverunt: cùm divites Lingonicô seu Leuconicô culcitras farcirent. De quo idem supra, *Epigr.* 159.

Oppressæ nimiùm vicina est fascia plumæ,
Vellera Leuconicis accipe rasa sagis.

In quæ verba Salmasius, *Tomentum*, inquit, *lana est, quæ pannis vestibusque detondetur atque abraditur, Flockes Belg. Mittebant autem Lingones cadurca, bardocucullos & saga crassæ ac pinguis lanæ. Unde legunt hîc alii, Lingonicis sagis. Per rasa vellera vero* Lingonicis sagis, *intelliget lanas novissimè sui purgamentô detractas Lingonicis sagis pectine sive erinaceô fullonis. Non igitur tunc tondebatur eminens lanugo pannorum, sed pectine tantùm deradebatur. Libri tamen Martialis omnibus locis scriptum habent* Leuconicis, non Lingonicis. *A Leucones dixit pro Lingonibus?* Sed & calceos *Tomentô* stipatos legimus, si fortè pedum modulô laxiores essent: Quô sensu Tertullian. *Ep. ad Eustochium*, inter cetera, quibus operosam puellarum in sui ornatu curam exagitat, dixit: *Calceum stipant multiformem.* Sic enim ad eum locum Rhenanus ait, *Stipant, ne folliceet calceus.* Antiquis enim quoque ævi hominibus decorum maximè visum esse, si strictim calcearentur, neque pedes in laxa calceorum pelle natarent, diximus suprà, ubi de *Tensis cothurnis.* Nominis origo à *tondendo*, hinc enim *tondimen*, *tomen* extritô n. *Ἀφ' ὁμοίας χάριν*, *tomentum*; ut *moveo*, *movimen*, *momen*, *momentum.* *Tonderi* autem dicuntur, quæ cæduntur vel acciduntur. Unde *lana tonsa*, i. e. rasa novissimô sui purgamentô: ut ait Plinius, *l.* 8. *c.* 48. (*κνέφαλον* unde Græcis) *tomentum Lingonicum*, *tonsæ arundines*, *tomentum Circense*: adeoque in genere *Tomentum* fartum illud, quod ex certa materia cæsa, rasa, tonsa conficitur: qualis nec fœni nec plumæ, ut quidam volunt. Certè *tomentum* fœno diversum facit Seneca *de Vita B.* acerì Varro, *de L. L. l.* 4. plumæ Martialis, *d. l.* sed & stramento, Plinius, *l.* 8. *c.* 48. ubi ante cognitum tomentum Italos stipulis ad substernendum usos esse, hocque stratum *stramentum* vocitasse, docet. Ab inculcando autem acere, *tomento*, pluma, *culcita* nomen accepit. Vide suprà, uti & in *Phcor.* & *Phleos*: it. *Plumeum tomentum.* plura verò hanc in rem apud Salmas. suprà laudatum *ad Solinum*, *p.* 391. 398. & 1003. inprimis vero Joh. Frid. Gronov. *Observat. l.* 4. *c.* 21.

TOMERIÆ, seu *Pontiopolis*, urbec, parum culta Occitaniæ, 8. leuc. a Narbone in Boream, totidem a Biterris in Circium. Vulgo *S. Pons* seu *Pons de Tomieres.* Episcopalis est sub Metropoli Narbonensi, in id fastigium evecta, à Johanne XXIII. A.C. 1318. cùm anteà Abbatia Benedictinorum esset, fundata à Raimundo III. Comite Tolosano cognomine Pontio, A. C. 936. cujus prima uxor Garsinda, alterà Bertha fuit, neptis Hugonis Italiæ Regis & Arelati Comitis, vidua Bosonis Marchionis Tusciæ: Ex qua genuit Pontium II. patrem Gulielmi IV. avum Pontii III. qui obiit A. C. 1061. ex Almodia pater Gulielmi V. & Raimundi Ægidii, Catel. *Hist. Telos.* Monachi religiosis soluti sunt legibus A. C, 1625. oppidumque Episcopum Dominum agnoscit, Duchesn. *antiq. de villes.*

TOMERUS fluv. Indiæ, circa quem Pasira urbs, in ora Ichthyophagorum, memoratur Plinio, *l.* 6. *c.* 23. ubi vulgo *Tuberus* legitur. Sed *Τόμηρον* vocat Arrianus in *Indicis*, de Nearchi navigatione (quam Plinius eô locô describit) satis tamen longè ab illo fluvio Pasiras ponens. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1176.

TOMEUS, urbs juxta Odessum. *Steph.*

TOMIS, vide *Tomos.*

TOMISSA, regiuncula, distinguens Cappadociam à Tauro. *Steph.* *Τόμισα* *Straboni.*

TOMOS, *Ælian*, & *Strab. Tomi Ptol. Tomis Marcellino*, *Tomiswar Calio Calcagnino*, *Kiow Ciofano*; sic *ab incisione* Absyrti fratris Medeæ ibi secti dicta, urbs Mysiæ inferioris in ora maris Euxini, ubi Ovidius exulavit. Ovid. *Trist. l.* 3. *eleg.* 9. cui Titulus, *Unde Tomos dicta? vult.*

Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Cicer. *in orat, pro lege Manilia*: *Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa mærorque patrius celeritatem persequendi retardaret.* Statius, *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 255.

---- *Nec tristis in ipsis*
Naso Tomis. ---- ----

Nunc *Babba* Turcis, etiamnum munita, cum portu percapaci in Bulgaria regione. Hîc lacus hodieque *Ouvidouue Jezeoro.* Populi *Tomitæ.* Ovid. *Pont. l.* 1. *Ep.* 2. *v.* 77.

Non vacat in qua sint positi regione Tomitæ
Quærere. ---

Hinc *Tomitanus.* Idem, *Pont. l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 1.

Naso Tomitanæ jam non novus incola terræ.

Nic. Lloydius.

TOMUS, apud medii ævi Scriptores, volumen, librum, codicem notat, uti videre est apud Hieronymum *ad Pammachium & Ocean.* nec ingentem solùm, sed mediocrem, libellum, epistolamque, unde Eutychianos ridentes Leonem Pontificem, quòd Epistolam dogmaticam suam ad Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum & universum Concilium Chalcedonense missam *tomum* appellaret (unde illa *Tomus Papæ Leonis* in Oriente dicta est) increpat Ephrem Patriarcha Antiochenus, apud *Photium.* Etiam mappam mundi, in membrana exaratam, sic vocari apud Isidorum, Episcopum Pacensem, *Chron. æra* 749. adnotat C. du Fresne. Ex Græco *τόμος*, quod ex origine vocis *segmentum*, & *frustum* notat à *τέμνω*, *seco*, *scindo.* Unde *τόμος Θυῤῥανός*, quem inter piscium genera perperam recenset Plinius & aliis *Xiphian* vocari ait, *l.* 32. *c.* 11. *Turdus inter saxatiles nobilis. Tomus Thurianus, quem alii xiphian vocant.* Xiphias enim canicula est piscis, *τόμος* autem frustum ejus concisæ & salitæ; qui *Θυῤῥανὸς* appellatus est à Thuriis populis & *θυρσίον*, *thursio*, à similitudine capitis thyrsi, cùm scil. hac forma concidebatur. Salmas. *ad Solin. p.* 1317. Propriè verò idem *τόμος* ac *κορμὸς* est, *truncus* seu *codex*; & *κόνταξ* seu *κοντάκιον*, *scapus*, ramus videl. arboris ex utraque parte præcisus, vel simpliciter ab arbore recisus, quem *κλάδον* quoque Græci appellavêre: quibus nominibus, à similitudine, postmodum vocavêre Veteres chartas in unum volumen convolutas atque complicatas, quomodo chartæ non scriptæ jungi solebant, uti ex Cassiodoro discimus; atque hinc ad quodvis volumen denotandum & *codicis* & *τόμου* seu *tomi* vox est extensa. Idem Salmas. *ad Vopisc. in Firmo*, *c.* 3. Vide quoque suprà in voce *Codex*, item *Scapus.*

TOMYRIS, vide *Thomyris.*

TONACIACUM, locus Galliæ Celticæ. *Fortunatus.*

TONANS, Jovis epitheton, à *tonando.* Hunc Octavius Augustus consecravit, ædemque ei in Capitolio extruxit, liberatus periculô, cùm

cùm in expeditione Cantabrica, per nocturnum iter, lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimâsset. Quæ in dedicatione ejus memorabilia contigerint, refert *Dionys.* Ab Auguribus quoque jam antè Jupiter *Tonans* & Fulgens appellatus est, quia tonitrua & fulgura ei tributa. Hinc in veterib. nummis simulachrum ejus fulmen trisulcum manibus tenet. Vide Thom. Dempster. *Antiquit. Rom. l. 2. c. 5.*

TONANTE Cœlô, pro mutua salute vota fundendi mos Veterum, indigitatur Philostrato, *de Vita Apollonii, l. 6.* ubi de Antiochensibus Syris & terræmotu, qui, dum ipsi in concione sunt, factus est, Σεισμοῦ δὲ, ait γενομένου σφοδροῦ ἐπτηξαν, καὶ ὥσπερ ἐν διοσημείαις εἰώθει, ὑπὲρ ἀλλήλων ηὔξαντο, *Terræmotu autem vehementi ortô conterriti, & sicut tonante ac fulgente cœlô assolet, pro se mutuò precati sunt.* Ubi tonitrua & fulgetra Διοσημείας vocat, quia à Jove fieri credita, qui inde *Tonans* cognominatus est, uti vidimus in hac voce, statuamque ex ære in Capitolio Romæ habuit, *ante cuncta laudabilem*, Plin. *l. 34. c. 8.* Quamvis & Ditem quoque interdum *tonare* putabant. Claudianus *de Jove Inferno*,

> *Sub terris* tonuisse *putes* ——

quem proin *Infernum Tonantem* vocat Papinius Statius, *Theb. l. 11. v. 290.* ad quem vide Casp. Barthium, *Animadversion. l. 3. p. 1326.* Inprimis verò cùm *tonaret* cœlô serenô, quia id rarenter fieri solet, prodigii locô habebatur nonnullis: aliis prospera talia tonitrua arbitrantibus, qua de re vide Theod. Marcilium *ad Suetonii Titum, c. 10.* Uti autem consuetudo præfata laudabilis: sic contrà ingens vecordia fuit Caligulæ, quem ταῖς βρονταῖς ἐκ μηχανῆς τινος ἀντιβροντᾶν, auctor est *Dio.* Sed & Alladium, Romulum, Salmoneum, Sylvium, tonitrua imitatos, dignô impietate suâ exitu, passim legimus &c. Vide quoque infrà, in voce *Tonitru.*

TONARION, Græcè τονάριον, fistulæ genus, quô vocis modos regebant ac temperabant Musici. Quintilian. *l. 1. c. 17. Ut unô interim contenti simus, exemplô C. Gracchi —— cui concionanti post eum consistens, Musicus, fistulâ, quam* tonarion *dicunt, modos, quibus deberet intendi, ministrabat.* Sic dictum, quòd διὰ τόνων vocem modò remitteret, modò intenderet, uti docet Plut. περὶ ἀοργησ. ubi plura hanc in rem, ut & apud Salmas. *ad Vopisc. Carinô, c. 19.* Vide quoque suprà, voce *Syntona.*

TONDENDI Ritus, Antiquis in usu non fuit, qualis hodie ad ornatum viget. Namque & Romani comam alebant, unde *incomptis Curius capillis*, apud Horatium, *l. 1. Od. 12. v. 41. Intonsus Cato*, apud Eund. *l. 2. Od. 15. v. 11. barbatus Rex*, apud Juvenalem, *Sat. 4. v. 103. capillatus Consul*, apud Eund. *Sat. 5. v. 30. intonsus Numa*, Ovid. *Fastor. l. 6. v. 264.* ac paulo clariùs de Catone, Lucan. *l. 2. v. 375.*

> *Intonsos rigidam in frontem descendere canos*
> *Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.*

Et Græci capillos demittebant, hinc καρηκομόωντες Homero dicti; ac Lex illa celebris apud Aristotelem, *Rhetor. l. 1. Crinitus servile officium subire non potest.* Interque Scriptores convenit, utriusque gentis hujus ritu ingenuos fuisse capillatos. Petronius, *Satyr. Vidimus senem inter pueros capillatos ludentem pilâ.* Martialis passim, *l.* inprimis 10. *Epigr. 62. v. 1.*

> *Ludi magister, parce simplici turbæ,*
> *Sic te frequentes audient capillati*, &c.

Idem legimus de Gallis, quos Claudianus cum Sicambris confundit: Unde *Regalis capillitii jus*, apud priscos Francos, Fr. Hottomannus, *in Francogall. c. 9.* Certè omnes Galliæ Reges usque ad Pipinum Caroli M. Patrem, *longis capillis semel in anno conspiciebantur, Comitibus Regnum administrantibus*, P. Faber Sanjorianus, *Semestr. l. 2. c. 20.* Cujus rei originem tradens Ado Viennensis, *Chron. æt. 6. Post Pharamundum*, inquit *Franci Chlodionem filium ejus sibi Regem statuunt: abhinc Franci, in Thoringorum finibus, habitantes, crinitos Reges habere cœperunt.* Gothos non minus capillos promisisse, Procopius docet, *l. 4.* Vide quoque Cassiodorum, *l. 4. Ep. 49.* & Sidonium, *l. 1. Ep. 2.* Unde edictum Theodorici Regis, *c. 195. Quemlibet ut capillatorum tertio fuisse conventum*, &c. Iidem proin *Crinigeri Patres*, Claudiano *de bello Getico, v. 481.* De Hunnis item Incertus Poëta, sed antiquus, *Anthologiæ l. 4. c. 4. Epigr. 16.*

> Ἄλλοι Ἀκερσεκόμαι Ἀνάρων γένος ἔκποθεν Ἴστρου,
> Κείρουσι ἐκ κεφαλῆς βόστρυχον ἀενάοις.

De Britannis, ante Henricum Regem Theodosius Clainus, *Hist. Brit. l. 3. Henricus comam in hac Insul. Princeps barbamque totondit, ejusque exemplô dicti Angli, quia suâ memoriâ capillô promissô fuerant, omnes confestim tondebantur.* Ut alios omittam. Vide quoque suprà *Capillati*, it. *Criniti.* Contrà Servi *tonsi* incessêre; Unde *detonsa juventus*, apud A. Persium, *Sat. 3. v. 54.* & interrogatio Comici, *in Avibus*,

> Δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις;
> *Servus cùm sis, portas comam?*

Proin, triumphati Duces, in servitutis sinum, *tonderi* quoque soliti: Quô pactô Eruditi interpretantur *Africam tonsam*, apud Propertium, *l. 4. Eleg. 12. v. 38. captivos Germaniæ crines*, apud Ovidium, *Amor. l. 1. Eleg. 14. v. 45. detonsam Sicambriam*, apud Claudianum, *l. 1. in Europ. v. 383.* &c. Itaque homines ingenui, liberi ac nobiles, capillum olim non exuebant, nisi urgente maximô periculô: uti de Lacedæmoniis docet Plut. *in Lysandro, Quoties adire vitæ periculum volunt, comam detondent.* Petronius *Satyr. Notavit sibi ad Lunam Tonsorem intempestivo inhærentem ministerio, execratusque omen, quòd imitaretur naufragorum ultimum votum, in cubile rejectus est.* Unde colligimus, eos qui salvi è naufragio emersissent, caput *totondisse.* Vide Juvenalem, *Sat. 12. v. 81.* ex voto. Quemadmodum &, qui in peregrinationem longinquam aut expeditionem proficiscebantur, capillum alicui Deo devoverant, cui reduces detonsum consecrabant; Quem usum primus observavit Hadr. Turnebus, *Adversarior. l. 22. c. 28.* Hinc Val. Flaccus, *Argonautic. l. 1. v. 378.*

> *Tectus & Eurytion servato colla capillo,*
> *Quem Pater Aonias reducem* tondebit *ad aras.*

Vide quoque Papinium Statium, *Theb. l. 6. v. 608. & seqq.* Imò non Adolescentes tantùm, sed & Virgines id factitare solitæ sunt, ποταμοῖς ἢ θεοῖς, *fluminibus aut Diis*, capillos suos consecrantes, Lucian, *in Syria Dea*, Jul. Pollux, *l. 2. c. 3r num. 5.* Homerus, *Il. ψ. Eustath.* Alii. Quod votum concipiebatur interdum statim ab ipsa nativitate, depositô pro more in terram natô. Tertull. *de Anima, c. 40.* sed hac de re suprà actum *passim.* Porrò in luctu Græci πλοκάμους seu βοστρύχους tondebant, eumque vel tumulo ejus, quem lugebant, imponebant, vel conjiciebant in ignem: quod Catacallam quoque in funere Festi fecisse, docet Herodian. *l. 4. c. 8.* Et hoc appellabant πένθιμον κουρὰν, & ἐπικεκομένας τρίχας, & τομαῖον βόστρυχον & κουρίμους χλιδὰς, & ἀπαρχὰς τῆς κόμης. Neque id à viris solùm, sed & à fœminis factum: Unde, in funere Clytemnestræ, Electra ad Helenam cincinnis suis parcentem, Ἔδει, inquit, τὰς κατ' ἀλήθειαν θρηνούσας πάντα τὸν πλόκαμον τέμνειν, *Oportebat verè lugentes totum radere capillum.* Macedones quoque *tonsi lugebant*, Arrian. *de Reb. Alex. l. 7.* Unde Alexandrum defunctum Sisygambis, Darii mater, hôc ritu prosequuta est, apud Curtium, *l. 10. c. 5.* Ut Patroclum Achilles, apud Homer. *Il. ψ.* Polydorum & Pallantem sui, apud Virgilium, *Æn. l. 3. v. 65.* & *l. 11.* Imo, in funere Hephæstionis, cùm dolorem ferre non posset Alexander, equos quoque & mulos omnes *tonderi* urbiumque circumjacentium propugnacula dejici evertique jussit, teste Plut. *in eo.* &c. Stoici porrò totô capite atque etiam vertice deradebantur, hinc ἐν χρῷ κουρίαι. Cùm elegantiores Græci & palæstrici, in orbem tonderentur, hinc περιτρόχαλα κείρεσθαι dicti. Quomodo & pueri delicati soliti circumtonderi, Sueton. *Aug. c. 45.* & meretrices, *Hesych. Coronam* Latini vocabant hujusmodi capillaturam seu extremum hunc crinium ambitum circumtonsum, Græci στεφάνην καὶ περίδρομον. Circumtonsi enim, in orbem tantùm tonsi, verticem intonsum gerebant: cæterùm quâ parte tondebantur, juxta cutem rasi: quos hinc σκαφιοκούρους quoque *Eustathius* appellat. Idem namque σκάφιον & περιτρόχαλον, uti docet pluribus *Not. ad Tertullian. de Pallio, c. 4.* Salmasius &c. Vide quæ suprà dicta; ubi de *Capillis, Capite, Circumtonsis, Coma, Palæstricis Juvenib. Radendi ritu*, alibique passim, nec non quæ infrà addemus, voce *Tonsor*, item *Tonsura.*

TONDOXIMA, parva Insul. in ora Boreali Niphoniæ, *Briétio*; contra Devam provinc.

de TONGERN Lucas, vide *Lucas.*

TONGRI, Vide *Tungri.*

TONICE, *Ptol. Zazella* nunc, teste *Stuchiô*, urbs & emporium Æthiopiæ sub Ægypto ad sinum Barbaricum, inter Serapionis portum & promuntor. ad Boream & Raptam metropol. ad meridiem. Aliis est *Mombaza*, urbs regia & ampla in eadem regione.

TONINIUM, vulgò TONNEINS, oppid. provinc. Aginnensis, ad Garumnam, 5. leuc. infrà Aginnum in Circium, 8. à Vasate in Ortum, 1. leuc. infrà confluentes Oldis fluv. in Garumnam.

TONITRU, Peruvianis pro Deo. Ab *Josepho* enim *Acosta* proditum est, Iugas, dominos Peruviæ, post Viracocham supremum Numen, tum Solem colere, tum *Tonitruum* ac *Tonitru* quidem triplici nomine appellare, *Chuquilla. Catuilla & Intiillapa.* Ait quoque effingi hoc illis figurâ hominis, cùm funda aut clava: manu prætereà continere pluvias, grandinem, tonitru & alia hujusmodi: esseque *Guaca* sive cultum hunc omnibus Peruanis communem, variéque illi Deo sacrificari: imò in Cusco, Regia gentis, etiam ei, quemadmodum Soli, pueros immolari. Verùm hoc Numen secundarium duntaxat ac ministrum, ut cui Viracocha commiserit potestatem aëris, adeoque non ipsum *Tonitru*, quàm Tonantem, sive is Jupiter, h. e. sidus Joviale, vel aër, sive Genius aliquis, naturæ aëris præfectus, à Peruanis hôc nomine cultum, ex hac ipsa Acostæ descriptione colligit Vossius. Sanè & Sclavi, etsi Nymphas, aliaque colerent dæmonia, inprimis tamen venerati leguntur, non tonitru quidem, sed tonitrus auctorem ac fabricatorem, quem summo pro Numine, imò unico habebant. Vide Procopium, *Hist. Goth. l. 3.* & Dubravium, *Hist. Bohem. l. 1.* uti & hic vocibus *Taran*, it. *Tor.* Neque verò gentes solùm barbaræ, sed & Christiani quoque ingenti fulgure ac tonitru vehementer percelluntur sæpe, præsertim sexus imbecillis, & ex Veter. loquendi forma, non *religens* modò, sed & *religiosus.* Quò facit factum S. Hedvigis Poloniæ Ducis, & S. Elisabethæ, quæ Landgravio Thuringiæ nupserat, matertеræ: de qua legas, *Coruscationes &* Tonitrua *multùm formidabat, quòd his elementorum commotionibus extremi judicii diem & divinæ ultionis gladium ad memoriam revocaret, eaque commemorans tota contremisceret, & cum B. Job, quasi tumentes supra se fluctus, semper Dominum timeret*, in *Vita* ejus ab Engelberto Cisterciens. Monacho exarata; qui ibidem addit, quomodo illa Sacerdotem advocaret, & sub manuum ejus umbraculo genu flexô in precibus ad Deum, durante persisteret tempestate, apud Joh. Gerh. Vossium, *de Idol. l. 3. c. 8.* ubi plura hanc in rem. De Veterum more *tonante cœlô* pro se mutuò precandi, diximus suprà; ubi & de impietate ac vecordia quorundam Principum machinis quibusdam ταῖς βρονταῖς ἀντιβροντώντων. Sed & apud Veteres *quarundam domorum talem fuisse situm, ut adaperientibus fores* tonitruum *intus terribile existeret*, refert Plinius, *l. 36. c. 13. de Labyrinthis*: ut de machina Scenica Βροντεῖον dicta, in qua utres calculorum pleni cum æneis vasis, unde fulgura exibant, & *tonitrua* exaudiebantur, ut *in Ajace Oileo*, nil dicam. Vide de illa Scaligerum, *Poetic. l. 1. c. 21.* Non tamen omittendum *Tonitru Mechanicum*, in *Musæo* Kircheriano, ex quo instru-

instrumento Magnatibus advenis audiendum id cum horrore exhibetur. Pila est vitrea, ad instar pisi, quoad magnitudinem, quæ ad medietatem certô liquore repleta, carbonibusque accensis imposita, osculô hermeticè clausô, fracturâ tantum fragorem edit, ut præsentes vehementiâ sonitus planè attonitos reddat, fulgur præterea efficiat, non secus ac explosa bombarda solet. Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jesu Musæo*, *p*. 46. Vide quoque suprà *Crystallinæ Sphæræ*, item ubi de *Lucernis*; at plura hanc in rem in voce *Brontaus*, item ubi de *Fulgetris*, quæ Veteres nonnunquam cum tonitribus confundunt, cùm sæpe coruscatio cum tonitru jungatur; nec non ubi de *Margaritis*, ac *Tuberibus*, quorum genituræ tonitrua crebra cum imbribus proficere, Naturalium rerum Indagatores adnotant. De *tonitru* ab Apelle picto, adi Plinium, *l*. 35. *c*. 10. de malo ejus augurio, apud Romanos Liv. *l*. 23. *c*. 31. uti de Flaminica feriante, quoties *tonitru* audisset, voce *Feriæ* suprà, it. *Privatæ feriæ*: de Veneficarum graminibus potentissimis *tonitru* nutritis infrà, ubi de *Veneficio*.

TONITRU, nomen unius filiorum Clearchi, Heracleensium tyranni, apud Plut. *de Fortuna Alexandri*, *l*. 2. *c*. 13. *Ceraunon* vocat Justin. *l*. 16. *c*. 5. Locus Plutarchi sic habet: Clearchus *Heracleæ tyrannus gestavit fulmen unumque filiorum* Tonitru *appellavit*. Fulmen, scil. ut ipse Jovem referret, cujus personam ridiculè sumebat. Atque ita locum interpretatur Budæus, cùm in Græcis vulgò impressis pro σκηπτὸν, *fulmen*, mendosè legatur exponaturque σκῆπτρον, *sceptrum*.

TONNA, nomen Dynastiæ, in Thuringia, quam Gleichenses Comites nostrô adhuc seculô tenuêre, à.. postremi, ut volunt *Tonnensium Dominorum* filia, Sigismundo Gleichensi dotis locô allatam, A. C. 1408. aliis antiquiorem illis possessionem hanc facientibus. Istud certum, Tulstettum cum Ushovia (jam Nobilium Goldackerorum) à Landgraviis Thuringiæ, Gleichensibus Tonnæ jam potitis, adjectam esse, extinctô, istô circiter tempore, Hermannô Barone Salzensi ultimô, cujus Majores arcem Tulstetti condiderant. Ultimus autem Gleichensium Jo. Ludovicus, qui sterile cum Erdmuthi Juliana Hohenstenia matrimonium expertus est, annuente Jo. Casimirô Saxoniæ Duce, ita domui suæ disposuit, ut post obitum Hohenloicis atque Schwartzburgicis Gleichensis Comitatus, *Tonna* Christiano Pincernæ Tautenburgio, & hujus quoque Familiâ deficiente, Christiano atque Wolrado Waldecciis, eorumque posteris Comitibus, obveniret. A' quibus posterioribus (Jo. Ludovicô A. C. 1631. & Christianô A. 1640. mortuis) habitam emptionis jure non ita pridem patrimonio titulisque Fridericus Dux Saxon. Lineæ Gothanæ, Ernesti Patris successor, adjecit, sibi soli posterisque comparatam; cùm Gotham, Altenburgum, Coburgum & Hennebergias ditiones, suô Fratrumque nomine, supremô Patris jussu, regundas susceperit. Tob. Pfannerus, *de præcip. Germ Principum Gentibus*, *c*. 1. Vide quoque suprà, ubi de Familia *Gleichensi*.

TONNINGA, vulgò TONNINGEN, urbs Ducatus Slesvicensis, ad Eyderam fluv. in tractu Eydera, in limite Ditmarsiæ, vix 2. milliar. Germanic. infra Fridericostadium in Occasum, uti 6. à Slesvico. 3. ob ora maris Germanici. Hujus arx munitissima, Daniæ Regis jussu, disjecta & diruta est, A. C. 1675.

TONSA, apud Papin. Statium, *Theb*. *l*. 5. *v*. 340.

Ast ubi suspensis siluerunt æquora tonsis,

alibique: remus est. Servius ad Virgilianum hoc *Æn*. *l*. 7. *v*. 28.

——— *in lento luctantur marmore tonsæ*:

Remi, inquit. *dicti à decutiendis fluctibus*, *sicut tonsores*, *à decutiendis & tondendis capillis*. Melius Festus, *à detonsis ramis*. Nam primos homines verisimile est integris arbusculis rem gessisse. Potiùs tamen à *tundendo* deducit Barthius, ut *tunsæ* primùm scriptæ fuerint. Cyrillus *Glossar*. Κώπη. *Remus*, *Tonsa*. Philoxenus, Κῶπαι, *Tonsæ*. Ita & Farnabius *ad Sen*. *Agamennone*, *Actu* 3. Delrio propriè palmulæ sic dictæ, imæ remorum partes, quibus aqua tunditur; quem remigantium nisum expressit Ennius

Ponè petunt, exin referunt ad pectora tonsas.

&c. de *Tonsa Corona* hîc infrà.

TONSILIS Corona, plectili vel nexili contradistinguitur; Quas enim ex integris frondibus atque adeo intonsis Veteres nectebant, *plectiles* vel *nexiles* dicebantur: Unde apud Plautum, *Bacchid*. *Act*. 1. *Sc*. 1. *v*. 37. *Corona plectilis*, & A. Gellium, *l*. 18. *c*. 2. *coronam è lauro plexam*, id est, ex integra fronde lauri plexam. *Tonsiles* verò & *Tonsæ* appellabantur, quæ ex foliis detonsis texerentur: ut observat Salmas. *ad Solin*. ex Servio *ad Virgilii* *l*. 3. *v*. 21. *Georg*.

Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ:

Quem rectè de *Tonsili corona* Servius interpretatur, *Tonsæ*, inquiens, *olivæ minutis foliis compositæ*. *Habiturum se autem Coronam tonsilem dixit*. Vide Car. Paschal. *de Coronis Antiqq*. Meminit quoque *Tonsilium sertorum* Martialis, *l*. 6. *Epigr*. 80. *v*. 7.

Sic quacunque vagus, gressumque oculosque ferebat,
Tonsilibus *sertis omne rubebat iter.*

In quæ verba Salmasius præfatus: *Coronas*, inquit, *interdum ex integris frondibus nectebant Veteres*, *ut ex lauro*, *oliva & aliis*; *Interdum ex mero folio funiculis eas suebant*. *Hæ* Tonsiles *vocatæ vel* Tonsæ, *ideò*, *quòd ex foliis detonsis texta essent*; *vel quòd folia in his parùm eminerent*, *tanquam si tonsa essent*, *Hinc consiles tapetas*, *brevibus ac tonsis villis*. Vide quoque suprà ubi de *Tomento*.

TONSIO Ovium, antiqua admodum, vulsione tamen posterior. Priùs enim vulsam, quàm *tonsam* esse lanam, discimus ex Varrone de *L*. *L*. *l*. 4. *de R*. *R*. *l*. 2. *c*. 11. & ipso *velleris* nomine inde lanæ tributo. Imò necdum Varronis ævô in desuetudinem abiisse penitùs, patet ex *seqq*. ut & Plinio, *l*. 8. *c*. 46. Unde sunt, qui Hebræum גזז *gazaz*, quod occurrit Genes. *c*. 31. *v*. 19. ubi de Labane, & *c*. 38. *v*. 12. ubi de Juda, oves suas tondentibus, non *tondere ferro*; uti Veteres reddunt, sed *manu vellere* & *extrahere* interpretantur. Verùm utut vellendi mos Romæ & in vicinis locis, non tamen in Judæa, Græciaque, olim in usu fuit. Certè apud Hesiodum, qui de re pecuaria scripsit primus omnium, οἶας πείκειν occurrit, quod non *oves vellere*, sed *tondere* significat, ut in Theocriti *Bucoliastis*,

——— ὁππόκα πέξω
Τὰν οἶν τὰν πέλλαν ———

ubi πείκειν idem esse, quod κείρειν *tondere*, docet Salmas. Et Hebræum *gazaz* idem notare, pluribus docet Bochartus. Sic inter alia, vaticinium Esajæ, de Christo, Actorum *c*. 8. *v*. 32. Græcè redditur, ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν, *coram tondente se*. Nec obstat, quod νακοτιλτῶν vel νακοτίλτες apud Cratippum, Craterum & Philemonem propriè *vellerum vulsorem* sonat, Veteres enim *tonsorem* explicant. *Hesych*. Νακοτίλται, οἱ κείροντες τὰ πρόβατα. *Suidas*, Νακοτίλται, οἱ τῶν προβάτων κουρεῖς, &c. quia in vocum expositione non tam etymon, quàm usus, respicitur. Quia verò viris illis veteris ævi πολυμήλοις *tonsio* erat altera messis, solebant tonsionis dies solennes esse & convivales. Proinde Judas, absolutâ luctus tempore, propter uxoris obitum, ut animum recrearet, ivit ad tonsores suos *d*. *l*. Et Davidis servi, ad Nabalem, tonsionis tempore missi, dicunt se *die bonô* (i. e. hilari & festô,) venisse, 1. Sam. *c*. 25. *v*. 8. &c, Vide Bochart. *Hieroz*. *Parte prior*. *l*. 2. *c*. 45. & suprà, ubi de *Lana*.

TONSOR, inter familiares fuit. Ovid. *l*. 11. *Metam*. *v*. 182.

Sed solitus longos ferrô resecare capillos
Viderat hoc famulus.

Quô proin ministeriô domesticô functus est Pantagathus ille, cujus Epitaphium cecinit Martialis, *l*. 6. Et quidem apud Romanos diu *Tonsorum* non modò officium, sed & nomen ignotum fuit. Antiquioribus enim temporibus intonsi degebant, ut dictum. Græci quoque quamvis necessitate, vel votô, vel luctu urgente, capillos ponerent, barbam tamen retinebant, primusque Alexander M. *Persicô luxu fractus*, *enervatusque asperitatem patriam & frugalitatem exuens*, *barbam radere instituit*, Athen. *Dipnos*. *l*. 13. *c*. 6. quod Imperatores Romani posteà imitati sunt, uti videbimus. Et quamvis Assyrii contrà, in luctu barbam tonderent, capitis crinibus demissis, Strab. *l*. 16. tamen & præter præfatos Græcos, alii *barbam* etiam in luctu servabant, Sueton. *Aug*. *c*. 23. *Calig*. *c*. 5. Plut. *in Problem*. *Rom*. *c*. 13. Seneca, *de Benefic*. *l*. 5. *c*. 6. Liv. *Dec*. 3. *l*. 7. Alii: quò proin habitu fugisse à Cannis & in Urbem rediisse, Varro legitur, apud Jul. Frontinum, *Strategem*. *l*. 4. *c*. 5. Itaque illô rudi ævô concinnabant Cinifiones, & ferrô calidô contorquebant crines, qui solus decor tum habebatur. Vide Æl. Donatum *in Eunuch*. *Actu* 5. *Sc*. 2. Joh. Meursium, *Exercit*. *Crit*. *part*. 1. *c*. 2. Jan. Guilielmum, *Verisimil*. *l*. 3. *c*. 16. Isidorum, *l*. 9. *c*. 31. ubi, *Antiæ*, ait, *sunt cincinni dependentes prope auriculas*: Item in Gloss. *Antiæ*, *capilli demissi*. Quod obtinuit usque ad annum ab Urb. Cond. 454. quô primùm è Sicilia *Tonsores* in urbem admissi sunt, teste Varrone, *de R*. *R*. *l*. 2. *c*. *ult*. cujus verba in suum Opus transtulit Plin. *Hist*. *Nat*. *l*. 7. *c*. 59. iterumque usurpat, utrôque posterior A. Gellius, *l*. 3. *c*. 4. Ita autem Varro, *Omnino* Tonsores *in Italiam ex Sicilia primùm venisse dicuntur*, *post Romam conditam*, *annô* 454. *ut scriptum in publico Ardeæ in literis extat*; *eosque adduxisse P*. *Ticinium Menam*. Ponebant autem barbam, ut plurimum sub annum ætatis 21. Hinc Macrobius, *in Somn*. *Scipionis*, *l*. 1. *c*. 6. *ter septenarium numerum ad barbam requiri*, affirmat: Cæsar tamen Octavianus vigesimô quintô, apud *Dionem*: Caligula vigesimô, apud Sueton. *c*. 10. barbam posuêre. Dies autem is solemnis habebatur, primitiæque barbæ, alicui è Penatibus Deo, solebant consecrari. Hinc Nero Juvenalia instituit, quòd barbæ suæ rasæ τρίχας ἐς σφαῖραν χρυσῆν ἐμβαλὼν ἀνέθηκε τῷ Διὶ Καπιτωλίῳ, *Pilos in sphæram auream conjectos Jovi Capitolino consecravit*, Dio. *l*. 61. *sub fin*. Eundem Sueton. *c*. 12. *inter buthysiæ apparatum barbam primum posuisse*, *conditam in auream pyxidem & pretiosissimis margaritis adornatam*, *consecrâsse Capitolio*, refert. Itaque viri erant imberbes, sicut ex numismatibus aliisque monumentis liquet. Primus Hadrianus hunc morem mutavit uti ex *Xiphilino*, Spartiano, in *ejus vita* & Nummis, discimus: A' quo omnes ferè reliqui Imperatores barbati fuêre. Quam ob causam Julianus Antiochensibus ludibrio erat, sicut ejus testatur Μισοπώγων. *Juvenes* verò *barbatulos* fuisse, dicit Cicero: Proin miratus Gellius, *l*. *c*. barbam Scipioni jam quadragenario rasam fuisse. Cæteri, qui barbam ponebant, vel radebant per *Tonsores*, vel psilothrô aliôque medicamentô exstirpabant pilos. Instrumentum *Tonsorum* notat Lucianus *c*. *Indoct*. ξυροὶ καὶ μαχαιρίδες καὶ κάτοπτρον. Vide & suprà *Sindon*. Habuit verò & Palatium *Tonsores* suos. Ammian. *l*. 22. Evenerat iisdem diebus, ut ad demendum Imperatoris *capillum* Tonsor, *venire præceptus*, *introiret quidam ambitiosè vestitus*; *quô visô Julianus obstupuit*. *Ego*, *inquit*, *non Rationalem jussi*, *sed Tonsorem acciri*. Imò nec mulieribus obsepta fuit hæc ad quæstum & dominicam

cam gratiam via. Hinc vetus elogium, *Sextia. L. Tertiæ. Tonstrici*. Et in hoc munere apud Cleopatram Ægypti Reginam, gratiâ insignis fuit mulier ancilla Eras, teste Plutarchô, *in M. Antonio*, vide suprà *Charmiane*: nec aliud sibi voluit Cicero, *Tusculan. l.* 5. Dionysii Senioris miseram custodiam perstringens, qui, ne *Tonsori* collum committeret, tondere filias suas docuit. Subdit enim, *Ita sordidô ancillarique artificiô regiæ Virgines, ut Tonstriculæ, tonderent barbam & capillum patris*. Sed & in civium familia *Tonstrices* fuisse, quæ resecarent crines & ungues, docet Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 15. *Egressô cubiculum Brutô cultellum Tonsorium, quasi unguium resecandorum causâ, poposcit; eôque velut fortè elapsô se vulneravit: clamore deinde ancillarum in cubiculum revocatus Brutus, objurgare eam cœpit, quod Tonsoris præripuisset officium*. Hinc Plautus, *Trucul. Actu* 4. *sc.* 4. *v.* 3.

Nam mihi dividia est, Tonstricem *meam sic mulctatam malè*.

Tonstricis, faucibus Suburræ quæ sedebat primis, meminit Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 17. *v.* 1. ubi tamen *Tonsoris* uxorem potiùs intelligere videtur. *Tondebantur* autem Romani, cùm è balneo egressi &c. *Tonstrinæ* negotium hisce describit Seneca, *de Brevit. vitæ*, *c.* 12. *Quid? illos otiosos vocas, quibus apud Tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, si quid proximâ nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur; dum aut disjecta coma restituitur, aut deficiens, hinc atque illinc in frontem compellitur*. Pergit: *Quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt*. Infrà, *Hos tu otiosos vocas, inter pectinem speculumque occupatos*. Vide Pignorium, *Com. de Serv.* Popmam, *de operis serv.* Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 10. *c.* 29. &c. Addam saltem, *Tonsorem* quendam, nomine *Maru Ragu*, interfectô Rege præcipuô Insulæ *Zeilon*, cœterisque ejus Regulis pulsis, totius Insulæ Monarcham sese constituisse, sede Regiâ in urbe Candi positâ, circa A. C. 1580. Vide infrà, ubi de hac Insula. Sed & Pori, incyti illius Indorum Regis, patrem ex *Tonsore* Regem habes, apud Curtium, *l.* 9. *c.* 2. Nec eam rem raram videri vult Æn. Sylvius, *Histor. de Europa*, *c.* 6. *extremo*. Officina Tonsorum, *tonstrina* est, quam propter considentium ibi loquacitatem ἄοινον συμπόσιον, i. e. *siccum convivium* Theophrastus appellare solitus est, teste Plutarchô, *Convival. Quæst. l.* 5. *c.* 5. In tonstrinis enim omnis generis rumores jam olim narrari consuevisse, indicat Aristophanes, *Plutô*.

> Καί τοι λόγος γ' ἦν, νὴ τὸν Ἡρακλέα, πολὺς
> Ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων,
> Ὡς ἐξαπίνης ἀνὴρ γεγένηται πλούσιος.

Et Juvenal. *Sat.* 12. *v.* 81.

> ——— *gaudent ubi vertice rasô*
> *Garrula securi narrare pericula nautæ* &c.

TONSURA Petri, in *Vita* 3. S. Euthberti *l.* 2. *c.* 2. apud Car. du Fresne, id tonsuræ genus est; quod aliàs *Coronam Clericalem* in Eccles. Rom. vocant; cujus origo quò referenda, non adeò liquet. Bellarminus enim inter Veteres, Sacerdotes & Monachos radi non consuevisse, ut hodie fieri solet, indigitat, *de Monachô. l.* 2. *c.* 40. citans ad eam rem Optatum contra Donatistas: *Docete, ubi vobis mandatum sit radere capita Sacerdotibus, cùm è contrario tot sint exempla proposita fieri non debere, contra Parm. l.* 2. Vide quoque Hieronym. *in Ezech. c.* 44. In V. T. quoque Sacerdotibus radi non licebat: contrà *caput ac barbam rasam* habuisse, qui apud Babylonios sacris operabantur, discimus ex Baruch. *c.* 6. *v.* 30. Ipsi Nazaræi, *tum solùm tondebantur, quando desinebant esse Nazaræi, insigneque eorum erat longa cæsaries*, Bellarminus iterum, ubi suprà, *c.* 40. Hinc *Tonsuræ Ecclesiasticorum* originem prorsus fuisse moralem, utpote qui majorem, quàm alii, modestiam, præ se ferre debeant, accessisse dein coronæ formam, aliaque ostendit A. Rivetus, *Summ. Controv. Tract.* 2. *Quæst.* 26. Et quidem, cùm hodie *tonsura in signum honoris & dignitatis evaserit, factum, ut Episcopi ac Cardinales præ cæteris ampliorem tonsuram deferant & Pontifex habeat totum caput rasum, præter brevem capillorum circulum, ad formulam Benedictinorum Monachorum*, verba sunt Dominici Macri. Aliter olim tondebantur in Scotia Monachi: quippe ab aure ad aurem per frontem in coronæ modum incisus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium capillus intonsus dependebat, auctore in *Hibernia subulcô Regis Loigeri filii Nell*, ut est in *libro Canonum* Cottoniano, quem *ad Synodum S. Patricii* Waræus laudat. Cujusmodi tonsuræ occasione, multas in Anglia exortas turbas, testatur Beda, *Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 3. 4. & *l.* 5. *c.* 16. Monachi S. Pauli in Oriente, Maronitæ itidem aliique ad instar Monachorum Occidentis caput radunt, relinquentes quoque capillorum in vertice circulum, sed subtiliorem Occidentalibus. Sed & in eodem Oriente Sacerdotes Christianos in modum crucis sua capita radere fuisse solitos, docet Osorius, *Rerum Em. l.* 3. quod etiam in India Orientali ab Episcopo Cranganoriæ observari, scribit Auctor *Novi Orbis*, *c.* 133. At in *Foris* Oscæ A. C. 1347. sub Jacobo I. Aragoniæ Rege *Testes convicii ad modum crucis capite tonsurentur, & cum batallo campanæ candenti ad modum crucis in frontibus figurentur, & ita turpissimè de illa villa --- expellantur*, legimus apud Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque supra voce *Ordinatio*. Ut quædam strictim attingam, de *Tonsuræ* Veteris generibus variis, Tiberius apud Dionem, Ὅτι κείρεσθαί μου τὰ προβάτια, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι, *Tonderi oviculas meas non strictim, sed per pectinem volo*; ad duplex tonsuræ genus alludit, unum *strictim*, alterum per *pectinem*, quorum illud novaculâ, hoc forfice fieri solebat. Vide quoque Plautum, *Captivis*; *Actu* 2. *Sc.* 2. *v.* 18. Alia tonsuræ genera recenset Interpres, Aristophanis *in Aves*, σκάφιον καὶ κῆπον, vide suprà, ubi de *Tondendi Ritu*, item in voce *Theseis*. Simon Magus & sectatores ejus sulcum seu lineam, per capitis verticem inter ambarum aurium summitates ducebant, in symbolum Zodiaci, caput suum globum cœlestem denotare asserentes. De Christianis Georgianis *in l. de Successibus Terræ S. MS.* Roraldi Episcopi, qui floruit circa A. C. 1300. *Clericos eorum rotundas habere tonsuras, Laicos verò quadratas*, legimus apud Domin. Macrum *Hierol.* Dimidiô capite tonderi, pœna servorum latronum est, in *Capitulari I. ann.* 809. *cap.* 11. &c. De hodiernis gentibus vide hîc passim. Orationis *ad capillaturam*, quæ pueris olim recitabatur, cùm caput primùm tonderent: item alterius, *ad barbas tondendas*, quâ Juvenes defungebantur, cùm lanuginem primam deponerent, meminére ex *Sacramentario* Gregorii M. Macri fratres, ubi suprà. Vide quoque Cl. Suicerum, voce Τριχοκουρία, ubi & infantes septimô post Baptismum die à Sacerdote olim tonsos, non sine precatione, cujus formulam ibidem habes, docet.

TONZUS, Græcè Τόνζος, urbs Thraciæ mediterranea, *Ptol.* de qua vide Salmas. *ad Solin. p.* 214.

TOPARCHIA, apud Plinium, *l.* 5. *c.* 14. *Reliqua Judæa (cis Jordanem scil.) dividitur in* Toparchias *decem --- Hierichuntem palmetis consitam, fontibus irriguam Emmaum, Lyddam, Joppicam, Acerabatenam, Gophniticam*, Thamniticam, *Betholenem, Tephenen, Orinen, in qua fuêre Hierosolyma --- Herodium cum oppido illustri ejusdem nominis*: ex Græco Τοπαρχία, imperium est parvi circuitus & unius, ut de Abgaro Edessæ *Toparcha* videre est apud Procopium, *Persic. l.* 2. vel paucarum tantùm urbium. Sic Azoton, Jamniam & Phasaëlida, assignatas Salomæ sorori, Herodis M. testamentô, τοπαρχίας Josephus vocat. Qui idem aliô nomine hujusmodi Regni portiones πενίδεκα, item κληρουχίας appellat, atque initiô quinque tantùm in Judæa fuisse scribit, *Hierosolymitanam, Gaddarensem, Amathuntinam*, Hierichuntanam & *Sampheriticam*, postmodum autem complures factas, *Jud. Ant. l.* 14. *c.* 1. & *Bell. Judaic. l.* 3. *c.* 4. *Conventus* & *Fora* dixêre Romani, uti docet Sigonjus, *de Antiq. Jur.* Harum unicuique qui præerat Τοπάρχης vocabatur, Latine quoque *Toparcha*. Spartian. *in Hadriano*, *c.* 13. *Toparchas & Reges ad amicitiam invitavit*. Ubi cùm *Tetrarchas* præferat Regius liber, non multum interesse, utrô legamus modô, censet Casaubon. *ad loc.* Vide suprà in hac voce.

TOPAZION, amplissima gemmarum, in harum apud Veteres ordine sextum, post margaritas scil. adamantes, smaragdos, opalos & carbunculos, in Pectorali Pontificis Hebræorum secundum in primo ordine locum, juxta Hebræos obtinuit, qui vocem Hebr. פטדה *pitdah* communiter de hac gemma interpretantur, & nomen *Simeonis* insculptum habuisse, contendunt. Vide quoque Epiphanium *de XII. Gemmis*. Et quidem τόπαζον, quasi τόπαδιον, inversis literis Hebræis, dictum putant nonnulli. *Glossa* Interlinearis *topazium*, quasi *topadion*, id est, omnium colorum, quæ etymologia unde sit desumpta, divinare facile non est. *Topazin* Troglodytarum linguâ, *quærendi* significationem habere scribunt alii, ideoque sic vocitatam gemmam, quòd à Juba Mauritaniæ Rege in maris Rubri Insula quadam Arabiæ Felicis vicina inventa fuerit, A. Rivetus, *Comment. in Exod. c.* 28. *v.* 17. ubi & *Chrysolampium* & *Chrysopterum* pro eadem quibusdam sumi, addit. An potiùs à loco sic appellata, Insul. Arabiæ videl. *Topazo*, quæ & Πάζιον dicebatur, unde ipsam hanc gemmam Πάζιον nominat *Hesychius*, & Auctor Sacri Cantici *Kethem Paz*, i. e. *lapidem Pazium*, utpote in regione *Paz*, vel *Opaz* (quam Græci & Alexandrini Mercatores Hellenistæ, locorum vocabula ad suæ linguæ modulum inflectentes videntur Τοπάζιον dixisse, quasi ἀπὸ τοῦ τοπάζειν, i. e. *quærere*) repertum primitus, à prædonibus Troglodytis, cùm fame & tempestate pressi, herbas radicesque effoderent, qua de re vide suprà in voce *Paz*. Inter gemmas XII. Novæ Hierosolymæ, iterum occurrit, sed ibi nonus ei locus tribuitur, Apocalyps. *c.* 21. *v.* 20. ubi Commentatores vide. Cœterùm amplissimam gemmarum esse, docet topazion, quæ eruta in Insula modò dicta primùm oblata est Berenicæ matri Ptolemæi II. unde factam statuam Arsinoæ Philadelphi uxori cubitorum quatuor, tradit Plin. *l.* 34. *c.* 14. *l.* 36. *c.* 9. *l.* 37. *c.* 8. Quare mirum non est, χρυσόπτερον appellatum alterum ex duobus ejus generibus, (unde *Chrysopteron* factum per metathesin) cautes enim revera & petra potiùs, quàm gemma, quam apud Alabastrum Thebaidis etiam nasci, ex recentiorum Auctorum traditione narrat idem. Dictum autem hoc genus χρυσόπτερον porrò, ab *aureo* colore cum viridi mixto, id est, pallidè virenti. Strabo χρυσοειδὲς ἀπολάμπειν φέγγος scribit, *l.* 17. *ex viridi*, h. e. *hyalino colore & aureo refulgere*. Chrysopraso hunc similem facit Plinius. Alterum verò πρασοειδὲς appellatum, à *porri* colore. Plinius iterum, *topazion suô virentem genere* dicit, h. e. ἰδιοτρόπως χλοάζουσαν: Alex. Polyhistor colorem olei recentis habere, apud *Stephanum*. Est nempe recens oleum ita viride, ut tamen ex aureo colore aliquid trahat &c. Quæ cùm ita sint, mirum est, quòd Epiphanius lapidem è virentium genere rubrum faciat, & quidem ἐρυθρὸν ὑπὲρ τὸ ἄνθρακα, *supra carbunculos rubentem d. l.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 239. & 240. Addit Plinius, *Eadem sola nobilium limam sentit; cœteræ Naxiis cotibus poliuntur. Hæc & usu atteritur. Comitatur eam similitudine propior, quàm auctoritate, callais, è viridi pallens*, *l.* 17. *c.* 8. ubi de *generibus Topazii*. Vide quoque Orpheum, plures versus laudibus hujus gemmæ impendentem. Usum quod attinet, præter antè dicta, *topazus*, ut & aliis virentibus gemmis, aurea olim pocula exornabantur. Idem lapis signando adhibitus. *Epist.* Mag. Berardi de Neapoli *MS.* ad Regem Navarr. *per literas* topazio *suæ Serenitatis impressas*; ubi tamen pro *typario* vocem positam, vult C. du Fresne &c. Auctores de hac gemma aliisque prolixiùs tractantes, laudavimus suprà, voce *Gemma*. Hodie tertiò inter gemmas locô est, & quidem *Topaziorum* tria genera faciunt, *Orientale*, mirè pellucidum aureique coloris, *Indicum*, ei proximè accedens, & *Germanicum*, utrôque deterius ac crystallo propius, nisi quòd

ſubfuſci aliquid oſtendat, de quibus omnibus vide *Mercurium Indic. Part.* 2.

TOPAZUS, inſul. in mari Rubro Plin. *l. 6. c.* 29. in qua reperitur lapis *Topazius* mire pellucidus, ſplendoreque aureô refulgens, ut interdiu non videri poſſit. Gentile *Topazius. Steph.*

TOPHICII Lapides, apud Capitolin. *Maximinis, c. 6. Jam illa prope in vulgi ore ſunt poſita, quod —— lapides tophicios friaret:* à *topho* nomen habent: Eſt autem *tophus*, lapis ſpongioſus & friabilis, minimum in ſtructuris ponderis habens, de quo Vitruv. *l.* 2. *c.* 6. & 7. Ex illo porticum miræ magnitudinis memorat Anaſtaſius *in Hadriano* I. ſarcophagum, Auctor *Geſtorum* Guilielmi Maj. Epiſcopi Andegavenſis, *c.* 5. agrorum terminos, *Rei Menſoriæ* Scriptores &c. Græcis πῶρ☉. Vide Car. du Freſne in voce *Tufus.*

TOPIARIUM Opus, cum arbuſcularum virgulæ ductiles facili flexu in varias formas hominum, turrium, ædium, cubicolorum, modo humi, modo per hortorum & viridariorum ſpatia, finguntur, pulchrè deſcribitur Jul. Firmico, *Mathes. l.* 8. *c.* 10. Vide quoque Plinium Junior. *l.* 3. *Ep.* 19. *ad Calviſ.* A' *topiis* dictum, quomodo Græci funiculos appellant, quod in hujuſmodi opere frutices, & arbuſculæ tonſiles, ut torqueri ac flecti queant in animalium aliarumque rerum ſimilitudines, topiis ſive funiculis ſoleant religari. Unde & *topia* appellata hæc opera. Spartian. *in Hadriano, c.* 10. *triclinii de caſtris & porticus & cryptas &* topia *diruit.* Et *per topium pingere* ſeu *varietatibus topiorum ornare* dicuntur Vitruvio, *l.* 7. *c.* 5. qui *topiariam faciunt*, artifices videl. *Topiarii*, quorum inter ſervos mentio eſt *l.* 60. *§. ult. de legat. l.* 3. *l.* 12. *§. id reſpondit, & l.* 16. *in fin. ff. de inſtr. vel inſtrum.* Pertinent itaque huc arbores maximè ſequaces ac flexibiles, & tonderi aptæ, ut ſunt *myrtus, buxum, acanthus, hedera, laurus, chamædaphne, adianthus*, & ſimilia. Hinc ψαλιςοὶ μυῤῥινῶνες apud Hieroclem, *tonſilia myrteta.* Apud Martialem *tonſile buxetum*, *l.* 3. *Epigr.* 58. *v.* 3. & Firmicum, *d. l. qui buxeas arbores tondens in belluas fingat.* De acantho reliquiſque vide ſuô locô. Peculiariter verò *topiariæ herbæ* nomine venit *vinca pervinca, ſemper virens, in modum lineæ foliis geniculatim circundata*, apud Plinium *l.* 21. *c.* 11. Porrò qui talia fingebant, pingebantque, ac belluas, arbores, homines, antra, portus & alia id genus, variaque & minuta opere topiariô exprimebant, Ῥωπογράφοι Græcis vulgò dicebantur, de qua voce ſuprà actum. Vide plura hanc in rem apud Forcat. *in ſuo Cupid. Juriſperit. c.* 5. *n.* 8. Turnebum, *Adverſ. l.* 14. *c.* 11. & *l.* 16. *c.* 23. Corraſium, *Miſcellan. l.* 5. *c.* 21. Alexandr. ab Alex. *Genialium Dier. l.* 3. *c.* 25. Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad Spartianum loc. cit.* Alios. Addam ſaltem de cupreſſo locum Plinii Senior. *l.* 16. *c.* 33. *Trahiturque etiam in picturas opere hiſtoriali, venatus claſſeſve & imagines rerum, tenui foliô, brevique & virente ſuperveſtiens.* De buxo &c. Plinii Jun. *l.* 5. *Ep.* 6. *Alibi ipſa buxus intervenit, in formas mille deſcripta, literis interdum, quæ modò nomen Domini dicunt, modò Artificis. Et poſt has Acanthus, hinc inde lubricus & flexuoſus, deinde plures figuræ pleraque nomina.* Inde olim Neapoli legebatur, *Lucrio. Aug. Topiario. ex. hortis.* &c. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, & ſuprà aliquid voce *Rhopographi*, infrà it. in *Tvichila.*

TOPIRIS, ſeu TOPRUS, Ptol. *Topirium* Anton. *Doperus* Thucyd. *Toprus* ſeu *Toparum* Procop. *Ruſio* nunc, teſte *Jo. Lydô*, urbs Thraciæ à Philippis 38. mill. paſſ. in ortum, ab Hadrianopoli 132. Hodie *Puſio*, Sophiano. In limite Macedoniæ, vix 10. mill. paſſ. ab ora maris Ægæi in Boream, Philippopolim verſus 55. & 30. à Maximianopoli in Occaſum, ferè autem 70. ab Hadrianopoli. *Baudrand.*

TOPOGRAPHIA, vide ſuprà *Geographia.*

TOR ſeu THOR, Germanorum olim Deus, idem cum Romanorum Jove. Tonitrui enim ac fulmini præſediſſe, docet Ericus Olaus, *Hiſt. Suec. l.* 1. *c.* 1. ubi ſingulis hebdomadibus quintâ feriâ, hinc *Thorsdag* dictâ, à Suecis ei ſacra facta, refert. Ex *Taran* per aphæreſin vox orta videtur. Vide ſupra in hac voce.

TORALIA, apud Lamprid. *Heliogabalô, c.* 19. *Primus omnium privatorum toros aureis* toralibus *texit;* à *toris* appellationem trahunt. Et quidem cùm in apparatu tororum lectorumque ὑποβλήματα eſſent, & ἐπιβλήματα, ac περιβλήματα, *torale* τῶν περιβλημάτων eſt, recteque in *Gloſſario* vertitur περίκλινον. Malè enim accipiunt etiam doctiſſimi Viri verſum Horatii, *l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 83.

Ten' Tyrias dare circum illota toralia *veſtes.*

Utraque autem, tum ſtragula, quibus tori ſternebantur, tum *toralia*, quæ circumjiciebantur, pretioſiſſima in uſu fuêre Veteribus: at non aurea tamen, ſaltem privatis, uſque ad Heliogabalum, qui, antequam Imperator eſſet, jam ſibi id uſurpavit. Sic ſtromata & periſtromata privatorum non aurea, ſed aurô clavata, vel conchyliata, vel Babylonica, aut ſimili artificiô ornata fuêre. Caſaubon. *ad locum Lampridii.* Vide quoque Jac. Cujacium, *Obſervat. l.* 10. *c.* 18. & ſuprà, ubi de *Lectis Veterum* voce *Siſura*, nec non infra voce *Torus.*

TORANIUS, mango quidem, de quo Plin. *l.* 7. *c.* 12. Ejus quoque meminit Macrob. *Saturnal. l.* 2. *c.* 4. *Delectatus inter cœnam erat ſymphoniacis* Toranii *Flacci mangonis, atque eos frumentô donaverat.* Sed & D. Auguſti tutor C. *Toranius* erat &c. Vide de hoc nomine Salmaſ. *ad Solin. c.* 1.

TORANTOLIENSIS Comitatus vulgo *Comté de Thurthur*, provinc. Hungariæ, inter Tranſylvaniam ad Ortum, Tibiſcum fluv. & Zolnocenſem Comitatum ad Occaſum, Zabolcienſem ad Boream, & Orodienſem ad Meridiem, ſub Turcis.

TORCELLUM, vulgo TORCELLO, urbs Epiſcopalis Ducatus Veneti, in Inſul. littorea, ſub Patriarcha Veneto. Parva admodum, & colonis infrequens, ob aëris gravitatem, intra Gallicas paludes, 5. milliar. à Venetiis in Boream veteri Altino finitima, unde A. C. 635. ſedes Epiſcopalis Torcellum tranſlata eſt.

TORCULAR, machina eſt uvis premendis apta, in qua trabes, quibus uva calcata premitur, *prela* appellantur: à *torqueo* Becmannus in *Origin. L. L.* Græcè Ληνὸς, unde Bacchus Ληναῖ☉, *Lenæus.* Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 7.

Huc pater ô Lenæe veni, nudataque muſtô
Tinge novô mecum direptis crura cothurnis.

Et quidem de *Torcularibus Rom.* Plin. *l.* 18. *c.* 31. *Preſſura una* (ſic vocat quantum uvarum in ſuperpoſita cavea pedibus preſſatum lacus vinarius accipit) *culeos XX. implere debet —— Ad totidem culeos & lacus XX. jugeribus unum ſufficit torculum. Premunt aliqui ſingulis, utilius binis, licèt magna ſit vaſtitas ſingulis. Longitudo in his refert, non craſſitudo. Spatioſa meliùs premunt: antiqui funibus vittiſque loreis ea detrahebant & vectibus. Intra centum annos inventa Græcanica, mali rugis per cochleas pullantibus, palis affixa arbori ſtella, à palis arcas lapidum attollente ſecum arbore: quod maximè probatur. Intra viginti duos hos annos inventum, parvis prælis & minori* torculari, *ædificiô breviore & malô in medio erectô, tympana impoſita vinaceis, ſupernè toto pondere urgere, & ſuper præla conſtruere congeriem*, Vide quoque Vitruvium, *l.* 6. *c.* 9. Catonem, *c.* 12. 13. 18. Columell. *l.* 1. *c.* 6. Varronem *l.* 1. *c.* 54. qui & in *Gerontodidaſcalo*, apud Nonium, *Pœnici torcularis* meminit,

Vineis ubi ampla cella, torculare Pœnicum.

Dalechamphium, *Not. ad Plin.* Alios. De Græcis, res notiſſima, apud quos non ſolùm Baccho *Ληναίω*, h. e. *torculari*, ſacra facta, vide ſuô locô; it. voce *Poſideon:* ſed etiam ἐπιλήνιον, cantio ſolennis erat, quam inter premendum uvas huic Idolo decantabant, uti videre eſt apud Athenæum, & Pollucem, *l.* 4. Apud Hebræos, *Torcularium* uſus indigitatur, in illuſtri illo de Chriſto vaticinio Eſaiæ *c.* 63. *v.* 2. & 3. *Quare rubicundus es veſtibus tuis, & veſtimenta tua, ut calcantis in torculari lacu? Torcular calcavi ſolus*, & quæ ſeqq. Sic Apocal. *c.* 14. *v.* 19. Καὶ ἐτρύγησε τὴν ἄμπελον τῆς γῆς, καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν ληνὸν τοῦ θυμοῦ τοῦ θεοῦ τὴν μεγάλην. Vide quoque *v. ſeq.* uti de Pſalmis על הגתית h. e. *pro torcularibus*, aliquid ſuprà ubi de *Tabernaculorum feſto.* Atque hactenus de Torculo *Vinario*: Præter id, *Olearium* fuit, de quo itidem latè Columella & Palladius, Vitruvius item, *l.* 10. *c.* 1. Et quidem *Cuſtos* torculare ſervabat, qui tamen non ſemper in numero ſervorum fuit, uti videre eſt apud Laur. Pignorium, *Comment. de Servis*, ubi de *Fructuaria Villa Veter.* pluribus diſſerit. Vide quoque infrà voce *Trapetum.*

TORETÆ, populi Pontici, *Steph.* vide *Oretæ.*

TOREUMA, apud Martialem, *l.* 4. *Epigr.* 39. *v.* 4.

Solus Phidiaci toreuma *cæli,*
Solus Mentoreos habes labores:

Latinis vox uſitata, de vaſculo argenteo cælato, propriè ſumitur. Eſt enim τορεύειν *cælare*: quod malè quidam confundunt cum τορνεύειν, *tornare* ſeu *tornô laborare*, ut pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1044. Sculpunt enim & cælô laborant οἱ τορευταί, tornô terunt οἱ τορνευταί. Et ἡ γλυφὴ in ligno præcipue operatur; Cælatura autem vel Τορευτικὴ in argento, aliiſque metallis. Hinc & Plin. *l.* 36. *c.* 26. in vitro elaborando hæc ſcitè diſtinxit, inquiens: *Aliud flatu figuratur, aliud tornô teritur, aliud argenti modô cælatur.* Cælata itaque propriè dicuntur vaſa aurea vel argentea, in quibus ſigna vel ſigilla extra eminentia cælô expreſſa ſunt. Vide Jac. Oiſelium, *Notis ad A. Gellium l.* 19. *c.* 9. ubi Anacreon poculum ſibi à Vulcano fieri petit, in quo vites uvis refertæ & Bacchus cum Amore & Bathyllo uvas calcans, cælata ſint, his verbis:

Τὸν ἄργυρον τορεύσας,
Ἥφαιςέ μοι ποίησον
Πανοπλίαν μὲν οὐχὶ κτλ:

Quod ſi igitur fictilia quoque vaſa τορεύματα appellari videmus apud Strabonem, *l.* 8. ubi de Corinthi direptione, intelligenda ea tantùm, quæ ſignis cælatis erant aſpera. Sic Plinius ſcribit, faſtigia templorum fictilia miris cælaturis fieri ſolita. Urcei etiam fictiles aliaque vaſa cum figuris extantibus & expreſſis fiebant, quæ τορεύματα quoque dicta ſunt. Idem dicendum de vitreis Alexandrinis, quæ ſimiliter cælatis imaginibus aſpera erant. At quæcunque lævia & pura, τορεύματα non ſunt, nec quidquam ſignificationi vocis hujus adeò contrarium, quàm quod ſine ulla inæqualitate, quam Τορευτικὴ præſtat. Leve nempe & purum, quod non cælatum eſt, ἀτόρευτον. Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 31.

—— *leve argentum venæque ſecundæ.*

Optimum verò ac præſtantiſſimum argentum ad *toreumata* eligebatur, unde *puſtulatum*, de primæ notæ argento dicebatur. Eſt autem argentum *puſtulatum* ſeu *in puſtula* Salmaſio, quod Græci, τορευτικὸν, Galli *en boſſe*, vocant. At in cryſtallinis ſecus erat, uti vidimus ſuprà, ubi de *Acentetis.* Impropriè proin Clemens Alexandrin. τορευτικὸν dixit de eo, qui gemmas in annulis ſcalpit, cùm talis propriè *Cavator & Scalptor*, non *Cælator* ſit. Non enim τὰ ἐκτυπώματα cavat in gemma Toreutes, ſed ἐκτυπώματα, materiam circum excidendo, excitat. Majori ἀκυρολογίᾳ mediæ Latinitatis Auctores *toreuma* uſurpârunt de quovis poculo vel ſcypho. Martialis, de vitreis, *l.* 14. *Epigr.* 94.

Non ſumus audaces, plebeja toreumata *viri.*

Hic enim non de vitro argenti modô cælato, quod & *ſigillatum* propterea vocat alicubi *Appulejus*, ſed de calicibus è vitro ſimplice ad uſum plebejum factis, ſermo eſt, vide ſuprà voce *Audaces.* Idem alibi, de fictilibus, *l.* 14. *Epigr.* 102.

Accipe non vili calices de pulvere natos,
Sed Surrentinæ leve toreuma *rotæ.*

Læve

Lexe certè *toreuma*, insignis catachresis, ut vidimus. At longiùs à proprietate vocis abiêre citimæ ætatis Scriptores, qui *toreuma* pro toro & torali dixêre, Salvianus *ad Eccl. Cath. l. 4. Sidonius Apollin. Alii.* Sed & largiùs aut æquè largiter errant cùm Veteres, tum Recentiores pleríque omnes, qui τόρευμα & τόρνευμα, propter dictionum vicinitatem confuderunt, artemque Τορευτικὴν seu *Tritoriam* aut *Cælatoriam*, cum Τορνευτικῇ seu *Tornatoria*, eandem fecerunt, ut dictum. A qua culpa summum Poëtam *Tornô facili* vitem poculis superadditam canentem, sicque *tornum* pro *cælo* ponentem, ingenium Poëticæ artis absolvit. Uti porrò opus τόρευμα, sic artifex Τορευτὴς est, Latinis quoque *Toreuta*, item *Cælator*, proximè ad vim vocis Græcæ *Tritor*. Glossæ, *Tritor*, τορευτής. Hinc τορευμα, *argentum tritum*. Phædrus, *l. 5. præfat. v. 6.*

> —— *auro ascripsit Praxitelem suo*,
> Trito *Myronem* argento: *fabulæ exulant*
> *Ideo fugatæ.* —— ——

Et certè ipsum *tero*, venit ab Æolico τορῶ, quod communiter τορεῦ habet, unde τορευτής. Quamvis enim & tornatores *terant* & lapidum tritores, qui Græcis οἱ τυκίζοντες λίθον, aliter tamen cælô *Toreutæ*, aliter tornô *Tornatæ*, aliter limâ *Lapidum tritores*, terunt, quorum primi ob difficultatem & præstantiam artis, de qua vide suprà voce *Labor*, κατ' ἐξοχὴν eam appellationem sibi vindicavêre. Ars ipsa Τορευτικὴ Græcis, Latinè *Cælatura* dicitur, de cujus origine, Auctoribus præcipuis, speciebus, jam diximus suprà, in voce *Calare* & *Cælator*, nec non ubi de *Anaglyphis*. Plura verò hanc in rem, vide apud Salmas. *ad Solin. passim*, inprimis *p. 1044. & seqq.*

TOREUTICE Ars, vide hic suprà *Toreuma*.

TORGAVIUM, vulgò TORGAW, urbs Ducatus Saxoniæ, ad Albim, 7. leuc. infrà Misnam in Boream, Wittebergam versus 5. & 6. à Lipsia in Cæciam. Hic, à Flacianis, formula Concordiæ conscripta, & ad eam approbandam omnes Theologi, ab Augusto Electore adacti sunt, reliquis in carcerem primò conjectis, deinde extra fines dimissis, A. C. 1576. Synodô postmodum denuò hic convocatâ, Melanchthonis scripta condemnata sunt. Cui cùm rursus reclamatum esset, tandem moderaminе adhibitô, A. C. 1577. in Bergensi Monasterio formula Concordiæ promulgata est, vid. Hospin. *in lib. Conc. l. 3. c. 7. 9. 25. 26. &c.* Expugnata est à Suecis A. C. 1634. Cerevisiâ suâ clara.

TORI, apud Cicer. *de Oratore*, *c. 6.* ubi Oratorem temperatum & æqualem describit, *Isque unô tenore, ut ajunt, in dicendo fuit, nihil afferens præter facultatem & æqualitatem: Aut addit aliquos, ut in corona, toros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit*: Paschalio sunt partes quædam in circulo coronæ collectiores & eminentiores; cujusmodi sunt in tauro *tori* aut etiam in homine, unde proximæ partes firmiores ac robustiores redduntur: Quò proin respiciens Cicero oratorem suum leniter assurgere leniterque redire ad eam, quam ubique servat, æqualitatem, dicere velle videtur. Vide C. Paschal. *Coron. l. 2. c. 12.* nec non *l. 9. c. 17.* ubi *de ramulis ac apsidibus coronarum & corona apsidata.* Propriè autem *torus*, artus est carneus, seu caro musculis comprehensa, pulpa. Statius, *l. 2. Sylv. 6. v. 74.*

> *Ac primùm implevitque toros, oculisque nitorem*
> *Addidit* ————

Ubi Barthium vide. Unde *torosi*, i. e. brachiorum robore pollentes, Athletæ inprimis: qui, ut id consequerentur, antiquitus quidem ficus aridas, postmodum ex instituto Pythagoræ Alipræ carnes quidem, sed pulpam tantùm siccam & aridam, nullis fermentis ac jurulentis eblandıtam comederunt, uti latiùs vidimus suprà, ubi de *Arida Saginatione*, item in voce *Coicphia*, vide quoque ubi de *Lacertis*.

TORINGI, de quibus vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. l. 1. tit. Toringi & Misni in Cheruscos: l. 2. tit. Francorum adversus Toringos bellum & victoria: & tit. Toringorum, Bojoariorum & Frisiorum idololatria*: cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p. 179. 279. 305.* Vide & *Thuringi*.

TORINI, pop. Scythiæ Jaxamaris proximi, ubi perfecti mellis copia. Val. Flac. *l. 6. v. 145.*

> *Mellis honos Torinis, ditant sua mulctra Satarchen.*

TORINIACUM, vulgò TORIGNY, oppid. Normanniæ, in tractu Bajocensi, 6. leuc. infrà Viram in Boream, 8. à Constantia in Ortum.

TORINNA, vulgò TURENNE, castrum Galliæ in Aquitania vetustissimum, cum titulo Vicecomitatus, captum à Pippino Rege A. C. 767. Continet hic Vicecomitatus partem pagi Lemovicini, Cadurcini & Petrocorici, atque à Sarlato Petrocoriorum urbe usque ad Novum Vicum *Neuvic* leuc. Franc. amplius 30. in longitudinem patet, à Tutela Lemovicum usque ad Novum Vicum in latitud. 12. Irrigatur Duraniô, & Visetâ, fluviis navigabilibus: minoribus amnibus Curretiâ *la Correze*, Bavâ, Louisâ, Dostrâ *Douyre*, Serâ atque Tormentô. Nomen *Torinnæ* illustrârunt præteritô præsentique seculô Henrici duo Vicecomites pater & filius, quorum is, Reformatorum egregius vindex, Dux Bullionæus postea evasit: Vide Thuanum *Hister*. hic religionis cum lacte haustæ, usque in provectam ætatem, tenax, tandem Latinos ritus amplexus, post plurimas res egregiè gestas, in prælio contra Germanos, infra Argentoratum, tormentariô globô ictus occubuit, A. C. 1675. Massonus *Torinnam*, opulentum esse in Lemovicibus castrum, cui Ecclesiæ vicanæ subsint amplius ducentæ, totumque hunc Vicecomitatum, in gratiam Clementis VI. à Philippo VI. Galliæ Rege tributorum ac vectigalium, omniùmque rerum immunitate, ac magnis privilegiis donatum esse, circa A. C. 1344. scribit. Hadr. Valesi. *Notit. Gall.*

TORMENTUM, apud Appulejum, *Capillus ipse — vides quàm non sit amœnus ac delicatus, horrere impexus atque impeditus, stuppeo tormento assimilis*: funis est, protensus ac tortus, à *torquco*, quod appositè de funibus dicitur. Propert. *l. 4. Eleg. 3. v. 21.*

> *Dignior obliquô funem qui torqueat ocnô.*

Quô sensu *tormenta è mulierum crinibus facta*, vidimus suprà. Inde vox translata ad funem tensum ac tortum, ut in Ergatarum suculis & aliis hujuscemodi, denotandum, qua de re vide Jos. Scaligerum *in Priap.* Sicque dein ad quodvis cruciatus genus, quô excarnificantur homines, vel ad veritatem eruendam, vel ad scelera expianda, transiit. Et quidem de priori notione, pleni sunt citimæ ætatis Jurisconsultorum libri: Apud Veteres obscuriora rei vestigia. Hebræi certè, quibus & Lex Forensis divinitus data, testibus omnia peragebant, qui si deessent, aut faverent reo, absolvebatur, is, sin minùs, damnabatur. Quo in negotio quantâ accuratione ac diligentiâ usi sint in illa gente Judices, attigimus superiùs ubi de *Executione Sententiæ Capitalis*. Idem, ut inhumanum, Francis passim objiciunt Scriptores Angli, inprimis Jo. Fortescutus, *de laudibus LL. Angliæ*, *c. 22.* Sed & apud veteres Romanos viguisse morem, Auctor docet *ad Herennium*, *Majores nostros decemus, veri inveniendi causa, cruciatibus ac tormentis voluisse quæri & summô dolore homines cogi, ut quidquid sciant, dicant.* Idem apud Persas obtinuisse, habes apud Curtium, *l. 4. c. 10.* & Epiphanium, *contra Hær. c. de Manichæis.* Macedones item passim apud eundem Curtium. E quo & illud discas, non confessioni solùm extorquendæ *tormenta* adhibita à Macedonibus, sed & post confessionem damnationemque, solennem hunc supplicii prodromum fuisse. Unde Hermolaum & complices, *damnatos hominibus, qui ex eadem cohorte erat, tradi jussit* Alexander. *Illi — excruciatos necaverunt. Callisthenes quoque tortus interiit*, apud eum, *l. 8. c. 8.* Vide quoque *l. 6. c. ult.* ubi de Philota. Crudelitas nempe illa maxima in usu fuit apud Veteres etiam Romanos, quorum proin Scriptores frequenter illud, *excruciatum necare*, in ore habent. Liv. *l. 25. c. 23. Necati omnes excruciati sunt.* Sueton. *Aug. c. 14. discruciatum necare.* Cicer. *pro L. Manil. c. 5.* alia addit, augendæ indignitati: *Legatum populi Romani Consularem vinculis ac verberibus, atque omni suppliciô excruciatum, necavit.* Græcos quoque alios, apud quos est στρεβλωθέντα aut βασανισθέντα ἀποθανεῖν, *tortum mori*, ut Plut. *Phocione c. 47.* Zonaras αἰκισάμενον ἀποκτεῖναι, *prius excruciatum interficere*, ait, ubi de Hannibale & captivis Romanis ei sermo est. Vide Freinsheim. *Not. ad Curtium l. 8. c. 8.* & hic passim, inprimis suprà ubi de *Crucis* supplicio: Non tamen omnes reos sic necatos, sed quosdam statim interfectos, ex Curtio discimus eodem *l. 9. c. 7.* ubi disertè duo hæc mortis genera distinguuntur, *Cæterum Boxum protinus placuit interfici: Biconem etiam per cruciatum necari*; ubi *Notas* vide, at plura suprà in *Quæstio*. it. *Sumulus*: nec non in *Legib.* Alfonsinis *part. 7. tit. 30.* & apud Mich. del Molino *in Repertorio Foror. Arag.* voce *Tortura*. Posteriorem verò vocis significatum quod attinet, congessit multa *de Tormentorum Veter. diritate*, Caspar. Barthius *Animadv. ad Statium passim*, inprimis *Tom. II. p. 1168.* & III. *p. 277. & seqq.* Gallonius verò peculiarem tractatum edidit, *de Martyrum Cruciatibus*. Vide quoque hic passim. Ordinem apud Græcos *torturæ*, hunc exhibet Aristophanes *Ranis*,

> Καὶ πῶς βασανίζω; πάντα τρόπον. Ἐν κλίμακι
> Δήσας, κρεμάσας, ὑστριχίδι μαστιγῶν, δέρων,
> Στρεβλῶν, ἔτι δ' εἰς τὰς ῥῖνας ὄξος ἐγχέων,
> Πλίνθους ἐπιτιθεὶς, πάντα τ' ἄλλα, πλὴν πράσῳ
> Μὴ τύπτε τοῦτον, μηδὲ γητείῳ νέῳ.

> *Et quomodo torquebo? omni modô. In scala*
> *Vinciens, suspendens, flagello percutiens, excorians,*
> *Crucians, naribus acetum infundens,*
> *Lateres imponens &c.*

Ad quem locum Scholiastas vide: uti de *tormentis* LXXX. quæ Mithriacis sacris initiandi superare tenebantur suprà voce *Mithra*. Tandem ad machinas bellicas, majores inprimis, quas *Canones* Galli vocant, fortè quod cannarum referant formam, significandas, vox adhibita: quas utinam cum Auctore suo ignoraremus. Inventi certè diritatem mox agnovêre Florentini, qui, bellô contra Venetos cùm Buttium cepissent, omnibus Tormentorum Magistris, ne ampliùs exercere artem possent, manus dextras præciderunt, & suâ cujusque collo appensâ eos dimiserunt A. C. 1488. Sed parùm ista severitas profuit. Illi namque, quibus stipendium cum vacatione omnium munerum Patres tribuerant, promtis manibus ferreis fabrefactis, se ad artem redituros suasque injurias vindicaturos, fidem Senatui Veneto fecerunt, teste Bembô, *Hist. Venet. l. 4.* De cujusmodi *Tormentorum* cum Armis Veter. comparatione diximus aliquid suprà, in voce *Bombarda*. Vide quoque ubi de *Pyrio pulvere*, it. machinæ militaris illo genere, quod *Onagrum* dixêre, & infrà voce *Zarabotana*.

TORMENTUM, vulgò TORMENTE, fluv. Galliæ, in Vicecomitatu Torinnensi. Hadr. Valesi. voce *Torinna*.

TORNA, vulgò TORNE, urbs Lappiæ Sueciæ, in ultimo recessu Sinus Bothnici in Boream, cum portu celebri & satis capaci. Hinc pars adjacens Lappiæ, *Torne Lapmarch*.

TORNA, in vocibus, quibus Duces in præliando olim utebantur, memoratur Mauricio in *Strategicis*, & sonat, *dejecte*, seu *faciem verte*, uti docet Theophanes, *ann. 5. Mauritii*, ubi Avarum seu Hungarorum illam esse refert, uti & Theophylactus Simocatta,

Ovidius, *Pont. l.* 4. *El.* 15. *v.* 9.

Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos.

Strabo, *l.* 13. in genere. Τμῶλ☉ εὐδαίμων ὄρος. Et *l.* 14. inter loca quæ afferunt οἴνος ἀρίστους, numerat Tmolum. Et iterum de eodem *Tmolo*, & locis aliis ita ait: Ἀλλ᾽ ὅμως χαλκοτάτοις, ἢ ϖρὸς ἀπόλαυσιν, ἢ ϖρὸς σιτίαις ἰατρικάς. Huc pertinet hymnus Orphei ad Sabazium, ubi ait Bacchum insutum à Jove femori, & eductum.

—— Ὅπως τετελεσμένῳ ἔλθῃ
Τμῶλον ἐς ἠγάθεον. ——

Crocum quoque plurimum gignit hic mons. Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 56.

—— *Nonne vides croceos ut Tmolus odores,*
India mittit ebur? ——

Nam ibi per *odores croceos*, vulgaris Servius *crocum* intelligit, cujus interpretatio commoda est. Nam Solinus, Columella, & Martianus ajunt hunc montem esse florentissimum croco: primus *c.* 53. Secundus, *l.* 3. *c.* 8. postremus, *l.* 6. *c. de Phrygia*; in quo ubi legitur *Tmolus loco florens*, legendum *croco*, ex doctorum censura. Alii tamen per *croceos odores* vinum redolens & fragrans intelligunt. Sil. Italicus, *l.* 7. *v.* 210.

Et montis decus, atque ex illo tempore dives
Tmolus. —— ——

Dicitur quoque *Timolus*, vel *Tymolus*, teste *Steph.* Ovid. *l.* 6. *Met. v.* 15.

Deseruere sui Nymphæ vineta Timoli.

Ubi tamen alii *Tmoli* legi debere contendunt. Idem Ovid. *l.* 11. *Met. v.* 151.

—— *Freta prospiciens latè riget arduus alto*
Tmolus in ascensu: clivóque extensus utróque
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.

Nic. Lloyd. Hinc *Tmolitæ*, montis hujus incolæ, quorum mentio in nummo Sabinæ Junioris in cujus postica parte Diana conspicitur cum arcu suo, & nomen ΤΜΩΛΕΙΤΩΝ. apud Jac. Sponium, *Itiner. Græciæ Part.* 3. *p.* 193.

TMOLUS, Lydiæ amnis, in quo coticula seu lapis, quô aurum & argentum probatur, *Lydius* inde dictus, primùm repertus est, Plin. *l.* 33. *c.* 8. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1103. Idem cum fluvio memorato, in voce *Tmolus*.

TMOUS, fil. Tremyli & Praxidices, in Lycia natus.

TNEPHACHTOS, unus ex partiariis Ægypti Regulis, post collapsam Thebanorum Regum potentiam, dum Necepses inter Saitas, Osorthon inter Bubastitas, & Asychis in alia parte regnarent; in Arabes movit, cùm verò morarentur impedimenta, cibô obviô suaviter usus, cepit super thoro profundum somnum: Inde Menem execratus est, quòd is Ægyptios à tenui & opum pecuniæque non indigente victus ratione deduxisset; execrationemque, approbantibus Sacerdotibus, in stela incisam posuit in templo Jovis, *Plut. de Iside*. Pater fuit Bocchoridis τοῦ Σοφοῦ, *Sapientis*, cujus, ut & patris, abstinentiam, sub alio quoque nomine prædicat Alexis apud Athenæum, *Dipnos l.* 10. Ἐφ᾽ μετρίας τροφῆς ἀσκεῖ τὸν Βόκχοριν καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ Νεόχαβιν, *Dicit modicô victu usos fuisse Bocchorim & patrem ejus Neochabim.* Namque & *Neochabis*, & *Gnephachthos*, & *Technatis*, Rex hic dictus occurrit. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Secul. XVI.*

TNYSSUS, urbs Cariæ. Gentile *Tnysseus*, *Steph.*

TOANI, populi Arabiæ Felicis ad fretum Sinus Arabic. seu apud fauces ejusdem, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

TOARCIS, vel TUARCIUS, castrum Galliæ vetertimum, in Aquitania, ante annos 900. nobilissimum & munitissimum, sub proprio olim Comite: expugnatum est à Pipino, tertiò in Aquitaniam movente, unà cum civitate Biturigum, A. C. 762. Hodie *Toars*, vel *Toüars*. Non longè Lausdunô & Moncontoriô abest, in finibus Pictonum, Vicecomitatûs quondam, hinc Rigordus *in gestis Philippi Aug.* Gundonis Vicecomitis *Toarcii*, omnes ferè Pictones potentiâ præcellentis, meminit: nunc Ducatus titulô illustre, à Tremoliæ dominis pridem possidetur. Caput est Vicariæ Toarcensis *Viguerie*, quô nomine ager loci aut castri, cui suus erat Vicecomes, sæpe pro Vicecomitatu, apud Auctores venire solet. In hac villæ Glandis, & fluvii Argentarii, vulgò *Argenton*, qui in Toëdum defluit, meminit Lil. Giraldus *l. de Tertiniaco*, apud Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

TOBBAUS, i. e. *Imperator* seu *Rex*, titulus antiquorum Turcicæ gentis Ducum, de quibus Cl. Pocockius eruditè scripsit. Vide suprà *Muslimi*.

TOBIAS, nomen viri, Esdr. *c.* 2. *v.* 60.

TOBINIUM, vide *Zosinga*.

TOBIUS, vulgò TOWY, seu TOVY, *Camdeno*, fluv. Albionis per Walliam in Oceanum ad Mariduuum decurrens.

TOBOLIUM, & TOBOLSCA, vulgò TOBOLSCK, urbs Moscoviæ Tartaricæ caput Siberiæ: haud pridem à Moscis exstructa. *Is. Massa.* Ad flumen *Ytiim*, quod ab Austro exortum, rapidissimô cursu, in Obium, aquas suas evolvit. Ab altera parte est fluv. *Tobol*, unde urbi nomen, & in hunc influit fluv. Tassa.

TOBRUS, urbs Africæ propriæ, *Ptolem.* Eandem cum Tuburbe Antonini esse credit *Simlerus*. *Obros*, in tabulis recentiorib. media ferè inter Tabrachiam ad Arctum, & Tuburbem in Meridiem, ad 80. mill. pass. Vide *Tuburbis*. *Ferrar.*

TOCAIMA, vulgò TOCAYMA, urbs novi regni Granatensis patva, juxta fluv. Patum. Vix 18. leuc. Hispanic. ab Urbe S. Fidei de Bogota in Occasum, & 13. à Tutela in Meridiem. In America meridiali sub Hispanis.

TOCAJUM, oppid. Hungariæ, vinô suô nobile. Hic Johannes Vaivoda Transylvan. à Ferdinando victus est, A. C. 1527. Vide Thuan. *l.* 1. & 5. 8. 9. & *Tokaum* infra.

TOCHARI, populi Indiæ, *Tzetzæ*, vel Sericæ. *Ptol. Dionys.*

Καὶ Τόχαροι Φροῦροί τε. ——

Optimi textores, Plin. *l.* 6. *c.* 17.

TOCHATA, urbs Cappadociæ ad Lycum fluv. *Tocato.* Sedes Satrapæ, inter Neocæsaream & Gomana.

TOCIGONUS, Venetæ regionis in agro Patavino fluvius, *Sciocco Leandro.*

TOCOESIA, vulgò TOKOESI, Insula Oceani Eoi, & pars ampla Japoniæ. Dicitur aliter *Xicoca*; estque inter Niphoniam insulam præcipuam ad Ortum ac Boream & Ximum ad Occasum. Continet 4. regna seu provincias. Vide *Xicoca*.

TOCOLOSIDA, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ. *Ptol.* à Volubili colonia 4. mill. pass. à Tingi 148. *Itiner. Antonin. Mergo*, seu *Amargo Marmolio.*

TOEDUS, vulgò *Toüé*, vel *le Toüé*, fluvius est Galliæ, in Andibus, qui infra Salmurium in Ligerim effluit. Meminit ejus vetus descriptio Turoniæ: cujus Auctor, Majoris Monasterii Monachus, Comitatum Turonium ab Occidente ait terminari *fluviô Toedo* nomine, qui inter Salmurium castrum & Abbatiam S. Florentii fluit, & sic in Ligerim *effluit*. Scriptoribus quibusdam recentioribus *Tueda* Latinè nuncupatur: Olim verò *Tuadus*, vel *Doadus* ac *Toadus* dictus videtur esse, unde *Teotuado* vel *Theodoado Doadove*, uni è 4. clarissimis ac nobilissimis Aquitaniæ Regum veter. Palatiis seu Fiscalibus villis ac hibernis, nomen: quod ad fluvium hunc situm. Recipit autem is amnes Toërium *Toëret*, Argentonem *Argenton* ac Devam *Dive*. Vide Hadr. Valesf. *Notit. Galliæ*, in voce *Theotuadum*.

TOEGAR Amachus Momchiri, Eratosthenî antiquorum in Ægypto Thebanorum Regum VI. Memphites; exponitur ἀνὴρ περισσομελής, *vir membris redundans*. Successit Pempho, regnavitque annos 79. circa tempora Nachoris & Tharæ; pater Stoechi, qui ipsum in regno excepit. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron.*

TOENA, fluv. Galliæ Belgicæ in Quantiam defluens, aliis *Tena*, recentioribus *Terna*, vulgo *le Ternois*: unde pagus *Toënensis*, *Tenensisve* posterioribus *Ternensis* nuncupatur, in Morinis. Ubi Blangiacum *Blangin Ternois*, & castrum S. Pauli *S. Paul en Ternois*, caput Comitatus cognominis ad *Toënam* amnem posita. Ibidem est & Balliolum *Bailleul en Ternois*, & vicus Hosium *Heux en Ternois*. Iperius Abbas *in Chron. Bertiniano*, Adalolfum Balduini Calvi fil. veluti jure hæreditariô Comitatus Boloniensem & *Ternensem*, circa A. C. 927. unaque Sithiensem Abbatiam militem & laicum totâ vitâ tenuisse dicit. Vide Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

TOESOBIS, seu *Tisocus* fluv. seu potius fretum, mill. pass. latum, 20. mill. pass. longum, inter Monam Insul. & Walliam Septentrionalem, prope Arvoniam: Vulgò *Meyna*.

TOGA, Græcis Τήβεννα, Romanum tegmen, ipsis Quiritibus longe vetustior. Circummeâsse enim à Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos, auctor est Tertull. *de Pallio*: & cum *Suida Artemidorus* ejus originem ab Temeno Arcade deducunt, qui ad Ionii maris accolas navigans, primus eô modô chlamydem induit, à quo indigenæ edocti eâdem ratione habitum suum composuêre, vestemve *Tebennam* corruptâ voce à Temeno appellârunt. Etymologo Τήβενν☉ Regium gestamen dicitur. Sed, si Romani excipiantur Reges, nullus exterorum Tyrannorum togâ usus repetietur, nisi ex dono Populi Romani, aut ejus imitatione. Fuit autem Toga vestimentum clausum & rotundum, quod unô injectu corpus involveret, & utrumque brachium operiret, ut ex statuis antiquis veteribusque nummis patet. Hâc solâ primitus amicti incedebant Romani, cùm nullis adhuc tunicis uterentur: petitores quoque eâ solâ indutos in campum descendisse tradit. *Plutarch.* sive ut cicatrices adversô pectore ostenderent, sive ne pecuniam ad suffragia mercanda tunicâ occultarent, sive ut supplicarent humiliùs. Communis ejus gestandæ modus fuit, ut dextrum brachium, quâ parte ad cervices patuit, exereretur: & ita quidem, ut antiquissimis temporibus manus tantùm usque ad cubitum porrigeretur, posteà totum brachium, humerusque extaret: quod primum Romanorum C. Gracchum fecisse, memorat *Plutarch.* Sinistrum autem brachium sub ipsa toga extensum, extremam ipsius oram, quæ & lacinia dicebatur, in rugas, plicasque contractam, cui *sinus togæ* nomen, subducebat ad pectus lævâ manu extante. Togæ ora subjectô brachio subducta speciem normæ referebat, sive regulæ, fabrilis nempe instrumenti, ad quod omnia exigunt, super quod brachium, ut Quintilianus ait, *l.* 11. *c. ult. ora ex toga duplex æqualiter sedeat*, i. e. lacinia togæ veluti brachiô divisa, æquis partibus contineatur, nec altera longior aut brevior deformiter cadat. More veterum, brachium togâ juvenes Romani annô virilitatis 1. ætat. 14. cohibere tenebantur, Cicer. *pro Cælio*: Idem in petitione honorum factum, docet Horatius, *l.* 1. *ep.* 6. *v.* 50.

Mercemur servum, qui dictet nomina: Lævum
Qui fodiat latus: & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Porro licèt è toga brachium exereretur, & summa togæ ora à dextero humero defluerat: facile tamen fuit, cùm res poscerat, eandem detectæ togæ partem revocare caputque etiam operire ac involvere. Unde de Cæsare scribit Tranquillus, *c.* 82. *cum se strictis pugionibus à conjuratis peti videret, togâ caput obvolvisse, simul sinistrâ manu sinum ad ima crura deduxisse: quo honestius caderet.* Non

Non cingebatur toga: nec quicquam aliud cinctus Gabinus fuit, quàm cum togæ lacinia lævo brachio subducta in tergum rejiciebatur, ac retrahebatur ad pectus, sicque in nodum colligebatur, ut togam contraheret & breviorem ac strictiorem redderet. Neque fibulâ nectebatur, utpote vestimentum clausum & humero sinistro sic inhærens, ut lævô brachiô sustineretur, quô fiebat, ut nullô modô cadere aut defluere posset. Ea priscis ex lana, serò tandem & nonnisi sub Imperatoribus serica vestis Romanis cognita est. Communis color albus fuit, lanæ nativus, cui cùm creta accedebat, *candida* appellata est. Primis urbis temporibus uterque sexus togatus incessit: *Varro apud Nonium de vita Pop. Rom.* & tum quidem honestiores matronæ togam prætextam adhibuerunt: quam cùm posteà deposuêre, ea sola viris remansit, donec temporum mutatione fœminis quoque probrosis cederet. Habebat autem jus togæ omnis Populus Quiritum, diuque etiam plebs ipsa togata incessit. Imo sublatâ libertate ipsos Imperatores togâ usos legimus. Namque & Cæsar in toga confossus, & Caligula, cùm se è spectaculo proripere vellet, calcatâ laciniâ togæ præceps per gradus iit, & Domitianus *Mars togatus* Martiali appellatur, *l.* 6. *Epigr.* 76. &c. Sed non semper pura ac communis illa, verùm aliquando purpurea & triumphalis fuit. In luctu, depositâ togâ, ad saga itum est: in deprecatione quoque togam depositam docet Cicero, *l.* 4. *ad Attic.* vel saltem humeris dejectam, Sueton. *Aug. c.* 52. Nec forense solùm vestimentum antiquissimô tempore toga fuit, sed & domesticum: nocturnum non minus ac diurnum: mox alia vestis domestica, alia forensis, quæ toga fuit: neque publicè sine toga civis Romanus visus est: Interim conviviis quoque maximè publicis ac solennibus illam adhibitam ex historicis patet. Neque Romæ modo, sed quacunque Romanum patuit imperium, in pace Quirites togati fuêre, quô habitu & ii usi sunt, quicunque Romanis legibus gaudebant. Coloniæ item & Municipia, Tacitus, *Hist. l.* 2. Imò non socios solùm Populi Romani, sed Italos penè omnes togâ usos, illud argumento est, quòd ab iis Romani togas acceperint. Sed & Arcades sive Argivos, Lydos quoque togâ usos docent, Tertullianus & Artemidorus. Gentes etiam devictæ simul cum servitute togam accipiebant, ut Tacit. *in Agricola*, *c.* 21. de Britannis: Dio *l.* 46. de Gallia togata: Strabo, *l.* 3. de Hispanis docent. In bello quoque togatum militarium meminit Liv. *l.* 29. & alibi, quod vel de honestioribus tantùm, vel de antiquissimis temporibus intelligendum: vel fortassè, dum stativis in Urbibus ac Municipiis attinebantur, togâ usi milites sunt, nequaquam in castris. Hinc & milites Prætoriani, quia in urbe, remotô terrore chlamydum, forsan togati erant; saltem cohors, quæ more militiæ excubabat, ut vult Lipsius ex *Tacito*, *l.* 1. *Hist. c.* 38. *Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet.* In reliquis nullus togæ usus, pacemque togâ, bellum sagô notari quis nescit? Exutam simul à Romanis cum libertate togam, indicat Sueton. *Aug. c.* 40. sub quo penè usus ejus desierat, si officia clientum excipias, & in illius locum lacerna successit. Mansit tamen aliquandiu communis & continuus togæ usus apud paucos, eosque honestiores, donec Advocatis solis hæsit. Quintilianus tamen, *loc. cit.* Oratori quoque suo togam dat, eamque morosè usque ad rugas disponit. Proin veterem habitum reducere tentârunt Augustus, Domitianus & Hadrianus Imperatores, quorum ultimus Senatores & Equites Romanos semper in publico togatos esse jussit: nec minus Antoninus, qui etiam milites togatos esse voluit; sed tentârunt, nam id haud quaquam observatum, sensimque ex togato Populus lacernatus ac pænulatus factus est. Cæterùm togam in templo Capitolini Jovis Consules eô die, quô Magistratum inibant, sumere soliti sunt; quod quidam etiam ad omnes trahunt, cùm toga virilis sumebatur: vel saltem post eam domi sumtam, statim in Capitolium ad Jovis ædem itum esse. Vide Val. Max. *l.* 5. *c.* 4. *ex* 4. plura autem de nobili hac veste, apud Thom. Dempster. *Antiquit. Rom. l.* 5. *c.* 32. & Octavium Ferrarium, *de re Vestiaria*, *l.* 1. Nomen à *tego*, quod Veteribus *togo*: qui proin quidquid tegere aptum est, primitus *togam* dixêre. Sic *togam*, pro tecto, Poëta quidam apud Nonium dixit. Sanè vestem omnem, quæ tegendo corpori, *togam* dictam, legimus apud Varronem, *de Vita Pop. Rom. l.* 1. Nisi sit potiùs à Græco *τέγω στέγω*. Nam & *τέγω* dicebatur pro eodem. Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*; ubi etiam de togæ *rugis*, *sinu*, *umbone*: item de *Toga apud veteres Romanos gerendæ modo*; porrò de *Toga Græcanica*, uti de *Toga Præsidiaria*, *Picta*, *Pura*, *Serica*, *Submissa*, passim *Notis ad Historiam Augustam*.

TOGATÆ Comœdiæ, propriè Latinæ, sicut *Palliata* Græcæ; à vestitu utriusque Gentis. Vetus Interpres Juvenalis *ad illud*, *Sat.* 1. *v.* 3.

——— *Recitaverit ille Togatas.*

Togata, inquit, *sunt Comœdia Latina*, *Palliata Græca*, *quales Afranius fecit*. Ubi, cùm Afranium *Togatas* dedisse notum sit, verba illa, *quales Afranius fecit*, retrahi & *Togatis* subjici, jubet Ferrarius. Erant autem *Togatarum* aliæ nobiliores, quæ *Prætextata*, in quibus scil. Magistratus introducti, qui in prætextis: aliæ minùs nobiles, in quibus censet Scaliger, *Poëtices l.* 1. *c.* 7. *Senatores privatos cum Togis introductos*. Sed cur soli Senatores *Togati*, cùm Gens universa hôc habitu uteretur? Subjicit idem, ultimum genus fuisse, quod capiebat humilem Fortunam negotiorum popularium cum tunicis tantùm, eas autem non tunicatas dictas, sed ab habitaculis *Tabernarias* appellatas, quòd cum tabernis scenæ disponerentur. Sed si nullus in illis Togæ usus, cur inter *Togatas* recensitæ? Autor Prolegomenon Terentii Tabernarias fuisse Palliatas tradit, quod falsum: Sed paulo antè, si tamen unus Auctor est, *Tabernarias*, ab humilitate argumenti & styli dictas, putat. Meliùs dicemus, *Togatas* genericum fuisse nomen, ad Prætextatas & Tabernarias; nihilominus *Togatas* pro *Tabernariis* non communi tantùm errore, sed Poëtarum quoque auctoritate, usurpati, atque adeò nomen generis ad hanc posteriorem speciem restringi consuevisse. Ita enim Horat. *in Arte*, *v.* 288.

Vel qui prætextas, vel qui docuêre Togatas.

Ubi per *prætextas*, intelligit prætextatas, Comœdias videl. Magistratuum ac nobiliorum personarum: per *Togatas*, eas in quibus viliores personæ introductæ; quæ quòd in cœnaculis ac tabernis degere soliti essent, ut Opifices inprimis, Institores ac Sellularii, *Tabernarias* easdem vocitatas fuisse, vidimus suprà in hac voce. Cæterùm *Togatarum* Auctores ab Acrone hi recensentur: Ælius Lamia, Antonius Rufus, Melissus, Afranius, Pompejus, qui omnes magnô literarum damnô, præter Afranii fragmenta, interciderunt. Primum autem Stephanionem *Togatas* saltare instituisse, auctor est Plinius, *l.* 7. *c.* 48. *Minus miror Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit.* Lege *Togatas*, ut & Sabellicus monuit, & de Pantomimo intelligit. Vide Octavium Ferrarium, *de Re Vestiaria*, *Part.* 2. *l.* 4. *c.* 2.

TOGATI, apud Spartian. *Hadriano*, *c.* 3. *Hodieque Imperatores sine pænulis a togatis videntur*: sunt, qui ave matutinum Imperatori portabant, seu salutatores, quos in alia veste hôc officio defungi nefas erat, ut notum ex Martiali. Nec soli salutantes *togati*, verùm & Imperatores. Treb. Pollio *in Gallieno*, *c.* 16. *Cum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis & aureis Romæ visus est: ubi semper togati Principes videbantur.* Usurpant autem hi Auctores *videre*, pro *salutare*, ut ex iis passim discimus. Et quidem, cùm Hadriani, Trajani & anteriorum Principum ævô cum pænulis nunquam esset Cæsar, postmodum, dum salutabatur quidem, *togatus* erat, ac post officium hoc pænulam sumebat. Salmas. *ad Spartian. d. l.* Porrò, cùm Romani aliàs togas cœnatoriis mutarent accubituri, Imperatorum tamen mensæ non nisi *togatis* interesse licebat, qui milites non essent, quibus cinctus pro toga fuit, Spartian. *in Hadr. c.* 22. Imò nec aliâ ratione ad Imperatorem unquam accedere, uti docet Salmas. *ad Treb. Pollionem*, *ubi suprà*. Etiam in Spectaculis idem habitus necessarius. Unde Commodus, *contra consuetudinem pænulatos spectatores, non togatos, ad munus convenire, quod funeribus solebat*, jussisse legitur apud Lamprid. *in eo*, *c.* 16. ubi iterum Salmas. vide &c. Apud Sueton. *Julio*, *c.* 48. *Convivatum assiduè per provincias duobus tricliniis: uno, quô sagati palliative, altero, quô* togati *cum illustrioribus provinciarum discumberent?* Casaubono *togati* sunt honestiores è comitatu, putà Consulares, Prætorii, Senatores, Legati & Quæstores. Idem verò & *togam*, ignominiæ causâ interdum sumi jussam, sed abscissis laciniis deformem, docet ex Val. Maximo, *l.* 1. *c.* 7. *ex* 9. *ad Augustum* ejusdem Auctoris, *c.* 24. Vide quoque hic passim, inprimis voce *Causidici*.

TOGGENBURGIUS Comitatus Helvetiæ, in *Turgovia*, German. *das Toggenburg*, habebat olim è Nobilitate dominos, qui posteà Comitivâ dignitate aucti sunt. Horum ultimus majoribus suis longè potentior, Fridericus, in jus civitatis à Tigurinis receptus, obiit, A. C. 1436. Post ejus mortem crevit hæreditatem hujus Comitatus Petermannus Baro Raronius ex Valesia, sed incolæ, à Suitensibus & Glaronensibus, in amicitiam & jus civitatis recepti sunt, sic ut in criminalibus summa potestas penès Raronium esset, ipsi verò in proprio consilio, sub Landammanno capite, causas civiles judicarent. Postea Raronius A. C. 1469. Abbati Sangallensi jus suum vendidit, qui ab eo tempore regioni præfectum constituit, summum rerum capitalium judicem: Intereà mansêre Toggenburgii, cives Suitiorum & Glaronensium, suaque privilegia & immunitates habent, quarum beneficiô inter alia libertate Religionis hodieque fruuntur. Solum iis asperum & montanum, sed pascuis aptum: ipsi torosi & laboris patientes, candidi insuper & cordati sunt. Vide Stumphium *de Turgovia*, *l.* 5. ubi seriem Comitum & res gestas succinctè exponit: de eorum verò origine, Philipp. Jac. Spenerum, *in familia Austriaca*.

TOGISONUS, Plin. *l.* 3. *c.* 16. *Sciocco Leandro*, fluv. Venetiæ per agrum Patavinum, in Medoacum fluv, post Plebem Sacci oppid. influens, à Patavio 8. mill. pass. Clodiam versus. Sed Plinius eum cum Athesi confluere, & Brundulum portum efficere scribit. Alii *Vigisonus* legunt, & lacus est *Vigazolo* 6. mill. pass. ab Ateste, ex quo fluv. in Athesim influens effluit. *Ferrar.*

TOGONIUS Gallus, ignobili origine Senator, qui Tiberium orabat diligere Senatores, ex quibus viginti sorte ducti & ferro accincti, quoties curiam inisset, salutem ejus defenderent. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 2. cujus tamen adulatio à Cæsare elusa est.

TOGRUL Bekus, fil. Michaëlis, primus Turcarum in Persia Rex. Hujus enim patrem, Selgkuko Tartarorum Duce genitum, cùm Mahmudus Rex Persiæ & Indiæ captivum abduxisset, ex Mauaranalharia omnes Turcæ eum insequuti, in planitie *Chorasan* consederunt. Quod cùm Mahmudus ægrè ferret, filius ejus Masud Turcas bellô lacessere cœpit, qui irritati *Togrul-bekum* Regem creârunt A. C. 1038. & totâ mox Persiâ potiti sunt, à Boiitarum sic familia hactenus regnatrice ad Turcas translatâ. Post Togrul-Bekum Persiæ imperitaverunt Muhammed aliique, usque ad Mahmudum Abukalsem. Sub quo partim intestinis dissidiis, partim vicinorum conspiratione, regnum Turcarum in Persia destructum est, hæcque à Togrul Beki familia ad Chorasmios devenit, circa A.C. 1224. Qua de re vide Georg. Hornium, *Orb. Imper. p.* 403. & 410. ut & suprà ubi de *Persia*, *Turciaque*.

TOI, sive *Thou*, tempore Adad-ezeri, Syriæ, Sophenæ & Damascenæ Regis, à Davide victi, alius Syriæ Rex, regnabat in Hamath, missóque filiô suô cum muneribus ad Regem David, congratulabatur ei, *quòd Adad-ezerem debellâsset; quippe illi hostis erat*, 2. Sam. *c.* 8. *v.* 9. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. XIII.* ubi de

de Regibus Syriæ, ex Fragmento de iisdem præclaro Nic. Damasceni Historiarum, apud Josephum, *Ant. Jud. l. 7. c. 6.* & de terra *Hamath* suprà.

TOJA, vulgò *Toy*, Insul. Japoniæ, in ora Orientali Niphoniæ Insul. & regionis Ochiæ, inter Matcuximam Insul. ad Boream & Ynoximam Insul. ad Meridiem *Brietius*.

TOKÆUM, vulgo *Tokay*, urbs munita Hungariæ superioris cum arce ad confluentes *Bodrach*, fluv. in Tibiscum. Capta à Turcis sed recepta ab Austriacis. Vinô suô nobilis, 30. mill. pass. à Cassovia in Meridiem, totidem ab Agria in *Ortum*.

TOLA, vulgô *Tolen*, seu *ter Tolen*, insul. parva Zeelandiæ, in parte Orientali cum oppido munito cognomine prope brachia Scaldis, inter Bevelandiam Australem ad Meridiem & Transflaquæanam ad Boream in ipso limite Brabantiæ, vix 1. leuc. à Bergis ad Zomam. Eiadjacet agger S. Martini.

TOLBIACUM, Galliæ Belgicæ oppid. Tacit. *l. 4. Hist. c. 79.* Ubiorum in Germania inferiore; *Zulpick Divæo. Zulch, Baudrand.* oppid. Juliacensis Ducatus celebre victoria Clodovei I. de Alemannorum gente ac Rege, & Theodorici ejus abnepotis de Theodeberto, fratre suo, cæde item Herminafridi Toringorum Regis. Sedet ad Nafelam amnem, 18. mill. pass. à Bonna in Occasum totidem à Juliaco in Meridiem, uti à Colonia in Africum. Valesio castrum est in Ducatus Juliacensis regiuncula Eflia vel Eiflia *die Eifel*, non procul à flumine Rura & Marcoduro, quod Gallis *Souche* dicitur: *Notit Gall.* Vide Cl. Ottonem, *Notis ad B. Rhenanum, l. 2. p. 261.*

TOLCA, vel *Toucha*, fluv. Galliæ, in Comitatu Lexovino, Melsam *la Meauste*, Fervidas Aquas *Fervaques*, Montem Gomerici *Mongomery*, oppid. Comitatus titulô insigne alluit: dein auctus Orbeccô, Orbeccum & Villare alluente, Noviomagum Lexoviorum caput attingit, Pometum *la Pomeraye*, Brolium *le Breuil*, Pontem Episcopi, caseis suis nobilem vicum, Tolcam denique *Touque*, locum à flumine dictum, infra quem in Oceanum effunditur. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TOLEN, oppid. olim Æthiopiæ, sub Ægypto, à Meroë 5. dier. itinere, in Boream, Plinio, *l. 6. c. 30.*

TOLENTINUM, colonia & urbs aliàs Piceni, Episcopalis sub Archiepiscopo Firmano, nunc Marchiæ Anconitanæ, sub Pontifice parva, sed culta; ad Chientum fluv. inter Maceratam 10. & Camerinum 13. mill. pass. à Septempeda 6. in Ortum. Vulgò *Tolentino*. Hîc requiescere dicunt corpus S. Nicolai Tolentini: Sedes autem ejus Episcopalis unita nunc est Maceratensi, Populi *Tolentinates*, Plin. *l. 3. c. 13. extr.*

TOLENTINUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

TOLENUS, fluv. Marsorum, in Lirim labens, ubi Rutilius cum 8000. Rom. à Marsis cæsus. *Oros.* Dicitur & *Telonus* & *Thelonus*.

TOLERIUM, urbs Latii antiqui. *Steph.* Locus hodie ignoratur. Populi *Tolerienses*. Plin. *l. 3. c. 5.*

TOLETANA, Hispan. *Toledo*, nomen Familiæ in Hispania illustrissimæ, quam nonnulli è Græcia deducentes progeniem Palæologorum faciunt, qui Oriente olim potiti. Autori ejus Petro Alfonsus VI. Rex *Toletô* devictô multa prædia donâsse dicitur: quæ nominis *Toletani* origo. Ex ea Garsias *Alvarez de Toledo*, Alfonso Sapienti Regi Castellæ fideliter inservit: Cujus filius Garsias Alvarus, aliis *Alvarus Garsias* dictus & nepotes Garsias Alvarus M. Magister S. Jacobi, (pro quo Magisterio à Rege Henrico Oropesam & Valdecornejam accepit) & Ferdin. Alvarus, à fratre Valdecornejam successione nactus. Inde duo capitales rami: *Oropesa* penès Garsiæ fil. Ferdinandum Alvarum remansit; qui Garsiam Alvarum genuit & Garsiam Fernandum Alvarum, *Comitis de Oropesa* dignitate ornatum ac reliquorum Comitum satorem: Quorum successio, ob masculorum defectum, à Beatrice March. *de Xarandilla*, marito Bragantino Marchion. *de Frechilla* allata est. Præfati verò Fernandi patruus, Didacus Lopezius *de Ayala* Dominos *de Cebolla* & *Castillo de Villalva* sevit. In altero ramo primario Ferdin. Alvarus Dn. *de Valdicorneja*, præter Gutierium Alvarum Archiepiscopum Toletanum, genuit Fernandum Alvarum successorem in *Valdicorneja*, patrem Ferdinandi, qui primus Comes Albæ sive *de Alva de Tormes* nominatus est. Hujus filium Garsiam Alvarum Comitem *de Salvatiena*, Marchionem *de Coria* & Ducem *de Alba* Rex creavit: Inter cujus liberos Fernandus Dominos *de Villora*, ex quibus dein Comites *de Ayala*; Garsias Dominos *de Horcajada*; Petrus Dominos *de Mancera* dedit; sed primogenitus Fridericus Alvarus Ducale axioma propagavit. In hujus itaque liberis nova divisio orta est: cùm à Garsia Alvaro primogenitò reliqui Duces *de Alba* & *Huesca* descendant; ab altero, Petro Prorege Neapolitano & uxore Maria Osoria Pimentellia, March. *de Villafranca*, Marchiones reliqui, cum agnomine *de Toledo Osorio* deriventur: quibus titulus etiam Ducum *de Fernandina* & Principum *de Montalvam* accessit. Sed & præter enumeratas alia linea est Dominorum de *Tocenaque*, in quibus obtigit Comitis *de Cedillo* titulus uni Antonio, sed posteri ejus cum cognominibus *de Luna* & *Ponce de Leon* Dominorum appellatione fuêre contenti. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. par. II. Indic.* qui *Parte I.* Ducum *de Toledo-Oropeza*: Part. II. Marchionum *de Toledo-Osorio* & *Part. III.* Ducum *de Alba* quoque, Progenitores exhibet. Vide eundem, *Arte Heraldicâ, Tom. II.*

TOLETANUM Regnum, *Reyno de Toledo* sub Mauris dictum, nunc postquam ab Hispanis receptum, dicitur *Castella Nova*, inter Castellam veterem ad Boream & regnum Granatense ad Meridiem.

TOLETANUS Julianus, vide *Julianus*.

TOLETUM, vulgò *Toledo* colonia, & urbs Hispaniæ Tarraconensis. Carpetanorum olim caput, in umbilico Hispaniæ ad Tagum fluv. Gothorum dein regia & Maurorum, hodie caput Castellæ novæ, & anteà Regum sedes, à tempore Alfonsi, qui illam Saracenis eripuit, A. C. 1085. Ampla est & elegans, Archiepiscopalis cum arce antiqua in colle: sed deficit in dies, à paucis habitata, vix 6000. incolas continens, 42. leuc. Hisp. à Corduba in Boream, 50. à Valentia. Ejus meminit Venantius Fortunatus, *l. 6.*

Quæ me dimittis, dura Tolete. vale.

Fuêre sub *Toleto*, velut Metropoli, urbes Episcopales Cretum, Biatia, Mentesa, Acci, Basti, Urci, Illici, Bigastrum, Setabis, Dianium, Valentia, Valeria, Segobrica, Arcabrica, Complutum, Segontia, Uxama, Segobia & Palentia: quæ cum Metropoli, tempore Constantis M. Archiepiscopo Carthaginensi, unà cum Caracca & Castulone, subjectæ fuerunt. Hodieque prima in regno Hispaniæ dignitas Archiepiscopi Toletani est, qui, more omnibus Regnis receptô, Primas est Regni & simul Cancellarius Natus Castellæ; cujus ratio ex mediis seculis fluxit, quibus, cùm nulla eruditio extra sacrum Ordinem quæri poterat, ita nec officia, quæ Eruditum requirebant, aliis quàm qui è sacro Ordine essent, committi potuerunt, Becmannus, Franc. de Pisa, *descr. Toleti*, Garsias, *de Eccl. Tol.* Hîc Concil. celebratum, A. C. 400. contra Priscillianistas. A. C. 531. sub Rege Almerico seu Theude, *Isidoro Hispalens.* teste: quô disciplina Ecclesiastica iterum stabilita, quæ sub Arianis Regibus multum remiserat. A. C. 589. quô Gothi; paulò antè fidem amplexi, confirmati sunt: sub Recaredo, qui jejunium triduanum Concilii celebrationem voluit præcedere. A. C. 507. sub eodem, contra impudicitiam Sacerdotum. A. C. 638. quô legitimum conjugium, damnatô ancillarum consortiô, concessum est Sacerdotibus. Elipandus Urbis Episcopus Nestorianismi damnatus est, à Carolo M. Synodô illâ celebri Francofurtanâ, A. C. 794. habitâ. In eadem urbe memorabile olim fuit palatium, clausum & validis vectibus, ferrôque munitum, quod reseratum excidio Hispaniæ futurum fama ferebat. Hujus seras cùm Rodericus, thesauros ibi occultatus, perfringi tandem curâsset, arcam solùm reperit in eaque linteum, in quo insolentes hominum facies vestesque depictæ erant, cum hac inscriptione, *à tali gente exitium Hispaniæ imminere*, brevique post à Saracenis & Mauris, Rodericus victus est, omnisque nobilitas Gotthorum cum illo cæsa. Lipsius *Monit. l. 1. c. 5.* Vide Morerium *Dict. Hist.*

TOLETUS Franciscus, Cordubensis, Philosophiam Salmanticæ juvenis adhuc docuit, dein Jesuitarum institutum sequutus, Romæ Pio V. à sacris concionibus fuit, Orator excellens, & *docendo* inprimis valens, sicut Lupus *movendo*, & Panigarola *delectando*. Comes dein Commendono Cardinali itineris ad Maximilianum II. & Sigismundum Poloniæ Reges exin sub Gregorio XIII. maximis negotiis, & Sixto V. revidendis Bibliis, quorum editionem moliebatur, adhibitus tandem sub Clemente VIII. purpuram meruit, primus ordinis sui, ac in reconciliando Ecclesiæ Rom. Henrico IV. Galliæ Rege multum operæ posuit. Obiit A. C. 1596. ætat. 74. plurium scriptorum auctor, inter quæ eminent *Commentarii ejus in Organum Aristotelis, & Euangelium Johannis*, reliqua habes *in Elogiis* Teisserii *Part. 2.* cæterùm non minus humilitate & temperantiâ, quàm eruditione, inclytus. Vide Thuanum, *Histor.* Laur. Crassum, *Elog.* Nic. Erythræi *Pinacothecam* III. *Perroniana*, *Scaligerana* &c. Addo elogia quædam doctorum. *Vir doctissimus & cùm aliis, tum verò Philosophicis ac Theologicis literis ornatissimus*, teste Alegambe Bruxellensi *Bibl. Script. Societatis Jesu.* Dominicum Sotum habuit inter cæteros Doctorem, qui propter ingenii excellentiam, *Prodigium* illum appellare solitus est, Id. Ejus extant *in Psal. 17. Commentarius; ut & in Lucæ capp. 12. priora, in Johannem, in ad Romanos*, &c. Guil. Crowæus, *in Elencho Scriptorum S. Script.* Eumdem Martin. Navarrus appellat, *Excellentem Ecclesiæ Doctorem & acerrimum Gymnastam*; Stanislaus Rescius, *virum Virtutis & sapientiæ laude celeberrimum*; Andreas Eudæmon Joan. illius *eruditionem, ingenium, solertiam*, ait, *Orbem terrarum semper miraturum*, Aud. Victorellus, *Admiror*, inquit, *aureum sacrumque, quale Vet. S. Patrum, in concionibus eloquentiæ flumen*; Ferdin. Ughellus, *Virum ipsum fuisse*, ait, *ad Christianæ Reip. beneficium natum.* Sæpius auditus est dicere, *Malle se pauperem in Collegio, quàm in apparatissimo, quod Pontifex attribuerat, Palatio degere*, Iterum Alegamb. Vide quoque Isaac. Casaubonum ad Fronto-Ducæum & Thuanum præfatum, *Histor.* ubi de hoc *Toleto* plura.

TOLIAPIS, vulgò *Shepey* Camdeno, insul. Albionis in mari Germanico contra Trinobantes, & Thamesis ostia: ubi etiam Counos *Goeyinge* haud procul ab ostio Tamesis.

TOLISTOBII, qui *Tolistobogi Strab.* & *Ptol.* qui & *Tectosages*, populi Galatiæ in Asia; quorum urbes Germa colonia, & Pessinus, *Τελεοβώγιοι Stephano.*

TOLLENDI Infantes ritus, vide suprà ubi de *Infantibus*, & *Levana Dea*, nec non in voce *Sublatio*.

TOLLENO, apud Plinium, *l. 19. c. 4. Hortos villæ jungendos non est dubium riguosque maximè habendos, si contingat præfluò amne, si minùs è puteo rota organisque pneumaticis*, vel tollenonum *haustu rigatos*: machina est ἀνασειόμενον κὴ κατασειόμενον, *sursum tolli ac deorsum mitti solita*, cui alligatus aquæ hauriendæ cadus. Græcè κηλώνειον, quod exponitur in *Gloss.* ἀντλητήριον: unde apposite *tollenonum haustum* dixit Plinius. Et quidem ex κήλων, κήλωνος, *celonus*, *celono*, & transpositis literis ac *c.* in *t.* mutatô, fit *Toleno*. His, ubi rigua desunt, aqua infertur; quod κηλωνίοις ἄρδειν Græci dixêre, uti patet ex Herodoto, *l. 1. & 6.* Sed & ad exhauriendam in navi sentinam κήλων adhibitus, *Hesych.* In re militari insignem eorum usum ostendit, Marcellô Syracusas obsidente, Archimedes, apud Liv. *l. 24. c. 34. Quæ propiùs subibant naves, quò interiores ictibus tormentorum essent: in eas* tollenone *super murum eminente ferrea manus firmæ catenæ alligata, quum injecta proræ esset; gravi libramentô plumbi recellente ad solum, suspensâ prorâ navim in puppim statuebat: dein remissa subitò, velut ex murô cadentem --- ita undæ affligebat, ut, etiamsi recta reciderat, aliquantum aqua*

qua

aqua acciperet, &c. ubi Gronovium vide, & plura hanc in rem suprà, voce *Celunes*, item ubi de *Hasseriis machinis*.

TOLLENTINUM, vide *Tolentinum*.

TOLLERE se, verbum Augurum, de quo vide suprà, voce *Templum*.

TOLLIUM, vulgò *Dol* seu *Dolle*, vel *Dole*. Vide *Dola*.

TOLMIDAS, Dux Atheniensium, de quo, quomodo dilectum habuerit, vide Polyæn. *l.* 5. *c.* 3.

TOLMIDESSA, Syriæ urbs in Chalcidica regiuncula. *Ptol.*

TOLNENSIS Comitatus *le Comté de Tolne*, provinc. est Hungariæ inferioris prope Danubium, quô separatur ad Ortum à Brachiensi Comitatu, ad Occasum terminatur Comitatu Simigiensi, à Meridie Waraniensi. Sub Turcis. Urbs ejus præcipua est Tolna *Toluer*, ad Danubium, paulo infra Colociam,

TOLONIUM, vide *Telo Martius*.

TOLOPHON, urbs Locrorum Ozolorum, *Steph.*

TOLOSA, vulgò *Tholouse*, colonia & urbs Galliæ Narbonensis in Aquitaniæ confinio ad Garumnam fluv. Dicitur & *Tholosa Tectosagum*, *Tolosatium*, &c. Metropolis Aquitaniæ, Archiepiscopalis cum Academia, & Parlamento; pulchritudine, amplitudine, & vetustate inter civitates Galliæ primas. Tectosagum olim, opulentiâ sed perniciosâ inclytorum, caput. Colonia dein Romanorum, ut prisca magnificentiæ monumenta testantur. Posteà sub Gothis, quibus eam Clodovæus eripuit: sequentibus temporibus Comites habuit, Corsone à Carolo M. hâc dignitate ornatô, A. C 778. cui Gulielmus Simus successit. Raimundus postmodùm VII. Johannem hæredem Alphonso, Comiti Pictaviensi, fratri Ludovici IX. elocavit, quibus absque prole defunctis, Philippus Audax, urbem occupavit, A. C 1271. quam Johannes Rex coronæ univit, A. C. 1361. Patria fuit hæc urbs virorum insignium, unde *Palladia*, Ausonio dicta, *Epigr.* 3. *Parental. v.* 6. qui de Æmilio Magno Arborio patruo suo, Sedato & Exupero, Professoribus Tholosanis loquitur. *Baudrando Tolosa*, vulgò *Toulouse* Gallis, urbs est perampla Galliæ, Occitaniæ provinciæ seu Languedocii caput, & Parlamenti sedes, in ipso limite Aquitaniæ: ita ejus pars minor trans Garumnam fluv. censeatur in Aquitania. Crescit in dies, estque emporium celebre, 7. leuc. à Montalbano distans in meridiem, & 11. ab Auscis in ortum. Sed longè à Tolosâ victus fuit Attila à Meroæo Rege Franciæ, Theodorico Gothorum Rege, & Ætio Romanorum Duce. nempe in Catalaunicis campis, & prope Catalaunum urbem Campaniæ ad Matronam fluvium, quidquid dicat Paulus Diaconus in contrarium. Ad Tolosam autem nuper à Rege Ludovico XIV. inceptum fuit incile peramplum sumptu verè regiô, ut mediante Atace fluviô, Fresquelô, Sorâ, Lerô, aliisque minoribus ex monte Nigro profluentibus, lintres ab ipsa urbe Stagnum Magalonense & Setium montem usque in ora maris Mediterranei pervenire possint, & vice versâ à Setio monte ad Tolosam, hincque per Garumnam, Burdegalam & Oceanum usque, maximô totius Occitaniæ commodô: sicque Tolosa erit utriusque maris emporium, Oceani nempe & Mediterranei. *Tolosanum* Episcopum Notitia Episcopatuum Galliæ quintô locô ponit, inter novem Episcopos Narbonensi, Bitterensi, Agathensi Luteviensique, quod mirère, ei prælatis. Johannes demum XII. Tolosam ad Metropolitanum sive Archiepiscopale extulit fastigium, & septem novas sedes ei attribuit, Apamiensem, Mirapicensem, S. Papuli, Montis Albani, Rivensem Lumberiensem & Vaurensem: veteremque provinciæ Metropolitanum Narbonensem Carcassone, Elenâ, Biterris, Agathâ, Leuterâ, Magalonâ, Nemausô, Uceciâ, antiquis sedibus ac Tomeriis S. Pontii & Electâ novis Episcopatibus suffraganibus contentum esse jussit. Vide Cæs. *l.* 3. *c.* 20. Strab. *l.* 4. Plin. *l.* 3. *c.* 4. *extr.* Melam, *l.* 2. *c.* 5. Justin. *l.* 32. *c.* 3. Ptol. *l.* 2. *c.* 10. Ammian. Marcell. *l.* 15. Gregor. Turonens. Sidonium Apollin. Nic. Bertrandum, *Gesta Tolosanorum*. Anton. Noguerium, *Histor. Tolos.* Guil. Catel. *Hist. Com. Tolos.* Morer. *Diction. Hist.* Concilium hîc celebratum, A. C. 829. à Ludovico Pio Imperatore A. C. 863. contra Judæos 1056. contra Simoniam &c. Purior Religio Urbi affulsit, seculô 12. quô sub patrocinio inprimis Hildefonsi V. Ægidii Comitis & Tolosanorum, Petrus Bruisius, Henricus Monachus aliique salutaris doctrinæ præcones docebant: Circa A. C. 1140. Unde crux in fideles sumta, & Raimundus Comes, dux illorum ab hostibus graviter pressus est, Simone Montfortiô Pontificiatum copiarum Antesignanô, in obsidione Tolosæ, lapide occisô: seculô 13. &c. Contra hos igitur Synodus ibidem celebrata, A. C. 1218. Cardin. Romanô præside. Vide Morer. *Diction. Hist.* & Phil. à Limborch, qui *Inquisitionem Tolosæ* primò introductam, à Dominico primo Inquisitore, circa A. C. 1208. 1212. 1215. *Historiâ Inquisit. l.* 1. *c.* 10. docet, ac *de bellis contra Raymundum, patrem & filium, Comites Tholosanos, c.* 11. sequ. prolixè agit: idemque primus luci dedit Librum *Sententiarum Inquisitionis Tolosanæ ab A.* C. 1307. *usque ad ann.* 1323. Hinc *Aurum Tholosanum*, adagium est, in eum qui fatalibus malis afficitur: sive in eum, qui pœnas dat sacrilegii, ut Cæpioni Consuli Romano contigit, cùm sacram pecuniam Tolosæ abstulisset, quemadmodum Strabo, *loc. cit.* testatur. Summa auri erat 110000. pondo, (quorum quodlibet, non minus est 100. aureis nummis,) argenti verò quinquies decies centena millia, vide Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor. c.* 30. Gellium, *l.* 3. *c.* 9. & Justin. *loc. cit.* Urbis hujus clarissimæ meminit Ausonius, *in Claris Urbib. Epigr.* 12.

Non unquam altricem nostri reticebo Tolosam,
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens;
Perque latus pulchrô prælabitur amne Garumna.

Plura, vide apud Hadr. Vales. in voce *Volca Tectosages*, ubi de Capitolio, Amphitheatro, Palatio, aliisque antiquitatibus Tolosanis egregiè disserit, item voce *Apamia*, ubi de sedibus Metropoli huic suffraganeis; nec non suprà in *Tholosa*.

Loca Diœcesi Tolosanâ comprehensa.

Alta Ripa.	Mons Laureus.
Aureolus mons *Montoriol*.	Pauliacum.
Clarus Mons.	Placentia.
Judicatura Lauriacensis *la Jugerie de Lauraguez*, vel *Lauragois*.	Sancta Fidis *Sainte Foy*.
Mons Acutus *Montagut*.	Vetus Tolosa *Vieille Tolose*.
Mons Goliardus *Montgailhard*.	Villa Franca.
	Villa Longa *Ville Longue*.
	Villa Nova.

Vivaria.

TOLOSA, vulgò TOLOSA, urbs Hispaniæ, in Guipuscoa provinciâ, prope Orium fluvium, satis culta, ad radices Pyrenæorum montium, & vix 4. leucis distans ab Oceano Cantabrico in Meridiem, uti à Fano S. Sebastiani, versùs Montem S. Adriani totidem. A Gallis autem *Tolosette* dicitur, ad alterius Tolosæ Occitanicæ differentiam.

TOLOSANUS Maximus, vide *Maximus*.

TOLPIA, legio 10. Vide *Tolbiacum*.

TOLSBURGUM: *Antonin. Tolczburg*, oppidum munitum Sueciæ, in Livonia & in provincia Viria, in ora sinus Finnici, ubi recipit *Semsekebeck* fluvium, 70. mill. pass. distans à Revalia in ortum, Narvam versùs 80. circiter.

TOLTA, apud Recentiores, exactio est quæ per vim fit, quod contra jus *tollitur*, quodvis tributum &c. Etiam *Tolta mala*, vel *Malatolta*, in Charta Philippi Aug. A. C. 1214. in Duchesnii *Normannicis*, *De Malatolta, quam Joannes Rex Angliæ & sui imposuerunt, sic erit.* Aliter *pravum Usaticum*, in vetere tabula marmorea, characteribus aureis exaratâ, quam, in publica Montiliensis oppidi domo, 4. bullis plumbeis appensis extantem, ut insigne Ademarorum Familiæ antiquitatis monumentum, ex schedis Peiresciania, *Glossario* suo inseruit Car. du Fresne, ubi plurima hanc in rem. Vide quoque hîc, ubi de *Tributis*.

TOLVERA, fluv. Galliæ, in agro Encolismensi, vulgò *Touvre*, in Carantonum labitur, prope Encolismam. Huic adsita Magnacum & Juveniacum, inter villas ad cœnobium suum pertinentes, numerat monachus Ecolismensis S. Eparchii *in vita Caroli Magni*, apud Hadr. Vales. *Notit Gall.*

TOLUMNIUS, augur, qui pro Turno bellavit in Æneam. Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 258.

Expediantque manus; primusque Tolumnius Augur.

Item Vejentum rex, qui Romanorum legatos interfici jussit, an. Urb. Cond. 317.

TOLUS, nomen viri, à quo monti Capitolino seu *Capitolio* nomen; in eo enim cùm fundamenta ponerentur ædis Jovis, caput *Toli* repertum, augurio fuit, Romam imperatricem fore. Structum est Capitolium quadratô saxô; Inchoavit illud Tarquinius Priscus, absolvit Superbus, dedicavit Horatius Pulvillus. Motis inter Syllam & Marium armis civilibus incensum est, Scipione & Norbanô Consulib. an. à dedicatione 424. posteà à Q. Catulo reparatum rursusque dedicatum, Plin. *l.* 3. *c.* 5. *l.* 7. *c.* 28. *l.* 10. *c.* 32. *l.* 33. *c.* 1. & 3. & 12. *l.* 34. *c.* 7. Sueton. *Cæsare*, *c.* 15. Sed interjectis annis 136. à Vitellianis denuo incensum, Dio, *l.* 65. iterumque à Vespasiano reparatum est, Sueton. *in eo*, *c.* 8. Ausonius *in Urbibus de Narbona*, *Epigr.* 13. *v.* 15.

Tanta molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius Catulusque iterum postremus, & ille
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar.

Hic solenne juramentum concipiebatur, Plin. *l.* 2. *c.* 7. præsertim, cùm in acta Principum cives adigerentur Kal. Jan. Solennia item hîc vota fiebant, Tertullian. *l. de cor.* Tactum fulmine Capitolium inter prodigia recensebatur, Cicer. *de Divin. l.* 1. Triumphantes curru illud conscendentes, peractô triumphô, convivium in Jovis templo instaurârunt: quod tamen alii in Capitolii porticibus factum esse contendunt. Coli hîc solita sunt omnium Deorum Dearumque simulachra, Liv. *Dec.* 1. *l.* 6. &c. Ad ejus imitationem, in aliis quoque urbibus: Corinthi, Antiochiæ, Tolosæ, Narbone, &c. Capitolia à Romanis coloniis extrui cœperunt, Vide in voce *Colonia*, & plura de Capitolio, apud Thomam Dempsterum, *Antiq. Rom.*

TOLUTARES, seu *Tolutarii* Equi à *tolutim incedendo* dicti, quod Asturconum proprium est. Plin. *l.* 8. *c.* 42. *Gallaica gens & Asturica, equini generis, quos thieldones vocamus, minori formâ appellatos asturcones gignunt; quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equis tolutim carpere incursus traditur arte.* Nempe quòd crura altiùs *tollant* in currendo & subsultim incedant hujusmodi equi, *tolutim ire* dicti sunt. Græcis κάλπαζειν quoque ac ταννάζειν, elegantissimè, uti videre est suprà, voce *Calpare*; item ἐξωποδεῖν, quòd crebris densisque gressibus terram feriant, vide suprà *Acupedes*. Iidem & *colatorii* vocati, apud Senecam, *Ep.* 87. *cantherii* nempe vel *tannisculi*, à *colo* vel *succo*, qui minutim vacuefieri consuevit: à quibus diversi gurronarii, qui iidem cum trepidariis vel trepidantibus, de quibus infrà. Quamvis & hi *tolutim incedere* dicebantur, imò & à *tolo*, (pro *tollo*) *toluto*, *tlato*, hinc trotter suum de iis Galli formârunt. Sed Asturconum seu *tolutariorum* blanda vectura, & ad delitias usque mollis ac grata est: nullum

lum vero genus vecturæ, quod magis torqueat ac succutiat, quàm equi trepidiarii. Pomponius apud Nonium, *Ubi insilui inalceatum equuleum, ibi tolutim tortor.* Quod de trepidante omnino dictum, qui & ipse tolutim incedit altiusque pedes tollit, ac volubiliter gressus glomerat, sed cum tortura & succussione. Interim solebant trepidarii condocefieri asturconum modò blandè molliterque vehere, gressuque spissò & minutò sedentem erigere & molliculà gratâque succussione commovere, Parthorum inventò, ut Vegetius, *l.* 4. *c.* 6. ait: quâ arte molliter ac delicatè vehendi postquam edocti erant, mediam quandam ambulaturam habebant inter asturcones & trepidantes, atque *tricenarii* Latinis appellabantur, uti infrà dicemus. Plura hanc in rem vide apud Salmas. *ad Capitolin. in Maximinis*, *c.* 3. & hic passim.

TOMADÆORUM, insulæ 2. Arabici sinus. *Ptol. l.* 4. *c.* 8. *Sotidan Ortel.*

TOMÆA, apud *Strabonem*, *Lazio Tomiswar* vel *Temeswar*, oppid. seu pagus Mysiæ inferioris in ora maris Euxini, apud Tomos, inde 250. stad. *Strab.* Aliis *Tomi* ipsi.

TOMÆUM, seu US, mons Peloponnesi, juxta Coryphasium promuntor. *Thucyd. Steph.*

TOMARIUM, vulgò *Tomar*, oppid. Extremaduræ, in Portugallia, ad amnem *Couros*, 7. leuc. Lusitanic. à Leiria in Ortum, 3. à Tago.

TOMARUS, (vide *Tmarus*) *Strab.* & *Steph.* mons Thesprotiorum, Dodoneo oraculo imminens. Orpheus in *Argonauticis*, ubi de Argo:

Δὴ τοτ᾽ ἐπιβρομέουσα Τομαρίδος ἔκλαγε φηγός.

Dicitur per concisionem *Tmarus*. Unde Virg. *Ecl.* 8. *v.* 44.

Aut Tmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

TOMASINUS Paulus, Patavinus, fil. Marci, Theologus Patavinus, Canonicus, & Ecclesiæ S. Laurentii Rector, obiit A. C. 1576. ætat. 66. in usum Virginum D. Stephani scripsit vernaculô idiomate, *De recta ipsarum vivendi ratione.* Alius ejusd. nominis, fil. Jacobi, indidem oriundus, JCtus & Philologus decessit A. C. 1643. ætat. 59. Auctor *Consiliorum & Allegationum*, *Observationum circa Statuta Patavina*; *Miscellaneorum & Adversariorum*, &c. Alius ex eadem familia vetustior, *Thomæ* prænomine, Monachus Dominicanus, Philosophiam & Theologiam passim docuit: Gabrieli Condulmerio, susceptô nomine Eugenii IV. in Concilio Basiliensi aliisque negotiis cum fide & successu inservíit. Episcopus tandem Feltrensis & Bellunensis creatus, obiit A. C 1445. de quibus omnibus vide Jac. Phil. Tomasium Patavinum itidem, Episcopum Aemoniensem & Comitem S. Laurentii in Dayla; *Elogiis Virorum illustr. iconibus exornatis*, *A. C.* 1629. *Patavii editis*: qui idem plurima alia scripsit, *Prodromum Athenarum Patavinar*, *Petrarcham redivivum*; *de Donariis*, *seu Tabellis votivis*; *Bibliothecam Patavinam*, *Bibliothecam Venetam*, *Vitas clariss. Virorum*, *de Tesseris Hospitalitatis*, *Urbis Patavinæ Inscriptiones*, *Athenas Patavinas*, *Parnassum Euganeum*, *Chronotaxin Gymnasii Patavini*, *Elenchum Episcoporum Patavinor.* *De Claris Mulieribus*, *Causidicis & Pictoribus Patavinis*, *Inscriptiones & Elogia diversa*, *Historia dell' Istria*, &c. *Tomasinorum* autem Familia, cum 31. familiis è Tuscia Venetias concessit A. C. 1309. sericique commerciô floruit, inde Vicentiæ & Patavii se diffudit. Vide *ibid.*

TOMBUTUM, Gallis *Royaume de Tombut*, Regnum Nigritarum, Gualatæ regno præferendum, magnitudine, populositate, fertilitate, frumenti, pecorum, lactis, butyri, at salis inops: inter regna Agadum ad Ortum, Mandingam ad Meridiem, Genehoam ac Gualatam ad Occasum, & desertum Zanhagam ad Boream. Metropolis regni quoque *Tombutum* dicta ad Senegam fluv. tuguriolis cretaceis, stramineisque tectis constat, exceptis templô quodam, regiôque palatiô, lapideis muris, calceque vivâ extructis. *Natal. Metell.* Est hæc urbs in limite regni Gambeæ, 130. mill. pass. supra Genehoam *Baudr.*

TOMENTUM Circense, quod scil. in Circo vendebatur, memoratur Martiali, *l.* 14. *Epigr.* 160.

Tomentum *concisa palus* Circense *vocatur*:
Hæc pro Leuconico stramina pauper emit.

Ubi *palus*, sumitur pro arundine, junco, ulva palustri, è qua *tomentum* fiebat; idem quibusdam cum stramento Orchomenio, de quo Plin. *l.* 19. *c.* 1. Hoc nempe pauperes in suum usum vertere consueverunt: cùm divites Lingonicô seu Leuconicô culcitras farcirent. De quo idem supra, *Epigr.* 159.

Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ,
Vellera Leuconicis accipe rasa sagis.

In quæ verba Salmasius, *Tomentum*, inquit, *lana est, quæ pannis vestibusque detondetur atque abraditur. Flockes Belg. Mittebant autem Lingones cadurca, bardocucullos & saga crassa ac pinguis lanæ. Unde legunt hic alii, Lingonicis sagis. Per rasa vellera verò Lingonicis sagis, intelliget lanas novissimo sui purgamento detractas Lingonicis sagis pectine sive erinaceô fullonis. Non igitur tunc tondebatur eminens lanugo pannorum, sed pectine tantum deradebatur. Libri tamen Martialis omnibus locis scriptum habent* Leuconicis, *non* Lingonicis. *A Leucones dixit pro Lingonibus?* Sed & calceos *Tomentô* stipatos legimus, si fortè pedum modulô laxiores essent: Quô sensu Tertullian. *Ep. ad Eustochium*, inter cœtera, quibus operosam puellarum in sui ornatu curam exagitat, dixit: *Calceum stipant multiformem.* Sic enim ad eum locum Rhenanus ait, *Stipant, ne follicet calceus.* Antiquis enim quoque ævi hominibus decorum maximè visum esse, si strictim calcearentur, neque pedes in laxa calceorum pelle natarent, diximus suprà, ubi de *Tensis cothurnis*. Nominis origo à *tondendo*, hinc enim *tondimen*, *tomen* extritò *n.* ἀφωνίας χάριν, *tomentum*, ut *moveo*, *movimen*, *momen*, *momentum*. *Tonderi* autem dicuntur, quæ cæduntur vel acciduntur. Unde *lana tonsa*, i. e. rasa novissimô sui purgamentô: ut ait Plinius, *l.* 8. *c.* 48. (κνάφαλον inde Græcis) *tomentum Lingonicum*, *tonsæ arundines*, *tomentum Circense*: adeoque in genere *Tomentum* factum illud, quod ex certa materia cæsa, rasa, tonsa conficitur: quale nec fœni nec plumæ, ut quidam volunt. Certè *tomentum* fœno diversum facit Seneca *de Vita B.* acen Varro, *de L. L. l.* 4. plumæ Martialis, *ubi* sed & stramento, Plinius, *l.* 8. *c.* 48. ubi ante cognitum tomentum Italos stipulis ad substernendum usos esse, hocque stratum *stramentum* vocitâsse, docet. Ab inculcando autem aere, *tomento*, pluma, *culcita* nomen accepit. Vide supra, uti & in *Phcor.* & *Phleos*: it. *Plumeum tomentum.* plura verò hanc in rem apud Salmas. suprà laudatum *ad Solinum*, *p.* 391. 398. & 1003. inprimis verò Joh. Frid. Gronov. *Observat. l.* 4. *c.* 21.

TOMERIÆ, seu *Pontiopolis*, urbec, parum culta Occitaniæ, 8. leuc. a Narbone in Boream, totidem a Bliterris in Circium. Vulgo *S. Pons* seu *Pons de Tomieres*. Episcopalis est sub Metropoli Narbonensi, in id fastigium evecta, à Johanne XXIII. A. C. 1318 cùm anteà Abbatia Benedictinorum esset, fundata à Raimundo III. Comite Tolosano cognomine Pontio, A. C. 936. cujus prima uxor Garsinda, altera Bertha fuit, neptis Hugonis Italiæ Regis & Arelati Comitis, vidua Bosonis Marchionis Tusciæ: Ex qua genuit Pontium II. patrem Gulielmi IV. avum Pontii III. qui obiit A. C. 1061. ex Almodia pater Gulielmi V. & Raimundi Ægidii, Catel. *Hist. Tolos.* Monachi religiosis soluti sunt legibus A. C. 1625. oppidumque Episcopum Dominum agnoscit, Duchesn. *antiq. de villes.*

TOMERUS fluv. Indiæ, circa quem Pasira urbs, in ora Ichthyophagorum, memoratur Plinio, *l.* 6. *c.* 23. ubi vulgò *Tuberus* legitur. Sed Τόμηρον vocat Arrianus in *Indicis*, de Nearchi navigatione (quam Plinius eò locô describit) satis tamen longè ab illo fluvio Pasiras ponens. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1176.

TOMEUS, urbs juxta Odessum. *Steph.*

TOMIS, vide *Tomos.*

TOMISSA, regiuncula, distinguens Cappadociam à Tauro. *Steph.* Τόμισα *Straboni.*

TOMOS, *Ælian*, & *Strab. Tomi Ptol. Tomis Marcellino*, *Tomiswar Cælio Calcagnino*, *Kiow Ciofano*; sic ab *incisione* Absyrti fratris Medeæ ibi secti dicta, urbs Mysiæ inferioris in ora maris Euxini, ubi Ovidius exulavit. Ovid. *Trist. l.* 3. *eleg.* 9. cui Titulus, *Unde Tomos dicta vult.*

Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Cicer. *in orat, pro lege Manilia*: *Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa mœrorque patrius celeritatem persequendi retardaret.* Statius, *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 255.

---- *Nec tristis in ipsis*
Naso Tomis. ---- ----

Nunc *Babba* Turcis, etiamnum munita, cum portu percapaci in Bulgaria regione. Hic lacus hodieque *Ouvidoune Jezeoro.* Populi *Tomitæ.* Ovid. *Pont. l.* 1. *Ep.* 2. *v.* 77.

Non vacat in qua sint positi regione Tomitæ
Quærere. ----

Hinc *Tomitanus.* Idem, *Pont. l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 1.

Naso Tomitanæ jam non novus incola terræ.

Nic. Lloydius.

TOMUS, apud medii ævi Scriptores, volumen, librum, codicem notat, uti videre est apud Hieronymum *ad Pammachium & Ocean.* nec ingentem solùm, sed mediocrem, libellum, epistolamque, unde Eutychiani ridentes Leonem Pontificem, quòd Epistolam dogmaticam suam ad Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum & universum Concilium Chalcedonense missam *tomum* appellaret (unde illa *Tomus Papæ Leonis* in Oriente dicta est) increpat Ephrem Patriarcha Antiochenus, apud *Photium*. Etiam mappam mundi, in membrana exaratam, sic vocari apud Isidorum, Episcopum Pacensem, *Chron. æra* 749. adnotat C. du Fresne. Ex Græco τόμος, quod ex origine vocis *segmentum*, & *frustum* notat à τέμνω, *seco*, *scindo*. Unde τόμος Θυννεῖος, quem inter piscium genera perperam recenset Plinius & aliis *Xiphian* vocari ait, *l.* 32. *c.* 11. *Turdus inter saxatiles nobilis. Tomus Thurianus, quem alii xiphian vocant.* Xiphias enim canicula est piscis, τόμος autem frustum ejus concisæ & salitæ; qui Θουριακὸς appellatus est à Thuriis populis & θύρσιον, *thursio*, à similitudine capitis thyrsi, cùm scil. hac forma concidebatur. Salmas. *ad Solin. p.* 1317. Propriè verò idem τόμος ac κορμὸς est, *truncus* seu *codex*; & κόνταξ seu κοντάκιον, *scapus*, ramus videl. arboris ex utraque parte præcisus, vel simpliciter ab arbore recisus, quem κλάδον quoque Græci appellavêre: quibus nominibus, à similitudine, postmodum vocavere Veteres chartas in unum volumen convolutas atque complicatas, quomodo chartæ non scriptæ jungi solebant, uti ex Cassiodoro discimus; atque hinc ad quodvis volumen denotandum & *codicis* & τόμου seu *tomi* vox est extensa. Idem Salmas. *ad Vopisc. in Firmo*, *c.* 3. Vide quoque suprà in voce *Codex*, item *Scapus.*

TOMYRIS, vide *Thomyris.*

TONACIACUM, locus Galliæ Celticæ. *Fortunatus.*

TONANS, Jovis epitheton, à *tonando*. Hunc Octavius Augustus consecravit, ædemque ei in Capitolio extruxit, liberatus periculô, cùm

tùm in expeditione Cantabrica, per nocturnum iter, lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimâsset. Quæ in dedicatione ejus memorabilia contigerint, refert *Dionys.* Ab Auguribus quoque jam antè Jupiter *Tonans* & Fulgens appellatus est, quia tonitrua & fulgura ei tributa. Hinc in veterib. nummis simulachrum ejus fulmen trisulcum manibus tenet. Vide Thom. Dempster. *Antiquit. Rom. l. 2. c. 5.*

TONANTE Cœlô, pro mutua salute vota fundendi mos Veterum, indignatur Philostrato, *de Vita Apollonii, l. 6.* ubi de Antiochensibus Syris & terræmotu, qui, dum ipsi in concione sunt, factus est, Σεισμοῦ δ', ait, ξυμπεσόντος ἐν ἐκκλησίᾳ, καὶ ὥσπερ ἐν διοσημείαις εἰώθει, ὑπὲρ ἀλλήλων εὔξαντο, *Terræmotu autem vehementi ortô conterriti, & sicut tonante ac fulgente cœlô assolet, pro se mutuò precati sunt.* Ubi tonitrua & fulgetra Διοσημείας vocat, quia à Jove fieri credita, qui inde *Tonans* cognominatus est, uti vidimus in hac voce, statuamque ex ære in Capitolio Romæ habuit, *ante cuncta laudabilem*, Plin. *l. 34. c. 8.* Quamvis & Ditem quoque interdum *tonare* putabant. Claudianus *de Jove Inferno*,

> *Sub terris* tonuisse *putes* ——

quem proin *Infernum Tonantem* vocat Papinius Statius, *Theb. l. 11. v. 290.* ad quem vide Casp. Barthium, *Animadversion. l. 3. p. 1326.* Inprimis verò cùm *tonaret* cœlô serenô, quia id raenter fieri solet, prodigii locô habebatur nonnullis: aliis prospera talia tonitrua arbitrantibus, qua de re vide Theod. Marcilium *ad Suetonii Titum, c. 10.* Uti autem consuetudo præfata laudabilis: sic contrà ingens vecordia fuit Caligulæ, quem ταῖς βρονταῖς ἐκ μηχανῆς τινος ἀντιβροντᾶν, auctor est *Dio.* Sed & Alladium, Romulum, Salmoneum, Sylvium, tonitrua imitatos, dignô impietate suâ exitu, passim legimus &c. Vide quoque infrà, in voce *Tonitru.*

TONARION, Græcè τονάριον, fistulæ genus, quô vocis modos regebant ac temperabant Musici. Quintilian. *l. 1. c. 17. Ut unô interim contenti simus, exemplô C. Gracchi —— cui concionanti post eum consistens, Musicus, fistulâ, quam* tonarion *dicunt, modos, quibus deberet intendi, ministrabat.* Sic dictum, quòd διὰ τόνων vocem modò remitteret, modò intenderet, uti docet Plut. περὶ ἀοργησ. ubi plura hanc in rem, ut & apud Salmas. *ad Vopisc. Carin. c. 19.* Vide quoque suprà, voce *Syntona.*

TONDENDI Ritus, Antiquis in usu non fuit, qualis hodie ad ornatum viget. Namque & Romani comam alebant, unde *incomptis Curius capillis*, apud Horatium, *l. 1. Od. 12. v. 41. Intonsus Cato*, apud Eund. *l. 2. Od. 15. v. 11. barbatus Rex*, apud Juvenalem, *Sat. 4. v. 103. capillatus Consul*, apud Eund. *Sat. 5. v. 30. intonsus Numa*, Ovid. *Fastor. l. 6. v. 264.* ac paulo clariùs de Catone, Lucan. *l. 2. v. 375.*

> *Intonsos rigidam in frontem descendere canos*
> *Passus erat, mæstamque genis increscere barbam.*

Et Græci capillos demittebant, hinc καρηκομόωντες Homero dicti; ac Lex illa celebris apud Aristotelem, *Rhetor. l. 1. Crinitus servile officium subire non potest.* Interque Scriptores convenit, utriusque gentis hujus ritu ingenuos fuisse capillatos. Petronius, *Satyr. Vidimus senem inter pueros capillatos ludentem pilâ.* Martialis passim, *l.* inprimis 10. *Epigr. 62. v. 1.*

> *Ludi magister, parce simplici turbæ,*
> *Sic te frequentes audiant capillati*, &c.

Idem legimus de Gallis, quos Claudianus cum Sicambris confundit: Unde *Regalis capillitii jus*, apud priscos Francos, Fr. Hottomannus, *in Francogall. c. 9.* Certè omnes Galliæ Reges usque ad Pipinum Caroli M. Patrem, *longis capillis semel in anno conspiciebantur, Comitibus Regnum administrantibus*, P. Faber Sanjorianus, *Semestr. l. 2. c. 20.* Cujus rei originem tradens Ado Viennensis, *Chron. æt. 6. Post Pharamundum*, inquit *Franci Chlodionem filium ejus sibi Regem statuunt: abhinc Franci, in Thoringorum finibus, habitantes, crinitos Reges habere cœperunt.* Gothos non minus capillos promisisse, Procopius docet, *l. 4.* Vide quoque Cassiodorum, *l. 4. Ep. 49.* & Sidonium, *l. 1. Ep. 2.* Unde edictum Theodorici Regis, *c. 195. Quemlibet ut capillatorum tertio fuisse conventum*, &c. Idem proin *Crinigeri Patres*, Claudiano *de bello Getico, v. 481.* De Hunnis item Incertus Poëta, sed antiquus, *Anthologiæ l. 4. c. 4. Epigr. 16.*

> Ἄνθρωπ' Ἀκοσσουκάμας Ἀλαλάγρου ἐγγύθι ἔνθα ἔθεν Ἐργον,
> Κόσμος ἐκ κεφαλῆς βόστρυχον ἀνταδίως.

De Britannis, ante Henricum Regem Theodosius Clainus, *Hist. Brit. l. 3. Henricus comam in hac Insul. Princeps barbamque totondit, ejusque exemplô dicti Angli, quia suâ memoriâ capillô promissô fuerant, omnes confestim tondebantur.* Ut alios omittam. Vide quoque suprà *Capillati*, it. *Criniti.* Contrà Servi *tonsi* incessêre; Unde *detonsa juventus*, apud A. Persium, *Sat. 3. v. 54.* & interrogatio Comici, *in Avibus*,

> Δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις;
> *Servus cùm sis, portas comam?*

Proin, triumphati Duces, in servitutis signum, *tonderi* quoque soliti: Quô pactô Eruditi interpretantur *Africam tonsam*, apud Propertium, *l. 4. Eleg. 12. v. 38. captivos Germaniæ crines*, apud Ovidium, *Amor. l. 1. Eleg. 14. v. 45. detonsam Sicambriam*, apud Claudianum, *l. 1. in Europ. v. 385.* &c. Itaque homines ingenui, liberi ac nobiles, capillum olim non exuebant, nisi urgente maximô periculô: uti de Lacedæmoniis docet Plut. *in Lysandro, Quoties adire vitæ periculum volunt, comam detondent.* Petronius *Satyr. Notavit sibi ad Lunam Tonsorem intempestivo inhærentem ministerio, exsecratusque omen, quòd imitaretur naufragorum ultimum votum, in cubile rejectus est.* Unde colligimus, eos qui salvi è naufragio emersissent, caput *totondisse*. Vide Juvenalem, *Sat. 12. v. 81.* ex voto. Quemadmodum & qui in peregrinationem longinquam aut expeditionem proficiscebantur, capillum alicui Deo devovebant, cui reduces detonsum consecrabant; Quem usum primus observavit Hadr. Turnebus, *Adversarior. l. 22. c. 28.* Hinc Val. Flaccus, *Argonautic. l. 1. v. 378.*

> *Tiphys & Eurytion servato colla capillo,*
> *Quem Pater Aonias reducem* tondebit *ad aras.*

Vide quoque Papinium Statium, *Theb. l. 6. v. 608. & seqq.* Imò non Adolescentes tantùm, sed & Virgines id factitare solitæ sunt, ποταμοῖς ἢ θεοῖς, *fluminibus aut Diis*, capillos suos consecrantes, Lucian, *in Syria Dea*, Jul. Pollux, *l. 2. c. 3.* num. 5. Homerus, *Il. ψ. Eustath.* Alii. Quod votum concipiebatur interdum statim ab ipsâ nativitate, depositô pro more in terram natô. Tertull. *de Anima, c. 40.* sed hac de re suprà actum *passim*. Porrò in luctu Græci πλόκαμον seu βόστρυχον tondebant, eumque vel tumulo ejus, quem lugebant, imponebant, vel conjiciebant in ignem: quod Caracallam quoque in funere Festi fecisse, docet Herodian. *l. 4. c. 8.* Et hoc appellabant κείρεσθαι κόμην, & ἐπικείρειν τρίχας, & τεμεῖν βόστρυχον & καρήνου χαίτην, & ἀπαρχὰς τῆς κόμης. Neque id à viris solùm, sed & à fœminis factum: Unde, in funere Clytemnestræ, Electra ad Helenam cincinnis suis parcentem, Ἔδει, inquit, τὰς κατ' ἀλήθειαν θρηνούσας πάντα τὸν πλόκαμον τέμνειν, *Oportebat verè lugentes totum radere capillum.* Macedones quoque *tonsi lugebant*, Arrian. *de Reb. Alex. l. 7.* Unde Alexandrum defunctum Sisygambis, Darii mater, hôc ritu prosequuta est, apud Curtium, *l. 10. c. 5.* Ut Patroclum Achilles, apud Homer. *Il. ψ.* Polydorum & Pallantem sui, apud Virgilium, *Æn. l. 3. v. 65.* & *l. 11.* Imo, in funere Hephæstionis, cùm dolorem ferre non posset Alexander, equos quoque & mulos omnes *tonderi* urbiumque circumjacentium propugnacula dejici evertique jussit, teste Plut. *in eo.* &c. Stoici porrò totô capite atque etiam vertice deradebantur, hinc οἱ ἐν χρῷ κουρίαι. Cùm elegantiores Græci & palæstrici, in orbem tonderentur, hinc περιτρόχαλα κουρίαι dicti. Quomodo & pueri delicati soliti circumtonderi, Sueton. *Aug. c. 45.* & meretrices, *Hesych. Coronam* Latini vocabant hujusmodi capillaturam seu externum hunc crinium ambitum circumtonsum, Græci στεφάνην ἢ περιδρομήν. Circumtonsi enim, in orbem tantùm tonsi, verticem intonsum gerebant: cæterùm quâ parte tondebantur, juxta cutem rasi: quos hinc σκαφιοκάρους quoque *Eustathius* appellat. Idem namque σκαφίον & περιτρόχαλα, uti docet pluribus *Not. ad Tertullian. de Pallio, c. 4.* Salmasius &c. Vide quæ suprà dicta; ubi de *Capillis, Capite, Circumtonsis, Coma, Palæstricis Juvenib. Radendi ritu*, alibique passim, nec non quæ infrà addemus, voce *Tonsor*, item *Tonsura.*

TONDOXIMA, parva Insul. in ora Boreali Niphoniæ, *Briëtio*; contra Devam provinc.

de TONGERN Lucas, vide *Lucas.*

TONGRI, Vide *Tungri.*

TONICE, *Ptol. Zazella* nunc, teste *Stuchio*, urbs & emporium Æthiopiæ sub Ægypto ad sinum Barbaricum, inter Serapionis portum & promuntor. ad Boream & Raptam metropol. ad meridiem. Aliis est *Mombaza*, urbs regia & ampla in eadem regione.

TONINIUM, vulgò TONNEINS, oppid. provinc. Aginnensis, ad Garumnam, 5. leuc. infrà Aginnum in Circium, 8. à Vasate in Ortum, 1. leuc. infrà confluentes Oldis fluv. in Garumnam.

TONITRU, Peruvianis pro Deo. Ab *Josepho* enim *Acosta* proditum est, Ingas, dominos Peruviæ, post Viracocham supremum Numen, tum Solem colere, tum *Tonitru* ac *Tonitru* quidem triplici nomine appellare, *Chuquilla. Catuilla & Intillapa.* Ait quoque effingi hoc illis figurâ hominis, cum funda aut clava: manu prætereà continere pluvias, grandinem, tonitru & alia hujusmodi: esseque *Guaca* sive cultum hunc omnibus Peruanis communem, variéque illi Deo sacrificari: imò in Cusco, Regia gentis, etiam ei, quemadmodum Soli, pueros immolari. Verùm hoc Numen secundarium duntaxat ac ministrum, ut cui Viracocha commiserit potestatem aëris, adeoque non ipsum *Tonitru*, quàm Tonantem, sive is Jupiter, h. e. sidus Joviale, vel aër, sive Genius aliquis, naturæ aëris præfectus, à Peruanis hôc nomine cultum, ex hac ipsa Acostæ descriptione colligit Vossius. Sanè & Sclavi, etsi Nymphas, aliaque colerent dæmonia, inprimis tamen venerati leguntur, non tonitru quidem, sed tonitrus auctorem ac fabricatorem, quem summo pro Numine, imò unico habebant. Vide Procopium, *Hist. Goth. l. 3.* & Dubravium, *Hist. Bohem. l. 1.* uti & hic vocibus *Taran*, it. *Tor.* Neque verò gentes solùm barbaræ, sed & Christiani quoque ingenti fulgure ac tonitru vehementer percelluntur sæpe, præsertim sexus imbecillis, & ex Veter. loquendi forma, non *religens* modò, sed & *religiosus*. Quò facit factum S. Hedvigis Poloniæ Ducis, & S. Elisabethæ, quæ Landgravio Thuringiæ nupserat, materteræ: de qua legas, *Coruscationes & Tonitrua multùm formidabat, quòd his elementorum commotionibus extremi judicii diem & divinæ ultionis gladium ad memoriam revocaret, eaque commemorans tota contremisceret, & cum B. Job, quasi tumentes supra se fluctus, semper Dominum timeret*, in *Vita* ejus ab Engelberto Cisterciens. Monacho exarata; qui ibidem addit, quomodo illa Sacerdotem advocaret, & sub manuum ejus umbraculo genu flexô in precibus ad Deum, durante persisteret tempestate, apud Joh. Gerh. Vossium, *de Idol. l. 3. c. 8.* ubi plura hanc in rem. De Veterum more *tonante cœlô* pro se mutuò precandi, diximus suprà, ubi & de impietate ac vecordia quorundam Principum machinis quibusdam ταῖς βρονταῖς ἀντιβροντώντων. Sed & apud Veteres *quarundam domorum talem fuisse situm, ut adaperientibus fores tonitruum intus terribile existeret*, refert Plinius, *l. 36. c. 13. de Labyrinthis*: ut de machina Scenica Βροντεῖον dicta, in qua utres calculorum pleni cum æneis vasis, unde fulgura exibant, & *tonitrua* exaudiebantur, ut *in Ajace Oileo*, nil dicam. Vide de illa Scaligerum, *Poetic. l. 1. c. 21.* Non tamen omittendum *Tonitru Mechanicum*, in *Musæo* Kircheriano, ex quo

instrumento Magnatibus advenis audiendum id cum horrore exhibetur. Pila est vitrea, ad instar pisi, quoad magnitudinem, quæ ad medietatem certô liquore repleta, carbonibusque accensis imposita, osculô hermeticè clausô, fracturâ tantum fragorem edit, ut præsentes vehementiâ sonitus planè attonitos reddat, fulgur præterea efficiat, non secus ac explosa bombarda solet. Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jesu Musæo*, p. 46. Vide quoque suprà *Crystallinæ Sphæræ*, item ubi de *Lucernis*, at plura hanc in rem in voce *Brontæus*, item ubi de *Fulgetris*, quæ Veteres nonnunquam cum tonitribus confundunt, cùm sæpe coruscatio cum tonitru jungatur; nec non ubi de *Margaritis*, ac *Tuberibus*, quorum genituræ tonitrua crebra cum imbribus proficere, Naturalium rerum Indagatores adnotant. De *tonitru* ab Apelle pictô, adi Plinium, *l.* 35. *c.* 10. de malo ejus augurio, apud Romanos Liv. *l.* 23. *c.* 31. uti de Flaminica feriante, quoties *tonitru* audisset, voce *Feriæ* suprà, it. *Privatæ feriæ*: de Veneficarum graminibus potentissimis *tonitru* nutritis infrà, ubi de *Veneficio*.

TONITRU, nomen unius filiorum Clearchi, Heracleensium tyranni, apud Plut. *de Fortuna Alexandri*, *l.* 2. *c.* 13. *Ceraunon* vocat Justin. *l.* 16. *c.* 5. Locus Plutarchi sic habet: Clearchus *Heracleæ tyrannus gestavit fulmen unumque filiorum* Tonitru *appellavit*. Fulmen, scil. ut ipse Jovem referret, cujus personam ridiculè sumebat. Atque ita locum interpretatur Budæus, cùm in Græcis vulgò impressis pro σκηπτὸν, *fulmen*, mendosè legatur exponaturque σκῆπτρον, *sceptrum*.

TONNA, nomen Dynastiæ, in Thuringia, quam Gleichenses Comites nostrô adhuc seculô tenuêre, à .. postremi, ut volunt *Tonnensium Dominorum* filia, Sigismundo Gleichensi dotis locô allatam, A. C. 1408. aliis antiquiorem illis possessionem hanc facientibus. Istud certum, Tulstettum cum Ushovia (jam Nobilium Goldackerorum) à Landgraviis Thuringiæ, Gleichensibus Tonnæ jam potitis, adjectam esse, extinctô, istô circiter tempore, Hermannô Barone Salzensi ultimô, cujus Majores arcem Tulstetti condiderant. Ultimus autem Gleichensium Jo. Ludovicus, qui sterile cum Erdmuthi Juliana Hohenstenia matrimonium expertus est, annuente Jo. Casimirô Saxoniæ Duce, ita domui suæ dispofuit, ut post obitum Hohenloicis atque Schwartzburgicis Gleichensis Comitatus, *Tonna* Christiano Pincernæ Tautenburgio, & hujus quoque Familiâ deficiente, Christiano atque Wolrado Waldecciis, eorumque posteris Comitibus, obveniret. A' quibus posterioribus (Jo. Ludovicô A. C. 1631. & Christianô A. 1640. mortuis) habitam emptionis jure non ita pridem patrimonio titulisque Fridericus Dux Saxon. Lineæ Gothanæ, Ernesti Patris successor, adjecit, sibi soli posterisque comparatam; cùm Gotham, Altenburgum, Coburgum & Hennebergias ditiones, suô Fratrumque nomine, supremô Patris jussu, regundas suscepererit. Tob. Pfannerus, *de præcip. Germ. Principum Gentibus*, *c.* 1. Vide quoque suprà, ubi de Familia *Gleichensi*.

TONNINGA, vulgò TONNINGEN, urbs Ducatus Slesvicensis, ad Eyderam fluv. in tractu Eydera, in limite Ditmarsiæ, vix 2. milliar. Germanic. infra Fridericostadium in Occasum, uti 6. à Slesvico. 3. ob ora maris Germanici. Hujus arx munitissima, Daniæ Regis jussu, disjecta & diruta est, A. C. 1675.

TONSA, apud Papin. Statium, *Theb. l.* 5. *v.* 340.

Ast ubi suspensis siluerunt æquora tonsis,

alibique: remus est. Servius ad Virgilianum hoc *Æn. l.* 7. *v.* 28.

—— *in lento luctantur marmore tonsæ*:

Remi, inquit, *dicti à decutiendis fluctibus, sicut tonsores, à decutiendis & tondendis capillis*. Melius Festus, *à detonsis ramis*. Nam primos homines verisimile est integris arbusculis rem gessisse. Potiùs tamen à *tundendo* deducit Barthius, ut *tunsæ* primùm scriptæ fuerint. Cyrillus *Glossar.* Κώπη, *Remus*, *Tonsa*. Philoxenus, Κώπη, *Tonsa*. Ita & Farnabius *ad Sen. Agamemnone*, *Actu* 3. Delrio propriè palmulæ sic dictæ, imæ remorum partes, quibus aqua tunditur; quem remigantium nisum expressit Ennius

Ponè petunt, exin referunt ad pectora tonsas.

&c. de *Tonsa Corona* hîc infrà.

TONSILIS Corona, plectili vel nexili contradistinguitur; Quas enim ex integris frondibus atque adeo intonsis Veteres nectebant, *plectiles* vel *nexiles* dicebantur: Unde apud Plautum, *Bacchid. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 37. *Corona plectilis*, & A. Gellium, *l.* 18. *c.* 2. *coronam è lauro plexam*, id est, ex integra fronde lauri plexam. *Tonsiles* verò & *Tonsæ* appellabantur, quæ ex foliis detonsis texerentur: ut observat Salmas. *ad Solin.* ex Servio *ad Virgilii l.* 3. *v.* 21. *Georg.*

Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ:

Quem rectè de *Tonsili corona* Servius interpretatur, *Tonsæ*, inquiens, *olivæ minutis foliis compositæ. Habiturum se autem Coronam tonsilem dixit*. Vide Car. Paschal. *de Coronis Antiqq.* Meminit quoque *Tonsilium sertorum* Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 80. *v.* 7.

Sic quacunque vagus, gressumque oculosque ferebat,
Tonsilibus sertis omne rubebat iter.

In quæ verba Salmasius præfatus: *Coronas*, inquit, *interdum ex integris frondibus nectebant Veteres, ut ex lauro, oliva & aliis; Interdum ex mero folio funiculis eas suebant. Hæ* Tonsiles *vocatæ vel* Tonsæ, *ideò, quòd ex foliis detonsis texta essent; vel quòd folia in his parùm eminerent, tanquam si tonsa essent, Hinc tonsiles tapetas, brevibus ac tonsis villis*. Vide quoque suprà ubi de *Tomento*.

TONSIO Ovium, antiqua admodum, vulsione tamen posterior. Priùs enim vulsam, quàm *tonsam* esse lanam, discimus ex Varrone de *L. L. l.* 4. *de R. R. l.* 2. *c.* 11. & ipso *vellere* nomine inde lanæ tributo. Imò necdum Varronis ævô in desuetudinem abiisse penitùs, patet ex *seqq.* ut & Plinio, *l.* 8. *c.* 46. Unde sunt, qui Hebræum גזז *gazaz*, quod occurrit Genes. *c.* 31. *v.* 19. ubi de Labane, & *c.* 38. *v.* 12. ubi de Juda, oves suas tondentibus, *non tondere ferro*; uti Veteres reddunt, sed *manu vellere & extrahere* interpretantur. Verùm utut vellendi mos Romæ & in vicinis locis, non tamen in Judæa, Græciaque, olim in usu fuit. Certè apud Hesiodum, qui de re pecuaria scripsit primus omnium, ὄϊας πείκειν occurrit, quod non *oves vellere*, sed *tondere* significat, ut in Theocriti *Bucoliastis*,

ἐνιαύσια πέξω
Τὰς ὄϊς ἐκ πόκας ——

ubi πέκειν idem esse, quod κείρειν *tondere*, docet Salmas. Et Hebræum *gazaz* idem notare, pluribus docet Bochartus. Sic inter alia, vaticinium Esajæ, de Christo, Actorum *c.* 8. *v.* 32. Græcè redditur, ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν, *coram tondente se*. Nec obstat, quod πακολλᾶν vel πακολλῆτες apud Cratippum, Craterum & Philemonem propriè *vellerum vulsorem* sonat, Veteres enim *tonsorem* explicant. *Hesych.* Ποκολλῆς, ὁ κείρων τὰ πρόβατα. *Suidas*, Ποκολλῆς, ὁ τὰ πρόβατα κείρων, &c. quia in vocum expositione non tam etymon, quàm usus, respicitur. Quia verò viris illis veteris ævi πολυμήλοις *tonsio* erat altera messis, solebant tonsionis dies solennes esse & convivales. Proinde Judas, absolutô luctus tempore, propter uxoris obitum, ut animum recrearet, ivit ad tonsores suos *d. l.* Et Davidis servi, ad Nabalem, tonsionis tempore missi, dicunt se *die bonô* (i. e. hilari & festô,) venisse, 1. Sam. *c.* 25. *v.* 8. &c, Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 45. & suprà, ubi de *Lana*.

TONSOR, inter familiares fuit. Ovid. *l.* 11. *Metam. v.* 182.

Sed solitus longos ferrô resecare capillos
Viderat hoc famulus.

Quô proin ministeriô domesticô functus est Pantagathus ille, cujus Epitaphium cecinit Martialis, *l.* 6. Et quidem apud Romanos diu *Tonsorum* non modò officium, sed & nomen ignotum fuit. Antiquioribus enim temporibus intonsi degebant, ut dictum. Græci quoque quamvis necessitate, vel votô, vel luctu urgente, capillos ponerent, barbam tamen retinebant, primusque Alexander M. *Persicô luxu fractus, enervatusque asperitatem patriam & frugalitatem exuens, barbam radere instituit*, Athen. *Dipnos. l.* 13. *c.* 6. quod Imperatores Romani posteà imitati sunt, uti videbimus. Et quamvis Assyrii contrà, in luctu barbam tonderent, capitis crinibus demissis, Strab. *l.* 16. tamen & præter præfatos Græcos, alii *barbam* etiam in luctu servabant, Sueton. *Aug. c.* 23. *Calig. c.* 5. Plut. *in Problem. Rom. c.* 13. Seneca, *de Benefic. l.* 5. *c.* 6. Liv. *Dec.* 3. *l.* 7. Alii: quò proin habitu fugisse à Cannis & in Urbem rediisse, Varro legitur, apud Jul. Frontinum, *Strategem. l.* 4. *c.* 5. Itaque illô rudi ævô concinnabant Cinifiones, & ferrô calidô contorquebant crines, qui solus decor tum habebatur. Vide Æl. Donatum *in Eunuch. Actu* 5. *Sc.* 2. Joh. Meursium, *Exercit. Crit. part.* 1. *c.* 2. Jan. Gulielmum, *Verisimil. l.* 3. *c.* 16. Isidorum, *l.* 9. *c.* 31. ubi, *Antiæ*, ait, *sunt cincinni dependentes prope auriculas*: Item in Gloss. *Antiæ, capilli demissi*. Quod obtinuit usque ad annum ab Urb. Cond. 454. quô primùm è Sicilia *Tonsores* in urbem admissi sunt, teste Varrone, *de R. R. l.* 2. *c. ult.* cujus verba in suum Opus transtulit Plin. *Hist. Nat. l.* 7. *c.* 59. iterumque usurpat, utròque posterior A. Gellius, *l.* 3. *c.* 4. Ita autem Varro, *Omnino Tonsores in Italiam ex Sicilia primùm venisse dicuntur, post Romam conditam, annô* 454. *ut scriptum in publico Ardeæ in literis extat; eosque adduxisse P. Ticinium Menam*. Ponebant autem barbam, ut plurimum sub annum ætatis 21. Hinc Macrobius, *in Somn. Scipionis*, *l.* 1. *c.* 6. *ter septenarium numerum ad barbam requiri*, affirmat: Cæsar tamen Octavianus vigesimô quintô, apud *Dionem*: Caligula vigesimô, apud Sueton. *c.* 10. barbam posuêre. Dies autem is solemnis habebatur, primitiæque barbæ, alicui è Penatibus Deo, solebant consecrari. Hinc Nero Juvenalia instituit, quòd barbæ suæ rasæ, τρίχας ἐς σφαῖραν χρυσῆν ἐμβαλὼν ἀνέθηκε τῷ Διὶ καπιτωλίῳ, *Pilos in sphæram auream conjectos Jovi Capitolino consecravit*, Dio. *l.* 61. *sub fin.* Eundem Sueton. *c.* 12. *inter buthysiæ apparatum barbam primum posuisse, conditam in auream pyxidem & pretiosissimis margaritis adornatam, consecrâsse Capitolio*, refert. Itaque viri erant imberbes, sicut ex numismatibus aliisque monumentis liquet. Primus Hadrianus hunc morem mutavit uti ex *Xiphilino*, Spartiano, *in ejus vita* & Nummis, discimus: A' quo omnes ferè reliqui Imperatores barbati fuêre. Quam ob causam Julianus Antiochensibus ludibrio erat, sicut ejus testatur Μισοπώγων. *Juvenes* verò *barbatulos* fuisse, dicit Cicero: Proin miratus Gellius, *l. c.* barbam Scipioni jam quadragenario rasam fuisse. Cæteri, qui barbam ponebant, vel radebant per *Tonsores*, vel psilothrô aliòque medicamentô exstirpabant pilos. Instrumentum *Tonsorum* notat Lucianus *c. Indoct.* ξυροὶ καὶ μαχαιρίδες καὶ κάτοπτρα. Vide & suprà *Sindon.* Habuit verò & Palatium *Tonsores* suos. Ammian. *l.* 22. Evenerat iisdem diebus, ut ad demendum Imperatoris *capillum* Tonsor, *venire præceptus, introiret quidam ambitiosè vestitus; quô visô Julianus obstupuit. Ego, inquit, non Rationalem jussi, sed Tonsorem acciri*. Imò nec mulieribus obsepta fuit hæc ad quæstum & dominicam

eam gratiam via. Hinc vetus elogium, *Sextiæ. L. Tertiæ. Tonstrici.* Et in hoc munere apud Cleopatram Ægypti Reginam, gratiâ insignis fuit mulier ancilla Eras, teste Plutarchô, *in M. Antonino*, vide suprà *Charmiane*: nec aliud sibi voluit Cicero, *Tusculan. l.* 5. Dionysii Senioris miseram custodiam perstringens, qui, ne *Tonsori* collum committeret, tondere filias suas docuit. Subdit enim, *Ita sordidô ancillarique artificiô regiæ Virgines, ut Tonstriculæ, tonderent barbam & capillum patris.* Sed & in civium familia *Tonstrices* fuisse, quæ resecarent crines & ungues, docet Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 15. *Egresso cubiculum Brutô cultellum Tonsorium, quasi unguium resecandorum causâ, poposcit; eôque velut fortè elapsô se vulneravit: clamore deinde ancillarum in cubiculum revocatus Brutus, objurgare eam cœpit, quod Tonsoris præripuisset officium.* Hinc Plautus, *Trucul. Actu* 4. *sc.* 4. *v.* 3.

Nam mihi dividia est, Tonstricem *meam sic mulctatam malè.*

Tonstricis, faucibus Suburræ quæ sedebat primis, meminit Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 17. *v.* 1. ubi tamen *Tonsoris* uxorem potiùs intelligere videtur. *Tondebantur* autem Romani, cùm è balneo egressi &c. *Tonstrinæ* negotium hisce describit Seneca, *de Brevit. vitæ*, *c.* 12. *Quid? illos otiosos vocas, quibus apud Tonsorem multæ horæ trahuntur, dum decerpitur, si quid proximâ nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur; dum aut disjecta coma restituitur, aut deficiens, hinc atque illinc in frontem compellitur.* Pergit: *Quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt.* Infrà, *Hos tu otiosos vocas, inter pectinem speculumque occupatos.* Vide Pignorium, *Com. de Serv.* Popmam, *de operis serv.* Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 10. *c.* 29. &c. Addam saltem, *Tonsorem* quendam, nomine *Maru Ragu*, interfectô Rege præcipuô Insulæ *Zeilon*, cœterisque ejus Regulis pulsis, totius Insulæ Monarcham sese constituisse, sede Regiâ in urbe *Candi* positâ, circa A. C. 1580. Vide infrà, ubi de hac Insula. Sed & Pori, inclyti illius Indorum Regis, patrem ex *Tonsore* Regem habes, apud Curtium, *l.* 9. *c.* 2. Nec eam rem raram videri vult Æn. Sylvius, *Histor. de Europa*, *c.* 6. *extremo.* Officina Tonsorum, *tonstrina* est, quam propter considentium ibi loquacitatem ἄοινον συμπόσιον, i. e. *siccum convivium* Theophrastus appellare solitus est, teste Plutarchô, *Convival. Quæst. l.* 5. *c.* 5. In tonstrinis enim omnis generis rumores jam olim narrari consuevisse, indicat Aristophanes, *Plutô.*

Καί τοι λόγος γ' ἦν, νὴ τὸν Ἡρακλέα, πολὺς
Ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων,
Ὡς ἐξαπίνης ἀνὴρ γεγένηται πλούσιος.

Et Juvenal. *Sat.* 12. *v.* 81.

—— *gaudent ubi vertice raso*
Garrula securi narrare pericula nautæ &c.

TONSURA Petri, in *Vita* 3. S. Euthberti *l.* 2. *c.* 2. apud Car. du Fresne, id tonsuræ genus est; quod aliàs *Coronam Clericalem* in Eccles. Rom. vocant; cujus origo quò referenda, non adeò liquet. Bellarminus enim inter Veteres, Sacerdotes & Monachos radi non consuevisse, ut hodie fieri solet, indigitat, *de Monach. l.* 2. *c.* 40. citans ad eam rem Optatum contra Donatistas: *Docete, ubi vobis mandatum sit radere capita Sacerdotibus, cùm è contrario tot sint exempla proposita fieri non debere, contra Parm. l.* 2. Vide quoque Hieronym. *in Ezech. c.* 44. In V. T. quoque Sacerdotibus radi non licebat: contrà *caput ac barbam rasam* habuisse, qui apud Babylonios sacris operabantur, discimus ex Baruch. *c.* 6. *v.* 30. Ipsi Nazaræi, *tum solùm tondebantur, quando desinebant esse Nazaræi, insigneque eorum erat longa cæsaries*, Bellarminus iterum, ubi suprà, *c.* 40. Hinc *Tonsuræ Ecclesiasticorum* originem prorsus fuisse moralem, utpote qui majorem, quàm alii, modestiam, præ se ferre debeant, accessisse dein coronæ formam, aliaque ostendit A. Rivetus, *Summ. Controv. Tract.* 2. *Quæst.* 26. Et quidem, cùm hodie *tonsura in signum honoris & dignitatis evaserit, factum, ut Episcopi ac Cardinales præ cæteris ampliorem tonsuram deferant & Pontifex habeat totum caput rasum, præter brevem capillorum circulum, ad formulam Benedictinorum Monachorum*, verba sunt Dominici Macri. Aliter olim tondebantur in Scotia Monachi: quippe ab aure ad aurem per frontem in coronæ modum incisus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium capillus intonsus dependebat, auctore in *Hibernia subulcô Regis Loigeri filii Nell*, ut est in *libro Canonum* Cottoniano, quem *ad Synodum S. Patricii* Waræus laudat. Cujusmodi tonsuræ occasione, multas in Anglia exortas turbas, testatur Beda, *Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 3. 4. & *l.* 5. *c.* 16. Monachi S. Pauli in Oriente, Maronitæ itidem aliique ad instar Monachorum Occidentis caput radunt, relinquentes quoque capillorum in vertice circulum, sed subtiliorem Occidentalibus. Sed & in eodem Oriente Sacerdotes Christianos in modum crucis sua capita radere fuisse solitos, docet Osorius, *Rerum Em. l.* 3. quod etiam in India Orientali ab Episcopo Cranganoriæ observari, scribit Auctor *Novi Orbis*, *c.* 133. At in *Foris* Oscæ A. C. 1347. sub Jacobo I. Aragoniæ Rege *Testes convicti ad modum crucis capite tonsurentur, & cum batallo campanæ candenti ad modum crucis in frontibus figurentur, & ita turpissimè de illa villa --- expellantur*, legimus apud Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque supra voce *Ordinatio.* Ut quædam strictim attingam, de *Tonsuræ* Veteris generibus variis, Tiberius apud Dionem, Ὅτι κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι, *Tonderi oviculas meas non strictim, sed per pectinem volo*; ad duplex tonsuræ genus alludit, unum *strictim*, alterum per *pectinem*, quorum illud novaculâ, hoc forfice fieri solebat. Vide quoque Plautum, *Captivis*; *Actu* 2. *Sc.* 2. *v.* 18. Alia tonsuræ genera recenset Interpres Aristophanis in *Aves*, σκάφιον καὶ κῆπον, vide suprà, ubi de *Tondendi Ritu*, item in voce *Theseis.* Simon Magus & sectatores ejus sulcum seu lineam, per capitis verticem inter ambarum aurium summitates ducebant, in symbolum Zodiaci, caput suum globum cœlestem denotare asserentes. De Christianis Georgianis *in l. de Successibus Terræ S. MS.* Roraldi Episcopi, qui floruit circa A. C. 1300. *Clericos eorum rotundas habere tonsuras, Laicos verò quadratas*, legimus apud Domin. Macrum *Hierol.* Dimidiô capite tonderi, pœna servorum latronum est, in *Capitulari I. ann.* 809. *cap.* 11. &c. De hodiernis gentibus vide hic passim. Orationis *ad capillaturam*, quæ pueris olim recitabatur, cùm caput primùm tonderent: item alterius, *ad barbas tondendas*, quâ Juvenes defungebantur, cùm lanuginem primam deponerent, meminère ex *Sacramentario* Gregorii M. Macri fratres, ubi suprà. Vide quoque Cl. Suicerum, voce Τριχοκουρία, ubi & infantes septimô post Baptismum die à Sacerdote olim tonsos, non sine precatione, cujus formulam ibidem habes, docet.

TONZUS, Græcè Τόνζος, urbs Thraciæ mediterranea, *Ptol.* de qua vide Salmas. *ad Solin. p.* 214.

TOPARCHIA, apud Plinium, *l.* 5. *c.* 14. *Reliqua Judæa* (cis Jordanem scil.) *dividitur in* Toparchias *decem --- Hierichuntem palmetis consitam, fontibus irriguam Emmaum, Lyddam, Joppicam, Acerabatenam, Gophniticam, Thamniticam, Betholenem, Tephenen, Orinen, in qua fuêre Hierosolyma --- Herodium cum oppido illustri ejusdem nominis*: ex Græco Τοπαρχία, imperium est parvi circuitus & unius, ut de Abgaro Edessæ *Toparcha* videre est apud Procopium, *Persic. l.* 2. vel paucarum tantùm urbium. Sic Azoton, Jamniam & Phasaëlida, assignatas Salomæ sorori, Herodis M. testamentô, τοπαρχίαν Josephus vocat. Qui idem aliô nomine hujusmodi Regni portiones συνέδρια, item κληρουχίας appellat, atque initiô quinque tantùm in Judæa fuisse scribit, *Hierosolymitanam, Gaddarensem, Amathuntinam, Hierichuntanam & Sampheriticam*, postmodum autem complures factas, *Jud. Ant. l.* 14. *c.* 1. & *Bell. Judaic. l.* 3. *c.* 4. *Conventus* & *Fora* dixêre Romani, uti docet Sigonius, *de Antiq. Jur.* Harum unicuique qui præerat Τοπάρχης vocabatur, Latinè quoque *Toparcha*. Spartian. *in Hadriano*, *c.* 13. *Toparchas & Reges ad amicitiam invitavit.* Ubi cùm *Tetrarchas* præferat Regius liber, non multum interesse, utrô legamus modô, censet Casaubon. *ad loc.* Vide suprà in hac voce.

TOPAZION, amplissima gemmarum, in harum apud Veteres ordine sextum, post margaritas scil. adamantes, smaragdos, opalos & carbunculos, in Pectorali Pontificis Hebræorum secundum in primo ordine locum, juxta Hebræos obtinuit, qui vocem Hebr. פטדה *pitdah* communiter de hac gemma interpretantur, & nomen *Simeonis* insculptum habuisse, contendunt. Vide quoque Epiphanium *de XII. Gemmis.* Et quidem τόπαζον, quasi τόπαδιν, inversis literis Hebræis, dictum putant nonnulli. *Glossa* Interlinearis *topazium*, quasi *topadion*, id est, omnium colorum, quæ etymologia unde sit desumpta, divinare facile non est. *Topazin* Troglodytarum linguâ, *quærendi* significationem habere scribunt alii, ideoque sic vocitatam gemmam, quòd à Juba Mauritaniæ Rege in maris Rubri Insula quadam Arabiæ Felicis vicina inventa fuerit, A. Rivetus, *Comment. in Exod. c.* 28. *v.* 17. ubi & *Chrysolampum* & *Chrysopterim* pro eadem quibusdam sumi, addit. An potiùs à loco sic appellata, Insul. Arabiæ videl. *Topazo*, quæ & Πάζιον dicebatur, unde ipsam hanc gemmam Πάζιον nominat *Hesychius*, & Auctor Sacri Cantici *Kethem Paz*, i. e. *lapidem Pazium*, utpote in regione *Paz*, vel *Opaz* (quam Græci & Alexandrini Mercatores Hellenistæ, locorum vocabula ad suæ linguæ modulum inflectentes videntur Τοπάζον dixisse, quasi ἀπὸ τοῦ τοπάζειν, i. e. *quærere*) repertum primitus, à prædonibus Troglodytis, cùm fame & tempestate pressi, herbas radicesque effoderent, qua de re vide suprà in voce *Paz.* Inter gemmas XII. Novæ Hierosolymæ, iterum occurrit, sed ibi nonus ei locus tribuitur, Apocalyps. c. 21. v. 20. ubi Commentatores vide. Cœterùm amplissimam gemmarum esse, docet topazion, quæ eruta in Insula modò dicta primùm oblata est Berenicæ matri Ptolemæi II. unde factam statuam Arsinoæ Philadelphi uxori cubitorum quatuor, tradit Plin. *l.* 34. *c.* 14. *l.* 36. *c.* 9. *l.* 37. *c.* 8. Quare mirum non est, χρυσόπτερον appellatum alterum ex duobus ejus generibus, (unde *Chrysopteron* factum per metathesin) cautes enim revera & petra potiùs, quàm gemma, quam apud Alabastrum Thebaidis etiam nasci, ex recentiorum Auctorum traditione narrat idem. Dictum autem hoc genus χρυσόπτερον porrò, ab *aureo* colore cum viridi mixto, id est, pallidè virenti. Strabo χρυσοειδὲς ἀπολάμπειν φέγγος scribit, *l.* 17. *ex viridi*, h. e. *hyalino colore & aureo refulgere.* Chrysopraso hunc similem facit Plinius. Alterum verò πρασοειδὲς appellatum, à *porri* colore. Plinius iterum, *topazion sub virentem genere* dicit, h. e. ἰδιοτρόπως χλοάζοντα: Alex. Polyhistor colorem olei recentis habere, apud *Stephanum.* Est nempe recens oleum ita viride, ut tamen ex aureo colore aliquid trahat &c. Quæ cùm ita sint, mirum est, quòd Epiphanius lapidem è virentium genere rubrum faciat, & quidem ἐρυθρὸν ὑπὲρ τὸ ἄνθρακα, *supra carbunculos rubentem d. l.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 239. & 240. Addit Plinius, *Eadem sola nobilium limam sentit: cæteræ Naxiis cotibus poliuntur. Hæc & usu atteritur. Comitatur eam similitudine propior, quàm auctoritate, callais, è viridi pallens*, *l.* 37. *c.* 8. ubi de *generibus Topazii.* Vide quoque Orpheum, plures versus laudibus hujus gemmæ impendentem. Usum quod attinet, præter antè dicta, *topazius*, ut & aliis virentibus gemmis, aurea olim pocula exornabantur. Idem lapis signando adhibitus. *Epist.* Mag. Berardi de Neapoli *MS.* ad Regem Navarr. *per literas* topazio *suæ Serenitatis impressas*; ubi tamen pro *typario* vocem positam, vult C. du Fresne &c. Auctores de hac gemma aliisque prolixiùs tractantes, laudavimus suprà, voce *Gemma.* Hodie tertiò inter gemmas locô est, & quidem *Topaziorum* tria genera faciunt, *Orientale*, mirè pellucidum aureique coloris; *Indicum*, ei proximè accedens; & *Germanicum*, utrôque deterius ac crystallo propius, nisi quòd

subfusci aliquid ostendat, de quibus omnibus vide *Mercurium Indic. Part.* 2.

TOPAZUS, insul. in mari Rubro Plin. *l.* 6. *c.* 29. in qua reperitur lapis *Topazius* mire pellucidus, splendoreque aureô refulgens, ut interdiu non videri possit. Gentile *Topazius. Steph.*

TOPHICII Lapides, apud Capitolin. *Maximinis*, *c.* 6. *Jam illa prope in vulgi ore sunt posita, quod —— lapides tophicios friaret*: à *topho* nomen habent: Est autem *tophus*, lapis spongiosus & friabilis, minimum in structuris ponderis habens, de quo Vitruv. *l.* 2. *c.* 6. & 7. Ex illo porticum miræ magnitudinis memorat Anastasius *in Hadriano* I. sarcophagum, Auctor *Gestorum* Guilielmi Maj. Episcopi Andegavensis, *c.* 5. agrorum terminos, *Rei Mensoriæ* Scriptores &c. Græcis πῶρος. Vide Car. du Fresne in voce *Tufus.*

TOPIARIUM Opus, cum arbuscularum virgulæ ductiles facili flexu in varias formas hominum, turrium, ædium, cubicolorum, modo humi, modo per hortorum & viridariorum spatia, finguntur, pulchrè describitur Jul. Firmico, *Mathes. l.* 8. *c.* 10. Vide quoque Plinium Junior. *l.* 3. *Ep.* 19. *ad Calvis.* A' *topiis* dictum, quomodo Græci funiculos appellant, quod in hujusmodi opere frutices, & arbusculæ tonsiles, ut torqueri ac flecti queant in animalium aliarumque rerum similitudines, topiis sive funiculis soleant religari. Unde & *topia* appellata hæc opera. Spartian. *in Hadriano*, *c.* 10. *triclinii de castris & porticus & cryptas &* topia *diruit.* Et *per topium pingere* seu *varietatibus topiorum ornare* dicuntur Vitruvio, *l.* 7. *c.* 5. qui *topiariam faciunt*, artifices videl. *Topiarii*, quorum inter servos mentio est *l.* 60. *§. ult. de legat. l.* 3. *l.* 12. *§. id respondit*, *& l.* 16. *in fin. ff. de instr. vel instrum.* Pertinent itaque huc arbores maximè sequaces ac flexibiles, & tonderi aptæ, ut sunt *myrtus*, *buxum*, *acanthus*, *hedera*, *laurus*, *chamædaphne*, *adianthus*, & similia. Hinc ψαλιστοὶ μυῤῥινῶνες apud Hieroclem, *tonsilia myrteta.* Apud Martialem *tonsile buxetum*, *l.* 3. *Epigr.* 58. *v.* 3. & Firmicum, *d. l. qui buxeas arbores tondens in belluas fingat.* De acantho reliquisque vide suô locô. Peculiariter verò *topiariæ herbæ* nomine venit *vinca pervinca*, *semper virens*, *in modum lineæ foliis geniculatim circumdata*, apud Plinium *l.* 21. *c.* 11. Porrò qui talia fingebant, pingebantque, ac belluas, arbores, homines, antra, portus & alia id genus, variaque & minuta opere topiariô exprimebant, Ῥωπογράφοι Græcis vulgò dicebantur, de qua voce suprà actum. Vide plura hanc in rem apud Forcat. *in suo Cupid. Jurisperit. c.* 5. *n.* 8. Turnebum, *Advers. l.* 14. *c.* 11. & *l.* 16. *c.* 23. Corrasium, *Miscellan. l.* 5. *c.* 21. Alexandr. ab Alex. *Genialium Dier. l.* 3. *c.* 25. Casaubon. & Salmas. *Not. ad Spartianum loc. cit.* Alios. Addam saltem de cupresso locum Plinii Senior. *l.* 16. *c.* 33. *Trahiturque etiam in picturas opere historiali, venatus classesve & imagines rerum, tenui foliô, brevique & virente supervestiens.* De buxo &c. Plinii Jun. *l.* 5. *Ep.* 6. *Alibi ipsa buxus intervenit, in formas mille descripta, literis interdum, quæ modò nomen Domini dicunt, modò Artificis. Et post has Acanthus, hinc inde lubricus & flexuosus, deinde plures figuræ pleraque nomina.* Inde olim Neapoli legebatur, *Lucrio. Aug. Topiario. ex. hortis.* &c. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, & suprà aliquid voce *Rhopographi*, infrà it. in *Tvichila.*

TOPIRIS, seu TOPRUS, Ptol. *Topirium* Anton. *Doperus* Thucyd. *Toprus* seu *Toparum* Procop. *Rusio* nunc, teste *Jo. Lydô*, urbs Thraciæ à Philippis 38. mill. pass. in ortum, ab Hadrianopoli 132. Hodie *Pusio*, Sophiano. In limite Macedoniæ, vix 10. mill. pass. ab ora maris Ægæi in Boream, Philippopolim versus 55. & 30. à Maximianopoli in Occasum, ferè autem 70. ab Hadrianopoli. *Baudrand.*

TOPOGRAPHIA, vide suprà *Geographia.*

TOR seu THOR, Germanorum olim Deus, idem cum Romanorum Jove. Tonitrui enim ac fulmini præsedisse, docet Ericus Olaus, *Hist. Suec. l.* 1. *c.* 1. ubi singulis hebdomadibus quintâ feriâ, hinc *Thorsdag* dictâ, à Suecis ei sacra facta, refert. Ex *Taran* per aphæresin vox orta videtur. Vide supra in hac voce.

TORALIA, apud Lamprid. *Heliogabalô*, *c.* 19. *Primus omnium privatorum toros aureis* toralibus *texit*; à *toris* appellationem trahunt. Et quidem cùm in apparatu tororum lectorumque ὑποβλήματα essent, & ἐπιβλήματα, ac περιβλήματα, *torale* τῶν περιβλημάτων est, recteque in *Glossario* vertitur περίκλινον. Malè enim accipiunt etiam doctissimi Viri versum Horatii, *l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 83.

Ten' Tyrias dare circum illota toralia *vestes.*

Utraque autem, tum stragula, quibus tori sternebantur, tum *toralia*, quæ circumjiciebantur, pretiosissima in usu fuêre Veteribus: at non aurea tamen, saltem privatis, usque ad Heliogabalum, qui, antequam Imperator esset, jam sibi id usurpavit. Sic stromata & peristromata privatorum non aurea, sed aurô clavata, vel conchyliata, vel Babylonica, aut simili artificiô ornata fuêre. Casaubon. *ad locum Lampridii.* Vide quoque Jac. Cujacium, *Observat. l.* 10. *c.* 18. & suprà, ubi de *Lectis Veterum* voce *Sisura*, nec non infra voce *Torus.*

TORANIUS, mango quidem, de quo Plin. *l.* 7. *c.* 12. Ejus quoque meminit Macrob. *Saturnal. l.* 2. *c.* 4. *Delectatus inter cœnam erat symphoniacis* Toranii *Flacci mangonis, atque eos frumentô donaverat.* Sed & D. Augusti tutor C. *Toranius* erat &c. Vide de hoc nomine Salmas. *ad Solin. c.* 1.

TORANTOLIENSIS Comitatus vulgo *Comté de Thurthur*, provinc. Hungariæ, inter Transylvaniam ad Ortum, Tibiscum fluv. & Zolnocensem Comitatum ad Occasum, Zabolciensem ad Boream, & Orodiensem ad Meridiem, sub Turcis.

TORCELLUM, vulgo TORCELLO, urbs Episcopalis Ducatus Veneti, in Insul. littorea, sub Patriarcha Veneto. Parva admodum, & colonis infrequens, ob aëris gravitatem, intra Gallicas paludes, 5. milliar. à Venetiis in Boream veteri Altino finitima, unde A. C. 635. sedes Episcopalis Torcellum translata est.

TORCULAR, machina est uvis premendis apta, in qua trabes, quibus uva calcata premitur, *prela* appellantur: à *torquendo* Becmannus in *Origin. L. L.* Græcè Ληνὸς, unde Bacchus Ληναῖος, *Lenæus.* Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 7.

Huc pater ô Lenæe veni, nudataque mustô
Tinge novô mecum direptis crura cothurnis.

Et quidem de *Torcularibus Rom.* Plin. *l.* 18. *c.* 31. *Pressura una* (sic vocat quantum uvarum in superposita cavea pedibus pressarum lacus vinarius accipit) *culeos XX. implere debet —— Ad totidem culeos & lacus XX. jugeribus unum sufficit torculum. Premunt aliqui singulis, utilius binis, licèt magna sit vastitas singulis. Longitudo in his refert, non crassitudo. Spatiosa meliùs premunt: antiqui funibus vittisque loreis ea detrahebant & vectibus. Intra centum annos inventa Græcanica, mali rugis per cochleas pullantibus, palis affixa arbori stella, à palis arcas lapidum attollente secum arbore: quod maximè probatur. Intra viginti duos hos annos inventum, parvis prælis & minori* torculari, *ædificiô breviore & malô in medio erectô, tympana imposita vinaceis, supernè toto pondere urgere, & super præla construere congeriem*, Vide quoque Vitruvium, *l.* 6. *c.* 9. Catonem, *c.* 12. 13. 18. Columell. *l.* 1. *c.* 6. Varronem *l.* 1. *c.* 54. qui & in *Gerontodidascalo*, apud Nonium, *Pœnici torcularis* meminit,

Vineis ubi ampla cella, torculare Pœnicum.

Dalechamphium, *Not. ad Plin.* Alios. De Græcis, res notissima, apud quos non solùm Baccho Ληναίῳ, h. e. *torculari*, sacra facta, vide suô locô; it. voce *Posideon*: sed etiam ἐπιλήνιον, cantio solennis erat, quam inter premendum uvas huic Idolo decantabant, uti videre est apud Athenæum, & Pollucem, *l.* 4. Apud Hebræos, *Torcularium* usus indigitatur, in illustri illo de Christo vaticinio Esaiæ *c.* 63. *v.* 2. & 3. *Quare rubicundus es vestibus tuis, & vestimenta tua, ut calcantis in torcularis lacu? Torcular calcavi solus*, & quæ seqq. Sic Apocal. *c.* 14. *v.* 19. Καὶ ἐτρύγησε τὴν ἄμπελον τῆς γῆς καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν ληνὸν τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ τὴν μεγάλην. Vide quoque *v. seq.* uti de Psalmis על הגתית h. e. *pro torcularibus*, aliquid suprà ubi de *Tabernaculorum festo.* Atque hactenus de Torculo *Vinario*: Præter id, *Olearium* fuit, de quo itidem latè Columella & Palladius, Vitruvius item, *l.* 10. *c.* 1. Et quidem *Custos* torculare servabat, qui tamen non semper in numero servorum fuit, uti videre est apud Laur. Pignorium, *Comment. de Servis*, ubi de *Fructuaria Villa Veter.* pluribus dissterit. Vide quoque infrà voce *Trapetum.*

TORETÆ, populi Pontici, *Steph.* vide *Oretæ.*

TOREUMA, apud Martialem, *l.* 4. *Epigr.* 39. *v.* 4.

Solus Phidiaci toreuma cæli,
Solus Mentoreos habes labores:

Latinis vox usitata, de vasculo argenteo cælato, propriè sumitur. Est enim τορεύειν *cælare*: quod malè quidam confundunt cum τορνεύειν, *tornare* seu *tornô laborare*, ut pluribus docet Salmas. *ad Solin. p.* 1044. Sculpunt enim & cælô laborant οἱ τορευταὶ, tornô terunt οἱ τορνευταί. Et ἡ ξυλεία in ligno præcipue operatur; Cælatura autem vel Τορευτικὴ in argento, aliisque metallis. Hinc & Plin. *l.* 36. *c.* 26. in vitro elaborando hæc scitè distinxit, inquiens: *Aliud flatu figuratur, aliud tornô teritur, aliud argenti modô cælatur.* Cælata itaque propriè dicuntur vasa aurea vel argentea, in quibus signa vel sigilla extra eminentia cælô expressa sunt. Vide Jac. Oiselium, *Notis ad A. Gellium l.* 19. *c.* 9. ubi Anacreon poculum sibi à Vulcano fieri petit, in quo vites uvis refertæ & Bacchus cum Amore & Bathyllo uvas calcans, cælata sint, his verbis:

Τὸν ἄργυρον τορεύσας,
Ἥφαιστέ μοι ποίησον
Πανοπλίαν μὲν οὐχὶ κτλ:

Quod si igitur fictilia quoque vasa τορεύματα appellari videmus apud Strabonem, *l.* 8. ubi de Corinthi direptione, intelligenda ea tantùm, quæ signis cælatis erant aspera. Sic Plinius scribit, fastigia templorum fictilia miris cælaturis fieri solita. Urcei etiam fictiles aliaque vasa cum figuris extantibus & expressis fiebant, quæ τορεύματα quoque dicta sunt. Idem dicendum de vitreis Alexandrinis, quæ similiter cælatis imaginibus aspera erant. At quæcunque lævia & pura, τορεύματα non sunt, nec quidquam significationi vocis hujus adeò contrarium, quàm quod sine ulla inæqualitate, quam Τορευτικὴ præstat. Leve nempe & purum, quod non cælatum est, ἀτόρευτον. Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 31.

—— *leve argentum venæque secundæ.*

Optimum verò ac præstantissimum argentum ad *toreumata* eligebatur, unde *pustulatum*, de primæ notæ argento dicebatur. Est autem argentum *pustulatum* seu *in pustula* Salmasio, quod Græci, τορευτικὸν, Galli *en bosse*, vocant. At in crystallinis secus erat, uti vidimus suprà, ubi de *Acentetis.* Impropriè proin Clemens Alexandrin. τορευτικὸν dixit de eo, qui gemmas in annulis scalpit, cùm talis propriè *Cavator* & *Scalptor*, non *Cælator* sit. Non enim τὰ ἐντυπώματα cavat in gemma Toreutes, sed ἐκτυπώματα, materiam circum excidendo, excitat. Majori ἀκυρολογίᾳ mediæ Latinitatis Auctores *toreuma* usurpârunt de quovis poculo vel scypho. Martialis, de vitreis, *l.* 14. *Epigr.* 94.

Non sumus audaces, plebeja toreumata *viri.*

Hic enim non de vitro argenti modô cælato, quod & *sigillatum* propterea vocat alicubi *Appulejus*, sed de calicibus è vitro simplice ad usum plebejum factis, sermo est, vide suprà voce *Audaces.* Idem alibi, de fictilibus, *l.* 14. *Epigr.* 102.

Accipe non vili calices de pulvere natos,
Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ.

Leve

Leve certè *toreuma*, insignis catachresis, ut vidimus. At longiùs à proprietate vocis abiêre citimæ ætatis Scriptores, qui *toreuma* pro toro & torali dixêre, Salvianus *ad Eccl. Cath. l. 4. Sidonius Apollin. Alii*. Sed & largiùs aut æquè largiter errant cùm Veteres, tum Recentiores plerique omnes, qui τόρευμα & τόρνευμα, propter dictionum vicinitatem confuderunt, artemque Τορευτικὴν seu *Tritoriam* aut *Cælatoriam*, cum Τορνευτικῇ seu *Tornatoria*, eandem fecerunt, ut dictum. A qua culpa summum Poëtam *Tornô facili* vitem poculis superadditam canentem, sicque *tornum* pro *cælo* ponentem, ingenium Poëticæ artis absolvit. Uti porrò opus τόρευμα, sic artifex Τορευτὴς est, Latinis quoque *Toreuta*, item *Cælator*, proximè ad vim vocis Græcæ *Tritor*. Glossæ, *Tritor*, τορευτής. Hinc τόρευμα, *argentum tritum*. Phædrus, *l. 5. præfat. v. 6.*

— *auro ascripsit Praxitelem suo*,
Trito *Myronem* argento: *fabulæ exulant*
Ideo fugatæ. — —

Et certè ipsum *tero*, venit ab Æolico τερῶ, quod communiter τορῶ haber, unde τορευτής. Quamvis enim & tornatores *terant* & lapidum tritores, qui Græcis οἱ τμῆκλαι λίθων, aliter tamen cælô *Toreutæ*, aliter tornô *Torneutæ*, aliter limâ *Lapidum tritores*, terunt, quorum primi ob difficultatem & præstantiam artis, de qua vide suprà voce *Labor*, κατ' ἐξοχὴν eam appellationem sibi vindicavêre. Ars ipsa Τορευτικὴ Græcis, Latinè *Cælatura* dicitur, de cujus origine, Auctoribus præcipuis, speciebus, jam diximus suprà, in voce *Cælare* & *Cælator*, nec non ubi de *Anaglyphis*. Plura verò hanc in rem, vide apud Salmas. *ad Solin. passim*, inprimis *p. 1044. & seqq.*

TOREUTICE Ars, vide hîc suprà *Toreuma*.

TORGAVIUM, vulgò TORGAW, urbs Ducatus Saxoniæ, ad Albim, 7. leuc. infrà Misnam in Boream, Wittebergam versus 5. & 6. à Lipsia in Cæciam. Hic, à Flacianis, formula Concordiæ conscripta, & ad eam approbandam omnes Theologi, ab Augusto Electore adacti sunt, reliquis in carcerem primò conjectis, dein extra fines dimissis, A. C. 1576. Synodô postmodùm denuò hic convocatâ, Melanchthonis scripta condemnata sunt. Cui cùm rursus reclamatum esset, tandem moderaminæ adhibitô, A. C. 1577. in Bergensi Monasterio formula Concordiæ promulgata est, vid. Hospin. *in lib. Conc. l. 3. c. 7. 9. 25. 26. &c.* Expugnata est à Suecis A. C. 1634. Cerevisiâ suâ clara.

TORI, apud Cicer. *de Oratore*, *c. 6.* ubi Oratorem temperatum & æqualem describit, *Isque unô tenore, ut ajunt, in dicendo fuit, nihil afferens præter facultatem & æqualitatem; Aut addit aliquos, ut in corona*, toros; *omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit*: Paschalio sunt partes quædam in circulo coronæ collectiores & eminentiores; cujusmodi sunt in tauro *tori* aut etiam in homine, unde proximæ partes firmiores ac robustiores redduntur: Quò proin respiciens Cicero oratorem suum leniter assurgere leniterque redire ad eam, quam ubique servat, æqualitatem, dicere velle videtur. Vide C. Paschal. *Coron. l. 2. c. 12.* nec non *l. 9. c. 17.* ubi *de ramulis ac apsidibus coronarum & corona apsidata*. Propriè autem *torus*, artus est carneus, seu caro musculis comprehensa, pulpa. Statius, *l. 2. Sylv. 6. v. 74.*

Ac primùm implevitque toros, *oculisque nitorem*
Addidit ———

Ubi Barthium vide. Unde *torosi*, i. e. brachiorum robore pollentes, Athletæ inprimis: qui, ut id consequerentur, antiquitus quidem ficus aridas, postmodum ex instituto Pythagoræ Aliptæ carnes quidem, sed pulpam tantùm siccam & aridam, nullis scitamentis ac jurulentis eblanditam comederunt, uti latiùs vidimus suprà, ubi *de Arida Saginatione*, item in voce *Colephia*, vide quoque ubi *de Lacertis*.

TORINGI, de quibus vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. l. 1. tit. Toringi & Misni in Cheruscos: l. 2. tit. Francorum adversus Toringos bellum & victoria*: & tit. *Toringorum, Bojoariorum & Frisiorum idololatria*: cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p.* 179. 279. 305. Vide & *Thuringi*.

TORINI, pop. Scythiæ Jaxamatis proximi, ubi perfecti mellis copia. Val. Flac. *l. 6. v. 145.*

Mellis honos Torinis, ditant sua mulctra Satarchen.

TORINIACUM, vulgò TORIGNY, oppid. Normanniæ, in tractu Bajocensi, 6. leuc. infrà Vitam in Boream, 8. à Constantia in Ortum.

TORINNA, vulgò TURENNE, castrum Galliæ in Aquitania vetustissimum, cum titulo Vicecomitatus, captum à Pippino Rege A. C. 767. Continet hic Vicecomitatus partem pagi Lemovicini, Cadurcini & Petrocorici, atque à Sarlato Petrocoriorum urbe usque ad Novum Vicum *Neuvic* leuc. Franc. amplius 30. in longitudinem patet; à Tutela Lemovicum usque ad Novum Vicum in latitud. 12. Irrigatur Duraniô, & Visetâ, fluviis navigabilibus: minoribus amnibus Curretiâ *la Coureze*, Bavâ, Louissâ, Dostrâ *Dousire*, Serâ atque Tormentô. Nomen *Torinnæ* illustrârunt præteritô præsentique seculô Henrici duo Vicecomites pater & filius, quorum is, Reformatorum egregius vindex, Dux Bullionæus postea evasit: Vide Thuanum *Histor.* hic religionis cum lacte haustæ, usque in provectam ætatem, tenax, tandem Latinos ritus amplexus, post plurimas res egregiè gestas, in prælio contra Germanos, infra Argentoratum, tormentariô globô ictus occubuit, A. C. 1675. Massonus *Torinnam*, opulentum esse in Lemovicibus castrum, cui Ecclesiæ vicanæ subsint amplius ducentæ, totumque hunc Vicecomitatum, in gratiam Clementis VI. à Philippo VI. Galliæ Rege tributorum ac vectigalium, omniumque rerum immunitate, ac magnis privilegiis donatum esse, circa A. C. 1344. scribit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TORMENTUM, apud Appulejum, *Capillus ipse -- vides quàm non sit amœnus ac delicatus, horrore impexus atque impeditus, stuppeo tormento assimilis*: funis est, protensus ac tortus, à *torqueo*, quod appositè de funibus dicitur. Propert. *l. 4. Eleg. 3. v. 21.*

Dignior obliquô funem qui torqueat ocnô.

Quô sensu *tormenta è mulierum crinibus facta*, vidimus suprà. Inde vox translata ad funem tensum ac tortum, ut in Ergatarum suculis & aliis hujuscemodi, denotandum, qua de re vide Jos. Scaligerum *in Priap.* Sicque dein ad quodvis cruciatus genus, quô excarnificantur homines, vel ad veritatem eruendam, vel ad scelera expianda, transiit. Et quidem de priori notione, pleni sunt citimæ ætatis Jurisconsultorum libri: Apud Veteres obscuriora rei vestigia. Hebræi certè, quibus & Lex Forensis divinitus data, testibus omnia peragebant, qui si deessent, aut faverent reo, absolvebatur, is, sin minùs, damnabatur. Quo in negotio quantâ accuratione ac diligentiâ usi sint in illa gente Judices, attigimus superiùs ubi de *Executione Sententiæ Capitalis*. Idem, ut inhumanum, Francis passim objiciunt Scriptores Angli, inprimis Jo. Fortescutus, *de laudibus LL. Angliæ, c. 22.* Sed & apud veteres Romanos viguisse morem, Auctor docet *ad Herennium*, *Majores nostros dicemus, veri inveniendi causa, cruciatibus ac* tormentis *voluisse quæri & summô dolore hominis cogi, ut quidquid sciant, dicant.* Idem apud Persas obtinuisse, habes apud Curtium, *l. 4. c. 10.* & Epiphanium, *contra Hær. c. de Manichæis*. Macedones item passim apud eundem Curtium. E quo & illud discas, non confessioni solùm extorquendæ *tormenta* adhibita à Macedonibus, sed & post confessionem damnationemque, solennem hunc supplicii prodromum fuisse. Unde Hermolaum & complices, *damnatos hominibus, qui ex eadem cohorte erat, tradi jussit* Alexander. *Illi — excruciatos necaverunt. Callisthenes quoque tortus interit*, apud eum, *l. 8. c. 8.* Vide quoque *l. 6. c. ult.* ubi de Philota. Crudelitas nempe illa maxima in usu fuit apud Veteres etiam Romanos, quorum proin Scriptores frequenter illud, *excruciatum necare*, in ore habent. Liv. *l. 25. c. 23. Necati omnes excruciati sunt.* Sueton. *Aug. c. 14. discruciatum necare.* Cicer. *pro L. Manil. c. 5.* alia addit, augendæ indignitati: *Legatum populi Romani Consularem vinculis ac verberibus, atque omni suppliciô excruciatum, necavit.* Græcos quoque alios, apud quos est στρεβλωθέντα aut βασανισθέντα ἀποθανεῖν, *tortum mori*, ut Plut. *Phocione c. 47.* Zonaras αἰκισάμενος ἀποκτεῖναι, *prius excruciatum interficere*, ait, ubi de Hannibale & captivis Romanis ei sermo est. Vide Freinsheim. *Not. ad Curtium l. 8. c. 8.* & hic passim, inprimis suprà ubi de *Crucis* supplicio: Non tamen omnes reos sic necatos, sed quosdam statim interfectos, ex Curtio discimus eodem *l. 9. c. 7.* ubi disertè duo hæc mortis genera distinguuntur, *Cæterum Boxum protinus placuit interfici: Biconem etiam per cruciatum necari*; ubi *Notas* vide, at plura suprà in *Quæstio.* it. *Stimulus*: nec non in *Legib.* Alfonsinis *part. 7. tit. 30.* & apud Mich. del Molino *in Repertorio Foror. Arag.* voce *Tortura*. Posteriorem verò vocis significatum quod attinet, congessit multa *de Tormentorum Veter. diritate*, Caspar. Barthius *Animadv. ad Statium passim*, inprimis *Tom. II. p. 1168. & III. p. 277. & seqq.* Gallonius verò peculiarem tractatum edidit, *de Martyrum Cruciatibus*. Vide quoque hîc passim. Ordinem apud Græcos *torturæ*, hunc exhibet Aristophanes *Ranis*,

Καὶ πῶς βασανίζω; πάντα τρόπον. Ἐν κλίμακι
Δήσας, κρεμάσας, ὑστριχίδι μαστιγῶν, δέρων,
Στρεβλῶν, ἔτι δ' ἐς ῥῖνας ὄξος ἐγχέων,
Πλίνθους ἐπιθεὶς, πάντα τ' ἄλλα, πλὴν πράσῳ
Μὴ τύπτε τοῦτον, μηδὲ γητείῳ νέῳ.

Et quomodo torquebo? omni modô. In scala
Vinciens, suspendens, flagello percutiens, excorians,
Crucians, naribus acutum infundens,
Lateres imponens &c.

Ad quem locum Scholiastas vide: uti de *tormentis* LXXX. quæ Mithriacis sacris initiandi superare tenebantur suprà voce *Mithra*. Tandem ad machinas bellicas, majores inprimis, quas *Canones* Galli vocant, fortè quod cannarum referant formam, significandas, vox adhibita: quas utinam cum Auctore suo ignoraremus. Inventi certè diritatem mox agnovêre Florentini, qui, bellô contra Venetos cùm Buttium cepissent, omnibus Tormentorum Magistris, ne ampliùs exercere artem possent, manus dextras præciderunt, & suâ cujusque collo appensâ eos dimiserunt A. C. 1488. Sed parùm ista severitas profuit. Illi namque, quibus stipendium cum vacatione omnium munerum Patres tribuerant, promtè manibus ferreis fabrefactis, se ad artem redituros suasque injurias vindicaturos, fidem Senatui Veneto fecerunt, teste Bembô, *Hist. Venet. l. 4.* De cujusmodi *Tormentorum* cum Armis Veter. comparatione diximus aliquid suprà, in voce *Bombarda*. Vide quoque ubi de *Pyrio pulvere*, it. machinæ militaris illo genere, quod *Onagrum* dixêre, & infrà voce *Zarabotana*.

TORMENTUM, vulgò TORMENTE, fluv. Galliæ, in Vicecomitatu Torinnensi. Hadr. Vales. voce *Torinna*.

TORNA, vulgò TORNE, urbs Lappiæ Sueciæ, in ultimo recessu Sinus Bothnici in Boream, cum portu celebri & satis capaci. Hinc pars adjacens Lappiæ, *Torne Lapmarch*.

TORNA, in vocibus, quibus Duces in præliando olim utebantur, memoratur Mauricio *in Strategicis*, & sonat, *deflecte*, seu *faciem verte*, uti docet Theophanes, *ann. 5. Mauritii*, ubi Avarum seu Hungarorum illam esse refert, uti & Theophylactus Simoncatta,

l. 2. c. 15. unde *tornare*, deflectere, & *tornatio*, prælium. Sed cùm *tornum* instrumentum sit, in quo teruntur ligna circumagendo, inde infimæ Latinitatis voces, *tornare* pro gyrare ac vertere; *tornum* pro gyro, & *contornum*, pro circulo, potiùs arcessendas esse, docet Salmas. *ad Solin.* Hinc *Tornatrices*, apud Hincmarum, *Capitul. ad Presbyteros Diœceseos suæ, c. 14. Nec turpia, joca cum urso vel* tornatricibus *ante se facere permittat*: Saltatrices seu Mimæ sunt, quæ *torni* instar sese circumagunt, vel in gyrum choreas agunt, ut videre est apud Dominicum Macrum *Hierol.* adde Car. du Fresne *Glossar.* ubi etiam voce *Torna*, duellum ex formula recepta, quòd, qui duellô rem probaturus esset, *tornari* ad duellum diceretur, denotari recentioribus, addit.

TORNABONIA Lucretia, vide *Lucretia*.

TORNACENSIS Stephanus, vide *Stephanus*.

TORNACUM, olim Nerviorum in Gallia Belgica civitas. Hodie *Tournay* Gall. *Dornik* German. Petrus Apianus dicit, *Bagadum* esse *Ptolemæi. Baudrando* aliàs caput Pleumosiorum in Morinis, hodie in Flandria Gallica & ipso limite Hannoniæ. Episcopalis sub Archiepiscopo Cameracensi. Olim sub Gallis, sed A.C. 1521. à Carolo V. occupata, cum Flandria, & Attesia, cessit Hispan. victô captôque Franciscô I. A.C. 1525. Verùm A.C. 1667. recepta Gallis remansit, pace Aquisgranensi. Permunita & opulenta est, cum arce valida recèns extructa. Hinc Tornacensis ager, *le Tournaisis*, inter Hannoniam ad Ortum & Insulanam Castellaniam ad Occidentem. Primùm *Hostilia*, quippe à Tullo Hostilio condita, dein *Nervia* hæc urbs dicta est, postremò *Tornacum* à Torno Trojano. Populi *Nervii* Cæs. *l. 2. Bell. Gall. c. 4. 15. 17. 23. Tornates* Plin. *l. 4. c. 19.* In pugna contra Cæsarem, 60000. ex suis amiserunt, Cæsar, *loc. cit. c. 28.* Sita est ad Scaldim, inter Duacum & Aldenardum in Cæciam, 8. ab Insula 5. *Ferrar.* Vide Joh. Cousin, *Histor. de Tourn.* Moter. *Diction. Hist. &c.*

TORNAQUITUS Simon, vide *Simon*.

TORNATES, memorati inter Aquitaniæ minoris populos Plinio, *l. 4. c. 19.* ubi ait, *Enobrisates*, aliàs *Onobrisates*, *Belendi, saltus Pyrenæus, infraque Meneosi*, aliàs *Monesi*, *Ossidates montani, Sibillates, Camponi, Bercoreates, Pimpedunni, vel Bipedimui, Sassumini, Vellates*, Tornates, *Consoranni, Ossidates campestres, Succasses, Latusates*, aliique: Sine dubio populi sunt, quorum locus *Tournay* in Bigerronibus, Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Sibutsates*.

TORNATRIX, vide suprà *Torna*.

TORNEAMENTA, ludi Equestres. Vox German. *Turnier*: Ital *Torneamento*, vel *Torniamento*, fortassis à *Tornare*, venit, quod illis, inter alia, est redire; Gall. *le Tournoy*, i.e. decursorium, à verbo *tournoyer*, quod iisdem est circumire, huc & illuc vagari. Isti enim qui hôc modô decertant, eunt, redeunt, & ad omnes arenæ angulos deflectunt. Ab Henrico Aucupe primùm, post Obotritos debellatos, in Germaniam introducti, certisque legibus confirmati sunt, ut Nobilitas Germanica condignis jamdudum exercitiis exculta, & his quoque ad bella aptior redderetur. Fecit autem id Imperator in consilium adhibitis quatuor Principibus Imperii primariis, Conradô Comite Palatinô ad Rhenum, Hermannô Sueviæ, Bernhardô Bavariæ, & Conradô Franconiæ Ducibus: quorum singuli ad *Torneamentorum* constitutiones tres viros delegerunt, experientiâ rerum & auctoritate præstantes, quibus ab Imperatore itidem tribus additis, à XV. viris his summa rei ac instituti suscepta est, de quo vide apud Goldast. *tom. 1. Constitut. Imp. p. 212. & in Rationål. ad lib. der Reichsatz p. 505.* Competit jus indicendi *Torneamenta* Imperatori primùm; hinc primum ab Henrico Aucupe, secundum à Conrado II. septimum ab Henrico III. duodecimum ab Henrico VI. Imperatorib. indicta legimus. Dein Principibus Imperii, quibus id privilegii, ab Imperatore, indultum est. Sunt autem familiæ quatuor præfatorum Principum, qui id juris sibi vindicant, unde *die Obere Turniervögt* dicti: Saxones tamen *Torneamenta* quoque indixisse, exemplô Ridackeri Marchionis Misniæ, Ludolphi Marchionis Saxoniæ & Brunsvic. &c. ostendit *Limnæus*, sed an suô hoc fecerint jure, secum quærit. Locus tempusque his ludis vel à Præsidibus eorum, vel à quatuor prædictis Principibus, vel etiam à quatuor illustrioribus fœminis, assignari solitum est. Decertandi jus habuerunt Imperator, Principes, Marchiones, Comites, Nobiles, & Patricii, qui à summo Principe Nobilitatis insignia tenuerunt, hodie *die Adeliche Geschlechter*. Illis præerant Reges, seu Præsides *Torneamentorum*, German. *die undere Thurniervögte, oder Turnierkönige*, quorum quatuor erant, pro numero quatuor Circulorum, de quibus retro. Horum officium, ut & alia huc pertinentia, vide apud Limnæum Enucl. *l. 3. c. 31.* Vischerum, *tract. de Duello.* Dra conem *de Patrit. fol. 77.* Besold. *in Thes. pract. voc. Turnier*, Charisium Protosynd. Stralsund. *Disp. de Torneamentis, &c.* Damnatus illorum usus Concil. Lateranensi, sub Alexandro III. Papa, A.C. 1379. ni potius temerarios militum congressus à Patribus Concilii coërcitos dicas: hodie sanè in Imperio exiguus est, aliô ludorum Equestrium genere, quod *Ring-* & *Kopffrennen* vocant, in aulis Principum fervente: In usum tamen *Torneamenta*, justô moderamine revocanda, suadere videntur allatæ rationes à Munstero, *l. 3. c. 454.* Cuspiniano, *in vita Henr. Aucupis*, Joh. à Schallenberg apud Goldastum, &c. *Fortiunium* Torneamentum quoque dici monet Matth. Paris *in Ann. 1241. p. 546.*

Torneamenta in Germania celebrata XXXVI.

I. Magdeburgi, A.C. 935.
II. Rotenburgi, A.C. 942.
III. Constantiæ, A.C. 948.
IV. Mattisburgi, A.C. 969.
V. Brunsvigæ, A.C. 996.
VI. Treveri, A.C. 1019.
VII. Halæ Sax. A.C. 1042.
VIII. Augustæ, A.C. 1080.
IX. Gottingæ, A.C. 1119.
X. Tiguri, A.C. 1165.
XI. Coloniæ, A.C. 1179.
XII. Noribergæ, A.C. 1198.
XIII. Wormatiæ, A.C. 1209.
XIV. Herbipoli, A.C. 1235.
XV. Ratisbonæ, A.C. 1284.
XVI. Suinforti, A.C. 1296.
XVII. Ravenspurgi, A.C. 1311.
XVIII. Ingelhemii, A.C. 1337.
XIX. Bambergæ, A.C. 1362.
XX. Eslingæ, A.C. 1374.
XXI. Scaphusii, A.C. 1392.
XXII. Ratisbonæ, A.C. 1396.
XXIII. Darmstadii, A.C. 1403.
XXIV. Heilbronnæ, A.C. 1408.
XXV. Ratisbonæ, A.C. 1412.
XXVI. Sturgardiæ, A.C. 1436.
XXVII. Landeshuti, A.C. 1439.
XXVIII. Herbipoli, A.C. 1479.
XXIX. Moguntiæ, A.C. 1480.
XXX. Heidelbergæ, A.C. 1481.
XXXI. Sturgardiæ, A.C. 1484.
XXXII. Ingolstadii, eôd. annô.
XXXIII. Onolsbaci, A.C. 1485.
XXXIV. Bambergæ, A.C. 1486.
XXXV. Ratisbonæ, A.C. 1487.
XXXVI. Wormatiæ, eôd. annô.

Ita Rucxnerus habet. Joh. Gulerus verò *in descr. hist. Rhæt. l. 8.* omissa quædam contendit. Prætereà ex Andr. Ratispon. *Chron. Bavarico*, meminit Freherus *ad Petr. de Andlo p. 183.* Torneamenti celebrati Noribergæ, A.C. 1433. &c. In Francia, *Torneamenta* primum instituisse Gaufridum II. Dn. Pruliaci in Andibus, refert *Chronicon* Turonense: fuit autem is pater filii cognominis, à quo Comites Vindocinenses orti. In Anglia primùm innotuisse, sub Stephano Rege, *cùm per ejus indecentem mollitiem nullus esset publicæ vigor disciplinæ*, habemus apud Guil. Neubrigensem *l. 5. c. 4.* Tunc enim & sub Henrico II. *tyronum exercitiis, in Anglia prorsus inhibitis, qui... exerceri volebant, transfretantes in terrarum exercebantur confiniis.* Vide quoque Rog. Hovedenum & Bromptonum, A.C. 1177. Posteà verò sub Ricardo in ipsa Anglia celebrari cœperunt, uti docet Matth. Paris A.C. 1194. In Græciam transiisse videntur, cùm Anna Sabauda, Amedei IV. Allobrogum Comitis filia, Constantinopolim Andronico Juniori nuptura venit, A.C. 1326. &c. Cæterùm in hujusmodi decursionibus vel hostes publici ex condictô infestis armis concurrebant, quod Torneamenti genus *acutratum & hostile*, Matth. Parisio: vel infestis iisdem armis contra quosvis, etiam non hostes, inibatur, quod *quasi hostile* eidem dicitur, A.C. 1241. Communiter verò certabatur armis innocuis, gladiis hebetibus, lanceis absque ferro, seu [illegible], ut ait Nicetas: *lusoria tela* Seneca vocat, uti vidimus suprà. Cùm porrò *Torneamenta* belli præludia essent, diversis cohortibus ac turmis unà omnes ad prælium accincti properabant & gladiis in alterutrum ingeminantes ictus (non punctim sed cæsim feriendo) vires suas exercebant; cùm contrà in *Justis*, quo monomachiæ speciem præbebant, singulari certamine alter in alterum ferretur &c. Quam in rem vide plura apud Car. du Fresne *in Gloss.* nec non *Dissertatione ad Joinvillam 7.*

TORNENSIS Comitatus *le Comté de Torna*, & *Tornaw*, pars Hungariæ superioris inter Comitatum Gewinariensem ad Boream, Albauivariensem ad Ortum, Barzodiensem ad Meridiem, & Bistriciensem ad Occasum, sub Austriacis. Ejus caput est Torna, Hungaris *Tornaw*, Germanis *Dorn*, 4. milliar. German. à Cassovia in Occasum.

TORNEUTICE, Ars, Græcè Τορευτικὴ, à Theodoro Samio inventa, sicut Toreutice, de qua suprà, à Phidia, Plinio, *l. 7. c. 56. Normam autem & libellam & tornum & clavem Theodorus* (invenit) *Samius.* Ubi *tornus*, Græcè τόρνος, instrumentum est, in quo ligna teruntur circumagendo, sicque in teretem formam rediguntur, quod Græci ἀποτορνεύειν & [illegible], h.c. *in orbem terere ac sculpere* vocant. Τορνευτήρια verò ferrum iis appellatur, quô in torno ligna teruntur. Nempe & *Tornatores* terunt, exsculpuntque ac insculpunt ligna, strias & sulcos in eo facientes sicque γλύφειν etiam nonnullis dicuntur: sed aliâ arte ac diversô instrumentô id faciunt, videl. non γλυφεῖῳ, seu *calô*, quod *burinum* vulgò Galli vocant, sed τορνευτηρίῳ, ut diximus. Neque figuras & sigilla tornô exprimere ullô modô queunt, quod Sculptores Cælatoresque faciunt. Adde, quòd in ligno præcipuè Torneutice Ars occupatur, cùm *Sculptura*, præter illud, *ebur, marmor, vitrum, gemmas complectatur; Cælatura verò auri, argentô, ferrô, opera efficiat*, uti alicubi Plinius habet. Hinc apud Theophrastum, lapidum alii γλυπτοί, alii τορνευτοί, alii πριστοί, quorum illi *calô sculpuntur*, isti *tornô teruntur*, hi *ferrâ secantur*. Ob similitudinem tamen vocum Τορευτικὴ & Τορνευτικὴ factum, ut multi etiam ex Veteribus artes eas & opera confuderint, ipseque Virgilius *tornum* pro *calo* sumserit, ut suprà vidimus in illo *Ecl. 3. v. 38.*

Lenta quibus torno *facili superaddita vitis.*

Ubi tamen si *torno* dativus sit, nulla erit catachresis. Sic enim non dicit, torno vel torni arte, superadditam vitem illis poculis, ut tornus vitem illam & corymbos hederæ in poculo effigiârit, sed præter tornum, quô facta erant popula illa, insuper additam artificio cælaturæ vitem. Quod ex epitheto *facili* confirmatur, nihil enim tornaturâ facilius. Itaque parùm pastor is commendâsset pocula sua, si tornô tantùm facta promisisset. Sed ad torni *facilitatem* cæli *labor* additus. Martialis, *l. 8. Epigr. 51. v. 1.*

Quis labor in phiala?

Sed & *Tornatores*, licèt quoque non minùs, ac Cælatores, radant. Virg. *l. 2. Georg. v. 449.*

—— *aut torno rasile buxum.*

Aliud tamen iterum accuratè loquendo ξύειν, vel ξέειν, aliud τορνεύειν, aliud γλύφειν: *Rasoresque* & *Interrasores* ab utrisque diversi fuêre. *Theophrastus*, [illegible]. Magis autem abusive *tornandi* verbum *Avienus*, adhibuit, pro *terere ac polire gemmas*: quamvis enim, quæ *tornô* fiunt, etiam terantur ac levigentur, tamen tornô non poliuntur gemmæ, uti suprà vidimus. Quô sensu infima Latinitas verbum acceperit, diximus in voce *Torna*. Plura hanc in rem vide apud Salmas. *ad Solin.* passim, inprimis *p. 1044. & seqq.* ut & quæ retrò dicta, in vocibus *Terere*, *Teres* & *Toreuma*. Ex terebintho *tornata* pocula, quæ magna in fama apud Veteres erant, memoravimus, ubi de poculis *Thericleis*.

TORNIELLUS A. Novariensis, autor Annalium sacrorum, à Mundo condito usque ad seculum præteritum.

TORNITIUS, in Bithynia, à Constantino Monomacho coërcitus, A. C. 1046.

TORNODURUM, vide *Ternodurum.*

TORNOMAGUM, vulgò *Tournon*, vide *Turnonium.*

TORNUM, in *Charta* Petri Regni Majoricarum Domini A. C. 1231. apud Car. du Fresne, bellicæ machinæ species. Sic apud Sanutum inter balistarum species, *balistæ grossæ à torno, balistæ à pesarola*, occurrunt, *l.* 2. *part.* 4. *c.* 8. &c. Vide quoque suprà *Balista.*

TORNUS, fluv. Lappiæ, vulgò *Torne.* Exit è lacu Torno, *Torne Tresk*, versus confinia Norvegiæ; dein per Lappiam Tornensem fluens, prope Tornam Urbem in Sinum Bothnicum se exonerat.

TORONAICUS Sinus, *Ptolem. Golfo di Rampo Nardo, Golfo di Agiomana Castaldo*, sinus Macedon. inter Singiticum & Thermaicum. *Baudrando* pars est Maris Ægæi, vulgò *Golfo di Ajomana.*

TORONE, oppid. geminum: unum Epiri in ora litorea, inter Sybotam, & ostia Acherontis fluv. *Parga Nigro.* Alterum Macedon. ad sinum Toronaicum, ubi tantus maris fragor, ut inde proverb. ortum sit, *surdior Toronæo portu*, inter Derrim & Cassandriam, à *Torone* Neptuni filiâ, teste *Stephan.* sic dictum. *Longo Sophiano. Rainero Nigro.* Vide *Stephan.* Illa in Thesprotia *Baudrando*, ad ostia fluv. Thyanidis, inter ipsum & Sybotam, 15. milliar. ab ostia Acherontis fluv. in Occidentem. Quibusdam hodie est *Parga*, oppidul. cum arce munita, sub Venetis, in ora provinc. *Larta.* Hæc in Paraxia tractu, in ora Boreali Sinus Toronaici. Vulgò *Castel Rampo*, 20. mill. pass. à Derri in Occasum, paulo plus à Cassandria in Boream, 80. à Thessalonica in Eurum.

TORPATUM, vulgò *Derpt*, Urbs Oldenpoæ provinc. in Livonia, ad fluv. Becum *Embek*, cum arce permunita in colle. Episcopalis erat sub Archiepiscopo Rigensi, 12. leuc. à sinù Finnico in Meridiem, totidem à Felino in Ortum, versus lacum Peibum. Capta est à Suecis A. C. 1625. Duce Jacobô de la Gardie, & A. C. 1632. ibi Academia à Gustavo Adolpho erecta. Media inter *Peibus* & *Werczer* lacus.

TORPEDO, à vi, ut Varro ait, *de L. L. l.* 4. nempe quia inducit *torpedinem*: Græcis eadem de causa Νάρκη, quòd νάρκησιν producit: à tremore, quem adfert contrectantibus, Burdegalensibus *Tremble*; Liguribus ob eandem rationem *Tremoriza*: *Bellunensi*, Avicennæ Interpreti, *Albarade*, ex *al* Arabico articulo, & verbo הרד *harad*, i. e. *stupuit, horruit*: piscis est, mirâ motus depravandi, quemadmodum planè tollendi Echeneis, facultate præditus. Nimirum omnium est gentium consensus, eam inducere corpori tremorem torporemque: quod non solùm contrectanti, sed etiam hamô piscanti facit, vim eam per hamum, setam & arundinem, in ipsam piscantis manum traducendo. Quod, præter innumeros Auctores, qui hac de re scripserunt, experientiâ à se comprobatum ait Rondeletius, *de Piscibus Marinis, l.* 2. *c. ultimò.* Attributa ei hæc vis divinitus est, ad capiendos piscium alios: per se enim imbecillis est. Itaque ad se accedentes pisciculos stupefacit atque illos capit, hôc modô. Resupinat se in arena immotaque jacet mortuæ instar. Pisces igitur securè accedunt stuporeque correpti recedere iterum nequeunt. Sic illa, licèt aliàs tardissima, mugiles etiam, quamvis piscium velocissimos, in potestatem suam, pertrahit; Unde & in *Torpedinis* eos ventriculo reperiri, auctor est Aristoteles, *Hist. Animal. l.* 9. *c.* 38. De qua sagacitate, præter Plutarchum *Comparat. aquatilium & terr.* ita Plin. *l.* 9. *c.* 42. *Novit* Torpedo *vim suam, ipsa non torpens: mersaque in limo se occultat, piscium, qui securè supernatantes obstupuère, corripiens. Nec minor solertia ranæ* &c. Modum, quô vim hanc exerat, his verbis exponit Oppianus, *Halieut. l.* 2. *v.* 62. & *seqq.*

> Ἀλλά οἱ ἐν λαγόνεσσιν ἀναλκείης ἔπλετ' ἀλκή,
> Κερκίδες ἐμπεφύασι παρὰ πλευρῇσιν ἑκάτερθεν
> Ἀμφίδυμοι, τῶν εἴ τις ἐπιψαύσειε πελάσσας,
> Αὐτίκα οἱ μελέων σθένος ἔσβεσεν. ἐν δέ οἱ αἷμα
> Πήγνυται, οὐδ' ἔτι οἱ γυῖα φέρειν δύναται, ἀλλά οἱ ἀλκή
> Ἦκα μαραινομένοιο παρέλυσεν ἄφρονι νάρκη.

> *Verùm ipsi in lumbis imbecillitatis est subsidium,*
> *Radii sunt innati juxta latus utrinque*
> *Gemini: Quos si quis attingat accedens,*
> *Statim ipsi membrorum robur extinguit, sanguisque ipsi*
> *Congelascit, neque amplius membra ferre potest, sed ipsius robur*
> *Paulatim tabescentis remittitur solidæ Torpedini.*

Ubi duo docet Poëta, in lumbis *Torpedini* hanc vim inesse, & qualitatem, quâ stuporem inducat, esse frigus: in quo abit à Galeno, qui *de causis Sympt. l.* 1. ac *l. de usu Respir.* obscuræ occultæque qualitati id adscribit. Vossius ait, *Torpedinem* spiritus & humores diffundere, qui refrigerent, &, ut Oppianus habet, quasi congelent, non pisces modò, sed & piscatores etiam: quorum nervi ac digiti, vi per hamum & lineam transeunte, prorsum ratione facultatis motricis debiles fiant ac infirmi: unde tremor ille, de quo suprà. Quanta porrò piscis hujus fœcunditas, docet Plin. *l.* 9. *c.* 51. *Torpedo octogenos fœtus habens, invenitur: eaque intra se parit ova præmollia, in alium locum uteri transferens, atque ibi excludens.* Imò non parere solùm intrà se tam numerosam sobolem, sed &, cùm hæc timere cœperit, magnô affectus indiciô, recipere, scribit de ingenti *Torpedine* agens Aristoteles, *de Animal. l.* 6. *c.* 10. Quemadmodum & glaucus, cùm timet, à matre ore hianti excipitur; cessante metu iterum evomitur, ut Ælianus refert, *Hist. Anim. l.* 1. *c.* 16. & mustelæ emittunt & admittunt intra se catulos, apud Aristot. *loc. cit.* Carnem ei attribuunt lentam & concoctu difficilem, nec grati saporis, nisi frigatur. Eæ tamen partes, quæ circa caput, teneræ dicuntur esse ac concoctu faciles: parvæ item meliores magnis, vide Athen. *l.* 8. Sed Plato apud eundem, *l.* 4. imo & Galenus *de alim. facult. l.* 3. docet, *Torpedinem*, ut & pastinacam, carnem habere mollem, sapore gratam, concoctu non difficilem, mediocriter nutrientem, quæve alvum non malè subducat. Idem *l. de Attenuante victu* præcipit, si pisces defuerint saxatiles, *Torpedo* ut assumatur cum beta, tritâ nempe, item cum porro; quod uberiùs adhibeatur, cumque minuto piperis. Ad hæc *l.* 8. *Med.* docet, post asellos proximum obtinere locum soleas & Torpedinem. Quid quòd Italiæ in deliciis esse, scribit Albertus, *l.* 24. *c.* 1. Nempe evanescente vi frigidi veneni, quod inerat vivæ. Jecori *Torpedinis*, ut Plinius ait, *l.* 9. *c.* 42. *teneritas nulla præfertur.* Eam peculiari carmine prosecutus est Claudianus. Plura vide apud Vossium, *de orig. & progr. Idololatriæ passim, inprimis l.* 4. *c.* 11. & 38. *ubi dolorem capitis etiam inveteratum Torpedine nigrâ vivâ parti dolenti impositâ, tolli*: *c.* item 44. *ubi eôdem remediô, ab Anterote, Cæsaris liberto, podagram omnemque morbum articularem, curari solitum fuisse, ostendit.*

TORPIDI, populi Thraciæ, in confinio Macedoniæ, circa Philippos, *Appian.*

TORPOR, fatalis quidam, & omnia invitô animô, segnibus membris, agenda, inter mala prodigia, memoratur Claudiano, de Cerere, amissâ Proserpina, *l.* 3. *de Raptu*, *v.* 137.

> *Hæc ubi; digreditur Templis, sed nulla ruenti*
> *Mobilitas, tardos queritur non ire jugales.*

Statio item, *Theb. l.* 4. *v.* 333.

> ——— *Hinc sequior arcus,*
> *Difficilesque manus, & nullo in vulnere certæ:*

ad quem locum vide Casp. Barthium, *Animadversion. Tom. II. p.* 1023. De *torpore* verò *membrorum*, Magicis artibus conciliato, suprà ubi de *Nodo Veneris.*

TORQUATA, è Junia familia, C. Silani filia, Vestalis sacerdos annis 64. Ejus meminit Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 69.

TORQUATI Equites seu Milites, vide *Torquis.*

TORQUATUS, cognomen Titi Manlii, à *torque* impositum, quem occiso ad Anienem Gallo detraxit. Hic est ille Torquatus Manlius, qui, cùm filius adversus hostem, à quo vocatus fuerat, pugnasset, eôque occisô, equestria spolia victor ad patrem tulisset, subitò eum, quòd adversus edictum suum, & rei militaris disciplinam fecisset, virgis cæsum securi jussit percuti. Vide & *Manlius.*

TORQUATUS Asprenas, consul. an. Urb. Cond. 880. *Livius.*

TORQUATUS, prænomine *Lucius*, Orico jussu Pompeji præfuit; sed, inclinantibus ad Cæsarem oppidanis, vix evasit. Hic est L. Manlius Torquatus, contra quem P. Cornelium Sullam Cicero defendit. Periit posteà in Africa, ut testatur de bello Africano scriptor, *c.* 96. Fortè designatur is *L. Torquatus*, qui Triumvir monetæ cudendæ, torque & aliis ejus familiæ monumentis argenteos denarios cum inscriptione *L. Torquat. ex. S. C.* signavit.

TORQUATUS Silanus C. Lecaniô, M. Liciniô Consulib. mori adactus est à Nerone, quia, super Juniæ familiæ claritudinem, Divum Augustum atavum ferebat. Jussi id accusatores objicere, prodigum largitionibus, neque aliam spem quàm in novis rebus esse, quin eum nobiles habere, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellet, nomina summæ curæ & meditamenta. Tum intimus quisque libertorum vincti abreptique. Et cùm damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus intercidit. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 35.

TORQUATUS Tassus, Poëta Italus celebris, Surrentô-Neapolitanus. Jam in pueritia, egregiô carmine editô, futuræ eruditioni & gloriæ prælusit. Nuntium Papæ in Galliam sequutus, Carolo IX. innotuit: Dein Ferrariam vocatus, ibi *Hierosolymam liberatam* edidit. Primus pastores in scenam introduxit, in *Amynta*, omnium Comœdiarum Pastoralium principe. Litem cum Academia Florentina *de Crusca*, quæ Hierosolymam ejus sub censuram vocavit, nactus: Ferrariæ quoque negotio adhuc difficiliori implicitus est, à quo tempore omnia ejus retro sublapsa sunt. Ticinum inde se recepit, hinc Neapolim profectus, tandem, invitante Card. Aldobrandinô, nepote Clementis VIII. Romam pervenit. Obiit, A. C. 1595. ætat. 51. cùm jamjam lauru cingendus esset. Jac. Phil. Thomasinus, *in Elog. Illustr. Patav.* Laur. Crassus. *Elog. Vir. literat.* aliique memorati Anton. Teissier *in Elogiis, Part.* 2. ubi & de furore ejus, per cujus intervalla carminibus operam dabat & scriptis, prolixè.

TORQUATUS Valerius, vide *Valerius.*

TORQUERE, propriè verticum est. Virg *l.* 1. *Æn. v.* 121.

> ——— *ast illam ter fluctus ibidem*
> Torquet *agens circùm, & rapidus vorat æquore vortex.*

Unde στροφὰς ὑδάτων & ἰλίγγας Græci vocant. Hinc *retorquere*, de iisdem, apud Tertullian. *de Pallio, c.* 2. *Italiæ quondam latus (Hadria Tyrrhenoque quassantibus) mediò tenus interceptum, reliquias Siciliam facit: cùm tota illa plaga dissidiis, contentiosos æquorum coitus angustiis retorquens, nomen vitii mari induit* &c. Inde ad filum vox adhibita, cùm fuso involvitur, quod iisdem πλανίζεσθαι; cui contrarium ἀναλύειν, seu ἀποπλανίζεσθαι, quod itidem *retorquere* Plinius appellat. Id ne per itinera fieret, Romanis Legibus olim interdictum, Plinius idem *l.* 28. *c.* 2. refert. Vide quoque suprà in voce *Fusus*, item *Rhombus.* Sic porro ad alia transiit, qua de re aliquid diximus retro, voce *Tormentum.*

TORQUIS, à *torquendo*, quòd esset circulus tortus, Græc. στρεπτὸς. Unde quia ex annulis aut catellis *Torques* plexæ erant, *Catellæ* quoque dictæ sunt. Ornamentum colli propriè: Sed & in brachio, adeò-

adeoque inter armillæ genera reperitur. Torquem sanè æmulabatur, nisi *Torquis* fuerit, quem Saxo depingit, *Hist. Dan. l.* 8. ubi de Gotrico, *Detractum*, inquit, *lacerti torquem accersiti labris inseruit. Quem Reso confestim brachio applicans id cunctis auro præditum ostentabat.* Vide Thom. Bartholin. *de Armill. Veter.* §. 4. Inter regia apud Persas insignia, quibus, ut & armillis aureis, acinacibus, aliisque, Satrapæ à Regibus donabantur non rarò, benevolentiæ gratiæque testandæ causâ. Vide Barn. Brissonium *de Regno Persar. l.* 1. Idem apud Romanos inter dona olim militaria frequens fuit: Hinc L. Siccium Dentatum, Romanorum fortissimum, inter alia *Torquibus tribus & octoginta* donatum esse, docet A. Gellius, *l.* 2. *c.* 11. è quo corriges Val. Maximum, numerum insuper centenatium addentem. Erant autem juxta Vegetium, *l.* 2. *c.* 7. *Torquati*, duplares & simplares. *Duplares* dicebantur, qui ob virtutem duplas consequebantur annonas; *Simplares*, quibus una & semis annona tribuebatur. Ant. Thysius JC. *Not. ad Gellium.* Vide quoque Sigonium, *de jure Rom. c.* 15. C. Paschalius, cùm coronæ apud Romanos solis civibus darentur, torques iisdem cum auxiliaribus & externis communes fuisse, atque illis aureos, his argenteos datos esse, ibi pretii, hic solius honoris ratione habitâ, observat, *Coron. l.* 7. *c.* 2. ex Plinio *l.* 33. *c.* 2. Vide quoque eum *ejusdem l. c.* 7. Sed & inter Deorum anathemata *torques* fuêre. Ita enim Galli, post cladem ab Æmilio acceptam, redintegratô cum Romanis bellô, Ariovistô duce, ex hostium exuviis suo Marti *torquem aureum* vovêre. Quod cùm iterum frustra fuisset, Flaminius de torquibus eorum aureum Jovi tropæum erexit &c. Bonfinius *l.* 6. *Dec.* 1. ex Floro, *l.* 2. *c.* 4. cujus tropæi imaginem ac memoriam pulchrè expressam habemus in nummo veteri argenteo, cui hæc verba inscripta, C. FLAMINI. G. F. ROMA. ut videre est in *Fastis* Goltzianis. Simile tropæum, devictis iisdem, erexisse posteà Marium, ex Plutarchi *Cæsare* Rycquius notat, *Comment. de Capitolio Rom.* Nempe *Gallos cum auro* (quod in torquibus habebant) *pugnare solitos*, *Torquatus indicio est*, Plin. *l.* 33. *c.* 1. Vide Nonium in *Torquis*, Livium, *l.* 33. *c.* 40. ubi de prælio, quô Gallos cæcidit Marcellus an. Urb. Cond. 554. Polybium, *l.* 2. ubi de Cornelio Conf. Bojorum victore &c. ut & voce *Torquatus*. Eisdem porrò recentiori ævô insigniti Equites Militesque, qui ab Imperatoribus jus militare virtute meruêre suâ, ac Germanis *Ritter*, Italis *Equites Aurati* appellantur: de cujusmodi Equitum Ordinibus variis, vide Limnæum *de Jure Publ.* Aliâ longè ratione Anthropophagorum Brasiliensium *torques* se habent, uti suprà videre est, voce *Semicinctium*. Plura apud C. Barthium, *Adversar. l.* 8. *c.* 15. & Schefferum, *Syntagm. de Antiquorum Torquibus.*

TORRENS, fluvius terræ Philistiim, in tribu Dan, ortus è Judææ montanis, fluit per vallem Therebinthi, & alluens Modin, apud Sechrona effunditur. Est autem inter Azotum & Joppen.

TORRES, nomen Familiæ illustris, in Lusitania. Ex Petro enim Rege ac Agnete de Castro genitus Dionysius, Dn. *de Cifuentes*, & deinde *Alba de Tormes*, pater fuit Ferdinandi & Petri, quorum ille Dominos *de Torres*, *Villar & Dompardo* sevit. Eô enim & Isabellâ Faxardâ natus, Ferdinandus *de Torres & Portugal* Dn. *de Villar Dompardo*, avus fuit Ferdinandi Comitis, cujus filius Bernardinus Joannem genuit (Isabellæ Osoriæ maritum & ex illa) patrem Bernardini *de Torres & Portugal*, & Agnetis Mauriciæ (uxoris Antonii *de Calatayud*, Comitis *del Real*) qui hôc seculô floruerunt. Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Eur. Part. II. p.* 90. Vide eundem, *Arte Heraldic. Tom. II.* Sed & ex Georgio Duce Conimbricensi, Johannis II. Regis filio notho, orti sunt Duces *de Torres Nuevas*: Hujus enim ex Anna Mendozia, filius Georgius *de Portugal* Dux Conimbric. ex Beatrice *de Melo & Portugal*, pater fuit Alfonsi *de Lancastro*, M. Commendat. Ordin. S. Jac. quô & Jolandâ Henriciâ genitus Alvarus Dux *de Aveiro*, junxit sibi Julianam Dn. *de Aveiro*, ac ex illa suscepit Georgium Ducem *de Aveiro & Torres Nuevas*: patrem Raymundi Ducis *de Aveyro*, (nati A. C. 1642.) Joannis, Mariæ & Julianæ, nominis *de Lancastro*. Idem *ibid.*

TORRES, vel TORES, antiquis terminus, cujus vocis vestigium remansit in nomine *extorris*, qui extra *torrem*, i. e. extra limitem pulsus est; Græcè ἐξορισθεὶς: ut exsul, qui extra *solum*, *Fest.* Auctor *Fragm. de limitibus*, *limitem torrem*, *h. e. torum sine dubio invenies.* Hinc *territorium*, omne illud terræ spatium certis *terminis* definitum, delimitatumque, intra quod jurisdictionem exercendi Civitas jus habet, Salmasio *ad Pollionem*, *in Tetrico Senior. c.* 24. Vide suprà in hac voce.

TORTA, apud Althelmum, *de Laude Virgin. c.* 28.

> *Punica mala vident granis scitisque referta,*
> *Botros & ficos, & plures ordine tortas:*

placenta est: seu panis ex pinguibus palmulis, farina & aqua confectus Erotiano *in Onomastico*, qui ἄρτον ἐγκρυφίαν ab Atticis sic appellari ait, addens ὃν τούρταν καλοῦσι: quæ tamen à recentiori manu esse, existimat Hieron. Mercurialis, *Var. Lect. l.* 2. *c.* 5. Hodie paulo aliud quid est, & Gallis *tourte* vocatur, vide *l'Ecole parfaite des Officiers de bouche.* Hinc *tortula*, *tortella*, *tortellus*; de qua ultima voce Papias, *Pastilli*, *tortelli pigmentati.* Cujusmodi *tortellos*, in crastino Natalis Christi, Domino offerendi, mos memoratur in *Charta* Mauritii Episc. Paris. A. C. 1189. *Consuetudinem tortellorum ad Natalem & ovorum ad Pascha reddent hospites S. Juliani.* Hodieque in aliquot Galliæ provinciis viget, teste Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque suprà, ubi de *Focatio* seu *Subcinericio pane.* At apud Propertium, *l.* 3. *El.* 19. *v.* 18. ubi de corona Ariadnes,

> *Testis sidereæ torta corona Deæ:*

torta idem, quod *tortilis* est, seu *volubilis*, & coronam notat, è floribus artificiosè mixtis compactam, qualem & *pactilem* & *nexilem* Latini dixêre, Car. Paschalius, *Coronar. l.* 1. *c.* 13. Vide suprà ubi de *Nectendi artificio*, item ubi de *Coronis.* Sed Sacerdotum apud Gentiles coronæ *tortiles* erant, ex fasciis seu tæniis implexis: imò nondum inventô coronas è floribus texere, ex duabus aut tribus tæniis inter se implexis coronas sibi fecisse communiter Romanos, easque *struppos* appellâsse, diximus suprà in hac voce.

TORRHEBUS, urbs Lydiæ, à *Torrhebo* Atyis filio. Vide *Steph.*

TORSA, vulgò TORSAS, urbs Smalandiæ, quæ Sueciæ provincia est, in limite Blekingiæ, 5. leuc. Suecic. à Christianopoli in Occidentem, 3. ab ora maris Baltici, prope Bromsbroam.

TORSILIA, vulgò TORSIL, urbs Sudermanniæ, in ipso limite Westmanniæ, 3. leuc. Suecic. ab Arboga in Ortum, Holmiam versus 11. prope lacum Melerum.

TORTA Fagus, à fago aliquo procera nomen accepit: vulgò *Torfou*, vel *Tourfou*, vicus agri Parisini, proximus Castris, sub monte Leotherici. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

TORTARIUS, Monachus Floriacensis, scripsit *vitam S. Mauri versibus hexametris*, cujus partem Johannes du Bois edidit. Carolus Saussæus, *in Annal. Aurel. l.* 4. *c.* 130. Barthius, *Adversar. l.* 52. *c.* 6. Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *p.* 819.

TORTELLI, in Arte Heraldica, vide suprà *Byzantii.*

TORTILIS Armilla, vide suprà *Ficuum* Corona, *Torta.*

TORTOMION, urbs inter Syriam & Armeniam, *Steph.*

TORTONA, Siciliæ urbs, *Steph.*

TORTOR, Apollinis epitheton, cujus simulachrum Romæ fuit. De hoc Sueton. *in Aug. c.* 70. scribit, *Apollinem hôc nomine in quadam parte urbis cultum esse.* Antonius Sabellicus Apollinem *Tortorem* dictum esse vult, à vico, in quo venalia tortorum flagella pependerunt, vel quem tortores incoluerunt, vide Lævinum Torrentium, *in Sueton. loc.* & Rosin. *l.* 2. *Antiq. Rom. c.* 7. *&c.*

TORTORELLA, machinæ bellicæ species, apud Rollandinum *in Chron. l.* 1. *c.* 12. ubi à lapide ejus Comitem Paduæ Manfredinum cecidisse memorat. An eadem cum *Petraria?* quod vide.

TORTOSA, hodie dicitur, quæ olim *Antarados.* Hinc Templarii Equites captivi abducti sunt in Ægyptum à Sultano, A. C. 1304.

TORTURA, vide suprà, *Tormentum*: uti de *Tortore* seu servo publico, apud veteres Romanos, suprà aliquid voce *Suburra.*

TORTYRA, oppid. Asiæ, una ex septem urbibus à Cyro datis Pytharcho, *Athen.*

TORUNUM, vulgò THORN, urbs Hanzeatica Prussiæ regiæ ad Vistulam; cum ponte. In tractu Culmigeria, in ipso limite Cujaviæ provinc. 4. milliar. Germanic. à Culma in Meridiem, uti 12. à Mariæburgo, & 15. à Gedano, Lanciciam versus 13. Situ & arce permunita, in Veterem Novamque distribuitur, Probè culta. Sub Polonis ab A. C. 1454. quò ab Ordine Teutonico defecit. Patria fuit Nicolai Copernici Astrologi; obiit A. C. 1501. Longâ obsidione suâ celebris. Vide quoque *Thorunum.*

TORUS, mons Siciliæ, in ora Australi inter Agrigentum & Heracleam, *Polyb.*

TORUS, Græcè τύλος, item στρωμνὴ, à *torqueo.* Scaligero est quivis funis ex loris retortis: inde pro lecto, quòd *toris* tenderetur: vel ab *intortis* herbis, quia antiqui super toris plicatisque herbis ac graminibus humi ad mensam discumbebant, vel sedebant, Serv. in *l.* 1. *Æn. v.* 712. Et quidem herbarum meminit idem Poëta, *Æn. l.* 5. *v.* 388.

> —— *viridante* toro *consederat herba.*

Graminis Statius, *Theb. l.* 1. *v.* 583.

> *Non tibi digna, puer, generis cunabula tanti*
> *Gramineos dedit herba toros.* ——

Stramentum inde adhibitum. Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Antiquis torus è stramento erat, qualiter etiam nunc in castris.* Fœnum item. Martialis *l.* 14. *in Apophor. Epigramm.* 162. cujus lemma est, *Fœnum*:

> *Fraudatâ tumeat fragilis tibi culcita mulâ,*
> *Non venit ad duros pallida cura toros.*

uti locum restituit Gronovius, *Observ. l.* 4. *c.* 22. Postmodum tomentô culcitæ infartæ; plumâ tandem, quibus paleâ suppositâ factum, ut in lectis *tori* (propriè enim *lecti* αἱ κλίναι, *tori*, αἱ στρωμναὶ, *strata*) assurgerent multùm altèque suffulti essent, quod elegantiæ erat; Augustô luxum improbante, apud Sueton. *c.* 73. *Ne toro quidem cubuisse ajunt, nisi humili & modicè instratô.* Neque verò plumâ quâvis contenti, tenuissimâ delicatissimâque toros suos refereiebant molliculi, quos proin *reflatiles* appositè vocat Zeno Veron. *reflatilis tori plumeô sepulchrô superbi.* Quòd videl. tales, cùm sedendo premuntur, subsidunt & quasi reflantur: si surrexeris, denuò inflantur & intumescunt. At luxuriæ excessus fuit, cùm *foliis rosæ, quibus demum esset album, lectum replevit*; cumque *accubationes de rosis & liliis fecit & quidem purgatis*, Verus apud Spartian. *c.* 5. Insternebant autem *toros* Veteres vilioribus primùm operimentis, de quibus suprà non unô locô: procedente dein ævô, aurô quoque & purpurâ exornabant. De Heroum certè *toris* id frequens, apud Poëtas Græcos Latinosque. Hinc Poëta:

> *Stant gemmis auróque tori* ——

Lucan. *l.* 10. *v.* 122.

> *Fulget gemma toris* ——

Silius Italicus, *l.* 11. *v.* 275.

> *Præcipuis multoque procul splendentibus ostro*
> *Accipitur sublime toris* ——

Et,

Et, ut alios omittam, Papinius, *Theb. l.* 1. *v.* 517.

—— variô strepit illa tumultu
Regia: Pars ostro tenues auroque sonantes
Emunire toros, altosque inferre tapetas.

ad quem locum vide Casp. Barthium, *Animadv. Tom. II. p.* 176. Apud Romanos, *tori* è lino Ægyptiaco & Alexandrino plumâ facti elegantioribus erant in pretio. Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 16. *v.* 3.

Quid torus à Nilo? quid Sidone tinctus olenti?

i. e. torus Niloticus, circumdatus *torali* ex sindone Tyria. *Primus omnium privatorum* Heliogabalus *toros aureis toralibus texit*, apud Lamprid. *c.* 19. Vide suprà, ubi de *Toralibus*. Neque verò in *toris* suis discumbebant solùm ad cibum capiendum, aut jacebant ad somnum invitandum, sed & intra cubiculum in *toris* sedebant (ut hodie in scamnis) in omni otio negotioque, quod quiescere non prohiberet, Casaubon. *ad verba Suetonii, Domitianô, c.* 11. *Assidere in toro juxtà coëgit.* Imò & in toris efferebantur, teste Martiali, quo de ritu suprà, &c. Ut de nomine aliquid adjiciam, Salmasio *torus* est ex Græco τόνος, quod à τείνω, *tendo*, vide eum *ad Solin. p.* 670. Apud medii ævi Scriptores, vox ἀκτὴν, *littus*, vel potiùs aggerem, monticulum ac collem, significare cœpit. Unde Anastasius, *Hist. Eccl. p.* 148. Theophanis verba πᾶσαν τὴν παράλιον ἀκτὴν, vertit *omnes maritimos toros*: an à *toris* humani corporis, de quibus suprà in voce *Tori*?

TORVUS, propriè de *tauro*, unde & vox nata videtur. Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 51.

———— optima torvæ
Forma bovis ————

Hinc de leone. Idem, *Ecl.* 2. *v.* 63.

Torva *leæna lupum sequitur* ——

Inde ad omnium animalium armatorum aspectum denotandum vox extensa, ut videre est apud Barth. *ad Statium*, *Theb. l.* 9. *v.* 741. Ut qui inclemens, γοργὸν Græci appellavêre. *Hesych.* Γοργώψαδα, πικρὸν ὑβλίψας. Atque hinc *torvus*, pro crudeli, funesto, horrendo: ut *torvæ aves*, apud Statium, *Theb. l.* 6. *v.* 754. *torvum cadaver Tydei*, apud eundem, *l.* 9. *v.* 140. &c. Aut saltem pro tetrico atque difficili: ut *torva Pallas*, apud eundem *l. eôd. v.* 571. i. e: non amabilis, sed rigida virginitatis custos: *torvus Maro*, ibid. *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 63. h. e. difficilis materiæ scriptor, Passeratio *ad Propert. l.* 2. *Eleg.* 34. inimitabilis Barthio, quem vide *Adversar. l.* 108. *c.* 14. Sed &, quia in tauro probatur quædam in aspectu generositas, torvæque decorus frontis honos, unde *torvus* pro formoso, apud sæpiùs laudatum Statium, *Theb. l.* 1. *v.* 131.

Sic ubi delectos per torva *armenta juvencos*
Agricola impositô sociare affectat aratrô.

Ad quem locum Barthius, *formosissima*, inquit, *nobilissima. Torvitate enim species censetur bovini generis.* Ad alios porro sensus vox translata, auditum inprimis: velut cùm Maro *torvum clamorem* inducit. Sic *torva confidentia*, *torvum ingenium*, Pacuvius habet apud *Festum*: plura vide apud eundem Barthium, *ad Theb. l.* 9. *v.* 741.

TOSA, vulgò TOSÆ, oppid. Japoniæ, cum tractu cognomine in parte Australi Xicocæ Insul. *Brietio.*

TOSA, flumen Helvetiæ, ad oppid. *Eglisaw*, ditionis Tigurinæ, irrigat & Oscelam vallem; ex summis Alpibus, ut Ticinus, oritur: *Baudrand.* Planino ortum in Glaronensium finibus, in monte *Huruls*, Comitatum Kyburgicum præfluit, rivum dein *Eulach*, Vitodurum alluens recipit, tandemque inter Rynbergam & Eglisoviam, Rheno miscetur, *Helv. Antiq. & Nov.* German. *Toss.*

TOSERTASIS, Memphitarum Rex V. post Saiphem, ante Achem præfuit annos V. vide *Achis*.

TOSIBIS, vide suprà *Tasibis*.

TOSORTHRUS, Memphitarum post Menem in Ægypto Rex I. *Æsculapius* dictus, ob Medicinæ peritiam, *construxit* in Memphi, à patre Mene condita, *regiam*; invenit *sectorum lapidum structuram*; & *de Anatomia* libros conscripsit: quæ omnia huic potiùs, quàm fratri ejus Athoti I. Thebanorum & Tinitarum Regi, cui ista à Manethone tribuuntur, conveniunt. Certè apud Sanchuniathonem Æsculapius Mercurii (h. e. Athotis) frater & Jovis (h. e. Menis) filius dicitur, referente Eusebiô, *Præpar.* Sed nec Tosorthro convenit, γραφῆς ἐπιμέλεια, quam illi Syncellus tribuit, cùm literæ à Mercurio sint inventæ: *operam tamen literas insculpendo dedit. Ibid.* quod de cura ejus secundaria operaque ex præcepto Mercurii navata, intelligendum: stelarum enim exarandarum curam, unà cum VII. Cabiris, & ipse gerebat. Fuit autem hic Æsculapius Memphites *inter primos hominum, qui opinione humanâ Dii sunt facti*, Clem. *l.* 1. *Strom.* fuitque deinceps *urbs Memphis præsentia Numinis Æsculapii clara*, Amm. Marcellin. *l.* 22. qua de re vide pluribus Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* 1. ubi Græcorum de Medicinæ origine & Æsculapiis tribus eorum, hallucinationes eruditè examinat. Sic duo primorum temporum utilissima inventa, *Medicina* atque *Architectura*, sub hoc Rege, occurrunt. Quod enim *Tentoriorum Chami*, Psal. 78. *vers.* 51. mentio, de peregrinantibus Patribus id intelligendum, postquam verò illi sedes in Ægypto fixerunt, construxerunt domicilia, & politias totius Orbis vetustissimas, constituerunt; paulatim accessit magnificentia. Menes itaque *Urbem* condidit, *Tosorthros* successor ejus *Regiam*, neque multo pôst surrexêre *Pyramides*, cum mundo mansuræ: in tantum crevit inventa recens ἡ διὰ ξεστῶν λίθων οἰκοδομή, *sectorum lapidum structura*, ut diximus ex *Syncello*. Anatomicam quod attinet ab eodem inventam, & sine dubio in Syringicis etiam stelis memoriæ traditam, Mercurius II. seu Siphoas Rex illam non minùs, ac Mercurii I. seu Athotis inventa, ex monumentis istis in libros suos transtulit: cùm ex XLII. ejus libris, VI. ultimos ad artem Medicam pertinuisse & primum quidem eorum Anatomicum fuisse, περὶ τῆς τοῦ σώματος κατασκευῆς, ex Clementis *d. l.* suprà indigitavimus, voce *Siphoas*. Ægyptii namque *non seorsim Medicinam & Astrologiam, & ritus sacros composuerunt; sed omnia simul conjunxerunt*, Scholiastes *in Ptolemai Tetrabibl. l.* 1. Illum verò in regno excepit Tyris, quem vide.

TOSSANUS Daniel, magni nominis Theologus, patriâ Mompelgardensis, docuit Heidelbergæ. Obiit A. C. 1602. ætat. 61. Scripsit *Dictionarium in Psalmos, Prælectiones in Psal.* 2. *In Jerem. & Threnos paraphrasin. In Nov. Test.* 2. *Volumin. quart. &c.* Vide Melch. Adami *in vitis Theolog.*

TOSSANUS Paulus, Theologus itidem Palatinus, scripsit *in S. Biblia indicem locupletissimum & notas*: Interfuit Synodo Dordracenæ, Obiit A. C. 1618.

TOSTATUS Alphonsus, Hispanus, Avilæ Episcopus: de quo dictum,

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Coram Eugenio IV. Senæ theses tuitus, earum quasdam, à Pontifice improbatas, posteà editô scriptô defendit. Cum Johanne Capreolo, interfuit Concilio Basiliensi. Obiit A. C. 1454. ætat. 40. Opera ejus Volum. 27. Venetiis edita A. C. 1596. Mariana *l.* 4. *Histor. Hispan. Alphonsus Garcias*, *Possevinus*, &c. Vico Matricalensi editus, Doctor Salmaticensis, Episcopus Abulensis, (in cujus urbis agro natus) & Consiliarius Regius, Majorque, ut vocant, Referendarius fuit, Labbe. *Novum Testamentum admirandis Commentariis explicuit*, Possevin. *Si aliò, quàm suô seculô vivere contigisset, neque Hipponi Augustinum, neque Stridoni Hieronymum, neque quenquam ex illis Ecclesiæ Proceribus antiquis invideremus*, Vossius *de Histor. Lat. l.* 3. *c.* 7. Dicitur de eo, *quòd si à primo Natali die numerando terna folia attribuas, plura scripsisse reperies. Tanta enim scripsit brevissimô tempore, cùm non vixerit, nisi annos* 40. Bellarmin. 46. tamen habet Labbæus. Ejus in *Pentateuchum, Josuam, Judices, Ruth, Libb. Samuelis, Regum, Paralipom. in Ezram, & Matthæum Comm.* recenset Guil. Crowæus *Elenchô Scriptorum in S. Scripturam.*

TOTILAS, Ostro-Gothorum Rex, in Italia, VII. post Euaricum, seu Araticum Ann. 542. res suorum lapsas prudentiâ, rerum usu, fortitudine inclytus, restituit: ad Placentiam Romanos vicit, fugavit cæciditque, & omnia Imperialia oppida cepit, an. Urb. Cond. 1297. totâ inferiore Italiâ, Corsicâ, Sardiniâ & Siciliâ potitus. Paulo pôst quoque Romam cepit, eamque militibus diripiendam tradidit, eò incitatum redactis incolis, ut nobilissimæ matronæ, inter quas Boëtii vidua, panem mendicatò quærere coactæ fuerint. Imo solo æquaturus urbem erat, ni literis Belisarii fuisset inhibitus, qui, Totilâ absente, Romam convolavit, reparatisque celeriter murorum lacunis, cum mox obsidionem parantem fortiter depulit. Tandem à Narsete, in Italiam misso, victus occisusque est, A. C. 552. Procop. *de bello Goth.* Jorn. *in Chron.* Marius Victor, Agathias, P. Diaconus, &c. Ei successit Teias, vide & *Ildibaldus*.

TOTONESIUM, litus & oppid. Britanniæ in Comitatu Devoniæ. *Totnesse Camdeno.*

TOTTAJUM, urbs Bithyniæ inter Nicæam 35. & Dablim in Ortum, 28. mill. pass. *Antonin.*

TOTTONARIUS Equus, apud Vegetium, *de Arte Veterin. l.* 1. *c.* 56. & *l.* 4. *c.* 6. lege *Guttonarius*, quod vide, ut & infrà, ubi de *Trepidariis Equis*.

TOTUS, vide suprà composita ex Græco ὅλος, lit. *H.* uti de *Totius anni villa*, Senecæ memoratâ, *Ep.* 55. infrà voce *Villa*.

TOUGENI, melius *Tugeni*, populi Helvetiorum, quibuscum Marius Rom. bellum gessit, *Strabo.* Horum tractus *Tugenus pagus*, fuit, ubi hodie pagi Tugiensis, Suitiensis, Glaronensis & Uriensis. Hinc & hodie pagus Tugiensis, cujus caput *Tuggium*; seu *Tougium* vulgò *Zug*, unus ex 13. Helveticis conventibus ad lacum Tugiensem, à Lucerna in Cæciam 12. & Tiguro ad Meridiem 18. mill. pass. Vide *Tugium*.

TOVOPINAMBAUTI, vulgò TOUPINAMBOUS, populi Brasiliæ, prope Præfecturam fluv. Januarii, versus oram littoralem. Dicuntur & *Tupinimbæ*.

TOXANDRI, populi Belgii, quorum regio *Toxandria Marcellino*, cum *Toxandro* oppid. cognomine in Brabantia. *Cluverio* incolebant eas Insulas, quæ nunc Zelandiam efficiunt, inter ostia Mosæ & Scaldis. Vide *Zelandia. Baudrand.* Horum omnium primus meminit Plinius secundus, *l.* 4. *c.* 17. Valesio *Toxandria* ad tertium lapidem, ab oppid. Tungrorum Trajecto incipiens, ad Mosæ Vahalisque confluentes expandebatur, regio magna ex parte vastis paludibus invia, ac ob id ne finitimis quidem satis nota: hujus incolas, cum cæteris tractus ejus nationibus, à Frisiis citerioribus dividebat Mosa Vahali auctus; non procul ab Oceano Britannico, *Toxandriæ loci*, meminit Amm. Marcellin. *Hist. l.* 17. qui hodie *Tessenderloo*, vicus est Comitatus Lossensis, in Leodicensi diœcesi, extremus, prope Diestam Brabantiæ oppid. Plerosque *Toxandrorum* baptizavit Landebertus, Episcopus Trajectensis, & apud eos Ecclesias condidit ac Presbyteros ordinavit. Regionem hanc longam leuc. 24. latam 17. ante 400. annos novô nomine Campiniam, vulgò *Kempen* appellari cœpisse, scribit Gothefridus Wendelinus *in Legg. Salicis illustratis*. Bifariam autem dividitur, alia est enim Campinia vel potius Campania Brabantina, alia Leodicensis, utrâque communi nomine *Kempen-land*, in quarum priore Bredam, utrâque Andoverpum, Boscum Ducis, Bergas collocant auctores. Veteres tabulæ in pago

Toxandrio fluv. Duthmalam *Dommele* ponunt, qui per Boxtellam & Sylvam Ducis in Mosam influit: & Pieplo villam *Poppel*, inter Herentaliam & Silvam Ducis; Item villam *Alsen*, in diœcesi Antverpiana, villam quoque seu vicum quoque *Diessen* in parœcia Silvaducensi, Hilvaribecæ proximum, alluit. Hic ergo veteres *Toxandrorum* sedes, *Notit. Gall.*

TOXARIS, Scytha, Athenis sub Archontibus, heroicum nactus est honorem. Quem cùm sacra ei facerent, *Medicum peregrinum* vocârunt, ut est apud Lucianum in *Scytha*. Ex quo etiam dilucet, æqualem fuisse Solonis Legislatoris & popularis sui Anacharsidis. Vide Voss. *de Idol. l. 1. c. 13.* Ibidem Lucianus columnæ sepulchralis ejus meminit his verbis: *Et inventus est eô locô* Toxaris *esse sepultus, ipsâ inscriptione cognitus, tametsi non integer appareat: Inprimis verò, quòd super columnam vir ornatu Scythicô sculptus fuerat, lævâ arcum intentum, dextrâ verò, ut visus est, librum tenens; Etenim adhuc plus quàm dimidiô corpore conspicitur & arcus totus unà cum codice: reliquas verò partes statuæ unà cum fronte temporis longinquitas jam devastavit.*

TOXICUM, apud Plautum, *Mercatore, Actu 2. sc. 4. v. 4.*

Certum est: ibo ad Medicum, atque me ibi toxico *morti dabo:*
Quando mihi adimitur, quâ causâ vitam cupio vivere:

venenum est, dictum quasi *taxicum*, Plinio, *l. 16. c. 10. extr. Smilacem* (taxi arboris genus) *esse in Arcadia tam præsentis veneni dixit Sestius, ut qui obdormiant sub ea, cibumve capiant, moriantur. Sunt, qui & taxica hinc appellata dicant venena quæ nunc* toxica *dicimus, quibus sagittæ tinguntur.* Sanè *venenô ex arboribus taxis expressô* Cantabros inter epulas se ipsos interemisse, ex Floro, vidimus suprà, ubi de hac arbore. Meliùs tamen Festus παρὰ τὸ τόξον, i. e. *arcus, telum*, vocem deducit, Scaligero *de Plantis, l. 1.* qui similiter ab ἄκων, seu ἄκοντος, i. e. *jaculum*, aconitum appellatum vult, quòd succô ejus *tela* intingerent Barbari, uti hodieque faciunt Alpini latrones & Pyrenæi. Morem indicat Virgil. etiam, *Æn. l. 9. v. 773.*

——— *quo non felicior alter*
Ungere tela manu, ferrumque armare venenô.

Et Lucan. *l. 3. v. 266.*

——— *tinxêre sagittas*
Errantes Scythiæ populi ———

Vide quoque Dioscoridem, *l. 6. c. 20.* Paulum Æginetam, *l. 5.* Chr. Becmannum *de Orig. L. L.* ut & infrà ubi *de Sagittis venenatis.* At τοξικαὶ *fenestræ*, apud C. Harmenopolum in his, quæ ex Juliano Architecto retulit, obliquæ sunt & angustiores illæ, quibus hodieque *tela* adversùs hostes solent emitti. *Obliquâ luce & incertas*, vocat Virgil. *Æn. l. 3.* ad quem locum vide Hadrianum Turnebum, *Adversar. l. 4. c. 22.* plura verò de Fenestris hujusmodi, apud Jo. Calvinum, *Lexico Jurid.* Apud Athenienses olim corpus fuisse Ministrorum publicorum sive lictorum, qui Τοξόται dicti, aliter Σκύθαι & Πελτασταί, coërcendis, qui immodestiùs agerent, docet Salmas. *ad Solin. p. 827.* &c.

TOXII, & TOXIANI, populi Taurici, *Steph.*

TR. in nummis Constantii, *Treveris* notat, quòd moneta ibi percussa, Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus.*

TRABALA, urbs Lyciæ, *Steph.*

TRABALIS Hasta, apud Statium, *Theb. l. 4. v. 6.* de Bellona,

——— *dextraque* trabalem
Hastam intorsit agens ———

non *trabs* quidem, sed nec multo minor, quàm quæ talem nuncupationem sustinere possit. Sic *clavi trabales*, tormenti genus, in *Vita* Ferreoli & Ferrutii, Sanctis adscriptorum, *Capitibus beatorum Martyrum trabales clavi — malleis ferreis affixi.* Paulinus, *Nat. 9. Felic.*

Corpora transfixis trabalibus *inclyta clavis.*

&c. Vide Cicer. 5. *Verr.* ubi, *trabali clavô figere*, Scholiastas Horatii *ad l. 1. Carm. 35.* ubi Cruquius *palos acutos, ab ima corporis parte, usque ad summum in noxiorum corporibus adactos* rectè interpretatur; *Nov. 3.* Theodosii, ubi *trabali jussione decrevimus*, G. Elmenhorst. *Observation. ad Arnob. adv. Gentes, l. 2.* Casp. Barthium *ad Statium* d. l. & hîc ubi de *Hasta Bellonæ*, item voce *Trabs.*

TRABEA, poëta, cui inter Comicos octavus locus assignatur. Hujus meminit Cicer. *l. 4. Tusc. c. 31.* Ita enim de eo Sedigitus, *l. de Poëtis*, apud A. Gellium, *l. 15. c. 24.*

In sexto sequitur hos locô Terentius,
Turpilius septimum, Trabea *octavum obtinet,*
Nonô locô esse facilè facio Luscium,
Decimum addo causâ antiquitatis Ennium.

Floruisse videtur, iisdem temporibus, quibus Attilius, quem inter Comicos quintô locô Sedigitus numerat; nimirum circa annum Urb. Cond. 622. De illo sic Cicero, *de Finib. l. 2. c. 4. Nam & ille*, inquit, *apud Trabeam voluptatem animi Lætitiam nimiam dicit*: Ejusque versus multos adfert *in Tuscul. Quæstion.* Vide Jac. Oiselium JC. *Notis in Gell.* de *Trabea* verò, vestis genere, Salmasium quoque *ad Vopisc. in Carino, c. 20.* ut & in *Saturnino.*

TRABEA, vestis veteribus usitatæ & quidem togæ genus. Adinstar prætextæ fuit, non in una solùm ora, sed per totum purpuræ fasciis, virgisque latioribus, velut trabibus transversis distincta, unde ei nomen: Non quòd ex pluribus purpureis pannis assutis constaret, sed, ut Turnebus docet, intextis, ut nempe subtemen purpureum; stamen album vel coccineum esset. Sueton. *l. de genere vestium*, apud Servium, ad illud

Ipse Quirinali trabeâ, cinctuque Gabinô:

tria *Trabearum* statuit genera: *Diis sacratum quod erat tantùm de purpura; Regium, quod erat purpureum, cui tamen album immixtum: tertium Augurale de purpura & cocco.* Eas initiô Regum fuisse tradit Plinius, *l. 8. c. 48.* mox peculiares Equitum Rom. fuêre, cùm scil. Idibus Juliis transveherentur, ex Q. Fabii instituto, ut tradit Val. Max. *l. 2. c. 1.* Malè cum paludamento confunditur à Scholiaste Ciceronis. In funere Germanici atratam in municipiis plebem, Equites *trabeatos* inducit Tacitus, *l. 3. Annal. c. 2.* non quòd trabea vestis funerum propria fuerit, sed, ut advertit Lipsius, quòd ad augendam funeris pompam veste solemni Equites usi sunt. Toga picta quoque, quam Imperatores Consulibus dedêre, trabea dicta est. Trabeæ inventorem Florus, *l. 1. c. 5.* Tarquinium Priscum facit, alii ad Romulum ejus originem referunt. Certè Numam trabeâ usum esse Cedrenus refert. Hinc *Trabeatus*: Unde *fabulæ trabeatæ*, à C. Melisso Augusti Bibliothecæ præfecto, editæ. Vide Octav. Ferrarium *de re Vestiar.*

TRABICA, Græcè Δόκανα, dicta apud Spartanos Castorum simulachra, teste Plut. *Philad.* Vide suprà *Docana.*

TRABS, ex Græco τράπηξ, quod apud Lycophronem occurrit, Festo *propriè duo ligna conjuncta.* Aliàs de quovis ligno grandi, etiam de arbore non rarò apud Poëtas; nave quoque, non abs re, rudibus enim seculis *trabibus cavatis* navigabatur, uti dictum suprà, ubi de *Navigatione & Navibus.* Vide quoque voce *Monoxylon.* Imò & remos Argonautarum, *trabes* vocat Papinius, *Theb. l. 5. v. 422.*

Quinquaginta illi trabibus de more revinctis
Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu:

à mole videl. & quia Heroibus non nisi magna conveniunt. Sic idem *trabem*, pro telo, adsignat Tydeo, *l. 3. v. 149.* alibique *trabs* in suo genere, quodque grande telum. Vide Barthium *ad loc.* ut & suprà in voce *Tignum*, ac infrà *Transversariæ trabes.* Apud Scriptores medii ævi Ecclesiasticos, *trabium* crebra mentio, ex ære, argento, ferro, cupro; quibus lampades appendebantur, aliave imponebantur, uti videre est, apud Car. du Fresne *Glossar.* De *Trabibus* verò Insignium, vide Phil. Jac. Spenerum, *Arte Herald. Tom. I.* Vestium, infrà ubi de earum *Virgis.*

TRACALA, seu TRACHALA, in MS. Sexti Rufi Festi *Breviar. rerum gestar. pop. Roman.* L. Cassiô Quæst. Crassi reliquias colligente, *Pamphyliam obtinebat, ad bellum Epirotarum missus: ditissimum fortunatissimumque Ducem prioribus decem annis invenies; duodecim continuis perditissimum grassatorem; decem novissimis, ob immensa donaria, Pupillum nequissimum* &c. apud Jos. Mar. Suarezium, Episc. Vasion. *in 3. Epist. hac de voce Romæ editar. A. C. 1667. ultima.* Qui proin hujus imitatione de Constantino M. Sext. Aur. Victorem sic loqui ait. *Cumque — III. & LX. annos vixisset, ex quibus dimidios, ita ut XIII. solus imperaret consumptus est: irrisor potiùs, quàm blandus: unde proverbiô vulgari*, Trachala *decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis Pupillus, ob profusiones immodicas, nominatus*: aliis convitii hujus occasionem à *tracheiis* seu *trachalis*, muricis genere, de quo infrà, arcessentibus. Alius *Trachala* seu *us*, Constantinô recentior, cum Italico Consul fuit, de quo vide Latinium, *Animadv. in Concil. tit. Can. Apostol.* §. *à Consulatu Trachali*: plura verò hanc in rem apud Macros Fratres *in Hierol.*

TRACHALUS, orator Domitiani temporibus. Quintilian. *l. 10. c. 1. Erant præclara & nuper ingenia, Nam & Trachalus* (alii *Trachallus*) *plerumque sublimis, & satis apertus fuit, &c.* Vide Galerius.

TRACHAS, urbs Latii. Ovid. *l. 15. Met. v. 717.*

Antiphataque domus Trachasque obsessa palude.

TRACHE, insula parva instar scopuli in mari Ionio apud Corcyram.

TRACHEA, seu TRACHIA, tota Isauria apud Strabonem dicitur, teste *Steph.*

TRACHEA Cilicia, apud Sueton. *in Vesp. c. 8. Achajam --- Tracheam Ciliciam & Comagenen --- in provinciarum formam redegit*: uti quidem legit Hadr. Turnebus, cùm aliàs extet, *Thraciam, Ciliciam* &c. Latin. *Aspera* est, vide in voce *Cilicia.*

TRACHELUS, seu TRACHALUS, purpuræ genus *Posidippo*, apud *Athenæum*, ubi μεκώνια, πίννας, τραχήλους, μύας κλ. in iis recenset, & *Hesychio*, Τραχήλους, τὰς πορφύρας. Sed propriè non tam purpuræ sic dicuntur, quàm purpurarum, imò & muricum, cervices. De quibus Petronius, *Mox cibis validioribus passus, id est, bulbis, cochlearumque sine jure cervicibus, hausi parciùs merum.* Et Festus Pompejus, *Trachali appellantur muricum ac purpuræ superiores partes: unde Ariminenses, maritimi homines, cognomen traxerunt trachali.* Nempe, quia purpurarum hæ partes per se coquebantur, & separatim à reliqua carne, inde factum, ut pro certo earum genere haberentur. Fortè & κατ' ἐξοχὴν cervices ac cirri purpurarum ac buccinorum ita appellabantur: cùm aliàs τράχηλος vox *cervicem* in genere notet, unde τραχηλισμὸς, saltationis species, Athenæo memorata. *Spondylos* Latini vocârunt. Martialis, *l. 7. Epigr. 20. v. 14.*

Rosos tepenti spondylos sinu condit.

Sed & hanc ipsam vocem quamplurimos Auctores Græcos Latinosque pro speciali conchæ genere, ponere videmus, uti inter alia patet *ex Indice Pontificiæ cœnæ*, apud Macrobium, *l. 3. c. 13.* Uti verò *trachelus*, sic *mecon*, de certa itidem specie ostreæ, accepêre nonnulli: cùm μήκων seu μηκώνιον sit media purpurarum pars, inter quam & τράχηλον florem succi tinctorii hærere, Aristoteles, atque ex eo Plinius, scribunt, ut suprà vidimus. Plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p. 1126. & 1127.* Gerh. Jo. Vossium, *de Idol. l. 4.*

ἐπιδεικ. 35. ubi inter alia *αὐτὸς τοῖς τῷ στομάχῳ διαθέσεις ἔχουσιν*, *stomacho infirmo & languenti conducere* trachelos, ex Athenæo, *l.* 3. c. 10. notat, & suprà voce *Spondylus*. De *τραχήλῳ* verò, balsami genere, item de pectinibus *τραχηλιαίοις*, vide eundem Salmas. *p.* 580. & *seqq.* nec non 1129.

TRACHIN, vel TRACHIS, vel TRACHYNA, urbs Phthiotidis, à qua *Trachinia* regio ad sinum Maliacum sub monte Oetâ.

TRACHINA, urbs Latii, quæ nunc *Terracina*.

TRACHINIA, regiuncula Phthiotidis in ora sinus Maliaci, ubi Heraclea urbs cognomine *Trachin*, cujus meminit Ovid. *l.* 11. *Met.* *v.* 627. ubi *Herculeam Trachina* vocat. Hinc *Trachinius* apud eundem Ovid. *ibidem*, *v.* 502.

Hæc quoque quæ sequitur ventis Trachinia puppis.

TRACHIRIS, Libyæ interioris fluv. qui in Oceanum Atlanticum labitur, haud procul à Nigri, *Ptol.* *Gambea Barraso.*

TRACHIS, vide *Trachin*.

TRACHONES, 2. colles Cœlesyriæ apud Damascum. *Hippos mons Ptol.* Inde populi *Trachonitæ* in Arabia.

TRACHONITIS, vulgò *Bacar* hodie, teste *Gulielm. Tyriô*, regio Palæstinæ, quæ & *Ituræa Straboni*, & *Petræa Hegesippo*, in Cœlesyria, inter montem Libani, & lacum Tiberiadis. Vide Plin. *l.* 5. *c.* 18. *extr.*

TRACHYNA, vide *Trachin*.

TRACTARE, in *Emancipato* Afranii, apud Sosipatrum,

Quàm lentè tractat *me atque includit:*

à *taxare* diversum. Taxatio enim unius est figuræ aut dicterii, vel paucorum, uti videre est in *Augusto* Suetonii, *c.* 4. at *tractare* est totum negotium figurare sive *χαρακτηρίζειν*, aut agere figuratè seu *ἐσχηματισμένως*: quemadmodum *tractatum scenicô exodiô Domitiani cum uxore divortium*, memorat idem in *Vita* hujus, *c.* 10. ubi vide Theod. Marcilium. Sed & *tractare* dicebantur Philosophi disputantes, Sophistæ, Rhetores, Jurisconsulti, & id genus. Servius, *Xenocrates primus Philosophiæ scholam aperuit; cùm antea in porticibus Philosophi tractarent.* Unde apud veteres Patres, *Tractatores* passim dicti, qui Dei verbum vel voce vel scriptis exponerent: hincque *Tractatus*, Græcè *ὁμιλία*, collatio, præsertim de rebus sacris, concio insuper Episcopi ad populum, synodus tandem seu concilium, in quo de rebus Ecclesiasticis tractatur: & inde *Tractatoria* Epistola, quæ & ipsa *tractatus* nonnunquam, cum Epistola Synodali seu Synodica eadem, uti ostendit Car. du Fresne *Glossar.* Apud Spartian. verò *Geta*, *c.* 4. *Fuit adolescens moribus asperis, sed non impiis, à natura decorus*, tractator *gulosus* &c. loquutulejum & *ἀδόλεσχον* exponit Casaubonus; Salmasius tamen *retractator* legit, quem vide *ad loc.* Sed & in *Codice* passim & *Novellis* Chartularii *Tractatores* dicuntur, quòd *tractarent* vel retractarent largitionales titulos. Scholiastes Juliani Antecess. *ad c.* 82. *Tractatæ, quos dicimus apud Latinos* Tractatores, *maximè in Africa sic dicuntur, id est, Scriniarii, qui annonas publicas computant & tractant.* Vide Jac. Cujacium, *ad l.* 3. *Cod. de Can. largit. tit.* & Nicol. Alemannum *ad Procopii Anecdota*, *p.* 100. 1. *edit.* & *Nov.* 1. *Theod. sub fin.* nec non infrà verbo *Trahere*. Imò & *Tractatores* ac *Tractatrices*, in famulatio Veter. Vide suprà *Ancilla*. Quid verò *malæ tractationis* nomine indicaverint Veteres, docere possunt *Declamationum* reliquiæ, ad quas vide Barthium, ut & *Animadvers. ad Papinium Statium, Thebaid. l.* 11. *v.* 605.

TRACTIO, ignominiæ pœnæque species. Idatius *Fastis*; *Constantiô III. & Constante II. Consulibus: His Coss. victi Franci à Constante Aug. seu pacati.* Tractus *Hermogenes*. De qua veluti re usitata loquitur Libanius, *Orat. de sua Fortuna*. Vide quoque Philonem, *Legat. ad Cajum*, ubi de Judæorum Alexandriæ miseriis, eundem *ad Flacc.* Auctorem *Chron.* Alexandrini, de Bonoso, Phocæ quondam adjutore, de Phoca ipso per ventrem tracto, & Leone Sacellario cum eo, nec non Mappario & Taxeota &c. Et quidem Phocæ modò dicti cadaver truncari primò, dein *trahi* præcepit Heraclius Imperator, uti prolixè narrat Nicephorus *in Rebus post Maur.* Idem de Canuto Daniæ Rege legimus apud Helmoldum, *Chron. Slav. l.* 1. *c.* 51. Caligula verò Senatoris cujuspiam cædem cùm mandâsset, non antè satiatus est, quàm & membra & artus & viscera hominis *tracta* per vicos atque ante se congesta vidisset, narrante Suetoniô, *c.* 28: Major eorum crudelitas, qui, mortem inimicorum non expectantes, semianimes spirantesque *traxerunt*, uti de Hectore ab Achille tracto, jam apud Homerum legimus. Quod & in sontes quandoque exercitum. Sic Monachi, qui Henricum IV. Imperatorem desuper jactu lapidis occidere voluerat, cum pondere verò ipse infelix, illæsô Imperatore, in terram prolapsus est, *semianime corpus, per totam Romam plebs invitô Imperatore traxit*, apud Auctorem *Vitæ ejus*. De Brunechilde, diximus suô jam locô. Quid quòd *nec mortuis, quibus omnis parcere consueverat impietas --- tuta semper quies, quos de monumentis extractos, per vicos & plateas, quasi illatas sentirent injurias, distrahebant*, jussu Andronici Comneni, de cujus crudelitate Guil. Tyrius, cujus ista verba, *Hist. Palæst. l.* 21. *c.* 12. pluribus agit. Et furorem hunc antiquissimum fert, docet Cambyses apud Herodotum, *l.* 3. Amasis cadaver erui, virgisque cædi jubens &c. Postquàm autem *tracti* satis, vel comburebantur tandem, uti de Phoca Nicephorus habet *d. l.* & de Heldicæ cujusdam uxore, aliaque fœmina, nomine Teucaria, Vict. Utic. *Persecut. Vandal. l.* 2. Vel in fluvios abjiciebantur, uti de Cleandro, ejusque amicis, scribit Herodianus, *l.* 1. in cloacas item, uti de Heliogabalo Lamprid. *c.* 33. *Tractus deinde per publicum, additaque injuria cadaveri est, ut in cloacam milites mitterent.* Vel in frusta discerpebantur, uti de Monacho præfato addit Auctor suprà laudatus. Sed & *trahebantur* interdum tamdiu, donec dissipati cadaveris nihil superesset, quod trahi porrò posset, uti de Judæis queritur Philo, *loc. cit.* nempe, *ἕως ὁ τεχνίτης ἄγριος, τάχιστα γίνεται, τὰ σώματα τῶν ἰδίων διαφθείρει καὶ τραχηλισμοῖς ἐπιτυγχάνει, καὶ τῷ ὁμοφύλῳ μέρει τῆς συμφωνίας διαλυομένων ἀναιρεθέντες ὅλως ἠφανίσθη.* Interdum verò & extra fines projiciebantur *tracti*, uti proditori Pausaniæ quondam fecerunt Spartiani, apud Ælian. *Var. Hist. l.* 4. *c.* 7. & Aristocrati ejusdem sceleris reo Arcades, apud Pausaniam, *l.* 4. Vide plura hanc in rem, apud Casp. Barthium, *Animadversion. ad Statianam Thebaidem*, *l.* 5. *v.* 234. supra etiam aliquid ubi de *Suspendendis*. Hinc *Tractitius*, dictus à militibus post mortem Heliogabalus, seu *Tractatitius*, quod idem, ut nonnulli legunt; quòd *solus omnium Principum tractus est & in cloacam missus & in Tiberim præcipitatus*, Lamprid. ubi suprà. Nempe & Vitellius quidem tractus & in Tiberim præcipitatus, sed in cloacam missus non fuerat; nisi dicere malimus, lapsum memoriâ Auctorem, Casaubon. *ad loc.*

TRACTORIA, diploma seu instrumentum est evectionis seu cursus publici, quô jus & facultas dabatur equos, vehicula, & viaticum petendi de publico, aliter *Combina*, quam vocem vide, ut & ubi de *Cursu publico*. De illis tituli passim *de Cursu publico & de Tractoriis & stativis*, *lib.* 12. *Cod. Justin.* & *lib.* 8. *Cod. Theodos.* ubi multa egregia habent Jac. Cujacius, Jac. Gotofredus, Alii. *Formulam* earum exhibet B. Brissonius. Transiit illarum à Romanis ad Francicos Reges usus, quibus hi Missis suis similiter commeatum & hospitia præberi jubebant, uti videre est, apud Marculfum, *l.* 11. cui tit. *Tractoria Legatorum*, ubi formula hujusmodi instrumenti sic incipit: *Ille Rex omnibus agentibus. Dum & nos in Dei nomine Apostolicum virum illum partibus illis legationis causâ direximus, ideo jubemus, ut locis convenientibus eidem à vobis evectio simul & humanitas ministretur, h. e. veredos seu paraveredos tantos, panis nitidi modios tantos, vini modios tantos* &c. Inde latiùs extensa vox, ut nonnunquam pro quovis Diplomate Principis sumatur, uti pluribus docet Car. du Fresne *Glossar.* Sed & apud Eccles. Scriptores interdum occurrit, pro epistola citatoria & evocatoria, quâ *trahitur* scil. & evocatur quispiam, ut certô locô & tempore præsentem se sistat. Augustin. *Epist.* 217. *Tractoria ad me* 5. *Id. Nov. venit, jam finitô die, & me valdè indispositum invenit, ut occurrere omnino non possem.* Vide *Formulas antiquas* Promotionum Episc. *Tom. II.* Concil. Gallic. Sirmondi, *p.* 651. 653. 656. Bern. Ferrarium *de Epistol. Eccl. l.* 2. *c.* 1. & Joh. Garnerium ad Marium Mercat. *in Commonitorio*, *c.* 3. eidem laudatos. Cl. Suicerus *tractorias*, diplomata seu libellos, datos in exteros *tractus* ituris, unde esset cognoscere, quô pactô *tractari* aliquem oporteret; sæpeque ab Episcopis sic commendatos, ob delicta pœnitentiæ ergò peregrinantes; Primates etiam, cùm Episcopos ad Synodum vocarent, iis usos: sed & Epistolas ab Episcopis scriptas, quibus absentiam excusarent, imò & Synodales Epistolas nonnunquam hâc voce insignitas, docet *Thes. Eccl.* in *Τρακτωρία*. Vide quoque Lud. de la Cerda, *Advers. c.* 92. *num.* 17.

TRACTUS, in Ord. Romano, *Si fuerit tempus, ut dicatur Alleluja, bene: sin autem, Tractus*: species est in Communione illa Ecclesiastici cantus, cui nomen, *quia trahendo, i. e. tractim canitur*, Honor. Augustodun. *l.* 1. *c.* 96. an, *quia sancti suspirantes ab imo pectore gemitum trahunt*, Hug. à S. Victore, *Spec. Eccl. l.* 1. *c.* 7. unde & *luctus* dicitur in eodem Ord. an, *quia trahitur tempus pro intervallo, quô Diaconus possit exuere planetam & imponere sibi transversabiter velum*, Dominic. Macer *Hierolex.* In Missa post Epistolam cantatur, à Septuagesima usque ad Pascha; & quidem singulis Dominicis, usque ad Quadragesimam; quâ durante etiam feriis secundis, quartis & sextis canitur: idque nullô respondente, unde à Responsorio distinguitur; nec cum Allelujah, quô pactô à Graduali differt. A tempore autem tractus stolam velô violaceô cooperit Diaconus, cujus rei rationem habes apud eundem *ibid.* ubi & Dominicæ prædictæ introitum esse, *Circumdederunt me dolores mortis* &c. canticique hujus Auctorem haberi Cælestinum, an Gelasium, an Telesphorum Episcopum Roman. addit. Sed & *Tractus*, apud citimæ ætatis Scriptores, dicitur piscatio, jus piscationis, pisces ex fluvio vel vivariis extrahi soliti: quod aliter *Jactus*. Vide de hac vocis notione Car. du Fresne ubi suprà, ut & hic ubi de *Extractione* seu piscatione margaritarum.

TRADITIO, Philosophiam olim propagandi modus. Quidam enim, memoriæ nimiùm fidentes, censebant supervacuam esse, per literarum monumenta, Sapientiam propagandi rationem: solâ proin *παραδόσει* seu *Traditione* orali utendum rati, quâ non memoriæ tantùm robur, sed & Sapientiæ majestatem accedere credebant. In qua sententia Thamus fuit universæ Ægypti Rex, ut ex nobili ejus disputatione cum *Theuth*, Inventore literarum, apud Platonem in *Phædro ac Timæo*, apparet. Neque aliò respexerunt Græci, dum Musarum Matrem *Μνημοσύνην* statuerunt, quam Latini à *monendo* eleganter dixêre *Monetam*, Voss. *de Anal. l.* 2. *c.* 3. Idem Celtarum Sapientes, Druides, voluêre, Cæsar *de Bell. Gall. l.* 6. *c.* 13. Et Antisthenes adolescenti amissos conquerenti Commentarios: *Oportebat*, respondit, *ista potius animo, quàm chartis, scribere.* Similiter de Pythagoræis Plutarchus tradit, quòd solâ *Traditione* & memoriæ subsidiò Philosophiam suam propagârint, mysteria sua literis mortuis concredere nefas esse judicantes; adeoque multa suæ disciplinæ præcepta scriptis mandaverint: quod tamen A. Gellius, *l.* 1. *c.* 9. ad eos solùm è Platonicis, qui *Ἀκουστικοὶ* dicebantur, trahit; *Μαθηματικοῖς* verò & verba facere & quærere, quæque audissent, scribere licuisse, docens. De Antonio Eremita quoque refert Nicephorus, cum à Philosopho interrogatum, quomodo res sublimes contemplaretur, quum nullos haberet libros, respondisse: *Universum hunc Mundi librum sibi Bibliothecæ locô esse; hanc omni tempore & ubivis homini præstò esse.* Contrà alii erant, qui, non omnino improbatâ hâc docendi ratione, propter varios tamen, quibus humanum genus obnoxium est, casus, posteritati aliter consulendum esse putârunt. Quorum, ut ex Josepho constat, familiam duxit Sethus, minimus natu Adami Protoplastæ filius, qui scribendi mirabili artificiô, vel inventô, vel à Pa-

instrumento Magnatibus advenis audiendum id cum horrore exhibetur. Pila est vitrea, ad instar pisi, quoad magnitudinem, quæ ad medietatem certô liquore repleta, carbonibusque accensis imposita, osculô hermeticè clausô, fracturâ tantum fragorem edit, ut præsentes vehementiâ sonitus planè attonitos reddat, fulgur præterea efficiat, non secus ac explosa bombarda solet. Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jesu Musæo*, p. 46. Vide quoque suprà *Crystallina Sphæra*, item ubi de *Lucernis*; at plura hanc in rem in voce *Brontæus*, item ubi de *Fulgetris*, quæ Veteres nonnunquam cum tonitribus confundunt, cùm sæpe coruscatio cum tonitru jungatur; nec non ubi de *Margaritis*, ac *Tuberibus*, quorum genituræ tonitrua crebra cum imbribus proficere, Naturalium rerum Indagatores adnotant. De *tonitru* ab Apelle picto, adi Plinium, *l.* 35. *c.* 10. de malo ejus augurio, apud Romanos Liv. *l.* 23. *c.* 31. uti de Flaminica feriante, quoties *tonitru* audisset, voce *Feriæ* suprà, it. *Privatæ feriæ*: de Veneficarum graminibus potentissimis *tonitru* nutritis infrà, ubi de *Veneficio*.

TONITRU, nomen unius filiorum Clearchi, Heracleensium tyranni, apud Plut. *de Fortuna Alexandri*, *l.* 2. *c.* 13. *Ceraunon* vocat Justin. *l.* 16. *c.* 5. Locus Plutarchi sic habet: Clearchus *Heracleæ tyrannus gestavit fulmen unumque filiorum* Tonitru *appellavit.* Fulmen, scil. ut ipse Jovem referret, cujus personam ridiculè sumebat. Atque ita locum interpretatur Budæus, cùm in Græcis vulgò impressis pro σκηπτὸν, *fulmen*, mendosè legatur exponaturque σκῆπτρον, *sceptrum*.

TONNA, nomen Dynastiæ, in Thuringia, quam Gleichenses Comites nostrô adhuc seculô tenuêre, à .. postremi, ut volunt *Tonnensium Dominorum* filia, Sigismundo Gleichensi dotis locô allatam, A. C. 1408. alii antiquiorem illis possessionem hanc facientibus. Istud certum, Tulstettum cum Ufhovia (jam Nobilium Goldackerorum) à Landgraviis Thuringiæ, Gleichensibus Tonnæ jam potitis, adjectam esse, extinctô, illô circiter tempore, Hermannô Barone Salzensi ultimô, cujus Majores arcem Tulstetti condiderant. Ultimus autem Gleichensium Jo. Ludovicus, qui sterile cum Erdmuthi Juliana Hohenstenia matrimonium expertus est, annuente Jo. Casimirô Saxoniæ Duce, ita domui suæ disposuit, ut post obitum Hohenloicis atque Schwartzburgicis Gleichensis Comitatus, *Tonna* Christiano Pincernæ Tautenburgio, & hujus quoque Familiâ deficiente, Christiano atque Wolrado Waldecciis, eorumque posteris Comitibus, obveniret. A'quibus posterioribus (Jo. Ludovicô A. C. 1631. & Christianô A. 1640. mortuis) habitam emptionis jure non ita pridem patrimonio titulisque Fridericus Dux Saxon. Lineæ Gothanæ, Ernesti Patris successor, adjecit, sibi soli posterisque comparatam; cùm Gotham, Altenburgum, Coburgum & Henneberglas ditiones, suô Fratrumque nomine, supremô Patris jussu, regundas suscepérit. Tob. Pfannerus, *de præcip. Germ Principum Gentibus*, c. 1. Vide quoque suprà, ubi de Familia *Gleichensi*.

TONNINGA, vulgò TONNINGEN, urbs Ducatus Slesvicensis, ad Evderam fluv. in tractu Eydera, in limite Ditmarsiæ, vix 2. milliar. Germanic. infra Fridericostadium in Oceanum, uti 6. à Slesvico. 3. ob ora maris Germanici. Hujus arx munitissima, Daniæ Regis jussu, disjecta & diruta est, A. C. 1675.

TONSA, apud Papin. Statium, *Theb.* *l.* 5. *v.* 340.

Ast ubi suspensis siluerunt æquora tonsis,

alibique: remus est. Servius ad Virgilianum hoc *Æn.* *l.* 7. *v.* 28.

—— *in lento luctantur marmore tonsæ*:

Remi, inquit. *dicti à decutiendis fluctibus, sicut tonsores, à decutiendis & tondendis capillis.* Melius Festus, *à detonsis ramis.* Nam primos homines verisimile est integris arbusculis rem gessisse. Potiùs tamen à *tundendo* deducit Barthius, ut *tunsæ* primùm scriptæ fuerint. Cyrillus *Glossar.* Κώπη. *Remus*, *Tonsa*. Philoxenus, Κῶπαι, *Tonsæ*. Ita & Farnabius *ad Sen. Agamemnone*, *Actu* 3. Delrio propriè palmulæ sic dictæ, imæ remorum partes, quibus aqua tunditur; quem remigantium nisum expressit Ennius

Ponè petunt, exin referunt ad pectora tonsas.

&c. de *Tonsa Corona* hic infrà.

TONSILIS Corona, plectili vel nexili contradistinguitur; Quas enim ex integris frondibus atque adeo intonsis Veteres nectebant, *plectiles* vel *nexiles* dicebantur: Unde apud Plautum, *Bacchid.* *Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 37. *Corona plectilis*, & A. Gellium, *l.* 18. *c.* 2. *coronam è lauro plexam*, id est, ex integra fronde lauri plexam. *Tonsiles* verò & *Tonsæ* appellabantur, quæ ex foliis detonsis texerentur: ut observat Salmas. *ad Solin.* ex Servio *ad Virgilii* *l.* 3. *v.* 21. *Georg.*

Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ:

Quem rectè de *Tonsili corona* Servius interpretatur, *Tonsæ*, inquiens, *olivæ minutis foliis compositæ. Habituram se autem Coronam tonsilem dixit.* Vide Car. Paschal. *de Coronis Antiqq.* Meminit quoque *Tonsilium sertorum* Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 80. *v.* 7.

Sic quacunque vagus, gressumque oculosque ferebat,
Tonsilibus sertis omne rubebat iter.

In quæ verba Salmasius præfatus: *Coronas*, inquit, *interdum ex integris frondibus nectebant Veteres, ut ex lauro, oliva & aliis; interdum ex mero folio funiculis eas suebant. Hæ* Tonsiles *vocatæ vel* Tonsæ, *ideò, quòd ex foliis detonsis textæ essent; vel quòd folia in his parùm eminerent, tanquam si tonsa essent, Hinc tonsiles tapetas, brevibus ac tonsis villis.* Vide quoque suprà ubi de *Tomento*.

TONSIO Ovium, antiqua admodum, vulsione tamen posterior. Priùs enim vulsam, quàm *tonsam* esse lanam, discimus ex Varrone de *L. L.* *l.* 4. *de R. R.* *l.* 2. *c.* 11. & ipso *velleris* nomine inde lanæ tributo. Imò necdum Varronis ævô in desuetudinem abiisse penitùs, patet ex *seqq.* ut & Plinio, *l.* 8. *c.* 46. Unde sunt, qui Hebræum גזז *gazaz*, quod occurrit Genes. *c.* 31. *v.* 19. ubi de Labane, & *c.* 38. *v.* 12. ubi de Juda, oves suas tondentibus, non *tondere ferro*; uti Veteres reddunt, sed *manu vellere* & *extrahere* interpretantur. Verùm utut vellendi mos Romæ & in vicinis locis, non tamen in Judæa, Græciaque, olim in usu fuit. Certè apud Hesiodum, qui de re pecuaria scripsit primus omnium, ὄιας πείκειν occurrit, quod non *oves vellere*, sed *tondere* significat, ut in Theocriti *Bucoliastis*,

———— ὄιας πείξω
Τὰς ἐν τῷ πείκας ————

ubi πείκειν idem esse, quod κείρειν *tondere*, docet Salmas. Et Hebræum *gazaz* idem notare, pluribus docet Bochartus. Sic inter alia, vaticinium Esajæ, de Christo, Actorum *c.* 8. *v.* 32. Græcè redditur, ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν, *coram tondente se*. Nec obstat, quod νακόλλεῖν vel νακολλητὴς apud Cratippum, Craterum & Philemonem propriè *vellerum vulsorem* sonat, Veteres enim *tonsorem* explicant. *Hesych.* Νακόλλαι, οἱ κείροντες τὰ πρόβατα. *Suidas*, Νακολλαι, οἱ τὰ πρόβατα κνῶντες, &c. quia in vocum expositione non tam etymon, quàm usus, respicitur. Quia verò viris illis veteris ævi πολυμήλοις *tonsio* erat altera messis, solebant tonsionis dies solennes esse & convivales. Proinde Judas, absolutô luctus tempore, propter uxoris obitum, ut animum recrearet, ivit ad tonsores suos *d. l.* Et Davidis servi, ad Nabalem, tonsionis tempore missi, dicunt se *die bonô* (i. e. hilari & festô,) venisse, 1. Sam. *c.* 25. *v.* 8. &c, Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior.* *l.* 2. *c.* 45. & suprà, ubi de *Lana*.

TONSOR, inter familiares fuit. Ovid. *l.* 11. *Metam.* *v.* 182.

Sed solitus longos ferrô resecare capillos
Viderat hoc famulus.

Quô proin ministeriô domesticô functus est Pantagathus ille, cujus Epitaphium cecinit Martialis, *l.* 6. Et quidem apud Romanos diu *Tonsorum* non modò officium, sed & nomen ignotum fuit. Antiquioribus enim temporibus intonsi degebant, ut dictum. Græci quoque quamvis necessitate, vel votô, vel luctu urgente, capillos ponerent, barbam tamen retinebant, primusque Alexander M. *Persicô luxu fractus, enervatusque asperitatem patriam & frugalitatem exuens, barbam radere instituit*, Athen. *Dipnos.* *l.* 13. *c.* 6. quod Imperatores Romani posteà imitati sunt, uti videbimus. Et quamvis Assyrii contrà, in luctu barbam tonderent, capitis crinibus demissis, Strab. *l.* 16. tamen & præter præfatos Græcos, alii *barbam* etiam in luctu servabant, Sueton. *Aug.* *c.* 23. *Calig.* *c.* 5. Plut. *in Problem. Rom.* *c.* 13. Seneca, *de Benefic.* *l.* 5. *c.* 6. Liv. *Dec.* 3. *l.* 7. Alii: quò proin habitu fugisse à Cannis & in Urbem rediisse, Varro legitur, apud Jul. Frontinum, *Strategem.* *l.* 4. *c.* 5. Itaque illô rudi ævô concinnabant Cinifiones, & ferrô calidô contorquebant crines, qui solus decor tum habebatur. Vide Æl. Donatum *in Eunuch. Actu* 5. *Sc.* 2. Joh. Meursium, *Exercit. Crit. part.* 1. *c.* 2. Jan. Gulielmum, *Verisimil.* *l.* 3. *c.* 16. Isidorum, *l.* 9. *c.* 31. ubi, *Antiæ*, ait, *sunt cincinni dependentes prope auriculas*: Item in Gloss. *Antiæ*, *capilli demissi*. Quod obtinuit usque ad annum ab Urb. Cond. 454. quô primùm è Sicilia *Tonsores* in urbem admissi sunt, teste Varrone, *de R. R.* *l.* 2. *c. ult.* cujus verba in suum Opus transtulit Plin. *Hist. Nat.* *l.* 7. *c.* 59. iterumque usurpat, utroque posterior A. Gellius, *l.* 3. *c.* 4. Ita autem Varro, *Omnino* Tonsores *in Italiam ex Sicilia primùm venisse dicuntur, post Romam conditam, annô* 454. *ut scriptum in publico Ardeæ in literis extat; eosque adduxisse P. Ticinium Menam.* Ponebant autem barbam, ut plurimum sub annum ætatis 21. Hinc Macrobius, *in Somn. Scipionis*, *l.* 1. *c.* 6. *ter septenarium numerum ad barbam requiri*, affirmat: Cæsar tamen Octavianus vigesimô quintô, apud *Dionem*: Caligula vigesimô, apud Sueton. *c.* 10. barbam posuêre. Dies autem is solemnis habebatur, primitiæque barbæ, alicui è Penatibus Deo, solebant consecrari. Hinc Nero Juvenalia instituit, quòd barbæ suæ rasæ τρίχας ἐς σφαῖραν χρυσῆν ἐμβαλὼν ἀνέθηκε τῷ Διὶ καπιτωλίνῳ, *Pilos in sphæram auream conjectos Jovi Capitolino consecravit*, Dio *l.* 61. *sub fin.* Eundem Sueton. *c.* 12. *inter buthysiæ apparatum barbam primum posuisse, conditam in auream pyxidem & pretiosissimis margaritis adornatam, consecrâsse Capitolio*, refert. Itaque viri erant imberbes, sicut ex numismatibus aliisque monumentis liquet. Primus Hadrianus hunc morem mutavit uti ex *Xiphilino*, Spartiano, *in ejus vita* & Nummis, discimus: A' quo omnes ferè reliqui Imperatores barbati fuêre. Quam ob causam Julianus Antiochensibus ludibrio erat, sicut ejus testatur Μισοπώγων. *Juvenes* verò *barbatulos* fuisse, dicit Cicero: Proin miratus Gellius, *l. c.* barbam Scipioni jam quadragenario rasam fuisse. Cæteri, qui barbam ponebant, vel radebant per *Tonsores*, vel psilothrô aliôque medicamentô exstirpabant pilos. Instrumentum *Tonsorum* notat Lucianus *c. Indoct.* ξυρὸν ἢ μαχαιρίδας ἢ κάτοπτρον. Vide & suprà *Sindon*. Habuit verò & Palatium *Tonsores* suos. Ammian. *l.* 22. Evenerat iisdem diebus, ut ad demendum Imperatoris *capillum* Tonsor, *venire præceptus, introiret quidam ambitiosè vestitus; quô visô Julianus obstupuit. Ego, inquit, non Rationalem jussi, sed Tonsorem acciri.* Imò nec mulieribus obsepta fuit hæc ad quæstum & dominicam

eam gratiam via. Hinc vetus elogium, *Sextiæ. L. Tertiæ. Tonstrici.* Et in hoc munere apud Cleopatram Ægypti Reginam, gratiâ insignis fuit mulier ancilla Eras, teste Plutarchô, *in M. Antonino*, vide suprà *Charmiane*: nec aliud sibi voluit Cicero, *Tusculan. l.* 5. Dionysii Senioris miseram custodiam perstringens, qui, ne *Tonsori* collum committeret, tondere filias suas docuit. Subdit enim, *Ita sordidô ancillarique artificiô regiæ Virgines, ut Tonstriculæ, tonderent barbam & capillum patris.* Sed & in civium familia *Tonstrices* fuisse, quæ resecarent crines & ungues, docet Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 15. *Egressô cubiculum Brutô cultellum Tonsorium, quasi unguium resecandorum causâ, poposcit; eôque velut fortè elapsô se vulneravit: clamore deinde ancillarum in cubiculum revocatus Brutus, objurgare eam cœpit, quod Tonsoris præripuisset officium.* Hinc Plautus, *Trucul. Actu* 4. *sc.* 4. *v.* 3.

Nam mihi dividia est, Tonstricem *meam sic mulctatam malè.*

Tonstricis, faucibus Suburræ quæ sedebat primis, meminit Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 17. *v.* 1. ubi tamen *Tonsoris* uxorem potiùs intelligere videtur. *Tondebantur* autem Romani, cùm è balneo egressi &c. *Tonstrinæ* negotium hisce describit Seneca, *de Brevit. vitæ, c.* 12. *Quid? illos otiosos vocas, quibus apud Tonsorem multæ horæ trahuntur, dum decerpitur, si quid proximâ nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur; dum aut disjecta coma restituitur, aut deficiens, hinc atque illinc in frontem compellitur.* Pergit: *Quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt.* Infrà, *Hos tu otiosos vocas, inter pectinem speculumque occupatos.* Vide Pignorium, *Com. de Serv.* Popmam, *de operis serv.* Thom. Dempster. *in Rosin. l.* 10. *c.* 29. &c. Addam saltem, *Tonsorem* quendam, nomine *Maru Ragu*, interfectô Rege præcipuô Insulæ *Zeilon*, cœterisque ejus Regulis pulsis, totius Insulæ Monarcham sese constituisse, sede Regiâ in urbe *Candi* positâ, circa A. C. 1580. Vide infrà, ubi de hac Insula. Sed & Pori, inclyti illius Indorum Regis, patrem ex *Tonsore* Regem habes, apud Curtium, *l.* 9. *c.* 2. Nec eam rem raram videri vult Æn. Sylvius, *Histor. de Europa, c.* 6. *extremo.* Officina Tonsorum, *tonstrina* est, quam propter considentium ibi loquacitatem ἄοινον συμπόσιον, i. e. *siccum convivium* Theophrastus appellare solitus est, teste Plutarchô, *Convival. Quæst. l.* 5. *c.* 5. In tonstrinis enim omnis generis rumores jam olim narrari consuevisse, indicat Aristophanes, *Plutô*,

Καί τοι λόγος γ' ἦν, νὴ τὸν Ἡρακλέα, πολὺς
Ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων,
Ὡς ἐξαπίνης ἀνὴρ γεγένηται πλούσιος.

Et Juvenal. *Sat.* 12. *v.* 81.

——— *gaudent ubi vertice rasô*
Garrula securi narrare pericula nautæ &c.

TONSURA Petri, in *Vita* 3. S. Euthberti *l.* 2. *c.* 2. apud Car. du Fresne, id tonsuræ genus est; quod aliàs *Coronam Clericalem* in Ecclesf. Rom. vocant; cujus origo quò referenda, non adeò liquet. Bellarminus enim inter Veteres, Sacerdotes & Monachos radi non consuevisse, ut hodie fieri solet, indigitat, *de Monach. l.* 2. *c.* 40. citans ad eam rem Optatum contra Donatistas: *Docete, ubi vobis mandatum sit radere capita Sacerdotibus, cùm è contrario tot sint exempla proposita fieri non debere, contra Parm. l.* 2. Vide quoque Hieronym. *in Ezech. c.* 44. In V. T. quoque Sacerdotibus radi non licebat: contrà *caput ac barbam rasam* habuisse, qui apud Babylonios sacris operabantur, discimus ex Baruch. *c.* 6. *v.* 30. Ipsi Nazaræi, *tum solùm tondebantur, quando desinebant esse Nazaræi, insigneque eorum erat longa cæsaries*, Bellarminus iterum, ubi suprà, *c.* 40. Hinc *Tonsuræ Ecclesiasticorum* originem prorsus fuisse moralem, utpote qui majorem, quàm alii, modestiam, præ se ferre debeant, accessisse dein coronæ formam, aliaque ostendit A. Rivetus, *Summ. Controv. Tract.* 2. *Quæst.* 26. Et quidem, cùm hodie *tonsura in signum honoris & dignitatis evaserit, factum, ut Episcopi ac Cardinales præ cæteris ampliorem tonsuram deferant & Pontifex habeat totum caput rasum, præter brevem capillorum circulum, ad formulam Benedictinorum Monachorum*, verba sunt Dominici Macri. Aliter olim tondebantur in Scotia Monachi: quippe ab aure ad aurem per frontem in coronæ modum incisus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium capillus intonsus dependebat, auctore in *Hibernia subulcô Regis Loigeri filii Nell*, ut est in *libro Canonum* Cottoniano, quem *ad Synodum S. Patricii* Waræus laudat. Cujusmodi tonsuræ occasione, multas in Anglia exortas turbas, testatur Beda, *Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 3. 4. & *l.* 5. *c.* 16. Monachi S. Pauli in Oriente, Maronitæ itidem aliique ad instar Monachorum Occidentis caput radunt, relinquentes quoque capillorum in vertice circulum, sed subtiliorem Occidentalibus. Sed & in eodem Oriente Sacerdotes Christianos in modum crucis sua capita radere fuisse solitos, docet Osorius, *Rerum Em. l.* 3. quod etiam in India Orientali ab Episcopo Cranganoriæ observari, scribit Auctor *Novi Orbis, c.* 133. At in *Foris* Oscæ A. C. 1347. sub Jacobo I. Aragoniæ Rege *Testes convicti ad modum crucis capite tonsurentur, & cum batallo campanæ candenti ad modum crucis in frontibus figurentur, & ita turpissimè de illa villa --- expellantur*, legimus apud Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque supra voce *Ordinatio.* Ut quædam strictim attingam, de *Tonsuræ* Veteris generibus variis, Tiberius apud Dionem, Ὅτι κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι, *Tonderi oviculas meas non strictim, sed per pectinem volo*; ad duplex tonsuræ genus alludit, unum *strictim*, alterum per *pectinem*, quorum illud novaculâ, hoc forfice fieri solebat. Vide quoque Plautum, *Captivis*; *Actu* 2. *Sc.* 2. *v.* 18. Alia tonsuræ genera recenset Interpres Aristophanis *in Aves*, σκάφιον καὶ κῆπον, vide suprà, ubi de *Tondendi Ritu*, item in voce *Theseis.* Simon Magus & sectatores ejus sulcum seu lineam, per capitis verticem inter ambarum aurium summitates ducebant, in symbolum Zodiaci, caput suum globum cœlestem denotare asserentes. De Christianis Georgianis *in l. de Successibus Terræ S. MS.* Roraldi Episcopi, qui floruit circa A. C. 1300. *Clericos eorum rotundas habere tonsuras, Laicos verò quadratas*, legimus apud Domin. Macrum *Hierol.* Dimidiô capite tonderi, pœna servorum latronum est, in *Capitulari I. ann.* 809. *cap.* 11. &c. De hodiernis gentibus vide hic passim. Orationis *ad capillaturam*, quæ pueris olim recitabatur, cùm caput primùm tonderent: item alterius, *ad barbas tondendas*, quâ Juvenes defungebantur, cùm lanuginem primam deponerent, meminêre ex *Sacramentario* Gregorii M. Macri fratres, ubi suprà. Vide quoque Cl. Suicerum, voce Τριχοκουρία, ubi & infantes septimô post Baptismum die à Sacerdote olim tonsos, non sine precatione, cujus formulam ibidem habes, docet.

TONZUS, Græcè Τόνζος, urbs Thraciæ mediterranea, *Ptol.* de qua vide Salmas. *ad Solin. p.* 214.

TOPARCHIA, apud Plinium, *l.* 5. *c.* 14. *Reliqua Judæa* (cis Jordanem scil.) *dividitur in* Toparchias *decem --- Hierichuntem palmetis consitam, fontibus irriguam Emmaum, Lyddam, Joppicam, Acerabatenam, Gophniticam, Thamniticam, Betholenem, Tephenen, Orinen, in qua fuêre Hierosolyma --- Herodium cum oppido illustri ejusdem nominis*: ex Græco Τοπαρχία, imperium est parvi circuitus & unius, ut de Abgaro Edessæ *Toparcha* videre est apud Procopium, *Persic. l.* 2. vel paucarum tantùm urbium. Sic Azoton, Jamniam & Phasaëlida, assignatas Salomæ sorori, Herodis M. testamentô, τοπαρχίας Josephus vocat. Qui idem aliô nomine hujusmodi Regni portiones συνέδρια, item κληρουχίας appellat, atque initiô quinque tantùm in Judæa fuisse scribit, *Hierosolymitanam, Gaddarensem, Amathuntinam, Hierichuntanam* & *Sampboriticam*, postmodum autem complures factas, *Jud. Ant. l.* 14. *c.* 1. & *Bell. Judaic. l.* 3. *c.* 4. *Conventus* & *Fora* dixêre Romani, uti docet Sigonjus, *de Antiq. Jur.* Harum unicuique qui præerat Τοπάρχης vocabatur, Latinè quoque *Toparcha.* Spartian. *in Hadriano, c.* 13. *Toparchas & Reges ad amicitiam invitavit.* Ubi cùm *Tetrarchas* præferat Regius liber, non multum interesse, utrò legamus modô, censet Casaubon. *ad loc.* Vide suprà in hac voce.

TOPAZION, amplissima gemmarum, in harum apud Veteres ordine sextum, post margaritas scil. adamantes, smaragdos, opalos & carbunculos, in Pectorali Pontificis Hebræorum secundum in primo ordine locum, juxta Hebræos obtinuit, qui vocem Hebr. פטדה *pitdah* communiter de hac gemma interpretantur, & nomen *Simeonis* insculptum habuisse, contendunt. Vide quoque Epiphanium *de XII. Gemmis.* Et quidem τόπαζον, quasi τοπαδιον, inversis literis Hebræis, dictum putant nonnulli. *Glossæ* Interlinearis *topazium*, quasi *topadion*, id est, omnium colorum, quæ etymologia unde sit desumpta, divinare facile non est. *Topazin* Troglodytarum linguâ, *quærendi* significationem habere scribunt alii, ideoque sic vocitatam gemmam, quòd à Juba Mauritaniæ Rege in maris Rubri Insula quadam Arabiæ Felicis vicina inventa fuerit, A. Rivetus, *Comment. in Exod. c.* 28. *v.* 17. ubi & *Chrysolampum* & *Chrysopterim* pro eadem quibusdam sumi, addit. An potiùs à loco sic appellata, Insul. Arabiæ videl. *Topazo*, quæ & Πάζιον dicebatur, unde ipsam hanc gemmam Πάζιον nominat *Hesychius*, & Auctor Sacri Cantici *Kethem Paz*, i. e. *lapidem Pazium*, utpote in regione *Paz*, vel *Opaz* (quam Græci & Alexandrini Mercatores Hellenistæ, locorum vocabula ad suæ linguæ modulum inflectentes videntur Τοπάζον dixisse, quasi ἀπὸ τοῦ τοπάζειν, i. e. *quærere*) repertum primitus, à prædonibus Troglodytis, cùm fame & tempestate pressi, herbas radicesque effoderent, qua de re vide suprà in voce *Paz.* Inter gemmas XII. Novæ Hierosolymæ, iterum occurrit, sed ibi nonus ei locus tribuitur, Apocalyps. *c.* 21. *v.* 20. ubi Commentatores vide. Cœterùm amplissimam gemmarum esse, docet topazion, quæ eruta in Insula modò dicta primùm oblata est Berenicæ matri Ptolemæi II. unde factam statuam Arsinoæ Philadelphi uxori cubitorum quatuor, tradit Plin. *l.* 34. *c.* 14. *l.* 36. *c.* 9. *l.* 37. *c.* 8. Quare mirum non est, χρυσόπτερον appellatum alterum ex duobus ejus generibus, (unde *Chrysopteron* factum per metathesin) cautes enim revera & petra potiùs, quàm gemma, quam apud Alabastrum Thebaidis etiam nasci, ex recentiorum Auctorum traditione narrat idem. Dictum autem hoc genus χρυσόπτερον porrò, ab *aureo* colore cum viridi mixto, id est, pallidè virenti. Strabo χρυσοειδὲς ἀπολάμπειν φέγγος scribit, *l.* 17. *ex viridi*, h. e. *hyalino colore & aureo refulgere.* Chrysoprasô hunc similem facit Plinius. Alterum verò πρασοειδὲς appellatum, à *porri* colore. Plinius iterum, *topazion sub virentem genere* dicit, h. e. ἰδιοτρόπως χλοάζουσαν: Alex. Polyhistor colorem olei recentis habere, apud *Stephanum.* Est nempe recens oleum ita viride, ut tamen ex aureo colore aliquid trahat &c. Quæ cùm ita sint, mirum est, quòd Epiphanius lapidem è virentium genere rubrum faciat, & quidem ἐρυθρὸν κατὰ τὸ ἄνθρακα, *supra carbunculos rubentem d. l.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 239. & 240. Addit Plinius, *Eadem sola nobilium limam sentit: cæteræ Naxiis cotibus poliuntur. Hæc & usu atteritur. Comitatur eam similitudine propior, quàm auctoritate, callais, è viridi pallens, l.* 37. *c.* 8. ubi de *generibus Topazii.* Vide quoque Orpheum, plures versus laudibus hujus gemmæ impendentem. Usum quod attinet, præter antè dicta, *topazis*, ut & aliis virentibus gemmis, aurea olim pocula exornabantur. Idem lapis signando adhibitus. *Epist.* Mag. Berardi de Neapoli *MS.* ad Regem Navarr. *per literas* topazio *suæ Serenitatis impressas*; ubi tamen pro *typario* vocem positam, vult C. du Fresne &c. Auctores de hac gemma aliisque prolixiùs tractantes, laudavimus suprà, voce *Gemma.* Hodie tertiò inter gemmas locô est, & quidem *Topaziorum* tria genera faciunt, *Orientale*, mirè pellucidum aureique coloris; *Indicum*, ei proximè accedens; & *Germanicum*, utrôque deterius ac crystallo propius, nisi quòd

subfusci aliquid ostendat, de quibus omnibus vide *Mercurium Indic.* Part. 2.

TOPAZUS, insul. in mari Rubro Plin. *l. 6. c. 29.* in qua reperitur lapis *Topazus*, mire pellucidus, splendoreque aureô refulgens, ut interdiu non videri possit. Gentile *Topazius. Steph.*

TOPHICII Lapides, apud Capitolin. *Maximinis, c. 6. Jam illa prope in vulgi ore sunt posita, quod —— lapides tophicios friaret*: à *topho* nomen habent: Est autem *tophus*, lapis spongiosus & friabilis, minimum in structuris ponderis habens, de quo Vitruv. *l. 2. c. 6. & 7.* Ex illo porticum miræ magnitudinis memorat Anastasius *in Hadriano* I. sarcophagum, Auctor *Gestorum* Guilielmi Maj. Episcopi Andegavensis, *c. 5.* agrorum terminos, *Rei Mensoriæ* Scriptores &c. Græcis πῶρος. Vide Car. du Fresne in voce *Tofus*.

TOPIARIUM Opus, cum arbuscularum virgulæ ductiles facili flexu in varias formas hominum, turrium, ædium, cubicolorum, modo humi, modo per hortorum & viridariorum spatia, finguntur, pulchrè describitur Jul. Firmico, *Mathes. l. 8. c. 10.* Vide quoque Plinium Junior. *l. 3. Ep. 19. ad Calvis.* A *topiis* dictum, quomodo Græci funiculos appellant, quod in hujusmodi opere frutices, & arbusculæ tonsiles, ut torqueri ac flecti queant in animalium aliarumque rerum similitudines, topiis sive funiculis soleant religari. Unde & *topia* appellata hæc opera. Spartian. *in Hadriano, c. 10. triclinia de castris & porticus & cryptas & topia diruit.* Et *per topium pingere* seu *varietatibus topiorum ornare* dicuntur Vitruvio, *l. 7. c. 5.* qui *topiariam faciunt*, artifices videl. *Topiarii*, quorum inter servos mentio est *l. 60. §. ult. de legat. l. 3. l. 12. §. ad respondit, & l. 16. in fin. ff. de instr. vel instrum.* Pertinent itaque huc arbores maximè sequaces ac flexibiles, & tonderi aptæ, ut sunt *myrtus*, *buxum*, *acanthus*, *hedera*, *laurus*, *chamædaphne*, *adianthus*, & similia. Hinc φυλακοὶ μυῤῥινῶνες apud Hieroclem, *tonsilia myrteta.* Apud Martialem *tonsile buxetum*, *l. 3. Epigr. 58. v. 3.* & Firmicum, *d. l. qui buxeas arbores tondens in belluas fingat.* De acantho reliquisque vide suô locô. Peculiariter verò *topiariæ herbæ* nomine venit *vinca pervinca*, *semper virens*, *in modum lineæ foliis geniculatim circundata*, apud Plinium *l. 21. c. 11.* Porrò qui talia fingebant, pingebantque, ac belluas, arbores, homines, antra, portus & alia id genus, variaque & minuta opere topiariô exprimebant, Ῥωπογράφοι Græcis vulgò dicebantur, de qua voce suprà actum. Vide plura hanc in rem apud Forcat. *in suo Cupid. Jurisperit. c. 5. n. 8.* Turnebum, *Adversf. l. 14. c. 11. & l. 16. c. 23.* Corrasium, *Miscellan. l. 5. c. 21.* Alexandr. ab Alex. *Genialium Dier. l. 3. c. 25.* Casaubon. & Salmas. *Not. ad Spartianum loc. cit.* Alios. Addam autem de cupresso locum Plinii Senior. *l. 16. c. 33. Trahiturque etiam in picturas opere historiali, venatus classesve & imagines rerum, tenui foliô, brevique & virente supervestiens.* De buxo &c. Plinii Jun. *l. 5. Ep. 6. Alibi ipsa buxus intervenit, in formas mille descripta, literis interdum, quæ modo nomen Domini dicunt, modò Artificis. Et post has Acanthus, hinc inde lubricus & flexuosus, deinde plures figuræ plerique nomina.* Inde olim Neapoli legebatur, *Lucrio. Aug. Topiario. ex. hortis.* &c. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, & suprà aliquid voce *Rhopographi*, infrà it. in *Tvichila*.

TOPIRIS, seu TOPRUS, Ptol. *Topirium* Anton. *Doperus* Thucyd. *Toprus* seu *Toparum* Procop. *Rusio* nunc, teste *Jo. Lydô*, urbs Thraciæ à Philippis 38. mill. pass. in ortum, ab Hadrianopoli 132. Hodie *Rusio*, Sophiano. In limite Macedoniæ, vix 10. mill. pass. ab ora maris Ægæi in Boream, Philippopolim versus 55. & 30. à Maximianopoli in Occasum, ferè autem 70. ab Hadrianopoli. *Baudrand.*

TOPOGRAPHIA, vide suprà *Geographia*.

TOR seu THOR, Germanorum olim Deus, idem cum Romanorum Jove. Tonitrui enim ac fulminii præfedisse, docet Ericus Olaus, *Hist. Suec. l. 1. c. 1.* ubi singulis hebdomadibus quintâ feriâ, hinc *Thorsdag* dictâ, à Suecis ei sacra facta, refert. Ex *Taran* per aphæresin vox orta videtur. Vide supra in hac voce.

TORALIA, apud Lamprid. *Heliogabalô, c. 19. Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit; à toris* appellationem trahunt. Et quidem cùm in apparatu tororum lectorumque ὑποβλήματα essent, & ἐπιβλήματα, ac περιβλήματα, *torale* τὸ περιβλήματον est, recteque in *Glossario* vertitur περίπλοον. Malè enim accipiunt etiam doctissimi Viri versum Horatii, *l. 2. Sat. 4. v. 83.*

Ten' Tyrias dare circum illota toralia vestes.

Utraque autem, tum stragula, quibus tori sternebantur, tum *toralia*, quæ circumjiciebantur, pretiosissima in usu fuêre Veteribus: at non aurea tamen, saltem privatis, usque ad Heliogabalum, qui, antequam Imperator esset, jam sibi id usurpavit. Sic stromata & peristromata privatorum non aurea, sed aurô clavata, vel conchyliata, vel Babylonica, aut simili artificiô ornata fuêre. Casaubon. *ad locum Lampridii.* Vide quoque Jac. Cujacium, *Observat. l. 10. c. 18.* & suprà, ubi de *Lectis Veterum* voce *Sifura*, nec non infra voce *Torus*.

TORANIUS, mango quidem, de quo Plin. *l. 7. c. 12.* Ejus quoque meminit Macrob. *Saturnal. l. 2. c. 4. Delectatus inter cœnam erat symphoniacis Toranii Flacci mangonis, atque eos frumentô donaverat.* Sed & D. Augusti tutor C. *Toranius* erat &c. Vide de hoc nomine Salmas. *ad Solin. c. 1.*

TORANTOLIENSIS Comitatus vulgo *Comté de Thurthur*, provinc. Hungariæ, inter Transylvaniam ad Ortum, Tibiscum fluv. & Zolnocensem Comitatum ad Occasum, Zabolciensem ad Boream, & Orodiensem ad Meridiem, sub Turcis.

TORCELLUM, vulgo TORCELLO, urbs Episcopalis Ducatus Veneti, in Insul. littorea, sub Patriarcha Veneto. Parva admodum, & colonis infrequens, ob aëris gravitatem, intra Gallicas paludes, 5. milliar. à Venetiis in Boream veteri Altino finitima, unde A. C. 635. sedes Episcopalis Torcellum translata est.

TORCULAR, machina est uvis premendis apta, in qua trabes, quibus uva calcata premitur, *prela* appellantur: à *torquere* Becmannus in *Origin. L. L.* Græcè Ληνὸς, unde Bacchus Ληναῖος, *Lenæus.* Virg. *Georg. l. 2. v. 7.*

Huc pater ô Lenæe veni, nudataque mustô
Tinge novô mecum direptis crura cothurnis.

Et quidem de *Torcularibus Rom.* Plin. *l. 18. c. 31. Pressura una (sic vocat quantum uvarum in superposita cavea pedibus pressarum lacus vinarius accipit) culeos XX. implere debet —— Ad totidem culleos & lacus XX. jugeribus unum sufficit torculum. Premunt aliqui singulis, utilius binis, licet magna sit vastitas singulis. Longitudo in his refert, non crassitudo. Spatiosa melius premunt: antiqui funibus vittisque loreis ea detrahebant & vectibus. Intra centum annos inventa Græcanica, mali rugis per cochleas pullantibus, palis affixa arbori stella, à palis arcas lapidum attollente secum arbore: quod maximè probatur. Intra viginti duos hos annos inventum, parvis pralis & minori torculari, ædificiô breviore & malô in medio erectô, tympana imposita vinaceis, supernè totô pondere urgere, & super prala construere congeriem*, Vide quoque Vitruvium, *l. 6. c. 9.* Catonem, *c. 12. 13. 18.* Columell. *l. 1. c. 6.* Varronem *l. 1. c. 54.* qui & in *Gerontodidascalo*, apud Nonium, *Punici torcularis* meminit,

Vineis ubi ampla cella, torculare Punicum.

Dalechamphium, *Not. ad Plin.* Alios. De Græcis, res notissima, apud quos non solùm Baccho Ληναίῳ, h. e. *torculari*, sacra facta, vide suô locô; it. voce *Posideon*: sed etiam ἐπιλήνιον, cantio solennis erat, quam inter premendum uvas huic Idolo decantabant, uti videre est apud Athenæum, & Pollucem, *l. 4.* Apud Hebræos, *Torcularium* usus indigitatur, in illustri illo de Christo vaticinio Esaiæ *c. 63. v. 2. & 3. Quare rubicundus es vestibus tuis, & vestimenta tua, ut calcantis in torculari lacu? Torcular calcavi solus*, & quæ seqq. Sic Apocal. *c. 14. v. 19.* Καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν ληνὸν τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ τὴν μεγάλην. Vide quoque *v. seq.* uti de Psalmis הגתית על h. e. *pro torcularibus*, aliquid suprà ubi de *Tabernaculorum festo.* Atque hactenus de *Torculo Vinario*: Præter id, *Olearium* fuit, de quo itidem latè Columella & Palladius, Vitruvius item, *l. 10. c. 1.* Et quidem *Custos* torcularè servabat, qui tamen non semper in numero servorum fuit, uti videre est apud Laur. Pignorium, *Comment. de Servis*, ubi de *Fructuaria Villa Veter.* pluribus differit. Vide quoque infrà voce *Trapetum*.

TORETÆ, populi Pontici, *Steph.* vide *Oretæ*.

TOREUMA, apud Martialem, *l. 4. Epigr. 39. v. 4.*

Solus Phidiaci toreuma cæli,
Solus Mentoreos habes labores:

Latinis vox usitata, de vasculo argenteo cælato, propriè sumitur. Est enim τορεύειν *cælare*: quod malè quidam confundunt cum τορνεύειν, *tornare* seu *tornô laborare*, ut pluribus docet Salmas. *ad Solin. p. 1044.* Sculpunt enim & cælô laborant οἱ τορευταὶ, tornô terunt οἱ τορνευταί. Et à ξυλουργῷ in ligno præcipue operatur; Cælatura autem vel Τορευτικὴ in argento, aliisque metallis. Hinc & Plin. *l. 36. c. 26.* in vitro elaborando hæc scitè distinxit, inquiens: *Aliud flatu figuratur, aliud tornô teritur, aliud argenti modo cælatur.* Cælata itaque propriè dicuntur vasa aurea vel argentea, in quibus signa vel sigilla extra eminentia cælô expressa sunt. Vide Jac. Oiselium, *Notis ad A. Gellium l. 19. c. 9.* ubi Anacreon poculum sibi à Vulcano fieri petit, in quo vites uvis refertæ & Bacchus cum Amore & Bathyllo uvas calcans, cælata sint, his verbis:

Τὸν ἄργυρον τορεύσας,
Ἥφαιστέ μοι ποίησον
Ποτήριον κοῖλον ὅσον ἂν δύνῃ βαθύ.

Quod si igitur fictilia quoque vasa τορεύματα appellari videmus apud Strabonem, *l. 8.* ubi de Corinthi direptione, intelligenda ea tantùm, quæ signis cælatis erant aspera. Sic Plinius scribit, fastigia templorum fictilia miris cælaturis fieri solita. Urcei etiam fictiles aliaque vasa cum figuris extantibus & expressis fiebant, quæ τορεύματα quoque dicta sunt. Idem dicendum de vitreis Alexandrinis, quæ similiter cælatis imaginibus aspera erant. At quæcunque lævia & pura, τορεύματα non sunt, nec quidquam significationi vocis hujus adeò contrarium, quàm quod sine ulla inæqualitate, quam Τέρθρον præstat. Leve nempe & purum, quod non cælatum est, διάφορον. Juvenalis, *Sat. 9. v. 31.*

——— leve argentum venæque secundæ.

Optimum verò ac præstantissimum argentum ad *toreumata* eligebatur, unde *pustulatum*, de primæ notæ argento dicebatur. Est autem argentum *pustulatum* seu *in pustula* Salmasio, quod Græci, τορευτὸν, Galli *en bosse*, vocant. At in crystallinis secus erat, uti vidimus suprà, ubi de *Acentetis*. Impropriè proin Clemens Alexandrin. Τορευτὴν dixit de eo, qui gemmas in annulis scalpit, cùm talis propriè *Cavator* & *Scalptor*, non *Cælator* sit. Non enim ὁ κοιλογλύφος cavat in gemma Toreutes, sed ἀνάγλυφος, materiam circum excidendo, excitat. Majori καταχρήσει mediæ Latinitatis Auctores *toreuma* usurpârunt de quovis poculo vel scypho. Martialis, de vitreis, *l. 14. Epigr. 94.*

Non sumus audaces, plebeja toreumata vitri.

Hic enim non de vitro argenti modò cælato, quod & *sigillatum* propterea vocat alicubi *Appulejus*, sed de calicibus è vitro simplice ad usum plebejum factis, sermo est, vide suprà voce *Audaces.* Idem alibi, de fictilibus, *l. 14. Epigr. 102.*

Accipe non vili calices de pulvere natos,
Sed Surrentina leve toreuma rota.

Leve

Læve certè *toreuma*, insignis catachresis, ut vidimus. At longiùs à proprietate vocis abiêre citimæ ætatis Scriptores, qui *toreuma* pro toro & torali dixêre, Salvianus *ad Eccl. Cath. l.* 4. *Sidonius Apollin. Alii*. Sed & largiùs aut æquè largiter errant cùm Veteres, tum Recentiores plerique omnes, qui τόρευμα & τόρνευμα, propter dictionum vicinitatem confudêrunt, artemque Τορευτικὴν seu *Tritoriam* aut *Cælatoriam*, cum Τορνευτικῇ seu *Tornatoria*, eandem fecerunt, ut dictum. A qua culpa summum Poëtam *Tornô facili* vitem poculis superadditam canentem, sicque *tornum* pro *cælo* ponentem, ingenium Poëticæ artis absolvit. Uti porrò opus τόρευμα, sic artifex Τορευτὴς est, Latinis quoque *Toreuta*, item *Cælator*, proximè ad vim vocis Græcæ *Tritor*. Glossæ, *Tritor*, τορευτής. Hinc τόρευμα, *argentum tritum*. Phædrus, *l.* 5. *præfat. v.* 6.

> —— *auro ascripsit Praxitelem suo*,
> Trito *Myronem* argento: *fabulæ exulant*
> *Ideo fugatæ*. —— ——

Et certè ipsum *tero*, venit ab Æolico τερῶ, quod communiter τορῶ habet, unde τορευτής. Quamvis enim & tornatores *terant* & lapidum tritores, qui Græcis οἱ σμήχοντες λίθους, aliter tamen cælô *Toreutæ*, aliter tornô *Torneutæ*, aliter limâ *Lapidum tritores*, terunt, quorum primi ob difficultatem & præstantiam artis, de qua vide suprà voce *Labor*, κατ' ἐξοχὴν eam appellationem sibi vindicavêre. Ars ipsa Τορευτικὴ Græcis, Latinè *Cælatura* dicitur, de cujus origine, Auctoribus præcipuis, speciebus, jam diximus suprà, in voce *Cælare* & *Cælator*, nec non ubi de *Anaglyphis*. Plura verò hanc in rem, vide apud Salmas. *ad Solin. passim*, inprimis *p.* 1044. & *seqq.*

TOREUTICE Ars, vide hîc suprà *Toreuma*.

TORGAVIUM, vulgò TORGAW, urbs Ducatus Saxoniæ, ad Albim, 7. leuc. infrà Misnam in Boream, Wittebergam versus 5. & 6. à Lipsia in Cæciam. Hîc, à Flacianis, formula Concordiæ conscripta, & ad eam approbandam omnes Theologi, ab Augusto Electore adacti sunt, reliquis in carcerem primò conjectis, deinde extra fines dimissis, A. C. 1576. Synodô postmodùm denuò hîc convocatâ, Melanchthonis scripta condemnata sunt. Cui cùm rursus reclamatum esset, tandem moderamine adhibitô, A. C. 1577. in Bergensi Monasterio formula Concordiæ promulgata est, vid. Hospin. *in lib. Conc. l.* 3. *c.* 7. 9. 25. 26. *&c.* Expugnata est à Suecis A. C. 1634. Cerevisiâ suâ clara.

TORI, apud Cicer. *de Oratore*, *c.* 6. ubi Oratorem temperatum & æqualem describit, *Isque uno tenore, ut ajunt, in dicendo fuit, nihil afferens præter facultatem & æqualitatem*; *Aut addit aliquos, ut in corona, toros*; *omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit*: Paschalio sunt partes quædam in circulo coronæ collectiores & eminentiores; cujusmodi sunt in tauro *tori* aut etiam in homine, unde proximæ partes firmiores ac robustiores redduntur: Quô proin respiciens Cicero oratorem suum leniter assurgere leniterque redire ad eam, quam ubique servat, æqualitatem, dicere velle videtur. Vide C. Paschal. *Coron. l.* 2. *c.* 12. nec non *l.* 9. *c.* 17. ubi *de ramulis ac apsidibus coronarum & corona apsidata*. Propriè autem *torus*, artus est carneus, seu caro musculis comprehensa, pulpa. Statius, *l.* 2. *Sylv.* 6. *v.* 74.

> *Ac primùm implevitque* toros, *oculisque nitorem*
> *Addidit*

Ubi Barthium vide. Unde *torosi*, i. e. brachiorum robore pollentes, Athletæ inprimis: qui, ut id consequerentur, antiquitus quidem ficus aridas, postmodum ex instituto Pythagoræ Aliptæ carnes quidem, sed pulpam tantùm siccam & aridam, nullis feitamentis ac jurulentis eblanditam comederunt, uti latiùs vidimus suprà, ubi *de Arida Saginatione*, item in voce *Colephia*, vide quoque ubi *de Lacertis*.

TORINGI, de quibus vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. l.* 1. *tit. Toringi & Misni in Cheruscos*: *l.* 2. *tit. Francorum adversus Toringos bellum & victoria*: & tit. *Toringorum*, *Bojoariorum & Frisiorum idololatria*: cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p.* 179. 279. 305. Vide & *Thuringi*.

TORINI, pop. Scythiæ Jaxamatis proximi, ubi perfecti mellis copia. Val. Flac. *l.* 6. *v.* 145.

> *Mellis honos Torinis, ditant sua mulctra Satarchen.*

TORINIACUM, vulgò TORIGNY, oppid. Normanniæ, in tractu Bajocensi, 6. leuc. infrà Vitam in Boream, 8. à Constantia in Ortum.

TORINNA, vulgò TURENNE, castrum Galliæ in Aquitania vetustissimum, cum titulo Vicecomitatus, captum à Pippino Rege A. C. 767. Continet hic Vicecomitatus partem pagi Lemovicini, Cadurcini & Petrocorici, atque à Sarlato Petrocoriorum urbe usque ad Novum Vicum *Neuvic* leuc. Franc. amplius 30. in longitudinem patet; à Tutela Lemovicum usque ad Novum Vicum in latitud. 12. Irrigatur Duraniô, & Visetâ, fluviis navigabilibus: minoribus amnibus Curretiâ *la Coureze*, Bavâ, Louisâ, Dostrâ *Doustre*, Serâ atque Tormentô. Nomen *Torinnæ* illustrârunt prætêritô præsentique seculô Henrici duo Vicecomites pater & filius, quorum is, Reformatorum egregius vindex, Dux Bullionæus postea evasit: Vide Thuanum *Histor.* hic religionis cum lacte haustæ, usque in provectam ætatem, tenax, tandem Latinos ritus amplexus, post plurimas res egregiè gestas, in prælio contra Germanos, infra Argentoratum, tormentariô globô ictus occubuit, A. C. 1675. Massonus *Torinnam*, opulentum esse in Lemovicibus castrum, cui Ecclesiæ vicanæ subsint amplius ducentæ, totumque hunc Vicecomitatum, in gratiam Clementis VI. à Philippo VI. Galliæ Rege tributorum ac vectigalium, omniumque rerum immunitate, ac magnis privilegiis donatum esse, circa A. C. 1344. scribit. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

TORMENTUM, apud Appulejum, *Capillus ipse -- vides quàm non sit amœnus ac delicatus, horrore impexus atque impeditus, stuppeo tormento assimilis*: funis est, protensus ac tortus, à *torquco*, quod appositè de funibus dicitur. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 3. *v.* 21.

> *Dignior obliquô funem qui torqueat ocnô.*

Quô sensu *tormenta è mulierum crinibus facta*, vidimus suprà. Inde vox translata ad funem tensum ac tortum, ut in Ergatarum suculis & aliis hujusce modi, denotandum, qua de re vide Jos. Scaligerum *in Priap.* Sicque dein ad quodvis cruciatus genus, quô excarnificantur homines, vel ad veritatem eruendam, vel ad scelera expianda, transiit. Et quidem de priori notione, pleni sunt citimæ ætatis Jurisconsultorum libri: Apud Veteres obscuriora rei vestigia. Hebræi certè, quibus & Lex Forensis divinitus data, testibus omnia peragebant, qui si deessent, aut faverent reo, absolvebatur, is, sin minùs, damnabatur. Quo in negotio quantâ accuratione ac diligentiâ usi sint in illa gente Judices, attigimus superiùs ubi de *Executione Sententiæ Capitalis*. Idem, ut inhumanum, Francis passim objiciunt Scriptores Angli, inprimis Jo. Fortescutus, *de laudibus LL. Angliæ*, *c.* 22. Sed & apud veteres Romanos viguisse morem, Auctor docet *ad Herennium*, *Majores nostros dicemus, veri inveniendi causâ, cruciatibus ac* tormentis *voluisse quæri & summô dolore hominis cogi, ut quidquid sciant, dicant*. Idem apud Persas obtinuisse, habes apud Curtium, *l.* 4. *c.* 10. & Epiphanium, *contra Hær. c. de Manichæis*. Macedones item passim apud eundem Curtium. E quo & illud discas, non confessioni solùm extorquendæ *tormenta* adhibita à Macedonibus, sed & post confessionem damnationemque, solennem hunc supplicii prodromum fuisse. Unde Hermolaum & complices, *damnatos hominibus, qui ex eadem cohorte erat, tradi jussit* Alexander. *Illi — excruciatos necaverunt. Callisthenes quoque tortus interiit*, apud eum, *l.* 8. *c.* 8. Vide quoque *l.* 6. *c. ult.* ubi de Philota. Crudelitas nempe illa maxima in usu fuit apud Veteres etiam Romanos, quorum proin Scriptores frequenter illud, *excruciatum necare*, in ore habent. Liv. *l.* 25. *c.* 23. *Necati omnes excruciati sunt*. Sueton. *Aug. c.* 14. *discruciatum necare*. Cicer. *pro L. Manil. c.* 5. alia addit, augendæ indignitati: *Legatum populi Romani Consularem vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum, necavit*. Græcos quoque alios, apud quos est στρεβλωθέντα aut βασανισθέντα ἀποθανεῖν, *tortum mori*, ut Plut. *Phocione c.* 47. Zonaras αἰκισάμενος ἀπέκτεινεν, *prius excruciatum interficere*, ait, ubi de Hannibale & captivis Romanis ei sermo est. Vide Freinsheim. *Not. ad Curtium l.* 8. *c.* 8. & hic passim, inprimis suprà ubi de *Crucis* supplicio: Non tamen omnes reos sic necatos, sed quosdam statim interfectos, ex Curtio discimus eodem *l.* 9. *c.* 7. ubi disertè duo hæc mortis genera distinguuntur, *Cæterum Boxum protinus placuit interfici*: *Biconem etiam per cruciatum necari*; ubi *Notas* vide, at plura suprà in *Quæstio*. it. *Stimulus*: nec non in *Legib.* Alfonsinis *part.* 7. *tit.* 30. & apud Mich. del Molino *in Repertorio Foror. Arag.* voce *Tortura*. Posteriorem verò vocis significatum quod attinet, congessit multa *de Tormentorum Veter. diritate*, Caspar. Barthius *Animadv. ad Statium passim*, inprimis *Tom. II. p.* 1168. & III. *p.* 277. & *seqq.* Gallonius verò peculiarem tractatum edidit, *de Martyrum Cruciatibus*. Vide quoque hic passim. Ordinem apud Græcos *torturæ*, hunc exhibet Aristophanes *Ranis*,

> Καὶ πῶς βασανίζω; πάντα τρόπον. Ἐν κλίμακι
> Δήσας, κρεμάσας, ὑστριχίδι μαστιγῶν, δέρων,
> Στρεβλῶν, ἔτι δ' εἰς τὰς ῥῖνας ὄξος ἐγχέων,
> Πλίνθους ἐπιθείς, πάντα τ' ἄλλα, πλὴν πράσῳ
> Μὴ τύπτε τοῦτον, μηδὲ γητείῳ νέῳ.
>
> *Et quomodo torquebo? omni modò. In scala*
> *Vinciens, suspendens, flagello percutiens, excorians,*
> *Crucians, naribus acetum infundens,*
> *Lateres imponens* &c.

Ad quem locum Scholiastas vide: uti de *tormentis* LXXX. quæ Mithriacis sacris initiandi superare tenebantur suprà voce *Mithra*. Tandem ad machinas bellicas, majores inprimis, quas *Canones* Galli vocant, fortè quod cannarum referant formam, significandas, vox adhibita: quas utinam cum Auctore suo ignoraremus. Inventi certè diritatem mox agnovêre Florentini, qui, bellô contra Venetos cùm Buttium cepissent, omnibus Tormentorum Magistris, ne ampliùs exercere artem possent, manus dextras præciderunt, & suâ cujusque collo appensâ eos dimiserunt A. C. 1488. Sed parùm ista severitas profuit. Illi namque, quibus stipendium cum vacatione omnium munerum Patres tribuerant, promtè manibus ferreis fabrefactis, se ad artem redituros suasque injurias vindicaturos, fidem Senatui Veneto fecerunt, teste Bembô, *Hist. Venet. l.* 4. De cujusmodi *Tormentorum* cum Armis Veter. comparatione diximus aliquid suprà, in voce *Bombarda*. Vide quoque ubi de *Pyrio pulvere*, it. machinæ militaris illo genere, quod *Onagrum* dixêre, & infrà voce *Zarabotana*.

TORMENTUM, vulgò TORMENTE, fluv. Galliæ, in Vicecomitatu Torinnensi. Hadr. Valef. voce *Torinna*.

TORNA, vulgò TORNE, urbs Lappiæ Suecicæ, in ultimo recessu Sinus Bothnici in Boream, cum portu celebri & satis capaci. Hinc pars adjacens Lappiæ, *Torne Lapmarch*.

TORNA, in vocibus, quibus Duces in præliando olim utebantur, memoratur Mauricio *in Strategicis*, & sonat, *deflecte*, seu *faciem verte*, uti docet Theophanes, *ann.* 5. *Mauritii*, ubi Avarum seu Hungarorum illam esse refert, uti & Theophylactus Simoncatta, *l.* 2.

l. 2. *c.* 15. unde *tornare*, deflectere, & *tornatio*, prælium. Sed cùm *tornum* instrumentum sit, in quo teruntur ligna circumagendo, inde infimæ Latinitatis voces, *tornare* pro gyrare ac vertere; *tornum* pro gyro, & *contornum*, pro circulo, potius arcessendas esse, docet Salmas. *ad Solin.* Hinc *Tornatrices*, apud Hincmarum, *Capitul. ad Presbyteros Diœceseos suæ*, *c.* 14. *Nec turpia, joca cum urso vel* tornatricibus *ante se facere permittat*: Saltatrices seu Mimæ sunt, quæ *torni* instar sese circumagunt, vel in gyrum choreas agunt, ut videre est apud Dominicum Macrum *Hierol.* adde Car. du Fresne *Glossar.* ubi etiam voce *Torna*, duellum ex formula recepta, quòd, qui duellò rem probaturus esset, *tornari ad duellum* diceretur, denotari recentioribus, addit.

TORNABONIA Lucretia, vide *Lucretia*.

TORNACENSIS Stephanus, vide *Stephanus*.

TORNACUM, olim Nerviorum in Gallia Belgica civitas. Hodie *Tournay* Gall. *Dornik* German. Petrus Apianus dicit, *Bagadum* esse *Ptolemæi*. *Baudrando* aliàs caput Pleumosiorum in Morinis, hodie in Flandria Gallica & ipso limite Hannoniæ. Episcopalis sub Archiepiscopo Cameracensi. Olim sub Gallis, sed A.C. 1521. à Carolo V. occupata, cum Flandria, & Artesia, cessit Hispan. victô captôque Franciscô I. A.C. 1525. Verùm A.C. 1667. recepta Gallis remansit, pace Aquisgranensi. Permunita & opulenta est, cum arce valida recèns extructa. Hinc Tornacensis ager, *le Tournaisis*, inter Hannoniam ad Ortum & Insulanam Castellaniam ad Occidentem. Primùm *Hostilia*, quippe à Tullo Hostilio condita, dein *Nervia* hæc urbs dicta est, postremò *Tornacum* à Torno Trojano. Populi *Nervii* Cæs. *l.* 2. *Bell. Gall.* *c.* 4. 15. 17. 23. *Tornates* Plin. *l.* 4. *c.* 19. In pugna contra Cæsarem, 60000. ex suis amiserunt, Cæsar. *loc. cit.* *c.* 28. Sita est ad Scaldim, inter Duacum & Aldenardum in Cæciam, 8. ab Insula 5. *Ferrar.* Vide Joh. Cousin, *Histor. de Tourn.* Morer. *Diction. Hist.* &c.

TORNAQUITUS Simon, vide *Simon*.

TORNATES, memorati inter Aquitaniæ minoris populos Plinio, *l.* 4. *c.* 19. ubi ait, *Embrisates*, aliàs *Onobrisates*, *Belendi*, *saltus Pyrenæus*, *infraque Monesi*, aliàs *Monesi*, *Ossidates montani*, *Sibillates*, *Camponi*, *Bercoreates*, *Pimpedunni*, vel *Bipedimui*, *Sassumini*, *Vellates*, Tornates, *Consoranni*, *Ossidates campestres*, *Succasses*, *Latusates*, aliique: Sine dubio populi sunt, quorum locus *Tournay* in Bigerronibus, Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Sibutsates*.

TORNATRIX, vide suprà *Torna*.

TORNEAMENTA, ludi Equestres. Vox German. *Turnier*: Ital. *Torneamento*, vel *Tormamento*, fortassis à *Tornare*, venit, quod illis, inter alia, est redire; Gall. *le Tournoy*, i.e. decursorium, à verbo *tournoyer*, quod iisdem est circumire, huc & illuc vagari. Isti enim qui hôc modô decertant, eunt, redeunt, & ad omnes arenæ angulos deflectunt. Ab Henrico Aucupe primùm, post Obotritos debellatos, in Germaniam introducti, certisque legibus confirmati sunt, ut Nobilitas Germanica condignis jamdudum exercitiis exculta, & his quoque ad bella aptior redderetur. Fecit autem id Imperator in consilium adhibitis quatuor Principibus Imperii primariis, Conradô Comite Palatino ad Rhenum, Hermannô Sueviæ, Bernhardô Bavariæ, & Conradô Franconiæ Ducibus: quorum singuli ad *Torneamentorum* constitutiones tres viros delegerunt, experientiâ rerum & auctoritate præstantes, quibus ab Imperatore itidem tribus additis, à XV. viris his summa rei ac instituti suscepta est, de quo vide apud Goldast. *tom.* 1. *Constitut. Imp.* p. 212. & *in Rational. ad lib. der Reichsatz* p. 505. Competit jus indicendi *Torneamenta* Imperatori primùm, hinc primum ab Henrico Aucupe, secundum à Conrado II. septimum ab Henrico III. duodecimum ab Henrico VI. Imperatorib. indicta legimus. Dein Principibus Imperii, quibus id privilegii, ab Imperatore, indultum est. Sunt autem familiæ quatuor præfatorum Principum, qui id juris sibi vindicant, unde *die Obere Turniervögt* dicti: Saxones tamen *Torneamenta* quoque indixisse, exemplô Ridackeri Marchionis Misniæ, Ludolphi Marchionis Saxoniæ & Brunsvic. &c. ostendit *Limnæus*, sed an suô hoc fecerint jure, secum quærit. Locus tempusque his ludis vel à Præsidibus eorum, vel à quatuor prædictis Principibus, vel etiam à quatuor illustrioribus fœminis, assignari solitum est. Decertandi jus habuerunt Imperator, Principes, Marchiones, Comites, Nobiles, & Patricii, qui à summo Principe Nobilitatis insignia tenuerunt, hodie *die Adeliche Geschlechter*. Illis præerant Reges, seu Præsides *Torneamentorum*, German. *die undere Thurniervogte*, *oder Turnierkönige*, quorum quatuor erant, pro numero quatuor Circulorum, de quibus retro. Horum officium, ut & alia huc pertinentia, vide apud Limnæum Enucl. *l.* 3. *c.* 31. Vischerum, *tract. de Duello*. Dracomem *de Patrit.* *fol.* 77. Besold. *in Thes. pract. voc. Turnier*, Charisium Protosynd. Stralsund. *Disp. de Torneamentis*, &c. Damnatus illorum usus Concil. Lateranensi, sub Alexandro III. Papa, A.C. 1179. ni potius temerarios militum congressus à Patribus Concilii coërcitos dicas: hodie sanè in Imperio exiguus est; aliô ludorum Equestrium genere, quod *Ring-* & *Kopffrennen* vocant, in aulis Principum fervente: In usum tamen *Torneamenta*, justô moderamine revocanda, suadere videntur allatæ rationes à Munstero, *l.* 3. *c.* 454. Cuspiniano, *in vita Henr. Aucupis*, Joh. à Schallenberg apud Goldastum, &c. *Fortunium* Torneamentum quoque dici monet Matth. Paris *in Ann.* 1241. *p.* 546.

Torneamenta in Germania celebrata XXXVI.

I. Magdeburgi, A.C. 935.
II. Rotenburgi, A.C. 942.
III. Constantiæ, A.C. 948.
IV. Martisburgi, A.C. 969.
V. Brunsvigæ, A.C. 996.
VI. Treveri, A.C. 1019.
VII. Halæ Sax. A.C. 1042.
VIII. Augustæ, A.C. 1080.
IX. Gottingæ, A.C. 1119.
X. Tiguri, A.C. 1165.
XI. Coloniæ, A.C. 1179.
XII. Noribergæ, A.C. 1198.
XIII. Wormatiæ, A.C. 1209.
XIV. Herbipoli, A.C. 1235.
XV. Ratisbonæ, A.C. 1284.
XVI. Suinfurti, A.C. 1296.
XVII. Ravenspurgi, A.C. 1311.
XVIII. Ingelhemii, A.C. 1337.
XIX. Bambergæ, A.C. 1362.
XX. Esslingæ, A.C. 1374.
XXI. Scaphusii, A.C. 1392.
XXII. Ratisbonæ, A.C. 1396.
XXIII. Darmstadii, A.C. 1403.
XXIV. Heilbronnæ, A.C. 1408.
XXV. Ratisbonæ, A.C. 1412.
XXVI. Stutgardiæ, A.C. 1436.
XXVII. Landeshuti, A.C. 1439.
XXVIII. Herbipoli, A.C. 1479.
XXIX. Moguntiæ, A.C. 1480.
XXX. Heidelbergæ, A.C. 1481.
XXXI. Stutgardiæ, A.C. 1484.
XXXII. Ingolstadii, eôd. annô.
XXXIII. Onolsbaci, A.C. 1485.
XXXIV. Bambergæ, A.C. 1486.
XXXV. Ratisbonæ, A.C. 1487.
XXXVI. Wormatiæ, eôd. annô.

Ita Ruexnerus habet. Joh. Guletus verò *in descr. hist. Rhæt.* *l.* 8. omissa quædam contendit. Præterea ex Andr. Ratispon. *Chron. Bavarico*, meminit Freherus *ad Petr. de Andlo p.* 183. Torneamenti celebrati Norinbergæ, A.C. 1433. &c. In Francia, *Torneamenta* primum instituisse Gaufridum II. Dn. Pruliaci in Andibus, refert *Chronicon* Turonense: fuit autem is pater filii cognominis, à quo Comites Vindocinenses orti. In Anglia primùm innotuisse, sub Stephano Rege, *cùm per ejus indecentem mollitiem nullus esset publicæ vigor disciplinæ*, habemus apud Guil. Neubrigensem *l.* 5. *c.* 4. Tunc enim & sub Henrico II. *tyronum exercitiis, in Anglia prorsus inhibitis, qui — exercere volebant, transfretantes in terrarum exercebantur confiniis*. Vide quoque Rog. Hovedenum & Brompeonum, A.C. 1177. Postea verò sub Ricardo in ipsa Anglia celebrari cœperunt, uti docet Matth. Paris A.C. 1194. In Græciam transiisse videntur, cùm Anna Sabauda, Amedei IV. Allobrogum Comitis filia, Constantinopolim Andronico Juniori nuptura venit, A.C. 1326. &c. Ceterùm in hujusmodi decursionibus vel hostes publici ex condicto infestis armis concurrebant, quod Torneamenti genus *aculeatum & hostile*, Matth. Parisio: vel infestis itidem armis contra quosvis, etiam non hostes, inibatur, quod *quasi hostile* eidem dicitur, A.C. 1241. Communiter verò certabatur armis innocuis, gladiis hebetibus, lanceis absque ferro, seu *ἀσιδήροις δορατίοις*, ut ait Nicetas: *lusoria tela* Seneca vocat, uti vidimus suprà. Cùm porrò *Torneamenta* belli præludia essent, diversis cohortibus ac turmis unà omnes ad prælium accincti properabant & gladiis in alterutrum ingeminantes ictus (non punctim sed cæsim feriendo) vires suas exercebant; cùm contrà in *Justis*, quo monomachiæ speciem præbebant, singulari certamine alter in alterum ferretur &c. Quam in rem vide plura apud Car. du Fresne *in Gloss.* nec non *Dissertatione ad Joinvillam* 7.

TORNENSIS Comitatus *le Comté de Torna*, & *Tornaw*, pars Hungariæ superioris inter Comitatum Gewinariensem ad Boream, Albanvivariensem ad Ortum, Barzodiensem ad Meridiem, & Bistriciensem ad Occasum, sub Austriacis. Ejus caput est Torna, Hungaris *Tornaw*, Germanis *Dorn*, 4. milliar. German. à Cassovia in Occasum.

TORNEUTICE, Ars, Græcè Τορευτικὴ, à Theodoro Samio inventa, sicut Toreutice, de qua suprà, à Phidia, Plinio, *l.* 7. *c.* 56. *Normam autem & libellam & tornum & clavem Theodorus* (invenit) *Samius*. Ubi *tornus*, Græcè τόρνος, instrumentum est, in quo ligna teruntur circumagendo, sicque in teretem formam rediguntur, quod Græci ἀποτορνεύειν & ἀποξύειν, h.c. *in orbem terere ac sculpere* vocant. Τορευτήριον verò ferrum iis appellatur, quô in torno ligna teruntur. Nempe & *Tornatores* terunt, exsculpuntque ac insculpunt ligna, strias & sulcos in eo facientes sicque Γλύπται etiam nonnullis dicuntur: sed aliâ arte ac diversô instrumentô id faciunt, videl. non γλυφεῖῳ, seu *caelô*, quod *burinum* vulgò Galli vocant, sed τορευτηρίῳ, ut diximus. Neque figuras & sigilla tornô exprimere ullô modô queunt, quod Sculptores Cælatoresque faciunt. Adde, quòd in ligno præcipuè Torneutice Ars occupatur, cùm *Sculptura*, præter illud, *ebur*, *marmor*, *vitrum*, *gemmas complectatur*; *Cælatura verò aurô*, *argentô*, *ferrô*, *opera efficiat*, uti alicubi Plinius habet. Hinc apud Theophrastum, lapidum alii γλυπτοὶ, alii τορευτοὶ, alii πριστοὶ, quorum illi *caelô scalpuntur*, isti *tornô teruntur*, hi *serrâ secantur*. Ob similitudinem tamen vocum Τορευτικῆς & Τορευτικῆς factum, ut multi etiam ex Veteribus artes eas & opera confuderint, ipseque Virgilius *tornum pro cælo* sumserit, ut suprà vidimus in illo *Ecl.* 3. *v.* 38.

Lenta quibus torno facili superaddita vitis.

Ubi tamen si *torno* dativus sit, nulla erit catachresis. Sic enim non dicit, torno vel torni arte, superadditam vitem illis poculis, ut tornos vitem illam & corymbos hederæ in poculo effigiârit, sed præter tornum, quô facta erant popula illa, insuper additam artificio cælaturæ vitem. Quod ex epithero *facili* confirmatur, nihil enim tornaturâ facilius. Itaque parùm pastor is commendâsset pocula sua, si tornô tantùm facta promisisset. Sed ad torni *facilitatem* cæli *labor* additus. Martialis, *l.* 8. *Epigr.* 51. *v.* 1.

Quis labor in phiala?

Sed & *Tornatores*, licèt quoque non minùs, ac Cælatores, radant. Virg. *l.* 2. *Georg.* *v.* 449.

— aut torno rasile buxum.

Aliud tamen iterum accuratè loquendô ξύειν, vel ξέειν, aliud τορεύειν, aliud γλύφειν: *Rasoresque* & *Interrasores* ab utrisque diversi fuêre. *Theophrastus*, Εὐπελεκητότερον τε καὶ εὐτορνότερον καὶ εὐξοώτερον τῶν χλωρῶν. Magis autem abusive *tornandi* verbum *Avienus*, adhibuit, pro *terere ac polire gemmas*: quamvis etiam, quæ *tornô* fiunt, etiam terantur ac levigentur, tamen tornô non poliuntur gemmæ, uti suprà vidimus. Quô sensu infima Latinitas verbum acceperit, diximus in voce *Torna*. Plura hanc in rem vide apud Salmas. *ad Solin.* passim, inprimis *p.* 1044. & *seqq.* ut & quæ retrò dicta, in vocibus *Terere*, *Tores* & *Toreuma*. Ex terebintho *tornata* pocula, quæ magna in fama apud Veteres erant, memoravimus, ubi de poculis *Thericleis*.

TORNIELLUS A. Novarienſis, autor Annalium ſacrorum, à Mundo condito uſque ad ſeculum præteritum.

TORNITIUS, in Bithynia, à Conſtantino Monomacho coërcitus, A. C. 1046.

TORNODURUM, vide *Ternodurum.*

TORNOMAGUM, vulgò *Tournon*, vide *Turnonium.*

TORNUM, in *Charta* Petri Regni Majoricarum Domini A. C. 1232. apud Car. du Freſne, bellicæ machinæ ſpecies. Sic apud Sanutum inter baliſtarum ſpecies, *baliſtæ groſſæ à torno, baliſtæ à perſarola*, occurrunt, *l. 2. part. 4. c. 8.* &c. Vide quoque ſuprà *Baliſta.*

TORNUS, fluv. Lappiæ, vulgò *Torne*. Exit è lacu Torno, *Torne Tresk*, verſus confinia Norvegiæ; dein per Lappiam Tornenſem fluens, prope Tornam Urbem in Sinum Bothnicum ſe exonerat.

TORONAICUS Sinus, *Ptolem. Golfo di Rampo Nardo, Golfo di Agiomana Caſtaldo*, ſinus Macedon. inter Singiticum & Thermaicum. *Baudrando* pars eſt Maris Ægæi, vulgò *Golfo di Ajomana.*

TORONE, oppid. geminum: unum Epiri in ora litorea, inter Sybotam, & oſtia Acherontis fluv. *Parga Nigro.* Alterum Macedon. ad ſinum Toronaicum, ubi tantus maris fragor, ut inde proverb. ortum ſit, *ſurdior Toronæô portu*, inter Derrim & Caſſandriam, à *Torone* Neptuni filiâ, teſte *Stephan.* ſic dictum. *Longo Sophiano, Rainero Nigro.* Vide *Stephan.* Illa in Theſprotia *Baudrando*, ad oſtia fluv. Thyanidis, inter ipſum & Sybotam, 15. milliar. ab oſtia Acherontis fluv. in Occidentem. Quibuſdam hodie eſt *Parga*, oppidul. cum arce munita, ſub Venetis, in ora provinc. *Larta.* Hæc in Paraxia tractu, in ora Boreali Sinus Toronaici. Vulgò *Caſtel Rampo*, 20. mill. paſſ. à Derri in Occaſum, paulo plus à Caſſandria in Boream, 80. à Theſſalonica in Eurum.

TORPATUM, vulgò *Derpt*, Urbs Oldenpoæ provinc. in Livonia, ad fluv. Becum *Embek*, cum arce permunita in colle. Epiſcopalis erat ſub Archiepiſcopo Rigenſi, 12. leuc. à ſinù Finnico in Meridiem, totidem à Felino in Ortum, verſus lacum Peibum. Capta eſt à Suecis A. C. 1625. Duce Jacobô de la Gardie, & A. C. 1632. ibi Academia à Guſtavo Adolpho erecta. Media inter *Peibus* & *Werczer* lacus.

TORPEDO, à vi, ut Varro ait, *de L. L. l. 4.* nempe quia inducit *torpedinem*: Græcis eadem de cauſa Νάρκη, quòd *ναρκᾶν* producit: à tremore, quem adfert contrectantibus, Burdegalenſibus *Tremble*; Liguribus ob eandem rationem *Tremoriza*: *Bellunenſi*, Avicennæ Interpreti, *Albarade*, ex *al* Arabico articulo, & verbo חרד *harad*, i. e. *ſtupuit, horruit*: piſcis eſt, mirâ motus depravandi, quemadmodum planè tollendi Echeneis, facultate præditus. Nimirum omnium eſt gentium conſenſus, eam inducere corpori tremorem torporemque: quod non ſolùm contrectanti, ſed etiam hamô piſcanti facit, vim eam per hamum, ſetam & arundinem, in ipſam piſcantis manum traducendo. Quod, præter innumeros Auctores, qui hac de re ſcripſerunt, experientiâ à ſe comprobatum ait Rondeletius, *de Piſcibus Marinis, l. 2. c. ultimô.* Attributa ei hæc vis divinitus eſt, ad capiendos piſcium alios: per ſe enim imbecillis eſt. Itaque ad ſe accedentes piſciculos ſtupefacit atque illos capit, hôc modô. Reſupinat ſe in arena immotaque jacet mortuæ inſtar. Piſces igitur ſecurè accedunt ſtuporeque correpti recedere iterum nequeunt. Sic illa, licèt aliàs tardiſſima, mugiles etiam, quamvis piſcium velociſſimos, in poteſtatem ſuam, pertrahit; Unde & in *Torpedinis* eos ventriculo reperiri, auctor eſt Ariſtoteles, *Hiſt. Animal. l. 9. c. 38.* De qua ſagacitate, præter Plutarchum *Comparat. aquatilium & terr.* ita Plin. *l. 9. c. 42. Novit* Torpedo *vim ſuam, ipſa non torpens: merſaque in limo ſe occultat, piſcium, qui ſecurè ſupernatantes obſtupuêre, corripiens. Nec minor ſolertia ranæ* &c. Modum, quô vim hanc exerat, his verbis exponit Oppianus, *Halieut. l. 2. v. 62. & ſeqq.*

> Ἀλλά οἱ ἐν λαγόνεσσιν ἀναλκέος ἔπλετο ἀλκή,
> Κερκίδες ἐμπεφύασι παρὰ πλευρὸν ἑκάτερθεν
> Ἀμφίδυμαι, τὰς εἴ τις ἐπιψαύσειε πελάσσας,
> Αὐτίκα οἱ μελέων σθένος ἔσβεσεν. ἐν δέ οἱ αἷμα
> Πήγνυται, οὐδ' ἔτι γυῖα φέρειν δύναται, ἀλλά οἱ ἀλκὴ
> Ἦκα μαραινομένοιο παρείεται ἄφρονι νάρκῃ.
>
> *Verùm ipſi in lumbis imbecillitatis eſt ſubſidium,*
> *Radii ſunt innati juxta latus utrinque*
> *Gemini: Quos ſi quis attingat accedens,*
> *Statim ipſi membrorum robur extinguit, ſanguisque ipſi*
> *Congelaſcit, neque amplius membra ferre poteſt, ſed ipſius robur*
> *Paulatim tabeſcentis remittitur ſolidæ Torpedini.*

Ubi duo docet Poëta, in lumbis *Torpedini* hanc vim ineſſe, & qualitatem, quâ ſtuporem inducat, eſſe frigus: in quo abit à Galeno, qui *de cauſis Sympt. l. 1.* ac *l. de uſu Reſpir.* obſcuræ occultæque qualitati id adſcribit. Voſſius ait, *Torpedinem* ſpiritus & humores diffundere, qui refrigerent, &, ut Oppianus habet, quaſi congelent, non piſces modò, ſed & piſcatores etiam: quorum nervi ac digiti, vi per hamum & lineam tranſeunte, prorſum ratione facultatis motricis debiles fiant ac infirmi: unde tremor ille, de quo ſuprà. Quanta porrò piſcis hujus fœcunditas, docet Plin. *l. 9. c. 51. Torpedo octogenos fœtus habens, invenitur: eaque intra ſe parit ova prædmollia, in alium locum uteri transferens, atque ibi excludens.* Imò non parere ſolùm intrà ſe tam numeroſam ſobolem, ſed &, cùm hæc timere cœperit, magnô affectus indiciô, recipere, ſcribit de ingenti *Torpedine* agens Ariſtoteles, *de Animal. l. 6. c. 10.* Quemadmodum & glaucus, cùm timet, à matre ore hianti excipitur; ceſſante metu iterum evomitur, ut Ælianus refert, *Hiſt. Anim. l. 1. c. 16.* & muſtelæ emittunt & admittunt intra ſe catulos, apud Ariſtot. *loc. cit.* Carnem ei attribuunt lentam & concoctu difficilem, nec grati ſaporis, niſi frigatur. Ex tamen partes, quæ circa caput, teneræ dicuntur eſſe ac concoctu faciles: parvæ item meliores magnis, vide Athen. *l. 8.* Sed Plato apud eundem, *l. 4.* imo & Galenus *de alim. facult. l. 3.* docet, *Torpedinem*, ut & paſtinacam, carnem habere mollem, ſapore gratam, concoctu non difficilem, mediocriter nutrientem, quæve alvum non malè ſubducat. Idem *l. de Attenuante victu* præcipit, ſi piſces defuerint ſaxatiles, *Torpedo* ut aſſumatur cum beta, tritâ nempe, item cum porro; quod uberiùs adhibetur, cumque minuto piperis. Ad hæc *l. 8. Med.* docet, poſt aſellos proximum obtinere locum ſoleas & Torpedinem. Quid quòd Italiæ in deliciis eſſe, ſcribit Albertus, *l. 24. c. 1.* Nempe evaneſcente vi frigidi veneni, quod inerat vivæ. Jecori *Torpedinis*, ut Plinius ait, *l. 9. c. 42. teneritas nulla præfertur.* Eam peculiari carmine proſecutus eſt Claudianus. Plura vide apud Voſſium, *de orig. & progr. Idololatriæ paſſim, inprimis l. 4. c. 11. & 38. ubi dolorem capitis etiam inveteratum Torpedine nigrâ vivâ parti dolenti impoſitâ, tolli*: *c.* item 44. *ubi eôdem remediô, ab Anterote, Cæſaris liberto, podagram omnemque morbum articularem, curari ſolitum fuiſſe, oſtendit.*

TORPIDI, populi Thraciæ, in confinio Macedoniæ, circa Philippos, *Appian.*

TORPOR, fatalis quidam, & omnia invitô animô, ſegnibus membris, agenda, inter mala prodigia, memoratur Claudiano, de Cerere, amiſsâ Proſerpina, *l. 3. de Raptu, v. 137.*

> *Hæc ubi; digreditur Templis, ſed nulla ruenti*
> *Mobilitas, tardos queritur non ire jugales.*

Statio item, *Theb. l. 4. v. 333.*

> ——— *Hinc ſequior arcus,*
> *Difficileſque manus, & nullo in vulnere certæ:*

ad quem locum vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. Tom. II. p. 1023.* De *torpore* verò *membrorum*, Magicis artibus conciliato, ſuprà ubi de *Nodo Veneris.*

TORQUATA, è Junia familia, C. Silani filia, Veſtalis ſacerdos annis 64. Ejus meminit Tacit. *l. 3. Annal. c. 69.*

TORQUATI Equites ſeu Milites, vide *Torquis.*

TORQUATUS, cognomen Titi Manlii, à *torque* impoſitum, quem occiſo ad Anienem Gallo detraxit. Hic eſt ille Torquatus Manlius, qui, cùm filius adverſus hoſtem, à quo vocatus fuerat, pugnaſſet, eôque occisô, equeſtria ſpolia victor ad patrem tuliſſet, ſubitò eum, quòd adverſus edictum ſuum, & rei militaris diſciplinam feciſſet, virgis cæſum ſecuri juſſit percuti. Vide & *Manlius.*

TORQUATUS Aſprenas, conſ. an. Urb. Cond. 880. *Livius.*

TORQUATUS, prænomine *Lucius*, Orico juſſu Pompeji præfuit; ſed, inclinantibus ad Cæſarem oppidanis, vix evaſit. Hic eſt L. Manlius Torquatus, contra quem P. Cornelium Sullam Cicero defendit. Periit poſteà in Africa, ut teſtatur de bello Africano ſcriptor, *c. 96.* Fortè deſignatur is *L. Torquatus*, qui Triumvir monetæ cudendæ, torque & aliis ejus familiæ monumentis argenteos denarios cum inſcriptione *L. Torquat. ex. S. C.* ſignavit.

TORQUATUS Silanus C. Lecaniô, M. Liciniô Conſulib. mori adactus eſt à Nerone, quia, ſuper Juniæ familiæ claritudinem, Divum Auguſtum atavum ferebat. Juſſi id accuſatores objicere, prodigum largitionibus, neque aliam ſpem quàm in novis rebus eſſe, quin eum nobiles habere, quos ab epiſtolis & libellis & rationibus appellet, nomina ſummæ curæ & meditamenta. Tum intimus quiſque libertorum vincti abreptique. Et cùm damnatio inſtaret, brachiorum venas Torquatus interſcidit. Tacit. *l. 15. Annal. c. 35.*

TORQUATUS Taſſus, Poëta Italus celebris, Surrentô-Neapolitanus. Jam in pueritia, egregiô carmine editô, futuræ eruditioni & gloriæ præluſit. Nuntium Papæ in Galliam ſequutus, Carolo IX. innotuit: Dein Ferrariam vocatus, ibi *Hieroſolymam liberatam* edidit. Primus paſtores in ſcenam introduxit, in *Amynta*, omnium Comœdiarum Paſtoralium principe. Litem cum Academia Florentina *de Cruſca*, quæ Hieroſolymam ejus ſub cenſuram vocavit, nactus: Ferrariæ quoque negotio adhuc difficiliori implicitus eſt, à quo tempore omnia ejus retro ſublapſa ſunt. Ticinum inde ſe recepit, hinc Neapolim profectus, tandem, invitante Card. Aldobrandinô, nepote Clementis VIII. Romam pervenit. Obiit, A. C. 1595. ætat. 51. cùm jamjam lauru cingendus eſſet. Jac. Phil. Thomaſinus, *in Elog. Illuſtr. Patav.* Laur. Craſſus. *Elog. Vir. literat.* aliique memorant Anton. Teiſſier *in Elogiis, Part. 2.* ubi & de furore ejus, per cujus intervalla carminibus operam dabat & ſcriptis, prolixè.

TORQUATUS Valerius, vide *Valerius.*

TORQUERE, propriè verticum eſt. Virg *l. 1. Æn. v. 121.*

> ——— *aſt illam ter fluctus ibidem*
> Torquet *agens circùm, & rapidus vorat æquore vortex.*

Unde στροφὰς ὑδάτων & ἰλίγγους Græci vocant. Hinc *retorquere*, de iiſdem, apud Tertullian. *de Pallio, c. 2. Italiæ quondam latus (Hadria Tyrrhenoque quaſſantibus) mediô tenus interceptum, reliquias Siciliam facit: cùm tota illa plaga diſſiliit, contentioſos æquorum coitus anguſtiis retorquens, nomen vitii mari induit* &c. Inde ad filum vox adhibita, cùm fuſo involvitur, quod iiſdem κλωθίζεσθαι, cui contrarium ἀναλύειν, ſeu ἀποκλωθίζεσθαι, quod itidem *retorquere* Plinius appellat. Id ne per itinera fieret, Romanis Legibus olim interdictum, Plinius idem *l. 28. c. 2.* refert. Vide quoque ſuprà in voce *Fuſus*, item *Rhombus*. Sic porro ad alia tranſiit, qua de re aliquid diximus retro, voce *Tormentum.*

TORQUIS, à *torquendo*, quòd eſſet circulus tortus, Græc. στρεπτός. Unde quia ex annulis aut catellis *Torques* plexæ erant, *Catellæ* quoque dictæ ſunt. Ornamentum colli propriè: Sed & in brachio, adeò-

adeoque inter armillæ genera reperitur. Torquem sanè æmulabatur, nisi *Torquis* fuerit, quem Saxo depingit, *Hist. Dan. l.* 8. ubi de Gotrico, *Detractum*, inquit, *lacerti torquem accersiti labris instruit. Quem Reso confestim brachio applicans id cunctis aurò præditum ostentabat.* Vide Thom. Bartholin. *de Armill. Veter.* §. 4. Inter regia apud Persas insignia, quibus, ut & armillis aureis, acinacibus, aliisque, Satrapæ à Regibus donabantur non rarò, benevolentiæ gratiæque testandæ causâ. Vide Barn. Brissonium *de Regno Persar. l.* 1. Idem apud Romanos inter dona olim militaria frequens fuit: Hinc L. Siccium Dentatum, Romanorum fortissimum, inter alia *Torquibus tribus & octoginta* donatum esse, docet A. Gellius, *l.* 2. *c.* 12. è quo corriges Val. Maximum, numerum insuper centenarium addentem. Erant autem juxta Vegetium, *l.* 2. *c.* 7. *Torquati*, duplares & simplares. *Duplares* dicebantur, qui ob virtutem duplas consequebantur annonas; *Simplares*, quibus una & semis annona tribuebatur. Ant. Thysius JC. *Not. ad Gellium.* Vide quoque Sigonium, *de Jure Rom. c.* 15. C. Paschalius, cùm coronæ apud Romanos solis civibus darentur, *torques* iisdem cum auxiliaribus & externis communes fuisse, atque illis aureos, his argenteos datos esse, ibi pretii, hîc solius honoris ratione habitâ, observat, *Coron. l.* 7. *c.* 2. ex Plinio *l.* 33. *c.* 2. Vide quoque eum *ejusdem l. c.* 7. Sed & inter Deorum anathemata *torques* fuêre. Ita enim Galli, post cladem ab Æmilio acceptam, redintegratô cum Romanis bellô, Ariovistô duce, ex hostium exuviis suo Marti *torquem aureum* vovêre. Quod cùm iterum frustra fuisset, Flaminius de torquibus eorum aureum Jovi tropæum erexit &c. Bonfinius *l.* 6. *Dec.* 1. ex Floro, *l.* 2. *c.* 4. cujus tropæi imaginem ac memoriam pulchrè expressam habemus in nummo veteri argenteo, cui hæc verba inscripta, C. FLAMINI. G. F. ROMA. ut videre est in *Fastis* Goltzianis. Simile tropæum, devictis iisdem, erexisse posteà Marium, ex Plutarchi *Cæsare* Rycquius notat, *Comment. de Capitolio Rom.* Nempe *Gallos cum auro* (quod in torquibus habebant) *pugnare solitos*, *Torquatus indicio est*, Plin. *l.* 33. *c.* 1. Vide Nonium in *Torquis*, Livium, *l.* 33. *c.* 40. ubi de prælio, quô Gallos cæcidit Marcellus an. Urb. Cond. 554. Polybium, *l.* 2. ubi de Cornelio Cons. Bojorum victore &c. ut & voce *Torquatus*. Eisdem porrò recentiori ævô insigniti Equites Militesque, qui ab Imperatoribus jus militare virtute meruêre suâ, ac Germanis *Ritter*, Italis *Equites Aurati* appellantur: de cujusmodi Equitum Ordinibus variis, vide Limnæum *de Jure Publ.* Aliâ longè ratione Anthropophagorum Brasiliensium *torques* se habent, uti suprà videre est, voce *Semicinctium*. Plura apud C. Barthium, *Adversar. l.* 8. *c.* 15. & Schefferum, *Syntagm. de Antiquorum Torquibus*.

TORRENS, fluvius terræ Philistiim, in tribu Dan, ortus è Judææ montanis, fluit per vallem Therebinthi, & alluens Modin, apud Sechrona effunditur. Est autem inter Azotum & Joppen.

TORRES, nomen Familiæ illustris, in Lusitania. Ex Petro enim Rege ac Agnete de Castro genitus Dionysius, Dn. *de Cifuentes*, & deinde *Alba de Tormes*, pater fuit Ferdinandi & Petri, quorum ille Dominos *de Torres*, *Villar & Dompardo* fecit. Eô enim & Isabellâ Faxardâ natus, Ferdinandus *de Torres* & *Portugal* Dn. *de Villar Dompardo*, avus fuit Ferdinandi Comitis, cujus filius Bernardinus Joannem genuit (Isabellæ Osoriæ maritum & ex illa) patrem Bernardini *de Torres* & *Portugal*, & Agnetis Mauriciæ (uxoris Antonii *de Calatayud*, Comitis *del Real*) qui hôc seculô floruerunt. Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Eur. Part. II. p.* 90. Vide eundem, *Arte Heraldic. Tom. II.* Sed & ex Georgio Duce Conimbricensi, Johannis II. Regis filio notho, orti sunt Duces *de Torres Nuevas*: Hujus enim ex Anna Mendozia, filius Georgius *de Portugal* Dux Conimbric. ex Beatrice *de Melo* & *Portugal*, pater fuit Alfonsi *de Lancastro*, M. Commendat. Ordin. S. Jac. quô & Jolandâ Henriciâ genitus Alvarus Dux *de Aveiro*, junxit sibi Julianam Dn. *de Aveiro*, ac ex illa suscepit Georgium Ducem *de Aveiro* & *Torres Nuevas*: patrem Raymundi Ducis *de Aveyro*, (nati A. C. 1642.) Joannis, Mariæ & Julianæ, nominis *de Lancastro*. Idem *ibid.*

TORRES, vel TORES, antiquis terminus, cujus vocis vestigium remansit in nomine *extorris*, qui extra *torrem*, i. e. extra limitem pulsus est; Græcè ἐξορισθεὶς: ut *exsul*, qui extra *solum*, *Fest.* Auctor *Fragm. de limitibus*, *limitem torrem*, *h. e. torum sine dubio invenies.* Hinc *territorium*, omne illud terræ spatium certis *terminis* definitum, delimitatumque, intra quod jurisdictionem exercendi Civitas jus habet, Salmasio *ad Pollionem*, *in Tetrico Senior. c.* 24. Vide suprà in hac voce.

TORTA, apud Althelmum, *de Laude Virgin. c.* 28.

Punica mala vident granis scitisque referta,
Botros & ficos, & plures ordine tortas:

placenta est: seu panis ex pinguibus palmulis, farina & aqua confectus Erotiano *in Onomastico*, qui ἄρτον ἐγκρυφίαν ab Atticis sic appellari ait, addens ὃν τύρβαν καλοῦσι: quæ tamen à recentiori manu esse, existimat Hieron. Mercurialis, *Var. Lect. l.* 2. *c.* 5. Hodie paulo aliud quid est, & Gallis *tourte* vocatur, vide *l'Ecole parfaite des Officiers de bouche.* Hinc *tortula*, *tortella*, *tortellus*; de qua ultima voce Papias, *Pastilli*, *tortelli pigmentati.* Cujusmodi *tortellos*, in crastino Natalis Christi, Domino offerendi, mos memoratur in *Charta* Mauritii Episc. Paris. A. C. 1189. *Consuetudinem* tortellorum *ad Natalem & ovorum ad Pascha reddent hospites S. Juliani.* Hodieque in aliquot Galliæ provinciis viget, teste Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque suprà, ubi de *Focatio* seu *Subcinericio pane.* At apud Propertium, *l.* 3. *El.* 19. *v.* 18. ubi de corona Ariadnes,

Testis sidereæ torta *corona Deæ:*

torta idem, quod *tortilis* est, seu *volubilis*, & coronam notat, è floribus artificiosè mixtis compactam, qualem & *pactilem* & *nexilem* Latini dixêre, Car. Paschalius, *Coronar. l.* 1. *c.* 13. Vide suprà ubi de *Nectendi artificio*, item ubi de *Coronis*. Sed Sacerdotum apud Gentiles coronæ *tortiles* erant, ex fasciis seu tæniis implexis: imò nondum inventô coronas è floribus texere, ex duabus aut tribus tæniis inter se implexis coronas sibi fecisse communiter Romanos, easque *stroppos* appellâsse, diximus suprà in hac voce.

TORRHEBUS, urbs Lydiæ, à *Torrhebo* Atyis filio. Vide *Steph.*

TORSA, vulgò TORSAS, urbs Smalandiæ, quæ Sueciæ provincia est, in limite Blekingiæ, 5. leuc. Suecic. à Christianopoli in Occidentem, 3. ab ora maris Baltici, prope Bromsbroam.

TORSILIA, vulgò TORSIL, urbs Sudermanniæ, in ipso limite Westmanniæ, 3. leuc. Suecic. ab Arboga in Ortum, Holmiam versus 11. prope lacum Meletum.

TORTA Fagus, à fago aliquo procera nomen accepit; vulgò *Torfou*, vel *Tourfou*, vicus agri Parisini, proximus Castris, sub monte Leotherici. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TORTARIUS, Monachus Floriacensis, scripsit *vitam S. Mauri versibus hexametris*, cujus partem Johannes du Bois edidit. Carolus Saussæus, *in Annal. Aurel. l.* 4. *c.* 130. Barthius, *Adversar. l.* 52. *c.* 6. Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *p.* 819.

TORTELLI, in Arte Heraldica, vide suprà *Byzantii*.

TORTILIS Armilla, vide suprà *Ficuum* Corona, *Torta*.

TORTOMION, urbs inter Syriam & Armeniam, *Steph.*

TORTONA, Siciliæ urbs, *Steph.*

TORTOR, Apollinis epitheton, cujus simulachrum Romæ fuit. De hoc Sueton. *in Aug. c.* 70. scribit, *Apollinem hôc nomine in quadam parte urbis cultum esse.* Antonius Sabellicus Apollinem *Tortorem* dictum esse vult, à vico, in quo venalia tortorum flagella pependerunt, vel quem tortores incoluerunt, vide Lævinum Torrentium, *in Sueton. loc.* & Rosin. *l.* 2. *Antiq. Rom. c.* 7. *&c.*

TORTORELLA, machinæ bellicæ species, apud Rollandinum *in Chron. l.* 1. *c.* 12. ubi à lapide ejus Comitem Paduæ Manfredinum cecidisse memorat. An eadem cum *Petraria?* quod vide.

TORTOSA, hodie dicitur, quæ olim *Antarados*. Hinc Templarii Equites captivi abducti sunt in Ægyptum à Sultano, A. C. 1304.

TORTURA, vide suprà, *Tormentum*: uti de *Tortore* seu servo publico, apud veteres Romanos, suprà aliquid voce *Suburra*.

TORTYRA, oppid. Asiæ, una ex septem urbibus à Cyro datis Pytharcho, *Athen.*

TORUNUM, vulgò THORN, urbs Hanzeatica Prussiæ regiæ ad Vistulam; cum ponte. In tractu Culmigeria, in ipso limite Cujaviæ provinc. 4. milliar. Germanic. à Culma in Meridiem, uti 12. à Mariæburgo, & 15. à Gedano, Lanciciam versus 13. Situ & arce permunita, in Veterem Novamque distribuitur, Probè culta. Sub Polonis ab A. C. 1454. quô ab Ordine Teutonico defecit. Patria fuit Nicolai Copernici Astrologi; obiit A. C. 1501. Longâ obsidione suâ celebris. Vide quoque *Thorunum*.

TORUS, mons Siciliæ, in ora Australi inter Agrigentum & Heracleam, *Polyb.*

TORUS, Græcè τύλος, item στρωμνὴ, à *torqueo*. Scaligero est quivis funis ex loris retortis: inde pro lecto, quòd *toris* tenderetur: vel ab *intortis* herbis, quia antiqui super *toris* plicatisque herbis ac graminibus humi ad mensam discumbebant, vel sedebant, Serv. in *l.* 1. *Æn. v.* 712. Et quidem herbarum meminit idem Poëta, *Æn. l.* 3. *v.* 388.

——— *viridante* toro *consederat herbæ.*

Graminis Statius, *Theb. l.* 1. *v.* 583.

Non tibi digna, puer, generis cunabula tanti
Gramineos dedit herba toros. ———

Stramentum inde adhibitum. Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Antiquis* torus *è stramento erat, qualiter etiam nunc in castris.* Fœnum item. Martialis *l.* 14. *in Apophor. Epigramm.* 162. cujus lemma est, *Fœnum*:

Fraudatâ tumeat fragilis tibi culcita mulâ,
Non venit ad duros pallida cura toros.

uti locum restituit Gronovius, *Observ. l.* 4. *c.* 22. Postmodum tomentô culcitæ infartæ; plumâ tandem, quibus paleâ suppositâ factum, ut in lectis *tori* (propriè enim *lecti* αἱ κλῖναι, *tori*, αἱ στρωμναὶ, *strata*) assurgerent multùm alteque suffulti essent, quod elegantiæ erat; Augustô luxum improbante, apud Sueton. *c.* 73. *Ne toro quidem cubuisse ajunt, nisi humili & modicè instratô.* Neque verò plumâ quâvis contenti, tenuissimâ delicatissimâque toros suos referciebant molliculi, quos proin *reflatiles* appositè vocat Zeno Veron. *reflatilis tori plumeô sepulchrô superbi.* Quòd videl. tales, cùm sedendo premuntur, subsidunt & quasi reflantur: si surrexeris, denuò inflantur & intumescunt. At luxuriæ excessus fuit, cùm *foliis rosæ, quibus demtum esset album, lectum replevit*; cumque *accubationes de rosis & liliis fecit & quidem purgatis*, Verus apud Spartian. *c.* 5. Insternebant autem *toros* Veteres vilioribus primùm operimentis, de quibus suprà non unô locô: procedente dein ævô, aurô quoque & purpurâ exornabant. De Heroum certè *toris* id frequens, apud Poëtas Græcos Latinosque. Hinc Poëta:

Stant gemmis auróque tori ———

Lucan. *l.* 10. *v.* 122.

Fulget gemma toris ———

Silius Italicus, *l.* 11. *v.* 275.

Præcipuis multoque procul splendentibus ostro
Accipitur sublime toris ———

Et,

Et, ut alios omittam, Papinius, *Theb. l. 1. v. 517.*

—— variò strepit illa tumultu
Regia: Pars ostro tenues auroque sonantes
Emunire toros, *altosque inserre tapetas.*

ad quem locum vide Casp. Barthium, *Animadv. Tom. II. p. 176.* Apud Romanos, *tori* è lino Ægyptiaco & Alexandrino plumâ facti elegantioribus erant in pretio. Martialis, *l. 2. Epigr. 16. v. 3.*

Quid torus *à Nilo? quid Sidone tinctus olenti?*

i. e. torus Niloticus, circumdatus *torali* ex sindone Tyria. *Primus omnium privatorum* Heliogabalus *toros aureis toralibus texit*, apud Lamprid. *c. 19.* Vide suprà, ubi de *Toralibus*. Neque verò in *toris* suis discumbebant solùm ad cibum capiendum, aut jacebant ad somnum invitandum, sed & intra cubiculum in *toris* sedebant (ut hodie in scamnis) in omni otio negotioque, quod quiescere non prohiberet, Casaubon. *ad verba Suetonii, Domitianô, c. 11. Assidere in toro juxtà coëgit.* Imò & in toris efferebantur, teste Martiali, quo de ritu suprà, &c. Ut de nomine aliquid adjiciam, Salmasio *torus* est ex Græco *τόνος*, quod à *τείνω*, *tendo*, vide eum *ad Solin. p. 670.* Apud medii ævi Scriptores, vox *ἀκτὴν*, *littus*, vel potiùs aggerem, monticulum ac collem, significare cœpit. Unde Anastasius, *Hist. Eccl. p. 148.* Theophanis verba *πᾶσαν τὴν παράλιον ἀκτὴν*, vertit *omnes maritimos toros*: an à *toris* humani corporis, de quibus suprà in voce *Tori*?

TORVUS, propriè de *tauro*, unde & vox nata videtur. Virg. *l. 3. Georg. v. 51.*

———— optima torvæ
Forma bovis ————

Hinc de leone. Idem, *Ecl. 2. v. 63.*

Torva *leæna lupum sequitur* ——

Inde ad omnium animalium armatorum aspectum denotandum vox extensa, ut videre est apud Barth. *ad Statium, Theb. l. 9. v. 741.* Ut qui inclemens, *γοργὸν* Græci appellavêre. *Hesych.* Γοργώψ, ἀπὸ τοῦ γοργὸν ἐμβλέπειν. Atque hinc *torvus*, pro crudeli, funesto, horrendo: ut *torvæ aves*, apud Statium, *Theb. l. 6. v. 754. torvum cadaver Tydei*, apud eundem, *l. 9. v. 140.* &c. Aut saltem pro tetrico atque difficili: ut *torva Pallas*, apud eundem *l. eôd. v. 571.* i. e. non amabilis, sed rigida virginitatis custos: *torvus Maro*, ibid. *l. 5. Sylv. 3. v. 63.* h. e. difficilis materiæ scriptor, Passeratio *ad Propert. l. 2. Eleg. 34.* inimitabilis Barthio, quem vide *Adversar. l. 108. c. 14.* Sed &, quia in tauro probatur quædam in aspectu generositas, torvæque decorus frontis honos, unde *torvus* pro formoso, apud sæpiùs laudatum Statium, *Theb. l. 1. v. 131.*

Sic ubi delectos per torva *armenta juvencos*
Agricola impositò sociare affectat aratrò.

Ad quem locum Barthius, *formosissima*, inquit, *nobilissima. Torvitate enim species censetur bovini generis.* Ad alios porro sensus vox translata, auditum inprimis: velut cùm Maro *torvum clamorem* inducit. Sic *torva confidentia*, *torvum ingenium*, Pacuvius habet apud *Festum*: plura vide apud eundem Barthium, *ad Theb. l. 9. v. 741.*

TOSA, vulgò TOSÆ, oppid. Japoniæ, cum tractu cognomine in parte Australi Xicocæ Insul. *Brietio.*

TOSA, flumen Helvetiæ, ad oppid. *Eglisaw*, ditionis Tigurinæ, irrigat & Oscelam vallem; ex summis Alpibus, ut Ticinus, oritur: *Baudrand.* Plantino ortum in Glaronensium finibus, in monte *Hurnls*, Comitatum Kyburgicum præfluit, rivum dein *Eulach*, Vitodurum alluens recipit, tandemque inter Rynbergam & Eglisoviam, Rheno miscetur, *Helv. Antiq. & Nov.* German. *Toss.*

TOSERTASIS, Memphitatum Rex V. post Saiphem, ante Achem præfuit annos V. vide *Achis.*

TOSIBIS, vide suprà *Tasibis.*

TOSORTHRUS, Memphitarum post Menem in Ægypto Rex I. *Æsculapius* dictus, ob Medicinæ peritiam, *construxit* in Memphi, à patre Mene condita, *regiam*; invenit *sectorum lapidum structuram*; & *de Anatomia* libros conscripsit: quæ omnia huic potiùs, quàm fratri ejus Athoti I. Thebanorum & Tinitarum Regi, cui ista à Manethone tribuuntur, conveniunt. Certè apud Sanchuniathonem Æsculapius Mercurii (h. e. Athotis) frater & Jovis (h. e. Menis) filius dicitur, referente Eusebiô, *Præpar.* Sed nec Tosorthro convenit, *γραφῆς ἐπιμέλεια*, quam illi Syncellus tribuit, cùm literæ à Mercurio sint inventæ: *operam tamen literas insculpendo dedit. Ibid.* quod de cura ejus secundaria operaque ex præcepto Mercurii navata, intelligendum: stelarum enim exarandarum curam, unà cum VII. Cabiris, & ipse gerebat. Fuit autem hic Æsculapius Memphites *inter primos hominum, qui opinione humanâ Dii sunt facti*, Clem. *l. 1. Strom.* fuitque deinceps *urbs Memphis præsentia Numinis Æsculapii clara*, Amm. Marcellin. *l. 22.* qua de re vide pluribus Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. 1.* ubi Græcorum de Medicinæ origine & Æsculapiis tribus eorum, hallucinationes eruditè examinat. Sic duo primorum temporum utilissima inventa, *Medicina* atque *Architectura*, sub hoc Rege, occurrunt. Quod enim *Tentoriorum Chami*, Psal. 78. *vers.* 51. mentio, de peregrinantibus Patribus id intelligendum, postquam verò illi sedes in Ægypto fixerunt, construxerunt domicilia, & politias totius Orbis vetustissimas, constituerunt; paulatim accessit magnificentia. Menes itaque *Urbem* condidit, *Tosorthros* successor ejus *Regiam*, neque multo pòst surrexêre *Pyramides*, cum mundo mansuræ: in tantum crevit inventa recens ἡ διὰ ξεστῶν λίθων οἰκοδομὴ, *sectorum lapidum structura*, ut diximus ex *Syncello*. Anatomicam quod attinet ab eodem inventam, & sine dubio in Syringicis etiam stelis memoriæ traditam, Mercurius II. seu Siphoas Rex illam non minùs, ac Mercurii I. seu Athotis inventa, ex monumentis istis in libros suos transtulit: cùm ex XLII. ejus libris, VI. ultimos ad artem Medicam pertinuisse & primum quidem eorum Anatomicum fuisse, περὶ τῆς τοῦ σώματος κατασκευῆς, ex Clementis *d. l.* suprà indigitavimus, voce *Siphoas*. Ægyptii namque *non seorsim Medicinam & Astrologiam, & ritus sacros composuerunt, sed omnia simul conjunxerunt*, Scholiastes *in Ptolemæi Tetrabibl. l. 1.* Illum vero in regno excepit Tyris, quem vide.

TOSSANUS Daniel, magni nominis Theologus, patriâ Mompelgardensis, docuit Heidelbergæ. Obiit A. C. 1602. ætat. 61. Scripsit *Dictionarium in Psalmos, Prælectiones in Psal. 2. In Jeremi, & Threnos paraphrasin. In Nov. Test. 2. Volumin. quart. &c.* Vide Melch. Adami *in vitis Theolog.*

TOSSANUS Paulus, Theologus itidem Palatinus, scripsit *in S. Biblia Indicem locupletissimum & notas*: Interfuit Synodo Dordracenæ, Obiit A. C. 1618.

TOSTATUS Alphonsus, Hispanus, Avilæ Episcopus: de quo dictum,

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Coram Eugenio IV. Senæ theses tuitus, earum quasdam, à Pontifice improbatas, posteà editô scriptô defendit. Cum Johanne Capreolo, interfuit Concilio Basiliensi. Obiit A. C. 1454. ætat. 40. Opera ejus Volum. 27. Venetiis edita A. C. 1596. Mariana *l. 4. Histor. Hispan. Alphonsus Garcias, Possevinus*, &c. Vico Matricalensi editus, Doctor Salmaticensis, Episcopus Abulensis, (in cujus urbis agro natus) & Consiliarius Regius, Majorque, ut vocant, Referendarius fuit, Labbe. *Novum Testamentum admirandis Commentariis explicuit*, Possevin. *Si aliò, quàm suò seculò vivere contigisset, neque Hipponi Augustinum, neque Stridoni Hieronymum, neque quenquam ex illis Ecclesiæ Proceribus antiquis invideremus*, Vossius de *Histor. Lat. l. 3. c. 7.* Dicitur de eo, *quòd si à primo Natalis die numerando ternæ folia attribuas, plura scripsisse reperies. Tanta enim scripsit brevissimô tempore, cùm non vixerit, nisi annos* 40. Bellarmin. 46. tamen habet Labbæus. Ejus in *Pentateuchum, Josuam, Judices, Ruth, Libb. Samuelis, Regum, Paralipom. in Ezram, & Matthæum Comm.* recenset Guil. Crowæus *Elenchô Scriptorum in S. Scripturam.*

TOTILAS, Ostro-Gothorum Rex, in Italia, VII. post Euaricum, seu Araricum Ann. 542. res suorum lapsas prudentiâ, rerum usu, fortitudine inclytus, restituit: ad Placentiam Romanos vicit, fugavit ceciditque, & omnia Imperialia oppida cepit, an. Urb. Cond. 1297. totâ inferiore Italiâ, Corsicâ, Sardiniâ & Siciliâ potitus. Paulo pòst quoque Romam cepit, eamque militibus diripiendam tradidit, eò incitatum redactis incolis, ut nobilissimæ matronæ, inter quas Boëtii vidua, panem mendicatò quærere coactæ fuerint. Imo solo æquaturus urbem erat, ni literis Belisarii fuisset inhibitus, qui, Totilâ absente, Romam convolavit, reparatisque celeriter murorum lacunis, cum mox obsidionem parantem fortiter depulit. Tandem à Narsete, in Italiam misso, victus occisusque est, A. C. 552. Procop. *de bello Goth.* Jorn. *in Chron.* Marius Victor, Agathias, P. Diaconus, &c. Ei successit Teias, vide & *Ildibaldus.*

TOTONESIUM, litus & oppid. Britanniæ in Comitatu Devoniæ. *Totnesse Camdeno.*

TOTTAJUM, urbs Bithyniæ inter Nicæam 35. & Dablim in Ortum, 28. mill. pass. *Antonin.*

TOTTONARIUS Equus, apud Vegetium, *de Arte Veterin. l. 1. c. 56.* & *l. 4. c. 6.* lege *Guttonarius*, quod vide, ut & infrà, ubi de *Trepidariis Equis.*

TOTUS, vide suprà composita ex Græco ὅλος, lit. *H.* uti de *Totius anni villa*, Senecæ memoratâ, *Ep. 55.* infrà voce *Villa.*

TOUGENI, melius *Tugeni*, populi Helvetiorum, quibuscum Marius Rom. bellum gessit, *Strabo.* Horum tractus *Tugenus pagus*, fuit, ubi hodie pagi Tugiensis, Suitiensis, Glaronensis & Uriensis. Hinc & hodie pagus Tugiensis, cujus caput *Tuggium*; seu *Tougium* vulgò *Zug*, unus ex 13. Helveticis conventibus ad lacum Tugiensem, à Lucerna in Cæciam 12. & Tiguro ad Meridiem 18. mill. pass. Vide *Tugium.*

TOVOPINAMBAUTI, vulgò TOUPINAMBOUS, populi Brasiliæ, prope Præfecturam fluv. Januarii, versus oram littoralem. Dicuntur & *Tupinimbæ.*

TOXANDRI, populi Belgii, quorum regio *Toxandria Marcellino*, cum *Toxandro* oppid. cognomine in Brabantia. *Cluverio* incolebant eas Insulas, quæ nunc Zelandiam efficiunt, inter ostia Mosæ & Scaldis. Vide *Zelandia. Baudrand.* Horum omnium primus meminit Plinius secundus, *l. 4. c. 17.* Valesio *Toxandria* ad tertium lapidem, ab oppid. Tungrorum Trajecto incipiens, ad Mosæ Vahalisque confluentes expandebatur, regio magna ex parte vastis paludibus invia, ac ob id ne finitimis quidem satis nota: hujus incolas, cum cæteris tractus ejus nationibus, à Frisiis citerioribus dividebat Mosa Vahali auctus; non procul ab Oceano Britannico, *Toxandriæ loci*, meminit Amm. Marcellin. *Hist. l. 17.* qui hodie *Tessenderloo*, vicus est Comitatus Lossensis, in Leodicensi diœcesi, extremus, prope Diestam Brabantiæ oppid. Plerosque *Toxandrorum* baptizavit Landebertus, Episcopus Trajectensis, & apud eos Ecclesias condidit ac Presbyteros ordinavit. Regionem hanc longam leuc. 24. latam 17. ante 400. annos novô nomine Campiniam, vulgò *Kempen* appellari cœpisse, scribit Gothefridus Wendelinus *in Legg. Salicis illustratis.* Bifariam autem dividitur, alia est enim Campinia vel potius Campania Brabantina, alia Leodicensis, utraque communi nomine *Kempen-land*, in quarum priore Bredam, utrâque Andoverpum, Boscum Ducis, Bergas collocant auctores. Veteres tabulæ in pago

Toxandrio fluv. Duthmalam *Dommele* ponunt, qui per Boxtellam & Sylvam Ducis in Mosam influit: & Pieplo villam *Poppel*, inter Herentaliam & Silvam Ducis; Item villam *Alsen*, in diœcesi Antverpiana, villam quoque seu vicum quoque *Diessen* in parœcia Silvaducensi, Hilvaribecæ proximum, alluit. Hic ergo veteres *Toxandrorum* sedes, *Notit. Gall.*

TOXARIS, Scytha, Athenis sub Archontibus, heroicum nactus est honorem. Quem cùm sacra ei facerent, *Medicum peregrinum* vocârunt, ut est apud Lucianum in *Scytha*. Ex quo etiam dilucet, æqualem fuisse Solonis Legislatoris & popularis sui Anacharsidis. Vide Voss. *de Idol. l.* 1. *c.* 13. Ibidem Lucianus columnæ sepulchralis ejus meminit his verbis: *Et inventus est eô locô* Toxaris *esse sepultus, ipsâ inscriptione cognitus, tametsi non integer appareat: Inprimis verò, quòd super columnam vir ornatu Scythicô sculptus fuerat, lævâ arcum intentum, dextrâ verò, ut visus est, librum tenens; Etenim adhuc plus quàm dimidiô corpore conspicitur & arcus totus unà cum codice: reliquas verò partes statuæ unà cum fronte temporis longinquitas jam devastavit.*

TOXICUM, apud Plautum, *Mercatore*, *Actu* 2. *sc.* 4. *v.* 4.

> *Certum est: ibo ad Medicum, atque me ibi* toxico *morti dabo:*
> *Quando mihi adimitur, quâ causâ vitam cupio vivere:*

venenum est, dictum quasi *taxicum*, Plinio, *l.* 16. *c.* 10. *extr. Smilacem* (taxi arboris genus) *esse in Arcadia tam præsentis veneni dixit Sextius, ut qui obdormiant sub ea, cibumve capiant, moriantur. Sunt, qui & taxica hinc appellata dicant venena quæ nunc* toxica *dicimus, quibus sagittæ tinguntur.* Sanè *venenô ex arboribus taxis expressô* Cantabros inter epulas se ipsos interemisse, ex Floro, vidimus suprà, ubi de hac arbore. Meliùs tamen Festus ἀπὸ τὸ τόξον, i.e. *arcus, telum*, vocem deducit, Scaligero *de Plantis, l.* 1. qui similiter ab ἄκων, seu ἄκωκ, i. e. *jaculum*, aconitum appellatum vult, quòd succô ejus *tela* intingerent Barbari, uti hodieque faciunt Alpini latrones & Pyrenæi. Morem indicat Virgil. etiam, *Æn. l.* 9. *v.* 773.

> —— *quo non felicior alter*
> *Ungere tela manu, ferrumque armare venenô.*

Et Lucan. *l.* 3. *v.* 266.

> —— *tinxêre sagittas*
> *Errantes Scythiæ populi* ——

Vide quoque Dioscoridem, *l.* 6. *c.* 20. Paulum Æginetam, *l.* 5. Chr. Becmannum *de Orig. L. L.* ut & infrà ubi *de Sagittis venenatis*. At τοξικαὶ *fenestræ*, apud C. Harmenopolum in his, quæ ex Juliano Architecto retulit, obliquæ sunt & angustiores illæ, quibus hodieque *tela* adversùs hostes solent emitti. *Obliquâ luce & incertas*, vocat Virgil. *Æn. l.* 3. ad quem locum vide Hadrianum Turnebum, *Adversar. l.* 4. *c.* 22. plura verò de Fenestris hujusmodi, apud Jo. Calvinum, *Lexico Jurid.* Apud Athenienses olim corpus fuisse Ministrorum publicorum sive lictorum, qui Τοξόται dicti, aliter Σκύθαι & Πελῖται, coërcendis, qui immodestiùs agerent, docet Salmas. *ad Solin. p.* 827. &c.

TOXII, & TOXIANI, populi Taurici, *Steph.*

TR. in nummis Constantii, *Treveris* notat, quòd moneta ibi percussa, Car. du Fresne *de infer. ævi Numismatibus*.

TRABALA, urbs Lyciæ, *Steph.*

TRABALIS Hasta, apud Statium, *Theb. l.* 4. *v.* 6. de Bellona,

> —— *dextraque* trabalem
> *Hastam intorsit agens* ——

non *trabs* quidem, sed nec multo minor, quàm quæ talem nuncupationem sustinere possit. Sic *clavi trabales*, tormenti genus, in *Vita* Ferreoli & Ferrutii, Sanctis adscriptorum, *Capitibus beatorum Martyrum trabales clavi — malleis ferreis affixi.* Paulinus, *Nat.* 9. *Felic.*

> *Corpora transfixis* trabalibus *inclyta clavis.*

&c. Vide Cicer. 5. *Verr.* ubi, *trabali clavô figere*, Scholiastas Horatii *ad l.* 1. *Carm.* 35. ubi Cruquius *palos acutos, ab ima corporis parte, usque ad summum in noxiorum corporibus adactos* rectè interpretatur; *Nov.* 3. Theodosii, ubi *trabali jussione decrevimus*, G. Elmenhorst. *Observation. ad Arnob. adv. Gentes, l.* 2. Casp. Barthium *ad Statium* d. *l.* & hîc ubi de *Hasta Bellonæ*, item voce *Trabs*.

TRABEA, poëta, cui inter Comicos octavus locus assignatur. Hujus meminit Cicer. *l.* 4. *Tusc. c.* 31. Ita enim de eo Sedigitus, *l. de Poëtis*, apud A. Gellium, *l.* 15. *c.* 24.

> *In sexto sequitur hos locô Terentius,*
> *Turpilius septimum,* Trabea *octavum obtinet,*
> *Nonô locô esse facilè facio Luscium,*
> *Decimum addo causâ antiquitatis Ennium.*

Floruisse videtur, iisdem temporibus, quibus Attilius, quem inter Comicos quintô locô Sedigitus numerat; nimirum circa annum Urb. Cond. 622. De illo sic Cicero, *de Finib. l.* 2. *c.* 4. *Nam & ille*, inquit, *apud Trabeam voluptatem animi Lætitiam nimiùm dicit*: Ejusque versus multos adfert *in Tuscul. Quæstion.* Vide Jac. Oiselium JC. *Notis in Gell.* de *Trabea* verò, vestis genere, Salmasium quoque *ad Vopisc. in Carino, c.* 20. ut & in *Saturnino*.

TRABEA, vestis veteribus usitatæ & quidem togæ genus. Adinstar prætextæ fuit, non in una solùm ora, sed per totum purpuræ fasciis, virgisque latioribus, velut trabibus transversis distincta, unde ei nomen: Non quòd ex pluribus purpureis pannis assutis constaret, sed, ut Turnebus docet, intextis, ut nempe subtemen purpureum; stamen album vel coccineum esset. Sueton. *l. de genere vestium*, apud Servium, ad illud

> *Ipse Quirinali trabeâ, cinctuque Gabinô:*

tria *Trabearum* statuit genera: *Diis sacratum quod erat tantùm de purpura; Regium, quod erat purpureum, cui tamen album immixtum: tertium Augurale de purpura & cocco.* Eas initiô Regum fuisse tradit Plinius, *l.* 8. *c.* 48. mox peculiares Equitum Rom. fuêre, cùm scil. Idibus Juliis transveherentur, ex Q. Fabii instituto, ut tradit Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. Malè cum paludamento confunditur à Scholiaste Ciceronis. In funere Germanici atratam in municipiis plebem, Equites *trabeatos* inducit Tacitus, *l.* 3. *Annal. c.* 2. non quòd trabea vestis funerum propria fuerit, sed, ut advertit Lipsius, quòd ad augendam funeris pompam veste solemni Equites usi sunt. Toga picta quoque, quam Imperatores Consulibus dedêre, trabea dicta est. Trabeæ inventorem Florus, *l.* 1. *c.* 5. Tarquinium Priscum facit, alii ad Romulum ejus originem referunt. Certè Numam trabeâ usum esse Cedrenus refert. Hinc *Trabeatus*: Unde *fabulæ trabeatæ*, à C. Melisso Augusti Bibliothecæ præfecto, editæ. Vide Octav. Ferrarium *de re Vestiar.*

TRABICA, Græcè Δόκανα, dicta apud Spartanos Castorum simulachra, teste Plut. *Philad.* Vide suprà *Docana*.

TRABS, ex Græco τράφηξ, quod apud Lycophronem occurrit, Festo *propriè duo ligna conjuncta*. Aliàs de quovis ligno grandi, etiam de arbore non rarò apud Poëtas; nave quoque, non abs re, rudibus enim seculis *trabibus cavatis* navigabatur, uti dictum suprà, ubi de *Navigatione & Navibus*. Vide quoque voce *Monoxylon*. Imò & remos Argonautarum, *trabes* vocat Papinius, *Theb. l.* 5. *v.* 422.

> *Quinquaginta illi trabibus de more revinctis*
> *Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu:*

à mole videl. & quia Heroibus non nisi magna conveniunt. Sic idem *trabem*, pro telo, adsignat Tydeo, *l.* 3. *v.* 149. alibique *trabs* in suo genere, quodque grande telum. Vide Barthium *ad loc.* ut & suprà in voce *Tignum*, ac infrà *Transversariæ trabes*. Apud Scriptores medii ævi Ecclesiasticos, *trabium* crebra mentio, ex ære, argento, ferro, cupro; quibus lampades appendebantur, aliave imponebantur, uti videre est, apud Car. du Fresne *Glossar.* De *Trabibus* verò Insignium, vide Phil. Jac. Spenerum, *Arte Herald. Tom. I.* Vestium, infrà ubi de earum *Virgis*.

TRACALA, seu TRACHALA, in MS. Sexti Rufi Festi *Breviar. rerum gestar. pop. Roman.* L. Cassiô Quæst. Crassi reliquias colligente, *Pamphyliam obtinebat, ad bellum Epirotarum missus: ditissimum fortunatissimumque Ducem prioribus decem annis invenies; duodecim continuis perditissimum grassatorem; decem novissimis, ob immensa donaria, Pupillum nequissimum* &c. apud Jos. Mar. Suarezium, Episc. Vasion. *in* 3. *Epist. hac de voce Romæ editar. A. C.* 1667. *ultima*. Qui proin hujus imitatione de Constantino M. Sext. Aur. Victorem sic loqui ait. *Cumque — III. & LX. annos vixisset, ex quibus dimidios, ita ut XIII. solus imperaret consumptus est: irrisor potiùs, quàm blandus: unde proverbiô vulgari,* Trachala *decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis Pupillus, ob profusiones immodicas, nominatus*: aliis convitii hujus occasionem à *trachelis* seu *trachalis*, muricis genere, de quo infrà, arcessentibus. Alius *Trachala* seu *us*, Constantinô recentior, cum Italico Consul fuit, de quo vide Latinium, *Animadv. in Concil. tit. Can. Apostol.* §. *à Consulatu Trachali*: plura verò hanc in rem apud Macros Fratres *in Hierol.*

TRACHALUS, orator Domitiani temporibus. Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. *Erant præclara & nuper ingenia, Nam & Trachalus* (alii *Trachallus*) *plerumque sublimis, & satis apertus fuit, &c.* Vide Galerius.

TRACHAS, urbs Latii. Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 717.

> *Antiphataque domus Trachasque obsessa palude.*

TRACHE, insula parva instar scopuli in mari Ionio apud Corcyram.

TRACHEA, seu TRACHIA, tota Isauria apud Strabonem dicitur, teste *Steph.*

TRACHEA Cilicia, apud Sueton. *in Vesp. c.* 8. *Achajam --- Tracheam Ciliciam & Comagenen --- in provinciarum formam redegit*: uti quidem legit Hadr. Turnebus, cùm aliàs extet, *Thraciam, Ciliciam* &c. Latin. *Aspera* est, vide in voce *Cilicia*.

TRACHELUS, seu TRACHALUS, purpuræ genus *Posidippo*, apud *Athenæum*, ubi μηκώνια, πῖναι, τραχῆλοι, μύες κλ. in iis recenset, & *Hesychio*, Τραχῆλοι, τὰς πορφύρας. Sed propriè non tam purpuræ sic dicuntur, quàm purpurarum, imò & muricum, cervices. De quibus Petronius, *Mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumque sine jure cervicibus, hausi parciùs merum.* Et Festus Pompejus, *Trachali appellantur muricum ac purpuræ superiores partes: unde Ariminenses, maritimi homines, cognomen traxerunt trachali.* Nempe, quia purpurarum hæ partes per se coquebantur, & separatim à reliqua carne, inde factum, ut pro certo earum genere haberentur. Fortè & κατ' ἐξοχὴν cervices ac citri purpurarum ac buccinorum ita appellabantur: cùm aliàs τράχηλος vox cervicem in genere notet, unde τραχηλισμὸς, saltationis species, Athenæo memorata. *Spondylos* Latini vocârunt. Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 20. *v.* 14.

> *Rosos tepenti spondylos sinu condit.*

Sed & hanc ipsam vocem quamplurimos Auctores Græcos Latinosque pro speciali conchæ genere, ponere videmus, uti inter alia patet ex *Indice Pontificiæ cœnæ*, apud Macrobium, *l.* 3. *c.* 13. Uti verò *trachelus*, sic *mecon*, de certa itidem specie ostreæ, accepêre nonnulli: cùm μήκων seu μηκώνιον sit media purpurarum pars, inter quam & τράχηλον florem succi tinctorii hærere, Aristoteles, atque ex eo Plinius, scribunt, ut suprà vidimus. Plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 1126. & 1127. Gerh. Jo. Vossium, *de Idol. l.* 4.

mach. 35. ubi inter alia [illegible], *stomacho infirmo & languenti conducere* trachelos, ex Athenæo, *l.* 3. *c.* 10. notat, & suprà voce *Spondylus*. De τραχήλοις verò, balsami genere, item de pectinibus τραχυοστράκοις, vide eundem Salmas. *p.* 580. & *seqq.* nec non 1129.

TRACHIN, vel TRACHIS, vel TRACHYNA, urbs Phthiotidis, à qua *Trachinia* regio ad sinum Maliacum sub monte Oetâ.

TRACHINA, urbs Latii, quæ nunc *Terracina*.

TRACHINIA, regiuncula Phthiotidis in ora sinus Maliaci, ubi Heraclea urbs cognomine *Trachin*, cujus meminit Ovid. *l.* 11. *Met.* *v.* 627. ubi *Herculeam Trachina* vocat. Hinc *Trachinius* apud eundem Ovid. *ibidem*, *v.* 502.

Hæc quoque quæ sequitur venit Trachinia puppis.

TRACHIRIS, Libyæ interioris fluv. qui in Oceanum Atlanticum labitur, haud procul à Nigiri, *Ptol. Gambea Barrasio.*

TRACHIS, vide *Trachin*.

TRACHONES, 2. colles Cœlesyriæ apud Damascum. *Hippos mons Ptol.* Inde populi *Trachonitæ* in Arabia.

TRACHONITIS, vulgò *Bacar* hodie, teste *Gulielm. Tyriô*, regio Palæstinæ, quæ & *Ituræa Straboni*, & *Petræa Hegesippo*, in Cœlesyria, inter montem Libani, & lacum Tiberiadis. Vide Plin. *l.* 5. *c.* 18. *extr.*

TRACHYNA, vide *Trachin*.

TRACTARE, in *Emancipato* Afranii, apud Sosipatrum,

Quàm lenè tractat me atque includit:

à *taxare* diversum. Taxatio enim unius est figuræ aut dicterii, vel paucorum, uti videre est in *Augusto* Suetonii, *c.* 4. at *tractare* est totum negotium figurare sive χωμῳδεῖν, aut agere figuratè seu ἐσχηματισμένως: quemadmodum *tractatum scenicô exodiô Domitiani cum uxore divortium*, memorat idem in *Vita* hujus, *c.* 10. ubi vide Theod. Marcilium. Sed & *tractare* dicebantur Philosophi disputantes, Sophistæ, Rhetores, Jurisconsulti, & id genus. Servius, *Xenocrates primus Philosophiæ scholam aperuit; cùm antea in porticibus Philosophi tractarent.* Unde apud veteres Patres, *Tractatores* passim dicti, qui Dei verbum vel voce vel scriptis exponerent: hincque *Tractatus*, Græce ὁμιλία, collatio, præsertim de rebus sacris, concio insuper Episcopi ad populum, synodus tandem seu concilium, in quo de rebus Ecclesiasticis tractatur: & inde *Tractatoria* Epistola, quæ & ipsa *tractatus* nonnunquam, cum Epistola Synodali seu Synodica eadem, uti ostendit Car. du Fresne *Glossar.* Apud Spartian. verò *Geta*, *c.* 4. *Fuit adolescens moribus asperis, sed non impius, à natura decorus*, tractator *gulosus* &c. loquutulejum & ἀδολέσχην exponit Casaubonus; Salmasius tamen *retractator* legit, quem vide *ad loc.* Sed & in *Codice* passim & *Novellis* Chartularii *Tractatores* dicuntur, quod *tractarent* vel retractarent largitionales titulos. Scholiastes Juliani Antecess. *ad c.* 81. *Tractentæ, quos dicimus apud Latinos* Tractatores, *maximè in Africa sic dicuntur, id est, Scrinarii, qui annonas publicas computant & mactant.* Vide Jac. Cujacium, *ad l.* 3. *Cod. de Can. largit tit.* & Nicol. Alemannum *ad Procopii Anecdota*, *p.* 100. 1. *edit.* & *Nov.* 1. *Theod. sub fin.* nec non infrà verbo *Trahere*. Imò & *Tractatores* ac *Tractatrices*, in famulatio Veter. Vide suprà *Ancilla*. Quid verò *malæ tractationis* nomine indicaverint Veteres, docere possunt *Declamationum* reliquiæ, ad quas vide Barthium, ut & *Animadvers. ad Papinium Statium, Thebaid. l.* 11. *v.* 605.

TRACTIO, ignominiæ pœnæque species. Idatius *Fastis*, *Constantio III. & Constante II. Consulibus*: *His Coss. victi Franci à Constante Aug. seu pacati.* Tractus *Hermogenes*. De qua veluti re usitata loquitur Libanius, *Orat. de sua Fortuna*. Vide quoque Philonem, *Legat. ad Cajum*, ubi de Judæorum Alexandriæ miseriis, eundem *ad Flacc.* Auctorem *Chron.* Alexandrini, de Bonoso, Phocæ quondam adjutore, de Phoca ipsô per ventrem tractô, & Leone Sacellario cum eo, nec non Mappario & Taxeota &c. Et quidem Phocæ modò dicti cadaver truncari primò, dein *trahi* præcepit Heraclius Imperator, uti prolixè narat Nicephorus *in Rebus post Maur.* Idem de Canuto Daniæ Rege legimus apud Helmoldum, *Chron. Slav. l.* 1. *c.* 51. Caligula verò Senatoris cujuspiam cædem cùm mandâsset, non antè satiatus est, quàm & membra & artus & viscera hominis *tracta* per vicos atque ante se congesta vidisset, narrante Suetoniô, *c.* 28. Major eorum crudelitas, qui, mortem inimicorum non expectantes, semianimes spirantesque *traxerunt*, uti de Hectore ab Achille tractô, jam apud Homerum legimus. Quod & in sontes quandoque exercitum. Sic Monachi, qui Henricum IV. Imperatorem desuper jactu lapidis occidere voluerat, cum pondere verò ipse infelix, illæsô Imperatore, in terram prolapsus est, *semianime corpus, per totam Romam plebs invitô Imperatore traxit*, apud Auctorem *Vitæ ejus*. De Brunechilde, diximus suô jam locô. Quid quòd *nec mortuis, quibus omnis parcere consueverat impietas --- tuta semper quies, quos de monumentis extractos, per vicos & plateas, quasi illatas sentirent injurias, distrahebant*, jussu Andronici Comneni, de cujus crudelitate Guil. Tyrius, cujus ista verba, *Hist. Palæst. l.* 21. *cap.* pluribus agit. Et furorem hunc antiquissimum ferri, docet Cambyses apud Herodotum, *l.* 3. Amasis cadaver erui, virgisque cædi jubens &c. Postquàm autem *tracti* satis, vel comburebantur tandem, uti de Phoca Nicephorus habet *d. l.* & de Heldicæ cujusdam uxore, aliaque fœmina, nomine Teucaria, Vict. Utic. *Persecut. Vandal. l.* 2. Vel in fluvios abjiciebantur, uti de Cleandro, ejusque amicis, scribit Herodianus, *l.* 1. in cloacas item, uti de Heliogabalo Lamprid. *c.* 33. *Tractus deinde per publicum, additaque injuria cadaveri est, ut in cloacam milites mitterent.* Vel in frusta discerpebantur, uti de Monacho præfato addit Auctor suprà laudatus. Sed & *trahebantur* interdum tamdiu, donec dissipati cadaveris nihil superesset, quod trahi porrò posset, uti de Judæis queritur Philo, *loc. cit.* nempe, [illegible] Interdum verò & extra fines projiciebantur *tracti*, uti proditori Pausaniæ quondam fecerunt Spartiani, apud Ælian. *Var. Hist. l.* 4. *c.* 7. & Aristocrati ejusdem sceleris reo Arcades, apud Pausaniam, *l.* 4. Vide plura hanc in rem, apud Casp. Barthium, *Animadversion. ad Statianam Thebaidem*, *l.* 5. *v.* 234. suprà etiam aliquid ubi de *Suspendendis*. Hinc *Tractitius*, dictus à militibus post mortem Heliogabalus, seu *Tractatitius*, quod idem, ut nonnulli legunt, quòd *solus omnium Principum tractus est & in cloacam missus & in Tiberim præcipitatus*, Lamprid. ubi suprà. Nempe & Vitellius quidem tractus & in Tiberim præcipitatus, sed in cloacam missus non fuerat, nisi dicere malimus, lapsum memoriâ Auctorem, Casaubon. *ad loc.*

TRACTORIA, diploma seu instrumentum est evectionis seu cursus publici, quô jus & facultas dabatur equos, vehicula, & viaticum petendi de publico, aliter *Combina*, quam vocem vide, ut & ubi de *Cursu publico*. De illis tituli passim *de Cursu publico & de Tractoriis & stativis*, *lib.* 12. *Cod. Justin.* & *lib.* 8. *Cod. Theodos.* ubi multa egregia habent Jac. Cujacius, Jac. Gotofredus, Alii. *Formulam* earum exhibet B. Brissonius. Transiit illarum à Romanis ad Francicos Reges usus, quibus hi Missis suis similiter commeatum & hospitia præberi jubebant, uti videre est, apud Marculfum, *l.* 11. cui tit. *Tractoria Legatorum*, ubi formula hujusmodi instrumenti sic incipit: *Ille Rex omnibus agentibus. Dum & nos in Dei nomine Apostolicum virum illum partibus illis legationis causâ direximus, ideo jubemus, ut locis convenientibus eidem a vobis evectio simul & humanitas ministretur, h. e. veredos seu paraveredos tantos, panis nitidi modios tantos, vini modios tantos* &c. Inde latiùs extensa vox, ut nonnunquam pro quovis Diplomate Principis sumatur, uti pluribus docet Car. du Fresne *Glossar.* Sed & apud Eccles. Scriptores interdum occurrit, pro epistola citatoria & evocatoria, quâ *trahitur* scil. & evocatur quispiam, ut certô locô & tempore præsentem se sistat. Augustin. *Epist.* 217. *Tractoria ad me 5. Id. Nov. venit, jam sextâ die, & me valde indispositum invenit, ut occurrere omnino non possem.* Vide *Formulas antiquas* Promotionum Episc. *Tom. II.* Concil. Gallic. Sirmondi, *p.* 651. 653. 656. Bern. Ferrarium *de Epistol. Eccl. l.* 2. *c.* 1. & Joh. Garnerium ad Marium Mercat. *in Commonitorio*, *c.* 3. eidem laudatos. Cl. Suicerus *tractorias*, diplomata seu libellos, datos in exteros *tractus* ituris, unde esset cognoscere, quô pactô *tractari* aliquem oporteret; sæpeque ab Episcopis sic commendatos, ob delicta pœnitentiæ ergò peregrinantes; Primates etiam, cùm Episcopos ad Synodum vocarent, iis usos: sed & Epistolas ab Episcopis scriptas, quibus absentiam excusarent, imò & Synodales Epistolas nonnunquam hâc voce insignitas, docet *Thes. Eccl.* in Τρακτωρία. Vide quoque Lud. de la Cerda, *Advers. c.* 92. *num.* 17.

TRACTUS, in *Ord.* Romano, *Si fuerit tempus, ut dicatur Alleluja, bene: sin autem, Tractus*: species est in Communione illa Ecclesiastici cantus, cui nomen, *quia trahendo, i. e. tractim canitur*, Honor. Augustodun. *l.* 1. *c.* 96. an, *quia sancti suspirantes ab imo pectore gemitum trahunt*, Hug. à S. Victore, *Spec. Eccl. l.* 1. *c.* 7. unde & *lectius* dicitur in eodem *Ord.* an, *quia trahitur tempus pro intervallo, quò Diaconus possit exuere planetam & imponere sibi transversaliter velum*, Dominic. Macer *Hierolex.* In Missa post Epistolam cantatur, à Septuagesima usque ad Pascha; & quidem singulis Dominicis, usque ad Quadragesimam; quâ durante etiam feriis secundis, quartis & a sextis canitur: idque nullô respondente, unde à Responsorio distinguitur; nec cum Allelujah, quô pactô à Graduali differt. A tempore autem tractus stolam velô violaceô cooperit Diaconus, cujus rei rationem habes apud eundem *ibid.* ubi & Dominicæ prædictæ introitum esse, *Circumdederunt me dolores mortis &c.* canticique hujus Auctorem haberi Cælestinum, an Gelasium, an Telesphorum Episcopum Roman. addit. Sed & *Tractus*, apud citimæ ætatis Scriptores, dicitur piscatio, jus piscationis, pisces ex fluvio vel vivariis extrahi soliti: quod aliter *Jactus*. Vide de hac vocis notione Car. du Fresne ubi suprà, ut & hic ubi de *Extractione* seu piscatione margaritarum.

TRADITIO, Philosophiam olim propagandi modus. Quidam enim, memoriæ nimiùm fidentes, censebant supervacuam esse, per literarum monumenta, Sapientiam propagandi rationem: solâ proin παραδόσει seu *Traditione* orali utendum rati, quâ non memoriæ tantùm robur, sed & Sapientiæ majestatem accedere credebant. In qua sententia Thamus fuit universæ Ægypti Rex, ut ex nobili ejus disputatione cum *Theuth*, Inventore literarum, apud Platonem *in Phædro ac Timæo*, apparet. Neque aliò respexerunt Græci, dum Musarum Matrem *Mnemosynen* statuerunt, quam Latini à *monendo* eleganter dixêre *Monetam*, Voss. *de Anal. l.* 2. *c.* 3. Idem Celtarum Sapientes, Druides, voluêre, Cæsar *de Bell. Gall. l.* 6. *c.* 13. Et Antisthenes adolescenti amissos conquerenti Commentarios: *Oportebat*, respondit, *ista potius animo, quàm chartis, scribere.* Similiter de Pythagoræis Plutarchus tradit, quòd solâ *Traditione* & memoriæ subsidiô Philosophiam suam propagârint, mysteria sua literis mortuis concredere nefas esse judicantes; adeoque multa suæ disciplinæ præcepta scriptis mandaverint: quod tamen A. Gellius, *l.* 1. *c.* 9. ad eos solùm è Platonicis, qui Ἀκουστικοὶ dicebantur, trahit; Μαθηματικοῖς verò & verba facere & quærere, quæque audîssent, scribere licuisse, docens. De Antonio Eremita quoque refert Nicephorus, cum à Philosopho interrogatum, quomodo res sublimes contemplaretur, quum nullos haberet libros, respondisse: *Universum hunc Mundi librum sibi Bibliothecæ locô esse; hanc omni tempore & ubivis homini præstò esse.* Contrà alii erant, qui, non omninò improbatâ hâc docendi ratione, propter varios tamen, quibus humanum genus obnoxium est, casus, posteritati aliter consulendum esse putârunt. Quorum, ut ex Josepho constat, familiam duxit Sethus, minimus natu Adami Protoplastæ filius, qui scribendi mirabili artificiô, vel inventô, vel à

Patre acceptô auctôque, duabus columnis varia Sapientiæ arcana insculpsisse legitur. Nihilominus, licèt Antiquis literæ præsto essent, non tanta tamen illis scribendi prurigo; sic ut parùm vel nihil iis concrederent plerique, contenti disciplinas continuis *Traditionibus*, quibus præsertim in Oriente, magnus honos, inter suos propagare. Certè ante Salomonem quidquam hac in re literis mandatum non esse, certa sunt indicia: isque primus subtilissimam Philosophiam posteritati literis *tradidit*. Inde Græci cœperunt id velut proprium sibi scribendi munus vindicare: quibus Phœnices, cùm alias multas doctrinas, tùm verò literas, attulisse, discimus ex Herodoto, *l.* 1. quamvis jam ante Cadmum literas in Græcia fuisse, dicat Diodor. Sic. *l.* 6. Interim *Traditionem* usque ad Homeri tempora, etiam in illa gente, perseverâsse, asserit Josephus, ubi ante Homerum nihil conscriptum fuisse docet, *l.* 3. *c.* 8. Primi autem, Pherecydes, Pythagoras & Thales, de cœlestibus ac divinis rebus quædam conscripsisse leguntur, apud Euseb. *Præpar. Evang. l.* 10. *c.* 2. à quo mox omnia libris velut diluvió inundata. Cui impetigini ut metas poneret Pythagoras, decrevit, ut cubicis rationibus præcepta in voluminibus scriberentur, constituitque Cubum 216. versuum eosque non plures, quàm tres, in una conscriptione, oportere esse judicavit. Verùm diuturna non fuit Lex, ipsique Pythagoræi paulo pòst nimiâ scriptitatione reliquis neutiquam cessêre. Post Græcos, ad Latinos scribendi cacoëthes transiit. Germani autem, Galli, & Septentrionis incolæ, serò admodum ad scribendum animum applicuerunt: Gothique, Scandinaviæ gens celebris, *Traditione* contenti fuêre, usque ad A. C. 370. quô ab Ulphila sive Gulfila Episcopo scribendi artificium addidicerunt. Quemadmodum & Thraces, quanquam apud eos Philosophia orta videatur, tamen necdum Æliani ævô literas noverant. Taautus verò Philosophus antiquissimus Ægyptiorum Philosophiam scripsisse fertur; cujus proin librorum meminit Sanchoniatho, apud Euseb. *l.* 1. *c.* 7. Ut de Mose, divinô jussu, imò & imitatione, verba Decalogi, scribente, modoque multiformi *tradendi* Doctrinam salutis, nihil addam. Vide Georg. Hornium, *Histor. Philos. l.* 7. *c.* 2. Hoc saltem adjicio. Inter Judæorum Sectas, Karaitæ, omnibus *Traditionibus* rejectis, literam solùm urgebant: Pharisæi contrà atque Esseni *Traditiones* seu Verbum non scriptum magnô conatu Populo obtrudebant, illas non æquiparantes modò S. Scripturæ, sed & præferentes. Unde Legem faciebant duplicem, unam scriptam תורה שבכתב *Thorach schebicthtaab*; alteram oretenus *traditam*, תורה בעל פה *Thorah begnal pe*, dictam; utramque docentes Moysi à Deo, in monte Sinai, fuisse traditam: Sed posteriorem à Mose Josuæ, à Josua Senioribus, à Senioribus, Prophetarum choro; à Prophetis, magnæ Synagogæ viris, ab his, reliquis, oretenus communicatam. Quæ una ex præcipuis fuit Pharisæorum ac Sadducæorum, qui è Karaitis orti, controversiis. Ita enim Pharisæi, *Observemus*, dicebant, *Legem à Majoribus in manus nobis traditam, expositamque ex ore Sapientum, qui Traditione illam exposuerunt.* Sadducæi contrà, *Non auscultemus ulli Traditioni Expositionique, sed unicè inhæreamus Legi Mosis*, Gorionides, *c.* 29. Et hoc est, quod Christus impugnat, Matth. *c.* 5. *v.* 21. ubi sæpius reperimus verba illa: Ἠκούσατε, ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, *Audivistis, dictum esse Veteribus*, seu *à Veteribus*, i. e. *oretenus traditum*; quod vox ἠκούσατε confirmat: auditu enim solùm *Traditiones* percipiuntur, &c. Vide Theod. Bezam *in locum*: & plura hanc in rem, apud Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 1. *c.* 10. ut & suprà ubi de *Lucifugis* & *Pharisæis*, nec non voce *Misna*.

TRADITORES, dicti olim ex Christianis ii, qui tempore persecutionis literis & instrumentis Divinæ Legis nefariè *traditis*, vitam redimebant, Martyrium subterfugientes: quod fervente inprimis sub Diocletiano Imperatore persequutione factum, quâ & Decretum *de exurendis libris Sacris* publicatum an. 19. Imper. ejus, Martiô mense, & ab Episcopis quibusdam, Sacri Codices exusti, vel saltem comburendi *traditi* sunt, hinc nomine istô appellatis, ut scribit Optatus Milevit. *adv. Parmenianum, l.* 1. Vide quoque Augustin. *contra Donatistas* passim, inprimis *l.* 7. *c.* 2. *Post Cyprianum mortem* 40. *& quod excurrit, annis peractis, traditio Codicum facta est, unde cœperunt appellari Traditores.* His oppositi *Stationarii*, qui, nullâ formidine concussi, mortem etiam quamcunque oppetere, quàm sacros libros tradere, maluerunt, adeoque constanter Christum confiteri usque ad finem perseverârunt. Idem Optatus, *d. l. Hi Episcopi, interrogante Secundo Tigisitanô*, tradidisse *confessi sunt. Et cum ipse Secundus à Purpurio increparetur, quod & ipse diu apud Stationarios fuerit*, & *non fugerit, sed dimissus sit, non sine causa dimissum fuisse, nisi quia tradiderat*: *jam omnes erecti cœperunt murmurare.* Ad quem locum vide J. Frid. Gronov. *Observat. in Script. Eccl. c.* 13. Sed alios longè *Stationariorum* vocabulo hîc indigitari, vel ex ipso patet loco, & iis, quæ suprà diximus in hac voce. *Stantes* in agris tales dicti, vide suprà passim: plura verò de *Episcopis* illis *Traditoribus* suprà memoratis, apud Joh. Forbesium, *Instructionum Historico-Theologic. l. XIV. c.* 4. §. 1. adde Raynaudum *Biblioth.* voce *Exuro*.

TRADITORUM Insula, *Isle des Traitres*, Gall. *Verraders Eyland*, Belg. in mari Pacifico, A. C. 1616. à Jacobo Mareo Batavo detecta, & sic dicta, quòd sui ab incolis malè essent habiti. Versus Hornanam Insulam.

TRADUCIANI, dicti olim à Pelagianis Orthodoxi, quòd mortem in omne genus humanum *per transitum seu traducem, & per peccatum & per semina transire*, ut loquitur Marius Mercator, *Subnotat. c.* 9. §. 7. 14. docerent; quorum sententiam versibus his complexus est Prudentius, *Apotheosi*, *v.* 977.

> *Hac prima est natura animæ: sic condita simplex,*
> *Decidit in vitium, per sordida fœdera carnis.*
> *Exin tincta malô peccaminis principis Adæ*
> *Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde,*
> *Et trahit ingenitas animarum infantia in ortus*
> *Primi hominis maculas; nec quisquam nascitur insons &c.*

Hodie sic appellantur, qui, circa Animæ originem errantes, illam à Parentibus in sobolem *traduci*, non immediatè à Deo infundi, contendunt. Sed & jam olim fuêre, qui idem statuerent, ut videre est apud Hieronym. *Ep.* 61. *ad Pammach. c.* 6. *Ep.* 82. *l.* 2. *in Ruffin. c.* 1. 2. 5. Cæsarium, *Quæst.* 78. Auctorem Prædestinati, *Hær.* 26. 86. Alios. Unde Prudentius iterum, *v.* 983.

> *Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis*
> *Transfundi in sobolem credatur fons animarum,*
> *Sanguinis exemplô ——*

Car. du Fresne *Glossar.* Aliàs *Traduci*, infamari est, quod pridem adnotavit Phil. Beroaldus, *ad Propert. l.* 2. *Eleg.* 24. Vide quoque Casp. Barthium *ad B. Matthæum, adversar. l.* 147. *c.* 4. Nempe adulteræ olim mulieres, in Creta insul. asino insidentes, & captivi Duces, Romæ manibus post terga revinctis, post triumphantium currum ducebantur, Beza *Annot. ad Matth. c.* 1. *v.* 19. Potiùs, per theatra, & Romæ & Athenis, *traducebantur* sontes, ignominiæque publicæ exponebantur. Sic *Stephanionem per trina theatra virgis cæsum*, ait Sueton. *Aug. c.* 45. Et Tertullian. de meretricibus, quæ ludis finitis traduci & in Theatro prosterni solebant, *Perque omnis ætatis, omnis dignitatis*, inquit, *ora traducuntur.* quod propriè ἐκπομπεύειν Græci & παραδειγματίζειν dixêre, Philo παράγειν & εἰσάγειν vocat, *contra Flaccum*, de quo more in Græcis Latinisque Scriptoribus multùm memorato, vide Casaubon. *ad Suetonii loc.* ut &, quæ suprà attigimus in voce *Catomidiari*: unde significationis ratio in promptu. Sed & *copias traducere, traducere pompam*, Cæsarem, Terentium, Alios, dicere notum. Vide God. Stewechium, *Electis Arnobianis, l.* 7.

TRADUCTA, vel TRANSDUCTA, urbs Hispaniæ Bæticæ, vide infrà.

TRADUCTA Julia, vide *Julia*.

TRÆMENOTHYRITÆ, Troadis populi, quos *Tertzes Grimenothyritas* vocat.

TRAGASÆ, regio Epiri, à *Tragaso* quodam, in cujus gratiam Neptunus salis densationem fecit: unde *sal Tragasæus*, *Steph.*

TRAGELAPHUS, in rerum Natura nusquam reperiri plurimis creditur, unde vulgari proverbiô hoc animal dixêre Græci κατ' οὐδενὸς, *pro re, quæ planè nulla est*, teste Stephanô & Etymologô in γαμψώνυχες. Aristophanes quoque, inter figmenta Medicis aulæis appingi solita, recenset ἱππαλεκτρυόνας & τραγελάφους, *in Ranis, act.* 4. *sc.* 1. ut alia præteream. Tamen non solùm in Lege Mosis *tragelaphi* Deuteron. *c.* 14. *v.* 5. quô locô Hebræorum אקו, *akko*, in Græca & Vulgata redditur Τραγέλαφος, *tragelaphus*, sed & Jobi *c.* 39. *v.* 1. ubi Græci, Εἰ ἔγνως καιρὸν τοκετοῦ τραγελάφων πέτρας; *An nosti tempus partus tragelaphorum petræ?* Ad quem loc. Olympiodorus Τραγέλαφος, αἰγαγρος, & in margine αἲξ ἄγριος. Et Augustin. *Tragelaphus, compositum ex hirco & cervo animal.* Et in Arabia Petræa, Diodorus, *l.* 2. juxta Phasin, Plin. *l.* 8. *c.* 33. Solin. *c.* 22. *extr.* ut & Isidorus, *Origin. l.* 12. *c.* 1. apud Arachotas denique Philosophus, *Histor. Animal. l.* 2. *c.* 1. tragelaphum nobis describunt. Sed, ut ab *hircina barba*, τραγέλαφον alii vocant, ita Philosophus ἱππέλαφον, *propter equinam jubam.* Lucianus quin etiam *in Tragopodagra*, ponit in censu animalium, quæ podagræ pro remedio adhibentur,

> Βουβάλους, ὄνυχας τραγελάφων, ἀλώπεκας.

Imò hodieque in Germania *tragelaphô* nil frequentius, in Misniæ præsertim & Bohemiæ saltibus. Certè Salmas. *in Solin.* se verum tragelaphum Lutetiæ vidisse refert: *Is*, inquit, *cornua planè cervina gerebat, mentum promissa hircum barbâ, & villosos armos, velocissimum in primo cursu impetum, sed citò deficiebat. Hircum Barbariæ eum nominabant, qui circumferebant*, atque *elcum* vocari, in antiquo *Glossario* Bibliothecæ Puteanæ addit, *p.* 229. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 6. *c.* 1. & Becmannum, *Origin. L. L.* nec non suprà aliquid voce *Pygargus*.

TRAGEMA, Græcè τράγημα, nomen comprehendens, juxta Hierophilum, *ἐν τοῖς δείπνοις δευτέραις ἀποφερόμενα πλακοῦντας*, amygdalas, pistacia, nuces minutas, palmulas sive dactylos siccos, & quæ ex his conficiuntur, coptas. Apud *Myrepsum* Ἀντίδοτος διὰ τραγημάτων componitur ex uvis passis, nucleis pineis, semine cucumeris, myrtis semine apii & palmulis. Quæ omnia aliaque nonnulla post cœnam dabantur, siti partim redintegrandæ, partim ad oris suavitatem faciendam, erantque sicca ferè & dulcia. *Bellaria* veteribus Latinis dicta esse, ait A. Gellius, *l.* 13. *c.* 11. Græcis aliter πέμματα. Sed aliud propriè πέμμα, compositum videl. quid & coctum, unde nomen; aliud τράγημα, simplex nempe & sic siccarum, ut uvæ passæ, caricæ, palmulæ & similia. Hierophilus tamen etiam coptas seu placentas, quæ πέμματα sunt, τραγημάτων nomine complexus est, ut vidimus. Sanè *Tragea* Gallorum hinc nomen invenit. Τραγὶ, à τρώγω, pro τράγημα; recentiores Græci τραγήματα, pro τραγί; dixêre, Δραγγάδα scribitur apud Medicos Græco-barbaros, & compositio est pluribus rebus constans &c. Cùm verò plures alii fructus sicci nomen τραγήματος habuerint, palmula sicca κατ' ἐξοχὴν illud sibi vindicavit. Plin. *l.* 13. *c.* 4. ubi de palmis & earum generibus; *E reliquo genere plebeiæ videntur. Siccas tragemata appellant.* Xenoph. de balanis palmarum, τὰς δὲ τινὰς ξηραίνοντες τραγήματα ἀπετίθεντο. *Hesych.* Φοινίκων βάλανος τὸ τράγημα &c. Unde *trama* & *tamar*, ex τράγημα, dactylum palmæ siccum in Ægypto, sicut maturum *belen* ex βάλανος, appellari, tradit Prosper Alpinus, apud Salmas. *ad Solin. p.* 1329. ubi plura hanc in rem.

TRAGIA, seu TRAGIAS, & TRAGÆA, *Steph.* insula maris Ægei parva apud Samum, quam Strabo ante Miletum urbem Cariæ describit, quasi inter illam & Samum. Patria Theogitonis Phi-

Philosophi Peripatetici qui Aristotelis familiaris fuit. Item oppid. Naxi insulæ, ubi Apollo colebatur, *Tragæus* dictus, *Steph.*

TRAGILOS, urbs Thraciæ, juxta Chersonesum Macedonicam, *Steph.*

TRAGOEDIA, imitatio est per actiones illustris Fortunæ, exitu infelici, oratione gravi metricâ, Cæs. Scaliger. qui illam e Comœdia quidem ortam, prius tamen excultam esse docet. Nomen ei, secundum Diomedem *l.* 3. à τράγος, & ᾠδή, quoniam olim actoribus Tragicis, τράγος, id est, hircus, præmium cantus proponebatur, qui Liberalibus, die festô, Libero Patri ob hoc ipsum sacer fiebat, quia, ut ait Varro, depascunt vitem. Horat. *in Art. Poet. v.* 220.

Carmine qui tragicô vilem certavit ob hircum.

Alii à fæce, quam Græci τρύγα appellant, *Tragœdiæ* nomen desumunt: quoniam olim, personis nondum à Thespide repertis, tales fabulas *peruncti fæcibus* ora agitabant, idem *Horat.* Nonnulli à vino deducunt, quod τρὺξ quoque olim dictum est; quia in Liberalibus apud Atticos, vinum cantoribus pro corollario dabatur, Lucillius *in* 12. Isacus vetus Commentator Græcus, τραγῳδίαν, quasi τρυγῳδίαν vult nuncupatam. Ejus species à loco duæ sunt, Græca & Latina, quæ fuit prætextata, qualis erat Nero Senecæ. Ab Argumento verò, generibus diversæ sunt: Callias Atheniensis in tragœdia, cui *Grammaticæ* nomen fecit, è literis & sonum & argumentum duxit, chorusque nihil aliud fuit, quàm saltatio ex nominibus & sonis & temporibus & rythmis elementorum. Alia species Satyros Heroibus mistos continens severa lætis temperat, qualis Polyphemus est, apud Euripidem: in quo genere Poëmatis Menedemus Phil. primas tribuit Sophocli & Achæo, &c. Quantum sapientiæ ex Tragœdia haurire liceat, vide apud Athen. *l.* 7. & Aristot. *de Poëtica.* Antiquissimum Tragœdiæ munus fuit, Deorum laudes simplici chorô canere, quod quis primus instituerit, in incerto est. Donatus ad Homerum hujus carminis originem trahit: Plato vetustissimum Atheniensium inventum esse dicit, *in Minoe.* Æschylum tragœdiæ repertorem facit Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. Euterpen incertus Poëta, *in Anthol. l.* 1. *c.* 57. *epigr.* 22. Nitidiorem dein cultioremque effecit Thespis, teste Horatiô *de Arte Poet.* Vide Jul. Cæs. Scaliger. *Poet. l.* 1. *c.* 6. Partes Tragœdiæ, ut & Comœdiæ, vel primariæ sunt, Protasis, Epitasis, Catastasis ac Catastrophe: quarum partium communes portiones majores Actus, minores Scenæ dicuntur. Vel accessoriæ, Argumentum, Prologus, Chorus & Satyra. Vel circumstantes, ut Titulus, Modus, Cantus, Saltatio, & Apparatus. In his actibus notat Scaliger, præcipuam cantorum rationem habitam esse. Nam vel in initio canebant, qui cantus Εἴσοδος, id est, Introitus dictus est, Jul. Poll. *Onomast. l.* 24. *c.* 15. vel in medio, ut vel chorus requiesceret, quæ cantiones ἐμβόλιμα appellatæ sunt; Denique in fine Dramatis ἔξοδον canebantur, Festus, *l.* 5. Sueton. *in Domit. &c.* Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 175.

——— *Tandemque redit ad pulpita notum*
Exodium. ——— ———

Hoc cùm primitus conciliandis auribus, revocandis animis, & tædio liberandis audiretur, in amaram postmodum carpendi consuetudinem abiit, Liv. *Dec.* 1. *l.* 7. Peculiare calceamenti genus Tragicis actoribus *Cothurnus* fuit; calceamentum quadrangulum quod utrique pedi æque accommodari poterat, adeoque crassum, ut ejus accessione Heroum magnitudinem æquarent: Cùm soccus Comœdiæ esset. Utrumque scribendi genus, soccum & cothurnum, i.e. Tragœdiam & Comœdiam, conjungunt Auctores antiqui, Claudian. *in Eutrop. l.* 1. *v.* 299.

Quæ socci superant risus, luctusque cothurni,

M. Martialis *l.* 1. *Epigr.* 3. *v.* 13.

An juvat ad Tragicos soccum transferre cothurnos.

Plura de *Tragœdia* vide apud Heinsium, Rosin. *Antiquit. Rom. l.* 5. *c.* 6. Alios. E' quibus addo, quòd earum commissiones inter præcipua dierum festorum oblectamenta olim fuêre; & quidem, cùm incompositus olim Tragicorum chorus, præ personarum multitudine, è quibus constituebatur, esset (50 fuisse Veteres testantur) numerus, contractior factus est 15. tantùm personarum, ex hac Lege: Τὸν Τραγικὸν Χορὸν συνίστασθαι ἐκ πεντεκαίδεκα; quæ lata est occasione Eumenidum fabulæ, quam docuit Æschylus; Pollux *l.* 4. *c.* 15. Τὸ δὲ παλαιὸν ὁ Τραγικὸς Χορὸς πεντήκοντα ἦσαν, ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου· πρὸς δὲ τὸ πλῆθος αὐτῶν τῶν παίδων ἐκπλαγέντος, συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν Χορόν: quod factum annô 3. Olympiad. 80. Chorus autem hic in quinque juga distributus est, tres scilicet personæ in singula juga, aut in 3. ordines, quorum unicuique quinque adscribebantur personæ: Atque, uti in scenam prodibat Chorus, tres nonnunquam ex illo prodibant, aliquando quinque; est tamen, ubi & una tantùm persona, Pollux, *loc. cit.* Inter fœminas *Tragicas* optimates anus illæ fuerunt, quas πολιὰς καὶ λευκὰς nominant Græci, quibus cani erant crines & totæ nitebant, candebantque unde λευκόκομοι quoque & ὑπόξυροι, apud eundem, *l.* 4. *c.* 19. *gypsatissimæ*, Ciceroni dicuntur *l.* 7. *Ep.* 6. Ipsis verò Poëtis *Tragicis*, Æschylo, Sophocli & Euripidi, honorem haberi voluit Lycurgus Rhetor, hâc lege: Τὰς Τραγῳδίας τῶν ποιητῶν, Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου, τὸν Γραμματέα τῆς πόλεως παραναγινώσκειν, τοῖς ὑποκρινομένοις οὐκ ἐξεῖναι αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι: Statuas itaque illis statui jussit, eorumque *Tragœdias* publicè asservari, cavitque ne quis eas Histrio doceret, sed ut publicè ab urbis Scriba recitarentur, Plut. *in Lycurgo.* Meminit quoque statuarum, in Theatro, his tribus positarum Pausanias, *Attic.* aliique, è quibus tamen id colliges: id primùm datum fuisse uni Æschylo, Atheniensium plebiscitô; posteà Lycurgi lege, ad reliquos quoque duos extensum. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 3. *tit.* 1. Sicut verò Comicorum ratio è veteri more à quinque Judicibus, iisque juratis, judicabatur, ut Bacchus Judex docet apud Comicum, *Ranis*: Sic *Tragicorum* Judices decem erant, jurati itidem, sorte ab Archonte capti, è singulis Tribubus unus, ut è Plutarchi narratione *in Cimone* constat. Meminit horum Judicum Aristoteles, *Rhetor. l.* 3 ubi refert, Euripidem publicè aliquando accusatum, provocâsse ad Theatri Judices; apud quos, si quâ minus honestè, aut piè & probè dicta videbantur, causam dicebant & multabantur: ὥσπερ Εὐριπίδης πρὸς Ὑγιαίνοντα ἐν τῇ ἀντιδόσει κατηγοροῦντα, ὡς ἀσεβὴς, ὅς γε ἐποίησε κελεύων ἐπιορκεῖν,

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Ἔφη γὰρ αὐτὸν ἀδικεῖν τὰς ἐκ τοῦ Διονυσιακοῦ ἀγῶνος κρίσεις εἰς τὰ δικαστήρια ἄγοντα· ἐκεῖ γὰρ αὐτῶν δεδωκέναι λόγον ἢ δώσειν εἰ βούλεται κατηγορεῖν. Si præter æquum pronuntiâsse convincebantur, à Judicibus aliis, ad quos videtur provocatum, multabantur, Æschines *contra Ctesiph.* Sed hi Judices, qui antiquum morem repræsentabant quidem, idem auctoritatis non habebant: Veteres enim illi nihil ad gratiam spectatorum faciebant, sed illorum auctoritate, τῷ θεάτρῳ ῥᾳδίως κρατοῦντες ἢ κατὰ νόμους ἐγίνοντο; factum verò aliquando, ut hi juberentur à Populo victorem illum renuntiare, cui favebat. Ælian. *Variæ l.* 2. *c.* 13. *ubi de Aristophanis Nebulis.* Vide iterum Petitum paulo *post.* *Tragicam* Scenam quod attinet, conformabatur illa columnis & fastigiis, signisque ac regali instruebatur apparatu: Præterea excitabantur in illa Palatia, Regiæ, turres: Cùm contrà Comica privatarum ædium; Satyrica verò topiarii operis speciem præberet. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 9. & 10. *cum Paralip.* Dempsteri. Nec omittendum *Tragœdiam*, ob argumenti sublimitatem & personarum dignitatem, coronatam depingi consuevisse, quod idem Rosinus monet. Plura in hanc rem, inprimis de *Tragœdorum* proprio, quod erat *cantare in scena*, hincque *prædulci voce*, quam inprimis affectabant, ac proin *à Venere abstinentia*, de *Tragœdiarum* porrò *argumentis*, quæ ex vulgata μυθολογίᾳ seu Cyclo Epico ut plurimum sumebantur, aliisque huc pertinentibus, apud Salmas. *Not. ad Aurelian. Vopisci*, *c.* 7. & *Exercit. Plin. ad Solinum p.* 769. 854. *& seqq.* nec non hic passim, in voce *Cantare*, *& Dixi*, item ubi *de Fibula*; alibique.

TRAGONARA, vulgò TRAGONARA, urbs Capitanatæ, prope Frentonem fluv. 15. mill. pass. ab ora maris Hadriatici in Africum, Vulturaram versus 10. paucisque constat incolis. Episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano.

TRAGOPAN, avis fictitia Plinio, *l.* 10. *c.* 49. *Equidem & tragopanem, de quo plures affirmant, majorem aquilâ, cornua in temporibus curvata habentem, ferruginei coloris, tantum capite phœniceô, fabulosum reor.* Vide quoque Solin. *c.* 43. (al. 33. circa finem) & Pompon. Melam, *l.* 3. *c.* 9. Ex Græco Τραγόπαν, h. e. *hircinus Pan*, sicut Αἰγίπαν; dictus est, quòd habeat cornua *hircina*, faciem verò phœnicei, coloris, ut *Pan* pingitur. Ita enim de Pane Virgilius, *Ecl.* 10. *v.* 26.

——— *quem vidimus ipsi*
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem:

ad quem l. Servium vide, nec non plura de hac ave, apud Salmas. ubi suprà, *p.* 399. & Gerh. Joh. Vossium, *Idolol. l.* 3. *c.* 99.

TRAGULA, inter telorum jaculorumque vocabula, quæ in veterib. Historiis scripta sunt, memoratur A. Gellio, *l.* 10. *c.* 25. & occurrit sæpius apud Cæsarem, *l.* 1. *B. Gall. c.* 26. Livium, *l.* 24. *c.* 42. Alios. Fuêre autem *tragulæ* telæ, quæ vel manu, vel etiam tormentis, mittebantur, ac plerunque ita atrociter sauciabant, ut corpus simul scutumque transverberarent. Cùm verò infixæ erant, quomodo extrahi deberent, dubium erat ac plerunque non tam retrahebantur, metu magni doloris & profusionis sanguinis, quàm hinc illincque decidebantur, ut è vulnere sic cum minore noxa possent accipi, uti videre est apud Hadr. Turnebum, *Adversar. l.* 7. *c.* 12. Unde hamatum hoc teli genus fuisse, suspicatur Lipsius, *Poliorcet. l.* 4. *c.* 4. Cujusmodi telô Cottam usum esse tantâ vi, ὥστε τὸν βαλόντα διά τε τοῦ θώρακος καὶ τῶν πλευρῶν διαπείραι καὶ τῇ γῇ προσπῆξαι, *ut eô percussum per loricam & per latera, terræ velut clavô affigeret*, ait *Suidas*, cui τραγούλας id dicitur: quod de posteriori *tragularum* genere intelligendum, tormentis emitti solito. Vide quoque Liv. *Annal. l.* 20. ubi de Annibale, & Sallustium, *l.* 2. *in Fragment.* ubi de Metello, *tragulæ* ictu sauciatis: adde Cæs. *Bell. Gall. l.* 5. *c.* 35. ubi de Balventio utrumque femur similiter trajecto. At cùm Cæsar paulo pòst, *c.* 46. epistolam, ad Ciceronem à Nervis circumsessum, missurus, *tragulam cum epistola ad amentum deligata, intra munitiones castrorum abjici jussit*, de priori capiendum. Utrumque genus junctim Sallustius idem indigitat, *Bellô Jugurth. c.* 57. *Plerosque jacula tormentis aut manu emissa vulnerabant.* Atque hos, qui è tormentis illa eibrabant, *Tragularios* dictos, legimus apud Vegetium, *l.* 2. *c.* 15. Cæterùm *tragulam*, quasi *trahulam*, à *trahendo* appellatam esse, statuit, Turnebus, *Adversar. l.* 21. *c.* 14. Et certè pro *trahula* vel *parva trahea* (quæ vox & hâc notione legitur, apud Jornandem;) genere currus sine rota, usurpârunt quoque vocem nonnulli, uti docet Salmas. *ad Solin. p.* 231. alii tamen à *trajiciendo* malunt deducere &c. Vide Becmanum *in Originibus*, & Martinium *Lexico Philol.*

TRAGURIUM, Plin. *l.* 4. *c.* 21. *Trau*, insula parva Dalmatiæ proxima, ponte juncta continenti, cum urbe cognomine, Episcopalis sub Archiepiscopo Spalatensi, inde 15. mill. pass. in Occasum, Sebenicum versus 30. munita, contra Bubuam seu Boam Insul.

Insul. cui etiam ponte jungitur. Sub Venetis qui illam cum Epidauro & Chio occuparunt A. C. 1169. 120. mill. pass. ab Absoro in Eurum, uti 70. à Jadera, paucis milliar. à dition. Turc. J. Lucius, Slavis *Troghir* dicitur. Peninsulam verò, &, qui eam à Continente separat, canalem, non naturæ, sed artis, opus esse, docet Joann. Lucius, gentis suæ *Historiâ* conditâ. Cæterùm urbs situ non injucundô, suburbium elegans habet in Insul. Boâ, cui ponte junctam diximus, & incolarum circiter quatuor millia complectitur. Vide Jac. Sponium, *Itiner. Græciæ*, *Part.* 1. *p.* 93. & *seqq.*

TRAGUS, fluvius Arcadiæ in Alpheum influens, Pausan. *l.* 8.

TRAHA, seu TRAHEA, tribuli apud Veteres genus, quô grana exterebantur. Factum id erat ex tabula lapidibus aut ferrô asperata, quæ impositô aurigâ, aut pondere grandi, *trahebatur* jumentis junctis, uti docet Varro, *de R. R. l.* 1. *c.* 52. Nomen eâ *trahendo* Latinis, quia non habebat rotas. Linguâ Sacrâ מורג *morag*, vocatur, Esajæ *c.* 41. *v.* 15. unde *naurag* Arab. quod Alcamus definit *instrumentum ferreum vel ligneum*, *quô fruges in area teruntur.* Lexicon Copto-Arab. reddit *πιειχεω*, i. e. *pressorium instrumentum*, ... Melior verò definitio desumi potest ex *dicto l.* Esajæ, *Ponam te in novum morag*, *incisum variis incisuris*, *ut montes tritures & comminuas collesque ponas ut glumam.* A quibus incisuris vocatur etiam חרוץ *incisum*, *c.* 28. *v.* 27. Boves autem hujusmodi tribulos traxisse, colligitur ex 2. Sam. *c.* 12. *v.* 31. & Amos, *c.* 1. *v.* 3. Vide Bochartum, *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 32. De ejusmodi instrumento, ejusque apud Romanos usu sic Virg. *Georgic. l.* 1.

Dicendum & quæ sint duris agrestibus arma,
Queis sine nec potuêre seri, nec surgere messes:
Vomis & inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra,
Tribulaque traheæque, & iniquô pondere rastri &c.

Inde *Trabarius*, apud Sidonium, *l.* 6. *Ep.* 1. Aliud quid Traha sonat, apud Thwroczium, *p.* 50. *Rex Andreas --- tam hyemali*, *quàm æstivali tempore*, *super* traha *ferebatur.* Vehiculi nempe genus, rotis carens itidem, quod *tragam* quoque & *tragulam* dixêre. Quâ notione & Josephus Barbarus vocem usurpat *Itinerar. ad Tanaim*, *Trabis secum vehunt omnia*, *quæ volunt*, *& quidem in eo celerrimè sese expediunt.* Trahæ *apud eos in eo usu sunt*, *quô apud nos fortasse carri: & hi à latere & parte dextera Travali vocantur.* Hodie similibus vehiculis per glaciem nivesque Lappones feruntur, rangiferis trahentibus: equis alibi: usûs, ac delitiarum causâ. Nempe hoc ire est,

Per vada nocturnô contabulata gelu,

uti ait H. Grotius *Eleg. l.* 1. ubi de *Hiemis commodis.* Sed & *Traha*, ad alios usus rusticis adhibetur. Sic *Traha* seu vehia, quâ aratrum in agrum deducitur & ab agro reducitur, inter Herberstenia Insignia, originarium familiæ ... est, *Traha* nempe *argentea* (Germ. *ein weisse Schleiffen*) *in solo coccineo*, uti quidem Sigismundus Baro, quatuor Augggg. Consiliarius & Minister, Legationibus compluribus dexterimè obitis inclytus, monumentis *de Vita sua* inseruit: aliter tamen sentiente Cl. Spenerô, *Artis Herald. Parte gener. l.* 1. *c.* 5. *n.* 77. ubi de *cantherio.* Juxta mentem certè præfati Baronis Sigismundi Petrus Paganus *Elegiâ*, qua Illustris hujus Familiæ scutarias notas exponit, sic inter alia:

Quis neget arvorum genus à cultoribus ortum,
Cui traba principium nobilitatis erat,
Quis neget &c.

Et in Epitaphio ejusdem Viri illustris, Val. Eckius, ubi ad Insignia ejus pervenit:

Ecce vides triplicem galeam triplicemque coronam,
Ensem tela, arcum, sceptra quaterna, trabam:

apud eundem Spenerum, *Ibid. Parte spec. l.* 1. *c.* 37.

TRAHERE, propriè de carminatione lanæ, ut Græcum ἕλκειν, Salmas. *ad Tertull. de Pallio*, *c.* 3. hinc pro nere, apud Statium, *Theb. l.* 8. *v.* 119.

Cùm Parcæ tua jussa trahant ———

Inde ad alia translatum. Becmannus verò, *traho*, quasi *transveho* & *tractum*, quasi *travectum*, imò hinc per syncopem, factum vult, *in Origin. L. L.* unde communis *trahendi* notio primigenia esset. Certè in Neronis statua, cui inter alias contumelias, *à vertice currus oppositus*, *cum inscriptione Græca*, *Nunc demum agona esse*, & *Traberet tandem*, vel *Trabe tandem*, uti legitur apud Suetonium *in eo*, *c.* 45. Casaubonus illud *trahere* seu ἕλκειν ad aurigationem referendum ait, ex Orphei *Thymiamate Solis.*

Χρυσολύρη, κόσμου τ' ἐναρμόνιον δρόμον ἕλκων.

Nisi βλάσφημον potiùs, & innominatum quis verbum hîc habeat, ut cùm dixit *ibid. c.* 22. *tractum prasinum*, quo de vocis significatu prolixè egimus suprà, ubi de *Tractione.* Alia ejus notio non minùs infausta occurrit in *L. Sal. tit.* 14. *Si puer Regis vel litus ingenuam feminam* traxerit, *de vita componat*: apud Marculfum, *l.* 2. *Form.* 16. *Si aliquis puellam invitam traxerit* &c. ubi idem quod *rapere* est, vim inferre. Sed & *trahere*, pro *tractare*, quorum hoc ab illo ortum, unde de Heliogabalo per publicum tracto, Capitolini codices *c.* 17. modò *Tractitium*, modò *Tractatitium* eum vocant: Et vicissim, *trahere*, pro tractare & disputare, ponitur apud Justin. *l.* 16. *c.* 4. *du re in Senatu tractâ*, *cùm exitus non inveniretur.* Ubi *trahere rem*, non est idem cum Sallustiano *bellum trahere*, sed idem, quod *tractare*, notat. Optimæ Glossæ, *tractum*, ζέστιξ. Imò & sicut *tractare*, ita & *trahere de re*, reperitur, uti videre est apud Salmasium *Not. ad Spartianum in Hadriano*, & *ad Vulcatium*, *c.* 1. Porrò *trahere*, pro *bibere*, apud Senecam Tragicum *Agamemn. Act.* 5. *v.* 878.

Merumque in auro veteris Assaraci trahunt.

Quô sensu & ἕλκειν Aristophanes *Equit.* ac Parmeno Byzantius apud Athenæum, *fine l.* 5. & ..., apud eundem, alii *l.* 6. & 11. usurpant. *Ducere* & *perducere* pro eodem Latini dixêre vide Arnob. *l.* 5. & *ad eum* Heraldum. Plura de verbi notionibus aliis, apud Recentiores, ut cùm pro *jaculari*; pro *iter suum aliquò dirigere*, quod utrumque etiam Gallis *tirer*, sumitur, apud Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque quæ retro diximus non unô locô.

TRAJANA, Picenorum urbs, *Ptolem.* etiam *Colonia Ulpia Trajana*: hodie *Montecchio*, in monte, inter Auxim. ad Boream 12. & Septempedam in Austrum, 10. mill. pass. Cingolo propior.

TRAJANA Colonia, seu *Colonia Ulpia Trajana*, oppid. Germaniæ inferioris ad Rhenum, *Antonin. Keyserswerd Ortelio. Baudrando Kellen*, vicus Ducatus Clivensis, mill. pass. ab oppido Clivio, Emmericum versus, 1. milliar. à Rheno 10. ab oppid. *Keiserswert* in Boream. Ex *Cluverio.* Vide *Colonia Trajana.*

TRAJANA Columna, Scriptorum monumentis & antiquis nummis celebrata, in medio Foro Trajani sita fuit hodieque apparet. Fuit autem inter cœtera Cæsarum opera Trajani Forum maximè admirandum, ut *Cassiodorus* testatur, cùm ait: *Trajani Forum vel sub assiduitate videre miraculum est.* Unde apud Amm. Marcellinum Imperator Constantinus, *singularem sub omni cælo structuram admiratus*, *hærebat attonitus per giganteos contextus mentem circumferens.* Ædificatum à Trajano, post bellum Dacicum per Apollodorum Architectum, posteà ab Hadriano per livorem occisum, ex pecunia, quæ ex venditione prædæ percepta erat: In quo arcus Triumphales, ob superatos Dacos Sarmatasque, porticus amplissimæ, statua Imperatoris columnis altissimis superposita, præ cœteris verò Cochlis columna erat marmorea à Senatu P. Q. Rom. *Trajano* erecta, quam Auctores hôc pactô describunt. *Cælatæ sunt in circuitu res gestæ Cæs. Trajani bellô Dacicô*, *aliisque expeditionibus militaribus: alta est pedes* 128. *basis habet pedes* 12. *lapidibus structa est* 24. *tantæ vastitatis*, *ut opus videatur non ab hominibus*, *sed à gigantibus profectum. Singuli lapides gradus* 8. *continent*, *per quos ascenditur. Lumen præbent fenestellæ* 44. *Nihil usquam terrarum admirabilius*, *nihil magnificentius. Erecta autem est*, *quemadmodum Inscriptio ostendit*, *ad declarandum*, *quantæ altitudinis mons & locus tantis operibus fuerit egestus*, A. Preyelius, *Sinâ & Europa*, *c.* 17. Vide quoque Jac. Oiselium JCtum, *Not. ad A. Gellium*, *l.* 13. *c.* 24. & plura suprà, voce *Columna.*

TRAJANA Legio, *Ptolem.* oppid. Germaniæ superioris ad Rhenum. Idem. *Drechshausen Ortelio.* Bingio proximum. Aliis *Remmagen* pagus.

TRAJANA Via, in Apulia inter Beneventum, in Hirpinis & Brundusium in Salentinis.

TRAJANI Burgum, munimentum in Alemannorum solo positum à Trajano Imperatore, dum Germaniam provinciam procuraret: reparatum à Juliano Cæsare, locatô ibi præsidiô: quod ex descriptione Marcellini *Tranburgum*, hodie *Cronburgum*, prope Francofordiam, esse suspicatur B. Rhenanus, *Rer. Germ. l.* 3. ubi Notas vide Cl. Ottonis, & hîc infrà.

TRAJANI Monumentum, oppid. Germaniæ inferioris ad Rhenum, & Francofordam urbem, *Cronburg*, vel *Tranburg*, teste *B. Rhenanô*, seu *Kastel*, pagus ejusdem tractus, in ulteriore ripa Rheni, contra Moguntiacum. *Goropius.* Vide & *Trajani Burgum.*

TRAJANI Pons Hispaniæ urbs super Tagum fluv. *Ponte de Alcantara Clusio*, Urbecula regni Legionis, in Extremadura, munita, 2. leuc. à limite Portugalliæ, 8. à Cauria in Meridiem, Emeritam versus 14. & 20. à Placentia in Occasum. Dicitur & *Norba Cæsarea.*

TRAJANI *Portus*. Vide *Trajanus portus.*

TRAJANOPOLIS, urbs Thraciæ inter Maximianopolim ad Occasum 58. & Apros ad Ortum 23. mill. pass. ab Hadrianopoli ad Euronotum 86. Anteà *Zernis* dicta; ad Hebrum fluv. *Baudrando*, 15. mill. pass. à Cypsella in Boream, & vix 45. ab Hadrianopoli, Archiepiscopalis. Item urbs Phrygiæ magnæ; Episcopalis sub Archiepiscopo Laodiceno, *Ptol.* Fuit etiam urbs Siciliæ mediterranea *Dragina Curopalatæ*, *Troyanopolis* autem legit *Fazellus.* Episcopum habuit tempore Gregorii M. Vide *Traynum.*

TRAJANUS, M. Ulpius Brinitus, inter Cæsares optimus, quemadmodum testatur acclamationis in creandis Imperatorib. formula: *Sis felicior Augustô*, *melior Trajanô.* Italicâ, urbe Andaluziæ, oriundus; secundùm alios Italus, sub Vespasiano & Tito, in bello contra Judæos egregiè rem gessit, duodecimæ Legionis Præfectus. Dein, à Nerva in consortium Imperii allectus, acceptô de morte ejus nuntiô, A. C. 98. Coloniæ Imperator ab exercitu salutatus est. Qua de re literis ad Senatum datis; Christianos non quidem edictis terruit, nihilominus prohibendo nocturnos cœtus, & Religiones à Romana alienas, occasionem præbuit Præfectis Præsidibusque provinciarum, acriter in illos sæviendi, quamvis Plinius in causa fuit, ut aliquantulum persecutionem remitteret. Auditô, Decebalum Dacorum Regem rebellâsse, illô bis victô, Daciam in Provinciam redegit: Romam reversus, Legatos ex omnibus terræ parti-

partibus, remotissima quoque India, excepit. Dein columnam Trajani orsus, septennii spatiô absolvit, Architecturæ ultimum conatum, quem Coliseum Sixtus V. erigi curavit, Petri statuâ desuper impositâ. Postmodum contra Armenios, Parthos, Osdroënos, Arabas, Assyrios, Iberos, Colchos, & Persas victor, undecim millia Christianorum militum in Armeniam relegando, gloriam nominis sui non parum obscuravit. Terræ motu, quô Antiochia concussa fuerat, tantùm non obrutus, posteà Judæos rebelles extinxit. Obiit Selinunte, Ciliciæ urbe, quæ Trajanopolis ab ipso dicta, an venenô propinatô? A. C. 117. ætat. 64. Imperii 19. A' Plinio panegyricè laudatus, insignis omninò cætera Imperator, sed sævitiâ, puerorum amore, vini nimiô usu, idolomaniâ infamis: Scripsisse dicitur historiam belli Dacici. Dio *in Trajano*. Aurel. Victor, *de Cæsar.* Eutropius, Eusebius, &c. Claudian. de Theodosio, *l. de 4. Consul. Honorii*, *v.* 315. *s.*

——— Victura feratur
Gloria Trajani; non tam quòd Tigride victô
Nostra triumphati fuerint provincia Parthi,
Alta quòd invectus fractis Capitolia Dacis,
Quàm patriæ quòd mitis erat. ———

Vide & *Marcus Ulpius*. Solum inter Imperatores, in Urbe sepultum esse, teste Eutropiô, *l.* 8. *c.* 2. & inter Deos relatum, Joh. Rosin. *l.* 9. *Antiqq. Rom.* Nec omittendus in eum militum amor, quorum duæ legiones integræ pro ejus salute capita sua devoverunt, bellô Dacicô, uti observat Casaubonus *ad Sueton. Calig. c.* 14. De *Trajanis Ludis*, Plinium vide, *Panegyr.* & Car. Paschal. *Coronar. l.* 6. *c.* 30. de *Foro* & *Columna*, suprà.

TRAJANUS, Dux Valentis Imperatoris victus ab hoste, Valenti sibi segnitiem exprobranti, Apostasiam coram objecit, *Non ego sum victus*, dicens, *sed tu victoriam corrumpis Imperator, qui adversus Deum aciem instruis, & fortunam belli concilias Barbaris*. Vide Theodoret. *l.* 4. *c.* 31.

TRAJANUS Patricius, sub Justiniano Principe floruit. *Temporum epitomen* scripsit, *Suid.*

TRAJANUS, fluv. Ægypti, *Ptolem.* Hujus ostium apud Moysen *Pihahiroth* vocari dicit *Becanus*.

TRAJANUS Portus, oppid. olim & portus Tusciæ in ora inter Populonium ad Occidentem & Telamonem ad Ortum. Vulgò *Porto Trajano*. Fuit ad Centumcellas, ubi nunc *Civita Vecchia*, & portus ab Urbano VIII. in portus Trajani vestigiis egregiè restitutus. *Baudrandus*.

TRAJECTUM, geminum: superius quod ad *Mosam*, & inferius ad *Rhenum* nominatur. Superius *Maestricht* vocatur, urbs Germaniæ inferioris in Brabantia, à Colonia 12. leuc. in Occasum, Antwerpiam versus, à Leodio 4. leuc. in Boream, quot ab Aquisgrano in Occidentem. *Baudrando* anteà *Obtricum*, urbs aliàs Eburonum: vetustate, opibus & situ celeberrima. Episcopalis olim, à quo Tungrorum urbs à Barbaris sub Attila, A. C. 451. destructa est, tum enim S. Servatius, melius Aravatius, seculô 5. Trajecti sedem constituit, donec seculô 8. Leodium illa translata est, in ultionem occisi à civibus Lamberti. *Valesius* habet, quia urbs à Normannis incensa. Erat prius in ditione Leodiensi, è regione oppidi Vici, Limburgensis Ducatus. Sed ab Episcopo Leodiensi vendita Carolo V. Hispanis paruit, donec A. C. 1633. fortiter expugnata fuit ab Hollandis. Urbs permunita, 2. leuc. à Tungris in Ortum, In Gallorum potestatem venit, A. C. 1673. Vide Guicciard. *Hist. Belg. &c.* Galli quidam scriptores Trajectum hoc beneficiis regiis adnumerant, & sub Carolo Simplice, villam publicam fuisse referunt. Habet urbs pontem longissimum Mosæ impositum, & ultra hunc unam è suis regionibus, quæ Vicus nuncupatur, vulgò *Vic*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Patria fuit Landeberti Tungrorum Episcopi, diciturque etiam *Trajectum Tungrorum*. *Idem*. Inferius *Utrecht*, urbs ampla Germaniæ inferioris in Batavis, à Colonia 23. leucis in Boream distans, à priore Trajecto 21. leucis in Boream & Græciam recedens. *Ultrajectum* quoque Latinè dicitur. Cum Academia. Caput dominii Ultrajectensis. Media inter Arenacum Neomagumque ad Ortum, & Lugdunum Batav. ad Occasum. Juxta *Valesium*, primò Bataviæ attributa hæc urbs, dein Frisiæ citeriori, parti Bataviæ à Frisiis occupatæ: hodiè caput est unius ex septem Belgii Fœderati provinciis. Olim *Antonina* ex vetere inscriptione. Hîc Willibrordus, Clemens dictus, jussu Pippini, Episcopatus sedem constituit, Ecclesiamque ædificavit. Dicitur *Utrecht* incolis, quasi *Ulterius Trajectum*: Hôc autem nomine utraque urbs à Romanis & Gallis, qui Latinè loquebantur, insignita est: quòd essent ad trajectum, seu ad transitum fluminis. *Trajectum* autem hoc Coloniæ metropoli ademit, & ex Episcopatu Archiepiscopatum fecit Paulus IV. A. C. 1559. attribuens ipsi quinque novos Episcopatus, Harlemensem, Daventriensem, Leowardiensem, Groningensem & Middelburgensem: sed aliud sequentia tempora suasêre. Continet regio, cum Trajecto & Dorestado, vulgò *Duersted*, olim Batavoduro, tria alia oppida. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide *Ultrajectum*. Trajecti decessit Conradus II. Imperator. A. C. 1039. ut & Henricus V. Imperator. A C. 1122. Contra Gallum & Trajectenses feliciter pugnavit Vilhelmus Hollandiæ Comes A. C. 1324. Excommunicavit Johannem Hollandiæ Comitem Episcopus Trajectensis, & Frisiis remissionem peccatorum, si contra illum pugnarent, pollicitus, frustra fuit, hi enim à Comite superati sunt, A. C. 1297. Vide Matth. Vossium, *Annal. Holl. l.* 4. & 5. adde Cl. Ottonem JCtum, *Notis in B. Rhenanum*, *p.* 634.

TRAJECTUM, item Francorum geminum: Unum ad *Mœnum* in Franconia, emporium maximum & urbs libera, à Moguntia 4. leuc. à Spira 12. Alterum ad *Oderam* in Marchia. Utrumque vulgò *Frankfurd*. Et & *Trajectum* Suevorum, Schweinfurt, ad Mœnum, libera, inter Carolostadium 5. & Bambergam ad Ortum 6. ab Herbipoli 6. in Cæciam.

TRAJECTUM, urbs Terræ laboris, prope ostia Liris fluv. Crevit ex ruderibus Minturnæ. Media inter Catinulam ad Ortum, & Caetam ad Occasum 8. mill. pass. utrinque, 2. ab ora Sinus Formiani. Parva est, & incolis rara; Vulgo *Trajetto*.

TRAJECTUS, pagus Albionis ad Sabrinam fluv. in Angliæ & Walliæ confinio Bristolio, Chepstovioque vicinus. *Aust ferry* Camden. Item, castrum Latii.

TRAJECTUS, apud *Antonin.* nominatur fretum, inter Siciliam & Italiam, hodiè *il faro di Messina*. Item angustiæ maris Adriatici, inter Hydruntum & Acroceraunios montes, vulgò *la bocca del Golfo di Venetia*, ubi ejus latitudo est tantùm 60000. p.

TRAJICIEBANTUR olim flumina 3. modis. Primùm ponte, qui quomodo construi soleret, Cæsar in *Commentariis suis* passim docet, & Petrus Ramus in eo, quem *de Cæsaris militia* scripsit, libello. Secundò, navibus. Tertiò, flumen in plures alveos deducendo. Quartò, cùm Equitatus in flumine dispositus vim illius eatenus infringebat, ut peditatus incolumis tranare posset. Quorum modorum omnium exempla apud Cæsarem occurrunt. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 11. Ultimi complura habes, apud Virum Cl. *Notis in Curtium l.* 4 *c.* 9. & *l.* 8. *c.* 13. Adde utres, de quibus infrà. Plura verò de *ratione trajiciendorum fluminum*, apud Stewech. *ad Vegetium l.* 3. *c.* 7. Casaubon. *in Sueton. Cæsare*, *c.* 57. Just. Lipsium, *Poliorcet. l.* 2. *c.* 5 Alios.

TRALATICIUM, seu TRANSLATICIUM, apud Plin. *l.* 10. *c.* 29. Sed *in secessu avium & noctuæ paucis diebus latere traduntur, quarum genus in Creta insula non est, etiam si qua invecta sit, emori: nam hîc quoque mira Naturæ differentia: alia aliis locis negat, tanquam genera frugum fruticumque, sic & animalium. Non nasci ea translatitium, invecta emori mirum*: idem est, quod ἐγκύκλιον Græcis. Unde ἐγκύκλιοι ἐπιστολαί. Latinis *tralaticiæ*, aliàs *formales* dicuntur. Nempe *Translatum*, in Scena Latina, quod in Græca, τὸ ἐγκύκλημα, item ἐγκυκλῆθρον, machina fuit, quâ Dii in scenam aliquid loquuturi aut acturi *transferebantur*, [illegible] machinis, quos μηχανὴ ferre non poterat. Quos proin ipsos eleganter Val. Max. *l.* 2. *c.* 4. *ex.* 6. *Translatum* vocat, *Translatum antea Pœniceis indutum tunicis M. Scaurus exquisitô genere vestis cultum induxit*: ut *spectacula*, pro *spectatoribus*, *consessus caveæ*, pro *iis qui in Theatri cavea sedent* &c. Hinc Phædrus itaque, *l.* 5. *Fab.* 7. *v.* 24.

Dii sunt loquuti more translaticiô,

i. e. ut solet in *translato*; & porrò *tralaticeum*, de re maximè vulgata, jactataque omnium sermonibus ac factis, quomodo & [illegible] Græci usurpârunt, uti ex *Vita* Syllæ apud Plut. docet Salmas. *ad Solin. p.* 176. Vide quoque Jul. Cæs. Scaligerum, *Poetic. l.* 1. *c.* 21.

TRALLES, & TRALLIS, numerô singular. Plin. *l.* 5. *c.* 29. & *Ptolem.* quæ prius *Euanthia*, *Seleucia*, & *Antiochia* dicta est, teste Pliniô. *Chora Nigro*, urbs Lydiæ, ab Ephesô ad 30. mill. pass. in Eurum, *Ferrar. Baudrando* est Episcopalis sub Archiepiscopo Ephesino, inter Magnesiam & Mæandrum fluv. ad Meridiem, ac Caystrum fluv. ad Boream, 36. mill. pass. ab Ephesô in Cæciam. Hîc palma viridis in æde Victoriæ, sub Cæsaris statua, enata, quô tempore Pompejum in Macedonia devicit. Tum etiam Pergami sonus tympanorum, in delubris, exauditus est. Juvenal. *Satyr.* 3. *v.* 70.

Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis.

TRALLI, & TRALLII, populi Illyriæ, quorum regio *Trallia*.

TRALLION, in Bithynia, pertingit usque ad Astacenum sinum. *Steph.*

TRAMA, vel TREMÆ, locus Galliæ, in Diœcesi Meldensi, cum titulo Comitivæ, vulgò *Tresme*: à fluviolo cognomine dictus. Vadum Tremæ *Gué à Treme* vicus cum castello nuncupatur, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TRAMA, à *Trameando*, quod stamen trameet, aliter *subtemen*, antiquis. Servius *ad illud*, *l.* 3. *Æn. v.* 483.

Et picturatas auri subtegmine vestes:

id est, ait, *filô*, *quod intra stamen currit*; *quod Persius* tramam *dixit*, *Sat.* 6. *v.* 73.

——— mihi trama *figuræ*
Est reliqua ———

Græcè [illegible], item κρόκη, & κρόκος, unde [illegible], in Dionysii *Bassaricis*, & [illegible], apud *Pollucem*, quod apud Theophylactum, *Histor. l.* 2. συμπλέκειν τὴν κρόκην τῷ στήμονι, *subtegmen cum stamine connectere*: Atque hinc [illegible], vestis mollior & delicatior, quæ plus *tramæ*, quam staminis, haberet. Porrò πήνη, unde πηνίον, *ramus textorius trama involutus*, seu glomus subteminis radio involutus; Latinè *panus* & *panucla*: quâ voce, à similitudine tumoris, quem *trama* sic circumvoluta efficit, tumorem quoque inguinum omnemque alium in corpore, insignierunt Medicorum filii, uti apud *Alex. Trallianum* videre est. Hinc χρυσόπηνοι vestes, *aureô subtemine*, seu *aureis filis*, ut ait Capitolin. *Pertinace*, *c.* 8. *texta*. In talibus enim vestibus semper *trama* ex auro fuit: Nec, cùm *vestibus aurum intexi* dicitur, aliter quàm sic accipi potest. Propriè enim trama seu subtemen *inseri* & *immitti* & *innecti stamini*, dicitur. Ovid. *l.* 6. *Met. v.* 55.

--- stamen

——— *stamen secernit arundo.*
Inseritur medium radiis subtemen acutis:

quod *κερκίδι ἐν τῷ τέντονι κερκίσασα* dicit Hesiodus in Ἔργ. v. 536. Vide Salmas. *Not. ad Capitolin. d. l.* & suprà, in voce *Subtemen*, item ubi de *Texendi Arte.* Uti verò *χρυσήλωοι* vestes aureum subtemen habebant; sic subsericatarum vestium illæ, quarum *trama* erat serica, stamen lineum, *tramoserica* hinc vocabantur, & opponebantur subsericis propriè dictis, quarum stamen ex serico, *trama* ex lino, erat, uti adnotavit idem *ad Vopisc. in Aureliano.*

TRAMPE, urbs Ioniæ, *Steph.*

TRAMPYA, urbs Epiri, Idem.

TRANGABARIA, vulgò TRANGUEBAR, oppid. Coromandeliæ, cum portu capaci, in ora Sinus Gangetici, valde à Danis frequentata, 25. mill. pass. à Negapatano in Boream, uti 80. ab ora Boreali Taprobanæ. Sub Principe Tanorii.

TRANIUM, Vide *Tranum.*

TRANQUILLINA Augusta, uxor Gordiani III. filia fuit *Misithei, doctissimi viri, quem causâ eloquentiæ dignum parentelâ sua putavit, & præfectum statim fecit Imperator*, apud Capitolin. *c.* 23. Memoriam ejus servat nummus Smyrnensium æreus, in cujus altera parte Amazon Smyrna capite turrigerô & *ναΐδιῳ*, i. e. *templô exiguô*, in dextrâ, ac pelta bipennique in sinistra manu insignis, cum *Inscr.* CΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΡΟΥΦΙΝΟΥ CΟΦΙ. Item alius, Sardibus cusus, in cujus antica parte circa caput Augustæ visuntur verba hæc, ΦΡΟΥ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ CΕΒ. in postica urna, cum palma inde emergente, & lemmate, ΕΠΙ ΙΟΥΛ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ. ΑΡ. ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. apud Jac. Sponium, *Itiner. Græc. Part.* 3. *p.* 184. & 185.

TRANQUILLITAS, titulus honorarius Imperatorum, apud Vegetium, *l.* 2. aliosque, vide suprà in voce *Serenitas.*

TRANQUILLUS Vicus, in agro Tricassino Galliæ, 9. leuc. ab urbe Tricassis, vulgò *Trancost*, vel *Trancaut.* Hinc ortus Astingus, ad Normannos clam confugit, à quibus Princeps constitutus, Gallias igne & ferrô vastavit, Glaber Rodolfus, *Histor. l.* 1. *c.* 5. Dudo, Wilhelmus Gemeticensis Monachus. Hadr. Valess. *Notit. Gall.*

TRANSACUM, castellum Latii, circa lacum Fucinum.

TRANSALPINA Gallia, eadem quæ *Comata*; diducitur in Belgicam, Celticam, & Lugdunensem, *L Loyd.* Vide *Gallia*, & *Lugdunensis.*

TRANSAQUÆ, vulgo TRANSACCO, castrum Aprutii ulterioris 1. milliar. à lacu Fucino in Meridiem, 8. ab Alba in Eurum, 10 à fontibus Liris in Ortum, uti paulo plus à fontibus Anienis.

TRANSCHINIUM, vulgò TRANSCHYN, oppid. munitum Hungariæ superioris, ad Vagum fluv. versus confinia Silesiæ, 30. mill. pass. à Nitria in Boream, 50. à Posonio in Africum. Caput Comitatus cognominis Gall. *le Comté de Transchyn*, qui inter Silesiam ad Boream, Moraviam ad Ortum, Turocensem Comitatum ad Occasum & Nitriensem ad Meridiem est, ad Vagum fluv. sub Austriacis.

TRANSCORNATI, species servorum, in *Chron.* Novaliciensi; sic dicti, quòd, cùm Carolus M. in Italiam contra Langobardos pergeret, *joculatori* cuidam, qui viæ ipsi dux fuerat, concesserit, ut quicunque sonitum tubæ ejus *corneæ*, quam in monticulo quodam inflaverat, audirent, servi ejus essent. Vide supra, ubi de ritu servos per *Alapam faciendi.*

TRANSCRIBERE, apud Hegesippum, *l.* 3. *extr. Universos autem --- Rex acceptô pretiô, in servitutis obsequia transcripsit*: vendere est, vel, Suetonii *in Tito*, *c.* 8. phrasi, *subjicere in servos.* Ita Seneca, *Thyeste, Actu* 1. *v.* 13. *In quod malum transcribor?* Ambrosius, *de Officiis, l.* 2. *c.* 16. *Neque transcribatur vita pauperum, in spolia fraudulentorum. Vide eundem; l.* 3. *c.* 9. item *de Incarnationis Domini sacramento*, & *Ep.* 36. at plura de verbo hoc, apud Joh. Frid. Gronov. *Observat. in Scriptores Eccles. c.* 26. & suprà in voce *Rescribi.*

TRANSCUDANI, populi Hispaniæ Lusitanicæ, juxta Cudam fluv. Horum tractus nunc *Ribera de Coa*, *Jac. Vasconcello.*

TRANSDUCTA, seu TRADUCTA, Græcè Τρανσδοῦκτα, apud *Ptol.* Βαιλὼν, Μελλαρία, Τρανσδοῦκτα, Βαρβησόλα, Καρτηΐα: urbs Bæticæ, Pomponio *Tingi altera*; quòd Tingitanos ex Mauritania in eam *transduxerunt* Romani, inde nomen accepit. Sita est inter Cartejam & Mellariam, atque *Julia* cognomen habuit. Plin. *l.* 5. *c.* 1. *princip. Nunc est Tingi, quondam ab Antæo conditum: posteà à Claudio Cæsare, cùm coloniam faceret, appellatum Julia Traducta*, ad quem locum vide Salmas. *Exercitat. Plin. ad Solin. p.* 188. ubi inter alia, non à Claudio, sed à Julio, cognomen illud accepisse docet.

TRANSENNA, apud Paulinum, *Ep.* 12. ad Sev. ubi *transennæ pellucentis* meminit, janua est opere reticulatô seu cancellatô facta, per quam aspectus utcunque *transit*, unde nomen, & phrasis, *per transennam aspicere.* Cicer. *de Orat. l.* 1. *c.* 35. *Nunc pene a Crasso, ut illam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco quasi per transennam prætereuntes strictim aspeximus.* Visum nempe transmittunt ejusmodi fenestræ *διαυγεῖς* seu cancelli, sed satis obscurum & incertum: unde quæ non plenè, nec planè videmus, *quasi per transennam* & strictim aspicere dicimur. Græcis *κιγκλίς*, item *κάγκελλος*, *Suidæ* porrò *διαυγὲς*, *διαφανὲς*, *διόπτριον*, *transenna.* Unde *diatricam speciem* paulo pòst Paulinus vocat, quam *transennam pellucentem* prius dixerat. *Zelosies* hodie vocant Galli &c. Et quidem apponebantur hujusmodi clathri vel integris foribus, vel summis solùm, ut per eos prospicerentur, qui fores pulsaverant, antequàm recluderetur ostium. Quô posteriore modô capit, in historia Paschatis, Bochartus vocem Hebræam משקוף, quam communiter *superliminare* reddunt, Exod. *c.* 12. *v.* 22. *Tum acceptum fasciculum hyssopi intingetis in sanguine ipsius --- & admovebitis superliminari, duobusque postibus de sanguine illo.* Vide eum *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 50. Erat autem *transennæ* in ædibus privatorum, in Circo, in Templis: Et quidem *transennas* infima Latinitatis ætas dixit septa cancellatô opere facta, quibus Sanctuarii locus, & ædis intimum, à reliquis partibus discriminabatur, ut videre est apud *Anastasium* passim, & suprà ubi de *Cancellis*, item in voce *Caula*: plura hanc in rem verò apud Salmas. *ad Solin. p.* 921. & 922. Sed & *Transenna*, apud Plautum, machina est, ut crates, capiendis turdis, reticulatô itidem opere facta. Ita enim is, *Bacch. act.* 4. *sc.* 6. *v.* 22.

Nunc ab transenna turdus lumbricum petit,
Pendebit hodie pulchrè, ita intendi tenus.

Idem *ibid.* Vide quoque Brodæum, *Miscellan. l.* 4. *c.* 19. & Christ. Becmannum, *Origin. L. L.* nec non supra ubi de *Perdice venatore.*

TRANSFIGURATIO Domini, Græcè Ἁγία Μεταμόρφωσις, festivitatis nomen, quæ in Ecclesia Latina & Græca, apud Maronitas item, magnâ solennitate celebratur, in memoriam *Transfigurationis* Christi, in monte factæ, cujus historiam habes Matth. *c.* 17. *v.* 1. *s.* Et quidem in Ecclesia Latina, *Officium hujus Festi, cum indulgentiis copiosis, ad similitudinem Festi Corporis Christi --- occasione insignis obtentæ victoriæ contra Turcas in Hungaria ordinavit Calixtus* III. A. C. 1456. uti legimus apud Dominic. Macrum, qui etiam *hâc die recentem uvam benedici*, aliaque complura, huc pertinentia, addit *in Hierolex.* præsertim quæ apud Maronitas, in Libano monte, hoc festum peragentes, observavit. Græci, qui jejunium 15. dierum, ante Virginis Assumtionem, quod Festo quoque nomen, non minùs, ac reliqua sua jejunia, rigidè observant, in die tamen τῆς Μεταμορφώσεως, qui durante hôc jejuniô, incidit, ob illius lætitiam, piscibus vescuntur &c. *Ibid.* Vide suprà. *Metamorphosis.*

TRANSFUGA, qui ad hostes *transit*, Duce suô castrisque, quæ sequutus fuerat, desertis. Cujusmodi hominibus jus postliminii apud Romanos negatum, *l. postlimin.* §. *transfuga.* Germani veteres dextras amputabant: Calphurnius Piso Conf. tunicatos discinctosque, per totum diem, cum decempedis cespitem portantes, ante Prætorium stare, vel obsoletâ togâ & tunicâ discinctâ, nudis pedibus ante principia adesse, præcepit: Q. Fabius, bellô Carthaginensi, manus itidem præcidit: Datames memorabili astu penitùs concidit &c. Vide de hoc ultimo Corn. Nepotem, in *Vita* ejus, *c.* 6. & de reliquis Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 13. Sed & hostium *transfugas* Romani detractis armis, ne quid insidiarum simulatâ transitione moliri possent, in postremam aciem rejicere solebant, nec illis quidquam credebant ampliùs, uti ex eodem discimus *l.* 4. *c.* 7. Vide quoque Hug. Grotium, *de jure Belli & Pac.* passim, inprimis, *l.* 3. *c.* 1. ubi de quæstione, *an Transfugas admittere liceat?* & *l. eod. c.* 20. ubi de alia inde consequente, *an reddendi?* At de *Transfugis Servis*, vide suprà, in voce *Fugitivus.*

TRANSIRE, per alterius terras & flumina & partem maris, si qua in proprietatem populi alicujus venit, omnino licet eis qui transitu ad causas justas habent opus; putà quia suis finibus expulsi quærunt, terras vacuas, aut quia commercium expetunt cum gente sepositâ, aut etiam quia, quod suum est, justô bellô petunt. Sic Moses, cùm *transeundum* haberet per alienos fines, primùm Idumæo, deinde Emorræo, has tulit leges, iturum se viâ regiâ, nec deflexurum ad possessiones privatas. Si qua re ipsorum opus haberet, justum pretium eis persoluturum. Quæ conditiones cùm repudiarentur, justum eô nomine bellum intulit Emorræo: *Innoxius enim transitus denegabatur, qui jure humanæ societatis, æquissimè patere debebat*, Augustin. *l. qu.* 4. *super Num. ad c.* 20. Postulandus autem priùs transitus, qui si negetur, tum demum vindicari potest, ut exemplô hôcce liquet: nam & qui fores alienas pulset, non intrare, nisi domini permissu, denuntiant Cimoni, suppetias Lacedæmoniis laturo, & per agrum suum copias traducenti, Corinthii, apud Plut. in *Vita* ejus. Sic Agesilaus, ex Asia rediens, cùm ad Troadem venisset, interrogat, ut amicum se, an ut hostem, transire vellent, apud Plut. eundem *Apophth.* Et Lysander Bœotios, rectis se hastis, transire vellent, an inclinatis, apud *eund.*. Idem Agesilaus, cùm à Rege Macedonum transitum postulâsset atque is consultaturum dixisset se: *Consultet*, inquit, *nos intereà transibimus* &c. Interim rationes cavendi sunt, ut divisis manibus transmittantur copiæ; ut inermes, quod Agrippinenses Germanis dicebant, apud Tacitum, *Histor. l.* 4. quem morem antiquitus in Eleorum regione observatum notat Strabo, *l.* 8. Porrò, ut impensâ transeuntis is, qui transitum concedit, sibi præsidia idonea conducat, ut obsides dentur, quod à Demetrio Seleucus postulabat, ut eum intra sui imperii fines subsistere sineret &c. At si injustum moveat bellum, qui transire vult, si hostes nostros secum ducat, jure negabimus transitum: cùm & in suo ipsius solo ei occurrere, atque iter impedire, tum fas esset. Neque verò personis tantùm, sed & mercibus *transitus* debetur. Nam quò minùs gens quæque cum quavis gente sepositâ commercium colat, impediendi nemini jus est: Ad præstandam autem securitatem mercibus, oneraque, quæ ob hoc sustinentur, compensanda, vectigal aliquid mercibus imponi potest, dum modus causæ non excedatur, cujus rei Phylarchos Arabum incusat Strabo, *l.* 16. uti diximus suprà *de Commercus.* De utroque *transitu* vide plura apud Hug. Grotium, *de Jure Belli & Pacis*, *l.* 2. *c.* 2. §. 13. & 14. uti de *Transitionibus pervius* urbis Romæ, suprà voce *Janus*, & de alia notione verbi, quâ idem sonat, quod *percurrere sive lectione sive oratione*, apud A. Gellium, *c. ult.* aliosque Scriptores Latinos, imitantes hâc parte Græcos, quibus διέρχεσθαι idem sæpissime denotat.

tur, Casaubon. *ad Suet. Aug. c.* 56. aliquid etiam infrà voce *Vanus.* Apud Scriptores Christianos *transire*, pro obire, frequens: uti inter alia docet Car. du Fresne ex vetere *Inscr.* Viennæ: TRANSIIT SUB DIE ---- OBRIS FAUSTO VIRO. C. ------ COSS.. PROSTERNUNTUR MILITE COELI. Hinc *transitus S. Martini*, apud Gregorium Turonens. non semel. Vide eum in *Glossar.*. At *Transitorium*, appellatur in Ritu Ambrosiano, Missæ antiphona, quæ in reliqua Ecclesia Romana *Communio* dicitur, *quia tunc ad Epistolæ cornu fit transitus, quemadmodum in Ritu Romano etiam observatur*, verba sunt Dominici Macri *in Hierolex.*

TRANS-ISSALANIA, vulgò *Over-Yssel*, provinc. satis ampla Belgii uniti, versus German. in tres partes divisa, nempe Drentiam *Drente*, ad Boream, Salandiam *Salland*, quæ media est, & Twentiam *Twente*. Olim sub Episcopo Ultrajectino, posteà sub Henrico Bavaro, Carolo V. cessa, A. C. 1527. Belgarum fœderi dein accessit: occupata A. C. 1672. ab Episcopo Monasteriensi, Galliæ Regis milite, sed paulo pòst recepta est. Terminatur ab Ortu Diœcesi Monasteriensi; à Septentrione Frisiâ Occidentali & dominiô Gröningensi; ab Occasu mari Austrinô & Geldriâ inferiore, & à Meridie Comitatu Zutphaniæ. Ejus Urbes præcipuæ, Daventria, Swolla, Campi & Covardia. Hîc Franci veteres, *Adr. Junio.*

TRANSITUS Israël, quô loci per siccum Jordanis alveum, aquis à dextra ingredientium consistentibus, cùm, quæ à sinistris erant, in mare mortuum omnes defluxissent, latissimâ viâ, magnô Dei miraculô, in terram promissionis transierant Israëlitæ.

TRANSITUS, seu *Fretum Brouerii*, aut *Cerevisiæ coctoris*, Belgis *het Browers passage*, Gall. *le passage de Brasseur*, pars maris Australis ad Ortum Freti Maires, & Ins. Statuum detecta & lustrata A.C. 1643. ab Henrico *le Brasseur*, Præfecto classis Batavæ, dum in Cilem tenderet.

TRANSLATIO, inter veterum pœnas, vide suprà *Pœna.*

TRANSLATITIUM Funus, vide suprà *Funus.*

TRANSLATUM, Græcè Ἐγκύκλημα, nomen machinæ, in scenis Veter. de qua vide suprà, in voce *Exostra*, item *Tralatitium.*

TRANSLERO, Insula parva & saxosa Galliæ, à situ, quòd ultra Leronem Insul. posita est, dicta. Corruptè *Terra de Liera* vocatur, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*.

TRANSLUCIDI Lapides, apud Plin. *l.* 36. *c.* 22. Vide *Phengites.*

TRANSLUCUM, locus Daciæ Ripensis. *Lib. Notit.* Gall. *Laudtuberwaldt Ortelio.*

TRANSMARISCA, *Lib. Not.* Lazio *Marice*, oppid. Mysiæ inferioris cis Dorostorum, ab eo 25. mill. pass. in Occasum *Tramarisca Ptol.*

TRANSMONTANA, provinc. *Tralos montes*, pars Portugalliæ, inter Gallæciam ad Boream & Durium fluv. ad Meridiem, uti inter regnum Legionis ad Ortum, & provinciam inter Durium & Minium ad Occasum. Ejus urbes præcipuæ Miranda Durii & Bragantia.

TRASPADANI, populi Galliæ Transpadanæ, ubi Insubres, Cenomani & Veneti. Vide *Gallia Transpadana.*

TRANSSYLVANIA, vel ULTRASYLVANIA, quæ & *Pannodacia*, & *Dacia* Ripensis, vulgò *Sibenburgen*, à septem urbibus, quas Saxones, qui è Germania illuc se receperant, ibi condidérunt, dicitur, pars fuit olim Daciæ, & extrema ejus regionis trans montes Carpathios ad Axiacum fluv. usque producta. Hanc cingunt 2. Walachiæ, Transalpina & Moldavia: illa Danubio, hæc mari Euxino admota; utraque cum Transylvaniâ, eam Europæ nunc occupant partem, quæ olim Daciæ erat. Hanc plurimæ gentes, Saxones inprimis, excoluêre. Romani dein, sub Trajano, hîc rerum potiti. Vide Bonfin. *l.* 1. *rerum Hungaricarum. Baudrando* pars est antiqui regni Hungariæ, sed A. C. 1541. ab eo post cladem Mohaczensem, seculô præteritô separata fuit, à Joanne Scepusiensi Rege, à quo eô tempore Principes habet proprios, electivos tamen, & sub clientela Turcarum. Sequuntur Religionem reformatam, sub Principe pientissimo; quamvis multi adhuc Græcæ religioni addicti, non pauci quoque Lutherani, Socinianorum etiam nonnulli ibi degant. Terminatur à Septentrione Russiâ nigrâ; ab Ortu Moldaviâ & Valachiâ, ab Occasu Hungariâ; à Meridie partim Hungariâ, partim Valachiâ. Extenditur ab Ortu in Occasum per 200. mill. pass. Fuêre hîc olim Jazyges, Metanastæ, Getæ, Bastarnæ, Sarmatæ, Græci, Romani, Scythæ, Saxones & Hungari. Hodiè incolæ in Saxones, Ciculos & Hungaros, distinguuntur, quibus & Walachi, licèt in fæce plebis tantùm & locis magis desertis, se intermiscent. Scaturiunt ibi aquæ acidæ, quæ fermè vini referunt saporem; aliæ, quarum aquæ mox in petras vertuntur: rivuli item, qui quamprimum è fonte suo emanârunt, ligna aliaque petreis crustis obducunt. Caput totius regionis est Cibinium, *Hermanstadt*, sedes Principis, qui præter titulum Transylvaniæ, inscribitur quoque *Comes Siculorum & Partium Hungariæ Dominus*: Tributum is pendit Turcarum Imperatori; quod initio quidem fuit 10000. aureorum; Rakocius dein A. C. 1646. jussus est pendere 15000. Apafio tandem initiô regni injuncti fuerunt 80000. Imperialium, quorum pars posteà remissa dicitur. Principum series à tempore Johannis, qui, cùm Ferdinando, cum quo de Hungariæ regno decertaverat, imparem se sensisset, ad Turcam confugit, primus ejus beneficiarius factus, hæc est: Ei successit Joh. Sigismundus filius mortuus A. C. 1571. ætat. 32. in quo Zapolitanorum Comitum familia, quam Johannes Huniades & Matthias Corvinus olim tantoperè extulerant, delata est. Eum excepit Stephanus Bathorius, qui ad regnum Polonicum evectus, fratri Christophoro Principatum concessit, mortuo A. C. 1579. Secuti Sigismundus Bathorius, Stephanus Botskai, Gabriel Bathorius, Gabriel Bethlenius, Georgius Rakocius I. Georgius Rakocius II. à quo cùm Transylvania motibus Turcicis involuta esset, successêrunt brevi tempore Franciscus Redei, Achatius Barscai, Joh. Kemeny, qui antè exercitus Rakociani in Polonia Generalis, inde carcere Crimensi aliquandiu detentus fuerat. Denique Michaël Apafi, A. C. 1661. principatum nactus est. Hic carceris Crimensis cum Kemenyo socius, matronæ Turcicæ miseratione inde liberatus dicitur, quæ fidem matrimonii ab eo pacta, brevi post obiit. De jure Principes Transylvaniæ dandi, post diuturnam litem, transegit Matthias Imper. cum Achmete Turcico, A. C. 1614. Cibinium, cujus suprà mentio, à pagis Reg. 18. tributariis describitur: Eodemque pertinent ab incolis dictæ *septem sedes Saxonicæ*, quibus tamen Hungarorum Nobilium pagi passim interjacent. Suntque illæ Zawariensis sedes; Zabesiensis, quæ Zabetum civitatem habet cum vicis Regiis 5. Reusmarck sedes cum pagis 10. Segesburgensis sedes, cum pagis 16. Olezna cum pagis 12. Schenckerstul cum pagis 22. & Rupensis cum pagis 15. Præter has septem sedes & aliæ duæ separatæ sunt, quarum caput est civitas Megiensis. Ciculi in angulo Daciæ Moldaviæ contiguo habitant, & distinguuntur itidem in septem sedes: *Septi, Orbai, Kysdi, Cryck, Gyrgio, Marcus Zeck*, & *Arwyas Zeck*. Videantur Georg. Reicherstorf. Ferdinandi I. Secretarius, *in Chorographia Transsylv.* Martin. Fumæus *Histor. gen. Hung. & Transsyl.* Ascanius Centerius. *Comm. belli Transsyl.* Cirus Spontonus, *Hist. Transsylv.* inprimis Betlenius *Hist. Transylv. rer. &c.*

Transsylvaniæ Urbes præcipuæ:

Alba Julia, *Gula feirwar* incolis, *Weissenburg* Germanis.
Bistricia, *Bersterze* incolis, *Nosenstat* Germanis.
Cibinium, *Zeben* incolis, *Hermanstat* Germanis, regionis caput.
Claudiopolis, *Colosvar* incolis, *Clausenburg* Germanis.
Julia, *Giula*, & *Gula*.
Mediesus, *Medgies* incolis, *Medwisch* Germanis.
Sciburgium, *Segeswar* incolis, *Schiesburg* Germanis.
Stephanopolis, *Brassow* incolis, *Cronstat* Germanis.
Varadinum, *Varadin* incolis, *Wardeyn* Germanis.

TRANSTIBERINA, regio urbis Romæ, in qua Vaticanus mons. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 109. *v.* 2.

Pulchra quidem, verum Transtiberina domus.

Vulgò *Trastevere. Baudrando* pars urbis Romæ, in Hetruria, trans Tyberim, ad radices montis Janiculi, inter ipsum & Tyberim.

TRANSTIBERINA Venditio, pœna olim apud Romanos debitorum, qui solvendo non essent. Ita enim A. Gellius, *l.* 20. *c.* 1. *Tertiis autem Nundinis capite pœnas dabant, aut* trans Tiberim *peregrè venum ibant.* Ubi Hadr. Turnebus, *Advers. l.* 24. *c.* 43. rectè significari putat, legem & conditionem venditionis iniquiorem, ut extra fines, qui venditus est, serviat, non in agro Romano; cùm *Transtiberina* regio extra agrum Romanum propriè dicta esset, & in eo genere agri, qui peregrinus habebatur, censeretur jamque attribueretur Etruriæ. Unde hoc venditionis genus atrocius erat & durius, quod Græci πωλεῖν ἐπ' ἐξαγωγῇ dicebant, quod erat hâc lege ac conditione vendere, ut extra fines mancipiorum educeretur & serviret. Salmas. verò *de Modo Usurar. c.* 17. existimat, hanc *Transtiberinam* debitorum venditionem non magis locum unquam Romæ habuisse, quàm ipsam eorum sectionem, de qua Gellius *paulo pòst*, quam lege XII. Tabb. permissam quidem, nunquam tamen factam fuisse, ipse mox scribit. Inter tot enim querelas nexorum, quæ apud Livium & Dionysium Halicarnasseum habentur, non magis ulla de hujusmodi venditione, quàm de capitis supplicio aut sectione in partes, mentio. Addicti enim nexique omnes apud præfatos Autores, nihil plus quàm servitutem suam complorant, cruciatus item, tormenta, vincula, ergastulum, carnificinam; nusquam autem conqueruntur de venditione trans Tiberim facta, aut de capitis pœna, aut de dissectione corporis inter creditores: quæ tria tamen magnam poterant invidiam facere Patribus, qui inopem plebem, ære alienô oppressam addictam sibi obnoxiamque habebant. Vide quoque Jac. Oiselium, *Not. in Gellium loco cit.* Interim, quòd hoc nunquam factum fuerit, id creditorum humanitati potiùs imputandum, quàm pœnæ sævitiæ atque immanitati. Neminem enim pœnæ atrocitate fuisse deterritum, arguit multitudo vinctorum: Ad hoc autem vinciebantur, ut postquam apud Creditorem in vinculis fuissent, post Trinundinum capite pœnas darent, aut trans Tiberim peregrè venum irent; aut si plures essent creditores, in partes secarentur. Idem *paulo pòst*: Vide quoque suprà *Antipolis.*

TRANSTRA navium, ex ebore in buxo, Ezech. *c.* 27. *v.* 6. Vide suprà *Ebur.*

TRANSVECTIO, apud Romanos, Equitum dicebatur census. Primitus enim, duo tantùm civium fuêre ordines, *Senatorius & Plebejus*: Posteà *Equester* ordo additus, *post clarissimatum locum obtinuit*, verba sunt Asconii Pædiani *in Divinat.* eratque velut medius quidam inter Senatum Populumque, adeò ut cum iis communicata sint judicia publica. Hos autem tres ordines certum est, censu, jure nominibusque fuisse distinctos, ut inprimis discimus ex Claudiano, *de laudibus Stilichonis, l.* 3. Primusque omnium census præfinitus erat Equiti Rom. teste Senecâ *de Benefic. l.* 3. *c.* 7. unde conqueritur Plin. *l.* 14. *præfat. Senatorem censu legi, Judicem censu fieri.* Erat verò is HS. quadringenta, ut Hotomanno probatum, *Antiqq. Rom. l.* 4. Sueton. *Patrimonium equitum* vocat, *in Cæs. c.* 33. Quò respiciens Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 26. *v.* 1. ait,

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge.

Et secundùm hunc censum in album, Græcè λεύκωμα, referebantur, nempe Equites Romani. Namque & in municipiis ac provinciis fuisse ordinem Equestrem, docet Juvenalis. *Sat.* 8. Sed hi longè inferioris erant dignitatis. Equites enim Romani, qui pro censu

in Equestrem ordinem à Censoribus legebantur, equum ab iis accipiebant publicum, & annolum aureum, qui eos à Plebe distingueret: cœterùm *promiscuè cum Senatoribus habitu* utebantur, ut notat Pett. Faber *Sanjorian. l. 1. Semestr. c. 2.* nisi quòd angustô ab illis clavô discernerentur. Publici equi meminit Inscr. M. *Bœbio. M. F. Q. N. Arn. Suetrio. Marcello, equo publico. Æd. Q. IIII. vir. I. D. IIII. quin II. patrono. munic. Flamini. Divi. Vespasiani. M. Bœbius, Suetrius. Marcellus. &. Suetria. Rufa. optimo. huic. Decuriones, funus. publicum. statuam. equestrem. clypeum. argenteum. locum. sepulturæ. decreverunt. urbanæ. statuam. pedestrem.* Romæ in horto Baptistæ Jacobi, Lazius, *l. 5. c. 17. D. M. M. Atinio. Æ. F. Pal. Paterno scribæ. ædil. Curul. hon. usus. ab Imp. equo. public. Honor. Præfect. coh. II. Bracar. Augustan. Trib. mil. leg. X. fretensis. à Divo. Trajano. in. expeditione. Parthica. donis. donat.* Quamvis non Equites tantùm, sed & Sacerdotes, equô publicô donati consuevisse, docet Val. Max. *l. 4. c. 1. ex. 10.* Flamines item, eosque quorum virtus in bellicis expeditionibus, aut fides in pacis actionibus, probata esset; uti discimus ex marmore vetusto, apud Onuph. Panvinium *de Civ. Rom.* Prima tamen origo indubiè à Censoribus, qui Equites publicô donabant equô. M. Cicero *Orat. 6. Anton.* *Sed hæc una statua, altera ab equitibus Rom. equo publico, qui item adscribunt, PATRONO: quem unquam iste ordo patronum adoptavit? Si quem unquam habuit, debuit me.* Privatô autem is sumptu nutriendus erat, adeò, *ut qui strigosum aut malè habitum equum in censu agendo duceret, multaretur & equô illô privaretur*, A. Gellius, *l. 4. c. ult.* qui census dicebatur *Transvectio*; quam desuetam, post longam intercapedinem, reduxit Augustus apud Suetonium, *c. 38.* Idem, *Calig. c. 16. Severè, curiosè, nec sine moderatione Equites C. Caligula recognovit, palàm ademptô equô, quibus aut probri aliquid aut ignominiæ inesset: eorum, qui minore culpâ tenerentur, nominibus modò in recitatione præteritis.* Ejusdem ritus meminit Val. Max. *loc. cit.* de P. *Scipione posteriore. Centurias recognoscens Equitum, postquam C. Licinium Sacerdotem citatum processisse animadvertit, dixit illum se scire verbis conceptis pejerâsse; proinde si quis eum accusare vellet, usurum testimoniô suô, sed nullô ad id negotium accedente; Traduc equum, inquit, Sacerdos, ac lucrifac Censoriam notam, ne ego in tua persona & accusatoris & testis & Censoris & Judicis partes egisse videar.* E quo loca varia huc facientia notavimus jam suprà, voce *Eques*: ubi & de tempore *Transvectionis* & equorum habitu. Ipsi vero Equites trabeati & oleaginâ coronâ insignes, equis insidebant, atque ab æde Honoris in Capitolium transibant, primô consuetudinis hujus Autore Q. Fabiô Rullianô. Aur. Victor. *de Viris Illustr. c. 3. Hic primus instituit, ut Equites Romani Idibus Quintilibus ab Æde Honoris, equis insidentes, in Capitolium transirent.* Quò respiciens Ulpianus, negat, *eum, qui equô publicô in Capitolium transvehitur, in jus vocari posse, c. 2. de in jus voc.* Dionysius tamen Halicarn. de hoc ritu paulo aliter scribens, institutum eum esse ait, in honorem Castoris & Pollucis, atque in memoriam victoriæ, quam Romani ex bello cum Latinis populis ann. Urb. Cond. 357. A. Posthumiô, T. Virginiô Consulib. annô 14. liberæ Reip. reportârint, quamque Castor & Pollux equestri habitu & equis vecti Romæ annuntiaverint: *Ejus mirificæ apparitionis Numinum in urbe multa extant monumenta &c. Præter omnia verò post sacrificium* Transvectio *eorum, qui equos habent ex publico, qui per Tribus & Centurias distincti, ordine in equis vehuntur omnes, quasi è pugna redeant, coronati fronde oleaginâ & togis palmatis amicti, quas vocant Trabeas; initiô pompæ factô de æde Martis, quæ extra Urbem sita est & pertranseuntes cùm cæteras Urbis partes, tum Forum, ædemque Castorum, nonnunquam quinque hominum millia, gerentes quidquid donorum militarium acceperunt.* Confundit hanc *Transvectionem* Equitum, cum eorum censione Sigonius; cùm ad locum Livii *l. 9. extremô*, ubi de Q. Fabii instituto agitur, putat Livium id significare, de quo Plut. *in Pompejo*, ad sedentes in Foro Censores, unumquemque Equitem equum suum adduxisse & de stipendiis legitimis confectis interrogantes rationem iis reddidisse, referens. Non enim Fabius, Equites censeri, sed *transvehi*, instituit: quamvis *Transvectio* posteà pro Censu, per tralationem, sumpta sit. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 1. c. 17. & l. 4. c. 11. cum Paralipom.* Dempsteri. De *Transvectione* hac ita Martialis, *l. 5. Epigr. 43. v. 4.*

> *Theatra loqueris, & gradus, & Edicta,*
> *Trabeasque & Idus, fibulasque censusque,*
> *Et pumicata pauperes manu monstras,*
> *Sedere in Equitum liceat an tibi scamnis,*
> *Videbo, Didyme.*

Vide quoque suprà *Pompa*.

TRANSVERSARIÆ Trabes, in suppliciis Martyrum, memorantur Cypriano, *Ep. 77. O pedes compedibus & transversariis cunctabundi, sed celeriter ad Christum gloriosô itinere cursuri.* Et Gregorio Turonensi, *de Vitis Patrum, c. 7. Trabes illa quâ vinctorum pedes coarctantur.* Trabes scil. erant quibus eorum, qui in *cippo* seu ἐν τῷ ξύλῳ positi erant, pedes constringebantur. Vide Car. du Fresne *ad Joinvillam Dissertat. 19.* & suprà in vocibus, *Cippus*, *Nervus*, alibi.

TRANUM Latinis vocatur, urbs Peucetiæ Apuliæ Archiepiscopalis quam vernaculè *Trani* dicunt. *Volaterranus* ait nonnullis Plinii *Trinium* dici, (Plinio tamen, *l. 3. c. 12.* Trinium fluv. est, non oppid.) olim *Trajanopolis*, à Trajano conditore dicebatur. *Leander.*

TRAONA, oppid. Lombardiæ Transpadanæ ad lævum Abduæ ripæ.

TRAPALANDA, Gallis *Trapalande*, regio parva Americæ Meridionalis, in Tucumania. Aliter *de la Sal*; ad Occasum versus Cilem extensa, inter Cordubam novam ad Ortum, & castrum S. Ludovici ad Occasum.

TRAPETUM, apud Papinium, *l. 2. Sylv. 7. v. 29.*

> *Quæ Tritonide fertiles Athenas*
> *Unctis, Bætica, provocas trapetis:*

Sidonio *trapes*, *Panegyr.*

> ——— *oleique liquores*
> *Ipse per attonitas baccâ pendente trapetas:*

in *Gloss.* ἐλαιῶν μύλος, ἐλαιουργεῖον; *mola olearia* Varroni de *LL. l. 4.* aliis *prelum olearium*, à Græco τρίβω, *tero*; etiam *Orbis* Catoni dicitur, Aristæumque Atheniensem inventorem habet, teste Pliniô, *l. 7. c. 56.* Servabat hoc *Custos* apud Romanos, at expressum eô oleum *Capulator* conchâ ferreâ in labrum fictile transfundebat: ipse autem qui exprimebat, *Prelator* Ennodio appellatur, *l. 9. Ep. 2.* Vide de hujusmodi *Trapetis*, Thom. Demster. *Collectaneis Antiqq. l. 1. c. 14.* Joann. Heringium, *l. de Molendinis c. 6.* Alios, ut & suprà aliquid, in voce *Prelum*, item *Torcular*: Hodie nomen hoc in Italia, & præcipuè in Sicilia, sibi mola illa vindicat, in qua cannæ melleæ (de quibus suprà) conteruntur, ad conficiendum saccharum, uti discimus ex Dominico Macro *in Hierolex.*

TRAPEZA, urbs Arcadiæ, *Steph.* & promontor. Troadis, ubi primum Hellespontus se concitat.

TRAPEZA, Græc. Τράπεζα, quasi Τετράπεζα, à 4. *pedibus*, quæ simplex erat & prisca mensarum forma, *mensa* est: unde *Trapezopœi*, servi mensam curantes; & *Canes Trapezitæ*, de quibus suprà; & *Trapezophorus*, in *l. 3. ff. de supell. leg.* statua pro tripode, ad mensam ferendam. In specie *Mensa Nummulariorum*; unde *Trapezita*, aliis *Danista*, Jureconsultis *Mensæ præpositi*, dicebantur olim, qui pignoribus accipiendis, mutuisque pecuniis dandis, fænerandis, accipiendis, præfecti erant. De quibus vide Pignorium *Comm. de Servis*, Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Τραπεζίτης, & suprà ubi de *Argentariis* ac *Nummulariis*, item voce *Mensa*. Sed & *trapeza*, Extispicinæ Veteris vox erat. Polyænus, *l. 4. c. 19.* ubi de Attalo, Ὁ μάντις ἐπιδείξας τὸν λοβὸν, καὶ τὴν χολὴν, πύλας τε δὴ, καὶ τράπεζαν, καὶ ἄλλα ἄττα σημεῖα καλά... *Haruspex victimæ lobos percurrens, & vesicam fellis, portas quoque & trapezam, & qualibet alia signa inspiciens.* Hesych. Δόλου τράπεζα, ἐπὶ τοῦ ἥπατος, σημεῖον ἐν τῇ θυτικῇ, *Doli trapeza, in jecore, signum in haruspicina*, Alii. Sic autem dixêre maximum jecoris lobum, quòd *mensæ* instar latus esset; qui proin, licèt in plures lobos pecuinum jecur dividatur, κατ' ἐξοχὴν Græcis Interpretibus Exodi *c. 29. v. 13. 22.* & Levit. *passim*, ubi in Hebræo est vox יותרת *jotherith*, λοβὸς τοῦ ἥπατος appellatur. Prope fel esse, discimus ex *Theriacis* Nicandri, *v. 559.*

> ——— ἢ λοβὸν ...
> Ἥπατος ... λοβὸν, ...
> Ἐμφύεται, ... δὲ χολῆς ... κτλ.

Et quidem lobum hunc tam bovini, quàm ovilli, & caprini, jecoris, in Altari sibi adoleri Deus olim voluit, *locis cit.* ut qui in sacrificiis partes victimarum *opimas*, h. e. optimas & pinguissimas sibi selegit, putà in ove caudam, qualem suprà descripsimus & arvinæ quidquid habent externæ partes; & in internis omentum & renes, & si quid aliud adiposum in ventre & extis, usque ad ilia: in quibus illud *jotherith* jecoris, maximus videl. ex jecoris lobis seu augmentis, ut *Avicenna* vocat, in quem incumbit vesica fellis, Arabibus per excellentiam *ziada*, i. e. augmentum, seu *exuberantia*, quod Hebræa vox indigitat, uti Græcis Interpretibus λοβὸς, ut visum, appellatus. Certè & fibris, seu extremitatibus hujusmodi jecoris, suam inesse pinguedinem, cujus ratione potuerint cum aliis pinguioribus in Altari adoleri, vel ex Persio discere est, qui ad fibrarum adipem sic alludit, *Sat. 3. v. 32.*

> *Sed stupet hic vitio, & fibris increvit opimum*
> *Pingue &c.*

Vide hanc in rem plura, apud Sam. Bochartum, *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 45.* ut & suprà quædam, in voce *Adeps*, item *Jecur*.

TRAPEZITÆ, vide suprà *Argentarii*, it. *Mensa Trapezitarum*.

TRAPEZOPÆUS, Athen. *l. 4. c. 23.* id est, mensarum structor: Jubæ τραπεζοποιός, i. e. mensarum adornator, idem quod apud Latinos *Structor*, *Carptor*, *Scissor*, *Diribitor*, *Chironomanta*. Servi hi erant, edocti ut scitè inspectantibus convivis fercula dividerent, L. Senec. *Ep. 47. Cùm ad cœnandum discubuimus, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit, alius pretiosas aves scindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum.* Juvenal. *Sat. 5. v. 120.*

> *Structorem interea, ne qua indignatio desit,*
> *Saltantem spectes, & Chironomanta volanti*
> *Cultello, donec peragat dictata Magistri*
> *Omnia, nec minimo sanè discrimine refert,*
> *Quô gestu lepores, & quô gallina secetur.*

Martial. *l. 10. epigr. 48. v. 15.*

> *Et quæ non egeant ferrô structoris Ofellæ,*
> *Et faba fabrorum, Prototomique rudes.*

Nic. Lloyd.

TRAPEZOPOLIS, urbs Cariæ ad Mæandrum, *Ptolem.* Episcopalis sub Archiepiscopo Laodiceno.

TRAPEZUM, collis Syriæ, Antiochiæ magnæ imminens, *Strab.*

TRAPEZUNTIUS Georgius, vide *Georgius*.

TRAPEZUS, urbs ampla, juxta Pontum Euxinum *Orzenis* olim, Sinopensium colonia, hodie *Trebisonda* Italis, *Trebisonde* Gallis. Vide Steph. & Stuck. *ad Arr. per p. 67.* Baudrando in Cappadocia est, cum

tum portu capaci, in ora maris Euxini, aliquando Græcorum Imperatorum sedes. Vix 40. mill. pass. in Boream à confinio Armeniæ minoris, sed longiùs à majore, 100. à Polemonio in Ortum, 130. ab Absaro in Africum, 55. à limite Colchidis in Occidentem, 70. à Satala in Boream. Imperatores habuit proprios è gente Lascara. per 200. ann. ab A. C. 1261. ad annum 1460. quo sub Davide, à Mahumete II. expugnata & miserè vastata est. Ipsius Imperatori suberant aliàs Cappadocia & Colchis: Hodieque clara est, Satrapæ Turcarum sedes. Vastata à Cosacis, A. C. 1616.

TRAQUENARII Equi, vide infrà *Tricenarii*.

TRARUM, mons *Lycophroni*. *Isacius* dicit Trojanæ regionis esse, *Troron* legit *Scaliger*.

TRASCODRUGITÆ, Hæretici Phrygiô idiomate sic dicti, Macro; qui in Cod. Theodos. *Tascodrocitæ*, Græcis πασσαλορυγχῖται, Latinis *Perticonasati*: describuntur Epiphanio, *Hær.* 84. Vide suprà, ubi de *Passalorhynchitis*.

TRASIMENUS, Vide *Thrasymenus*.

TRASTAMARA, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ Osoriæ Stirpis ramus est. In hac enim Petrus Alvarus, genitus Joanne, majore natu filiô Petri Alvari Osorii (sub Petro R. Comitis *de Villalobos*, & Duc. *de Aguiar*) Comes *de Trastamara* creatus est à Joanne II. quô pactô priores tituli exolevêre. Ipse per quatuor filios, totidem lineas dedit, uti suprà vidimus, ubi de *Osoriis*.

TRASULLUS, Tiberi in scientia Chaldæorum artis, apud Rhodum, Magister. Cujus peritiam quomodo sit expertus Cæsar, vide Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 20. Ejus filius Neroni quoque prædixit imperium. Videtur & de Medicina scripsisse, laudante Pliniô, non uno in loco.

TRASUMENUS, Vide *Trasimenus*.

TRAVADOS, dicunt Lusitani Ecnephias ventosque subitaneos, qui summo cum impetu è nube erumpentes, sursum deorsum omnia vertunt. Sentiuntur frequenter in Oceano Atlantico, inter Brasiliam & Africam, ad Guineam sub Æquatore, ad Loango, ad Caput *Bonæ Spei*. ad Terram de Natal, ad Promuntor. Guardafuy. Horum olim truculentiam magnâ hominum naviumque strage experti sunt Lusitani, antequàm sufficienti Oceani notitiâ imbuti essent, vide Maffejum, *Hist. Ind. l.* 1. Memorabile est, in monte quodam Promuntorii *Bonæ Spei*, Belgis *der Tafelberg* dicto, observari primò minimam nubeculam; mox totam operiri montis latitudinem. Quod simul ac nautæ sentiant, collectis velis à littore recedunt, & alto sese committentes, inevitabilem alioqui tempestatem declinant. E montis vertice enim tam validus ventus emittitur è vestigio, ut nulla tam benè compacta navis sit, quam vis ejus non ex facili frangat. Nec alius generis videntur concitatissimi turbines, quos subinde in Arabiæ desertis itinerantes; imprimis qui Mecham adeunt, experiuntur. Nimirum densa & atra nubes flammeis nubeculis mixta tenebras diei inducit; mox procella erumpit, cujus sævitia licèt brevi remittat, rubram tamen arenam tantâ copiâ in terram mareque spargit, ut integra sæpenumero Mercatorum societas *Caravana* 6000. & amplius hominum, sabulô obruta legatur. Sunt hæc famosa illa maris arenosi pericula, indeque Arabum & Ægyptiorum mumiæ fieri, corporibus illis ardore solari exiccatis, creduntur. Vide Ludov. Vattomannum, *Itiner. l.* 1. *c.* 12. Simile quiddam Typhones sunt illi, *Orkanes* Indis, frequentissimi inter Malaccam & Japoniam: item inter Navazam & Jamaicam Americæ Insulas, Vide Vinc. le Blanc. *Itiner. part.* 2. *c.* 22. Prope Guineam & sub Æquatore, in mari Atlantico, perpetua ferè malacia est, & motio aëris nulla, nisi quam Ecnephiæ subinde cient: quam ob causam Guineæ litora ex Europa in Indiam, vel hinc in Europam navigantes tam cautè devitant. Vide Beemannum, *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 2. *de Hist. Ventorum*.

TRAVANCORIUM, vulgò TRAVANCOR, urbs Malabariæ, fere 60. mill. pass. à Comorino promuntor. in Boream, Coulam versus 50. cum portu capaci.

TRAUCHBURGUM, castrum Germaniæ, in Suevia, sub proprio Comite, ex Familia Dapiferorum seu Truchsessiorum. In Johannis enim, qui decessit A. C. 1403. filiis tribus, lineæ totidem cœpère: prima in Eberhardo, *Sonnenbergensium*; altera in Georgio, *Wolfecciorum*; & tertia in Jacobo, *Scheerensium* Comitum: quæ ultima in duos iterum ramos abiit, quorum priorem Comites *Trauchburgenses in Scheer* constituunt, alterum Comites *de Friedberg & Trauchburg*. Et quidem rami huius progenitores sic habent: Jacobus Truchsessius Dn. *de Waldpurg in Scheer*, ex Ursula (filia Wilhelmi Marchion. Hochberg. & Rœtel defunctâ A. C. 1467.) genuit Johannam, ex Maria Comite Oetingensi, patrem Wilhelmi: quô, & Sibyllâ agnatâ Comite Sonnenbergiâ, natus Wilhelmus, junxit sibi Joannam Comitem Furstenbergiam, atque ex illa suscepit Christophorum, Annæ Comit. itidem Furstenbergiæ maritum: quibus genitus Wilhelmus Henricus Comes *de Friedberg & Scheer*, duxit Julianam Comitem Sultzensem, atque ex ea suscepit Ottonem (natum 1615. cui nupsit Maria Sidonia Schlickia) *Truchsessium* Dn. *de Waldpurg*, Comitem *de Trauchburg & Friedberg* &c. cum Fratribus. In eadem Familia floruit prateritô seculô Gebhardus Archiepiscopus ac Elector Coloniensis, de quo suô locô. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatrô Nobil. Europ. Tom. II. in Ind.* ubi de *Truchsessis*, *Tom. III.* & *Arte Herald. Tom. II.*

TRAUCHENII, populi juxta Pontum, Sindis finitimi, *Steph.*

TRAVERSARIA Via, Gallis *Traverse*, Veter. Kardini maximo respondet, sicut Regia Via, maximo illorum Decumana: & quidem Regiam viam, quæ scil. ab civitate aliqua in aliam civitatem ducit, 40. pedum latitudinem, *Traversariam* 20. habere debere statuunt *Agrimensori*: Rei periti, uti de Decumano & Kardine maximis legimus apud priscos Scriptores, & diximus suprà suô locô: quam in rem vide plura, apud Salmas. *ad Solin. p.* 677. & *seqq.*

TRAULUS *Montanus*, Eques Roman. modestâ juventâ, sed corpore insigni, accitus ultro, noctemque intra unam à Messalina proturbatus erat; paribus lasciviis ad cupidinem & fastidia. Posteà à Claudio mori jussus. Tacit. *l.* 11. *c.* 36.

TRAUN, nomen illustris in Germania Familiæ, de qua vide suprà, voce *Babo*,

TRAUSI, populi, quos Græci *Agathyrsos* vocant, *Steph.*

TRAUSIUS *Campus*, in quo occisos à Queriis Gallos, qui in Italiam transierant, scribit Diod. *in calce l.* 14. Pro *Queriis* Κέριοι est in Græco: in Tuscia videtur.

TREBA, oppidum Latii, apud ortum Anienis, ubi montes Trebani, *Ptolem.* Locus adhuc *Trevi* dicitur.

TREBATIUS, JCtus, Ciceroni familiaris, ut ex ejus *famil. Epp.* patet, *l.* 7. *Trebatii* meminit Horat. *l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 4.

——— *Trebati*,
Quid faciam præscribe, ——

TREBELLIENUS Cajus Annius, Isauri Princeps, tempore Gallieni Imperator proclamari voluit; & successu rerum formidabilis jam evasit, sed à Causisolæo Theodosii, copiarum Gallieni Ducis, fratre, occisus est. Trebellius Pollio, *de* 30. *Tyrann. c.* 26. Meliùs *Trebellianus*, vide Gruterum, Casaub. & Salmas. *Not. ad Vitam ejus.*

TREBELLIENUS Rufus præturâ functus, liberis Cotyis à patruo Rhescuporide sublati tutor & regni administer à Tiberio Cæsare datus. Posteà majestatis postulatus suâ manu cecidit M. Serviliô, C. Cestiô Consulib. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 39.

TREBELLINUS, Bulgarorum Rex, Justinianum Rhinotmetum, imperiô pulsum restituit, A. C. 705. mox ortô de finibus dissidiô, sibi bellum inferentem, ingenti clade affecit; A. C. 708. Paul. Diaconus *Longob. l.* 9.

TREBELLIUS, prænomine *Marcus*, L. Vitellii Syriæ præsidis legatus, cum quatuor millibus legionariorum & delectis auxiliis missus Clitarum nationem Cappadoci Archelao subjectam, & quia Romanum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abscedentem in ordinem redegit Q. Plautiô, Sexto Papiniô Consulib. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 41.

TREBELLIUS Maximus, qui censum per Gallias, tempore Neronis, egit; sed æmulis inter se, per nobilitatem, Volusio atque Africano, eum dum uterque dedignatur, antelatus est, Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 46. Posteà Britanniæ præfuit, sed per avaritiam ac sordes contemptus invisusque exercitui profugit ad Vitellium. Idem *Hist. l.* 1. *c.* 60. & *l.* 2. *c.* 65.

TREBELLIUS Pollio, Historicus Latin. sub Constantio Chloro. Scripsit vitas Imperatorum à Philippis, usque ad Claudium & Quintilium fratrem; interim nobis nihil superest, præter partem Valeriani patris, filii, utriusque Gallieni, & 30. tyrannorum. Exactum eum admodum fuisse, testatur Vopiscus, Gesner. *in Biblioth.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 6.

TREBIA, Galliæ Cisalpinæ fluv. non procul à Placentia, ex Apennino defluens; juxta quem Annibal L. Sempronium Consulem maximâ clade profligavit. Vulgò *la Trebia*, in plures alveos, cùm nivibus aut imbribus intumescit, divisus, difficilisque transvadari. Apud *Polyb.* Τρεβίας ποταμός, corruptè apud *Appian.* Τρεβίας. Sil. *l.* 4. *v.* 486.

——— *Planitiem metuens Trebiamque petebat.*

Lucan. *l.* 2. *v.* 46.

——— *Quòd non in Punica nati*
Tempora Cannarum fuimus Trebiæque juventus.

Item urbs Umbriæ. Item Celtiberorum civitas in Hispania.

TREBIANI Dii, memorantur Arnobio, *adv. Gentes l.* 3. *sub fin.* *Novensiles Musæ sunt*, Trebiani *quinimo Dii sunt*: quibus ab urbe Trebia de qua suô locô nomen. Ita enim idem suprà, *Piso Deos credit esse novem in Sabinis apud* Trebiam *constitutos*; ubi Desid. Heraldum vide.

TREBIATES, Umbriæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 14. quorum Urbs *Trebia*. Nunc Trevi.

TREBINNA, vide ubi de *Mauricia Familia*.

TREBIUS Gallus, prænomine *Marcus*, Eques Romanus, tribunus militum in legione septimâ C. Julii Cæsaris, à P. Crasso frumenti commeatusque causâ missus in Curiosolitos & ibidem retentus. Cæs. *l.* 2. *Com. c.* 7. 8. Ubi tamen veteres codd. habent *Trebonius Gallus*, cui lectioni suffragatur, teste Fulv. Ursinô vetus inscriptio Romæ.

TREBONIA Lex gemina, à L. *Trebonio* Tribun. Pleb. nomen habet, qui illas tulit Cn. Pompejô M. II. M. Liciniô Crassô II. Consulib. an. Urb. Cond. 698. Et prior quidem fuit, *ut Cæsari imperium in Gallia in aliud quinquennium, quam quod ex Vatinia lege concessum erat, prorogaretur*. Quô pactô Senatui Successoris mittendi potestatem adimebat, Cicer. *l.* 7. 8. 9. 10. *ad Attic.* Plut. *in Pompejo* & *Catone Utic.* Dio, *l.* 39. Florus, *Epitom.* 105. Posterior, *Ut Pompejo M. & Crasso Coss. Syria & Hispania provinciæ in quinquennium darentur*. Plut. *in Pompejo*. Vide Joh. Rosin. *l.* 8. *c.* 8.

TREBONIANUS *Gallus*, limitis Mœsiæ præses, proditis Imperatoris Decii consiliis, auctor ingentis fuit cladis, huic à Gothis illatæ, A. C. 254. Jornand. *de rebus Goth.* Zonaras *tom.* 2. Vide & *Vibius*.

TREBONIUS, pudicæ sanctitatis miles, qui Lusium, Marii ex sorore nepotem, castitati suæ stuprum & insidias molientem interfecit. *Plut.*

TREBONIUS, prænomine *Cajus*, legatus in exercitu C. Julii Cæsaris, Gallos & Britannos oppugnantis. *Comm. l.* 5. *c.* 17. Ad eum exstant Epistolæ Ciceronis *in libris*. Unus fuit ex percussoribus Cæsaris, cùm tamen hic eum præturâ & Consulatu exornâsset. Sed, post cædem Cæsaris, eôdem annô, à Dolabella Smyrnæ in Asia, maximâ ignominiâ affectus & capite punitus est. Alius C. *Trebonius* habetur apud Cæsarem, *l.* 6. *Belli Gall. c.* 39. Eques Roman. Equitum præfectus.

TREBONIUS Garucianus, Procurator Africæ, qui ejusdem provincia

vinciæ Proconsulem Clodium Macrum turbas moventem, jussu Galbæ, occidit. Tacit. *Hist. l.* 1. *c.* 7.

TREBONIUS, prænomine *Lucius* Tribun. Pleb. duas tulit leges, Cn. Pompejô Magnô II. M. Liciniô Crassô II. Consulib. An. Urb. Cond. 688. Prior fuit, ut Cæsari imperium in Gallia, in aliud quinquennium, quàm quod ex Vatinia lege concessum erat, prorogaretur. Ita Senatui successoris mittendi potestatem adimebat, Cicero, *l.* 7. 8. 9. 10. *ad Attic.* Florus *epit.* Plut. *in Pompejo & Catone Utic.* Dio, *l.* 39. Altera fuit, ut Pompejo M. & Crasso Consulib. Syria & Hispania provinciæ in quinquennium darentur, Plut. *in Pompejo.*

TREBUCHETUM, catapultæ species seu machina grandior, ad projiciendos lapides & concutiendos urbium obsessarum muros, apud Monachum Vallis Sarnaji, *c.* 86. Matth. Paris. A. C. 1246. in *Gestis* Ludovici VIII. Regis A. C. 1226. apud Richardum de S. Germano *in Chron.* Alios: German. *Trebock* vel *Tribock*, ut videre est in *Fragm. Histor.* post Albertum Argentin. A. C. 1212. unde *Tribocchus* quoque scribitur, apud Petr. de Vineis *l.* 2. *Ep.* 57. Atque hinc appellatio apud Gallos mansit machinulis suspensis & lapsilibus, ad captandas aviculas fieri solitis, uti docet Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque Jo. Meursium in Τρεμπουζέτον.

TREBULA, oppid. Sabinorum, populi *Trebulani.* Apud hos præstantissimi fiebant casei. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 33.

Trebula nos genuit: commendat gratia duplex,
Sive levi flammâ, sive domamur aquâ.

Vide Plin. *l.* 3. *c.* 5. Fuit Aborigitum urbs, *Monte Leone*, nunc oppidul. ditionis Pontific. in Sabinis, paulo cis Podium S. Laurentii, ubi ad templum S. Victoriæ, insignes extant Trebulanorum inscriptiones, cum vestigiis theatri, aliarumque antiquitatum. Alia fuit *Trebula Suffena*, etiam in Sabinis, quod nunc creditur Montorum, paulo supra Nerulam. *L. Holstenius.* Imò fuisse in Sabinis *Trebulanos Mutuscaos*, & *Trebulanos Suffenates*, oppidaque eorum *Trebulas*, Servio *Tribulas*, notat Joh. Frid. Gronovius, *Observ. in Scriptores Eccl. c.* 20. insuper oppidum hôc nomine in Campania, ad amnem Liternum, cujus cultoribus eôdem annô, quô Arpinatibus, civitas data, teste Liviô, *l.* 10. *c.* 1. addens *p.* 292.

TRECÆ, ARUM, urbs nobilis & potens in Campania Gallicana, *Troye en Champaigne*; Ad Sequanam, caput Comitatus Campaniæ, cum Episcopatu sub Archiepiscopo Senonensi. Aliàs *Tricassis*, *Tricassium*, *Augusta Tricassinorum & Augustobona.* Vide *Ptol.* Plin. *l.* 3. *c.* 4. *Itiner.* Anton. *Amm. Marcellin.* Gregor. *Turonens.* &c. Antiqua admodum, & commerciis florens: Basilica ibi S. Petro sacra magnifica admodùm est. Vetustissimus ejus Præsulum S. Amator habetur: à quo octavus S. Lupus fuit, qui Attilam urbi ruinam minitantem impediit: Normannis tamen posteà cessit in prædam. Verùm à Comite Roberto reparata est. Sedes Comitum Campaniæ fuit, quibus insigne ibi palatium. Præter supra laudatos consule quoque Nic. Camusatum, *Prompt. Antiq. Tricass. Diœc.* Duchesnium *rech. des antiq. des villes.* Sammartan. *Gall. Christ. &c.* Hic Concilium habitum A. C. 867. A. 878. quô Carolus Balbus coronatus est à Johanne IX. &c. Vide Moretum, *Diction. Histor.*

TRECASSES, quorum Urbs Augustobona seu *Trecasses & Trecæ*, vulgò *Troyes*, vide *Tricassini.*

TRECENSIS, Christian. vide *Christianus.*

TRECHEDIPNA, Græc. Τρεχέδειπνα, vestimenta parasitica τρεχόντων εἰς δεῖπνον, *currentium ad cœnam.* Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 27. *c.* 24. *extr.* ex vetere Scholiaste Juvenalis, *ad Sat.* 3. *v.* 67.

Rusticus ille tuus sumit Trechedipna, *Quirine.*

Ubi hic Gallicula ait intelligi parasitorum. Sed in veterib. constanter est *Rechedipna*, quam lectionem & Vetus Interpres tuetur, neque tamen satis explicat: Ita autem is, *Rechedipna*, inquit, *vestimenta parasitica, ut caliculas Grajas currentium ad cœnam. Niceteria. Vestes peregrinas victis* (Pithœus legit *victoribus*, Ferrarius *vitiis*, quòd tunc Græcanicis vitiis corrupti Quirites essent) *convenientes. Vel, Rechedipna est ipse, qui cœnam facit, ut sit ordo. O Quirine, ille tuus rusticus rechedipna sumit, & fert Niceteria collo ceromatico, & est sensus: En tibi ô Romule, rustici tui in omnem diffundi luxum jam didicerunt & palæstris frui & fyllateriis* (*Phylacteriis* corrigit Pithœus) *Nam & Niceteria Syllateria sunt, quæ ob victoriam fiebant & de collo pendentia gestabantur.* In quibus verbis Interpres ineptè, quòd Niceteria collò gestarentur, ideò Phylacteria credidit, sive amuleta, victoriæ causâ sumpta, quæ collò gestabantur olim hodieque gestantur. *Trechedipna* verò quod attinet, licèt Græci *Trechedipnos*, Græcè τρεχεδείπνους. al. ἐπιτραπεζείπνους, in *Gloss. cupidicœnos*, appellârint parasitos, vestes tamen aut caligas ita esse appellatas, non meminisse se ait Ferrarius: Neque enim apud Juvenalem ulla convivii mentio, sed palæstræ, ac ceromatis; ideoque Vetus Interpres, *Ecce*, inquit, *in quantum Romani rustici didicerunt luxuriam, & palæstris uti & Phylacteriis, ut athletæ ad vincendum.* Quare Turnebus, *l.* 3. *c.* 17. *Trechedipna vestes Gymnicas* interpretatur & *Endromidem* intelligit, quòd Juvenalis alibi endromidem & ceroma conjunxerit. Inde autem dicta censet, quòd Romani adeò Gymnasticis exercitationibus fuerint dediti, ut ad eas tanquam ad cœnas currerent. *Quæ notatio*, verba sunt Octav. Ferrarii, *de Re Vestiaria Part.* 2. *l.* 1. *c.* 12. *ut placere non potest, ita melior non succurrit: proin Trechedipna malim vestes Gymnasticas, quam calceos parasiticos interpretari. Nam quòd Rutgersius in Variis Lectionibus vestes peculiaribus familiarum coloribus distinctas intelligit, quas Livreas appellant, nimis argutatur.* Vide quoque suprà, voce *Endromis.*

TRECHUS, vir Ætolus, bellator egregius à Marte in bello interemptus. Homer. *Il.* 5.

TRECORENSES, Armoricæ Britanniæ populi, vulgò *Cantons de Lantriguet.* Quorum urbs *Trecorium*, in parte Boreali cum portu, in ora maris Britannici, 9. leuc. à Brioco in Occasum, Leonam versus 11. & 30. à Rhedonibus in Circium. Ibi aliàs *Osismii.* Vulgò *Treguier* seu *Lantriguet.*

TREIGNACUM, oppid. ditionis Lemovicensis. *Merel.*

TRELCATIUS Lucas, Erino-Atrebas, Duaci curâ materteræ Abbatissæ educatus, Lutetiamque missus, purioris ibi religionis notitiam hausit, ac Mercator primùm, inde Ludi moderator Londini, A. C. 1570. tandem Minister Eccles. Gallicanæ & Theologiæ Prof. Lugduni Batav. creatus, A. C. 1587. obiit A. C. 1602. ætat. 60. Auctor *Synopsis Theologiæ*, & Pater filii cognominis, qui Heidelbergæ primò, annô ætat. 18. dein Genevæ Concionator, Minister tandem & Theologiæ Professor itidem Lugduni Batav. fuit, defunctus A. C. 1607. ætat. 34. Edidit *Institutiones*, *Locos Commun. Tractatum Gall. de Brevitate vitæ*, & *Antidotum contra pestem.* Vide *Vitas Professor. Leidensium.*

TRELLEBURGUM, vulgò TRELLEBORG, oppid. Scaniæ, in ora maris Baltici 3. milliar. German. ab Ellebega in Meridiem, 7. ab Hafnia in Eurum.

TREMELLIUS Emanuel, Ferrariâ Italus, patre Judæô natus, cum Petro Martyre in Germaniam venit, post Heidelbergam ad Hebræam Professionem vocatus. Hic Syriacam editionem latinitate donavit, dein novam V. T. ad Hebraicæ veritatis fontes examinatam translationem molitus est, sociô tanti laboris ascitô Juniô, qui post obitum Tremellii, A. C. 1580. ferè septuagenarii, eandem editionem, in opere alieno plus justo ingeniosus, recensuit, & additis multis auctiorem reddidit. Vide Thuan. *Histor. l.* 71. Edidit quoque *in Biblia Annotiones Marginales & Interpretationem in Hoseam*, in octav. Genevæ, A. C. 1563. plura in *Elogiis* Teisserii.

TREMELLIUS, Scropha, vide *ibi.*

TREMETUS, vulgò TREMITI, Insul. satis ampla, Diomedæarum præcipua. Vix 15. mill. pass. ab ora Apuliæ. Cum castro permunito in colle, & monasterio insigni. Dicitur aliquando *S. Nicola.* Eidem adjacent duæ aliæ præcipuæ nempe *S. Domino & la Caprara.*

TREMILE, Lycia olim sic dicta, & populi *Tremilenses. Steph.*

TREMISSIS, pro TRESSI, seu tertia parte assis, vox inferioris ævi, occurrit primùm apud Capitolin. *in Alexandro Sev. c.* 39. *Vectigalia publica in id contraxit, ut, qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem aurei præstarent, hoc est, tricesimam partem, tuncque primùm* tremisses *aureorum formati sunt, quum ad tertiam partem aurei vectigal desedisset.* Nempe Alexander, redactis præstationibus ad tertiam auri partem, ut facilitati ac commoditati solutionis consuleret, *tremisses* cudi jussit, nec enim aliter facilè aut commodè poterat hæc solutio expediri: cùm, aureô tunc viginti quinque minutis argenteis æstimatô, tertia pars auri in argenteis ad justam & exactam rationem ægrè posset inveniri. *Solidum* autem & *assem*, item *solidum aureum & assem aureum*, tum pro eodem dixêre, quòd *assis & aurei* idem planè pondus esset. Ab eo tempore vox Scriptoribus frequens ac præsertim in Concilio Carthag. IV. in Cod. utroque, in *LL.* Barbaricis, Ripuariâ maximè, ubi *tremissis* constare dicitur quatuor denariis, quòd solidus 12. denariorum esset: prætereà apud Gregorium M. Paul. Warnefridum, Leonem Ostiensem, Alios. *Tremesium* vocat Anastasius *in Celestino*, *Sylvestro*, *alibi*, more Græcorum illius ævi, quibus, ut *illustris* Ἰλλούστριος, *perennis* Περέννιος, sic *tremissis* τριμίσσιος, appellatus est. Cœterùm ad imitationem *semissis*, vox hæc excogitata, magis Latinè *triens* dicitur, in *Claudio* Treb. Pollionis, duobus tributre locis &c. Vide Salmas. *ad Lampridii locum*, & Car. du Fresne, *Dissertatione de inferioris ævi Numismatibus num.* 86.

TREMITHUS, seu TREMETHUS, *Ptol.* Cypri pagus, cui Nicosia successisse traditur, nunc totius insul. metropolis in ora Boreali. Vide *Steph.*

TREMOLLIA, vel TREMOLIA, vulgò LA TREMOUILLE, nomen Principatus, in Gallia; olim Dominii. Fuére autem *Henrici de Tremolia*, A. C. 1647. hi tituli: *Henricus Tremoliæ Dominus, Toarcii Dux & Par, Turris Talemundi Princeps, Spineti Marchio; Vallis; Montis Fortis, Gisnarum, Benaonis, Taliaburgi & Jonvellæ Comes; Redonum Vicecomes; Vitreji (Vitré en Bretagne) Mali Leonis, Turris Berugiæ ac Didonæ Baro.* Hadr. Vales. in voce *Turris Talemundi.* Inter illustres in Francia stirpes meritò familia *Tremollia* jam diu memoratur, & ob jura, quæ prætendit in successionem Friderici Aragonii Regis Neapolitani, singulari ante multas alias prærogativâ in patrio regno gaudet. Deductio ejus continua ostenditur à Petro Domino *de la Trimouille* A. C. 1046. Seculô decimô quartô Comitatus de *Joigny* in illam illatus est, sed mox iterum inde emigravit. Circa idem tempus successio *Sulliæ & Craoniæ*, hærede Mariâ à Gordone ductâ, nec minùs Vicecomitatus Toarcius, atque Principatus Talmontius, à Margareta Ambosia, Ludovico *Tremolio* nuptâ; Tandem quoque Lavallea hæreditas, cum suprà memorata prætensione Aragonica, ab Anna Francisci *Tremollii* uxore, genti obtigit. Ex his verò duobus tres filii orti sunt totidem linearum conditores. A minoribus enim Georgio & Claudio descendunt Marchiones *de Royan* & (qui nunc Ducalem titulum allecuti sunt) *Noirmoustier.* Primaria verò linea à majori filio Ludovico, primo Duce Toarcio, derivatur: qui, mortuus A. C. 1576. ex Joanna Montmorancia, reliquit filium Claudium, ex Carola Brabantina Nassovia Patrem Henrici, quô, & Mariâ Turriâ, geniti sunt, Henricus Carolus Princeps Tarenti, maritus Æmiliæ Hassiacæ, Ludovicus Mauritius Comes Lavalleus, Abbas *de Charroux* & Maria, uxor Bernardi Saxoniæ Ducis: è quibus, Henrico Carolo uxor peperit Carolum Belgicum Hollandum D. *de Thouars* (natum 1655.) —— Principem *de Talmond*, Carolam Æmiliam &c. Vide Phil. Jac. Spenerum,

Theatrô Nobil. Eur. Part. I. p. 93. & in Ind. Part. II. p. 121. nec non *Arte Heraldicâ, Tom. II.*

TREMOLLIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

TREMONIA, Scriptoribus German. quæ & Drotmania, *Dortmund*, urbs Westphaliæ non contemnenda, inter Rhodam & Werram proxima oppida, à Monasterio 6. leuc. Moguntiam versùs, à Padeborna 8. *Ferrar. Baudrando* urbs est Germaniæ, in Westphalia & in Comitatu Marchiæ, ad amnem *Emser*, aliàs sui juris, sed hodie sub dominio Electoris Brandeburgici. 7. milliaribus Germanicis à Monasterio in meridiem distat, & paulò minùs ab Arensberga in occasum, uti 14. à Paderborna. Parva est, sed satis munita; estque inter Hanzeaticas comprehensa. Hic Synodô habitâ Henricus II. Imperator luxum Clericorum coërcuit, A. C. 1005. sicut posteà in Synodo Noviomagensi, in S. cœna panem ad dextram, calicem ad sinistram collocari voluit, A. C. 1018. Ex Comitatensi civitate liberam factam esse, & civitatibus Imperii annumeratam, à Maximiliano I. Imperatore A. C. 1504. refert Georg. Hornius, *Orb. Polit.*

TREMULI Equi, animosissimi. Nemesianus, *Cyneget. v.* 225.

Ardua frons, auresque agiles, capitique decoro
Altus honos, oculique vagò splendore micantes.
Fumant humentes calida de nare vapores,
Nec spes officium standi tenet, ungula terram
Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat.

Et paulo pòst, *v.* 235.

Nec non terribiles spirabile lumen anheli
Provolvunt flatus, & lumina vivida torquent,
Hinnitusque cient tremuli, frenisque repugnant.

Vide Casp. Barthium *ad Statium, Theb. l. 6. v.* 396. Sed & in homine *tremor* non semper timiditatis argumentum est. Garsiam enim Sancii fil. Navarræ Regem, quoties rumores belli audiebat vel prælio decernere necesse habebat, totum primò tremuisse, postmodum verò animosissimè perstitisse, *Tremulosi* hinc cognomen nactum, discimus ex Roder. Toletano *Rer. Hisp. l. 5. c.* 23. quod idem de Ludov. Tremollio, fortissimo exercituum sub Ludovico XII. Duce, Gallica Historia suggerit. In Anglia verò, Fanatici quidam corporis *tremorem*, etiam inter religionis suæ arcana, habent, inde *Tremulantes* nonnullis, ut apud Macros Fratres videre est in *Hierol.* aliis *Trepidantes*, vulgò *Quackers* vocitati, de quibus suprà aliquid diximus. Aliàs *Tremuli*, οἱ περὶ ὧν τρέμω παπώδεις, Plin. *l. 27. c. 10. extr.* de quibus vide Salmas. *ad Solin. p.* 397.

TRENCA, Hibernis portio terræ est, 30. constans pagis, quorum unusquisque *pascua* 4. *boum armentis sic dissitis, ut se mutuò non pertingant, abundè suppeditat*, apud Gratianum Lucium *in Cambrensi everso*; ubi universam Hiberniam in *Trencas* divisam, & Ultoniam 35. Mediam 18. Connaciam 30. &c. complecti addit: Hibern. *Trinchechead.* Car. du Fresne *Glossar.*

TRENORCHIUM, vulgò TOURNUS, oppid. amplum Galliæ, in Burgundia & Matisconensi tractu, ad Ararim fluvium, medium inter Cabillonum ad Boream & Matisconem ad Meridiem, 16. leucis à Lugduno in Boream.

TRENTA, vulgò TRENT, fluvius Angliæ Borealis. Oritur in Comitatu Staffordiensi; ubi auctus aliquot fluviis minoribus, per Darbiæ Comitatum labitur; ibique recipit Darvonem. Deinde per Notinghamiam, ubi urbem cognominem rigat, hinc per Lincolniam fluens, in ejus limite, & 10. milliaribus Anglicis supra Hullum, in Abum æstuarium se exonerat.

TREPIDIARII Equi, memorantur Vegetio, *de Arte Veterin. l. 1. c. 56. Quod nihilominus inventum constat à Parthis, quibus consuetudo est equorum gressus ad delicias dominorum hac arte mollire: non enim circulis atque ponderibus prægravant, ut soluti ambulare condiscant, sed ipsos equos) quos vulgo* Trepidiarios, *militari verbò* guttonarios, *vocant, ita edomant ad lenitatem, & quædam blandimenta vecturæ, ut asturconibus similes videantur.* Idem cum *Trepedariis*, à *tripedando*, de qua voce vide infrà; seu *tripudiando*, sic dictis. Veteres enim *trepidare*, pro *tripedare*, corruptè enuntiâsse videntur. Servius, *ad illud* Virg. *l. 4. Æn. v.* 121.

Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt:

trepidant, ait, *hoc locò sensim accipiunt, non, ut alibi, festinant, ut, Heic me dum trepidi: quia saltus non cursu, sed sensim cinguntur. Quidam trepidant ab equis, qui hodieque trepidare dicuntur, appellari putant. Cato: sedere non potest in equo trepidante.* Ubi equus trepidans est τραπάζων & καλπάζων: cujusmodi equi succussores sunt, & vecturam non delicatam satis exhibent, Gallis *tolotarii* vel *trotarii*, quasi *tolutarii*, appellati. Atque hæc vera origo verbi *trepidare* est: qui enim *trepidat metu*, ὀρχεῖ φόβος, exili præ metu, unde καρδίᾳ φόβος ὀρχηθμὸν dixit *Æschylus.* Inde pro *festinare* sumta vox. Liv. *l.* 23. *Moxque, dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa.* Virg. *Æn. l. 9. v.* 114.

Ne trepidate meas Teucri defendere naves.

Etiam in Sacris. Sic Hoseæ *c. 11. v. 11. Trepidabunt ut avicula ex Ægypto, & ut columba è terra Assyriæ*: i. e. *summâ festinatione fugient*; columbæ namque volatus pernicissimus, ut suprà vidimus. Hinc *trepida nubes* Statio, *Theb. l. 12. v. 3.* i. e. *festinando fugientes*, vet. Scholiasti. Sed & *trepidare*, apud Persium, *Sat. 1. v. 20.* de his etiam, qui lætitiâ elati gestiunt, subsiliuntque,

Tum videas neque more probò, neque voce serenâ
Ingentes trepidare Titos.

uti de iis, qui in Hastiludiis decertant, in Concil. *Albiensi, c.* 15. Unde *trepidium* quoque pro *tripudio* &c. Sic igitur *Trepidarii Equi* Vegetio, qui *trepidant* seu *tripedant*, οἱ τετρασκελίζοντες vel τραπάζοντες, cùm videl. cursu feruntur, inter citatissimum cursum & communem simplicemque incessum mediô; in quo cursus genere, quòd altiùs pedes tollendo & volubiliter glomerando gressus quodammodo saltare videntur vel subsultim ambulare, hinc καλπάζειν καὶ τραπεζίζειν Græcis (τρόχασμον hoc cursu genus appellantibus, uti ex Leone in *Tacticis* patet) *saltare* & *trepidare* seu *tripedare* Latinis, dicti sunt. Quia verò nullum vecturæ genus tam torquet, ac succutit, quàm equi *trepidantes*; hinc sumebant illos Parthi, quos condocefacerent asturconum more blandè molliterque vehere, gessuque spissô & minutô sedentem erigere, & gratâ succussione commovere: quam delicatè vehendi artem postquam erant edocti, mediam quandam ambulaturam nanciscebantur, inter asturcones & trepidiarios, ac tum *tricenarii* vel *tricinarii* nominabantur, de qua voce vide infrà: Plura verò hanc in rem, apud Salmas. *Not. ad Capitolin. in Maximinis, c.* 3. & hîc passim, inprimis ubi de vocibus, *Calpare, Guttonarii, Tolutares* &c. Hinc *intripedare equum* Symmacho, h. e. equum ad cursum tripedantium, Græcè τρόχασμον seu κάλπαν, incitare; Gall. *mettre son cheval au trot, Ibid.* Alii longè equi illi sunt, qui ad cujuscunque hominis, aut animalis, aut rei occursum subitò exterrentur, & suam ipsi umbram timent, Gallis hinc *umbragiosi* vulgò, Græcis πτοηλοὶ, qui & ipsi *trepidantes*, sed aliô omnino sensu, dici possint; *trepidare* namque πτοεῖσθαι est. Glossæ, *trepido*, ἀγωνιῶ, δειλιῶ, πτοοῦμαι, πτήσσω. His quô pactô Veteres metum excutere soliti sint, diximus suprà ubi de *Tintinnabulis.*

TREPTOVIA, vulgò TREPTOW, oppidum Germaniæ, in Pomeraniæ Ducatu, ad Tollensæam fluvium, in finibus Marchiæ Brandeburgicæ, cum arce. Aliàs amplum fuit, nunc sensim deficit; subestque dominio Regis Sueciæ, 10. milliar. Germanicis distans à Sundi in meridiem.

TRERUS, regiuncula Thraciæ, populi *Treres*, quos *Callimachus* Τρήρωνας dixit, *Theopompus Trares.*

TRERUS, Latii fluv. in Litim ad Fregellas influens. *Strab. Trere* aliis *Omne.*

TRES, & TRIA, vide suprà, ubi de numero *Ternario*, & passim, ubi de rebus ipsis, hôc numerô occurrentibus. Addo hîc saltem, quòd apud Peruanos, nobilem Americæ, quâ ad Meridiem protenditur, populum, effigiem se vidisse, ab Indis cultam, cui nomen *Tantatanga*, h. e. *in Tribus unus & in Uno trinus*, testatur Hugo Linschotanus, *Histor. Ind. Occid.* Qua de re, ut & de Magorum apud Chaldæos *tribus principiis*, *Oromasde*, *Mitri* & *Arimini*, id est, uti explicant, *Deo*, *Mente*, & *Anima*: de tribus illis Orphei, *Consilio*, *Luce*, *Vita*, apud Clement. *l. 5. Strom.* de *primo ipso Uno*, *secundo Uno Multis*, & *tertio Uno atque Multis* Platonis: de *Fine*, *Medio* ac *Principio* Pythagoræ: de *Bono*, *Mente* & *Anima* Plotini: de *Opifice Primo*, *Verbi Dei atque Intellectu* Ægyptiorum: de *Deo*, *Verbo & Aura* Serapidis: de *Sole*, *Vulcano atque Luna* veterum Germanorum, aliisque huc pertinentibus; è quibus colligere liceat, Gentilibus quoque de venerando SS. Trinitatis mysterio aliquid ex traditione, & commercio cum Populo Dei, innotuisse. Vide L. Cœl. Rhodig. *Lect. Antiqq. Præfat. l.* 1. Marsilium Ficinum, *ad Plat. & Plotin.* Joann. Seldenum, *de Diis Syris*, Tob. Pfannerum, *System. Gentilis Theolog. purioris c. 3. de Deo Trino §. 2. & seqq.* Alios, ut & infrà ubi de *Trinitate.*

TRES Casæ, pagus ingens Novariensis, 5. mill. pass. à Novaria, Viglebanum versus. Vulgò *Trecà.* Trecatum seu Tercatum quoque.

TRES Tabernæ, munimentum Romanorum, ad prohibendas Alemannorum in Galliam incursiones, apud eum locum, quem *Zabern* hodie vocant, Argentoratensis Præsulis domicilium: de quo vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. Nov-Antiq. l.* 3. cum *Notis Eruditis* Cl. Ottonis JCti, ut & suprà, voce *Taberna.*

TRES Tabernæ, pagus in via Appia occurrens, inter urbem Romam 26. & Forum Appii 22. mill. pass. ultra Velitras. Baudrando 5. milliar. ab Aricia, 21. Româ in Ortum. Hic Severum Imperatorem à Maximino occisum tradunt auctores *miscellaneæ histor. Zosimus.* Item locus Macedon. inter Scampas & Lychnidum.

TRESA, vulgò TRESEN, urbs Sudermanniæ, cum portu, in ora maris Baltici, 7. leuc. Suecic. ab Holmia, in Africum, 8. à Torla in Eurum.

TRESSIS, tertia pars assis. Varro *de L. L. l. 8. singulare hoc tressis: ab eo sic deinceps ad centussis.* Sed neutrum non est *tressis*, ut ei visum, nec hoc *tressis* tamen orationis Latinæ regulis repugnat. Erat integrum: *hoc pondus* vel *æs tressis*, uti hoc pondus vel æs quadrussis, & sic deinceps. Nempe in his omnibus articulus vel pronomen intelligi vult substantivum neutrius generis, cui alterum, quod comparet, gignendi adhæret casu. Ut in illis Plauti, *Pænulo, Actu 1. sc. 2. v. 168. homo trioboli*; Lucilii apud Festum in *Solla*, *non Solla dupondi*; P. Vatinii ad Ciceronem, *l. 5. Famil. Ep. 10. Simus non semissis*; Persii, *Sat. 5. v. 76. non tressis agaso.* Itaque fallitur Rob. Titius in *Assertionibus*, cùm *hominem semissem* ab exiguo nummo dici vult, sicut Persius *tressem agasonem*: quasi aliter diceretur, quàm *esse quamvis pretii.* Sic *emere centussis*, scil. ære vel pondere, *valere quinquessis*, scil. æs vel pondus &c. Joh. Frid. Gronov. *de Pec. vet. l. 1. c.* 8. Mediâ ætate, pro *tressis*, parùm Latinè dici *tremissis* cœpit, ut vidimus.

TRESVIRI seu *Treviri capitales*, vide infrà *Triumviri capitales.*

TRETHYMIROVIA, vel TECHTIMIROVIA, vulgò TRETHYMIROW, oppid. munitum Volhiniæ inferioris ad Borysthenem, 14. milliar. German. infra Kioviam in meridiem, Cosacis donatum à Rege Stephano. Sed A. C. 1648. ipsis à Polonis ereptum, unde cruentæ clades utrosque afflixerunt, donec Cosacis rursus cessit.

TRETTUM, vicus agri Vicentini.

TRETUM, ac TRETUS, mons Peloponnesi apud Mycenas, & Nemeam sylvam, ubi Hercules leonem interfecit.

TRETUM, seu TRITUM *Strab.* Africæ propriæ promuntor. *Capo Ferrato* Castaldo. Incolis *Bruceramel*, inter Cullu ad Ortum, & Tacatuam ad Occasum.

TREVA, German. urbs *Ptol.* *Trevemuna* in tabulis recentiorib. in Saxoniæ & Holsatiæ confinio apud ostium *Treva* fluminis. *Baudrando* oppidul. cum arce, in Vagria, Holsatiæ tractu, in ipso limite Saxoniæ. Aliis melius est Lubeca. Vide ibi. Erpoldus credit Prolemæum erráße, qui fluv. *Trave* in hoc tractu hodieque dictum, pro Urbe habuit.

TREVENNIUM, vulgò TREVINNO oppid. Alavæ, in Hispania ad radices montium, 4. leuc. Hispanic. à Miranda Iberi in Ortum, uti 6. à Victoria in Africum.

TREVENTUM, Samnii urbs. Plin. *l.* 3. *c.* 12. populi *Treventinates*. Vide *Triventinum*.

TREVERI, vel TREVIRI, Plin. *l.* 4. *c.* 17. & Melæ, *l.* 3. *c.* 2. *Triviri Ptol.* popul. & urbs Galliæ Belgicæ ad Mosellam fluv. vulgò *Trier*. Gall. *Treves*. Antiquissima, ut volunt, omnium urbium Europæarum, à *Trebetâ* Nini Assyriorum regis fratre condita & nominata; an. ante Christum natum 1496. meliùs *Augusta Trevirorum*, ad Mosellam, ubi recepit Saravum. In nummo Vespasiani Aug. COL. AVG. PAT. TREVIRORVM, hoc est, *Colonia Augusta paterna Trevirorum*, dicitur ab Augusto Patre, qui Tiberium Neronem adoptavit. Colonia igitur Augusti fuit, & quidem militaris, quales tum omnes coloniæ Roman. erant, ab Augusto aut Augusti jussu deductis eò veteranis. Melæ vocatur *urbs opulentissima in Treveris*, *Belgarum clarissimus*, *Augusta*: in vett. Notitiis, *prov. Belgicæ primæ Metropolis, civitas Trevirorum*. Recentioribus à nomine gentis *Treviri* aut *Treveri*. Salviano, *in l. de Prov. urbs Gallorum Trever opulentissima*, *Treverorum urbs excellentissima*, *summa urbs Gallorum*. Sozomeno *Triver* aut *Triber*, ut alios omittam. Inter Fabricas in Galliis 8. quæ sub dispositione V. I. Magistri 5. Officiorum extiterunt, erat Fabrica *Triberorum scutaria*, & Fabrica *Triberorum ballistaria*: & ex quatuor Præpositis thesaurorum in Galliis, sub dispositione V. I. Comitis sacrarum Largitionum, unus fuit *Præpositus thesaurorum Triberorum*: unus quoque de tribus Procuratoribus Monetæ intra Gallias, *Procurator Monetæ Triberorum*: unus è sex Procuratoribus Gynecæorum per Gallias, *Procurator Gynecæi Triberorum Belgicæ primæ*: & de tribus in Gallia Præpositis Argentariorum, unus Præpositus *Barbaricariorum*, *sive Argentariorum Triberorum*, sicut docet Notitia Imper. Romani. Meminit urbis Ausonius, *in Claris Urbib. Epigr.* 4. his verbis:

> *Armipotens dudum celebrari Gallia gestit,*
> *Trevericæque urbis solium, quæ proxima Rheno,*
> *Pacis ut in mediæ gremio, secura quiescit:*
> *Imperii vires quòd alit, quòd vestit & armat.*

Ubi illam *Solium*, i. e. sedem Imperatorum vocat. Nimirum Flavius Valerius Constantius, Constantinus M. ejusque filii Constans & Constantius, Valentinianus cum filiis Gratiano & Valentiniano junior. & Imperator. absentibus Cæsares; tyranni quoque Magnentius A. cum fratre Decentio Cæs. Maximus Aug. cum filio Victore, & Eugenius A. sæpe in Galliis mansêre, in repellendis Francorum & Alemannorum bellis occupati & urbem hanc annos ampliùs centum pro Regia Palatioque habuêre. Hinc Maximus Aug. *Imperator Trevericus* dictus, Greg. Turon. *Hist. Fr. l.* 1. *c.* 40. & multæ leges in Cod. Theodosiano hîc latæ sunt. Habuit & Senatum suum, non solùm ante J. Cæsaris tempora, Galliâ adhuc liberâ, sed & postquàm ditioni Roman. subjecta est, veteri more servatô: qui modò Curia Trevirorum, & hinc Curiales, modò Decuriones ac Nobiles dicti sunt. Prætereà Circus hîc, & Amphitheatrum, namque Constantinus M. editô ob victoriam magnificentissimô munere, Ascaricum & Regaisum Reges in media amphitheatri arena, laniandos bestiis objecit & Trevirici, in Arenis civitati præsidiô locatô, conatibus Chroci Alemannorum Regis sub Valeriano & Gallieno, restiterunt, ut Aimoinus scribit. Horrea insuper Regia, ubi B. Mariæ Monaster. Virginum posteà extructum est, quod à loco Horreense vel ad Horrea, Horreumque dixêre. Nec non Capitolium, è quo posteà templum factum. Eumenius tandem *in Paneg. Constant.* muros Trevirorum, qui corruerant, ab eo refectos esse ait, & Circum maximum, æmulum Romano, Basilicasque & Forum in tantam altitudinem suscitata, ut se sideribus & cœlô digna & vicina promitterent. Hodieque urbs ampla est, sed malè culta. Pluries expugnata. Ab Hunnis, Vandalis, Gothis & Gallis inprimis A. C. 456. vastata, semper tamen pristinum decus recuperavit. Sedes olim Imperatorum, cùm in Galliis degerent: hodie à Gallis, haud pridem capta, sed fortissimè recepta est à Germanis, victô cum flore Gallicarum copiarum Crequiô, A. C. 1675. Archiepiscopi ejus Electores Imperii sunt, & Magni per Galliam Cancellarii dicuntur. Pompon. Mela, *l.* 3. *c.* 2. Cæs. *l.* 3. *Bell. Gall. c.* 24. Amm. Marcellin. *l.* 15. Ausonius, *loc. cit.* Fortun. Gregorius Tur. Guilielmus Kyriander, *de Aug. Trevir. Orig.* Joh. Masenius *Annal. Trev.* Christ. Brouver. & Petr. Cratepolius, *de Episc. Trevir.* Nec omittendum, Stapulæ jus hanc civitatem habere: quæ oppida sunt pro stabiliendis commerciis, ubi vectores coguntur aliò non pergere, nisi expositis prius per aliquot dies in Stapulæ foro suis mercibus. Tales urbes in Imperio sunt Colonia Agrippina, Moguntia & Spira ad Rhenum, *die drey Staffeln am Rheyn*: ad Mosellam *Treviris*; ad Danubium Ratisbona, Ingolstadium & Passavium; ad Visurgim Brema; ad Albim Magdeburgum & Hamburgum: ad Viadrum Francofurtum. Sic extra Imperium Dordracum vini Rhenani stapulam habet: in Hispania celebris stapula Hispali est: In Gallia Burdigalæ, Lugduni, Rotomagi & Massiliæ: in Imperio Turcico Alexandriæ & Adeni: In Indiæ Malaccæ, vide Limnæum *de J. P. l.* 2. *c.* 9. *n.* 131. Hîc porro in negotio Priscillianistarum, concilium, jussu Maximi tyranni, celebratum est, A. C. 386. Item, A. C. 948. quô Hugo, & quidam alii, contra Ludovicum Ultramarinum Gall. Regem rebelles condemnati sunt. &c. Æn. Sylv. Lucan. *l.* 1. *v.* 441.

> *Tu quoque lætatus converti prælia Trevir.*

Auson. *in Catal. urb. loc. cit.*

> *Trevericæque urbis solium, quæ proxima Rheno.*

Urbis crebra in nummis veterib. mentio, ut apparet, ex notis, ATR. BTR. MOSTQ. MOSTR. SMTR. SMTRS. SMTS. SMTSE. ST. STR. TI. TR. TRMS. TRO. TROB. TROBC. TROBS. TROBT. TROS. TRP. TRPS. TRS. TS. TSE. TSR. TT. quæ in illis occurrunt. Vide hîc *passim*. *Treveris* enim celebris officina Monetaria sub Imperatorib. medii ævi fuit, una ex tribus intra Præfecti Prætorio Galliarum jurisdictionis limites contentis, cujus proin meminit Treb. Pollio *in XXX. Tyr*, ubi de Victoria, *Cusi sunt*, ait, *ejus nummi ærei, aurei & argentei, quorum hodieque forma extat apud Treveros*. Vide quoque infrà *Treviri*.

TREUGA, seu TREVA, apud recentioris ævi Scriptores, pax est, induciæ. Guil. Tyrius *l.* 1. *c.* 15. *Pax, quæ verbo vulgari Treuga dicitur.* Guil. Neubrigensis *l.* 5. *c.* 3. *Induciæ, quas Treugas vocant.* Vide quoque *L.* Longobard. Jo. Sarisberiensem, *Ep.* 159. Alios passim. Ex Germ. *trew*, fides, pax, item fidelis, sincerus. Hinc *Treuga Dei*; quod nomen primùm in Gallia auditum, ubi, cùm bella flagrarent domestica, seu ea, quæ vulgò *Consuetudinaria* dicta, & unicuique injurias sibi illatas armis ulciscendi facultas esset, in Aquitania, in Arelatensi & Lugdunensi provinciis, atque adeò in Burgundia, cœterisque Franciæ partibus, per universos Episcopatus indictum est, qualiter certis in locis à Præsulibus Magnatibusque totius patriæ, de reformanda pace & sacræ fidei institutione celebrarentur Concilia: quod avidè exceptum est ab omnibus, ut quos præteriti temporis clades terrebant. In his porro Conciliis id potissimum fuit, ut inviolabilis Pax servaretur, & utrarumque partium viri absque formidine armis vacui incederent, præteritorum omni memoriâ abolitâ. Læti itaque omnes, palmis ad Deum extensis, *Pax, Pax, Pax*, unanimiter clamârunt, in signum perpetui pacti inter se Deumque initi: hâc tamen conditione, ut evolutô quinquenniô, confirmandæ pacis gratiâ, id ipsum ab universis in Orbe fieret, uti discimus ex Glabro, *l.* 4. *c.* 5. qui ista refert ad A. C. 1034. quô celebrata sunt Concilia Bituricis, Bellovaci & Lemovicis, in quibus *pax universis indicta*, *ita ut nemo seditionem ageret*, *nullus per viam raperet*, *nullus — pugnam inire constitueret* &c. Et sic quidem pax ab omnibus generatim servanda sanciebatur. At A. C. 1041. in eodem Regno indictum, *ut nemo mortalium à feriæ quartæ vespere, usque ad secundam feriam incipiente luce ausu temerariô præsumeret quippiam alicui per vim auferre, neque ultionis vindictam à quocunque inimico exigere, nec etiam à fidejussore vadimonium sumere*, uti idem habet, *l.* 5. *c.* 1. quod *Treuga Domini* dictum est; violatoribus compositionis mortis & excommunicationis pœnâ denuntiatâ. Neustria tamen hanc recipere abnuit, utpote belli indicendi juri, Regiæque prærogativæ, quam sibi vindicabat, derogare creditam. At processu temporis & ipsa eam excepit, maximè postquàm Angliæ Regnum, in quo illa vigebat, adeptus est Guilielmus Nothus. Uti vero primitus à feria quarta, usque ad secundam, obtinuit, sicut vidimus: ita postmodum lege S. Eduardi, à Wilhelmo confirmatâ, *omnibus diebus Sabbati usque ad diem Lunæ*, observari jussa est. Sed & aliis temporibus & festis ibidem designatis itidem indicitur, atque in iis, in die dedicationis ædium sacrarum. Alibi nundinarum tempore eadem instituta &c. quam in rem vide plura, apud C. du Fresne *Glossar.* ubi inter alia & Alsatienses Proceres *Treugam Dei*, (Episcoporum non omnibus probatam) sub Leone Pontifice, accepisse addit, ex *Diplomate* descripto à Glareano, *Germaniæ*, *Rer. l.* 2. *p.* 101. Adde, quæ de *bellis illis Consuetudinariis* adnotavit ad *Joinvillam*, *Dissertat.* 29. de *Induciis* verò plura suprà.

TREVIDUM, vulgò TREVES, Sidonio *Trevidon*, locus Galliæ, 12. mill. pass. ab Amiliano vel Ameliano Rutenorum, *Milhau en Rouergue*, ad fluviolum *Trevidum* vel *Trevisalum*, vulgò *Trevezels*, quem Turbida flumen *la Dourbie* in Tarnem defert. Ita autem Sidonius,

> *Ibis Trevidon & calumniosis*
> *Vicinum nimis heu jugum Rutenis.*

Ubi cùm *Trevidon* in quarto casu posuerit, ut dactylum faceret; incertum est, an *Trevidus*, an *Trevidum* hic locus, in finibus Rutenorum positus, debeat appellari, Hadr. Vales. *Notit. Galliæ.* Adi quoque in Sidonium *Notas*.

TREVIRI, cujus singularis apud Lucanum, *l.* 1. *v.* 441. & Tacit. *Hist. l.* 3. *c.* 3. *Trevir*; quod Cicer. quoque *l.* 7. *ad fam. ep.* 13. indicat, cùm Trebatium, in Galliis cum Cæsare commorantem, sic per jocum admonet, *Treviros vites censeo. Audio capitales esse: mallem auro, argento, æri essent*: ubi ludit in nomine *Trevirorum*, quô & gens Belgicæ clarissima, & Triumviri capitales Romæ ac Triumviri Monetales designabantur, populi fuêre Galliæ Belgicæ equitatu plurimùm totius Galliæ valentes, Cæs. *Comm. loc. cit.* Belgarum clarissimi Pomp. Melæ, *loc. cit.* quorum Eburones & Condrusi olim clientes, libertate privati sunt à Vespasiano Imperatore quod ab Imperio deficientes, Classicô ac Tutore ducibus ipsi bellum intulissent, cui sequentibus temporibus sunt restituti, ut apud Flavium Vopiscum, *in Floriano* videre est: versùs Mosellam extensi, inter Rhenum ad Ortum, quô separabantur à Germania magna, Mediomatrices & Virodunos ad Meridiem, Remos Tungrosque ad Occasum, & Ubios ad Boream, ubi nunc pars Australis Ducatus Luxemburgici, ac ubi erant Cæsaris sub ipsis contenti, & *Ditio Trevirensis*, vulgò *Stifft von Trier*: quæ est

ast inter Palatinatum & Veteraviam ad Ortum, Ducatum Luxemburg. ad Occasum, Juliacensem ad Boream, & Lotharingiam ad Meridiem. Satis extensa ab Ortu in Occasum, sed valdè restricta à Septentrione in Meridiem. Sub proprio Archiepiscopo Electore; juxta Mosellam. *Baudrand.* *Valesio* dioecesis *Trevirica* Ducatum Lucilburgensem & partem etiam Palatinatus cis Rhenum, complectitur. Ejus urbes sunt Treviri, caput provinciæ, olim Belgicæ primæ Metropolis, i. e. omnium Belgarum caput habita, de qua dictum, voce *Treveri*: Confluentiæ *Coblentz*, Bodobriga *Boppart*, & Sarburgum. Plura apud B. Rhenanum, *Rerum Germ.* l. 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, p. 624.

TREVOLTIUM, vulgò Trevoux, urbec. Bressiæ, caput Dombensis Principatus in colle, ad Ararim, 3. leuc. suprà Lugdunum in Boream, 8. circiter Matiscoνem versus.

TRIA, castrum splendidum Ducis Longovillæ, in tractu *Vexino Francico*, in provinc. Insul. Franciæ, inter Calvomontium ad Ortum, & Gisortium ad Occasum, 13. leuc. à Lutetia in Circium. Vulgò *Trie*. Aliter Trea vel Trica, quod nomen Galli fecêre ex *trajecto*; è quo Germani *tricht*, *trecht* & *drecht* formârunt, ut *Maestricht*, *Utrecht*, *Dordrecht*: quorum Latina. *Trajectum ad Mosam*, *Trajectum ad Rhenum*, *Dordracum*. Ita ergo Galli *Trea* vel *Tria*, vulgò *Trie*, quô nomine varia sunt in Gallia loca. In Veliocassibus, *Trie*: Item *Trea* Castellum *Trie le chasteau*; quæ ambo assident amni in Ettam infra Gisortium influenti. *Tria* Portus *Trie le-port*, vulgò *Trille port*, in Meldis; itidem *Tria* Bardulfi *Trie le Bardou*, corruptè *Trille Bardou*, & alia: quæ omnia ad trajectum fluviorum sunt posita. Quanquam & *Trie* columbarii genus est, ut docent Leges Britannicæ, aliarumque regionum. Vide Hadr. Valesium præfatum, *Notit. Galliæ*, in voce *Trajectum inferius*.

TRIA Fata, apud Anastasium Bibliothecar. *in Honorio*, *Fecit Ecclesiam S. Adriani Martyris in* Tribus Fatis, *quam & dedicavit*. Et *in Hadriano*, *Basilicam SS. Cosmæ & Damiani sitam in* Tribus Fatis *restauravit*: corruptè pro *Tria Fora*, uti docet Carolus Macer, ex Blondo, *Dec.* 2. l. 3. ubi à Clero Populoque Romano, *in Tribus Foris*, *quæ est S. Adriani Ecclesia*, Stephanum Siculum canonicè Pontificem electum esse, refert. Vide eum *Hierolexicô*.

TRIA Flumina, Græcè τρεῖς ποταμοὶ, locus Thraciæ, circa Hebrum, sic dictus, quòd in hujus ripa situs esset, eo loci ubi duos fluvios alios (quorum alter Artiscus fuit) Hebrus suscipiebat. Ibi Orestem λυτῆναι τῆς μανίας λαβόντα τὸ μανίας scribunt Græci Grammatici, de quo Lamprid. *Heliogabalo*, c. 7. *Et Orestem quidem ferunt non unum simulacrum Dianæ, nec uno in loco posuisse*— *Postea quam se apud* Tria Flumina *circa Hebrum ex responso purificarit*, *etiam Orestam condidit urbem*, *quam sæpe cruentare hominum sanguine necesse est*. Ad quem locum vide Casauboni *Notas*.

TRIA Nomina, Juvenali memorata, *Sat.* 5. v. 127.

— *Tanquam habeas tria nomina*:

Apud Romanos symbolum fuêre, non tam Nobilitatis, quàm Libertatis. Quasi diceret Poëta, *Tanquam ingenuus seu liber esses*. Notat enim Tertullian. *de resurr. carnis*, cùm Servi manumittebantur, accipere à dominis suis suisse solitos vestem candidam, annulum aureum & novum nomen duobus prioribus additum. Vide Thom. Godwyn. *tract. Anglic. cui titulus*, *Anthologia Rom.* l. 1. *sect.* 2. c. 6.

TRIA Verba, quæcunque vellent, proloquendi libertas ultimô supplicio afficiendis, Athenis olim concessa. Vide suprà *Murratum vinum*.

TRIACONTASIMUS, apud Petr. Diaconum, *Histor. Casin.* l. 4. c. 17. *Misit* — *pallium* triacontasimum, *pro altari nostræ Ecclesiæ*: ex Græco τριακοντάσημος, pannus est *triginta clavis* (hos enim σήματα & σημεῖα Græcis dictos esse, suprà vidimus) exornatus.

TRIADICA, Τριαδικά, item Ὕμνοι τριαδικοὶ, Græcis dicuntur hymni, in quorum singulis odis cujusque Canonis duo postremi versus semper finiuntur, cum laude *SS. Triadis*, unde nomen, et B. Virginis: & quidem penultimus notatur literâ T. appellaturque τριαδικὸς, ultimus verò literâ Θ. & θεοτοκίον dicitur. Cl. Suicerus, *Thesaurô Eccl.* in hac voce: qui & κανόνος τριαδικοῦ meminit voce *Κανών*.

TRIADIZA, prius *Sardica*, vide ibi. Zonar. l. 2. *Annal.*

TRIALEMELLUM, apud Albericum suprà laudatum, voce *Falsarius*, pugio est, vel culter longior, triplici *lamellâ*, seu laminâ ferreâ, instructus. Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque suprà *Triaverdini*.

TRIANENSES, quorum oppid. Trajana, vide ibi.

TRIANGULUM Circuli, æqualibus lateribus primùm descriptum à Thalete Milesio, qui bovem propterea immolârit, fertur, quamvis Apollodorus hoc Pythagoræ tribuat. Scalenum quoque, & ea, quæ ad lineæ speculationem pertinent, ab Euphorbo Phryge inventa, idem auxit, propagavitque, Diog. Laërtius l. 1. suprà voce *Perseus*. Cœterùm *Triangulo* Divinitatem comparat Xenocrates, & quidem æquilateræ, isosceli Genios, scaleno creaturas reliquas, apud Plut. *de Oracul. def.* p. 416. *Æquilaterum enim undequaque æquale est*, *tertium usquequaque inæquale*, *secundum & æqualitatem & inæqualitatem habet*: *atque huic Geniorum natura respondet*, *affectiones humanas in se habens*, *juxtaque vim divinam*: quam in rem vide Tob. Pfannerum, *System. Theol. Gentil. pur.* c. 6. §. 1. Ejusdem *Trianguli æquilateri* similitudine, mysterium SS. Trinitatis ingeniosè illustratum ivit Sim. Grynæus Theologus Basil. de Ecclesia Dei optimè meritus, *in Schediasmate MS.* quod utinam, cum aliis, Viri maximi monumentis eruditissimis, lucem aliquando videat! De 3. *Triangulis* in se invicem ductis quæ nummis suis insculpi curavit Antiochus Soter, vide suprà *Tachygraphia*: uti de *Triangularibus Veter. tabulis*, suprà in voce hac.

TRIANGULUS, castrum Galliæ, in Tricassibus, Delta referens, vulgò *Treynel*: Marchiæ titulô & Prioratu illustre, vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TRIARCHIA, urbs Armeniæ minoris. *Antoninus*.

TRIARIA, L. Vitellii Uxor, ultra fœminam ferox, impulit Sabinum præfectum urbis, ad pervertendum Dolabellam. Tacit. l. 2. *Hist.* c. 63. Gladio accincta, inter luctum cladesque expugnatæ Tarracinæ, superbè sævèque egit l. 3. c. 77.

TRIARII, genus militum apud Romanos. Polybius enim, l. 6. ubi de acie Roman. quatuor facit militum ordines & discrimina, *Pilanos* scil. seu Velites, *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*. E quibus Velites seu Pilani eligebantur ex minimis ætate & fortunæ tenuioris hominibus: his adultiores erant Hastati; Hastatos ætate ac robore præcellebant Principes; natu maximi & fortissimi erant *Triarii*, sic dicti, quòd in acie tertiò ordine extremis subsidio deponebantur. Qui quòd labantem aciem sæpe restituissent, ultimumque essent victoriæ asylum, hinc Proverb. *Ad Triarios ventum est*. Iidem & *Pilani* sunt dicti, quòd ii Principes, qui Aquilam secum habebant, totius Legionis primarium signum, sequerentur. Situm eorum Machiavellus, *Discurs. de Repub.* ait fuisse talem, ut alterô genu, dum Hastati ac Principes pugnabant, niterentur; qui si hostis impetum ferre non possent, tum *Triarii* surgentibus, novam velut aciem hostibus objectam, illis non exiguum terrorem inopinatô hôc spectaculô incutere sicque perculsis *Triarios* acerrimè instare consuevisse. De armis Auctores variant. Velitibus enim quidam gladium, pila, parmamque: Hastatis scutum, ensem Hispaniensem, veruta duo, galeam æneam, & crurum tegmen ocream; corollam item plumeam & corditurum (unius spithamæ æs, pectori adhibitum) vel etiam hamis consertum thoracem: eadem Principibus ac *Triariis*, nisi quòd his, verutii locô, hastam tribuunt. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom.* l. 10. c. 10. Alii *Pilum* proprium *Triariis* faciunt armorum genus. Namque & prima Triariorum centuria *Primum*, secunda *Secundum pilum* &c. & Principes, qui proximè Triarios antecedebant, *Antepilani*, dicti leguntur. Vide Alexandrum ab Alex. *Genialium dier.* l. 5. c. 15. Lipsium, *de Militia Rom.* l. 2. *dial.* 1. & 3. Godwyn. *Antholog. Rom.* l. 3. *sect.* 4. c. 17. & l. 4. c. 2. & suprà *Pilaris* it. *Primopilus*. Posteriori ævô *Vexillarii Legionum* dicebantur & aliorum omnium munerum, nisi propulsandi hostis, erant immunes, uti docet Salmas. *ad Vopisc. in Probo*, c. 5. *extr.* vide infrà in hac voce.

TRIARIUS, magnus orator, cujus meminère Cicer. l. *de Oratorib.* c. 76. Livius, *Epit.* l. 123. Item pater Theodorici, qui Thraciam vastavit, imperante Zenone, A. C. 480.

TRIARIUS, prænomine *Cajus*, à partibus Pompeji, Asiaticis navibus præpositus, Cæsar, l. 3. *de Bello Civil.* c. 5. Vide & c. 92. Ubi ejus consilium. Fuit aliquando legatus Luculli in bello Mithridatico, ubi & cladem passus est. Periit bellô civili hôc, teste Cicerone *in Bruto*.

TRIARIUS Maternus Lascivius, Senator nobilis, post Commodum interemtum, ducendus in castra à militibus, ut eum rebus Romanis imponerent, nudus fugit, atque ad Pertinacem in palatium venit, & pòst ex urbe discessit, Capitolin. *in Pertinace*, c. 6.

TRIAS, vide infrà *Trinitas*.

TRIAVERDINI, Hæretici, quorum errores & dira gesta referuntur Baronio, A. C. 1179. *num.* 4. apud Dominic. Macrum *Hierolex.* Cum Brebantionibus & Ruptariis junguntur, in Concil. Lateranensi III. An. eôdem, *can.* 2. 27. *De Brebantionibus*, *& Aragonensibus & Navarris*, *Bascolis & Coterellis*, Triaverdinis, *qui tantam in Christianos immanitatem exercent* &c. Ubi tamen *Trialemellinis*, quòd scil. sicis hujusmodi, de quibus suprà, uterentur, legendum conjicit Car. du Fresne *Glossar.*

TRIBACA, in verbis Petronii Arbitri.

Quo margarita cara Tribaca *Indica?*
An ut Matrona ornata phaleris pelagiis
Attolat pedes:

Significat Bartholino margaritam, quæ *tribus baccis* unionibusque insertis constabat: quippe binos ternosque elenchos, aureâ bracteâ conjunctos, atque auribus suspensos, in monumentis antiquis, non rarò cernere est. Græcè τρίγληνον: Ita enim inter plurimas Inaurium notiones, ultimô locô, addit Pollux, *Onomastic.* l. 5. c. 16. apud Homerum reperiri τρίγληνα ἕρματα, ὡς τριῶν εἴδωλα κορῶν ἔχοντα, *tanquam trium pupillarum formam habentia*: Occurrit autem locus *Il.* ξ. v. 183.

Ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν ἐϋτρήτοισι λοβοῖσι
Τρίγληνα, μορόεντα.

Quod repetit quoque atque indigitat, *Il.* σ. v. 295.

Ἑρματα δ' Εὐρυδάμας δῶκ' Ἠερόπειος ἄναξ
Τρίγληνα, μορόεντα.

Ubi *Scholiorum brevium* Auctor exponit: τριοφθάλμους, τριόφθαλμα, τρίκοκκα. Ita ut Τρίγληνα sint omninò Inaures, triplicis pupillæ figuram habentes. Ita enim apud Dioscoridem, l. 1. c. 176. genus mespili quoddam τρίκοκκον appellatur, quod tria intus habeat ossicula veluti grana. Unde similitudine quoque tractâ, notante Henricô Stephanô, apud Athenæum, l. 8. Hecate dicitur τρίγληνος, quæ aliàs Τρίμορφος, Græcis Latinisque *Triformis*. Τρίγλη idem Inaurium genus dici videtur apud præfatum Pollucem, annotante Cœl. Rhodiginô, *Antiq. Lect.* l. 8. c. 15. ubi tamen non diffitetur, alia etiam hujus vocis significata esse. Iconem istiusmodi Τριγλήνου ἕρματος seu *Tribacæ* exhibet ex Pignorio, Caspar. Bartholin. *de Inauribus Veterum*, c. 2.

TRIBALLI, vulgò BULGARI, populi Mysiæ inferioris restib. Nicephorô & Laonicô, cum Lazio & aliis quorum regio *Bulgaria*,

In his feruntur fuisse qui visu fascinabant, & interimebant, quos irati diutiùs & fixis oculis aspexissent, teste *Plinio*. Hos *Steph.* in Illyrico perperam ponit. Horum Duces Crales & Unglefes, Amurathes Turcarum Imperator vicit, A. C. 1359. tandem in pugna cum Triballis sive Serviis à servo Lazari Despotæ, transfugâ simulatô, interfectus: A. C. 1388. cujus fil. Bajazetes posteà, Jacupe fratre strangulatô, Lazarum vicit, cepit, & in frustra discidit. A. C. 1390. Vide Laonic. *l.* 2. & 3. Leonclav. *in Amurathe & Bajazete, &c.*

TRIBANTA, urbs Phrygiæ majoris *Ptolem.*

TRIBAX, apud Plautum, *Mostellar. Tribaces viri*, unde *trebacissimus senex*, apud Sidonium, *l.* 1. *Ep.* 11. exercitatus est, usu tritus & in negotiis multùm versatus, ex Græco τρίβαξ, aliter τρίβων. Vide Savaronem & Sirmondum *ad Sidonium*, nec non Salmas. *ad Lamprid. Commodo*, *c.* 11. ut & suprà, voce *Retorridus*.

TRIBLATTUS, apud Leonem Ostiensem, *l.* 3. *c.* 20. *Viginti pannos sericos, quos* Triblattos *vocant, cotulit*; an à *trino colore*, uti *pallium triblathon* interpretatur Petr. Damianus, *l.* 4. *Ep.* 7. an à *triplici* in *blatta* seu cocco tinctu, nomen accepit. Vide Car. du Fresne *Glossar.* & suprà, voce *Blatta*.

TRIBOCES, qui TRIBOCCI *Ptol. Tribocchi* Plin. *l.* 4. *c.* 17. populi Germaniæ superioris, quorum regio Allatia, vulgò *Elsas*, cujus caput est Argentoratum. An à tribus pagis, quos habitabant: *Bach* enim locorum & civitatum terminatio, apud German. Ut dicti sint, quasi *Tribachi*. Sanè ibi *tres Tabernæ*. *Ptol. Triboccos* rectà locat sub Rauracis ad Rhenum. Plin. *loc. cit.* Tacit. *de Morib. Germ. c.* 28. Strab. Eutropius *l.* 6. *Tribocchos* appellat. Eos Argentinenses *Althamerus* ex *Conradi Celtis* sententia esse putat; sic à tribus quercubus (alii fortè rectiùs fagis) Dryadibus nymphis consecratis nuncupatos. Rhellicano autem ex *tertia Europæ tabula* Ptolemæi, verosimilius apparet eos esse, quos nunc *Alsatios* vocamus. Siquidem *Ptol.* Tribonos (corruptè) propiùs *Elcedum* (quod alii *Slestadium* interpretantur) quam Argentoratum statuit. *Glareano* verisimile videtur, Brisacum designari. Nam & constans fama est, oppidum illud in Gallia olim situm fuisse, quod nunc in Germania est, mutatô Rheni alveô. Alsatæ sunt & *Ferrario* & *Baudrando*. Præter quos vide B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 1. tit. *Tribocci in Mediomatricos*: cum *Notis* Cl. Ottonis, JCti, *p.* 104. & 610.

TRIBONI, iidem, apud Eund. *p.* 603.

TRIBONIANUS, JCtus quô Justinianus Imperator ad codicem componendum usus est. Eruditus admodùm, & indefessus, sed habendi cupidior, Procop. *de bello Pers.* hinc & ob rapinas, ab Imperatore pulsus est, sed revocatus paulo pòst, à Principe, apud quem plurimum valuit. Paganum fuisse & Ἄθεον præter *Suidam* testis est Hesych. Illustris in catal. illustr. virorum. Vide Coleri *Parerg. c.* 17. Fichard. *in vit. Jurisc.*

TRIBONIUM, Græcè Τρίβων & Τριβώνιον, Philosophorum pallium fuit, Lucianus *Timone*, Ὁ δὲ τρίβων οὗτος πορφυρίδος ἀμείνων, *Pallium, quàvis purpurâ potius*. Cùm verò pallium totius gentis Græcorum communis habitus esset, ii, qui severiorem Philosophiam profitebantur, ut Pythagoræi, Cynici ac Stoici Palliô usi sunt detritô, obsoletô, sordidô ac pullô, quod propriè *Tribonium* dixêre. Cicero *Palliolum* appellat, *Tuscul.* 3. *Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia*. Appulejus *Palliastrum*, &c. Hinc Festus, *Attritum, & tritum, vestis trita*, Τριβώνιον: Pallium scil. longô usu detritum, quodque, ut loquitur Euripides apud Athenæum, *l.* 10. villosam lanuginem amiserat. Cujusmodi vestis, quia pilis floccisque amissis tenuior fiebat ac levior: ideò *Glossæ veteres* Τριβώνιον *velum* interpretantur, vestem nempe attritu tenuem levemque factam, ac propterea arcendo frigori minùs idoneam. In quo veteres Philosophi tolerantiam sive patientiæ potiùs imaginem ostenderunt, cùm in ea etiam hyeme incederent: Cynici eâ solâ velarentur. Quòd porrò eadem detrita esset, & ferè lacera, etiam simpliciter ῥάκος dicebatur: Unde Laërtius de Aristippo, quòd modò luxuriâ difflueret, modò continentiam sectaretur, dictum prodit, ipsi soli datum esse χλαμύδα φορεῖν, καὶ ῥάκος, *Chlamydem ferre & Tribonium*, sive pannum: Pannos autem etiam Latinis Scriptoribus pro vestimentis laceris accipi, notum. Homerus quoque ob eandem causam, ubi de Ulysse sub mendici specie in ædibus propriis versante, utrumque conjungit, Εἱμένος κακὸν ῥάκος ἠδὲ χιτῶνα ῥωγαλέον. *Indutus pallium lacerum, tunicamque discissam*. Ut verò res ab origine arcessatur, priscis temporibus *Tribonium* communis pauperiorum in Græcia habitus fuit. Unde apud Aristophanem *Pluto*, Carrio ab hera interrogatus, quomodo ea, quæ in Æsculapii templo evenerant, vidisset, cùm capite fuisset involutô, respondit, διὰ τοῦ τριβωνίου, ὀπὰς γὰρ εἶχεν οὐκ ὀλίγας. Ac ne quis tantùm servilem vestem fuisse credat, paulò infrà Justus dives factus affert τὸ τριβώνιον ad Æsculapium, ut ei illud consecret, rogaturque à servo, num illa vestis sit, in qua initiatus fuerit, quòd illæ tamdiu gestarentur, donec attritæ penitùs laceræque essent. Imò nec pauperes modò, sed vulgus omne Atheniensium in *Tribonio*, Idem *Vespis*; ubi Scholiastes, *Erat*, ait, *prisci moris, ut honorati senes cum Tribonio & scipione Populum convocarent*. Quare successu temporum, postquàm pexæ vestes atque peregrinæ in usum venerunt, boni illi Senes gravatè admodùm, ut *Tribonium ponerent*, animum inducebant, ut *ead. fab.* docet. Etiam alibi in Græcia honoratioribus Tribonium in usu: ut de Epaminonda & Agesilao legimus, apud Ælian. *Var. hist. l.* 5. *c.* 5. & *l.* 7. *c.* 13. donec pexis recentioribusque palliis, & gaunacis, peregrinisque vestibus in usum adductis *Tribonium* penès solos pauperiores remansit. Unde Lucianus, *Somniô* sive *Gallô*, cùm Mycillus divitem salutâsset, illico se subduxisse ait, ne fortè pudori illi esset, quòd τρίβωνι ipsum esset asfectatus. Postquàm itaque pauperiorum proprium id gestamen esse cœpit, severioris Sapientiæ cultores hoc velut ipsius Sapientiæ insigne arripuerunt coluêruntque. Plut. *de Iside & Osiride*, οὔτε γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφίαι καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσι, *Neque enim Philosophos densa barba & Tribonii gestatio facit*. Falluntur enim, qui *Tribonium* solius Cynicæ sectæ vestem fuisse tradiderunt: Cùm & Socrates & Pythagoræi & Stoici reliquique severiùs philosophantes non delicatiùs incesserint. Cæteri verò Philosophi communi habitu videntur usi: neque ullus Platonem, Aristotelem, illorumque sectatores cultu à vulgo distinctos prodidit. Imò ἐσθῆτα ἀπέριεργον Ælianus, *l.* 3. *c.* 19. ἐπίσημον Laërtius, Aristoteli tribuunt. Vide eundem de Lycone & Heraclide. Primus sanctioris disciplinæ parens Socrates *Tribonium* sapientiæ aptavit, propterea ab Amipsia *in Tribonio* traductus: non tamen semper illud adhibuit, sed *interdum tempori serviens* λαμπρὰ ἠμπίσχετο, ut est apud Platonem, *Sympos.* Præter eum Pythagoræi (quorum tamen princeps veste albâ purâque semper utebatur) in *Tribonio* similiter & sordibus erant. Antiphanes apud Athenæum, *l.* 4.

Sordes paululum oportuit ferre, jejunium,
Cæli rigorem, silentium, tristitiam, illuviem.

Vide de iisdem Aristophanem *ibid.* & Mnesimachum apud Laërtium. Eorum princeps Diodorus fuit Aspendius, qui apud modò memoratum Athenæum paulo pòst Cynicis moribus usus dicitur, κομᾶν καὶ ῥυπᾶν καὶ ἀνυποδητεῖν, *Capillatus, sordidus & discalceatus*: Unde & Pythagoræorum, qui comam alebant, familia originem duxisse creditur. Stoicos à Cynicis solâ tunicâ distinctos adeoque *Triboniô* quoque velatos fuisse, docet Juvenalis. Imò Lucianus nunquam Philosophiæ mentionem facit, quin & *Tribonium* nominet. Vide eum *Reviviscentibus*, item *Mercede conductis*: unde colligas, Grammaticos etiam & Rhetores, aliosque liberalium disciplinarum Professores Romæ *Tribonium* gestâsse; quod indicat & Tertullian. *de Pallio*. Idem de Sophistis refert Eunapius *in Hedesio*. Cæterùm Philosophi *Tribonio* tanquam notâ atque insigni Romæ quidem à reliquis mortalibus distincti sunt: at in Græcia hôc ipsô non differebant à pauperioribus; sed accedebat inprimis opaca & profunda barba, pedum nuditas, longæ & profusæ comæ; quodque peculiare Cynicis fuit, pera & baculus, & diversa *Tribonium* gestandi ratio, de qua posteà. Sicut autem apud Ethnicos severiùs philosophantes *Tribonium* adamârunt ita & inter Christianos olim Ascetæ, quos austeriori disciplinæ se tradentes, eandem vestis vilitatem ac squalorem assumpsisse legimus. Quod cùm Tertullianus fecisset; popularium reprehensionem incurrit, unde editô librô sibi patrocinari est coactus. Interim non diu apud Christianos durâsse hanc Tribonophoriam inde apparet, quòd cùm aliqui, sicut quidam Philosophi Sapientiam in Tribonio positam credebant, solos veros Christianos existimarent, qui hôc palliô uterentur, ac præcipuè Constantini ætate Eustathius Sebastenorum Episcopus contenderet Episcopos omnes atque Presbyteros ad vetus gestamen revocare, eosque, qui non gestâbant, damnaret, Synodô Gangrensi, *Can.* 12. sancitum est: *Si quis virorum propter* ἄσκησιν *νομιζομένην palliô utitur, & despicit eos, qui cum reverentia byrris & aliis communibus vestimentis utuntur anathema sit*. Nec omittendæ mulieres Ascetriæ, quas *Tribonium* & ipsas gestâsse, exemplô Hipparchiæ Cratetis, discimus ex *Can. sequ. Si quæ mulier propter* ἄσκησιν *habitum mutat, & pro solito muliebri amictu virilem sumit, anathema sit*. Hîc enim per virilem habitum intelligi pallium, contra Balsamonem viri docti statuunt &c. Licèt verò *Tribonium* commune severiùs Philosophantium tegmen esset, Cynicorum tamen, in quo illi delicias faciebant, in eo peculiare fuit, quòd attritum magis ac lacerum esset. Quô habitu sese Herculem, Cynicæ sectæ Auctorem, ut ait Ausonius, *Epigr.* 26. & Lucianus, *Cynico*, imitari gloriabantur, quem reliqua nudum, solâ leoninâ amictum Veteres introduxêrunt. Etiam aliter à Cynicis, quàm à reliquis Philosophis, *Tribonium* gestatum est. Nam cùm hi illud sic gestarent, ut reliqui mortales pallium, extremâ scil. parte dextrâ in humerum lævum impositâ, ut manus sola extaret: Cynici totam *Tribonii* partem dexteram ita in sinistrum conjiciebant humerum, ut cum toto brachio dexter nudus exerceretur, parte etiam pectoris renudatâ. Quod illi idcirco agebant, quia, ut doctis pridem observatum est, sine tunica incedebant, prorsusque erant ἀχίτωνες. Unde Dio Chrysostomus, *Orat.* περὶ χίτωνος accuratè causam quærit, cur, cùm homines in sola tunica conspicerentur, nemo eos notaret aut irrideret: quòd si aliquem ἀχίτωνα viderent, *sine tunica solô palliô amictum*, comâ barbâque prolixâ, ilico derisiculo habitus omniumque ludibrio & contumeliis expositus esset. Utebantur itaque τρίβωσι μόνοις Cynici, ut ait Laërtius *in Menedemo*, ob tolerantiam: quam laudem veterum fuisse Laconum, discimus ex Æliano, ubi de Agesilao & Plutarcho in *Lycurgo*, ubi Spartam *unâ scytale & Triboniô Græciæ volenti imperitâsse*, refert. Primus verò habitus hujus auctor Antisthenes fertur, apud Laërtium, ubi Diogenem, tunicam petentem, jussit πτύξαι θοἰμάτιον, *complicare* seu *duplicare pallium*. Ex aliorum tamen sententia Diogenes ejus moris auctor fuit, apud eund. qui primus pallium ἐδίπλωσε, *duplicavit*, tum ut tunicæ vicem eô se involveret; (quod *duplicare* hîc est) tum in eo somnum caperet: Cùm enim Cynici humi cubarent, sine culcita & stragulis, eôdem palliô involuti dormiebant, quod gerebant interdiu. Et ab hac pallii duplicatione διπλοείματος veteri Poëtæ dicitur Diogenes, ut alia præter eam. Cynici istiusmodi duplici pallio involuti figuram in opus suum transtulit, qui de *Tribonio* accuratè agit, Oct. Ferrarius, *de Re Vestiaria*, *Parte* 2. *l.* 4. *c.* 14. & *seqq.* Vide quode suprà passim.

TRIBORI, Galliæ Belgicæ populus *Ptol.* Hodiè *Trierische* possunt appellari ab eorum metropoli *Trier*.

TRIBULA, vide *Tribulus*.

TRIBULES, à *tribu* dicti: quâ voce, quia ultimus civium ordo non rarò designatur, populus videl. Equestri & Senatorio contradistinctus, ut videre est in illo Papinii Statii, *l.* 4. *Sylv.* 4. *v.* 25.

Mo-

Moribus atque tuis gaudent turmæque tribusque
Purpureique patres ———

vel etiam plebs, à populo separata, uti apud Plin. *Panegyr. c.* 25. *Nisi verò leviter attingi placet locupletatas tribus datumque congiarium populo:* Martialem, *l.* 8. *Epigr.* 15. *v.* 3.

Dat populus, dat gratus eques, dat thura Senatus
Et ditant Latiæ tertia dona tribus.

& in veter. *Inscr.* apud Casaubonum. Inde est, quòd *tribulis*, pro paupere & egeno ac capite censo sumitur, apud eundem, *l.* 9. *Epigr.* 50. *v.* 7.

Nunc anus & tremulo vix accipienda tribuli.

Item, *l.* 9. *Epigr.* 58. *v.* 8.

Nec palleus toga mortui tribulis.

Item Horatium, *l.* 1. *Ep.* 13. *v.* 14.

Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.

Cujusmodi homines *turbam sine nomine* eleganter Manilius vocat, *sub finem l.* 5. &c. Vide Casaub. *ad Suetonii Aug. c.* 101. & suprà ubi de *Plebe*.

TRIBULIUM, seu TRIBUNIA *Lib. concil.* urbs Dalmatiæ inter Epidamnum & Rhizanam. *Baudrando* meliùs *Tribunium* & *Tribuna*, urbecula Dalmatiæ, sub Turcis, 16. milliar. à Ragusa in Ortum, 30. à Rhizino in Circium. Anteà sub Ragusæis. Hic conciliô habitô, cùm quæreretur, lignea ne an aurea vasa in S. Cœna adhiberi debeant? respondit Bonifacius M. *cùm aurei essent sacerdotes, ligneos habuerunt calices, nunc lignei sacerdotes calices aureos habere volunt.* Sub initium seculi 3. P. Martyr *in* 1. *Reg. c.* 7. Vulgò *Trebigna*.

TRIBULUS, Græcè τρίβολος, an à τρίβω verbo, an quasi τρίβελος, ex nominibus τρεῖς & βέλος, quòd *tres cuspides* habeat, vel quòd *trifariam* feriat, vel à *triangulari* forma? herbæ spinosæ genus, de quo Plin. *l.* 18. *c.* 17. *Lolium & tribulos & carduos, lappasque, non magis quàm rubos, inter frugum morbos potiùs, quàm inter ipsius terræ pestes numeraverim.* Et *l.* 21. *c.* 16. Tribulus *non nisi in palustribus nascitur, dira res alibi: juxta Nilum & Strymonem amnes excipitur in cibos, inclinatus in vadum, foliô ad effigiem ulmi, pediculô longô.* Inde stimulus ferreus formæ tetragonæ, qui quamcunque in partem incubuerit, aculeum semper infestum protendit. Cujusmodi *tribulos*, qui aliàs *murices*, quod vide, in bello sæpè sparsos, docet Salvianus, *l.* 6. *Exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foveis intercidere, aut sudibus præfigere, aut* tribulis *infestare dicuntur:* ad quem locum vide Rittershusium, & plura hanc in rem apud Budæum, *Annotat. ad Pandect.* Just. Lipsium, *Poliorcet. l.* 2. *c.* 2. & *l.* 5. *c.* 3. Stewechium *ad Vegetium*, *l.* 3. *c.* 24. & Freinshemium *ad Curtium*, *l.* 4. *c.* 13. *n.* 36. Atque sic vocem τρίβολος quoque Leo *in Tacticis* usurpat, *c.* 11. §. 28. 46. *c.* 14. §. 45. & *c.* 19. §. 56. At τρίβολος, apud Auctorem incertum post Theophanem, *in Leone Armenio, p.* 434. & *tribulus*, apud Jac. Vitriacensem, *Hist. Orient. l.* 3. Matth. Parisium, A. C. 1099. aliosque medii ævi Scriptores, machina bellica est, quæ aliàs *Trebuchetum*, Car. du Fresne *in Glossar.* Vide suprà in hac voce. De *tribula* verò seu *tribulo*, instrumento rusticano, quô grana exteri consuevêre, vide itidem in vocibus *Grana*, item *Traha*.

TRIBUNA, apud Eccles. Roman. Scriptores, ambo seu pulpitum est Ædis sacræ, quod & *Tribunal* dixêre nonnulli, Galli quoque *Tribune* vocant. Alii opus rotundum interpretantur & testudinatum: ita *sub tribuna jacere corpus Vuifredi Comitis*, dicitur apud Anton. Yepezium, *Tom. IV. Chron. Benedict.* laudatum Car. du Fresne, *Glossar.* A. C. 914. Car. Macro sic dicitur *hemicyclus muralis, qui in fine presbyteriis in Eccl. solet terminari — quasi tribunal, quia ibi tribunal, sive Pontificalis Cathedra collocabatur, ut in templo S. Cæciliæ Transtiberinæ regionis ex lapide adhuc extat, ac in aliis antiquis Romæ Ecclesiis adhuc videtur, & Alexander Papa VII. in tribuna Basilicæ Vaticanæ Cathedram Principis Apostolorum magnificè collocavit in Hierolex.*

TRIBUNAL, suggestus erat editior, unde conspici Magistratus ab omnibus poterat, in quo sella Curulis jurisdictionis insigne locata erat, ubi sedens Prætor cognoscebat. Vitruvius *Tribunal* specie amplissimum, in æde Augusti his verbis describit *l.* 5. *c.* 1. *Tribunal est in ea æde hemicycli schematis minoris curvaturâ formatum: Ejus autem hemicycli in fronte est intervallum pedes quadraginta sex, introrsum curvatura pedes quindecim, uti, qui apud Magistratus starent, negotiantes in Basilica non impedirent: quod ipsâ assignatione angustissimum videtur & in arcus formam, quæ semicirculô minor est, cùm ad diametrum non pertingat, redactum.* Præter illud subsellia erant, in quibus ii Judices, qui Magistratum Curulem non gerebant, ut Tribuni Pleb. Quæstores, Triumviri, Ædiles Pleb. & qui cum Magistratibus Curulibus judicabant. Centumviri, considentes cognoscebant causam. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 8. & Polletum, *de Foro Rom. l.* 1. *c.* 6. In hodierno Imperio summum *Tribunal* Camera Imperialis est, in qua apud Imperii Judices sive Assessores legitima rei controversæ inter litigantes tractatio instituitur: Habetque illa ordinariam & plenissimam jurisdictionem à Cæsare attributam, sic ut nec controversias semel ad eam delatas avocare possit; cùm ipsum repræsentet Cæsarem, sub cujus nomine & sigillo omnia mandata, sententiæ & decreta emanant. Institutum est hoc *Tribunal* à Maximiliano I. Imperatore Wormatiæ, consentientibus Imperii statibus, A. C. 1495. ut majori temporis sumtuumque compendiô lites dirimerentur, cùm Aula & Curia Imperatorum, ad quam olim Ordinum devolvebantur appellationes & immediatorum Statuum causæ, litibus nimis obruta esset, & nimiis impensis eam sequi Actores ac Rei cogerentur. Personæ Camerales sunt *Judex*, qui à solo constituitur Imperatore: *Præsides*, qui plures sunt iique Comites vel Barones, quos idem solus constituit, quorumque unus absentis Judicis agit vices, & *Assessores*, qui olim erant XXIV. aliis VIII. Maximiliani II. tempore aucti & ab Imperatore, Electoribus aliisque Statibus repræsentantur. Locus *Tribunalis* hujus Spira est, urbs Imperialis libera: unde injussu Cæsaris & Ordinum transferri non potest, nisi belli pestisque temporibus, &c. Præter illud, Judicium quoque est Rotwilense, *das Keyserliche Hoffgericht zu Rotweil*; sed istud non universalem, ut Camera præfata; verùm in certo tantùm & limitato districtu (per Suevicum, Austriacum & Rheni Circulos) jurisdictionem habet. Institutum à Cunrado Suevo Imperatore, A. C. 1147. quando de Imperio cum Lothario Saxone decertavit: Tum enim egregiam Rotweilensium in se fidem expertus, Imperialis hujus Judicii axiomate eam compensavit. Assessores sunt XII. interim ab eo ad Cameram appellatur. Vide Limnæum, *de Jure Publ. l.* 9. *c.* 4. De *Tribunalibus* Atheniensium quære suprà in vocibus *Dicasterium*, *Forum*, *Judicium*: de Hebræorum, in voce *Synedrium*: de *cespititiis Tribunalibus*, quos milites Imperatoribus erigere solebant, Salmasium, *ad Pallium Tertull. c.* 5. Sed & *Tribunalia* Diis excitata memorantur, in veter. *Inscr.* Apollini & Virjugodumno sacrâ, quam infrà dabimus: ubi *Tribunalia* stylobatas, in quibus horum statuæ, exponit Car. du Fresne: qui & hanc *Inscr. Numini. Augustor. Deo. Voliano. M. Gemel. Secundus. & C. Sedatus. Florus. Actor. Vicanor. Portens. Tribunal. cum. locis. ex. stipe. conlata. posuerunt.* Ut & Istam, *P. Ælius. Valerianus. hoc. vas. desomnium. sibi. & Felicitati. posuit. & Tribunal. ex. permissu. Pontif. perfecit.* ex Boissardo, *part.* 6. *fig.* 78. exhibet, *Dissert. de inferior. ævi Numism.* §. 54. Vide etiam suprà voce *Sedes*. Ut & hoc addam, *Tribunal* supremi Judicis indeclinabile esse, etiam Gentilium Sapientioribus fuisse non ignotum, discimus ex Cliniæ verbis, apud Platonem, *de LL. l.* 10. & *versibus* Philemonis, uti Auctorem eorum vocat Justinus Martyr, *l. de Monarch.* seu Diphili Comici, uti Clemens Alex. *l.* 10. *Strom.* apud quos locum satis prolixum, sed memorabilem omninò, vide: adde Senecam, *Hercule Fur. Act.* 3. Sistit autem illud Socrates in trivio, ex quo geminæ tendant viæ, altera quidem ad Tartarum, altera ad insulas Beatorum, apud eundem Platonem, *in Gorgia*; quam in rem vide plura apud Tob. Pfannerum, *Theol. Gent. purior. c.* 20. §. 12. & 18. Apud Scriptores Eccles. *tribunal* gradus vocatur, super quem ascendit Diaconus ad legendum; aliquando idem est, quod Βῆμα Græcis, etiam inter ministeria sacra nonnullibi reponi videtur Carolo du Fresne, *in Glossar.* quem de *Tribunali novendecim accubituum* multis agentem adi *in Constantinopoli Christiana*. Origo voci an à *Tribunis*, an à *Tribubus* quibus ibi jus dictum: vide etiam infrà *Suggestum*: ubi *de Tribunalium cancellis*, in hac voce.

TRIBUNARIUM, apud mediæ ætatis Auctores, idem cum *Tribunio*, quod vide.

TRIBUNITIA Potestas, inter Imperatorum olim titulos, vide hic suprà.

TRIBUNUS, nomen non unius apud Romanos dignitatis. *Tribunus* seu Præfectus *Celerum* dictus est, qui Equitibus præerat, & veluti secundum à Regibus locum obtinebat, quo in numero Junius Brutus, auctor ejectorum Regum, extitit. Magistratum hunc Romulus instituit, eidem Numa Pompilius tertiam sacrorum administrandorum partem concessit. Posteà illius in locum Magisterium Equitum successit. Unde Pomponius scribit, *Magistros Equitum ita Dictatoribus esse junctos, ut Regibus* Tribuni *Celerum*. Militum *Tribuni*, auctore Varrone, dicti sunt, quod ab initio terni essent, tum cùm legio ex 3000. conficiebatur, ex ternis, quæ tum erant, tribubus. Hi peditibus Legionis præerant. Posteà, ut numerus horum auctus est, à tribus ad quatuor atque ab his ad sex Tribuni numerô creverunt. Legebantur primò ab Imperatoribus, in singulas quaternas legiones terni, posteà an. Urb. Cond. 391. institutum est, ut pars eorum populi suffragiis, pars Imperatorum arbitriô crearentur: cùmque Rutilius Rufus legem de jure Tribunorum, qui à Consulibus essent facti, tulisset, accidit, ut Tribuni ab Imperatoribus in exercitu lecti *Rufuli*: à populo in Comitiis creati *Comitiati* dicerentur. Usi sunt hi iisdem, quibus Consules, insignibus, & nonnunquam Patritii erant, aliquando verò à plebe creabantur. *Tribuni plebis*, post secessum plebis feneratorum crudelitate supra modum pressæ an. Urb. Cond. 259. factum, instituti quinque sunt annô sequente, Cassiô Viscellinô II. & Aul. Posthumiô Aruncô II. Consulib. dictique sic fuerunt, quòd primùm ex Tribunis militum creati sunt, Varro, *de LL. l.* 4. Eorum nomina, uti recenset Dionys. *l.* 6. fuerunt hæc: L. Junius Brutus, C. Sicinius Bellutus, C. & P. Licinii, & Sp. Sicilius Ruga, quos Comitiis curiatis, à plebe creatos d. 4. Id. Decembr. potestatem Tribunitiam accepisse refert. Duplicatus dein numerus est, insigni Optimatum dispendiô, an. Urb. Cond. 297. Consulib. M. Valeriô, Sp. Virginiô. Officium fuit, Consulum & Patritiorum potentiam moderari, & securitati plebis cavere. Unde hic Magistratus sacrosanctus fuit, quem vel vi vel verbis violare capitale esset atque scelus inexpiabile. Gestârunt hi purpuram, Cicer. *pro Cluentio*, habueruntque domos suas, noctu & interdiu apertas, tanquam portum perfugiumque iis, quibus opitulandum erat: nec integrum illis ab Urbe diem abesse licuit, nisi in Latinis feriis, Halicarnass. *l.* 8. Agellius, *l.* 3. *c.* 2. & Macrob. *l.* 1. *Saturnal. c.* 3. Interim, cùm quemvis potuerint tueri, contra vim à superiore intentatam, liceretque illis quibusvis decretis, quæ improbabant, *intercedere*, imo quemcunque vellent arreptum in concionem producere; tantâ potentiâ & immunitate, tanquam telô armati, si qui naturâ inquieti, aut etiam Patribus iniqui erant, valde abusi sunt, & paulatim largius progrediendo, multùm labefactârunt auctoritatem Consulum & Senatus, auctoresque crebro fuerunt maximorum in Republ. tumultuum; At mœnibus terminata potestas fuit, nec quicquam extra

urbem valuit, Halicarn. & Livius *l. 3.* Abolevit illam Sulla Dictator, restituit Pompejus. *Plut. in Pompejo* & Cicer. *l. 3. de legg.* donec sub Constantino M. Tribunatus hic in universum cessavit, vide Thom. Dempster. *l. 7. Antiq. Rom. c. 23.* Quia autem *Tribuni* Pleb. per plebem & pro plebe creati erant, mansit id, ut tantùm ex plebe, nisi quòd semel Patricios duos cooptatos legimus, apud Livium, *l. 3. c. 65.* imò ferè ex infima plebe, usque dum lata lex est, ut crearentur tantùm ex Senatu, id est, ut nemo fieret *Tribunus Pleb.* nisi qui anteà Senator fuisset, Senator tamen plebejus. Quod an à Sulla, an ab alio factum sit, constare negat Appianus, *Bell. civ. l. 1.* Non habuêre verò illi jus vocandi, teste Lxl. Felice, *l. 1. ad Q. Mutium*, *Tribuni neque advocant Patricios, neque ad eos referre possunt.* Prensionis tamen jus habuêre. Unde Labeo per viatorem à *Tribunis Plebis* vocatur, *Quum a muliere quadam Tribuni Plebis adversùm eum aditi, Gellianum ad eum misissent, ut veniret mulieri, & responderet, jussit eum, qui missus erat, redire & Tribunis dicere, jus eos non habere, neque se neque alium quenquam vocandi: Quoniam moribus Majorum prensionem haberent. Posse igitur eos venire & prendi se jubere: sed vocandi absentem jus non habere*, apud A. Gellium, *l. 13. c. 12.* Quod adeò verùm, ut & Consules à *Tribunis* in vincula duci potuerint. Sic Dio, *l. 37.* testatur, Metellum Consulem à L. Flavio Tribuno in carcerem ductum esse. Et apud Livium, *l. 9. c. 34.* Censorem Appium à Publ. Sempronio Tribuno prehendi & in vincula duci fuisse jussum, legimus. Quærenti quam ob causam Tribuni, qui haberent summum jus coërcendi, jus vocandi non habuerint, respondet idem Gellius: *Quòd Tribuni antiquitus creati videntur non juri dicundo, nec causis querelisque de absentibus noscendis sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent: ut injuria, quæ coràm fieret, arceretur.* Peragebantur autem hæ intercessiones unicô & solemni verbô, *Veto.* Liv. *l. 4. Facto, ne juvet vox ista, Veto: quâ nunc concinente Collegas nostros tam læti auditis.* Tantaque earum vis fuit, ut privati Magistratus omnes parerent; quod qui non fecisset, vel per viatorem Tribunitium in carcerem rapiebatur, vel die dictâ apud Populum accusabatur, ut supremæ potestatis violator. Qua de re LL. veteres extant, apud Dionys. Halicarn. *l. 6. in fin.* & *l. 7. circa med.* Cicero, *Orat. pro Sextio*, hoc ampliùs notat, eam fuisse *Tribunatus* sanctitatem, ut non modò contra vim & ferrum, sed & contra verba & interfationem legibus sacratis essent armati. Etiam inter ipsos Tribunos intercessio eousque valebat, ut, unô è Collegis vetante, cæterorum actiones essent irritæ. Unde apud Dionysium præfatum legimus, sperâsse hinc Claudium, fore, ut à se ipsa vis Tribunitia destruatur, si scil. auctô Tribunorum numerô inter ipsos dissensiones incidissent. Iidem convocandi Senatus jus cùm non haberent, M. Valeriô & Sp. Virginiô Consulib. illud sibi usurpare cœperunt, teste eôdem, *l. 10.* auctore Iciliô, qui ejus Collegii tum princeps erat: sicque Consulari potestate haud parùm detraxerunt. Cùm namque anteà concionum duntaxat jus penès illos esset, Senatum convocare aut sententiam eis dicere non licebat, sed Consulum is honos fuit: ab eo verò tempore non absentibus modò, sed etiam præsentibus Consulibus Senatum suâ auctoritate convocavêre, uti discimus ex Cicer. *de Oratore*, *l. 3.* ubi scribit vocatu Drusi Tribuni Pleb. non solùm Senatum, sed & Consulem Philippum in Curiam venisse. Vide Jac. Oiselium JCtum, *Notis in Gellium loc. cit.* & *l. 14. c. 7.* Quô pactô verò olim Tribuni Patrum decreta probârint, indicat Val. Max. *l. 2. c. 2. ex. 7.* ubi notat, *Vetustis temporibus jus non fuisse Tribunis Pleb. Curiam intrare: ante valvas autem, positis subselliis, decreta Patrum examinâsse, ut si qua ex iis improbâssent, rata esse non sinerent. Itaque veteribus Senatusconsultis T. literam subscribi solitam, quâ notâ significabatur, illa Tribunos Pleb. quoque censuisse.* Creabantur Comitiis Tributis, post legem à Volerone Tribun. Pleb. latam, *ut Plebeji Magistratus Tributis Comitiis fierent*, cùm primùm Curiatis crearentur: ut videre est apud Livium, *l. 2.* & Dionys. *l. 9.* Semel tamen à Pontifice Maximo creatos esse, habes apud Rosin. *Antiqq. Rom. l. 6. c. 17.* Ipsimet, cùm Tribunorum Comitia habere vellent, inter se sortiebantur, cui illa habenda essent, vel communi consensu alicui id munus injungebant: Cujus exemplum Livius suppeditat, *l. 3.* Leges eorum causâ latæ fuêre plurimæ, Junia sacrata, Icilia, Duilia, Horatia, Trebonia, Atinia, Papiria, Cornelia, Pompeja, & Publia Lætoria, de quibus omnibus vide suprà, *suis locis.* Mansit nomen etiam citeriori ævô, in Francia inprimis, sub primis Regibus, sed quænam dignitas fuerit, non adeò liquet: tametsi militibus præfuisse satis innuat Walafr. Strabo, *de Rebus Eccl. c. 31.* Comitibus postponuntur, in *L. Wisigot. lib. 11. tit. 1. §. 2.* gradum fuisse ad Comitis dignitatem, indicat Fortunatus, *l. 7. Poëmat. 6.* è quo insuper, penès *Tribunos* fuisse castrorum & carcerum custodiam, colligitur, in *Vita S. Germani* Episcopi Parisini, uti tributa exegisse, ex *Græcismo* Eradi, *c. 9.* Sed & Magistratum, quô Belgradensis in Croatia civitas olim regebatur, *Tribuni* appellationem habuisse, vulgò *Trun* vel *Trum* contractè, scribit Joan. Lucius, *Histor. Dalmat. l. 2. c. 16.* Vide de *Tribunis* Francicis modò dictis, plura apud Car. du Fresne, *Glossar.* &c. Hinc *Tribunatus Pleb.* munus seu officium *Tribuni Pleb.* à quo multùm diversa *Tribunitia Potestas*: Namque *Tribunatus Pleb.* duplex, unus Reipubl. veteris, qui junctus cum *Tribunitia potestate*; alter Reipubl. novæ, qui sine illa. Sub Imperatorib. enim *Tribuni* aliqui, sed tenui aut nullâ potestate; unde de Thrasea Tribuno Pleb. Tacitus *l. 16. Annal. c. 26. vana*, inquit, *& non profutura intercessio.* At *Tribunitia potestas*, pars maxima Regalis Imperii fuit, sub Imperatorib. ut Vopiscus habet in *Tacito*, *c. 1.* quam illi, sine nomine tamen & insignibus, putà togâ purâ & limine noctu ac interdiu patente, his potissimum de causis recepêre, tum ut per hanc potestatem summa eis facultas esset intercedendi omnibus decretis, quæ contra ipsorum voluntatem ac nutum à Magistratibus fierent, sive omnia vetandi, quæ facta nollent; tum ut per illam sacrosancti essent, ac religione & lege inviolabiles, ac proin, si à cive vel verbulô læsi essent, illum tanquam hominem sacrum occidere confestim possent, tum ut appellantibus ipsos & intra pomœrium (quod jus cum prædictis Tribuni habuerant olim) & intra proximum miliare (quod nulli unquam Tribuno licuit) opem possent ferre, uti Dio refert, *l. 53.* Et quidem accepit hanc potestatem primus Jul. Cæsar teste eôdem, *l. 42.* in titulis primus usurpavit Augustus, qui, cùm Tribuni priores jus cogendi Senatus haberent, sed non quoties vellent, à Senatu etiam hoc impetravit, ut quoties vellet, id jure facere posset, pereunte sensim hôc jure iis, qui veteris Tribunatus speciem retinebant. Unde non immeritò de ipso Tacitus, *l. 3. Annal. c. 56. Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera imperia præmineret.* A quo tempore nemo Imperatorum hunc *Tribunitiæ potestatis* titulum omisit: quare tam in historiis quàm nummis ac veteribus saxis frequentissima hujus dignitatis mentio. Tanta igitur cùm potestas hæc esset, Princeps quem ad Imperii spem vocaret, hunc illius potestatis consortem facere solitus est. Tacitus *d. l. Augustus M. Agrippam socium Tribunitiæ potestatis, quô defunctô, Tiberium Neronem elegit, ne successor in incerto foret* &c. Sic proin & Tiberius ibi Druso eam petit, tanquam successori, & Sejano injecta spes illius apud Dionem, *l. 58.* & Titus apud Sueton. *c. 6.* Patri *collega factus in Tribunitia potestate*, tanquam proximò ad successionem gradu, quales dicti posteà *Cæsares*, ut vidimus suô locô. Pertinet eò *Tribunitium subsellium*, cujus in *Claudio* Sueton. meminit, *c. 23. De majore negotio acturus, in Curia medius, inter Consulum Sellas, tribunitio subsellio sedebat* &c. Vide de hac dignitate plura apud Marcilium *ad Suetonium*, *Titô d. l.* Casaubon. *ad eundem*, *Augustô*, *c. 27.* Salmas. *ad Capitolin. in Vita Pii*, & Vopisc. *in Tacito Imp. dicto loco ubi etiam de Tribunis Militaribus Consulari potestate prædictis*, Alios.

Tribunorum varia apud Scriptores genera.

α. Ærarii, qui à Quæstoribus Ærarii distinguendi, vide de illis Sigonium, *de Jure Rom. l. 2. c. 8.* β. Celerum, præfectus erat Equitum, quos *Celeres* vocabant, à Romulo institutus primùm: posteà Comitiis Curiatis creatus. γ. Comitiati, dicti sunt *Tribuni militares*, qui Romæ Comitiis designabantur, oppositi *Rufulis*, qui ab Imperatoribus in exercitu lecti. δ. Fabricarum, qui *fabricis* armorum præerant, memorantur Ammiano, *l. 14.* & *15.* ε. Maritimorum, curam habebant in oris maritimis, fluviisque navigiorum: iidem salinas quoque curabant; de quibus formulam habes, apud Senatorem, *l. 12.* Vide Car. du Fresne, *Glossar.* in voce *Tribunus.* ζ. Militum, alii *angusticlavii*, qui ex Equite; alii *laticlavii*, qui ex Senatu: alii *Comitiati*, alii *Rufuli* fuerunt. Creabantur Comitiis Centuriatis, habebantque Comitia Magistratuum creandorum causâ, ut & Comitia Consularia: iisdem, quibus Consules, insignibus usi; nonnunquam Patricii, nonnunquam ex Plebe & Patriciis creati numerô primùm tres, dein quatuor, tandem sex, de quibus jam dictum aliquid. At plura de *Tribunis militum*, eorumque *ætate*, *beneficiariis*, *emolumentis*, quæ à militibus accipiebant, *stipendio 240. aur. Rom. salarioque*, ut & aliis huc pertinentibus, vide apud Alex. ab Alexandro, Budæum *ad Jur. Orig.* Lipsium, Alios: inprimis Salmas. *ad Hadrian. Spartiani*, *c. 10.* & *Vopisc. in Probo*, *c. 4.* ubi de divisione eorum in *Tribunos Legionum*, quos *majores*, & *Cohortium*, quos *minores* Vegetius vocat, *l. 2. c. 7.* quoque nonnulla: de *fibulis* verò *Tribunitiis* suprà. η. Notariorum, apud Marcellinum Comit. & Zozimum *l. 5.* fuêre propriè Notarii Principum, quorum summa erat dignitas, vide Senatorem, *l. 1. Ep. 4. l. 6. Ep. 2.* Sic memorantur *Tribuni & Notarii simul*, quibus utebantur Principes ad mandata perferenda; de quibus multa habet Jac. Gothofredus *ad l. un. Cod. Theodos. de Mandatis Princip.* θ. Plebis, creati an. Urb. Cond. 317. commoda Plebis adversùs Patricios tueri & injuriam omnem intercessione suâ prohibere solebant. Hinc jus abnoctandi iis ademtum, A. Gellius, *l. 3. c. 2.* Imò, ut ait Dio, *l. 37.* nec ullam horam abesse ab Urbe legitimè poterant. Vel, ut magis arctè Appianus, *Civil. l. 2.* mœnia iis egredi non licuit; ut semper parati essent ad desideria & querelas miserorum excipiendas, ut refert Plut. *in Problem.* Unde Liv. *l. 9. Imperium penès Consules, penès Tribunos auxilium.* Sed de his suprà: uti de *Tribunis Pleb.* seu Capitaneis *Italiæ civitatum medii ævi*, voce *Potestas.* ι. Rufuli seu Rutuli, dicti sunt *Tribuni milit.* ab Imperatorib. in Exercitu lecti. κ. Suffecti dicebantur *Tribuni* itidem *milit.* quos necessitate urgente milites sibi ipsis legebant &c. Voluptatum *Tribunus*, occurrit *l. 13. Cod. Theodos. de Scenic.* alibique, & sic dicebatur, qui *voluptatis* urbicæ, seu ludorum curam gerebat. Ut alias dignitates hôc nomine insignes, in utroque *Codice*, apud Ammian. in *Notit.* Imper. in veteribus *Inscriptionibus*, apud Gruterum *in Indice*, *c. 5.* Alios, omitteam.

TRIBURIUM, oppid. fuit Germaniæ superioris ad Rhenum, apud Moguntiam, inter illam, & Oppenhemium. Locus nunc desertus adhuc *Tribur*: *Ortel.* Olim aliquot conciliis celebris.

TRIBUS, aut à numero, quia tres primitùs apud Romanos erant, aut tributo quod pendebant, (teste *Fazellô*) dictæ sunt partes in quas populus vel civitas dividitur, ab aliquibus ortum ducentes. Veluti *tribus Israël* à filiis Jacob originem trahentes; quibus terra promissionis, hoc est, Palæstinæ, divisa fuit. Has hîc non abs re fuerit recensere.

Tribus Israël.

1. Juda, amplissima, quæ utrumque mare, Mortuum & Syrium, Idumeam, & torrentem Ægypti attingebat, urbes supra 50. (in quibus Hebron, Gaza, Ascalon, Azotus, & Accaron) possidens. Hinc Judæa regio nominata est. Habet ad Ortum montes Seir, & Edom regionem ulteriùs Petram deserti, & Hor montem.

2. Ruben, ultra Jordanem, inter eum, Arnon torrentem, & mare Mortuum, seu, ut veteres vocant, lacum Asphaltitem, in regione Sehon & Amorrhæorum, ubi urbes Areopolis, Medaba, & Hesebon, inter alias.

3. Gad, à superiore in Boream recedens, juxta Jordanis ripam ulteriorem, & fines Ammon, & Sehon in terra Galaad, inter Hesebon & Ramoth. Cujus urbes primariæ Galaad, Socoth, & Ramoth.

4. Aser, in ora maris apud montem Carmelum Sidonem usque, & interiùs usque Canam Galilææ, ubi fines tribus Zabulon. Ibi regio Cabul, & Ptolemais inter alias urbes. Cæterarum Tribuum Borealissima est, uti Simeon Australissima.

5. Dan, inter Hierosolymam & oram maris occiduam, ubi Joppe urbs. Habuit urbes 20. in quibus Thanna, Emmaus, Modin, Arimathia, & aliæ.

6. Nephthali partem Galilææ & Cœlesyriæ, inter Aser tribum & Jordanem, occupabat, habens Zabulon ad Austrum. In ea urbes 18. erant, inter quas Nephthali, & Cedes: cui regnum Basan ultra Jordanem & Ortum incumbit, cum regione Trachonitide.

7. Manasse, cis & trans Jordanem. Pars trans Jordanem ultra Gad, inde in Boream recedens, erat, inter Socoth & Corozain ex adverso Capharnaum, ac inter Ramoth ad austrum & Rabbath in Cæciam, apud fines Ammonitarum: inter urbes Jabes erat, & Zeb, juxta fines Amorrhæorum. Pars cis Jordanem inter Cæsaream & Maggeddo campum Samariæ incolebat.

8. Simeon, ad Austrum, inter fines Ægypti & tribus Juda, in Idumæa, urbes habuit 17. in quibus Sceleg versùs Ortum, Bersabee versùs Austrum, & Cades orientalior, cum Ramath ad occidentem.

9. Levi nullas partes habuit in divisione terræ, inter alias tribus habitans.

10. Issachar ab ora littorali, ubi mons Carmelus est, usque ad Jordanem extendebatur, Samariam habens ad Meridiem, & terram Zabulon ad Septentrionem, inter montes Gelboe ad Austrum & Thabor ad Boream seu ad Cæciam. Urbes habuit 18. in quibus Jezrael & Dor.

11. Zabulon, inter mare Galilææ & mare Syrium, apud montem Carmelum extenditur, montem Thabor & magnam Galilææ partem occupans. Urbes 12. habebat, in quibus Nazareth, Bethsaida, Cana, & altera Bethleem.

12. Joseph, seu Manasse primogeniti illius, & Ephraim, inter mare Syrium & Jordanem, Manasse totam ferè Samariam occupante ad Septentrionem, ubi Cæsarea Palæstinæ, & Maggeddo apud montem Gelboe, & Hermon usque Dor; Ephraim versùs Austrum, ubi Gazer, & Bethoron versùs montem Ephraim, & Joppen, *Ferrar. Baudrando* dicitur meliùs, *Tribus Ephraim*, extenditurque inter mare Syrium ad Occasum & Jordanem fluvium ad Ortum; terminaturque à Septentrione dimidiâ Tribu Manasse cis Jordanem, & à Meridie Tribu Benjamin; ibique pars est Samariæ tractus. Ejus urbes fuêre Samaria, Gazer, Lidda, & Najoth.

13. Benjamin, inter tribum Juda ad Meridiem, & Joseph ad Septentrionem, urbes habens 25. in quibus reperiuntur Hierico, Bethleem, atque Jerusalem. Ex his Juda, Dan, Ephraim, Manasse, Issachar, & Aser mare Syrium attingunt; Ruben, Gad, & Manasse ultra Jordanem sunt Orientem versus; Simeon australissima juxta fines Ægypti & Idumææ: interiores sunt Benjamin in Judæa, Joseph (seu Ephraim) in Samaria, Zabulon in Galilæa, & Nephthali inter Galilæam & Cœlesyriam.

Tribus in magnis urbibus, velut familiæ antiquæ & præclaræ esse solent: præsertim Athenis & in urbe Roma, in quibus plures fuêre, de quibus hic paulo accuratius. Sub Cecrope quatuor erant Athenis *Tribus*, quarum nomina tum: *Cecropis*, *Autochthon*, *Actæa*, *Paralia*. Hæ posteà sub Cranao dictæ sunt, *Cranais*, *Atthis*, *Mesogæa*, *Diacris*. Ab Erichthonio ipsis alia iterum nomina, petita à Diis, imposita sunt: *Dias*, *Athenais*, *Posidonias*, *Hephæstias*. Ion. dein, à filiis suis appellari voluit, ut vocarentur *Geleontes*, *Ægicoreis*, *Argades*, *Hopletes*. Numerum auxit Clisthenes, & decem effecit veteribusque nominibus inductis, à Semideis seu Heroibus quibusdam, nomina iis indidit: videl. ab Hippothoonte, Antiocho, Ajace Telamonio, Leonte, Erechtheo, Ægeo, Oeneo, Acamante, Cecrope & Pandione. Quibus posteà accessêre duæ, quarum una ab Antigono, altera à Demetrio primùm: dein ab Attalo & Ptolemæo, in memoriam acceptorum à Regibus his beneficiorum, nominatæ sunt. Primam tribuum harum institutionem, ad imitationem anni factam vult Eustathius *Il. β.* Quatuor enim tribus 4. anni partes significabant; quarum quælibet divisa in tres Φρατρίας seu fraternitates, numerum 12. mensium: & quælibet Φρατρία in 30. γένη seu familias distributa, triginta cujuslibet mensis dies referebant. His præerant Φυλοβασιλεῖς, quasi dicas *Tribuum Reges*, qui, inter tribules lites obortas, dijudicabant, vide Franc. Rossæum, *Archæol. Attica l.* 1. c. 5.

Nomina Tribuum apud Athenienses.

Hippothoontis.	Oeneis.
Antiochis.	Acamanthis.
Ajantis.	Cecropis.
Leontis.	Pandionis.
Erechtheis.	Antigonis, quæ posteà Attalis,
Ægeis.	Demetrias, posteà Ptolemais.

Tribuum apud Romanos primus auctor Romulus fuit, qui, teste Dionysiô, *l.* 2. in tres partes universam civium multitudinem divisit, singulis præclarô aliquô Virô præpositô: dein unamquamque rursus in decem partes, totidemque fortissimos viros eis præfecit; has curias, illas *Tribus* vocans. Nomina Tribuum fuêre, *Ramnensis*, à Romulo. *Titiensis* à Tito Tatio Sabinorum Rege & *Luceres*, vel à Lucumone, vel à Lucerino, vel à luco Asyli, in quem multa fugâ delati civitateque donati fuerunt, dictæ. Posteà, cùm sub Tullo Hostilio Albani victi in Ramnensium tribum adscripti, cæterique omnes populi, qui sub Regibus Romam adhabitandum venerant, præter Sabinos, Lucerum Tribui inserti fuissent, [illegible] que multùm aucta, tres primæ trans non sufficerent. Tarquinius Priscus nominibus earum duplicatis, [illegible] primosque & secundos Ramnenses, Tatienses ac Luceren esconstituit. Aliam dein divisionem instituit Servius Tullius, qui, postquam septem colles unô murô complexus est, totam urbanam multitudinem in quatuor Tribus urbanas distribuit *Suburanam*, *Palatinam*, *Esquilinam* & *Collinam*, à locis habitationum sic dictas: Idemque universam rusticam multitudinem in quindecim tribus divisit, *Romuliam*, *Lemoniam*, *Pupiniam*, *Galeriam*, *Polliam*, *Voltiniam*, *Æmiliam*, *Corneliam*, *Fabiam*, *Horatiam*, *Meneniam*, *Papiriam*, *Sergiam*, *Veturiam* & illam quæ posteà *Claudia* dicta est. Mansit hic numerus usque ad an. Urb. Cond. 258. quò additis duabus *Crustumini* nempe & *Vejentina* viginti & una factæ sunt. Annô postmodùm 366. ex novis civibus quatuor accessêre, *Stellatina*, *Tromentina*, *Sabbatina* & *Arniensis*, Liv. *l.* 6. Rursus an. 395. duæ Tribus additæ, *Pomptina* & *Publilia*, Idem *l.* 7. Quibus an. 421. duæ aliæ propter novos cives censos junctæ sunt *Mæcia* & *Scaptia*: Duæ item an. 435. *Ufentina* ac *Falerina*, & an 454. duæ rursus aliæ *Aniensis* & *Terentina*. Tandem an. 512. *Velina* & *Quirina* prioribus adjectæ XXXV. Tribuum numerum explevêrunt: qui numerus integer usque ad extrema Reip. tempora perduravit, Florus, *Epitom. l.* 19. Inter Tribus urbanas, & rusticas olim hoc discrimen erat, quòd urbanis ii qui urbem, rusticis ii qui rus colerent, comprehenderentur. Posteà verò rusticæ urbanis longè prælatæ sunt, optimusque & præstantissimus quisque in rusticis Tribubus, relictis, urbanis, censeri voluit: sic ut Tribus tum non urbis, sed civitatis partes haberentur, Cujus facti duas refert causas Sigonius, tum vitæ rusticæ commendationem, tum Censoriam potestatem ac notationem, *l.* 3. *de Antiq. jur. civ. Rom. c.* 3. Vide Liv. *l.* 8. Plin. *l.* 18. c. 3. Thom. Dempster. *Antiq. Rom. l.* 6. *c.* 15. *&c.* Ab his *Tributa* Comitia dicta fuêre, eâ de causa quia ex regionibus & locis, i. e. per *Tribus* suffragium ferebatur, A. Gell. *l.* 15. *c.* 27. sicut Centuriata, per centurias; Curiata, quæ per curias suffragium inibant, appellata fuerunt.

Tribus Romanæ antiquæ 35. quarum 4. primæ Urbanæ, sequentes Rusticæ dicebantur.

1. Palatina, à Palatino monte dicta, quæ apud Varronem in ordine quarta est.
2. Suburbana, seu Suburana, à Subura, prima apud Varronem.
3. Collina, à collibus Quirinalibus, apud Varronem etiam tertia.
4. Esquilina, ab Esquilio monte, apud Varronem secunda.
5. Romilia, sic appellata quod sub Roma esset, in agro à Romulo Vejentibus ademto.
6. Æmilia, ab Æmilia gente nobilissima, ab aliis 14. locô posita.
7. Crustumina, à Crustumina urbe Tuscorum.
8. Cornelia, à gente Cornelia clarissima, 15. locô numerata.
9. Fabia, à Fabia gente, & 10. locô. cujus meminit Horatius, *l.* 1. *ep.* 6. *v.* 52.

Hic multùm in Fabia valet, ille Velina.

10. Galeria, à loco, cujus tamen memoria non extitat.
11. Lemonia, à Lemonio pago apud portam Capenam in via Latina; ab aliis 7. locô memorata.
12. Mentina seu Menenia, à gente Menenia, locum 16. apud alios obtinet.
13. Ocriculana, ab Ocriculo oppido Sabinorum. Sed hôc locô Claudia ab aliis reponitur.
14. Papiria, à quo nomen genti: locô 19. aliis.
15. Pollia.
16. Popillia.
17. Pupinia.
18. Sergia.
19. Vejentina, ab agro Vejenti nominata: ab aliis 9. locô reposita.
20. Voltinia.
21. Claudia.
22. Stellatina.
23. Tromentina.
24. Aniensis.
25. Sabatina.
26. Pomptina.
27. Poblilia.
28. Mæcia.
29. Scaptia.
30. Ufentina.
31. Falerina.
32. Aniensis.
33. Terentina.
34. Velina.
35. Quirina.

Ordo secundùm alios:

1. Suburana, à submuro terreo.
2. Esquilina, ab Esquilio monte, ex Varrone. *l.* 4. *de Ling. Lat.*
3. Collina, à collibus.
4. Palatina Ciceroni, à Palatio.
5. Romilia, à Romulo, ex Varrone, *l.* 4.
6. Crustumina, ab oppido in Sabinis, Sexto Pompejo.
7. Lemonia, à Lemonio pago viâ Latinâ apud portam Capenam, Sexto Pompejo.
8. Pupinia, ab agro Pupino, Sexto Pompejo.
9. Vejentina, ab agro Vejenti, Ciceroni, *pro Planc. c.* 16.
10. Galeria, ex loco, Livio, *l.* 27.
11. Pollia, ex loco, Livio, *l.* 8. *c.* 37.
12. Voltinia, ex loco, Ciceroni, *pro Planco, c.* 16.
13. Claudia, ex gente, Livio, *l.* 2. *c.* 16.
14. Æmilia, ex gente, Livio, *l.* 38. *c.* 36.
15. Cornelia, ex gente, Livio, *l.* 38. *c.* 46.
16. Fabia, ex gente, Suetonio in Aug. *c.* 40. Horatio *loc. cit.*

17. Horatia, ex veteri inscriptione.
18. Menenia, aliis Mentina, Josepho, *l.* 13. *de Bell. Jud.*
19. Papiria, à Papirio, Sexto Pompejo.
20. Sergia, ex gente, Frontino, *l.* 2.
21. Vetrovia, ex Livio *l.* 36.
22. Stellatina.
23. Tromentina, à campo Tromento in Tuscia, *Sexto Pompejo.*
24. Sabatina, à lacu Sabato, *Sexto Pompejo.*
25. Arniensis, seu Arnensis, ab Arno fluvio Tusciæ, Livio, *l.* 6. *c.* 5. Hæ quatuor à censoribus additæ fuerunt, teste Livio, *l.* 6. *c.* 5.
26. Pomptina, ab agro Pomptino, Livio, *l.* 7. *c.* 15.
27. Pompilia, à Popila, *Sexto Pompejo.*
28. Mæcia, à castro sic dicto, *Sexto Pompejo.*
29. Scaptia, ab oppido sic dicto, *Sexto Pompejo.*
30. Ousentina, à fluvio Ousente, *Sexto Pompejo.*
31. Falerina, ab agro Falerno, Josepho, *l.* 13.
32. Aniensis, ab Aniene fluvio, Ciceroni, *l.* 8. *Famil. Ep.* 8.
33. Terentina, à Terento loco, Ciceroni *pro Planco*, *c.* 8.
34. Velina, à lacu Velino, Livio, *l.* 19. *Epit.*
35. Quirina, à Curensibus Sabinis, *Sexto Pompejo.*

Aliæ Tribus, ex antiquis inscriptionibus

1. Ocriculana, ab oppido.
2. Pinaria, ex *Sexto Pompejo.*
3. Sappinia, ex Livio, *l.* 33. *c.* 25.
4. Camilla seu Camillia, à Camillo.
5. Cessia, ex antiquo lapide; Cluentia, à Cluentia nobili familia.
6. Clusia, sic ab urbe Samnitum.
7. Domia, ex antiquo lapide.
8. Minucia, à gente nobilissima.
9. Papia, à Papio Mutilo.
10. Tauria, ex lapide.
11. Veturia, ex lapide.
12. Ælia, ex Ælia nobilissima familia, sicuti sequens.
13. Julia, ex Dione 44.
14. Flavia, à gente Flavia, ex qua Vespasianus.
15. Ulpia, à Trajano Imperatore nomen accepit.

Cæterum *Tribus Israelis*, quod attinet, intelligebantur *Tribus* nomine, aut cuncti unico è sanguine invicem *Tribules*, velut Simeonitæ, vel Rubenitæ, à Simeone & Rubene, singularum *Tribuum* auctoribus, genus trahentes, id est, tota Rubenitarum vel Simeonitarum stemmata, quà tum à cæteris, tum ipsa à se invicem discriminata: aut Tribules unico ex territorio quod incolerent, seu ex agris primùm tributim assignatis denominati. Nempe, tametsi ex Lege sacra, sub initium distributionis Terræ Sanctæ, *non migrabat possessio filiorum Israel* à Tribu ad Tribum, *quoniam quisque de filiis Israel hærebit in hæreditate Tribus Patrum suorum*, Numer. *c.* 36. *v.* 7. postmodùm tamen per conjugia, venditiones aliasque cessiones, à Tribulibus ex sanguine aliis factis, ad alios sæpè translati sunt agri, sub ipsum introitum assignati, *& migrabat possessio à Tribu in Tribum.* Hinc igitur variatim passimque Tribulibus ex sanguine demum ita commistis, ut nullius forsan in Tribus territorio primò assignato non essent, qui ex alia Tribu aut illuc migrâssent, aut illuc orti essent complures; restabat nihilominus Territoriorum à primis *Tribuum* Auctoribus primaque assignatione denominatorum distinctio ejusmodi, ut, tametsi Tribules, ex tabulis Genealogicis accuratius designati, invicem dignoscerentur atque inde, e. g. *Tribus Judæ & Rubenitica* nomina, quà Majorum sanguinem spectabant, satis discernerentur, attamen ea Tribus notio, quæ sic ex sanguine seu stemmate pendebat gentilitio, plurimum discreparet ab illa, quæ, ratione Territorii assignati pariter indita, à Tribulibus diversi simul generis, pro rerum ac seculorum varietate, agrarias sive Judæ sive Rubenis portiones, simul cum Proselytis Justitiæ occupantibus, retinebatur. Adeo ut Rubenitæ Gaditæ, Asseritæ aliique Tribules in Judæ e. g. territorio sedes habentes, ratione Territorii, licet non ex sanguine, pars essent Tribus Judæ, atque hâc notione itidem Levitæ, quibus urbes assignatæ sunt in uniuscujusque Tribus Territoriis, Numer. *c.* 35. cum eadem, in qua collocarentur, Tribu essent, domicilii seu territorii ratione, diversimodè censendi, cùm intereà ex sanguine unicam conficerent universi Tribum. Joh. Seldenus, *de Synedriis Veter. Ebræor. Part.* 3. *c.* 4. §. 1. *ubi proin Tribus alias Personales nuncupat, alias Territoriales.* Habebant autem *Tribus* hæ suos Phylarchas, Patres, Principes familiarum, adeoque & suos conventus, in quibus præfati illi personas omnium Tribulium, quemadmodum in Comitiis fieri solet, pro more patrio sustinebant. Plurium item Tribuum, veluti sex, quinque, septem, conventum seu domum Juridicam habemus apud Talmudicos; in quibus tamen quicquid decretum erat, לפי שעה *pro tempore* & re nata, in publicam tutelam, neutiquam ex jure ordinario, fieri censebatur. Idem, *Parte seu l.* 2. *c.* 14. §. 4. Omnium verò *Tribuum* singularis fuit in Synodo Septuaginta univirali, seu Magno, unio, quam apud Amosum *c.* 9. *v.* 6. אגודתו, *Fasciculi seu Manipuli sui* nomine indigitatam vult Abarbinel. Itaque Synedrii ejus numerus non fuit 72. sic ut è singulis *Tribubus* seni in illud adsciscerentur, tunc enim partium ejusmodi quodlibet è Tribubus singulis selectum, velut Tribus suæ universitatem seu personam seorsim sustinere visum, unionem illam nimis impedivisset, quæ auctori τῷ Siphri habetur in אגודה אחת *fasciculo uno*, seu numero, qui in partes aliquotas, quibus Tribus seorsim singulæ quomodocunque distributæ respondere quirent, divisibilis non erat, sed numerus erat primus, quem unitas solùm metitur. Id est, *Septuaginta unus*; in quo ipso toto, quà talis erat, ut Tribuum unio; ita nulla ejusmodi divisio esse potuit, ut à partibus ejus sic unitis, Tribus ulla per se suam sibi posset vindicare. Nam quomodocunque respectu Tribuum, aliterve primò cooptati fuerint Septuaginta, ex ipsa cooptatione statim factum est, ut eorum universi pariter & singuli, singulis & universis Tribubus in Concilio hoc præessent, earumque universitatem & personas haud habitâ Tribuum singularum, unde cooptabantur, ratione ullâ, ibi simul cum Principe sustinerent. Quod ita corpus politicum erat, velut Spiritu unicô, quà cunctas Tribus respexit, contentum, *ἑνωθὲν seu ἓν τὸ σῶμα συνεστὼς ἐκ διαφόρων κεφαλῶν συνηνωμένων, unicum quoddam corpus ex diversis capitibus seu unitatibus coadunatis consistens*: ut juxta Peripateticos, corpus mixtum ex elementis, quæ illic, quà elementa, non actu, sed potentiâ manent, & inter se medium quoddam, seu unione mixtum faciunt, constare dicitur. Idem, *l. eod. c.* 4. §. 11. Et huic neque minori Synedrio, Tribus quælibet, quoties de rebus tribuariis, quà talibus, disceptandum decernendumque esset, suberat. Quod enim habent aliqui, de Synedriis ordinariis seu Viginti triumviralibus, quæ Tribubus singulis usque integris præficerentur (qualia in Platonis Rep. Magnetica, *τὰ κζ' φυλὰς δικαστήρια, de Legg. l.* 1.) doctis rejicitur. Neque sanè, quanquam ejusmodi fuissent Synedria, controversiæ inter Tribus invicem exortæ, ab eorum aliquo ritè definiri potuissent: cùm alterius Tribus res ab alterius Judicibus extra Hierosolymam non possent decidi, ut è Magistris Seldenus palàm facit. Atque, ut plurimi veteris Græciæ populi, unico Amphictyonum Synedrio in litibus inter eos subortis tantùm suberant, ita *Tribus* singulæ, quatenus provinciæ erant singulares parisque invicem juris, Synedrio Magno unico, utpote reliquorum omnium supremo, jure parebant. Idque tum quà *Personales*, tum quà *Territoriales*, fuêre. Quà *personales*, veluti si tota *Tribus* majorve ejus pars, ubicunque sedes habens, à vero cultu ad Idololatriam defecerat, seu quid aliud patrârat vindice dignum: Item si instauratâ post calamitates Rep. intermissus Tribus Leviticæ decimarum proventus ex ejusdem actione erat instaurandus &c. Quà *territoriales*, veluti, quoties agros huic vel illi Tribui primum assignatos occupantes, sive sanguine inter se puri, sive commisti, aut à vero cultu defecissent aut de Territorii sui limitibus seu confiniis, aut de Levitarum in eo urbium numero, aut de ipsarum suburbiorumve amplitudine, & si quæ sunt id genus aliis, controversiam movissent. Vide iterum Seldenum, *l.* 3. *c. toto* 4. ut & suprà aliquid *de Tribuum capitibus*, voce *Æchmalotarcha*. De Atheniensium Civitatis *Tribubus* hoc saltam addo: Divisæ illæ fuerunt in *Naucragias* quælibet duodenas, quarum singulæ navem unam instruere tenebantur, Pollux, *l.* 8. Uniuscujusque autem classis seu *Naucragias* aliquando sedeni erant, uti docent Grammatici ex Hyperide; tot enim Legislator jusserat *τριηραρχεῖν*. Posteà verò numerus auctus est. Qua de re vide plura, apud Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 3. *tit.* 4. & suprà in voce *Naucrati*: ut & paulò hîc infrà in voce *Trierarchus*. Sed nec hoc omittendum, quod de decima tertia Tribu *Adrianide* videl. additâ, cui ab Adriano Imperatore nomen, monet Cl. Sponius, ex insigni marmore, quod Georg. Whelerus Nobilis Anglus, Athenis emptum, in patriam secum transtulit. In eo expressa sunt *Tribuum* omnium nomina cum quibusdam ex præcipuis demis ad quamque earum pertinentibus. Mentio ibi Tribuum hôc ordine, *Erechtheidis*, *Ægeidis*, *Pandionidis*, *Leontidis*, *Ptolemaidis*, *Acamanthidis*, *Hadrianidis* (cui adsignata Bisa, Aphidna & pars illa urbis, quæ Oa dicebatur) *Oeneidis*, *Cecropidis*, *Hippothoonthidis*, *Æantidis*, *Antiochidis* & *Attalidis*. Vide eum *Itinerar. Gr. part.* 2. *p.* 245. & *part.* 3. quæ agit *de Attica populis*, *p.* 45. & *seqq.* ubi totam *Inscriptionem* exhibet, eruditô commentariô illustratam. Qui verò *Tribubus* præerant, Græcè *φυλοβασιλεῖς*, *Tribuum Reges* dicebantur, de quibus vide aliquid suprà, voce *Inanima*, it. *Phratrica*. Ut autem & de nomine *Tribus* aliquid addam, illud nonnunquam pro *centuria*, aliquando pro cujusvis multitudinis parte, quoque occurrere, docet Gronov. *Observation. l.* 4. *c.* 1. ubi de *Tribuum*, *Curiarum*, *Centuriarum origine*, aliisque huc pertinentibus, & *c.* 10. ubi locum explicat Justini, *l.* 13. *c.* 3. *tribum peditum* dicentis. Vide quoque suprà, in voce *Tribules*.

TRIBUTA Comitia, apud Romanos vocabantur, cùm regionibus & locis, h. e. per *Tribus* suffragia Populus ferebat. A. Gell. *l.* 15. *c.* 27. *Quum ex generibus hominum suffragium ferebatur, Curiata: quum ex censu & ætate, Centuriata; quum ex regionibus & locis, Tributa dicebantur.* Differebant à Curiatis, quæ antiquissima fuêre, quòd in illis simul vocarentur, qui ejusdem regionis erant, ut quisque suam diceret sententiam, in his verò singuli vocarentur, qui ejusdem Curiæ erant. Itaque, si contigisset quosdam, qui nomina professi erant in aliqua Curia, domicilium mutare & in alterius Curiæ locum commigrare, hi non cum iis, inter quos primùm nomen suum professi erant, ad Comitia Curiata, sed cum vicinis suis ejusdem regionis seu Tribus, ad *Tributa* vocabantur. Aliud discrimen suppeditat Dionys. Halicarn. *l.* 10. ubi docet Curiata Comitia tum demum rata fuisse habita, ubi & Senatusconsultum præcessisset, num ad Populum id promulgari oporteret, suffragiis curiatim collectis, nullôque vitiô ex auguriis vel ostentis obnuntiatô: cum *Tributa* sine Senatus-Consulto vel Sacerdotum Regumque approbatu fierent, atque intra diem unum conficerentur. Vide Jac. Oiselium JCtum, in *Notis in Gellium*, *l.* 15. *c.* 27. Causæ habendorum Comitiorum *Tributorum* fuêre quatuor generales: Prima, ad creandos minores Magistratus: Altera, ad Sacerdotes Collegiorum cooptandos: Tertia, ad Leges ferendas: Quarta, ad judicium exercendum. Creabantur verò Comitiis his tribuni Pl. Ædiles Curules, Triumviri capitales, Triumviri nocturni, Triumviri auro, argento, ære flando feriundo, Tribuni militum, & Quæstores. Item Præfecti Annonæ, Quæsitores parricidii, Duumviri ædium sacrarum. Proconsules tandem,

Pro-

Proprætores & Proquæstores. Verbô, omnes minores Magistratus, qui singulis annis ad suum munus creabantur. Sacerdotes quod attinet, ante Legem Domitiam, solus Pontifex Max. *Tributis* Comitiis creabatur: posteà verò Sacerdotum subrogandorum jure à Collegiis ad Populum translatô, etiam Pontifices, Augures, Feciales, Septemviri Epulonum & Quindecimviri sacris faciundis hisce Comitiis creari cœpti, vide Nic. Gruchium, *de Comitiis Rom. l.* 2. Habuêre istiusmodi Comitia Tribuni Pleb. cùm illa Tribunitia & Ædilitia, Consules, cùm Quæstoria essent. Iidem Consules Sacerdotum quoque Comitia celebrabant, nempe postquam Lex Domitia observata est; Ante eam verò, Comitia *Tributa*, quæ Pontifici Max. creando habebantur, ab uno quodam Pontifice haberi solita fuisse, discimus ex Liviô, *l.* 25. Dicebant in illis sententias omnes cives Romani, quibus data erat Civitas cum jure suffragii: simul enim cum pleno jure Civitatis accipiebant Tribum, in qua suffragium ferrent, Liv. *l.* 38. & A. Gellius, *l.* 15. *c.* 27. Adeò ut non solùm ii Cives Romani qui in Urbe ipsâ habitârent, sed & illi, qui extra urbem in Italia degerent, sive municipes ii, sive coloni essent, postquàm civitate cum suffragii jure essent donati, jus hoc exercendi haberent potestatem. Præterea, oportebat Comitiis his adesse Magistratuum Candidatos; Item Diribitores, Custodes, Rogatores & Præcones, de quibus diximus *passim*. Locus iis non unus, sicuti Curiatis ac Centuriatis, destinatus erat; quia religio non erat, extrane an intra pomœria haberentur. Hinc reperimus, interdum in Campo Martio, interdum in Comitio, nonnunquam in Capitolio aliquando in pratis Flaminiis seu Circo Flaminio, illa coiisse: idque non nisi diebus Comitialibus; nisi quis nominatim, ut aliis etiam diebus cum Populo sibi agere liceret, legem tulisset, quemadmodum de Clodio Tribuno Pleb. docet Cicero, *Orat. pro Sestio*. Et quidem Ordinarii Magistratus ferè ad finem mensis Julii ac principium Augusti creabantur; & Tribunorum quidem Ædiliumque Pleb. Comitia prima erant, tum Consularia & Prætoria; mox Ædilium Curulium, pòst Quæstorum & tandem Tribunorum militum, ut patet ex Ciceronis *Ep.* 1. *l.* 1. *ad Atticum*, *Orat.* 2. *in Verr.* & Dione, *l.* 39. qui simul docet, sicut alia Comitia, ita & hæc ante primam diei horam haberi non potuisse. Modus illa indicendi hic erat: Magistratus, qui ea habiturus erat, utplurimum trinundinô antè indicebat, teste Liviô *passim*: quemadmodum de Centuriatis alibi dictum. Habebantur autem non auspicatò, ut idem docet, & Dionys. *l.* 9. quod tamen non de omnibus auspiciis intelligendum. Cùm enim tria auspiciorum essent genera, *Avium inspectio, de Cœlo observatio & Tripudii animadversio*: primumque ad Comitia Curiata & Centuriata, ultimum verò ad res gerendas pertineret; medium ad omnia Comitia, adeoque & *Tributa*, adhibebatur. Unde factum, ut, quô die de Cœlo observatum esset, Comitia hæc non haberentur, Cicer. *in Vatin.* nisi ad legem aliquam ferendam, quam omninò Senatus pro temporis necessitate volebat perferri, ut nullâ ratione impediretur, Lator illius his legibus solveretur: sicuti de M. Aufidio Lurcone Tribuno Pleb. legimus, ut & P. Clodio. Itaque non captabantur auspicia, neque Augures Pullariive, ut in Magistratibus majoribus fieri solebat, adhibebantur. Ad ipsa verò Comitia quando Populus convenerat, concio habebatur à Magistratu eo, qui Comitia habebat; quâ de rebus tractandis verba ad Populum faciebat. Eâ peractâ Populus in suas quisque Tribus discedebat, tum sortitiones fiebant à Magistratu variæ: Una erat ac prima omnium, in qua Tribu Latini suffragium ferrent; quod factum ante legem Juliam latam; cùm in nullam adhuc Tribum ascripti essent. Altera fiebat, inter Tribus, quô scil. ordine quæque illarum ferret suffragium: ad quam sortem peragendam omnium Tribuum nomina in cistellam quandam conjiciebantur, primaque quæ exibat *Prærogativa* dicebatur, & princeps dabat suffragium. Vide suprà in hac voce. In Sacerdotum verò creatione, quia 17. tantùm Tribus suffragium ferre poterant, idcirco 35. Tribuum nominibus in urnam conjectis, quæ primæ 17. prodibant, solùm suffragabantur, reliquis exclusis. Prout itaque quæque primùm exierat, à Præcone ad suffragium ferendum vocabatur; quod quomodo factum sit, diximus in *Suffragium*. Vide plura hanc in rem præter Auctores præfatos, apud Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 15. 16. 17. 18. 19. 20. & Joh. Frid. Gronov. *Observat. l.* 4. *c.* 1.

TRIBUTUM, an à *Tribu*, quòd *tributim* solveretur, ut vult *Festus* an quia ex privato in publicum *tribueretur*, ut alii? Græcè φόρ☉, à *vectigali* accuratè loquentibus (multi enim promiscuè sumunt) distinguitur. Capitolin. *in Macro, c. XXIII. Vectigalia* vel tributa, *ubi necessitas erat, remisit*: ubi vel pro & positum docet Salmasius. Et *Antonino Pio, c. VII. rationes omnium provinciarum apprimè scivit & vectigalium*: ubi per *rationes provinciarum*, intelligenda *tributa* idem ostendit. Nempe *Tributa* erant, quæ conferebantur à provincialibus, i. e. à prædiorum possessoribus, pro modo agrorum, quos possidebant colebantque ac fuêre duplicia *capitis*, & *soli*, ut infrà dicemus. *Vectigal* verò dictum est portorium, & id quod pro mercibus vel importandis vel exportandis, adeoque etiam à transeuntibus solvitur, propriè τέλ☉, vide Salmas. modò laudatum, *Not. ad Lamprid. Alex. Sever. c.* 39. Utrumque a summis potestatibus exigitur, ut habeant, unde sumtus faciant ad tuendos bonos, & coërcendos malos, Rom. *c.* 13. *v.* 3. 4. 6. Proin meritò. Hinc cùm Nero constituisset, *omittere cuncta vectigalia idque pulcherrimum donum generi mortalium dare* (quale quid etiam in animo habuisse Carolum VIII. Galliæ Regem scribit Gaillardus, *Meth. Hist. c.* 13.) *impetum ejus, multùm priùs laudatâ animi magnitudine attinuêre seniores, dissolutionem Imperii docendo, si fructus quibus Resp sustineretur, diminuerentur*, apud Tacitum, *Annal. l.* 13. *c.* 50. *n.* 1. Nam, ut habet idem *Histor. l.* 4. *c.* 74. *n.* 2. in oratione Cerealis: *Neque quies Gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine Tributis haberi queunt*. Adeò ut non sine ratione pecunias istiusmodi *nervos* Rerump. appellet Ulpianus, ex Cicer. *pro L. Manil.* Sed ne hic modus excedatur, *Tributum jubeatur modicum pro angustia rerum*, quibus verbis iterum Tacitus, *Annal. l.* 4. *c.* 72. *n.* 2. Drusum commendat; nec, ex adagio Plautino, *in Prologo Trucul. v.* 19. *res auferantur cum pulvisculo*. Quò facit appositissima illa Fisci cum liene comparatio, quam Sext. Aurelius, *in Ep. c.* 43. Trajano Imperatori tribuit. Et quidem, uti id genus tributorum quod ex rebus capitur, quibus homines carere possunt, quibusque tantum ad voluptatem & luxum utuntur, *immortali Deo gratissimum, civitatibus pulcherrimum, Principibus honestissimum, plebi utilissimum est*, Bodinus, *de Rep. l.* 6. *c.* 2. sic minimè probantur, qui pro eduliis certum quid exigunt, ut Caligula apud Sueton. *c.* 40. vel ex aëre quæstum captant, ut facere voluit Pescennius Niger Imperator apud Spartian. *c.* 7. fecit Michael Paphlago Imperator Orientis, apud Cedren. vel ex umbra *Tributum* pendi volunt, ut Plinius habet, *l.* 12. *c.* 1. vel ex lotio ditescere cupiunt, ut Vespasianus Imperator apud Sueton. *c.* 23. vel ex pauperrimis stipem corradunt; sicut iterum Caligula è gerulorum diurnis operis partem octavam sibi vendicavit, iterum apud Suetonium, *c. l.* & Vespasianus à mendicis Alexandrinis sex obolos viritim exegit, vel ex lenocinius & meretricio quæstu ærarium locupletant, quod itidem fecit Caligula, Sueton. *c.* 40. & hodierni Pontifices: vel pro quolibet hominum singulorum membro censum capiunt, ut Frotho IV. Danorum Rex à Saxonibus devictis, apud Saxonem Gramm. *l.* 6. vel pro qualibet cauda jumentorum, ut Margaretha Sueciæ & Daniæ Regina, à Suecis & Gothis, apud Johannem Magnum, *Hist. Suec. l.* 21. *c.* 19. aut ex aliis denique quibuscunque titulis ac modis injustis, quos exactionum Magistri Principibus suggerunt, uti graviter conqueritur Plin. *Paneg. c.* 41. Describatur autem illa in omnes, non tam æqualiter, quàm æquabiliter, *censusque observetur, res saluberrima magno futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non viritim, sed pro habitu pecuniarum fiant*, Liv. *l.* 1. *c.* 42. Unde *Tributum capitationis*, genus semper fuit habitum exactionis gravissimæ, ut ex Amm. Marcellino aliisque constat. Ut verò *Tributi* pro sua virili cuique præstandi ratio constaret, Romani *Censum* instituêre olim, i. e. descriptionem agrorum & reliquarum fortunarum; quomodo dixit Cicero, *Verr.* 4. *Siculos ex censu quotannis* Tributa *conferre*: Quod cùm muneris Censorii primùm esset, posteà missi sunt per provincias, quos vocabant *Censitores*, qui modum agrorum, quem quisque possidebat, metiebantur, & in tabulas Censuales referebant. *Peræquatores* eos vocat Imperator, *in Cod. Theodos.* quòd libros Censuales emendarent, & onus *Tributi* census ratione habitâ ex æquo inter cives dividerent. Atque hinc in Euangelius Κῆνσ☉, quæ vox Latina est. *Census*, ipsum denotat *Tributum*, qua de re vide Casaubon. *Exercit.* 16. *ad Annal. Baronii* §. 7. *n.* 12. Pendant autem *Tributum* omnes, *Justum* enim *æquumque est, neminem subditorum neque privatorum hominum, neque Populum à vectigalibus immunem esse; cum ex æquo ad omnes utilitas eorum, in qua insumuntur, redeat*, Mæcenas, *Orat. ad Aug.* apud Dionem, *l.* 52. Ipsique Clerici; Quos licèt à *personalibus*, ut ajunt, muneribus obeundis occupationes sacræ officiique dignitas, liberat à patrimonialibus tamen oneribus non eximi posse, Paulus docet, *loc. cit.* & CHRISTI exemplum, qui drachmam solvit, Matth. *c.* 17. *v. ult.* Vide quoque de Romanorum Sacerdotibus, Liv. *l.* 33. *c.* 28. *num.* 3. Unde non immeritò Bodinus, *l.* 6. *c.* 2. de absurda Galliæ consuetudine queritur, in qua trium hominum generâ, Sacerdotes, Nobiles & Magistratus, ferè omnes, in miseros opifices & aratores *Tributa* rejiciant. An verò satius sit, ut more priscorum Germanorum apud Tacitum, *de Germ. mor. c.* 15. §. 3. ultro suaque sponte, an verò legum jussu *Tributa* quisque conferat, quæritur? Respondet Berneggerus, pro conditione horum temporum tutius videri, ut aliqua legum adstrictione *Tributa* constent, modò acerbitas ac violentia absit, *in* Tac. *Agr. c.* 19. *num.* 6. *Q.* 194. Quare, cùm Frisii in iis exigendis duriùs haberentur, ab Olenio: *remedium ex bello quærentes, pacem exuerunt, dominorum magis avaritiâ, quàm Imperii impatientes*, apud eundem *Annal. l.* 4. *c.* 72. &c. Vide plura apud Matthiam Berneggerum, *in Tac. Germaniam, Quæst.* 81. & 194. Apud Romanos *Tributum* fuisse duplex legimus, unum pecuniæ ordinarium, quod *in caput* (hinc recentioribus *Capitale*, quod vide) atque *in solum* impositum, quotannis exigebatur: Alterum extraordinarium, quod aut ex lege, aut Senatus Consultô pro usu provinciæ aliquando imperabatur, velut cùm naves, nautas, milites ac sumptum in eos dare Provinciæ jubebantur. Utrumque qui solvebant *Tributarii*; item *Stipendiarii* dicti sunt, de quibus vide suprà; & plura apud Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 22. Sam. Bochartum, qui antiquitus *tributum ex solo pecore* in usu fuisse, docet ex historia Mesæ Regis Moabitarum 2. Reg. *c.* 3. *v.* 4. *s.* & Plin. *l.* 18. *c.* 3. *Hierozoici Parte prior. l.* 2. *c.* 44. Hug. Grotium, *de Jure Belli & Pac.* passim, Car. du Fresne *Glossar.* ubi *Romanum*, i. e. veterem Galliæ incolam *tributarium* in L. Sal. *tit.* 43. §. 8. dici, respectu Francorum, qui ab omni tributo *immunes*, vide suô locô, notat &c. Vide quoque suprà *Pensio*, it. *Pensitationes*.

TRIBUTUM Cæsaris, oppidul. Pomeraniæ citerioris in dominio Bardensi, in limite Ducatus Megapolitani, 4. milliar. Germanic. à Bardo in Meridiem Deminum versus 3. Sub Suecis, pace Monasteriensi. Vulgò *Tribesez*.

TRIBUTUM Sacrum, in Hebræorum Rep. dictum est, quod in sacros usus, divinô jussu, erogabatur. Cùm enim publicorum Sacrificiorum, quæ קרבנות של צבור *Oblationes* seu *Sacrificia Universitatis*, seu *Populi*, nuncupata, bina essent genera; Alterum eorum, quæ sive jugiter sive Sabbatis sive Neomeniis sive quotannis, ex Legis præscripto, Numer. *c.* 28. *v.* 2. &c. in templo velut nomine totius Universitatis offerenda: Alterum eorum, quæ totius Populi, Levit. *c.* 4. *v.* 13. 14. quoties ipse quà Universitas deliquerat, tantum nomine erant facienda à Synedrio M. quod personam universitatis tum induebat. Prioris sumptus subministrabantur, ex Lege illa de dimidio siclo Sanctuarii, id est, integro ex vulgaribus. didrachmæ Atticæ æquiparari solito, à quolibet 20. annorum præstando, *in cultum Tabernaculi Testimonii, ut esset filiis Israel in memoriale coram Domino, ut propitius esset super animabus ipsorum*, Exodi *c.* 30. *v.* 12. Unde etiam *Pecunia expiationum*, כסף הכפורים ibidem *v.* 16. dicitur. Eratque hoc *Tributum* annuum & perpetuum, stante Hebræorum Rep. ac Templô post-

postmodùm, ut Tabernaculô primò, solutum; idque inprimis ad coëmenda Sacrificia illa publica, diurna, Sabbatica, menstrua, annua, quæ Populo expiatoria erant. Tertia pars sicli sub initio Templi secundi, ob graviores tunc sacrorum operumque impensas, edictô temporariô adjecta est, Nehem. c. 10. v. 32. & ibi Rabbi Aben Esra. Dimidii autem Sicli *Tributum* ipsum idem erat, quod à Tito in oratione ad Judæos habita innuitur, apud Joseph. *Halos.* l. 6. c. 34. ubi de Romanorum indulgentia verba faciens. *Quodque maximum est*, inquit, *Tributum capere Dei nomine ac donaria colligere vobis permisimus.* Post Templi verò excidium, desinente sacrificiorum usu, id ex Vespasiani sancito in Capitolium Romæ deferre Judæi jussi sunt, Joseph. *Halos.* l. 7. c. 27. & Philo *Legat. ad Cajum.* Vide quoque Tacitum, *Hist.* l. 5. & Cicer. *pro Flacco.* Solvebatur autem *Tributum* hoc, ante anni cujuslibet initium, i.e. ante initium *Nisan* mensis, qui ferè Martio Juliano respondet; ideoque quotannis primô die *Adar* mensis, qui proximè antevertit, edictô publicô per Tribus universas in urbibus tractibusque monitum est, ut quisque siclum in annum futurum appararet, solveretque post dies 14. Decimô quintô ejusdem die, *Trapezitæ passim, per Urbes & Provincias commorabantur, ac causitô aliquô siclos poscebant. Qui dederat, accipiebant; Qui non eum* (tunc) *dare non cogebant.* Die enim 25. Adar, *Trapezitæ commorabantur in Templo ad exigendum Tributum illud, atque ab illo tempore, quicumque non daret, eum id facere cogebant, pignus ab eo capiendo, etiam amictum*, Maimonid. *Halach Siklim.* c. 1. §. 9. Nemo enim præter fœminas, servos & minores excusandus erat, nec paupertate summâ. Vide Villalpand. *Expl. in Ez.* T. 2. l. 5. *disp.* 3. c. 56. It. *in Apparatu urbis & templi*, l. 21. seu *de Pond. & Mensur.* l. 2. *Disp.* 4. c. 31. Neque verò Sacrificia inde emebantur solùm, sed ex eodem Ærario sacro suppeditabantur vestes Sacerdotales atque Pontificiæ, aliaque ad cultum spectantia: Censorum item seu Curatorum Urbis, eorum qui Sacerdotes ritus immolandi atque id genus alios docerent, libros Hierosolymis descriptos corrigerent, judicia exercerent, aliorum etiam ejusmodi Reip. ministrorum operarumque stipendia ac mercedes in muros, arces, aquæductus, id genus cœtera reficienda aliosque non dissimiles sumptus, solvebantur; idque juxta Synedrii semper Magni taxationem, Maimonid. *l. cit.* c. 4. Quod supererat, sub anni exitum, holocaustis adjectitiis, quæ קיץ המזבח *Sacrificia altaris secunda*, nuncupabantur, solebant insumi. Quòd si Ærarium non sufficeret, ex aliis sponte oblatis, supplebatur defectus, Jo. Seldenus, de *Synedriis Veter. Hebr.* l. 3. c. 10. Ubi addit, quamprimùm advenerat dies *Nisan.* mensis primus, i. e. ipsum anni initium, Sacrificia publica tantummodò fuisse emenda, *Siclis in novum annum solutis*, non verò iis, qui in anni præteriti Ærario superflui manebant, ni fortè nondum in annum novum, quæ sufficerent, præstarentur: Adeò etiam, ut tametsi in sacrificia quotidiana tunc animalia pristini anni siclis coëmpta haberent, sive ad pristinos dominos redhibitione illâ transirent, sive venderentur, atque prorsus haberentur inter res profanas seu reseceratas, pretiô in veteris oblationis Ærarium conjectô, quod similiter dicendum, quoties victimarum in sacra quotidiana coëmptarum aliquot usus non esset &c. De posteriore idem *alibi*, Vide & suprà *Thesaurarius.*

TRICA, aut potius *Tricca*, urbs Thessaliæ, à *Tricca* Penei filia dicta. *Steph.* Plin. l. 3. c. 11. *Tricam* & *Apinam* oppida quondam fuisse Apuliæ scribit; à Diomede condita, quæ eversa in proverbium abiit. Nam *Tricæ* pro nugis, rebusque futilibus accipiuntur, ac etiam pro impedimentis, ut frequenter apud Cicer. Unde *tricari*, verbum, & *tricones*, qui nugis alios detinent, & *Tricinus quæstor*, qui tardè fit, & *Tricæ Atellanæ* apud Varron. *loc. mox citandô*, pro nugis impeditissimis.

TRICADIBA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol. Quiloa Castaldo.*

TRICÆ, ex Græco τρίχες, *capilli*, flatu omissô. Propriè enim sic dicuntur capilli, qui pullos gallinaceos involvunt ac impediunt, pedibus implicati. Inde impedimenta quævis & implicationes: crines imprimis intexti implicatique, quos *trecias* recentiores, Galli *Treces*, Itali *Treccie* etiamnum appellant; *crinem* nudè dixit Ambros. *Ep.* 24. cujusmodi senis tantùm ornari Vestalibus licuisse, tradit *Festus*; septenis insignem fuisse Samsonem, ex Sacris novimus. Vide suprà in voce *Crinis.* Hinc *Tricæ Atellanæ*, Varroni apud Nonium. *Putas eos non citiùs tricas Atellanas, quàm id extricaturos*; strophæ ut videtur, Mimorum, quibus tergiversari ac effugere consueverunt. Ubi tamen quidam legunt, *tricas Tellenas*: quemadmodum & apud Arnobium, *Tricas-conduplicare Tellenas.* Quod proverbium fortè ex Græcorum fontibus haustum, apud quos τὰ τῆ Τι... dicuntur, qui ineptam cantiunculam identidem inculcant, Desid. Herald. *ad Arnob.* l. 5. Vide & *Tellen.* A' *tricis*, verbum *tricare*, cujus composita *intricare* & *extricare* in usu sunt, unde *extricatæ margaritæ* apud Jureconsultos, de quibus retro. Derivativum item *trico, onis*, apud Capitolin. *Vero*, c. 4. *In tantum vitiorum Vitellianorum fuit æmulus, ut commissaretur cum triconibus.* Ubi *tricones* Salmasius interpretatur nebulones, nulli rei bonæ homines, *cessatores*, qui nihil habent quod agant, homines desides & malè feriatos, quos Græci ... dixêre. Vide suprà, voce *Langi.* Apud Recentiores, *tricator*, seu *trichator*, i. e. deceptor fraudum architectus, qui res *impedit & implicat*, uti *Nonius* ait. Quod Theobaldo Comiti Carnotensi cognomen datum, apud Hug. Flaviniac. p. 185. Galli etiamnum *tricheurs* tales dicunt. Inde *Trichariá*, Gallis *tricherie*, deceptio: in specie, quæ in aleæ ludo committitur; unde *domus Trichariæ*, quam tenere vetant *Statuta* MSS. Massiliensis urbis, apud C. du Fresne. Alia notio vocis, apud Florentinos, ubi *Tricatores* appellatos Inquisitores, à Judicibus delegatos, auctor est Petrus de Vineis l. 5. *Ep.* 89. Sed & à *tricare*, frequentativum est *tricinare*, unde *tricinus*, de quo aliisque hoc facientibus, jam dictum aliquid in voce *Trica*; sic ab *intrico*, *intricinare*, apud eundem Nonium; utrumque pro impedire & morari, uti infrà dicemus pluribus, uti de *Tricinariis Equis.*

TRICALON, & TRICALA, urbs Siciliæ. *Steph.* Vide *Triocala.*

TRICARA, oppid. Phliasiæ. *Steph.*

TRICARICUM, urbs Basilicatæ, monti Pelusio proxima.

TRICASSES, Galliæ Lugdunensis quartæ vel Senoniæ populi, quum duæ tantùm Lugdunenses essent, secundæ unà cum Rotomago & Turonis, erant attributi, Amm. Marcellin. l. 15. Eorum apud Jul. Cæsarem, Melam & Strabonem nulla mentio. Plinio, l. 4. c. 18. *Tricasses* & *Trecasses*, Ammiano modò laudato *Tricassini* vel *Tricasini*, vulgò *Troiens* dicuntur. Eorum angusti fines: Quippe Senonum hinc, inde Lingonum atque etiam Catalaunorum finibus undique clausi coarctantur. Urbs primatia caputque gentis Ptolemæo *Augustobona* vocata, in tab. Peutingeriana *Augustobona*, quod idem est, *Maxum* enim & *Bonum* Latinis synonyma fuisse notum, dicta, distat *in itiner.* Æthici à Clano 16. mill. pass. ab Agendico 33. *In veterib. Notit.* collocatur in umbilico provinciæ Lugdunensis Senoniæ, media ejus provinciæ civitatibus interposita: ita ut suprà se quidem habeat metropolim Agedincum Senonum, Autricum Carnutum & Autissiodorum; infrà verò Aurelianos, Parisios & Meldos. Hodie *Trecæ*, Gall. *Troyes.* Hanc primus Gregor. Turonensis *Campaniæ urbem*, qualis hodie est, vocat: *Patentibus campis sitam, & nec armis munitam nec muris*, Vita S. Ludi à Trecis, refert, principatu Placidi Valentiniani, ubi portam Cæsaris esse scribit. Pagus ejus hodie non habet nomen. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide etiam infrà in voce *Tricassini.*

TRICASSINI, Ammian. l. 15. *Trecasses* Plin. l. 4. c. 18. *Tricases* Anton. *Tricasii* Ptol. vulgò *Troyes* popul. & urbs Galliæ Celticæ in Belgicæ confinio sive e contra, à Rhemis 26. leuc. in Ortum, vide *Tricasses.*

TRICASTINI, popul. Galliæ Narbonens. prope Druentium fluv. quorum tractus exiguus *le Tricastin.* In provinc. Delphinatus inferioris versus Rhodanum & limites Provinciæ. Eorum urbs Augusta Tricastinorum, vulgò *S. Paul*, in colle est, 1. leuc. à Rhodano, media ferè inter montem Æmaterum ad Boream & Arausionem ad Meridem, 3. leucis utrinque, uti 4. à Vasione in Circium. Hanc eandem cum Noviomago vel Nœomago esse, contra Sirmundum, Scaligerum & Holstenium, sentit Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Inter provinc. Viennensis civitates 14. septimum obtinet locum, *in veterib. Notit.* Arelatensi eam provinciæ alii tribuunt: & hodieque *Tricastinus* Episcopatus unus est è quatuor Arelatensis provinciæ. Primum Episcopum suum S. Paulum patronum habet, & majus urbis templum S. Pauli nomine censetur, quæ urbs, qualis nunc est, in Delfinatu, vicus magis, quàm civitas vocari meretur. Concilio Epaonensi interfuit Florentius Episcopus: Concilio Aurelianensi quarto Heraclius: Ad Concilium Lugdun. secundum, misit Eusebium Presbyterum Victor Episcopus Concilio Mariscon ensi secundo adfuit missus, seu Vicemgerens Eusebii Episcop. Concilio Cabillonensi Betto Episcop. Cùm apud Usuardum legitur: *Kal. Febr. in oppido Trecassino S. Pauli Episcopi, cujus & vita virtutibus claruit, & mors miraculis commendatur*: pro *Trecassino*, legendum, *Trecastino* vel *Tricastino*: ab hoc enim Paulo urbs hæc dicta oppid. S. Pauli, *S. Paul de Tricastin*: aliàs absolutè, ut dictum, *S. Paul*: Holstenio *S. Paul en Trecasteaux*, &c. Vide Hadr. Vales. suprà memoratum *in Augusta Tricastinorum.* Hinc *Tricastinus*. Silius, l. 3. v. 466.

Jamque Tricastinis incedit finibus agmen.

TRICASTINUS Paulus, vide *Paulus.*

TRICATANA, castellum Phliasiæ. *Steph.*

TRICCA, vide TRICA. Est autem, Æstiotidis hodie *Janna*, Macedoniæ region. urbs, ad Peneum. *Ptol. Tricala Sophiano & Bellonio.* Hic natus est Æsculapius, qui ob id *Triccæus* dicitur 25. mill. pass. ab urbe Janna, in Ortum, Larissam versus, & Pharsalum 60. mill. pass. circiter.

TRICCÆ, quæ Dolopibus vicina est & Pindo monti, templum erat Æsculapio sacrum, qui in Coo Insula & Pergami quoque cultus est; sed nullibi religiosiùs, quàm Epidauri in Peloponneso, ubi natus est, & unde *Epidaurius* dicitur. Ovid. l. 15. *Met.* v. 723.

Æquore pacato patrias Epidaurius aras
Linquit. ——

Vide *Tricca.*

TRICENARIUM, apud Eccl. Rom. Scriptores, officium est 30. Missarum, quod totidem diebus pro defunctis peragitur, institutore Gregoriô M. Item obventiones, quæ Sacerdotibus propterea obtingunt. Apud eosdem *tricesima dies* defuncti, ut & aliæ quædam, anniversariâ memoriâ recoli solitæ, occurrunt passim. Hincmarus Remens. *Capitul.* ad Presbyteros, c. 14. ex Concilio Namner. *Ut nullus Presbyterorum ad anniversariam diem, vel* tricesimam, *tertiam vel septimam alicujus defuncti — se inebriare præsumat.* Cujusmodi anniversarios demortuorum dies, apud Melchitas, Moronitas, Coptitas & Jacobitas quoque obtinere, ex Abr. Echellensi discimus *ad l. Ebed-Jesu*, c. 60. ubi *tricesimæ* originem, à numero dierum, quibus Mosis obitum luxerunt olim Israelitæ, arcessit. Plura hanc in rem vide apud Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *Hierolex.* quorum is etiam *tricesimam* Nuptiarum diem, ut annalem, à Christianis veterib. cultam: hi in *Regulis* Monast. secundam hebdomadem Quadragesimæ *Tricesimam* appellari, sicut tertiam *Vicesimam*, ratione præcedentium hebdomadem, Septuagesimæ, Quinquagesimæ & Quadragesimæ, addunt. De statis verò ac anniversariis luctûs diebus apud veteres Romanos, diximus suprà, non unô locô. Vide & infrà ad *Tricesimum*: uti de Τριακάδι Atheniensium, suprà voce *Phratrica.*

TRICENNALIA, quorum mentio in nummo Diocletiani, cui inscriptum, VOT. XXX. S. in gemma apud Chalazium MAXI. VOT.

VOT. XXX. P. in nummo aur. Constantini, VOT. XXX. seu quod idem *tria Decennalia*, in nummo Antonini Pii, VOTA SV-SCEP. DECENN. III. quid sint, tangit Porphyrius in *Panegyr.* quem eidem Constantino in ipsis Vicennalibus dixerat,

> ——— *Saeclis da, Constantine, ferenti Tempora, summe pio Tricennia suscipe voto.*

Plura de his vide infrà, ubi de *Votis & Votivis Nummis*. Apud Athen. neminem in Scenam prodeundi facultatem habuisse, μήπω τριάκοντα ἔτη γεγονότα, *nondum triginta annos natum*, diximus suprà voce *Scenici*. Eandem fuisse aetatem Senatoriam, apud Romanos, vidimus voce *Senatores*.

TRICERIUM, Graecè τρικήριον, hodiernis Graecis *cereus* est *triangulus*, seu *trisulcus*, cujus in Paschali festivitate, quae apud illos plurimis ceremoniis peragitur, usus est. Summò enim manè, ante Matutini recitationem, instituunt processionem, redeuntesque Templi portas inveniunt clausas. Tunc Episcopus, ex Psalmis, *Attollite* ait *portas* &c. & respondente interiùs aliquô, *Quis est iste Rex gloriae?* ipse post contentionem aliquam, percutiens pede valvas intonat, *Surrexit Christus.* Quò dictô statim Basilicae janua panditur, ac is, qui sacra peragit, in altum extollit τρικήριον: idem faciente populô cum lumine, quod quisque manu &c. Vide Macros Fratres, voce *Pascha*. SS. Triadem eô signific t C. du Fresne mox laudandus.

TRICESIMAE, German. urbs. *Ammian.* quam Pet. Divaeus putat eandem esse cum *Legione Trigesima Ulpia Ptolemaei*; & an eâ Ultrajectum in Hollandia designetur, se nolle contendere ait. *Alpen* est *Ferrario*, apud Berckum, inter illud & Sartas sesquileucâ, ad Rhenum. Vide *Tricesium*.

TRICESIMUM, oppid. seu castrum Carnorum, apud Forum-Julii, ab Utino 7. mill. pass. Julium Carnicum versus o. *Antonin.* Adhuc *Tricesimo.*

ad TRICESIMUM in numerando pervenientes, Christianorum nonnulli cur pronuntiare soleant verba, *in bonum*, seu *in nomine Domini*, diximus suprà voce, *Kyrieles*, vide quoque *Tricenarium*.

TRICHIA, inter nomina Ephesi *Steph.* ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Σαμόρνα, καὶ Τραχεῖα, καὶ Ὀρτυγία, Πτελέα. Ubi libri habent Τρέχεια, Salmas. reponi vult Τραχεῖα sic enim dictus est mons, in quo colebant Ephesii, priusquam in plana descenderent, circa Dianae templum in cavo ac depresso loco situm, habitaturi. *Strabo*, Τραχεῖα δὲ ἐκαλεῖτο ἡ ὀπισθ. τ̃ Κορησσοῦ παρώρειον: quam partem oppido incluserat Androclus. Hinc itaque *Trichia*, vel potiùs *Trachea*, uti Plinius effert, *l.* 5. *c.* 29. ipsa urbs appellata est. Vide Salmas. *ad. Solin. p.* 809.

TRICHILA, apud Spartian. *Hadr. c.* 10. *Exemplô etiam virtutis suae caeteros adhortans —— triclinia* (seu *trichilia*) *de castris, & porticus & cryptas & topia dirruit*: pergula est, quae & *umbella* & *umbraculum*, Graecè σκιὰς dicta, à densitate foliorum; propriè τρίχαλα & τριχάλιον, unde vox orta. Vocant autem τριχάλιν Graeci, quidquid *curvum* est ac inflexum. Unde τριχάλια, porticus virides arcuatae & in cameratum modum factae, ex harundinibus inflexis & opere topiario colligatis contextae. Isidorus, *Trichilia, ubi pendent vitia*. i.e. ex quibus dependent cucumeres & cucurbitae, quas *vatias* appellat, quòd incurvae essent obtortaeque, ductâ ab hominibus crura obtorta habentibus metaphorâ. Columella, *l.* 10. *v.* 378.

> *Tum modò dependens trichilâ, modò more chelydri. Intortus cucumis &c.*

Hujusmodi itaque *trichilas*, & topia & virides porticus, labante disciplinâ militari, in aestivis castris sibi extruebant milites, umbrae ac frigoris captandi gratiâ, quod sustulit Hadrianus, severioris disciplinae instaurator. Vide Salmas. *ad l.* ubi & Caesarem *trichilarum structurarum* in castris Pompeji mentionem similiter facientem, *de Bello Civ. l.* 3. *c.* 96. Illustrat: adde Casaubon. *ad Sueton. Nerone, c.* 27.

TRICHINA, oppid. Lucaniae.

TRICHINAS, cognomen Theodori, inter Sanctos relati apud Graecos, qui ei id nominis imposuêrunt, quòd *cilicium* τρίχινον, i. e. *hirtum* seu è *pilis* contextum, perpetuò ad carnem humiliandam, in corpore gestaret. Vide Macros Fratres *Hierol.* & suprà in voce *Cilicium*. At de *Trichomane* herba, seu πολύτριχον, vide Salmas. ad *Solin. p.* 1293. & 1294.

TRICHONION, urbs Aetoliae, *Steph.*

TRICHORUM, apud Spartian. *Pescennio Nigro, c.* 12. *Domus ejus hodie Romae visitur, —— in qua simulacrum ejus in trichoro constituit, statim post annum, ex Thebaico marmore* &c. fastigium est; nam in fastigio domorum Augustarum statuas olim collocari solitas, ut & in fastigiis templorum, suprà vidimus, in voce *Fastigium*. Ex Graeco τρίχωρον, quod idem ac τρίγωνον, *triangulare*, quae forma illorum erat: Unde Galenus hujusmodi fastigia τριγωνοειδῆ vocat τ̃ ὀρθῶν ἀναβάσεις, *Commentar.* περὶ ἀγμῶν, ubi planorum tectorum fastigiorumque differentiam pluribus exponit. Fiebant autem tecta fastigata pluribus plerunque *fastigiis* seu *trichoris*. Statius, *Sylv.* 3. *l.* 1. *v.* 58.

> ——— *Partitis distantia tecta trichoris &c.*

Et sic quidem triangulum rectè τρίχωρον dicitur, utpote tribus angulis disparatum ac *tribus locis* in acumen desinentibus dispartitum. Τρίχωρος enim propriè Graecis, quod *tribus loculis* distinctum ac divisum est. Unde τρίχωρ☉ ἀψὶς, in Templis Christianorum, quae τρισσὰ ἴνδαλ κόλπα habet, ut loquitur Paulus Silentiarius, vel *trinos recessus*, ut Paulinus, *Natali* 10. ubi de absíde Ecclesiae seu concha, sic inter alia:

> *Stellatâ spatiosa tholô, trinoque recessu Dispositis sinuata locis* ———

Una scil. apsis, *tribus* constans *sinibus* vel recessibus, quos & κόλπους Graeci dixêre, *trichorum* vel *trichorum*, dicta est: Sed aliâ ratione, quàm de fastigio vocem usurpatam vidimus. Vide hanc in rem plura, apud Coel. Rhodig. *l.* 18. *c.* 11. Salmas. *ad Spartian. d. l.* & *Solin. p.* 1215. Ludovic. de la Cerda, *Advers. c.* 102. Frid. Lindenbrogium, *Not. ad Stat. l. c.* Herib. Rosweidum, *Not. ad Paulin. Nolan. Epist.* 12. Alios: uti de ornamentis eorum aliquid suprà, voce *Pinnacella*. Postmodum verò *Tricorium*, vel *Tricorium* pro triclinio seu refectorio Monachorum sumi coepit, uti videre est apud Order. Vitalem, *l.* 3. & 6. an quia camerae istae seu τρίχωρα, ac triclinia Veter. quae tot convivantes admittebant, spatiosiora erant, & in *tres partes* seu concamerationes, binô columnarum ordine, divisa, uti vult Car. du Fresne, in *Glossar.* qui pluribus hac de re agit, in *Descr. Aedis Sophianae n.* 50.

TRICINARII Equi, τολυπευταζόντων genus. Postquam enim Trepidantes seu Trepidarii equi, quos *trotantes* vulgò Galli vocant, arte delicate vehendi edocti erant, cujus inventi gloriam Parthis Vegetium vindicare suprà vidimus: illi mediam quandam ambulaturam consequebantur inter asturcones & trepidantes, ac Latinis *Tricenarii* vel *Tricinarii* appellati sunt, inde *Traquenarios* hodie iisdem Gallis corruptè vocantibus. Sic autem videntur dicti, quòd *tricinis* ipsisque gradu ambularent, vel quòd in ambulando gressus *intricarent*, h. e. intricarent, & crura volubiliter implicarent & explicarent. Tales enim equi non longis & extensis passibus plenòque gradu spatium carpunt, quod faciunt cantherii, sed gressibus intricatis & minutissimè crebratis incedunt, genuumque crebrâ inflexione & alternis crurum voluminibus, gradu per minutias fractô, incessum suum celeriter impediunt expediuntque, hinc Latinis *Acupedes* etiam ac *Colatorii*; Graecis τανυπόζοντες quoque nuncupati: quas voces, si placet, vide, & plura hanc in rem apud Salmas. *ad Capitolin. c.* 3. *in Maximinis*, ut & suprà voce *Trica*.

TRICIPITINI Nummi, Graecè τρικέφαλα, dicti sunt nummi Imperatorum Constantinopolitanorum, ex Heracliana maximè Familia, qui *tria capita* praeferunt, ut docet Salmas. *de modo Usur. p.* 342. ex Artis notariae formularum *Commentario*, qui τῶν☉ τέχνης τ̃ γραμματέων inscribitur, servaturque in Biblioth. Gall. Regis, in quo modò τρικέφαλα, modò ὀπίσχνα haec numismata vocantur, unde ex auro fuisse, conjicere licet. Neque fortè alia fuêre τρικέφαλα, quae in die sancto Paschatis, à Patriarcha Constantinopolitano dabantur, ut habet Balsamon, *de Incens. Patriarch. die Catech.* Ait enim diebus Catecheseon, post Dominicam τῦ Τελώνε, Συμβολα seu *incensa*, ἀπὸ ἰσγύας καὶ βαίων; in Festo Palmarum cereos & cruce, rursus magnâ feriâ IV. cereos & incensa; denique in festo Paschatis ἀργυρίων καὶ τρικέφαλα dari. Uti proin *Tricipitinum* olim Triumvirorum Collegium appellavit *Varro*; quòd eorum capita in una eademque nummi facie exarata essent: ita Byzantini numismata tribus Imperator. capitibus insignia τρικέφαλα, h.e. *tricipitina*, appellârunt. Car. du Fresne, *Dissert. de inferioris aevi Numism. n.* 72.

TRICKINGHAMUS Elias, vide *Elias*.

TRICLARIA, Diana dicta est, cui sanguine humanô quondam litari solitum erat, quòd in ipsius delubro Menalippus & Comaetho, amore victi, turpiter coïssent. Pausan. *l.* 7. addit ob hanc templi profanationem secutam magnam agrorum sterilitatem, consultumque Apollinem respondisse, ut Menalippum & Comaethonem & praetereà singulis annis virginem pulcherrimam sacrificarent; tandem Eurypylum illius sacrificii crudelitatem sustulisse.

TRICLINIARCHA, servus fuit olim *Triclinio* praefectus, ut in veteri Epigrammate nominatur. *M. Ulpius Aug. Lib. Phaedimus* : Ἀρχιτρίκλιν☉, in Euangelio Johannis, *c.* 2. *v.* 9. Juvenco, *Hist. Euang. l.* 2. *Minister summus*; quòd, ut inquit Athenaeus, *l.* 4. esset ἐπιμελητὴς τ̃ ὅλης διακονίας, servorum nimirum *Tricliniariorum*, quorum aliqui *aquam* in manus infundebant, *Petron.* aliqui fercula inferebant, *Inferiores* ab opera appellati, Athen. *l.* 4. alii cibos praegustabant, *Praegustatores* hic appellati: nonnulli lectos sternebant, *Lectisterniatores* vocitati: quibus adde *Mensarum deterseres*, eos qui *lumina* sub noctem inferebant, *Structores*, *Carptores ac Scissores*, panum *Distributores*, aur. *escario* praepositos, argenti *potorii* ministros, *Ministratores*, *Pocillatores*, *calidae gelidaeque* Ministros, *Muscarum* abactores, *à matella*, ad *Pedes* seu *à Pedibus* pueros &c. Quorum omnium quae facies, quis cultus, quae frequentia, quis splendor; nemo meliùs Philone expressit *de Vita Contempl.* Ita enim is, *Triclinia*, inquit, *lectos habent eburneos aut pretiosioris materiae, gemmatos plerosque, stratos aurô, intertextâ purpurâ, vel aliis floridis coloribus variis, oculos allicientibus, poculorum etiam vim magnam, digestorum per suas species. Praesto sunt etiam scyphi, calices, phialae, thericlea, toreumataque clarorum artificum ministrantibus formosis mancipiis, non tam ad praesens ministerium quaesitis, quàm ad exhilarandos aspectu convivis oculos. Ex his minores pueri Pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, loti & nitidi fucatique ac cincinnatuli; aluni enim capillitium, vel omnino intonsi, vel à fronte tantùm praesectis in orbem crinibus, tenuissimas candidasque praecincti tunicas, anteriore parte ad genua demissas, posteriore ad poplites, utrinque mollibus taeniis adstrictis commissuras tunicae, propendentibus ad latera sinibus. Sic ornati adstant nutus observando, quid quisque postulet: Adsunt & alii adolescentes primâ lanugine malas vestiti, curiose docti graviori moment ministeria.* Eorundem operam omnem Petrus Chrysologus ita ob oculos ponit, *Serm.* 161. *Servus namque post vigilias antelucanas, post totius diei varios ac diversos labores, post trepidantes & anxios concursus & parat Domino suo coenam, & cinctus, quod paraverat, subministrat: non est elatus, quia fecit, sed cum devotione singula faciens contremiscit, & apponit Domino suo cibos multiplices arte totâ totius saporis conditos, ipse autem famelicus nec salivam forsitan coenulam gustaturus; porrigens crebra pocula, variat calices, vina mutat, ad longissimi convivii fabulas longiores stat fixus; sta, moveri nesciens; stat, cui lassescere non licet servitutis & cùm dominus jam partem noctis insomnem deducit, peragit inquietam; servus colligit, curat, accurat, ponit, componit, reponit & sic in rebus accessariis immoratur, ut nihil sibi aut parum noctis reservet ad escam & so-*

& soporem; post hac omnia nisi pervigilet in crastinum & dominum pravenerit dormientem, fissus indefessus manè abit ad verbera ad præsentem pœnam nihil hesterno subvenit ei de labore &c. Insigne *Tricliniarchæ* virga fuit, memorata Senec. *Epist.* 47. *quâ murmur famulorum compescebatur.* Extra verò *Triclinium* Actoribus illa seu Dispensatoribus conveniebat, docente Ammianô Marcellinô, *l.* 14. Vide quoque Senecam, *de Brev. Vita*, c. 12 & plura in hanc rem, apud Laur. Pignorium, *Comment. de Serv.* ut & infrà in voce *Triclinium.*

TRICLINIUM, Græcè τρίκλινον, à lectis, in quibus vescebantur olim, dictum est. Sic autem Lipsius, *Antiq. Lection. l.* 3. *In cœnaculo collocabatur mensa rotunda, humilis: inferiorum quidem hominum tripes & ex simplici ligno: lautiorum citrea aut acerna aut lamina argentea inducta: quam pes eburneus fabrefactus, putà in modum pardi aut leonis sustinebat. Circum mensam tres & plurimum lecti sternebantur, ex quo* Triclinii *nomen. Vel duo etiam, quod Plautus Biclinium: posterior ætas à Vespasianorum imperio Sigma vocare cœpit. Ii porro lecti tegebantur aulæis, purpurâ aut aliâ veste stragulâ, pro copia & inopia convivatoris.* In unoquoque autem horum lectorum tres convivæ ad mensam accumbebant, unde de convivarum numero, *proficisci à tribus, consistere in novem*, dictum apud A. Gellium, *l.* 13. *c.* 11. non Romæ solùm, sed & Athenis: quanquam nonnunquam quaternos etiam in singulis lectis collocatos esse, docet Horatius Flaccus, *l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 86.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Quod tamen sordidi hominis aliquô modô erat, & Cicero, *in Pison.* notat; cùm ait: *Græci stipati quini in lectis, sæpe plures, ipse solus.* Aliàs enim, si convivarum numerus novenariô esset major, tum tribus lectis adhuc unum pluresque adhiberi moris erat; Erat enim *Triclinium* tres lecti separati ac divisi, unde omnibus mensis illud convenire poterat: cùm contra Sigma, quod etiam *Stibadium* & *Accubitum* dixêre, unus perpetuus lectus, isque semirotundus, pro mensarum magnitudine, variaret. Quô factum, ut à numerô convivarum istiusmodi stibadia modô *Hexaclina*, modô *Octaclina*, dicerentur. Martial. *l.* 9. *Epigr.* 60. *v.* 9. Ordo accumbentium hic erat, ut in quolibet lecto, qui dignissimus esset, supremum teneret locum; mediô locô exceptô, in quo loco infimus, totius *Triclinii* honoratissimus erat, atque *Consularis locus* dicebatur, fortè quoniam is locus proximus erat loco supremo infimi lecti, quem dominus convivii occupabat, uti videre est apud Salmas. *ad Solin.* laudatum hanc in rem suprà, in voce *Locus.* Antiqui autem non solùm ipsos tres lectos stratos, quibus ad mensam accumbebatur, *Triclinium* dixêre, sed etiam τρίκλινον οἶκον, locum scil. ipsum, in quo tres lecti sternerentur, ita appellavêre, ut Cicero, Vitruvius, Quintilianus, Val. Maximus, Suetonius. Alii *Triclinium* pro conclavi & cœnatione ipsa usurpârunt. Sic de Simonide Phædrus, *l.* 4. *fab.* 24. *v.* 28.

Unum promitat vix pedem Tricliniô.

E' quibus discimus, falli Servium, *ad l.* 1. *Æneid.* cùm errare dicit eos, qui *Triclinium* dicunt, ipsam Basilicam vel cœnationem, &c. Eratque hoc vel æstivum, vel hyemale, M. Vitruv. Pollio, *l.* 7. *c.* 4. quorum illud irrigabatur per silvanos & fistulas, quæ opulentioribus ex argento & auro; istud favillâ & carbonibus illatis calefiebat, Casaubon. *ad Sueton. Nerone*, c. 27 & ipse Sueton. *Tib.* c. 74. Utrumque ornabatur tropæis gentilitiis, ut Atrium imaginibus, Bibliotheca statuis. Petron. *Satyric.* *Et quod præcipuè miratus sum, in postibus fasces erant cum securibus fixi, quorum imam partem, quasi embolum navis æneum, finiebat*: Cùm antiquis ea temporibus non privatorum domibus sed Deorum solùm fanis suffigerentur. Itaque emtâ etiam domô, manebant hæc ornamenta, neque novo possessori illa refigere fas erat. Vide Servium, *ad l.* 4. *Æneid. v.* 244. Ibidem & libri erant, adeò superbô apparatu, ut veriùs Bibliothecæ videri possent, quàm *Triclinia* seu *Cœnacula*: qui mos inde ortus, quòd in conviviis aliquid semper legere aut recitare Clientes famulique consueverant. Senec. *de Tranquillit. animi*, c. 9. De cujusmodi *Tricliniari* recitatione, habes lepidissimum Epigramma apud Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 50. quod vide, & Criticos, qui infinitis id locis probârunt. Instruebatur porrò tapetibus, aulæis aliisque id genus, quæ per *vestimenta Tricliniaria*, *l.* 20. *ff. de opt. leg.* intelligit Dempsterus; quorum tamen nomine convivantium vestimenta, intelligi vult Joh. Laurentius JCtus, *Notis in Phædrum.* Aulæa certè quod attinet, memoriæ prodidit *Varro*, quô tempore usus cameræ ignorabatur, vela ad excipiendum pulverem, ne super mensas spargeretur, atque dapes simul conspurcaret & convivas, solita in *Tricliniis* suspendi. Quò respiciens Horatius, *Serm. l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 54. ait:

Intereà suspensa graves aulæa ruinas,
In patinam fecêre, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

De vestibus convivantium diximus suprà in voce *Synthesis* alibique; sicut de *Servis Tricliniaribus* passim, inprimis in voce *Tricliniarcha*: Quorum cùm tanta fuerit copia, meritò de amplitudine *Triclinii* cogites, quam inculcans Seneca, *Ep.* 115. *capacem Populi cœnationem*, vocat: quemadmodum idem alibi ministros hosce *Turbam concionis* appellavit: Quæ cùm vera sint de *Tricliniis* privatorum, non mirabimur de Cæsarum Tricliniis, dicentem Hieronymum, *ad Salv. Mensæ ministrat orbis, & terra ac maria serviunt*: quæ verba qui intelligere cupit, adeat Martialem, *l.* 9. *Epigr.* 7. ubi inter alia *mille pocillatorum* mentionem facit, &, qui tantæ Ministrorum frequentiæ non imparem *Triclinii* molem graphicè describit, Statium, *l.* 4. *Sylv.* 11. Vide Dempster. *in Rosin. l.* 5. *c.* 28. plura apud Pignorium, *de Serv.* Aliosque, inprimis verò Petrum Ciacconium Toletanum, *de Triclinio, cum Appendice* Fulvii Ursini, & suprà *passim*, ubi de *Accumbendi ritu*, *Convivils*, voce *Trichorum*, aliisque hoc facientibus dictum. Exhibet *marmoreum Triclinium vetustissimum Patavii, quod in ædibus Rhamnusianis, post Curiam Urbis Præfecti, in vico Patriarchæ, ad D. Iacobi visitur.* Mercurialis, *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 11. unde falli discimus, qui putârunt tripodes, de quibus apud Athenæum Eubolus Comicus, & in quibus duo vel tres edentes repræsentantur in marmoribus vetustis, fuisse *Triclinia*, quandoquidem ibi nec trium lectorum imago neque accubitus conspicitur; Sunt enim duntaxat sepulchralium cœnarum effigies, de quibus tractant, qui sepulchrales Veter. ritus describere sunt aggressi, vide Mercurialem, *loc. cit.* Postquam *Triclinia* ab usu recesserunt, Stibadia seu Sigmata in eorum assumpta sunt locum, ut diximus *suô locô.* Mansit tamen & lapsô, translatôque Byzantium Imperiô, vetus nomen, uti discimus ex Curopalate, *de offic. aulæ Constantinop.* Vide quoque suprà in voce *Thomaites* &c. Ex ære porrò *Triclinia* apud Romanos esse cœpêre, ut & hoc addam, post Asiam devictam. Plin. *l.* 34. *c.* 3. *Triclinia ærata abacosque & monopodia Cn. Manlius Asiâ devictâ primus invexit triumpho suo, quem duxit urbis anno* CCCCCLXVII. Dein ex argento etiam auroque facta, docet Favorinus, apud A. Gellium, *l.* 15. *c.* 8. ubi in luxum eorum graviter invehitur, & Manilius, *Astron. l.* 5.

Hæc fuerat quondam Divis concessa figura,
Nunc jam luxuriæ pars est. Triclinia *templis*
Concertant, tectique aurô jam vescimur aurô.

Quorum sensus notante Scali[illegible], *Ædes Deorum olim duntaxat bracteata & deaurata erant, nunc verò &* Triclinia *nostra; tectique aureis lacunaribus vescimur aurô cavo.* De primo horum auctore, idem sic Plin. *l.* 33. *c.* 11. *Lectos verò mulierum jam pridem totos operiri argentô, &* Triclinia *quædam; quibus argentum addidisse primus traditur Carvilius Pollio Eques Romanus, non ut operiret, aut Deliacâ specie faceret, sed Punicanâ. Idem & aureos fecit.* In *aureo lecto* veste purpureâ decubuisse Cæsarem, Suetonius narrat, *c.* 49. *Solidô argentô factos habuisse lectos* & *Tricliniares & Cubiculares*, de Heliogabalo, *c.* 19. Lampridius scribit: ubi & croco totum *Triclinium* sparsisse, addit &c. Sed & ex testudine fiebant, Plin. *l.* 32. *c.* 4. Quo de Veter. luxu plata, vide præter Auctores citatos apud Isac. Casaubonum, *ad Athenæum, Suetonium & Historiam August.* Salmas. *ad eandem*, ut & *ad Tertullianum de Pallio* passim, Jac. Oiselium, *Not. ad A. Gellium*, *l.* 15. *c.* 8. Alios.

TRICLINIUS Demetrius, vide *Demetrius.*

TRICO, apud Lucillium, *Sat. l.* 7.

Magnus trico *fuit nummarius solvere nulli*
Lentus ———

Bocmanno est, qui impedit & *tricas* facit, in *Originib. L. L.* Vide suprà voce *Tricæ.*

TRICOLINI, urbs Arcadiæ à *Tricolino* filio Lycaonis, *Steph.*

TRICOLLORI, Plin. *l.* 3. *c.* 4. populi Galliæ Narbonens. ubi fuerint, non constat. *Tallard* enim, quod illorum oppid. fuisse refert *Ferrarius*, Caturigum aliàs fuit, *Alarons* dictum, 6. mill. pass. à Vapinco in Meridiem. *Baudrand.*

TRICOLUS, apud Jo. Sarisberiensem, *Policrat. l.* 1. *c.* 5. *Hinc Tessera, Calculus, Tabula, Urio vel Dardana pugna,* Tricolus, *Senio, Monarchus* &c. ludi est vel aleæ species, fortè ex Græco τρίκωλος, *à tribus membris*, Car. du Fresne, *Glossar.*

TRICONGIUS, Novellus Mediolanensis, sic dictus, qui gestis honoribus à prætura ad Consulatum usque pervenerat. Hic enim tribus congiis epotis, spectante, miraculi gratiâ, Tiberiô Imperatore præclarum cognomen sibi vendicavit.

TRICONIUM, vide *Trichonion.*

TRICORII, populi Galliæ Narbonensis quorum oppid. *Tricorium le Craux*, teste *Pineti.* *Baudrando* ubi fuerint, non constat. *La Craux* enim tractus est, aliter *Campi lapidei*, inter stagnum Astromelam ad Ortum & Arelatem ad Occasum.

TRICORNESII Mysiæ superioris populi, *Ptolem.* quorum regio *Toplitza Castaldo.*

TRICORNIUM, Mysiæ superioris in Servia oppidum. *Ptolem. Columbacz Nigro.* Apud Danubium & pontem Trajani. *Lazio* est *Coruscene*, pagus proximus Galumbacio.

TRICORYTHUM, vicus in Æantide tribu. Vide *Steph.*

TRICRENA, locus Arcadiæ, ubi tres fontes. Hîc Mercurius fertur natus, Pausan. *in Arcadic.*

TRICTRACUS, [illegible], à sono, quem calculi in tabula moti faciunt, ludi genus vocatur, in quo calculi ad tesserarum jactum sic arte fortunam temperante variè moventur, olim hodieque in usu, ratione ludendi in quibusdam saltem diversâ. Et quidem *Trictracum* Antiquorum bellè describit Agathias, *Epigr.* εἰς τάβλαν Ζήνωνος, ubi situm ordinemque calculorum Zenonis, qui albos erat sortitus, nigrorumque, qui collusori ejus obtigerant, posituram, postquam anxiè & accuratè commemoravit, qualiter Zenon, & quibus punctis captus sit, ac victus discesserit, infelici tesserarum jactu:

Δοιὰ δ' ἐξ ἢ πέντε κατήγαγεν· αὐτίκα δ' αὐτῷ
Ἕξ ζυγοὶ ἔσχον ὅλοι αὐτόθι μεμαζομένοι.

Nempe tribus tesseris tunc utebantur ad hunc lusum, sicut duabus hodie; quindecim calculis, hodie duodecim: interim totidem adhuc servantur calculi, quindecim nigri scil. totidemque albi. Præter quem ludum, alius etiam cum tesseris & calculis lusitari consuevit, ingeniosus admodum, *Reginula* Gallis vel *Regineta* vulgò dictus, de quo vide suprà. In eo vincit, qui omnes adversarii sui calculos capit; quod olim in ludicro XII. Scriptorum quoque fiebat, hodieque fit in eo genere *tricstraci*, quem *magnum* vulgò vocant. Variè enim luditur hic ludus & variè etiam apud Veteres ludebatur, uti docet Salmas. libellô peculiari, quem *de utriusque Ludi comparatione* scripsit, nec non *Notis ad Proculum Vopisci*, ubi Ludum XII. Scriptorum, qui apud Veteres in usu fuit, cum *Trictraco* nostro in plurimis convenire ostendit.

Vide

Vide quoque suprà, ubi de eo ludo, ut & in voce *Tabula*, alibique passim.

TRIDACNA, ostreorum genus, apud Plin, *l.* 32. *c.* 6. *Inter nos nepotis cujusdam nomenclator* tridacna *appellavit: tantæ amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent:* δάκνω enim *mordeo* est, ψωμοὺς & recentiores Græci dixerunt panis quadras vel buccas. Quô pactô *tridacna* sunt, quæ tres buccas facere possunt terque mordenda sunt. Vide Salmas. *ad Vopisc. in Tacito*, *c.* 11.

TRIDENS, Neptuni insigne, quô à Cyclopibus donatus fingitur, uti videre est pluribus apud Natalem Comitem, *Mythol. l.* 5. *c.* 8. adde, quæ diximus in voce *Neptunus*. Sed & *tridentem* in clypeo suo gessit Dryas, apud Papinium Statium, *Theb. l.* 7. *v.* 255.

> *Mille sagittiferos gelidæ de colle Tanagræ*
> *Promovet ecce Dryas. hic cui nivea arma* tridentem
> *Atque auro rude fulmen habent ---*

Quod Orionis genus jactabat ait vetus Schol. *quod sidus fundo solet maria excitare, non aliter quam cum* tridente *suo Neptunus*. Certè de eo Virgil. *l.* 1. *Æn. v.* 539.

> *Cùm subito assurgens fluctu, nimbosus Orion,*
> *In vada cæca tulit, penitusque procacibus Austris,*
> *Perque undas, superante salô, perque invia saxa*
> *Dispulit* ———

Classem scil. Sunt tamen, qui velint Orioni *tridentem* ascriptum, propter tres stellas, quæ, manum ejus præcedentes, alibi pro *gladio* à Poëtis habentur. Nisi malis inde id factum, quòd hic ipse Orion ex Neptuno, cujus perpetuum hoc signum, ortus creditus est non paucis. Vide Scholiasten Germanici, Hygin. *Astronom.* & Casp. Barthium, *Animadv. ad Statium, d. l.* Idem verò Retiariorum, apud Romanos, telum fuit, qui fuscinas tricipites in Mirmillones dirigebant. Hinc Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 25. ubi variis præconiis Hermetem gladiatorem in omni genere armorum principem, laudat, inter alia ait,

> *Hermes æquoreô minax tridente.*

Qua de re vide Juvenalem, *Sat.* 2. *v.* 143. & Lipsium, *Saturnal. l.* 2. *c.* 8. Assignavit autem Neptuno *tridentem* Antiquitas, propter triplicem aquarum naturam, liquidam, fœcundam & potabilem: vel, ut aliis placet, propter tria aquarum genera, marinam, fluviatilem & stagnantem. Vide Fulgentium, *Mytholog. l.* 1. Æschyli Scholiasten. *Proœm*, Δεσμ. & Jo. Meursium, *ad illud Lycophronis*,

> Βληθεὶς ἀπ' ὄχθων τῷ τριαινούχῳ θεῷ.

TRIDENTINUS Bartholomæus, vide *ibi*.

TRIDENTUM, Italis *Trento*, Gallis *Trient*, Anglis *Trente*, urbs Comitatus Tirolensis, satis culta, ad Athesim fluvium sita, vetus est, & eam in decima regione Italiæ, inter mediterraneas collocant, Plinius, *l.* 3. *c.* 19. & Strabo, vulgò *Trent*. Conditam volunt à Gallis; & ita Trogus prodidit, *l.* 20. *c.* 5. nomen habere creditur, vel à tribus torrentibus, qui è montibus hìc in Athesin defluunt: vel à tribus altissimis montium cacuminibus, quæ propinqua sunt, vel à Neptuni tridente: Tridentinos enim constat coluisse Neptunum, cujus effigies cum fuscina adhuc extat, in lapide pervetusto in templo B. Vigilii. Urbem muro cinxit Theodoricus, Ostrogothorum Rex, usus ad structuram lapide quadratô. Sermo civibus partim Germanicus, partim Italicus, & ut inter se linguâ, sic moribus etiam diversi sunt. In hac urbe celebratum est Concilium illud famosum, An. cIↃ IↃ XLVI. sub Paulo III. *Mercat. Baudrando* fuit caput Tridentinorum, in Rhætia propria, in valle, inter altissimos montes; sub Episcopo proprio, sub clientela tamen Imperatoris uti Comitis Tirolis, 18. milliar. Germanic. ab Oeniponte in Meridiem: uti 6. à Bolsano, 4. à proxima ora lacus Benaci in Cæciam, 8. à Verona in Boream. Hìc instante ad petitionem Protestantium, Carolô V. Imperatore, (Namque & Lutherus A. C. 1518. provocavit à Pontifice ad Concilium, quòd illô superius esse jam Conciliô olim Constantiensi & Basiliensi definitum, & Spirensi Conventu A. C. 1526. habitô decretum fuit, ad constituendam religionis formam legitimô opus esse Conciliô, quod dum habeatur, ita sese gerere debere omnes, quô sui facti rationem Deo Cæsarique reddere queant.) tandem famosum illud Concilium, à loco *Tridentinum* dictum, à Paulo III. A. C. 1545. convocatum est; sed ita, ut Andr. Dudithius Episc. Quinqueccl. *epist. ad Maxim. II.* scripserit, *Episcopos larvas, non homines, sed simulachra, quæ nervis moverentur alienis, & Dædali statuas fuisse*. Initium die 7. Januar. factum, primâque sessione monens Episcopus Bitontinus, *confluerent ad Concilium tanquam equum Trojanum*, offendit Patres. Postquàm septem habitæ sessiones, & in illis doctrina Ecclesiæ Romanæ confirmata, Bononiam, sub prætextu aëris minus salubris, Cæsare frustra retinente, Concilium translatum est: nihilominus Episcopi, qui Cæsareæ ditionis erant, Tridenti substiterunt. Annô postmodum 1551. postquàm intereà liber *Interim* Germaniæ obtrusus fuit, Julius III. Concilium Tridenti instauravit: cui Protestantes, nisi cautionem, quâ olim Bohemis Basileæ cautum fuerat, haberent, interesse recusarunt. Et Rex Galliæ Henricus II. Conventum, non Concilium vocavit. Hìc tres rursus sessiones habitæ, in quibus Transubstantiatio asserta, & Sacramentorum numero Pœnitentia, cum extrema Unctione accessit. Adventante dein Mauritiô Saxone, diffugêre omnes, A. C. 1552. quô cùm à Carolo Passavii pax Religionis concessa esset Germaniæ, quod posteà comitiis Augustanis à Ferdinando I. confirmatum, Paulus IV. utrique vehementer succensuit. Pius dein IV. idem Tridenti A. C. 1561. denuò reductus est, missis ad Germaniæ Principes literis cum inscriptione, *Dilecto filio, Nobili viro, Duci vel Comiti*; quas non resignatas remisêre, cùm nec jurisdictionem ullam Pontificis se agnoscere, nec penès illum esse Concilium convocare, dicerent. Daniæ quoque Rex irritatus, mandata Pontificia cognoscendi cupidum se magnoperè non esse, respondit. Elizabeta autem Angliæ Regina Legatum è Belgio in Angliam trajicere prohibuit. Inchoatô Conciliô Guido Faber Legatus Caroli IX. Galliæ Regis Reformationem Ecclesiæ obnixè ursit, sed ab Italis, Præsulibus, cum scommate, *Gallus cantat*, irrisus est. Idem Rex cùm calicis usum in S. Cœna peteret, *venenum Gallis non esse propinandum*, Cardinalis S. Angeli respondit. Quod cùm & Ferdinandus Imperator & Albertus Bavariæ Dux, poposcissent, frustra fuêre. Vide in voce *Calix*. Cum iidem Sacerdotibus conjugium concedi vellent, responsi locô acceperunt: *Matrimonium Presbyteris concedere, non aliud esse, quam Hierarchiam Ecclesiasticam destruere, & Pontificem redigere ad Romæ solius Episcopatum*. Tandem dissolutô Conciliô A. C. 1564. Pius IV. Patribus redeuntibus, summas egit gratias, quòd tantum auctoritatis Pontificiæ rationem habuissent. Interim Synodus hæc à Germanis spreta, à Gallis non admissa est: & Claudius Sanctius, celebertimus Theologus Lotharingo Cardinali à consiliis, *in Concilio Tridentino plus nobis, quam Spiritui S. tributum esse*, dicere solitus est. Claudius quoque Espensæus, *in Com. ad Timoth. merito*, inquit, *in Concilio Basil. Ludovicus Arelatensis Cardin. questus est, in Conciliis id demum fieri, quod nationi placeat Italicæ, & hæc illa Helena est, quæ nuper Tridenti obtinuit*. Vide Thuani incastrati *Histor.* P. Suavem, Polanum, *in Hist. Concil. Trid.* Heideggerum *in Examine ejus*, Lætum, *Comp. Histor. Univ.* Hinc *ditio Tridentina*: provinc. Italiæ anteà, nunc pars Australis Comitatus Tirolensis, à quo ad Boream terminatur, sicut ditione Venetâ, ab Ortu, Occasu & Meridie. German. *Stifft von Trient*, Italis *Vescovato di Trento*, Gallis *Evesché de Trente*. Sub imperatore ut Comite Tirolis. Episcopus tamen Tridentinus possidet in eo tractu plurima loca, ipsumque Tridentum; Hinc Princeps Tridentinus dicitur, sed sub clientela Comitatus Tirolensis.

TRIDINUM, & TRIDINIUM, oppid. munitum Montisferrati, vulgò *Trin*, tantisper à Pado, sub Duce Sabaudiæ pace Clarascensi. Pluries haud pridem captum receptumque.

TRIDUANA, apud Hieron. *Ep.* 19. *ad Fur.* tridui jejunium est, vide suprà *Biduana*.

TRIENS, tertia pars Assis, sicut *Sextans* sexta: quæ ambo volunt quidam esse Siculorum τριᾶντα & ἑξᾶντα, in quo tamen difficultatem inveniunt, quum significatio sit prorsus alia. Nam ἑξᾶς, *semis*, τρίας, *quadrans*. Gronovio proin, quemadmodum Quadrans ex participio transiit in nomen, quòd assem quadraret: sic quasi verbum esset, *triere*, in tria redigere, finxisse videntur *Trientem*; quasi *sextare*, in sex secare, Sextantem, *de Pecun. Vet. l.* 4. *c.* 17. Etiam nomen fuit monetæ Romanæ. Cùm enim primitùs rudi ære uterentur Romani, Servius Rex illud primus signavit: quemadmodùm argentum primùm signatum est an. Urb. Cond. 490. Q. Ogulniô, C. Fabiô Consulib. quinque annis, ante primum bellum Punicum. Fuit autem nota æris ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis; in *Triente* & Quadrante rates: Argenti verò bigæ quadrigæque Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 20. ex Plin. *l.* 33. *c.* 3. Et quidem *trientem*, pro naulo Charonti solvendo, defunctorum ori imponi olim consuevisse, docet Natalis Comes, *Mythol. l.* 3. *c.* 4. quam in rem plura vide suprà, voce *Naulum*. Servilii verò etiam sacrum *trientem* habuêre. Plin. *l.* 34. *c.* 13. extr. *Unum etiamnum æris miraculum non omittemus. Servilia familia illustris in Fastis,* trientem *æreum pascit argentô & aurô, consumentem utrumque. Origo atque natura ejus incomperta est mihi. Verba ipsa de ea re Messalæ senis ponam. Serviliorum familia habet trientem sacrum, cui summa cum cura magnificentiaque sacra quotannis faciunt: ferunt aliàs crevisse, aliàs decrevisse, & ex eo aut honorem aut diminutionem familiæ significari*. Posteriori ævô *aurei* quoque *trientes* occurrunt, de quibus vide suprà, voce *Tremissis*. Sed & non æris tantùm, verùm cujuscunque rei tertia pars ex duodecim *Trientis* nomine venit: Hinc tertia pars Sextarii (qui, cùm duodecim capiat cyathos, partes easdem cum libra & asse obtinuit) *Triens* apud Auctores dicta reperitur, quam potus mensuram veterib. Romanis in quotidiano usu fuisse, statuit Hieron. Mercurialis, *Var. Lect. l.* 1. *c.* 21. Cùm sextante temperati ac valetudinarii, deunce intemperantes ac vinosi biberent. Meminêre *Trientum* plurimis in locis Poëtæ, Martialis inprimis: inter alia, *l.* 1. *Epigr.* 107. *v.* 8.

> *Crebros ergo bibas licet* Trientes.

Et *l.* 4. *Epigr.* 83. *v.* 5.

> *Sed nec post primum leget hæc, summumve* Trientem,
> *Sed sua cum medius prælia Bacchus amat.*

Et alibi passim. Unde facilè cum Mercuriali colligas, calices quotidianos & à cunctis in potu adhibitos apud Romanos, *Trientes* fuisse quæ erat tertia, uti diximus, quarta Sextarii pars, quatuor continens cyathos. Idem Rosinus suprà laudatus, *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 29. Apud Hebræos quoque eosdem in usu fuisse, colligas ex Psalmo 80. *v.* 6. *Potâsti nos lachrymis in triente*: ubi simul ad annos captivitatis Babylonicæ respici, volunt quidam ex Judæis. Cùm enim Ægyptia captivitas præcisè duraverit annos ducentos, & decem; Babylonica solùm duravit annos LXX. id est, *trientem annorum* CCX. Vide Sam. Bochartum, *Hieroz. in Parte prior. l.* 2. *c.* 29. &c. Hinc *Trientale fœnus*, quod ab Imperatorib. Antonino Pio & Alexandro Severo non sine magna moderationis laude exercitum habes infrà ubi de *Usura*.

TRIERARCHUS, in Rep. Atheniensi dicebatur, qui navem bellicam armamentaque navalia & ejus generis alia, præbebat. *Ulpianus*, Τριήραρχός ἐστιν ὁ ναῦν παρεχόμενος πολεμικὴν καὶ σκεύη τῇ νηὶ καὶ ὅσα τοιαῦτα. Cui muneri obeundo ditissimi quique assignabantur, ut è Demosthene Grammatici docent. Atque olim Ναυκραρίαι dicebantur, erantque uniuscujusque Tribus Ναυκραρίαι 12. quarum singulæ navem unam instruebant, Pollux, *l.* 8. factumque aliquando

quando, ut uniuscujusque Classis essent viri sedeni, docet auctô numerô Tribus quælibet 120. viros præbuit: Sicut 10. Tribus, quot omnino tunc erant, præberent 1200. viros. Hi centum viginti viri cujusque Tribus in duas distribuebantur *συμμορίας*, quarum singulæ erant virorum 60, censusque classium est harum à Nausinico Archonte an. 3. Olymp. 100. in quas distribuebantur inter adscitos cives, qui opibus pollebant plurimùm. Postea, auctore Demosthene, quinque eligebantur Classes quibus 300. ditissimorum numerus constaret, qui quotannis munera obirent, Ulpianus *ad Olynthiacam* 2. Ratio autem *Trierarcharum* subinde mutavit, ut constat ex eodem *in Midian*. ubi narrat, aliquando duos fuisse, qui navem instruerent, aliquando tres, aliquando sedecim; fuisse quoque, Demosthene rogante, triremium duarum unum *Trierarchum*. Et quidem de *Trierarchis* sedenis, unam instruentibus navem, Lex extat: *Τοὺς τριηράρχους καλεῖσθαι ἐπὶ τὴν τριήρη συνεκκαίδεκα ἐκ τῶν ἐν τοῖς λόχοις συντελειῶν ἀπὸ εἰκοσιπέντε ἐτῶν εἰς τετταράκοντα ἐπὶ ἴσας τῇ χορηγίᾳ χρωμένους*, *Trierarchi sedeni, ad instruendam unam triremem seponuntor, è manipulorum contributionibus, munusque obeunto ab anno ætatis vicesimo quinto ad quadragesimum usque, sumptusque ex æquo faciunto*. Demosth. *de Cor*. Cum ante hanc legem, ubi primùm in viros transcripti fuerant, munia publica obirent: atque etiam pupilli ipsi, in *ταῖς συμμορίαις* de suo collaturi conscriberentur, Demosthenes, *κατὰ Aphob. a*. ubi etiam docet, eos, qui in reditibus haberent annuis 25. minas, contulisse *εἰς τὴν συμμορίαν* illarum partem quintam, nempe quingentas drachmas: atque ita pro hoc modulo majus vel minus. Tempus *Trierarchiæ* legitimum Annus fuit, itaque cùm bini erant Trierarchi, singuli sex menses in munere versabantur: Atque ita, cum sedeni essent, munus illud suum obibant annuum unusquisque *κατὰ τὴν ἀναλογίαν ἐπὶ ἴσας τῇ χορηγίᾳ χρώμενος*; quanquam accidebat sæpe, ut *Trierarchiam* locarent, atque ita acceptô e.g. talentô, quanti locaverant, ipsum annuum munus obibant: & quia ipsi *προετέλουν*, à cæteris, qui ejusdem essent *συμμορίας*, postea, quod impenderant, exigebant, ut dixit Demosthenes *in Leptinea*. Non longè vero pòst hic legem scripsit, quâ cavetur, ut unusquisque pro facultatum censu conferret: *Trierarchi ad triremem instruendam deliguntor e facultatum censu: si major sit decem talentis, pro census modo vel tres naves cum scapha instruunto: Eâdem proportione observatâ, tot eorum quorum census minor est talentis decem, una conferunto, quot simul dabunt censum decem talentorum*. Quâ lege factum, ut plures pauperes tantum conferrent, quantum unus ditissimus multorum re familiari quasi in unum acervum collatâ. Vide Demosthenem, *Orat. de Cor*. Ad *Trierarchiam* verò obeundam vocare, & censum delectumque habere, Strategorum erat: unde quibus malè vellent factum, vocatis & designatis, navem

Sæpe tritam, sæpe fixam, sæpe excussam malleo,

præbebant. Vide Aristophanem, *Equit*. ubi habetur, annô 4. Olymp. 88. Prætore Athenis Stratocle, *Trierarchos* naves à Rep. accepisse, quas *τῷ πληρώματι* instruerent. Sed istud mutavit: Nam eô tempore, quô bini erant *τριήραρχοι*, illi naves comparabant, armamentis & remigibus instruebant, atque militibus sive *ἐπιβάταις* stipendia numerabant, Demosth. *in Midian*. quare tunc accipiebant de publico in singulas triremes *εἰς ἐπίπλουν* 30. minas. Idem, *de Cor*. Posteà verò, quando sedeni unam navem instruebant, *Trierarchi* solâ militabant nave, Respublica armamenta, nautas & omnia *πληρώματος* præbebat: quæ illi, vel postquàm rediissent, restituebant Reip. vel iis, qui sibi in obeundo hoc munere ex eadem succedebant classe, tradebant. Quòd si *Trierarchus* armamenta hæc non restitueret, repetebat ab eo Trierarchus ex eadem Classe & Classis ejusdem Curator, ex Lege Periandri, cujus meminit Demosth. *contra Everg. & Mnesibol*. Si verò is, qui armamenta debebat, denegaret aut moras necteret, in jus ad Exercitus navalis Præfectos & navalium Curatores, qui Judices sortiebantur in hisce causis, vocabatur. Quod si omninò reddere nollet, Lege licebat post judicium ab eo jam damnato pignora capere, *Τὰ ὀφείλοντα τὰ σκεύη τῇ πόλει, ἢ ἀποδόσιμον τὰ σκεύη ... ἐνεχυρασίαν*. Demosth. ubi *suprà*. Cùm finitum erat *Trierarchiæ* tempus designati *Trierarchi*, qui aliis succedebant, postquàm fuerant designati, ad naves abire tenebantur, ex lege, *Τὸν διάδοχον ἀπιέναι ... καταλαβόντ* multâ iis, qui id præfinitô tempore non fecissent, irrogatâ. Itaque Strategi eos, ut navem susciperent, cogere solebant. Tandem *Trierarchi*, obiti à se muneris, sicut & reliqui Magistratus, rationes reddebant, ex Lege: *τοὺς τριηράρχους ὑπευθύνους εἶναι*. Cùm vero grave admodùm esset onus *τὸ λειτουργεῖν*, neque omnes ferendo pares essent, succurrit Solon latâ *περὶ τῆς ἀντιδόσεως* Lege, cujus capita Latinè sic habent: *Quotannis ad facultatum permutationem provocanto, Sepositus ad obeunda munera, classe suâ excedito, si quem se locupletiorem vacantem ostenderit. Si is, qui designatus est, locupletiorem se esse fassus sit, in trecentos alterius locô refertor: Si neget, facultates inter se permutanto. Ejus qui ad facultatum permutationem provocatus est, ædes obsignantor. Qui facultates inter se permutant, se indicaturos facultates suas jurato his conceptis verbis: Indicabo facultates meas rectè & justè, exceptis iis, quæ in argenti fodinis sunt, quas Leges immunes faciunt. Et intra tres, ex quo juraverint, dies facultates suas indicanto*. Fiebat itaque *ἀντίδοσις* hôc modô: Si quis è trecentis, qui sepositi erant ad obeundas Trierarchias, sumtus tolerare non posset, Lege licebat eâ classe excedere, si quem se locupletiorem vacantem ostendisset. Qui si ditiorem se fateretur, in trecentos alterius locô referebatur; si negaret, permutabant inter se facultates, isque qui citaverat alterum ejus ædes obsignabat, ne qua inde alio exportarentur, quem morem ita graphicè exponit *περὶ Φαινίππου* Demosthenes, ut in rem præsentem deducere videatur. His peractis, is, qui provocabat ad facultatum permutationem, ad sacra vocabat eum, quem suô locô obire munera volebat: inter quæ sacra ab utroque conceptis verbis jurabatur. Indicium autem facultatum suarum, intra tres, ex quo juraverant, dies dabant, idque scriptô, ut docet *Harpocration*. Dabatur verò indicium Strategis, qui litigantibus sortiebantur Judices, Demosthenes, *loco laud.* quemadmodum *ἐν ταῖς χορηγίαις*, quia majores quibusdam Festis, quam aliis, sumtus fiebant, disceptabant Choragi, &c. Nec omittendum, cùm maximum apud Athenienses esset rei nauticæ studium, ab antiquissimis temporibus, inprimis vero, à quo rerum summæ Themistocles præesset, priùs quidem Phalerô portu, postea Piræeô fuisse usos, in quo *νεώσοικοι* trecentarum navium habuere classem. Thucyd. *l.* 2. Senatumque Quingentorum quotannis novas naves ædificare fuisse ex Lege astrictum. Vide Sam. Petitum, *Comment. in LL. Atticas l.* 3. *tit.* 1. & 2.

TRIERES, urbs Syriæ. Item gens quædam dicta à *Triero Ombriaræ* & Thraces filio, *Steph*.

TRIERORUM, seu TRIERON, singularis numeri promontor. Africæ, *Ptol. Capo Sudeste Marmolio*, *Capo della Giudeca* aliis, inter ostia Cinyphi ad Occasum apud Leptim magnam, & Macomacam villam ad Ortum.

TRIETERICA, Bacchi sacra, quæ tertiò quòque annô celebrabantur. Virg *l.* 4. *Æn. v.* 302.

—— *Audito stimulant Trieterica Bacchi*
Orgia. ——

Statius, *Theb. l.* 2. *v.* 661.

—— *Nox hæc Trieterica vobis*
Nox patrio de more venit. ——

Nic. Lloyd. Nempe duobus annis retroactis, tertiô currente, hæc sacra vigebant, hoc enim designat *τριετηρὶς*, *trieteris*, seu, *exactô triennio*, ut ait *ad Papinium, Theb. l.* 2. *v.* 661. Lutatius, sic, ut annum cum pro primo computes, quô jam peracta sunt. Censorinus, *de Die Natali, c.* 18. *Itaque annos civiles sic statuerunt, ut intercalando facerent alternos XII. mensium, alternos XIII utrumque annum separatim vertentem, junctos ambos annum magnum vocantes. Idque tempus τριετηρίδα appellabant, quòd tertiò quoque annô intercalabatur quamvis biennii circuitus & reverâ διετηρὶς esset.* Ad quem locum vide Barthium, *Animadvers. suis Papinian.* Totâ autem nocte debacchabantur, in his orgiis, unde noranter *Trieterica nox*, dicit Statius, *ubi suprà*, *Suidas*, continuis perpotationibus ac *... ἐφ' ἡμέραν εἰς ἑσπέραν*, *in diem ac noctem*, bacchatos esse, ait &c. Sed & *Trieteris* completum quandoque triennium notat, uti discimus ex Paullino, *Ep.* 16. apud Ausonium, qui cùm quereretur quartum jam annum esse, quòd nullas à Paullino literas accepisset, respondet hic:

Defore me patriis tota trieteride terris,
Atque alium legisse vagis erroribus orbem,
Increpitas, sanctis motâ pietate querelis &c.

TRIFERNUM, *Liv. Bifano Blondo*, mons & oppid. Pelignorum, in Aprutio, non longè à Bojano, sed hic locus in Samnitum & Frentanorum confinio est, *Ferrar*.

TRIFOLINUS, mons Campaniæ Neapoli imminens, sic à *trifolii* copia dictus: vulgò *Monte di S. Martino*. Unde vinum *Trifolinum*, apud Martial. *l.* 13. *Epigr.* 114.

Non sum de primo fateor Trifolina Lyæo.

TRIFOLIUM, in coronis Veter. adhibitum, memoratur Plinio, *l.* 21. *c.* 9. *Folio coronat & trifolium. Tria ejus genera. Minyanthes vocant Græci, alii asphaltion, majori foliô, quô non utuntur coronarii. Alterum acuto, oxytriphyllon. Tertium ex Omnibus minutissimum —— i tuntur & ferulis & ederæ corymbis & flore. Al. & corymbis, & ederæ flore purpureô.* Vide Dalechampium, *Annotat. ad l.* ac plura de hac herba, apud eundem Plinium, *l.* 18. *c.* 25. *l.* 20. *c.* 23. *alibique* & Salmas. *ad Solin. p.* 243. ubi inter alia Plinium, ex tribus epithetis *trifolii*, malè tria ejus genera confinxisse, docet.

TRIFORIUM, apud Gervasium Dorobern. *in Descr. Eccl. Cantuar.* porticus est, seu potiùs porticuli, in modum claustri, species, quæ totum ædis sacræ ædificium ambit, eô fine ducta, ut transitum præbeat locum circuire vel lustrare volentibus, in ipso ædis muro, supra inferiorum columnarum & arcuum ordinem, ex cujus superiori parte emergunt majores ædis fenestræ, in ipsum fornicem elatæ. Nomen inde, quòd hujusmodi strictioris ambulationis aperturæ, intra ipsam ædem, duabus columnis distinctæ, *trinas fores* quodammodo præferant; uti videre est in Cathedrali Ambianensi, in Gallia, Lincolniensi, in Anglia, ut alias omittam. Ad cujusmodi *triforii* postmodùm formam limbi, vel ornamenta, ad oram alicujus rei attexta, *triforia* quoque dici cœperunt, uti ex *Monastico* Angl. docet Car. du Fresne, *Glossar*.

TRIGA, Heroum in bello vehiculum, post bigas fuit: qui duobus subjugis equis adnectebant vinculô seu lorô tertium extra currum, quem *παρήορον* dicebant *Hesychius*, *παρήορος ἵππος ὁ οὐκ ὑπὸ τὸ ἅρμα ... δεξιᾷ*; item *σειραῖον*, Dionysius Halicarn. *l.* 7. *sub fin.* ubi Romæ etiam in Circensibus Ludis, ab Heroicis usque temporibus, servatum tradit, ut *trigæ* committerentur, quum apud Græcos jam diu id desitum esset. Meminit *trigarum*, in exequiis Archemori, Statius, *l.* 6. *Theb. v.* 461. ubi de curru Admeti,

Nominibusque ciet Pholoën Admetus & Irim,
Fugalemque Thoën. ——

ad quem locum vide Salmas. *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 900. & Casp. Barthium, *Animadversion. Papinian.* Earundem mentio, in veter. *Inscr.* quâ Dioclis Agitatoris palmæ enumerantur, apud eundem Salmas. In nummo item veter. Heraclii Imperatoris, cujus

effigiem habes, apud Lipsium, *de Cruce*, *l.* 3. *c.* 16. Neque equorum solum *trigæ*, sed & mularum occurrunt. Sic enim de Pharaonis, Israëlitas persequentis, curribus, in Jonathane Exodi *c.* 14. *v.* 7. legimus, *Et mulam tertiam ad trahendum & insequendum cum celeritate addidit singulis curribus*: apud Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 19. &c. Iis quadrigæ successêre, de quibus vide suprà, ut & in hanc rem plura passim. Apud Recentiores, *triga* pro *trica*, mora seu impedimento est. Unde jocus Stephani Tornac. ex vocis ambiguitate ortus, *Epist.* 228. *Bigam autem seu birotum mittere nolumus* —— *Nam quod de triga tibi jocando diximus, scias quòd, sicut trigam abominamur in vehiculo, ita etiam abhorremus in opere & verbo.* Vide etiam suprà, voce *Striga*.

TRIGABOLI, populi Galliæ Cisalpiræ, ut *Leander* scribit inter 2. Padi fluv. ostia habitantes, quos posteà *Tesalios* ait vocatos.

TRIGALTIUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

TRIGAMI, in Ecclesia Christiana olim per quinquennium, à Sacra communione abesse jussi sunt, teste Balsamone, *ad can.* 4. *Basilii ad Amphiloch.* qui videl. ex prioribus matrimoniis liberos suscepissent. At qui quadragesimum ingressi annum, ex duabus primis uxoribus prole carerent, iis τριγαμία concessa, uti habet Niceph. Chartophylax, *Resp. ad. Theodos. Mon.* & Balsamon, *ibid.* vide Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* vocibus Πολυγαμία & Τριγαμία, ut & suprà, ubi de *Nuptiis*.

TRIGARIUS, locus juxta Campum Martium, Plin. *l.* 37. *c.* 13.

TRIGEMINA, porta Romæ dicebatur, per quam *Trigemini* fratres Horatii exierunt; eam Marcellinus *Ostiensem* vocat, teste Marlianô, qui eam hodie *Porta S. Pauli* vocari scribit.

TRIGESIMA, vide *Tricenarium*.

TRIGESIMA Legio, vide *Tricesima*.

TRIGESANUM, oppidul. Austriæ inferioris ad *Draisain* amnem, qui paulo infrà in Danubium cadit, in ditione Archiepiscopatus Salisburgensis 7. milliar. Germanica, suprà Viennam in Occidentem, *Cluver.* Vulgò *Trasimaur*.

TRIGLYPTON, Indiæ extra Gangem urbs, *Ptolem.* Hìc corvi albi, & Trœzene in Asia, & galli barbati. *Pegu Castaldo.* Aliis *Camarane*, ad Besingam fluv. 220. mill. pass. supra Pegu in Boream.

TRIGON, seu TRIGONALIS pila, unum ex quatuor pilarum apud Romanos generibus, parva erat, ita nuncupata vel à loco, ubi ea exercebatur, *triangulari*, in quo Vespasianum membra defricare solitum, valetudinis causâ, notat Sueton. *c.* 20. vel potiùs à ludentium numero, figura & situ. Simplici *Pilæ* nomine venit, apud Martialem, *l.* 7. *Epigr.* 31. *ad Attic. v.* 7.

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat aut nudi stipitis ictus hebes.
Vara nec injecto ceromate brachia tendis,
Non harpasta vagus pulverulenta rapis.

Apud Celsum item, cùm ait, *Ab alvo citata vexatis pilam, & reliqua superiores partes exercentia convenire.* In hujuscemodi enim ludo partes inferiores ferè semper firmæ manebant, superioribus perpetuô motu agitatis. Quomodo verò hæc exercitatio perageretur, ex ejusdem Poëtæ verbis facile est conjicere; in quibus demonstrat, lusores ita triangulari figurâ collocatos ludere consuevisse, ut manibus utrisque, modò sinistrà, modò dextrâ pilam vicissim expellere excipereque valerent, ne unquam caderet: in quo summam ludentium laudem fuisse verisimile fit; sicut *l. eod. Epigr.* 71. Polybum quendam laudat, ob agilitatem sinistræ manus in jacienda excipiendaque pila, *v.* 9.

Sic palmam tibi de Trigone *nudo*
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi magis sinistras.

Ubi *nudum Trigona* vocat *unctæque* meminit *coronæ*, quòd ludum nudi unctique exercebant: Ante cœnam enim lavabant prisci, ante lavationem corpus exercebant. Et *l.* 12. *Epigr.* 84. *v.* 3.

Captabit tepidum dextrâ lævaque Trigonem.

Ubi *tepidum* ait, quòd ludentes eô in calorem solveret: an quòd hoc ludebant in Sphæristerio calido, ut vitreâ illa in thermis? quod verisimile admodùm, cùm post pilæ ludum statim balnea calida ingredi Veteres consueverint. E quibus patet, solitos fuisse *Trigone* ludentes à se invicem modò mittere, modò excipere pilam, modò sinistris, modò dextris, eô propè modô, quô nostrates pilâ parvâ suprà funiculum ludunt, & quô Antyllus tertium parvæ pilæ lusum descripsit. Exemplum *Trigonalis pilæ* videtur, in nummis M. Aurelii Antonini apud Byzantios excusis, apud *Mercurialem*. Similiter, quem ludum in sacrificiis Apollinis Pythii Actiaci adhiberi solitum, memoriæ proditum est; de hac pila esse intelligendum, putant nonnulli. Eundem propè, aut similem paganicæ pilæ lusum, describi à Petronio, *Satyr.* sunt qui dicant; Ita autem is, ubi de cœna Trimalcionis: *Videmus senem calvum tunicâ vestitum russeâ, inter pueros capillatos ludentem pilâ. Nec tam pueri nos, quanquam erat operæ pretium, ad spectaculum duxerant, quàm ipse Pater familiâs, qui soleatus pilâ sparsivâ exercebatur, nec eam amplius repetebat, quæ terram contigerat, sed follem plenum habebat servus, sufficiebatque ludentibus. Notavimus etiam res novas: Nam duo spadones in diversa parte Circuli stabant, quorum alter matellam tenebat argenteam, alter numerabat pilas, non quidem eas, quæ inter manus lusu expellente vibrabantur, sed eas, quæ in terram decidebant.* Vide Hieron. Mercurialem, *de Arte Gymn. l.* 2. *c.* 5. & Fabrum, *Agonistic. l.* 1. *c.* 6. uti de colore hujus pilæ, infrà voce *Vitrum*.

TRIGONON, triangularis citharæ *species* ab Ibyco excogitata, qua jambea caneret, memoratur Zuingero, *Theatro Hum. Vitæ p.* 1147. Idem herbæ nomen, inter eas quæ folio veniebant in Veter. coronamenta, apud Plin. *l.* 21. *c.* 9. utrique à forma nomen: quâ & fastigia olim tectorum, in Ædibus sacris, atque Imperatoriis, fuisse, τριγωνοειδῆς ἐπαιετάς hinc Græcis appellatas diximus suprà, non uno loco, inprimis voce *Trichorum*. Sed & *Trigonum*, unum erat ex X. Atheniensium *Dicasteriis*, de quibus suprà. Hinc *Trigonometrum*, instrumentum Agrimensorum, sicut & *Graphometrum*, Veterum gromæ aliquatenus simile, eundem saltem usum præstans, de quo vide Salmas. *ad Solin. p.* 684. &c. etiam suprà aliquid, voce *Triangulum*.

TRIGORIA, regiuncula Germaniæ superioris in Trevirorum finibus, apud Rhenum & Vesaliam superiorem inter illam & Bodobrigam ad Boream, ubi S. Goaris vulgò *S. Gewer* oppid. olim *oppidum Germanorum* dictum, monasteriô ac tumulô ejus illustre, villa Belthomus, aliaque loca, 2. leuc. à Bodobriga in Meridiem Ficeliam versùs. 1.

TRILEUCI, 3. scopuli Oceani Cantabrici in ora Hispan. Boreali. *Pennas de Guzman* Ortelio; ubi promontor. *Trileucum*, quod *Capo d'Ortegal* Hispan. in mare valde protensum, 12. leuc. Hispanic. distat à Corunia in Boream, & 28. à Scythico promontor. in Occasum.

TRILIX Lorica, apud Virg *l.* 3. *Æn. v.* 467.

Loricam consertam hamis auróque trilicem:

alibique quid sit, exponit Statius, *l.* 12. *Theb. v.* 775.

—— *tunc quà subtemine ducto*
Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ,

textum textui intextum dicens, ut ait Barthius, qui & *catenas* interpretatur spiras spiris fabrè implicatas, *ad h. l.* Cujusmodi loricas etiam Recentioribus fuisse in usu, docet Dudo, *de Mor. & act. Norman. l.* 2. *Alii ferrô auróque* trilices *loricas, thoraces scilicet faciunt.* Et Guil. Brito, *Philippid. l.* 3.

— *thoraca trilicem* &c.

Unde vocem Gallicam *treillis*, pro transenna seu fenestra cancellata, originem trahere, docet Car. du Fresne, *Glossar.* Vide quoque Hadr. Turnebum, *Adversar. l.* 29. *c.* 35.

TRILORIS Tunica, in *Vita* Aureliani Vopisco descripta, *c.* 46. *extr. Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit & quidem aliis monolores, aliis -- trilores, & usque ad pentelores*: sic dicta est, quæ triplici *lorô*, h. e. instita, limbô, seu fasciâ erat prætenta ac ornata. Non quæ triplici filo esset intexta, ut placuit Auctori modò laudato, qui *tunicas bilores* & *trilores*, volebat esse *bilices* & *trilices*: qua de re multis agit Salmas. *ad Vopisc.* Vide quoque suprà in voce *Lorum*, item *Paragauda*.

TRIMA, urbs Lageniæ, in Hibernia, in Comitatu Mediæ Orientalis, ad Bovindam fluv. 20. mill. pass. à Dublinio, in Occidentem, Molingariam versùs totidem. Vulgò *Tryme*.

TRIMERUS, vide *Tremerus*.

TRIMILIDUM, vulgò *Tremblay*, vicus agri Parisini, non procul à Luperis & Villa Picta: aliàs *Grand Tremblay*, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TRIMISIUM, apud citimæ ætatis Scriptores, monetæ species, quæ *Trimisis* prioribus dicta. Vide in hac voce.

TRIMMA, apud Anastasium Bibliothecar. *in Sylvestro*, *Fecit autem & cameram Basilicæ*, ex trimma *auri refulgentem*: rasura est vel ramentum auri, ex Græco τρίμμα. Cujusmodi auri ramenta capiti respersisse Verum Imperatorem ait Jul. Capitolin. *in Vero*, *c.* 10. Vide quoque suprà, voce *Auri Scobs*, alibique, ubi de varia χρυσώσεως capillorum, Veteribus usitatâ.

TRIMMANIUM, seu *Trimammium*, *Antonin.* oppid. Mysiæ inferioris ad Istrum fluv. *Drimago Ortelio*.

TRIMONTIUM, oppid. Albionis in Selgoviis, apud oram occiduam, inter Angliam & Scotiam, *Atterith* nunc, teste Camdenô. Item urbs Thraciæ eadem quæ *Philippopoli*.

TRIMULIA, oppid. Pictavii, cum titulo Ducatus in limite Marchiæ Lemovicensis, 12. leuc. à Pictavio Urbe in Ortum ad amnem *Benaise*, cum castro splendido; Vulgò *la Tremouille*.

TRIMYXUS Lychnus, apud Anastasium Bibliothecâr. lychnus est *tribus myxis* constans, vide suprà *Bimyxus*.

TRINACIA, *Diodor. Tyracinæ* Stephano, *Randazzo* Aretio, urbs olim præcipua Siciliæ, nunc jacet, à Syracusanis excisa. Ejus vestigia apud Catalbanum castrum à Palica 3. mill. pass. à Menis. Populi *Tiracenses* Plin. *l.* 3. *c.* 8.

TRINACRIA, Sicilia à *triangulari* figura sic dicta, quæ & *Triquetra*. Hinc *Trinacrius*, Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 429.

Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni.

Item *Trinacris*, ut *Hybla Trinacris* apud Ovid. *l.* 5. *Trist. El.* 13. *v.* 22. Idem *l.* 4. *Fastor. v.* 419.

Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor,
Trinacris, *à positu nomen adepta loci.*

Idem Ovid. *l.* 5. *Metam. v.* 347.

Vasta Giganteis injecta est insula membris
Trinacris. --- ---

TRINASSUS, *Ptolem.* oppidum seu portus Peloponnesi, in ora Laconicæ, juxta quod tres Insulæ parvæ, unde ei nomen, inter Gythium ostiaque Eurotæ.

TRINEMEIS, vel TRINEMIA, vicus in Cecropide tribu, *Steph.*

TRINEMII, populi Helladis, apud quos Cephisus oritur, *Strabo*.

TRINESIA, Indiæ intra Gangem insul. *Ptol. Rhesiphe Castaldo.*

TRINESSA, locus Phrygiæ, *Steph.*

TRINI Portus, oppid. agri Tarvisini.

TRINITAS, TRINITATIS SS. Mysterium, sunt qui ex communi ratione *Boni*, ex *Intellectu Dei*, ex Ejusdem *Potentia*, probare satagant: quæ tamen argumenta, si ad suadendum

nonnullam, ad persuadendum tamen vim nullam habent. Alii desumunt similitudines ab Anima humana, Sole, Iride, Triangulo, Sphæra, Fonte; præsertim autem à Luce, cui Deus in Sacris sæpe assimilatur: cumque *tria* in hoc Universo corpora eâdem luce condecorentur, *Sol*, qui lucem emittit, ut fons ejus; *Cœlum* quod eam transmittit, Solemque nobis ostendit; & *Terra*, quæ à cœlo soleque pariter collustrata lumen remittit: non absurdam SS. *Trinitatis* imaginem extare volunt; sed hæc ejusdem generis sunt. Vide quoque infrà, voce *Verbum*. Uti pariter incerta, quæ ex Gentilium scriptis, Platonis & Platonicorum inprimis (ut de Pseudo Trismegisto, & fabulosis Sibyllarum foliis nihil dicam) huc adferuntur. Quæ, si quid certi habeant, ex Judæis, eorumque sacris libris hausta sunt: ut non naturæ, sed traditioni ex revelatione adscribenda veniant, qua de re pluribus agit Tob. Pfannerus, *System. Theol. Gentilis par. c.* 3. quod est de *Deo Trino*. Unica itaque, eaque certa sanctissimi hujus dogmatis probatio, restat ex Revelatione; à qua eam à primis suis incunabulis Ecclesia hausit. Vide Franc. Burmannum, *Synopsi Theol. part. prior. l.* 1. *c.* 33. ubi agit *de SS. Trinitatis demonstratione*. Unde modo laudatus Pfannerus præclarè, *Hoc*, inquit, *est illud Sanctum Sanctorum, sive sacra Adyta, quibus prohibita humana ratio Gentilium atrio subsistere jussa est, manum profanæ curiositatis præmium relatura, si non rite expiata impuris oculis manibusve tanta venerationis Sacramentum usurpet; quod, si ipsa sacra volumina consulas, difficile atque arduum, si rationem, absurdum videtur*, *Ibid*. Quam ob causam Catechumenis olim *Trinitas sancta adoranda publicè per 40. dies tradita*, sicque illi per totidem dies, in hoc præcipuè mysterio, instructi leguntur, apud Hieronymum, *Ep.* 61. *ad Pammach. c.* 1. Cyrillum Hierosolym. Alios. Vide quoque Car. du Fresne, *Glossar.* & Macros Fratres, *Hierolex*. quorum hi *Festum SS. Trinitatis* in Ecclesia Roman. à nonnullis in octavis Pentecostes, ab aliis, Dominicâ primâ ante adventum Domini tempore Alexandri III. celebrari solitum, memorant; nec non suprà voce *Tres*, it. *Triadica*, ac infrà *Trisagius hymnus*. De Mysterii hujus SS. hostibus vide suprà, voce *Antitrinitarii*, & Cl. Suicerum, *Thes. Eccl. voce* Τριάς.

TRINITAS, vulgo *la Trinitad*, oppid. Guatimalæ, versus oram littoralem maris Pacifici & oppid. S. Salvatoris, ab Hispanis exstructum, 100. fere mill. pass. ab urbe S. Jacobi de Guatimala in Eurum.

TRINITATIS Insula, *la Trinitad*, oppid. Americæ meridionalis, in mari Boreali prope ostia fluvii Orenoci, seu Pariæ, in sinu Pariæ, ubi magna unionum piscatio. Ab Ortu ad Occasum 110. mill. pass. extenta. Vix 35. milliar. ab ora novæ Vandalitiæ in Ortum, sub Hispanis, qui ibi aliquot habent colonias.

TRINITATIS Insul. parva, in mari Brasilico, montuosa & deserta.

TRINIUM, fluv. Frentanorum in Aprutio (cum oppido cognomine) ex Apennino monte, ubi is *Majella* vocatur, profluens, & in mare Hadriaticum labens.

TRINOBANTES, qui TRINOVANTES Tacito, *l.* 14. *Annal. c.* 31. populi Albionis, quorum regio *Middlesex* hodie dicitur.

TRINOCTIUS, Herculis epitheton, apud Lycophronem, qui τρισέσπερον λέοντα eum vocat, uti *ternoctem* Statius, *l.* 12. *Theb. v.* 301. quod ejus generationi *trinoctium* integrum impendisset Jupiter. Unde posteris ejus *tergeminâ lunâ crinis circumdatus*, insigne nobilitatis, apud eundem Statium, *l.* 6. *v.* 289. Seneca tamen, *Agamemn. Actu* 4. *v.* 815. Mart. Capella, *l.* 2. Hieronymus *contra Vigilant.* & Propert. *l.* 2. *El.* 22. *v.* 25. *duas noctes*: at Clemens Παιδαγωγ. & Arnobius, *l.* 4. etiam *novem* habent. An è *trinoctio Ægyptiaco* fabulæ origo? Certè, quòd idem Lycophron eundem in ceti ventre fuisse ait, ex Jonæ historia suffuratum, censet Theophylactus, *Comm. in Jonam*. Vide Meursium, *ad Lycophronem*: uti de *trinoctii absentia*, quâ usus annuus interrumpebatur, in veter. Romanorum matrimoniis suprà voce *Connubia*: de *biduo trinoctioque* Ludorum Secularium ubi de illis, it. *Senatule*.

TRINOMIUS, Petro Blesensi appellatur S. Petrus, quasi *tribus nominibus* à Domino insignitus, *Simon Bar-Jona, Serm.* 26. Aliis Salomon quoque Israëlis Rex, quòd *Ecclesiastes, Lamuel* & *Salomon* dictus sit. Vide Dominic. Macrum, ubi suprà, nec non hic passim, inprimis in voce *Nomen*.

TRINQUIMALA, vulgò TRINQUIMALE, urbs Ceylani Insulæ, caput regni cognominis in ora, versus sinum Gangeticum 45. mill. pass. à Candea in Cæciam, 90. ab Insul. Manaria in Ortum. Cum urbe munita.

TRINUNDINUM, ab Hottomanno ab Legg. XII. Tabb. aliisque eum secutis, dicitur spatium viginti septem dierum, ex eo, quòd *Nundinæ* nonô quoque die Romæ celebrari solitæ. Sed Jac. Oiselio JC. *Notis in A. Gellium, l.* 20. *c.* 1. *Trinundinum sive tres nundinas*, quarum crebra apud Veteres mentio, fiebant intra decem & septem dies; Cùm ab unis nundinis ad alteras dies septem intermedii essent. Primus enim dies & nonus nundinas habebat; sicque nundinæ nonô quoque die celebrari dicebantur. Dionys. Halicarn. *l.* 7. *Nundinæ autem Romæ nonô quôque die celebrabantur, ut nunc etiam. Iis plebs agrestis in Urbem confluebat, venaliaque permutabat & jure inter se agebat, & suffragia ferebat de negotiis publicis, de quibus vel leges ei permitterent arbitrium vel Senatus ad eam referret. Septem autem intermediis diebus ruri degebat, quòd magna pars ob paupertatem suis operarentur manibus*. Unde & Varro, de *R. R. l.* 2. *princip. Diu magni nostri Majores annum ita diviserunt, ut nonis modò diebus urbanas res usurparent, reliquis septem, ut rura colerent*. Cùm itaque nonô quôque die Nundinæ recurrerent, interque eas septem dies medii, quibus rustici agros colebant, interessent, sequitur inter tres nundinas fuisse quatuordecim dies intermedios, quibus si addas ipsos tres nundinarum dies, fiunt septem & decem dies, intra quos *Trinundinum* celebrabatur. Quô fine nundinæ hæ institutæ sint, docet Rutilius apud Macrobium, *l.* 1. *Saturnal. c.* 16. ubi inter alia ait: *Ut nonô die, intermissô rure ad mercatum, Legesque accipiendas Romam rustici venirent, & ad scita ac consulta frequentiore Populo referrentur: quæ* Trinundinô *die proposita à singulis atque universis facilè noscebantur. Unde etiam mos tractus, ut Leges* Trinundinô *die promulgarentur*; Ubi quod de Legibus ait, sic habet: Legem laturus Magistratus, scribebat eam domi, scriptam referebat ad Senatum, quô factô promulgabatur illa, i. e. in publico ponebatur, ut inspiceret qui vellet, inspectamque consideraret: idque per trinas Nundinas seu *Trinundinum* vel dies 17. quibus elapsis (nam ipso Nundinarum die ferre Legem non licebat) Magistratus Populum convocabat &c. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 2. Similiter, debitores qui solvendo non erant, postquàm Creditoribus essent addicti, nervôque aut compedibus vincti, nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies 60. inter quos *trinis Nundinis* continuis (quod de postremis intelligendum ante 60. dies elapsos) ad Prætorem in Comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur: tertiis autem nundinis capite pœnas dabant &c. Vide A. Gellium, *locô cit.* Imò in Comitiis Centuriatis ferè semper *Trinundinum* interjectum fuisse, docet præfatus Rosin. *l.* 6. *c.* 3.

TRINYTHIUM, oppid. Ægypti, *Lib. Notit.* Oasis major videtur, teste *Ortelio*.

TRIOBOLUS, apud Athenienses, pecunia erat, quæ dabatur τοῖς ἐκκλησιάζουσι, id est, *civibus, qui Comitiis seu concioni intererant*, unde & τὸ ἐκκλησιαστικὸν audit apud Scriptores. Quatuor enim singulis annis statæ erant conciones, κυρίαι Ἐκκλησίαι appellatæ; & præter has, si necesse foret, aliæ quoque extra ordinem, in quas Populus cogebatur: neque verò ii tantùm, qui in urbe erant, convocabantur, sed etiam, si quâ incidisset res magni momenti, ii qui in agris erant, quæ conciones κατακλησίαι vocabantur. Quò itaque promptiùs confluerent, *triobolus* dabatur unicuique; cujus gratiâ in conciones maximè conveniebant οἱ Θῆτες seu Atheniensium proletarii & capite censi. Unde jocus Comici, *Pluto*,

> Ἐκκλησία δ᾽ οὐχὶ διὰ τοῦτον γίγνεται;

Ubi Scholia, διεδίδοτο δὲ ὁ ἐκεῖ Φιλοκτήμων τῶν Ἀθηναίων τριώβολον. Et hâc ratione fiebat, ut τῆς πολιτείας κοινωνοῖεν ἅπαντες, *Reipubl. participes forent omnes*, quod monet Aristoteles, *Politic. l.* 4. *c.* 13. nam divites, ne multarentur; pauperes, ut *Triobolum* acciperent, in concionem veniebant. Si videl. in tempore adessent, accipiebant: Serò enim venientibus non dabatur, ut colligere est ex Aristoph. Ἐκκλησιαζ.

> Βλ. Τριώβολον δῆτ᾽ ἔλαβες; Χρ. εἰ γὰρ ὤφελον.
> Ἀλλ᾽ ὕστερος νῦν ἦλθον ὥστ᾽ αἰσχύνομαι,
> Μὰ τὸν Δί᾽ οὐδὲν ἄλλον, ἢ τὸν θύλακον.

Ad quæ veteres Magistri adnotant, *Serò enim venientes non accipiebant Triobolum*. Veniebant autem serò, si jam tertium kalâsset Præco: Præconis enim voce kalabatur Populus, idque trinâ, quâ auditâ in concionem eundi tempus erat, ut videre est apud eundem, Comicum *Ibid.* Primus verò τὸ Ἐκκλησιαστικὸν dedisse commemoratur Agyrrhius, cujus meminit Græcus Aristophanis Interpres; nisi è Vaticana Proverb. Appendice *Centur.* 3. *Prov.* 35. ad Callistratum Parnytem id referas: quas sententias tamen sic conciliabis, ut dicas Callistratum hunc primum instituisse, ut obolus τοῖς ἐκκλησιάζουσι daretur; Agyrrhium dein τὸ ἐκκλησιαστικὸν fecisse auctius, & ut *Triobolus* daretur, jussisse. Floruit hic circa Olymp. 97. ut auctor est Diodor. Siculus, *l.* 14. Ut autem de numero quoque τῶν ἐκκλησιαζόντων aliquid addatur, videtur debuisse concionem ad minimum esse sex mille Atheniensium, qui suffragia ferrent, ut rata forent decreta: qui numerus facilè iniri poterat, initu illô calculorum, quos in urnas miserant, vel ἐν χειροτονίαις, omnes numerando manus, quod Chiroscopi officium erat. Vide Sam. Petitum, *Com. in LL. Atticas, l.* 3. *tit.* 1. Porrò, cùm in eadem Republ. bene meriti σιτήσει donarentur à Populo, isque, ad fœminas quoque, & defunctorum liberos nonnunquam transiret honos, hinc Demetriô Phalereô populi scitum faciente, dedisse Populum Aristidis neptibus *Triobolum* legimus, in singulos dies, apud Plutarchum, *in Aristide*: Vide iterum Petitum, *l.* 3. *tit.* 6. *ejusd. Operis*. Sed & cùm naulum Charontis primitus obolus esset, dein duo oboli ei solverentur, ab Atheniensium tandem Imperatoribus stipendium hocce ad *triobolum* auctum est, Nat. Comes, *Mytholog. l.* 3. *c.* 4. De more verò Sycophantarum, apud statuam Lyci, velut Dei quæstus sui Præsidis, in Foro ejusdem urbis, in dies singulos *tribolum* secandi, vide *Zenodotum, Hesychium, Suidam*.

TRIOBRIS, fluv. Galliæ, è Gabalorum monte Margarida *Mariaride*, vel *Margeride*, scaturiens, vulgò *Triewre*, effluit in Olitim, Malsiocum, *Malzieu*, Oratorium *Oradour*, Pontem & Interaquas *Entraques*, præterlapsus: Si *Savaroni* fides, alluit & vicum *Treboul*, in confinio Arvernorum, Gabalorum & Rutenorum, qui à situ fortè Triviolus Latinè dictus, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TRIOCALA, seu TRIOCLA, *Ptolem. Tricala*, & *Tricalum*, *Stephan.* urbs Siciliæ, olim Episcopalis apud oram Australem à Romanis post bellum servile excisa. Hodie in ruinis. Ejus locus nunc *S. Maria di Monte Vergine* dicitur, mill. pass. à Calata Bellota, versus oram Maris Africi, *Brietio*. Populi *Triocalini*. Ejus meminit Sil. *l.* 14. *v.* 271,

> *Et mox servili vastata Triocala bellô.*

TRIOCULUS Jupiter, sic ideò appellatus, quòd cœlestis, terrestris, & marinus sit. Hujusmodi Jovis ex ligno statuam habuisse Priamum, scribit Pausan. *l.* 5. quæ tres oculos haberet, quorum unus esset in fronte, reliqui verò eâ parte, quâ cæteri.

TRIODITIS, Hecate, quòd in *triviis* colatur, *Steph.*

TRIODIUM, Græcè Τριῴδιον, liber Græcorum Ecclesiastic. in quo Officium in Ecclesiis eorum recitari solitum, à Septuagesima, quam ipsi vocant *Dominicam Publicani & Pharisæi*, ad Sabbatum sanctum, continetur. Sic dictus, quòd, cùm canones & hymni in solennitates Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum

novem

novem habeant strophas, *odas* nuncupatas, canones librô hôc comprehensi *ternas odas* ut plurimùm non excedant, Niceph. Callistus *in Synaxar.* Vide Meursium, *Glossar.* Leon. Allatium, *de libris Eccl. Dissert.* 1. & Suicerum, *Thesaur. Eccl.* in hac voce. Auctore Andreâ Cretensi Archiepiscopô, qui, quòd Athletam Christianum ad superandos spirituales conflictus hôc velut sacrô celeusmate hortari sollicitè voluit, Aliptæ cognomine honoratus est, ut ait Dominic. Macer voce *Alipta.* Vide & suprà in eadem.

TRIONES, Romanis à *terendo* boves appellati. Varro de *L.L. l.6. Triones enim & boves appellantur à bubulis etiam nunc, maximè cùm arant terram. E quibus ut dicti valentes glebarii, qui facilè proscindunt glebas: sic omnes, qui terram arabant, à terra teriones, unde* triones, *ut dicerentur à detritu.* At Scaliger *triones*, pro *striones*, à *stria*, vocitatos vult, quam proscindendo sulcos faciunt. Sic enim Varro idem, *l.* 1. *RR. c.* 29. jubet *in striam* sulcos imprimi: & Plinius, *l.* 18. *c.* 19. vetat in arando sæpius *striare*, i. e. sæpius iterare striam. Hinc *Triones*, stellæ bovem & currum figurantes, Varr. iterum; de quibus A. Gellius, *l.* 2. *c.* 21. *Possunt* triones *dici septem, quod ita sitæ stellæ, ut terna trigona faciant*, ad quem loc. vide Anton. Thys. JCtum, ut & ubi de *Septemtrione* egimus.

TRIOPÆA, prædium Herodis Attici, de quo vide suprà, & plura apud Car. Sponium, *Itiner. part.* 2. *p.* 216. Τριόπιον appellatum Salmas. ait, qui sic de illo: *In triviis & quadriviis sacræ ædes erant positæ, in tres partes, si trivium esset; in quatuor, si quadrivium, apertæ, ad quas conveniebant pagani ex locis vicinis sacra facturi — Hinc τριόπιον Herodis in via Appia, sic appellatum, quòd, in trivio constitutum, in tres partes pateret & tot ὀπὰς haberet — quia verò τριόπια in Græcia loca erant à Triopa denominata, Herodes, in carmine, quô consecrationem loci sui peregit, τριόπιον illud ἐπώνυμον finxit antiqui Triopæ, quem Ceres, ob excisum nemus sibi sacrum, fame affecit — at τριόπιον revera dictum, quòd in tres partes esset pervium & in trivio constitutum, ad Solin. p.* 212.

TRIOPALA, fluvius, qui & *Assorus* dictus.

TRIOPAS, Thessalorum Rex, pater Meropis, *Steph.* Item Erisichthonis pater, qui idcircò *Triopejus* dicitur. Ovid. *l.*8. *Metam. Fab.* 11. *v.* 751.

> *Nec tamen idcirco ferrum Triopeius illa*
> *Abstinuit.* — —

Sic & *Triopeis* pro Erisichthonis filia, quæ Triopæ neptis. Idem Ovid. *ibid. v.* 872.

> *Sæpe pater dominis Triopeida vendit.* —

Alius inter Argivorum Reges septimô, nonnullis sextô locô ponitur à veteribus, Phorbantis filius: regnavit annos 46. circa tempora Aaronis & Mosis: eum excepit Iasus fil. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. ad Sec. VI.* item XIII. ubi hunc *Triopam*, in Cariam expeditione factâ, promontorium occupavisse, quod ab illo *Triopium* dictum, addit. Sed & Rhodum inhabitâsse Græcos à *Triope* deductos, qui ob Herculis patris gloriam regnum illi detulerint, habet Diodorus, *l.* 4. Alius Abantis filius, veteri Theocriti Scholiastæ ex Iasone rerum Cnidiarum scriptore celebratur. Meminit & Eustath. cujusdam *Triopæ* Perrhæborum Regis, quem fil. Carnabas violenter in imperio se gerentem occidit. Alius denique fuit, quem *Deorum* vocat Herodes Atticus, quem Iphimediæ patrem nominat Apollodorus, *l.* 1. *Biblioth. Salmas. Nic. Lloyd.*

TRIOPION, vel TRIOPIA, urbs & promontor. Cariæ, *Steph.* apud Gnidum urbem. Nunc *Capo Chio.* Plinio, *l.* 5. *c.* 28. & 31. est ipsa Gnidus. Vide ibi. Item *Concilium Doriense* ex VI. (sicut Panionium ex XII.) urbibus, institutum à Colonis Græcis: ad imitationem Ἀμφικτυονίας Thessalicæ, è gentibus itidem XII. Delphicæ è totidem, & Calauricæ è VII. constantium in Græcia, Sec. XIV. juxta Chronologiam Joh. Marshami, *Can. Chron.* Dorienses enim, post mortem Codri Atheniens. Regis ultimi, Megara condiderunt, partimque ibi manserunt, partim cum Althæmane Argivo in Cretam migrârunt, partim in Rhodi urbes, *Lindum*, *Jalyssum*, *Camirum*: portò *in Halicarnassum*, *Cnidum* & *Coum* dispersi sunt: quæ dicta est Doriensium Ἑξάπολις. Strabo, *l.* 14. Diodorus, *l.* 4. *Herodotus* &c. Hi finitimos Dorienses ad templum *Triopium* non admittebant. In certamine verò *Apollinis Triopii* tripodes ærei constituebantur, quos non è templo efferre, sed Deo sacrare oportebat. Quam legem cùm Agasicles Halicarnasseus victor violâsset, tripodemque domum ferens ad clavum suspendisset: eam ob causam à Sacrorum participatione Halicarnassum reliquæ quinque urbes removerunt, sicque πεντάπολις facta est, quæ prius Ἑξάπολις erat. Neque multo post τρίπολις forsan, cùm Rhodiorum urbes essent in unam (Rhodum videl.) contractæ, Strabo, *d. l.* quæ exstructa est tempore belli Peloponnesiaci, i. e. ætate Herodoti, quem vide, *l.* 1. *c.* 44. ut & aliquid hîc infrà.

TRIOPIUS, Apollo sic dictus, vel à *tripodibus* æreis, quos ferebant victores in certamine Apollinis Triopii: quos tamen è sacro victores auferre non poterant, sed ipsi Deo relinquere cogebantur; vel quasi Τριόφθαλμος ab insigni prudentia; vel à *Triopa* Solis filio, Rege Thessalorum.

TRIORENA, locus Arcadiæ, ubi tres fontes, & Mercurius natus, Pausan. in *Arcad.* An *Tricrena?* Vide ibi.

TRIOZENUS, Thrax, unus ex his qui venerunt in auxilium Trojanorum.

TRIPARADISUS, oppid. Syriæ superior. ubi Eurydica degebat. *Diodor.* Vide *Paradisus.*

TRIPASSALUM, pertica tricuspis, inter Martyrii instrumenta, quibus Syri utebantur. Auctor *Vitæ S. Ephremi*, *Postridie autem Judice pro tribunali sedente, constituerunt coram illo* tripassalum, *& quæcunque alia tormentorum genera*, apud Gerh. Joh. Vossium. Ex Græco τριπάσσαλον, est autem πάσσαλος, *clavus*, ut notum.

TRIPATINUM, in cœnarum deliciis olim, apud Romanos. Plin. *l.* 35. *c.* 12. quod est *de Plastices inventoribus & fictilibus vasis. Atque ut luxu quoque aliqua contingat auctoritas figlinis*, tripatinum, *inquit Fenestella, appellabatur summa cœnarum lautitia. Una erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piscis, inclinatis jam scilicet moribus, ut tamen eos præferre Græciæ etiam Philosophis possimus. Siquidem in Aristotelis hæredum auctione LXX. patinas venisse traditur* &c. Vide suprà *Patina.*

TRIPEDARE, veterib. Latinis saltare vel *tripudiare* est, nam utriusque verbi eadem origo. *Tripudium*, τριπόδιον, unde *tripedare*, saltare, Græcis τριποδιάζειν, Gallis olim *triper.* Est autem *tripedare* & *tripudiare*, terram *ter pede* ferire: quod faciebant saltantes ad illa carmina propriè, quæ tot pedis percussionibus gaudent. Horat. *l.* 3. *Carm. Ode* 18. *extr.*

> *Gaudet invisam pepulisse fossor*
> *Ter pede terram.*

I. e. gaudet saltare. Calpurnius,

> *Seu cantare juvat, seu ter pede læta ferire*
> *Carmina* ——

I. e. seu cantare juvat, seu saltare &c. Carmina illa fuêre, inprimis jambicum acatalectum, & trochaicum, saltationibus ac ballisteis accommodum. Sed & inter militares hic gestus. Vegetius, *l.* 2. *c.* 23. *Saltus quoque & ictus facere pariter assuescant, insurgere* tripedantes *in clypeum, rursusque subsidere, nunc gestiendo provolare cum saltu, nunc cedentes in terga resilire.* Inde ad equos vox translata, qui *tripedare* dicebantur, cùm ad illud genus cursus incitabantur, qui, inter cursum citatissimum & simplicem communemque incessum, medius esset: τριποδεῖν Græci equisones dixêre. Vide suprà ubi de *Trepidiariis* seu *Trepidantibus Equis*: ex *tripedare* enim postmodum *trepidare* factum, ut diximus. Hinc *Intripedare*, verbum compos. ad cursum hujusmodi impellere, apud Symmachum, verbis Jornandi citatis, ubi quasi παραφράζων Capitolini illa *Maximinis*, *Tum volens Severus explorare, quantus in currendo* (Maximinus) *esset, equum admisit multis circuitionibus &c. Tunc, Imperator, inquit, equô adactô in cursum calcaribus incitatum multos orbes, huc atque illuc usque ad suam defatigationem, variis inflexibus intripedavit.* Vide Salmas. *ad Capitolini hunc locum*, *c.* 3

TRIPES, vide infrà *Tripus.*

TRIPHALLUS & ITHYPHALLUS, Priapi cognomina; à voce *phallus*, *Hesychio* τὰ ξύλινα αἰδοῖα ἀνδρικὰ, quales etiam in Bacchi honorem erigi consuevisse, docet Lucian. *in Dea Syra.* Erat & festum φαλλαγωγίας, in quo cuncti phallos adorabant & exosculabantur, de quo vide præter alios Theodoretum, *Orat.* 1. *de fide contra Græcos.* Sed & Comœdiæ nomen *Triphallus* fuit, à Nævio conscriptæ, è qua Gellius hos adducit versus, *Noctium Atticarum l.* 2. *c.* 19.

> *Si unquam quicquam filium rescivero*
> *Argentum amoris causâ sumsisse mutuum:*
> *Extemplò illò te ducam, ubi non despuas.*

Eôdem titulô insignis fuit Comœdia περὶ αἱρεσιώτου inscripta, quæ aliàs *Menippea*, Varronis: Item ea, quam Theocles condidit, Poëta Græcus, apud Athenæum, *l.* 11. Vide Anton. Thysium JCtum, *Notis* in *Gellium locô cit.*

TRIPHOLINUS Mons, vide *Trifolinus.*

TRIPHONIUS, JCtus inter eos, quos in consilio habuit Alexander Sever. memoratur Lampridio, *c.* 68. de quo vide Cujacium, *Observat. l.* 7. *c.* 2. & Casaubon. *Not. ad h. l.*

TRIPHULUM, *Ptolem. Silesia Lazio*, oppid. Valachiæ. Aliis est *Tergowisch*, urbs primar. à Cibinis ad 20. leuc. in Eurum.

TRIPHYLIA, eadem quæ *Elis.* In ea Pylus oppid. ad Scollim montem, qui *Triphyliacus*, ad Pyli alterius in ora Messeniæ apud Coryphasium promontor. differentiam cognominatur, ab illo 400. stadiis, teste *Strabone*, ab Elide urbe 12. mill. pass. Dicuntur autem *Triphyli*, quòd è *tribus* numero *tribubus* collecti sint, vel à *tribus portis*, vel à *Triphyle* matre Clytii, *Steph. Triphyllis* Dionysio, *v.* 409.

> Τῆς πρὸς μὲν Ζεφύροιο Τριφυλίδος ἤθεα γαίης,

Hinc Jupiter *Triphyllius* dictus. *Nic. Lloydius.* In cujus Fano, aureæ columnæ inscripta fuisse gesta ejus, & quidem propriâ ipsius manu, perhibetur. E qua præcipuè, aliisque aliorum templorum titulis atque inscriptionibus, depromtâ historiâ, natales, patrias ac sepulchra Deorum Gentilium exequutum esse Euhemerum Messenium, legimus apud Ciceronem, *de Nat. Deor. l.* 1. Arnobium, *adv. Gentiles*, *l.* 4. Minucium Fel. *Octaviô*, Alios. Vide ubi de eo. Sed & *Triphylii Jovis* templum in Panchaja regione memorat Philargyrus: de quo vide Salmas. *ad Solin. p.* 549.

TRIPHYLLUM, Græcè Τρίφυλλον, vide suprà *Trifolium.*

TRIPLEX, Græcè Τριπλάσιος, cognomen Mithræ, summi apud veteres Persas Dei, quos ἐν μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου Μίθρου, *memoriale factum* Triplicis *Mithræ*, adeoque hôc ipsô cognomine præcipuè eum coluisse, legimus apud Dionysium vulgari epithetô Areopagitam dictum, *Ep.* 7. *ad Polycarpum.* Et quidem Dionysii hujus Interpretes, Pachymeres ac Maximus, sentiunt, Persas, visô in cœlis grandi Solis miraculô, quod contigit temporibus Ezechiæ Regis & cognomen & sacra hæc instituisse: ac *Triplicis* nomen Mithræ, i. e. Soli, datum, quia dies penè fuerit triplicatus; quod adstruere conantur, ex historia sacra, quam legere est 2. Regum, *c.* 20. & Esaiæ, *c.* 38. Vossius verò hanc sententiam pluribus refellens, mavult cognomen hoc Mithræ inditum, ob tria illa in Deo eximia: *Sapientiam*, ratione Intellectus, *Bonitatem*, ratione volun-

taris; & *Potentiam*, in exequendis omnibus. Vel eum sic dictum esse, à triplici Solis effectu, *calore*, *lumine*, & *distinctione temporis*: vel à triplici dierum mensura, quia alii pares, ut æquinoctiales, seu verni, seu auctumnales; alii breviores, ut præcipuè brumalis, alii longiores, uti tempore solstitii: contendit. Vide eum, *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 9. ut & suprà, voce *Tres* &c. At *Triplices*, apud Martialem, *l.* 7. *Epigr.* 52. *v.* 3. & *l.* 14. *Epigr.* 6. pauperum in Saturnalibus dona, pugillares erant, à *tribus* paginis sic dicti: quos *vanos* prorsus *triplices* idem appellat, *l.* 7. *Epigr.* 71. *v.* 2. & *l.* 13. *Epigr.* 87. *v.* 6. Iis lautiores ad amicas scribebant &c. Vide suprà, ubi de *Diptychis* & *Polyptychis*.

TRIPODISCUS, vel TRIPODISCI, vel TRIPODISCE, vicus aut civitas Megaridis. *Steph.*

TRIPODIUM, in *LL.* Henrici I. *c.* 64. *In quibus verò causis triplicem ladam haberet, ferat judicium* tripodii i.e. 60. *solid.* Spelmanno est triplex ordalium, scil. ferrum pensans 60. solidos, seu 3. libras: at Carolo du Fresne mensura trium pedum, infra quam brachium in cacabum tenebantur immittere, qui aquæ ferventis judicium subibant, si triplicis *ladæ* delictum esset, in *Glossar.* Vide suprà, ubi de *Ferro Candente*, & *Ordalio*, item voce *Lada*. Ex Græco τριπόδιον.

TRIPOLIS, urbs gemina: Una Phœniciæ maritima Archiepiscopalis & emporium ac sedes Præfecti, *Tripoli di Soria*, inter Orthosiam ad Arctos 50. & Byblum ad Meridiem 36. mill. pass. Sub Christianorum in terra sancta imperio, proprios habuit Comites: quorum unius inconstantiâ Emmanuel Imperator Orientis admodum infestatus est, A.C. 1161. Nicetas *in Histor.* perfidiâ dein aurô à Saladino corrupti, Guido Lusignanus Rex Hierosolym. magnam cladem accepit, A.C. 1187. quam regni ruina paulò pòst sequuta est, vide Paul. Æmilium, *l.* 5. Blond. *decad.* 2. *l.* 6. Eadem posteà crudelissimè à Sultano Babyloniæ A.C. 1289. igni ferrôque vastata; Idem, *l.* 8. sed refecta pristinam magnitudinem recepit. Hâc postmodùm Achmetes Imperator Turcicus ab Alipensi Bassa rebelli, ut & Damascô thesaurisque exutus est, A.C. 1606. Thuan. *Hist. l.* 63. Turcis *Tarapolo*. Fuit autem *Tripolis* vocata, quòd *tribus urbibus* stadiô inter se distantibus olim constaret, seu quòd *trium urbium*, hoc est, Aradi, Tyri & Sidonis esset colonia, teste *Steph.* Dionys. *v.* 914.

Καὶ Τρίπολιν λιπαρὴν, Ὀρθωσίδα τε Μάραθόν τε.

Patria fuit Theodosii Poëtæ, qui de æstate scripsit. Altera *Tripolis* Solino, *c.* 30. *Leptis magna* Plinio, *l.* 5. *c.* 4. *Antonin.* & *Ptolemæo*, (qui Neapolim & Leptim magnam eandem urbem facit) urbs Africæ litoralis apud Syrtim parvam ex *tribus urbibus* & ipsa constans, Taphris, Abrotono & Lepti magna, quæ ad eam constituendam convenêre. *Baudrando Tripolis*, urbs Africæ, in ora maris Mediterranei: Duplex est, nempe Tripolis vetus, *Tripoli vecchio*, ubi aliàs *Sabrata*, urbs Africæ in ora maris Mediterranei & in Tripolitana regione, media inter Leptim magnam ad Ortum & Tacapam ad Occasum, cum portu capaci. Sed parva est, & in dies deficit, à paucis tantùm habitata, propter aëris inclementiam. Tripolis autem nova, *Tripoli*, seu *Tripoli de Barbarie*, urbs est ampla & opulenta Africæ, ubi aliàs Oea urbs, teste *Sansone*; estque regni Tripolitani, inter Oceanum & regnum Tunetanum, versùs Occidentem satis ampli, sed in quo paucæ urbes, caput, cum portu capaci & munito, verùm piraticâ infamis, 540. mill. pass. distat à Cyrene in Occasum, & ferè 400. à Carthagine in Eurum. Aliàs capta fuerat ab Hispanis, sub Ferdinando, A.C. 1510. & concessa Equitibus Melitensibus, ut commodiùs servaretur; sed inde posteà ejecti fuêre à Turcis, quibus paruit per aliquot annos, nunc autem ferè sui juris est, Reipublicæ formam quandam servans sub clientela Turcarum. Erant aliæ hujus nominis urbes; una in Thessaliâ, teste Liv. *l.* 42. *c.* 53. alia in Caria, *Steph.* & alia in Lydia, *Tripoli de Natolie*; teste Plin. *l.* 5. *c.* 20. Populi *Tripolitani*. Addo, quòd *Tripolis Africæ*, Patria Severi Imperatoris fuit. Spartian. *in eo*, *c.* 18. *Tripolim, unde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus, securissimam reddidit, ac pacem diuturnam, oleum gratuitum & fœcundissimum agrum donavit*: ubi Casaubonus *Tripolim* hanc, à Phœnicibus conditam, & de nomine Syriacæ Tripoleos sic dictam, ex *Africanarum Rer.* Scriptoribus refert. Vide quoque Salmas. *ad Solin.* non urbis, sed regionis hoc nomen, ex tribus, *Oea*, *Sabrata* & *Lepti magna* constantis, fuisse, contendentem, *p.* 322. qui idem *Tripolitanam*, Præsidialem olim provinciam, & sub dispositione Vicarii Africæ fuisse, docet, *p.* 806. Addo saltem, manere hodieque vetus id nomen tum urbi, tum regioni, nisi quòd Arabes more suô *b.* pro *v.* scribentes, *Tarabilis* sive *Atrebelis* illud efferant, ex eodem Casaubono, *Notis ad Spartianum*, *d. l.*

TRIPOLIS, quæ & *Ischopolis*, & *Ischiopolis* Plinio, *l.* 5. *c.* 20. urbs fuit Cappadociæ, in ora littorali Ponti Euxini, 20. milliaribus ab Hermonassa in Ortum. Trapezuntem versùs 70. ferè; nuncque etiam *Tripoli* dicitur, in provincia *Geneth* dicta, teste Jacobô Castaldô, & subest dominio Turcarum.

TRIPOLITANA Regio, pars Africæ propriæ, inter Cyrenaicam ad Ortum, Byzacenam ad Occasum, mare Mediterraneum ad Boream, & Libyam desertam ac Garamantes ad Austrum. Ibi aliàs Lotophagi & Macæi populi, & *Arzugitana provincia* dicitur, in Epistola Aurelii Episcopi Carthaginensis apud Baronium, *A.C.* 419. *n.* 58. quamvis ibi malè edatur Azuritana: Nam vetustissimæ membranæ Bibliothecæ Barberinæ *Arzugitana* habent; nunc autem dicitur regnum Tripolitanum.

TRIPOLITANUM Regnum, *royaume de Tripoli*, aliàs *Tripolitana*, regnum est Africæ, in ora maris Mediterranei, inter regnum Barcæ ad Ortum & regnum Tunetanum ad Occasum, seu inter Syrtim majorem & Syrtim minorem. Ibi raræ urbes, quarum præcipua est Tripolis, *Tripoli de Barbarie*, regni caput. Aliàs paruit Turcis, sub quorum clientela remansit posteà per multos annos; nunc autem ferè sui juris.

TRIPOLITANUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

TRIPOLIUM, Græcè Τριπόλιον, herba Musæi atque Hesiodi carminibus inclyta, inter herbas Magicâ potestate præditas, quæ corporibus & domibus amuleta præstent, adversus fascinum, numeratur Dioscoridi: quam superstitionem verò ipse refellit Theophrastus, *Histor. Plantar. l.* 9. *c.* 21. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1067. Nomen inde, quòd *ter* in die *vertat* floris sui colores.

TRIPOLUS, *Herod.* locus Cretæ, in quo Plutonem genitum fabulantur. *Tripodus Diodoro.*

TRIPOLYSSI, populi Thesprotici, *Steph.*

TRIPONTIUM, pagus Angliæ in Comitatu Northamptoniensi, *Antonin.* *Toceter* Camdeno, oppid. aliàs Coritanorum, hodie pagus *Towcester*, Speedo, 6. milliar. Angl. à Northamptonia Urbe in Meridiem Buckingamiam versùs prope fontes Usæ fluv.

TRIPORTICUS, apud Anastasium *in Hilaro*, *Fecit —— Nymphæum* & triporticum, *ante oratorium S. Crucis, ubi sunt columnæ miræ magnitudinis* &c. atrium est vel area *tribus porticibus* constans, cujusmodi ante Ædes sacras olim fuêre, uti pluribus docet Car. du Fresne, *Descript. Ædis Sophianæ num.* 20.

TRIPTOLEMUS, Eleusii, ut Hygino, *Fab.* 147. placet, aut, ut Pausan. *l.* 1. mavult, Celei Eleusini Regis & Mehalinæ fil. qui primus in Græcia agriculturæ rationem creditur invenisse. In infantia divinô lacte à Cerere nutritus; Alatis serpentibus dein impositus, illis ceu curru utebatur, per totum terrarum orbem, ut frumentorum usum doceret, ab eadem missus est. Vide Hyginum, *loc. cit.* & *extr.* Ovid. *l.* 4. *Fast. v.* 559.

Iste quidem mortalis erit, sed primus arabit,
Et seret, & cultâ præmia tollet humô.

De *Triptolemi* legibus apud Athenienses 3. duntaxat præcepta in Eleusine templo scribit Xenocrates Philosophus: *Venerandos Deos, honorandos parentes, carnibus non vescendum esse.* Ovid. *l.* 3. *Trist. El.* 8. *v.* 1.

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus.

Statius, *l.* 4. *Sylv.* 2. *v.* 36.

—— Ætherei felix sic orbita fluxit
Triptolemi. ——

Socrates apud Platonem, *oratione ad Judices*, inter judices infernales Triptolemum refert. Eam orationis partem Cicero laudat Latinè conversam, 1. *Tuscul. c.* 41. *Nic. Lloydius.* Nonnulli Rharum, filium Cranai, qui Cecropi in Atheniensi Regno successit, *Triptolemi* genitorem faciunt; *Suidas* tamen avum mavult, Celei patrem. Quia verò sive Rharus, sive Celeus Cererem exceperat hospitiô, *Triptolemum* agriculturam docuit: qui à plerisque intelligitur *Georgic. l.* 1. ubi Poëta, inter Deos rusticos, memorat puerum, *unci monstratorem aratri*; aliis tamen existimantibus, non tam Græcum *Triptolemi*, quàm Ægyptium Osiridis Numen signari. Is itaque frugum sic edoctus sationem, posteà longâ nave, ut Philochorus ait, frumentum Urbibus distribuit; quò occasio data fabulæ, quòd serpente alatô vectus sit: quanquam & draco potuerit esse παράσημον seu insigne navis. Fuisse autem Cererem Heroinam Siculam, alibi dictum. Non pauci verò Veterum, quæ de Rharo, Cerere, quæ ab eo *Rharias* dicta est, Celeo ac Triptolemo narrantur, ad Pandionis tempora referre malunt, qui post Erichthonium habuit imperium, Erechthei antecessor, vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 13. & 17. & Salmas. *ad Solin. p.* 750. & *seqq.* ubi *Triptolemum* inter symbola Eleusiniorum sacrorum fuisse, ex Clemente Alex. & Arnobio inter alia, docet. Ex marmore *Triptolemi* simulachrum à Praxitele factum, inter Hortorum Servilianorum Romæ ornamenta, memorat Plin. *l.* 36. *c.* 5. qui & Sophoclis hôc nomine fabulam laudat, *l.* 18. *c.* 7.

TRIPUDIUM, rerum gerendarum apud Romanos proprium erat, idque penès solos Patritios. Cùm enim tria essent auspiciorum genera, avium inspectio, de cœlo observatio & *Tripudii* animadversio: Avium inspectio ad Comitia Curiata & Centuriata; *Tripudii* animadversio, ad res gerendas; Observatio de cœlo, ad omnia Comitia, adhibebatur, Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 7. & 10. ex Sigonio. *Tripudium* autem quasi *Terripavium* dictum est Festo, cùm ait: *Puls potissimum dabatur pullis in auspiciis, quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod* Tripudium *faceret, id est, terripavium: pavire enim ferire est.* Cùm igitur, dum captabantur auguria, pulli è cavea mox proruerent cum impetu, certatimque in escam involarent & avidè eam depascerentur, ita ut vescentibus illis aliquid ex ore relaberetur, & terram paviret, unde spe haustâ mirificâ Pullarius, ut constanter fortiterque cœpta negotia urgerent, jubebat auspicantes, & successus optatos prosperaque à Diis omnia spondebat: Atque hoc *Tripudium Solistimum* vocabant, à *solo*; ut à *medio Mediastinum*. Poterat verò avis omnis *Tripudium* facere, ex veteri Collegii Augurum decretô: erantque in eo captando verba solemnia *dannare* & *addicere*; illud quidem in sinistro præsagio tristique eventu, hoc verò in fortunatis prosperisque auguriis. Livius, *Dec.* 1. *l.* 2. *Cùm omnium sacellorum inaugurationes admitterent aves, in Termini templo non addixêre.* Vide quoque *Decad.* 3. *l.* 13. Ovid. *l.* 15. *Met. fab.* 50. Alios. Fuit verò etiam *Tripudium Sonivium*, de quo ita apud *Festum* legendum docet Jos. Scaliger, *Sonivio significat in carmine Saliari, item in Commentario Augurali sonanti. Sonivium Tripudium dicitur, quòd sonet, ut cùm pullo excidit puls, quadrupedive aliquid ex ore.* Hinc Servius *ad illud Virgil. l.* 3. *Æn. v.* 90.

—— Tremere omnia visa repentè;

Hoc,

Hoc, inquit, *Augurium, juxta Auguralem disciplinam dictum est*, quod appellatur Tripudium Sonivium, *id est, à sono* [illegible] *ad quod pertinet, si arbor sponte* [illegible] *cadat, si terra tremat, quod* [illegible] *factum ostendit, antequàm divina voce responsa perciperet.* Meminit quoque ejus Plin. *l.* 15. *c.* 22. his verbis: *Quæ causa eas* (nuces juglandes) *nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito, quod est verisimilius, quàm quia cadendo* Tripudium Sonivium *faciant.* Imò & *Tripudii Oscini* meminit Festus præfatus, illudque definit, *quod oris cantu significat quid portendi, cùm cecinit corvus, cornix, noctua, parra, picus.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 10. *cum Paralipom.* Thomæ Dempsteri. Aliàs *Tripudium* generaliter, à *pavire*, id est, *ferire*, ut dictum, de saltatione sumitur: saltando enim *terra pavitur*. Nisi malis sic vocatum, quasi *Tripedium*, ut significet numerosum pedum motum, in ternarium cadentem, vide apud Martial. & suprà, voce *Tripudiare*. Hujusmodi *Tripudiis* cùm Bacchi sacra semper celebrari fuerint solita, ut annotavit *Natalis*, hinc ipse *Tripudii Deus* dictus est. *Lycophron.*

> Δαίμων ὀρχηστὴς, Φιγαλεὺς, Φαυστήριος,
> *Deus Tripudii, Phigaleus, Phausterius.*

Qua de re vide Fortun. Licetum, *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 27. & plura, in voce *Saltatio*. Addam saltem; *tripudiantes* rebus bellicis maximè idoneos habitos, Socratis effatô, apud Athenæum, *l.* 14. *c.* 12. unde Persas, non minus *tripudiandi*, quàm equitandi, artem didicisse, refert idem *l.* 10. *c.* 11. Quò facit, quod de *Tripudio Castoris* multis exequitur Natalis Comes, *Mytholog. l.* 8. *c.* 9. &c. Vide quoque suprà, in voce *Festa*, quibus apud Hebræos à *tripudio* nomen.

TRIPUS, non unius olim generis. Fuêre enim alii τρίποδες ἐμπυριβῆται, sive λέβητες λοετροχόοι, in quibus calefiebat aqua lotutis, vel lebetes lavantibus aquam fundentes. Alii fuerunt τρίποδες ἄπυροι, *non sentientes ignem*, qui ornatui solùm templorum & ædium destinabantur. Cujusmodi tripus ferreus ante Regiam apud Persas perpetuò stabat, ut si cui Rex factus esset iratior, apud hunc *tripodem Regis*, exspectaret sententiam, nemine eum intereà custodiente. Procopius, *de Bello Pers. l.* 1. Vide quoque Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 18. In eodem genere fuêre *ænei tripodes*, præmia certantium: *Il.* ψ. *v.* 512.

> Δῶκε δ' ἄγειν ἑτάροισιν ὑπερθύμοισι γυναῖκα
> Καὶ τρίποδ' ὠτώεντα φέρειν —

Quale [illegible] Hesiodus dicit se retulisse è certamine Musico, & Musis Heliconiadibus dedicâsse, *Oper. & Dier. l.* 2. *sub fin.* In certaminibus Baccho inprimis sacris, ut notat Athenæus, *l.* 2. Quod præmium victor non auferebat domum, sed ei Deo consecrabat, cui id ludicrum dicatum erat, ut de Hesiodo modò vidimus. Sic in *Clio* Herodoti, ubi de agone Apollinis Triopii, sic in epitaphio Simonidis Cei, alibique legimus. Sed & super *tripode æneo*, coram Judicibus collocato, coronas Olympicorum præmia, poni olim consuevisse, quæ postmodùm super mensa statutæ sunt, testatur Pausan. *l.* 5. Quem morem expressit Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 109.

> *Munera principio ante oculos, circoque locantur*
> *In medio, sacri* tripodes, *viridesque coronæ.*

Etiam iis, qui Ludorum impensas faciebant, præmii locô data cortina, Deo consecranda: Atque hi sunt τρίποδες χορηγικοὶ, quorum mentione Græca omnis historia, maximè autem Attica, refertissima est; Vide præcipuè Isæi *Orat. de Hær. Dicæogenis*, Lysiam, *Apolog. Δωροδ.* Demosthenem, *in Midiana*, & ibi Ulpianum, *in Andocide*. In his varia argumenta cælabant, quæ ad honorem dantis, aut Dei, cui dabantur, pertinerent: quales aliquot tripodum inscriptiones, apud Herodotum, & Pausaniam, hodieque extant, & ex Latinis, apud A. Gellium, *l.* 3. *c.* 11. Priscianum, *l.* 1. ac 6. Aristidem, *Sacr. Orat.* 4. Alios. Brevis apud Plut. *initio Aristidis*, hæc legitur: ΑΝΤΙΟΧΙΣ ΕΝΙΚΑ. ΑΡΙΣΤΕΙΔΗΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ. ΑΡΧΕΣΤΡΑΤΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕ. Vide Casaubon. *ad Aug. Suetonii c.* 52. Præprimis verò celebris fuit, *Tripus* Apollinis, qui Diodor. Siculo, ubi de Oraculi origine, in hæc verba memoratur, *l.* 16. *c.* 6. *Antiquitus Fama invaluit, capras Oraculum invenisse: cujus gratiâ & Delphici hâc tempestate capris ut plurimùm, in eo consulendo, sacrificant. Inventum verò ita ajunt: Quum eo in loco, ubi nunc Templi adytum est, terræ hiatus pateret, circumque terram pascentes capræ* (quod scil. Delphi eô tempore inculti erant) *frequenter contigit, ut ad cavum illud capra quæpiam accedens & introspiciens, miris quibusdam exultationibus, & voce priùs ei insuetâ, incredibilem Pastori suo admirationem concitaret, adeò, ut & ipse spectatum ejus loci situm accesserit. Eum tunc, quod capris evenerat, perturbatio ingens corripuit; ut ille ea propemodum, quæ divinô furore vexatis accidunt, pateretur: hic verò, præter illud etiam, futura prædiceret. Quapropter apud ejus Regionis homines divulgatâ commotione ingenti* (quæ ad hiatum accedentibus oboriretur) *complures illuc conveniebant, tentandique gratiâ quicunque propiùs se inserebant, divinâ agitabantur Spiritu. Propterea res in admirationem versa, credituque terrestre illud esse Oraculum. Et aliquando servatum est, ut consultaturi de rebus suis, ad hiatum se promitterent, alter ve alteri darent responsa. Sed quum multi ex furore in præceps desilirent, institutum est, ne quispiam periclitaretur, ibi fœminam vatem ad omnium usum deligi, à qua Prædictiones acciperentur: ei verò machinam erigi, super quam tutò & divinitus afflata ea consulentibus respondere posset. Quia autem hæc fulcris tribus sustinebatur, ideo* Tripus *nominata est: à* [illegible] *fastigium ferme, & nunc visuntur ænei tripodes.* Huic itaque insidentem Pythiam frigidus spiritus vi quâdam velut vento, in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertebat, impletasque Deô responsa consulentibus, dare cogebat: Justin. *l.* 24. *c.* 6. Qui spiritus ubi vetustate abolitus, volunt Plutarchus, *de defect. Oracul.* desiisse Oracula. Vide Euseb. *de Præpar. Evangel. l.* 5. sed veram cessationis hujus causam, Genes. *c.* 3. *v.* 15. Alex. ab Alexandro [illegible] *l.* 6. *c.* 21. hac de re sic: *Eo spiritu, inquit, ex antro* [illegible], *quasi divinô afflatu* [illegible] *in Tripode* [illegible], *mente* [illegible] *quibus fari licebat, consulentibus* [illegible] *cænebat responsa. Licèt ferant, Apollinem sex mensibus apud Lycios, sex apud Delum, vaticinatum: reliqua verò Oracula nonnunquam Idibus, nonnunquam Kalendis; nunc die oriente, nunc deficiente, responsa dabant, quæ à mulieribus tantum, quæ erant Templi vates, vaticinantis in modum ferebantur. In quo id præcipuum, ut qui Oraculum consuleret, brevi admodum oratione, quid vellet, exposceret; atque nullum Latinè redderetur Oraculum; neque ederetur priùs, quàm ab imo, dum sacrificabant, tota victima contremisceret.* Hinc, quòd verissima Oracula Delphis fundi crederentur, ὡς ἀπὸ τρίποδος dici cœperunt, proverbiali figurâ, quæ vera sunt & indubitata. Meminêre *Tripodis* hujus *Tripodumque* in plurali sæpissimè Poëtæ. Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 360.

> *Qui Tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis.*

Non enim sine lauro *Tripoda* erigi in Bœotia potuisse, docet Palæphatus, *c.* 50. ubi de Ladone. Idem, *l.* 15. *Æn. v.* 110. *Sacros Tripodes*, habet, ut alia omittam: Vide plura de hoc Apollinis *tripode*, apud Fortun. Licetum, *de Gemmis Annular. Schem.* 15. *c.* 79. Alex. Rossæum, *Archæol. Attic.* Alios. Addo saltem, præter hunc, etiam Athenis alibique, mensas hujusmodi Deorum, seu *tripodes* fuisse, ubi Oracula similiter à Phœbadibus, in eâ in parte, quæ ἄδυτος vocabatur, superimpositis, unde & [illegible] τρίποδας dicti Athenæo, *l.* 2. fuerunt editæ. Etiam in iisdem *tripodibus* alicubi sortes, è quibus Gentiles futura didicerint: imò & simulachra quandoque (velut Veneris, Dianæ, Proserpinæ & Cereris, apud Pausaniam, *in Messen.*) fuisse collocata &c. Vide & suprà voce *Cortina*. it. *Thema*. Tandem fuêre *tripodes* τραπεζικοὶ, quibus mensæ innitebantur. Quò pertinent *Tripodes*, apud Athenæum & in marmoribus vetustis, in quibus duo vel tres edentes repræsentantur: quos sepulchralium cœnarum effigies esse, diximus suprà, ubi de *Triclinio*. Vide & infrà *Xerolophum*. Item sellula rusticana, in qua S. Martinum sedisse, refert Sulpitius, *de vita S. Martini, Dial.* 2. *tripetia* vulgari sermone dicta &c. Sed & *tripodem*, instrumentum Musicum, à Pythagora Zacynthio excogitatum, habes apud eundem Athenæum, *Dipnosophist. l.* 14. *c.* 15.

TRIQUETRA, Sicilia sic dicta. Horat. *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 55.

> — *Militibus promissa, Triquetrâ*
> *Prædia Cæsar, an est Italâ tellure daturus?*

Hinc *Triqueterus* adjectivum. Lucret. *l.* 1. *de Empedocle, v.* 717.

> *Insula quem Triquetris terrarum gessit in oris.*

TRIREGNUM, apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores, appellatur triplex Pontificis corona, quam Bonifacii VIII. inventum esse nonnullis, legas apud Macros; sed effigiem hujus Pontificis, in Lateranensi Æde unam tantum coronam in camauro habere, ipsum verò secundam, tertiam Urbanum V. addidisse, Paulum tandem II. tres pretiosissimas coronas, à suis Antecessoribus prætermissas, in camauro renovâsse, ac Nicolaum Beneventanum usu *Triregni* prohibuisse, hi contendunt. Imponit autem novo Pontifici *Triregnum* primus Diaconus Cardinalis his verbis: *Accipe tiaram tribus coronis ornatam, & scias te esse Patrem Principum & Regum, Pastorem orbis in terra, Vicarium Salvatoris Nostri Jesu Christi, cui est honor in secula seculorum. Amen:* uti habes apud eosdem, in *Hierolexico*, voce *Mitra*. Vide quoque Car. Paschalium, *Coronar. l.* 9. *c. ult.* item ubi de *Anastasio I. Imperatore*, cujus donô ad Chlodovæum Francorum Regem inde Romam pervenisse coronam hujusmodi, sunt qui tradant, & suprà voce *Regnum*, it. *Tiara*.

TRIREMIS, inventum Aminoclis Corinthii, juxta Thucydidem, laudatum Plinio, *l.* 7. *c.* 56. Vide suprà ubi de *Navibus & Trierarchis Atheniensium*. Item domus nomen, Agrigenti, de qua lepidam historiam narrat Timæus Tauromenitanus, apud Athenæum, *l.* 2. *c.* 1.

TRIREMIUM Pœna, locô antiquæ immutationis, hodie ab Inquisitoribus in Communione Romana hæreticis irrogatur, qui debiles aut senes non sunt. Idque non minùs quàm ad triennium, ne fiscus propter expensas patiatur damnum. Phil. à Limborch, *Histor. Inquisit. l.* 4. *c.* 32. qui & in *Triremibus* exerceri Inquisitionem, auctore Philippô II. Hispan. Rege A. C. 1571. docet, *Ibid. l.* 1. *c.* 30.

TRISAGIUM, ex Græco τρὶς ἅγιον, i. e. ter Sanctum: Clausula, quæ in officiis Ecclesiæ antiquè canebatur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Cujus usus in Concil. Vasense, sub ætate Constantini Magni contra Arianos institutus est, vide Tom. Concil. I. *p.* 460. Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.* & hic infrà.

TRISAGIUS Hymnus, Græcis Patribus & in veteribus *Liturgiis*, ὁ ἐπινίκιος καὶ τρισάγιος ὕμνος, item τὸ Τρισάγιον, ab Angelis decantatus, memoratur Esajæ, *c.* 6. *v.* 3. & Apoc. *c.* 4. *v.* 8. his verbis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*: ac illustratur pluribus, ab Athanasio, *Tom.* 1. *edit. Paris. ann.* 1627. *p.* 154. Epiphanio, *in Ancorato* §. 10. & 26. Cæsario, *Dial.* 1. *Resp. ad interrog.* 15. Ambrosio, *de Fide l.* 2. *c.* 4. Fulgentio, *l. de Fide ad Petrum Diac.* Aliis. Atque hic ter sanctus Hymnus in hunc modum canitur, in *Liturgiis* Basilii, Chrysostomi & Gregorii. Introducta autem est in Ecclesiam Constantinopolitanam & alias Orientis Ecclesias, consuetudo τοῦ Τρισαγίου sic recitandi. Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri:* de cujus origine vide Joh. Damascenum, *Orthod. Fidei. l.* 3. *c.* 10. & *Epist. de trisanctio hymno ad Jordanem Cœnobiarch.* ubi eam in Procli Patriarchæ tempora refert, & in Concilio Chalcedonensi quoque sic hymnum decantatum, addit. Posteà

Petrus Gnapheus, sede Antiochenâ per fraudem occupatâ, cùm in omnes eos, qui Deum crucifixum & passum esse non agnoscerent, nempe *secundum ipsam Deitatem*, anathematis fulmen evibrâsset, asseclas suos coëgit hymno τρισαγίῳ addere hæc verba, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, *qui crucifixus est propter nos*: quod additamentum prolixè refutârunt: Felix III. Papa Rom. & Joh. Damascenus præfatus, ostendentes hymnum hunc toti SS. Trinitati dictum esse, & has voces *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* tres personas; has autem, *Deus exercituum*, divinitatem unam, indicare, atque adeo *ter sanctam* prædicari non unam aliquam personam, sed Τρισυπόστατον Οὐσίαν, *Essentiam divinam tres Personas complectentem*. In *Liturgia* seu Canone univers. Æthiopum hæc formula extat, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Pater omnipotens, Sanctus, Sanctus, Sanctus, unicus Jesus Christus, Filius, Verbum Patris. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Spiritus Sanctus, sciens omnia*: ubi vocem Sanctus novies repetunt (quod etiam in Apocalypseos loco cit. quædam Græcæ editiones habent) attamen non nisi unam subjiciunt invocationem, quâ simul Ss. invocant Trinitatem, semel dicentes, *Domine miserere nostri*. Posteà in eodem Canone repetentes Seraphicum illud carmen, vocem *Sanctus* quater pronuntiant subjectâ hac compellatione, *Adoramus te Christe, cum Patre tuo optimo & misericorde, & Spiritu S. vitali: tu venisti & liberâsti nos.* Quæ verba licèt sanum sensum ferre possint, apparet tamen ex *Fidei Æthiopum Declarat.* factâ per *Zaga-Zabo* Episcopum & Legatum, Latinè translatâ per Damianum à Goës, non plenè ab Æthiopibus suscipi Concilium Chalcedonense, quo Eutychis errores damnati sunt, ut vidimus. Musarabes hymnum eundem sic pronuntiant, *Agios, Agios, Agios, Domine Deus Rex æterne, tibi laudes & gratias. Bibl. Patrum tom. VI.* qui modus orandi eandem nobis commendat doctrinam de celebratione & invocatione Trinitatis in Unitate & Unitatis in Trinitate &c. Vide Joh. Forbesium, *Instructiones Historico-Theologic. l. 1. c. 16.* ut & voce *Trisagion*, ac suprà *Hymnus*. Cl. verò Suicerus, τὸ Τρισάγιον ab hymno Ἐπινικίῳ seu Cherubico, diversum, atque in illo, Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος; in isto, Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος Σαβαώθ: illum initiô Liturgiæ, ante Epistolæ lectionem, cani, inque ejus fine sigillum a Patriarcha fieri; illum post Catechumenorum & Pœnitentium dimissionem recitari solitum: illumque *Trisanctum*, istum *Tersanctum*, appellandum esse, docet *Thes. Eccl.* voce Τρισάγιον, ubi & de origine Hymni, aliisque huc pertinentibus varia.

TRISANTON, fluv. Albionis cum oppido cognomine in Australi ora contra Vectim insulam decurrens. *Ptolem.* oppid. vulgò *Southampton* dicitur in agro Hantoniensi. *Baudrando Trisanton* portus, seu *Trisantonis* fluvii ostium, est *Hampton Water*, portus amplissimus, qui aliter *le port de Southampton* dicitur, ab oppido adjacente, aliàs Clausentum dicto, in intimo ejus recessu, ad ostia fluvii *Test.* 10. milliar. Angl. à Vintonia in Meridiem; estque in Hantonia provincia in ora maris Britannici.

TRISCAMERARIUS, apud Jo. Noppium *in Chron. Aquisgran. l. 3. n. 1. Wilhelmus Aquensis, Henricus frater ejus* Triscamerarius *noster & fideles nostri* &c. dignitas Palatina, Camerarii dignitate inferior. *Tricamerarius* dicitur, apud Sammarthanos, qui Jacobum Senenium Archiepiscopum Ebredunensem, adiisse Rudolfum Imperatorem, ac ab eo impetrâsse confirmationem privilegiorum suorum, *& dignitate* Tricamerarii *perpetui Cameræ Imperialis* adauctum, scribunt. Car. du Fresne *Glossar.*

TRISCHENE, vulgò TAVERNA, urbs olim Episcopalis magnæ Græciæ mediterran. hodiè non obscura, apud montem Silam. Catacio urbi primariæ quò nunc sedes translata est, proxima; inde 8. mill. pass. in Boream. Aliis est *Tres Tabernæ*, cujus loci in Actis Apostol. *c. ultim. v. 15.* mentio fit. Vide *ibi*.

TRISCILES, apud *Isidorum*, vasis genus, ex Græco τρισκελὲς, quasi *tricruratum*, ipse *tripedem* exponit. Salmas. *ad Lamprid. in Commodo, c. 10.* Sic τρισκελὲς in multis nummis Siculis visitur in aversa parte, *tria* scil. hominis *crura*, ad designanda tria Siciliæ promuntoria. *Sicilia* enim, *in trisceli posita*, Hyginus *de maximis Ins.* h. e. ἐν σχήματι τρισκελεῖ, *triquetrâ formâ*, uti videre est suô locô, item voce *Trinacria*. Vide eundem *ad Solin. p. 135.* uti de *Trisceliani* Hæreticis, Deum *triformem* fingentibus, Augustin. *de Hær. c. 74.*

TRISCURRIA, apud Juvenalem, *Sat. 8. v. 190.* ubi ille in Patricios scenica officia tractantes, populumque iis applaudentem, invehitur,

> ——— *populi frons durior hujus,*
> *Qui sedet & spectat* triscurria *Patriciorum.*

plerisque sunt *ter scurrilia*. Scaliger *Transcurria*: Sed Petitus *Tricharia* legi vult, vocem formatam à *tricha*, in qua Laureolum cruciarium destitutum populus spectabat &c. *Comm. in LL. Attic. p. 246.*

TRISEXTA, Græc. Τριθέκτη, voce compositâ dicebatur, in Ecclesia Græca, hora tertia & sexta. *Liturgia Chrysostomi*, ὁ χορὸς ψάλλει τὴν τριθέκτην. *Chorus psallit Trisextam.* Vide Meursium *Glossar.*

TRISIDIS, *Ptolem.* nunc *Tenzert*, *Marmol. Tebart* Arab. oppid. Mauritaniæ Tingitanæ mediterraneum, 10. mill. pass. à Tocolosia in Ortum. Aliis *Tensor*.

TRISIMACHUS, libros κτίσεων condidit, quorum tertium citat Plutarch. *Par. Min. c. 6.*

TRISMEGISTUS, vide *Mercurius*.

TRISMIS, Mysiæ insulæ oppid. *Ptol.* ad Istrum, inter Axiopolim ad Occidentem 78. & Noviodunum ad Ortum, 38. mill. pass. *Trachina* Nigro. Sed lege Τρισμὶς, vel Τρισμὶς, quomodo Constantin. Porphyrogennetæ, *l. 2. Them.* dicitur. Antonini etiam *Itinerario Trosmis* est, & Notitiæ Imperii. *Nic. Lloyd.*

TRISOLYMPIONICES, Græcè Τρισολυμπιονίκης, dicebatur, qui *ter vicisset* in Olympicis Ludis; quod triplex decus qui reportâsset, ex ejus membris statuæ similitudo, quæ talibus erigi solebat, exprimebatur, cujusmodi statuas *Iconicas* appellari consuevisse, diximus suprà. Eundem vacationem munerum excusationemque à tutelis nancisci solitum, & ut nullâ notaretur infamiâ, videbimus infrà, ubi de *Victore in Ludis Olymp.* Et quidem memorat Philostratus, expeditum cursorem venisse Gades, jubentem sacrificare εὐαγγέλια, ac Neronem τρισολυμπιονίκην celebrare, in *Vita Apollonii, l. 5.* Vide quæ retro de *Olympionicis* adnotavimus.

TRISOMUM, in Cœmeterio Cyriacæ, viâ Tiberinâ, Romæ, apud Car. du Fresne, sepulchrum est *trium corporum* capax, uti alibi *bisomum* duorum. Vide suprà, voce hâc, alibique passim, inprimis ubi de *Arcis sepulchralibus*.

TRISPLÆ, populi Thraciæ, *Stephan.*

TRISSIANUS Joh. Georgius, Vicentinus, Demetrii Chalcondylæ discipulus, Mathematicus & Poëta Italus excellentissimus, ipsum Leonem X. eruditionis suæ æstimatorem habuit, etiam Clementi VII. magni habitus, qui ambo in Legationibus ad Carolum V. & Ferdinandum I. ejus operâ usi. Obiit A. C. 1550. ætat. 72. Inter Opera ejus, quæ enarrat Teissier, *Eleg. Part. 1. Sofonisba* tragœdia & *Italia liberata*, quod primum in Italica lingua Heroicum poëma fuit, eminent. Leander *Albert. Descrip. Ital.* Giraldus *de Poëtis*, Tassus *Dial. de Nob.* it. Alii. Idem primus Italorum excogitavit versuum illud genus, quos *liberos* vocant, Alamannô & Tassô illum sequutis: ac Poëticam ad normam regularum Aristotelicarum exegit, cujus Artem Poëticam, quam omnes legunt, pauci intelligunt, editô librô illustravit. Idem inter Italos primus Comœdiam Tragœdiamque composuit: Architectonicæ quoque peritus, & hac in arte Andr. Palladii civis sui præceptor &c. Thuanus *Histor. ad A. C. 1550.*

TRISSUM, urbs Jazygum Metanastarum. *Ptolem.*

TRISTATA, apud Eddegodum, in *Vita S. Wilfridi, c. 15.*

> *Convenère Duces, nec non Basilea pubes,*
> Tristatæ, *Comites, vulgi promiscua strages:*

ex Græco Τριστάτης est, quâ voce Græci Interpretes utuntur, Exodi *c. 14. v. 7.* ubi de Pharaone Israëlitas persequuturo, καὶ ἕλαβεν ἑξακόσια ἅρματα, καὶ τριστάτας ἐπὶ πάντων. Et *l. 4. Reg. c. 7. v. 2.* Καὶ ἀπεκρίθη ὁ τριστάτης. Quorum locorum *ibi Duces*, hôc *Tribunum*, Tremellius & Junius interpretantur. Hieronymus, *Tristatæ apud Græcos*, inquit, *nomen est secundi gradus; post regiam dignitatem, quos nos Magistratus utriusque militiæ & Præfectos annonarii tituli vocamus, in Ezech. c. 23.* Vide Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *Hierolex.* At Τριστάτης in Scena vetere, dictus est, qui *tertium in choro* locum tenebat, Salmas. *ad Solin. p. 135.*

TRISTEGA, apud Sugerium *de Consecr. Eccl. S. Dionys.* idem *Glossarii* Auctori laudatum, *Ad tristegas & propugnacula facienda*: machina est bellica, turris videl. *tribus tabulatis* constans; ex Græco Τρίστεγον, quod ædificium in genere notat tribus contignationibus seu cœnaculis constans. Unde & *trigesta* de eodem dixêre recentioris ævi Scriptores, propriè verò de cœnaculo superiori, quod ὑπερῷον Græcis. Vide Abdiam Babylon. *Histor. Apostolor. l. 3.* Gregor. Turonensem, *l. 8. c. 42.* Matth. Paris. A. C. 1247. Alios. Quô sensu & Græcum Τρίστεγον, occurrit Actor. *c. 20. v. 9.*

TRISTIS, cognomen Maximi Imperatoris quod *domi forisque semper severus* esset, Jul. Capitolin. *in Maximo & Balbino, c. 6.* Cujusmodi & Saturninus fuit fil. Philippi Imperatoris, qui tener licèt adhuc, nullô prorsus commentô ad ridendum potuit impelli, Aur. Victor *in Gord. & Philippo.* Crassus item, antiquiori ævô &c. Vide & hîc infrà. Vide Christ. Becmannum, *Originib. L. L.* voce *Deus*.

TRISTIS Color, pro obscuro & nigricante & nimis saturo, qui *austerus* aliter, occurrit passim, & blando seu *læto*, i. e. acuto & claro opponitur. Nempe cùm hic multô lumine radians oculos exhilaret, ille colore magis, quàm lumine, satur, obtusior ac *tristior* evadit, aciemque oculorum veluti contundit, & specie surdâ verberat, unde & *surdus* Plinio, *l. 37. c. 5.* Sic *tristis sapor*, pro amaro: voce scil. *ab animo ad sensibilia translatâ*, ut ait Salmas. *ad Solin. p. 200.* ubi multa hanc in rem. Aliàs *tristis* quis propriè dicatur, notum: cujusmodi hominibus non licuisse prodire in conspectum veterum Persiæ Regum, discimus ex sacra Nehemiæ historia, *c. 2. v. 1.* & *seqq.* At Titi Imperatoris vox egregia, *Non oportere quemquam à sermone Principis tristem discedere*: ob quam *amor ac deliciæ generis humani* meritò appellatus est, uti apud Suetonium *in eo* legimus, *c. 8.* Huic planè antipodem se præbuit Domitianus, in cujus amicis, ad Epulum etiam Imperiale vocatis, magnum pallorem agnoscit Juvenalis, *Sat. 4. v. 72. s.*

> ——— ——— vocantur
> *Ergo in consilium Proceres, quos oderat ille,*
> *In quorum facie miseræ magnæque sedebat*
> *Pallor amicitiæ* ———

Sed & *tristis*, pro severo; unde *Judex tristis & integer*, apud Cicer. Et Aurelianus, *Epist. ad S. P. Q. R.* ubi de Zenobia, *si scirent, qualis illa est mulier, quàm prudens in consiliis, — quàm larga, quum necessitas postulet, quàm* tristis, *quum severitas poscat*, apud Treb. Pollionem, *Vita Zenobiæ, c. 30.* Et *tristissima virtus*, apud Papin. Statium, *Thebaid. l. 7. v. 51.* ubi Barthius, *Severissima*, inquit. *Bellica fortitudo nemini parcens, nihil de armorum rigore remittens, inflexibilis, inexorabilis, ut Horatianus Achilles*, &c. Vide quoque hîc passim, inprimis ubi de *Festis*, à quibus omnem *tristitiam* abesse voluêre Veteres, nec non in voce *Mæstitia*, item ubi de *Pinnatis literis*, voce *Velum*, alibique passim. In pictura *Tristitiæ gradus* ingeniosè expressit Colores Tejus, apud *Plin.* & Quintilian. Vide suprà *Pictor*.

TRISTOLUS, *Ptolem. Tamorica Moletio*, (quod nomen etiam regionis est) oppid. Macedoniæ mediterraneum, in regione Sintica, ab Heraclea in Occasum distans. Sed *Tamorica* regio ibi putatur, ubi *Taulantii* populi, *Ferrar.*

TRI-

TRITA Toga, pexæ opponitur. Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 58.

Pexatus pulchrè rides mea, Zoile, trita.
Sunt hæc trita *quidem, Zoile, sed mea sunt.*

Pexæ nempe dicuntur vestes, quæ multô floccô opertæ sunt, eóque arte fullonis pexó & politô, uti suprà dictum in hac voce, at multô usu defloccantur ac deteruntur vestes & obsolescunt, qualia Cynicorum præcipuè tribonia fuisse vidimus &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 390.

TRITÆ, apud Auctorem *Historiæ Landgraviorum Thuringiæ*, *c.* 157. *Ex illa liga Tritarum*; tritores sunt seu trituratores: quod nomen, cùm propriè tribuatur iis, qui *flagellô* vel baculô grana excutiunt, militari turmæ seu societati circa A. C. 1411. in illa regione exortæ, datum est, an quòd armorum vice flagella rustica deterret, an quòd triticeas messes passim deteretet, Germ. *der Flegelern*, i. e. Flagellatorum, ut idem Auctor statim subjungit. Vide quoque eum, *c.* 105. Alii fuêre *Flagellatores* itidem seu *Fratres Flagellantes* appellati, qui bis de die intrantes Ædes Sacras & *flagellis coriaceis habentibus aculeos ferreos in extremis nodis se ipsos ante & retro, sed præcipuè in scapulis, percutientes, sanguinem proprium excutiebant, cantilenas intereà sermone vernaculô Deo canentes*, uti legere est apud Joh. à Leidis, *l.* 29. *c.* 13. & Continuatorem Nangii vernaculum sub A. C. 1347. Vide quoque suprà.

TRITÆA, urbs Achajæ, *Stephan.* in Phocide, mediterranea, juxta Locros Ozolas.

TRITANUS, prodigiosæ fortitudinis gladiator. Vide *Titormus*, & Plin. *l.* 7. *c.* 20. *Tritannum* veteres libri scribunt apud Vopiscum *in Firmo*, *c.* 4. quem *nervis adeò firmis fuisse, ut ipsum Tritannum vinceret*, ait; ut & antiqua *Excerpta* Solini versibus scripta, ubi legitur,

Viribus est rumor nimiùm valuisse Tritannum.

Fuit autem is gladiator, Samnitium armaturâ celebris, cœterùm ita natus, ut rectos transversosque nervos totô corpore cancellatim haberet, eoque omnes, quibuscum congrederetur, superaret. *Pari modô natus filius ejus, miles Cnæi Pompeji, ita sprevit hostem provocantem, ut inermi eum dextrâ superaret*, Plin. *ibid.* Vide Salmas. *ad Vopisc. d. l.* & *Solin. p.* 35.

TRITE, urbs circa Herculis columnas, *Steph.*

TRITEA, urbs Troica ab Arisbensibus condita. Alia inter Phocidem & Locros Ozolos. *Tritteas* verò in Achaja est, *Steph.* Populi *Triites Herodoto.*

TRITHEITA Stephanus, vide *Stephanus.*

TRITHEITÆ, Hæretici, in SS. Trinitate *tres substantias & Naturas* asserentes, auctorem habuêre Jo. Philoponum, (vide suprà) Philosophum Alexandrinum, Phocæ Imperatoris tempore; contra quem scripsêre Leontius Monachus, & Georgius Pisides Diacon. teste Nicephorô, *l.* 18. *c.* 48. Ejusdem farinæ fuêre Peratæ, Valentinus Gentilis, Alii, de quibus hic passim. Vide inprimis Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* vocibus Τριὰς, Τριθεῖται, Φύσις.

TRITHEMIUS Johannes, Abbas Spanhemius, è pago Tritenheim, diœces. Trevirensis. Divinarum humanarumque rerum scientissimus. Obiit A. C. 1516. in Monasterio S. Jacobi Herbipoli. Scripsit plurima, inter quæ eminent: Tractat. *de Illustr. Script. Ecclesiasticis* 970. Item *de Viris Illustr. Germaniæ*, ut & *de Viris Illustrib. Ordinis S. Benedicti.* Scripsit quoque *Chronica*, *vitas SS.* varios tractatus *Asceticos*; de *Polygraphia libros* 6. Unum *de Steganographia.* Idem à quibusdam censetur, auctor libelli, A. C. 1612. editi, cum titulo, *Veterum Sophorum sigilla & imagines magicæ, sive sculptura lapidum aut gemmarum ex nomine Tetragrammato, cum signatura planetarum*: aliis contrarium probantibus. Necromantiæ & commercii cum Dæmonibus à non paucis, inprimis à Carolo Bovillo, accusatus; defenditur à Jac. Cohorio, Boissardo, Blasio Vigenerio, Adamo Tannero, Abbate Sigismundo, in libro *Trithemius sui ipsius vindex.* Vide A. Thevet. *in elog.* Voss. *l.* 3. *de Hist. Lat. c.* 10. Naudæum, *apolog. c.* 17. *&c.* Ejus duo artificia Chymica, quibus ignes procuraverit æternos, memorat Scholiastes *ad Libavii l. de Naphtha, c.* 6. eaque dicit esse duo lumina æterna, quorum lampades constructæ potuerint quôlibet locô reponi. *Sunt*, inquiens, 2. *lumina, quorum prius miscet sulphuris, & aluminis calcinati quaternas uncias & in sublime actis flores conjicit, Florum sextantem cum semuncia jungit Boraso Crystallino Veneto unciali: inque concha vitrea contritis affundit Spiritum vini quater destillatum & factâ digestione, abstractô illô, novum reponit; idque repetit bis ter vel quater, donec sulphur in area lamina candefacta sine fumo instar ceræ fluat: Hoc pabulum est. Posteà adornandum & ellychnium est hâc arte: Asbesti lapidis filamenta longitudine fere digiti auricularis, crassitie verò mediâ colliguntur sericô albô. Factum inde ellychnium, in vitro Veneto, sulphure seu alumine priùs purgató, conspergitur tumulaturque & in arena calente horis* 24. *decoquitur, bulliente semper sulphure. Inunctum delibutumque sic disponitur, in concha vitrea, ut emineat paululum; aggeritur sulphur præparatum, concha in arenam calentem infertur, ut liquescat sulphur & comprehendat ellychnium: quod incensum ardet jugi flammâ, poterisque lampadem quôlibet locô reponere. Hic est ignis æternus prior. Posterior ita habet: Salis tosti libræ affunde acetum ex vino forti; abstrahe usque ad consistentiam olei. Redde novum, macera, distilla, ut antè; idque quater: In aceto hoc infunde vitri antimonii subtilissimè lævigati libram: Repone infusionem in cinerem calidum horis sex clausô vase, ut extrahatur tinctura rubicunda. Effusó istó acetó, submitte aliud, atque iterum extrahe, repetens laborem, donec tota rubedo resoluta sit & extracta: Coagula extractiones, usque ad olei consistentiam; quam in balneo rectifica ad puritatem: Cape deinde pulverem antimonii, ex quo rubedo extracta est & in minutissimum pollinem redige; cui in vitrum injecto infunde oleum rectificatum: abstrahe & redde septies, donec corpus devoret totum suum oleum, fiatque siccum: Hæc extrahe per vini spiritum toties mutatum, donec essentia tota exierit: Menstrua collecta in phiala Veneta inducta papyrô quintuplici destilla, ut spiritu exeunte, in fundo maneat oleum incombustibile; cujus usus est cum ellychnio, ut sulphuris, de quo anteà.* Quo de artificio, quid sentiat Fortunius Licetus, vide eum *de Lucernis Veter. l.* 2. *c.* 44.

TRITHINGA, apud Anglos dicitur tertia Comitatus seu provinciæ pars, continens tria vel quatuor Hundreda, seu centurias, cui qui præerat, *Trithingerefas* dicebatur, ad quem deferebantur causæ, quæ definiri non poterant in Wapentachus seu Hundredis: uti, quæ in *Trithingis* decidi nequibant, in Sciram. Partitum autem in Hundreda & *Trithingas* Angliam fuisse primum Ælfredum Regem legimus, apud Ingulfum, *p.* 870. & Matth. Westmonasteriensem A. C. 892. *Hodie verò, res cum Lege antiqua evanuit, nomine tantùm* (*Tethingmann*, quô pactô LL. Edwardi quoque appellant qui alibi *Trithingerefas*. ut dictum) *remanente & in Constabulario parochiano alicubi residente*, ut ait Watsius apud Car. du Fresne *Glossar.*

TRITICUM & Panis, voces non sunt Heroici carminis, sed pro iis Ceres ponitur à Virgilio, annotante Jul. C. Scaligerô, *Poetic. l.* 4. *c.* 16. Ejus culmus in manu Serapidis pingebatur olim, ut indigitaretur, Osirim, relictâ regiâ coronâ, regalique dignitate conjugi suæ Isidi, procul ab Ægypti Regno suo, vagantem per orbem, exteras gentes ad vitam civilem & frugum culturam perduxisse; ut in ejus columna sepulchrali legere est, apud Diodorum Siculum, *l.* 2. *c.* 2. Vide Fortun. Licetum, *de Lucernis antiqq. l.* 6. *c.* 115. Hinc culmus *Tritici* cum plena spica, surgens ex angulo triangularis aspidis Ægyptiæ majoris, in lucerna veteri, apud eundem, symbolum Ægypti est, memorabili fertilitate & incomparabili frugum feracitate, celebratissimæ. Vide Plin. *l.* 18. *c.* 10. Josephum, *l.* 5. *de bello Judaic. c.* 11. Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 29. *c.* 21. Unde vel ab Ethnicis *Horreum Orbis publicum* Ægyptus dicta, & Genes. *c.* 41. *v.* 45. Josephus universæ Terræ famescenti inde prospiciens, optimô jure nuncupatus est *Salvator Mundi*, Idem Licetus, *l. eôd. c.* 96. Nomen à *tero*, κατ' ἐξοχὴν, qui facilè è folliculis in area *exteritur* & inde in tenuissimam farinam resolvitur, Chr. Becmannus, *Origin. L. L.* voce *Tero.* Sic namque propriè dicitur, quod è spicis *tritum* est. Vide suprà passim, ubi de *Farre* inprimis, & *Frumento.* nec non ubi de *Secularibus ludis.*

TRITIUM, quod *Tuboricum Ptolem. Tobolicum* Pompon. *l.* 3. *c.* 1. oppid. Hispaniæ Tarraconens. in finib. Vardulorum; *Mondragon* hodie, teste *Hos. Coquó*, *ãrietio* est *Placentia*, urbecula Ipuscoæ, ad Devam fluv. 4. leuc. infra oppid. *Mondragon* in Boream versus oram Oceani Cantabrici paulo plus.

TRITIUM Metallum, Hispaniæ Tarraconensis oppid. in finibus Autrigonum excisum; locus hodie *Trejo Moleno*, apud Nagararam, urbem Castellæ veteris inter Dominicopolim & Logronium 4. leuc. à Calaguri 12. versûs Bergos monstratur; quæ urbs *Najara* dicitur & *Tritium novum* nominari potest, quasi ex Tritii veteris ruderibus excitatum, inde tamen 2 leucis distans, *Ferrar.*

TRITOGENIA, Pallas dicta est, quòd apud Tritonem Africæ paludem apparuerit, vel à nomine Τριτώ, id est, κεφαλὴ, (sic enim Æoles vocant, ut ait Aristoph. Schol. *in Nub.*) quòd sit ex Jovis capite edita. Unde Hesiod. *in Theog. v.* 895.

Αὐτὸς δ' ἐκ κεφαλῆς γλαυκώπιδα Τριτογένειαν, &c.

Vel quòd eadem cum Luna credatur, quæ 3. post coitum die apparere incipit: vel denique, authore Suidâ, quòd Τρίτη μετ' Ἄρτεμιν καὶ Ἀπόλλωνα ἐγεννήθη. *Nic. Lloydius.*

TRITOLINUS Mons, Plinio, in Campania, inter Puteolos & Bajas apud Avernum lacum, qui *Salviati*, teste Georgiô Fabriciô. Sed alius idem est *Trifolino* apud Neapolim. De eo *Itiner. l.* 3.

Nondum sudor erat membris detersus & ori,
Quem toto exciérat Tritolini *montis hiatus*,
Corpore. — ———

TRITON, Deus marinus, Neptuni & Salaciæ marinæ Nymphæ fil. quem poëtæ fingunt Neptuni tubicinem fuisse. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 148.

Cymothoë simul & Triton *adnixus acuto*
Detrudunt naves scopulo. ———

Ovid. *l.* 2. *Metam. v.* 8.

Cæruleos habet unda Deos, Tritona canorum
Proteaque ambiguum. —

Idem, *l.* 1. *Met. v.* 333.

Cæruleum Tritona vocat, conchâque sonanti
Inspirare jubet fluctus.

Statius, *l.* 5. *Theb. v.* 707.

— *Geminusque ad Spumea Triton.*
Frena natans ——

Sidonius Apollinaris:

Pistrigero quæ concha vehit Tritone.

Tritonas in fastigio ædis Saturni & Opis Romæ cum buccinis superpositos fuisse, refert Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 8. quô significare voluerunt veteres à Saturni memoria ad nostram ætatem Historiam claram & vocalem esse, cùm ante eum muta, & obscura ac incognita fuerit, id quod testabantur caudæ Tritonum humi mersæ ac absconditæ, vide Thom. Dempster. *Antiquit. Rom. l.* 2. *c.* 4. De *Tritonibus* plura Plin. *l.* 9. *c.* 5. *Nic. Lloydius.* Ut hoc addam, notissimus is equisonum Neptuninorum Barthio, *ad Thebaid. Statianam* 5. *v.* 707. ubi eódem ministrô ad sedandas revocandasque aquas Neptunum uti, docet ex Ovidio, *Met. l.* 1. Alii plures fin-

fingebantur ad ministerium Veneris æquoreæ, perque æquor iter facientis, quorum principem pulchrè describit Claudian. *in Nuptiis Honorii*: de reliquis argutè Appulejus, *Met. l. 4.* Vectam certè *Tritone* per mare Venerem etiam Nonnus habet, *l. 1.*

Ἠλαφίη Τρίτων⊛ ἐφεζομένης Ἀφροδίτης.

Quod quâ celeritate fieri consueverit, indigitat Claudianus, *v. 148.*

——— ter pectora movit,
Jam quarto Paphias tractu sulcabat arenas.

Imò omnium Deorum marinorum buccinatores & tibicines habiti sunt: cujusmodi buccinicinum par visendum secundùm Veter. monumenta, à Mariangelo Accursio, proavo suo, donô missum Româ, se asservare, scribit Casp. Barthius *ad Achilleidem Papin. l. 1. v. 54.* Vide quoque eum *ad Epithalamium Honorii.* Hinc in Theatris olim *Tritones* buccina mugientes soliti produci. Corn. Severus *in Ætna*,

Nam veluti resonante diu Tritone *canorô,*
Pellit opus collectus aquæ, victusque movêre
Spiritus, & longas emugit buccina voces,
Carmineque irriguô magni cortina theatri
Imparibus numerosa modis canit arte regentis,
Quæ tenuem impellens animam subremigat undam.

Quod spectaculum inde in Naumachiam suam transtulit Claudius Cæsar, apud Sueton. *c. 21.* *Hôc spectaculô Classis Sicula & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccinâ* Tritone *argenteô, qui è medio lacu per machinam emerserat*: ad quem locum vide Isaac. Casaubonum; & alia quædam, huc facientia infrà. De *Tritone* verò *æneo*, qui in meta marmorea turris octogonæ Andronici positus, atque ad omnem venti auram versatilis, virgâ, quis ventus flaret, indicabat, Salmasium adi *ad Solin. p. 1245.* uti de navibus quibusdam apud Veteres hôc nomine insignibus, Barthium *ad Statium, Thebaid. l. 5. v. 731.* & hic, in vocibus *Parasemon*, item *Tutela*.

TRITON, Africæ fluv. ex *Tritonide* palude erumpens, & in mare Africum, apud Tacapen Urb. unde *Rio di Capi* dicitur, influens, hortis Hesperidum proximus, 6. mill. pass. à Tacapis, *Ferrar.* Ejus meminit Claudian. *de laud. Stil. l. 1. v. 251.*

Hesperidumque Triton, & Gir, ditissimus amnis.

Ab hujus nomine Pallas *Tritonis*, & *Tritonia* dicitur, quòd circa hunc fluv. vel lacum primum apparuerit. Lucan. *l. 9. v. 350.*

Hanc & Pallas amat, patriô quòd vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo est,
Quod probat ipse calor) tetigit: stagnique quieta
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilectâ Tritonida dixit ab undâ.

Silius, *l. 3. v. 322.*

Hinc qui stagna colunt Tritonidos alta paludis,
Quâ virgo (ut fama est) bellatrix edita lymphâ
Invento primam Libyen perfudit olivo.

Hinc *Tritoniacus.* Ovid. *l. 15. Met. v. 358.*

Quum Tritoniacam novies subière paludem.

Cæterùm fluv. hic *Triton* תעריח *tarith* à Pœnis dicebatur, ἀπὸ τῆς νομῆς, *a pascuo*, scil. quia Nomadum pascuis initium erat à Tritone. Cùm enim reliqua pars Africæ utplurimùm sit arabilis, à Tritone usque in Ægyptum plerique erant meri Nomades, carne scilicet & lacticiniis vesci soliti. Herodot. *in Melpomene*: Μέχρι τῆς Τριτωνίδος λίμνης ἀπ' Αἰγύπτου Νομάδες εἰσὶ κρεοφάγοι τε καὶ γαλακτοπόται Λίβυες. Vide Bochart. *de Ph. Colon. p. 533.* In hac palude Phla insulam ponit Herodotus: In finibus Cyrenes, unà cum templo Veneris, hanc paludem *Lago di Capi*, Marmolio dictam, describit *Strabo.* Alia est *Triton* palus ad montem Atlantem proximè Oceanum. Diod. *l. 3.* (cujus secundùm quosdam meminit Claudian. *l. 1. de laud. Stil. v. 251.*

Hesperidum Triton, & Gir ditissimus amnis.)

Qui *l. 5.* *Tritonem* fluv. in Creta: Strabo & Pausanias fluvium parvum Bœotiæ cognominem habent, apud Alalcomenas urbem: ubi Minervam natam educatamque ferunt: quod Diodorus ad *Tritonem* Cretæ fluv. alii ad eum, qui in Africa est, referunt. Cæterùm de Tritonia Minerva vide Meursium *de regn. Athen. p. 17. Nic. Lloyd.*

TRITONES, ex pelamydum genere, pisces memorantur Plinio, *l. 32. c. 11.* Certè *Tritones* humanâ formâ reperiri sub aquis, & inde in terras descendere, mulieribus insidiantes, multis constat experimentis atque testimoniis. Vide inprimis Lucianum, *Trit. tom. 3.* Unde Plin. *l. 9. c. 5.* *Tiberio*, inquit, *Principi nuntiavit Olysipponensium legatio, ob id missa, visum, auditumque in quodam specu conchâ canentem* Tritonem, *quâ noscitur, formâ.* Et mox, *Auctores habeo in Equestri ordine splendente, visum ab his in Gaditano mari marinum hominem, totô corpore absolutâ similitudine; ascendere cum navigia nocturnis temporibus, statimque degravari, quas insederit, partes: & si diutiùs permaneat, etiam mergi.* Alexander item ab Alexandro, *Genial. dier. l. 3. c. 8.* *Tritonem & Nereidas*, ait, *hominesque marigenas, quos marinos appellant, nostrâ quoque tempestate conspicuos fuisse, multa documentô sunt. In memoria mihi est, cum adolescentulus ego in porticu nostra Portanovensi Neapoli quandoque, diverterem, Draconettum Bonifacium Patriciæ gentis & inclytæ familiæ virum, in conventu maximo, referre solitum esse, se, dum in Hispania militaret, marinum hominem vultu & corpore prorsùs humanô pubetenus: postremis verò in piscem desinentibus vidisse in melle, ex ultima Mauritania & Oceani finibus ad Regulos, sub quibus stipendia faciebat, pro monstro allatum. Fuisse autem facie hominis vetusti, capillo & barbâ hispidâ, colore cœruleô, staturâ procerâ, & majore humanâ: alis quoque tenui cartilagine, quibus marinos fluctus secabat, & membranâ passim interlucente munitum.* Et paullo post narrationem de duplici Nereide: *Sed super omnia nostrô ævô haud absimile factum accepimus in Epiro. Ad fontem jugis aquæ, ad quem mulieres ex oppidulo aquatum ventitabant,* Tritonem *seu hominem marinum è spelunca, quam fortè ibi nactus erat, observare solitum, si quando solam ad aquas accedentem aut per littus obambulantem mulierem videret, ipsum ex undis & spelunca leni gressu tacitisque vestigiis desilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem ex insidiis adoriri, arreptamque sub undas deferre consuevisse. Quod quum apud loci incolas percrebuisset, diligentiùs monstrum observâsse, & quum diutiùs laqueos illi intendissent; haud multo post dolô captum & laqueis vinctum cepisse.* Vide quoque Giraldum, *Syntagm. 5.* Scaligerum, *Exercitat. 226.* Eundemque fusè *de Histor. Animal. l. 2.* Damianum Goës *in Olysipponis Enarr.* ac Fortun. Licetum *de Gemmis Annul. Schem. 10. quò puella à Tritone rapta proponitur c. 61.* & *seqq.* ubi ex Scaligero *Tritonis* Romæ, inter cœtera spectacula, visi, formam sic describit: *Capitis coma persimilis est palustri apio, tum colore, tum quòd capillum omnino nullum ab aliis possis discernere, reliquum corpus squamâ inhorrescit minutâ, sed eâdem prope, qua lima est, duritie. Branchias infrà aures habent; nares hominis, rictum oris latiorem & pantheræ dentes: oculi glauci mihi visi sunt, manus etiam illis sunt digitique & ungues eâ formâ, quâ superiores conchyliorum testæ: pinnulæ sub ventre & pectore pro pedibus, uti Delphini.* Quod non malè convenit cum *Tritonis* descriptione, apud Nonnum, *Dionysiacor. l. 36.*

Τρίτων, δ' ἐμυκήσατο ἰξάμενον ἑλάδι κόχλον,
Ἀνδροφυὴς ἀτέλεστ⊛ ἀπ' ἰχθύος ἔγχλοος ἰχθύς.

TRITONIACA Palus, in Macedonia est, circa Pallenen, in quam novies immersum, avem fieri canit Ovid. *l. 15. Met.* qui hanc paludem *Hyperboream* vocat *Pallenen*, & *Tritoniacam*, *v. 356.*

Esse viros Fama est in Hyperborea Pallene,
Quîs soleant levibus velari corpora plumis,
Cum Tritoniacam novies subière paludem.

TRITONICE, Ponti urbs, quæ & *Tomos* dicta.

TRITONUS, Macedoniæ oppidum, *Steph.*

TRITOR, in *Glossis*, τριπτὴς: unde *tritum argentum*, pro cælato, apud Phædrum, *l. 5. Fab. 2. v. 7.*

—— auro adscribit Praxitelem suo,
Trito Myronem argento ——

Vide suprà, ubi de *Cælatoribus*, *Laboriosis Toreutis* &c. At *Tritores lapidum*, οἱ σμῆκται sunt καὶ σιλβωταὶ, de quibus vide Salmas. *ad Solin. p. 1105.* de utrisque plura retro diximus, in verbo *Terere*, item voce *Toreuma*, nec non ubi de *Torneutice Arte*, namque & de Tornatoribus Virg. *l. 2. Georg. v. 444.*

Qui radios trivêre *rotis* ———

TRITURATIO, per jumenta & per boves maximè, in usu fuit, apud Hebræos olim, Syros, Arabes, Ægyptios, Græcos, hodieque in Asia durat, teste Leunclaviô, & ex hoc Drusiô *in Achæam.* Idem ab illis Tartaris usurpari, qui circa Volgæ ostia degunt, asserit Olearius *αὐτόπτης, Itineris Moscov. & Pers. l. 4.* Et quidem Hebræi tres quatuorve boves collô devinciebant, ut simul *triturarent*: quorum commune vinculum מרבק *marbeck* dicitur Jerem. *c. 46. v. 21.* alibique, uti pluribus docet Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 32.* Quia autem tum maximè inter Judæos boves pinguescebant, cùm erat *trituræ tempus*, quòd *bovis triturantis os capistrare* Lex prohibebat, adeoque illis inter triturandum liberum erat vesci frugibus ad satietatem usque; hinc Oseas, ut Israëlitas laborem detrectare & genio indulgere doceat, eos confert cum vitula, *trituræ* soli adsuetâ, *c. 10. v. 11.* & Amos, ut Proceres Israëlis luxu & mollitie diffluxisse ostendat, inter cœtera comedisse *vitulos marbek* ait *c. 6. v. 4.* A vinculo nempe præfato, quô boves ad areæ palum, aut columnam collo adalligabantur, ut grana pedibus supposita subsultando triturarent. Talmudici, *Inter eas (columnas areæ) sit spatium duabus ribkis* (i. e. copulis, seu vinculis) *quarum singulæ capiant tres boves*, vel *quatuor*, in *Tract. Eruvin, c. 2. f. 17.* apud eundem Bochartum, *c. præc.* Præter hunc verò *triturandi* modum, & alii tres à Veterib. adhibiti leguntur, *virgis* scil. seu *flagellis*, *tribulâ* & *plaustrô rotis instructô*, de quibus, vide hîc suis locis, ut & in voce *Grana*: sicut de *Trituratorum societate militari*, suprà in *Trita.*

TRITURITA, insula seu villa parva Hetruriæ, apud Arni fluv. ostia. Rutilius, *Itin. l. 1. v. 527.*

Inde Trituritam petimus, sic villa vocatur.

TRIVENTINUM, urbs alis Samnii, nunc Comitatus Molisini, in regno Neapolitano, in limite Aprutii; *Trevento* vulgò, 17. mill. pass. à Bojano in Boream & 20. ab ora maris Adriatic. in Africum. Satis parva.

TRIVENTUM, vulgò MOLISE, ut ex Itinere Cost. bene Cluverius colligit, urbs fuit Samnii, Episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, hodie tantùm castrum tenue, unde Comitat. Molisinus, vulgò *Contado di Molise*, ad radices Apennini, 10. mill. pass. à Triventino in Meridiem, Bojanum versus, 12. ab Esernia in Ortum.

TRIVETUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

TRIVIA, Diana sic dicta, quòd *triviis* præesset, unde & 3. facies habere fingebatur. Lucret. *l.* 1. *v.* 84.

> *Aulide quo pacto Triviai virginis aram*
> *Iphianassai turpârunt sanguine fœdè*
> *Ductores Danaûm delecti, prima virorum.*

Ovid. *Pont. l.* 3. *El.* 2. *v.* 71.

> *Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,*
> *Evinctis geminas ad sua terga manus.*

Nic. Lloydius. Vel à *triplici* Lunæ (quam Dianæ nomine indigitatam fuisse notum) cursu sub Zodiaco, secundùm longitudinem, latitudinem & altitudinem: vel ob *triplicem* ejus in cœlo, terris, & inferis potestatem. Referunt alii, ad *tres* mensis cujusque decades, ἱσαμένου, μεσοῦντος & φθίνοντος &c. Ephesi verò inprimis culta Diana est hæc multimammia, ab Ionibus omnis nequitiæ inventoribus festumque ejus summa cum pompa & mollitie, idque à Sacerdotibus eviratis, celebratum. Unde Martialis, *l. de Spectac. Epigr.* 1. *v.* 3.

> *Nec Triviæ templo molles laudentur Iones.*

Hodieque in ea urbe ostendi ex marmore *caput*, ad cujus unum latus *serpens*, alterum *arcus*, quô *Trivia* consueverit repræsentari, adnotat Jac. Sponius, *Itiner. Græcia*, *Part.* 1. *p.* 326. Nec non celebre Templum habuit, in nemore Dianæ Triviæ prope Ariciam, quod ex Albano monte, quem locum, tanquam arcem elegerat Domitianus Imperator, ibique commorari gratissimum habebat, poterat prospici. Quare idem Poëta, *l.* 5. *Epigr.* 1. *v.* 1.

> *Hoc Tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,*
> *Cæsar & hinc Triviam prospicis, inde Thetin.*

TRIVIÆ Antrum, memoratum eidem, *l.* 6. *Epigr.* 47.

> *Sive Numæ conjux Triviæ te misit ab antro:*

Specus est Egeriæ Nymphæ, Numæ conjugis, in valle Dianæ Aricinæ. Alii tamen legunt, *Trivia te misit ab Anna*, intelliguntque Dianam Ariciæ cultam ab Anna Peranna: cujus Sacerdos *Rex* nominatus, ut colligitur ex eodem, *l.* 9. *Epigr.* 65. ubi *Triviæ nemorosa regna* habet. Vide quæ adnotavit *ad Hippolytum Senecæ*, *v.* 412. Farnabius.

TRIVIÆ Lacus, *Stagnum Dianæ* Ovidio, *lacus Hippolyti* Statio *lacus Nemorensis* Tranquillo, *Speculum Dianæ* Servio, *Lago di Nemo* Erythræo, lacus Latii apud Ariciam oppid. ab eo 4. mill. pass. distans: Circumstant Nemus & Cynthianum oppidula. *Baudrando* meliùs *Dianæ lacus*, hodie *Lago di Nemi*, parvus in Latio, 18. mill. pass. Româ in Ortum. Dictus à castro Nemo ei adjacente; ejus circuitus est circiter 6. milliar. Virg. *l.* 7. *Æn.* *v.* 516.

> *Audiit & longè Triviæ lacus, audiit amnis*
> *Sulfureâ Nar albus aquâ, fontesque Velini.*

TRIVIÆ Lucus, *Nemus Triviæ* Silio, *Gallinaria Sylva* Ciceroni, *l.* 9. *Fam. Ep.* 23. locus Campaniæ in sinu Cumano. Sed aliis *Selva di Nemo* in Latio apud lacum *Triviæ*. Virg. *l.* 6. *Æn.* *v.* 13.

> *Jam subeunt Triviæ lucos, atque aurea tecta.*

TRIVICUM, Hirpinorum in Italia oppid. vulgò nunc *Trevico* dictum, Episcopali dignitate insignitum, sub Archiepiscopo Beneventano, inde 24. mill. pass. inter illud & Compsam, Nusco & Frequento finitimum ad 8. ab Ariano 10. *Ferrar.* Horat. *in Hodæporico*, *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 79.

> — *Nisi nos vicina Trivici*
> *Villa recepisset.* — —

Baudrando urbecula est Principatus ulterioris intra Apenninum, 13. milliar. à Compsa in Boream, Bovinum versus 10. *Maginô* teste.

TRIVIUM, à *tribus viis* dictum, quibus *Triviam* præfuisse, diximus suô locô; addo hic saltem, apud Græcos prorsus olim, divites sub novilunium vespere cœnam Hecatæ in *triviis* mittere consuevisse, quam pauperes devorabant; uti docet Aristophanes, *Pluto*, unde *Hecates cœna* in proverbium abiit, de quo Erasmum vide. In *Triviis* autem cultam eam, quòd ibi exposita fuerit, ab Æolo & Phenea parentibus, sunt qui tradant, teste Nat. Comite, *Myth

olog.* *l.* 3. *c.* 14. Sed & Mercurius in *triviis*, τρικέφαλος *triceps* cultus est, qui subscriptione monstrabat, quà cuique eundem, non solùm per agros, sed & in ipsa Atheniensium urbe. Quin extabant illius monita; στεῖχε δίκαια φρονῶν, μὴ φίλον ἐξαπάτα, *ambula justa meditans, ne amicum decipe*, & similia. Etymol. in voce Τρικέφαλος. Vide quoque ubi de *Acervum lapidum congerendi in viis more*, nec non in voce *Mercurius* & infrà *Ungendi ritus*. In iisdem, quadriviisque Ædes sacræ olim erigebantur, ad quas pagani ex locis vicinis sacra facturi convenirent, uti diximus retro, in voce *Triopæa*. Porrò rupibus *triviisque* Frotho Magnus Danorum Rex, ad subditorum explorandam fidem, aureas suspendere armillas solitus legitur. Saxo, *l.* 5. *Armillam unam in rupe, quam Frothonis petram nominant, alteram apud Wiz provinciam, defixit edicta à se innocentiæ experimentum daturas*. Et paulo pòst, *In Jutia, tanquam in capite Regni sui, magni ponderis auream armillam* Triviis *affigi curavit*. Cui mori similia de Ælfredo Anglorum Rege recenset Matthæus Westmonasteriensis, ad A. C. 982. qui per publicos aggeres, ubi semitæ findebantur in quadrum, armillas ex auro jubebat appendi, ut viantium aviditatem irritaret, cùm non esset, qui eas acciperet. Et à Saxone quidem venit in suspicionem Fortunius Licetus, *l. de Annulis*, *c.* 40. de cornu aureo A. C. 1639. die 10. Julii in Ripensi Cimbriæ diœcesi à puella Dana casu invento, ad explorandam Præsidum vigilantiam, in *Triviis* quoque olim ab Haraldo Rege fuisse expositum. Quod quanquam factum non inficietur Olaus Wormius, *in sec. Aurei Cornu edit. Epist. ad Licetum*, tamen neutiquam eô fine initiô id conditum credit, quòd rudi massâ aureâ, aut minori labore in aliam redactâ figuram idem commodiùs potuerit præstari: tam illustre enim adeoque insigne monimentum facilè à quovis ad Regem pertinere agnosci poterat. Thom. Bartholin. *de Armillis Veter.* Sed & in biviis, *triviisque*, auguria olim captabantur: uti de Babyloniæ Rege legimus Ezech. *c.* 21. *v.* 26. & videre est suprà, ubi de variis *Divinationis* speciebus item ubi de *Sortibus*; Philosophorum ἄσματα canebantur, vide suprà *Carmina*: ut & aliquid, ubi de *Compitalitiis Ludis* &c. Recentioribus *Trivium*, in Scholis, dicta Grammatica, Rhetorica & Dialectica, *quasi triplex via ad Eloquentiam*, Ugutio; sicut *Quadrivium*, reliquæ liberales Artes. Unde *Vir in trivio & quadrivio excellentissimus*, apud Matth. Paris A.C. 1252. Vide suprà, voce *Quadrivium*.

TRIUM Liberorum jus, celebre apud Romanos olim, indigitatur Juvenali, *Sat.* 9. *v.* 87.

> *Jura Parentis habes, propter me scriberis heres,*
> *Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.*
> *Commoda præterea jungentur mille caducis,*
> *Si numerum, si tres implevero* —

Nempe cùm apud Romanos Præturæ, Quæsturæ, omnesque Magistratus & Honores, ad numerum liberorum Parentibus distribuerentur, frumentum quoque pro illo daretur, iique in fascibus sumendis priores essent, & in Spectaculis honoratiora loca occuparent, qui plures haberent liberos; unde natæ leges, Julia, Papia Poppæa, aliæ: inprimis fuêre *Jura trium Liberorum*, à Græcis derivata. Inter illos enim Spartani, multiplicandorum civium causâ, legem tulerunt, ut, qui *tres liberos* genuisset, à custodiæ munere esset immunis, si credimus Æliano, *Var. Hist. l.* 6. *c.* 6. Hinc ne infelices essent gravidæ uxores, supplicationes & vota Veneri apud Romanos, Τριτοπάτορσι, apud Athenienses facta. Dicebantur autem Τριτοπάτορες, i.e. *tertiò locô parentes*, post Solem putà & Lunam, tres illi venti Cottus, Briareus & Gyges, de quibus multa vetus Scholiastes Hesiodi *in Theogon.* Vide quoque Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 2. Cùm verò haud paucis ea felicitas non contigeret, donabantur hôc jure ab Imperatoribus nonnulli, quibus id Natura negaverat. Plinius Jun. *l.* 10. *Ep.* 23. *Exprimere Domine verbis non possum, quantum mihi gaudium attulerit, quòd me dignum putâsti jure trium liberorum.* Clari videl. homines & bene meriti, ut hôc pactô, præter dicta, in Testamentis legata quoque capere, & ad caducarum hæreditatum successionem admitti possent. Unde Martialis ἄπαις, jus hoc à Domitiano, magni beneficii locô, & in laboris sui præmium ac solatium, petit, *l.* 2. *Epigr.* 91. *v.* 5.

> *Quod Fortuna vetat fieri, permitte videri,*
> *Natorum genitor credar ut esse trium* &c.

Vide *Scholia ad loc.* Th. Bartholinum, *de Puerperio Veter.* Alios.

TRIUMPHALIS, cognomen Herculis, ab Euandro sacrati, in Foro Boario, quem per triumphum habitu triumphali amiciri solitum, scribit Plinius, *l.* 34. *c.* 7. *princip.* idem Salmasio cum *Victore* est, quod ejusdem Idoli epitheton fuit, *Exercitat. Plin. ad Solin. p.* 10. ubi ad Portam quoque Tergeminam ejus ædem fuisse, docet. Qui verò inter homines *Triumphales* dicti, vide infrà.

TRIUMPHALIS, porta Romæ dicta est, quòd per eam triumphantes victores in urbem deducerentur.

TRIUMPHALIS Toga, primùm purpurea fuit, dein acu picta, teste Verriô Flaccô, apud Sextum Pompejum, ubi *Picta*, inquit, *Toga, quæ nunc dicitur, purpurea antè vocitata est, eaque erat sine picturâ: ejus rei argumento est pictura in æde Vertumni & Consi, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera L. Papyrius Cursor triumphantes ita picti sunt.* Fuit autem picta Toga nil aliud, quàm acu elaborata, figurisque Phrygiô opere distincta: quarum originem à pictis apud Homerum vestibus arcessit Plinius. Togæ itaque *Triumphali* purpureæ aurum immixtum fuit, quô Phrygiones eam variis figuris ad instar picturæ distinguebant, unde ἐσθὴς χρυσόπαστος Dioni, *l.* 63. Eadem, à genere picturæ, *Palmata* dicta est, quòd *palmas* primitus intextas haberet, mansitque posteà nomen, etiamsi aliæ intexerentur figuræ. Ejus tamen meminêre pauci, ut observat Manutius; cùm Tunicæ palmatæ frequentior apud Auctores mentio fit. Martialis de eâ, *l.* 7. *Epigr.* 1. *v. ult.*

> *I comes, & magnos illæsa merere triumphos,*
> *Palmataque Ducem, sed citò, redde Toga.*

In quæ verba Salmasius: *Postquam & Tunicæ quoque Triumphales pingi cœptæ sunt & à picturæ argumento palmatæ sunt appellatæ; inde factum est, ut & pictis Togis idem nominis daretur.* Transiit utraque ad Romanos à Thuscis, à quibus Tarquinium accepisse omnem triumphantium cultum, discimus ex Floro, *l.* 1. *c.* 5. aliisque. Porrò *Capitolina* quoque dicta est, an quia talis Jovis erat in Capitolio: an quia in Capitolio illa olim dabatur, atque in Capitolium triumphantes illâ induti invehebantur? Vide Hier. Bossium, *de Toga*, *c.* 16. Deponebatur communiter statim post Triumphum. Cæsari verò, inter reliquos honores & hunc à Senatu tributum, testatur Dio, *l.* 44. *Primum ei datum, ut semper etiam in Urbe Toga Triumphali indutus incederet.* Quô tamen eum non semper usum esse credere par est, quòd Dio *ibid. lib.* tradit, eum ex Senatus-Consulto vestem Triumphalem omnibus ludis gestâsse. Idem, *l.* 53. post devictos Astures, datam Augusto potestatem Kal. Januariis corona &

& vestis Triumphalis gestandæ, tradit. Reliqui verò Imperatores in civili habitu vulgatique. Quare hunc habitum, velut invidiosum, notârunt Auctores, in Principibus: Tacitus *l.* 13. *c.* 8. in Nerone, cui *diebus supplicationum vestem Triumphalem decretam* refert: in eodem Dio, *l.* 63. ubi, in adventu Teridatis eâdem usum, tradit Suetonius, *c.* 52. in Caligula, qui *Triumphalem habitum etiam ante expeditionem assiduè gestabat*. Dio iterum, *l.* 67. in Domitiano, qui cùm in Senatum veniret, eô ornatu uti solebat: quod fecisse Marium Romanorum primum, legimus *in Epit. Liv. l.* 67. Capitolinus in M. Antonino & Vero: Herodianus in Heliogabalo &c. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Vestiar. l.* 2. *c.* 26. Hinc præcipua dona, quibus amicos Reges Senatus Romanus excolebat, Togæ pictæ fuerunt, & Tunicæ palmatæ, ut toties apud Livium aliosque invenies. Interim, non Triumphantium modo ea Toga fuit, sed & Consulum, qui, cùm liberâ civitate in sola prætexta fuissent, posteà *Triumphali* habitu usi sunt, quoties Magistratum inirent ipsis Kal. Januariis, item cùm Jani Templum reserarent: cujus rei aliquod vestigium sub Commodo, apud Herodian. clarius indicium, sub Alexandro Sev. apud Lampridium. Vide quoque Capitolin. *in Gordiano*. Crebrior posteà usus ac mentio, apud Scriptores. Etiam Prætorum, quoties Ludos ederent, vel sacra peragerent peculiaria, ut discimus ex Appiano, *l.* 1. *civil.* ubi de Asellio Prætore, fœneratorum scelere medio in Foro obtruncato. *Aulæum* eleganter appellat Juvenalis, ad quem vide veterem Interpretem, in verba, *Sat.* 10. *v.* 38.

> ——— —— *Picta Sarrana ferentem*
> *Ex humeris aulæa Togæ.*

Ita apud Tacitum, *l.* 1. *Annal. c.* 15. Tribunis, celebraturis Ludos Augustales, *Triumphali* veste uti fuisse legimus permissum. Quò trahendus Martialis jocus in Proculejam, *l.* 10. *Epigr.* 41. quæ marito, futuro Prætori, repudium dixerat, ne cogeretur suppeditare impensas, ad purpuram emendam, quâ Megalesia spectacula ederet. Sumpsêre autem & Consules & Prætores hanc Togam iisdem de Capitolio seu Jovis Templo, ut de Alexandro Severo scribit Lamprid. *c.* 40. Primus Gordianus privatus suam propriam habuit, ut eâ Magistratum annumque inchoaturus uteretur, apud Capitolin. *in Gordianis tribus*, *c.* 4. Sed &, præter præfatos, hominibus quoque privatis, *Triumphalis* Togæ jus quandoque factum fuisse, accepimus: uti Paulo Æmilio, qui de Perseo triumphavit; Pompejo M. Catoni, ob regiam Cypri gazam sanctè Romam transvectam, Cæsari, aliis. Inferiori verò ævô vestis purpurea, i. e. Toga ac paludamentum, Imperatorum fuit propria, more à Galieno ortô, apud Trebellium: à quo tempore *purpura* pro Principatus symbolo a Scriptoribus passim accipitur. Vide Ferrarium suprà laudatum, *l.* 2. *c.* 9. Neque verò *Triumphantes* solùm, sed & *triumphati*, in claris ac speciosis vestibus erant. Hinc Tetrico, cùm in triumphum duceretur ab Aureliano, *coccinæ chlamys & tunica galbina*, adeoque cultus habitusque fuit, quô solebat esse tum, cùm maximè Imperatorem ageret. *Incedebat etiam Zenobia, ornata gemmis, catenis aureis, quas alii sustentabant*, apud Vopiscum *in Aureliano*, *c.* 34. Cujus moris vestigium, antiquissimô tempore, in Thyo Paphlagoniæ Rege à Datame triumphato, habes apud Corn. Nepotem, *in Vita hujus*, *c.* 3. Neque verò vestes *Triumphales* insignes, sed & *tubæ* erant, quæ triplici in pompa locô prodibant, uti videre est apud Panvinium *de Triumpho*. Ad cujusmodi *Tubæ triumphalis* differentiam, *Civilis tuba* dicitur P. Chrysologo, *Serm.* 9. Domus quoque *Triumphalis* aliquid peculiare habuit, quòd non communi, sed Græcô more, de via scil. fores ejus aperirentur, qua de re vide Alex. ab Alexandro, *Genialium Dier. l.* 5. *c.* 24. uti de *Triumphalibus Coronis* multa, apud Car. Paschalium, *Coronar. l.* 8. *c.* 4. & *seqq.* nec non suprà aliquid, ubi de *Insigni Corona* &c.

TRIUMPHUS, Græcè Θρίαμβος, epitheton Liberi patris, Plutar. *in Marcello*. Unde pompæ triumphali, cujus ipse in Græcia primus Inventor fuisse fertur, nomen: Vide Plin. *l.* 7. *c.* 56. & Diod. Sicul. *l.* 5. ac triumphalis acclamatio *Io*, à Bacchi cognomento sumpta est. Horat. *l.* 4. *Ode* 2. *v.* 49.

> *Teque dum procedis, Io triumphe,*
> *Non semel dicemus, Io triumphe,*
> *Civitas omnis: dabimusque Divis*
> *Thura benignis.*

Et *Ode* 9. *Epod. v.* 21.

> *Io triumphe, tu moraris aureos*
> *Currus, & intactas boves,*
> *Io triumphe, nec Jugurthino parem*
> *Bello reportâsti Ducem, &c.*

Sic Livius quoque, *l.* 45. *Militum*, inquit, *propria est causa, qui & ipsi laureati & quisque donis, quibus donati fuerant insignes*, Triumphum *nomine cient*.

TRIUMPHUS, sive, ut in nummis, *Triumpus*, summus erat honor, & penè divinitati conferendus, quô Imperatores, ob res in bello præclarè feliciterque gestas, apud Romanos olim, solebant affici. Hujus primus auctor Romæ Romulus fuit, Liberum Patrem, apud Græcos triumphi inventorem, imitatus. Postquam enim, cæso suâ manu Acrone, Ceninensium Rege, Jovi arma ejus ex voto esset dedicaturus; quercum, quam in castris viderat, recîdit, & instar tropæi adornavit, Acronisque armis aptè ex eo suspensis, ac veste ipse incinctâ & fluente comâ laureâ coronatus, stipitem illum dextrô humerô bajulans, Urbem est ingressus: carmen victoriale exercitui in armis sequenti præcinens, & civibus eum gratulatione & laudibus excipientibus, sese ostentans. Addidit dein Tarquinius Priscus Rex currum, & alia, quæ ad speciem magnificentiamque majorem pertinebant: quibus quantum splendoris postmodum accesserit, videre est in speciosissimis triumphis, quos egêre L. Cæcilius Metellus An. Urb. Cond. 503. Marcellus, An. 531. P. Scipio Africanus, An. 549. L. Æmilius Paulus, An. 586. Scipio Africanus poster. An. 607. L. Mummius, An. 608. Marius, An. 672. Sulla paulo pòst, & Pompejus tertiùm triumphans. Quibus adde C. Julium Cæsarem, Augustum & Aurelianum. Numerant autem Eruditi, ab Urb. Cond. usque ad Vespasiani & Titi Augg. de superatis Judæis victoriam triumphos 320. Fuêre tamen, qui oblatum triumphi honorem magnô animô rejecêre, Cn. Fulvius Flaccus, apud Val. Max. *l.* 2. *c.* 8. *tit.* 3. M. Fabius, amissô in bello fratre, apud Orosium, *l.* 2. *c.* 7. & Dionys. Halicarn. *l.* 9. C. Marius apud Plutarch. *in Mario*. Tiberius, mœstâ civitate clade Varianâ, apud Sueton. *c.* 17. *&c.* Jus triumphandi Romani tantùm, aut ut minimùm Itali habuerunt, unde mireris, M. Perpennam hominem Græcum de Aristonico triumphum duxisse, apud Paulum Orosium, *l.* 5. *c.* 10. Justin. *l.* 36. *c. ult.* Val. Maxim. *l.* 3. *c.* 4. *ex.* 5. Illud penè suprà fidem, quòd Ventidius Bassus, ex mulione Cæsaris Parthorum triumphator evasit, Plut. *in Antonio*. Ratio autem *Triumphi* hæc: Convocatô in ædem aliquam, putà Martis Ultoris, Senatu, literæ ab Imperatore & victore exercitu missæ legebantur, Sueton, *in Aug. c.* 29. In quo ritu semper observatum, ut extra Urbem haberetur Senatus, ne milites armati Urbem ingrederentur, L. Seneca *de Benefic. l.* 5. *c.* 15. *in fi.* Erant autem hæ literæ rerum feliciter gestarum indices; Nam *quinque hominum millia* Val. Max. *l.* 2. *c.* 8. aut *sex oportebat cecidisse*, A. Gellius, *l.* 5. *c.* 6. & lauru proin obvolvebantur, C. Plin. *l.* 15 *c. ult.* Sic, postquam jurejurandô obstricti Centuriones, vera esse quæ per literas Senatui nunciarentur, confirmavêre, decretus à Senatu triumphus est: tum dicta dies, quâ cum exercitu adesse debebat Imperator, Hadr. Turnebus, *Adversar. l.* 30. *c.* 25. Quæ cùm illuxit, Senatus obviam progressus, portâ triumphali in Urbem admissum exercitum usque in Capitolium comitabatur, ut victoriam bellô partam, legibus & statutis civilibus retinendam doceret. Ornamenta triumphalia erant: Corona, currus, equi, toga, sceptrum. Corona antiquissimis temporibus ex lauro constans, posteà aurea fuit, quæ in sinu Jovis deponebatur, aut templis ceu anathema votivum suspendebatur, idem, *l.* 22. *c.* 11. Currum, cujus fastigium bracteis aureis decorabatur, ducebant quatuor equi albi, Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1. Tibullus, *l.* 1. *eleg.* 7. *v.* 8.

> *Portabit niveis currus eburnus equis.*

Obtinuitque hic usus, quamdiu stetit Respublica, at ereptâ libertate mutati mores, & pro equis leones juncti sunt, Plin. *l.* 8. *c.* 16. Pompejus M. elephantis primus usus est, Idem *l.* 8. *c.* 2. ad morem Liberi patris, quum de Indis triumphum egit. A tergo ponè triumphantem carnifex coronam sustinebat, ante eundem in curru liberi vehebantur, Jul. Capitolin. in *Antonino Philosopho*, vel equis triumphalibus conscensis currum comitabantur: Idem *ibid. in.* Fascinus quoque sub curru erat, de quo vide Turnebum, *Adversar. l.* 9. *c.* 28. Togâ indutus fuit Triumphator aurô picta, ex probatissimo cocco, reliqui candidâ; Hinc Tit. Calphurnius Siculus, *Eclogâ* 1.

> *Candida pax aderit.* ———

Ipse aurigandi officiô functus: Sceptrum tandem ex ebore manibus versabat, vide Appian. *in Libycis*. Pompa talis fuit: Ad pascendos voluptate oculos animosque, urbium, montium, fluviorum, regionumque nomina præferebantur, spolia item & exuviæ hostibus detractæ, postremò ipsi Duces superati. Vide Tacit. *Annal. l.* 2. M. Tullium Cicer. *Orat. in Pisonem*. Liv. *Dec.* 4. *l.* 7. *&c.* Hinc Marcellus triumphans *tulit Syracusas*, Plutarch. *in ejus vita* T. Quintius *Præneste victum pratulit*, Liv. *Dec.* 1. *l.* 6. & Cicero refert *Officior. l.* 2. *Portatam in triumpho Massiliam*. Habebant Urbes istæ titulos scriptos & apposita nomina, quæ legi possent. Addebantur turres, plerumque ex ebore, aut è cera, Ovid. *de Ponto*, *l.* 2. *eleg.* 1. Sidonius Apollin. *Carm.* 5. *&c.* Fluvii locorum subactorum, catenis injectis præferebantur: Unde Sext. Prop. *l.* 2. *eleg.* 1. *v.* 31.

> *Aut canerem Ægyptum, & Nilum, cùm tractus in urbem*
> *Septem captivis debilis ibat aquis.*

Observatumque est, ut in hac pompæ traductione fluvii iisdem ostiis, quot fluerent, describerentur. Sed inprimis Duces captivi catenis in collo, brachiis, manibus & cruribus onerati, ac tonsi amissum decus traducti loquebantur. Sic Radagaisus Gothorum Rex, *victus & vinctus sub jugo catenisque* fuit, apud Paul. Orosium, *l.* 7. *c.* 37. Jugurtha *victus ac vinctus vidit Urbem*, apud Flor. *l.* 3. *c.* 1. Aurelianus *Zenobiam in vinculis tenuit*, apud Fl. Vopiscum *in ejus vita*. Cùm verò capti non fuêre Duces, sed vel in acie occubuerant vel fugerant, imagines eorum aut vultus præferri solebant, & sub Triumphantis pedibus effigiari, Artemidor. *l.* 1. *c.* 50. Claudian. *de Honorii Consul.*

> *Colla triumphati proculcet Honorius Istri.*

Unà cum Ducibus catenatis tibicines & citharœdi, incedebant; quos sequebantur Scutiferi, Scriptores, aliique exercitus Ministri; tum Obsides, tormenta bellica, & catapultæ, cælatum item argentum hostibus ereptum, unà cum reliquis spoliis, armisque captivis, & si quid aliud mirum in devictis regionibus esset aut oculis civium placiturum. Hinc Curius Dentatus *Elephantos*, Aurelianus *ignota animalia*, Cn. Pompejus *tabulam lusoriam*, Vespasianus devictâ Judæâ *balsama*, Pompejus victô Mithridate *hebenum*, Cn. Manlius *triclinia ærata*, *abacos*, *monopodia & stragula*, præferri jussêre. Denique totum agmen claudebarut à quodam, qui *ineptâ gesticulatione risum*

risum omnibus moveret, hostibus illuderet, eosque virtutis Romanæ & suæ temeritatis admoneret, Liv. *Decad.* 1. *l.* 4. Altera persona Manduci erat effigies: Tertia Petreja dicebatur, in eosdem usus excogitata. Et hæc quidem pompa præcedebat currum, sequebantur Senatores, cives redempti atque hostilibus vinculis liberati, & milites ipsi coronati, quibus liberum erat, vitia virtutesque Ducum suorum decantare. Sic Camillus *Parens Patriæ* ac *alter Romulus*, & Marius *tertius conditor*, militari plausu dicti sunt: contrà M. Manlio *ambitio* & Cæsari *avaritia* exprobrata est. Frequentiùs tamen receptiusque *Jo. Triumphe* inclamabatur, ritu ab Apollinis victoriâ desumptô. His successêre Legati,& Centuriones; denique popæ, sacrificuli ac victimarii in turmas divisi, bovemque candidum præ se agentes, cultros sacros, thus, molam, far, vinum aliaque sacro apparatui necessaria gestabant, atque ita per urbem totam à porta Triumphali, per viam sacram, & clivum Capitolinum conscendebat *Triumphator*, hostibus in carceres conjectis. Petr. Apollonius, *Collat. l.* 1. *de Excidio Hierof.*

Haud unquam tali plausu Capitolia Consul
Victor iniit. —— ——

Dum hîc triumphantes operabantur, captivos Reges in carcere strangulari mos erat, quorum morte nuntiatâ sacrificium incipiebat. Victima albus erat taurus, è Menania petitus, ubi Clitumnus aquâ suâ candidos eos reddere credebatur. Juvenal. *Sat.* 12. *v.* 13.

Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis.

Finem toti pompæ imposuit epulum Triumphale, Dio, *l.*44. ad quod Consulem solemnibus verbis invitare moris erat, Val. Max. *l.* 2. *c.* 8. mox tamen, ne adesset, rogabatur, ne videlicet triumphanti quisquam primum locum eriperet, Plut. *Problemat. Rom. c.* 88. Omnia hîc exposita & immodicam redolentia superbiam, L. Senec. *ad Helviam, c.* 9. *Vini Chii & Falerni amphoras centum populo dedit Julius.* Idem Cæsar *murænarum* 6000. proposuit, apud Plin. *l.* 9. *c.* 55. unde colligitur, totam civitatem, omnesque ordines huic convivio fuisse adhibitos: Et certè Lucullus urbem totam & suburbanos vicos excepit, Plutarch. *in eod.* Fiebat autem id vel in Capitolina cella, vel in Capitolina porticu, vel templo Herculis, vel quolibet alio Urbis celebri loco. Ipsi victi fercula inferebant, Sidonius Apollin. *Carmin.* 22.

Succedit captiva cohors, quæ fercula gazis
Fert onerata suis. —— ——

Denique cùm in privatis conviviis, nardo, rosis, unguentisque delicatissimis se inungerent Romani, triumphali epulo etiam minium additum est: C. Plin. *l.* 33. *c.* 7. Omnia enim Jovi & triumphanti paria: proin, ut hujus statua, diebus festis, miniô obliniebatur, ita triumphales coronæ ipsiusque victoris Imperatoris vultus eo decorari solebat. Addam formulas duas precationum, quibus defungi moris erat Imperatorem, cùm currum, post dona militibus populoque divisa, conscenderet; cumque dein Capitolium subiret. Prior erat, DII, NUTU ET IMPERIO QUORUM NATA ET AUCTA EST RES ROMANA, EANDEM PLACATI PROPITIATIQUE SERVATE. Posterior, GRATIAS TIBI JUPITER OPTUME MAXUME, TIBIQUE JUNONI REGINÆ ET CÆTERIS HUJUS CUSTODIB. HABITATORIBUSQUE ARCIS DII, LUBENS LÆTUSQUE AGO, RE ROMANA IN HANC DIEM ET HORAM PER MANUS QUOD VOLUISTIS MEAS, SERVATA, BENE GESTAQUE EANDEM ET SERVATE, UT FACITIS FOVETE, PROTEGITE PROPITIATI, SUPPLEX ORO. Plura de Triumpho Romanor. vide apud Thom. Dempster. *Antiq. Rom. Paralip. ad l.* 10. *c.* 29. *Rosini Antiq.* Lipsium, Alios. Sed & ante Romanos triumphârunt Cyrus, referente Cedrenô, qui multa à Persis Romam translata docet: Ptolemæus Philadelphus apud Athen: *l.* 5. Xerxes apud Herodot. *l.* 7. Carthaginenses apud Polyb. *l.* 3. ut de Baccho, cujus jam suprà mentio facta est, nihil adjiciam. Dividebantur Triumphi in terrestres, qui terrâ, & navales, qui mari rebus feliciter gestis agebantur: qualem primus egit C. Duilius, An. Urb. Cond. 493. Val. Max. *l.* 3. *c.* 6. ex 4. Liv. *Epitom*, 17. Florus, *l.* 2. *c.* 2. Cicero, *in Catone maj. c.* 13. Minoris triumphi species Ovatio fuit, de qua vide A. Gellium, *l.* 5. *c.* 6. Primus autem urbem ovans ingressus est Publ. Posthumius Tubertus Consul secundùm, An. Urb. Cond. 250. de quo Plin. *l.* 15. *c.* 29. *Bellicis se quoque rebus myrtus inseruit, triumphansque de Sabinis Posthumius Tubertus in Consulatu, (qui primus omnium ovans urbem ingressus est: quoniam rem leviter, sine cruore, gesserat) myrto Veneris Victricis coronatus incessit optabilemque arborem etiam hostibus fecit.*

TRIUMPHUS, & Myrinus, nomina Gladiatorum aulicorum Domitiani Imperatoris, quos viribus, arte, ornatu eximios, proprios & peculiares sibi alebat, teste Suetoniô, *c.* 4. Vide quoque Ludov. Cælium, *l.* 6. *c.* 32.. Hos cùm è familia sua, munere Quæstoriô, petenti indulsisset Populo, laudavit popularitatem ejus Martialis, *de Spectac. Epigr.* 20. cujus initium,

Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum &c.

TRIUMPHUS *Secretus*, apud Martialem, *l.* 8. *Epigr.* 15. *v.* 5. ubi de Domitiani laureæ de Sarmatis Jovi Capitolino relatione,

Hos quoque secretos *numerabit Roma* triumphos:

species erat *Triumphi* seu imago quædam, concedi solita, si ex cive parta victoria; aut ex bello, non acie, sed pace & pactione; aut non ex bello, sed actis urbanis; aut ex rebus gestis, sed non dignis justô triumphô: quales erant laureæ C. Antonii, ex bello Catilinario, Domitiani de gente præfata, Neronis, apud Suetonium, *c.* 13. verbô, ex omni victoria, ob quam salutatus aliquis Imperator, ejusmodi secretus triumphus. Non ergo idem *triumphare*, & *Jovi Capitolino lauream referre*, majusque longè ac dignius *triumphi*, quàm *laurea*, just qua de re vide Manlium, & Casaubonum, *ad Sueton. Domit. c.* 6. Sed & *Triumphos minutos* sæpe & facilè ab Augusto solitos concedi, variis locis scribit Dio, *l.* 54. imo jam ante ipsum in Julio Cæsare visum est, cùm Hispaniensis triumphi honorem ambitiosè cum Legatis suis, qui propriis auspiciis nihil fecerant, communicavit, uti adnotatum eidem Casaubono, *ad ejusdem Auctoris Augustum, c.* 38. Porrò An. Urb. Cond. 740. cùm desiissent *Triumphi*, cœpêre *Triumphalia ornamenta* decerni, videl. *corona aurea, patera, aurea sella curulis, scipio eburneus cum insidente aquila, toga picta, tunica palmata, statuæ laureatæ, nomina triumphalia* &c. quæ *Insignia triumphi* vocat Tacitus, *Annal. l.* 3. *c.* 48. & *Insignia triumphalia*, *Annal.* 1. *c.* 72. Sic ex eodem bello vel triumphos, vel triumphalia certè ornamenta comites expeditionum sequiori ævô consequebantur; notatque Dio, triumphalia ornamenta adeptos esse per Claudium, non solùm Consulares viros, ex Senatoribus, sed alios quoque dignitate longè inferiores: unde Suetonius, *Secuti & triumphalia ornamenta eôdem bellô adepti in eo*, *c.* 17. Sed & Germanicum, ex bello Dalmatico, ante Consulatum suum primum, ἐπινικίους καὶ στρατηγικὰς τιμὰς nactum esse, Dio idem refert, *l.* 56. Atque hi *Triumphales* quoque dicebantur, non ii solùm; qui *triumphâssent* &c. Vide iterum Casaubon. *ad Caligulam Suetonii c.* 3. alibique passim. Ut de *Triumpho Justo*, hoc unum addam, triumphâsse Veteres non de superatis solùm gentibus, sed & de Diis victis, discimus ex Sacris quoque, in quibus Philistæi arcam abducunt, sed malo suo, 1. Sam. *c.* 5. *v.* 2. & *seqq.* Teglath Phalassar Rex Assyriæ aufert è Dane vitulum aureum, 2. Paralipom, *c.* 28. *v.* 20. 21. Salmanassar alterum è Bethele, Oseæ *c.* 10. *v.* 5. 6. Porrò, Moabitide à Chaldæis excisâ, Jeremias vaticinatur fore, ut *Chamos*, Moabitarum idolum, in transmigrationem eat, Jerem. *c.* 48. *v.* 7. & de Ammonitarum Deo *Malcham* idem prædici videas, Jerem. *c.* 49. *v.* 3. etiam captâ Babylone. Bel & Nebo in captivitatem abeunt, Esaj. *c.* 46. *v.* 1. 2. Quô eôdem exemplô, Ptolemæus Euergetes, victô Seleucô Callinicô & Syris, *Deos eorum captivos ducit in Ægyptum*, Dan. *c.* 11. *v.* 8. Romanis id ipsum sæpe usurpantibus: inter quos tertium Pompeji triumphum Θεῶν βαρβαρικῶν εἰκόνας, *Deorum Barbaricorum imagines*, decorâsse, legimus in Appiani *Mithridatico.* Vide quoque Plut. *in Marcello*, quem propterea accusatum scribit, quòd Deos, tanquam captivos cum pompa, in triumpho duxisset, *in Paulo Æmylio* &c. Unde egregiè Octavius apud Minucium Fel. *Quidquid*, ait, *Romani tenent, colunt, possident, audaciæ præda est: templa omnia de manubiis, i. e. de ruinis urbium, de spoliis Deorum, de cædibus Sacerdotum. Hoc insultare, & illudere est, victis religionibus servire, captivas eas post victorias adorare. Nam adorare quæ manu ceperis, sacrilegium est consecrare non Numina. Toties ergo Romanis impiatum est, quoties* triumphatum, *tot de Diis spolia, quot de gentibus & tropæa. Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quòd impunè sacrilegi. Neque enim potuerunt in ipsis bellis Deos adjutores habere, adversùs quos arma rapuerunt, & quos post cladem* detriumphatos *colere cœperunt. Quid autem isti Dii pro Romanis possunt, qui nihil pro suis adversùs eorum arma voluerunt?* Nempe & *solebant Romani Deos gentium, quas subjugaverant, colendos propitiare & eorum sacra suscipere*, Augustin. *de consensu Euangelistarum, l.* 1. *c.* 12. Vide quoque Tertullian. *Apologet. c.* 25. Hieronym. *in Ep. Pauli ad Romanos, c.* 1: suprà ubi de *Evocandi Deos* ratione, & hanc in rem plura, apud Sam. Bochartum, *Hierozoici Parte prior. l.* 2. *c.* 34. ut & suprà aliquid voce *ostendere.*

TRIUMPILINI, Plin. sedem habent juxta lacum Benacum. Suntque Euganeorum reliquiæ, & vocantur hodie *Triplever*, in territorio Brixiensi & vallem Trupiam, vulgò *Val Triompa*, à Brixia 20. mill. pass. incolunt, teste Simlerô. Sunt in hac valle, quæ inter Benacum, & vallem Sareæ flum. ac prætereà vallem Camunicam, Clisius & Castar fluvioli, & Ludro oppid. unde Comites Lodronii nomen habent, qui existimantur Plin. *Alutraenses* dicti, *l.* 3. *c.* 20. Joh. Bapt. Plantinus, *Helv. Antiq. & Nov.*

TRIUMVIRALE Synedrium, in Rep. Hebræorum, erat unum ex minoribus illorum Synedriis seu Convertibus Juridicis. Duplicis enim generis iis Synedria erant, סנהדרין גדולה *Sanhedrin gedola*, i. e. *Synedrium Magnum*, de quo suprà, & סנהדרין קטנה *Sanhedrin Ketanna*, seu *Synedrium minus*, quod iterum duplex erat, *Vigintiunius virale* & *Triumvirale*, à numero Judicum sic dictum: quemadmodum Synedrium M. quod Hierosolymæ fixum erat, *Septuagintaunius virale* non raro dicitur. In quibus omnibus impar numerus adhibitus, ut, si dissensio foret, pars altera minimùm unicô prævaleret: Unde toties apud Magistros repetimus, *Synedrium non debet esse aquâ lance libratum ideoque adjiciendus unus.* Cùm verò Synedrii M. sedes, ut dictum, perpetua esset Hierosolymis, & quidem in parte Templi, quæ Græcè λιθόστρωτον, Joh. *c.* 19. *v.* 13. Vigintiunius viralia Hierosolymis bina erant & per reliquas Urbes, in quibus erant incolæ 120. seu 60. Patres familiâs, constituebantur: ubi verò minor erat numerus, *Triumviralia*, alia ex auctoritate publica, in locis vicorum idoneis urbibusque, quibus Vigintitriumviralia non conveniebant, habebantur; alia, pro re nata, eligebantur, partim compromissô seu *communi* litigantium *pactione, ad similitudinem Arbitrorum*, ut loquuntur Arcadius & Honorius Augg. de recentiori Judæorum, ex more Majorum, in Jurisdictione contentiosa, usu continuatô, *l.* 8. C. *tit. de Judæis*: Partim ex unici alicujus arbitrio, ubi actus aliquot Jurisdictionis tantùm voluntariæ exercendi; cujus electionis exempla sunt in renuntiatione, excommunicationis absolutione, Presbyterorum creatione &c. De his omnibus autem monet, ex disciplina Talmudica, Maimonides, *Halach Sanhedrin, c.* 2. §. 13. ea quidem legitima fuisse Fora, etiamsi Tres tantùm interessent, sed laudatiùs habitum esse, si plures velut causæ ventilandæ & judicii futuri testes ac inspectores adhiberentur, quorum item per suffragia sententia alterutra, pro re nata, præponderaret. Atque ita per Urbes, præter Hierosolyma, alias, vicosque & oppida, Synedria minora collocata sunt, ex præcepto illo Deute-

Deuteron. c. 16. v. 18. ne quilibet, litis causâ, Synedrium M. adire latum cogeretur. Ut autem in Synedrio Viginitriumvirali de capite quidem judicabatur, ita tamen potestate limitatâ, ut neque de integra aliqua Tribu, neque de Pontifice Max. aliisque gravioris momenti caufis cognosceret; ita *Triumvirale*, causas capitis planè non tractabat, sed lites paulo leviores decidebat, & mulctam solùm pecuniariam, aliquando & flagellationem, irrogabat: Utrinque verò ad Synedrium Magnum erat provocatio. Vide Joh. Selden. *de Synedriis veter. Hebraeorum, l. 4. c. 5.* & Thom. Godwyn. *tract. Anglic. cui Titulus, de Ritibus Hebraeorum Eccles. & Civilib. l. 5. c. 4.*

TRIUMVIRI Ædibus sacris incendiô consumtis restituendis & sacris conquirendis donisque præsignandis, memorantur Livio, *l. 25. c. 7. Comitia deinde à Prætore Urbano de Senatus sententia plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt Quinqueviri, muris turribusque reficiendis & Triumviri bini, uni sacris conquirendis donisque præsignandis; alteri, reficiendis ædibus Fortunæ & Matris Matutæ intra portam Carmentalem, quæ priore annô incendiô consumtæ fuerant.* Hos, ut & Duumviros ædis locandæ, faciundæ, dedicandæ, Sacerdotes quidem propriè non fuisse, è Sacerdotibus tamen potissimùm creari consuevisse, docet Joh. Rosin. *Antiqq. Roman. l. 3. c. 29.*

TRIUMVIRI Agro dividendo, memorantur in Lege agraria Sempronia, à Tib. Sempronio Graccho Trib. Pleb. an. Urb. Cond. 620. latâ: *Ut si quis lanès (500. jugeris) agrum patefaceret, Triumviri quotannis dotâ operâ creati judicarent, qui publicus ager, qui privatus esset.* Appian. *Bell. Civil. l. 1.* Plut. *in Gracchis*, Vellejus, *l. 2.* Alii. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 8. c. 10.* & Sigonium, *de Jure Ital. l. 2. c. 2.*

TRIUMVIRI Capitales, qui & *Tresviri* & *Treviri Capitales*, Sallustio, *in Catil. c. 55. Judices* vel, ut alii legunt, *Vindices rerum capitalium*, creati sunt primùm M. Curiô Dentatô & P. Ruffinô Consulib. ut ex Liv. *l. 9.* apparet, an. Urb. Cond. 495. ut habet Rosinus, *l. 7. c. 27.* Conquirebant ii malefici suspectos comprehendebantque, carceris erant custodes, damnatosque à Prætore in carcere carnifici necandos tradebant: Ipsi quoque de scelere eorum, qui cives Romani non erant, in Urbe tamen habitabant, ac de vilibus & abjectæ conditionis hominibus, putà furibus & servis nequam, judicabant facinorisque convictos puniebant, ad Mæniam columnam, in Foro Romano judicia ea exercentes. Unde Q. Horatius Flaccus in Mænam Pompejanum, *Epodon Od. 4. v. 11.*

Sectus flagellis hic Triumviralibus
Præconis ad fastidium.

Val. Max. item, *l. 8. c. 4. ex. 2. Fannii servus Alexander, cùm in suspicionem C. Fl. Equitis Rom. occisi venisset, sexies tortus pernegavit ei se culpæ affinem fuisse: sed perinde atque confessus & à Judicibus damnatus, & à L. Calpurnio Triumviro in crucem actus est.* Imò non servorum & humilium tantùm, sed & liberorum nobiliumque maleficia illos conquisivisse, carcerisque custodes & animadversionibus interfuisse, docent Varro *de L. L. l. 4.* & Pomponius, *de orig. Juris, l. 2.* clariùs autem Livius ac Gellius, quorum is *l. 39. c. 17.* fugientes Bacchanalium conscios à *Triumviris* in carcerem conjectos esse scribit: Hic *l. 3. c. 3.* Nævium, ob assiduam maledicentiam & probra in Civitatis Principes de Græcorum Poëtarum more, dicta, in vincula Romæ à Triumviris conjectum esse, narrat. Quod tamen primis temporibus, cùm nondum constitutæ essent quæstiones publicæ, factum esse, contendit Rosinus, *loc. cit.* Cùm verò, eorum interventu, in delinquentes animadversum esse, ex Pomponio diximus, non sic intelligendum est, quasi ipsi *Triumviri* quenquam suppliciô affecerint: sed quòd per lictores suos, quorum octo sub se habebant, ut colligere est ex Plauto *Amphitruon Act. 1. sc. 1. v. 3.* ubi Sosia,

Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem compegerint?
Inde cras è promptuaria cella depromar ad flagrum.
Nec causam liceat dicere mihi, neque in hero quidquam auxilii
siet?
Nec quidquam sit, quin me omnes esse dignum deputent;
Ita quasi incudem me miserum octo validi homines cædent.

Porrò idem *Triumviri* multam sive sacramentum (ita vocabatur æs, quod pœnæ nomine pendendum erat) exigebant, sicut Festus nos docet, in verbo *Sacramentum*: ubi Plebiscitum mutilum sic restituit Scaliger. *Quicumque. Prætor. posthac. factus. erit. quei. inter. ceiveis. jous. decet. Tresviros. Capitaleis. populum. rogato. ique. Tresvirei. Capitaleis. quicumque. posthac. facti. erunt. sacramenta. exiguntο. judicantoque. eodemque. jure. sunto. utei. ex. legib. plebeique. scitеis. exigere. judicare. esseque. oportet.* Atque hanc pecuniam in divinos usus, & ad tuenda sacra civitati conferebant, ut constat ex Lege Lucii Papirii Tribuni Pleb. apud eundem. Creabantur autem illi Comitiis Tributis, &c. Vide Jac. Ravardum, *Variorum l. 2. c. 18.* Fabrum, *Semestr. l. 2. c. 6.* Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 27.* Alios. Iis apud Athenienses non absimiles fuisse τοὺς Ἕνδεκα, seu *Undecimviros*, ut C. Nepos vocat *in Phocione, c. 4.* docet Guil. Budæus, *Annotat. poster. ad ff.* Vide infrà *Undecimviri.*

TRIUMVIRI Coloniæ deducendæ, tres dicebantur Curatores qui, cùm aut Lege aliquâ à plebe scitum, aut Senatusconsultô decretum esset, Coloniam aliquam deduci, numerusque colonorum jam esset scriptus, creabantur Comitiis Tributis, modò per Consulem, modò per Prætorem Urbanum, ut Colonos in agros Lege definitos, sub vexillo, quasi exercitum aliquem, deducerent, quod quô modò factum sit, diximus suprà. Aliquando verò Quinqueviri, Septemviri ac Decemviri quoque negotio huic præficiebantur, ut ex Appiano, *Civil. l. 1.* aliisque patet. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 47.*

TRIUMVIRI conquirendi juvenes idoneos ad arma ferenda, creati sunt bellô secundô Punicô, An. Urb. Cond. 541. Q. Fulviô Flaccô III. & Appiô Claudiô Pulchrô Consulib. Causam suppeditat Livius, *l. 25. c. 5.* ubi, *Consules*; inquit, *cùm ægrè delectum conficerent, quòd inopia juniorum non facilè in utrumque ut & novæ urbanæ Legiones & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat: Senatus absistere eos incepto vetuit & Triumviros binos creari jussit: alteros qui citra, alteros qui ultra quinquagesimum lapidem in plateis forisque & in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent, & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari ætate essent, milites facerent. Tribuni Pleb. si iis videretur, ad Populum ferrent, ut qui minores essent septem & decem annis, iis perinde stipendia procederent, ac si 17. annorum aut majores milites facti essent. Ex hoc Senatusconsulto creati Triumviri primi conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt.* Vide iterum præfatum Rosin. *Antiqq. Roman. l. 7. c. 40.*

TRIUMVIRI, Epulones, creati sunt primùm Ann. Urb. Cond. 557. L. Furiô Purpureone, M. Claudiô Marcellô Consulib. fuêreque C. Licinius Lucullus, T. Romulejus & P. Porticus Leca: è quibus Romulejus Legem tulit, *Ut propter sacrificiorum multitudinem Tresviri Epulones crearentur, cùm essent ipsi à Numa, ut etiam Ludorum illud epulare sacrificium facerent, instituti.* Jus præterea Togæ prætextæ habendæ, sicut Pontifici, iis permisit. Cicer. *l. 3. de Orat.* Livius, *l. 33. c. 42.* &c. Alii P. Manlio eam legem tribuunt: sed *in loco cit.* T. Romulejus legitur; unde etiam à nonnullis *Lex Romuleja* dicitur, quod Car. Sigonius ex conjectura emendavit. Posteà Septemviri, tandem Decemviri, facti sunt: de quorum munere vide suprà, ubi egimus *de Epulonibus.* Item, in voce *Parasiti.* Rosin. *loc. cit. l. 8. c. 1.*

TRIUMVIRI legendi Senatus, extraordinarius erant Magistratus ab Augusto instituti, Sueton. *c. 37. Quoque plures partem administrandæ Reip. caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum & aquarum, alvei Tiberis, frumenti Populo dividundi, Præfecturam Urbis, Triumviratum legendi Senatus & alterum recognoscendi turmas Equitum, quotiescunque opus esset.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 41.*

TRIUMVIRI Mensarii, Romæ propter penuriam argenti, rogatione M. Minutii Tribuni Plebis, creati sunt, An. Urb. Cond. 537. tempore secundi Belli Punici. Fuêre autem illi L. Æmilius, qui Consul Censorque fuerat, M. Attilius Regulus & L. Scribonius Libo tum Tribun. Pleb. Liv. *l. 23. c. 21.* Cum jam An. Urb. Cond. 301. Quinqueviri Mensarii, dispensatione pecuniæ dicti, facti essent: de quibus vide suprà. Creabantur autem hi Comitiis Tributis. Idem, *l. 7.* Vide Rosin. *l. 7. c. 39.*

TRIUMVIRI Monetales, memorantur Pomponio JCto, *ff. tit. 2. de orig. Juris: Constituti sunt eôdem tempore & Quatuorviri, qui curam viarum agerent, & Triumviri Monetales, æris, argenti, auri flatores* &c. Præfuerunt cudendæ monetæ, hinc nomine mutuatô. Iidem & *Triumviri A. A. A. F. F.* quod est, *Auro, argento, ære, flando, feriundo.* Vide iterum Rosin. *l. 7. c. 28.*

TRIUMVIRI Nocturni, antiquus Romæ Magistratus, Livius, *l. 9. c. extr.* de C. Flavio Scriba, quomodo Ædilis Curulis factus sit, agens, inter alia, *eum prius Tribunatum gessisse* dicit, *& duos Triumviratus, Nocturnum alterum, alterum Coloniæ deducendæ.* Quando creati sint primùm, non constat. Munus eorum è Taciti colligitur *Annal. l. 5. Triumviri Nocturni, quòd ad incendium in sacra via serum tarde venerant, à Tribuno Pleb. die dictâ damnati sunt.* Nempe incendiis arcendis præerant, uti quoque docet Paulus JCtus, *l. 1. tit. 44.* Vide Rosin. ubi *suprà, l. 7. c. 28.*

TRIUMVIRI recognoscendi Turmas Equitum Roman. Vide suprà, *Triumviri leg. Senatus.*

TRIUMVIRI reficiendis ædibus sacris, vide suprà *Tribuni ædibus* &c.

TRIUMVIRI Reipubl. constituendæ, Magistratus erat Romanus, ut contra leges institutus, sic minimè diuturnus. Initium eorum incidit in An. Urb. Cond. 710. Cùm enim Cæsar in Senatu 23. vulneribus confossus esset, Octavius tum Consul, ab ipso adoptatus, omnem dedit operam, ut Patris interfectores ulcisceretur, quem in finem cum M. Antonio & Marco Lepido pace factâ, utrumque ex Gallia in Italiam accersivit. Congressi itaque hi in agro Bononiensi ut Dio, *l. 46.* vel Mutinensi, ut Appianus habet, *Bell. Civ. l. 4.* sic inter se pacti sunt, ut publicè quidem ipsi tres constituendis administrandisque rebus præficerentur, in quinquennium: privatim autem, Cæsari Africa, utraque Sardinia & Sicilia: Lepido Hispania omnis ac Gallia Narbonensis: Antonio reliqua omnis Gallia tribuerentur. Ibidem & proscriptio decreta & Lepido Consulatus ac Italiæ cura commissa est. Proin mox Romam cùm Triumviri venissent, executioni quæ decreverant data sunt; quinquenniôque exactô in alterum quinquennium Magistratum sibi ipsis prorogârunt, An. Urb. Cond. 716. Verùm non multò pòst dissidiô ortô inter Octavium & Lepidum, huic victo ille Triumviratus honorem abrogavit; mox Antoniô quoque superatô, cùm ipse solus rerum potitus esset, Triumviratu abiit. Sed & jam ante *Cæsare dignitatem comparare, Crassô augere, Pompejô retinere cupientibus, omnibusque pariter potentiæ cupidis, inter hos de invadenda Rep. facilè convenit*: Florus, *l. 4. c. 2. Sicque, quum mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar invasit, Crassus Asiam, Pompejus Hispaniam: tres maximos exercitus & jam sic orbis imperium societate trium Principum occupatum est, traxitque decem annos ista dominatio*, Idem ibidem.

TRIUMVIRI Sacris conquirendis, vide *ibid.*:

TRIUMVIRI Valetudinis, ab Onuphrio Panvinio, in Magistratuum Rom. numero referuntur, cùm aliàs nihil de iis quidquam in Veter. scriptis reperiatur, neque satis certum sit Magistratus eos fuisse. Ita autem de illis Onuphrius, *Commentar. Reip. Rom. l. 2. Hujus Magistratus nulla apud Veteres quod sciam, mentio est. In antiquo verò argenteo nummo sic scriptum est: M. Acilius III. VIR. VALETU. Hi nostrâ ætate pestis causâ creari solent, atque Domini sanitatis vocantur, quibus temporibus de morbo suspectis, magna potestas concedi solet. Nummis*

autem verba sic ego interpretor. M. Acilius III. Vir. valetudinis consituendæ. Vide Rosin. ubi *suprà*.

TRIVULTIUS Theodoricus, vide *Theodoricus*.

TRIZI, popul. juxta Istrum, meridiem versus. *Steph.*

TRMS, in nummis Jovini, *Treveris moneta signata*: TRO: in nummis Theodoræ, Constantini M. & Constantii, *Treveris moneta obsignata* notat, Car. du Fresne, *Voc. TR.*

TROARNUS, vicus Galliæ, ad Divam fluv. *Tourne* vulgò, in Normannia, Hadr. Vales. *Notit. Galliæ*, in voce *Ulterior portus*.

TROAS, regio Asiæ minoris quam *Ptol. minorem Phrygiam* vocat, Hellesponto adjacens, cum urbe cognomine vide infrà. Hanc regionem Homer. ab Asopo fluv. usque ad Caici flum. ostia produxit. Plin. *l.* 5. *c.* 30. autem, cæterique recentiores Lectô promuntoriô eam ab Æolide dividunt. Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 613.

At procul in sola secretæ Troades actâ.

Ita quidem *Ferrarius*: sed ibi legendum *Troades*, i.e. Trojanæ mulieres, quæ *Trojades* quoque Persio dicuntur. *Baudrando* tractus fuit Phrygiæ, cujus caput Troja. Et quandoque pro regno Trojacorum sumitur, quod sub Priamo IX. dynastias complectebatur. Locus urbis nunc juxta Leunclavium *Cerasia* Turcis, nostris *S. Maria* dicitur. Ubi tanta olim murium copia, ut incolæ patriô solô abire coacti sint, sicut in Gyaro Insul. Plin. *l.* 8. *c.* 57. Et *Argellus* Thraciæ mons Thracum linguâ, propterea sic dictus. Herodot. 9. *Mus.*

TROAS Alexandri, Turcis *Es Ki Stamboul*, urbs Phrygiæ, ab Alexandro M. condita, in ora fuit littorali maris Ægæi, paucis milliar. à Trojæ ruderibus. Nunc in ruinis. Episcopalis fuit sub Archiepiscopo Cyziceno.

TROB, in Valentiniani Junioris: TROBC. in ejusdem; TROBS in Constantini M. & Jun. TROBT. in Valentiniani & Gratiani, nummis, idem cum TRO. notat, quod vide.

TROCA, vulgò *Troki*, urbs Lithuaniæ, juxta lacum parvum cum arce valida. Caput Palatinatus cognominis, 4. leuc. Polon. à Vilna in Occasum. Dicitur aliter *Trocum*. estque juxta Bresalam amnem, inter paludes inaccessibiles. Condita à Gedimino, magno Lithuaniæ Duce A. C. 1321. qui ibi sedem suam constituit: sed A. C. 1655. à Moscis expugnata, vastata & incensa est.

TROCHILUS, primus in honorem Junonis, ut Romulus in Martis, junxisse quadrigam dicitur, Euseb. *in Chron.* & Freculphus *tom.* 1. *Chron. l.* 2. *c.* 6. Quod tamen Ado Viennensis Pr...do, sub principium Atheniensium, nisi fortè mendum sit: Fr. Laziardus Triptolemo: Virgilius Erichthonio: non pauci Oenomao tribuunt. Certabatur quadrigis in ludis Circensibus olim apud Roman. ad imitationem Olympicorum apud Græcos, uti enim Lunæ biga, ita Soli, cui Circus erat sacer, quadriga consecrata fuit. Quadrigas tigribus junctas discimus ex Ælio Lampridio, *in Heliogabalo*, *c.* 28. quas ravas à colore optimo sensu dictas quis inficietur? Communiter autem equi adhibiti, qui petebantur vel è Sicilia vel è Cappadocia: colores quatuor notabiles, prasinus, venetus, roseus, albus, de quibus vide Tertullian. *l. de Spectac. c.* 9. Unde etiam totidem factiones ortæ, nisi quod pannum purpureum Domitianus addidit, Sueton. *in eo*, *c.* 7. His sui Medici, sui Procuratores erant. Vide Thom. Dempster. *Antiq. Rom. l.* 5. *paral. c.* 5.

TROCHILUS, Solino *avis parvula*: *ea reduvias escarum dum affectat, os belluæ hujusce (Crocodili) paulatim scalpit & — aditum sibi in usque fauces facit. Quod ichneumon conspicatus penetrat belluam* &c. *c.* 32. ad quod Salmas. vide, ubi non quemvis *trochilum* id facere, sed qui dicitur κλαδαρόρυγχος; nec avem ἔνυδρον, *fluvialem*, sed φίλυδρον, *aquæ amantem*, esse, inter alia docet.

TROCHLEA, Græcè τροχιλία, ad hauriendam è puteis aquam adhibita, occurrit apud Pollucem, Εἰ δὲ καὶ ἐκ φρεάτων ἢ λάκκων τὸ ὕδωρ ἀναντλεῖν δέοι' ἄν, ὄνομα σκευῶν ἀντλητῆρες, ἀντλίας, ἱμονιάς, κάδοι, χοινία, κάδος, τροχιλίας: *poliam* vulgò Galli vocant, de qua vide Salmas. *ad Solin. p.* 589. ut & suprà aliquid, ubi de *Hauloriis Machinis*. Sed & *Trochleas* in suppliciis apud Veteres fuisse in usu, docet ex Gallonio, *de Martyr. cruciatu*, Gothofr. Jungermannus, *Notis in Magii tractat. de Equuleo*. Sic autem is: *Scivi amplius convenit, hoc in more Antiquorum extitisse, ut reorum corpora plurimis modis ad ea vi quodammodo discerpenda distenderentur, equuleô nimirum*, Trochleis *suspendióque, gravibus appensorum pedibus additis ponderibus* &c. Cujus rei iconem *ibidem* habes. Quid verò in hortis Τροχάλαι sint, quidque ἡ τροχάλωσις τῶν καμαρῶν, *rotatio camerarum*, ut vocat Cassiodorus, explicat multis Cl. Salmasius, *Notis ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 10. ubi de *Trichilis* Veter. quam vocem etiam suprà vide. Quod porrò tonsuræ genus περιτρόχαλα apud Græcos diximus passim, ubi de *Tondendi modis variis* inprimis.

TROCHLEOSTATICA, pars Statices, de qua suprà.

TROCHUS, puerile ludicrum seu exercitamentum, Dempstero, *in Rosin. l.* 5. *c.* 1. cui à τρέχω nomen. Ejus meminit Helenius Acron *ad Horat. in Arte*, *v.* 380.

——— *Indoctusve pilæ, discive* Trochive.

Cum Turbine eundem facit, idem Dempsterus. Sed distinguit Salmas. *ad Martialem*, *l.* 14. *Epigr.* 168. *cujus lemma*, *Trochus*.

Inducenda rota est: das nobis utile munus.
Iste Trochus *pueris, at mihi canthus erit.*

Ubi priùs *cantus* legebatur, quasi intelligeretur tinnitus *Trochi* missi: cùm per synecdochen Poëta dicere velit, rotâ vel ferrô hôc muniri rotam plaustri, quô pueri ludere solent. *Fuit* itaque *Trochus*, teste Salmasiô, *alius omninò à turbine; rotula nempe* (seu circulus unde ei nomen) *ex ære seu ferro, cuius axiculis appensi annuli, inter mittendum & currendum, altè tinniebant*. Quam ob causam *garrulum* eum vocat Poëta, *Epigr. seq.*

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur,
Cedat ut argutis obvia turba Trochis?

Mercurialis similiter, in *Trocho*, primò fuisse circulum, in circulo annulum, qui sonô spectatoribus voluptatem afferebat, tradit; additque adfuisse impulsorem, cum ansa, quam Propertius *clavem* vocat, *l.* 3. *El.* 13. *v.* 6.

Increpat & versi clavis adunca Trochi.

Unde concludit, *Trochum* idem ludi genus fuisse cum Cricilasia Antylli, descriptâ apud Oribasium, *Collect. l.* 6. *c.* 26. nisi quod Antyllus circulô suô tenues annulos, non annulum, circumpositos tradit & virorum exercitationem Cricilasiam facit. Meminit verò & Xenophon *Trochi*, cùm in *Conviv.* de muliere Psaltria narrat, quòd *in saltando missos plures* Trochos *exciperet, simulque saltans eos projiceret in altum, rursumque acciperet concinnè.* Et certè à Græcis ad Romanos transiisse, Horatius indicat, *l.* 3. *Carm. Ode.* 24. *v.* 57.

Seu Græcô jubeas Trochô.

Sicut autem *Trochus* à Turbine diversus fuit, ita ab exercitatione illa quæ hodie super ligneas tabulas pannis contectas unà cum ligneis pilis efficitur & *Trochus* nuncupatur, multum differebat. Peragebatur enim is in publicis Gymnasiis, aliisque locis. Habebatque annulum seu annulos strepitum edentes, postremò ex ære conflabatur atque clavem habebat aduncam, ut dictum: quæ omnino nec in Turbine, nec in hodierno Trocho reperire est. Inter exercitationes verò Gymnasticas non Propertius solùm, sed & Horatius, *de Arte Poet.* reponit: ad quam verò Gymnastices speciem pertinuerit, incertum. De ejus in Medicina Gymnastica usu varia habet Mercurialis, *l.* 6. *c.* 7. Etiam ad militarem aliquô pactô spectâsse, videtur posse colligi ex eo, quod refert Amm. Marcellin. *l.* 21. Julianum Cæsarem, *apud Parisios variis sese exercuisse motibus in campo & inter alios quôdam, quem dum faceret, axiculis, queis orbis erat compaginatus, in vanum excussis, ansam remansisse illam, quam retinens validè manu stringebat*: E' quo loco Turnebus censuit ejusmodi exercitationem *Trochum* fuisse. Figuram *Trochi* à Ligorio, qui eam ex forma, in vetustissimo atque amplissimo cujusdam Comici vel Satyrici Poëtæ monumento, expressa, in via Tiburtina prope Romam acceperat, (ubi tamen præter annulos dentes quidam circulo infixi & mobiles sunt, quos ad strepitum majorem edendum appositos fuisse, est vero simile) ad se missam, exhibet præfatus Hieron. Mercurialis, *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 8. Sed & *Trochus* Veneficarum, aliô nomine ῥόμβος, in Lælii *Erotopægnio*, apud Apulejum, *Apolog.*

Philtra omnia undique irruunt,
Trochus, *pili, ungues* ———

Vide suprà voce *Rhombus*. It. τροχὶς Græcis massa seu panis æris, unde τροχίας χαλκὸς, *æs in huiusmodi massas formatum*, apud *Pollux*. Sic Interpres Aristophanis τροχοειδῆ καὶ σπογγοειδῆ vocat *rotundam massam*, de vitro: κρύσταλλος τροχίσκος dicebatur, qui tritus in parvos τροχίσκους seu τροχίσκια redigebatur; cui oppositus ὁ τρίχινος, qui integer & capillaris &c. Salmas. *ad Solin p.* 1077. De *Trochis Niloticis albis, in mucronem desinentibus*, qui in Musæo Kircheriano Romæ asservantur, vide Georg. de Sepibus, *in Descriptione ejus*, *p.* 28. & plura suprà voce *Rota*.

TROCMI, Ptol. *Trocmeni*. Stephan. *Trogmi* Plin. *l.* 5. *c.* 32. populi Galatiæ in Asia. Quorum urbes Tavium, Androsia, Claudiopolis & Carissa. Gens una ex tribus præcipuis Galatarum fuit, quæ Mæoniæ & Paphlagoniæ regionem insedit, Tavia vel Ancyra præcipuâ urbe constitutâ. Eadem gens, sicut & reliquæ duæ Tolistobogi & Tectosages, in quatuor tetrarchias divisa fuit, uti docet Salmas. *ad Solin. p.* 877. Vide quoque suprà, ubi de *Galatis*.

TROCTA, piscis genus, de quo vide aliquid infrà voce *Trutta*.

TROCTES, vir quidam, è Phœniciâ, de quo Homer. Od. 11.

TROES, vide *Tros*.

TROESEN, seu TROEZEN, à Trœzene, Pelopis filio, oppid. Peloponnesi ad sinum Argolicum, Episcopale sub Christianis olim, sub Archiepiscopo Corinthio, fide in Athenienses inclytâ. Pitthei olim regia, & Thesei patria. Unde Stat. *l.* 4. *Theb. v.* 81.

——— *Et quas Thesëia Trœzen*
Addit opes. ——— ———

Qui inde à poëtis *Trœzenius* appellatur. Ovid. *l.* 8. *Met. v.* 566.

Hic Ixionides, illic Trœzenius heros.

Trœzena dicitur *Ptol. Posidonia* Strab. *Anthia* & *Hyperia* Pausaniæ, *Apollonia* & *Aphrodisias* Stephano, inter Corinthum & Scyllæum promuntor. ad 44. mill. pass. à litore 15. stad. Hodiè *Pieda*, Castaldo in ora sinus Saronici, 18. mill. pass. à Scyllæo promontor. in Boream. 70. à Corintho in Ortum. *Baudrand.* Ovid. *l.* 2. *Fast. v.* 276.

Altaque Trœzene, Parrhasiaque nives.

Idem, *l.* 15. *Met. v.* 296.

Est prope Pittheam tumulus Trœzena sine ullis
Arduus arboribus. ———

Item oppid. Messeniæ mediterraneum ab Ithome 15. mill. pass. in Ortum, *Trœzina* in tabulis recentiorib. Hujus aquæ pedibus noxiæ sunt, quibus aquæ Cydni in Cilicia medentur. Plin. *l.* 31. *c.* 2. Et portus prope *Barba* dictus, Eustath. Unde *Trœzenem navigat* Proverb.

in

n eos, qui cùm imberbes sint, pilis ascititiis barbam mentiuntur. Populi *Trœzenii*, quos fide societatis Atticæ illustres vocat Mela, *l.* 2. *c.* . Vide Plut. *in Themistocle*. *Nic. Lloydius*.

TROEZEN, locus Galliæ, inter Massiliam & Aquas Sextias medius: Vulgò *Trez*. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Massilia*.

TROEZENE, urbecula, circa Cariam.

TROGILIA, quæ TROGILIAS Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Gatonisi* Sophiano, insul. parva Ioniæ apud Trogilium promuntor.

TROGILIUM, quod TROGYLLIUM, Ptol. *Mycale* Herodoto, promuntor. Ioniæ, in ora inter Ephesum & ostia Mæandri contra Samum insul. inde 5. mill. pass. in Occasum à Sunio promuntorio Atticæ 1600. stad. teste Strab. *Capo Tigrua* Moletio. *Gatonisi* Sophiano ab Insul. Trogilia vicina.

TROGILORUM portus, *Stinctino* Fazello, portus Siciliæ in ora inter Syracusas & Tapsum peninsul. ad Boream. 2. mill. pass. Ibi *Trogilus* oppid. olim, nunc pagus, *Targia* teste Aretió: aliis *Stinctino*. Apud Steph. verò non oppid. sed regio appellatur. Populi *Trogilii*.

TROGLODYTÆ, populi Æthiop. sub Ægypto in ora Occidentali sinus Arabici & Barbarici, quorum regio *Sirfia* nominatur, teste Castaldó. Hi in specubus habitantes (unde nomen) paupertatem colebant, serpentibus vescentes, teste Melâ, *l.* 1. *c.* 4. Hic esse lacum, cujus aqua ter in die fiat amara & dulcis: similiter de nocte, refert Plinius, *loc. mox citand.* Apud eosdem populos, præter alia, myrrha multa est, margaritæ item & serpentes 20. cubitorum. Iidem populi venationibus dediti, velocissimi sunt & ab uxoribus ac colloquio alieni, vide Plin. *l.* 4. *c.* 12. *l.* 5. *c.* 5. 9. *l.* 31. *c.* 2. Dicuntur & *Tregodytæ*. Erat regio illorum, à Ptolemaide Ferarum, ad Aromata promontor. extensa. Urbes fuêre Ptolemais Ferarum, hodie *Suaquem*, Adulis, *Ercoco* seu *Arquico*, & Avalites, *Zeila*. Nunc regio dicitur *Ora Abexia*, seu *Abyssina*, *la Coste d'Abex ou d'Abexim*, estque pars Orientalis Imperii Abyssini ubi etiam regna Barnagassi, Agamex, Daneal, & Doari. *Hier. Lupus.* Pars ejus Australis reges nunc proprios habet, quorum præcipuus Rex Adeli, ubi *Auca Gurele*, urbs ejus primaria. Inde sinus *Troglodyticus*, qui & *Barbaricus*: ad mare Barbaricum & Asperum, quod Æthiopiam, sub Ægypto alluit: Nunc *Golfo di Melinde*, ex tabulis recentiorib. Nomen à τρώγη seu τρώγλη, unde & *Troglodytæ*, ut diximus, vocantur, in plerisque libris apud Auctores Latinos; & Τρωγλῖται quoque Græcis nonnunquam, unde Τρωγλῖτις myrrha, pro optima, Latin. quoque *Troglytis*, in veteri *Hymno Regum*,

Tus Deo, myrrham Troglitin humando,
Bracteas Regi chryseas decenti.

pro Τρωγλοδυτικὴ. Nempe *Troglodytæ*, hi populi appellati, quòd *cavos & specus*, i. e. τρώγλας, subirent. A' qua eadem causa & τρωγλίτας, seu τρωγλοδύτας minimum genus passeris, quòd cavis & rimis turrium ac murorum sese illatebret & in his nidum congerat, de quo vide Salmas. *ad Solin. p.* 445. ubi de regaliolo & Casaubonum *ad Julium Suetonii*, *c.* 8. ubi Gallis *roielet* hodie vocari nonnullos velle adnotat: de populis autem *Troglodytis* plura, apud eundem Salmas. *ibid. p.* 1083. & *seqq.* ubi eos, inter alia, nonnullis Arabes, nonnullis Æthiopes, quòd inter utrosque positi, dictos, à Recentioribus verò Æthiopiæ deputari, & *Troglodyten* ipsam dictam Barbariam, ob vicinitatem, docet.

TROGUS Pompejus, Historicus Latin. Narbonensis Gallus, floruit sub Augusto: ut ipse *l.* 43. *c.* 5. testatur. Scripsit *historiam libris* 44. cujus epitomator Justinus, neque numerum librorum, neque titulum historiæ Philippicæ muta[illegible]: quæ inde fortè nomen nacta est, quòd à libr. 7. usque ad 41. de Macedonico Imperio, cui Philippus originem dederat, disseruit. Sed hæc epitome, in causâ est, cur ipsum opus fuerit amissum. Vide Voss. *de Hist. Lat. l.* 1. *c.* 19.

TROGUS, vide *Saufejus*.

TROGYLIUM, vide *Trogilium*.

TROJA, regio minoris Asiæ, in Phrygia teste *Servió*; cujus caput fuit Ilium, Homeri, Virgiliique carminibus notissimum, sic excisum, ut jam tempore Strabonis nullum ejus extaret vestigium. Fuerat 3. mill. pass. ab ora littorali. Ita dicta est à Troë Rege, Erichthonii fil. cùm anteà à Teucro *Teucria*, & à Dardano *Dardania* diceretur. Non rarò tamen Troja à poëtis pro ipso Ilio accipitur. Historia paucis sic habet: Dardanus ex Creta, an ex Italia huc profectus, Urbem condidit A. M. 2574. Ei successêre Erichthonius, Tros, Ilus, Laomedon, Priamus: sub quo Troja à Græcis capta est, A. M. 2870. Alexander M. *novam Trojam*, aliquot stadiis à veteri extruxit: postmodùm Augustus eandem restauravit, colonis eò deductis, unde *Colonia Augusta Troas* appellata est, uti ex pluribus nummis Imperialibus liquet, docente Sponió, qui haud pridem illustres ejus reliquias diligenter lustravit, & accuratè descripsit, *Itinerar. Græciæ, part.* 1. *p.* 198. olim Episcopalis sub Archiepiscopo Cyziceno, Turcis *Esky Stamboul*. Vide suprà in voce *Troas Alexandri*. De ruderibus *Trojanis*, sic Bellonius: Navigantibus è mari jam conspicua, distant Abydô dimidiæ diei itinere, atque in acclivi collis parte sita, incolis adhuc *Troade* appellantur. Admiranda ædificiorum rudera testantur veterem Urbis magnificentiam, amplitudinem murorum ambitus, quem quatuor horis se emensum esse autor scribit: constant illi ex saxis nigris ac duris, spongiosis tamen, & forma quadrangulari excisis. Supersunt & turrium in muris reliquiæ: extra horum ambitum, juxta vias regias magna videntur è marmore sepulchra antiqui operis, ex unico lapide instar cistæ excavata, quorum opercula adhuc integra conspiciuntur. Arcium quoque duarum lipsana ex marmore apparent, sed urbis interiora nil nisi confusam ruderum exhibent congeriem, inter quæ turris quædam quadrilaterâ basi. Solum primo in circuitu milliari sterile, arenosum & arborum tantùm non vacuum, Observ. *l.* 2. *c.* 6. Vide quoque de Valle, *itin. tom.* 1. Ovid. *Ep.* 1. *Heroid. v.* 3.

Troja jacet certè Danais invisa puellis.

Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 11.

Et campos ubi Troja fuit. ——

Catullus, *Epigr.* 69. *v.* 90.

Troja virum & virtutum omnium acerba cinis.

Populi *Troës* & *Trojani*, quos luxuriosos in conviviis fuisse, arguit Proverb. *Porcellus Trojanus*, apud Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 13. quod de opiparis conviviis, ut de homine variis deliciarum generibus delectari solito usurpatur. Aliud proverb. *Troja non procreavit Thracem*, significat, ex degenere prosapia generosum non gigni, nec ferocem aquilam imbelles serere columbas. Porro apud Ciceronem *Trojanus equus*, veluti adagium, de insidiis occultis & tacita impostura, usurpatur, *Cic. pro Murana c.* 37. *Intus*, inquit, est *equus Trojanus*. Hinc *Troius*. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 123.

Arma virûm, tabulæque & Troia gaza per undas.

Item, *Trojanus*. Ovid. *l.* 2. *Ep.* 2. *ex Ponto*, *v.* 25.

Puppis Achemeniden Grajum Trojana recepit.

Item *Troicus*. Ovid. *Ep.* 1. *Heroid. v.* 28.

—— *Troica fata canunt.*

Nic. Lloydius.

TROJA, urbs Epiri mediterranea in Chaonia, alia vulgò quoque *Troja*, olim *Æge* Antonin. & *Æcana*, in Apulia Daunia, Episcopalis sub Archiepiscopo Benevento 36. mill. pass. in Boream Sipontum versùs totidem; à Luceria 17. in Ortum. *Ferrar.* Hodie Capitanatæ provinciæ ad Chilarum fluv. ad radices Apennini, 25. mill. pass. à Benevento in Cæciam, 6. à Bovino in Boream cum titulo Principatus *Baudrand.* Item vicus in Attica, qui & *Nypeté* Stephano. Item pagus in Ægypto ad Troicum montem. Strabo *l.* 17.

TROJA nomen ludicri, quod *ἱπποδρομίας* genus fuit & in equis exercebatur, per lascivas vertigines ac gyros implicantium se & explicantium puerorum, vide infrà. Ast apud Recentiores *Troja*, Gallis *truie & troye*, machina bellica est, ad suffodiendos muros inventa, unde nomen, quòd humum *suis* instar subvertat, quam ob causam quandoque etiam *Sus* vocatur. *Trojam* autem veteribus etiam Latinis, pro sue accipi, docet Pomponius Sabinus *ad Æn. l.* 1. *v.* 123.

—— *Armaque fixit*
Troia ——

Vide Car. du Fresne *Glossar.*

TROJANI, vel *Troici* Ludi, sive *Trojæ* ludus, ab Ascanio Æneæ filio originem traxêre, Virg. *l.* 5. *Æn.* inde ad Romanos consuetudine delatâ. Celebrabantur in Circo à pueris majoribus & minoribus, turmatim congredientibus: quibus qui præsidebat, Juventutis dicebatur Princeps atque ex numero filiorum primi nominis Senatorum Augustorumque eligebatur. Sueton. *in Cæs. c.* 39. *Trojam lusit, turma duplex, majorum minorumque puerorum.* Idem *in Aug. c.* 43. *Sed & Trojæ ludum edidit frequentissime &c.* In quo ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum, aureô torque donavit, passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen. Idem *in Tib. c.* 6. *Præfuit & Actiacis ludis & Trojanis Circensibus, ductor turmæ puerorum majorum.* Dio quoque, *l.* 43. de ludis Cæsaris agens: *Etiam Trojam*, inquit, *antiquó more Patriciorum filii luserunt: juvenesque, qui dignitate æquales erant, curribus certaverunt.* Plura de his vide apud Wolphg. Lazium, *Comm. Reip. Rom. l.* 10. *c.* 2. Thom. Dempster. *Antiq. Rom. l.* 5. *c.* 25. Alios. Addo, quòd in eo Equites tantùm, sine bigis, & absque quadrigis concertâsse certum. Namque apud Virgilium, *l.* 5. *Æn. v.* 545. *& seqq.* ubi certamen hoc prolixè describitur, dicuntur pueri *in equis frænatis lusisse*, *portari equis*, *invecti equis*, videri *in equis*: Et bigarum quadrigarumque ludus Romæ, multò post Ascanii tempus, incepit haberi. Quod notat Licetus, propter Virum doctum, qui ludum, *Trojæ* nomine donatum, ait quadrigis olim celebrari consuevisse. Nec favent ei Dionis de Cæsare verba, *l.* 43. *Etiam* Trojam, *antiquó more Patriciorum filii luserunt: Juvenesque qui dignitate æquales erant, curribus certaverunt.* Et *l.* 48. ubi de Agrippa: *Præturam tum gerens, ac præcipuus amicus Cæsaris splendide omnia agebat, ludosque inter cætera equestres biduó præbebat & Trojam vocatum ludum per nobiles pueros magnificè exercebat.* Iterum, *l.* 51. *Porro in sacrarii consecratione ludi omnis generis facti sunt Patriciique pueri Trojam luserunt: Virique simili ratione, equis celeribus, bigisque & quadrigis certaverunt.* &c. Hæc enim omnia qui rectè perpenderit, comperiet *Trojam* fuisse Ludum à pueris Equitibus actum; at ex curribus bigarum quadrigarumve diversô ludi genere, certâsse Juvenes & viros maturiores. Quos ludos proin ut distinctos etiam retulit *in Cæsare* Sueton. *c.* 39. *Quadrigas bigasque & equos desultorios agitaverunt nobilissimi Juvenes*: Trojam *lusit turma duplex majorum minorumque puerorum.* Vide Fortun. Licetum, *Schem. Annular. Gemm.* 41. *c.* 130.

TROJANOPOLIS, vide *Trajanopolis*.

TROJANUS Porcus, vide suprà *Porca*, it. *Sus*; nec non ubi de *Cincio Sen.*

TROICUS Mons, & Troites fluv. in Ægypto sunt. *Steph.* Nimirum juxta Trojam Ægypti urbem.

TROILUS, Priami & Hecubæ fil. qui juvenili audaciâ ferox cum Achille congredi non dubitavit, à quo nullô negotiô interemptus, temeritatis suæ pœnas dedit. Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 478.

Parte

Parte aliâ fugiens amissis Troilus armis
Infelix puer, atque impar congressus Achilli
Fertur equis, curruque haeret resupinus inani.

Horat. *l.* 2. *Od.* 9. *v.* 15.

——— *Nec impubem parentes*
Troilon, aut Phrygiae sorores
Flevêre semper.

At Lycophron & Theocritus ab Achille adamatum tradunt, cui cùm se indulgere nollet, in templo Apollinis ab illo fit occisus. Hoc tamen refutat Tzetzes *in Lycophr.* quia nequaquam pulcher Troilus, aut juvenis fuerit, verùm jam senior ac barbâ hispidus, prorsusque Achillis amoribus ineptus. Vide Canter. *Nov. Lect. l.* 2. *c.* 9. *Nic. Lloydius.*

TROLHETTA, vulgò TROLHETTE, fluv. Sueciae. Oritur in Westrogothia; dein Bahusium rigans, & Gotemburgum, paulo infrà in Sinum Codanum se exonerat.

TROLLIUS Gustavus, Archiepiscopus in Suecia, à Suecis, obsessus A. C. 1518. sed missâ classe à Christiano II. Daniae Rege liberatus, in Dania perfugium habuit. Quô factô Sueci Archiepiscopo reditum publicô decretô cùm negâssent, re ad Julium II. Pontificem, delatâ, illi schismatici declarati, & executio Christiano demandata est. Itaque Gustavi instinctu bellum decretum, & A. C. 1519. Rex per certos judices; sed sine auctoritate Senatus, curavit contra Suecos sententiam ferri. Quare annô 1520. per Ottonem Crumpen expeditio suscepta, sed sine successu. Annô seq. missis à Galliae Rege ex foedere auxiliis, iterum Otto Sueciam adortus est, & Steno ex vulnere obiit. Quô duce Sueci destituti, inducias pepigêre, quas Stenonis vidua Christina cum primoribus accipere recusans, Stockholmium tutata est. Sed Lambertô ejus partis Duce profligatô, Rex ipse in Sueciam venit, Holmiâque in deditionem acceptâ, post biduanum convivium, quô Suecos excepit, tertiâ die, de illis, quae Archiepiscopum admissa, quaestionem instituit. Proin, cùm Stenonis vidua imprudenter literas, quibus eorum, qui cum marito conjuraverant, nomina continebantur, tradidisset, 70. primores regni capti, & coronationis die omnes decollati corporaque combusta sunt, veniâ soli Episcopo Lincopiensi, qui invitus se subscripsisse causabatur, datâ. Quô facinore à Pontifice approbatô, Sueci ad desperationem adacti, pauló pòst, auspiciis Gustavi Erici decollati filii, Danicum jugum excussêre. Auctores *rerum Suecicarum.*

TROMENTINA, tribus Roman. à campo *Tromento* dicta: Fuit autem is in Tuscia, ex quo cùm aliquot Romam perfugissent, & civitate donati, inque quatuor tribus conjecti, agri populi Romani partem obtinuissent, prima earum *Tromentinae* nomen imposuerunt. Ejus meminit Liv. *l.* 6. *c.* 5.

TROMPIUS Martinus Harperti, Archithalassus Foederati Belgii, rerum gestarum magnitudine inclytus. Classem navium 20. Dunkerkanam, cùm ipsi non plures decem essent, fortissimè vicit, A. C. 1639. Eôdemque annô mense Sept. vix 12. navibus instructus, classem Hispanorum stupendam, sub imperio Antonii de Ocquendo, excidium Reip. minantem, in Oceano Britannico aggressus, superavit, earum 20. captis, aliis mersis incensisque, è quibus ingens & magnificè extructa Architalassi Neapolitani Lopesii quae S. Teresae nomine superba, duobus constiterat millionibus, simul cum hominibus periit. Tandem post plurima alia egregiè gesta, post 50. imprimis praelia, quorum Dux fuit, aut pars magna, contra Anglos victor occubuit A. C. 1653. sumptuosissimô Epitaphiô Delphis in Ecclesiâ Cathedrali honoratus. Pater Cornelii, similiter rebus hactenus plurimis praeclarè gestis, victoriâ inprimis insigni de Suecis, Daniae Regis, cujus classi hôc tempore praeest, auspiciis, nuper admodum reportatâ, celeberrimi. Vide Caspar. Barlaeum, *in Oration.* Galeazum Gualdum, *Histor. Ital.* Laetum *Comp. Hist. Univ. &c.* In medio inter Angelos monumenti hoc distichon extat:

Urbs Phoebi cineres jactat, sed currus honores,
Ingreditur quoties egrediturque mari.

TRONIA, in *Vita* Florentii Scoti, qui VII. Argentoratensium Episcopus fuit: *Eô quoque tempore Rex Dagobertus apud municipium, tunc* Troniam, *quasi Trojam Novam, nunc Kirchheim dictum, sibi domicilium fixerat.* Vide suprà *Kirchemium.*

TRONODORUM, oppid. Galliae Celticae in Burgundiae Ducatu. *Tonneue* Belforestio. Vide *Tornodurum.*

TROPAEA, urbs Brutiorum maritima apud Vaticanum promuntor. ubi sinus Hipponiates desinit. *Steph. Baudrando* etiam *Trophaea*, & *Trophia*, nunc *Tropea*, Urbs Episcopalis Calabriae ulterioris, sub Archiepiscopo Rheginensi in ora maris Tyrrheni, 45. mill. pass. à Rhegio in Boream, 12. ab Hipponio in Occasum. Dicta à trophaeis Sexti Pompeii, cùm Octavianum Caesar. praeliô navali ibi superâsset, *Jan. Parrhasius.*

TROPAEA Augusti, Liguriae oppid. maritimum. *Ptol.* Hodie *Torbia* Leandro, vicus Comitatus Nicaeae, in colle, 7. mill. pass. à Nicaea, in Ortum, & 2. à Monoeco. Sed *L. Holstenio* Segusione extat, in arcu triumphali, verùm literarum vestigia aegrè agnoscuntur, unde literae conflatae fuerant, ductus vel fulci etiam confusi & obliterati sunt. Arcus ipse in horto privato nunc incognitus extat, per quem haud dubiè via publica olim; visendus inprimis ob structuram & lapidum commissuras, sanè admirabiles, & sculpturas sacrificiorum elegantissimas. Inscriptio eum Pliniana eadem ex principio dignoscitur, quod solùm è longinquo legi potest. *Baudrand. αὐτόπτης.*

TROPAEA Drusi, oppid. Germaniae inter Rhenum & Salam, ubi Drusus obiit, & Tiberius Augustus à militibus Imperator salutatus est. Tac. *l.* 2.

TROPAEA Pompeii, in quibus Strabo posuit fines Galliae Narbonens. & Hispaniae Tarraconens. ubi Drusus obiit, & Tiberius Imperator, à militibus salutatus est, erant in loco *Col de Pertus*, in montibus Pyrenaeis, in imo castri Belloguardiae, in Comitatu Ruscinonensi & ipso limite Cataloniae. P. de Marca, Archiep. Paris. *l.* 1. *Marcae Hisp.*

TROPAEUCHIA, à *tropaeo*, memorata Codino, *de offic. Aulae Constant. c.* 6. *n.* 36. unum erat ex tegminibus Imperatorii capitis. Quemadmodum & Crinonia & Tetraphyllum; quibus in solemnitatibus, Imperatores Constantinopol. utebantur, cùm aliàs pileô uterentur. Ausel. Solerius, *de Pileo*, *Sect.* 9. Signô τροπαιοφόρῳ ornatum fuisse, ait Interpres Curôpalatae *d. l.* Vide quoque Car. Paschal. *Coron. l.* 9. *c.* 9.

TROPAEUCHUS Jupiter dictus, quòd tropaeis praeesset.

TROPAEUM, sive monumentum victoriae erectum eo in loco, ubi hostes in fugam convertit: hinc ἀπὸ τῆς τροπῆς, quòd hostes in fugam versi, dictum. Apud Graecos hic mos diu servatus est, ut qui Imperator hostem fugâsset, tropaeô donaretur: Triumphô autem vel encomiô & peplô, si occidisset, aut funditùs evertisset. Alex. ab Alex. *Gen. Dier. l.* 1. *c.* 22. *fol. m.* 36. Tropaea autem prima ex arboribus confecta sunt, quas amputatis ramis, hostium spoliis decorabant. Deinde coepta sunt fieri ex lapide & saxis, in loco pugnae, quae *Segerstener* à victoriis reportatis, & *Bautastener*, ut veteres pronunciârunt, quasi *Bytastener* à spoliis devictorum hostium, quae eis affixa fuerunt, appellata, Loccen. *Antiq. Sueo-Goth. c.* 4. *fol.* 153. Quae verò spolia in trophaeo figerentur, docet Virg. *l.* 11. *Aen. v.* 790.

——— *Fulgentiaque induit arma*
Mezenti ducis exuvias, tibi magne Trophaeum
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clypeumque ex aere sinistrae
Subligat, atque ensem collô suspendit eburnum.

Vide quoque, quae de trophaeis Marii scribit Fabritius, *in sua Roma*, *c.* 15. Rosin, *l.* 10. *Antiq. Rom. c.* 29. *f.* 1006. 1035. In montibus quoque & locis eminentibus, tropaea collocari solita esse testatur Sallustius, *in Fragm. Hist. l.* 5. quando de Pompejo ait, quòd devictis Hispanis trophaea in jugis Pyrenei montis posuerit. Tropaea quoque marmorea, aeneave, cum inscriptione & titulis aevô perpetuô duraturis, posita fuisse testatur Alex. ab Alex. *Gen. Dier. l.* 1. *c.* 21. Nonnunquam, si materia non suppetebat, lapides in ingentem cumulum aggerendo, in memoriam posteritatis, bonis & fortibus viris pro tropaeis erigebant. Tropaea quondam statura fuerant Pericli, Agesilao, Fabio Aemiliano, Syllae, Mario, Metello, & aliis: nec virtutis tantùm decorandae, sed & ignaviae exprobrandae causâ veteres trophaea constituisse, Artemisiae & Sesostris trophaea satis ostendunt, de quibus Alex. ab Alexandro *d. l.* Tropaeorum vicem hodie supplent vexilla, signa, tormenta bellica, hostibus forti manu erepta, quorum ingens copia in potentissimorum Regum armamentariis, ad posteritatis memoriam, asservantur, Loccen. *Antiq. Sueo-Goth. c.* 4. *f.* 153. Simon Battierius, *Disp. de Praemiis.* Arbor autem inprimis idonea *tropaeis*, quercus habita, ut de Romulo Acronis, & Marcello Britomartis victoribus, legimus apud Plutarchum, *in utroque.* Ex auro *tropaei* meminit Florus, *l.* 2. *c.* 4. ubi de Flaminio. Sed & loco tropaeorum Turres erectas, illisque spolia imposita, docet idem, *l.* 3. *c.* 2. ubi de Domitio Ahenobarbo & Fab. maximo. Imò & Urbes integras, pro *tropaeis* statuisse summos Reges, docet Herodianus, *l.* 3. *c.* 4. ubi de Alexandro Severo, χρῆσαι δ' ἐκεῖνον τρόπαιον καὶ δεῖγμα τῆς νίκης ἐκείνης πόλιν ἐπὶ τῷ λόφῳ Ἀλεξάνδρειαν καλουμένην, & pluribus persequitur Freinshem. *ad Curtium, l.* 9. *c.* 3. ubi inprimis de variis urbibus Νικαίας vel Νικοπόλεως nomina à *victoria*, nactis. Interdum & arae pro tropaeis. Cic. *ad Famil. l.* 5. *Ep.* 4. *In Amano monte Alexandri sunt arae.* Tertullianus, *de Pallio*, *Post trinas Pompeji aras.* Et cui ignotae Alexandri arae, quas ex India reversus erexit? Porrò statua & columna Victoris nonnunquam hoc fine erecta: aliquando fixa hastis hostium capita pro eodem erant. Silius, *l.* 2. de Terone, occisae Hasbytes caput bipenni suffigente, *v.* 208.

Namque aderat totô ore ferens irasque minasque
Annibal, & caesam Hasbyten, fixique tropaeum
Infandum capitis furiatâ mente dolebat.

Quod hodieque multo in usu apud varias gentes Barbaras, Turcas inprimis Persasque. Vide quoque de capite Goliathi, à Davide interfecti, 1. Sam. *c.* 17. *v.* 54. Imò & Deorum effigies uti dicimus ex Euripide, in *Phoenissis*, *v.* 1256. & in *Heraclidis*, *v.* 936. Praeter loca jam dicta verò, in Mari etiam posita *tropaea*, locis nempe tali rei opportunis, docet Demosthenes, *Olynthiacâ* 3. vel in Insulis, ut de Chabria idem habet, *contra Leptinem*; vel in Portubus. Silius, *l.* 14. de Siculis, *v.* 31.

Prompta gens linguae, ast eadem cùm bella cieret,
Portus aequoreis sueta insignire tropaeis.

Vel Foribus affigebantur, uti Romanis notum &c. Inscribebantur Ducum nomina, ut mille loci Graecorum Scriptorum docent, non militum, quod dolet Peleo, apud eundem Euripidem, *Andromachâ*, *v.* 693. qua de re vide plura apud Casp. Barthium, *ad Thebaidem Statianam*, *l.* 2. *v.* 706. Auctoresque suprà de *Triumpho* laudatos. Addo saltem, sapientioribus ex ligno *tropaea* maximè placuisse, ut his brevi tempore consumtis, confestim auferrentur è medio discordiae argumenta. Hinc duo Palladis tropaea describens Himerius, unum adversùs Neptunum, ex olea: alterum contra Barbaros, ex platano, fuisse ait, Μιλ. Et apud Amphictyonas Thebani accusati sunt à Lacedaemoniis, quòd victoriae monumentum, adversùs se partae, aeneum statuerint tropaeum, apud Ciceronem, *de Invent. l.* 2. *c.* 23. Imò Platonem, in sua

sua civitate, arma hosti detracta planè noluisse in Templis suspendi, legimus *in ejus l. 5. de Rep.* Aliàs scil. sacra Diis *Tropæa*, adeoque diruere illa nefas fuit, uti discimus ex Dione, *l.* 42. ubi de Cæsare, & Vitruvio, *l.* 2. *c.* 8. ubi de Rhodiis. Sulla tamen Marii tropæa dejecit, quæ Cæsar restituit, apud Sueton. *c.* 11. contra fas itidem, cùm, sicut dedicata evertere, sic eversa vel tempore consumpta redintegrare, non liceret, ut præter dicta, ex Plutarcho discimus, in *Quæst. Rom.* 36. &c. Vide quoque Car. Paschal. *Coronar. l.* 7. *c.* 14. qui & *de coronandi tropæa more, ibid. l.* 1. *c.* 6. Nec omittendum jus *Tropæi* erigendi non habuisse, qui per inducias ab hoste cæsos repetiisset, uti suprà vidimus ubi de *Induciis.* Unde laudandi Niciæ sumta materia Plutarcho *in eo, c.* 13. qui maluit profundere lauream & decus, quàm duos cives relinquere inhumatos. Quale quid etiam de Atheniensibus memorat Thucydides, *l.* 4. *c.* 9. Vide Berneggerum *ad Justin. l.* 6. *c.* 6. Conspiciuntur hodieque duo Romæ in Esquilino, proque illis habentur, quæ Mario erecta, memorantur Valerio Max. *l.* 6. *c.* 9. *ex.* 14. Moles enim ibi est latericia, in quæ bina *Tropæa* ex marmore quæ corpora trunca sunt cum spoliis. Eorum alterum thorace squamosô indutum, cum clypeis & ornamentis militaribus, ante se captivum juvenem manibus ad tergum religatis & undique alatas victorias habens: alterum armis ornatum, clypeis non usquequaque rotundis, galeis duabus alterâ apertâ cum cono & cristis, alterâ clausâ sine cristis: in eodem inest forma chlamydis, & alia quædam vetustate minùs apparentia, uti legere est apud Jac. Ouzelium, *Animadversion. ad Minucii Fel. Octavium*, ubi varia, *de Tropæis Veter.* truncis inprimis arborum rudibus & sine arte, in hunc usum, antiquitus adhibitis, ex Suetonii *Caligula*, *c.* 45. Poëtisque quamplurimis, congessit. Adde Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 22. Alia notio vocis apud Sueton. *Julio*, *c.* 84. *Funere indictô — pro Rostris aurata ædes — collocata: intraque lectus eburneus, aurô ac purpurâ stratus: & ad caput tropæum, cum veste, in qua fuerat occisus*, ubi κοντὸν Appianus vocat, stipitem videl. in formam tropæi, cui vestis illa imposita: ferculum funebre, interpretatur Casaubonus, *ad Caligulam ejusdem, c.* 15. Vide suprà in hâc voce.

TROPÆUS, Græcè Τροπαῖος, Jovis cognomen, à τρέπειν, quòd hostes in fugam verteret: quemadmodum Romanis idem *Stator* dictus est, quod fugam suorum sisteret. Ei, apud Græcos, statuas aliquando erigebant victores: inprimis postquam usus *Tropæorum* in desuetudinem abiisset, quod Ciceronis ævô factum esse, ex ejus *Pison.* colligere est. Tum igitur, horum in locum, vel aras construebant, ut de Alexandro quoque legimus, in monte Amano istiusmodi victoriæ monumentum excitante: vel *Tropæo* Jovi signa ponebant, uti de Hyllo legimus & Iolaô, apud Eurip. *Heraclid.* v. 937.

——— Βρέτας Διὸς Τροπαίου καλλίνικον ἵστατον.

Vide Franc. Rossæum, *tract. Angl. cui titul. Archæologia Attica, l.* 7. *c. ultimô.*

TROPARIUM, in Ecclesi. Græc. versus est, in quo ut plurimùm agitur memoria Sancti illius, cujus festum celebratur. Nempe certis diebus, certi Canones, divisi in *Troparia* plerunque 30. (exceptô Magnô Canone 250. complexô) in ea Ecclesi. cani consuevêre. Nomen inde, quòd ad Hirmos *convertantur*, & modulationem ad eos faciant. Canebantur autem post Horas. Et quidem ex iis nonnulla Anthimus & Timocles; id verò, quod post secundum antiphonum canebatur Justinianus composuisse dicitur, Suicerus in voce Τροπάριον. Vide quoque infrà Tropus.

TROPEI, memorati Suetonio, *in Claudio*, *c.* 8. *Et quoties post cibum obdormisceret, (quod ferè ei accidebat) olearum ac palmularum ossibus incessebatur, interdum ferulâ flagrôve, velut per ludum excitabatur à Tropeis: solebant & manibus stertentis socci induci*; Scurræ videntur fuisse, qui, postquam Claudium percussierant, statim ne deprehenderentur, se verterunt, joculari motu, quod lusus erat genus: A τρέπειν, quod *vertere* denotat. *Copreas* autem legit Adrian Turnebus, *Adversar. l.* 22. *c.* 32. Sed quinam illi essent, non explicat; facit verò id Jos. Scaliger, *in Festum*, *l.* 17. in voce *Scurræ.* Alii *Crepi* legunt, & Lupercos intelligunt, quorum solennis mos erat, obvios ferulis pelle contectis verberare. Alii aliter: mirè enim vexatus hic Suetonii locus est. Non pœnitendam sententiam affert, Marcell. Donatus Ponzanus *Dilucid. p.* 639. ubi ait, se suspicari, id ludi denotari genus, quod astragalis exercebatur. Jactantes enim aspiciebant scrobem, in quam jactati calculi seu globuli excipiebantur, idque corpore non semel obversô: & in Lexic. Græc. τρόπα, redditur, *obversio, ludi genus.* Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 5.

TROPHILUS, Historicus, reliquit *Collectanea mirabilium narrationum*, ex quibus 4. loca excerpsit Stobæus, *Serm.* de morbis, & molestiarum in eis solutione.

TROPHIMUS, vir Ephesinus. Actor. *c.* 20. *v.* 4. & *c.* 21. *v.* 29.

TROPHONIUS, vates, speluncam in Bœotia, apud Lebadeam urb. habitans, in quam qui descendebat, perpetuò agelastus & irrisibilis erat. Unde proverb. *In antro Trophonii vaticinatus es.* Niceph. Greg. *in Synes. de Insomn.* Ἐγένετό τις ἀνὴρ Τροφώνιος ὄνομα, [illegible] καταχεῦαι αὐτοῦ τὸν βίον ἀπήλλαξεν, ὃ δὲ σπήλαιον φασι μαντείας ἀνεδείχθη τοῖς [illegible] [illegible] ἔτεσιν. Hinc Jupiter Trophonius dictus, quòd redderet oracula in specu Trophonio, teste *Strab.* Alii Sic, Trophonius Scotius h. e. tenebricosus, filius Agamedis, Principis Stymphali in Arcadia & Epicastes. Hi in Elide, Augeæ Regi, repositorium aureum exstruxerunt relictâ juncturâ lapidis exemptili, per quam noctu ingressi subripuerunt pecunias unà cum Cercyone, qui filius erat legitimus Agamedis & Epicastes. Hæsitans Augeas & rei incertus, exulantem à Minoë Dædalum rogavit investigare furem: qui laqueos apposuit, quibus irretitus Agamedes sublatus est: nam Trophonius caput ei amputaverat, ne agnosceretur: simulque fugit cum Cercyone Orchomenum. Augeâ verò, instinctu Dædali, ad expiandum sanguinem eos persequente, confugit Cercyon Athenas; Trophonius Lebadiam Bœotorum, ubi, egestâ terra foveam incolens, vitam suam exegit. Eô defunctô eô loci verax oraculum exstitit. Unde ipsi, tanquam Deo, sacrificatum est. Alii ajunt, à Dædalo artificiosum istud ærarium fabrefactum fuisse, ipsos verò in furto deprehensos ac captos: Uni fugienti terram se diduxisse & recepisse, circa Lebadiam. Posteriore tempore fame laborantibus Bœotis, responsum datum esse à Deo, ut Trophonium colerent: Ignorantes, ubi monumentum esset, examine apum ex fissura prodeuntium cognovisse ac conjecisse illum esse locum: quare eò aliquem demiserunt, ut specularetur: qui invenit duos dracones, objecitque placentas mellitas & illæsus perstitit ab illis. Ex quo mos ductus est, ut cogitantes oraculum consulere se secundùm præscriptum purè habeant, sacram stolam induti descendant manibus lanceas præferentes ad feriendos angues. Nihil periculi tali modô egressis imminet: remittuntur nonnulli eôdem die, quidam per plures retinentur. Alii eô modô recensent: Trophonius nimium ambitiosus, in Lebadia subterraneum domicilium sibi comparavit ac ibi vaticinia reddidit. Sed fame ibidem interiit. Inquilinum specui numen vaticinationes edere perseveravit. In eam specum ingressuri & oraculum petituri gestant manibus mellitas placentas, ut incolentibus Draconibus objicientes nihil ab iis molestiæ patiantur. Introgressus semel, deinceps perpetuò ἀγέλαστος & risu carere dicitur, ob incussam ab anguibus formidinem: Unde Proverbium in austeros, risus expertes ac tetricos: *In Trophonii antro vaticinatus est.* De quo complura habet Pausan. *in Bœot.* & Scholiastes Aristophanis, *in Nub.* ac è junioribus Nic. Leonicenus, *l. de Antro Trophonii*, Gerh. Jo. Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13. & Anton. van Dalen, *Dissertat. de Oraculis*, ubi tum aliorum, tum hujus Oraculi imposturas, ingeniosè detegit. inter Euthycratis opera, ex ære, simulachrum *Trophonii*, memoratur Plinio, *l.* 34. *c.* 8.

TROPIA, Lib. Concil. *Tropæ* Cedreno & Curapalati, vulgò *Tropea*, pulcherrima civitas Calabriæ inferioris, ad finem sinus Napitini, non solùm rebus ad vitam necessariis, verùm etiam ad delicias affluens: Vide *Tropæa.*

TROPIS, insul. quædam. *Steph.*

TROPITÆ', Hæretici, Verbum in carnem *conversum* esse (unde nomen) dicentes, memorantur Philastrio, *Catalogo Heres. c.* 23. Eis affines Polemiani & Eutychiani, de quibus vide suô locô.

TROPUS, in Ecclesia Romana versiculus quidam est, in præcipuis festivitatibus immediatè ante Introitum cantari solitus, quasi præludium quoddam & Introitûs ipsius continuatio continens hæc tria, *Antiphonam, Versum & Gloriam.* Sic in Festo Nativitatis, ante Introitum, *Puer natus est*, præcedit *Tropus* iste, *Ecce adest, de quo Prophetæ cecinerunt, dicentes, Puer natus est* &c. A' Gregorio M. institutum, scribit Durandus, *l.* 4. *c.* 1. Nomen *à conversione vulgaris modulationis*, in Concilio Lemovic. *sess.* 1. Hinc Τροπάρια Græcis, Latinis quoque *Troparia*, libri hujusmodi *tropos* continentes, de quibus vide Leonem Allatium, *de Libris Eccles. Græc. Dissert.* 1. Goarum *ad Euchologium passim*, Joh. Meursium, *Glossar.* ut & suprà.

TROS, in nummis Constantini M. idem cum TRO. de quo vide *suprà.*

TROS, TROIS, Rex Trojanorum, Erichthonii fil. Ili pater, à quo Phrygia minor *Troas* appellata est. Virg. *l.* 3. *Georg.* v. 35.

Assaraci proles, demissæque ab Jove gentis
Nomina, Trosque parens, & Trojæ Cynthius auctor.

Quin & Trojani ab hoc *Troës* dicti sunt. Virg. *l.* 1. *Æn.* v. 176.

Egressi optatâ potiuntur Troës arenâ.

TROSIUS Aper Grammaticus Latinus, inter præceptores Marci Imperatoris memoratur Jul. Capitolino in *Vita* hujus, *c.* 2.

TROSLEJUM, locus diœcel. Suessionensis, vulgò *Trosli.* Hîc quidam ex Proceribus, ab excommunicatione liber pronuntiatus, A. C. 921. Comes Isacus cum Stephano Cameracensi reconciliatus est, A. C. 924. & Comes Herluinus, qui uxori adhuc viventi aliam superinduxerat, pœnitentiam publicam egit, *Morer.* Valesio locus fuit Galliæ, quatuor Synodis A. C. 909. 924. & 927. habitis illustris: nunc vicus, ad Axonam, inter Suessionas & Compendium, sed huic propior. Vulgò *Troli*: Vide ejus *Notit. Gall.*

TROSOBIUS, Solymis cultus, memoratur Plutarcho. *de Def. Orac.* [illegible] *Theodoreto*, [illegible] *Eusebio & Suidæ*, vide suprà vocè *Solimi*, ubi de tribus Principibus viris, post mortem, in gente illa venerationem adeptis.

TROSOBOR, Clitarum Dux, qui sub Claudio rebellârunt, Faustô Sullâ, Salviô Othone Consulib. interfectus, ab Antiocho. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 55.

TROSSULI, dicti sunt, qui aliàs *Celeres*, trecenti nempe juvenes robustissimi, & è nobilissimis familiis delecti, qui Romulum, à quo instituti erant, ejusque Successores, hastati per urbem assectabantur, & jussi ministeria exequebantur, in bello antesignani & protectores: Equites quidem, ubi campus esset ad equestre certamen accommodus; pedites verò in aspero loco & equis invio. Sed Equites plerunque, qui cùm absque Peditum auxilio *Trossulum* oppidum Hetruriæ expugnâssent, inde id nominis nacti sunt. Vide Plin. *l.* 33. *c.* 2. & in voce *Trossulum.* Iidem & *Flexumines* dicti, à *flectendis* in equum gyris. Plin. *loc. cit. Celeres sub Romulo Regibusque appellati sunt, deinde Flexumines, posteà Trossuli.* Sed *Trossulorum* nomen pro equitibus non diu post Gracchum mansisse idem addit. Jam enim tum pudebat multos isthôc nomine appellari, propter ambiguitatem vocis, quæ olim quidem significabat, quod diximus; illô verò tempore etiam pro juvene compto, comato, unguentato, nitide vestito, adeoque delicato & molli accipiebatur, à Græco vocabulo τρυφερὸς, quod *delicatum & mollitiæ infamem* notat. Senec. *Ep.* 76. *Quid ergo? idem faciam, quod* trossuli *isti & juvenes?* alibique. Capitolinus verò vetus verbum usurpavit, in *Commodo*, ubi de hujus in Equitum ordinem cooptatione, quæ aliàs fiebat annô 18. Commodo verò 17. imò Marco Imperatori sexenni, contigit. Ita autem is, *Cooptatus inter trossulos Princeps Juventutis*, ad quem locum vide Salmasii *Notas. c.* 2.

TROSSULUM, oppid. Tusciæ mediterraneum inter Volsinios & Ferentinos 8. mill. pass. excisum. Hujus vestigia *Trosso* vulgò, & vicina fos-

fossa il vado di Trosso, 2. mill. pass. à Monte Physcone. *Baudrandus nimirum*. Ex eo equites *Trossuli* dicti. Plin. *l.* 33. *c.* 2. Persius, *Sat.* 1. *v.* 83.

——— Unde istud dedecus, in quo
Trossulus exultat tibi per subsellia levis?

TROSTBURGUM, castrum Germaniæ, sub proprio Comite, ex Familia Wolckensteinia. In hac enim Fridericus communis duarum linearum *Trostburgiæ* & *Rodneccia* pater fuit, illius quidem per Michaëlem fil. in cujus posteris Christophorus Franc. Baro *de Wolckenstein*, ex Maria Comite Eberstenia, suscepit Paulum Andream Comitem *de Wolckenstein*, quô & Maria Comite Hohenzollerana, genitus est Franciscus, & germani, omnes *Comites de Wolckenstein*, lineæ *Trostburgiæ*. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatrô Nobilit. Europ. Parte* 2. *p.* 55. & *Arte Herald. Tom.* 2.

TROTARE, apud Vincent. Belvac. *l.* 32. *c.* 21. *Itaque iter arripuimus — & equitando, quantum equi* trotare *poterant —— properabamus*: Gallis hodieque *troter*, Salmasio est ex *tolutare*, & gressum notat equorum trepidantium, quem suprà descripsimus, ubi & *tolutim* incedere dici interdum equum, qui *trepidabat*, monitum. Hinc trotari dicebantur adulteri, cùm per urbem nudi traducerentur, quæ recepta olim apud Francos, sicut vetustiori ævô apud Pisidas, pœna fuit. Vide de istis Nicol. Damascenum, apud Stobæum, *Serm.* 42. de illis Car. du Fresne, *Glossar.* & plura de adulteris suprà.

TROTILUM, Siciliæ oppid. Thucyd. *l.* 6. *Curcuraci* nunc *Avitio*.

TROTINGI, in L. Longobard. *l.* 1. *tit.* 16. §. 8. *Dum quidam ad suscipiendam sponsam — cum paranymphis aut* trotingis *ambularent*: joculatores sunt Papiæ; qui *Trutani* aliis, amatores culinæ & liguritores patinarum ac vasorum Car. Bovillo, qui vocis etymon arcessit à *trua* vase, quô aqua è coquina in lavatrinam fundi solet. Car. verò du Fresne sic dictos vult à Gallico *treu*, unde efficta vox *treuvans* quâ, ait, indigitabantur tributorum collectores & exactores, qui ostiatim tributa exigere solebant, ac præsertim ejusmodi census, qui inde *Cens truans* dicuntur in veterib. *Consuetudd.* quòd à Dominis peti ac *quæri* deberent. Jam verò qui quærunt, inveniunt; unde vocis *treuver*, seu ut hodie effertur *trouver*, originem petendam ab ejusmodi tributorum collectoribus, qui dicebantur *avoir treuvé*, cùm tributum *le treu* exegissent, *Glossar.* voce *Trutanni*, Gall. *Truant*, quâ insigniri vulgò, ignavos illos, qui per provincias passim vagantur, & mendaciis strophisque suis omnibus illudunt, addit.

TROTMANIA, vide *Tremonia*.

TRP. in nummis Helenæ, Treveris percussa: TRPS. in Valentiniani, Gratiani & Valentiniani Junior. *Treveris pecunia signata*, notat Car. du Fresne, *d. loc.* TRS. in Constantini M. & Juniorts, *Idem*.

TRUBORUS, ex Waregorum gente, Plescoviam Ducatum in Russia condidit; frater Scinei, qui *Biale Gosioro*, & Rurici, qui Novogardiam, Ducatus alios duos Russiæ celeberrimos, instituêre, sub finem seculi VIII. quorum ultimus, fratribus absque prole extinctis, Russiæ totius Monarcha evasit, uti suprà diximus. Vide Georg. Hornium, *Orb. Imper.* cum *Animadversion. Felleriania*, p. 373.

TRUCCIA, vicus fuit Galliæ, in pago Suessionico, Chlotarii pueri octennis & Fregedundis de Childeberto victoriâ celeberrimâ A. C. 593. relatâ nobilis. Hodie *Drossy*, vel *Drouci sur la Dellette*, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TRUCHSESSII, vide suprà *Dapiferi*.

TRUCHUS, vide suprà *Trochus*.

TRUCONES, insul. parvæ Illyrici inter Phariam & Corcyram. *Truculæ*, seu *Trucula* Hermolao.

de S. TRUDONE Rodolphus, vide *Rodolphus*.

TRUDONIS, vulgò *Sanct Truden*, aliàs *Centron*, urbs in Episcopatu Leodiensi, tertiò milliari à Tungris, Centronum, ut quidam arbitrantur, sedes, quorum frequens apud Jul. Cæsarem mentio. *Merul. Mercat.*

TRUENTUM, quod TRUENTINUM Ptol. melius *Truentus*, hodiè *Tronto* fluv. Piceni ex Apennino monte in Sabinis apud Nursiam oriens, ac per Asculum urbem, quam circumfluit, in mare Hadriaticum ad Truentum oppid. excisum, vel juxta illud influens. *Ferrar.* Oritur ex Apennino, in ipso limite Umbriæ. *Baudrand.* dein per Picenum fluens, receptô ad Asculum Castellanô amne, aliquot milliar. infrà, prope vicum *Porto d'Ascoli* in Hadriaticum mare se exonerat, dividitque Marchiam Anconitanam ab Aprutio ulteriore. Rudera Truenti, quibusdam nunc *Porto d'Ascoli*; aliis *Torre di Seguro*. Hinc *Truentinus*. Silius, *l.* 8. *v.* 434.

Quique Truentinas servant cum flumine turres.

TRULLA, à TRUA, vase aquario seu ingenti cochleari, quasi *Truella*, inter vasa potoria memoratur, *l.* 36. *ff. de auro & argent. legat.* *Trullas, scyphos, modiolos, phialas*; scyphusque fuit profundior & oblongior, ut docet Andr. Alciatus, *Parerg. l.* 7. *c.* 3. Interpres vetus Juvenalis *ad Sat.* 3. *v.* 108. *calicem aureum* exponit *Trullam*, quem locum eruditè pertractat Alexander Neapol. *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 10. Helenio Acroni *Trulla, deformis calix & rusticanus*, *ad Horat. l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 144. Unde Cato *de Re Rust. c.* 10. *villicum*, inquit, *habere oportet truam quinquagenariam unam, trullas tres*. Idem *c.* 13. In torculatium usu opus sunt, *Trulla ænea tres, amphoræ olearia duæ*. Et paulo pòst. *Urceos trualet fictiles duos*, Trullas *ligneas duas*. Meminitque earum Plin. *l.* 34. *c.* 2. *Sunt ergo vasa tantùm Corinthia, quæ isti elegantiores nunc ex sculpendo transferunt modò in lucernas, modò in* Trullas, *nullô munditiarum respectu*. Ubi conqueritur, munditiis contemtis, Corinthia vilissimis applicata usibus, dum ex illis fiant *Trullæ*: h. e. lasanum, in quod onus ventris deponitur, aut vas, quô ex culina in latrinam aquam effundunt, aut cæmentariorum instrumentum, quô dealbati tectorio, aut delutati muniuntur & complanantur parietes: Omnia enim hæc significata apud Auctores vox habet. Interim & vas potorium fuisse, nulli dubium esse potest. Ita enim Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 98.

Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro,
Deprensus dixit, stulte, quid ergo bibis?

Nempe prætextu curæ furtum Medicus excusat, quasi *Trullam* amovisset, ne æger, præter Medici imperium, biberet. Et Plautus, *Amphitruone*, *Actu* 2. *Sc.* 2. *in Suppositis*, *v.* 20.

Intereà, dum illi certant, in popinam eundum est mihi,
Lances detergam omnes, omnesque Trullas *hauriam*. —

Horatius item *loc. cit.*

Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus Trullâ, *vappamque profestis.*

Vide Thomam Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 5. *c.* 30. *Trullam crystallinam*, & *murrhinam* habes apud Plin. *l.* 37. *c.* 2. Apud varias nationes Suecinas maximé, *Trullas* Dæmones nuncupatos, sexu tam mulieris, quàm viri, ementitos, in hominum famulatu esse consuevisse, refert Theodor. Zuingerus, *Theatro Sap. Hum. p.* 789. Sed & *Trulla* Insul. nomen 120. à Cane stadiis dissitæ, supra quam in mediterraneo situ oppid. Sabatha, Metropolis Thuriferæ regionis, de qua vide Salmas. *ad Solin. p.* 493. ut & suprà in vocibus *Cane* & *Sabatha*.

TRULLEUM, vide suprà *Aquamanile*.

TRULLUM, locus apud Byzantium, olim Episcopal. seu sacellum arcuatum, in Palatio Imperator. Hic Concilium VI. Oecumenicum habitum est, A. C. 681. contra Monothelitas. Item templum Constantin. Vide voce *Pentecoste* &c. Aliàs *Trullus*, Carolo du Fresne, in genere ædificium est σφαιροειδὲς, *rotundum*, in formam ovi concameratum, ὠοειδὲς hinc quoque nonnullis dictum. In specie, sic dicta præ cæteris ædes est in Palatio Constantinopolitano, in qua Synodus præfata habita, uti idem pluribus observavit in *Descr.* ædis S. Sophiæ *num.* 32. ubi etiam id nominis Byzantinos Scriptores tribuere potissimùm excelso & sublimi hemisphærio docuit, quod toti ejusdem ædis structuræ incumbit, τροῦλλαν & τροῦλλον promiscuè appellantes. Vide eum in *Glossar.* & de *Trulli* ruina, Zonaræ memoratâ & Cedreno, Macros Fratres, *in Hierolex.*

TRUNCANDI cadavera mos sævus, apud veteres Scriptores passim obvius est, uti vidimus suprà, ubi de *Lacerandi*, *Secandi*, *Trahendi* more, item in voce *Cadaver*, & ubi de *Cædis expiatione* apud priscos usitatâ. Apud Persas inprimis frequens, uti discimus ex Diodoro Sic. *l.* 17. *c.* 69. Justino, *l.* 11. *c.* 14. Curtio, *l.* 5. *c.* 5. Seneca, *de Ira*, *l.* 3. *c.* 20. Ammiano Marcellin. *l.* 30. *c.* 27. Aliis. Verbi vim exprimit Philoxenus, *Gloss. Truncat.* ἀκρωτηριάζει, κολοβοῖ: origo est à τρύω, *tero*, conficio; τρύχω, *attero*, concido. Unde *truncus*, propriè ac primò de arbore resecta; indeque quem *stipitem æternum* Propertius, *l.* 4. *El.* 2. *stipitem infelicem*, Minucius Fel. *Octavio*, Gentilium scil. antiquissimorum εἴδωλον, *truncum* appellat Arnob. *l.* 1. deinde etiam de alio corpore. Jul. Cæs. Scaliger, *Exercitat.* 140. *Stirps, ubi truncantur, truncus est*, *Cadaver Poëta abscissô capite* truncum *appellavit. Veteres lignatores, amputatis ramis, ab sese relictum dicebant truncum.* Et quidem præcipuè *trunci* dicuntur cadavera, quibus capita abscissa. Statius, *l.* 12. *Thebaid. v.* 35.

At circùm informes truncos *miserabile surgit*
Certamen, qui justa ferant ———

Ubi *informes trunci* sunt, demptis capitibus non agnoscendi. Hinc *detruncare* simpliciter sequioris ævi Scriptoribus, capite spoliare designat. Vide ad Historicos *Recuperatæ Palæstinæ* olim à Jac. Bongarsio collector. Quia verò *truncus*, ut dictum, stipes est accisus, huic stipiti, ad quem rei alligantur, *trunci* nomen est in *Charta* Rudolfi I. *Furcas seu patibula*, truncos *& tormenta alia — publicè erigenda*, in *Metropoli* Salisburg. *Tom.* 1. *p.* 390. & 394. Vide suprà ubi de *Cippo*, item in voce *Lignum*, ex *Trunco* arboris cymbam primus extruxit Usous, Hypsuranii frater, ausûsque est sic εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι, *mare ingredi*, ortâ inter illos discordiâ, apud Euseb. *Præpar. l.* 1. verba sunt Sanchuniathonis, qui Hypsuranium hunc Tyri habitâsse, addit. Unde Tibullus, *l.* 1. *El.* 7. *v.* 20.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Verùm Tyrum tum nondum conditam adeoque illi Phœniciæ navigationis primordia immeritò tribui, iis maximè temporibus, quibus tota Phœniciæ ora *Sidoniorum* nomine celebrabatur, docet Joh. Marshamus, *Canone Chron. Seculô XI.* Apud Auctores Eccles. verò *truncus* vocatur, quod γαζοφυλάκιον in Evangelica Historia dicitur, arcella nimirum Fidelium eleemosynis recipiendis destinata: fortè quia ex *truncis* arborum primitus fierent. Sed & *truncus aut lapis cavus*, *ubi aqua, unde sacra lavantur, effunditur*, in ædibus sacris memoratur Gilleberto Episc. Lunic. *de usu Eccl.* Vide Car. du Fresne, *Glossar.* Diminut. *trunculus* est, unde *ungula* & *trunculi* suum, apud Celsum, *l.* 2. *c.* 22. de pedibus recisis, Salmas. *ad Solin. p.* 219. Græci ἄκρεα, item, ἀκροκώλια, Vegetius *acranei* quoque vocat. Quô sensu & *trunci* occurrunt, apud *Moreti* Auctorem,

Non illi suspensa focum carnaria juxta,
Durati sale terga suis, truncique *vocabant* &c.

Vide Casp. Barthium, *Animadversion. Papinianis*, *l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 54. & plura hac de voce, apud eundem, *ad Theb. l.* 5. *v.* 236.

TRUO, vide suprà *Onocrotalus*.

TRUSATILES Molæ primùm fuêre, postquàm in pilis fruges torrere cessârunt prisci: quibus posteà successêre asinariæ, in quarum locum tandem aquariæ (quarum frequentissimus ho-

lieque usus) surrogatæ sunt, ut diximus suprà, ubi de *Molis*. Meminit *Trusatilium* Gellius, *l.* 3. *c.* 3. ubi de Plauto ait, eum, quum pecuniâ omni, quam in operis Artificum scenicorum pepererat in mercationibus perditâ, inops Romam redisset, *ob quærendum victum ad circumagendas Molas, quæ* Trusatiles *appellantur, operam Pistori locâsse*: ibique scripsisse, *Saturionem & Addictum & tertiam quandam* Comœdiam. Circumagebantur illæ manuum agilitate ac robore, sicque fruges terebant, hinc *Manuales* dictæ Servio Honorato *ad Georg. l.* 1. *v.* 274. quum de rusticorum operibus,

Sæpe oleô tardi costas agitator aselli,
Vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens
Incussum aut atræ massam picis urbe reportat.

Ubi *lapidem incussum* rectè dixit, *nam circumactô lapide frumentum terebatur*: Dicebatur autem inferior lapis Græcis propriè Μύλη, superior Ὄνος seu *asinus*, Hesych. Vide Thom. Dempster. in *Rosin. l.* 1. *c.* 14. & Thysium JCtum, *in Gell. loc.*

TRUSTIS, in L. Salica, *tit.* 43. §. 4. *Si quis eum occiderit, qui in truste dominica est*: fides est seu fiducia, vox German. unde in *truste dominica*, seu *Regali* esse dicti sunt, qui Regi ipsi *fidem* jurârunt, hincque de patrocinio ejus securi fuerunt; quod Procerum præsertim fuit, qui inde dicti *Antrustiones* tum, posteà *Fideles* appellari cœperunt. Erat horum summa dignitas, uti patet ex eadem *L. tit.* 32. §. 20. ubi castratio hominis ingenui seu nobilis 600. solidis, *Antrustionis* verò 1800. i. e. triplô luenda injungitur. Fiebat autem ejusmodi *Trustis*, seu Fidelitatis sacramentum, à Fidelibus seu Antrustionibus, *more Francicô, in manus Regis in vassaticum manibus commendatis*; Sacramentô interdum ad Reliquias Sanctorum præstitô, ut est apud Continuatorem Aimoini, *l.* 4. *c.* 64. atque, uti Antrustio fidem Regi, sic vicissim Rex tuitionem ac patrocinium ei, pollicebatur. Car. du Fresne, *Glossar.* Vide quoque suprà, voce *Hominium*, sic enim juramentum hoc posteà dici cœpit.

TRUTANUS, vide suprà ubi de *Trotingis*.

TRUTAVIA, vulgò *Lecoritum*.

TRUTINA in æde Saturni, apud Romanos posita fuit, moris antiqui vestigium, quô illi *æs pensantes expendebant, non adnumerabant*, Fest. Hinc Varro, *de L. L. l.* 4. *Per* Trutinam *solvi solitum; vestigium etiam nunc manet in æde Saturni, quòd ea etiam nunc propter pensuram* Trutinam *habet positam.* Idem mos Græcis, uti docet Homeri Scholiastes, *Il.* ν. *Μηδέπω νομισμάτων ὑπαρχόντων, σταθμῷ ἱστάνιζον οἱ ἀρχαῖοι χρυσίον καὶ ἀργύριον καὶ τὰ παραπλήσια*, *Cùm nummi nondum essent, trutinâ expenderunt Græci veteres aurum & argentum & similia.* Unde Lycophron, *Cassandra*, ubi de Hectore,

Λαβὼν δὲ ταύρου τοῦ πεφασμένου δάνος,
Ζυγοῦ ταλάντῳ τρυτάνης ἀρτυμένος
Et libripens trionis occisi stirpem
Ferens agina examinatam lancibus.

Vide Joh. Meursium, *Not. in l.* De Hebræis idem clarissimè ex Sacris patet. Sed & luxui inservière *trutinæ*, quas *in conviviis poni* consuevisse, *ut ad eas pisces & volucres ponderarentur & glires*, legimus apud Marcellinum, *l.* 28. Voci origo ex Græco τρυτάνη, quod à τρύω, Becmannus, *de Origin. L. L. p.* 169. Vide quoque Alciatum, *l.* 4. *de verb. signif.* & suprà vocibus *Libra*, *Statera* &c.

TRUTTÆ, nusquam memorantur veteribus Latinis: sed meminit Ambrosius, *Hexaëm. l.* 5. *c.* 3. nisi quòd ibi *Tructas* perscriptum, Item Plinius Valerianus, is cujus sepulchrum Comi conspicitur, *de Remediis l.* 5. *c.* 43. & Isidorus Hispalensis, *Orig. l.* 12. *c.* 6. cujus sunt verba, *Varii à coloris varietate, quos vulgus* Truttas *vocat.* Ita quoque exaratum est in uno è MS. Vossianis: in altero est *Tructas*. Nempe hæc scriptura ex eo est, quia confuderint vulgò cum *Trocta*, quô nomine, ἀπὸ τοῦ τρώγειν, à *vorando*, Græcis amia dicta est, piscis marinus; eâque similitudine deceptus quoque Paulus Jovius cum Trutta fluviali pisce Troctam confundit, *de Piscibus Rom. c.* 35. qua in re præivit illi Raphael Volaterranus, *Philol. l.* 25. Est verò *Trutta* Germanicæ originis: etsi derivent ex eo, quia se *trudant* in flumen adversum: Verè intereà dicunt ferri, quà maximus ac rapidissimus est aquæ impetus. Itaque Præceptor Vossii, Philosophiæ apud Batavos Professor, Antonius Trutius, cui à *Trutta* id nomen erat, picturâ piscis pro symbolo usus, adscripsit:

——— *Ne contra fluminis ictum.*

Nempe exemplô Vibii Crispi, apud Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 89.

——— *Qui nunquam direxit brachia contra*
Torrentem.

Interim, quia natatione hujusmodi, eâque veloci, fatigant atque exercent corpus, eô & grati sunt saporis & salubris. Rationem coquendi docet P. Jovius, *ibid. locoque cit.* Vide Gerh. Jo. Vossium, *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 30. Celebrem *truttarum* piscationem Genevæ vigere, nemini ignotum &c.

TRUTULENSIS Portus Cantii, Tacit. *Agric. c.* 38. apud Rutupias. An *Rutupensis* legendum? *B. Rhenanus.*

TRUTUNGI, inter Scytharum populos, qui *in Romanorum solum & Rempubl. venerant, atque illic pleraque vastârunt*, principatu Claudii II. memorantur Treb. Pollioni *in eo, c.* 6. *Tutungri*, in vetere *Chorographia MS.* Γρούθυγγοι Zosimo, *Gruthungi* Ammiano Marcell. *l.* 27. appellari, an iidem cum *Thuringis*, quorum mentio in Æthici *Cosmographia*? Vide Salmas. *Not. ad Pollion. d. l.*

TRYBACTRÆ, seu TRIBACTRA, urbs Sogdianæ propriæ, inter Maracandam & Oxum fluv. quæ nunc *Bochara* creditur, urbs Mauralnahariæ regionis.

TRYCHÆ, urbs Eubϖæ. Apollonius *Trychanta* vocat. Unde *Trychantius* derivari potest. *Steph.*

TRYGÆUS, nomen Comicum Aristoph. *Pace*, vinitori conveniens. Τρυγητὸς enim vindemia est.

TRYGODÆMONES, apud Aristophanem, *Nebulis*, dicuntur Poëtæ, quòd *fæcibus*, quas Græci τρύγας vocant, faciem illinere consueti, in viis, curribus insidentes, ne cognoscibiles fierent, poëmata concinebant, cavillis probrisque lacessentes eos, qui præterirent. Unde *de curru* seu *plaustro loqui*, Proverb. Cæl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l.* 2. *c.* 7. Vide quoque suprà in voce *Fex*.

TRYPHÆNA, nomen mulieris. Rom. *c.* 16. *v.* 12.

TRYPHALIA, vide *Triphylia*.

TRYPHIODORUS, Ægyptius Poëta, scripsit *Marathonica, excidium Ilii, Odysseam*, i. e. poëma de erroribus & laboribus Ulyssis, *paraphrases comparationum ab Homero positarum. Suidas.*

TRYPHON, tyrannus Syriæ, Antiocho VI. tutelæ suæ commissô, regnum occupavit. Ab Antiocho VII. Sidete triennio pòst pulsus pauloque pòst occisus. 1. Maccab. *c.* 15. *v.* 10. 37. Joseph. *l.* 13. *Hist. c.* 16. Justin. *l.* 36. *c.* 1 Appian. *de Bell. Syr. extr.* Vide *Antiochus VI. & Jonathas.*

TRYPHON, Alexandrinus Grammaticus, Augusti tempore scripsit *de copia orationis, de Orthographia*, & alia à Suida commemorata. Item Judæus quidam, adversùs quem scripsit Justinus Martyr. Alius Origenis auditor, ad quem nonnullæ sunt ejus epistolæ, in sacris literis eruditissimus fuit, ut ejus multa ostendunt monumenta. *Hieronymus.*

TRYPHON Diodorus, primus auctor Cilicibus piratici dominatus. Vide suprà *Diodorus*.

TRYPHOSA, nomen mulieris, Roman. *c.* 16. *v.* 12.

TS. in nummis Licinii, *Treveris signata*: ut & TSE. in Constantis, ubi E. nota Monetarii. & TSR. in Constantini Junior. ubi R. iidem Monetarii index est, notat Car. du Fresne, vide suprà TR.

TSAR, vide *Czar*, it. *Moscovia*.

TSCHUDUS Ægidius, Glaronensis, eruditione, studiôque Historicô & Geographicô inclytus. Edidit inter alia & quidem primus, *descriptionem Rhætiæ*, à Seb. Munstero, illô insciô, publici juris factam non sine stomacho Tschudi in amicum, quòd opus, nondum exactum ad ultimam limam, sub nomine auctoris evulgâsset. Exin universalem Helvetiæ Historiam orsus est, quam cùm morte præventus absolvere non posset, Jos. Simlero id negotii datum, verùm nec ipse ad umbilicum eam perducere potuit. Obiit A. C. 1572. ætat. 67. Thuanus, *Histor.*

TSERCLAES, nomen illustris in Germania Familiæ, de qua vide aliquid suprà, voce *Tillius Johannes*.

TT. pro PT. in nummis Constantini M. *percussa Treveris* est, interprete Car. du Fresne, *Dissertatione de infer. ævi Numismatibus.*

TU, compellatio honorifica, quâ erga Deos suos Veteres sæpissimè usi. Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 293. *Hymnô Evandri & convivarum ejus* ad Herculem,

——— Tu *Nubigenas, invicte, bimembres*
Hylæumque, Pholumque manu, Tu *Cressia mactas*
Prodigia & vastum Nemeæ sub rupe leonem,
Te *Stygii tremuêre lacus,* Te *Janitor Orci* &c.

Papinius, *sive Thebaidos prima*, ad Apollinem, *v.* 709.

Tu *Phryga submittis citharæ*: Tu *matris honori*
Terrigenam Tityon *Stygiis extendis arenis.*
Te *viridis Python* ———

Et *l.* 1. *Sylvâ* 1. *v.* 79. ad Domitianum, divinos honores affectantem,

——— Tu *bella Jovis,* Tu *prælia Rheni,*
Tu *civile nefas,* Tu *tardum in fœdera montem*
Longô Marte domas &c.

Vide Caspar. Barthium, *Animadv. Papinian. ad h. l.* E Sacris petita, ut alia Ethnicorum non pauca, uti passim vidimus, vide inprimis Psalmum 102. *v.* 13. & 16. TU *autem Jehova in seculum permanes* — TU *surgens misereberis Tzijonis* &c.

TUÆSIS, *Ptol.* vulgò *Twede*, fluv. Albionis in ora Orientali Angliam à Scotia dividens, ubi Bervicium oppid. ab Eboraco 110. mill. pass. ad Boream & Græciam. Aliis potius *These* vel *Tees* est, à Tueda 70. milliar. in Austrum, cum oppido cognomine. *Bermanno*, copiosâ scaturigine erumpens, ubi proximè Catram vicum accessit, multis aquis auctus regnorum collimitia discriminare incipit: Posteà *Werke* Greyorum castrum, in quod Scoti non rarò detonuerunt, alluens, *Tillum* recipit. Dein per Norham decurrens, in ulteriori ripa ostii impendens habet ultimum Angliæ & munitissimum totius Britanniæ oppid. Bervicium, ex Camdeno, *c. l. in Northumberland.* Vide *Tuesis*.

TUAMA, seu UM, urbs fuit ampla Comitatus Clarensis, in Connacia, Hiberniæ provincia, Archiepiscopalis, sub qua olim Duacum, Achada, Alachda Olfinum, Clonfertum & Roscomia: vulgò *Toam*. Nunc paucissimis constat incolis, tantùm titulô Archiepiscopali nobilis. 24. mill. pass. à Galliva in Meridiem, Claram versùs.

TUBA, Tyrrhenorum inventum, Plin. *l.* 7. *c.* 56. à *tubo*, seu canali, quem refert, dicta, priscis Græcis ignota fuit. Unde illos, *Tubarum* locô, conchis uti consuevisse, legimus, apud *Hesychium*, Κόχλοις ἐπὶ θαλαττίοις ἐχρῶντο, πρὸ τοῦ τὴν σάλπιγγα εὑρεθῆναι. Ita enim emendavit Meursius, cùm anteà malè legeretur, Κόχλος, ἔπος θ. Idem Theocritus docet *Διοσκ.*

Ἤρ' ἄμυκος, ἢ κόχλος ἐλᾶν μυκάζετο κοῖλος,
Οἱ δὲ θοὰς ναυάγοι ὑπὸ σπαρτὸν ἐλαύνειν
Κόχλον φυσήσαντες.

Sic Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 171.

Sed tum fortè cava dum personat æquora concha.

E'qui-

E quibus lux Tertulliano *de Pallio*, ubi ait, *Adhuc maris conchæ & buccinæ peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare, etiam ardua fluitasse.* Pertinet huc Theognidis quoque ænigma, priscum in militia illum conchæ usum exprimens,

> Ἤδη γάρ με κέκληκε θαλάσσιος οἴκαδε νεκρός,
> Τεθνεὼς, ζωῷ φθεγγόμενος στόματι.

Vide Jo. Meursium, *Notis in Lycophron.* Apud Athenienses posteà πυρφόροι ἀντὶ σαλπιγκτῶν, *Facifers loco Tubicinum*, committendi prœlii signum dedêre. Statius, *l. 4. Theb. v. 5.*

> *Prima manu rutilam, de vertice Larissæo,*
> *Ostendit Bellona facem.*

Donec tandem *Tubæ* prodierunt: quarum jam Æschylus meminit *in Pers.*

> Σάλπιγξ δ' ἀϋτῇ πάντ' ἐκεῖν' ἐπέφλεγεν,

allusione ad priscum facum usum factâ. Tyrrhenis verò *Tubarum* inventum attribuit Scholiastes Euripidis *in Phœnissis*: & quidem æneam *Tubam* à Piseo Tyrrheno primùm excogitatam fuisse, tradit Plinius, *Histor. Natur. l. 7. c. 56.* Ab his in Græciam primùm eas detulit Archadas quidam, Heraclidis auxilio profectus, teste eôdem Scholiaste: πρῶτος δ' Ἀρχώνδας συμμαχῶν τοῖς Ἡρακλείδαις ἤγαγε τὴν Τυρσηνικὴν σάλπιγγα εἰς Ἕλληνας, ubi Τυρσηνικὴν illam ab inventoribus appellat: quemadmodùm ipse Poëta, tum *in Phœnissis*, tum *in Heraclidis*, eôdem epithetô eam insignit, ἐπεὶ δ' ἐσήμηνε ὄρθιον Τυρσηνικῇ σάλπιγγι, καὶ συνῆψαν αἱματηρὰν μάχην; Ὄρθιος enim modus, excitaudo militum vigori idoneus. Forma veteris *Tubæ* eadem, qualis apud Europæos hodie; ære nempe directô ducta, canali ad exitum latiore: quæ erat militaris (Nam & alia sacrorum fuit, dispari usu & fortalie formâ.) Hinc à cornu, quod inflexum, *Tuba* distincta: Ovid. *l. 1. Met. v. 98.*

> *Non* Tuba *directi, non æris cornua flexi.*

Digniores quoque eâ usi olim, imò & Principes viri illâ cecinerunt: At Homerus, licèt noverit, nusquam tamen eam Heroibus tribuit, quia tum nondum in usu Græcorum. Quâ Romani usi, Tyrrhenica fuit, similis tibiæ Phrygiæ, habensque orificium scissum aut fractum, acuta admodum. Modus incinendi classici hic fuit. Tubicen unus utrinque insonuit, & mox alii pariter responderunt; priores quidem ii, qui rotundô locô constituti tubis certum aliquid modulabantur, quô, ut consisterent & prœlio se pararent, admonebantur milites. Tum deinde omnes reliqui, qui animos irasque militum acuebant, incendebant ad pugnam. Itaque triplex *Tubæ* fuit sonus: Primus unius & singularis, qui Primipili fortasse, haud longè ab Imperatore ejusque nutu incinuit: Secundus aliquot eorum, qui in loco quodam orbiculato & fortassis editiore stabant, ad signa & aquilas: Tertius omnium aliorum per cohortes, per turmas, qui pariter jam classicum concinebant. Duo enim priores soni non nisi expediendo militi ciebantur, paulatimque ejus animo & iræ movendæ. Quantum autem *Tubæ* sonus, ad spiritus sanguinemque evocandum, vim habeat, nemini ignotum: Unde Romani non in Equitibus solùm, sed etiam in Peditibus *Tubas* adhibuêre: Tympana & cujusmodi nos vasa pulsamus, aversati, imo convicii vulgari notantes, *Tympanotriba.* Interim, *summos bellatores Lacedæmonios, non cornuum Tubarumque signis, sed tibiarum modulis, in prœliis usos esse*, refert apud Aul. Gellium, *l. 1. c. 11.* Thucydides: cujus rei causam vide *ibidem.* Cretenses verò *ad cytharam dimicâsse*, docet Heraclides *in Politicis*, ac Polybius, *l. 4.* Solenni porrò ritu, antequam in bellum abirent *Tubicines*, lustrabantur *Tubæ*, ut dicetur infrà, in voce *Tubilustrium.* Neque verò in bello solùm *Tubæ* usurpatæ, sed & cùm in sacris certaminibus denuntiandi ac declarandi Victores erant; posteriori videl. ævô: Antiquitus enim, cùm Tubas nondum haberent, solâ Præconum voce id factum. Vide Thom. Dempster. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 5.* Imò Philostratus *in Polemone*, Ἡ δὲ ἰδέα τῶν Πολέμωνος λόγων θερμὴ καὶ ἐναγώνιος, καὶ ἐγὼρ ἠχοῦσα, ὥσπερ ἡ Ὀλυμπικὴ σάλπιγξ, *At species Polemonis orationum fervens erat & pugnax, & vehementer sonans, quemadmodum Olympica tuba.* Ad cujus proin cantum, Athletæ, qui in curribus, ubi sorte eis assignata loca erant, steterant hactenus, posteà prosiliebant. Hinc apud Virgilium in Ludis descriptis, *Æn. l. 5. v. 113.* tuba

> *Et tuba commissos medio canit aggere ludos.*

Etiam in Funeribus adhibitas, Servius docet *ad l. 5. Æn. v. 138.* ubi ait: *moris fuisse, ut majoris ætatis funera ad* Tubam *proferrentur: minoris verò ad tibias.* Nempe canebant eâ Siticines, quod Tubæ genus à cæterorum Tubicinum diversum fuisse, rectè observavit Hieron. Magius, *Miscell. l. 1. c. 13.* ubi docet, Siticinum tubas cæteris fuisse latiores ac longiores, quales in antiquis sepulchris videre est exsculptas, ipsosque Siticines gravem, utpote luctui idoneum, incinere sonitum consuevisse. Vide de his præter Magium præfatum, Jo. Meursium, *de Funer. c. 18.* & suprà in voce *Siticines.* Illustrium præsertim ac nobilium virorum, uti docet Casaubon. *ad Sueton. Julij, c. 84.* In pompis insuper, olim hodieque. Et quidem de Triumpho visum suprà. Sed & pace inter Alexandrum III. & Fridericum Barbarossam ope Venetorum compositâ, inter cætera Veneti Ducis insignia, quibus ejus majestatem instruxit Pontifex, *Tubas argenteas* eâ fini quoque illi donatas, memorantur Sabellico, *l. 5. Ennead. 9.* Imò & in India *tubæ* usum mendicis esse, militaris hôc clangore satis ferociter stipem poscentibus, docet P. de Valle, *Itiner. Part. 4.* &c. De Hebræorum *Tubis* dicemus infrà aliquid, ubi de *Tubarum Festo.* Sonus Tubæ *clangor* propriè, unde quòd *murmur* eum Papinius dicit, *l. 6. Thebaid. v. 404.* carpitur à Barthio. *Melos* verò appellat Higinius, *c. 274.* ubi de tubarum inventione: *Tyrrhenus, inquit, Herculis filius, tubam primus invenit, hâc ratione, quòd, cùm carne humanâ comites ejus vescerentur, ob crudelitatem incolæ — diffugerunt. Tunc ille, ubi quis ex eorum numero decesserant, concha pertusa buccinavit & pagum convocavit, testatique sunt, se mortuum sepulturæ dare, nec consumere. Unde tuba Tyrrhenum melos dicitur.* Ubi tamen *Melei* legendum, quem Tyrrhenorum itidem Imperatorem tubam invenisse primum Lutatius ait, conjicit Casp. Barthius, *Animadv. Papin. ad d. l.* *Clangorem* autem de tuba Virgilius usurpat, *l. 8. Æn. v. 526.*

> *Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor* &c.

Vide suprà. Affinis Tubæ lituus, nisi quòd illa inchoando prœlio, & classico, (unde *tubæ sonitus auditi*, bellorum omina, Plin. *l. 2. c. 57.*) hic receptui canendo aptior: confundit tamen utrumque idem Statius, *l. 11. Theb. v. 50.* Buccina item, (quæ quòd tortuosa esset, ac in semetipsam æreô circulô flecteretur, στρογγύλη σάλπιγξ Græcis dicta est) & omne sonorum cornu, quæ *Tubæ* nomine nonnunquam Veteribus venire, docet Barthius præfatus ubi suprà; Vide eum *ad eundem Poëtam, alibique passim*, uti de *Tubis* plura, apud Scholiasten Sophoclis, *initiô Ajacis.*

Tubarum 6. apud Antiquos genera, ex Eustathio.

1. Quam Minerva invenit; quæ ab Argivis hôc cognomentô culta, Σάλπιγξ Ἀθηνᾶ.
2. Apud Ægyptios, quam Osiris reperit, quæque χνόη ipsis dicebatur, & in sacrificiis adhibebatur.
3. Gallica, conflatilis, non nimis magna; os habebat deformatum in bestias & canalem plumbeum, in quem inspirabant Tibicines atque acuti erat soni: Gallis dicta *Carnyx.*
4. Paphlagonica, cujus os effigie bovis, gravi mugitu, sursum inflanda.
5. Medica, è calamo tubam habens, gravi sonô.
6. Tyrrhenica, Phrygiæ tibiæ similis, orificiô scissô, acuta valde: quam ad Romanos à Tyrrhenis delatam dixêre, Vide quoque de *Tuba longa*, suprà in *Siticines* & de Helegeo, primo *Tubæ* inventore, Palæphatum & Pausaniam, *l. 2.*

TUBAL, seu THUBAL, Japheti filius, Noahi nepos quintô locô inter fratres recensitus Genes. *c. 10. v. 2.* primus omnium in Hispaniam venisse creditur, de quo tamen aliter Hieronymus *in Ezech. c. 38.* ubi *Tubal* interpretatur *Italos.* Sed utramque sententiam jungit Idem *in Esai. c. 66.* *Tubal*, inquit, *sive Tobel aut Italia interpretatur aut Iberia*: ut & Isidorus, *Origin. l. 9. c. 11.* Occasione, ut videtur, ex Josepho depromtâ, qui *Antiqq. l. 1. c. 7.* *à Tobele Tobelos, qui nostris temporibus Iberes appellantur*, *conditos* scribit. Ulteriùs procedit Annius Viterbiensis, mirificus impostor, qui *Tubalis* filium *Iberum* statuit; cumque & Ibero flumini & Iberiæ terræ de se imposuisse nomen dicit. Verùm si *Iberorum* Pater *Tubal* fuit, num Hispani propterea intelligendi? Cùm Josephus à fratribus ejus, Gomero Galatas; Magogo Scythas; Madai Medos; Javane Ionas; Mesecho Cappadoces; Thirazo Thraces deducat: quis credat, *Tubalem*, tam longè à consanguineis, in ultimum recessisse Occidentem? Et *Thubalidas*, inter Syriæ Asiæque populos referri videmus Ezech. *c. 38. v. 2.* ubi *Gog* vocatur caput sive Princeps Magogæorum & Thubalidarum; ac similiter *c. 39. v. 1.* ubi dicitur Deus eos producturus è terra Aquilonari. Alibi etiam *Meschech & Tubal*, conjunguntur, ut gentes conterminæ. Vide Ezech. *c. 27. v. 13. & c. 32. v. 26.* Satis autem constat, *Meschech* Septentrionalem esse Asiæ Populum: Unde & *Tubal* fuerit inter illas nationes, non verò in Occidente ultimo quærendus. Intellexisse itaque Josephus potiùs censendus est Iberes Asiaticos, qui coloniâ in Hispaniam ductâ nomen suum ei dedisse videntur. Namque & Plinius è Strabone *l. 3. c. 1.* Iberes sive Iberos primô locô collocat, inter nationes, quæ ante Romanos in Hispania sedes fixerint. Cui quamvis refragentur, Megasthenes, apud Eusebium, *Præpar. Evang. l. 9. c. 41.* Strabo, *l. 1.* Dionysius Perieg. Socrates, *Histor. Eccl. l. 1. c. 10.* Iberos Occidentales in loca ultra Pontum & Colchidem commigrâsse, asserentes: Appianus verò *in Ibericis*, neutros alterum ἀποίκους esse dicat: multò tamen verisimilius est Hispanos Iberum in Asia colonos esse, cùm ab Oriente genus humanum propagatum sit, quàm ut credatur, Hispanos in loca Asiæ Septentrionalia commigrâsse. Interim non absurda Appiani conjectura, inprimis cùm, ut is ait, ἤθεσιν οὐδὲν ὅμοιοι καὶ γλῶσσαν, *Nec moribus ulla ex parte, nec lingua conveniunt.* Vide Voss. *de Idol. l. 1. c. 33.*

TUBAL seu TUBALLA, Beuthero *Tafalla*, oppid. Navarræ præclarum inter Pompelonem ad Boream, 6. & Tutelam ad Austrum 10. leuc. *Tuboricum Metallum* fortè Ptol. & *Tobolicum* Melæ.

TUBALCAIN, fil. Lamech ex Sella uxore. Gen. *c. 4. v. 22.* de quo vide Joseph. *l. 1. Jud. Ant.*

TUBANTES, German. populi in Transisalana, apud Frisiæ & Westphaliæ confin. quorum regio *Twendt*, teste *Pyramô.* *Bructeri* erant, ubi hodie Westphalia ex parte; Erantque tempore Cæsaris, & posteà Marsis juncti, at parum sedibus discreti.

TUBANTI, populi German. *Ptol.* quorum urbs *Tubinga Læxia* ad Nicrum fluvium in Suevia. Sed aliis iidem Tubantibus sunt suprà descriptis.

TUBARUM Festum, unum fuit ex Festis Hebræorum anniversariis. Apud hos enim *Tubarum* usus antiquus admodùm, tum in concione, & bello, tum in sacris. De concione & bello, sic Moses, Numer. *c. 10. v. 2.* & *seqq.* *Fac tibi* (verba Jehovæ ad Mosen) *duas tubas argenteas, opere ductili facito illas; ut sint tibi ad convocandum*

m cœtum & ad imperandum profectionem castrorum. Quum clangent (sacerdotes) illis, tunc congregabunt se ad te universus cœtus, ad portam Tentorii conventus: Quum autem clangetis fractô sonô, tunc proficiscentur castra &c. De Sacris ita v. 10. In die quoque lætitiæ vestræ, & in solemnitatibus vestris, & in principiis mensium vestrorum, similiter clangetis Tubis illis ad holocausta vestra & ad sacrificia Eucharistica vestra: eruntque vobis in monumentum coram Deo vestro. Inprimis autem celebre erat Tubarum Festum, quod agebatur ipsis novi Anni Calendis, seu initiô mensis Tisri, quô tempore Judæi mundum creatum statuunt. Licèt enim mensis iste Anni sacri esset septimus, civilis tamen primus erat. Institutio habetur Levit. c. 23. v. 24. Mense septimô, primô die ejus mensis, esto vobis cessatio, monumentum clangoris, convocatio sancta. Vide quoque Numer. c. 29. v. 1. Quæ præ reliquis Neomenia, utpote reliquis, quamvis & hæ sacræ essent, celebrior, tum sacrô ἀργίᾳ ac quiete, tum frequentioribus sacrificiis, tum denique Tubarum clangore, à manè ad vesperam, celebrari solebat. Causæ illius erant, Mundi hôc anni tempore, uti ere credebant, conditi memoriam renovare, ac novum Annum, quo Sabbaticos Jubilæosque annos ordiebantur, quoque in omnibus contractibus actisque utebantur, ritè auspicari; Annumque Gratiæ, qui in fine dierum extiturus erat, istô Tubæ sonô ac clangore promulgare; Annum videl. illum acceptationis Jehovæ, Esai. c. 61. v. 2. quem Christus olim prædicaturus ac longè latéque annuntiaturus erat: Clangite in Novilunio buccinâ, in interlunio diei festi nostri, Psalmo 81. v. 4. Basilius addit, in Psalm. 80. hôc festô Israëlitis in memoriam fuisse revocatam diem illam, quâ, inter alia, sonitu Tubæ vehementi valde, in monte Sinai ipsis Lex data erat; Exodi c. 19. v. 16. Et fortè Resurrectionis ipsis hôc Festô quoque memoria injecta, de qua sic Christus Matth. c. 24. v. 31. Mittet vero Angelos suos cum Tuba voce magna, & cogent electos ejus à quatuor ventis, à cælorum extremo, ad eorum extremum, &c. Vide Th. Godwyn. de Ritib. Hebr. l. 3. c. 7

TUBER, à Græco τύφος, quod est, τύφος, seu ὄγκωσις, tumor, non dicitur nisi de rotundo & globoso, & propriè quidem notat tumorem vel abscessum corporis, qui in rotundum erumpit, Græcis φῦμα, φλύκταινα, δοθιήν, τύλος. Inde ad fœtum illum terræ ὑπόγειον, qui nil nisi radix est, & ὕδνον Græcis appellatur, denotandum vox extensa. Verùm hæc non Tubera simpliciter, sed Tubera terræ nuncupantur, quasi γῆς ὑπόγεια. Glossæ tubera terræ, ὕδνα. Sed in lemmate Epigr. 50. l. 13. Martialis, quod sic habet,

Rumpimus altricem tenero de vertice terram
Tubera: boletis poma secunda sumus;

Tubera terræ libri præferunt. Juvenalis quoque, Sat. 14. v. 7.

—— qui radere tubera terræ
Noverit ——

Et quidem istis de Tuberibus hæc traduntur peculiariter. Cùm fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tunc nasci & maximè è tonitribus, nec ultra annum durare: tenerrima autem verno esse --- Asiæ nobilissima circa Lampsacum --- Græcia verò circa Elin, Plin. l. 19. c. 3. Ubi quod de tonitribus ait, confirmat Juvenalis, Sat. 5. v. 116.

—— post hunc radentur Tubera, si ver
Tunc erit, & faciant optata tonitrua cœnas
Majores ——————

Vide Plut. Quæst. Sympos. l. 4. qu. 2. Hinc, quia & margaritum, per tonitrua frequentia & imbrium effusionem, plurimùm gignitur, ut tradit Isidorus Characenus, ostreæ seu conchæ margaritiferæ eleganter Matroni παρῳδῷ, dicuntur Θετίδος ὕδνα, maris tubera,

Ὄστρεα τ' ἔφαγεν Θέτιδος Νηρηΐδος ὕδνα.

uti poma maris Tertulliano. Vide Salmas. ad Solin. p. 1231. & de Tuberibus terræ plura, apud eundem, ibid. p. 707. & seqq. At Tuberes, malorum genus ex Africa in Italiam allatum, novissimis Augusti temporibus, uti ex Plinio præfato constat, l. 15. c. 14. Sed Tuberes ibi scribunt optimi libri. Nec aliter habent codices MS. apud Martialem, l. cit. Epigr. 42.

Non tibi de Libycis tuberes, & apyrina ramis,
De Nomentanis, sed damus arboribus.

Ubi apyrina dici, quòd iis lignosus abesset nucleus, Græc. πυρὴν, & malorum granatorum genus esse, ait Brodæus. Vide iterum Salmas. ubi suprà, p. 580. Sed & tuber Venatoribus vocatur, quod cervi primô annô, velut cornuum rudimentum, emittunt, ὥσπερ σημεῖον χάριν, ἀρχὴν ἔχει, ut inquit Philosophus, quô tempore Græc. πρῶτος. Latin. hinnuleos appellari, suprà diximus &c.

TUBERO, Iuris civilis antistes, & Stoicæ doctrinæ sectator, A. Gell. l. 14. c. 2. In epulo publico hædinis pellibus stravit, lectos Punicanos, & vasa Samia exposuit. Idem Lucullum Xerxem Togatum appellabat. Plut. Totum nomen est, Q. Ælius Tubero.

TUBERO L. Ælius, Romanus, notissimus ex Ciceronis oratione pro Qu. Ligario. Variis in Republ. muneribus functus est, ingeniô & eruditione clarus. Scripsit Historiam, sæpe priscis laudatam. Idem, l. 1. ep. 1. ad Quint. fratr. c. 3. in Bruto, c. 31. &c. Dion. Halicarn. Antiq. Rom. l. 1. Val. Max. l. 7. c. 5. ex. 1. Senec. ep. 95. & 98. Oros. l. 6. Hist. c. 15. Voss. de Hist. Lat. l. 1. c. 12. Vide & Posthumus.

TUBEROSA, floris nomen, de quo sic Fr. Pomey: Bulbosa radix tuberosæ genitrix & altrix —— egerminat in surculum acuminatum; qui sensim turgescens, seseque trudens, exitumque moliens, terram, quâ tegitur, fundis cuspide & fordis emicat. Tum, ubi excrevit paululum, explicare se paulatim, itaque diffundere, ut paucos intra dies longiorum sylvescat luxurie foliorum, in acumen excuntium & resupinorum per ambitum. Aliquanto pòst, medio è foliorum globo illo erumpit thyrsus, qui assurgens moliter & geniculatim ad ternos circiter, quaternosve pedes, gemmas elicit, extruditque ab apice, informes primùm ac minutas. At post inter scandendum augescentes, viridantem seu paniculam effingunt calyculorum multiplicium variæ magnitudinis, in longiusculum tubum amœnissimè florescentium. Primùm quidem virescunt toti dein rubescunt in apice, tum exalbescunt penitùs: non unà simul omnes, sed singulis deinceps diebus, singuli. Deinde evolutis foliolis in stellas effulgent, aut, ut veriùs loquar, in tenues figurantur vivo ex argento tubas, ductô inde fortassis nomine, quasi Tubam dicas odoram ac roseam, quæ sonum, ut sic loquar, procul edat odoriferum, multoque sanè longiùs, quàm cæteri flores; quos ut olfacias, attingas oportet & admoveas ori. At hic flos longè lateque odorem dispergens, longè suaviorem roseô, amorem sui concitat etiam ignotus, & admirationem etiam invisus, Vide illum Tr. divers. descr.

TUBERTUS, vide Posthumius.

TUBERUM, urbecula Franconiæ, sed Imperialis & libera, ad fontes Tuberi fluv. In colle, 8. milliar. German. ab Herbipoli, 9. a Nortimberga in Occasum. Rotenburg an der Tauber vulgò, ad differentiam alterius.

TUBERUM, nomen fluv. per Franconiam in Mœnum influentis. Plin. l. 6. c. 23. Flumen Tuberum navigabile, circa quod Pasiræ, deinde Ichthyophagi tam longô tractu &c. Legi jubet Tomerum Salmasius ex Indicis Arriani de Nearchi navigatione, quam Plinius eò loci describit, Τόμηρος ὄνομα ἦν ποταμῷ. Vide eum, Exercit. Plinian. ad Solin. p. 1176. Sed & hôc nomine Franconiæ fluvius est, ut diximus.

TUBICINES, qui Tubâ canunt: Aul. Gellius, l. 20. c. 2. Tubicines Σαλπιγκταί, Gloss. Philoxeni. Sic in Glossis Cyrilli Tubicinator, Tubicen, Liticen. Ampliorem tamen significationem vocem Tubicinis etiam habuisse apparet ex hisce Festi, Tubicines etiam sic appellantur, qui Sacerdotes, viri speciosi, publicè sacra faciunt, tubarum lustrandarum gratiâ. Hinc Tubilustrium & Tubilustria, dies quo de festo hic infrà.

TUBILUSTRIA, festa erant apud Roman. quibus tubæ sacrorum in atrio Saturni expiabantur die 23. Martii. Eorum mentio in Festi reliquiis, quas Scaliger sic restituit; Tubilustria dies, quibus dicunt adscriptum, in atrio Sutorio agnâ Tubæ ut lustrentur; quod genus lustrationis ex Arcadia, Pallante eò transferente, venisse dicunt. Paulus sic in compendium redegit, Tubilustria, dies appellabant, in quibus agnâ tubas lustrabant. Hinc & Varro, de L. L. l. 5. Tubilustrium, quòd eo die in atrio Sutorio sacrorum Tubæ lustrantur. Fiebat id bis in anno, 10. Kal. Aprilis, Minervæ: Ita enim Ovid. l. 3. Fastor. v. 849.

Summa dies è quinque Tubas lustrare canoras
Admonet & forti sacrificare Deæ.

Ubi quintus Quinquatruum dies intelligitur. Et 10. Kalend. Jul. Vulcano; Unde idem, l. 5. Fast. v. 725.

Proxima Vulcani lux est, Tubilustria dicunt,
Lustrantur puræ, quas facit ille, Tubæ.

In quæ verba Schrevelius, Ab ipsis, inquit, Tubicinibus, moturis aciem classicis, antequam aberent. Vide suprà in vocibus Tuba, item Tubicines.

TUBINGA, vulgò TUBINGEN Germanis, Tubingue Gallis, urbs lepida & culta Sueviæ, 4. milliar. German. à Stutgardia in Meridiem, 12. ab Ulma in Occasum. Hic A. C. 213. Antoninus Caracalla Imperator palatium habuit, & forum, ludos item & spectacula Germanorum causâ exhibuit. Fuit olim sub Comitibus propriis, qui dicti sunt Comites Palatini Tubingæ, sed A. C. 1343. à Gœzzone & Wilhelmo fratribus vendita est Ulrico Comiti Wirtenberg. cum castro omnibusque ad eam pertinentibus. A. C 1477. ornata fuit Academiâ, ab Eberhardo Comite, quam auxit Christophorus, Dux Wirtembergicus, in infantia olim cum sorore Anna, in arce Tubingensi à fœderis Suevici sociis obsessus. Hic leges disciplinæ astrictas esse voluit; & illustri stipendio, in quo anteà 70. studiosi alebantur, alios adhuc alumnos 90. adjecit. Ejus posteà filius Ludovicus cognomine Pius ibidem loci Collegium illustre, primò A. C. 1589. Lapide positô erexit, & ipse initiavit, A. C. 1592. quæ impensæ ad 60000. aureorum excreverunt, vide Middendorp. de Acad. Bertium, rerum Germ. l. 3. c. 2. &c. Professorum Tubingensium Vitas scripsit Erhardus Cellius. Familiam veterum Comitum quod attinet, in ea jam circa A. C. 1000. memoria Adelberti Comitis Palatini Tubingæ, floruit. Accessit deinde Brigantina & Pfullendorfia hæreditas: Lineæque fuêre plures sed parùm diuturnæ. Cæterùm, postquam Gothfridus & Wilhelmus fratres Tubingam Wirtenbergicis vendidêre, rebus accisis splendori familiæ non parùm decessit, quem in dynastia Liechteneck utcunque tuebantur. Tandem ultimus marium Conradus Wilhelmus extinctus, januam clausit, ex Anastasia Comite Leiningensi, non nisi filiâ relictâ, Elisabethâ Bernardinâ, quæ nata A. C. 1634. nupsit Carolo Comiti Salmensi & Neoburg. ad Ænum. Vide seriem Majorum ejus, à Conrado Comite Tubingæ Dn. in Liechteneck, Georgii defuncti A. C 1507. patre, usque ad hæc tempora, apud Phil. Jac. Spener. Theatrô Nobil. Europ. Part. I. p. 88. & plura hanc in rem, apud eundem, Arte Herald. Tom. II.

TUBRUCUS, apud Isidorum, l. 19. c. 32. lanea est ocrea, ocreis aut calceis coriaceis superimponi solita; Ita enim is, Tubruci dicti, quòd tibias bracasque tegant: ubi bracæ sunt crurum tegumenta. Nempe tubruci dicebantur, quos supra hosas accipiebant. Paulus de Gestis Longobard. l. 4. c. 23. Calcei verò eis erant, usque ad summum pollicem penè aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti, posteà verò cœperunt hosis uti, super quas equitantes tubrucos birreos mittebant. Sed hoc de Romanorum consuetudine traxerunt. Ubi tubruci birrei seu byr-

byrrei, rufi ſunt ſeu ruſſei, ex Græco *πυῤῥὸς*, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, *c.* 20. Dicti autem *tubruci*, quaſi *tubiruci*, h. e. *tuborum* vel tubulorum (quô nomine recentiores Latini tibiarum tegmina appellavêre, *ruci*, ſeu roci (quô iidem vocavêre quævis operimenta) cujuſmodi uſum bottæ hodiernæ præſtant, ut ex Pauli loco ſatis conſtat. Aliud quid eſt *κοντοζουβράγιον* apud Codinum, *curta* videl. *braca*, de quo veſtis genere ſuprà: plura verò de *tubrucis* hiſce, apud Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev. c.* 40. Vide quoque hîc infrà.

TUBUCCI, ſeu TACUBIS, *Antonin.* oppid. Luſitaniæ in regno Portugalliæ ad Tagum fluv. *Abrantes Vaſconcello*. Nunc caſtrum. Alius eſt *Tancos*, caſtrum 7. leuc. à Scalabi in Ortum, Abrantum verſus 2. ubi fluv. *Zezare* in Tagum abit.

TUBURBIS, TUBURBI *D. Auguſtin. Tuburbum Antonin.* colonia & urbs Africæ mediterranea à Muſti 6. mill. paſſ. olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. Alterum quod *minus* cognominatur ab *Antonino* inter Carthaginem 46. & Vicum Auguſti 56. milliar. *Caſal Romol* hodie nominari dicitur.

TUBURNICA, *Ptol.* colonia & urbs Africæ mediterranea Epiſcopalis olim ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi.

TUBURSICA, Urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. *Lib. Conc.*

TUBUS & TUBA, ſolò genere differunt, idem planè ſignificantia. Unde *tubi* in ſacris olim dicti, quibus tibicines canebant, ut ſcribit Varro, *l.* 4. *de L. L.* Nempe formam oblongam & directam & concavam Latini veteres *tubum* dixêre, ex Græco *τύπος*: unde forma in aquæductibus, pro tuba; & qui tumultuatur in loquendo ac inarticulatè pronuntiat, Græci *ἄτυβον*, Latini *atubum*, appellavêre, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, *c.* 18. In ſpecie *tubos* & *tubulos* Recentiores dixerunt, tibiarum operimenta. Querolus, *æſtum veſtitis genibus, brumam nudis cruribus, in ſoccis hyemes, cancros in* tubulis *age.* Τυβία quoque Græci, Achmes, *ἐὰν δὲ ἴδῃ ὅτι ἔβαλε τυβία νέα, εὑρήσει νέαν χαρὰν ἐν τῷ πλούτῳ αὐτοῦ διὰ τὴν ἀπ' αὐτῶν σκέπην τῶν σκελῶν.* Unde & *χαλκότυβα ocreas* appellârunt, h. e. *æneos tubos*. At cùm equitarent, ſuper illos tubos accipiebant & aliud genus tegendis tubulis, quos *tubirucos* vel *tubrucos* nominâſſe diximus. Salmaſ. idem *Not. ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 5. *Pero eſt βαθὺ καὶ κοῖλον ὑπόδημα, qualis erat Romanus calceus, qui ad medium crus uſque perveniebat, totus ex corio, ut ſunt, quas hodie bottinas vocamus; hoc calceos & zanchas &* tubulos *& perones & caligas etiam nuncupârunt.* Hodie vox frequens, de machinis bellicis majoribus minoribusque, vi pulveris pyrii globos globulosque plumbeos ejaculantibus, uti paſſim videre eſt apud Hug. Grotium *Annal. & Hiſt. Belg.* Vide quoque Becmannum *de Origin. L. L.* ubi *tubulum* etiam de homine improbo dici, & *Tiballum* inde formatum ait: uti de vaporibus ſubter & per parietes, ad calefacienda conclavia, in *tubis* olim adactis, infrà voce *Vapor*.

TUBUS Opticus, è Dioptrices præceptis, hôc ſeculô conſtructus, multa admiratione digniſſima in Cœlo detexit, quæ Veteribus omnino fuêre ignota: uti ſuprà videre, eſt voce *Teleſcopium*.

TUBUSUPTUS, *Ptol.* urbs Mauritaniæ Cæſarienſis Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi, proxima Saldis, teſte *Antoninô*. Hodie creditur *Couco*, urbs munita regni Algerii, in monte undique prærupto, ubi ſedes Principum verſus fluv. Naſabath, 40. mill. paſs. ſupra Saldas in Africum, 30. ab ora maris Mediterranei in Meridiem.

TUCCA Plautius, L. Varius & Plotius, viri doctiſſimi, amici Virgilii, hæredesque ex parte teſtamenti relicti, juſſu Auguſti carmina Æneidos emendaverunt hâc lege, ut nihil adderent. *Servius* Quod Hieron. *in Chr. Euſ. Olymp.* 190. obſervavit. Horatius de his Poëtis loquitur, *Ep. ad Piſon. de arte Poët. v.* 54.

——— Quid autem
Cæcilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque.

Item urbs Africæ in Mauritaniæ confinio ad oſtia Ampſagæ, *Antonin.* inter Muſti 42. & Suffetulam 50. mill. paſſ. Aſſuro urbi finitima, inde 12. mill. paſſ. Hæc videtur eadem *Tuccæ Ptolemæi* Aſſuro viciniæ, olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi, & patria Melchiadis; licet alii eam Tuccam alteram eſſe velint, *Ferrar.* At *Tucca*, in *Gloſſis καβύχυμα ζωμοῦ*. Unde *Tuccetum*, *ζωμὸς παχύς*. Jus videl. fine, quo aſſaturæ Veterum rarò fuêre. Vetus Perſii Interpres, *ad v.* 42. *Sat.* 2.

—— Sed grandes patinæ tuccetaque craſſa.

Tucceta apud Gallos Ciſalpinos bubula dicitur, condimentis quibuſdam craſſis oblita & macerata: & ideo totò annò durat, ſolet enim porcina eòdem jure condita ſervari. Aut aſſaturarum jura; ζωμὸς enim de aſſis magis, ut *ζέμα* de elixis: eſtque *ζέμα* ſimplex liquor, in quo carnes decoctæ; *ζωμὸς* verò condimentum & ex multis ſpeciebus gulam irritantibus compoſitum jus, quod aſſaturis ſuperfundebatur, ſed & aliô genere coctis nonnunquam addebatur, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Vita Aureliani*, *c.* 49. *extr.* Vide quoque infrà *Zema*. Apud Arnob. *glaciali conditione tucceta*, inter alia gulæ irritamenta, occurrunt, *adv. Gentes*, *l.* 2. Nonio *Tucceta* dicuntur *eſcæ regiæ*: Fulgentio *farciminis genus, è carnibus ſuillis, minutatim conciſis* &c. Atque hinc Plotius, Virgilii amicus, *Tucca* Gallis dictus eſt, ut idem Perſii Interpres addit: Nomini origo an ex *cædo* & *tundo*, primò namque cædebant offas, dein tundebant: an quòd eſſet aliquid exquiſitè *τυκτόν*, i. e. *præparatum*. Certè & Perſis Τυκτὰ ſplendidum convivium, uti ſuprà vidimus, vide infrà *Tycta*.

TUCCI, Turdulorum in Bætica urbs. Ptol. *Tuccis* Strab. *Auguſta Gemella* Plinio, *l.* 3. *c.* 1. *Martos* Morali & Cluſio. Epiſcopalis olim ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi, nunc oppidum non obſcurum, in Vandalitia, inter Gienenſem urbem 3. & Illiturgim 4. leuc. ab Ægabra 5. recuperatum eſt à Ferdinando Rege A. C. 1226. unà cum Illiturgi ejectis Mauris.

TUCHUM, vulgò TUCHO, urbs Queicheæ, in Sina, in confinio Quanſiæ ad radices montium, prope fluv. Coum, ſub qua duæ ſunt urbes. *M. Martinus*.

TUCIA, Veſtalis virgo, inceſtus accuſata, aquæ in cribro perlatæ prodigiô ſe purgavit, Plin. *l.* 28. *c.* 2, *Extat Tuciæ Veſtalis inceſtæ precatio* (Licetus legit *inceſtus deprecatio*) *quâ uſa aquam in cribro tulit, annô Urb. Cond.* 509. Et ante eum Val. Max. *l.* 8. *c.* 1. *ex.* 5. *De* Tucia *Virgine Veſtali; Eòdem ejus inceſti criminis reæ caſtitas, infamiæ nube obſcurata, emerſit auxiliô: quæ conſcia certæ ſinceritatis ſuæ ſpem ſalutis ancipiti argumentò petere auſa eſt. Arreptô enim cribrô, Veſta, inquit, ſi ſacris tuis caſtas ſemper admovi manus, effice ut hòc hauriam è Tiberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audaciter & temerè factis votis Sacerdotis rerum ipſa natura ceſſit.* Cujus rei proliziorem hiſtoriam videſis apud Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiqq. Rom. l.* 2. Nec fidem ei derogat D. Auguſtin. *in Civ. Dei l.* 10. *c.* 16. *Quòd Virgo Veſtalis, de cujus corruptione quæſtio vertebatur, aquam impletò cribrò de Tiberi hauriens, minimè profluentem, abſtulit controverſiam.* De quo facto judicium ſubjungens pergit: *Hæc ego atque alia ejuſmodi, nequaquam illis, quæ in Populo Dei facta legimus, virtute atque magnitudine conferenda judico: quanto minus ea, quæ illorum quoque Populorum, qui tales Deos coluerunt, legibus judicata ſunt prohibenda, Magica ſcil. vel Theurgica.* Hujus itaque *Tuciæ* memoriam ad noſtra uſque tempora, conſervatam vult clariſſimus quidam Vir, in lucerna, quæ in Gazophylacio Galvaniano oſtenditur, imagine pedalis fermè longitudinis, æreâ pervetuſtâ, quâ Virgo Veſtalis maturioris ævi fabertimè repræſentatur, inſignis: Sed pluribus hanc ſententiam rationibus refellit Fortunius Licetus, *de Lucernis Antiquorum*, *l.* 6. *c.* 83.

TUCIA, fluv. prope Romam decurrens. Silius, *l.* 13. *v.* 5.

Tucia deducit tenuem ſine nomine rivum.

Ubi alii codices *Turia*.

TUCRIS, Hiſpaniæ urbs. *Ptol.* vulgò *Trudela*.

TUCUJUM, vulgò TUCUYO, oppidul. Venezuelæ, ad fluv. cognominem ſub Hiſpan. verſus montes, in mediterran. in Bariquicemeto tractu. In America meridionali.

TUCUMANIA, Gall. *le Tucuman*, regio Paraguaiæ, verſus partem Auſtralem inter fluv. Argenteum ad Ortum, & montes Ciles ad Occaſum, ubi nova Corduba, Rivogia, & Civit. S. Jacobi, cum aliquot aliis Hiſpaniæ coloniis in mediterran. Ejus pars eſt *Travalanda* tractus.

TUDE, Hiſpaniæ Tarraconenſ. urbs Epiſcopalis in Gallæcia, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano, vulgò *Tuy*. Ad Minium fluv. Vide *Tyde*.

TUDELLA, urbs Navarræ. Vide *Tutela*.

TUDER, ſeu TURDE, Ptol. *Turdetia*. Plut. *Tyderta*, Steph. vulgò *Todi*, colonia & urbs vetuſta Umbriæ Epiſcopalis in colle apud Tiberin. fluv. media inter Peruſiam & Narniam, 20. mill paſſ. patria Martini Pontificis. Hinc *Tuders* & *Tudertes* populi. Silius, *l.* 4. *v.* 222.

Et Gradivicolam celſo de colle Tudertem.

De hoc tractu vide quæ doctiſſimè, ut omnia, ſummus vir Joſ. Scaliger ſcribit *ad Propertium*. Idem monſtrum lectionis apud Strab. *l.* 5. ſcil. Τυδερδαλεῖς ita corrigit: *Καὶ Τοῦδερ εὐερκὴς πόλις*, quemadmodum apud Silium:

Sed domus haud obſcura Tuder, motuque per Umbros
Bellator populos. ———

Eſtque omnino ita legendum, inquit Caſaubonus, aut certè *εὐερκὴς πόλις*. Nam & ille locus naturâ fuit munitus in colle ac loco edito ſitus, Strabo hujuſmodi locos ſolet *εὐερκεῖς* appellare. Silius, *l.* 6. *v.* 645.

——— Colles Umbros, atque arva petebat
Annibal, excelſo ſummus quà vertice montis
Devexum lateri pendet Tuder.

Tuderti & Ameriæ, tertiô Marii Conſulatu, viſa eſſe cœleſtia arma, Livius refert: qui addit, Luciô Macciô & Sextiô Juliô Conſulib. duos montes, magnô crepitu acceſſiſſe & receſſiſſe, ferrô & flammâ exeuntibus, periiſſeque cuncta animantia, & villas tremuiſſe. *Nic. Lloydius*.

TUDERNUM, vide *Sudernum*.

TUDERTINUS Antonius, vide *Antonius*.

TUDES, à TUNDO, malleus eſt, quô pulſamus, quem *martum & martellum* Recentiores dixêre. Unde Carolum Majorem Domus Regni Franciæ, Pipini Regis patrem, Caroli M. avum, ob eximiam in bellis præliiſque fortitudinem, non *Martellum* ſolùm, uti diximus ſuprà, ſed & *Tuditem*, cognominatum legimus. Hugo Flav. *in Chronico*, *Ideo* Tudites *appellatus eſt, quod eſt malleus fabri: quia ſicut malleò univerſa tunduntur ferramenta, ita ipſe contrivit omnia Regna ſibi vicina.* A *contundendo* videl. hoſtes, quod *tuditis* malleique proprium eſt. Albinovanus de Druſo,

Ille genus Suevos acre, indomitoſque Sicambros
Contudit, inque fugam barbara terga dedit &c.

Vide Car. du Freſne voce *Martus*. Diminutiv. *Tudicula* eſt. Plin. *l.* 36. *c.* 8. *Thebaicus interſtinctus aureis guttis invenitur in Africæ parte, Ægypto adſcriptæ,* tudiculis *ad terenda collyria quadam utilitate naturali conveniens*, ad quem locum vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1051.

TU-

TUDESCHI Nicolaus, vide *Nicolaus*.

TUDETCHINUS Johannes, vide *Johannes*.

TUDINIUM, castrum Belgii, in finibus Hannoniæ, ad Sabim fluv. vulgò *Tuin*: Villa fuit olim regalis & publica. Hìc Ludovicus Rex Normannos vicit, A. C. 881. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

TUDITANUS, nomen viri proprium, quòd caput malleo ſimile haberet.

TUEDA, vulgò TUEDE, fluv. Scotiæ, quibuſdam & *Tuesis*. Oritur in Tuedia provinc. dein per Teviotiam fluens, uti inter Marchiam & Northumbriam, in Oceanum German. ſe exonerat paulo infra Barvicum. Vide *Tuaſis*.

TUEDIA, vulgò TUWEDAL, provinc. Scotiæ meridial. inter Glotianam ad Occaſum, Lothianam ad Boream, Teviotiamque ad Ortum, Tuedâ fluv. bipartitur. Ejus oppid. præcipuum Pebliſium & Selaricum.

TUERIA, vulgò TUIR, urbs Tueriæ provinc. in Moſcovia, ad Volgam; vix 50. mill. paſſ. infra ejus fontes in Ortum, Moſcuam verſus 140. circiter. Caput Ducatus Tueriæ.

TUEROBIS, fluv. Albionis per oram Walliæ occiduam decurrens & in mare Hibernicum apud Octapitarum promuntor. prolabens. *Tivy* Camdeno.

TUESIS, urbs aliàs Ottadenorum, hodie *Barwick*, ſeu *Bervick up on Tuvede*. Olim Scotiæ Urbs, ſed à 100. ann. Angliæ tributa. Vide *Barvicum*.

TUESIS, vide *Tuaſis*, & *Tueda*.

TUFA, apud Bedam, *Hiſt. Angl. l. 2. c. 16. Nec non & incedente illô* (Edwino Rege) *ubilibet per plateas, illud genus vexilli, quod Romani* tufam, *Angli appellant* Tuuf, *ante eum ferri ſolebat*: vexilli genus eſt, ex conſertis plumarum globis, Carolo du Freſne, qui *tuſſe de plume* dici, in *Charta* vernacula ſub Ricardo II. Angliæ Rege, & τοῦφαι Byzantinis Scriptoribus, Zonaræ, Leoni Grammatico, Aliis, apicem, qui galeæ imminet, appellari adnotat, in *Gloſſar.* Vide eundem *ad Joinvillam, Diſſert. 24. p. 292.* Salmaſio, ex ſindone ſeu lino, qui inter muta ſigna Romanorum *dracones, vexilla, flammulas*, tufas, *pinnas*, reponi Vegetio, *l. 3. c. 5.* obſervat. Idem enim *tufa*, quod *rica* & *flammeum*, uti pluribus probat *Not. ad Aurelian. Vopiſci, c. 45.* inde vocem pro velo quoque ſeu vexillo proceſſu temporis ſumtam, docens. Græcæ autem originis eſt, & ex τύφη vel τύφος, *ſindon* ſeu *velum*, deducta; unde ἐπισείων, quod Grammatici σειόμενα ἄκρα interpretantur. Idem *ad Lamprid. in Vit. Alex. Sev. c. 33.* Vide & Macros Fratres *in Hierol.* ubi *tufam* flammulam, i. e. vexillum cuſpidatum ſeu pyramidale parvum, quam ſub Græcis Imperatorib. Deſpotæ olim equus in capite, & Pontificis Equites levis armaturæ, vulgò *Cavalli leggieri* appellati in cuſpidibus haſtarum ſuarum, hodieque deferant, interpretantur.

TUGENI, vide *Tugini*.

TUGENUS Lacus, vulgò *Zuger-ſee*, ab oppid. Tugio dictus, recipit fluv. Laurentium *Loretz*, qui ex lacu egreſſus poſteà Urſæ miſcetur. Lucernenſi minor eſt, eique ad Ortum duo adjacent laculi, quorum prior *Egery-ſee*, per fluv. *Loretz*, in lacum Tugenum ſe exonerat: Alter *Lowertz-ſee* nominatus, prope portum *Brunnel*, in lacum influit Sylvanienſem. Tertius paulo remotior, Orientem verſus, apud Glaronenſes, à valle Clontalla dictus *Clontaler-ſee*, per rivulum *Lintſch*, in rivum *Sarnſſ* ſe exonerat, qui in Limagum illapſus, illum ſecum in lacum Tigurinum defert. Joh. Bapt. Plantinus, *Helvet. Nov. Antiq.* Lacum Tugenum *Artenſem* vocat, eò quod Meridiem verſus ad pagum Suitenſem ſe extendat, uſque ad locum *Art* dictum. Stumpf. *de Turgovia, c. 30.*

TUGIA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis mediterraneum 18. leuc. à Toleto in Cæciam, vulgo *Alcaras*, inde *Saltus Tugienſis*, unde Bætis fluv. profluit, *Argenteus*, Strab. *Argentarius* Avieno.

TUGIENSIS Pagus, unus ex XIII. Helvetiorum, cum 5. aliis fœdus iniit A. C. 1352. Parvus admodum, inter Tigurinum ad Boream, Suitienſem ad Ortum, & Meridiem, & Lucerinum ad Occaſum. Caput ejus *Tugium* eſt, *Zug* oppidulum, ad lacum cognominem, 12. mill. paſſ. à Lucerna in Ortum, 18. à Tiguro in Meridiem. Vide infra in voce *Tugium*.

TUGIENSIS Saltus, *Argenteus* Straboni, *Argentarius* Avieno, mons eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis, unde Bætis fluv. profluit. Dicitur *Sierræ de Alcaraz* Cluno, *Sierra de Segura* Flor. & Cornelio, quod utrumque probat Ferrarius: ut *Tugienſis* ſit *Sierra de Alcaraz*, unde Bætis uno capite manat, & Argenteus *Sierra de Segura*, unde alterô capite Bætis derivatur.

TUGINI, vel TUGENI, populi in Helvetiis, quorum meminit Strab. *l. 4. & 7.* ubi de Cimbris. Unde *Tugenus* pagus: ibi nunc ſunt pagi Tugienſis, Glaronenſis, Suitienſis & Urienſis. Eorum oppid. *Tugium* eſt, quod vulgò *Zug* vocant. Vide *Tugium*.

TUGIUM, vulgò ZUG, oppid. Helvetiæ eſt, inter Tigurinos & Suitios, 2. hinc milliar. in pede paſcui & vitibus conſiti montis, ad lacum piſcoſum, ipſis & Suitiis communem *Zugerſee*, qui oppidi frontem cingit. Homines producit mirè formoſos & acres, caputque creditur *Tuginorum*, qui cum Tigurinis Cimbricô bellô adverſus Romanos militârunt. Unum eſſe ex 12. oppidis, quæ Helvetii olim ipſi, novas ſedes quæſituri, incenderunt, aſſerit Guillimannus. Paruit aliquando Nobilibus: poſteà venditum Auſtriis, horum imperium diu pertulit. Ibi proin perpetuò Auſtriacorum præſidia, bellô Helveticô, fuerunt, inde Suitiis & Tigurinis moleſta. Itaque obſeſſa urbs A. C. 1352. à Tigurinis, quibus quatuor Pagi ſe junxerunt, poſt 15. dierum obſidium ſe dedit Helvetiis, hâc conditione, ſi intra præfinitum tempus ſperati auxilii ſpes non affulſiſſet. Intereà miſêre cives ad Ducem Albertum, in monaſter. *Königsfelden* legatos, qui opem ejus urgerent: ſed Duce accipitribus intentô, eluſi, ſpe omni abjectâ, Helvetico fœderi ſe junxerunt, ſeptimô inter Cantones locô obtentô, A. C. 1351. eôdem annô, quô Bernenſes in id recepti ſunt. Mox ab Alberto obſeſſa urbs, interventu Marchion. Brandeburgici, pacem impetravit, hâc lege, ut Auſtriis, ſicut antè, pareat, Helveticum interim fœdus ratum maneat. Sed, cùm Suitiorum Legati ſequente annô, nomine Confœderatorum, à Tuginis jusjurandum exacturi, ab Auſtriis contumelioſè haberentur, collectis copiis Tugium Helvetii denuo occupârunt, ſibique ſacramentum dicere juſſerunt: qui A. C. 1388. cum Tigurinis, prope Bremogartum, rem egregiè geſsêre. Inteſtinô diſſidiô A. C. 1404. cum oppido agreſtes colliſi ſunt, quod reliquorum Pagorum interventu ſopitum eſt. Annô dein 1435. cùm duæ plateæ ob inſidiantem lacum ſubſediſſent, nova, quam vocant, urbs ædificari cœpit, quæ magnum poſt Inſubriæ bella incrementum accepit: addita mœnia & turres. Imperium totius pagi non penès oppidanos ſolùm eſt, quibus ſui urbani Magiſtratus ſunt, ſed, qui agrum inhabitant, *das Ouſſer Ampt*, pari cum oppidanis jure imperant, unde Tugium ſex illis Cantonibus annumeratur, qui oppida in ſuis regionibus non habentes, vicatim habitant, vulgò *die Länder*. In his omnibus qui publico præeſt conſilio, Ammanus dicitur, quaſi *Amptmann*, officii vir, muneri præfectus, ſive officialis. Sic duæ ſunt Tuginorum Reipubl. partes, oppidum & ager: qui tres Conventus habet. Montanum, vallem Egeriam ſive Aquæ Regiæ, & Baram parochiam in campo urbi proximo. Cum 7. veterib. pagis Turgovienſes, Sarunetes, Rheguſcos & liberas Provincias: cum 8. pagis Comitat. Badenſem: cum omnibus, præfecturas Tranſalpinas communes habent. Tuginis verò oppidanis ſubſunt, Chamium oppidul. ad lacum Tuginum, vicus S. Andreæ quondam etiam oppidum, Hunebergum, Walchevila, Stembuſa pagus, & alter, qui S. Wolphangi nomen habet: Præterea aliis quibuſdam locis per Præfectos in urbe habitantes imperant. Annui conventus primâ Dominicâ Maji habentur. Latinos ritus Canto hic ſequitur, & unus è Quinque pagicis eſt, vide ibi: ut & plura apud Stumpf *l. 6. de Turgov. c. 30. & 31.* Joſ. Simlerum, *de Rep. Helv.* Joh. Bapt. Plantinum, *Helv. Nov. Antiq. &c.* Glareanus, *Panegyr. Helvet.* de Tugio ſic canit:

Tugium ab antiqua Helvetiorum gente creatum,
Gens ferri, populusque acer, gens ſueta laboris,
Semper in arenti juvenes exercet arena.
Terra minor reliquis, ſed non tamen infima virtus,
Dura manus bellò, nullò perterrita caſu,
Stat, velut à rapido quercus non mobilis Euro
Vapulat, inſtructâque ignara phalange revelli.
Facta patrum oſtendunt, & monſtrant tempora noſtra
Tuginos acreis & libertate celebres,
Sollicitosque ſui, natosque ad bella Camillos.
Huic ſunt à tergo colles, ſed dexterâ pingui
Rure viret, frontem nitidâ lacus abluit undâ.

TUGMA, urbs Indiæ ulterioris *Ptol.* nunc fortè *Chacomas*.

TUGURINUS, nomine *Julius*, Eques Rom. ſocius conjurationis in Neronem, Tacit. *l. 15. Annal. c. 50.*

TUGURIUM, à *tego*, quaſi *tegurium*, domuncula eſt vilis rudisque, *tegendi* ſolùm gratiâ facta: præter quam antiquiſſimi homines aliam non habuêre. Et quidem Pelaſgum primum Arcadiæ Regem rudes homines docuiſſe *Tuguria*, ad frigoris, imbrium & æſtus incommoda arcenda, ædificare, refert Pauſan. *Arcadicis*. Poſtquam dein commodiùs lautiusque habitari, & urbes villæque, ac in utriſque domicilia extrui cœpta, manſit *Tugurii* nomen illi ruſticanæ caſæ ſpeciei, quæ non parietibus & tegulis lateritiis, ordine diſpoſitis, conſtans, ad uſum urbanum habitandi, & cuſtodiendi à furibus & raptoribus accederet, ſed ſolùm ab injuriis aëris pluviis, æſtu, gelu, defenderet, tegeretque, vimineis aut ligneis cratibus inædificata, intextis ſtramentis aut arundinibus, tegulis inſuper culmisque temerè congeſtis operta. Cujuſmodi Opilionum ſunt caſæ, & quæ in fundo paſcuo, aut ubi jus aquandi habemus, pecoris recipiendi habentur causâ, ſi aut nimius æſtus moleſtus ſit, aut hyems vehementer premat, *l. 6. in fin. ff. de ſerv. ruſt. præd.* Quô ſenſu Melibœus apud Virgilium, *Ecl. 1. v. 69.* prædicat

—— *tuguri congeſtum ceſpite culmen.*

Caſæ item piſcatoriæ, ejusque generis aliæ, quas in littore ponere licet, *l. 6. de rer. div. Tugurii in vinea, & tegilli in cucumerario*, meminit Eſai. *c. 1. v. 8.* &c. Οἴκημα vocari hujuſmodi cuſtodiam ruſticanam, in L. Solonis, *Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύττῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν· ἐὰν δὲ τειχίον, πόδα ἀπολείπειν. ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας. Si quis ſepem ad alienum prædium fodiens ducat, limitem ne excedito: ſi murum, pedis unius, ſi* tugurium, *duorum pedum intervallum relinquito*; cenſet Sam. Petitus, *Comm. in LL. Attic. l. 5. tit. 1.* Vide quoque ſuprà *Conyza*.

TUIFORTUS Rogerius, vide *Rogerius*.

TUILLIUM Caſtrum, vulgò *Touillon*, ad flumen Arotium, infra Auguſtodunum: 2. leuc. à Tilio *Til*, caſtro pagi Aleſienſis, 5. à monte Barro diſtat. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

TUISCO, Germanorum pater, fil. Aſcenæ, nepos Gomeri, pronepos Japheti. *Tuiſtonem* vocat Tacitus, *de mor. Germ. c. 2. §. 3. Celebrant* (Germani) *carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ & Annalium genus eſt, Tuiſtonem Deum, terrâ editum & filium Mannum, originem gentis conditoreſque*: Ab eo namque *Tuiſcones*, voxque *Teutſche*, quâ Germani hodieque veniunt, orta omnino vivendi præcepta carminibus, ne memoriâ exciderent, tradidiſſe, Aventinus memorat, *Annal. Bojor. l. 1.* Unde, antiquiſſimis jam temporibus, apud Germanos, Philoſophiam floruiſſe colligit Georg. Hornius, *Hiſt. Philoſ. l. 2. c. 12* Schottelius *Tuiſconem* cum *Teutone* & *Teutate* Celtarum: ac *Teuth* Ægyptiorum Deo, eundem faciens, his nominibus non alium, quàm Cœli Terræque Conditorem, intellectum vult: cujus filius *Mannus*, id eſt, *Adamus* fuerit, quem etiam *filium Dei* vocari reperimus Lucæ *c. 3. v. ultimô*, & ab hoc Deo nempe ſupremo atque uno, gentem appellari geſtiiſſe, contendit.

Quem.

Quemadmodum in pluribus aliis ejus nominibus propriis, vocem *Dit*, *Dith*, *Dieth*, quæ non multum abit à *Teuth*, deprehendimus, *Ditmarus*, *Diethelmus*, *Diethhardus*, *Ditlindus*, *Ditboldus*, *Ditgrimus*, *Ditburgis* &c. Vide Cluverium *de Germ. antiq.* Beatum Rhenanum, *Rer. Germ. l.* 3. Becmannum *in Origin.* Besoldum *in Dict & Teut*, Gerh. Joh. Vossium, *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 31. Jo. Henric. Bœclerum, *Exercit. ad Flav. Josephum*, Alios.

TUITIUM, vide *Divitense monumentum.*

TUKSI, filius Schinguis Khani, Tartarici Imperii conditoris, de quo suprà; à Patre provincias Occidentales Imperii ad fluv. Volgam accepit, nimir. Tartariam desertam, Russiam, Cumaniam, Bulgariam, Gothiam, Alaniam, aliasque: ante illum defunctus. Ei successit filius an nepos, Bathu, cujus per Hungariam, Poloniam & Silesiam, quas regiones immaniter destruxerat, circa A. C. 1230. notissimum adhuc hodie nomen est. Georgius Hornius, *Orb. Imper. cum Animadvers.* Joachimi Felleri, *p.* 434.

TULCIS, modicus amnis Hispaniæ ad Tarraconem, milliari inde decurrens, Pompon. *l.* 2. *c.* 6. *Francolin.* H. Coquo.

TULDUM, vox Tacticis Græcis emitis ævi familiaris, idem iis notat, quod Latinis *vasa*, *impedimenta*, Græcis veteribus σκευοφόρα. In *Lexico* Græco MS. apud Car. du Fresne τοῦλδον ἡ σαγμάρια, quod à Francis eos hausisse, *toldis* & *tauldis* vel *taudis* vulgò usurpantibus, pro incomposita quarumlibet rerum congerie, vel impedimentis nullô ordine in castris jacentibus, ait in *Glossar.* Vide quoque eum *Notis ad Nicephor. Bryennium*, *l.* 4. *n.* 6.

TULGAS, Rex Wisigothorum seu Westgothorum in Hispania XXVIII. excepit Chintillam, magnam de se spem dedit, sed biennium solum regnavit, defunctus A. C. 42. successore Cindalvindô, qui unà cum Recesvindo præfuit. Vide *ibi.*

TULINGI, populi German. Rauracis & Latobricis finitimi, inter Rhenum & Danubium, Cæsar. *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 25. 28. 29. Marlianus Lotharingos esse putat. Cluverio sunt inter geminos Rhenorum confluentes, supra Curiam & lacum Brigantinum, ubi hodie pars Rhætorum. Vide Joh. Bapt. Plantinum, *Helvet. Antiq. & Nov.* Sansoni versùs fontes Danubii & Nicri, seu inter Brigantinum lacum & montem Abnobam, ubi hodie Comitat. Nellemburgensis, in Suevia Meridion. Vide quoque Cl. Ottonem JCtum *ad Rhenan. p.* 519.

TULIPA, Dalmatis ac Turcis *pileus* est seu amiculum capitis, quod gestare solent: Inde floris alienigenæ sed pulcherrimi nomen, quòd apertus inversusque pilei illius referat speciem. De eo sic Franciscus Pomey, *in Descr. divers. Tulipa, in regno florum, coronam sibi jure vendicat: nec verò inter eos reperias unum, qui cum illa descendere in contentionem honoris sustineat, nedum decernere de principatu. Huic uni quippe concessit natura, ut, quidquid venustatis & gratiæ aliis tributum dispersumque est, ipsa in se colligat — Et verò, quid hujus floris mirabili varietate mirabilius? cujus colores modò obsoleti, modò splendentes; nunc tetrici, aliàs læti; nunc austeri, modò suaves; sic alii in alios fluunt, ita sensim alii in alios abeunt, ita inter se pulcrè permisti, copulatique cohærent sibi mutuò inobservabili commissurâ, ut fugiente oculorum aciem nexu, vel jaspidem pulcherrimis interpunctium notis exhibeat, vel achatem speciosissimum juxtà ac pretiosissimum repræsentet.* Ei Lien, flos Sinicus, similis, sed magnitudine superat, vide suprà ubi de illo. Addam de *Tulipis*, quod memorat Jan. Nicius Erythræus, *Pinacoth. l.* 3. *c.* 17. *in vita Johannis Barclaji*, earum studiosissimi: eas ante triginta abhinc annos (dum ista scriberet) in summis Alpibus sine cultu honoreque jacuisse; inde in urbem allatas, ob novitatem tantum illis ab hominum cupiditate pretium statim accessisse, ut bulbi earum quidam singuli centenis nummis aureis & ampliùs venierint. Pòst tamen cùm se multiplicassent, ita earundem pretia concidisse, ut vix vilius illis haberetur. Vide eundem, *ibid. c.* 24.

TULIPHURDUM, German. urbs, *Ptolem. Dreckford P. Apiano* in Westfalia. Inter Osenburgum urb. & Vechtum oppid. 3. leucis in Boream, à Linga supra 5. in Ortum.

TULISURGIUM, urbs Germ. *Ptol. Brunswick Apiano.* Vide *Brunswicum.* Lege *Tubisurgium.*

TULIT annos, in vet. *Inscr.* apud Gruterum, *p.* 947. CUM. QUA. VIXIT. ANNIS XXXXII. TULIT. ANNOS. LII. h. e. vixit, vide quoque, *p.* 821. 1.

TULLA, vide *Tutela.*

TULLIA, Gens Patricia, ante reges exactos (ex ea enim Servius Tullius rex prodiit) & pòst, libertate partâ, Consularis fuit. Longi & Tollerini cognomine affecta. Fuit & alia gens *Tullia* plebeja, in duas familias Consulares distincta, quarum altera *Decularum*, altera *Ciceronum* appellata est.

TULLIA, filia Servii, sexti Rom. regis, Tarquinio Superbo nupsit, qui posteà ut potiretur regnô solus, socerum suum interfecit. Ferunt hanc mulierem eâdem regnandi libidine, quâ maritum, æstuâsse, adeò ut cùm intellexisset patrem interfectum, vehiculô se properè ferri jusserit, quò interfectori gratularetur. Quum autem inter eundum compertô cadavere, equi & auriga constitissent, erubescerentque mortuum conculcare; mulier nefaria currum super faciem mortui patris duci jussit. Ovid. *in Ibin*, *v.* 363.

> *Infamemque locum sceleris quæ nomine fecit,*
> *Pressit & inductis membra paterna rotis.*

Vide *Servius Tullius*, & *Tarquinius Superbus.*

TULLIA Lex, de legationibus liberis, lata est à Marco Tullio Cicerone. Cùm enim consuetudo obtinuisset, ut Senatores, quibus negotia futura erant, in provinciis, ut qui hæreditates persequi, vel legata, aut qui nomina exigere volebant in provinciis, quò favorabiliores controversias haberent, à Senatu, ornamenti causâ, legationem liberam peterent, quâ semel impetratâ, deinceps perpetuò, quotiescunque ejusmodi negotia inciderent, honoris & commodi sui causâ utebantur: Legem tulit Cicero, Consul cum M. Antonio, An. Urb. Cond. 690. *ne*, sicut anteà, *infinitum, sed annuum earum tempus esset.* Vide Cicer. *l.* 3. *de LL.* item *Orat. Agrariâ.* Fuit & Lex Tullia de Ambitu. Vide quoque Rosin. *Antiquit. Roman. l.* 8. *c.* 4. & 29.

TULLIANUM, carcer Romæ, ubi nunc ædes D. Petri in carcere; à Tullo Rege sic dictus. Ad radices montis Capitolini. *Baudrando* propriè pars carceris fuit, à Servio Tullio Rege addita, de qua Sallustius; cùm altera pars *Robur* vocaretur, locus in quem malefici præcipitabantur, quòd arcis robustei anteà includi moris erat. Vide Joh. Rosin. *Antiq. Rom. l.* 9. *c.* 31.

TULLIOLA, seu TULLIA, filia M. Tullii Ciceronis, scriptis ejus immortalitati consecrata. In ejus sepulchro, in via Appia, è regione conditorii Patris Ciceronis, Paulò III. Pontifice Romanô apertô, seculô præcedente reperta est Lucerna ardens, quæ mox, ab ingrediente novo aëre, est extincta. Fuisse autem id *Tulliolæ* monumentum, tum ex literis patet lapidi insculptis; *Tulliolæ. filiæ. meæ:* tum ex muliebri cadavere, adhuc integro servato, cum capillis ad ea usque tempora implicitis, irretitisque aureô retinaculô. Quæ omnia, ob nimiam vetustatem, exiccata & penitus arefacta, primô contactu in paucos pulveres dissoluta conciderunt; remanentibus quibusdam solùm filamentis aureis, utpote corruptioni contumacioribus. Fortun. Licetus, *Lucernis Antiqq. l.* 1. *c.* 2. ex Guidone Pancirollo *Rer. Memorab. Deperdit. l.* Hermolao Barbaro, *Epist. ad Alphera.* Scardeonio, *Antiqq. Patavin. l.* 1. Aliis. Quomodo autem cadaver *Tulliolæ*, sine aromatibus, tamdiu duraverit, docet idem Licetus pluribus, *l.* 4. *c.* 4.

TULLIUS, nomen Oratoris Latinorum omnium principis. Vide *Cicero.*

TULLIUS Crispinus, cum Juliano Flavio Geniali, suffragiis Prætorianorum, Præfectus Prætorio, sub Didio Juliano, factus, & ab Imperatore contra Severum missus frustra fuit, postmodùm ab hoc interemtus, apud Spartian. *Didio Juliano, c.* 3. 6.

TULLIUS Decola, vide *Marcus.*

TULLIUS Favianus, alæ Equitum præfectus, sub Petilio Ceriali, captus à Vitellianis. Tacit. *l.* 3. *Hist. c.* 79

TULLIUS Senecio, è præcipua familiaritate Neronis, adsumptus conjurationi in Neronem, capite Pisone. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 50.

TULLIUS Tyro, libertus Ciceronis. Scripsit *historiam vitæ hujus*, &c. Asconius Pedianus *in Orat. pro Milone.* Macrob. *Saturn. l.* 2. *c.* 1. Hieron. *in Chron. Euseb.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 1. *c.* 17.

TULLIUS Valentinus, accerrimi belli Gallici tempore Vespasiani instinctor, in conventu Treverorum Remis acto. Tacit. *l.* 4. *Hist. c.* 68. à Petilio in prælio ad Rigodulum captus, *c.* 71.

TULLONIUM ad Arrosium, oppid. Burgundiæ Ducat. ad Arrosium fluv. 7. leucis ab Augustoduno in Meridiem, 17. à Molino in Ortum. *Toulon sur Arroux* vulgo.

TULLUM, urbs Galliæ Belgicæ in Lotharingia ad Mosellam fluv. *Antonin. in veterib. Notit.* inter provinc. Belgicæ primæ civitatis tertia ponitur, vulgò *Toul. Baudrandio* aliàs Leucorum caput, unde & *Leucia* dicta, & *civitas Leucorum*, nunc sub Gallis, licèt in Lotharingia inserta, 9. leuc. à Baro Ducio in Ortum. Ibi vetustissima Ecclesia S. Apri Fredegario memorata, *l.* 5. *Chron.* 54. Apri Episcopi ad quem Paullini extat epistola, titulô tumulôque illustris. Est & nobilis ibi Basilica S. Mansueti sepulchrô ac nomine insignis, primi, ut ajunt, Tullensium Episcopi: A quibus duobus Monasteriis extramuranis, quæ suos ab origine Abbates habuerunt, nomen hodieque duo *Tulli* suburbia urbe non multò minora, habent, *le Fauxbourg de S. Evre & de S. Mansuit.* Ibi quoque Ecclesia collegiata S. Genguiphi *S. Gengoul.* Fuit etiam in Burgo S. Mansueti monaster. Abbatiale S. Leonis, quod A. C. 1400. dirutum & in urbem translatum est. Urbis Antistes *Episcopumque & Comitem Tulli* vocat. Monetam, regnantibus Merovei in Gallia posteris, hic fuisse, docet nummus à Bororotio laudatus, in quo legitur TULLO CIVITA. Ab ea regiunc. adjacens, *le Toulois* dicitur: quem Comitatum Nithardus, *l.* 1. Burgundiæ tribuit, cùm anteà Australiæ finibus contineretur. Salsæus Episcop. Tullensis in Leucis seu Episcopatu Tullensi duo Parœciarum millia, è quibus 800. cum nonnullis Canonicorum Collegiis Beat. Remigii Remensis Episcopi patrociniô glorientur, scribit *in libr. de gloria S. Remigii.* Idem adjicit, in Belgica 1. seu provinc. Trevirensi tres Ecclesias sorores esse, Mettensem *locupletem*, Verodunensem *nobilem* & Tullensem *sanctam*, quòd 22. Sacerdotes sanctitate insignes, interque hos duos Pontifices habuerit. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & suprà in voce *Leuci.* Condita à Tullo Hostilio. Vide *Morerium.* Item mons Illyrici mari Hadriatico obversus, *Telez* Lazio. Item pagus Rhætiæ ad Oenum fluv. in Comitatu Tirolensi, ab Oenoponte 2. leuc. in Occasum.

TULLUS Cælius, à Fidenatibus, in legatione, cum sociis interfectus est: quorum statuæ inter antiquissimas Romæ recensentur Plinio, *l.* 34. *c.* 6.

TULLUS Hostilius III. Rom. Rex, An. 83. Urb. Cond. *ne ipsô quidem Romulô belli gloriâ inferior*, qui populum Romanum otio pacisque artibus sub Numa assuetum ad belli studia revocavit. Templum itaque Jani reclusit, fasces instituit, Albanos post Horatiorum & Curiatiorum trigemachiam, cæsô Dictatore Metiô Suffetiô, evertit, Albâque excisâ, opes cum incolis Romam transtulit. Dein de Fidenatibus, Vejentibus, Sabinis, Latinis, &c. triumphavit. An. 114. Urb. Cond. fulmine ictus. Florus, *l.* 1. *c.* 3. Dionysius, Halicarn. Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 812.

> —— —— *Cui deinde subibit*
> *Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit*
> *Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis*
> *Agmina.* —— ——

Ingenium hoc Tulli allucet ex verbis istis Livii, *l. 1. c. 22. Hic non solùm proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulô fuit: tum ætas viresque, tum avita quoque gloria animum stimulabat. Senescere igitur civitatem otiô ratus, undique materiem excitandi belli quærebat.* Eutrop. *l. 1. Hic bella reparavit, Albanos vicit.* Plutarch. *de Fort. Rom. Servius Tullius omnium regum maximè, & potentiam auxit populi, & Rempubl. ornavit, ordinemque census & militiæ instituit, primusque censor & inspector vitæ ac modestiæ civium fuit, creditusque est vir fuisse fortissimus ac prudentissimus. Lloyd.* Habuit regiam suam in monte Cœlio, posteà *Curiam Hostiliam* dictam, Liv. *l. 1. c. 39.* De eodem Macrob. *l. 1. Saturnal. c. 6. Tullus Hostilius Hosti filius, tertius Romanorum Rex debellatis Hetruscis, sellam Curulem, Lictoresque & pictam* (seu Triumphalem Togam) *quæ insignia Magistratuum Hetruscorum erant, primus, ut Romæ haberentur, instituit.* Quod Tarquinio Prisco attribuit Florus, *Histor. l. 1. c. 5.* Idem Albâ Longâ dirutâ, Albanisque in Urbem receptis, montem Cœlium pomerio addidit eumque Albanis colendum assignavit; Principibus eorum, Tulliis, Serviliis, Quintiis, Geganeis, Curiatiis, Clœliis, in Patres ascitis: Templumque, ordine ab se auctô, Curiam fecit. Pòst Equitum decem turmas ex Albanis legit, Blancardus *ad Florum*, ex Livio *l. 1. c. 29.* Cœlium tamen montem, ab Anco Martio, ejus successore, Strabo: à L. Tarquinio Prisco, Tacitus, *l. 4. Annal. c. 65.* pomerio inclusum volunt. Fuit autem Hostus, qui è nobili matrona *Tullum* suscepit, filius unicus Hostilii, viri genere nobilis & opibus pollentis, qui Medulliâ oppidô ab Albanis olim conditô, sed à Romulo in deditionem acceptô, oriundus, inde Romam migraverat, ibique Sabini generis uxore ductâ, Hersilii filiâ, post multa sub Romulo facta stipendia & edita egregia facinora, occisus bellô Sabinô, sepultus fuerat à Regibus, in præcipuo Fori loco; additâ columnâ cum inscriptione. *Halicarnass.* Non verò *Tullus Hostilius* fuit, qui censum Rom. civium instituit, sed Servius Tullius, de quo *suo loco*.

TULLUS Servius, vide *Servius*.

TULONIUM, vel TULLONIUM, *Anton. Ptol.* oppidum Vandalorum in Hispania hodie est *Tudelle*, castrum Alavæ provinc. ad radices montis S. Adriani, prope Victoriam urbem.

TULUGIÆ, castrum Comitatus Ruscinonensis, vulgò *Tulujas*. Hic Concil. Tulugiense habitum, circa A. C. 1050. Vix 1. leucâ à Papyriano.

TUMBA, ex Græco *τύμβος*, sepulchrum est & locus concavus, Becmannus, *Origin. L. L.* in voce *Tumor*: tumulus sine nomine seu cippo, Salmas. *ad Solin. p. 1220.* Vide suprà *Monumentum*. Citimæ ætatis Auctoribus sepulchrum propriè lapideum, uti ex *Chronico* S. Benigni Divion. docet Car. du Fresne *Glossar.* qui & Gallicum *tomber*, pro jacere vel cadere, inde arcessit. Vide hic passim. At *Tumbrellum*, apud Scriptores Anglicos, Gall. *Tumbereau*, instrumentum nonnullis fuisse dicitur, ad castigandas mulieres rixosas adinventum, quô in aquam dejiciebantur, immergebantur, ac inde madidæ ac bene potæ rursus extrahebantur. Cowelio plaustrum fuit, in quo fornicatores aut adulteri, contumeliæ causâ, per civitatem aut burgum circumferebantur: *Castigatorium*, in *LL.* Burgorum Scotic. *c. 21.* Quam vocem hodieque Galli usurpant de biroto quodam plaustro, quod resupinum sternitur, cùm exoneratur. Origo ab eodem Gall. *tomber*. Sed & machina quædam bellica sic appellatur Philippo *Mouskes* in *Ludovico* VIII. apud eundem. Vide quoque de curru hujus nominis Salmas. *ad Pium Capitolini, c. 12.* ubi *Sirpeam* Latinè reddit.

TUMULTUS, Belli filius, apud Aristophanem *Pace*, de quo vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad Stat. Thebaid. l. 4. v. 369.* Hinc *Tumultuarii*, Græcis recentioribus *Μαχλάγιοι*, vide Balsamonem, *Præfat. ad Concil. Gangr. Can.* quô nomine Constantinopoli olim vocabantur, qui *Bagaudæ* in Gallia; *Cosaki* in Polonia; in Pyrenæis montibus *Bandoliers*; in montanis *Mariolessi*, Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* voce *Μαχλάγιοι*. Vide & Meursium, *Glossar.* ac Rittershusium, *in Salvianum, p. 165.*

TUMULUS, à *tumore & mole* terræ, *Funger.* pro Sepulchro, frequens. Antiquitus enim locum sepulturæ quisque sibi, antequam moreretur, eligebat, quem nigrô signabat lapide. Cùm dein homo defunctus esset, super cadaver terra aggerebatur, *Tumulusque* fiebat: Unde apud Euripidem, *Μητέρα ἐξώγκωσε τάφῳ*, quod bene reddas, *Matrem tumulavère sepulchrô*, i. e. *tumulô excitatô sepeliêrunt*. Sic tamen, ut Nobiliorum *Tumuli* paulo editiores essent, atque è lapidibus affabrè struerentur. Ita enim Theseus ad Herculem, corpus ejus ab Atheniensibus *λαΐνοις ἐξογκώμασι*, *lapideis tumulis*, honoratum iri, ait apud eund. Tragicum: qui *Alcest. v. 836.* *Τύμβον ξένου*, & *Helen. v. 992.* *τάφον ξένου* quoque meminit. Ita autem in his *Tumulis* collocabantur cadavera, ut facies Orienti esset obversa, teste Diog. Laërtiô *in Democrito*: Plutarchus verò & Ælianus, ad Occasum spectâsse scribunt. In lapide insigniori, scribi solebant nomen ac genus vitæ, quô defunctus usus erat; idque utplurimum metrô: Unde Plato 4. versus Heroicos, non plures, subscribi voluit. Dicebantur hi *Γνωρίσματα*, eò quòd viatori notum facerent, quis sub *Tumulo* conditus esset; Romani *Monumenta* seu *Memorias* vocavère, sicut lapidem ipsum, *Cippum*. Meminit istiusmodi Carminis seu Epitaphii Ovid. *l. 3. Fastor. v. 547.* ubi de Didone:

Compositusque cinis, Tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat:

PRÆBUIT ÆNEAS ET CAUSAM MORTIS ET ENSEM:
IPSA SUA DIDO CONCIDIT USA MANU.

In quæ verba Neap. *Ratio*, inquit, *cur pressa epitaphia cippis inscriberent, non alia quàm, ut ea citò viatores perlegerent, nec illis prolixum carmen tædio esset: Ideo etiam grandi notâ incidi solita.* Quò verò hæc *γνωρίσματα* haberi possent, solebant itinerantes, vel militiam sectantes, ut de Lacedæmoniis Justinus, *l. 3. c. 5.* memorat, schedam brachio adalligatam secum circumferre, in qua nomen, ætas, familia, aliaque huc facientia, erant annotata: ut, si peregrè vel in bello obire contigisset, ex hisce notis agnoscerentur, *Tumulo* inferendi, qui eorum generi ac conditioni conveniret. Et quidem nomen inscribebatur, ut sciretur, ubi situs esset defunctus vel cineres ejus, ibique quotannis parentatio, ad manes illius placandos, peragerentur. Lucan. *l. 8. v. 771.*

Intereà parvô signemus litora saxô,
Ut nota sit busto. Si quis placare peremtum
Fortè volet ——

Quô fine & bustum ipsum stipite nonnunquam signabant, &, ne moveretur stipes, concremati nomen ei inscribebant, uti vidimus suprà, ubi de *Cœna ferali*. Quoniam verò & propagandæ ad posteros demortuorum famæ magnopere studerent, hinc res quoque ab iis gestæ, honores cæteraque hoc genus alia addebantur. Lucanus *eod. libro, v. 806.*

Quòd si tam sacrô dignaris nomine saxum,
Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum;
Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella &c.

v. 816.

Quis capit hæc tumulus? Surgit miserabile bustum
Non ullis plenum titulis, non ordine tantò,
Fastorum; solitumque legi super alta deorum
Culmina, & exstructos spoliis hostilibus arcus,
Haud procul est ima Pompeji nomen arenam
Depressum tumulô. ——

Sed & arbores virentes *Tumulis* solebant inseri, uti discimus ex Martiali, *l. 1. Epigr. 89. v. 3.*

Accipe non Pariô nutantia pondera saxô,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor.
Sed fragiles buxos & opacas palmitis umbras &c.

Ubi Ramiresius, *Sepulchra*, ait, *designabantur in agris & in fronte ponebatur scriptio, quæ contineret latitudinem & longitudinem soli Sepulchro destinati, quod spatium soli sacrum erat. Et in hoc spatio erigebantur* Tumuli, *Obelisci, Pyramides &c. Alii arbores ponebant, quæ crescentes locum monumenti opacarent. Tum quia felicibus Manibus perpetuas & virentes arbores convenire existimabant, tum alias ob causas; Ideo buxos, cupressos, laurus, utpote nunquam folia amittentes, eligebant: quod idem observatum in floribus, quos juxta sepulchra serebant.* Frugibus quoque conditos, vidimus suprà, in voce *Fruges*. Postquam verò aggesta esset in *Tumulum* Terra, sacrum peragebatur, & vota fiebant, in hæc verba: *Sit tibi terra levis*: Quemadmodùm legimus, apud Eurip. *Alcest.*

—— *Κούφα σοι*
Χθὼν ἐπάνω πέσοι, γύναι &c.

Vide Eundem, *Helenâ, v. 857.* & suprà, ubi de Ritibus emortualibus, *passim*. Addam saltem, cùm accederet honos ex ingenti sepulchro, *tumulos*, i. e. *χώματα*, seu *aggeres* sepulchrales nonnunquam elatos admodùm magnosque factos. Unde de Aradione, à Probo Imperatore victo, *c. 9. sepulchrô ingenti honoravit, quod adhuc extat, tumulô usque ad ducentos pedes terræ elato*: & de Probo ipso, *c. 21. Ingens ei sepulchrum elatis aggeribus fecerunt*, legimus apud Vopiscum *in eo*. Cujusmodi sepulchris *humilia* opponuntur, apud Trebellium *in Victorino Juniore, c. 7. Extant denique sepulchra circa Agrippinam, brevi marmore septa, humilia.* De structuris suprà *tumulos* ponticuli in morem fieri solitis, vide suprà *Ponticulus*: uti de porticationibus eorum voce *Porticatio*.

TUNCHANUM, urbs Xantoniæ tertia. Sub qua XVII. urbes minores in limite Pechinensis provinciæ, juxta fluvium *Jun*, in Sinis. Vulgò *Tunchang*.

TUNCHINUM, Gall. *Tunquin*, regnum Asiæ, in parte Boreali, Annamiticæ regionis ubi olim Daonæ populi. Terminatur ab Oriente & Septentrione Sinarum Imperiô; à Meridie partim Cocinsinâ, partim Sinu Magnô; ab Occasu Lajis populis & vastâ solitudine. In VII. provinc. divisum, Aliis *des Rhodes*. Caput est Tunquinum, *Kecio*, seu *Tunkin*. Huic Regi subsunt etiam pars Occidentalis Quansiæ, ubi Taipinga, Chingamum, Tiencheum, Sugenum & Suchinga Urbes; & pars Occidentalis & Meridialis Junnaniæ, ubi Quangnanum & Quansia Urbes in Sinis, *M. Martin.* Descriptionem Regni hujus haud pridem edidit, vernaculô sermone, Joh. Bapt. Tavernier Gallus, nuper Germanicè versam.

TUNDERA, urbs Ducat. Slesvicensis, 1. leuca Danic. ab ora Oceani Germanici, 4. à Ripa in Meridiem totidem ab Apenroa in Occidentem, *Tondern* vulgò.

TUNDIS, Græcè *Τύνδις*, oppid. & emporium Indiæ maritimum, 500. stadiis à Muziri dissitum, apud Auctorem *Peripli*, inter quæ Templum Augusti, in Limyrice regione ponit Peutingeri *Tabula*. Vide Salmas. *ad Solin. p. 1185. & 1186.* nec non infrà, voce *Tyndis*.

TUNES, it. TUNIS *Strab. Tunicense* oppid. Plin. *l. 5. c. 4.* (*Thunissa* forsan *Ptolem.*) vulgò *Tunisi*, urbs Africæ, Episcopalis olim, à Carthagine 12. mill. pass. teste Liviô, *l. 30. c. 9.* hâc tempestate clara & regia, amplissima Satrapæ sedes. Non longè abhinc Romani fracti & cæsi à Carthaginensibus, Xantippô Lacedæmoniô auxiliante, quô tempore M. Regulus captus est. Postmodùm sub Saracenis; obsessa fuit à Ludovico IX. Galliæ Rege, qui regem Tunetanum X. M. cæsis viceràt, sed peste sævâ magnâ exercitus parte, ipsô quoque Ludovicô absumptô, Carolus frater durissimis conditionibus obsidionem solvit, A. C. 1270. Paul. Æmil. *l. 7.* capta posteà ab Arcadeno Ænobarbo Cirthæ Rege, sed recuperata: à Carolo V. item A. C. 1535. Muleasse rege exturbatô, posteà reddita Regi legitimo: cujus stirpe extinctâ, Philippus II. sub cujus fide postremi Reges fuerant, regnô cum arce Goleta, A. C. 1574. ab Amurathe exutus est, culpâ per jocum, *in podagram Suessani Ducis, Austrii Sphæristerium, & Cardinal. Granvellani subligar*, rejectâ. Thuan. *Hist. l. 7.* Hodie Reipubl.

formam habet, receptaculum piratarum, sub protectione Turcarum Imperatoris. Hîc equi velocissimi, *Barbari* nobis; qui & in Massylia & Numidia passim. *Baudrando Tunes*, seu *Tunetum*, vulgò *Tunisi* Italis, *Tunis* Gallis, urbs est ampla Africæ, cum arce & portu amplo, regni Tunetani caput, in ora maris Mediterranei, sed piraticâ infamis. Capta fuerat à Carolo V. ut dictum, & posteà proprio Regi reddita; sed deficiente stirpe masculâ, nunc quandam Reip. formam servat sub clientela Turcarum, 4. leucis distat à Goletta arce firmissima in Meridiem, & 40. ab Hermæo promuntorio. Populi *Tunetes*. Sidonio *Tunisei*, *in Paneg. Anthem.*

Torrida Tunseos infert mihi Byrsa furores.

In Africa, Academiam Fesensem & *Tunetanam* inprimis, celebrat Clenardus; & Fessæ quidem, post Grammaticam, in Alcorano & Scholasticis Doctoribus, totos esse: *Tuneti* verò, cœteras omnes disciplinas florere, tradit. Collegia ibi, in quibus Studiosi Artibus, Medicinæ, Legibus operam dant, non pauca: Scribitque Jovius *Histor. l.* 43. & 44. Muleassem Regem, Averroïcæ Philosophiæ apprimè peritum, cum Philosophis Italis, de Natura Universi, Cœli motu. Siderum potestate, sæpiùs disputâsse. Vide Georg. Hornium, *Histor. Philos. l.* 5. *c. ult.* & infrà in voce *Tunetanum Regnum*.

TUNETANUM Regnum, *Royaume de Tunis*, pars est Barbariæ, in Africa & in Ora maris Mediterranei, ubi aliàs Africa propria & Bizancena regio. Terminatur à Septentrione mari Africô, uti etiam ab Ortu & Syrti minori, ab Occasu Bagradâ fluviô & regnô Algerii, à Meridie autem Biledulgeridiâ tractu. Ejus primaria urbs est Tunetum; olimque proprios habuit Reges; sed ex quo stirps defecit, regnum servat quandam Reip. formam, anteà sub clientela Turcarum, nunc autem sui ferè juris. Ab eo pendebant aliàs Melita, Lopadusa, & Patalaria insul. cum aliis in illius ora & versùs Syrtim minorem. Tribuitur in 4. provincias, Constantinam, *Tunetanam* propriè sic dictam, Tripolitanam & Zebensem region. de quarum Urbibus infrà; migrationibus gentium & imperii vicissitudinibus nulli secundum. Gothis namque & Vandalis Romanos, atque illos vicissim Arabibus exigentibus, captæ & dirutæ urbes; aliæ ædificatæ, nominaque earum propter aut linguarum diversitatem aut conditorum ambitionem, adeò mutata sunt, ut antiqua indagare difficile & tantùm non supervacaneum sit. Totus autem iste tractus initiò sub Pœnis, dein sub Romanis fuit; pòst Vandali, iisque ejectis Muhammedani Arabes successêre: ac circa A. C. 1370. Abdalecitus, pietatis & sanctimoniæ specie magnam inter Arabes auctoritatem adeptus, sub Caimo Adamo Calipha Carvennæ rebellavit; qui quamvis ab Arabibus, auspiciis Caimi subitò oppressus, & occisus esset, duos reliquit filios, quorum unus Bugiæ, alter *Tuneti* regnavit: & uterque, quò se alienis opibus tueri possent, Josepho Texifio ac ejus successoribus Almohatavidis tributum exsolverunt. Postquàm verò ab Almoadis Almohatavidæ Africæ imperiô dejecti sunt, Jacobus Almansor *Tunetanum* Regnum occupavit, exque eo Abdeliciti hæredes exturbavit; donec ingenti illâ pugnâ ad Naves Tolosanas commissâ, Almoadarumque viribus profligatis, rursus Arabes illud invasêre, eòque Præfectum Marochensis Regis redegêre, ut longè illi petitô auxiliô esset opus. Eo igitur missus Abdul Hedius Hispalensis, prudentiâ & animi moderatione tantum effecit, ut, pace ab Arabibus modicô tributô redemptâ, quod posteà semper *Tunetanis* Regibus pensitatum est, labente Almoadarum Imperiô, res suas eo in regno firmaverit. Ejus filius Zacharias, bellô feliciter contra Merinenses gestô, omne robur contra Tripolitanos & Numidas vertit; ac ferè semper victor magnas opes decedens Abul-Ferezi filio reliquit: qui ex dissensionibus, inter Fessanos, Tremezenos, ac Marochenses Reges, ortis, occasionem captans, post dejectos Zegenenses, qui diu Tremezenô Regnô fuerant potiti, & pacem cum Fessano factam, *Rex Africæ* appellari meruit; relictô post mortem Humene, Patris fortunâ ac tantis opibus dignô filiô. Quô mortuô, rursus Merinenses Africæ Imperium adepti sunt, porrectis ad Philænorum usque aras finibus: Humenis nepotibus, qui se in vicinos montes ac deserta receperant, intereà occasionem operientibus, in avitum redeundi Regnum. Inter quos Mule-Bulabes cùm magno prælio ab Abu-Henuno Fessæ Rege victus & captus esset, posteà Abu-Celeni, hujus filii ac successoris, beneficiô liberatus, *Tunetem* recepit & Tripolim ac reliquas Regni provincias rursus sub potestatem redegit. Ab eo, in eadem gente, [illegible] tuis interdum cædibus interruptô ordine, per triginta quinque Regum, intra 450. annos, successionem, Regnum, ad Mohamedem, Mule-Assis patrem, tandem pervenit: qui Mule-Asses, [illegible] nefario scelere ac tot fratrum horrendâ cæde cruentus, in [illegible] solium se intrusisset, ab Hariadeno Ahenobarbo, divinæ, [illegible] ruit, vindictæ ministro, Regnô spoliatus est: Verùm [illegible] à Cæsare restitutus, ab Hamida filio, nondum unâ regni [illegible] dicatô satis dignè scelere, rursus est Regnô expulsus; [illegible] oculis orbatus. Unde Augustam Vindelicorum ad Cæsarem [illegible] ctus, tantum impetravit, ut denuò reduceretur, mortuus A. C. [illegible] ætat. 66. Quæ posteà ibi gesta, ut & plura hoc de Regno, vide apud Jac. Aug. Thuanum, *Historiar. l.* 7. *p.* 147. & [illegible] rò Regni primus conditor Ibrahim fuit fil. Zachariæ, [illegible] tis longô intervallô regnavit Abul-Ferezus, [illegible] Buffares dein, qui regnavit circa A. C. 1410. Regnum [illegible] suos divisit, & Regnum Biledulgeridæ [illegible] Azizo, *Tuneti* Huthmeno, destinavit. [illegible] ad annum usque 1510. quô id Petrus Navarrus [illegible] stellæ Regis destruxit. Huthmen duos reliquit [illegible] jor natu Esajas in *Tunetano Regno* successit [illegible] regiô titulô, quod regnum itidem à [illegible] Vide eum, *Orbe Imp. cum Asmado*, [illegible] *Mule-Assi*, *Mule-Buccres* &c.

Urbes Regni Tunetani.

Abdirana, in provinc. *Tunetana*.
Amzammadna, Ibid.
Aphrodisium, Ibid.
Biserta, in provinc. Constantina.
Cammarita, in provinc. *Tunetana*.
Carthaginis rudera, Ibid.
Carvenna, alias *Curubis*, Ibid.
Casabatina, Ibid.
Circenna, in provinc. Tripolitana.
Clupea, in provinc. *Tunetana*.
Colisbesum, in provinc. Constantina.
Constantina, in provinc. cognomine.
Curubis, eadem cum Carvenna.
Hamamethа in provinc. *Tunetana*.
Heraclia, Ibid.
Hippo, cujus olim Episcopus Aurel. Augustinus, in provinc. Constantina.
Leptis, in provinc. Tripolitana.
Lorbusia, in provinc. *Tunetana*.
Lotophagitis Insul.
Mattia, in provin. *Tunetana*.
Meninx, eadem cum Insul. Lotophagitide.
Mila, in provin. Constantina.
Monasterium, in provinc. *Tunetana*.
Nebelis, Ibid.
Rusicada, in provinc Constantina.
Ruspina, in provinc. *Tunetana*.
Stagal, Ibid.
Tacaccina, in provinc. Constantina.
Tebeca, Ibid.
Tifesa, Ibid.
Tobuiba, in provinc. *Tunetana*.
Tripolis, in provinc. Tripolitana.
Tunes, provinciæ cognomen & Regni caput.
Utica, morte Catonis nobilis, Ibid.
Zebensis, pars Numidiæ, ad interiorem pertinet Libyam.
Zoroata, in provinc. Tripolitana, &c.

TUNETUM, urbs Africæ, vide *Tunes*.

TUNGCHUENUM, vulgò TUNGCHUEN, urbs Imperii Sinarum, in Suchuensi provincia, sub qua sunt septem urbes, [illegible] que juxta fluv. *Tien*, in planitie, ad radices montium, teste *Martinio*.

TUNGGINUM, vulgò TUNGGIN, urbs Imperii Sinarum, in Queichea provincia, cujus sextum locum obtinet, in confinio Huquantæ, ad radices montium, teste *Martinio*.

TUNGINUS, in *L. Sal. tit.* 46. §. 1. *Tunginus aut Centenarius mallum indicent*, est *tungi*, i.e. villæ Præfectus, seu Judex, [illegible] *mitem est*, in veter. *Glossar*. Aliter *Tungravio*, in *LL.* Ethelredi Regis Angl. &c. Vide Car. du Fresne *Glossar*.

TUNGRI, populi Belgii, in Eburonum, quorum pars maxima inter Mosam & Rhenum erat, ob Sabinum & Cottam Legatos cum una legione & 5. cohortibus interfectos, ac Q. Ciceronis castra oppugnata, à Cæsare excisorum, loca successêre. Complectebatur autem antiquam diœcesim *Tungrensem*, vel Trajectensem, quæ diœcesim Leodicensem, qualis nunc est, atque etiam non [illegible] partem Ducatuum Brabantiæ, Limburgensis & [illegible] tumve Namurcensem continebat. Inter legiones Palatinas [illegible] *gricani Seniores*: inter auxilia Palatina 65. [illegible] rantur Amm. Marcell. *l.* 26. & 27. Horum urbs Episcopalis & ampla olim in Brabantia, à Leodio & Trajecto [illegible] nunc parva est, juxta amnem Jecoram [illegible] ctum Mosam auget, in ditione Leodiensi. [illegible] ad Mosam, in Ortum, & Fanum S. [illegible] mite Brabantiæ, 3. leuc. utrinque. [illegible] *Baudrand*. Posteà more complurium [illegible] ne assumptô *Tungri* dici cœpit, hodieque [illegible] danæ, jam Plinii tempore no[illegible] ravatiô Episcopô ab Attila [illegible] sedes Episcopalis Trajectum ad [illegible] Trajectenses quàm veteri nomine [illegible] Verùm reparata postmodum urbs, [illegible] industriâ, Basilicarum ac Mo[illegible] netur à Gallis bellô [illegible]

TUNGRORUM fons, [illegible] gros; sed recte [illegible] quæ salubres [illegible] bentur. Vide [illegible]

TUNICA [illegible]

paragaudis uti concessum, cùm aliàs id privatis interdictum esset, Lamprid. *in Alexandro*, c. 41. Hinc etiam Christus Dominus, pedes Apostolorum ante convivium loturus, posuit pallium, Joh. c. 13. v. 4. quia, ut Nonnus interpretatur, servile opus facturus erat. Servorum enim erat, sine pallio, aut aliâ veste exteriore, tunicatos & cinctos, vel etiam linteô succinctos ministrare, vide Sueton. *de Caligula*. Et quidem Imperatorii servi albati erant, privatorum verò in tunicis pullis ministrabant: nisi ubique albas tunicas, ob conviviorum lætitiam, regiorum verò ministrorum albatas, i. e. cretâ candefactas, & aurô distinctas fuisse dicas. In sacris olim Ægyptiis præcipuus quoque lineæ vestis usus erat: Hinc *Linigera turba*, & *Liniger grex*, apud Poëtas: & *lineus amictus Isiacorum* apud Sueton. *Domit.* c. 1. Hodieque in Latinorum sacris, eidem vesti suus honos est. Præter amictum enim lineum superiorem, quô in sacra Psalmodia sacerdotes atque ipsis sacris ministri utuntur, prima vestium sacrificalium linea tunica talaris inducitur, quam vulgò *Camisiam* appellant: Fuit illa stricta & corpori adhærens, docente Hieronymô *ad Fabiolam*. Mensurâ superioris tunicæ, quæ *exterior* & *superaria* quoque dicebatur, erat ut paulo infra genua caderet, Quintil. *l.* 11. *c.* 3. Proin, qui in longis ac demissis tunicis incedere solebant, quòd id fœminatum proprium esset, ii tanquam molles, malè audiebant. Horat. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 25.

Malthinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscœnum subductis usque facetus.

Cingebant autem Romani omnes tunicam, præter laticlavios, & prout libebat, contrahebant aut demittebant. Hinc apud Petronium, *Statores altius cincti.* Imo magno probro fuit, discinctum incessisse, Dio, *l.* 63. Sic autem cùm tunica cincta esset, in sinum pecuniam reconditam docet Plutarch. *in Coriolano*. Porro, sicut longæ tunicæ ac talares, ita & manuleatæ infames olim in viris fuêre, Gellius, *l.* 7. *c.* 12. Colobiis proin, sic tunicæ sine manicis dictæ, uti mos. Non quòd totis brachiis renudatis incederent, sed quòd manicæ ad cubitum tantùm pertinerent, & non cum brachiis magnam quoque manus partem cooperirent. Utque hoc Colobium sive communis tunica, etiam penès Christianos fuit, & quidem in sacris, ut & reliquæ vestes communes, gestata usque ad Sylvestri Pontificis tempora, cujus institutô in locum Colobiorum Dalmaticæ successerunt, i. e. tunicæ manuleatæ. Plura in hanc rem, & de *Tunica palmata* triumphantium, *russa* militum, *Galbina*, *Laticlavia*, *Asema*, *Christi inconsutili*, *Muliebri*, seu *Stola*, *de tunicæ ornamentis*, aliisque vide Octav. Ferrar. *de re Vestiaria*, *l.* 3. *toto.* De *Tunicis* verò *Angusticlaviis*, *Canusinis*, *Cirratis*, *Comitis*, *Fimbriatis*, *Gausapinis*, *Manicatis*, *Manicatis*, *Margaritidibus*, *Militaribus*, *Monachicis*, *Multiciis*, *Palliolatis*, *Puniceis*, *Purpureis*, *quibus clavi candidi intertexti*, *Quadrangulis*, *Rectis*, *Scorteis*, *Singularibus*, *Strictis*, *Synthesinis*, *Tragicis*, *Virilibus*, aliis, apud Casaubon. *ad Sueton.* Salmas. *ad Tertullian. de Pallio*, *Historiam Aug.* & *Solinum*, Alios; & hic passim. De *Funebribus ex lino asbestino* suprà diximus. Car. du Fresne *Tunicæ cum tintinnabulis*, inter Episcopales vestes, meminit ex vet. Codice Ratoldi Abbatis Corbej. ut & *Tunicæ Monachorum caputiatæ*, ex Lanfranco: atque *Tunicæ* nomine, vestem quoque Clericorum propriam, apud Honorium Augustodun. & apud Francicos Scriptores sagum militare, armaturæ ferè vel thoraci superindui solitum, Gall. *cotte d'armes*, indigitari, adjicit. Uxores autem viris, & Matres filiis *tunicas* olim ut & alias vestes confecisse, Alexandrumque Macedonem & Augustum non nisi domesticis hujusmodi usos, quas veteri more in atrio domus, cum clientibus Romani texebant, Græci verò in œco & proœco, habes apud Alexandr. ab Alexandro, *Genial. Dierum*, *l.* 4. *c.* 8. Nec verò indutus solùm *Tunica*, sed & in bello usui fuit, ut in quo *tunicam puniceam hastâ sublatam*, signum pugnæ ab Antigono datum, in *Philopœmene* memorat Plutarchus: quemadmodum eôdem fine sagum purpureum supra Prætorium, apud Romanos expandebatur, teste eôdem in *Fabio* & *Pompejo* &c. Vide quoque hîc passim, uti de usu *tunicarum duarum* Apostolis itinerantibus contra communem morem, prohibito, Suicerum voce *Χιτών*. Hinc *tunicatus Popellus*, apud Poëtam, quia plebs in tunica &c.

TUNICA Inconsutilis, ut communiter redditur, Græcè *ἄῤῥαφος χιτών*, Joh. c. 19. v. 23. ubi de vestibus Domini nostri, *ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου*. Vide quoque *v. seq.* ubi de consilio militum, sortiendi potiùs, quàm dividendi, eam: nonnullis peculiari artificiô detexta videtur, ut quæ suturam non habuerit, qua de re vide Casaubon. *Exercit. Baronian.* 16. *c.* 84. Salmasio verò, non alia fuisse tunica videtur, præter vulgares & vulgò texi solitas, in Palæstina, & apud Galilæos, qui, ut narrat Isidorus & Theophylactus, in altitudinem texebant & pectine succutiebant vestimenta, more cum multis gentibus, Romanis quoque, communi, quorum hos *rectas* vocâsse hoc genere textas tunicas, suprà vidimus. Hujusmodi tunicarum aliæ fuêre *χιτῶνες* apud Veteres, quæ & *ῥαπταὶ* dicebantur & *συμπορπητοὶ*; aliæ *ἄῤῥαφοι*, quæ ex toto tectæ conclusæque & nullâ parte sutiles scissilesque, uti sunt camisiæ nostræ & interulæ. *Σχιστοὶ* igitur *χιτῶνες* erant, qui ex utraque parte in humeris fibulâ stringebantur, quos *περόνας*, sed & *ῥαφὰς* ac *ῥαφίδας*, Græci dicebant: uti erant tunicæ laticlaviæ apud Romanos. *Hesychius*, *συμπορπητὸς* vel *σύμπορπος*, *ὁ ῥαφαῖς συνειλημμένος μετὰ τὰς ὤμους χιτών*. Ubi *σύμπορπον χιτῶνα* vocat, qui & *σχιστὸς* dictus, fibulis sive *ῥαφαῖς* altrinsecus in humeris comprehendebatur. Sicut idem tunicam servorum *ἑτερομάσχαλον* vocat, quòd *τὴν ἑτέραν μασχάλην ἔχει ἐῤῥαμμένην*, *alteram manuleam sutam haberet*, i. e. fibulatam vel nodô strictam: sic ut unâ quidem parte haberet *μασχάλην*, in quam brachium immitteretur, alterâ verò manuleam non haberet, sed in modum pallii amiciretur, & fibulâ necteretur, adeoque ab hac parte *ἄῤῥαφος* esset. Et vestimentum illud cæcum ac nullos habens exitus, quô Clytemnæstra Agamemnonem è balneo exeuntem involvit, *Lycophron* nullas scribit habuisse *ῥαφὰς* i. e. *vestis oras, quæ fibulis consererentur*. *Ἄῤῥαφοι* igitur tales, quæ essent *ἄσχιστοι* neque fibulis in altero, aut utroque humero, jungerentur: atque ex hoc genere DOMINI nostri tunica eidem fuisse videtur. Vocat autem Joannes illam *ὑφαντὴν ἐκ τῶν ἄνωθεν*, quòd in superioribus tunicæ partibus ex *ῥαφαῖς* vel *fibulæ* locum haberent magis, quibus stricta tenebatur & sedebat in humeris tunica. Quia etiam pleræque per totum & usque ad infimam oram nodis fibulisque ex utraque parte constringebantur, addit *ὑφαντὸς δι' ὅλου*, ut nullâ sui parte scissuram & *συῤῥαφὴν* illam habuisse ostenderet, sed integram totam fuisse significaret. Nec prohibet, quò minus ita tales tunicæ vocarentur, quòd consutæ essent aliquâ ex parte & sarcinatricis acu conceptæ. Sarcinatricis enim acus idem facit, quod pecten textoris, unde & artem illam, quæ acu pingit, ad *Ὑφαντικὴν* Veter. retulerunt. Et quidem hujusmodi tunicæ totæ in tela fieri non poterant, sed ex incisis partibus integrari & acu consui habebant necesse: at *σχιστοὶ χιτῶνες* cæteraque id genus vestimenta, ut erant colobia Romanorum, & laticlavias tunicas fuisse diximus, ut quæ ex duabus plagulis constabant, in utroque latere per fibulas committi soliti, facilè in tela totæ fiebant &c. Hactenus Salmas. *Not. ad Vopisc. in Aureliano*, c. 46. ubi plura hanc in rem, inter alia, *tunicam* Domini *ἄῤῥαφον*, ideo non divisam fuisse a militibus, quòd scissa ac divisa nulli usui futura fuisset, ex pallio verò & veste fortè alia superaria, utpote vestibus duplicibus, 4 partes commodè fieri potuisse, addens. At rationem texendi Veter. & *Inconsutiles*, h. e. *omni suturâ carentes*, faciendi *Tunicas*, in vera jam luce posuit Clar. Joh. Braunius Theologus Belga, insigni opere *de Vestitu Sacro Summi Sacerdotis* Hebræorum, ubi non tantum ex Indiis sæpiusculè hujusmodi Tunicas afferri se vidisse, sed & ipse textrinum hujusmodi suô ingeniô excogitâsse, pluribus ostendit, quem proin hanc in rem præ aliis videre operæ pretium erit.

TUNICA Molesta, supplicii genus, cujus mentio apud Senecam, *Ep.* 14. *Cogita illam* Tunicam *alimentis ignis & illitam & intextam.* Juvenalem item, *Sat.* 8. *v.* 235.

Tunicâ punire molestâ.

Vide quoque Tertullian. *ad Martyr.* c. 5. Cœl. Rhodig. *l.* 10. *c.* 5. idem facit pœnæ genus cum Scalis seu Gradibus Gemoniis, unde reos non in Tiberim vivos præcipitatos, sed ibi vivicomburiô punitos, contendit. Gallonius *suo de Martyrum cruciatibus libello*, figuram subjicit Martyris, *Tunica* candenti ferreâ, & crepidis ferreis induti, quas clavi lignei adstringebant: quam in Balduini *de Calceo Tractatum* transtulit Andr. Frisius, *editione Amstelodam. A. C.* 1667. Sed & *Tunica* occurrit *Plumbea*, in *L.* Baiwar. aliô tamen sensu, ut ad cujus pondus pro Episcopo occiso aurum pendi, ab homicida, jubetur, *tit.* 1. *cap.* 11. §. 1. *Si quis Episcopum — occiderit, solvat eum — secundùm hoc edictum. Fiat tunica plumbea secundùm statum ejus, &, quod ipsa pensaverit, auri tantum donet, qui eum occidit* &c.

TUNICATES, populi Vindeliciæ inter Augustam & Ratisbonam. *Ptol.* ubi rura *Tunicatea*, quorum meminit Poëta, *Itiner.* *l.* 5.

TUNICELLA, vestis in Ecclesia Romana Subdiaconorum propria, quæ & *Subtile*, vide ibi: nec non *Dalmatica minor*, uti legas apud Dominic. Macrum, *Hierolex.* ubi de ejus usu multa.

TUNNOCELUM, Camdeno *Tinmouth*, vide *Tina*.

TUNONIUM, oppid. amplum Sabaudiæ, ad lacum Lemannum, caput Ducatus Caballicensis; 7. leuc. à Geneva in Ortum, 5. à Lausanna in Meridiem. Vulgò *Tounon*, seu *Thonon*.

TUNTOBRIGA, vulgò BRAGANZA, urbs Hispaniæ Tarraconensis Ducatus titulô insignis in Portugallia, inter Mirandam & Bracaram, *Ferrar. Baudrando* fuit oppid. Callaicorum Braccariorum. Nunc in ruinis; manet tantùm vicus *Barqua de Regoa*, in Portugall. in provinc. Transmontana, 7. leuc. à Brigantia in Occasum, ad Tuelam amnem.

TUOLA, Corsicæ fluv. *Ptol. Golo Leandro*, ex magnis Insul.

TUPHA, Zonaræ in Basilio Imperatore appellatur Tiara rectus, Regibus olim Persicis peculiaris; ob *tryphum*, quem ingeneraret. Solerius *de Pileo. Sect.* 9. Vide suprà *Tiara*.

TURANII, inter eas Sabinorum nobiles familias, quæ Romam se cum T. Tatio contulerunt atque patriciæ factæ sunt, connumerantur à *Dionysio*.

C. TURANIUS, Poëta, annonæ præfectus paulò ante mortem, ab Augusto substitutus, in locum suum. Fuit & eô nomine Poëta Tragicus, teste Ovidiô, *l.* 4. *Epist. ex Ponto*, *El. ult.* *v.* 29.

Musaque Turani tragicis subnixa cothurnis.

Ejus sive cognominis meminit Plinii index.

TURARIUS, vicus Romæ, *Asconius*.

TURBA, Hispaniæ urbs, Liv. *l.* 35.

TURBA, postea *Trava*, *Turbia*, ac *Tarvia*, nunc *Tarba*, oppidum Galliæ, caput Bigerronum, decimô inter provinc. Novem populanæ civitates locô. Vulgò *Tarbe*: vetus castrum aut arcem Bigerram Bigorramve habuit, ubi semper Episcopatus fuit sedes: Unde & nunc sedes dicitur, *la sedes*. Vide supra in voce *Bigerrones*.

TURBA, in viis Romanis, tanta quotidie, ut ægrè via reperiri posset, indigitatur passim Juvenali, Martiali, Aliis. In Amphitheatro imprimis aut Circo Maximo, Papinio, *l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 65.

——— *Continuus septem per culmina montes*
It fragor, & magnæ fingit vaga murmura Romæ.

In cujusmodi locum, pompamque spectandam, proruentem, Populum, formicis ac suibus pulcrè comparat Theocritus, *Adoniazusis*,

Ω᾽ θεοὶ ὅσος ὄχλος πᾶς καὶ πόκα τῦτο περῶντες
Χρὴ τὸ κακὸν; μύρμηκες ἀναρίθμοι καὶ ἄμετροι.

Et

——— *ἄλεγος ὄχλος*
Ω᾽ θεῖοι᾽ ὥστ᾽ ὄις ———

Vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad Theb. Papinian.* 4. v. 798.

——— *pars arctâ plebe sequuntur.*

& suprà, voce *Compressio*, ut & infrà *Umbo*, ubi de verbis *συναγκωνίζειν* & *ἀλληγορίζειν*. Voci origo ex *τύρβη* Attico, pro *σύρβη*, à *σύρειν* & *βοᾶν*, ut *commotionem streperam ac vocalem* propriè notet, Becmannus, *Origin. L. L.* Apud recentioris ævi Scriptores *Turba* niger cespes est, qui, è terra palustri ac bituminosa erutus, variis in regionibus, vicem carbonis præbet, Gallis *Tourbe*, Belgis, Anglisque *Torf* & *Turf* dictus. Vide Lamb. Ardensem, Auctorem *Chronici Andrensis*; Spelmannum, qui *turbam* è terræ corpore effodi, *blestiam* (Gall. *blecbe*) è superficie, utramque in ignis escam à rusticis plurimis & à Nobilibus ipsis, in palustribus regionibus adhiberi ait; ipsos inprimis, qui de *Turbis* ex professo scripsêre, Martin. Schoockium, Carolum Patinum, Alios. Hinc *Turbariæ*, loci ejusmodi cespitibus fodiendis idonei, in *Monastico* Anglic. passim: de quibus Wilh. Armoricus, *Philipp. l.* 2. ubi de Flandria,

Arida gleba foco siccis incisa mariscis.

Vide Auctores Carolo du Fresne hanc in rem laudatos, de *Turbariis* præcipuè *Anglicis* Camdenum, *Descript. Britanniæ*, ubi de *Lancastrensi* agro, & quædam suprà, ubi de *Carbone*. At *Turbarii*, seu *Turbiculi*, vulgò *Kerni*, apud Hibernos, milites levis armaturæ, qui jaculis amentatis, machæris & cultris sive sicis, *Skeynes* vocatis, dimicabant, dicuntur. Henrico Marleburgensi, qui de illis pluribus agit, uti ex eo Jac. Waræus *Antiqq. Hibernic. c.* 12. *Sect.* 1.

per TURBAM probatio, Gallicè *Preuve par Turbe*, seu *Enqueste par Turbe*, it. simpliciter *Turbe*, terminus in Gallico jure usitatus. Nempe Gallorum moribus decem testium depositione, in probanda Consuetudine, circa quam lis orta est, opus fuisse docet Faber *ad* §. 9. *J. d. J. N. G. & C.* quæ probatio dicebatur fieri *per Turbam*; seu quòd decem homines turbam faciant, per *l.* 4. §. 3. *d. vi bonor. rapt.* seu, quòd testes non secretò, ut aliàs, sed palàm in illa turba & multitudine examinarentur, vide Coras, *p.* 2. *d. art. jur. c.* 10. Apud C. du Fresne *Glossar. Ordinatio de inquisitione Consuetudinum facienda* — *Vocabuntur plures sapientes, carentes suspicione. Ipsis vocatis proponetur eis Consuetudo & dabitur eis in scriptis: quâ propositâ, jurabunt quod ipsi dicent, & fideliter referent illud, quod sciunt & credunt, per os unius ex ipsis & viderunt usitari super illa consuetudine. Quô juramentô præstitô trahent se ad partem, & deliberabunt, & referent deliberationem illam, & dicent inter quos viderunt illam consuetudinem & in quo casu & quô locô, & si fuit judicatum & de circumstantiis & omnia redigent in scriptis. Et mittantur ad Curiam clausa, sub sigillis inquisitorum, & reddent omnes causam dicti sui, etiam in* TURBA. Adde *veter. Consuetudinem Bituric.* editum à Thomasserio, *artic. Comment. Coustume se doit prouver*, & *Remarques du droit François*, verbo *Coûtumes*. Hodiè verò ratio illa Consuetudinem probandi abrogata est Statutô Ludovici XIV. Galliæ Regis, Aprili mense A. C. 1667. promulgatô, uti discimus ex Du. de Ferriere, *ad tit. ff. de LL.* ubi simul modum sic inquirendi accuratè describit: *Quand il survenoit*, inquiens, *autrefois quelque difficulté pour l'observation des Coûtumes la preuve s'en faisoit par Turbe, que la Cour ordonnoit estre faite par un Commissaire, qui se transportoit sur les lieux & la ayant assemblé les plus anciens Officiers & Practiciens non suspects & valablement reprochés par les parties, il les interrogeoit en deux ou trois turbes par la bouche du plus ancien de chacune, aprés en avoir communique avec tous ceux, qui la composoient: ce qui a esté practique jusqu'a ce qu'il ait esté abrogé par la nouvelle Ordonnance donnée au mois d'Avril* 1667. *par Louys XIV. encor aujourd'huy glorieusement regnant tit.* 13.

TURBANS, apud Turcas, capilli tegmen, ad Tiaram Persicum popularem proximè accedens; Græcis recentioribus *Φακεώλιον* est, quasi *fascia complicata*. Vocis originem à *Corybantio* Græcorum veter. arcessit Gretserus, *ad Codin. l.* 2. *c.* 5. Nec verò Turcis solùm Persisque, sed & Tartaris in usu est, ut qui & ipsi Muhammedi mancipati: Quorum *Turbantem* sic describit Mart. Martinius, *Hist. de bello Tart. Biretum capiti æquale, rotundum, at humile; hoc pretiosæ pellis fascia per circuitum ambit, ad duorum vel trium digitorum latitudinem: (ea plerumque castoris vel Zibellinarum est:) hæc pellis aures, frontem ac tempora à frigore defendit: Quantum verò bireti supra pellis fasciam eminet, tantundem rubra byssus undique sparsa tegit, vel nigri aut purpurei equorum crines, quos pulcherrimè tingunt, gestamen planè commodum nec inconcinnum.* Unde colligere est, rubrum esse Tartarorum pileum, nunc saltem; olim viridem fuisse produnt: Rubrum autem *Turbantem* gestant Persæ, qui Ali addicti sunt; album Turcis habentibus. Nec mirum colore pileorum dissidere, qui implacabiliter dissident occasione superstitionis, aliter à Turcis, à Persis aliter acceptæ. Qua de re vide Joh. Barros, *Dec.* 2. *Asiæ, l.* 10. *c.* 6. Osorium, *de rebus Emman. l.* 10. Sansovinum, *de rebus Turc.* Flor. Remondum, *de Hæreseos natalibus l.* 1. *c.* 4. Alios. Origo utriusque dissidii hæc; Alis frater patruelis Muhammedis ac gener, ipsi defuncto succedens, legem soceri suis interpretationibus adeò interpolavit, ut planè alia videretur. Quod videns Homar, Muhammedis affinis, pro Legis à Muhammede propositæ integritate & recepta interpretatione, acriter adversùs Alim certavit; unde superstitio in duas divisa est Sectas: Arabibus, qui Homarem sectabantur, Persas Ali addictos, non secus ac exleges & desertores, Legisque patriæ corruptores, adversantibus; nec Persis mitiùs agentibus in Arabes Homari addictos. Cùm autem non exiguô tempore pars Homaris prævaluisset, exortus circa A. C. 1370. ex Ali se propagatum dicebat *Sofi*, acerrimusque sectæ ab eo constitutæ vindex haberi volebat ac reverà erat. Qui ut suos ab Homaritis aliquô insigni discriminaret, pro linteo albo *Turbante*, quô Homaritæ utebantur, in memoriam XII. filiorum Hocemi, Alis filii, *Turbantem* instituit, è cujus medio pileolus acuminatus, è lana constipata colore rubrô confectus & senis utrinque gradibus distinctus, accommodatè ad contractionem vel diffusionem emicaret: Pileumque hunc, velut notam sectæ Persicæ, Ismaël Sofi, potentissimus Persarum Rex Usumcassanis ex filia nepos, magnô studiô, & partim blanditiis ac precibus, partim vi ac minis multis populis obtrusit, magnâ Turcarum indignatione; Qui adversarios ob rubros pileolos, defectionem à Muhammede exprobraturi, *Kisulbassi*, quasi *capita rubra*, hodieque notô vocant convitiô. Sicut à lana, quâ pileoli illi constant, sunt qui velint Persarum Regem per excellentiam dictum *Sofi*, quod nomen Arabicè *lanam* sonat, cùm *Turbantes* Turcici è lino conficiantur: an ex veteri usu Regum Ægyptiorum, quorum judiciô laneæ vestes profanæ erant; unde linteis in Templis utebantur, & funebres tunicas, quibus in sepulchra, religione consecrata inferrentur, similiter è lino habebant? Vide *Turbantis* Turcici iconem, ut & plura de his, apud Ans. Solerium, *de Pileo, Sect.* 8. aliquid etiam suprà, voce *Fascia*, item *Fasciola*.

TURBO, ONIS, gladiator apud Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 310.

Corpore majorem rides Turbonis in armis.

TURBO, INIS, exercitamentum puerile, Græcè *βέμβιξ*, ut ex antiquo *Epigr.* patet:

Οἱ δ᾽ ἄρ᾽ ὑπὸ σκυτάλῃσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες
Ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ.

At pueri scytalis ludentes Turbine *acutô,*
Vertebant lato quisque suum in trivio.

Nempe lorô baculo alligatô emissum pueri in orbem circumagebantur, plagisque circumactum certatim impellebant: ut appositissimè describit Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 378.

Ceu quondam torto volitans sub verbere Turbo,
Quem pueri magno in gyro, vacua atria circùm,
Intenti ludô exercent: stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ.

E' buxo namque probatissimi. Cum Trocho Dempsterus aliique confundunt, quod tamen longè diversum fuisse apud Veteres Ludi genus, ex Mercuriali ostendimus *suprà*: *στρόμβος* quoque Græcis, unde recentiorum *στρομβία*; item *κῶνος*: quibus nux pinea propriè indigitatur, Salmas. *ad Solin. p.* 1285. Aliàs *Turbo*, aquatilis nomen cujusmodi *Turbines ἰσόμορφοι*, quorum testæ in multa volumina plurimis undique tuberculis extantibus diducuntur: Item anonymi, conchylia tuberosa, & anfractuosa, striata partim rugata, maculosa variâ tincturâ, in *Musæo* Kircheriano, memorantur Georgio de Sepibus, *p.* 28. Item venti &c. Hinc *turbinatus pileus*, apud Macrum *in Hierolex.* de cujusmodi pileis hic passim, inprimis hâc ipsâ voce: uti de *Turbinatis piscibus*, plura apud Voss. *Idolol. l.* 4. *c.* 36. & de alia vocis notione, suprà voce *Rhombus*.

TURCÆ, vel TURCI, vulgò *Turchi*, & *Musulmanni*, Scythiæ populi teste Pomponiô, *l.* 1. *c. ult.* à quibus orti judicantur, qui tempestate nostrâ latissimè imperitant, immanissimi & crudelissimi hostes Ecclesiæ Dei & Christi. *Turca* (inquit Faber) *vastatorem* significat veræ scil. religionis, pietatis, honestatis & pacis. Herodotus inter feras gentas Septentrionis *Ἰύρκας* ponit, quæ appellatio à *Turcorum* nomine non est aliena, etsi sunt qui à *Teucris Turcos* deducunt, *Chron.* Peuceri. At *Thartbak* Idolum est 2. Reg. c. 17. v. 31 Alii ex *Turcâ* Persarum urbe magnâ & opulentâ hoc genus hominum progressum esse tradunt. Nomen *Turci* (inquit idem Faber) significat hominem, qui agrestiorem victus rationem sequitur. Chalcondylas, *l.* 2. *de rebus Turcicis*. Et Persas quidem *Τούρκους* dictos ex *Niceta* apparet. Invenitur & à fluv. rapido *Turck*, qui in mare Hyrcanum influit, nomen suum *Turcos* accepisse. *Turcas*, quasi *derelictos* dici observat Hottingerus, *Hist. Eccles. l.* 1. *c.* 8. *p.* 513. & sunt qui illos iis ex Scythis oriundos volunt, quos Alexander M. intra Hyperboreos ferreis repagulis clauserit, i. e. quos velut gentem indomitam, in angulum illum, tanquam in ergastulum incluserit. E' Scythis, Caucasios montes inter Pontum Euxinum & Caspium mare incolentibus, originem illos trahere communis opinio est. Se ipsos *Musulmannos*, i. e. fideles vocant. Horum potentiæ initia jecit Tangrolipices Mucaletus, A. C. 1037. quò Persidis Sultanus Muhammedes, à Turcis, quos adversus Calipham evocans armaverat, reditumque iis postmodùm intercluserat, occisus & regnô exutus est. Imperium posteà condidit Osmannes seu Othmanes, Gasi. i. e. fortis miles, Ertogrulis seu Ertucalis filius, A. C. 1290. qui cùm aliquandiu agriculturam in partibus Asiæ minoris ab Aladino Sultano concessis exercuisset, vicinos in Phrygia majore Bithynia, Mysia, vicos & castella Christianorum tandem aggressus est felici successu, quem Aladinus jure ac dignitate Principis ipsi collatâ coronavit. Sic Zuphâ, Bilezugâ, Nacoliâ, Chalce, vel ut Curio, *Histor. Sarac. l.* 3. Natoliâ, Ancyrâ, Sinope, Sebastiâ subjugatis, Nicæam dein & Prusam expugnavit, Græcis pugnâ Dilensi victis. Et fil. Urchanes successit, A. C. 1327 qui vicinas Nicææ urbes in Troade sitas Neapolim, Carissum, Pergamum & Adramytium adjecit. Hujus filius Solimannus Hellespontum primò transfretavit, & castellum Zeminick, Græcis Chiridocastrum occupavit, dein Callipolim cepit. Porrò Amurathes I. Gasi Urchanis successor Adrianopolim, Philippopolim, aliasque Thraciæ urbes sub jugum misit. Post eum Bajazetes I. à Turcis *Gildrin*, i. e. fulmen, à Græcis *Lælaps* dictus; Serviam ac Bosniam latè depopulatus, Sigismundum Hungariæ Regem ad Nicopolim vicit,

tiâque Constantinopoli obsessâ, jus vici in illa habendi Imperatori extorsit, mox à Temirlane victus & captus. Post interregnum Emir Soliman, i. e. Princeps, à fratre Musa Zelebi, i. e. Nobilissimo, imperiô ac vitâ privatus est: qui mox à Muhammede I. eôdem modô habitus est. Huic successit Amurathes II. seu Murat-Chan, cujus animis Pseudo-Mustaphas negotium facessivit. Eum excepit Muhammedes II. qui duo Imperia Constantinopol. A. C. 1452. & Trapezuntinum, A. C. 1460. duodecim regna & ducentas urbes magnas expugnavit: Græciam subjugavit, Athenas delevit, à Croiana tamen obsidione Scanderbegi armis repulsus: iterum Lesbum Cataluliorum genti Genuensi eripuit A. C. 1461. Bosnâ, Rasciâ & Serviæ magna parte adjectâ, A. C. 1464. Inde Peloponnesô, discordiâ fratrum Palæologorum, potitus, ut & Eubœâ, A. C. 1470. Bajazetes II. successor, ejus reliquias Venetorum Peloponnesô exegit, post quem Selimus I. Syriam, Arabiam, Ægyptum &c. occupavit. Hunc excepit Solimannus II. qui A. C. 1521. Rhodum, dein Hungariæ partes, A. C. 1566. sicut Selimus II. ejus successor Chium adjecit. Post hos præfuêre Amurathes III. Muhammedes III. Achmedes I. Othomanes II. à Genizaris strangulatus, A. C. 1622. Mustaphas, Achmedis frater: Amurathes IV. Othomanis frater, Ibrahimus, itidem à Genizaris strangulatus, & Muhammedes IV. qui haud pridem Candiam Venetis extorsit, Neuheuselium in Hungaria expugnavit & Poloniæ non exiguam partem, Caminiecô captô, sub jugum misit. Præterea Tartari Precopenses ab imperio Turcico aliquousque dependent: Walachiæ quoque, Moldaviæ ac Transylvaniæ Principes Turcica castra sequi coguntur, simul ingenti tributô onerati, Transylvanus tamen liberius habetur. Ragusina etiam Resp. tributum pendit. Proprius Imperatorum titulus est *Chakan*, seu *Chachan, Chan, Cham*, communi ferè omnibus Orientalibus more. *Sultani* nomen etiam usurpat, sed eô modô, quô Reges Hispani vocem *Don*. Titulum *Imperii* videntur meruisse, ab occupata Constantinopoli, quam statim quoque sedis locô elegêre, cum antè Othmanes Prusiæ, civitate Bithyniæ, & post Adrianopoli eam habuissent: accessit conventio, inter Rodolfum II. Imperatorem & Achmedem I. A. C. 1606. Imperium ut plurimùm à fratrum strangulatione auspicantur, nec filiorum adultorum ullus, patre vivô, intra Urbis mœnia pedem infert. Filias plerumque 4. vel 5. ætatis annô Bassæ, seu Beglerbego alicui despondent, uxores non habent justas à tempore Bajazetis, à Tamerlane victi, nisi quod Solimannus II. Roxolanam hôc titulô dignatus est. Mahometani sunt, & non tam vi politici alicujus principii, quàm religionis, subditorum cæcum expetiuntur obsequium. Milites tamen, maximè Janizarii, liberiùs agunt, quorum potentiam proin omnibus modis enervare annituntur. Supremus Imperii Turcici Minister est *Magnus Vezirius*, Turcis *Vezir Azem*, ab Imperatoribus *Lala*, i. e. Aulæ Magister dictus. Sub hoc sex alii Veziriorum nomen gerunt, consiliisque adhibentur, sed non magnâ auctoritate sunt. Inter Judices, qui post supremum Vezirium eminet, summus Judex est *Cadilescher* vocatus. Sæpe & *Mufti*, i. e. summus Sacerdos, ad sententiam dicendam accersitur. Sedes publici consilii *Divan*: Aula *Porta* appellatur. Nobilis hic nemo nascitur, cùm sola domus Ottomannica suis censeatur natalibus. Plura qui volet, adeat Chalcondylam, *Hist. Turc.* Camarar. *Comm. de Reb. Turc.* Postellum *Republ. Turc.* Baudetrum, *Invent. Hist. Turc.* Francisc. Sansovin. *de Orig. & Imper. Turc.* Joh. Bapt. Montalban. *de moribus Turc.* Feugerum *in Turca*. Joh. Leuncl. *Hist. Turcic.* Augerii Gislerii Busbequii, *Legat. Turcica Epist.* 4. P. de Valle, *Itinerar. Tom.* 1. reliquosque auctores Becmanno laudatos, *in Hist. Orbis terr. Geogr. & Civ. c.* 10. *de Imp. Turcico*: & infrà in voce *Turcarum Imperium*. *Baudrando* dicuntur *les Turcs* Gallice, *los Turcos*, Hispanis, *li Turchi* Italis, populique sunt Asiæ, qui Imperium suum longè latèque per Europam, Asiam, & Africam armis propagârunt, & se ipsos Musulmanos seu fideles vocant. A' Scythis, qui Caucasios montes inter Pontum Euxinum & Caspium mare incolunt, originem trahere, omnes ferè auctores unô ore consentire videntur. Hinc *Turcicus*, ut Turcicum Imper. quod cœpit, A. D. 623. secundùm alios A. 1300. de quo suprà. Hornio, gens pastoritia, primas sedes habuerunt, in Scythia, ad Jaxartem fluv. supra Persiam. E' qua regione, quæ hodieque *Turckestania*, circa A. C. 1000. in Persiam emigrârunt, Duce Selgkukô, sub ejus nepote Togrulbeko hôc regnô potiti, A. C. 1038. Ortâ postmodùm inter patrueles an fratrueles hujus discordiâ Cuthlumuses occupavit Armeniam, Cappadociam, Pontum aliasque Imperii Græci provincias regiô titulô, circa A. C. 1060. sicque in *Occidentale* & *Orientale*, Regnum Turcarum divisum est: quorum illud à Christianis tantùm non destructum, crebrâ eorum in Terram Sanctam expeditione: istud à Tartaris penitùs est eversum. Mox tamen Aladinô Duce Turci ex Persia profugi, occupatis Iconiô & Sebastiâ urbibus, novum per Asiam minorem Regnum orsi sunt, &, superatis Græciæ provinciis aliquot, feliciter per 90. annos tenuêre, sede Guniæ seu Iconii constitutâ. Aladinis deficientibus circa A. C. 1298. in quibus posteritas Selgkuki extincta, Oguzii, alius Turcarum populus, Osmannô Duce, non potentiam Turcarum solùm, sed omnem ferè minorem Asiam in se transtulêre, sede Prusiæ fixâ. Inde pervenêre in Europam circa A. C. 1363. sub tertio Imperatore Amurathe. Et quamvis à Tamerlane universâ Asiâ exuti essent A. C. 1401. & fractô captôque Bajazethe de eorum Imperio actum videretur, viribus tamen iterum recollectis, sub Muhamede I. Amurathe II. & Muhammede II. illud per Asiam Europamque latissimè propagârunt, Constantinopoli quoque expugnatâ &c. Vide Georg. Hornium, *Orbe Imper. cum Animadvers.* L. Joach. Fellers, *p.* 401. & *seqq.* ubi plura, *de Regimine, Classibus, Legion. Moribus, Habitu, Ædificiis, Hostibus*, aliisque Turcarum *Memorabilibus* apud eundem, *Orbe Polit. cum Animadvers.* L. Ottonis Menkenii passim, inprimis, *p.* 29. 414. & *seqq.* nec non suprà *Jezidæi, Islami, Muslimi*.

TURCARUM Imperium, *l'Empire des Turcs*, seu *la Turquie*, latè per Europam, Asiam, & Africam extensum est, à duobus præsertim seculis. Turcica ditio in Europa duplex est, nempe Rumelia, *la Romelie*, sub qua censentur Græcia, Macedonia, Albania, & Thracia, cum insulis Creta, Eubœa, & aliis in mari Ægæo; & Sclavonia, *l'Esclavonie*, sub qua Bosnia, Servia, Croatia ex parte, Dalmatia mediterranea, Sclavonia, Bulgaria, & maxima pars regni Hungariæ versus Austrum. Turcicæ ditionis in Asia quatuor sunt partes, nempe Asia Minor, *la Natolie*, Syria latè sumpta, *la Sourie*, seu *Soristan*, Turcomania, aliàs Armenia major, *la Turcomanie*, & Diarbechia, aliàs Mesopotamia, & Assyria, atque pars Babyloniæ, *le Diarbeck*, cum aliquot locis tantùm in Arabia Petræa versus sinum Arabicum. In Africa autem Turcicæ ditionis partes sunt regnum Barcæ, *le royaume de Barca*, & Ægyptus, *l'Egypte*, seu *Mesr*, in duodecim Præfecturas seu Cassiliffatus divisa. Totius Imperii sedes regia est Constantinopolis, Turcis *Stamboul*, ad Bosphorum Thracium. Sed urbes *Zibit, Aden, Balsora, & Sumachia* non subsunt Turcis, neque Colchis & Iberia, partes Asiæ. Regna autem Tripolis, Tuneti, & Algerii in Africa sunt sui juris quôdam modô, & Turcarum Imperatori parent tantùm, quando ipsis videtur, quanquam sub ipsius clientela vivant. At vice versâ ipsi tributum solvunt Principes Transylvaniæ, Valachiæ, & Moldaviæ, uti Respublica Ragusina, & Princeps Tartariæ minoris ipsius est clientelaris. Turcicum Imperium dividitur aliter in viginti quinque Præfecturas generales, teste Ricautiô Anglô, ex quibus una est in Africa, septem in Europa, & 17. in Asia: E' quibus duæ reguntur à Præfectis *Beglerbey* dictis; aliæ omnes habent Præfectos *Bassa* nominatos. Terminatur autem ditio Turcica in Europa ad Boream Tartariâ minori, Poloniâ, Moldaviâ, Transylvaniâ & Hungariâ Austriacâ: ab Occasu mari Hadriaticô, quô separatur ab Italia & mari Mediterraneo. In Africa terminatur ad Austrum sinu Arabicô, Nubiæ region. desertis Barcæ & Gaogæ, ac regnô Tripolitanô. In Asia autem ad Ortum terminatur Pontô Euxinô, Georgiâ, Imperiô Persarum, & Arabiâ.

Satrapiæ Turcarum juxta Ferrarium, in Asia, superiore tempestate 30. nunc pauciores, multis à Persis occupatis:

Albaniæ, sedes Alexandria seu Portæ ferreæ, *Demircapi*.
Arabiæ felicis, ad sinum Arabicum, sedes Saba, *Zibit*.
Arabiæ felicis, extra sinum Arabicum, sedes Arabia, *Aden*.
Armeniæ majoris citerioris, sedes Chorsa, *Chars*.
Armeniæ majoris ulterioris, sedes Artaxata, *Tefus*.
Armeniæ majoris, in confinio Mediæ, sedes Rivanum, *Revan*.
Armeniæ minoris, sedes Melitene, *Malana*.
Assyriæ, sedes Seleucia, *Mosul*.
Babyloniæ citerioris, sedes Babylon, *Bagdet*.
Babyloniæ ulterioris, sedes Teredon, *Balsara*.
Bithyniæ, Prusa sedes, *Burse*.
Cappadociæ citerioris, sedes Amasia, *Amasia*.
Cappadociæ ulterioris, sedes Sebaste, aliis Sebastopolis, *Suvas*.
Cappadociæ, Ponti Polemoniaci, sedes Neocæsarea, *Tocato*.
Carmaniæ, sedes Iaza, nunc sub Persis, ab eis recuperata.
Ciliciæ, sedes Cæsarea penes Anazarbum, *Acsar*, & intus Adana, *Adena*.
Cœlesyriæ, sedes Damascus, *Scham*.
Colchidis, sedes Phasis, *Fasso*.
Cypri, sedes Fama Augusta, *Famagosta*.
Iberiæ, sedes Barium.
Iberiæ item, sedes Tzilditis.
Iberiæ etiam, sedes Smyrna.
Ioniæ, sedes Smyrna, *Ismir*.
Lycaoniæ, sedes Iconium, *Cogni*.
Mediæ Atropatiæ, sedes, Cyropolis, *Sumachi*, nunc Persarum.
Mediæ citerioris, sedes Sarvanum sive Servanum, hodie Persarum.
Mediæ item in confinio Mesopotamiæ, sedes Iban, *Van*.
Mesopotamiæ, sedes Amida, *Caramit*.
Phœniciæ, sedes Tripolis, *Tarapoli*.
Phrygiæ, sedes Cotiæum, *Chiutaye*, sub quo Præfecti 16.
Syriæ, in Armeniæ minoris confinio, sedes Marassia, quæ Merim veteribus dicta putatur.
Syriæ in Comagene, sedes Hierapolis, *Haleppo*.

Ex quibus à Persis multæ recuperatæ sunt, uti Albaniæ, Armeniæ majoris, Mediæ, Assyriæ, & Babyloniæ.

Satrapiæ in Europa septem:

1. Bosnæ, sedes Banialucha; sub quo 9. Præfecti.
2. Daciæ ripensis, sedes Temeswaria: sub quo 8. Præfecti.
3. Græciæ, sedes Sophia; sub quo Præfecti 21. totidem namque præfecturas continet hæc satrapia, quæ sunt ex ordine infrà scriptæ.

Præfectura Romeliæ, sive Græciæ satrapiæ,

1. Sophia, in Mysia, *Sofia*.
2. Nicopolis, ibidem, *Nigeboli*.
3. Quadraginta Ecclesiæ, in Thracia, *Kirckliss*.
4. Byzia, ibidem, *Vyza*.
5. Germia, in Thracia, *Kirmen*.
6. Silistria, in Mysia, *Silistra*.
7. Justiniana prima, in Macedonia, *Giustandil*.
8. Tegina, in Sarmatia Europæa, *Bender*.
9. Hermonassa, ibidem, *Akerman*.
10. Scupi, in Macedonia, *Uscopia*.
11. Prisdena, ibidem, *Prisren*.
12. Thessalonica, ibidem, *Salonichi*.
13. Trica, in Thessalia, *Triccala*.

14. Lacedæmon, in Peloponneso, *Misura*.
15. Patræ, ibidem, *Patras*.
16. Cassiope, in Epiro, *Janna*.
17. Delvina, ibidem, *Delvino*, nomine recenti.
18. Elabassanum, in Macedonia, *Elbassaw*, nomine recenti.
19. Aulon, ibidem, *la Valona*.
20. Dyrrachium, ibidem, *Dulcagini*.
21. Scodra in Illyrico, *Iscodar*, seu *Scutari*.
4. Hungariæ, sedes Buda: sub quo 15. Præfecti.

Præfecturæ Hungariæ ex ordine:

1. Novigradus, *Novigrad*.
2. Filecum, *Fileck*.
3. Zerzenum, *Zerzen*.
4. Zolnocum, *Zolnock*.
5. Strigonium, *Gran*.
6. Segedinum, *Segedin*.
7. Alba Regalis, *Stulweissenburg*.
8. Sexardum, *Sexard*.
9. Simontorna, *Simonturn*.
10. Copanum, *Kopan*.
11. Muharzum, *Muharz*,
12. Zigerum, *Zigeth*, vel *Saswar*.
13. Quinque Ecclesiæ, *Funfkirchen*.
14. Sirmium, *Sirmisch*.
15. Samandria, *Semender*.

Quarum novigradus, Filecum, (à Christianis recuperatum) Zerzenum, Zolnocum, Segedinum, in Hungaria Transdanubiana sunt. Nomina sunt ferè recentia, Syrmii, Albæ Regalis, Strigonii, Quinque Ecclesiarum Segedini, Solnoci exceptis.

5. Maris, sedes Callipolis, *Gallipoli*: sub quo 14. Præfecti, qui in locis maritimis & insulis resident, hoc est, Galatiæ, Nicomediæ, Callipoli, Lemni Mitylenæ, Chii, Naxi, Eubœæ, Rhodi, Cabylæ, Naupliæ, Naupacti, Leucade, & Alexandriæ.
6. Mysiæ superioris seu Serviæ, sedes Taurunum, *Belgrado*, vel Samandria, *Zenderin*.
7. Sarmatiæ, sedes Theodosia Tauricæ, *Caffa*.

Satrapiæ in Africa quatuor:

Ægypti, sedes Babylon nova, *Alcayro*: sub quo 16. Præfecti.
Africæ propriæ, sedes Tunes, *Tunis*.
Byzacenæ, sedes Tripolis, *Tripoli di Barbaria*.
Mauritaniæ Cæsariensis, sedes Julia Cæsarea, *Algeri*.

Augentur indies, novis provinciis occupatis, minuuntur deperditis, & sedes permutantur. Vide nostram Europæ descriptionem, ubi singulos satrapiarum Præfectos videre poteris, cum illorum sedibus.

Turcici Imperii divisio secundùm Præfecturas generales ex Baudrando.

Præfectura Ægypti seu Cairi, quæ sola in Africa, *le gouvernement de l'Egypte*, sub qua duodecim Cassilisatus, seu Præfecturæ minores.

Præfectura Aleppensis, *le gouvernement d'Alep*, Asiæ in Syria, sub qua 9. Sangiacatus seu Præfecturæ minores.

Præfectura Amidæ, *le gouvernement de Diarbekir*, seu *de Caramit*, Asiæ in Turcomania, sub qua 12. Sangiacatus.

Præfectura Asiæ minoris, *le gouvernement ou Beglierbegat de Natolie*, Asiæ, sub qua 15. Sangiacatus.

Præfectura Bosniæ, *le gouvernement de Bosnie*, Europæ in Sclavonia, sub qua 8. Sangiacatus.

Præfectura Budensis, *le gouvernement de Buda, ou Budun*, Europæ in Hungaria, sub qua 20. Sangiacatus.

Præfectura Caffensis, *le gouvernement de Caffa*, Europæ in Taurica Chersoneso, sub qua nullus Sangiacatus.

Præfectura Caramaniæ, *le gouvernement de Caramanie* seu *de Cogni*, in Asia minori, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Chorsæ, *le gouvernement de Chars*, Asiæ in Turcomania, in qua 6. Sangiacatus.

Præfectura Cretæ insulæ, *le gouvernement de Candie*, in Europa, in qua 4. Sangiacatus.

Præfectura Cypri insulæ, *le gouvernement de Cypre ou Kibros*, in Asia, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Damasci, *le gouvernement de Scham ou Damas*, Asiæ in Syria, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Ibani, *le gouvernement de Van*, Asiæ in Turcomania, sub qua 9. Sangiacatus.

Præfectura Meritæ seu Aladuliæ, *le gouvernement de Marasch* seu *Zulkadrie*, in Asia minori, sub qua 4. Sangiacatus.

Præfectura Ninivita, *le gouvernement de Mosul*, Asiæ, in Mesopotamia, sub qua sunt 5. Sangiacatus.

Præfectura Præfecti maris, *le gouvernement du Capitan Bacha*, in qua sunt 13. Sangiacatus, partim in Europa & partim in Asia, versùs oram maris Ægæi.

Præfectura Ricana, *le gouvernement de Rika*, Asiæ in Mesopotamia, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Rumeliæ seu Græciæ, *le gouvernement ou Beglierbegat de Rumelie*, in Europa, in qua 24. Sangiacatus.

Præfectura Sebastiæ, seu Amasiæ, *le gouvernement de Sivas*, in Asia minori, in qua 6. Sangiacatus.

Præfectura Scheresuliæ, *le gouvernement de Schehresul* seu *Scaberisul*, Asiæ in Assyria, in qua 12. Sangiacatus.

Præfectura Seleuciæ, *le gouvernement de Bagdet*, Asiæ in Chaldæa, sub qua 10. Sangiacatus.

Præfectura Symiritana, *le gouvernement d'Erzerum*, Asiæ in Turcomania, sub qua 9. Sangiacatus.

Præfectura Temisuariæ, *le gouvernement de Temisuar*, Europæ in Hungaria, sub qua 6. Sangiacatus.

Præfectura Trapezuntina, *le gouvernement de Trebizonde ou Tarabozan*, in Asia minori, sub qua nullus Sangiacatus.

Præfectura Tripolitana, *le gouvernement de Tripoli de Sourie ou Tarabolos Scham*, in Asia, sub qua 4. Sangiacatus.

Turcici Imperii urbes præcipuæ.

In Africa.

Alexandria, *Alexandrie* seu *Scanderia*, in Ægypto.
Cairus, aliàs Babylon, *le Caire*, ibidem.
Siene, *Assuan*, ibidem.

In Asia.

Alepum, *Alep*, in Syria.
Amasia, *Amasie*, in Asia minori.
Amida, *Caramit*, in Mesopotamia seu Diarbechia.
Ancyra, *Angouri*, in Asia minori.
Antiochia, *Antacyah*, in Syria.
Attalia, *Satalia*, in Asia minori.
Chius, *Chio*, in Asiæ minoris ora.
Chorsa, *Chars*, in Turcomania seu Armenia.
Cotiæum, *Chiutaje*, in Asia minori.
Damascus, *Scham*, in Syria.
Fama Augusta, *Famagusta*, in Cypro.
Hierusalem, *Chuts Xerif*, in Syria.
Ibanum, *Van*, in Turcomania seu Armenia.
Iconium, *Cogni*, in Asia minori.
Melitena, *Malatiah*, ibidem.
Merita, *Maraz*, ibidem.
Neocæsarea, *Tocat*, ibidem.
Nicæa, *Isnich*, ibidem.
Ninive, *Mosul*, in Diarbechia seu Mesopotamia.
Prusa, *Bursia*, in Asia minori.
Rhodus, *Rhodes*, in ora Asiæ minoris.
Sebastia, *Sivas*, in Asia minori.
Seleucia, *Bagdet*, in Babylonia.
Simyra, *Erzerum*, in Turcomania seu Armenia.
Sinope, *Sinabi*, in Asia minori.
Smirna, *Ismir*, ibidem.
Trapezus, *Tarrbosan*, ibidem.
Tripolis *Tarabolos Scham*, in Syria.
Tyrus, *Sour*, ibidem.

In Europa.

Achridus, *l'Ochrida* seu *Giustandil*, in Macedonia.
Alba Regalis, *Stulweissemburg*, in Hungaria.
Athenæ, *Setines*, in Græciâ.
Aulon, *la Valona*, in Macedonia.
Banjalucum, *Banjaluch*, in Bosnia.
Belgradum, *Belgrade*, in Hungaria.
Buda, *Bude*, seu *Budun*, ibidem.
Caffa, *Caffa*, in Tartaria minori.
Candia seu Matium, *Candia*, in Creta insula.
Chalcis, *Negrepont*, in ora Græciæ.
Constantinopolis, *Stamboul*, in Thracia seu Romania, Imperii caput.
Corinthus, *Coranto* & *Corto*, in Peloponneso.
Dyrrachium, *Durazzo*, in Albania.
Gallipolis, *Gallipoli*, in Thracia.
Hadrianopolis, *Andrinople*, ibidem.
Iayeza, *Iayeze*, in Bosnia.
Methone, *Modon*, in Peloponneso.
Nauplia, *Napoli de Romanie*, ibidem.
Nicopolis, *Nigeboli*, in Bulgaria.
Patræ, *Patras*, in Peloponneso.
Prisrena, *Prisren*, in Macedonia.
Scodra, *Scutari*, seu *Scodar*, in Albania.
Scupia, *Uschup*, in Servia
Serajum, *Seraio*, in Bosnia.
Sophia seu Sardica, *Sophia*, in Bulgaria.
Sparta, *Musitra*, in Peloponneso.
Strigonium, *Gran*, in Hungaria.
Temesuaria, *Temisuar*, ibidem.
Thebæ, *Stives*, in Græcia.
Thessalonica, *Salonichi*, in Macedonia.
Vihitza, *Vihitza*, in Croatia.

TURCHESIA, seu TURCICA GEMMA, Gallis *Turquoise*, Persis *Ferza* aut *Firuza*, vocabulô ex Græcô sumptô; eadem enim cum hodierna *turchesia* Jaspidis species est, cœlo autumnali similis, adeoque cœlini seu aërini coloris, hinc Græcis ἀερίζουσα dicta, vel ἐαρίζουσα, & contractè ἐαρῶσα, unde Persicum *Firuza*, & Arabicum *Feruzegi*. Ab iisdem Græcis *Boream* eam vocatam, Plinius notat, quòd scil. ejus coloris sit, quô cœlum solet esse, cùm Boreas flat; Hodieque felicem illam habent & boni ominis, uti olim quoque pro amuleto gestabatur, uti videre est apud Orpheum de hujus gemmæ, quam ἀερίζουσαν ἴασπιν appellat potentiâ & felicitate multa narrantem. Salmas. *ad Solin. p.* 202. & 1130. Vide quoque suprà *Cygnos* & *Sapphirus*.

TURCHESTANIA, vulgò *Turquestan*, pars ampla Asiæ, in Tartaria, inter Tartariam veram seu magnam ad Boream & Imperium Magni Mogolis ad Meridiem, ut ferè omnes narrant in historiis illius tractus. Sunt tamen multi recentiores, qui credunt nullam esse

sic regnum *Thibet* seu *Tobat*, cum urbe primaria cognomine; sicque de illis partibus pauca certa dici possunt.

TURCHIFARUS, in *Conventionibus* Michaëlis Palæologi & Genuensium A. C. 1261. à C. du Fresne editis, post *Historiam Gallo-Byzant.* monetæ aureæ Turcicæ species est.

TURCHIMANNUS, vide suprà *Dragomannus*.

TURCOMANIA, vulgò *la Turcomanie*, regio est Asiæ, quæ antiquitùs Armenia major dicta fuit. Extenditur inter Georgiam ad Boream, Asiam minorem ad Occasum, Persiam ad Ortum, & Diarbechiam ad Meridiem. Subest dominio Turcarum; & ejus præcipuæ urbes sunt Amida & Ibanum. Zonaras, Turcas quosdam Duce Cutlumo e Boroniate, regionibus versus Pontum occupatis regnum Turcomaniæ constituisse refert, A. C. 1072. *in Hist.* vide quoque P. de Valle *Itiner.* & in voce *Armenia major*. Scaligero *Turcomannus* est ..., qui *stabile stabulum*, Plauti verbò, *Aulul. Actu* 2. *sc.* 2. v. 6. non habet, cujusmodi est natio hæc Circassis finitima, vide eum *Canonum Isagogic. l.* 3. & Car. du Fresne *Notis ad Cinnamum*. Extollere illi caput, summamque rerum Persicarum ad se transferre, post obitum Tamerlanis, cœperunt, divisi in duas factiones, *Karakiouln*, seu Nigrorum Arietum, & *Akiouln* seu Arietum Alborum; è quorum illis primus Rex Persiæ *Kara Iusuph*, seu Niger Josephus, Tamerlanis successorem evertit. Sed ejus familiam annis circiter 50. post illi everterunt, quorum primus Uzum Cassanus Persiâ potitus est A. C. 1468. & Regnum ad successores transmisit, tandem à Sophianis, qui hodieque rerum potiuntur, pulsos. Georg. Hornius, *Orb. Imp. p.* 421.

TURCOPULI, apud Guil. Tyrium, *l.* 1. *c.* 7. alibique, milites sunt seu equites levis armaturæ, vel nutriti apud *Turcos*, vel ex matre Christiana & patre Turco prognati, unde nomen. Τουρκόπουλος enim Græcis recentioribus *Turci filium* notat. His Alexium Imperatorem hosque Principes in bellis usos, observant Scriptores Byzantini. Hinc *Turcopoliarius*, qui militibus his conductitiis præerat, dignitas in Aula Cypri Regum, de cujus officio vide Steph. Lusinianum, *Histor. Cypr.* Statuta Ordin. Hospitalis S. Joannis Hierosolym. *tit.* 10. §. 15. 26. & Dominic. Macrum, *Hierolex.* ubi hodieque in Insul. Melita *Turcopoler* appellari equitum Præfectos, adnotat.

TURDE, Vilumbrorum civitas in Italia. Vide *Tuder*.

TURDETANI, populi Lusitani in regno Portugalliæ, ad Meridiem, quorum regio *Turdetania*. Hos adeò opulentos fuisse refert *Strabo*, ut præsepibus uterentur argenteis. *Turtitani Stephano* sunt, qui eos una cum *Turdulis* confundens circa Bætum describit. *Baudrando* fuêre partim, in Lusitania Australi, ubi hodie Algarbia regnum cum parte Portugalliæ, & partim in Bætica, ubi territorium Hispalense, & Ducatus Medinæ Sidoniæ in Vandalitia provinc. ex *Brietio*. Eorum Urbes fuêre Julia, Ossonoba, Lacobriga, Hispalis, Italica, Asta, & Asindum.

TURDULI, *Ptol.* & Melæ, *l.* 3. *c.* 1. populi Hispaniæ Bæticæ inter Mellariam & Bætim incolentes, partim in Vandalitia, partim in regno Granatensi, Bastulis finitimi. Alii in Lusitan. in ora inter Mundam & Durium fluv. inhabitantes, quorum tractus *Beira Vasconcello. Baudrando*, ubi hodie territorium Cordubense, in Vandalitia & pars regni Granat. inter Bætim & Singilim fluv. ex *Brietio*.

TUHDULUS Gallicanus, Historicus Rom. cujus *Ephemeridem* laudat Fl. Vopiscus, ei coævus in *Probo*, c. 2.

TURDUS, Græcè κίχλη, Hebr. קִיכְלִי ficedulæ jungitur, apud Corn. Celsum, *l.* 2. *c.* 18. & in *Tiberio* Suetonii, *c.* 42. Plautus quoque in *Captivis Actu* 1. *Sc.* 2. v. 60. ad utramque avem alludit,

Opus Turdetanis, opus Ficedulensibus.

Quòd scil. in deliciis Veter. aut pares, aut suppares essent. Sed contrà quàm Hebræi sentiunt, *turdo* datur principatus ab iis, qui palati deliciis omnia metiuntur. *Horatius, l.* 1. *Ep.* 15. v. 40.

——— *Obeso*

Nil melius turdo ———

Et notum Martialis *Xenion* 92. *l.* 3. qui idem alibi *ibid. Epigr.* 51.

Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo,

At mihi de turdis facta corona placet.

Persius, *Sat.* 6. v. 24.

Nec tenuem solers turdorum *nosse salivam.*

I. e. non liguritor, & κιχλιστὴς, qui probè calleat quô sapore sint turdi. Vide quoque Aristophanis Scholiasten *in Pace*. Unde olim Athenis, cùm disciplina erat adstrictior, ..., οὐδὲ κιχλίζειν ἐξῆν, uti legimus apud eundem Comicum, *in Nubibus*. Et Pompejus æger à Lucullo turdum peti noluit, quamvis jubente Medicô, hôc celebri dictô usus, Οὐκοῦν εἰ μὴ Λούκουλλος ἐτρύφα, Πομπήϊος οὐκ ἂν ἔζησεν, *Ergone absque Luculli luxu Pompejus non viveret*. Quod ita placuit Plut. ut id referat quater minimùm, nempe *in Lucullo* & *in Pompejo*, & in *Apophthegm.* & in libro, *An Seni gerenda sit Resp.* contra etiam *cerebellis turdorum* Palatinos pavit monstrum illud Romanæ luxuriæ Heliogabalus, apud Lamprid. *c.* 19. At hodie non eadem iis gratia: quod fortè inde, quia, simul ac capti fuerint, assantur, plurimùm adhuc macri, præterquam vindemiæ tempore. Olim verò, vel in ornithonibus ac amplis magnisque villæ septis & peristyliis, vel apud farturies urbanos in cellis angustis & obscuris alebantur, ut citò pinguescerent: quorum illi *terrarii*, saporis longè melioris, hi *cellarii* dicti sunt Charisio Sosipatro, ut suprà vidimus. In ornithonibus autem tantâ copiâ servabantur, ut agros Romani illorum fimo, cui & principatum Varro tribuit, stercorarent. Vide Plin. *l.* 17. *c.* 9. Sed & *turdus* vermibus pascitur, caroque ejus fibrosa & dura est, Galenô teste de *Alim. Facult. l.* 3. *c.* 19. unde gulam potiùs, quàm judicium, hanc avem reliquis olim prætulisse, censet Vossius, *de Idolol. l.* 3. *c.* 91. Neque verò ejus solùm & palati deliciis grata est, sed & loqui discit, qualem Agrippina Claudii Cæs. conjux habuit, apud Plinium, *l.* 10. *c.* 42. qui & de merula, summam cum turdo habente convenientiam, eademque à Romanis saginari solita, ubi suprà. De *turdis* verò plura, apud Salmas. *Not. ad Pallium Tertull.* Sam. Bochart. *Hieroz. parte prior. l.* 1. *c.* 16. Alios. *Turdum* piscem, κίχλην similiter Græcis, juxta merulam, inter saxatiles nobilissimum, *marinum phasianum* prout dictum Tralliano, *l.* 6. *c.* ... & Pierio Valeriano, *l.* 5. habes apud eundem Vossium, *l.* 4. *c.* 24.

TUREGUM, seu TURGEA, tractus Helvetiæ, inter Tigurinum pagum ad Occasum. Sub VIII. pagis antiquioribus. Ejus oppid. primarium *Frawenfeld* dicitur. *Turegum* quoque Tigurum urbs dicitur, vide ibi & de tractu hoc in voce *Turgea*.

TURELLUS Petrus, vide *Petrus*.

TURELUPINI, Hæretici dicuntur, secul. 14. precibus spretis, nudi incessisse, aliaque abominanda patrâsse. A' Gregorio XI. condemnati, A. C. 1372. Aliquando tamen tum nomen hoc, tum vitia adeo horrenda, per calumniam, Valdensibus affinguntur, vide *Valdenses*. Quod loca tantùm *lupis* exposita habitarent, sic dicti, Vignerio A. C. 1159.

TURENA, vulgo TURENNE, oppid. cum arce, in provinc. Lemovicensi, in limite Cadurcensis, 2. leuc. à Briva Curretia in Meridiem, 4. à Tutela, Sarlatum versus totidem. Caput Vicecomitatus amplissimi & vetustissimi, cujus ditio in finibus Cadurcorum, Petragoricorum, & Lemovicum posita, de tribus his provinciis participat. Sub Ducibus, è genere *de la Tour d'Auvergne*, qui & nuper Sedani supremi Domini fuêre. Dicitur *Torenna* in Annalib. vetustis Francorum, & *Torenna* in actis mediæ ætatis. Vide Thuan. *l.* 85. & suprà in voce *Torinna*. Cæterùm, Familiam hanc illustrem justo opere excoluit Christoph. Justellus, eamque deducit à Wilfredo Comite *de Bourges*, circa A. C. 828. Hujus nepoti Acfredo, præter Gulielmum Comitem Arverniæ & Ducem Aquitaniæ, satorem Comitum Arverniæ & Bononiæ, ac Delfinorum Arverniæ & Comit. Claromontis, qui jam dudum extincti: natus est Bernardus, auctor Dominorum *de la Tour*. In quibus notabilis est Albertus II. Dn. *de la Tour du Pin*, pater alterius Alberti (cujus filii, Humbertus ultimum ramum Delfinorum Viennæ & Albertus reliquos Dominos *de la Tour du Pin* & *de Vinay*, ad finem seculi XIV. superstites, dederunt) & Bernardi IV. à quo stemma propagatum. Hujus nepos Bertrandus I. ex filiorum altero Bernardo VI. Dn. *de la Tour*, posteritatem habuit, quæ à Maria agnata, Godfredi Montgasconii filiâ, titulos Comitum Arverniæ & Bononiæ recepit, & in Magdalena, Catharinæ Mediceæ Reginæ matre, atque, quod novum Montgasconium ramum attinet, in Anna, ter uxore 1530. defecit. Alter Bertrandi fil. Dominos *d'Olliergues* sevit. In his Annetus Turrius, seu *de la Tour*, Comitatum Bellifortium, & Vicecomitatum *Turenæ*, ab uxore Anna (filia Petri Comitis *de Beaufort*, Vicecomitis *de Turenne*) nactus est. Accessit posteà axioma Ducatus Bullionii Henrico, (filio Francisci Turrii, & Eleonoræ Montmorentiæ, defuncto A. C. 1623.) qui, ex posteriori matrimonio Elisabethæ Nassoviæ, genuit Fridericum Mauritium Ducem Bullionii, ex Eleonora Febronia Bergensi egregiæ prolis parentem, Henricum Vicecomitem *Turennium* Generalem Franciæ Marescallum haud pridem extinctum, nullâ ex Carola Caumontia Forcæa sobole relictâ; Luisam, Mariam (uxorem Henrici Tremollii Ducis *de Thouars*) Julianam Catharinam (uxorem Francisci *de Roye de la Rochefoucault*, Comit. *de Roucy*) Elisabetham (uxorem Guidonis Aldoncii *de Durfort*, Marchionis *de Duras*) Henricam Catharinam (uxorem Amalrici Goyon Marchion. *de la Moussaye*) & Carolam, omnes domus *Turriæ* seu *de la Tour d'Auvergne*. Quod lineas collaterales attinet, altera *de Limeil* extincta est A. C. 1591. altera Dominorum *de Murat* & *de Savennes* gentile cum Turennis obtinet ac servat nomen, Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Parte I. in Ind.* Vide quoque eum, *Arte Heraldicâ Tom. II.*

* TURESIS, unus è Ducibus Thracum montanorum, contra Tiberium rebellium, qui arctâ obsidione, à Poppæo Sabino, clausus, aquâ pabulôque ereptis eruptione nocturnâ, in Romanos evadere cum suâ juventute aut cum libertate occidere destinârat. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 50.

TURGANA, Arabiæ Felicis insul. Ammian. *l.* 23. in qua Serapidis maximum esse templum scribit. *Ortelius* putat eandem esse cum *Serapide Ptolemæi*.

TURGAVIA, seu TURGAVIENSIS PAGUS, in *Literis* Basilicæ Martyrum Turegiensium, *Ludovicus Rex, Curtim nostram Turegum in Ducatu Alemannico, in pago Turgaviensi*: idem cum Turgea, de qua mox. Vide B. Rhenanum, *Rer. Germ. Nov. Antiqq. l.* 1. tit. *Alemanni trans Rhenum in Germaniam Primam & partem Maximæ Sequanorum, h. e. Helvetiorum & Rauracorum, ac in superiores ad Rhenum agros ac Turgaviam* &c. ubi & *Notas* vide Cl. Ottonis, *p.* 209.

TURGEA, meliùs DURGEA, Oswaldo Molitori *comment. in Panegyricum Glareani*, à *Dura* fluv. & voce Celtica è Græco γῆ nata *gew*, German. *Turgew* vel *Durgew*, tractus est Helvetiæ, cum titulo Comitatus, cujus situm vide suprà, in *Turegum*. Occupata regio est ab Helvetiis, bellô, quod contra Sigismundum Austriæ Archiducem gesserunt, partim à Pio II. qui Sigismundum ob Cardinal. Cusanum in vincula conjectum, excommunicaverat, impulsi, partim aliis causis permoti: namque Vitodurum, quod tum Austriis parebat, Tigurinis ad nundinas adventantibus portas clauserat, & duo è Stiria nobilissimi fratres Gradleri, ab Austriaco domô pulsi, Tigurinorum, à quibus in jus civitatis recepti erant, opem implorârant. Tum igitur Rappersvilam ac Dissenhovium, Frawenfeldum item & Turgeam Helvetii occupârunt: pace demum initâ A. C. 1460. operâ Ludovici Bojorum Principis. A' quo tempore, Turgea

geæ præfectura, quâ in tota Helvetia nulla est amplior & populosior, quippe supra 50. parochias comprehendens, Pagis VII. vetustioribus subest, ad quos dominium regionis, & civilis jurisdictio pertinent, cum quibus ipsi, si externô petantur hoste, militant. Cæterùm judicia rerum capitalium, provocationes & mulctæ harum causarum, ad decem Pagos, qui bellum adversus Maximilianum fœdusque Suevicum gessere, additis nempe prioribus septem Bernensibus, Friburgensibus & Solodurensibus, spectant. Sub his inferiorem jurisdictionem passim in vicis Turgeæ nobiles exercent: & quidem Episcopus Constantiensis suos præfectos in Turgea habet, Arbore Felice, Tanneggi, Guttingæ, Gotliebæ. Capitulum Ecclesiæ Constantiensis Alienavii jurisdictionem exercet. Cœnobium porro Augiæ divitis, maximos in hoc tractu reditus jurisdictionesque possidet Steckburæ, Bernangi, Manebacthi, Ermatingæ, Tribeltingæ, &c. Eremitaru Abbas cœnobii Eschenzi dominus est. S. Galli quoque Abbati aliquot hic vici sunt, ut taceam cœnobia quæ in ipsa Turgea jacent, & nobilium arces plurimas. Abbas denique Rinovianus, in oppid. Rinovio merum mixtumque tenet imperium. Præterea oppida quædam Turgeæ Helvetios quidem patronos agnoscunt, cæterùm suas immunitates amplas ac propriam habent jurisdictionem, ut Episcopicella, Arbor felix & Diessenhovium. Sedes judicii Provincialis hodie Frauenfelda est, unde ne aliò transferatur, ab Helvetiis decretô est cautum. Plura vide apud Stumpf. *in Chron. Helv.* Jos. Simlerum, *Helv. descript. &c.*

TURHOLTUM, cella primùm à Ludovico Imperatore tradita Anschario Archiepiscopo Hamburgensi, ubi hic ex Danis, Normannis & Sclavinis, atque etiam ex captivis pueros emtos ad Dei servitium & sacram militiam educavit: Eam posteà Carolus fil. Ludovici Hamburgo ablatam Reginario dedit. In diœcesi Brugiensi positam Miræus ait, ubi nunc pro veteri monasterio Canonicorum S. Petri collegium sit. In Andoverpensi Diœcesi locat Valesius, vicumque hodie esse refert 800. domorum *Turnhout* vulgò dictum, magnificô templô D. Petro sacrô illustrem: *Notit. Gall.* Vide quoque *Turnehutana arx.*

TURIA, urbs aliàs Celtiberorum, nunc Aragoniæ, *Albarazin* dicta: Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsaraugustano, ab Ausonibus Italiæ populis condita an. Urb. Cond. 640. In colle, 4. leuc. à fontibus Turiæ in Ortum, *Lobetum* etiam. Vide ibi.

TURIA, vel TURIAS, TURIUM Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Durius* Melæ, *l.* 3. *c.* 1. *Guadalaviar*, teste *Clusiô*, fluv. Hispaniæ Tarraconensis haud procul à fontibus Tagi, & Suctonis, à Turulio urbe 10. leuc. oriens, ac in mare Ibericum juxta Valentiam influens. *Baudrando* oritur 1. leuc. à fontibus Tagi, 4. supra Lobetum in Occasum, hinc per Aragoniam fluens, ad Terulum recipit Alhambram fluv. dein per regnum Valentiæ labitur, & paulo infra Valentiam urbem in Mare Mediterraneum & Sinum Sucronensem se exonerat. Juxta hunc Sertorius, à Pompejo, Calaguri receptâ, victus est. Claudian. *de laud. Serenæ*, *v.* 72.

Floribus, & roseis formosus Turia ripis.

TURIACUM, oppid. Normanniæ inferioris ad Olinam fluv. 6. leuc. supra Cadomum in Meridiem, Viriam versus totidem; *Thury* vulgò.

TURIASO, *Ptol. Turiasso* Plin. *l.* 3. *c.* 3. vulgò *Taracona*, urbs Hispaniæ Tarraconensis in regno Arragonio, prope montem Caunum ad fluv. *Quelos.* 4. leuc. à Tutela urbe in Africum, Soriam versus 8. à Bilbili 10. in Boream, 14. à Cæsaraugusta.

TURICHEMUM, seu TURCHIMUM, vulgò *Turckeim*, urbs parva, sed Imperialis Alsatiæ superioris. Sita est ad amnem *Fach*, vix 1. leucâ Gallicâ à Colmaria in Occasum, uti 4. à Brisaco.

TURRII, qui THURII *Strab. Thurium* Plin. *l.* 3. *c.* 11. popul. & urbs M. Græciæ. Vide *Thuriæ.* Item oppid. Apuliæ Peucetiæ *Strab.* Inter Cupersanum, & Aquam vivam, 6. mill. pass. Vulgò *Turi.*

TURINGI, seu TORINGI, ac THURINGI, vulgò *Duringer*, populi Germaniæ, quorum regio *Turingia* vel *Thuringia*, cujus urbes *Erfordia, Jena, &c.* Vide *Thuringia.*

TURINGUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

TURLOTUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

TURMA, Varroni, *l.* 4. *de L. L. terma* est, quòd terdeni Equites ex tribus Tribubus, Tatiensium, Ramnium & Lucerum fiebant; Scaligero ex Græco *γῦρμα*, *rotunditas*, uti Cohors, quia cohortes villaticæ rotundæ, vide Just. Lipsium, *de Militia Rom. l.* 2. *c.* 6. Hinc *Turmæ*, pro Equestri Ordine, apud Papin. Statium, *l.* 4. *Sylv.* 1. *v.* 25.

Moribus atque tuis gaudent Turmæque Tribusque,
Purpureique patres ———

Ubi notos tres Ordines Romani Status indigitat. Vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad loc.* Inde *Turmarii*, in *l.* 3. *Cod. Theodos. de Privil. eorum qui in sacro palat. mil.* inter viliora officia, qui *turmas* à provincialibus exigebant. Sed & *Turma*, regio est, apud medii ævi Scriptores, unde *Turmarcha*, turmæ seu regionis præfectus, apud Joannem VIII. *Ep.* 240. Græcè quoque *Τουρμάρχης*, apud Leonem, *in Tacticis*, *c.* 4. §. 8. Constantinum Porphyrog. Alios. Itaque apud Ughellum, *Tom. I. p.* 995. Stratigotis, Judicibus, Vicecomitibus, Curmarchis, Platearíis &c. reponit *Turmarchis*, Car. du Fresne, *Glossar.* quem vide quoque *Notis ad Alexiadem, p.* 273.

TURMEDA, civitas Syriæ, quæ & *Amphipolis. Steph.*

TURMODIGI, populi sive oppid. Hispaniæ Tarraconensis. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

TURMOLI *Antonin.* seu *Tumuli*, locus Lusitaniæ in Vectonibus, seu pagus; vulgò *Roccha fria*, vel *Roccha Fredda*, inter Emeritam 66. & Caparam 44. mill. pass. *Itin. Jac. Delgadus, Ferrarius* &c.

TURNACUM, vulgò *Tournay*, urbs vetus ac nobilis Flandriæ, caput quoque olim alicujus gentis, cùm prisca sedes Episcopatûs extiterit, antequàm Noviomagensis Ecclesiæ Episcopis commendaretur, nulli tamen veterum Historicorum & Geographorum, ante Æthicum, memorata. In veter. Notit. Provinc. inter Belgicæ secundæ urbes 12. septimum, in recentioribus quintum locum obtinet. Hieronymo, *Ep. ad Ageruchiam* dicitur *Tornacum*: Audoëno *Regalis quondam civitas*, fortè quia Chlodionis, Merovei & Childerici Francorum Regum fuit sedes, aut saltem Chlodionis, qui Carbonariam silvam ingressus, *Turnacum* & Camaracum cepit, omniaque ad Suminam fluv. usque occupavit. *In Notit. imperii Romani* memoratur *Procurator Gynæcii Tornacensis.* Nerviis veterib. urbem attribuit Valesius, quibus duo aut tria capita adscribit, Camaracum, *Turnacum* & Bagacum: Potentissimi enim hi fuerunt, & Centrones, Grudios, Levacos, Pleumosios, Gordunos sub imperio suo, finesque latissimos habuerunt, ad Oceanum usque pertingentes. Unde *Nervici litoris tractus*, apud Paulinum, *epist. ad Victricium Episc. Rotomag.* quem ibi verbum Domini prædicâsse asserit. Nummos Tornaci, sub Merovei posteris, percuti consuevisse, probat Botarottus ex nummo, in cujus aversa parte scriptum, TURNACO. Inter *Tornacenses Francos* rixâ obortâ, propter duorum affinium cædem, horum propinqui in se mutuo sævientes, Fregedundes jussu in convivio securi percussi sunt: quare ab horum amicis acrius custoditâ Fregedunde, nuntiique ad Childebertum missi sunt, ut comprehensa interficeretur, Gregor. *Hist. l.* 10. *c.* 27. Erant hi *Seniores Franci* seu Majores natu *Turnaci*, quales Seniores Rotomagi Francos idem *l.* 8. *c.* 31. commemorat. Ecclesia *Turnacensis*, quæ per ann. 500. Noviomagensib. Episcopis fuerat commendata, proprium iterum Episcopum A. C. 1146. Anselmum nomine ab Eugenio III. Bernardô Claravallensi Abbate procurante, accepit. Ei olim Gandenses paruisse, scribit Audoenus: indeque decerptas diœceses Gandensem & Brugensem, Samso, quàm verè, vide apud jam laudatum Valesium. Primas hodie tenet inter urbes, quæ Camaraco, novæ metropoli, suffraganur, secundas Atrebatæ, quarum Diœcesi Duagium, Betunia, Bapalma, Lerense castrum, Buccinium *Bouchain*, Ballea ac pars Valentianarum continentur. Nam alteram Valentianarum urbis & *Turnaci* quoque portionem Camaracum suæ vendicat diœcesi. Nunc *Turnacum*, unà cum Insul. & Duagio attribuitur Flandriæ Gallicanæ, quam vulgò pagum Francum, *le Franc* appellant: sub Gallis. Vide *Tornacum.* Est & *Turnacum*, in Cenomanis, fortè *Tornes*: municipiolum nunc aut potius vicus, inter Lavarzinum & Carcerem castrum, trans Lidericum fluv. in extremis pagi Cenomanici finibus: ibi reliquias Petri & Pauli Apostolorum haberi tradit Gregor. Turonens. *de mir. S. Martini l.* 4. *c.* 12. urbemque hanc in Turonicæ Basilicæ S. Martini ditionibus detineri, refert Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TURNEBUS Adrianus, Normannus, seculi sui decus, eruditione suâ omnium admirationem meruit. Scripsit prosâ versuque varia, quæ maximi æstimantur. Docuit Tolosæ & Parisiis, ubi obiit, A. C. 1565. ætat. 53. Scævola Sanmart. *in elog. doct. Gall. l.* 2. *Lipsius, Barthius, Rosinus* &c. Sed & Anton. Teissier, qui ejus scripta enarrat, filii cognominis, Poëtæ Latini Gallicique, meminit *Elog. Part. I.* Vide quoque *Hadrianus.*

TURNEBUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

TURNEHUTANA Arx Belgii, operâ cerevisiarii intercepta, A. C. 1590. à Mauritio Principe Arausionensi, qui posteà A. C. 1597. secutos hic Hispanos aggressus, insigni illos clade affecit. Vide Thuan. & Grotium, *Histor.* & suprà in voce *Turholtum.*

TURNHUTANUS Martinus, vide *Martinus.*

TURNI, Calabriæ oppid. mediterraneum, *Τοῦρνοι Ptol.* sive ut paulo vetustiores ejus auctoris interpretes legerunt, *Στοῦρνοι.*

TURNINUM, pagus Brabantiæ, 1. milliar. ab Antverpia. *Doerne Ortelio.*

TURNO, locus Galliæ, ad Rhodanum, è regione Tegnæ *Tin*, nunc celeberrimus & Comitivæ titulô ac scholis suis & multitudine incolarum insignis: unde familia nobilis Dominorum *Turnonensium*: Mendosè à recentioribus appellatur *Turnonium.* Vide ibi. Familiæ origo ab Odone Dn. *de Tournon*, qui floruit circa A. C. 1170. In ejus posteris Justus Dn. *de Tournon*, pater fuit Justi Comitis *de Rossillon*: quô & Claudiâ *de la Tour*, genitus Justus Ludovicus Dn. *de Tournon* Comes *de Rossilion*, ex Magdalena Rupifulcaudia, genuit Justum Henricum Comitem *de Tournon* & *Rossillon*: qui ex Carola *de Levis* suscepit Justum Ludovicum, maritum Franciscæ (filiæ Nicolai *de Neufville* Marchion. *de Villeroy*) gentis suæ ultimum, defunctum A. C. 1644. Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Part.* 3. *p.* 82.

TURNOMIUM vel TORNOMIUM, castrum Galliæ, Præpositurâ illustre vulgò *Tournan* & *Tournam en Brie*, non procul à Castris. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall. in voce Parisii.*

TURNONIUM, melius *Turno*, quod vide, vulgò *Tournon* oppid. amplum Occitaniæ, cum castro munito, ad Rhodanum, in confinio Delphinatus, è regione Thini seu Tenarum, 2. leuc. supra Valentiam in Boream 4. ab Annonæo. Ibi Academia recens instituta. Ultimus ex familia Turnonia, in prœlio ad Philippopolim, in German. A. C. 1644. occisus est, rediitque terra hæc, in qua 72. parœciæ, ad Charlottam Montmorantiam, viduam de Vantadour. Davity, *descript. Gall.*

TURNONIUS Franciscus, vide *Franciscus.*

TURNUS, Dux, qui ab Æneâ est occisus. Virg. *l.* 12. *Æn.*

TUROBRICA, Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Alcantara*, *Beuthero*, oppid. olim Hispaniæ Bæticæ, apud Alcantaram.

TUROCENSIS Comitatus, pars est Hungariæ superioris prope Vagum fluv. ad radices Carpathi montis, sub Austriacis; inter Comitatum Arvensem ad Boream, Liptoviensem ad Ortum, Transchiniensem ad Occasum, & Nitriensem ad Meridiem, *le Comte d'Owar* seu *de Turocz* Gall.

TUROCIUS Johannes, vide *Johannes.*

TURONENSIS, nomen in Moneta Gallica frequens, vulgò *Tournois*, ab urbe cognomine celebri, de qua suô locô. Sub Phi-

TUDESCHI Nicolaus, vide *Nicolaus.*

TUDETCHINUS Johannes, vide *Johannes.*

TUDINIUM, caſtrum Belgii, in finibus Hannoniæ, ad Sabim fluv. vulgò *Tuin*: Villa fuit olim regalis & publica. Hîc Ludovicus Rex Normannos vicit, A. C. 881. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

TUDITANUS, nomen viri proprium, quòd caput malleo ſimile haberet.

TUEDA, vulgò TUEDE, fluv. Scotiæ, quibuſdam & *Tueſis.* Oritur in Tuedia provinc. dein per Tiveotiam fluens, uti inter Marchiam & Northumbriam, in Oceanum German. ſe exonerat paulo infra Barvicum. Vide *Tueſis.*

TUEDIA, vulgò TUWEDAL, provinc. Scotiæ meridial. inter Glotianam ad Occaſum, Lothianam ad Boream, Teviotiamque ad Ortum, Tuedâ fluv. bipartitur. Ejus oppid. præcipuum Pebliſium & Selaticum.

TUERIA, vulgò TUIR, urbs Tueriæ provinc. in Moſcovia, ad Volgam; vix 50. mill. paſſ. infra ejus fontes in Ortum, Moſcuam verſus 140. circiter. Caput Ducatus Tueriæ.

TUEROBIS, fluv. Albionis per oram Walliæ occiduam decurrens & in mare Hibernicum apud Octapitarum promuntor. prolabens. *Tivy* Camdeno.

TUESIS, urbs aliàs Ottadenorum, hodie *Barwick*, ſeu *Berwick up on Tuvede.* Olim Scotiæ Urbs, ſed à 200. ann. Angliæ tributa. Vide *Barvicum.*

TUESIS, vide *Tueſis*, & *Tueda.*

TUFA, apud Bedam, *Hiſt. Angl. l. 2. c. 16. Nec non & incedenti illi* [Edwino Rege] *ubilibet per plateas, illud genus vexilli, quod Romani tufam, Angli appellant* Tuuf, *ante eum ferri ſolebat*: vexilli genus eſt, ex conſertis plumarum globis, Carolo du Freſne, qui *tuffe de plume* dici, in *Charta* vernacula ſub Ricardo II. Angliæ Rege, & τῦφαν Byzantinis Scriptoribus, Zonaræ, Leoni Grammatico, Aliis, apicem, qui galeæ imminet, appellari adnotat, in *Gloſſar.* Vide eundem ad *Joinvillam. Diſſert. 24. p. 292.* Salmaſio, ex ſindone ſeu lino, qui inter muta ſigna Romanorum *dracones, vexilla, flammulas*, tufas, *pinnas*, reponi Vegetio, *l. 3. c. 5.* obſervat. Idem enim *tufa*, quod *rica* & *flammeum*, uti pluribus probat *Not. ad Aurelian. Vopiſci, c. 45.* inde vocem pro velo quoque ſeu vexillo proceſſu temporis ſumtam, docens. Græcæ autem originis eſt, & ex τύφη vel τύφος, *ſindon* ſeu *velum*, deducta; unde ἐκτύφιον, quod Grammatici *vinculum* [illegible] interpretantur. Idem ad *Lamprid. in Vit. Alex. Sev. c. 33.* Vide & Macros Fratres *in Hierol.* ubi *tufam* flammulam, i. e. vexillum cuſpidatum ſeu pyramidale parvum, quam ſub Græcis Imperatorib. Deſpotæ olim equus in capite, & Pontificis Equites levis armaturæ, vulgò *Cavalli leggieri* appellati in cuſpidibus haſtarum ſuarum, hodieque deferant, interpretantur.

TUGENI, vide *Tugini.*

TUGENUS Lacus, vulgò *Zuger-ſee*, ab oppid. Tugio dictus, recipit fluv. Laurentium *Loretz*, qui ex lacu egreſſus poſteà Urſæ miſcetur. Lucernenſi minor eſt, eique ad Ortum duo adjacent laculi, quorum prior *Egery-ſee*, per fluv. *Loretz*, in lacum Tugenum ſe exonerat: Alter *Lowertz-ſee* nominatus, prope portum *Brunnel*, in lacum influit Sylvanienſem. Tertius paulò remotior, Orientem verſus, apud Glaronenſes, à valle Clontalla dictus *Clontaler-ſee*, per rivulum *Läntſch*, in rivum *Sarnff* ſe exonerat, qui in Limagum illapſus, illum ſecum in lacum Tigurinum defert. Joh. Bapt. Plantinus, *Helvet. Nov. Antiq.* Lacum Tugenum *Artenſem* vocat, eò quod Meridiem verſus ad pagum Suitenſem ſe extendat, uſque ad locum *Art* dictum. Stumpf. *de Turgovia, c. 30.*

TUGIA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis mediterraneum 28. leuc. à Toleto in Cæciam, vulgo *Alcaras*, inde *Saltus Tugienſis*, unde Bætis fluv. profluit, *Argenteus*, Strab. *Argentarius* Avieno.

TUGIENSIS Pagus, unus ex XIII. Helvetiorum, cum 5. aliis fœdus iniit A. C. 1352. Parvus admodum, inter Tigurinum ad Boream, Suitienſem ad Ortum, & Meridiem, & Lucerinum ad Occaſum. Caput ejus *Tugium* eſt, *Zug* oppidulum, ad lacum cognominem, 12. mill. paſſ. à Lucerna in Ortum, 18. à Tiguro in Meridiem. Vide infra in voce *Tugium.*

TUGIENSIS Saltus, *Argenteus* Straboni, *Argentarius* Avieno, mons eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis, unde Bætis fluv. profluit. Dicitur *Sierra de Alcaraz* Cluno, *Sierra de Segura* Flor. & Cornelio, quod utrumque probat Ferrarius: ut *Tugienſis* ſit *Sierra de Alcaraz*, unde Bætis uno capite manat, & Argenteus *Sierra de Segura*, unde alterô capite Bætis derivatur.

TUGINI, vel TUGENI, populi in Helvetiis, quorum meminit Strab. *l. 4. & 7.* ubi de Cimbris. Unde *Tugenus* pagus: ibi nunc ſunt pagi Tugienſis, Glaronenſis, Suitienſis & Urienſis. Eorum oppid. *Tugium* eſt, quod vulgò Zug vocant. Vide *Tugium.*

TUGIUM, vulgò ZUG, oppid. Helvetiæ eſt, inter Tigurinos & Suitios, 2. hinc milliar. in pede paſcui & vitibus conſiti montis, ad lacum piſcoſum, ipſis & Suitiis communem *Zugerſee*, qui oppidi frontem cingit. Homines producit mirè formoſos & acres, caputque creditur *Tuginorum*, qui cum Tigurinis Cimbricô bellô adverſus Romanos militârunt. Unum eſſe ex 12. oppidis, quæ Helvetii olim ipſi, novas ſedes quæſituri, incenderunt, aſſerit Guillimannus. Paruit aliquando Nobilibus: poſteà venditum Auſtriis, horum imperium diu pertulit. Ibi proin perpetuò Auſtriacorum præſidia, bellô Helveticô, fuerunt, inde Suitiis & Tigurinis moleſta. Itaque obſeſſa urbs A. C. 1352. à Tigurinis, quibus quatuor Pagi ſe junxerunt, poſt 15. dierum obſidium ſe dedit Helvetiis, hâc conditione, ſi intra præfinitum tempus ſperati auxilii ſpes non affulſiſſet. Intereà miſere cives ad Ducem Albertum, in monaſter. *Königsfelden* legatos, qui opem ejus urgerent: ſed Duce accipitribus intentô, eluſi, ſpe omni abjectâ, Helvetico fœderi ſe junxerunt, ſeptimô inter Cantones locô obtentô, A. C. 1351. eôdem annô, quô Bernenſes in id recepti ſunt. Mox ab Alberto obſeſſa urbs, interventu Marchion. Brandeburgici, pacem impetravit, hâc lege, ut Auſtriis, ſicut antè, pareat, Helveticum interim fœdus ratum maneat. Sed, cùm Suitiorum Legati ſequente annô, nomine Confœderatorum, à Tuginis jusjurandum exactum, ab Auſtriis contumelioſè haberentur, collectis copiis Tugium Helvetii denuo occupârunt, ſibique ſacramentum dicere juſſerunt: qui A. C. 1388. cum Tigurinis, prope Bremogartum, rem egregiè gesſêre. Inteſtinô diſſidiô A. C. 1404. cum oppido agreſtes colliſi ſunt, quod reliquorum Pagorum interventu ſopitum eſt. Annô dein 1435. cùm duæ plateæ ob inſidiantem lacum ſubſediſſent, nova, quam vocant, urbs ædificari cœpit, quæ magnum poſt Inſubriæ bella incrementum accepit: addita mœnia & turres. Imperium totius pagi non penès oppidanos ſolùm eſt, quibus ſui urbani Magiſtratus ſunt, ſed, qui agrum inhabitant, *das Ouſſer Ampt*, pari cum oppidanis jure imperant, unde Tugium ſex illis Cantonibus annumeratur, qui oppida in ſuis regionibus non habentes, vicatim habitant, vulgò *die Länder.* In his omnibus qui publico præeſt conſilio, Ammanus dicitur, quaſi *Amptman*, officii vir, muneri præfectus, ſive officialis. Sic duæ ſunt Tuginorum Reipubl. partes, oppidum & ager: qui tres Conventus habet. Montanum, vallem Egeriam ſive Aquæ Regiæ, & Baram parochiam in campo urbi proximo. Cum 7. veterib. pagis Turgovienſes, Sarunetes, Rheguſcos & liberas Provincias: cum 8. pagis Comitat. Badenſem: cum omnibus, præfecturas Tranſalpinas communes habent. Tuginis verò oppidanis ſubſunt, Chamium oppidul. ad lacum Tuginum, vicus S. Andreæ quondam etiam oppidum, Hunebergum, Walchevila, Steinbuſa pagus, & alter, qui S. Wolphangi nomen habet: Prætereà aliis quibuſdam locis per Præfectos in urbe habitantes imperant. Annui conventus primâ Dominicâ Maji habentur. Latinos ritus Canto hic ſequitur, & unus è Quinque pagicis eſt, vide ibi: ut & plura apud Stumpf *l. 6. de Turgov. c. 30. & 31.* Joſ. Simlerum, *de Rep. Helv.* Joh. Bapt. Plantinum, *Helv. Nov. Antiq. &c.* Glareanus, *Panegyr. Helvet.* de Tugio ſic canit:

Tugium ab antiqua Helvetiorum gente creatum,
Gens ferri, populusque acer, gens ſueta laboris,
Semper in arenti juvenes exercet arena.
Terra minor reliquis, ſed non tamen infima virtus,
Dura manus bellô, nullô perterrita caſu,
Stat, velut à rapido quercus non mobilis Euro
Vapulat, inſtructáque ignara phalange revelli.
Facta patrum oſtendunt, & monſtrant tempora noſtra
Tuginos acres & libertate celebres,
Sollicitosque ſui, natosque ad bella Camillos.
Huic ſunt à tergo colles, ſed dexterâ pingui
Rure viret, frontem nitidâ lacus abluit undâ.

TUGMA, urbs Indiæ ulterioris *Ptol.* nunc fortè *Charomar.*

TUGURINUS, nomine *Julius*, Eques Rom. ſocius conjurationis in Neronem, Tacit. *l. 15. Annal. c. 50.*

TUGURIUM, à *tego*, quaſi *tegurium*, domuncula eſt vilis rudisque, *tegendi* ſolùm gratiâ facta. præter quam antiquiſſimi homines aliam non habuêre. Et quidem Pelaſgum primum Arcadiæ Regem rudes homines docuiſſe *Tuguria*, ad frigoris, imbrium & æſtus incommoda arcenda, ædificare, refert Pauſan. *Arcadic.* Poſtquam deìn commodiùs lautiusque habitari, & urbes villæque, ac in utriſque domicilia extrui cœpta, manſit *Tugurii* nomen illi ruſticanæ caſæ ſpeciei, quæ non parietibus & tegulis lateritiis, ordine diſpoſitis, conſtans, ad uſum urbanum habitandi, & cuſtodiendi à furibus & raptoribus accederet, ſed ſolùm ab injuriis aëris pluviis, æſtu, gelu, defenderet, tegeretque, vimineis aut ligneis cratibus inædificata, intextis ſtramentis aut arundinibus, tegulis inſuper culmisque temerè congeſtis operta. Cujuſmodi Opilionum ſunt caſæ, & quæ in fundo paſcuo, aut ubi jus aquandi habemus, pecoris recipiendi habentur causâ, ſi aut nimius æſtus moleſtus ſit, aut hyems vehementer premat, *l. 6. in fin. ff. de ſerv. ruſt. præd.* Quô ſenſu Melibœus apud Virgilium, *Ecl. 1. v. 69.* prædicat

——— *tuguri congeſtum ceſpite culmen,*

Caſæ item piſcatoriæ, ejusque generis aliæ, quas in littore ponere licet, *l. 6. de rer. div. Tugurii in vinea*, & *tegilli in cucumerario*, meminit Eſai. *c. 1. v. 8.* &c. Οἴκημα vocari hujuſmodi cuſtodiam ruſticanam, in L. Solonis, [illegible] *Si quis ſepem ad alienum prædium fodiens ducat, limitem ne excedito: ſi murum, pedis unius, ſi tugurium, duorum pedum intervallum relinquito;* cenſet Sam. Petitus, *Comm. in LL. Attic. l. 5. tit. 1.* Vide quoque ſuprà Conyza.

TUIFORTUS Rogerius, vide *Rogerius.*

TUILLIUM Caſtrum, vulgò *Touillon*, ad flumen Arotium, infra Auguſtodunum: 2. leuc. à Tilio *Til*, caſtro pagi Aleſienſis, 5. à monte Barro diſtat. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

TUISCO, Germanorum pater, fil. Aſcenæ, nepos Gomeri, pronepos Japheti. *Tuiſtonem* vocat Tacitus, *de mor. Germ. c. 2. §. 3. Celebrant* (Germani) *carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ & Annalium genus eſt, Tuiſtonem Deum, terrâ editum & filium Mannum, originem gentis conditoresque*: Ab eo namque *Tuiſcones*, vocque *Teutſche*, quâ Germani hodieque veniunt, orta omnino vivendi præcepta carminibus, ne memoriâ exciderent, tradidiſſe, Aventinus memorat, *Annal. Bojor. l. 1.* Unde, antiquiſſimis jam temporibus, apud Germanos, Philoſophiam floruiſſe colligit Georg. Hornius, *Hiſt. Philoſ. l. 2. c. 12.* Schottelius *Tuiſconem* cum *Teutone* & *Teutate* Celtarum: ac *Teuth* Ægyptiorum Deo, eundem faciens, his nominibus non alium, quàm Cœli Terræque Conditorem, intellectum vult: cujus filius *Mannus*, id eſt, *Adamus* fuerit, quem etiam *filium Dei* vocari reperimus Lucæ *c. 3. v. ultimô*, & ab hoc Deo nempe ſupremo atque uno, gentem appellari geſtiſſe, contendit. Quem-

Quemadmodum in pluribus aliis ejus nominibus propriis, vocem *Dit*, *Dith*, *Dieth*, quæ non multum abit à *Teuth*, deprehendimus, *Ditmarus*, *Diethelmus*, *Diethhardus*, *Ditlindus*, *Ditboldus*, *Ditgrimus*, *Ditburgis* &c. Vide Cluverium *de Germ. antiq.* Beatum Rhenanum, *Rer. Germ. l. 3.* Becmannum *in Origin.* Besoldum *in Dict & Teut*, Gerh. Joh. Vossium, *de orig. & progr. Idolol. l. 1. c. 31.* Jo. Henric. Bœclerum, *Exercit. ad Flav. Josephum*, Alios.

TUITIUM, vide *Divitense munimentum.*

TUKSI, filius Schinguis Khani, Tartarici Imperii conditoris, de quo suprà; à Patre provincias Occidentales Imperii ad fluv. Volgam accepit, nimir. Tartariam desertam, Russiam, Cumaniam, Bulgariam, Gothiam, Alaniam, aliasque: ante illum defunctus. Ei successit filius an nepos, Bathu; cujus per Hungariam, Poloniam & Silesiam, quas regiones immaniter destruxerat, circa A. C. 1230. notissimum adhuc hodie nomen est. Georgius Hornius, *Orb. Imper. cum Animadvers.* Joachimi Felleri, *p. 434.*

TULCIS, modicus amnis Hispaniæ ad Tarraconem, milliari inde decurrens, Pompon. *l. 2. c. 6. Francolin.* H. Coquo.

TULDUM, vox Tacticis Græcis eimitii ævi familiaris, idem iis notat, quod Latinis *vasa*, *impedimenta*, Græcis veteribus *ἀποσκευή*. In *Lexico* Græco MS. apud Car. du Fresne *τοῦλδον ἐν σαγμάρια*, quod à Francis eos hausisse, *toudes* & *taudilis* vel *taudis* vulgò usurpantibus, pro incomposita quarumlibet rerum congerie, vel impedimentis nullò ordine in castris jacentibus, ait in *Gloss̃ar.* Vide quoque eum *Notis ad Nicephor. Bryennium*, *l. 4. n. 6.*

TULGAS, Rex Wisigothorum seu Westgothorum in Hispania XXVIII. excepit Chintillam, magnam de se spem dedit, sed biennium solum regnavit, defunctus A. C. 42. successore Cindalvindô, qui unà cum Recesvindo præfuit. Vide *ibi.*

TULINGI, populi German. Rauracis & Latobricis finitimi, inter Rhenum & Danubium, Cæsar. *l. 1. Bell. Gall. c. 25. 28. 29.* Marlianus Lotharingos esse putat. Cluverio sunt inter geminos Rhenorum confluentes, supra Curiam & lacum Brigantinum, ubi hodie pars Rhætorum. Vide Joh. Bapt. Plantinum, *Helvet. Antiq. & Nov.* Sansoni versùs fontes Danubii & Nicri, seu inter Brigantinum lacum & montem Abnobam, ubi hodie Comitat. Nellemburgensis, in Suevia Meridion. Vide quoque Cl. Ottonem JCtum *ad Rhenan. p. 519.*

TULIPA, Dalmatis ac Turcis *pileus* est seu amiculum capitis, quod gestare solent: Inde floris alienigenæ sed pulcherrimi nomen, quod apertus inversusque pilei illius referat speciem. De eo sic Franciscus Pomey, *in Descr. divers. Tulipa, in regno florum, coronam sibi jure vendicat: nec verò inter eos reperias unum, qui cum illa descendere in contentionem honoris sustineat, nedum decernere de principatu. Huic uni quippe concessit natura, ut, quidquid venustatis & gratiæ aliis tributum dispersumque est, ipsa in se colligat — Et verò, quid hujus floris mirabili varietate mirabilius? cujus colores modo obsoleti, modo splendentes; nunc tetrici, aliàs læti; nunc austeri, modò suaves; sic alii in alios fluunt, ita sensim alii in alios abeunt, ita inter se pulcrè permisti, copulatique cohærent sibi mutuò inobservabili commissurâ, ut fugiente oculorum aciem nexu, vel jaspidem pulcherrimis interpunctum notis exhibeat, vel achatem speciosissimum juxtà ac pretiosissimum repræsentet.* Ei Lien, flos Sinicus, similis, sed magnitudine superat, vide suprà ubi de illo. Addam de *Tulipis*, quod memorat Jan. Nicius Erythræus, *Pinacoth. l. 3. c. 17. in vita Johannis Barclaji*, earum studiosissimi: eas ante triginta abhinc annos (dum ista scriberet) in summis Alpibus sine cultu honoréque jacuisse; inde in urbem allatas, ob novitatem tantum illis ab hominum cupiditate pretium statim accessisse, ut bulbi earum quidam singuli centenis nummis aureis & ampliùs venierint. Pòst tamen cùm se multiplicâssent, ita earundem pretia concidisse, ut vix vilius illis haberetur. Vide eundem, *ibid. c. 24.*

TULIPHURDUM, German. urbs, *Ptolem. Dreckford P. Apiano* in Westfalia. Inter Osenburgum urb. & Vechtum oppid. 3. leucis in Boream, à Linga supra 5. in Ortum.

TULISURGIUM, urbs Germ. *Ptol. Brunswick Apiano.* Vide *Brunswicum.* Lege *Tubisurgium.*

TULIT annos, in vet. *Inscr.* apud Gruterum, *p. 947.* CUM. QUA. VIXIT. ANNIS XXXXII. TULIT. ANNOS. LII. h. e. vixit, vide quoque, *p. 821. 1.*

TULLA, vide *Tutela.*

TULLIA, Gens Patricia, ante reges exactos (ex ea enim Servius Tullius rex prodiit) & pòst, libertate partâ, Consularis fuit. Longi & Tollerini cognomine affecta. Fuit & alia gens *Tullia* plebeja, in duas familias Consulares distincta, quarum altera *Decularum*, altera *Ciceronum* appellata est.

TULLIA, filia Servii, sexti Rom. regis, Tarquinio Superbô nupsit, qui posteà ut potiretur regnô solus, socerum suum interfecit. Ferunt hanc mulierem eâdem regnandi libidine, quâ maritum, æstuâsse, adeò ut cùm intellexisset patrem interfectum, vehiculô se properè ferri jusserit, quò interfectori gratularetur. Quum autem inter eundum compertô cadavere, equi & auriga constitissent; erubescerentque mortuum conculcare; mulier nefaria currum super faciem mortui patris duci jussit. Ovid. *in Ibin*, *v. 363.*

Infamemque locum sceleris quæ nomine fecit,
Pressit & inductis membra paterna rotis.

Vide *Servius Tullius*, & *Tarquinius Superbus.*

TULLIA Lex, de legationibus liberis, lata est à Marco Tullio Cicerone. Cùm enim consuetudo obtinuisset, ut Senatores, quibus negotia futura erant, in provinciis, ut qui hæreditates persequi, vel legata, aut qui nomina exigere volebant in provinciis, quò favorabiliores controversias haberent, à Senatu, ornamenti causâ, legationem liberam peterent, quâ semel impetratâ, deinceps perpetuò, quotiescunque ejusmodi negotia inciderent, honoris & commodi sui causâ utebantur: Legem tulit Cicero, Consul cum M. Antonio, An. Urb. Cond. 690. *Ne*, sicut anteà, *infinitum, sed annuum earum tempus esset.* Vide Cicer. *l. 3. de LL.* item *Orat. Agraria.* Fuit & Lex Tullia de Ambitu. Vide quoque Rosin. *Antiquit. Roman. l. 8. c. 4. & 29.*

TULLIANUM, carcer Romæ, ubi nunc ædes D. Petri in carcere; à Tullo Rege sic dictus. Ad radices montis Capitolini. *Baudrando* propriè pars carceris fuit, à Servio Tullio Rege addita, de qua Sallustius; cùm altera pars *Robur* vocaretur, locus in quem malefici præcipitabantur, quòd arcis robusteis anteà includi moris erat. Vide Joh. Rosin. *Antiq. Rom. l. 9. c. 31.*

TULLIOLA, seu TULLIA, filia M. Tullii Ciceronis, scriptis ejus immortalitati consecrata. In ejus sepulchro, in via Appia, è regione conditorii Patris Ciceronis, Paulò III. Pontifice Romanô apertô, seculô præcedente reperta est Lucerna ardens, quæ mox, ab ingrediente novo aëre, est extincta. Fuisse autem id *Tulliolæ* monumentum, tum ex literis patet lapidi insculptis; *Tulliolæ filiæ meæ*: tum ex muliebri cadavere, adhuc integro servato, cum capillis ad ea usque tempora implicitis, irretitisque aureô retinaculô. Quæ omnia, ob nimiam vetustatem, exiccata & penitus arefacta, primô contactu in paucos pulveres dissoluta conciderunt; remanentibus quibusdam solùm filamentis aureis, utpote corruptioni contumacioribus. Fortun. Licetus, *Lucernis Antiqq. l. 1. c. 2.* ex Guidone Pancirollo *Rer. Memorab. Deperdit. l.* Hermolao Barbaro, *Epist. ad Alphen.* Scardeonio, *Antiqq. Patavin. l. 1.* Aliis. Quomodo autem cadaver *Tulliolæ*, sine aromatibus, tamdiu duraverit, docet idem Licetus pluribus, *l. 4. c. 4.*

TULLIUS, nomen Oratoris Latinorum omnium principis. Vide *Cicero.*

TULLIUS Crispinus, cum Juliano Flavio Geniali, suffragiis Prætorianorum, Præfectus Prætorio, sub Didio Juliano, factus, & ab Imperatore contra Severum missus frustra fuit, postmodùm ab hoc interemtus, apud Spartian. *Didio Juliano. c. 3. 6.*

TULLIUS Decola, vide *Marcus.*

TULLIUS Favianus, alæ Equitum præfectus, sub Petilio Ceriali, captus à Vitellianis. Tacit. *l. 3. Hist. c. 79*

TULLIUS Senecio, è præcipua familiaritate Neronis, adsumptus conjurationi in Neronem, capite Pisone. Tacit. *l. 15. Annal. c. 50.*

TULLIUS Tyro, libertus Ciceronis. Scripsit *historiam vitæ hujus*, &c. Asconius Pedianus *in Orat. pro Milone.* Macrob. *Saturn. l. 2. c. 1.* Hieron. *in Chron. Euseb.* Voss *de Hist. Lat. l. 1. c. 17.*

TULLIUS Valentinus, acerrimi belli Gallici tempore Vespasiani instinctor, in conventu Treverorum Remis acto. Tacit. *l. 4. Hist. c. 68.* à Petilio in prælio ad Rigodulum captus, *c. 71.*

TULLONIUM ad Arrosium, oppid. Burgundiæ Ducat. ad Arrosium fluv. 7. leucis ab Augustoduno in Meridiem, 17. a Molino in Ortum. *Toulon sur Arroux* vulgò.

TULLUM, urbs Galliæ Belgicæ in Lotharingia ad Mosellam fluv. *Antonin. in veterib. Notit.* inter provinc. Belgicæ primæ civitatis tertia ponitur, vulgò *Toul. Baudrando* aliàs Leucorum caput, unde & *Leucia* dicta, & *civitas Leucorum*, nunc sub Gallis, licèt in Lotharingia inserta, 9. leuc. à Baro Ducio in Ortum. Ibi vetustissima Ecclesia S. Apri Fredegario memorata, *l. 5. Chron. 54.* Apri Episcopi ad quem Paullini extat epistola, titulô tumulôque illustris. Est & nobilis ibi Basilica S. Mansueti sepulchrô ac nomine insignis, primi, ut ajunt, Tullensium Episcopi: A quibus duobus Monasteriis extramuranis, quæ suos ab origine Abbates habuerunt, nomen hodieque duo *Tulli* suburbia urbe non multò minora, habent, *le Faubourg de S. Eure* & *de S. Mansuit.* Ibi quoque Ecclesia collegiata S. Gengulphi *S. Gengoul.* Fuit etiam in Burgo S. Mansueti monaster. Abbatiale S. Leonis, quod A. C. 1400. dirutum & in urbem translatum est. Urbis Antistes *Episcopum se & Comitem Tulli vocat.* Monetam, regnantibus Merovei in Gallia posteris, hic fuisse, docet nummus à Bororotio laudatus, in quo legitur TULLO CIVITA. Ab ea regiunc. adjacens, *le Toulois* dicitur: quem Comitatum Nithardus, *l. 1.* Burgundiæ tribuit, cùm anteà Austrasiæ finibus contineretur. Salsæus Episcop. Tullensis in Leucis seu Episcopatu Tullensi duo Parœciarum millia, è quibus 800. cum nonnullis Canonicorum Collegiis Beat. Remigii Remensis Episcopi patrociniô glorientur, scribit *in libr. de gloria S. Remigii.* Idem adjicit, in Belgica 1. seu provinc. Trevirensi tres Ecclesias sorores esse, Mettensem *locupletem*, Verodunensem *nobilem* & Tullensem *sanctam*, quòd 22. Sacerdotes sanctitate insignes, interque hos duos Pontifices habuerit. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & suprà in voce *Leuci.* Condita à Tullo Hostilio. Vide *Moreriuim.* Item mons Illyrici mari Hadriatico obversus, *Telez* Lazio. Item pagus Rhætiæ ad Oenum fluv. in Comitatu Tirolensi, ab Oenoponte 2. leuc. in Occasum.

TULLUS Cœlius, à Fidenatibus, in legatione, cum sociis interfectus est: quorum statuæ inter antiquissimas Romæ recensentur Plinio, *l. 34. c. 6.*

TULLUS Hostilius III. Rom. Rex, An. 83. Urb. Cond. ne ipsô quidem Romulô belli gloriâ inferior, qui populum Romanum otio pacisque artibus sub Numa assuetum ad belli studia revocavit. Templum itaque Jani reclusit, fasces instituit, Albanos post Horatiorum & Curiatiorum trimachiam, cæsô Dictatore Metiô Suffetiô, evertit, Albâque excisa, opes cum incolis Romam transtulit. Dein de Fidenatibus, Vejentibus, Sabinis, Latinis, &c. triumphavit. An. 114. Urb. Cond. fulmine ictus. Florus, *l. 1. c. 3.* Dionysius, Halicarn. Virg. *l. 6. Æn. v. 812.*

— — *Cui deinde subibit*
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina. — —

Ingenium hoc Tulli allucet ex verbis istis Livii, *l. 1. c. 22. Hic non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit: tum ætas viresque, tum avita quoque gloria animum stimulabat. Senescere igitur civitatem otio ratus, undique materiem excitandi belli quærebat.* Eutrop. *l. 1. Hic bella reparavit, Albanos vicit.* Plutarch. *de Fort. Rom. Servius Tullius omnium regum maxime, & potentiam auxit populi, & Rempubl. ornavit, ordinemque censûs & militiæ instituit, primusque censor & inspector vitæ ac modestiæ civium fuit, creditusque est vir fuisse fortissimus ac prudentissimus. Lloyd.* Habuit regiam suam in monte Cœlio, posteà *Curiam Hostiliam* dictam, Liv. *l. 1. c. 39.* De eodem Macrob. *l. 1. Saturnal. c. 6. Tullus Hostilius Hosti filius, tertius Romanorum Rex debellatis Hetruscis, sellam Curulem, Lictoresque & pictam* (seu Triumphalem Togam) *quæ insignia Magistratuum Hetruscorum erant, primus, ut Romæ haberentur, instituit.* Quod Tarquinio Prisco attribuit Florus, *Histor. l. 1. c. 5.* Idem Albâ Longâ dirutâ, Albanisque in Urbem receptis, montem Cœlium pomerio addidit eumque Albanis colendum assignavit; Principibus eorum, Tullis, Servliis, Quintiis, Geganiis, Curiatiis, Clœliis, in Patres ascitis: Templumque, ordine ab se auctô, Curiam fecit. Post Equitum decem turmas ex Albanis legit, Blancardus *ad Florum*, ex Livio *l. 1. c. 29.* Cœlium tamen montem, ab Anco Martio, ejus successore, Strabo: à L. Tarquinio Prisco, Tacitus, *l. 4. Annal. c. 65.* pomerio inclusum volunt. Fuit autem Hostus, qui è nobili matrona *Tullum* suscepit, filius unicus Hostilii, viri genere nobilis & opibus pollentis, qui Medulliâ oppidô ab Albanis olim conditô, sed à Romulo in deditionem acceptô, oriundus, inde Romam migraverat, ibique Sabini generis uxore ductâ, Hersiliæ filiâ, post multa sub Romulo facta stipendia & edita egregia facinora, occisus bellô Sabinô, sepultus fuerat à Regibus, in præcipuo Fori loco; additâ columnâ cum inscriptione. *Hal. [illegible].* Non verò *Tullus Hostilius* fuit, qui censum Rom. civium instituit, sed Servius Tullius, de quo *suo loco*.

TULLUS Servius, vide *Servius*.

TULONIUM, vel TULLONIUM, *Anton. Ptol.* oppidum Vandalorum in Hispania hodie est *Tudelle*, castrum Alavæ provinc. ad radices montis S. Adriani, prope Victoriam urbem.

TULUGIÆ, castrum Comitatus Ruscinonensis, vulgò *Tulujas*. Hic Concil. Tulugiense habitum, circa A. C. 1050. Vix 1. leucâ à Papyriano.

TUMBA, ex Græco τύμβος, sepulchrum est & locus concavus, Becmannus, *Origin. L. L.* in voce *Tumer*: tumulus sine nomine seu cippo, Salmas. *ad Solin. p. 1220.* Vide suprà *Monumentum*. Citimæ ætatis Auctoribus sepulchrum propriè lapideum, uti ex *Chronico* S. Benigni Divion. docet Car. du Fresne *Glossar.* qui & Gallicum *tomber*, pro jacere vel cadere, inde arcessit. Vide hic passim. At *Tumbrellum*, apud Scriptores Anglicos, Gall. *Tumbereau*, instrumentum nonnullis sellæ dicitur, ad castigandas mulieres rixosas adinventum, quô in aquam dejiciebantur, immergebantur, ac inde madidæ ac bene potæ rursus extrahebantur. Cowello plaustrum fuit, in quo fornicatores aut adulteri, contumeliæ causâ, per civitatem aut burgum circumferebantur: *Castigatorium*, in *LL.* Burgorum Scotic. *c. 21.* Quam vocem hodieque Galli usurpant de biroto quodam plaustro, quod resupinum sternitur, cùm exoneratur. Origo ab eodem Gall. *tomber*. Sed & machina quædam bellica sic appellatur Philippo *Mouskes* in *Ludovico* VIII. apud eundem. Vide quoque de curru hujus nominis Salmas. *ad Pium Capitolini, c. 21.* ubi *Sirpeam* Latinè reddit.

TUMULTUS, Belli filius, apud Aristophanem *Pace*, de quo vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad Stat. Thebaid. l. 4. v. 369.* Hinc *Tumultuarii*, Græcis recentioribus Μαλάζαροι, vide Balsamonem, *Præfat. ad Concil. Gangr. Can.* quô nomine Constantinopoli olim vocabantur, qui *Bagaudæ* in Gallia; *Cosaki* in Polonia; in Pyrenæis montibus *Banditi*; in montanis *Mariolossi*, Cl. Sarcerus *Tors. Eccl.* voce Μαλάζαροι. Vide & Meursium, *Glossar.* ac Rittershusium, *in Salvianum, p. 165.*

TUMULUS, à *tumore & mole* terræ, *Fungér.* pro Sepulchro, frequens. Antiquitus enim locum sepulturæ quisque sibi, antequam moreretur, eligebat, quem nigrô signabat lapide. Cum dein homo defunctus esset, super cadaver terra aggerebatur, *Tumulusque* fiebat: Unde apud Euripidem, Μητέρ᾽ ἐξώγκωσ᾽ τάφῳ, quod bene reddas, *Matrem tumulavêre sepulchrô*, i. e. *tumulô excitatô sepelièrunt.* Sic tamen, ut Nobiliorum *Tumuli* paulo editiores essent, atque è lapidibus affabrè struerentur. Ita enim Theseus ad Herculem, corpus ejus ab Atheniensibus λαΐνοις ἐξογκώμασι, *lapideis tumulis*, honoratum iri, ait apud eund. Tragicum: qui *Alcest. v. 836.* Τύμβου χῶμα, & *Helen. v. 992.* τύμβου χῶμα quoque meminit. Ita autem in his *Tumulis* collocabantur cadavera, ut facies Orienti esset obversa, teste Diog. Laërtiô *in Democrito*: Plutarchus verò & Ælianus, ad Occasum spectâsse scribunt. In lapide insigniori, scribi solebant nomen ac genus vitæ, quô defunctus usus erat; idque utplurimum metrô: Unde Plato 4. versus Heroicos, non plures, subscribi voluit. Dicebantur hi Γνωρίσματα, eò quod viatori notum facerent, quis sub *Tumulo* conditus esset; Romani *Monumenta* seu *Memorias* vocavêre, sicut lapidem ipsum, *Cippum*. Meminit istiusmodi Carminis seu Epitaphii Ovid. *l. 3. Fastor. v. 547.* ubi de Didone:

> *Compositumque cinis.* Tumulique *in marmore carmen*
> *Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat:*

PRÆBUIT ÆNEAS ET CAUSAM MORTIS ET ENSEM:
IPSA SUA DIDO CONCIDIT USA MANU.

In quæ verba Neap. *Ratio*, inquit, *cur pressa epitaphia cippis inscriberent, non alia quàm, ut ea citò viatores perlegerent, nec illis prolixum carmen tædio esset: Ideo etiam grandi notâ incidi solita.* Quò verò hæc γνωρίσματα haberi possent, solebant itinerantes, vel militiam sectantes, ut de Lacedæmoniis Justinus, *l. 3. c. 5.* memorat, schedam brachio adalligatam secum circumferre, in qua nomen, ætas, familia, aliaque huc facientia, erant annotata: ut, si peregrè vel in bello obire contigisset, ex hisce notis agnoscerentur, *Tumulo* inferendi, qui eorum generi ac conditioni conveniret. Et quidem nomen inscribebatur, ut sciretur, ubi situs esset defunctus vel cineres ejus, ibique quotannis parentatio, ad manes illius placandos, peragerentur. Lucan. *l. 8. v. 771.*

> *Interea parvo signemus litora saxô,*
> *Ut nota sit busto. Si qui placare peremtum*
> *Forte volet* ———

Quô fine & bustum ipsum stipite nonnunquam signabant, &, ne moveretur stipes, concremati nomen ei inscribebant, uti vidimus suprà, ubi de *Cæna ferali*. Quoniam verò & propagandæ ad posteros demortuorum famæ magnoperè studerent, hinc res quoque ab iis gestæ, honores cæteraque hoc genus alia addebantur. Lucanus *eod. libro, v. 806.*

> *Quòd si tam sacrô dignaris nomine saxum,*
> *Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum;*
> *Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella &c.*

v. 816.

> *Quis capit hæc tumulus? Surgit miserabile bustum*
> *Non ullis plenum titulis, non ordine tantô,*
> *Fastorum; solitumque legi super alta deorum*
> *Culmina, & exstructos spoliis hostilibus arcus,*
> *Haud procul est ima Pompeji nomen arena*
> *Depressum tumuli.* ——

Sed & arbores virentes *Tumulis* solebant inseri, uti discimus ex Martiali, *l. 1. Epigr. 89. v. 3.*

> *Accipe non Pariô nutantia pondera saxô,*
> *Quæ cineri vanus dat ruitura labor.*
> *Sed fragiles buxos & opacas palmitis umbras &c.*

Ubi Ramiresius, *Sepulchra*, ait, *designabantur in agris & in fronte ponebatur scriptio, quæ contineret latitudinem & longitudinem soli Sepulchro destinati, quod spatium soli sacrum erat. Et in hoc spatio erigebantur* Tumuli, *Obelisci, Pyramides &c. Alii arbores ponebant, quæ crescentes locum monumenti occuparent. Tum quia felicibus Manibus perpetuas & virentes arbores convenire existimabant, tum alias ob causas; ideo buxos, cupressos, laurus, utpote nunquam folia amittentes, eligebant: quod idem observatum in floribus, quos juxta sepulchra serebant.* Frugibus quoque conditos, vidimus suprà, in voce *Fruges*. Postquam verò aggesta esset in *Tumulum* Terra, sacrum peragebatur, & vota fiebant, in hæc verba: *Sit tibi terra levis*: Quemadmodum legimus, apud Eurip. *Alcest.*

> ——— Κούφα σοι
> Χθὼν ἐπάνω πέσοι, γύναι &c.

Vide Eundem, *Helenâ*, v. 857. & suprà, ubi de Ritibus emortualibus, *passim*. Addam saltem, cùm accederet honos ex ingenti sepulchro, *tumulos*, i. e. χώματα, seu *aggeres* sepulchrales nonnunquam elatos admodùm magnosque factos. Unde de Aradione, à Probo Imperatore victo, *c. 9. sepulchro ingenti honoravit, quod adhuc extat, tumulô usque ad ducentos pedes terræ elato*: & de Probo ipso, *c. 21. Ingens ei sepulchrum elatis aggeribus fecerunt*, legimus apud Vopiscum *in eo*. Cujusmodi sepulchris *humilia* opponuntur, apud Trebellium *in Victorino Juniore, c. 7. Extant denique sepulchra circa Agrippinam, brevi marmore septa, humilia.* De structuris suprà *tumulos* ponticuli in morem fieri solitis, vide suprà *Ponticulus*; uti de porticationibus eorum voce *Porticatio*.

TUNCHANUM, urbs Xantoniæ tertia. Sub qua XVII. urbes minores in limite Pechuensis provinciæ, juxta fluvium *Jun*, in Sinis. Vulgò *Tunchang*.

TUNCHINUM, Gall. *Tonquin*, regnum Asiæ, in parte Boreali, Annamitiæ regionis ubi olim Daonæ populi. Terminatur ab Oriente & Septentrione Sinarum Imperiô; à Meridie partim Cocinsinâ, partim Sinu Magnô; ab Occasu Lajis populis & vastâ solitudine In VII. provinc. divisum, Aliis *des Rhodes*. Caput est Tunquinum, *Kecio*, seu *Thoukin*. Huic Regi subsunt etiam pars Occidentalis Quansiæ, ubi Taipinga, Chingamum, Tiencheum, Segenum & Suchinga Urbes; & pars Occidentalis & Meridialis Junnanæ, ubi Quangnanum & Quansia Urbes in Sinis, *M. Martin.* Descriptionem Regni hujus haud pridem edidit, vernaculô sermone, Joh. Bapt. Tavernier Gallus, nuper Germanicè versam.

TUNDERA, urbs Ducat. Sleswicensis, 1. leuca Danic. ab ora Oceani Germanici, 4. à Ripa in Meridiem totidem ab Apenroa in Occidentem, *Tondern* vulgò.

TUNDIS, Græcè Τύνδις, oppid. & emporium Indiæ maritimum, 500. stadiis à Muziri dissitum, apud Auctorem *Periplі*, inter quæ Templum Augusti, in Limyrice regione ponit Peutingeri *Tabula*. Vide Salmas. *ad Solin. p. 1185. & 1186.* nec non infrà, voce *Tyndis*.

TUNES, it. TUNIS *Strab. Tunicense* oppid. Plin. *l. 5. c. 4.* (*Tunissa* forsan *Ptolem.*) vulgò *Tunisi*, urbs Africæ, Episcopalis olim, a Carthagine 12. mill. pass. teste Liviô, *l. 30. c. 9.* hac tempestate clara & regia, amplissima Satrapæ sedes. Non longè abhinc Romani fracti & cæsi à Carthaginensibus, Xantippô Lacedæmoniô auxiliante, quô tempore M. Regulus captus est. Postmodùm sub Saracenis; obsessa fuit à Ludovico IX. Galliæ Rege, qui regem Tunetanum X. M. cæsis vicerat, sed peste sævâ magnâ exercitus parte, ipsô quoque Ludovicô absumptô, Carolus frater durissimis conditionibus obsidionem solvit, A. C. 1270. Paul. Æmil. *l. 7.* capta posteà ab Ariadeno Ænobarbo Cirthæ Rege, sed recuperata: à Carolo V. iterò A. C. 1535. Muleasse rege exturbatô, posteà reddita Regi legitimo: cujus stirpe extinctâ, Philippus II. sub cujus fide postremi Reges fuerant, regnô cum arce Goleta, A. C. 1574. ab Amurathe exutus est, culpâ per jocum, *in podagram Suessani Ducis, Austrii Sphæristerium, & Cardinal. Granvellani subligar*, rejectâ. Thuan. *Hist. l. 5.* Hodie Reipubl.

for-

formam habet, receptaculum piratarum, sub protectione Turcarum Imperatoris. Hic equi velocissimi, *Barbari* nobis; qui & in Massylia & Numidia passim. *Baudrando Tunes*, seu *Tunetum*, vulgò *Tunisi* Italis, *Tunis* Gallis, urbs est ampla Africæ, cum arce & portu amplo, regni Tunetani caput, in ora maris Mediterranei, sed piraticâ infamis. Capta fuerat à Carolo V. ut dictum, & postea proprio Regi reddita; sed deficiente stirpe masculâ, nunc quandam Reip. formam servat sub clientela Turcarum, 4. leucis distat à Goletta arce firmissima in Meridiem, & 40. ab Hermæo promontorio. Populi *Tunetei*. Sidonio *Tunisei*, in *Paneg. Anthem.*

Torrida Tuniseos infert mihi Byrsa furores.

In Africa, Academiam Fesensem & *Tunetanam* inprimis, celebrat Clenardus; & Fessæ quidem, post Grammaticam, in Alcorano & Scholasticis Doctoribus, totos esse: *Tuneti* verò, cœteras omnes disciplinas florere, tradit. Collegia ibi, in quibus Studiosi Artibus, Medicinæ, Legibus operam dant, non pauca: Scribitque Jovius *Histor. l.* 43. & 44. Muleassem Regem, Averroicæ Philosophiæ apprimè peritum, cum Philosophis Italis, de Natura Universi, Cœli motu. Siderum potestate, sæpius disputâsse. Vide Georg. Hornium, *Histor. Philos. l.* 5. *c. ult.* & infrà in voce *Tunetanum Regnum*.

TUNETANUM Regnum, *Royaume de Tunis*, pars est Barbariæ, in Africa & in Ora maris Mediterranei, ubi aliàs Africa propria & Bizancena regio. Terminatur à Septentrione mari Africô, uti etiam ab Ortu & Syrti minori, ab Occasu Bagradâ fluviô & regnô Algerii, à Meridie autem Biledulgeridiâ tractu. Ejus primaria urbs est Tunetum; olimque proprios habuit Reges; sed ex quo stirps defecit, regnum servat quandam Reip. formam, anteà sub clientela Turcarum, nunc autem sui ferè juris. Ab eo pendebant aliàs Melita, Lopadusa, & Pantalaria insul. cum aliis in illius ora & versùs Syrtim minorem. Tribuitur in 4. provincias, Constantinam, *Tunetanam* propriè sic dictam, Tripolitanam & Zebentem region. de quarum Urbibus infrà; migrationibus gentium & imperii vicissitudinibus nulli secundum. Gothis namque & Vandalis Romanos, atque illos vicissim Arabibus exigentibus, captæ & dirutæ urbes; aliæ ædificatæ, nominaque earum propter aut linguarum diversitatem aut conditorum ambitionem, adeò mutata sunt, ut antiqua indagare difficile & tantùm non supervacaneum sit. Totus autem iste tractus initiò sub Pœnis, dein sub Romanis fuit; post Vandali, iisque ejectis Muhammedani Arabes successêre: ac circa A. C. 1370. Abdalecitus, pietatis & sanctimoniæ specie magnam inter Arabes auctoritatem adeptus, sub Caimo Adamo Calipha Carvennæ rebellavit; qui quamvis ab Arabibus, auspiciis Caimi subitò oppressus, & occisus esset, duos reliquit filios, quorum unus Bugiæ, alter *Tuneti* regnavit: & uterque, quò se alternis opibus tueri possent, Josepho Texifio ac ejus successoribus Almoharavidis tributum exsolverunt. Postquàm verò ab Almoadis Almoharavidæ Africæ imperiô dejecti sunt, Jacobus Almansor *Tunetanum* Regnum occupavit, exque eo Abdeliciti hæredes exturbavit; donec ingenti illâ pugnâ ad Naves Tolosanas commissâ, Almoadarumque viribus profligatis, rursus Arabes illud invasêre, eòque Præfectum Marochensis Regis redegêre, ut longè illi petitô auxiliô esset opus. Eo igitur missus Abdul Hedius Hispalensis, prudentiâ & animi moderatione tantum effecit, ut, pace ab Arabibus modicô tributô redemptâ, quod posteà semper *Tunetanis* Regibus pensitatum est, labente Almoadarum Imperiô, res suas eo in regno firmaverit. Ejus filius Zacharias, bellô feliciter contra Merinenses gestô, omne robur contra Tripolitanos & Numidas vertit; ac ferè semper victor magnas opes decedens Abul-Ferezi filio reliquit: qui ex dissensionibus, inter Fessanos, Tremezenos, ac Marochenses Reges, ortis, occasionem captans, post dejectos Zegenenseis, qui diu Tremezenô Regnô fuerant potiti, & pacem cum Fessano factam, *Rex Africæ* appellari meruit; relictô post mortem Humeme, Patris fortunâ ac tantis opibus dignô filiô. Quô mortuô, rursus Merinenses Africæ Imperium adepti sunt, porrectis ad Philænorum usque aras finibus: Humenis nepotibus, qui se in vicinos montes ac deserta receperant, intereà occasionem operientibus, in avitum redeundi Regnum. Inter quos Mule-Bulabes cùm magno prælio ab Abu-Henuno Fessæ Rege victus & captus esset, posteà Abu-Celeni, hujus filii ac successoris, beneficiô liberatus, *Tunetem* recepit & Tripolim ac reliquas Regni provincias rursus sub potestatem redegit. Ab eo, in eadem gente, mutuis interdum cædibus interruptô ordine, per triginta quinque Regum, intra 450. annos, successionem, Regnum, ad Muhammedem, Mule-Assis patrem, tandem pervenit: qui Mule-Asses, cùm nefario scelere ac tot fratrum horrendâ cæde cruentus, in paternum solium se intrusisset, ab Hariadeno Ahenobarbo, divinæ, ut apparuit, vindictæ ministro, Regnô spoliatus est: Verùm mox à Cæsare restitutus, ab Hamida filio, nondum unâ regni spoliatione vindicatô satis dignè scelere, rursus est Regnô expulsus; postremòque oculis orbatus. Unde Augustam Vindelicorum ad Cæsarem profectus, tantum impetravit, ut denuò reduceretur, mortuus A. C. 1550. ætat. 66. Quæ posteà ibi gesta, ut & plura hoc de Regno, vide apud Jac. Aug. Thuanum, *Historiar. l.* 7. *p.* 147. & *seqq.* Hornio verò Regni primus conditor Ibrahim fuit fil. Zachariæ, post quem satis longô intervallô regnavit Abul-Ferezus, Thuano memoratus. Bustares dein, qui regnavit circa A. C. 1430. Regnum in tres filios suos divisit, & Regnum Biledulgeridiæ Hammari, Bugiæ Abdul-Azizo, *Tuneti* Huthmeno, destinavit. Quorum medium duravit, ad annum usque 1510. quò id Petrus Navarrus, jussu Ferdinandi Castellæ Regis destruxit. Huthmen duos reliquit filios, quorum major natu Esajas in *Tunetano Regno* successit: alter Tripolim accepit regiô titulô, quod regnum itidem à Petro Navarro eversum est &c. Vide eum, *Orbe Imp. cum Animadv.* Felleri, *p.* 472. & suprà vocibus *Mule-Asses*, *Mule-Bucenes* &c.

Urbes Regni Tunetani.

Abditana, in provinc. *Tunetana*.	*Lotophagitis* Insul.
Aunzammaha, Ibid.	*Martia*, in provin. *Tunetana*.
Aphrodisium, Ibid.	*Meninx*, eadem cum Insul. Lotophagitide.
Bisceta, in provinc. Constantina.	*Milia*, in provin. Constantina.
Cammarica, in provinc. *Tunetana*.	*Monasterium*, in provinc. *Tunetana*.
Carthaginis rudera, Ibid.	*Nebeiis*, Ibid.
Carvenna, alias *Curubis*, Ibid.	*Rusicada*, in provinc. Constantina.
Casabatha, Ibid.	*Ruspina*, in provinc. *Tunetana*.
Circema, in provinc. Tripolitana.	*Siagul*, Ibid.
Clupea, in provinc. *Tunetana*.	*Tacaccina*, in provinc. Constantina.
Colobesum, in provinc. Constantina.	*Tebeca*, Ibid.
Constantina, in provinc. cognomine.	*Tisesa*, Ibid.
Curubis, eadem cum Carvenna.	*Tobulba*, in provinc. *Tunetana*.
Hamametha in provinc. *Tunetana*.	*Tripolis*, in provinc. Tripolitana.
Heraclia, Ibid.	*Tunes*, provinciæ cognomen & Regni caput.
Hippo, cujus olim Episcopus Aurel. Augustinus, in provinc. Constantina.	*Utica*, morte Catonis nobilis, Ibid.
Leptis, in provinc. Tripolitana.	*Zebensis*, pars Numidiæ, ad interiorem pertinet Libyam.
Lorbusia, in provinc. *Tunetana*.	

Zoroata, in provinc. Tripolitana, &c.

TUNETUM, urbs Africæ, vide *Tunes*.

TUNGCHUENUM, vulgò TUNGCHUEN, urbs Imperii Sinarum, in Suchuensi provincia, sub qua sunt septem urbes; sedetque juxta fluv. *Thou*, in planitie, ad radices montium, teste *Martinio*.

TUNGGINUM, vulgò TUNGGIN, urbs Imperii Sinarum, in Queichea provincia, cujus sextum locum obtinet, in confinio Huquaniæ, ad radices montium, teste *Martinio*.

TUNGINUS, in *L. Sal. tit.* 46. §. 1. *Tunginus aut Centenarius mallum indicent*, est *tungi*, i.e. villæ Præfectus, seu Judex, *qui post Comitem est*, in veter. *Glossar.* Alter *Tungravio*, in *LL.* Ethelredi Regis Angl. &c. Vide Car. du Fresne *Glossar.*

TUNGRI, populi Belgii, in Eburonum, quorum pars maxima inter Mosam & Rhenum erat, ob Sabinum & Cottam Legatos, cum una legione & 5. cohortibus interfectos, ac Q. Ciceronis castra oppugnata, à Cæsare excitorum, loca successêre. Complectuntur autem antiquam diœcesim *Tungrorum*, vel Trajectensium, quæ Diœcesim Leodicensem, qualis nunc est, atque etiam non minimam partem Ducatuum Brabantiæ, Limburgensis & Diœcesim Comitatumve Namurcensem continebat. Inter legiones Palatinas 12. *Tungrecani Seniores*: inter auxilia Palatina 65. *Sagittarii Tungri* memorantur Amm. Marcell. *l.* 26. & 27. Horum urbs Episcopalis & ampla olim in Brabantia, à Leodio & Trajecto 3. leuc. in Ortum, nunc parva est, juxta amnem Jecoram *Jecker*, qui apud Trajectum Mosam auget, in ditione Leodiensi. Media inter Trajectum ad Mosam, in Ortum, & Fanum S. Trudonis in Occasum, in limite Brabantiæ, 3. leuc. utrinque. Olim & *Aduatuca Tungrorum*. *Baudrand.* Posteà more complurium Galliæ urbium, Gentis nomine assumptô *Tungri* dici cœpit, hodieque *Tongeren*. Hîc aquæ Spadanæ, jam Plinii tempore nobiles, *l.* 31. *c.* 2. Urbe, mortuô Aravatiô Episcopô ab Attila funditùs, post incensas Metas, eversâ, sedes Episcopalis Trajectum ad Mosam translata est, ita ut sæpius Trajectenses quàm veteri nomine *Tungrenses* Episcopi appellarentur. Verùm reparata postmodùm urbs, hodieque incolarum multitudine, industriâ, Basilicarum ac Monasteriorum splendore insignis est: Tenetur à Gallis bellô ultimô. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TUNGRORUM fons, *Iserborn Andr. Baccio*, locus apud Tungros; sed teste *Gilberto Limburgiô Savenier* apud pagum *Spa*, cujus aquæ salubres adversus cujuscunque generis morbos ferè esse perhibentur. Vide Plin. *l.* 31. *c.* 2. *Baudrando* hodie est *Spa*, vicus Leodicensis ditionis incolis *Spaw*. In limite Ducatus Lucemburgensis, 5. leuc. à Leodio in Eurum, 3. à Limburgo in Meridiem.

TUNICA, undecunque dicta sit, (malumus enim id ignorare, quàm cum Grammaticis ineptire) Græcis χιτὼν dicitur, vestimentum videlicet interius, cui toga aut pallium aut alia superior vestis injiceretur: idque tam virile, quàm muliebre. Propriè tamen *Tunica* virorum fuit, sicut stola fœminarum. Sic Cato Uticensis apud Plutarch. dicitur ad Rostra sæpè venisse ἀχίτων, id est, sine tunica: & Tigranes, apud Dionem, accessisse ad Pompejum legitur, τὸν χιτῶνα ἐκδυσάμενος, tunicâ exutâ. Illius usus apud antiquissimos Romanos nullus erat, utpote solâ togâ amictos: Posteà substrictas & breves tunicas, citra humerum desinentes habuerunt, statim ab excessu Romuli. Hinc Plin. *l.* 34. *c.* 5. *extr. Primas*, inquit, *statuas putarem has, & Attii Navii positas, ætate Tarquinii Prisci, nisi Regum antecedentium essent in Capitolio: Ex his Romuli est sine tunica, sicut Camilli in Rostris.* Sequentibus temporibus, ut notat Manutius, duæ pluresve tunicæ in usu veterum: Varro apud Nonium, *Postquàm duas tunicas habere cœperunt Romani, instituerunt vocare subuculam & intusium.* Idque præsertim apud ditiores. Qui mos cùm apud Judæos quoque vigeret, Christus severius vitæ institutum formans, vetuit discipulos duas gestare tunicas, Matth. *c.* 10. *v.* 10. Has deposuêre in petitione honorum Romani, Plutarch. *in Coriolano*: Sive quò magis eâ specie humiliores essent, ad supplicandum: Sive, ut, qui cicatrices haberent subjicerent oculis fortitudinis signa: Cynici quoque ἀχίτωνες fuêre, hinc pallium duplicare soliti. Non nisi serò autem lini usus in tunica interiore, quô tempore lineæ tunicæ promiscuè usurpatæ sunt, cùm prius ex lana essent: nec minima pars luxus additâ iis purpurâ, atque aurô. Aureas enim fascias limbosque ac segmenta, quas *paragaudas* dixêre, lineis intextis adjecta esse, docet Casaubonus: sive ea vox Parthorum, sive Syrorum fuit, vide quoque Vopisc. *in Aureliano*, *c.* 46. & Salmas. *ad Hist. August. Scriptores*. Conviviorum ministri in tunica, & fermè linea, officiô fungebantur, ut expeditiores essent: quibus auratis para-

paragaudis uti concessum, cùm aliàs id privatis interdictum esset, Lamprid. *in Alexandro*, c. 41. Hinc etiam Christus Dominus, pedes Apostolorum ante coenam lavans lotturus, posuit pallium, Joh. c. 13. v. 4. quia, ut Nonnus interpretatur, servile opus facturus erat. Servorum enim erat, sine pallio, aut aliâ veste exteriore, tunicatos & cinctos, vel etiam linteô succinctos ministrare, vide Sueton. *de Caligula*. Et quidem Imperatorii servi albati erant, privatorum verò in tunicis pullis ministrabant: nisi ubique albas tunicas, ob conviviorum lætitiam, regiorum verò ministrorum albatas, i. e. cretâ candefactas, & aurô distinctas fuisse dicas. In sacris olim Ægyptiis præcipuus quoque lineæ vestis usus erat: Hinc *Linigera turba*, & *Liniger grex*, apud Poëtas: & *lineus amictus Isiacorum* apud Sueton. *Domit*. c. 1. Hodieque in Latinorum sacris, eidem vesti suus honos est. Præter amictum enim lineum superiorem, quô in sacra Psalmodia sacerdotes atque ipsis sacris ministri utuntur, prima vestium sacrificalium linea tunica talaris inducitur, quam vulgò *Camisiam* appellant: Fuit illa stricta & corpori adhærens, docente Hieronymô *ad Fabiolam*. Mensurâ superioris tunicæ, quæ *exterior* & *superaria* quoque dicebatur, erat ut paulo infra genua caderet, Quintil. *l*. 11. *c*. 3. Proin, qui in longis ac demissis tunicis incedere solebant, quòd id fœminarum proprium esset, ii tanquam molles, malè audiebant, Horat. *l*. 1. *Sat*. 2. *v*. 25.

Malthinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscœnum subductis usque facetus.

Cingebant autem Romani omnes tunicam, præter laticlavios, & prout libebat, contrahebant aut demittebant. Hinc apud Petronium, *Statores altius cincti*. Imo magno probro fuit, discinctum incessisse, Dio, *l*. 63. Sic autem cùm tunica cincta esset, in sinum pecuniam reconditam docet Plutarch. *in Coriolano*. Porro, sicut longæ tunicæ ac talares, ita & manuleatæ infames olim in viris fuêre, Gellius, *l*. 7. *c*. 12. Colobiis proin, sic tunicæ sine manicis dictæ, uti mos. Non quòd totis brachiis renudatis incederent, sed quòd manicæ ad cubitum tantùm pertinerent, & non cum brachiis magnam quoque manus partem cooperirent. Usque hoc Colobium sive communis tunica, etiam penès Christianos fuit, & quidem in sacris, ut & reliquæ vestes communes, gestata usque ad Sylvestri Pontificis tempora, cujus institutô in locum Colobiorum Dalmaticæ successerunt, i. e. tunicæ manuleatæ. Plura in hanc rem, & de *Tunica palmata* triumphantium, *russa* militum, *Galbina*, *Laticlavia*, *Asema*, *Christi inconsutili*, *Muliebri*, seu *Stola*, *de tunica ornamentis*, aliisque vide Octav. Ferrar. *de re Vestiaria*, *l*. 3. *toti*. De *Tunicis* verò *Angusticlaviis*. *Canusinis*, *Cirratis*, *Comicis*, *Fimbriatis*, *Gausapinis*, *Manicatis*, *Manuleatis*, *Margaritidibus*, *Militaribus*, *Monachicis*, *Multiciis*, *Palliolatis*, *Punicis*, *Purpureis*, *quibus clavi candidi intertexti*, *Quadrangulis*, *Rectis*, *Scorteis*, *Singularibus*, *Strictis*, *Synthesinis*, *Tragicis*, *Virilibus*, aliis, apud Casaubon. *ad Sueton*. Salmas. *ad Tertullian*. *de Pallio*, *Historiam Aug*. & *Solinum*, Alios; & hîc passim. De *Funebribus ex lino asbestino* suprà diximus. Car. du Fresne *Tunicæ cum tintinnabulis*, inter Episcopales vestes, meminit ex vet. Codice Ratoldi Abbatis Corbej. ut & *Tunicæ Monachorum capitiatæ*, ex Lanfranco: atque *Tunicæ* nomine, vestem quoque Clericorum propriam, apud Honorium Augustodun. & apud Francicos Scriptores sagum militare, armaturæ ferè vel thoraci superindui solitum, Gall. *cotte d'armes*, indigitari, adjicit. Uxores autem viris, & Matres filiis *tunicas* olim ut & alias vestes confecisse, Alexandrumque Macedonem & Augustum non nisi domesticis hujusmodi usos, quas veteri more in atrio domus, cum clientibus Romani texebant, Græci verò in œco & proœco, habes apud Alexandr. ab Alexandro, *Genial. Dierum*, *l*. 4. *c*. 8. Nec verò indutui solùm *Tunica*, sed & in bello usui fuit, ut in quo *tunicam puniceam hastâ sublatam*, signum pugnæ ab Antigono datum, in *Philopœmene* memorat Plutarchus: quemadmodum eôdem fine sagum purpureum supra Prætorium, apud Romanos expandebatur, teste eôdem in *Fabio* & *Pompejo* &c. Vide quoque hîc passim, uti de usu *tunicarum duarum* Apostolis itinerantibus contra communem morem, prohibito, Suicerum voce Χιτών. Hinc *tunicatus Popellus*, apud Poëtam, quia plebs in tunica &c.

TUNICA Inconsutilis, ut communiter redditur, Græcè ἄῤῥαφος χιτών, Joh. c. 19. v. 23. ubi de vestibus Domini nostri, ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. Vide quoque *v. seq.* ubi de consilio militum, sortiendi potiùs, quàm dividendi, eam: nonnullis peculiari artificiô detexta videtur, ut quæ suturam non habuerit, qua de re vide Casaubon. *Exercit. Baronian*. 16. *c*. 84. Salmasio verò, non alia fuisse tunica videtur, præter vulgares & vulgò texi solitas, in Palæstina, & apud Galilæos, qui, ut narrat Isidorus & Theophylactus, in altitudinem texebant & pectine succutiebant vestimenta, more cum multis gentibus, Romanis quoque, communi, quorum hos *rectas* vocâsse hoc genere textas tunicas, suprà vidimus. Hujusmodi tunicarum aliæ fuêre σχιστοὶ apud Veteres, quæ & ῥαπτοὶ dicebantur & συμπερονητοί; aliæ ἄῤῥαφοι, quæ ex toto rectæ conclusæque & nullâ parte sutiles scissilesque, uti sunt camisiæ nostræ & interulæ. Σχιστοὶ igitur χιτῶνες erant, qui ex utraque parte in humeris fibulâ stringebantur, quos περόνας, sed & ῥαφὰς ac ῥαφίδας, Græci dicebant: uti erant tunicæ laticlaviæ apud Romanos. *Hesychius*, συμπεπαρμένος vel σύμπερονος, ὁ ῥαφαῖς συνειλημμένος περὶ τὰς ὤμους χιτών. Ubi σύμπερονον χιτῶνα vocat, qui & σχιστὸς dictus, fibulis sive ῥαφαῖς altrinsecus in humeris comprehendebatur. Sicut idem tunicam servorum ἑτερομάσχαλον vocat, quòd τὴν ἑτέραν μασχάλην ἔχει ἐῤῥαμμένην, *alteram manuleam sutam haberet*, i. e. fibulatam vel nodô strictam: sic ut unâ quidem parte haberet μασχάλην, in quam brachium immitteretur, alterâ verò manuleam non haberet, sed in modum pallii amiciretur, & fibulâ necteretur, adeoque ab hac parte ἄῤῥαφος esset. Et vestimentum illud cæcum ac nullos habens exitus, quô Clytemnestra Agamemnonem è balneo exeuntem involvit, *Lycophron* nullas scribit habuisse ῥαφὰς i. e. *vestis oras*, *quæ fibulis conserentur*. Ἄῤῥαφοι igitur tales, quæ essent ἄσχιστοι neque fibulis in altero, aut utroque humero, jungerentur: atque ex hoc genere DOMINI nostri tunica eidem fuisse videtur. Vocat autem Joannes illam ὑφαντὴν ἐκ τῶν ἄνωθεν, quòd in superioribus tunicæ partibus ex ῥαφαῖς vel *fibulæ* locum haberent magis, quibus stricta tenebatur & sedebat in humeris tunica. Quia etiam pleræque per totum & usque ad infimam oram nodis fibulisque ex utraque parte constringebantur, addit ὑφαντὸς δι' ὅλου, ut nullâ sui parte scissuram & ἐπιπόρπημα illam habuisse ostenderet, sed integram totam fuisse significaret. Nec prohibet, quò minus ita tales tunicæ vocarentur, quòd consutæ essent aliquâ ex parte & sarcinatricis acu conceptæ. Sarcinatricis enim acus idem facit, quod pecten textoris, unde & artem illam, quæ acu pingit, ad τ' ὑφαίνειν Veter. retulerunt. Et quidem hujusmodi tunicæ totæ in tela fieri non poterant, sed ex incisis partibus integrari & acu consui habebant necesse: at σχιστοὶ χιτῶνες cæteraque id genus vestimenta, ut erant colobia Romanorum, & laticlavias tunicas fuisse diximus, ut quæ ex duabus plagulis constabant, in utroque latere per fibulas committi solitis, facilè in tela totæ fiebant &c. Hactenus Salmas. *Not. ad Vopisc. in Aureliano*, c. 46. ubi plura hanc in rem, inter alia, *tunicam* Domini ἄῤῥαφον, ideo non divisam fuisse à militibus, quòd scissa ac divisa nulli usui futura fuisset, ex pallio verò & veste fortè alia superaria, utpote vestibus duplicibus, 4 partes commodè fieri potuisse, addens. At rationem texendi Veter. & *Inconsutiles*, h. e. *omni sutura carentes*, faciendi *Tunicas*, in vera jam luce posuit Clar. Joh. Braunius Theologus Belga, insigni opere *de Vestitu Sacro Summi Sacerdotis* Hebræorum, ubi non tantum ex Indiis sæpiuscule hujusmodi Tunicas afferri se vidisse, sed & ipse textrinum hujusmodi suô ingeniô excogitâsse, pluribus ostendit, quem proin hanc in rem præ aliis videre operæ pretium erit.

TUNICA Molesta, supplicii genus, cujus mentio apud Senecam, *Ep*. 14. *Cogita illam* Tunicam *alimentis igneis & illitam & intextam*. Juvenalem item, *Sat*. 8. *v*. 235.

Tunicâ punire molestâ.

Vide quoque Tertullian. *ad Martyr*. c. 5. Cœl. Rhodig. *l*. 10. *c*. 5. idem facit pœnæ genus cum Scalis seu Gradibus Gemoniis, unde reos non in Tiberim vivos præcipitatos, sed ibi vivicomburiô punitos, contendit. Gallonius *suo de Martyrum cruciatibus libellô*, figuram subjicit Martyris, *Tunica* candenti ferreâ, & crepidis ferreis induti, quas clavi ignei adstringebant: quam in Balduini *de Calceo Tractatum* transtulit Andr. Frisius, *editione Amstelodam*. *A*. C. 1667. Sed & *Tunica* occurrit *Plumbea*, in *L*. Baiwar. aliô tamen sensu, ut ad cujus pondus pro Episcopo occiso aurum pendi, ab homicida, jubetur, *tit*. 1. *cap*. 11. §. 1. *Si quis Episcopum --- occiderit, solvat eum --- secundùm hoc edictum. Fiat tunica plumbea secundùm statum ejus, &, quod ipsa pensaverit, auri tantum donet, qui eum occidit* &c.

TUNICATES, populi Vindeliciæ inter Augustam & Ratisbonam. *Ptol*. ubi ruta *Tunicatea*, quorum meminit Poëta, *Itiner*. *l*. 5.

TUNICELLA, vestis in Ecclesia Romana Subdiaconorum propria, quæ & *subtile*, vide ibi: nec non *Dalmatica minor*, uti legas apud Dominic. Macrum, *Hierolex*. ubi de ejus usu multa.

TUNNOCELUM, Camdeno *Tinmouth*, vide *Tina*.

TUNONIUM, oppid. amplum Sabaudiæ, ad lacum Lemanum, caput Ducatus Caballicensis; 7. leuc. à Geneva in Ortum, 5. à Lausanna in Meridiem. Vulgò *Tounon*, seu *Thonon*.

TUNTOBRIGA, vulgò BRAGANZA, urbs Hispaniæ Tarraconensis Ducatus titulô insignis in Portugallia, inter Mirandam & Bracaram, *Ferrar*. *Baudrando* fuit oppid. Callaicorum Braccariorum. Nunc in ruinis; manet tantùm vicus *Barqua de Regoa*, in Portugall. in provinc. Transmontana, 7. leuc. à Brigantia in Occasum, ad Tuelam amnem.

TUOLA, Corsicæ fluv. *Ptol*. *Golo Leandro*, ex magnis Insul.

TUPHA, Zonaræ in Basilio Imperatore appellatur Tiara rectus, Regibus olim Persicis peculiaris; ob *tryphen*, quem ingenerabat. Solerius *de Pileo*, *Sect*. 9. Vide suprà *Tiara*.

TURANII, inter eas Sabinorum nobiles familias, quæ Romam se cum T. Tatio contulerunt atque patriciæ factæ sunt, connumerantur à *Dionysio*.

C. TURANIUS, Poëta, annonæ præfectus paulò ante mortem, ab Augusto substitutus, in locum suum. Fuit & eô nomine Poëta Tragicus, teste Ovidiô, *l*. 4. *Epist*. *ex Ponto*, *El*. *ult*. *v*. 29.

Musaque Turani tragicis innixa cothurnis.

Ejus sive cognominis meminit Plinii index.

TURARIUS, vicus Romæ, *Asconius*.

TURBA, Hispaniæ urbs, Liv. *l*. 35.

TURBA, postea *Trava*, *Turbia*, ac *Tarvia*, nunc *Tarba*, oppidum Galliæ, caput Bigerronum, decimô inter provinc. Novem populanæ civitates locô. Vulgò *Tarbe*: vetus castrum aut arcem Bigerram Bigorramve habuit, ubi semper Episcopatus fuit sedes: Unde & nunc sedes dicitur, *la sede*. Vide supra in voce *Bigerrones*.

TURBA, in viis Romanis, tanta quotidie, ut ægrè via reperiri posset, indigitatur passim Juvenali, Martiali, Aliis. In Amphitheatro imprimis aut Circo Maximo, Papinio, *l*. 1. *Sylv*. 1. *v*. 65.

——— Continuus septem per culmina montes
It fragor, & magnæ fingit vaga murmura Romæ.

In cujusmodi locum, pompamque spectandam, proruentem, Populum, formicis ac suibus pulcrè comparat Theocritus, *Adoniazusis*,

> Ὦ θεοὶ ὅσος ὄχλος πάντῃ [illegible]
> [illegible] μύρμηκες ἀνάριθμοι καὶ ἄμετροι.

Et

> ——— ἄγριος ὄχλος
> Ὦ θεοὶ ὅσοι ὅσοι ———

Vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad Theb. Papinian.* 4. v. 798.

> ——— *pars arctâ plebe sequuntur.*

& suprà, voce *Compressio*, ut & infrà *Umbo*, ubi de verbis [illegible] & [illegible]. Voci origo ex τύρβη Attico, pro τύρβα, à τύρειν & βοᾶν, ut *commotionem streperam ac vocalem* propriè notet, Becmannus, *Origin. L. L.* Apud recentioris ævi Scriptores *Turba* niger cespes est, qui, è terra palustri ac bituminosa erutus, variis in regionibus, vicem carbonis præbet, Gallis *Tourbe*, Belgis, Anglisque *Torf* & *Turf* dictus. Vide Lamb. Ardensem, Auctorem *Chronici Andrensis*; Spelmannum, qui *turbam* è terræ corpore effodi, *blestiam* (Gall. *bleche*) è superficie, utramque in ignis escam à rusticis plurimis & à Nobilibus ipsis, in palustribus regionibus adhiberi ait; ipsos inprimis, qui de *Turbis* ex professo scripsêre, Martin. Schoockium, Carolum Patinum, Alios. Hinc *Turbariæ*, loci ejusmodi cespitibus fodiendis idonei, in *Monastico* Anglic. passim: de quibus Wilh. Armoricus, *Philipp. l.* 2. ubi de Flandria,

> *Arida gleba foco siccis incisa mariscis.*

Vide Auctores Carolo du Fresne hanc in rem laudatos, de *Turbariis* præcipuè *Anglicis* Camdenum, *Descript. Britanniæ*, ubi de *Lancastrensi* agro, & quædam suprà, ubi de *Carbone*. At *Turbarii*, seu *Turbiculi*, vulgò *Kerni*, apud Hibernos, milites levis armaturæ, qui jaculis amentatis, machæris & cultris sive sicis, *Skeynes* vocatis, dimicabant, dicuntur. Henrico Marleburgensi, qui de illis pluribus agit, uti ex eo Jac. Waræus *Antiqq. Hibernic. c.* 12. *Sect.* 1.

per TURBAM probatio, Gallicè *Preuve par Turbe*, seu *Enqueste par Turbe*, it. simpliciter *Turbe*, terminus in Gallico jure usitatus. Nempe Gallorum moribus decem testium depositione, in probanda Consuetudine, circa quam lis orta est, opus fuisse docet Faber *ad* §. 9. *q. d. J. N. G. & C.* quæ probatio dicebatur fieri *per Turbam*, seu quòd decem homines turbam faciant, per *l.* 4. §. 3. *d. vi bonor. rapt.* seu, quòd testes non secretò, ut aliàs, sed palàm in illa turba & multitudine examinarentur, vide Coras, *p.* 2. *d. art. jur. c.* 10. Apud C. du Fresne *Glossar.* *Ordinatio de inquisitione Consuetudinum facienda* — *Vocabuntur plures sapientes, carentes suspicione. Ipsis vocatis proponetur eis Consuetudo & dabitur eis in scriptis: quâ propositâ, jurabunt quod ipsi dicent, & fideliter referent illud, quod sciunt & credunt, per os unum ex ipsis & viderunt usitari super illa consuetudine. Quô juramentô præstitô trahent se ad partem, & deliberabunt, & referent deliberationem illam, & dicent inter quos viderunt illam consuetudinem & in quo casu & quô locô, & si fuit judicatum & de circumstantiis & omnia redigent in scriptis. Et mittantur ad Curiam clausa, sub sigillis inquisitorum, & reddent omnes causam dicti sui, etiam in* TURBA. Adde veter. *Consuetudinem Bituric.* editum à Thomasserio, *artic. Commenc. Coustume se doit prouver*, & *Remarques du droit François*, verbo *Coûtumes*. Hodiè verò ratio illa Consuetudinem probandi abrogata est Statutô Ludovici XIV. Galliæ Regis, Aprili mense A. C. 1667. promulgatô, uti discimus ex Dn. de Ferriere, *ad tit. ff. de LL.* ubi simul modum sic inquirendi accuratè describit: *Quand il survenoit*, inquiens, *autrefois quelque difficulté pour l'observation des Coûtumes la preuve s'en faisoit par Turbe, que la Cour ordonnoit estre faite par un Commissaire, qui se transportoit sur les lieux & la ayant assemblé les plus anciens Officiers & Practiciens non suspects & valablement reprochés par les parties, il les interrogeoit en deux ou trois turbes par la bouche du plus ancien de chacune, aprés en avoir communiqué avec tous ceux, qui la composoient: ce qui a esté practiqué jusqu'a ce qu'il ait esté abrogé par la nouvelle Ordonnance donnée au mois d'Avril* 1667. *par Louys XIV. encor aujourd'huy glorieusement regnant tit.* 13.

TURBANS, apud Turcas, capilli tegmen, ad Tiaram Persicum popularem proximè accedens; Græcis recentioribus φακιόλιον est, quasi *fascia complicata*. Vocis originem à *Corybantio* Græcorum veter. arcessit Gretserus, *ad Codin. l.* 2. *c.* 5. Nec verò Turcis solùm Persisque, sed & Tartaris in usu est, ut qui & ipsi Muhammedi mancipati: Quorum *Turbantem* sic describit Mart. Martinius, *Hist. de bello Tart.* *Biretum capiti æquale, rotundum, at humile; hoc pretiosa pellis fascia per circuitum ambit, ad duorum vel trium digitorum latitudinem: (ea plerumque castoris vel Zibellinarum est:) hæc pellis aures, frontem ac tempora à frigore defendit: Quantum verò biretti supra pellis fasciam eminet, tantundem rubra byssus undique sparsa tegit, vel nigri aut purpurei equorum crines, quos pulcherrimè tingunt, gestamen planè commodum nec inconcinnum.* Unde colligere est, rubrum esse Tartarorum pileum, nunc saltem; olim viridem fuisse produnt: Rubrum autem *Turbantem* gestant Persæ, qui Ali addicti sunt; album Turcis habentibus. Nec mirum colore pileorum dissidere, qui implacabiliter dissident occasione superstitionis, aliter à Turcis, à Persis aliter acceptæ. Qua de re vide Joh. Barros, *Dec.* 2. *Asiæ, l.* 10. *c.* 6. Osorium, *de rebus Emman. l.* 10. Sansovinum, *de rebus Turc.* Flor. Remondum, *de Hæreseos natalibus l.* 1. *c.* 4. Alios. Origo utriusque dissidii hæc; Alis frater patruelis Muhammedis ac gener, ipsi defunctô succedens, legem soceri suis interpretationibus adeò interpolavit, ut planè alia videretur. Quod videns Homar, Muhammedis affinis, pro Legis à Muhammede propositæ integritate & recepta interpretatione, acriter adversus Alim certavit; unde superstitio in duas divisa est Sectas: Arabibus, qui Homarem sectabantur, Persas Ali addictos, non secus ac exleges & desertores, Legisque patriæ corruptores, adversantibus; nec Persis mitius agentibus in Arabes Homari addictos. Cùm autem non exiguô tempore pars Homaris prævaluisset, exortus circa A. C. 1370. ex Ali se propagatum dicebat *Sofi*, acerrimusque sectæ abeo constitutæ vindex haberi volebat ac reverâ erat. Qui ut suos ab Homaritis aliquô insigni discriminaret, pro linteo albo *Turbante*, quô Homaritæ utebantur, in memoriam XII. filiorum Hocemi, Alis filii, *Turbantem* instituit, è cujus medio pileolus acuminatus, è lana constipata colore rubrô confectus & senis utrinque gradibus distinctus, accommodatè ad contractionem vel diffusionem emicaret: Pileumque hunc, velut notam sectæ Persicæ, Ismaël Sofi, potentissimus Persarum Rex Usumcassanis ex filia nepos, magnô studiô, & partim blanditiis ac precibus, partim vi ac minis multis populis obtrusit, magnâ Turcarum indignatione; Qui adversarios ob rubros pileolos, defectionem à Muhammede exprobraturi, *Kisilbassi*, quasi *capita rubra*, hodieque notô vocant convitiô. Sicut à lana, quâ pileoli illi constant, sunt qui velint Persarum Regem per excellentiam dictum *Sofi*, quod nomen Arabicè *lanam* sonat, cùm *Turbantes* Turcici è lino conficiantur: an ex veteri usu Regum Ægyptiorum, quorum judiciô laneæ vestes profanæ erant; unde linteis in Templis utebantur, & funebres tunicas, quibus in sepulchra, religione consecrata inferrentur, similiter è lino habebant? Vide *Turbantis* Turcici iconem, ut & plura de his, apud Ans. Solerium, *de Pileo, Sect.* 8. aliquid etiam suprà, voce *Fascia*, item *Fasciola*.

TURBO, ONIS, gladiator apud Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 310.

> *Corpore majorem rides Turbonis in armis.*

TURBO, INIS, exercitamentum puerile, Græcè βέμβιξ, ut ex antiquo *Epigr.* patet:

> Οἱ δ᾿ ἐπὶ τὰν σκυτάλαισι θοὰς βέμβικας ἔχοντες
> Ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ.

> *At pueri scytalis ludentes* Turbine *acutô,*
> *Vertebant lato quisque suum in trivio.*

Nempe lorô baculo alligatô emissum pueri in orbem circumagebantur, plagisque circumactum certatim impellebant: ut appositissimè describit Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 378.

> *Ceu quondam torto volitans sub verbere* Turbo,
> *Quem pueri magno in gyro, vacua atria circum,*
> *Intenti ludô exercent: stupet inscia turba,*
> *Impubesque manus, mirata volubile buxum,*
> *Dant animos plagæ.*

E' buxo namque probatissimi. Cum Trocho Dempsterus aliique confundunt, quod tamen longè diversum fuisse apud Veteres Ludi genus, ex Mercuriali ostendimus *suprà*: στρόμβος quoque Græcis, unde recentiorum στρόμβος; item κῶνος: quibus nux pinea propriè indigitatur. Salmas. *ad Solin. p.* 1285. Aliàs *Turbo*, aquatilis nomen cujusmodi *Turbines* [illegible], quorum testæ in multa volumina plurimis undique tuberculis extantibus diducuntur: Item anonymi, conchylia tuberosa, & anfractuosa, striata partim rugata, maculosa variâ tincturâ, in *Musæo* Kircheriano, memorantur Georgio de Sepibus, *p.* 28. Item venti &c. Hinc *turbinatus pileus*, apud Macrum *in Hierolex.* de cujusmodi pileis hîc passim, inprimis hâc ipsâ voce; uti de *Turbinatis piscibus*, plura apud Voss. *Idolol. l.* 4. *c.* 36. & de alia vocis notione, suprà voce *Rhombus*.

TURCÆ, vel TURCI, vulgò *Turchi*, & *Musulmanni*, Scythiæ populi teste Pomponiô, *l.* 1. *c. ult.* à quibus orti judicantur, qui tempestate nostrâ latissimè imperitant, immanissimi & crudelissimi hostes Ecclesiæ Dei & Christi. *Turca* (inquit Faber) *vastatorem* significat veræ scil. religionis, pietatis, honestatis & pacis. Herodotus inter feras gentes Septentrionis Ἰύρκας ponit, quæ appellatio à *Turcorum* nomine non est aliena, etsi sunt qui è *Teucris Turcos* deducunt, *Chron.* Peuceri. At *Tharthak* Idolum est 2. Reg. c. 17. v. 31. Alii ex *Turcâ* Persarum urbe magnâ & opulentâ hoc genus hominum progressum esse tradunt. Nomen *Turci* (inquit idem Faber) significat hominem, qui agrestiorem victus rationem sequitur. Chalcondylas, *l.* 2. *de rebus Turcicis*. Ex Persas quidem *Tugurs* dictos ex *Niceta* apparet. Invenitur & à fluv. rapido *Turck*, qui in mare Hyrcanum influit, nomen suum *Turcos* accepisse. *Turcas*, quasi *derelictos* dici observat Hottingerus, *Hist. Eccles. l.* 1. *c.* 8. *p.* 513. & sunt qui illos iis ex Scythis oriundos volunt, quos Alexander M. intra Hyperboreos ferreis repagulis clauserit, i. e. quos velut gentem indomitam, in angulum illum, tanquam in ergastulum incluserit. E' Scythis, Caucasios montes inter Pontum Euxinum & Caspium mare incolentibus, originem illos trahere communis opinio est. Se ipsos *Musulmannos*, i. e. fideles vocant. Horum potentiæ initia jecit Tangrolipices Mucaletus, A. C. 1037. quô Persidis Sultanus Muhammedes, à Turcis, quos adversus Calipham evocatos armaverat, reditumque iis postmodùm intercluserat, occisus & regnô exutus est. Imperium posteà condidit Osmannes seu Othmanes, Gasi i. e. fortis miles, Ertogrulis seu Ertucalis filius, A. C. 1290. qui cùm aliquandiu agriculturam in partibus Asiæ minoris ab Aladino Sultano concessis exercuisset, vicinos in Phrygia majore Bithynia, Mysia, vicos & castella Christianorum tandem aggressus est felici successu, quem Aladinus jure ac dignitate Principis ipsi collatâ coronavit. Sic Zuphiâ, Bilezugâ, Nacoliâ, Chalce, vel ut Curio, *Histor. Sarac. l.* 3. Natoliâ, Ancyrâ, Sinope, Sebastiâ subjugatis, Nicæam dein & Prusam expugnavit, Græcis pugnâ Dalensi victis. Ei fil. Urchanes successit, A. C. 1327 qui vicinas Nicææ urbes in Troade sitas Neapolim, Catissum, Pergamum & Adramytium adjecit. Hujus filius Solimannus Hellespontum primò transfretavit, & castellum Zeminick, Græcis Chiridocastrum occupavit, dein Calipolim cepit. Porrò Amurathes I. Gasi Urchanis successor Adrianopolim, Philippopolim, aliasque Thraciæ urbes sub jugum misit. Post eum Bajazetes I. à Turcis *Gilderun*, i. e. fulmen, à Græcis *Lælaps* dictus; Serviam ac Bosniam latè depopulatus, Sigismundum Hungariæ Regem ad Nicopolim vicit,

ipsâque Constantinopoli obsessâ, jus vici in illa habendi Imperatori extorsit, mox à Temirlane victus & captus. Post interregnum Emir Soliman, i. e. Princeps, à fratre Musa Zelebi, i. e. Nobilissimo, imperiô ac vitâ privatus est: qui mox à Muhammede I. eôdem modô habitus est. Huic successit Amurathes II. seu Murat-Chan, cujus initiis Pseudo-Mustaphas negotium facessivit. Eum excepit Muhammedes II. qui duo Imperia Constantinopol. A. C. 1452. & Trapezuntinum, A. C. 1460. duodecim regna & ducentas urbes magnas expugnavit: Græciam subjugavit, Athenas delevit, à Crojana tamen obsidione Scanderbegi armis repulsus: iterum Lesbum Catalusiorum genti Genuensi eripuit A. C. 1461. Bosniâ, Raciâ & Serviæ magnâ parte adjectâ, A. C. 1464. Inde Peloponnesô, discordiâ fratrum Palæologorum, potitus, ut & Eubœâ, A. C. 1470. Bajazetes II. successo, ejus reliquias Venetorum Peloponnesô exegit, post quem Selimus I. Syriam, Arabiam, Ægyptum &c. occupavit. Hunc excepit Solimannus II. qui A. C. 1521. Rhodum, dein Hungariæ partes, A. C. 1566. sicut Selimus II. ejus successor Chium adjecit. Post hos præfuêre Amurathes III. Muhammedes III. Achmedes I. Othomanes II. à Genizaris strangulatus, A. C. 1622. Mustaphas, Achmedis frater: Amurathes IV. Othomanis frater, Ibrahimus, itidem à Genizaris strangulatus, & Muhammedes IV. qui haud pridem Candiam Venetis extorsit, Neuheuselium in Hungaria expugnavit & Poloniæ non exiguam partem, Caminiecô captô, sub jugum misit. Prætereà Tartari Precopenses ab imperio Turcico aliquousque dependent: Walachiæ quoque, Moldaviæ ac Transylvaniæ Principes Turcica castra sequi coguntur, simul ingenti tributô onerati, Transylvanus tamen liberius habetur. Ragusina etiam Resp. tributum pendit. Proprius Imperatorum titulus est *Chakan*, seu *Chachan*, *Chan*, *Cham*, communi ferè omnibus Orientalibus more. *Sultani* nomen etiam usurpat, sed eô modô, quô Reges Hispan. vocem *Don*. Titulum *Imperii* videntur meruisse, ab occupata Constantinopoli, quam statim quoque sedis locô elegére, cum antè Othmanes Prusiæ, civitate Bithyniæ, & pôst Adrianopoli eam habuissent: accessit conventio, inter Rodolfum II. Imperatorem & Achmedem I. A. C. 1606. Imperium ut plurimùm à fratrum strangulatione auspicantur, nec filiorum adultorum ullus, patre vivô, intra Urbis mœnia pedem infert. Filias plerumque 4. vel 5. ætatis annô Bassæ, seu Beglerbego alicui despondent, uxores non habent justas à tempore Bajazetis, à Tamerlane victi, nisi quòd Solimannus II. Roxolanam hôc titulô dignatus est. Mahometani sunt, & non tam vi politici alicujus principii, quàm religionis, subditorum cœcum experiuntur obsequium. Milites tamen, maximè Janizarii, liberiùs agunt, quorum potentiam proin omnibus modis enervare annituntur. Supremus Imperii Turcici Minister est *Magnus Vezirius*, Turcis *Vezir Azem*, ab Imperatoribus *Lala*, i. e. Aulæ Magister dictus. Sub hoc sex alii Veziriorum nomen gerunt, consiliisque adhibentur, sed non magnâ auctoritate sunt. Inter Judices, qui post supremum Vezirium eminet, summus Judex est *Cadilescher* vocatus. Sæpe & *Mufti*, i. e. summus Sacerdos, ad sententiam dicendam accersitur. Sedes publici consilii *Divan*: Aula *Porta* appellatur. Nobilis hîc nemo nascitur, cùm sola domus Ottomannica suis censeatur natalibus. Plura qui volet, adeat Chalcondylam, *Hist. Turc.* Camarar. *Comm. de Reb. Turc.* Postellum *Republ. Turc.* Baudetium, *Invent. Hist. Turc.* Francisc. Sansovin. *de Orig. & Imper. Turc.* Joh. Bapt. Montalban. *de moribus Turc.* Fungerum *in Turcæ.* Joh. Leuncl. *Hist. Turcic.* Augerii Gisserii Busbequii, *Legat. Turcicæ Epist.* 4. P. de Valle, *Itinerar. Tom.* 1. reliquosque auctores Becmanno laudatos, *in Hist. Orbis terr. Geogr. & Civ. c.* 10. *de Imp. Turcico*: & infrà in voce *Turcarum Imperium*. *Baudrando* dicuntur *les Turcs* Gallice, *los Turcos*, Hispanis, *li Turchi* Italis, populique sunt Asiæ, qui Imperium suum longè latèque per Europam, Asiam, & Africam armis propagârunt, & se ipsos Musulmanos seu fideles vocant. A' Scythis, qui Caucasios montes inter Pontum Euxinum & Caspium mare incolunt, originem trahere, omnes ferè auctores unô ore consentire videntur. Hinc *Turcicus*, ut Turcicum Imper. quod cœpit, A. D. 623 secundùm alios A. 1300. de quo suprà. Hornio, gens pastoritia, primas sedes habuerunt, in Scythia, ad Jaxartem fluv. supra Persiam. E' qua regione, quæ hodieque *Turchestania*, circa A. C. 1000. in Persiam emigrârunt, Duce Selgkukô, sub ejus nepote Togrulbeko hôc regnô potiti, A. C. 1038. Ortâ postmodùm inter patrueles an fratrueles hujus discordiâ Cuthlumuses occupavit Armeniam, Cappadociam, Pontum aliasque Imperii Græci provincias regiô titulô, circa A. C. 1060. sicque in *Occidentale* & *Orientale*, Regnum Turcarum divisum est: quorum illud à Christianis tantùm non destructum, crebrâ eorum in Terram Sanctam expeditione: istud à Tartaris penitùs est eversum. Mox tamen Aladinô Duce Turci ex Persia profugi, occupatis Iconiô & Sebastiâ urbibus, novum per Asiam minorem Regnum orsi sunt, &, superatis Græciæ provinciis aliquot, feliciter per 90. annos tenuêre, sede Guniæ seu Iconii constitutâ. Aladiniis deficientibus circa A. C. 1298. in quibus posteritas Selgkuki extincta, Oguzii, alius Turcarum populus, Osmannô Duce, non potentiam Turcarum solùm, sed omnem ferè minorem Asiam in se transtulêre, sede Prusiæ fixâ. Inde pervenêre in Europam circa A. C. 1363. sub tertio Imperatore Amurathe. Et quamvis à Tamerlane universâ Asiâ exuti essent A. C. 1401. & fractô captôque Bajazethe de eorum Imperio actum videretur, viribus tamen iterùm recollectis, sub Muhamede I. Amurathe II. & Muhammede II. illud per Asiam Europamque latissimè propagârunt, Constantinopoli quoque expugnatâ &c. Vide Georg. Hornium, *Orbe Imper. cum Animadvers.* L. Joach. Felleri, *p.* 401. & *seqq.* uti plura, *de Regimine, Classibus, Legibus, Moribus, Habitu, Ædificiis, Hostibus*, aliisque Turcarum *Memorabilibus* apud eundem, *Orbe Polit. cum Animadvers.* L. Ottonis Menkenii passim, inprimis, *p.* 29. 414. & *seqq.* nec non suprà *Jezidæi, Islami, Muslimi.*

TURCARUM Imperium, *l'Empire des Turcs*, seu *la Turquie*, latè per Europam, Asiam, & Africam extensum est, à duobus præsertim seculis. Turcica ditio in Europa duplex est, nempe Rumelia, *la Rumelie*, sub qua censentur Græcia, Macedonia, Albania, & Thracia, cum insulis Creta, Eubœa, & aliis in mari Ægæo; & Sclavonia, *l'Esclavonie*, sub qua Bosnia, Servia, Croatia ex parte, Dalmatia mediterranea, Sclavonia, Bulgaria, & maxima pars regni Hungariæ versus Austrum. Turcicæ ditionis in Asia quatuor sunt partes, nempe Asia Minor, *la Natolie*, Syria latè sumpta, *la Sourie*, seu *Soristan*, Turcomania, aliàs Armenia major, *la Turcomanie*, & Diarbechia, aliàs Mesopotamia, & Assyria, atque pars Babyloniæ, *le Diarbech*, cum aliquot locis tantùm in Arabia Petræa versus sinum Arabicum. In Africa autem Turcicæ ditionis partes sunt regnum Barcæ, *le royaume de Barca*, & Ægyptus, *l'Egypte*, seu *Misir*, in duodecim Præfecturas seu Cassilisatus divisa. Totius Imperii sedes regia est Constantinopolis, Turcis *Stamboul*, ad Bosphorum Thracium. Sed urbes *Zibit*, *Aden*, *Balsora*, & *Sumachia* non subsunt Turcis, neque Colchis & Iberia, partes Asiæ. Regna autem Tripolis, Tuneti, & Algerii in Africa sunt sui juris quôdam modô, & Turcarum Imperatori parent tantùm, quando ipsis videtur, quanquam sub ipsius clientela vivant. At vice versâ ipsi tributum solvunt Principes Transylvaniæ, Valachiæ, & Moldaviæ, uti Respublca Ragusina, & Princeps Tartariæ minoris ipsius est clientelaris. Turcicum Imperium dividitur aliter in viginti quinque Præfecturas generales, teste Ricautiô Anglô, ex quibus una est in Africa, septem in Europa, & 17. in Asia: E' quibus duæ reguntur à Præfectis *Beglerbey* dictis; aliæ omnes habent Præfectos *Bassa* nominatos. Terminatur autem ditio Turcica in Europa ad Boream Tartariâ minori, Poloniâ, Moldaviâ, Transylvaniâ, & Hungariâ Austriaca: ab Occasu mari Hadriaticô, quô separatur ab Italia & mari Mediterraneo. In Africa terminatur ad Austrum sinu Arabicô; Nubiæ region. desertis Barcæ & Gaogæ, ac regnô Tripolitanô. In Asia autem ad Ortum terminatur Pontô Euxinô, Georgiâ, Imperiô Persarum, & Arabiâ.

Satrapiæ Turcarum juxta Ferrarium, in Asia, superiore tempestate 30. nunc pauciores, multis à Persis occupatis:

Albaniæ, sedes Alexandria seu Portæ ferreæ, *Demircapi*.
Arabiæ felicis, ad sinum Arabicum, sedes Saba, *Zibit*.
Arabiæ felicis, extra sinum Arabicum, sedes Arabia, *Aden*.
Armeniæ majoris citerioris, sedes Chorsa, *Chars*.
Armeniæ majoris ulterioris, sedes Artaxata, *Tefis*.
Armeniæ majoris, in confinio Mediæ, sedes Rivanum, *Revan*.
Armeniæ minoris, sedes Melitene, *Malatia*.
Assyriæ, sedes Seleucia, *Mosul*.
Babyloniæ citerioris, sedes Babylon, *Bagdet*.
Babyloniæ ulterioris, sedes Teredon, *Balsara*.
Bithyniæ, Prusa sedes, *Burse*.
Cappadociæ citerioris, sedes Amasia, *Amasia*.
Cappadociæ ulterioris, sedes Sebaste, aliis Sebastopolis, *Sivas*.
Cappadociæ, Ponti Polemoniaci, sedes Neocæsarea, *Tocato*.
Carmaniæ, sedes laxa, nunc sub Persis, ab eis recuperata.
Ciliciæ, sedes Cæsarea penes Anazarbum, *Acsar*, & intus Adana, *Adena*.
Cœlesyriæ, sedes Damascus, *Scham*.
Colchidis, sedes Phasis, *Fasso*.
Cypri, sedes Fama Augusta, *Famagosta*.
Iberiæ, sedes Barinum.
Iberiæ item, sedes Tzildiris.
Iberiæ etiam, sedes Smyrna.
Ioniæ, sedes Smyrna, *Ismir*.
Lycaoniæ, sedes Iconium, *Cogni*.
Mediæ Atropatiæ, sedes, Cyropolis, *Sumachi*, nunc Persarum.
Mediæ citerioris, sedes Satvanum sive Servanum, hodie Persarum.
Mediæ item in confinio Mesopotamiæ, sedes Iban, *Van*.
Mesopotamiæ, sedes Amida, *Caramit*.
Phœniciæ, sedes Tripolis, *Tarapoli*.
Phrygiæ, sedes Cotiæum, *Chiutaye*, sub quo Præfecti 16.
Syriæ, in Armeniæ minoris confinio, sedes Marassia, quæ Merita veteribus dicta putatur.
Syriæ in Comagene, sedes Hierapolis, *Haleppo*.

Ex quibus à Persis multæ recuperatæ sunt, uti Albaniæ, Armeniæ majoris, Mediæ, Assyriæ, & Babyloniæ.

Satrapiæ in Europa septem:

1. Bosnæ, sedes Banialucha: sub quo 9. Præfecti.
2. Daciæ ripensis, sedes Temeswaria: sub quo 8. Præfecti.
3. Græciæ, sedes Sophia: sub quo Præfecti 21. totidem namque præfecturas continet hæc satrapia, quæ sunt ex ordine infrà scriptæ.

Præfecturæ Romeliæ, sive Græciæ satrapiæ;

1. Sophia, in Mysia, *Sofia*.
2. Nicopolis, ibidem, *Nigeboli*.
3. Quadraginta Ecclesiæ, in Thracia, *Kircklisse*.
4. Byzia, ibidem, *Vyza*.
5. Germia, in Thracia, *Kirmen*.
6. Silistria, in Mysia, *Silistra*.
7. Justiniana prima, in Macedonia, *Giustandil*.
8. Tegina, in Sarmatia Europæa, *Bender*.
9. Hermonassa, ibidem, *Akerman*.
10. Scupi, in Macedonia, *Uscopia*.
11. Prisdena, ibidem, *Prisrien*.
12. Thessalonica, ibidem, *Salonichi*.
13. Trica, in Thessalia, *Triccala*.

14. La-

14. Lacedæmon, in Peloponneso, *Misura*.
15. Patræ, ibidem, *Patras*.
16. Cassiope, in Epiro, *Janna*.
17. Delvina, ibidem, *Delvino*, nomine recenti.
18. Elabassanum, in Macedonia, *Elbassan*, nomine recenti.
19. Aulon, ibidem, *la Valona*.
20. Dyrrachium, ibidem, *Dulcagini*.
21. Scodra in Illyrico, *Iscodar*, seu *Scutari*.
4. Hungariæ, sedes Buda: sub quo 15. Præfecti.

Præfecturæ Hungariæ ex ordine:

1. Novigradus, *Novigrad*.
2. Filecum, *Fileck*.
3. Zerzenum, *Zerzen*.
4. Zolnocum, *Zolnock*.
5. Strigonium, *Gran*.
6. Segedinum, *Segedin*.
7. Alba Regalis, *Stulweissenburg*.
8. Sexardum, *Sexard*.
9. Simontorna, *Smonturn*.
10. Copanum, *Kepan*.
11. Muharzum, *Muharz*,
12. Zigetum, *Zigeth*, vel *Saswar*.
13. Quinque Ecclesiæ, *Funfkirchen*.
14. Sirmium, *Sirmisch*.
15. Samandria, *Semender*.

Quarum novigradus, Filecum, (à Christianis recuperatum) Zerzenum, Zolnocum, Segedinum, in Hungaria Transdanubiana sunt. Nomina sunt ferè recentia, Syrmii, Albæ Regalis, Strigonii, Quinque Ecclesiarum Segedini, Solnoci exceptis.

5. Maris, sedes Callipolis, *Gallipoli*: sub quo 14. Præfecti, qui in locis maritimis & insulis resident, hoc est, Galatiæ, Nicomediæ, Callipoli, Lemni Mitylenæ, Chii, Naxi, Eubœæ, Rhodi, Cabylæ, Naupliæ, Naupacti, Leucade, & Alexandriæ.
6. Mysiæ superioris seu Serviæ, sedes Taurunum, *Belgrado*, vel Samandria, *Zenderin*.
7. Sarmatiæ, sedes Theodosia Tauricæ, *Caffa*.

Satrapiæ in Africa quatuor:

Ægypti, sedes Babylon nova, *Alcayro*: sub quo 16. Præfecti.
Africæ propriæ, sedes Tunes, *Tunisi*.
Byzacenæ, sedes Tripolis, *Tripoli di Barbaria*.
Mauritaniæ Cæsariensis, sedes Julia Cæsarea, *Algeri*.

Augentur indies, novis provinciis occupatis, minuuntur deperditis, & sedes permutantur. Vide nostram Europæ descriptionem, ubi singulos satrapiarum Præfectos videre poteris, cum illorum sedibus.

Turcici Imperii divisio secundùm Præfecturas generales ex Baudrando.

Præfectura Ægypti seu Cairi, quæ sola in Africa, *le gouvernement de l'Egypte*, sub qua duodecim Cassilifatus, seu Præfecturæ minores.

Præfectura Aleppensis, *le gouvernement d'Alep*, Asiæ in Syria, sub qua 9. Sangiacatus seu Præfecturæ minores.

Præfectura Amidæ, *le gouvernement de Diarbekir*, seu *de Caramit*, Asiæ in Turcomania, sub qua 12. Sangiacatus.

Præfectura Asiæ minoris, *le gouvernement ou Beglierbegat de Natolie*, Asiæ, sub qua 15. Sangiacatus.

Præfectura Bosniæ, *le gouvernement de Bosnie*, Europæ in Sclavonia, sub qua 8. Sangiacatus.

Præfectura Budensis, *le gouvernement de Buda, ou Budun*, Europæ in Hungaria, sub qua 20. Sangiacatus.

Præfectura Caffensis, *le gouvernement de Caffa*, Europæ in Taurica Chersoneso, sub qua nullus Sangiacatus.

Præfectura Caramaniæ, *le gouvernement de Caramanie* seu *de Cogni*, in Asia minori, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Chorsæ, *le gouvernement de Chars*, Asiæ in Turcomania, in qua 6. Sangiacatus.

Præfectura Cretæ insulæ, *le gouvernement de Candie*, in Europa, in qua 4. Sangiacatus.

Præfectura Cypri insulæ, *le gouvernement de Cypre ou Kibros*, in Asia, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Damasci, *le gouvernement de Scham ou Damas*, Asiæ in Syria, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Ibani, *le gouvernement de Van*, Asiæ in Turcomania, sub qua 9. Sangiacatus.

Præfectura Meritæ seu Aladuliæ, *le gouvernement de Marasch* seu *Zulkadrie*, in Asia minori, sub qua 4. Sangiacatus.

Præfectura Ninivita, *le gouvernement de Mosul*, Asiæ, in Mesopotamia, sub qua sunt 5. Sangiacatus.

Præfectura Præfecti maris, *le gouvernement du Capitan Bacha*, in qua sunt 13. Sangiacatus, partim in Europa & partim in Asia, versùs oram maris Ægæi.

Præfectura Ricana, *le gouvernement de Rika*, Asiæ in Mesopotamia, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Rumeliæ seu Græciæ, *le gouvernement ou Beglierbegat de Rumelie*, in Europa, in qua 24. Sangiacatus.

Præfectura Sebastiæ, seu Amasiæ, *le gouvernement de Sivas*, in Asia minori, in qua 6. Sangiacatus.

Præfectura Scheresuliæ, *le gouvernement de Schehresul* seu *Scaherisul*, Asiæ in Assyria, in qua 12. Sangiacatus.

Præfectura Seleuciæ, *le gouvernement de Bagdet*, Asiæ in Chaldæa, sub qua 10. Sangiacatus.

Præfectura Symiritana, *le gouvernement d'Erzerum*, Asiæ in Turcomania, sub qua 9. Sangiacatus.

Præfectura Temisuariæ, *le gouvernement de Temisuar*, Europæ in Hungaria, sub qua 6. Sangiacatus.

Præfectura Trapezuntina, *le gouvernement de Trebizonde ou Tarabozan*, in Asia minori, sub qua nullus Sangiacatus.

Præfectura Tripolitana, *le gouvernement de Tripoli de Sourie ou Tarabolos Scham*, in Asia, sub qua 4. Sangiacatus.

Turcici Imperii urbes præcipuæ.

In Africa.

Alexandria, *Alexandrie* seu *Scanderia*, in Ægypto.
Cairus, aliàs Babylon, *le Caire*, ibidem.
Siene, *Assuan*, ibidem.

In Asia.

Alepum, *Alep*, in Syria.
Amasia, *Amasie*, in Asia minori.
Amida, *Caramit*, in Mesopotamia seu Diarbechia.
Ancyra, *Angouri*, in Asia minori.
Antiochia, *Antacyah*, in Syria.
Attalia, *Satalia*, in Asia minori.
Chius, *Chio*, in Asiæ minoris ora.
Chorsa, *Chars*, in Turcomania seu Armenia.
Cotiæum, *Chiutaje*, in Asia minori.
Damascus, *Scham*, in Syria.
Fama Augusta, *Famagusta*, in Cypro.
Hierusalem, *Chuts Xerif*, in Syria.
Ibanum, *Van*, in Turcomania seu Armenia.
Iconium, *Cogni*, in Asia minori.
Melitena, *Malatiah*, ibidem.
Merita, *Maraz*, ibidem.
Neocæsarea, *Tocat*, ibidem.
Nicæa, *Isnich*, ibidem.
Ninive, *Mosul*, in Diarbechia seu Mesopotamia.
Prusa, *Bursia*, in Asia minori.
Rhodus, *Rhodes*, in ora Asiæ minoris.
Sebastia, *Sivas*, in Asia minori.
Seleucia, *Bagdet*, in Babylonia.
Simyra, *Erzerum*, in Turcomania seu Armenia.
Sinope, *Sinabi*, in Asia minori.
Smirna, *Ismir*, ibidem.
Trapezus, *Tarrbosan*, ibidem.
Tripolis *Tarabolos Scham*, in Syria.
Tyrus, *Sour*, ibidem.

In Europa.

Achridus, *l'Ochrida* seu *Giustandil*, in Macedonia.
Alba Regalis, *Stulweissemburg*, in Hungaria.
Athenæ, *Setines*, in Græciâ.
Aulon, *la Valona*, in Macedonia.
Banjalucum, *Banjaluch*, in Bosnia.
Belgradum, *Belgrade*, in Hungaria.
Buda, *Bude*, seu *Budun*, ibidem.
Caffa, *Caffa*, in Tartaria minori.
Candia seu Marium, *Candia*, in Creta insula.
Chalcis, *Negrepont*, in ora Græciæ.
Constantinopolis, *Stamboul*, in Thracia seu Romania, Imperii caput.
Corinthus, *Coranto* & *Corto*, in Peloponneso.
Dyrrachium, *Durazzo*, in Albania.
Gallipolis, *Gallipoli*, in Thracia.
Hadrianopolis, *Andrinople*, ibidem.
Iayeza, *Iayeze*, in Bosnia.
Methone, *Modon*, in Peloponneso.
Nauplia, *Napoli de Romanie*, ibidem.
Nicopolis, *Nigeboli*, in Bulgaria.
Patræ, *Patras*, in Peloponneso.
Pristena, *Prisren*, in Macedonia.
Scodra, *Scutari*, seu *Scodar*, in Albania.
Scupia, *Uschup*, in Servia
Serajum, *Seraio*, in Bosnia.
Sophia seu Sardica, *Sophia*, in Bulgaria.
Sparta, *Misitra*, in Peloponneso.
Strigonium, *Gran*, in Hungaria.
Temesuaria, *Temisuar*, ibidem.
Thebæ, *Stives*, in Græcia.
Thessalonica, *Salonichi*, in Macedonia.
Vihitza, *Vibitza*, in Croatia.

TURCHESIA, seu TURCICA GEMMA, Gallis *Turquoise*, Persis *Ferza* aut *Firuza*, vocabulô ex Græcô sumptô; eadem enim cum hodierna *turchesia* Jaspidis species est, cœlo autumnali similis, adeoque cœlini seu aërini coloris, hinc Græcis *ἀερίζουσα* dicta, vel *ἠερίζουσα*, & contractè *ἠρίζουσα*, unde Persicum *Firuza*, & Arabicum *Feruzegi*. Ab iisdem Græcis *Boream* eam vocatam, Plinius notat, quòd scil. ejus coloris sit, quô cœlum solet esse, cùm Boreas flat; Hodieque felicem illam habent & boni ominis, uti olim quoque pro amuleto gestabatur, uti videre est apud Orpheum de hujus gemmæ, quam *ἀερόχροον ἴασπιν* appellat potentiâ & felicitate multa narrantem. Salmas. *ad Solin. p.* 202. & 1130. Vide quoque suprà *Cugnos* & *Sapphirus*.

TURCHESTANIA, vulgò *Turquestan*, pars ampla Asiæ, in Tartaria, inter Tartariam veram seu magnam ad Boream & Imperium Magni Mogolis ad Meridiem, ut ferè omnes narrant in historiis illius tractus. Sunt tamen multi recentiores, qui credunt nullam esse

esse regnum *Thibet* seu *Tobat*, cum urbe primaria cognomine; sicque de illis partibus pauca certa dici possunt.

TURCHIFARUS, in *Conventionibus* Michaëlis Palæologi & Genuensium A. C. 1261. à C. du Fresne editis, post *Historiam Gallo-Byzant.* monetæ aureæ Turcicæ species est.

TURCHIMANNUS, vide suprà *Dragomannus*.

TURCOMANIA, vulgò *la Turcomanie*, regio est Asiæ, quæ aliàs Armenia major dicta fuit. Extenditur inter Georgiam ad Boream Asiam minorem ad Occasum, Persiam ad Ortum, & Diarbechiam ad Meridiem. Subest dominio Turcarum; & ejus præcipuæ urbes sunt: Amida & Ibanum. Zonaras, Turcas quosdam Duce Cutlumo & Botoniate, regionibus versus Pontum occupatis regnum Turcomanniæ constituisse refert, A. C. 1072. *in Hist.* vide quoque P. de Valle *Itiner.* & in voce *Armenia major.* Scaligero *Turcomannus* est νομαδικὸς, qui *stabile stabulum*, Plauti verbô, *Aulul. Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 56. non habet, cujusmodi est natio hæc Circassis finitima, vide eum *Canonum Isagogic. l.* 3. & Car. du Fresne *Notis ad Cinnamum.* Extollere illi caput, summamque rerum Persicarum ad se transferre, post obitum Tamerlanis, cœperunt, divisi in duas factiones, *Karakoiulu*, seu Nigrorum Arietum, & *Akoiulu* seu Arietum Albrorum; è quorum illis primus Rex Persiæ *Kara Jusuph*, seu Niger Josephus, Tamerlanis successorem evertit. Sed ejus familiam annis circiter 50. pòst isti everterunt, quorum primus Uzum Cassanus Persiâ potitus est A. C. 1468. & Regnum ad successores transmisit, tandem à Sophianis, qui hodieque rerum potiuntur, pulsos. Georg. Hornius, *Orb. Imp. p.* 421.

TURCOPULI, apud Guil. Tyrium, *l.* 1. *c.* 7. alibique, milites sunt seu equites levis armaturæ, vel nutriti apud *Turcos*, vel ex matre Christiana & patre Turco prognati, unde nomen. Τουρκόπουλος enim Græcis recentioribus *Turci filium* notat. His Alexium Imperatorem aliosque Principes in bellis usos, observant Scriptores Byzantini. Hinc *Turcopolarius*, qui militibus his conductitiis præerat, dignitas in Aula Cypri Regum, de cujus officio vide Steph. Lusinianum, *Histor. Cypr.* Statuta Ordin. Hospitalis S. Joannis Hierosolym. *tit.* 10. §. 25. 26. & Dominic. Macrum, *Hierolex.* ubi hodieque in Insul. Melita *Turcopolos* appellari equitum Præfectos, adnotat.

TURDE, Vilumbrorum civitas in Italia. Vide *Tuder*.

TURDETANI, populi Lusitani in regno Portugalliæ, ad Meridiem, quorum regio *Turdetania*. Hos adeò opulentos fuisse refert *Strabo*, ut præsepibus uterentur argenteis. *Turtitani Stephano* sunt, qui eos una cum *Turdulis* confundens circa Bætum describit. *Baudrando* fuêre partim, in Lusitania Australi, ubi hodie Algarbia regnum cum parte Portugalliæ, & partim in Bætica, ub territorium Hispalense, & Ducatus Medinæ Sidoniæ in Vandalitia provinc. ex *Brietio*. Eorum Urbes fuêre Julia, Ossonoba, Lacobriga, Hispalis, Italica, Asta, & Asindum.

TURDULI, *Ptol.* & Melæ, *l.* 3. *c.* 1. populi Hispaniæ Bæticæ inter Mellariam & Bariam incolentes, partim in Vandalitia, partim in regno Granatensi, Bastulis finitimi. Alii in Lusitan. in ora inter Mundam & Durium fluv. inhabitantes; quorum tractus *Beira Vasconcel'o. Baudrando*, ubi hodie territorium Cordubense, in Vandalitia & pars regni Granat. inter Bætim & Singilim fluv. ex *Brietio*.

TUHDULUS Gallicanus, Historicus Rom. cujus *Ephemeridem* laudat Fl. Vopiscus, ei coævus in *Probo*, *c.* 2.

TURDUS, Græcè κίχλη, Hebr. קִיכְלִי ficedulæ jungitur, apud Corn. Celsum, *l.* 2. *c.* 18 & in *Tiberio* Suetonii, *c.* 42. Plautus quoque in *Captivis Actu* 1. *Sc.* 2. *v.* 60. ad utramque avem alludit,

Opus Turdetanis, opus Ficedulensibus.

Quòd scil. in deliciis Veter. aut pares, aut suppares essent. Sed contrà quàm Hebræi sentiunt, *turdo* datur principatus ab iis, qui palati deliciis omnia metiuntur. *Horatius*, *l.* 1. *Ep.* 15. *v.* 40.

——— *Obeso*
Nil melius turdo ———

Et notum Martialis *Xenion* 92. *l.* 3. qui idem alibi *ibid. Epigr.* 51.

Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Persius, *Sat.* 6. *v.* 24.

Nec tenuem solers turdorum *nosse salivam.*

I. e. non liguritor, & λίχνος, qui probè calleat quô sapore sint turdi. Vide quoque Aristophanis Scholiastem *in Pace*. Unde olim Athenis, cùm disciplina erat adstrictior, ὀψοφαγεῖν, οὐδὲ κιχλίζειν ἐξῆν, uti legimus apud eundem Comicum, *in Nubibus*. Ex Pompejus æger à Lucullo turdum peti noluit, quamvis jubente Medicô, hôc celebri dictô usus, Οὐκοῦν εἰ μὴ Λεύκουλλος ἐτρύφα, Πομπήϊος οὐκ ἂν ἔζησεν; *Ainigitur absque Luculli luxu Pompejus non viveret.* Quod ita placuit Plut. ut id referat quater minimùm, nempe *in Lucullo* & *in Pompejo*, & in *Apophthegm.* & in libro. *An Seni gerenda sit Resp.* contra etiam *cerebellis turdorum* Palatinos pavit monstrum illud Romanæ luxuriæ Heliogabalus, apud Lamprid. *c.* 19. At hodie non eadem iis gratia: quod fortè inde, quia, simul ac capti fuerint, assantur, plurimùm adhuc macri, præterquam vindemiæ tempore. Olim verò, vel in ornithonibus ac amplis magnisque villæ septis & peristyliis; vel apud fartores urbanos in cellis angustis & obscuris alebantur, ut citò pinguescerent: quorum illi *terrarii*, saporis longè melioris, hi *cellarii* dicti sunt Charisio Sosipatro, ut suprà vidimus. In ornithonibus autem tantâ copiâ servabantur, ut agros Romani illorum fimo, cui & principatum Varro tribuit, stercorarent. Vide Plin. *l.* 17. *c.* 9.

Sed & *turdus* vermibus pascitur, caroque ejus fibrosa & dura est, Galenô teste de *Alim Facult. l.* 3. *c.* 19. unde gulam potiùs, quàm judicium, hanc avem reliquis olim prætulisse, censet Vossius, *de Idolol. l.* 3. *c.* 92. Neque verò esui solùm & palati deliciis grata est, sed & loqui discit, qualem Agrippina Claudii Cæs. conjux habuit, apud Plinium, *l.* 10. *c.* 42. qui & de merula, summam cum turdo habente convenientiam, iidemque à Romanis saginari solitâ, ubi suprà. De *turdis* vero plura, apud Salmas. *Not. ad Pallium Tertull.* Sam. Bochart. *Hieroz. parte prior. l.* 1. *c.* 16. Alios. *Turdum* piscem, κίχλην similiter Græcis, juxta merulam, inter saxatiles nobilissimum, *marinum psittacum* proinde dictum Tralliano, *l.* 6. *c.* *de Pleurit.* & Plinio Valeriano, *l.* 5. habes apud eundem Vossium, *l.* 4. *c.* 24.

TUREGUM, seu TURGEA, tractus Helvetiæ, inter Tigurinum pagum ad Occasum. Sub VIII. pagis antiquioribus. Ejus oppid. primarium *Frawenfeld* dicitur. *Turegum* quoque Tigurum urbs dicitur, vide ibi & de tractu hoc in voce *Turgea*.

TURELLUS Petrus, vide *Petrus*.

TURELUPINI, Hæretici dicuntur, secul. 14. precibus spretis, nudi incessisse, aliaque abominanda patrâsse. A Gregorio II. condemnati, A. C. 1332. Aliquando tamen tum nomen hoc, tum vitia adeo horrenda, per calumniam, Valdensibus affinguntur, vide *Valdenses*. Quòd loca tantùm *lupis* exposita habitarent, sic dicti, Vignierio A. C. 1159.

TURENA, vulgò TURENNE, oppid. cum arce, in provinc. Lemovicensi, in limite Cadurcensis, 2. leuc. à Briva Curretia in Meridiem, 4. à Tutela, Sarlatum versus totidem. Caput Vicecomitatus amplissimi & vetustissimi, cujus ditio in finibus Cadurcorum, Petragoricorum, & Lemovicum posita, de tribus his provinciis participat. Sub Ducibus, è gente *de la Tour d'Auvergne*, qui & nuper Sedani supremi Domini fuêre. Dicitur T*orinna* in Annalib. vetustis Francorum, & T*orenna* in actis mediæ ætatis. Vide Thuan. *l.* 85. & suprà in voce T*orinna*. Cœterùm, Familiam hanc illustrem just. opere excoluit Christoph. Justellus, eamque deducit à Wilfredo Comite *de Bourges*, circa A. C. 828. Hujus nepoti Acfredo, præter Gulielmum Comitem Arverniæ & Ducem Aquitaniæ, satorem Comitum Arverniæ & Bononiæ, ac Delfinorum Arverniæ & Comit Claromontis, qui jam dudum extincti: natus est Bernardus, auctor Dominorum *de la Tour*. In quibus notabilis est Albertus II. Dn. *de la Tour du Pin*, pater alterius Alberti (cujus filii, Humbertus ultimum ramum Delfinorum Viennæ & Albertus reliquos Dominos *de la Tour du Pin* & *de Vinay*, ad finem seculi XIV. superstites, dederunt) & Bernardi IV. à quo stemma propagatum. Hujus nepos Bertrandus I. ex filiorum altero Bernardo VI. Dn. *de la Tour*, posteritatem habuit, quæ à Maria agnata, Godfredi Mongasconii filiâ, titulos Comitum Arverniæ & Bononiæ recepit, & in Magdalena, Catharinæ Mediceæ Reginæ matre, atque, quod nov um Mongasconium ramum attinet, in Anna, ter uxore 1530. defecit. Alter Bertrandi fil. Dominos *d'Oliergues* sevit. In his Annetus Turrius, seu *de la Tour*, Comitatum Bellifortium, & Vicecomitatum *Turenæ*, ab uxore Anna (filia Petri Comitis *de Beaufort*, Vicecomitis *de Turenne*) nactus est. Accessit posteà axioma Ducatus Bullionii Henrico, (filio Francisci Turrii, & Eleonoræ Montmorentiæ, defuncto A. C. 1623.) qui, ex posteriori matrimonio Elisabethæ Nassoviæ, genuit Fridericum Mauritium Ducem Bullionii, ex Eleonora Febronia Bergensi egregiæ prolis parentem, Henricum Vicecomitem *Turennium* Generalem Franciæ Marescallum haud pridem extinctum, nullâ ex Carola Caumontia Forcæa sobole relictâ; Luisam, Mariam (uxorem Henrici Tremollii Ducis *de Thouars*) Julianam Catharinam (uxorem Francisci *de Roye de la Rochefaucault*, Comit. *de Roucy*) Elisabetham (uxorem Guidonis Aldoncii *de Durfort*, Marchionis *de Duras*) Henricam Catharinam (uxorem Amalrici Goyon Marchion. *de la Moussaye*) & Carolam, omnes domus *Turriæ* seu *de la Tour d'Auvergne*. Quod lineas collaterales attinet, altera *de Limeil* extincta est A. C. 1591. altera Dominorum *de Murat* & *de Savennes* gentile cum Turenniis obtinet ac servat nomen, Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Parte I. in Ind.* Vide quoque eum, *Arte Heraldicâ Tom. II.*

TURESIS, unus è Ducibus Thracum montanorum, contra Tiberium rebellium, qui arctâ obsidione, à Poppæo Sabino, clausus, aquâ pabulôque ereptis eruptione nocturnâ, in Romanos evadere cum suâ juventute aut cum libertate occidere destinârat. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 50.

TURGANA, Arabiæ Felicis insul. Ammian. *l.* 23. in qua Serapidis maximum esse templum scribit. *Ortelius* putat eandem esse cum *Serapide Ptolemæi*.

TURGAVIA, seu TURGAVIENSIS PAGUS, in *Literis* Basilicæ Martyrum Turegiensium, *Ludovicus Rex, Cursim nostram Turegum in Ducatu Alemannico, in pago Turgaviensi*: idem cum Turgea, de qua mox. Vide B. Rhenanum, *Rer. Germ. Nov. Antiqq. l.* 1. *tit. Alemanni trans Rhenum in Germaniam Primam & partem Maximæ Sequanorum, hic. Helvetiorum & Rauracorum, ac in superiores ad Rhenum agros ac Turgaviam* &c. ubi & *Notas* vide Cl. Ottonis, *p.* 209.

TURGEA, meliùs DURGEA, Oswaldo Molitori *comment. in Panegyricum Glareani*, à *Dura* fluv. & voce Celtica e Græco γία natâ *geuw*, German. *Turgew* vel *Durgew*, tractus est Helvetiæ, cum titulo Comitatus, cujus situm vide suprà, in *Turegum*. Occupata regio est ab Helvetiis, bellô, quod contra Sigismundum Austriæ Archiducem gesserunt, partim à Pio II. qui Sigismundum ob Cardinal. Cusanum in vincula conjectum, excommunicaverat, impulsi, partim aliis causis permoti: namque Vitodurum, quod tum Austriis parebat, Tigurinis ad nundinas adventantibus portas clauserat, & duo è Stiria nobilissimi fratres Gradleri, ab Austrio domô pulsi, Tigurinorum, à quibus in jus civitatis recepti erant, opem implorârant. Tum igitur Rappersvilam ac Dissenhovium, Frawenfeldum item & Turgeam Helvetii occupârunt: pace demum initâ A. C. 1460. operâ Ludovici Bojorum Principis. A quo tempore, Tur-

geæ

gæ præfectura, quâ in tota Helvetia nulla est amplior & populosior, quippe supra 50. parochias comprehendens, Pagis VII. vetustioribus subest, ad quos dominium regionis, & civilis jurisdictio pertinent, cum quibus ipsi, si externô petantur hoste, militant. Ceterùm judicia rerum capitalium, provocationes & mulctæ harum causarum, ad decem Pagos, qui bellum adversus Maximilianum fœdusque Suevicum gessêre, additis nempe prioribus septem Bernensibus, Friburgensibus & Solodurensibus, spectant. Sub his inferiorem jurisdictionem passim in vicis Turgeæ nobiles exercent: & quidem Episcopus Constantiensis suos præfectos in Turgea habet, Arbore Felice, Tanneggi, Guttingæ, Gotliebæ. Capitulum Ecclesiæ Constantiensis Alienavii jurisdictionem exercet. Cœnobium porro Augiæ divitis, maximos in hoc tractu reditus jurisdictionesque possidet Steckburæ, Bernangi, Manebarthi, Ermatingæ, Tribeltingæ, &c. Eremitarum Abbas cœnobii Etichenzi dominus est. S. Galli quoque Abbati aliquot hic vici sunt, ut taceam cœnobia quæ in ipsa Turgea jacent, & nobilium arces plurimas. Abbas denique Rinovianus, in oppid. Rinovio merum mixtumque tenet imperium. Præterea oppida quædam Turgeæ Helvetios quidem patronos agnoscunt, cæterùm suas immunitates amplas ac propriam habent jurisdictionem, ut Episcopicella, Arbor felix & Diessenhovium. Sedes judicii Provincialis hodie Frauenfelda est, unde ne aliò transferatur, ab Helvetiis decretô est cautum. Plura vide apud Stumpf. *in Chron. Helv.* Jos. Simlerum, *Helv. descript. &c.*

TURHOLTUM, cella primùm à Ludovico Imperatore tradita Anschario Archiepiscopo Hamburgensi, ubi hic ex Danis, Normannis & Sclavinis, atque etiam ex captivis pueros emtos ad Dei servitium & sacram militiam educavit: Eam posteà Carolus fil. Ludovici Hamburgo ablatam Reginario dedit. In diœcesi Brugiensi positam Miræus ait, ubi nunc pro veteri monasterio Canonicorum S. Petri collegium sit. In Andoverpensi Diœcesi locat Valesius, vicumque hodie esse refert 800. domorum *Turnhout* vulgò dictum, magnificô templô D. Petro sacrô illustrem: *Notit. Gall.* Vide quoque *Turnhutana arx.*

TURIA, urbs aliàs Celtiberorum, nunc Aragoniæ, *Albarazin* dicta: Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsaraugustano, ab Ausonibus Italiæ populis condita an. Urb. Cond. 640. In colle, 4. leuc. à fontibus Turiæ in Ortum, *Lobetum* etiam. Vide ibi.

TURIA, vel TURIAS, TURIUM Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Durius* Melæ, *l.* 3. *c.* 1. *Guadalaviar*, teste *Clusiô*, fluv. Hispaniæ Tarraconensis haud procul à fontibus Tagi, & Sucronis, à Turulto urbe 10. leuc. oriens, ac in mare Ibericum juxta Valentiam influens. *Baudrando* oritur 1. leuc. à fontibus Tagi, 4. supra Lobetum in Occasum, hinc per Aragoniam fluens, ad Terulum recipit Alhambram fluv. dein per regnum Valentiæ labitur, & paulo infra Valentiam urbem in Mare Mediterraneum & Sinum Sucronensem se exonerat. Juxta hunc Sertorius, à Pompejo, Calaguri receptâ, victus est. Claudian. *de laud. Serene*, *v.* 72.

Floribus, & roseis formosus Turia ripis.

TURIACUM, oppid. Normanniæ inferioris ad Oliram fluv. 6. leuc. supra Cadomum in Meridiem, Viriam versùs totidem; *Tury* vulgò.

TURIASO, *Ptol. Turiasso* Plin. *l.* 3. *c.* 3. vulgò *Taracona*, urbs Hispaniæ Tarraconensis in regno Arragonio, prope montem Caunum ad fluv. *Queiles*. 4. leuc. à Tutela urbe in Africum, Soriam versus 8. à Bilbili 10. in Boream, 14. à Cæsaraugusta.

TURICHEMUM, seu TURCHIMUM, vulgò *Turckeim*, urbs parva, sed Imperialis Alsatiæ superioris. Sita est ad amnem *Fach*, vix 1. leucâ Gallicâ à Colmaria in Occasum, uti 4. à Brisaco.

TURRII, qui THURII *Strab. Thurium* Plin. *l.* 3. *c.* 11. popul. & urbs M. Græciæ. Vide *Thurii*. Item oppid. Apuliæ Peucetiæ *Strab.* Inter Cupersanum, & Aquam vivam, 6. mill. pass. Vulgò *Turi*.

TURINGI, seu TORINGI, ac THURINGI, vulgò *Duringer*, populi Germaniæ, quorum regio *Turingia* vel *Thuringia*, cujus urbes *Erfordia, Jena, &c.* Vide *Thuringia*.

TURINGUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

TURLOTUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

TURMA, Varroni, *l.* 4. *de L. L. terma* est, quòd terdeni Equites ex tribus Tribubus, Tatiensium, Ramnium & Lucerum fiebant; Scaligero ex Græco *τῦρμα*, *rotunditas*, uti Cohors, quia cohortes villaticæ rotundæ, vide Just. Lipsium, *de Militia Rom. l.* 2. *c.* 6. Hinc *Turma*, pro Equestri Ordine, apud Papin. Statium, *l.* 4. *Sylv.* 1. *v.* 25.

Moribus atque tuis gaudent Turmæque Tribusque,
Purpureique patres ———

Ubi notos tres Ordines Romani Status indigitat. Vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad loc.* Inde *Turmarii*, in *l.* 3. *Cod. Theodos. de Privil. eorum qui in sacro palat. mil.* inter viliora officia, qui *turmas* à provincialibus exigebant. Sed & *Turma*, regio est, apud medii ævi Scriptores, unde *Turmarcha*, turmæ seu regionis præfectus, apud Joannem VIII. *Ep.* 240. Græcè quoque *Τουρμάρχης*, apud Leonem, *in Tacticis*, *c.* 4. §. 8. Constantinum Porphyrog. Alios. Itaque apud Ughellum, *Tom. I. p.* 995. Stratigotis, Judicibus, Vicecomitibus, Curmatchis, Plateariis &c. reponit *Turmarchis*, Car. du Fresne, *Glossar.* quem vide quoque *Notis ad Alexiadem*, *p.* 273.

TURMEDA, civitas Syriæ, quæ & *Amphipolis*. *Steph.*

TURMODIGI, populi sive oppid. Hispaniæ Tarraconensis. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

TURMOLI *Antonin.* seu *Tumuli*, locus Lusitaniæ in Vectonibus, seu pagus; vulgò *Roccha fria*, vel *Roccha Fredda*, inter Emeritam 66. & Capatam 44. mill. pass. *Itin. Fac. Delgadus, Ferrarius* &c.

TURNACUM, vulgò *Tournay*, urbs vetus ac nobilis Flandriæ, caput quoque olim alicujus gentis, cùm prisca sedes Episcopatûs extiterit, antequàm Noviomagensis Ecclesiæ Episcopis commendaretur, nulli tamen veterum Historicorum & Geographorum, ante Æthicum, memorata. In veter. Notit. Provinc. inter Belgicæ secundæ urbes 12. septimum, in recentioribus quintum locum obtinet. Hieronymo, *Ep. ad Ageruchiam* dicitur *Tornacum*: Audoëno *Regalis quondam civitas*, fortè quia Chlodionis, Merovei & Childerici Francorum Regum fuit sedes, aut saltem Chlodionis, qui Carbonariam silvam ingressus, *Turnacum* & Camaracum cepit, omniaque ad Suminam fluv. usque occupavit. *In Notit. Imperii Romani* memoratur *Procurator Gynæcii Tornacensis.* Nerviis veterib. urbem attribuit Valesius, quibus duo aut tria capita adscribit, Camaracum, *Turnacum* & Bagacum: Potentissimi enim hi fuerunt, & Centrones, Grudios, Levacos, Pleumosios, Gordunos sub imperio suo, finesque latissimos habuerunt, ad Oceanum usque pertingentes. Unde *Nervici literis tractus*, apud Paulinum, *epist. ad Victricium Episc. Rotomag.* quem ibi verbum Domini prædicâsse asserit. Nummo Tornaci, sub Merovei posteris, percuti consuevisse, probat Botarotius ex nummo, in cujus aversâ parte scriptum, TURNACO. Inter *Tornacenses Francos* rixâ obortâ, propter duorum affinium cædem, horum propinqui in se mutuo sævientes, Fregedundes jussu in convivio securi percussi sunt: quare ab horum amicis acrius custoditâ Fregedunde, nuntiique ad Childebertum missi sunt, ut comprehensa interficeretur, Gregor. *Hist. l.* 10. *c.* 27. Erant hi *Seniores Franci* seu Majores natu *Turnaci*, quales Seniores Rotomagi Francos idem *l.* 8. *c.* 31. commemorat. Ecclesia *Turnacensis*, quæ per ann. 500. Noviomagensib. Episcopis fuerat commendata, proprium iterum Episcopum A. C. 1146. Anselmum nomine ab Eugenio III. Bernardô Claravallensi Abbate procurante, accepit. Et olim Gandentes parusse, testis Audoenus: indeque decerptas diœceses Gandensem & Brugensem, Sanctô, quàm verè, vide apud jam laudatum Valesium. Primas hodie tenet inter urbes, quæ Camaraco, novæ metropoli, suffraganeæ, secus das Atrebatæ, quarum Diœcesi Duagium, Betunia, Bapalma, Lensense castrum, Buccinium *Bouchain*, Bastea ac pars Valentianatum continentur. Nam alteram Valentianatum urbis & *Tornaci* quoque portionem Camaracum suæ vendicat diœcesi. Nunc *Turnacum*, una cum Insul. & Duagio attribuitur Flandriæ Gallicanæ, quam vulgo pagum Francum, *le Franc* appellant: sub Gallis. Vide *Tornacum*. Est & *Turnacum*, in Cenomanis, fortè *Terrai*: municipiolum nunc aut potius vicus, inter Lavarzinum & Carcerem castrum, trans Lidericum fluv. in extremis pagi Cenomanici finibus: ibi reliquias Petri & Pauli Apostolorum haberi tradit Gregor. Turonens. *de mir. S. Martini l.* 4. *c.* 12. urbemque hanc in Turonicæ Basilicæ S. Martini ditionibus detineri, refert Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

TURNEBUS Adrianus, Normannus, seculi sui decus, eruditione suâ omnium admirationem meruit. Scripsit prosâ versuque varia, quæ maximi æstimantur. Docuit Tolosæ & Parisiis, ubi obiit, A. C. 1565. ætat. 53. Scævola Sammart. *in elog. doct. Gall. l.* 2. *Lipsius, Barthius, Rositus* &c. Sed & Anton. Teissier, qui ejus scripta enarrat, filii cognominis, Poëtæ Latini Gallicique, meminit *Elog. Part. I.* Vide quoque *Hadrianus*.

TURNEBUS Guilhelmus, vide *Guilhelmus*.

TURNEHUTANA Arx Belgii, operâ cerevisiarii intercepta, A. C. 1590. à Mauritio Principe Arausionensi, qui posteà A. C. 1597. secutos hic Hispanos aggressus, insigni illos clade affecit. Vide Thuan. & Grotium, *Histor.* & suprà in voce *Turholtum*.

TURNHUTANUS Martinus, vide *Martinus*.

TURNI, Calabriæ oppid. mediterraneum, *Τοῦρνοι Ptol.* sive ut paulo vetustiores ejus auctoris interpretes legerunt, *Στᾶγοι*.

TURNINUM, pagus Brabantiæ, 1. milliar. ab Antverpia. *Davus Ortelio.*

TURNO, locus Galliæ, ad Rhodanum, è regione Tegnæ *Tin*, nunc celeberrimus & Comitivæ titulô ac scholis suis & multitudine incolarum insignis: unde familia nobilis Dominorum *Turnonensium*. Mendosè à recentioribus appellatur *Turnonium*. Vide ibi. Familiæ origo ab Odone Dn. *de Tournon*, qui floruit circa A. C. 1170. In ejus posteris Justus Dn. *de Tournon*, pater fuit Justi Comitis *de Rossilion*; quô & Claudiâ *de la Tour*, genitus Justus Ludovicus Dn. *de Tournon* Comes *de Rossilion*, ex Magdalena Rupifulcaudia, genuit Justum Henricum Comitem *de Tournon* & *Rossilion*: qui ex Carola *de Levis* suscepit Justum Ludovicum, maritum Franciscæ (filiæ Nicolai *de Neufville* Marchion. *de Villeroy*) gentis suæ ultimum, defunctum A. C. 1644. Phil. Jac. Speierus, *Theatrô Nobil. Europ. Part.* 3. *p.* 82.

TURNOMIUM vel TORNOMIUM, castrum Galliæ, Præpositurâ illustre vulgò *Tournon* & *Tournam en Brie*, non procul à Castris. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall. in voce Parisii.*

TURNONIUM, melius *Turno*, quod vide, vulgò *Tournon* oppid. amplum Occitaniæ, cum castro munito, ad Rhodanum, in confinio Delphinatus, è regione Thini seu Tenarum, 2. leuc. supra Valentiam in Boream 4. ab Annonæo. Ibi Academia recens instituta. Ultimus ex familia Turnonia, in prœlio ad Philippopolim, in German. A. C. 1644. occisus est, rediitque terra hæc, in qua 72. parœciæ, ad Charlottam Montmorantiam, viduam de Vantadour. Davity, *descript. Gall.*

TURNONIUS Franciscus, vide *Franciscus*.

TURNUS, Dux, qui ab Æneâ est occisus. Virg. *l.* 12. *Æn.*

TUROBRICA, Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Alcantara, Benibero*, oppid. olim Hispaniæ Bæticæ, apud Alcantaram.

TUROCENSIS Comitatus, pars est Hungariæ superioris prope Vagum fluv. ad radices Carpathi montis, sub Austriacis; inter Comitatum Arvensem ad Boream, Liptoviensem ad Ortum, Transchiniensem ad Occasum, & Nitriensem ad Meridiem, *le Comte d'Owar* seu *de Turocz* Gall.

TUROCIUS Johannes, vide *Johannes*.

TURONENSIS, nomen in Moneta Gallica frequens, vulgò *Tournois*, ab urbe cognomine celebri, de qua suô locô. Sub Phi-

lippo IV. cusi sunt *Turonenses duplices* (Gall. *Tournois doubles*) i. e. denarii 2. Turon. Parisiensibus paulò minores; *Grossi* item *Turonenses argentei*, Gall. *Gros Tournou d'argent*, pretii 10. denar. &c. Et quidem in illis effícta crux pedata cum lilio & Inscript. in circulo, PHILIPPUS REX: in adversa, triangulus seu fastigium ædis sacræ cruce suprà insignitum, in circulo MON. DUPLEX. REGALIS, uti legimus apud Car. du Fresne, voce *Moneta*, qui & de illis varia habet *ibid.*

TURONENSIS Gregorius, vide *Gregorius*.

TURONES, populi Galliæ Lugdunensis aliàs *Turoni*, Cæs. *Comm. bell. Gall. l. 3. c. 35. & l. 7. c. 75.* Tacito, *Turonii imbelles*, item *rebelles*, *l. 3. Annal. c. 41.* vulgò *les Tourangeaux*: hos Apollinaris Sidonius, *in Paneg. Majorani*, cum adhuc privatum à Gothis defendisse scribit:

——— Cùm bella timentes
Defendit Turonos, aberas.

Ab Oriente Carnutibus & Biturigibus, ab Occidente, Andicavis sunt finitimi, à Septentrione Cenomanos, à Meridie Pictonas attingunt. Eorum urbs Archiepiscopalis est & Academiâ insignis, inter Aurelianos ad Ortum 34. & Andegavos ad Occasum 30. mill. pass. provinciæ Lugdunensis tertiæ caput olim & Metropolis, cui proxima civitas Cenomanorum: huic enim Sartæ ignobili fluvio adjacenti pridem cœperat prævalere, cùm aliàs Cenomani gens longè clarior & missis in Italiam coloniis celeberrima esset: sed & Julii Cæsaris jam ætate plus Cenomanis Turones poterant, cùm his 6000. Aulercis verò Cenomanis tantùm 5000. ad Alesiam liberandam sint imperata. Hujus cives dites & ingeniosos, prudentes atque etiam fortes facit Ingelgerius, Comes Wastinensis & Andegav. *in gestis Consulum Andegav.* In urbe porta Regis Hugonis *la porte du Roy Hugon*, vulgò corruptè *la porte Fourgon*, à qua *Hugontaurum* nomen ortum Avila, *l. 1.* & Thuan. *Hist. l. 24.* putant, celebris est. Hujus *Turonis*, mentio est, sicut Parisiis Monachi melancholici vel lycantropi, Aurelianis muli Odonis, apud Blesenses lupi Varoli, juxta vulgatum: *A Tours le Roy Huguet, comme à Paris le Moine bourru, à Orleans le Mulet Odet, à Blois le Loup Garou.* Existimat autem Valesius de Hugone, veteri Comite Turonorum, forsitan & portæ istius reparatore, factum illum esse *Roy Huguet* muliereulis dictum: quem etiamnum incolæ pro lemure terrifico habent, quoniam forte vivus, ob asperitatem morum, majoribus eorum terrori fuerit. Meminit Comitis istius Eginhardus, aliique, qui à Carolo M. ad Nicephorum Aug. unà cum Haitone Episcopo Basiliensi & Ajone Longobardo Forojuliensi, pacis causâ, A. C. 811. missum esse referunt. Moneta hìc olim percussa, unde parvi Turonenses, solidi Turonenses, libræ Turonenses, hodieque *deniers Tournois, & doubles Tournois*, *sous Tournois*, *livres Tournois* appellationem traxére. Caput est pagi cognominis, vide infrà in voce *Turonia*. Fuit parva olim, sed posteà castri S. Martini, adversus Normannorum incursiones, ac demum nuper novarum munitionum accessione aucta, & amplissima facta est, Maan. In *Turonibus* vetera Canonicorum collegia numerantur 20. claræ Abbatiæ totidem, minora Monachorum cœnobia amplius 100. Parœciæ 400. intra urbem 16. & præter Majus Monasterium *Marmoustier* ac Basilicam S. Martini, Bellus locus *Beaulieu* & Cormaticum *Cormeri* ad Andriam: porro Villa Lupæ *Ville Loin* ad Andrisium, Pruliacum ad Clasiam fluv. Nucarium *Noyers* ad Vigennam, Caino *Chinon* ad eundem fluv. sex Abbatiæ Benedictinæ, fœtus Basilicæ S. Martini. Tres Ecclesiæ Archidiaconatus habet, Majorem seu *Turonensem*, Transligeritanum & Transvigennensem. Basilicam S. Litorii, matrem Turonorum Ecclesiæ fuisse, quæ posteà S. Catiani appellatione susceptâ, nunc quoque sedes Archiepiscopi sit, credidêre nonnulli, sed, hos refutat Vales. *in Defens. Discept. de Basilicis regiis, c. 3.* qui nec Basilicæ S. Martini id tribuendum, docet *Notit. Gall.* ostendens Ecclesiam Beati Mauritii majorem semper Urbis Ecclesiam, & à Basilica S. Litorii & S. Martini distinctam fuisse. Hadr. Valesius, *Notit. Gall.* Regio *Turonia* vide ibi, vulgò *Touraine*, & urbs *Turones*, hodie *Tours*, & *Cæsarodunum* olim ampla est, ad sinistram Ligeris ripam, ibique ponte lapideô oblongô & pulcherrimô jungitur: ex altera parte alluitur Cari fluv. elegans & culta, emporiumque celebre. *Baudrand.* Gregor. Turon. *Gesta Turon. Pont.* Pap. Massonius, *descript. fluminum Gall.* Duchesn. *Antiq. Urb. Gall.* De Conciliis hìc habitis, vide Moter. *Diction. Hist.* Vide quoque *Cæsarodunum*.

TURONIA, vulgò *la Touraine*, provinc. Præfecturæ Aurelianensis, satis parva, sed fertilis admodum & rigua, proin *hortus Galliæ* dicta. Terminatur ab Ortu agrô Blesensi, à Septentrione Cenomanensi provinc. ab Occasu Andegavensi & Pictavensi, quâ etiam ad Merid. uti & Bituricensi Ducatu. Ejus urbes sunt Turones, Ambacia, seu *Amboise*, Caine seu *Chinon*, Lochia &c. Valesio non modò trans Ligerim, sed etiam trans Vigennam fluv. Turonum fines patebant; Ducatusque *Turoniæ* à fluv. Toëdo *Toué*, qui inter Abbatiam S. Florentii & Salmurium, in Ligerim influit, usque ad Hagas Blimartii, quæ & S. Cyrici dicuntur, ab Ortu in Occasum protenditur: à Septentrione terminum habet Ledum fluv. *le Loir*, quò ab Episcopatu Cenomanico & Carnutino dividitur: à Meridie *Vetlum* fluv. qui eum à Pago Pictavensi separat, ad quem est Campiniacum. Item Vigennam, Crossiam *la Creuse*, Andriam *Indre*, Carim *le Cher*, Amatissam *l'Amasse*. Sicut ab Septentrione præter Ledum jam dictum, Bressiam *Bresne*, Coseliam *Choisille*, Gandesiam, Gurnesiam, Braënuam *le Branle*, Sicetam *la Cisse*, & Ligerim. Oppida habet & castella, ab Ortu Ambaciam, Montem Tricardi, Rainaldi castrum: à Meridie Luccas, Prulliacum; Hagam, insulam Burcardi, S. Mauram, Montem Basonis ad Angerem, Bliriacum ad Carim, Montem Thesauri ad Andresium; ab Occasu Montem Sorelli, Cainonem, Columbaria & Saponariam, quæ duo loca ad Carim sunt: ad Septentrionem Alingaviam, Malliacum, Campum Caprarium, Rulliacum, Semblentiacum, novum Vicum *Neufvy en Touraine*, vide infrà. Planities fertilissima, Carim inter & Angerem vel Andriam in Turonibus jacens, à Monte Tricardi & Bliriaco, ad Montem Thesauri, Campania olim vocabatur, hodieque *Champagne*. Olim sub Comitibus ditio hæc: Odo Tricassium & Meldorum, Carnutum, *Turonum* ac Blesensium Comitatus possedit, atque à Galliæ Regibus tenuit. Huic duo erant filii Theobaldus ac Stephanus, è quibus illi Carnutes, *Turones* ac Blesenses, huic reliqui contigére: qui cùm Odoni fratri rebelli Henrici Regis faverent, hic post fratrem captum & Stephanum fusum, *Turonos* Theobaldo abstulit, & Goffredo Tuditi Comiti Andicavorum dedit, quam hic urbem A. C. 1044. victô Theobaldô, deditione cepit. Hic Goffridus Martellus aut Tudes, paulò post Wilelmi Ducis Aquitanorum & Pictavorum Comitis victor, inter sororis filios Goffridum Barbatum & Fulconem Richinum, ditiones suas moriens A. C. 1060. divisit. Sed A. C. 1068. Goffridus à fratre captus, Comitatu Turonicô spoliatus & in vincula conjectus est, quem cum Stephanus Blesensium ac Carnutum, & Helias Cenomannicus Consul in libertatem postularent, Philippô I. Rege adjutore Fulconem impugnantes, hic Stephanum quidem exhibitô hominiô, Philippum verò fraternis spoliis, nimirum Castrô Nantonis donatô placavit. Sic igitur Turoni, Caino, & Alingavia, Consulatusque Turonicus, quos Carnutum & Blesensium Comites à Regibus Francorum tenuerant, posteà Comites Andegavenses à Blesensium & Carnutum Comitibus, tenuerunt. Unde & Henricus II. Anglorum Rex pro Turonico Comitatu fidem ac hominium Theobaldo Blesensi Comiti exhibuit. Sed A. C. 1189. Philippus Aug. civitatem Turonos, eôdem annô Henrico ablatam, pace factâ Richardo ejus filio restituit: sicque factum est, ut Richardus & Johannes Reges, ac Arturus amborum fratris filius Turonos, quos ipsorum Majores, per annos 149. à Comitibus Carnutensibus Blesensibusque tenuerant, à Rege Francorum tenerent. Posteà verò A. C. 1202. *Turoniam* unà cum Normannia, Andegavia, Cenomaniaque Philippus Johanni, propter Arturi cædem, eripuit, occupavitque, à quo tempore Regibus tantùm, aut Regii sanguinis Principibus paruit: à Johanne Francorum Rege A. C. 1360. in Ducatum erecta: *Notit. Gall.* Adde Isaacum Franciscum, *Topogr. Turon.* Papyr. Massonium, *descr. flum. Gall.* Theobaldum le Pleigney, *decor. de Touraine*.

Loca Turonum vetera, quorum Gregorius Turonens. Episcopus meminit, cum hodiernis appellationibus.

Alingavia, *Langey*.
Angiacum, *Angé*.
Asiacum quadruplex, *Asay le Chetif*, & *Azay le Rideau*, & *Azay sur Cher*, & *Azay le Ferron*.
Balatedo, *Balan*.
Berraum, *Bretenay*.
Bricca, *Breche*.
Briotreidis, *Bridoré*.
Brixis, *Brisay*.
Buculium, *Bueil*.
Calatonnus vicus, *Clion*.
Cancelli, *Chanceaux*.
Cerate vicus, *Ceré*.
Ciconiacum, *Cigogne*.
Cisomagus, *Chisseau*.
Columbaria, *Columbiers*.
Condate, *Cande*.
Dolivicus, *Dolus*.
Evena, *Avoine*.
Gaudium, *Joué*.
Iciodorum, *Iseure*.
Lucilliacum, *Lesillé*.
Mantolomagus, *Mantelan*.
Malliacum duplex, *Maillé*.
Majoralum, *Mareuil*.
Mediconnus vicus, *Monnoye*: vel *Mosne*.
Mons Laudiacus, *Mont Lois*.
Novus Vicus, *Neufvi*.
Noviliacus vicus triplex, *Nuilli le Noble*, *Nuilli le Lierre* & *Nuilli Pont-Pierre*.
Navicellæ, *Nazelles*.
Orbaniacus vicus, *Orbigné*.
Oximæ, *Huismes*.
Paternacum, *Pernay*.
Prisciniacum, *Precigny*: duplex majus & minus.
Rotomagus vicus, *Ruam* vel *Ruan*.
Senaparia, *Seneviere*.
Severiacum villa, *Sivrai* vel *Sevré*.
Sirojabense Oratorium, *Siran la Late*.
Solonacum, *Sonnay*.
Tauriacum, *Turé* an *Truye*.
Tornomagus, *Tournon*.
Valeriæ, *Valieres*.
Vedunta, *Vonte*.
Vernadum, *Vernou*.
Vernolium, *Verneuil* aut *Vernneil*.
Villa Lupæ, *Ville Loin*, &c.

TURPIA, in recessu quidem omnia erant Gentilium sacra; Interim quæ etiam in fronte talia essent, non erubuêre Veteres, Romani inprimis, divinitate donare: Infames nempe meretrices, Cloacinam, Pavorem, Febrem, Pallorem, Rubiginem, Fornacem, Lupam, Faunam, Floram, Sterculium, Lapidem Terminum, Vitia cum Græcis, Mutinum obscœnum, & id generis alia sexcenta, ut refert Lactantius, *de fals. Relig. l. 1. c. 20.* Vide quoque in

in *Beel-phegor* & alibi *passim*. In specie, *Res turpis* Romanis dicebatur, quæ in collo infantibus ex annulo appendebatur contra Sagarum Strigumque fascina. Erat verò illa non Satyri species, sed Priapi, seu Mutini, cujus modò mentio facta. Unde Varro, *l. 6. Fascinus*, inquit, *res turpicula est, è collo pueris appensa*. Cùm enim putarent Romani, res teneras aspectu noxiò vitiosorum hominum cujuscunque sexus fascinati, proin ut eorum aspectum ab oculis puerorum abducerent, suspendebant ipsis è collo Mutinum Deum. Sic namque Cario ad mœchum, cui se virilia exsecturum minatur, apud Plautum, *Militis Act.* 5. v. 6.

Quasi puero in collo pendeant crepundia.

Eadem Priapi species, in nuptiis & poculis eôdem modô frequentata & Deabus familiaris fuit: ob *turpitudinem* eum, fascinantium oculos averti credebant, ne teneros aspicerent, unde & in asini magnitudinem quibusdam crevit. Et certè in poculis *turpia* istiusmodi efficta fuisse veteresque per obscœnitates istiusmodi bibisse notum. Plin. *Proœm. l. 33. Auxêre & artem vitiorum irritamenta in poculis libidines calare juvit & per obscœnitates bibere*. Unde illud Juvenalis, *Sat. 2. v. 95.*

——— *Vitreo bibit ille Priapo:*

Quæ quid sibi velint, ostendit Laur. Pignorius, *Comm. de Servis*, ubi istiusmodi poculorum icones exhibet. Idem Juvenalis *turpia* poculorum emblemata memorat, *Sat. 1. v. 75. 76. s.* ubi vide veterem Interpretem, quemadmodum & Martialem, *l. 8. Epigr. 51.* ubi de phiala Rufi. Imò & edisse *Turpia* atque obscœnitates priscos, idem testatur Martialis, *l. 14. Epigr. 69. v. 1.*

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum &c.

Et *l. 9. Epigr. 3. v. 3.*

Ipsa siligineis pinguescit adultera cunnis.

Nempe utriusque sexus *aidoia* è siligine conficiebant, ut Salmas. notat: ut de Lucernis veter. taceam, de quibus vide Fortun. Licetum, *insigni opere de Lucernis Antiqq.* Fascinum ex ære è Musæo Parentis sui, exhibet Thom. Bartholinus, *de Puerp. Veter.* At Comnenus Imperator Constantinopolit. etiam verba obscœna è conviviis totoque palatio exulare jussit. Vide infrà *Verba*.

TURPILANUS Trachala, vide *Valerius*.

TURPILIUS Dexter, vide *Lucius*.

TURPIO Ambinius, auctor comœdiarum, Terentii temporibus.

de TURRE Cremata Johannes, vide *Johannes*.

TURRENA Augustalis, Tusciæ urbs maritima. Caton. *Bernea* Leandro.

TURRENA Vallis, vide *Volturena* & *Vallis Telina*.

TURRES, *Antonin.* vulgò *Turi* oppid. Apuliæ Peucetiæ.

TURRES, *Antonin.* vulgò *S. Severa* oppid. Hetruriæ litorale inter urbem Romam. 30. & Centum cellas 28. mill. pass.

TURRES. *Antonin. S. Biaso*, teste *Barrio*, oppid. seu castrum Brutiorum in Calabria citer. in confinio ulterioris ad sinum Hipponiatem.

TURRES, *Antonin. Thurn.* Lazio oppid. Liburniæ mediterraneum.

TURRETINUS Franciscus, Theologus Genevensis celeberrimus. Ejus inter alia extat tractatus insignis *de satisfactione Christi*: quem excepit *Institutio Theologiæ Elenchtica*, *Tomis III. in quarto*. Obiit haud pridem, pater filii egregiè patrissantis.

TURRIA Familia, Gall. *la Tour*, nomen illustris in eo Regno Familiæ, de qua diximus quædam suprà, voce *Turena*. Sed & *Turrianorum* in Italia illustris Familia, quæ Mediolano olim præfuit, & à Regum Galliæ secunda stirpe derivari amat. In ea Martinus, cognomine *Gigas*, primus nomen *Turriani* sive *de la Torre* assumpsisse dicitur. Hic sub Conrado II. in Palæstinam profectus A. C. 1146. sed ad Damascum captus à Saracenis, diris modis excruciatus, ac tandem occisus est: Filius ejus Jacobus *Turrianus* Comes *de Valsassina*, Paganum, Joannem & Philippum genuit. E quibus Paganus, cùm plures Mediolanensium exules, à Friderico II. Imperatore pulsos hospitiô excepisset, à populo Civis & Prætor, dein ab Imperatore Vicarius Imperii Mediolani creatus, sed asperiori paulò in Nobiles imperiô usus est. Mortuo A. C. 1241. successêre fratres Martinus & Philippus. Ex filiis Pagani præcipui fuêre Hermannus, Napoleon, Franciscus & Salvinus. Quorum primi nepos Lombardus Phœbum genuit & Raimundum: è quibus ille Castellati, quod à Principibus Goritiæ feudo habebat, Dn. posteros in quartum gradum habuit; hic in plures. Napoleon Mediolanensibus, post patruum Philippum, præfuit, sed ad extremum infelix bellô, adversùs Ottonem Archiepiscopum captus, vitam in carcere finiit. Filius Conradus cognomine *Musca*, iterum Mediolani dominatum arripuit, sed ejus filii urbe à Vicecomitibus pulsi sunt. E quibus Floremontanus cognomine *Musca*, posteritatem numerosam habuit, qui ipsi quoque *Baronum* & *Comitum Vassassinæ* titulos gestârunt. De reliquis vide infrà *Valsassina*.

TURRIANUS Marcus Antonius, Valentiâ Hispanus, Jesuita, Antiquitatis Ecclesiasticæ, Græcæ & item Hebr. Ling. peritiâ instructus, sed Chronologiæ rudis, judice Card. Perronio, & judiciô non adeò acri pollens: in Concilio Tridentino, in eos, qui Calicis in S. Cœna usum peterent, gravissimè invectus, ab Angelo non bono id consilii illis suggestum, dicere non timuisse, traditur, in *Historia Concilii Trident*. Scripsit contra Sadeelem, & alia plurima, quorum series in *Elogiis* Anton. Teissier habetur, vide eum *Part. 1. & 2.* Obiit A.C. 1584. Ætat. 80.

TURRICULA, aliàs *Pyrgus*, *Fimus*, *Orca*, pyxis erat cornea, vel buxea, è qua tali vel tesseræ, inter diffidentes collusores, in tabulam effundebantur. Martialis, *l. 14. Epigr. 16. cujus lemma, Turricula*,

Quæ scit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Ita è Palat. eruit Gruterus, cùm anteà legeretur, *Quærit compositos*. Ad fraudem nempe vitandam in ludo excogitata est *Turricula*, cylindro mathematico similis; cava tamen & intus gradatim aspera, ut tali excutiendi impingerent. Unde tesseræ *incerta* dictæ, apud eundem Poëtam, *l. 4. Epigr. 14. v. 8.* & Ausonius, *in Professorib. Epigr. 1. v. 28.*

Fundum excelsi per cava buxa gradus.

Imò præter *Turriculam*, quam Græci *πύργον* dixêre, etiam *ψηφοβόλον* habuêre, Salmas. apud Anton. Thysium JCtum, *Notis in A. Gellium*, *l. 1. c. 20.* Vide quoque suprà, ubi de *Fritillo Pyrgo* &c.

TURRIS, ab Æolic. *τύῤῥις*, pro *τύρσις*, ornandæ & muniendæ Urbi excogitata. Sacris quinetiam peragendis, quales campanariæ Christianorum *Turres*; quæ si conectæ sint, campanas longiùs personare statuit Magius, quàm si apertæ: eò quòd sonus non in altum atque immensum spargitur, sed versùs inferiores partes propellitur. Teguntur verò istiusmodi *Turres* vacuis quibusdam pyramidibus, & metis lateritiis aut marmoreis, in quas propulsus aër augetur, & tanquam è latissimo tintinnabulo non parùm adauctus prosilit deorsum: In cujusmodi Turribus construendis atque exornandis non parùm studii atque industriæ ponere Architecti consuevêre. Etiam Turcæ, juxta Templa, altas *Turres* multilateras construunt; quarum fastigia in pyramides exeunt ligneas, plumbeis laminis, ad imbrium vim arcendam, contectis: ut si procul spectes, *Turres* campanarias Christianorum esse credas, & his urbes exornari affirmes. Non longè à pyramidis initio ita constructæ sunt, ut circumire quis facilè possit: quò scalâ cochlide ascenditur. In Rhodo tamen & Co Insul. pyramide nonnullæ earum carent. Porrò ostiola in scalæ summitate in circulare podium, Orientem spectantia, observantur: è quibus Sacerdotes, statis diei ac noctis horis prodeuntes, Omnipotentis Dei nomen voce Stentoreâ inclamant, hominesque hôc pactô, ut nos campanis solemus, ad templa convocant. Vide Hieron. Magium, *de Tintinnabulis passim*. Sed & in bello *Turrium* usus, præterquam enim, quòd *Turris* dicebatur ordo militum in quadro, instar turris, A. Gell. *l. 10. c. 9. Vocabula sunt militaria, quibus instructa certô modô acies appellari solet, Frons, Subsidia, Cuneus, Orbis, Globus, Forfices, Serra, Alæ, Turres*: inter machinas, ad oppugnationem adhiberi solitas, *Turris* erat mobilis, sive, ut Vegetius appellat, *ambulatoria*, quæ instar ædificii ex trabibus & tabulis, interdum 10. extruebatur contignationibus: intus habens arietem, quem suspensum milites in hostium muros impellebant: è superiore verò parte pons demittebatur, in eundem murum & scalæ confestim injiciebantur. Hæc tota moles, subjectis rotis a militibus circiter 50. introrsus promovebatur, cùm musculus aut vineæ præcederent, sub quibus fossores rastris ac ligonibus viam muniebant, aggeremque solidabant, ut mœnibus *Turris* propinquare posset, Hotomann. Vide quoque Vegetium, *l. 4. c. 17.* & 18. & Vitruvium, qui ejus ædificandæ rationem tradit, *l. 10. c. 19.* De illius forma locus est insignis apud Cæsarem, *de bello Gall. l. 2. c. 30. 31.* Altitudo tanta, ut plerumque, quemadmodum dictum, denûm tabulatorum esset. Idem, *ibid. l. 8.* & *de bello Alex.* Josephus, *de bello Jud. l. 6. c. 8.* quibus adde Procopium, *Gothic. l. 1.* & 2. Cujusmodi *Turrim* ligneam, ignibus invictam, memorat Cardanus, apud Fortun. Licetum, *de Lucernis antiqq. l. 3. c. 23.* &c. Porrò tropæorum locô *turres* erectas eisque spolia imposita, Florus habet, *l. 3. c. 2. Domitius Ahenobarbus & Fabius Maximus ipsis, quibus dimicaverant, locis, saxeas posuêre turres, & desuper exornata armis hostilibus Tropæa fixêre*. Ad faces navigantibus prælucendas, vide suprà voce *Pharus*: ad ventorum flatus monstrandos, infrà ubi de Andronici Cyrrestis *Octogona Turre*: ad thesauros custodiendos, ubi de *Psammeticho* Ægypti Rege, ad curriculorum in Circo numerum designandum, ubi de Circi *Ovis*: ad sepulchrorum, ubi de *Pyramidibus*; ad carceris usum, in *Statutis* Ordinis Hospitalar. S. Joann. Hierosol. *tit. 28. §. 39. 53.* ubi *ad turrim condemnari*, mitior pœna, quàm *ad carcerem*, & leviorum delictorum fuisse, indigitatur &c. In Ecclesia Roman. *Turris* seu *Turricula*, inter ministeria sacra occurrit apud Gregorium Turon. *de Gloria Mart. l. 1. Acceptâque turre Diaconus, in qua mysterium Dominici Corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium*. Ubi turrim, *vas in figura turris formatum, in quo deferebatur processionaliter Eucharistia*, fuisse, legas apud Dominic. Macrum, *Hierolex.* Vide quoque Car. du Fresne, *Descript. Ædis Sophianæ* &c. Cæterùm *Turres* Cyclopum esse inventum, docet Plin. *l. 7. c. 56.* qua de re vide Hadr. Turnebum, *Adversar. l. 28. c. 46.* Alii verò *turres* à Tyrrhenis primùm conditas, & ab iis nomen accepisse, aut hos potiùs ab illis dictos, volunt, vide Cœl. Rhodig. *l. 6. c. 18.* Dionysius certè densius extructas domos Tyrrhenis *tyrses* appellatas refert, Beemannus, *Origin. LL.* &c. Illas conscendere, atque ex iis hostiles copias contemplari olim virginibus, aliàs arctè admodum custoditis, licuisse, dicemus infrà voce *Virgo*: sed quâ & hoc cautione, vide suprà ubi de Atheniensium *Occaria*.

Turrium notabiliorum quædam.

α. Argentoratensis, totius Germaniæ celeberrima, ædificari cœpta est A. C. 1277. à Francis Regibus, absoluta post annos 28. In illa Horologium inprimis nobile, à Conr. Dasypodio Urbis Mathematico, concinnatum, quod prolixè describit Auctor Anonymus (Adam. est Pryelius) *Sinæ & Europæ c. de Turr.* β. Asinellorum *Turris* Bononiæ, vulgò *la Torre Asinella*, Pisanæ ad instar, velut ruinam minitans, constructa est; proceritate porrò visendâ. γ. Babylonia, de hac vide in voce *Babel*. Hornius, *οὐρανομήκη* ergò primariò extructam fuisse ait; ut inde Astra certiùs conspicerentur. δ. Butyri *Turris*, Gall. *la Tour de beurre*, dicta est Turris Rothomagensis celsissima, ad D. Mariæ Templum, in qua campana totius Galliæ maxima, dicta *George d'Amboise* 40. mill. librarum. Fuit autem hic Georgius Urbis Archiepiscopus, circa A. C. 1500. qui cùm videret, Diœcesin suam adeo olei laborare penuriâ, ut vix sufficeret tempori Quadragesimali; hujus locô butyri eis usum concessit, eâ tamen conditione, ut singuli penderent obolos 6. Turonenses, ex qua collata pecunia *Turrim*

hanc extrui curavit; cui inde à *butyro* nomen. ε. Capitum *Turris*, in Persia, memoratur P. de Valle *Itiner.* quæ ex variorum animalium capitibus tota conserta est. ζ. Florentiæ, ad D. Reparatæ, *Turris* campanaria visitur, omnibus numeris absoluta, & pulcherrimis sculpturis, quæ transeuntium morentur oculos, exornata. η. *Garisenda Turris*, eadem cum Asinellorum. θ. Landishutana, in Bavaria, omnium dicitur esse altissima: sicut Argentoratensis pulcherrima, Viennensis fortissima. ι. *Octagona* Turris, è marmore, Athenis extructa ab Andronico Cyrreste (qui etiò Ventorum numerum & partitionem instituit) in singulis lateribus singulorum ventorum imagines exsculptas habet, contra suos cujusque flatus designatas. Suprà turrim metam idem ex marmore similiter posuit, cui Triton æneus impositus, ad amnem auram versatilis virgam manu tenens ac porrigens indicabat, quis ventus flaret. Ad quod exemplum hodie, in summis ædium fastigiis, & Templorum obeliscis gallus gallinaceus ex ære collocatur, qui semper rostrum contra ventum flantem conversum habet, eumque hôc modô indicat. Sunt autem nomina ventorum in *Octagono* præfato, ΕΥΡΟΣ, *Eurus*, in Oceano hodie *Sud-Ost*, in Mediterraneo Mari *Siroc* dictus, qui juvenis imagine ibi repræsentatur: ΑΠΗΛΙΩΤΗΣ, *Subsolanus*, qui juvenis itidem, in sinu pallii poma, mala citrea & granata ferens exprimitur, in volatum non nimiùm præceps: ΚΑΙΚΙΑΣ, *Cæcias*, qui hodie in Oceano *Norst-Ost*, in Mediterraneo *Grec*, in Hadriatico sinu *Burino*, senis barbati schemate, olivis patinam plenam offert, unde maximæ Athenensibus opes. ΒΟΡΕΑΣ, Germ. *Nord.* Gall. *la Tramontane*; qui celerrimè volans, ocreatus & palliô nares obvolvens, velut à frigore sibi timeret, nihil gestat, sterilitatis velut auctor: ΣΚΙΡΩΝ, *Sciron*, aliis *Argestes*, seu *Thrascias*, similiter vestitus, vas aquarium inversum tenet, quippe pluvius Athenis. ΖΕΦΥΡΟΣ, *Zephyrus* seu *Favonius*, juvenis instar, pectus & crura nudus, vim florum in pallio gerit; cætera sedenti similis. Reliqui duo hodie non ampliùs conspiciuntur, parte illâ turris ædificio inclusâ. Fuêre autem sine dubio, ΝΟΤΟΣ, *Auster.* & ΛΙΨ, *Africus*, de quibus omnibus vide Salmas. *ad Solin. p.* 1245. *& seqq.* nec non Jac. Sponium, *Itinerar. Græciæ Parte* 2. *p.* 176. *& seqq.* ubi turris figuram exhibet. *Horologium* turrim hanc vocat Varro, *de R. R. l.* 3. *c.* 5. ubi similem rationem colligendi, quâ ex parte veniret ventus, in Ornithone villa fabricatam exponit. Nempe in quovis ejus latere, solarium erat, infra ventorum icones, quorum lineæ hodieque visuntur: unde turri *Horologii* datum nomen. Idem *ibid.* κ. Pisana, non ad perpendiculum, ut fit, sed mamme proclinata ac velut ruinam minitans, jamjamque casura, ab Artifice extructa est; teres columnisque claviculorum in morem circumplexa: In quam cùm ascenderis, mirum in modum timebis, ne illa prolabatur, teque ruinâ opprimat. Interim eô habitu, quô nunc est, primitùs fuisse extructam, neque terræmotuum injuriâ, ut quidam tenent, aliquando nutâsse, & à perpendiculi statu esse dimotam: probant fenestrarum ostiorumque limina & ea foramina, quibus tigilla tabulatorum, dum construerentur, quiescebant, & sustinebantur; plana enim sunt, non devexa, atque ad libellam consistunt. λ. Rotomagensis, vide suprà *Butyri Turris.* μ. Turcarum, vide suprà. ν. Viennensis, post Argentoratensem proxima, cœpit extrui A.C. 1340. consummata 60. demum annorum spatiô &c.

TURRIS Augusti, oppidum Hispaniæ Tarraconensis. Vide Aræ Sextianæ.

TURRIS Babel, Tomus II. & III. *Atlas polyglossus intitulatus*, sive Confusio Linguarum, in ordinem redacta, quô omnium linguarum atque idiomatum totius Orbis Terrarum disparatissima genera & species, ad 72. linguas novô ausu atque methodô, multorum annorum studiô & labore, collecta, orbi literario exponuntur; Auctore Kircherô, prælum expectat.

TURRIS Caprina, *la Tour de Bouc*, arx munita Galliæ, in Provincia, ad os finus Astromelæ & in ora maris Mediterranei. 6. leucis distat à Massilia in Occasum, & 8. ab Arelate in Eurum; estque in insula parva admodùm.

TURRIS Ferrata, Aurel. Vict. specula altissima circa Sirmium urbem Pannoniæ, ubi Probus Imperator à militibus interfectus est, teste Aureliô Victore, *in Epit. c.* 37.

TURRIS Julia, Vet. Trad. *Trugillo*, urbs Hispaniæ Lusitanicæ, in Extremadura, ab Emerita 12. leuc. inter Castra Cæcilia 10. & Castra Cæsaris 8. Metallino propior. Vide *Castra Julia.*

TURRIS Julia, *Trughillo*, urbs Americæ Septentrionalis, in nova Hispania & provincia Hondura. Parva est, sed munita, in colle arduo, cum portu capaci in ora littorali sinus Honduræ, à quo vix unâ leucâ distat, & 60. à Vallisoleto in Cæciam. Capta fuerat & vastata ab Hollandis A.C. 1633.

TURRIS Julia, *Trughillo*, urbs Americæ meridionalis, in parte Boreali Peruviæ, in Valle *Chimo*, vix duabus leucis ab ora maris Pacifici, ubi portu gaudet capaci, 80. leuc. Hispanicis distans à civitate Regum in Boream. Sedet in agro feraci & rigno; estque ampla & culta, sub Hispanis.

TURRIS Libissonis, Plin. *l.* 3. *c.* 7. *Turris Bissonis* Ptolemæo, *Turres* libris Conciliorum, *Torre*, urbs Sardiniæ Archiepiscopalis, in ora occidentali, extincta, (manet sacra ædes, & portus) à Sassari urbe, quæ illi successit, 12. mill. pass. In Thesauro Linguæ Latinæ *Sardos* hodie dici legitur, non sine manifestô errore. Locus inter portum Liguidonis seu Lougones 50. & Algarium 60. mill. pass. ab Ampuriis 20. conspicitur, *Ferrar. Baudrando Turris* Libissonis, urbs fuit ampla Sardiniæ, in ejus ora Occidentali, ubi incidit Borealis, hodie *Porto torre*, seu *Torre* simpliciter dicitur, in parte Septentrionali, *Capo di Lugodori* dicta; & media est inter Castrum Aragonense ad Boream, & Sassarim ad Meridiem, 16. mill. pass. distans.

TURRIS marina Brucana, opdid. novi nominis, in Lucania.

TURRIS ad Matronam, inter Prioratus est ad Cluniacum pertinentes: hæc à potentibus dominis de Plaga Jotri occupata, posteà per Rainaldum Cluniaco reddita est, A.C. 1125. Vulgò *Tours sur Marne*: Aliis *Tour en Champagne*: in diœcesi Remensi ponitur ab Honorio II. cum Baroniæ titulo. Meliùs *Turris ad Matronam*: inter Sparnacum & Catalaunos.

TURRIS Mobilis, machina militaris, de qua vide aliquid supra, ubi de *Oppugnatione urbium*, it. voce *Turris.*

TURRIS Syllana, Vet. Trad. *Tordesillas*, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, ad Durium fluvium, in Vaccæis, inter Methymnam Campestrem 4. & Vilalpandum in Boream 8. leucis, ac inter Vallisoletum ad Ort. Zamoram ad Occ. 15. leuc. Octoduro propiùs hodie in Regno Legionis.

TURRIS Talemundi, ab auctore & dominio suo nomen accepit: In Gallia, in agro Pictavo, vulgò *Talmond*: Castrum est ad mare Aquitanicum, inter Olopam & monaster. Abbatiale S. Michaelis in Eremo *S. Michel en l'Er*, ad Tremolliæ dominos pertinens, cum titulo Principatus. Fuêre autem tituli Henrici de Tremolia A.C. 1647. *Henricus Tremollia dominus, Toarcu Dux & Par, Turris Talemundi Princeps, Spineti Marchio; Vallis, Montis Fortis, Gisfratum, Benaonis, Taleburgi & Jonvelle Comes; Redonum Vicecomes; Vitreji, Malleonis, turris Berria ac Didonna Baro.* Est & locus in Vinemaco, *Tours en Vimeu* vulgò dictus, Latin. *Turris* vel ad *Turres.* Habet & suam *Turrim* Arvernia, unde nobilissima Familia *de Turre*, & vetustissima Baronia censetur: suam item Delphinatus, à qua veteres Delphini *Barones Turris* dicebantur. Eadem in provinc. est turris Pini, *la Tour du Pin.* Sic in Numidia *Turris Cæsaris*, in Tripolitana *Turris Tamalleni*; ad Rhodanum, *Turris Draconti.* Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

Turrium, præter jam suprà dictas, notabiliorum adhuc quædam:

In Apulia, ante annos ab hinc retro 600. marmorea extitit, turris instar, statua, cujus tempora ex ære circulus ambibat, iis inscriptus literis: *Kalendis Maji, exoriente Sole, aureum mihi caput erit.* Quæ verba Saracenus quidam, Roberti Guiscardi captivus, de thesauro ibi abscondito interpretatus est: nec falsus fuit vates. Kalendis enim Maji A.C. 1038. Princeps ibi magnam auri copiam, & ipse inde libertatem adeptus est.

Cochlis columna, in qua cælatæ in circuitu fuerunt res à Cæsare Trajanô bellô Dacicô aliisque expeditionibus gestæ, Romæ. Lapidibus structa est 24. tantæ vastitatis, ut opus non ab hominibus videatur, sed à gigantibus perfectum. Singuli lapides gradus octo continebant, per quos ascensum est: lumen præbentibus fenestellis 44. Opus, quô nihil terrarum admirabilius, nihil magnificentius unquam visum est, pedum 128. Sed detentus bellô Parthicô Imperator columnam sibi erectam non vidit, in reditu Seleuciæ mortuus.

Colossi, turrium æmuli hîc memorandi essent: quorum unus in Bibliotheca templi Augusti, pedum 50. à pollice, dubium an ære an pulchritudine admirabilior? alius à Zenodoro, Mercurio in civitate Galliæ Arvernis factus, pedum 400. Vespasianus Romæ 107 pedum colossum erexisse dicitur: & Plinius in Labyrintho Ægyptio Serapidis ex Smaragdo novem cubitorum colossi meminit, *l.* 37. *c.* 5. De colosso Rhodio, in voce *Rhodi.*

Cyzici, juxta portam, quæ Thracia vocatur, ad voluptatem eruditam, turres 7. ita exædificatæ sunt, ut voces acceptæ numerosiore repercussu multiplicentur, cui miraculo à Græcis nomen datum Echo, ait Plin. *l.* 36. *c.* 15.

Hierosolyma suis quoque turribus superba fuit; quarum extantiores.

Absolomi manus seu monimentum.

Ananeel turris.

Angularis, à Rege Ozia in 150. cubitos erecta.

David turris, à Rege Davide, in prærupta rupis collo extructa.

Excelsa, super portam vallis, ab Ozia Rege reparata.

Furnorum turris versus Boream sita, Phari vicem iter facientibus præbebat.

Hippicus, 85. cubitos alta, ab Herode seniore in muro secundo, super eminentem collem, in memoriam Hippici amici, condita.

Magna, juxta murum templi.

Mariamme, 55. cubitis alta, ab Herode, in memoriam uxoris structa.

Meah turris, 100. cubitorum non longè à templo.

Petra Columbarum, ad Meridiem montis Oliveti.

Phaselus, 90. cubitos alta, in edito muri antiqui loco, ab Herode, ad similitudinem Phari Alexandrinæ, in honorem Phaseli fratris, ædificata: Stupendæ magnitudinis & firmitatis.

Psephina, 70. cubitos alta, in civitatis angulo, inter Septentrionalem & Occidentalem urbis murum, serenô cœlô Arabiam & mare, atque Hebræorum finium ultima prospexit. Ejus ruinæ etiamnum visuntur.

Siloë, quæ collapsa octodecim viros oppressit. Mentio ejus fit in historia Euangelica, Luc. c. 13. v. 4.

Marochi turris est, quatuor columnis solidis amplissimis simul & altissimis constans, cujus celsitudini nihil in Italia par. Surgit in 7. amplissima Solaria, ubi verò ad summum ventum est, patet planitie plurimâ, in qua pyramis longa circa pedes 30. assurgit, cujus verticem tres ingentes sphæræ argenteæ exornant.

Phari, turres sunt, ad imitationem Alexandrinæ, in usum navigantium extructæ. Talem Caligula, circa Gesloriacum, in littore Gallico ad Oceanum: Claudius ad Ostiæ portum: Ludovicus Imperator ad Scaldis ostium: Carolus VI. ad Slusam, & Rupellæ & inter Burdigalenses ac Santones, in littore, *Laternas* hodieque dictas, excitârunt. Similis est apud Sinenses, in monte *Paocai*, ad *Civenchen* urbem.

Apud Sinenses insignes admodùm sunt turres: in vertice montis *Hoaiken* turris est antiquissima, quæ licet magna ex parte corruerit,

ruerit, adhuc tamen continet gradus 180. In provinc. *Huquang*, ad urbem *Hzynang* turris est Xelenhoa, suâ præstantiâ cœteras omnes substructiones facilè superans. Infra Nanking, turris est Mathematica, in edito quodam colle, in qua tria adservantur artis illius instrumenta, quibus paria aut superiora vix vidit orbis Universus: Horum primum est Sphæra cœlestis, alterum Armilla Æquatoria, tertium Sphæra Armillaris, &c. Vide de his plura apud Ad. Preyelium, *in Sina & Europa*, c. 17.

TURRITA, cognomen Mariæ Magdalenæ, apud Hieronym. *Ep. 16. ad Principiam*, *Qui si recordetur --- tres Marias stantes ante crucem, Mariamque propriè Magdalenam, quæ ob sedulitatem & ardorem fidei*, Turritæ *nomen accepit*, *& prima ante Apostolos Christum videre meruit resurgentem*: quòd scil. velut in celsa *turre* collocata prior cœteris Discipulis Domini resurrectionem detexerit, Car. Macer. *Hierolex.* Aliter Cybele *Turrita*, apud Scriptores: nempe *Turrita* in capite corona, Cybeli seu Deæ Hierapolitanæ seu Rheæ, olim adscripta. Lucianus *in Dea Syr.* Σημαίνει δὲ ἡ θεὸς ὡς πολλὰ εἰς Ῥέην ἀποκλίνει· λέοντές μιν γὰρ φέρουσι, καὶ τύμπανον ἔχει, καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυργοφορέει, ὁκοίην Ῥέην Λυδοὶ ποιέουσι, *Multa signa adsunt Deæ, quæ faciant, ut Rhea videatur. Nam & leones ipsam ferunt, & coronam in capite turritam gestat; qualem & Lydi Rheam effingunt.* Rationem exponit Lucretius, *l. 2. v. 606.*

Muralique caput summum cinxêre coronâ,
Eximiis munita locis quòd sustinet Urbes.

Quam causam Servius quoque adfert *ad Æn. l. 3. Quòd autem turritam gestat coronam, ostendit superpositas esse Terræ* (quæ per Cybelen vel Rheam intellecta) *civitates, quæ turribus insignitas constat.* Atque idem tradit in *l. 10. Æn.* Idem Phornutus his verbis: Πυργωτὸν δὲ (ἡ Ῥέα) περιτέθειται στέφανον, ἤτοι διὰ τὸ κατ' ἀρχὰς ἐπὶ τῶν ὀρῶν τεθεῖσθαι τὰς πόλεις ὀχυρότητος ἕνεκεν, ἢ ἐπεὶ ἀρχηγὸς ἐστι τῆς πρώτης καὶ ἀρχετύπου πόλεως τοῦ κόσμου, *Turritam circumdata est coronam, vel quia antiquitus in montibus ædificarentur Urbes, quò essent munitiores: vel quoniam esset causa & origo principalis mundi substantiæ.* Sed prior ratio simplicior est, ut *Turrita* dicatur, quia Tellus *turres* & oppida habet. Unde & Maro, *l. 10. Æn. v. 252.*

Alma parens Idæa Deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes. ———

Ex eo verò, quòd Dea gestaret *turrim*, hinc Matresfamiliâs Romanæ convolutos in capite capillos gestabant, ut Varro, *de L. L. l. 6.* ait. Extruebant enim in altitudinem multis gradibus ac spiris cumulatam comam; quod Tertullian. *l. de Pallio*, dixit *comam struere*: Idemque indicat Juvenalis, cùm ait: *Sat. 6. v. 502.*

——— *Tot adhuc compagibus altum*
Ædificat caput.

Et Lucanus, *l. 2. v. 358.*

Turritaque gerens frontem Matrona coronâ.

Vide suprà *Lampadion*, alibique passim & infrà *Uxor*. Quem morem hodieque servare, atque adeò tegumentô gaudere *turrim* imitante, fœminas Turcicas, oculatus testis fuit P. Gillius, qui sic *de Bosporo, l. 2. c. 19. Templum Phrygiæ Deæ, Matri Deorum, Rheæ nuncupatæ, in clivis debuit potiùs esse, quàm in maritima civitate; ex eo, quòd montibus gaudeat, ideoque ὀρεία appelletur, & Turrita Dea, quia olim arces, quibus Rhea patrocinatur, in montibus sitæ essent; ob loci robur. Rheam, habentem caput turritum, mulieres Ciliciæ & Turcicæ & Mysæ imitantur, ferentes capitis tegmen, turris similitudinem gerens.* Vide quoque infrà, in voce *Tutulus*.

TURSIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

TURRUS, Plin. *l. 3. c. 18. Torre* vel *Turre*, fluv. Carnorum, apud Forum Julium decurrens, & in mare Hadriaticum apud Aquilejam influens.

TURSANUS, vulgò *le Tursan*, tractus Galliæ, in Aquitania & in Vasconia propria, ubi aliàs Tursanum castrum, in Aturensi Diœcesi, teste *Petrò du Val*.

TURSELLINUS Horatius, Italus, patriâ Romanus, Societatem Jesu in ipso adolescentiæ flore ingressus, & cùm aliis, tum Humanioribus potissimùm, literis excultus, illas permultos annos in Collegio Romano docuit: etiam Collegii Florentini ac Lauretani Rector fuit. Obiit A. C. 1599. ætat. supra sexagesimum. Scripsit *de Vita Franc. Xaverii libb. VI. Tragœdias sacras & varia Poëmata, Orationem funebr. in mortem Gregorii XIII. Lauretanam Historiam libb. V. Historiam ab Orbe condito. Commentarium in omnes Ciceronis de Arte Orat. libros & in Orationes ejusdem*, ut & alia minoris notæ. Idem *Xaverii Epistolas* in unum corpus collegit & ex Hispanico Latinè vertit. Petrus Ribadeneira *Catalogô Scriptorum Societatis Jesu*, & ex illo Paulus Freherus, *Theatrô Virorum eruditione clarorum*.

TURSUS, *Script. Ital.* urbs Lucaniæ, in magnæ Græciæ confinio, sedes Episcopi Anglonæ, inde 12. mill. pass. distantis, & sedes Ducis, *Tursi*, *Ferrar. Baudrando* urbs est regni Neapolitani, in Basilicata provincia, inter Sirim & Acirim fluvios, vix decem milliaribus ab ora sinus Tarentini in Occasum, & 28. à Mateola in Meridiem, & colli affixa est.

TURTUR, Hebr. תור *thor*, Græcè Τρυγὼν utrâque voce ὀνοματοπεποιημένῃ, factâ nimir. ad imitationem cantus ejus, qui Græcè τρυγμὸς dicitur, à τρύζειν, quod est, *turturis more gemere*, apud Pollucem, *l. 5. c. 14.* item *garrire*, unde de garrulis mulierculis, habetur in *Syracusiis* Theocriti,

Τρυγόνες ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα.
Ut turtures obtundunt, ad omnia os diducentes.

Avis est, veris nuntia, Cantici c. 2. v. 11. & 12. & migratoria, Jerem. c. 8. v. 7. Vide quoque Aristotelem, *Histor. l. 8. c. 3. & 12. & 16.* Varronem, *de Re R. l. 3. c. 5.* Ciceronem, *de Finibus, l. 2.* &c. Sunt tamen, qui non tam abire putant, quàm occultari hyeme ac latere, uti Plinius ait, *l. 10. c. 24.* ipseque Philosophus ἐν ἀλεεινοῖς χωρίοις nonnullos remanere non diffitetur. Casta insuper, non enim nisi unum conjugem admittere, ex Aristotele, Æliano & Clemente constat; unde natum, quod magnô consensu scripsêre posteriores, mortuô conjuge *turturem* viduam permanere. Simplex item, utpote columbæ species, & in hoc genere omnium minima, Philosophus ubi suprà, *l. 5. c. 13.* &c. Usum quod attinet, in sacrificiis V. T. is frequens fuit. Vide suprà ubi de *Columbis*, & Cl. Suicerum, voce Περιστερά, *n. 2.* Caro illius boni temperamenti, præsertim in montanis degentis: imò, quia gignit succum tenuem ac siccum & spiritibus generandis peridoneum, eò *cibum sapientiæ* vocare solitus est Nic. Massa Medicus Venetus. Clunibus inprimis placuisse delicatis, indicat hoc Martialis, *l. 3. Epigr. 60. v. 7.*

Aureus immodicis turtur te clunibus implet.

Nisi per synecdochen *magnum* simpliciter dicere voluit. Nam hi præcipuè laudati. Juvenalis, *Sat. 6. v. 39.*

——— *Cariturus turture magnô,*
Mullorumque jubis. ———

Cœterùm Sponsis apud Romanos à cornice & *turture* optimum augurium, si videl. par integrum occurrisset, uti suprà diximus: Idem Bojis bellô contra Hungaros victoriæ omen præbuit, apud Aventinum, *l. 5.* etiam Æææ Insul. incolis militare olim signum, Alex. ab Alexandro, *Genialium Dier. l. 4. c. 2.* Ætatem quod spectat, summùm annorum fieri 16. plurimùm non nisi octo, docet Vossius: hostis ei pyralis, eadem tenere loca, eôdemque cibô vesci sueta &c. Vide plura hanc in rem, apud Gerh. Jo. Voss. *de Idolol. l. 3. c. 79. & 84.* Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l. 1. c. 9. totô*, Alios. Idem nomen pisci est, quem *pastinacam* appellavêre Veteres, de quo vide eundem Voss. *l. 4. c. 51.* & hunc intellige, cùm in Ææa cultum paulò antè diximus.

TURTURELLA, oppid. Lucaniæ.

TURULIS, *Ptol. Rio de Morvedre*, teste *Orteliô*, *Rio Segura*, teste *Coquo*, fluvius Hispaniæ ad urbem cognominem (quæ & Tutulium, vulgò *Teruel*, Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsaraugustano, inde 36. leucis, Valentiam versùs 24. quot à Dertosa) & Saguntum decurrens. In Thesauro Linguæ Latinæ *Turia* vulgò scribitur; cùm hoc Latinum nomen sit, sicut & Duria, *Ferrar. Baudrando Turulis*, vulgò *Rio de Morvedro*, fluvius. Oritur prope Terulum in Aragonia; deinde per regnum Valentiæ fluens, rigatisque ibi Segobrigâ & Saguntô, paulò infrà in mare Mediterraneum & Sucronensem sinum se exonerat 13. mill. pass. à Valentia in Boream.

P. TURULLIUS, unus ex 60. iis, quos in necem Julii Cæsaris conspirâsse refert Sueton. *in eo, c. 80.* Vide ibi Casaubon.

TURULLIUS Cerialis, primipilaris, transfuga ad partes Vitellianas, Tacit. *l. 2. Hist. c. 22.*

TURULUM, *Suid. Tzurulum Cedreno*, *Ciorlo*, & *Ciorlich*, vel *Zorlich*, teste *Leunclaviô*, urbs Thraciæ, in via inter Hadrianopolim & Byzantium occurrens, inde 75. hunc 54. mill. pass. Episcopalis sub Archiepiscopo Heracliensi, (eadem Tutulea à Græcis nominatur) metropolis recens.

TURUNDA, quasi *terunda*, subintell. *offa*, à *terendo*, Jos. Scaligero *in Varron.* Salmasio à τυρόεις, τυροῦς, quæ est *placenta caseata*, libi vel panis caseati genus fuit: inde *turundæ*, quælibet μάζαι seu *offæ*. Inprimis *offæ* oblongæ, quibus farciuntur gallinæ altiles. Varro, *de Re Rust. l. 3. Farcium turundis ordeaceis.* Plinius *fartilia* exponit, *l. 10. c. 22. offas* Columella, *l. 9. c. 7.* Italis *tronda* hodieque eâ notione in usu &c. Inde pro balanis ponit Cato vel ejusmodi κολλυρίοις longis & rotundis, quæ fistulis immitti possunt, *c. 167.* atque ulceribus, pro balanis, quæ sedi supponuntur, Marcus Empiricus, & Scribonius Largus, qui similes esse ait offis, quas μαγδαλίας Græci dixere, vide suprà, voce *Apomagdaliæ*, & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p. 1332.*

TURUNTUS, *Ptol. Duina*, teste *Becanô*, fluvius Sarmatiæ Europææ, ex Lituaniæ finibus per Livoniam fluens, ac in sinum Venedicum ad Rigam Livoniæ metropolim se exonerans: licèt aliis *Duina* Rubo apud veteres esse videatur. *Ferrar. Baudrando Turuntus*, fluvius Agathyrsorum, in Sarmatia Europæa hodie, teste Cluveriô is est, qui *Welikarzeka*, in Moscovia ortus, magnumque lacum, qui Russis *Czudzko*, & Livonibus *Peybas* transvectus, nomine hinc Nervæ assumptô, Livoniam à Moscovia dirimit; pauloque infra duo oppida Narvas in sinum Finnicum exit.

TURUPTIANA, Hispaniæ Tarraconensis urbs. *Ptol. Tui* vulgò.

TURRUS, Fori Julii fluv. Plin. *l. 3. c. 18. Turro Leandro.*

TURZO, Africæ propriæ urbs. *Ptol.*

TUS, vide suprà *Thus*.

TUSCA, Plin. *l. 5. c. 3. Guadilbarbar*, teste *Joanne Leone*, fluvius Africæ, in sinum Numidicum influens.

TUSCANIA, vulgò TOSCANELLA, urbs est Hetruriæ, in ditione Pontificia & in provincia Patrimonii, in ipso confinio Ducatus Castrensis. Antiquissimis temporibus Salumbrona dicta fuerat, posteà Tyrrhenia, Toscia, & Tuscana; eratque aliàs urbs ampla & dives, sed sexdecies expugnata & vastata fuit: & multi existimant ab ipsa dictam fuisse Tusciam, cùm etiam ejus Ecclesia Cathedralis aliàs insignissima, nunc diruta, dicata sit S. Petro in Tuscia: & in ea etiam visitur hæc inscriptio antiqua: Richardus Præsul Tuscanus Centumcellicus & Bleranus A. C. 1093. De hac urbe, uti de aliis plurimis ditionis Pontificiæ, multa præclara nobis communica-

nicavit vir doctissimus Joannes Campinus Secretarius & Minutista Brevium Summi Pontificis, & de re literaria optimè meritus. Tuscania dedit etiam Ecclesiæ plures Pontifices Rom. Eutichianum, Paschalem I. Leonem I. Joannem I. Lucium III. Leonem VI. Bonifacium VI. & Paulum III. Farnesium.

TUSCANIENSES, Plin. *l.* 3. *c.* 5. populi Hetruriæ, quorum urbs Tuscania. *Toscanella*, Episcopalis, inter Castrum ad Occasum & Viterbium ad Ortum, ac inter Montem Physconem ad Boream & Cornuetum ad Austrum 10. mill. pass. dissita, ad Martham fluvium. Cujus Episcopatus Viterbiensi copulatus est. Ibi equorum nundinæ frequentes. Ab Ascanio Æneæ filio condita putatur, uti marmorea inscriptio docet.

TUSCANUS Pagus, in Rhætia, ubi fluvius Albella ab Ortu labitur.

TUSCENIUS, homo furiosus & avarus, cujus meminit Cicer. *ad Qu. Fratrem*, *l.* 1.

TUSCI, & THUSCI, *Strab.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Liv. *l.* 2. *c.* 51. & aliis, populi Italiæ antiquissimi, qui & Hetrusci, *Toscani*; & regio Tuscia, sive Thuscia, (utrôque enim modô scribitur) quæ & Etruria, sive Hetruria, VII. Italiæ, juxta divisionem Augusti, hodie *la Toscana*, provincia Italiæ nobilissima, & antiquissima, peramplaque, inter Liguriam ad Occasum Macrâ fluvió divisa, & Latium Umbriamque ad Ortum Tiberi discreta, ad Arctos monte Apenninô à Gallia Togata separata, ad Meridiem pelagô Tyrrhenô definita, longa 284. mill. pass. lata nullibi 100. In duas regiones dividitur: in eam quæ passim *Toscana* nominatur, magno Duci Hetruriæ subjecta, in qua Florentia, Sena, Pisa, & Aretium urbes claræ; & eam quæ Patrimonium Ecclesiæ dicitur, Summo Pontifici subjecta, ab altera Peliâ & Osâ fluminibus ferè separata (præter Perusiam, & Plebem Ecclesiasticæ ditionis, extra Patrimonium:) In ea Viterbium cæteris urbibus præstat. *Tusciæ* Marchionem olim creavit Henricus VI. Imperator fratrem suum Philippum, cui Irenen, Rogerii viduam uxorem dedit, A. C. 1195. Virg. *l.* 10. *Æn.* *v.* 164.

Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris.

Idem, *l.* 11. *v.* 629.

Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos.

Hîc cavendus error in Thesauro Linguæ Latinæ, ubi in Tuscia Pisaurum & Assisium, urbes Umbriæ, locantur. *Nic. Lloyd.* Vide *Thuscia.* De *Tuscia Annonaria*, & *Urbicaria*, diximus aliquid retro, ubi de *Annonariis Regionibus*, Treb. Pollioni memoratis *in Tetrico Seniore*, *c.* 24. Familiam hodiernorum *Tusciæ M. Ducum* attigimus suprà, voce *Medicea*.

TUSCIANUS, ῥήτωρ σοφιστής. *Suidas.*

TUSCULANARIA Valeria, vide *Valeria*.

TUSCULANUM, villa Ciceronis, apud Tusculum, ubi quæstiones scripsit Tusculanas, *Grotta ferrata*. Nunc ibi insigne Cœnobium. Vide *Tusculum*.

TUSCULUM, *Strab.* Latii oppid. 12. ab Urbe lapide, arduo in colle situm, opus Telegoni, Ulyssis & Circes filii: Eversum. *Ptol.* & Dio, *l.* 58. Latinâ formatione id habent Τούσκουλον, Straboni verò *l.* 5. & Plutarch. *in Cicer.* Τούσκλον dicitur. *Dionys.* autem *Halicarn.* & *Steph.* Τοῦσκλον. Silius, *l.* 7. *v.* 692.

Quod peperêre decus Circeo Tuscula dorso
Mœnia, Laertæ quondam regnata nepoti.

Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 61. *v.* 1.

Seu tu Pæstanis genita es, seu Tyberis arvis,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuô.

Propert. *l.* 2. *El.* 32. *v.* 4.

Quid petis Ææa mœnia Telegoni?

Hodie *Frascata* dicitur, *Tusculo* verò *Leandro*. *Telegon* à conditore dictum scribit *Niger*. Urbs aliàs Latii, nunc Campaniæ Romanæ. *Nic. Lloydius. Baudrando*, ad radices collis, 12. mill. pass. Româ in Ortum, ubi plurimæ villæ & palatia Principum Romanor. Ejus Episcopus dictus est *Tusculanus*, semper unus ex VI. antiquioribus Cardinalibus, licèt Tusculum antiquum dirutum sit, ab Henrico Imperatore. Sed erat planè in eodem loco, ubi nunc est *Frascati*, non in summo montis jugo, quò rudera & vestigia maximorum ædificiorum conspiciuntur, ubi vulgò vetus Tusculum fuisse creditur: Nam revera villa privata ibi fuit, non oppidum & situs ipse repugnat. Habuit olim proprios Comites seu Principes, de quibus Sigonius, *l.* 5. *ad An. Chr.* 883. ubi Romam tum in duas factiones distractam docet, quarum alterius Principes Tusculani erant. Hos Romanis reconciliavit Henricus VI. Imperator A. C. 1191. Ad Tusculum, vicit Fridericus Barbarossa Imperator ingenti prœliô Alexandrum III. Pontificem Româ pulsum, quem Venetias postmodum fugientem classe insecutus est, A. C. 1175. Vide eundem, *l.* 14. Hinc *Tusculanum*, villa Ciceronis celebratissima, in quam ille post forensia negotia animi recreandi gratiâ se recipiebat; ubi aut cum doctis aliquibus, quos eò abduxerat, se declamando exercere, aut philosopica studia intermissa revocare solebat. *Grotta Ferrata* hodie dicitur.

TUSCUM Mare, seu *Tyrrhenum*. Vide ibi.

TUSCUS, Consul cum Basso, sub Gallieno Imperatore apud Treb. Pollionem in *Ingenuo*, *c.* 8. *Triginta Tyrannor.* Item equus in Circo olim nobilis, cujus meminit vetus *Inscr. Cùm Fortunatus factionis Veneta in victore* Tusco *victor*, apud Salmas. *ad Solin. p.* 897.

TUSCUS Vicus, cognominatus, à reliquiis exercitûs Porsenæ, qui è fugâ receperant se Romam; victi ad Ariciam à Cumanis. Vide Livium, *l.* 2. *c.* 14. Sed teste Varrone & Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 65. ab Etruscis sive *Tuscis*, Cœlis Vibennæ copiis, ita dictus putatur, quæ ex locis munitis, non sinè suspicione habitatis, deductæ plana ac foro propinqua tenere jussæ sunt. Et ideò ibi Vortumnum stare addit Varro, quòd is Deus Etruriæ. Vide Marcilium in illud Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 228.

— *Tusci turba impia vici.*

TUSDRUM, vide *Thysdrus*, aut *um*.

TUSIACUM, villa diœcesis Tullensis, ubi Synodus, A. C. 860. Vulgò *Tousi*, vel *Tusi*, *Labbeus*.

TUSOPUM, oppid. agri Tarvisini.

TUSSANUS Jacobus, vide *Jacobus*.

TUSSIS, inter servorum crimina, apud Macrob. *l.* 1. *Saturn. c.* 11. imò & inter Numina dominorum, vide suprà *Dii*: ab ea Hebræis nomen vulpi, vide infrà.

TUSSIS prohibita, in carcere Inquisitionis, in Ecclesia Romana. In eo enim cùm nulli captivo mutire liceat, sed altum in eo servandum sit silentium, hoc tam severè observatur, ut etiam *tussi* miseris interdicatur: quam in rem narratiunculam ex quorundam ore (si modò vera sit) audivisse, de captivo tussiente, quòd is eam omittere arbitrii sui non esse diceret, verberum vehementiâ mortuo, refert Phil. à Limborch, *Histor. Inquisit. l.* 2. *c.* 18. Vide quoque suprà, ubi *de Silentio*.

TUTANUS, Deus, qui homines *tueri* putabatur. Varro, *Tutanum Deum Romæ omnes qui laborant, invocant, non aliter, atque Herculem, malorum depulsorem.*

TUTATIO, oppid. fuit Norici Ripensis, *Ischel* Lazio. Aliis arx *Leonpach*, juxta fluv. *Krems*, in Austria Meridionali. Quibusdam *Eschwend*, castrum ad fluv. *Ens*, in Austria superiore

TUTELA, aliis *Tutella Tulle*, urbs provinciæ Lemovicensis, nobile habuit monasterium, ad Curretiam fluvium *Coureze*, qui infra Brivam in Isaram cadit: ex quo dein facta est à Johanne XXIII. qui A. C. 1316. Avenione cœpit sedere, Episcopalis sub Archiepiscopo Bituricensi. Vide Petrarcham, *l.* 2. *Rerum memor.* Sedet ad Curretiam fluv. & Solanam torrentem, olim nobilis, ut dictum, monasteriô S. Benedicti 3. leuc. à Briva Curretia in Ortum, 10. à Lemovico in Meridiem. Caput inferioris provinc. Lemovicensis.

TUTELA, seu TUDELA, urbs è præcipuis Navarræ, ad Iberum fluvium, ubi amnem *Queiles* recipit: nomen dans uni de quinque Navarræ præfecturis seu Merindatibus: Iberum ponte lapideô jungit, 4. leuc. Hispanic. à Turiazone in Cæciam, 14. à Bilbili in Boream, 15. à Cæsaraugusta in Circium, Calagurim versùs. Nobilis est & situ opportuna, Oihenartus. Item castrum in Diœcesi Albiensi, nunc *Teullet*, Petrus Monachus, *de bello Albigensi*, *c.* 60.

TUTELA, Dei vel Deæ signum, proræ navis impositum, unde navi nomen. Solebant namque Veteres *Tutelæ* nomine naves appellare, ut observavit *in ad Petronium Animadv.* Johannes à Wouweren, ex Servio *ad l.* 10. *Æn. Solent naves nomina accipere, à Tutelarum picturæ;* & Lutatio *ad Statium*, *l.* 8. *Theb. Tutelam navis intelligimus cum gubernatore navigare; habent enim pictos Præsules, quorum nominibus nuncupantur & naves.* Inde navi, quâ Paulus Apostolus vehebatur, παράσημον erant Dioscuri, Actorum *c.* 28. *v.* 11. quâ Paris Helenam rapuerat, pictus Cupido, Lycophr.

Νηὸς δ' ἐπὶ δράκοντος ὀχχίας πίθον:

illi apud Lucianum πλοίῳ, Isis. Sic Virg. *l.* 5. *Æn.* Pristin, Chimæram, Scyllam & Centaurum nuncupat naves, ab eadem picturâ, in cujus loci interpretatione tam Veteres quàm Recentiores, ineptiunt: Et *l.* 10. *Æn. v.* 171. Massici

— *Auratô fulgebat Apolline puppis.*

Ubi quòd *puppim* habet, annotat Joh. Seldenus *de Diis Syris*, ut parasemon proræ tantùm impositum pro insigni navis; sic *Tutelam* sive Deum Averruncum, puppi impositum duntaxat, sub Pataicon, id est, cælaturatum nomine, comprehendi. Interdum enim diversa *Tutela* & παράσημον, interdum eadem. Vide suprà ubi de *Parasemis*, & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 571. & 572. Hoc unum addo, de more navium *Tutelas* coronandi, ex Val. Flacco *Argonaut. l.* 1. *v.* 300.

Mox ubi victa gravi ceciderunt lumina somnô,
Visa coronatæ fulgens tutela *carinæ*
Vocibus his instare Duci. ---

Sed & *Tutelæ* simulachrum in Insulis domibusque, apud Romanos, memoratur Hieronymo *in Esaiam*, *c.* 57. Tomo IV. *Roma Orbis domina in singulis insulis, domibusque* Tutelæ *simulachrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium istô appellat nomine.* Vide infrà *Tutelares*.

TUTELA, apud Romanos, jus erat ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem seipse defendere non posset, jure civili data ac permissa, de qua latè Justinianus & Sigonius. Dabantur autem mulieribus & pupillis *Tutores* non habentibus, à Prætore & majore parte Tribunorum Pleb. ex Lege Atilia, latâ paulo ante Sp. Posthumi Albini & Q. Marcii Philippi Consulatum, qui incidit in annum Urb. Cond. 565. unde Tutores *Atiliani* dicti: quam posteà abrogatam à Claudio Imperatore innuit Suetonius, *c.* 23. dicens sanxisse eum, ut Consules pupillis utriusque sexus *Tutores* darent; quod vicissim ab Antonino Philosopho sublatum refert Capitolinus, *c.* 10. ab eoque Prætorem *Tutelarem* constitutum. Cœterùm, cùm Atilia Lex tantùm Romæ locum haberet, lata est posteà Julia Titia,

ut

ut etiam Provinciarum Præsides mulieribus pupillisve, *Tutores* non habentibus, darent, Ulpian. *Cap. Inst.* 11. Lætoriâ exin furiosis & prodigis Curatores dati sunt, quique eos circumscripsissent, judiciô publicô tenebantur. Cicer. *Offic. l.* 3. *c.* 15. Tandem à Claudio Imperatore sancitum est, ut ne agnati mulierum *Tutelam* legitimam recipere cogerentur, Ulpian. *tit.* 2. *Instit.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 17. Apud Athenienses maximam quoque habuit Solon orphanorum pupillorumque curam: adeoque, cùm nota sint illa apud Satyricum vota,

> —— *Pupillumve utinam, quem proximus hæres*
> *Impello, expungam;*

Pupillorum vitæ consulere voluit hâc Lege: *Μὴ ἐπιτροπεύειν, εἰς ὃν ἡ οὐσία ἔρχεται, τῶν ὀρφανῶν τελευτησάντων*; quâ nolebat aut consanguineos aut agnatos *Tutores* agere, quia mortuis pupillis ante 20. ætat. annum hæreditatem adibant & sibi vindicabant κατὰ γένος. Non tamen exclusit omnes omnino Gentiles: iis enim, qui remotâ cum pupillis cognatione conjungebantur, ut nulla spes esset, hæredes κατὰ γένος fore, ἐπιτροπεύειν non erat interdictum. Erant autem *Tutores* hi vel Testamentô, vel ab Archonte dati, cujus curæ orphani committebantur, ex Lege Solonis: *Ὁ Ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν καὶ τῶν ἐπικλήρων καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων φάσκουσαι κυεῖν, τούτων ἐπιμελείσθω, καὶ μὴ ἐάτω ὑβρίζειν ἢ ποιεῖν τι παράνομον. κύριος δ' ἔστω ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος. Ἐὰν δὲ μείζονος ζημίας δοκῇ ἄξιος εἶναι, προσκαλεσάμενος πρόπεμπτα καὶ τίμημα ἐπιγραψάμενος ὅ, τι ἂν δοκῇ αὐτῷ, εἰσαγαγέτω εἰς τὴν ἡλιαίαν. Ἐὰν δ' ἁλῷ, τιμάτω ἡ ἡλιαία περὶ τοῦ ἁλόντος ὅ, τι χρὴ αὐτὸν παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι*, *Archon orphanorum, dotalium fœminarum, familiarum, quæ intercidunt & prægnantium mulierum, quæ post maritorum obitum in eorum domibus permanent, curam habeto neque contumeliam aut aliquid injustum iis fieri sinito: Multam, quantam potest Magistratus potestate, irrogare ei jus esto. Si majore pœnâ dignus videtur, qui adversùs hanc Legem fecerit, Archon in jus vocato in quintum diem & pœna pro arbitrio irrogator, Heliastis judicium permittito. Si convictus fuerit, Heliastæ de eo, quod luere in corpore vel in ære debet, judicium reddunto*: apud Demost. *contra. Macart.* Inter cœteras autem *Tutoris* curas, fuit locatio ædium pupilli, ut lex hæc jubet: Τὸν Ἐπίτροπον τὸν οἶκον μισθοῦν. Itaque *Tutores* Archonti indicabant, locandas esse pupillorum ædes; ejus proin auctoritate, ac è Judicum, qui adsidebant, consilio, per præconem locabantur: Ii verò, qui eas conducebant, aliquid pignori opponebant ob obventionem. Atque hæc locatio fiebat, novô ineunte Annô, mense Hecatombæone, tunc enim migrabant ex ædibus in alias. Unde Comicus Ἐκκλησιαζούσαις,

> Τί ὦ κακόδαιμον ἄλλο βούλεται;
> Πότερον μετοικιζόμενος ἐξοικίζεται
> Αὐτά;

Qui hæc non fecisset, scribebatur illi *δίκη μισθώσεως οἴκου*, cujus *l.* 8. meminit Pollux, idque fieri à quolibet Atheniensi poterat: Scribebatur quoque, si tanti non locaretur, quanti locari debebat, *Suid.* & Auctor *Etymol.* Exibant verò *Tutelâ* Athenienses annô ætatis vicesimô, cùm Lexiarchico essent inscripti: tunc enim sui juris erant, & ad sua mittebantur negotia. Atque abhinc licebat postulare *Tutores*, qui fuerant, malè administratæ tutelæ: Unde scitum Veterum juris Attici Consultorum, *ἐγγραφέντας εἰς ἄνδρας ἐγκαλεῖν δίκην ἐπιτροπῆς*. Neque verò pupillis tantùm qui fuerant, sed etiam cuivis civi Atheniensi, licebat dicam scribere Tutoribus, Pollux, *l.* 8. idque apud Archontem, & quidem intra quinquennium à *Tutela* finita; quô exactô postulari ampliùs non poterant, ex Lege: *Ἐὰν πέντε ἔτη παρέλθῃ, καὶ μὴ δικάσωνται, μηκέτ' εἶναι τοῖς ὀρφανοῖς δίκην περὶ τῶν ἐκ τῆς ἐπιτροπῆς ἐγκλημάτων.* Vide Platonem *de LL. l.* 11. & plura hanc in rem, apud Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas l.* 6. *tit.* 7. Non tamen omittenda hîc Lex Solonis, quâ non licebat *Tutori* in uxorem ducere matrem pupillorum suorum: *Τὸν ἐπίτροπον τῇ τῶν ὀρφανῶν μητρὶ μὴ συνοικεῖν*, cujus Diog. Laërtius meminit *in Solone.* Ita namque pupillorum bonis consulere voluit, ne qua fraus illis ob matris nuptias fieret. Sed videtur aut antiquata fuisse hæc lex, aut concessum fuisse *Tutoribus*, qui Testamentô dabantur, pupillorum suorum matres ducere, siquidem moriens Pater supremis Testamenti sui tabellis id cavisset: Cujus rei exemplum exhibet Demosthenes, ubi de Parentibus suis agit, *Orat.* 1. *contra Aphob.* Apud Romanos *Tutor faciam pupillam suam*, ut scribit Modestinus, *nec ipse uxorem ducere, nec filio suo in matrimonium adjungere potuit.* Ratio, *ne pupillæ in re familiari circumscriberentur, ab his, qui rationes eis gestæ tutelæ reddere compellebantur*, *l.* 64. *D. de ritu Nupt.* tres tamen erant exceptiones, quas vide apud eundem Petitum, *l.* 6. *Tit.* 1. In Regnis, quæ non sunt patrimonialia, dum Rex ætate aut morbô fungi potestate suâ impeditur, *Tutela* eorum est, quibus Lex publica, aut, eâ deficiente, consensus Populi eam mandat, vide Marianam *in Alfonso V. Legionis R.* In Regnis patrimonialibus eorum, quos Pater aut Propinqui elegerint. Sic videmus in Epirotarum Regno, quod consensu Populi ortum fuerat, Aribæ Regni pupillo, publicè *Tutores* constitutos, & à Proceribus Macedonum Alexandri M. posthumo, apud Justin. *l.* 13. In Asia verò minore bello partâ, Rex Eumenes Attalo filio fratrem suum *Tutorem* dedit. Similiter filio Hieronymo pater Hiero in Sicilia regnans, quos voluit, Testamentô, *Tutores* assignavit. Vide Hugon. Grotium *de Jure Pacis ac Belli*, *l.* 1. *c.* 3. §. 15. uti de *Tutoribus*, qui tutelæ prætextu pupillorum regna invaserunt, exempla complura, *Notas in Curtium l.* 9. *c.* 2. de moribus in Imperio Romano Germanico receptis, Limnæum *de Jure publico*, Alios.

TUTELÆ Capitolii Redemptor, apud Plinium, *l.* 35. *c.* 3. *M. Aufidius tutelæ Capitolii redemptor, docuerit Patres, argenteos esse clypeos, qui pro æreis per aliquot jam lustra adsignabantur*: quis dicator, vide suprà ubi de *Capitolii Tutelariis.*

TUTELARES, vel propriè Indigetes, Dii erant Genitales majorum gentium, ad nativitatis providentiam electi, diversi à Genialibus: quibuscum de rebus Archivis consilium init Jupiter, *Γενέθλιοι* Græcis, quibus placidis vel iratis, prout quisque natus, ita felix censebatur. De hisce Diis placidis, intelligi potest Ovidius *de Pont. l.* 1. *Ep.* 8. *v.* 63.

> *At tibi nascenti (quod toto pectore lætor)*
> *Nêrunt fatales fortia fila Deæ.*

Contrà de iisdem iratis accipiendus Plautus, *Milit. Actu* 2. *Sc.* 3. *v.* 43.

> *Quis magis Diis inimicis natus* &c.

Vide Thom. Bartholinum, *de Puerperio Veterum.* Sed & *Tutelares* dicti, qui seligebantur in urbium *tutelam*, quorum nomen quàm maximè in abdito tenere consuevisse Veteres, vidimus suprà, ubi de *Idololatriæ Incunabulis.* Hos vastatis urbibus mori, resurgentibus quoque renasci, creditum iisdem, vidimus itid. suprà, in voce *Oppidum.* Iidem ex urbibus obsessis peculiari ceremoniâ evocabantur ab hostibus, ne difficilem sibi expugnationem redderent, uti diximus ubi de *Oppugnatione urbium*, aliquid etiam voce *Roma.* Θεοὺς ἐπισκόπους καὶ φύλακας dixêre Græci. Dionys. Halicarn. *l.* 4. *βωμοὺς ἐπιδόντες αὐτοῖς ἱδρύσασθαι θεὸν ἐπισκόπόν τε καὶ φύλακα τοῦ πάγου.* Et *l.* 6. *Καπιτώλιε Ζεῦ, καὶ θεοὶ πόλεως ἐπίσκοποι.* Mentio eorum in veter. *Inscr.*

DEO. TVTELARI. ÆMILIVS. SEVERIA.
MIMOGRAPHVS. POSVIT.

Item,

MERCVRIO. ET. MINERVÆ. DIS. TVTELA-
RIBVS.

Vide de cultu illorum Arnob. *adv. Gentes l.* 3. aliquid etiam suprà voce *Tutela.*

TUTELINA, Dea, apud Romanos, quam nominare sub tecto fuisse nefas, Plinius scribit *l.* 18. *c.* 2. à *tutelis* fructuum dicta, uti habet Tertullianus, *de Spectaculis*, eadem cum *Tutulina* fuit, quam vide. Ejus simulachrum, uti & Messiæ ac Sessiæ, delphinorum columnas in Circo sustinuisse, diximus suprà. Vide quoque Gerh. Jo. Voss. *de Idolol. l.* 2. *c.* 61.

TUTHMOSIS seu THUMMOSIS, Thebanorum in Ægypto Rex quadragesimus quartus, Misphragmuthosem patrem, Pastorum victorem, excepit, ac opus ab illo inchoatum feliciter, Pastoribus totâ Ægyptô pulsis, consummavit. Illi quidem in Abarim, habentem circuitum 10000. jugerum, à Misphragmuthose inclusi, urbem murô magnô ac robustô circumdederunt omniaque sua bona ac prædam intra munimentum habuerunt: sed à *Tuthmose*, 480000. armatis instructo, circumsessi diu (Ægyptiis *πολιορκητικῶν μηχανημάτων* tum adhuc ignaris) tandem obsidionis pertæsi urbem ex pacto tradiderunt, atque totâ Ægyptô decesserunt: quô factô finis impositus est longissimis intestini belli miseriis, & Ægyptus placidâ pace refocillata, aliquandiu requievit. Factum autem id circa tempora Jairi Judicis Hebræorum. Tuthmosem post regnum ann. 9. mens. 8. excepit Amenophis II. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* XII.

TUTIA, virgo Vestalis, cum argueretur incesti, argumentis purgare se dedignata mortalibus, ad Tiberim fluvium cribrum detulit, ibique submersit, hâc additâ prece: O *Vesta, si pia & casta sum, hanc è Tiberi aquam ad templum tuum perferam*; Et ipsa pertulit, Liv. *Epit. l.* 20. Dissimile quiddam legimus apud Dionys. Halicarnass. Morbus enim quidam Romæ incidit in fœminas, & mors quanta nondum prius, maximè in prægnantes, cruda, insolitaque parientes, & cum fœtibus morientes. At quia nec preces ad aras Deorum factæ, nec pro urbe expiatoria sacrificia, aut pro domibus privatis facta, cessationem afferebant malorum, fit à servo quodam indicium Pontificibus, quòd Sacerdos quædam Vestæ, *Urbina* nomine, amissâ virginitate, sacrificia pro urbe faceret, non ipsa pura. Pontifices ergo eam removentes à sacrificiis & pœnam apponentes, postquam est manifestè redarguta, virgis cæciderunt, perque urbem eam ferentes, vivam defoderunt. Eorum verò qui cum illa illam impiam corruptionem peregerunt, alter seipsum interfecit, alterum prehendentes sacrorum inspectores, tanquam mancipium necârunt; & sic statim morbus ille desiit.

TUTIA, vide suprà *Tucia.* Sed & *tutia* cadmia dicitur, uti videre est apud Salmas. *ad Solin. p.* 1022.

TUTICUM, urbs fuit Hirpinorum, *Equus Tuticus* etiam: hodie *Ariano*, urbs Episcopalis Principatus ulterioris ad radices Apennini, 13. mill. pass. à Benevento in Ortum, 32. à *Foggia*, in Africum. Ejus Horatius meminit, *l.* 1. *Serm. Satyr.* 5. *v.* 87. dicens:

> —— *Quod versu dicere non est.*

Hodie primarium est regionis oppidum, *Ferrar.*

TUTILIUS, inter adulteros Faustinæ, Marci uxoris, apud Capitolin. *in Marco*, *c.* 29.

TUTIS, in duobus Regum Ægypti catalogis, à Cl. Pocockio Linguæ Arabicæ Prof. Oxoniensi, ex Abulfeda, Al-Makrizio & Alshamio transcriptis, dicitur *Pharao primus, qui fuit in diebus Abraham*, cujus videl. mentio Gen. *c.* 12. *v.* 10. Verùm, cùm series istæ nihil habeant commune cum iis, quæ Eratosthenes, Manethô & Syncellus de Ægypti Regibus tradunt, neque nomina satis Ægyptiacè sonare videantur, sagacissimus Bochartus *Hebræorum nugamentulos*

dulos hæc de suo confinxisse suspicatur. Marshamus non tam Menchetem Regem Memphitarum, quàm Amesilem inferioris Ægypti Regem communi illô *Pharaonis* nomine indigitari *d. l.* judicat, cùm verisimile sit, ex brevi inprimis Abrahami *trium* in Ægypto saltem *mensium mora*, illum Ægyptum inferiorem non transiisse; quem proin non malè *ἐν Ἡλιουπόλει*, *Heliopoli*, collocat Eupolemus apud Eusebium, *Præparat. Euang. l. 9. c. 17.* Vide præfatum Marshamum, *Canone Chronico, Sec. V.* ubi *de Abramo in Ægyptum* profecto.

TUTOR, aliô nomine *Julius*, Trevir, ripæ Rheni à Vitellio præfectus, miscuit se seditioni Civilis & Classici. Tacit. *l. 4. Hist. c. 55.*

TUTOR Imperii, apud Sueton. *Tito, c. 6.* Vide suprà *Pater Imper.* ut & ubi de *Patricius Roman.*

TUTULINA, Dea. Varro: *Tuam fidem, Tutulina, invoco, quæ adesse mortalibus soles.* Div. Augustin. *l. 4. de Civ. Dei, c. 8.* eam præesse frumentis collectis atque reconditis scribit, ut *tutò* servarentur. Vide quoque *Tutelina.*

TUTULUS, à *tuendo capite*, apex pilei Sacerdotum, apud Romanos, qui in conum desinebat, *Varr.* Similiter Fulgentius ex Numa Pompilio *in Pontifical.* illud capitis operimentum, quod Sacerdos sacrificans adhibebat (Romani enim omnibus Diis, præter Saturnum, Honorem atque Herculem, sacrificabant capite opertô) *Tutulum* dictum fuisse, notat, *l. de vocibus antiq. voce, Tutulus.* Vide quoque Lil. Giraldum, *Syntagm. 17. Deor. Histor.* & Interpp. *ad illud Virgil. l. 3. Æn. v. 405.*

Purpureô velare comas adopertus amictu.

Fuit is, cujus imago cernitur in denariis gentis Juliæ, non admodùm dissimilis elencho adeoque metali figurà: quod ex subjecto schemate veterum nummorum, docet Laur. Pignorius, *Comm. de Servis.* Hinc in Glossis antiq. *ad Juvenal. Sat. 6. v. 459.* ubi *Elenchi* dicuntur *uniones, margaritæ oblongæ, magnarum gemmarum Elenchi, quos & titulatos appellant*: Pignorius *tutulatos* mavult. Et certè hujus denominationis vestigia non obscura deprehenduntur, in *Inscr.* antiqua, apud Gruterum, *p. 579. num. 5. quæ Romæ extare dicitur in Musæo Carpensi: Aponiæ. Successæ. à. Tutul. ornatr. C. Batonius. Epigonus. Atriensis.* Lanatum verò hunc Flaminum Sacerdotumque pileum fuisse, dicunt nonnulli; aliis summum tantùm pilei hujus fastigium *Tutulum* vocantibus. Sed & Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiebat variis capillorum compagibus & præter eas vittà purpureà crinibus innexâ, *Tutulum* dictum legimus. Imò & *Tutuli* vocabantur capilli, quos Matresfamiliâs Romanæ convolutos in capite gestabant, teste Varrone, *de L. L. l. 6.* Extruebant enim in altitudinem multis gradibus & spiris cumulatam comam, quod non ineleganter Lucianus [illegible] vocat: *Suggestum comæ* nuncupat Papinius: *Spiras* alii, unde *spirosus capillus*, Appulejo, *Metam. l. 2. Ordines* ac *compages*, Juvenalis, *Sat. 6. v. 502.*

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. ——

Turritam coronam, Lucanus, *l. 2. v. 358.* Vide suprà in voce *Turrita*: *Galerum* Tertullianus, graphicè de hoc luxu loquens, *Quid crinibus vestris quiescere non licet, modò substrictis, modò relaxatis, modò suscitatis, modò elisis? Aliæ gestiunt in cincinnis coërcere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bonâ simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum: nunc in galeri modum quasi vaginam capitis & operculum verticis; nunc in cervicem retro suggestum* &c. Qui locus torsit nonnullos aliquantisper: Quid enim galero cum vagina? Veniebat porrò illis in mentem, *galeri* locô *galeam* substituere; præsertim cùm Romæ legatur, in veter. marmore, *Calpurnia. L. &). L. galeæ. ornatrix*: Videbantur confirmare veteres nummi, qui exhibent imagines Augg. Plotinæ & Sabinæ, quæ Tertulliani ævô vixerunt. Harum enim capillitium ad galeam propiùs, quàm ad galerum, accedit: At pro *galero* facit Juvenalis versus, *Sat. 6. v. 120.*

Sed nigrum flavô crinem abscondente galerô:

Ubi antiquus Enarrator: *Crini suppositilio, rotundo, in modum galeæ facto.* Nempe ubi nativi crines non sufficiebant, alieni adsciti. Hieron. *ad Marcellam*, *Quæ capillis alienis verticem struunt*: namque & *comam struere*, Tertullianus; & *caput ædificare* Juvenalis dixêre. Atque ad has sutilium atque textilium capillamentorum enormitates, *peritissimi structores* adhibiti sunt, ut Tertullianus docet *l. 1. de cultu fœm.* meminitque *Successæ, à Tutul. ornatricis*, vetus Inscr. de qua suprà. Quare autem sacrorum capitum apex *Tutulus* dictus sit, exponit Varro, cùm ait: *Tutulati dicti hi, qui, in sacris, in capitibus habere solent, ut metam; Id* Tutulus *appellabatur, ab eo, quòd Matersfamilias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos*, Tutulos *dicunt.* Nec dissentit Tertullianus, qui *de Pallio*: *Tunc*, inquit, *certissimè supra omnes exuvias augusta vestis, superque omnes apices ac* Tutulos *sacer suggestus deducit oculos.* Unde etiam *Tutulatus*: Ennius,

Libaque fictores, argeos & Tutulatos.

Vide præter Pignorium, *Comm. de Servis*, Anselm. Solerium, *de Pileo Sect. 2.* Casp. Bartholinum, *de Inauribus Veterum, c. 3.* Alios.

TUTUNGRI, vide suprà *Trutungi.*

TUTUNUS, vide *Mutinus.*

TUTUPIA, in *Statutis* Synodalibus Nicolai Episcopi Andegavens. A. C. 1265. capitis tegumentum est Clericis proprium, cujusmodi hodie pilei sunt *les bonnets quarrez* Gallis vocitati, apud Car. du Fresne, *Glossar.*

TUVERA, vide *Tueria.*

TUUS, Græcè Σὸς, honoris causâ usurpatum erga eos, quibus venerationem nostram atque obsequium, imò nos totos oblatos cupimus. Ita enim Alexander Macedo apud Diodorum Sic. *Biblioth. l. 16.* in historia famosissimæ ejus ad Ammonem consultationis, Prophetæ viro seni, accedenti, & dicenti, Χαῖρε, ὦ παῖ, καὶ ταύτην παρὰ τοῦ θεοῦ ἔχε τὴν πρόσρησιν, *Salve, ô fili, & hanc salutationem habe à Deo*: respondit, Δέχομαι, ὦ πάτερ, καὶ τὸ λοιπὸν κεκλήσομαι σός. *Accipio, ô Pater, atque in reliquum tempus* Tuus *vocabor.* Vide suprà *Suus.*

TUYSCON, qui à Mose vocatur *Ascenas*, filius Gomeri, filii Japhet, primogeniti fuit. Sarmatis, qui juxta Poloniam habitant, & nunc inter Germanos annumerantur, originem præbuit, quos literas docuit ac legibus formavit: regni Germanici initium dedit; A. M. 1909. ante Christum 2053.

TYANA, hodieque TIANA, Cappadociæ civitas Archiepiscopalis media ferè inter Cæsaream ad Boream & Tarsum urbem Ciliciæ ad Meridiem. Hic Apollonius natus fuit, qui ideò *Tyaneus* dictus est, & discendi causâ, plurimas regiones peragravit. *Cœl. Rhodig.* Hinc *Tyaneius.* Ovid. *l. 8. Met. v. 719.*

—— *Ostendit adhuc Tyaneius illic*
Incola de medio vicinos corpore truncos.

TYANITIS, Asiæ minoris Præfectura, in Cappadocia, ubi Tyana urbs, *Strab.* qui scribit eandem quoque *Eusebiam* ad Taurum vocatam.

TYBERINUS, octavus Albanorum Rex, post Calpetum: Regnavit ann. 8. Successit Agrippa.

TYBERIS, vide *Tiberis.*

TYBII, populi inter Getas & Thraces, Plin *l. 7. c. 2.* servilis & abjectæ conditionis. Unde *Inter Sosias & Tybios referre*, Proverb. apud Synes.

TYBILENUS, Saxonibus antiquis idem, qui Slavis *Zeerneboch*, de quo sic Helmoldus, *Chronic. Slavor. l. 1. c. 53. Sub nomine Deorum, boni scilicet atque mali, omnem prosperam Fortunam à bono Deo, adversam à malo dirigi profitentur. Ideo etiam malum Deum suâ linguâ Diabol sive Zeerneboch, i. e. nigrum Deum, appellant.* Ubi *Zeerneboch* quidem sit à Slavis: at *Diabol* sine dubio est ex *Diabolus*, ut à Christianis acceperint hoc vocabulum: nisi forte de Diabolo ex glossemate in textum irrepsit. *Tybilenum* autem antiquis Saxonibus, eundem fuisse cum Slavorum *Zeerneboch*, notat Fabricius, *Origin. Saxonic. l. 1.* imo, ut ait, hodieque sic malum Dæmonem nuncupant. Itaque nihil fortasse mutandum, apud Tertullian. *Apologet. c. 24.* ubi in multis codicibus est: *Unicuique provinciæ & civitati suus est Deus, ut Syriæ Astarte; Arabiæ Disares; ut Norico* Tibilenus; *ut Africæ, Cælestis; ut Mauritaniæ Reguli sui*: Quem tamen locum alii censent corruptum, ut Nicol. Loensis *Epiphyllid. l. 5. c. 15.* qui pro *Tibilenus* corrigit, *Deus Belenus*: Pithœus autem, *Subseciv. l. 1. c. 4.* simpliciter legit, *Norici Belenus*; quod Vossio magis placet. Interim veretur idem, ne deceptus sit Fabricius, de quo modò, ac vox Germ. *Tifel*, quâ malum Dæmonem indigitant, non ex *Tibilenus* sit, sed ex *Diabolus*. Vide eum, *de orig. & progr. Idolol. l. 1. c. 38.*

TYBRESTUS, urbs Arabiæ, ad Cyrubem fluv. *Vib. Sequester.*

TYBUR, seu *Tybur Herculeum*, vulgò *Tivoli*, urbs Latii, in ditione Pontific. ad Anienem fluv. Condita à Catillo Arcade, Virg. *l. 7. Æn.* pomis adeo abundat, ut *pomosum* Columellæ dicatur. Vide *Tibur.*

TYCHE, vide *Syracusæ.* Item Nympha, Oceani & Tethyos filia, Hesiod. *in Theog. v. 360.*

TYCHICUS, vir Asiaticus, Actor. *c. 20. v. 4.*

TYCHIUS, faber celeberrimus. Homer. *Il. 7.* Ovid. *l. 3. Fast. v. 824.*

Nec quisquam invitâ faciet bene vincula plantæ
Palliade, sit Tychiò doctior ille licet.

TYCHO Bracheus, excellentissimus Mathematicus, illustri in Dania genere natus. Hunc Patruus Georgius magna cum cura educatum Præceptoribus egregiis commisit, qui Lipsiam dein missus, ut Juri operam daret, insciis Magistris, Astronomicas observationes, in id animô naturâ proclivi, condidit. Dein in Italiam Germaniamque itinere factô, ab Imperatore & Principibus variis, invitatus, prætulit Basileam, Helvetiæ clarissimam urbem, quò redire omnino constituit. Sed insulâ Huenâ donatus à Friderico II. Daniæ Rege arcem Uranoburgum ibi extruxit, ut Astronomicæ scientiæ, & admirandis instrumentis suis conficiendis ibi vacaret. Interim novum excogitavit Systema, Copernicanum aliquantum immutando: *Restauratoris Astronomiæ* elogium meritus. Post Friderici II. mortem, à Rodolpho II. invitatus Pragam pervenit, ibique obiit, A. C. 1601. ætat. 55. Scripsit *Progymnasmata Astronomiæ Instauratæ, de Mundi ætherei recentioribus Phænomenis, Epistolas Astronomicas, &c.* Thuan. *Hist. l. 126.* Gassend. *in ejus vita.* Voss. *de Scient. Mathem. c. 31. §. 4. c. 36. §. 26. c. 65. §. 45.* Jac. Phil. Thomasinus, *in Elog. Illustr. Vir.* & suprà, voce *Braheus.*

TYCHON, nomen lanceæ, quâ avunculum suum Polyphronem Alexander Pheræus confodit, apud Plut. *in Pelopida*: fortè quòd ictu non fuisset frustratus, παρὰ τὸ λογχᾶν. Hanc coronatam posteà consecravit, eique ut Deo rem divinam fecit. Vide quoque suprà *Myrtale.* Transiit mos sic consecrandi tela, quibus vel peracta ultio, vel aliud quid memorabile gestum, à Græcis ad Romanos, uti pluribus docet Lipsius, *ad Tacitum, l. 15. Annal. Not. 160.* & diximus aliquid suprà voce *Gladius.*

TYCTA, nomen apud veteres Persas convivii, à Rege quotannis natali suô Proceribus exhiberi soliti, de quo sic ex Herodoto, *l. 9. c. 109.* Athenæus, *l. 4. c. 10.* *Quæ cœna semel quotannis eô die, quô Rex creatus est, instituebatur; tunc solùm Rex caput cum cura abluitur*, τὴν κεφαλὴν σμῆται, *Persasque sirenis donat.* Ubi quod de caput

pat abluendi more, Persas forte ab Indis vicinis, quorum Rex capillos abluebat solennitate ingenti, maximisque muneribus à subditis eô die excultus, teste Strabone, *l.* 15. mutuâsse judicat Cl. Loccenius, *ad Curtium, l.* 8. *c.* 9. Cœterùm *Tyslla* Græcos Τίλεσιν interpretari, vidimus suprà ubi de *Natali die*. Vide quoque *Tucca*.

TYCUS, ex Ducibus Maximini, Imperator à militibus factus, post 6. regiminis mensem, ab uno ex amicis suis dormiens interfectus est, Jul. Capitolin. *in Maximinis*, *c.* 11. Herodianus, *l.* 7. *c.* 1. Κουαρτῖνον, *Quartinum*, Treb. Pollio *in XXX. Tyr. c.* 32. *Titum* vocat, quem vide: uti de Calphurnia uxore ejus, *Sancta & venerabili fœmina*, ut idem vocat, suô locô.

TYDE, urbs Hispaniæ Tarraconensis in Callaicis ad Minium fluv. A Diomede condita, & de patris nomine dicta. Episcopalis sub Archiepiscopo Compostellano, inde 21. leuc. inter Bracaram ad Austrum 8. & Auriam ad Boream 10. *Ferrar. Baudrando* sita est 6. leuc. suprà ostia Minii in Cæciam, Auriam versùs 12. & 17. à Compostellâ in Meridiem, in ipso confinio Portugalliæ. Recens munita, vulgò *Tuy*. Silius, *l.* 3. *v.* 367.

Oeneæ misêre domos Ætolaque Tyde.

TYDEUS, fil. Oenei Regis Calydoniæ, & Peribœæ, vel, ut aliis placet, Althææ, qui cùm fratrem suum Menalippum inscius occidisset, ad Adrastum Regem profugit, cujus filiam Deiphilen conjugem duxit. Posteà à Polynice, qui alteram Adrasti filiam, Argiam nomine, uxorem habebat, legatus ad Eteoclem Regem Thebarum missus est, ut pacti memor, fratri regnum redderet. Ad quem cùm venisset, Regiamque esset ingressus, Eteocles negavit se regnô cessurum esse. Quô responsô Tydeus vehementer commotus est, ita ut non sit veritus & hostis, & solus, Thebanos omnes, quotquot tum fortè cum Eteocle essent in convivio, ad quodlibet certaminis genus provocare. Atque ut animosè provocavit, ita omnes (sic illi Pallas propitia fuit) strenuè vicit. Quamobrem Thebani dolore ac indignatione accensi, reverso insidias tetenderunt, collocatis ad opportunum locum, quà Tydeus transiturus erat, 50. juvenibus, cum 2. Ducibus Mæone Æmonis, & Lycophonte Autophoni filio, quos Tydeus in se impetum facientes trucidavit, uni tantùm parcens Mœoni, quem acceptæ cladis nuntium ad Eteoclem remisit. Profectus deinde unà cum Polynice & Adrasto, reliquisque Græciæ Principibus ad bellum Thebanum, post multas res præclarissimè gestas, à Menalippo quodam Thebano lethaliter vulneratus, occubuit: *Cruentum* vocat Statius, *fulmineum, magnanimum*, & *iræ immodicum*. Vide & suprà *Adrastus*.

TYDIDES, Diomedes Tydei filius, bellator strenuus, qui præter alia benè ac fortiter gesta Venerem in dextra vulneravit. Homer. *Il.* 5. De eo Horat. *l.* 1. *Ode* 14. *v.* 28.

—— *Ecce furit te reperire atrox*
Tydides melior patre.

Idem *Od.* 6. *v.* 16.

—— *Tydidem superis parem.*

Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 101.

—— *O Danaûm fortissime gentis*
Tydide.

Nic. Lloydius. Vide *Diomedes.*

TYDRUS, filius Caucasi, ex auxiliis Æëtæ, occisus à Colaxe. Val. Flacc. *l.* 6. *Argonaut. v.* 640.

TYELLA, oppid. Siciliæ, *Diodor. Sicul.* Megaræ finitimum, *Jadica Fazello*. Aliis Centuripis & Inessæ vicinum, quod & *Hybla*.

TYENIS, mons Colchorum, a *Tyenide* fluv. *Steph.*

TYGENI, qui potius *Iceni*, populi Angliæ, quorum Rex Prasutagus Neronem Imperatorem hæredem instituit.

TYKOZINUM, vulgò TYKOCZIN, urbs munita Polachiæ, intra paludes, juxta fluv. *Narew*, 7. leuc. ab Augustavia in Meridiem, 9. à Grodna in Africum, in limite Mazoviæ, cum palatio eleganti. Capta à Suecis A. C. 1655. sed recepta annô sequente à Polonis.

TYLANGIUM, Triphyliæ in Peloponnesô oppid. *Polybius.*

TYLE Castrum, vulgò *Tille le Chasteau*, urbecul. Burgundiæ superioris in Diœcesi Lingonensi, quà Divione Lingonas itur, imminens Thile fluv. vulgò *Tille*, qui non longe à Sequanæ fonte ortus, in Ararim exoneratur.

TYLESIUM, seu TYLESSIUM, vel TYLESSUS apud *Steph. Aptllo*, teste *Barrio*, oppid. Brutiorum non incelebre, apud oram Calabriæ citerioris, & sinum Terinæum, à littore 7. mill. pass. quot ab Amantia urbe & à Tyllesio promontor. quod nunc *Corica*, super saxo conditum. *Lycophron.*

TYLIS, urbs Thraciæ prope Hæmum, *Steph.*

TYLOS, Insul. Asiæ in sinu Persico, in qua arbores cotonei mali amplitudine ferre cucurbitas, quæ maturitate ruptæ laniger as pilas ostendant, scribit Plinius, *l.* 12. *c.* 11. de quibus vide pluribus disserentem Salmasium, *ad Solinum*, *hanc Insulam Indiæ perperam tribuentem*, *p.* 296. adde, quæ dicemus hic infrà.

TYLUS, insula sinus Persici, ab ostio Euphratis navigatione 24. horarum in Ortum distans. Hujus nominis duas insulas habet Plin. *l.* 6. *c.* 28. in mari Rubro, 10. mill. pass. inter se distantes. Item Messeniæ in Peloponnesô urbs, quam nonnulli Oetylum vocant, in quit *Strabo* ex Xylandri interpretatione. Prioris meminit *Theophrastus* & Arrianus, *l.* 7. ubi scribit ferre palmas, oleas ereare, & vineis abundare. *Baharen* esse videtur, 100. leuc. Hispan. ab Armuzia in Occasum, ubi unionum copia. Ejus Dionys. sic meminit, *l. de situ Orbis*:

Hic Tylus est, superans vastæ miracula terræ.

TYMBORYCHOS, Græcè Τυμβώρυχος, cognomen Veneris apud Lacedæmonios olim cultæ, teste Meursiô *de Antiqq. Lacon. l.* 1. Aliàs Τυμβώρυχος, est *qui tumulus resossis cadavera spolias*, λωποδύτης νεκρῶν, ut exponit *Hesychius*. Unde τυμβωρυχία, vox in veter. *Inscr.* Thyatiræ hodieque superstite memorata, quâ Fabius quidam Zosimus emtô sibi uxorique suæ Aureliæ Pontianæ sepulchrô, in loco *Sambathæo* dictô, ante præfatam urbem, cum, qui illud sibi vindicare ausus fuerit, præter mulctam Urbi solvendam, pronuntiat fore ὑπεύθυνον τῷ τῆς τυμβωρυχίας νόμῳ, *legi violationis sepulchrorum obnoxium*, apud Jac. Sponium, *Itinerar. Græciæ*, Parte 3. *p.* 120.

TYMBRIANI, populi inter Pisidiam & Lycaoniam, Plin. *l.* 5. *c.* 27. quorum urbs *Tymbria* Episcopalis erat in Pisidia, *Tymbrium* Xenophonti dicta, ab Iconio 200. stad. in Corum. Erat & *Tymbria*, vicus Cariæ apud Mæandrum fluvium & Myuntem urbem, inde 4. stad. ubi Avernus, teste *Strab.*

TYMENÆON, urbs juxta Phrygiam, *Steph.*

TYMENNA, vicus Lyciæ, *Idem.*

TYMES, ETIS, urbs Libyæ, *Idem.*

TYMNISSUS, urbs Cariæ, *Idem.*

TYMNUS, urbs Cariæ, *Idem.*

TYMPANIA, Ptolem. *Tympanea*, Polyb. *Tympanea*, & *Typanea*, Stephan. *Typanea* Plin. *l.* 4. *c.* 6. urbs Elidis mediterranea in Arcadiæ confinio, Leporio finitima. *Strovisso* Nigro, *Virdogna* Castaldo, *Leondari* Moletio. Populi Typanei.

TYMPANISTRIÆ, inter Romanorum veterum Symphoniacos, conviviis adhibitos, *tympana* pulsabant. Sidonius, ubi de cœna Theodorici: *Sanè intromittuntur, quanquam rarò, inter cœnandum, mimici sales, ita ut nullus conviva mordacis linguæ felle feriatur, sic tamen, quòd illic nec Organa hydraulica sonant, nec sub Phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat, nullus ibi Lyristes, Choraules, Mesochorus*, Tympanistria, *Psaltria canit*. Sed & Regius Psaltes Juvenculatum *Tympanistriarum* meminit Psalmô 68. *v.* 26. & B. Augustinus, *Serm.* 18. *de Sanctis*. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis* & hic infrà.

TYMPANUM, à τύπτω, i. e. *percutio*, quale fuerit, antiqua numismata indicant, in quorum aversa parte Cybele Mater Deûm *Tympanum* in sinu gerit, vel eidem innititur. Eximiè descripsit Plinius de margaritis agens, *l.* 9. *c.* 35. *Quibus una tantùm est facies, & ab ea rotunditas, aversis planities, ob id* Tympana *nominantur.* Quæ imitatus Isidorus, *Origin. l.* 3. *c.* 21. *Tympanum autem dictum, ait, quod medium est: Unde & margaritarum medium Tympanum dicitur*: Erant, ut idem notat *ibid.* pelle, vel coriô superinducta. Unde Tiberii eruditus Libertus Phædrus, *Fab. l.* 3. *fab.* 21. *v.* 4. ait,

Galli Cybeles circùm quæstus ducere
Asinum solebant, bajulantem sarcinas;
Is cùm labore & plagis esset mortuus
Detractâ pelle sibi fecerunt Tympana.
Rogati mox à quodam delitio suo,
Quidnam fecissent: Hôc locuti sunt modô:
Putabat, se post mortem securum fore,
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

In quæ verba Schefferus annotat, *Fuisse Tympana ista ex ligneo circulo, cui superinductum ex una solum parte esset corium: Fallique dicit Dempsterum, ad Rosin. l.* 2. *c.* 4. *quando ærea fuisse scribit, & æra Corybantia, apud Virgilium, de illis accepit. Quod vel ex Servio ad eum locum discere potuisset, ubi ita scribit: Ærea autem Cymbala Corybantibus Iasonis filiis, quibus vagitum Jovis celaverunt.* Tamen & ex argento *tympana* habet Plin. *l.* 33. *c.* 11. Percutiebantur aliquando virgulâ, aliquando manu nudâ impellebantur. Ideò plagarum Phædrus meminit, & Ovid. *l.* 4. *Met. v.* 29.

Fœmineæ voces, impulsaque Tympana *palmis.*

Catullus, *Epigr.* 64. *de Aty*, *v.* 9.

Niveis citata cepit manibus levi Tympanum,
Tympanum, *Tubam, Cybele tua Mater initia:*
Quatiensque terga tauri teneris cava digitis
Canere hæc suo. ——

Sueton. *Aug. c.* 68. *Sed & Populus quondam universus Ludorum die, & accepit in contumeliam ejus, & assensu maximô comprobavit versum in scena pronuntiatum de Gallo Matris Deûm tympanizante: Videtur, ut Cinædus orbem digitô temperet.* Quô & Ausonius allusit in Pythagorica acroasi, *de viro bono*, *Edyll.* 16. *v.* 12.

Sit solidum, quodcunque subest, nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.

Et Augustinus: *Plaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos* Tympana *puerperæ concrepent.* Sonitum Catullus eleganter expressit, *loc. cit. v.* 31.

Ubi cymbalum sonat vox, ubi Tympana *reboant.*

Et, *v.* 29.

Leve Tympanum *remugit, cava cymbala recrepant.*

Forma fuit, qualem Pignorius exhibet *Comm. de Servis*, primâ facie cribrum referens, ut non immeritò legamus, in judicio Coci & Pistoris;

Tympana *habet Cybele: sunt & mihi* Tympana *cribri*

Nempe *Tympana* omnino erant, inter instrumenta Musica, quibus in sacris Cybeles olim utebantur. Lucretius, *l. 2. v. 618.*

Tympana tenta tonant palmis, & Cymbala circum
Concava, raucisonique minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numerô cava tibia mentes &c.

Quatiebant autem illa Galli, dum Deæ operabantur: *quam etiam vicatim circumferentes, more suô circulatoriô, pectora plangebant, ad cantum tibiarum Tympanorumque sonitum*, Dionys. Halicarn. *l. 2.* Porrò eorundem strepitu clamorem eorum, quos evitabant, ne exaudiretur, obtundere solebant, Rittershusius *ad Phædrum, loc. cit.* Cùm verò Cybele Tellurem notaverit, rejectio illa virilium, segetem, quæ demetitur: *Tympanum*, terræ rotunditatem: fragor ejus, tonitru denotabat, qua de re pluribus agit *de orig. & progr. Idolol.* Vossius, *l. 2. c. 54.* Quia itaque enervatissimi mollissimique habebantur hi Galli, hinc *Tympanorum* usus apud Romanos in bello rejectus, & *Tympanotriba* in convitio fuit, vide Plautum, *Truculentô, sc. lic*: hodie verò Germani cùm vigiles mutant; etiam cum prœlium committunt, *Tympanum* pulsant, & tibiâ canunt. Porrò ex *Tympano* etiam comedisse, ex cymbalo bibisse, qui Matri Deûm initiabantur, arguit Clemens Alex. *Admon. ad Gentes*: ubi commemorat, uti tales dicere soleant, ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον, *Ex Tympano comedi, ex cymbalo bibi, craterem gustavi, ingressus sum thalamum.* Aliàs *Tympanis* quoque poculis semiviros illos Sacerdotes usos fuisse, dicemus infrà. Neque verò in Cybeles solùm sacris, sed & in Bacchi orgiis, adhibita fuisse Cymbala *Tympanaque*, docet Sidonius Apollinaris, *Carm. 5. v. 496.*

——— *Rotat enthea thyrsum*
Bassaris & maculis Erythrex Nebridos horrens,
Excitat Odrysios ad marcida Tympana *mystas.*

Vide Dempsterum, *loc. cit.* Imò *tympanum*, Bacchicorum Sacrorum vel primarium instrumentum fuisse, docet Casp. Barthius, *Animadversionibus Papinian.* passim, inprimis *ad l. 9. Thebaid. v. 800.* & *l. 10. v. 643.* Ubi muliebria fuisse hæc instrumenta quoque probat, ex eodem Poëta, *l. 2. Achilleidos v. 176.* At inter insignia eadem Indiæ Regum, quos *tintinnabula & tympanum* præcedere consuevisse, docet Alex. ab Alexandro, *Genialium Dierum l. 4. c. 1.* i. e. *tympanum cum tintinnabulis*, seu, ut sic dicam, *tintinnabulatum*, cujusmodi tympana mirifica Indorum, ex vetere Scriptore, pulchrè describit *Suidas*, ubi inter alia Bacchum sua inde desumpsisse refert. Hæc dum pulsabantur, mirum edebant sonum, graviore *Tympani* boatu, acutô tintinnabulorum tinnitui ac concentui permisto. Vide Tiraquellum *ad Alexandri Dies Genial. l. & c. d.* J. Lipsium, *Militiâ Rom. l. 4. c. 10.* Virum *Cl. ad Curt. l. 8. c. 11.* Alios. Cui non absimile organum se aliquando Venetiis conspexisse, refert Jos. Zarlinus, ætatis suæ Musicorum facilè princeps, apud H. Magium, *de Tintinnab. c. 13.* qui crotala quoque Antiquis fuisse, quæ multa tintinnabula affixa haberent, docet *ibid.* Sed & *Tympana*, præter tibias tubasque, ut & omnia ea, quibus lugentium animi excitati dolorem minùs sentirent, in funeribus Veterum adhiberi consuevisse, legas apud Alex. Aphrodisæum *in Probl.* Polydorum, *de Invent. rerum, l. 6. c. 10.* Alios &c. Hodie *tympana* & Turcis in usu, sed quæ *Tamburla* Galli vocant, de quibus suprà aliquid, plura verò apud Car. du Fresne, *Not. ad Joinvillam*, uti de *tympanis ovillis*, tacentibus aut crepantibus, cùm *lupinum* percutitur, apud Gerh. Jo. Vossium, *de Idol. Part. 3. c. 77.* & Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 47.* Hinc *Tymbres picex*, in *Epist. 1. l. 5.* Senatoris, eidem *Glossarii* Auctori *tympana* sunt *area picei coloris*, unde vox Gallorum *tymbres*, pro *tympanis*, inde pro galeis, quæ armorum insignibus imponuntur. De aliis vocis *Tympani* significationibus, hîc infrà: nisi quòd de margaritæ genere, *Tympano* dicto, jam suprà actum: addam saltem, *Ornamenta mamillarum ex Tympanis margaritis*, fieri olim consuevisse, Paulus *l. 32. §. ult. ff. de auro & argent. legat.* Vide de iis plura apud Salmas. *ad Solin. p. 1143.* ut & suprà de *Tympani* quibusdam *speciebus*, voce *Nacara*, it. *Tabala*, & *Tabur*.

TYMPANUM, poculi genus, parvum & cavum, sine fundo ac auribus; proin molle parumque viris conveniens: Unde locus datus Demostheni convicium faciendi Midiæ, quod eis parùm castrensibus biberet, Dorotheô referente apud Athenæum, *l. 11.* Soli nempe iis Cybeles utebantur Sacerdotes. Meminit istiusmodi poculorum Plinius, *l. 33. c. 11.* *Mox additum argentum in angulis, lineasque per commissuras; Tympana verò se juvene appellata stateras & lances, quas antiqui Magidas appellaverant.* Plautus item,

——— ——— *Ipsum etiam*
Pauxillum argenti levibus sensim Tympanis
Limari &c.

Græci *Clonmateres* quoque vocârunt, utpote qui formam operimenti testudinis χλιμακώδη appellant. Vide Thom. Dempster. *ad Rosin. l. 5. Antiquit. c. 30.* item *Maridas*, vide in hac voce. Apud Virgilium. *l. 4. Georg. v. 444.* *Tympana plaustrorum*, ineptè explicavit Servius, sive alius quisquam Servii nomine: Egregiè Jun. Philargyrus, rotas ex solidis tabulis factas interpretatur, cujusmodi Romæ visuntur in antiquis monumentis, quæ tum alii, tum Laur. Pignorius delineari curavit, & transtulit in eruditum suum *Comm. de Servis.* Ad harum imitationem factæ haustoriæ machinæ, quæ versabantur hominibus calcantibus, *tympanorum* quoque accepêre nomen: iis aqua ex puteis extrahebatur, aut salinis affundenda, aut rigandis hortis, aut ad alios quoscunque usus. Vide Salmas. *ad Solin. p. 589.* nec non suprà ubi de *Haustoriis Machinis*, it. voce *Rota*.

TYMPANUM, quoque tormenti genus, unde τυμπανίζειν, Hebr. *c. 11. v. 35.* ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν. Ad quem locum Theophylactus, & ante eum Johannes Chrysostomus, significari ajunt *Crucis tormentum*, in quo Martyres distenderentur. Thom. Aquinas *Equuleum* indigitari contendit: quam sententiam amplectitur & explicat pluribus Hieron. Magius, *l. de Equuleo, c. 8. 9. 10.* Rodericus Gualtherus, *fidiculis extenditrum*, reddit, adeoque *Tympani* hic nomine fidiculas intelligit, vide suprà. Goth. Jungermanno, *Notis in Magium*, *Tympanum* Julio Polluci, *Onomast. l. 8. c. 7.* in instrumento Δημίου seu Carnificis memoratum, in MS. Palat. vetustissimo Τύμπανον, παρὰ τὸ τύπτειν, rotundus erat fustis vel bacillus, quô rei percuti à Carnifice solebant. Scholiastes namque Aristophanis *Pluto*, ad Blepsidemi illum χελλισμόν,

Ὠ τύμπανα καὶ κύφωνες οὐκ ἀρήξετε;

Ita commentatur; Τύμπανα, ξύλα, ἐφ' οἷς ἐτυμπάνιζον· ἴχεσθαι γὰρ αὐτῇ τῇ ζημίᾳ ἢ βάκλα, παρὰ τὸ τύπτειν ἔχει ξύλα, οἷς τύπτονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ ζημιούμενοι, *ligna quibus in Dicasteriis verberabantur sontes.* Unde Sigonius *de Rep. Athen. l. 3. c. 1. sub fin.* Τύμπανον, inquit, *unde* ἀποτυμπανίζεσθαι *fluxit, ligna erant, quibus nocentes homines cædebantur, ut Pluti Interpres prodit.* *Hesych.* Τυμπανίζεται, πλήττεται, ἐκδέρεται, ἰσχυρῶς τύπτεται. &, Τύμπανον, ᾧ αἱ Βάκχαι κρούουσιν ἐν ἰδίῳ ζημίας. Idem *in prac.* Τύμπανα, δερμάτινα κοσκινώδη κόσκινα. *Suidas*, Τυμπανίζεται, ξύλῳ πλήττεται, ἐκδέρεται καὶ κρεμᾶται. *Etymologicon Magn.* ἀποτυμπανίζεται οὐχ ἁπλῶς τὸ ἀποκτεῖναι, ἀλλὰ τυμπάνῳ, ὅ ἐστι ξύλον ὥσπερ σκυτάλην καλοῦσι· Τὸ γὰρ παλαιὸν ξύλοις ἀνῄρουν τοὺς πολεμίους, ὕστερον δὲ τῷ ξίφει. Quamvis negari non possit, & de machina, quâ distendebantur vel suspendebantur miseri, vocem τύμπανον & verba inde derivata, usurpata reperiri; ubi fortè respicitur ad illa distenta *Tympana*. Interim alter vocis usus, ubi ξύλον illud seu fustis significatur, veterib. Scriptoribus Atticis notior fuisse videtur, neque aliter illi quàm de nece Τυμπανισμὸν acceperunt, quæ per istiusmodi fustium clavatumque lignearum certatim ingesta verbera inferri solebat. Unde & Ulpianus *ad Demosth. in ea de Cherson.* ἀποτυμπανίζεσθαι, ait, ἀντὶ τοῦ ἀνηλεῶς φονεύεσθαι ῥοπάλοις, *crudeliter enecari fustibus.* Vide Eundem *Philipp. 3. 4.* &c. plura verò de Ep. ad Hebræos, *l. cit.* apud Gatakerum, *Adversar. c. 46.*

TYMPHÆI, populi inter Epirum ad Occasum & Thessaliam ad Ortum, quorum oppidum *Tymphæa*, *Steph.* & *Æginium Straboni.* Vide Strab. *l. 7.* & Plin. *l. 4. c. 2.*

TYMPHE, mons Thesprotiæ. *Steph.* Ubi gypsi hinc *Tymphaici*, vel *Tymphetici* dicti copia.

TYMPHRESTUS, vel TYPHRYSSUS, mons Phthiotidis apud sinum Maliacum.

TYNCHANUS, nomen viri, apud Capitolin. *in Gordianis, c. 14.* *Referet ad te stipator meus Tynchanus* &c. à Græco τυγχάνω, sicut ab ἐπιτυγχάνω, *Epitynchanus*, nomen itidem proprium, cujus in veterib. *Inscriptionibus* mentio. Salmas. *ad l.*

TYNDARIDÆ, populi Sarmatiæ Asiaticæ, inter Zygios & Colchos. Dionysius Afer:

Intima sed Ponti, post fines Tyndaridarum
Ægypto missi Colchi tenuêre coloni.

TYNDARIS, *Strab.* & Plin. *l. 3. c. 8.* *Tyndarium Ptol.* colonia & urbs Siciliæ, olim Episcopalis, *Lo Tindero*, & *S. Maria di Tindaro*: in ora litorali, sive potiùs mari absorpta; ab ejectis Messenis, in Abacene regione Siciliæ; Aliis à *Tyndaro* Lacedæmonio, patre Ledæ, condita, & nominata. Nunc ibi ruinæ, & ædes B. Virgini sacra, inter Myleu ad Ortum, & Boream 10. ac Pactas ad Austrum 6. mill. pass. à Messana 66. Populi *Tyndaritani* Ciceroni, *in 2. Orat. in Verr. c. 65.* Silius, *l. 14. v. 209.*

——— *Gemineque Lacone*
Tyndaris attollens sese adjuit.

Item Helena sic dicta. Virg. *l. 2. Æn. v. 569.*

Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem.

TYNDARUS, fil. Oebali, Rex Oebaliæ, seu Laconiæ, post fratrem Hippocoontem, ab Hercule occisum, maritus Ledæ, quæ eôdem tempore duo peperit ova, è quorum altero, quod ex Jove conceperat, exclusi fuerunt Pollux & Helena, & altero quod conceperat ex Tyndaro, Castor & Clytemnestra. Ex his priores duo immortales fuêre, posteriores mortales. Vide *Castor & Pollux*, & Servium ad illud *l. 2. Æn. v. 601.*

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ.

Adde Joh. Marshamum Equ. Angl. *Canone Chron. Sec. IX.* ubi in explicatione Marmoris Arundel. occupatus veterum Spartæ Regum genealogiam exhibet. Dicitur & *Tyndareus*. Ovid. *ep. 8. v. 31.*

Me tibi Tyndareus vitâ gravis author & annis
Tradidit. ——— ———

Item *Tyndareus* adjectivum. Valer. Flacc. *l. 1. v. 167.*

Tyndareusque puer mihi vellere gratior Helles.

Ei successit gener Menelaus, Helenæ maritus; frater Agamemnonis, qui Clytemnestram duxit.

TYNDIS, emporium Limyrices, Indorum regionis, margaritis quæstuosum, distans à Muziri stadia 500. quod Insulæ nomen esse in Indico Oceano perperam tradidit Plin. *l. 6. c. 25.* qua de re vide Salmas. *ad Solin. p. 1187. & 1191.*

TY-

TYNES, ETIS, urbs *Siciliæ*, *Stephan.*

TYNNA, urbs Cataloniæ, in Armenia minore. *Ptol.*

TYNNICHUS, egregius Dux, Patriâ, ut videtur, Heracleensis, qui Theodosiam, à vicinis Tyrannis obsessam, mirò ingeniô liberavit: sicut videre est apud Polyænum, *l.* 5. *c.* 23. *f.* 394. 395.

TYPÆON, mons Elidis, *Steph.*

TYPANEÆ, vide *Tympania.*

TYPARIUM, vide infrà *Typus.*

TYPHIS Magneticus, in *Musæo* Kircheriano, geniolus est, qui ad clavum cymbæ crystallinæ sedens, in ludicro mari, arcanâ vi actus circumvagatur, jucundissimum visu spectaculum exhibens. Gratiosissimus pupus ad clavum in sua cymba sedet, vela per mare alterô crystallinô non raræ molis catinô vitreô facturus, novâ navigationis arte, in pacato ac tranquillo mari: dum ne minimum quidem turbantibus undis motus ab occultis cavernis tacitus erumpit spiritus, qui imbecillem nautam sursum, deorsumve impellit, & dextrorsum ac sinistrorsum illum abripiens, totô Oceanô adusque horizontis fluidi confinia errabundum & vagum jactat. Nec diu tamen fluctuanti cymbæ errores durant: Mox enim amotô extrinsecô magnete, quô suscitatur in pusillo mari crystallina navis, ad quietem illa se recipit & ad Mundi polos, ceu fidissimo in portu, se obfirmat. Nempe causa errorum sub undis latitans magnetica Siren est, quæ in cymba alium magnetem occultatum & unà cum illo cymbam cum nauclero abripit. Juncta est machina hæc cylindro seu potiùs parallelogrammo Astronomico, in cylindrum convoluto; in 24. æquas partes, secundùm longitudinem & in Tropicos, eisque, parallelas, secundùm latitudinem divisum, in quo singulari arte horæ Astronomicæ, Italicæ, Babylonicæ & antiquæ dignoscuntur. Sed & eadem machina novam praxin inveniendi lineam Meridianam suggerit; Si nempe fragmentum boni magnetis crystallinæ aut vitreæ cymbæ levissimæ, aut cymbulæ subereæ inserueris, ac juxta magnetis polos, indicem statueris prominentem, sicque vasculum liberè innatare permiseris. Lapidis enim fragmentum, unà cum indice, ad Mundi se plagas firmiter locabit, lineam horamque Meridianam ostensura. Georg. de Sepibus, *in Collegii Romani Societat. Jesu Museo*, p. 19. Imò eàdem efficies, ut spectatoribus intra circumferentiam descripta nomina, aut mente concepta Geniolus indicet, dicto citiùs, uti Auctor pluribus docet *de Arte Magnetica.* Vide quoque suprà *Divinatrix machina.*

TYPHLOCOMIUM, Græcè Τυφλοκομεῖον, in quo *cæci* aluntur curanturque, memoratur in *Vita* S. Anastasii Persæ, *Mulier quædam Photi nomine, ministra effecta sacri* typhlocomii, *sive cæcorum domicilii*, apud Dominicum Macrum, *Hierolex.*

TYPHOEUS, Gigas Terræ & Titani fil. quem illa Jovi irata in perniciem cœlestium fertur edidisse. Virg. *l.* 1. *Georg.* v. 279.

> —— *Tum partu terra nefando*
> *Cœumque Japetumque creat, sævumque Typhœa.*

Hujus manus robustæ, pedes indefessi erant ac serpentini, ex humeris pendebant centum capita draconis, sub superciliis ignis micabat: Omnia capita variè loquebantur & omnium animalium sonum exprimebant. His viribus fretus Jovem de cœli possessione detrudere est conatus. Sed cæteris Gigantibus in Phlegrâ monte interfectis, solus Typhoëus effugit, unde eum posteà bellum illud instauràsse quidam tradiderunt. Tandem fulmine ab eodem ictus est, & sub Inarimen insul. detrusus, ut placet Virgilio, *l.* 9. *Æn.* v. 716.

> *Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile*
> *Inarime Jovis imperiis imposita Typhœo.*

Habuit ex Homero, qui sic *in Catalogo*, *Il.* β. v. 783.

> Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Claudian. *l.* 3. *de Rapt. Pros.* v. 183.

> —— *Rupitne Typhoia cervix*
> *Inarime?* —— ——

Lucan. *l.* 5. v. 101.

> —— *Ceu Siculus flammis urgentibus Ætnam*
> *Undat apex: Campana fremens ceu saxa vaporat*
> *Conditus Inarimes æternâ mole Typhœus.*

Pindarus tamen in Sicilia sub Ætna monte sepultum refert, *Pyth.* 1. Ἐπῳδ. α. v. 5. *his verbis*:

> Ὅς τ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κεῖ-
> ται, θεῶν πολέμιος
> Τυφὼς ἑκατοντακάρανος.

Et paulò pòst v. 11.

> Σικελία τ' αὐτοῦ πιέζει
> Στέρνα λαχνάεντα. Κίων
> Δ' οὐρανία συνέχει
> Νιφόεσσ' Αἴτνα.

Eum sequuntur

1. Ovidius, qui sic, *l.* 4. *Fastor.* v. 491.

> *Alta jacet vasti super ora Typhoëos Ætna,*
> *Cujus anhelatis ignibus ardet humus.*

Idem, *l.* 5. *Met.* v. 348.

> *Vasta giganteis injecta est insula membris*
> *Trinacris; & magnis subjectum molibus urget*
> *Æthereas ausum sperare Typhoëa sedes:*
> *Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpe:*
> *Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro,*
> *Læva, Pachyne, tibi, Lilibæo crura premuntur.*

2. Silius, *l.* 14. v. 197.

> *Tum Catane ardenti nimium vicina Typhœo.*

3. Valer. Flacc. *l.* 2. v. 24.

> —— *Siculâ pressus tellure Typhœus.*

Hesiodus Typhœum Terræ & Tartari filium facit, v. 820. *f.* Θεογον.

> Αὐτὰρ ἐπεὶ Τιτῆνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεύς,
> Ὁπλότατον τέκε παῖδα Τυφωέα Γαῖα πελώρη
> Ταρτάρου ἐν φιλότητι διὰ χρυσέην Ἀφροδίτην.

De Typhoëi cubili, memoratu digna, Solin. *c.* 51. *Nic. Lloydius.* Vossio idem est, qui *Ogus* Mosi, de cujus regno, statura & lecto ferreo, vide Numer. *c.* 3. plura verò hanc in rem apud modò dictum Auctorem, *de Orig. & Progr. Idol.* *l.* 1. *c.* 26. ubi inter alia Τυφῶν, Τυφῶς, Τυφάων vel Τυφωεὺς synonyma esse, à τύφω *accendo, uro*, & Og, ab Hebr. עוג, *ussit, ustulavit*, similiter dictum, docet.

TYPHON, Gigas, de quo sic scribit Homer. *Hymn. in Apoll.* v. 300. *f.* Junonem ægrè ferentem, quòd Jupiter sine se ex capite Minervam peperisset, Cœlum ac Terram precatam fuisse, omnesque Deos superos & inferos, ut posset & ipsa sine maris congressu parere, quæ cùm manu humum percussisset, sequenti postea tempore natus est ex Terrâ Typhon, qui dracænæ educandus traditus est, ut patet ex his versibus:

> Ἀγχοῦ δὲ κρήνη καλλίρροος, ἔνθα δράκαιναν
> Κτεῖνεν ἄναξ Διὸς υἱὸς ἀπὸ κρατεροῖο βιοῖο,
> Ζατρεφέα, μεγάλην, τέρας ἄγριον, ἣ κακὰ πολλὰ
> Ἀνθρώπους ἔρδεσκεν ἐπὶ χθονί, πολλὰ μὲν αὐτούς,
> Πολλὰ δὲ μῆλα ταναύποδ' ἐπεὶ πέλε πῆμα δαφοινόν.
> Καί ποτε δεξαμένη χρυσοθρόνου ἔτρεφεν Ἥρης
> Δεινόν τ' ἀργαλέον τε Τυφάονα, πῆμα βροτοῖσιν,
> Ὅν ποτ' ἄρ' Ἥρη ἔτικτε χολωσαμένη Διὶ πατρί,
> Εὖτ' ἄρα δὴ Κρονίδης ἐρικυδέα γείνατ' Ἀθήνην
> Ἐν κορυφῇ. ——

Seneca *in Octavia*, *Actu* 1. v. 238.

> *Non tam ferum Typhona neglectum Jove*
> *Irata Tellus edidit quondam parens.*

Eundem faciunt Poëtæ cum Typhœo. Plura qui de Typhone videre velit, consulat D. Dickinsonum *in Delph. Phœnic.* *c.* 2. & Beganum *in epistola libro isti præfixa*, ubi eruditè, ut solet, de gigante disserit: Item *Typhon*, teste *Diodoro*, Osiridis, Ægyptiorum Regis frater, qui illo interfectô & in 25. partes discerptô, regnum occupare conatus est; tandem verò ab Iside victus, meritas impietatis suæ luit pœnas. Vide Illustr. Marshamum, *Canone Chronico*, passim. Item venti nomen, de quo Plin. *l.* 2. *c.* 48. & Gell. *l.* 19. *c.* 1. Hinc *Typhonicus*, unus è ventis subitis & repentinis, Actor. *c.* 27. v. 14. *Nic. Lloydius.* Addo, quòd hôc nomine Solem, quatenus vim habet maleficam, ab Ægyptiis cultum olim esse, sicut & nomine *Seth*, ostendit Vossius, *de Idol.* *l.* 2. *c.* 24. Idem marinam aquam, quæ Græcis *Neptunus*, Ægyptiis *Typhona*, dictam esse docet, *ejusdem l.* *c.* 75. Non verò, qui Neptuno à Pelasgis Libybusque, idem *Typhoni* habitus honor est; utpote quem nullis dignati sacrificiis, cum Osiridi putabant, vel Oro, Osiridis ex Iside filio, inimicissimum. Hinc Sacerdotibus Ægyptiis, salem mensis inferre, quòd *Typhonis spuma* crederetur, erat nefas: imò & de piscibus gustare, illis minimè licebat, Herodotus, *Euterp.* Vide totam hanc fabulam eruditè explicatam, apud præfatum Vossium, *loc. cit.* ut & voce *Typhus* infrà.

TYPHONIS Insula, è regione Trojæ, quæ & *Calydna Qu. Smyrnæo*, & *Typhonis Scopuli* apud *Lycophronem.*

TYPHRESTUS, oppid. & mons Trachiniæ, unde Sperchius fluv. ortum habet; idem *Tymphresto* apud *Strab.* Est & mons Milesiorum in Caria, teste *Lycophrone.*

TYPHUS, Græcè Τῦφος, memoratus Philoni, *l. de Temul. de vita Mosis*, *l.* 3. *libro de Spec. Legibus*, & *de Monarchia*, *l.* 2. non mania est seu stultitia, ut apud Hippocratem, Plutarchum, Lucianum & Suidam; Arnobium item, *l.* 2. *mentis elatio* & *typhus*, ex Græc. τῦφος, *fumus*, quamvis Turnebus, Stephanus alii sic sumant. Vide suprà *Tapha.* Sed ille ipse, quem Plut. in *Iside* Typhonem vocat, magnum dæmonem esse dicens, quique certis sacrificiis ab Ægyptiorum Sacerdotibus mulceatur ac delinatur. Quamvis Philo magnô errore *Typho* vel *Typhoni* tribuat quæ Osiridis erant propria, ut quem præcipuo in cultu apud Ægyptios fuisse, & pro symbolo taurum habuisse, ait: quorum utrumque de Osiride verum, non de *Typho*, qui non tam pro Deo quam pro cacodæmone, ab Ægyptiis habitus est. Unde ad illum referebant, quidquid adversi accidebat, seu ut Plut. ait, ὅσον ἐστὶν ἄμετρον καὶ ἄτακτον ὑπερβολαῖς καὶ ἐνδείαις, *quidquid in excessu, aut defectu immodicum & inordinatum est*, in libro *de Iside*, quæ qui attentè leget, reperiet in Ægyptiaca *Typhonis* historia multa haberi, quæ ad Mosen pertinent, quamvis tot fabulis involuta, ut non facilè

possint exsculpi. Vide egregia hanc in rem, apud Samuel. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 34.* ubi prolixum inter utrumque habes parallelismum: de *Typhonis* vero antro seu cubili in Jovis Fano, in specu *Corycio*, Salmasium *ad Solin. p. 777.* uti de *Typhonem* in Sacris Isidis *operandi* more Jul. Firmico indigitato, Johann. Frider. Gronovium, *Observat. in Script. Eccl. c. 9.* & de *Typhone* vento, aliquid suprà voce *Orkanes*.

TYPICUM, liber Ecclesiast. apud Græcos, in quo à primo die anni singulis diebus, quid inter Missarum solennia, quid ad Vesperas, quid ad Horas, quid ad Matutinum, quid denique ad reliqua Officia, recitandum, psallendum legendumve sit; quibus porrò diebus jejunandum, quibus & qui jejunium solvendum, clarâ ac facili methodô præscribitur. Ex quidem in edito, præ aliis, continentur *Ordo recitandi officium per totum annum, ex præscripto Sabæ capitibus LIX.* Sequuntur, *Marci Hieromonachi de dubiis Typici capita C.* Posteà, *Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani, ad Anastasium montis Sinæ Abbatem, de Jejuniis Græcorum Carmina politica.* Inde minutiora quædam, *de Arzibuvia, de Festis Monachorum, de Continentia & ingluvie, de IV. Evangelistis, de XXX. argenteis ex Maximo Monacho de Fide* &c. Finem occupant, *Capita adhortantia ad virtutem.* Aliter Διάταξις, item Διατύπωσις. Non unum autem omnium Ecclesiarum *Typicum* fuit, sed pro varietate earum varia, unde Κτητορικῶν Τυπικῶν, *municipalium Typicorum*, mentio frequens: Donec *Typicum*, quod S. Sabæ dicitur, apud universos invaluit. Vide Leon. Allatium *de lib. Eccl. Græc.* & Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Τυπικόν.

TYPOGRAPHIA, quæ unicum est contra tineas & blattas, omnis eruditionis inimicas, remedium: quamque cum omnibus veterum inventis, certare facilè posse censet Joh. Bodinus, *Meth. Histor. c. 7.* non Saturnum, ut S. Cyprianus, *de idolis libr.* sensisse videtur: non Themistitanos novi Orbis populum, ut Genebr. *Chronograph. l. 4.* docet, non Cathajenses Indos, ut Zuinger. *Theatr.* refert, aliosque, sed Germanos inventores habuit. Unde Betoaldus:

O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetustas;
Libros scribere quæ doces premendo.

Verùm utrius Germaniæ civibus ea gloria debeatur, acris controversia est. Hadrianus Junius pro Harlemensibus pugnat, apud quos Laurentius Johannes, cognomentô Æditous Custosque, communiter Costerus, faginos cortices in literarum typos primò conformare instituerit A. C. 1428. juxta *Scriverium*. Et certè Mariangelus ac Chronicon Coloniense ex Donatis Hollandicis primos Typographicæ artis in Germania superiore auctores multùm adjutos esse referunt. Plurimi pro Germanis stant: quas sententias quidam sic conciliare conantur, ut in Germania, & quidem Moguntiæ, non sine Numine, quippe cujus Antistes Archicancellarii per Germaniam munere & Nomophylacis dignitate eminet, artem hanc primitus elaboratam excultamque, ejus nihilominus primum typum atque imaginem ex Donatis, qui ante id tempus, apud Hollandos rudi Minervâ, ut sunt plerumque rerum initia, typis expressi fuerant, desumptam esse dicant. Faciunt huc, illi ipsi primordiales & antiquissimi typi, quibus inventores hujus artis usi, quique Moguntiæ extare, vel saltem ante calamitosum, paulo post inventam Typographiam, urbis statum extitisse dicuntur. Ibidem Johanni Gutenbergio Ivo Witigis A. C. 1508. in Jurisperitorum domo monumentum cum inscriptione erexit. Sic in antiquissima omnium editione, quæ Moguntiæ A. C. 1459. lucem vidit, *Rationalis divinorum Guilielmi Durandi*, Johanni Fust & Petro à Gernsheim inventi hujus decus asseritur, ut alia omittam. E quibus modò memoratis quis primas mereatur, iterum disceptari solet. Gutenbergio illas tribuit, Johannes Arnoldus Bergellanus, *elegia de Typographico invento*, sic tamen ut ei reliquos duos Fustium & Petrum Schefferum, Latinè Opilionem, patriâ Gernshemium, socios adjungat, cùm sic canit:

Imparibus numeris cælestia Numina gaudent,
Hoc opus exegit sic quoque sancta Trias.
Illo primus erat tunc Gutenbergus *in albo,*
Alter erat Faustus, *tertius* Opilio.

Secundùm alios Faustus primariam de hoc certamine palmam auferre dignus videtur, utpote qui non tantùm typos singulatios, præcipuum tanti artificii instrumentum, ex ære, dein stanno primus efformârit, literasque fusiles jungere docuerit, sed etiam princeps omnium typis descriptos libros orbi obtulerit & communicârit: Quos primitus ex ligno, dein ex orichalco factos vult Melch. Adami: seu etiam ex ære, ut Mariangelo Accursio placet, qui disertè æreorum inventionem Fausto ascribit. Ab hoc in consortium ascitus Gutenbergius est, qui sumptibus & impensis hærentem in luto Faustum, & impendiorum gravitate tantùm non submersum, liberalitate suâ & operâ sociatâ sublevavit, eòque ipsô de tantæ rei consummatione præclarè meritus est. Accessit Petrus Schefferus, ex Fausti operis, qui matrices, quæ fundendis typis inserviunt, stanneos typos (quod tamen etiam Fausto vindicat Accursius) & atramentum impressorium (quam laudem ei cum Gutenbergio alii communem faciunt) primus excogitavit, hocque pactô heriles filiæ unicæ Christinæ matrimonium meruit. Rei tantæ autem initium A. C. 1450. imperante Friderico III. Præsule Moguntino Diethero de Isenburg, factum, eamque aliquot post annis ad umbilicum perductam esse volunt eruditi. Ars aliquamdiu clam habita est, famulis de ea non propalanda jurejurandô obstrictis, qui literas in sacculis clausis secum in officinam ferre, ac abeuntes eôdem modô auferre tenebantur: post aliquot tamen annorum decursum, ortô dissidiô inter Faustum & Gutenbergium, qui A. C. 1455. judiciali sententiâ Moguntiæ condemnatus, inde Argentinam concessit, aliquot ex operis eò secum adductis: clade dein urbis A. C. 1462. superveniente, cùm omnes huc illuc diffugerent, toti orbi innotescere cœpit. Post Argentinam enim, quam, extra Moguntiam peregrinari ausa, domiciliô suô primùm dignata est, Ulricus Zellius Hanoviensis Coloniæ Agrippinæ officinam erexit. Nicolaus dein Genson, seu Jenson Gallus, Germanus an Danus, (quem tamen ab Hansone Hamman dicto Hertzog, & Octaviano Scoto præventum scribit Melch. Adamus, nisi fortè hîc Adami Hanso aliorum Jenso est) Venetiis typos exercuit: cui urbi post Moguntiam, præ omnibus aliis, Ars ista & bonæ literæ plurimum debent, ob typos elegantiores, quibus hodiè ferè utimur, quique differentiæ ergô *Veneti* dicuntur, ibi primitus & quidem maturè repertos. Hinc Romam festinavit Ars, quò præter Ulricum Han, Campani versibus celebratum, Conradus Suenheim & Arnoldus Pannartz eam intulerunt. Imò ibi & Johannis Philippi de Lignamine, equitis Siculi, Typographi, circa A. C. 1480. meminit Simlerus *in Biblioth.* cùm Neapolim typorum artificium jam detulisset Sixtus Russingerus Argentinensis, A. C. 1471. Ante omnes tamen reliquas Italiæ urbes Taurinum Pedemontii metropolis, studiô Academicô inclytum, Typographicam officinam exercuit, ut hinc Galliæ potiùs, quàm Germaniæ Italiam primitivam typorum propaginem debere quidam evincant. Circa A. C. 1485. Florentiæ viguit Nicolaus Laurentius Alemannus. In Galliam Impressoria Ars à saepe memorato Gensone primitùs transplantata fuit. Belgii Prototypographus in obscuro est. Cæterum per Germaniam statim ab initio magnis passibus Ars progressa est. Argentinæ enim, post Gutenbergium, celebrem instituit officinam Johannes Mentel, cui successêre Adolphus Ruschius vel Ritchius, Martinus Flaccus, Matthias Schurerius, alii. In vicina mox Basilea, quæ circa A. C. 1490. Nicol. Kesserum Typographum habuit, Johannes Amerbachius, qui S. Augustini opera primus excudit, & post eum Johannes Frobenius, Patrum impressione & magni Erasmi contuberniô nobilis, hujusque filius Hieronymus, & nepotes Ambrosius ac Aurelius: gener quoque Nicolaus Episcopius, Adamus & Henricus Petri, Petrus Perna, Hervagius, Antonius Winte, Joh. Oporinus, aliique Typographicum forum calefecerunt: quorum omnium tot extant typis descripta opera, ut vel sola illorum enumeratio in librum justæ magnitudinis excrescere possit. Supra Basileam Tigurum est, primaria in Helvetiis urbs, quam Froschoverus hâc arte clariorem reddidit, Conradô Gesnerô virô undecunque doctissimô uberem prælo materiam subministrante. Francofurti quoque, occasione nundinarum, non tantùm maturè Typographia excoli cœpit, sed etiam usque adeò is locus librariæ rei mercatu inclaruit, ut nullibi simile quid vel hôc nostrô ævô, vel in omni antiquitate reperiatur. Primus qui artem ibi exercuerit, adhuc quæritur: Wecheli posteà, quibus Aubrii & Sleichii successerunt, caput supra reliquos extulerunt. Norimbergam Typographicæ rei laude primus illustravit Antonius *Koburger*, qui ævô suô, non illius modò urbis, sed totius Germaniæ Typographorum ac Bibliopolarum præcipuus fuit. Ejus contemporaneus, Stephanus Arnoldi Lubecæ officinam aperuit, Bibliaque Germanica in Saxonicam dialectum versa, A. C. 1484. excudit. Augusta Vindelicorum Joh. Bemlerum circa A. C. 1466. Eslinga Conradum Finerum circa A. C. 1475. Ulma, circa idem tempus, Joh. Zainerum & Conradum *Denckmath* primos habuêre Typographos. Spiræ A. C. 1480. excudit Petrus *Drach*, quæstiones Petri Aquilani Minoritæ in 4. libr. Sent. Daventria circa A. C. 1481. Richardum Pafradium habuit: Monasterii A. C. 1486. impressit Johannes Limburgus, Rudolphi Langii, Nobilis Westphali, primi inter Germanos, post expulsam Barbariem, Poëtæ carmina: Lovanii primus Typographus fuit Theodoricus Martinus Alostanus, cui Erasmus A. C. 1533. mortuo epicedion condidit. In Hispaniam, Angliam, Poloniam, quinam primi hoc Dei munus intulerint, adhuc in abdito: illud certum est, nec hodie illarum regionum prælа cum Italicis, Gallicis & Germanicis conferri posse, nisi Angliam excipias, quæ etiam supra reliquarum laudes ab aliquo tempore enititur. Memorabilis nihilominus est Bibliorum Complutensium editio, in Hispania, ab Arnoldo Guilielmo Brocario ejus loci Typographo, Leone X. Romæ sedente, auspiciis Francisci Ximenii Cardinal. perfecta. Inter Gallica Typographea, Lutetiana & Lugdunensia semper excelluerunt. Et Lutetiæ quidem Johan. Parvus, & Jodocus Badius Ascensius primi ad aliquod in hac arte nomen pervenêre, licèt illos præcurrerit Georgius *Mittelhus* Germanus, qui A. C. 1484. tractatum *de Corpore Christi* ibi publici juris fecit. Lugdunum verò Franciscus imprimis Fradinus & Hugo à Porta, ut & Griphinus Tornæsius, Cardo, hâc arte illustrârunt, &c. Quis porrò liber primus prælum subierit, non minus anxiè quæritur. Mariangelus Accursius Donati Grammaticam & Confessionalia, primogenituræ hujus honore beat: quem Coloniensis Chronici auctor, Bibliorum sacr. codici impartit: (Nisi quòd stare potest Mariangeli sententia, de Hollandicis rudimentis loquentis,) cùm ait: *Hoc annô, qui verè erat aureus,* 1450. *excusum primò Moguntiæ Bibliorum opus, idque characteribus majusculis, & quibus exinde plerumque Missalia solent.* Interim Mallinckrotus, sibi saltem non visum esse librum ante A. C. 1459. excusum, refert, qui est *Officiale Durandi*, cujus exemplar in Academ. Basiliensi asservatum, hanc inscriptionem habet, *Johannes Fustus civis Moguntinus excudit Officiale Durandi in fol. per Petrum de Gernsheim, Ann. Chr.* 1459. Quæ porrò huc faciunt, paucis sic habent: Primus, qui Græcè excudit, Aldus fuit Manutius, qui circa A. C. 1500. Officinam Venetiis instituit: Idem typos Hebraicos primus in hac arte adhibuit, cùm antiquissimi Typographi, si quæ Græca vel Hebræa vox occurrisset, vacua illic spatia relinquere solerent. Typi dein primi rudiores fuêre, & continuis compendiis seu *abbreviaturis*, ut vocant, impediti: quam deformitatem, præ reliquis Aldi pater & filius ac Plantinus sustulêre, quorum postremus etiam argenteis fusilibus literis, ut & Stephanus, usus fuisse traditur. In principio quoque,

quæ

quæ scriptis libris manuscriptis adhiberi miniatura solebat, etiam ad impressos translata est, mox tamen utpote operosior desiit. Hinc supersunt codices primævô illô tempore excusi, quibus capitales, ut vocantur, literæ, penitus absunt, eô quod è minio adjiciendæ erant, ni emptorum festinatio prævertisset. Frontispicia item antiquissimorum librorum admodum jejuna fuêre, posteà copiosa rubrica librorum contenta proscribere. & addita hôc seculô Chalcographicarum iconum emblemata ea illustrare cœpêre. Præterea primordiales illæ impressiones, nomen Typographi, locum & tempus plerumque omisêre, dein cum usurpari cœpissent, in calcem libri rejecêre, quô tempore simul invaluit, ut signum suum, seu *scuta*, ut vocant, quisque appingi curaret: in quorum locum hodie successêre certa emblemata & imagines, ut *Circinus* Plantinianorum: Frobenii *Caduceus*: Gymnici *Monoceros*: Wechelianorum *Pegasus*: *Grus* Episcopii: Juntarum *Lilium*, Parisiensis Societatis *Navis velifera*: Hierati Gryphus, &c. Nec Epistolis & Præfationibus olim in operum capitibus locus fuit: nec tantâ copiâ libri impressi sunt, unde tam rara vetustissimorum, qui hujus artis beneficiô prodierunt, librorum est seges: nec typorum tanta, quanta hodie, fuit varietas. Primusque Adolphus Ruschius suprà dictus, Biblia cum glossa ordinaria triplici Charactere, in publicum Argentinæ dedit: & literas Italicas, quas *Cursivas* vocant, Aldus demum invenisse dicitur: libraria quoque negotiatio seu Bibliopolia tandem, qualia hodie sunt, ante A.C. 1500. nec Francofurti, nec alibi fuere: quod commercium non parum juvant Catalogi illi librorum, qui singulis nundinis Francofurti excudi & per omnem Europam inde disseminari solent, cujus instituti primus auctor Georgius Willerus, Bibliopola Francofurtensis, circa A.C. 1570. Ad *Correctores* descendo Typographicos, quô munere vel ipsi Typographi defuncti sunt, vel succidaneam illis operam præstiterunt viri doctissimi: Sic Fridericus Sylburgius apud Wechelianos, Kilianus apud Plantinianos, Sigismundus Gelenius apud Frobenios, Nicolaus Gerbelius, non inter eruditos non imus, apud Schurerium Argentinensem, ipse Erasmus apud Theodoricum Martinum Lovaniensem Typographum, hoc officium obierunt: Imprimis autem, apud Sabellicum, Petri Tresis in hoc vitæ & professionis genere, memorabile fuit nomen. Typographiæ nostræ *Affinia* sunt 1. *Rudimenta Harlemensia*: in qua urbe non ex discretis & singularibus typis, inter se junctis, ut hodie fit, sed in pagellis ligneis, quibus literæ erant incisæ, cœptum est imprimi, circa A.C. 1430. secundum alios triginta, juxta nonnullos A.C. 1440. factô ab editione *Donati*, secundùm alios à *Speculo Salutis*, initiô. Cui simile quiddam forsan illud Saturni aliorumque, de quibus suprà inventum. Avia quoque Julii Cæsaris Scaligeri Veronica Lodronia, *Horologium Beat. Mariæ* habuisse dicitur, pagellis ligneis incisis impressum in membranis, literis inter se colligatis & connexis. 2. *Typographia Sinica*, multi jam ævi: cujus beneficiô, incredibili tum facilitate, tum celeritate folia imprimunt, iique tabulis sculpendis tam prompti sunt, ut nihilô plus temporis in sculpenda, quàm nostri in componenda una emendandaque consumere videantur. Quæ excudendi ratio ad Sinicos characteres grandiusculos admodùm accommodata est, cùm tenuia nostra elementa tabulæ ligneæ commodè insculpi non possint. Unde tanta in vasta illa Monarchia librorum multitudo, ut exprimi nequeat. Modum imprimendi infrà exhibebo. 3. *Ars æris incisoria*, Typographiæ æmula & exornatrix: Quam primus reperisse traditur Franciscus à Bocholt, Montensis Ducatus oppidô, cui successit Israël à Meckenich ex Eiffia oriundus, & Martinus Stockius, præceptor Alberti Dureri, ut ex Chronico Sebast. Franckii & Matthiæ Quadi Germania, scribit *in suo Itinerar. Teutonic.* Martinus Zeilerus Carinthius. 4. *Ars æreas tabulas & laminas arrosivis liquoribus inscribendi & locô sculpturæ mucrandi*, priori recentior: quod commentum defertur, eodem Quadô referente, ad inventores Johannem & Lucam, fratres Germanos, cognomentô à *Doteckum*, oppidô natali. 5. *Ars Chalcographicas tabulas cum ipsis typis artificiose & venustè jotandi*: in qua Sailerus in Bavariâ: Amsterodami Hondius & Jansonius: Herbipoli Lævinus Hulsius: Francofurti, post Bryæos fratres, Matthæus Merianus aliique floruêre. Hujus generis sunt Ortelii *Orbis terræ*: Mercatoris *Atlas*: Spigelii *libri Anatomici*: Goltzii & Jacobi Biæi *antiquitates ac numismata, &c.* imprimis *cœlestes ac terrestres illi globi*, quos Belgarum ingenia & manus orbi communicant; quorumque primus inventor Gerhardus Mercator Rupelmondanus censetur. Plura vide apud Bernh. Mallinkrot, *Dissertat. de ortu ac progressu Typograph.* *Artis*, è quo ista deprompsimus. Argentoratensibus tamen suis, nobilissimæ hujus Artis investigationem deberi ait Matth. Berneggerus, *Laudat. fun. Petri Storckii Consulis & Scholarchæ Argentorat.* aliique non pauci. Quibus favet Chronicon Argentor. MS. Germ. quod hac de re ita habet A.C. 1440. *præclara & humano generi utilissima Ars Typographica primùm in lucem, idque Argentorati prodiit, Auctore Johanne Mentelio. Cui cùm famulus esset, Johannes Gensfleisch, Moguntiâ oriundus, ejus conscientiæ ac fidei negotium hoc credidit: sed hic in herum perfidus, Johanni Gutenbergio, homini nobili ac opulento, cuique jam aliquid de Mentelii invento suboluerat, totam rem palam fecit; atque pactô cum eo initô, quod Argentorati scopum se assecuturos desperarent, Moguntiam inde se recepêre, multum lucri è compendiosa hac Arte sibi polliciti.* Et paulo pòst: *Sed Deus, qui perfidiam inultam non abire sinit, Gansfleischium tandem oculorum usu penitùs privavit.* Et testatur Dan. Specklinus, *in Chron. suo itidem MS.* adhuc suâ ætate, Joannis Mentelii instrumenta, quibus ad imprimendum usus fuerat, superfuisse: *Literarum nempe typos ex ligno, ut & integrarum syllabarum ac vocum, cum foraminibus ad latera, per quæ filô in ayellô arctè conjungerentur; Prælum itidem è ligno, ei simile, quo uva exprimuntur* &c. Manuscriptis hisce testimoniis addunt impressa varia. Hieronymus certè Gebwylerus, *Panegyri Carolinâ, p. 19. edit. Argent. A.C. 1521. Johannes Mentelius ob chalcographandi seu stanneis calamis excudendi libros Artem celebris, eam primus ante 74. annos in hac urbe* (Argentorati) *mortalibus adinvenit. Etsi Moguntiaci cuidam Johanni Fust civi suo ed acceptum ferant. Ipsi quidem vidimus syngrapham Johannis Mentelii & Henrici Eckstein Argentoratensium Civium, super certis pactis, quibus alter alteri sese, eô tempore obligaverat, cautâ occultius hanc impressoriam Artem inter se primum exercendi, quæ nunc jam quotidianô usu, novis adinventionibus clarior reddita est. Conspeximus & alios libellum ejusdem Johannis manuscriptum, ac multis figuris instrumentorum ei Arti necessariorum depictum: item de atramento conficiendo elegantissima præcepta, quæ monumenta Johannes Scottus Argentinensis, & doctrinâ & hâc Arte celebris, prædicti Mentelin ex filia nepos hodie penes se illæsa retinet: cujus tam præclarissimi ingenii ac cæterorum de re literaria bene meritorum Alsatorum nomine, tum Italia, tum Gallia, ullius barbarici notam Tribocibus inurere erubescat.* Sic Jac. Spiegelius Selestadiensis, Maximiliano à secretis *Comment. super Austriados libros 12. Bartholini l. 9. Fatô quôdam Germanica ingenia cæteris præstant in ære tractando, ut absoluta, quæ quotidie cernis, opera docent. Insigniter autem divina illa Impressoria Ars Argentorati primùm per Johannem Mentel. A. C. 1444. inventa testatur* &c. Eandem laudem Argentoratensibus, quamvis aliô argumentô, adstruunt Scriptores illi, qui inventæ *Typographiæ* gloriam Johanni Gutenbergio, itidem Argentoratensi, tribuunt: ut Bapt. Fulgosius, *dict. & fact. memor. l. 8. c. 11.* Wimphelingus, *Epit. Rer. German. c. 65.* M. Antonius Coccius Sabellicus, *Ennead. 10. l. 6.* Chronicon Coloniense, *fol. 312.* Alii, quæ omnia velut fasciculô colligens Mich. Meyerus Comes Imperialis Consist. *in veris Germanorum inventis, p. 125. Nil ad me*, inquit, *Moguntini, ut nec Harlemenses, sed veritas, quæ defendenda est: Argentinenses non soli hæc sibi deberi affirmant, sed tot docti in Germania & communis omnium sententia: Auctoris nomen exprimitur, nempe Johannis Gutembergii; Annus inventionis additur, nempe 1440. Locus quoque non præteritur, nempe Argentina; ubi inventa; & Moguntia, ubi perfecta: Monstrantur libri primis ejus typis excusi, veluti adhuc Basileæ in Bibliotheca Academica, ejusmodi reservatur, qui non est ejus perfectionis & elegantiæ, quales nunc habentur typis impressi.* Nec multum abit Jesuita Nicol. Serarius, *Rerum Mogunt. l. 1. c. 36. & seqq.* cùm ait. *An Argentoratensis fuerit artifex hujus Auctor utrumque an tribi de hoc aliquid aut cogitârit aut etiam tentârit, mihi haud liquet. Interim potuit esse aliquis domô Argentinensis & civitate tamen Moguntinus, aliquid Argentinæ cogitare, atque conari, hocque idem ipsum Moguntiæ jam in lucem afferre ac perficere. Denique quia citra causam idoneosque Auctores, non est quisquam facile mendacii accersendus, credat qui volet, illi affirmanti.* Sive itaque Johan Mentelin, sive Joh. Gutenbergius *Typographiæ* fuerit Auctor, manet utrobique inventionis gloria Argentorato urbi; nec diffitendum, Gutenbergio mox de Mentelii invento aliquid suboluisse: sed exactiùs ab hujus famulo Gensfleischio ea de re fuisse edoctum, adeoque pro Mentelii discipulo habendum esse, idoneô testimoniô suprà probatum est. Ita autem res habuit. Cùm Mentelio tanti sumtus non suppeterent, ut Officinam Typographicam statim initio erigeret: Gutenbergius autem cum Mentelii famulo, occasione suprà memorata, Moguntiam jam essent delati, prius ibi, quàm Argentorati Ars publicè exercita excultaque est. Unde opinio orta, de Arte ibi à Gutenbergio inventa. Meminit certè profectionis hujus Argentoratô Moguntiam Wimphelingus, *Catal. Episc. Argent.* Valentinus Muntzerus Fuldens. *Chronogr. Bernæ impressa*, A. C. 1590 Johannes Herrtzog, *præf. Chron. Alsat. subpr.* & *Chron. Alsat. p. 127.* Casp. Hedio *Chron.* Alii, qui omnes *Typographiam* Argentorati inventam & excogitatam, Moguntiæ verò excultam & consummatam esse, testantur. Ex eodem fortè & alter error ortus, quô Johannes Gensfleisch *Artis impressoriæ inventor* creditus est, ut ex Epitaphio Moguntiæ ei erecto, in templo D. Francisci, discimus. Ut autem Gutenbergius Moguntiam venit, præstò ipsi fuêre Johannes Fust & Johannes Medinbachius, qui insigni ipsi operâ navatâ suam quoque hic laudem merentur, pluribus cum ad insigne hoc inventum omnibus numeris consummandum, & hominibus & annis opus erat: unde licet A. C. 1440. *Typographiæ* esset natalis, illa tamen ante A. C. 1450. non fuit absoluta, quô pactô Auctorum circa Annum discrepantias facilè conciliabis. Facit huc, quòd præfatus Gebwilerus Joh. Mentelium Inventorem primum, postquàm aliquandiu ligneis usus esset typis, demum A. C. 1447. stanneos adhibuisse memorat. Librum quod attinet, qui primus Typis expressus in lucem prodierit, narrat Christophor. Lehmannus, *Chron. Spirensi, p. 937.* Diethérum Electorem & Archiepiscopum Mogontinum scripsisse (die Martis, post Dominicam Lætare A. C. 1462.) ad Senatum Spirensem, in causa sua contra Adolphum Comitem Nassovium; simulque transmisisse scriptum publicum, à primo Typographo Moguntino, impressum, in quo, *Se ideo à Papa dirâ devotum esse, quod Imperii Germanici Jura Pontificiæ Aulæ subjicere noluerit, simulque, quantum damni omnibus temporibus Pontificum excommunicandi, vasallos subditosque juramentô, quô Imperatoribus obstricti erant, solvendi licentia, in Imperio dederit*, pluribus fuerit exsecutus. Sed & in variis Bibliothecis antiquis, Argentorati imprimis, libelli reperiuntur, rudi admodum Minervâ impressi, paginarum numeris, titulis, locô impressionis, aliisque notis, quibus paulò pòst hæc tempora insigniri cœperunt, carentes: Quæ sine dubio prima Artis rudimenta fuerunt, Typographis tum Artem, quantum pote, adhuc celantibus, adeoque occasionem omnem in eos, qui illam exercerent; accuratiùs inquirendi, demere desiderantibus. Vide Auctorem Anonym. *Tract. Germ. Argentinæ impressi A. C. 1440. cum tit. Bericht von Erfindung der Buchtruckerey in Strasburg*: ubi prætereà, ex Wimphelingi *Epitome rer. German.* celebriores hujus Urbis Typographi hoc ordine recensentur: Johannes Mentel, Adolphus Ruschius, Martinus Flachus. Quibus adjunguntur Johannes Grieninger, Henricus de Ingwilere, Matthias Schurerius, Artium Doctor; Johannes Schott, Johannes Knoblauch, Georgius Ulricherus, Andelanus, Wolphgangus Köpphel, Bernhardus Jobin, Wendelinus Rihelius, Lazarus Zetznerus, Johannes Carolus Paulus Lederer, Wilhelmus Christianus Glaserus, Alii. Adde Martin. Crusium, *Annal. Suev. p. 412. edit. Francof. 1596.* Melch. Adami Silesium, *Literat. in German. volum. 1. sec. p. 2. s.* &c. Ratio autem Typographiæ Europææ hæc est: *Characteres plumbei pro literarum atque notarum numero ingeniosè fusi, in cellulas sui cujusque generis aptissimè distinguuntur*

gulantur: inde ad eandem, quâ scribimus, rationem, expeditè seliguntur, componuntur invicem, & quasi colliguntur, ut paginæ tota æquabiliter inter se versibus compleantur. Has marginibus ferreis arctè, ne dilabi possint, concludunt typothetæ & diligenter examinant. Post atramento, quo heroas, paratò, ductus semipilis mollibus ad convenientem refersionem utuntur Impressores, prælo subjiciunt acforiter comprimunt: sicque ex hoc integrum numero impressò, iidem typi dissolvuntur, ac in suas cellulas reponuntur, ut reliquis ejusdem operis partibus efformandis, rursus atque iterum, pro variorum serie, coagmentare possint; ex Christoph. Milæo, *l. 2. de Univ. rerum Historia.* Sinenses vero, *Characteres tabulâ è pyrosfere malave insculpunt, hoc modò solum exscriptum leviter conglutinant, inde magno artificio satis siccam papyrum ita eradunt, ut non nisi tenuissimâ lacie transparentes characteres videantur: deinde stylis ferreis, contextum characterum exsculpunt, ut sola characterum vel picturæ lineamenta emineant, tum facillimè & celerrimè, solitaque quantum volunt, imprimunt, ita ut sæpe Typographus unus diebus quinquaginta supra mille expediat.* Spizelius, *de re liter. Sinensium Sect. 3. &c.* Laurentius Valla *de nobilissimo hoc Germanorum invento:*

> *Abstulerat Latio multos Germania libros,*
> *Nunc multo plures reddidit ingeniis.*
> *Et quod vix toto quisquam perscriberet annô,*
> *Munere Germano conficit una dies.*

TYPOGRAPHORUM Majus apud Gallos, vide *Majus.*

TYPOTIUS Jacobus, Diestemiô Brabantus, celebrioribus Europæ Academiis perlustratis, jus docuit in Italia, inde Herbipoli Franconiæ sedem fixit. At invitatus à Johanne III. Sueciæ Rege ut venit & gratiâ ejus mirè floret, ab invidis innocens accusatus, Regis nimium creduli jussu in carcerem conjectus est: calamitatem hanc variis scriptis solatus, dum intereà accusatores ejus cœlestem vindictam sensêre. A Sigismundo Rege postmodùm liberatus, ac maximis negotiis adhibitus, eô in Poloniæ Regem electô, Rudolphi II. Imperatoris Historiographus evasit. Val. Andreas, *Biblioth. Belg.* & A. Teissier, ubi scripta ejus enarrantur, *Elog. Part. 2.* Obiit A. C. 1604.

TYPUS, à Constante Heraclii nepote Imperator ex consilio Pauli Episcopi Constantinopolitani Monothelitæ promulgatus, & acerrimis tum de controversia Monothelitarum disputationibus vigentibus, utraque pars silere jussa est. Sed Theodorus Papa, convocatô conciliô *Typum* damnavit, Paulô excommunicatô, quod etiam & successor Martinus fecisset, Constantinopolim abreptus & inde in Pontum deportatus est. Maximus quoque Abbas crudeliter ob eandem causam est habitus. Circa A. C. 641. 649. 651. &c. *Letus, Calvisius, Platina.*

TYPUS, Græcè Τύπος, imago; unde *typarium* apud Recentiores sigillum, cui Principis ... insculptus. Vide Petrum de Vineis, *l. 2. Ep. 41.* Item Constitutio, Decretum Imperatoris, apud Anastasium *Leone* II. unde Θεῖοι τύποι. Præsertim Edictum de Fide apud eundem *in Martino*, Cedrenum, *ann. 2. Zenonis*, Theophanem, *ann. 17. Constantini Pogonati*, Alios. Vide quoque suprà voce *Forma*, ut & in eadem voce suô locô. Sed & *Typus*, judicium fuit apud Smyrnenses, quô iis interdicebatur Forô, qui creditoribus paria non facerent. Hinc elegans, de Polemone Sophista historia, qui *typos perferre* maluit, quàm Vari, divitiis admodum adolescentis, qui, sapientiæ ac eloquentiæ captans opinionem, pecuniæ fœnori erogatæ usuras auditione redimebat, declamationes insulsas ac id genus ineptias, diutius pati, vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l. 20. c. 20.*

TYRA, vel TYRAS, Sarmatiæ Europææ fluv. inter Istrum & Borysthenem in mare Euxinum labens, *Ptolem.* Ejus meminit Ovid. *l. 4. Pont. El. 10. v. 49.*

> *Partheniusque rapax, & volvens saxa Cynapes,*
> *Labitur, & nullo tardior amne Tyras.*

TYRACINÆ, urbs Siciliæ, parva sed felix: Populi *Tyracinai*, *Steph.* Vide *Trinacia.*

TYRAMBE, seu TYRAMBIS, Sarmatiæ Asiaticæ urbs, *Ptolem.* Hodie *Trapano*, *Molcuo.* Urbs fuit Mæotarum, *Baudrando* ad paludem Mæotidem, hodie *Temruk*, seu *Tomarachi*; Circassiorum popul. 16. mill. pass., à Bosphoro Cimmerio in Ortum, 10. à Lacu Corocondami in Boream. Ex *Sansone.*

TYRANELLUS, Gallus, Decianum, Antecessoris sui filium, primò adoptavit, posteà cum suspectans per insidias occidit. Zosim. *l. 1.*

TYRANGITÆ, populi Sarmatiæ Europææ, quibusdam *Tyritæ*, ubi hodie Podolia inferior versus Tyram fluv.

TYRANIUM, meliùs TIRAÑUM, oppid. Volturenæ, secundæ præfecturæ caput. Hic Protestantes ab Hispanis, sub Sacrorum tempus oppressi, & nullô sexus aut ætatis discrimine habitô omni crudelitatis genere interempti sunt. A. C. 1620.

TYRANNIO, Tyri Episcopus mari mersus est, sub Diocletiano.

TYRANNION Amisenus, discipulus Estiæi Amisæi, nobilis Grammaticus, tempore Pompeji M. Romæ docuit. Ductus est à Lucullo captivus in bello Mithridatico: priùs dicebatur Theophrastus; mutavit autem nomen, quòd inter æquales superbis versaretur moribus. Clarus & dives ob doctrinam factus adeo est, ut supra 3. millia librorum possideret. Decessit senex morbô podagræ. Alius è Phœnicia prioris nepos, à quo nomen sibi usurpavit, quum priùs *Diocles* vocaretur. Captivus & ipse Romam ductus, à quodam Dymante Cæsaris liberto emptus: deinde donô datus Terentiæ Ciceronis, ab eaque liber factus; ludum Romæ aperuit, scripsit libros 67. *Suidas.*

TYRANNOSBOAS, Indiæ intra Gangem Emporium. Arrianus *in Periplo.*

TYRANNUS, Sophista, scripsit *de divisione orationis libros* 10. *Suid.*

TYRANNUS, Græcè Τύραννος, nomen ignotum olim, præterquam Æschylo, *Prometheô vinctô*,

> Ἔνεσι γὰρ πως τοῦτο τῇ τυραννίδι
> Νόσημα, τοῖς φίλοισι μὴ πεποιθέναι.

& ante ipsum Archilocho, uti Scholiastes Æschyli *ad h. l.* docet. Significabat autem primum vox *Regem* simpliciter. Servius, *ad illud l. 4. Æn. v. 320. Nihil interetat apud Majores, inter Tyrannum & Regem.* Inde quia in hoc apice ægrè se continet humana imbecillitas, cum ad superbiam ac sævitiam inclinet, *Regnum superbum*, ut videre est apud eundem, dictô. & ... ut ait Moschopulus, seu unicâ voce Hesychii, ... ac ... Quales inperiis, qui *potestatem rapuerunt perpetuam in ea civitate, quæ libertate usa est*, uti habet Corn. Nepos, *Miltiade, c. ult.* Exosum maximè liberis civitatibus nomen. Unde in *tyrannidem* affectantes Lex Solonis, Εἴ τις ἐπιχειροίη τυραννεῖν, θάνατον ζημίαν εἶναι, *Si quis tyrannidem affectârit, capitale esto.* Quia tamen non licebat cuilibet occidere talem, sed oportebat judicio convictum, ab Undecimviris capitalibus, capite plecti; uti liquet ex antithesi Legum Solonis & Poplicolæ, apud Plutarchum. *Tyrannorum* verò alia ratio, ut quos impunè, imò cum spe præmii, occidere licebat. Cicero, *pro Milone, c. 29. Græci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ: Quas res divinas talibus institutas viris? Quos cantus? Quæ carmina? prope ad immortalitatis & religionem & memoriam consecrantur.* Ubi Aristogitonem & Harmodium intellige, in quorum honorem Scholia illa scripta, quæ ... *in compotationibus decantabant*, ut docet Interpres Comici *in Acharnenses.* Hinc in Rhetorum scholis lex, Τυραννοκτόνῳ δίδοσθαι τὴν δωρεάν, *Tyrannicidæ præmium detur.* Honorique Harmodii & Aristogitonis consultum psephismate illô, *Nomina Harmodii & Aristogitonis ne unquam servis indere liceto*, apud A. Gellium, *l. 9. c. 2.* Vide suprà, voce *Scolia*, & de *Tyrannicidis coronandis*, eorumque *posteritatem honorandi* more, Car. Paschalium, *Coron. l. 7. c. 5.* & 20. Neque tantùm in *Tyrannos* ipsos insurgebant, sed etiam in *Græcis civitatibus liberi Tyrannorum, oppressis illis, eôdem suppliciô interficiebantur*, teste Brutô, *Ep. ad Ciccr.* & sublatâ tyrannide acta rescindebantur; unde sæpiùs legas, ... ipsis nominibus de Fastis deletis, qua de re vide Casaubon. *ad Sueton. Aug. c. 100.* & Sam. Petitum, *Comment. in LL. Attic. l. 3. tit. 2.* uti *de more statuas eorum lapidandi ac luto inquinandi*, suprà. Hinc *Tyranna* & *Tyrannis*, pro fœmina imperante vel dominante, cùm alias τυραννίς, *dominatio* ipsa sit, seu *imperium.* Treb. Pollio in *Vita* Victoriæ, *c. 31. Triginta Tyranni. Nemo in Templo Pacis dicturus est, feminas inter tyrannos, ... & joco, tyrannas videlicet & tyrannides ... positas*, ad quem locum vide Casauboni & Salmasii *Notas.* Nempe XXX. is Romanorum *Tyrannos* historiâ suâ complexus est, in quorum numero & Zenobiam & Victoriam posuit, maximi animi fœminas, sicut de, totidem Atheniensium *Tyrannis*, quædam habes in *Thrasybulo* Nepotis, plura apud rerum Græcarum Scriptores.

TYRAS, Mysiæ inferioris urbs. *Ptol. Zethazova Nigro. Baudrando* Urbs Sarmatiæ regia Tartarorum Precop. ad ostia Tyræ fluv. Plurimis est *Moncastrova*, seu *Bialogrod*, quæ & *Akerman*, Bessarabiæ caput, vix 5. mill. pass. supra ostia fluv. & 70. milliar. Germanic. à Taphris in Occasum. Alii putant *Moncastro* crevisse, ex ruderibus Tyræ, in vicinis.

TYRAS, *Herodot.* & *Ptol. Tyra Straboni*, fluv. aliàs Germano-Sarmatiæ: *Baudrando* forte Naparis, *Niester*; nunc Poloniæ. Oritur ex lacu parvo, in Russia nigra, 9. leuc. Polonic. à Premislia in Ortum, 4. a Leopoli in Meridiem. Hinc in Ortum tendens, rigataque Pocutiâ tractu, Podoliam utramque à Moldavia separat, & in Bessarabiæ tractu, in Pontum Euxinum se exonerat, infrà Bialogrodam, 60. mill. pass. ab ostio Istri in Boream. Dicitur & *Turba* quibusdam Vide Flac. *l. 6. v. 85.*

TYRCONENSIS Comitatus seu *Terra Cornelii & Dungalensis*, Gallis *le Comté de Tyrconel ou de Dungal*, pars est Hiberniæ in Ultonia regione. Vide *Dungalia.*

TYREDIZA, vel TYRODIZA, urbs Thraciæ. *Steph.*

TYRES, fluv. Scythiæ, post Istrum secundus. Herodot. *l. 4. c. 11.* ubi de Cimmeriis à Scytharum gente pulsis: *Scythis, ait, Cimmeriis invadentibus, Regum Populique sententiæ diversæ fuerunt: Populus sine prælio demigrandum; Reges pro regione dimicandum censuerunt. Dissentientes inter se pugnarunt: qui occiderunt, sepulti sunt ad Tyrem flumen, ubi eorum sepulchrum adhuc conspicitur. Sic Cimmeriorum populus è regione migravit &c.* Vide ubi de *Cimmeriis.*

TYRI Scalæ, nomen montis apud Josephum, *Belli Judaici l. 2. c. 9.* ubi Ptolemaidem Septentrionem versus scribit montem habere altissimum, stadiis centum distitum, ὃ καλοῦσι κλίμακα Τυρίων οἱ ἐπιχώριοι, *quem Scalam Tyriorum vocant incolæ.* Hinc Chaipham usque, extendere Purpurarium Judææ littus Talmudicos, diximus suprà.

TYRIAS, Siciliæ fluv. haud procul Leontiô.

TYRIDATES, opulentus vir, cujus bona Alexander Magnus Eurylocho, quòd acceptum à fratre conjurationis, contra Regem, inter Pueros nobiles, Duce Hermolaô initæ, indicium detulisset, donavit. Curt. *l. 8. c. 6.*

TYRIDATES, vide *Tiridates.*

TYRII, vel TYRUS *Plin. Tiriolo Barrio*, oppidul. magnæ Græciæ, in colle, apud Catacium urb. inde 6. mill. pass. Matoranum versùs. à Scyllacio 9. Aliàs *Tyrii*, cives urbis famosæ Tyri (de qua infrà) rei navalis gloriâ inclyti, ante alios omnes, ex pore inter hos & Salman-asarum Assyriorum Regem, vetustissimum, quod legimus navale prœlium, prosperô iis eventu, commissum est, sub Elulæo Rege.

Rege, qui jam antè deficientes Cyprios, classe eò profectus, reduxerat, uti ex *Fragm. Chronicorum* Menandri Ephesii, ex *Tyriorum Archivis* in Græcum sermonem translatorum, apud Josephum, *Jud. Antiqq. l. 9. c. ult.* discimus.

TYRIMNUS, nomen Dei Thyatiræ olim culti, cui fanum extra urbem, & ludi ac sacrificia publica dedicata, memorantur in vet. *Inscr.* hodieque superstite, cujus initium,

> Α . . . ΣΤΡΑΤΟΥ ΑΓΩΝΟΘΕΤΗ
> ΣΑΝΤΑ ΤΟΥ ΠΡΟΠΟΛΕΩΣ
> ΤΥΡΙΜΝΟΥ ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ
> ΕΠΙΦΑΝΩΣ ΕΝΤΕ ΝΟΜΑΙΣ
> ΚΑΙ ΕΠΙΔΟΣΕΣΙΝ ΤΑΙΣ ΠΡΟΣ
> ΤΗΝ ΕΟΡΤΗΝ ΑΝΑΣΤΡΑΦΕΝ
> ΤΑ κτλ.

apud Jac. Sponium, qui & alterius meminit principatu Caracallæ Imperatoris factæ, in qua Titus quidam Antonius Alfenus ἱερεὺς τοῦ θεοῦ scil. Τυρίμνου, *Sacerdos Dei* hujus appellatur. Vide eum *Itiner. Græcia, Parte* 3. *p.* 112. & 117.

TYRINTHIA, vide *Tirynthia*.

TYRIOTES, Eunuchus Darii, ultimi Persarum Regis, captivus, qui mortem uxoris in custodia defunctæ, Regi adnunciavit, inter trepidationem lugentium elapsus per portam, quæ, quia ab hoste aversa erat, levius custodiebatur. Curt. *l.* 4. *c.* 10.

TYRIS Memphitarum Rex II. post Tosorthrum, præfuit ann. 7. Athore I. in Thebaide adhuc imperante, paulo ante Phalegum natum. Eum excepit Mesochris, quem vide.

TYRISSA, Plin. *l.* 4. *c.* 10. *Teressi Mercat.* oppid. Emathiæ. Aliis *Dinorgitza*, 15. mill. pass. à Gyrtona, in Austrum inter Castoriam 46. & Gonnum 35. Atraci finitima. Populi *Tyrissæi* Plinio, *ibid.*

TYRISTASIS, Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Trissiasis Demosthenii*, urbs Chersonesi Thraciæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Heracleensi in ora ad Propontidem: Vide *Peristasis* seu *Peristacium*, quod à Lysimachia 18. mill. pass. abest in Boream & Cæciam, sed extra Chersonesum.

TYRITACITE, urbs Ponti, *Steph.*

TYRITÆ, populi circa ostia Tyræ fluv. & loca finitima incolentes, in Sarmatia Europæa. *Tyrangitæ Ptol. Tyrigetæ Strab. Tyrageta* Plinio, *l.* 3. *c.* 1.

TYRIUS, cognomen Herculis, vide supra.

TYRIUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

TYRIUS Marinus, vide *Marinus*.

TYRIUS Maximus, vide *Maximus*.

TYRIUS, Gall. Narbon. fluv. *Sext. Avienus.*

TYRMENII, populi Scythiæ, peritissimi navigandi: Significat autem hoc vocabulum *sirenvt*. *Steph.*

TYRMIDÆ, vicus in tribu Oeneide. *Steph.*

TYRO, virgo Thessaliæ, Salmonei & Alcidices filia, quam noverca Sidero (quam Alcidice Alei filiâ defunctâ in uxorem duxerat Salmoneus) malè admodum ac duriter excepit. Cæterum cum Tyro Enipei fluv. amore flagraret, atque ad illius fluenta continenter accedens propter amnem conqueri minimè desineret, Neptunus interim sumptâ Enipei formâ cum ipsa concubuit. Hæc autem cùm geminos clanculum peperisset, illos exposuit. Jacentibus autem pueris, & equarum pastoribus prætereuntibus, equarum una, quem infantium alterum ungulâ casu quodam tetigisset, faciei partem lividulam reddidit. Tum equarius infantes ambos suscepit alendos, & cui lividula reddita erat faciei pars, *Peliam* nominavit, quasi *Lividum* dixeris, alterum verò *Neleum*, qui cùm ad justam integramque ætatem pervenissent, matre suâ & ejus novercâ agnitâ, quum matrem ab illa malè affectum comperissent, in illam impetum fecerunt, & quamvis in Junonis templum confugisset, Pelias tamen eam super aram ipsam jugulavit. Cretheus posteà Salmonei frater Tyronem neptem cepit uxorem, ex qua nati sunt illi filii Æson, Amythaon & Pheres. Apollod. *Bibl.* 1. Diodor. Sic. *l.* 4. Tzetzes *in Lycophr.* & *alii.* Propert. *l.* 2. *El.* 28. *v.* 51.

> *Vobiscum est Iope, vobiscum est candida Tyro.*

Idem, *l.* 1. *El.* 13. *v.* 21.

> *Non sic Æmonio Salmonida mistus Enipeo*
> *Tænarius facili pressit amore Deus.*

Idem, *l.* 3. *Eleg.* 18. *v.* 13.

> *Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,*
> *Quæ voluit liquido tota subire Deo.*

Ovid. *in Ep. Herois,* 19. *Heroid. v.* 131.

> *Si neque Amymone, nec laudatissima forma*
> *Criminis est, Tyro, fabula vana tui.*

Idem, *l.* 3. *Amor. El.* 6. *v.* 43.

> *Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,*
> *Cedere jussit aquam: jussa recedit aqua.*

Nic. Lloyd.

TYRO, aliis Tiro, Græcè νεοσύλλεκτος, ἀγύμναστος, novus miles, an à τείρω, etiam de Adolescentibus, ad forensia studia se præparantibus, apud Plinium & Quintilianum reperitur *Instit. Orat. l.* 12. *c.* 6. Erat autem apud Romanos *Tyrocinii* annus 17. ætatis, quo prætextâ depositâ *virilem* sumebant Togam, teste Macrobiô, *lib. Saturn. c.* 6. Dicebatur eadem *libera*, quòd omnis honesta libertas, quæ aliorum esset civium, iis concederetur: unde & dies mutatæ vestis, quæ incidere solebat in d. 16. Kal. April. *Liberia* in Fastis appellatur. Alludit huc Ovidius, *l.* 4. *Tristium, El.* 10. *v.* 27.

> *Interea tacitò passu labentibus annis*
> *Liberior fratri sumpta mihique Toga est.*

Quia verò coloris erat candidi, ob id & *pura* dicebatur. Cicero, *l.* 9. *Ep. ult. ad Attic. Volo Ciceroni meo Togam puram dare.* Cum illa recta dabatur Tunica, qua de re Plinius, *l.* 8. *c.* 48. *Ea* (Tanaquil) *prima texuit rectam Tunicam, quales cum Toga pura Tyrones induuntur & novæ Nuptæ.* Ritus solennis erat, ut in Toga hac sumenda denarium in ædem Juventutis deferrent; cujus originem Halicarnassæus tradit *l.* 4. *Scribit L. Piso Annalium primô, voluisse eum & urbanæ multitudinis scire numerum, tum nascentium, tum morientium, tum eorum qui in ἄνδρας ἐγγραφομένων, qui virilem Togam sumerent, statuisseque quanti pretii nummos pro singulis inferre deberent Cognati; in ærarium Ilithyæ pro nascentibus, in Veneris ærarium in luco situm, quam Libitinam appellant, pro defunctis; in Juventutis, pro virilem Togam sumentibus. Unde poterat nosse annis singulis, quantus esset in universum numerus civium, tum quam multi ex his essent per ætatem militiæ idonei.* Est & alter ritus apud Festum Pompejum, & Suetonium, *Aug. c.* 94. ubi hic, *Sumenti*, inquit, *virilem Togam, tunica lati clavi resuta ex utraque parte ad pedes decidit.* Sed de Tunica jam visum. Porrò induebantur virili Togâ, Diis præsentibus, h. e. ante altaria, uti docet Sext. Propertius, *l.* 4. *El.* 1. *v.* 131.

> *Mox, ubi bulla rudi demissa est aurea collo,*
> *Matris & ante Deos libera sumta Toga est.*

Sic deducebantur à Patribus suis naturalibus vel adoptivis, eôdem die in Forum, & civibus, Senatoribus præsertim, commendabantur, comitante totô clientum numerô. Claudius tamen Princeps, Togæ virilis sumptæ die, non in Forum, ut mos erat, sed in Capitolium deductus est; quod proin, ut insolens, in eo notat Suetonius, *in Claudio, c.* 2. Congiarium Populo, militi donativum proponebant, ut de Nerone habet Suetonius, *c.* 7 & Tacitus, *l.* 3. *Annal. c.* 29. Inde ad Capitolium deducebantur, Val. Max. *l.* 5. *c.* 4. *tit.* 4. & Senatui commendabantur; cujus rei clara sunt argumenta, apud Livium, *Decad.* 5. *l.* 5. *ad fin. Filium postremo Nicomedem Senatui commendavit*, alibique: Et habetur elegans commendationis formula apud Suetonium *Aug. c.* 56. *Nunquam filios suos Populo commendavit, ut non adjiceret, si merebuntur.* Pulchrè de eodem ritu Claudianus *Consulat. VI. Honorii, v.* 72.

> ——— *Tironis trabeam vocavit*
> *Dividuas ad bina tribus [illegible], tecum*
> *Cessit trabeatus adhuc [illegible] Senatus,*
> *Et nam puerum gaudens offerre [illegible]* &c.

Vide Thom. Dempster. *ad Rosin. l.* 5. *c.* 32. Ab eo tempore sub Custodibus erant. Isid. *l.* 9. *c.* 3. *Romanæ militiæ mos fuit, puberes primò exercere armis; Nam decimô sextô annô* Tyrones *militabant, quô etiam solo sub Custodibus agebant.* Dicebantur autem Custodes, qui in saltatione Pyrrhica aliisque militiæ præludiis *Tyrones* exercebant; alias *Campidoctores*, Græcis Ὁπλοδιδάκται; item *Magistri & Monitores* nuncupati, de quibus suprà passim, & plura apud præfatum Dempsterum, *l. eodem, c.* 25. Tandem arma sumpturi in jusjurandum adigebantur, Isidor. *ubi suprà*, Tirones *dicti, qui antequam sacramento probati sint, milites non sunt*: & in exercitu Velites primò erant, donec procedente ætate & belli usu, in Hastatos, Principes, Triarios adlegerentur, Joh. Rosin. *l.* 10. *c.* 9. &c. Infimus certè gradus *Tironum* erat militiam auspicantium & caligatorum, quibus omnia ferè incumbebant militiæ munia; ut quorum operâ in multis utebantur Tribuni & Centuriones planè in modum servorum, quemadmodum ipsi queruntur, apud Tacitum, *l.* 1. *Annal.* Iidem *Munifices* hinc dicebantur, quibus oppositi *Beneficiarii* vacationem hujusmodi munerum habentes. Exigebatur autem in *Tironum* delectu proceritas, ita ut senos, vel certè quinos pedes & denas uncias habere probarentur, teste Vegetiô, *l.* 1. *c.* 5. Nec multò aliter Imperatores Valentinianus & Valens, qui in *tit.* Codicis Theodos. *de Tiron.* delectum haberi jubent in quinque pedibus & septem unciis usualibus. Vide suprà quoque voce *Incomma* &c. Apud Athenienses civium filii, postquam intra annum ætatis septimum, κοινῷ γραμματείῳ apud τὰς φρατρίας inscripti essent, Ephebôrum albo illati sunt annô ætat. 18. quod utrumque factum Apaturiorum die, quæ Κουρεῶτις dicebatur, & epuli τοῖς φράτορσι dati soliti interventu. Bienniô posteà inscribebantur Lexiarchico, à quo tempore erant sui juris, mittique ad negotia poterant. *Hesychius*, Ληξιαρχικὸν, γραμματεῖον εἰς ὃ τὰς τῶν ἀνδρῶν. Hoc enim vocabant Græci Scriptores ἐγγραφῆς εἰς ἄνδρας, quia tunc in viros transcribebantur. Quô factô, jusjurandum in æde Agrauli concipiebant, de quo suprà, in voce *Ephebus*. Erant verò Ephebi, antequam in viros transcriberentur, per biennium, Custodes publicè constituti in Atticæ regionis φυλακτηρίοις: post annum verò 20. in aciem educebantur, aut peregrè extra terram Atticam mittebantur, uti prolixè docet Sam. Petitus, *Comment. in LL. Atticas l.* 2. *tit.* 4. Et quidem, ut quilibet *Tyro* ab anno 18. usque ad 20. posset περιπολεῖν, i. e. urbana & suburbana castella custodire, adeoque intra terræ Atticæ fines militiâ pro ætate defungi, accipiebat à Populo pro concione scutum & hastam, Aristot. *de Athen. Rep.* nominaque eorum inscribebantur albo, annotatô annô, per Archontis, qui Fastos signabat, adscriptum nomen; adscriptô quoque Eponymi illius nomine, quô primum Custodes erant publicè; Quod ideò fiebat, ut, cùm Atheniensium unumquemque militare oporteret, ab anno 18. usque ad 40. stipendiorum numerus ritè iniri posset. Postquam dein Lexiarchico jam inscripti in aciem educerentur, collocabantur in partibus illis exercitus, in quibus minus periculi erat, neque cum veteranis pugnabant militibus, sed ἐν τοῖς μέρεσι τοῖς ἀκινδύνοις, unde pugna illa Τειρωνία propriè fuit vocata, *Suid.* Vide iterum Petitum, *Op. præfatô, l.* 8. *tit.* 1. ut de Lacedæmoniis verbum addam, *Tirones* illis, non in Forum, sed in agrum, deduci consuevisse, docet Trogi abbreviator, *l.* 3. *c.* 3. ubi alludens ad morem Romanorum, *Pueros*, ait, *puberes non in forum, sed in agrum deduci præcepit.* Apud Recentiores, *Tyro* itidem miles dicitur,

dicitur, qui militiæ cingulô recèns decoratus est, necdum in bellis vel torneamentis (quæ & ipsa *Tyrocinia* dicta) sese exercuit, ac tyrocinium suum posuit. Item qui in arenam descendit, ac duellô pugnare paratus est, *Campio*, aliter dictus, ut videre est apud Matth. Parisium, non unô locô, & apud Arnoldum Lubec. *l.* 2. *c.* 15. Sed & *Tyrones* in Palatio appellat Auctor *Vitæ* S. Pelagii, Nobiles Aulicos, qui, Principis ministerio destinati, *Militares Regii pueri*, & *Regalibus annonis nutriti*, dicuntur Eulogio, *in Memor. S. S. l.* 2. *c.* 13. apud Car. du Fresne, *Glossario*. De *Tyronibus* Academicis & *Tyrociniorum* depositione, quæ ex Romanorum Veter. *Virilem Togam* sumendi ritu originem traxisse videtur, diximus rectô variis in locis, præcipuè ubi de *Depositione*. Vide quoque voce *Apprentitii*, item *Area*, *Neoptolemus*.

TYROLIS, vide *Tirolis*.

TYRONENSIS Comitatus, *le Comté de Tyrone*, seu *Tir-Oen*, i. e. terra Eugenii, provinc. Ultoniæ regionis est in Hibernia. Estque duplex Superior, *Upper Tyrone*, in parte Occidentali inter Comitatum Dungalensem, Fermanagensem, & Colranensem; ubi nulla urbs magni momenti: & Inferior, *Nether Tyrone*, ad Ortum extensus inter Comitatum Antrimensem, Dunensem, Armacanum & Tyronensem superiorem, à quo montibus *Slew Galien* dividitur; ubi aliquot arces & castrum *Dungannonium* dictum. Regio est ferax & satis ampla, longa ad 60. milliar. lata ad 30. Vide quoque hanc vocem per *i*.

TYROPOEUM, Thraciæ castellum. *Cedrenus*.

TYROS, Insul. Arabiæ, recentiori ævô dicta, quam priùs *Tylon*, dixêre. Strabo, *l.* 16. de sinu Persico, Πλεύσαντι δὲ ἐπὶ πλέον ἄλλαι νῆσοι Τύρος καὶ Ἄραδος εἰσίν, ἱερὰ ἔχουσαι τοῖς Φοινικικοῖς ὅμοια: additque ab incolis jactari, colonos se esse *Tyri* & Aradi, Phœniciarum urbium. Item Indiæ urbs, *Steph.* Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1023. ut & in vocibus *Tylus* & *Tyrus*.

TYRRHENA, cognomen Minervæ, vide suprà.

TYRRHENI, populi Italiæ, inter Macram & Tiberim amnes incolentes, quos Latini *Tuscos* & *Etruscos* vocant, *Tyrrhenos* autem Græci nominârunt, à *Tyrrheno* Atyos filio, qui è Lydia colonos in hanc regionem deduxit. Atys enim ex posteritate Herculis & Omphales unus, cùm sterilitate ac fame populum suum emittere cogeretur, è duobus filiis sorte jactâ, Lydum quidem regni successorem tenuit, Tyrrhenum autem cum bona populi parte ad quærendas novas sedes emisit: qui cùm post longos errores in Inferi maris orâ sedes fixisset, totum eum tractum de se *Tyrrheniam*, & mare ipsum *Tyrrhenum* vocavit. Vide Servium in illud. *l.* 1. *Æn. v.* 71.

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.

Hos omnes scriptores superstitiosissimos fuisse tradunt, uti inter alios Plutarchus scribit *in Sympos.* A' quibus Romani ceremonias sacras edocti fuêre. Iidem à celeritate quibusdam dicti videntur, antiquiores Pelasgis, qui nauticam ab illis didicerunt. Scribit quoque Athenæus in illorum conviviis & epularum apparatibus, nudatis corporibus virgines discumbentibus ministrâsse convivis; mulieresque apud eosdem fuisse communes, quæ etiam pudore depositô, gymnasiis publicis & palæstris nudæ cum viris luctari ac se exercere consueverant. Minimè enim apud illos turpe putabatur, nudatas fœminas vulgò conspici. Fuisse autem illas dicunt formâ, ut plurimùm, eleganti; vinique imprimis cupidas, & potentes bibaces, &c. Tyrrheni tubam æneam invenisse dicuntur. Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 526.

Tyrrhenusque tubæ mugire per æquora clangor.

Idem *l.* 2. *Georg. v.* 193.

Inflavit cùm pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Ubi 1. notat vitium gentis. Nam Catullus *in Egnatium, Epigr.* 40. *v.* 15.

Aut parcus Umber, aut obesus Etruscus,

2. Obiter tangit inventum tubæ, quod fuit Etruscorum. Ideo Sophocles *in Ajace*: Χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς. *Nic. Lloydius*.

TYRRHENI, populi insulares maris Ægæi, Lemnum, Imbrum, & alias insulas oræ Thraciæ incolentes, à quibus *Tyrrhenicus sinus* dictus est.

TYRRHENICA, Sandalia erant, foris inauratis variegatisque insignia, quibus Minervam suam Phidias induit, Jul. Pollux, *Onomastic. l.* 7. *c.* 22. Salmasio *Tyrrhenici* seu Tusci calcei, iidem fuêre cum mulleis calceis, quibus Reges Proceresque Romanorum olim usos legimus, *ad Pallium* Tertull. Erant autem illi solô altô & colore puniceô, ex sandaliorum seu crepidarum genere, *Poll.* & *Hesych.* similes cothurnis, Isidor. *Etymol. l.* 19. *c.* 34. & tibiarini calceari soliti, qui cavi erant & totum pedem tegebant. Vide Alb. Rubenium, *de Re Vestiaria*, *l.* 2. *c.* 1. *ubi de Calceo Senatorio*. De *Tyrrhenica* tuba, suprà.

TYRRHENICA Stagna, paludes circa ostia Iberi fluv. Unde etiam *Tyrrhenum mare* à *Paulino* & *Latino Pacato* vocatur, Hispaniam ibi alluens, idem Iberico, *Ferrar*.

TYRRHENUM Mare, seu *Tuscum*, vulgò *il Mare di Toscana*, pars est ampla maris Mediterranei inter Tusciam, ditionem Pontific. Siciliam, Sardiniam & Corsicam extensa. Ejus partes sunt Sinus Formianus, Neapolitanus, Salernitanus, Talaus & Terineus, in ora Italiæ.

TYRRHUS, Latini Regis armentarius, cujus cervus mansuetus ab Ascanii comitibus occisus, primam belli causam præbuit inter Trojanos & Latinos. Hinc *Tyrrhides* patronymicum mascul. Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 484.

Cervus erat formâ præstanti & cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri, quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrhusque pater, cui regia parent
Armenta, & late custodia credita campi.

TYRSETA, oppid. Tauuitum fuit, *Steph.*

TYRSIS, regia Saturni, in Insul. Baleari, locus fictus. *Homer. Pindar.*

TYRTÆUS, Poëta Græcus, cujus sæpe meminit Plato *in Libb. de Legg.* O divine Poëta Tyrtæe (inquit) *sapiens certè ac bonus nobis esse videris, quia excellentissimis eos extulisti laudibus, qui in bello excelluerunt*: Horat. *in Arte, v.* 402.

Tyrtæusque, mares animosa in Martia bella
Versibus exacuit. ———

TYRTAMUS, vide *Theophrastus*.

TYRUS, vel *Tyros*, Phœniciæ insula, nunc *Pendoli*, & urbs celeberrima, in saxo undique prærupto, cum portu capaci, orbis olim emporium; Condita, ut Josephus vult, *Ant. Judil.* 3. A. M. 2783. ante templum Salomonis, 240. Archiepiscopalis sub Patriarcha primum Antiocheno, posteà Hierosolymitano ab Innocentio III. attributa. *Sarra* olim vocabatur, *Festô* & Gelliô, *l.* 14. *c.* 6. testibus. Unde Virgilii Scholiastes, *in l.* 2. *Georg. v.* 506. *Quæ nunc Tyrus dicitur, olim Sarra vocabatur, à pisce quodam, qui illic abundat, quem linguâ sua Sar appellant.* Hinc *Sur* hodièque dicitur. Verum quidem est, ut dixit, Romanos veteres pro *Tyro* dixisse *Sarram*; Ita in fragmentis Ennii: *Pœnos Sarra oriundos*; unde est quod pro Tyrio Poëta dixit *Sarranum ostrum*: & Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 39. *Sarrana aulæa*: & Silius, *l.* 6. *v.* 468. *Sarranum Junonem*; & *Sarranam cædem*, & *l.* 7. *v.* 432. *Sarranum navitam*; & *l.* 8. *v.* 46. *Sarrana numina*; & *l.* 9. *v.* 102. *Sarranum nomen*. Columella quoque, *l.* 9. *c.* 4. *Sarranam violam* dixit, i. e. purpuream, quia purpura ex Tyro. Et fortasse apud *Steph.* ... πόλις Σάρρα, unde Gentile *Saranus*; id ipsum erat Græcis quod Romanis *Sarra* & *Sarranus*: *Σάρρα* saltem plurimum accedit ad Ebræum צור *Sor*, quô nomine Tyrum appellant sacri scriptores. Sed piscis *Sar*, unde *Sarra*, si quidem *Servio* fides, non extat ullibi gentium. Et *Sarræ* nomen deduci notum est ex Ebræo Tyri nomine צור *Tsor*; in quo literam צ quæ medii est soni inter T. & S. Græci in T. mutârunt & Romani in S. Ita factum ut ex eo de *Tsor* & Τύρος nasceretur & *Sarra*. Sed Servium verisimile est, cùm alicubi legisset quod in Trogo habetur, Sidonem à pisce dici, nempe à צור, titubante memoriâ, id de Tyro scripsisse, quod de Sidone legerat. Non dispari errore Origenes: *Tyrus*, inquit, *apud Ebræos sonat idem, quod nobis venantes*, Imò *Tyrus rupem* sonat, sed *Sidon* vel à *venatione*, vel à *piscatione* dicitur. Hæc Bochartus, qui ait, in Phœnice Tyri nomen commune fuisse multis urbibus, ut constat ex *Periplo* Scylacis, qui hæc habet in descriptione Phœnices: Ἀπὸ δὲ Θαψάκου ποταμοῦ ἐστὶ Τρίπολις Φοινίκων, Ἄραδος νῆσος καὶ λιμήν, βασίλεια Τύρου ἀπὸ ... σταδία ... ἀπὸ ... Et paulò post: ... (Ita legit Cl. Voss. pro vulg. ...) Τύρος ... & aliquantò infrà: ... πόλις Τύρος ... Ἀπὸ δὲ ... Quod sequitur, propter vitium interpunctionis, vir quidam doctiss. usque adeo non intellexit, ut è mari fecerit continentem: Καὶ ἄλλη ... σταδία ... θαλάττης ... Παλαίτυρος ... καὶ ποταμὸς διὰ μέσης ῥεῖ. En tibi lector in una Phœnice quatuor urbes *Tyri* nomine, nempe 2. in continente, & insulares duas: quarum illa celeberrima, quæ fuit in insulâ vicinâ Palætyro, non tamen antiquissima. Eâ quippe vetustiorem esse Palætyrum, vel ex ipso nomine constat. Neque enim aliud Palætyrus, quam verus Tyrus. Itaque ejus mentio fit in libro Josuæ, *c.* 19. *v.* 29. Ibi enim מבצר צור *civitas munita Tyrus* Aseritarum limes ad mare non procul à Sidone, non potest alia esse quàm Palætyrus. Tum igitur extabat Palætyrus, nempe tempore κληρουχίας seu divisionis terræ Chanaan, annis ferè, 200. antequam in viciniâ insul. conderetur famosa illa Tyrus. Vide quæ sequuntur apud Authorem longè doctissimum, *de Phœnic. Colon. p.* 861. Tyron ... vocat Dionysius, & Virgil. *Antiquam*, *l.* 4. *Æn. v.* 670. Insula rupibus undiquaque cingebatur. Nonnus, *l.* 4. *de Tyro*:

——— Ἀπτήτοις δὲ θεμέθλοις
Αὐτομάτη ...

Et de urbe ibidem construenda:

Πέτραις δ' ἀμφοτέραις ἐπιτείχισον ἄστυ κολώναις.

Lucan. *l.* 3. *v.* 217. *instabilem* vocat, insula enim olim fuit. Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 288.

Fluctibus ambitæ fuerant Antissa Pharosque
Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.

Qu. Curtius, *l.* 4. *c.* 2. Tyrum affirmat & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ, Phœnicesque fuisse memorabilem, quô tempore obsessa est ab Alexandro, à quo miris affecta est malis, & continenti aggeribus juncta, unde *Quæ ex antiquâ Tyro*, Proverb. de extremo malo. Sicut *Tyria maria* Proverb. est de re periculosa, & vehementer turbulenta. De divitiis ejus & cum omnibus gentibus ob mercaturam commercio, vide Ezechielem Prophetam, *c.* 27. Hæc ab Agenore, Phœnicum Rege, in ora maris Mediterranei condita traditur, sicut Sidon à Sichene. Nunc autem Tyrus in ruinis jacet, paucisque admodum constat incolis, & sub Turcis est. At olim apud eos in Insula, postquam urbs vetus à Nebucadnezare excisa fuerat, aliquandiu Regum locô Δικασταὶ κατεστάθησαν καὶ ἐδίκασαν Ἐκνίβαλος &c. *Judices constituti fuerant, & judicârunt, Ecnibalus &c.* Joseph. contra *Apion.* Priùs autem Tyrii Reges habuêre, quorum nomina intercidebant, usque ad Abibalum, qui fuit pater Hierami, amici Davidis & Salomonis. Vide *Abibalus*, it. *Ecnibalus*. Ab Alexandro M. destru-

cta,

cta, reparata postmodum est: Metropolis Phoeniciæ, ab Adriano Imperatore effecta, in gratiam Pauli Rhetoris, Tyrô oriundi. Sub Christianis Archiepiscopis fuit, sub Patriarcha Antiocheno primùm, dein Hierosolymitano, postquam urbs capta est à Christianis, à quibus, Balduinô adhuc captivô, recepta est, A.C. 1125. cùm tabellariam columbam captam, pro lætis tristes domum ferre literas, fecissent. Sepultus hic Fridericus Barbarossa fuit A.C. 1190. Episcopus ejus Marinus, circa A.C. 255. floruit, Tyranniô mari mersus est, sub Diocletiano, sub initium seculi 4. Guilielmus scripsit *de Bello sacro*. Hic Concil. à Constantino M. indictum, A.C. 335. quô Athanasius ab Arrianis condemnatus & depositus: atque ab Imperatore Treverim exulatum missus est. Sed Paphnutius, Synodum legitimam non agnoscens, monuit Maximum Hierosolym. Episcopum, *Non oportere se, cùm essent Confessores, & pro pietate tum oculos effossos, tum pedum flexus debilitatos haberent, concilio hominum perditorum communicare*. Sozom. *l.* 2. *c.* 24. Ibas dein Edessenus, Nestorianismi à quatuor presbyterorum suorum, accusatus, liber hîc pronuntiatus est, A.C. 448. &c. Tyrios & Phœnices, auctores navigationis facit Pomp. Sabinus, *in l.* 1. *Æn. Phœnices condidêre Tyrum in mari, propter merces, primi mortalium negotiatores in marina alea.* Dionysius Afer de iisdem,

[illegible]

Etiam Tibullus huc respexit *l.* 1. *El.* 7. *v.* 19. cùm ait,

Utque maris vastum prospectet turribus æquor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Quin & Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Mercaturas Pœni repererunt.* Lacerna Tyria olim in pretio fuit. Unde Lamprid. *in Alexandro, c.* 42. *lacernam coccineam accipiebat.* Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 29. *v.* 3.

Quæque Tyron toties epotavêre lacernæ.

Et *l.* 8. *Epigr.* 10. *v.* 1.

Emit lacernas millibus decem, Bassus,
Tyrias, coloris optimi. ——

Nic. Lloydius. Vide quoque Joh. Marshamum illustr. Equ. Anglum *Canone Chron.* passim, inprimis *ad Sec.* XVIII. & suprà voce *Tyrii*.

TYRUS item Insul. parva ante Tyrum urbem, nunc *Peudoli* Ortelio. Item Insul. intra lacum Volsinium, *Isola Bisentina*; à Bisento oppid. inter Volsinios & Martham occurrens. Item Laconicæ, Lydiæ item Pisidiæ urbs. *Steph.* Fuit etiam locus & præsidium trans Jordanem, inter Arabiam & Judæam, quem describit Joseph. *Jud. Antiq. l.* 12.

TYRUSTÆ, populi Illyrici.

TYSCA, regiuncula Africæ, ubi 50. olim oppida: de qua lis inter Carthaginenses & Masanissam, Mauritaniæ Regem fuit, *Appian. Alex.*

TYSDRUM, oppid. Africæ mediterraneum, apud quod Gordianum, cum filio, ab omnibus Afris Augustum appellatum, habet *in Maximinis* Capitolinus, *c.* 14. Herodianus, [illegible] vocat, meliùs *Thysdrus*, quasi dicas [illegible], vel [illegible], sive *Kώμη*. Salmas. *dict. loc.* Vide *Thysdrus*.

TYSDRUS, vide *Thysdrus* & *Thisdrus*.

TYSIAS, princeps & inventor artis Rhetoricæ fuit, uti docet Cicer. *l.* 2. *de Inventore, c.* 2. & *l.* 1. *de Oratore, c.* 20. & *in Bruto, c.* 12.

TYTIRI, erant ex ministris comitibusque Bacchi. Vide Jan. Parrhasium, *ad illud Claudiani, de Raptu, l.* 2. *v.* 67.

—— *Quales referunt Baccho solennia Nymphæ.*

TZACONITÆ, apud Luithprandum *Legat. Nec infirmò animò Magistro Tzaconitæ occurrant, quem dum in fugam verterent* & Lacones sunt, qui *Tzacones* & *Tzaconitæ* recentiori ævô dici cœperunt, vide Niceph. Gregoram, *l.* 4. Joh. Leunclavium, Dominic. Macrum, *Hierolex.* &c.

TZANCÆ, sive ZANCÆ, genus calceamentorum, quibus Imperatores Græci usi sunt; *Campagi* Latinis, cultu, pretiô, coloreque ab aliorum distincti. Habebant ad latus, secundùm foras & in tarsis, aquilas ex lapillis & margaritis, iisque usi sunt Imperatores ad deambulationes & sacra, Curopalates *de offic. aulæ Constantinop. p.* 55. Dictio ab Arabibus petita est, apud quos, ut & Turcas, *Tzagatha* idem est, ac quieti dare, collocare commodè, ut apud Fr. Junium videre est: unde meliùs *Tzaggæ* dici videntur. Quod de aquilis Curopalates dicit, intelligendum de aquilarum effigie, gemmis vel aurô intexta aut assuta calceis, talis enim calceorum ornatus illô seculô erat. Niceph. Gregoras, *l.* 4. *de Michaëlis Palæologi socero: Cæsar cum Despota socero Sebastocrator appellatur; Soceri verò illustre discrimen in cœruleis calceis aquilæ intertexta constituebant.* Tarsi verò nomine superiorem Imperatorii calcei partem significavit. Coripp., *l.* 2. *Num.* 4. *de Justino juniore:*

Purpureô suræ resonant fulgente cothurnô,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco,
Qui solet edomitos victor calcare tyrannos,
Romanus Princeps & barbara colla domare:
Sanguineis prælata rosis laudata rubore,
Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis:
Augustis solis hoc cultu competit uti,
Sub quorum est pedibus Regum cruor, omne profectò
Mysterium certâ rerum ratione probatur.

Hæc de translato jam Byzantium Imperio capiendo [illegible] aurea vi[illegible] tia calceorum ornamenta atque, pro divers[illegible] libid[illegible]

tor moderatione. Carinus Augustus non gemmis adsutis calceis, *sed fibulis gemmeis utebatur.* Flav. Vopiscus, *in eo c.* 17. Idem non minori luxu factum ab Heliogabalo, de quo Æl. Lamprid. *c.* 23. *Habuit, inquit, in calceamentis gemmas & quidem sculptas, quod risum omnibus movit: quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.* Et de iisdem gemmis loquitur idem auctor, *in vita Alexandri Severi, c.* 4. cùm ait: *Gemmas in calceamentis, & vestibus tulit, quibus usus fuerat Heliogabalus.* Diocletianus Cæsar *ornamenta gemmarum vestibus, calceamentisque indidit: nam prius imperii insigne in chlamyde purpurea tantùm erat,* Eutropius, *Histor. l.* 10. quod ut rem insolentem mirô consensu Scriptores Eccl. prodiderunt, Eusebius Cæsariens. apud Hieronymum, Alii. *Soccos muliebriter ornatos* gestavit Caligula, Plin. *l.* 9. *c.* 35. Demetrius Antigoni fil. *aureos calceos*, Plut. *in eo.* Porrò Principum calcei aquilis, ut dictum, distinguebantur: Senatorii Lunæ dimidiatæ effigie. Schol. Juvenalis, *ad v.* 192. *Sat.* 7. *Patricius Senator est, Lunulâ nam adjutâ calceis discernuntur patricii à novitiis,* vide Plut. *Probl. Rom. c.* 76. & Isidorum, *l.* 19. *c.* 34. Fortè ideo id factum, ut Imperii incrementum vel decrementum Lunæ simile intelligeretur: Vel quòd antiquitatem generis sui, nullâ aliâ re meliùs possent ostendere, quàm si ad Arcades genus suum referrent, qui priores ipsâ Lunâ fingebantur. Hinc Serv. *ad v.* 342. *l.* 2. *Georg. Arcades Proselenos se esse asserunt, quod & Cicero in Fundaniana commemorat:* locus fabulæ datus, quòd post diluvium genus humanum ab iis propagatum putaretur. Idem *ad l.* 8. *Æn. v.* 352.

—— *Arcades ipsum*
Credunt se vidisse Jovem.

Statius, *l.* 4. *Thebaid. v.* 275.

Arcades hinc veteres; astris Lunâque priores
Agmina fida satis, &c.

Hos autem calceos gestâsse, summæ erat nobilitatis: Unde Herodotus Sophista, fratri suo insolentiùs nobilitatem jactanti, *certè in talis* inquit, *nobilitatem tuam habes,* ut auctor est Philostratus *in eo.* Allusêrunt eodem Poëtæ. Statius, *l.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 27.

—— *Genitum si curia sensit*
Primaque patriciâ clausit vestigia Lunâ.

Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 50. *v.* 32.

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga,
Olidæve vestes murice.

Matronarum calceamenta, ut & de iis aliquid adspergatur, ab iis, quæ jam enumerata, differebant: Licèt Ælianus, *Hist. Var. l.* 7. *c.* 11. aliter scripserit: [illegible], *ex Romanorum fœminis multæ eosdem cum viris calceos gestare consueverunt.* Contrà enim M. Tullius, *l.* 1. *de Orat. c.* 54. *ut si mihi,* ait, *calceos Sycionios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles & apti ad pedem, quia non essent viriles.* Et Hesych. [illegible], *Sicyonia calceamenta sunt muliebria.* Flavius quoque Vopiscus *in Aureliano, ad finem,* inquit: *Calceos mulleos & cereos & albos & hederaceos, mulieribus reliquit.* A cujus mollitiei inventoribus Sicyoniis nomen calceis muliebribus impositum. P. Virgilius, *in Ceiri, v.* 169.

Cognita nec teneris pedibus Sicyonia servans,
Nec niveo retinens baccata monilia collo.

Lucretius Carus, *l.* 4. *v.* 1118.

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Ubi rectè calceos unguentis junxit, nam & hæc Græcis in usu. Plura vide apud Thom. Dempster. *Antiq. Rom. l.* 5. *paralip. ad c.* 36. quibus ut ista addam, etiam *Tzangæ* dicuntur. Agnitum ex istiusmodi calceamenti genere Constantinum ultimum, narrat Georg. Phranzes, ubi de capta Constantinopoli, *Chron. l.* 3. *c.* 18. *Absorbant corpora mortuorum plurimi, si fortè Imperatoris noscitarent, nec poterant, nisi quòd corpus exanime invenerunt: idque ex Imperatorum calceamentis agnoverunt, in quibus Aquilæ aureæ depictæ visebantur.* Præter intextum verò illud Aquilarum decus etiam purpureô colore insignes hæ Tzancæ erant: Unde Nicephorus Gregoras, *l.* 4. Michaëlis Palæologi Socerum, qui *Sebastocrator* dicebatur, cœruleis tantùm calceatum observat, quô nimirum ab ipso Imperatore distingueretur. Itaque *Tzancæ* hæ aquilis, sive gemmeis sive aureis, & rubrô inprimis colore (nam illæ Sebastocratoris modò memorati etiam Aquilas habebant intextas) insignes, quæ aliis [illegible] vocabantur, propria & singularia fuêre Imperator. insignia. Quemadmodùm cæruleô tincti colore calcei, liliisque aureis opere Phrygiô intextis exculti, Regibus Galliæ peculiares sunt. Atque inde factum, ut cùm fortè aliqui plus æquô magnifici cultus studiosi *Tzangas* illas aliquando auderent usurpare, Arcadius & Honorius, ut habetur in Cod. Theodos. *l.* 14. *tit.* 10. *l.* 2. earum usum sub pœna *exilii & confiscationis*, inhibuerint. Sed ecce, alius mox erupit abusus anteaque veterum Regum, utpote Alexandri M. [illegible] numismata, calceis appingi cœperunt. Unde querela Chrysostomi *Homil. ad Pop. Antioch. Quid verò diceret aliquis de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata pedibus? Dic mihi, hæc sunt spes nostræ, ut, post crucem Domini gentilis Regis in imagine spem salutis habeamus?* Ubi *pedes* dubio procul, pro *calceis* accipiendi, quibus [illegible] aurea illa numismata sic à quibusdam [illegible]ntur. [illegible]undum, *Tzangas* mediô cruce [illegible] [illegible]ro [illegible] [illegible]omani more [illegible] enim omnino A[illegible] aden[illegible] am dictum [illegible]es; cùm ad ex[illegible] in s[illegible] effigiem [illegible] ipsius pedis tan[illegible] tum

tantùm integumentum, requiritur. Et ad eam altitudinem spectasse videtur vetus Horatii Interpres, cùm *Tzangas* est interpretatus, *Senatoris calceos*. E tribus namque, quibus Senatorum insignes fuêre calcei, Lunâ, nigredine & altitudine, hoc postremum in *Tzangas* propriè magis, quàm priora duo, quadrare potest: quum pro nigredine purpura, pro lunulis Aquilæ illas exornarent. Vide Ben. Balduinum, *de calceo Antiq. c.* 13 *& de Campagis & Tzangis*. Quia verò ad medium crus, ut dictum, pertingebant Tzangæ, inde Ocreas vocant Scriptores Latini passim, item *caligas* & *hosas*. Vide *Hist. Miscell.* Luithprandum, *l.* 3. *c.* 9. Villhardoinum, *num.* 116. Alios. Sed & Lazis Regibus [illegible] adscribit Auctor *Chronici* Alexandr. Sicut [illegible], vel [illegible] Scylitzes: & Bulgaricis Principibus, Nicetas *in Isaacio*, *l.* 1. *num.* 5. Gothicis Regibus, Gregorius M. *Dialog. l.* 2. *c.* 14. Imperatoribus Occidentalibus, *Panegyricus* Berengarii Imperatoris:

Cùm Princeps nitidus Tyrio procedit in ostro,
Tegmina vestitus crurum rutilante metallo,
Quale decus terræ soliti gestare Magistri &c.

Ut de nomine quid addam, ab ἄγχω, *constringo*, & ἀγχὴ, *vinculum* factum ζάγχα, pro διάγχα, vult Salmasius, & qui eum sequitur Jac. Gothofredus. Aliam originationem adducit Car. du Fresne, *in Glossar.* quem vide, ut & plura hanc in rem apud Jac. Cujacium, *Observationum l.* 21. *c.* 28. Leunclavium, *Pandecte Turc. num.* 199. Fabrotum, *Notis ad Anastasii Histor. Eccl.* Meursium, *Glossar.* Jac. Gothofredum ad Cod. *Theodos. d. l.* Alios, nec non infrà, voce *Zancha*.

TZANGRUS, in *Chron.* Phranzis, *l.* 2. *c.* 7. *de summo autem castelli* Tzangus *petebamur*: arcus est, ut vocem disertè exponit Jo. Cantacuzenus, *l.* 1. *c.* 56.

TZANI, populi in Armenia, olim *Macrones*, ante Hadriani tempora, Romanis tributarii, postmodùm defecerunt, à Justiniano primùm per Sittam, dein per Theodorum, sub jugum retracti, ac Christianâ fide imbuti. Vide Præfat. Novellæ 1. *in princ.* ut & voce *Zani*.

TZATRICIUM, Græc. Ζατρίκιον, latrunculorum ludus, vel tabula potiùs, in qua latrunculis olim ludebatur. Ita enim ad *Martialem*, *l.* 7. *Epigr.* 72. *v.* 7. & 8.

Sic vincas Noviumque Publiumque,
Mandris & vitreô latrone clausos,

Salmasius, *Latini* mandras, septa, vallos, *&* capsos *&* carceres *vocabant loca illa seu sedes in tabula, in quibus velut clausi tenebantur latrunculi. Græci* [illegible] *χώρας & χωρογράφους. Calculus ergo, qui in calculi* [illegible] *sedem faciebat impetum, ut eum caperet & sede sua pelleret,* mandramque *sive vallum, frangere dicebatur: Hinc totum latrunculorum ludum vel tabulam potius, in qua ludebatur, Zatrikion nominarunt.* Et de lusu hoc pergens, *In hoc*, inquit, *ludo sunt calculi, qui ordine moventur; alii qui vagè & obliquè. Inciti autem dicuntur, qui eò sunt redacti, ut cieri moverique nequeant: inde Proverb.* ad incitas redigere, *pro ad extremas metas compellere & in summam desperationem aliquem adducere. Porrò quem veteres calculum incitum appellabant, eum nos hoc eodem in ludo* scaccum mattum *dicimus, id est,* contritum *&* subactum. Mattus *enim antiqua vox & Latina, quæ emollitum, subactum & maceratum significat. Inde verbum* mattare, *pro domitare, subigere & macerare. Hinc* via matta, *Ciceroni*, via lutosa & humecta, *l. Epist. ad Attic.* 16. *Ep.* 12. *vulgò excuditur*, via inepta, *satis ineptè. Per Metaphor. indidem homo tristis*, mattus *dictus est.*

TZAULUS, nomen officii in Aula Græcorum Imperatorum, ubi *Magnus Tzaulus* dicebatur qui aliàs *Magnus seu Protostabellarius*, fungebaturque nonnunquam officiô Imperialis Commissarii, & ferebat reliquo præcepta Imperatoris. Hinc mansit in Aula Turcica vocis vestigium, in nomine *Tzaus*, seu *Chiaus*, qui Missus est Imperatoris, vel Primi Visirii, Car. Macer, *Hierolex.*

TZAUSTRIUM, seu TZUSTRIA, apud Joh. Cantacuzenum, *l.* 1. *c.* 42. torneamenti genus, hodieque *Giostra* Italis, vide suprà *Justa*.

TZERKASSIA, nomen Principatus inter Russos & Persas siti, sub Russorum Imperatore, de quo vide Adam. Olearium, *Itinerar. Mosc. & Pers.*

TZICATLINA, quasi *formicarum serpens*, quòd non vivit nisi cum formicis, & iis exeuntibus e cavernis unà etiam prodire solet, omnium serpentum formosissimus, duos longus dodrantes, crassitie digiti minimi, transversis fasciis candidis & rubris, alternatim distinctus, insuperque innoxius est, ac reperitur in America, Jo. Eusebius Nierembergius, *Histor. Natural. l.* 12. *c.* 7.

TZURULUM, *Cedrenooliisque, Zorlich & Chorlo Leuncl.* Urbs Thraciæ Episcopalis media ferè inter Byzantium & Hadrianopolim. *Const. Cuco*, aliis à Byzantio 10. milliar. distare creditur in Occasum. Aliter *Tiruluno*.

TZYCANISTERIUM, locus ubi pilis ludebatur. Macer. *d. l.*

V.

V. Litera hæc vocalis, sæpe fit consonans in dictionibus, quæ Claudiani ævô figuram habuit inversi I. & *Vau* propriè dicitur, ut *Nauta*, *Navita*, *Gaudeo*, *Gavisus*. Aliquando in E. convertitur, ut *Cerno*, *Cerniger*, *Faciens*, *Faciendus*, *Pessumus*, pro *Pessimus* apud Comicos antiquos. Sic Quintilianus, *l.* 1. *c.* 5. observat, O. & V. in se invicem quandoque transmutari: ut *Hecoba & Notrix*: *Culchides & Pulixena*. Apud veteres Jure Consultos B. non rarò in V. abit, & vicissim: quæ pronunciatio apud Vascones, Galliæ populos hodieque obtinet, qui pro *Vivere*, *Bibere* & pro *Bibere Vivere* dicunt, unde Scaliger: *Felices populi quibus vivere est bibere*. Ausonius, hinc oriundus de hac litera sic loquitur in *de Litteris Monosyllabis*, *v.* 8.

Cecropiis ignota notis, ferale sonans V.

V. R. tabulis inscriptum apud Romanos, significabat *Uti rogas*: Mos enim erat, cùm leges rogarentur, ut *Diribitores* populo distribuerent duplicis generis tabellas, quarum alteris inscriptum *V. R.* alteris *A.* Has pro lubitu conjiciebat populus, in duas urnas, hâc fine in pegmate quodam constitutas. Quod postquàm omnes fecêre, *Custodes* seu *Nongenti* calculum tabellarum inibant, cumque numerò vincerent illæ, quæ *V. R.* præferebant, rata lex fuit: cùm reliquæ *A.* habentes inscriptum, i. e. *Antiquo*, abrogata est. Vide *Anthologiam Hist. Rom.* Thomæ Godwyni. In numeris, *quinque* apud Latinos notat, quod hinc factum: Numeri primùm à punctis originem traxerunt, unde ad lineas rectas deventum ad instar mediæ vocalis I & pro quinario, ne quinque lineas facere cogerentur, ad compendia verterunt animum, unâque signatâ, reliquas quatuor per obliquam unam à tergo ductam, hunc in modum ꝟ fecerunt. Mox usui placuit, ut expeditior esset scribendi ratio, pro nota eâ, V. vocalem statuêre. Ad denarium cùm venissent (namque & hæc addi non injucundum credidi) quinque duplicârunt, ita tamen, ut secundum inverterent & subjicerent priori, unamque facerent notam per decussationem X. Visum est inde facere ad commoditatem quam ex compendio aucupabantur, quinquaginta notanda, signum illud, ex una obliqua linea pro quatuor rectis & quinta alligata, erigere, ut staret, quæ pendebat in latus, quæque stabat, in planum dejiceretur: ita prodiit litera L. pro *quinquaginta*. Ventum postea ad *Centena*: quæ per primam ejus nominis literam intelligi voluêre C. Ad *quingenta* cùm venissent, rectam lineam, quæ jacebat in quinquaginta, ad semicirculum incurvatam surrexêre, in hunc modum D. quam notam imperiti superiori capiti conjunxêre, D. quartam alphabeti literam arbitrati: Atque hoc illud scilicet est, quod à tergo quingentorum ita applicitum ↀ. *mille* facit. Pierius, *Hieroglyph. lit.* 1. *in Mensur.* & *Pondd.*

VABAR, Mauritaniæ Cæsariensis oppid. *Ptol. Bisamo Castaldo*, inter Rusazum ad Occasum & Saldas ad Ortum occurrens. *Vabrense* Castrum, & aliis *Vabræ*, urbs Galliæ Narbonensis in regione Occitanâ, Biterris proxima. *Gregor. Turonens.* vulgò *Vabres*; Episcopalis sub Archiepiscopo Tolosano, à Joanne XXII. in id dignitatis, erecta. *Ferrar.* vide *Vabra*.

VABRÆ, seu *Vabrense castrum*, urbecula provinc. Rutenensis, in Aquitania, juxta amnem *Dourdan*, contrà Fanum S. Africæ, ad radices montium, 8. leuc. à Rutena in Meridiem, Biterris versùs 12. & 10. ab Albiga in Ortum. Vulgò *Vabres*. Episcopalis sub Archiepiscopo Bituricensi. *Baudrand.* Olim hic cœnobium, vide Gregor. Turonens. *l.* 9. *c.* 9.

VABRENSIS Pagus, à castro cognomine de quo infrà. Hic in [illegible] dui montis cacumine, à Vulfilaico Diacono Longobardo, regnantibus apud Francos Guntchramno & fratrum ejus filiis, Childeberto & Chlotario, extructum, ac condaptris nomine [illegible] dictum erat: Valesius *Vabrense castrum*, [illegible], agro latè circumjacenti nomen suum dedisse: [illegible] in duos Comitatus divisum, in divisione regni Lotharii hodieque incolis vocari *le pays de* [illegible], German. *des* [illegible], & ad ripas Alisontiæ, Ornæ & Cari fluminum jacere Mosam inter & Mosellam, refert. Hic pagus Evosiensis, & silva Vabrensis *le bois de Vapure* alleto à Satanaco [illegible], Nugaretum *Nayroy*. Floriacum *Fleury au pays Messin*, [illegible] villa [illegible] in Comitatu Virdunensi, Grimuncia villa *Grimaucy*, Dodonis curtis *Donceurt*, Gandisilda [illegible] *sur Orne*, Bettonis curtis *Bettancourt*, Balodium *Ballicum Mategn. &c.* à vett. locantur; E quibus colligit, in pago hoc [illegible] Comitatum Virodunensem, Scarponensem & Castricensem, hodie ignotum. *Notit. Gall.* In gestis Dagoberti fabulosis, *Vabrensis sylva* [illegible] seu [illegible], corruptè dicitur, vide infrà in hac voce.

VACALLINEUS Pagus, in Germania inferiore apud Aenwillerium oppid. à Coloniâ Agrippina 6. leuc. in Meridiem. Bonnæ proximus, inde 2. leucis distans. *Vachlendorf*, teste *Anton. Matthæo*.

VACALOS, vide [illegible].

VACANS, apud Treb. Pollionem *in Balista*, *c.* 17. *Trigenta Tyrann. gaudens, quod eum consilio nullum adscripticium, id est, vacantem, haberet, & Tribunum nullum stipatorem, qui non verè pugnaret.* Spartiano *vacantivum*, *in Alexandro Sever. c.* 15. *Imperator adeò se instruxit, ut quem adscriptium, vacantivum, haberet, ne annonis Rempublicam gravaret, dicens, malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios, nec Reipublicæ utiles pasceret.* Unde [illegible], quamvis in d versâ re, apud Synesium, *in Ep.* 67. Aliàs [illegible] Græcis, supernumerarius est, & qui munere aut actu non fungitur. Cujusmodi erant Magistratus Codicillares, qui annonas & salaria dignitatis quidem habebant à Principe, munere verò nullô fungebantur. Sic in l. 2. Cod. ut dignitatum ordo servetur, enumerantur sigillatim gradus quinque Illustrium virorum. Primus est eorum, qui in actu positi illustres peragebant administrationes; secundus *Vacantium præsentium* in comitatu Principis; tertius *Vacantium absentium*: quartus Honoratiorum præsentium, quintus Honoratiorum absentium. Unde colligere est, quantoperè sequiori ævô nomina dignitatum fuerint multiplicata. Similiter *Vacantes Tribunos* non semel habet Ammianus, ubi Henr. Valesium consule, *p.* 68. ut &

Jac.

Jac. Gothofredum, *ad l. ult. Cod. Theodos. de Agentibus in rebus.* Hinc apud Christianos, Ecclesia *vacans* χηρεύουσα, quæ Pastore suô viduata; & Episcopus *vacans* χηρεύων, quoties ab hostibus, paganis vel hæreticis, pulsus esset, cœpit dici. In *Statutis* Melitensium Equitum: *fructus Commendæ currentes à die obitus Commendatarii, usque ad proximum mensem Majum,* Mortuarium, *porrò à Majo ad sequentem Majum annatam integram,* Vacans *dici: ac utrumque ad Ærarium spectare*, ait Macer voce *Mortuarium.* Nec omittendum, quòd Veteres à laboribus *vacantes* ac otiosi, vel à morbo se recolligentes intrare soliti sunt θερμῶν λουτρῶν κοίτην, *calidam balnei caveam*, uti Lycophron ait de Agamemnone è bello Trojano domum reverso, de quo more suprà aliquid diximus, voce *Sudatorium.* Vide quoque infrà *Vacui fasces.*

VACARIA, sive AVACARIA, locus in Africa propria. *Antonin.*

VACASOTI, Macro, qui aliis *Beguardi, Bizocchi* & *Fratricelli*, Vide ibi.

VACATIONES, sic dicta lex est, quæ Sacerdotes à militia exemit, exceptis tumultus & seditionis casibus. Ejus meminit Cicero, *Phil.* 8. & *pro Fontej.* B. Latom. *in Phil.* 5. *&c.* Similiter Grammaticis, Rhetoribus & Philosophis suæ *vacationes* erant. Namque, ut Imperatores alios taceam, Antoninus Pius, per omnes provincias honores eis & salaria detulit, finivitque numerum, quot quibus in Civitatibus exhiberi publicè deberent. Inter honores autem præcipuæ erant immunitates & munerum Vacationes: *Immunes esse Gymnasiis, Sacerdotiis, Stathmis, & neque ad frumenti & vini & olei emptiones & præpositiones, & neque judicare, neque Legatos esse, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum cogi*, quæ verba sunt *L.* 6. §. 8. *ff. de excusat.* Medicis quoque, ob Augustum sanitati restitutum ab Antonio Musa, ut videre est apud Zonaram, *l.* 2. Ipsi milites *Vacationem* impetrabant; cùm aut legitima confecissent stipendia aut majores essent ann. 50. apud Romanos, 40. apud Athenienses, aut morbô imbecillâque valetudine impediti in castris esse non possent, cujus rei complura apud Liv. extant exempla. Et quidem Equitibus Romanis, ubi legitimum tempus stipendiorum expleverant, mos erat, ut equum in Forum ad Censores adducerent, enumeratisque singulis Ducibus & Imperatoribus sub quibus meruissent, ac redditâ militiæ ratione, *vacationem* peterent. Ubi & honos habebatur & ignominia, pro cujusque vita acta. Sedebantque pro tribunali magnâ gravitate Censores, ac transvehebant Equites, uti illustri exemplô Pompeji docet Plut. *in eo.* Sed & præter has, fuerunt aliæ quoque *Vacationes* extra ordinem, gratiæ causâ, vel à Senatu, vel ab Imperatoribus datæ. Sic, *ut P. Æbutio emerita stipendia essent, ne invitus militaret, neve Censor ei equum publicum assignaret*, Senatusconsultum factum esse, memorat prædictus Auctor, *l.* 39. *c.* 19. Idemque *Prænestinis militibus à Senatu duplex stipendium & quinquennii vacationem decretam esse*, tradit, *l.* 23. *c.* 20. De Imperatoribus, *vide Epitomen* Liv. *l.* 55. Simile quid erat cùm Imperatores in castris militibus petentibus concesserant commeatum vel domus revisendæ, vel negotii privati gerendi alteriusque rei causâ, cujus hæc formula fuit: *Si quis vestrûm suos invisere vult, commeatum do, primô vere adsitis, edico.* Liv. Cognosci autem *vacationes* à Censoribus consuevisse docet Idem, *l.* 43. & hi tum *causas noscere* dicebantur in delectu, scilicet illorum, qui se à militia immunes esse dicerent. Tum enim accipiebant excusationes, non accipiebant nomina illorum, qui justam *Vacationis* causam proferrent: qui non justam, eos nomina dare cogebant. At in re atroci & subita, pronuntiabant se non vacare noscendis causis immunitatum, sed facturos id bellô perfectô, cum gravibus in eos minis, qui justam non habuisse judicarentur. Idem, *l.* 3. *c.* 69. *Consensu omnium delectus decernitur, haberturque. Cùm Coss. pronuntiâssent, tempus non esse causas cognoscendi, omnes juniores posterô die primâ luce in campo Martio adessent: Cognoscendis causis eorum, qui nomina non dedissent, perfectô bellô se daturos tempus: pro desertore futurum, cujus non probâssent causam: Omnis juventus adfuit posterô die.* Sic *l.* 4. *c.* 26. *Cognitio* vacantium *militiæ munere post bellum differtur.* Quod *l.* 7 *c.* 28. dicit *delectum sine vacationibus habere.* Eôdem modô eorum, qui militantes missionem honestam aut causariam petebant, causas nosci fuisse solitas, discimus ex eodem, *l.* 34. & è Cælio, *l.* 8. *Fam. Cicer. Ep.* 8. Vide Jo. Fridericum Gronovium, *de Pecun. Vet. l.* 4. *c.* 3. uti de more *vacationes militum vendendi*, posterioribus seculis inolito, suprà ubi de *Beneficiariis* ac *Stellatura*: Et plura de his, ut & *Vacationibus* Gladiatorum, suprà passim, inprimis in voce *Missio.* Obtinebat idem in sacra militia, ut de Levitarum ministerio in Sacris annotatum. Ubi enim illi mensem à nativitate impleverant, offerebantur ac consecrabantur Deo, Numer. *c.* 3. *v.* 15. & 40. Ubi ad 25. annum pervenêre, per manuum impositionem initiabantur, Numer. *c.* 8. *v.* 24. jamque in templo adesse ac ministeriô suô defungi ipsis fas erat. Impletô 30. annô post ministerium Ministerii ad ministerium oneris seu transportationem Tabernaculi, admittebantur, Numer. *c.* 4. *v.* 47. 49. Quinquagesimô demum annô rude donabantur & *Vacationem* habebant: quod de gravioribus Tabernaculi ministeriis, non verò de observatione custodiæ & reliquo ejus cultu accipiendum, ut de instructione Juniorum. *Ex quo verò natus fuerit Levita quinquaginta annos, revertetur à militia hujus ministerii, ut non ministret amplius, attamen serviet fratribus suis obeuntibus militiam*, Numer. *c.* 8. *v.* 25. 26. Atque hæc erat illorum sacra militia, Numer. *c.* 4. *v.* 3. & modò cit. *c.* 8. *v.* 25. ad quam per gradus veluti provehebantur, donec tandem absolutis stipendiis ac militiâ veteres quiescere juberentur, Franc. Burmannus, *Synops. Theol. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 9. Cui simile quid in Romana Historia, de Vestalibus legimus: quæ per annos 30. sacris inservientes, primô decenniô horum discebant, sequenti exercebant, postremô docebant alias, sicque legitimô ministerii tempore exactô *Vacationem* impetrabant, Joh. Rosinus, *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 19. &c. De *Vacationibus* festivis & Academicis, vide suprà *Feriæ, Supplicatio*, & alibi. At *Vacatura*, in Communione Romana Beneficium dicebatur olim Ecclesiasticum nondum vacans, sed *vacaturum*, ad quod Pontifex, vel Episcopi ipsi, Clericum aliquem promovebant: quam quidem *provisionis* speciem prohibitam variis Conciliis ac præsertim Tridentinô, docet Car. du Fresne, *in Gloss.* hocque Jac. Stephanesci, *de Vita Cœlestini V. l.* 3. *c.* 11. de ejus ineptis promotionibus, subjungit.

O quàm multiplices indocta potentia formas
Edidit, indulgens, donans faciensque recessus,
Atque vacaturas *concedens atque* vacantes,
Assumens precibus nonnullum ad culmina sedum
Pontificum, variosque gradus absente Senatu &c.

VACATUM, munimentum circa Persidem. *Antonin.*

VACCA, Diodoro memoratur inter animalia, quæ Ægyptii ob utilitatem, quam ex iis caperent, venerarentur, namque τὴν μὲν θήλειαν βοῦν ἐργάτας τίκτειν, καὶ τὴν ἐλαφρὰν τῆς γῆς ἀροῦν, *&* *ipsam vomere terram proscindere aliosque qui hoc præstent parere*, *l.* 2. Eadem unà cum Urania Venere, Chusis Ægypti vicô, in Nomo Hermopolitano, olim (uti hodie in India) culta, quod credebant, ἀρμόττειν τῇ δὲ τῇ δαίμονι, *hanc Deæ convenire*, ut ait Ælian. *l.* 10. *Hist. c.* 27. hoc animal, quod, equâ exceptâ, præ cæteris omnibus, libidine accenditur ità, ut à triginta stadiis auditô tauri ἐρωτικῷ συνθήματι, *amatorio signô*, illum ubique sectetur, atque etiam conscendat, & ita fiat ἀκάθεκτος, ut capi vel contineri à bubulco planè nequeat, verùm, quoniam ad speciei propagationem Deus hunc affectum animalibus indidit, tam vesanus ardor, (quem ταυρᾶν & ταυριᾶν vocant Græci) detævit ac sedatur ita à conceptione statim, ut gravidam vaccam προσδέχεσθαι τὴν ὀχείαν, *admittere coitum*, inter ostenta & tempestatum præsagia, ponat Philosophus *Hist. Animal. l.* 6. *c.* 21. Dicitur autem bos gravida *Forda* Latinis, Hebr. פרה, à *ferendo.* Ovid. *l.* 4. *Fast. v.* 631.

Forda ferens bos est, fœcundaque dicta ferendo.

Vide suprà suô locô. At quæ partu levatæ vitulos lactant, iisdem Hebræis עלות appellantur, 1. Sam. *c.* 6. *v.* 7. *Capite* (inquiunt Philistæorum sacrificuli) *duas vaccas* aloth *&* *filios earum* (vitulos) *domum reducite, ne eas sequantur.* Ubi agitur de *vaccis*, quæ sine ullo ductore, vi θεηλάτῳ, Arcam Fœderis à Philistæis ad Betsemitas reduxerunt. Nempe, *Jusserunt illi sumi vaccas* aloth, *ut miraculum esset illustrius, eò quod non redirent propter vitulos suos*, ut observat Kimchius, *ad l.* Usum quòd attinet sacrum, fœminas boves Ægyptii non immolabant, Herodot. *l.* 2. *c.* 41. At Hebræi admittebant eas in sacrificiis pacificis, Levitici *c.* 3. *v.* 1. ut in omnibus Græci & Romani: Athenienses inprimis, quos Veneti *vaccam* immolâsse, diximus suprà in *Cupido.* Imò quædam sacrificia memorat Moses, Numeror. *c.* 19. *v.* 2. & Deuteronom. *c.* 21. *v.* 3. in quibus non nisi *vacca* offerebatur, sed quæ nondum arâsset, neque jugum tulisset, quomodo Palladi Diomedes *Il.* κ. & Nestor *Odyss.* γ. vaccam offerunt ἦνιν, εὐρυμέτωπον, ἀδμήτην, *anniculam, latæ frontis, indomitam.* Aristæus item *intactâ cervice juvencas*, apud Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 540. & Junoni Chorus *nullo collum signatam jugo*, apud Senecam, *Agamemnone, Actu* 2. *v.* 353. qua de re plura apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 33. nec non hîc suprà, ubi de *Junice* seu *Rufa juvenca*, & infrà, in voce *Vitula.* De communi animalis usu, dicta quædam suprà, ubi de *Bobus*: uti de *Vacca Myronis*, aliquid voce *Statuaria.* Cæterùm non antiquissimô solùm, sed & mediô ævô, *vaccæ*, in variis regionibus, præcipuæ hominum facultates fuêre, unde & multas Judiciorum *in vaccis* exolutas, habemus in L. Malcomi II. Scotiæ Regis, *c.* 8. in *Statutis* Wilhelmi, Alexandri II. aliorumque ejusdem Regni Principum, & earum in commerciis, vice pecuniæ, usum alibi. Scribit certè Jac. Waræus, *in Antiqq. Hiberniæ*, *c.* 12. sub Richardo II. equum generosissimum 400. *vaccis* emptum esse, apud Car. du Fresne, *Glossar.* Et primam novæ Nuptæ noctem, ab Eveno Rege Scotiæ locorum dominis permissam, Malcolmum III. certô *vaccarum* numerô, pro Sponsarum dignitate, redimi jussisse, legimus apud Skenæum, *ad Reg. Maj. l.* 4. *c.* 31. quam in rem quædam suprà attulimus, in voce *Marcheta*, item ubi de *Prima Nocte*; vide quoque voce *Kelchyn*: uti de animalis hujus in insignibus usu, Helvetiæ, Lusatiæ &c. pluribus agit Phil. Jac. Spenerus, *Arte Heraldica Tom. II.* Hinc *Vaccarius*, qui in prædiis rusticis *vaccarum* curam gerit, in Fleta, *l.* 2. *c.* 2. ubi officium ejus pluribus describitur. Quô nomine & sectarios quosdam ac factiosos, sese appellâsse, sub A.C. 1310. docet præfatus *Glossar.* Auctor, ex *Chron. MS.* Monspeliensi.

VACCA Natans, nomen piscis seu amphibii in China, quæ in terram ex aquis exiens, cum vaccis domesticis sæpe pugnat cornu rem agens, at si diutiùs extra aquas perstiterit, mollescit illud ac flaccescit: quô pactô in aquas redire coactum, piscis evadit demò, pristinamque duritiem hoc recuperat. Ibid. in Quantonia provinc. ad *Luicheu*, animal est, *Vacca velox* incolis, quod, in fronte oblongo ac tereti armatum cornu, tantæ velocitatis est, ut unô die 300. stadia facilè superet. Sed & in *Cincheu* animal est, *vacca* non absimile, cujus cornua candidissima ipsum excedunt ebor: cætera salis tantopere avens, ut, cùm venatores illi eo refertos saccos objiciunt, sui mox immemor, ligari se permittat potiùs, quàm salem saccis contentum lambere desinat, & sic capiatur neceturque. Ut & hoc addam, eodem in imperio, sub *Concheu* & *Tencheu* urbibus, lapis è *vaccarum* stomacho educitur, vocatus *Nienhoang*, i. e. *vaccarum luteum*, quia nimirum lutei plerunque coloris est, magnitudine variâ. Subinde is ovum anserinum æquat, minusque solidus lapide *Bezoar* multoque levior, præ illo, à Sinensibus Medicis commendatur expetiturque: Frigidissimæ qualitatis illum ajunt esse Sinenses, & ad catharros deprimendos apprimè conducere &c. An

Arabum *Horeczy*? Vide Auctorem Anonymum, *Sina & Europa*, c. 40. & 41.

VACCA, quæ VACUA *Strab. Vacus Ptol. Baccia Orosio*, vulgò *Vouga*, fluv. (cum oppido seu pago) Hispan. Lusitan. inter Durium ad Boream & Mundam ad Austrum, in Oceanum occiduum ferè medius decurrens. Item urbs Africæ, unde populi *Vaccenses* apud Sallust. *de bello Jugurtino*, c. 66.

VACCÆI, populi Hispan. Tarraconens. per quos Durius fluv. labitur. Horum regio *Regno di Leon* dicitur: urbes Pallantia, Pintia, Octodurum, Sarabris, Sentica, Elana &c. Silius:

> ——— *Lateque vagantes*
> *Vaccæi.* ——— ———

VACCHIA, urbs Hungar. ad Danubium Episcopalis sub Archiepiscopo Strigoniensi; *Vaizen* Hung. *Weitzen* German. 15. mill. pass. supra Budam in Boream, 30. infra Strigonium in Eurum, sub Turcis.

VACCINIUM, apud Plin. *l.* 16. *c.* 18. *Vaccinia Italiæ mancipiis sata; Galliæ vero etiam purpuræ tingendæ, ad servitiorum vestes*; & Vitruvium, *l.* 7. *c.* 14. *Eadem ratione vaccinium temperantes, & lac miscentes, purpuram faciunt elegantem*: hyacinthus flos est, de quo multa Salmas. *ad Solin.* & Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 5. *c.* 10. Hujus radice mangones utebantur, ad pubertatem venalium coërcendam quos iis quam diutissimè impubes conservari lucrosum erat, ut infra videbimus: unde est quod *mancipiis vaccinia sata*, Plinius ait. Alii purpuræ elegantis colorem inde efficiebant, quare id de Gallia addit, ut & Vitruvius. quod vidimus: narratque Salmasius se pictum ex floribus gladioli (quem cum *vaccinio* ac hyacintho Poetarum eundem facit) contusis, chartas pinxisse purpura egregiâ. Sed & Chymicos flore illo consuevisse uti, ad tingendas vitreas gemmas, hyacinthosque faciendas, discimus ex Zosimo. Vide Auctorem præfatum, ubi suprà passim, inprimis, p. 1245. & hic, ubi de *Gladiolo* ac *Hyacintho.*

M. VACCUS, Dux Fundanorum in Privernati bello, qui quum à L. Papyrio captus esset, ædes ejus dirutæ sunt, & bona publicata ob regnum ab eo affectatum, Liv. *l.* 8. *c.* 19. Cicer. *pro domo sua*, c. 38.

VACHALIS, vide *Vahalis.*

VACIUS, Græcè [illegible], vide infrà *Vatius.*

VACOMAGI, Albionis insulæ *Ptol.* quorum oppid. *Sterling*, præclarum ubi Reges coronari solebant, teste *Hectore Boethio*: a Glasguô 20. & Dumblanâ 10. mill. pass. distans. Alii sunt Horestis & Taizalis finitimi, & in plures regiones seu tractus dividuntur, qui Brena, Gareochia & Neslandia. Horum oppid Culenum & Bamfum. Ibi mons auri ferax. *Caunani* verò sunt, ubi Moravia, vulgò *Murray*. *Bauaranii* fuere populi Scotiæ Septentrionalis seu Transtaanæ, juxta *Vagar* æstuarium, ubi hodie Moravia & pars Orientalis Rossiæ, in ora maris Germanici Taizalis finitimi ad Ortum. Eorum primarium Banatia erat. Longe à Strivelinga provinc. in Boream.

VACONTIUM, oppidum Pannoniæ inferioris. *Ptol.*

VACORIUM, urbs Norici non obscura. *Ptol. Villach Jovio & Sabellico*: ad Dravum fluv. in Carinthia, inter Salisburgum ad Occasum 24. & Labacum in Ortum 12. leuc. in via, quæ Flavianum seu Viennam ducit. Sed Lazio est *Strasburg* oppid. Gurco urbi finitimum, milliariô Germanicô in Boream Altenhoffum versùs distans: vel ipsum *Altenhoffen*, à Viruno 1. milliar. in Austrum, Vinopolim versus recedens. Cluverio est *Vagraw*, vicus Salisburgensis ditionis prope Juvavum fluv. 16. mill. pass. à Cucullis versùs Meridiem, uti 30. à Salisburgo, vix 10. à confinio Carinthiæ.

VACOSUS, Dux Artaxerxis, templum Hierosolymitanum violavit, ulciscens mortem Jesu, quem Joannes frater interemerat. Joseph. *l.* 11. *Jud. Ant. c.* 7.

VACUA, vide *Vacca.*

VACUEFACTIO, quod pœnæ genus? Vide suprà *Hostis.*

VACUI Fasces, apud Calpurnium, *Ecl.* 1.

> *Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris,*
> *Nec vacuos tacitus fasces, & inane tribunal*
> *Consulis accipiet* ———

cassi sunt, ac nullius potestatis, cujusmodi sunt Consulis Codicillaris, qua de honorum umbra, apud citerioris ævi Romanos, diximus aliquid paulo antè, in voce *Vacans*, & plura alibi. In tessera Veteres latus illud, in quo unitas tantùm notata erat, vel unicum punctum, *vacuum* dixerunt, sicut illud, quod 6. habebat puncta, *plenum*. Hinc in parœmiis, Zenobii, ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι, Salmasio τρεῖς κύβοι, sunt *tria latera* trium tesserarum *vacua*, quæ tota tria latera tria tantùm puncta exhibent; at τρὶς ἓξ κύβοι, sunt tria latera plena in tribus tesseris, quæ ter sex uniones ostendunt, ex his *Hesychii*, [illegible] Ubi [illegible] hic vocat τὴν μονάδα, *unionem*, quem & κενὸν βόλον, *vacuum jactum*, appellabant, eique contrarium ait esse τὰ ἕξ, quem πλήρη, *plenum*, dicebant. Vide Salmas. *ad Proculum Vopisci*, c. 13. & suprà *Plenum*. De tribus doliis seu lebetibus *vacuis* Dionysio olim in Elide collocari, in æde diligenter occlusâ obsignataque, solitis, qui posterâ die vini pleni reperti, diximus retro, ex Aristotele *de Mirabilib.* &c.

VACUNA, rusticorum Dea, quæ præesse *vacantibus* & otiosis putabatur: cui, cùm agricolæ laboribus ruris vacarent, ut post perceptos fructus requiescerent, per hyemem vota solvebant, & sacrificabant. Ovid. *l.* 6. *Fast. v.* 307.

> *Nunc quoque, cùm fiunt antiqua sacra Vacunæ,*
> *Ante Vacunales stantque sedentque focos.*

Horat. *l.* 1. *Ep.* 10. *v.* 49.

> *Hæc tibi dictabam post fanum putre Vacunæ.*

VACUNÆ Nemora, habet Plin. *l.* 3. *c.* 12. in agro Reatino juxta montem Fiscellum in Italia. *Vacunæ Fanum*, habet Horat. *loc. cit.* Pro oppido, interpretantur *Blondus & Leander*; quod hodie nomen retinere scribit *Celsus Cittadinus*. *Baudrando* vulgò *Vacone*, pagus Sabinorum, Curibus proximus, inde 4. mill. pass. à Tibure supra 20. in Occasum & Boream à Reate 12. in Occasum, *Ferrar.*

VADA, vulgò *Wagening* Divæo, oppid. Batavorum in Ducatu Geldriæ, inter Noviomagum 2. & Trajectum inferius, 6. leucis ad Rhenum, 3. à Batavoduro in Ortum.

VADA Sabatia, portus Liguriæ cum arce munita in valle, ad Sabatam, urbem extinctam, unde ei nomen, sub Genuensibus vulgò *Vai* seu *Vado*, 3. mill. pass. à Savona in Occasum, 3. Naulum versus, in ora Occident. Genuensi.

VADA Volaterrana, portus Hetruriæ, ad ostia Cecinæ fluv. ubi nil hodie, præter turrim, *Ferrar.* *Baudrando* est vicus parvus agri Pisani, cum portu in ora maris Tyrrheni 20. mill. pass. à Liburno in Eurum, totidem a Volaterris in Occasum, vulgo *Vada.*

VADANI Mons, vulgò *Vaudemont*, oppid. est Lotharingiæ, inter Mosellam & Mosam, inter silvas & montes: caput Comitatus à Ducis Lotharingiæ proximô hærede possideri soliti, in quo villam *Wassoncourt* Richerius ponit. Quidam *Wadanus Mons* habent. Chiffletius *Vaudani Montis* Comites appellare mavult. Vide Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

VADATA, Urbs Chamanæ regionis in Cappadocia, *Ptol.*

VADAVERO, Hispaniæ Tarraconens. mons, ut legit Turnebus apud Martialem, *l.* 1. *ad Licinianum* conjunctim nempe, ubi excusi codices *Vada Veronem* divisim legunt. Vidit Abrah. Ortelius librum MS. *de fluminibus & montibus Hispaniæ* Hieronymi Paulli Barcinonensis, in quo hæc scripta: *Quidam non temere, Celtiberis montem [illegible] existimant, ab aliis effractum atque in insulam positum, quem nunc Vadavicorum corrupte vocant.* Turnebi lectionem, *in suis Curis secundis*, ad *Martialem*, retinet accuratissimus P. Scriverius. Alius fluv. est Celtiberia, in Salonem influens.

VADDASI, gens Mediæ, *Ptol.*

VADECINIENSIS Episcopus, in Africa. *Victor. Uticensis.*

VADENI, populi Arabiæ Felicis. *Ptol.*

VADENSIS, Episcopus Numidiæ.

VADENSIS Pagus, hodie *le Valois*, in Silvacensibus Capitulis Caroli Calvi memoratus, erat, ut est hodie, proximus pagis Suessionico & Urcensi in Gallia. Hunc Hugo Magnus, frater Philippi Regis ducta Adelheidâ, filiâ Comitis Veromanduensis, dotis nomine, cum Comitatu Veromanduo accepit. Ejus caput nunc Cresspejum vel Crispiacum, *Crespy en Valois* vulgò, olim Vadum vulgò *Ve*, fuit: & hoc hodieque vicus est, inter Villare ad collum Retiæ & Cresspejum. Sic Vadum Magnum in pago Bajocassino Galli vocant *le Grand Ve*. Habet sylvas magnas & multas, præcipuè sylvam Retiam *Rets*, quæ est inter Firmitatem Milonis, & Villare ad collum Retiæ. Partim est in Sylvanectibus, ut Crispejum; partim in Suessionibus, ut Alcolium *Autmai*, Priorato seu Cellâ Cluniaco subjectâ nobile: haud ita pridem ex Comitatu Ducatus factus. Porta *Valesia* Joh. Saresberio dicta, quæ alias porta Venetus, vel Suessionica Durocortori Remorum ad Occasum Solis, occasionem nonnullis præbet suspicandi, *Vadensem* pagum, jam ante ann. 500. *Valesium* esse dictum, quòd ut in urbem Suessionas, sic in pagum Valesium Suessionis proximum duceret. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

VADEO-REGIA, *Ptol.* Vide *Badei regia*, vel *Badeo.*

VADES, vide infrà *Vas*, *adis.*

VADIANI, apud Augustin. *de Hæres. ad Quodvult-Deum*, *Hær.* 50. per metathesin literarum, pro *Audianis*, *Deum sibi fingebant cogitatione carnali, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, hincque *Anthropomorphitæ* etiam appellati sunt. Vide suprà ubi de *Audio*, hæreseos auctore, & *Audianis*. Librarii erratum quidam in hoc loco esse volunt, teste Forbesiô, *Instruction. Historico-Theol. l.* 1. *c.* 16. §. 3.

VADIANUS Joachimus, Sangallensis, Medicus, Poëta & Geographus celebris. Scriptis doctissimis de Rep. literaria, de Patria inprimis Reformationis negotio strenuè promoto optimè meritus. Imperatoribus Principibusque charissimus, obiit A. C. 1551. ætat. 66. postquàm Consulatum decies in patria gessisset. Vide & *Joachimus Vadianus*; addo hic saltem. Jos. Scaligerum, & Colomesium, *Notis in Scaliger.* eum inter doctissimos Germaniæ viros habere, ac proin non probari Eruditis, quòd *Commentarium illius in Melam*, *rus & silvam olere* Vossius ait. Opera ejus enumerat Teissier, *Elog. Part.* 1.

VADICASSES, Plin. *l.* 4. *c.* 18. Galliæ Lugdunensis populi fuêre, ubi hodie provinc. Nivernensis ad Ligerim. Caput eorum fuit Noviomagus Vadicassium, *Nevers*, *Baudrand.* *Valesio* olim *Catalauni* à gente, qui iidem cum Vadicassibus: hodie *Chaalons*. Fuitque Urbs posteà, divisâ Galliâ Lugdunensi in duas provincias, Belgicâ in toridem, provinc. Belgicæ secundæ cum gente attributa. A *Vadicassibus* nomen habet ad Matronam ager, *la Galevesse* Gallis nuncupatus: Pagusque *Vadicassinus* hodie ex parte quidem Meldorum est, Meldicæque diœceseos ac etiam Suessionum: sed ex majori parte Catalaunorum seu Vadicassium, Catalaunicæque parœciæ. Idem ex Petro Cluniacensi Abbate *Epist. ad Ganfredum Catalaunensem Episcop.* colligit, jam ante annos 500. Catalaunorum seu Vadicassium Episcopum, dominium aliquod & jurisdictionem, Comitivam putà atque Patratum, aut certè saltem aliquid, quod utrique originem dederit, habuisse, *Notit. Gall.* Vide quoque suprà in voce *Catalauni.*

VADIMON, Jani cognomen apud Etruscos.

VADIMONIS Lacus est parvus admodùm, in quo fluctuant insulæ, in provinc. Patrimonii, de quo Plin. multa commemorat, *l.* 8. *Ep.* 20. Meminit hujus lacus Polyb. *l.* 2. Ubi [illegible] appellat, corruptè forsan à genuino [illegible] In fragment. Sotionis, de miraculis fontium, fluvior. lacuum sic scriptum est: [illegible]

ται ἡ Ἀ’μμων⊗ καλυμβὴν λίμνη, ἡ μεγάλη ἐν Ἰταλίᾳ, ὅμοιας ἔχοντα νησία ποιῇ μελανηφόρα. Ubi etiam viri docti rectè correxerunt Αἰκ⊗ Οὐαδίμον⊗. Senec. *l.* 3. *Nat. Quæst. c.* 25. *Ipse ad Cutilias natantem insulam vidi; alia in Vadimonis lacu vehitur.* Plin. *l.* 2. *c.* 95. *Quædam insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, & Vadimonis lacu.* Apud Liv. *l.* 9. *c.* 39. leges apud hunc lacum à Romanis cæsos fuisse Etruscos, An. Urb. Cond. 645. Denique Florus, *l.* 1. *c.* 13. Tandem omnes reliquias Gallorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit. *Lago di Bassanello* Leandro dicitur, sed *Lago di Viterbo Fabr. Baudrand.* distat vix 3. milliar. à Tiberi 4. ab Horta in Meridiem, prope Basanellum castrum, estque in ditione Pontificis in provinc. Patrimonii.

VADIMONIUM, vide infrà *Vas, adis.*

VADINIACUM, locus Galliæ in Insul. Ittæ flumin. diœcesique Rotomagensi, Cellam seu Prioratum Benedictinum habet, & nunc *Gany l'isle* vocatur, quibusd. *Vadum Nicasii* dicitur. Valel. *Notit. Gall*

VADIUM, vox medii ævi, in duello seu monomachia, cujus frequentissimus tum usus, dicebatur res quæ vice *pignoris* ab eo, qui provocabat, in medium projiciebatur coram Judice; quô quidem factô verum scil. dicere, vel ab objecto crimine non modò se innocuum esse, sed id etiam duellô adversus quemlibet probaturum, profitebatur. Tum enim accusator, aut quivis alius, pignus humô tollebat, eôque ipsô duellum amplectebatur. Et quidem actor dabat *vadium disrationandi*, reus *defendendi*, uti ait Skenæus *ad Reg. Maj. l.* 3. *c.* 23. quorum is, qui vadium tollebat, *operire* illud dicebatur, Harduinus *de la faille*, *in Tract. MS. du Champ de bataille.* Erant autem vadia hujusmodi *chirothecæ* communiter, Skenæus *d. l.* Vide quoque suprà voce *Campio*, item ubi de *Duello.* Voci origo, à Latino *vas, adis;* idem enim quod vadimonium, pignus, fidejussio, *vadium* fuit: quam in rem vide plura, apud Carol. du Fresne, *Glossar.* ubi de vocis quoque & verbi *vadiare* inde deducti apud Practicos ejusdem ævi usu, varia addit. Inde verò *gage* Gallis, hodieque pignus notans &c.

VADNIA, urbs Cantabrorum, *Ptolem.*

VADOMARII, pagus Alemannorum, circa Rhætos, Ammian. *l.* 21. de quibus vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti *p.* 640.

VADSTENA, vulgò VADSTEIN, urbs Ostrogothiæ in ora lacus Veteri, prope Motulam fluv. 9. leuc. Suecic. à Norcopia in Occasum. Ibi aliàs superbum palatium Sueciæ Regum.

VADUM, vulgò VE', caput pagi Vadensis in Gallia, vide *Vadensis Pagus.*

VADUM, castellum est Galliæ, quòd *Vadum Mali Nidi*, vulgò *Gué de Mauny* dicitur. Hic Johannes, Philippi Valesii filius, natus est, A. C. 1319. Est & Magnum *Vadum* S. Clementis, *le Grand Vé*, ad ostium Viræ, quò sinu Bajocassini, à Constantinis dividuntur, & à quo in Eccles. Bajocassina Archidiaconatus *Vadensis* nomen accepit. Hadr. Valel. *Notit. Gall.*

VÆRIACA, urbs Phœniciæ, *Lib. Notit.*

VÆSAPA, urbs Armeniæ minoris, *Ptolem.*

VAGA, seu VAGENSE oppidum, Plin. *l.* 5. *c.* 4. urbs Africæ mediterranea excisa, ubi Hunnericus Rex Vandalorum Catholicorum persecutor miserè obiit. Ejus meminit Silius, *l.* 3. *v.* 259.

Tum Vaga, & antiquis dilectus Regibus Hippo.

Alia, *Vaga*, seu *æ*, urbs Mauritaniæ Cæsareensis mediterranea Juliæ Cæsareæ finitima, *Tegdemet Villanovano. Batha*, *Baudrand.* ad Minam fluv. in regno Algerii, in provinc. montium; hodieque satis ampla, 70. mill. pass. ab Orano seu Quica in Meridiem, 200 ab Algerio in Africum.

VAGA, fluv. Albionis in Wallia, in Sabrinam apud Chepstovium influens, *Gowy*, *Guy*, vel *Wy* hodie vocatur.

VAGABANTA, legionibus nobilis locus, circa Persidis confinia, *Ammian.*

VAGAL, urbs Mauritaniæ Cæsareensis *Antonin. Vagalitani* Episcopi meminit Victor Uticensis. An *Vaga*?

VAGEDRUSA, fons Siciliæ apud Syracusas, quæ & *Arethusa.* Ejus meminit Silius, *l.* 14. *v.* 230.

Qui fontes Vagedrusa tuos, & pauperis alvei
Hypaten. ———

VAGENI, qui VAGIENNI Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Bagienni* Varroni, *Baieni* Ptolem. *Bacienni* Paterculo, populi Liguriæ montanæ, ad ortum Padi, quorum oppid. vulgò *Vigon* dicitur. De Vagenis Silius, *l.* 8. *v.* 606.

Tum pernix Ligur, & sparsi per rura Vageni.

Baudrando fuêre, ubi hodie Marchionatus Salutiarum, *le Marquisat de Saluces*, ad radices Alpium. Horum caput erat Augusta Vagiennorum, fortè eadem cum Salinis, *Saluces* vulgò.

VAGENUM, oppid. German. *Wagenheym.*

VAGITUS, infantum melos, cui Vaticanum Deum præfecit Gentilitas. Augustin. *de Civ. Dei, l.* 4. *c.* 11. *Ipse in vagitu os aperiat, & vocetur Deus Vaticanus.* Et *c.* 8. *ejusd. l. Aut Vaticano, qui infantum vagitibus præsidet.* Qua de re apud Aul. Gellium, *l.* 16. *c.* 17. *Varro — sicut Ajus*, inquit, *Deus appellatus, araque ei statuta est, quæ est infima Nova via, quòd in eo loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus Deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia, quoniam pueri, simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est: idcircoque vagire dicitur, exprimente verbô sonum vocis recentis.* Hinc *vagio*, *vagulo* & *vagulor*, quod est queror cum convicio, ploro & clarè clamo. Aliud est *lallare*, ut Græcorum βρύλλειν, ejusdem ætatis vox: ut cujus organa ad elementa cœtera exprimenda minùs idonea est: item *cacare*, Græcè κακκᾶν & κακκάω, Christ. Becmannus, *Originibus L. L. p.* 700. Vide quoque suprà voce *Infans.*

VAGNA, in *Gloss.* vas vinarium ingentis magnitudinis, idem quod *Buttis* & *Cupa*, quas voces vide. Unde Græci Grammatici, vocem Latinam suô more dum exprimere conantur, *manganam* fecêre. Suidas, *γαυλὸς, οἰνηρὸν ἀγγεῖον, ἐκ ξύλων κατεσκευασμένον, ὃ οἱ Ἰταλοὶ μάγγανον ὀνομάζουσι.* Vide Salmas. *ad Capitolini Maximinos, c.* 22.

VAGNIACUM, seu Æ, vulgò *Maidston*, teste Camdenô, oppid. seu castrum Albionis in Anglia, inter Londinum 28. & Durovernum 23. mill. pass. in Occasum in Cantio. *Antonin.* ad Meduvagum fluv. *Baudrand.* Talboto est *Wrotham* pagus ejusdem tractus.

VAGORITUM, seu SESSUI, urbs fuit Normanniæ, nunc *Seis*, Suessionum caput. *Sagium* recentioribus. Episcopalis sub Archiepiscopo Rotomagensi ad fontes fluv. Olinæ; 10. leuc. à Lexovio in Meridiem, 5. ab Alenconio in Caciam.

VAGOSOLA, Scythiæ fluv. *Jornandi.*

VAGRIA, vulgò WAGERN, provinc. parva Holsatiæ, versùs oram maris Baltici inter Lubecam ad Meridiem ac Chilonium ad Boream. Ejus urbes sunt Lubeca, Oldesloa, Plona *Ploen*, Segeberga, & Oldenburgum. Partim sub Danis, partim sub Holsatiæ Ducib. & Episcopo Lubecensi.

VAGULATIO, vide suprà *Vagitus.*

VAGUM, promontor. Corsicæ, in ora Orientali hodie *Capo Brigalino* seu *Brigaglia*, prope stagnum cognomine 5. mill. pass. à Bastia Urbe in Meridiem Marianam versùs 10.

VAGUS, fluv. Hungariæ Transdanubianæ aliter *Vaga*, vulgò *le Vag.* Oritur ex monte Carpatho, in confinio Poloniæ dein per Hungariam superiorem fluens, ibi rigatis Transchinô, Calgotiô & Schintâ oppidis, in Danubium sese exonerat, 2. leuc. supra Comorram in Boream, estque limes ditionis Austriacæ & Turcicæ.

VAGUS; fluv. Scandiæ, *Jornandi. Waga Herbersteinio.*

VAH, Græcè οὐὰ vel οὐᾶ, quod ex Latino ortum; vocula insultantis, Marci *c.* 15. *v.* 29. *Οὐὰ ὁ καταλύων τὸν ναόν.* Item laudantis & admirantis, idemque valet, quod *θαυμαστῶς, σοφῶς, εὖ, ὑπέρευ*, & similes. Apud Comicos frequens,

Vah, qualem me putas esse ———

Et

Tum Syrum illum impulsorem, vah quibus illum lacerarem modis?

Ut & in acclamationibus Veterum. Sic apud Dionem *in Nerone πάντων δὲ τῶν αἰσθανομένων, καὶ αὐτῶν τῶν βουλευτῶν ἐκ μάλιστα συμβοώντων, Ὀλυμπιονῖκα οὐά. Πυθιονῖκα οὐά. Αὔγουστε, Αὔγουστε. Νέρωνι τῷ Ἡρακλεῖ κτλ.* Ubi Interpretes verterunt *Olympionica ova, Pythionica ova.* Cùm tamen οὐὰ seu οὐᾶ, nihil aliud sit quàm *vah* Latinum; quod & Græci usurpârunt, in illis acclamationibus, vel etiam Scriptores Græci, qui ipsissima verba illarum acclamationum referunt, cùm cœtera Græcè expressissent, vocem hanc ex Latino retinuerunt. Sed verius est, illos eam quoque usurpâsse, uti & ex Arriano discimus, *l.* 3. *c.* 23. Vide Salmas. *Notis ad Treb. Pollionem in vit. Claudii*, *c.* 18.

VAHALIS, Batavorum fluv. aut potiùs pars Rheni, ab eo post Embricam descissa, ac penes Noviomagum & Tielam fluens, Mosæ ad Vorcum oppid. Hollandiæ congreditur. Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 6. *Rhenus*, inquit, *unò alveò continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur: servatque nomen & violentiam cursus, quâ Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior & placidior affluens; versô cognomentô Vahalem accolæ dicunt: moxque id quoque vocabulum mutat Mosâ flumine, ejusque immensô ore eundem in Oceanum effunditur.* Nomen *Vahalis* quod attinet, variè id in Cæsaris exemplaribus variis scriptum reperitur. Quædam enim habent *Vachalus*, quædam *Vacalus*, alia etiam *Walis*. Cæterùm verum & germanum hujus fluv. nomen tam apud Cæsarem, quàm Tacitum *Vahalem* esse affirmat Cluverius; quemadmodum apud Servium quoque legitur *Vahal.* Germanis olim ut nunc etiam dicebatur *Wael*, sive *Waal*, geminato *A.* quia crassus ejus in hoc vocabulo sonus. Fortè à Walis, i.e. Gallis, quô nomine Helvetii etiamnum Gallos, Hispan. Italosque vocant, Rhenanus de eo *libro Itiner. Germ* 4.

Dordracum serò appulimus; dein manè Vahalis,
Sive Mosæ potiùs (tot enim jam cornua Rheni
Nominibus gaudent) transivimus; ———

Vide *Rhenus.*

VAJEZATHA, filius Aman, Esth. *c.* 9. *v.* 9. i.e. *aspergens thalamum*, vel ex Ebræo & Syro, *væ olivæ.*

VAIGATIA, vulgo WEIGATS, Insula Oceani Septentrionalis inter oram Moscoviæ Boreal. à qua dirimitur Fretô Vaigatiô ab ea dictô, in Austrum, & novam Zemlam ad Arctos. Hoc fretum inter Samojedam & Novam Zemlam situm, jam *Nassovicum*, Gall. *le destroit de Nassau* dicitur, ab Hollandis, qui inde ex Oceano Septentrionali seu Rutico, in mare Tartaricum contendere conati fuerunt, eôdem fine, quô freta Davis & Hudsonii lecta sunt, ut in Indiam Orientalem navigaturi, gravissimum Solis æstum evitarent. Emissæ hanc ob causam naves quatuor A. C. 1594. quæ conditionem locorum Septentrionalium explorarent, nauclerô Wilhelmô Barentiô: circa Autumnum reversæ sunt, ac transitum illac valde probabilem, putârunt, confirmantibus id cumprimis Joh. Hugone Linschotanô, qui navigationi interfuerat, & Petrô Planciô, celebri tum temporis Cosmographô. Proin de novo classis 7. navium A. C. 1595. e-

missa fuit, naucletô eôdem Barentiô, & summo Præfectô Jac. Heemskerkiô: Quâ irritô successu reversâ, cùm prodigiosa freti glacies ipsos nimium quantum impedivisset, conclusum quidem ab Ordinib. ne publicis sumptibus iter hoc de novo tentaretur, concessum tamen mercatoribus est, ut negotium hoc suis sumptibus ulterius liberè experiri possent, additumque, non defuturam ex publico impensarum restitutionem & remunerationem largissimam, si quis illud iter feliciter expedisset. Itaque Amstelodamenses A. C. 1596. suis sumptibus viam hanc de novo tentandam curârunt, emissis duabus navibus, præfectisque iisdem Heemskerkiô & Barentiô. Qui ne frustra redirent, summa cum patientia quidem in Nova Zembla hibernârunt, nihilominus tamen A. C. 1597. post tertiâ vice frustra tentatum Septentrionem, redire coacti sunt: glacie 50. & amplius cubitorum illos urgente, & Barentiô in mediis laboribus extinctô. A quo tempore transitus in desperatis haberi cœpit. Eum tamen porro tentandum suadet Isaacius Pontanus, suggeritque hæc consilia: 1. ut more Emanuelis, Portugalliæ Regis, qui, cùm Indiam cogitaret, primùm terrestri itinere, ipsam explorari curavit, mitterent, qui à Samojedis, Tingœsis ac Tartaris terræ marisque conditionem primò discerent. 2. Navem eò destinarent, quæ in commoda statione, inter populos istos, annis aliquot subsisteret. 3. A Japania illuc transitum periclitarentur. Addunt alii, fortè etiam post Novam Zemblam mare liberius fore, nec transitum, per hoc fretum necessario requirendum iri. Ratio autem tantæ hîc glaciei est, quòd immensam copiam ejus maximi fluvii Obrius & Jenisceа effundant, &c. Vide Hug. Grotium *Histor. Belg.* Gerhard. de Veer *descr. Navig. harum trium.* Pontani Consilium *Hist. Navig. Belg. sub finem.* Beeman. *Hist. Orbis terr. Geogr. & Civil. &c.* & in voce *Fretum Vagatium.*

VAILLANTIUS Germanus, vide *Germanus.*

VAIR, seu *du Vair* Guilhelmus, Episcopus Lexoviensis, Franciæ Procancellarius, Peirescio laborum socius, obiit A. C. 1621. ætat. 65. Scripsit meditationes in Psalmos, Philosophiam sacram, &c. Gramondus, *l. 9. Hist. Gall.* Sammart. *de Episc. Lexov.*

VAIVODA, nomen dignitatis, apud Dalmatas, Croatas, & Hungaros, de qua sic Jo. Leunclavius, *Pandectæ Turc. n. 71. Vaivodæ nomen generaliter significat Præfectum militum, quem Capitaneum vulgò vocant. Sed apud Hungaros, ut olim, sic etiam hodie, duæ sunt administrationum maximarum appellationes: una Banus, altera Vaivoda.* Vaivoda verò *Præses dicitur, locô Regis administrationem habens in aliqua provincia, puta Transylvania, Valachia* &c. Βοεβόδας Ducæ, *c. 19.* Βοεβόδος Constantino Porphyrog. *de Administr. Imp. c. 38.* Fortè & Βοϊλάδες Theophani, *ann. 24. & 33. Constant Copron.* ubi de Bulgaris. Vide Joh. Lucium, *de Regno Dalmat. l. 6. c. 1.* ubi exercitus ductorem olim hâc voce denotatum fuisse, inter alia ait, Jo. Seldenum, *de Titulis Honor. Part. 2. c. 2. n. 3.* & Car. du Fresne, *Glossar.*

Du VAL Petrus, vide *Petrus.*

VALA, Thraciæ urbs, *Ptol.* Mauritaniæ Tingitanæ quoque eidem.

VALACHIA, Gall. VALACHIE, regio Septentrionalis perquàm lata, à Transylvania incipiens, usque in Pontum Euxinum protensa, plana fermè tota, & aquarum indiga, *Nic. Lloyd.* Sed auri e quotumque optimorum ferax. Moretius eam fluviis plurimis irriguam esse scribit. *Baudrand.* pars est antiqui regni Hungariæ, ubi aliàs pars Daciæ. Terminatur à Meridie Istrô fluviô & partim Bulgariâ, ab Oriente Moldaviâ, quæ olim *Cisalpina Walachia* dicta est, à Septentrione Transylvaniâ, & ab Occasu Hungariâ. Ejus caput est Tergoviscum, *Tarvis*, & Principem habet proprium sub clientela Turcarum, à quibus ingenti tributô 100000. librarum Franc. oneratur. A Valachis, quos exules adduxerant, Balduinus Imperator Constantinopol. victus truncatisque manibus ac pedibus occisus, mox Thracia devastata est, A. C. 1206. Postea Casimirus M. Poloniæ Rex, dum Stephanum Vaivodam, à fratre Petro pulsum, restituere conatur, ab hoc in insidias pertractus & victus est, A. C. 1369. Ejus verò successor Ludovicus Ungariæ Rex, Transalpinam Valachiam subegit, A. C. 1370. Vladislaus quoque Jagello Valachiæ Palatinos in fidem recepit, A. C. 1411. & rursus Sigismundus Poloniæ Rex, Valachis victis, Senatuque gentis captô, Bogdanum Vaivodam sibi jurare coëgit, A. C. 1506. Dein verò Turcæ hic rerum potiti, ac sub Sigismundo III. Constantinum Vaivodam infeliciter adversus Tomsam a Turcis substitutum, restituere Poloni tentârunt, A. C. 1612. cumque post hæc Gratianus Vaivoda, A. C. 1620. ad Polonos defecisset, Osmannus Turcarum Imperator missô in Valachiam Skinderbassâ, cum CM. Turcarum, Polonicum exercitum fudit, Gratianô, qui paulo antè fugerat, in casa cujusdam Valachi ab hoste cæsô. Vide Lætum, *Compend. Hist. Univ.* Cluver. Sansonem, du Val, & Brietium *Geogr. &c.*

VALACHIA, antiquitus vocabatur Africæ propriæ quædam urbs circa Tunetum, quam hodie *Cammart* appellant, ut refert ex quodam scriptore Arabe *Marmolius.*

VALACHRIA, vulgò *Walcheren* incolis, *Ovalchre* Gallis, insula Belgii uniti, Zelandiæ Comitatus seu provinciæ præcipua, inter Occidentales ejus Insulas potentissima, inter ostia Scaldis fluvii. Ejus circuitus est 28. mill. pass. circiter, estque inter Scaldiam insulam ad Boream, Oceanum Germanicum ad Occasum, Flandriam ad Austrum, & Bevelandiam Australem insulam ad Ortum. Ejus præcipua urbs est Middelburgum, *Middelburg*: aliæ sunt Flissinga, *Flessingues*, Veria, *la Vere*, & Arnemuda, *Armuyde*, oppidum.

VALACHRIA Nova, *new Walcheren* Batavis, *nouvelle Ovalchre* Gallis, insula est Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, quæ aliter dicitur insula Tabaci, *Tabago*: estque probè culta ab Hollandis, quibus etiam subest. Vide *Insula Tabaci*, & *Nova Valachria.*

VALAFRIDUS Strabo, Benedictinus, discipulus Hincmari, Abbas Richenoviensis, in diœcesi Constantiensi, obiit A. C. 849. Ejus extant, 1. *de Officiis divinis, seu de exordiis & incrementis Rerum Ecclesiasticarum.* 2. *Vita S. Galli.* 3. *Vita S. Othmari.* 4. *Tractatus de eversione Hierusalem: ad Luc. c. 19.* 5. *Poëmata.* 6. *Glossa ordinaria in S. Scripturam.* Sigeb. *de Viris illustr. c. 71.* Voss. *l. 2. Hist. Lat. c. 33.* *Christoph. Brouver. Possevin. &c.*

VALANIA, aliàs *Balania*, maritima & Episcopali titulô illustris est urbs, sita ad Valaniam fluvium, atque à castro Margath milliariô unô, à Ptolemaide itinere dierum octo, ab Antiochia verò quatuordecim dierum itinere distat.

VALANIA, fluvius seu rivus, qui Cœlesyriam dividit à Phœnicia, atque olim Principatum Antiochenum à Comitatu Tripolitano dirimebat, ex montib. è Phœnicia & Libano non longinquis oritur.

VALAQUERIA, vulgò *Balaguer*, urbs munita Hispaniæ in Catalonia, ad Sicorim fluvium, 5. leucis distat ab Ilerda in Cæciam, Urgelam versùs 16. Ibi grandi clade affecti fuêre Hispani, A. C. 1645. à Gallis Duce Harcurtiô. Dicitur & *Ballegarium.*

VALAS, seu OBALAS, Persarum Rex, fratrem Perozam excepit, divitiis & subditorum amore inclytus, regnavit ann. 4. successore Cabade, seu Cavade, quem vide.

VALASCA, Bohemorum Regina, quæ factâ cum cæteris mulieribus conjuratione, de excutiendo virorum principatu, copiarum ductrix bellum movit, interfectisque viris, fœminas omnes asseruit in libertatem. *Volaterran.*

VALATHA, locus Syriæ, Zamari ad habitandum concessus ab Herode. Circa Daphnem Antiochiæ videtur.

VALCERNÆUS Petrus, vide *Petrus.*

VALCIODORUM, castellum Galliæ in monasterium conversum ab Gilberto Comite, A. C. 944. Locus est ad Mosam in Comitatu Namurcensi, vulgò *Vaussorre*, vel *Waulsors*, inter Caroli Montem ac Bovinnam, Vales. *Notit. Gall.*

VALCULERIÆ, vulgo VAUCOULEURS, oppid. Galliæ in Campania provinc. sed intra fines Barrensis Ducatus insertum, ad Mosam fluv. 3. leucis à Tullo in Africum, & 6. à Fano S. Michaëlis in Meridiem.

VALCUM, *Antonin. Veltz Simlero, Valcowar*, teste *Lazio*, oppid. Pannoniæ inferioris & Hungariæ, ad Danubium, inter Varonianum ad Boream, & Bononiam ad Euronotum 4. leucis, à Mursa 5. à Quinque Ecclesiis 10. in Ortum.

VALDANUS, Plin. *l. 3. c. 25. Valpo Lazio*, fluv. Pannoniæ inferioris Valpum oppid. Hungariæ alluens, ac in Danubium ad Valcum infra Dravum fluv. influens.

VALDECUM, vulgo WALDECK, oppid. Germaniæ in Hassia, Comitatus seu ditionis cognominis caput, inter Landgraviatum Hassio-Cassellanum ad Ortum & Ducatum Westphaliæ ad Occasum. Oppidum autem jacet prope Ederam fluvium, 5. *leuc.* à Cassela in Occasum, & 7. à Marpurgo in Boream.

VALDHUSTA, vulgo WALDSHUT, urbs parva Germaniæ, sed munita, in Suevia provincia, ad Rhenum fluvium, sub dominio Austriacorum, in Klegovia tractu: Una est ex quatuor urbibus Sylvestrib. 7. milliaribus Germanicis distat à Basilea in Ortum, Scaphusiam versus 5. & 2. à Lauffenburgo. Meliùs *Waldshutum*, quod vide.

VALDIVIA, vulgò VALDIVIA, urbs Americæ meridionalis, in regno Chiles, cum portu percapaci, versùs oram maris Pacifici. Pluries destructa fuit ab Araucanis populis, nunc autem restauratur. 200. mill. pass. distat à civitate Conceptionis in Meridiem, uti 75. ab Imperiali; subestque dominio Hispan. & in ejus viciniis est lacus Valdiviæ dictus.

VALDEMONTIUM, vulgò VAUDEMONT, oppidulum Lotharingiæ cum castro, Principatus titulô clarum, in colle, 5. leuc. distat à Tullo in Austrum, uti 6. à Nancejo, vix autem 2. à Marecurtio.

VALDERFINGA, vulgò VAUDREVANGE Gallis, *Walderfingen* Germanis, oppid. Lotharing. ad Saravum fluv. Distat 7. leuc. à Metis in Ortum, uti à Theodonis villa, Bipontium versùs paulò plus; Malè habitum fuit & devastatum ultimô bellô Lotharingicô.

VALDO, seu VALDUS Petrus, vir quidam pius, qui universum patrimonium pauperibus erogavit, dictitans inter Christianos omnia communia esse debere. Hic Sacram Scripturam multitudini exposuit & in linguam Gallicam vertit, aliaque quædam edidit Lugduni: dein, cùm tuto ibi porro vivere non posset, in Picardiam secessit, illamque ferè totam puriore doctrinâ replevit. Dein per Vandalicas civitates diu exul diversatus, postremò in Bohemia consedit. Secul. XII. Ab hoc pauperes quidam Lugdunenses *Valdenses* appellabantur. Sic appellati sunt Cœtus Orthodoxi, qui A. C. 1160. cùm diutiùs celari non possent, in apricum, sub auctoritate *Petri Valdi*, præfati civis Lugdunensis opulenti, & pii prorupêre: *Lugdunenses*, ab hac Urbe, ab Albigio in Aquitania, ubi Olivier docebat, *Albigenses*, ab exilio *Passageri*, præterea ab hostibus per calumniam *Arnoldistæ, Speronistæ, Josephini*, & *Chaignardi*: in Delphinatu, à Doctoribus suis, *Gazari, Cathari, Leonini, Pattareni, Lollardi, Turelupini, Gynici*: à Picardia quoque, in qua numerosi eorum cœtus, *Picardi, &c.* dicti. Hi Papam Antichristum, Ecclesiam Romanam matrem fornicationum pronuntiantes, puritatem Sacramentorum & dogmatum tuebantur: Vide Jac. Aug. Thuan. *in Hist.* ubi ait: *his alia affixa de conjugio, Resurrectione, Animæ statu post mortem, cibis, &c.* Quemadmodum & Sadoletus, Carpentoracti Episcopus Valdensium suô ævô Confessionem agnovit, & quæ ultra illa capita, librô comprehensa de ipsis sparguntur, ad invidiam convicta & meras nugas esse ingenuè declaravit. Horum itaque doctrinam, sedes, frequentiam, exilia, persecutiones horrendas, in Gallia, Sabaudia, Pedemontio, &c. vide apud Lætum, *Compend. Hist. Univ.* Joh. Legerum, *Hist. Vald.* Belgicè, Gallicèque Lugd. Batav. in fol. edita: Petr. Ægidium, *Hist. Eccl. Valdens.* Gall. scriptâ, in quart. &c. Item in voce *Waldenses.*

VAL-

VALDOVIUM, vulgò WALDOW, desertum Poloniæ, in Prussia regia & in limite Poloniæ.

VALE, in digressu solemne, apud Veteres, uti *ave* & *salve* in congressu. Hinc de Athenodoro historia nota, qui cùm impetratâ ab Augusto domum redeundi veniâ, discessurus esset, Cæsari dixit *vale*, volensque aliquod Philosophô dignum monumentum apud illum deponere. *Cæsar*, inquit, *cum succensitus, ne quid dixeris fecerisve, priusquam Græcarum literarum 24. nomina recensueris*, apud Erasmum, *Apophth. l. 4.* Non enim sine aliquo pignore plerunque *vale* illud dicebatur. Addebatur amplexus nonnunquam, uti de Catone Uticæ morituro, refert Plut. *in eo*; & osculum, uti de Labane, genero Jacobo & filiabus Genes. *c. 31. v. 55.* & Ephesiis, Paulo valedicentibus, Actor. *c. 20. v. 37.* legimus; Romanos manum osculari, cùm valedicerent, solitos, docet Zuingerus, *Theatrô Hum. vitæ, p. 253.* Carmen insuper apobaterion adhibebatur, cui propempticon respondebat, quô abeuntes vel votis, vel bonis ominibus, accipientes *Vale* prosequebantur. Pro iisdem, vota quoque solenniter suscepta, non minùs ac pro ægrotis, qua de re vide Jul. Cæsarem Scaligerum, *Poëtices l. 3. c. 103. 104.* & 107. De Christianorum vero λόγοις ἐξιτηρίοις, *Sermonibus valedictoriis*, ἀπολογιῶν item, ἐπιτάφιον (quæ & ἐξόδιον dicta) vide Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ἐξιτήριος; item Συντακτήριος, nec non infrà, ubi de *Viatico*. Neque verò in discessu solùm, sed & in morte, *Vale* dictum, uti jam de Catone vidimus. Sic Alcestis, pro marito moritura, valedixit singulis in ædibus, omissô nemine, apud Euripidem *in ea*,

—— κοὔτις ἦν οὕτω κακός,
Ὃν οὐ προσεῖπε καὶ προσερρήθη πάλιν.

Imò & mortuis illud ingeminatum, post tumuli peracta solemnia. Unde Virg. *l. 6. Æn. v. 231.*

—— *dixitque novissima verba.*

Vide suprà passim. Hincque *valere* pro *perire*, usurpatum. Martialis, *l. 6. Epigr. 78. v. 5.*

Ridens Phryx, oculo, valebis, inquit:

Id est, pereas, Gall. *adieu*. Et quia misellis se eos, qui moriebantur, in æternum amittere credebant, hinc *Vale longum*, sive *æternum* quoque illis dici cœptum, quibus amicitia renuntiabatur. Idem, *l. 5. Epigr. 68.*

Sæpe salutatus nunquam prior ipse salutas,
Sic erit æternum, Posthume, Vale &c.

Græcis ἔῤῥωσο idem, sed & χαῖρε i. e. *gaude*, quod non solùm in aditu & epistolarum initio, sed & abitu, ac literarum clausulas Veteres non raro usurpavêre. Privatorum scil. Literas vero ad Imperatores claudebant hac formulâ, Εὐτύχει διὰ παντὸς, ut ex *Relatione extr.* Demetrii Phalerei ad Ptolemæum Philadelphum conjicit Casaubonus, *ad Sueton. Tiber. c. 32.* Quò facit Virgilianum illud, *l. 11. Æn. v. 97.*

—— *Salve æternum mihi maxime Palla,*
Æternumque Vale ——

Plura hîc passim, inprimis voce *Benevalete*. Nec verò hominibus solùm, sed & Diis olim cultores sui, uti matutinô tempore eos salutabant, sic vespertinô, domum redeuntes, *valedicebant*, solennibus næniis, de quo more dictum aliquid, in verbo *Ave*.

VALENA, *Ptol. Valbach Lazio*, oppid. Pannoniæ superioris, in Hungaria, ad Danubium, nunc pagus, Strigonio urbi proximus. Situs tamen apud Ptolemæum repugnat.

Imperatores Romani & Viri Illustres.

VALENS Flavius, Imperator, pietatis & Christianæ religionis hostis, ab adversariis barbaris crematus est, Sozom. *l. 8. 15. & 25.* Historia ejus brevis hæc est: Filius Gratiani, prope Cibalen in Pannonia natus, à Valentiniano fratre in consortium imperii adscitus est, A. C. 364. Orientis illi curâ commissâ. Hic Procopii rebellione territus, de imperio deponendo cogitavit, sed annô sequente felicior, vicit hostem caputque ejus abscissum Valentiniano in Galliam misit. Interim Gallis, qui Procopium adjuverant, bellum moturus, baptismum accepit, sed ab Eudoxio Ariano, qui Imperatorem in hæresin suam jurare coëgit: accesserunt stimuli ab uxore similiter Ariana, unde, finitô vix cum Gothis bellô, edictum contra Orthodoxos, quorum olim defensor fuerat, vulgavit, persecutionis atrocis prodromum. Ipsemet Cæsareâ Basilium, Antiochiâ Meletium, Edessâ alios expulit: in Ægyptios inprimis sævus. Sed laudem meruit, quum plurimos Magorum, qui ejus successorem fore Theod. prædixerant, sustulit. Interim in omnes illos, quorum nomen ab his literis incepit, sævire incipiens, Theodotum quendam Ethnicum, dignum imperiô, & fortè illi imminentem, necavit, ne Theodosio quidem, patri Imperatoris cognominis parcens. Permisit interea Gothis, ut Thraciam incolerent, qui angustiis regionis hujus includi impatientes, vicinas undique regiones populati sunt, victô Lupicinô Romanorum Duce, & Valente frustra illis obnixô. Hic itaque Constantinopolin se recepit, Gothis ad suburbia usque grassantibus: coactus tamen populi conviciis, pace, quam Gothi obtulerant, rejectâ, cum illis ad Adrianopolim conflixit: Victus, vulnere in fuga acceptô, in proximum tugurium se deferri curavit, sed in illo ab hostibus, quis ibi lateret ignaris, igne subjectô concrematus est. A. C. 378. ætat. 50. Ammian. Marcellin. *Hist. l. 31.* *Ruffinus*, *Socrates*, *Theodoretus*, *Orosius*, &c. Constantini, Constantii & Valentiniani exemplô, qui omnes Augustum successoresque ejus imitati in hoc erant, Pontificem Maximum quoque se appellari Valens passus est: sed hujus successor Gratianus, edictô propositô, se talem appellari vetuit, atque ita ea Sacerdotii dignitas in Imperatoribus defecit, *Zosimus*.

VALENS Publius Valerius, Achajæ Proconsul, Imperator à Legionibus, Galieni tempore, proclamatus est. Lucium Calpurnium Pisonem contra se missum vicit, paulo pòst à propriis militibus occisus. Pollio *de 30. Tyr. c. 19.* Alius Imperator renunciatus, A. C. 307. à Licinio victus est. Zosim. *l. 2. Eutrop. &c.*

C. VALENS Hostilianus Messius Aug. memoratur Pollioni & Aurelio Victori, inter eos, qui Deciô imperante, è Ducibus raptum ibant Imperium, aliàs Græcis æquè Latinisque Scriptoribus indictus. Vide Casaubonum ad *Histor. Aug.* post Capitolin. *Maxim. & Balbin.* Hunc *Superiorem* vocat Trebellius Pollio, & *Valentis* cognomine *Thessalonici*, qui sub Gallieno, similiter in Illyrico, tyrannidem arripuit, *avunculum magnum*, an *avunculum* fuisse perhibitum, refert in *XXX. Tyrannis, c. 20.* quorum numero, ut rotundus fieret, hunc alieni temporis Tyrannum, adjecit, uti notat Casaubonus, *initiô libri de Gallienis*.

VALENS, Episcop. Mursæ, in Mœsia, discipulus Arii, amicus Ursacii: qui ambo divinitatis Filii Dei, & S. Athanasii hostes. Item Episcopus Mediolanensis Arianus; contra quem Patres Concilii Aquilejensis ad Valentinianum & Gratianum scripserunt. A. C. 381. Item Medicus, Messalinæ adulter. Item Mathematicus celebris, tempore Constantini M. *Zonar.* & *Cedren.* An idem cum *Vettio Valente*, Antiocheno, cujus quædam edidit Joach. Camerar. *l. 1. Florid.*

VALENS, vide *Fabius*.

VALENS, vide *Salvius*. Item *Manlius*, & *Statius*.

VALENS Vectius, vide *Vectius Valens*.

VALENTIA, Otriculanorum Dea.

VALENTIA, priscum Romæ nomen. Solinus, *c. 1. princ.* *Sunt qui videri velint Romæ vocabulum ab Evandro primum datum, cum oppidum ibi offendisset, quod extructum antea Valentiam dixerat juventus Latina: servataque significatione impositi prius nominis, Romam Græcè Valentiam nominatam.* Nempe Ῥώμη Græcè, propriè est *Valentia* Latinè: nam ῥώννυσθαι valere est. Glossæ, Ῥώμη, *Valentia*. Quâ voce indigitârunt *robur* corporis, quod & ipsum ex eadem origine venit. Ῥωμ enim & ῥώμη, ἀπὸ τοῦ ῥώω. Æolic. ῥώμα & ῥῶμα, unde *robur*. Sed & inde dicti Ῥῶμος, Ῥώμυλος, Ῥῶμος namque vir fortis quoque Latinis *Remus*, à Ῥώμη seu Ῥωμύλος, unde iisdem *Romulus*. Festus, *Romulus & Remus a virtute, h. e. robore, appellati*. Porro ὑγίειαν quoque Glossographi Græci vocem ῥώμη interpretantur, cùm tamen ὑγίεια non *valentia* propriè sed *valetudo* sit. Hinc ὑγιαινόντων τὸ γνώριμον Aristoteli & Stephano περὶ ἰδέων in voce αὐτὸ &c. Vide Salmas. *ad Solin. p. 6.* & infrà *Victor*. A quo autem *Romæ* nomen invaluit, antiquius illud *Valentiæ* in arcano haberi cœpit, quod prodere efferre grande nefas fuisse, diximus in voce *Roma*.

VALENTIA, Plin. *l. 3. c. 3. 4.* Meliùs & aliàs *Valençia* Hispanis, *Valenza* Italis, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in ora Contestanorum, ad Turiam fluvium, regni Valentini caput, ampla, nobilis, & elegans, à Barcinone 49. leucis in Meridiem, à Toleto 60. in Ortum, tot à Cæsar augusta, à Dianio 10. in Boream, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Toletano, postea sub Alexandro VI. Pontifice Roman. Archiepiscopalis & Metropolis A. C. 1492. effecta. A Romo Rege annô post diluvium 902. condita putatur. Hæc Annô salutis 1238. ab Hispanis obsessa, deditione, abeuntibus Mauris, recepta est. De ea Andreas Resendius:

Millibus à pelago sejuncta Valentia tangit.

Hîc Academia & totius regni Conventus juridicus, elegantiâ & populi frequentia (si Ulyssipponem excipias quoad incolarum numerum) nulli secunda, *Ferrar.* *Baudrando*, *Valence* Gallis, urbs aliàs Contestanorum, ad Turiam fluvium, qui paulò infrà in sinum Sucronensem, nunc Valentinum dictum, se exonerat, 49 leucis à Barcinone in Africum distat, totidem à Toleto in Ortum, & à Cæsaraugusta in Meridiem. Regnum hoc à Mauris constitutum est, quibus Metropolim eripuit celeberrimus ille Rodericus Dias, cognomine Cid, secul. 11. Sed hanc receperunt postea, illâ iterum exuti à Jacobo I. Arragoniæ Rege, A. C. 1238. qui Christianorum coloniam eo deduxit. Vide Marian. & Turquetum, *Hist. Hisp.* Caspar. Escolanum, *Histor. de la Ciud. y Reyn. de Valenc.* Petr. Antum. *Coron. de Valenc.* Franc. Diagum, *Annal. de Valenc.* Concilium in hac urbe celebratum, A. C. 524. &c. Vide Moter. *in Dict. Hist.* & infrà in voce *Valentiæ Regnum*.

VALENTIA Altera, *Ptolem. Valentia*, colonia & urbs Galliæ Narbonensis, ad Rhodanum fluvium, in Delphinatu Viennensi, 14. leuc. in Meridiem, Avenionem versùs 23. Valentino Episcopatui Diensis hodie copulatus est, *Ferrar.* *Baudrando* urbs est culta & ampla Galliæ, hodie divisa in urbem & burgum, cum arce & Academia celebri, in Delphinatu & in tractu Valentinensi ab ea dicto, *le Valentinois*, Ducatus titulô insignito. Caput Segalaunorum olim, qui Plinio, *l. 3. c. 4.* *Segovellauni*: quorum Principem L. Gellium memorat Plancus, *Epist. ad Cicer.* 6. Coloniis provinc. Narbonensis urbem adnumerat Plinius. Forsitan ea quæ COLONIA JULIA VALENTIA, in nummo Augusti dicitur: COLONIA VALENTIA, in nummo Tiberii. In *veterib. Notit.* inter provinciæ Viennensis civitates 14. sexta ponitur, Episcopalis sub Archiepiscopo Viennensi, 14. inde leuc. in Meridiem, Avenionem versùs 21. estque Episcopus ejus primus, inter sex Archiepiscopo suffraganeos. Episcoporum antiquissimus Æmilianus. Basilica olim S. Stephani, nunc S. Apollinari sacra est. Nomen urbs accepit à valentia, id est, viribus

gruntur: inde ad eandem, quâ scribimus, rationem, expeditè seliguntur, componuntur invicem, & quasi colliguntur, ut paginæ tota æqualibus inter se versibus compleantur. Has marginibus ferreis arctè, ne dilabi possint, concludunt typothetæ & diligenter emendant. Post atramento, quo hereat, paratò, duabus semipilis mollibus ad conveniemtem resversionem ntentes impressores, prælo subjiciunt ac fortiter comprimunt: sicque justo paginarum numerô impressô, iidem typi dissolvuntur, ac in suis cellulis reponuntur, ut reliquis instituti operis partibus effingendis, rursus atque iterum, pro verborum serie, commentari possint, ex Christoph. Milæo, *l. 2. de Univ. rerum Historia.* Sinenses verò, *Characteres tabulæ è pyro fere malone insculpunt, hic modò folium exscriptum leviter conglutinant, inde magna artificiò jam siccam papyrum ita eradunt, ut non nisi tenuissimâ facie transparentes characteres videantur: deinde ferreis, ita tabulam illam exsculpunt, ut sola characterum vel potius lineamenta emineant, tum facillimè & celerrimè, folia, quantum volunt, imprimunt, sic ut sæpe Typographus unus, die uno, quingenta supra mille expediat.* Spizelius, *de re liter. Sinensium Sect.* 3. ... Laurentius Valla de *nobilissimo hoc Germanorum invento*:

> *Abstulerat Latio multos Germania libros,*
> *Nunc multo plures reddidit ingenio:*
> *Et quod vix toto quisquam perscriberet annô,*
> *Munere Germano conficit una dies.*

TYPOGRAPHORUM Majus apud Gallos, vide *Majus.*

TYPOTIUS Jacobus, Diestemiô Brabantus, celebrioribus Europæ Academiis perlustratis, jus docuit in Italia, inde Herbipoli Franconiæ sedem fixit. At invitatus à Johanne III. Sueciæ Rege ut venit & gratiâ ejus mirè floret, ab invidis innocens accusatus, Regis nimium creduli jussu in carcerem conjectus est: calamitatem hanc variis scriptis solatus, dum intereà accusatores ejus cœlestem vindictam sensêre. A Sigismundo Rege postmodùm liberatus, ac maximis negotiis adhibitus, eô in Poloniæ Regem electô, Rudolphi II. Imperatoris Historiographus evasit. Val. Andreas, *Biblioth. Belg.* & A. Teissier, ubi scripta ejus enarrantur, *Elog. Part.* 2. Obiit A. C. 1604.

TYPUS, à Constante Heraclii nepote Imperator ex consilio Pauli Episcopi Constantinopolitani Monothelitæ promulgatus, & acerrimis tum de controversia Monothelitarum disputationibus vigentibus, utraque pars silere jussa est. Sed Theodorus Papa, convocatô conciliô *Typum* damnavit, Paulô excommunicatô, quod cùm & successor Martinus fecisset, Constantinopolim abreptus & inde in Pontum deportatus est. Maximus quoque Abbas crudeliter ob eandem causam est habitus. Circa A. C. 642. 649. 651. &c. *Latus*, *Calvisius*, *Platina.*

TYPUS, Græcè Τύπος, imago; unde *typarium* apud Recentiores sigillum, cui Principis τύπος insculptus. Vide Petrum de Vineis, *l.* 2. *Ep.* 41. Item Constitutio, Decretum Imperatoris, apud Anastasium *Leone* II. unde Σίλοι τύποι. Præsertim Edictum de Fide apud eundem *in Martino*, Cedrenum, *ann.* 2. *Zenonis*, Theophanem, *ann.* 17. *Constantini Pogonati*, Alios. Vide quoque suprà voce *Forma*, ut & in eadem voce suô locô. Sed & *Typi*, judicium fuit apud Smyrnenses, quô iis interdicebatur Forô, qui creditoribus paria non facerent. Hinc elegans, de Polemone Sophista historia, qui *typos perferre* maluit, quàm Vari, divitis admodum adolescentis, qui, sapientiæ ac eloquentiæ captant opinionem, pecuniæ fœnori erogatæ usuras auditione redimebat, declamationes insulsas ac id genus inepias, diutiùs pati, vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l.* 20. *c.* 20.

TYRA, vel TYRAS, Sarmatiæ Europææ fluv. inter Istrum & Borysthenem in mare Euxinum labens, *Ptolem.* Ejus meminit Ovid. *l.* 4. *Pont. El.* 10. *v.* 49.

> *Partheniusque rapax, & volvens saxa Cynapes,*
> *Labitur, & nullo tardior amne Tyras.*

TYRACINÆ, urbs Siciliæ, parva sed felix: Populi *Tyracinai*, *Steph.* Vide *Trinacia.*

TYRAMBE, seu TYRAMBIS, Sarmatiæ Asiaticæ urbs, *Ptolem.* Hodie *Trapano*, *Moletio.* Urbs fuit Mæotarum, *Baudrando* ad paludem Mæotidem, hodie *Temruk*, seu *Tomaruchi*; Circassiorum popul. 16. mill. pass. à Bosphoro Cimmerio in Ortum, 10. à lacu Corocondami in Boream. Ex *Sansone.*

TYRANELLUS, Gallus, Decianum, Antecessoris sui filium, primò adoptavit, posteà eum suspectans per insidias occidit. Zosim. *l.* 1.

TYRANGITÆ, populi Sarmatiæ Europææ, quibusdam *Tyritæ*, ubi hodie Podolia inferior versùs Tyram fluv.

TYRANIUM, meliùs TIRANUM, oppid. Volturenæ, secundæ præfecturæ caput. Hic Protestantes ab Hispanis, sub sacrorum tempus oppressi, & nullô sexus aut ætatis discrimine habitô omni crudelitatis genere interemti sunt. A. C. 1620.

TYRANNIO, Tyri Episcopus mari mersus est, sub Diocletiano.

TYRANNION Amisenus, discipulus Estiæi Amisæi, nobilis Grammaticus, tempore Pompeji M. Romæ docuit. Ductus est à Lucullo captivus in bello Mithridatico: priùs dicebatur Theophrastus; mutavit autem nomen, quòd inter æquales superbis versaretur moribus. Clarus & dives ob doctrinam factus adeò est, ut supra 3. millia librorum possideret. Decessit senex morbô podagræ. Alius è Phœnicia prioris nepos, à quo nomen sibi usurpavit, quum priùs *Diocles* vocaretur. Captivus & ipse Romam ductus, à quodam Dymante Cæsaris liberto emptus: deinde donô datus Terentiæ Ciceronis, ab eaque liber factus; ludum Romæ aperuit, scripsit libros 67. *Suidas.*

TYRANNOSBOAS, Indiæ intra Gangem Emporium. Arrianus in *Periplo.*

TYRANNUS, Sophista, scripsit *de divisione orationis libros* 10. *Suid.*

TYRANNUS, Græcè Τύραννος, nomen ignotum olim, præterquàm Æschylo, *Prometheô vinctô*,

> Ἐνεστι γάρ πως τοῦτο τῇ τυραννίδι
> Νόσημα, τοῖς φίλοισι μὴ πεποιθέναι.

& ante ipsum Archilocho, uti Scholiastes Æschyli ad *h. l.* docet. Significabat autem primùm vox *Regem* simpliciter. Servius, ad illud *l.* 4. *Æn. v.* 320. *Nihil intererat apud Majores, inter Tyrannum & Regem.* Inde quia in hoc apice ægrè se continet humana imbecillitas, quin ad superbiam ac sævitiam inclinet, *Regnum superbum*, ut videre est apud eundem, *l.* 10. & ... ut ait Moschopulus, seu unicâ voce Hesychii, ... ac ... Quales imperimis, qui *potestatem rapuerunt perpetuam in ea civitate, quæ libertate usa est*, uti habet Corn. Nepos, *Miltiade, c. ult.* Exosum maximè liberis civitatibus nomen. Unde in *tyrannidem* affectantes Lex Solonis, ... *Si quis tyrannidem affectaris, capitale esto.* Quia tamen non licebat cuilibet occidere talem, sed oportebat in judicio convictum, ab Undecimviris capitalibus, capite plecti, uti liquet ex antithesi Legum Solonis & Poplicolæ, apud Plutarchum. *Tyrannorum* verò alia ratio, ut quos impunè, imò cum spe præmii, occidere licebat. Cicero, *pro Milone, c.* 29. *Græci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ: Quas res divinas talibus institutas viris? Quos cantus? Quæ carmina! prope ad immortalitatis & religionem & memoriam consecrantur.* Ubi Aristogitonem & Harmodium intelligit, in quorum honorem Scholia illa scripta, quæ ... *in compotationibus decantabant*, ut docet Interpres Comici *in Acharnenses.* Hinc in Rhetorum scholis lex, ... *Tyrannicidæ præmium detur.* Honorique Harmodii & Aristogitonis consultum psephismate illô, *Nomina Harmodii & Aristogitonis ne unquam servis indere liceto*, apud A. Gellium, *l.* 9. *c.* 2. Vide suprà, voce *Scolia*, & de *Tyrannicidas coronandi*, eorumque *posteritatem honorandi* more, Car. Paschalium, *Coron. l.* 7. *c.* 5. & 20. Neque tantùm in *Tyrannos* ipsos insurgebant, sed etiam *in Græcis civitatibus liberi Tyrannorum, oppressis illis, eôdem suppliciô interficiebantur*, teste Brutô, *Ep. ad Cicer.* & sublatâ tyrannide acta rescindebantur; unde sæpiùs legas, ... Τυραννίδα, ipsis nominibus de Fastis deletis, qua de re vide Casaubon. ad *Sueton. Aug. c.* 100. & Sam. Petitum, *Comment. in LL. Attic. l.* 3. *tit.* 2. uti *de more statuas eorum lapidandi ac luto inquinandi*, suprà. Hinc *Tyranna* & *Tyrannis*, pro fœmina imperante vel dominante, cùm alias τυραννίς, *dominatio* ipsa sit, seu *imperium.* Treb. Pollio in *Vita* Victoriæ, *c.* 31. *Triginta Tyrannor. Nemo in Templo Pacis dicturus est, fœminas inter tyrannos, cum risu & joco, tyrannas videlicet & tyrannides posuisse*, ad quem locum vide Casauboni & Salmasii *Notas.* Nempe XXX. is Romanorum *Tyrannos* historiâ suâ complexus est, in quorum numero & Zenobiam & Victoriam posuit, maximi animi fœminas, sicut de totidem Atheniensium *Tyrannis*, quædam habes in *Thrasybulo* Nepotis, plura apud rerum Græcarum Scriptores.

TYRAS, Mysiæ inferioris urbs. *Ptol. Zethazava Nigro. Baudrando* Urbs Sarmatiæ regia Tartarorum Precop. ad ostia Tyræ fluv. Plurimis est *Moncastrota*, seu *Bialogrod*, quæ & *Akerman*, Bessarabiæ caput, vix 5. mill. pass. supra ostia fluv. & 70. milliar. Germanic. à Taphris in Occasum. Alii putant *Moncastro* crevisse, ex ruderibus Tyræ, in vicinis.

TYRAS, *Herodot.* & *Ptol. Tyra Straboni*, fluv. aliàs Germano-Sarmatiæ: *Baudrando* fortè Naparis, *Niester*, nunc Poloniæ. Oritur ex lacu parvo, in Russia nigra, 9. leuc. Polonic. à Premislia in Ortum, 4. a Leopoli in Meridiem. Hinc in Ortum tendens, rigataque Pocutiâ tractu, Podoliam utramque à Moldavia separat, & in Bessarabia tractu, in Pontum Euxinum se exonerat, infrà Bialogrodam, 60. mill. pass. ab ostio Istri in Boream. Dicitur & *Turba* quibusdam Vide Flac. *l.* 6 *v.* 85.

TYRCONENSIS Comitatus seu *Terra Cornelii & Dungalensis*, Gallis *le Comte de Tyrconel ou de Dungal*, pars est Hiberniæ in Ultoniæ regione. Vide *Dungalia.*

TYREDIZA, vel TYRODIZA, urbs Thraciæ. *Steph.*

TYRES, fluv. Scythiæ, post Istrum secundus. Herodot. *l.* 4. *c.* 11. ubi de Cimmeriis à Scytharum gente pulsis: *Scythis*, ait, *Cimmerios invadentibus, Regum Populique sententiæ diversæ fuerunt: Populus sine prælio demigrandum; Reges pro regione dimicandum censuerunt. Dissentientes inter se pugnarunt: qui ceciderunt, sepulti sunt ad Tyrem flumen, ubi eorum sepulchrum adhuc conspicitur. Sic Cimmeriorum populus è regione migravit* &c. Vide ubi de *Cimmeriis.*

TYRI Scalæ, nomen montis apud Josephum, *Belli Judaici l.* 2. *c.* 9. ubi Ptolemaidem Septentrionem versus scribit montem habere altissimum, stadiis centum distitum, ὃ καλοῦσι κλίμακα Τυρίων οἱ ἐπιχώριοι, *quem* Scalam Tyriorum *vocant incolæ.* Hinc Chaipham usque, extendere Purpurarium Judææ littus Talmudicos, diximus suprà.

TYRIAS, Siciliæ fluv. haud procul Leontiô.

TYRIDATES, opulentus vir, cujus bona Alexander Magnus Eurylocho, quòd acceptum à fratre conjurationis, contra Regem, inter Pueros nobiles, Duce Hermolaô initæ, indicium detulisset, donavit. Curt. *l.* 8. *c.* 6.

TYRIDATES, vide *Tiridates.*

TYRII, vel TYRUS *Phil. Tiriolo Barrio*, oppidul. magnæ Græciæ, in colle, apud Catacium urb. inde 6. mill. pass. Martoranum versùs, à Scyllacio 9. Aliàs *Tyrii*, cives urbis famosæ Tyri (de qua infrà) rei navalis gloriâ inclyti, ante alios omnes, etpote inter quos & Salman-asarum Assyriorum Regem, vetustissimum, quod legimus navale prœlium, prosperô iis eventu, commissum est, sub Elulæo Rege

Rege, qui jam antè deficientes Cyprios, classe eò profectus, reduxerat, uti ex *Fragm. Chronicorum* Menandri Ephesii, ex *Tyriorum Archivis* in Græcum sermonem translatorum, apud Josephum, *Jud. Antiqq. l. 9. c. ult.* discimus.

TYRIMNUS, nomen Dei Thyatiræ olim culti, cui fanum extra urbem, & ludi ac sacrificia publica dedicata, memorantur in vet. *Inscr.* hodieque superstite, cujus initium,

> Α.... ΣΤΡΑΤΟΥ ΑΓΩΝΟΘΕΤΗ
> ΣΑΝΤΑ ΤΟΥ ΠΡΟΠΟΛΕΩΣ
> ΤΥΡΙΜΝΟΥ ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ
> ΕΠΙΦΑΝΩΣ ΕΝ ΤΕ ΝΟΜΑΙΣ
> ΚΑΙ ΕΠΙΔΟΣΕΣΙΝ ΤΑΙΣ ΠΡΟΣ
> ΤΗΝ ΒΟΥΛΗΝ ΑΝΑΣΤΡΑΦΕΝ
> ΤΑ κτλ.

apud Jac. Sponium, qui & alterius meminit principatu Caracallæ Imperatoris factæ, in qua Titus quidam Antonius Alfenus Ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ scil. Τυρίμνου, *Sacerdos Dei* hujus appellatus. Vide eum *Itiner. Græcia, Parte 3. p. 112. & 117.*

TYRINTHIA, vide *Tirynthia.*

TYRIOTES, Eunuchus Darii, ultimi Persarum Regis, captivus, qui mortem uxoris in custodia defunctæ, Regi adnunciavit, inter trepidationem lugentium elapsus per portam, quæ, quia ab hoste aversa erat, leviùs custodiebatur. Curt. *l. 4. c. 10.*

TYRIS Memphitarum Rex II. post Toforthrum, præfuit ann. 7. Athote I. in Thebaide adhuc imperante, paulo ante Phalegum natum. Eum excepit Mesochris, quem vide.

TYRISSA, Plin. *l. 4. c. 10. Cerefes Mercat.* oppid. Emathiæ. Aliis *Disorigriza*, 15. mill. pass. à Gyrtona, in Austrum inter Castoriam 46. & Gonnum 35. Arraci finitima. Populi *Tyrissæi* Plinio, *ibid.*

TYRISTASIS, Plin. *l. 4. c. 11. Tiristasis Demosthenis*, urbs Chersonesi Thraciæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Heracleensi in ora ad Propontidem: Vide *Peristasis* seu *Peristacium*, quod à Lysimachia 18. mill. pass. abest in Boream & Cæciam, sed extra Chersonesum.

TYRITACITE, urbs Ponti, *Steph.*

TYRITÆ, populi circa ostia Tyræ fluv. & loca finitima incolentes, in Sarmatia Europæa. *Tyrangitæ Ptol. Tyrigetæ Strab. Tyragetæ* Plinio, *l. 3. c. 1.*

TYRIUS, cognomen Herculis, vide suprà.

TYRIUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

TYRIUS Marinus, vide *Marinus.*

TYRIUS Maximus, vide *Maximus.*

TYRIUS, Gall. Narbon. fluv. *Sext. Avienus.*

TYRMENII, populi Scythiæ, peritissimi navigandi: Significat autem hoc vocabulum *fugitivi. Steph.*

TYRMIDÆ, vicus in tribu Oeneide. *Steph.*

TYRO, virgo Thessaliæ, Salmonei & Alcidices filia, quam noverca Sidero (quam Alcidice Alei filiâ defunctâ in uxorem duxerat Salmoneus) malè admodum ac duriter excepit. Cæterum cùm Tyro Enipei fluv. amore flagraret, atque ad illius fluenta continenter accedens propter amnem conqueri minimè desineret, Neptunus interim sumptâ Enipei formâ cum ipsa concubuit. Hæc autem cùm geminos clanculum peperisset, illos exposuit. Jacentibus autem pueris, & equariis pastoribus prætereuntibus, equarum una, quum infantium alterum ungulâ casu quodam tetigisset, faciei partem lividulam reddidit. Tum equarius infantes ambos suscepit alendos, & cui lividula reddita erat faciei pars, *Peliam* nominavit, quasi *Lividum* dixeris, alterum verò *Neleum*, qui cùm ad justam integramque ætatem pervenissent, matre suâ & ejus novercâ agnitâ, quum matrem ab illa malè affectam comperissent, in illam impetum fecerunt, & quamvis in Junonis templum confugisset. Pelias tamen eam super aram ipsam jugulavit. Cretheus posteà Salmonei frater Tyronem neptem cepit uxorem, ex qua nati sunt illi filii Æson, Amythaon & Pheres. Apollod. *Bibl. 1.* Diodor. Sic. *l. 4.* Tzetzes *in Lycophr. & alii.* Propert. *l. 2. El. 28. v. 51.*

> *Vobiscum est Jope, vobiscum est candida Tyro.*

Idem, *l. 1. El. 13. v. 21.*

> *Non sic Æmonio Salmonida mistus Enipeo*
> *Tænarius facili pressit amore Deus.*

Idem, *l. 3. Eleg. 18. v. 13.*

> *Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,*
> *Quæ voluit liquido tota subire Deo.*

Ovid. *in Ep. Herois, 19. Heroid. v. 131.*

> *Si neque Amymone, nec laudatissima forma*
> *Criminis est, Tyro, fabula vana tui.*

Idem, *l. 3. Amor. El. 6. v. 43.*

> *Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,*
> *Cedere jussit aquam: jussa recedit aqua.*

Nic. Lloyd.

TYRO, aliis *Tiro*, Græcè νέος στρατιώτης, πρωτόστρατος, *novus miles*, an à τείρομαι, etiam de Adolescentibus, ad forensia studia se præparantibus, apud Plinium & Quintilianum reperitur *Instit. Orat. l. 12. c. 6.* Erat autem apud Romanos *Tyrocinii* annus 17. ætatis, quô prætextâ depositâ *virilem* sumebant Togam, teste Macrobiô, *l. 1. Saturn. c. 6.* Dicebatur eadem *libera*, quòd omnis honesta libertas, quæ aliorum esset civium, iis concederetur: unde & dies mutatæ vestis, quæ incidere solebat in d. 16. Kal. April. *Liberia* in Fastis appellatur. Allusit huc Ovidius, *l. 4. Tristium, El. 10. v. 27.*

> *Intereà tacitô passu labentibus annis*
> *Liberior fratri sumpta mihique Toga est.*

Quia verò coloris erat candidi, ob id & *pura* dicebatur. Cicero, *l. 9. Ep. ult. ad Attic. Volo Ciceroni meo Togam puram dare.* Cum illa recta dabatur Tunica, qua de re Plinius, *l. 8. c. 48. Ea* (Tanaquil) *prima texuit rectam Tunicam, quales cum Toga pura Tyrones induuntur & novæ Nuptæ.* Ritus solennis erat, ut in Toga hac sumenda denarium in ædem Juventutis deferrent; cujus originem Halicarnassæus tradit *l. 4. Scribit L. Piso Annalium primô, voluisse eum & urbanæ multitudinis scire numerum, tum nascentium, tum morientium, tum eorum qui εἰς ἄνδρας ἐγγράφονται, qui virilem Togam sumerent, statuisseque quanti pretii nummos pro singulis inferre deberent Cognati: in ærarium Ilithyiæ pro nascentibus, in Veneris ærarium in luco situm, quam Libitinam appellant, pro defunctis; in Juventutis, pro virilem Togam sumentibus. Unde poterat nosse annis singulis, quantus esset in universum numerus civium, tum quam multi ex his essent per ætatem militiæ idonei.* Est & alter ritus apud Festum Pompejum, & Suetonium, *Aug. c. 94.* ubi hic, *Sumenti*, inquit, *virilem Togam, tunica lati clavi resuta ex utraque parte ad pedes decidit.* Sed de Tunica jam visum. Porrò induebantur virili Togâ, Diis præsentibus, h. e. ante altaria, uti docet Sext. Propertius, *l. 4. El. 1. v. 131.*

> *Mox, ubi bulla rudi demissa est aurea collo,*
> *Matris & ante Deos libera sumta Toga est.*

Sic deducebantur à Patribus suis naturalibus vel adoptivis, eôdem die in Forum, & civibus, Senatoribus præsertim, commendabantur, comitante totô clientum numerô. Claudius tamen Princeps, Togæ virilis sumptæ die, non in Forum, ut mos erat, sed in Capitolium deductus est; quod proin, ut insolens, in eo notat Suetonius, *in Claudio, c. 2.* Congiarium Populo, militi donativum proponebant, ut de Nerone habet Suetonius, *c. 7.* & Tacitus, *l. 3. Annal. c. 29.* Inde ad Capitolium deducebantur, Val. Max. *l. 5. c. 4. tit. 4.* & Senatui commendabantur; cujus rei clara sunt argumenta, apud Livium, *Decad. 5. l. 5. ad fin. Filium postremò Nicomeden Senatui commendavit*, alibique: Et habetur elegans commendationis formula apud Sueton. *Aug. c. 56. Nunquam filios suos Populo commendavit, ut non adjiceret, si merebuntur.* Pulchrè de eodem ritu Claudianus *Consulat. VI. Honorii, v. 72.*

> ——— *Tecum prælarga vocavit*
> *Donandas ad dona tribus, fulgentia, tecum*
> *Celsus trabeatus adit delubra Senatus,*
> *Romano puerum gaudens offerre favori* &c.

Vide Thom. Dempster. *ad Rosin. l. 5. c. 32.* Ab eo tempore sub Custodibus erant. Isid. *l. 9. c. 3. Romanæ militiæ mos fuit, puberes primò exerceri armis; Nam decimô sextô annô* Tyrones *militabant, quò etiam solo sub Custodibus agebant.* Dicebantur autem Custodes, qui in saltatione Pyrrhica aliisque militiæ præludiis *Tyrones* exercebant; alias *Campidoctores*, Græcis Ὁπλοδιδάκται; Item *Magistri* & *Monitores* nuncupati, de quibus suprà *passim*, & plura apud præfatum Dempsterum, *l. eâdem, c. 25.* Tandem arma sumpturi in jusjurandum adigebantur, Isidor. *ubi suprà*, Tirones *dicti, qui antequam sacramento probati sint, milites non sunt*: & in exercitu Velites primò erant, donec præcedente ætate & belli usu, in Hastatos, Principes, Triarios adlegerentur, Joh. Rosin. *l. 10. c. 9.* &c. Infimus certè gradus *Tironum* erat militiam auspicantium & caligatorum, quibus omnia ferè incumbebant militiæ munia; ut quorum operâ in multis utebantur Tribuni & Centuriones planè in modum servorum, quemadmodum ipsi queruntur, apud Tacitum, *l. 1. Annal.* Iidem *Munifices* hinc dicebantur, quibus oppositi *Beneficiarii* vacationem hujusmodi munerum habentes. Exigebatur autem in *Tironum* delectu proceritas, ita ut senos, vel certè quinos pedes & denas uncias habere probarentur, teste Vegetiô, *l. 1. c. 5.* Nec multò aliter Imperatores Valentinianus & Valens, qui in *tit.* Codicis Theodos. *de Tiron.* delectum haberi jubent in quinque pedibus & septem unciis usualibus. Vide suprà quoque voce *Inconimma* &c. Apud Athenienses civium filii, postquàm intra annum ætatis septimum, κοινῷ γραμματείῳ apud τοὺς φράτορας inscripti essent, Epheborum albo illati sunt annô ætat. 18. quod utrumque factum Apaturiorum die, quæ Κουρεῶτις dicebatur, & epuli τοῖς φράτορσιν dati soliti interventû. Bienniô posteà inscribebantur Lexiarchico, à quo tempore erant sui juris, mittique ad negotia poterant. *Hesychius*, Ληξιαρχικὸν, γραμματεῖον εἰς ὃ τὰς νέους ἐνέγραφον. Hoc enim vocabant Græci Scriptores ἐγγραφῆναι εἰς ἄνδρας, quia tunc in viros transcribebantur. Quô factô, jusjurandum in æde Agrauli concipiebant, de quo suprà, in voce *Ephebus.* Erant verò Ephebi, antequàm in viros transcriberentur, per biennium, Custodes publicè constituti in Atticæ regionis φυλακτηρίοις: post annum verò 20. in aciem educebantur, aut peregrè extra terram Atticam mittebantur, uti prolixè docet Sam. Petitus, *Comment. in LL. Atticas l. 2. tit. 4.* Et quidem, ut quilibet *Tyro* ab anno 18. usque ad 20. posset περιπολεῖν, i. e. urbana & suburbana castella custodire, adeoque intra terræ Atticæ fines militiâ pro ætate defungi, accipiebat à Populo pro concione scutum & hastam, Aristot. *de Athen. Rep.* nominaque eorum inscribebantur albo, annotatô annô, per Archontis, qui Fastos signabat, adscriptum nomen; adscriptô quoque Eponymi illius nomine, quô primum Custodes erant publicè; Quod ideò fiebat, ut, cùm Atheniensium unumquemque militare oporteret, ab anno 18. usque ad 40. stipendiorum numerus ritè iniri posset. Postquàm dein Lexiarchico jam inscripti in aciem educerentur, collocabantur in partibus illis exercitus, in quibus minus periculi erat, neque cum veteranis pugnabant militibus, sed ἐν τοῖς μέρεσι τοῖς ἀκινδύνοις, unde pugna illa Τιρωνεία propriè fuit vocata, *Suid.* Vide iterum Petitum, *Op. præfatô, l. 8. tit. 1.* ut de Lacedæmoniis verbum addam, *Tirones* illis, non in Forum, sed in agrum, deduci consuevisse, docet Trogi abbreviator, *l. 3. c. 3.* ubi alludens ad morem Romanorum, *Pueros*, ait, *puberes non in forum, sed in agrum deduci præcepit.* Apud Recentiores, *Tyro* itidem miles dicitur,

dicitur, qui militiæ cingulô recèns decoratus est, necdum in bellis vel torneamentis (quæ & ipsa *Tyrocinia* dicta) sese exercuit, ac tyrocinium suum posuit. Item qui in arenam descendit, ac duellô pugnare paratus est, *Campio*, aliter dictus, ut videre est apud Matth. Parisium, non unô locô, & apud Arnoldum Lubec. *l. 2. c. 15.* Sed & *Tyrones* in Palatio appellat Auctor *Vitæ S. Pelagii*, Nobiles Aulicos, qui, Principis ministerio destinati, *Militares Regis pueri*, & *Regalibus annonis nutriti*, dicuntur Eulogio, *in Memor. S. S. l. 2. c. 13.* apud Car. du Fresne, *Glossario*. De *Tyronibus* Academicis & *Tyrociniorum* depositione, quæ ex Romanorum Veter. *Virilem Togam* sumendi ritu originem traxisse videtur, diximus supra variis in locis, præcipuè ubi de *Depositione*. Vide quoque voce *Aperiticii*, item *Area*, *Neoptolemus*.

TYROLIS, vide *Tirolis*.

TYRONENSIS Comitatus, *le Comté de Tyrone*, seu *Tir-Oen*, i. e. terra Eugenii, provinc. Ultoniæ regionis est in Hibernia. Estque duplex Superior, *Upper Tyrone*, in parte Occidentali inter Comitatum Dungalensem, Fermanagensem, & Colranensem, ubi nulla urbs magni momenti: & Inferior, *Nether Tyrone*, ad Ortum extensus inter Comitatum Antrimensem, Dunensem, Armacanum & Tyronensem superiorem, à quo montibus *Slew Gallen* dividitur; ubi aliquot arces & castrum *Dunganonium* dictum. Regio est ferax & satis ampla, longa ad 60. milliar. lata ad 30. Vide quoque hanc vocem per *I*.

TYROPOEUM, Thraciæ castellum. *Cedrenus*.

TYROS, Insul. Arabiæ, recentiori ævô dicta, quam priùs *Tylon*, dixêre. Strabo, *l. 16.* de sinu Persico, Πλεύσαντι δὲ ἐπὶ πλέον ἄλλαι νῆσοι Τύρος καὶ Ἄραδός εἰσιν, ἱερὰ ἔχουσαι τοῖς Φοινικικοῖς ὅμοια: addicque ab incolis jactari, colonos se esse Tyri & Aradi, Phœniciarum urbium. Item Indiæ urbs, *Steph.* Vide Salmas. *ad Solin. p. 1023.* ut & in vocibus Tylus & Tyrus.

TYRRHENA, cognomen Minervæ, vide supra.

TYRRHENI, populi Italiæ, inter Macram & Tiberim amnes incolentes, quos Latini *Tuscos* & *Etruscos* vocant, *Tyrrhenos* autem Græci nominârunt à *Tyrrheno* Atyos filio, qui è Lydia colonos in hanc regionem deduxit. Atys enim ex posteritate Herculis & Omphales unus, cùm sterilitate ac fame populum suum emittere cogeretur, è duobus filiis sorte jactâ, Lydum quidem regni successorem tenuit, Tyrrhenum autem cum bona populi parte ad quærendas novas sedes emisit: qui cùm post longos errores in Inferi maris orâ sedes fixisset, totum eum tractum de se *Tyrrheniam*, & mare ipsum *Tyrrhenum* vocavit. Vide Servium in illud. *l. 1. Æn. v. 71.*

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.

Hos omnes scriptores superstitiosissimos fuisse tradunt, uti inter alios Plutarchus scribit *in Sympos.* A' quibus Romani ceremonias sacras edocti fuêre. Iidem à celeritate quibusdam dicti videntur, antiquiores Pelasgis, qui nauticam ab illis didicerunt. Scribit quoque Athenæus in illorum conviviis & epularum apparatibus, nudatis corporibus virgines discumbentibus ministrâsse convivis; mulieresque apud eosdem fuisse communes, quæ etiam pudore depositô, gymnasiis publicis & palæstris nudæ cum viris luctari ac se exercere consueverant. Minimè enim apud illos turpe putabatur, nudatas fœminas vulgò conspici. Fuisse autem illas dicunt formâ, ut plurimùm, eleganti; vinique imprimis cupidas, & potentes bibaces, &c. Tyrrheni tubam æneam invenisse dicuntur. Virg. *l. 8. Æn. v. 526.*

Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.

Idem *l. 2. Georg. v. 193.*

Inflavit cùm pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Ubi 1. notat vitium gentis. Nam Catullus *in Egnatium, Epigr. 40. v. 15.*

Aut parcus Umber, aut obesus Etruscus.

2. Obiter tangit inventum tubæ, quod fuit Etruscorum. Ideo Sophocles *in Ajace*: Χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς. *Nic. Lloydius*.

TYRRHENI, populi insulares maris Ægæi, Lemnum, Imbrum, & alias insulas oræ Thraciæ incolentes, à quibus *Tyrrhenicus sinus* dictus est.

TYRRHENICA, Sandalia erant, soleis inauratis variegatisque insignia, quibus Minervam suam Phidias induit, Jul. Pollux, *Onomastic. l. 7. c. 22.* Salmasio *Tyrrhenici* seu Tusci calcei, iidem fuêre cum mulleis calceis, quibus Reges Proceresque Romanorum olim usos legimus, *ad Pallium* Tertull. Erant autem illi solô altô & colore puniceô, ex sandaliorum seu crepidarum genere, *Poll.* & *Hesych.* similes cothurnis, Isidor. *Etymol. l. 19. c. 34.* & tibialium calceati solidi, qui cavi erant & totum pedem tegebant. Vide Alb. Rubenium, *de Re Vestiaria*, *l. 2. c. 1. ubi de Calceo Senatorio*. De *Tyrrhenica* tuba, supra.

TYRRHENICA Stagna, paludes circa ostia Iberi fluv. Unde etiam *Tyrrhenum mare* à *Paulino* & *Latino Pacato* vocatur, Hispaniam ibi alluens, idem Iberico, *Ferrar.*

TYRRHENUM Mare, seu *Tuscum*, vulgò *il Mare di Toscana*, pars est ampla maris Mediterranei inter Tusciam, ditionem Pontific. Siciliam, Sardiniam & Corsicam extensa. Ejus partes sunt Sinus Formianus, Neapolitanus, Salernitanus, Talaus & Terineus, in ora Italiæ.

TYRRHUS, Latini Regis armentarius, cujus cervus mansuetus ab Ascanii comitibus occisus, primam belli causam præbuit inter Trojanos & Latinos. Hinc *Tyrrhides* Patronymicum mascul. Virg. *l. 7. Æn. v. 484.*

Cervus erat formâ præstanti & cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri, quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrhusque pater, cui regia parent
Armenta, & latè custodia credita campi.

TYRSETA, oppid. Taunitum fuit, *Steph.*

TYRSIS, regia Saturni, in Insul. Baleari, locus fictus. *Homer. Pindar.*

TYRTÆUS, Poëta Græcus, cujus sæpe meminit Plato *in Libb. de Legg.* *O divine Poëta Tyrtæe* (inquit) *sapiens certè ac bonus nobis esse videris, quia excellentissimis eos extulisti laudibus, qui in bello excellerant*: Horat. *in Arte*, *v. 402.*

Tyrtæusque, mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. ——

TYRTAMUS, vide *Theophrastus*.

TYRUS, vel *Tyros*, Phœniciæ insula, nunc *Pendoli*, & urbs celeberrima, in saxo undique prærupto, cum portu capaci, orbis olim emporium; Condita, ut Josephus vult, *Ant. Jud. l. 3.* A. M. 2783. ante templum Salomonis, 240. Archiepiscopalis sub Patriarcha primum Antiocheno, postea Hierosolymitano ab Innocentio III. attributa. *Sarra* olim vocabatur, *Festô* & Gelliô, *l. 14. c. 6.* testibus. Unde Virgilii Scholiastes, *in l. 2. Georg. v. 506.* *Quæ nunc Tyrus dicitur, olim Sarra vocabatur, a pisce quodam, qui illic abundat, quem linguâ sua Sar appellant.* Hinc *Sur* hodieque dicitur. Verum quidem est, ut dixit, Romanos veteres pro Tyro dixisse Sarram; ita in fragmentis Ennii: *Pœnos Sarra oriundos*; unde est quod pro Tyrio Poëta dixit *Sarranum ostrum*: & Juvenalis, *Sat. 10. v. 39.* *Sarrana aulæa*: & Silius, *l. 6. v. 468.* *Sarranam Junonem*; & *Sarranam cædem*, & *l. 7. v. 432.* *Sarranam navitam*; & *l. 8. v. 46.* *Sarrana numina*; & *l. 9. v. 202.* *Sarranum nomen*. Columella quoque, *l. 9. c. 4.* *Sarranam violam* dixit, i. e. purpuream, quia purpura ex Tyro. Et fortasse apud *Steph.* Φοινίκης πόλις Σάρα, unde Gentile *Saranus*; id ipsum erat Græcis quod Romanis *Sarra* & *Sarranus*: Σάρα saltem plurimum accedit ad Ebræum צור *Sor*, quô nomine Tyrum appellant sacri scriptores. Sed piscis *Sar*, unde *Sarra*, si quidem *Servio* fides, non extat ullibi gentium. Et *Sarra* nomen deduci notum est ex Ebræo Tyri nomine צור *Tsor*; in quo literam צ quæ medii est soni inter T. & S. Græci in T. mutârunt & Romani in S. Ita factum ut ex eo de *Tsor* & Τύρος nasceretur & *Sarra*. Sed Servium verisimile est, cùm alicubi legisset quod in Trogo habetur, Sidonem à pisce dici, nempe à ציד, titubante memoriâ, id de Tyro scripsisse, quod de Sidone legerat. Non dispari errore Origenes: Tyrus, inquit, *apud Ebræos sonat idem, quod nobis venantes*. Imò Tyrus rupem sonat, sed *Sidon* vel à *venatione*, vel à *piscatione* dicitur. Hæc Bochartus, qui ait, in Phœnice Tyri nomen commune fuisse multis urbibus, ut constat ex *Periplo Scylacis*, qui hæc habet in descriptione Phœnices: Ἀπὸ δὲ Θαψάκου ποταμοῦ ἐστι Τρίπολις Φοινίκων, Ἄραδος νῆσος καὶ λιμὴν, βασίλεια Τύρου ὅσον ὀκτὼ στάδια καὶ λιμὴν ἀπὸ τῆς γῆς. Et paulo post: Ὄρνιθων πόλις, Τύρος ἄλλη (Ita legit Cl. Voss. pro vulg. Τύρος) Τύρος καὶ λιμένες Βήρυτος. & aliquanto infra: Εἶτα ἄλλη πόλις Τύρος λιμένα ἔχουσα ἐντὸς τειχῶν. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ νῆσος βασίλειον Τυρίων. Quod sequitur, propter vitium interpunctionis, vir quidam doctiss. usque adeo non intellexit, ut è mari fecerit continentem: Καὶ ἀπέχει στάδια ἀπὸ θαλάττης γ΄ Παλαίτυρος πόλις, καὶ ποταμὸς διὰ μέσης ῥεῖ. En tibi lector in una Phœnice quatuor urbes Tyri nomine, nempe 2. in continente, & insulares duas: quarum illa celeberrima, quæ fuit in insulâ vicinâ Palætyro, non tamen antiquissima. Eâ quippe vetustiorem esse Palætyrum, vel ex ipso nomine constat, Neque enim aliud Palætyrus, quàm vetus Tyrus. Itaque ejus mentio fit in libro Josuæ, *c. 19. v. 29.* Ibi enim עיר מבצר צר *civitas munita Tyrus* Aseritarum limes ad mare non procul à Sidone, non potest alia esse quàm Palætyrus. Tum igitur extabat Palætyrus, nempe tempore κληρουχίας seu divisionis terræ Chanaan, annis ferè 200. antequam in vicinâ insul. conderetur famosa illa Tyrus. Vide quæ sequuntur apud Authorem longè doctissimum, *de Phœnic. Colon. p. 861.* Tyrum Ὠγυγίην vocat Dionysius, & Virgil. *Antiquam*, *l. 4. Æn. v. 670.* Insula rupibus undiquaque cingebatur. Nonnus, *l. 4. de Tyro*:

—— Ἀκινήτοις δὲ θεμέθλοις
Ἀσφαλέα ζωστῆρα συνάπτεται ἄζυγι πέτρῃ.

Et de urbe ibidem construenda.

Πήξατε δ' ἀμφοτέρους ἐπιπείρονας ἄστυ πολήων.

Lucan. *l. 3. v. 217.* *instabilem* vocat, insula enim olim fuit. Ovid. *l. 15. Met. v. 288.*

Fluctibus ambita fuerunt Antissa Pharosque
Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.

Qu. Curtius, *l. 4. c. 2.* Tyrum affirmat & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ, Phœniciæque fuisse memorabilem, quô tempore obsessa est ab Alexandro, à quo miris affecta est malis, & continenti aggeribus juncta, unde *Quæ ex antiqua Tyro*, Proverb. de extremo malo. Sicut *Tyria maria* Proverb. est de re periculosa, & vehementer turbulenta. De divitiis ejus & cum omnibus gentibus ob mercaturam commercio, vide Ezechielem Prophetam, *c. 27.* Hæc ab Agenore, Phœnicum Rege, in ora maris Mediterranei condita traditur, sicut Sidon à Sichene. Nunc autem Tyrus in ruinis jacet, paucisque admodum constat incolis, & sub Turcis est. At olim apud eos in Insula, postquam urbs vetus à Nebucadnezare excisa fuerat, aliquandiu Regum locô Δικασταὶ κατεστάθησαν καὶ ἐδίκασαν Ἐκνίβαλος &c. *Judices constituti fuerant, & judicârunt, Etnibalus* &c. Joseph. *contra Apion.* Priùs autem Tyrii Reges habuêre, quorum nomina intercidêrunt, usque ad Abibalum, qui fuit pater Hirami, amici Davidis & Salomonis, Vide *Abibalus*, it. *Ecnibalus*. Ab Alexandro M. destructa,

cta, reparata postmodum est: Metropolis Phoeniciæ, ab Adriano Imperatore effecta, in gratiam Pauli Rhetoris, Tyrô oriundi. Sub Christianis Archiepiscopis fuit, sub Patriarcha Antiocheno primùm, dein Hierosolymitano, postquam urbs capta est à Christianis, à quibus, Balduinô adhuc captivô, recepta est, A.C. 1125. cùm tabellariam columbam captam, pro lætis tristes domum ferre literas, fecissent. Sepultus hîc Fridericus Barbarossa fuit A. C. 1190. Episcopus ejus Marinus, circa A. C. 255. floruit, Tyranniò mari mersus est, sub Diocletiano, sub initium seculi 4. Guilielmus scripsit de *Bello sacro*. Hîc Concil. à Constantino M. indictum, A. C. 335. quô Athanasius ab Arrianis condemnatus & depositus: atque ab Imperatore Treviram exulatum missus est. Sed Paphnutius, Synodum legitimam non agnoscens, monuit Maximum Hierosolym. Episcopum, *Non oportere se, cùm essent Confessores, & pro pietate tum oculos effossos, tum pedum flexus debilitatos haberent, concilio hominum perditorum communicare.* Sozom. *l.* 2. *c.* 24. Ibas dein Edessenus, Nestorianismi à quatuor presbyterorum suorum, accusatus, liber hîc pronuntiatus est, A. C. 448. &c. Tyrios & Phoenices, auctores navigationis facit Pomp. Sabinus, *in l.* 1. *Æn. Phoenices condidêre Tyrum in mari, propter merces, primi mortalium negotiatores in marina alea.* Dionysius Afer de iisdem,

Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέ⊕ ἐμνήσαντο.

Etiam Tibullus huc respexit *l.* 1. *El.* 7. *v.* 19. cùm ait,

Utque maris vastum prospectet turribus æquor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Quin & Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Mercaturas Poeni repererunt.* Lacerna Tyria olim in pretio fuit. Unde Lamprid. *in Alexandro, c.* 42. *lacernam coccineam accipiebat.* Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 29. *v.* 3.

Quæque Tyron toties epotavêre lacernæ.

Et *l.* 8. *Epigr.* 10. *v.* 1.

Emit lacernas millibus decem, Bassus,
Tyrias, coloris optimi. ———

Nic. Lloydius. Vide quoque Joh. Marshamum illustr. Equ. Anglum *Canone Chron.* passim, inprimis *ad Sec.* XVIII. & suprà voce *Tyrii.*

TYRUS item Insul. parva ante Tyrum urbem, nunc *Pendoli Ortelio.* Item Insul. intra lacum Volsinium, *Isola Bisentina*; à Bisento oppid. inter Volsinios & Mattham occurrens. Item Laconicæ, Lydiæ item Pisidiæ urbs. *Steph.* Fuit etiam locus & præsidium trans Jordanem, inter Arabiam & Judæam, quem describit Joseph. *Jud. Antiq. l.* 12.

TYRUSTÆ, populi Illyrici.

TYSCA, regiuncula Africæ, ubi 50. olim oppida: de qua lis inter Carthaginenses & Masanissam, Mauritaniæ Regem fuit, *Appian. Alex.*

TYSDRUM, oppid. Africæ mediterraneum, apud quod Gordianum, cum filio, ab omnibus Afris Augustum appellatum, habet *in Maximinis* Capitolinus, *c.* 14. Herodianus, Θύσδρον vocat, meliùs *Thysdrus*, quasi dicas Ὀρεινόπολις, vel Τιαῦ πόλις, sive Κώμη, Salmas. *dict. loc.* Vide *Thysdrus.*

TYSDRUS, vide *Thysdrus* & *Thisdrus.*

TYSIAS, princeps & inventor artis Rhetoricæ fuit, uti docet Cicer. *l.* 2. *de Inventore*, *c.* 2. & *l.* 1. *de Oratore*, *c.* 20. & *in Bruto*, *c.* 12.

TYTIRI, erant ex ministris comitibusque Bacchi. Vide Jan. Parrhasium, *ad illud Claudiani, de Raptu*, *l.* 2. *v.* 67.

——— *Quales referunt Baccho solennia Nymphæ.*

TZACONITÆ, apud Luithprandum *Legat. Nec infirmô animô Magistro* Tzaconitæ *occurrunt, quem dum in fugam verterent* & Lacones sunt, qui *Tzacones* & *Tzaconitæ* recentiori ævô dici cœperunt, vide Niceph. Gregoram, *l.* 4. Joh. Leunclavium, Dominic. Macrum; *Hierolex.* &c.

TZANCÆ, sive ZANCÆ, genus calceamentorum, quibus Imperatores Græci usi sunt; *Campagi* Latinis, cultu, pretiô, coloreque ab aliorum distincti. Habebant ad latus, secundùm suras & in tarsis, aquilas ex lapillis & margaritis, iisque usi sunt Imperatores ad deambulationes & sacra, Curopalates *de offic. aulæ Constantinop. p.* 55. Dictio ab Arabibus petita est, apud quos, ut & Turcas, *Tzagaha* idem est, ac quieti dare, collocare commodè, ut apud Fr. Junium videre est: unde meliùs *Tsaggæ* dici videntur. Quod de aquilis Curopalates dicit, intelligendum de aquilarum effigie, gemmis vel aurô intexta aut assuta calceis, talis enim calceorum ornatus illô seculô erat. Niceph. Gregoras, *l.* 4. *de Michaëlis Palæologi socero: Cæsar cum Despota socero Sebastocrator appellatur; Soceri verò illustre discrimen in cœruleis calceis aquilæ intertextæ constituebant.* Tarsi verò nomine superiorem Imperatorii calcei partem significavit. Corippus, *l.* 21. *Num.* 4. *de Justino juniore*:

Purpureô suræ resonant fulgente cothurnô,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco,
Qui solet edomitos victor calcare tyrannos,
Romanus Princeps & barbara colla domare:
Sanguineis prælata rosis laudata rubore,
Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis:
Augustis solis hôc cultu competit uti,
Sub quorum est pedibus Regum cruor, omne profecto
Mysterium certâ rerum ratione probatur.

Hæc de translato jam Byzantium Imperio capienda: At anteà varia calceorum ornamenta erant, pro diversa Principum libidine aut moderatione. Carinus Augustus non *gemmis adsutis calceis, sed fibulis gemmeis* utebatur, Flav. Vopiscus, *in eo c.* 17. Idem non minori luxu factum ab Heliogabalo, de quo Æl. Lamprid. *c.* 23. *Habuit*, inquit, *in calceamentis gemmas & quidem sculptas, quod risum omnibus movit: quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.* Et de iisdem gemmis loquitur idem auctor, *in vita Alexandri Severi, c.* 4. cùm ait: *Gemmas in calceamentis, & vestibus tulit, quibus usus fuerat Heliogabalus.* Diocletianus Cæsar *ornamenta gemmarum vestibus, calceamentisque indidit: nam prius imperii insigne in chlamyde purpurea tantùm erat*, Eutropius, *Histor. l.* 10. quod ut rem insolentem mirô consensu Scriptores Eccl. prodiderunt, Eusebius Cæsariens. apud Hieronymum, Alii. *Soccos muliebriter ornatos* gestavit Caligula, Plin. *l.* 9. *c.* 35. Demetrius Antigoni fil. *aureos calceos*, Plut. *in eo.* Portò Principum calcei aquilis, ut dictum, distinguebantur: Senatorii Lunæ dimidiatæ effigie. Schol. Juvenalis, *ad v.* 192. *Sat.* 7. *Patricius Senator est, Lunulâ nam adjutâ calceis discernuntur patricii à novitiis*, vide Plut. *Probl. Rom. c.* 76. & Isidorum, *l.* 19. *c.* 34. Fortè ideo id factum, ut Imperii incrementum vel decrementum Lunæ simile intelligeretur: Vel quòd antiquitatem generis sui, nullâ aliâ se melius possent ostendere, quàm si ad Arcades genus suum referrent, qui priores ipsâ Lunâ fingebantur. Hinc Serv. *ad v.* 342. *l.* 2. *Georg. Arcades Proselenos se esse asserunt, quod & Cicero in Fundaniana commemorat*: locus fabulæ datus, quòd post diluvium genus humanum ab iis propagatum putaretur. Idem *ad l.* 8. *Æn. v.* 352.

——— *Arcades ipsum*
Credunt se vidisse Jovem.

Statius, *l.* 4. *Thebaid. v.* 275.

Arcades hinc veteres: astris Lunâque priores
Agmina fida satis, &c.

Hos autem calceos gestâsse, summæ erat nobilitatis: Unde Herodotus Sophista, fratri suo insolentiùs nobilitatem jactanti, *certè in talis* inquit, *nobilitatem tuam habes*, ut auctor est Philostratus *in eo.* Alluserunt eodem Poëtæ. Statius, *l.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 27.

——— *Genitum si curia sensit*
Primaque patriciâ clausit vestigia Lunâ.

Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 50. *v.* 31.

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga,
Olidave vestes murice.

Matronarum calceamenta, ut & de iis aliquid adspergatur, ab iis, quæ jam enumerata, differebant: Licèt Ælianus, *Hist. Var. l.* 7. *c.* 11. aliter scripserit: Ῥωμαίων αἱ πολλαὶ γυναῖκες τὰ ὑποδήματα αὐτὰ φορεῖν τοῖς ἀνδράσιν εἰθισμέναι εἰσὶν, *ex Romanorum fœminis multæ eosdem cum viris calceos gestare consueverunt.* Contrà enim M. Tullius, *l.* 1. *de Orat. c.* 54. *ut si mihi*, ait, *calceos Sycionios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles & apti ad pedem, quia non essent viriles.* Et *Hesych.* Σικυώνια γυναικεῖα ὑποδήματα, *Sicyonia calceamenta sunt muliebria.* Flavius quoque Vopiscus *in Aureliano, ad finem*, inquit: *Calceos mulleos & cereos & albos & hederaceos, mulieribus reliquit.* A cujus mollitiei inventoribus Sicyoniis nomen calceis muliebribus impositum. P. Virgilius, *in Ciri*, *v.* 169.

Cognita nec teneris pedibus Sicyonia servans,
Nec niveo retinens baccata monilia collo.

Lucretius Carus, *l.* 4. *v.* 1118.

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Ubi rectè calceos unguentis junxit, nam & hæc Græcis in usu. Plura vide apud Thom. Dempster. *Antiq. Rom. l.* 5. *paralip. ad c.* 36. quibus ut ista addam, etiam *Tzanga* dicuntur. Agnitum ex istiusmodi calceamenti genere Constantinum ultimum, narrat Georg. Phranzes, ubi de capta Constantinopoli, *Chron. l.* 3. *c.* 18. *Abluebant corpora mortuorum plurimi, si fortè Imperatoris noscitarent, nec poterant nisi quòd corpus exanime invenerunt: idque ex Imperatorum calceamentis agnoverunt, in quibus Aquilæ aureæ depictæ visebantur.* Præter intextum verò illud Aquilarum decus etiam purpureô colore insignes hæ *Tzancæ* erant: Unde Nicephorus Gregoras, *l.* 4. Michaëlis Palæologi Socerum, qui *Sebastocrator* dicebatur, cœruleis tantùm calceatum observat, quô nimirum ab ipso Imperatore distingueretur. Itaque *Tzancæ* hæ aquilis, sive gemmeis sive aureis, & rubrô inprimis colore (nam illæ Sebastocratoris modò memorati etiam Aquilas habebant intextas) insignes, quæ aliis φοινικόχροα πέδιλα vocabantur, propria & singularia fuêre Imperator. insignia. Quemadmodùm cœruleô tincti colore calcei, liliisque aureis opere Phrygiô intextis exculti, Regibus Galliæ peculiares sunt. Atque inde factum, ut cùm fortè aliqui plus æquô magnifici cultus studiosi *Tzangas* illas aliquando auderent usurpare, Arcadius & Honorius, ut habetur in Cod. Theodos. *l.* 14. *tit.* 10. *l.* 2. earum usum sub pœna *exilii & confiscationis*, inhibuerint. Sed ecce, alius mox erupit abusus aureaque veterum Regum, utpote Alexandri M. aliorumque numismata, calceis appingi cœperunt. Unde querela Chrysostomi *Homil. ad Pop. Antioch. Quid verò diceret aliquis de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata pedibus? Dic mihi, hæ sunt spes nostræ, ut, post crucem Domini gentilis Regis in imagine spem salutis habeamus?* Ubi *pedes* dubio procul, pro *calceis* accipiendi, quibus ornandis aurea illa numismata sic à quibusdam addebantur. Nec prætereundum, *Tzangas* mediô crure altas fuisse, pro veteris calcei Romani more: Id enim omnino Aquilæ suadent, quibus eas jam diximus insignitas; cùm ad explicandam regiæ hujus avis effigiem amplius, quàm pedis tan-

tantùm integumentum, requiratur. Et ad eam altitudinem spectâsse videtur vetus Horatii Interpres, cùm *Tzangas* est interpretatus, *Senatoris calceos*. E' tribus namque, quibus Senatorum insignes fuêre calcei, Lunâ, nigredine & altitudine, hoc postremum in *Tzangas* propriè magis, quàm priora duo, quadrare potest: quum pro nigredine purpura, pro lunulis Aquilæ illas exornarent. Vide Ben. Balduinum, *de calceo Antiqq. c. 15. ubi de Campagis & Tzangis*. Quia verò ad medium crus, ut dictum, pertingebant Tzangæ, inde Ocreas vocant Scriptores Latini passim, item *caligas* & *hosas*. Vide *Hist. Miscell.* Luithprandum, *l. 3. c. 9.* Villharduinum, *num. 116.* Alios. Sed & Lazis Regibus τζάγγια ῥουσαῖα περσικῷ σχήματι adscribit Auctor *Chronici* Alexandr. Sicut κοκκοβαφῆ πέδιλα, vel πέδιλα ἐρυθρὰ Scylitzes & Bulgaricis Principibus, Nicetas *in Isaacio, l. 1. num. 5.* Gothicis Regibus, Gregorius M. *Dialog. l. 2. c. 14.* Imperatoribus Occidentalibus, *Panegyricus* Berengarii Imperatoris:

> *Cùm Princeps nitidus Tyrio procedit in ostro,*
> *Tegmina vestitus crurum rutilante metallô,*
> *Quale decus terræ soliti gestare Magistri* &c.

Ut de nomine quid addam, ab ἄγχω, *constringo*, & ἄγχη, *vinculum* factum ζάγχη, pro διάγχη, vult Salmasius, & qui eum sequitur Jac. Gothofredus. Aliam originationem adducit Car. du Fresne, *in Glossar.* quem vide, ut & plura hanc in rem apud Jac. Cujacium, *Observationum l. 21. c. 28.* Leunclavium, *Pandecte Turc. num. 199.* Fabrotum, *Notis ad Anastasii Histor. Eccl.* Meursium, *Glossar.* Jac. Gothofredum ad Cod. *Theodos. d. l.* Alios, nec non infrà, voce *Zancha*.

TZANGRUS, in *Chron.* Phranzis, *l. 2. c. 7. de summo autem castelli* Tzangris *petebantur*: arcus est, uti vocem disertè exponit Jo. Cantacuzenus, *l. 1. c. 36.*

TZANI, populi in Armenia, olim *Macrones*, ante Hadriani tempora, Romanis tributarii, postmodùm defecerunt, à Justiniano primùm per Sittam, dein per Theodorum, sub jugum retracti, ac Christianâ fide imbuti. Vide Præfat. Novellæ 1. *in princ.* ut & voce *Zani*.

TZATRICIUM, Græc. Ζατρίκιον, latrunculorum ludus, vel tabula potiùs, in qua latrunculis olim ludebatur. Ita enim *ad Martialem, l. 7. Epigr. 72. v. 7. & 8.*

> *Sic vincas Noviumque Publiumque,*
> *Mandris & vitreô latrone clausos;*

Salmasius, *Latini*; mandras, septa, vallos, *&* capsos *&* carceres *vocabant loca illa seu sedes in tabula, in quibus veluti clusi tenebantur latrunculi. Græci* πλίνθια, χώρας *&* χαρακώματα. *Calculus ergo, qui in calculi discoloris sedem faciebat impetum, ut eum caperet & sede suâ pelleret, mandram ejus sive vallum, frangere dicebatur: Hinc totum latrunculorum ludum vel tabulam potius, in qua ludebatur,* Ζατρίκιον *nominârunt.* Et de lusu hoc pergens, *In hoc*, inquit, *ludo sunt calculi, qui ordine moventur; alii qui vagè & obliquè.* Inciti *autem dicuntur, qui eò sunt redacti, ut cieri moverique nequeant: Inde Proverb.* ad Incitas redigere, *pro ad extremas metas compellere & in summam desperationem aliquem adducere. Porrò quem veteres* calculum incitum *appellabant, cum nos hîc eodem in ludo* scaccum mattum *dicimus, id est, contritum & subactum.* Mattus *enim antiqua vox & Latina, quæ emollitum, subactum & maceratum significat. Inde verbum* mattare, *pro domitare, subigere & macerare. Hinc* via matta, *Ciceroni*, via lutosa & humecta, *L. Epist. ad Attic. 16. Ep. 12. vulgò excuditur*, via inepta, *satis ineptè. Per Metaphor. indidem homo tristis*, mattus *dictus est.*

TZAULUS, nomen officii in Aula Græcorum Imperatorum, ubi *Magnus Tzaulus* dicebatur qui aliàs *Magnus* seu *Prototabellarius*, fungebaturque nonnunquam officiô Imperialis Commissarii, & ferebat quoque præcepta Imperatoris. Hinc mansit in Aula Turcica vocis vestigium, in nomine *Tzaus*, seu *Chiaus*, qui Missus est Imperatoris, vel Primi Visirii, Car. Macer, *Hierolex.*

TZAUSTRIUM, seu TZUSTRIA, apud Joh. Cantacuzenum, *l. 1. c. 42.* torneamenti genus, hodieque *Giostra* Italis, vide suprà *Justa*.

TZERKASSIA, nomen Principatus inter Russos & Persas siti, sub Russorum Imperatore, de quo vide Adam. Olearium, *Itinerar. Moscov. & Pers.*

TZIGATLINA, quasi *formicarum serpens*, quòd non vivit nisi cum formicis, & iis exeuntibus è cavernis unà etiam prodire solet, omnium serpentum formosissimus, duos longus dodrantes, crassitie digiti minimi, transversis fasciis candidis & rubris, alternatim distinctus, insuperque innoxius est, ac reperitur in America, Jo. Eusebius Nierenbergius, *Histor. Natural. l. 12. c. 7.*

TZURULUM, *Cedreno* aliisque, *Zorlich* & *Chorlo Leunel.* Urbs Thraciæ Episcopalis media ferè inter Byzantium & Hadrianopolim. *Crus.* Cuco, aliis à Byzantio 20. milliar. distare creditur in Occasum. Aliter *Tirulum*.

TZYCANISTERIUM, locus ubi pilis ludebatur. Macer, *d. l.*

V.

V, Litera hæc vocalis, sæpe fit consonans in dictionibus, quæ Claudiani ævô figuram habuit inversi F. & *Vau* propriè dicitur, ut *Nauta, Navita, Gaudeo, Gavisus*. Aliquando in *i*. convertitur, ut *Cornu, Corniger, Fatum, Fatidicus, Pessumus*, pro *Pessimus*: apud Comicos antiquos. Sic Quintilianus, *l. 1. c. 5.* observat, O. *&* V. in se invicem quandoque transmutari: ut *Hecoba & Notrix*: *Culchides & Pulixena*. Apud veteres Jure Consultos B. non rarò in *V*. abit, & vicissim: quæ pronuntiatio apud Vascones, Galliæ populos hodieque obtinet, qui pro *Vivere, Bibere* & pro *Bibere Vivere* dicunt; unde Scaliger: *Felices populi quibus vivere est bibere*. Ausonius, hinc oriundus de hac litera sic loquitur in *de Litteris Monosyllabis*, v. 8.

> *Cecropiis ignota notis, ferale sonans V.*

V. R. tabulis inscriptum apud Romanos, significabat *Uti rogas*: Mos enim erat, cùm leges rogarentur, ut *Diribitores* populo distribuerent duplicis generis tabellas, quarum alteris inscriptum *V. R.* alteris *A.* Has pro lubitu conjiciebat populus, in duas urnas, hâc fine in pegmate quodam constitutas. Quod postquàm omnes fecêre, *Custodes* seu *Nongenti* calculum tabellarum inierunt, cumque numerô vincerent illæ, quæ *V. R.* præferebant, rata lex fuit: cùm reliquæ *A.* habentes inscriptum, i. e. *Antiquo*, abrogata est. Vide *Anthologiam Hist. Rom.* Thomæ Godwyni. In numeris, *quinque* apud Latinos notat, quod hinc factum: Numeri primùm à punctis originem traxerunt, inde ad lineas rectas deventum ad instar mediæ vocalis I & pro quinario, ne quinque lineas facere cogerentur, ad compendia verterunt animum, unâque signatâ, reliquas quatuor per obliquam unam à tergo ductam, hunc in modum ⩗ fecerunt. Mox usui placuit, ut expeditior esset scribendi ratio, pro nota eâ, V. vocalem statuêre. Ad denarium cùm venissent (namque & hæc addi non injucundum credidi) quinque duplicârunt, ita tamen, ut secundum inverterent & subjicerent priori, unamque facerent notam per decussationem X. Visum est inde facere ad commoditatem quam ex compendio aucupabantur, quinquaginta notandis, signum illud, ex una obliqua linea pro quatuor rectis & quinta alligata, surrigere; ut staret, quæ pendebat in latus, quæque stabat, in planum dejiceretur: ita prodiit litera L. pro *quinquaginta*. Ventum posteà ad *Centena*: quæ per primam ejus nominis literam intelligi voluêre C. Ad *quingenta* cùm venissent, rectam lineam, quæ jacebat in quinquaginta, ad semicirculum incurvatam surrexêre, in hunc modum D. quam notam imperiti superiori capiti conjunxêre, D. quartam alphabeti literam arbitrati: Atque hoc illud sicilicum est, quod à tergo quingentorum ita applicitum ↀ. *mille* facit. Pierius, *Hieroglyph. in. 1. in Mensur. & Pond.*

VABAR, Mauritianæ Cæsariensis oppid. *Ptol. Bismeo Castaldo*, inter Rusazum ad Occasum & Saldas ad Ortum occurrens. *Vabrense* Castrum, & aliis *Vabra*, urbs Galliæ Narbonensis in regione Occitanâ, Biteris proxima. *Gregor. Turonens.* vulgò *Vabres*; Episcopalis sub Archiepiscopo Tolosano, à Joanne XXII. in id dignitatis, erecta. *Ferrar.* vide *Vabra*.

VABRÆ, seu *Vabrense castrum*, urbecula provinc. Rutenensis, in Aquitania, juxta amnem *Dourdan*, contrà Fanum S. Africæ, ad radices montium, 8. leuc. à Rutena in Meridiem, Biteras versùs 12. & 10. ab Albiga in Ortum. Vulgò *Vabres*. Episcopalis sub Archiepiscopo Bituricensi. *Baudrand.* Olim hîc cœnobium, vide Gregor. Turonens. *l. 9. c. 9.*

VABRENSIS Pagus, à castro cognomine de quo infrà. Hic in ardui montis cacumine, à Vulfilaico Diacono Longobardo, regnantibus apud Francos Guntchramnô & fratrum ejus filiis, Childebertô ac Chlotariô, extructum, ac conditoris nomine *Wulfroy* dictum erat: Valesius *Vabrense castrum*, priusquàm conciderer, agro latè circumjacenti nomen suum dedisse; Hunceque propter amplitudinem, in duos Comitatus divisum, in divisione regni Lotharii hodieque incolis vocari *le pays de Vajure*: German. *der Wovare*, & ad ripas Alsontiæ, Ornæ & Cari fluminum jacere Mosam inter & Mosellam, refert. Hic pagus Evosiensis, & silva Vabrensis *le bois de Vajure* alterô à Saranaco lapide, Nugaretum *Narrey*, Floriacum *Fleury au pays Messin*, Berulfivilla *Bruville* in Comitatu Virdunensi, Grimiucia villa *Grimiucy*, Donisicurtis *Doncourt*, Gandrilisia *Jandelise sur Orne*, Bettonisicurtis *Betancourt*, Balodium *Ballicuen, Matpix &c.* à vett. locantur: E' quibus colligis, in pago hoc tres fuisse tum Comitatus Verodunensem, Scarponensem & Castercejensem, hodie ignotum, *Notit. Gall.* In gestis Dagoberti fabulosis, *Vabrensis sylva* *Vepria* seu *Vigria*, corruptè dicitur, vide infrà in hac voce.

VACALLINEUS Pagus, in Germania inferiore apud Arnwillerium oppid. à Colonia Agrippina 6. leuc. in Meridiem: Bonnæ proximus, inde 2. leucis distans. *Verblendoff, teste Ortelio, Marillano.*

VACALOS, vide *Vahalis*.

VACANS, apud Treb. Pollionem in *Balista*, c. 17. *Triginta Tyrann. gaudens, quod ejus consiliô nullum ascriptitium, id est, vacantem, haberet, & Tribunum nullum stipatorem, qui non verè pugnaret.* Spartiano *vacantivus*, *in Alexandro Sever. c. 15. Jurejurandô se adstrinxit, ne quem ascriptum*, vacantivum, *haberet, ne annonis Rempublicam gravaret, dicens, malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios, nec Reipublicæ utiles pasceret.* Unde σχολάζων, quamvis in diversa re, apud Synesium, *in Ep. 67.* Aliàs ἀργὸς Græcis, supernumerarius est, & qui munere aut actu non fungitur. Cujusmodi erant Magistratus Codicillares, qui annonas & salaria dignitatis quidem habebant à Principe, munere verò nullô fungebantur. Sic in *l. 2. Cod.* ut dignitatum ordo servetur, enumerantur sigillatim gradus quinque Illustrium virorum. Primus est eorum, qui in actu positi illustres peragebant administrationes; secundus *Vacantium præsentium* in comitatu Principis; tertius *Vacantium absentium*: quartus Honoratiorum præsentium, quintus Honoratiorum absentium. Unde colligere est, quantoperè sequiori ævô nomina dignitatum fuerint multiplicata. Similiter *Vacantes Tribunos* non semel habet Ammianus, ubi Henr. Valesium consule, *p. 68.* ut & Jac.

Jac. Gothofredum, *ad l. ult. Cod. Theodos. de Agentibus in rebus.* Hinc apud Christianos, Ecclesia *vacans* σχολάζουσα, quæ Pastore suô viduata; & Episcopus *vacans* σχολάζων, quoties ab hostibus, paganis vel hæreticis, pulsus esset, cœpit dici. In *Statutis* Melitensium Equitum: *fructus Commendæ currentes à die obitus Commendatarii, usque ad proximum mensem Majum,* Mortuarium, *porrò à Majo ad sequentem Majum annatam integram,* Vacans *dici: ac utrumque ad Ærarium spectare,* ait Macer voce *Mortuarium.* Nec omittendum, quòd Veteres à laboribus *vacantes* ac otiosi, vel à morbo se recolligentes intrare soliti sunt θερμὴν λουτρῶνος στέγην, *calidam balnei caveam*, uti Lycophron ait de Agamemnone è bello Trojano domum reverso, de quo more suprà aliquid diximus, voce *Sudatorium.* Vide quoque infrà *Vacui fasces*..

VACARIA, sive AVACARIA, locus in Africa propria. *Antonin.*

VACASOTI, Macro, qui aliis *Beguardi, Bizocchi* & *Fratricelli*, Vide ibi.

VACATIONES, sic dicta lex est, quæ Sacerdotes à militia exemit, exceptis tumultus & seditionis casibus. Ejus meminit Cicero, *Phil.* 8. & *pro Fontej.* B. Latom. *in Phil.* 5. *&c.* Similiter Grammaticis, Rhetoribus & Philosophis suæ *vacationes* erant. Namque, ut Imperatores alios taceam, Antoninus Pius, per omnes provincias honores eis & salaria detulit, finivitque numerum, quot quibus in Civitatibus exhiberi publicè deberent. Inter honores autem præcipuæ erant immunitates & munerum Vacationes: *Immunes esse Gymnasiis, Sacerdotiis, Stathmis, & neque ad frumenti & vini & olei emptiones & præpositiones, & neque judicare, neque Legatos esse, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum cogi*, quæ verba sunt *L.* 6. §. 8. *ff. de excusat.* Medicis quoque, ob Augustum sanitati restitutum ab Artorio Musa, ut videre est apud Zonaram, *l.* 2. Ipsi milites *Vacationem* impetrabant; cùm aut legitima confecissent stipendia aut majores essent ann. 50. apud Romanos, 40. apud Athenienses, aut morbô imbecillâque valetudine impediti in castris esse non possent, cujus rei complura apud Liv. extant exempla. Et quidem Equitibus Romanis, ubi legitimum tempus stipendiorum expleverant, mos erat, ut equum in Forum ad Censores adducerent, enumeratisque singulis Ducibus & Imperatoribus sub quibus meruissent, ac redditâ militiæ ratione, *vacationem* peterent. Ubi & honos habebatur & ignominia, pro cujusque vita acta. Sedebantque pro tribunali magnâ gravitate Censores, ac transvehebant Equites, uti illustri exemplô Pompeji docet Plut. *in eo.* Sed & præter has, fuerunt aliæ quoque *Vacationes* extra ordinem, gratiæ causâ, vel à Senatu, vel ab Imperatoribus datæ. Sic, *ut P. Æbutio emerita stipendia essent, ne invitus militaret, neve Censor ei equum publicum assignaret*, Senatusconsultum factum esse, memorat prædictus Auctor, *l.* 39. *c.* 19. Idemque *Prænestinis militibus à Senatu duplex stipendium & quinquennii vacationem decretam esse*, tradit, *l.* 23. *c.* 20. De Imperatoribus, *vide Epitomen* Liv. *l.* 55. Simile quid erat cùm Imperatores in castris militibus petentibus concesserant commeatum vel domus revisendæ, vel negotii privati gerendi alteriusque rei causâ, cujus hæc formula fuit: *Si quis vestrûm suos invisere vult, commeatum do, primô vere adsitis, edico.* Liv. Cognosci autem *vacationes* à Censoribus consuevisse docet Idem, *l.* 43. & hi tum *causas noscere* dicebantur in delectu, scilicet illorum, qui se à militia immunes esse dicerent. Tum enim accipiebant excusationes, non accipiebant nomina illorum, qui justam *Vacationis* causam proferrent: qui non justam, eos nomina dare cogebant. At in re atroci & subita, pronuntiabant se non vacare noscendis causis immunitatum, sed facturos id bellô perfectô, cum gravibus in eos minis, qui justam non habuisse judicarentur. Idem, *l.* 3. *c.* 69. *Consensu omnium delectus decernitur, habeturque. Cùm Coss. pronuntiâssent, tempus non esse causas cognoscendi, omnes juniores posterô die primâ luce in campo Martio adessent: Cognoscendis causis eorum, qui nomina non dedissent, perfectô bellô se daturos tempus: pro desertore futurum, cujus non probâssent causam: Omnis juventus adfuit posterô die.* Sic *l.* 4. *c.* 26. *Cognitio* vacantium *militiæ munere post bellum differtur.* Quod *l.* 7 *c.* 28. dicit *delectum sine vacationibus habere.* Eôdem modô eorum, qui militantes missionem honestam aut causariam petebant, causas nosci fuisse solitas, discimus ex eodem, *l.* 34. & è Cœlio, *l.* 8. *Fam. Cicer. Ep.* 8. Vide Jo. Fridericum Gronovium, *de Pecun. Vet. l.* 4. *c.* 3. uti de more *vacationes militum vendendi*, posterioribus seculis inolito, suprà ubi de *Beneficiariis* ac *Stellatura*: Et plura de his, ut & *Vacationibus* Gladiatorum, suprà passim, inprimis in voce *Missio.* Obtinebat idem in sacra militia, ut de Levitarum ministerio in Sacris annotatum. Ubi enim illi mensem à nativitate impleverant, offerebantur ac consecrabantur Deo, Numer. *c.* 3. *v.* 15. & 40. Ubi ad 25. annum pervenêre, per manuum impositionem initiabantur, Numer. *c.* 8. *v.* 24. jamque in templo adesse ac ministeriô suô defungi ipsis fas erat. Impletô 30. annô post ministerium Ministerii ad ministerium oneris seu transportationem Tabernaculi, admittebantur, Numer. *c.* 4. *v.* 47. 49. Quinquagesimô demum annô rude donabantur & *Vacationem* habebant: quod de gravioribus Tabernaculi ministeriis, non verò de observatione custodiæ & reliquo ejus cultu accipiendum, ut de instructione Juniorum. *Ex quo verò natus fuerit Levita quinquaginta annos, revertetur à militia hujus ministerii, ut non ministret amplius, attamen serviet fratribus suis obeuntibus militiam*, Numer. *c.* 8. *v.* 25. 26. Atque hæc erat illorum sacra militia, Numer. *c.* 4. *v.* 3. & modò cit. *c.* 8. *v.* 25. ad quam per gradus veluti provehebantur, donec tandem absolutis stipendiis ac militiâ veteres quiescere juberentur, Franc. Burmannus, *Synops. Theol. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 9. Cui simile quid in Romana Historia, de Vestalibus legimus: quæ per annos 30. sacris inservientes, primô decenniô horum discebant, sequenti exercebant, postremô docebant alias, sicque legitimô ministerii tempore exactô *Vacationem* impetrabant, Joh. Rosinus, *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 19. &c. De *Vacationibus* festivis & Academicis, vide suprà *Feriæ, Supplicatio*, & alibi. At *Vacatura*, in Communione Romana Beneficium dicebatur olim Ecclesiasticum nondum vacans, sed *vacaturum*, ad quod Pontifex, vel Episcopi ipsi, Clericum aliquem promovebant: quam quidem *provisionis* speciem prohibitam variis Conciliis ac præsertim Tridentinô, docet Car. du Fresne, *in Gloss.* hocque Jac. Stephanesci, *de Vita Celestini V. l.* 3. *c.* 11. de ejus ineptis promotionibus, subjungit.

> *O quàm multiplices indocta potentia formas*
> *Edidit, indulgens, donans faciensque recessit,*
> *Atque* vacaturas *concedens atque* vacantes,
> *Assumens precibus nonnullum ad culmina sedum*
> *Pontificum, variosque gradus absente Senatu* &c.

VACATUM, munimentum circa Persidem. *Antonin.*

VACCA, Diodoro memoratur inter animalia, quæ Ægyptii ob utilitatem, quam ex iis caperent, venerarentur, namque τὴν μὲν θήλειαν βοῦν ἐργάτας τίκτειν, καὶ τὴν ἐλαφρὰν τῆς γῆς ἀροῦν, *& ipsam vomere terram proscindere aliosque qui hoc præstent parere*, *l.* 2. Eadem unà cum Urania Venere, Chasis Ægypti vicô, in Nomo Hermopolitano, olim (uti hodie in India) culta, quod credebant, ἐοικέναι τῇ δὲ τῇ δαίμονι, *huic Deæ convenire*, ut ait Ælian. *l.* 10. *Hist. c.* 27. hoc animal, quod, equâ exceptâ, præ cæteris omnibus, libidine accenditur itâ, ut à triginta stadiis auditô tauri ἐρωτικοῦ συνθήματος, *amatoriô signô*, illum ubique sectetur, atque etiam conscendat, & ita fiat καταμάχιμος, ut capi vel contineri à bubulco planè nequeat, verùm, quoniam ad speciei propagationem Deus hunc affectum animalibus indidit, tam vesanus ardor, (quem ταυρᾶν & ταυρασμὸν vocant Græci) deſævit ac sedatur ita à conceptione statim, ut gravidam vaccam ἀποδέχεσθαι τὴν ὀχείαν, *admittere coitum*, inter ostenta & tempestatum præsagia, ponat Philosophus *Hist. Animal. l.* 6. *c.* 21. Dicitur autem bos gravida *Forda* Latinis, Hebr. מסבל, à *ferendo.* Ovid. *l.* 4. *Fast. v.* 631.

> *Forda ferens bos est, fœcundaque dicta ferendo.*

Vide suprà suô locô. At quæ partu levatæ vitulos lactant, iisdem Hebræis עלות appellantur, 1. Sam. *c.* 6. *v.* 7. *Capite* (inquiunt Philistæorum sacrificuli) *duas vaccas* aloth [illegible] *& filios earum* (vitulos) *domum reducite, ne eas sequantur.* Ubi agitur de *vaccis*, quæ sine ullo ductore, vi θεηλάτῳ, Arcam Fœderis à Philistæis ad Betsemitas reduxerunt. Nempe, *Jusserunt illi sumi vaccas* aloth, *ut miraculum esset illustrius, eò quod non redirent propter vitulos suos*, ut observat Kimchius, *ad l.* Usum quòd attinet sacrum, fœminas boves Ægyptii non immolabant, Herodot. *l.* 2. *c.* 41. At Hebræi admittebant eas in sacrificiis pacificis, Levitici *c.* 3. *v.* 1. ut in omnibus Græci & Romani: Athenienses inprimis, quos Veneri *vaccam* immolâsse, diximus suprà in *Cupido.* Imò quædam sacrificia memorat Moses, Numeror. *c.* 19. *v.* 2. & Deuteronom. *c.* 21. *v.* 3. in quibus non nisi *vacca* offerebatur, sed quæ nondum arâsset, neque jugum tulisset, quomodo Palladi Diomedes *Il.* κ. & Nestor *Odyss.* γ. vaccam offerunt ἦνιν, εὐρυμέτωπον, ἀδμήτην, *anniculam, latæ frontis, indomitam.* Aristæus item *intactâ cervice juvencas*, apud Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 540. & Junoni Chorus *nullo collum signatam jugo*, apud Senecam, *Agamemnone, Actu* 2. *v.* 353. qua de re plura apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 33. nec non hîc suprà, ubi de *Junice* seu *Rufa juvenca*, & infrà, in voce *Vitula.* De communi animalis usu, dicta quædam suprà, ubi de *Bobus*: uti de *Vacca Myronis*, aliquid voce *Statuaria.* Cœterùm non antiquissimô solùm, sed & mediô ævô, *vaccæ*, in variis regionibus, præcipuæ hominum facultates fuêre, unde & multas Judiciorum *in vaccis* exolutas, habemus in L. Malcomi II. Scotiæ Regis, *c.* 8. in *Statutis* Wilhelmi, Alexandri II. aliorumque ejusdem Regni Principum, & earum in commerciis, vice pecuniæ, usum alibi. Scribit certè Jac. Waræus, *in Antiqq. Hiberniæ, c.* 12. sub Richardo II. equum generosissimum 400. *vaccis* emptum esse, apud Car. du Fresne, *Glossar.* Et primam novæ Nuptæ noctem, ab Eveno Rege Scotiæ locorum dominis permissam, Malcolmum III. certô *vaccarum* numerô, pro Sponsarum dignitate, redimi jussisse, legimus apud Skenæum, *ad Reg. Maj. l.* 4. *c.* 31. quam in rem quædam suprà attulimus, in voce *Marcheta*, item ubi de *Prima Nocte*; vide quoque voce *Kelchyn*: uti de animalis hujus in insignibus usu, Helvetiæ, Lusatiæ &c. pluribus agit Phil. Jac. Spenerus, *Arte Heraldica Tom. II.* Hinc *Vaccarius*, qui in prædiis rusticis *vaccarum* curam gerit, in Fleta, *l.* 2. *c.* 2. ubi officium ejus pluribus describitur. Quô nomine & sectarios quosdam ac factiosos, sese appellâsse, sub A.C. 1320. docet præfatus *Glossar.* Auctor, ex *Chron. MS.* Monspeliensi.

VACCA Natans, nomen piscis seu amphibii in China, quæ in terram ex aquis exiens, cum vaccis domesticis sæpe pugnat cornu rem agens, at si diutiùs extra aquas perstiterit, mollescit illud ac flaccescit: quô pactô in aquas redire coactum, piscis evadit denuò, pristinamque duritiem hoc recuperat. Ibid. in Quantonia provinc. ad *Luicheu*, animal est, *Vacca velox* incolis, quod, in fronte oblongo ac tereti armatum cornu, tantæ velocitatis est, ut unô die 300. stadia facilè superet. Sed & in *Cincheu* animal est, *vaccæ* non absimile, cujus cornua candidissima ipsum excedunt ebur: cœtera salis tantopere avens, ut, cùm venatores illi eo refertos saccos objiciunt, sui mox immemor, ligari se permittat potiùs, quàm salem saccis contentum lambere desinat, & sic capiatur neceturque. Ut & hoc addam, eodem in imperio, sub *Cincheu* & *Tencheu* urbibus, lapis è *vaccarum* stomacho educitur, vocatus *Nieuhoang*, i. e. *vaccarum luteum*, quia nimirum lutei plerunque coloris est, magnitudine variâ. Subinde is ovum anserinum æquat, minusque solidus lapide *Bezoar* multoque levior, præ illo, à Sinensibus Medicis commendatur expetiturque: Frigidissimæ qualitatis illum ajunt esse Sinenses, & ad catharros deprimendos apprimè conducere &c. An

Arabum *Herteky*? Vide Auctorem Anonymum, *Sina & Europa*, c. 40. & 41.

VACCA, quæ VACUA *Strab. Vacus Ptol. Barcia Orosio*, vulgò *Vouga*, fluv. (cum oppido seu pago) Hispan. Lusitan, inter Durium ad Boream & Mundam ad Austrum, in Oceanum occiduum ferè medius decurrens. Item urbs Africæ, unde populi *Vaccenses* apud Sallust. *de bello Jugurtino*, c. 66.

VACCÆI, populi Hispan. Tarraconens. per quos Durius fluv. labitur. Horum regio *Regno di Leon* dicitur: urbes Pallantia, Pintia, Octodurum, Sarabris, Sentica, Elana &c. Silius:

Tuosque vagantes
Vaccæi.

VACCHIA, urbs Hungar. ad Danubium Episcopalis sub Archiepiscopo Strigoniensi; *Vaczen* Hung. *Vaitzen* German. 15. mill. pass. supra Budam in Boream, 30. infra Strigonium in Eurum, sub Turcis.

VACCINIUM, apud Plin. *l. 16. c. 18. Vaccinia Italiæ mancipiis sata; Galliæ verò etiam purpuræ tingendæ, ad servitiorum vestes*; & Vitruvium, *l. 7. c. 14. Eadem ratione vaccinium temperantes, & lac miscentes, purpuram faciunt elegantem*: hyacinthus flos est, de quo multa Salmas. *ad Solin.* & Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 5. c. 10.* Hujus radice mangones utebantur, ad pubertatem venalium coërcendam quos usquam diutissime impubes conservari lucrosum erat, ut infra videbimus: unde est quòd *mancipiis vaccinia sata*, Plinius ait. Alii purpuræ elegantis colorem inde efficiebant, quare id de Gallia addit, ut & Vitruvius. quod vidimus: narratque Salmasius se puerum ex floribus gladioli (quem cum *vaccinio* ac hyacintho Poëtarum eundem facit) contusis, chartas pinxisse purpura egregiâ. Sed & Chymicos flore istô consuevisse uti, ad tingendas vitreas gemmas, hyacinthosque faciendas, discimus ex Zosimo. Vide Auctorem præfatum, ubi suprà passim, imprimis, *p.* 125. & hîc, ubi de *Gladiolo* ac *Hyacintho*.

M. VACCUS, Dux Fundanorum in Privernati bello, qui quum à L. Papyrio captus esset, ædes ejus dirutæ sunt, & bona publicata ob regnum ab eo affectatum. Liv. *l. 8. c. 19.* Cicer. *pro domo sua*, c. 38.

VACHALIS, vide *Vahalis*.

VACIUS, Græcè *Ἰακιος*, vide infrà *Vatius*.

VACOMAGI, Albionis insulæ *Ptol.* quorum oppid. *Sterling*. præclarum. ubi Reges coronari solebant, teste *Hectore Boëthio*: a Glasquô 20. & Dumblanâ 10. mill. pass. distans. Alii sunt Horestii & Taizali fruuntur, & in plores regiones seu tractus dividuntur, qui Boena, Gatecolha & Nellandia. Horum oppid Culenum & Bamfum. Ibi mons auri ferax. *Carnono* veró sunt, ubi Moravia, vulgò *Murray*. *Banitravo* fuère populi Scotiæ Septentrionalis seu Transtaanæ, juxta *Vagar* æstuarium, ubi hodie Moravia & pars Orientalis Rossiæ, in ora maris Germanici Taizalis finitimi ad Ortum. Eorum primarium Banatia erat. Longè à Strivelinga provinc. in Boream.

VACONTIUM, oppidum Pannoniæ inferioris, *Ptol.*

VACORIUM, urbs Norici non obscura. *Ptol. Villach Jovio & Sabellico*: ad Dravum fluv. in Carinthia, inter Salisburgum ad Occasum 24. & Labacum in Ortum 12. leuc. in via, quæ Flaviânum seu Viennam ducit. Sed Lazio est *Strasburg* oppid. Gurco urbi finitimum, milliarió Germanicô in Boream Altenhoffum versùs distans: vel ipsum *Altenhoffen*, à Virunó 1. mill. ac. in Austrum, Viropolim versus recedens. Cluverio est *Vagram*, vicus Salisburgensis ditionis prope Juvavum fluv. 16. mill. pass. à Cucullis versùs Meridiem, ut 30. à Salisburgo, vix 10. à confinio Carinthiæ.

VACOSUS, Dux Artaxerxis, templum Hierosolymitanum violavit, ulciscens mortem Jesu, quem Joannes frater interemerat. Joseph. *l. 11. Jud. Ant. c. 7.*

VACUA, vide *Vacca*.

VACUEFACTIO, quod pœnæ genus? Vide suprà *Hostis*.

VACUI Fasces, apud Calpurnium, *Ecl. 1.*

Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris,
Nec vacuos tacitus fasces, & inane tribunal
Consulis arripiet ——

cassi sunt, ac nullius potestatis, cujusmodi sunt Consulis Codicillaris, qua de honorum umbra, apud citerioris ævi Romanos, diximus aliquid paulo antè, in voce *Vacuus*, & plura alibi. In tessera Veteres latus illud, in quo unitas tantùm notata erat, vel unicum punctum, *vacuum* dixerunt, sicut illud, quod 6. habebat puncta, *plenum*. Hinc in paroemiis, Zenobii, ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι, Salmasio τρεῖς κύβοι, sunt *tria latera* trium tesserarum *vacua*, quæ tota tria latera tria tantùm puncta exhibent; at τρὶς ἓξ κύβοι, sunt tria latera plena in tribus tesseris, quæ ter sex uniones ostendunt, ex his *Hesychii*, οἶνο ἢ ἀμυστὶ λ⸗ κυβευτικὸς βόλ⸗, ὁ κενὸς ἢ ἀδυνατ⸗ τῷ ἕξ. Ubi οἶνον hic vocat τὴν μονάδα, unionem, quem & κενὸν βόλον, *vacuum jactum*, appellabant, eique contrarium aiť esse τὸ ἕξ. quem πλήρη, *plenum*, dicebant. Vide Salmas. *ad Proculum Vopisci*, c. 13. & suprà *Plenum*. De tribus doliis seu lebetibus *vacuis* Dionysio olim in Elide collocari, in æde diligenter occlusa obsignataque, solitis, qui posterâ die vini pleni reperti, diximus retro, ex Aristotele *de Mirabilib.* &c.

VACUNA, rusticorum Dea, quæ præesse *vacantibus* & otiosis putabatur: cui, cùm agricolæ laboribus ruris vacarent, ut post percéptos fructus requiescerent, per hyemem vota solvebant, & sacrificabant. Ovid. *l. 6. Fast. v. 307.*

Nunc quoque, cùm fiunt antiqua sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.

Horat. *l. 1. Ep. 10. v. 49.*

Hæc tibi dictabam post fanum putre Vacunæ.

VACUNÆ Nemora, habet Plin. *l. 3. c. 12.* in agro Reatino juxta montem Fiscellum in Italia, *Vacunæ Fanum*, habet Horat. *loc. cit.* Pro oppido, interpretantur *Blondus* & *Leander*; quod hodie nomen retinere scribit *Ortus Catelanus*, *Baudrando* vulgo *Vacone*, pagus Sabinorum, Curibus proximus, inde 4. mill. pass. à Tibure supra 20. in Occasum & Boream à Reate 12. in Occasum, *Ferrar.*

VADA, vulgò *Wageningen* Divæo, oppid. Batavorum in Ducatu Geldriæ, inter Noviomagum 2. & Trajectum inferius, 6. leucis ad Rhenum, 3. à Batavoduro in Ortum.

VADA Sabatia, portus Liguriæ cum arce munita in valle, ad Sabatam, urbem extinctam, unde ei nomen, sub Genuensibus vulgò *Vai* seu *Vado*, 3. mill. pass. à Savona in Occasum, 3. Naulum versus, in ora Occident. Genuensi.

VADA Volaterrana, portus Hetturiæ, ad ostia Cecinæ fluv. ubi nil hodie, præter turrim, *Ferrar.* *Baudrando* est vicus parvus agri Pisani, cum portu in ora maris Tyrrheni 20. mill. pass. à Liburno in Eurum, totidem à Volaterris in Occasum, vulgo *Vada*.

VADANI Mons, vulgò *Vaudemont*, oppid. est Lotharingiæ, inter Mosellam & Mosam, inter silvas & montes: caput Comitatus à Ducis Lotharingiæ proximô hærede possideri soliti, in quo villam *Wasfoncourt* Richerius ponit. Quidam *Wadanus Mons* habent. Chiffletius *Vadani Montis* Comites appellare mavult. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VADATA, Urbs Chamanæ regionis in Cappadocia, *Ptol.*

VADAVERO, Hispaniæ Tarraconens. mons, ut legit Turnebus apud Martialem, *l. 1. ad Licinianum* conjunctim nempe, ubi excusi codices *Vada Veronem* divisim legunt. Vidit Abrah. Ortelius librum MS. *de fluminibus & montibus Hispaniæ* Hieronymi Paulli Barcinonensis, in quo hæc scripta: *Quidam non temere, Celtiberiæ montem esse existimant, ab alto effractium. atque in insulam positum. quem nunc* Vadavicorum *corruptè vocant.* Turnebi lectionem, *in suis Curis secundis, ad Martialem*, retinet accuratissimus P. Scriverius. Alius fluv. est Celtiberiæ, in Salonem influens.

VADDASI, gens Mediæ, *Ptol.*

VADECINIENSIS Episcopus, in Africa. *Victor. Uticensis.*

VADENI, populi Arabiæ Felicis. *Ptol.*

VADENSIS, Episcopus Numidiæ.

VADENSIS Pagus, hodie *le Valois*, in Silvanectensibus Capitulis Caroli Calvi memoratus, erat, ut est hodie, proximus pagis Suessionico & Urcensi, in Gallia. Hunc Hugo Magnus, frater Philippi Regis ductâ Adelheidâ, filiâ Comitis Veromanduensis, dotis nomine, cum Comitatu Veromanduo accepit. Ejus caput nunc Crespejum vel Crispiacum, *Crespy en Valois* vulgò, olim Vadum vulgò *Ve*, fuit: & hoc hodieque vicus est, inter Villare ad collum Retiæ & Crespejum. Sic Vadum Magnum in pago Bajocassino Galli vocant *le Grand Ve*. Habet sylvas magnas & multas, præcipuè sylvam Retiam *Rets*, quæ est inter Firmitatem Milonis, & Villare ad collum Retiæ. Partim est in Sylvanectibus, ut Crispejum; partim in Suessionibus, ut Altolium *Auteuil*, Prioratu seu Cellâ Cluniaco subjectâ nobile: haud ita pridem ex Comitatu Ducatus factus. Porta *Valesia* Joh. Saresberio dicta, quæ alias porta Veneris, vel Suessionica Durocortori Remorum ad Occasum Solis, occasionem nonnullis præbet suspicandi, *Vadensem* pagum, jam ante ann. 500. *Valesium* esse dictum, quòd ut in urbem Suessionas, sic in pagum Valesium Suessionis proximum duceret. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VADEO-REGIA, *Ptol.* Vide *Badei regia*, vel *Badeo*.

VADES, vide infrà *Vas*, *adis*.

VADIANI, apud Augustin. *de Hæres. ad Quodvult-Deum*, *Hær.* 50. per metathesin literarum, pro *Audianis*, *Deum sibi fingebant cogitatione carnali, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, hincque *Anthropomorphitæ* etiam appellati sunt. Vide suprà ubi de *Audio*, hæreseos auctore, & *Audianis*. Librarii erratum quidam in hoc loco esse volunt, teste Forbesiô, *Instruction. Historico-Theol. l. 1. c. 36. §. 5.*

VADIANUS Joachimus, Sangallensis, Medicus, Poëta & Geographus celebris. Scriptis doctissimis de Rep. literaria, de Patria imprimis Reformationis negotio strenuè promoto optimè meritus. Imperatoribus Principibusque charissimus, obiit A. C. 1551. ætat. 66. postquàm Consulatum decies in patria gessisset. Vide & *Joachimus Vadianus*; addo hîc saltem, Jos. Scaligerum, & Colomesium, *Notis in Scaliger.* eum inter doctissimos Germaniæ viros habere, ac proin non probari Eruditis, quòd *Commentarium* illius *in Melam*, *rus & silvam olere* Vossius ait. Opera ejus enumerat Teissier, *Elog. Part. 1.*

VADICASSES, Plin. *l. 4. c. 18.* Galliæ Lugdunensis populi fuère, ubi hodie provinc. Nivernensis ad Ligerim. Caput eorum fuit Noviomagus Vadicassium, *Nevers*, *Baudrand*. *Valesio* olim *Catalauni* à gente, qui iidem cum Vadicassibus: hodie *Chaalons*. Fuitque Urbs posteà, divisâ Galliâ Lugdunensi in duas provincias, Belgicæ in totidem, provinc. Belgicæ secundæ cum gente attributa. A *Vadicassibus* nomen habet ad Matronam ager, *la Gacevesse* Gallis nuncupatus: Pagusque *Vadicassinus* hodie ex parte quidem Meldorum est, Meldicæque diœceseos ac etiam Suessionum: sed ex majori parte Catalaunorum seu Vadicassium, Catalaunicæque parœciæ. Idem ex Petro Cluniacensi Abbate *Epist. ad Gaufredum Catalaunensem Episcop.* colligit, jam ante annos 500. Catalaunorum seu Vadicassium Episcopum, dominium aliquod & jurisdictionem, Comitivam putà atque Pariatum, aut certè saltem aliquid, quod utrique originem dederit, habuisse, *Notit. Gall.* Vide quoque suprà in voce *Catalauni*.

VADIMON, Jani cognomen apud Etruscos.

VADIMONIS Lacus est parvus admodùm, in quo fluctuant insulæ, in provinc. Patrimonii, de quo Plin. multa commemorat, *l. 8. Ep. 20.* Meminit hujus lacus Polyb. *l. 2.* Ubi τὴν Ὀαδμονα λίμνην appellat, corruptè forsan à genuino Ὀυαδμονα. In fragmento Sotionis, de miraculis fontium, fluvior. lacuum sic scriptum est ἐν τῇ Ἀσκ-

oru

ναι ὁ Ἄμμων ὁ καλυμβὴν λίμνη, ὁ μεγάλη ἐν Ἰταλίᾳ, ὅμοιος ἔχουσα νησία πλωτὰ πεζευμένα. Ubi etiam viri docti rectè correxerunt Λάκος Οὐαδίμων. Senec. *l.* 3. *Nat. Quæst. c.* 25. *Ipse ad Cutilias natantem insulam vidi; alia in Vadimonis lacu vehitur.* Plin. *l.* 2. *c.* 95. *Quædam insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, & Vadimonis lacu.* Apud Liv. *l.* 9. *c.* 39. leges apud hunc lacum à Romanis cæsos fuisse Etruscos, An. Urb. Cond. 645. Denique Florus, *l.* 1. *c.* 13. Tandem omnes reliquias Gallorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit. *Lago di Bassanella* Leandro dicitur, sed *Lago di Viterbo Fabr. Baudrand.* distat vix 3. milliar. à Tiberi 4. ab Horta in Meridiem, prope Basanellum castrum, estque in ditione Pontificis in provinc. Patrimonii.

VADIMONIUM, vide infrà *Vas, adis.*

VADINIACUM, locus Galliæ in Insul. Iteæ flumin. diœcesique Rotomagensi, Cellam seu Prioratum Benedictinum habet, & nunc *Gany l'Isle* vocatur, quibusd. *Vadum Nicasii* dicitur. Valel. *Notit. Gall.*

VADIUM, vox medii ævi, in duello seu monomachia, cujus frequentissimus tum usus, dicebatur res quæ vice *pignoris* ab eo, qui provocabat, in medium projiciebatur coram Judice; quô quidem factô verum scil. dicere, vel ab objectô crimine non modò se innocuum esse, sed id etiam duellô adversùs quemlibet probaturum, profitebatur. Tum enim accusator, aut quivis alius, pignus humô tollebat, eôque ipsô duellum amplectebatur. Et quidem actor dabat *vadium disrationandi*, reus *defendendi*, uti ait Skenæus *ad Reg. Maj. l.* 3. *c.* 23. quorum is, qui vadium tollebat, *operire* illud dicebatur, Harduinus *de la Jaille, in Tract. MS. du Champ de bataille.* Erant autem vadia hujusmodi *chirothecæ* communiter, Skenæus *d. l.* Vide quoque suprà voce *Campio*, item ubi de *Duello*. Voci origo, à Latino *vas, adis*; idem enim quod vadimonium, pignus, fidejussio, *vadium* fuit: quam in rem vide plura, apud Carol. du Fresne, *Glossar.* ubi de vocis quoque & verbi *vadiare* inde deducti apud Practicos ejusdem ævi usu, varia addit. Inde verò *gage* Gallis, hodieque pignus notans &c.

VADNIA, urbs Cantabrorum, *Ptolem.*

VADOMARII, pagus Alemannorum, circa Rhætos, Ammian. *l.* 21. de quibus vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti *p.* 640.

VADSTENA, vulgò VADSTEIN, urbs Ostrogothiæ in ora lacus Veteri, prope Motulam fluv. 9. leuc. Suecic. à Norcopia in Occasum. Ibi aliàs superbum palatium Sueciæ Regum.

VADUM, vulgò VE', caput pagi Vadensis in Gallia, vide *Vadensis Pagus.*

VADUM, castellum est Galliæ, quòd *Vadum Mali Nidi*, vulgò *Gué de Mauny* dicitur. Hic Johannes, Philippi Valesii filius, natus est, A. C. 1319. Est & Magnum *Vadum S. Clementis, le Grand Vé*, ad ostium Viræ, quô sinu Bajocassini, à Constantinis dividuntur, & à quo in Eccles. Bajocassina Archidiaconatus *Vadensis* nomen accepit. Hadr. Valel. *Notit. Gall.*

VÆRIACA, urbs Phœniciæ, *Lib. Notit.*

VÆSAPA, urbs Armeniæ minoris, *Ptolem.*

VAGA, seu VAGENSE oppidum, Plin. *l.* 5. *c.* 4. urbs Africæ mediterranea excisa, ubi Hunnericus Rex Vandalorum Catholicorum persecutor miserè obiit. Ejus meminit Silius, *l.* 3. *v.* 259.

Tum Vaga, & antiquis dilectus Regibus Hippo.

Alia, *Vaga*, seu *æ*, urbs Mauritaniæ Cæsareensis mediterranea Juliæ Cæsareæ finitima, *Tegdemer Villanovano. Batha, Baudrand.* ad Minam fluv. in regno Algerii, in provinc. montium; hodieque satis ampla, 70. mill. pass. ab Orano seu Quica in Meridiem, 200 ab Algerio in Africum.

VAGA, fluv. Albionis in Wallia, in Sabrinam apud Chepstovium influens, *Gowy, Guy*, vel *Wy* hodie vocatur.

VAGABANTA, legionibus nobilis locus, circa Persidis confinia, *Ammian.*

VAGAL, urbs Mauritaniæ Cæsareensis *Antonin. Vagalitani* Episcopi meminit Victor Uticensis. An *Vaga*?

VAGEDRUSA, fons Siciliæ apud Syracusas, quæ & *Arethusa*. Ejus meminit Silius, *l.* 14. *v.* 230.

Qui fontes Vagedrusa tuos, & pauperis alvei
Hypaten. ——

VAGENI, qui VAGIENNI Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Bagienni* Varroni, *Batieni* Ptolem. *Bacieni* Paterculo, populi Liguriæ montanæ, ad ortum Padi, quorum oppid. vulgò *Vigor* dicitur. De Vagenis Silius, *l.* 8. *v.* 606.

Tum pernix Ligur, & sparsi per rura Vageni.

Baudrando fuêre, ubi hodie Marchionatus Salutiarum, *le Marquisat de Saluces*, ad radices Alpium. Horum caput erat Augusta Vagiennorum, fortè eadem cum Salinis, *Saluces* vulgò.

VAGENUM, oppid. German. *Wagenheym.*

VAGITUS, infantum melos, cui Vaticanum Deum præfecit Gentilitas. Augustin. *de Civ. Dei, l.* 4. *c.* 11. *Ipse in vagitu os aperiat, & vocetur Deus Vaticanus.* Et *c.* 8. *ejusd. l.* *Aut Vaticano, qui infantum vagitibus præsidet.* Qua de re apud Aul. Gellium, *l.* 16. *c.* 17. *Varro — sicut Aius, inquit, Deus appellatus, araque ei statuta est, quæ est infimâ Nova via, quòd in eo loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus Deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia, quoniam pueri, simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est: idcircoque vagire dicitur, exprimente verbô sonum vocis recentis.* Hinc *vagio, vagulo* & *vagulor*, quod est queror cum convicio, ploro & clarè clamo. Aliud est *lallare*, ut Græcorum βρέφος, ejusdem ætatis vox: ut cujus organa ad elementa cætera exprimenda minùs idonea est: item *cacare*, Græcè κακᾶν & κακκᾶν, Christ. Becmannus, *Originibus L. L. p.* 700. Vide quoque suprà voce *Infans.*

VAGNA, in *Gloss.* vas vinarium ingentis magnitudinis, idem quod *Buttis* & *Cupa*, quas voces vide. Unde Græci Grammatici, vocem Latinam suô more dum exprimere conantur, *manganam* fecêre. *Suidas*, γαυλὸς, εἶδος ἀγγείου, ἐκ ξύλων κατεσκευασμένον, ὃ Ἰταλοὶ μάγγανον ὀνομάζουσι. Vide Salmas. *ad Capitolini Maximinos, c.* 22.

VAGNIACUM, seu Æ, vulgò *Maidston*, teste Camdenô, oppid. seu castrum Albionis in Anglia, inter Londinum 28. & Durovernum 23. mill. pass. in Occasum in Cantio. *Antonin.* ad Meduvagum fluv. *Baudrand.* Talbotô est *Wrotham* pagus ejusdem tractus.

VAGORITUM, seu SESSUI, urbs fuit Normanniæ, nunc *Sees*, Suessuonum caput. *Sagium* recentioribus. Episcopalis sub Archiepiscopo Rotomagensi ad fontes fluv. Olinæ, 10. leuc. à Lexovio in Meridiem, 5. ab Alenconio in Caciam.

VAGOSOLA, Scythiæ fluv. *Jornandi.*

VAGRIA, vulgò WAGERN, provinc. parva Holsatiæ, versùs oram maris Baltici inter Lubecam ad Meridiem ac Chilonium ad Boream. Ejus urbes sunt Lubeca, Oldesloa, Plona *Ploen*, Segeberga, & Oldenburgum. Partim sub Danis, partim sub Holsatiæ Ducib. & Episcopo Lubecensi.

VAGULATIO, vide suprà *Vagitus.*

VAGUM, promontor. Corsicæ, in ora Orientali hodie *Capo Brigalino* seu *Brigaglia*, prope stagnum cognomine 5. mill. pass. à Bastia Urbe in Meridiem Marianam versùs 10.

VAGUS, fluv. Hungariæ Transdanubianæ aliter *Vaga*, vulgò *le Vag.* Oritur ex monte Carpatho, in confinio Poloniæ dein per Hungariam superiorem fluens, ibi rigatis Transchimô, Calgotiô & Schintâ oppidis, in Danubium se exonerat, 2. leuc. supra Comorram in Boream, estque limes ditionis Austriacæ & Turcicæ.

VAGUS, fluv. Scandiæ, *Jornandi. Waga Erberstenio.*

VAH, Græcè οὐὰ vel οὐᾶ, quod ex Latino ortum; vocula insultantis, Marci *c.* 15. *v.* 29. Οὐὰ ὁ καταλύων τὸν ναόν. Item laudantis & admirantis, idemque valet, quod θαυμαστῶς, σοφῶς, εὖ, ὑπέρευ, & similes. Apud Comicos frequens,

Vah, qualem me putas esse ——

Et

Tum Syrum illum impulsorem, vah quibus illum lacerarem modis?

Ut & in acclamationibus Veterum. Sic apud Dionem *in Nerone* πάντων δὲ τῶν ἀνθρώπων, καὶ αὐτῶν τῶν βουλευτῶν ἐν μάλιστα συμβοώντων, Ὀλυμπιονίκα οὐά. Πυθιονίκα οὐά. Αὔγουστε, Αὔγουστε. Νέρωνι τῷ Ἡρακλεῖ κτλ. Ubi Interpretes verterunt *Olympionica ova, Pythionica ova.* Cùm tamen οὐὰ seu οὐᾶ, nihil aliud sit quàm *vah* Latinum; quod & Græci usurpârunt, in illis acclamationibus, vel etiam Scriptores Græci, qui ipsissima verba illarum acclamationum referunt, cùm cætera Græcè expressissent, vocem hanc ex Latino retinuerunt. Sed verius est, illos eam quoque usurpâsse, uti & ex Arriano discimus, *l.* 3. *c.* 23. Vide Salmas. *Notis ad Treb. Pollionem in vit. Claudii, c.* 18.

VAHALIS, Batavorum fluv. aut potiùs pars Rheni, ab eo post Embricam decisa, ac penes Noviomagum & Tielam fluens, Mosæ ad Vorcum oppid. Hollandiæ congreditur. Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 6. *Rhenus*, inquit, *uno alveô continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur: servatque nomen & violentiam cursus, quâ Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior & placidior affluens; verò cognomentô Vahalem accolæ dicunt: mox que id quoque vocabulum mutat Mosâ flumine; ejusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.* Nomen *Vahalis* quod attinet, variè id in Cæsaris exemplaribus variis scriptum reperitur. Quædam enim habent *Vachalus*, quædam *Vaccalus*, alia etiam *Walis*. Cæterum verum & germanum hujus fluv. nomen tam apud Cæsarem, quàm Tacitum *Vahales* esse affirmat Cluverius; quemadmodum apud Servium quoque legitur *Vahal.* Germanis olim ut nunc etiam dicebatur *Wael*, sive *Waal*, geminato *A.* quia crassus ejus in hoc vocabulo sonus. Fortè à Walis, i. e. Gallis, quô nomine Helvetii etiamnum Gallos, Hispan. Italosque vocant, Rhenanus de eo *libro Itiner. Germ.* 4.

Dordracum serò appulimus; dein maré Vahalis,
Sive Mosæ potiùs (tot enim jam cornua Rheni
Nominibus gaudent) transivimus; ——

Vide *Rhenus.*

VAJEZATHA, filius Aman, Esth. *c.* 9. *v.* 9. i. e. *aspergens thalamum*, vel ex Ebræo & Syro, *vae olivæ.*

VAIGATIA, vulgo WEIGATS, Insula Oceani Septentrionalis inter oram Moscoviæ Boreal. à qua dirimitur Fretô Vaigatiô ab ea dictô, in Austrum, & novam Zemlam ad Arctos. Hoc fretum inter Samojedam & Novam Zemlam situm, jam *Nassovicum*, Gall. *le destroit de Nassau* dicitur, ab Hollandis, qui inde ex Oceano Septentrionali seu Russico, in mare Tartaricum contendere conati fuerunt, eôdem fine, quô freta Davis & Hudsonii lecta sunt, ut in Indiam Orientalem navigaturi, gravissimum Solis æstum evitarent. Emissæ hanc ob causam naves quatuor A. C. 1594. quæ conditionem locorum Septentrionalium explorarent, nauclerô Wilhelmô Barentiô circa Autumnum reversæ sunt, ac transitum illuc valde probabilem, putarunt, confirmantibus id cumprimis Joh. Hugone Linschotanô, qui navigationi interfuerat, & Petrô Planciô, celebri tum temporis Cosmographô. Proin de novo classis 7. navium A. C. 1595. emissa

missa fuit, nauclerô eôdem Barentiô, & summo Præfectô Jac. Heemskerkiô: Quâ iterum successu reversâ, cùm prodigiosa freti glacies ipsos nimium quantum impedivisset, conclusum quidem ab Ordinib. ne publicis sumptibus iter hoc de novo tentaretur, concessum tamen mercatoribus est, ut negotium hoc suis sumptibus ulterius liberè experiri possent, additumque, non defuturam ex publico impensarum restitutionem & remunerationem largissimam, si quis illud iter feliciter expedisset. Itaque Amstelodamenses A. C. 1596. suis sumptibus viam hanc de novo tentandam curarunt, emissis duabus navibus, præfectisque iisdem Heemskerkiô & Barentiô. Qui ne frustra redirent, summa cum patientia quidem in Nova Zembla hibernârunt, nihilominus tamen A. C. 1597. post tertiâ vice frustra tentatum Septentrionem, redire coacti sunt; glacie 50. & amplius cubitorum illos urgente, & Barentiô in mediis laboribus extinctô. A quo tempore transitus in desperatis haberi cœpit. Eum tamen porro tentandum suadet Isaacius Pontanus, suggeritque hæc consilia: 1. ut more Emanuelis, Portugalliæ Regis, qui, cùm Indiam cogitaret, primùm terrestri itinere, ipsam explorari curavit, mitterent, qui à Samojedis, Tingœsis ac Tartaris terræ marisque conditionem primò discerent. 2. Navem eò destinarent, quæ in commoda statione, inter populos istos, annis aliquot subsisteret. 3. A Japania illuc transitum periclitarentur. Addunt alii, fortè etiam post Novam Zemblam mare liberius fore, nec transitum, per hoc fretum necessario requirendum iri. Ratio autem tantæ hîc glaciei est, quod immensam copiam ejus maximi fluvii Obrius & Jeniscea effundant, &c. Vide Hug. Grotium *Histor. Belg.* Gerhard. de Veer *descr. Navig. harum trium.* Pontani Consilium *Hist. Navig. Belg. sub finem.* Becman. *Hist. Orbis terr. Geogr. & Civil. &c.* & in voce *Fretum Vaigatium.*

VAILLANTIUS Germanus, vide *Germanus.*

VAIR, seu *du Vair* Guilielmus, Episcopus Lexoviensis, Franciæ Procancellarius, Peiteleio laborum socius, obiit A. C. 1621. ætat. 65. Scripsit meditationes in Psalmos, Philosophiam sacram, &c. Gramondus, *l. 9. Hist. Gall.* Sammart. *de Episc. Lexov.*

VAIVODA, nomen dignitatis, apud Dalmatas, Croates, & Hungaros, de qua sic Jo. Leunclavius, *Pandecte Turc. n. 71. Vaivodæ nomen generaliter significat Præfectum militum, quem Capitaneum vulgò vocant. Sed apud Hungaros, ut olim, sic etiam hodie, duæ sunt administrationum maximarum appellationes: una Bani, altera Vaivodæ. Vaivoda verò Præses dicitur, loco Regis administrationem habens in aliqua provincia, puta Transylvania, Valachia* &c. Βοεβόδοι Duces, c. 19. Βοεβόδ☉ Constantino Porphyrog. *ad Administr. Imp. c. 38.* Fortè & Βοεάνδες Theophani, *ann. 24. & 33. Constant. Copron.* ubi de Bulgaris. Vide Joh. Lucium, *de Regno Dalmat. l. 6. c. 1.* ubi exercitus ductorem olim hàc voce denotatum fuisse, inter alia ait, Jo. Seldenum, *de Titulis Honor. Part. 2. c. 2. n. 3.* & Car. du Fresne, *Glossar.*

Du VAL Petrus, vide *Petrus.*

VALA, Thraciæ urbs, *Ptol.* Mauritaniæ Tingitanæ quoque eidem.

VALACHIA, Gall. VALACHIE, regio Septentrionalis perquàm lata, à Transylvania incipiens, usque in Pontum Euxinum protensa, plana ferme tota, & aquarum indiga, *Nic. Lloyd.* Sed auri et quorumque optimorum ferax. Moretius eam fluviis plurimis irriguam esse scribit. *Baudrand.* pars est antiqui regni Hungariæ, ubi aliàs pars Daciæ. Terminatur à Meridie Istrô fluviô & partim Bulgariâ, ab Oriente Moldaviâ, quæ olim *Cisalpina Walachia* dicta est, à Septentrione Transylvaniâ, & ab Occasu Hungariâ. Ejus caput est Tergoviscum, *Tarvis*, & Principem habet proprium sub clientela Turcarum, à quibus ingenti tributô 100000. librarum Franc. oneratur. A Valachis, quos exules adduxerant, Balduinus Imperator Constantinopol. victus truncatisque manibus ac pedibus occisus, mox Thracia devastata est, A. C. 1206. Postea Casimirus M. Poloniæ Rex, dum Stephanum Vaivodam, à fratre Petro pulsum, restituere conatur, ab hoc in insidias pertractus & victus est, A. C. 1169. ejus verò successor Ludovicus Ungariæ Rex, Transalpinam Valachiam subegit, A. C. 1370. Vladislaus quoque Jagello Valachiæ Palatinos in fidem recepit, A. C. 1411. & rursus Sigismundus Poloniæ Rex, Valachis victis, Senatuque gentis captô, Bogdanum Vaivodam sibi jurare coëgit, A. C. 1506. Dein verò Turcæ hic rerum potiti, ac sub Sigismundo III. Constantinum Vaivodam infeliciter adversus Tomsam a Turcis substitutum, restituere Poloni tentârunt, A. C. 1612. cumque post hæc Gratianus Vaivoda, A. C. 1620. ad Polonos defecisset, Osmannus Turcarum Imperator missô in Valachiam Skinderbaisâ, cum CM. Turcarum, Polonicum exercitum fudit, Gratianô, qui paulò antè fugerat, in casa cujusdam Valachi ab hoste cæsô. Vide Lætum, *Compend. Hist. Univ.* Cluver. Sansonem, du Val, & Brietium *Geogr. &c.*

VALACHIA, antiquitus vocabatur Africæ propriæ quædam urbs circa Tunetum, quam hodie *Cammart* appellant, ut refert ex quodam scriptore Arabe *Marmolius.*

VALACHRIA, vulgò *Walcheren* incolis, *Ovalchre* Gallis, insula Belgii uniti, Zelandiæ Comitatus seu provinciæ præcipua, inter Occidentales ejus Insulas potentissima, inter ostia Scaldis fluvii. Ejus circuitus est 28. mill. pass. circiter, estque inter Scaldiam insulam ad Boream, Oceanum Germanicum ad Occasum, Flandriam ad Austrum, & Bevelandiam Australem insulam ad Ortum. Ejus præcipua urbs est Middelburgum, *Middelburg*: aliæ sunt Flissinga, *Flessingues*, Veria, *la Vere*, & Arnemuda, *Armuyde*, oppidum.

VALACHRIA Nova, *new Walcheren* Batavis, *nouvelle Ovalchre* Gallis, insula est Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, quæ aliter dicitur insula Tabaci, *Tabago*: estque probè culta ab Hollandis, quibus etiam subest. Vide *Insula Tabaci*, & *Nova Valachria.*

VALAFRIDUS Strabo, Benedictinus, discipulus Hincmari, Abbas Richenoviensis, in diœcesi Constantiensi, obiit A. C. 849. Ejus extant, 1. *de Officiis divinis, seu de exordiis & incrementis Rerum Ecclesiasticarum.* 2. *Vita S. Galli.* 3. *Vita S. Othomari.* 4. *Tractatus de eversione Hierusalem: ad Luc. c. 19.* 5. *Poemata.* 6. *Glossa ordinaria in S. Scripturam.* Sigeb. *de Viris illustr. c. 71.* Voss. *l. 2. Hist. Lat. c. 33.* *Christoph. Brouwer. Possevin. &c.*

VALANIA, aliàs *Balania*, maritima & Episcopali titulô illustris est urbs, sita ad Valaniam fluvium, atque à castro Margath milliariô unô, à Ptolemaide itinere dierum octo, ab Antiochia verò quatuordecim dierum itinere distat.

VALANIA, fluvius seu rivus, qui Cœlesyriam dividit à Phœnicia, atque olim Principatum Antiochenum à Comitatu Tripolitano dirimebat, ex montib. à Phœnicia & Libano non longinquis oritur.

VALAQUERIA, vulgò *Balaguer*, urbs munita Hispaniæ in Catalonia, ad Sicorim fluvium, 5. leucis distat ab Ilerda in Caciam, Urgelam versùs 16. Ibi grandi clade affecti fuêre Hispani, A. C. 1645. à Gallis Duce Harcurtiô. Dicitur & *Ballegarium.*

VALAS, seu OBALAS, Persarum Rex, fratrem Perozam excepit, divitiis & subditorum amore inclytus, regnavit ann. 4. successore Cabade, seu Cavade, quem vide.

VALASCA, Bohemorum Regina, quæ factâ cum cæteris mulieribus conjuratione, de excutiendo virorum principatu, copiarum ductrix bellum movit, interfectisque viris, fœminas omnes asseruit in libertatem. *Volaterran.*

VALATHA, locus Syriæ, Zamari ad habitandum concessio ab Herode. Circa Daphnem Antiochiæ videtur.

VALCERNÆUS Petrus, vide *Petrus.*

VALCIODORUM, castellum Galliæ in monasterium conversum ab Gilberto Comite, A. C. 944. Locus est ad Mosam in Comitatu Namurcensi, vulgò *Vaussoire*, vel *Wausors*, inter Caroli Montem ac Bovinnam, Vales. *Notit. Gall.*

VALCULERIÆ, vulgo VAUCOULEURS, oppid. Galliæ in Campania provinc. sed intra fines Barrensis Ducatus insertum, ad Mosam fluv. 3. leucis à Tullo in Africum, & 6. à Fano S. Michaëlis in Meridiem.

VALCUM, *Antonin. Veltz Simlero, Valcowar*, teste *Lazio*, oppid. Pannoniæ inferioris & Hungariæ, ad Danubium, inter Varonianum ad Boream, & Bononiam ad Euronotum 4. leucis, à Mursa 3. à Quinque Ecclesiis 10. in Ortum.

VALDANUS, Plin. *l. 3. c. 25.* *Valpo Lazio*, fluv. Pannoniæ inferioris Valpum oppid. Hungariæ alluens, ac in Danubium ad Valcum infra Dravum fluv. influens.

VALDECUM, vulgo WALDECK, oppid. Germaniæ in Hassia, Comitatus seu ditionis cognominis caput, inter Landgraviatum Hasso-Cassellanum ad Ortum & Ducatum Westphaliæ ad Occasum. Oppidum autem jacet prope Ederam fluvium, 5. leuc. à Cassela in Occasum, & 7. à Marpurgo in Boream.

VALDHUSTA, vulgo WALDSHUT, urbs parva Germaniæ, sed munita, in Suevia provincia, ad Rhenum fluvium, sub dominio Austriacorum, in Klegovia tractu: Una est ex quatuor urbibus Sylvestrib. 7. milliaribus Germanicis distat à Basilea in Ortum, Scaphusiam versus 5. & 2. à Lauffenburgo. Meliùs *Waldshutum*, quod vide.

VALDIVIA, vulgò VALDIVIA, urbs Americæ meridionalis, in regno Chiles, cum portu percapaci, versùs oram maris Pacifici. Pluries destructa fuit ab Araucanis populis, nunc autem restauratur. 200. mill. pass. distat à civitate Conceptionis in Meridiem, uti 75. ab Imperiali; subestque dominio Hispan. & in ejus viciniis est lacus Valdiviæ dictus.

VALDEMONTIUM, vulgò VAUDEMONT, oppidulum Lotharingiæ cum castro, Principatus titulô clarum, in colle, 5. leuc. distat à Tullo in Austrum, uti 6. à Nancejo, vix autem 2. à Mirecurtio.

VALDERFINGA, vulgò VAUDREVANGE Gallis, *Walderfingen* Germanis, oppid. Lotharing. ad Saravum fluv. Distat 7. leuc. à Metis in Ortum, uti à Theodonis villa, Bipontium versùs paulò plus; Malè habitum fuit & devastatum ultimô bellô Lotharingicô.

VALDO, seu VALDUS Petrus, vir quidam pius, qui universum patrimonium pauperibus erogavit, dictitans inter Christianos omnia communia esse debere. Hic Sacram Scripturam multitudini exposuit & in linguam Gallicam vertit, aliaque quædam edidit Lugduni: dein, cum tuto ibi porro vivere non posset, in Picardiam secessit, illamque ferè totam puriore doctrinâ replevit. Dein per Vandalicas civitates diu exul diversatus, postremò in Bohemia consedit. Secul. XII. Ab hoc pauperes quidam Lugdunenses *Valdenses* appellabantur. Sic appellati sunt Cœtus Orthodoxi, qui A. C. 1160. cùm diutius celari non possent, in apricum, sub auctoritate *Petri Valdi*, præfati civis Lugdunensis opulenti, & pii prorupêre: *Lugdunenses* ab hac Urbe, ab Albigio in Aquitania, ubi Olivier docebat, *Albigenses*, ab exilio *Passageri*, præterea ab hostibus per calumniam *Arnoldistæ*, *Speronistæ*, *Josepini*, & *Chaignardi*: in Delphinatu, à Doctoribus suis, *Gazari*, *Cathari*, *Leonini*, *Pattarens*, *Lollardi*, *Turelupini*, *Gymnici*: à Picardia quoque, in qua numerosi eorum cœtus, *Picardi*, &c. dicti. Hi Papam Antichristum, Ecclesiam Romanam matrem fornicationum pronuntiantes, puritatem Sacramentorum & dogmatum tuebantur: Vide Jac. Aug. Thuan. *in Hist.* ubi ait: *his dua afficta de conjugio, Resurrectione, Animæ statu post mortem, cibis, &c.* Quemadmodum & Sadoletus, Carpentoracti Episcopus Valdensium suô ævô Confessionem agnovit, & quæ ultra illa capita, librô comprehensa de ipsis sparguntur, ad invidiam convicia & meras nugas esse ingenue declaravit. Horum itaque doctrinam, sedes, frequentiam, exilia, persecutiones horrendas, in Gallia, Sabaudia, Pedemontio, &c. vide apud Lætum, *Compend. Hist. Univ.* Joh. Legerum, *Hist. Vald.* Belgice, Gallicéque Lugd. Batav. in fol. editâ: Petr. Ægidium, *Hist. Eccl. Valdens.* Gall. scriptâ, in quart. &c. Item in voce *Waldenses.*

VALDOVIUM, vulgò **WALDOW**, desertum Poloniæ, in Prussia regia & in limite Poloniæ.

VALE, in digressu solenne, apud Veteres, uti *ave* & *salve* in congressu. Hinc de Athenodoro historia nota, qui cùm impetratâ ab Augusto domum redeundi veniâ, discessurus esset, Cæsari dixit *vale*, volensque aliquod Philosophô dignum monumentum apud illum deponere. *Cæsar*, inquit, *cùm fueris iratus; ne quid dixeris feceritve, priusquam Græcarum literarum 24. nomina recensueris*, apud Erasmum, *Apophth. l. 4.* Non enim sine aliquo pignore plerumque *vale* illud dicebatur. Addebatur amplexus nonnunquam, uti de Catone Uticæ morituro, refert Plut. *in eo*; & osculum, uti de Labane, genero Jacobo & filiabus Genes. *c. 31. v. 55.* & Ephesiis, Paulo valedicentibus, Actor. *c. 20. v. 37.* legimus, Romanos manum osculari, cùm valedicerent, solitos, docet Zuingerus, *Theatrô Hum. vitæ, p. 253.* Carmen insuper apobaterion adhibebatur, cui propempticon respondebat; quô abeuntes vel votis, vel bonis ominibus, accipientes *Vale* prosequebantur. Pro iisdem, vota quoque solenniter suscepta, non minùs ac pro ægrotis, qua de re vide Jul. Cæsarem Scaligerum, *Poëtices l. 3. c. 103. 104. & 107.* De Christianorum vero λόγοις ἐξιτηρίοις, *Sermonibus valedictoriis*, ὁμιλίαις item, *moratoriis* (quæ & ἐξόδια dicta) vide Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ἐξιτήριος: item Συνταχτήριος, nec non infrà, ubi de *Viatico*. Neque verò in discessu solùm, sed & in morte, *Vale* dictum, uti jam de Catone vidimus. Sic Alcestis, pro marito moritura, *valedixit* singulis in ædibus, omissô nemine, apud Euripidem *in ea*,

> —— πάντες δ' ἔκλαιον οἰκέται,
> Οὐκ ἦν ὅτῳ ... ἀποστρέφοι ... πάλιν.

Imò & mortuis illud ingeminatum, post tumuli peracta solemnia. Unde Virg. *l. 6. Æn. v. 231.*

> —— *dixitque novissima verba.*

Vide suprà passim. Hincque *valere* pro *perire*, usurpatum. Martialis, *l. 6. Epigr. 78. v. 5.*

> *Ridens Phryx, oculo*, valebis, *inquit:*

Id est, pereas, Gall. *adieu*. Et quia miselli se eos, qui moriebantur, in æternum amittere credebant, hinc *Vale longum*, sive *æternum* quoque illis dici cœpit, quibus amicitia renuntiabatur. Idem, *l. 5. Epigr. 68.*

> *Sæpe salutatus nunquam prior ipse salutas,*
> *Sic eris æternum*, *Pontiliane*, Vale &c.

Græcis ἔρρωσο idem, sed & χαῖρε i. e. *gaude*, quod non solùm in aditu & epistolarum initio, sed & abitu, ac literarum clausulas Veteres non rarò usurpavêre. Privatorum scil. Literas vero ad Imperatores claudebant hac formulâ, Εὐτύχει διὰ παντός, ut ex *Relatione extr.* Demetrii Phalerei ad Ptolemæum Philadelphum conjicit Casaubonus, *ad Sueton. Tiber. c. 32.* Quò facit Virgilianum illud, *l. 11. Æn. v. 97.*

> —— *Salve æternum mihi maxime Palla,*
> *Æternumque Vale* ——

Plura hîc passim, inprimis voce *Benevalete*. Nec verò hominibus solùm, sed & *Diis* olim cultores sui, uti matutinô tempore eos salutabant, sic vespertinô, domum redeuntes, *valedicebant*, solemnibus næniis, de quo more dictum aliquid, in verbo *Excitare*.

VALENA, *Ptol. Valbach Lazio*, oppid. Pannoniæ superioris, in Hungaria, ad Danubium, nunc pagus, Strigonio urbi proximus. Situs tamen apud Ptolemæum repugnat.

Imperatores Romani & Viri Illustres.

VALENS Flavius, Imperator, pietatis & Christianæ religionis hostis, ab adversariis barbaris crematus est, Sozom. *l. 8. c. 15. & 25.* Historia ejus brevis hæc est: Filius Gratiani, prope Cibalen in Pannonia natus, à Valentiniano fratre in consortium imperii adscitus est, A. C. 364. Orientis illi curâ commissâ. Hic Procopii rebellione territus, de imperio deponendo cogitavit, sed annô sequente felicior, vicit hostem caputque ejus abscissum Valentiniano in Galliam misit. Interim Gallis, qui Procopium adjuverant, bellum moturus, baptismum accepit, sed ab Eudoxio Ariano, qui Imperatorem in hæresin suam jurare coëgit: accesserant stimuli ab uxore similiter Ariana, unde, finitô vix cum Gothis bellô, edictum contra Orthodoxos, quorum olim defensor fuerat, vulgavit, persecutionis atrocis prodromum. Ipsemet Cæsareâ Basilium, Antiochiâ Meletium, Edessâ alios expulit: in Ægyptios inprimis sævus. Sed laudem meruit, quum plurimos Magorum, qui ejus successorem fore Theod. prædixerant, sustulit: Interim in omnes illos, quorum nomen ab his literis incepit, sævire incipiens, Theodorum quendam Ethnicum, dignum imperiô, & fortè illi imminentem, necavit, ne Theodosio quidem, patri Imperatoris cognominis parcens. Permisit interea Gothis, ut Thraciam incolerent, qui angustiis regionis hujus includi impatientes, vicinas undique regiones populati sunt, victô Lupicinô Romanorum Duce, & Valente frustra illis obnixô. Hic itaque Constantinopolin se recepit, Gothis ad suburbia usque grassantibus: coactus tamen populi conviciis, pace, quam Gothi obtulerant, rejectâ, cum illis ad Adrianopolim conflixit: Victus, vulnere in fuga acceptô, in proximum tugurium se deferri curavit, sed in illo ab hostibus, quis ibi lateret ignaris, igne subjectô concrematus est. A. C. 378. ætat. 50. Ammian. Marcellin. *Hist. l. 31.* *Ruffinus*, *Socrates*, *Theodoretus*, *Orosius*, &c. Constantini, Constantis & Valentiniani exemplô, qui omnes Augustum successoresque ejus imitati in hoc erant, Pontificem Maximum quoque se appellari Valens passus est: sed hujus successor Gratianus, edictô propositô, se talem appellari vetuit, atque ita ea Sacerdotii dignitas in Imperatoribus defecit, *Zosimus*.

VALENS Publius Valerius, Achajæ Proconsul, Imperator à Legionibus, Galieni tempore, proclamatus est. Lucium Calpurnium Pisonem contra se missum vicit, paulo pòst à propriis militibus occisus. Pollio *de 30. Tyr. c. 19.* Alius Imperator renuntiatus, A. C. 307. à Licinio victus est. Zosim. *l. 2. Eutrop. &c.*

C. VALENS Hostilianus Messius Aug. memoratur Pollioni & Aurelio Victori, inter eos, qui Deciô imperante, è Ducibus raptum ibant Imperium, aliàs Græcis æquè Latinisque Scriptoribus indictus. Vide Casaubonum *ad Histor. Aug.* post Capitolin. *Maxim. & Balbin.* Eum *Superiorem* vocat Trebellius Pollio, & *Valentis* cognomine *Thessalonici*, qui sub Gallieno, similiter in Illyrico, tyrannidem arripuit, *avunculum magnum*, an *avunculum* fuisse perhibitum, refert in *XXX. Tyrannis*, *c. 20.* quorum numero, ut rotundus fieret, hunc alieni temporis Tyrannum, adjecit, uti notat Casaubonus, *initô libri de Gallieno.*

VALENS, Episcop. Mursæ, in Mœsia, discipulus Arii, amicus Ursatii: qui ambo divinitatis Filii Dei, & S. Athanasii hostes. Item Episcopus Mediolanensis Arianus: contra quem Patres Concilii Aquilejensis ad Valentinianum & Gratianum scripserunt, A. C. 381. Item Medicus, Messalinæ adulter. Item Mathematicus celebris, tempore Constantini M. *Zonar.* & *Cedren.* An idem cum *Vestio Valente*, Antiocheno, cujus quædam edidit Joach. Camerar. *l. 3. Florid.*

VALENS, vide *Fabius.*

VALENS, vide *Salvius.* Item *Manlius*, & *Statius.*

VALENS Vectius, vide *Vettius Valens.*

VALENTIA, Otriculanorum Dea.

VALENTIA, priscum Romæ nomen. Solinus, *c. 1. princ.* *Sunt qui videri velint Romæ vocabulum ab Evandro primùm datum, cùm oppidum ibi offendisset, quod extructum antea* Valentiam *dixerat juventus Latina: servatâque significatione impositi prius nominis*, Romen *Græcè* Valentiam *nominatam.* Nempe Ῥώμη Græcè, propriè est *Valentia* Latinè: nam ῥώννυσθαι *valere* est. Glossæ, Ῥώμη, *Valentia.* Quâ voce indigitatur *robur* corporis, quod & ipsum ex eadem origine venit. Ῥῶμος enim & ῥώμη, ... Æolic. ... unde *robur*. Sed & inde dicti Ῥῶμος, Ῥωμύλος, Ῥῶμος namque vir fortis quoque Latinis *Remus*, à Ῥῶμος seu Ῥωμύλος, unde iisdem *Romulus*. Festus, *Romulus & Remus à virtute, h. e. robore, appellati.* Porro ὑγείας quoque Glossographi Græci vocem ῥώμη interpretantur, cùm tamen ὑγεία non *valentia* propriè sed *valetudo* sit. Hinc ὑγιεινότατοι ... Aristoteli & Stephano περὶ Ἐθν. in voce Μύκονος &c. Vide Salmas. *ad Solin. p. 6.* & infrà *Victor.* A quo autem *Romæ* nomen invaluit, antiquius illud *Valentiæ* in arcano haberi cœpit, quod prom efferre grande nefas fuisse, diximus in voce *Roma.*

VALENTIA, Plin. *l. 3. c. 3. 4.* Meliùs & aliàs *Valencia* Hispanis, *Valenza* Italis, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in ora Contestanorum, ad Turiam fluvium, regni Valentini caput, ampla, nobilis, & elegans, à Barcinone 49. leucis in Meridiem, à Toletô 60. in Ortum, tot à Cæsar-augusta, à Dianio 10. in Boream, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Toletano, posteà sub Alexandro VI. Pontifice Roman. Archiepiscopalis & Metropolis A. C. 1492. effecta. A Romo Rege annô post diluvium 902. condita putatur. Hæc Annô salutis 1238. ab Hispanis obsessa, deditione, abeuntibus Mauris, recepta est. De ea Andreas Resendius:

> *Millibus à pelago sejuncta Valentia tangit.*

Hîc Academia & totius regni Conventus juridicus, elegantiâ & populi frequentiâ (si Ulyssipponem excipias quoad incolarum numerum) nulli secunda, *Ferrar. Baudrando*, *Valence* Gallis, urbs aliàs Contestanorum, ad Turiam fluvium, qui paulò infrà in sinum Sucronensem, nunc Valentinum dictum, se exonerat, 49. leucis à Barcinone in Africum distat, ultrà Toleto in Ortum, & à Cæsar-augusta in Meridiem. Regnum hoc à Mauris constitutum est; quibus Metropolim eripuit celeberrimus ille Rodericus Dias, cognomine Cid, secul. 11. Sed hanc receperunt posteà, illâ iterum exuti à Jacobo I. Arragoniæ Rege, A. C. 1238. qui Christianorum coloniam eò deduxit. Vide Marian. & Turquetum, *Hist. Hisp.* Caspar. Escolanum, *Histor. de la Ciud. y Reyn. de Valenc.* Petr. Anton. *Coron. de Valenc.* Franc. Diagum, *Annal. de Valenc.* Concilium in hac urbe celebratum, A. C. 524. &c. Vide Morer. *in Dict. Hist.* & infrà in voce *Valentiæ Regnum.*

VALENTIA Altera, *Ptolem. Valence*, colonia & urbs Galliæ Narbonensis, ad Rhodanum fluvium, in Delphinatu Viennensi, 14. leuc. in Meridiem, Avenionem versùs 23. Valentino Episcopatui Diensis hodie copulatus est, *Ferrar. Baudrando* urbs est culta & ampla Galliæ, hodie divisa in urbem & burgum, cum arce & Academia celebri, in Delphinatu & in tractu Valentinensi ab ea dicto, *le Valentinois*, Ducatus titulô insignito. Caput Segalaunorum olim, qui Plinio, *l. 3. c. 4.* *Segovellaui*: quorum Principem L. Gellium memorat Plancus *Epist. ad Ciber. 6.* Coloniis provinc. Narbonensis urbem adnumerat Plinius. Forsitan ea quæ *COLONIA JULIA VALENTIA*, in nummo Augusti dicitur: *COLONIA VALENTIA*, in nummo Tiberii. In *veterib. Notit.* inter provinciæ Viennensis civitates 14. sexta ponitur, Episcopalis sub Archiepiscopo Viennensi, 14. inde leuc. in Meridiem, Avenionem versùs 23. estque Episcopus ejus primus, inter sex Archiepiscopo suffraganes. Episcoporum antiquissimus Æmilianus. Basilica olim S. Stephani, nunc S. Apollinari sacra est. Nomen urbs accepit à valentia, id est, viribus

ribus & robore. Caput est Ducatus cognominis. Olim enim sub Comitibus, quorum caput Guntardus, floruit A. C. 950. è familia Pictaviensium Comitum, Ducum Aquitaniæ. Post Ludovici Comitis obitum, in regiam transiit stirpem, & à Ludovico XI. Delphinatui Comitatus hic unitus est. Ludovicus XII. in Ducatum mutavit, eumque Cæsari Borgiæ, filio notho Alexandri VI. Pontificis Romani donavit, reclamantibus è familia Pictaviensi Dominis de S. Vallerio. Postmodùm Diana Pictaviensis, filia Johannis, à Francisco I. dum viveret, Ducatum accepit, usque dum lis decideretur. 7. leucis distat à Dia in Occasum, 12. à Vivario in Boream, paulò infra confluentes Isaræ in Rhodanum fluvium, & è regione Vivariensis tractus. Pagus *Valentinus*, Plinio *regio Segovellanorum*, in Notit. Imper. *Tractus Segalaunorum*, Rhodani ripam sinistram, ac nonnulla etiam in dextra obtinet: si verum est, Turnonem Helviis, seu pago Vivariensi proximum, Segalaunis, seu Diœcesi Valentinæ rectè ascribi. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Plin. *l.* 3. *c.* 4. Ptolem. *l.* 2. *c.* 8. Chorerium, *Hist. Delphin. & Stat. Polit. Delphin.* Columb. *de Episc. Valent. &c.* De Conciliis hic celebratis, vide Morer. *Diction. Hist.* Item parvum oppidum, in finibus Pictonum.

VALENTIA item, *Liv. Valencia al Menno*, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, ad Minium, præclarum, in Bracarum & Calaicorum confinio, contra Tydem urbem Gallæciæ, fluviô intercedente, in regno Portugallico, à Bracara 8. leucis in Boream. Est & Valentia oppidum Galliæ Cisalpinæ, ad Padum fluvium, amplum, ab Alexandria Statiellorum 7. mill. pass. à Ticino 27. *Valenza*, Hispanorum præsidium. Vide *Forum Fulvii*, & Forum Valentinum. *Valentia* quoque in Brutiis, in quorum proin nummis recentioribus VALENTIA, sicut in vetustioribus ΙΙΠΠΟΝΙΕΩΝ, legitur, apud Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi *de Magna Græcia.* Vide *Vibo*, & *Hipponium.* Populi *Valentini* Plinio *ibi*, & in Sardinia.

VALENTIA item, *Valencia de Minho*, oppid. est parvum, sed munitum Portugalliæ, in ipso limite Gallæciæ, vix una leuca à Tyde in Meridiem, & 5. ab ora Oceani in Ortum. Pluries obsessum fuit ab Hispanis irritô conatu.

VALENTIA, vulgò *Valenza* incolis, *Valence* Gallis, oppid. est Ducatus Mediolanensis, in colle, juxta Padum fluvium, & permunitum, in limite Montisferrati, & 10. milliaribus infra Casalem in Ortum, 7. autem ab Alexandria in Boream. Captum fuit à Gallis A. C. 1657. sed posteà Hispanis redditum, pace ad Pyrenæos confectâ, estque in tractu *Laumellina* dicto.

VALENTIA Alcantaræ, *Valencia de Alcantara*, oppid. munitum Hispaniæ, in Extremadura provincia & in limite Portogalliæ, juxta amnem *Savar.* Captum fuerat à Lusitanis, sed posteà redditum Hispanis pace Olysipponensi A. C. 1668. Distat 4. leucis à Portu alacri in Ortum, & 8. ab Alcantara in Occasum.

VALENTIA Nova, *nueva Valentia*, oppid. est Americæ meridionalis, in Venezuela regione, & in Curiana provincia, versùs lacum Tocariguam, & 25. mill. pass. distat ab ora maris Boreal. in Meridiem.

VALENTIA Vibo, dictum est oppidum Bruttiorum Vibo, Græcè Ἱππώνιον, postquàm eò colonia deducta à Romanis. Vellejus, *l.* 1. *c.* 14. *proximô annô Torquatô Semproniôque Consulib. Brundusium & post triennium Spoletium: postque biennium deducta Valentia.* Οὐιβωνουαλεντία *Stephano* dicitur. Salmas. *ad Solin. p.* 88. Vide etiam in vocibus *Hippo* & *Vibo.*

VALENTIÆ Regnum, *Regno de Valencia* Hispanis, *Royaume de Valence* Gallis, regio Hispaniæ, in ora maris Mediterranei, ubi aliàs Edetani & Contestani populi. Terminatur ab Oriente Cataloniâ, & mari Mediterraneô, à Septentrione Aragoniâ, ab Occidente Castellâ novâ & regnô Murciæ: unaque est ex præstantissimis & fertilissimis Hispaniæ partibus, ob fluviorum copiam, qui solum farris frugumque omnis generis fœcundum reddunt. Serici quoque ibi & salis florentissimum mercimonium est. Nomen habet à Metropoli sua Valentia, nobili emporio, quod Hispanis *Valentia la hermosa* appellatur. Figuram ferè rotundam obtinet, murisque cincta est, sed fossis caret. Sedes hîc Vice-Regis, cujus palatium, cum curia, & palatio *de la Ciuta*, monasterio item S. Hieronymi, templo & Collegiis quibusdam, dignum spectatu: Turia quinque pontibus stratus est. Cætera de urbe hac & regno vide suprà in voce *Valentia.*

VALENTIANÆ, Eginhart. *Valentianæ*, Reginoni: *Valentinianenses*, Lib. Notit. *Valleschena*, Aimonio, ad Scaldim, ubi navigari incipit, urbs aliàs Nerviorum, nunc Hannoniæ, elegans, opulenta & permunita. Hic Chlodoveus III. jus dixit, circa A. C. 771. Dicta haud dubiè à Valente est, sive fratre Valentiniani majoris Augusti atque collegæ, sive alio quodam: Eam Scaldis in duas partes dividit, quarum pars trans Scaldim in pago Fanomartensi est, ut Eginhartus ait, & in diœcesi Cameracensi: pars cis Scaldim in pago Austrebantensi ac parœcia Atrebatensi, sub dispositione Archidiaconi Austrebanti *Ostrevant.* Ex vico seu villa fiscali vel publica oppidum, aut potiùs urbs totius ferè Hannoniæ clarissima evasit, Distat 5. leucis à Tornaco in Meridiem, Quercetum versùs 2. media inter Montes ad Cæciam, & Cameracum in Africum, 6. leucis, à Tornaco in Meridiem, Quercetum versus 2. media inter Montes ad Cæciam, & Cameracum in Africum, 6. leucis, vulgò *Valenciennes.* Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall. Baudrand.* &c. De iis verò vicibus, quas bellô Belgicô subiit, Thuan. *Histor.* Hug. Grotium, *Annal. Belgic.* Stradam, &c. Capta nuperò bellô à Gallis A. C. 1677. illis pace Noviomagensi remansit.

VALENTINI, populi Sardiniæ, *Ptolem.* Plin. *l.* 3. *c.* 7. Calabriæ etiam, Plin. *l.* 3. *c.* 11.

VALENTINIANI, vide *Valentinus.*

Imperatores Romani.

VALENTINIANUS I. in Pannonia natus, prope Cibalen, ex patre restione, cui Gratiani fuit nomen, virtute & meritis emersit, Imperator salutatus, Niceæ in Bithynia, post mortem Joviani, A. C. 364. Valenti fratri Oriente comissô, Occidentem ipse curavit: contra Germanos, barbarosque imperium infestantes felix. Ecclesiæ fautor, egregias sanxit leges, inclytus Princeps, nisi quòd nimium iræ permitteret. Hinc Quadorum legatis, qui vili habitu incedentes nullum præ se splendorem ferebant, tantoperè succensuit, ut nimiâ contentione venâ arteriâque ruptis, brevi posteà, sanguinis profluviô extingueretur: Brigitii in Pannonia, A. C. 375. ætat. 56. Pater ex Severa Gratiani, & ex Justina, quam priori superinduxerat, Valentiniani II. Gallæ, quæ Theodosio nupsit, &c. Ammian. Marcellin. *l.* 30. Prosper & Cassiodor. *in Chron. Oros. &c.*

VALENTINIANUS II. filius prioris, Imperator salutatus est An. ætat. 10. Anicii, in Pannonia, A. C. 357. cedente tandem Gratianô, fratre maximô natu: quô mortuô, S. Ambrosium ad Maximum tyrannum, qui ejus imperium moraretur, misit; quod cùm frustra fecisset, cum matre Thessalonicam se recepit, opem Theodosii M. imploraturus, qui devictô Maximô, non tantùm Italiam Valentiniano restituit, sed adjecit insuper Galliam, Hispaniam & Angliam: increpuit interim, quòd matri Arianæ nimium adhæreret. Ab eo tempore Ambrosii institutioni & consiliis commisit se Valentinianus: sed dum Arbogasto Gallo nimium tribuit, illiusque instigatu contra Gallos incitatus, posteà sententiam mutat, ab eo Viennæ in Delphinatu strangulatus est, A. C. 392. Catechumenus, nondum enim ab Ambrosio baptizatus, ut expectaverat, fuit. Marcellin. *in Chron.* Ambros. *in Valent. Socr. Sozom. Ruffinus*, &c.

VALENTINIANUS III. fil. Constantii ex Placidia: An. ætat. 7. post victum Johannem tyrann. à Theodosio Juniore purpurâ donatus, & totius Italiæ consensu, Imperator proclamatus est, A. C. 425. Hujus exercitus, sub Litorio Ethnico, à Gothis, quos Ætius adduxerat, in Gallia victus, & ipse Attilæ in Italiam adventu perculsus est: Nihilominus, superante metum libidine, Maximi uxori fraude in aulam pellectæ vim intulit, quam contumeliam maritus ulturus suasit primò Imperatori, ut Aëtium, qui optimè de ipso meruerat, (postquam enim ab Imperatore placatus, & Patricius Galliarum creatus esset, Bonifaciô Comite in suspicionem apud Imperatorem adductô totus aliquandiu hunc possederat, rebus contra Chlodionem Francorum Regem A. C. 428. & Gothos, Arelatum obsidentes, Attilam imprimis ipsummet gestis inclytus.) à se amoveret, imò, ut quidam volunt, propriis manibus occideret, A. C. 454. dein in Campo Martio ipsi vitam eripuit, A. C. 455. ætat. 36. Cassiodor. & Marcellin. *in Chron.* Euagr. *l.* 2. *Procop. &c.*

VALENTINIANUS, Præfectus aulæ primarius ob alapam sacrificulo, quòd chlamydi ejus aquam lustralem aspersisset, impactam, à Juliano Apostata relegatus est. Vide Socr. *l.* 3. *c.* 10. & 17. Idem cum *Valentiniano I.*

VALENTINIAPOLIS Urbis, meminit Concil. Chalcedonense, Ephesinum & Synodus Romana IV. Asiæ propriæ videtur. In *vita Chrysostomi* quoque memoratur.

VALENTINUM Forum, *Plin.* Vide *Forum Fulvii*, & *Valentia.*

VALENTINUS, Ital. Papa Roman. successit Eugenio II. quadragesimô post die mortuus, A. C. 824. Baron. *in Annal.* Eum excepit Gregorius Quartus.

VALENTINUS Hæresiarcha, caput *Valentinianorum*, secul. 2. Ægyptius gente, doctus, eloquens, & Philosophiæ Platonicæ sectator: Sed supra modum tumidus, cùm alium in Episcopatu sibi prælatum indignaretur, haustâ ex fabulis Hesiodi hæresi, Deos triginta sibi fabricavit, illis Æonum nomine impositô. Ex horum, quindecim enim mares, totidem fœmellas finxerat, commistione Servatorem, veluti Pandoram, natum esse deliravit. Addidit eum, cum corpore hoc cœlitus allato, per Virginem transiisse, resurrectionem insuper inficiatus. Hujus sectatores in Gnosticorum nomen & castra transierunt. Idem Euangelium & Psalmos, sub nomine suo, edidit: Romam dein veniens, errores suos ejuravit, sed brevi in eosdem relapsus est, refutatus ab Irenæo & Tertulliano. Vide Theodor. *l.* 1. *Hær. fab.* Epiphan. *Hær.* 31. *Euseb. Philastrium, Baron.* &c.

VALENTINUS Schindlerus, auctor Epitomes Bibliorum Hebr. Chald. Syr. Græc. Latin. & German. quæ prodiit Witteb ergæ A. C. 1578.

VALENTINUS Smalcius, Socinianus. Scripsit Homilias *in c.* 1. Johannis, aliaque.

VALENTIUM, urbs Episcopalis sub sede Amydensi, *Guil. Tyrius.*

VALEPONGA, Hispaniæ urbs, *Antonin.* inter Liminium & Cæsaraugustam.

VALERANDUS Varanius, Gallus edidit A. C. 1516. *Poëma de Johanna Darcia, seu puella Aurelianensi, libris* 4. Cujus initium:

Ordior augustæ titulos & gesta puellæ,
Quæ sexus egressa modum, longæva diremit
Prælia & ambiguas lites: dum freta potenti
Robore, Brutiadas Gallis exegit ab oris, &c.

VALERANICA, quibusdam est *Berlanga*, oppid. Castellæ veteris intra montes, 7. leuc. ab Uxama in Boream, ubi à Durio fluv. paulo minus à Numantia in Occidentem.

VALERIA, nomen proprium Messalorum sororis, quæ amissô conjuge, cùm rogaretur, cur alteri non nuberet, ait: *Sibi semper maritum Servium vivere.*

VALERIA, virgo, cùm Valerios pestis invasisset, ab oraculo commonefacta, malum id cessaturum, si quotannis Junoni virginem immolarent, in sortem est ipsa vocata: sed Luperca ensem corripuit: & impositâ foco virgulâ cum malleo, ensem juvencæ, penès templum pascenti, imposuit. Virgo igitur, re intellectâ, immolatâ juvencâ, malleum arripuit, domumque & ægros circumlustrans, ictu parcente, ferit, cumque unicuique valedixisset, eos exsuscitavit incolumes. Quocirca & hôc tempore mysterium illud fieri constat. Plutarch. *in Parall.*

VA-

VALERIA, nomen aquilæ, apud Plinium, *l.* 10. *c.* 3. à *valendo*; de qua vide supra in voce *Melanaetus*.

VALERIA Colonia, Corsicæ urbs, *Ptolem. Leria Pineto.* Sed *Aleria* est in Græcis exempl. & sic etiam apud Plin. *l.* 3. *c.* 6. & *Antonin.* 2. oppid. Episcopale Hispaniæ Tarraconensis, à qua *Valerienses* populi, Plin. *l.* 3. *c.* 3. Olim *Castrum altum* dictum, *Quercus* est *Clusio* ac *Taraphæ*. In Castella nova (ut vocant) sita est. Nunc pagus ad Sucronem fluv. triplex, *Valera de Suso*, *la Vieja*, & *Valera Guemada*, 7. leuc. à Concha urbe quæ illi successit, Episcopalis sub Archiepiscopo Toletano; In Veter. Inscr. *Colonia Julia Valeria. Ferrar. Baudrando*, aliisque creditur *Cuenca*, in tractu montuoso, cujus caput est. Antea *Castrum altum* dicta est, urbs Celtiberorum. 3. Regio Italiæ juxta lacum Fucinum, cujus urbes *Valeria* sive *Marsi*, Episcopalis, *Carseoli*, *Amiternum*, *Furconium* & *Reate*. 4. Regio Pannoniæ superioris inter Draum & Saum fluv. quæ hodie *Stiria* vocatur, teste *Lazio*, *Crabaten* verò *Rhenano*, *Ferrar. Baudrando* provinc. erat Pannoniæ inferioris inter Danubium & Dravum; magis versus Danubium circa Solvam, Aquincum & Statuas Colossas. *Sext. Rufus*, *Jornand.* Longè à Stiria in Ortum, ubi hodie pars Hungariæ inferioris.

VALERIA Lex, prima certos quasi cancellos Magistratibus circumdedit, lata à P. Valerio Poplicola Cons. collegâ Junio Bruto mortuô, An. Urb. Cond. 243. in hæc verba: *Ut adversus omnes Magistratus provocatio esset.* Vide Liv. *l.* 2. *c.* 9. Dionys. *l.* 4. Val. Maximum, *l.* 4. *c.* 1. *ex.* 1. Pomponium, *de Orig. Juris.* Post eum L. Valerius Poplicola Potitus Consul cum M. Horatio Barbato, An. Urb. Cond. 304. legem tulit, *Ne quis ullum Magistratum sine provocatione crearet*, Liv. *l.* 3. *c.* 55. Dionys. *l.* 10. *&c.* Quæ lex *Valeria secunda*, sive *Horatia* vocata est. Tertiò eam repetiit M. Valerius Corvus Consul quintum, cum Q. Appulejo Pansa, An. Urb. Cond. 453. *Ne quis, qui provocâsset, virgis cæderetur, securive necaretur: si quis adversus ea fecisset, improbè factururn*, Liv. *l.* 10. *c.* 9. Fuerunt & aliæ *leges Valeriæ*, de fœnore, de militum successione, de pecunia publica, & duobus Quæstoribus, de perpetua dictatura Sullæ, de Majestate, &c. de quibus vide Thom. Dempster. *Antiquit. Rom. passim.*

VALERIA Tusculanaria, quô pactô dolis cum patre Valerio coierit, vide in verbo *Sylvanus*.

VALERIA Via, in Sicilia, inter Messanam, & Lilybæum, *Strabo.* Alia in Italia, quæ ad urbes Valeriæ ducebat per Tybur, *Strabo.* Vulgò *Il piano di S. Spirito*, & *della Cella*, teste Ciofanô in *l.* 4. Ovidii *Trist.*

VALERIÆ gentis Princeps Volusus Romæ domicilium locavit, cum T. Tatio Sabinorum Rege, Dionysiô & Plutarchô auctoribus. A quo ejus posteri Valesii primùm, post *Valerii* dicti: quare etiam *Volusi* cognomen tulerunt. Hæc postea gens, se in multas familias multaque cognomina diffudit, ut Volusi, Potiti, Poplicolæ, Maximi, Corvi, Corvini, Messallæ, Faltonis, Cottæ, Messallini, Levini, Asciculi, Barbati, Nigri, Lactucini, Antiatis, Tappi & similium.

VALERIANÆ Villæ meminit Vopiscus, *in Aureliano*, *c.* 10. P. *Valerii* villa Ciceroni, in Brutiis, circa Rheginos est; ut placet Gabr. Barrio, *l.* 3. *Calabria Hist.*

VALERIANI Aurei, apud Treb. Pollionem *in Claudio*, *c.* 17. cui Gallienus, inter alia, tribui jussit, *Aureos Valerianos CL. Trientes Saloninianos* CCC. nummi sunt à *Valeriano* Imperatore cusi, quos proin *Valerianos* aut *Valerianinos*, potiùs appellandos fuisse, sicque apud Trebellium legendum, judicat Casaubonus. Sed nominibus formam primitivam habentibus, etiam Veteres ἀντὶ τῶν παραγώγων usos esse, docet variis exemplis Cl. Salmas. *Notis ad loc.* Certè *Valerianos hortos* Vopiscus habet *in Aureliano*, *c.* 1. *Sermonem multum à Palatio usque ad hortos Valerianos instituit.* Nisi mavis ibi *Varianos* legere, cum eodem.

Imperator, & Viri Illustres.

VALERIANUS, majoris spei, quàm fortunæ, imperavit annô Mundi 4216. à Christo nato 254. Hic duplici nomine calamitosissimus extitit: tum quòd à Sapore Persarum Rege, victus acie (sive dolô suorum, & proditione Macrini, sive ejus imprudentiâ id acciderit) in captivitate consenuit, tandem vivus excoriatus: tum quòd Gallienum filium reliquit, qui Caligulæ ac Vitelliis simillimus, Imperium contaminavit. Hic, cùm primò Christianis se favere testaretur, posteà ab Ægyptio quodam Mago deceptus se passus, in omne scelus ruit, victimis etiam humanis Dæmoni sacrificatis, & infantum visceribus exenteratis, quò inde futura nôsset. Vixit Valerianus annos 47. imperavit 4. ante captivitatem suam, unà cum filio. Quandiu captivus vixit, Rex Sapor incurvatô eô, pedem cervici ejus imponens, equum ascendere solitus est. Aurel. Vict. *de Cæsar. Eutrop. Euseb. Orosius*, &c.

VALERIANUS Junior, vide *Saloninus*.

VALERIANUS, Dux militum prætorianorum, sub Maximino, in hujus odium, à Romanis occisus est, apud Jul. Capitolin. *in Maximinis*, *c.* 14. Sed *Vitalianum* ei nomen fuisse, notat Casaubonus. Idem nomen Gallieni fratri fuit, qui Gallienô interfectô, circa Mediolanum, & ipse simul interemptus est. Item Gallieni fil. quem P. LICINIUM SALONINUM VALERIANUM *Victor*, lapides, nummi vocant: de quorum utro scriptum sit in Fastis, VALERIANO IMPERATORE COS. ambigit Trebell. Pollio *in Gallienis*, *c.* 14. ubi Casaubonum vide. Pertinacis quoque amico, de quo vide Jul. Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 12. &c.

VALERIANUS, Episcopus Cemeles, urbis excisæ, cujus Episcopatus Nicæam translatus est, seculô 5. Scripsit 20. *homilias*, *cum Epist. ad Monachos*, in qua de efficacia & ordine doctrinæ Apostolicæ agit. Petr. Jossidus, *de Episc. Nic.* Morer. *Dict. Hist.*

VALERIANUS Asiaticus, Belgicæ prov. Procurator, à Vitellio gener ascitus. Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 59.

VALERII, prius VALESII, teste Quintilianô, *l.* 1. *c.* 5. appellati, sicut *Fusii*, deinde *Furii*.

VALERII Villa, *Cicer. Valeriana* villa Vopisco, *in Aurelian. c.* 10. locus Brutiorum, apud Rhegium urbem.

Viri Illustres.

VALERIUS, M. Publicolæ frater, Consul unà cum Posthumio Tuberto factus, & contra Sabinos profectus rem feliciter fratris auspiciis & administratione gessit. Ex quo publicè ei domus ædificata. Vide & *Lucius*.

VALERIUS, apud Pollionem *in Claudio*, *c. ult. Vivas Valeri, amaris à Principe*: unum est ex nominibus Claudii, qui *Flavius Valerius Claudius* integrè appellatus est. Nempe Principes illi omnes, qui obscurô genere nati ad Imperii fastigium enisi sunt, prænomina cognominaque Romana assumsêre, ut in familias antiquas & nobiles hâc ratione sese insulcirent & originem patritiam ementirentur. Sic Diocletianus, qui servus fuit & *Diocles* vocabatur, postquam Imperator factus est, tria quoque sibi cepit nomina, more Nobilium Roman. & *M. Valerius Diocletianus* appellari cœptus est. Sic alios complures mediô ævô *Valerios* & *Aurelios*, potiùs, quàm aliis nominibus, nonnunquam utrôque nomine *Aurelios Valerios*, appellari voluisse, ex Historia notum. Salmas. *Notis ad Pollion. loc. cit.* & Vopisc. *in Probo*, *c.* 1.

P. VALERIUS, L. Valesii filius, Consul. Roman. qui primùm cum Bruto, de Vejentibus, deinde de Sabinis triumphavit. Hic, quia in locum Tricipitini collegæ Consulem non subrogaverat, & domum in Velia, tutissimo loco habebat, in suspicionem regni affectati venit. Quô cognitô apud populum questus est, quòd tale aliquid timuissent; quapropter emisit, qui domum suam diruerent, secures etiam fascibus dempsit, easque in populi concione summisit. Legem insuper de provocatione à magistratibus ad populum tulit. Hinc *Publicola* dictus est: & cùm diem obiisset, publicè sepultus, ac annuô matronarum luctu honoratus. Hic quadrigâ primus in triumpho vectus est, sine ulla invidia: præterea, collegæ Bruto honores funusque curavit, funebremque orationem in ipsius laudibus habuit, quæ adeò jucunda fuit Romanis, ut ex eo consuetudo manârit, ut qui strenuè pugnando occubuissent, ab Optimatibus laudarentur. *Plutarch.* Idem primus post exactos Reges, ludos instituit seculares: Laborantibus etenim pestilentiâ civibus, apud aram *Tarentum*, vel *Terentum* dictam, publicè nuncupatis votis, atrum bovem Diti pro maribus, concolorem pro fœminis juvencam Proserpinæ mactavit: ludosque & lectisternia trinoctiô fecit, & aram terrâ, sicut antè fuerat, exaggeratâ occuluit, inscriptam titulô istô: *P. Valerius Poplicola frumentarium campum Diti & Proserpinæ Romanorum salutis ergò fecit.* Alii aliter. Vide Rosin. *l.* 5. *Antiq. Roman. c.* 21. Thom. Dempster. *Antiquit. Roman. l.* 8. *c. ult.* Obiit autem inops, publicô sumptu elatus. Aurel. Victor. *c.* 15. Liv. *l.* 3. *c.* 8. 15. 17. 18. Florus, *l.* 1. *c.* 9. &c.

VALERIUS, Antias, scriptor Historiæ, sæpe ab Auctoribus testis citatur, Livio inprimis. Vide Plin. *l.* 2. *c.* 107. Plutarch. Priscian. *l.* 9. A. Gell. *l.* 7. *c.* 9. Voss. *de Hist. Lat. l.* 1. *c.* 10. *&c. Nic. Lloydius.*

VALERIUS Asiaticus, genitus Viennæ, multisque & validis propinquitatibus subnixus; Præcipuus auctor interficiendi Cæsaris, non extimuit concionem populi Romani gloriamque facinoris ultro petiit. A Messalina, ob auri vim & opum magnitudinem, ut hortos ipsa Lucullianos possideret, per Suilium & Vitellium, subversus: de cujus præclaro exitu Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 3. Ad cædem Cajanam verò perpetrandam accensus est, contumeliis ipsius Caligulæ. Nam huic in convivio: item in concione clarissimâ voce, qualis in concubitu esset uxor ejus, objecit. Seneca *de Tranquillitate Animi*, *l.* 2. *c.* 18. Vide & *Publius*.

VALERIUS Aurelianus, 33. Roman. Imperator, vide *Aurelianus*.

VALERIUS Bassianus, Vir Consularis, Commodi jussu occisus, Lamprid. *in Commodo*, *c.* 7.

VALERIUS Capito, Præturâ functus, ab Agrippinâ perversus & post ejus cædem à Nerone restitutus. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 12.

VALERIUS Catulinus, missus Severo successor, apud Spartianum *in Didio Juliano*, *c.* 5. interfectus est postmodùm, jussu Severi, Imperium adepti, ut idem habet *in Severo*, *c.* 13.

VALERIUS Cordus, Literator insignis, inter præceptores Alexandri Sev. memoratur Lampridio in hujus *Vita*, *c.* 3.

VALERIUS Cornelius, vide *Cornelius*.

VALERIUS Corvinus, Tribun. milit. sub Duce Camillo reliquias Senonum persequente, adversus Gallum provocatorem solus processit. Tum corvus ab ortu Solis galeæ ejus insedit, & inter pugnandum ora oculosque Galli reverberavit: Sic hoste victô Valerius *Corvinus* dictus fuit, unde Manilius, *l.* 1.

Et cum militia volucris Corvinus adeptus
Et spolia, & nomen. ————

Hic quum ingens multitudo, ære alienô oppressa, Capuam occupare tentâsset, & Ducem sibi Quinctium necessitate magnâ compulsum fecisset, sublatô ære alienô seditionem compressit. Hæc *Cæcilius.* Livius verò *l.* 7. *c.* 27. *s.* addit, de Samnitibus cum triumphâsse, series Consulem fuisse, hostes Titi Manlii morte exultantes compressisse. Vixit præterea, teste Val. Maximô, *l.* 8. *c.* 13. *ex.* 1. corporis & animi viribus integris annos centum. Vide *Corvium.* Et quidem, de *Valerio* à corvo adjuto, habes historiam, apud Livium, *l.* 7. *c.* 26. Val. Maximum, *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 6. A. Gellium, *l.* 9. *c.* 11. Sext. Aurelium, *de Viris Illustr. c.* 29. Alios. Verùm Vossio non quidem pugna singularis *Valerii* cum Gallo, sed quod de auxilio sacræ addunt alitis, & quidem inspectante hinc Romanô, inde Gallicô exercitu, fabulosum videtur, & fortè hinc ortum, quòd Valerius galeam gestârit, cui corvi si-

gnum erat superadditum. Vetustissimis enim temporibus galeæ fiebant è pellibus animalium, unde *κυνῆ*; *λυκέη*, *ἰκτιδέη*, apud Homer. Postquàm verò pro pelliceis æneæ adhibitæ sunt, ac ferreæ, figuram tamen animantis alicujus, vel saltem capitis in ea expresserunt: Itaque galea nunc capite leonis, nunc integri vulturis, nunc alterius cujusdam animalis figurâ, erat insignis, cujus rei ignoratio spissos in Historia peperit errores. Cùm istiusmodi itaque galea, corvi figuram habente, depingi & effingi solebat *Valerius*, cum Gallo pugnans: Unde progressu temporis imperitum vulgus judicavit, corvum galeæ insidentem esse imaginem veri corvi, cùm tantùm ferrei illius, quô galea insignis erat, esset imago. Quæ conjectura inde roboratur, quòd moris antiqui fuisse legimus, ut res illustres picturis proderentur: velut illa pugna Manlii cum Gallo, quæ in scuto Cimbrico erat, teste Tulliô, *de Orat. l.* 2. Quintilianô, *l.* 6. *c.* 4. ac C. Pliniô, *l.* 35. *c.* 4. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 28. ubi quoque addit, *Corvi* cognomen, non *Corvini*, Valerium hunc nactum esse: posteros verò *Corvinos* fuisse dictos.

M. VALERIUS Corvinus Messala, Civis Roman. in juventute sua Triumviris formidabilis, posteà Consul cùm Augusto fuit. Scripsit *de litera S. de familiis Romanis*, &c. *De progenie Augusti* liber ejus non est. Vide Cicer. *in Bruto*, Senec. *contr.* 12. Sueton. *in Aug. c.* 58. 74. Vellejum Paterc. *l.* 2. *c.* 71. 84. A. Gellium, *l.* 13. *c.* 15. Macrob. *l.* 1. *Saturn. c.* 9. Plin. *l.* 35. *c.* 4. Bienniô ante mortem sic oblitus est omnium rerum, ut ne nominis quidem proprii meminerit, Idem *l.* 7. *c.* 24. Huic Tibullus *Eleg.* 3. *l.* 1. inscripsit.

VALERIUS Cotta, vide *Cajus*.

VALERIUS Fabianus, honoribus destinatus, qui cùm Domitio Balbo, seni diviti atque orbo, propinquo suo, testamentum subdidisset, lege Corneliâ damnatus est, sub Nerone. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 48.

VALERIUS Festus, vide *Festus*.

VALERIUS Flaccinus, adolescens nobilis, *parens Valeriani* (i. e. *συγγενὴς*) *è Quadorum manu liberatus*, *à Probo*, memoratur Vopisco *in Vita* hujus, *c.* 5.

VALERIUS Flaccus, M. Catonis familiarissimus, eundem ex agro Tusculano ad Rempubl. adduxit pariter & instruxit. Cons. cum eodem Catone circa Mediolanum cum Gallis & Insubribus & Bojis, collatis signis, pugnavit, ubi 10000. hostium sunt cæsa. Causam mulierum de abroganda lege Oppiâ contra Collegam suum Catonem obtinuit; quorum vide orationes elegantes apud Livium *l.* 34. *c.* 1. 2. 3. *s.*

VALERIUS Flaccus, Poëta, cujus vitam pete ex *Lilio Gyraldo*, *Petro Crinito*, &c. Addam hoc solum: Setiâ Campanus, seu, Patavinus, secundùm Martialem, vide infrà. Floruit sub Domitiano, non in magnis opibus. Scripsit *Poëma de Argonautis*, *libris* 8. Laudatur Quinctiliano, *l.* 10. *c.* 1. *Multum*, inquit, *in Valerio Flacco nuper amisimus.* Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 62. *v.* 3.

Censetur Apona Liviô suô tellus
Stellâque, nec Flaccô minùs.

Idem alibi ad eum, *l.* 1. *Epigr.* 76. *v.* 1.

O mihi curarum precium non vile mearum,
Flacce Antenorii spes & alumne Laris.

Valerii Flacci (inquit Cæs. Scaliger.) *ingenium felix*, *diligentia non vulgaris*, *sed immaturâ morte præventus*, *acerbum nobis poëma suum reliquit.* A Juvenale tamen sugillatum fuisse notat Lubinus ad *Sat.* 1. quem sis vide. Verùm de Flacco hoc, uti cæteris Latinis Poëtis, nos alibi. *Nic. Lloydius.* Vide *Cajus*: it. *Lucius*, ac *Publius*.

VALERIUS Levinus, Consul cum Pyrrho præliô congrediens, in Laconia infeliciter pugnavit. De cujus, Pyrrhum interemisse se jactantis, mendacio, vide Hug. Grotium, *de Jure Belli & Pacis*, *l.* 3. *c.* 1. §. 17. Iterum posteà Consul contra Agrigentum missus, superatô Hannone Duce Carthaginensium, oppid. in potestatem recepit, ac Senatum securi percussit. Alter contra Philippum Macedonem feliciter bellum gessit, teste Liviô, *l.* 27. Vide & *Lucius*: it. *Maximus* & *Publius*.

VALERIUS Lucas, vide *Lucas*.

VALERIUS Marcellinus, Historicus Romanus, cujus meminit, uti eôdem cum Suetonio scribendi genere usi, Capitolin. *in Maximino & Balbino*, *c.* 5.

VALERIUS Marinus, destinatus à Galba Consul, dilatus à Vitellio nullâ offensâ; sed mitis & injuriam segniter laturus. Tacit. *l.* 2. *Histor. c.* 71.

VALERIUS Martialis, vide *Martialis*.

VALERIUS Maximus, Historicus, scripsit *dicta ac facta memorabilia libris* 9. *ad Tiberium Cæsarem.* Militavit sub S. Pompejo, ut ipse de se testatur, ubi de institutis loquitur antiquis.

VALERIUS Maximus Basilius, Consul. an. Urb. Cond. 1219.

VALERIUS Messala, vide *Lucius*.

VALERIUS Omulus, inter eos, qui Antonino Pio adversùs Marcum jam Cæsarem aliqua insusurrarent, memoratur Capitolino *in Marco Antonino Philos. c* 6. Et quidem is, *quum Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulachrum Apollinis vidisset*, *insusurravit*, *Illa nunc rogat*, *ut diem tuum claudas*, *& filius imperet*, *quod* tamen *apud Pium nihil valuit* &c.

VALERIUS Orca, prænomine *Quintus*, Cæsaris legatus, ab eo in Siciliam missus, ad expetendum Catonem. *l.* 1. *de bell. Civ. c.* 29.

VALERIUS Paulinus, Narbonensis procurator, Vespasiano amicus. Tacit. *l.* 3. *Hist. c.* 42.

VALERIUS Ponticus, Italiâ exactus, quòd falsarios, ne apud præfectum urbis arguerentur, ad Prætorem detulerit, interim specie legum, mox prævaricando ultionem elusurus. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 41.

VALERIUS Potitus, post Xviralem invidiam plebem in patres incitatam legibus & conditionibus suis mitigavit, unde *Potiti* nomen adeptus. Primus quoque Consul post Xviros, cùm Volscos Æquosque ad Algidum magnâ laude debellâsset, triumphus ei à patribus negatus fuit. Sed suadente Iciliô Tribunô pleb. primus, sine authoritate Senatûs, triumphavit, cum collega, suo M. Horatio. Quamobrem *Maximi* cognomen adeptus est, quod nemini à Senatu præterquam Fabio Maximo concessum est. *Plut.* Vide & *Cajus*; it. *Lucius*, & *Publius*.

VALERIUS Præconinus, prænomine *Lucius*, legatus in Aquitania, exercitu pulsô interfectus est. Cæs. *l.* 3. *Comm. c.* 20.

M. VALERIUS Probus, Grammaticus, sub Adriano. Scripsit inter alia, *de temporum connexione*, Servius in *l.* 7. *Æn.*

VALERIUS Procillus, prænomine Cajus, C. Valerii Caburi Filius, summâ virtute & humanitate adolescens cum M. Mettio ad Ariovistum à C. Cæsare missus & ab isto in vincula conjectus, Cæs. *l.* 1. *Comment. c.* 47.

VALERIUS Publicola, vide *Lucius*: it. *Publius*.

VALERIUS Soranus, Poëta, quem Cicero *in. l. de Oratore*, doctissimum togatorum appellat. *Plut.* verò virum philosophum & eruditum dicit, ac interfectum à Cn. Pompejo. Hujus duos hos versus, laudat Varro *de cultu Deor.*

Jupiter omnipotens, *Regum Rex ipse*, *Deûmque*
Progenitor, *genitrixque Deûm*, *Deus unus & omnes.*

VALERIUS Soranus, quòd contra interdictum, eloqui proprium nomen Romæ ausus esset, ob meritum profanæ vocis neci datus. Solin. *c.* 2. Servius *in fine l.* 1. *Georg.* hunc scribit Tribunum Pleb. obque linguæ temeritatem levatum esse in crucem.

VALERIUS Titus, vide *Titus*.

VALERIUS Torquatus, pro Reipubl. salute obiit mortem. Nam cùm P. Æmilius responsum accepisset ex oraculo, victoriam se reportaturum, si aram in eo loco ædificaret, ubi insignem cum curru hominem demersum aspiceret: post 3. demum dies Val. Torquatus (sic enim in somnis fuerat admonitus) sumptis sacerdotalibus insignibus (nam augurali scientiâ præditus erat) eductô exercitu, & multis ante se interfectis, à terra absorptus est. Tum Æmilius, structâ ibi arâ, victor evasit: ex quâ victoria 160. turres gestantes Elephantos Romam misit. Ex quo autem tempore superatus est Pyrrhus, ex arâ ipsa eduntur oracula. Plut. *Paral.*

VALERIUS Turpilianus Trachala, Consul, an. Urb. Cond. 820.

VALERIUS, meliùs VOLERIUS, fluv. parvus Corsicæ. Nunc *fiuminale di S. Fiorenzo*, prope Nebii rudera, & in sinum S. Florentii se exonerat.

VALESIA, Gallis LE WALAIS, German. WALLIS, pars ampla Helvetiorum, montosa, at fertilis, ferarum, metallorum thermarumque fœcunda, ubi aliàs Seduni & Veragri, populi Galliæ Narbonens. Ab Ortu in Occasum extenditur, inter Helvetios ad Boream & Ortum Ducatus Mediolanens. & Augustanum ad Meridiem & Sabaudiam ad Occasum. Caput est Sedunum, *Syten*: reliqua oppida Martinacum, *Martinach* & Agaunum, seu *S. Maurice*. Multa fœdera cum Helvetiis sanxêre Valesii, tandem A. C. 1533. perpetuum fœdus omnino firmatum fuit. Item regio Galliæ Belgicæ inter Picardiam & Campaniam, ubi Sylvanectum urbs. Vulgò *Valois*. *Ferrar.* Vide quoque *Vallesia*.

VALESIA Familia, vide in voce *Valesium*.

VALESII Hæretici, qui & *Eunuchi* dicti, quòd verba Christi, *Beati, qui se castraverunt* &c. secundùm literam accipientes, se ipsos castrarent, à *Valesio* Arabe nomen habuêre. Ex illorum numero Origenem fuisse, legas apud Dominic. Macrum, *Hierolex.* Vide voce *Valesius*.

VALESIUM, tractus Insulæ Franciæ, vulgò *le Valois*. Cum titulo Ducatus versùs Oesiam fluv. ubi urbs Crepiacum, *Crepis en Valois* caput. *Baudrand.* Hinc regiæ olim familiæ nomen, cujus auctor Philippus VI. Caroli *Valesii* fil. fuit, postquam A. C. 1328. Carolus IV. Pulcher obiisset, directæ ab Hugone lineæ ultimus. Contra hunc Eduardus regium titulum sumsit, qui Philippum ad Slusas primùm navali præliô, dein ad Cressiacum terrestri acie vicit, A. C. 1346. Nihilominus mansit Rex Philippus Delphinatuque acquisitô pristinas clades pensavit. Successit ei fil. Johannes, qui victus præliô & captus ab Anglis: fil. Carolum V. successorem habuit. Hic pater fuit Caroli VI. quô natus Carolus VII. Anglos totô regnô, Caletô exceptô, pepulit. Pater Ludovici XI. cujus filius Carolus VIII. improlis obiit. Huic successit Ludovicus XII. agnatus, Dux priùs Aurelianensis, quô similiter sine hærede extinctô, successionis jura vocavêre Franciscum I. Engolismensem: quô genitus Henricus II. pater fuit Francisci II. Caroli IX. & Henrici III. qui, cultrô perfidi Monachi confossus, A. C. 1589. ultimus lineæ, *Borbonio* sanguini regnum transmisit. Ejus enim successor Henricus IV. fuit: in cujus uxorem Margaretam, quæ Henrici III. soror fuerat, mortuam A. C. 1615. notum carmen Euphormionis, cujus ultimi versus hi sunt:

Et vivo & morior toties, me funere longô
Nempe mori decuit, quæ tot per secula clarum
Induco tumulis suprema Valesia nomen.

VALESIUS, Arabs Hæresiarcha, caput *Valesianorum*; qui omnes sectæ suæ, aliquando etiam viatores, castrant; Legem cum Prophetis rejiciunt &c. Epiphan. *Hær.* 58. Augustin. *Hær.* 39. Baron. *A. C.* 249. 260.

VALESIUS Sabinus, cujus præcipuâ operâ pax, inter T. Tatium & Romulum facta, Gentis *Valeriæ* Romæ auctor, proavus L. Valerii Volusii Poplicolæ.

VALETA, vulgò LA VALETE, urbs recens, sed munitissima Melitæ, à Mag. Joh. *de la Valette Parisot*, excitata, ultimô seculô, post solutam Melitæ obsidionem. Perculta item & lepida, in ora Boreali Insulæ, cum portu capacissimo. Ibi commoratur M. Magister; eique adjacet arx S. Elmi in scopulo.

VALETTA Ludovicus, vide *Ludovicus.*

VALETUDINARIUM, in *Vita* Austrebertæ Virg. c. 5: *In stragulo --- ad* Valetudinarium *deportaverunt*: locus est in Monasteriis, ægrorum curæ destinatus, qui *Infirmarium* aliàs, in *Glossis* Latino-Græc. ὑγιαστήριον & διαιτητήριον dicitur. Vox Senecæ, *Ep.* 27. Columellæ, *l.* 11. *c.* 1. Aliis, nota. *Namque & Romani, cùm metabantur castra, loca Prætorio, Quæstorio, Valetudinario designabant*, Salmas. *ad Solin. p.* 821. Hebræis similis fuit in Templo locus, in quo Sacerdotes, quibus colicus dolor frequens admodùm, *ut qui in pavimento jugiter stabant & carnibus pluribus vescebantur, nec in hora Ministerii vestem --- aliam præter unicam, eamque simpliciorem, habebant*, Maimonid. *Celi hamnikdash*, *c* 7. §. 14. curabantur. Ei præfuit ממונה על החולים *Præfectus ægrotorum*, unus ex XXV. Templi Præfectis, qui alios sub se Medicos complures habebat, Jo. Seldenus *de Synedriis veter. Hebræor. l.* 3. *c.* 11. De usu eorum hodierno hìc passim. Plato verò in Republica sua *Valetudinariis* nullum locum esse voluit, ut cui illam extra hunc mundum, qui totus quid aliud quàm *Valetudinarium*, nescio in quibus spatiis sibi imaginari visum est, uti discimus ex ejus *de Republica* libris; ubi tamen illos solùm, ex Æsculapii judicio, negligi vult, qui naturâ morbidi ad functiones in civitate obeundas inepti essent, uti vocem κάμνειν Interpretes ibi exponunt &c.

VALETUDINIS Triumviri, in antiquo nummo argenteo, apud Onuphrium Panvinium, *Commentar. Reip. Rom. l.* 2. Vide suprà *Triumviri valetudinis.*

VALETUS, apud recentioris ævi Scriptores, nomen est, quô Magnatum filii, Militare cingulum nondum adepti, insigniebantur; contractum ex *Vasseletus*, uti vocabantur Vassallorum, qui iidem olim cum iis, qui *Milites* postmodùm dicti fuêre, filii. Et quidem Magnatum filios sic passim indigitant Francici Anglicique Scriptores. Eadem nomenclatura Imperatoris Constantinopolitani filium Villharduinus donat, ad quem *Notas* vide Car. du Fresne. Quia verò *Valetti* Militibus ipsis in occasionibus bellicis ministrabant, eorumque arma ac scuta deferebant, inde & *Armigeri* & *Scutiferi* audiunt passim; horum nomenclatura data deinceps honoratioribus famulis est, quod hodieque apud Gallos obtinere constat. Vide eundem Auctorem *in Glossario*, & hìc ubi de *Armigeris*, *Militibus*, & *Scutiferis.*

VALGI, Græcè βλαισοὶ, aliter *vatiæ*, dicuntur, quibus in exteriorem partem crura curvantur: sicut *vari*, quibus introrsum illa convertuntur. Utrumque tam *varum* quàm *valgum*, de obtorta & obliqua re sumitur, & quidquid rectò contrarium est, sic appellatur. Salmas. *ad Solin. p.* 945. Vide plura infrà, ubi de *Vatiis.*

VALGIUS, magnus omnino Poëta fuit; sic enim de eo Tibullus, *l.* 4. *El.* 1. *ad Messalam*, *v.* 181.

Valgius, æterno propior non alter Homero.

Eundem Horat. *l.* 1. *Sat.* 10. *v.* 82. cum Virgilio, Vario, Mæcenate, atque aliis conjungit, quibus si placere possit, negat se ineptorum hominum judicia morari.

VALI, populi Asiæ, ad Mæotidem paludem Plinio, *l.* 6. *c.* 7.

VALIDUM, oppid. Umbriæ, inter Nuceriam urbem 7. & Sigillum oppid. 6. mill. pass. Calium versùs; *Gualdo* vulgò.

VALII, Æthiopiæ populi, Plinio, *l.* 6. *c.* 30.

VALINSA, est in Alpibus regio, quæ hodie *Wallisserlandt* vocatur. Vide *Valesia.* Eam olim tenuêre, *Viberi*, *Veragri*, & *Seduni. Jos. Simler.*

VALISCUM, locus Italiæ. *Jul. Obsequens.*

VALKONIENSIS Comitatus, meliùs *Valponiensis*, Gall. *le Comté de Valpon*, provinc. Rasciæ, sub Turcis. Vide *Valponiensis.*

VALLA, vide *Laurentius Valla.* It. *Georgius*, it. *Nicolaus.*

VALLÆ, urbs Macedoniæ, Pieriæ regionis, *Ptolem. Vallæi* populi Plinio, *l.* 4. *c.* 10.

VALLAGIA, pagus Galliæ in Andicavis depressus & in vallibus jacens, vulgò *la Vallée.* Hic Bellum Forte *Beaufort en Vallée*: Burgulium, locus Abbatiâ clarus, *Bourgueil en Valée.* Dicitur quoque nonnunquam *Vallis Carnotensis*, quia prope Carnutas est. In majore Archidiaconatu Eccles. Aurelianensis regiuncula est humilis ac depressa, à situ *Valles* dicta, *Vaux*, in qua vicus S. Dionysii & S. Cyrici *S. Denis en Vaux* & *S. Cyre en Vaux.* Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VALLARIS Corona, dicebatur corona Castrensis, quâ donabat eum Imperator, qui primus hostium castra pugnans ingressus esset: à *vallo*, cujus figura insignis erat. *Inscript.* antiqua, *Donato. hastis puris. V. vexillis. VIII. coronis. muralibus. II. vallaribus.* II. Erat ex auro, Aulus Gellius, *l.* 5. *c.* 6. ut & muralis ac navalis: quemadmodùm contrà ovalis ex myrto, civica è fronde querna, obsidionalis, quam reliquis omnibus Plinius præfert, *l.* 22. *c.* 3. & 4. è gramine fuit. Dicebatur autem *Vallus* seu *Vallum* stipes ramosus, in aggeris summa parte defigi solitus, ad aggerem confirmandum & loricas extruendas; quem Legionarii milites unà cum armis in itinere ferebant: Nonnunquam verò accipitur, pro parte superiore aggeris, ex illis *vallis*, i. e. sudibus & stipitibus ac viminibus interjectis constante. Describit id eleganter, & quomodo Roman. *vallum* à Græco differat, ostendit Polyb. *l.* 17. *Vallus apud Roman. duos tresve aut ad summum* 4. *habet surculos, ex quo accidit, ut perfacilis sit ejus gestatio. Itaque unus tria atque etiam quatuor simul fert.* Et paulo post, cùm de Græcorum *vallo* ejusque usu dixisset, subjicit: *Apud Romanos diversissima est ratio. Primùm enim ita valla inter se circumplicant, ut neque facilè, quorum ramorum in terram depactorum sint virgulta, neque quorum virgultorum sint rami, agnoscas. Præterea difficile est, si qui evellere conetur, manum admovere: quoniam densissimè inter se conserta sunt: Eó accidit, quòd virgulta ita accuratè inflexa & intertexta sunt, ut revelli ab eo, qui prehenderit, facilè non possint: primùm, quia eminentiæ & surculi omnes suam & propriam in terra firmitudinem obtinent: deinde, cùm unum è virgultis trahitur, necesse est, propter mutuam contexturam, magnam simul propaginem educi, neque verò fieri potest, ut duo tresve unum idemque vallum prehendere queant. Quod si quis unum aut alterum commoveat ac revellat, exiguum tamen intervallum patefiet.* Dicebatur enim propriè *Intervallum* istiusmodi spatium inter duo *valla* vel *vallos* interjectum: unde ad alia locorum, temporum quoque spatia, vox translata est. Cicer. *l.* 1. *Epist. Famil.* 7. *Intervallô locorum & temporum disjuncti.* Aliam significationem *Vallus* habet, in Proverb. *Vallus vitem decepit.* Homericum ἕρκος ὀδόντων, *Vallum dentium*, interpretatur A. Gellius *l.* 1. *c.* 15. quem vide, & plura de *Vallo* militari, apud Rosin. *l.* 10. *c.* 16. nec non infrà, voce *Vallus*: ut & de *Vallari Corona*, suprà ubi de *Castrensi Corona.*

VALLAS, Scotus, Dux primò latronum, dein justi exercitus, Eduardum I. Angliæ Regem vicit, rursus Roberti Brussii, qui illius gloriæ invidebat, proditione superatus, iterum dein Anglum vicit: sed denuo victus, & suppliciò affectus est, Scotiâque occupatâ Robertus ab Eduardo Rex impositus est. A. C. 1299. 1302. 1305. Buchan. *Hist. Scot. l.* 8.

VALLATA, oppid. Hispaniæ Tarraconens. in Vaccæis & regno Legionensi, circa Asturicam urbem, inde 2. leucis, Legionem versùs. *Vanenza Clusio.*

VALLATUM, Rhætiæ oppid. *Veillenbach Simlero.* Nunc pagus Bavariæ inter Abusinam & Summontorium 4. leuc. Aliis *Pfal.*

VALLE de Guaxaca, nomen Familiæ illustris, in Hispania, de qua vide suprà, ubi *de Cortesio Ferdinando*, quem gesta in America, obtentus titulus *Marchionis de Villa Guaxara*, ac suprema Novæ Hispaniæ præfectura, clarum reddidêre; ut & apud Philip. Jac. Spenerum, *Arte Herald. Tom.* 2.

de VALLE Petrus, vide *Petrus.*

VALLEBANA, loci nomen, in Gallia, apud Ausonium, *Epigr.* 69. *v.* 1. *Vallis Bana* divisim legendum, putat Vinetus.

la VALLEE Hieronymus, vide *Hieronymus.*

VALLENCENÆ, quasi vallis cygnorum. Vide *Valentiana.*

VALLENSES, dicti sunt Veragri unà cum Sedunis, à valle Pennina seu Sedunensi, aliisque vallibus. Unde Octodurum, in *veterib. Notit. Vallensium civitas* dicitur, caput olim Vallis inferioris *bas Walais* Gall. ut Sedunum superioris *haut Walais.* Sic à vallibus Pyrenaicis, *Vallensis* regio in Hispania Tarraconens. nomen accepit, quam Ceritaniæ conjungunt *Eginhardus & vita Ludovici Pii.* Pertinet autem vallis Pennina, de qua prius, à fonte Rhodani, usque ad Drantiæ & Rhodani confluentem, *Cluver.* Hodie *Vallensis* regio bifariam dividitur, in superiorem, quæ priscis Comitatus seu pagus Valdensis, vulgò *le Pays de Vaut*, continet Bibiscum, Lausannam caput regionis, Nividunum atque Urbam in Helvetiis: Vide *Vaudi regio*: & inferiorem, quæ recentioribus *Vallesia*, de qua infrà, German. *Wallisserland*, accolis *le Wallais* vel *Valley*, dicitur: Dispescituque iterum in superiorem & inferiorem ut retro monitum. Caballiacenses, inter *Vallenses* inferiores & lacum Lemanum sitos, ubi Gaillardum & Terniacum, *Gaillart & Terni*, pago Vallensi inferiori quidam attribuunt. Fuit regio *Vallensis* inter duas olim provincias divisa, cùm Valdensis regio in provinc. Max. Sequanorum, Vallesia autem in provinc. Alpium Grajarum & Penninarum fuerit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VALLENSIS Joannes, Auctor secundæ compilationis Decretalium, de quo vide suprà, voce *Gallensis.*

VALLERIUS Petrus, vide *Petrus.*

VALLESIA, vel ex *vetere inscriptione* ad urbem Genevam, *Valinsa*, regio Helvetiæ, de cujus situ vide in voce *Valesia.* An à *Valle*, quòd hinc atque hinc altissimis montibus vallata sit, an ab arce *Valeria*, quæ Seduni est, an à Dea Valionia, quæ ut ait *Sipontinus*, vallibus præsidens, apud Vallesianos vel Valinsanos culta est? Vallis enim fertilissima, munitissima, amœna: in longitudinem ferè C. M. pass. patet, cœterùm angusta, nisi quà inter montes in alias valles diffunditur, quarum quædam XV. nonnullæ etiam XXXM. pass. longæ sunt. Vide Simlerum, *de Val. l.* 1. Munster. *Cosmogr. l.* 3. Cluver. *l.* 2. *c.* 4. è quibus medius eam ab Oriente ad Occidentem extendit per quatuor, *Mercator* verò per quinque dierum spatium. Quibusdam *Pennina vallis* dicitur: Polybius, *l.* 3. incolas *Ardyes* nominâsse videtur: quorum vestigium remansisse vult Cluver. *l.* 2. *c.* 7. in vico *Arnen*: meliùs fortè in vico & fluv. *Ardonio.* Hìc Viberi olim, Seduni, & Veragri, de quibus suô locô. German. *Wallis* vel *Wallisserland*, Gall. *Valley* aut *Vallez*: præter alia croci, magnô gentis lucrô ferax. Tota *Vallesia* in duas partes dividitur: superiorem, ab ortu Rhodani, usque ad Morsiam fluv. qui infrà Sedunum Rhodano miscetur; hanc liberi Valesiani, olim Viberi seu Juberi, & Seduni, incolunt, in septem iterum conventus, quos Decumas vel *Desenas*, German. *Zenden* vocant, divisi: Et Inferiorem, à Morsia ad Agaunum, quæ à Valesianis subactis, olim Veragris habitatur, & in 6. conventus dispescitur, quos *Panner* vocant, eo quòd singuli propriis vexillis utuntur. Hi cum Sedunis & Viberis bella gessêre diu, donec ante annos circiter 200. eorum imperium subierunt, à quibus proin Præfectos habent, qui jus dicant, & Rempubl. administrent. Omnium tamen Princeps Episcopus Sedunensis est, qui summam tam in Ecclesiasticis, quàm in civilibus rebus auctoritatem obtinet, & Comes atque Præfectus Valesiæ nuncupatur. Primum cum Bernatibus fœdus huic genti fuit decennale, quod finitum A. C. 1250. Dein cum Lucerna, Uria & Underwaldia fœdus fecêre quinque conventus Valesianorum A. C. 1417. cùm illis cum Guilielmo Raronio Episcopo & patre ejus Guiscardo, quos per seditionem exturbârant, res esset, & Raronis utpote civibus suis, Bernates opitularentur. Mox, pace compositâ, Raronii restituti sunt. Tum cum Bernatibus

rursum ad tempus fœdus initum, donec A.C. 1475. quô omnia mœnia & arces, Agæunô exceptô, diruerunt, illud perpetuum factum, quod splendidis legationibus utrinque missis annis centum pôst renovatum ac confirmatum est. Bienniô tamen antè Uriæ, Suitiæ & Undervaldiæ certâ pactione quoque se conjunxerunt. Tandem, cùm de religione, & Cleri moribus graves controversiæ obortæ essent, Adrianus Episcopus & septem Decumæ, fœdus pepigerunt A.C. 1533. Friburgi, cum septem Helvetiæ pagis, qui ex integro Latinos ritus sequuntur. Patria regio hæc Platerorum, qui Medicinæ inprimis gloriâ apud Basilienses, effloruêre. Vide Stumpf. *Chron. Helvet. l.* 11. Simlerum, præter opus suprà memoratum, etiam *in l. de Helvet. descr.* Guillimannum, &c.

Conventus Valesiæ superioris septem:

Gomesianus, *Gomms.*	Raronius.
Brigianus, *Brig.*	Leucianus, *Leuck.*
Vespianus, *Visp.*	Siderianus, *Sider.*

Sedunensis, *Sitten.*

Qui omnes 30. Ecclesias seu Parochias continent.

Conventus inferioris Valesiæ sex.

Gundisianus, *Gundis.*	Martiniacus, *Martinach.*
Ardonius, *Ardon.*	Intramontius, *Intermont.*
Sallionius, *Saillon seu Schellin.*	S. Mauritii.

Qui sex conventus parœcias 24. comprehendunt: & propriô idiomate utuntur, cùm in superiore Valesia, Germanica lingua potissimùm in usu sit. Erant olim partim sub Sabaudiæ Ducibus, partim sub Episcop. propriisque Dominis, donec inter hos & liberos Vallesianos bellô exortô illi his victi subesse cœperunt, ut dictum. Cæterùm extra ipsam Vallesiam, tres præfecturas bellô Sabaudicô cepêre Vallesiani: primam Montei dictam, alteram Jujanum, tertiam vallem Alpium, vulgò *Hochtal*: sed unam harum Emanueli Philiberto restituerunt, *Simler*.

VALLESIA, vide *Valesia* & *Valesium.*

VALLETRIA, in priscis tabulis nuncupatur *Bareger*, locus in Gallia, ubi aquæ pingues & calidæ ægris salutares in Pyrenæis montibus, finibusque Bigerronum. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

VALLI, populi Asiæ, inter montes Gordiæos, & portas Caucasias, Plin. *l.* 6. *c.* 11. Idem & *Suaruos* ibidem habet.

VALLIA, seu WALLIA, Gothorum in Hispania Rex, successit Sigerico, A.C. 416. Pace cum Romanis initâ, Alanos, Wandalos, & Suevos Hispaniâ, cum illis, pellere constituit. Proin Tolosâ & secundâ Aquitaniâ ab Honorio, per Constantium, acceptâ, in Galliis sedem fixit. Regnavit ann. 13. Idacius & Isidor. *in Chron.*

VALLIA, vulgò PRINCIPAUTE' DE GALES Gallis, WALES Anglis, ZAMBRE Britannis, aliàs etiam Cambria dicta, pars est Occidentalis regni Angliæ, anteà regionem separatam faciens sub propriis Principibus (è quibus Ludwallo 30. lupos in singulos annos vectigalis locô cùm imperâsset Edgarus Westsaxonum Rex, totum luporum genus in Anglia delevit) usque ad Leolinum; quô cæsô, Eduardus filius primogenitus Henrici III. Regis Angliæ Valliæ Princeps dictus fuit, ut deinceps cæteri primogeniti Regum Angliæ. Secundùm divisionem Angliæ, publicis instrumentis receptam, tertia regni pars est, sicut Anglia in specie sic dicta & Berwickum ad Twedam reliquos trientes constituunt. Divisa fuerat aliàs & ipsa in tres partes, nempe in Venedotiam, in Povisiam, & in Dehenbartiam; ibique fuerant aliàs Demetæ, Ordovices, & Silures populi. Nunc autem distinguitur tota Vallia in Valliam Borealem, *North Walles*, & in Valliam Australem, *South Walles*: sub quibus sunt duodecim provinciæ seu Comitatus; nempe in Vallia Boreali Comitatus Flintensis, *Flintshire*, Denbighensis, *Denbighshire*, Arvonia, *Carnarvanshire*, Mervinia, *Merionethshire*, Mongomeriensis, *Mongomeryshire*, & Mona insula, *Anglesey*: in Vallia autem Australi sunt Comitatus Ceretica, *Cardiganshire*, Radnoria, *Radnoshire*, Brechinia, *Brecknockshire*, Glamorgania, *Glamorganshire*, Maridunensis, *Caermardenshire*, & Penbrochiensis, *Penbrockshire*. Comitatus autem Monumetensis revulsus fuit à Vallia sub Henrico VIII. Rege, & Angliæ additus. *Vallos* rebelles domuit Guilielmus Conquestor, Angliæ Rex, A.C. 1091. Vide Matth. Parif. *in Wilhelmo*. Johannes dein Rex regionem hanc sibi subjecit, A.C. 1214. Idem *in Johanne*. Iterum rebelles incolas Eduardus I. à patre Henrico III. Valliæ Princeps, vide suprà, dictus, compescuit auctore rebellionis securi percussô, A.C. 1282. Polydor. *l.* 17. Valliæ major longitudo à Septentrione in Meridiem est 120. mill. pass. latitudo verò major est 80. minor autem 50. circiter, *Baudrand.*

Valliæ Comitatus seu Shiræ ex Bermanno.

Herefordia, *Herefordshire.*
Radnoria, *Radnorshire.*
Brechinia, *Brecknockshire.*
Monumethia, *Monmouthshire.*
Glamorgania, *Glamorganshire.*
Maridunum, *Caermardenshire.*
Pembrochia, *Pembrockshire.*
Ceretica, *Cardiganshire.*
Montgomeria, *Montgomeryshire.*
Mervinia, *Merionethshire.*
Arvonia, *Caernarvonshire.*
Denbighia, *Denbighshire.*
Flintia, *Flintshire.*

Valliæ urbes.

Arvonia, *Carnarvan.*
Bangoria, *Bangor.*
Bellomariscus, *Bewmaris.*
Brechinia, *Brecknock.*
Cardiffa, *Cardiffe.*
Ceretica, *Cardigan.*
Denbighia, *Denbigh.*
Harlecum, *Harleck.*
Maridunum, *Caermarden.*
Mons Gomericus, *Mongomery.*
Penbrochium, *Penbrock.*
Radnoria, *Radnor.*

VALLILIÆ, vulgò VAREILLES, villa agri Senonici, in qua, S. Aldricus Senonum Archiepiscopus Cœnobium S. Remigii condidit, quod ejus successor Wenilo perfecit & ditavit: posteà incensum & dirutum à Normannis, sub Archiepiscopo Evrardo. Dictæ à valle, in qua sitæ, & liliis, quibus ager circumjacens abundabat. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

VALLINA, apud Romanos, *vallium* Dea; sicut Collina collium, Nemestinus nemorum, Voss. *de orig. & progr. Idol. Gent. l.* 2. *c.* 62. Eadem & *Vallonia* dicta. Vide *ibi.*

VALLIS, *Antonino* Africæ propriæ locus. *Vallis Alba*, in Phœnicia *lib. Notit.* *Vallis Cariniana Antonino*, urbs in Pannonia. *Carmiana* legit Lazius 12. R. P. R. & *Babolitza Carethna* hodie vocari dicit. *Vallis Domitiana* in Mœsia inferiori locus *Antonino* circa Danubii ostia.

VALLIS Achor, cujus mentio Psalmô 84. *v.* 7. vallis erat Palæstinæ, juxta Galgalam, Auctor Anonymus *Hist. Orbis Terrar. Part.* 1. *c.* 6. *sect.* 2.

VALLIS Arundineti, *Nahal Kana*, in paraphrasi Lutheri, in eadem regione memoratur Josuæ *c.* 16. *v.* 8. *De Taphua pertransit contra mare in vallem Arundineti, suntque egressus ejus, ad mare salsissimum.* Ubi *Maris salsi* significatu non mortuum, sed mediterraneum intelligi, inde patet, quòd de Manassitarum & Ephraimitarum communibus terminis ibi agitur: hæ autem Tribus ad Mare mortuum non pertigerant. Idem *ibid.*

VALLIS Aser, quæ in sorte tribus Aser sita etiam *vallis pinguis* dicitur, in longitudine plus decem milliaria complectens. Agri hujus solum pinguissimum ac fœcundum, vini ac tritici delicatissimi feracissimum.

VALLIS Cariniana, sive ut alii legunt, Carmiana, *Babolitza Carethna*, teste Laziô, oppidum Pannoniæ inferioris.

VALLIS Casis, civitas in tribu Benjamin, Jos. *c.* 18. *v.* 21.

VALLIS Coloris, vulgò *Vaucouleur*, castrum est Lotharingiæ, ad Mosam, ubi cum Friderico I. Imperatore Philippus Galliæ Rex missô filiô Ludovicô, pacem fœdusque iniit, A.C. 1211. Eôdem, mandatô Imperatoris, Ludovicus Rex venit, colloquium cum illo habiturus, A.C. 1238. Albertus quoque Roman. Rex cum Philippo Galliæ Rege ibidem congressus est, A.C. 1299. *Hadr. Valesf.*

VALLIS Ecclesiæ, seu Villa Ecclesiæ, urbs Sardiniæ Episcopalis, in ora occidua, inter insulam Sulcitanam & Calarim, *Villa di Chiesa*, à Calari 30. mill. pass. cujus Episcopatus Archiepiscopatui Calaritano junctus est. Appellatur & Ecclesiæ, *Yglesias*, apud scriptores Sardiniæ numerô plurali, eò, sede Episcopali Sulcitanâ olim translatâ. Vide *Villa Ecclesiæ.*

VALLIS Gellonis vel Agellonis, locus Galliæ, ad Arauratim, 2. leuc. ab urbe Luteva: hodie, S. Wilhelmi desertum *S. Guillem le Desert* dictus, à Wilhelmo Monasterii ibi conditore, qui circa A.C. 806. ex Comite Tolosano, permissu Caroli M. monachus factus est. Vulgò *le Val de Gellone.* Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

VALLIS Guidonis, castrum Galliæ, in Cenomanis, ad Meduanam fluv. nunc caput Comitatus. Hic Concilium A.C. 1242. *la Val.* Prædium fuit pagi Cenomanici. *Madvallis* Gallicolatinô nomine dictum, i.e. Bona vallis; quod Sigibertus Monasterio Suessionico olim S. Medardi dedisse fertur. Est & vicus proximus Soonæ castro, vulgò *le Val.* Sunt & Valles prope Melodunum Senonum, *Vaux.* Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

VALLIS Jephthaël, in Palæstina.

VALLIS Jesreël, similiter, vide in voce *Jesreel.*

VALLIS Illustris seu *Aulon*, montibus inclusa, Patriarchæ Abrahamo habitationem præbuit. Sic enim sedem ipsius, *Elon Moreh* Genes. *c.* 12. *v.* 6. & Deuter. *c.* 11. *v.* 30. Vulgata nuncupat, *Vallem Illustrem*, & *Vallem longe lateque tendentem.* Interpr. Samar. *Vallem Visionis*, Describitur à Josepho & Eusebio *de loc. Heb.* hôc môdo, Αὐλὼν, πεδίας μεγάλη [illegible] ὁ Αὐλὼν εἰσέτι καὶ νῦν καλεῖται. Αὕτη καὶ [illegible] Αὐλῶνα καὶ [illegible] Ἔστι δὲ ἐπὶ Αὐλῶνος πόλεις ἐπίσημοι, καὶ [illegible] λίμνη Τιβεριάς, Ἱεριχὼ καὶ ἡ νεκρὰ θάλασσα, [illegible] ὁ Ἰορδάνης [illegible]. Juxta hanc, in Ephraimitide Sichem collocata erat: Abrahamus namque, cùm in terra Cananæa peregrinaretur, juxta Sichemam, ad *Vallem Illustrem* substitisse dicitur. Deuter. *l. cit.* Vide iterum Auctorem *Hist. Orbis Terr. Geogr. & civ. ubi suprà.*

VALLIS Infernalis, in monte S. Gotthardi, ubi supra Sillinium, pagum Uraniorum juxta Uriam fluv. & prope Ursarium vicum, pons est, *Diaboli aut Inferni pons* dictus: cujus meminit Platina *in Pio II.*

VALLIS Joachimica, *S. Joachims Thal*, in Germania, ubi primùm per Sliones Comites *Taleros* seu *Thaleros*, hinc dictos (Germanis enim *Vallis* dicitur *Thal*) cusos esse, refert Georg. Agricola, *de Ponderib. & Mensuris*, *l.* 2.

VALLIS Olerum, *Val des Choux*, Prioratus in diœcesi Lingonensi, prope Castellionem, in Burgundia. Caput ordinis est A.C. 1197. à Viardo, juxta regulas S. Benedicti instituti. Vide Moreriun, *Diction. Hist.*

VALLIS Pennina, vide *Vallenses*.

VALLIS Quirini, locus Romæ, inter colles Quirinalem & Viminalem, ubi templum S. Vitalis.

VALLIS Raphaim, i.e. *Gigantum*, in tribu Benjamin amplissima & potentissima juxta Jerusalem. Vide & hic infrà.

VALLIS Regia, *Vet. Trad. Vaire*, pagus in agro Genuensium, apud montem Apenninum, à Genua 10. mill. pass. distans.

VALLIS Rephaim, in Judæa, juxta Hierosolymam sita erat, versùs Occidentem. Eusebio Κοιλὰς Τιτάνων, & hinc *Cœlas Titanorum* Hieronymo. Id enim Josuæ *c.* 15. *v.* 8. & *c.* 18. *v.* 16. non obscure innuitur. Inde versùs Austrum extensa, Bethlehemum usque pertingebat. Josephus, *Antiqq. Jud. l.* 7. *c.* 10. *In illa valle castrametatus est, quæ* 20. *stadiorum spatiò usque Bethlemam pertingit.* Et post hanc *Clauthmon*, id est, *Locus flentium*, Adrichomio *Clauthmon*: sylva nempe illa, in qua David Rex Hierosolymis egressus Palæstinos in *Valle Rephaim* castramerantes à tergo invasit. Vide eundem *l.* 7. *c.* 4. coll. cum Paraphrasi LXX. 2. Reg. *c.* 5. *v.* 23. In extremo ejus Bethlehemum situm erat; & stadiis quidem 20. Hierosolymis, ad Austrum: Occidentem verò *Vallis* Clauthmon habebat: Orientem Hierosolyma: ad Boream Benjaminitis Tribus erat. Vide Auctorem Anonymum præfatum ubi *suprà*.

VALLIS Scholasticorum, Abbatia Burgundiæ, in diœcesi Lugdunensi, caput ordinis à Guilielmo Richardo, aliisque Doctoribus Parisientibus circa A. C. 1212. fundati. Vide Moretium, *Diction. Histor.*

VALLIS Tari, *Val de Taro*, tractus Italiæ prope fontes Tari fluvii & ad radices Apennini, inter Ducatus Parmensem ad Ortum, Placentinum ad Boream & Occasum, ac ditionem Genuensem ad Meridiem. Anteà Principes habuit proprios è gente Landorum; nunc autem pro majori parte subest dominio Ducis Parmæ; vixque Princeps Vallis Tari, nunc è gente Auria, servare potuit Campianum cum aliquot aliis locis. Dicitur hic tractus ab Italis *Stato di Val di Taro*, ibique oppidum est præcipuum *Borgo Val di Taro* dictum.

VALLIS Telina, *Script. Insub. Valtelina*, regio Insubriæ, in Rhætorum confinio, per quam Addua fluvius decurrit, inter Ortum illius & Larium lacum 60. mill. pass. longa. A' *Telio* castro nomen habet; licèt nonnulli illam, ex quadam nominis allusione decepti, Volturrenam à veteribus dictam velint. De hac maxima nostrâ tempestate inter Gallos, Hispanos, & Venetos decertatio fuit: ab Hispanis (quibus sese *Valtelinenses* dederunt) Gregorio XV. Pontifici Roman. tradita, & ejus judicio commissa; sed sub Urbano VIII. Gregorii successore, à Gallis & Venetis capta; *Ferrar*. Dominisque, sed hâc lege, ut inde Euangelium in perpetuum exularet, reddita est, *Baudrando Vallis* Tellina, *la Valteline* Gallis, pars fuit Rhætiæ antiquæ, ubi Vennones populi seu Venoneres; nuncque etiam subest dominio Rhætorum, quamvis pluries ab Hispanis tentata, irritò semper conatu. Vallis est fertilissima & oblonga, ab Ortu in Occasum extensa, inter Rhætos ad Boream & dominium Venetum ad Meridiem. Nomen habet à Telio oppido tertiæ Præfecturæ, in Volturenis, capite: quod in edito ac munito loco situm, totius provinciæ arx & propugnaculum censetur. Vide *Tellina Vallis*, & *Volturenes*.

VALLIS Visionis, vide *Vallis Illustris*.

VALLIS Umbrosa, *Vall'ombrosa*, monasterium in agro Florentino intra excelsos Apennini colles, à S. Joanne Gualberto illius ordinis fundatore A. C. 1070. exstructum. 18. milliar. distat à Florentia in Ortum, & 7. ab Arno fluvio.

VALLIS Zeboim, cujus mentio 1. Samuel *c.* 13. *v.* 18. ad desertum *Hiericho* erat, quod inter Hierichuntem fuit Urbem & Hierosolym. Terræ S. Metropolim. Vide Josephum, *Jud. Antiq. l.* 5. *c.* 4.

VALLISDUNI, locus Galliæ in Caletis, ad Talam vel Dunum fluvium, vulgò *le Val Dun*, proximus Parœciæ vel vico S. Petri veteris *S. Pierre le Vieux*, ad eundem amnem sito. A' *Valleduni* differunt *Vallisdunæ*, i.e. Vallis montes, ubi Dux Normanniæ Guilielmus, ab Henrico Galliæ Rege adjutus, Guidonem cognatum suum, Nigellum Constantiensem, aliosque Proceres rebelles devicit. Prius est in Caletis, ut dictum, & diœcesi Rotomagensi, posterius in Comitatu, pagove Oximensi, in diœcesi Sajensi, ad fluv. Olnam seu Olinam Orne, locus nunc ignotus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VALLISOLETUM, (olim *Pintia*, ut aliquibus videtur) *Valladolid*, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in Vaccæis, & regni Legionensis confinio, ad Pisoracam fluvium, quam à Gothis A. C. 625. conditam tradunt, olim sedes Regum, nunc urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Toletano, ex primis Hispaniæ urbibus, à Burgis 22. leuc. in Occasum & Africum, Salmanticam versùs totidem, à Legione 18. A' Philippo II. Rege urbs effecta. Ea totius Castellæ & adjacentium regionum conventus est juridicus, & Academia haud obscura. *Ferrar. Baudrando* urbs est Castellæ veteris in ipso limite regni Legionis, 16. leucis Hispanicis distans à Burgis in Africum, 22. à Legione in Eurum, & 14. à Sentica in Ortum; estque elegans & culta: In ea obiit die Jovis 20. Maji A. C. 1506. Christophorus Columbus seu Colonus magnus ille Argonauta, qui primus Indiam Occidentalem seu Americam detexerat A. C. 1492. ejusque corpus translatum fuit Dominicopolim in America ex ipsius mandato. Hujus tanti viri epitaphium sic refertur à Joanne de Castellanis *in suo tractatu de viris illustribus Indiæ.*

Hic locus abscondit præclari membra Coloni,
Cujus sacratum numen ad astra volat.
Non satis unus erat sibi mundus notus, & orbem
Ignotum priscis omnibus ipse dedit.
Divitias summas terras dispersit in omnes,
Atque animas cœlo tradidit innumeras.
Invenit campos divinis legibus aptos,
Regibus & nostris prospera regna dedit.

VALLISOLETUM, vulgò VALLADOLID, urbs recens Americæ Septentrionalis in nova Hispania & Jucatania regione, versùs oram sinus Honduræ & insulam Cozumelam dictam, in tractu feraci, sub dominio Hispanorum.

VALLISOLETUM, vulgò VALLADOLID seu COMAYAGUA, urbs Americæ Septentrionalis in nova Hispania & in provincia Hondura, cujus primaria existit, estque Episcopalis sub Archiepiscopo Mexicano ab A. C. 1588. versùs montes, & media inter mare Boreale & mare Pacificum, sub Hispanis.

VALLIUS Syriacus, citatur Senecæ inter celebres sui seculi declamatores. Ejus est illud in Stertinium Maximum, à quo premebatur, quum comes ejus fuisset: *Per duodecim annos in officio tuo fui, dic quid peccaverim? Sed hæc est consuetudo vestra, injuriam vocatis finem servitutis.*

VALLOCURIA, oppid. Hannoniæ, in ditione tamen Leodiense ad amnem *Heure*, vix 2. leuc. à Philippopoli in Circium, Binchium versùs 5. circiter; *Walcourt* vulgò.

VALLONIA, Dea, quæ *vallibus* præerat, Sipontin. apud *Plantinum*.

VALLUM, Anglis, *the Picts Wall* adhuc dictum, murus Albionis, quem Hadrianus Imperator inter Britanniam 1. & 2. h. e. Angliam & Scotiam, ad reprimendas barbarorum incursiones, per 80. mill. pass. ædificavit. Æl. Spart. Vide *Hadriani Murus*, vel *Murus Hadriani*. Aliud in Sinis, vide *Murus Sinicus*.

VALLUS, apud Spartian. *Severo*, *c.* 22. *Post murum aut* vallum *missum in Britannia*: murus cespititius est, Græcis recentioribus βαλλεγὶς seu βαλλεγὴ ad verbum, vide Nicetam, *l.* 2. βῶλος enim *cespes*. Unde *Bolever* Gallorum, Salmas. *Not. ad d. l.* Propriè verò *vallos* Romani dixêre stipites ac cippos, quibus castra muniebantur, non acutos modò, sed & bifurcos. Nam, ut est apud *Suidam*, Græci *vallo* ac aggeri conficiendo eos vallos seligere solebant, in quibus circumcirca multi magnique rami enati essent: Romani autem, qui δύο κεραίας ἢ τρεῖς ἔχοντα, *qui bicornes essent* aut *tricornes*, quomodo *bifurcos aut trium, aut cum plurimùm quatuor ramorum vallos* fuisse, ait Livius, *l.* 33. Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 264.

Exacuunt alii vallos furcasque bicornes.

Et *l.* 2. *Georg. v.* 25.

Quadrifidasque sudes & acutò robore vallos.

Atque ex his fustibus *vallum* fiebat, docente Serviò *ad l.* 9. *Æn. v.* 146. Idque hôc modô, ut Cæsar habet, *de Bello Gall. l.* 7. *c.* 73. *Truncis arborum, aut admodùm firmis ramis abscissis, atque horum delibratis, & præacutis cacuminibus, perpetuæ fossæ quinos pedes altæ ducebantur. Huc illi stipites demissi, & ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant. Quini erant ordines conjuncti inter se, atque implicati, quò qui intraverant, se ipsos acutissimis vallis induebant. Hos Cippos appellabant. Ante hos obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paullatim angustiore ad summum fastigiô. Huc teretes stipites feminis crassitudine ab summo præacuti & præusti demittebantur, ita ut non ampliùs quatuor digitis ex terra eminerent.* Aliam *valli* descriptionem habes, apud Bedam, *Histor. Eccles. l.* 1. *c.* 5. In cujusmodi summo *vallo* stans Imperator paludatus, tanquam castrorum ac *valli* præses, exhibetur, in tribus æreis nummis, Licinii, Constantini & Constantini Junioris Augg. in quibus habentur quatuor cantheri quatuor aliis oppositi, in quorum superiori divaricatione Imperator visitur, cum *Inscr.* VIRT. EXERC. Vide Car. du Fresne, *Dissertat. de inscr. avi Numismatibus, num.* 56. plura verò de *Vallis Romanorum*, apud Salmas. ubi suprà, Casp. Barthium, *Animadversion. ad Papinium, l.* 10. *Theb. v.* 513. ubi inter alia, *pallicium, vallum palis munitum, aggestâ desuper terrâ*, dictum fuisse, ex vetere Scholiaste notat, Freinshemium *ad Curtium, l.* 8. *c.* 11. Alios, ut & suprà, vocibus *Charax*, *Sudatum* &c. Origo voci à *varus*, quod palus propriè est in summo furcillatus, & figuram literæ V. retinens. Vide infrà. Aliàs & *vallus*, diminutivum est à *vannus*, unde *evallare*, pro evannare, seu foràs ejicere, apud Pomponium, qua de re vide pluscula apud Salmas. eundem, *ad Solin. p.* 1285. Hinc *Vallaris Corona*, de qua retro dictum. Alia notio vocis apud Auctorem, *Panegyrici ad Pison.* est, ubi de latrunculorum ludo.

——— fracta prorumpat in agmina mandra,
Clausaque dejectò populetur mœnia vallô

Hic enim locus est seu sedes in tabula, in quibus velut clusi tenentur latrunculi, adeoque idem, quod *capsus*, *carcer*, *mandra*, *septum*, *fidis*, Græcè πόλις, χαράκωμα &c. Vide hic passim, & Salmas. iterum *ad Proculum Flav. Vopisci, c.* 13.

VALON, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ in Tinglm ad Meridiem exiens. *Ptol.*

VALONIÆ, oppid. Normanniæ inferioris in tractu Constantiensi, 4. leuc. ab ora littorali maris Britannici uti à Cæsaribùrgio in Meridiem, & 12. à Constantia in Boream. Vulgò *Valognes*.

VALONTANUM, castellum Latii, in colle.

VALPO, vulgò WALPON, quibusdam WALCUM, urbe Hungariæ, in Sclavonia, ad amnem cognominem, sub Turcis, ab A. C. 1543. Vix 6. mill. pass. à Dravo in Meridiem, 25. à Danubio in Occasum, uti 10. à Mursa. Forsan aliàs *Cibale*. Caput Comitatus Valponiensis *Comte de Walpon*, in Rascia, qui inter Comitatum Varaniensem ad Boream, Posegiensem ad Occidentem, & Sirmiensem ad Austrum, Danubium autem ad Ortum est.

VALSASSINA, nomen illustris Familiæ, de qua suprà, ubi de *Turrianis*. Addenda hic saltem, quæ omissa ibi. Pagani tertius filius Franciscus, non minùs Vicecomitum hostis, & tandem prœliô occisus, novam dedit stirpem, per Guidonem fil. qui, Mediolani feudi Imperialis Dominus, genuit inter alios Lamoratum. Hic domûs

infortuniô cedens in Bergomensem agrum transiit, ac in valle Cornelia sedem fixit, monte Tassô acquisitô, unde nomen *Tassiorum* vel *Taxiorum*, Turrianô omissô, natum est, vide suprà. Demum ex *Turrianis* Salvinus, quartus Pagani fil. Volcanum genuit, qui Rubiacum à Comite Goritiæ feudo accepit, atque in Forum Julium familiam suam transtulit, ubi Comitibus hisce multa præstitère officia. Trinepos Volcani Antonius Præfectus Goritiæ Nicolaum, Andream & Vitum genuit, qui à Carolo V. *Barones S. Crucis* & Comites Imperii atque Carniolæ Præfecti prætorio hæreditarii creati sunt. Andreas per Achatium fil. familiam propagavit; Vitus sive Guido, per Franciscum (qui primus in Bohemia fortunæ sedem fixit) plurium liberorum patrem. E quibus Hieronymus Wenceslaus Comes *Turrianus* seu *de Thurn & Valsassina*, junxit sibi Mariam Comitem Hardecciam, atque ex ea suscepit Vitum Henricum & Germanos. Phil. Jac. Speuerus, *Theatrô Nobil. Europ. Tom.* 2. *p.* 43. & *in Indic.* Vide quoque eum, *Arte Heraldicâ, Tom.* 2.

VALVA, mons Mauritaniæ Cæsariensis item ager, in territorio Sulmonis. Unde *Valvensis* Episcop. *Lib. Concil.*

VALVÆ, fores sunt à summo ad imum divisæ, quarum duplices tabulæ seu paginæ concurrentes in medio junguntur, Græcis συνθυρίδες, item Δίφεγγοι, Gallis hodieque *brisata*, i. e. fractiles; sic dictæ Varroni, quòd *revolvantur ac sese velent.* Earum in templis inprimis usus, cujusmodi *valvas cupressinas* Templi Ephesini, postquàm ab usu recesserant, τεθησαυρισμένας τέσσαρας ὅλας γενεάς, *in thesauro seu favissa illius per* 4. *jam secula reconditas ac repositas jacuisse,* cùm templum ab Herostrato incensum est, Philosophus alicubi ait. Sponte verò adapertæ, in prodigiis habebantur, excessuris velut aliorsum Numinibus; cujus rei exempla sunt in Tacito, ubi de Vitellii exitu, in Suetonio aliquot locis, apud Josephum, *Halos. l.* 7. ubi tale quid Hierosolymorum excidium portendisse memorat, cum voce adjecta, Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, *Migremus hinc*; Alios, vide Casp. Barthium, *Animadversionibus Papinian. ad. l.* 2. *Theb. v.* 311. & suprà voce *Abies*, ubi *Valvarum repagulis*, h. e. paginis, optimam eam esse ex Plinio vidimus. Hinc *Valvatus*, unde *valvatæ fores*, apud Vitruvium *l.* 4. *c.* 6. quæ eædem, fores nempe Δίφεγγοι, seu δίπτυχοι, quæ semel plicabantur, veluti fores duæ, inde *bisoris* quoque dicta; cui opponit *quadriforem*, h. e. τὸ δίθυρον vel τὴν δικλίδα, cujus singulæ tabulæ duplicabantur, seu quæ in singulis partibus, ima & summa, duplices habebat tabulas. Item *valvata fenestrarum lumina*, apud eundem *l.* 6. *c.* 6. &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 927. ut & suprà, voce *Fores*, alibique passim.

VALVASORES, à valvis, quasi ad valvas stantes, *Spigel.* Vel à Germanico *Wall*, quod munimen, aggerem, vallum denotat, quasi *Vallasores*, vel quòd valvas, & introitus regni contra hostes tuerentur. Institutio eorum in Imperio cœpit: ubi alii majores dicuntur *Valvassores*, qui posteà Regii & Vassi Dominici: alii minores, qui velut per diminutionem, *Valvasini* etiam appellantur. Priores sunt, qui non à Rege immediatè, sed secundâ vice feuda acceperunt. scil. à Ducibus, Marchionibus & Comitibus. Posteriores verò quibus sua dispartiunt feuda *Valvasores* majores. Prateo *Valvasor* dicitur Nobilis, qui summæ coërcitionis, non etiam nundinarum & mercatus jus habet (*un Gentilhomme, qui à seigneurie de haute justice*) estque Barone inferior, atque ab eo feudum suum obtinet. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archaeol.*

VALVASORIUM, oppid. Foro-Julii.

VAMA, fluv. se in Gangem effundens. Plin. *l.* 6. *c.* 18. Item Urbs Celticorum, in Hispan. Οὔαμα *Ptol.* Οὔλαμα legit *Georg. Ubelus.*

VAMACURES, populi Africæ propriæ Plinio, *l.* 5. *c.* 4.

VAMBA, rusticus, in Hispania ad regnum vocatus, *quando hic baculus,* (stimulum indigitabat, quô agebat boves) *germinabit*, inquiens, *tunc ego Rex vester* ero: confirmatus miraculô, illud acceptavit, Hildericum Comitem & Paulum Ducem suum, æmulos, vicit, Astures & Vascones domuit, 270. Saracenorum naves concremavit, ab Ervigio, qui pòst successit, venenô peremptus, A. C. 681. Rodericus Sanctius *in Chron.* vide quoque *Bamba*.

VAMICELA, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis. *Ptol.*

VANA, vulgò *Wana*; fluv. Croatiæ, Vihirziam rigat; dein in Savium cadit, in ipso limite Croatiæ supra Gradischiam. *Una* quibusdam.

VANACINI, populi Corsicæ circa promontor. Sacrum, nunc *Capo Corso*, in Boream maximè vergentes. *Ptol.*

VANDABANDA, regio Sogdianæ. *Ptol.*

VANDALI, qui & *Venedi, Fenni*, & *Slavi* posterioribus, populi Septentrionales, qui non solùm Germaniam ad oram maris Baltici, ubi Ducatus Megalopolitanus est, *Vandalia* olim dictus, tenuêre, sed etiam per Pomeraniam, Poloniam, Silesiam, Bohemiam, Russiam ac Dalmatiam, teste Albertô Krantziô, effusi sunt: sicut in Galliam ac in Hispaniam progressi, ubi sedes in Bætica locârunt, quæ propterea *Vandalitia*, *Andaluzia*, magnâ ex parte nominatur: inde in Africam trajicientes illam occupârunt, diuque eam tenuêre, ut & Sardiniam, sub Genserico Rege. Alii *Vandalos* à *Vanda* Reginâ dictos, primò in Poloniâ juxta Vistulam fluv. habitâsse ferunt. Alii ex *Vandalo* Tuisconis filio, & Manni nepote, dictos volunt ex Beroso. Eorum historia paulò fusiùs sic habet: Sedibus suis ad litora maris Baltici seculô 5. relictis, Alanis Suevisque juncti, Galliam intrârunt, auspiciis Godegisili, à Stilicone evocati, A. C. 406. ubi Moguntiam, Argentoratum, Rhemos vastaverunt, & coloniam Burgundionum reliquerunt: Aliis Vandalici & Longobardici regni, initia ad A. C. 382. & 393. rejicientibus. Inde in Hispaniam transgressi: quô tempore Britanni horum impetum veriti, Constantino gregario militi imperium detulêre; Franci verò Trevire occupatâ, Franciæ regnum occupavêre, &c. In Hispania fide Suevis non servatâ, Regem illorum vicerunt, A. C. 420. superatis quoque A. C. 422. in Bætica Romanis: Huic Godegisilo nati Gundericus Arianismum amplexus & Gensericus: è quibus Geisericus vel Gensericus, in Africam trajecit, ibi *Vandalorum* regnô constitutô: Inde à Comite Bonifacio evocatus Romam diripuit, Siciliam vastavit, à Leone tamen Imperatore per Duces victus, A. C. 467. Ei successêre, alter filius Hunericus, Valentiniani III. Imperatoris gener, & post patrem Catholicorum persecutor: tum ex altero fil. Genzone nepotes, Gunthamundus Orthodoxorum ab exilio revocator & Thrasimundus: Hildericus dein Hunerici fil. à Gilimere cæsus, & Gilimer Gelarichi fil. Genzonis nepos, sub quo Africa Vandali exuti sunt, A. C. 533. Ariani ut plurimùm & Orthodoxorum sævi hostes. Huic regiæ stirpi, an qui Herulis in Germania præfuêre, de quibus infrà, juncti sanguine fuerint, dubitant eruditi. Contra Vandalos Helmstadium muniit Carolus M. A. C. 808. Vandalos Obotritos rebelles vicit Ludovicus Rex Lotharii Imperatoris frater, A. C. 844. cumque iis & posteà variô Marte bellum gessit, circa A. C. 858. Iidem ab Henrico Aucupe Imperatore ad Suevum, Oderam, Havelum fluvios, mare Balthicum &c. domiti, A. C. 924. ab Ottone M. repressi A. C. 960. Suenonem Daniæ Regem, qui patrem pulsum etiam post mortem in Vandalis persequutus est, ter captum lytrô semper ingenti acceptô dimiserunt, A. C. 962. Henricum quoque III. Imperatorem magnâ clade affecêre, A. C. 1056. Postea Canutum Ducem Slesvicensem Regem Vandalorum creavit Lotharius Saxo Imperator A. C. 1130. qui in Dania Succia, Norvegia, Gronlandia, Islandia, institutis Episcopis religionem Christianam longè lateque propagavit: Hodie inter Regis Daniæ Sueciæque titulos. Familiæ *Vandalicæ* originem ad Anthyrium hodiernæ Alexandri M. militem referunt, è cujus posteris Visilaus II. seu Wizlafus, fil. habuit Billungum, seu Mistevojum, quem à Vistula ad Visurgim imperâsse & ductâ Vagonis Episcopi Oldenburgi Vagriæ sorore Christi fidem, quam dein desertam persecutus, amplexum fuisse dicunt. Huic natus est Micislaus, pater Grimmi, Rugiorum Principum conditoris, & majoris natu Mistævonis, Herulorum Regis: qui universum Slavicum nomen ad Ethnicismum reduxit, tandem ipse senex conversus, Bardovici reliquum vitæ exegit. Ex ejus filiis, Udo, Ratiborus & Bogislaus, ille reliquos Vandaliæ & Megalopolis Principes, hi verò Pomeranos severe. Udo, summus Christianorum osor, ab aliquo transfuga Saxone cæsus, fil. habuit Godscalcum, qui fidei Christianæ suis præco, A. C. 1066. ab iis occisus est. Hujus fil. Buthuen à Critone Rugio peremptus, & Henricus, qui Rugis victis, militiæ laude inclaruit: cujus posteritate in Suinicone extinctâ, A. C. 1135. Canutus Danus, de quo suprà, beneficiô Lotharii Vandalici Regni jus titulumque sibi usurpavit. Buthue nati Pribislaus & Nicolotus, ambo Idololatræ, occisô à suis Canutô, rerum potiti sunt: verùm ille à Rugis captus est, hunc Henricus Leo & Albertus Ursus, totô penè regnô exuêre. Idem Henricus, ex ejus filiis Vratislaum captum suspendit, & cum Pribislao, qui ultimus gentis Rex à Pomeranis restitutus fuit, bellum gessit. Hic in ordinem tandem coactus, parte dition. receptâ, Ducis nomine acquiescere jussus est: Baptizatus dein Rostochium condidit, A. C. 1215. mortuus. Cæterùm illis Henrici Leonis bellis major gentis pars exhausta, reliquiæ exortes omnis dignitatis esse jussi, aut in Poloniæ fines rejecti, novæque introductæ è Saxonibus & Frisiis coloniæ: Pribislai fil. Henricus, quasdam belli ruinas restauravit, pater Henrici junioris, è quo, inter alios, nati Johannes & Nicolotus, ille rami Megapolitani, hic *Vandalici*, conditores. Tenuit autem Nicolotus Gustroviam, Plaviam, Ribenitzam &c. sublatus à filiis Henricô & Nicolotô, A. C. 1277. Tertius ejus fil. Johannes Nicolotum genuit, Rugiorum & Brandeburgiorum victorem. Hic A. C. 1316. moriens Johannem seniorem reliquit, Johannnis junioris patrem, cujus familiâ extinctâ A. C. 1430. hæredes fuêre ex altera linea Megapolitani. Vide Idac. & Isid. *in Chron.* Procop. *de bello Vandal.* Jornand. *de reb. Goth.* B. Rhenanum, *Rer. Germ. l.* 1. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p.* 125. Hug. Grotium, *Hist. Gothorum, Suec. Vandalorum*, Philipp. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Histor. &c.* Accuratiores Venedos à Vandalis, utpote horum successores distinguunt. Vide in voce *Venedi*. *Vandalorum* quoque meminit Prudentius, *l.* 2. *contra Symmachum, v.* 807.

Denique Romanus, Daca, Sarmata, Vandalus, Hunnus.

Hinc *Vandalicus*, unde *Vandalici gladii* apud Prosperum Aquitanicum, cladem Gallis ab iis illatam deplorantem:

——— *Heu cade decenni*
Vandalicis gladiis sternimur & Geticis.

Item *Vanduli*, in *Tabul.* Peutinger. & apud *Æthicum*; *Banduli* quoque apud Vopisc. *in Probo, c.* 18. uti Βανδῆλοι Græcis. Vide Salmas. *Not. ad Historiam Aug.* Ab iis *Vandalizia* nomen accepit, ut qui in Hispania Bætica primum, dein relictis commilitonibus suis, Suevis quidem in Gallæcia, Alanis verò in Lusitania, Africâ potiti, Carthagine regnârunt, Georg. Hornius *Orbe Politico*, cum *Notis* Menckenii, *p.* 448.

VANDALIA, vulgò *Wenden*, tractus est Germaniæ in Pomerania ulteriori, in ora maris Baltici; ubi urbes Rugenvaldia & Stolpia, inter Ducatum Cassubiæ ad Occasum & dominium Lauvenburgense ad Ortum, in ditione Brandeburgica. Nempe commune quondam tot nationibus nomen (ut quod majorem ferè Germaniæ partem complexum est) angustius Saxonum in Vandalos odium contemtusque effecit, patriô solô ejectos, aut, ubi manerent, servorum ferè in morem habitos. Donec illud Pomeraniæ & Mechelburgi Ducatus peculiare sibi fecêre; quo dignoscerentur, Orient. Occidentalisque cognomenta adjecta. Et quidem illam quod attinet, arctiori significatu nomen ad eas terras restrictum est, quas, ultra citraque Vistulam *Pomerellia* vocabulô notas, proprii Principes, *Cassubiæ & Wandaliæ* titulis insignes, quondam tenuêre. Eæ à Mislevino, familiæ suæ postremo, Barnimo II. Pomerano, & ortâ fortè cum hoc discordiâ, Boleslao Poloniæ Duci, donatæ, A. C. 1273. Ab his ad Brandeburgicos transierunt: è quibus eas primùm Fridericus II. Marchio, Ludovico Bavaro Imperatori coævus, nactus est, belli simul pactique, cum Pomeranis Polonisque initi, jure. Hodie vero Cassubia, inter

Boruſ-

Borussiam & Pomeraniam sita, jam arctior, Konitziam, *Schlochau Butau & Lauenburgum*; *Vandalia*, infimam Pomerelliæ ad Vistulam regionem complectitur: a qua *Vandalorum Princeps*, etiamnum inter Serenill. Electoris titulos. Meckelburgios quod attinet, mansit illis, etiam post appellationem hanc sumtam, *Principum Vandaliæ* titulus, unà cum terra (Gustroviam, Plaviam, Ribnitiam, *Malchin*, aliaque continente) cui soli fermè *Vandaliæ* vocabulum hæsit, ex amplissimo Germaniæ spatio, ad tantillæ regionis angustias redactum: tanti cæteroquin etiam Regibus Daniæ habitum, ut *Vandalorum* se *Reges* hodieque ferant, ortò, ut videtur, jure, à Canuto Obotritorum, Danici generis, Rege, & quòd Canutus Magni filius Daniæ Rex inter Burevinum & Nicolottum arbiter sumtus addictam utrique regionis partem clientelæ nexu sibi obstrinxerat. Tantusque tituli amor, ut etiam, post assertam jam ab aliquot seculis *Vandaliæ* libertatem, ne nunc quidem omittant. Cæterùm istam terræ portionem sortitus est Nicolottus, frater Joannis, cui Meckelburgia ditio ex paterna hæreditate obvenerat, ad hujus posteros in Henrico Pingui devolutam, postquam Gulielmus sine liberis vitâ defunctus familiæ suæ finem fecit, A. C. 1430. Tob. Pfannerus, *de præcipuis Germaniæ Principp. gentibus*, *c.* 4. & 6. Vide quoque voce *Wandali*.

VANDALITIA, vulgò *Andaluzia* incolis, *Andalouzie* Gallis, regnum est Hispaniæ, ubi aliàs Bætica. Terminatur à Septentrione Extremadurâ provinciâ & Castellâ novâ, ab Oriente regnô Granatensi, ab Occidente Portugalliâ, & à Meridie Oceanô & mari Mediterraneô; ibique Mauri duo regna constituêre, Cordubense & Hispalense, quæ posteà Castellæ adjuncta sunt per Ferdinandum III. cùm ex ea regione Mauros Granatam compulisset. Hic, ut & in regno Granatæ, rebellionem à nomine Christianis, animô Mahometanis, ob Inquisitionem, introductam & asyla adempta, creatô sibi Rege Ferdinandô Valoriô excitatam, per Johannem Austrium, fratrem nothum, biennii spatiô devictis rebellibus composuit, Philippus II. circa A. C. 1570. Vide Thuan. *Hist. l.* 48. Regio est miræ fertilitatis, in qua nihil ad vitam, nihil ad delitias deest. A Bæti fluvio in duas partes ferè scinditur; & dicitur etiam Andaluzia à recentioribus. Ejus autem primaria urbs est Hispalis.

Vandalitiæ Urbes.

Asindum, *Midina Sidonia.*
Asta Regia, *Xeres de la Frontera.*
Astigi, *Ecija.*
Batia, *Baeça.*
Calpe, *Gibraltar.*
Corduba, *Cordoua.*
Gades, *Cadiz.*
Gienna, *Jaen.*
Hispalis, *Sevilla.*
Ubeda, *Ubeda.*
Ursao, *Ossona.*

VANDALITIA Nova, *nueva Andaluzia* Hispanis, *nouvelle Andalouzie* Gallis, regio Americæ meridionalis, in Terra firma, versùs ostia fluvii Orenoci seu Pariæ. Dicitur aliter Paria; estque inter Guayanam ad Ortum & Venezuelam ad Occasum: ubi Comana seu nova Corduba urbs præcipua cum aliquot coloniis Hispan.

VANDELBERTUS, Diaconus & Monachus Abbatiæ Pruniensis, sub Lothario Imperatore. Scripsit versu Heroicô *Ephemerides* quæ malè Bedæ ascribuntur, seu *martyrologium*. Item libros 2. *de vita S. Goari*. Sigebert. *in Catal. c.* 129. *Trithemius*, *Vossius* &c.

VANDUARA, Damniorum oppid. in Albione.

VANGA, medio ævô, sarculum, inde nescio quod armorum genus; fortè gladius, qui instar *fossoril* erat, uti vocem Joh. de Janua exponit, an quòd rustici ejusmodi instrumentis, armorum locô uterentur, uti discimus ex Gervasio Dorobernensi A. C. 1198. Galli *vouges* dixerunt, unde *Vougiers*, qui ea in bellis deferebant, appellantur *in Chronico scandal.* Ludovici XI. Regis Franc. apud Car. du Fresne, *Glossario*.

VANGALIA, Insul. ante Taprobanem. *Ptolem.*

VANGENA, vulgò WANGEN, urbs Imperialis Germaniæ in Suevia provincia, ad Argum fluvium. 3. milliaribus Germanicis distat à lacu Constantiensi, & 6. à Memminga in Africum. Dicitur ab aliis *Vemania* & *Vimania*. Vide *ibi*.

VANGIO Rex, sorore *Vannii* genitus, qui avunculum regnô exturbare adjuvit. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 29.

VANGIONES, vulgò WORMS, popul. & urbs Germaniæ superioris ad Rhenum in Palatinatu, inter Spiram ad Austrum 6. & Moguntiam in Boream 7. leuc. urbs libera. Lucan. *l.* 1. *v.* 431.

Vangiones, Batavique truces, quos ære recurvô
Stridentes acuêre tubæ.

Quasi *Fanger*, captatores hostium. Vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. Nov. Antiqu. l.* 1. *tit. Nemetes & Vangiones in Galliam*, & *l.* 2. *tit. Francorum nomen apud Ciceronem non extare*, ubi *Vangiones* Ciceroni accipi pro omnibus Germanis docet: cum Notis Cl. Ottonis JCti, *p.* 106. & 332.

VANGIONUM Rivus, castrum Burgundiæ, Comitatus titulô clatum, in finibus diœceseos Lingonicæ, ubi Prioratus B. Stephani. Vulgò *Vingrori*. Nomen accepit à fluviolo, seu rivo suo, qui unus è primis in Matronam influit. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

VANI, vulgari appellatione Magi olim dicti. Capitolin. *in Marco*, *c.* 14. *Et vano cuidam, qui diripiendæ urbis occasionem cum quibusdam conscius requirens, de caprifici arbore, in Campo Martio concionabundus, ignem lapsurum finemque mundi affore diceret* &c. Et certè Magica ars non tam *ars*, *quàm vanissimi cujusque ludibrium*, Curtius, *l.* 7. *c.* 4. Græcis hinc *Μάταιοι κομπὸι*, qui & *ματαίων* illorum præstigias, uti *ludos* Arnob. *adv. Gentes*, *l.* 1. vocat. Vide suprà verbô *Ludere*. Sunt tamen, qui in Capitolini loco *plano* legant, uti suprà vidimus ubi de in *Ciconiam verso*. At qui propriè *Vani* dicantur, docet A. Gellius, *l.* 18. *c.* 4. *Nam autem postea ex Apollinari didicimus*, Vanos *propriè dici — mendaces & infidos, & levia inaniaque pro gravibus & veris astutissimè componentes.* Neque tamen planè satis. *Vani* enim sæpius, qui morbô quodam & *ingenitâ mentiendi voluptate*, ut ait Tertullian. *Apologet. c.* 7. mentiuntur; quam qui mendacia astutè componunt: etsi neque his omninò ars sua deest. Sed quia sine propositô mentiuntur sunt sæpius *vani*, leves inconsiderati, ac simplices. Cujusmodi Q. Curius, cujus *ἦθος* sic describit Sallustius, *Conjur. Catil. c.* 23. *Hinc homini non minor* vanitas, *quam audacia inerat, neque reticere, quæ audierat; neque suamet ipse scelera occultare prorsus neque dicere neque facere quidquam pensi habebat.* Denique *Vani* sunt, qui *μάταιοι* Græcis, quod *μάτην*, & Genio tantùm suo morem gerentes mentiuntur, Aristoteles, *Nicom. l.* 4. *c.* 7. quales Lucianus in *Philopseud.* describit, quibus scil. mendacium *ὄψον*, quomodo eleganter *κακαγορίαν κακαγόρων ὄψον* vocat Pindarus. Quales & plani ii qui nullius lucri causâ, sed ut stolidæ credulitati imponant modò, mendacia comminiscantur, ut observat Cellus, contra quem Origenes scripsit &c. Vide Desid. Heraldum *ad Arnobium l. c.*

VANIA, nomen viri, Esdr. *c.* 10. *v.* 36. Latinè, *nutrimentum*, sive *arma Domini*.

VANIUS, Libyæ inferioris urbs, *Ptolem.*

VANNIA, *Ptolem.* cujus oppidani *Vannienses*, oppid. fuit Euganeorum, hodie *Civeda*, castrum Vallis Camonicæ, in agro Brixiano, in dominio Veneto, ad fluv. Ollium, 3. milliat. à Brixia in Boream.

VANNIUS, Suevis à Druso impositus, sed non toti genti, verùm iis qui Maraboduum & Catualdam Reges comitati erant. Sub Claudio, pulsus est regnô, diuturnitate in superbiam mutatus & odiô accolarum, simul domesticis discordiis circumventus. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 29. Auctores fuêre Jubillius, Hermundurorum Rex & Vangio ac Sido, sorore Vannii geniti, *Ibid.* *Vannianum* regnum habet. Plin. *l.* 4. *c.* 12. In Sarmatia Europæa uspiam, ultra Danubium fuisse, inter Marum & Cusum flumina, Abrah. Ortelius ex *l.* 11. *Annalium* Tacit. colligit.

VANINUS Lucilius, insignis seculi hujus Atheus, vide suprà.

VANNUS, an quòd *vana*, id est, levia volant: an à *βάλλειν* i. e. *jactatione*, in sacris olim Bacchi adhibita, mysticè denotabat, ut *Vannô* repurgatur triticum ab aceribus *ac retrimentis*, *ita Iacchi sacris mundari animam ab omni crimine antecalio.* Unde Virg. *l.* 1. *Georgic. v.* 166.

——— *Et mystica* Vannus *Iacchi.*

Ubi sic Servius: *Mystica Iacchi ideo dixit, quòd Liberi Patris sacra ad purgationem animæ pertinebant; & sic homines ejus mysteriis purgabantur, sicut vannis frumenta purgantur. Hinc est quòd dicitur Osiridis membra à Typhone dilaniata Isis cribro superposuisse: Nam idem est Liber Pater; in cujus mysterio* Vannus *est, quia, uti diximus, animas purgat; unde Liber ab eo, quòd liberet, dictus: quem Orpheus à gigantibus dicit esse discerptum. Nonnulli Liberum Patrem Λικνίτην* (Vossius mavult *Λικνίτην*, ut est apud Vatinum; nisi placet *Λικμητὴν*) *appellant. Vannus autem apud eos λικμὸς* (meliùs *λίκνον* vel *λικμὸς*) *nuncupatur: ubi de more positus esse dicitur, postquam uterô matris editus.* Bacchi hujus *λικνίτου* meminit & Plut. *de Iside & Osir.* indeque *Vannifer*, *λικνοφόρος*, Demostheni *Orat. contra Ctesiphontem*; sic enim isthic, non *λιχνοφόρος*, scribendum esse, colligitur ex Harpocratione in *Λικνοφόρος*: ubi & legas, *τὸ λίκνον πρὸς πᾶσαν τελετὴν καὶ θυσίαν ἐπιτήδειόν ἐστι*, *Vannus, ad omnia initia & sacrificia commoda est.* Quid mirum de *τελεταῖς* sive initiis, cùm his ex eo nomen sit datum, quòd initium sint vitæ melioris ac vitæ hujus finis & perfectio! Quippe ea nequit esse, nisi animæ priùs purificentur: cujus rei ventilabrum erat symbolum, ut diximus. Nec mirum magis de sacrificiis, quæ fierent ad mentes expurgandas, ac sæpe urbem totam vel exercitum expiandum. Neque verò in Iacchi solùm sacris *Vannum* adhibitam, sed Minervæ etiam, indicat vetus Poëta, cùm apud Plutarchum, tum & Clementem Alexandrinum, *Admonit. ad Gentes*, *p.* 35. *Florent. edit.*

Βάτ' εἰς ὁδὸν δὴ, πᾶς ὁ χειρώναξ λεὼς,
Οἳ τὴν Διὸς γοργῶπιν Ἐργάνην θεὸν
Στατοῖς λίκνοισι προστρέπεσθε.

Ite in viam omnis Populo manu victum parans,
Gnatam Jovis Gorgopen Ergatin Deam
Statutô adorans ventilabrô.

Triplex verò cùm esset in Gentilium sacris animæ purgatio; aëre una, altera aquâ, tertia igni: Ventilabrum sive *Vannus* Liberi ad aëra pertinebat, quemadmodum & oscilla. Ita enim Honoratus Servius, ad *l.* 6. *Æn. v.* 741. *In omnibus sacris tres sunt istæ purgationes. Nam aut tædâ purgantur & sulphure; aut aquâ abluuntur; aut aere ventilantur, quod erat in sacris Liberi. Hoc enim est, quod dixit in l.* 2. *Georg. v.* 388.

——— ——— *Tibique*
Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu,

Atque hoc triplex genus purgationis idem respexit Poëta, *l.* 6. *Æn. v.* 740. *f.*

——— *Aliæ panduntur inanes*
Suspensæ ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Fiebat enim & Terrâ quidem purgatio: sed hæc comprehendebatur sub

sub ea, quæ fiebat igni; nisi illa potiùs, quæ Igni fiebat, continebatur sub illa, quæ fiebat terræ, quia ignis est è terra: unde & Ignem & Terram *Vestæ* nomine Antiquis cultam esse novimus. Quæ omnia ex depravatis Satanæ malitiâ divinis Oraculis occasionem habuêre. Cùm enim ab solo Israëlis Deo, qui Jah dictus, peccatorum sic omnium remissio, ut in Sacris nobis revelatum: nihil mirandum, si Gentiles, Israëlitarum, seu potiùs Satanas, Dei Simia, sacris sui Jacchi, quod nomen ex Hebræo illo efformatum est, tribuerit expurgationem Animæ ab omni criminis reatu; cujus symbolum *Vannus* erat, uti dictum. Vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol.* *l.* 2. *c.* 14. uti de infantibus recens natis vanno imponi solitis, suprà voce *Cunabula*: de *Vannorum* verò *serpentumque* *vociferibus*, inter reliqua Opificum genera memoratis, Arnobium *adv. Gentes l.* 2.

VANTEANA, Ægypti urbs.

VAPHRES, Ægyptiorum Rex, regnavit ann. 30. A. M. 3360. Vide *Apries*, ita enim Herodoto & Diod. Siculo dicitur.

VAPINGUM, Galliæ Narbonens. urbs, *Antonin.* olim Caturigum, an Tricoriorum caput, nunc in Delphinatu, in confinio Provinciæ. Satis munita. *Gap* Simlero, Episcopalis est sub Archiepiscopo Aquensi, cum arce *Puymore* in colle, vix 2. leuc. ab Isara fluv. 7. à Segusterone in Boream 6. ab Ebroduno in Occasum. In *veteri* Not. quinta ponitur, inter civitates provinc. Narbonensis secundæ. Data fuit à Gullielmo VI. Comite Forcalquerio, dotis locô, nepti suæ Beatrici, nuptæ Guidoni Andreæ Delphino Viennensi, A. C. 1202. nihilominus etiam multum hic juris veteres Provinciæ Comites habuerunt. Subest, ut dictum, Metropol. Aquensi in Provincia. S. Demetrius ex antiquissimis ejus Episcopis est, ut & Constantius, qui interfuit Concilio Epaonensi. Sic Concilio Aurelianensi quinto Vellesius, nec non Synodo Parisiensi secundæ, Concilio Parisiensi quarto Sagittarius, Concilio Matisconensi 1. Aredius, Concilio Cabillonensi Potentissimus interfuêre. Celeberrima hic à Reformatis synodus A. C. 1603. celebrata est, ad quam omni ex regno, etiam exteri Ministri, confluxerunt. Actum in ea non tantùm de disciplina, sed etiam doctrina. Confessio Gallica approbata: de scissura inter Lutheranos & Reformatos deliberatum, conclusumque, ut acerbitas ingeniorum per scripta virulenta magis magisque mardescens mitigaretur: scriptæ Synodales literæ, quæ non tam acerbitatem illam lenierunt, quàm Brandeburgici Electoris ditionem ad partes Reformatorum pertraxerunt: decretum item, ad Confessionis recitatæ capita adderetur, Pontificem Rom. Antichristum esse, *eique notas à Daniele & Apostolo designatas convenire*: Porrò moniti sunt Pastores, ut inter concionandum parciùs auctoritate Patrum & Scholasticorum testimoniis uterentur, purumque Dei verbum pro unico fundamento haberetur, &c. Vide Thuan. *Histor. l.* 29. Duchesnium *Rech. des villes de France*. Bouchæum, *Hist. de Prov.* Rusium, *Hist. des Comtes de Prov. c.* 5. *nombr.* 25. Chorerium, *Hist. Delphin.* Morerium, *Dict. Histor.* Lætum, *Comp. Histor. Univ. &c.* Caput est pagi cognom. Gall. *le Gapençois*, qui *regio Tricoriorum*, Plinio *l.* 3. *c.* 4. vocatur, hi Τρικόριοι Straboni nuncupati, ab eo inter Vocontios & Medullos ponuntur. *Saltus Tricorios* memorat Ammianus. Hâc Annibali in Italiam iter fuit, qui Vapincas & Tricorios emensus Druentiam transiit, sita autem urbs est ad amniculum in Druentiam effluentem, Hadrian. Vales. *Notit. Gall.*

VAPLUARII, populi circa ostia Rheni. Fortè *Apsuarii*, vel *Ansuarii*.

VAPOR, apud Martialem, *l.* 10. *Epigr.* 48. *v.* 3.

> —— *nimios prior hora vapores*
> *Halat, & immodicô sexta Nerone calet:*

Calor est. Cujusmodi *vapores* subter & per parietes in tubis olim adactos, ad calefacienda conclavia, multa ostendunt Auctorum loca. Inter quos Papinius Statius, *l.* 1. *Sylv.* 5. *v.* 58. de balneo,

> *Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes*
> *Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat*
> *Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem.*

Ausonius similiter in *Mosella*, *v.* 337.

> *Quid qua sulfureâ substructa crepidine fumant*
> *Balnea, ferventi cùm Mulciber haustus aheno*
> *Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,*
> *Inclusum glomerans æstu spirante vaporem.*

Quò facit ænigma antiquum, quod ponitur & exponitur in *Tabula* Apollonii Tyrii:

> *Per totas ædes innoxius introit ignis:*
> *Est calor in medio magnus, quem nemo removit.*
> *Non est nuda domus, nudus sed convenit hospes.*
> *Si luctum ponas, insons intrabis in ignes.*

Apollonius ait: *Intravem balneum, ubi hinc inde flammæ per tabulas surgunt &c.* Vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad Statii l.* uti de more Veter. phasianos lentis vaporibus coquentium, suprà, voce *Phasianus*. Hinc *vaporare*, pro calefacere. Lucretius, *l.* 5. *v.* 1130.

> *Invidiâ quoniam, ceu fulmine, summa vaporant.*

Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 481.

> *Succedunt matres & templum thure vaporant;*

Alii. Unde *vaporata altaria*, apud eundem Statium, *l.* 1. *Theb. v.* 556. & *vaporosi fontes*, apud Appulejum, *l.* 5. &c.

VAPPA, apud Martialem, *l.* 12. *Epigr.* 48. *v.* 13.

> *Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum,*
> *Et Vatìcani perfida vappa cadi:*

vinum fugiens aut fæx vini est, ex Æolico βαῖπα, pro βάπτω Salmas. *Not. ad Tertullian. de Pallio.* Cum epitheto *nobilis*, vinum Surrentinum C. Cæsari, apud Plin. *l.* 14. *c.* 6. ubi idem Tiberio *generosum acetum* appellatum, monet. Cæterùm de *vappa*, apud eundem, *c.* 20. ejusdem libri: *Vinum musto quibusdam in locis iterum sponte fervet: qua calamitate deperit sapor, vappæque accipit nomen, probrosum etiam hominis, cùm degeneraverit animus.* Ubi Dalechampius, *vinum*, ait, *ἐξεστηκὸς, vappescere*, vulgò *le tourner*, *eis ἐξίσταν* [illegible] *dicunt*, Senat. gnt —— *Inde Græcis* [illegible] &c. Hujus verò ut & vini, cùm admodum amantes sunt culices, animalia illa cauponarum, qui vinum sequuntur & vino immoriuntur; hinc *bibiones* Afranio, & *vappones* Valerio in *Catholicis* appellantur, uti *mustiones* sequens ætas vocavit, à *musto*, ut quidem Grammatici volunt, potiùs tamen *à musca*, uti Salmas. docet *ad Spartian. Adriano*, *c.* 16. ubi versus illos Adriani exponit,

> *Ego nolo Florus esse &c.*

Vide quoque suprà, ubi de *Culicibus*. At cùm Valerius, *d. l. animas* vulgò nuncupari scribat illud animalculum, potiùs videtur *vapponis* nomine intelligere genus animalculi lucernas circumvolitantis, & flammam appetentis exitiô suô, quod modò ψυχὴν, modo πυραύστην Græcis indigitare visum, idem *ibid.*

VAPRIUM, oppid. agri Mediolanens. non obscurum, ad Adduam, contra ostia Brembi fluv. 20. mill. pass. à Mediolano, 6. à Tritio. *Vavaro*, Metulæ.

VAPSI, pater Nahabi, principis tribûs Nephthali, Numer. *c.* 13. *v.* 15. Latinè *fragmentum*, *particula*, vel *diminutio*.

VAPULA Papyria, subintell. *lege*, formula fuit apud Romanos comminandi pœnam legis Papyriæ, nonnullis. Sisinnius Capitolinus proverbiò dici solitum ait, si quando vellent significare, se alicujus minas negligere. Et quidem illud hinc ortum vult *Festus*, quòd Papyriæ, nobilis fœminæ, ancilla, quam manumiserat, loco redhostimenti, in signum vilipendii, hæc ad illam verba usurpaverit. Nempe *vapula*, idem est quod *dole*, aut *feri*, uti ex Varrone, Terentio, ac Plauto non uno in loco, constat, apud quos servi ab heris vocati *vapula* respondent, jussa eorum non magni habere hôc pactô testati: quasi Gallicè diceretur, *Crie tant, que tu voudras*, vel *Va te faire pendre*. Eodem pertinet juxta quosdam locus Terentii *Phormione*. ANT. *Nouum manes! GE. Vapula.* ANT. *Id tibi quidem jam fiet.* *Actu* 5. *Sc.* 6. *v.* 10. Et Plauti ille, *in Curcul.* *Actu* 4. *sc.* 4. *v.* 12. *Reddin' an non mulierem, priusquam te huic meæ machæræ objicio mastigia? S. Vapulare ego te vehementer jubeo, ne me territes &c.* Quemadmodum Græci dicunt οἰμώζειν, item κλάειν, eôdem sensu. Aristophanes, ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοι, *Imprecor tibi ut vapules.* Lucianus, οἰμώξει γὰρ σοὶ τῶν ἄλλων, *Nam primus omnium vapulabis.* Aristophanes iterum, κλάειν λέγω σοι, *Lachrymas tibi denuntio*, i. e. *vapulare te jubeo* &c. Est autem *vapulo*, ex Græco [illegible], pro [illegible], cum digamma Æolicè Fαπάλω, propriè *malè ploro*, aut *doleo*. Vide Hadr. Turnebum, *Adversar. l.* 15. *c.* 15. & Auctorem eruditum *Methodi Latinæ L. Gallicô idiomate scriptæ*, *p.* 373. & 478.

VARA, fluv. Albionis per Moraviam regionem Scotiæ in Ortum fluens, *Murray Firth Buchanano*. Aliis est *Cloyd*. Quidam *Varar* legunt. Est autem *Varar*, seu *Vara*, uti apud *Ptolem.* oppid. Scotiæ ad ostia fluv. cognominis, quod *Dumbar*, quasi *Varæ castrum* dicitur. *Baudrando Vara* seu *Varar* est æstuar. *Murray firth*, Sinus Scotiæ Borealis & pars Oceani Germanici, inter Moraviam & partem Orientalem Rossiæ. Ei adjacent Invernium & Chanonricum oppid. *Vara* autem oppid. Scotiæ Meridional. *Dumbar* videtur, castrum tenue Lothianæ, in ora Oceani Germanici ubi acriter dimicatum, inter Anglos & Scotos, A. C. 1650. Distat 16. mill. pass. ab Edimburgo in Ortum.

VARA, Græcè Σχίδαι, *ponticulus*, vide *Varus*.

VARADA, urbs Carpetanorum in Hispan. *Ptolem.*

VARADINUM, vulgò WARADIN, WARDEIN, & VARADIN, urbs Jazygum Metanastarum, in Hungaria Transdanubiana, apud Transylvaniæ confinia, Episcopalis sub Archiepiscopo Coloccensi, inter Solnocum ad Occasum & Albam Juliam ad Ortum supra 12. leuc. inter Budam & Temesvariam, inde ad 80. hinc ad 60. mill. pass. totidem à Cibinio urbe Transylvaniæ, *Ferrar. Baudrando Varadinum*, vulgò *Varadin*, Germanis *Gross-Wardein*, urbs est permunita Transylvaniæ, in limite Hungariæ, ad *Sebeskeres* fluvium, sub dominio Turcarum, A. C. 1660. qui eam, sub Selymo Imperatore ob violatum legatum, jam quoque expugnaverant A. C. 1521. Ludovicô Rege mox ad Mugatium victô & occisô, Thuan. *Hist. l.* 1. Varadiensis Episcopus A. C. 1508. decretô extortô *Fratres* proscribi curavit, sed paulò pòst miserè periit. Lætus *Comp. Hist. Univ.* Distat 22. mill. pass. à Julia in Boream, 90. ab Alba Julia in Occasum, Budam versùs 10. longiùs à Cibinio.

VARALII, Illyrici populi, Ardixorum pars, deinde Narentani & Chulmitæ dicti vel Zachlumitæ Porphyrogennetæ.

VARALLUM, vulgò VARALLO, oppidulum Italiæ, in Ducatu Mediolanensi, ad Sessitem fluvium, in limite agri Vercellensis. Distat 15. milliaribus à lacu Lario in Occasum, & 12. à Masserano. Ibi mons celebris secessu Carolo Borromæi, inter suos pro Sancto habiti.

VARAMBONIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

VARAMUS, Plin. *l.* 3. *c.* 18. fluvius Venetiæ, in Anassum sive Plavem apud Belunum urbem influens, *Varamo* adhuc nominatus; licèt Leander *Calovo* dici scribat.

Reges Persarum.

VARANES, seu VARARANES I. Persarum Rex, successit Hormisdæ I. A. C. 274. Obiit A. C. 277. regni 3. Agathias, *l.* 4. Ei successit filius

VARA-

VARANES II. per ann. 16. A Caro Imperatore Numeriano juncto, in Mesopotamia victus, & Seleucià, ac Ctesiphonte exutus. A. C. 283. Obiit A. C. 294. regni 16. Hujus successor, fil. itidem.

VARANES III. cognomine *Segansaa*, per 4. menses præfuit, successore Narse.

VARANES IV. dictus, *Kerman*, excepit Saporem III. patrem. A. C. 389. dives & subditis gratus. Ei A. C. 400. successit filius Isdigerdes I. quô natus

VARANES V. qui A. C. 420. regnum auspicatus, in Christianos immaniter sævit, ob zelum Episcopi cujusdam, qui templum, in quo Ignem adorabant Persæ, exusserat. Dein bellô Romanis illatô, ab Ardaburo, Duce Theodosii Junioris sæpiùs victus est. Hinc pax. Obiit A.C. 441. *Socr. l. 7. Theodor. Procopius*, &c. Eum excepit.

VARANES seu VARARANES seu VARDANES VI. crudelis, qui regnavit annos 17. m. 4. successore Perozâ, quem vide. Alii tamen ejus locô ponunt Isdigerdem II. Vide Agathiam, *d. l.*

VARANIENSIS Comitatus, *le Comte de Baranywar*, provincia est Hungariæ inferioris, in limite Rasciæ, versùs confluentes Dravi fluvii in Danubium, inter Comitatus Bathiensem, Bodroghiensem, Tolnensem, & Valponiensem, sub dominio Turcarum. Ejus oppidum præcipuum est Varanium, seu Varonianum, *Baranywar*, ad amnem Crassum, 12. mill. pass. à Bodroco in Occasum, Quinque Ecclesias versùs 30. circiter.

VARANUS Lacus, *Lago Varano* lacus regni Neapolitani, in Capitanata provincia & in ora maris Adriatici, ad radices montis Gargani. 16. milliaribus à Manfredonia in Boream; estque circuitus 15. milliarium.

VARASCI, accolæ Dubis fluv. in Sequanis, quos ab hæresi Bonosi Photini Eustasius Luxoviensis Abbas revocavit: tractus *Warasch* olim, hodie Comitatus Varesci, in Comitatu Burgundiæ, *Varax* vulgò. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VARASDIENSIS Comitatus, *le Comté de Varasdin*, pars est regni Hungariæ, in Sclavonia, versùs Dravum fluvium & confinia Stiriæ provinciæ, quâ terminatur ad Occasum; sicuti Hungariâ inferiori ad Boream, & Risiensi Comitatu ad Ortum & Meridiem. Subest dominio Austriacorum; & ejus caput est Varasdinum, *Varasdin*, ad Dravum.

VARASDINUM, vulgò VARASDIN, & VARADIN, urbs munita Hungariæ, in Sclavonia, ad Dravum fluvium, in limite Stiriæ, sub dominio Austriacorum 17. mill. pass. à Pœtovione distat in Occasum.

VARBARA, *Ptolem.* urbs fuit Mauritaniæ Cæsariensis, mediterranea, Celamæ & Lanigaræ proxima, Episcopalis sub Archiepiscop. Cæsariensi. *Urbara* rectiùs, ut in plerisque codicibus.

VARBURGUM, vulgò VAERSBORG, oppidum munitum Sueciæ, in Hallandia provincia, cum arce & portu in ora maris Baltici, 35. mill. pass. distat à Gotemburgo in Meridiem, Helmostadium versùs 5. uti 6. milliaribus à Castro Elfeburgo.

VARCHIUS Benedictus, Florentinus, Linguæ Italicæ in deterius ruentis fulcimen, tantâ fuit eloquentiâ, ut vulgatum sit. *Si Jupiter Italicè loqui voluisset, non alia quam Varchii lingua usurum fuisse*: Græcè it. & Latinè doctus, Caroli V. jussu libellum Boëthii *de Consol. Philosophia*, & Eleonoræ Ducis Toletanæ, Senecam, *de Benefic.* Italicè vertit. Scripsit *Epigrammata*: *Lettere, Lezzioni Academiche, Rime, Pastorali, Suocera Comedia, l'Ercolano, Orationi diverse, Lezzioni sopra la pittura* &c. Cæterùm mores degenerabant. Obiit A. C. 1566. Thuanus, *Histor.* Ghill. *Theatr. d'Hiom. Lett. p. 1.* L. G. Giraldus, *De Poetis sui temporis l. 2.* Laur. Crassus & Anton. Teissier, *Elog. Part. 1.*

VARCIA, urbs Galliæ Belgicæ circa Comitatum Burg. *Antonin.*

VARCIANI, populi Pannoniæ.

VARCILIENSES, *vet. Inscr.* populi Hispaniæ Tarraconensis, quorum pagus *Varcile*, teste *Morali*, ad Tagum fluvium, apud Toletum. Alibi ab eodem *Morali Valtierra* oppidum putatur. Et *Henrico Coquo* est *Arganda*, oppidum Compluto finitimum, unde 4. leuc. Cincum versùs.

VARDÆI, populi Dalmatiæ, apud Cumanum sive Onæum promontorium, nunc *Pilari*; quorum urbs Stagnum nominatur. Hos Plinius, *l. 3. c. 22.* vocat populatores Italiæ. Vide *Ardæi.*

VARDANES, vide suprà *Varanes.*

VARDHUSIANA Præfectura, *Gouvernement de Wardhuse*, pars Septentrionalior regni Norvegiæ, versùs promontorium Boreale, sub dominio Regis Daniæ. Terminatur à Septentrione mari Boreali, ab Oriente Lapponiâ Moscoviticâ, ab Occasu Nidrosiensi Præfecturâ, & à Meridie Lapponiâ Suecicâ. Dividitur in duas partes, nempe in Finnomarchiam, quæ ad Septentrionem, & in Lapponiam Norvegicam, quæ in Meridiem extenditur, versùs Sueciam: ibique tantum inest castrum Vardhusium præcipuum, cum aliquot oppidulis nullius nominis & insulis *Mazger* & *Suroy* dictis. Una autem est ex 5. Præfecturis Norvegiæ, in extremo Borea, post Sueciam & Lappiam ad 73. gr. Elevat. Poli sita, in qua haud procul abest c. *Noortkyn* olim promontor. *Rutabas*, quod inter maximæ Europæ latitudinis terminos a Geographis ponitur.

VARDHUSIUM, vulgò WARDHUS, castrum regni Norvegiæ in insula Varda, *Wardhus*, parva admodùm, in ora Boreali Norvegiæ & in Oceano Septentrionali, versùs confinia Lapponiæ Moscoviticæ, 120. mill. pass. distans a promontorio Boreali in Eurum, sub dominio Regis Daniæ; A' qua tractus adjacens dicitur Varhusiana Præfectura. Castrum autem Vardhusium ambitu parvum est & vetustate ferè collapsum, nullâ turri nullisque alicujus momenti operibus munitum. Oppidulo jungitur præter casulas piscatorias, nullas alias ædes complectenti; estque in insula parva in ora Oceani Septentrionalis seu Glacialis, vix 30. mill. pass. distans in Occasum à confinio ditionis Moscoviticæ.

VARDO, fluvius Galliæ, primùm Apoll. Sidonio memoratus, *l. 2. Ep. 9.* vulgò *le Gardon*: primò quidem in duos alveos dividitur, quorum alter Andusiam, Condate, Cassinogilum, Ripam, Altam, attingit, & *Vardo* Andusiensis *Gardon d'Anduse* dicitur: Alter Pedatium *le Peage*, Mansum Dei, Alestum alluit, ac *Vardo* Alestensis *Gardon d'Alais* vocatur. Tum ad Ripam Altam unitis aquis Solliacum *Souillac*, & acceptô Aissenâ Ucceciensi amniculô, vicum S. Privati, Vada *Vars*, Castellionem, præterlapsus, Pontemque Vardonis *Pont du Gard*, ac Caprarias *Cabrieres*; apud Belliquadrum in Rhodanum effluit. Pons autem ille triplici arcuum & pilarum ordine aliô alii superpositô, quorum unus olim fontem Nemausum deducebat, hodieque spectabilis est: operis Romani reliquiæ. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VARDULI, populi Hispaniæ Tarraconensis, Plin. *l. 4. c. 22.* Melæ, *l. 3. c. 1. Ptolem.* ad oram Oceani Cantabrici, in Aquitaniæ confinio, inter Vascones & Cantabros. Quorum regio *Guipuscoa*, teste *Stephanô Garibao*, dicitur: cujus Tolosa oppidum primarium est, *Ferrar. Baudrando Varduli* populi fuêre Hispaniæ Tarraconensis sub Cantabris, inter Vascones ad Ortum & Autrigones ad Occasum, atque ab Oceano ad Iberum fluvium extensi, ubi hodie Ipuscoa provincia *Guipuscoa*, cum majori parte Alavæ tractus.

VAREA, Græcis recentioribus Βαρία, pulsus campanæ gravior. Cùm enim triplex earum sonus sit, ictus graves sejunctimque sive in ferreum, sive in ligneum signum, adacti Βαρίαι iis dicebantur, quibus jam finitis tempus incipiendis officiis præscriptum adesse notabatur: Vide *Euchologium, Typicum* Sabæ, *c. 5.* & de hujus dubiis Marcum Hierom. *c. 34.* plura verò, apud L. Allatium, *Epist. 1. de Templis Græcorum, sect. 3.*

VARENDORPIUM, vulgò VARENDORP, oppidum Germaniæ, in Westphalia & ditione Monasteriensi, ad Amasium fluvium, 12. mill. pass. distat a Monasterio in Ortum; estque munitum, sed nuper fœdô vastatum incendiô.

VARENNÆ, vulgò VARENNES, urbecula Galliæ, in Borboniensi tractu, ad Elaverem, & in limite Alverniæ inferioris, quinque leucis supra Molinum in Meridiem; inter Vernolium & Montem Acutum *Montagut*. Sunt & *Varennæ* in Burgundia, pagoque Matisconensi, haud longè à fluvio Grauna, vulgo S. Gengulfi oppid. dictæ, *S. Jangoul*. Item ad Sequanam, inter Vernonem & Gallionem, vulgò *le Port de Garennes*. Item in finibus Parisiorum, *Varennes* vulgò, *la Varenne S. Maur*: quibus proxima villa *Clausa Varenna*. Quæ loca omnia à cuniculis dicta: loca enim cuniculosa Gallis *Varennæ* olim, nunc *Garennes* & *Varennes*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VARENTANUM, vulgò VALENTANO, oppid. Thusciæ mediterraneum, apud lacum Volsiniensem, *Antonin.* in Ducatu Castrensi, ab Aquula 10. mill. pass. in Meridiem, quot à monte Physcone in Occasum.

VARES, apud Joh. Barbarum, *Itinerar. ad Tanaim p. 456. Sibelinos, Armelinos, Dossos*, Vares, *vulpes, & id genus animalium alia illi offerentes*: murium Ponticorum species sunt, *ventre tantùm albi, dorsô fuscinsculô*, ut ait Jul. Scaliger. *in Aristotelem*, ubi de *Muribus Ponticis*. *Vairs gris* seu *Veergares* Benjamini Tudelensi, *in Itinerar.* aliàs *Varii*, unde *pelles Variæ* & *vestes Variæ*, apud Arnulfum Lexov. Bernardum, *de Vita & Mor. Religiof. c. 10.* Alios: prohibitæ Clericis Concilio Salczburg. A. C. 1386. *can. 6.* Guil. Britto, *Philippidos l. 9.*

Et quas huc mittit Varias *Hungaria pelles.*

Vide Car. du Fresne, *Glossar.* & *Dissertat. 1. ad Joinvillam*, nec non suprà *Sapphirinæ pelles.*

VARETATÆ, populi Indiæ. Plin. *l. 6. c. 20.*

VARETUM, fluv. Cappadociæ. Idem, *l. 6. c. 2.*

VARGI, & VARINGI, Anglo-Dani mediô ævô sunt dicti; qui ex Anglia pulsi, à Normannis, Byzantinorum Imperatorum obsequio sese mancipârunt, Βαράγγοι apud Scriptores hujus Imperii passim. Nempe *Waringe* Anglis maledictio est, anathematizatio, & *Vargus* in *L. Sal.* & Ripuar. bannitus, qui latrocinando victum sibi comparare cogitur, à Latino *vagus*, qua de voce multa Savaro *ad Sidon. l. 6. Ep. 4.* ita ut *Varingi*, perinde ac *Vargi*, exules fuerint, & banniti, eosque Normanni voce Anglicâ tunc receptâ & probrosâ *Vargos Varingosque* appellârint. Vide præfatum *Glossarii* Auctorem, *Not. ad Vilhardainum*, & *Annam Comnenam.*

VARGIONES, populi Germaniæ, *Ptolem.* in Suevia, circa ortum Danubii; quorum tractus *Bar*, vel *Baar*, Comitatus nominatur.

VARGONTEJUS, prænomine *Quintus*, Annales Ennii, in corona circumstantium, more Græcorum Rhapsodorum in Homericis versibus recitandis, Romæ pronuntiâsse legitur, apud Sueton. *de Gramm. c. 2.* cujusmodi munus qui obirent, *Ennianistas* appellatos esse, refert A. Gellius, *l. 18. c. 5.* Cæterùm gens Romana satis nota, *Vargunteja*, ex qua hic fuit ortus, aut adoptione in eam insertus, Casaubon. *ad Suetonii locum.*

VARIA, mater Semiamiræ, è qua Heliogabalus, & Mammææ, è qua Alexander Severus Imperatores geniti, apud Capitolin. *in Macrino, c. 9.* quæ aliàs, & quidem in nummis semper JULIA MÆSA, cum titulo AUG. Cur eam *Variam* vocet Capitolinus, in obscuro est: id clarius, cur nepos ejus Heliogabalus *Varii* tulerit nomen; quoniam videl. mater ejus nupserat Οὐαρίῳ Μαρκέλλῳ Σύρῳ ἀνδρί, *Vario Marcello Syro*, ut legas apud *Dionem*. Unde *Varianæ Thermæ* in *Inscr.* multùm memoratæ. Vide Casaubon. *ad Lamprid. Heliogabalo, c. 1.* & *Variani Horti*, apud Vopisc. *Aureliano, c. 1.* ubi Salmas. vide.

VARIA, in *Glossis* ποικίλη, πάρδαλις. Nempe pardi sive παρδάλεις pellem cœruleam fulvis oculis *variatam* gestabant, unde *virides pardi* Claudiano, i. e. cœrulei, ubi de leopardis loquens, v. 303. *Consulat. Mallii* ait,

——— *cùm fortè leænæ*
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.

Atque hi mares erant, ut plerisque visum. Plin. *l. 8. c. 17.* *Nunc varias & pardos, qui mares sunt, appellant.* Qui κατ' ἐξοχὴν sic dicti, quòd fœminis pulchriores sint & coloribus variati magis.

Sic & Hebr. נמר *nemer*, i.e. varius, à maculis pardus dictus est. Nec desunt, quibus inusitatum πάρδος, apud Aristophanis Scholiastem, videtur alludere ad *pardes* Hebræorum, i.e. *hortus*, quia, ut hortus floribus, ita maculis variatur pardi pellis. Eaque ipsa de causa, quæcunque animalia varia sunt, cum pardo conferuntur, ut de chamæleonte videre est, apud Aristotelem, *Histor. l.* 2. *c.* 11. de chao, apud Plinium, *l. d. c.* 19. de equis Oryngibus, apud Oppian. *Cynegetic. l.* 2. de gryphibus, apud Pausan. *in Arcadicis* &c. Ipsa Africa, quia *κατάστικτός ἐστι ταῖς οἰκήσεσι περιεχομέναις ἐρήμῳ καὶ ἀνύδρῳ γῇ*, *interpuncta est habitationibus, quæ terrâ desertâ & inaquosâ ambiuntur*, pardo assimilatur, apud Strabonem, *l.* 2. Et Cicero huc alludens *in Somnio Scip. c.* 6. *Vides*, inquit *habitari in terra raris & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas.* Primus autem *Varias*, & quidem *centum quinquaginta universas*, *Ædilitate suâ*, *Scaurus misit*, *Pompejus postea M. quadringentas decem*, *Divus quadringentas viginti*, Plin. *c.* 17. *lib. cit.* Quod ideo notatum, quia magis id magnificum, quàm si totidem fœminæ, i.e. pantheræ, unà missione essent editæ. Sed & aliàs sylvestrium hujusmodi animalium missio per sexus discreta fiebat, ut videre est apud Salmas. *ad Solin.* ubi plura hanc in rem, *p.* 213. ut & apud Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 7. nec non suprà ubi de *Panthera*, & *Pardo*. Uti verò *variæ* nomine pardus veniebat, sic & equi, qui Zachar. *c.* 6. *v.* 3. 6. ברדים *berudim*, i.e. *χαλαζῶμενοι*, *grandinati* dicuntur, quòd maculis albis grandinis instar respersi essent, *Hesychio* modò *ψαροί*, modò *ποικίλοι*, i.e. *varii*, vocantur; quorum illud à *ψάρ*, *sturnus* est, quam avem esse *variam* nemo nescit. Unde *λευκόψαροι*, quasi *subvarii*, Celtiberorum equi dicuntur Straboni, *l.* 3. & asini ii, quorum color ex candido in cinereum vergit, Absyrto, *c.* 14. Romani *guttatos* & *scutulatos* vocant, quas voces vide suprà, & plura de hoc equorum colore, apud præfatum Bochartum, ubi suprà *l.* 2. *c.* 7. Addam saltem, *Varii* nomen his equis mansisse apud citerioris quoque ævi Scriptores, Ugutionem, Palladium *de Agricultura*, *in Martio*, *c.* 13. *in Gestis* Consulum Andegav. alibi, unde Gallicum *vair*, seu *varron*, apud Auctores laudatos Car. du Fresne, *Glossar.* Imò & hircos Jacobi maculosos *berudim*, i.e. varios, Moses Genes. *c.* 31. *v.* 10. 12. dicit &c. Vide quoque hic passim, vocibus *Farius*, *Ferrandus*, *Vares*. Inde *variare* apud Latinos, *ποικίλλειν* apud Græcos, de Plumariis ac Polymitariis, de quorum artificio suprà diximus: uti de *variis vestibus*, infrà quædam dicemus, ubi de *Versicoloribus vestibus*.

VARIA, *Strab.* Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Ptolem. Varea*, teste *Stephanô Garibao*, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, ad Iberum fluvium, ubi is incipit navigari, quasi 2. mill. pass. à fluvio distans, apud Logronium; sed teste *Morali* est ipsum *Logronno*, urbs in confinio Castellæ veteris & Navarræ, ad Iberum: quod potiùs *Varea nova* dici debet, Varia verò vetus *Varea* nunc pagus.

VARIA Eruditio, vide *Philologia* & *Polymathia*.

VARIANA, *Antonin.* quæ & *Varia castra*, *libro Notitiæ*, *Warosdin*, teste *Laziô*, oppidum Pannoniæ superioris, in Stiria, apud fines Hungariæ & Croatiæ, à Pœtovione 4. leucis in Ortum, apud Dravum fluvium. Vel, teste eôdem, *Waram* pagus ejusdem tractus, *Ferrar. Baudrando Variana*, ab aliis ponitur in Pannonia Savia, ad Savum fluvium ubi hodie *Velica*, oppidum Zagrabiensis Comitatus in Sclavonia, medium ferè inter Gradischiam ad Ortum & Zagrabiam ad Occasum, in ipso limite Croatiæ.

VARIANA item *Antonino*, *Bannicero*, teste *Laziô*, oppidum Mysiæ inferioris, apud Danubium, ultra Ciabrum fluvium 30. mill. pass. ab Oesco 15. in Occidentem. Licet *Ortelius* Variana Mysiæ cum Varianis Pannoniæ confundat.

VARIANUS Vicus, *Antonin. Figarolo*, teste *Leandrô*, quasi vicus Aurelii, pagus Venetiæ, apud Padum fluvium, à Ferraria urbe 15. mill. pass. in Occasum. Licet distantia apud Antoninum repugnet ponitur enim à monte Aneiano 17. mill. pass. distans: ubi fortè 27. legendum est.

VARICA, Iberiæ Asiaticæ urbs.

VARILLÆ, vulgò *Barrile* vel *Barille*, castrum est Galliæ, Fuxo oppido proximum, & eidem fluvio adpositum. Ejus meminit Petrus *de Bello Albigensi*, *c.* 55. *Movens Comes noster ab Apamus, venit ad Castrum, quod dicitur Varilla, prope Fuxum: quod combustum & vacuum invenient, gente suâ munivit*, apud Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

VARINGI, vide suprà *Vargi*.

VARINI, Germaniæ populi Tacit. *Germ. c.* 40. *Newe Marck*, pars Brandeburgicæ Marchiæ *Willichio*: *Althamerus* censet, hos *Warmiensi* urbi Episcopali in Prussia nomen reliquisse. *Baudrando*, ubi nunc pars Ducatus Megapolitani. Ibi fluv. *Warne*, & oppid. *Waren*, aliàs *Varinum*, ex *Cluver.* & *Brietio*.

VARIOLÆ, morbi genus, apud Jovium, *l.* 1. *Carolus VIII. Galliæ Rex bellum in Arazonios parans eô morbô, quas variolas nostri vocant, correptus, Asiæ mensem unum morari coactus est*: Veterib. *papulæ*. Quas cum Indis, quibus ex hactenus incognitæ, Hispanos, occupatâ Americâ, communicavisse, scribit Petrus Cieza, *Rerum Indic. Tom. II. c.* 29. & 33. in redhostimentum, lue Vereneâ inde primùm in Europam reportatâ, Guicciardinus, *l.* 2. & Bembus, *Histor. Veneta l.* 3. Vide quoque Sabellicum, *l.* 9. *Ennead.* 7.

VARIS, *Antonin. Bod-Vary Camdeno*, oppid. Walliæ, in Comitatu Flintensi. In Anglia, inter Segontium ad Occasum 43. & Devam in Ortum 23. mill. pass. non longè ab urbe Asaphensi, & ostio Toesobis fluv. Igeniæque *Tegengil* oppido vicinum, *Ferrar.*

VARISTI, qui NARISCI Tacit. *in Germ. c.* 42. videntur (utrôque modô apud Jul. Capitolin. *in Marco*, *c.* 22. legitur) popul. Germaniæ. Vide *Narisci*.

VARIUS, Poëta Tragicus, Virgilii & Horatii familiaris, unus ex iis, quibus Augustus Æneidem commisit emendandam. Horat. *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 40.

Plotius & Varius Sinuessæ, Virgiliusque
Occurrunt. — —

VARIUS, vide *Lusius*.

VARIUS Ligur, adulter Aquiliæ. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 42.

VARMIA, regio Prussiæ regiæ, *Warmerlad*, cujus Episcopus Brunsbergæ residet.

VARNA, Mediæ oppid. Item urbs Archiepiscopalis culta, Mysiæ inferioris cum portu, in ora Ponti Euxini, nota clade Vladislai, Hungariæ Regis, cui Julianus Cardinalis persuaserat, ut Amurathi Turcarum Imperatori fidem sanctè juratam violaret. A. C. 1444. Vide Bodin. *de Rep. l.* 5. *c. c.* 6. *Varne* hodieque, sita ad ostia fluv. cognominis 40. mill pass. à Sisopoli in Boream, uti 16. à Rosito: Sub Turcis.

VARNETONIUM, vulgò *Varneton*, oppidul. Flandriæ, ad Legiam fluv. medium inter Ipras & Insulas. Sub Francis, pace ad Aquisgranum.

VARNEVICUS Marcus, vide *Marcus*.

VARNI, gens Bactriana.

VARNON, Episcopatus, Guil. Tyrio sub sede Edissenâ.

VARNSPERGUM, seu FARNSPERGUM, arx cum Comitatu cognomine, in territorio Respubl. Basiliensis, supra Reinfeldam, in edito monte sita, intra limites Landgraviatus Sisgoviani. Quondam Tierstenis Comitibus paruit, fuitque à Sigismundo Simonis filio, post terræmotus Rauricos, restaurata. Hujus autem filiô Ottone, A. C. 1420. sine hærede masculo decedente, ad Falcostenios Barones transiit, qui Austriis Principibus illam aliquandiu oppignorârunt. Obsessa tum fuit ab Helvetiis A. C. 1444. eò quòd Thomas Folcostenius, Brugas Bernensium oppid. exussisset, mox adventu Delphini, obsidio soluta est, contigitque prælium San-Jacobæum prope Basileam utrique parti damnosum. Tandem A. C. 1462. cum toto ejus dominio, pro certa argenti summa Basiliensib. illam Barones vendidere: à quo tempore Præfectus eò mittitur: quorum primus fuit Petrus Offenburgius. Vide Stumpf. *l.* 12. *de Raurac. c.* 14. & Christ. Urstisium, *Histor. Basil.*

VARNUS, & VERETINUS, & URITANUS, agros Calabriæ habet Lib. *de Limitibus*, ab oppidis sic nuncupatos.

VARONIANUM, *Antonin. Baroniwar Lazio* oppid. Pannoniæ inferioris apud Danubium inter Altinum ad Boream, & Valcum ad Meridiem supra 4. leuc. à Quinque Ecclesiis 7. in Ortum, Comitatus non obscurus.

VARPNA, Ariæ urbs. *Ptolem.*

P. TER. Varro Poëta Rom. quem Fab. Quint. inter peritissimos Satyræ scriptores enumerat, Ejus verba, *l.* 10. *c.* 1. hæc sunt: *Alterum illud est & prius Satyræ genus, quod non solâ carminum varietate mistum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros & doctissimos composuit, peritissimus linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum nostrarumque, plus tamen scientiæ collaturus quàm eloquentiæ.* Vide Augustin. de Civ. Dei, *l.* 6. *c.* 2. Unicum de illo testimonium impræsentiarùm adferam, idque ex M. Tullio Cicerone, *Academ. Quæst. l.* 1. *c.* 3. *Tum ego, sunt, inquam, ista, Varro. Nam nos in nostra urbe peregrinantes, errantesque, tanquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt: ut possemus aliquando, qui, & ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum munera, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem regionum & locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: plurimumque Poëtis nostris, omninoque Latinis & literis luminis attulisti, & verbo: atque ipse varium & elegans omni ferè numerô poëma fecisti: philosophiamque multis locis inchoâsti, ad impellendum satis, ad docendum parum.* Atacinus fuit hic Poëta, sub Julio Cæsare & Triumviris. Scripsit *de bello Sequanico*, & *de Argonautis libros* 4. Vide Horat. *l.* 1. *Satyr.* 10. Propert. *l.* 2. *Eleg. ult.* Plin. Senecam, Hieron. Gesner. *in Biblioth.* Voss. *de Histor. Lat.* Lil. Giraldum, *Hist. Poët.* &c. Fuit & alter *M. Ter. Varro*, Philosophus insignis & Romanorum doctissimus, obiit An. 726. Urb. Cond. ætat. 90. Ingenii & memoriæ prodigium. Scripsit 500. Volumina. Ciceroni inscripsit *libr. de L. L.* Præterea publici juris fecit *libr. de Re Rustica*, *Historiam*, *Annales*, *de Viris illustr. de familiis Romanis*, &c. Vitam ejus delineavit Verranius Maurus, qui titulos operum illius, ex Cicerone, A. Gellio, Nonio, Fulgentio, Macrobio, Servio, Augustino, Hieronymo, Prisciano, &c. collegit. Vide quoque Scaligerum, Turneb. Vossium, Gesnerum, &c. & plura in dictione *Terentius*.

VARRONIANUS, Præses Pannoniæ, pater Joviniani Imperatoris.

VARTA, vulgò WARTE, fluvius Poloniæ. Oritur in Polonia superiori; & paulo pòst per inferiorem Poloniam fluens, ibi Siradiam & Posnaniam rigat; deindeque auctus Obrâ, Noteçô, & Prosnâ fluviis, infra Landspergam in Oderam se exonerat, prope Custrinum arcem, in Marchia Brandeburgica.

VARTIMPA, vulgò GARTEMPE, fluvius Galliæ, in Vingennam vel Vincennam fluvium, postquàm cum Crosa minore *petite Creuse* receptus est, Crosâ fluv. influens. Vide *Vingenna*.

VARTOMANNUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

VARVICENSIS Comitatus, WARVICKSHIRE, provincia est Angliæ, inter Leicestriam & Northantoniam Comitatus ad Ortum, & Vigorniam ad Occasum, ubi aliàs Cornavii populi. Ejus caput est *Varvicum*.

VARVICUM, vulgò WARVICK, urbs Angliæ, ad Avonam fluvium, Comitatus cognominis caput, aliàsque Præsidium dicta, 24. milliar. Anglicis distat à Vigornia in Ortum, & 30. ab Oxonio in Boream, 7. autem a Coventria in Meridiem.

Viri Illustres.

VARUS, Syriæ præses, A. C. 3. Vide *Licinius*. Item *P. Alphenus*.

VARUS, Pergæus, qui verbis assentatorum corruptus, persuasit sibi se omnium esse formosissimum, arte quoque & robore in palæ-

palæstra omnes excellere, imò ne Musas quidem ipsas cantare suavius.

S. VARUS Quintilius, Galliæ Cisalpinæ præfectus fuit sub Augusto, cujus auxiliô Virgilius amissos agros recuperavit: Hujus beneficii memor Poëta 6. *Eclog.* illum miris laudibus in cœlum extollit. Hic posteà Germanico exercitui præfectus, dum fœderibus nuper initis plus satis confidit, & à belli cogitatione ad jus dicendum se convertit, repente ab Arminio circumventus cum tribus legionibus obtruncatur. Mortem ejus deflet Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 24. Vide Vellej. *l.* 2. *c.* 117. 118. 119. 120. Flor. *l.* 4. *c.* 12. Tacit. *Germ. c.* 37.

VARUS Quintilius, cæsi in Germania Vari Quintilii & Claudiæ Pulchræ filius, Germanici gener, à Domitio Afro, socio delationis P. Dolabella, sub Tiberio, tunc in secessu Campaniæ absente, accusatus. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 66.

VARUS, Cæsari, *l.* 1. *Bell. Civ. c. extr. Strab.* Plin. *l.* 3. *c.* 4. &al. *le Var* Gallis, *il Varo* Italis, fluvius Liguriam Italiæ regionem à Gallia Narbonensi, sive à Provincia, separans, ex monte Cema profusus, in mare apud Nicæam urbem, inter illam & Antipolim, prolabens. Cujus ostia à Templo Veneris, sive à Venere Pyrenæa, 177. mill. pass. in Boream distant seu 1600. stadiis ex Strabone. Ejus meminit inter alios Lucan. *l.* 1. *v.* 404.

Finis & Hesperiæ promotô milite Varus.

Ferrar. Aliis fluvius est Galliæ Narbonensis; Famâ quàm naturâ, major, cunctis Geographis notissimus, propterea, quòd Galliam Narbonensem ab Italia dividit, id est, à Liguria, quam provinc. Alpium Cottiarum recentiores dixêre. Lucan.

Finis & Hesperiæ, &c. Vide suprà.

Oritur ex Acema monte in Alpibus maritimis; Castellum Novum, *Chasteau Neuf*, Villam Novam, vicum Guillelmorum. *Guillenmes*, vicum ad Robertos, *les Robers*, vicum S. Leodegarii, *S. Legier*, ad Varum, *Auvare*, Intervalles, *Entrevals*, Glannatevamque rigat. Hinc auctus aliquot amnibus, per Provinciam labitur, deinde ipsam separat à Comitatu Nicæensi, & prope Nicæam, postquam, præter loca antè dicta, Podiolum, *le Poget*, vicum S. Antonini, Villare, Macontium, *Macoins*, Revestium, *Revest*, Rocculam, *la Roquete*, ad S. Martinum, *S. Martin*, vicum Varum, *le Bare*, ad S. Margaritam, & municipium S. Laurentii præterlapsus est, demum sex auctus amnibus, duobus majusculis, quatuor minimis, in mare Mediterraneum se exonerat. Dicitur à cursu obliquo & tortuoso, hoc enim Latinis vox *Varus* notat. *Hadr. Vales. Baudrando* non est verus Galliæ & Italiæ limes, cùm Comitatus Nicæensis fuerit pars Galliæ Narbonensis, uti & posteà Provinciæ, donec in potestatem Ducis Sabaudiæ devenerit: & Italia separatur à Gallia Alpibus maritimis, non autem Varô fluviô, ultra quem sunt aliquot castra Francici juris, uti etiam sunt citra Varum Sabaudici juris. De his quot incolæ, tot testes, quidquid alii in contrarium dicant.

VARUS, propriè palus in summo furcillatus, Græcè σκόλοψ. Lucan. *l.* 4. *v.* 439.

——— *dispositis attollant retia varis.*

Unde vôce diminutiv. *valli*, χάρακες castrorum, in summo figuram literæ *V.* referentes, de quibus retro. Ad boves posteà transiit appellatio, qui *vari* dicti & *vara* habere *cornua*, quibus ad hunc modum illa expansa essent; *patales* aliàs & *patuli* Latinis. Ipsi tandem homines *vari* nuncupati, qui pedes extra versos & apertos habent, suras & calces introrsum actas, genuaque in diversum patentia: quibus compernes seu variæ appositi, de quibus suô locô. Lucillius, de Alcumena,

Compernem, aut varam ivisse Amphitruonis acætin.

Quamvis non paucis sint, qui & *vari*, & tamen junctis genibus ac compernes incedunt. Sed & plurimum *vari* diversa habent, non conjuncta, genua, & grandes eunt gradus, Græcis ῥαιβοί; qui quòd ad incedendum currendumquè firmiores sunt variis seu valgis, hinc non canes solùm varis cruribus magis experiti, sed & Archilochus στρατηλάτην suum, seu *Ducem exercitus*, ῥαιβὸν seu *varum*, vult esse. Imò varias aut compernes in pueris corrigi vult Varro, non *varos de L. L. l.* 8. quasi id inter pedum vitia nullum esset. Hinc *varica* mulier, apud Ovidium, *l.* 3. *Art. v.* 304.

Illa velut conjux Umbri rubicunda mariti
Ambulat, ingentes varica fertque gradus:

quæ grandia incedit & ingentes passus metitur, quod fieri, nisi multùm apertis & varicatis cruribus, non potest. Item *varicare* seu *variare*, quôcunque modô crura dispandere aperireque in diversum, non enim unus varicandi disparandique crura modus. Sic qui vineam confodiunt, varicatis cruribus stant, & qui sentinam in navi exhauriunt. Aliter crura varicant, qui pedem alterum in anteriorem partem protendunt, uti faciunt, qui fossam aliquam transeunt, ejus duntaxat latitudinis, quam necesse non sit transilire saltu; sed & qui grandi passu incedunt. Similiter, qui gradum componit ad pugnandum & excipiendum adversarii impetum, pede alterô protensô, is διαβαίνειν dicitur & *varicare crura*: Tyrtæus, εὖ διαβὰς μενέτω). Unde & διαβεβηκότες Græcis, qui *vari* Latinis. Cujusmodi simulachra proditur primus fecisse Dædalus, cùm ante ipsum indiscretis junctisque cruribus fingerentur. Quia autem *varicare* διαβαίνειν Græcis, quod aliàs *transire* significat, hinc & Latini *varare* & *varicare*, pro *transire* simpliciter usurpârunt. Varro, *de L. L. l.* 4. *Vallum, vel quòd varicare ea nemo posset*, i.e. transcendere, transire. Unde *varatio fluminis*, apud Auctores *de Limit.* & *vara*, ponticuli ex tabulis facti, quibus fluminum alvei varantur, γέφυραι Græcis. Quamlibet nempe tabulam in transversum jugis & arrectariis seu vibiis furcillisque impositam sic veteres appellabant: unde Proverb. *vara sequitur vibiam.* Inde pro fugere ulteriùs sumtum verbum, sicut ἀποπλίξαι Græcis, à πλίσσειν, *crura aperire ac divaricare*: Unde πλιχάδες totum illud, quod inter scrotum & collum vesicæ patet, quæ summa pars est aperturæ femorum crurumque; & ἀμφιπλίξ ἑστάναι *varicus stare.* Hodieque *guarare* dicunt Galli, pro ἀποπλίξαι seu *fugere*, ac fugiendo sibi cavere, unde *lupi* iisdem *guaratores*, de quibus suprà. Porrò, uti *varus* ille est varicatque, qui pedes non rectè ponit, sed ad exteriorem partem eos detorquet; sic *prævaricat*, qui ultra modum id facit. Inde *prævaricare*, in officio suo dicuntur, qui non rectè ambulant ut sunt Patroni illi, qui clientum suorum causam adversariis tradunt &c. Vide plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 943. & *seqq.*

VAS, ADIS, Varroni, *de L. L. l.* 5. dictus est, *qui pro alieno vadimonium promittebat. Consuetudo* enim *erat, cùm reus parùm esset idoneus in certis rebus, ut pro se alterum daret.* Paulus ex Festo *Vadem* interpretatur *Sponsorem datum in re capitali*: quam differentiam etiam Ausonius inter *Vadem* & *Prædem* ponit in *Technopægn. Eidyll.* 12. *Per interrogationem & responsionem, v.* 1. 2.

Quis subit in pœnam capitali judicio? Vas.
Quid si lis fuerit nummaria, quis dabitur? Præs.

In capitali itaque judicio *Vas*, quasi Sponsor mortis habitus; quæque pœna manebat reum, si non sisteretur, Sponsor sistendi se eidem supplicio obnoxium reddebat: Cujusmodi *Vas sistendi* & *Vas mortis* Ciceroni dicitur, *l.* 3. *Offic. c.* 10. quemadmodum ἔγγυητὴς θανάτου Græcis. Interim non solùm in re capitali, sed etiam in judiciis privatis, *Vades* hos dari consuevisse, qui Sponsores essent vel Fidejussores sistendi aliquem in judicio, tradit Jac. Oiselius, *Notis in A. Gellium l.* 16. *c.* 10. Salmasius verò, *in De Modo Usur. c.* 16. contendit, *Vadem* propriè esse, qui citatus in judicium ire debet, ὁ βάς: Esse enim reum principalem, qui sese ad diem dictam sistere judicio tenetur & ire vel *vadere*, quò est vocatus. Quem verò Sponsorem pro se dat, ut, nisi eat ipse, pœnam, qui pro eo fide jussit, vicem ejus subeat, eum etiam *Vadem* appellatum, quasi qui pro vade promiserit, eum iturum in judicium. Sic ergo cùm *Vas*, ὁ βάς, verè esset ille, qui vocatus in jus vadere deberet, illum, qui exhibiturum se eum judicio cavebat, quasi *vadendi* & in jus eundi pro alio Sponsor, *Vadis* quoque nomen nactum esse, quia pro illo cavisset. Hinc *Vadimonium promittere* Sponsor talis dicebatur h. e. *itionem in jus pro alio*: & *vadari*, non solùm *spondere* est & vadem se pro alio constituere, sed etiam in jus vocare & *denuntiare alicui, ut in jus eat*; diem illi dicere, ut sit *Vas*, h. e. in jus ambulet. Proin in Philoxeni *Gloss. Vadatur*, redditur, κατεγγυᾶται καὶ μετὰ παραγγελίας συνέθετο, quibus verbis utraque significatio attingitur. Nam μετὰ παραγγελίας συντάσσεσθαι, est constituere alicui diem cum denuntiatione, quâ in jus ire debeat. Sic Plautus *in Aulularia, Actu* 2. *sc.* 4. *v.* 40.

Ut sibi liceret milvum vadarier.

I. e. *in jus vocare, diem milvo dicere.* Inde & *Vadimonium*, utrumque significat, ipsam ἐμφάνειαν, *exhibitionem* sive *in jus itionem*, & ἐμφανείας ἐγγύην, *exhibitionis sponsionem*: & *Vadimonium facere* dicitur is, qui sese sistit judicio & exhibet, non qui sponsionem facit; *Vadimonium* verò *præstare* dicitur is, qui pro alio sponsionem in Judicio sistendi facit. Est quippe hoc idem, cum Græcorum ἐγγύην δοῦναι, ἱκανοδοτεῖν ὅρους. Ita Corn. Nepos *in vita Attici, c.* 9. de Fulvia Antonii: *Nunquam illa vadimonium præstitit.* At in illa locutione, *Vadimonium facere*, nemo potest vadimonium pro sponsione & ἐγγύῃ interpretari. Quod discrimen optimè ostendit Seneca *de Brevit. Vitæ, c.* 6. *Quantum vadimonia sua atque aliena occupent*: ubi *sua vadimonia* sunt ἡ ἰδία ἐμφάνεια, quibus suô nomine in jus quis ire citatus debet; At *aliena*, ἡ ἐμφανείας ἐγγύη, quibus alium promittit aliquis se exhibiturum. Vide plura hanc in rem apud Virum incomparabil. *locô cit.* Ritus autem *vadandi*, apud Romanos talis erat: Actione adversario editâ, eâque à Prætore post postulationem impetratâ, tum Actor certâ verborum formulâ *vadabatur* Reum, i. e. (ut interpretatur Rosinus, *l.* 9. *c.* 12.) *Vades* sive Sponsores petebat, fore, ut certô die (is plerumque perendinus erat) se in Jure sisteret. *Vadimonium* porrò, adhibitô Jurisconsultô, concipiebatur, & qui provocabat, *vadari*, qui provocabatur, *vadimonium facere*, dicebatur: Conceptô sic vadimoniô, & Sponsoribus acceptis, è Jure discedebatur. Intereà, dum res in vadimonio fuit, Reus cognitâ actione aut Actori sine judicio cedebat, rem pactô aut transactione componens; aut se ad contendendum parabat. Quorum posterius si placuisset, tertiô inde die, qui dies cognitionibus erat dicatus & *comperendinus* appellebatur, Prætor actiones editas & postulatas ex tabulis ordine recitari atque Actores & Reos citari per Accensum jubebat; ut judicia actionibus eorum cognoscendis daret: quorum illud *dicere vadimonia*, hoc *addicere judicia*, vocavit Macrob. *l.* 1. *Saturnal. c.* 16. Si verò litigatores ad vadimonium die constitutô non accurrissent, litem amittebant; Reus præcipuè, si *vadimonium deseruisset*, &c. Vide Car. Sigonium, *de Jur. Rom.* Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 12. & 13. Addo saltem, quòd Cæso Quintius *vades* primus dedisse legitur, homicidii accusatus, apud Livium, *l.* 3. *c.* 13. *Reus, dum consulerentur Patres, retentus in publico est, vades dare placuit, unum vadem tribus millibus æris obligârunt. quot darentur, permissum Tribunis est. decem finierunt. tot vadibus accusator vadatus*

est reum. Hic primus vades publicos dedit. dimissus è Foro. ubi Gronovium vide.

VAS, ASIS, à *vescendo*, quòd in eo *vescæ* ponantur, Eruditis dictum est. Iis fictilibus antiqua simplicitas usa est, neque in pauperioribus tantùm ædibus, sed & in opulentiorum conviviis, imò & in Deorum fanis ac sacrificiis solemnibus, quemadmodùm & ipsæ Deorum statuæ vetustissimis temporibus, & Templorum parietes, ex argilla fingebantur. Val. Max. *l.* 4. *c.* 3. *ex.* 7. *Cui Consulatum gerenti, cùm, Ætolorum gens omnis usus vasa argentea, magnô pondere, exquisita arte fabricata, per Legatos misisset: qui superiore tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerant, fictilia se in ejus mensa vasa vidisse: monitos, ne continentiæ, quasi paupertati, succurrendum putarent, & cum suis sarcinis abire jussit:* Quod ille de privata cœna Tuberonis, id alii ad publicum epulum, quô civitatem totam in Capitolium convocatam exceperat, referunt. L. Seneca, *Ep.* 95. *in fin. Tuberonis ligneos lectulos, cum in publicum sternerentur, hædinasque pro stragulis pelles & ante ipsius Jovis cellam, proposita convivis vasa fictilia, quid aliud est, quàm paupertatem in Capitolio consecrare?* Et paulo pòst, *omnium illorum aurum argentumque fractum est & millies conflatum; at omnibus seculis Tuberonis fictilia durabunt.* Sic de Templis sacrisque vasis, Tertullian. *Apologet. c.* 25. *Frugi religio & pauperes ritus & nulla Capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria & vasa adhuc Samia & nidor ex illis.* Plinius item, *l.* 36. *c.* 2. *Non tamen in tam malo exemplo moribus cavere utilius fuerat, quàm tacere tantas moles in privatam domum trahi, præter fictilia Deorum fastigia* &c. Sequiore posteà ævô ex argento auroque conflari cœperunt: inque *crystallis calebant unguenta glacialibus*, Sidon. Apollinaris, *l.* 2. *Ep.* 13. *murrhina* item adhibita sunt, Plinius, *Præfat. ad l.* 33. nec argentum ampliùs aurumque placuit, nisi emblemata accederent, & gemmæ: Isidor. *l.* 20. *c.* 4. *In vasculis tria requiruntur quæ placeant, manus Artificis, pondus argenti, splendor metalli.* Et suprà, *Calata vasa, argentea vel aurea sunt, quæ signis eminentioribus intus extrave expressa, à cælo vocata, quod genus ferramenti est.* Cicer. 4. *Verr. c.* 27. *Exponit multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ, ut mos est, Regibus, & maximè in Syria, gemmis erant distincta clarissimis.* Græcis χρυσένδετα dicta: quorum usus non in poculis modò, sed & in paropsidibus aliaque fuit supellectile. Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 43. *v.* 11.

Immodici tibi flava tegunt Chrysendeta mulli.

Ubi Schol. *Implent, adeoque magni sunt mulli, ut tegant χρυσένδετα, i. e. lances aurô circumcinctas, vel in quibus gemmæ aurô illigantur.* Vide Hadr. Turnebum, *Adversar. l.* 14. *c.* 3. Idem Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 97. cui tit. *Lances Chrysendetæ*,

Grandia ne viola parvo Chrysendeta mullo,
Ut minimum, libras debet habere duas, &c.

Vide Thom. Dempsterum, *ad Rosin. l.* 5. *c.* 30. Nec à materia solùm, sed & ab Artifice, locisque, ubi fiebant, pretium: unde Corinthia & Deliaca, magni æstimata, quæ adservabat è servorum numero quispiam dictus *à Corinthis & Corinthiarius* Romæ, *Ti. Talus Paratus, à Corinthis.* Et, *Callitychæ. Zoili. Corinthiar. Agripp.* Unde, qui ad Augusti statuam. apud Sueton. *in eo, c.* 70. tempore proscriptionis, adscripsit, *Pater. Argentarius. ego. Corinthiarius.* in hac etiam vocis notione videtur ludere voluisse, ut Patrem & Filium notaret, velut minùs ingenuæ conditionis. Eôdem *Faber à Corinthis*, cujus meminit Inscr. Romæ, *P. Lucrinus. P. L. Thalamus. à Corinthis. Faber.* Ænea autem illa erant. Sed etiam luxuriâ grassante, mansêre fictilia in delicatiorum Tricliniis. Vitruvius, *l.* 8. *c.* 7. *Saporem quoque meliorem è tubulis esse, quotidianus potest indicare victus, quòd omnes, extructas cùm habeant vasorum argenteorum mensas, tamen propter saporis integritatem fictilibus utuntur.* Neque verò condecendi erant, qui hæc facerent, uti nec Cælatores ac *Vascularii*, cùm domestici adessent. Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 145.

Sit mihi præterea curvus Cælator & alter
Qui multas facies pingat citò.

Ubi vetus Interpr. *Cælatorem* explicat *servum Argentarium laboriosum, Anaglyfarium*: quæ tamen disparare videtur antiqua Inscr. sepulchralis, quæ Romæ legebatur; *Antigonus. Germanic. Cæsar. Argentarius. vixit. ann.* 42. *Amiantus. Germanicus. Cæsar. Cælator fecit.* Omnia autem hæc vasa vitrea, escaria & potoria: Item crystallina, murrhina, fictilia alia, Supellectiarii curæ erant commissa, qui in veterib. *Inscr. à Supellectile* dicitur, de quo vide *suprà*, & plura de his apud Laur. Pignorium, *Comm. de Servis.* De *vasis* vinariis seu potoriis, diximus retro in voce *Poculum*: de *vasis* sacris veterum Hebræorum, in vocibus, *Sanctuarium* & *Tabernaculum*: Romanorum in sacris usitata *vasa* paucis hîc subjungemus, ex Joh. Rosino, *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 32. plura qui volet, adeat Gregorium Giraldum, *l. peculiari de Vasis, quib. Veteres in Sacrificiis usi sunt.* Priùs saltem hoc addam, *Vasa sacrificalia* non minùs ac cistas, in quibus condebantur sacrificio necessaria, ut & victimas ipsas, quæ, & homines, qui illas offerebant, fana tandem, in quibus sacra fiebant, apud Gentiles olim coronari consuevisse, uti pluribus docet Car. Paschalius, *Coronar. l.* 4. *c.* 19. In Ecclesia Christiana, Κειμήλια dicuntur *vasa aurea* sive *vela*, & quidquid est in Vestiario seu Templi cubiculo sanctum ac pretiosum, in Concil. Chalced. apud Euagrium, Cyrillum, Balsamonem, Alios. *Cemelia* quoque & *Cimelia* Anastasio Bibliothecario passim. Quæ proin qui custodiebat, Κειμηλιάρχης, vulgò *Sacrista*; in Concil. Toletano I. *Custos Ecclef.* usitatissimè Σκευοφύλαξ, appellatus est. Vide suprà *Scevophylax.*

Vasa, apud veteres Romanos, in Sacrificiis adhiberi solita.

α. Aquiminarium seu Amula, *vas* lustrale fuit, deportandæ aquæ, Religionis expiationisque ergò destinatum. β. Aspersorium, quô aquam lustralem aspergebant: Dicebatur etiam *Aspergillum & Lustrica.* γ. Candelabra, *vasa* erant, in quibus candelæ figebantur. Varro, *de L. L. l.* 4. Exhibet Candelabri iconem Rosinus, *locô cit.* δ. Capeduncula & Capis, poculi genus, dictum à *capiendo.* Varro, *Capis, & minores Capulæ ansatæ, ut facilè caperentur. Harum figuras in vasis sacris ligneas & fictiles antiquas etiam nunc videmus.* Cicero, *in Paradox.* 1. *c.* 3. *Capedines, Capedunculas & fictiles urnulas* appellat. Iconem habes *ibid.* ε. Discus, lanx in qua assæ carnes reponebantur. ζ. Dolabra, instrumentum, quô in dolando utebantur. η. Enclabria, sive potiùs *Anclabria*, appellabantur *vasa* ænea, quibus Sacerdotes utebantur. *Anclabris mensa ministeriis divinis apta*, Fest. Nomen iis ab *anculare*, ministrare, seu *anclare*, i. e. haurire. θ. Futile *vas*, latô erat ore & fundô angustô, quô aqua hauriebatur: dictum, quòd stare non posset, sed, si in terra poneretur, statim *funderetur.* Utebantur eô in sacris Vestæ, Flaminicæque Virgines sacrorum ministræ aut Vestalium famulæ, & nonnunquam pueri Flaminum ministri, quos *Camillos* appellabant, patrimi & matrimi omnes coronati id manibus tenebant. Quidam Eruditi *Cadum* etiam ac *Scyphum* dixêre. Vide Fortun. Licetum, *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 7. *ubi Lucernam Minervæ Galvanianam explicat.* ι. Patella & Patera, à *patendo.* Utebantur autem Pateris, adhuc Varronis ævô in publico convivio, antiquitatis retinendæ causâ, quum Magistri fiebant, iisque potio circumferebatur: Et in sacrificiis, Magistratus Deo dabat vinum. Patellæ verò diminut. *vasa* erant picata parva sacrificiis itidem faciendis apta. Vide Patellæ iconem, cum capeduncula, securi, lituo & urnula, in nummo P. Clodii. κ. Præfericulum, *vas* fuit æneum, sive ansa patens summum, velut pelvis, quô utebantur in sacrario Opis Consivæ. Icon apud Rosin. λ. Secespita, à *secando*, culter fuit ferreus oblongus, manubriô eburneô, rotundô, solidô, vinctô ad capulum aurô argentôque, fixô clavis æneis, ære Cypriô, quô Flamines, Flaminicæ virgines Pontificesque ad sacrificia utebantur. μ. Securis: utriusque Iconem vide ubi suprà. ν. Sympulum, vas parvum, cyatho non dissimile, quô vinum in sacrificiis litabatur: Vide suprà in hac voce. ξ. Thuribulum, *vas* quô thura adolebantur; vide itidem suprà. ο. Urnula, vide hic suprà *Capeduncula*, &c.

VAS, recentiori ævô, Sepulchrum dictum est subterraneum cameratum, ex lapide vel marmore structum, in quo demortuorum cadavera recondita. Gregorius Turon. *Miracul. l.* 1. *c.* 98. *Factum est autem, ut — in basilica B. Vincentii sepeliretur, in qua ipse sibi vivens vas deposuerat.* Unde vas *disomum*, h. e. duo corpora capiens, in *veter. Inscr.* P. ÆLIUS VALERIANUS HOC VAS DISOMUM SIBI ET FELICITATI POSUIT ET TRIBUNAL EX PERMISSU PONTIFICIS PERFECIT. Hodieque Arverni & Lemovices sepulchra *vases* appellant. Idem *Vascellum* notat, in alia *Inscr.* DEPOSITUS P. XII. IN VASCELLO ET MASSA &c. apud Car. du Fresne, *Glossar.* ubi *vasa* ejus ævi Scriptoribus majores lapides, arma campanas, naves, apumque alveatia, quoque dici consuevisse, adnotat.

VASACES, Parthici Equitatus, sub Vologese, Dux. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 14.

VASÆUS Johannes, vide *Johannes.*

VASARIUM, in *Gloss.* Græco-Latinis Σκευοθήκη, in aliis Κυλίκιον, locus ubi *vasa*, pocula inprimis, reponebantur, Hispanis hodieque *Vasar.* Alias vocis notiones habes apud Hadr. Turnebum, *in Adversar. l.* 10. *c.* 18. *l.* 21. *c.* 15. & Jac. Gothofredum, *ad l.* 12. *Cod. Theodos. de Censitoribus.*

VASARIUS Georgius, *Aretinus*, Architectus & Pictor insignis, discipulus Mich. Angeli, peregrinator ferè perpetuus, edidit *Historiam Pictorum*, non calamô minùs quàm penicillô inclytus &c. Felicis adeo memoriæ, ut per vixdum novennis integram Virgilii Æneidem memoriâ complecteretur. Apud Cosmum I. Hetruriæ Ducem gratiâ florens: obiit A. C. 1574. ætat. 63. Joh. Baglionius *Vite di Pittori*, Annib. Carus *Lettere*, Felibienus *Entretiens sur la Vie des Peintres* &c. Anton. Teissier, *Elog. Part.* 1. & 2. ubi Poëtam quoque fuisse addit.

VASATÆ, & VASATES, (*Vassatæ Antonino, Vassei* Plinio, *l.* 4. *c.* 19. *Vasarii Ptolemæo*) licèt Ortelius *Vassates* scribat, *Bazas*, populi, & urbs Aquitaniæ Episcopalis sub Archiepiscopo Auscensi, inter Burdigalam decem, & Auscos 18. leucis. Tractus *Bazadois.* Ausonius, *Idyll.* 2. *v.* 3.

Vicinas urbes colui, patriaque domoque,
Vasates patria, sed lare Burdigalam.

Scribitur passim *Vassatæ*, & *Vassates*, ac *Vasatæ*, & *Vasates*, *Ferrar. Baudrando Vasates* populi fuêre Galliæ, in Aquitania, inter Nitiobriges ad Ortum & Bituriges Vibiscos in Occasum, prope fluvium Garumnam. Fortè *Vocates*, Cæsar. *in Comment. l.* 3. *c.* 27. ubi P. Crassum, Sotiatibus victis & in deditionem acceptis, in fines Vocatium & Tausatium profectum esse, & post fusos acie Aquitanos, maximam Aquitaniæ partem, inprimis Precianos, Vocatos, Tarusates sese Crasso dedidisse, scribit. Horum tractus hodie *le Bazadois* dicitur; Senescalco suo subjectus, duasque nunc Diœceses complectitur *Vasatensem* & *Aturensem*, sed ante Ludovicum XI. pars Senescalciæ Burdigalensis fuit, cum Burdigala Vasatas, Atures, Aquas Tarbellicas, Bajonamque continentis, teste *Scaligerô.* Eorum autem urbs præcipua Cossio, seu Vazates, *Bazas*, Paulino, *in ep. ad Ausonium*, *arenosa* dicta, nonô inter Novempopulanæ 12. civitates locô, urbs est Episcopalis sub Archiepiscopo Auscitano: Patria Julii Ausonii, ex Medico Præfecti Prætorio Illyrici, patris Ausonii, Grammatici & Rhetoris. Cætera parvum est oppidum, viginti ferè jugerum, in arenoso agro. Quæ arenæ aliàs Landæ Burdigalenses, aliàs *Vasatenses* appellantur, *les Landes de Bazas*, Hadr. Valesi. *Notit. Gall.* Urbs vix 5. leucis distat à Gar-

Garumna fluvio in Meridiem, & 7. à Burdigala in Eurum, Ausçios versùs 16. circiter.

VASCA, apud Solinum, *c.* 5. *Termitanis locis insula est arundinum ferax, quæ accommodatissimæ sunt in omnem sonum tibiarum, seu præcentorias facias, quarum locus est ad pulvinaria præcinendi: seu vascas, quæ foraminum numeris præcentorias antecedunt* &c. tibia est Servio, *in l.* 11. *Æn. v.* 737. quam πλαγίαυλον Græci, *tibiam curvam* Virg. *loc. cit. obliquam* Plinius, *l.* 16. *c.* 36. appellant. Symphoniacorum fuit, juxta Servium, & Midæ Phrygis, an Panis, inventum, quorum illud Plinio, hoc Theocrito visum. Pollux ex loto & apud Libyas primùm factam scribit. Certè plagiaulos à Phrygia tibia, quæ tamen & ipsa quoque curva sive obliqua, & instar illius cornu habebat additum, (de quo vide suprà, voce *Codon*) ac ἔλυμος Græcis dicebatur, diversa fuit, uti pluribus ostendit Salmas. *ad Solin. p.* 123. ubi ex arundine *vascas tibias* fieri solitas scribentem hunc Auctorem refellit, vel inde, quòd sic, à *vasco* sono, quem edebant, dictæ sunt. *Vascum* autem idem, quod leve & inane, unde *vascæ tibiæ*, quæ, propter levitatem acuminis, levioribus & acutioribus modis insonabant. Quam ob causam vascam tibiam μελετητικὸν αὐλὸν interpretantur *veter. Glossæ*, quòd in hisce artem experiri meditarique consuêssent Tibicines: μελετᾶν enim Tibicinum proprium. Unde *meletari*, apud *Fulgentium*; & *commeletari*, apud Hyginum, *Fab.* 165. *Quas tibias Marsyas — invenit, quibus assiduè commeletando sonum suaviorem indies faciebat, adeò ut Apollinem ad citharæ cantum provocaret* &c. Vide Salmas. ubi suprà *p.* 122. 124. & *Notis ad Carm. Fl. Vopisc. c.* 9. ubi inter alia, *vascas tibias* cum *sinistris* easdem fuisse, addit: nec non suprà passim, inprimis voce *Photinx*.

VASCI, & BASCLI, populi Galliæ, iidem cum Vasconibus. Quos enim Galli *Basques*, & *Biscains*, eos Hispani *Vascos* vocant. Nisi potiùs dicas, Bascones partem fuisse Vasconum, Pyrenæo propiorum: unde Bajona, auctoribus quibusdam, caput Basconiæ dicitur. Est autem *Vascorum* regio, vel Basconia, *le pais de Basques*, longa 50000. pass. lata 24. dividiturque tripartitò, in pagum Lapurdensem, inferiorem Navarram & Subolam vallem, vide Hadr. Vales. *Notit. Gall. in voce Lapurdum.*

VASCITANIA, vulgò LES BASQUES, tractus Galliæ, in Aquitania, versùs Pyrenæos & confinia Hispaniæ, ubi Lapurdensis tractus, *le pais de Labour*, & Navarra inferior, *la basse Navarre*. Ejus urbes præcipuæ sunt Bajona & Fanum S. Joannis Pedeportuensis, *Baudrand.*

VASCONES, Plin *l.* 3. *c.* 3. Tacit. *l.* 4. *Hist. c.* 33. *Ptolem.* populi Hispaniæ Tarraconensis, ad montis Pyrenæi radices, in Aquitaniæ confinio, (quorum regio *Navarra*, teste *Tarapha* cum aliis) qui montes Pyrenæos in Aquitaniam transgressi, illi nomen suum indidêre: nam pars Aquitaniæ inter dictos montes, & Garumnam, ac Oceanum Aquitanicum comprehensa, *Gascoigne*, & Italis *la Guascogna* nominatur. Porrò regnum Navarræ, sub Rege defunctô, Ferdinandus Rex Castellæ & Aragoniæ, post regnum Granatense recuperatum, victis Arabibus & ejectis, regno Hispaniæ adjunxit Annô salutis 1492. Romani Pontificis auctoritate. Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 93. *Vasconum* meminit:

> *Vascones (ut fama est) alimentis talibus usi,*
> *Produxisse animas.* — —

Ferrar. Baudrando Vascones, vulgò *Gascone*, populi fuêre Hispaniæ Tarraconensis, inter Iberum fluvium & Pyrenæos; montes, ubi inter Cantabros, Celtiberos, & Ilergetes, ubi hodie regnum Navarræ, quod Ferdinandus V. Aragoniæ Rex sine causâ occupavit A. C. 1492. pulsô inde legitimô Rege Joanne Albretiô ipsius pronepote, nullâ fretus Romani Pontificis auctoritate: quod enim dicunt Hispani, de quodam diplomate Julii II. fuit tantùm post illam usurpationem & ad ipsorum instantiam, ut videre est ex temporibus utriusque, & ut pluribus probat Mezeræus cum aliis. Regni caput est Pompelo. Navarra autem superior ab eo tempore subest Hispano. Inferior & minor portio Gallico sceptro per Henricum IV. legitimum hujus regni hæredem conjuncta est. *Vascones*, cum Asturibus, domiti à Vamba Hispan. Rege, A. C. 675. Carolum Franciæ Regem ex Hispania, ubi Saracenos vicerat, regressum, petentes, non exiguam ei cladem intulerunt, Rolandô quoque cæsô, A. C. 778. Alphonsus Arragonius, Legionis & *Vasconum* regnum conjunxit, A. C. 1109. Sanctio *Vasconiam* Alphonsus Castellanus ademit, A. C. 1198. junctus Petro Aragonio, pace cum Aben Josepho factâ, qui duo priores regnum legitimo Principi ereptum, cum Legione turpiter inter se divisêre. A. C. 1200. ab Aragoniæ & *Vasconum* Regibus victus est Johannes Rex Lusitaniæ, A. C. 1415. *Vasconum* tandem Rege fugatô, Johannem Labretanum regnô exuit Ferdinandus, de quo suprà. Vide *Navarra.*

VASCONIA, vulgò LA GASCOGNE, indigenis GUASCOIGNE, provincia Galliæ. Dupliciter sumitur, vel latè vel strictè. Vasconia latè sumpta continet partem Aquitaniæ inter Oceanum, Garumnam fluvium, & Pyrenæos montes, sub qua provinciæ Vasatensis, *le Bazadois*, Condomensis, *le Condomois*, Arminiacensis, *l'Armagnac*, Benehatnia, *le Bearn*, Bigerrensis, *le pais de Bigorre*; Convenæ, *le pais de Comminges*, Vascitaniæ pars, *les Basques*, Lebretensis tractus, *le pais d'Albret*, seu *les Landes*, & Vasconia propria, *la Gascogne propre*; ejusque præcipuæ urbes fuêre Aturus, Auscii, & Vasates. Vasconia autem strictè sumpta continet Vasconiam veram, inter tractus Arminiacensem, & Condomensem, Benehatniamque. Ejus urbes præcipuæ sunt Aturus, Datii, Fanum St. Severi, & mons Martiani; ibique fuêre aliàs Elusates & Datii populi. *Baudrand. Valesius* sic habet: Aquitania Garumnâ flumine, Pyrenæis montibus & Oceanô continebatur tempore Julii Cæsaris: quam posteà Augustus, usque ad Ligerim 14. gentium adjunctione promovit: Hanc Constantinus M. dein in duas provincias divisit, Aquitaniam & Novempopulanam: Dein tres ex Aquitaniâ factæ sunt provinciæ, Aquitania prima, secunda, & Novempopulana, quæ vetus & propriè dicta Aquitania est: nomen accepit à novem populis, quos ea provincia continebat. Hi fuêre, Elusates, Ausci, Aquenses vel Aquitani, Lactorates, Convenæ, Consoranni, Tarbelli vel Boates, Vasates, & Bigerrones seu Bigerri. Postquam verò Novempopulana à Vasconibus occupata est, *Vasconiæ* nomen est nacta, hodieque *la Gascogne* dicitur. Primus autem *Vasconiæ* meminit Gregor. Turonens. *Hist. l.* 6. *c.* 12. Fuêre hi Vascones, gens montana Hispaniæ Tarraconens. magna ex parte libera, qui à Regibus Visigothorum, cùm aliis, tum Gundemaro, Sisebuto, Suintila & Wamba multis bellis exagitati, quòd imperata facere situ locorum confisi nolebant, crebro sese in Novempopulanam effudêre, regnantibus apud Francos Chlotarii M. filiis ac nepotibus, & occasione bellorum civilium inter Francos, sub Majoribus domus, laborantes, usi, sensim fines suos proferendo, ferè omnem tandem occupavêre, Duce suæ gentis & sui juris creatô. Historia sic habet: In finibus Cantabriæ, montibusque Pyrenæis inter regna Francorum Gothorumque siti erant, pertinebantque ad Oceanum & fines Aquitaniæ: Gens audax, inquieta famis ac laboris patiens, corporum, armorum atque etiam ingeniorum levitate insignis, situ demum locorum ac saltuum latebris, ad insidias opportunis, quam viribus tutior. Et ii quidem, qui urbes in plano positas incolebant, quales Pompelonenses, Calaguritani, Iturissenses aliique erant, Gothorum Regibus parebant: Cæteri qui montana habitavêre castella, non contenti libertatem suam defendere, proxima populari soliti, nunc provinciam Tarraconensem in Hispania, nunc Novempopulanam in Aquitania incursionibus vastabant. Contra hos missus à Chilperico Rege Bladastes Dux A. C. 581. maximam copiarum partem in Vasconia amisit. Posteà pueritiâ Regis Francorum bellisque hinc civilibus in occasionem usi, partem aliquam Novempopulanæ Pyrenæo subjectam armis occupavêre: sed missô à Childeberti filiis Theodeberto ac Theodorico exercitu, tributarii sunt facti, Duce eis Geniali præpositô. A Chariberto dein, Dagoberti fratre, qui Tolosatibus, Aginnensibus & Santonibus imperabat, stipendiarii facti: post hunc ab ipso Dagoberto præliô superati, & ad deditionem fidemque Regi ac Regno promittendam, Aighinâ Duce compulsi sunt, annô principatus Dagoberti 14. quô Seniores Optimatesque Vasconum ad Dagobertum venêre, & in Basilica S. Dionysii subjectionis fidem dedêre. Imo & A. C. 769. Lupus, Vasconum Dux, seipsum totamque terram suam Karolo Regi submisit. Nihilominus Ludovicus Pius, Aquitaniæ primùm Rex, dein Imperator, ferocientem populum aliquot expeditionibus pacare necesse habuit. Eosdem auguriis deditos & idololatras maxima ex parte, ab errore revocare conatus est Amandus Trajectensis Episcopus. Habuit regio Elusam primùm, dein Augustam Auscorum pro Metropoli, unde & *provincia Auscitana* nominatur: Et decem sedes suffragantur. Arnaldus Oihenartus Vasconiam Aquitanicam seu citeriorem (Vasconia enim Hispaniensis trans Pyrenæos est, & Navarram ex parte complectitur, vide suprà) dividit in Superiorem ac Inferiorem: Priori, quæ *Vasconia propriè dicta*, aliàs *major*, vel *ulterior* vocatur, attribuit Vasatensem, Aquensem, Aturensem & Lactorensem, diœceses; Vicecomitatus Leomaniensem, Gavarritanum, Martianensem, Aquensem, Tartasiensem, Taursanensem, Lupanerriensem, & Juliacensem, ac Leporetanum. Posteriori seu etiam citeriori Vascitaniam adscribit, cum præfectura Lapurdensi & pago Benearnensi. Idem Comitatus ibi fuisse asserit Vasconiæ superioris varios: Vasconiæ inferioris Fidentiacum; Astariacensem *Estarac*, Bigerricum, Convenensem, & Gauram, Manhoacensem vel Majennacensem *Magnoac*, & Insulanum, ab Insula Jordanis cognominatum: Ex Fidentiacensi autem Armaniacensem, & ex Astariacensi Pardiniacensem, *Pardiac*, Comitatus esse decerptos. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Novempopulana*: ubi inter alia, varias vocis hujus apud Historicos acceptiones notat.

VASCONIÆ Saltus, Auson. *Vasconum saltus* Plinio, *l.* 4. *c.* 20. tractus inter montem Pyrenæum & Oceanum, pars Hispaniæ, in Guipuscoa regione. *Vasconiæ* meminit Auson. *in Epist. ad Paulin.* 25. *v.* 51.

> *Vasconiæ saltus, & ninguida Pyrenæi.*

VASCONIS Vallis, *le Val Vascois*, villa Galliæ, memorata *in litt.* Rotberti Regis Franciæ ubi habet villas S. Dionysii in Belsia sitas, Tibernionem, Tauriacum, Rubridum *Rouvroy*, *Vasconis Vallem* & Asinarias *Asnieres*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Tauriacum*.

VASCORUM Regio, vide in voce *Vasci.*

VASCOSANUS Michaël, vide *Michaël.*

VASCULARII, apud Ciceronem 4. *Verr. c.* 24. *Instituit officinam Syracusis: in Regiam maximam palam Artifices omnes, Cælatores & Vascularios convocare jubet*: sunt, qui *vascula* ex puro argento faciebant. Poëta,

> ——— *argenti vascula puri.*

Sicut Cælatores, qui signa ac sigilla vasculis hujusmodi includenda cælabant. Et quidem in Arte Εὐματευτικῇ *Vascularii* & *Cælatores* separari poterant, in Τορευτικῇ verò erant iidem, Salmas. *ad Solin. p.* 1047. & 1048. Vide quoque suprà, ubi de his Artibus.

VASILEUS, apud Luitprandum *in Legat. Cùm Christophori filiam Petrus Bulgarorum* Vasileus *conjugem duceret*: ex Græco Βασιλεὺς, Rex est, cæteros dignitate ac potentiâ eminens, qua de vocis notione, mediô ævô usitata, diximus suprà, in *Basileus.*

VASILIGRODA, vulgò VASILIGOROD, urbs Moscoviæ, in Ducatu Novogardiæ minoris, ad Volgam fluvium, 75. mill. pass. distans à Novogardia minori in Ortum. Dicitur aliter *Basi-*

ligroda, quòd à Duce Basilio condita fit, ubi Sura fluvius cadit in Volgam.

VASIO, Galliæ Narbonensis urbs, Episcopalis in Provincia, Mela, *l.* 2. *c.* 5. Vocontiorum olim cum Luco caput, qui Οὐασίων *Straboni*, inter Cavares & Tricorios, fines Allobrogum attingunt, & in profundis vallibus in 19. oppida, præter duo capita, divisis Plin. habitant. Horum Tribunatum dedidisse se C. Posthumo M. Posthumi, qui posteà Imperator Galliarum fuit, filio & ipsi Cæsari, deinde Augusto futuro, refert Valerianus Augustus apud Pollionem in *epistola ad Gallos*. Equitis Roman. Julii Viatoris, è Vocontiorum gente fœderata, ut & vini dulcis Vocontii, meminit Plin. *l.* 14. *c.* 9. Inter urbium Galliæ Narbonensis opulentissimas, easque colonias, primò quondam locò: sed ex ingenti urbe pridem ad vicum redacta, saltem urbs semidiruta. *Vaison* Canali. In Comitatu Vindaxino ad fluvium *Louvese*, in colle. Sub Pontifice 8. leucis ab Avenione, in Cæciam, uti 4. ab Arausione, 4. à Carpentoracto in Boream. Episcopus ejus in *recent. Nott.* quartam obtinet sedem inter Arelatensis Burgundiæ Archiepiscopatus Antistites. Ex Præsulibus ejus Daphus, Concilio Arelatensi: Gemellus Epaonensi: Quinidius Parisiensi 4. Artemius Matisconensi 1. Petronius Cabillonensi, &c. interfuêre. Hadr. Valef. *Notit. Gall.* A Gothis, Vandalis & Saracenis urbs sæpiùs vastata, reparata postmodum. Ptolem. *l.* 2. *c.* 10. Plin. *l.* 3. *c.* 4. Mela, *l.* 2. *c.* 5. Sidon. Apollin. *l.* 5. *ep.* 7. *l.* 7. *ep.* 4. De Conciliis hîc celebratis, vide Morer. *in Diction. Hist.* Synodus apud Auspicium Episcop. Diodorô V. C. Consule, iterum altera Deciô Juniô Consule, præsidente Cæsariô, habita, memoratur Valesio retrò laudato.

VASQUEZIUS Gabriel, Hispanus, Bellomontanus, Jesuita: *Vir magni ingenii, assiduæ atque infinitæ lectionis & in pervestigandis atque eruendis S. Patrum reconditis sententiis summa diligentia; utrôque certè ornamentô Virtutum ac Literarum ita inclaruit, ut omnium retro seculorum illustrissimis Viris debeat jure optimô adnumerari*, Philipp. Alegambius Bruxell. *Biblioth. Sacr. Societatis Jesu.* Obiit A. C. 1604. Helvicus, *Chronol.* Ejus extant, *in ad Romanos, Galatas, Ephesios, Philippenses, Thessalonicenses* 2. & *ad Hebræos Paraphrasis & Explicatio compendiaria, aliaque: Opera prodierunt* 10. *Tom. in fol. Lugduni* A. C. 1620. 9. *Volum. in fol. Ibid.* A. C. 1631. 8. *Vol. in fol. Antverpiæ* A. C. 1631. Vide Guil. Crowæum, *Elencho Scriptorum S. Scripturæ*.

VASSÆUS Johannes, Gallus, quædam Galeni Latinè vertit: non confundendus cum Joh. Vasæo, de quo suprà.

VASSÆUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

VASSATES, seu VASSEI, Auson. Plin. *loc. cit.* Vide *Vasatæ*.

VASSEJUM, vel VASSIACUM, oppid. Campaniæ Gallicæ ad Blæsam amnem, qui in Matronam devolvitur, *la Blaise*. Adso *in vita S. Bercharii*, meminit *fisci regii Vassiaci*. Huic propinquus est locus Puteolus *Puise*, monasteriô & aulâ à Childerico, Chlodovei filio, regiè extructâ, quò venandi causâ crebro ventitare consueverat, nobilis. Hadr. Valef. *Notit. Gall.* Distat *Vassejum* 10. leuc. à Calvomonte in Boream, 4. à Fano S. Desiderii in Meridiem, *Vassy* vulgò. Hîc, sub Carolo IX. ingens fidelium strages à Guisico Duce patrata, frequentissimus sacer cœtus turbatus, ad 60. cæsi, 100. vulnerati, Leonhard. Morellus, pastor captus, S. Biblia & locus indignissimè tractatus est. Vide Thuan. *Histor.* *l.* 29.

VASSENI, primogenitus filiorum Samuelis, 1. Paral. *c.* 6. *v.* 28.

VASSERBURGUM, vulgò WASSERBURG, urbs Bavariæ superioris ad Oenum, cum castro munito, 7. leuc. à Monachio in Ortum, Burchusiam versùs paulo minus.

VASSIONENSE oppid. VASSIORUM civitas, *Ptolem. Forum Vocontium*, Cicer. *l.* 10. *Famil. Ep.* 34. Vide *Vasio*.

VASSO, apud Gregorium Turonenf. *Histor. l.* 9. *c.* 32. *Veniens verò Arvernos, delubrum illud, quod Gallicâ linguâ Vasso Galatæ vocant: Savaroni* templum est Marti dicatum. Alius templum in genere: quippe etiamnum juxta Claromontem locus, ubi olim fuit ædes S. Artemii, *le Vas saint Artem* appellatur, i. e. templum S. Artemii: ut apud Delphinates, locus, ubi ædes S. Marcellini fuit, postmodùm destructa, & ad quem pro impetranda pluvia processiones fieri solent, *le Champ du Vas* appellatur, ut auctor est Cl. Expillius, apud Car. du Fresne, *Glossar.*

VASSUS, & VASSALLUS, voces synonymæ. Et quidem *Vassi* primitus dicti, quos *Familiares* sequens appellavit ætas, h. e. domestici, qui ex Regia aut alicujus Principis familia erant, inde *Vassi Regales* & *Dominici* appellati; quorum dignitas magna fuit, ut qui post Episcopos, Abbates & Comites statim nominantur, in *Capitul.* Caroli Calvi A. C. 877. *c.* 1. & injuriâ affecti, pari cum Missis Dominicis pœnâ, vindicabantur, *l. Longob. l.* 1. *tit.* 13. §. 3. Ita autem ex Familia Regia erant, ut fide & sacramentô Principi obstricti essent, hinc *drudis*, i. e. *Fidelibus*, junguntur, in *Capitul. tit.* 23. *c.* 4. atque à Germanico *vassen*, quod est obligare seu vincire, nonnullis dicti videntur. Mittebantur ii nonnunquam extra ordinem à Principe in provincias, ut Comitibus adessent in justitia administranda, & cum eis jus dicerent, aliaque Rei publicæ negotia exequerentur, *l. Longob. l.* 2. *tit.* 2. §. 2. quò casu respectu Comitum id erant, quod Capellani minores respectu Episcoporum Abbatumque, uti docet Walafridus Strabo, *de Reb. Eccl. c.* 31. Iisdem marcharum custodia interdum tradita, ut est in *Capitulis* Caroli M. *l.* 4. *c.* 4. Ad cujusmodi ministeria cùm pergebant, vel in iis consistebant, quemadmodùm Missi Dominici & Comites, accipiebant *conjectum*, quò nomine appellabatur mediô ævô contributio seu summa pecuniæ à populo in unum collata, quæ Missis Regiis exsolvi ad itinerum victusque impensas faciendas solebat. Etiam *Beneficia*, quæ à Principe in provinciis iis quandoque dabantur, *Ibid.* Subscribebant porrò Chartis Dominorum suorum, adjectâ hac ipsâ *Vassalli* dignitate: erantque in majores & minores divisi &c. Quòd si criminis aut alterius delicti incusarentur, non ipsi, sed *meliores eorum homines juramentum persolvebant*, uti habetur in *Capitulis* Karolomanni Regis *tit.* 2. *c.* 4. & 11. quem *honorem condignum* vocant *Vassis* habendum *Capitula* Caroli M. *l.* 2. *c.* 24. Postmodùm *Vassorum* seu *Vassallorum*, ut Cataneorum seu Capitaneorum, sub postremis Imperatorib. Alemannicis, introductus fuit Ordo honorarius, qui etiam ad posteros, nulli licèt loco aut gubernationi addictus, transmitteretur; uti colligere est ex *Charta* Conradi Burgund. Regis A. C. 944. apud Guichenonum. Imò & *Vassos Vassallosque* creatos ab Imperatorib. interdum etiam ipsosmet Augustos aliis Nobilibus eosdem creandi jus impertiisse, liquet ex *Bulla* Caroli IV. Imperatoris A. C. 1355. quâ Milano de Beccharia civi Papiensi, Notarios & Tabelliones creandi, illegitimos Natalibus restituendi, & *Vassallos faciendi quoscunque sponte volentes, Principibus duntaxat, Ducibus, Comitibus, Baronibusque exceptis*, facultatem concedit &c. Hinc *Vassaticum*, fides à *Vasso* Principi præstari solita, idem quod *Hominium*. Item præclarum in prælus facinus: fortè quòd *Vassi* seu *Vassalli* essent viri militares, & iidem, qui postmodùm *Milites* simpliciter dicti. Quam in rem vide plura, apud Car. du Fresne, *Glossar.* It. *Vavassor*, de quo infrà.

VASTA Porta, sontibus data, apud Inferos, memoratur Silio Ital. *l.* 13. *v.* 543. convenienter ei, quod in Historia Euangel. hanc in rem legimus, Matth. *c.* 7. *v.* 13. Noxiorum namque majorem numerum ubique, quàm piorum esse, Ethnici quoque agnovêre. Statius, *l.* 4. *Theb. v.* 484.

> ——— *contrà per crimina functis*
> *Qui plures Erebo* ———

Ad imitationem Virgilii, *l.* 6. *Æn. v.* 613. ubi de locis Inferorum,

> ——— *Quæ maxima turba est,*
> *Inclusi pœnam expectant* &c.

Vastum nempe latum est, sed denudatum propriè cultu omni. Unde *vastum*, apud medii ævi Scriptores de agris, qui non excoluntur: & apud Jureconsultos Anglos vox hæc jungitur cum anno & die, diciturque *Annus, dies & vastum*, quæ quidem verba jus designant *vastum* faciendi in prædiis Felonum, ut videre est apud Stanfordium, *in Placit. Coronæ*, *l.* 3. *c.* 30. & suprà, voce *Condemnare*. Hinc *vastare*, communiter populari & vacuefacere. Item occidere, & quidem non unum aliquem, sed turbam. Unde *vastator ferarum Amycus*, apud Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 771. 772. & de castris Rhesi idem, *l.* 1. *v.* 474.

> ——— *primò quæ prodita somnô*
> *Tydides multa vastabat cæde cruentus.*

A' quo communi notoque usu, in interiorem bonumque, transtulit vocem, Papinius Statius, *l.* 4. *Theb. v.* 157. ubi de Hercule,

> ——— *vastataque monstris*
> *Omnia* ———

Hîc enim vox *liberare* significat: Uti *vastata feris lustra* leguntur, apud Val. Flaccum, *l.* 1. *v.* 489. videl. liberata noxiis earum deprædationibus,

> ——— *haud aliter saltus, vastataque pernix*
> *Venator cùm lustra fugit, dominoque timentem*
> *Urget equum, teneras complexus pectore tigres.*

Nec abludit Maro, egregium venatorem *vastatorem ferarum* indigitans, ut vidimus &c. Vide Casp. Barthium, *Animadversion. ad Statium*, *d. l.* uti *de Anno & Vasto*, parte prærogativæ in Anglia regiæ retro memoratæ, suprà quoque in *Annus & Dies*.

VASTALLA, oppid. cum titulo Ducatus ad Padi ripam. Vide *Guardastallum*, seu *Guardastallum*.

VASTENA, urbs Sueciæ, Vide *Vadstena*.

VASTHI, uxor Ahasveri Regis, Esth. *c.* 1. *v.* 9.

VASTINIUM, vulgò LE GASTINOIS, an à rupibus & locis sabulosis, quæ incolis *Gastines*? tractus Insulæ Franciæ, versùs Belsiam, juxta Lupiam fluv. ubi Montargium, Milliacum, Nemursium & Moretum, &c. sed ejus limites periêre. Vide Guil. Morinum & Rouilardum, *Hist. de Melum & d'Hurepoix*.

VASTINNUM, vulgò VATAN, locus Galliæ in Biturigibus Cubis, Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

VATABLUS Franciscus, Ambianus, trium linguarum peritissimus, regius linguæ Hebrææ Parisiis Professor. Ejus extant *Annotationes in sacra Biblia*, & *Scholia*. Hunc Hebræi ipsi admirati sunt, Christiani verò maximo cum fructu docentem audiverunt. Pigritiæ arguitur à Thuano, *Histor.* Obiit A. C. 1546. Gualter. *ex Genebrardo*. A. C. 1547. *ex Thuan.* Mon. lit. Vide & *Franciscus*.

VATASTICA, insula in fluvio Rheno, finitima Batavis & Frisiis, quæ est Diœcesis Trajectensis.

VATERFORDIA, urbs Momoniæ, caput Comitatus cognominis qui inter Lageniam ad Ortum, Oceanum ad Meridiem, Corcagiam Comitatum ad Occasum & Tipperariensem Comitatum ad Boream præcipua totius Hiberniæ post Dublinium, in ipso limite Lageniæ, ad Suirium fluv. cum portu capaci, licet 8. mill. pass. distet ab ora littorali 15. à Vexfordia in Occasum. Vulgò *Waterford*.

VATERNUS, fluvius. Vide *Vatrenus*.

VATES, apud Poëtam,

— novit

——— *novit namque omnia* Vates,
Quæ sint, quæ fuerant & quæ ventura trahantur;

ex Græco φάτης, quod ab Hebr. נבא, i. e. *prædixit*: an κατ' ἀντίφρασιν, à Latino *fari*, quod etiam ἀφθεγγόμενον est; unde *fatum* & *fatuus*, idem quod *Vates* primitus. Justinus, *l.* 43. *c.* 1. *Fauno fuit uxor nomine Fatua, quæ assiduè divinô Spiritu impleta, velut per furorem futura præmonebat.* Dicitur, qui fatidicô plenus spiritu futura prædicebat, magnâ olim apud Gentiles in veneratione; apud quos non desiit Simia Dei suos Ὑποφήτας excitare, æmulatione aliquâ verorum Dei in Israële Prophetarum, ut hôc pactô auctoritatem suis sacerrimis sacris, in illa seculi caligine, conciliaret, Dominique sui Regnum, quà potc, iret imminutum. Hinc & furor quæsitus, ad ἔκστασιν Prophetarum simulandam, de quo quædam diximus suprà: & vestes sacræ sumptæ, inter quas *vitta* eminebat, & *alba tunica*, quô ornatu instructi incedebant *Vates*, etiam in procinctu, etiam armati. Val. Flaccus, *Argonaut. l.* 1. *v.* 383.

Hic Vatis Phœbique fides, non vana Parentis
Mopsus: Puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes; vittataque frontem
Cassis, & in summo laurus Phœbeia cono.

Vide de *Vittis* infrà, & de *albo Vatum habitu*, egregia quædam apud Casp. Barthium, *Animadversion. Papinianis l.* 6. *Theb. v.* 330. Sed & *laurus* illis præcipua, quam gestabant & admordebant, vaticinandi scientiam callere desiderantes, unde Δαφνηφάγοι *Vates*: quâ itidem coronabantur, ut & Poëtæ, ad quos appellatio extensa. Vide suprà. Et quidem, ut alia *Vatum* ministeria prætercam, priscis mos erat, ut *Vates* aciem præcederet, laurô coronatus ac facem manu gestans, Πυρφόρος inde dictus: à quo quia belli vim utrinque, tanquam à viro sacro, abstinerent, veriverbiô vulgari, *Ne quidem ignifero parcitum*, ingentem ac internecinam stragem indigitare solebant Veteres, uti suprà diximus locô non unô. Responsa illorum *oracula* dicebantur, cùm illis, qui non ex divino instinctu, sed temerè futura prædicebant, tantùm præsagia tribuerentur &c. Vide quoque infrà voce *Vera*. De *mendicantium Vatum* apud Veteres ordinibus, vide aliquid suprà voce *Metragyrta*. In specie, *Vates*, unum erat ex tribus Saliatus muneribus, apud Romanos, memoratis Jul Capitolino *in Marco*, *c.* 4. *Fuit in eo Sacerdotio & Præsul &* Vates *& Magister*. Ubi Salmasio Præsul præsaltor est, qui præsaltabat; Magister, ὁ ἔξαρχος, qui inaugurandi & exaugurandi habebat potestatem; at *Vates*, ὁ ὑμνῳδὸς, qui carmen Saliare canebat, aut saltem præcinebat, *Not. ad l.* Sed & retenta in Christianismo vox, de Episcopo, ut videre est in *Tumulo* Joannis II. Pontific. apud Baronium *A.* C. 535. apud Rabanum Abbat. Fuld. Browero laudatum *in Antiq. Fuldens.* Amalarium Episcop. *Epist. ad Hieremiam Archiep. Senonensem*, Alios. Hinc *Vatica* seu Bellonaria herba, de qua suprà, ubi & de *Halicacabi radice*, vaticinaturis sumta; sicut Ægyræ Sacerdos idem factura, taurinum sanguinem hauriebat: *Vaticini Libri*, de quibus Livius passim vide vel *l.* 25. *c.* 1. &c.

VATIA, seu VACIUS, Græcè βλαισὸς, aliter *Valgus*, dicitur, qui, pedes in rectis aut parallelis lineis neutiquam ponens, introrsum eos convertit, sicut *varus*, de quo suprà, extrorsum. Quod vitium in infantibus solicitè corrigi vult Varro, *de L. L. l.* 8. *Quum idem faciat, ac si quis puerorum per delicias pedes malè ponere atque imitari vatias cœperit, hos corrigi oportere concedant. contrà si in consuetudine ambulandi jam factus sit* vatia, *aut compernis, hi eum corrigi non concedant.* Pueri autem imitantes hujusmodi homines, calces multum invicem distantes collocant, & digitos pedum totos introrsum flectunt, ut penè sese tangant: literam V. inversam exprimentes, contrà quàm vari faciunt. Tales enim *Vatiæ*, uti docet Martialis jocus, *l.* 2. *Epigr.* 35.

Cùm sint crura tibi, simulant quæ cornua Lunæ,
In Rhytio poteras, Marce, lavare pedes:

de quo vide suprà, voce *Rhytium*. Iidem, cùm extrorsum crura incurvent & suras habeant in diversum patentes, genua propiùs jungunt, adeoque ut plurimùm & compernes sunt, *Scambi* quoque Latinis, & σκαμβοὶ Græcis, appellati: Cujusmodi pedes habuisse Adjabenos plerumque, qui & Σακκόποδες Straboni, *l.* 10. conjicit Salmasius: qui Ἀδιαβηνοὶ putat dictos, quasi τὸ διαβαίνειν impotes, qui minimè possent divaricare crura ad ambulandum, & Σακκόποδες, quòd hôc pactô quasi intra saccum ambos pedes coërcitos haberent. Quemadmodùm veteres Statuarii simulachra faciebant, indiscretis cruribus pedibusque, usque ad Dædalum, qui primus ea διαβεβηκότα fecisse traditur. Hinc *vatiæ* cucurbitæ dictæ *Isidoro, trichilia, ubi pendent vatiæ*; quòd more *vatiarum* incurvæ essent & obtortæ. Columella, *l.* 10. *v.* 378.

Tum modò dependens trichili, modò more chelydri
Sole sub æstivo gelidas per graminis umbras
Intortus cucumis &c.

Vide Salmas. *ad Spartian. Adriano*, *c.* 10. & *Solin.* ad *p.* 944. & 949. Addo hoc unum, in Sacerdote, item agno aut hœdo mactando, quem Legislator *integrum, masculum & anniculum* jubet esse, Exodi *c.* 12. *v.* 5. Hebræos quinquaginta vitia commentos esse, propter quæ nec offerre potuerit Sacerdos, nec offerri victima, in quibus hoc etiam, si pedes habeat מגולמות *constrictos*, ubi *vaciumne* velint, aut *compernem*, dubitat Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 50. Vide quoque suprà voce *Varus*, it. aliquid verbô *Prævaricari*.

VATICANUM, promontor. Brutiorum, in ora Calabriæ ulterioris apud Joppolim oppid. ubi sinus Hipponiates terminatur. *Vaticano*, vel *Baticano* vulgò.

VATICANUS, vide *Publius*.

VATICANUS, vulgò IL VATICANO, collis non procul à Tiberi, supra molem Adriani, contermmus Janiculo, vinum quidem satis copiosum gignens, sed parum laudatum. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 19. *v.* 1.

Quid te, Tucca, juvat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis;

Ejus meminit Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 344.

Et Vaticana fragiles de monte patellas.

Sic à *vaticiniis*, quæ ibi fiebant, dictus fuit, teste Gelliô, *l.* 16. *c.* 17. quem sis consule. Sextus Pompejus scribit, eum sic appellatum esse, quòd eô potitus sit populus Roman. vatum responsò, expulsis Hetruscis. Alii malunt ejus appellationem arcessere à *Vaticano*, vel *Vagitano* Deo. Olim habitatus non fuit, habuitque vetustissimam ilicem, de qua Plin. *l.* 16. *c.* 44. *Vetustior urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis, religione arborem jam tunc dignam fuisse significat.* Nobilis quondam fuit Scipionis sepulchrô, nunc verò clarus est, cùm propter alia, tum propter celeberrimam totius orbis Bibliothecam Vaticanam. Antepenultimam syllabam corripuit Horat. *l.* 1. *Carm.* Od. 20. *v.* 7.

——— *Simul & jocosa*
Redderet laudes tibi Vaticani
Collis imago.

Hîc S. Petri Basilica, & Palatium Pontificis.

VATICANUS Deus, apud Romanos: qui Infantum præesse *vagitibus* credebatur. Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 4. *c.* 11. *Ipse in vagitu os aperiat, & vocetur Deus Vaticanus.* Sic enim ibi cum antiquissimis libris legendum, non ut vulgò, *Vagitanus*. Quemadmodùm & *dictô librô*, *c.* 8. *Aut Vaticano, qui infantum vagitibus præsidet.* Vide A. Gellium, *l.* 16. *c.* 17. *Quæ ratio vocabuli sit agri Vaticani* cum Jac. Oiselii JCti *Notis*. De *Vaticana* verò *Basilica*, quam *omnium Ecclesiarum caput* vocat Lucius III. *Ep.* quamque omnibus reliquis Urbis Basilicis prælatam voluit Innocentius III. in *Bullar.* Casin. *Tom. II. Constitut.* 234. de dedicatione inprimis ejus Novembri mense olim fieri solita, & ornamentis, habes non pauca apud Dominic. Macrum, *Hierolex.* uti de *Bibliotheca Vaticana* apud Jac. Sponium, *Itiner. Part.* 1. *p.* 39. & *seqq.*

VATICINATRIX Machina, seu Statua, in *Musæo* Kircheriano, vide suprà *Divinatrix*: plura autem de *Vaticiniis Veter.* hîc passim ubi de *Auguriis, Auspiciis, Oraculis, Prophetis, Sibyllis* &c. ut & in voce *Vates*.

VATILLUM, quod aliis *Batillum* minùs rectè, uti docet vetus Horatii Interpres, qui *Vatillum diminutivum ait esse a vase, quasi vas parvum, in quo odores incendebantur.* Græcis ἄμη, quæ vox cum duas res significaret apud illos, & instrumentum fossorium, cui simile est, & illud, quod ad ignem paratum est: posteà ut distinguerent ἄμην, quæ ad ignem ministrat, ab illa ἄμη, quæ fodiendi instrumentum est; illam πυράμην vocaverunt, h. e. ἄμην πυρὸς, vel ἀπὸ τοῦ πυρός, hanc verò nomen siverunt habere, quod prius. Donec lapsu temporis πυράμην etiam appellare cœperunt illud instrumentum, quod propriè ἄμη dicebatur, nec igni serviebat, sed fodiendæ terræ erat aptum, quodque ὄρυγα Græci, Latini *sarculum* aut *ligonem*, item *upupam* vel *opopam*, vocavêre. Idem fermè voci *Vatillum* accidit. Videntur enim Latini Græcos in eo imitati, ut voce hâc non solùm denotent id, quod igni servit, instrumentum, sed etiam aliud genus, quô colligitur stercus aut tollitur, uti discimus ex Varrone, *l.* 3. *c.* 6. in quo loco *Vatillum* non est focarium instrumentum, sed aliud, quam *palam* vulgò vocitant Galli, sive ferrea sit, sive lignea, tollendo colligendoque stercori, & alii rei cuilibet, apta &c. Quam in rem vide plura apud Salmas. *Not. ad Claudium Trebellii Poll. c.* 14. Alia ab hac *focaria* & *fossoria hama*, seu potiùs *ama*, est, cujus in restinguendis olim incendiis usus, de qua diximus aliquid retro. Vide quoque suprà, voce *Batillum*.

VATINIA Lex, à P. Vatiniô Tribuno plebis C. Juliô Cæsare, M. Calpurniô Bibulô Consulib. An. Urb. Cond. 694. lata, voluit, *ut C. Cæsari Gallia Cisalpina cum Illyrico, in quinquennium, sine Senatus decreto, & extra sortem mandaretur: ut ii, quos in lege nominabat, Legati sine Senatus decreto cum Cæsare proficiscerentur: ut eidem pecunia ex ærario attribueretur: ut idem coloniam Novocomum deduceret.* Sueton. *in Cæsare. c.* 22. 28. Sallustius *in Jugurtha*, Plutarch. *in Vitis*, Cicer. *pro Balbo & Epist. &c.*

VATINIUS, cùm esset dignitati Ciceronis semper adversus, ità posteà prævaluit amicitiâ ejus, ut duobus judiciis publicis ab eo sit defensus. Val. Max. *l.* 4. *c.* 2. *Vatinius* (inquit Seneca *de Constant. Sapient. c.* 17.) *assiduô convitiô depudere didicerat.* In tantum autem odium populi Roman. pervenerat, jam detectis illius vitiis, ut in proverbium cesserit *odium Vatinianum*. Catullus *ad Calvum*, *Epigr.* 14. *v.* 1.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere istô
Odissem te odiô Vatinianô.

VATINIUS, sutor quidam, corpore detortô, qui è calice vili atque deformi vitreo bibit, qui quatuor rostra, instar nasorum protensa, habuit. Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 46.

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor. ———

Hujus meminit Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 34. De illo quoque sic Martialis *l.* 14. *Epigr.* 96.

Vilia

Vilia sutoris calices monumenta Vatini
Accipe, sed nasus longior ille fuit.

Hinc magna vasa, vilia, & lignea, *Vatiniana* dicuntur. Idem Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 3. *v.* 3.

Quæ sulphuratô nolit empta ramentô
Vatiniorum proxeneta fractorum.

Facetiis scurrilibus primò in contumelias assumptus, dein optimi cujusque criminatione gratiam ac pecunias comparavit: edidit gladiatorium munus Beneventi. Tacit. *loc. cit.*

VATRENUS, Plin. *l.* 3. *c.* 16. amnis, qui ex Apennino, supra Florentiolam ortus, Forum Cornelii alluit, ut *Niger* tradit: & in Padum, infra Lucum oppid. inter Ravennam & Argentam 15. mill. pass. influit. *Saterno Leandro.* Martial. *l.* 3. *Epigr.* 67. *v.* 1.

Cessatis pueri, nihilque nôstis,
Vatrenô, Resinâque pigriores.

VATUCA, oppid. Germaniæ inferioris in finib. Eburonum, apud Trajectum superius, inde 2. leuc. in Ortum, *Valkenburg Marliano.* Aliis est *Hertzogenrode* oppid. inter Juliacum & Aquisgranum, qui *Varucam* legendum volunt.

VAVASSOR, vel VALVASOR, vox medii ævi, idem cum *Vassô* notans, unde nomen. Eorum constituit duos ordines Conradus Imperator, in *L. Longob. l.* 3. *tit.* 8. §. 4. *Majorum* scil. & *Minorum.* Sub *Majorum* appellatione complectitur, quos *Barones* alii vocant; sub *Minorum* verò, qui communiter *Vavassores* appellantur, & Baronibus postponuntur, sicut Thayni minores majoribus, de quibus dictum suô locô; vel Milites simpliciter appellati, iis quos *Banneretos* dixêre: quique proin majoribus suberant ratione *tenementi*, & feuda minora, inferiori tantùm jurisdictione gaudentia, possidebant atque cum prædiis, quemadmodum hospites, aliique ascriptitii, vænibant. Vide de utrisque Joh. Seldenum, *de Titulis Honorar. p.* 626. 2. edit. Car. du Fresne, *Glossar.* Alios. Hinc *Valvasini*, de quibus sic Zasius, *l. de Feudis* 2. *tit.* 10. *Is Capitaneus appellatur, qui propriè* Valvassor major *appellabatur: qui verò à Capitaneis antiquitùs feudum tenent,* Valvasores *sunt. Qui autem à Valvasoribus* --- Valvasini, *i. e. minores Valvasores appellantur, qui antiquè quidem usu consuetudinem feudi nullam habebant. Valvasore enim sine filio mortuô, feudum, quod Valvasori minori dederat, ad Capitaneum revertebatur. Sed hodie eôdem jure utuntur in Curia Mediolanensi, quô &* Valvasores. Ubi vide Cujacium, cœterosque Interpretes.

VAUDEMONTUM, oppid. Lotharingiæ, cum titulo Comitatûs olim jam Principatûs, de quo vide voce *Valdemontium.* Et quidem cùm Nicolaus cognomine *Venustus* Dux Lotharingiæ sine prole mascula obiisset. Lotharingia pervenit ad Fridericum *Vaudemonti* Comitem, qui amitam ejus Jolantham in matrimonio habuit: à quo tempore titulus hic à Lotharingiæ Ducibus usurpatus & nonnunquam minoribus filiis concessus occurrit. Sic Carolô Duce, qui obiit A. C. 1608. genitus Franciscus Dux Lotharingiæ, Comes de *Vaudemont*, obiit A. C. 1632. pater Nic. Francisci Lotharingi, cujus filius Carolus est Lotharingiæ Dux hodiernus. Jam verò *Principis Vaudemontii* Carolô Nic. Francisci fratre majore geniti, nota virtus & res gestæ &c.

VAUDI Regio, an à Wandalis dicta? vide in *Wandali.* Vulgò *die Waat*, Gall. *le pays de Vaut*, pars Aventicensis pagi: eô tempore, quô sub Roman. Helvetia fuit, sub Sabaudia habita est. Posteà Sabaudiæ nomen trans lacum recessit, & Burgundiæ minori *Vaudi* regio attributa est, donec iterum Sabaudiæ Comites eam usurpârunt. Tandem restitutâ Helvetiæ libertate, etiam antiqui ejus limites restituti sunt, & regio hæc, sicut ante Jul. Cæsaris tempora, Helvetiæ accenseri cœpit, maximè à quo, seculô præteritô, illam fortiter vindicâssent Bernates, quibus subest: exceptis Præfecturis quibusdam, quæ Friburgensium imperium agnoscunt. Regio est amœnissima, ad Lacum Lemanum sita, vini præstantissimi ferax, numerôque Nobilium inclyta. Pars hic olim Autuatum, secundùm quosdam. Vide Joh. Bapt. Plantinum, *Helv. Ant. & Nov.* Stumpfium, &c. ut & suprà in voce *Vallenses.*

Oppida Vaudi region. præcipua.

Alæ Pennæ, quam & Neapolim ac novam civitatem vocant, ad caput Lemanni.
Bibiscum vel Viviscum aut Viviacum, *Vivay.*
Clarona.
Dina.
Nevidunum *Nyon.*
Lausunum vel Lausodunum hodie Lausanna, caput Comitatus cognominis.

VAUNIA, vel VANNIA, *Ptol.* oppid. Venetiæ, Insubriæ finibus propinquum. Hodie *Lovino* dici putatur. Vide *Vannia.*

VAURIUM, seu VAURUM, urbecula Occitaniæ, ad Acutum fluv. olim in diœcesi Ruthenensi, 6. leuc. à Tolosa, in Ortum, 6. Castrum versùs. In ipso limite tractus Albigensis; Vulgò *Lavaur.* Episcopalis nunc est sub Archiepiscopo Tolosano: Institutus autem hic Episcopatus est, A. C. 1313. à Johanne XXIII. primusque Episcopus ejus Rogerius fuit Armaniacus. Diœcesis 69. Parœcias cum Abbatia Soresena continet. Hîc durante contra Albigenses bellô, Almericus Præfectus, magnæ nobilitatis Vir suspensus, alii minoris notæ 86. securi percussi: Girada, princeps oppidi fœmina, in puteum conjecta atque saxis obruta est. A. C. 1212. Vide Rivetum *in Jesuit. Vap. c.* 16. *ex Girardo du Haillan &c.* Cœterùm *Castrum Vaurum* vocatur Petro, *Histor. Albig. c.* 48. & 49. ubi ait: *Erat autem castrum illud nobilissimum & ampissimum super Agotum fluvium, distans* 5. *leucis à Tolosa.* Gulielmus de Podio Laurentii, *Munitionem castri Vauri* vocat, *Chron. c.* 33. Alluit illud Agotus fluv. *l'Agout*, à Massono, primi ejus nominis ignato, *Acutus* appellatus parùm acutè: minimè enim id nominis fluvio convenit. Et Agotus quidem, multos amnes defert in Tarnem, qui in Garumnam cadit: at *Vaurum* in pago Lauracensi *Lauragez*, positum esse dicitur, & ibi in Monasterio S. Alani, quod Canonicorum erat Regulam B. Augustini sequentium, sedes Episcopalis esse constituta. Loca præcipua in ejus diœcesi contenta, vide hic infrà, & Hadr. Valesf. *Notit. Galliæ, in voce Apamiæ.*

Loca in Diœcesi Vaurensi, in Volcis Tectosagibus, celebriora.

Altus pullus *Haut poul.*
Monslongus *Montlong.*
Podium Laurentii *Puy Laurens.*
Prata *Prades.*
Suricinium Monasterium vetus nobile, *Soresse.*
Vaurum *la Vaur.*
Viterbium *Viterve.*

VAUZELLIUS Matthæus, Vide *Matthæus.*

UBBO Emmius, Chronologus, Historicus, Philologus Groninganus insignis. Scripsit *Historiam Frisiæ, de Republ. Græcorum, varios tractatus Chronologicos.* Obiit A. C. 1625. ætat. 78. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

UBEDA, vulgò UBEDA, urbs Vandalitiæ, in parte ejus Orientali prope confinia Castellæ novæ & fontes Bætis. 5. leuc. Hispan. à Giennio in Boream. Parva est, & sensim deficit.

UBER, Becmanno à *succo*, ὗειν, unde *uligo* ab ὕλη. Aliis ab οὖθαρ & οὔθατα: Nonnullis ab Æolico οὖφαρ, quod communiter οὖθαρ, ut οὖθαρ ἀρούρης, apud Homer. *Il.* 2. *v.* 141. quod *uber glebæ* Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 535. *uber soli* Solinus exponunt. Vide Salmas. *ad hunc p.* 143. 259. & 341. Propriè de bestiis, sicut mammæ de hominibus. Horat. *Epod. Od.* 8. *v.* 7.

——— *mamma putres,*
Equina quales ubera.

Quæ tamen non rarò confunduntur: imo *mammarum ubera*, conjunctim de fœminis dixit A. Gellius, *l.* 12. *c.* 1. ubi tamen per *ubera* papillas intelligit Thysius, *Not. ad loc.* Sunt ea in pectore muliebri, gemina, eaque simul ornatui ac usui. Cantic. *c.* 4. *v.* 5. *Duo ubera tua sunt ut capreæ hinnuli duo gemini.* Ubi cum geminis hinnulis Sponsæ mammæ comparantur, quia non nisi geminæ protuberant, unde est quòd in *Frivolaria* Plautus *sororiantes* nominavit. Et tam sunt inter se similes, quàm esse solent hinnuli duo gemini. Quanquàm fortè probabilius, non tota *Ubera*, sed papillas solùm seu *mammarum ubera*, ut Gellium appellare vidimus, cum hinnulis hîc conferri. Neque enim hinnulis absolutè comparantur, sed *hinnulis duobus geminis, qui pascuntur inter lilia.* Nempe in rustico dramate à rebus, quæ ruri sunt, similitudines sumi oportuit. Et in his areolæ, aut agri partes, liliis consitæ, mammas Virginum utcunque exprimunt, candore scil. ac tumore suô. In quibus liliis si pascantur ξυθαὶ νεβρίδες, *rufi hinnuli*, duo gemini & prorsus similes, eminus aspicientibus, tanquàm papillæ in uberibus, apparebunt. Vide *ad hunc Cantici locum* plura, apud Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 24. Præter candorem verò & æqualitatem, alia uberum dos, indigitatur Alano *in Anticlaudiano,*

Poma mamillarum modicô suspensa tumore
Nulla mollitie dependent fracta ---

Cujusmodi papillas ἐρθίας vocat Galenus, *de Simplic. l.* 6. ἀθλιβέας Nonnus, *Dionysiac. l.* 9. *stantia pectora*, Statius, *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 270. *Epithal. Stellæ & Violant, impressa ubera*, i. e. non pressa, Propert. *l.* 2. *El. ult. v.* 70. illibatæ virginitatis signum: (quibus opponuntur *papillæ jacentes*, apud Plin. *l.* 3. *Ep.* 6. *inclinatæ*, apud Propert. *l.* 2. *El.* 15 *v.* 21. *ubera subacta*, & *fracta mammæ*, Ezech. *c.* 23. *v.* 3.) Atque hic nativus uberum decor; quô non contentæ, *quibus mammarum ubera, quasi quosdam nævulos venustiores, non liberûm alendorum, sed ornandi pectoris* solùm *causâ Naturam dedisse sibi*, persuasum est, uti Gellius *d. l.* inquit: ascititiô insuper gaudent. Quales Agathyrsorum, Gelonorum, Pictorum, Virgines, quæ mammas coloribus ingeniosè pingere solebant. Aliæ, quæ easdem unguentô irrorabant, quod *Phœnicinum* dictum, notat Delrius *ad Justinum*, *l.* 9. *c.* 4. Aut etiam deaurabant. Uti in cella meretricia Messalina, apud Satyricum, *Sat.* 6. *v.* 123.

——— *nuda papillis*
Constitit auratis. ———

Sed luxuriosarum ista. Modestiùs aliæ pectoralibus fasciis eas involvebant, Homero passim, & in Sacris, memoratis, de quibus vide suprà voce *Fascia*, item *Strophium*, alibique passim: non nisi in usum, ad quem divinitus datæ sunt, promendas. Indigitat eum Plut. *de liberor. Educ. Ipsa Natura docet mulieribus lactandam atque alendam esse suam prolem: ideo enim cuivis animali parienti alimentum lactis suppeditavit: planèque sapiens est providentia, quæ gemina mulieribus ubera dedit; ut, etsi gemellos parerent, uterque haberet alimenti sui fontem*; de quorum proin. mirabili cum utero societate & vi γαλακτοποιητικῇ, vide egregia apud Hippocratem, *de Nat. Puer.* Eôdem spectat, quòd *strophium mammarum virginale matris, purpura tinctum,* fasciæ,

fasciæ, quâ infans cunis alligaretur, vicem olim præstitisse, notat Thom. Bartholinus, *de Puerperio Veter.* Sed & nudabantur *ubera* non rarò à matribus, etiam effœtis & seniô confectis, cùm hostium imminente metu filios ad fortiter rem gerendam hôc pactô excitare: etiam ab aliis, cum Judicum severitatem deprecari, hominumque misericordiam teneritati suæ conciliare, nitebantur, ut ex Historiis notum. Ad planctum insuper, & funereos ritus, de quibus suprà non unô locô. Addo hîc saltem locum Artemidori *l.* 1. *c.* 43. ubi de mulieribus in luctu *liberos* plangentibus fœdantibusque, *Αὐτοῖς γὰρ ἐν πένθει καὶ τοὺς μαζοὺς λωβῶντ.* Quod *λωβᾶσθαι τοὺς μαζοὺς* sic egregiè Zeno Veron. exprimit *l. de Contin. Tunc non illa es, quæ mariti corpus expositum lavisti lachrymis; ---- scissu genis, livore fœdatis uberibus: fordidô plus pulvere tecta, quàm veste?* Neque tamen *Sanctissimo huic corporis fonti & generis humani educatori*, uti graviter Gellius iterum, Tyrannorum semper pepercit crudelitas, quos non rarò fœminis virginibusque *ubera* limare ferrô, forcipibus evellere, canibus devoranda objicere, imò ipsa in escam convertere, ludum duxisse, ex Martyrum monumentis discimus. Vide Anton. Gallonium, *de SS. Martyrum Cruciatibus*, & plura hanc in rem suprà, ubi de vocibus huc pertinentibus, ut & in voce *Myrtus*, ac *Tympanum*, ubi de mamillarum quoque ornatu aliquid.

UBERLINGA, vulgò UBERLINGEN, urbs Sueviæ, Imperialis, in intimo recessu lacus Constantiæ, versùs Boream. Anteà munita, & pluries capta ultimô bellô Germanicô; 6. milliar. German. à Scaphusia in Ortum, 2. à Constantia in Boream. Sedes quondam Sueviæ Ducum, quorum familiâ extinctâ Imperio accessit. Olim Leonem in insignibus habuit, ob Ducum sedem: è quibus Gonzo nummos cudit, in quibus Leonis icon: nudus ensis ejus unguibus insertus posteà, ob fidelem operam Imperio, bellô inprimis Rusticanô, A.C. 1525. præstitam. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 56.

UBI tu Cajus, ibi Caja, formula in nuptiis olim, apud Romanos, usitata, quam illos, qui nubentem introducerent in domum mariti, Sponso suggessisse, refert Plut. *ἐν Αἰτίοις*: Erasmus explicat, *Ubi tu dominus, ego domina.* Idem *In Problem.* clamare altâ voce solitam refert mulierem, *Cai Cæcili*: virô vicissim inclamante, *Caja Cæcilia*: quod & Quintilianus confirmat, *l.* 1. *c.* 13. Nomen itaque *Cajæ* fuit proprium, cùm nubens in domum Mariti ducebatur, neque aliud illa tum usurpabat: & *Caji* Sponsi: sic ut, quemadmodùm dicitur *l.* 2. & 3. *ff. de Sponsal.* primò Virgo *sperata* diceretur; cùm conventa esset conditio, *pacta*; ubi interpositæ stipulationes, *sponsa*: tandem cùm domum duceretur, *Caja.* Vide Anton. Thysium, JCtum, *Notis in A. Gellium*, *l.* 4. *c.* 4. Dempsterus, postquàm solemnis esset interposita stipulatio, & ad illam responderetur, dandam quæ petebatur in Uxorem; in hac responsione illum *Cajum*, illam *Cajam*, vocari consuevisse, tradit, *Paralipom. ad Rosin. l.* 5. *c.* 37. Cùm verò tribus modis justa haberentur conjugia, *Usu*, *Confarreatione* & *Coëmptione* (quibus quidam quartum, *Sortitionem*, addunt) non nisi in conjugio per Coëmtionem, hic ritus obtinebat; quemadmodùm & hôc solùm modô ducta Uxor *Materfamilias* dicebatur. Originem innuit Auctor *Epitomes*, quæ Valerio Max. vulgò tribuitur, *l.* 10. *ext.* *Cæterùm Caja usu super omnes celebrata est. Fertur enim, Cajam Cæciliam, Tarquinii Prisci Regis Uxorem, optimam lanificam fuisse. Et ideo institutum fuit, ut novæ Nuptæ ante januam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Cajas se esse dicerent.* Eadem nempe hæc Caja cum Tanaquile fuit, quæ quòd uxor fuisset bona ac frugi conjugiumque ejus cum Prisco fortunatissimum, boni ominis gratiâ illius nomen in nuptiali contractu usurpari consuevit. Plin. *Histor. Natur. l.* 8. *c.* 48. *Lanam cum colo & fuso Tanaquil, quæ eadem Cæcilia vocata est, in templo Sanzi durâsse, prodente se, Auctor est M. Varro: factamque ab ea Togam regiam undulatam, in æde Fortunæ, quâ Servius Tullius fuerat usus. Inde factum, ut nubentes Virgines comitaretur colus comta, cum fuso & stamine.* Vide quoque suprà, in voce *Caja.*

UBII, populi Germaniæ inferioris versùs Rhenum, qui & Agrippinenses, quorum extat adhuc pagus *Ubich* in territorio Juliacensi, teste *Ortelió.* Quasi Uvii, i.e. Ripenses. Vel à Germanico *Uber*, quod transitum notat. Horum præcipuæ Urbes, Colonia Agrippina & Ara Ubiorum. Ibi populi *Sunici* anteà, nunc Archiepiscopatus & Ducatus Juliacensis. Eorum mentio *Itiner. l.* 6.

Post Ubios tandem Trevirum succedimus urbi.

Vide Rhenanum, *Rerum Germ. Nov. Antiqu. l.* 1. *tit. Germania* II. & tit. *Ubii trans Rhenum*: nec non *l.* 3. *tit. Ubii*, cum *Notis* Cl. Ottopis JCti, *p.* 72. 111. 628.

UBIQUITATIS dogma à Joh. Brentio cusum est, A.C. 1560. postquàm vivente Melanchthone tantùm de eo mussitatum esset, docente hôc: *doctrinam de omnipræsentia corporis Christi, meram esse naturarum confusionem Eutychianam, cui se adversaturum, quoad vixerit. Συνεργοὶ* Brentii Jac. Andreæ, & Matthias Flacius fuêre, *Corpus Christi omnibus in locis, cantharo, sacco, avena &c.* esse dictitantes: quod Academiæ, Wittenbergensis & Lipsiensis, præter alias Ecclesias quamplurimas, acriter oppugnârunt. Mox in Palatinatu controversiæ ortæ, de orali manducatione corporis Christi in S. Cœna: cui malo ut occurreret Fridericus III. Elector, Catechesin Heidelbergensem conscribi jussit. Dein colloquiô Maulbrunensi, A. C. 1564. de sensu verborum S. Cœnæ & Ubiquitate disceptatum. Porro Aldeburgi colloquium, cui Joh. Wilhelmus Saxo præfuerat, convocatum, & A.C. 1568. sed cùm Wittebergenses consensum inter Lutherum & Melanchthonem, in doctrina, vita & morte fuisse contenderent, negarent autem Flaciani, re infectâ discessum est. Convocatus dein Dresdæ conventus, conscriptusque consensus Dresdensis, quem cùm Jenenses Theologi carperent, Torgæ cœtu coactô, Formula Concordiæ conscripta, & ad ejus subscriptionem Theologi adacti. Hinc vincula quibusdam, exilium nonnullis irrogatum. Tandem A. C. 1577. in Bergensi Monasterio à sex Ubiquitatis Patronis Smidelino, Musculo, Selneccero, Chemnitio, Chytræo, Cornero Formula promulgata, & Ubiquitatis dogma sancitum est. Vide in voce *Concordia.* Nec tamen inter omnes, qui hodie à Luthero denominari amant, hic consensus est, quibusdam, inter quos Sueci Theologi, Christi corpus etiam in statu humiliationis ubique fuisse asserentibus, aliis demum id post ascensionem factum esse docentibus. Vide Hospin. *in Præf. ad lib. Concord.* Zach. Ursinum, *in Colloq. Maulbrun.* Chytræum, *in Saxon. ad A.* C. 1568. Hospinianum præfatum, passim *in lib. Concordiæ, &c.* Adde Georg. Hornium, qui dogmatis hujus primum auctorem facit Joh. Westphalum Pastorem Hamburgensem A. C. 1552. cui dein Brentius, præcipuus ejus promotor librô *de Unione Personali & de Majestate Christi*, Joh. Wigandus, Flacius Illyric. L. Osiander, Jac. Andreæ Schmidlinus, succenturiati, *Historiâ Eccl. Novi Testam. Periodô III. Artic.* 1. §. *ult.* Vide etiam aliquid suprà; voce *Philippistæ.*

UBIL, nomen viri. 1. Paral. c. 27. v. 30. Latinè *adductus*, *portatus*, *luctuosus*, vel *veterascens.*

UBISCI, vide *Vibisci.*

UCALEGON, unus ex Trojanis Proceribus, qui belli tempore, quòd annis confectus esset, prælió abstinuit, ut refert Homer. *Il.* 13. Idem de bello & Antenore *Il.* γ. v. 148.

> Οὐκαλέγων τε καὶ Ἀντήνωρ, πεπνυμένω ἄμφω,
> Εἵατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσι,
> Γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι, ἀλλ' ἀγορηταὶ
> Ἐσθλοί, τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ' ὕλην,
> Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι, ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

Virg. *l.* 2. *Æn.* v. 312.

> ——— *Jam proximus ardet Ucalegon.*

Id est; Ucalegonis domus. Inde Juvenalis, *Sat.* 3. v. 199.

> *Vivendum est illic ubi nulla incendia, nulli*
> *Noctis metus, jam poscit aquam, jam frivola transfert*
> *Ucalegon, tabulata tibi jam tertia fumant.*

Ubi ponitur pro cive quovis.

UCETIA, vulgò UZEZ, urbs est Galliæ Narbonensis, in Occitania inferiori, Episcopalis sub Archiepiscopo Narbonensi, & Ducatus titulô insignita. 4. leuc. distat à Nemauso in Boream, & 6. ferè ab Avenione in Occasum, *Greg. Turonens. Baudrandus* &c. Vide quoque *Vindomagus* & *Utica.*

UCHOREUS, Græcè *Οὐχορεὺς* apud Diodor. Sic. *l.* 1. Ægypti Rex, Memphim condidisse dicitur, sicut Thebas Busiris. Sed neutrum rectè. *Οὐχορεὺς* enim Rex vix alibi occurrit, nisi forsan Regem XII. *Achoreum* hinc mutuatus fuerit Syncellus, Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec. III.* ubi de *Herodoti Chronologia*: de Busiride suprà egimus.

UCIO, locus Galliæ, in Arvernis, vulgò *Usson*, vel *Usson les Nonettes*, quia ibi monasterium Virginum, In Comitatu Brivatensi, non totas 4. leuc. à Brivate in monte, prope Celsinanias. Aliis *Uxo.* Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

UCRAINA, Gall. L'UKRAINE, provincia Poloniæ, quæ sic dicitur tanquàm posita in limite Moscoviæ & Tartariæ minoris. Vocatur aliter *Volhinia inferior* seu Palatinatus Kioviensis, ab ejus urbe primaria Kiovia, & Braczlaviensis; ac in duas partes scinditur Borysthene fluviô. Habitant in eo tractu Cosacci populi, vide infrà, à quibus pluries vastata fuit hæc provincia, uti & à Moscis, qui nunc ejus partem possident. Ibi erant aliàs campi plurimi deserti, qui posterorum Regum insigni studió ac curâ & hominibus & pagis impleti, & multis oppidis ac castellis munitionibusque muniti sunt: Kioviensis Palatinatus nempe & Braczlaviensis, ambo magnâ hominum multitudine repleti, hodiernô tempore cultissimi inveniuntur. Cosacci autem illi, quorum suprà mentio facta, non sunt gens aliqua, propriis terrarum terminis vel Reipubl. statu propriô consistens, sed tantum species una ex genere militiæ Polonicæ, tanquam militia celerum, seu velitum, seu levis armaturæ: à *Kosa* Latin. capra, cujus agilitatem & inaccessa adeundi curiositatem imitantur, dicti. Oriundi sunt ex omnibus provinciis Polonicis, iique qui societatem Cosacam Zaporohianam repræsentant, maximè ex provinciis Russicis Chersoneso Tauricæ viciniorbus prodeunt, *Zaporohiani* appellati, quòd in insulis Borysthenis *Zaporohi* militiæ vacent, ibique transitus Tauricanorum Tartarorum obsideant. Ipsum Pontum Euxinum invasionibus infestum reddentes, Turcis etiam formidabiles sunt: nec Turca sine gravibus querelis tulit restitutum ab illis A.C. 1625. Chamum Tartarorum, eundemque posteà interfectum. Unde & à Polonis coërcendi ac castigandi fuerunt. Stephanus Rex melioribus eos legibus sociavit, & cùm anteà tumultuariè colligi, iterumque pro hibernis per Poloniam ad propria dilabi solerent, ille castrum Techtimirovium cum suo territorio, situm ad ripas Borysthenis, infra Kioviam 20. milliar. German. ipsis attribuit, ubi Consiliorum & Magistratus militaris sedem, armamentarium ac receptaculum bellicorum apparatuum haberent. Post mortem Sigismundi Regis jus suffragii in electione novi Regis & Græcæ religionis immunitatem petiêre, A.C. 1632. Sed prius negatum. Hinc ab anno 1648. auspiciis Bogdani Chmielnicii, operâque Russorum ac Tartarorum adjuti, aliquoties rebellârunt, sed ab obsequium redierunt. De novo fidem Regi A. C. 1659. jurârunt, verùm ad Russos paulo pòst rursus defecerunt, iterum Poloniæ reconciliati A. C. 1660. Sed & eâdem inconstantiâ hactenus subinde turbas dederunt. Vide Thulden. *Histor. l.* 1. Joach. Pastorium, *in narrat. de bello Scythico-Cosacico*, ut & suprà in voce *Cosaci.*

UCRAINA, vulgò UKRAINE, provincia est Moscoviæ, sic dicta quasi limes, quæ posita est in limite Tartariæ minoris seu Precopensis. Extenditur ab Ortu in Occasum; habetque aliquot fortalitia, ad coërcendos Tartarorum incursus.

UCTLANDIA, vide *Aventicum* & *Naithoner*.

UCUBIS, A. Hirt. *de Bell. Hispan. c.* 7. 8. 20. 24. & 27. *Lucubi* adhuc, teste *Andreâ Navagerio*, olim oppidum, nunc pagus Hispaniæ Bæticæ, apud Alcalam Regalem, in regno Granatensi, & Ateguam. Videtur idem Attubi, sed Attubi Plinio, *l.* 3. *c.* 1. & Livio scribitur, ab Aspavia 10. mill. pass. distans.

UCUCA, vel UCOCA, civitas sortis Nephthalim quæ in confinio tribuum Nephthalim & Zabulon, haud procul à tribu Aser, sita est. Jos. *c.* 19. *v.* 30. Hieronym. *de loc. Hebr.*

UCULTINIACUM, Plin. *l.* 3. *c.* 1. Hispaniæ Bæticæ urbs, quæ nunc *Curga* dicitur, inquit Plinius. *Acurgia à Ptolemæo* vocari scribit *Pintianus*; apud quem tamen Curgia legitur.

UDÆUS, Euripi pater, ex progenitoribus Tiresiæ vatis, memoratus Apollodoro, *l.* 1.

de S. UDALRICO Conradus, vide *ibi*.

UDALRICUS, Argentinensis, Dominicanus; floruit A. C. 1280. Discipulus Alberti M. Scripsit in Magistrum Sententiarum &c. Antonius Sen. Trithemius, Bellarm. *de Scriptorib. Eccl.*

UDALRICUS, vide *Ulricus*.

UDENHEMIUM, oppid. Germaniæ ad Rhenum munitissimum, à Georgio Spirensi, fil. Philippi Electoris Palatin. mortui A. C. 1508 conditum, ab Imperatore Gallis ereptum est A. C. 1675. Vide *Philippoburgum*.

UDINI, Plin. *l.* 6. *c.* 13. populi Asiæ in Albania, ad fauces maris Caspii.

UDO, Herulorum Rex, fil. Mistavonis, summus Christianorum osor, Herulos rexit, tandem ab aliquo Saxone transfuga cæsus. Pater Godescalci, qui ante regnum conversus, paternam necem in Saxonibus ultus est: cæterùm cùm apud suos fidem propagare vellet, ipse ejus præco à subditis A. C. 1066. cæsus, duos reliquit filios, Buthuen, à quo Principes Megapolitani & Wandalici orti sunt: & Henricum, cujus posteritas brevi defecit. Fratres verò *Udonis* Ratiborus & Bogislaus Pomeranos Duces fevêre. Vide Phil. Jac. Speneium, *Syll. Geneal. Hist.*

UDO, calceamenti genus, apud Antiquos: quod alii ex lana, Senatores verò, & eorum imitatione Clerici Romani, portabant ex lino. Namque & linum suam calceis olim præbuisse materiam, ostendunt *Udones* inter alia illi, quibus Antoninum Imperatorem cognomine *Philosophum* permultosque alios, ejus exemplô, usos fuisse, refert Herodian. ubi, cùm religiosum illius erga Solem studium, ejusdem sacra & ceremonias, Sacerdotumque & Ministrorum, qui sacris illis operabantur, cultum & ornatum accuratiùs describit, Οὐδῶσι, inquit τοῖς ἐκ λευκοτάτης ὀθόνης περὶ τὰ κάτω μέρη χρῶνται, *Udonibus nempe ex candidissimo linteo ad pedes*; h. e. linteis calceamentis, *utebantur*. Unde discimus, *Udones* illos sic è lino constitisse, ut etiam à voce ὀθόνη, quæ *linteum* & subtile quodcunque velamen significat, appellationem suam desumpserint: ad quam vocem proximè *Udones* accedunt, quô pactô hoc calceorum genus Ulpianus vocat, *l.* 25. §. 4. *D. de aur. & arg. leg.* Quanquam alii, quasi *Hædones*, dictos malint, nonnunquam enim & ex hircorum hædorumque pilis conficiebant, qui *cilicini* proin dicebantur. & de quibus haud dubiè loquitur Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 140.

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti:
Cinyphio poterit planta latere sinu.

Ad quæ verba Ben. Balduinus, *Hic*, inquit, *cilicinos Udones describit, qui calceoli erant ex pilis hircinis caprinisque confecti: Cùm aliàs è lana, aliàs è lino, ad pedum vel calorem vel munditiem confici solerent, Soccis nostris (Chaussons) similes, qui non calceorum ad instar, medió crure tenus extendebantur: sed tantùm eousque ubi tibiæ per conjungitur.* Linteis verò istiusmodi *Udonibus* Romani etiam Pontifices, referente Josephô Stevanô, *lib. de osc. pedum Summi Pontif.* per longa tempora usi sunt; postquàm nimirum iis primùm S. Sylvester, à Constantino M. inter alia ornamenta donatus est (ut in Ecclesia Latina creditur) donec tandem linum illud candidum in sericum purpureum migravit. Vide præfatum Balduinum, *de Calceo Antiquo*, *c.* 4. 16. & 27. Albertus Rubenius, *de Re Vestiar. l.* 2. *c.* 5. ubi de Calceo Senatorio, ad verba donationis Constantinianæ, ὑποδήματα ἢ τοι καμπάγια λευκῷ δι' ὀθόνης, non alba hæc calceamenta, sed candidô linteamine illustrata fuisse, ostendit, additque campagos hos incisos fuisse & πολυσχιδεῖς (ut & olim Sandalia quædam apud Græcos) atque præter hos campagos ita intercisos, habuisse etiam Senatores & Clericos pedules sive *Udones* è lino, qui, transparente per incisuras calceamentorum candidô linteamine, campagos illustraverint. Quod probat ex verbis donationis. *Et sicut noster Senatus calceamentis utitur, cum* Udonibus, *id est, candidô linteamine illustratis.* Facitque huc, quòd *Udones* sive Οὔδωνα, ut viri docti observant, nihil aliud sunt, quàm τὰ πιλητὰ ὑποδήματα τοῖς ποσὶν ὑφάσματα, vide quoque Casaubon. *Notis ad Trebellium.* Salmasius, *Not. ad Æl. Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 40. sic de hoc calceamenti genere: *Quos Græci πίλους, Latini udones vocârunt, quasi cudones, quòd ex lana coactili vel ex pilis in modum lanæ pressis & coactis quasi subcusi essent --- impilia vocat Græcâ voce Plinius --- erantque propriè lanei calcei --- qui intra calceum quidem habebantur, verùm plerumque & ipsi vicem calceamenti præstabant, præcipuè domi & intra cubiculum, calceones eos hodie vocamus --- pedules cucullos & cucullopedones etiam vocatos esse, notabamus suprà, non multùm dissimiles erant soleæ lanatæ, quarum mentio apud Martialem --- At fasciæ pedules --- quibus involvebantur pedes atque integebantur, ad eundem planè modum, quó crura fasciis cruralibus --- Polluci περιελίγματα ποδῶν dicuntur --- Quas autem soleas lanatas Martialis vocat, πιλωτὰ λευκὰ δι' ὀθόνων appellat vulgaris donatio Constantini --- Cæterùm Auctores passim udones & fascias pedules & impilia confundunt, etiam ὀθόνια Græci recentiores --- ovarea & mutinia appellaverunt* &c. Adde & quæ retro dicta de *Impiliis*, item voce Odo, & Soccus, nec non ubi de *Soleis lanatis*.

UDWORNICI, apud Ungaros, unius sessionis Nobiles sunt, de quibus vide Sambucum, & Car. du Fresne, *Glossar.*

VEASCIUM, oppid. Italiæ, à Gallis, relictâ Româ, devastatum. Diodor. Sic. *l.* 14. *fine.* In Etruria fortè. Voti *Vassi* meminit *Æthicus*.

VECA, Plin. *l.* 4. *c.* 20. *Villa Viciosa*, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, in ora Asturum, medium inter Saliam ad Ortum, & Gygiam ad Occasum 9. leucis, portus, & oppidum non ignobile.

VECERUS Conradus, vide *Conradus*.

VECHTA, vulgò VECHT, oppid. munitum Germaniæ in Westphalia & ditione Monasteriensi inferiori, in limite Brunsvicensis ditionis. 10. mill. pass. distat à Diepholtia in Boream, uti 30. ab Osnabruco, Bremam versùs paulò minùs.

VECILIUS, mons Latii circa Algidum oppid. & nemus.

VECKERISTIL Henricus, vide *Henricus*.

VECTATIO Curulis, vide suprà.

VECTICULARI, vide suprà *Furtum*.

VECTIGAL, propriè quod pro *vectura* penditur, à *vehendo*. Namque à Tributis *Vectigalia* in hoc differunt, quòd illa ratione soli possessores pendant; Ista negotiantes, propter usum viæ publicæ: quæ adeò necessaria Cicero judicat, *ut sine iis Imperium retineri non posse*, graviter affirmet. Hinc & Neronis *Vectigalia* omittere statuentis impetum Senatores attinuêre, dissolutionem Imperii docendo, si fructus, quibus Respubl. sustinetur, diminuerentur. Pro quo insigni commodo vicissim hoc oneris Magistratus habet, ut secura teneatur præstare itinera. Unde de Jacobo Marchione Badensi, in cujus elogiis recensendis Æneas Sylvius multus est, legimus, cum, latrocinium ubi in sua ditione commissum cognovit, vocatis qui damnô affecti, tantum è Fisco suo accipere jussisse, quanti fuisse, quæ amiserant, jurejurandô affirmâssent; Simile quid in *Historia Scotica* apud Buchananum reperimus. Inprimis autem dispiciendum, ne nimis vicina & gravia sint *Vectigalia*, neque in res quascunque constituantur. Refert namque Athenæus, cùm olim à Lysimacho in Troade Salinarium *Vectigal* institutum esset, naturâ quasi id refugiente, salinas mox evanuisse, rursusque vectigali remissô produisse. Monent proin Sapientes, peregrinis mercibus non necessariis posse *Vectigalia* imponi majora; parcendum autem, quantum pote, iis quibus vita hominum carere non potest. Quod cùm Delphis in Hollandia Magistratus, frumento, non autem vino, vectigali faciendo, neglexisset; fœminæ, quasi divites sibi, cùm præ aliis vinum bibant, quod magnô sumtu aliunde in regionem importari necesse est, parcerent, iratæ, ædes Tributarias coitione factâ invadentes, fenestris confractis tabulas publicas lacerâsse, similique modô Curiâ & domô Senatoris cujusdam tractatâ, Senatum eò adegisse, ut legem jam latam abrogaverit, leguntur, in A. Thuani, *Supplem. ad A. C.* 1616. A' sordidis inprimis abstinendum, qualia fuêre Caligulæ illa, *qui vectigalia nova atque inaudita exercuit ---- & (inter alia) ex capturis prostitutarum, quantum quaque unô concubitu mereret, exegit*, apud Sueton. *in eo c.* 40. ad quem loc. Vide Casaubonum, qui de veteri hoc malo & probro multarum Rerumpubl. pretio vendendi honestatem publicam, & in specie de Mangonibus catamitorum ac Lenonibus, de Genethliacis ac curiosarum artium Professoribus (quorum hi vectigal βλακενόμιον Alexandriæ pendebant, quâ appellatione stultitia consultoribus Astrologorum exprobrata) deque aliis hujusmodi pretio tolerari solitis, varia congessit. Sed & Vespasianus notatus, quòd *urinæ vectigal commentus esset*, uti docet idem, *c.* 23. *in eo*, quodque alias etiam sordes, ut & fimum equinum, vectigalem fecisset, teste Tzetze, *Chil.* 1. Vide quoque Cedrenum *in Anastasio*, ubi tributum χρυσάργυρον describit, & Casaubon. *ad Sueton. Vespas.* Contrà laudem meritus Alexander Sev. qui non tantùm *Lenonum vectigal & meretricum & exoletorum in sacrum Ærarium inferri vetuit, sumptibusque publicis, ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri & ærarii deputavit* --- sed & *Vectigalia publica in id contraxit, ut qui X. aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem auri, hoc est, tricesimam partem præstarent in posterum*, uti legimus apud Lamprid. *c.* 24. &c. Porrò cùm *Vectigalia* aliis locant Principes, opera danda, ne fœneratoribus ea atque expilatoribus elocent, sicque aliorum in se derivent invidiam. Quô nomine olim graves subditis & exosi fuêre Romani, à quibus vectigalia redimentes Publicani, tantùm non publicum exercuêre, latrocinium. Ducenta millia Talentûm, h. e. CXX. Milliones Asiæ imperârunt Antonius & Dolabella: alterum tantum accrevit fraudibus Publicanorum &c. qua de re dictum pluribus suprà, ubi de *Publicanis*. Eventus, qui *Vectigal* non solutum sequitur, est pœna commissi, quâ fisco acquiruntur ac committuntur res, pro quibus vectigal solutum non est, præeunte sententiâ declaratoriâ: de jure tamen Saxonico pœna commissi in quadruplum vectigal est mutata. Minoribus tamen, militibus, Fisco, Legatis, iisque, qui proprii usus causâ aliquid vehunt, aut qui immunitatem à solvendo per Rescriptum sunt consecuti, ob vectigal non solutum, ne eorum bona in commissum cadant, succurritur. Liberâ Republ. Censores vectigalia fundosque publicos, idque in conspectu Populi Romani, elocâsse Cicero docet, *Orat.* 1. *in Rullum.* De Provinciis Urbibusque *Vectigalibus*, deque *Vectigali* apud Roman. duplici, certo atque incerto, hocque iterum triplici, *Portorio*, *Scriptura* & *Decuma*, vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 22. Car. verò Sigonius, *de Jure Rom. l.* 1. *c.* 16. quod certum erat, *Tributum* seu *stipendium*; quod incertum, *Vectigal* appellat, atque eos qui portoria reciperent, *Portitores*: qui decumas, *Decumanos*: qui scripturas, *Pecuarios* nominatos fuisse, docet,

docet, additque quamprimum portorium solutum esset, merces à Publicanis certo temperatæ calcis genere obsignari consuevisse, quod *Asiaticam cretam* Cicero vocat, Orat. *pro Flacco*. Vide quoque Stadium in Florum, *l.* 1. *c.* 13. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 4. *c.* 4. Alius: & suprà *Titia lex*. Apud Athenienses, Senatus olim Quingentorum, Redemptores *Vectigalium*, qui in publicum non præstitissent, & solvissent, in nervo habebat, ex veteri Lege: [illegible], apud Andocidem, *de Myster*. Nempe Publicani & *Vectigalium* Redemptores apud eos, sicut & apud Romanos, *l.* 9. *ff. de Publican.* prædes dabant, ut nisi intra nonam Prytaniam pecuniam numerâssent, vel iidem ipsi, vel Fidejussores duplum in publicum præstarent, manebantque ignominiosi, donec solvissent: quòd si intra nonam Prytanejam debitum non expunxissent, in vincula conjiciebantur, & duplum præstabant, neque jam integrum erat, Fidejussores dupli offerre, Ulpianus *ad Timocrateam*. Repræsentabant autem *Vectigalium* Redemptores, antequàm vectigalia exigerent, pecuniæ partem aliquam, quæ [illegible] dicebatur, ceteram verò pecuniam, intra nonam Prytanejam, quod [illegible] vocabant, *Suid.* si verò nonam Prytanejam prætereire passi essent, neque præstitissent, quod reliquum erat pecuniæ, in nervo, ut dictum, habebantur, & duplum, quod [illegible] appellabatur, præstabant: ex Lege, [illegible]. Demosth. *in Timocrat.* Quod si Prædes in publicum non præstitissent, bona eorum publicabantur, ex Lege, [illegible], Demosthenes *in Nicostr.* Interim cùm tam severè in Publicanos Vectigaliumque Redemptores, qui in publicum non præstarent, Leges animadverterent, in eiam voluerunt consultum: Nam si qui *Vectigal* non intulerant, improfessæ eorum merces Publicanis cedebant, ut docet *Zenobius*, & alii Parœmiographi, de Leucone quodam rustico, qui cùm mel Athenas asino veheret, hordeum esse mentiebatur. Similiter, Romanorum Legibus, si quis fraudâsset *Vectigal*, rei, quam causâ Vectigalis subripuerat, damno plecti solitum fuisse, diximus, & confirmatur *l.* 8. §. 1. *ff. de Publican.* Plura hanc in rem vide apud Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas*, *l.* 4. *tit. ult.* In Germania, Prussiam *Vectigalium* officinam vocat Joh. Lætus, *Compend. Histor. Univ. ad A. C.* 1655.

VECTILIANÆ Ædes, memoratæ Lampridio *in Commodo*, *c.* 16. *De Palatio ipse ad Cœlium montem*, *in* Vectilianas ædes *migravit*, *negans se Palatio posse dormire*: Victori collocantur in regione secunda sive Cœlimontio. Ibidem Commodum occisum esse, refert. Jul. Capitolin. *in Vita Pertinacis*, *c.* 5.

VECTIS *Ptol.* *Vecta* Eutrop. *l.* 7. *c.* 13. insul. maris Britannici, oræ Australi Angliæ proxima, incolis oppidisque instructissima, contra Trisantonis fluv. ostia, & Antonam oppid. ac emporium celeberrimum. Angl. *the Ile of Wight*, Gallis *l'Isle de Wicht*, à Vitis, seu Jutis, qui ibi sedes cepêre, dicta, vide suprà: ferè Hantoniæ provinc. adjacens, *Baudrando*. Longa est 20. mill. pass. ab Ortu in Occasum, Lata 12. Circuitus 60. circiter. Dividitur in *East-Medyne*, & in *West-Medyne*. Ejus primarium oppid. *Novus portus*, olim *Medena*. Hanc insul. Certicius Saxo, Britonibus victis, occupatam, consobrinis suis Sufæ ac Vigdaro concessit, A. C. 534. Polydor. *Hist. l.* 4. Edelredus dein Angliæ Rex à Suenone Dano, regnô exutus, in hanc Insul. primò, dein in Normanniam se recepit, A. C. 1010. Matth. Monaster. *in Hist. Angl.* Dicta videtur Spelmanno à Gutis seu Jutis, Gothis, ex tribus populis illis protogonis, qui relictâ Germaniâ, Angliam olim applicuerunt, & in Cantio ac Vecta consederunt: *Bedæ Vida*, quasi *Wita*. Saxones enim *Gu* semper in *Wy* mutârunt, dicti, *in Glossar. Archæol.*

VECTIS, Cinyræ inventum, Plin. *l.* 7. *c.* 56. quos *aquifolios*, *laureos*, *ulmeos fieri jubet Cato*, apud eundem *l.* 16. *c.* 43. Cujusmodi *vectem perpetuum* ab Archimede excogitatum facilique negotiô, tenelli pueruli tantùm virtute, 125. libras elevantem, in *Musæo* Kircheriano, describit Georg. de Sepibus, *p.* 3. Vide quoque suprà *Statice*; de *Vectibus* claustrisque, quibus fores olim claudebantur, diximus suprà: de *Serpente vectis* Esa. *c.* 27. *v.* 1. infra dicemus in *Zugana*. Hinc *Vectiarius*, cognomen Neptuni, qui [illegible], Græcis dictus est, quòd, uti Justitiæ Deæ libra, sic ille *vectis*, seu tridentis imagine, esset consecratus. Quò pertinet illud Maronis, *l.* 1. *Æn. v.* 148.

Cymothoe simul & Triton adnixus acuto
Detrudunt naves scopulo: levat ipse tridenti,
Et vastas aperit Syrtes, ac temperat æquor.

Et *Vectiarius*, de qua voce vide suprà ubi de *Vecto*. Aliter vox sumitur in *L.* Angliorum *tit.* 5. §. 7. *Si libero (testiculos evulserit) centum sol. componat, vel jurat, ut superiùs: si vectem similiter.* Pro veretro videl. unde hôc locô, *si virgam absciderit*, habet *Lex* Longob. *l.* 1. *tit.* 7. §. 18. &c.

VECTIUS Bolanus, in locum Trebellii Maximi, in Britanniam missus. Tacit. *l.* 2. *Hist. c.* 65. Vide *Vettius*.

VECTIUS Marcellus, Neronis Imperatoris procurator, cujus prædia ab utraque parte viæ publicæ, scil. prata & oleæ in sedes contrarias transgressa fuêre, quod maximè miraudum est.

VECTIUS Messius, Volscorum Rex, A. M. 3835.

VECTIUS Sabinus, ex familia Ulpiorum, Senator Roman. ut Maximus & Balbinus rerum summæ præficerentur, auctor fuit, teste Jul. Capitolinô in *Vita* horum, *c.* 2. ubi orationem ejus hanc in rem exhibet.

VECTIUS Valens, Medicus. *Titinius* Qu. Sereno Sammonico dictus.

Talia præcepit Titini sententia Vecti.

Fuit autem Messalinæ non solùm Medicus: sed etiam adulter. Vide Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 30. 31. 35. Item Augur, qui visos 12. à Romulo vultures, 12. secula urbis duraturæ interpretatus est, quæ prædictio impleta videtur, à morte Valentiniani III. Imperatoris Occidentalium atque adeò Romæ veteris ultimi: Tum enim Roma à Genserico capta & incensa ac 10. Reges in vetere territorio Romano exorti sunt. Vide Joseph. Medum *de Apostasia noviss. tempor.*

VECTONES, meliùs VETTONES, populi Hispaniæ, in Lusitania, ab Asturibus Duriô amne discreti, Pliniô teste, *l.* 3. *c.* 3. Inter Durium ad Boream & Tagum ad Meridiem, ubi hodie pars Meridionalis regni Legionis, & Borealis Extremaduræ Castellanæ. Eorum urbes fuêre Salmantica, Caurium, Cotta obriga & Deobriga. *Baudrand.* Lucan. *l.* 4. *v.* 9.

Vettonesque leves, profugique à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

VECTONIANUS, vide *Famulanus*.

VECTOR, apud Treb. Pollionem, *in Gallienis*, *c.* 12. *Quum taurum ingentem in arenam misisset, exissetque ad eum feriendum* vector, *neque perductum decies potuisset occidere &c.* vocatur est, sic dictus ex Græco [illegible], quòd opus sit viribus maximis ad hanc rem. Unde Dio, ut probaret Antoninum Philosoph. prosperâ olim usum fuisse valetudine, scribit eum ex equo aliquando feras confecisse. Eadem vox de Vitiatho, occurrit, apud Aur. Victorem *in Viris illustr.* *c.* 71. *Viriathus — primò mercenarius, deinde alacritate* vector, *audacia latro, ad postremum Dux.* Et apud Manilium, *l.* 4.

Ille novas semper pugnas, nova bella ferarum
Apparat, & pecorum spoliô vivitque rapinis.
Hic habet, hoc studium postes ornare superbos
Pellibus, & captas domibus præfigere prædas,
Et pacare metu sylvas & vivere vector.

Nempe *vectionem* pro vigore & robore dicebant, & *vectorem*, de robusto & bene valente, quique magnarum esset virium. Hinc *vectigesse*, pro bene valere, apud Tertullianum, *de Pudic. à quibus observando rectè agetis, vectate vos, vectate vos, [illegible].* Etymon jam attigimus. Vide Salmas. *Not. ad Poll.* d. *l.* Aliàs *vectores* Petronio et [illegible], qui navibus *vehuntur*. Namque & *vehens*, pro eo qui *vehitur*, apud Justinum, *l.* 11. *c.* 7. *Plaustrum, quò vehenti regnum delatum fuerat.* Et *invehens*, pro eo, qui *invehitur*, apud Cicer. *de Natur. Deor. l.* 1. Qualis ille marinus Triton pingitur, natantibus invehens belluis, adjunctis humano corpori. Vide Joh. Frider. Gronov. *Not. ad Livium*, *l.* 2. *c.* 19. Inde *vectoria navicula*, quali post Pharsalicam aciem, *per Hellesponti angustias, trajecisse* Cæsarem mirratur Suetonius, *c.* 63. [illegible] Dioni de eodem factô loquenti &c.

VECTURIUS, opifex ferrarius, Victorinô, Lolliano & Posthumiô interemtis, triduô imperavit, seu potiùs *unâ die factus est Imperator, aliâ die visus est imperare, tertiâ interemtus est*, uti loquitur Trebellius Pollio, *in XXX. Tyrann. c.* 8. qui cum plerisque *Mamurium* dictum esse addit, ipse *Marium* vocat. Vide suprà *Mamurius*.

VEDASTUS, Præsul Atrebatum sanctiss. Chlodovæum instituit, A. C. 500.

VEDELIACUS, Æduus, Cæs. *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 32.

VEDIANTII, Plin. *l.* 3. *c.* 5. populi fuêre Galliæ Narbonens. inter Alpes maritimas ad Ortum, & Varum fluv. ad Occasum, ubi nunc Comitatus Nicæensis: Ptolemæo *Vesdiantii* dicuntur. Caput eorum erat Cemenelenm, ex cujus ruderibus crevit Nicæa, in vicinis, in ora maris Mediterranei, longè à Santitio in Ortum.

VEDIUS Aquila, XIII. Legionis legatus à clade Bedriacensi vallum ingressus, seditiosi militis iræ oblatus, ingens adiit discrimen. Tacit. *l.* 2. *Hist. c.* 44.

VEDIUS Pollio, eques Roman. Augusti amicus, & multùm apud illum potens, murænarum vivariis servos damnatos immergere solebat. Accidit autem aliquando, ut cùm Augustus apud ipsum cœnaret, unus è servis calicem crystallinum frangeret. Ex quo rapi eum ad mortem & murænis objici Vedius jussit. Puer ad Cæsaris pedes fugit, non mortem quidem deprecans, sed ne piscium esca fieret. Ibi motus novitate crudelitatis Cæsar, & puerum dimitti, & crystallina protinus omnia perfringi, piscinamque compleri jussit. Senec. *l.* 3. *de Ira*, *c.* 40. Plin. *l.* 9. *c.* 23. & alii. Crudelitatis quoque Vedianæ Tertullian. meminit. *l. de Pallio*. Vide & *Pollio*.

VEDRA, vulgò WERE, teste *Camden.* fluv. Albionis in agro Dunelmensi oriens, & in Ortum fluens. *Baudrando* fluv. Angliæ Borealis. Oritur in ipso limite Northumbriæ; dein per Dunelmensem tractum fluens, Dunelmum urbem rigat, & posteà in mare German. cadit, 4. milliar. Anglic. ab ostio Tynæ fluv.

VEGERIA, vulgò LA VEGRE, fluv. Galliæ, qui Hosdencum *Houdan* præterlapsus, apud Ivrejum Auturâ recipitur. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall. in voce Autura*.

VEGESATUM, oppid. Belgii in finibus Eburonum ad Mosam, medium inter Leodium & Trajectum 2. leuc. *Wesen* Germanis, *Vise* Gallis dicitur: Gemblacensis *Vinsatum* vocat.

VEGESELA, Antonin. VEGESILA Augustino, urbs Numidiæ, à Sufetula 30. mill. pass. à Thevesta 40. in Boream. *Antonin.*

VEGETI, Asiæ popul.

VEGETIUS, *Mulomedicinæ quatuor libros* scripsit, quos A. C. 1528. Jac. Faber ex uno solùm codice edidit; sed cum variis codd. posteà contulit, multisque partibus emendatiores in lucem emisit Jo. Sambucus Pannonius A. C. 1574.

VEGETIUS Flavius, scripsit *de re militari*, ad Valentinianum Principem, *libros quatuor* insignes, quos, post omnes omnium editiones, ope veterum librorum correctos, unà cum notis suis edidit Godescalcus Stewechius Lugd. Bat. A. C. 1592. Fuit is autem Comes Constantinopol. Seculô 4.

VEGETUS Color, idem cum acuto, claro, excitato, floridos Græcis ὀξὺς & λαμπρὸς & ὠραῖος; cum videl. color lumine intensiore accenditur, uti coccineus est, apud Plut. *Nuptial. præc.* ubi cum λαμπρὸν χρῶμα vocat, sicut λαμπρὰν ἐσθῆτα de coccinea itidem occurrit, apud Euangelistam, Luc. c. 23. v. 11. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 345. & *Not. ad Pallium Tertull. c.* 3. nec non suprà passim. Uti de *vegetis oculis* Julii Cæs. apud. Sueton. c. 45. & Caroli Mag. apud Eginhartdum, τὸ γοργὸν horum Principum præ se ferentibus, Casaubonum *ad locum Suetonii*.

VEGIA, seu UM, quæ & VIGLIA & CURRICTA, Insul. maris Adriatici, in ora Liburniæ, ab ea exiguô fretô divisa ad Ortum. Habet ad Occasum Absorum Insul. à qua 5. milliarib. abest, & Arbam ad Meridiem. Extenditur ab Euro in Circium ad 30. milliar & urbem habet primariam cognominem Episcopalem, sub Archiepiscopo Jadertensi, in parte Occidentali 17. mill. pass. à Senia in Occasum, *Kirk* Slavis, Italis *Veglio*.

VEGOJA, in *Fragment.* Agrimensorum, eadem cum *Bygoë* Nympha, de qua suprà.

VEHI per Urbes, pompa Regalis, Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 786.

> ——— *qualis Berecynthia mater*
> *Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.*

Idem de Salmoneo, *l. eod. v.* 587.

> *Per Grajûm populos, mediæque per Elidos urbem*
> *Ibat ovans, Divûmque sibi poscebat honorem.*

Lucretius de eadem Deûm matre, *l.* 2. *v.* 624.

> ——— *magnas invecta per urbes.*

Vide quoque Claudianum, *Nuptiis Honorii*, Alios. Hinc Polynices, Argiæ uxoris ambitionem, ob oculos velut ponendo spectaculum coronæ duorum Regnorum receptæ, & adorantis Reginam per utrumque invectam populi, scitè palpat, apud Papinium, *l.* 2. *Theb. v.* 362.

> ——— *geminas ibis Regina per urbes:*

ad quem locum vide Casp. Barthium, *Animadv. Papin.* qui in eandem rem plura congessit, *Adversar. l.* 10. *c.* 9. & *l.* 147. *c.* 17. Quare aut Principis equo, uti de Mardochæo, in libro Esthere, *c.* 6. *v.* 8. aut curru eidem cum Principibus *vehi*, ingens honor, uti de Honorio, cum Theodosio patre Urbem invecto, docet Claudianus, *Consul. Honorii* 3. & suprà vidimus, voce *Currus*. Sequebatur autem Principes sic invectos turba comitum τῷ φορείῳ παρεπόμενοι, ut loquitur Lucianus. Unde de Tiberio Suetonius, *Adulationes adeò aversatus est, ut neminem Senatorum aut officii aut negotii causâ ad lecticam suam admiserit*, c. 27. & paulo pòst, c. 30. *Nunquam Curiam nisi solus intravit: lecticâ quondam introlatus æger, removit comites.* Contrà Neronem Cæsarem nunquam minus mille carrucis iter fecisse, longô semper impedimentorum agmine incedente, ex eodem notum. Nec Principes solùm, sed & alii sic vecti. Juvenalis, *Sat.* 7. *v.* 141.

> *Respicit hæc primùm, qui litigat, an tibi servi*
> *Octo, decem comites, an post te sella, togati*
> *Ante pedes?* ——

Lecticâ enim per urbem vehi, ætate jam Tiberii vulgata res fuit, & mediocribus etiam civibus usurpata, uti docet Casaubon. *ad Suetonii loc.* de matronis suprà diximus passim, uti de Diis, voce *Tensa*; quos ventis *vehi* quoque Gentilibus creditum, infrà dicemus. Idem in Episcopis Ecclesiæ Romanæ carpit Ammian. Marcellin. *l.* 27. ubi Valesii *Notas* vide. His oppositi, quos *siccis vehiculis* impositos, h. e. absque comitatu, ex ultimis oris, die noctuque iter facientes, Duces Consularesque viros, de quibus aliquid suspicaretur, ad se properare jussit, Maximinus apud Capitolin. c. 13. ad quem vide *Notas* Salmasii &c.

VEHIA, vide suprà *Trajus*.

VEHICULARIUS Fabricator, apud Capitolin. in *Maximo & Balbino*, c. 5. *Maximo pater fuit Maximus, unus e plebe —— rhedarius*, Vehicularius *fabricator*: est *vehiculorum* artifex, & quidem *Vehicularius rhedarius* in specie, qualis hic Maximus fuit, qui hoc genus vehiculi fabricabat, quod *rheda* appellabatur; sicut *Vehicularius carpentarius*, qui carpenta. At *Vehicularius Cursus*, apud Capitolin. eundem in *Pio*, c. 12. *Vehicularium cursum summa diligentia sublevavit*: generalis est appellatio cursus publici, quæ rhedas, cisia, veredos, angarias & omnia, quæ in cursu publico usurpantur sive *vehicula*, sive animalia, comprehendit; eò quod ab initio institutionis *vehicula* tantùm, i. e. *rhedæ*, in usu fuêre. Vide Salmas. *ad utrumque loc.* & plura de *Vehiculario Cursu* suprà, ubi de *Cursu Publico*. Aliàs vox *Vehiculi* non rhedam solùm, sed & *Arceram*, plaustrum tectum undique, quô infirmi vehebantur; & *Basternam*, quô matronæ; & *Carpentum*, quô honoratiores; & *Carros*, *Carracasque* Germanorum ac Gallorum; & *Cisium*; & *Covinum* Britannorum, & *Epirredium* & *Essedum* Belgarum; & *Petorritum*; & *Pilentum*, & *Tensam* & *Sabutam* & *Serracum* & *Tumbrellum*; omne denique *Curruum* genus, ut & *Lecticarum* ac *Plaustrorum Sellarumque*, quibus homines ad commoditatem, necessitatem, pompam, bellum, habitationem, alia, uti consuevêre, ambitu suô complectitur. Vide ibi passim, imprimis in voce *Currus*, & plura hanc in rem apud Jo. Laurentium Jelum, *de Re Vehiculari*. Addo saltem, *vehiculum quadrirotum* Phryguin inventum facere Plinium, *l.* 7. *c.* 56. Vide quoque suprà ubi de *Bigis*, *Trigis*, *Quadrigis* Veter. uti de *Vehiculorum* usu vetito Romanis, voce *Septimontium*: pœnitentibus negato, suprà ubi de iis: de more prisco *Vehiculis junctis* pugnandi, voce *Carrago*.

VEJA, venefica mulier apud Horat. *Epod.* 5. *v.* 29.

VEJANUS, vide *Flavius*.

VEJAR, nomen Familiæ, in Hispania, illustris, de qua vide infrà, voce *Zuniga*.

VEJENTANUM, villa Liviæ Aug. apud Vejos, cui aquilam ibi advolâsse ferunt, ac gallinam albam, cum lauri ramulo, in illius gremio demisisse. Hinc locus iste *ad Gallinas* dictus. Sueton. *in Galba* c. 1.

VEJENTINA Tribus, unà cum Crustumina an. Urb. Cond. 258. tribuum numero ascripta est: dicta à Vejis vel ab agri Vejentani parte. Ejus meminit Cicero *pro Plancio*, c. 16.

VEJENTO, vide *Fabricius*.

VEJENTUM, oppid. Campaniæ. Acron. in *Horat.* 2. *Serm.*

VEJI, colon. & urbs antiquissima Hetturiæ, olim Episcopalis apud Taberim, media ferè inter urbem Romam & Fescenniam 14. mill. pass. à Comerio condita, & à Camillo longâ 10. annorum obsidione capta, & excisa, an. Urb. Cond. 358. postquàm de illis Romulus jam triumphâsset. Fabiorum cæde An. 277. Urb. Cond. memorabilis fuit hæc urbs. Ovid. *l.* 2. *Fast. v.* 195.

> *Hæc fuit illa dies, in qua Vejentibus armis*
> *Tercentum Fabii ter cecidêre duo.*

Hac cùm, post maximas clades, ancipiti contentione agerent Patres, an relictô solô patriô migrarent: vox Centurionis audita, *Hic manebimus optime*, reunuisse in Urbe cives & confirmâsse fertur, Liv. *l.* 5. *c. ult.* *Ferrando Baudrand.* *Veji* urbs fuit ampla Hetturiæ, quæ, teste Philippô Cluveriô, erat ubi hodie *Scrofano*, castrum in provincia Patrimonii. Verùm Lucas Holstenius pro certissimo affirmat, civitatem Vejentanam fuisse, ubi nunc est Castrum Insula dictum *Isola* Farnesiorum, sed in oppositò colle undique prærupto, in quo murorum & substructionum, tum quoque ædificiorum vestigia apparent. Pars quoque urbis, & fortè arx in eo colle ibidem prærupto fuit, in quo nunc Insulæ Castellum est, quod olim civitati partim junctum fuisse existimat, 9. mill. pass. ab urbe, præter inscriptiones & itineraria antiqua, quæ *Vejos* hoc in loco fuisse docent; tum præter situm & naturam loci ac vestigia clarissima, cuniculus ille, quem Camillus ex ima valle in civitatem ducit, manifestè apparet, via quoque silice strata, à 6. lapide in via Cassia deflectens, rectà eò ducit. Certum igitur est, inquit ille, Formellum & Scrofanum non esse Vejos, sed Insulam sive collem præruptum, qui adjacet Farnesiorum Insulæ, haud procul à diverrigio Claudiæ & Cassiæ viæ. Nam tabula Itineraria omnino eô in loco ponit Vejos, ubi nunc est diversorium *la Storta* dictum, vel paulò suprà. Sed nil certius est, quàm Vejos fuisse in colle undique prærupto, prope Insulam vicum Farnesiorum; nam & situs & intervalla Dionysii & Tabulæ in eam conveniunt, & vestigia clarissima magnæ urbis apparent. Extat etiam in Ecclesia Insulæ lapis antiquus, in quo ordo Vejentanorum legitur. Via quoque antiqua ex Claudia ad 6. lapidem sive Turrim Spacatam dictam divertens, rectà Vejos tendebat, cujus vestigia clarissima supersunt, & ad Bacanellum iterum in Claudiam redibat. A Vejis dicti fuêre *Vejentes* populi, in eo tractu, ubi nunc pars provinciæ Patrimonii in ditione Pontificia. Hinc *Vejentanus*, ut *vinum Vejentanum*, de quo Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 143.

> *Qui Vejentanum festis potare diebus*
> *Campanâ solitus trullâ, vappamque profestis.*

Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 49.

> *Vejentana mihi misces, tibi Massica potas.*

Et alibi, *l.* 2. *Epigr.* 53. *v.* 4.

> *Vejentana tuam si bibat ista sitim.*

Et *Vejentinus*, unde *Vejentina* tribus, de qua suprà. *Nic. Lloydius.*

VEJOVIS, qui & VEJUPITER, & VEDIUS à *Martiano* appellatur, apud Romanos inter sinistra, seu noxia numina habebatur, quem non auxilii alicujus spe venerabantur, sed ideo tantùm, ne quid ipse noxæ inferret. Ædes illi fuit inter arcem & Capitolium, in qua simulachrum Dei, sagittas tenentis ad nocendum paratas: huic adstitit figmentum capræ; ea enim ipsi immolari solebat. Quidam hunc Deum Apollinem, alii Plutonem putant: caput ei cornutum tribuit Alexander. Ejus meminit Ovid. *l.* 3. *Fast. v.* 447.

> *Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,*
> *Ædem non magni suspicer esse Jovis?*

Vide Gell. *l.* 5. *c.* 12. ubi de vocis origine accuratè agit.

VEITURII, Liguriæ populi, quorum mentio fit in tabula ænea antiquissima. Augustinus Justinianus putat, eos habitâsse eum locum, quem hodie *Voltaggio* appellant: territorii est Genuatium, intra Apennini radices, medius inter Genuam & Dertonam, 20. mill. pass. Aliis potiùs *Voltri*, *Vultri*, seu *Vutri*, pagus oræ Ligusticæ, 10. mill. pass. à Genua in Occasum, Savonam versùs.

VEJUS Marcellus, vide *Marcellus*.

VEL, oppid. Africæ interioris à Cornelio Balbo expugnatum. Plin.

VELA navigiorum præsertim, à Dædalo excogitata. Ita enim de illo Pausan. *l.* 9. *Dædalus è Creta fugiens, sibi & Icaro filio non magna ædificavit navigia, & Vela (quæ nondum eâ ætate, inventa fuerant) navibus applicuit.* Vide infrà *Velum*.

VELABORI, Οὐελλάβοροι in Græco codice, *Ptolemæo*: in Hibernià insulà gens. MS. legebat Οὐελλάβροι. *Velabri* apud *Æthicum*.

VELABRUM, vicus olim celebris Romæ, juxta Aventinum montem *velis* obtentus, sub quibus oleum & similia vendebantur: Nunc *S. Georgio in Velabro*, quia inter illam ædem & ædem

S. Ana-

S. Anastasiæ tenet: Aliud erat in foro boario, ubi olim templum Herculis & Vestæ, seu Matutæ, nunc, S. Stephani, *Ferrar.* Plautus, in *Captivis*, *Actu* 3. *sc.* 1. *v.* 39.

Quasi in Velabro olearii.

Horatius, *l.* 2. *Serm.* *Sat.* 3. *v.* 229.

Cum scurris fartor, cum Velabro omne Macellum.

Hinc *Velabrensis*, Martial. *l.* 11. *Epigr.* 53. *v.* 10.

Et Velabrensi massa recocta foco.

Inde *Velabrensis caseus*, qui in Velabro conficiebatur. Martial. *l.* 13. *Ep.* 32.

Non quemcumque focum, nec fumum caseus omnem;
Sed Velabrensem qui bibit, ipse sapit.

Siquidem, testante Plin. *l.* 11. *c.* 42. *Fumus auget gratiam casei, qualis maxime in urbe conficitur.* Varro à *vehendo* derivat, quod cum Aventinus olim discluderetur paludibus à montibus reliquis, necesse esset eo navibus advehi. Unde *Velaturam facere* dicebantur, qui operam suam collocantes mercede ex vectura vivebant. Duplex autem fuisse *Velabrum* invenio, majus & minus. Varro: *Palus fuit in minore Velabro.* Unde quod ibi vehebantur lintribus, *Velabrum*, ut & illud majus. Propert. *l.* 4. *El.* 10. *v.* 5.

Quà Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Tibullus quoque *l.* 2. *El.* 5. *v.* 33.

At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.

Hic. Lloydius.

VELADA, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ Davilææ Stirpis ramus est. In hujus enim lineâ *Santromanensi*, postquam plures libri invicem successere, *Domini de Santroman & Villanova* ac [illegible] titulus *Velada* accessit, ex Davilensi lineâ à conjuge Sancio *Sanchez* Davilæ allata. Fuit illa Catharina Davila Dn. *de Velada* (filia Petri Davilæ Dn. *de Velada*, & marito genuit Gomesium Davilam, qui *Marchionis de Velada* axioma à Philippo II. obtinuit. Hoc, è Teresia *Carrillo de Mendoza*, natus Sancius *Sanchez* Davila, junxit sibi Joannam Toletanam, atque ex ea suscepit Gomezium *Davilam & de Toledo*, Marchion. *de Velada*, cujus ex Anna Toletana liberi fuere, Antonius *Davila & Toledo*, Marchio *de Velada & Santroman*; cui nupsit Constantia Osoria filia Petri Alvari M. de Astorga; & Antonia (uxor Jo. Lud. de la Cerda, Ducis *de Medina Celi*) Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 101. Vide quoque eum, *Arte Heraldica Tom.* 2. & supra, voce *Davila*.

VELAMEN Nuptiale, apud Hebræos, duplex erat, alterum, quo Sponsorum capita, ut flameo, obtecta; alterum, quod in ipsa Benedictione nuptiali eos, velutì tentoriolum portatile, obumbrabat. De illo Misna, *Temporibus bellicis — decretum est, ne prodiret Sponsa velamine* [illegible]. *Sed Rabbini* [illegible], *ut etiam* [illegible] *velamine obvoluta prodiret.* De illo Elias Levita, *Nos etiam vocamus vestem illam seu pannum, qui solet expandi super caput Sponsi & Sponsæ, ac tenetur quatuor vectibus* [illegible] *Chuppam.* Quod posterius in atrio Synagogæ præparari nunc solitum; an veteribus etiam Ebræis in usu fuerit, non liquet: utrumque vox Hebræa, namque prius [illegible], posterius חפה appellant, pro ipso etiam thalamo nuptiali, in quem deductio facienda, alibi occurrit, & quidem *Chuppa* primario in rebus nuptialibus ipsum conjugalem thalamum notat, uti dictum supra in hac voce. Transiit mos ab Hebræis ad alias gentes, de quibus hic non uno loco. Nec Christiani suum *Velamen* detrivit, uti videre est supra itidem, ubi de rebus ad *Nuptias* pertinentibus, in voce *Velamen* & ubi de *Thalamo Nuptiali*, de *Velaminibus Sponsarum*. Vide voce hâc, & de aliis *Velaminum* generibus infrà, voce *Velum*.

VELANIUS, prænomine *Quintus*, Eques Rom. in legione Septimæ militum, præfectus, per Galliam. *Cæs.* *l.* 3. *Comm.* *c.* 7.

VELARII, dicebantur olim, qui ad *velum*, sicut Ostiarii, qui ad ostium, & Cancellarii, qui ad cancellos sedebant: præter quos Admissionales erant; quibus omnibus remotis, *quasi unum de Senatoribus, patente velo*, salutari voluit Alex. Severus apud Lamprid. *c.* 4. Præsidatus hujusmodi *Velariorum* domus Augustæ occurrit in veter. *Inscr.* Neapoli,

D. M.
L. FLAVI. AVG.
LIB. PRIMIGENI
SVPRA. VELARIOS
DE DOMV. AVG.

Romæ,

TI. CL. THALLVS
PRÆPOSITVS. VELARIORVM.
DOMVS. AVGVSTÆ &c.

Vide Salmas. *Notis ad Flav. Vopisc. in Carin.* *c.* [illegible]. Sed & *Velarii*, velorum confectores, in veter. *Inscr.* 590. 10. At *velarium* vox Juvenali quoque nota, *Sat.* 4. *v.* 122. apud Recentiores, velum est [illegible] *Inscr.* Amapoli. 173. 10. [illegible] Acidmeri, *c.* 261. ubi de velis ante Principum conclavia dependentibus &c. Vide quoque infrà. Sed *Velarii* apud *Festum*, clavuli sunt, quibus clavulatæ castrum circumfigebatur; à *velo*, quod contractum ex *vehela* i. e. vehiculum, vectabulum: unde *velaturam facere*, apud Varronem, pro *vecturam facere*. Vide Salmas. *ad Capitolin. in Maximinis*, *c.* 13.

VELASCO, nomen illustris in Castella Familiæ, in qua Joannes *de Velasco* fil. Petri, nepos Ferdinandi protopos [illegible], Dominus *de Bribiesca & Medina de Pomar*, ac Camerarius Henrici III. Regis fuit: Pater Petri Fernandi *de Velasco* & Fernandi, à quibus duæ stirpes. Illa Comitum *de Haro* est, cum præfatus Petrus obtinuisset hunc titulum: ista Comitum *de Siruela*, quam dignitatem Fernandi fil. Joannes impetravit. Et quidem in Harensi Petrus, præter Sancium *de Velasco* Dn. *de Arnedo*, patrem Antonii (ad quem ab uxore dignitas Comitis *de Nieva* pervenit & propagata est) genuit Petrum Fernandum *de Velasco*, qui Connestabilis Castellæ & Legionis fieri meruit. Inter ejus filios Bernardinus Connestabilis & Dux *de Frias*, ex amica suscepit Bernardinum Dn. *de Castelregerizo*, cujus posteri titulum Comitum *de Salazar* nacti sunt, ac Petrum Fernandum *de Velasco & Figueroa*, Dominorum *de Saldaona & Saldannuela*, *Coscorita* ac *Silanes*, auctorem. Muneris vero ac titulorum successorem habuit fratrem legitimum Inicum Fernandum *de Velasco*, à quo reliqui Duces *de la Ciudad de Frias*, Comites *de Haro* ac Connestabiles Castellæ, nec non per Inicum, Annæ *de Herrera* maritum, Marchiones *de Aunion* derivantur. In ramo Siruelensi Johannis primi Comitis neptis Leonora titulos & successionem marito Christophoro *de la Cueva* attulit. Ad eundem ramum spectat palmes *Velascorum* Dominorum *de Villerias*, à Petro Joannis I. Comitis Siruelensis fratre, per duos filios, Antonium & Petrum, protuberans. Præter quos tertius Joannis ac Petri frater Arnaldus posteros etiam habuit. Tum ad genuinum *Velascorum* sanguinem referunt se quoque Domini & Comites *de Rebilla*, qui à Sancio *Sanchez*, supradicti Joannis, Harensium & Siruelensium auctoris fratre, derivantur. Sed & *Velascorum* nomen Comites *de Alcaudete* paterno Cordubensi adjiciunt, ob Mariam *de Velasco* Alfonso Fernando *de Cordoba* nuptam, à qua descendunt. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatro Nobil. Europ. part.* 2. & *Arte Heraldicâ*, *Tom.* 2. nec non supra, voce *Haro* &c.

VELATA, Cantic. *c.* 1. *v.* 7. *Indica mihi ubi pascas — ne sim* [illegible] *ut velata* [illegible] *sodalium tuorum*: nonnullis meretrix est, quia meretrices velentur, uti probant ex Thamaris Historia, *Genes.* *c.* 38. *v.* 14. 15. Sed meretricum non esse proprium *velari*, sed revelari potius, legimus Esaiæ, *c.* 47. *v.* 3. Ezech. *c.* 16. *v.* 36. 37. & Nahum, *c.* 3. *v.* 5. Neque more meretricis Thamar se theristro obtexerit, sed ne agnosceretur, ut ex Historia sacra notum. Aliis, *Velata* hic est lugens, quia lugentes tegebant *velo* [illegible] labrum superius, Ezech. *c.* 24. *v.* 17. Verum hoc alienum planè. Itaque trajectis literis [illegible] pro [illegible] scriptum fuisse potius, existimat Bochartus, illudque exponit, *ut vaga*, *ut oberrans*, aut etiam *ut meretrix*, quem hanc add. vide *Hieroz.* *Part. prior.* *l.* 2. *c.* 46. Aliàs *velati*, idem quod vestiti. Virg. *l.* 3. *Æn.* *v.* 545.

— *Phrygio velamur amictu.*

Ovid. *l.* 10. *Met.* *v.* 1.

— *croceo velatus amictu* &c.

Nempe ideo vestimus, ut nuditatem *velemus*: à quo fine quantopere recesserit amictus matronarum Romanarum sequioris ævi, diximus suprà passim, inprimis ubi de *Cois Pellucidisque vestibus*. Quæ autem corporis partes, tum in vita communi, tum in Sacris, maximè *velamine* contineri, videre hic est, ubi de membrorum quolibet suo loco. Vide etiam infra voce *Velum*. Namque *scilicet* vox *velare*. Unde *Velati*, ait Scaliger. *in Conjectan.* *dicebantur, qui caput* [illegible] *habebant.* Plautus, *Amphitruone*, *Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 101. *Velatis manibus orant, ignoscamus.* Virg. *l.* 12. *Æn.* *v.* 120.

Velati lino & verbena tempora vincti &c.

Vide Taubmannum *ad Plauti locum*, ubi de Veste sacro ritu, qui ad ætatem adultam provecti *velabantur* & extra fines exigebantur, infrà. Nec omittendus veterum Persarum mos, apud quos ejus, cui Rex irasceretur, vultum à ministris obnubi solitum, ex Sacris discimus, nec Romanorum, qui rei in crucem agendis capita obnubebant; nec Judæorum, ad quorum tribunal Susannam opertam legimus, vide Raderum, *Not. ad Curtium*, *l.* 6. *c.* 10. De more *velandi* novas Nuptas, hîc passim; de *velatis ovibus* suprà, voce *Pellitæ*.

VELARIUS, vide infrà *Velum*.

VELATUDORUM, oppid. Sequanorum, in Gallia Lugdunensi 12. mill. pass. à Vesontione. *Antonin.*

VELAUNI, inter Alpinas gentes memorantur Plin. *l.* 3. *c.* 20. Baudrando fuêre populi Aquitaniæ, versus Ligeris fontes, quorum tractus nunc *le Velay*, in Occitania: Segusianis, Arvernis, Gabalis, & Helviis finitimus. Eorum caput erat *Ruessio* vel *um*, à cujus ruinis crevit urbs adjacens Anicium, nunc Podium, *le Puy en Velay*, in colle, probè culta, Episcopalis sub Archiepiscopo Bituricense. Vide quoque *Vellavium*.

VELCERA, *Ptol. Bertio* & *Burchardo Ther.* & *Molet.* vel *Bacharia*, oppid. Liburniæ maritimæ inter Tarsaticam ad Occasum, 12. & Seniam urbem ad Ortum, 24. mill. pass. *Ortelio* MS. *Selden.*

VELCERÆ Sinus, parvus maris Adriat. in intimo ejus recessu, in ora Liburniæ, prope Velceram oppid. inter Vegram insul. ad Ortum, & Absorum ad Occasum extensus; *Golfo di Bucari*, vulgò.

VELCURIUM, urbs Rhætiæ non obscura, 5. leuc. à Curia Campodonam versus; Vulgò *Feldkirch*. Hinc *l.* [illegible]

Hic quoque Velcurio [illegible], *qui Physica scripta*
Edidit.

VELDENTIA, vulgò *Veldenz*, arx est Germaniæ propè Mosellam, cum titulo Comitatus: Cujus ultimus Comes Fridericus Henrico & Loreiâ Comit. Sponhemiâ genitus, Stephano Principi Palatino Ruperti Imperator. filio, filiam unicam ac hæredem Annam cum nuptum dedisset, Palatinæ domui sic Comitatus illatus est. Hodieque *Veldentia* linea floret, cujus Auctor fuit Rupertus Alexandri Ducis Bipontini minor natu filius, qui decessit A.C. 1544. Pater ex Ursula Rhingravia Georgii Johannis cognomine *Ingeniosi*, qui inter Status Imperii recipi, & cum titulo *Principis Palatini Veldentini* in Collegio Principum adscisci, meruit. Idem Comitat. quoque Lucelsteinium pene integrum cum dimidiâ parte communionis Guttenbergicæ & quibusdam aliis bonis, in *Alsatia*, post excessum ultimi Electoris Palatini è priori linea, ut portionem quadrantis totius hæreditatis sibi debiti, sine præjudicio juris in reliqua competentis, accepit: Lucelsteinium auxit, Pfalzburgum condidit, obiitque A.C. 1592. E cujus filiis natu major Georgius Gustavus, natus A.C. 1564. *Veldentinam* lineam continuavit (Georgio Joh. fratre juniore Lucelsteiniam orsô) atque *Veldentiæ*, quamdiu ob turbas licuit, habitavit: in divisione paternæ hæreditatis, avitas ditiones & Statûs Imperii prærogativam nactus. Obiit autem A.C. 1634. relictis ex Maria Elisabetha Bipontinâ Joh. Friderico, Carolô Ludovicô (qui ambo Suecis militantes absque liberis extincti sunt) & Leopoldô Ludovicô: qui natus A.C. 1625. literis à juventute egregiâ operâ navatâ ex Agatha Christina Hanovica ductâ A.C. 1648. præter præmortuos, genuit Gustavum Philippum A.C. 1651. peregrinationibus & militari peritiâ inclytum: Carolum Georgium A.C. 1660. Augustum Leopoldum A.C. 1663. filiasque Elisabetham Johanni Rhingravio nuptam A.C. 1669. Annam Sophiam & Dorotheam, illam A.C. 1650. hanc A.C. 1658. natas. Pace Monasteriensi in Comitat. *Veldentinum*, cujus castrum priùs A.C. 1646. ab Hispanis, reditus verò jam antea redditi erant, restitutus, proximis annis certa de quibusdam juribus in illo pacta cum Electore Trevirensi inivit. Idem patruo Georgio Johanni præfato, qui post fratrem Augustum sine liberis, A.C. 1611. defunctum, Lucelsteinium obtinuerat, extinctus ipse, sine hæredibus A.C. 1654. in Lucelsteinio apennagio successit, sicque omnes ab Avo relictas ditiones denuo conjunxit. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Histor. in Famil. Palatino-Bavarica*, & *Theatro Nobilit. Europ. parte 2. p. 3. ubi Progenitores liberorum Leopoldi Ludovici ab utroque latere exhibet, & in Indic. ubi Lineam hanc alias quoque Lautereccam, seu Lucelsteniam, sed in Actis publicis* Veldentiam *appellari solere, tradit.* Adde eundem, *Arte Heraldic. Tom. 2.* & Tob. Pfannerum, *de præcipuis German. Princ. Gentibus c. 3.* ubi Palatinis Sponhemii Comit. Veldentiæque ratione nullam cum Bavaris tituli communionem esse, recenserique Comites hos inter Comites Principum dignitate præeminentes, qui Germanis *Gefürstete Graffen*, docet ex Limnæo, *Tom. 2. l. 4. c. 4. num. 91.*

VELDIDENA, *Antonin.* oppid. Rhætiæ propriæ in Vindeliciæ confinio. Nunc *Wilthaim* quibusdam, pagus Comit. Tirolis, ad Oenum, vix 1. milliar. ab Oeniponte, quæ crevit ex ejus ruinis, ad Oeni Utiique confluentes. Aliis est ipsa *Oenipons*.

VELEDA, Virgo fatidica, apud veteres Germanos longè lateque imperans, pro Dea in sua gente habita legitur, apud Tacitum, *l. 4. Histor. c. 61. Munius Lupercus, Legatus Legionis, inter dona missus Veledæ. Ea virgo, nationis Bructera, late imperitabat, vetere apud Germanos more, quo plerasque fœminarum fatidicas & augescente superstitione, arbitrantur Deas.* Et *l. de moribus Germ. c. 8. Inesse etiam sanctum aliquid & providum (fœminis) putant, nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus sub divo Vespasiano Velledam diu apud plerosque Numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam & complures alias venerati sunt* &c. Unde colligitur, Germanos pro Apollinari & similibus Oraculis, consuluisse virgines ac fœminas, quibus divini aliquid inesse existimarent neque illas tam pro Deabus (quod non nisi *augescente superstitione* factum) quàm pro Vatibus ac Divinis, habuisse. Captam à Romanis posteà, ductamque in Triumphum, præfatam Virginem, docet Statius Papinius, *l. 1. Sylv. 4. Soteriis pro Rutilio Gallico, v. 90.*

> ——— *Arctoas acies, Rhenumque rebellem,*
> *Captivæque preces* Veledæ ———

Quæ Poëtæ verba non esse hâc parte corrupta, ut quidam concedunt, fidem fecerit Suidas in Θειάζοντα, ubi Dionis locum in ἐκλογαῖς περὶ πρεσβειῶν, à Fulvio Ursino editus, *Fragm. 49.* sed, ut solet, præterito Scriptoris nomine, adducit, planè similiter. Ita autem locus habet: Ὅτι Μάσυος ὁ Νασαμώνων βασιλεὺς καὶ Γάννα παρθένος, ἡ μετὰ τὴν Βελήδαν ἐν Κελτικῇ θειάζουσα, ἦλθον πρὸς τὸν Δομιτιανὸν καὶ τιμῆς παρ' αὐτοῦ τυχόντες ἀνεχώρησαν, *Masyus Nasamonum Rex, & Ganna Virgo, quæ post* Veledam *in Celtica sive Germania furore fuit afflata divinô, ad Domitianum venerunt, honoreque ab eo affecti, domum sunt reversi.* In quo loco, cum pro Νασαμώνων Suidas legat Σεμνόνων, reiciebit Vossius Σεμνόνων, qui ad Albim, testibus Strabone, Tacitô, Ptolemæô, Zosimô, imò & Vellejô. Vide Voss. *de Idol. l. 3. c. 17.* ut & in voce *Velleda*: namque utroque modô vox scripta reperitur, ut visum. Domitius *Veldeam* in omnibus libris Taciti scriptam se reperisse ait, unde Germanam vocem facilè exsculpseris. Adde Cœl. Rhodig. *l. 18. c. 20.* & Barthium, *Animadvers. Papinian. d. l.*

VELEGIA, Urbs in *Libya* interiori.

VELEJA, urbs Hispaniæ Tarraconens. inter Virovescam ad Occasum 41. & Aram cœli 47. in Ortum, Pompelonem versus, ex *Antonino*, in Castella vetere. Οὐέλεια *Ptol.* Populi *Velienses*. Plin. *l. 3. c. 3.*

VELENUS, seu BELENUS, Cadusiorum Rex. Vide suprà *Belenus*.

VELESITANUS, Episcopus Numidiæ. *Victor, Uticens.*

VELIA, Lucaniæ oppid. Episcopale in sinu Pæstano conditum, sub Cyri tempora, seu post Æneæ in Italiam adventum an. 600. à Phocensibus, antea *Hyela*, *Helia* & *Elea* dicta. Vide A. Gellium, *l. 10. c. 16.* De illo Herodotus, *Hoc, inquit, condiderunt Phocenses, qui tempore Harpagi Cyri Ducis Phocæam reliquerunt.* Itaque Virg. *l. 6. Æn. v. 366.* proleptice,

> ——— *Portusque require Velinos.*

Horat. *l. 1. Ep. 15. v. 1.*

> *Quæ sit hyems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni.*

Hinc *Velina tribus*, Horat. *l. 1. Ep. 6. v. 52.*

> ——— *Hic multum in Fabiâ valet, ille Velinâ.*

Persius, *Sat. 5. v. 73.*

> *Libertate opus est, non hac, quæ ut quisque Velina*
> *Publius emeruit.* ———

Vide *Steph.* In nummis occurrit ΥΕΛΗΤΩΝ, Joh. Matthæus, *Canon Circus, Sec. XVII.* ubi de *Magna Græcia*: Nunc jacet, ubi *Castel à mar della Brucca*, ab ostio Silari 50. mill. pass. in Ortum, versus Talaum.

VELIARUM Lucos evasisse Hannibalem scribit Symmach. *l. 8. Ep. 12.* circa Veliam fortè.

VELICA, seu melius VELLICA, ubi vide, Flor. *c. ult. Ptol.* oppid. Cantabrorum, *Brit.* Nunc fortè *Treviño*, oppid. Alavæ, ad radices montium, in limite Biscajæ, vix 2. leuc. ab Jotro in Boream, uti 4. à Victoria.

VELICER, fluv. *Goropio* is est, qui in Westphalia, paulò supra vicum *Velen*, è sylvis ortus, non longè ab Vesto castello in Isalam defertur; hodie *Aa*, *Ortel.* Bocholtiumque alluit in Diœcesi Monasteriensi. Vide *Aa*.

VELIENSES, vide *Veleja*. Item populi Latii. Plin. *l. 3. c. 5.*

VELILLA, vulgò *Velilla*, vicus Aragoniæ, ad Iberum, 9. leuc. infra Cæsaraugustam in Eurum, ubi campana mirabilis sponte sonans, quoties Hispania magnum detrimentum accepit. *Mariana.*

VELINA, regio urbis Romæ monti Palatino juncta. Hinc *Velina* tribus, aliis à lacu Velino, in Sabinis dicta: cum Quirina an. Urb. Cond. 512. Consulib. A. Manlio II. & Q. Lutatio, à Censoribus C. Aurelio Cotta & N. Fabio Buteone addita, triginta quinque Tribuum numerum explevit. Ejus meminit Cicer. *l. 4. Ep. 15. ad Atticum, et in Bruto*: Item Horat. *l. 1. Ep. 6. v. 51.* & Persius, *Sat. 5. v. 73.*

VELINUS, lacus Sabinorum in Umbriæ confinio, *Lago di Piedilucco* hodie, à castro adjacente im Umbria est, *Baudrand.* in confinio Sabinæ, sub Pontific. *Velinus* verò fluv. *Velino*, ortus in Aprutio ulteriore, ubi Civitatem Regalem, Interdocium, & civitatem Ducalem rigat; dein per Umbriam fluens, ibi rigatâ Reate, per lacus Reatinum & Velinum labitur, dein supra Interamnam in Narem se exonerat. Virg. *l. 7. Æn. v. 517.*

> *Sulfureâ Nar albus aquâ, fontesque Velini.*

VELIOCASSES, seu VELIOCASSI vel VELOCASSI, populi Galliæ *Ptolem.* cum Caletis, inter Belgas ponuntur à Cæsare, *l. 2. Comm. c. 4.* quod utrique trans Sequanam, qui Belgas à Celtis dividit, constituti: posteà tamen, unà cum capite amborum Rotomago, Lugdunensi Celticæque Galliæ ab Augusto attributi sunt. Pares olim viribus cum Lexoviis & Eburovicibus, ternâ hominum millia è Galliis imperata misêre, Idem, *l. 7. c. 75.* iidem tamen, *l. 2. c. 4.* uti Caleti & Veromandui, 10. millia polliciti. Pagus eorum ab Isara flumine ad Indellam pertinebat: posteà in duas divisus partes. *Veliocasses* enim *Normanni* illi dicti sunt, qui ad Duces Normannorum, ac posteà Reges Anglorum spectabant, Indellam inter & Ittam positi, vulgò *le Veuxin Norman*, qui verò Regnum Francorum erant, Ittâ & Isarâ clausi, *Veliocasses Franci*, vulgò *le Veuxin François*, appellati sunt: inter quos hodieque, licet uni Regi nunc pareant, tanta viget discordia, ut nec matrimonia inter se contrahere, nec alteri cum alteris quidquam velint habere commune. Priorum loca præcipua sunt, Gornacum, Novus Mercatus, Gisortium, Danguium, & Andeliacum: quam pagi Veliocassini partem Henricus fil. Gaufridi Comitis Andicavensis Ludovico VII. Regi, cujus ope Normanniam Stephano eripuerat, donavisse olim legitur. Posteriorum Trea *Trie*, Rupes Guidonis & Maniacum *Magny*, usque ad Bellovacorum oppid. Clarum montem. Pars Veliocassium trans Indellam & circum utramque Sequanæ ripam sita, pagum olim constituit, *Rotomagensem* dictum, à Rotomago, capite *Veliocassium*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide in voce *Velocasses*.

VELISCUM, urbs Mauritaniæ Cæsariensis. *Antonin.*

VELITERNA, & VELITERNI populi Italiæ, Plin. *l. 3. c. 5.* & Liv. *l. 8. c. 12. & 14.* *Velitrani* Halicarn. *l. 5.*

VELITES, *Festo* teste, milites expediti, sic dicti, quasi volantes; de quorum institutione ita Val. Max. *l. 2. c. 3. ex alt. Velitum, inquit, usus eo bello primum repertus est, quo Capuam Fulvius Flaccus Imperator obsedit. Nam cum Equitibus Campanorum crebris excursationibus Equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non possent, Q. Nævius Centurio è peditibus lectos expediti corporis, brevibus & incurvis septenis armatos hastis, parmis exiguis munitos, velociter jubet jungere se equitibus & rursus celeri motu dilabi instituit, quo facilius equestri prœlio subjecti pedites, viros pariter atque equos hostium telis incesserent. Eaque res novitas pugnæ unicum Campanæ perfidiæ debilitavit auxilium, ideoque auctori ejus Nævio id hoc honoris habitum est.* Eligebantur verò *Velites*, qui minimi ætate, fortunæque tenuioris essent, Polyb. *l. 6.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 10. c. 9.* Atque collocabantur plerumque, in Fronte, Viis ac Cornibus, uti docet Lipsius, *de Milit. Rom. l. 4. dial. 3.* pars militiæ maximè ignobilis: utpote qui & seorsim pugnarent & periculis maximè essent expositi, Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l. 4. c. 4.*

Hic

Hinc *Velitatio pugnare*: Item *Velitatio*, leve prælium, quô graviori pugnæ præluditur, ut fortitudo & vires hostium cognosci possent. Sic Alexandri & Pori prudens consilium fuit, ut *levia prælia consererent, & uterque parvæ rei discrimine summæ experiretur eventum*, apud Curtium, *l.* 8. *c.* 13. §. 12. Similiter Horatius milites suos levibus præliis expertus est, apud Livium, *l.* 3. *c.* 61. §. 10. Cæsar quoque Dux atque Historicus excellentissimus, nullâ ratione cum hoste, præsertim novo, dimicare voluit, nisi levibus præliis priùs fuisset tentatus. Quos secutus est Attila, Hunnorum Princeps, quem, præcursoribus aliquibus præmissis, qui tenuia primùm futuri conflictûs ederent præludia, justæ pugnæ committendæ quæsivisse tempus & occasionem, scribit in *Vita ejus* Nicolaus Olaus. Hinc memorabilis Q. Fabii ad M. Livium Oratio, quâ monuit, ne priùs, quàm genus hostium cognosceret, temerè consereret manus. Nec obstat, quòd per parva istiusmodi prælia atque *Velitationes*, pars exercitus sæpe succumbebat. *Satius enim*, verba sunt Ammirati, *paucos Velitationum periculis objectare, ut victoria facilius obtineatur, quàm ut incognitis viribus & fortitudine hostium, totus Exercitus concidat, vel maxima ejus pars intereat, ubi & de Ducis simul existimatione esset actum*. Lege, si placet, hunc Ammiratum argumentum hoc accuratè tractantem Machiavellum item, Matth. Berneggerum in *Tacit. Germ.* qu. 152. & vide suprà quoque *Pilam*, it. *Præludium*.

VELITIÆ meminit Festus, in verbo *Nova Curia*. Alia lectio *Velitiensis*, pro quo *Velitiensis* malè legi apud Plin. adnotavit Joseph. Scaliger.

VELITIS Jubeatis Quirites, omnium actionum cum Populo Roman. commune principium fuit, ut ex Cicerone, *pro Domo*, *c.* 18. & Livio patet: Ex qua dicendi formula nomen ortum est *rogationis*, omnibus actionibus cum populo commune, vide Thom. Dempster. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 14.

VELITRÆ, colon. & urbs Latii in via Appia, à Roma 20. mill. pass. in Eurum Privernum versùs distans. Urbs aliàs Volscorum, nunc Campaniæ Romanæ Episcopalis sub Pontifice *Veletri*. Lepida & culta, in clivo. 6. milliar. ab Alba in Ortum Pipernum versus 25. *Baudrand*. Ab Anco Martio Rege expugnata. Velitræ Ovifera à magnitudine & copia ovorum. Non semel cum Romanis bellum gessêre. Vide Liv. *l.* 2. *c.* 30. 34. *l.* 6. *c.* 22. 29. 34. 36. *l.* 8. *c.* 3. Ejus Episcopatus nunc Ostiensi junctus est. Silius, *l.* 8. *v.* 378.

Setia, & è celebri miserunt valle Velitræ.

VELIUS Cornificius Gordianus Consul sub Tacito Imperat. cujus orationem de Imperatore eligendo, hujus Imperat. *Vitæ* inseruit Vopiscus, *c.* 3.

VELIUS Rufus, Vir Consularis, Commodi jussu occisus, apud Lamprid. *c.* 4.

VELLANIS, *Ptol.* urbs Mysiæ superioris Vendenidi proxima in Ortum. *Lazius*.

VELLATÆ, populi Galliæ Aquitanicæ. Plin. *l.* 4. *c.* 19.

VELLAVI, populi Galliæ, sub Arvernorum imperio, tempore Jul. Cæsaris, *Comment. l.* 7. *c.* 75. hodieque præfecturæ Arverniæ accensentur, ejusque Rectori unà cum Gabalis parent. A' *Strabone* gentibus 14. inter Garumnam & Ligerim sedes habentibus, & Julianæ Aquitaniæ ab Augusto attributis adnumerantur, inter Helvios & Arvernos medii: Ptolemæô *Velauni* dicuntur, aliis aliter. Eorum urbs apud *Ptolemæum* Revessio, postea nomine populi assumptô, *Vellavi* quoque appellari cœpit, inter Aquitanicæ primæ civitates octavô & ultimô locô posita: quam novi scriptores oppid. S. Paulini *S. Paulian*, 2. leuc. à monte Anicio seu Podio celsissimo distans esse volunt. Sed quodcunque illa nomen tulerit, sive illâ eversâ, sive adhuc stante, illuc Episcopatus sedes in civit. Anicium seu Podium, quibusdam *Puy en Auvergne*, alias *Puy en Velay*, translata est: numerantque recentiores *Notitiæ* ejus Episcopum inter Antistites Bituricensi Archiepiscopo suffraganeos, septimum, Provinciale verò MS. Metropolitani sui potestati exemtum, & uni Episcopo Romano peculiari quôdam privilegiô subjectum tradit. Unde Stephanus, *Dei gratiâ Aniciensem Episc. Domini Papæ suffraganeum specialem*, se vocat, in literis A. C. 1223. Dicitur autem *Anicium*, quòd Anicio, monte editissimo, uni è dorsis montis Cebennici, non procul à Ligeri, impositum; *Podium*, quòd in monte structum: hac enim voce Galli montem locumve celsissimum indigitant. Pago *Vellavo* ac Diœcesi præter Podium, Espalicum, Fabia *Fay*, & Castellum Novum continentur. De Podio videntur intelligendi versus Lucani, *l.* 1. *v.* 435.

——— *Quà montibus ardua summis*
Gens habitat cana pendentes rupe Cebennas,

Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide etiam in voce *Velauni* & *Vellauni*.

VELLAUNII, vide *Velauni*, populi & urbs Aquitaniæ ad montem Cemmenum, Arvernis, Gabalis, & Ruthenis finitimi, quorum regio *Velay*.

VELLAUNODUNUM, oppid. Galliæ Celticæ quod Cænalis & Ortelius idem faciunt *Antissiodoro*. *Autoura*. & *Autrico Ptol.* Aliis est *Chasteaulandon*, teste *Vigenerio*. Aliis *Veron* apud Senones. *Baudrando* oppid. Senonum in Gallia Lugdunensi. Nunc *Chasteau Landon*, oppid. Vastinii tractus, medium inter Antissiodorum ad Eurum, & Autricum ad Circium, 4. leuc. à Montargio in Boream, Lutetiam versùs, 12. ab Agendico Senonum.

VALLEDA, virgo nationis Bructeræ, latè iis gentibus imperitabat: vetere Germanor. more, quô plerasque fœminarum fatidicas & augescente superstitione arbitrantur Deas. Tacit. *l.* 4. *Hist.* *c.* 61.

VELLEJACIUM, circa Placentiam, in collibus, oppid. Plin. de Italia. *l.* 7. *c.* 49.

VELLEJUS Paterculus, Historicus Roman. sub Tiberio Gente Neapolitanus, avum habuit Pompeji & Claudii Neronis gratiâ florentem; qui cum eum, in Siciliam bellô civili secedentem, sequi non posset, indignabundus seipsum interemit. Pater ejus Præfectus equitum in Germania fuit, in quo munere ipsi successit, posteà Tribunus militaris, Quæstor, tandem Legatus Tiberii, in Germania & Pannonia factus. Magium Celerem Vellejanum fratrem collegam nactus est. Dein *Epitomæ Historicæ libb.* 2. incubuit, cujus magna pars periit. Exactè hic tempora observat, originem urbium & fata exponit, viros illustres egregiis elogiis ornat. Stylus ejus suô seculô dignus: sed quòd nimis Augusti partibus faveat, Tiberiumque atque etiam Sejanum immeritis laudibus ornet reprehenditur. Vide Aventin. *l.* 2. *Annal.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 1. *c.* 24. Alios hujus nominis vide apud Cicer. Plin. Priscian. &c. Consul hujus nominis, sub Claudio Imperatore Senatusconsulto *Vellejano* nomen dedit, quod in mulieribus sexus gratiam factum est.

VELLENDI lanam mos, ante tonsuram, Romæ olim in usu fuit & vicinis locis, quod vel *velleris* nomen docet. Varro *de L. L. l.* 4. *Id dictum, quod vellebant lanam*. Et, *Velia unde essent, plures accepi causas: in quibus, quod ibi pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam vellere lanam sint soliti*. Idem, *de R. R. l.* 2. *c.* 11. *Alii vellera, alii vellumina appellant, ex quorum vocabulo animadverti licet prius lanæ vulsuram, quàm tonsuram, inventam*. Quod ut ejus ævô scias nondum in desuetudinem abiisse, addit: *Quæ etiam nunc velluntur (oves) ante triduo habeant jejunas, quòd languidæ minus radices lanæ retinent*. Quomodo etiam Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Oves non ubique tondentur: durat quibusdam in locis vellendi mos*. Nec tamen & *lanæ* nomen à *laniando* benè deducit Isidor. *Origin. l.* 19. *c.* 27. cùm *lana* Græcum sit, ex λῆνος seu λᾶνος Dorico, uti docent Eruditi. At apud Græcos, Hebræosque, tondendi ratio vetustissima, uti suprà vidimus, in hac voce: interim & apud illos *vulsisse* quosdam, indicat vox Νακοτίλτης, apud Archippum, Cratinum, Philemonem, quæ propriè *vellerum vulsorem* notat, & apud istos Maimonides, *in Biccurim*, *c.* 10. §. 6. cùm ait: *Etiam qui lanam ovium manu suâ vellit, & non tondet, debet velleris primitias*, apud Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 45. Vide quoque Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 70. & suprà *Nacca*. Sed & crines pilique *evulsi*, in mœrore ac luctu, tum capitis, uti de Jobo legimus, *c.* 1. *v.* 20. & de Esra, *c.* 9. *v.* 3. Quemadmodum & de Ulyssis sociis, in morte Elpenoris, dicitur *Odyss. l.* 10. *v.* 567.

Ἑζόμενοι δὲ κατ᾽ αὖθι γόων, τίλλοντό τε χαίτας

Vide quoque de Priamo, graviter ferente, quòd Hector cum Achille dimicatum ibat, *Il.* χ. de Agamemnone, cladem suorum lugente *Il.* κ. prætereà Ciceronem, *Tusculan. l.* 3. Smyrnæum, *l.* 3. Lucianum, *de Luctu*, Aristophanis Scholiastem, *in Ranis*, *Act.* 1. *Sc.* 1. Alios. Quò & illud Martialis pertinet, *l.* 2. *Epigr.* 11. *in Selium*, *v.* 5.

Quòd dextra pectus pulsat, & comam vellit:
Non ille amici fata luget aut fratris.

Tum barbæ, uti de seipso Esdras iterum ubi suprà. Imò & genas vellebant &c. uti videre est retro ubi de *Luctu*. Aliarum verò partium pilos *vellendi* mos à luxu fluxit, de quo vide aliquid suprà, ubi de *Alipilis*, *Athletis*, *Culipilariis*, *Psilothris*, infrà *Ustriculis* &c. Sed & primitus *vulsisse barbam* Veteres cultus gratiâ, dicemus infrà in *Volsella*. Ipsa autem membra evellere forcipibus ignitis, crudelitatis apex est, de quo hîc passim. In *L.* Angliorum, *tit.* 5. §. 7. libero homini qui evulserit testiculos, *centum sol. componere* jubetur, apud Car. du Fresne, *Glossar.* &c.

VELLERE Signa, phrasis militaris Romanorum, de quo vide infrà voce *Vexillum*.

VELLICA, urbs Cantabrorum mediterranea. *Ptol.* Flor. *c.* ult. *Victoria Villanevana*. Nunc fortè *Trevino Baudrand*. Vide *Vellica*.

VELLOCATUS, armiger Venutii seu Venusii, quem Cartismandua, Brigantum Regina, spretô maritô, in matrimonium regnumque accepit. Tacit. *l.* 3. *Hist.* *c.* 45.

VELLUS Aureum, cujus desideriô ardens Iason, illustre Thessaliæ suæ sidus, Colchidem, non sine periculo cum Argonautis ingressus est, illôque tandem, magnos post labores exantlatos, potitus, domum rediit, à variis variè exponitur. Georg. Hornius, *Hist. Phil. l.* 3. *c.* 5. hôc commentô nihil aliud indigitâsse Veteres contendit, quàm Sapientiæ studiô Iasonem tantoperè fuisse incensum, ut ejus assequendæ causâ nullum laborem aut periculum subterfugerit. Non pauci tamen *Vellus Aureum* librum fuisse volunt, περὶ χρυσοποιΐας, *de Auri conficiendi ratione*, singulari studiô conscriptum & in Colchide asservatum. Quibus *Suidas* favet, cùm libri hujus argumentum fuisse, ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσὸν; *Quo pactô beneficiô Chemiæ Aurum fieri possit?* tradit. Vide inprimis Langium, *Ep. Medic. l.* 1. *Ep.* 53. Nec multum abludit, quod de Pelopis aurei velleris ariete, legimus apud Senecam, *Thyeste*, *Actu* 2. *v.* 225.

Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,
Arcanus aries, ductor opulenti gregis:
Cujus per omne corpus effuso coma
Dependet auro, cujus è tergo novi
Aurata Reges sceptra Tantalici gerunt:
Possessor hujus regnat, hunc cunctæ domus
Fortuna sequitur.

Et certè Artem illam Chrysopœicam inventum esse vetustissimum, docet Jos. Scaliger, *ad Manil. l.* 4. Joh. item Delrio, *Magic. Disquis. l.* 1. *c.* 5. Alii ipsumque *Chemiæ* nomen jam à Chamo, Noahi filio, fluxisse videtur. Namque & ipse Ægyptum primus tenuit, ubi Ars

illa antiquissimis temporibus, inter Mysteria sacra, habebatur, & ipsa Ægyptus, in sacris Osiridis, ab eo *Chemia* dicta est. Vide pluribus Georg. Hornium præfatum, *loco cit.* Varro verò originem fabulæ nobis hanc tradit *l. 2. de Re R. c. 1. De antiquis illustrissimus quisque pastor erat — & veteres Poetæ — ipsas pecudes propter caritatem, aureas habuisse pelles tradiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur: ut in Colchide, Æeta, ad cujus arietis pellem profecti regiô genere dicuntur Argonautæ, ut in Libya ad Hesperidas, unde aurea mala* &c. Itaque ob *pecudes* Argonautæ profecti, i. e. ob regias opes universas συνεκδοχικῶς, inprimis verò thesaurum illum, quem Phrixus, Athamantem ac novercam fugiens, in Colchidem deportârat. Hunc enim consanguinei Phrixi, ante omnes autem Iason, prognatus Æsone, fratre Phrixi patruele, non absurdè reposcebant. Nam verisimile est, cum fuisse partim ex bonis Nepheles matris: partim quia ejus domos & agros auferre non poterat, ex pecuniis Athamantis patris & novercæ Inûs. Vocârunt autem *Velleris aurei* nomine illas etiam, quia ex pecudibus pecunia comparatur, eoque & pecuniæ dicuntur, quasi res pecuinæ, imò postquàm signari cœperunt nummi, sæpe eis pecudis nota imprimebatur. Cœterùm templum hoc Phrixi, cui ille ad Æetam Regem profugus *arietis sui vellus* intulerat, etiam post illud ablatum, magnô semper locô habitum est, idque propter Argonauticam expeditionem. Dives etiam fuit: sed Augusti ætate omne ejus aurum direptum, priùs à Pharnace, posteà item à Mithridate Pergameno, ut auctor est Strabo, *l. 11.* Ita Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l. 1. c. 24.* Vide quoque in vocibus *Colchis*, *Iason*, *Medea*, *Phrixus*, &c. Aliud occurrit apud Scriptores, *Vellus aureum marinum*, è quo comæ ascititiæ Veter. item chlamydes, ellychnia, marsupia, alia, fieri consuevêre, de quo vide suprà, voce *Pinnicum*: unde Salmasius, χρυσόμαλλα πρόβατα vocari solitas observat *oves ejusdem coloris cum pinnarum vellere*, i. e. aurei, *lanam habentes*; quod posterius Vossii firmat sententiam, quam ex Varrone allatam vidimus. De *Vellere* verò in genere, vide suprà ubi de *Lana*, *Ovibus* &c.

VELLUS Aureum, Ordo Equestris institutus à Philippo Bono, Burgundiæ Duce, in nuptiis cum Isabella Lusitanica, Brugis Flandriæ celebratis, A. C. 1429. Numerus equitum primò erat 24. dein ad 31. excrevit, ipse Dux Caput & Magnus Ordinis Magister fuit, quam dignitatem, ad successores voluit propagatam. Gerebant equites pallium ex purpura, muris pontici exuviis suffultum, quod posteà mutatum, cum torque, in quo literâ B. Burgundiæ index, conspicua & duo silices, inter se collisi flammam elicientes: additis verbis, *Antè ferit, quàm flamma micet*. De torque pendula ovis seu vellus aureum, cum lemmate: *Pretium non vile laborum.* Hodie omnibus ex Austriaca familia Principibus, qui descendunt ex Maria, filia Caroli, ultimi magnorum Burgundiæ Ducum, communis est. Vide Chiffletium, *Insign. Equit. Ord. Vell. Aurei.* Jac. Marchantium, *l. 3. Hist. Flandr.* Miræum, *Orig. Ordin. Equestr. l. 2. c. 1.* Favinum, *Tract. d'honn. & de Cheval.* L. Golutum, Mezeræum, Moretium *Diction. Histor. &c.*

VELOCASSES, populi Galliæ Belgicæ in confinio Celticæ circa Sequanam fluv. Plin. *l. 4. c. 18.* Hos putat *Ferrarius* esse *Bajocenses* in Normandia; *Verocasses* autem, quos quidam cum prioribus confundunt, circa Sequanam locat: Cæsar enim eos inter Caletes & Veromanduos recenset: *Ferrar, Baudrando Velocasses* fuêre populi Galliæ Lugdunensis in limite Belgicæ, inter Caletes ad Boream, Bellovacos ad Ortum, Lexovios ad Occasum & Eburovices ad Meridiem, circa Sequanam, ubi nunc Diœcesis Rothomagensis, demtô tamen Caletensi tractu. Horum nomen quidam quærunt in utroque Vexino seu Vulxino, ubi etiam erat pars Velocassium. Eorum urbes erant Rotomagus, Briva-Isara & Gisorium. Vide etiam *Veliocasses*.

VELONA, vulgò dicitur Epiri civitas, quæ & *Apollonia*.

VELOTHYRUM, apud Gulielmum Bibliothecarium, *in Stephano VI. fecit etiam in eadem Basilica — belothera* (i. e. velothyra) *quatuor, ex quibus unum aurô textum*: vox hybrida est ex Latino *velum* ac Græco θύρα, & *velum* denotat seu aulæum, *foribus* prætendi solitum, quô reductô interior cubiculi pars patescit. De cujusmodi *velis*, vide Car. du Fresne, *Descr. Ædis Sophian. num. 72.* ut & infrà, voce *Velum*.

VELOVOCORUM, civit. meminit Codex Theodos. *in tit de Veteranis.* *Ortelius* conjicit *Bellovacarum*.

VELPI, montes Pentapoleos, in Afric.

VELSOLUS, Regis in Oriente nomen, cujus ad Saporem Regem Persarum super victoria de Valeriano Imperatore reportatâ epistolam exhibet Treb. Pollio in *Valerianis, c. 4.* ad quem Casauboni vide *Notas*. Salmasius verò nomen Regis, cujus hæc epistola, periisse, & remansisse apud Pollionem solum Saporis titulum, qui *Rex Regum vel solus* dicebatur, quæ duæ ultimæ voces in unam vitiô temporum ac Librariorum coaluerint, censet *Notis ad eundem*.

VELTÆ, gens Sarmatiæ Europææ.

VELUCA, *Ptol.* Arevacarum in Hispania Tarraconensi urbs: *Voluce Antonin. Cannatanazor Zurita*, inter Uxamam & Numantiam 25. mill. pass. ex *Itiner.* Antonin.

VELUM, an ex *volare*, an ex *vellere*, an ex verbo *velare*? dictum, multiplicem in vita usum habet. Deorum sanè simulacra antiquitùs objectô velô abdebantur. Appulejus, *l. 11. Metam. Ac dum, Velis candentibus reductis in diversum, Deæ venerabilem conspectum apprecamur.* Et Sulpitius Sever. *de vita D. Martini, c. 9. Quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulacra Dæmonum, candidô tecta velamine, miserâ per agros suos circumferre dementiâ.* Moreâ simia Dei, *Velum* Tabernaculi Templique Veteris Ecclesiæ, de quibus infrà, æmulante, ad sua sacra translatô. Fuerunt autem velamenta hæc linea: nam lanea, ut impuriora & profana adhibere nefas, teste eôdem Apulejô, *in Apolog.* πέπλους vocat Lycophron, quibus opertos Deos Penates Trojâ extulit Æneas, ubi vide *Commentarium* Jo. Meursi, ut & hîc passim, ubi de Sacris Gentilium. A' simulachris Deorum rebusque sacris *Velamentorum* objectus, transivit in aulas Imperatorum Principumque, in quibus foribus Cubiculi Imperatorii obtendebatur velum, quod oculos arceret. Corippus, *l. 3.* ubi de Legatis Avarum,

> *Verùm, ut contractô patuerunt intima* Velo
> *Ostia, & aurati micuerunt atria tecti,*
> *Cæsareumque caput diademate fulgere sacro*
> *Ter gazis suspexit Avar.*

Et ante eum Lamprid. de Heliogabalo, *c. 14. Qui*, inquit, *subitò militum strepitu exterritus, in angulum se condidit, objectuque* Veli cubicularis, *quod in introitu erat cubiculi se texit.* Idem de Alexandro, *c. 4. cum amicis eum tam familiariter vixisse scribit, ut salutaretur quasi unus de Senatoribus, patente* Velô, *Admissionalibus remotis.* Atque hoc *sacrum Velamen* vocat Paul. Diaconus, *de gestis Rom. l. 16. Italiam ei per pragmaticum tribuens*, sacri etiam Velaminis *donô confirmavit.* Sed & præter hoc, in Palatio, frequentia fuêre *Vela*, teste Suetoniô, *Claudio, c. 10* ubi prætensa fuisse foribus etiam Solarii vela refert; Hinc *Velariorum* præsidatum & præfecturam in domo Augusta ingerunt Inscr. Neapoli: *D. M. L. Flavi. Aug. Lib primigen. suprà. Velarios. de domu. Aug.* & Romæ, *Ti. Cl. Thallus. Præpositus. Velariorum.* &c. Vide suprà. Neque verò Romanos tantùm Principes id in usu habuisse, ex Sidoniô Apollinari discimus, *l. 1. Ep. 2.* ubi de Theodorico, Wisigothorum Rege. Hinc ad Consistoria Judicum *vela* translata: Constantius Imperator, *l. 1. Cod. Theodos. de Offic. Rect. Prov. Non sit venale Judicis* Velum, *non ingressus redempti, non infame licitationibus Secretarium, non, visio ipsa Præsidis cum pretio.* Car. du Fresne, *Velum*, quô Principum vel Judicum consessus ac cubiculorum vestibula occludebantur, duplex fuisse docet, unum in primis & exterioribus cubiculis, quod *Consistorium* vocabatur, alterum ad interius cubiculum, ex Anastasio Bibliothecar. *in S. Sylverio*, ubi *primi & secundi veli* expressa mentio: unde uti *Cancellariorum*, sic *Velariorum*, crebra mentio: quorum illi cancellos, hi vela foribus obtenta servabant; quæ proin junctim memorantur, *l. 41. ff. de legat. 1. Sed si cancelli sunt, vel vela legari poterunt.* i. e Κριταὶ τοῦ βήλου dicti apud Byzantinos Judices quidam, ut notum. *Levatô* verò *velô* causas submersarum navium cognosci præcipit *l. 6 Cod. Theodos. de Naufragiis* &c. Vide Alamannum, *ad Procopium, p 3. edit. 1.* Jo. Kirchmannum, *de Annulis, c. 9.* ubi inter alia *vela* hujusmodi in causis quidem levioribus vulgaribusque removeri, & pandi, in causis verò gravioribus, & præcipuè criminalibus, quæque ampliorem deliberationem requirerent, obtendi solita, item παρὰ τὸ πέτασμα ἀγαγεῖν, *ad velum sisti*, apud Chrysostomum, *Hom. 5. in 2. ad Tim.* idem esse, *quod coram Judice sisti*, docet, Alios; nec non suprà, ubi de *Velariis*. Ab his ad limina Grammaticorum, in honorem secreti, an verò in tegumentum erroris, dubitat Augustinus, *Conf. l. 1. c. 12.* transiêre. Ipsi tandem privati foribus suis prætendebant. Seneca, *Ep. 80. Non crepuit subinde ostium, non allevatur velum.* Ulpianus, *l. 12. §. Papinianus. ff. de instruct. vel instrum. leg. Sicut prothyrum domus, si velamen est*, inquit, *instrumentô domus continetur.* Idemque meminit *Velorum*, quæ frigoris vel umbræ causâ in domo essent: *Velorum Cilicinorum*, quæ ideo pararentur, ne ædificia ventô vel pluviâ laborarent: *Velorum* quæ in hypæthris, quæ circa columnas extenderentur: quibus addi possent *Vela* & Aulæa Tricliniaria (quæ, usu cameræ adhuc ignoratô, ad excipiendum pulverem, ne super mensas spargeretur, antiquitus suspendi solebant) Theatralia & Amphitheatralia (à Q. Catulo, cùm Capitolium dedicaret, primùm inventa: Post quem, carbasina illa fecit primus Lentulus Spinter, Apollinaribus ludis) quæ per milites classiarios duci moris fuisse, docet Lamprid. *Commodô, c. 15.* Alia. *Velum* oppansum coparum institorio & orbiculos quosdam habens, ut adduci ac reduci faciliùs posset, occurrit apud Dionem, in *Aviti vita*. De quo accipiendum illud Juvenalis, *Sat. 8. v. 167.*

> — *Lateranus ad illos*
> *Thermarum calices, inscriptaque lintea vadit,*
> *Maturus bello, Armeniæ* —

De *Velis Basternarum*, *Carpentorum*, *Lecticarum*, *Lectorum* &c. suô locô. De *Velis Statuarum* vide Meursium, *ad Lycophr.* Verbô quidquid abdi religio, honestas, necessitas suasit, *Velô* condebatur. Martialis, *l. 1. Epigr. 35. v. 5.*

> *At meretrix abigit testem*, Veloque *seraque*.

Quod extulit Ausonius Proverbii locô, *Epitediô in Patr. Edyll. 2. v. 25.*

> *Non occursator, non garrulus, obvia cernens*
> *Valvis &* Velô *condita, non adii.*

Quô forsan alludunt *Vela* in thalamo, quæ recenset Chrysologus, *Sermon. 22. sub fin. Ex quo ad desponsandum suam Ecclesiam Christus advenit, thalamus ornatur Sponsæ, & ornatur aurô fidei, argentô sapientiæ, virtutum gemmis, sanctitatis Velis.* Certe Servius, *ad l. 1. Æn. v. 701. Ideo autem*, ait, *etiam in domibus tendebantur aulæa, ut imitatio tentoriorum fieret, sub quibus bellantes semper habitavêre Majores, unde & in Thalamis hoc fieri hodie conspicimus.* Vide Laurent. Pignorium, *Comm. de Servis*, ut & hîc passim &c. De muliebri *Velo* capitis addam pauca. Congruere illud fœminis, disertè tradit Apostolus, 1. Corinth. *c. 11. v. 5. s.* ubi interrogatus à quibusdam Corinthiis salvusne esse deberet Mulieribus usus patrius, apertô in publicum procedendi capite, respondit, id planè indecorum esse, nec tam videri debere consuetudinem, quàm corruptelam omni ratione recidendam. Quod non tantùm de mulieribus ad orandum prodeuntibus, aut in Templo orationi vacantibus, sed & de omni in publicum earum processu, intelligendum esse, ex rationibus, quas ibidem affert, clarissimè patet: inprimis cùm indigitat, *non velatam Mulierem tonsæ similem esse*: cùmque tegmen illud capitis, ἐξουσίαν, seu *potestatem* vocans, subjectionis viro debitæ symbolum facit. Et hic omnium politiorum

[illegible] mos fuit. Apud Hebræos enim, jam à primis gentis incunabulis, velari & contegi fœminei sexus capita consuevisse, discimus ex verbis Abimelechi ad Saram, in Genesi c. 20. v. 16. Quæ consuetudo posteà pertinaciter retenta: Unde Tertullian. de coron. Mil. c. 4. *Apud Judæos tam solemne est mulieribus eorum velamen capitis, ut inde dignoscantur.* Hinc in sacrificio Zelotypiæ Numer. c. 5. v. 18. ad Judicem Mulier adulterii suspecta, capite nudatô, ad impudentiam ejus denotandam adducta legitur, vide Cyrillum de Ador. l. 24. De Græcis mulieribus idem discimus ex Appulejo, *Metam.* l. 7. ubi Græcam quandam fœminam *mutellâ texulâ opertam* repræsentat. Neque caput solùm, sed & faciem, quoties extra domum & Viri conspectum degerent, velasse, inde patet, quod in earum mundo numerabantur *Fasciales*, Gall. *Masques*. Unde in *Veterib. Glossis*, adductis à Rigaltio ad Onosandri *Strategicon*, c. 1. Δὶς ἐσθωπίδιον: fuisseque olim illas larvas purpureas, idem Auctor demonstrat *ibid.* Plinius, l. 12. c. 14. *personas* vocat. De Romanis Mulieribus, *velatum* in publico caput habentibus, agit Plutarchus, *Rom.* c. 14. idque adstruunt exempla non vulgarium modò mulierum, sed etiam Augustarum Liviæ, Marciæ, Faustinæ, quas nummi antiqui capite obductô repræsentant, additô lemmate: PUDICITIA. Poppæam item Sabinam Neronis conjugem, non nisi *velatam* & infrequenter, in publicum prodiisse, tradit Tacitus, *Annal.* l. 13. c. 45. Imò hôc solô argumentô repudiatam à C. Sulpitio Gallo uxorem, quòd capite apertô foris versatam cognovisset, legimus apud Val. Maximum, l. 6. c. 3. ex. 10. Porrò & barbaris mulieribus, capita *velare* fuisse perpetuum, Tertullianus Auctor est, *de vel. Virg.* c. 17. ubi narrat, Arabicas mulieres, non caput solùm habuisse tectum, sed & faciem, contentas dimidiâ frui luce, procedendo, unum duntaxat oculum liberatas, ne totam faciem prostituerent: idque apud eas suô adhuc tempore viguisse, ait D. Hieronymus, in *Ebel.* c. 4. Hinc inter Christianos quoque hujusmodi *velamentum* nubentibus fuisse jam olim adhibitum, docemur ab Ambrosio, *de Virgin.* l. 13. nec aliunde vox *nubendi* est. Quod *velamen*, quia à Sacerdote imponebatur, *Sacerdotale* dictum est, eidem *Ep. ad Vigil.* impositum autem fuisse Sponso non minùs ac Sponsæ, colligitur ex Nicol. I. ad *Consulta Bulgar.* c. 3. qui ritus hodieque pluribus in locis viget: Sicut olim sub thalamo, i. e. *Velo* suspenso utrimque inumbrante, contractum fuisse Nuptiale fœdus, monet, Sanctius *Prolegom.* 3. *in Cant.* &c. Vide plura in hanc rem, præter Auctores prædictos, apud Ans. Solerium, *de Pileo, Sect.* 5. & suprà ubi *de Velamine Nuptiali*. Sed & velari consuevisse Veteres in publico luctu, & quidem *labrum superius* Hebræos obnupsisse; alios totum corpus lugubri vestimentô obvolvisse, diximus suprà. Ad *Velorum* sacrum apud Israëlitas usum ut transeam, *Velum* in Templo Salomonico, unum tantùm fuisse, sunt qui statuant Viri doctissimi, cùm unius duntaxat mentio fiat 2. Paralipom. c. 3. v. 14. Sed cùm in vetere Tabernaculo fuerint duo, quæ apertè describuntur *capp.* 26. v. 31. & c. 36. v. 35. 36. 37. Exodi, verisimile non est, in Templo Salomonico unum solùm fuisse; unde & in ejus descriptione duo commemorat Joseph. l. 8. c. 11. & in Templo, quod Herodes instauraverat, duo fuisse, docet idem, *Bellô Jud.* l. 5. c. 14. quorum utrum in morte Christi scissum fuerit, disputant Eruditi! Hieronymô aliisque è Veterib. quos Baronius sequitur, de exteriore; Cyrillô aliisque de interiori velo id intelligentibus. Vide If. Casaubon. *Exercit.* 16. n. 127. Burmanno, *Theol. Synops. Part.* 1. l. 4. c. 13. in Tabernaculo *Vela*, præter aulæa & tapetes, terna erant. Primum ad ingressum Atrii, ad quatuor columnas appensum, Exodi c. 27. v. 16. Secundum, ante primum Tabernaculi thalamum, seu cellam, *Sanctum* dictum, quod Sacerdotibus, inter quinque columnas deaurtas, aditum præbebat, Exodi c. 26. v. 36. Tertium in interiore Tabernaculi parte, *Sanctum Sanctorum* à priori thalamo separans, & 4. suspensum columnis, per quas Pontifex M. quotannis semel in Adytum introibat, Exodi c. 26. v. 31. ac *seqq.* & c. 36. v. 35. Idem, in Templo primo, inter Sanctum & Sanctum Sanctorum murum stetisse, unius cubiti crassitie & post hunc *Velum internum*: eos verò, qui Babylone reversi erant, cùm dubitarent de ejus forma, situ ac proportione, vice muri, *Vela*, inter quæ spatium cubiti intercesserit, extendisse, tradit. Cæterùm *Vela* hæc, hominem, veluti profanum, à sacrorum communione ac Dei sui conspectu arceri: ceremoniarum universam molem, Religioni nebulam ac velum obtendere, carne denique Christi, Divinitatem ejus, velut *Velô* quodam, tectum iri, denotabant. Vide præfatum Burmannum, *loc. cit.* Non verò silentiô hîc prætereundum est, Historiam seu potiùs miraculum *Veli* ad Christi mortem (quæ omnibus his ceremoniis finem imponebat) scissi, ita passim omnibus in Urbe sancta innotuisse; ut ipsi etiam Rabbini veteres infensissimi Christi hostes in suis Scriptis mentionem ejus fecerint. Ut enim observavit Joh. Buxtorfius Senior in *Joma Tract. Talmudico*, inter alia signa infausta, quæ Templi destructionem portendebant, hoc etiam commemoratur; quod Templi fores sponte suâ se aperuerint, idque annis 40. ante excidium: quam narrationem omninò pertinere ad *Veli* scissuram, Evangelistis memoratam Vir ille undiquaque eximius, rectè contendit, Casaub. *ubi suprà*. Nihilominus retentô Hebræorum more, etiam apud Christianos, *velari* olim aditus Templorum & internos & externos consuevisse, discimus ex Hieronymo, *Epitaph. Nepotiani*. *Erat ergo sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si Janitor semper in porta, si Vela semper in ostiis.* Vide quoque Greg. Turonensem, *de Glor. Confess.* c. 55. Et indicant hæc veteres è Musivo picturæ, quæ in absidibus Altarium Romæ passim conspiciuntur. Imò supersunt etiam hodie ibidem porticus Templorum, veluti Alexii, Sabinæ, Augustini in Schola Græca, Cosmatis & Chrysogoni, in quibus cernuntur annuli veteres inserti adhuc ferreis vectibus. Anastasius quoque Bibliothecarius non semel, *Vela de fundato*, *Vela de Chrysoclavo*, *Vela de Quadrapulo*, *Cortinam Alexandrinam*, *Vela albi holoserica*, &c. Et hujus quidem forsan est inscriptio, quæ Coloniæ visitur Agrippinæ. *Cassium. Velarius. Fam. S. Ger. Com. P. stip. XXXVIII.* &c. Car. du Fresne ubi suprà, in Ecclesia Latina, triplex *Velum* suspendi, primum, quod sacra operiat; alterum quod Sacrarium à Clero dividat, tertium, quod Clerum secernat à populo, docet ex Durando, *Ration.* l. 1. c. 3. *num.* 35. ipsosque insuper parietes ac postes Ædium sacrarum aulæis velatis, addit ex Rosweido *ad Paulinum*. A Templis ad Cathedras Episcoporum etiam transiisse *vela*, quas & ipsas velatas fuisse, notavit Baronius, *Not. ad Martyrol.* Nec Pontifices ea rejecêre: Scribit enim Joh. Diaconus, *in vita Gregorii*, *apud Surium*, *Tom.* 2. Hebræos Mercatores nunquam fuisse ad colloquium admissos seu obtentum Rom. Pontificis, sed extra *velum* longissimæ porticus, non quidem in scamnis, sed in pavimento sedentes, suscepta pretia numerâsse. Præterea Sepulchris *vela* etiam Veteres Christianos prætendisse, testatur Prudentius, *Cathemerin. Hymn.* 10. v. 53.

Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus:
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia clarô
Prætendere lintea mos est.

Vide quoque Sedulium, *Carm.* l. 5. Judam incessentem. Qui candor ad Christianos fortè pervenit ab Hebræorum iidem consuetudine, apud quos *sepulchra dealbata* visebantur, Matth. c. 23. v. 27. & huc videtur allusisse Paulus, Ananiam *parietem dealbatum* appellans Actorum c. 23. v. 3. Quod apud Ethnicos quoque obtinuisse suadet locus Ammiani, l. 16. *Suasitque consarcinatis mendaciis læsa Majestatis arcessere Marinum insontem, & fingere, quod velamen purpureum a Diocletiani sepulchro furatus, quibusdam conscius, occultabat.* Et Alcimus Avitus, l. 3. c. 10.

Ille quidem celsa dudum qui floruit aula
Fletibus ad tumulum stipato funere fertur,
Auratoque datur conditus membra sepulchro,
Et pretiosa tegunt clausum lintea marmor, &c.

Vide iterum Laurentium Pignorium, *Comment. de Servis*. De sacro autem capitis in Baptismo *velamine*, apud Veteres etiam usitato, Ans. Solerium, *de Pileo*, *Sect.* 4. uti de ritu *velatis manibus* S. Eucharistiam accipiendi; aliisque huc pertinentibus, suprà. Apud *Monasticæ Rei Scriptores*, *Velum Consecrationis*, à solis Episcopis solis Virginibus, idque solùm in festivis & dominicis diebus datur, non sine variis ceremoniis, in *Pontificali* descriptis: quô acceptô Evangelium legere possent in Matutino: *Velum Professionis*, suscipitur à Virgine, cùm continentiam profitetur, non sine benedictione itidem solenni ac litania: *Velum Ordinationis*, olim Diaconissis seu Viduis dabatur: *Velum Prælationis*, Abbatissis imponitur: & *Velum Monachorum*, eos quondam velabat, cùm benedicebantur, de quibus omnibus vide Car. du Fresne, *in Glossar.* Marcios Fratres, *in Hierolex.* & utrisque Auctores magnô numerô laudatos; qui etiam *Veli*, *quô cooperitur Calix*, *Velique Quadragesimalis*, quô Altaris aspectus aufertur, dum Sacra Liturgia peragitur, tempore Quadragesimæ, meminêre, & extra *Velum*, mulierum confessiones audiri vetitum esse, referunt: In specie de *Velamine Virginum Deo sacrarum*, apud Christianos, Ethnicosque olim, Ans. Solerium ubi suprà, *Sect* 7. &c. de *Velo* foribus Ædium sacrarum, in Eccles. veter. Christian. obtento, quod Ἀμφίθυρα, de *Velo sacro*, intra quod Neophytos adhiberi nefas, ait Cyrillus Alex. *Caten. in Joann.* de *Velo* tandem seu sudario, quô in Liturgia Sacerdotes usi, Cl. Suicerum, *Thesaur. Eccles.* vocibus Ἀμφίθυρα & Καταπέτασμα, item Ἀ[illegible]. Vide quoque, quæ retrò dicta, vocibus *Pandf.* *Tecta* & *Tegere*, uti de *Velis lucratis* aliquid suprà, voce *Loratæ*; de virgis æreis quibus vela adduci reducique mos, voce *Regulares*.

VELUM, quoque linteum quodvis, uti vexillum, à quo etiam nonnulli vocem contractam volunt, uti docet Jul. Cæs. Scaliger, *de causis L. L.* c. 31. Sic concussu *veli* aut chlamydis, hostium adventum: extensô verò eorundem discessum, demonstrare Romanos consuevisse, discimus ex Alex. Neapolitano, *Genial. Dier.* l. 4. c. 2. Et *vela candida* hodie tacitum habere signum colloquii, ait Hugo Grotius, *de Jure Belli & Pacis* l. 3. c. 24. quod est *de Fide tacita*. Ob eminentiam, tegmen aut linteum, quô navis instruitur, verba sunt Becmanni Origg. L. L. Græcè ἱστίον. Virg. l. 1. *Georg.* v. 373.

Humida vela legunt. ———

Ovid. l. 11. *Metam.* v. 470.

Vela tamen spectat summo fluitantia malo.

Alii. De quibus sic Plin. *Proœm.* l. 19 ubi de lino, è quo *Vela* hujusmodi constant: *Quod miraculum majus, herbam esse, quæ admoveat Ægyptum Italiæ: --- quæ Gadis ad Herculis columnas septimô die Ostiam afferat, & citeriorem Hispaniam quartô, provinciam Narbonensem tertiô, Africam alterô --- Audax vita, scelerum plena, aliquid seri, ut ventos procellasque recipiat, & parum esse, fluctibus solis vehi. Jam verò nec vela satis esse majora navigiis. Sed quamvis amplitudine antennarum singulæ arbores sufficiant, super eas tamen addi velorum alia vela: præterque alia in proris, & alia in puppibus pandi, ac tot modis provocari mortem* &c. Ab Icaro inventa, idem habet, l. 7. c. 56. *extr.* quod Dædalo attribuit Pausanias, *in Bœoticis*. Materia linum, papyrus, cannabis, scirpus, cottum, sericum denique, uti de Candischio nobili Anglo legimus, qui ex India redux sub finem seculi præteriti & nauticos funes & vela, ex

pretioso hoc vellere confecta habuit. Forma triangula, quadrata, rotunda: quorum prima hodie non in multo usu, mediam minoribus navigiis amnicisque fieri videmus; ultima apud Indos se conspexisse nautæ Lusitani affirmant. Usus ex verbis Plinii satis liquet. Color varius. Rebus lætis alba fuêre, Guil. Pictav. in *Histor. Normann.* 209. *Stabant naves ad transmittendum paratissimæ, quas verè decuerat albis velis, more Veterum, adornatas esse. Revecturæ enim erant gloriosissimum triumphum.* Item purpurea, uti Simonides de velo, quod Ægeus Theseo dederat, coccini coloris ex ilice aquifolia fuisse, innuit, apud Plut. *in eo*, verbis [illegible] quod tamen alii candidum similiter fuisse scribunt, vide quoque de Cleopatræ navigio eundem *in Antonio*, & Gulielmum laudatum, ubi suprà, *p.* 210. Tristibus verò nigra. Idem paulo ante *p.* 192. *Infeliciter secundi flatus, qui nigerrimis his velis aspiraverunt redeuntibus.* Utraque jungit Catullus, Thesei de nave, *Epithalamiô Pelei, Epigr.* 65. *v.* 232. *f.*

Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas,
Ut simulac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennæ deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes.

Vide Casp. Barthium, *Animadv. ad Statium, Theb. l.* 5. *v.* 130. *minutaque vela* &c. Species variæ. *Tria vela* facit *Pollux* & eum secutus *Isidorus*, majus, quod *acation* appellant; *epidromon*, quòd à tergo est; & minimum, *dolons*. Est & *artemon* genus veli, seu *antemon*, quô majoribus velis appensô nautæ in summo tempestatis discrimine utuntur, uti videre est apud *Nicol. Perottum*, & *Lil. Gyraldum*. *Suppara* quoque velis accensentur, & *orthiax* appendix est, quæ infimæ veli parti adjicitur. Quibus verò adstringuntur funibus vertunturque, *pedes* dixêre, unde [illegible] λίνα Lycophroni, ad quem *Comm.* Meursii vide, & suprà ubi de *Pedibus Navium*, nec non in voce *Pariare*. *Nulla* autem *res æquè adjuvat cursum, quàm summa pars veli, illinc maximè navis urgetur: ita quoties ventus increbuit, majorque est, quàm expedit, antenna submittitur, minus habet virium flatus ex humili*, Senecæ verba sunt &c. Vide Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 20. & *Rei Nautic.* Scriptores suprà ex parte laudatos. In occursu nautico, ut hoc unum addam, demittere *vela* minores majoribus consuevisse, notat Bembus, *Venet. Hist. l.* 4. cujus rei causâ quantum Christiani sanguinis, contra Turcas Piratasque gloriosiùs longè impendendi, fusum sit haud pridem, ignotum nemini. Uti verò *Vela nautica*, prout usus poscit, nautæ tendunt vertuntque multifariam, sic ad Theatrica vela classiarios milites, ob eandem peritiam, adhiberi apud Romanos consuevisse, docet Æl. Lamprid. *Commodo*, c. 15. ubi eum, quòd irrisum se crederet, *Populum Rom. à militibus classiariis, qui vela ducebant, interimi præcepisse, memorat.* Qua de re vide aliquid suprà, uti de *Velis Alexandrinis Plumatisque*, quorum mentio apud Anastasium *in Gregorio* IV. Salmasium, *Not. ad Vopisc. in Carino*, c. 20. & suprà, ubi de *Plumariis*, ac *Polymitariis*: de *Velo Luciliano*, h. e. figura seu morsu figurato, qui non tectus & apertus, ut scomma, sed tectus, & quasi cum velo, apud Ciceronem *ad Attic. l.* 16. *Ep.* 11. Theod. Marcilium, *in Suet. Vespas. c.* 13. ut alia omittam.

VELUS, magus, vide suprà *Armenius*.

VELUTUM, vide suprà *Serica vestis*, & infrà voce *Villosa*.

VELUVIA, Gall. LA VELUVE, tractus Geldriæ inferioris, ubi aliàs Marsaci populi. Terminatur à Septentrione mari Austrinô, ab Ortu Isalâ, ab Occasu dominiô Ultrajectensi, à Meridie Rhenô. Ejus Urbes Arenacum, Hardervicum & Elburgum.

VEMANIA, *Antonin.* locus inter urbem & Nuceriam, *Menavia* quidam malunt.

VEMANIA, oppidul. Sueviæ, *Wangen*; liberum, ad Argum super. fluv. 25. mill. pass. à Campoduno in Occasum, Constantiam versùs 32. circ. 12. à Lindavia in Boream, 60. ab Augusta in Africum. Deficit in dies.

VEMPSUM, Latii oppid. *Valmontone* quibusdam.

VENA, Scaligero à Græco ἶς, ἶνος, Becmanno à Latino *venio*: propriè ὄχετος & canalis est, quô sanguis *venit* & *devenit* in omnes corporis partes. Quomodo & Arab. ורד nominatur à ירד *venire*, quod ab Hebr. ירד descendit. *Papias*, *Vena dicitur, quòd per eam sanguis veniat ad cor* &c. Vide Becmann. Origg. *L. L. p.* 485. Inde ad annum fœcundum ac fertilem translata vox. Horat. *l.* 2. *Carm. Ode* 18. *v.* 9. 10.

At fides & ingenî
Benigna vena est. ———

Quô sensu *venas cujusque generis hominum tenere*, eleganter Cicero dixit, *de Oratore*, *l.* 1. Hinc ad arbores, in quibus *venarum* cursum *fluvium* dixêre Veteres, unde *arbor fluviata* apud Plinium, *l.* 16. *c.* 39. quæ *venis* distingueretur. Græci [illegible], appellârunt, quæ *simplicem venarum cursum*, vel *bifidum* vel *quadrifidum* haberet. Cujusmodi cursu venarum quadruplici fluviatam imam abietis partem, quæ proxima terræ est, & *sappinus* vocitatur, ad Fabrorum intestina opera maximè idoneam esse, ex eodem Plinio discas. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1033. qui etiam de *venis* arborum in laminis sectilibus invicem glutinandis minùs probatis, varia habet, *p.* 427. *ad locum ejusd. Auctoris*, *l.* 16. *c.* 43. Ulteriùs ad terræ meatus, ubi sunt *venæ* metallorum & lapidum, quarum indicium à dæmonibus metallicis fieri vulgò credi, suprà vidimus. Hinc *vena*, pro ipso metallo, apud Solin. *c.* 18. *Tanta ibi* (apud Amantes) *hujusce venæ copia est, ut tecta faciant è salinis*, ad quem locum Salmasium vide. Etiam in gemmis *venæ* dicuntur, quæ oblongô & variô discursu per gemmæ corpus, instar venarum corporis humani, eunt lineæ: quemadmodum *stellæ*, puncta in iisdem sunt & guttæ vel pulveres, ad instar stellarum sparsi. Unde Plinius de Heliotropio gemma, *l.* 37. *c.* 10. *sanguineis venis distincta*: appositè omninò, nam lineis & *venis* & limitibus gemmas *distingui*, stellis vero *spargi* passim apud hunc Auctorem legas, quam in rem vide iterum Salmas. ubi suprà, *p.* 346. nec non, *p.* 563. ubi à *zonis* quoque diversas *venas* in gemmis ostendit &c. Ut verbum addam de prima vocis notione, *venæ sectionem*, quam ab ursis, arborum affrictu, sanguine emissô sibi medentibus, addidicisse homines Crollius ait, non sanitatis solùm, sed & ignominiæ causâ adhibitam à Romanis, diximus suprà, ubi *de Pœnis militaribus*. Vide quoque voce *Balistra*, item ubi de *Mittendi sanguinis ritu*, voce *Posilippus*. Pœnos verò temporum & verticis *venas* pueris quadrimis inurere esse solitos succidâ lanâ, sicque effecisse, ut nullô unquam tempore pituita defluens è capite officeret adeoque illi optimam valetudinem assequerentur, tradit Herodotus, *l.* 4. Quem morem hodieque Æthiopes retinere, & frontem infantum ipsô Natalis die, Etruscos verò occiput, inurere, legimus apud Th. Bartholinum, *de Puerper. Veter.* & *Exercit. Miscell.* ubi de hac ustione plura &c.

VENABULUM, hasta erat oblongior, quâ feræ incurrentes excipiebantur. Plin. *l.* 1. *Ep.* 6. *Apros tres, & quidem pulcherrimos cepi, ipse? inquis, ipse, non tamen ut omnino ab inertia mea discederem. Ad retia sedebam. Erant in proximo non* Venabulum *aut lancea, sed stylus & pugillaris & Clusor statarius.* Græcis, quod feris objiceretur, προβόλιον apud Xenophontem, *Cyneget. passim.* [illegible], vertit Guil. Xylander. *At in aprum sylvestrem canes compares Indicas, Cretenses, Locrenses, Lacænas, casses, jacula, Venabula, tendiculas.* Servio ad *l.* 4. *Æneid. v.* 131. Venabula ob hoc dicta, *quòd sint apta venatui, quasi Excipiabula.* Nonius Marcellus describit, *c.* 18. *num.* 23. *Venantium telum latissimum à cæteris acies longissimæ*: M. Varro Ὄνος λύρας,

——— *Nempe sues sylvaticos*
In montibus sectaris venabulô aut cervos.

Interpretatus est L. Seneca *in Hippolyt. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 49.

Tu grave dextrâ lævâque simul
Robur latô dirige ferrô, &c.

Vide Thom. Dempster. *Paralipomenis in Rosin. Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 8. Pisci autem inventum *venabula* facit Plinius, *l.* 7. *c.* 56. quæ corytis & thecis recondere Venatores, cùm illorum usus non esset; in ipsa autem venatione, ferrum seu mucronem eorum fucare coloribus solitos, ut feræ faciliùs se ferro non visô inducerent, discimus ex Martiali, *de Spectaculis*, *Epigr.* 11. *v.* 3. ubi de urso, qui se ipsum viscô implicuerat,

Splendida jam tectô cessent Venabula *ferro,*
Nec volet excussô lancea torta manu.

Idem feras, in quas *venabula* adhibita, recenset, *l.* 14. *Epigr.* 30. cui hic ipse titulus,

Excipient apros expectabuntque leones,
Intrabunt ursos, si modò certa manus.

Adde pardos, in quos tamen nil fraude hâc opus, namque & in *nuda venabula* præcipites ruunt, Homer. *Il.* φ. & Oppian. *Halieut. l.* 2. ob quam feræ temeritatem, cum ea Alexandrum M. apud Danielem comparari, volunt nonnulli. Sed & leæna, catulis orbata, nuda venabula non timet, vel saltem, ne timeat, oculos humi defigit, Æliano teste &c. Multum verò interest, quâ parte petatur fera. Si ferire voles apri caput, levi flexu irritus fit ictus, quare adigendum telum inter scapulas, quâ parte jugulum est, quam rem pleniùs explicat Xenophon, *Cyneget.* Itidem in pardo *venabulum* adigendum in pectus, corque ipsum, ne alioqui, utcunque vulnus acceperit, rectà in venatorem faciat impetum: quod monitum Polluci legas, *Onomast. l.* 5. *c.* 4. Sed &, ut, si fallere ferium dolô velis, multum refert, cujusmodi ea sint: ita in *venabulis* multum interest, ut è fraxino sint, aliove ligno duriore, ne duræ illisa cuti frangantur atque ita destituant Venatorem, Gerh. Jo. Voss. *de Idololatr. l.* 3. *c.* 70. ubi plura hanc in rem.

VENAFRUM, civitas Campaniæ, oleis abundans, in Samnii confinio: Episcopalis sub Archiepiscopo Capuano. Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 6. *v.* 15.

——— *Viridique certat*
Bacca Venafro.

Martial. *l.* 13. *Epigr.* 98.

Hoc tibi Campani sudabit bacca Venafri.

Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 86.

Ipse Venafrano piscem perfundit.

Strabo, *l.* 5.

Εὐέλαιός ἐστι καὶ αὕτη ἡ περὶ τὸ Οὐέναφρον.

Plin. *l.* 15. *c.* 2. de oleo: *Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe, maximè agro Venafrano.* *Venafro* hodie dicitur. Nonnihil à Vulturno abest, in colle, in provinc. Terræ Laboris, cum titulo Principatus parva. Vix 5. milliar. à confinio Comitatus Molisini in Occasum, 10. à Liri fluv. in Ortum, uti à Cassino monte. Apud Venafrum fons acidulus est, calculosis salutaris, Plin. *l.* 31. *c.* 2. Hinc *Venafrius* & *Venafranus*, nomen gentis, *Nic. Lloydius*.

VENALICIUS, in Glossis σωματέμπορος, qui venales, i. e. servos vendebat. Cicero in *Corneliana*, *Neque divitiæ me movent, quibus omnes Africanos & Lælios multi* Venalicii *Mercatoresque superârunt*,

tant. Alias *Mango* item junctim *Mango Venalitius.* Plinius, *l.* 21. *c.* 26. ubi de hyacintho, *Radix est bulbacea mangonibus venalitiis pulchre nota, quæ e vino dulci illita pubertatem coercet, & non patitur erumpere.* Vide quoque suprà, ubi de *Hyacintho*, & *Vaccinio*; nec non jamjam dicenda.

VENALIS, de mancipio venali κατ' ἐξοχὴν sumitur: *Grex venalium*, Plaut. *Aulul. Actu* 3. *Sc.* 3. *v.* 4. *Cistellar. Actu* 2. *Sc.* 2. *v.* 67. *Rudente, Actu* 2. *sc.* 3. *v.* 26. *Venales illic ductitavit quisquis est: non est misericors.* Idem in *Trinummo, Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 51. *Mercaturamne, an Venales habuit?* Cicer. 5. *Verr. c.* 56. *Illi ad deprecandum periculum proferebant alii purpuram Tyriam, -- -- vina nonnulli Græca, venalesque Asiaticos.* Et de Orat. *l.* 1. *c.* 58. *Manilianas Venalium vendendorum leges ediscere: quæ si extarent, multum afferrent in plurimis locis.* Inprimis verò *Venalium* nomine Servi novitii veniebant. Quintilian. *l.* 8. *c.* 2. *Item quod commune est, & aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur: ut urbem, Romam accipimus, &* Venales, *Novitios; & Corinthia, æra.* In *venalibus* tamen quantumvis viles, mutilos, effœtos, locum invenisse indicat Seneca. *Ep.* 47. *Stare ante limen Callisti Dominum suum vidi, & eum, qui illi impegerat titulum, qui inter rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiam servus ille, in primam decuriam conjectus, in qua vocem Præco experitur.* Ubi *Decuriam* dicit illum gregem, ut Columella, *l.* 1. *c. ult.* Ne enim, de isto etiam inter servos infimo genere, quis putet eorum pretium non esse, videri potest Aug. Busbequius, *Ep.* 3. ubi insigni historiâ Hispani captivi, quem membris ex vulneribus debilitatum Turca quidam emerat, apud Turcas *Servi labore Herum vivere*, prolixè demonstrat. Vide quoque suprà, *Cotmtionalis senex.* Asservârunt autem Catastis *venales* pueros Mancipari, Mangones ac *Venalitiarii.* (Sic enim in familia dicti, qui huic negotiationi præerant) Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 59. *al.* 60. *v.* 5.

Sed quos arcanæ servant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

Plin. *l.* 35. *c.* 18. *Talem in catasta videre Chrysogonum Syllæ.* Sueton. *de Illustr. Gramm. c.* 13. *Laberius Hiera emptus de Catasta.* Eorundem nota gypsati erant pedes. Tibullus, *l.* 2. *Eleg.* 3. *v.* 63.

Nota loquor: regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit
Barbara gypsatos ferre Catasta pedes.

Vide Plin. *l.* 35. *c. antepen.* Sed & *venalitium* fuit loci nomen, ut apud *Petronium*, in quo tituli aliquando pingebantur: In Titulo autem, ex edicto Ædilium Curulium, scribebantur morbi vitiaque mancipiorum & quidquid aliud Emtoris intererat non nescire, Seneca *ubi suprà.* Sueton. de *Illustr. Gramm. c.* 4. *Nam apud Majores, cùm familia alicujus venalis produceretur, non temere quem literatum in titulo, sed literatorem inscribi solitum esse*; Quem aliquando per colla pependisse, discimus ex Propertio, *l.* 4. *Eleg.* 5. Mangones itaque, venum exponentes Mancipia, Servos novitios apud Publicanos profitebantur, *l.* 16. *ff. de Pub. & Vect.* qui ideo vectigales erant, quòd à *Venalitiariis* pluris, quàm veterani, vendebantur. Sueton. de *Cæsare*, *c.* 47. *Servitia recentiora politioraque immenso pretio, & cujus ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri.* Cùm verò fallaciæ hîc atque imposturæ Mangonum plurimæ essent, *Edictô Ædilitiô illis occursum fuisse*, monet Ulpianus, *l.* 36. *ff. de Ædil. Edict.* Vide de illis Senecam, *Ep.* 80. & Plin. *l.* 21. *c.* 26. *l.* 30. *c.* 5. & *l.* 32. *c.* 10. ubi artes Mancipatiorum, qui pubertatem *Venalium* avertebant, recenset. Ad quam turpitudinem præterea institutæ fuerunt in Urbibus officinæ, teste Clem. Alexandrinô, *Pæd. l.* 3. ubi molles picê obliti à vulsoribus, depiles & glabri fiebant. Nec aliò pertinebant in Commodiana supellectili, Samnitica vasa, calefaciendæ seu tabefaciendæ resinæ ac pici, apud Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 8. Translatitia, &, quæ ad omnes *Venales* aptaretur, cantilena fuit,

———— —— *Hic est*
Candidus & talos à vertice pulcher ad imos;

Horatius, *l.* 2. *Ep.* 2. *v.* 4. Vel *v.* 6.

Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,
Literulis Græcis imbutus, idoneus Arti
Cuilibet,

Cui affinia illa Terentiana, *Eunuchô*, *Actu* 3. *Sc.* 2. *v.* 23.

———— *Fac periculum in literis,*
Fac in palæstra, in Musicis, quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, solertem dabo, &c.

At Emptores morbos & vitia *Venalium* sedulò explorabant. Appulejus, *Apolog.* Odore (Gagatis lapidis) *in Venalitiis vulgò sanitatem, aut morbum venalium experiuntur. Etiam orbes à Figulo circumactus, non difficilè ejusdem valetudinis* (de Comitiali morbo loquitur) *hominem vertigine sua corripit.* Claudian. in *Eutrop. l.* 1. *v.* 33.

———— *Quot jura, quot ille*
Mutavit tabulas, vel quanta vocabula vertit!
Nudatus quoties, Medicum dum consulit Emtor.

Vide quoque D. Hieronymum ex Theophrasto, *l.* 1. *contra Jovinianum.* Neque his tantùm experimentis *Venditorum* fraudes cohibitæ sunt, sed & cautionibus, de sanitate Servorum interpositis, quas excogitavit fortè Manilius (sive ille Manlius) cujus leges *Venalium vendendorum* Cicer. tetigit, ut suprà visum. Quæ tamen ab illis non videntur receptæ, *qui ad Castoris negotiabantur, nequam mancipia ementibus vendentibusque, quorum Tabernæ pessimorum servorum turbâ erant refertæ*, Senec. *in Sap. non cad. injur. c.* 13. Etiam *Pileatos servos venum solitos ire, quorum nomine Venditor nihil præstaret*, Cæl. Sabinus JCtus apud A. Gellium docet *l.* 7. *c.* 4. Nempe cùm hôc insigni vendebantur Servi, *Venditor* vitium aut morbum non præstabat, vel quia hôc signô liberali ingeniô, fide & animô sine vitio esse credebantur, vel quia sive boni sive mali essent, Venditor ita vendebat Emtoris periculô, cùm cæteri Servi apertô capite venirent, pileusque solùm quum libertate donarentur, concederetur. Speciem venditionis mancipiorum, exhibet Lucianus, *in Vitar. auctione*, apud quem præconia, quæ Venditor non tenebatur præstare, exprimuntur: Emtoris nomen & patria in tabulas refertur, cum solemni illa præfatione ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, quæ respondet illi alteri, quæ B. & F. notabatur, BONUM FACTUM. Denique, quum in Auctionibus, singulos liceri aspernabantur homines, eos plures in unum pretium missos, aut additos desideratioribus sive mancipiis sive rebus, legimus, quemadmodùm hodieque videas, majoris pretii quæ sunt, singula, viliora acervatim protrudi. Istiusmodi servi Coëmtionalis exemplum lepidissimum habes, apud Plin. *l.* 34. *c.* 3. *Accessio candelabri talis, fuit Theonis jussu Præconis Clesippus fullo, gibber & alii præterea fœdus aspectu, emente id Gegania HS. quinquaginta millibus, eademque ostentante convivio emtum, ludibrii causa nudatus atque impudentia libidinis receptus in thorum, mox Testamentum, prædives Numinum vice illud candelabrum coluit & hanc Corinthiis fabulam adjecit, vindicatis tamen moribus nobili sepulchrô, per quod æterna super terras Geganiæ dedecoris memoria duraret.* E quibus inter alia discimus, quum *jussu* ait *Præconis*, apud dominam hastam illorum imperium & moderamen Theatri Auctionarii fuisse &c. Vide Joh. Frid. Gronov. *de Pecun. vet. l.* 4. *c.* 8. & suprà *Mancipia.* Apud Athenienses, ubi jura Servorum solutiora, quàm Romæ erant, non tantùm heris licebat servos vendere, sed & servis jus erat dominos iniquos adigere, ut se humanioribus venderent, ex lege memorata Plut. *περὶ δεισιδ.* [illegible] Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Att. l.* 2. *tit.* 6. Præter servos venui erant hostes captivi, quos primorum temporum sævitia mox neci dederat. Veniebant autem ii sub corona: sic enim apud A. Gellium legimus, *l.* 7. *c.* 4. *Antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta veniebant, & idcirco dicebantur sub corona venire* (sub hasta scil. Præconibus proclamantibus, venales illi coronas capitibus impositas habebant) vide quoque Tertullian. *de Coron. mil.* Idem tamen Gellius paulo pòst, aliam afferens opinionem, cur dici solitum sit, captivos sub corona venundari. *Quod milites, ait, custodiæ causâ captivorum venalium greges circumstarent: eaque circumstatio militum corona appellata sit*; Sed ipse prius magis verum esse judicat. Pertinent huc *Sardi*, Proverbiô *venales* dicti &c. Utrôque hominum genere liberi duriùs Romuli Legibus habiti, quos non semel tantùm, sed tertiâ vice *vendere* Parentibus erat permissum, verùm de his infrà, ut & de aliis quibusdam huc pertinentibus, vide ubi de *Vendendi liberos jure*: uti & de rebus aliis *Venalibus* uti & hîc passim, ubi de *Foro*, verbô *Emere*, *Proscribere* &c.

VENANTIUS Fortunatus, dictus quoque Clementianus Honorius, Episcopus Pictaviensis, gente Italus, Ravennæ studiis incubuit, inde Turones delatus Gregorio Episcopo innotuit, posteà Præsul factus est. Scripsit *Poëma libb.* 4. *de vita S. Martini*: Item alia, cum *vitis variorum Sanctor.* quæ omnia à Jesuita Christoph. Brouverio edita. Obiit arte Secul. 7. Vide Gregor. Turonens. Bedam, *Hist. Eccl. Angl. l.* 1. *c.* 7. Paul. Diaconum, *l.* 2. *Hist. Longob. c.* 3. Aimoin. *Histor. Franc. l.* 3. *c.* 13. Sigebert. *c.* 44. *de Scriptorib. Eccles.* Vossium, *l.* 2. *de Hist. Lat. c.* 22. *Crinitum, Giraldum*, &c.

VENANTODUNUM, i. e. *venatorum mons*, ut scribit *Lelandus*, qui hoc Angliæ oppid. sic vocat, quod vulgò *Huntington* dicitur.

VENARIA, insul. parva in Sinu Formiano, *Mela.* In mari Tyrrheno. Plin. *l.* 3. *c.* 6.

VENATIO, Polluci, *l.* 5. [illegible]: Xenophonti, *Cyrop. l.* 1. [illegible], Philoni *de Vita Mos.* [illegible], Principibus Viris jam olim tantæ curæ fuit, ut Darius sepulchro suo, inter alia, hoc quoque voluerit insculpi, *Κυνηγῶν ἐκράτησα*, *Venator extiti*, apud Joh. Meursium, in *Lycophr. Notis.* Et certè *multum habet prudentiæ & virtutis militaris; eoque huic inter pacis otia, jure operam dant militiæ amantes*, Vossius. Vide Platonem, *de LL. l.* 7. *sub fin.* Aristotelem, *Polit. l.* 1. *c.* 5. Berneggerum, *in Taciti German. Quæst.* 79. Valetudini præterea & bono corporis habitui comparando tuendoque multum conducit. Unde Galenus, *de tuenda valet. l.* 2. *c.* 8. & *l. de ludo parvæ pilæ*, inter exercitationes corporis sanitati inservientes, *Venationem* quoque reponit: Plinius Junior, *l.* 5. *Ep.* 18. ejus beneficiô corpus sanum conservâsse docet: Razis item Arabs, *contigisse in quadam peste*, scribit, *ut dum omnes perirent, soli Venatores, ob summam valetudinem assiduis exercitationibus partam, incolumes evaserint.* Nec prætereundi Lacedæmonii, à quibus olim ad cœnam acceptus Dionysius Syracusanus, cùm cibis appositis delectari se negâsset, responsum tulit, id inde evenire, quòd nec in venatu nec in cursu sese exercuisset, atque adeò siti & fame, Laconum condimentis, careret. Itaque non mirum, Mithridatem, quem sanitatis studiosum quàm maximè novimus, *Venationi* ita avidè dedisse operam, ut septem annis neque urbis neque ruris tectô sit usus &c. Vide hanc in rem plura, apud Hier. Mercurialem, *de arte Gymnast. l.* 3. *c.* 15. *de Venatione*, & *l.* 6. *c.* 13. *de Venationis conditionibus.* Pythagoras tamen à *Venatione* alienus fuit, ut quem

θηρήτορσι μεθίεσθαι πλανητεύειν scripserit Eudoxus & ex eo Porphyrius, *in vita Pythagor.* ac idem prodit Jamblichus, *de vita ejus c.* 30. Nec admodùm præclarè de *Venatione* sentit Sallustius, *Proœm. Catil. Conj. c.* 4. *Non fuit consilium agrum colendo, aut venando, servilibus officiis intentum, ætatem agere.* Ubi non Agriculturam duntaxat, sed etiam Venationem *servile* vocat *officium*. Notum quoque, ut Clericis eâ, sicut & donationibus in Venatores, sit interdictum, *Can.* 8. *de Venator.* Vide Cajetanum *in Summula.* Interim laudes *Venationis*, præter ea, quæ diximus, notæ ex Xenophonte, *Cyneget.* aliisque, de quibus Rittershusius *ad Oppiani Cyneget.* Qui illam invenerint, quive eâ excelluerint, carmine exposuit Franc. Philelphus, *Satyr. Hecatostichâ sextâ l.* 6. Artis præsidem Dianam habuêre Gentiles, Q. Symmach. *l.* 9. *Ep.* 28. unde *Venatricis* cognomentum ipsi impositum. Minutius Felix, *Octav.* eidem omnis lucus dedicatus, Luct. Placidus, *l.* 4. *Thebaid. v.* 425. pars item prædæ suspensa, Lucilius Poëta, *Antholog. l.* 2. *c.* 18. ejusque statuis retia addita sunt, venabula item, lineæ versicolores ac canes catenati. Imò, quia *creditum ab antiquis*, verba sunt Jo. Brodæi, *in Antholog. Dianam Idibus Augusti venatu abstinere, ideoque nec venari tunc, cessante Deâ, licebat, sed coronabantur consueti canes facesque accendebantur spicatæ, juxtaque suspendebatur, quidquid erat venatoriorum instrumentorum.* Vide quoque Hadr. Turnebum, *Advers. l.* 7. *c. ult.* Quò respicit Gratius *in Cynegetico suo*, *v.* 484.

Spicatasque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus, & solitô catuli velantur honore,
Ipsaque per flores, medio in discrimine luci
Stravêre arma sacris.

Adde Papinium Statium, *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 54. Leporum tamen venationi in specie Pana vel Faunum præfectum, suprà diximus. Species *Venationis* cùm plurimas recenseat Mercurialis præfatus: Alia enim *retibus*, alia *laqueis*, *visco* & *aucupiis*, alia *carnivoris* & *rapacibus avibus*; alia *canibus*, *sagittisque vel puris vel tinctis* (quas ideo Gallos Venatores *helleborô inficere* consuevisse tradit Plin. *l.* 25. *c.* 5. *quia circumcisô vulnere caro tenerior sentiatur*) alia *armis*, modò in *volatilia*, modò in *terrestres bellua*s, peragebatur: Alia *equestris*, alia *pedestris* erat &c. Vossius *Venationem* commodiùs triplicem facit, *Terrestrem*, Græcè θηριοθηρίαν seu Κυνηγεσίαν, *Venationem* propriè appellatam; *Aëriam*, Græcè ὀρνιθοθηρίαν, quam *Aucupium* speciali nomine dicunt; & *Aquaticam*, Græcè Ἁλιευτικήν, cui *Piscatoria* peculiare est nomen, quæ species iterum variè subdividi possunt. Et quidem duas posteriores quod breviter attinet, *Venationem aëriam*, quæ accipitre fit, non nisi circa Constantini & Theodosii Imperatorum tempora, inter Romanos cœpisse diximus, suprà in voce *Falco*, item *Protohieracarius.* Aucupium, quô aves illectæ, superfusis retibus includuntur, aut viscatis virgis detinentur, Platonis LL. ut vile & inglorium, prohibitum legimus, de eo tamen librum reliquit Leo Philosophus Imperator, qui cœpit imperare A. C. 886. Piscatio Augusto apprimè placuit, multorumque editis libris celebris est, uti dictum *suô locô.* Prima verò, quæ terrestrium ferarum, vel *Fortis* est iterum, ut quæ canibus fit & equis; vel *Imbellis*, ut quæ retibus peragitur. Et quidem magnitudinem retis & linum, è quo confici debeat, Gratius exponit *loc. cit.* de eorum confectione, præceptum extat Nemesiani Carthagin. *in Cyneget.* de eo, qui inter venandum retibus præpositus sedebat, seu potiùs stabat, *Clusor statarius* Plinio, *Subsessor* Senecæ. *Hippolyto*, *v.* 31. Græcis ἀρκυωρὸς dictus, vide Plinium Junior. *l.* 1. *Ep.* 6. Instrumentum præcipuum *Venabulum* fuit, de quo suprà. Ad concludendas porro saltibus feras vel ad terrendos apros, vulpes, lupos, ursos & præcipuè cervos linea versicolor adhibebatur, in qua alternus plumarum contextus, vulturis inprimis & cygni, laudatus; interdum verò & sandice fucabatur: de qua dictum in voce *Linea.* Ad canes venaticos pertinet Phæmonis vel incerti Scriptoris liber περὶ κυνῶν ἐπιμελείας, *de Canum cura*, quem Wittebergæ primus Græcè, versione etiam suâ additâ, divulgavit Andr. Aurifaber Vratislaviensis; posteàque unà cum Rei accipitrariæ Scriptoribus edidit Lutetiæ Nicolaus Rigaltius. Extat & carmen elegantissimum Hier. Fracastorii, quod *Alcon, sive de cura Venaticorum canum* inscribitur. Addam unicum hic è Claudiano locum, *de laud. Stilicon. l.* 3. *v.* 297.

——— *Variæ formis & gente sequuntur,*
Ingenioque canes. illæ gravioribus aptæ
Morsibus, hæ pedibus celeres: hæ nare sagaces,
Hirsutaque fremunt Cressæ, tenuesque Lacænæ,
Magnaque taurorum fracturæ colla Britannæ, &c.

Vide quoque Gerh. Jo. Vossium, *de Philosophia*, *c.* 7. adde Thomam Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 2. *c.* 7. & quæ suprà diximus de *Cane Venatico.* Proprium *Venatorum* verbum *Dejicere* fuit. Curtius, *l.* 8. *c.* 1. *Ille* (Alexander M.) *quatuor millibus ferarum dejectis, in eodem saltu epulatus est.* Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 422.

——— *Et sibilo colla tumentem*
Dejice.

Phædrus, *l.* 2. *Fab.* 2. *v.* 1.

Super juvencum stabat dejectum leo.

Calceamentum cothurnus, ut de Diana Liv. Andronicus & Virgilius docent: qui à Tragicorum cothurno quô pactô diversus fuerit, vide B. Balduinum, *de Calceo Antiq. c.* 15. Sed & Sericfinnos per glaciem nivesque feras insequentes, *Nartis* hodieque uti, diximus suprà, in hac voce. Adde de *Venatoriis* istiusmodi calceis, Dempsterum iterum *ad Rosin. l.* 5. *c.* 36. Cùm verò cantiones suas meditati sint & Pastores & Aratores, *de Venatoribus* nihil simile legimus. Et quidem hi, quia in motu sunt, minùs ad verba propensi existunt: *Quia nunquam sanctum putamus, in venatu loqui: nedum in cantus aptus judicetur*, Jul. Cæs. Scaliger, *Poetic. l.* 1. *c.* 4. &c. Ne autem modus excedatur venando, sicque *Venator*, ut Keckermannus definit, *ipse fiat bestia, sedens super bestiam & insequens bestiam*, Martialis, *l.* 12. *Epigr.* 14. *v.* 1. ad Priscum, verbis:

Parciùs utaris, moneo, rapiente veredô,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ Venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus, equo.
Insidias & campus habet, nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licèt, fallere plana solent, &c.

Hinc *Venatores* Servi, dicebantur apud Romanos, qui feras persequebantur; quemadmodùm Aucupes servi aves capiebant, Piscatores servi piscabantur: qui omnes instruendarum gratiâ quotidianarum epularum habebantur. Horat. *l.* 1. *Ep.* 6. *v.* 56.

Si bene qui cœnat, bene vivit, lucet: eamus,
Quo ducit gula: piscemur, venemur, ut olim
Gargilius, qui manè plagas, venabula, servos
Differtum transire Forum, populumque jubebat.

Hinc Seneca, *Ep.* 89. *in fin. Nullis animalibus, nisi ex fastidio pax est: quantulum enim ex istis epulis, quæ per tot comparatæ manus, fessô voluptatibus ore libatis? Quantulum ex ista fera periculosè capta dominus crudus ac nauseans gustat.* Et Amm. Marcellin. *l.* 21. *c.* 4. *Pars eorum, si agros visuri processerunt longiùs, aut alienis laboribus* (Servorum suorum) *venaturi, Alexandri M. itinera se putant æquiparâsse vel Cæsaris.* De iisdem agitur *l.* 99. §. 1. *ff. de Legat.* 3. *Venatores & Aucupes utrum in urbanis an rusticis contineantur, dubitari potest: Sed dicendum ubi Paterfamilias moraretur, & hos alebat, ibi eos numerari.* Inter eos autem non obscuri nominis erant Luparii, qui *carnibus venenô tinctis Lupos necarent*, Serv. *ad Virgil. Georg. l.* 1. *v.* 139. uti & apud Athenienses, ei qui Lupum attulisset, drachmas quinque; qui Lupam, drachmam unam, dari olim consuevisse, Lege Solonis Τῷ κομίσαντι λύκον, πέντε δραχμὰς δίδοσθαι, λυκίδα δὲ μίαν, discimus ex Plut. *Solone.* Quia verò non intra leporarium solùm (quod primò tantùm lepores, processu temporis cervos, capreas, oves feras, apros &c. capiebat) & vivaria tantùm exercebatur *Venatio*, sed & in saltibus fundorum montibusque, ad hæc Vestigatores habebantur, qui ferarum cubilia per vestigia indagarent, de quibus *infrà.* Cumque non solum mensæ, sed etiam domesticæ oblectationi *Venatio* serviret, Mansuetarii servi adhibebantur, qui, ut Seneca ait *Ep.* 85. *sub fin. sævissima animalia & ad occursum exterrentia hominem, docerent jugum pati, nec asperitatem excussisse contenti, usque in contubernium mitigarent.* Hinc *ursos* & leones placidos domi ali solitos, Id. *de ira*, *l.* 2. *c.* 31. quò Ursarii pertinent, Edinero *in vita Anselmi*, *l.* 1. memorati. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*; Titum Popmam, *de Operis servor.* Alios. Gerh. Joh. Voss. inprimis, *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 17. ubi quô pactô ferarum quælibet capi consueverit, accuratè explicat. Circa nomen id addere placuit, quòd posterior Latinitas discrimen statuit, inter *Venatum* & *Venationem*, ut illud sit θήρα, hoc θήραμα propriè; ita enim ista Græci distinguunt: illud actus ipse, ut sic dicam, venandi; illud, quod *venatione* capitur, ferina, etiam Gall. *venaison.* Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 37. *Leporem quotidie habuit, venationem frequentem, sed eam cum amicis dividebat.* Sidonius, *Ep. ad Industrium*, *l.* 4. *Ferarum carnibus abstinet, cursibus acquiescit: itaque occultè delicatèque religiosus venator utitur, nec utitur venatione* &c. Imò & meliori ævô id discriminis observatum, notat Salmasius, ex elegantissimo Celio, qui *l.* 1. *c.* 6. *Venatio utrique pisces & ex domesticis animalibus assa caro maximè juvant*, *Not. ad Capitolin. in Marco*, *c.* 4. Vide quoque eum ad Lamprid. *d. l.* At numerô plurium *Venationes*, apud Jul. Capitolin. *in eodem*, *c.* 4. *Fuit autem eâ vita indulgentiâ, ut cogeretur nonnunquam vel in Venationes pergere, vel in theatrum descendere:* venationes sunt Amphitheatrales; uti & apud Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 25. de quibus aliquid infrà.

VENATIO Direptionis, apud Flav. Vopiscum *in Probo*, *c.* 19. *Venationem in Circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet:* quale *spectaculi genus* fuerit, idem mox hisce exponit: *Arbores validæ per milites radicitus vulsæ connexis latè longèque trabibus affixæ sunt, terra deinde superjecta, totusque Circus ad sylvæ consitus speciem, gratiâ novi viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt vel inveniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit.* *Sylvam* Capitolinus hanc vocat, *in Gordianis*, *c.* 3. à qua diversum omninò Pancarpum fuit, ut in quo homines mercede conducti cum bestiis depugnarent. Hinc idem Vopiscus paulo pòst, *Addidit aliâ die in Amphitheatro centum jubatos leones.* Vide suprà voce *Pancarpum.* Auctor primus *Venationis hujus Circensis* Heliogabalus fuit, teste Lampridiô, *c.* 26. quam & sequentes quà privati Consules, quà Imperatores, in editione Ludorum suorum usurpârunt, usque ad principatum Constantini M. à quo tempore nulla alia in usu ac more fuêre missilia & sparsiones Consulares quàm ex auro, argento & ære numismatum, *Venationis mansuetas feras diripere solitæ* etiam mentione extinctâ. Πάγκαρπον tamen ulteriùs durâsse, discimus ex *Nov.* 105. &c. Vide hanc in rem plura suprà, ubi de *Herbaticis Animalibus*, nec non voce *Sylva.*

VENATOR, nomen dignitatis, in Aula Francica, apud Hincmarum, *de Ordine Palatii*, *c.* 16. & 24. ubi eorum quatuor principales in Palatio Regum Francicorum olim fuisse, docet. *Maitre*

Veneur

Venator appellatur, in *Statuto* Caroli V. A.C. 1375. apud Car. du Fresne, *Glossar.* Vide quoque suprà in voce *Foresta*, ubi de *Forestis Dominicis*, sylvis scil. majoribus, quas Principes hi sibi reservabant certis anni tempestatibus in iis venaturi. Uti enim veteribus Gallis, quod testatur Arrianus de *Venatione*, c. 34. ita Francis postmodùm *venatio* familiare fuit exercitium: in quibus & librum edidit Carolus IX. qui in omnium versatur manu. Fiebant autem *Venationes* hæ cum tota Palatii Comitiva, idque sub Autumnum ut plurimùm, teste Auctore *Vitæ* Ludovici Pii, A.C. 817. & 821. Præter Francos verò, Reges Angliæ Normannicos *Venationis* apprimè studiosos extitisse, ex Scriptoribus constat, Joanne inprimis Sarisber. *Policr.* *l.* 1. *c.* 4. & diximus aliquid suprà non unô locô, inprimis ubi de horum *Protoforestariis*, dignitate hodie abolitâ. De antiquis Principibus vide Jo. Meursium, *Not. ad Lycophronem*, & quæ retrò diximus: uti de synonymis *Venatoris*, suprà in vocibus *Vastator*, & *Victor*; de dignitate verò *Venatorum Imperii*, Pomeraniæ Ducibus olim collatâ, suprà ubi de *Bernimo IV*.

VENATOR Perdix, vide suprà *Perdix Venator*.

VENATOR Johannes, vide *Johannes*.

VENATORIA Galea, apud C. Nepotem, *Datame*, c. 3. *Gerens in capite galeam venatoriam*: quæ videl. ad terrorem hirsutis pellibus tecta erat, ut loquitur Vegetius, *l.* 2. *c.* 16. Sic videas passim nummos antiquos, ubi in capitibus exuviæ captarum, arietum, elephantorum, Galeas certè ex diversorum animalium pellibus fuisse confectas olim, probat etiam Scaliger, *Conjectaneis suis ad Varronem*, & diximus suô locô. Atque hæc eadem fuit cum *venatoria* Nepotis. Vide quoque Just. Lipsium, *ad Polybium*, *l.* 3. *Commentar. de Militia Romana*.

VENATORIUS Ludus, memoratur *l.* 8. *§. ult. ff. de pœn.* qui & *Bestiarius*, apud Senecam, *Ep.* 70. Item *Ludus* simpliciter, quem pœnæ mediocris genus statuit Paulus JC. *l.* 5. *Sent. tit.* 7. Unde *ad Ludum damnari*, vel *in Ludum*, item *Ludo adjudicari*, *l.* 8. *de pœn. Cod. Theodos.* Expressiùs *Servos in Ludum Venatorum dari solere*, *l. ead.* §. *ult.* Trebell. Pollio *ludicriam venationem* vocat in *Gallienis*, c. 3. ubi *Ludios* quidem olim Histriones, posteà verò etiam Μονομάχους & Θηριομάχους, *Gladiatores* & *Bestiarios*, vocatos esse, adnotat Salmasius. De quo supplicio Tertullianus, *de Spectac. Etiam*, inquit, *qui damnantur in Ludum, quale est, ut leviore delicto in homicidas emendationem proficiant*. In servos fugitivos inprimis hæc pœna statuta, ut de Androdo, inter alia, legimus: posteà sub Imperatorib. Gentilibus in Christianos, Clem. Alexandrin. *de Constitut. Apostol.* c. 1. Εἰ δὲ Χριστιανὸς κατακριθεὶς ὑπὸ ἀπίστων, εἰς λῦδον, ἢ θηρία, ἢ μέταλλα. Objectabantur enim illi bestiis, nisi quum *Venationes* darentur. Unde quum Polycarpum ad leones postularent, respondit Proconsul fieri hoc non posse, ἐπειδὴ πεπληρωκὼς ἦν τὰ κυνηγέσια, *quia venationes peregisset*, in *Epistola* Smyrnensis Eccles. apud Euseb. *Histor. Eccl.* *l.* 4. *c.* 15. Quare vivus concrematus est floridissimus Martyr. Et scribunt Lugdunenses ac Viennenses τὴν τῶν θηριομαχιῶν ἡμέραν, *Venationum diem*, statutum indictum fuisse ut Maturus, Sanctus, Blandina & Attalus, bestiis possent objici, apud eund. Donec id vetuerunt Valentinianus & Valens Augg. *l.* 8. *de pœn.* memoratâ: quæ causa, cur in Constitut. quadam Constantini, in qua scriptum erat, *Si quis in Ludum fuerit, vel in metallum damnatus*, Tribonianus tantùm *metalli* mentionem fecerit, *l.* 17. *Cod. de pœnis*, ut apparet ex *l.* 2. *eod. tit. in Cod. cit.* Joh. Laurent. JC. *Notis in Phædrum*, *l.* 5. *fab.* 5. Edebantur verò conclusarum ferarum hæ *Venationes*, sicut & Ludi Gladiatorii, in Amphitheatris, ut videre est pluribus apud Lipsium, *de Amphitheatro*. Sed & in Circensibus Ludis, qui in circo, & Castrensibus, qui in castris Prætoriis habebantur, edi *Venationes* consuevisse, adnotat Jul. Cæs. Scaliger, *Poetices* *l.* 1. *c.* 31. sicut contra, quietiora omnia Saturno: quippe pro venabulis & apris cereoli, missilia, placentulæ, crustula & alia: Ut autem bestiarum ad spectacula tantùm nonnulla erant genera, ut Camelopardalis & Phœnix: sic alia ad pugnandum erant, Elephanti, pantheræ, leones, ursi, rhinocerotes. Scævola primus leonum pugnas dedit, Pompejus 305. Julius 400. cautumque Senatus-Consultô est, ne Africanos in urbem portarent, contra quod Cn. Aufidius fecit Circensium apparatu: Augustus tigrem dedit, Cn. Domitius centum ursos Numidicos, cum totidem *Venatoribus*, ex Æthiopia. Idem, *l. cit. c.* 28. &c. Vide quoque suprà passim, inprimis ubi de *Bestiariis*, & cruento *Feris homines objiciendi more*.

VENATUS Claudius, vide *Claudius*.

Imperator, Reges, Duces.

VENCESLAUS, Imperator & Bohemiæ Rex, fil. Caroli IV. qui cuique Electorum 100000. Imperiales ex patrimonio Imperii solvit, ut filium Imperio admoverent. Factum id A.C. 1376. & Wenceslaus successit Patri, A.C. 1378. Sed nullis, neque corporis, neque animi dotibus insignis, Reip. negligens, depositus est, A.C. 1400. surrogatô ei primùm Fridericô Duce Brunsuicensi, dein Robertô Palatinô. Norimbergensibus sibi adhuc fidis juramentum remisit, hâc lege, ut sibi aliquot plaustra generosioris vini Bacharacensis, summitterent: sic in Bohemiam suam reversus, ibi inglorius, obiit paralysi, A.C. 1419. regni Bohemici 55. ætat. 57. Sub hoc Rege purior doctrina, quam Hussius prædicaverat, feliciter propagata est, connivente illô ac dicente, *Anserem hunc* (Huss) *aurea sibi ova parere*. Cromer. *l.* 15. Erat hujus nominis quartus Bohemiæ Rex. Primus enim *Venceslaus*, cognomine Cœcus, quod in venatione oculum amisisset, successit patri Przemislao, & post varias Fortunæ vices, obiit A.C. 1253. ætat. 47. regni 24. Pater Ottocari II. Avus

VENCESLAI II. cognomine Sancti, qui ipsi successit, A.C. 1278. ætat. 8. sub tutela Othonis Longi, Marchionis Brandeburg. Postmodùm Pragæ coronatus, A.C. 1297. ductâ Andreæ Hungariæ Regis filiâ, à Polonis A.C. 1300. in Regem electus est. Filius ejus *Venceslaus III.* Olomutii occisus est, A.C. 1306. cùm Poloniæ regnum capessere vellet. Paulus Stranskius, *Bohem. Resp.*

VENCESLAUS, Bohemiæ Dux, patri Vratislao successit, A.C. 916. ætat. 8. Matre Drahomirâ rerum satagente. Pietate inclytus, à fratre Boleslao, A.C. 928. in convivio occisus. Vide quoque *Wenceslaus*.

VENCHEUM, urbs provinc. Chequianensis, undecima, in regno Sinarum, sub qua 5. urbes. Prope oram littoralem Oceani Sinici cum portu capaci & emporio celebri. *Martinius*. Vulgo *Vengchen*.

VENCU, nomen fructus Sinici prænobilis, quem *Jamboa* Lusitani, Hollandi *Pompelmoes*, vocant. Nascitur in spinosis arboribus, ut limonia poma solent, sed majoribus; flores omnino similes albique, suavissimi odoris, ex quibus aqua fragrantissima elicitur destillatoriâ arte. Fructus autem citria etiam maximâ magnitudine superat longè, capitis quippe humani molem aut æquans aut excedens. Cortex reliquus pomis aureis similis est, pulpa interna rubescit, dulcedinem aliquâ aciditate permixtam obtinens, uvæmque sapore refert nondum plenè maturam: unde ex eo etiam liquor potui solet exprimi, uti in Europa ex cerasis, pyris, pomis, pro sicera. Suspensus domi fructus ad annum perdurat. Auctor Anonymus *Sina & Europa*, c. 31.

VENDA, urbs Litlandiæ provinc. in Livonia; vulgò *Wenden*, Aliter *Vendow*. Episcopalis facta à Sixto V. sub Archiepiscopo Gnesnensi. Ad amnem cognominem, qui paulo pòst in Teyderam fluv. cadit, 19. leuc. à Torpato in Africum, vix 4. à Conenburgo in Occasum. Segevold. versus 5 Sub Suecis.

VENDENDI liberos jus, Parentibus concessum ex Romuli lege, cum jure vitæ & necis, ac potestate δεσποτικῇ, eousque se extendebat, ut ter *vendere* licitum fuerit filium, semel filiam & cæteros liberos, antequàm emanciparentur. Unde & in LL. XII. Tabular. cautum legimus, *Si. Pater. filium. ter. venum. duit. filius. à. Patre. liber. esto: liberos cæteros. semel. si. venum. duit. sui. juris. sunto*: mitiori tum Servorum conditione, quos semel liberos ac sui juris factos in servitutem retrahere non licebat, ut annotavit Dionys. Halicarn. *l.* 2. καὶ τοῦτο συνεχώρει τῷ πατρί, μέχρι τρίτης πράσεως, ἀφ' ἧς χρηματίζειν, μείζονα δοὺς ἐξουσίαν πατρὶ κατὰ παιδὸς, ἢ δεσπότῃ κατὰ δούλου. Sed jus istud mutavit, neque concessum fuit Patribus liberos vendere; priusque id abrogatum est, antequam vitæ necisque potestas in liberos Patribus denegaretur, *l.* 10. *Cod. de patr. pot.* Interim & hic aliquid paulo pòst immutatum est, nam Pauli JC. temporibus, si cogeret egestas, adeò ut ipse pater non posset alendis liberis sufficere, *vendere* eos illi licuisse, docet is, *l.* 5. *Sentent. tit.* 1. §. 1. Nec tamen id diu mansit, sed omni omnino liberorum *venditione* Patribus interdictum est, uti constat è Diocletiani *constitut.* *l.* 1. *C. de Patribus q. f. s. distraxerunt*. Cùm tamen obtineri non posset, ut Patres egeni ab oppignoratione, si non venditione liberorum, abstinerent: utrâque hac Patribus interdixit Constantinus M. *l.* 2. *Cod. Theodos. de alimentis, quæ inopes Parentes de publico petere debeant*, quod factum A.C. 322. Annô dein sequenti nullô modô eripi posse libertatem, idem constituit, *d. l.* 10. *Cod. de Patr. pot.* Verùm ne sic quidem potuit extorquere à populo Imperator, quin Patres inopiâ laborantes liberos suos venderent victûs causâ, quantumvis ipse, ne fieret, Legibus cavisset: itaque sanguinolentos adhuc & à matre rubentes liberos parentibus victûs causâ vendere permisit, *l.* 2. *C. de Patribus qui liberos suos distraxerunt*: qui tamen pretium aut vicarium offerendo vindicabantur in libertatem. Dion. Chrysost. *Orat.* 15. (quam compensationem sustulit Valentinianus Imperat. *l. unic. C. Theodos. tit. cit.*) mansitque constitutio hæc usque ad Theodosii M. tempora, quod ad venditionem liberorum victûs causâ attinet. At cùm A.C. 447. fames universam Europam vexaret, Italici homines filios & Parentes *vendiderunt*, quos Placidius Valentinianus redimi præcepit, sub quintæ adjectione, *Novell.* 11. *Valentin.* Quibus tamen optimorum Imperatorum sanctionibus malæ huic mercaturæ obviam penitùs itum non est, cùm in Lucaniis, Conventu Leucotheæ, natali D. Cypriani, à Parentibus liberi passim distraherentur, Laur. Pignorius, *Comm. de Servis*. Nec omittendum, ex Lege Romuli præfata, (quâ adeò sanctum jus Patriæ potestatis fecerat, ut ter vendendi filium facultatem daret Patri, sicque post primam & secundam mancipationem, si quô casu liber esset factus, in ejus potestatem filius recideret) fluxisse ritum emancipationis Filiorum, quâ ut jus illud imaginatiâ mancipatione solveretur, ter illam repeti, eoque ter nummô appensô, duabusque manumissionibus & denique remancipatione ac manumissione, peragi necesse erat. Inde nec Adoptio erat justa, nisi naturalis Pater *tertiâ mancipatione in jure cessisset*, ut est apud Gellium, *l.* 5. *c.* 19. Vide Joh. Frid. Gronov. *de Pecun. Vet.* *l.* 4. *c.* 7. Serapion vero etiam se ipsum *vendidit*, quod & de Russis, sed aliò longè fine, scribunt *Rerum Mosc.* Scriptores; de aliis suprà vidimus, voce *Obnoxiatio*. Ut & de Atheniensibus hoc addam, apud illos ante Solonis νομοθεσίαν, non tàm Lege, quàm moribus Populi, licebat similiter liberos *vendere*, ut scribit Plut. *in Solone*, πολλοὶ δὲ καὶ παῖδας ἰδίους ἠναγκάζοντο πωλεῖν· οὐδεὶς γὰρ νόμος ἐκώλυε. At verò Solon Legem hanc tulit, Μὴ ἐξεῖναι θυγατέρας πωλεῖν, μήτ' ἀδελφὰς, πλὴν ἂν μὴ λάβῃ παρθένον ἀνδρὶ συγγεγενημένην, *Filiam aut sororem vendere nemini jus esto, nisi in ea adhuc Virgine mœchum deprehenderit*, apud Eundem, ibidem. Vide Sam. Petitum, *Commentariô in Leges Atticas*. *l.* 2. *tit.* 4. qui etiam *l.* 5. *tit.* 5. *de Emtione, Venditione, & Evictione*, ex Jure Attico egregiè disserit. Cæterùm *Venalium* rerum, in Foro, apud eosdem Athenienses, cura fuit, penès Agoranomos: quorum erat videre, ut religiosè observaretur Lex, quæ vetabat in Foro mentiri, idque περὶ ὠνίων maximè. Ἀψευδεῖν ἐν τῇ ἀγορᾷ, *In Foro ne mentiuntor*, cujus meminit Hyperides apud Harpocrationem. Ne itaque ullatenus imponerent, seu *Venditores*, seu Emtores, cavebant. Hinc etiam re nondum Emptori traditâ, sed arrâ

tantùm

tantùm à *Venditore* acceptâ, si hic à contractu recederet, adversùs eum competebat emtori *βεβαιώσεως* actio, Harpocrat. è Lysia: quamvis vix res venales sine pecunia dabant, unde Plautus *Asinariâ*, *Actu 1. sc. 3. v. 47. Græcâ mercari fide* dixit. Imò adeò omnem in Foro fraudem præcavere annisi sunt Athenienses, ut Aristonici Lege cautum sit, ne Piscatu pisces minoris, quàm indicâssent, venderent: si secus fecissent, in carcerem raperentur, *τοὺς ἰχθυοπώλας μὴ ἀποδίδοσθαι τοὺς ἰχθύας ἐλάττονος ἧς εἴπωσι τιμῆς, ἢ εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγεσθαι*, quam laudat Alexis Comicus *in Lebete*. Iisdem, ne pisces putridos aut marcidos aquâ, ut viderentur recentes, rigarent, Lege itidem interdictum est, *Τοὺς ἰχθυοπώλας μὴ ῥαίνειν τοὺς ἰχθῦς σαπρούς*, quam refert Xenarchus *Πορφύρᾳ*. Sed Opsonomis in specie Forum Piscarium curæ erat: in genere verò Agoranomis, ut dictum, res venales curandæ incumbebant, ut jam visum suprà, ubi de *Foro*: at plura apud Petitum, *Opere præs. l. 5. tit. 3.* Nec omittendum, quòd Strabo, *l. 14.* memorat, ad venditionem *Piscium* significandum, nolâ Veteres fuisse usos; cui Plut. *Sympos. l. 4. c. 4.* adstipulatur. Idem Strabo, *l. seq.* apud Indos fuisse Ædiles memorat, qui fructus maturos signô datô curaverint *vendi*, quod notavit, post Cœl. Rhodiginum, *Antiqq. Lect. l. 19. c. 10.* Joh. Langius, *Medicinal. Epist.* Isaac. Casaubonus, *ad l. 19. Strab.* & Hieronymus Mercurialis, *Variarum Lect. l. 1. c. 25.* Hodieque Antverpiæ *Venditiones* tintinnabuli signô plateatim indicari solere, docet Franc. Sweertius, *Notis in Hieronymum Magium de Tintinnabulis c. 3.* Vide quoque suprà in voce *Venalis.* Addam saltem, *vendendi* auctorem Liberum patrem tradi Plinio, *l. 7. c. 56.* utque emptori novum mercimonium feliciter eveniret, udâ lauro id aspergi consuevisse, ex Ovidio, *l. 5. Fastorum* de quo more plura apud Car. Paschalium, *Coronarum l. 8. c. 8.* Vide quoque suprà ubi de correlata *Emendi* voce.

VENDERÆ, locus Galliæ in pago Remensi, ad Matronam, hodie *Vendieres*, S. Theoderico Abbati, à Theoderico Rege Chlodovei M. filio cum Gaugiaco collatus.

VENDI, vide *Veneti*.

VENDITIO Transtiberina, vide suprà *Transtiberina*.

VENDOPERA, locus Galliæ, in Lingonibus, vulgò *Vendeuvre*, à vendendo & opera dictus, villa dicitur à Ludovico Imperatore S. Petro tradita, in Annal. Bertinianis A. C. 865. Hanc à Bosone occupatam ac Arembertoejus vasallo, in beneficium datam esse, queritur Johannes IX. *in epist. ad Bosonem Princ.* Numeratur à Ludovico Rege in literis A. C. 1119. inter Prioratus 45. ad Cluniacum pertinentes, in regno suo. Item *Vendœuvre*, prope Nancejum, in ditione Tullensi. Item locus in Cenomanis, Monasteriô vetere clarus, *Vandeuvre*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VENEDI, *Ptol.* Æ, populi fuêre Germano-Sarmatiæ, valde extensi, inter Sarmatiam Europæam ad Ortum, Germaniam ad Occasum, Estiæos ad Boream, & Bastarnas Peucinosque ad Meridiem. Sub quibus erant Venedi proprii, Carpini, Phinni, Galindæ, Sudeni, Cætobogi, Igilliones aliique minoris notæ. Venedi autem latè sumpti erant, ubi nunc magnus Ducatus Lithuaniæ. *Cluver. Sanso, Brietius. Bremanno Venedi*, seu *Vinidi*, à quinto seculo *Slavi*, ac *Slavini*, à nomine *Slava*, famam seu gloriam denotante, dicti sunt: eò quòd contra Romanos & finitimos, res magnas & præclaras gessissent, Cromer. *c. 8.* Origo obscura, cùm more bellicosarum gentium literas neglexerint: Implevêre autem hi quidquid à Tanai & Volchda ad mare Adriaticum spatii interjacet: Slavoniæ in Illyrico regnum, pulsis Hunnis, constituerunt. Alia ipsorum manus *Venedi*, seu *Wendi* speciatim dicti, in regiones Vandalorum, inter Albim & mare Balthicum migrârunt, (unde Vandalorum ac Venedorum frequens confusio) condideruntque geminam Slaviam, Orientalem & Occidentalem. Vide Schurtzfleisch *in Διατριβαῖς suis Wittebergensibus, de rebus Slavicis.* Serviorum, generis ipsorum, vestigia, loquitur in Anhaltinatu urbs Servesta: In Illyrio Ostrivoy regnum Slavoniæ condidit, & urbem cognominem ad Danubium, sicut aliam in Carniola *Slovingrad*, German. *Windischen Gratz* condidit. Nepos Selimir, expugnatâ Scodrâ, Regem se Dalmatiæ appellavit: cujus fratres Lech, Czech & Russus, circa A. C. 1050. in Bohemiam, Moraviam, Poloniam & Russiam colonias duxerunt, &c. *Histor. Orb. Terrar. Geogr. & Civil.* Vide quoque B. Rhenanum, *Rer. Germ. l. 1. tit. Venedi Sclavini in Germaniam, cum Notis* Cl. Ottonis JCti, *p. 253.*

VENEDICUS Sinus, *Clylipenus*, Plin. *l. 4. c. 13.* pars est maris Baltici, in ora Prussiæ, versus Gedanum, & ostia Vistulæ, cujus pars inter Regiomontem ad Ortum, & Mariæburgum ad Occasum, dicitur *Frisch Haff*; pars ad Occasum versus Pauscum oppid. *Pautzkerwick* ab incolis.

VENEDOTIA, pars Walliæ Borealis *Gwineth* incolis, *Northwales* Anglis, sic dicta fuit à Roderico M. Walliæ Rege qui A. C. 870. omnem Walliam in tres *Talaithas* seu regiones divisit. Venedotiæ caput erat Gadiva *Aberfraw*, oppid. Monæ Insulæ & divisa fuit in IV. partes: Nempe in Monam Insul. Arvoniam, Merviniam & Mediam regionem, seu *Berwedhwlad*, sub qua Comitatus Denbighensis & Flintensis. Tota est montibus immensis, rupibus præruptis & ingentibus sylvis referta.

VENEFICIUM, dictum apud Romanos, si *venenô* cædes facta esset: quemadmodum *crimen inter Sicarios*, si ferrô aut telô; *Parricidium*, si Parentibus aut propinquis nex esset illata. De duobus prioribus, præter antiquas, quarum memoria obliterata est, extat Cornelia Lex, quam tulit Corn. Sulla Dictator an. Urb. Cond. 673. memorata Senecæ, *de Provid. l. 1. c. 3.* & *Excerpt. Controv. 9. l. 3.* Item *in ludo, quem de morte Claudii Cæs. composuit extr.* Ejus capita vide suprà ubi de *Cornelia Lege*. Similiter apud Athenienses, Leges latæ vim saluti, quôvis modô illatam, acriter vindicârunt, inter quas hæc est: *Δικάζειν δὲ τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας καὶ πυρκαϊᾶς καὶ φαρμάκων ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς*, *Senatus Areopagiticus jus dicito de cæde aut vulnere, non casu, sed voluntate inflicto, de incendio item & malo veneno hominis necandi causâ dato.* Plura vide apud Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas, l. 7. tit. 1.* Primùm autem de *Veneficiis* Romæ quæsitum, M. Claudiô Marcellô, C. Valeriô Consulib. sub quibus, quum primores Civitatis similibus morbis eôdemque fermè omnes eventu morerentur, ancillæ indiciô compertum, *muliebri fraude civitatem premi; matronasque ea veneno coquere* —— è quibus Cornelia ac Sergia, patriciæ utraque genus, *cùm ea medicamenta salubria esse contenderent, ab consutante Judice, bibere jussæ — epotô medicamentô, suâmet ipsæ fraude interierunt. Comprehensæ extemplô earum comites, magnum numerum matronarum indicaverunt: ex quibus ad centum septuaginta damnatæ — Prodigii ea res locô habita —— Itaque Dictatorem clavi figendi causâ creari placuit*, Liv. *l. 8. c. 18.* Nempe homini privato, *venenum* alteri propinare neutiquam licitum, alia Magistratûs ratio, cùm reum venenô tollit, de quo infrà. An verò hostem quoque sic interimere liceat, non sine ratione quæritur? Respondet Grotius, quem intersicere liceat, eum gladiô an *venenô* interimas, nihil interest, si jus Naturæ respicias; Nam licèt generosius quidem sit ita occidere, ut, qui occiditur, sui defendendi habeat copiam: at non debetur hoc cuiquam, qui mori meruit. Jus verò Gentium, si non omnium, certè meliorum, jam olim est, ne hostem intersicere venenô liceat: qui consensus ortus est ex respectu communis utilitatis, ne pericula in bellis, quæ crebra esse cœperant, nimiùm intenderentur. Et credibile est, id à Regibus profectum, quorum vita ab armis ante alios defenditur, à *veneno* minùs quàm aliorum tuta est, nisi defendatur juris aliquâ religione & metu infamiæ. Unde Senatores ad Pyrrhum, *ἵνα μὴ τὸ σὸν πάθος ἡμῶν διαβολὴν σχῇ*. *Clandestina* vocat *scelera* Livius, de Perseo loquens, *l. 42. c. 18. Nefas* Claudianus, *de Bell. Gildon.* agens de insidiis in Pyrrhum à Fabricio rejectis, & Cicero *scelus*, eandem tangens historiam, *de Offic. l. 3. c. 22. Communis exempli interesse, ne tale quid admittatur*, ajunt Consules Romani in Epistola ad Pyrrhum, quam ex Cl. Quadrigario recitat Gellius, *l. 3. c. 8.* apud Valerium Max. est, *armis bella non venenis geri debere l. 6. c. 5. ex. 1.* Tacitô memorante *l. 3. Annal.* cùm Princeps Cattorum Arminii mortem venenô promitteret, rejecit Tiberius, *eâ se gloriâ æquans priscis Imperatoribus.* Quare, qui licitum volunt, *hostem venenô occidere*, ut ex Vegetio Balbus, respiciunt merum Naturæ jus; illud autem, quod à Gentium voluntate ortum tradit prætervident. Vide quæ de Venetis Bembus, *fine l. 3.* Distat à tali *Veneficio* nonnihil & ad vim accedit propiùs, spicula venenô inficere & geminare mortis causas, quod de Getis tradit Ovidius, *l. 4. Ex Ponto, Ep. 10. v. 31.* de Scythis Plinius, *l. 11. c. 53.* de Parthis Lucanus, *l. 8. v. 304.* de Afris quibusdam Silius, *l. 15. v. 681.* & nominatim de Æthiopibus Claudianus, de Serviis Supplementum Helmoldi, *c. 4.* Sed & hoc contra jus est Gentium si non universale, at gentium Europæarum, & si quæ ad Europæ melioris cultum accedunt, quod rectè à Salisberiensi observatum est, *l. 8. c. 20.* Ideo *ferrum infamare venenô*, dixit Silius; & Ilus Mermerides, *Odyss. α. v. 263.* Ulyssi negat venenum ad spicula, addente Poëtâ:

> —— *Ἐπεί ῥα θεοὺς νεμεσίζετο αἰὲν ἐόντας,*
> *Veritus vim Divûm, morte carentûm.*

Hinc & fontes *venenô* inficere, Florus, *l. 2. c. 20.* ait esse non tantùm contra morem Majorum; sed & *contra fas Deûm*; Neque verò mirum videri debet, si ad minuenda pericula tales sint quædam bellantium tacitæ conventiones, cùm olim Chalcidensibus & Eretriensibus manente bellô convenerit, *μὴ χρῆσθαι τηλεβόλοις, Ne missilibus uti liceret*, apud Strabonem, *l. 10.* Vide Hug. Grotium, *de jure Belli & Pacis l. 3. c. 4. §. 15. 16.* & Freinshemium, *Not. ad Curtium, l. 9. c. 8.* ubi in venatione quoque Indos, & Elephantophagos Libyos *venenatis telis* uti, inter alia ex Æliano, *Hist. Anim. l. 6. c. 18.* & suprà *Herba, Hippomanes*, nec non Photio, *c. 25.* docet, &c. In *Appendice Cod. Theodos. Constit. 8. Venenarii* seu *Venefici*, cum Magis confunduntur, sicque sæpe apud recentioris ævi Scriptores, *Venefici Veneficæque*, pro Magis Sagisque: de quibus id saltem addo, potentissima eorum gramina tonitru nutrita, indigitare Val. Flaccum, *l. 7. v. 355.* ubi de Medea,

> *Cingitur inde sinus; & quâ sibi fida magis vis*
> *Nulla, Promethea florem de sanguine fibræ*
> *Caucaseum, tonitru nutritaque gramina promit.*

Ipsa verò *Veneficia* mediâ nocte patrari consuevisse, Statius, *l. 5. Theb. v. 64.*

> —— *Erant certè media quæ noctis in umbra*
> *Divam alios ignes, majoraque tela gerentem*
> *Tartareas inter, thalamis, volitâsse sorores*
> *Vulgarent* ——

Ubi vetus Schol. rationem reddit, *Tunc enim terribiliora sunt omnia & bacchantur Furiæ.* Quemadmodùm & palàm illa paganorum Numina, seu Spectra de nocte in terris se visenda præbuisse, ostendit pluribus Barthius, *Animadversion. Papinian. ad Equum Maxim.* Supplicium hujusmodi monstrorum, apud Hebræos olim lapidatio, vide suprà *Lapis*: vivicomburium hodie, ut notum &c. Vide quoque supra, ubi de judicio *Aquæ frigidæ*.

VENELI, *Ptolem.* meliùs *Unelli*, Galliæ Celticæ, quos Jul. Cæsar, *l. 3. Bell. Gall. c. 34.* inter civitates Armoricas Oceanum attingentes reponit. *Ptolem.* autem eos locat inter Lexovios & Bibucesios. *Baudrando* fuêre populi Galliæ Lugdunens. ubi hodie tractus Constantiensis, *le Costantin*, in intimo recessu Normanniæ inferioris versùs oram maris Britannici.

VENELIOCASII, populi Galliæ juxta Sequanam fluv. *Ptolem. Verocasses* Cæsari: quorum regio *Vulxin*, seu *Vexin*, & oppid. primar. Gisorium à Bellovacis 5. leuc. in Ortum, à Pontisara 6. in Boream. Vide *Velocasses*.

VENENA, vulgò VANNE, fluv. Galliæ, apud Agendicum Senonum caput, in Icaunam influit, & in urbem inductus, vices ejus purgat. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VENENATUM, pallium infectum, quo Flaminica operta esse tenebatur; memoratur A. Gellio, l. 10. c. 15. *Eadem ferme ceremoniae sunt, quas Flaminicas Diales seorsum aiunt observitare: Veluti est, quod Venenato operitur, & quod in rica surculum &c.* Ubi vulgò malè, *bene nato*. Erat autem Flaminicae pallium *venenatum*, quòd flammeò veneno, i. e. *colore* (quem cum purpureo & venenato, eundem facit Salmas. *ad Historiae Aug. p. 389.*) tinctum erat. Quale id pallium fuerit, docet Servius, *ad l. 4. Aeneid. v. 137.*

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Veteri, loquit, *ceremoniarum jure praeceptum est, ut Flaminica Venenatô operta sit. Operta autem tunc dicitur, Pallium significatur. Venenatum autem infectum.* Pro colore verò *Venenum* sumi frequens. Virg. *l. 2. Georgic. v. 465.*

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.

Sic Solinus *cocci venenum* dixit: Quemadmodum Graeci φάρμακον dicunt ἀντὶ τοῦ βάμματος, ut & φαρμάσσειν τὸ βάπτειν & χρωματίζειν, *tingere, fucare*. Similiter C. Mattius *in suis Mimiambis*, apud A. Gellium, *l. 20. c. 9.*

Jam tonsiles tapetes ebrii fuco,
Quos concha purpura imbuens venenavit,

i. e. ἐφάρμαξε, *tinxit*. Vide Jac. Oiselium JCtum, *Notis in Gellium* ibi.

VENENUM, an quòd citò per *venas* eat: an quasi *belenum*, ex βέλεσι, seu βέλεσιν *telum*, quod tela olim veneno inficere (unde *Toxici* notio) consueverint? dictum: *Sicut periculum & contagium, olim non, uti nunc dicitur, pro malo tantùm dictum est*, A. Gellius, *l. 12. c. 9.* Hinc Cajus, *l. 4. ad Leg. XII. Tabb. sive l. 236. de V. S. Qui Venenum dicit, adjicere debet, utrum malum an bonum. Nam & Medicamenta Venena sunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum Naturam ejus, cui adhibitum esset, mutat: cum id, quod nos Venenum appellamus, Graeci φάρμακον dicunt. Apud illos quoque tam medicamenta, quam quae nocent, hoc nomine continentur. Unde adjectione alterius nominis distinctio fit. Admonet nos summus apud eos Poëtarum, Homerus, nam sic ait, Od. δ. v. 230.*

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Hodie verò, quod jam de suo aevo dixit Gellius, *id quod nocet*, solùm notat. Hujusmodi *Venenum publicum*, quo sontes perimerent, Massilienses quondam habuisse, legimus apud Valerium Maxim. ubi de eorum Institutis, *l. 2. c. 6. ex. 7. Venenum cicutâ temperatum in ea Civitate publicè custoditur, quod datur ei, qui causas Sexcentis (id enim Senatus ejus nomen est) exhibuit, propter quas mors illi sit expetenda: Cognitione virili, benevolentia temperata, quae neque egredi vitâ temerè patitur, & sapienter excedere cupienti celerem Fati viam praebet; ut vel adversa, vel prosperâ nimis usi Fortunâ (utraque enim finiendi spiritus, illa ne perseveret, haec ne destituat, rationem praebet) comprobato exitu terminetur, ex. 8. Quam consuetudinem Massiliensium, non in Gallia ortam, sed è Graecia translatam inde existimo, quod illam etiam in Insula Cea servari animadverti* &c. Nempe *Venenum* illud cicutae succus erat, quem Massilienses, qui Graecorum erant Colonia, è Graecia, ubi is verè lethalis, comportari curabant, atque apud Magistratum publicum asservabant, ad necem sontibus inferendam. In Graecia autem, Athenis inprimis, id moris erat, non quidem sicut custodiretur id *Venenum* publicè, quemadmodum Massiliae, sed tamen, ut publicè cicutae succus, exsiccatus ad Solem & in pastillos redactus, terendos inque vino dissolutos exhibendos morituris, publicè à Seplasiariis venderetur. Unde Plin. *l. 25. c. 13. Cicuta venenum est publica Atheniensium poena invisa; ad multa tamen usus non omittendi.* Et quid notius Socratis cicutâ? Teri autem à Carnifice, & à damnatis emi solebat, uti discimus ex Plut. in *Phocione, Quum Tudippus in carcere cicutam cerneret teri, questus est & deploravit calamitatem suam* &c. Et paulo post, *Ubi biberunt jam omnes, defecit Venenum & Carnifex aliud negavit se trituram, nisi duodecim drachmae essent sibi numeratae, quanti denarii pondus veniebat. Quum intercederet mora & tempus traheretur, Phocion, accersito quodam amicorum, ait, An ne gratis quidem mori Athenis liceret, petiitque ut Carnifici illud aes daret.* Necabat verò Cicuta *sanguinem spissando*. Plin. *l. 25. c. 13. Succus exprimitur foliis floribusque, tunc enim maximè tempestivus est. Semine trito expressus & Sole densatus in pastillos necat, sanguinem spissando*: & mox, *maxima vis ulla Susis Parthorum: Mox Laconicae, Creticae, Asiaticae. In Graecia vero Megaricae, dein Atticae.* Expressius Dioscorides, *l. 4. c. 74. Cicuta lethale venenum est, siquidem vi refrigeratoria necat. Remedio est vini meraculi potus. Succus exprimitur contusis cacuminibus, priusquam semina & comae siccescant, qui Sole densatur in pastillos. Multus ad medendi rationem usus est aridi.* Et mox, *Cicuta pota vertiginem excitat oculis caliginem offundit, ita ut ne minimum cernatur, singultus ciet, mentem turbat, extremis artus gelantur: denique convulsis, suppressâ arteriae spiritu, strangulantur.* Ad quae loca vide Matthiolum, *ad l. 4. Dioscoridae, cit.* & Fortun. Licetum, *de Gemmis Annularibus, Schon. 57. c. 171. & seqq.* ubi de Cicutae viribus egregiè disserens, quare in Graecia Susisque nata necem afferat, non item in solo Italico vel Gallicano, fusè docet. Cùm multa de *Veneno* alia possent addi, contenti sumus unicam attulisse historiam *Veneni* solo halitu nocentis, ex Barclaji *Euphormione, c. 9.* ubi de Praefecto Turcico Urbis Aleppi sermo est: *Quò in praefecturam missus, cum aliis, majoribus ejus felicitati Optimatum piis, pronis jubetur succedere; Praeses largâ & multiplici pompâ hunc exceptum in aedes deducit, ibique inter insidiosae liberalitatis blandimenta evolvit Fatale strophiolum (nocentissimâ tabe perunctum) auro sericoque distinctum. Laetus hospes suae mortis* [illegible]

adspexit; Inde ad examinium: Primò vero mane novus Praeses, inspirato per strophiolum veneno impar, jacuit in strata exanimis, nec tam repentino casûs aliis causa, quam illis, qui insidias intenderant, patuit. Perusto facinore Venetus Praeses Constantinopolim literis destinatis imperium prorogari petit & obtinet &c. Principes quo pacto sibi à *Veneno* cavere debeant, docet Förstnerus, *Not. in Tacitum*. Vide etiam suprà aliquid, voce *Ova*. Hinc *Venenati*, apud Ael. Spartian. *Pescennio Nigro, c. 12. Amavit de Principibus Augustum, Vespasianum* &c. *reliquos Itneos vel venenatos vocans*: homines sunt perniciosi, & pestiferi, in humani generis exitium nati. De quibus agens Lactantius, *l. 5. c. 5.* citat Virgilianum illud, *l. 1. Georg. v. 129.*

Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Praedarique lupos jussit ———

Vide Salmas. *ad Spartiani locum*: uti de antidoto adversus omnia venena optimo, suprà ubi de *Pica Brasilia*.

VENEPHES, Thinitarum in Aegypto Rex IV. Cencemi patri successit, regnante apud Thebanos Diabie, apud Memphitas Achaide. Dicitur *pyramides in Chochome struxisse* Manethoni, quod ad Memphiticos magis Reges pertinere, docet Joh. Marshamus, *Canone Chron.* Vide suprà voce *Chochome*. Sub eodem magna fames in Aegypto fuit, Syncellus, *p. 54.* Eum excepit in regno Usaphaedus fil. quem vide.

VENERA, seu *Veneranda*, Virgo & Martyr, de qua vide aliquid suprà, voce *Parasceve*.

VENERABILIS Beda, hac occasione dictus est. Fuit Romae porta ferrea, in qua literae *PPP. SSS. RRR. FFF.* quas cum legere nemo posset, Bedae Romam venienti, easque contemplanti, dixit quidam Romanus, *Quid aspicis Anglice bos?* Cui Beda *confusionem vestram aspicio*: Literasque hoc modo declaravit, *Pater patriae perditus est: Sapientia secum sublata est: Ruet Regnum Romae: Ferrô, Flammâ, Fame.* Quod audiens omnis populus Romanus, dignum eum judicarunt honore, & *Venerabilem* appellandum censuerunt. J. Cajus, *de Antiqq. Cantabr. Acad. p. 104.* Rudolph. Remington. *de gestis Regum Angl.* Henr. Spelmann. *Gloss. Archaeol,* &c.

VENERABILIS Petrus, vide *Petrus*.

VENERABILITAS, titulus honorarius Episcoporum, qui *Venerabiles* vulgò compellantur, in *Collat. 1. Carthagin. c. 40. 62.* apud Augustin. *in Epistolis passim*. Alios. Item *Veneratio*, in iisdem *Epistolis*, apud Nicolaum 1. *Ep. 28.* Kuricium, *l. 2. Ep. 14. 49.* &c. pro quo *Venerantia*, Abbatibus tribuitur, apud Aimoinum, *Vita Abbonis Floriac. c. 17.*

VENERARIUM, apud Ambrosium *in Psalm. 47. Dominus secundùm caeli tractum in Venerario passus est*: nomen Calvario monti tribui coeptum, à quo Gentiles, ut Christi illic passi memoriam abolerent, *Veneris* ibi statuam erexêre; secundùm Dominic. Macrum, *in Hierolexico*.

VENEREA Concha, memorata Plinio, *l. 9. c. 33. Navigant Venereae, praebentesque concavam sibi partem & alteram aurae opponentes per summa aequorum velificant*, & Martiali, *l. 2. Epigr. 47. v. 2.* ubi *Cytheriacas* illas vocat: Vossio *eaedem sunt cum illis, quas nunc porcellanas vocamus, de orig. & progr. Idolol. l. 4. c. 35.* Nempe ex conchis hujusmodi contusis *porcellana* fieri credita hactenus, sed aliam illi originem esse, accuratior experientia docet, ut retro diximus. Vide quoque suprà, ubi de nobilioribus quibusdam *Concharum* generibus.

VENERIA, Insul. à S. Venerio Abbate dicta, parva, in mari Tyrrheno; *il Tiro* vulgò, vide *Venaria* Plin. *l. 3. c. 6.* Fuit etiam cognomen Siccae, urbis in Africa, & Nebrissae urbis in Hispania Baetica teste Plinio, *l. 3. c. 1.*

VENERIANUS, ex Ducibus Gallieni Imperatoris navali bellô Gothos superavit, mox ipse militari periit morte. Treb. Pollio, *in Gallienis, c. 13.*

VENERIS Dies, festum hebdomadicum Muhammedanorum. Josephus Scaliger, *de Emend. Temp. l. 2. c. 132. Quod Muchartam Hegirae caput ejus feria fecerit, ideo eam diem sacram Mahumedani dicunt ab eo tempore. Ego scio, antiquiorem superstitionem esse, propter Venerem, quam Chobar vocabant, & summâ superstitione antiquitus venerabantur. Caeterùm sexta feria ibi dicitur Giuma,* h. e. συναγωγὴ, ἐκκλησία, ἐπισύνοδος, *quae ea reverentia illis est, qua Judaeis Sabbathum, Christianis dies Solis.* Cui Seldenus in eo suffragatur, quòd Hegirâ id festum antiquius credit, an verò à Saracenico cultu id derivandum, dubitat. Antiquius enim esse, elicitur ex eo, quòd in Alcorano memoratur, velut notissimum Festi nomen, quo etiam, ut lemmate, capitis integri frons insignitur, *Azoar. 62.* Originem verò ejus, quatenus ad Mahumedanos, quod attinet, cùm partim è Christianis, partim è Judaicis ritibus conflatum esse Mahumedismum certum sit, an non constitutioni Constantinianae illi (cujus meminit Eusebi. *de Vita Constantini, l. 4. c. 28.* Sozom. *Histor. Eccl. l. 1. c. 8.* Niceph. Callistus, *Hist. Eccl. l. 7. c. 46.* & Baronius, *Annal. Tom. III. A.C. 321.*) quâ jam *Veneris Dies*, seu feria, quae prosabbatum est, quàm Solis Dies seu Dominicus festus habendus erat, ea debetur? In Christianismo quidem diu est quòd evanuit Constitutio illa. Sed fortè diem illum in colluviem suam recipi voluit Mahumedes; verba sunt ejusdem Seldeni, *de Jure N. & G. juxta Discipl. Hebraeor. l. 3. c. 21.* Vide quoque suprà *Saraceni*. Interim, licèt hunc diem potissimùm colant Muhammedani, non tamen inde orbem septimanae incipere, neque eô claudere, sed pro feria sexta habere, docet idem *ibidem*, ex Scriptoribus Arabibus tum Christianis, tum Muhammedanis. Eundem diem apud Graecos Παρασκευὴν dici, refert Suicerus voce hac. Vide & suprà.

VENERIS Fanum, *Strab.* Vide *Aphrodisium*.

VENERIS Insula, vide *Aphrodisias, & Lea*.

VENERIS Portus, oppid. orae Ligusticae, cum arce contra portum

Erycis,

Erycis, *Antonin.* Item, *Baudrand. Port. Vendres*, portus peramplus Galliæ Narbonens. in Comitatu Ruscinonensi. Alter *Veneris Pyrenæi portus*; ad radices Pyrenæorum, in ipso limite Hispaniæ & Cataloniæ, prope Caucoliberim, in ora maris Mediterranei, sub Gallis, ab A. C. 1642. à Rhoda 18. mill. pass. in Boream, Perpinianum versùs 16. circiter.

VENERIS Urbs, urbs & nomus Ægypti, Plin. *l. 5. c. 9.* *Aphrodites*, & *Aphroditopolis Ptol.* ad Nilum, inter *Lycopolim*, & *Crocodilopolim*.

VENERIUS Franciscus, Venetus, Philosophus ac Politicus, cui parem non habuit unquam Resp. maximis rebus adhibitus: adhuc juvenis *de Voluntate humana*, *de Anima*, *de Generatione & Corruptione*, scripsit. Dum in Academia Patavina instauranda occupatur, extinctus A. C. 1581. senex admodùm. Thuanus, *Histor.* Auctor *Theatr. d'Huom. Letter. Part. I.* Ant. Teissier, *Elog. Part. 1.*

VENERUS, lacus ampliss. Gothiæ, in Suecia inter Ostrogothiam ad Ortum & Westrogothiam ad Occasum extensus ad 80. milliar. à Septentrione in Meridiem, *lac Wener*.

VENETA Factio, una fuit ex 4. Circi factionibus, à panno *Veneti* coloris sic dicta: Reliquæ erant *Russata*, *Albata* & *Prasina*; quæ tum in Circis tum Ludis, ac aliis Equestribus certaminibus, adhibitis equis, sive ad equitationem, sive aurigationem, olim certabant, tantumque studium equis optimis eligendis ac parandis exhibebant ut Galenus referat, *Method. 7.* *Venetæ* ac Prasinæ factionis (hæ enim præcipuæ) homines etiam stercora equorum odorari solitos, quò ex illis animalium habitus atque temperamenta internoscere & cognitis inde melioribus uti valerent; Siquidem hæ contentiones tantæ erant, ut nec labori, nec studio ulli parceretur, tota Urbe Româ quasi quadripartitâ & modò huic, modò illi factioni, favente præmiaque proponente Victoribus amplissima. Colorum diversitas unde originem traxerit, diximus alibi: Qui ad quatuor Anni tempestates respexisse eorum Inventores volunt, *Venetum hyemi* symbolum fecerunt, Aur. Cassiodorus, *l. 3. var. Epistol.* 51. qui ad Elementa quatuor, *Venetum aëri dicatum* voluêre, Isidor. Hispal. *Etymolog. l. 17. c.* 45. Tertullianus cœli cum dixit signum fuisse, ut alia omittam. *Factioni Venetæ ita erat addictus, ut ei semper faveret* Vitellius, Sueton. c. 14. quemadmodùm Prasinæ Caligula, apud Eundem, c. 55. & major Romanæ civitatis pars, ut Juvenalis docet, *Sat.* 11. v. 195. Tusci, *Veneti* Aurigæ, sepulchrum extat cum *Inscr. Factionis. Venetæ. Tusco. sacravimus. aram. ac. nostro. certe. studiosi. ac. bene amantes.* Procuratoris ejusdem factionis, meminit vetus Lapis, *Q. Rapidio. Q. F. Lemsepullio. Procuratori. dromi. Factionis. Venetæ. Q. Rapidius. Xenodotus. & Rapidia. Juventina. par. fecere.* De ejusdem Medico, vetus loquitur Marmor: *M. Vipsanio. Fulloni. Textori. Aurigatori. M. Vipsanio. Migntoni. Viatori. M. Vipsanio. Quartio. Succondatori. M. Vipsanius. Medicus. factionis. Venetæ.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Roman. l. 5. c. 5. cum Paralipom.* Thomæ Dempsteri. Meminit quoque *Venetæ* Martialis, *l. 10. Epigr. 48. v. extr.*

De Prasino conviva meus, Venetoque loquatur,
Nec facient quemquam pocula nostra reum.

Ubi tamen alii pro *Veneto* legunt *Scorpo*, nobilissimo agitatore & Domitiano charissimo, *Gruter.* Idem Poëta, Imperatori huic *Venetam* factionem fuisse invisam, alibi docet, &c. Cœterùm colorem hunc quod attinet, maris illum esse, unde *Nauticum* ei populum maximè favisse, diximus supra, pallidè scil. virentem & vitreo affinem, docet Salmas. *ad Solin. p.* 236. 240. & 903. Vide quoque J. C. Scaligerum, *Exercit.* 325. *sect.* 10. Becmannum, *Origin. L. L. p.* 1118. Alios.

VENETI, populi Galliæ Celticæ olim *longè amplissimæ auctoritatis, quòd & naves haberent plurimas, & scientia atque usu nauticarum rerum cæteros antecellerent.* Cæsar, *Comm. de bello Gall. l. 3. c. 8.* primùm à Britannis, metu Anglorum ac Saxonum & amore libertatis ex patria profugis, tributarii facti sunt; dein à Chlodoveo Rege domiti, Francis per annos 90. subfuerunt: donec A. C. 578. à Waroco Britannorum Regulo recepti sunt, qui fusis Guntchramni copiis, *Venetiam* in potestate sua ita retinuit, ut usque ad Pipinum Regem, qui oppid. Venetos A. C. 753. cepit, non alios Dominos, quàm Britannos agnoverit: atque ob id *Veneticam* regionem à Waroco Venetorum Comite, *Broguerec*, i. e. Guereci regionem, appellatam esse scribit Auctor libri, *de vita Gildæ Sap.* Nomeno jus postea Britannorum Rex, *Venetos* Carolo Calvo eripuit, regnoque suo adjunxit Hadr. Vales. *Notit. Gall.* *Baudrando* fuêre, ubi nunc Diœcesis *Venetensis*, in parte inferiore Britanniæ minoris, ad Occiduam oram Oceani Aquitanici. Eorum caput *Venetiæ*, seu Dariorigum *Venetorum*, item *Veneti*, nomine gentis assumptô, vulgò *Vannes*, urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Turonensi, prope æstuarium *le Morbihan*, satis lepida & culta, cum castro antiquo *l'Hermine*. In veter. *Notit.* in provincia Lugdunensi tertia vix septimô locô, non modò post Turonos & Cenomanos, sed etiam Redones, Andicavos, Namnetes, & Curiosolitas, numeratur, quod mirum habet Valesium, cùm tantæ olim auctoritatis & potentiæ, tam latè in Armorica quondam dominati sint Veneti. Vix 2. leuc. distat ab Oceano in Boream, 24. à Rhedonibus in Africum, & paulo minus à Namnetibus in Occasum, Corisopitum versùs 27. Hinc *Veneticæ* Insulæ, quæ nunc *Bellisle*, & aliquot minores ei adjacentes, in ora Australi Britanniæ minoris.

VENETI, populi Italiæ, in Gallia Transpadana; quorum regio *Venetia*. Olim Tuscos per Galliæ Cisalpinæ partem istam spatiosè separabat à Venetis fluv. Athesis; sed Tuscis per Gallos ejectis, factus est limes Venetiæ & Galliæ Cispadanæ alveus ultimus Padi, vulgò *il Po d'Argenta*, quare à Propertio, *l. 1. El. 12. v. 4.* *Eridanus Venetus* nominatur. Olim etiam ab Histris separati sunt fluviô Timavô, posteà fluviô Tilaventô à Carnis discreti sunt. Ad Adduam quoque fluvium olim Venetia pertinuisse perhibetur. Posteà ultra Veronam non est extensa, teste *Brietiô*. Sunt qui credant, Venetos dictos fuisse anteà Henetos, fuisseque ubi hodie Marchia Tarvisina, pars Occidentalis Foro-Julii, agri Vicentinus, Patavinus, Ducatus Venetus, & minuta pars Ferrariensis. Venetorum autem dominium hodie, seu ditio Veneta, *Stato della Republica di Venetia* Italis, *Estat de la Republique de Venise* Gallis, pars est ampla Italiæ sub dominio Reipublicæ Venetæ, ubi aliàs *Veneti* proprii, Carni, Istri, Cenomani, & Euganei populi. Terminatur à Septentrione Alpibus Carnicis & Juliis, ditione Tridentinâ, & Valle Tellinâ: ab Occasu Ducatu Mediolanensi, à Meridie Ducatu Mantuanô, ditione Pontificiâ, & mari Adriaticô, (quod Dux festô Ascensionis Domini, vel Dominicâ sequente, injectô annulô Reip. despondet, navi Bucentaurô, *Bucintoro*, cum toto Statu, vectus: quæ ceremonia primum usurpata A. C. 1311. aliis ejus initium ad A. C. 1167. rejicientibus, quô Alexander III. ob fidem contra Fridericum I. Imperatorem sibi præstitam, inter alia privilegia Venetis etiam hoc cessisse legitur:) quô etiam ab Ortu terminatur & Carniolâ provinciâ. Ejus partes sunt Istria, *l'Istria*, pro majori parte, Foro-Julium, *il Friuli*, seu *Patria di Friuli*, Marchia Tarvisina, *la Marca Trevigiana*, sub qua agri Tarvisinus, Cadorinus, Feltrinus, & Bellunensis, Ducatus Venetus, *il Dogado*, Peninsula Rhodigina, *il Polesine di Rovigo*, & territoria Patavinum, *il Padovano*, Veronense, *il Veronese*, Vicentinum, *il Vicentino*, Brixianum, *il Bresciano*, Bergomense, *il Bergamasco*, & Cremense, *il Cremasco*. Ejus autem major longitudo ab Ortu in Occasum est 240. mill. pass. latitudo verò ubi major est, non excedit 100. mill. pass. Sed versùs Benacum lacum & sinum Tergestinum valde restringitur, & Austriacos servat Comitatum Goritiæ atque Aquilejam in Foro-Juliensi agro, & multa loca Istriæ. Subsunt etiam Reipublicæ Venetæ ora littoralis Dalmatiæ, ubi urbes Jadera, *Zara*, Ænona, *Nona*, Spalatum, *Spalato*, Sebenicum, *Sebenico*, Tragurium, *Trau*, Clissa, *Clissa*, & Catara, *Cataro*, insulæ Absyrtides, *Cherso*, Curicta, *Veglia*, Arba, *Arbé*, Gissa, *Pago*, Scardona seu Longa *l'isola Longa*, Bratia, *la Brazza*, Pharia, *Liesina*, & aliæ quamplurimæ in ora Dalmatiæ & in mari Adriatico, atque insulæ Cephalenia, *Cefalonia*, Corcyra, *Corfou*, Zacynthus, *Zante*, cum aliquot aliis minoribus in mari Ionio & versùs Epirum, uti Parga, *la Parga*, arx Epiri in ora littorali, Cythera insula, *Cerigo*, versus oram Australem Peloponnesi, & insulæ Tenos, *Tine* ac Mycone, *Micoli*, in mari Ægæo; & tandem arces Suda, *la Suda*, Spinalonga, *Spinalonga*, & Grabusia, *les Grabuses*, juxta oram Borealem Cretæ insulæ, quæ nuper occupata fuit à Turcis, cum anteà subesset dominio Reipublicæ Venetæ, uti Cyprus insula, Eubœa, insulæ Archipelagi pro majori parte, Peloponnesus, & Albania. Sed hæc omnia nunc subsunt dominio Turcarum à plurimis annis: cum quibus, in Archipelago, Tenedum, Lemnum, *Metelino*, *Scio*, *Negroponte*, *Lango* & Rhodum communi ferè imperiô dividunt, tributum 150000. aureorum circiter quotannis ab illis exigentes: Turcâ interim sui non oblitô, prærogativam tamen Venetis relinquente, quippe quos potentiâ nauticâ se novit superiores. Historia gentis paulò altiùs repetita hæc est. Attilæ in Italiam olim ingressi terrore longè lateque sparsô, Veneti, inter quos multi Romani nobiles, in vicino mari, in *Rivo alto*, tutâ sede quæsitâ, ibi urbem condidêre à vicina regione *Venetias* cognominatam, circa A. C. 452. qui ut inter utrumque Imperium liberi essent, conventum inter Carolum M. Occidentis, & Nicephorum Orientis Imperatores de Imperii limitibus litigantes, A. C. 803. Hi postmodùm Pipinum magnâ clade affecerunt, A. C. 810. Emanueli Imperatori Orientis, pacem 15. centenariis auri vendiderunt, A. C. 1168. Fridericum Barbarossam Duce Cianô superârunt, A. C. 1175. (unde iis hodieque ritus, die Ascensionis Christi mare sibi injectô annulô despondendi) qui paulò pòst ibidem pacis gratiâ ad Alexandri III. Papæ pedes procubuit, ab illo superbè conculcatus, Sabellicus, *Ennead. 9. l. 5.* Maximè dein crevit eorum potentia, fœdere cum Balduino, primum Comite Flandriæ, pòst Imperatore Constantinopolitanô initô, juncti enim Philippo Imperatori Francis, & Balduino Flandro Alexium Comnenum, Isacii Imperatoris, quem Alexius Angelus imperiô & oculis privaverat, filium, in thronum evexerunt, A. C. 1203. mox eô à Murzuphlo obtruncatô cum Francis novis se devincientes fœderibus, in hæc pacta ivêre, ut quicquid esset sociis armis acquisitum, æquô jure divideretur. Hinc de novo Constantinopoli occupatâ, Balduinum in solium evexerunt, sibi verò omnes maris Ægæi ac Ionii insulas & in iis Candiam, quam Alexius dein ab Insulanis sponte oblatam, Bonifacio affini suo ex Marchionibus Monferratensibus cesserat, acquisiverunt. Eundem dein, à Theodoro Lascare & Johanne Ducâ, obsessâ Constantinopoli, in summas angustias redactum, A. C. 1248. liberârunt. Per Genuenses à Michaële Palæologo oppugnati sunt, A. C. 1273. à Clemente V. excommunicati, Franciscum Dandulum Ducem miserunt, qui Canis instar sub Pontificis mensa jacens, veniam emeruit, A. C. 1310. Eosdem vicit Ludovicus Hungariæ Rex, Dalmatiâ recuperatâ, A. C. 1358. Johannes quoque Imperator Orient. à filio Andronico, in gratiam Genuensium, oppugnatus eos deseruit, circa A. C. 1380. unde ad extrema redacti, mox ex desperatione resumptis animis, adeò fortiter restitêre, ut hostes pacem, quam antè spreverant, capesserent: usi tum primùm Veneti bombardis tormentisque à Bertholdo Nigro Monacho Germano inventis. Johannem Imperatorem, à quo Thessalonicam muneri accepêre, frustra contra Amurathem Turcarum Imperatorem adjutum ivêre, A. C. 1430. à Philippo Mediolanensi mari victi, A. C. 1431. Franciscum Sfortiam post hæc stipendiarium habuêre, qui Ducatum Mediolanensem ductâ Blancâ suum fecit, A. C. 1458. A plurimis dein Europæ Principibus Maximiliano nempe Imperatore, Pontifice, Galliæ, Hispaniæque Regibus, &c. impetiti, totâ Continente, Venetiis exceptis, exuti sunt, nec tamen Turcicô auxiliô uti voluêre; verùm confœderatis prudenter inter se commissis, sensim omnia recepêre, A. C. 1507. Legibus latis, A. C. 1606. quibus Clericis fibulâ injectâ, imò hi sub jurisdictionem Reipubl. vocati sunt, Paulô V. Pontifice offensô, ab hoc excommunicati, more solitô in tota-

ditio-

ditione sua sacra peragi jussêre; quod strenuè totô dissidii tempore factum. Mox Jesuitæ æternô exiliô multati, & ad bellum omnia parata sunt: Sed Henricus IV. Galliæ Rex, missô Jousâ Cardinali, ne res in nervum erumperet, effecit, pax itaque facta, A. C. 1607. & Veneti excommunicationi exempti, nec obtenta tamen Jesuitarum restitutio: nisi demum sub Alexandro VII. sed severis legibus circumcisa. Dein cum Archiduce Ferdinando lis ob Croatarum excursiones negotium, pace A. C. 1618. conclusâ. Diuturnô nuper admodùm cum Turcis defuncti bellô, post res præclarè terrâ marique gestas, Candiâ tandem cesserunt, aliquot tamen in illa locis adhuc pace initâ retentis. Eorum caput Dux est, quem eligunt, ipsorum linguâ *Doge*, cui titulus datur, perinde ac Reipubl. Serenissimi ac Celsissimi, idque ratione trium regnorum, Cypri, Dalmatiæ & Candiæ. Ejus peculiare insigne galerus est Ducalis, pyropô fulgentissimô conspicuus, longiusculè acuminatus ac in tempora modicè flexilis; quem tempore inaugurationis, in saxo mediocris eminentiæ, quod *Scalas gigantum* nominant, capiti indit. Præcipua penès Senatum, quem 120. Senatores absolvunt, è quibus 60. ordinarii, totidem *della Gionta* appellantur, auctoritas, Ducis tamen nomine emittuntur mandata, nummique cuduntur. Ab omni regiminis participatione Ecclesiasticos excludunt, unde & Hermolaus Barbarus exiliô damnatus, quòd legatus ad Papam, in Cardinalium collegium se recipi sustinuisset. Nihilominus Fr. Paulus Sarpius Servita elogium *Consiliarii Reipubl.* meruit. Cæterùm Senatui adjungitur Consilium magnum Patriciorum, seu Nobilium, quos pro re nata augere amant. Inter cives honorarios non ita pridem assumpsêre Johan. Fridericum Ducem Brunsvic & ante hâc Ferdinandum IV. Romanor. Regem. Thesauros possident celeberrimos, sed quos radicibus destitui, Legatus Hispaniæ aliquando cavillatus est. Patriarcham habent, qui supremum in ditione ipsorum in rebus sacris caput est, *Patriarcham de Grado* appellatum, in quam dignitatem ab Eugenio III primùm evectus fuit, A. C. 1354. Olim S Theodorum patronum habuerunt: hodie Divus ipsis tutelaris Marcus Euangelista, Alexandriâ allatus, cui & templum magnificum dedicatum: hujus insignia, Leonem nempe alatum, cum verbis: *Pax tibi Marce Euangelista* assumpsêre; ab eoque præterea peculiarem militiam seu ordinem Equestrem instituêre, cujus membra *Equites D. Marci* vocantur. Porro in militia terrestri externum præficiunt, &c. Vide Becmannum, *Hist. Orbis Terrar. Geograph. & Civit. c. ultimô*, & infrà in voce *Venetia*: nec non de eorum ex *Henetis* Paphlagoniæ origine, Salmasium, *d. l. p.* 889. uti de *Venetiis sutrinis*, in quibus pelles olim optimè curari & confici solitæ, eundem, *Not. ad Pallium Tertulliani, c.*28. Regimen quod attinet: Hornio, *Veneti primùm habuerunt* Tribunos *summa cum potestate, pro numero Insularum, in quas dividebatur Urbs. Hic Magistratus annuus erat & ducentis annis duravit. His Duces successerunt, circa A. C.* 697. *qua dignatione primus Paulutius Anafestus perfunctus fuit. Sed sub tertio Duce Hypato Urso --- creati Magistri Militum annui, quorum potestas brevis. Sextô enim annô post reditum ad creandos Duces, à quo tempore nunquam interrupta series eorum. Sedes suas primo habuerunt Heracleæ inde alibi, donec tandem sub Angelo Particiano, excisâ Heracleâ, sedes Venetias ad Rivum Altum translata, & tum, divisô in Orientem & Occidentem Imperiô, Resp. Veneta ab utriusque jurisdictione exempta est.* Vide eum, *Orbe Imperant. p.* 154. *& seqq.* ubi Fellerus formam regiminis aliis primò fuisse *Consularem*, inde *Tribunitiam*, per annos 252. tandem sub *Ducis* imperio Rempubl. esse cœpisse, annotat: qui & plura hanc in rem egregia addit ibidem. Vide quoque eundem Hornium, *in Orbe Politicô*, ubi *de Rebus publicis* agens *originem, potentiam, hostes antiquos recentesque*, & cœtera *memorabilia* hujus Reipubl. in quibus *Virorum præstantissimorum* quoque meminit, in Urbe illa celebri fieri solitorum, pluribus persequitur.

Urbes Venetorum in Italia:

Ægida. Vide *Justinopolis*.
Æmonia. Vide *Civitas Nova*.
Ateste, *Este*, olim Episcopalis, nunc oppidulum.
Belunum, *Cividad di Belluno*, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
* Bergomum, *Bergamo*, Episcopalis sub Archiepiscopo Mediolanensi.
* Brixia, *Brescia*, Episcopalis sub Archiepiscopo Mediolanensi.
Caprulæ, insula cum urbe Episcopali sub Patriarcha Aquilejensi, *Caborle*. Parva est admodùm.
Ceneta, *Ceneda*, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
Civitas nova, *Citta nova*, gemina; una, Venetiæ, altera Histriæ. Paucis constant incolis.
Clugia, *Chioza*, Episcopalis sub Patriarcha Veneto, olim *Clodia Fossa*.
Concordia, sic vulgò: sedes in Portu Romatino sub Patriarcha Aquilejensi. Parva est.
Crema, sic vulgò, Episcopalis recens sub Archiepiscopo Bononiensi.
† Equilium, *Jesolo*: sedes ad urbem novam. Excisa est.
Feltria, *Feltri*, Episcopalis sub Aquilejensi Patriarcha.
Forum Julium, *Cividal del Friuli*, sine sede.
Fossa Clodia. Vide *Clugia*.
Gradus, *Grado*, olim Patriarchalis sedes Venetias translata. In ruinis penè jacet.
† Hadria, *Adri*, sedes Rhodigii sub Archiepiscopo Ravennate. Interiit.
Justinopolis, *Cavo d'Istria*, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi. Meliùs dicitur *Capo d'Istria*.
Opitergium, *Uderzo*, olim Episcopalis, pro quo Ceneta.
Palma, *Palma la nuova*, urbs recens & munitissima Foro-Julii.
Parentium, *Parenzo*, Episcopalis Histriæ sub Patriarcha Aquilejensi.
† Patavium, *Padoua*, Academia, & Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
Piscaria, *Peschiera*, urbecula permunita agri Veronensis, ad lacum Benacum.
Pola, sic vulgò, Episcopalis Histriæ sub Patriarcha Aquilejensi.
Tarvisium, *Treviso*, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
Torcellum, *Torcello*, pro Altino, Episcopalis sub Patriarcha Veneto. Parva est & fere deserta.
† Venetiæ, *Venetia*, Patriarchalis, emporium, Respublica, & urbs prodigiosa.
† Verona, sic vulgò, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
* Vicetia, *Vicenza*, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
Utinum, *Udine*, sedes Patriarchæ Aquilejensis, conventus juridicus Carnorum.

Interiêre etiam Altinum, & Heraclia.

VENETIA, regio Italiæ maxima ab Addua fluv. (quô ab Insubriâ ad Occasum separatur) usque ad Timavum fluv. (quô ab Istris dividitur) protensa, Padô ad Meridiem à Gallia Togata divisa, Alpibus vero Rhæticis & Juliis ad Arctos à Rhætia & Norico separata, sub se Carnos complectens: tametsi *Ptolem.* Venetiam à Carnis distinguat. Pars occidua inter Adduam & Athesin fluvium, *Lombardia* nominatur, seu sub Longobardia continetur (Longobardia enim latiùs patet, Insubres & alios populos continens.) Inter Athesin & Liquentiam fluvium (qui Venetos dividit à Carnis) *Marca Trevisana* dicitur. Reliquum, in quo Carni & Foro-Julienses sunt, usque ad Timavum *Friuli*, & *la Patria* nominatur. Populi *Veneti* ab *Henetis* populis Paphlagoniæ, in Asia sic dicti, & derivari, ut multi tradunt. Vide suprà. Caput hujus regionis olim fuit *Aquileja*, nunc autem *Venetiæ*, de quibus vide *infrà*.

VENETIÆ, urbs maxima inter stagna Hadriatica, post Aquilejæ excidium constructa super palis in terrâ sub aquâ defixis, & insulis parvis cohærentibus, ut inter orbis miracula meritò adnumerari possit, urbs libera, terrâ, marique longe dominans, emporium celeberrimum. Episcopalis anteà, nunc Patriarchatus, eò sede Gradensi translatâ, inter urbem Romam ad Meridiem 290. & Viennam Austriæ in Boream, 375. mill. pass. à Mediolano 165. in Ortum. *Venice* Anglis, *Venedig* Germanis, *Venetia* Italis dicta: *Vinegia* etiam quibusdam, Reipubl. Venetæ præclarissimæ, optimis legibus constitutæ, & quæ Romanæ æmula, diutissimè perduravit, caput, pulcherrima, & ex 60. amplius Insul. in quarum illa, quæ *Realto* dicitur, primæ ædes conditæ leguntur, contexta, *Baudrand.* Circuitus 9. milliar. In ea æstus maris ad duos pedes intumescit, 500. pontes majori ex parte lapidei, quorum pulcherrimus, qui majorem canalem jungit, vulgò Pons Rivi alti, *il Ponte de Realto*, A. C. 1591. ex lapide Istriano ductus. Armamentarium habet percelebre, & portum celeberrimum, juxta Insul. adjacentes ad Ortum. Sed mare tantisper ab ea recedit indies; à pluribus annis. Palatia in ea numerantur 140. Nosocomia 17. Parœciæ 67. Monasteria virorum 54. virginum 25. Statuæ è marmore 165. ex ære 25. &c. Ibidem Synodi habitæ sunt A. C. 1040. 1177. ubi Fridericus Barbarossa Imperator reconciliatus est cum Alexandro III. Pontifice. Alia plura de hac urbe & gente, vide apud Petr. Bembum, *Histor. Venet.* Petr. Justinianum, *Histor. rerum Venet.* Andr. Maurocenum, *Histor. Venet. ab* A. C. 1521. *ad* 1615. Mich. Zappulum, *Hist. di 4. Princip. Citta del Mondo*, Fr. Sansovinum, *descript. Venet.* Nic. Doglionium & Paul. Parutam, *Histor. Venet.* Augustinum Superbum, *Triomfo d'Heroi ill. della Citta di Venetia*, Casp. Contarenum, *de Rep. Venet.* Ant. Sabellicum, *Hist. Venet.* Leandrum Alberti, *Descript. Ital. &c.* Icones omnium Ducum usque ad Dominicum Contarenum extant, cum elogiis Leonis Matinæ, Monachi Casinatis: de quibus vide quoque Hadrian. Barlandum: Romanorum & Venetorum Magistratuum comparationem inter se instituit, Guerinus Piso Soacius JCtus. Goldastus res Reipublicæ Ecclesiasticas hujus seculi tractat *tom.* 3. *de Monarch. S. R. Imperii &c.* Actius Sannazarius:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpejas quantum vis Jupiter arces
Objice & illa tui mœnia Martis ait;
Sic pelago Tybrim præfers; Urbem aspice utramque
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

Quæ Lloydius ita Græcè reddidit:

Ἀδριακοῖς Βενετῶν ἴδεν ἐν ὑδάτεσσι Ποσειδῶν
Ἄστυ ἑλῶσαι, ὅλῃ θεσμά τε θεῖναι ἁλί,
Νῦν μοι Ταρπείας ὄρος, ὦ Ζεῦ, ἤθελες, ἄντεχε
Εἶπε καὶ αὐτὰ τεοῦ τείχεα Ἄρεος ἔφη·
Ὡς πελάγους Θύμβριν προὔθηκας, πόλιας βλέπε δ' ἄμφω,
Τὴν ἀνέρας φήσεις, τὴν τεθῆναι δὲ Θεούς.

Hinc *Venetus*: Silius, *l.* 8. *v.* 605.

Nec non cum Venetis Aquileia perfurit armis.

Propertius, *l.* 1. *El.* 12. *v.* 4.

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

VENETUS Johannes, vide *Johannes*.

VENETUS Paullus, Centurio Prætoriæ cohortis, per Subrium ac Sulpitium tribunos, in conjurationis contra Neronem societatem, principe C. Pisone, adscitus. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 50. Vide & *Paulus*.

VENETUS Lacus, *Celler-see Munstero*, & *Underfee Seudo*, lacus Sueviæ in Helvetiorum confinio. Aliter *Brigantinus*, *Podamicus*, & *Constantiensis*, German. *Boden-see*, lacus est maximus *Baudrand.* inter Sueviam & Helvetios, prope Constantiam, in-

ter Brigantium in Eurum, & Ubetlingam in Circium per 40. mill. pass. extensus. Dicitur & *Oberſee*, seu lacus superior, ad differentiam Acronii, seu Cellensis lacus, *Cluver. Sanſon, Briet.* Vide *Brigantinus lacus.*

VENETUS Sinus, aliter *Mare Adriaticum*, & *Sinus Venetus.* Vide ibi.

VENEZUELA, pars Terræ firmæ, in America Meridionali. Terminatur a Septentrione mari Boreali, ab Ortu novâ Vandalitiâ; ab Occasu Gubernio fluvii Facis, *de la Hacha*, à Meridie Pariâ regione. Longa 300. mill. pass. circiter ab Ortu in Occasum. Caput est Corum, *Coro*, seu Venezuela, urbecula intra paludes, sub Hispanis cum tota regione, ubi rara oppida.

VENEZUELÆ Sinus, *Golfo de Venezuela ò de Coro*, inter Venezuelam provinc. & Præfecturam fluvii Facis, pars est maris Borealis per 80. milliar. extensa, à Septentrione in Meridiem.

VENI Sancte Spiritus, *una est ex sequentiis, quibus in Missa Ecclesia Romana utitur, à Ruperto Galliarum Rege annô* 1003. *scripta*, apud Dominic. Macrum, *in Hierolex.* ex Durando, *Ration. l.* 4. *c.* 22.

VENIÆ, in Chron. Laurishamensi.

Per venias centum verrunt barbis pavimentum:

inclinationes sunt vel genuflexiones Religiosorum, in Ecclesia Latina quæ Græcis μετανοίας, quòd utplurimum *in pœnitentiam* injungi solerent. Petrus Venerab. in *Statutis* Cluniac. *c.* 4. *Sed & illa* (genuflexio) *quæ fieri solet ab iis, qui portanti Eucharistiam quolibet in loco occurrunt, atque illis metaneæ, quæ quotidianô usu in Capitulo fiunt, & vulgo* Veniæ *nominantur.* Nempe inter leviora pœnitentiæ genera. *Pœnitentiale* S. Columbani, *Fabulas otiosas proferens venia tantum mulctetur.* At & hæc suos gradus habuit, unde *longa Venia*, apud Thom. Walsinghamum, *in Ricardo II. Rege interim prostrato in longa venia.* Quæ quid sit, in eodem *Pœnitentiali* exponitur, *longa venia in Ecclesia, dum* 12. *Psalmos ad Duodecimam canunt, prostratus nullum membrum movens pœniteat*, apud Car. du Fresne, *Glossar.* Vide quoque supra voce *Genuflexio*, it. *Reverentia.*

VENICNIUM, vulgò *Ramethead*, teste *Camdenô*, promontor. Hiberniæ in ora Boreali, inter Boreum & Rhobogdium promontor. Hodie *Horre head*, *Speedo.* In Ultonia, in ora Comitatus Dungalensis, prope portum *Shepe*, 20. mill. pass. à Rapoa in Meridiem. Populi *Venicnii.* Ubi Comitatus Dungalensis hodie, in Ultonia ulteriori. *Baudrandus.*

VENILIA, Nympha, uxor Fauni, & soror Amatæ Latini Regis conjugis, mater autem Turni. Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 74.

> *Indignum est Italos Trojam circumdare flammis*
> *Nascentem, & patriâ Turnum consistere terrâ,*
> *Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.*

Item accessus maris. Varro: *Venilia, unda, quæ ad litus venit: Salacia, unda quæ ad Salum redit.* Quibus nominibus incrementa maris reciproca & decrementa quotidiana designabant Romani. Vide Scaliger. *Append. ad Conjectan. Varron. p.* 181.

VENITARE, in Synodo Exoniensi, A. C. 1287. *can.* 12. *Psalteria, Ordinale*, Venitare, *Hymnare, Collectare* &c. liber est Ecclesiasticus, in quo Psalmus, *Venite exultemus Domino*, notis Musicis descriptus est. Vide quoque suprà voce *Invitatorianus.*

VENLOA, urbs munita & Hanzeatica Geldriæ superior. ad Mosam in ipso limite Ducatus Juliacensis. Pluries capta & recepta ab Hispanis, 3. leuc. à Ruremunda in Boream, paulo minus à Geldria urbe in Africum. Vulgò *Venlo.*

VENNENSES, populi Hispaniæ Tarraconens. quorum oppid. *Duegna* videtur *Pincio*, ad Pisoracam fluv. in Vaccæis, inter Palentiam, 2. & Vallisoletum in Meridiem, 6. leuc.

VENNONÆ, *Antonin.* oppid. Albionis in Anglia inter Bennaventum 17. & Erocetum 18. mill. pass. à Lindo 63. in Occasum, à Londinio 73. in Circium. Camdeno videtur esse *Higheross*, pagus agri Leicestrensis, non longè à *Bensfordbridg* distans.

VENNONES, seu VENONES, Plin. *l.* 3. *c.* 20. *Vinnones*, *Ptolem.* oppidum Rhætiæ. *Strabo*, qui eos inter Vindelicorum ferocissimos numerat: Horum regio *Vinstgow*, & *Engadin* dici, scribit *Tschudus*. *Venusta vallis* dicitur *Luithprando*, per quam Oenus principio decurrit. Vide Joh. Bapt. Plantinum, *de var. Alpium populis.*

VENNONETES, populi Rhætiæ Alpini in Italiæ confinio, Plin. *l.* 3. *c.* 20. quorum regio *Veltlin* Germanis dicitur, à castro eminentissimo Tiba Vallis est cultissima, in cujus summitate Addua fluvius, è jugis Bormianis oritur, & in Larium per vallem defluit. Habet hæc ab Ortu Sarunetes atque Vennones, à Meridie Camunos: atque ut Dion, *l.* 54. scribit, tam Camuni, quàm Vennonetes, à Publio Silio, auspiciis Augusti Cæsaris in servitutem redacti sunt, An. Urb. Cond 737. Luciô Domitiô & Publ. Scipione Consulib. Habitatam tradunt annô post diluvium 675. sub Campo Blascone, aliisque Hetruscis Principibus, Tyrrhenamque vallem denominatam, à Tyrrhenis, à quibus eximia Civitas Volturena in infima vallis parte, ipsisque lacus Larii faucibus extructa sit, indeque illustres ejus incolæ, *Volturheni patres* in historiis vocati, Sprecherus, *Pall. Rhæt. l.* 10. Merola, *part.* 2. *l.* 4. *c.* 7. *&c.* Vide quoque *Telina Vallis.*

VENONIUS Historicus, Tullio celebratus, *l.* 12. *ad Attic. Ep.* 3. *At molestè fero, Venonii historiam me non habere.* Exilem fuisse, ostendit ejusdem Cicer. locus in *l.* 1. *de Legg. c.* 2. *Si ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias: quid tam exile quam isti omnes.* Vide Voss. *de Hist. Lat. p.* 726.

VENOX, ita dictus est Cajus Plautius, Censor cum Appio Claudio Crasso, An. Urb. Cond. 441. ob inquisitas aquæ venas.

VENRAYA Ruthgerus, vide *Ruthgerus.*

VENSIENSIS Urbs, melius *Vintium*, Nerusiorum caput, in Gallia Narbonensi, hodie *Vence* Gallis, *Venza* Italis; Urbs parva Provinciæ, sed Episcopalis sub Archiepiscopo Ebrodunensi, 3. leuc. à Nicæa in Circium, 2. à Varo fluv. in Occasum Grassam versus 4.

VENSILIA, tractus Jutiæ Septentrionalis in Diœcesi Alburgensi, vulgò *Vensussel*; in modum peninsul. inter Scagense promuntor. ad Boream, & Limicum sinum ad Meridiem, alias *Burglavia* dictus, *Brietius.*

VENSILIA, oppidul. Diœcesis Alburgensis. Aliàs *Burgla*, 20. mill. pass. ab Alburgo in Occasum. Vide paulo antè.

VENTA, apud medii ævi Scriptores, quæ & *Superventa*, est augurium, quod captabatur ex venientibus aut supervenientibus hominibus vel avibus, quas *augurales alites* vocat Mart. Capella, *l.* 1. *p.* 11. aut aliis quoque animalibus. Cujusmodi auguria XII. ad numerum XII. signorum Zodiaci, enumerat hôc modô Mich. Scotus *de Physiognomia, c.* 56. *Fernova, Fervetus, Confert, Emponenth, Scimasarnova, Scimasarvetus, & bene sunt in dextro latere. In sinistro vero latere, sunt Confernova, Confervetus, Vivian, Barian, Scassarnova & Scassarvetus.* E quibus *Confert* & *Emponenth*, bonum; *Viarum* & *Hareneri* malum; *Fert* & *Confert*, medium eventum significare addit. Nempe & recentioribus seculis superstitio prisca duravit, Zenoni Veron. *Serm. de Jona*, Petro Blesensi, *Ep.* 65. Aliis, notata: de Veterum verò per avium volatus divinationibus, accuratè agit B. Brissonius *de Formul. p.* 134. Cæsar Bulengerus, *de Auspiciis, l.* 3. *c.* 2. & diximus aliquid suprà.

VENTA Belgarum, vulgò *Winchester* Anglicè *Caer Gwent* Britannicè, *Wintanchester* Saxonicè, urbs Belgarum, in Albione, in Anglia, Episcopalis sub Archiepiscopo Cantuariensi, in Hantonia Comitatu, ad amnem *Ichting*, 15. mill. pass. ab ora maris Britannici in Boream, inter Londinium ad Ortum 52. & Exon ad Occidentem 90. mill. pass. à Sarisberia 20. ad Ortum. *Vintonia*, recentioribus. Vide ibi. Item urbs Angliæ Episcopalis & emporium præclarum ad ostia Sabrinæ fluv. quam Bristolium hodie *Bristow* vocant.

VENTA Icenorum, quæ videtur *Venta Simenorum Ptolemæo*, sed malè, *Camdeno Norwich*, teste *Prisaô*, urbs Albionis in ora Angliæ Orientali, à Londino 80. mill. pass. in Eurum, à Cantabrigiâ 4. in Ortum, in Norfolcia regione. Nunc *Caster Camdeno*, seu Castor, pagus Norfolciæ, 3. milliar. Angl. à Norvico in Meridiem, uti 75. à Londino in Cæciam.

VENTA Silurum, *Camdeno & Lhuydo Caer Went* oppid. Walliæ Comitatus Monumetensis, Bristolio adversum, in altera ripa Sabrinæ, non procul ab ostiis Rhatostathybii fluvii.

VENTACULUM, apud Hariulfum, *l.* 3. *c.* 3. *Ciborium auro argentoque paratum unum ---- ventaculum deauratum unum* Carolo du Fresne, *Flabellum Muscarium est, cujus usus in sacris liturgiis, Gall. Eventail.* Alibi *Ventilabrum*, apud eundem; qui & inter vasa ac ministeria Ecclesiastica *Ventilabrum* reponi, à Baldrico in *Chron.* Camerac. *l.* 3. *c.* 49. addit. Vide suprà, in vocibus *Cherubim, Flabellum, Muscarium.*

VENTADOUR, nomen illustris in Gallia Familiæ, de qua vide suprà, voce *Levis*, it. hîc infrà.

VENTADUREA, seu VENTADORUM, vulgò VENTEDORN, oppidum provinc. Lemovicensis, cum titulo olim Vice-Comitatus dein Comitatus nunc Ducatus, ad amnem *Louesse*, vix 2. leuc. à Duranio fluv. & à confinio Alverniæ superioris, 7. à Tutela in Ortum, *Ventadour, Baudrando.* Comitis *Ventadorensis* Bernardi meminit Justellus, in familia Comitum Arvernorum, circa A. C. 1375. Est & *Ventatorium* in Gothia, circa Montem Pessulanum, locus ventis expositus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VENTEDORA, vide *Ventadurea.*

VENTER, à Græc. ἔντερον, quia intestinorum locus est: *pessimum corporum vas, instat ut creditor & sæpius die appellat, Hujus gratiâ præcipuè avaritia expetitur: huic luxuria conditur: huic navigatur ad Phasim: huic profundi vada exquiruntur. Et nemo utilitatem ejus æstimat, consummationis fœditate*, ut eleganter ait Plin. *l.* 26. *c.* 8. ad mentem Apostoli, 1. Cor. *c.* 6. *v.* 13. Τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ καὶ ἡ κοιλία τοῖς βρώμασιν· ὁ δὲ θεὸς καὶ ταύτην καὶ ταῦτα καταργήσει. *Esca ventri & venter escæ: Deus vero & hunc & illam abolebit.* Unde meritò notata Lampridio, *c.* 32. Heliogabali luxuria est, quem *onus ventris aurô excepisse, in murrhinis & onychinis minxisse*, scribit: modestiore longe Persarum sensu, quibus id turpe habitum, & Israëlitarum inprimis, de quibus vide suprà, ubi de phrasi Hebr. *Tegere pedes.* Sed hæc à peccato; unde & *Venter* apud Ægyptios, quia impurus, cum reliquo corpore non conditus, ut retro vidimus, ubi de *Arca Mortuali.* Adscribam hîc saltem apologiam eorum funebrem, quam Euphonius ex lingua Ægyptiaca sic transtulit: *Domine Sol, Dique omnes ---- me accipite & Diis æviternis contubernalem tradite. Ego enim Deos, quos mihi parentes commonstrârunt, piè colui, quamdiu in hoc seculo vixi. Et illos, qui corpus meum genuerunt, semper honoravi: Neque aliorum omnium hominum occidi quenquam; Neque eos depositô fraudavi: Nec aliud quodpiam inexpiabile malum admisi. Si verò peccavi, vel edendo vel bibendo aliquid, quod fas non erat, non per me peccavi: sed per ista* (ostendens arcam, *in qua erat Venter*) *atque hæc locutus* (Libitinarius scil. nomine defuncti) *in fluvium eam conjicit, reliquum autem corpus condit*, apud Porphyrium, *de Abstin. l.* 4. § 10. Ad quem ritum forte respexit Paulus, 1. Cor. *c.* 6. *v.* 13. ubi ait: *Esca ventri & venter escæ. Deus autem & escam & ventrem abolebit.* Cæterùm utilitatem partis hujus, veteri ævô, Menenius Agrippa Romanos suos ad seditionem spectantes, salubriter docuit, uti ex Livio notum. Et *ventrem* Reginæ, desideratum sub tempore Regem daturum, coronâ quoque dignum, jure censuêre olim Persæ, uti vidimus suô locô: quemadmodùm & de usitato Britannicis Pictisque fœminis, etiam hoc membrum glastô, aliisque coloribus, pingendi exornandique olim

olim more. Situm ejus sic idem Plinius describit, *l.* 11. *c.* 37. *Subest* (præcordiis) *venter stomachum habentibus, cæteris simplex, ruminantibus geminus, sanguine carentibus nullus ---- In homine adnexus infimo stomacho similis canino. His solis animalium inferiori parte angustior: itaque & sola vomunt ---- Ab hoc ventriculo lactes in homine & ove, per quas labitur cibus, in cæteris ile: à quibus capaciora intestina ad alvum, hominique flexuosissimis orbibus: idcirco magis avidi ciborum, quibus ab alvo longius spatium. Iidem minùs solertes, quibus obesissimus venter.* &c. Ubi quod de *ciborum aviditate* addit, firmatur priscô Scytharum more, quos fami arcendæ *fasciis Ventrem strictissime circumligare* solitos, legimus apud A. Gellium, *l.* 16. *c.* 3. uti verò *Ventris* rugas provectiores fœminæ apud Romanos olim corrigere sint conatæ, diximus suprà voce *Lomentum* &c. Vide quoque infrà ubi de *Ventriculo*.

VENTIA, Dion. Vide *Vensiensis urbs*.

VENTIA Allobrogum, *Vinay*; *Dioni* memorata, ubi de Caji Pomptini victoria scribit, nunc castrum est Galliæ, in Diœcesi Gratianopolitana seu Culatonensi. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Sollinienfium civitas*.

VENTIDIUS Bassus, ex Picentibus, locô humili natus, triumphante Pompejô Strabone ante currus in sinu matris captivæ actus est, sordidéque victum quæsivit & invenit comparandis mulis ac vehiculis: Sic cum Cæsare in Gallias profectus, & post Consulatum Pontificatum quoque adeptus, tandem de Parthis ipse triumphavit, Suetonius apud A. Gellium, *l.* 15. *c.* 4. Plut. *in Antonio*, &c. Schol. Juvenal. *ad Sat.* 7. *v.* 199. *Ventidius ex mulione Cæsaris*, inquit, *Dictatoris, opitulante Antoniô & Augustô, usque eo provectus est, ut ei crederetur Parthicum bellum.* Poëta incertus:

> *Concurrite omnes augures, aruspices;*
> *Portentum inusitatum conflatum est recens.*
> *Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.*

Juvenalis, *locô jam laudatô*:

> *Ventidius quid enim, quid Tullius? anne aliud quàm*
> *Sidus, & occulti miranda potentia Fati?*
> *Servis regna dabant, captivis Fata triumphum.*

Nic. Lloydius.

VENTIDIUS Cumanus, Galilææ Procurator, quia seditionem provinciæ aluerat, à Quadrato Syriæ Præside, damnatus est. Tacitus, *l.* 12. *Annal. c.* 54.

VENTILANDI cubantes mos priscus, indigitatur Suetonio, *in Aug. c.* 82. Vide suprà ubi de *Flabelliferis*. item voce *Flabellum*, plura verò de hoc verbo ubi de Gladiatoriis ludis, *Sciamachia*, item in voce *Vannus*.

VENTILOGIUM, apud Radulphum, in *Vita* Richardi Cicestrensis *Episc. num.* 60 *Sicut præminet* ventilogium *toti fabricæ, quod quidem quantò altiùs erigitur, tantò plus tempestatibus irruentibus etiam fronte opponitur*: vox hybrida est, quasi *venti ratio* seu *index*, Græcis ἀνεμολόγιον. Pinnula nempe indigitatur versatilis, quæ in ædium culminibus poni solet, ad designandum ventum flantem. Cujusmodi Tritonem æreum, ventorum indicem, Romæ fuisse, diximus suô locô: gallumque versatilem, in acumine campanilis Ædium sacrarum, Christiani eâdem fini collocant. Vide quoque in vocibus, *Aurologium*, *Octogona Turris*, *Pinnacella* &c. Galli *Girouëtes* vocant. Sed & sic dici potest tetragona tabula haud pridem inventa, ædium fastigiis solita affigi, in qua circulus describitur, in XVI. vel XXXII. lineas divisus, quibus totidem adscripta ventorum nomina: illum verò, qui tum spirat, ostendit index versatilis, quomodo sunt horologiorum, quem regit pinna perinde versatilis supra ædis culmen. Car. du Fresne, *Glossar.*

VENTRALIA, vestimenta contegendo *Ventri*, fortè eadem cum Semicinctiis quod vide: memorantur Plinio, *l.* 8. *c.* 48. *Gausapæ Patris mei memoriâ cœpêre, Amphimalla nostrâ, sicut villosa etiam Ventralia.* Glossæ, *Ventrale* Κοιλόδεσμος, φασκία: Jurisconsultis zona, crumena, quam & *fundum*, & *profundum* vocavêre, ut Cujacius, *Observ. l.* 10. *c.* 27. Hinc Alciatus, *Parerg. l.* 1. *c.* 40. illud Callistrati, *Pannicularia bona damnatorum esse, quæ damnatus habet, & modici sunt pretii, promiscuique usus, qualis est vestis, quâ fuerat indutus, aut nummuli inveterales, quos victus sui causa in promptu habuerit. Nec debent*, inquit, *Præsides pati, ut Commentarienses eâ pecuniâ abutantur, sed debet servari ad ea, quæ jure Præsidum solent erogari, ut putà carciaticum* (lege *Carceraticum*) *quibusdam Officialibus inde subscribere.* Illud, inquam, *Inveterales* rectè corrigit *in Ventrali*, intelligitque de his pecuniis, quas in sacciperio habent, quod militum inest in Semicinctii plagula, quam ante *ventrem* gerunt. Itaque horum sententiâ *Ventrale* nil aliud fuit, quàm crumena sive zona, quâ nummi condebantur. Sed quid opus erat, illa villosa facere? Fuisse autem ea Gausapina seu villosa Plinius suprà dixit: Quare existimat Octav. Ferrarius, fuisse potiùs vestimentum breve, ad instar thoracis, muniendo *ventri*, tunicæ subjici solitum; quod frigoris causâ, ætate Plinii, etiam villosum fieri cœperit: inque eo, sicut zona, pecuniam esse circumlatam, *de Re Vestiaria, Part.* 1. *l.* 1. *c.* 18. & *Part.* 2. *l.* 1. *c.* 12. Salmasius tamen prioribus accedit, & *Ventrale* subintellige cingulum, vel *Ventralem*, subintellige zonam, genus zonæ fuisse ait, quæ ligamenta & habenas, quibus circa *ventrem* cingeretur, & in medio receptaculum, quô nummi continerentur, habuerit, ob similitudinem *Funda* quoque dicta. Vide eum *Not. ad Pescennium Nigrum, c.* 10. & suprà voce *Funda*. it. *Pannicularia*, & *Scutale*.

VENTRICULUS Victimæ, inter partes Sacerdoti assignatas, memoratur Mosi, Deuteron. *c.* 18. *v.* 3. ubi Græci vocem Hebr. קבה ἤνυστρον reddunt. Est autem ἤνυστρον Hesychio τὸ μέγα ἔντερον τῶν ζώων, ἡ κοιλία, *magnum animalium intestinum, venter.* Aliis ἤνυστρον, quod eidem definitur ἡ πρώτη κοιλία τῶν μηρυκαζόντων ζώων, *primus venter animalium, quæ ruminant*: aut, ex aliorum sententia, ὑπογάστριον, *imus venter.* Quod posterius ex Aristotele firmatur, *Histor. l.* 2. *c.* 17. ubi hujusmodi animalia quatuor *ventriculos* habere asserit, quorum primum ad os stomachi vocant τὴν κοιλίαν τὴν μεγάλην, *magnum ventrem*; secundum κεκρύφαλον, *reticulum*, à figura; tertium, ab asperitate ἐχῖνον. quartum denique ἤνυστρον. Et *de Partibus Animal. l.* 3. *c.* 14. ubi docet, hos quatuor ventriculos supplere vicem dentium, quæ illis ab una parte desunt. Neque enim sunt ἀμφόδοντα, adeoque pluribus opus habere ventriculis, qui cibum prorsus digerant ac conficiant. Nempe ἤνυστρον est ab ἤνυσε, *perfecit & absolvit*: quia cibi digestio, in prioribus ventriculis solùm affecta, in isto planè perficitur & consummatur &c. Sed קבה, in quo agni vel hœdi vel lepusculi lactentis lac coagulari solet, sitne primus vel ultimus, aut unus è mediis ventriculis, planè nescimus. Utut sit, certum est ἤνυστρον à Veteribus inter cupedias censeri. Hinc Aristophanes, *Equit. Act.* 1. *Sc.* 3.

> *Ἐγὼ δὲ γ' ἤνυστρον βοὸς, καὶ κοιλίαν ὑείαν καταβροχθίσας.*
> *Ego verò cùm enystrum bovis & ventrem porcinum deglutivero*

Et, *Actu* 4. *Sc.* 1.

> *Καὶ χόλικος, ἠνύστρου τε καὶ γαστρὸς τόμον.*
> *Et visceris, & enystri, & ventris tomaculum.*

Unde *Hesychio*, non ὑπογάστριον simpliciter, sed ὑπογάστριον ἡδυσμένον, *imus ventriculus conditus*, ἤνυστρον exponitur. Nil itaque mirum, quòd Græci Interpretes cum *humero & maxillis* victimæ, ἤνυστρον quoque seu ἤνυστρον Sacerdoti assignant: quodque inter pœnas quas Sacerdotibus impiis interminatur Deus, etiam istam legimus, Malach. *c.* 2. *v.* 3. *Σκορπιῶ ἤνυστρον ἐπὶ τὰ πρόσωπα ὑμῶν, ἤνυστρον ἑορτῶν ὑμῶν.* Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 45. uti de *ventriculis* anserum gallinarumque farciri olim solitis, suprà voce *Ijina*.

VENTRILOQUUS, Græcè Ἐγγαστρίμυθος, Hebr. אוב, uti LXX. vocem exponunt, spiritus est è dolio, sive vase, aut ex tumido *ventre* responsa promens, πύθων aliàs. *Hesychius*, πύθων ὁ ἐγγαστρίμυθος. Sic πνεῦμα Πύθωνος vocatur Actor. *c.* 16. *v.* 16. *Spiritus Pythonis*, i. e. *Apollinis*, (qui πύθων dictus est, teste Macrobiô, *l.* 1. *c.* 17. quô dæmone mulier illa ἐγγαστρίμυθος plena esse credebatur. Unde ipsos etiam *Ventriloquos Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ Πύθωνας*, appellant, ait Plut. *de Def. Oracul.* Atque eô sensu, pro *Pythone*, Hebræi *Pithom* scribunt, voce leviter deflexa: quod tamen ariolorum genus non ex ventre, sed ex axillis, vocem emisisse somniant, ut suprà vidimus. Uti autem *Ventriloquus* Græcis Πύθων & Εὐρυκλῆς, sic Babyloniis Σακχοῦρας, dictus est, teste Photiô, Auctore 94. ex Jamblicho, *de Amoribus Rhodanis & Simonidis*: quod ex Syriaco ac Chaldaico זכורו *Zacchuru*, i. e. ariolus, ortum esse, docet Bochartus, ubi suprà, *Parte poster. l.* 3. *c.* 5. Vide de hac Gentilium superstitione aliquid retro, ubi de *Divinatione*, plura verò, apud Brodæum, *Miscellan. l.* 8. *c.* 29.

VENTUS, à *veniendo*; insigne Meteorum est, è quo Auguria quoque Veteribus captari consuevisse, testatur Luctatius Grammaticus *ad l.* 3. *Thebaid. v.* 665. ubi Statius,

> ——— Ventisque *aut alite visâ*
> *Bellorum proferre diem.*

Solent enim, inquit, *Augures* Ventorum *flatibus futura prædicere.* Deorum nempe hos esse nuntios, & hominum vota precesque ad Deos referre, creditum olim. Ovid. *l.* 10. *Metam. Fab.* 11. *v.* 642. de Venere,

> *Detulit aura preces ad me non invida blandas.*

Virg. *Eclogâ* 3. *v.* 73.

> *Partem aliquam* Venti *Divûm referatis ad aures.*

Quæ autem vota irrita cadebant, ea à Ventis ad Deos non perlata, sed vel dissipata, vel in longinquam regionem avecta & procul exportata fuisse, fabulabantur: Imò, si quid evenire nolebant, *Ventis* differri dissipatique exorabant, Alb. Tibullus, *l.* 1. *El.* 5. *v.* 35. & *l.* 3. *El.* 4. *extr.* apud Hadr. Turnebum, *Adversar. l.* 1. *c.* 23. Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 312.

> *Multa Patri portanda dabat mandata sed Euri*
> *Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant,*

Q. Catullus, *l.* 10. *Æneid.*

> *In* Vento *& rapida scribere oportet aqua.*

Vide Thom. Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 3. *c.* 8. Iisdem Gentilibus, cùm in sacrificiis flamma *Ventis* disploderetur, mali ominis locô fuit. Idem, *c.* 11. *seq.* Contrà, cùm rogi, in quo mortuus crematetur, flammam vehementior *Ventus* animaret, faustum habitum est: unde proximos rogum circumstantes, *Ventos* invocare, ut exequiali igne ardens cadaver flatu suô juvarent, fuisse solitos, legimus. Vide quæ de Achille Patrocli exequias celebrante, Homerus habet. Imò & pro Diis habitos, certum. Ita enim de Persis Herodotus, *l.* 1. *Θύουσι δὲ ἡλίῳ τε, καὶ σελήνῃ καὶ γῇ καὶ πυρὶ καὶ ὕδατι καὶ ἀνέμοισι· τούτοισι μὲν δὴ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν. Sacrificant verò Soli & Lunæ & Telluri, & Igni & Aquæ &* Ventis. *His enim solis sacrificant jam ab initio.* Vide quoque Strabonem, *l.* 15. De Phœnicibus similia habet Eusebius, *Præpar. Euangel. l.* 1. ubi ex Sanchuniathone, Usonem Phœnicem templum iis posuisse, refert. Imò & Græcis in Diis erant. Cùm

enim maximus iis metus esset incussus, ob adventantem Xerxis exercitum: oraculum Delphicum jussit eos ἀνέμοισι εὔχεσθαι, *ventis supplicare*. At ratio addita, quia ab his maximè auxilium maneret Græciam. Itaque tum in delubro Thujæ, Cephisi filiæ, ara *Ventis* constituta est, iisdemque sacrificatum, uti discimus ex eodem Herodoto, *l.* 7. Etiam apud Platonem in *Phædro* legas, de ara ab Atheniensibus Boreæ constitutâ, vide in hac voce, ut & ubi de *Calao* & *Zetho*. Sed & in Sicyoniæ urbe Titane, descendenti à vertice, ubi templum Minervæ, aram *Ventorum* fuisse, ad quam Sacerdos quotannis nocte una sacrificaverit, refert Pausan. *l.* 2. addens ibidem, ut ad quatuor foveas quædam concinat, ἡμερώματα τῆς πνευμάτων τὸ ἄγριον, *ad placandam ventorum sævitiam*. Ipse Augustus Circio, vento Galliæ, præcipuè Narbonensi, peculiari, *templum*, *cùm in Gallia moraretur*, & *vovit* & *fecit*, Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 1. ex L. Seneca, *Nat. Qu. l.* 5. *c.* 17. Quamobrem, quòd apud Maronem, *l.* 3. *Æn. v.* 120. Æneas,

—— pecudem Zephyris felicibus albam

mactat: id non ex Fabulari solùm, sed & ex Civili Theologia prolatum est. Eò autem albam pecudem dixit Poëta, quia ventus is albus & serenus est. Unde etiam in Circo Rom. albus aurigarum color Zephyris sacer erat, teste Tertulliano, *de Spectac. c.* 10. Facit huc, quod per *Ventos* Scythæ jurare soliti, uti apud Herodotum legere est, &c. Vide quoque ubi de *Titanibus* & plura hanc in rem, inprimis de argumentis divini cultus *Ventis* tributi, apud Vossium, *d. l. c.* 2. 3. & 4. Quòd vero Poëtæ *Ventis* præfecerunt Æolum, id potiùs ab veteri historia tractum videtur. Vixisse enim is dicitur Iliacis temporibus, ac post socerum suum Liparum in Insulis regnâsse Vulcaniis, quæ ab eo posteà Æoliæ dictæ sunt. Addunt fuisse Regem, ut pium justumque, ita sideralis & nauticæ rei peritissimum, hominesque ab eo edoctos vela facere, & ex nebulis surgentibus prædicere tempestates: item de ventis futuris multo antè statuere, ex anni tempore: atque ob ista, post mortem, habitum esse Deum Ventorum. Notissimi de eo versus, *l.* 1. *Æn. v.* 56.

—— Hic vastô Rex Æolus antrô
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit ——

Primum certè eorum rationem deprehendisse, Plinius tradit, *l.* 7. *c.* 56. Nec defuêre sua *Ventis* idola, magnô ore hiantia plerunque, cujusmodi picturas apud Pighium habes, ponè elegantem tract. *de Themide Dea* & Jac. Sponium, *Itinerar. Græc.* ubi de Turre Octogona Andronici Cyrrhesti hodieque Athenis superstite. Quò Papinianum illud spectat, *l.* 7. *Theb. v.* 37.

primique Aquilonis hiatus
In diversa ferunt ——

Fuêre autem primitùs duo soli *Venti* recepti, *Auster* & *Aquilo*, utpote ab utraque mundi meta originem ducentes, reliquis accessionum locô habitis, qui, prout inclinatione ac recessione ab hoc & ab illo axe deflecterent, Septentrionales aut Meridionales appellabantur. Unde in antiquis Philosophorum & Medicorum scriptis, ad designandas tempestatum & aëris constitutiones, quas venti faciunt, τὰ βόρεια solùm & τὰ νότια, nominari legimus. Dein quatuor agniti, pro ratione 4. Mundi partium, è quibus spirarent: videl. *Eurus*, *Auster*, *Aquilo*, & *Favonius*, quorum apud Homerum jam mentio. *Primos* eos vocat apud A. Gellium, *l.* 2. *c.* 22. *A quatuor cœli partibus, quos quasi primos nominabimus*. Accessêre his processu temporis secundi quatuor, sicque octo facti sunt, quorum nomina: *Auster*, *Eurus*, *Solanus*, *Aquilo*, *Septentrio*, *Chorus*, *Favonius* & *Africus*. Fuitque communi consensu tam Græcis, quàm Latinis, recepta hæc partitio, & magis probatus iste numerus, quàm alius quilibet. Posteà tamen tertii quatuor adjecti, quô pactô ad δυοκαίδεκα numerus crevit, videl. *Auster*, *Euronotus*, *Vulturnus*, seu *Eurus*, *Subsolanus*, *Cæcias*, *Aquilo*, *Septentrio*, *Thrascias*, *Chaurus*, *Favonius*, *Africus* & *Libonotus*, ut videre est ex dodecagono Salmasii *ad Solin. p.* 1252. & suprà in hac voce. Quam ventorum rationem posteriorem plerique amplexi sunt, primorum nempe quatuor singulis duobus ab utroque latere ventis adjunctis: sicuti octonariam triplicans Vitruvius, adjectis pariter ad latera singulorum duobus aliis ventis, 24. fecit. Neoterici tandem duodenariam hôc modô triplam ediderunt, commentique sunt collateros cuique duos alios ventos & numerum usque ad 36. provexerunt. Nempe à *vento* uno profectas omnes mutationes & flexus fluxusque pro totidem ventis numerant, quibus & sua nomina indidêre &c. Qua de re vide Salmas. pluribus agentem, ubi suprà, *p.* 1247. & *seqq.* Hodiè triginta duos faciunt plerumque Geographi, pro usu Europæorum, Exterum Mare sive Oceanum navigantium, qui omnes Germanicis utuntur vocabulis, variè tamen ad suam cujusque linguam detortis, ut videre est apud Phil. Cluverium, *Introduct. Geogr. l.* 1. *c.* 8. Internum verò sulcantes Itali in XVI. partes ventos distribuunt, uti docet idem *ibid.* Cœterùm *Ventus*, vel Generalis est, Nautis vocatus *de Passatwind*, vel Specialis. Ille multis simul locis per totum annum spirat in Mari, estque perpetuò Orientalis, i. e. Eurus, vel Euro collateralis & cum primis observatur in Mari Zonæ Torridæ. In Mari Pacifico idem constantissimum se exhibet, ut proin eô naves, à Nov. Hispaniæ portu *Aquapulco* versùs Philippinas tendentes, sine ulla velorum vel collectione vel mutatione tutissimè utantur, Kircherius, *de A. M. l.* 3. *part.* 4. *c.* 2. *p.* 269. ex ore Didaci Bobadillæ: neque ab initio susceptarum inde navigationum in hanc usque diem ulla navis, in vastissimo illo 1650. milliar. itinere periisse deprehensa sit. Vide præter alios Georg. Spilbergium, *Navig. p.* 56. & Jac. Heremitæ, *Itinerarium*. Contrà, qui, ex Insulis Philippinis, Americæ regiones, quippe Occidentales, petunt, iis lenitam Solis sub Zona Torrida servare aut repetere, ob perpetuam *Venti* reluctationem, impossibile est: sed, ut in portum, è quo solverant, Aquapulco restituantur, Zonam eos Temperatam ingredi & ad Americæ Septentrional. litora navim dirigere oportet, ut hinc Borealibus flatibus adjuti desideratô terminô tandem potiantur, vide Thom. Candischii *Ephemerides cum Itiner. p.* 84. Et quia Ventus hic ab Africæ littoribus perpetuò Brasiliam & Paraguaviam versùs spirat, hinc fit, ut, qui Indiam Orientalem ex Europa petunt, plus temporis insumant, quàm qui inde Europam repetunt. Proin Belgæ, Indiam Orientalem petituri, quando Insulas Promontorii Vir. prætervehuntur, non ampliùs juxta Africam navigant, sed rectô itinere Americam petunt, & in littoribus ejus hærent, donec Tropicum Capricorni emensi sint, posteà verò demum ad Caput Bonæ Spei tendunt & sic deinceps iter suum longius persequuntur. Aliàs enim, si prope Africam manerent, cum perpetuò contrario Vento ipsis esset luctandum, ut Vascus di *Gama*, cùm Promontorio hoc Europam versùs tendant, longè breviori utuntur itinere, Insulam S. Helenæ, quæ 350. milliar. à Promontorio Bonæ Spei abest, pergentes, quod iter plerunque 17. vel 18. diebus absolvunt, quippe *Generali* istô *Ventô* adjuti. Vide Catalogum ejus in Mandelslovii *Itinerar. p.* 181. Id solùm cavere debent, ne Insulam, quæ admodùm parva, prætervehantur: Inde enim si vel octavâ milliaris parte deflectant, illam repetere non possunt, Ventô Orientali Occidentem versùs eos impellente. Ideò tum aquationis causâ, vel Insulam Ascensionis vel ipsam Brasiliam, cum maximo itineris dispendio, adire coguntur. Eôdem *Ventô* tertia Maris, sub Zona Torrida existentis, pars non quidem penitùs destituitur, sed nec ab ipso semper afflatur, tot Insulis, quæ in eo sitæ sunt, interpellantibus, quò minùs spirare possit crebriùs: Intereà satis est frequens quinque primis Anni mensibus. Hinc Belgæ, ex India Orientali solventes, plerunque circa Anni finem id faciunt, utpote tum temporis usque ad Caput Bonæ Spei *Ventô* illô adjuti: eôdemque tempore Goâ proficisci solent, *Mandelslov.* Quô fit, ut Belgæ plerunque circa Julium mensem in Patriam appellant. Contrà circa idem tempus è Patria solvunt, trimestri vel quadrimestri spatiô iter inter Belgium & Caput præfatum emensuri: quod dum faciunt, certi sunt Generali se Ventô in Mari Indico haud impeditum iri: Plura hac de re vide apud Varenium, *Geogr. c.* 21. & Athanas. Kircherium, qui *Venti* hujus causam accurate & prolixè persequitur, *Mundi subterr. l.* 4. *S.* 2. *c.* 2. *p.* 193. & *seqq.* Speciales verò *Venti* dicuntur, qui certô locô ac tempore spirant; Quales Veter. decantatissimi, Etesiæ, quibus annumerari possunt *Venti* Boreales, in litore Indico Guzaratæ, à Martio usque ad Septembrem continuò spirantes: Chelidonii, quibus Ornithiæ accensentur & Venti Australes: & qui nostrô tempore nomine *Moussonum* innotuêre, quos prosequitur Varenius, *locô cit. p.* 589. & Kircherius, *ubi suprà*, *p.* 196. & *seqq.* Certô locô, sed perpetuò spirantes *Ventos* observare est, I. in littoribus Peruviæ & Chiles atque adjacenti Mari, ubi ventus perpetuò ferè est Australis vel Collateralis ejus Austro-Zephyrus. Incipit ad 46. grad. Lat. atque perflat ultra Panamam Isthmi Americani, quô fit, ut naves Hispanorum, aurô & argentô onustæ, Limâ Panamam tendentes, paucis diebus iter suum expediant; contrà verò Panamâ Limam repetentibus multorum dierum navigatione sit opus. II. in Freto *le Maire*, ad littora Terræ Magellanicæ seu *del Fuego*, contrarii ferè spirant *Venti* Occidentales, tanto cum impetu, ut arbores quoque à perpendiculari rectitudine versùs Ortum inclinent: sed ab altera parte ejusdem Freti, ad littora Terræ Australis spirat Auster. III. Mediô itinere, inter Japoniam & *Liampo*, urbem maritimam Chinæ, semper spirant *Venti* Occidui. Quò referri etiam possunt *Venti*, qui in maritimis quibusdam Regionibus, non certô tantùm anni tempore, sed certis etiam singulorum dierum horis spirant, ac duûm generum esse deprehenduntur: ut ii, qui Portugallis *Terreinhos* & *Viracons* dicuntur, de quibus hic paulo infrà. Sunt tandem & *Venti* quidam subitanei, qui, summo cum impetu è nube prorumpentes, sursum deorsum omnia vertunt, Latin. *Ecnephia*, Portugallis *Travados* dicti, de quibus vide *suô locô*, uti & suprà voce *Orkanes*, & plura de hoc argumento apud Auctorem Anonymum, *Historiæ Orbis Terr. Geogr.* & *Civ. Part.* 1. *c.* 2. nec non hic passim, ubi de *Ventorum* speciebus. Ut de usu aliquid addam, præter multiplicem illum neminique non notum, de quo Vossium insuper videre est ubi suprà, *Ventis* Deos vehi creditum, apud Gentiles. Hinc Statius, *l.* 1. *Theb. v.* 293. de Mercurio,

Portantes præcede Notos ——

Vide quoque eundem, *l.* 7. insuper Virgilium, Ovidium, Apulejum, alios, innumeris in locis: quæ oriunda dicas ex divinarum Literarum de vero Numine sermone. Sic enim Historiæ Propheterum, & non unô locô Psaltes Rex, inter alia Psalmô 18. *v.* 9. 10. Καὶ ἔκλινεν οὐρανοὺς καὶ κατέβη, καὶ γνόφος ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ· καὶ ἐπέβη ἐπὶ χερουβὶμ καὶ ἐπετάσθη, ἐπετάσθη ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων. Eorundem indiciô novum Orbem detectum, Christoph. Columbi seu Coloni docet historia. Quô pactô non solùm inter omnes gentes commercia inita, sed, quod longè maximum est, Euangelium sic omni creaturæ annuntiari cœptum est, juxta mandatum Domini nostri, Matth. *c.* 28. *v.* 19. & Marci *c.* 16. *v.* 15. optatô successu, ut ex Hispanorum, Anglorum, Belgarum, *Navigationibus* liquet. Sed & *Venti* exemplô invisibilitatem Dei asseruit, inter Gentiles Xenophon, *Memorabil. l.* 4. inter Christianos Minutius Felix, *in Octavio* &c. Vide quoque suprà, voce *Chifung*, & plura de hoc Divinitatis argumento, apud Tob. Pfanneum, *Systemate Theol. Gentilis purioris*, *c.* 2. quod est *de Deo* §. 19. uti de *Ventorum* symbolo, apud Ægyptios, voce *Accipiter*: de pilæ anemodictico, suprà itidem voce *Physa*: de ritu Campionum medii ævi, parte adversâ non comparente, *Verberandi contra Ventum*, infrà.

Venti

Venti quidam speciales, in Geographia observati.

α. Australes *Venti*, à Septembri ad Martium, in Regno Guzaratæ spirantes Chelidoniis annumerari possunt; qui Australes sunt valde debiles, inconstantes & minùs continui, è montibus Monomotapæ, quos *Lunæ* vocant, oriundi. β. Boreales, qui in litore Indico Guzaratæ, à Martio usque ad Septembrem, continuò spirant, non malè Etesiis accensentur. γ. Chelidonii, è Monomotapæ montibus orti, Australem zodiaci partem permeant sicque Europæis hyemem: in Regno Monomotapæ verò, æstatem faciunt. δ. Etesiæ, *Venti* sunt Boreales, à medio Julio usque in finem Augusti, eóque totò dictum Canicularium tempore, in iis Regionibus, quibus Carpathii montes versùs Boream obtenduntur, i. e. in Græcia, Macedonia, Servia, Bosnia, Thracia, Asia Minore, Ægypto, flantes. Quibus eódem tempore, in Regionibus cis Carpathum, h. e. Poloniæ parte & Russia, etiam status *Ventos*, sed Australes, spirare annotavit Mart. Cromerus, *Rebus Pol.* & Sigismundus Herberstenius, *Rebus Moscovit.* ε. Malacia contrà perpetua est prope Guineam & sub Æquatore, in Mari Atlantico, nisi eam Ecnephiæ subinde cieant. Unde ex Europa in Indiam vel ex India domum tendentes, quantò possunt opere, Guineæ littora fugiunt, ne ibi hærere cogantur. ζ. *Moussones*, de quibus diximus suo loco. η. *Orcanes*, Latine *Typhones* diceret, *Venti* sunt impetuosi magna cum celeritate per omnes Mundi plagas, circa locum aliquem, vagantes: Interque Malaccam & Japoniam frequentissimi. Talem, inter Navazam & Jamaicam Americæ Insul. expertus, prolixè & accuratè describit Vincentius le Blanc, *Itiner. Part.* 2. c. 22. θ. Ornithiæ, *Venti* post Æquinoctium Vernum spirantes, Chelidoniis adnumerari possunt. ι. *Terrenhos* Lusitanis, Belgis *de Landwind*, dicti: *Venti* sunt à Terra ad littora, certis singulorum dierum horis, spirantes. Sic in littore Malabarico, à Mense Aprili usque ad Septembr. ejusmodi *Terrenhos* seu *Terrestres*, ab hora 12. noctis usque ad Meridiem: in litore Novæ Hispaniæ, de nocte spirant, ut & in Regno Congi & Provinciis *ad Copo Consalvo*. Contrà κ. *Viracons* Lusitanis, *de Wind uyt de See* Belgis, *Maritimi* Latinis, *Venti* itidem, non certò Anni tempore tantùm, sed & certis singulorum dierum horis flantes, in littore Malabarico, à Mense Aprili usque ad Septembr. à Meridie, cùm desinunt *Terrenhos*, incipientes, usque ad 12. noctis horam perflant, quibus tum succedunt Terrestres: In litore similiter Hispaniæ Novæ, ubi hi de nocte spirant, illi totâ die perdurant; Quod similiter contingit in Regnis Congi & Provinciis *ad Lopo Consalvo* præfatis, &c.

VENELEJUS JCtus inter viros insignes, qui Alexandri Severi in consilio erant, memoratur Lampridio in eo, *c. ult.* Videtur Casaubono Q. *Claudius Venulejus Saturninus*, ex cujus libris decerpti multi flosculi hodieque in Pandectis leguntur.

VENULUS, unus ex Latinorum proceribus, qui in magnam Græciam legatus missus, ut Diomedem in belli societatem asciscerer, re infectâ rediit. Virg. *l.* 8. *Æn.* v. 9.

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, & doceat quæ causa petendi.

VENUS, ab antiquis amorum, gratiarum, pulchritudinis, deliciarum, voluptatumque omnium habita est Dea: ita dicta à *veniendo*, quòd ad omnes res *veniat*, ut auctor est Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor.* c. 24. Hanc Poëtæ, ex spumâ maris & Cœli testiculis natam fabulantur, à Saturno excisis & in mare projectis, unde & ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, h. e. *à maris spuma*, *Aphroditem* appellârunt. Ovid. *Ep.* 15. *Heroid.* v. 213.

——— *Venus orta mari mare præstat eunti.*

Musæus:

Αἰγιαλοῖς ἔπι Κύπρις ἀπείρονος ἐκ θαλάσσης.
Καὶ κογχὴ πλώουσα ... [illegible]

Fertur in concha margaritarum feraci fuisse concepta, in qua etiam navigavit in Cyprum, quare cùm de formosâ muliere loqueretur Venus, apud Papinium, *l.* 1. *Sylv.* 2. v. 117. illam dignam esse inquit, quæ sua esset soror, & in eadem concha navigaret:

Hæc & cæruleis mecum consurgere digna
Fluctibus & nostrâ potuit considere conchâ.

Simulachrum ejus varium fuit: Interdum eam effinxerunt puellam in concha ex mari exeuntem; Interdum mulierem manu concham tenentem, rosisque cinctam, ponè quam Charites & utrinque Cupido ac Anteros. Curru etiam nonnunquam vehebatur, columbis tractô, quibus illi quoque litari mos: ob volucris hujus puritatem & castitatem. Alii cygnis illam vehi tradunt. Plut. *in præc. connubial.* scribit, eam testudinem pede calcantem Eleis Phidiam effecisse, ut domesticæ custodiæ & silentii mulieribus symbolum esset. Vide Euseb. *de Præp. Evang. l.* 3. Alii illam superiore parte, cingulò tenus, virum, inferiore fœminam, repræsentârunt. Unde sexus ejus ambiguus, vide infrà. In nummo Caracallæ Aug. vetustissimum *Veneris Paphiæ* simulachrum, *candidi lapidis* seu *Bætyli* specie, expressum cernitur, uti suprà diximus, voce *Paphos*. Porro 4. Venerum meminit Cicero, *l.* 3. *de Nat. Deor.* c. 23. *Venus*, inquit, *prima Cœlô & Die nata: cujus Elide templum vidimus. Altera spumâ procreata, ex quâ & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus. Tertia Jove nata & Dionâ, quæ nupsit Vulcano, sed ex ea & Marte natus Anteros dicitur. Quarta, Syriâ, Tyróque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse proditum est.* Hæc ille: Pausanias verò, *in Bœoticis*, tres *Veneres* fuisse scribit, quarum una *Cœlestis*; altera *Popularis*, tertia *Apostrophia* dicta est. At Plato, *in convivio*, duas esse Veneres, & duos Cupidines inquit in his: Πάντες γὰρ ἴσμεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ Ἔρωτος Ἀφροδίτη, μιᾶς μὲν οὖν οὔσης, εἷς ἂν ἦν Ἔρως. Ἐπεὶ δὲ δύο ἐστὸν, δύο ἀνάγκη καὶ Ἔρωτε εἶναι. Πῶς δ' οὐ δύο τὼ θεά, ἡ μέν γέ που πρεσβυτέρα, καὶ ἀμήτωρ, Οὐρανοῦ θυγάτηρ, ἣν δὴ καὶ Οὐρανίαν ἐπονομάζομεν, ἡ δὲ νεωτέρα, Διὸς καὶ Διώνης, ἣν δὴ Πάνδημον καλοῦμεν. Deam hanc, ut & Martem, religiosè coluerunt Romani, atque ab ea originem, ducere videri voluerunt: fingentes ex ea & Anchise natum Æneam: qua de causa in nummis quibusdam Mercurium expresserunt, deducentem Venerem ad Anchisem: Hinc & plurimis cognominibus ac templis eam honorârunt. Dicta enim illis *Alma*, i. e. sancta seu pulchra, cui ædicula fuit, in regione XII. *Calva*, cui ædes consecrata, postquàm, Capitoliô à Gallis obsessô, ex mulierum capillis tormenta fecissent Romani: *Capitolina*, cujus meminit Sueton. *in Calig.* c. 7. & *Galba*, c. 18. *Cluacina*, à cluere, quod antiquâ linguâ pugnare significat: Huic templum vovit & construxit Titus Tatius Rex, in ea fori parte, quâ Romani & Sabini, armis depositis, pacem inierunt. *Erycina*, ab Eryce monte Siciliæ, ubi Æneas matri templum erexit: Eidem Q. Fabius Maximus Dictator ædem vovit, Liv. *l.* 22. *c.* 9. iterumque idem creatus Duumvir in Capitolio eam dedicavit, Liv. *l.* 23. *c.* 30. Fuit & alia ejus ædes, apud portam Collinam, vota à L. Porcio Livio Cons. bellô Ligusticô, & ab eodem Duumviro dedicata eò annô, quô Aquileja Colonia Latina in agro Gallorum est deducta, Liv. *l.* 40. *c.* 34. Quod templum ex nominatissimis fuisse, refert Appianus, *Bell. Civ. l.* 1. *Genetrix*, cui templum ante pugnam Pharsalicam vovit, & potitus victoriâ, in foro suo posuit Cæsar, eique spolia, uti thoracem de margaritis Britannicis, dedicavit. In hoc posteà Augustus statuam æneam Cæsari Divo cum stella crinita, supra caput ejus fulgente, quia ejusmodi, post mortem ejus, stella visa est, collocavit, Dio, *l.* 45 Appian. *de bell. Civ. l.* 2 &c. *Libentina*, cui puellæ, annos puerititiæ egressæ, pupas dicare solebant, Persius, *Sat.* 2. v. 70. *Libitina*, cujus ærarium Servius Tullius instituit, in quod pro defunctis certi pretii nummi inferrentur, Dionys. *l.* 4. In ejus templo, quæ ad funera pertinebant, venire solebant. *Murtia*, vel *Myrtia*, cui ædes fuit in regione XI. teste *Victore*. *Placida*, cujus ædicula fuit, in regione V. *Romana*, cui delubrum fuit, in via sacra, inter singularia & admiratione digna loca, recensitum *Marcellino*. *Verticordia*, cujus ædes extra portam Collinam, viâ Salariâ fuit. *Victrix*, cui ædem dedicavit Pompejus, alterô Consulatu, editis celeberrimis & sumptuosissimis ludis, Plut. *in ejus vita*. Ut nihil dicam de Venere custode hortorum Sallustianorum: neque de Jovis Ultoris templo, quod prius Veneris & Martis dictum fuisse *Dio* scribit. Vide sis plura apud Natal. Comit. *l.* 4. *c.* 13. Thom. Dempster. *Antiq. Rom. l.* 2. *c.* 10. &c. Athenis duplex Veneri templum sacrum erat, unum τῇ οὐρανίᾳ alterum τῇ πανδήμῳ. Deum an Deam dicerent, ambigui hæsêre antiqui: Unde Poëta,

Pollentemque Deum Venerem.

Et Aristophanes hoc numen Ἀφρόδιτον, in masculino genere vocat. Vide Franc. Rosæum, *Archæol. Att.* Est item *Venus*, una errantium stellarum inter Solis & Mercurii sphæras sita, quæ Φωσφόρος Græcè, *Lucifer* Latinè dicitur, scil. cùm Solem antegreditur: cùm autem eundem subsequitur, *Hesperus*, & *Vesper*, & *Vesperugo*. Venus aliquando pro *amasia*. Plaut. *Curcul. Actu* 1. *sc.* 3. v. 36. *Tun' meam Venerem vituperas?* Idem *in Pœnulo*, *Actu* 1. *sc.* 2. v. 66. *Hanc equidem Venerem venerabor, me ut amet posthac propitia.* Lucret. *l.* 4. v. 1178.

——— *Nec Veneres nostras hoc fallit.*

I. e.

Nec hoc ignorant nostræ puellæ.

Virg. 3. *Eclog.* v. 68.

Parta meæ Veneri sunt munera. ——

In tesseris felicissimum jactum, aliis quoque *Basilicum* dictum, Venus notavit: Horat. *l.* 2. *Carmin. Od.* 7. v. 25.

——— *Venus arbitrum*
Dicet bibendi,

Consurgebat autem Venus ex talis quatuor jactatis, ubi diversam omnes ostendissent faciem, Cæl. Rhodig. *l.* 20. *c.* 17. Vide & Turnebum, *Advers. l.* 5. *c.* 6. Nomen ejus quod attinet: Suaviter, inquit Seldenus, de Diis Syris; forsan tis insanire videret, qui has literas, & quicquid non est ultro obvium oscitantibus, nimium temnunt, si *Veneris* nomen בנות *benoth*, in Succoth Benoth peterem. Nemo tamen est, qui nesciat, facillimam & frequentissimam esse elementi *B* in *V.* migrationem. Quòd si *T.* finale per S, ut Judæi hodierni, pronuncies, tum *Venos* in *Benoth* expressissimum habes: Et *Binos* Græcâ pronuntiatione est *Venus* nostra. Sanè *Suidas*: Βῖνος, ὄνομα Θεᾶς. Etiam *VENOS GEN.* pro *Venere Genetrice* legitur, in Nummis Juliæ Augustæ Septimii Severi uxoris, si fides Adolpho Occoni, cujus Numismata consulas, *p.* 366. Ita *Benoth* ipsum etiam Numen denotabat, & *Succoth* tabernacula, seu ædes ejusdem. Vide plura, apud ipsum authorem, *Synt.* 2. *c.* 7. *Venus à veniendo* dicta putatur Ciceroni, *l.* 3. *de Nat. Deor.* quem sequitur Arnobius, *l.* 3. *Quòd*, inquit, *ad cunctos veniat*, *Venerem cognominatam*. Vide sis Fungerum in *Venus*, & Vossium in *Venustus*. *Nic. Lloydius*. Ut & hoc addam: Apud Græcos Romanosque, qui non pauca ex orientis Theologia retinuêre, primitus *Venus* eadem fuit, ac Lunæ sidus; nec tamen semper hæc per *Venerem* intelligitur. Bifariam enim *Venus* considera-

 ratur,

ratur, ut corpus est & ut accidens. Priori modò vel corpus est æthereum, vel sublunare: Æthereum vel Luna intelligitur vel Lucifer sive Hesperus; Sublunare autem Tellus est. Accidens verò, quod ejus nomine signatur, vel qualitas est, putà vis sive facultas generandi: vel actio, putà generatio ipsa. Atheniensibus ac Lacedæmoniis Luna fuit, cui apud illos, *viros cum veste muliebri, mulieres cum virili*, sacra fecisse Festo τῆς Ὑβριστικῶν seu *Petulantium*, Philochorus tradit, apud Macrob. *l. 3. Saturnal. c. 8.* Apud hos, *signô ligneô Veneris Junonis, pro filiarum nuptiis, sacra facere consuevisse matres*, legimus apud Pausaniam, *Laconic.* Ubi *Veneris* ac Junonis appellationes conjungi videmus: quia, etsi utraque Luna sit, eoque generationi præsideat, laxiùs tamen *Veneris* pateat nomen, & ad quosvis concubitus se extendat, cùm Juno Conjugum tantùm cohabitationi fuerit præfecta. Hinc Ovid. *Ep. Hypsipyles, Heroid. 6. v. 43.*

Non ego sum furtim tibi cognita, pronuba Juno
Adfuit.

Itaque non *Venus*, sed Juno infesta fuit pellicibus, unde Lex Numæ apud Festum in *Pellex*: Imò Numæ temporibus *Veneris* nomen necdum Romæ notum erat, teste Cinciô, apud Macrobium, *l. 1. Saturnal. c. 12.* Dicta est autem *Venus* hæc propter Lunæ in Mare imperium Ποντία, Λιμενία, Ἐπιποντία, Πελαγία; quemadmodùm, apud Ægyptios Isis, quæ eadem cum Luna, navigiô vehi credita est: Propter ejus vim generativam, *Diana*, vel *Juno Lucina*, vel *Alma Venus*; Propter ejusdem vim corruptivam (*Unius enim generatio alterius corruptio*) *Venus Ἐπιτυμβία*, vel *Libitina Venus*, aut simpliciter *Libitina*, item *Proserpina* & *Hecate*. Apud Assyrios & Arabes, Ἀφροδίτη Οὐρανία, i.e. *Venus cœlestis*; tum Lunam tum Aëra denotabat, eademque iis cum Junone erat, Plut. in *Crasso*. *Virginem* autem eam dixêre, ut Romani & Græci, Virginem Dianam: Nempe hôc nomine non Terrestrem indigitabant, sed Cœlestem, quæ partim erat Luna, partim aër, pro Lunæ ratione, mutationibus obnoxius. Phœnicibus tum Luna fuit, tum Terræ & Aquæ globus. Ut enim vis naturæ generatrix cœlitùs proficiscitur, ita ab Aqua ac præcipuè Terra recipitur, inque hac potissimùm elucet, Macrob. *l. 1. Saturnal. c. 21.* Unde *Venus* Phœnicum, seu *Venus* Byblia, haud alia, quàm Deûm Mater apud Phrygas, aut Isis apud Ægyptios, apud Græcos Δημήτηρ, apud Romanos Ceres. Imò cùm *Venus* fuerit Terra, atque eadem quatenus ignifera est, etiam Ἑστία seu *Vesta* habuerit nomen, non obscura est ratio, cur eandem aliqui *Venerem* ac Vestam esse dixerint, quod miratur Augustin. *de Civ. Dei, l. 4. c. 10.* &c. Ita quidem ex Philosophica de Diis doctrina Vossius: Ex Poëtica vero ac Civili, quâ supra hos cœlos statuuntur mentes quædam æternæ à sideribus diversæ (uti Jovem, Apollinem, Junonem, *Venerem* cæterosque Deos Consentes, considerare jubet Appulejus, *de Deo Socr.*) *Venus* Mens cœlestis habita est, stellæ, de qua mox, Præses, visui nostro denegata sideribusque omnibus sublimiùs cœlos terrasque despiciens. Redeo ad doctrinam Philosophicam, secundùm quam *Venerem*, non Lunam solùm aut Terram, sed & Luciferum seu Hesperum, fuisse vidimus, quem proin *Veneris stellam* meritò nuncupant Eruditi. Et quidem in Planetis quinque primò divinos obtinuisse honores videtur *Venus* sive Hesperus, cujus virtus est, moderatè calefacere ac humectare, quô nihil ad generationem conducibilius: Quam ob causam duo generationi Veteres præfecêre sidera, Lunam & Hesperum, utrumque *Veneris* nomine appellatum. Namque utrumque sidus modicè calefacit & humectat, utrique sideri Φωσφόρου commune fuit nomen, ut de Luna, ex Euripide, Tullius docet *de Nat. Deor. l. 2.* & Phurnutus: utrumque crescit ac decrescit, neque Luna solùm, sed & *Venus stella* Eclipsin patitur. Sidus autem hoc nunc considerabant ut masculum, nunc ut fœmineum: quasi Deum ἀῤῥενόθηλυν. Ut marem spectabant, cùm dicerent vel Hesperum, vel Φωσφόρον sive Luciferum; Unde Festum Φωσφόρια Plut. memorat, *contra Colot.* ac Gaditani etiam, teste Strabone, *l. 3.* habuêre *Phosphori Fanum*: ubi non *Dianam Luciferam*, sed *Veneris stellam* intelligi, ex eo cognoscimus, quòd addat, aliter vocari Λυκαυγῆ, *Lucem-dubiam*; unde & colligere est, à Romanis hoc Fanum esse. Nec Hebræos fugit, Luciferum fuisse *Veneri* sacratum: Namque Jesai. c. 14. v. 12. ubi in Hebræo est, *Lucifer*, Targum habet *Stella Veneris*. Imò *Veneris* seu Luciferi venerationem jam Moses respexisse videtur Deuteron. c. 22. v. 5. Temporibus etiam antiquis *Venerem* coluêre Ismaëlitæ, à quibus eum cultum accepêre Saraceni, ut diximus *suô locô*, ubi de lapide (super quo Abrahamus agnovit Agarem vel cui alligavit camelum, sacrificaturus filium) caput simulachri *Veneris* credito. Nec obstat, quòd de *Venere*, prout Lunam significat, & *Urania* sive *Cœlestis* nomine celebratur, quidam interpretentur: Quippe Arabes, & hinc Saracenos, Luciferi Lunæque cultum conjunxisse, discimus ex Euthymio, *Panopl.* & Cedreno, *Chron.* Ut fœminam verò, hoc Sidus cùm considerabant Antiqui, Græci appellârunt Ἀφροδίτην, Romani *Venerem*, de quarum vocum origine vide Gerh. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 22.* & 27. & plura hanc in rem, *totô illô librô passim*. Gemmâ *Veneris Genitricis* undæ, cum telo in manu, & Cupidine pusione, signâsse legitur Julius Cæsar Imperator, de qua Valerian. Pierius, *Hieroglyph. l. 36. Sed enim, ut de parturientium fascinatione per implexas manus dicebamus, ita contrarium est in nummo Juliæ Piæ, ubi partûs felicitas explicatur; Ibi enim Venus lævâ hastæ innititur, dexteramque expansam ostendit, cum inscr.* VENUS GENETRIX. *Romani enim genus à Venere, propter Æneam ejus filium, se ducere asseverabant, maximè verò gens Julia: qua quidem, condente & dicante Juliô Cæsare, templum erexit Veneri Genetrici, cujus rei Plinius & Tranquillus & alii meminêre.* Vide Fortun. Licetum, *de Gemmis Annul. Schem. 8. c. 55.* & *Schemate 48. c. 146.* Eam *Venerem armatam* vocat Dio, *l. 43.* Τὸ γλύμμα αὐτῆς (Ἀφροδίτης) ἔνοπλον ἐφόρει, καὶ σύνθημα αὐτὸ ἐν τοῖς πλείστοις καὶ μεγίστοις ἐποιεῖτο, *sculptam ejus (Veneris) armatæ imaginem gestabat, eaque tesserâ in rebus summis plerumque utebatur.* Ut & hoc addam, *Veneris* coronæ è rosa plerumque fuêre, uti pluribus docet Car. Paschalius, *Coronar. l. 3. c. 6.* Simulachra ejus inter præclarissimorum Artificum opera, memorantur varia Plinio, picta *Anadyomene* Apellis, *l. 35. c. 10.* & *Cos inexpleta* ejusdem, *ibid.* è marmore *Gnidia* Praxitelis, *l. 36. c. 5.* ἐν κήποις, Phidiæ, an Alcamenis, *ibid. Nemesis* vocata, Agoracriti, *ibid.* &c. Idem *Venerem inter Gratias & Cupidines* Nicearchi celebrat, *c. 11.* ubi de iis qui encaustô pinxerunt. Gemmam ab eadem nominatam, *Veneris crinem*, idem memorat, *l. 37. c. 10. extr.* de qua vide Salmas. *ad Solin. p. 350.* & 759. plura verò de hoc Gentilium Idolo famosissimo, apud Casp. Barthium, *Animadversion. Papinianis passim*, inprimis in magno ejus *Superstitionum* Commentario, Salmasium, *d. l. p. 69.* 1237. ubi *Veneris* figuram apud Astrologos, ex initiali litera vocis Φωσφόρου, quod epitheton Veneris fuisse, dictum, originem traxisse docet, alibique, Alios.

Cognomina quædam Veneris, præter memorata.

α. Ἀφροδίτη dicta est Græcis, seu Ἀφρογένεια; quô nomine tamen non Lunam indigitârunt, vel quæ ei inest vim generatricem: [illegible] potiùs hanc, quatenus inest Naturæ inferiori, ut cœlitus vim eam obtinenti. Semen enim prolificum ἀφρώδης: quò pertinet fabula, de testiculis Cœli abscissis inque mare projectis, ac *Venere* inde nata. Vide Voss. *lib. cit. c. 27.* & de *Aphrodite ἐν κήποις* suprà, voce *Marmor*. β. Artimpasa, Cœlestis *Venus* appellata est Scythis, teste Herodotô, *Melpom.* Vide Voss. *c. 82. ejusd. libri*. γ. Byblia *Venus* Phœnicum, eadem cum Cybele Phrygum, cumque Matre Deûm, quô nomine Telluris Lunæque globum indigitatum fuisse, dictum. δ. *Chabar*, Saracenis dicta est, vide suprà ubi de iis ε. Cœlestis, Ἀφροδίτη Οὐρανία, Assyriis Arabibusque culta est, uti ex Herodoto discimus, *Musâ 1.* quô nomine tum Lunam, tum Aëra, eos intellexisse, adeoque *Venerem* ac Junonem pro eodem habuisse Numine, docet Vossius, *c. 84.* Juxta Theologiam Civilem ac Poëticam *Cœlestis* hæc *Venus*, mens fuit cœlestis stellæ Veneris præses, Idem, *c. 31.* ζ. Colias. η. Cypria, ab Insul. ubi colebatur, dicta, amica fuit vel concubina Cinyræ Regis, quem Cecropis ætate, vel paulo pòst, vixisse, colligitur ex Apollodori *l. 3.* Primum autem Cinyram in Deos hanc *Venerem* retulisse, prodidit Clemens Alex. *Admonit. ad Gentes*. Vocabatur ea φιλομμειδής, offerebatur ei ab initiatis nummus, ostendebatur in sacris illius salis pugillus & phallus; quæ omnia, ad lasciviam signandam, conficta, non uxorem eam Regis, sed scortillum fuisse, arguunt. Paphi vixisse, dum inter homines ageret, ait Isidorus, *Orig. l. 8. c. 11.* & favet, quòd apud Clementem, *Recognit. l. 10.* ejus sepulchrum in Cypro fuisse legimus. Vide Voss. *l. 2. c. 17.* θ. Deûm Mater, quô nomine Tellus culta à Phrygibus, eadem fuit cum *Venere*, Idem *l. 2. c. 10.* ι. Diva, vide suprà. κ. Ἐπιποντία, apud *Hesychium* & *Phavorinum*, dicta reperitur; prout denotabat Lunam Maris dominam. Eandem ob causam Λιμενία, quasi *Portuna*, apud *Pausaniam*: Πελαγία, apud Artemidorum, *l. 2. c. 35.* Ποντία, apud *Phurnutum* & *Pausaniam*, cognominata est. Et hinc Isidem, quæ eadem cùm Luna, Ægyptii finxêre navigiô vehi: Numinique Thebæo, per quod Isis signata, Sesostris navem cedrinam ac inauratam cubitorum 280. dedicâsse legitur, apud Diodorum, *l. 1.* λ. Frutis, vide suprà. μ. Hastata, Græcè Ἔγχειος, Cypriis dicta & cum hasta efficta est: cum qua proin eadem Juno Curitis. *Hesych.* Ἔγχειος Ἀφροδίτη Κυπρίοις. ν. Isis, apud Ægyptios, vide *suô locô*: & hîc paulo suprà, in Ἐπιποντία. ξ. Λιμενία, quasi *Portuna*, vide *ibid.* ο. Mithra, vide ibi. π. Οὐρανία, vide paulò suprà, *Cœlestis*. ρ. Πελαγία, vide Ἐπιποντία. σ. Phacetis, vide ibi. τ. Phœnicia, vide *Byblia*. υ. Proserpina, dicta est *Venus*, quatenus Luna, uti generationi per se ita corruptioni ac interitui rerum per accidens, præest. Voss. *l. 2. c. 27.* φ. Ποντία, vide Ἐπιποντία. χ. *Tymborychos*, vide suprà. ψ. *Venus*, nomen Romanis diu ignotum, ab Hetruscis ad eos delatum videtur, qui id ab Oriente accepêre, Idem *l. eâd. c. 27.* Ex Dionysio, *Antiq. l. 1.* ω. Virgo, Orientalibus dicta est Cœlestis Venus, uti Latinis & Græcis Diana. αα. Viscata ββ. Victrix, vide infrà *Victe*, &c. Vide eundem, *l. 2. c. 84.* & hîc *suprà*.

VENUS, vide suprà *Canis*.

VENUS Pyrenæa, *Strab.* Plin. *l. 3. c. 3.* oppid. olim & promontor. Hispaniæ citerioris in confinio Galliæ Narbonensis, *Cabo de Creux* vide *Aphrodisium*.

VENUSIA, *Ptolem.* oppid Apulorum Dauniorum, non procul à finibus Lucaniæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Acherontino. *Venosa* nunc, urbs Basilicatæ ad radices Apennini, parva, cum titulo Principatus gentis Ludovisiæ, 12. mill. pass. ab Acherontia in Boream, 45. à Bario in Occidentem, Compsam versùs 25. Inter Neapolim ad Occasum, ac Tarentum in Eurum 75. mill. pass. utrinque. Horatii patria, qui ideò *Venusinus* dictus est. Sic enim ipse, *l. 2. Sat. 1. v. 35.*

—— Sequor hunc, Lucanus, an Appulus, anceps
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.

Straboni Οὐενουσία. *Plutarcho* Βενουσία *dicitur*. *Nic. Lloydius.*

VENUSTUS, Consul, Sabini collega fuit, sub Gordiano III. cujus meminit Capitolinus in *Vita* hujus, c. 23. ubi horum Consulatu, Duce Sabiniano, irritam in Africa contra Imperatorem factionem esse refert. Item Procuratoris nomen, apud Treb. Pollionem in *Claudio*, c. 17. ubi Gallieni ad eum epistolam habes. Græcè Ἐπαφρόδιτος, quod cognomen (*Formosum* simul *Felicemque* denotans) quantopere ambierit Sulla, diximus suô locô. Aliàs uti *dignitatem* in virili, sic *venustatem*, in muliebri pulchritudine, commendat Cicero, *de Officiis, l. 1. c. 36.* *Cùm pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas*

nustas sit, in altero dignitas; Venustatem *muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem*: ad quem locum vide Barthium, *Animadv. ad Statium*, *l.* 6. *Thebaid. v.* 572.

VENUTIUS, è Brigantum civitate, fidus diu & Romanis armis defensus, cùm Cartismanduam Reginam matrimoniô teneret, mox ortô dissidiô & statim bellô, etiam adversus Romanos hostilia induit. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 40. *Venusius* quoque scribit idem, *l.* 3. *Hist. c.* 45. Vide & *Publius*.

VEPICUS. Silius, *l.* 8. *v.* 440.

Vepicus quondam nomen memorabile ab alto
Saturno, statuit genitor, quem carmine Circe
Exutum formâ volitare per athera jussit,
Et sparsit plumis croceum fugientis honorem.

Est autem *Vepicus*, *Picus parvulus*, ut *Vejovis* pro *parvo Jove*, & *vestibulum*, quod est *stabulum parvum*: nam *stabulum* quoque pro hominum statione ponitur, & Plautus *stabularium* pro *caupone* posuit. *Nic. Lloydius.*

VER Sacrum, cujus apud Livium mentio frequens, *Sisennæ*, apud Nonium, *religiosum*, aliis *execrandum*, exponitur, atque apud Græcos (quibus *ἱερὸν ἔτος*, *Sacer annus*, dictum est) & Romanos, in usu fuit. Strabo, *l.* 5. Σαβῖνοι πολὺν χρόνον πρὸς τοὺς Ὀμβρικοὺς πολεμοῦντες, εὔξαντο, καθάπερ τῶν Ἑλλήνων τινές, τὰ γενόμενα τῷ ἔτει τούτῳ καθιερῶσαι. Ubi *τῷ ἱερῷ* quidam gratis reponunt; namque, cùm vovebant, quidquid proximô *vere* nasceretur, unius anni fœtus Deo sacrabatur. Hinc idem alibi disertè *ἔτος ἱερόν*, & clariùs Dionysius Halicarn. Ἀρχαιολ. *l.* 1. *ἱερὰς γονάς*, *annuos fœtus*, appellat. Et quidem de Græcis Solinus, *c.* 8. *Catillus*, inquit, *Amphiarai filius, post prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei avi jussu, cum omni fœtu* Ver sacrum *missus, tres liberos in Italia procreavit*, ad quem locum Salmasium vide. Idem de Lacedæmoniis, quô tempore urbem Heracliam condiderunt, factum esse, alibi legimus. De Romanis nota omnia. Sic & Sabini feruntur vovisse, si res communis melioribus locis constitisset, se *Ver sacrum* facturos: quô votô damnati, fœtum omnem dicuntur ejus anni statim consecrâsse &c. Fiebat nempe id rebus potissimùm crepetis: vovebanturque fœtus ejus anni omnes, cuncta scil. animalia, quæ ab eo tempore, quô incepisset, usque ad ver proximum nascerentur. Quia verò crudele visum, pueros puellasque innocentes interimere, in adultam ætatem perductos velabant atque extra fines eos exigebant. Unde *Sacrani*, ex oppid. Reate orti, dicti sunt, quòd in *Vere sacro* nati haberentur. Extat vovendi *Veris sacri* formula hæc apud Livium, *l.* 22. *c.* 10. *Velitis jubeatisne hoc sic fieri. Si Respublica populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, sicuti mea, quæ salva est, servata erit hisce duellis, quod duellum populo Romano cum Carthaginiensi est, quæque duella cum Gallis sunt; qui cis Alpes sunt; donum datum duit populus Romanus Quiritium, quod* Ver *attulerit, ex suillo, ovillo, caprino, bovillo grege, quæque profana erunt, Jovi fieri, ex qua die Senatus populusque jusserit.* Ubi videmus *Jovi* id Ver votum, hocque ad pecudes hìc restrictum: Sed nec ad omnes, nam quæ antea consecratæ fuissent, hôc votô non continebantur. Adde quòd non quævis ætas pecorum apta sacrificio, uti discimus ex Auctoribus variis, inprimis Varrone, *de Re Rust. l.* 2. *c.* 4. & Servio, *ad l.* 4. *Æn.* Hinc diem, ex quo oporteat facere, non relinquit arbitrio cujusque, sed destinationi Senatus reservat. Nisi tamen eum diem intelligere malis, ex quo incipere debeat *Ver sacrum*: qui non definitus hic, sed, *l.* 34. *Ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter Kal. Mart. & pridie Kal. Majas.* Nonnunquàm verò & pro victoriis obtentis, in gratiarum actionem, Jovi votum hoc à Romanis factum, ut ex eodem alibi discas. Illi *verò*, qui sic è Patriis finibus emittebantur, *ut posthac patriâ carituri, nisi aliam pararent, quæ se reciperet, quidquid terrarum armis acquisivissent aut gratiâ, habebant vice patriæ; creditumque est, eis adesse Deum, cui dicabantur & supra humanam spem prosperare hujusmodi colonias*, Dionys. Halicarn. *l.* 1. *c.* 16. ubi à multis tam Græcis, quàm Barbaris, hunc morem receptum, addit. Vide quoque *l.* 2. *sub initium.* & hanc in rem plura, apud Victorium, *Var. Lection. l.* 35. *c.* 22. Pithœum, *Adversarior. l.* 1. *c.* 6. Petr. Crinitum, *de Honesta Discipl. l.* 24. *c.* 8. Joh. Frid. Gronov. *Observation. l.* 4. *c.* 14. Berneggerum, *ad Justin. l.* 24. *c.* 4. Alios: uti de *Vere*, anni tempestatum principe, hìc passim, repræsentato in Circensibus, voce *Factionis*.

VERA, oracula & sortes dicuntur Jul. Capitolino *in Opilio Macrino*, *c.* 3. *Vates Cælestis, apud Carthaginem, quæ Deô repleta solebat* vera *canere.* Edita ab iis, quos Sueton. *Veraculos* appellat, *Vitelliô*, *c.* 14. *Nullis tamen infensior, quàm Veraculis* (seu Vericolis) *& Mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat*, ad quem *l.* Casaubonum vide. Aliter *Veratores*, i. e. Vates & Harioli, cæterique Divini: qui *verabant*, i. e. vera canebant. Apud veterem Poëtam, *Satin' vates verant ætate in agunda.* Unde *veratura*, in antiqq. Burgundionum *Legg.* pro divinatione, quam edunt Harioli & Sortilegi de rebus, quas quisque perdidit, quô locô & penès quem inveniendæ sint. *Tit.* 16. *Si verò regius extiterit, & veraturas acceperit, & is qui judicat; invenire non potuerit, furtum, quod se perdere mentiebatur, dissolvat in simplum.* Ubi tamen *veratura* pretium potiùs est, & merces, quæ pro divinatione Hariolo datur, quàm ipsa divinatio, Salmasio *ad Capitolini loc. cit.* Germanis hodieque *verare*, est *wahrsagen*, Græc. ἀληθεύειν. Sed & priscis Latinis *verus color*, de rubro & coccineo, uti ἀληθινὸς Græcis: unde *verantia*, & recentiori ævô *varantia*, hodie *garantia*, rubia dicitur, quæ verò colore tingit, hincque *ἐρυθρόδανον* Græcis appellata est. Vide eundem, *Exercit. Plinian. ad Solin. p.* 1152. & suprà, ubi de *Cocco*, *Purpura*, *Radicula*, *Rubia* &c. nec non infrà, voce *Verum*, it. ubi de *Verbo veritatis*.

VERA CRUX, VERA CRUZ, oppid. novæ Hispaniæ in America Septentrionali, in *Tlascala* provinc. cum portu, in ora Sinus Mexicani. Ei adjacet Arx S. Joannis *de Ulva*, triangularis & munita, in Insula parva, ad tutelam portus, cum valido præsidio Hispanico, 80. leuc. à Mexico in Ortum & ferè 70. à mari Australi in Boream.

VERACE, nomen illustris in Gallia Familiæ, quæ Budææ stirpis ramus est, de qua vide suprà, voce *Budæus*.

VERAGRANI, vel VEREGRANI, populi Piceni, Plin. *l.* 3. *c.* 20. quorum oppidum *Monte Fano*, F. Pamphilo, inter Auximum ad Arctos 5. & Trajanam oppidum ad Austrum 7. mill pass. Vel *Monte Granario*, castrum proximum.

VERAGRI, populi Galliæ Narbonensis primò omnium Cæsari, inter Gallos, memorantur, *l.* 3. *Comm. de bello Gall. c.* 1. 2. qui Nantuates, *Veragros*, Sedunosque à finibus Allobrogum & lacu Lemano ac flumine Rhodano, ad summas Alpes, pertinere scribit. In inscript. è trophæo Alpium prolata apud Plin. *l.* 3. *c.* 20. Nantuates, Seduni, *Veragri*, Salassi ordine recensentur. Strab. illos cum Nantuatibus conjungit, prope Lemanum lacum, & inter Alpinas gentes collocat, *l.* 4. Dio, *l.* 30. Cæsarem sequitur. *Ferrario* inter Allobroges ad Occasum & Sedunos ad Ortum apud Rhodanum fluv. *Baudrando* fuére populi Galliæ Lugdunensis juxta Rhodanum, ubi nunc Valesia inferior, à Caballico tractu in Ortum tantisper dissita. De iis *Simlerus*: Post Sedunos Veragri imam vallem habitant, à Morsia flumine, ad fauces usque, quà Rhodanus egreditur, German. *Underwallisser*. *Marlianus*, inter montes S. Bernardi & Spligam illos locat. Horum loca celebriora & antiquiora Tarnadas, olim Agaunum monasteriô nobile, gentis caput, secundùm Volaterranum, *l.* 3. Marlianum *in Cas. &c.* hodie S. Mauritii *S. Moritz*, 12. mill. pass. ab Octoduro, & Octodurum, quod hodie Martiniacum, vulgò *Martinach in Wallis*, Gall. *Martigny*, ad Dransæ & Rhodani confluentes, caput Vallensium, secundum *Guilimannum* & Episcopatus sedes. Hoc vicus primùm, dein civitas fuit, duas in partes Dransâ fluv. divisa, teste Cæsare, *loc. cit.* tandem Episcopalis facta, in provincia Alpium Grajarum & Penninarum, post Civitat. Centronum Darantasiam seu Metropolim, secunda, ad Penninas pertinens. Ejus Episcopus Theodorus interfuit Concilio Aquilejensi, sub Gratiano, Valentiniano & Theodosio Imperatoribus habito: Constantius Synodo Epaonensi, Rufus Conciliis Aurelianensibus, 4. & 5. & Arvernensi secundo, &c. sed posteà Sedunos sedes Episcopi translata est: unde Concilio Matisconensi secundo, interfuit *Heliodorus Episcopus à Sedunis*, A. C. 595. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Joh. Bapt. Plantinum, qui varias his in locis inscriptiones & antiqui ævi monumenta, eruit, *in Helv. nov. antiq.* Simlerum *de Vallesia, &c.* Hodie populi hi, post diuturna cum Sedunis & Viberis bella, ante ann. circiter 200. ab iis victi, eorum imperio subsunt: Arces illorum munitæ omnes, numerô sexdecim, à victoribus destructæ sunt A. C. 1475. solô Agaunô exceptô, quas restaurare neutiquam licet. Ab his Præfectos, qui jus dicant & Rempubl. administrent, accipiunt. Iidem. Horum oppid. *Octodorus* Cæsari, *loc. cit.* nunc *Martenach* dicitur, *Nic. Lloydius.*

VERAGUA, provinc. Novæ Hispaniæ cum titulo Ducatus gentis Columbæ. Inter mare Boreale & Austrinum, in ipso limite Terræ firmæ; sub Præfectura Guatimalæ. Ejus urbes, Conceptio, caput provinc. Trinitas, & S. Fides. Sub Hispanis. Nomen itidem Familiæ illustris, in Hispania, cui ex Portugallica stirpe origo est. In hac enim cùm tres sint Familiæ præcipuæ, quæ ex naturalibus Regum liberis prodiére, in media, quæ Bragantina est, Alvarus fil. medius Ferdinandi I. Ducis Bragantini, Dn. *de Ferreira*, numerosæ posteritatis sator, inter alios, Duces quoque *de Veragua*, ex Comitibus de *Gelves*, dedit, ad quos Familiæ Columbiæ successio delapsa, cum titulo *Marchion. de Jamaica*, ut videre est suprà, voce *Columbus*. Vide quoque Phil. Jac. Spenerum, *Arte Heraldicâ*, *Tom. II.* ubi *de Insignibus eorum*.

VERANIA, uxor Pisonis Liciniani, à Galba Imperatore adoptati. Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 47.

VERANIUS, legatus in Britannia, Didii Galli successor sub Nerone, mortuus ibidem: magnâ, dum vixit, severitatis famâ, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus: quippe, multâ in Neronem adulatione, addidit, subjecturum ei provinciam fuisse, si bienniô proximô vixisset. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 29. *Agricol. c.* 14. Vide & *Quintus*.

VERANUS Obeliscus, vide *Obeliscus*.

VERA-PAX, vulgò VERAPAZ, provinc. novæ Hispaniæ in præfectura Guatimalæ, prope oram maris Borealis & intimum recessum Sinus Honduræ; inter Jucataniam ad Arctos, Honduras ad Ortum, Guatimalam ad Meridiem, & Chiapam ad Occasum. Ejus oppidum præcipuum Vera Pax, vulgò *Verapax*, sub Hispanis.

VERARDUS Carolus, vide *Carolus*.

VERAX, Civilis è sorore nepos. Tacit. *l.* 5. *Hist. c.* 10.

VERBA, tum ore, tum manibus expediuntur. Et quidem prius ritè ut fieret, in infantia statim adhibitus est apud Veteres *primus vocis Enodator*, ut Tertullianus vocat, *de Pallio*, *c.* 5. qui, quomodo singula quæque *verba*, quâ voce, quô motu oris essent pronuntianda, præcipiebat: quod quâ methodô factum, docet Quintilian. *l.* 1. *c.* 2. & Martianus Capella, *de Grammat.* Accedebat Phonascus, quibus it insuper operam dabant, qui Cantores Tragici, aut Comœdi, seu Oratores etiam vellent esse. Quô pactô ore satis formatô, & facultate dicendi in Rhetorum Scholis cum tempore acquisitâ, *verba* publicè facturi procedebant in medium, uti hìc passim videre est. Sed & *verba* manibus expediebant Pantomimi. Cyprian. *l. de Spectac.* de Pantomimo, *Homo fractus omnibus membris, & vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit* verba *manibus expedire.* Cujusmodi saltationis, quæ manibus loquebatur & gestibus omnia effingebat atque imitabatur

tam

tam dextrè, ut populus hinc facilè cognoscere posset fabulæ argumentum, vestigia, jam Heroicis temporibus occurrunt. Telestem certè, quo saltatore utebatur Æschylus in tragœdiis, adeò bonum ejus rei fuisse artificem, ut, cùm τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας desaltaret, omnia, quæ illic agebantur, gestibus peregerit, & oculis spectatorum subjecerit, discimus ex *Athenæo*. Postmodùm verò Artem hanc exquisitiùs excoluerunt, &, à Tragœdia, Comœdia ac Satyra separatam, seorsim in Orchestra exhibuerunt, celebres illi sub Augusto Χειρονόμοι, seu Pantomimi, Pylades & Bathyllus, teste *Zosimô*. Qua de re vide Salmas. *ad Carinum Vopisci*, *c.* 19. & hic passim, ubi de *Chironomis* & *Pantomimus*, ac in specie, ubi de *Bathyllo* & *Pylade*. Cœterùm *Verba festa*, apud Capitolin. quæ dici consueverint, diximus suprà. *Verba nupta*, apud Festum, eadem quæ *Verba obscœna* Varroni apud Marcellum; *prætextata*, apud Sueton. *Vesp. c.* 22. *Veneris vocabula*, eidem Varroni: impudica sunt, quæ Sponsæ occini solebant, apud Romanos, uti vidimus, ubi de *Fescenninis*, ac *Nuptiis*. A' quibus, ne quidem in vita communi, abstinuisse Vespasianum, notat Auctor modò laudatus. Quantò meliùs Comnenus Imperator Constantinopolitanus, *verba inania ac obscœna*, è conviviis totoque palatio, exulare jussit, dictô Christi, Matth. *c.* 12. *v.* 36. *de quolibet verbo otioso rationem olim reddendam esse*, monentis, permotus, uti refert Nicetas Choniates &c. Plura verò hîc passim, inprimis voce *Vox*.

VERBANUS, lacus Galliæ Cisalpinæ Ticinum Alpibus defluentem per 30. mill. pass. accipiens & eundem in Padum transmittens. Hodie *Lago Maggiore* dicitur. Longus est 40. milliar. nullibi suprà 5. aut 6. latus, à Lario 24. recedens, eô minor. Abest à Novaria 17. mill. pass. à Mediolano 36. Oppida habet adsita, Angleriam, in adversa ripa Aronam cum arce; intra Palantiam, Canobium, Locarnum & Sextum ad egressum Ticini, (cum aliis pagis) pleraque familiæ Borromeæ, cujus ditio longè lateque introrsum patet. In eo insula est ejusdem familiæ, malis consita medicis, mill. pass. à Palantia, cum Alcinoi deliciis conferenda. De eo *Itiner. l.* 4.

Stagnaque Verbanis summas ostendit & Alpes.

Vide Joh. Bapt. Plantinum, *Helv. Ant. & Nov.*

VERBENA, quasi *Herbena*, i.e. *Veneris vena*, denotabat apud Veteres omnem herbam frondemque, quâ Aræ coronabantur, Francisc. Gouldm. *Diction. Lat. Angl.* Jul. verò Cæsar Scaliger, *Poetices l.* 1. *c.* 21. ubi *de Ara Apollini in Comœdiis statui solita*, sic: *Propria*, inquit, *ac vera aræ, dextra Baccho in Tragœdia; Apollini in Comœdia; sinistra ei vel Deo vel Divo vel Heroi vel Civi, cui fiebant Ludi, aut Justa, aut Parentalia. Unde etiam* Κωμικοὶ Ἀπόλλωνος *faciunt mentionem, quem celebrabant panegyri Naucratæ omnes, Prytaneum ingredientes, candidis induti vestibus, quas idcirco Prytanicas appellabant. In iis aris* Verbenæ *imponebantur Apollini, ut est in Andria Terentiana, hederæ Baccho.* Eâdem Jovis templum lustrabatur, & pavimentum verrebatur ac mensa, unde & à *verrendo* quibusdam nomen accepisse videtur: Templa quoque ac vias certis diebus illâ ornabant, qui hinc *Verbenalia* dicti. Sacrificantes porrò eas adolebant. Virg. *Eclog.* 8. *v.* 65.

Verbenasque adole pingues. ———

Ubi Schol. *Sic vocat virgulta religioni apta: Nam non tantùm herbam certam significat, sed omnem frondem & ramum, qui facilè concipit ignem.* Manu tenebant. Vide suprà *Omanus*: Et capita iis cingebant, Idem, *l.* 12. *Æn. v.* 120. ubi de Fecialibus sermo est,

Velati linô & Verbenâ *tempora cincti.*

In quæ verba iterum Vir doctus, inquit, *sacrâ, sagmine propriè: namque ex Capitolii sacro loco poscebant sagmina Fecialis & Pater Patratus, bella indicturi vel fœdus icturi, Liv. l.* 1. *c.* 24. *Abusivè tamen* Verbenas *jam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva, myrtus* &c. Plinius sic de hac re, *l.* 22. *c.* 2. *Sagmina in remediis publicis fuêre, & in sacris legationibusque* verbenæ. *Certè utroque nomine idem significatur, hoc est, gramen, ex arce cum terra evulsum: ac semper & legati, cùm ad hostes clarigatumque mitterentur --- unus utique* Verbenarius *vocabatur.* Vide Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 3. ubi de Romanorum more fœdera percutiendi, agens, Senatus --- Consultum in hæc verba fieri consuevisse, ait, *ut privas* verbenas *privosque lapides Prætorem poscerent: qui verbenam ex arce & sagmina ac lapidem silicem ex templo Jovis Feretrii daret, Facialesque ea secum ferrent*, & quæ seqq. Similiter Patrem Patratum, *verbenâ caput capillosque tangendo*, faciebat Fæcialis, uti videre est apud Polydorum, de *Rerum Inv. l.* 4. *c.* 14. Atque sic caput inter jurandum tangebatur, Liv. *Dec.* 1. *l.* 1. Sed & in Nuptiis *verbenæ* locus. Moris enim fuisse, ut nova Nupta *verbenis* à se lectis coronam componeret, eamque sub amiculo ferret, sunt qui tradant, quo de ritu Car. Paschalius, *Coronar. l.* 2. *c.* 17. qui etiam de prisco more sacrificantium istiusmodi sertô caput cingendi, varia habet, *l.* 4. *c.* 19. Nec omittendum, in Serapidis templo, *verbenas* quoque, coronas & panificia, memorari Suetonio, *in Vesp. c.* 7. ubi cùm is in Ægypto esset, de firmitate Imperii capturus auspicium ædem Serapidis solus intrâsset, propitiatôque Deô tandem se convertisset, hæc tria prædicta à Basilide liberto oblata fuisse, pro more, refert. Ex iisdem struppos, qui pro Deorum capitibus ponebantur, factitatos diximus suprà voce *Pulvinar.*

VERBERA, multiplicis generis, ususque. In Scholis *verbere* monita juventus, sapere discit: de cujusmodi *Verberibus Scholasticis* Ausonius, Gratiani Imp. Præceptor, *Ep.* 4.

Ausonius, cujus ferulam nunc sceptra verentur.

Item *Protrept. ad Nepotem, Eidyll.* 4. *v.* 24.

Tu quoque ne metuas, quamvis schola verbere multò
Increpet, & truculenta senex gerat ora Magister.

v. 27.

——— *nec te clamor plagaque sonantes,*
Nec matutinis agitet formido sub horis.
Quòd sceptrum vibrat ferulæ, quòd multa supellex
Virgea, quòd fallax scuticam prætexat aluta.

Vide suprà, voce *Ferula*. At in Christianorum pueris, persecutione Gentilium grassante, *verbera* ad necem usque ingeminata, uti de Romano Prudentius docet, *v.* 696.

Vix hæc profatus pusionem præcipit,
Sublimè tollant, & manu pulsent nates.
Mox & remotâ veste virgis verberent,
Tenerumque duris ictibus tergum secent,
Plus unde lactis, quàm cruoris defluat.

Vide quoque suprà in *Catomo levari*. In adultis verò, *Verbera* apud Romanos, in condemnatis mortem communiter præcesserunt. Liv. *l.* 33. *c.* 36. ubi de Servis conjuratis, *Multi occisi, multi capti, alii* verberati *crucibus affixi.* Cujus moris retinens Alexander, apud Curtium, *l.* 7. *c.* 11. eos, qui Petram obstinatè defenderant, *Omnes* verberibus *affectos, sub ipsis radicibus Petræ, crucibus jussit affigi.* Judæi quoque apud Josephum, *Excid. l.* 5. *c.* 32. μαστιγούμενοι καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ἀνεσταυροῦντο, *Flagellati & prærucıati ante mortem omne genus verberibus crucifigebantur.* Quod Philo quoque narrat de Judæis Alexandriæ, à Flacco, in crucem actis. Imò & horrendum carmen disertè canebat, *Verbera intra, aut extra pomærium*: & tum succinebat, *Arbori infelici suspendito.* Factum autem id temporibus antiquis, posteà mutavit. Neque verò neci tantùm prævia *Verberatio* erat, sed & in metallum damnationem aliamque insuper pœnam præcedebat; imò & per se pœna erat, virgis enim ad necem cæsi, in Hist. Rom. non rarò occurrunt: qua de re doctè Petrus Faber *in Semestribus*, *l.* 2. *c.* 10. At sequenti ævô, non solùm civis Romanus, ex legibus Porcia & Valeria, nec morti tradi nec cædi omnino, adversùs provocationem ad Populum, debebat, sed tandem etiam nec hostis nec alius *Verberibus* solùm necabatur. Interim & Flagellationis & Fustigationis, (utrôque enim modò infligebantur *Verbera*) castigationem in usu Romanis mansisse, ex Digestis liquet Historiisque: ita tamen, ut servus flagellis, liber fustibus seu virgis cædendus esset, ut non semel in Digestis docetur, optimeque explicatur à Barn. Brissonio, *Select. ex jure civ. Antiq. l.* 3. *c.* 9. Quod tamen, ut fieri in hujusmodi rebus amat, haud perpetuò eôdem se habuit modô. Ex more hoc Romano, quô in non cives Romanos animadverti volebant more Majorum, i.e. ita ut capitaliter puniendi primò cæderentur; non Judæi solùm prædicti, & Antigonus Hasmonæorum Rex Judææ ultimus in Herodis gratiam, ab Antonio, Antiochiæ flagris primùm cæsus, & dein securi percussus est, Joseph. *l.* 15. *Jud. Ant. c.* 1. Plut. *in Antonio*, sed & inde orta est D. N. JESU CHRISTI flagellatio, à Pilato, Præside Romano eum jam crucifixuro, non à Judæis, ex jure suo, licèt Hierosolymis, illata, Matthæi *c.* 27. *v.* 26. Marci *c.* 15. *v.* 15. Nempe, ut pro damnato habitus flagellabatur, quod planè contra morem Judaicum, ut videbimus infrà, sed Romano satis consonum. Licèt enim Pilatus SERVATOREM castigare vellet Lucæ *c.* 23. *v.* 22. (flagellatione, ut videtur) nec morti tradere, uti ex more Romano Præsidibus licuit: tamen, cùm aliter Judæis satisfieri nequiret, pœnam utramque conjunxit. Fustigationi autem illi subjici solebant, idque ex Rescriptis sæpe principalibus, non omnes, sed liberi homines tantùm, qui tenuiores essent, non qui honestiores; extra causam Majestatis, ut etiam in Basilica, seu jura Cæsarea Græcanica receptum est, *Tom.* 7. *l.* 60. *tit.* 51. §. 28. & *ibid. Scholia Græc.* Sed de Fustigatione infrà, in voce *Virga* plura addentur. Apud Christianos utriusque, tum Fustigationis tum Flagellationis, usus forensis, extra causas aliquot atroces & homines vilissimos, diu abhinc evanuisse videtur. Vide Jul. Clarum, *Sent. l.* 5. *Quæst.* 70. & ibi Dan. Bajardum. Certè apud Græcos veteres adeò infamis non habebatur *Verberum* pœna, quin cæsus, quasi crimen omnino inde, quantum ad Famam, satis expiâsset, existimationi pristinæ restitueretur. Qua de re non dubitabatur inter hospitem Atheniensem, Cliniam Cretensem, & Megillum Laconem, duarum Reipubl. suæ Magneticæ leges condituri erant: Et reperimus, tam civibus, quàm peregrinis, ac servis *Verbera*, velut mulctas alias civiles, sæpius ab ipsis fuisse præscripta, Plato, *de LL. l.* 8. 9. 11. Etiam Lichas, Arcesilai filius, Lacon, ob moris certaminis publici apicem violatum ὑπὸ τῶν ῥαβδούχων πληγὰς ἔλαβεν, *à Lictoribus virgis cæsus est*: Vir, qui gloriosius illic certaverat, & posteà in Legationem à Lacedæmoniis ad Argivos fuit electus, apud Thucyd. *Histor. l.* 5 Memoratque Athenæus, *l.* 4. Coquum in Lyceo, quia salsamentum aliud, locô alterius, præparârat, μαστιγωθῆναι. Quinetiam Lacedæmoniis in more erat, semel quotannis, pueros etiam nobiliores, astantibus acriterque hortantibus Parentibus, ad aram Dianæ Orthiæ flagris totô die cædi: quod pro imagine etiam pœnæ nonnullis sumtum, eorum scil. qui ex ritu caseum ab ara rapientes deprehensi essent. Vide Xenoph. *de Republ. Lacedæm.* Plut. *in Aristide & Institutis Lacon.* Lucianum, *de Gymnas.* Alios, quos diligenter congessit Nic. Cragius, *de Republ. Lacedæmon. l.* 3. *Tab.* 9. *Institutô* 8. ut & suprà aliquid voce *Bomonicæ*. Sed & Muhammedanis, sine servorum & liberorum discrimine aliquo, *Verberum* disciplina & vetus est & hucusque duravit. Sic *Verbera centum* omni adulteranti: *Octuaginta* inebriato, irrogari legas, in Alcorano &

Doctr.

Doctr. Mahomedis, p. 191. Rasidus item avus Abulabbæ Almamonis Caliphæ 28. puellam, eò quod cantus ejus Almamoni displicuerat, *quadraginta Verberibus* cædi jussit, apud Elmacinum, *Histor. Saracenic.* l. 2. Etiam apud Sinenses, frequentissimo in usu fertur esse forensis fustigatio, in tribunalibus Mandarinorum, ubi perpetuò adstant lictores fustibus instructi, qui exequantur ilico sententiam, uti didicimus ex Alvaro Semedo Lusitano, *Histor. Monarchiæ Sinensis*: ut de aliarum Gentium moribus nil addam. Transeo ad Hebræorum Rempubl. optimè constitutam, in qua *Verbera* quoque irrogabantur à Triumviris, ad quos capitales causæ, (à Synedriis solùm Viginti-triumviralibus & Magno seu Septuagintaunusvirali judicari solitæ) non spectabant. Et quidem, sicut in Judicium capitale, ita in illud, quò *Verberibus* crimen luendum erat, nemo deducebatur, nec facinori pœnâ aliàs debitâ afficiebatur, citra התראה *Præmonitionem*, quâ innuebant, reum, hôc nomine, in jus vocatum, non condemnandum, nisi de Lege ipsa, in quam peccaverat, antè fuisset præmonitus. Erat autem formula præmonitionis hujusmodi; Dicendum erat facinus patraturo, *Abstine, quoniam transgressio est hoc, cujus nomine sententiæ Synedrii obnoxius eris capitali*, aut Verberum *seu flagellationis pœnæ*. Cui si non pareret, pœnam sentiebat. Describitur illa disertè Deuter. c. 25. v. 1. *Si lis fuerit inter homines, accedent ad Judicium, & judicent eos justificentque justum, impium verò condemnent. Et si fuerit* בן הכות *filius Verberationis, dejiciat eum Judex, & cadat eum coram se, juxta impietatem ejus, secundùm numerum. Quadraginta* (plagis) *verberet eum & non addat, ne fortè, si addiderit verberare eum, ultra verberationem illam magnam, contemtibilis fiat frater tuus in oculis tuis*. E' qua lege infligebant Reo *Verbera*, non solùm Synedrii Majores, sed etiam Triumvirales, ut dictum, ita tamen ut temporibus recentioribus, non alii Triumviri, quàm qui ordinati essent seu manuum impositione creati, hanc ritè pœnam irrogarent. Quod hôc modô fiebat: Manibus *verberandi* columnæ hinc inde alligatis, Lictor nudum eum pectore tenùs reddebat. Post eum lapis positus erat, cui insistebat minister, habens in manu sua lorum taurinum, quô cædebat inclinantem eum & in ventre & in tergo, idque semper coram Judicibus: Quod dum fiebat, Judicum præcipuus, ut præco clamabat, *Si non observaveris, ut omnia facias verba Legis hujus* &c. *Omnino mirabiles efficiet Dominus plagas tuas & plagas seminis tui* &c. ex Deuteron. c. 28. v. 58. Et addens, *Quapropter observabitis verba fœderis hujus* &c. ex c. seq. v. 9. tandem adjiciebat, *Ipse autem misericors expiabit iniquitatem*, ex Psalmo 78. v. 38. quæ & iterabat, si ante *Verberum* numerum finisset. Quòd si inter cædendum Reus moreretur, nihili erat. Ne verò legem, de non adjiciendis numero quadragenario plagis, forsan transgrederentur, excedi nolebant triginta novem, licèt reus, sive robustissimus sive pertinacissimus esset. Unde Josephus, plagas ex Lege infligendas, vocat μιᾶς λειπούσας τεσσαράκοντα, *unâ minus quadraginta*, *Jud. Ant.* l. 4. c. 8. & S. Paulus, à Judæis, inquit 2. Corinth. c. 11. v. 24. πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν ἔλαβον, *Quinquies quadraginta unâ minus accepi*. Vide quoque Buxtorffium, *Epist. Dedicat. ad Abbreviaturas Rabbin.* Sed numerus, pro reatus & personæ conditione, etiam minor erat, ac pro Synedrii libitu varius: Atque ita ut ex sententia statim exsequenda præstitui solitus excedi non deberet, licèt debilitate Rei, inter flagellandum, perspectâ, rectè minui posset. At verò, si quis pœnam hanc bis simul mereretur, quadraginta interdum excedebant, usque ad numerum aliquem intra 79. aut, prout lubebat, tempora *verberationibus* singula adsignabant. Quòd si autem alligatus se solveret, fugeretque, reducendus non erat &c. Sic pœnâ affectus, statui priori in integrum restituebatur, nec crimen commissum ei poterat exprobrari: Imò & Pontifex Max. licèt à Triumviris, aliisve Synedriis ritè verberatus, קיור לגדולתו *restituebatur in Majestatem suam*; nedum Sacerdotes reliqui. In Consessus tamen seu Synedrii Principe hoc ita temperabatur, ut ille sic *verberatus* non restitueretur in Præfecturam suam. Crimen, quod *Verberum* pœnam merebatur, violatio erat Præcepti negativi: quæ quot modis contigerit, exhibet prolixè Seldenus: ubi, qui negativum aliquod violarent præceptum, cujus pœna כרת seu *Excisio* divinitùs expectanda esset, nec debita ei in Synedrio aliquo pœna capitalis haberetur, XXI. qui verò præter hosce, juxta Legem, præceptorum Negativorum violationis nomine, quibus nec excisio nec capitalis pœna forensis contineretur, *verberandi* erant, CLXVIII. recenset, l. 2. *de Synedriis Veter. Hebr.* c. 13. E quibus patet *Verberum* pœnam, apud Hebræos, nec capitalem, nec ignominiosam fuisse, eique non viliores tantùm è Populo, sed & Principes Synedrii M. Pontifices Maximos, Reges ipsos, subjacuisse: Sed & eadem apud reliquos quoque Orientales admodum erat frequens. Aliter autem Occidentaliores seculorum recentiorum de illa statuerunt, etiam mortem huic, ignominiæ causâ, plerunque præferendo, ut ex parte suprà visum. Adde, si lubet, Justum Lipsium, *de Cruce*, l. 2. c. 2. 3. 4. & quia *Verbera*, vel flagellis vel fustibus seu virgis infligebantur, vide quoque in his vocibus, uti de *Verberum*, in Sacris Gentilium, ubi de *Lupercis*, nec non, voce *Thyrsus*: de barbaro verò Moscorum more, ubi, inter maritalis fidei ac amoris pignora, *Verbera* habent uxores, non aliunde conjugalis benevolentiæ certius augurium capientes, vide Barclaji *Euphormionem*, & plura apud Guagnium, *Descr. Moscoviæ* c. 4.

VERBERANDI contra Ventum ritus, medió ævô usitatus, indigitatur *Speculo Saxonico*, l. 1. *artic.* 63. §. 7. *Actor in circulum prior veniat, & si reus venire protraxerit, Judex debet eum tribus vicibus per præconem de domo ---- evocare: quòd si in tertia vocatione non venerit, actor surgendo se debet duello præsentare, & verberando contra ventum, eum superabit in querela, contra eum proposita, ac Judex eum, tanquam duello esset superatus, condemnabit*. Ubi alios habere, *& bis percutiat seu feriat contra ventum & tertio figat in terram & sup.* monet Car. du Fresne, in *Glossar.* Agitur scilicet hîc de more controversias per duellum decidendi tum frequentissimô: quô, qui in campum monomachiâ à Judice indictâ dimicaturus descendebat, adversariô non veniente, gladium tanquàm pugnaturus vibrando aërem percutiebat, quod *verberare contra ventum* dicebant, victorque à Judice pronuntiabatur. Aliud est, ἀέρα δέρειν; *aërem verberare*, 1. Corinth. c. 9. v. 26. de quo, utpote ex veter. Lucta desumpto, diximus suprà.

VERBERIUS Petrus, vide *Petrus*.

VERBERUM inflictio, seu Fustigatio, pœna est in Ecclesia Romana, ubi Inquisitio viget, quâ rei ad ictus flagellorum aut virgarum condemnantur. Et quidem, si viri sint Religiosi, virgis in suo Monasterio ab aliis Religiosis, præsente Notariô S. Officii (ut vocant) cæduntur. Cujusmodi supplicium, Paramô teste, Laurentius Valla luit, qui hæreseos damnatus Neapoli, Regis beneficiô, ignis quidem supplicio exemptus est, sed eâ conditione, ut publicè ab eo prolata, cùm revocâsset, & damnâsset, scopis crimen lueret. Itaque in Prædicatorum cœnobio manibus revinctis per claustra ductus, & spatulas & tergum religiosis viris cædenda scopis præbuit. Phil. à Limborch, *Histor. Inquisit.* l. 4. c. 32.

VERBIGENUS, pagus Helvetiorum inter Celtas. Cæsar, l. 1. *Comm.* c. 27. *Orbe* hodie dicitur: *Ferrarius*. Ubi *Verbigeni* populi. Dicitur & *Urbigenus*, vide ibi. Erat inter Juram montem, Lemanum lacum & Aventicum, ubi hodie Principatus Neocomensis, pagus Friburgensis & ditio Romani pagi Bernensis. *Baudrand*. Vide quoque Rhenanum *Rer. Germ.* l. 3. & Notas ad eum Ottonis JCti.

VERBIGENUS, meliùs *Urba*, vide ibi.

VERBINUM, *Antonin.* oppid. Galliæ Belgicæ in Picardia in finibus Laudunensium, hodie *Vervins*, in Tirascia tractu, pace inter Galliæ & Hispaniæ Reges A. C. 1598. celebre. Vix 4. leuc. à limite Campaniæ in Occasum. Medium inter Capellam arcem ad Boream, & Marlam ad Meridiem 4. leuc. 16. à Remis in Arctos, 7. à fontibus Æsiæ in Africum.

in VERBO veritatis, jurare solebant olim Ecclesiastici viri, quibus *super Sacra* seu *corporaliter* jurare prohibitum, Synodô Meldensi: quod *verbum Sacerdotum*, in veter. *Charta* dicitur, apud Car. du Fresne. Idque manu ad pectus appositâ, uti de Electoribus Ecclesiasticis legimus in *Bulla Aur.* Car. IV. Imperatoris, c. 2. *Principes Electores Ecclesiastici coram Evangelio B. Joannis*, in principio erat verbum: *quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reverentia supponant: seculares verò Principes Electores dictum Evangelium corporaliter manibus suis tangant* &c. Uti jurare non coactos Flamines Diales, sed *verbo* illorum, quasi fallere nescio, fidem habitam, docet Gellius, l. 10. c. 15. Alios tamen, maximè Principes viros, eâdem Sacramenti formulâ usos esse, discimus ex Matthæo Parif. A. C. 1252. ubi Henricum III. Angliæ Regem peregrinationem in Terram S. initurum se pollicitum esse cum Sacramento more Sacerdotum adhibito ait, ritumque describit pluribus. Sic *Verbô veritatis* dixisse rem controversam, quendam Comitem Gelrum, it. Comitem Clivensem, atque sic, vel jurâmentô præstitô, liti finem impositam, docet idem Car. du Fresne ex Friderico Sandio, *in Consuetudd. Feudal. Gelriæ*, p. 433.

VERBUM, Caro factum est, Joh. c. 1. v. 14. Filius scil. Dei, *Verbum* οὐσιῶδες, *substantiale*, Patris, humanam sibi junxit naturam, ut in illa pati, & propriô suô sanguine Ecclesiam sibi à Patre datam redimere posset. De quo adorando Salutis nostræ mysterio Maxentius, *Dissertatiunculâ de ratione adunationis Verbi Dei ad propriam carnem, naturalem, non socialem adunationem sive unitionem in Christo rectissimè dici*: & prolixiùs *in Profess. sua de Christo, Has igitur*, ait, *duas naturas Dei Verbi Domini nostri Jesu Christi --- naturaliter sive substantialiter --- credimus & confitemur unitas, eo quod natura inviolabilis Dei Verbi naturæ est unita passibili ----- Athanasio dicente*, Verbum caro, *non caro Verbum* factum est. *Verbum autem caro factum dicitur quia Verbi facta est caro & non alicujus hominis, hoc est, Deus homo factus est*. Vide Jo. Forbesium, *Instruction Historico-Theolog.* l. 3. c. 21. §. 21. ubi de locutionibus, *in duabus & ex duabus naturis*; uti de Hæreticorum, circa mysterium hoc imperscrutabile, erroribus, suprà voce *Alogi*, item *Christomachi*. Hujus *Verbi* notitiam an traditione aliquâ acceperint olim Gentiles, an *Verbum* hoc *Substantiale*, *Verbum Dei invisibile* Ostani, Stoicis *Faciens rerum Principium*, Babyloniis *Causa causarum*, Aristoteli *Procreans* dictum sit; an *Verbum* Heracliti ac Platonis, secunda sit SS. Trinitatis Persona, disquirit Tob. Pfannerus pluribus, *System. Theol. Gentil. pur.* passim. Hoc certum, *Verbô mundum confectum* Gentilium agnovêre non pauci, sive illud de Filio Dei intellexerint sive de sermone, quô omnia fieri jussit simul effecitque Deus: seu πρoφoρικὸς seu ἐνδιάθετος is vocandus fit, cùm ita dixerit Deus, non ut per vocis organa quidem sonus exiret, nec ut linguæ motus cœleste formaret alloquium atque aërem istum quidam verborum strepitus verberaret; sed *ut voluntatis suæ cognitionem proderet operationis effectu*, ut Ambrosius loquitur, *Hexaëm.* l. 1. c. 9. Hinc Orpheus *in Juramentis*,

Orationem te Patris obtestor, quam primùm effatus est,
Cùm Mundum universum suis firmaret consiliis:

apud Justinum Martyrem, *Orat. ad Gentes*. Patria de Platone, Socrate, Pythagora, vide apud Clementem, l. 5. *Strom.* de Aristotele, *l. de div. Sap. secund. Ægypt.* l. 10. c. 15. de aliis apud præfatum Pfannerum, d. l. c. 5. §. 4. ubi etiam Disputationem Leontii Episcopi Cæfareens. Cappadoc. nomine Patrum adversus Phædonem Philosoph. Arrianum in Concilio Niceno, à Gelasio Cyziceno memoratam, quâ is inter alia, *verbi* in ore hominis formati, exemplô, doctrinam de SS. Triade egregiè illustravit, paucis tangit, c. 3. §. 5.

VERBUSTUS, vide suprà *Subverbustus*.

VERCELLÆ, urbs Lybicorum, in Insubrum & Salassiorum confinio, Episcopalis sub Archiepiscopo Mediolanensi ad Sessitem fluv. Nunc Pedemontii urbs permunita, cum arce valida. Pluries capta, sed pace ad Pyrenæos Sabaudiæ Duci reddita. 10. mill. pass. ab Urbe Casalensi in Boream, quot à Novaria in Occasum: Hujus Episcopus Eusebius à Juliano Apostata Thebas relegatus est. Rufin. *l.* 1. *c.* 28. Hic dein Conciliabulum, A. C. 1050. à Leone IX. habitum, contra Berengarium, Archidiaconum Andegavensem, veræ de Eucharistia sententiæ assertorem, ad quod vocatus, non comparuit, etiam vulgò *Vercelli*. Gall. *Verceil*. Ejus meminit Silius, *l.* 8. *v.* 598.

Vercellæ, fuscique ferax Pollentia villi.

VERCELLENSE Dominium, *il Vercellese*, tractus Italiæ, aliàs pars Ducatus Mediolanensis, nunc sub Sabaudiæ Duce. Inter Ducatum est Mediolanensem ad Boream & Ortum, Marchionatum Eporediensem ad Occasum, & Montemferratum ad Meridiem. Caput *Vercelæ*; ibi & Bugella & Fanum S. Agathæ.

VERCELLENSIS Johannes, vide *Johannes*.

VERCINGETORIX, Celtilli filius, Arvernus, summæ potentiæ adolescens, cujus Pater totius Galliæ principatum obtinuerat. Defectionis & belli contra Cæsarem author: Rex à suis appellatus. Cæs. *l.* 7. *Comm. c.* 4. 5. *f.* Victus à Cæsare, & in triumphum ductus est. Idem ibid. *ad fin. libri*. Dio, *l.* 40. Strabo, *l.* 4. Oros. *l.* 6. *c.* 9. Florus, *l.* 3. *c.* 10. &c.

VERCINIACUM, vulgò *Versigny*, locus Galliæ, à Crispejo pagi Vadensis capite 3. leuc. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VERCULUM, oppid. Pedemontii.

VERCZERUS, vulgò WERCZERZEE, lacus Esthoniæ propriæ inter Torpatum ad Ortum, & Felinum ad Occasum. Hinc Fela fluv. effluit. Sub Suecis.

VERDA, urbs Saxoniæ inferioris, vulgò *Ferden*, caput Ducatus cognominis, Suecis nuper erepta, anteà sub Episcopo proprio, ab Archiepiscopo Moguntino dependente. Ad Alleram fluv. qui posteà cadit in Visurgim, 6. milliar. Germanic. à Brema in Ortum, Cellam versùs 10. & 11. à Stada in Meridiem. Duplex est, vetus & nova; estque parva & immunita. Ducatus autem cognominis est inter Ducatus Bremensem & Brunsuicensem.

VERDA, seu VERTIA, & *Donavertia*, vulgò *Donawert*, urbs Sueviæ, ad Danubium, ubi Vernitium recipit, aliàs libera & sui juris, nunc ab A. C. 1607. sub Electore Bavariæ. In ipso confinio Bavariæ superioris, 6. milliar. Germanic. ab Augusta Vindelic. Pluries capta & recepta.

VERDERIUS Claudius, vide *Claudius*.

VERECUNDIA demissi oris, in Heroibus & Heroinis, celebrata passim apud Poëtas, indicio virtutis modestiæque. Unde Statius *de Violantilla*, *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 11.

Ipsa manu nuptam genitrix Æneia ducit,
Lumine demissam, & dulci probitate rubentem.

Hôc nempe colore suorum facies suppingit, quem proin Virginem quàm maximè decere Aristotele genita dixit, apud Laërtium. Sic idem, *l.* 4. *Theb. v.* 768.

—— *Demissô Lemnia vultu* &c.

Vide quoque Virg. *l.* 12. *Æn.* de Turno, Ælianum, *Var. l.* 12. *c.* 1. de Aspasia: Eustathium, *l.* 10. & 11. de Ismene: porrò Aristenætum, *l.* 1. *Ep.* 19. Apollon. Rhodium, *l.* 1. *v.* 790. Musæum *in Leandro*, Alios, & plura hanc in rem apud Casp. Barthium, *Adv. l.* 90. *c.* 5. Alia notio vocis apud Capitolin. in *Marco*. *Sanè quamvis esset constans, erat etiam verecundus*; Et *c.* 4. cum *verecundum fuisse sine ignavia* ait, non enim *αἰσχυντηλὸν*, sed *αἰδήμονα* hic significat, qui rogatus negare non sustineret, ut exponit Salmas. *ad loc.* Vide quoque *ad Arnobii ista, adv. Gentes l.* 2. *Quamvis ille sit indolis infamiam semper atque ignominiosa fugientis*: Desid. Heraldum, ubi multa de teneræ frontis hominibus, *ἐπιεικέσι καὶ αἰδήμοσι*, quos improbi, *δειλοὺς* & inertes arbitrati, *τοὺς ἀναισχύντους* contrà constantes & *ἀνδρείους* vocant; nec non suprà *Pallidi*; it. *Panas* & *Pudor*: uti de *Verecundiæ rubore* ab Aristonide expresso, voce *Terror*.

VEREDARIUS, apud Cassiodorum, *Var. l.* 4. *Ep.* 47. ad Godiscalcum Sajonem: *Idcirco quinquaginta solidorum mulctam jam non* Veredarius, *sed catabulensis incurrat, quisquis ultra centum libras, parhippum crediderit onerandum*: nomen eorum, qui mandatis Principum ac responsis ferendis operam dabant, sed in equis; quales hodiè *Curreriors* Galli vocant. Sicut *Cursores* idem ministerium exhibebant, sed pedibus, quales iisdem *Valets de pied* dicuntur. Horum institutum quidam ad Augustum referunt, de quo Sueton. *l.* 2. *c.* 49. *Quò celeriùs ac sub manum annuntiari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primò modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula, disposuit: commodius id visum est, ut qui à loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigerent, possent.* Sed Casaubon. *ad l.* Cyrum Regem Persarum id primum excogitâsse, auctore Xenophonte, *l.* 8. Augustum verò hoc adinvenisse, ne in singulis mansionibus *Veredarii* mutarentur cum veredis, ob rationem Suetonio indigitatam, ait, qua de re vide suprà, ubi de *Cursu Publico*. Olim iidem *Frumentarii*, posteriori ævô *Sagones* appellati, à sagis quibus muniebantur, Hippocomorum instar, quibus ne sua saga auferrent *Veredarii*, cautum est *l.* 50. *Cod. Theodos.* Græcis Ἀγγελιαφόροι & Γραμματηφόροι, quòd *sacras literas* ferrent, ut dicitur *in l.* 35. Cod. *ejusd. tit. de Cursu publ.* Item Πτεροφόροι, *à pinnis*, quas in capite gestabant, *Gloss. Lat. MS.* apud Car. du Fresne, *Veredarii dicuntur, à vehendo, qui festinanter in equis currunt, non descendunt de equo, antequàm liberant responsa sua: habent in capite pinnas, ut inde intelligatur festinatio itineris: datur semper iis equus paratus, nec manducant, nisi super equo, antequàm perfecerint.* His qui præerat in Aula Francica olim, *κατ' ἐξοχὴν Veredarius* dicebatur. Sic in vetere *Charta* apud Auctorem præfatum, subscripsêre *Ludovicus filius Regis* postmodùm Rex hujus nominis V. *Gervasius Dapifer* —— *Fredericus Camerarius*, *Balduinus Veredarius*. Fortè idem, quem *Le Grand Maistre de' Postes* hodie Galli appellant. Nomen à *veredo*, quæ vox à Græco Βέρρος aut Βέρος, βέρριος, *fugitivum* aut *fugacem* denotante, originem habet, Salmasio *ad Lamprid. in Alex. c.* 42. Est autem *Veredus* Græcè ἵππος ταχυδρόμος, *Equus velociter currens*, & memoratur Martiali, ubi Prisco, ne istiusmodi equô in venatu uteretur, consuluit *l.* 12. *Epigr.* 14.

Parciùs utaris, moneo, rapiente Veredô,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas &c.

Cujusmodi equo ne nimium imponeretur, providerunt, *l.* 3. *Cod. cit.* Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. *ut nemo amplius ------ veredo quàm trecenta* (*pondo*) *auderet imponere*: ut legem restituit Salmasius, qui *tria auri centenaria* interpretatur. Præter quæ, ne sella cum frænis ac averta sexaginta libras transiret, constitutum est in *Cod.* eodem *l.* 47. Imponebatur autem illis hôc pondere aurum largitionale, & in sacculis hippocomi ferebatur, si quando destinaretur ad comitatum Principis ac sacris largitionibus inferendum portaretur: fiebatque mutatio in singula 6. millia &c. Quam in rem vide modò laudatum Salmas. *ad Lamprid. Alex. Sev. loc. cit.* & plura suprà passim ubi de *Cursoribus*, *Frumentariis*, *Pterophoris*, in voce *Mansio*, it. *Pinna*, *Posta*, alibique. Sed & *Veredus*, genus vehiculi, in quo vectationem mitiorem valetudinariis quoque ac senibus Ausonius Gallus Poëta & Ausonii Medici, à Marcello citati filius, probâsse videtur, quando is amico cuidam seni & à morbo resurgenti scribens monet, Cisiô & *Veredô*, tardè vehatur; Rhedas, petorita & equorum veloces motus fugiat, *Epist.* 14. *ad Paulum*:

Pelle soporiferi senium, nubemque veterni,
Atque alacri mediam carpe vigore viam.
Sed cisium, aut pigrum cautus conscende Veredum,
Non tibi sit Rheda, non amor acris equi.
Canterii moneo malè nota Petorita vites,
Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.

Unde colligimus *Veredum* vehiculum, à *Veredo* equo, diversæ planè rationis fuisse, cùm hic velox, illud tardum esset. Vide Mercurialem, *de Arte Gymn. l.* 6. *c.* 10.

VEREDUNA, vide *Verodunum*.

VEREMBERTUS, Monachus Sangellensis, secul. 15. Scripsit *Commentar. in Apocalypsim & Historiam Monasterii sui*, Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 36.

VERENDA velandi mos, imò lex, è lapsu orta: Cùm enim priùs quibusvis pretiosis vestibus præcelluisset hominis nuditas, utpote innocentiæ veste tecta, quæ velut præfulgida lampas in corpore diaphano corpus totum tunc illustraverat: postmodùm propter inordinatos & obscœnos carnis affectus, motusque adversùs rationem rebellantes, turpis illa atque ignominiosa esse cœpit. Hinc *consutis foliis ficus sibi* chagorot, i. e. *subligacula* Protoplastæ, statim à lapsu fecisse leguntur, Genes. *c.* 3. *v.* 7. de quibus vide suprà, voce *Ficus*. Transiitque ille pudoris sensus ac qualequale remedium ad maximè barbaras quoque gentes, sub capitali etiam apud veteres Persas pœnâ inculcatum. Cui legi tamen in adversum ire libidinis impudentiam, & ipsi manifestam naturæ vim inferre non erubuisse, adeò ut & verendorum utriusque nomina scurris suis imponeret, hosque maximè in delitiis haberet, Commodum apud Lampridium, *c.* 10. quis non stupeat? Certè de Pertinace, instrumentum omne aulæ Commodianæ vendente, meritò etiam scurras hos *turpissimum nominum dedecora perferentes proscripsisse ac vendidisse*, refert, *c.* 7. Quid quòd poculis bibisse & ferculis in obscœnam figuram formatis, usos esse homines utriusque sexus, legimus passim, apud Martialem, *Histor. Aug.* Scriptores, Alios. Omnem verò stuporem excedit, quod de coronandi partem hanc ritu, à matrefamiliâs honestissima, publica in festivitate ac sacerrimis sacris Liberi Patris in oppido Lavinio, obiri solito, affert S. Augustinus, *de Civ. Dei*, *l.* 7. *c.* 21. Vide quoque suprà *Ithyphalli*, *Phalius*, *Triphallus*, *Turpia*. Sed minùs hoc mirabitur, quisquis mysterium iniquitatis in plerisque Gentilium Sacris, cum efficacia erroris, tot per secula operatum cum innumerabilium animarum internecione, penitiùs introspexerit. Unde facilis eorundem in calumniam lapsus, quâ *Sacerdotis colere genitalia* Christianos, ut Cæcilius de his loquitur apud Minucium Fel. asserere non erubuerunt. Occasione hinc desumtâ, quòd Christiani, quibus contigerat post fidem Christo datam graviter labi, à communione Ecclesiæ abstinere jussi locum veniæ sibi dari, accidendo ad pedes & genua fratrum ac Sacerdotum, demissè ac suppliciter petere solerent. A' quo more ortæ phrases, *Advolvi presbyteris*: & *Volutando caligas fratrum detergere*. Vide Nic. Rigaltium, *ad Minuc.* & plura apud Des. Heraldum, *Digressionum l.* 2. Ita ergo, velari ista omnino necesse, unde inter gravissimas pœnas, *revelationem verendorum* minari hominum vitiis iratum Numen, legimus apud Prophetas non unô locô: nec Chami historia, cum omni sua posteritate devoti, quòd nuditatem Patris non texisset, ignota ulli. Sed parùm est veste texisse, nisi ad innocentiæ pristinæ peplum, meritô CHRISTI & Spiritus Divini gratiâ, cujus olim Circumcisio symbolum, recuperandum pro viribus enitamur,

tamur,

finiatur, *discatque nostrum unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore*, uti Apostolus jubet 1. Thessal. c. 4. v. 4. quo pacto *sanctissimum hoc corporis membrum*, uti Barthius, *Animadv. Papin.* loquitur, decori suo denique restituetur, & sublatâ affectuum rebellione, turpitudo cessabit. Præposterè proin non inter hæreticos solum, qui *Eunuchi* propterea dicti, sed & inter alios, fecêre, qui malè intellectô Euangelii, *de sui Castratione propter Regnum cælorum*, locô, ad literam ista interpretati sunt, ut suprà vidimus. Atrox verò sævitia Tiberii, *quem excogitâsse inter cætera cruciatuum genera etiam, ut longâ meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul, urinæque tormento distenderet*, Suetonius memorat, c. 62. cui simile quid in sanctissimos Christi Martyres olim exercitum, legimus apud harum rerum Scriptores. Vide de horrendo Benjamini Monachi tormento, *arundine virilibus inserta & sæpiùs retracta*, aliusque, Theodoretum, *Hist. Eccl. l. 5. c. 38.*

VERESIS, fluv. parvus Latii, per agrum Prænestinum, fluens. *Verello Leandro*, *Verde* aliis. Nunc *Osa*, *Luc. Holstenio*, juxta Prænestinam viam & lacum Burranum sive S. Praxedis. Defluit ad Castellum S. Juliani & paulo supra fontem Salonium, in Anienem se exonerat.

VERETUM, oppid. Salentinorum excisum, à Leuca 4. mill. pass. distans, Japygio promontorio vicinum. *Vretum* apud *Ptol.* legitur, à *Vereto* diversum, quod aliis est *Vano*, aliis *Oria*, urbs Episcopalis.

VERGÆ, Liv. l. 30. c. 19 posteà *Vergianum*, *Rogiano*, Bartio, oppid. Bruttiorum mediterraneum in Calabria citeriore ad Isaurum fluv. inter Balbiam & Besidianum.

VERGARA Johannes, Toletanus, Alfonso Fonsecæ Archiepiscopo à Secretis, Bembo ac Sadoleto æquiparari meruit. In editione Bibliorum Complutensium operam suam contribuere jussus, Libros Salomonis, & libr. Siracidis, vertit. Orsus *Vitam Ximenii Cardinal.* illam Alv. Gomesio absolvendam reliquit, metricô Epitaphiô eum ornâsse contentus. Etiam Aristotelis quædam Latinè vertit. Obiit A. C. 1558. Ætat. 64. Frater Franciscì, ingeniô minus, lectione magis inclytus, qui scripsit *Grammaticam Græcam*, ac Latio donavit *Basilium & Theonis Sophistæ Progymnasmata*. *Heliodori* verò *Æthiopica* in Hispan. Linguam transtulit Mlcr. Auctor *Biblioth. Hispan.* Anton. Teissier, *Elog. Part. 1.* &c. 14. annis ante fratrem extinctus. *Ibid.*

VERGASILLAUNUS Arvernus, Vercingetorigis consobrinus, postremò Galliæ motu è 4. summis Ducibus. Cæs. *l. 7. c. 88. comm.*

VERGELLUS, qui & *Gellus*, fluv. Apuliæ apud Cannas fluens, quem Annibal ponte ex Romanorum interfectorum cadaveribus confectô trajecit. Is in Aufidum labitur, & *Fiume di Canne* nominatur.

VERGEMINUM, meliùs VIGLEBANUM, quasi à vili gleba, urbecula Episcopalis à Clemente VII. facta, cum castro munito, in Ducatu Mediolanensi, *Vigevano* incolis, *Vigeve* Gallis. Huc animi gratiâ se recipere frequenter solebant Duces Mediolanenses. Vide *Viglebanum*.

VERGENTUM, Hispaniæ oppid. Plin. *l. 3. c. 1.*

VERGERE, seu INVERGERE, apud Virg. *l. 6. Æn. v. 244.* ubi de sacro Diis inferis ab Ænea facto,

Quattuor hic primùm nigrantes terga juvencos
Constituit: frontique invergit vina Sacerdos:

Papinio *inclinare* est, *l. 4. Theb. v. 452.* ubi de re simili,

Principio larges novies tellure cavatâ
Inclinat Bacchi latices ———

Ubi vet. Schol. *Modestam infusionem dicit, non cum impetu factam.* De quo verbo vide notata doctiss. J. Gulielmo Stuckio, *Antiqq. Convivalium l. 2. c. 17.* Inde Gallicum *verser*. Barthius *ad Statii loc.*

VERGERIUS Petrus Paulus, Episcopus Justinopolitanus, in ditione Venetorum, à Clemente VII & Paulo III. Pontificib. in Germaniam missus, Ferdinando Romanorum Regi adeò charus fuit, ut cùm ei in Pannoniis agenti nata esset filia Catharina, una cum Georgio Marchione Brandeburgico & Johanne Archiepiscopo Lundensi, pro ea in Baptismo fidejusserit. A colloquio Wormatiensi A.C. 1541. Romam cùm rediisset, ei à Pontifice purpura destinata est: Sed monitus à Cardinali Ginucio apud Pontificem Lutheranismi eum suspectum esse redditum, in patriam secessit, librum ibi *Adversus Apostatas Germaniæ*, ut suspicioni tam damnosæ se eximeret, orsurus. Verùm ecce, dum libros adversariorum, quos refutaturus erat, accuratiùs evolvit, ipse victum se sensit, speque Cardinalatus abjectâ, ad fratrem Joh. Baptistam, Polæ Episcopum abiit: Quô ad lectionem S. Scripturæ, hincque veritatis agnitionem similiter perductô, ambo populum per Istriam erudire cœperunt. Mox Inquisitorum violentiâ coactus Vergerius, Mantuam divertit ad Gonzagam Herculem Cardinalem, unde quoque discedere compulsus, Tridentum venit, ut Concilio se purgaret, sed locô ei in consessu à Pontificis Legatis negatô, Venetias delatus est. Ibi frustrà à Caso legato sollicitatus ut Romam peteret, Patavium venit, ubi Francisco Spieræ, ob defectionem à fide, desperabundo, sæpius adfuit, magisque ejus exemplô confirmatus ad vicinos profectus est Rhætos. Apud quos, ut & in valle Telina, postquàm aliquot annis Euangelium docuisset, à Principe Wittembergico Tubingam vocatus est A. C. 1548. Vide Joh. Sleidanum, *Comm. de Statu Rel. & Reip. passim, imprimis, l. 21.* ut & voces *Petrus Paulus Vergerius*, & *Spiera*.

VERGIA, & VERGIANUM, vide *Vergæ*.

VERGILIA, urbs Bastitanorum, *Murcia* quibusdam, vide ibi.

VERGILIÆ, 7. stellæ inter os Tauri & Arietis caudam sitæ, teste Hyginô, *l. 2. de signis cœlestibus*, c. 20. ita dictæ, quòd circa Æquinoctium vernum matutinum oriantur. Propert. *l. 1. El. 8. v. 9.*

O utinam hyberna duplicentur tempora bruma,
Et sit iners tardus navita Vergilus.

Plautus in *Amphitryone*, *Actu 1. sc. 1. v. 119.*

Nec Jugulæ, neque Vesperugo, neque Vergiliæ occidunt.

Nic. Lloydius. Ab earum occasu serendi tempus Veteribus observatum, de quo vide Solmas. *ad Solin. p. 733. & seqq.* Ex eodem Romani Institores olim de hyeme augurabantur, eoque nubilô, quia pluviosa denuntiaretur hyems, augebant lacernarum pretia; serenô, reliquorum vestimentorum, quod aspera hyems esset futura, incendebant, uti testis est Plinius, *l. 18. c. 25.* &c. Vide & *Pleiades*.

VERGILIO, vide *Anius*.

VERGILIUS Marcellus, vide *Marcellus*.

VERGINIUM Mare, ut *Ptol.* vel *Hibernicum*, ut aliis placet, mare est quod Hiberniam & Angliam interluit, *Mor Uwerddh* Britannis vocari, ait *Humfredus*, *Lhuyous*. *Canalem* verò *S. Georgii* vocant Angli & Galli. Aliis *Verginium*. Hibernis *Farrisi*, Angl. *The Irisch Sea*, Hiberniam, Walliam, Scotiam & partem Angliæ Occidentalis interluit; Extenditur à quibusdam ad Bolerium promontor. *Baudrand.*

VERGINIUS, inferioris Exercitus Germanici legatus; cui, quia milites imperium detulerant, per simulationem amicitiæ inde abductus est. Tacit. *l. 1. Hist. c. 8.*

VERGINIUS Rhetor, ævô Neronianô, Persii præceptor, qui scripsit *de materia Rhetoricarum*, teste Fabiô, *l. 3. c. 1.* ob celebritatem nominis, à Nerone expulsus. Tacit. *l. 15. Annal. c. 71.*

VERGIUM, Liv. *l. 34. c. 21.* *Bergidum Ptol.* oppid. Catalauniæ, *Viarzo Morali*, nunc pagus Cataloniæ, de quo à Romanis capto Liv. *Dec. 4. l. 4.* sed videtur *Lubino Verja* nunc, olim in Hispania Bætica & conventu Cordubensi, inter Abderam ad Austrum, & Oscam Bæticæ, ad Boream. Nunc in regno Granat. 14 leuc. à Granata, Almeriam versus 8.

VERGOBRETUS, summus erat apud Heduos magistratus, qui creabatur annuus, & vitæ, necisque in suos habebat potestatem. Cæsar, *l. 1. de Bell. Gall. c. 16.* quasi Magister operum, ex *Oberst* & *werg* German. Vestigia hujus Magistratus, Augustoduni adhuc, ubi *Werg*, summum honorem gerens.

VERGY, nomen illustris in Gallia Familiæ, cujus origo arcessitur à Varino Comite vel Gubernatore Arverniæ, patre Theodorici Comitis de *Mascon*, *Chalon*, *Autun*, quô genitus Manasses Com. de *Challon*, *Auxois*, *Beaune* & *Dijon*, pater fuit Giselberti, Ducis Burgundiæ (cujus filia Ducatum marito attulit) & Manassis Comitis de *Dijon* & *Auxois*. Huic filius fuit Rudolphus, & secundum quosdam Manasses III. Familiæ de *Coligny* auctor. Rudolphus nepotem habuit Gerhardum de *Vergy*, Roberti & Godofredi Dn. *de Donzy* & *S. Aignan* (cujus posteri Comitatum Nivernensem etiam obtinuêre) patrem. Robertus fil. Savaricum Comitem *de Challon* genuit: à cujus majore filio Comites illi propagati; ab altero Simone Domini *de Vergy*, in varias lineas distincti, Dominorum *de Beaumont sur Vigenne*, *Beauvoir*, *Mirebeau*, *Fouvens*, *S. Desier*, *Acbey*: omnium diutissimè duravit ramus Dominorum & tandem Comit. de *Champlite*, à quo Francisco *de Vergy* Comite de *Champlite*, qui obiit A. C. 1591. (fil. Gulielmi *de Vergy* Baronis d'*Autry*,) & Claudiâ de *Pontaillier*, geniti sunt Claudius Comes de *Champlite* (maritus 1. Catharinæ Chabotiæ, 2. Eleonoræ *de Tomassin*, extinctus A. C. 1602.) Ferdinandus Dn. *de Flagey* (qui obiit A. C. 1594.) Anna (uxor Philiberti Baronis *de Montmartin*. 2. Jo. Ludovici *de Pontailier* Dn. *de Tallemey*) & Beatrix (nupta Vandalino Simoni *de Cusance* Dn. *de Beauvoir*) fratres & sorores nominis *de Vergy*; præter quos Clerialdus, aliâ matre natus, ultimus ex hac Familia decessit, Philipp. Jac. Spenerus, *Theatr. Nobilit. Europ. Part. 2. p. 98.* ex Andrea Duchesnio, qui Familiam hanc illustrem peculiari opere excoluit: Vide quoque eum, *Arte Herald. Tom. 2.*

VERIA, seu CAMPOVERIA, urbecula Zeelandiæ, in Valachria Insul. cum portu capaci. Vulgò *der Vere*. Vix 1. leuc. à Middelburgo in Cæciam probè munita. Sub dominio utili Principis Auriaci.

VERINBREA, villa olim Galliæ publica, ad Isaram, in pago Vadensi, vulgò *Verberie*, & corruptè *Barberie*. Hic Carolus Princeps Francorum graviter decubuit, A. C. 739. Synodus dein A. C. 853. ut & altera ante sub Pippino Rege & A. C. 869. habita. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VERISSIMUS, vide *Annius Verissimus*.

VERITAS, temporis filia & Virtutis mater, Dea existimata est à Gentibus. Fingebatur mulier pulchra, magna, simpliciter ornata, illustris ac splendida, cujus oculorum orbes purô lumine nitebant, ut astrorum & stellarum fulgorem imitari viderentur. Vide Plut. *in Qu. Rom.* Huic, ut & Menti, Anaxagoras, perspectâ Animæ Rationalis præstantiâ ac cœlesti origine, geminas posuit aras, teste Æliano, *Var. Hist. l. 8. c. ultimo.* Ejusdem simulachrum de collo ex aurea catena suspensum τὸν Ἀρχιδικαστὴν, *supremum Judicem seu Magistratum*, apud Ægyptios gestavisse, narrat Diodorus, *l. 1.* ubi ζῴδιον illud vocat τῶν πολυτελῶν λίθων, *signum e pretiosis lapillis*, additque cùm *Veritatis* signum assumpserit Summus Judex, *disceptationes incepisse*. Ælianus sic hac de re, *Apud Ægyptios olim Judices Sacerdotes erant: qui natu maximus, illorum princeps erat; & in omnes jus dicebat* — Εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα ΑΛΗΘΕΙΑ, *Gerebat autem de collo imaginem ex sapphiro, & imago illa vocabatur* VERITAS, *Var. l. 14. c. 34.* Ex sapphiro ergo præcipuè confectum hoc simulachrum, aliis pretiosis lapidibus ornatum fuit. Atque hinc Ἀληθείας vocabulô Ægyptiacô Hebræorum *Thummim* expressisse LXX. Interpretes ait Joh. Marshamus, *Canon. Chron. Secul. X.* Idem Diodorus in eadem regione, præter Hecates ἱερὸν, item πύλας Cocyti & Lethes, alias item πύλας Ἀληθείας, *portas Veritatis*, fuisse, & prope has simulacrum absque capite stare τῆς Δίκης, addit in *seqq.* Plutarchus porro *de Isid. & Osir.* decimâ nonâ primi mensis diem Mercurio festum celebrantes, mel & ficus edisse, simul dicentes γλυκὺ ἡ ἀλήθεια, *Dulcis est Veritas*: Isidisque φυλακτήριον, quod fabulabantur sibi περιάπτεσθαι, significâsse φωνὴ ἀληθὴς, vox vera, refert &c.

Interim *Veritatem*, Divas inter publicè, neque apud Græcos, neque apud Romanos, cultam, pluribus ostendit Cl. Gothofredus, *Exerc. de Eccl.* 1. ubi præclarè enucleat locum Apostoli 1. Tim. *c.* 3. *v.* 15. in quo Ecclesia, Στυλὸς dicitur καὶ ἑδραίωμα τῆς Ἀληθείας, quem vide: uti de *Veritatis* imagine, peculiari modô ab Hæreticis quibusdam expressa, Epiphanium *de Hær.* Cœterùm *de Veritate* penè universâ, per varias Philosophorum sectas divisâ: deque illa involucris variis à Theologis olim Philosophisque abstrusa, vide Tob. Pfannerum, *System. Theol. Gentil. pur. c.* 1. §. 7. & *seqq.*

VERJUGODUMNUS, Numen à Gallis olim cultum, memoratur in *veter. Inscript.* haud pridem detecta in Æde Monasterii SS. Achii & Acheoli, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, ad Ambianum, in Gallia, quæ sic habet:

PRO SALUTE ET
VICTORIA EXX G
APOLLINI ET VER
IUGODUMNO
TRIBUNALIA DUA
SETUBOGIUS ESUGGI
F. D. S. D.

Ubi Apollini adjungitur: quibus ambobus Setubogius hic *tribunalia* duo seu stylobatas, in quibus utriusque Idoli statuæ consistebant, erexit. Unde συνναοὺς quidem illos, non tamen συμβώμους seu συνθρόνους fuisse, quippe erectis in uno eodemque templo binis tribunalibus, colligit Car. du Fresne, qui *Inscriptionem* hanc eruit, primusque Numen hoc πατρῷον seu locale Gallorum, cujus non alia extat memoria, in lucem protraxit, *Dissert. de Inferioris ævi Numism. num.* 54.

VERKEEREN, quid ludi? vide suprà ubi de *Scriptorum XII. ludo.*

VERLUCIO, *Antonin. Wertminster Camdeno*, oppid. olim, nunc pagus Angliæ, inter Aquas Solis, sive Bathoniam ad Occasum 15. & Cunetionem ad Ortum, 20. mill. pass.

VERMELANDIA, vulgò VERMELAND, provinc. Westrogothiæ, inter Dalecarliam ad Boream, Nericiam ad Ortum, Venerum lacum ad Meridiem, Daliam ac Norvegiam ad Occasum. Ejus urbes sunt Carolostadium, Philippostadium, Cola & Ruscoga.

VERMERIA, vulgò VERBERIE, regia domus, in tractu Valesio, ad fluv. Oesium, in diœcesi Suessionensi. Hic 4. concilia habita. Vide Morer. *Dict. Hist.*

VERMICULATUM, apud Lucillium,

—— *lexis compostæ, ut tesserulæ omnes,*
Arte pavimentô, atque emblemate vermiculatô,

est, coccineô colore tinctum, à *cocco*, quod *vermiculum* Latini, σκωλήκιον quoque Græci dixêre. Hujus enim grana, quæ *cusculia* vocat Plinius, quod è cortice *craduntur*, *l.* 16. *c.* 8. scatent intus parvis *verniculis*, quorum sanies coccino tingendo præclara est, unde *vermiculum*, pro ipso cocco, & *emblemate vermiculatum*, pro *coccinô tinctum.* Namque tesselæ illæ, quibus pavimenta variabant Veteres, diversis coloribus tingi solebant, uti vidimus. Sic *pelles vermiculatæ*, pro eodem colore tinctis, apud Hieronym. *in Epistolis.* Inde itaque & apud Græcos recentiores σκώληξ pro *cocco* passim, ut in Democriti supposititio opere *de purpuræ tingendæ ratione*, σκώληξ Γαλατίας, pro *cocco Galatico*, & σκώληξ ὁ πορφύριος. *Vermem* etiam Latini appellavêre, unde *vermi-tinctum.* Arabes *Kirmis* vel *Kermes*, similiter tam granum ipsum, quàm *vermem*, ex cujus sanie elicitur color, dicunt: unde *Cramoisi*, sicut ex voce *vermiculum*, *vermeil* suum Galli sumpsêre. Quam in rem vide plura, apud Salmas. *ad Solin.* *p.* 272. 1214. Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte poster. l.* 4. *c.* 27. ubi exponit vocem Hebræam שני, quæ occurrit Genes. *c.* 38. *v.* 28, 30. & תולע, quæ Esaiæ *c.* 1. *v.* 18. nec non suprà, ubi de *Cocco*, item voce *Cusculia* &c.

VERMINA, Syphacis Fil. qui cum maximô beneficiô, per legatos, à Romanis petiisset ut Rex sociusque & amicus à Senatu appellaretur; ejus legatis responsum est, nominis istius honorem, pro magnis erga se Regum meritis P. R. dare consuêsse.

VERMIS, ex Græc. ἕλμινς, i. e. *lumbricus*, quòd ἀπὸ τοῦ εἱλεῖσθαι, quia variè *torquetur* & *convolvitur*, in genere σκώληξ Græcis dicitur, ἀπὸ τοῦ σκέλλειν, unde σκέλεθον, quale tandem fit cadaver, quod *vermes* depascuntur. Hebr. רמה *rimma*, quod à *ramma*, i. e. putrescere, cariosum fieri; item תולע *thola*, à radice *vorare* seu *deglutire* denotante: quæ tamen aliquando distinguuntur, ut videbimus. Animal est ἐν τοῖς περιττώμασι, ut ait Aristoteles, *Hist. l.* 5. *c.* 19. h. e. *in excrementis* plerunque natum, cœcum, surdum, informe, inerme, sine pedibus, omnibus injuriis impositum, rudimentum potiùs animalis, quàm verum animal. Unde insecta, quotquot volant, priùs sunt vermes, dein, pedibus alisque paulatim accedentibus, perfectiora evadunt: Hinc ad contemptum pertinet, quòd in genere homo *vermi* in Scriptura comparatur locô non unô; quodque natu maximus filiorum Issachar, Genes. *c.* 46. *v.* 13. & alius ex eadem tribu, Judic. *c.* 10. *v.* 1. *Thola*, i. e. Vermis, nomen à Parentibus accepére. Fortasse quia nascentes ab ipsis spreti sunt, neque ullam de se spem excitârunt: quorum tamen uterque, Deô favente, in virum magnum evasit. Ex priore namque orti sunt Tholaitæ, Numer. *c.* 26. *v.* 23. viri fortissimi & fœcundissimi, quorum Davidis diebus numerati sunt viginti duo millia sexcenti 1. Paralip. *c.* 7. *v.* 2. posterior liberavit & judicavit Israëlem annis viginti tribus, Judic. *d. l.* Quamvis autem tam contemtibile sit animal *vermis*, multiplex tamen illius usus est. Et quidem, ut alia prætercam, luxum hominis & delitias vestium auget bombyx, qui sericum vomit, & vermis cocci, qui colorem illum fundit, quem Veteres adorârunt, & nos miramur. Sed & in cibo *vermes*. Plin. *l.* 17. *c.* 24. *Jam quidem & in hoc luxuria esse cœpit, prægrandesque roborum* (vermes) *delicatiore sunt cibô: cossos vocant, atque etiam farinâ saginati hi quoque utiles fiunt.* Ælianus item *de Animal. l.* 14. *c.* 13. narrat Indorum Regi in mensis secundis apponi *Vermem* quendam in planta nascentem & igni tostum: eum delicatissimum ab Indis haberi, ac idem testari quosdam Græcorum, qui gustâssent. Johannes etiam Mandevil Anglus, qui ante annos claruit CCC. in Insul. Talache, Principibus apponi in mensis, è lignis putridis enatos, tradit. Et è lumbricis Indos placentas conficere, refert Jo. Manardus. Imò & crudis vesci *vermibus* Indos Occiduos, prodidit Jo. Lopezius, vide Voss. de *Idol. l.* 4. *c.* 78. Hoc verò omnem vesaniam superat, quòd etiam in his animalculis reperêre Idololatræ ἐθελοθρησκείας materiam. Testis Hercules Ἰποκτόνος, à *vermibus*, qui vites infestaverant, nomen adeptus, & ab Erythræis Meliuntem accolentibus olim cultus, de quo vide Bochartum, ubi suprà *parte prior. l.* 1. *c.* 5. & *part. poster. l.* 4. *c.* 24. Quid quòd ipsi *Vermes* inter stercoreos Idololatrarum, etiam in Populo Dei, Deos, Ezech. *c.* 8. *v.* 10. Ipse autem Deus per *vermes* judicia sua non raro exequitur. Non enim solùm in prædam tam vili animalculo homo post mortem statim cedit, sicque cadaveris hæreditas vermes, & contrà hæreditas vermium cadaver fit, unde Jobus, *Foveæ dixi, Pater meus; &* vermi, *Mater & soror mea es*, *c.* 17. *v.* 13. 14. Sed & in vivis hominibus *vermes* ebullire notum, ex eodem *c.* 7. *v.* 5. Imò à vermibus corrosi necatique, Antiochus Epiphanes, 2. Maccab. *c.* 9. *v.* 9. Herodes Ascalonita, apud Josephum, *Antiqq. l.* 17. *c.* 8. Herodes Agrippa, Actorum *c.* 12. *v.* 23. insuper Pheretima, in Herodoti *Melpomene*; Cassander Antipatri fil. in *Bœoticis* Pausaniæ; Alexander impostor, in Luciani *Pseudomante*; Galerius Maximianus Imperator apud Eusebium, *Hist. l.* 8. *c.* 16. Diocletianus, apud Eutychium Alexandr. Julianus Juliani Apostatæ patruus, apud Sozom. *l.* 5. *c.* 8. Nestorius, apud Euagrium, *l.* 1. *c.* 7. Dodo, qui Lambertum Tungr. Episcopum interfecerat, apud Baronium, A. C. 698. Alii: cujusmodi vermes *Kokjanim* à Talmudicis vocari, Bochartus idem docet. Variæ autem *Vermium* species sunt, unde in *Vermium* genere Hebr. רמה *vermis* propriè *terrestris*, תולעה *vermis* propriè *fructuum* רקב teredo *vermis ligni*, עש vel סס tinea, *vermis lanarum* ac *vestium*: qua de re vide aliquid infrà: plura verò de *Vermibus*, usu eorum inprimis Medico, apud Gerh. Joh. Voss. *de Idol. l.* 4. *c.* 81. & *seqq.* quorundam magnitudine, ut Gangeticorum, apud Salmas. *ad Solin. p.* 1012. Italicorum, apud eundem Vossium, *ibid. c.* 9. & 70. *Vermibus metaphoricis*, præsertim de *Verme conscientiæ*, pœnæ Inferorum parte non minima, Bochartum iterum, *Hieroz. Part. poster. l.* 4. *c.* 28. totô, &c. præter Plinium, Aldrovandum, Gesnerum, Alios.

Vermium species variæ.

α. Bombyx, serici parens. β. Cocci vermis, unde coccineus color, de quo utroque vide suô locô. γ. Cossus, vermis lignum corrodens, Græcis ἴψ, unde ἰψόβρωτος sylva, apud Hesiodum *in Oper. v.* 418. Inter cupedias Romanorum, ut vidimus. δ. Ips, vineas corrumpit. ε. *Kokjanim*, homines vivos erodunt. ζ. Lumbrici, in infantum intestinis nascuntur, quorum 4. genera enarrat Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 67. η. Tarmes, *vermis* lardi, apud *Isidorum*; abietis apud Vitruvium, *l.* 2. *c.* 9. Unde in Plauti *Mostellar. Actu* 3. *sc.* 2. *v.* 138. ligneos ædium postes *ambos ab infimo tarmes secat.* θ. Teredo, in navium hæret ligno. ι. Tinea, propriè laneas lineasque vestes consumit. κ. *Thrips*, ex vermium itidem generibus, quæ in ligno nascuntur: à quo corrosa ligna priscos Lacones pro sigillis habuisse, suprà diximus &c. Plura vide apud Auctores præfatos, Bochartum præcipuè, *d. l. c.* 27. ubi *de Vermibus, in plantis, ligno & cibis* nascentibus pluribus agit

VERNA, servus domi natus, an à *Vere*, quod optimum fœturæ tempus. *Fest.* Adamantius Martyrius apud Cassiodorum, *Si cum Verna domi genitum significet, id est οἰκογενής.* A' qua voce *Vernaculi*, quibus infensus fuit Vitellius Imperator apud Sueton. *c.* 14. ubi plebeculam Romanam signat hoc nomen, de cujus dicacitate ista habet Tertullianus, *Apol. Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana?* Notavit pridem & Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 3. *v.* 1.

Vernaculorum *dicta*, *sordidum dentem*,
Et fœda lingua probra circulatricis.

Hæcque est *vernacula* multitudo, quæ Tacitô teste, *l.* 1. *Annal. c.* 31. *militaribus numeris per dilectum inserta, lasciviæ sueta, laborum intolerans, seditionem concivit* &c. Terigit & Cicero aliquando, ut cùm recensuit imaginem antiquæ & *vernaculæ* festivitatis, *l.* 9. *ad Famil. Ep.* 15. saporem *vernaculum*, *de clar. Orat.* crimen domesticum ac *vernaculum*, 5. *Verr.* Et quidem Felix *Octav.* Romulum, Picum, Tiberinum, Consum, Pilumnum, Picumnum, eâdem ratione *Romanorum* dixit *vernaculos Deos*; similiter Petrus Diaconus, *Hist. Miscell. l.* 4. Ætnæ incendium, Siciliæ *vernaculum genus monstri* appellavit, *domesticum* quidpiam ac nativum indigitans. Atque hinc Pignorius natum, vult ut *vernaculos* nominarent domesticos servos. Martianus Capella, *l.* 8. *famulitium Veneris, vernaculaque Bromiales.* Appulejus, *Metam. l.* 1. *Quid uxor? quid liberi? quid vernaculi?* Aliquando tamen *Vernæ* vox latiore aliquando notione est accepta. Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 29. *v.* 1.

Non de plebe domus, nec avaræ Verna *catastæ,*
Sed Domini sanctô dignus amore puer.

Ipsi

Ipſi autem Servi hâc appellatione ſibi blanditi ſunt: Hinc Romæ legebatur, *Tuſcus. Augg. noſtrorum. Verna. Villicus. Tutelæ. votum. reddidit.* Ibidem, *Lucidæ. Aug. Vernæ. maritæ. incomparabili.* Ibidem in vet. monumento, *Leonas. Augg. Vernalis.* Scilicet occinere ſibi poterant Statii illud, *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 76.

Hinc domus, hinc ortus, dominique Penatibus olim
Charus uterque parens, ———

Eratque hoc optimum ſervorum genus, utpote, qui herili domui eam, quam ingenuo quiſque Patriæ, charitatem & curam præſtarent, atque adeo tranſmarinis & advectitiis, aut ex hoſte captis, deque lapide emptis, longè anteponerentur. Interim *dicacitas Vernilis*, nempe à Dominorum indulgentia profecta, jactabatur: Unde *Verna* pro ſcurra Martiali, *l.* 1. *Epigr.* 42. *v.* 2. pro adulatore, Horatio, *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 66. inque Urbe homines viles, dicaces & procaces, plerique libertinæ conditionis & *vernilem* laſciviam etiam exſutâ ſervitute retinentes, *Vernaculi*, ut dictum. Imò omnes ſcurras, intemperantiâ oris notos; omnes, qui ſordidas capturas ridiculis dictis otioſam aut tranſeuntem plebem allicientes & lactantes adjuvabant, includebat hoc vocabulum: quo ex numero, complures recenſet Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 42. adeoque non ſolùm γόητας, ψηφοπαίκτας, θαυματοποιοὺς, uti illud interpretati ſunt Caſaub. & Salmaſ. *ad Hiſt. Aug.* Namque cur Vitellius Præſtigiatores potiſſimùm odiſſet, cauſa nulla erat; ſed erat, cur illos ἀγαστίλας dicaces & ſcurriles & mimicos homines, quibus in illum larga dictorum materia, quique minùs parcebant Principi repentino. Quod Suetonius, quem *Vernaculis* & *Mathematicis* infenſum fuiſſe Vitellium dixiſſe vidimus, unô exemplô, in utrumque ſufficiente, comprobat, *c.* 14. *Exacerbatus, quod poſt Edictum ſuum, quò jubebat, intra Kal. Octobr. urbe Italiâque excederent, ſtatim libellus eſt propoſitus, & Chaldæos edicere, bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem uſquam eſſet.* Prædictum enim de morte Vitellii eſt Mathematicorum: at id proponi formulâ edicti, faceti eſt hominis, quales in iſto ordine ſcurræ, urbani, aretalogi, *Vernaculi* &c. Vide Laurentium Pignorium; *Comm. de Servis* & Jo. Frid. Gronov. *de Pecun. Veter. l.* 4. *c.* 10. nec non infrà, voce *Urbani*, it. *Vernula.*

VERNATIO, in *veter. Onomaſtico* λεβηρίς. Dum enim diu in cavernis, totâ ſcil. hyeme, torpent ſerpentes, ſitu muccôque obducuntur, qui concreſcit, condenſaturque circa corpus univerſum, ac cutis ſpeciem habet. Quô pactô affecta ſerpens locum quærit anguſtum, eumque penetrando diſtringit hanc quaſi pellem: quæ & vulgò vera ac antiqua pellis putatur. *Exuvias* dicunt, quia *exuantur*; uti &, quia ſic ſerpens quaſi rejuveneſcat, Latinis *ſenecta*, Græcis γῆρας, vocatur. Ad quod utrumque attendit Tibullus, *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 35.

——— *Serpens novus exuit annos.*

Et Maronis eſt, *l.* 3. *Georgic. v.* 438. *ſ.*

Cùm poſitis novus exuviis, nitiduſque juventa,
Volvitur ——— ——— .

Sed & *vernatio*; quoniam ſuperficies ea *vere* exuitur: Quæ quia planè eſt exſ::cca & inanis, aſpera etiam ob ſiccitatem, nec oculos, ſed veſtigia ſolùm oculorum habet, inde Proverbia, γυμνότερος, κενότερος, κενότερος & τυφλότερος, λεβηρίδος, *nudior, inanior, aſperior,* & *cæcior leberide.* Vide Gerh. Jo. Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 53. ſuprà *Exuviæ*; ut & Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 2. *c.* 1.

VERNEGUS Petrus, vide *Petrus.*

VERNELA, vulgò LA VENELLE, fluv. Galliæ parvus eſt, in *Chron.* Beſvenſi memoratus & Selongiam caſtellum, Miribellum & S. Leodegarii vicum prætèrlapſus, Arari accedit: qui, poſtquàm Auxonam alluit, Tilâ dein augetur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce, *Arar fluvius.*

VERNEMETES, *Venant. Fortunato Verines, Vineto*, pagus Aquitaniæ, apud Burdegalam: Ejus meminit Fortunatus, *l.* 1.

VERNERUS Roëlewinck Laërius, Carthuſianus, floruit ſecul. 15. Natus in diœceſi Monaſterienſi, in Weſtphalia, pietate & eruditione nomen adeptus eſt. Scripſit *vitam S. Pauli, & Commentarios in S. Scripturam.* Item *Faſciculum temporum, de Laudibus Friſiæ, Paradiſum conſcientiæ &c.* Trithem. *de Viris illuſtr. Germ.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 569. *ſ.* Boſtius, &c. Vide quoque *Wernerus.*

VERNICONES, populi fuêre Scotiæ, in ora Orientali juxta Oceanum Germanicum extenſi, ubi nunc provinciæ Fifa, Perthia, Anguſia, & Mernia, verſùs Tavam æſtuarium. *Baudrand.*

VERNO, vel VERNON, oppid. Galliæ, ad Sequanam, inter Meduntam & Gallionem, è regione magnæ ſilvæ. Recentioribus corruptè *Vernonium*, vide ibi. Eſt & *Vernotum* ſeu *Vernetum*, in Secalaunia, prope Rivum Morentini mediis in ſilvis; *Vernou.* Item *Vernelli, Vernaux*, vicus Briegii, in ditione Pariſiaca, prope Craſſum Nemus *Gros Bois*, nec non Vernadum *Vernou*, ad fluv. Siceram in Turonibus, ſilvæ proximum. Fortè enim *Verni* vel *Vernonis* nomine ſilvam olim Galli deſignavêre. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

VERNOLIUM, oppid. Normanniæ, & partim in Pertico tractu, *Baudrand.* In confinio Aulercorum Eburovicum & Carnutum, non longè ab ingenti ſilva, ad fluv. Arvam *Aure*: Ebroicis tamen, quàm Carnutis multò propius, *Valeſ.* Eſt & *Vernolium*, in pago Burbonenſi *Verneul*, ſilvis adpoſitum, non longè ab Elavere fluv. Item oppid. Bellovacorum ad Iſaram, inter Credilium *Creil*, & Pontem ad S. Maxentiam, ſilvis adſitum: Diſtat 8. leuc. à Droicis in Occaſum Sagium verſùs, & 7. ab Ebroicis in Meridiem. Vulgò *Verneul*, aut *Verneuil au Perche*, anteà Marchiæ, nunc Ducatus titulô clarum, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

VERNONIUM, vulgò VERNON, urbs Normanniæ, ad Sequanam. 8. leuc. ſupra Rothomagum, in Eurum 6. ab Ebroicis in Ortum, Giſorium verſùs totidem. Vide *Verno.*

VERNOTUM, vide *Verno.*

VERNULA, apud Capitolin. *in Macrino, c.* 13. *In vernaculis vel aulicis* ——— *tam aſper, ut ſervi illum ſui non Macrinum, ſed Macellinum, dicerent, quod macelli ſpecie domus ejus cruentaretur ſanguine vernularum*: idem quod *verna* ſeu *vernaculus*, ſervus ſcil. primò domi natus, unde in vetuſtis LL. Ripuariorum, Burgundionum & ſimilium, *Vernaculi*, i. e. Originarii, opponuntur inquilinis; inde præſtigiator & ridicularius homo, quos vulgò *Charlatans* Galli, Græci veteres γόητας dixêre. Unde apud Suetonium Vitellius, *c.* 14. *vernaculos & Mathematicos Urbe prohibuit* &c. Salmaſ. *Not. ad loc.* Vide ſuprà, *Verna.*

VERONICAM Vendentes, apud Torrigium, *de Cryptis Vatican. edit.* 2. *p.* 309. quinam dicti, innuere videtur Car. du Freſne, *Gloſſar.* cùm ait: *Veronica Romanis appellatur tabella, in qua Chriſti Domini, pergentis ad ſupplicium, divinô miraculô expreſſa effigies efformatur, quæ aſſervatur & colitur Romæ, in Eccleſ. S. Petri*; hanc in rem variorum Pontificum, Scriptorumque Eccleſiæ Romanæ teſtimonia citans, de quibus alibi. Eidem *Veronicam* appellatum ciborium antiquæ Baſilicæ Vaticanæ videtur ſcribere Nic. Alemannus, *in Diſſertat. de Lateranenſibus parietinis.*

VERNUM, villa olim Galliæ Regia, jam inde à Chlotario III. Chlodovei Junioris filio. Hîc Pipinus Rex Epiſcoporum concilium celebravit, A. C. 755. ut & pronepos ejus Karolus Rex A. C. 844. Locus erat venationi conveniens, inter Lutetiam & Compendium, fortè idem cum Vernolio Bellovacenſi, de quo ſuprà. Eſt & apud Frodoardum villa *Verna*, in pago Virtudenſi. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

VERNUS Sol, locus Galliæ inter Lugdunum Convenarum, ſeu potiùs inter Aquas Siccas & Toloſam, illinc 54. iſtinc 12. hinc 15. mill. paſſ. diſtans. Fortè Placentia hodie ſeu *Plaiſance. Idem.*

VERO, fluv. Celtiberiæ. Is *Huecar* hodie, teſte *Joh. Marianâ*, nominatur, Concham urbem circumfluens, ſeque Sucroni committens: ſed hic in Caſtella nova oritur, & per regnum Valentiæ labitur cum Sucrone: prior verò Aragoniam permeat, *Ferrar.* Vide *Verones.* Martial. *l.* 1. *Epigr.* 50. *v.* 5.

Sterilemque canum nivibus, effractis ſacrum
Vada Veronem montibus.

VEROCASSES, populi Galliæ Belgicæ juxta Sequanam incolentes, Caletibus finitimi, hodie *Vulxin.* Vide B. Rhenanum, *Rer. Germ. l.* 1. cum *Notis* Ottonis JCti, *p.* 108. *Velocaſſes.*

VERODOCTIUS, Helvetius, nobiliſſimus ſuæ civitatis, Princeps ejus legationis, quam Helvetii primam ad Cæſarem miſerunt: Cæſ. *l.* 1. *Comm. c.* 7.

VERODUNI populi fuêre Gallicæ Belgicæ juxta Moſam, quorum tractus hodie *le Verdunois*, & caput Verodunum. Vide quoque *Verum.*

VERODUNUM, vulgò VERDUN, urbs ampla Galliæ Belgicæ ad Moſam. Epiſcopalis Lotharingiæ, in Campaniæ confinio, ſub Archiepiſcopo Trevirenſi: ubi *Veroduni* populi. *Baudrando* probe munita, cum arce recenti, intra fines Lotharingiæ inſerta, ſed tamen Gallici juris, cum toto tractu, 15. leuc. à Catalauno in Ortum, Metas verſùs 10. Vide quoque in voce *Verum.*

VERODUNUM, oppid. Aquitaniæ, in Gaurenſi Comitatu & Veroduni tractu, ad Garumnam, 5. leuc. infra Toloſam in Boream. Vulgò *Verdun.*

VEROLAMIUM, *Antonin. Verulamium*, Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 33. *Vrolanium, Ptol.* hodie *Verulam*, urbs olim Albionis, nunc pagus Angliæ apud Tameſim fluv. & oppid. S. Albani, inter Londinium ad Ortum 21. & Oxonium ad Occaſum 30. mill. paſſ. *Baudrando* fuit urbs Cattieuchlanorum in Albione, antiqua ſedes Caſſibellani, ex *Speedo.* Aliàs urbs magni nominis, quam Tacitus *municipium* vocat, interque ditiſſima totius Inſulæ numerat. Nunc præter mœnium fragmina nil ſupereſt. Leaus fluv. Auſtrale illi munimentum fuerat, ruderibuſque dirutorum mœnium ad Ortum & Occaſum occurrit, quorum tractus & ſubjecta aggeri foſſa etiamnum videntur, colliguntque in ambitu 1270. paſſ. Hîc S. Albanus, Britannorum Protomartyr, ſub Diocletiano, martyriô eſt coronatus, A. C. 293. in adverſa ripa Leai; in cujus memoriam, Offa magnus Merciorum Rex ibi loci, quem *Holmehurſt* dixerunt, ampliſſimum monaſterium extruxit, A. C. 793. ubi etiam è Verolamii ruinis redivivô opere ſpecioſum S. Albani Fanum excitavit. Vide *Fanum S. Albani.*

VEROMÆI, ſeu *Vallis Romæa*, tractus Breſſiæ, *Val Romey*, inter Beugeſiam ad Occaſum & Rhodanum ad Ortum. Ubi Seſſelium, oppid. præcipuum.

VEROMANDUI, Galliæ Belgicæ populi, in Picardia, quæ *Vera* dicitur, cum titulo Ducatus. De his loquitur Plin. *l.* 4. *c.* 17. & Cæſar, *l.* 2. *Belli Gallici, c.* 4. cùm ſcribit, Veromanduos cum reliquis Belgis, Velocaſſibus, Caletis & Ambianis, contra ipſum, conſpirâſſe, conſtituiſſeque Romanos è Gallia ejicere; Comitatus præclari titulô ornata erat hæc provincia, ætate Regis Caroli ſimplicis, primuſque Comes fuit Hugo, Henrici primi Francorum Regis filius, Philippi Regis frater, cui ſucceſſerunt duo Rudolphi, filius & nepos, quorum hôc, ſine liberis defunctô, Comitatus ad regnum eſt devolutus. Vandali, factâ in Gallias cum Burgundionibus irruptione, provinciam hanc mirum in modum afflixerunt. Comprehendere ſub ſe Comitatum hunc ſignant Franciæ Geographi Sueſſonum, Leudunenſium & Tartenorum ditiones, urbes item Noviomagum & Fanum S. Quintini, hodie vulgò *Vermandois. Merula* & *Metel. Baudrando* fuit horum tractus inter Tiraſciam ad Ortum, Sanguiterſam ad Occaſum, Camecenſem tractum ad Boream, & Inſulam Franciæ ad Meridiem. Caput Auguſta Peromanduorum fuit, *Vermand*, à Fano S. Quintini 2. leuc. in Occaſum, Veronam verſùs, hodie Abbatia *Vermand* appellata: juxta amnem *Oumignon.* Nunc verò caput eſt, non vicus hodie & Cœnobium *Vermand*, ab

oppid. S. Quintini 5. mill. pass. distans, cum Abbatiæ titulo ad Dalmanionem fluv. ut vult *Cluverius*, quem *Monetus* & *Sanson* sequuntur, sed Fanum S. Quintini, vulgò *S. Quentin*, vel *S. Quintin en Vermandois*, à corpore S. Quintini Martyris & Levitæ dictum, ad Somonam, olim Augusta Veromanduorum, in *Notit. provinc. ac civit. Galliæ*, inter duodecim provinc. Belgicæ secundæ civitates quartô locô numerata, sedes quondam Episcopi sub Archiep. Remensi, quæ posteà, Augustâ eversâ, vel aliam ob causam, Noviomagum translata est. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & Cl. Ottonem, *Notis ad B. Rhenanum, p.* 108.

VEROMETUM, vulgò BURROW, teste *Camdenô*, oppid. olim Albionis, nunc pagus Angliæ in Leicestriâ Comitatu, eô locô, qui hodie *Burrow hill* dicitur, inter Margidunum & Ratas 12. mill. pass. à Lindo, 40. in Austrum Londinium versùs.

VERONA, colonia & urbs Cenomanorum Venetiæ, ab his cum Brixia aliisque urbibus condita, dictaque *Verona*, quasi *Brennona*, à conditore: ad Athesim fluv. interluentem, urbs clarissima, & maxima totius Venetiæ, si Venetias excipias, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi, inter Ferrariam ad Euronotum, & Tridentum in Circium 50. mill. pass. Hujus vocabulum, ut reliqua Italiæ Latinô more *Ptolemæo* quoque refertur Οὐηρῶνα. Apud *Strab.* verò *l.* 4. legitur Οὐήρων, *l.* autem 5. Βήρων. Apud Procopium variè legitur *in Gothicis*: *l.* 2. & 4. Βερώνη, *l.* autem 3. ἐπὶ Βερῶνα, quum *l.* 4. sit ἀμφὶ Βερῶνα. Vulgò quoque *Verona*: in veter. inscript. *Colonia Augusta Verona*. Catulli patria fuit. Ovid. *l.* 3. *Am. El.* 15. *v.* 7.

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Martial. *l.* 10. *Epigr.* 103. *v.* 5.

Nec sua plus debet tenui Verona Catullo.

Idem, *l.* 14 *Epigr.* 195.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

Catullus ipse, *Carm.* 68. *v.* 31.

Atqui non solum hunc se dicit cognitum habere
Brixia, Chinea supposita specula;
Flavus quam molli percurrit flumine Mela;
Brixia Veronæ mater amata meæ.

Βήρων *Stephano* dicitur, *Dieterichs Bern.* German. *Nic. Lloydius. Baudrando* urbs ampla & pulcherrima Longobardiæ; Venetis à Maximiliano Imperatore erepta A. C. 1509. sed reddita A. C. 1516. Athesim quatuor pontibus nectit. Caput est agri cognominis cum arce permunita. 35. mill. pass. à Tridento in Meridiem, Mantuam versùs 22. 40. à Brixia in Ortum, uti 15. à Piscaria, Venetias versùs 70. circiter 60. à Ferraria in Circium. Ibi Circus & ingens amphitheatrum. Patria fuit etiam Æmilii Macri Poëtæ. Hîc Odoacrô victô Theodoricus *Veronensis* nomen accepit, A. C. 490. Occupata postmodùm corruptis custodibus urbs à Berengario, A. C. 901. Mastinum Scaligerum sibi præfecit, A. C. 1286. imperante Rodolfô I. Imperatore ad exemplum præcipuarum Italiæ civitatum. Sed Scaligeris à Joh. Galeatio Duce Mediol. ejectis, post varias vices, ad Venetos pervenit. Vide Leand. Alberti, *descr. Ital.* Torellum Saraynam, *de orig. & amplit. Veron.* Julium du Puy, *Elog. Colleg. Veron.* Franciscum Fintum, *la Nobil. de Veron.* Hieronymum dalle Corte, *Hist. di Verona. Verona* altera, urbs Helvetiorum, *Bern*, ut aliquibus videtur. Populi *Bernenses* Plinio, *l.* 3. *c.* 19. qui tamen tam Veronam quàm Bernenses in Rhætis commemorat. *Ferrarius.*

VERONENSIS Petrus, vide *Petrus*.

VERONENSIS Ager, IL VERONESE, tractus Longobardiæ, inter ditionem Tridentinam, agros Vicentinum & Patavinum ad Ortum, Ducatum Mantuanum ad Meridiem, & agrum Brixianum, lacumque Benacum ad Occasum, ad 65. mill. pass. extensus à Circio in Eurum, sub Venetis.

VERONES, populi Hispaniæ Tarraconens. quos Vero fluv. alluit. Silius, *l.* 3. *v.* 378.

At Veronum alas Balarus probat æquore apertô.

An *Berones*? vide ibi.

VEROVIACUM, vulgò WERWYCK, pagus Belgii in Flandria ad Legiam fluv. inter insulam & Cortteriacum 3. leuc. Vide *Viroviacum*.

VEROVICUM, vulgò, WARWICK, oppid. Angliæ Conventriæ finitimum, ab eâ 9. mill. pass. in Austrum recedens. Etiam *Varvicum*, caput Comitatus cognominis ad Avonem fluv. aliàs *Præsidium* dicta, in Dobunis. 28. mill. pass. à Vigornia in Ortum.

VERPUS, apud Martialem, *l.* 11. *Epigr.* 95. cui titul. *in Verpum æmulum*, Judæus est, recutitus, Græcè λιπόδερμος. Cujusmodi homines ut circumcisionem inter Romanos tegerent, thecâ seu subligaculô ac vaginâ ex aluta confectâ partem illam vestiebant quæ, quòd gravis admodùm esset, *Judæorum pondus* dicitur eidem alibi. Removebatur autem illa facilè, imò & sponte cadebat, uti de Menophilo idem habet, *l.* 7. *Epigr.* 81. *v. extr.*

Dum ludit media, populô spectante, palæstrâ,
Delapsa est misero fistula, verpus *erat.*

Hinc diversum ab illo alterum fibulæ genus, quod, vel ex ære, vel ex argento, in Comœdis, Citharœdis ac adolescentulis aliis, vocis valetudinisque conservandæ causâ, adhiberi solitum, à fabro igne glutinabatur, & ab eodem, quum opus esset, refibulabatur, solvebaturque, fuisse liquet, Ferrarius *ad l.* Cæterùm de voce sic Salmasius, Δέρλλον, *verpa*, vel *pars illa, quâ viri sunt, unde* Δέρλλος, *verpus*, ---- *in Gloss. Verpus*, δέρλλος, καὶ ὁ μέσος δάκτυλος τῆς χειρὸς, λέγεται δὲ καὶ ὁ λιπόδερμος, *Not. ad Capitolin. in Pertinace*, *c.* 8. Vide & Jul. Cæs. Scaligerum, *de Causis L. L. l.* 1. *c.* 28.

VERRATUS Joh. Maria, vide *ibi*.

VERRAZANIUS Johannes, vide *Johannes*.

VERREGINIS Villa, Fort. quæ & *Verreginum*, Vineto *Borrechs*, pagus Aquitan. apud Burdegalam.

VERREGINUM, Diodor. Sic. *Verrugo* Liv. *l.* 4. *c.* 1. 55. 58. oppid. Volscorum, ad lacum cognominem extinctum. *Verrugo* Val. Max *l.* 6. *c.* 5. *ex.* 2.

VERRA, ara fuit Romæ, ad quam orabant, ne Agrippæ nascerentur.

C. VERRES, Quæstor Cn. Carbonis, deinde legatus ac Proquæstor Cn. Dolabellæ, utrumque prodidit, Lucullô & Cottâ Consulibus. Prætor urbanam jurisdictionem obivit, quâ perfunctus Sacerdoti in Sicilia Quæstor successit, eamque, non succedente sibi Arriô, per triennium tenuit. Sed libidinosè, avarè, crudeliterque versatus in provincia, postulatus est repetundarum à Siculis. Cicerone verò, in gratiam Siculorum, accusationem magnâ vi & arte peragente, quum parum subsidii sibi in Hortensio esse videret, desperatô patrociniô, sponte in exilium abiit, ubi 26. annis per summam quietem traductis, à Triumviris tandem proscriptus & occisus est. Plin. *l.* 34. *c.* 2. propter Corinthia vasa proscriptum tradit, quòd iis videl. Antonio se cedere negavisset. Seneca etiam fortiter decessisse scribit, ex auctoritate Pollionis. Liberos habuit, antequam in exilium abiret, filiam nuptam, & filium prætextatum parum pudicum. Vide Cicer. *in Verrinis*, Ascon. Pedian. & Lactant. *l.* 2. *c.* 4. Juvenalis, *Sat.* 2. *v.* 26.

Si fur displiceat Verri, si homicida Miloni.

Idem, *Sat.* 3. *v.* 53.

Charus erit Verri, qui Verrem tempore quò vult
Accusare potest. ———

Nic. Lloydius. Legibus convivalibus, quam Legibus Populi Romani obsequentiorem eum fuisse, inter alia, in illo notavit Cicero: vide quæ de Legibus his suprà.

VERRES, vide suprà *Porca*, it. *Suria*.

VERRINUS Hugolinus, vide *Hugolinus*.

VERRINUS Michaël, vide *Michael*.

VERRITUS, Frisiorum Dux, sub Nerone. agros vacuos & usui militum sepositos occupantium. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 54.

VERRIUS Flaccus, ita enim meliùs, quam *Verrus*: *Libertinus, docendi genere maximè inclaruit; namque ad exercitanda discentium ingenia, æquales inter se committere solebat*, Sueton. *l. de illustribus Gramm.* *c.* 17. Ubi quòd *committere* dicit Auctor, in Ludis Amphitheatralibus ac Circensibus, *commissiones* nominibus certantium in urnam conjectis, atque inde à Prætore eductis, fieri solitas, appellationem à Ludis literariis mutuatas esse, notat Thomas Dempster. *in Rosin. l.* 5. *c.* 4.

VERRIUS Flaccus, Grammaticus, nepotum Augusti educationi admotus, obiit sub Tiberio. Libertus erat, & scripsit varia sæpiùs priscis laudata. Sueton. *de clar. Gramm. c.* 18. A. Gell. *l.* 4. *c.* 5. Plin. *l.* 7. 8. *& seqq.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 1. *c.* 20. Vide & *Verrius Flaccus*.

VERRUCA, à VERRO, tuberculum cutis est, quod extrudit bilis flavæ copiam, Becmannus, *Origg. L. L.* Græcè μυρμηκία, unde *myrmecias*, apud Plinium, gemmæ nomen, quòd *verrucis* similes eminentias habeat, sic dictæ, *l.* 37. *c.* 10. de qua vide Salmas. *ad Solin. p.* 769. qui margaritas quoque *conchæ verrucas* appellari *Tertulliano de Habitu mul.* notat, *p.* 1114. Hinc *Verrucosus*, cognomen Fabii quòd ex summo labio *verruca* parva ei extuberâsset, apud Plut. *in eo*.

VERRUGO, oppid. in finibus Volscorum, cum arce Carventana, captum à Roman. Liv. *l.* 4. *dec.* 1.

VERSALIÆ, castrum Insul. Franciæ, ubi palatium regium, cœptum à Ludov. XIII & à Ludov. XIV. magnificentissimè absolutum. 4. leuc. à Lutetia in Ortum, uti 2. à Fano S. Clodoaldi, versùs Monfortium Amalrici 6. circiter. *Versailles.*

VERSATILE Triclinium, memoratur Lampridio *in Heliogabalo*, *c.* 21. *Oppressit in tricliniis* versatilibus *parasitos suos violis & floribus, sic ut animam aliqui efflaverint, quum erepere ad summum non possent.* Cujusmodi triclinia qualia fuerint, exponit Seneca, *Ep.* 90. *Qui* versatilia *cœnationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur.* Quibus junge Suetonium, *in Nerone*, *c.* 31. & quæ *ad Athenæum*, *l.* 4. *c.* 2. adnotavit Isaac. Casaubonus. De *versatili Scena* Scauri, vide ubi de *Theatro*: de *versatilibus cavearum* in Amphitheatro *repagulis*, quorum Vopiscus *in Probo* meminit, suprà voce *Repagula*: uti de *versatilibus* ædium *Tritonibus*, flantem ventum in fastigio earum indicantibus, suprà passim, inprimis vocibus *Pinnacella*, & *Ventilogium* &c. uti de *Versandi* verbo, si integrum est, Jan. Guilielmium, *Quæstionibus Plautinis*, *in Persam*, *c.* 4.

VERSCA, fluv. VERSCHE vulgò, oritur in Lapponia Suecica è lacu *Pajersui*; dein per Lapponiam Moscoviticam fluens, in mare Album se exonerat.

VERSICOLOR Linea, inter instrumenta Venationi inservientia, concludebat saltibus feras, vel terrebat apros, vulpes, lupos, ursos, & præcipuè cervos: hinc *Formido* Latinis dicta est. Ovid, *l.* 5. *Fastor. v.* 173.

——— *Pavidos formidine cervos.*

In ea alternus plumarum, contextus, vulturis inprimis ac cygni laudatus; interdum & sandyce fucabatur. Etiam ustulabantur nonnunquam plumæ, ut gravi odore ampliùs feram terrerent, & tunc *pennæ odoratæ* dicebantur, ut paulo pòst videbimus. Meminit ejus M. Aur. Olympius Nemesianus, *Cyneg. v.* 303.

Linea

Linea quin etiam, magnos circundare saltus
Quæ possit, volucresque metu concludere prædas,
Digeris amerias non una ex alite pinnas.

Unde *formidine pinnæ* Ovidio, *l.* 15. *Met. fab.* 43. *in fin. v.* 475. Colorum diversitas itaque ex avium diversarum plumis fuit, Oppianus Cilix, *Cyneg. l.* 1. *v.* 156. ubi σπαρτὸν illam πλεκτὸν vocat, è *sparto tortam*: quemadmodùm *lini septum* Olympius vocat ubi suprà. Multicolorem namque fuisse, ex eodem, *l.* 4. *v.* 387. probatur, ubi habet:

——— πολύχροα δείματα θηρῶν.
Versicolores formidines seu terriculamenta ferarum.

Vide etiam v. 403. *ejusdem libri.* Usum istiusmodi linearum indigitat Seneca, *de Clementia*, *l.* 1. *c.* 12. *Sic feras lineis & pinnis conclusas contine, easdem à tergo eques telis incessat; tentabunt fugam, per ipsa, quæ fugerant, proculcabuntque formidinem.* Et *l.* 2. *de ira*, *c.* 12. *Nec est mirum, cùm maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat, & in insidias agat, ab ipso effectu dicta formido, vanis enim vana terrori sunt.* Augustinus item, *de Nupt. & Concup. l.* 1. *Et cùm verentur infamiam falsam, veram incurrunt, instar ferarum, quæ circundantur pinnis, ut cogantur in retia.* Ex recentioribus Pierius, *Hierogl. l.* 1. Nempe comparatum id retis genus vel ut feræ in veros casses vanô hôc terrore impellerentur, quos vicinis in locis occultabant, ut *Lycophron.* innuit: vel, dum latratu canum, attonitæ insequentem hastatum à tergo equitem fugiebant & circum lineam vagabantur, ab occultis sagittariis certô ictu sternerentur. Nec verò in venatu solùm, sed etiam in piscatu, Formidinis istiusmodi seu *versicoloris* lineæ usum, ostendit Oppianus præfatus, *Halieut. l.* 4. *v.* 576. ubi ὁρόωντες, *videntes*, inquit.

Σχοίνους πεπτηῶτες, αἰολλὰ δείματ' ἔχοντας,
Funes agitatos varios metus habentes.

At frequentior receptiorque in Re Venatoria usus. Namque præter citatos Lucanus, *l.* 5. *v.* 437.

——— *Sic dum pavidos formidine cervos*
Claudas odoratæ metuentes aëra pennæ.

Et ambitiosiùs multò Ausonius, *Epist.* 5. *ad Theonem*,

An cum fratre vagos dumeta per avia cervos
Circumdas maculis & multâ indagine pinnæ?
Aut spumantis apri cursum clamoribus urges,
Subsidisque fero? moneo tamen, usque recuses
Stringere fulmineo venabula cominus hosti &c.

Istiusmodi proin *Versicolores* lineæ, ut & venabula, canesque venatici cum retibus Dianæ, venationum Præsidis, statuæ olim addita. Vide Thomam Dempster. *Paralipom. in Rosin. l.* 2. *c.* 8. ut & *suprà*, vocibus *Bersa Formido* &c.

VERSICOLOR Vestis, Meretricum apud Athenienses propria, ex Lege memorata *Suida*, τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν, *Meretrices floridas vestes indutæ sunto.* Artemidorus enim ποικίλον & ἀνθηρὸν, *versicolorem* & *floridam* vocat, *l.* 2. *c.* 3. Γυναιξὶ δὲ ποικίλη καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς συμφέρει. μάλιστα δὲ ἑταίραις ... *Mulieri versicolor & florida vestis conveniens est, maximè autem meretricibus: hæ enim* &c. Hinc Clemens Alexandrinus, *Pædagog. l.* 3. *c.* 2. ὡς τὴν ἀρχαίαν τὰ σύμβολα, ὅπως τὴν μοιχαλίδα δείκνυσι τὰ ἀνθίσματα. Eandem suis Locrensibus legem Zaleucus posuit, ut auctor est Diodor. Siculus, & usi sunt Syracusani, quod Philarchus apud Athenæum scribit, *l.* 12. &c. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 6. *tit.* 6. Apud eosdem in dedicationibus Ararum, Templorum, Statuarum, *Versicolor* quoque vestis adhibita legitur. Nam cùm ditiores πολυτελεστέροις ἱερείοις, *sumtuosioribus victimis*, eos ritus peragerent: illi tamen, qui manu tenuiorem dedicationem offerebant, χύτρας ollas adhibebant, more solenni à mulieribus super capita circumferendas, in quibus Πανσπερμία; seu leguminum omnigenûm elixorum mixtio, unde libatio fieret ἀφιδρυμένοις, *Diis dedicatis*, Eucharistica & Propitiatoria. Erant autem mulieres tum *Versicoloribus* indutæ. Unde in lepida illa *Pluto*, apud Aristophanem, in Deûm dedicatione destinatâ, Anus, in Adolescentuli, quem deperibat, gratiam, amictu *versicolori* ornata & circa dedicationem illam haud parùm satagens Charionem Chremyli servum rogat, quid faceret ipsa, seu quomodo in solennitate se gereret? Cui ille,

——— Τὰς χύτρας αἷς τὸν θεὸν
Ἱδρυσόμεθα, λαβοῦσ' ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φέρε
Σεμνῶς, ἔχουσα δ' ἦλθες αὐτὴ ποικίλα.

——— *Ollas, quibus Deum*
Consecraverimus, accipias: & super caput deferas
Graviter. Advenisti verò ipsa versicolores habens vestes.

Quasi dixisset: jam ornâsti te eam in rem *decenter*, i. e. *coloribus variis*. Ita enim Scholiastes vetus disertè, Ἔθος ἦν ἐν ταῖς ἱδρύσεσι τῶν ἀγαλμάτων ὀσπρίων ἑψημένων χύτρας ... ὑπὸ γυναικῶν ποικίλας ἠμφιεσμένων, τούτων ἀπάρχεσθαι χαριστήρια τοῖς θεοῖς, *Mos erat in dedicationibus statuarum* (Diis consecratarum) *Leguminum elixorum ollas circumgestari à Mulieribus* Versicoloribus *vestitis. Atque ex hisce sacra in gratiarum actiones Diis libabant.* Ita igitur vestes *Versicolores* ipsæ solennitatis pars erant, contrà quàm opinatur Frischlinus, Anum à Carione ob habitum ejusmodi, velut sacris illis haud satis decentem, nec gravitati aut venerationi in dedicatione adhibendæ idoneum, reprehendi ac ludificari, existimans. Atque sic etiam intelligunt Poëtam Car. Gerardus, Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 6. *c.* 14. Alii. Vide Jo. Seldenum, *de Synedriis Veterum, Hebr. l.* 3. *c.* 13. §. 3. Idem observatum in sacris Matris Phrygiæ seu Cybeles seu Rheæ, in cujus Sacerdotibus ac famulis novem ista præcipuè spectata olim fuisse, annotavit Vossius, *evirationem*, *furorem*, vestem versicolorem, *capitis jactationem*, *capillorum immolationem*, *mollitiem incessus*, *lacertorum sectionem*, *ejulationem*, & *atuscationem*. Et quidem vestis meminit Varro, *Eumenidibus.*

Nam quæ venustas hic adest gallantibus?
Quæ casta vestis?

Quam multicolorem fuisse docet Dionysius, *Antiqq. l.* 2. ubi eam vocat ποικίλην στολὴν, *variam stolam.* Unde Fulgentius in *Mytholog. Ideo &* (Sacerdotes Cybeles) *multiplici veste, quod omnes potentia ornata sit.* Vide præfatum Vossium, *de orig. & progressu Idolol. l.* 2. *c.* 53. *ubi de Phrygiæ Deæ Sacerdotibus pluribus agit*; ut & suprà, *Telchines.* &c. De Floralibus, vide Ovidium, *Fast.* de Rhapsodis suprà, ubi de *institis versicoloribus* vestium, suprà voce *Pannus*, item *Radiatus.* De voce sic Salmas. *Not. ad Pallium Tertull. c.* 3. *Versicolor Latinè dupliciter sumitur, aut enim id est, quod colorem semel mutavit, aut quod colorem subinde mutat. Jurisconsulti* versicoloriorum *nomine comprehendunt, quidquid naturalem colorem semel vertit, ut omnia, quæ tincta sunt, quæque nativum colorem alienô & ascititiô mutaverunt.* Versicolor *alias --- est qui colorem alium atque alium subinde ostendit, prout mutatur ac movetur, ut colla columbarum, Græci ἀλλάσσοντα vocant, unde allassontes calices, apud Treb. Pollionem.* Ibidem quomodo *multicolor*, *discolor* ac *versicolor*, Græcè πολύχρως, ἑτερόχρως, & ποικιλόχρως, conveniant differantque, persequitur. Idem, quid *colorium* à *versicolori* differat, prolixè docet, *Not. ad Vopisc. in Aurelian. c.* 46. Vide quoque suprà, ubi de vestibus *Coloriis*, *Floridis*, *Variis* &c. it. voce *Persusum*, *Sarsorum opus.*

VERSIFICATOR, longè infra Poëtæ dignitatem. Hâc enim voce notantur Columellæ, Quintiliano, Aliis, sermonis ac metri observatores quidem, sed citra spiritum & vim intrinsecam Poëticam, figmentis prope creationem penè rerum evectam, quam unicè in vero Vate desiderat Petronius, cùm ait, *Præcipitandus est liber spiritus, ut furentis animô vaticinatio appareat.* Nomen inde, quòd *versus faciant*, qui sermo, plebejus aliàs, consectatus est Horatio *l.* 2. *Ep.* 2. *v.* 51.

——— *paupertas impulit audax*
Ut versus facerem ———

Et *l.* 1. *Serm. Sat.* 10. *v.* 31.

Atque ego cùm Græcos facerem, natus mare citra,
Versiculos ———

Papinio item *Sylvar. Præfat.* sed contemtu servatô, utpote de se ipsis loquentibus. Vide Barthium *ad hanc Præf.*

VERSIO Septuaginta viralis, vide suprà *Septuaginta.*

VERSOJUM, oppid. Gesiæ tractus, in Bressia, ad Lemanum lacum, sub Gallis, vix 2. leuc. supra Genevam in Circium. Vulgò *Versoy.*

VERSORIA, apud Plautum,

Hic ventus nunc secundus est, cave modò versoriam;

funis est, quô velum in nave vertitur, *pes* aliàs, quam vocem vide.

VERSOSA Johannes, Cæsar-Augustanus, Lutetiæ Græcam cathedram vix quindecennis nactus, inde Lovanii docuit, ingenti discipulorum confluxu: Ratisbonæ posteà Didaco Hurt. Mendozæ Legato Cæsareo adhæsit, illius ad Concilium Tridentinum comes, ac cum illo Senas, quarum præfecturam Mendoza nactus est, profectus, animos civium præfecto infensorum non parùm mitigavit. In Angliam trajecit tempore nuptiarum Philippi cum Maria Regina inde Romæ Juribus Regis sui in varia regna confirmandis occupatus, obiit A. C. 1574. ætat. 51. Scripsit *Poema Heroicum* annô ætat. 16. *Epistolas* porrò *ad imitationem Horatii, de Prosodia Græcorum, Carmen Epinicium in victoriam ad Echinadas* &c. Thuanus, *Histor.* Auctor *Biblioth. Hispan.* Anton. Teissier, *Elog. Part. I.*

VERSURA, apud Tertullian. *de Pallio*, *c.* 2. *Denique, si quid mare diluit, cœlum texit --- gladius detotondit, alias* Versura *compensati redit*: est τὸ ἀνθυφαιρούμενον vel τῆς ἀνθυφορᾶς, ut Græci Calculones vocant, sic appellantes id, quod summæ alicui deest, & quod ad eam integrandam debet suppleri. Quâ ratione eleganter, si quid ex generis humani summa bellis deminutum ac delibatum est, *id aliàs versurâ compensati redire* repensatique, ἀνθυφαιρεῖσθαι ac redintegrati dixit. Aliàs *versura*, usura ac fœnus est, is videl. mutuæ sumendæ pecuniæ modus, cùm æs alienum priùs contractum novô ære alienô dissolvitur, in *Glossar.* Servii δάνειον δάνειον, quod qui facerent, *versurâ solvere* vel *versuram facere* dicebantur. Sic in *Attico* Corn. Nepos de Fulvia Antonii, *c.* 9. *Quin etiam, ait, cùm illa fundum secundâ fortunâ emisset in diem neque post calamitatem* versuram facere *potuisset, ille se interposuit.* Imò *versura* simpliciter Latinis δάνειον, idemque planè cum *mutuo*, quod est ἀμοιβὴ i. e. *versura.* Nam qui mutuam pecuniam accipit, eam accipit ut reddat, & sic *versuram*, h. e. ἀμοιβὴν facit. Ipsum quin etiam verbum ex Græco Siculo venit μοῖτον, quod ἀμοιβὴν notat &c. Vide Salmas. *ad Tertulliani locum*, cui adde Jac. Cujacium, *Observat.* & Simeon. Bosium, *in l.* 5. *ad Attic. Epist.* 21. uti *de versuris fluviorum* suprà passim, in vocibus *Brachium*, *Crinis*, *Ramus*, alibi.

VERSUS, Latinis, ut στίχος Græcis, linea dicta est quæcunque in pagina producta, sive sententiam impleret, sive imperfectam relinqueret in sequenti linea, aut etiam tertia vel quarta, absolvendam. Quarum linearum rationem habebant Veteres, Græci Latinique in computando versuum cujusque libri numero: quem Librarii in fine adscribere solebant, ut sciretur, quot *versuum* esset opus, quod præcessisset, sive prosâ oratione compositum foret, sive versâ. Sed & operis magnitudinem *versuum* multitudine metiebantur.

tur. Unde *πολύστιχον βιβλίον*, pro *magno* passim apud Photium. Nec per capita vel sectiones ut Hebræi Arabesque, sed per *versu* mensuram alicujus scripti colligebant. Quintilian. *l. 7. c. 2. Multis millibus* versuum *scio apud quosdam esse quæsitum, quomodo inveniremus*. Unde distinctiones capitum raro tum in libris usurpatas liquet. Et quidem *στίχον* & *στοίχον* Græci, uti *versum* Latini appellabant, propriè seriem in longum porrectam & quascunque res unâ facie directas ac digestas. Dein lineam in scriptura sic vocârunt, eamque dextrorsum versùs scriptam præcipuè, cum *καθέβασιν* appellarent eam, quæ deorsum versùs duceretur. Tandem *versum* in Poësi, quia lineam suam singuli versus occuparent, etsi interdum non explerent. In carmine postmodùm obtinuit, ut *versus* propriè dicerentur *τὰ ἔπη*. Unde *versa oratio*, quæ prosæ opponitur. *Versus* tamen dictus Latinis tam solutæ orationis linea, quàm metricæ, ut visum. Quin & sulcum in aratro vocârunt *versum*, quô peractô convertitur aratrum ad alterum sulcum inchoandum, Plin. *l. 18. c. 19.* Quod imitati in Græcia priscis temporibus in scribendo, *versu* absolutô à dextra ad sinistram, ab eodem fine sequentem auspicabantur, à sinistra ad dextram, *βουστροφηδὸν* id appellantes, ut notatum Pausaniæ, *Eliac. 1.* Unde Isidorus notionem vocis inde derivans, *Versus*, inquit, *vulgò vocati, quia sic scribebant antiqui, sicut aratur terra, Origin. l. 6. c. 13.* &c. Quam in rem vide Vossium, *de Arte Gramm. l. 1. c. 34.* Præter Indices itaque, qui in fronte prima libri collectam exhibebant materiarum ac præcipuorum capitum summam, inibant & numerum *versuum* cujusque operis & summam inde confectam ad finem codicis adnotare solebant, ut dictum. Sic Callimachus *πίνακα* conscripserat, quô recensebat omnium Auctorum scripta, qui vel pedestri sermone, vel metrô inclaruerunt: quot dein *versuum* essent singula opera, diligenter admonuerat, subscriptô ad finem cujusque numerô, ut ex multis Athenæi locis observare est. Idem eundem de Legibus fecisse, discas ex eodem, *l. 13.* Etiam Diogenem, in Philosophorum scriptis recensendis, & *versuum* numerum apposuisse, legimus in ejus *Speusippo*, *Xenocrate*, alibi. E quibus colligit Salmasius, Antiquarios, qui per ea tempora libros describebant, semper eundem servâsse numerum versuum, quem in antiquioribus codicibus reperiebant: habuisseque proin certâ formâ varias paratas chartas & membranas, quarum huic generi scriptorum excipiendorum dicatæ aliæ essent, huic aliæ. Quod posterius disertè Martialis tradit, memorando in *Apopophoretis*, *l. 14. Epigr. 10. Chartas majores*, in quibus Poëtæ sua carmina scribebant: *Epigr. 11. Chartas Epistolares*, in quibus ad amicos; & *Epigr. 8. Vitellianos pugillares* seu *codicillos*, in quibus ad amicas scribebatur. Plura *Chartarum* genera enarravimus, ex Plinio aliisque, suprà. Duravisse verò hunc morem numerandorum in libris versuum ac notandorum, usque ad extrema tempora Græciæ, patet ex *Præfation.* Justiniani in Pandectas. Sic in Pauli Silentiarii *Ἐκφράσει Templi Soph.* in fine poëmatis adnotatum, in Cod. antiquo, *στίχοι ἡρωϊκοὶ ατ. ἰαμβικοὶ ρ.* Diversissimus ab his *Versuum* modus in Hebraicis & Arabicis scriptis, quos eorum Critici computant, & ex quibus veluti portiunculas capitum faciunt. Qui periodi potiùs, quàm *versus* vocandi; sententiam enim ut plurimùm perfectam continent, & aliquot versibus seu lineis constant, pluribus paucioribus, ac inæquali semper filô sunt: notis & accentibus quibusdam distincti. Cùm in Græcis Latinisque monumentis, æquales perpetuò versus ac pari facie, nullâ aliâ distinctione invicem dissiti sint, præterquàm linearum; singuli quippe versus totidem lineæ. Interim utrique pariter *στίχους* & *versus* quoque appellârunt particulas illas, in quas capitum S. Scripturæ sectiones sunt divisæ: unde antiquissimus codex laterculum habet Græcè, quô exposita est mensura versuum universorum operum V. ac N. Test. uti vidimus suprà in voce *Στιχομετρία*. plura hanc in rem vide apud Scaliger. *Poetic. l. 2. c. 5.* præfatum Salmasium, *Prolegom. in Solin.* & *Not. ad Vopisc. in Firmo, c. 3.* Crojum *Observat. in N. Test.* Suicerum, *Thes. Eccl.* voce *Στίχος*, ubi inprimis *de Versibus Librorum Sacr.* Alios: nec non suprà voce *Linea*. De *Versibus* verò *in Poësi*, hìc passim, ubi de unoquoque Metri genere, nec non in vocibus, *Carmen*, *Poësis* &c.

VERSUS, in Ecclesia Romana *cantionis Ecclesiasticæ nomen, quæ canitur in officio; ita appellata, quia tunc revocatur & vertitur mens ad divinarum laudum attentionem, ut jam animus in psalmodia fessus lassusque hoc interim refocilletur; sive --- ex eo quia tunc Cantores versùs Orientem se vertebant*, Dominic. Macro *in Hierolex.* Et quidem ad Matutinum solent *Versum* recitare, post Psalmorum seriem, quando nempe incipiendæ sunt lectiones, ut mens psallendo lassa ad lectionum attentionem excitetur: secus in horis diurnis aliis, quæ cùm sint breves post lectionem *versus* habent. Ex his *Versus apertionis* memoratur in *Reg.* Magistri, *c. 44.* principium scil. Matutini, incipiens, *Domine labia mea aperies* &c. *Versus clusor*, qui dici solet in clausula officii Eccles. qualis hodie *Benedicamus Domino*, *ibid. c. 37.* Tempore Paschali autem omitti *Versum*, & pro eo cursus aliquot diurnales cantari, habet Amalarius, *de Ord. Antiphonar. c. 52.* Hinc *Versum perdere* Monachi dicti, qui ad Refectorium tardiùs venerant primô, secundô, aut tertiô orationis versu jam prolatô, in *Instit.* Rainardi Abbatis Cisterc. quô casu pœnitentiæ seu *veniæ* tales obnoxii. *Versarius* verò liber Eccles. Versus in Ecclesia cani solitos complectens, appellatur, in *Necrologio* Ecclesiæ Paris. apud Car. du Fresne, *Glossar.* &c. Vide quoque *Prosa*, *Troparium* &c.

VERTACOMACORA, oppid. agri Mediolanensis, 20. mill. pass. à Mediolano; *Vertema.* Plinio, *l. 3. c. 17. Vertacomacori Vocontiorum.*

VERTAGUS, nomen canis leporarii, qui & *Gallicus* & *Laconicus* dicitur. In *L. Sal. argutarius canis* vel *acutarius*, quasi *ὀξύπους*. Aliàs *Vertragus*, *Vertraus*, *Vertrus* & *Veltrus*: quâ postremâ voce infima ætas appellavit, qui superiori *Vertagi*; atque ita in *Vita* Caroli M. nuncupantur, Salmas. *Not. ad Aurelian. Vopisci, c. 7.* Hebræis *renibus succinctus*, uti quidem Rabbi Levi phrasin hanc explicat Proverb. *c. 30. v. 31.* dicens, *Canis est lumbis tenuibus, quô ad venationem utuntur Venatores.* Certè de eodem cane Gratius, *Cynegetic. v. 271.*

> —— *adstricti succingant ilia ventris.*

Et Ovidius, ubi de Actæonis canibus, *l. 3. Met. Fab. 2. v. 216.*

> *Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon.*

Namque, ut Aristoteles *in Physiognom. c. 6. οἱ λαγαροὶ*, inquit, *φιλόθηροι*, *Qui (ilibus) succincti sunt, venationis sunt studiosi* &c. Vide Fullerum, *Miscellan. l. 5. c. 12.* Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 56.* Alios, nec non suprà ubi de *Cane Venatico*, item voce *Acupedes*. Vocem quod attinet, Salmasius idem, *tragum*, ait, *pro trabo dixerunt, id est, everriculo —— sic vertrahum & vertragum, de genere canis venatici*: pro *fertrahum*, à *fera trahenda*, *f.* in *v.* mutatô &c.

VERTAVUM, locus Galliæ, ad Separim fluv. 2. leuc. à Namnetis, *Verlou.* Olim Abbatia, nunc Cella Monasterio Pictavensi S. Jovini de Marnis subjecta.

VERTENDI crateras, unô ductu exhaustos, mos Veterum memoratur Papinio Statio, *l. 6. Theb. v. 534.* ubi de Herculis cratere,

> ———— *illum Tirynthius olim*
> *Ferre manu sola, spumantemque ore supinô*
> Vertere, *seu monstri victor, seu Marte, solebat*:

ut videl. penitùs exhaustum. Nempe priùs *vertebant* pocula, quàm de novo replerentur. E quo more prisco mansit in idiotismo Gallis vox *verser*, pro infundere. Casp. Barthius, *Animadvers. ad l.* Cœterùm de verbo *vertere*, sic Scaliger, *Poëtices l. 2. c. 5. Vertere est idem quod sulcare aut scalpere; tollere aliquid è superficie, ita ut depressio relinquatur. In ceris igitur stylo cum ducerent notas, frequentativô usi sunt, sicut & agricolæ.* Vertunt *enim terram, quia quod subtus erat, suprà ut sit faciunt. Sic Cicero dixit, Literas exarare. Ad eum modum Versus dictæ sunt lineæ, seu sulci, quibus verba scribebantur --- Itaque in omni scriptura tractus singuli orationis versus sunt appellati. Posteà quam redegissent cantum ad numerum castigatiorem, antiquum Versus nomen sibi fecêre peculiare.* Vide quoque suprà, voce *Versus*. De ritu precantium, se ad hanc illamque Mundi plagam; sacrificantium, aurigantium in Circo, aliorum, se in dextrum, in lævum latus, in orbem vertendi, diximus hìc passim suis locis.

VERTERIS, *Antonin.* oppid. Westmariæ, in Angl. *Burg under Stanemore*, *Camden.* medium inter Caturactonium 31. & Luguvallum 42. mill. pass. ex *Antonin.*

VERTEX, à VERTO, propriè quod in se *versum* ac contortum est. Ita *vortex* in fluvio, ubi aqua gyratur & in se vertitur; è cujusmodi aquarum gyris quô pactô Veteres divinare sint soliti, diximus suprà ubi de *Aqua*, *Fluviis*, *Fontibus*. In capite *Vertex* similiter, propter flexum capillorum, quòd in gyrum inibi quodammodo vertantur. Hinc in monte *Vertex* ἡ *ἀκρώρεια*; in cœlo, idem quod *πόλος*, quæ vox similis planè notionis est. Vide Christ. Becmannum, *Origin. L. L. p. 1126.* Et quidem *Vertex capitis*, non minùs ac cœtera ejus pars, Stoicis olim, rasus fuit: at elegantiores Græci & Palæstrici, qui *σκαφίον* tondebantur, *verticem* intonsum ac cultri immunem habebant, sub eo verò omnia circumtonsa strictim & juxta cutem. Quod tonsuræ genus Carthaginiensibus suis exprobrat Tertullianus, *de Pallio, c. 4. Unde apud aliquos Numidas, etiam equis cæsariatos, juxta cutem tonsor, & cultri vertex solus immunis?* vide quæ suprà hanc in rem passim, inprimis voce *Circumtonsi*. Matronæ verò Romanorum etiam multis gradibus & spiris convoluta & in altitudinem extructâ, comâ, *verticem* cumulabant. Appulejus, *Milesiar. l. 2. Quid cùm frequenti subole spirosus cumulat verticem*, capillus scil. Et Tertullianus, *de cultu Fœm. Affigitis prætereà nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in verticem retro suggestum*: quo de capitis ornatu diximus suprà passim, inprimis ubi *de Comam struendi modo*. Ut porrò Æthiopes frontem infantum, ipsô natali die, Etrusci occiput, sic Libyæ populi *verticis* temporumque venas olim urebant apud Herodotum, *l. 4.* de qua ustione vide Casp. Bartholinum, *Exercitat. Miscell.* ut & aliquid suprà, voce *Vena*. Hodie in Eccles. Romana eandem capitis partem à Sacerdote, postquàm protulit hæc verba, *Ego te baptizo* &c. chrismate solere ungi in Baptismo, in modum crucis, & verba adhiberi, *Deus omnipotens, Pater Domini nostri J. C. qui te regeneravit ex aqua* &c. legas apud Macrum, *Hierolex.* Adde *Verticem rasum* gerentibus, Macas popul. circa maritima Africæ, Occasum versùs, quos summum capitis verticem radere consuevisse, in medio capillos crescere sinentes, quos hinc atque hinc in orbem totonderint, habes apud Herodotum, *ibid.* Ad quem ferè modum, Sacerdotes Christianorum radi solitos, docet Beda *in Histor. Eccl. Angl.* Vide quoque suprà voce *Caput*.

VERTHÆMUM, vulgò WERTHEIM, oppid. Franconiæ, ad Mœnum, ubi Tubarum recipit. Caput regiunculæ adjacentis, inter ditiones Herbipolitanam ad Ortum, & Moguntinam ad Occidentem, sub proprio Comite.

VERTIA, seu DONAVERTIA, vide *Verda*.

VERTICO, Nervius honestô locô natus, qui è prima hibernorum obsidione ad Q. Ciceronem profugit, suamque ei fidem præstitit: cujus servus literas ad Cæsarem jaculô alligatas, spe libertatis, magnisque persuasus præmiis detulit. Cæsar, *l. 5. comm. c. 44.*

VER-

VERTICORDIA, cognomen Veneris, cujus Ædes Romæ extra portam Collinam viâ Salariâ fuit. Facta est autem hæc ædes, cùm tres Vestales unô tempore incestum commisissent, ut puellarum animos lascivos ad castitatem verteret, quemadmodùm ait Jul. Obsequens, c. 79. Vide quoque Val. Max. l. 8. c. 15. ex. ult. De eadem Ovid. l. 4. Fast. v. 157.

Roma pudicitiâ proavorum tempore lapsa est,
Cumæam, Veteres, consuluistis anum.
Templa jubet Veneri fieri: quibus ordine factis
Inde Venus versô nomine corda tenet.

Contigit id an. Urb. Cond. 639. M. Aciliô & C. Porciô Consulib. De prodigio infami, quod spurcum eum eventum præcesserat, vide Orosium: & Plutarchum *in Quæstion. Rom. Græcis* Ἀ'φροδίτη, Ἀ'ποστροφία.

VERTIGERNUS, Britannorum Rex, A. C. 449. Lege *Vortigernus.*

VERTINÆ, *Strab. Verzine Batrio*, oppid. Calabriæ citerioris à Cerentia 6. mill. pass. in Boream, quot ferè à Brystacia, à Cariato 12.

VERTISCUS Rhemus, suæ civitatis Princeps, & præfectus eorum equitum, quos Rhemi Cæsari auxilio miserant, annô belli 8. Hirt. l. 8. c. 12.

VERTOBRIGE, oppid. Hispaniæ Bæticæ. Plin. l. 3. c. 1.

VERTODUNUM, oppid. Lotharingiæ, vicinum Metensibus.

VERTUMNUS, Deus habitus est in Latio, in omnes sese vertens formas, quemadmodùm & de Proteo suo comminiscuntur Græci. Hic cùm Pomonam Nympham adamaret, in anum sese convertit, hortosque ejus ingressus, multis ei rationibus persuadere conatus est, ut sibi conjugiô jungeretur. Verùm cùm eâ viâ nihil proficeret, positâ anus personâ in juvenilem rediit formam: cujus pulchritudinem admirata Nympha, vim jam inferenti Deo non admodùm se præbuit molestam. Qua de re vide Ovid. l. 14. Met. Acron. in Horat. l. 2. Serm. Sat. 7. v. 13.

Jam mœchus Romæ, jam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.

Vertumnum, ait, esse Deum humanarum cogitationum præsidem: ideoque multiformem fingi & inconstantem, quemadmodùm & illæ variæ sunt & mutabiles. *Iniquis*, autem *Vertumnis natos esse* interpretatur, qui cogitationes suas regere non possunt. Tib. Donatus Vertunum dicendum existimat, quemadmodùm & Portunum; quem idcircò coli arbitratur, ut res institutæ, ad quem destinatæ sunt, finem perducantur. Alii sic dictum volunt, quòd præesset rebus contrahendis & vertendis seu permutandis: Alii ab anno verso: vel ab eo, quòd anni vertentis poma percipiat, nuncupatum referunt. Non desunt, qui *Vertumnum* dictum putent, quòd lacum Curtium in Tiberim *averterit*. Quam opinionem tangit & Ovid. l. 6. Fast. v. 403.

Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed lacus antè fuit.

v. 409.

Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne Deus.

Hunc Ovidius affirmat fuisse vetustissimum Tuscorum Regem, qui vinearum & pomiferarum arborum serendarum tradiderit rationem, cuique Tusci illi, qui cum Lucumone in auxilium Romuli venisse dicuntur, Romæ templum ædificârint. Signum ejus & templum in vico Thusco, ad Opis & Cereris aras, constitutum erat: Ejusdem festa dicta sunt *Vertumnalia*, quæ mense Octobri celebrabantur. Propert. l. 4. El. 2. v. 10.

Vertumnus verso dicor ab amne Deus.

Subdit aliud etymon in sequentibus, v. 11. 12.

Seu quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumni rursus credimus esse sacrum.

Inter Semones Deos Vertumnum numerat Fulgentius, de prisco serm. in *Semones.*

Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Horat. ep. ult. l. 1.

Vertumnum Janumque liber spectare videris.

Vertumnum etiam Latini dicerent desultorem à *vertendis* & mutandis, vel alterandis equis. Propert. *ubi suprà*, v. 35.

Est etiam aurigæ species Vertumnus, & ejus
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

Nic. Lloydius. Ei coronam è gramine desecto seu fœno imponi consuevisse, discimus ex Ovidio, l. 14. Metam. Fab. 16. v. 645.

Tempora sæpe gerens fœnô religata recenti
Desectum poterat gramen versare videri.

Vide Car. Paschalium, Coron. l. 4. c. 2. uti de *Vertumno* aurigæ genere, qui *mutator equorum* Valerio Flacco, l. 6. v. 161. *Desultor* aliis, plura apud Salmas. *ad Vopisc. in Carino*, c. 19. ut & suprà non unô locô, inprimis ubi de *Sarmatico ludo.*

VERTUSIUM seu VIRTUS, oppidul. Campaniæ Gallicæ 6. leuc. à Catalauno in Occasum cum castro antiquo. Vulgò *Vertus.*

VERU, à VERSUM, quia toties in gyrum vertitur, quod etiam Germani in suo vocabulo *Bratenwender* notant, Christ. Becmannus, Orig. L. L. p. 1128. Instrumentum coquinarium è ferro est, ὀβελὸς Græcis, cujus crebra apud Homerum mentio, ubi de Heroum sacrificiis conviviisque. Cujusmodi *Veru* unum, unumque ahenum, quod in suppellectile haberet Epaminondas, inter admirandæ abstinentiæ exempla reponitur Frontino, l. 4. c. 3. At *ligneum veru*, in assando olim agno Paschali (è ligno mali Punicæ quidam volunt) adhibitum, occurrit apud Maimonidem, *de Paschate*, c. 8. *sect.* 10. *Cum enim assant, à medio ore usque ad pudenda transfigunt eum* veru ligneô *& subjectô igne in medio furno suspendunt*: cujus ritus vestigia hodieque in quadam Tartarorum horda superesse alibi diximus. Justinus vir sanctus, & rerum Judaicarum peritissimus, duo verua in modum crucis adhibita, & unum ab infimis partibus ad caput usque adactum, alterum ad interscapilium, cui appenderentur agni manus seu pedes anteriores, refert *Dial. cum Tryphon.* quô Christum in cruce pendentem utcunque fuisse præfiguratum, ait Sam. Bochartus, *Hieroz. Parte prior.* l. 2. c. 50. Sed & ab innocenti hoc usu ad cruciandos homines translatum id Instrumenti, memoratur Polydoro Virgil. *Histor. Anglic.* l. 18. ubi Eduardum II. Angliæ Regem ab Isabella uxore in vincula conjectum, *veru* ignitô per anum adactô periisse, tradit. Vide quoque suprà, voce *Obelus*, & de investitura *cum Veru*, suô locô. In *veter. Inscr.* p. 61. HÆC AREA INTRA DEFINITIONEM CIPPORUM CLAUSA VERUBUS, vox stipitem notat, instar subulæ præacutum, Car. du Fresne, *Glossar.* Hinc *Verutum*, teli genus, de quo dicemus infrà.

VERVA eborea, armillæ genus, in brachio laudat Scribonius Largus, *Composit.* 16. quemadmodùm circuli eborei meminit Petronius, *Sat.* Thom. Bartholin. *de Veter. Armillis.*

VERVACTOR, inter Divos Agricolas Romanorum, primus invocabatur, cùm Flamen Cerealis sacrum Cereri ac Telluri faciebat, Ita enim is, *Vervactor*, *Redarator*, *Imporcitor* &c. Sic dictus, quòd primæ arationi, quæ vere fit, adeoque *Vervacto faciendo*, præsidere crederetur: quam in rem, vide quæ eruditè congessit Salmas. *ad Solin.* p. 724. & *seqq.* ubi de veter. Græcorum Romanorumque agricultura, ut & suprà verbô *Proscindi.*

VERUCA, oppid. Carnorum inter Natisonem ac Timavum M. *Falcone*, teste *Leandrô*: In Foro-Julio *Baudrand.* à Theodorico, Gothorum Rege, conditum. 9. mill. pass. ab Aquileja in Cæciam 26. ab Utino in Eurum, uti 10. à Gradisca, versùs oram Sinus Tergestini; caput regiunculæ cognominis. Sub Venetis. *Nigro* autem Veruca longè hinc distat, in agro Veronensi ad Athesim fluv: *La Chiusa* vulgò, inter Veronam ac Tridentum. Est & *Veruca* arx firmissima in Gallia Subalpina ad Padi ripam contra Crescentiam oppid. Vulgò *Verva.* Frustra olim à Gallis tentata; expugnata sub Hispanis A. C. 1625.

VERUCULO pingendi Ars, memoratur Plinio, l. 35. c. 11. ubi de Encaustice: *Encaustô pingendi duo fuisse genera antiquitùs constat, cerâ & in ebore cestro, id est*, veruculo, *donec classes pingi cœpere.* est autem *veruculum*, seu *veruculum* diminutivum à *veru*, quod telum significat, & instrumentum pingendi vel inurendi: uti Græcum κέστρον. Et quidem hîc pingendo adhibitum; sed & teli genus fuisse, docet Vegetius, l. 2. c. 15. *Aliud minus ferrô triangulô unciarum quinque, hastili trium pedum semis, quod tunc* veruculum, *nunc verutum dicitur.* Vide ibi: & plura de hoc pingendi genere, suprà voce *Cera*, item *Encaustice*, Sed & *Verucula*, in Glossis, βάλανοι ἐπὶ κλείθρων, ὀβελίσκοι, item κανόνια, ferrei scil. obices, quibus portæ muniebantur. Unde *verucla* hodieque Galli dicunt ferreos hujusmodi obices, *verrous* vulgò, Salmas. *ad Solin.* p. 925. de quibus vide suprà voce *Obices.*

VERVEX, apud Juvenalem, *Sat.* 3. v. 294.

Sutor, & elixi vervecis labra comedis;

ab ariete differt, ut cantherius ab equo, caper ab hirco. Est enim mas inter oves, cui testiculi adempti, seu *inversi* sunt, unde & nomen. Galli, Italique à monte, *montanem* vocant, Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior.* l. 2. c. 19. ubi multis animalibus id commune esse cum mulis, quos οὐρῆας seu ὀρῆας Græci vocant, ut à *montibus* nomen habeant, ostendit, vide suprà voce *Mulo.* Cujusmodi castratis ovibus, albis, nigris, cinerei coloris, ad varia uti Peruanos, quippe aratra ducentibus ac ligna ferentibus, docet Cardanus, *de Rer. Variet* l. 7. c. 3. At *arietes* Chald. דכרין *dichrin*, i. e. *mares* dicti. Homero ἄρσενα μῆλα & ἄρσενες ὄϊες, aliter unâ voce κτίλοι, quasi *duces greges*, quos oves sequuntur, *Il.* γ. v. 81. Quæ tamen vox ad *Vervices* trahitur. *Sectarius* nempe, (vide suprà) uti κτίλον Festus vocat, *vervex* ei quoque dicitur, *qui gregem agnorum præcedens ducit.* Et quidem *Arietum* in sacrificiis V. T. eximium fuisse usum, diximus suprà. Addo hoc saltem, Sacrificium pro delicto; licèt fuerit sacrificiô pro peccato gravius, non tamen majoribus hostiis, sed solùm ariete oblatô, expiatum fuisse, Levit. c. 6. v. 6. Cujus rei rationem redditurus Bochartus, *contraria*, ait, *contrariis curanda: & peccato* אשם *quod superbiam & proterviam habet adjunctum, meliùs opponi ovium placidum & mitem animum, quia qui jubebantur offerre pro delicto, eâdem operâ monebantur mores suos ita esse componendos, ut hujus animalis docilitatem & simplicitatem referrent*, *Hieroz. Parte prior.* l. 2. c. 33. &c. Hinc *Vervecum*, unde *Vervecum caput*, apud Plautum, *Persâ*, *Actu* 2. *sc.* 2. v. 2. frequens in gente illa convitium, in hominem stupidumque, de quo vide Voss. *Idolol.* l. 3. c. 59. qui & *vervecis*, capite abscissô, ad aliquot passus adhuc progressi, ex Averroë, meminit, l. *eôd.* c. 44. De *mos-fulo vervece* suprà.

VERULAMIUM, vulgò *Werlan*, locus in Anglia olim celebris, ubi postmodùm monasterium S. Albani conditum. Hic Synodus, A. C. 446. contra Pelagianos, & ab Offa Merciorum Rege A. C. 793. & 794. concilia celebrata sunt.

VERULANIA Gracilia, Capitolii obsidium subiit neque liberos, neque propinquos, sed bellum secuta. Tacit. l. 3. Hist. c. 69.

VERULANUS, legatus sub Corbulone, qui Tiridaten, per Medos, extrema Armeniæ intrantem, legionibus citis & auxiliis abire

procul ac spem belli amittere coëgit, Nerone quartùm & Cornelio Consulib. Tacit. l. 14. Annal. c. 26. Integrum nomen ipsi Verulanus Severus.

VERULUM, seu VERULÆ Frontino, colonia & urbs Latii in Hernicis Episcopalis apud Cosam fluv. media ferè inter Anagniam ad Occasum, & Soram ad Ortum, Frusinoni finitima. Vulgò Veroli. Populi Verulani. Plin. l. 3. c. 5. &c.

VERUM, apud Papinium, l. 3. Theb. v. 488.

----- seu purior axis,
Amotumque nefas & rarus insistere terris
Vera docent -----

præsagium est. Uti quod oraculô pronuntiatur, apud Claudian. de Laud. Stilicon. l. 4. sive, de Bell. Getic. v. 554.

----- noxia vatibus ipsis
Veri sacra fides -----

Sic Tacitus, l. 5. Histor. c. 13. Vulgus -- ne adversis quidem ad Vera mutabatur. Hoc est, eam Oraculi fidem quam Tacitus talem credebat. Vaticinium item, vel invitô Serviô, ad illud l. 10. Æn. v. 633. in eo ipso Junonis sermone,

Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri
Vana feror -----

Inde et verum Apollinis, i. e. fatidicum, vaticinans, apud Ovidium, l. 10. Met. &c. Vide Casp. Barthium, Animadv. Papinian. d. l. & suprà, voce Vera, ubi de vero colore, Græcis itidem ἀληθινῷ, h. e. purpureo seu coccineo quoque nonnulla. Item Veritas.

VERUNI, populi Galliæ, Plinio soli, l. 4. c. 17. inter Galliæ Belgicæ gentes, numerati, liberique ab eo dicti, quòd ab Imperatoribus aliquâ libertate donati erant, & onerum quorundam præ cæteris libertatem habebant. Eorum caput in tabul. Peuting. Viromum: aliis Verunum ac Veronum dicitur, unde Episcopi Veronensis in veter. Conciliis mentio. Æthicus Verodunum appellat, atque inter Durocortorum ac Divodurum ponit. In veterib. Notit. inter provinciæ Belgicæ primæ civitates quartô ac ultimô locô ponitur. Ejus, Veredunæ nomine, sic meminit Fortunatus, l. 3. Carm. 29. ad Agericum Episcopum:

Urbs Vereduna brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.
Major in angusto præfulget gratia gyro,
Agerice tuus quam magis auxit honor.

Desideratus ejus Episcopus Conciliis Arvernensi & Aurelianensi quinto subscripsit. Urbs hodie clara & magna Mosâ interluitur, habet monasteria Abbatialia S. Vitoni S. Vanne, quod est virorum, in monte S. Vitoni; S. Mauri, quod est puellarum, & S. Agerici. Vulgò Verdun en Lorraine. Aliud enim est Virdunum, ad Ararim, in Burgundia, Verdun vulgò, oppid. aut castrum ad Araris, Dubis & Dunæ confluentes. Item in Provincia. Item ad Garumnam sub Tolosanis olim Comitibus, vulgò Verdun: quod castrum nobile vocat, Petrus Monachus, in Hist. Albig. Vide Hadr. Vales. & suprà in vocibus Verodini & Verodunum.

VERUS, vide Lucium Verum; nec non voce Marcus, it. Lucius Annius, it. Lucius Cejonius, it. Lucius Verus, is Imperator præter exempla Majorum, quorum leges numerum convivarum novem excedere, pauciores tribus esse, vetabant apud Gellium, l. 13. c. 11. primus cum duodecim solemni convivio accubuit, teste Jul. Capitolinô, c. 5. Vide Hieronym. Mercurialem, de Arte Gymn. l. 1. c. 11. Interim Augusti Mensa δωδεκάθεος ex Suetonio, c. 70. non ignota. Idem eodem teste, non Saturnalibus modò, sed & festis diebus, Vernas in Triclinium semper admittebat. Equum porrò suum, Volucrem, ita amavit, ut non solùm aureum ei simulachrum fecerit, & passas uvas nucleosque in vicem hordei in præsepe posuerit, sed & magnificum mortuo sepulchrum in Vaticano fieri curaverit. Vide iterum Capitolinum; cui adde Fortun. Licetum, de Lucernis Antiqq. l. 7. c. 57.

VERUS, Consul, collega Bibuli, quibus Consulib. natus est Pertinax Imperator, memoratur Capitolino in eo, c. 15.

VERUS Antonius, Ælii Veri ab Adriano adoptati filius, postquàm ab Antonino Pio itidem adoptatus esset, id nominis accepit, vide Lucium Verum.

VERUTUM, teli apud Romanos genus. Glossæ veteres Cestrosphendonum, verutum: interpretatur Johannes Brodæus, ad Antholog. l. 12. c. 12. Epigr. 17. Scylum acutum, gnomonem, vericulum, Verutum, pinulam. Vide Sallustium, Histor. l. 3. Nonium, c. 18. num. 16. Charis. Sosipatrum, l. 3. Obertum Gifanium, in Ind. Lucretiano, Alios. Dempsterus censet illud fuisse, quod graphium appellat Sueton. Julio, c. 82. Cæsar Cassii brachium arreptum, graphiô trajecit: & quæ seqq. cujusmodi necis instrumentô Johannem Scotum à Discipulis suis, cùm in delirium senectutis vitiô incidisset, interfectum, refert P. Crinitus, Honest. discipl. l. 24. c. 11. Meminit Veruti etiam Lucretius, l. 4. v. 410.

Vix absunt nobis missus bis mille sagitta,
Vix etiam cursus quingentos sæpe Veruti.

Plautus, Trucul. Sc. Ite, ite, in fin. Silius item Italicus, l. 17. Punic. v. 312.

Qui nobis, memini, ad Cannas lætissimus ira
Servili ferro ora Ducis suffixa Veruto.

Ubi notat ritum vulgatissimum, cùm caput devicti hostis amputare & in contumeliam, locô patente, spectandum proponere vel hastæ Verutoque affixum in ludibrium circumferre solebant Veteres, quem hodieque morem videri pluribus in gentibus, Turcis inprimis, Persis, Croatisque notum. Eâdem ratione Pompeji M. caput ad Cæsarem fuisse perlatum, docet Lucanus, l. 8. Pharsal. v. 680.

Impius ut Magnum nôsset puer, illa verenda
Regibus hirta coma, & generosâ fronte decora
Cæsaries comprensa manu est, Phariôque Verutô,
Dum vivunt vultus, atque os in murmura pulsant
Singultus animæ, dum lumina nuda rigescunt,
Suffixum caput est.

Nec aliter Cassii ad Antonium, ut de aliis taceam. Describit autem Verutum Modestus, lib. de vocab. militar. his verbis: Aliud missile minus, ferrô unciarum quinque, hastili trium pedum semis, quod nunc Verutum dicitur. Vide Thomam Dempsterum, in Rosin. Antiqq. Rom. l. 10. c. 10. Hadr. Turnebum, Advers. l. 30. c. 27. Alios. Istiusmodi tela duo, præter arma reliqua, gestabant milites Romani: Erantque illa partim crassiora, partim tenuiora: nisi quòd pro Verutis Triarii haberent hastas, ut Rosinus: vel pila, ut Godwynus contendit. Ita autem Rosinus de illis loc. cit. Ex firmioribus, quæ teretia sunt, trientalem habebant diametrum; quæ quadrata, trientale latus: tenuiora hastilibus modicis erant similia. Quorum omnium longitudo ligni tres cubitos non facilè excedebat: Impactum erat singulis teguli ferrum utrinque hamatum, eâdem quâ lignum longitudine; cujus nexum structuramque tam firmiter muniebant ad medium usque lignum inferentes, crebrisque fibulis clavisque transfigentes, ut non prius utendo relaxaretur, quàm ferrum frangeretur, licet esset crassitudinis in imo, ubi ligno adhærebat, digiti unius & semis, ex Polybio, l. 6. Sed & apud medii ævi Scriptores Verium seu Veriorum mentio frequens. Hinc Britto, Philipp. l. 11. p. 232.

Hic verubus, cultris alter subalaribus arctos
Scrutantur thorace vias. --- ---

Ubi Car. du Fresne Veru idem, quod βερύτα in Glossar. Græco-Lat. & βερύτιον in Tacticis Leonis & Mauritii: broche quoque Gallis. Cujusmodi brochis etiam instructa fuisse scuta militaria, docet idem ex Assisis Hierosol. MSS. c. 95. ubi de armis militis, duellô decertaturi, in Glossario.

VERUVIUM, vulgò Cap. S. Andres, promontor. Albionis, in ora Scotiæ Meridional. apud Andreanopolim. Vide Berubium.

VERZASCHA Bernardus, Basiliensis. Reipubl. patriæ Archiater, Senator, Scholarcha, eruditione inclytus. Ejus extant, Riverius contractus, Exercitatio de Paralysi &c. Natus est A. C. 1629. Obiit haud pridem.

VERZASCHA Vallis, in præfectura Helvetiorum Transalpina, Locarnensi, ad Ortum à flumine per ipsam descendente dicta: Sibimet ipsi Subpræfectos constituit. Simlerus, descr. Helvet.

VESALIA Inferior, Wesel, seu Nider Wesel, urbs permunita Ducatus Clivensis, trans Rhenum, ubi recipit Luppiam. Juris Brandeburgici. 4. milliar. Germ. à Geldria urbe in Cæciam, Monasterium versùs 13. à Juliaco 11. in Boream, estque Hanzeatica. A Friderico Henrico Principe Arausianens. ex insperato capta, A. C. 1629. in Gallorum manus pervenit, A. C. 1672. posteà iterum recepta: Hic Fœderati Belgii miles, dum post victoriam prædæ inhiat, à Fontano victus est, A. C. 1595. Thuan. Hist. l. 112. 113.

VESALIA Superior, Ober Wesel, oppidul. Germaniæ sub Archiepiscopo Trevirensi. Vide Vosavia.

VESALIUS Andreas, Bruxellensis, fil. Andreæ pharmacopolæ, Caroli V. Medicus, ejusdem & Philippi II. fil. C. S. E. in insul. Zacyntho, è Cypro reversus, & Patavium à Veneto Senatu vocatus, miserè obiit. A C. 1564. ætat. 50. Scriptis inclytus, quæ enumerat Anton. Teissier, Elog. Part. 1. eminet inter ea, de Humani corporis fabrica, opus Anatomicum, cujus Artis pater ac Restaurator dici meruit. Apud eundem Auctorem, quô pactô ad curandum Henricum II. lethali vulnere decumbentem missus, ac aliô tempore ex Inquisitionis manibus à Rege suo ereptus sit, ob hominis adhuc spirantis viscera aperta, legas.

VESATUM, oppid. ad Mosam, inter Leodicum & Trajectum, vulgò Weset, aliàs Viset. An vicus potiùs? Vales. Notit. Gall.

VESBIUS, sive VESVIUS, & VESUVIUS: Val. Flaccus, l. 3. v. 209.

----- ----- Magis ut magister anhelat
Vesbius. ----- -----

Vide Vesevus.

VESCI, quod & Faventia, Vescis Ptol. urbs Hispaniæ Bæticæ, vulgò Huesca, vel Guesca; in confinio regni Murciæ & Granatæ, inter Ventam Moralem ad Arctos & Basti in Merid. 7. leuc. Nigro est Velez el Ruvio, vel Velez el Blanco, Ferrar.

VESCIANUM, villa Campaniæ inter Capuam & Nolam in agrô Vesciæ urbis extinctæ. Cicer. l. 15. Attic. Ep. 2. A Livio, l. 9. c. 25. memoratur inter Atellam & Vesuvium.

VESCULARIUS, prænomine Flaccus, eques Roman. cui propior cum Tiberio Cæsare usus. Tacit. l. 2. Annal. c. 28. l. 6. Annal. c. 10. Vocatur, insuper Atticus, insidiarum in Libonem internuntius: ad mortem actus, l. 6. c. 10.

VESELLIUS Titianus, vide Titianus.

VESENIUM, vide Rivarinus.

VESERIS, Liv. l. 8. c. 8. & l. 10. c. 28. fluv. Campaniæ apud montem Vesuvium fluens in Craterem sinum.

VESEVUS, qui & Vesvius & Vesuvius, mons celeberrimus, & ignivomus Campaniæ Nolæ vicinus, inter Neapolim & Stabias 8. mill. pass. agros habens miræ fertilitatis præterquàm in solo cacumine, ubi planitiem habet magnam, fructum omnino nullam ferentem. Constat enim hunc montem sæpius arsisse; nunquam tamen vehementiùs, quàm imperante Titô: quô tempore erumpens ex eo ignis, & vicinas regiones latissimè populatus est, & Plinium,

Naturalis

Naturalis historiæ sciptorem, qui cognoscendi cupiditate eò se contulerat, fumò flammisque enecavit, quâ de re vide *epistolam 16.* Plinii Junioris ad Corn. *Tacitum*, *l.* 6. Galenus, *de Methodo medendi, l.* 5. Οἱ λόφοι ἔν τε τοῖς συγγράμμασιν οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι καὶ τῶν οἱ ἀκριβέστεροι Βεσούβιον ὀνομάζουσι. τὸ δὲ ἔνδοξόν τε καὶ νῦν ὄνομα τοῦ λόφου Βέσβιον. Primùm quidem Romani fecêre *Vesevus.*

Qualis apud Cumas locus est, montemque Vesevum, &c.

Virg. *l.* 4. Γεωργικῶν, v. 224.

Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo
Ora jugo. —— ——

Val. Flaccus, *l.* 4. Ἀργοναυτικῶν, v. 507.

Sic ubi prærupti tonuit cùm forte Vesevi
Hesperia lethalis apex.

Silius, *l.* 12. v. 152.

Monstrantur Vesena juga. —— ——

Stat. *l.* 4. *Sylv.* 8. v. 4.

Tertia jam soboles, procerum tibi nobile vulgus
Crescit, & insani solatur damna Vesevi.

Auson. *Idyll.* 10. v. 210.

Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi.

At Græci videntur posteà fecisse Βίσβιος, i.e. *Vesbius*, sive *Vesvius*; quos Romani etiam secuti sunt. Columella, *l.* 10. v. 133.

Fontibus & Stabiæ celebres & Vesvia rura.

Silius, *l.* 17. v. 598.

Evomuit pastos per secula Vesvius ignes.

Stat. *l.* 4. *Silv.* 4. v. 79.

—— *Fractas ubi Vesbius egerit iras*
Æmula Trinacriis volvens incendia flammis.

Martial. *l.* 4. *Epigr.* 44.

Hic est Pampineis viridis modò Vesvius umbris.

Incendia ejus crebra fuêre variis temporibus. Diodorus, *l.* 4. Ὠνομάσθη δὲ καὶ τὸ πεδίον τοῦτο Φλεγραῖον ἀπὸ τοῦ λόφου τοῦ παλαιὸν πῦρ ἀναφυσῶντος, καλεῖται δὲ ὁ τόπος Οὐέσβιος. Naturam ejus describit Strabo, *l.* 5. Ὑπέρκειται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐεσούβιον, ἀγροῖς περιοικούμενον παγκάλοις, πλὴν τῆς κορυφῆς, αὕτη δ' ἐπίπεδος μὲν πολὺ μέρος ἐστίν, ἄκαρπος δ' ὅλη. Xiphilinus ex *Dione*, Καὶ αὐτοῦ τὰ μὲν ἄκρα καὶ δένδρα καὶ ἀμπέλους πολλὰς ἔχει, ὁ δὲ κύκλος ἀνεῖται τῷ πυρί, καὶ ἀναδίδωσι τὰ μὲν ἡμέρας καπνόν, τὰ δὲ νυκτὸς φλόγα. Vide Senec. *Nat. Qu. l.* 6. *c.* 1. Hodie *monte di Somma*, in provinc. Terræ laboris; aliàs vitibus generosis magna ex parte consitus & peramœnus, nunc planè incultus est, propter crebra incendia. A. C. 1632. enim sic æstuavit, ut calamitatem ultimam Neapolis expectaret. Vide & Recupitum, *de Incendiis ejus. Nic. Lloydius.*

è VESICA Laterna, vide *Laterna.*

VESONTIO, *Visontium* Ptol. *Bisuntio* Ammian. quæ & *Chrysopolis* in lib. concil. *Besançon*, urbs maxima Sequanorum & naturâ loci sic munita, *ut magnam ad ducendum bellum facultatem det*, verba sunt Cæsaris, *l.* 1. *Comm. bell. Gall. c.* 38. Metropolis Burgundiæ Comitatûs ad Dubim fluv. olim circum fluentem, nunc interluentem, emporium & urbs libera. *Ferrar.* Hîc Batavi Seniores in præsidio fuisse dicuntur, in *Notit. Imper.* Hîc Moneta, namque nummos olim *Vesontione* percuti consuevisse ex auro, argento & ære constat, & forte hinc *Chrysopolis* dicta, quia cùm nummus olim esset aureus, à Byzantio, ubi percutiebatur, *Byzantinus* Græcis, *un Besau d'or* Gallis dictus: *Besantio* autem & *Bisancio* urbs, nam & sic olim quoque appellata, ad Byzantium hunc aureum, & *Besançon* ad *Besan* proximè accederet, crediderunt quidam, *Besantionem* vel *Besançon*, idem esse ac urbem Byzantiorum *la ville des Besans*, & ab aureis illis Græcô nomine *Chrysopolim* appellârunt. Hîc porro olim Palatium: Amphitheatrum extra muros, latum passus circiter 120. cujus fundamenta & porticus dirutæ ad sacellum extramuranum S. Jacobi hodie visuntur, & superest in urbe hodieque *vicus Arenarum*, & porta ipsa Amphitheatri, una hodie ex 5. urbis portis: imò & *tribus Arenarum*, una ex septem: Item Pantheon, Campus Martius, & Campus Minervæ, si *Marliano* fides. Fuit & alia porta Vesontione, *porta de Varesco* dicta, nunc clausa: cui nomen à Varascis, parte provinc. Sequanorum & utramque Dubis ripam incolentibus. Archiepiscopalis est & Metropolis, habuitque cum majore Archiepiscopatu seu *Vesontiensi* jam ante annos 400. quatuor Archidiaconatus, videlicet Salinensem, Gradicensem *de Grey*, Trevensem & Luxoviensem: Imo jam ante 550. annos suum etiam Dolæ Archidiaconum habuit: Præterea Abbatias 26. & Parœcias 780.

Continentur Diœcesi Vesontiensi.

Arrosium.	Montanæ.
Balma, seu Palme.	Pauliacum.
Dola.	Ruber Mons.
Falconiacum.	Rufiacum.
Faverniacum.	Salinæ.
Gradicum, *Grey.*	Saliniacum.
Ledo Salinarius.	Treva.
Murciacum.	Varascum.
Mons Falconis.	Versullum.

Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VESPA, Hebr. צירעה communi cum crabrone nomine, quod mirè *pressa* & constricta utrumque habet ilia, *vespa* inprimis, Græcè σφὴξ dicitur, sicut crabro, qui vespâ major atque alvô minus gracili, ἀνθρήνη, quamvis, ferè promiscuè sumantur, ut inter alia apud Ovidium, *l.* 15. *Metam.* v. 368.

Pressus humo bellator equus crabronis origo est.

Ἵπποι γὰρ σφηκῶν γένεσις, *Equi enim vesparum origo*, ut Nicander aliique docent, asini etiam, ut alii: cùm crabrones ex mulis oriantur, apes verò è bobus. Similiter in *Tract.* Talmud. *Macsiria c.* 6. ubi *mel apum & mel isirim*, i.e. vesparum seu crabronum, memoratur. Junguntur enim apibus, tanquàm animal aliquò modô congener, atque aliquô modô mellificum. Nam & in *vesparum* genere sunt οἱ βομβύλιοι, in quibus μέλιτος ἀρχὴ φαύλη τις, *mali cujusdam mellis rudimentum*, reperiri tradit Aristotelés, *Histor. l.* 9. *c.* 43. Et de crabronibus idem, σταλαγμὸν μέλιτος *guttam mellis*, in favis eorum nasci, dicit *l.* 5. *c.* 23. Cæterùm, præter differentiam jam antè indigitatam, *vespa* hirsuta insuper est, lineisque distinguitur flavis ac nigrantibus, sed non transversis, uti crabro, quâ de re vide Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 72. Cibus ei porrò multiplex, ἀπ' ἀνθῶν τινῶν καὶ καρπῶν, *à floribus & fructibus quibusdam*: maximè verò ἀπὸ ζωοφαγίας, *ex animalibus*, vivis scil. mortuisque, uti habet idem Aristoteles, *l. eod. c.* 11. Sonus, cùm volat, sicut muscæ, de quo vide iterum Voss. *l. cit. c.* 77. At aculeis apibus infestior est, minùs quidem crabrone nocens, sed quæ non minùs, ac ille, irritata, oculos inprimis impetit. Hinc Ulysses cum sociis Cyclopis oculum ὥσπερ σφῆκες, *vesparum instar*, se elisisse, ajunt, apud Euripidem, *in Cyclope*, v. 472. Nocent autem *vespæ* omnes, unde σφηκιὰν ἐκίνησας, & σφηκιὰν ἐρεθίζειν, & σφηκιὰν ἐγείρειν καθ' ἑαυτοῦ, nota Græcorum proverbia. Interim varias nigris robustiores esse & acerbiùs pungere apud Aristotelem legimus iterum, *l. d. c.* 41. Etiam quasdam carne viperæ degustatâ, fieri acerbiores, Plinius habet, *l.* 11. *c.* 53. aut postquàm aculeum mortuæ viperæ venenô imbuerunt, Ælian. *l.* 5. *c.* 16. Sed & pro loci ratione timentur. Sic Cyprus olim Σφήκεια dicebatur, ab atrocibus vespis, in ea Insula nidificare solitis: Putatur aliquid etiam in ortu esse momenti, & iracundior esse κροκοδείλου σφὴξ, *Vespa ex crocodilo nata*, de qua vide Horum, *l.* 2. *c.* 23. quamvis ex crocodilo scorpiones gigni alii malint &c. Itaque novum nemini videri debet, quòd Chananæos à *vespis* pulsos, divinô judiciô, in alias sedes migrâsse, Exodi, *c.* 23. v. 28. ac Deuteron. *c.* 7. v. 20. ubi comminatio & prædictio ejus; & Josuæ, *c.* 24. v. 12. ubi complementum: Multò minùs, quòd apud Arethusios Marcum senem, qui Idolorum quoddam templum everterat, sub Justiniano, in corbe locum & melle unctum, sub dio à *vespis* & apibus excarnificatum, legimus apud Theodoretum, *l.* 3. *c.* 7. Nec omittendum, cùm *Vespæ* aculeum habeant adeò acrem, non immeritò contumeliosissimos Poëtas Archilochum & Hipponactem, quorum ille Lycamben, hic Bupalum & Athenidem, carminum suorum virulentiâ ad suspendium adegerunt, *vespas* habuisse tumulis suis insculptas, uti de Archilocho Julianus, *Anthologiæ l.* 3. *c.* 25. & de Hipponacte Leonidas, aliusque ignotus *ibid.* docet &c. A Græca porrò voce, σφηκίσκους vocari notat Aristophanis Scholiastes *in Plutum*, parva ligna & in acutum collecta: item σφηκώδεις, in hominibus vocari corpore graciles nec ventricosos. Quin, si Eustathio credimus in *Il.* μ. *vespæ* hoc nomen ἀπὸ τοῦ σφάζω est, ἐξ οὗ καὶ σφαγὴ ἐπὶ χειμάρρου λεγομένη. Vide plura hanc in rem apud Plinium, *l.* 11. *c.* 21. Vossium, ubi suprà, Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte poster. l.* 4. *c.* 13. Alios. Sed & *Vespa*, nomen officii, vilis ac plebeji, apud Romanos, ut infrà videbimus: item nomen proprium, apud Ciceronem, *de Orat. l.* 2. ubi *Vespæ Terentii* meminit; unde *Vespasius* ac *Vespasianus*; *Vespæ* verò ipsæ à *vespero*, uti annotat Festus, laudatus Theodoro Marcilio, *in Vespasianum Suetonii*, *c.* 4.

VESPA, pro *Vespillone* apud Sext. Pompejum: *Vespæ dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompâ, propter inopiam, duci nequeunt. Hi etiam Vespillones dicuntur.* Unde & funera à funalibus dici autumat Donatus, quòd noctu cadavera efferrentur, apud Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 31. Et hi quidem tenuioris fortunæ homines efferebant. Ditiores verò efferendi propinquioribus virilis sexus munus dabatur, *Servius.* Itaque filii interdum Parentes, & fratres sorores elatas funere deferebant, nonnunquam servi libertate donati: plerunque Senatorii, Prætorii & Consulares, quique amplissimis defuncti erant honoribus, Imperatorum ac Consularium Virorum, feretrum detulêre. Sic Pauli Æmilii, qui de Macedonia triumphavit, Legati Macedonum & Sullæ Dictatoris feretrum Senatores ac sacræ Virgines extulerunt: Metello quoque filii tres Consulares, duo Triumphales, unus Censorius & alter Prætor, lectum subiêre. Vide iterum Rosin. *l.* 5. *c.* 39. Sed & *Vespillonis* munus erat lavare cadaver illudque rogo imponere, ut docet Fortun. Licetus, *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 8. A lectis *Lecticarii*; Martialis *Clinicos*, uti Pignorius interpretatur, illos vocat, *l.* 1. *Epigr.* 31.

Chirurgus fuerat, nunc est Vespillo *Diaulus,*
Cœpit quo poterat Clinicus esse modo.

Ubi in voce ludens *Clinicum* Poëta vocat, ut qui lectos τῶν κλινῶν elatorum tractaret. Iidem & *Succollatores*, ac *Geruli* dicti sunt, ad quod ministerium ex infima servitute deligebantur homines Inscripti ac Semirasi, cujusmodi in pistrinum ac in metallum dari solebant. Martialis iterum, *l.* 8. *Epigr.* 75. v. 9.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix, qualia mille rogus.

Ubi & de numero docet: cui subscribit Petrus Chrysologus, *Sermon.*

mon. Vet. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, ubi *Orcinos* quoque & *Pileatos* his hominibus inserit, atque hîc passim. Alii Bactrianis *Vespillones*, qui quòd senes ægrotosque canibus objicere soliti essent, hos ἐνταφιαστάς, *vespillones* proin appellatos esse, notat Raderus *ad Curtium*, *l.* 4. *c.* 6.

VESPASIÆ, pagus Umbriæ, in monte, juxta fines Sabinorum, à Nursia 6. mill. pass. Spoletium versùs; unde nomen *Vespasiano*, Imperatori. Sueton. c. 1.

VESPASIANUS Titus Flavius, Imperator ex Flaviorum familia, non admodùm illustri. Narcissi ope, Dux exercituum in Germania & Britannia, Barbaros vicit, duabus nationibus potentissimis, cum viginti duabus urbibus, subjugatis. Africæ dein, magna cum integritatis fama, præfuit. Româ postmodùm cedere jussus, à Nerone, qui observaverat, illum, se versûs suos recitante, dormire; sequenti tempore, copiarum Dux contra Judæos rebelles electus est, quos sæpius vicit, Ascalone, Jotapatâ, Joppe, Gamalâ, &c. captis, jamque Hierosolymæ imminens, post Neronis, Galbæ, Ottonis, Vitelliique fata, ab exercitu Imperator proclamatus est, A. C. 69. gladios illi, ni acceptaret imperium, intentantibus militibus, Senatuque approbante: Prudens, fortis & felix. Missô igitur in Orientem Titô filiô, Hierosolymâ captâ, cum illo de Judæa capta triumphavit, balsama præferens, delitias gentis devictæ peculiares. De quo triumpho Oros. *l.* 7. *c.* 9. *Vespasianus*, inquit, *& Titus Impp. magnificum agentes de Judæis triumphum, urbem ingressi sunt, pulchrum & ignotum anteà cunctis mortalibus inter* 320. *triumphos, qui a conditione urbis usque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit.* Porrò Philosophos, quòd omnia sub censuram vocarent, urbe expulit, templóque magnificentissimô in Pacis honorem erectô, in quo vasa & donaria templi Hierosolymit. ab illo reposita fuisse, docet Hieronymus. Obiit A. C. 79. ætat. 69 Solius avaritiæ notâ gloriam ejus offuscante. Sueton. *in ejus vita.* Aur. Victor. *de Cæsar.* Joseph. *de bello Judaic.* Euseb. *l.* 3. *c.* 5.

VESPER, vide suprà *Hesperum*, item *Lucifer*, & *Venus*.

VESPERA, Græcè ὀψία, apud Hebræos (quibus initium diei erat, nocte secundùm Rituale præcedente propter mysterium, seu ἀδιάστατον μυστήριον, cùm aliàs non prima *Vespera* primo manè, sed hoc illâ antiquius esset, qua de re vide Burmannum, *Synops. Theol. Christ. Part.* 1. *l.* 1. *c.* 42. §. *ultim.*) tempus precum fuit. Cùm enim, præter horas ordinarias, majores quoque illi ac Canonicas haberent, quarum quælibet tribus minoribus constaret, primam incipiebant à sexta vespertina, quam *Horam vespertinam*, seu *Vespertinum* simpliciter (subintellige *officium*) vocabant: secundam à nona, quam *Completorium*: tertiam à media nocte, quam *Nocturnum*: & quartam à tertia matutina, quam *Matutinum* nuncupabant. Divino autem cultui inservientes appellabant, *primam*, *secundam*, *tertiam* & *quartam*; quarum prima incipiens à sexta matutina, pertingebat usque ad nonam, & sic deinceps. Statæ autem erant hæ precum ac publicorum sacrorum horæ, ut Judæi volunt; qui tres præcipuè precum horas numerant, tertiam, sextam & nonam. Ps. 55. v. 18. *Vespere & mane & meridie meditabor.* Vide Actor. c. 2. v. 15. & c. 3. v. 1. & c. 10. v. 3. Similiter Sacrificium juge, Hebr. תמיד, Græcis ἐνδελεχισμὸς dictum, quia nunquam intermittebatur, seu festus foret dies seu profanus; quum 2. agnis anniculis constaret, alter manè, alter *vespere* mactabatur: quod primò ad montem Sinai institutum, Exod. c. 29. v. 38. deinde, post diuturnam omissionem, innovatum legitur Numer. c. 28. v. 3. 4. Eôdem tempore & Pascha jugulabatur, vel *inter duas Vesperas*, ut Hebræus habet textus Exodi, c. 12. v. 6. quas ita exponit Aben Ezra *in locum*, ut distinguat *Vesperam Solis*, cùm ipsum Solare corpus occidit; à *Vespera luminis*, cum etiam radii ejus omneque lumen visui nostro se surripit: atque hôc spatiô, quod horam cum quadrante implere videtur, Pascha immolatum esse contendit. Alii meliùs sic explicant; *Vesperam* faciunt duplicem, *Declinationis* unam, quæ post Meridiem incipit, jam enim tum Sol ad Occasum vergit: δείλην πρωΐαν καὶ ὀψίαν Græci vocârunt, h. e. ut veteres exponunt Critici, τὸ πρῶτον τῆς δείλης μέρος τὸ ἀπὸ τῆς μεσημβρίας, *primam partem* δείλης, *quæ incipit statim à Meridie*: Occasus alteram, cùm Sol occidit & Horizontem subit; Græci ὀψίαν δείλην dixêre, Criticique exposuêre, τὸ τελευταῖον τῆς δείλης μέρος, τὸ περὶ ἡλίου δυσμάς, *postremam* δείλης *partem*, *quando Solis est occasus.* Ita namque & apud Hebræos duplex erat *Hereb*, sive *Vespera*: prior à nona hora, hoc est, à tertia exacta post Meridiem; quod erat tempus oblationis *Vespertinæ*: altera paulo ante occasum, quod principium erat Judæis diei sequentis. Intra hoc itaque tempus Pascha oblatum est: cùm in priore hujus *Vesperæ* parte, Vespertina oblatio offerri potuerit, Talmud, *tr. de Paschate statim ab init.* quæ tamen similiter *inter duas Vesperas* instituta legitur, Numer. c. 28. v. 4. Et ab hac hora nona, incipiebat Parasceve propriè dicta, ac CHRISTUS, verus ille Agnus, qui tollit peccata Mundi, eâdem, quâ Sacerdos Agnum in Templum mactabat, cruci affixus est, seque ipsum Patri suo obtulit, Marci c. 15. v. 25. 34. Vide Casaubon. *Exercit. ad Baron.* 16. *num.* 28. & Franc. Burmannum, *Synops. Theolog. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 11. §. 33. Godwynus paulo subtiliùs *Vespertinæ oblationis* & *Paschatis*, quæ tum concurrebant, momenta distinguens, in priore ordinariè agnum, intra nostram secundam & tertiam mactatum; & inter tertiam & quartam, oblatum: tempore verò Paschatis, inter primam & secundam nostram mactatum; ac inter secundam & tertiam oblatum: quòd si Paschatis dies cum Sabbatho coincideret, mactatum illum inter duodecimam nostram ac primam & inter primam ac secundam, oblatum fuisse, scribit. Itaque, CHRISTUS, agnô Paschali & sacrificiô jugi adumbratus, *horâ tertiâ crucifixus est*, Marci, c. 15. v. 25. quâ matutinum olim Sacrificium offerri solebat: atque *horâ nonâ*, quæ tertiæ nostræ pomeridianæ respondet, *clamavit voce magna* &c. v. 34. quô tempore *Vespertina* oblatio fieri ordinariè, tum verò, quia Paschatis Festum erat, ipse Agnus Paschalis à Patribus mactari, consueverat; oblatione vespertinâ anticipatâ, uti visum: Sicque *unicâ oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur*, Hebr. c. 10. v. 14. Vide præfatum Thomam Godwynum, *tract. Angl. cui titulus, de Ritibus Hebr. Eccles. ac Civil. l.* 3. *c.* 4. Addam saltem hunc de duabus Hebræorum *Vesperis* locum Sam. Bocharti, *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 50. *Hebræis duplex fuit Vespera, utraque ante Solis occasum, una Meridiei, altera Occasui propior. Et inter, vel potiùs intra illas duas vesperas, i. e. intra illud spatium, quod ambæ complectuntur, præter agnum Paschalem, etiam mactabatur juge sacrificium, accendebantur lampades, & fiebat suffimentum*, Exodi c. 29. v. 39. & c. 30. v. 8. *Quæ singula quo ordine facta sint, docet Maimonides de Paschate*, c. 1. *Sect.* 4. Qui Græcis quoque, ut jam dictum suprà, δείλη πρωΐα, τὴν μετὰ μέσον ἡμέρας, *vesperam maturam*, *tempus à prandio*: & δείλη ὀψία τὴν περὶ δύσιν ἡλίου, *vesperam seram*, *quæ circa Solis occasum*, distingui consuevisse, docet ibidem ex Hesychio, Suida, qui Atticum loquendi genus id esse dicit, & Eustath. *in Odyss.* ν. eodemque refert illud Varronis *in Satyra Menippea*, *Nescis*, *quid vesper serus vehat* &c. Hodie in Ecclesia Roman. *Vespera*, una est ex horis Ecclesiasticis, quæ sub vesperam dicitur, quamque eandem esse, cum *Lucernario* volunt Viri docti, qua de re vide Car. du Fresne, *Glossar.* & Macros Fratres, *Hierolex.* nec non suprà, ubi de *Horis Canonicis*: item voce *Lucernarium*, ubi de Græcanicæ Eccles. ritibus imprimis. Nec omittendum, quòd idem Romanis cœnæ tempus fuerit, qua de re diximus suprà passim &c. Quia verò *Vesper*, serus nempe, inter partes noctis apud Romanos, placet hîc etiam reliquas suprà omissas subnectere.

Partes Noctis, apud Romanos.

Crepusculum.
Prima Fax, quòd lumina tum accendebantur: Livio *prima tenebræ*, Horatio, *l.* 2. *Serm. Sat.* 7. *v.* 33. *prima lumina.*
Vesper.
Concubium seu Concubia Nox, cùm itum est cubitum.
Nox intempesta, *i. e.* multa *Nox*, cum nihil tempestivum est agi.
Ad mediam *Noctem*, nempe Inclinatio.
Media *Nox*, primum diei civilis, apud Romanos, tempus, ut dictum.
Mediæ *Noctis* inclinatio, vel de media *Nocte.*
Gallicinium sive Galli cantus, Græc. Ἀλεκτρυοφωνία.
Conticinium &c. Horum omnium nomina apud Poëtas non rarò occurrunt. Reliquarum *Noctis* partium, non apud Romanos modò, sed alias quoque Gentes mentionem suprà fecimus. Vide quoque Thom. Godwynum, *Anthologiæ Romanæ l.* 3. *Sect.* 1. *c.* 1.

VESPERIA, nomen in Universitatibus nonnullis ultimi actus, ad consequendam Doctoralem dignitatem necessarii, qui *Disputatio* est, à Baccalario pridie, quàm birretô Doctorali donetur, obiri solita, in qua cum tribus Doctoribus et decertandum. Occurrit apud Nic. Trivettum, *in Chronico*, *A. C.* 1281. *Post Disputationem, quæ Vesperiæ appellantur.* Vide *Statuta* Facultatis Theolog. *in Academia Viennensi* in Austria, *tit.* 16. citata Car. du Fresne, *in Glossar.*

VESPERNA, Veteribus Cœna dicta est. Isidor. *Orig. l.* 20. *c.* 11. *Est autem cœna vespertinus cibus, quam antiqui* Vespernam *dicebant, in usu enim non erant prandia.* Sicut Δόρπον veteres Græci, quod posteriores Δεῖπνον, vocabant. Non minùs enim antiquissimi Græci ac frugaliores Romani, cœnare tantùm consuevêre. Salvianus, *l.* 1. *Nunquid parcam illam tunc agrestemque vitam cum gemitu & dolore tolerabant! Cùm viles ac rusticos cibos ante ipsos, quibus exercebantur, focos sumerent, eosque ipsos capere, nisi ad* Vesperam, *non liceret.* Vide quoque Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 5. Nisi malis apud hunc *Cœnæ* vocabulum priscâ significatione pro *prandio* accipere. Sic enim Festus Pompejus, *Cœna apud Antiquos dicebatur, quod nunc est prandium*; Vesperna, *quam nunc cœnam appellamus*: Vel dicas, prandia tum, non omnium omnino civium, sed lautiorum tantùm fuisse. Posteà ter sumere cibum cœpêre: Unde Ἄριστον, Δεῖπνον & Δόρπος. Didymus *ad Odyss.* β. Athenæus quatuor refert, Ἀκράτισμα, seu Διανάστασμα, Δεῖπνον, Ἑσπέρισμα, quæ Romanis *Merenda* & Δόρπον. Meursius, *Not. in Lycophr.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 26. & 27. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempsteri, Salmas. *ad Florian. Vopisc. c. ult.* ut & suprà, *suo locô.*

VESPERTILIO, inter immundas aves recensetur Sacro Scriptori, qui uti ab Aquila incepit, quæ regina est avium, ita in *Vespertilione* desiit, quæ naturæ est ambiguæ, & inter aves volucresque medium tenet locum, Levit. c. 11. v. 13.--19. Varro *in Agathone*,

Quid multa? factus sum vespertilio, *neque*
In muribus plane, neque in volucribus sum.

Rationem reddit Macrob. *Saturn. l.* 7. *c.* 16. *Volantia universa ex ovo prodeunt, exceptô unô, quod incertæ naturæ est. Nam* Vespertilio *volat quidem pelliceis alis: sed ---- quatuor pedibus graditur, formatosque pullos parit, & nutrit lacte, quos generat.* Unde notum Panarcis ænigma, ὅτι ἀνήρ τε κοὐκ ἀνὴρ ὄρνιθα κοὐκ ὄρνιθα ἰδών τε κοὐκ ἰδὼν ἐπὶ ξύλου τε κοὐ ξύλου καθημένην λίθῳ τε κοὐ λίθῳ, *Vir non vir* (eunuchus) *insidentem avem non avem* (vespertilionem) *ferit ligno non ligno* (ferulâ) *aut lapide non lapide* (pumice) apud Platonem, *de LL. l.* 5. Interim inter quadrupedes referri non posse, ait Vossius, quia, qui priores pedes dicuntur, pedes non sunt, sed alarum hamuli, quibus à parietibus dependent; imò ne posterioribus quidem ingreditur solo, sed magis reptat: potiùs itaque avibus accenset, cùm ad id, ut *volucris* dicatur, videatur satis esse, quòd volat. Vide eum, *de Idolol. l.* 3. *c.* 78.

c. 78. Favet ei vox Hebr. עטלף *atalleph. h. e. avis tenebricosa*, sicut νυκτερὶς Græcis dicitur, quia est ἐκ τ̃ νυκτέρων. Neque alia ratio Romani nominis. Ovid. *l.* 4. *Metam. Fab.* 12. Mineidum sororum in *Vespertiliones* conversarum, v. 415.

Nocte volant, seroque tenent à vespere nomen.

Nempe lucem fugit *Vespertilio* & clariori lumine offenditur, quæ causa, quòd inde cæcutiens in faces aut candelam stipiti vel scopæ impositam vel gladium protensum, impingat, sæpiusque hóc pactô capiatur, Vossius, *ibid. c.* 81. Ac proin talpis jungitur Esajæ *c.* 2. v. 20. *In illa die projiciet homo idola sua --- ad talpas & ad vespertiliones.* i. e. in tenebras detrudet. Nihilominus pro cibo Borsippensibus, in Babylonia, prope Mesopotamiam, habitantibus, teste Strabone, *l.* 16. imò, quod stupendum fœdumque dictu, pro Numine Mexicanis, fuisse legitur Paulo Grysaldo, *Histor. Indicæ l.* 3. laudato eidem Auctori, *l. eod. c.* 93. & 100. An ob amorem in prolem, *geminos enim volat amplexus infantes, secumque deportat*, Plinius, *l.* 10. *c.* 61. an quia tenebrio avis idolatricis tenebris maximè conveniens visa est. Sed & à *Vespertilione* sanati Monachi cujusdam, desperatô morbô laborantis, insolentem ac miram historiam narrat Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. c.* 41. ubi vespertilionem ægri detectum noctu pedem, pro more, mordicus arripuisse, venam aperuisse, sanguineque copiosô exuctô saturum avolantem, eum, depletâ morbi causâ ad sanitatem adspirantem, reliquisse refert. Plura de hac ave, vide apud Plinium, *l.* 11. *c.* 37. 39. alibique, Vossium, ubi suprà, inprimis, *c.* 87. ubi de eorum aliquibus caudatis, Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 2. *c.* 32. *totô*, ubi & de fabula Mahummedanorum, præter *Vespertilionem* Christum quicquam creâsse, negantium, Alios, nec non suprà, ubi de *Harpyiis*, it. *Somnis*, quibus vespertilionum alas, affinxisse Poëtas diximus. Hinc Alciato, *leg.* 14. *Cod. de Act. empt.* quoque dictus est servus decoctor, aut rationum conturbator in stipulatione evictionis, quâ jubet Prætor caveri servum venditum furem non esse, *Vespertilionem* non esse; eò quòd servis peculium plerunque concedebatur, in quo fraudare poterant creditores. Ubi Budæus per *Vespertilionem* intelligit, *qui interdiu exiliter videt*, & *vesperi* justam aciem habet. Namque & *Vesperi suò vivere*, i. e. *furtis suis vitam sibi parare*, dixit proverb. Plautus, *Mercat. Actu.* 4. *sc.* 2. v. 5. alludens ad rerum furtivarum Forum, quô in Suburra, deficiente jam die, venales proponerentur: unde Propertius, *l.* 4. *El.* 7. v. 15. *Vigilacem* memorat *Suburram.* Popmæ verò *Vespertiliones* servi videntur esse, qui, interdiu latitantes nihilque agentes, noctu oberrant: quâ ratione Varro *in Agathone* locutus est, ut vidimus:

Quid multa? factus sum Vespertilio, &c.

Nonius eos sic appellâsse videtur, qui dubiæ sunt fidei; quia *Vespertilio* nec inter mures, nec inter volucres, ut & Plin. habet, *l.* 10. *c.* 61. aversanturque cum aves, tanquàm quadrupedem, & quadrupedes, tanquàm volucrem. Artemidorus, *l.* 3. *& fures & adulteros sic nuncupari posse*, tradit; Budæi sic conjecturam firmans, ut visum. Nam & Catullo, *Epigr.* 63. v. 63.

Nocte latent fures &c.

Quem verò Ulpianus *Vespertilionem*, Plautus *Tenebricolam*, Varro *Tenebrionem*, Lucilius *Lucifugam* vocat. Aristophanes, *Nubib.* Chærephonti Socratico inditum *Nycteridis*, i. e. *Vespertilionis*, nomen refert, quòd atrô colore esset & tenuissimam haberet vocem. Basilius *Hexaëm*, ad Philosophos vocem trahit, qui hebetibus oculis cœlestia contemplantur, cœcutientes in rebus seriis, quòd animal id interdiu parum videt. Sed & *Vespertiliones*, debitores dicuntur illi, qui, ære alienô obruti, metu Creditorum, interdiu domi delitescunt, noctu tantùm prodeuntes. Vide Titum Popmam, *Comm. de Operis Servorum.* Graphicam *Vespertilionis* Servi descriptionem habes, apud Drusæum Anglum *in Tragico-Com. Alvredus.*

VESPILLO, vide suprà *Vespa.*

VESPILLO Lucretius, vide *Lucretius.*

VESPOLATUM, pagus amplus agri Novariensis, 8. mill. pass. à Novaria, Viglebanum versùs. A Conrado Imperat. A. C. 1028. Ecclesiæ Novariensi donatus.

VESPRANUM, oppid. Lombardiæ Transpadanæ.

VESPRIMIENSIS Comitatus, pars Hungariæ inferioris inter Comitatum Albensem ad Ortum, Zeeladiensem ad Occasum, & Castriferrei ad Boream, lacumque Balatonium ad Merid. Sub Austriac. Ejus caput est

VESPRIMIUM, Germanis *Weisbrun*, Hungar. *Vesprim*, urbecula munita, in ipso limite ditionis Turcicæ in colle, ad fontes *Sarvvise* fluv. versùs oram Borealem Volceæ Paludis, seu lacus Balatonis. Vide *infrà.*

VESPRINIUM, vulgò *Vesprin*, urbs Hungariæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Strigoniensi, inde 8. leucis in Merid. Albæ Regiæ proxima, inde 3. leuc. in Occasum, Taurinum versùs, seu versùs Sabariam, apud lacum Peisonem vel potius Balatonem, in ora ejus Boreali, *Ferrar.*

VESPRONIUS Claudius, inter Legatos Consulares, à Senatu ad milites, sub Didio Juliano, missos, qui suaderent, ut repudiaretur Severus, memoratur Spartiano in *Didio Juliano*, *c.* 5.

VESPUTIUS Bartholomæus, vide ibi.

VESSA, Polyæn. *l.* 5. *c.* 1. *in Phalaride*, *Comm.* 4. maxima & florentissima civitas Siciliæ, cujus Princeps Teutus: à Phalaride dolô in potestatem redacta. An pro *Inessa*?

VESSONES, *Ptolem.* aliis *Suessiones*, vide ibi.

VESTA, Saturni filia ex Ope, testibus *Diodor. Siculô* & *Apollodorô*, secundùm Q. Fabium Victorem Jani uxor: quamquàm à Poëtis non rarò pro terra sumitur, sive quòd omnibus terrâ vestiatur, sive quòd *vi sua stet.* Ovid. *l.* 6. *Fast.* v. 299.

Stat vi Terra suâ; vi stando Vesta vocatur,

Proin hanc depingebant muliebri formâ, tympanum gestantem, quòd terra ventos in se contineat, Suidas in voce γῆς ἄγαλμα & in Senatu Atheniensium, qui se *terrigenas* jactârunt, aram Dea habuit. Non desunt, qui ἀπὸ τῆς ἑστίας nomen hoc deducunt, inter quos est Tullius, *l.* 2. *de Nat. Deor. c.* 27. Interdum ponitur pro igne. Ovid. *ibid.* v. 291.

Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides
Jure igitur virgo est quæ semina nulla remittit.

Veteres autem 2. fuisse Vestas affirmabant: unam Saturni matrem, alteram ejus filiam. Ovid. *ubi suprà*, v. 285.

Ex Ope Junonem memorant, Cereremque creatas;
Semine Saturni tertia Vesta fuit.

Confundunt nihilominus has Poëtæ, alteram pro altera ponentes. Id tamen observandum est: Cùm Vestam pro terra accipiunt, de matre Saturni esse intelligendum: quando verò virginem nominant, de filia ejus esse intelligendum, quam ignem esse voluêre. Quæ si propriè referatur ad aras, & focos publicos, valde est verisimile, cùm pleraque omnia vocabula sacra sint ab Oriente, etiam *Vestam*, sive Ἑστίαν esse ab אש *esh*, i. e. *ignis*, & יה uno ex Dei nominibus, ut [illegible] λέξει sonet *ignis Deus*: Ideoque propriè symbolum potiùs Numinis, quàm Numen ipsum sonet. Cæterùm *Vestam* Deam, apud priscos, in tanta veneratione fuisse scribunt, ut qui ei sacra non faceret, ἀσεβὴς, quem pro impio & injusto accipiebant, diceretur. Græci ab hac omnia sua sacrificia auspicati, in eadem desinebant: Tantumque fuit hoc Numen, ut Pausanias dixerit: *Sacrificant Vestæ quidem primùm, Jovi deinde Olympio.* Peculiare autem Trojanorum Numen fuit, Sidon. Apollinar. *Carm.* 9. v. 133.

Thebis Eubion, Ilioque Vestam.

Sed & ante Romam conditam diu in Italia culta fuit, maximè à Tyrrhenis, teste Myrtilô Lesbiô, qui eam Tyrrhenorum linguâ *Labith Horchiam* appellatam esse dicit, quod nomen etiam, auctore Herodotô, apud Schythas habuit. Hanc unam ex Diis Penatibus esse volunt, quos Æneas in Italiam advexit Virg. *l.* 2. *Æn.* v. 296.

Sic ait & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Unde *Mater* peculiari nomine dicta est. Virg. *l.* 1. *Georg. in fine*, v. 498.

Dii patrii, Indigetes & Romule, Vestaque mater,
Quæ Thuscum Tiberim & Romana palatia servas.

Et in omnibus ædium privatarum vestibulis apud Romanos ejus simulachrum, quemadmodùm Mercurii apud Athenienses, stetit. Cui sententiæ non obscurè adstipulatur & Livius, cùm Vestæ sacra vetustissima esse asserit, & ab Albanis accepta, à Numa autem Pompilio primùm Romæ instituta, multisque ceremoniis venerabiliora effecta, *l.* 1. *c.* 20. Primùm enim is templum Vestæ prope Castoris extruxit, licet alii Romulo id tribuant. De quo sic Plutarch. *Traditur, Numam custodiæ causâ, perenni igne Vestæ templum circumdedisse: quod rotundum ab eo extructum est, non ut terræ, sed ut Universi figuram exprimeret.* In eo idem perpetuum atque æternum ignem tanquàm Imperii certissimum pignus, asservari jussit. Servius *ad illud l.* 4. *Æn.* v. 400.

--- Vigilemque sacraverat ignem.

Fuit autem is non in focis aut altaribus, sed in vasculis quibusdam fictilibus suspensus, Val. Max. *l.* 4. *c.* 4. *extr.* tantumque in eo fiduciæ fuit, ut nunquàm sine portento crederetur extingui, & anxiâ solicitudine, si id fortè contingeret, expiaretur. Uti factum ante initia bellorum civilium, motaque inter Cæsarem & Pompejum arma. Præter hunc, alia quoque sacra occulta, solis ædituis, virginibusque, de quibus paulo pòst, cognita, hîc asservata fuisse, colligere est ex Dionysio, *l.* 2. & Plutarcho, *in Camillo* unde in ædis incendio, tempore primi belli Punici, unus ædituorum L. Cæcilius Metellus vir Consularis, posthabitô publicæ utilitati privatô periculô, in ardens penetrale irrupisse legitur, ut sacra à virginibus, quæ metu diffugerant, deserta eriperet. Idem Numa sacerdotes ei virgines creavit, stipendiôque publicô donavit, perpetuâque virginitate frui eas lege jussit: quæ à Numine, cui inserviebant, *Vestales* dictæ sunt. Harum potissimum cura erat, ut ignem perpetuum alternatim excubando, conservarent; qui si forte per negligentiam fuisset extinctus, Virgo, cujus incuriâ id factum, à Pontifice severè plectebatur, flagrô, verberibusque, Festus Pomp. *l.* 9. Jul. Obsequens, *de Prodig. c.* 62. Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. *ex.* 7. neque alio ex igne reparare fas erat, sed accensâ per fomites, beneficiô τῶν σκαφείων, id enim instrumento nomen, ex Sole flammâ purus & cœlestis ignis eliciebatur. Paulo aliter modò laudatus Festus, *Ignis Vestæ, si quando interstinctus fuisset, Virgines verberibus afficiebantur à Pontifice, quibus mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem cribrô æneô Virgo in ædem ferret.* Interim etiam cùm non extinctus est, accendebatur quotannis Calendis Martiis, & renovabatur ignis, quem asservabant in operto, Jan. Parrhas. *Ep.* 57. Ovid. *l.* 3. *Fast.* v. 143.

Adde quòd arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Porrò virgo *Vestalis* legebatur intra annum 10. suæ ætatis, 30. verò annos oportebat eam manere virginem, postеà nubere licebat. Earum autem tanta dignatio, ut interventu illarum gravissima dissidia fuerint composita, ut testamenta custodirent, ut Consules Prætoresque iis viá cederent, vide Senec. *l. 6. Controv.* 8. Quoties vi morbi atriô excedere cogebantur, matronarum committebantur curæ: interque eas una auctoritate præcipua fuit, quæ *Maxima* dicebatur, Sueton. *in Domit. c.* 8. Quod si interim fortè stuprum virgo commisisset, viva defodiebatur. Unde Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 9.

--- Cum quo nuper vittata jacebat,
Sanguine adhuc vivô terram subitura sacerdos.

Tota insuper lugebat civitas, ut in clade publica, eratque is dies lugubris: quod usque adeò observatum est, ut in Annalibus, prodigii locô, Vestalis damnatio haberetur. Locus, ubi defodiebantur, prope portam Collinam erat, dicebaturque *sceleratus campus*, Fest. *l.* 17. Addebatur eis panis & lac, ne videretur fame interiisse. Porro locum in Amphitheatralibus & scenicis Circensibusque habuêre ludis Vestales peculiarem, carpentisque seu pilentis, ut aliàs matronæ, vehebantur. Vestitus eorum *Suffibulum* dicebatur, vittæ iis, ut matronis, capitis ornamentum erant, & sceptrum ex ære gerebant manibus: Duravitque hoc sacerdotium usque ad Theodosii Senioris tempora, à quo, unà cum aliis Sacerdotiis nequicquàm reclamante Senatu, omnino est sublatum: id quod ex epistolis Symmachi & Ambrosii responsionibus manifestum est. Vide Voss. *de Idol. l.* 2. *c.* 65. Lips. *Syntag. de Vesta & Virgin Vestal.* Thom. Dempster. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 12. & *l.* 3. *c.* 19. &c. *Nic. Lloydius*, ut hæc addam: *Vestæ Palatinæ* sacrum fieri consuevisse prid. Kal. Mai, docet Ovid. *l.* 4. *Fast. v.* 949.

Aufert Vesta diem, cognati Vesta *recepta est*
Limine, sic justi constituêre Patres.

Incendii, quô Templum ejus arsit, meminit Idem *ibid.* Contigit autem id An. Urb. Cond. 512. Lucatiô & A. Manliô Consulib. Imò & posteà iterum arsit sub Commodo, Braduâ II. & Apronianô Consulibus, cùm ferè tota Urbs corruisset, simulque flammis Templum illud Pacis clarissimum consumtum est, aliæque ædes innumeræ, qua de strage fusè agit Herodian. *l.* 1. Cœterùm, qui animale fuisse Numen *Vestam* contendunt, Architecturæ eam faciunt inventricem, uti discimus ex Diodor. Siculo, *l.* 5. ubi, postquàm Cretenses illam apud se natam perhibuisse ait, addit: Λέγεται τὴν Ἑστίαν τὴν τῶν οἰκιῶν κατασκευὴν εὑρεῖν, καὶ διὰ τὴν εὐεργεσίαν ταύτην παρὰ πᾶσι σχεδὸν ἀνθρώποις ἐν πάσαις οἰκίαις καθιδρυθεῖσαν τιμῶν καὶ θυσιῶν τυγχάνειν. *Dicitur Vesta reperisse domorum architecturam, & ob hoc beneficium, ab hominibus universis, cunctis in ædibus honores & sacrificii cultum esse adeptam.* Pertenduntque, uti Adamus est Saturnus, sic filiam ejus, quæ nupsit Caino, *Vestam* esse. Namque & Epiphanius, sive ex Leptogenesi, sive aliunde, ex filiabus Adami natu maximam, quæ Σαυὴ diceretur, nupsisse fratri suo Caino, tradit: & Cainus urbem ædificâsse primus, atque à filii sui nomine *Henochiam* appellâsse, legitur Genes. *c.* 4. *v.* 17. At cùm *Vesta*, potius foci, inprimis publici præses esset: Architecturæ autem Pallas præfecta fuerit, qua de re illustris locus est Luciani *in Hermotimo*, eò inclinat Vossius, ut *Vestam* non tam animale, quàm naturale fuisse Numen, censeat. Vide Eum *de orig & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 17. Et quidem, quatenus eô nomine particulatim significatur ignis ille in focis publicis; uti *Vestam* vocat Dionysius, *Antiqq. l.* 2. & Cicero, de *LL. l.* 2. ubi à Virginibus Vestalibus *custodiri ignem foci publici sempiternum*, tradit: fuit is cœlestium ignium, Solis inprimis, symbolum. Unde Florus, *l.* 1. *c.* 2. *Inprimis* (Numa) *focum Vestæ Virginibus colendum dedit, ut ad simulachrum cœlestium siderum custos Imperii flamma vigilaret.* Itaque jugi erat & assiduâ opus curâ, ut semper luceret: ac si exstingueretur, non ab igni nostro accendere fas fuit, sed Romanis ex terebrata felicis materiæ tabula eliciendus erat, *Fest.* Græci autem in fomentis vasculo cavo impositis & Solis radiis in ejus centro exceptis, flammam concipiebant, Plut. *in Numa.* Namque & in Græcia ignem istiusmodi æternum custodiri consuevisse Idem tradit: Delphorum & Athenarum mentione factâ. Imò & Tenediis, Argivis ac Naucratitis *Vestam* similiter fuisse cultam, ostendit Vossius: atque idem de Rhodiis, Cyzicenis, Milesiis, Ephesiis, Naxiis, aliis, fusè demonstrat Casaubonus, *in Athen. l.* 15. Nisi quòd apud Romanos Virgines: apud Græcos verò Viduæ ætate provectæ Πρυτανίτιδες vulgò dictæ, hunc ignem pervigili curâ asservarent, de quibus vide, quæ diximus in voce *Prytanides.* Accepêre autem hunc cultum Romani ab Albanis, ut Livius docet, *l.* 1. *c.* 20. quos & sacrum hoc, postquàm Romam translatum fuit, retinuisse constat: habuêre verò ipsi à Laviniensibus: quorum Urbs, Dionysiô teste, 30. annis extructa fuit, priusquàm ab Ascanio Alba Longa conderetur. Lavinienses idem accepisse traduntur ab Ænea Phryge, ut ex Virgilio, *l.* 2. *Æn.* constat. Unde Ovid. *l.* 6. *Fast. v.* 365.

Vidimus Iliacæ transferri pignora Vestæ.

Ubi *Iliacam* vocat, quia Ilienses eam, Duce Æneâ, intulerint Latio: at *translatam* refert, quia, cùm anteà Vestæ sacra forent in Regia Numæ; Augustus illa, ubi Pontifex esset factus, traduxit in domus suæ partem, quam publicavit, Deæque donavit, quemadmodùm est apud Dionem, *l.* 4. Atque has tres civitates Albam, Lavinium ac Ilium, in animo habuit B. Augustinus, *l.* 3. *de Civ. Dei*, *c.* 18. inquiens, *Sacra illa fatalia, quæ jam tres, in quibus fuerant, pressêrunt civitates.* Ambigit tamen Prudentius, an non ea Romani acceperint sacra ab Atheniensibus. Ita enim is, *l.* 2. *adv. Symmachum*, *v.* 969.

--- In his quoniam Vestalis origo favillæ
Urbibus, ut memorant, primo de fomite sumta est:
Sacravitque focos aut Phryx aut Grajus alumnos.

Nempe ut hauserint ea Romani à Legatis suis, an. Urb. Cond. 300. in Græciam missis, quò de Draconis ac Solonis legibus cognoscerent. Vide præfatum Vossium, *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 65. Templum ejus de die omnibus patuit, at in eo pernoctare nemini masculo fas fuit: intrabant enim quidem Viri, sed non penetrabant, aut pernoctabant. In eodem negant ullum simulachrum fuisse: quod ut ita sit, tamen *Vestæ* imago passim in nummis aut statuis expressa hodieque extat, eaque non sedens solùm ut Plinius eam effingi consuevisse refert, sed & alterâ manu *facem*, alterâ *discum* sive pateram libatoriam præferens: quorum illud de face, ad ignem pertinet, istud de disco, ad sacrificia solenniter & perpetim oblata. Interim etiam stantem in nummis videas. Vide Anton. Thysium, *Notis in Aul. Gellium*, *l.* 1. *c.* 12. Nec omittendum, quod idem Gellius monet *l.* 4. *c.* 7. *Ædem quidem Vestæ, non verò Templum* accuratè loquendo, fuisse. Olim enim, ut optimè Scaliger ex Varrone, *de LL. l.* 14. notat *ad Festum*, leges Ædium in Ædibus ipsis in postico earum positæ fuêre, quæ inter alia continebant, utrum Ædes illa esset Templum, nec ne? Hinc cùm locus auguratus hæc Ædes Vestæ non esset, Consilium ibi Senatus habere non poterat, in Atrium autem ejus quod erat ab Æde remotum, quodque, viâ sacrâ Regiæ adjunctum, Virginum habitationi inserviebat, sicut Regia Pontificum conveniebatur, Serviô teste *ad l.* 7. *Æn. v.* 153.

--- Augusta ad mœnia Regis.

Ignem quod attinet, in *Vestæ* ardentem Æde, duplicem eum fuisse judicat Licetus; quorum alter in lucernis, ad Numinis honorem: alter in aris ad sacrificiorum holocausta, perpetuò sub Virginum cura, asserit. Adeoque illum oleô incombustibili alitum, & ab externis injuriis à Virginibus custoditum: istum verò lignis jugiter adjectis, earundem ministeriô, fotum fuisse contendit. Et certè de *Vestæ* ara cum Igne, in rogo, ad sacrificia comburenda, testis est Ovidius, *l.* 4. *Fast. v.* 639.

Igne cremat vitulos, quæ natu maxima Virgo est.

Vide quoque Pausaniam *in Corinth.* Statium, *l.* 2. *Theb.* Alios. De lucerna *Vestæ*, consentit Plut. *in Numa*, ubi ignem hunc Virginum Vestalium comparat igni apud Græcos, Delphis Athenisque in lucernis perpetuò ardenti: sacrumque ignem, sub adventum Gallorum, cum sacris, rapientes Virgines profugisse narrat. Quomodo enim fugientes illæ raptam igneam pyram aliò comportâssent? Adde, quòd ingremio sacra Deûm ferentes L. Albinum de plebe hominem conspexisse illasque plaustro suo imposuisse addit: Quæ enim ardentia ligna gremiô ferre non poterant, lucernæ sacrum ignem in eo facile poterant gestare. Idem Ovidius videtur innuere, cum ait, *l.* 6. *Fast. v.* 291.

Nec tu aliud Vestam, *quam puram intellige flammam,*
Nataque de flamma corpora nulla vides.

Accedunt antiqua numismata. Namque apud Just. Lipsium, *de Vestal. c.* 3. & 9. exhibentur icones argenteorum & aureorum plurimorum, cum *Vesta* lucernam oleariam manu tenente; cum *Vestali* Virgine, itidem manu gerente lucernam; cum capite mulieris & lucerna. Apud Anton. item Zantanum, *Numism. l.* 1. *Edit.* 2. argenteum cernitur numisma Vespasiani, sub *num.* 36. cum imagine *Vestæ* sedentis lucernamque manu gestantis; aliudque cum eadem stante, similiterque tenente lucernam, *num.* 47. Inprimis verò huc facit numisma æneum ab Antonio Augustino, *tab.* 50. relatum, in quo mulier scapulotenùs circumscripta, LUCILLA AUG. ANTONINI AUG. F. à tergo Dea Vesta gerens manu dextrâ lucernam, sinistrâ Palladium & ad pedes habens altare cum flamma exardente. Itaque, quod Macrob. habet, *l.* 1. *Saturnal. c.* 12. de Igne, à Virginibus huic Deæ famulantibus Mensis Martii (qui primus erat totius anni) primâ die, de novo accendi solito, intelligit Licetus de igne aræ, in sacrificiorum usum, in rogo ligneo ardente, *l.* 4. *de Lucernis Antiqq. c.* 38. non verò de altero, qui in Lucernis ardebat, & ad quem alludere voluisse Servatorem nostrum existimat, Matth. *c.* 25. *v.* 1. *s.* Vide ejusdem, *l.* 1. *c.* 31. ubi *plura in hanc in rem, ut & de reliquis Vestæ sacris, Minervæ signo è Troja, Diis Samothracibus ex hac Insul. à Dardano Trojam primò, inde ab Ænea in Italiam delatis, duobus porrò doliis, aperto altero atque inani, altero pleno & obsignato, curioso Lectori exhibet.* De *Aris* verò *Vestæ*, Kalendis Martii, qui olim primus apud Romanos anni dies erat, lauru coronari solitis, h. e. aris focisque in primis ingressibus spatiisque domorum positis, Car. Paschalium, *Coronar. l.* 4. *c.* 3. de more renovandi ignem eôdem die modò indigitato, in ara Vestali Salmas. *ad Solin. p.* 17. extinctum verò resuscitandi, *p.* 180. de *Vestalium* ceremoniis, jam Servii ætate maximam partem antiquatis, sacris dein ac reditibus à filiis Theodosii M. abolitis penitùs, Barthium, *Animadversion. Papinianis*, *ad l.* 8. *Theb. v.* 297. ubi de Futili, vase, quô in Sacris hisce utebantur &c.

VESTA Nova, cognominata est Julia Augusta seu Domna Severi Imperatoris uxor, quasi Numen Urbis Imperiique tutelare, quemadmodùm ignis Vestalis inter symbola & pignora Imperii olim fuit. *Inscr.* vetus Lampsaci,

ΙΟΥΛΙΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΕΣΤΙΑΝ
ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ
ΤΟΔΕ ΕΙΣ ΤΟ ΑΓΑΛΜΑ ΚΑΙ
ΤΗΝ ΒΑΣΙΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΑΝΑΣ
ΤΑΣΙΝ ΑΥΤΟΥ ΔΑΠΑΝΗΜΑ
ΠΟΙΗΣΑΜΕΝΟΥ ΕΚ ΤΩΝ
ΙΔΙΩΝ ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟΥΣ
ΣΤΕΦΑΝΟΥΣ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ ΤΟΥ
ΙΕΡΕΩΣ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΙ
ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΤΟΥ ΣΥΜ
ΠΑΝΤΟΣ ΑΥΤΩΝ ΟΙΚΟΥ ΚΑΙ
ΤΑΜΙΟΥ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΟ
ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ
ΑΠΟΛΛΩΝΟΤΕΙΜΟΥ.

apud Jac. Sponium, *Itiner. part. 3. p. 93.* & 94. ubi Latinè eam sic reddit: *Jüliam Augustam Vestam novam Cererem consecrat Senatus, impensas verò ad statuam & basim ejusque erectionem faciente ex sua pecunia, propter pietatem in coronas, Sacerdote Augustorum & Stephanephorò totius eorum domus & Quæstore populi secundùm, Dionysiò Apollonotimi filio.* Eandemque Imperatricem in nummis, quoque *Vestam Matrem*, item *Vestam Sanctam*, & simpliciter *Vestam*, additô Sacrificii Vestalis apparatu, nominari addit.

VESTALES, à Pompilio Numa primò institutæ sacerdotes, perpetui ignis custodes quatuor; qui numerus dein ad senarium auctus est. Hæ primô decenniô facienda discunt: secundô faciunt: reliquô autem decenniô alias edocent, post quod tempus nubere possunt. Honoribus quoque multis ornantur: Inter quos, si casu in quemquam inciderint, ad capitale supplicium ductum, eum necari non licet. Si autem aliqua virginitatem perdiderit, viva ad portam, quam Collinam vocant, defodiebatur ibi moritura. Erat sacerdotium Albâ oriundum, habens de publico stipendium, eligebaturque *Vestalis Patrima Matrima*, quæ inter capiendum à Pontifice M. *Amata* appellebatur. Capiebantur autem illæ, parvæ ac tenerâ ætate, adeoque certæ pudicitiæ & vitii expertes; nec capi fas erat minorem quàm annos sex; aut majorem quàm annos 10. natam. Imò nec multæ nec crebræ istæ lectiones; cùm ægrè Parentes in hanc velut custodiam & coactam virginitatem suas permitterent filias. Quatuor, quas primus legit Numa, erant Gegania, Verania, Canuleja & Tarpeja: Duas dein alias Servius Tullius addidit, sive ante eum potiùs Tarquinius Priscus, qui numerus posteà constanter obtinuit. Cepit itaque primas ipse Numa, & jus deinceps capiendi apud Reges esse voluit: Posteà pulsis Regibus, Pontifex Max. in locum venit; sed non liberà prorsus, verùm legibus suis adstrictâ electione, continebaturque Papiâ lege, ut Virgines viginti legerentur. Magnô satis numerô ad unam capiendam; sed causa erat, ut sors levior evaderet, sic sparsa per plures. Capiebantur verò *è Populo*, A. Gell. *l.* 1. *c.* 12. adeoque non è Patriciis solùm, sed & è Plebejis. Quod proin Augusti ævô etiam ex Libertinis captæ sunt, præter legem moremque fuit. Fiebat sortitio illa *in Concione*. Comitiis putà Curiatis, ut coram testibus res fieret, & dignitas etiam hinc Sacerdotio accresceret. Ipsa sortitio adhibita, ut divinitus legi excerpique è pluribus talis videretur. Ita deductæ in Atrium Vestæ, habitationi earum destinatum, in Ceremoniis instruebantur per annos decem: per totidem exercebant munus: ultimô decenniô alias instruebant; sicque 30. annos in Atrio manere tenebantur, quô tempore exactô liberæ erant. Vetustissima, *Maxima* dicebatur, quod ad ætatem referendum. Officium erat triplex, Vigilare, ne æternus ignis extingueretur: Adservare æternum Imperii pignus sive (variant tamen Auctores) delapsum cœlô Palladium; quod viris videre nefas, imò & Pontificibus, utpote velamentô obductum: Sacrificare tandem, quod fere assiduum; quod quô cultu peregerint, docet Festus in voce *Suffibulum*. Præmia & honores hi erant: 1. Jus testandi habebant, vivô Patre. 2. Præmia, ex Augusti instituto, quæ trium liberorum Matres habebant. 3. Lictor honoris causâ præcedebat. 4. Morte liberabant reum, si fortuitò illi obviæ fuissent factæ. Quòd si contrà quis Lecticam, quâ vectabantur, per lasciviam subiisset, morte luebat. Vittæ capitis erant ornamentum, vestis alba cum purpureo limbo: Locus in Theatro peculiaris, *Augustæ sedes inter Vestalium*, C. Tacit. *l. 4. Annal. c.* 16. & quidem contra Prætoris tribunal, Sueton. *Aug. c. 44. Solis Virginibus Vestalibus locum in Theatro separatim & contra Prætoris tribunal dedit* &c. Vide inprimis A. Gellium, *locô cit.* ubi *Virgo Vestæ quid ætatis, ex quali familia & quô ritu, quibusque ceremoniis & religionibus & quò nomine à Pontif. Max. capi consueverit: & quò statim jure esse inceperit, simul atque capta est: quodque nec illa intestato cuiquam, nec ei intestatæ quisquam hæres fuerit*, pluribus pertractat, ut & suprà aliquid ubi de *Pudicis Vestæ*, it. verbô *Capere. Vestalem*, in lucerna pervetusta ærea, cum indusio subuculave super nudo, podere scil. ut ait Sucherius, & tunica poderi superinduta, ad pedes longiore anterius apertâ & incinctâ, integrâ tandem ricâ seu maforte aut antiquo bardocucullo, exhibet è Gazophylacio Galvaniano Fortun. Licetus, *de reconditis Antiqq. lucernis, l. 6. c. 83. ubi multa egregia de sacris istiusmodi Vestæ Virginibus.* Vide quoque *Vesta* & *Vestalia*.

VESTALIA, dies erat apud Roman. Vestæ sacer, incidens in 5. Idus Junii. Eô, cùm convivia passim ante fores agitarentur, cibi virginibus Vestalibus à civibus mittebantur Deæ Vestæ libandi, & asini floribus coronati, atque è pane velut monilia quædam gerentes, circumducebantur per urbem: molæ item sertis ornabantur & floribus, quiescebantque. De quibus ceremoniis vide Ovidium *in Fastis*. Porro festivô hôc die matronæ nudis pedibus ad Vestæ ibant templum, Jovique Pistori ara in Capitolio posita est: Eôdem Junius Brutus ulteriorem Hispaniam subegit & M. Crassus cum exercitu à Parthis cæsus est. Vide insuper Liv. *l.* 56. & 106. Appian. *in Parthico*, Plutarch. *in Crasso*, Justin. *l.* 41. & 42. inprimis autem Carol. Sigonium *in Fastorum Commentariis*. De trigesimo die April. *Vestæ Palatinæ* sacro, vide Thom. Dempster. *Antiq. Rom.*

VESTALIUM Mater, Titulus Liviæ Aug. Vide suprà *Pudicæ Vestæ*.

VESTARARIUS, apud Anastasium, ubi Pandulus *Vestararius* Desiderii Longobardorum Regis in nonnullis codicib. apud Gulielmum Bibl. ubi Pippinus *potentissimus Vestararius*: in *Epist.* Abbatis S. Benigni, apud Perardum, ubi *Illustris Sacri Palatii Vestararius; primus Senator, nec non unicus Romanorum Dux*, &c. occurrunt, idem quod *Vestiarius* est, qui *Vestium* vel thesauri curam habebat. Vide Car du Fresne, *Glossar.* & paulo infrà.

VESTE donari summus olim apud Persas honor, qui quibus à Rege obtingebat, beati æstimabantur. Quod hodieque apud Turcas, Tartaros, Persasque obtinere, neque ad Principem quenquam admitti, nisi ejusmodi honorariâ veste donatum, docent *Itinerariorum* Scriptores, inter quos Joh. Bapt. Tavernier, ceremoniam, quâ sibi à Persarum Rege vestis, quam *Calaate* vocat, donata fuerit, describit *Itin. Persiæ, l. 4. c. 16.* Vide etiam aliquid suprà, voce *Dorysphori*: uti de more proditorum & transfugarum, *Vestitum* ejus gentis, cujus gratiam aucupantur: Legatorum it. eorum, ad quos mittuntur, assumendi, Schottum, aliosque *ad Pausaniam C. Nepotis, c.* 3. ad *Vestem*, à *Veste* it. *Vestitor*, nomen ministerii apud Romanos, de quo vide infrà voce *Vestiarium & us*.

VEST-FRISIA, German. *West-Friesland*, Gallis *West-Frise*, pars Hollandiæ, versùs Septentrionem extensa, aliter *Northollandia*; inter Amstelodamum ad Meridiem & Texeliam Insulam ad Boream, ubi urbes Alcmaria, Enchusa, Horna & Medemblicum. Ab hac distinguenda est Frisia Occidentalis, vulgo *la Frise* Gallis, *Friesland* incolis.

VESTI, apud Lupum Protospatham, *in Chron.* A. C. 1051. *Descendit Argyrus Magister*, Vesti *& Dux Italiæ.* Et in *Charta* veter. apud Ughellum, *Nos Joannes Domini gratiâ Dux & Imperialis Patricius, Antyphatus, Vesti*: ex Græco Βέστης, dignitas fuit illustris Palatina, apud Imperatores Byzantinos; quibus Βεστάρχαι præerant, memorati Scylitzæ, Zonaræ, Joanni Euchaitarum Episcopo Bryennio, Aliis, laudatis Carolo du Fresne, *Not. ad Bryennium.*

VESTIA Oppia, mulier Atellana, Capuæ habitans, quæ quondam quæstum corpore faciebat, Liv. *l. 6. c. 2. belli Pun.*

VESTIARIÆ Leges, luxum in *vestitu* castigant, & cuilibet civium ordini certa vestimentorum genera eorundemque certa pretia assignant: Quô nomine in Germania inclyti in primis Ulricus & Christophorus Duces Wirtembergiæ Reipublicaque Noribergensis pridem fuêre. Quos imitati posteà multi alii Principes ac Rerumpublicarum Gubernatores, Lubecensis præsertim. Idem & reliquarum civitatum Vandalicarum Magistratus fecerunt, atque suos ab abominanda sua vestitus ratione ad saniorem mentem prudentes revocârunt. Imò & hoc seriò volunt Constitutiones Imperatorum, quæ certa vestimentorum genera pretiaque eorum proponunt, additâ certâ transgressori pœnâ: Johannis Ducæ, apud Nicephorum Gregoram, *l. 2. c.* 11. Recess. Imper. Aug. A. C. 1500. §. *von uberflussigkeit der Kleideren*: Reform. Pol. Aug. A. C. 1530. §. *von onordentlicher Kleidung*: & Reform. Pol. Aug. A. C. 1548. §. *von unordentlicher Kostlichkeit der Kleydung*, vide & Francorum *LL. antiqq.* apud Camerarium, *Centur. 2. c.* 39. Galliæ quoque Reges, *Vestiarias* leges condidisse, sed non ita harmonicam rationem observâsse, tradit Bodinus, *de Rep. l. 6. c. 6.* in qua gente præcipuè circa vestes luxus & sumtus inveteratâ licentiâ adhuc usque perdurat. Vestis enim serica postremos hominum & fæcem plebis tegit, cùm à tibialibus etiam ex hoc lino confectis abstinuerit Henricus II. Gall. Rex teste Lanoviô, *discursu* 23. Apud Romanos, quid hac de re sancitum, diximus suprà, ubi de *Purpura*, *Serico* &c. Atheniensibus non minus suæ erant, florente Republ. *Vestiariæ* leges, è quibus duarum solùm in præsens meminero, unius, quæ Panathenæa; altera, quæ Meretrices spectabat. De illis sonat Lex, Ἐν τῷ τῶν Παναθηναίων ἀγῶνι μὴ ἐξεῖναι τῷ βαπτὸν ἔχοντι ἱμάτιον θεωρεῖν, *Non licere in veste tincta Panathenæorum pompam ludosque spectare.* Qui secus fecerat, in jus rapiebatur ad Agonothetam, qui animadvertebat, Lucian. *in Nigrino*, apud Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l. 1. tit.* 1. De istis, illa Suidæ memorata: Τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν, *Meretrices floridas vestes indutæ sunto.* Quam Legem Locrensibus quoque suis posuisse Zaleucum, auctor est Diodorus Siculus & usi sunt Syracusani, quod scribit Philarchus, apud Athenæum, *l.* 12. Quanquàm non tulisse videntur Athenienses id pecus, non magis quam eas, in quibus adulteri deprehensi essent, ornatas prodire in publicum; quò alludit Rhetorum illa lex apud Hermogenem περὶ στάσεων; Ἑταίρα χρυσία εἰ φορέοι, δημοσία ἔστω. Unde videmus, vestibus & mundô Meretrices à pudicis distingui voluisse: Hinc Hermogenes, *ibid.* μὴ ὁμοίως εἶναι ταῖς ἐλευθέραις, μηδὲ τῆς αὐτῶν ἀξιοῦσθαι. Idem Sam. Petitus, *l. 6. tit.* 5. Vide quoque Matt. Berneggerum, *in Taciti Germ. quæst.* 86. Nec defuêre Lacedæmoniis sui qui civium vestes quotidiè observarent, Ephori, *numquid à decenti & debito ornatu deficeret*, Wendelin. *Polit. doctr. l. 2. c.* 11. &c. Elegantem fœmineo sexui circa hæc Legem Tertullianus præscribit, hæc in verba: *Prodite vos jam medicamentis & ornamentis extructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ & spiritus taciturnitate, inserentes in aurem sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi, caput maritis subjicite & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt. Vestite vos sericô probitatis,*

byssinâ

byssinò sanctitatis, purpurâ pudicitiæ; Taliter pigmentatæ Deum habebunt amatorem &c. Ut de Hebræis quoque nonnihil dicam, lanæ illi linique fila variò textu miscere ac inter sese confundere vetabantur, simplici munditie acquiescere jussi, Levit. *c.* 19. *v.* 19. Apud eosdem marem fœminæ, ac mulierem virili cultu conspici, nefas fuit, Deuteron. *c.* 22. *v.* 5. Extremis verò vestium oris jubebantur filorum coloris hyacinthini sylvam sive peniculamenta quædam attexere, ut mnemosynô isto de præceptorum Dei observantia admonerentur, qualia & Servatorem gestâsse, videtur ex Luca, *c.* 8. *v.* 44. Cùm autem Pharisæi ambitiosè nimis ista venditarent, ac religionis ferè arcem in illa cultus divini lacinia ac particula constituerent, superstitio eorum non leviter tangitur, Matth. *c.* 23. *v.* 5. Quidam præterea capsulas quasdam ex corio confectas legisque aliquot particulis inscriptas addebant, iisque precaturi vel brachia præcingebant aut ædium postibus affigebant, qua de re diximus suprà, ubi de Judæorum *Mazuzu* ac *Phylacteriis*, nec non voce *Frontale*. Plura verò hanc in rem vide apud Franc. Burmannum, *Synopsi Theol. Christ. Part. prior. l.* 4. *c.* 20. ac infrà, voce *Vestis*.

VESTIARIUM, cimeliarchium, gazophylacium: Locus in Ecclesiis, quò vestes, thesauri, & supellex sacra reponitur, *Βεστιάριον*. Vide Augustin. *ep.* 109. Meminit enim Ezechiel Propheta, ubi de Sacerdotum procurationibus & cameris eorum sanctis *c.* 42. *v.* 14. *Et quando Sacerdotes ipsi ingrediuntur, non egredientur de Sancto in Atrium exterius, sed ibi reponant vestes suas, in quibus ministraverunt, sunt enim sanctæ atque aliis vestibus sese induant & accedant, ubi est Populus.* Et paulo pòst, *c.* 44. *v.* 19. *Et quando egrediuntur ad Atrium exterius, ad Atrium inquam exterius, ad Populum, exuant vestimenta sua, in quibus ministrabant & reponant* בלשכת הקודש *in Conclavi Sanctuarii* (Græci ἐν τοῖς ἐξέδραις τῶν ἁγίων, *in Exedris seu Repositoriis Sanctorum*, Vulgatus *in Gazophylacio Sanctuarii*) *induantque vestimenta alia.* Vide Jarchium, Kimchium & Joh. Villalpandum, *Explanat. part.* 2. *l.* 4. *c.* 69. Neque verò unum solùm, sed plura eorum, in Templo Hebræorum fuisse oportet, cùm Vestium Sacerdotalium magna copia, & mutatoriæ earum complures essent, quæ in Templi solùm *Vestiariis* servabantur: ut de reliqua supellectile sacra, quæ magnâ quoque præstò erat copiâ, ut, si fortè pollueretur una, altera locum ejus statim suppleret, nil dicam. Vide Maimonidem, *hal. Celi hammikdash*, *c.* 7. §. 19. Imò idem Auctor. *l. eod. c.* 8. §. 5. 6. &c. numerum eorum definiens ait, *Sacerdotibus vulgaribus seu minoribus, faciebant vestes mutatorias complures. Et nonaginta sex Arcæ erant in Templo, ut in illis relinquerentur seu reponerentur vestes illæ. Quatuor scilicet cuique Custodiæ sive Ephemeriæ. Et nomen Ephemeriæ cujusque erat inscriptum Arcis suis, quæ cunctæ clausæ. Et quando Ephemeriæ Ministri intrabant, ad operandum in hebdomadibus suis, recludebant Arcas suas, singulis hebdomadum suarum diebus, instrumenta illa vestiaria sibi tollentes. Et cùm egrederentur* (è Templo) *reponebant vestes illas in Arcis suis easque claudebant.* (seu obserabant) *Ratio autem, cur fierent quatuor Arcæ cuilibet Ephemeriæ, erat, ne instrumenta illa inter se confunderentur, adeoque ut femoralia omnia Arcæ in una continerentur, inscriptâ nomine Femoralium uti etiam cingula cuncta, Arcæ in unica inscriptâ nomine Cinguli, & pilei omnes Arcæ in unica, & demum tunicæ Arcæ itidem in unica. Pontifex autem Summus relinquebat vestimenta sua aurea in conclavi suo noctè ac tempore, quò egrediebatur è Templo.* Ita præfatus Auctor de Sacerdotum vulgarium repositoriis. Non autem solùm vestes, quæ usui adhuc erant, reponebantur in *Vestiario*, sed cùm Sacerdotum vestes sordidiores factæ aut inquinatæ ad conficienda ellychnia aliaque id genus seponerentur, vestis Pontificis vetustate attrita, in Gazophylacio recondebatur, &c. Vide Joh. Seldenum, *de Synedriis Veter. Hebræorum*, *l.* 3. *c.* 11. De rei *Vestiariæ* verò Præfecto, infrà: at de *Vestiario* Romanorum Imperatorum, Pancirollum *ad Not. Imper. Orient. c.* 81. uti de *Vestiariis Patriarchiorum*, & *Monasteriorum*, Car. du Fresne in *Glossar*, *Templorum* item, Dominic. Macrum, voce *Sacristia*. Sed & sua privatis ædibus non defuêre *Vestiaria*, Græc. ἱματοφυλάκια, in quibus vestimenta omnis generis, Tricliniaria, Virilia, Puerilia, Muliebria, Communia, Familiaria, Scenica, Funebria, Alia, reponerentur. Et quidem pretiosæ vestes, & quæ rarò usurparentur, quæque diebus solùm festis sumerentur, in iis per syntheses disponebantur; ut sericæ, subsericæ & id genus claræ raræque vestes: quæ verò quotidie adhibebantur, ita ordinari haud quaquam solebant. Quô factum ut *Syntheses* Romanis dicerentur quoque vestes ipsæ, quæ sic in synthesi disponebantur: & *Synthesina vestis*, pro sumtuosa ac pretiosa caperetur. Meminit istiusmodi arcarum & synthesium Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 46. *in Nævolum.*

> *Florida per varios ut pingitur Hybla colores;*
> *Cùm breve Sicaniæ ver populantur apes:*
> *Sic tua suppositis pellucent prœla lacernis:*
> *Sic micat innumeris arcula synthesibus.*

Claudebantur verò & hæ arcæ seris ac clavibus, quarum custodia penès servum frequenter fuit. Quam ob rem idem Poëta Euclidem notavit, *l.* 5. *Epigr.* 37. *v.* 6.

> *Equiti superbo, nobili, locupleti,*
> *Cecidit repentè magna de sinu clavis.*

Cujusmodi clavium iconas aliquot exhibet Laur. Pignorius, *Comm. de Servis.* Qui autem ex *Vestiariis* depromebant ibique iterum recondebant, modò *ad Vestem*, modò *à Veste*, modo *Vestitores* appellati sunt, de quibus infrà agetur.

VESTIARIUS, recentioribus Græcis Βεστιάριος, qui vestes curabat. Non enim supellecticarii apud Romanos hæc cura erat, ut ex Pomponio ostendit Pignorius, sed peculiare id ministerium fuit, cujusmodi servos domô, cum omni jure suo, legatâ, cedere legato, scripsit Julius Paulus, *l.* 3. *Sent. tit.* 7. In *veter. Inscr. ad vestem* vocantur: *T. Statilius. Malchio. ad vestem.* Item *à Veste*, ut: *Byræ. Canacianæ. Liviæ. Aug. ser. à. veste. magn.* &c. Et, *Arion. Cæsaris. N. à. veste. matutina.* Sic *Ossa. Vibiæ. Sucressæ. Liviæ. Aug. ser. ab. argento. potorio. item. à. veste. L. Vibius & rel.* Nec non, *Dis. Manibus. Cœliæ. Dynatæ. M. Ulpius. Aug. lib. Valens. à. veste. Imp. privata.* Ut etiam, *Dis. Manibus. Venuleja. Cleopatra. fecit. sibi. & Rhodano. Cæsaris. vernæ. à. veste. regia.* Hinc & *à veste Græcula*, & *à veste Scenica*. Quò referendi *Vestitores*, quorum mentio in antiquo Elogio, *Phedimo Vestitori Aug.* &, ni animus fallit, Lucæ *c.* 15. *v.* 22. ubi Pater filii prodigi servos alloquens, Ἐνέγκατε, inquit, τὴν στολὴν τὴν πρώτην καὶ ἐνδύσατε αὐτόν. *Vestiariam* quoque Rosimunda Alboini suam habuit, in cujus lectulo se supposuit Peredeo, ut scribit Diaconus, *de Gestis Longobard. l.* 2. *c.* 28. Et in Monasteriis fœminarum, *Vestiaria* occurrit, *quæ totum, quod ad curam indumentorum spectat, providet*, apud Abælardum, *p.* 157. Vide Laur. itidem Pignorium, *Comm. de Servis*, ut & infrà, ubi de *Vestificis* ac *Vestiplicis*. Apud Græcos Imperatores *Vestiariorum* ordo insignis, iisque præfectus *Protovestiarius* fuit; seu ut Codinus appellat *l. de offic. Eccles. & Aulæ Constantinop. Protovestiariata*, cui pileum clavatum attribuit. In Ecclesia Hebræorum, Præfectus, è quindecim illustrioribus Templi, *Vestiariæ* rei sacræ præfuit, & הממונה על מעשה בגדי כהונה *Qui præerat sacris Sacerdotum vestibus conficiendis*, dictus est; cujus officium atque opera versabatur, *in ordinandis conficiendisque vestibus, tùm Sacerdotum minorum, tùm Pontificis Maximi, & in textura earum atque sub manu ejus fiebant omnia*, Maimonides, *hal. Celi hammikdash*, *c.* 7. §. 14. Namque etiam induendis exuendisque ibi præerat. Habebat is conclave suum in Templo, velut Protovestiarius seu *Master of the Wardrobe*, Angl. in Misna titul. *Siklim c.* 5. §. 1. appellatus הממונה על המלבוש *Rei Vestiariæ præfectus*: ubi Rabbi Obadias Bartenorius disertè, *Vestiarii officium erat, induere Sacerdotes tempore Ministerii, eosque exuere post Ministerium & Custodire vestes Sacerdotales in repositoriis eam in rem destinatis.* De quibus repositoriis licèt suprà actum, in voce *Vestiarium*, placet tamen hîc adjungere illustrem locum, ex Christ. Adrichomii *Descript. Templi*, *num.* 92. *Exedræ, quæ aliàs Gazophylacia & Pastochoria vocantur, domus erant laterales, instar turrium longæ, latæ & celsæ, in quibus Sacerdotes Sanctuarium ingressuri, profana sua vestimenta lanea exuebant, & sanctificatas lineas vestes induebant easque dein sacris peractis reponebant*: ubi formam eorum nobis exhibet. De iisdem Hugo Grotius *ad* 1. *Machab. c.* 4. *v.* 40. loquens, הלשכות inquit, *id est, Conclavia illa ad Templi latera, in quibus servabantur vestes Sacerdotales, instrumenta Templi, copia aromatum & similia.* E qua disciplina Judæorum similis planè introducta est in Christianismum (ut videre est in Jure Pontificio, *Dist.* 1. *de Consecratione*, *c.* 42. apud Durandum, *Rational. l.* 1. *c.* 3. §. 48. & *l.* 3. *c.* 1. §. 1. Fortun. Amalarium, *de Eccl. officiis*, *l.* 2. *c.* 16. Joh. Duraut. de *Ritibus Eccl. l.* 2. *c.* 9. §. 1.) de vestibus ejusdem sacris, unde de harum Pastophoriis tam frequens apud Christianos Scriptores mentio. Quis verò in Vestium Sacrarum usu modus obtinuerit, dicetur infrà, in voce *Vestis*. Vide Seldenum, *loco cit.* Nec verò hîc omittendum, in consecratione Aaronis primi Hebræorum Pontificis, qui per dies septem continuos sacris vestibus manè induebatur & vesperi rursus exuebatur, ritum hunc ab ipso Mose administratum fuisse. Vide Levitici *c.* 8. *v.* 7. & *seqq.* Posteà verò, in Templo inprimis secundo, Sacerdotibus in certos ordines & munera divisis, cura hæc uni alicui demandata est, cui magna Sacerdotum turba suberat, Franc. Burmannus, *Synops. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 8. §. 49. Hodie *Vestiarius*, dignitas est in Ecclesia Cathedrali Galliæ Magalonensi, instituta à Raînerio Episcopo, A. C. 1247. cujus officium, *induere Canonicos omnes & Conversos, exceptis Prioribus, qui tenentur dare* Vestiario *singulis annis, pro singulis Canonicis*, 40. *solidos*, Gariellus apud Car. du Fresne, *Glossar.* At *Vestiarius*, qualis Pandulfus fuit apud Desiderium Longob. Regem qualis item *Vestiarius* Pontificis memoratur Joanni Diacono, *l.* 1. quem inter quatuor, qui Pontificem equitantem comitantur, recenset *Ordo Roman.* non *Vestium* solùm, sed & thesauri ac cimeliorum curam sibi commissam, habuit. In veter. *Inscr.* L. AGRIO. VESTIARIO. TENVIARIO. IMP. CÆS. ANTONINI. PII. item in alia, M. CINCIVS. M. F. THEOPHILVS. VESTIARIO. TENVIARIO. Aliâ iterum, MATTIVS. PATROBIVS. VESTIARIVS. TENVIARIVS, vestium institorem vel confectorem vox generica, *Tenuiarii* verò epitheton additum, in specie eum, qui tenuia vestimenta conficiebat, indigitat, uti docet Salmas. *ad Capitolin. in Maximo & Balbino*, *c.* 5.

VESTIBULUM, an quòd fores *vestiantur*, an quòd aditum tectô *vestiat*, ut Isidorus vult: an à *ve* & *stando*, quòd in illo multum olim staretur, ut alii? Ovidio, *l.* 6. *Fast.* à *Vesta* videtur dictum, quia nimirum ignis, qui in Vestæ erat potestate, in *Vestibulo* antiquitus accenderetur. Verba ejus, postquàm de hoc igne dixit, *v.* 303.

> *Hinc quoque* Vestibulum *dici reor: inde precando*
> *Dicimus, ô Vesta, quæ loca prima tenes.*

In qua sententia quoque Servius est, apud Virgil. *l.* 2. *Æn. v.* 469. ubi nubentes puellas propterea limen non tangere, inter alia, refert, eò quòd limina domûs sacrata sint Diis. Similiter apud Non. Marcellum legas: *Vestibula quidam putant, sub ea proprietate distincta, quòd in primis ingressibus & in spatiis domorum Vestæ, h. e. aræ ac foci soleant haberi.* Sed hi *Vestibulum* pro primore ædium parte, quam *Atrium* dixêre, acceperunt. Namque & Gellius, *l.* 16. *c.* 5. *Animadverti*, inquit, *quosdam haud quaquam indoctos viros opinari*, Vestibulum *esse partem domus primorem, quam vulgus*

vulgus Atrium vocat: Ibi enim focus antiquitus excitabatur, qui Vestæ sacer erat. Gellius verò ipse *Vestibulum* ab Atrio diversum faciens, ex Cæcilio Gallo *de significatione Verborum, quæ ad jus Civile pertinent, l. 2. Vestibulum esse dicit, non in ipsis ædibus, neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum; per quem à via aditus accessusque ad ædis est, quum dextrâ sinistraque inter januam tectumque, quæ sunt viæ juncta, spatium relinquitur; atque ipsa janua procul à via est, areâ vacanti intersitâ.* Et paulo pòst, *Qui domos amplas faciebant, locum ante januam vacuum antiquitus relinquebant, qui inter fores domus & viam medius esset.* Cui assentiens Vitruvius, *l. 6. c. 7. His*, inquit, *qui communi sunt Fortunâ, non necessaria magnifica* Vestibula, *nec Tablina, nec Atria, quòd hi aliis officia præstant ambiundo, quæ ab aliis ambiuntur.* Sic itaque vestibulum erit locus, quem Græci *πρόδομον* & *πρόθυρον* appellant: Glossæ veteres *Vestibulum προαύλιον, item πρόθυρον.* Quem Auctorum circa hanc vocem dissensum sic conciliat Vossius *in Etymolog.* ut dicat, antiquitus, cùm essent Romuleæ casæ, idem fuisse *Atrium* & *Vestibulum*: posteà autem, cùm luxuria crevisset, non in Atrio, sed areâ inter viam, & domum interjectâ, homines, priusquàm admitterentur, consistere consuevisse; indeque Atrii & *Vestibuli* voces fuisse distinctas: quanquàm diu fuerit, ut multi, re quoque immutatâ, veterem retinerent loquendi consuetudinem. In hoc igitur Officiorum, seu Salutatorum, statio erat, ut apud eundem Gellium legimus, ubi suprà: *In eo loco* (nempe, qui inter fores domus & viam medius erat) *qui Dominum ejus domus venerant salutatum, priusquàm admitterentur, consistebant: & neque in via stabant, neque intra ædis erant. Ab illa ergo grandis loci constitutione & quasi quadam stabulatione,* Vestibula *appellata sunt spatia grandia ante fores ædium uti diximus, relicta: in quibus starent, qui venissent, priusquàm in domum intromitterentur.* Quæ verba penè transcripsit Non. Marcellus, è Gellio proin emendandus. Donatus etiam ad illa Virg. *l. 6. Æn. v. 273.*

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci,
Luctus, & ultrices posuère cubilia curæ.

Feralem, notat, *Ditis domum, ecce quale observabant officium in primo Vestibulo?* Quò spectat illa vocis notatio, à *ve stando*, quam suprà innuimus. De Officiosis verò illis & Salutatoribus, diximus retrò. Ibidem Excubias & Custodes locat Pignorius. Ostiarius enim, quem *Claustritumum* Lævius apud Gellium, *l. 12. c. 10. Puerum à janua* Corn. Nepos, *Hannibale, c. 12.* vocat, aditum obsidebat, ut admitteret dimitteretque eos, qui Dominum conveniebant. Præter eum Excubiæ & Custodes in *Vestibulis* fuère. Hinc Virg. *l. 9. Æn. v. 647. Butem fidum ad limina custodem* appellat. Et *l. 6. Æn. v. 555.*

Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum insomnis servat noctesque diesque.

Quem imitatus Silius, *l. 13. v. 578.* inquit,

Ante aulam, atque aditus, & inexorabile limen,
Quarta cohors, omni stabulante per avia monstrô,
Excubat?

Virg. iterum *l. cit. v. 575.*

--- --- *Cernis, Custodia qualis*
Vestibulo *sedeat?*

Et hinc Nautam stationarium in scapha, *Custodem* appellat Petronius: fuit enim scapha *Vestibulum* navis. Hinc Diphilus apud Athenæum, *l. 5.*

Αὐλὰς θεραπεύειν ἐστὶν ὡς ἐμοὶ δοκεῖ
Ἠ' φυγάδος, ἢ πεινῶντος, ἢ μαστιγίου.

Neque verò Principibus solùm, sed & privatis civibus suæ fuère in vestibulis Excubiæ: qui & ipsi, foribus suis nonnunquàm velum prætendebant. Ulpianus, *leg. 12. §. Papinianus 23. ff. de Instruct. vel instrum. leg. sicut Prothyrum* (aliàs Vestibulum) *domus, si velamen est, instrumento domus continetur*, &c. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*: De *Diis* verò, præter Lares, *ad Vestibulum* collocari solitis, Car. Paschal. *Coronar. l. 4. c. 3.* Uti de inscriptione, qua plerique in Oriente populi portarum *Vestibula* insignire consuevêre, suprà voce *Sinai*; deque alis vulturum, domorum *Vestibulis*, indiciô vetusti ac nobilis generis, in Ægypto, adfigi solitis infrà, ubi de *Vulture*. Fuère & Templa instructa *Vestibulis*, habebantque istis areas adjectas, non solùm Romæ, sed in Coloniis, Municipiisque, ut patet ex *Inscr. veteri* marmoris Neapolitani, apud Wolfg. Lazium, *Comm. Reipubl. Romanæ, l. 5. c. 2. Ab Colonia. deducta. anno. XC. Nvfido. M. F. M. Pollio. duovir. P. Rutilio. Cn. Mallio. Cos. operum. lex. II. lex. parieti. faciendo. in. area. quæ. est. ante. ædem. Serapis. trans. viam. qui. redemerit. prædes. dato.* &c. Fuit autem in istiusmodi *Vestibulis* Tetrastylum, i. e. locus seu spatium quatuor columnis distinctum, quod omnibus deambulaturis patebat, uti discimus ex M. Pollione Vitruvio, *Architect. l. 4. c. 1.* Vide Thom. Dempster. *Paralipom. ad Rosin. l. 2. c. 2.* In Templo Salomonico Propylæum *Vestibulumque* [illegible] dictum. 1. Regum *c. 6. v. 3.* & 2. Chron. *c. 3. v. 4.* & *c. 29. v. 7.* adibatur duodecim gradibus dimidii cubiti, erantque ibi suspensæ catenæ aureæ & supra eas coronæ aureæ argenteæque: ac supra Templi ostium vitis aurea, à qua botri inusitatâ magnitudine dependebant. Erat autem hoc *Vestibulum* seu *πρόναος*, intra quatuor Atria, Gentium, Mulierum, Israëlis & Sacerdotum atque ab Altari Holocaustorum, quod in Sacerdotum Atrio erat, viginti duorum cubitorum spatiô distabat. Solebant hìc Sacerdotes ministrare & confiteri, uti docet Joël Propheta, *c. 2. v. 17. Inter porticum & altare flebunt Sacerdotes, ministrantes Jehovæ & dicant, parce, Jehova, populo tuo.* Atque in hoc loco sanguis Zachariæ, Barachiæ filii, fusus est, Matthæi, *c. 23. v. 35.* Vide Franc. Burmannum, *Synopsi Theol. Part 1. l. 4. c. 15.* ut & de *Vestibulis* Ædium sacrarum apud Christianos aliquid suprà, voce *Prodomus* seu *Pronaus*, item *Narthex*. Adde C. Barthium, *Adversar. l. 2.* & Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce *Προαύλιον* ubi in Templis Græcorum sic dictum, quod sub fornice est cum plateæ parte, quam *impluvium* dixeris, aliàs *ἀμφιπρόαυλον* quoque, & simpliciter *αὐλὴ*, uti meditullium ejus *μεσαύλιον*, & in specie, *Vestibulum* Magnæ Ecclesiæ Constantinop. *χαλκοστατεῖον* appellatum, ubi epicombia jaci & statuæ Imperatorum poni consueverint docet.

VESTIFICI & VESTIFICÆ, in veterib. monumentis memorati, conficiendis vestibus operam insumebant, quibus apud Hebræos præerat ex Sacerdotum ordine magnæ aliquis auctoritatis. Vide quæ suprà diximus, in voce *Vestiarius*: sicut de antiquo Vestium concinnandarum artificio, in voce *Sartor*. Eòdem *Vestiplicæ* pertinent, quarum munus ex ipsa voce dignoscitur. Fabius Major, *Declam. 363. Ter de stupro uxoris, adjectiô pretiô appellatus,* vestiplicam *dominæ habitu misit.* Seneca, *de Tranquill. l. 1. c. 1. Placet non in ambitionem cubile compositum, non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa: Sed domestica & vilis nec servata, nec sumenda sollicitè.* Amm. Marcellin. *l. 28. Dein quum à Silvani lavacro, vel Mammeæ aquis ventitant sospitalibus, ut quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, solutis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat, quæ unà portantur, sufficientes ad juvandos homines undecim* &c. Quid autem, si *Vestiplicæ* sint *Vestispicæ?* quæ, ut ait Varro, *vestem spicerent.* Apud Plautum sanè legitur, *Trinummô Comœdia, Actu 2. Sc. 1. v. 22.*

Vestispicæ, *Unctor, auri Custos, Flabellifera, Sandaligerulæ.*

Ubi Non. Marcellus legit, *Vestispici*, servi nempe vestium custodes. Afranius quoque *Vestispicæ* meminit *Vopiscô*: *Novi non inscitulam ancillulam vespere & Vestispicam*: ubi quam *Vestispicam* vocat, dicunt alii à *Veste*, ut ostendit lapis Romæ: *M. Ulpio. Aug. Lib. Phædimo. Divi. Trajani. Aug. à. potione. item. à. laguna. &. Tricliniarch. Lictori. proximo. & a. comment. beneficiorum. vixit. ann. XXVIII. abscessit. Selinunte. pri. Idus. August. Nigro. & Aproniano. Cos. reliquiæ. trajectæ. ejus. 3. Non. Febr. ex. permissu. Collegii. Pontificum. piaculo. facto. Catullino. &. Apro. Cos. dulcissimæ. memoriæ. ejus. Valens. Aug. Phædianus. à Veste. bene. merito. fecit.* Item *ad Vestem*. Vide suprà & plura apud Laur. Pignorium, *Comm. de Serv.* ac Tit. Popmam, *de Operis Serv.*

VESTIGATOR, servus apud Romanos, Venatoriæ rei inserviens, qui ferarum cubilia per *vestigia* indagaret. Ulpianus, *l. 20. ad Sabin. l. 12. §. 12. ff. de instr. vel instrum. legat. Vestigatores & canes & cætera, quæ ad venationem sunt necessaria, instrumentô contineri.* Servius *ad illa, l. 4. Æn. v. 121.*

--- --- *Saltusque indagine cingunt.*

Indagine, inquit, *ferarum inquisitione & quidam cum* Vestigatoribus, *Alatorum mentionem inductam accipiunt: Nam indaginem* Vestigatorem *ipsum tradunt. Alas verò, Alatores, qui dextrâ & sinistrâ plagarum sublatâ voce prohibent foràs exire.* At Columella *Vestigatorem* & *Indagatorem* ad apes transtulit, *l. 9. c. 8. Nam statim sonô territum, vel in frutice vel in editiore sylvæ fronde consider, vel à* vestigatore *præparatô vase reconditur*: quod Tit. Popma non animadvertit *de Operis serv.* Fuit autem *Vestigatoris* minister canis, vestigia odorari catus, ut habent leges Bajoariorum, *l. 26. ff. mandati*; cujus pretium solertia naris est & industria; quemque *nare* mereri dixit Gratius Poëta. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis.*

VESTIGIUM, à *Vestigo*, signum est cujuscunque rei adeò impressum, ut facilè deprehendi possit. Virg. *Ecl. 4. v. 31.*

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia *fraudis.*

Ovid. *l. 3. Amor. El. 7. v. 19.*

Cerne cicatrices, veteris vestigia *pugnæ* &c.

Vide Vallam, *Eleg. l. 5. c. 45.* Becmannum, *Origin. LL. p. 566.* & Salmas. *Not. ad Pallium Tertulliani, c. 4.* In specie, signum pede factum, Græc. *ἴχνος*, imò aliquando pes ipse seu planta, ut pluribus docet Casp. Barthius, *Animadversion. Papinian ad l. 2. Theb. v. 11.* & Jac. Ouzelius *ad Minucium Fel. p. 8.* Hæc adorare ac venerari summus cultus. Idem Poëta, *l. 12. Theb. extr. v. 817.*

Vive precor, nec tu divinam Æneïda tenta,
Sed longè sequere & vestigia *semper adora.*

Cujus moris luculenta in Sacris, Mosis imprimis & Eliæ historia, exempla. Quò respiciens Amedæus Lausann. *Homil. 3. Demus itaque ait, gloriam Deo, & cadentes in facies nostras adoremus à longè vestigia.* Supplicibus id inprimis factitatum. Amm. Marcellin. *l. 17. Manus ad dimicandum aptatas, armôrum abjectô munimine ponè terga vinxerunt; restareque solam salutem contemplantes in precibus, effusi sunt vestigiis Augusti Clementis.* Et Statius iterum, *l. 11. Theb. v. 689.*

--- --- *An expectas, ut pronus supplice dextra*
Sternar? & immitis Domini vestigia *quæram!*

Apud Gentiles præsertim, cum Diis suis supplicabant. Appulejus, *Milesiâ 6. Tunc Psyche pedes ejus advoluta & uberi fletu rigans Deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis.* Et *Miles. 11. Exin gaudiô delibuti populares thallos, verbenas, corollas ferentes, exosculatis* Vestigiis *Deæ, quæ gradibus hærebant argento formata, ad suos discedunt lares.* Id quod Græci dixêre *τὰ ἴχνη τοῦ ἀγάλματος προσφύναι*, uti videmus apud Heliodorum, *Æthiopicorum l. 5. & 7.* laudatum Desid. Heraldo, *ad Arnob. l. 6.* Imò

Crinibus nonnunquàm matronarum passis verri hôc fine ac lachrymis tingi consuevisse, notum. Sed & floribus ea prosequebantur, de victoria vel re alia bene gesta gratulantes, ut hîc passim videre est. Sanguine verò mutuò in fœderibus aspersa, veterum Danorum more: quò pactô Liserum piratam & Hadingum Grami Danorum Regis filium exulem, arctissimis societatis vinculis colligatos, Lokero Curetum tyranno bellum denuntiâsse, legitur apud Saxonem, *l.* 1. &c. Cæterùm *Vestigium Herculis*, petræ impressum, in Exampeo loco medio inter Borysthenem & Hypanim, juxta fluv. Tyrem, bicubitali magnitudine, ostensum olim à Scythis, memoratur Herodoto, *l.* 4. sicut de *Adami vestigio* in monte celsissimo *Pico d' Adam*, in Insul. Teneriffa, simile quid narrari ab incolis, *Itinerariorum* Scriptores notant. Contrà Ladas, Alexandri cursor, *vestigia* arenæ nulla impressisse & visum sæpe fefellisse, legitur apud Alexandrum Neapolit. *Genialium Dierum l.* 2. *c.* 21. Sed & *Vestigia genuum* Domini N. J. Christi Gethsemani lapidibus impressa, ex frequenti ad preces ingeniculatione, cerni, ex Beda Baronius refert: quod, quia neque Eusebius, neque Hieronymus, tanto vetustiores Bedâ Scriptores, & testes oculati, ullam rei mentionem faciunt, venit in suspicionem Casaubono, neque falsum, neque verum esse penitùs. *Fieri enim*, inquit, *potest, ut ejus memoriâ extarent vestigia quædam genuum in cavato lapide, ex assidua attritione illorum, qui ad precandum, ut ait Eusebius, magnô studiô illuc conveniebant & genua ibi flectebant. Nam ita hodie, ante celeberrima quædam altaria impressa* vestigia *orantium, & saxa usu cavata observavimus: nunquam verò magis insigniter, quàm in primaria Cantuariæ Ecclesia, illô locô, ubi fuit olim figura Thomæ Beceti; qui superioribus seculis multò studiosiùs ibi solitus coli, quàm vel B. Virgo, vel ipse Christus: quod demonstratione certissimâ, & ὀφθαλμοφανεῖ è monumentis ejus Ecclesiæ probare possemus, si id ageretur. Videtur tale quid contigisse Gethsemani* (loco, in quo ante Passionem CHRISTUS oravit, & in quo diu pòst preces peragere Christiani studebant) *in ea Ecclesia, cujus meminit Hieronymus: quod per errorem vel superstitionem ad Dominum retulerant, qui eam Bedæ Historiam narrârunt. Expendantur Eusebii verba*, quo in loco etiam nunc homines magnô studiô preces faciunt; *non videbitur a probabilitate alienum, quod diximus.* Vide Isaac. Casaubon. *Exercitat.* 16. §. 63. De *Vestigiis* verò *Deorum exeuntium in Foro visis*, sub Commodo, apud Lampridium *in eo, c.* 16. quod prodigium aliàs quoque in Historia Rom. legas non semel, eundem, *Not. ad Lamprid.* uti de *Vestigiis* in genere plura, apud Barthium, *ad Claudianum &c.*

VESTILIUS, prænomine *Sextus* Prætorius, quem, Druso fratri percarum, Tiberius in cohortem suam transtulit; dein literis ad Senatum accusavit, quòd quædam in C. Cæsarem ut impudicum composuisset: qua de causâ convictû Principis prohibitus, cùm senili manu ferrum tentavisset, obligavit venas, precatusque per codicillos, immiti rescriptô, venas resolvit, Tacit *l.* 6. *Annal. c.* 9.

VESTINI, populi Italiæ Sabinis & Picentibus vicini. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Apud eos olim fiebant casei laudatissimi. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 31.

Si sine carne voles jentacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Vide Suidam in Βεστῖνοι. *Baudrando* sub Samnitibus fuêre, à Septentrione Matrinô fluviô divisi à Piceno, ab Occasu Aternô fluviô à Marsis, à Meridie eôdem Aternô à Pelignis & Marrucinis, ab Ortu denique Superô Mari agitabantur. Erant ubi hodie pars Aprutii ulterior. inter fluv. Aternum & *Piomba*. Eorum urbes fuêre Amiternum, Aternum, & Pinna.

VESTINUS, vide *Atticus*.

VESTINUS, prænomine *Lucius*, Equestris ordinis, sed auctoritate famâque inter proceres, in quem Vespasianus Imperator curam restituendi Capitolii contulit. Tacit. *l.* 4. *Hist. c.* 53. Ortus ex colonia Viennensi, familiaris Claudio Cæsari. Ex *tabula Lugdun.*

VESTIPLICA, vide suprà *Vestispici*.

VESTIRE, seu INVESTIRE, est plenam possessionem terræ vel prædii tradere: Unde *Devestire*, possessione aliquem exuere: *Revestire*, ejectum restituere: Omnia à *vestitu* dicta, quod per Investiendi ceremoniam ipsius terræ *vestitus*, hoc est, herba, fructus, ædificia, proventus, in alterius transferuntur dominium. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archaol.* & supra in voce *Investitura*.

VESTISPICI, &, Æ, vide *suprà*.

VESTIS, primi hominis innocentia fuit, cui, postquàm iniquitas successit, *vidit se nudum esse, & consutis foliis fecit sibi subligacula*, Genes. *c.* 3. *v.* 7. ut sic *membris minimè honestis honorem circumponeret*, prout loquitur Paulus 1. Corinth. *c.* 12. *v.* 23. lapsusque turpitudinem, quantum pote, absconderet; Hæc prima hominis pars *veste* tecta est. Verùm, cùm is de pudore solùm obvelando esset solicitus, benignissimus Conditor, irritatus quamvis tam gravi offensâ, saluti ejus consulturus, & pectus quoque, quò minus aëris pateret injuriis, muniturus, ipse; ipse *Jehova Deus Adamo & uxori ejus tunicas fecit pelliceas, quibus vestivit eos, c. cit. v.* 21. Quô factum, ut vestes istiusmodi, è cæsorum animalium pellibus confectæ, antiquissimis mortalium, post Adamum jam memoratum, fuerint in usu: uti de Indorum Philosophis, Scythiæ populis, Persis: imò etiam priscis Romanæ Curiæ Senatoribus, legimus apud Platonem, *in Protagora*, Ciceronem, *l.* 1. *Tuscul.* Strabonem, *l.* 15. Herodotum, *l.* 1. Propertium, *l.* 4. *El.* 1. Alios Vide Thom. Dempster. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 31. & suprà in voce *Pellis*. Inde vellus, à quo *Vestis* quidam arcessunt nomen, & lana adhibita; post eam linum, commoditatis causâ: cœpêreque hyeme lanea, æstate linea indui, Artemidorus, *l.* 2. *c.* 3. etiam cùm duarum vestium usus, de quo mox, increbuisset, exterior ex lana, interior ex lino fuit. Donec crescente luxu, purpura sericumque successit, imò aurum *Vestibus* intexi variæque Phrygii operis picturæ illis illudere ausæ sunt. Mansit tamen prisci ævi simplicitas satis diu, &, & sicut pectore pudendisque velatis, caput & pedes intectos plurimæ Gentes per bene longum servavêre tempus, ut dictum suprà, ubi de *Nuditate*; item voce *Phænomerides*; ita una *Vestis* ad omnes usus per multa secula suffecit. Posteà altera accessit cœpitque adhiberi vestis una exterior, Hebræis מעיל *Mehil*, Græcis ἱμάτιον, Latinis *Toga*: altera interior, Hebr. כתנת & ex Hebræo Græcis χιτὼν, Latinis *Tunica*: diutissiméque sic vixêre mortales, ut in communi usu majorem omnem *Vestem*, præter has duas, ignorarent; aut certè non communiter usurparent. Dico *majorem*, quia linteamina quædam aut pannos à variis Gentibus esse adhibitos tegendis partibus, quas pudor jubet tegi, non negaverim. Cujusmodi fuêre apud Hebræos linea feminalia, quæ, usque ad genua & poplites venientia, celabant verenda: superiore autem parte sub umbilico arctè adstringebantur, מכנסים ipsis dicta, Græcis Interpretibus περισκελῆ, h. e. *feminalia*, ut observat Hieronym. *Epist. ad Fabiolam*. Demùm tertia adjecta est *Vestis*, sed quâ perdiu frugi homines parcè usi. Varro, *Cat.* sive *de liberis educandis*, *Mihi puero modica una fuit tunica & Toga; sine fasciis calceamenta, equus sine ephippio, balneum non quotidianum.* Quin fuêre prioribus jam seculis, qui, priorum hominum institutô viventes, unicâ veste, saltem per æstatem; quidam & per hyemem, essent contenti. Hinc de Agesilao Plut. *in Apophthegm. Laconum*, ipsum σφοδροῦ χειμῶνος ὄντος. *quando erat hyems intensa*, solitum fuisse ἀχίτωνα h. e. *sine tunica*, in publicum prodire, tradit. Similiter apud Romanos Candidati, in Comitio, sine tunica prensabant, in Toga candida: quò vulnera militiæ accepta Populo ostentare possent, ut docet Plut. *c. Rom.* 49. Nec aliter Lycurgus Orator Athenis causas egit, aut Cato Romæ pro tribunali judicavit; ut idem magnus Scriptor in *Vitis* eorum refert. Ubi verò inter Homines plus voluptati tributum, prior virtus mascula decrevit & corpora facta sunt alsiosa magis; alii tunicas plures gestârunt; alii easdem duplicârunt: quidam & in exteriore veste idem fecerunt. Galenus namque *de usu part. l.* 4. subobscurè significat, suô tempore Tunicas fieri consuevisse συνθέτους, *è pluribus pannis compositas* & παχείας, *crassas*. Sed & plures simul gestare mos fuit: Quare nominatum inventa, quibus Tunicam distinguerent ἐχόμενον *carni proximam* (quæ & ὁ ἐνδοτέρω χιτὼν Græcis, alicubi etiam Ὑπόδυσις) ab illa quæ inter hanc & Togam assumebatur. Varro, de *Vita Pop. Rom. Posteaquàm binas Tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare Subuculam & Indusium*, de quibus vocibus vide suprà. Neque hoc apud Romanos solùm, sed & alios, usu venit. Eustathius enim, *Il. β.* duo genera χιτώνων seu Tunicarum memorans, unum illorum è lino fieri solitum corpori adhæsisse; alterum, ἐξ ἁπαλῶν ἐρίων, *è mollibus lanis*, compositum, intimæ vesti superindui consuevisse, scribit. Eundem cultum Populis quibusdam Assyriæ Strabo attribuit, *l.* 16. Χιτὼν λινοῦς ποδήρης, ἐπενδύτης ἐρεοῦς ἱμάτιον λευκὸν, *Tunica linea talaris*, nostræ camisiæ respondens, *Tunica altera exterior lanea, & Pallium album.* Apud Hebræos verò tunicæ interioris mentio rarior: quo minùs probabile nonnullis DOMINUM nostrum, cujus vita universa simplicitatis & λιτότητος exemplum extitit, illâ usum fuisse. In Euangeliis certè nusquam illius comparet mentio: etsi habuit fortasse, sub Tunica inconsutili, linteamina quædam, qualia feminalia ex Hieronymo suprà descripta fuêre. Adeoque rem ex antiquis moribus æstimanti videtur Dominus noster *vestes* gestâsse, non, ut quidam olim putârunt, quinque; ac ne tres quidem, ut Euthymio placebat: sed duas tantùm, Pallium sive *Mehil* & Tunicam inconsutilem, quam opus fuisse manuum gloriosæ Virginis, antiquâ traditione, proditum est. Nec obstat, quòd è lana fuerit: illustrissimas enim puellas matronasque olim lanificio manus commodâsse, ex Suetonio discimus, ubi de filia & nepte Augusti, *l.* 2. *c.* 64. quod institutum mansisse videtur usque ad Chrysostomi tempora, qui seculô suô, quòd propter mulierum mollitiem illud à fœminis transiret ad mares, convitium dixit, *Homil.* 34. *Epist. prior. ad Corinth.* Vide Isaac. Casaubon. *Exercitat.* 16. §. 84. & plura *de Vestibus*, apud Phil. Rubenium, Octav. Ferrarium, Alios, qui *de Re Vestiaria* ex professio egerunt, ut & infrà, ubi varia *Vestium* genera paucis subnectemus. Non possum tamen non paulo prolixius *Vestitus* Hebraici, tum profani tum sacri, meminisse. Cùm enim gentem istam continuò velut Legis septô, ita Deus inclusisset, ut nihil publicæ privatæque rei, nisi ipsô Arbitrô, agere posset; in *Vestitu* quoque, quædam ei cavenda, quædam observanda fuêre. Et quidem lanæ linique fila vario textu miscere, ac inter se confundere prohibiti, simplici munditie contenti esse tenebantur, Levit. *c.* 19. *v.* 19. Marem fœminæ, ac mulierem virili cultu (quod in quibusdam Gentilium sacris fiebat) conspici erat nefas, Deuteron. *c.* 22. *v.* 5. Idololatrarum quoque in morem, verticem attondere, aut genas turpare; porrò ob luctus sævitiam corpus incidere, graviter vetabantur, Levit. *c.* 19. *v.* 27. & 28. Contrà Leges acceperunt, de vestimentorum fimbriis, quas ציצית appellant, deque Philacteriis, תפלים, & טוטפות dictis. Jussi namque sunt Judæi Lege Numer. *c.* 15. *v.* 38-40. & Deuteron. *c.* 22. *v.* 12. extremis oris *Vestium* filorum, coloris hyacinthini sylvam seu peniculamenta quædam, qualia è tela dependere videmus, attexere; ut mnemosynô istô de præceptorum Dei observantia admonerentur. Talia & SERVATOREM gestâsse colligitur ex Lucæ *c.* 8. *v.* 44. Pharisæi verò cùm ambitiosè nimis ista venditarent ac Religionis ferè arcem in illa cultus divini lacinia ac particula constituentes, *fimbrias palliorum suorum producerent, ac phylacteria sua ampliarent*, non leviter à Domino reprehenduntur, Matthæi *c.* 23. *v.* 5.

Addebant

Addebant præterea hisce filamentis capsulas quasdam, ex corio confectas, Legisque quibusdam titulis inscriptas, quas precaturi fronti vel brachiis præcingebant, & תפילים appellabant: quas quia ædium quoque postibus Magicô propemodùm ritu, tanquàm precamina & amuleta, averruncandis malis Spiritibus, affigebant, *Phylacteria* dixêre; ritus occasione depromptâ ex Deuteron. *c.* 6. *v.* 4. --- 9. ubi tamen, parœmiali potiùs locutione, accurata eis Legis observatio inculcabatur, quam velut in oculis & manibus gestare, nec unquàm obtutum vel gressum ab iis removere jubebantur. Vide Francisc. Burmannum, *Synops. Theol. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 10. *de Judæorum Vestitu.* Sacras Hebræorum Vestes quod attinet, quibus in Templo ministrare mos erat, Levit. *c.* 8. *v.* 7. 8. 9. Pontifici erant duplices. *Aureæ* 8. & *Albæ* 4. Illæ dicebantur sic, non quòd totæ aurô constarent, vel omnes aurô illusæ ac interstinctæ forent, sed quòd quibusdam ex iis aurum variè intextum; reliquæ autem cæteris ejus vestibus ornatiores ac splendidiores erant: Tales fuêre, *Femoralia*, *Tunica*, *Balthens*, *Cidaris*, *Pallium*, *Ephod*, *Pectorale* & *Frontale*, è quibus quatuor priores etiam reliquis Sacerdotibus communes erant: omnes ex lino purissimo ac pretiosissimo. Atque in sacro hoc ornatu ministrabat Pontifex quotidiè in Sanctuario, juxtaque cum Sacerdotes suô ordine; neque sine his sacris operari ullatenus licebat: Imò ubi vel minimum ex iis deerat, Pontifex מחוסר בגדים *Defectus vestibus* dicebatur habebaturque profanus. Istæ, nempe Albæ, quas Pontifex quoque habebat, quatuor erant, quatuor prioribus cognomines, *Tunicæ* videl. *Bracca*, *Cingulum*, & *Pileus* seu Cidaris, atque è lino contextæ. Quibus solus utebatur Pontifex, idque semel tantùm in anno, cùm piaculare Sacrum administraturus interius Adytum intraret: quô peractô, eas *Vestes* deponebat, sequente annô novas rursus accepturus, vide Exodi *c.* 28. & Levit. *c.* 16. *v.* 4. - -32. Ubi hæ *Vestes* fuerint reconditæ, quisque illarum curam habuerit, diximus suprà, in voce *Vestiarium*, item in *Vestiarius*: addam hîc quædam de loco, tempore, & modo, illas gestandi. Et quidem, cùm Ministeria universa, ex sortitione peragenda essent, conveniebant, juxta Ephemeriarum vices, quôlibet summô manè in *Liskat hagazith* (locô, ad Templum, Synedrii Magni, ante ejusdem sessionis horam) & induebant ibi *Vestes sacras*, Sacerdotes illi omnes, qui Ephemeriæ essent præsentis. Jam verò, ne Ministeria sacra turbarentur, si suum cujusque officium quisque non satis dignosceret, collocabantur illic in gyro universi illi, quos facile sic intuens Præfectus Sortium (munus in Templo celeberrimum) pro arbitratu suo, unum eorum aliquem seligebat, cujus pileum exuens statim induebat: in signum, ut in sortiendo is velut terminus esset. Dein consentiebant in numerum aliquem, tum Ministeriis diurnis integris, tum sortitioni idoneum, velut 60. 80. 100. 1000. plures paucioresque sortesque inibantur quatuor: Prima, de Altari cineribus aliterque purgando, eoque apparando & igne struendo; Secunda, de Immolationibus aliisque Sacrificiorum solemnibus plerisque; Tertia, de Suffimentis; Quarta, de levandis membris Sacrificii in Altare. Tunc, dicente Præfectô *Digitos extendite*; per gyrum extendebat quisque digitum sive unum sive duos, sive etiam, ut quidam volunt, tres: sicque Præfectus ab eo, cujus pileum primò exuerat, incipiebat numerare, usque dum compleretur numerus, in quem consenserant. Quô modô Sortibus ritè peractis prodibant inde, sacris induti Vestibus, ad munera obeunda sic sorte designati, cæteri autem Sacerdotes vestibus illis ab Æditius exuebantur, sic ut eis earum nulla relinqueretur, præter Femoralia, idque tantùm usque dum vestes profanas essent induti; Tum enim & Femoralia sacra eis exuebant, vestesque cunctas arcis suis restituebant, qui huic rei præerant modò memorati. Fuit verò sacrarum illarum vestium usus non nisi intra Templum, quod multis probat Seldenus: Unde & cineres elaturus Sacerdos, exuere vestes sacras, aliasque induere, jubetur Levitic. *c.* 6. *v.* 10. & 11. & cùm è Sanctoin Atrium exterius Sacerdotes egrediebantur, *vestes suas, in quibus ministraverant, ibi reponere atque aliis vestibus sese induere sicque accedere, ubi Populus erat*, tenebantur. Ezech. *c.* 42. *v.* 14. Quoties autem sacris induerentur, priùs lavabant sese in Templo: Unde, tum quòd stantes ac nudis pedibus rem divinam facerent, tum quòd tenui linô vestiti erant, quod sæpius de die ponere ac sumere necesse erat, dum identidem lavare vel ministerium mutare opus habebant, frequentibus morbis obnoxii fuêre. Interim casu extraordinariô & necessitate ingruente, sacris Vestibus indutis extra Templum prodire licebat, quod tamen rarò fiebat: ut de Jaddo Pontifice summo, cum toto Sacerdorum comitatu, obviàm procedente Alexandro M. Hierosolymam venienti apud Josephum, legimus. Addendum & hoc, licuisse Sacerdotibus Ministerii sui die totô Sacras gestare Vestes, exceptô cingulô, quod cùm singulare quid esset & sacrum reliquarum retinaculum, non nisi in ipso Ministerii actu, sumere fas erat, &c. Vide Joh. Seldenum, *de Synedriis Veter. Hebræorum*, *l.* 3. *c.* 11. *ex Hebrais Doctoribus*, *Maimonide inprimis Kalach*, *Celi Hammikdasch*, *egregiè hac de re disserentem.* Hactenus de *Vestibus*. Partes in iis tres fuêre, τὸ στόμα, ut Græci vocant, Latinis *summa ora*, quæ circa collum, & humeros hærebat: ἡ πέζα, extrema vel ultima ora, quam *ultimam fimbriam* appellat Trebellius *in Zenobia*, *c.* 30. & medium, quod zona comprehendebatur in tunicis & aliis id genus vestibus, quæ cinctui erant; aut fibulis adstringebatur, ut in palliis, chlamydibus, & aliis id genus amictus; qua de re vide Salmas. *ad Trebellium*, *d. l.* & de ornamentis harum omnium hîc passim. Earundem apud Romanos colores enumerat Nonius, *Cymatilem*, aut *Marinum*, *Molochinum*, *Impluviatum*, eos qui erant à Caltha & Croco, *Citrinum*, *Ferrugineum*, *Ostrinum*, *Luteum*, *Violaceum*, *Pullum*, *Anthracinum* &c. *Albus*, & *Candens*, lætitiæ indicium; *Pullus* ac *Niger*, funeribus ac luctui congruebat, vide Laur. Pignotium, *Comm. de Servis*, Thom. Dempster. *Paralipom. ad Rosin. passim*, *inprimis ad l.* 5. *c.* 31. præter Autores suprà laudatos: quibus adjicere liceat Ovidium, *de Arte amandi*, *l.* 3. *v.* 169. *s.*

Quid de Veste loquar? Nec jam, segmenta, requiro:
Nec quæ bis Tyriô murice lana rubes.
Cum tot prodierint pretiô leviore colores:
Quis furor est, census corpore ferre suô?
Aëris ecce color, tum cùm sine nubibus aër,
Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas.
Ecce tibi similis, qui quondam Phryxon & Hellen
Diceris Inois eripuisse dolis.
Hic undas imitatus, habet quoque nomen ab undis:
Crediderim Nymphas hâc ego veste tegi.
Ille crocum simulat, croceô velatur amictu,
Roscida luciferos cùm Dea jungit equos.
Hic Paphias myrtos: hic purpureas amethystos:
Albentesve rosas, Threiciamve gruem.
Nec glandes, Amarylli, tuæ, nec amygdala desunt:
Et sua velleribus nomina cera dedit.

Versicolores verò vestes Lenonum ac Meretricum erant, ut suprà diximus: de *Coloribus Vestium*, quibus personæ Comicæ olim pro ratione ætatis, officii, sexus usæ, vide Jul. Cæs. Scaligerum, *Poetices l.* 1. *c.* 13. adde quæ de *Coloriis* retrò dicta. De *rugis Vestium*, vide itidem suprà. Ut verò pateat, quantus fuerit Romæ mulierum *in vestitu* luxus, etiam nondum subactâ Asiâ, nondum Orbis spoliis ac peregrinis delitiis bellicosâ Martis gente emollitâ, placet ista Senis Plautini *in Epidico Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 38. *s.* subjungere:

EP. *Sed vestita, aurata, ornata, ut lepidè! ut concinnè! ut novè!*
PE. *Quid erat induta? an regillam induculam an mendiculam?*
impluviatam? ut istæ faciunt vestimentis nomina.
EP. *Utin' impluvium induta est?* PE. *Quid autem istuc mirabile?*
Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.
At tributus cùm imperatus est, negant pendi potesse.
Illis, quibus tributus major penditur, pendi potest.
Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt novas?
Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium,
Indusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam,
Supparum, aut subnimiam, ricam, basilicum, aut exoticum,
Cumatile, aut plumatile, cerinum aut melinum, gerræ maximæ,
Cani quoque etiam ademtum 'st nomen. EP. *Qui?* PE. *Vocant Laconicum.*
Hæc vocabula auctiones subigunt ut faciant viri.

Sed & Artificum catalogum, quorum industriam lassavit *Vestiaria* hæc *prurigo*, videmus ex ejusdem Aulularia, *Actu* 3. *Sc.* 5. *v.* 33. *s.*

Sed hoc etiam pulchrum est, præquam ubi sumtus petunt,
Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones, patagiarii, indusarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murobathrarii,
Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii adstant, adstant molochinarii,
Petunt fullones, sarcinatores petunt,
Strophiarii adstant, adstant semizonarii;
Jam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt.
Trecenti cùm stant phylacistæ in atriis,
Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur
Æs. Jamque hos absolutos censeas,
Cùm incedunt infectores crocotarii,
Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat;

Quæ omnia explicata habes, apud laudatum Ferrarium, ubi suprà, *Part. prior. l.* 3. *c.* 20. & 21. Vide quoque, voce *Fœmina*. Cæterùm omnis vestis apud Græcos aut ἐπίβλημα, aut ἔνδυμα, aut *amictui* aut *indutui* fuit. Et quidem tunicæ omnes ἐνδύματα dicebantur & indutui erant, quæ ad corpus pressulè hærentes indutu illud comprehendebant. Ἐπιβλήματα verò, quæ & περιβλήματα, palliorum omne genus, quòd cæteris vestibus circumjecta & superjecta vagô & liberô discursu eas ambirent: *amictus* & *amicula* quoque hinc Latinis dicta. Vide Salmas. *ad Pallium Tertulliani*, *c.* 4. Texebantur autem antiquitus, imò & sequenti ævô apud frugaliores, à fœminis, matribus nempe, sororibus, cognatis, ut de Alexandro M. ex Curtio notum. Hinc *Statius l.* 9. *Theb. v.* 691. ubi de Parthenopæo,

Lucentesque aurô tunicas (hoc neverat unum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclô.

Quam in rem, vide plura apud Casaubon. *ad Suetonii Aug. c.* 73. ut & aliquid suprà voce *Occus*. Iisque intexebantur historiæ, effigies, carmina, aliaque monumenta, uti pluribus docet Barthius *in Superstitionum Commentariis.* Vide quoque Plinium passim, inprimis, *l.* 8. *c.* 48. ubi & *de acu pingendæ vestes arte*, de qua aliquid suprà jam diximus, ubi de *Phrygionibus*: nec non, ubi de *Plumariis*, & *Polymitariis*. Textæ porrò aliæ quotidianæ erant, aliæ pretiosæ, quæ premebantur ponderibus ac tormentis, ut splenderent, & in arca condebantur servabanturque, festivis tantùm diebus & solemnitatibus inde promendæ ac sumendæ. Seneca, de *Tranquill. Animi c.* 1. *Non ex arcula prolata vestis, non ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa.* Vide quoque suprà, ubi de *Catoclistis*. Erantque vel singulares, Græcis μοναχοί, vel in synthesi struebantur certôque numerô secundùm species inter se jungebantur ac componebantur: se-

prenæ autem vestes ejusdem coloris, facturæ & materiæ synthesin unam constituebant, ut septem tunicæ sublericæ coloriæ, septem purpureæ, septem pallia aurô sparsa &c. Vide suprà, voce *Synthesis*. Quò vero odore redderentur commendabiles, baccar, heliochrysum, saliunca, poma etiam aurea interponebantur, uti ex Plinio passim discimus. Sic cùm usus poscebat, depromebantur, & unguentis nonnunquam insuper odoribusque perfundebantur, cujusmodi vestes *τεθυμιάμενα* dictas, docet Salmas. *ad Solin. p.* 952. Induebantur autem, vel nunquàm deponendæ, id quod in Eleusiniis Sacris observatum, ubi, quam quis, dum initiaretur, vestem gestâsset, eam non priùs exuebat, quàm victa tempore omnino inutilis esset facta, Cœl. Rhodig. *l.* 16. *c.* 9. Vel deponendæ, cùm exercitia, balnea, somnus, suaderent. Quibus defuncti vel resumebant, & cùm detritæ aliquantum essent, interpolabant: vel novis mutabant quotidie, uti Nero, & Heliogabalus, quos unâ veste bis nunquàm usos fuisse, legimus. Pertinent huc, quæ de more *adducendi vestes* affert Casaubonus *ad Suetonii Aug. c.* 28. ubi & Græcorum verba *καθέλκειν* & *ἀνέλκειν*, in hac re usitata, explicat pluribus. Mutabant autem vestes prisci non solùm, quoties *nova veterem excludebat*, uti loquitur Aurelianus apud Vopiscum: sed & in amicorum ac propinquorum periculis, Liv. *l.* 5. *c.* 20. In judicio quoque non rei solùm, verùm etiam cognati, affines, liberti & familiares eorum, pro more veteri, vestem mutare capillumque submittere consueverunt, Venul. *l.* 39. *ff. de injur.* qua de re plura apud Jac. Rævardum, *Varior. l.* 3. *c.* 6. Sed & *Vestes commutare* milites jussit Chares, qui, cùm vehementissima ingruisset tempestas, conspicatus milites vestimentis parcere, mandavit ut ea inter se commutarent; quô factô cùm singuli alienarum vestium nullam rationem haberent, promtiùs id, quod imperatum fuerat, exequebantur, apud Polyænum, *l.* 3. Ut de mutatione illa, quâ captivæ bellô fœminæ, cùm ad Israëlitarum conjugium & sacra transirent, inter alios ritus, utebantur olim, deque mundatione earum ceremoniali in V. T. in præsens nil addam. At mulieribus vestis cum virili, & viceversa commutatio, sub mortis pœna, in Sacris vetita; idololatris quippe in usu, vide suprà *Venus* & infrà quædam. Etiam patriæ vestis cum peregrinâ permutatio, quippe cum morum ruina conjuncta, malum semper omen, & imitatio hæc servitutis prodromus non vanè creditus, uti ex sacris Scriptoribus profanisque, & experientia quotidiana, liquet affatim. Ut & hæc addam, *excutiebant* Hebræi *vestem*, cùm significare vellent hôc ritu & ominari imprecarique, aliquem à Deo suis bonis excussum iri, uti de Nehemia legimus in concione vestis gremium excutiente, adversùs eos, qui æs alienum fratribus remittere nollent, *c.* 5. *v.* 13. Timidiores, honoratiorem aliquem compellaturi, *tangebant*. Statius, *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 197.

—— timidè primùm vestigia jungit
Accessu tacitò summosque lacessit amictus:

ubi Barthium vide. Lugentes *scindebant*, de quo more idem passim, inprimis *ad v.* 171. ejusdem carminis, ubi plurimos in eam rem Auctores citat. Etiam in omni gravi commotione lacerabant, uti videre est apud Casaubon. *ad Suetonii Aug. c.* 52. Vide quoque suprà, ubi *de Luctu Veter.* Aliô fine discidit vestem suam Trajanus, pro obligandis videl. militum suorum vulneribus, bellô contra Decebalum Dacorum Regem apud *Dionem Nicaeum.* Sed & *cædebantur* vestes, interdum pro corporibus. Sic Artaxerxes Mnemon Ducibus, si quid deliquissent, ignominiæ locô detractas vestes, flagellari jussisse, legitur, apud Plut. *in Apophthegm.* quod hodieque in Principum filiis obtinere, notum. Et *præscindebantur.* Sic toga, abscissis laciniis deformis, ignominiæ causâ sumi jussa, occurrit apud Val. Maximum, *l.* 2. *c.* 7. cujus moris vestigium quoque 2. Sam. *c.* 10. *v.* 4. ubi de Legatis Davidis Regis ad Channunem Hammonitarum Regem missis. Gravius id, quòd Draconem Atheniensium Legislatorem, cùm in Ægina insul. in Theatro sederet, *vestium* injectu necatum legimus, apud Zuingerum, *Theatrô Hum. Vitæ p.* 1141. Nec omittendum, quòd apud eundem *Vestes sepeliri* interdum cum mortuis consuevisse, apud Germanos veteres inprimis, extat, ex Alex. Neapolitano, *Genialium Dier. l.* 3. *c.* 2. Certè solitos etiam Italos olim efferri honestissimâ veste, notum ex Juvenali, *Sat.* 3. *v.* 171.

Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus

Nec hos solùm, sed vulgò etiam Græcos Latinosque in more habuisse, ut comptiores efferrentur, quàm vixissent, fuisseque *καλῶν ἐνταφίων* studiossimos, Casaubonus docet, *ad Cimonem Nepotis c.* 4. Sic in purpurâ Romæ Censores, prætextâ Magistratus, Græci palliatos funerari mos, uti videre est apud Lipsium, *Elect. l.* 1. *c.* 5. Manutium 3. *Quæst.* 1. Alios. &c. Ne intactæ planè discedant *Vestes Militares*, dicam verbô, eas sub salario non fuisse comprehensas, ut à quo distinguuntur, apud Vopisc. *in Probo*, *c.* 5. & in Cod. Theodos. in quo diversi habentur tituli *de Erogat. milit. annonæ & de Veste mil.* Illarum frequens inspectio, inter præcipuas prudentis Ducis curas, commendatur Vulcatio Gallicano *in Avidio Cassio*, *c.* 6. ubi illum septimô quôque die; Capitolino *in Maximino*, *c.* 10. ubi quotidie; *in Gordiano*, III. *c.* 28. ubi semper, id eum fecisse, adnotant, vide Casaubon. *Not. ad Vulcatium*, *loc. cit.* Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano*, *c.* 7. ubi de præcepto illo hujus Imperatoris oeconomico suprà jam laudato, *Vestis nova vestem veterem excludat.* Militibus verò interdum & inter dona *Vestes* fuêre, uti refert *in Alexandro Sev.* Lampridius, & diximus suprà, ubi de *Præmiis* eorum, qui in Veterib. *Certaminibus* victores fuêre. Sed & *rubram vestem in Ducis tabernaculo erectam, apud Pœnos, & in castris Annibalis* prælii signum fuisse, habes apud Alexandrum Neapolit. *Genialium Dierum l.* 4. *c.* 2. Apud Lacedæmonios verò eôdem colore militum vestis tincta, ut alibi dictum &c. Plura hîc passim. Addo saltem, de ritu veterum Christianorum, qui baptizandos totô penitus corpore nudabant, postmodùm illos *veste candidâ* induebant, usque ad Bernhardi tempora in Ecclesia Latina observatos; deque *ordine vestium*, quô primùm indusium, tum subuculam cum subligaculis seu femoralibus, tertiò stolam, quartò pallium, sumebant Veteres, varia reperiri, apud Vossium, *de Baptismo, Disput.* 1. *thes.* 6. 7. & 8. Heinsium, *in Aristarch. c.* 30. Lud. de Dieu, cui *ἐπενδύτης* Joann. *c.* 21. *v.* 7. ubi de Petro, vestis fuit inter indusium & stolam media, & Job. Casp. Suicerum, *Thes. Eccles.* in vocibus Ἀπένδυσις, Ἔνδυμα, Ἐσθής, alibi: qui postremus, etiam *Festi duplicis Depositionis scil. sacrarum Vestium & Zonæ B. Virginis*, quæ Græci Κατάθεσις vocârint, & 2. Junii ac 31. Augusti celebraverint, meminit, voce Κατάθεσις. Ab hominibus ad Gentilium Deos ut transeam, & illis sua velamenta ac amicula vestesque, quibus induerentur ac ornarentur, fuisse legimus passim. Lactant. *l.* 2. *c.* 4. *Ergo his ludicris & ornatis & grandibus pupis & unguenta & thura & odores inferunt. His opimas & pingues hostias immolant, quibus est quidem os, sed carens officiô dentium; his peplos & indumenta pretiosa, quibus usus velaminis nullus est.* Notanter *pretiosa*, plerunque enim talia hæc vestimenta fuêre, ac *πάνυ ταῖς πολυτελείαις ὡς πλοῦτος χορηγεῖ*, ut Philo loquitur *in Decalogi explic.* onerata. Quam insaniam idem Lactantius pluribus traducit *ibid. c.* 7. & *l.* 6. *c.* 13. Arnob. *adv. Gentes*, *l.* 6. Alii. Imo Caligulæ *simulachrum, quod in templo stabat aureum iconicum, amiciri quotidie* solitum *veste, quali ipse uteretur*, Sueton. *in eo*, *c.* 22. narrat. Vide plura apud Desid. Heraldum, *Animadversionibus Arnobianis d. l.*

Varia Vestium genera.

α. Accubitales *Vestes.* β. Æsculapii *Vestis*, utpote Dii Græcanici, Pallium fuit & Crepidæ, apud Q. Flor. Tertullian. *l. de Pallio.* γ. *Æstiva* Vestes, suprà. δ. Alba, Heroum, Imperatorum, & Phœbeiorum Antistitum &c. fuit. Vide Barthium, *Adversar. l.* 43. *c.* 3. & *Animadversion. Papinianis ad l.* 1. *Achilleid. v.* 11. ut & suprà. ε. Alethina, ex Græc. Ἀληθινὴ, quasi *vera verique coloris*, dicta est, purpura Imperatorum, quam *purpuram principalem*, & *sacrum muricem & purpuram veri luminis*, quoque Auctoribus, dici, observavit Salmasius. Purpureum enim colorem, per excellentiam, *verum* dixêre: Unde *Chlamydes veri luminis* Trebellius habet, *c.* 17. & Græci *ἀληθινὸν χρῶμα* de purpura dixêre. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Vestiar. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 10. ζ. Ampla, pro molli, exprobrata Romanis, à Cicerone, *Catilinar.* 2. & Persis à Manilio. Vide Barthium *ad l.* 7. *Theb. v.* 658. η. Ἄσημος, vide suprà *Asema.* θ. Assyria *Vestis*, eadem cum Serica & Medica, vide infrà. ι. Aurata *Vestis*, Ministrorum in conviviis, apud Romanos memoratur Lampridio in *Alexandro Sev. c.* 34. ubi earum usum hunc Imperatorem sustulisse, ait. κ. Aureæ *Vestes*, apud Hebræos dictæ sunt, vestes Sacerdotales 8. quarum quatuor cum Sacerdotum vulgo Pontifex communes habuit, quibus opponebantur *Albæ* dictæ quatuor, quibus soli Pontifici, idque quotannis tantùm semel, uti fas erat. Sed de his, vide *suprà*. Etiam, extra sacrum usum, Veteres olim jam *Vestes* aurô intexere variisque picturis exornare consuevêre, uti docet Virg. *l.* 1. *Æn.* Cydonius, *Orat. de contemn. morte* &c. Hinc inter Atheniensium quoque Vestiarias Leges fuit, quæ Meretricibus auri in *Vestibus* usu interdiceret. In luctu tamen, nec in Græcia, nec Romæ, aurum Matronæ gestabant. Joh. Meursius *in Lycophr.* λ. Balnearis *Vestis*, Læna fuit hyeme, æstate Lacerna. Lamprid. *in Severo*, *c.* 41. apud Octavium Ferrarium, *de Re Vest. Part.* 2. *l.* 1. *c.* 9. μ. Baptizatorum in vetere Ecclesia, *Vestes* albæ erant; symobolum lucis per S. Baptismum acceptæ. Unde Dionysio Areopagitæ *φωτοειδεῖς* dictæ sunt. Casaubonus, *Exercit*, 16. ν. Bombycina, eadem cum Serica. ξ. Candida *Vestis*, apud Veteres Regia pariter & Sacerdotalis fuit: Græc. *λαμπρὰ*, à fullone *candens.* Ab eadem, apud Romanos *Candidati.* ο. Cea *Vestis*, vide suprà, ubi de hac Insul. π. Christianorum *Vestes*, pro ætate, dignitate, personis & conditione diversæ, occurrunt apud Clementem, *in Pædagogo*, *l.* 3. *c.* 11. ubi albam Christianos maximè decere, addit. Vide & suprà ubi de *Asectis & Monachis.* ρ. Cirrata, apud Jul. Capitolin. in *Pertinace*, *c.* 8. Vide suprà. Hinc *Bicirris*, *ἡ δίκροσσος*, Salmasio, *ad Solin. p.* 186. σ. Citrosa, *ἡ θυώδης* apud Nævium, de qua multa habes apud Salmas. *ibid. p.* 952. & *seqq.* vide quoque hîc, ubi de *Thya* arbore. τ. Clavata, *Festo* clavis intertexta, cui *Recta* opposita. Cùm enim Cives Romani omnes tunicâ uterentur, factum est, ut Tunica Ordines distinxerit: Nam Senatores & Equites clavatam induerunt; Plebs sine clavis seu rectam. Vide, suprà in voce *Clavus.* υ. Coa, seu serica aut bombycina, eadem cum pellucida: jam Plinii ætate viris promiscuò gestata. Ejus crebra apud Poëtas mentio. Vide Dempster. *ad Rosin. l.* 5. *c.* 31. & Octav. Ferrarium, *de Re Vest. l.* 1. *c.* 20. φ. Cœnatoria, in hyeme Læna, æstate Synthesis erat. Ferrarius, *Part.* 2. *l.* 1. *c.* 9. Servorum verò erat, sine veste exteriore, tunicatos & cinctos, vel etiam linteô succinctos, ministrare, Sueton. *Calig c.* 26. Esseni tamen, quòd servitutem contra jus Naturæ introductam dicerent, liberorum operâ usi, caverunt ne ullam habitus servilis speciem inter ministrandum præberent: ac propterea discincti & demissis vestimentorum alis in cœnationem soliti sunt ingredi, teste Philone. χ. Cointisa, vide suprà. ψ. Communia Romanorum *Vestimenta*, ut Ulpianus habet, fuêre quibus promiscuè Mulier cum Viro utebatur. Ut primis temporibus Toga fuit, Rosin. *l.* 5. *c.* 31. dein Pænula, &c. Apud Stoicos Tribonium. ω. Conchyliata, à purpurea diversa, de qua multa Salmas. *ad Pallium Tertulliani*, *c.* 5. αα. Corticea, Massagetarum fuit, apud Strabonem, *Geogr. l.* 3. Imò non alia primis hominibus tegumenta fuisse, successisse dein pelles, textilia demum, creditum olim. Arnob. *adv. Gentes*, *l.* 2. *Quòd corticibus contegi & amiciri desierint pellibus, postquàm vestis excogitata est textilis.* Et Lucretius, *l.* 5. *v.* 951.

Nec

Nec dum res igni sciebant tractare nec uti,
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum,
Sed nemora atque cavos montis sylvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare, imbresque coacti.

Vide quoque Caspar. Barthium, ad *Statium, l. 2. Theb. v. 276.* ββ. Cotonina *Vestis*, Calecutensibus in frequenti est usu, Aloisius Cadamustus, *Navigat. c. 58.* γγ. Crusta, cujus trama erat purpurea, subtemen aliô colore infectum, privatis quoque permissa, sic tamen ut Scenicæ & Mimæ eâ abstinere juberentur, indigitatur *leg. 11. Cod. Theodos. de Scenicis.* Vide Salmas. *ad Claudium Pollionis, c. 17.* δδ. Cucullata, quæ cum cucullo, mixtum genus vestis erat, pallioli simul & tunicæ usum præbens, de qua vide eundem, *Not. ad Vopisc. Bonosô, c. 15.* nec non suprà suô locô. εε. Cultellata, vide suprà. ζζ. Deorum statuæ suas quoque *Vestes* habuêre, quibus qui illos induerent, *Vestitores* sunt appellati. Erant autem albæ seu candentes. ηη. Διαχρυσ☉, aureô subtemine picta, vide eundem *ad Alexandr. Lampridii, c. 41.* θθ. Domestica *Vestis*, priscis Romanis, non alia à forensi fuit, Toga nempe: Varro, *de Vita Pop. Rom. apud Nonium.* Posteà alia domestica, forensis alia, Sueton. *Vitellio, c. 8.* Et quidem Manutius domesticam *Vestem* Lacernam fuisse suspicatur; Ferrarius verò, domi tantùm tunicam fuisse adhibitam existimat: sic tamen, ut hyeme plures tunicas usurparent, quod de Augusto, apud Suetonium, legimus. ιι. Duplex, quæ instratui simul & amictui erat, ut pallium, toga &c. Item quæ & pallii & tunicæ vicem simul exhibebat, ut exomis servorum. Etiam, quibus altera subest, ut pallium laneum sericeô pannô duplicatum. Item quæ tam fusa & ampla, ut in gerendo duplicari possit, quales διπλοΐδες Græcorum. quod primus duplicâsse seu duplicatum gessisse Diogenes, an Crates, legitur. Vide Salmas. *ad Pallium Tertull. c. 5.* κκ. Ἐπίσημ☉, signis vel clavis intexta: qui si aurei essent, χρυσόσημ☉, & χρυσοπαράσημ☉ dicebatur. Vide Salmas. *ad Alexandr. Lampridii, c. 41.* λλ. Equestris *Vestis*, ἱππικὴ ἐσθής, memorata Dioni, ubi de Severo, *l. 74.* eadem cum Militari sive Imperatorio fuit Paludamento. Aliàs Equitum Roman. Tunicas angusti illustrabant clavi: qui verò inter illos insigniores erant, dicti *Illustres*, non minùs ac Senatores jus lati clavi habuêre. Ferrarius, *l. 3. c. 14.* μμ. Exigua, humilis dicta & arcta, apud Spartian. *in Severo Imp. c. 19.* ubi Salmas. vide. νν. Familiaris, dicta est Ulpiano, quâ ad familiam vestiendam usi Romani: Ut sagum, tunica, pænula, linteum, stragulum &c. ξξ. Ferro inviolabilis, occurrit apud Plinium, *l. 8, c. 48.* οο. Fimbriata, vide suprà, ubi de *Fimbriis.* ππ. Flascilones, vide suprà. ϱϱ. Florida, fiebat è lana Earinarum ovium: Cujusmodi vestes Græca in consuetudine fuisse, testatur constitutio Syracusanorum, quæ earum usu penitùs interdicebat: & Lex Atheniensium, quâ scorta jubebantur ἀνθινὰ φορεῖν. Mollitiei enim suspicione non carebant, unde Liber quoque iis indutus fuit. Interim & Reges Persarum *Floridis* usi leguntur, & Tunica picta, Romanorum eadem cum *Veste* florida nonnullis esse videtur, Dempster. *ad Rosin. l. 5. c. 31.* Ferrarius & *varias* & *versicolores* etiam appellatas vult easque mulierum proprias. Hinc apud Coos Sacerdos Herculis, *fœmineam vestem indutus*, sacra fecisse, legitur apud Plut. *in Problem. Gr.* eo quòd Hercules Alciopi filiam ducens *floridam vestem induerit.* Interim & à viris aliquando, maximè in pompa ac triumpho, usurpatas fuisse, ostendit ex Dione, *l. 59.* ubi de Caligula sine victoria triumphante: *Part. 1. l. 3. c. 22.* σσ. Forensis apud Romanos, quæ in *Foro*, seu *foris* adhibebatur, dicta est: Cujusmodi fuêre Toga, Lacerna ac Pænula. Idem, *l. 1. c. 27.* ττ. Fractilata, vide suprà. υυ. Frepata, vide suprà itidem. φφ. Græcorum, Pallium fuit & Crepidæ. χχ Gunna, vide suprà. ψψ. Herbida, cujus mentio apud Cyprian. *lib. de discipl. & hab. virg.* à colore videtur appellata. Vide Dempster. *l. 5. c. 31.* ωω. Hiberna, memoratur Pollioni, *in Saturnino, c. 23. XXX. Tyrann.* ubi hunc *milites cum sagis hyeme gravibus, æstate perlucidis, accumbere jussisse*, ait. Vide Casaubon. *ad August. Suetonii c. 82.* ααα. Holoserica, vide *suô locô.* βββ. Holovera, non alia quàm ὁλοπόρφυρ☉, Ferrario, i. e. *tota purpurea*, in qua videl. & stamen & trama purpurea esset. Ejus usu privatis interdictum. Vide eum, *Part. 1. l. 2. c. 10.* γγγ. Inconsutilis CHRISTI *Vestis*, Tunica fuit, diversô à textura vulgata artificiô confecta, Isac. Casaubono, *Exercit. 16 §. 84.* δδδ. Initiatorum in Eleusiniis sacris, postquàm usu jam detrita esset, Cereri & Proserpinæ consecrabatur ex Lege. Non autem eas, nisi longô jam usu tritas ac laceras, deponebant. Cùm verò consecrabant eas, priusquàm suspenderent, lacerabant, ac scindebant, ne quis in suum usum convertere posset, *Hesych.* Nonnullos ad infantum sibi fascias illas reservâsse, docet Interpr. Aristophanis *Plut.* Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas, l. 1. tit. 2.* εεε. Insignis, apud Lampridium in *Alexandro Sev. c. 33.* eadem cum Græcorum ἐπισήμῳ, vide Salmas. *ad locum.* ζζζ. ex Junco, vide suprà. ηηη. Justa, apud Tertullian. *Pall. c. 1.* θθθ. Kirtellum, vide suprà. ιιι. Lanea, vide suprà. κκκ. Langedum, suprà quoque. λλλ. Laqueata, suprà itidem. μμμ. Liberi Patris, florida fuit. ννν. Linea, Sacerdotum fuit, non solùm apud Hebræos, verùm etiam Ægyptios, aliosque, ut visum suô locô. ξξξ. Ludiaria, in *Glossis* Isidori, Histrionis tunica est, de qua vide Salmas. *ad Pollionem in Gallienus, c. 3.* οοο. Lugubris, secundùm quosdam nigri solùm coloris fuit: Licetus verò Veteres indumentis funeralibus tres colores dedisse observavit, purpureum, album & atrum, *de Lucernis Antiqq. l. 6. c. 12.* Curopalata, *de offic. Constant.* auctor est, Patre Imperatoris mortuô vel Matre vel Uxore, aut aliquô è liberis vel nepotibus, Imperatorem *alba vestimenta gestare, quamdiu voluerit: deinde citrina assumere sine limbis & pretiosis prætexturis, posteà uti consuevisse vestibus λαμπροῖς*, h. e. redîsse ad solemnia & cultum assumsisse splendidum ac virentem, qualis Imperatorium esse solebat. πππ. Manicata, vide suprà. ϱϱϱ. Margaritis cooperta, Græc. καταμάργαρ☉ στολ☉. Vide Salmas. *ad Solin.* σσσ. S. Mariæ *Vestis*, in L. Longobard. *l. 2. tit. 37. §. 1. 2.* velum est Sanctimonialium, Car. du Fresne, *Glossar.* τττ. Medica, vide infrà. υυυ. Mensale, vide suprà. φφφ. Meretricia, apud Romanos, ultimis temporibus Toga fuit. Unde ad Ulpianum *ff. de injur.* notant Jurecconsulti Matronas à Meretricibus habitu discretas, quòd illæ stolâ, i. e. tunicâ talari assutâ institâ & Pallâ uterentur; At Prostibula brevibus tunicis ad instar virilium & Togâ cogerentur uti. Ferrarius, *Part. 1. l. 3. c. 23.* Apud Athenienses floridas gestâsse Scorta, diximus suprà. χχχ. Militaria Vestimenta, apud Græcos Romanosque fuêre, Chlamys, Sagum, Paludamentum. Nam Tunica communis etiam paganis fuit. Hinc, sicut Toga pacis, sic Chlamys belli fuit insigne. Philostratus, *l. 5. c. 43.* χλαμύδ☉ ἠράσθη καὶ στρατείας, *Chlamydem & militarem vitam adamavit.* Vide Octav. Ferrarium, *Part. 2. l. 3. c. 1.* ψψψ. Mortuis, cùm sepeliebantur, apud Græcos Romanosque, *Vestes* fuisse additas, dicimus ex Leg. XII. Tabb. iis enim Decemviri funerum impensis modum præscribentes, ne plus quàm tria ricinia seu tres *Vestes* cum mortuo conderentur ucrentutve, sancivêre. Similis apud Athenienses Lex fuit, à Solone lata. Vide Just. Lipsium, *Quæst. Epistol. l. 4. Ep. 7.* De Sudario cui CHRISTI Lazarique cadaver involutum, dictum retrò. ωωω. Muliebria *Vestimenta* Ulpiano dicuntur, quæ Matrisfamiliâs causâ parata sunt, sicut iis Vir non facilè sine vituperatione uti possit: Veluti Stolæ, Pallæ, Tunicæ, Capitia, Zonæ, Mitræ, Plagulæ, Pænulæ. Vide Rosin. *Antiqq. l. 5. c. 32.* Longè plura recenset muliebris luxus censuram agens Plautinus senex, *Epidicô*, *Actu 2. Sc. 2. v. 38.* ut vidimus: de Peplo & Theristro, vide *suis locis.* Muliebrem vestem Lycios olim, in luctu sumsisse, ut deformitate cultus commoniti, maturiùs mœrorem projicerent, refert Val. Max. *l. 2. c. 6. ex. 13.* Sicut contrà virilem in bello adhibuit Zenobia, apud Treb. Pollionem, *in XXX. Tyran, c. 30.* & Puella Aurelian. in *Histor. Gall.* αααα. Multitia, Juvenali, *Sat. 11. v. 186.* memorata, muliebre vestimenti genus subtile fuit ac pellucens. Vopisc. *in Aurelian. c. 12. Multitiatum Virilium* meminit; sed id ipsum, quod addit, *virilium*, denotat propriè sequioris sexus hæc vestimenta, secutis temporibus, ut & Holoserica, à Viris quoque usurpata fuisse. Ferrarius, *Part. 1. l. 1. c. 20.* ββββ. Mutatoriæ. γγγγ. Nexiles. δδδδ. Nigra *Vestis*, in luctu usitata. Jul. Paulus JCtus, *Receptarum Sentent. l. 2. c. 21. Qui luget, abstinere debet à conviviis, ornamentis & veste alba.* Verùm in funebri Epulo atratis esse non licebat, ut patet ex Cicerone *in Vatinium.* Interim albam quoque, imo & purpuream *Vestem*, funeribus adhibitam, ex Liceto suprà docuimus. Sed & Cereris, & sacrificantium Inferis, nigra fuit. Vide Casp. Barthium *ad Statium, l. 4. Theb. v. 477.* εεεε. Noctiluca, vide suprà *Pict.* ζζζζ. Olympionicarum, florida erat seu palmata, de qua vide Car. Paschalium. *Coronar. l. 6. c. 7.* ηηηη. Orale, suprà. θθθθ. Ostensionalis, vide suprà. ιιιι. Paparetaca, vide ibi. κκκκ. Ex Papyro, vide suprà. λλλλ. Pastorum, vide *Pastor.* μμμμ. Pellucida *Vestis* erat serica seu bombycina; de qua diximus *suô locô.* νννν. Persarum Reginis *vestiendis* ornandisque singulas Urbes annuas solvisse portiones, earumque quasdam capitis, alias colli, nonnullas brachiorum, aliquas pedum ornamentis comparandis conficiendisque fuisse destinatas, legimus. Sic Herodotus, Ægypti Reginis magnæ cujusdam Urbis reditus pro calciario, cujus meminit, JCtus, *L. Diarus 12. ff. de alim. legatis*, assignatos fuisse, memoriæ prodidit. Olim quoque Parisiis Reginæ zonarium solutum esse, Orleansius refert, *l. ansp. Jurid. c. 11.* ξξξξ. Perversa, memoratur Senecæ, *de Ira l. 1. c. 16. Et si perversa induenda Magistratui Vestis.* Nam Magistratus, mortis sententiam laturus, deponere prætextam solebat, ut eam perversam indueret, i. e. partem ejus floridiorem ac nitidiorem introrsus verteret. Ferrarius, *Parte 1. l. 2. c. 4.* οοοο. Pexa, vide suprà. ππππ. Phala, itidem. ϱϱϱϱ. Philosophica, Pallium, vel potiùs Tribonium. Vide suprà. σσσσ. Φλοΐνη Indorum, ex Phleo contexta, apud Herodotum, *l. 3.* Vide Salmas. *ad Solin. p. 1004.* & suprà, in voce *Phleos*, item *Scirpus.* ττττ. Picta, vide suprà. υυυυ. è Pilis camelorum, Johannis Baptistæ *Vestis* fuit, ut & veterum Christianorum, qui ad exercitia pietatis cilicia è pilis Camelorum contexta adhibuisse leguntur. Alia verò harum longè ratio fuit, ac earum, quibus Caspiorum Sacerdotes fuêre usi: cùm cameli Caspiæ mollitie lanæ ipsos Milesios greges superarent, ut auctor est Ælianus, *Histor. Animal. l. 17 c. 34.* Vide Casaubon. *Exercitat. 13. §. 6.* φφφφ. è Pinnæ pilis confieri vestis solita, occurrit apud Procopium, *de Ædif. Justinian.* Vide quoque suprà, voce *Pinna*: ut & ubi de *Papaveracis vestibus.* χχχχ. Plexilis, priùs erat, quàm Textilis. Plectebantur autem ex testibus, aut vinculis tiliaceis, inter se nexis & plexis in retis modum. Item ex papyro & junco, & ex materia fluminea, quam Græci φλοῦν dixêre. Vide Salmas. *ad Pallium Tertulliani, c. 3.* & suprà *Lusitana.* ωωωω. Plumata, vide suprà. ααααα. Prælo subjecta ut splendesceret, memoratur passim. Seneca, *de Tranquill. c. 1. Non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa.* Idem Togam sic pressam *perlucentem* appellat, *Ep. 114.* ubi *sericam* aut *bombycinam*, minus benè interpretatur Lipsius. Privata Vestis, apud Capitolin. *in Pio, c. 6.* quæ hominibus privatis domi solùm usui erat, dicta est. βββββ. Prophetarum, villosa ac cilicina fuit, de qua vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte posterior. l. 1. c. 2.* γγγγγ. Prytanica, alba fuit, de qua vide Jul. Cæsarem Scaligerum, *Poëtic. l. 1. c. 21.* δδδδδ. Pseudoalethina, apud Cyprianum, *de Cœna Domini* (ut vulgò creditur) est purpureæ speciem habens, vide Salmas. *ad Claud. Pollionis, c. 17.* εεεεε. Puerilia vestimenta Ulpiano sunt, quæ ad nullum usum, nisi puerilem, pertinent. Ut Prætextæ, Pænulæ. &c. ζζζζζ. Pulla, in luctu adhibita est. unde *Pullatorum Procerum* meminit Juvenalis, *Sat. 3. v. 213.* Vide Ferrarium, *Part. 1. l. 1. c. 23.* ηηηηη. Purpurea, Imperatorum fuit & Magistratuum; Matronarum item; Meretricibus verò earum usu interdictum. Vide suprà in voce *Purpura.* Etiam inter Lugubrium *Vestium* colores purpureum fuisse,

autè dictum. ιιιιι. Quadrapola, it. Quadrata, vide suprà *sub hoc.* ιιιι. Rasa, *ibid.* μμμμ. Recta, Clavatæ opposita, vide suprà. λλλλλ. Repti, itid. μμμμμ. Roba quoque, ννν. *Roccus & Rochetum.* ξξξξξ. Romana *Vestis*, Toga fuit cum calceis, stante Republicâ: hâcque liberi à servis distincti. Postmodùm verò, Toga ex usu recessit, neque ullum post eas, in libero ac servili vestitu fuit discrimen, Octav. Ferrarius, *l.* 3. *c. ult.* Vide quoque in voce *Toga.* οοοοο. Rotunda, vide suprà. ϖϖϖϖϖ. *Rotundulum*, itid. ϱϱϱϱϱ. Rubra Herodis Juvenis cujus meminit Josephus, *l.* 14. *c.* 17. argumentum ut Casaubonus docet, dignitatis militaris aut elegantioris dumtaxat cultus fuit, non verò Regii axiomatis: ut inde Baronius, purpureum potiùs, quàm album, regium fuisse colorem, frustra probare satagat. Rufô tamen limbô Reges usos fuisse, Hieronymus scribit *in c.* 27. *Matth.* Vide Casaubonum *ad Sueton, l.* 1. *c.* 79. σσσσσ. Rucharium, vide suprà, ττττ. Sacra Vestalium *Vestis* cùm sacrificabant Suffibulum erat: Sacerdotis apud Coos Herculis florida: Ægyptiorum Sacerdotum è lino fuit. De Hebræorum *Vestibus* sacris paulo fusiùs suprà actum. υυυυ. Sanguinei coloris, mortuis olim injecta, in bello inprimis, vide Adrianum Behotium, *Apophoret. l.* 1. *c.* 24. & Barthium, *Animadv. Papinianis, ad l.* 5. *Theb. v.* 315. Aliàs candidis illi, utpote rerum terrenarum Victores, ornati, ut vidimus. φφφφφ. Sarciles, vide supra. χχχχχ. Scaramanga itid. ψψψψψ. Scenicæ *Vestes*, in Scenis adhibebantur: vide de iis pluribus agentem Jul. Cæsar. Scaligerum, *Poet. l.* 1. *c.* 13. *& seqq.* ωωωωω. Sclavina, vide suprà. ααααα. Scutulatæ, vide suprà. ββββββ. Secta itid. γγγγγγ. Senatoria, apud Romanos, Tunica fuit laticlavia: in luctu tamen angustô clavô erant contenti. Octav. Ferrarius, *part.* 1. *l.* 3. *c.* 12. Vide suprà in voce *Latus clavus.* δδδδδ. Serica & Subserica, vide suprà in *Serica.* εεεεε. Servilis, Colobium fuit & Exomis. In conviviis ministrabant in sola Tunica eaque fermè linea & quidem succincti. Iidem penulati quoque & cucullati incessêre. Post Togas verò nullum in *vestitu* liberorum servorumque fuisse discrimen apud Romanos, docet Ferrarius, *Parte* I. *l.* 3. *c. ultim.* Ancillarum *Vestis* qualis fuerit, proditum non est. Verùm cùm Matronæ stolâ & pallâ uterentur, facile est credere, utrâque Ancillis interdictum, atque ita Tunicâ breviori ad medium crus pertinente, nullâ institâ adsutâ, illas esse usas, qualem tunicam Meretriciam esse diximus, hoc tamen cum discrimine, quòd hæ togatæ essent, illæ tunicatæ tantùm. Idem, *Part.* 1. *l.* 3. *c.* 23. ζζζζζζ. Sigillata, vide suprà, ηηηηη. Sorcotium, itid. θθθθθ. Soriculata, apud Plinium, *d. l.* ex spinæ cujusdam in Oriente lanugine confecta, *ibid.* ιιιι. Spatularia, suprà. κκκκκ. Stragula *Vestis*, aurô & purpurâ depictâ, de qua vide Salmas. *ad Pallium Tertulliani*, *c.* 3. λλλλλλ. Subserica, similiter. μμμμμμ. Subtile, vide suprà, ννν. Succa, itid. ξξξξξξ. Superpelliceum similiter, ut & *Supparum*, *& Surcotium.* At Synthesina propriè, quæ ad synthesin pertinebat, cui μονοχὰ opposita, i. e. *singularis*. Inde preciosa, vide suprà, voce *Synthesis.* οοοοοο. Tebennia, vestimenti genus rotundum ac clausum, vide suprà in hac voce. ϖϖϖϖϖϖ. Texturâ solâ confecta, vide suprà, ubi de *Texendi arte.* ϱϱϱϱϱϱ. Tricliniaria *Vestimenta*, quorum mentionem facit Labeo JCtus, *l.* 20. *ff. de opt. leg.* apud Aufidium, *l.* 1. dicta sunt, quæ ornando instruendoque Triclinio fuêre idonea, ut tapetes, aulæa, aliaque hujus generis. Vide Thom. Dempster. *ad Rosin. l.* 5. *c.* 28. σσσσσσ. Triumphalis *Vestis*, vide suprà, ubi de *Tunica Palmata* &c. ττττττ. Versicolor, quæ & *varia & florida*, mulierum propria fuit: meretricum maximè & opulentarum. Artemidorus, *l.* 2. *c.* 3. Apud Coos Sacerdos Herculis, quoties rem faceret divinam, eâdem, ut & Sponsi ibidem, fuêre induti, ut diximus suprà, ubi de *Florida* actum, vide quoque in voce *Versicolor.* Sed & viris istiusmodi, vestes, maximè in pompa ac triumpho fuisse adhibitas, discimus ex Dione, *l.* 59. ubi Caligulam, sine victoria triumphantem, amici ac socii ἐν ἐσθῆσιν ἀνθιναῖς, *in Vestibus floridis*, comitari leguntur: & *l.* 74. ubi, sub ingressum Severi in Urbem, hanc totam floribus & laureis coronatam, καὶ ἐσθῆσι ποικίλαις, ornatam fuisse, refert. υυυυυ. Virgata, vide infrà in voce hac. φφφφφφ. Virilia Ulpiano *vestimenta* dicuntur, quæ ipsius Patrisfamiliâs causâ parata sunt: Togæ & Tunicæ, Palliola, Stragula, Amphitapa, *Saga* & similia. χχχχχχ. Vitrea *Vestis*, eadem cum Pellucida. ψψψψψψ. Undulata *Vestis* dicta est, cujus textura undas imitaretur, Plauto, *Epidic. Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 49. *Cumatilis*: vide infrà in voce *Undulata.* ωωωωωω. Urbana Romanorum Vestis Toga fuit: Unde Severum Imperatorem in urbem venientem, usque ad portam equô vectum & paludatum fuisse: ab ipsa verò porta, vestem urbanam i. e. Togam induisse, τὴν πολιτικὴν ἀλλαξάμενον, ait *Dio.* αααααα. Xerampelina, apud Suidam voce Ἀγριβαλκὸν, Chlamys vocatur, à colore foliorum vitis arescentium, rufa scil. ex flavo & fusco temperato, &c. ββββββ. Xylina, vide infrà. De *Vestium* verò speciebus, capitisque & pedum etiam integumentis, vide passim suis locis. De vocis notione, quatenus aulæum notat, sacrarum ædium muris; vel pannum, altari aut circa altare appendi aptatique solitum, in Eccles. Roman. Vide Car. du Fresne, *Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolex.*

VESTIS Medica, memorata Tertulliano, *de Pallio*, *c.* 4. *Vicerat Medicam gentem & victus est Medicâ veste*, pro Persica veste, ut & *Medica* gens pro Persica sumitur; Aliàs *Medicam* vestem à Persica diversam facit Plutarchus *in Alexandro*, ubi Magnum hunc neutram harum vestium usurpâsse tradit, sed medium quoddam inter utrumque genus, Medicâ quidem moderatius modestiusque, Persicâ verò fluxius & inflatius. Sed *Medicam* vestem Tertullianus, *l. c.* accepit pro serica, more Græcorum, qui *Medicam* vocârunt, quam posteriores *sericam*. Sequitur enim de eadem veste: *Pectus, squamarum signaculis disculptum, textu pellucidô tegendo undavit & anhelum adhuc ab opere belli, ut mollius ventilante sericô extinxit.* De Alexandro M. loquens, ubi quam *Medicam* vocârat, *textum pellucidum & sericum* appellat. Procopius, *Persic. l.* 1. Ἀπὸ δὲ ἐσθῆτα ἣ μετάξα ἐξ ἧς εἰώθασι τὴν ἐσθῆτα ἐργάζεσθαι, ἣν πάλαι μὲν Ἕλληνες Μηδικὴν ἐκάλουν, νῦν δὲ Σηρικὴν ὀνομάζουσιν: quæ eadem verba referuntur apud Suidam, in voce Σηρικόν. Idem Procopius, *Vandal. l.* 4. Ἐχρυσοφόρουν δὲ εἰς ἐπιπολὺ ἄλλον, καὶ Μηδικὴν ἐσθῆτα, ἣν νῦν Σηρικὴν καλοῦσιν, ἀμπεχόμενοι. Unde haud dubium, eô sensu *Medicam* vestem, Tertullianum posuisse. Nempe vestis est, quam Plinius ex Assyria bombyce texi solitam, solisque fœminis usurpatam, scribit: ideò autem *Medica* accepit nomen, quia apud Persas Medosque frequenti in usu erat antiquitus, Serumque aut Indorum nullam adhuc aut exiguam Veteres habuêre notitiam, ante Alexandri expeditionem. Hinc *pellucidam* eam vocat, *l.* 41. *c.* 2. Justinus, ubi, de Parthis, *Vestes olim sui moris, postea quam accessêre opes, ut Medis, perlucida & fluida.* Assyrii verò & Medi, non ex alia bombyce vestes conficiebant, quàm quæ ad eos ex India afferebatur, eratque hæc vestis *serica*, i. e. *holoserica*, & *Assyria* quoque vocabatur, vetita Viris apud Romanos, quorum primus eam Heliogabalus usurpavit. Vide Claud. Salmas. *Notis in Tertullian. l. c.* atque suprà ubi de *Bombyce* & *Serico*: de vestitu verò veterum Medorum, Xenophontem, *Cyri vita l.* 1. ubi purpureum fuisse demonstrat & graphicè describit; porrò, Medorum, Persarum, ac Parthorum, plura apud B. Brissonium, *de Regno Persar. l.* 2. Addo saltem, à veste hac, quâ Rex utebatur, Proceresque, quibus id honoris à Rege concessum, his *Purpuratorum* nomen hæsisse. Certè & Tertullianus, *Purpura*, inquit, *& aurum cervicis ornamentum apud Ægyptios & Babylonios, insignia sunt dignitatis.* Vide etiam suprà aliquid voce *Doryphori*, it. ubi de more *Veste donandi*, apud veteres hodiernosque Persiæ Reges usitato.

VESTITI Hæretici, *Concilio Biterr. c.* 16. quinam sint, vide suprà *Dogmatistæ.*

VESTITOR, inter Castrenses ministros, memoratur Lampridio *in Alexandro Sev. c.* 41. *Aulicum ministerium in id contraxit ---- ut annonas non dignitates acciperent Fullones &* Vestitores *& Pistores & Pincernæ, omnes Castrenses ministri.* Vide quoque Cod. *de Castrens. & Minister. l.* 3. Unde Κανστρήσιοι vocârunt recentiores Græci Ministerianos Pontificis vel Patriarchæ, qui eum *vestiebant*, ut videre est apud Codinum, *de Offic. Aulæ Constantinopolit.* Joannem, *Episc. in Resp.* Alios. Sic *Vestitores Deorum* & *Vestitores divinorum simulachrorum*, apud Firmicum, *l.* 3. *c.* 11. & 14. qui Deorum statuas vestitu exornabant. *Inscr.* Romæ in Exquiliis *D. Phœdimo Vestitori M. Aug. Phœdo fratri pissimo.* Vide quoque *Romam Subterran. l.* 3. *c.* 5. Indidem & Βεστιαρίτης, apud Cedrenum, & Βεστήτωρ, apud Theophanem, quô cognomine Cosmas, cujus *Homilias* quasdam recenset Allatius *in Diatriba de Simonibus*, specialiter insignitus est, Car. du Fresne, *Glossar.* purioribus Latinis *à Veste*, vide suprà.

VESTMANNIA, Gall. *Vestmannie*, provinc. Sueciæ inter Uplandiam ad Ortum & Nericiam ad Occasum, Gestriciam ad Boream, & Sudermanniam ad Meridiem. Urbes ejus sunt Arosia & Arboga.

VESTMARIA, vulgò *Westmorland*, provinc. Angliæ Borealis, ubi aliàs Brigantes ex parte. Inter provinc. Eboracensem, Lancastrensem, Cumbriam & Diœcesin Dunelmensem. Oppida ejus sunt Aballaba, & Candalia. Cum Cumbria provinciam hanc Scotis ademit Adelstanus, A. C. 929.

VESTMONASTERIUM, vulgò *Westmünster*, urbecula Angliæ, ad Tamesin, Londino adjacens ad Occidentem in Comitatu Midlesexiæ. Ibi Regum Mausolæa.

VESTRICIUS Spurinna, cum Annio Gallo, ad occupandas Padi ripas, ab Othone præmissus. Tacit. *l.* 2. *Hist. c.* 11. ad ævum Trajani vixit; egregius Dux, cui, auctore Principe, triumphalis statua decreta. Plin. Secund. *l.* 5. *Ep.* 1.

VESTROVICUM, urbs Smalandiæ, cum portu, in ora maris Baltici in limite Ostrogothiæ, 55. mill. pass. à Calmaria in Boream, *Westerwick.*

VESULIUM, vulgò *Vesoul*, urbs Comitatus Burgensis parva, sed culta, non procul ab Arari, ad amniculum in eum effluentem, in colle, 9. leuc. à Visuntione in Boream, 13. à Monte Bellicardo in Occasum. Pluties capta redditaque.

VESULLUM, vulgò *Vesoul*, castellum in Sequanis seu Burgundia Comitatensi, memoratur in *Chron.* Divionensis Monasterii S. Benigni, quod ad A. C. 1052. deducitur: *Ranaldus Comes* (Sequanorum) *juxta castellum Vesullum dictum dedit Ecclesiam in honorem S. Georgii sacratam, ut ibi construeretur Monasterium.* Non procul est ab Arari fluv. appositum amniculo, qui in eum influit: in colle ardui montis situm esse, dicitur in *Vita* MS. Urbani Episcopi Lingonici, ubi *Vesolense castrum* appellatur. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide quoque, in voce *Vesulium.*

VESULUS, mons Liguriæ juxta Alpes, inter cæteros clarissimus, ex cujus radicibus Padus geminô & visendô in jugi planitie fonte erumpit, Plin. *l.* 3. *c.* 19. Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 709.

Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit. ----- -----

Hodie *Monviso.* Pars Alpium Cottiarum, inter Galliam & Italiam, seu inter Marchionatum Salutiarum & Delphinatum ad Occasum, 20. mill. pass. à Salutiis in Occasum, ubi fontes Padi.

VESUNA, Petrocoriorum urbs in Aquitania. *Perigort* Villanovano. Vide *Petrocorium.*

VESUVIANÆ Aquæ, eædem cum *Sebeto* amne, teste *Loffredo*, qui ex Vesuvio fluens Tacito ad Neapolim sic dicitur.

VESUVIUS, vide *Vesevus.* Hinc *Vesuvinus.* Stat. *l.* 2. *Sylv.* 6. *v.* 61.

Ructâssent dites Vesuvina incendia Locros.

VETAONIA, nunc *Vaedonia*, vel *Vandoma*, pagus & cœnobium in Portugallia. *Lib. Concil.*

VETERA Castra, urbs German. inferioris apud Rhenum. Santen *Pyramio* & *Baudrando* in Ducatu Cliviæ, prope Rhenum, 2. leuc. à Vesalia inferiore in Occasum, quot à Geldria in Boream, uti 3. à Rhenoberga. *Berk* verò *Simlero.* Huc duas legiones à Civile pulsas, concessisse refert Tacit. *l.* 5. *Hist. c.* 14. sub Vespasiano: è quo loco

loco collegit Valesius, Augustum *Vetera castra* condidisse, ut ibi duæ legiones hibernarent, ad Germaniam superiorem & inferiorem in officio continendas. Erant autem illæ: quinta & decima nona primùm, dein quinta & quarta decima: porro trigesima, sub Marco Aurelio Antonino, tandem vicesima prima legio sub Constantino M. hic castra sua habuit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Item oppid. Vindeliciæ in Bavaria ad Danubium, inter Ratisbon. ad Occasum, & Straubingam ad Ortum, 3. leuc. *Pfeter* Simlero.

VETERA Scuta cum corona, Gall. *vieux Escus à la Couronne*, moneta aurea Francica, cusa à Carolo VI. pretii 50. sol. A. C. 1419. de qua vide Car. du Fresne, *Glossar.* voce *Moneta*, ut & suprà, ubi de *Scutis*, monetæ itidem genere.

VETERANNIO, senex illiteratus sed bellicosus, in Illyrico ab exercitu Imperator proclamatus, sed à Constantio blanditiis imperiô exutus & lenissimè habitus est, A. C. 351. Vide *infrà*.

VETERANIUS, Dux copiarum, sub Constantio. Imperator in Pannonia proclamatus est, A. C. 350. quô tempore & Magnentius alibi Imperium arripuit. Quibus Imperator occursurus, Veteranium primò ab hujus amicitia abstraxit, dein milites ejus eò perduxit, ut Ducem suum, purpurâ depositâ, privatum porro vivere coegerint. A. C. 351. *Amm. Marcellin. Socr.* &c.

VETERANUS, miles *vetus* diu exercitatus, oppositus tyroni. Item post absoluta stipendia militiâ dimissus, idem cum Emerito. Hos in fronte exercitus locandos esse, docet apud Homerum, *Il. β.* Nestor; cui Xenophon subscribit, *Memor. l. 3.* Nec è Romanis militiæ doctoribus ab istis abit Vegetius, qui *l. 3. c. 14.* instructionis esse Legem ait, ut in prima acie milites exercitati *Veteranique* collocentur, quos anteà *Principes* vocârint. In his enim qui & ætate maturiores & usu confidentiores, utpote qui anteà sæpe salvi è periculis evaserunt, præcipuè virtus militaris conspicitur. Idem sextum, h. e. ultimum ordinem à fortissimis item & scutatis, omnique armorum genere munitis bellatoribus teneri debere monet, quos Antiqui *Triarios* dixerint. Vide Matth. Berneggerum *in Taciti German. Quæst.* 25. Iisdem non exigua longæ militiæ præmia fuêre. Alexander certè Magnus, emeritis *Veteranis* primas in Theatris sedes assignavit, eisque, ut coronati spectarent, licere voluit. Cujus exemplô Augustus milites similiter à plebe, in publicis Ludis, discretos habuit, idemque sanxit, ut, qui bellô civili attritô patrimoniô Equestrem amisissent censum, si eum à Parentibus accepissent, XIV. ordinum jus ne amitterent. Vide Jul. Cæs. Scaligerum, *Poetic. l. 1. c.* 21. Præter honores *emeritum* iis dabatur, quod quidam cum præmio perperam confundunt. Paulus enim JCtus, *l. qui excubias* & Menander JCtus, *l. non omnes ff. de Re milit.* distinguunt, & *emeritum* in agrorum possessione, *præmium* in pecunia ponunt. De agris, Sueton. *Aug. c. 13. Veteranos in Italiam reducendos & municipalibus agris collocandos.* Lucanus, *l. 7. v. 258.*

> *----- Emerito faciat vos Marte colonos.*

Ovid. *l. 2. Amor. El. 9. v. 19.*

> *Fessus in acceptos miles deducitur agros.*

De utroque Sidonius Apollinaris, *l. 5. Ep. 5.* Sueton. *In Aug. c. 24. Decimam legionem cum ignominia totam dimisit, contumaciùs parentem; item alias immodestè missionem flagitantes, citra commoda emeritorum & præmiorum, exauctoravit.* Arrius Menander JCtus, *l. 5. §. fin. ff. eod. Si post multum temporis redit, qui ab hostibus captus est, & non transfugisse constiterit, ut Veteranus erit restituendus & præmia & emeritum capiet.* Quibus addi potest Dio Coccejanus, *l. 54.* & Claudian. *in Consul. Theodori, v. 10.*

> *Te quoque Naturæ sacris Mundique vacantem,*
> *Emeritum pridem, desudatisque remotum*
> *Judiciis, eadem rursus complexa potestas*
> *Evehit.* ----- -----

Dicuntur & *Commoda*, eôdem significatu. Cicero, *Philipp. 12. in fin. Multa enim falsa de me audiêrunt* Veterani, *multa ad eos improbi detulerunt, quorum commoda, ut vos omnes testes estis, semper ego sententiâ, auctoritate, oratione firmavi.* Vide quoque Sueton. *Vitellio, c.* 5. Et quidem Augustus, cujus jam suprà mentio facta, *quicquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxisse, definitis pro gradu cujusque & temporibus militiæ & commodis missionum, ne aut ætate aut inopiâ post missionem sollicitari ad res novas possent*, legitur apud eundem, *c. 49.* Quò alludens Ovid. *de Arte, l. 1. v. 131.*

> *Romule militibus scisti dare commoda solus,*
> *Hæc mihi si dederis commoda miles ero.*

Vide Justum Lipsium *de Militia Romana*, Dempster. *ad Rosin. l.* 10. Alios: nec non suprà, *Militares*, it. *Adspicius*.

VETERATOR, Venulejo, *l. ult. ff. de Ædilit. Edict.* dictus est, *qui ex venalitio novitiorum emitur, alicui ministerio præpositus, Novitium autem non tyrociniô animi, sed conditione servitutis intelligi: nec ad rem pertinere, Latinè sciat, nec ne, nec ob id Veteratorem eum esse, si liberalibus studiis eruditus sit.* Unde constat, non tam spatiô serviendi, quàm genere, causâ & conditione servitutis *Veteranos* seu *Veteratores* æstimatos fuisse. Idem enim *Veterator* Ulpiano, qui *Veteranus*, *L. ult. §. quotiens ff. de publ. & vectig.* ut & Marciano, *l.* 37. *ff. de Ædil. Edict. Si tamen novitia mancipia fuerint, non etiam veterana. Trita vero mancipia & veterana*, quæ reformare difficile esse Ulpianus ait, Novitiis opponuntur, cùm ait: *Præcipiunt Ædiles, ne Veterator pro novitio veneat. Nam plerique solent mancipia, quæ novitia non sunt, quasi novitia distrahere, ad hoc, ut pluris vendant. Præsumtum est enim, ea mancipia, quæ rudia sunt, simpliciora esse & ad ministeria aptiora, ac dociliora, & ad omne ministerium habilia.* Et Marcianus in favorem Publicanorum, *l. ult. §. quotiens ff. de publ. & vectigal. Sunt*, inquit, *Veterana, quæ annô continuô servierunt, in urbe, non in agro:* (Rustici itaque servi Veterani non dicebantur) *Novitia intelliguntur, quæ annum nondum servierunt, quotiens quis professus non est, in commissi pœna est.* Et quidem de Novitiis Cicero *in Pisonem, c. 1. Nemo queritur, Syrum nescio quem de grege Novitio-rum factum esse Consulem:* ut & Terentius, *Eun. Act. 3. sc. 5. v. 34.*

> *Abducit secum ancillas: paucæ, quæ circum illam essent, manent Noviciæ puellæ.* ----- -----

De fallaciis vero & præstigiis Venditorum, qui variis artibus venalium pubertatem avertebant; Novicia enim mancipia pluris, quàm Veterana distrahebant, diximus suprà in voce *Venalis*. Vide quoque suprà *Novitii*. Quia autem *Veterator* servus, diuturnâ ac multiplici servitute astutus plerunque ac vafer evasit; Hinc *Veteratores*, ut *Festus* ait, dici cœperunt *callidi*, à multa rerum gerendarum vetustate. Cannius,

> *Mulieri non astutæ facilè* Veterator *persuasit.*

Terentius, *in Andria, Act. 2. sc. 6. v. 26.*

> ----- *Quid hic volt* Veterator *sibi?*

Vide Laurentium Pignorium, *Comm. de Servis* & Tit. Popman, *de Operis Servorum.*

VETERAVIA, vulgo *Wetteraw* incolis, *Veteravie* Gallis, tractus Germaniæ & Franconiæ, in circulo Electorum Rheni, inter Hassiam ad Ortum & Rhenum fluvium ad Occasum, Ducatum Westphaliæ ad Boream, & ditionem Moguntinam ad Meridiem; dividiturque in 12. Comitatus, qui sunt Bellstinus, *le Comté de Beilstein*, Comitatus Cattimeliboci, *le Comté de Catzenelebogen*, ditionis Hasso-Cassellanæ pro majori parte, Dietiensis, *le Comté de Dietz*, Dillemburgicus, *le Comté de Dillembourg*, sub proprio Comite, Hadamarius, *le Comté de Hadamar*, nuper Principatus titulô insignitus Nassoviæ gentis, Idenstinus, *le Comté d'Idenstein*, Isenburgicus, *le Comté d'Issembourg.* Nassovius, *le Comté de Nassau*, nuper Principatus titulô insignitus, unde orta est domus Nassovia celeberrima, & Principes Arausicani, Sigensis, *le Comté de Sigen*, Solmensis, *le Comté de Solms*, Vilburgensis, *le Comté de Veilbourg*, & Visbadensis, *le Comté de Visbaden*, in ditione Electoris Moguntini. Oppida autem præcipua totius provinciæ sunt Dietia, Hadamaria, Nassovia, Sigenum & Solma.

de VETERI Ligno Adrianus, vide *Adrianus*, it. *Hadrianus*.

VETERINARIA Ars, vide *Jumentum*.

VETERESPICTAVI, vulgò *vieux Poitiers*, vicus Galliæ ad Clenum, non longè ab ejus & Vigennæ confluentibus, haud procul à castro Heraldi. Hic Carolomannus & Pipinus regnum Francorum, quod à morte patris novem vel decem menses pro indiviso ambo possederant, summâ inter se concordiâ divisêre, A. C. 742. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VETERUS, Gall. *Lac Veter*, lacus amplus Sueciæ, inter Westrogothiam & Ostrogothiam provinc. ad 80. mill. pass. extensus, à Septentrione in Merid. Eum circumdant Vadstena & Jonecopia.

VETO, solenne Tribunorum Plebis verbum, quoties Patrum decretis vel etiam Collegarum actionibus, intercederent, vide suprà *Tribunus*.

VETRASINUS, an VETRASIUS, quòd sæpius ad bestias pugnâsset, famosus, memoratur Capitolino *in Marco, c. 12. Quum quendam* Vetrasinum *famæ detestandæ honorem petentem moneret, ut se ab opinionibus populi vindicaret, & ille contrà respondisset, multos, qui secum in harena pugnâssent, se Prætores videre, patienter tulit.*

VETRONIUS, Thurinus, quòd iis, qui aliquid ab Alexandro Imperatore peterent, patrocinium & operam suam vendidisset, multa interim mentitus, alligatus stipiti, subjectô igne & humidâ materiâ, fumô extinctus est, adjectô elogiô: *Fumô punitur qui fumum vendidit.* Lamprid. *in Alexandr. c. 36.* Aliis *Voconius* dicitur.

VETTINGA, vicus Helvetiæ, ad Limagum, infra Tigurum, non longè à Thermis Helveticis, Abbatiâ Ordin. Cisterciensium & antiquitate illustris. Hic in vetusto lapide inscriptio visitur, Isidi Deæ facta, quam referunt Guillimannus, *p. 123.* Stumpf. *Chron. l. 6.* Russingerus Antiquarius Basiliensis, Johan. Bapt. Plantinus, *Helv. Antiq. & Nov. &c.* Vide *Wettinga*. Latinè Monasterium *Maris Stellæ* appellatur, & originem habet à Dominis Rupertivillanis ad Lacum Tigurinum. Cum enim Hartmannus, Comes Dillinganus & Kyburgicus, bona sua, quæ *Vettingæ* habebat, Henrico Rupertivillano certâ pecuniæ summâ vendidisset, A. C. 1227. hic haud multò pòst, Monasterium ibi moliri cœpit, quem in finem aliquas centenas argenti marcas, Eberhardo *de Salem*, Abbati numeravit; insuperque quæ in Urio pago, per uxorem Annam Comitem Hombergicam possidebat, eodem contulit. Secuti dein Nobiles vicini, certatim munificentiâ suâ cœptum opus auxêre, reditibusque locupletibus Monasterium dotavêre. Henricus Wasserstelzius Baro, Hartmannus Comes Kyburgicus Pater & Fil. Ulricus Liebenbergius Burggravius Rhenofeldensis, Lutoldus Regenspergicus, Aliique. Sic ut opes Abbatum in immensum creverint, è quibus Georgius Mullerus Badensis, cum toto Conventu, A. C. 1529. die 18. Augusti exutô cucullô, & Missâ, imaginibus ac ceremoniis Pontificiis abolitis Euangelio nomen dederunt, ac Tigurinis Bernensibusque se junxerunt: verùm, annô sequente restitutis Latinis ritibus, Abbas è Monasterio descessit Tigurum, ibique reliquum vitæ degit; Monachi verò hinc inde dispersi, partim Tigurino in agro, partim alibi locorum, Euangelium annuntiàrunt. Contrà ab Helvetiorum Cantonibus Latinorum rituum retinentibus, Abbas suffectus est A. C. 1532. qui A. C. 1507. Monasterium, incendiô excitatô, tantùm non penitus in cineres Monachus redegerat &c. Sepultus fuit in hâc Abbatia Albertus Imperator ad Vindonissam A. C. 1308. Nobilitatis insidiis sublatus; donec corpus ejus Spiram inde transferretur. Nec omittenda est hic inscr. cujus mentio facta; sic autem habet: *Deæ. Isidi. templum. a solo. L. Annusius. Magianus. de. suo. posuit. vir. Aquensis. ad. cujus. templi. ornamenta. Alpinia. Alpinula. Conjunx. &. Peregrina. Fil. XC. dederunt. L. d. d. Vicanorum.* Vide Stumpfium, *loc. cit.*

VETTIONENSES, & VETTONENSES, populi Umbriæ, quorum oppid. *Bittonio*, quasi *Vettonium*, olim Episcopale inter Mevaniam 6. & Perusiam 8. mill. pass.

VETTIUS Bolanus, prænomine *Cajus*, legionis sub Corbulone tribunus, de cujus bellica gloria Statius, *l.* 5. *Sylv.* ad filium ejus Crispinum. Fuit Consul cum C. Calpurnio Pisone.

VETTIUS Chilo, in Gallia, jussu Galbæ, crimine rerum novarum interfectus. Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 37.

VETTIUS Epagathus, in Gallia martyr, A. C. 170.

VETTIUS, prænomine *Spurius*, interrex Numam Regem pronuntiavit. *Plutarch.*

C. VETTIUS Atticus Consul, collega C. Asinii Prætextati, annô alterô priùs quàm peteret Gordianus III. memoratur Capitolino, in *Vita* hujus, c. 26.

L. VETTIUS Judex, ex Equestri ordine, inter socios Catilinæ Cæsarem nominavit, apud Novium Nigrinum Quæstorem, uti refert Sueton. in *Cæsare*, c. 17. Vide ibi Casaubonum, qui nummorum quoque veterum *Vettii Judicis* memoriam servantium meminit.

VETTIUS, vide *Vectius*.

VETTONES, seu VETONES, vel VECTONES, populi Lusitaniæ, teste Plin. *l.* 25. *c.* 8. qui herbam Betonicam invenerunt; horum regio *Vettonia* Prudentio, *περὶ στεφαν. Hymnô* 9. v. 187. hodie pars Australis regni Legionis, cum parte *Extremaduræ*, Lucan. *l.* 4. v. 9. --- *Vectonesque leves*, *&c.* Vide Casaub. *in Strab. p.* 49. *edit. Genev.* & *Vectones*.

VETTONIANA, oppidul. Bavariæ ad Danubium. *Wintem* vulgò.

VETULA, inter Veteres personas comicas, cui vestem dabant, ejus coloris quem *Festucinum* vocant Veneti, viridiusculi scil. paleatis, & cæsii i. e. cinerei. Officium earum, ut obstetrices essent, vel nutrices matronarum jam emeritæ quas loquacissimas esse oportebat, quæque vel herarum interpellarent orationes: exploratrices, suspiciosas, capite & pectore & brachiis tectis. Sed & ex meretricum genere, anus duæ producebantur in scenam, altera natu grandior, capillô canitie aspersô, inde σπαρτοπόλιος dicta; altera παχεῖα, pleniore comâ circumfusa. Etiam tria lenarum genera, aniculæ omnes &c. de quibus vide Jul. Cæs. Scaligerum, *Poetices l.* 1. *c.* 3. & 4. Inter Tragicas quoque, ubi mulierum personæ XI. primæ, in qua maxima dignitas & grandissima, cana, coma, frontisque tumor modicus erat, subpallida, hinc παράχρωμος dicta. Secundùm hanc, anicula libera, quâ calamitosam exprimebant cutis subrufa sufflava canities, frons modicè extans, crines passi ad claviculas usque pectoris. Post hanc famula anicula, quô locô cœteræ frontis tumorem expressum habebant, ex agninis pellibus gerebat vittam, cutis rugosa fuit, Idem, *c.* 6. Sed & *Vetula*, inter Recentiorum ludos, memoratur Audoëno, *Vita Eligii*, *l.* 2. *c.* 15. *Nullus in Kal. Januarii nefanda & ridiculosa*, Vetulas, *aut cervulos, aut jotticos faciat*. Vide quoque *Pœnitentialem* Theodori, Concilior. Angliæ *Tom. II. tit.* 33. Alios, ubi tamen *Vetula* pro *Vitula*, i. e. juvenca scriptum, contendit Sirmondus. Sed paganos eô die muliebres assumsisse habitus & fœminarum specie se deformâsse, quod vetitum *Can.* 62. Synodi Trull. docet ex Maximo Taurinensi & Faustino Episcop. Car. du Fresne, hodieque in Gallia pueros in Bacchanalibus larvatos insequi inclamantes, *il a fait la vielle* h. e. *vetulam egit*, in vetulæ modum larvatus processit: & apud Græcos, sextum & vicesimum *Shabat* (mensis Februarii) esse *principium dierum Vetulæ*, hosque numerô esse septem, scribi Abulfedæ, in *Epochis* à Joh. Gravio editis, addit. De *Vetula Aurea* vide suprà *Aurea vetula*; de *Vetula Bovillana* divinis honoribus culta apud Romanos, vide suprà voce *Anna*.

VETULONIA, seu VETULONIUM, *Ptolem.* oppid. olim Hetruriæ apud Populonium, hodie *Vetulia*, ubi *sylva Vetulonia*. Populi *Vetulonii*, Plin. *l.* 3. *c.* 5. Erat & *Vetulonia* apud *Viterbium*; quod ex illa, Longula & Turrena extructum est, uti ex tabula Desiderii Reg. quæ ibi asservatur, patet. Silius, *l.* 8. v. 484.

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis.

VETULUS de Montanis, vide ubi de *Assassinis* seu *Lassatinis*, nec non voce *Senex*.

VETURIA, gens Romana, quæ priùs *Vetusia* dicta fuit, nomen dedit tribui *Veturiæ*, cujus meminit Liv. *l.* 36. ubi duplicem habet Veturiam Juniorum & Seniorum. Fuit hæc tribus ultima ex 19. illis, in quas populum Roman. divisit Servius Tullius, vide Carol. Sigonium, *de antiq. jure civium Rom. l.* 1. *c.* 3.

VETURIA, C. M. Coriolani mater fuit, ad quam adierunt matronæ Romanæ, quæ in discrimine patriæ pervicerunt, ut Veturia, magnô natu mulier, & Volumnia, Coriolani uxor, duos parvulos ex Coriolano ferentes secum, in castra hostium irent: & quam armis viri defendere urbem non possent, mulieres precibus, lacrymisque defenderent: quod præstiterunt: Nam fractus precibus ac fletibus matris Veturiæ ac uxoris Volumniæ Coriolanus, castra retro ab urbe movit. Tit. Liv. *l.* 2. *c.* 40. Dion. Halic. *l.* 7. & 8. Hinc statuit Senatus, ut fœmineum extrueretur templum Divæ Fortunæ, ubi fœminæ singulis annis, eâdem, quâ liberata fuerat urbs, die, sacra peragerent: idque in fœminarum honorem, ac hujus facti velut miraculi, monumentum perpetuum.

VETURIUS, prænomine Titus, inter Literatores, quibus in prima pueritia Alexander Sev. usus est, memoratur in *Vita* hujus apud Lamprid. *c.* 3. Vide *Titus*, it. *Cajus*.

VETURIUS, speculatorum optio callidus atque audax, ab Onomasto preciô & promissis oneratus, datâ pecuniâ ad corrumpendos plurium Prætorianorum animos, contra Galbam, Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 25.

VETURIUS Calvinus, vide *Titus*.

VETURIUS Crassus, vide *Lucius*.

VETURIUS Geminus, *Ibid.* Vide & *Cneus*, & *Publius*.

VETURIUS Philo, vide *Lucius*.

VETUS, vide *Lucius*.

VETUS Consul, in antiquis *Inscript.* pro exconsule, vel exconsulibus, qui Consul fuit. *Vetus Imperator*, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 2. pro eo, qui jam pridem Imperium cepit: *Vetus Miles*, in *Gloss.* pro eo qui ex milite est, cujusmodi sunt ex *Militibus Vari*, item *Militares*, apud Treb. Pollionem *in XXX. Tyr.* Porrò *Vetus Procurator*, in veterib. itidem *inscr.* qui Procurator fuit &c. Etiam *Vetus cæcus*, apud Spartian. *in Hadriano*, *c.* 25. *Venit & de Pannonia quidam vetus cæcus.* Et Juvenalem, *Sat.* 7. v. 170.

Et quæ jam veteres sanant mortaria cæcos.

Vide Salmas. *Not. ad Histor. Aug. loc. cit.* &c. Cœterùm *Veterem* supellectilem sub lectis olim abditam, notat *ad Caligulam Suetonii* Casaubonus, De *vestibus*, *supellectile*, *januis* quoque Templorum apud Gentiles, quæ præ vetustate usui esse desiêre, in Favissis seu Thesauris asservari solitis, diximus suprà. Sed & *vetustæ navi* imponi sicque ventis permitti, inter supplicia Veter. fuit. Sueton. *Cæsare*, *c.* 66. *Vetustissimâ nave impositos quòcunque ventô, in quascunque terras jubebo avehi.* Ubi de desertoribus sermo est. Similiter puniti à Tito primùm, deinde à Trajano delatores, apud eundem Sueton. *Tito*, *c.* 8. & Plin. *Panegyricô*, *c.* 34. Postmodùm à Tyrannis in Christianos ita sævitum, uti ex Victore de Geiserico Vandalo, ex *Martyrologio in Aprili*, de Aureliano, in *Sept.* de Valente, docet Casaubonus, *Animadv. in Suetonium*, *loc. cit.* Renovatâ veteris supplicii memoriâ bellô Belgicô præteritô seculô, quô in captivos Belgas uti voluisse Hispanos, sed damnô suô, ex Grotii *Hist. Belg.* discimus.

VETUS Vicus, seu *Altorfium*, vulgò *Altorff*, vicus amplus Helvetiorum, caput Uriensis pagi, prope Rusnam fluv. & lacum Lucerinum, ad radices montium, 15. mill. pass. à Suitio in Meridiem, & 42. à Curia in Occidentem. Vide *Uria*.

VETZLARIA, vulgò *Wetzlar*, urbs Hassiæ, aliàs Imperialis & libera, ad Lanum fluv. 6 mill. pass. à Giessa in Occasum, 30. à Francofurto ad Mœnum in Boream.

VEUNULTZIUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

VEXALA, *Ptolem.* *Yvelmouth*, *Camden.* æstuarium Cornubiæ, in mare ad Bidfordiam oppid. labens, apud Herculis promontor. Aliis *Molts*, ab oppido vicino dicitur.

VEXARE, apud Capitolin. *in Marco*, *c.* 23. *Fama fuit sanè, quòd sub Philosophorum specie quidam Rempubl. vexarent & privatos*: molestiam facessere est, onerique esse. Cùm enim plurimus esset in Philosophiæ studiis Marcus, multi sub eo extitêre, qui totâ animi contentione Philosophiam sectarentur, ut liberalitatem optimi Principis provocarent, qui sic Reipubl. erant oneri, cùm eos Imperator promoveret, ditaret stipendiisque & salariis sublevaret. Iidem, quòd magnâ libertate & audaciâ in domos privatorum se infertent, verè θυρεπανοίκται, quibus nihil clausum tectumque esse poterat, quique liberè, quod opus esset, petebant, Cynicæ professionis obtentu; liberiùs non dantes conviciis & maledictis impetebant, hôc modô *vexabant* privatos. Fuisse autem eorum hominum, sanctissimum illud nomen temerè usurpantium, proventum eô Principe maximum, passim nos docent illorum temporum Scriptores. Salmas. *ad loc.* Propriè verò *vexare*, sursum est ac deorsum agitare. A. Gell. *l.* 2. *c.* 6. *Vexare, vi atque motu vastiore est. Nam qui fertur & raptatur, atque huc atque illuc distrahitur, is vexari propriè dicitur.* Servius *in Eclog.* 6. v. 76. *Vexâsse rates, Probus vult hac ratione defendere, dicens, vexâsse venire ab eo, quod est veho, vecto, vexo. Ut vexâsse sit portâsse & pro arbitrio suo evertisse. Vexare enim est vis quadam alieni arbitrii, non enim sui potens est, quod vehitur*, & quæ sequuntur, vide quoque Macrob. *Saturn. l.* 6. *c.* 7. In *Onomastico* veter. *Vexo* est *περισύρω*, *ὠθίζω*, *ὠθίζειν* autem *pellere*, *pulsare*, *trudere*, exponit Cyrillus Glossographus, vide & Philoxenum, laudatum Casparo Barthio, *Animadv. Papinian. l.* 5. *Theb.* v. 612. Hinc *Vexatus*, item *Vexaticius*, pro energumeno apud Recentiores.

VEXFORDIA, vulgò *Vexford*, urbs munita Lageniæ, cum portu peramplo, in parte Orientali Hiberniæ, ubi Australis incipit Aliàs *Menapia*, 20. milliar. à Rossia in Ortum, uti 25. à Vaterfordia, 60. à Dublino in Meridiem. Caput Comitatus cognominis *Vexford Countye*, qui terminatur ab Ortu & Meridie mari Hibernicô, à Septentrione Comitatu Caterloghiensi, ab Occasu Comitatu Kilkenniensi & Vaterfordiensi.

VEXILLARIUS, in vet. *Charta* Jacobi Aragoniæ Regis A. C. 1309. ubi *S. Roman. Eccles.* Vexillarius, *Ammiratus ac Capitaneus generalis* inscribitur, idem cum *Vexillifero* est, qui *Vexillator* quoque in *Monastico* Angl. *Tom. I. p.* 372. ubi Gilbertus Tison, *Domini Regis Angliæ summus Vexillator* inscribitur. Cujusmodi *Vexilliferi Hæreditarii*, occurrunt apud Ordericum Vitalem, *l.* 3. A. C. 1066. Vide quoque ubi de *Vicedominis*, & de *Vexillariis Militibus*, ubi *de Bannerettis*, nec non plura, voce *Imaginiferi*, item *Vexillum*. Eôdem modô *Vexillarii*, Imaginiferi, Draconarii etiam paulò vetustiori ævô, inter principales milites occurrunt. Sic Probo, legato legionis tertiæ, deputatur *Vexillarius* ad obsequium, apud Vopisc. *in Probo*, *c.* 5. Præter hos erant & *Vexillarii*, non Vexilliferi illi quidem, sed *sub vexillo* Veterani, quorum mentio apud Tacitum passim. Ita autem dicebantur, quos *Triarios* vocârunt Veteres, iique ferè è Veteranis, qui sub vexillo retinebantur, aliorum omnium munerum immunes, præterquàm propulsandi hostis. In qualibet legione sexcenteni, numerô immotô, ut ex Livio, *l.* 8. *c.* 8. Polybio, aliis liquet. Unde Hyginus *in Gromatico*, *Vexillarii legionum eandem pedaturam debent accipere, quam cohortes legionariæ, quòd ad sexcentenos homines computentur.* Meminitque *Vexillariorum* Scholæ vetus *Inscr.* ubi tamen *Vexilliferi* intelligendi, judice Salmasiô. Vide quoque suprà *Militares*. Sed & *Vexillarii* Historiæ Aug. Scriptoribus auxiliares milites dicuntur, unde *vexillares cohortes*, apud Tacitum, sunt auxiliariæ, & apud eundem *vexillarii è cohortibus*, auxiliarii, *l.* 3. *Hist. c.* 6. Nempe *Vexilla* & *Vexillationes* dicebantur olim de auxiliis. Cùm enim in exercitu Romano semper Legiones essent & auxilia, hæc in cohortes, cohortes in *vexilla*, dividebantur. Quâ notione *Undecim vexilla sociûm nominis Latini* memorantur Livio, *l.* 39. *c.* 20. & Pertinax, *vexillis regendis ascitus*, legitur apud Capitolin. *c.* 2. In veter. quoque *Inscr.* *Dux vexillorum* est, qui aliô lapide *Præfectus auxiliorum* appellatur. LEG. AUGG. PROPR. PANNON. SUPER. DUCI.

DUCI. VEXILL. Item, DUCI. VEXILL. PER. ITALIAM EXERCITUS. Atque hi *Vexillarii* aut *Vexilla* simpliciter, item *Vexillarii è cohortibus*, dicti sunt, à quibus utique diversi *Vexillarii Legionum*, de quibus actum. Iidem & *Vexillationes* nuncupati, quod idem ac *vexilla*, quô nomine tam pedites, quàm equites, auxiliorum comprehendi primitus mos erat. At postremis temporibus *Vexillationes* de solis equitibus auxiliaribus sumuntur. Unde Veget. *Vexillationes* semper ab equitibus Legionum distinguit, *l.* 2. *c.* 1. *l.* 3. *c.* 4. alarios videl. equites ab equitibus Legionariis &c. *Germanicorum Vexillatio*, apud Sueton. *in Galba*, *c.* 20. vexillum est Germanicorum militum, sub quo centeni statuebantur: cujusmodi *Vexilla Germanica*, *Vexilla Germanorum*, *Vexilla Germaniæ inferior.* passim apud Tacitum occurrunt. Vide Salmas. *Not. ad Capitolin. in Pertinace*, *Vopiscum in Firmo*, aliosque *Historiæ August.* Scriptores.

VEXILLUM, an à *velo*, quasi *Velillum*; an à *vexi*, præterito verbi veho, quasi *vexum*, *vexulum* & hinc *vexillum*? Idem cum signo & *bando*, quæ vox apud posterioris ævi Scriptores in usu est. Signum nempe militare fuit mutum, quô vel receptum Veteres (ut & hodie) *vel pugnam significabant*. Isidor. *l.* 18. *c.* 3. Scævola JCtus, *l.* 45. *ff. ex quibus causis major. milites discedere à signis sine periculo non possunt.* Callistratus JCtus, *l.* 31. *ff. de testibus*, *Testes non temerè evocandi sunt per longum iter, & multò minus milites avocandi sunt à signis vel muneribus.* Eadem cum vocalibus signis conjunxit Tibullus, *l.* 1. *El.* 1. *v.* 75.

---- ---- Signa tubæque
Ite procul.

De bando, legimus apud Paul. Varnefridum, *l.* 1. *c.* 20. *Tato verò Rodulfi* Vexillum, *quod Bandum appellant, ejusque galeam, quam in bello gestare consueverat, abstulit.* Hinc Βανδοφόρος Leoni Imper. *lib. de bellico apparatu*, *c.* 3. idem ac Signifer est. Distinguit verò *Vexillum* à Signo Onufrius Panvinius, qui *Equitum vexilla*, inquit, *cohortium signa*, *legionum aquila*. Quò facit, quòd *Vexillationes* dictæ sunt Equitum turmæ, quemadmodum *Cunei* peditum globi, vide Pancirollum, *in Notit. Orient. & Occid. Imp. c.* 32. Varium autem & multiplex *Vexillorum* discrimen fuit. Persæ Solem in iis præferebant. Tertull. *Apol. c.* 16. *Ad Persas si fortè deputabimur, licèt Solem non in linteo pictum adoremus.* Iidem quem in Altaribus Ignem, ceu Numen (vel potius Numinis, Solis videl. symbolum) venerabantur, in militaribus *Vexillis* gestabant, Strabo, *l.* 15. *sub fin.* Vide quoque Procopium, *Belli Goth. l.* 2. & Curtium, *l.* 4. *c.* 13. 14. Thebani Sphinge *Vexilla* notârunt, Plutarch. *in Pelopida* & Æmil. *in Epamin* Athenienses in iis Noctuam pinxêre, Plut. *in Lysandro*: de *Vexillis* Hebræorum vide in voce *Insignia*. Apud Romanos non unus semper mos viguit. Paupere adhuc Republ. fœni manipulus præferebatur, unde Romulus *Manipulum militum* dixit, qui sub eodem fœni manipulo militabant. Ovid. *l.* 3. *Fast. v.* 117.

Pertica suspensos portabat longa maniplos;
Unde maniplaris nomina miles habet.

Vide Lipsium *de Militia Rom.* & Hadr. Junium, *Animadv. l.* 3. *c.* 2. Crescente posteà domi forisque Majestate, *Lupi*, *Minotauri*, *Equi*, *Apri*, *cum Aquila*, *singulos ordines anteibant*, Plin. *l.* 10. *c.* 4. Porci quoque effigies, ut *Festus* docet, *inter militaria signa quintum obtinebat locum*, quæ tamen privatarum, ut videtur, Legionum erant signa, sub sola verò Aquila omnes educebantur, subque ea pugnabant: Unde in nummo Aug. *Aquila Legionaria*, apud Ottonem, *Numism. p.* 58. & per Aquilas Romani exercitus semper intelliguntur, apud Scriptores. Claudian. *in Eutropio*, *l.* 2. *v.* 224.

---- Hos Aquilæ Romanaque signa sequuntur.

Eam argenteam primus fecit C. Marius secundô Consulatu, Cicer. *Orat* 1. *in Catil.* formæ & magnitudinis talis, ut in cingulo militari occultari potuerit. Florus, *Hist. Rom. l.* 4. *c.* 12. *Signa & aquilas duas adhuc Barbari possident, tertiam Signifer prius, quàm in manus hostium veniret, evulsit, mersamque intra balthei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit.* Successêre lapsô penè Imperiô Dracones atque hi quidem non è metallo aliquo, ut Aquilæ, formati, sed vel picti, vel intertexti, & *in linteo*, ut suprà Tertullianus, *depicti*. Hinc *ventô moveri* eos dixit Amm. Marcellin. *l.* 16. Sidonius Apollinaris, *Carm.* 5.

Discurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgescit Zephyris, patulô mentitur hiatu
Iratam pictura famem &c.

Color eorum purpureus, Isidor. *l.* 14. *c.* 41. Vide quoque Claudian. *in Ruffin. l.* 2. cùm alioqui Equitum cœruleum, fortè quòd hic color undarum, equi autem Neptuno sacri: Peditum *vexillum* roseum esset, Servius *ad princip. l.* 8. *Æn.* Unde Augustus *Agrippam generum cæruleo* Vexillô *donavit*, apud Sueton. *in eo*, *c.* 25. Vide Donatum Ponzanum, *Dilucidat. p.* 314. Russeum verò vel flammeum *Vexillis* colorem Salmasius tribuit, indeque in *Glossis* φάνιον φάλος, *Vexillum*, legi, & *flammula* vulgò vexilla dicta esse, ait *ad Lamprid. in Antonino Diadumeno*, *c.* 2. Cur autem istiusmodi Signa placuerint Romanis, in promptu ratio est: Lupus enim, Equus & Aper, bellicosa animalia, ac Neptuno Martique sacra; Porca cæsa fœderis signaculum: Minotaurus prudentiæ militaris, sua consilia, quàm maximè potest, occultantis: Aquila dominii atque auctoritatis: Dracones vigilantiæ symbola fuêre. Procedente ævô & Ducum nomina *Vexillis* inscripta, Tacit. *l.* 3. *Hist. c.* 31. *Nomen atque imagines Vitellii amoliuntur.* Sueton. *in Vesp. c.* 6. *Nomen ejus sine mora* Vexillis *inscripserunt.* Unde *Imaginarii* dicti, qui Imperatoris præferrent imaginem, Modestus, *l. de vocab. Rei Milit.* Ex hinc fortè factum, ut adorarentur signa. Sueton. *Vitellio*, *c.* 2. *Ad veneranda legionum signa pellexit.* Tacitus, *l.* 3. *Histor. c.* 10. *Conversus ad signa & bellorum Deos.* Iterum Sueton. *Caligul. c.* 14. *Aquilas & signa Romana Cæsarumque imagines adoravit.* Claudian. *in Ruff. l.* 2. *v.* 366.

Augustus veneranda prior Vexilla salutat.

Eademque causa, cur per Signa milites jurarent, Livius, *Dec.* 1. *l.* 6. *Obstringere perjuriô non se solum suumque caput, sed signa militaria & aquilas, sacramentique religionem.* Tertullianus *Apologet. Religio tota castrensis Romanorum Signa jurat, Signa veneratur, Signa omnibus Diis præponit.* Lucanus, *l.* 1. *v.* 374.

---- Per signa decem felicia castris
Perque tuos juro, quocunque ex hoste, triumphos, &c.

Ornabantur porrò festis diebus, Minutius Felix, *Octav.* Unde apud Sueton. *Claud. c.* 13. *Aquila non potuit ornari*; quod ex eo transcripsit Orosius, *l.* 7. *c.* 6. Claudian. *de Nupt. Honorii & Mariæ*, *v.* 187.

---- Mavortia signa rubescunt
Floribus.

Denique hastæ, in quibus *Vexilla* prælata, ferrô acuto humi defigebantur, nec evellebantur, nisi factô sacrificiô: quòd si fortè non fuissent sponte evellentes Signiferos sequutæ, putabatur imminere periculum & portendi clades, ut alibi dictum. Hinc *vellere signa*, idem quod *in hostem movere*: sicut *figere* est *castra metari*. Vide Thomam Dempster. *Paralipomenis ad Rosin. l.* 10. *sub fin.* De signo autem ☧ Constantino M. in aëre visô atque posteà Labaro insertô: initialibus nempe literis nominis ΧΡΙΣΤΟΥ, unde de crucis signô error obortus, vide suprà in voce *Crux*: uti de cultu civili Imperiali vexillo, utpote τῶ ἐπισημοτάτῳ συμβόλῳ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς, ut ait Sozomenus, à militibus, jam ante Constantini tempora, exhibito, plura apud Jo. Forbesium, *Instructionum Historico-Theologic. l. VIII. c.* 9. §. 1. ut & suprà voce *Labarum*. Cur autem sua singulis cohortibus centuriisque *Vexilla* essent, docet Vegetius, *l.* 2. *c.* 13. *Antiqui*, inquit, *quia sciebant in acie commissô bellô celeriter ordines aciesque turbari atque confundi, ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diviserunt & singulis Centuriis singula Vexilla constituerunt ita, ut ex qua cohorte, vel quota esset Centuria, in illô vexillo literis esset adscriptum: quod intuentes vel legentes milites in quovis tumultu à Contubernalibus suis aberrare non possent; Centuriones insuper &c.* Hæc itaque, quaquà versum à ductoribus portarentur, sequi tenebantur Milites, neque ab illis recedere fas erat; Proin & ne in manus inciderent hostium, magnô studiô cavebatur: ac si omnino major eorum vis esset; lintea perticis direpta in sinum condebantur, ut suprà vidimus. Vide Joh. Rosini *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 5. Sed & lacerabantur *Vexilla* à militibus, cùm deficerent ab Imperatoribus suis. Tacit. *l.* 2. *Hist. c.* 85. *Laceratisque vexillis, Vitellii nomen præferentibus.* Omnibus enim *vexillis* Imperatoris, noviter creati, nomen inscribendi militaris ritus fuit, uti diximus jam, & pleniùs discimus ex Suetonii, *Vesp. c.* 6. & Dione, *l.* 40. quorum hic φοινικοῖς γράμμασι, *literis puniceis*, nomina illa inscribi solita addit. Sub iis verò literis imaginem pictam Imperatoris, idem *in Vitellio* docet. Unde καὶ αὐτοὶ τὰς εἰκόνας defectores dicti. Idem porrò *Vexillorum* amor ac veneratio sæpe effecit, ut rebus creperis, *Vexillô* in hostes jactatô, militum ardor mirè accenderetur, ejusque recuperandi causâ, acriùs redintegraretur prælium, non sine ingenti successu, cujus rei exemplum habemus apud Livium, *l.* 4. *c.* 29. aliud apud Valer. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 20. plura apud Frontinum, *Strateg. l.* 2. *c.* 8. *ex.* 1. & *l.* 4. *c.* 5. *ex.* 3. Quod imitatus recentiori ævô Robertus Normannorum Dux, post occupatam à Christianis Nicæam, præliô cum Solimanno, aureum vexillum in frequentissimos hostes misit, non minùs felici eventu: Hoc enim dum repetunt Normanni, antequàm in potestatem hostium veniret, impetu irruentium, hostes disturbati, eorumque 40000. cæsa sunt, teste Æmiliô, *l.* 4. Neque verò solùm in acie *Vexillorum* usus erat, sed & in militum delectu. Cùm enim tria essent militiæ genera, Sacramentum, Conjuratio & Evocatio: in Conjuratione, cùm nempe tumultus, id est, bellum Italicum vel Gallicum esset, singulosque interrogare non vacaret, qui fuerat exercitum ducturus, ibat in Capitolium, & exinde proferens duo *Vexilla*, unum roseum, quô Pedites evocari, alterum cœruleum, quô Equites, solebant; dicebat: *Qui vult salvam Rempubl. me sequatur*: sicque qui convenissent, simul jurabant; uti docet Rosin. *l.* 10. *c.* 5. Similiter, cùm bellum pararetur, *vexillum* monstrabatur ex Capitolio, ut discimus ex hisce Arnobii, *adv. Gentes*, *l.* 2. *Cùm paratis bella, signum monstratis ex arce*: quam rem egregiè explicuit G. Stewechius, *Commentariô ad Vegetium*, *l.* 1. *c.* 6. Etiam in Coloniis deducendis, Curatores eis deducendis vel agris dandis attribuendisve delecti, colonos, qui vel suâ sponte nomina dederant, vel sorte exierant, agros lege definitos, atque in Coloniam sub *Vexillo*, quasi Exercitum aliquem, deducebant, eratque deductionis Dux, è Curatoribus Agrariis unus; ut ex Appiano, Plut. Cicerone discimus. Sed & honoris ac obsequii gratiâ *Vexilla* prælata Imperatoribus, quoties procederent, ut docet pluribus *ad Hist. Aug.* Salmasius. Qui honor etiam cum Tribunis postmodùm communicatus, quibus id honoris datum, ut ante illos Vexillarius ambularet, ostendimus suprà, ubi de Probo. Certè inter Militum dona *Vexilla* fuêre. Vetus *Inscr.*

. CVI
OB VIRTVTEM SVAM SACRA
TISSIMI IMP. CORONAM
MVRALEM HASTAM PVRAM
ET VEXILLVM ARGENTO
INSIGNE DEDERVNT.

In Signis enim hisce aurum & argentum intexi solitum, & quidem argentum frequentissimè, ignotum nemini. Unde *pura vexilla*, quæ sine alterutro essent, apud Vopisc. *in Probo*, *c.* 5. Idem factum ævô citeriori, uti de Eduino Angliæ Rege narrat Beda

Hist. l. 2. c. 16. Nec non & incedente illo ubilibet per plateas, illud genus vexilli, quod Romani Tufam appellant, ante eum ferri solebat. Vide suprà, hâc voce. Hodieque *Vexilla versicoloria* Veneto præferri Duci, Sabellicus Auctor est, *l. 7. Enn. 8.* Contrà indemissionis ac humilitatis indicinam, *Vexilla* submittimus, uti docet Statius, *l. 4. Sylv. 2. v. 42.*

--- submittentemque modestè
Fortuna vexilla sua ---

ad quem locum Barthium vide, ut & *Comment. ad Claudian. Consul. IV. Honorii v. 85.* adde quæ retrò dicta, ubi de *Velis*. Porrò, Signa cohortium in antiquis nummis, passim extant. Exhibet Goltzius varios, inter quos primus repræsentat nobis *Vexillum*, aquilam & signum cohortis; secundus item *Vexillum*, aquilam, aratrum (nam aratrò urbem & agrum circumscribebant Curatores more priscô) decempedam sive perticam agri mensoriam; tertius Sacerdotem agentem jugum boum &c. Vide iterum modò laudatum Rosin. *l. 7. c. 47.* Addenda pauca de Carrocio Italorum, quod currus erat magnus (unde & nomen) cum tintinnabulo & *Vexillo*, in media acie statui solitum, ad quod tanquam signum sanctissimum, milites attendebant, vitam potiùs, quam illud, amissuri. De quo sic Anton. Campus Cremonensis *in descr. Cremonæ: Carrocium erat currus amplior atque sublimior his, qui communi in usu. Invenêre Longobardi, primique omnium, secundum aliquos Mediolanenses usurpârunt. Ornabatur id à quibusdam pannô rubrô, ab aliis albô, à Cremonensibus verò mixtim rubrô & albô, denique pro colore, quô cujusque civitatis insigne. Sed & jum boves, à quibus trahebatur, simili pannô tecti. In medio autem erat antenna cum* Vexillo *seu Labaro, præter crucem rubram, cætera albo. & ab eadem antemna dependuli funes.* Et paulo pòst, *Nefas educere, nisi publicô decretô, nec minùs mille quingentis ad custodiam ejus militibus, strenuis & panoplia ac bipennibus egregiè munitis. Propè etiam Duces omnes ac militiæ præfecti, at pone tubicines 8. multique ad rem divinam Sacerdotes. Præcipua currus cura viro dabatur virtute & peritiâ militari insigni, quoque loci ille statueretur, eò tum jus dici tum consilium haberi de belli summa solebat. Eòdem & saucii recepti &c.* Imitatione prisci ritus, ut ex prædictis videre est. Sed de hoc plura supra, in voce *Carrocium*. Primitus autem *Vexilla* cohortibus nulla, sed signa & notacula Ducum clypeis inscribebantur, ut ex Æschylo docet suprà laudatus Barthius, ad *l. 4. Theb. Papin. v. 803.* Præter *Vexilla* verò *Militaria*, de quibus hactenus, sua quoque singulis Collegiis vexilla fuêre ac signa. Hinc cùm Decennia celebraret Gallienus Imperator, *Vexilla centena, præter ea quæ collegiorum erant, dracones & signa templorum omniumque legionum,* in pompa prælata fuisse, habet *in eo* Treb. Pollio, *c. 8.* ubi Salmas. Vide & plura eam in rem hic passim inter alia suprà, voce *Signa*, uti de Hebræorum mense à *Vexillis* nomen adepto suprà *Nissan*.

VEXILLUM Crucis, aliis Hierosolymitanum: ad Magistrum militiæ terræ sanctæ pertinebat, multis donatum privilegiis. Capitis enim rei si hoc transiens fortè comprehenderent, immunes ilico constitui sunt. Producebatur autem, cùm in bellum contra Saracenos descendendum esset, militum conscribendorum gratiâ, qui proin amplissima privilegia ex munificentia Principum consequebantur, Brito Armoric. *Philipp. l. 3.*

Nec minus Anglorum zelô Rex motus eodem,
Richardusque Comes, Vexillô se crucis armant.
Exemplum quorum Proceres, Comitesque Ducesque
Ordoque militiæ minor, Ecclesiæque ministri,
Et multi de plebe viri, non impare votô,
Signô se signare crucis properanter avebant.
Par desiderium cunctos habet, unica mens est
Omnibus, unus amor sanctæ succurrere terræ.

Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

VEXILLUM, Feudale, cujus traditione illustria feuda, *Fanlehen* proin dicta, ab Imperatore conferuntur, & quidem solo: neque enim vacante imperiô, Electori Palatino, dum Provisoris partes agit, aliaque disponit beneficia, hæc conferre permittitur. Vide *Aur. Bull.* Sic Richardus I Angliæ Rex, ab Archiepiscopo Rotomagensi tam ensem, quam *Vexillum* de Ducatu Normanniæ, in templo Beatæ Virginis, ante majus altare suscepit, Radulfus *de Diceto in Richardo I.* Zeno Imperator Italiam Theodorico Gothorum Regi *per pragmaticam tribuens*, sacri etiam velaminis donô confirmavit, Ricobald. Ferrar. *de Theodorico*, Jornandes, Ingulfus, &c. Lotharius quoque Imperator & Innocentius Papa, de conferendo Apuliæ Ducatu contendentes, in dando Duci Reginaldo *Vexillo*, ambo manum adhibuerunt. Otto Frising. *l. 7. c. 20. ad ann. 1132. &c.* Cæterùm fuit *Vexillariorum* tam eximia olim dignitas, ut Arnoldus de Eudevehan Marescalciæ Franciæ renunciaverit, vexilli (quod *Auriflamba* dicebatur) potiundi gratiâ: Et Hieron. Blancas, *de reb. Aragon.* antiquos Suprarbiensium Reges, ante Innicum Aristum, alios non fuisse, quam signiferos ductores, memorat. Sic refert Guil. Tyrius, *l. 6. c. 17.* fratrem Regis Franciæ Ducem & Signiferum, in bello sacro, constitutum esse. Vide Henr. Spelmann. in vocibus *Bandum*, *Banneretum*, *Fanlehen*, & *Vexillum*.

VEXILLUM Inquisitionis, seu S. Officii, ut vocant, Gòæ imaginem Dominici opere Phrygiô affabrè effictam continet, manu unâ tenentem gladium, alterâ ramum olivæ, additis verbis, *Justitia & Misericordia*: In Hispania verò, crucem truncatam, inter gladium & ramum olivæ itidem, constitutam, cum verbis, *Exurge Domine & judica causam tuam, Psalm 73. v. 22.* Phil. à Limborch, *Historiâ Inquisitionis, l. 4. c. 41.* Rubeum utrumque damascenum. Atque Vexillum hoc in Actione Fidei uti vocant, processionem præcedentibus, Monachis Dominicanis, præferri solet. Aliud & *simile Vexillum* opere Phrygionicô itidem apprimè laboratum, alterâ facie illius Papæ, qui Inquisitionem concessit, stemmata cum ipsius nominis inscriptione, alterâ Regis Ferdinandi, qui illam in Hispaniam invexit primus, ostendens. In cujus summa cuspide infixa est argentea Crux deaurata magni pretii cum suo Crucifixo. Hoc in eadem pompa, mediô locô, incedens, prætensum ac explicatum gestat Fiscalis Inquisitorius, militari sane fastu, ut qui in ea paranda Victoria haud mediocrem Inquisitorio Tribunali operam navaverit. Sequuntur illum Patres fidei, incessu lentô & ad summam gravitatem compositô: Familiares Inquisitionis omnes equis insidentes, his succedunt: donec innumerabilis populi turba sine nomine & ordine agmen claudat. Phil. à Limborch, *Histor. Inquisit, l. 4. c. 41.*

VEXILLUM Regale, apud Guil. Britonem, *Philipp. l. 10.* ubi de quodam Galone, in prælio Bovinensi.

Vexillum Regale die portavit in illo:

Regis Franciæ præcipuum vexillum est, ex serico cœruleo, liliis interstincto, quod vulgò *la Banniere de France* dicitur. Ab eo Auriflamma diversa, de qua suô locô. Sed & *Vexilla Ecclesiarum*, apud Communionis Eccl. Scriptores, memorantur passim. Asservabantur illa in ipsa Æde sacra, ubi & qui ea delaturi erant in prælia, benedictione consecratâ, recitatis ad id ab Episcopô aut Sacerdote precatiunculis accipiebant, finitôque præliô eodem referebant, uti de *Vexillo S. Dionysii* pluribus docet Car. du Fresne, *ad Joinvillam, Dissert. 18.* & de Lusatorum Slavorum *Vexillis*, in fano Radagastensi asservatis Dubravius, *l. 6. p. 65.* Super altare posita, refert Durandus, *Rational. l. 1. c. 3. n. 32.* Benedictionis formulam apud Latinos habes in *Ordine* Rom. apud Græcos Byzantinos, *in Tacticis Leonis Imp. c. 19 §. 22.* Plura verò hanc in rem, uti *de Vexillo S. Martini*, in Monasterio S. Martini Turon. servato, & à Comitibus Andegav. tanquam loci Advocatis, vide suprà, in bellis Monachorum & Canonicorum olim delato: *de Vexillo Mart. Mauritii & Thebææ Legionis Principis*, inter alia xenia, Hugoni Capeto, ab Edelstano Angl. Rege misso: *de Vexillo S. Petri, cruce & clavibus insignito*, quod Pontifex Rom. suæ communionis Principibus, vel in Paganos, vel in Schismaticos aut Hæreticos, ut vocant, moturis, mittere consuevit: porrò de *Vexilli erectione*, in altioribus urbium vel castrorum turribus, supremi Dominii symbolo, ejusdem *submissione*, deditionis signo &c. apud modò dictum Car. du Fresne *in Glossar.* ubi & pro clamore militari vocem *Vexilli* apud citimæ ætatis Scriptores nonnunquam occurrere, eò quòd Vexillifer primus in præliis aliisque motibus clamorem militarem efferret, quem cæteri milites subsequebantur, addit. Vide quoque suprà aliquid voce *Pennones*, it. *Regnum* & *Tufa*.

VEXINUM, vulgò *le Vexin*, tractus Galliæ, cujus pars, nempe Vexinum Gallicum, *le Vexin François*, est in insula Franciæ, inter Oesiam & Eptam fluv. cujus caput est Pontisara. Pars autem Occidens seu Vexinum Normannicum, *le Vexin Normand*, est in Normannia, inter Eptam & Andelam fluv. cujus caput Gisorium. Ibi Velocasses olim majori ex parte.

VEXSIA, urbs Smalandiæ, juxta lacum, Episcopalis sub Archiepiscopo Upsaliensi, 35. mill. pass. à Vetero lacu in Merid. versus mare Balticum paulò plus, *Vexsio* vulgò.

VEZELIACUM, urbs Ducatus Burgundici ad Curam fluv. in tractu Antissiodorensi, in colle, juxta limites provinc. Nivernensis, 7. leuc. supra Autissiodorum, in Meridiem, 14. à Nivernis in Cæciam. *Vezelay* vulgo.

VEZIRUS Magnus, Turcis *Vezir Azem*, Imperatoribus in amoris signum sæpe *Lala*, quasi Aulæ Magister dictus, supremus est Imperii Turcici Minister. Ejus enim arbitriô omnia belli pacisque negotia ferè geruntur, nisi quòd Bassam capitis supplicio adjudicare non possit, sine subscriptione Imperatoris, nec militem quempiam punire, sine Præfecti consensu. Aliàs nec appellationi ab eo ad Imperatorem locus est, nisi in punctô denegatæ justitiæ, aut si pars enormiter se læsum esse testetur. Quo in casu talis, antiquô Turcarum more, igni capiti impositô Seraglium ingreditur, & quantô potest concitatô cursu ad Imperatorem contendit, causamque suam ipsi exponit, nemine cursum ejus prohibere ausô. Una tanti honoris, sed gravissima infelicitas est, quòd rarò durabilis sit, plerisque *Veziriorum*, vel depositis vel violentâ morte peremptis, citius tardiùs, prout Imperatori visum fuerit. Unde non illepidè eorum aliquis se suosque Antecessores formicis comparavit, quas ideo dicebat alis donari, quo eo celerius interirent. Sed inter paucos *Kiuperli* Achmedis ultimi Magni Vezirii parens incolumis evasit, & quod maxime mirandum, dignitatem ad filium transmisit: Qui ambo creduntur, animô Principis occupatô & bellô cum exteris, sibi cavisse. Sub hoc primo magnoque *Vezirio* sex alii Veziriorum gerunt nomen, qui Consiliis quoque adhibentur, sed auctoritate non magnâ. Vide Chr. Becmannum, *Hist. Orbis Terr. c. 10. de Imperio Turc.* Secundus ab illo vocatur *Kaimachan*, h. e. *Vicarius supremi Vezirii*. Ad *Vezirii* autem dignitatem nemini patere aditum, nisi qui Bassa prius fuerit, habes apud Georg. Hornium, *Orbe Politic. cum Animadv.* Menckenii, *p. 30.*

UFENS, fluv. juxta Terracinam, per paludes Pomptinas fluens, Plin. *l. 3. c. 5.* Virg. *l. 7. Æn. v. 802.*

Quà Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles, atque in mare volvitur Ufens.

Unde Claudian. *de Prob. Olybr. consulatu, v. 257.*

--- Tardusque suis erroribus Ufens.

Silius, *l. 8. v. 383.*

--- --- --- Et atra
Lentaverit cæno per squalida turbidus arva
Cogit aquas Ufens, atque inficit æquora limo.

Hic

Hic fluv. antiquissimus Romanis *Oufens* dicebatur. Ennius:

Priverno Oufentina venit, fluvioque Oufente.

Sed & aliâ diphthongô etiam dicebatur *Aufens*; unde vulgare ei hodieque vocabulum *Aufente*. *Cluver. Baudrando*, hodie *il Portatore*; nascitur ad diversorium *Casenove*, 2. milliar. sub Setia, in Campania Romana. In ditione Pontific. Ejus ostia prope Terracinam distant 100. mill. pass. ab ostiis Truenti in Piceno in Merid. uti 60. à Neapoli in Occasum versùs ostia Tiberina 50. Item Æquicolarum Dux, qui cùm Turno adversùs Æneam suppetias ferret, à Gyâ Trojano est interfectus. Ejus meminit Virgil. *ubi suprà*:

Et te montosæ misêre in prælia Nursæ
Ufens, insignem famâ & felicibus armis.

Nic. Lloydius.

UFENS Alter, fluv. Piceni, *Liv. l. 5. c. 35. Chiente*, *Cas. Orlando*; & alter in Gallia Togata, in ora Semnonum, in Æmilia, apud Rubiconem.

UFENTINA, quæ & *Oufentina* tribus Roman. crescente ob novos cives frequentiâ, cum Falerina, addita est An. Urb. Cond. 435. Liviô, teste; *l. 9. c. 20.* à Censoribus L. Papirio Crasso & C. Mænio. Nomen ei dedit fluvius Ufens, in agro Privernate, inter mare & Terracinam, *Festus*. Vide *suprà*.

UFFINGI, Orientalium Anglorum Reges, ab *Uffa* Rege, qui vixit A. C. 578. dicti sunt, apud Matth. Westmonasteriensem. Sicut *Merovingi*, *Carolovingi*, *Capevingi*, in Galls, à *Meroveo*, *Carolo M. Capeto*, Familiarum Regiarum conditoribus, de quibus vide suprà.

UFFINGUS, vel UFFO, Monachus Friso, floruit A. C. 1000. eloquentiæ & eruditionis laude, scripsit *vitam S. Ludgeri*, &c. Suffridus Petri, *de Script. Fris. dec. 7. c. 5.* Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

UFFUGUM, Brutiorum civitas, *Liv.* olim Episcopalis. *Monte Alto*, teste Barriô, inter Consentiam & Argentanam, 12. mill. pass. utrinque.

UGERNUM, castrum Galliæ, in Volcis Arecomicis, primò *Straboni* memoratum, *tab. Peuting* inter Nemausum & Arelatum ponitur, illinc 15. mill. pass. hinc 8. interfluente Rhodanô distans, ad citeriorem hujus ripam. Hic Sidonius Avitum ab exercitu Gallicano Augustum consalutatum ait *in Panegyr.*

--- --- *Fragor atria complet*
Ugerni --- ---

Posteà *Bellum Cadrum*, à situ & figura dictum, vulgò *Beaucaire*. An potius Insula Gernica, inter Belcaire & Tarasconem, in Rhodano, vulgò *la Vergne*, veter. *Ugernum* est! Vide Hadr. Vales. *Notit Gall.*

UGGADE, *Antonin.* oppid. Aulercorum Eburovicum, ad Sequanam, in Gallia Lugdunensi. Quibusdam est *Elbeuf*, oppid. cum titulo Ducatus in Normannia, 5. mill. pass. supra Rothomagum in Merid.

UGO Catalaunus, ex volumine Decretorum Ivonis abbreviato, libellum portatilem, qui *Summa Decretorum Ivonis* appellatur, composuit, teste Vincentiô Bellovac. *Spec. Histor. l. 25. c. 84.* Vide suprà voce *Pannonia*.

UGOGHENSIS Comitatus, *Comtè d'Ugogh*, provincia est Hungariæ superioris versùs Tibiscum fluv. & limites Transylvaniæ sub Austriacis. Terminatur à Septentrione Comitatu Peregiensi, ab Ortu Moramarusiensi, ab Occasu Bihoriensi, & à Meridie Zatmariensi. Ejus caput *Ugozs*, Germ. *Ugogh*, castrum in colle, 2. milliar. Germanic. à Zatmaria in Boream, Vibiscum versùs paulo plus.

UGOLINUS Zauchinus, Ariminensis, JCtus, auctor Tract. *de Hæreticis*, quem *Additionibus* locupletavit Camillus Campegius Generalis in dominio Ferrariensi Inquisitor.

UGRI, à Pilgrino Betharensi & Laureacensi Episcopo, rogante Ungarorum Rege Geisâ, conversi, & ad 500. sacrô fonte lustrati: ipso quoque Rege, ductâ Miecesllai Poloni sorore, fidem amplexô. A. C. 966. Vide Aventinum, *Annal. Bojor. l. 5.* B. Rhenanum, *Rerum Germ. Nov. Antiq. l. 1.* cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p. 239.* Hornium, *Orbe Imper. p. 412.* & suprà in voce *Hungari*.

VHABALATHUS, apud Onuphrium, meliùs *Vabalathus*, ut ex nummis Aureliani, in quibus Οὐαβάλαθος scribitur, docet Salmasius, Zenobiæ filius fuit, cujus nomine illa Imperium tenuisse, dicitur Vopisco, *in Aureliano*, *c. 38.* Origo nominis ex Hebr. & Syr. *Bahala* vel *Bahalat* Reginam significante: unde *Bahalatus* & *Babalatus*, ut *Hel* & *Bel*, & similia sexcenta Salmas. *ad loc.*

VIA, Mauritaniæ Cæsareensis urbs, *Ptolem.*

VIA, Hispaniæ Tarraconens. fluv. *Ptolem.* vulgò *Avia*, per Callaicos in Minium defluit.

VIA, jus est eundi, agendi, & ambulandi hominis: nam iter & actum via in se continet. Has primi lapidibus stravêre Pœni. In his dein faciendis sarciendisque, tam intra, quàm extra urbem, maxima priscis temporibus Romani Senatus fuit diligentia. Primùm autem Censoribus earum curandarum munus commissum fuit: Posteà, cùm illi aliis rebus occupati huic muneri sollicitè vacare non possent, ex Senatusconsulto Magistratus peculiaris in hunc finem creatus est. Ii Quatuorviri viarum curandarum vocabantur, quòd viis vel muniendis, vel sternendis præessent. Eorum non multa quidem est mentio, in Scriptoribus, quos habemus: in antiquis tamen Epigrammatibus plurima, vide Pomponium JCtum, Dominicum Floccum Florentinum, Barn. Brissonium *Antiquit. l. 4. c. 12.* Iis pro vicariis inservierunt Quinque-Viri cis & ultra Tiberim, qui illorum munere, cùm vespertinô tempore in publicum prodire Magistratibus inconveniens esset, fungebantur. Lata etiam Sempronia lex est, de viis Italiæ, à C. Sempronio Graccho Trib. Pleb. an. Urb. Cond. 619. *Ut viæ in Italia munirentur*, *sternerentur*, *lapidibus milliaria discernentibus notarentur*, *pontibus instruerentur*, Plut. in *Gracchis*. Primi vias sternendas silice in Urbe, & extra urbem glareâ substruendas, marginandasque locaverunt Q. Fulvius Flaccus & A. Posthumius Albinus Censores, teste Liviô, *l. 41. c. 27.* De Viis urbis Romæ vide infrà in voce *Via*. Hodie quoque apud Sinas omnibus meritò admirationi sunt *Viæ* publicæ, ad proficiscentium commoda, quantum humanitùs fieri potest, exactæ. Æquatæ primùm & lapidibus stratæ, in omnibus ferè Australioribus provinciis, in quibus minor equorum & curruum usus: idque in altissimis etiam montibus, ubi datur transitus, rescissis hinc inde rupibus, abruptisque ac solô æquatis montium cacuminibus, impletis tandem vallibus, magnô per totam regionem compendiô. Ibi ad singulos lapides, qui decem stadia Sinica continent, dispositi Cursores, &c. ad singulos octonos lapides, quod spatium unius diei iter est, erectæ sunt domus regiæ publicæ, ad quas Præfecti ac Magistratus divertunt, regiôque sumptu excipiuntur. Inter alia in *Fokien*, ad *Hinghoa*, viæ omnes ita quadratô sunt ubique lapide stratæ, ut per sexaginta & amplius stadiorum longitudinem (4. milliar. German.) unius etiam perticæ latitudinem servent, quibus nihil per totam Chinam nitidius. Vide Thom. Dempster. *Antiqq. Roman. l. 7. c. 29.* & Adam. Preyelium, *in Sina & Europa*, *c. 22. de Viis publicis*. Quasi *Vehia*, quòd vehendo teratur. Quid differat à *Semita*, ex versu Ennii cognoscere licet, quem refert Cicero, *l. 1. de Divin. Qui sibi Semitam non sapiunt, alios monstrant Viam.* Item illis Plauti *in Casina*, *Actu 3. sc. 5. v. 40.* De Via *in Semitam regredere.* Latior nempe *Via*, angustior Semita, Rittershusius ad *Phædrum*, *l. 3. Prologô v. 38.*

Ego illius porro semitam feci Viam.

Quem à Schoppio, inter *Viam* & Semitam hîc non distinguente, reprehensum, tuetur Laurentius JCtus. *Hoc enim*, inquiens, *noster vult, se Æsopi semitam, quâ unus solusque ambulabat, repetendo & frequentius, quàm ipse fecerat, calcando effecisse, ut fieret via.* Semita *autem fit* Via, *cùm à pluribus incipit ambulari, & sic magis vulgatur atque dilatatur, id quod Phædrus à se ait factum, ideoque subjicit, & cogitavi plura quam reliquerat.* Latitudo *Viæ* LL. XII. Tabb. definita est, pedes octo in porrectum, sexdecim in anfractum, *l. 8. ff. de serv. Præd. rust.* Interim promiscuè pro *Via* Semitam usurpavit Cicer. *4. Verr. Attendite jam intelligetis, hanc pecuniam, quâ viâ modò visa est exire, ab ipsa eadem semitâ revertisse.* Atque ita Horatius, *l. 1. Ep. 18. v. 103.* ubi ait:

--- *& fallentis semita vitæ.*

Aliàs *Viæ* itinera dicuntur, quibus publicè commeatus est; quarum quædam sunt publicæ, quædam, privatæ *l. 2. §. viarum ff. ne quid in loc. publ. l. 38. ff. de acquir. rer. domin.* Earum præses Mercurius olim habitus est, ὁδιος hinc dictus, de quo alibi. In illis ambulationes probatæ. Quemadmodùm enim inter loca istiusmodi exercitationi destinata, Vitruvius & Celsus magis hypæthron commendârunt, quàm porticus & hypogæum: Ita Phædrus apud Platonem, ex sententia Acumeni Medici, deambulationem extrà civitatem factam ei, quæ in civitatibus efficitur, prætulit hisce verbis: Τῷ δὲ ἐμῷ καὶ σῷ πειθόμενος Ἀκουμενῷ κατὰ τὰς ὁδοὺς ποιοῦμαι τοὺς περιπάτους, φησὶ γὰρ ἀκοπωτέρους, ἢ ἐν τοῖς δρόμοις εἶναι; *Meo autem & tuo obediens sodali Acumeno*, in Viis *ambulationes facio: has enim dixit minorem lassitudinem parere, quàm illas, quæ in cursibus aguntur.* Ubi per vocem Δρόμους quidam Veteres Græcos ajunt intellexisse *Vias* in urbibus planas, sed ob lapides stratos, asperiusculas ac breves, uti hodieque apud multos Civitatum viæ magis tritæ *Cursus* nuncupantur: Per ὁδοὺς verò, vias intelligi quascunque extra Civitates, nullâ Arte fabricatas, nullis legibus stratas, sed inæquales, minimè planas & denique tales, quales naturâ vel casu factæ reperiuntur: atque ideo Acumenum magis ambulationem in viis, quàm in cursibus probâsse, quoniam τῶν περιπάτων οἱ κατὰ τὰς ὁδοὺς ἀκοπώτεροι εἰσιν οἱ ἀνώμαλοι τῶν ἰσοπέδων, Aristot. *Probl. part. 1. 37.* Alii τοὺς Δρόμους extitisse volunt, ea loca, quæ tractu brevi ambulationibus essent dicata; similia illis, quæ in palæstra Antiqui, ob ambulandi commoditatem, ædificabant, quæque Ἐνδρομίδας vocatas tradit Vitruvius, & quorum clarissimam facit mentionem Eupolis, apud Laërtium, *Platon.* ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ. *Vias* verò appellant illas, quales retro descriptæ. Vide Hier. Mercurialem, qui in posteriorem sententiam inclinat, *de Arte Gymnast. l. 4. c. 10.* ut & infrà voce *Xysti*. Sed & in *Viis* popinæ, vide suprà in voce hac; it. mortui conditi, apud Veteres, hodieque apud Turcas: ut quos sepulcra juxta vias collocare, nec alibi sepelire licere, sepulturæ autem mandare, cadavera lota, & omni à parte rasa, scribit Chalcondylas, *l. 3.* Sortes tentatæ. Vide suprà *Sortes*. Porrò *viâ decedere*, honoris genus. Hinc Romulus, quia matronarum interventu Sabinô bellô civitas defensa esset, indubitatô gratitudinis argumentô statuit, ut præter alia ornamenta ob id meritum mulieribus unô decretô congesta ad omnem occursum *viâ* illis decederetur, Sabellicus, *l. 7. c. 1.* At Veteres, cùm aliquem execrabantur, iter aliquò meditantem, *ut ea via ipsi perpetua foret*, imprecari solitos esse, discimus ex Cicerone, *Orat. in Pisonem*, & Turpilio Thrasyleone apud Nonium: quam in rem vide plura, apud Victorium, *Variar. Lect. l. 2. c. 1.* uti de *Viarum* ratione, apud Veteres *in Exercitat. Plin. ad Solin.* Salmasii *p. 677. & seqq.* ubi *de Viis Publicis* in genere, de quibus etiam suprà aliquid lemmate *Publicæ Viæ*: inprimis de *Viis Regalibus*, quæ & *Consulares* & *Prætoriæ* & *Militares* dictæ, in quarum lateribus altiores lapides & suggesta quædam pusilla excitata fuisse, è quibus ii, qui saltu se in equum conjicere non poterant, quod ante stapedes inventos in usu erat, facili negotiô in eum tollerentur, diximus suprà voce *Stapes*; de *Viis* item *Vicinalibus* & *Agrariis*: *p. 821.* ubi *de Viarum sectione & directione*, de qua & suprà aliquid, voce *Quincunx*, præcipuè spectatâ in delineatione urbium condendarum, quæ Græcis ῥυμοτομία, à Romanis aratrô descriptâ, ab aliis cretâ designatâ; cujus locô polenta Alexandriæ sparsa: *p. 919.* ubi *de Viis*, *in Theatris*, *cardinum nomine insignitis*, quibus cunei separ-

parabantur, alibique, ubi alia in hanc rem eruditè congessit. Descriptionem *viæ publicæ* egregiam ex Paulino dedimus suprà, voce *Agger*. Apud Recentiores *Via Dei*, item *Via Hierosolymitana*, & *Via SS.* dicta est expeditio seu peregrinatio *in Terram Sanctam*, ut videre est apud Fulconem, *Hist. Franc. Tom. IV.* Guibertum, *Hist. Hierosol. l. 2.* Alios. Iisdem *Viæ ferratæ* dicuntur Itinera à Romanis in provinciis extructa, an propter duritiem eorum, an quòd ex silicibus subnigris compacta, ferri colorem referant, ut ait Bergerius, *de Itiner. Roman. l. 1. c. 25. num. 2.* &c. Sed & *Via*, in Scriptorum XII. lusu Græcè itidem ὁδὸς, dicta est, quem *scriptorum tramitem* appellat Auctor veteris Epigrammatis, *de Tabula:*

Et quamvis parili scriptorum tramite currant
Is capiet palmam, quem bona facta juvant.

Scripta nempe illa sive lineæ, per quas calculi currebant. Isidorus, *l. 17. c. de ludo aleæ, Sed & ipsas vias senariis locis distinctas, propter ætates hominum, argumentantur*: de quibus plura apud Salmas. *Not. ad Proculum Vopisci, c. 13.* Alias vocis significationes habes apud Casp. Barthium, *Animadv. Papinian. passim.*

VIA Aphetais, dicta olim Lacedæmone *via* est, per quam in curriculum certaturi mittebantur, ἀπὸ τῆ ἀφέσεως. Ejus meminit Pausan in *Laconicis*, ubi de cursus certamine inter procos antiquitus instituto.

VIA Belojum, *Antonin. la Chiusa*, pagus Carnorum, inter Alpes Julias, quà in Noricum transitur, à Glemona oppid. Carnorum 14. mill. pass. Villacum versùs 9. leuc. German.

VIA Bethlehem, in tribu Benjamin, amœna est valde, vineis, rosis, herbis odoriferis & aromatibus consita. Hanc, ut & alias, Emauntem, Gazam & Joppen ducentes, Salomon Rex, & undecunque Hierosolyma esset adeunda, silice stravit, tum ut ultro citroque commeantibus essent faciles, tum ad ostentandam hâc quoque parte principatus sui magnificentiam. Adamus Preyelius, *in Sina & Europa, c. 22.*

VIA Felicium, Græcè ἡ μακάρων ὁδὸς, in oraculo Apollinis, apud Euseb. *de Præpar. Euang. l. 9. c. 10.* Porphyrio oraculum explicanti est ἡ πρὸς Θεοὺς ὁδὸς, *via ad Deos*, seu *Deorum via*. Unde ex Ægyptiorum Schola, Philosophiam divinam, viam ad beatitudinem demonstrantem, produsse voluêre. Sed Abraham præcepit filiis, *ut custodiant* Viam Domini & *faciant justitiam*, Gen. *c. 18. v. 19.* Et in Euangelio non semel occurrit *Via Dei*, Matth. *c. 22. v. 16.* Marc. *c. 12. v. 14.* Lucæ *c. 20. v. 21.* quam Josephus *Philosophiam de Deo & εὐτελεῖας βίου, rectam Vitæ rationem* indigitat, & Græcos à Judæis didicisse contendit, *contra Appionem*, idque omni jure. Ipsum oraculum *d. l.* Ægyptios quidem, inter gentes quibus *Felicium Via* innotuerit, primò, Hebræos ultimò locò recenset: at mox Apollo parum sibi constans, in altero oraculo Sapientiam veram tantùm apud Chaldæos & Hebræos viguisse denuntiat, cùm ait:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς.
Chaldæi & Ebræi soli sortiti sunt Sapientiam.
Numen æternum sanctè venerantes.

Joh. Marsham. *Can. Chron. Sec. IX.* Vide etiam Cebetis *Tabulam*, ubi *Viam* hanc, *Felicium* Ægyptiis dictam, *Viam* vocat *ducentem ad veram eruditionem*: & suprà, specimen Moralis Ægyptiorum Vitæ, ubi de *Arca & mortuali.*

VIA Jericho, quæ ducit Hierosolymam, per montana, iter 12. milliar. in tribu Benjamin.

VIA Ituræa, quâ à Sidone in Ituræam, inde ad Cæsaream Philippi iter est, in tribu Aser. Breid. *Itiner. 1.*

VIA Julii Cæsaris, apud Radevicum, *de Gestis Friderici, l. 3. c. 25.* in Alpibus, eadem *Mons Jovis* aliàs. Vide Simlerum, *de Alpib.*

VIA Sacra, Romæ fuit in regione 4. Historicorum Scriptis celebratissima, à qua etiam Regioni nomen. Dicta est, à fœdere inter Romulum & Tatium Reges icto, non sine prævio sacrificiorum apparatu, ut patet ex Dionysio Halicarn. *l. 2.* Meminit L. Seneca, qui *Viam sacram celeberrimum locum* vocat, *Consol. ad Marciam, c. 16.* & ante eum Asconius Pædianus, *Comment. in Orat. 2. contra Verrem.* Totam velis intexit C. Cæsar, ut & Forum, cui vicina erat, Plinius, *l. 19. c. 1. in fin.* ibique ipse Julius Dictator habitavit, Sueton. *in eo, c. 46.* &, quod miratur Dempsterus omnes Urbis Topographos omisisse, *signa fœderis initi in ea extabant, tempore Servii Honorati, Regibus diverso itinere venientibus, Romulò à Palatio, Tatiò à Rostris, ad v. 641. l. 8. Æneid.* Illud vero non omittendum, quòd Plinius Foro Rom Ovidius Foro Cæsaris eam facit contiguam, *l. 3. Trist. El. 1. v. 27.*

Paruit, & ducens, hæc sunt Fora Cæsaris, inquit,
Hæc est à sacris *quæ* Via *nomen habet.*

In ea ipsa porrò, aut non longè ab ea fuisse Xystos inambulationi idoneos, docere videtur Horatius, *Serm. l. 1. Sat. 9. princ.*

Ibam fortè Via sacra. ----

Vide quoque *Epod.* Od. 4. v. 9. & Sext. Propertium, *l. 2. El. 23. v. 25.* Ibidem celebre emporium rerum venalium, rusticis in urbem commeantibus & fructus villicis conferentibus. Terentius Varro, *de R. R. l. 1. c. 2. Hujusce inquam* (Cn. Tremellii) *pomaria summa sacra Via, ubi poma veneunt, contra auream imaginem.* Et ob id *frequentissimum ementium vendentiumque consessum*, vocavit M. Tullius, *Orat. pro Cn. Plancio.* Ovid. *l. 1. Amor. Eleg. 8. v. 100.*

Munera præcipue videat, quæ miserit alter,
Si tibi nil dederit, Sacra *roganda* Via *est.*

Vide quoque Petronium, *Catal.* Propert. *l. 2. El. 44.* Alios. Atque eôdem itinere utebantur Sacerdotes *Bidulium Sacrorum causâ conficiendorum*, ut Verrius Flaccus habet, apud Festum Pompejum, vel, ut loquitur M. Varro, *de L. L. l. 4. per eam sacra, quoquot mensibus ferebantur, in arcem, & per eam Augures ex arce profecti solebant inaugurare.* Unde *Sacræ* cognomen ortum voluêre, nec displicet Dempstero sententia, licèt certum sit, primam nominis imponendi rationem ac occasionem à sacro fœdere defluxisse Idem Dempsterus primus observavit, Theodosium quoque Hisp. Augustum & filium ejus Honorium in ea *Via* habitâsse: ex Claudiano, *Panegyr. de 6. Honorii Cons. v. 603.*

Hinc te jam Patriis Laribus Via *nomine verò*
Sacra refert. ----- -----

Nisi fortè indicari quis contendat, sacrificium Diis Laribus à reduce Imperatore solutum intelligi, quorum ædem in *Via sacra* fuisse, præter alios loquitur C. Jul. Solinus, *Polyhist. c. 2.* Verùm hujusmodi sacrum ab eo Idolis falsisque Diis oblatum dici non potest, quum constet Christianæ se addictissimum exhibuisse pietati, omnibusque quibus poterat edictis monstrosos Ethnicorum ritus sustulisse. Vide præfatum Dempster. *ad Rosinum, l. 1. c. 13. ubi de XIV. Urbis regg.*

VIA à Sichem Hierosolymam, ubi Christus ad puteum consedit, aquam petens à Samaritana. Breid. *Itiner. 1.*

* VIA Sidonis, à Sidone per Sareptam Tyrum ducens. Hieronym. *in Hebr. Loc.* in dict. *Sarepta.*

VIA de Silo in Sichem, in tribu Ephraim, Judic. *c. 21. v. 19.*

VIA Tyri, quæ à Tyro Ptolemaidem tendit. In tribu Aser. Hieronym. *loc. cit. Achziph.* Brocard. Breid. *itin. 1.*

VIA Vallis, hâc sæpe iter faciebat Elisæus, erat enim planior in Jericho eunti. In tribu Issachar.

VIACIENSES, Hispaniæ populi. Plin. *l. 3. c. 3.* in Bæticæ confinio: quos Pinetus *Baezza* interpretatur. Vide *Biatia.*

VIADUS, meliùs *Viadrus*, fluv. German. ex Moravia oriens, longôque tractu per Slesiam, Marchiam & Pomeraniam in mare Balticum fluens, *Oder* Althamero. Becmanno, è Moraviæ & Silesiæ finibus manat, haud procul Olmutio: & infra Stetinum, in lacum *das grosse Haff* se demergens, inde per 3. ostia mare ingreditur: quorum dextrum est Diepenoa *Dievenow*, sinistrum Pena, medium Suina. Urbs alluit Preslaviam, Glogaviam, Francofurtum, Custrinum, & Stettinum, fluviisque Boberô, Neissâ & juxta Custrinum Wartâ è Polonia veniente augetur: Superbus hodie novô cum Sprea conjugiô, paratiô Elect. Brandeburgicô Frider. Wilhelmô, qui fossam hâc fini duci curavit, ut mare Balticum & Oceanus Germanicus propiori communione fruerentur. German. *die Oder*, ab aucupibus, qui casas avibus captandis destinatas *Odri* appellant, circa Viadri fontem frequentes, *Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ.* Vide *Odera.*

VIÆ Brunehildis, hodieque *Chemins de Brunehaut*, viæ sunt in Belgio. Brunehildis operâ, ut Fama fert, stratæ, quarum egressus urbem Hannoniæ Bavacum *Bavais*, quæ antiquis Cæsarum temporibus maximè floruit, memoratu efficit dignam. Columna enim lapidea in foro est, sub qua ab incolis omnia viarum capita referuntur, quæ ab eo loco in omnes Galliæ partes, sublimi ac rectô exporriguntur tramite. Earum hodienum plurimis in locis visuntur vestigia, sed interrupta: habentque id præsertim miraculi, quòd sublimiores sint vicinis utrinque agris, inter insignia Galliæ oppida rectissimum iter conficiant, & silicinis lapillis, qui in vicinia desunt, stratæ sint, adeò ut vel ab humo ebullivisse silices, vel ex æthere pluisse quis judicet, vel aliâ, quàm humanâ manu & operâ undecunque totô orbe lectos, in viarum hujusmodi ruderationem meritò demiretur, Ortelius, *Theatr. Orb. ad tabulam 40.*

VIÆ Dux, nonnunquam simpliciter *Dux.* Justin. *l. 38. c. 9. Hortator illi* (Demetrio) *Gallimander amicus erat, qui ---- per Arabiæ deserta, Ducibus pecuniâ comparatis ---- Babylonem pervenerat.* Græcè ὁδηγὸς, recentioribus δραγάτας, it. ἀπαγάτας ut qui pro ὁδηγεῖν, δραγάζειν dicunt; δραγάτας quoque in Latinum corruptâ voce. Jo. Meursius, *Glossario Græco-Bar.* Vide quoque Liv. *l. 22. c. 13.* & Sueton. *Cæsare. c. 3.* Pastores ad id maximè adhibitos, diximus suprà voce *Calles.*

Viæ Urbis Romæ, *ex Publio Victore & aliis.*

Æmilia, à Lepido Consule cum Cajo Flaminio strata, ab Arimino Bononiam usque perducens, unde nomen regionis.

Albana in Latio, per portam Latinam Albam ducens. Tibullus, *l. 1. El. 7. v. 57.*

Non tacitam monumenta viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaque antiquò detinet Alba lare.

Alta, per urbem à monte Quirinali ad portam Viminalem.

Amerina, pars Flaminiæ, à porta Flaminia Ameriam ducens.

Appia, ab Appio Claudio strata, per portam Capenam Capuam usque perducens. De qua Statius sic, *l. 2. Sylv. Carm. 2. v. 12.*

Appia longarum teritur regina viarum.

Longitudinem ejus quinque dierum spatiô vir expeditus vix poterat emetiri. Latitudo ea, ut duo currus ex adverso obvii, liberè possent commeare: Et fuit sanè hæc via præter cæteras spectabilis, siquidem Appius ex longinqua regione excisos lapides, & hos quidem siliceos ac suôpte ingeniô durissimos, in hanc viam vehendos curavit: quos planos dein ac læves redditos, & quadratos incisione factos junxit & in ordine locavit, metalli nihil vel alterius rei inserendo. Interim ita connexi inter se hærent, ut speciem visentibus præbeant, non conjunctos ita sed congenitos esse. In ea cippi quidam eminebant, in quibus insidere fessis, onera reclinare, aut ex iis etiam in equum ascendere fas esset. Columellæ quoque, sed rariores extabant, quibus notæ numerorum incisæ milliaria notabant: quod utrumque G. Gracchus instituit, Plutarchô notante, & gratum in vulgus fuit. Eam Appius, ut dictum, Capuam usque muniendam curavit, nec enim ulteriores tum Romanorum fines.

Postea

Posteà Brundusium perducta est, an à Julio Cæsare, quem Plutarch. scribit Appiæ curatorem factum, plurimum pecuniæ in eam impendisse: an ab Augusto, qui plerasque vias per Italiam ipse, aut per alios munivit. Vide Adam. Preyelium *in Sina & Europa*, c. 21. Hæc dein à Trajano instaurata fuit. Conspiciuntur hodieque lapides plani quadratique, trium, quatuor, quinque etiam pedum quaquaversus. *Idem.*

Ardeatina, ab Aventino monte Ardeam usque ducens.

Asinaria, inter Appiam & Ardeatinam, per portam Cœliomontanam. (Latinam & Ardeatinam, in epitome Geographica & in 2. catalogo.)

Augusta, pars Flaminiæ, per Thusciam.

Aurelia, per portam Aureliam Forum Aurelii usque per Pyrgos & Centumcellas ducens

Ausonia, eadem cum Latina. Vide *Latina*.

Campana, per portam Asinariam seu Cœliomontanam.

Cassia, per portam Flaminiam Forum Cassii deducens.

Cimina, per portam Flaminiam ad montem Ciminum.

Claudia, per portam Flaminiam Forum Claudii perducens per Thusciam.

Collatina, per portam Collatinam seu Pincianam in Sabinos.

Consularis, per portam Aureliam in Thusciam.

Cornelia, inter Aureliam & Triumphalem apud S. Petrum, seu Vaticanum exiens in Thusciam.

Domitiana, ab Appia inter Sinvessam & Puteolos in Campania ducens.

Flaminia, à Cajo Flaminio Consule strata, per portam Flaminiam seu Flumentanam Ariminum usque perducens. De eo Martial. sic, *l.* 11. *Epigr.* 14. *v.* 1.

Quisquis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile præterire marmor.

Et, *l.* 10. *Epigr.* 6. *v.* 6.

Totaque Flaminiæ Roma videnda via.

Gabina, per portam Gabiusam Gabios ducens.

Junia, à via Salaria in Sabinos ducens.

Lata, per urbem, juxta & ante ædem S. Marcelli, sic & hodie dicta.

Latina, per portam Latinam; quæ & Lata, & Ausonia Martiali, *l.* 9. *Epigr.* 102. *v.* 2.

Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ.

Lavicana, per portam Esquilinam Labicos ducens.

Laurentia, per portam Ostiensem.

Nomentana, per portam Viminalem in Sabinos Nomentum usque. Ovid. *l.* 4. *Fastor.* v. 905.

Hac mihi Nomento Romam cùm luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.

Nova, per urbem inter ædem S. Mariæ Liberatricis & Velabrum. Ovid. *l.* 6. *Fastor.* v. 395.

Fortè revertebar festis Vestalibus illâ,
Quà Nova Romano nunc via juncta foro est.

Hæc per palatium Septizonium usque ad Thermas Antoninas ducebat.

Numicia, ab Appia decisa.

Ostiensis, per portam Ostiensem seu Trigeminam Ostiam usque.

Portuensis, per portam Navalem & Thusciam Portum usque.

Prænestina, per portam Esquilinam usque Præneste.

Quinctia, per Sabinos, à Salaria decisa.

Recta, per Campum Martium in urbe. De qua Martialis, *l.* 8. *Epigr.* 75. *v.* 2.

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus à Recta, Flaminiaque via.

Sacra, per urbem apud ædem SS. Cosmæ & Damiani, ab arcu Constantini ad arcem Titi, ac ad Capitolium usque per Forum Romanum. De qua Propert. *l.* 2. *Eleg.* 1. *v.* 34.

Actiaque in Sacra currere rostra via.

Salaria, per portam Salariam in Sabinos. Ejus meminit Martialis, *l.* 4. *Epigr.* 64. *v.* 18.

Illic Flaminiæ, Salariæque
Gestator patet, essedo tacente.

Sempronia, à via Flaminia forum Sempronii ducens.

Setina, ab Appia decisa, Setiam ducens.

Tiburtina, per portam Gabiusam Tibur ducens. Sic & porta Tiburtina, quæ & Taurina, *di S. Lorenzo.*

Trajana, ab Appia dicisa, per Latium.

Triumphalis, per portam Triumphalem in Thusciam, ac à Vaticano Capitolium usque ducebat.

Tusculana, per portam Asinariam sive Cœliomontanam Tusculum usque.

Valeria, per portam Asinariam in Marsos ducens.

Vitellia, per portam Janiculensem in Thusciam ad mare usque.

Viæ longiùs ab urbe distantes:

Æmilia Lepidi, ab Arimino, (ubi desinit Flaminia) gemina; una Placentiam usque, altera usque Aquilejam.

Æmilia Scauri, à Pisis Dertonam. De Æmilia Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 4. *v.* 1.

Romam vade, liber; si veneris unde, requiret;
Æmiliæ dicas de regione viæ.

Posthumia, per Galliam Togatam, eadem Æmiliæ, seu pars, seu vicina.

Postumia altera ex tabula ænea, à Genua Dertonam ducens, nunè *Costuma.*

De viis aliter, Viæ per Italiam, ab urbe Roma pleræque incipientes,
& à portis ejusdem urbis nomen habentes.

Æmilia, ab Arimino Placentiam usque & Aquilejam.

Albana, per Latium Albam usque.

Appia, Brundusium usque.

Ardeatina, Ardeam usque.

Asinaria, per Latium inter Latinam & Ardeatinam.

Aurelia, per Tusciam Alpes usque.

Campana, in Campaniam per Latium.

Cassia, per Thusciam Forum Cassii usque.

Cimina usque ad Ciminam sylvam per Thusciam.

Collatina, in Sabinos.

Cornelia, per Thusciam inter Aureliam & Triumphalem.

Domitiana, pars Appiæ, in Campaniam.

Ferentina, per Latium Ferentinum usque.

Flaminia, Ariminum usque.

Gabina, Gabios usque.

Gallicana, in Sabinos.

Junia, in Sabinos.

Latina, per Latium Casinum usque, media inter Appiam & Valeriam.

Laurentina, inter Ostiensem & Ardeatinam.

Navalis, quæ & Portuensis.

Nomentana, in Sabinos Nomentum usque.

Numicia, pars Appiæ, in Latio.

Ostiensis, Ostiam usque.

Patinaria, per Sabinos, pars Salariæ.

Portuensis, Portum usque.

Quinctia per Sabinos, pars Salariæ.

Salaria, per Sabinos, in plures.

Setina, pars Latinæ, Setiam usque.

Trigemina, eadem Ostiensi.

Triumphalis, per Thusciam.

Tusculana, pars Campanæ, Tusculum usque.

Valeria, in Marsos.

Vitellia, per Thusciam.

VIALES Dii, memorantur Servio, *ad l.* 3. *Æn.* v. 168. *Labeo in libris, qui appellantur* de Diis, quibus origo animalis est, *in quibus, ait esse quædam sacra, quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur animales, quòd de animis fiant. Hi autem sunt Dii Penates* & Viales. Ubi *Dii Penates & Viales*, non alij quàm Lares: quos *Viales* Plautus quoque appellat, *Mercatore*, *Actu* 5. *Sc.* 2. *v.* 24. Nempe, quia compitorum & *viarum* etiam Præsides habebantur, uti docet Arnob. *l.* 3. Unde quòd Dii domestici essent, & privatas ædes tuerentur, Laribus privatim quotidie fiebat: Sed quia in familiarum salute Salus consisteret publica, eò & die 4. Non. Febr. legimus, in compitis (unde Compitalibus nomen) iisdem publicum fieri sacrificium porcâ, velut hostiâ lustrali, consuevisse. Propert. *l.* 4. *El.* 1. *v.* 23.

Parva saginati lustrabant compita porci.

Quem utrumque cultum junxit, & illum domesticum in foco, & istum compitalitium, M. Cato, *de Re R.* c. 5. ubi de Villici officio: *Rem divinam, nisi Compitalibus in compito, aut in foco, ne faciet.* Vide Gerh. Jo. Voss. *de Orig. & progr. Idol.* *l.* 2. *c.* 11. Vetus *Inscr.*

FORTVNÆ. REDVCI.
LARI VIALI.
ROMÆ. ÆTERNÆ.
Q. AXIVS. ÆLIAN.

apud G. Elmenhorst. *ad Arnob. l.* 3. cui adde Des. Heraldi *Animadversiones.* Sed & *Vialis* dictus est Mercurius, viarum Præses, Græc. Ὁδιος, *Vialis*, seu *Viam monstrans*, juxta *Hesychium & Stephanum*: It. Ἐνόδιος, *ducem se viæ offerens*, pro quo in Aldina Phurnuti est Εὐόδιος, *bonum faustumque iter præstans.* Et Ἡγεμόνιος, *Dux viæ*, apud eundem Phurnutum. Quod ad Solem, ad quem quatuor Planetarum marium cultum Vossius reducit, eleganter idem refert: Quippe de die viam monstrat lux Solaris, quemadmodùm noctu Lunaris: ut omne hoc de viarum præfecturis ad Solem Lunamque pertineat; quod & Augustinus indicat, *de Civ. Dei*, *l.* 7. *c.* 16. Et hinc est, quòd *Communis Deus* Mercurius vocatus est, quòd, cùm quis in via reperisset aliquid, præfari solebat, *Communis Mercurius*; quia is, ut qui in vijs versaretur, rei inventæ credebatur conscius, ut ait Jodocus Velareus, Interpres Phurnuti *de Nat. Deor.* Eidem quoque in compitis civitatum statuæ erectæ, *Hermæ* vocatæ, de quibus suprà dictum: quemadmodùm de Lapidum congerie, in viis, ejus in honorem aggesta, in voce *Mercurius*, & de *Vialibus Sortibus* suprà, ubi de *Sortibus*. Vide & Thom. Dempster. *ad Rosin.* *l.* 2. *c.* 9.

VIANA, vulgò *Weissenhorn Lazio*, oppid. Rhætiæ in Suevia, ab Ulma 2. leuc. in Austrum, ab Augusta Vindelicorum 8. in Corum: Sed alibi eidem *Lazio* est *Vonsberg*, oppid. parvum seu pagus ejusdem tractus. *Simlero* autem est *Wangen* oppid. ejusdem Sueviæ inter Lindavium & Memingam. At *Viana* apud Plin. *l.* 3. *c.* 24. urbs est Norici, & *Wien* urbs Austriæ caput putatur, licet Vienna Austriæ in Pannonia superiore censeatur. *Baudrando Viana*, urbs Rhætiæ, in Vindelicia, hodie est *Isna*, urbs libera Sueviæ, ad Argum amnem: ex Sansone 10. milliar. à Vemania in Ortum, uti 40. à Constantia, Campodunum versùs 15.

VIANA, urbecula Navarræ, cum titulo Principatus primogenitorum Regum Navarræ. Prope Iberum fluv. in limite Alavæ & Rivogiæ, vix 1. leuc. à Logronno in Ortum, 7. à Calaguri in Circium, 13. à Pompelone in Occasum.

VIANA, oppid. Hollandiæ Meridialis ad Leccum fluv. cum castro gentis Brederodæ, in limite domini Ultrajectini ferè 2. leuc. ab Ultrajecto in Meridiem. Fermè medium, inter Neomagum ad Ortum & Roterodamum in Occasum, *Vianen* vulgò.

VIANA Limii, oppid. Portugalliæ, ad ostia Limii fluv. in ora Oceani Atlantici in provinc. inter Durium & Minium, 5. leuc. à Braccara in Occasum, ferè 3. ab ostio Durii fluv. *Viana de foz de Lima* vulgò.

VIARAM, una è XII. Auguriorum speciebus, *quando homo vel avis suo itinere vel volatu ante te transit, veniens a dextra parte tui, & tendens in sinistram evanescit*, apud Mich. Scotum, *de Physiognom. c.* 56. ubi bonum id signum habitum, addit. Vide suprà voce *Venta*.

VIARIUS, apud Feudistas, Dominus dicitur Feudalis, cui competit *inferior vel media justitia*. Gallis *Seigneur voier*, quasi *Vicarius*, Car. du Fresne: quos de minoribus causis cognovisse discimus ex L. Longob. *l. 2. tit.* 52. §. 7. & *per pagos* (*seu vicos*) *constitutos fuisse*, ait Walafr. Strabo: Recentiores postmodum *Majores & Villicos villarum* appellavêre, de quibus vide complura apud Car. du Fresne, *Glossar.*

VIARUM Curatores, apud Romanos, ab Augusto instituti, memorantur Suetonio, *in eo, c.* 37. *Nova officia excogitavit: curam operum publicorum*, viarum, *aquarum* &c. & Capitolino *in Marco*, de quo postquam *vias urbis atque itinerum diligentissimè curâsse* dixerat, addit, *c.* 11. *Dedit præterea* Curatoribus *regionum ac* viarum *potestatem, ut vel punirent, vel ad præfectum urbi puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent. Jus autem magis vetus restituit, quàm novum fecit.* Curabantur ab iis *Viæ*, in certa spatia divisæ, unde *stationes viarum*, apud Statium, *l. 4. Sylv.* 9. *v.* 16. ad Plotium,

---- priusquam
Te Germanicus arbitrum sequendæ
Annonæ dedit, omniumque latè
Præfecit stationibus viarum.

ad quem locum, Barthium vide, & de *Viarum Curatoribus* hisce plura apud doctissimum optimique Judicii Taciti Commentatorem, *l. 3. Annal.* nec non suprà aliquid voce *Via*: it. ubi de *Quatuorviris viarum curat.* Certè & sequenti ævô *Via* ac Itinera solicitè à bonis Principibus curata, uti patet ex *tit. de Itin. mun. in C. Theodos.* & *in l. 4. Cod. de Privileg. domus Aug.* Vide quoque Leonem Imperator. *in Tacticis, c.* 20. §. 71. & suprà *Strata*. At apud Thebanos olim sternendarum in oppido viarum cura ministerium sordidissimum habebatur: quod cùm Epaminondæ, Bœotarchiâ defuncto, contumeliæ causâ cives irati demandâssent, sine ulla cunctatione id recepit, daturumque se operam, ut brevi speciosissimum evaderet, asseveravit. Quod & effectum dedit, mirificâ enim procuratione abjectissimum priùs negotium, pro amplissimo ornamento expetendum, Thebis reddidit, Val. Max. *l. 3. c. 7. ex. ext.* 5. &c.

VIARUM Exploratores, vide suprà in hac voce.

VIATICUM, apud Tacitum, *l. 1. Annal. c.* 37. ubi de seditione legionum Germanicarum, *Non abscessêre quintani unetvicesimanique, donec iisdem in æstivis contracta ex* Viatico *amicorum ipsiusque Cæsaris pecunia solveretur*: quid sit, ex seqq. patebit. Et quidem olim *Viaticum* Proconsulibus apud Romanos datum, cùm in provincias irent. Postquàm enim Comitiis Centuriatis, Consules in annum sequentem designati erant, tum alter Consulum, qui Magistratum gerebat, ad Senatum de provinciis referebat, quæ futuræ Consulares, quæ Prætoriæ essent: Quod ubi constitutum, tum illæ, quæ Consulares erant, Consulibus designatis decernebantur, ut eas vel sortirentur vel inter se compararent. Hôc factô Consulatûs sui tempore Legem ad Populum per Curias congregatum ferebant de imperio militari, sine qua bellum gerere non poterant & sic Provinciæ SC. ornabantur. Pertinebant autem ad ornamenta, latitudo Provinciæ, magnitudo Exercitus, stipendium in milites, *Viaticum* in Legatos & cohortem, comitatus & cætera generis ejusdem; quæ quidem, quoniam non omnibus eâdem amplitudine numerôque concessa sunt, propterea, cùm ea decernebat Senatus, tum Provinciæ aut Præsides ipsi ornari dicebantur. Ad *Viaticum* pertinebat annulus aureus, qui, teste Zonarâ, Magistratibus peregrè proficiscentibus de publico dabatur; Item vestes, vasa, vehicula, munus, tabernacula aliaque istiusmodi, quæ instrumenta locata fuisse, indicio est P. Ventidius, qui, ut A. Gellius, *l. 15. c. 4.* scribit, victum quæsivit comparandis mulis, & vehicula Magistratibus, qui sortiti Provincias forent, præbenda publicè conduxit, utpote ἐργολάβος & præbendorum manceps. Unde Cicero, 4. *Verr. c.* 5. *Majores nostri neminem, qui cum potestate aut legatione in Provinciam esset profectus, tam amentem fore putârunt, ut emeret argentum: dabatur enim de publico: aut vestem, præbebatur enim Legibus: mancipium putaverunt; quo & omnes utimur & non præbetur à Populo. Sanxerunt ne quis emeret mancipium, nisi demortui in locum.* Vide quoque Livium, ubi ait, *neminem ante L. Postumium Cos. in itinere faciendo ullis unquam sociis aut provincialibus, in ulla re oneri aut sumtui fuisse; quia Magistratus mulis tabernaculisque & omni aliô instrumentô militari fuerint ornati*, *l.* 42. *c.* 1. Posteà Augustus, sublatâ locatione publicâ, pecuniam ejus locô dari constituit, teste Suetoniô, *in eo* & Dione Cassiô, *l.* 54. Itaque & Alexander Severus, ut tradit Capitolinus, *c.* 42. Veterum exemplô, argentô & necessariis, Magistratus, quos in provinciam mittebat, solebat instruere, ita ut Præsides Provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, aureos centenos, Coquos singulos. Quanquàm ex verbis Appii apud Ciceronem, *Fam. l.* 1. conjici posse videatur, extremis Reipubl. temporibus, eos, qui legem Curiatam non habuissent, rem quidem militarem attingere potuisse, *Viaticô* autem publicô fraudatos fuisse, atque ita suô sumtu in provincias ivisse, Joh. Rosinus, *Antiqq. Rom. l. 7. c.* 42. &c. Etiam peculium & facultates militum *Viaticum* significare, patet ex Suetonio, *in Julio, c.* 68. *Ingresso civile bellum Centuriones cujusque Legionis singulos Equites è* Viatico *suo obtulerunt.* Et Horatio, *l. 2. Epist.* 2. *v.* 26.

--- Luculli miles collecta Viatica *multis*
Ærumnis &c.

Sic Ulpianus, *l. 17. ff. de reb. cred. Si filiusfamiliâs* Viaticum *suum mutuum dederit.* Quanquàm ibi in propriâ significatione accipi videatur, cùm additur, *cum studiorum causâ Romæ ageret.* Ex *magnum Viaticum* P. Claudius, *Annal. l.* 1. pro magna facultate & parta magno posuit, sed A. Gellius *novè positum* & ad Græcorum imitationem, qui ἐφόδιον, à sumtu viæ ad aliarum quoque rerum apparatus traduxerint, arguit, *l. 17. c.* 2. Athenis hospites quoque, cùm reditum ad suos Lares pararent, inter alia xenia *viatico* quoque fuisse instructos, diximus *suô locô*. Apud veteres Christianos ad sacra translata vox est, & Sacramenta duo, Baptismus ac S. Cœna, ἐφόδια seu *Viatica*, quasi viæ (talis enim vita nostra) *subsidia* vocata sunt. Hinc Baptismus, quòd sola hæc esset via ordinaria ad Christianismum, Ἐφόδιον passim appellatur & apud Greg. Naz. Baptista, Sacramentum administrans, ἐφοδιάζειν, *viatico instruere*, dicitur. Vide quoque Basilium, *Homil. de S. Baptismo*, ac Balsamonem *ad Interr. Can. Tim. Episc. Alex.* Ex Cœna Domini *Viaticum* dicta, tum respectu vitæ hujus, ad quam piè transigendam magnum instrumentum est, tum respectu mortis, quæ ad futuram vitam via est. Can. 13. Concilii Niceni Εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερείσθω, *Si quis decedat, Dominicô viaticô ne fraudetur.* Quô pactô indigitare Patres voluerunt, ex ordinatione Domini, utrumque Sacramentum ad salutem necessarium omnino esse. Quod cùm quidam eousque, extendere inciperent, ut damnari crederent, quotquot neque Baptismi, neque Cœnæ fuissent participes facti adeoque & mortuos baptizarent, & symbola Eucharistiæ, panem ac vinum, in os illis inderent, damnata consuetudo est Can. universalis Synodi Penthectæ 83. & Carthaginensis apud Balsamonem, 9. ubi is error pluribus describitur. Vide Isaac. Casaub. *Exercit. 16. contra Baron.* §. 52. Hinc *Viaticulum*, apud Appulejum, *Metamorph. l. 7. Viaticulum mihi corrasi*: quâ voce, quod ad sumtum pater filiæ destinaverat, venire Ulpiano, in *l. 18. §. 1. in fin. ff. de jud.* Brissonius ait.

VIATKA, urbecula Moscoviæ Orientalis ad fluv. cognominem cum castro munito, 120. mill. pass. à Cazano in Boream. Caput provinc. cognominis, quæ versùs Tartariam desertam & Viatkam fluv. inter Permiam est ad Boream & Ceremissos popul. regnumque Casanense ad Austrum. Sub Moscis.

VIATOR, latè accipitur, apud A. Gellium, *l. 12. c.* 3. *Quum Magistratus Pop. Rom. virgis quempiam verberari jussissent, crura ejus & manus ligari vincirique à* Viatore *solebant; isque qui ex collegio* Viatorum *officium ligandi haberet, Lictor appellatus est.* Ubi, cùm Ministri Magistratibus essent Lictores, *Viatores*, Accensi, Scribæ, Statores, Præcones, in generali acceptione *Viatoris* vocabulum sumitur, vide Lipsium, *Elect. l. 1. c.* 23. Propriè verò id hominum genus vox notavit, qui *à villis ad Senatum Patres accersebant.* C. Plinius, *l. 18. c.* 3. Unde Festus, *Viatores*, inquit, *appellantur, qui Magistratibus apparent; eò quia initiò omnium tribuum, cùm agri in propinquo erant urbis, atque assiduè homines rusticabantur, crebrior eorum opera erat in via, quam in Urbe: quòd ex agris plerumque homines vocabantur à Magistratibus, & frequens eorum erat ab agris in Urbem via.* Quibus consentit Columella, *in præfat. l. 1. Illis temporibus Proceres Civitatis in agris morabantur, & cùm consilium publicum desiderabatur, à villis arcessebantur ad Senatum. Ex quo, qui eos vocabant*, Viatores appellati sunt. Breviùs Cicero, *Catone maj. A villa in Senatum arcessebantur Curius & cæteri senes; ex quo qui eos arcessebant*, Viatores *sunt nominati.* Interim haud rarò cum *Viatoribus* Lictores confundi videmus, apud priscos. Unde ad veterem hunc in agris commorandi Procerum Magistratuumque morem alludens Claudianus, *Panegyr. de Consul.* Manlii Theodori, *v.* 7. ait.

Attamen invitam blandè vestigat, & ultro
Ambit honor. docuit toties à rure profectus
Lictor, & in mediis Consul quæsitus aratris, &c.

Utebantur autem *Viatoribus* Consules vocandi & nuntiandi causâ: ut & Prætores: quod vetus docet Inscriptio, quæ Romæ visitur in Campo Martio: *T. Staberio. Secundo. Coactori. Argentario. Viator. Consularis. &. Prætorius. sibi. &. Claudiæ. Stratoniæ. uxori.* Sic alter lapis ibid. in Foro Boario, *T. Staberius. Epigonus. Viator. Consularis. sibi. &. suis. Libertis. Libertabusque. posterisque. eorum.* Tribuni item Pleb. T. Livius, *Dec. 1. l. 2. Ardens igitur irâ Tribunus Viatorem mittit ad Consulem; Consul lictorem ad Tribunum* &c. Eorum, sicut & Præconum, Decuriæ erant, quæ à Consulib. legebantur & mercede afficiebantur, uti testis est antiqua tabula, apud Car. Sigonium, *Comment. de antiquo jure Civium Rom.* Vide Jo. Rosin. *Antiqq. Roman. l. 7. c. ult. cum Paralipom.* Thomæ Dempsteri. Ædilibus *Viatores*, non minùs ac præfatis Magistratibus, fuisse, Varro innuere videtur, cùm, *Ædiles*, ait, *stipati servis publicis, non modò prehendi non possunt, sed & ultro summovent Populum.* Quæstoribus verò Lictores ac *Viatores*, negat Idem. Erant illi liberati servitute, manuque missi, antequàm apparerent ac servirent Magistratibus; & licèt cives Romani non essent, sed tantùm liberi, olim tamen pro parte bonorum dimidia, Testamenti factionem habebant, Petrus Faber, *l. 11. Semestr. c.* 24. Vide T. Popmam, *de Operis Servorum*, ut & suprà, ubi pluribus egimus de Servis *Publicis*, nec non voce *Cursores*. Aliàs *Viator* quemlibet itinerantem notat: quô sensu Dempsterus cothurnis grandioribus, ut à luto defenderentur, *Viatores* non minus ac Venatores,

uti consuevisse docet, *ad Rosin. l. 5. c. 8.* Eorundem habitu Israëlitas agnum Paschalem comedere olim jussos esse, accinctos videl. calceatos & baculis nitentes, legimus Exodi *c. 12. v. 10.* de quo ritu sacro, pluribus agit Sam. Bochartus, *Hieroz. parte prior. l. 2. c. 50.* ubi non hunc solum; sed & alia Scripturæ loca, quibus ad hujusmodi *Viatorum* habitum ritusque alluditur, eruditè exponit. Vide quoque hîc passim, ubi de *Baculo*, *Pera*, *Peregrinatione* &c. In specie *Viator* cognominatus est, ob peregrinationes multifarias, Fridolinus, Scotorum & Hiberniæ Regis filius, qui Euangeliô varias per regiones annuntiatô, obiit A. C. 514. magnâ nominis sui apud Helvetios, Glaronenses imprimis, aliosque famâ relictâ, vide Stumpfium, *Chronicô Helvet.* Simlerum, de *Republ. Helvetiorum*, Alios. Sed & *Viatores*, in Eccles. Roman. Fratres dici conversos, quòd, pro negotiis Monasteriorum, crebrò se viæ, à Præfectis missi, committant, docet Car. du Fresne, *Glossar.* ubi & *Viatorem* vocari parvum cyathum, vel cochlear, quô *Viatores* olim usi, addit ex Hesychio Βιάτωρ, *κυάθιον μικρόν, ἤγουν κοχλιάριον.*

VIBALI, populi Hispaniæ Tarraconens. quorum locus *Formillam Pineto* & *Meletio* dicitur. Vide *Bibali*, & *Forum Bibalorum Ptol.*

VIBANTANARIUM, urbs aliàs Tyrangitarum, in Sarmatia Europæa, nunc *Bar* in Podolia superiore *Brietio*. Aliis est *Lambol*, oppidul. ad Tyram fluv, in Podolia inferiore, 50. mill. pass. à Baro in Meridiem.

VIBELLIUS, vide *Jubillius*.

VIBENNA, frater Cœlis Etrusci, qui Tarquinio Prisco auxilia adduxit. Alii sic *Celem* cognominant.

VIBERI Plinii, *l. 3. c. 20.* Rhodani fontis accolæ: Eosdem apud eundem *Juberos* vocari putat Simlerus, in suo de *Valesia* libello, etsi Gelenius, ut idem ait, pro *Juberis Viberos*, ubi de Augusti tropæo mentio fit, substituerit. Supremam Vallesiæ partem tenent, Simler. Vide in voce *Vallesia*. Observat Munsterus, *l. 3.* montem Furcam, unde Rhodanus oritur, dictum Coatium, Ursellum & *Juberum*: Est etiam mons vicinus, unde Elmius fluv. quem quidam Rhodani fontem faciunt, *Jubet* nominatus. An à *Via* dicti, quòd apud eos in Italiam via? Quidam enim *Viberos*; volunt esse Ursarios aut Ursellanos, in pago Uriensi: nec absurdum, inquit Simlerus, eundem popul. ab utraque parte alicujus montis habitare. Sunt Ursarii hi *Viberi* sub Uriis, sic tamen ut proprium consilium & Ammanum habeant, sed qui ab Uriis confirmari necesse habet: quotiesque causæ capitales disceptantur, duo ex Uriorum Senatu consilio illorum interesse solent. Iidem peculiare signum *cyn paner* habent; Sed quando majus signum *das hauptpaner* Urii explicant, supprimunt suum *Viberi*. Vide Joh. Bapt. Plantinum, *Helv. Antiq. & Nov.* Simlerum, *Descr. Helv. &c.*

VIBIA Polla, Matrona Romana, memoratur Jacobino, *Append. c. 10.* ubi de monumenta ejus, quod *sibi & Conjugibus, Libertis Libertabusque Posterisque* comparavit, agit. Fuit id Romæ, in via Appia, ad D. Sebastiani, in Tabernæ pavimento, ut Achilles Statius habet & Fontejus, *Comment. de prisca Cæsiorum gente, l. 2. c. 18.* conspiciunturque in utroque sepulchri latere flammæ insculptæ. Adeò enim exoptabant Veteres in sepulchris suis ignem coruscare, ut, qui perpetuas lucernas habere non poterant, neque vulgaribus contenti erant, ii, ut poterant, perennem æmulantes flammam, in sepulchrorum lapidibus, ardentis ignis imaginem curarent insculpi. Unde & in Betuciæ Proculæ filiæ L. Betucii Proculi & Cæliæ Victricis monumento, quod Ravennæ in æde Johannis Apostoli conditum est, vas conspicitur affabrè factum, è cujus apice flamma tenuissimis linguis ascendens emicat, vide Joh. Baptistam Fontejum Primionem, *l. cit.* Fortun. Licetum *de reconditis Antiquorum Lucernis, l. 3. c. 3.* & suprà, ubi de *Lucernis*.

VIBIA Successa, ancilla Liviæ Aug. cujus mentionem servat Inscr. *Ossa. Vibiæ. Successæ. Liviæ. Aug. Ser. ab. argento. potorio. item, à. veste. L. Vibius* &c.

VIBIDIA, Virginum Vestalium vetustissima, sub Claudio, cujus precibus Messalina tentavit veniam à marito impetrare, Tacit. *l. 11. Annal. c. 32. 34.* Magna enim earum auctoritas, etiam in his fuit: Unde Cicero, *2. Agraria*: *Si quicquam deliquero, nullæ sunt Virgines, quæ pro me deprecentur.*

VIBIDIUS Varro, prodigus & ob flagitia egens, ideoque à Tiberio Senatu motus. Tacit. *l. 2. Annal. c. 48.*

VIBI Forum, Plin. *l. 3. c. 17.* oppid. Pedemontii, *Bibiena Ferrar. Brietio* est *Castel Fiori*, aliis *Bubiana*, castrum Marchion. Salutiarum ad amnem *Peles*, prope Bricherascum, vix 3. milliar. a Lucerna, ad montium radices.

VIBILIA, Dea apud Romanos, quæ ab erroribus viarum liberabat, Arnob. *l. 4.*

VIBIO, vide *Tarbellicæ Aquæ*.

VIBISCI, vel *Ubisci*, Galliæ Aquitanicæ populi. *Ptol.*

VIBISCUM, seu VIVISCUS, oppid. Gall. in fin. Sedunorum in ora Boreali lacus Lemanni. *Vivis* hodie, *Baudrando*. Gall. *Vevay*, oppid. Helvetiorum, in agro Bernensi, 13. mill. pass. à Lausanna in Ortum Veragros versùs, 20. ab Agauno in Boream. Vide *Viviscum*.

VIBIUS Avitus, sub Nerone, Galliæ Germaniæque inferioris præses; Plin. *l. 34. c. 7.*

VIBIUS Crispus, de quo Tacit. *l. 2. Hist. c. 10.* *Pecuniâ, potentiâ, ingeniô inter claros, magis quàm inter bonos.* Accusationes cum præmio exercuit.

VIBIUS Fronto, præfectus equitum. Tacit. *l. 2. Annal. c. 68.* Vide ad eum Lud. D'Orleans, *p. 295.*

VIBIUS Marsus, vetustus honoribus & illustris studiis, sed à Satrio Secundo, tanquam Albucillæ impietatis in Tiberium conscius, ejusdemque adulter, accusatus, ac tandem inediam destinans evasit. Tacit. *l. 6. Annal. c. 47.* & *l. 11. Annal. c. 20.*

VIBIUS Pansa, vide *Cajus*.

VIBIUS Secundus, Eques Rom. accusantibus Mauris, repetundarum damnatus & Italiâ exactus est, ne gravius plecteretur, Vibii Crispi fratris favore nixus, Nerone quartum, Corneliô Cossô Consulib. Tacit. *l. 14. Annal. c. 28.*

VIBIUS Sequester, Auctor priscus, scripsit, ad fil. Virgilianum, *Dictionarium Geographicum, de Fluviis, Fontibus, Lacubus, Montibus, Sylvis & Populis.* Hunc Boccatius exscripsit, suppressô nomine: Mazochius edidit Romæ, Aldus Manutius Venetiis A. C. 1514. Tandem correctiùs prodiit, curâ Josiæ Simleri. Voss. *de Hist. Lat. l. 3. p. 727. Idem de Philol. c. 11. §. 11. p. 57. & Scient. Mathem. c. 43. §. 9. Nic. Lloydius.*

VIBIUS Serenus, Proconsul ulterioris Hispaniæ, de vi publica, sub Tiberio, damnatus: ob atrocitatem morum, in Insul. Amorgum deportatus; Tacit. *l. 4. Annal. c. 13.* ab exilio retractus, & tum catenâ vinctus in Senatum inductus est, cum filio accusante Patrem; structas Principi insidias, missos in Galliam concitores belli, indice eôdem & teste. Et licet quæstio ex servis adversa filio accusatori fuerit, hancque ob causam vulgi rumore territus urbe cesserit; tamen retractus Ravennâ exequi accusationem à Tiberio adigitur. Post quæ Serenus damnatus iterum Amorgum deportatur. Ibid. *l. 4. Annal. c. 28.*

VIBIUS Serenus, accusator sub Tiberio, qui licet falsa in Fontejum Capitonem, Proconsul. Africæ, crimina struxerit; tamen velut sacrosanctus tutus fuit, & calumniam innoxio impunè intendit. Tacit. *l. 4. Annal. c. 36.* Vide *Livium*.

VIBIUS Trebonianus Gallus, Mœsiæ limitis Præses, proditô Gothis Deciô Imperatore, posteà ab una legione Augustus salutatus, ascitô collegâ fil. Volusianô, Scythas ignominiosâ pace placavit: mox Æmilianô Imperatore proclamatô, cæsus, A. C. 255. Aur. Victor, Jornand. *de rebus Goth.* Zonar. *tom. 2.*

VIBIUS Virius, author Campaniæ defectionis à Romanis ad Annibalem. Is mortem sibi conscivit ante deditionem, & multis civibus Senatoribus, ut idem quoque facerent, persuasit. Vide Livium, apud quem orationem Vibii legas, *l. 6. dec. 3.*

VIBIUS Volusianus, Aug. Galli Augusti filius; memoratur utrique Victori. Vide *Gallus*, item *Volusianus*.

VIBO, seu VIBON, urbs olim, nunc castrum Brutiorum in ora sinus Vibonensis, *Golfo de Eufemia* vulgò, *Hippo* Mela, *l. 2. c. 4.* & *Hipponium* Straboni dicitur: *Bivona* Barrio.

VIBULENUS, gregarius in Pannonicis legionibus miles, qui ante tribunal Blæsi, allevatus circumstantium humeris, ad incendendam seditionem & Legato invidiam, fratrem suum, per ejus gladiatores occisum & insepultum abjectum esse ementitus fuerat. Posteà verò, adveniente Drusô, Tiberii filio, cum Percennio interfectus. Tacit. *l. 1. Annal. c. 22. 28. & 29.*

VIBULENUS (Dioni *Vibilius*) Agrippa, eques Romanus, majestatis postulatus Q. Plautiô, Sext. Papiniô Consulib. Sed cùm perorâssent accusatores, in ipsâ Curia depromptum sinu venenum hausit: prolapsusque ac moribundus, festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est faucesque jam exanimis laqueô vexatæ, Tacit. *l. 6. Annal. c. 40.*

VIBULLIUS, Prætor, sub Nerone, Tacit. *l. 13. Annal. c. 28.*

VIBULLIUS Augurinus, vide *Marcus*.

VIBULLIUS Ruffus, inter Duces Pompejanos, cujus res initiô belli maximas esse judicatas, à Pompejo ipso, scribit Cicero, *ad Attic. l. 8. Ep. 1. 2.* de quo Cæsar, *l. 3. de Bello Civili, c. 10.*

VIBURGUM, urbs Jutiæ Borealis, Episcopalis sub Archiepiscopo Lundensi, prope Limicum Sinum, vulgò *Wiborg*. 70. milliar. à Ripa in Boream, 40. ab Arhusia in Occasum, Media inter Oceanum Germanic. ad Occidentem & Codanum sinum, ad Ortum, 40. mill. pass. Longa est ejus Diœcesis 12. milliar. German. ab Ortu in Occasum, 16. continens Præfecturas, 208. parœcias, 3. castris, quot urbibus, *Viburgô*, *Nibe* & *Schere*, constantes.

VIBURGUM, caput Careliæ, cum arce permunita, à Moscis frustra aliquoties tentata; Vulgò *Vibourg*; Episcopal. sub Archiepiscopo Rigensi, versùs oram sinus Finnici, cum portu peramplo: 45. mill. pass. à Kekholmia in Occasum, uti ab ora lacus Lodogæ, 106. à Narva in Boream.

VICA Pota, Dea victoriæ præses, à *vincendo* & *potestate*, apud Liv. *l. 2. c. 7.* Ciceronem, *l. 2. de Legib. c. 11.* Senecam, *in Ludo, de Morte Claudii Cæsaris.*

VICARIA, apud Recentiores, officium & dignitas *Vicarii*, sicut *Comitiva* Comitis, & *Magisteria* dignitas Magistri Officiorum, Salmas. *ad Spartian. in Geta, c. 2. & Treb. Pollionem in Galienis, c. 17.* Item districtus *Vicarii*, unde hodieque Galliæ aliquot locis nomen. Dictus autem est sequiori ævô *Vicarius*, qui vice Comitis aut alterius Judicis partes exequebatur in minoribus oppidis; pagisque, Gallis *Viguier*, in minoris videl. momenti causis, cùm graviores aut criminales causæ ad Comites spectarent. Iidem tributa colligebant & exigebant in suis districtibus: à quibus porro *Villici* seu *Majores Villarum*, quorum illa potissimùm hodie cura est, originem traxisse videntur. Vide de illis plura apud Car. du Fresne, *Glossar.* & aliquid suprà in voce *Vicarius*. it. *Potestas*. Olim verò *Vicarius* servus apud Romanos servi, in majori familia, dictus est, qui nimirum ordinario servo serviebat. Auctor enim Ulpianus est, *l. 17. ff. de pecul.* ordinarios servos sub se vicarios habuisse, iisque velut Dominos sic imperâsse, ut *Vicarii* essent cum suis peculiis, in peculio ordinariorum: indeque *Vicarios* nuncupatos esse *Peculiares*, refert idem, *l. 3. §. miles 7. ff. de suis & legit.* Hinc Scævola, *l. 21. ff. de pecul.* *Si Sticho manumisso*, inquit, *peculium legatum sit, & Titio servus peculiaris: quantum peculio detractum erit, ob id quod domino debetur, tantum [illegible] accedere, cui Vicarius legatus est, Julianus ait.* Hujusmodi Servos *monetæ publicisque vectigalibus præpositos*, apud Sueton. *c. 76.* Julius: qua re multorum offensionem contraxit, cùm anteà Triumviri Monetales curam monetæ gererent. Ubi *peculiares servos*, Turnebus, *Adversar. l. 2. c. 27.* servos Cæsaris intelligit; quomodo & Plaut. *in Prolog.*

Captivis.

Capteivor. *Hic postquam hunc emit, dedit eum huic grato suo peculiarem.* Apud Ulpianum verò, *l. 4. §. 3. ff. de his qui not. infam.* Pomponius scribit, *eum, qui in servitute peculiaria mancipia prostituta habuit, infamiâ notari post libertatem*: de servis ordinariis loquens, *Vicaria* mancipia sua prostituentibus. Eâdem ratione & *Vicarius Vicariorum* erat, uti iterum ex Ulpiano discimus, *l. 6. §. 3. ff. de pecul. legat.* & Celso, *l. 25. ff. de pecul. leg.* Quemadmodùm in veter. Charta *Ypovicarius* occurrit, ut vidimus suprà voce *Subvicecomes*. Atque hoc est, quod Horatius ait, *l. 2. Sermon. Sat. 7. v. 79.* [illegible]:

Sive Vicarius est, qui servo paret, uti mos
Vester agit; seu conservus, &c.

Erant autem inter vulgares seu *Vicarios* servos Lecticarii, Capsarii, Librarii, Anteambulones, Cursores, Topiarii, Viridarii, Pastores, Saltuarii, Diætarii, Aquarii, Obsonatores, Structores, Vocatores, Pistores & Coci, numerandi, docente Tit. Popmâ de *Operis Servorum*. Vide quoque Laurent. Pignorium, *Comment. de Servis*. Postmodùm sub Imperatorib. sic dictus est Vir spectabilis, Præfecti Prætorio *Vicarius*, qui ex mandato Principis in Diœcesin aliquam, multas habentem provincias, mittebatur, *tit. Cod. de offic. Vicar.* Cujusmodi *Vicarii* in Oriente tres erant; Unus Diœceseos Asianæ, qui provincias VIII. administrabat, *Pamphyliam, Lydiam, Cariam, Lyciam, Lycaoniam, Pisidiam, Phrygiam Pacatianam & Salutarem*; Alter Ponticæ, cui suberant provinciæ XI. *Bithynia, Galatia, Paphlagonia, Honorias, Galatia Salutaris, Cappadocia utraque, Hellespontus, Pontus Polemoniacus, Armenia I. & II.* Tertius Diœceseos Thraciarum, sub cujus dispositione erant. *Thracia, Hæmimontus, Rhodope, Mœsia & Scythia.* In Occidente verò unus *Vicarius* erat urbis Romæ, cui suberant Consulares & Correctores *Italiæ*, Præsidesque, *Sardiniæ, Corsicæ, Valeriæ*. Alter, ante Justiniani tempora, *Vicarius Africæ*, cui suberant Consulares *Byzacii & Numidiæ*, Præsides item *Tripolitanæ & Mauritaniæ*. Tertius erat *Vicarius Hispaniarum*, cui suberant Consulares, *Bæticæ, Lusitaniæ, Gallæciæ*; Præsides *Tarraconensis, Carthaginensis, Tingitanæ & Insul. Balearium*. Atque hæc ante Justinianum: qui *Vicarios Asianæ & Ponticæ Diœces.* abrogavit, & utrumque in unicæ provinciæ, *Galatiæ* scil. Pacatianæ, administrationem, Africæ quoque *Vicariam* in propriam Præfecturam Prætoriam, commutavit. Vide *Notit. Imper.* Cassiodorum, *Var. l. 4. Epist. ad Joannem Archiatr.* Brissonium, Alios. De *Vicariis Ducum Tribunorumque* alibi. In *Canonibus* Conciliorum *Vicarii*, Græcè Τοποτηρηταὶ, frequenter occurrunt, atque Legati Ecclesiarum Latinè exponuntur, uti docet Clarissimus Suicerus voce hâc. Apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores *Vicarii* dicuntur, qui vices agunt Parochi, de quibus est titulus apud Gregorium IX. & in *Sexto*. Item *Beneficiati* quidam in Ecclesiis Cathedralibus, qui majoribus Missis decantandis & officiis Ecclesiasticis peragendis potissimùm addicti erant, in eoque *vices* Canonicorum peragebant, hinc *Canonici Vicarii* etiamnum dicti. Nec non, qui vice Monasteriorum, aut Religiosorum virorum vel Ecclesiarum, domino feudali offerebantur, ut de prædiis ab iis acquisitis, neque *amortizatis*, responderent &c. de quibus omnibus Car. du Fresne ubi suprà, qui etiam de titulo *Vicarii S. Petri & Apostolorum*, vel *Apostolicæ Sedis*, in eadem Eccles. Pontifici Romano tribui solito; de titulo *Vicarii Sedis Apostolicæ*, qui aliàs *Legatus Sedis Apostolicæ*, cui nempe Pontifex in Ecclesiis vel provinciis suas vices committit, cujusque dignitatis formula extat, in *Epistolis* Gregorii M. Joannis VIII. Sergii II. Aliorum: de *Vicario* tandem *Pontificis in Spiritualibus Romæ*, cujus munus describitur in Bulla Benedicti XII. ibidem nonnulla. Vide quoque suprà voce *Alibarista, Assisi, Chalifa*.

VICARIUS Imperii, item *Vicarius Generalis Imperii*, nomen ac titulus illis tribui solitus, quos Imperatores ac Reges Romani, cùm ipsi per se negotiis Imperii sufficere non possent, ex Aulæ suæ Proceribus constituebant, qui sub dignitate *Comitis Palatini* vices Imperatorias agerent, & supremô jure causas dijudicarent: cujusmodi munus primitus cum persona, quæ ei præficiebatur exspirabat. Item, quos Imperator, extra provinciam discedens, in Reipubl. administratione sibi substituebat: quemadmodùm Otto M. in Italiam proficiscens *Vicarium* ordinavit Hermannum Brunsuicensem, qui, se absente, Imperii curam gereret: Fridericus I. filios suos Henricum Regem & Philippum Sueviæ Ducem: Alii alios, de quibus videre est Cæsarium Heisterbacensem, *l. 1.* Goldastum, *Tom. I. p. 581.* cœterosque *Rerum Germanic. Scriptores*. Quæ dignitas hæreditaria postmodùm facta, & non solùm absentibus Imperatoribus, sed & iis mortuis, Interregni tempore, à *Vicariis Imperii* exerceri solita est. Ita enim *Constitutio* Ruperti Imperat. *de Jure Comitatus Rheni fuisse & esse, cùm Romanus Imperator vel Rex ultra montes in Italiam progressus fuerit, in ipsius absentia*, Vicariatum Imperii *in Germania, Gallia & Regno Arelatensi, ad Comitem Palatinum Rheni pertinuisse & pertinere*, apud Goldastum, d. l. De quo quidem Comitis Palatini jure, ut & de *Vicariatu Imperii*, ad eum in partibus Rheni & Sueviæ, quæque Franconicô jure utuntur, ac Ducem Saxoniæ in partibus Saxonico juri subjectis, durante Interregnô, spectante, pluribus agit Gevvoldus, *Tractatu de Septemviratu imperiali*, c. 11. Wicfordius, *Tractatu Gallicô de Electione Imperatoris*, c. 12. Alii. Sed & *Vicarii Generales Imperii* nuncupati, quibus Imperator, in certis districtibus, *Vicariatum* Imperatoriæ potestatis dignitatisque committit, seu ad vitam, seu ad liberos masculos transmittendum. Quod quidem maximè fieri consuevit in Italia & Gallia, quò rarius Imperatores accedebant. Sic in *Charta* Friderici Imperatoris, A. C. 1248. *Thomas de Sabaudia Comes Sacri Imperii à Papia Superius Generalis Vicarius* apud Guichenonum: in *Charta* A. C. 1327. Bertholdus Comes de Marsteten, olim *Regis Henrici in partibus Italiæ Vicarius Generalis* in *Constitutione* Ruperti Imperatoris laudatâ, Brunorius de la Scala & filii masculi legitimi, *Vicarii Generales* in civitatibus Veronæ & Vincentiæ &c. constituti leguntur. Formulam dandi *Vicariatum* hujusmodi habes, apud Petrum de Vineis, *l. 3. Epist. 79. l. 5. Ep. 1.* apud Goldastum, *Constitut. Imperial. Tom. 1. p. 395. 396.* & plura hanc in rem apud Car. du Fresne, *Glossario*, inprimis verò apud Enucleatorem Limnæi, *l. 2. c. 11.* ubi is inter alia: *Si rem penitius intuemur*, Vicariatus Imperiales *sunt tres. 1. Imperii Romani propriè dicti, i. e. in urbem Romam, Papam & Patrimonium D. Petri, qui hodie per vigilias Papa dormit, & per somnium tantum apparet. 2. Regni Longobardici sive Italici, qui pomum Eridis inter Mantuanum & Sabaudum est. 3. Regni Germanici, qui adhuc hodie viget* &c. De *Vicariis* Regum Anglorum, vide voce *Justitia*.

VICARIUS Inquisitoris, in Ecclesia Romana Magistratus est, qui absente Inquisitore negotium Inquisitionis promovit: quales ordinario ab ipsis Inquisitoribus institui solent, per Bullam Clementis VII. *Cùm sicut.* Neque unum tantùm aut alterum, sed plures interdum *Vicarios* Inquisitori potestas constituendi est, cùm ejus provincia latè patet, ac multæ in ea civitates continentur. Et quidem *Vicario* huic *Generali* Inquisitor vices suas plenè committere potest, exceptâ solummodò definitivâ omnium impœnitentium & relapsorum sententiâ, quam sibi reservat soli Inquisitor ordinario: qui & Solus institutum à se Vicarium deponere potest. Aliquando tamen Papa Commissarium constituit, qui indistinctè omnibus privilegiis gaudet, quibus ipse Inquisitor, quod in Commissario ab Inquisitore constituto non obtinet, qui per omnia Inquisitori non æquatur, sed eô inferior est. Alii sunt *Vicarii*, in singulis civitatibus instituti, quos *Vicarios foraneos* vocant; His regulariter non solet concedi, nisi instructio offensivi processus, unde neminem possunt carceribus mancipare, nisi Inquisitore præmonitô, aut in Casu necessitatis. Qua de re plura apud Limborchium, *Histor. Inquisit. l. 2. c. 3.*

VICCINGI, appellati Dani *Rerum Angl.* Scriptoribus, quasi *piratæ*, quos *Bitinger* Dani hodieque vocant. Vide Olaum Wormium *ad Monum. Frisiadense*.

VICECOMES, vicarius Comitis, in placitis illis, quibus Comes ex suæ dignitatis ratione participat cum Rege. Magnæ olim in Angliæ auctoritatis, eligebatur primùm populi suffragiis, posteà ob tumultus exortos, Regi electio cessit. Assumebantur autem sæpissimè ad munus hoc potentissimi totius Regni Proceres. Sic Edmundus Cornubiæ Comes filius Richardi Regis Alamaniæ, Eduardus fil. primogenitus Henrici III. Rutlandiæ, Vicecomites fuere. Eduardi Confessoris ævô, *Vicecomes* non Comitis, sed Regis erat minister. Transiit dein vox ab officio, in nomen dignitatis; Sic Guthelmus I. Balduinum Vicecomitem hæreditarium Devoniæ, fecisse legitur, &c. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.* Seriem & stemmata *Vicecomitum*, à Regibus Angliæ creatorum, exhibent Radulphus Brooke, Vincentius Rubricius, Yorkus aliique Feciales Anglici. Vide quoque suprà *Proconsules*.

VICEDOMINUS, nomen olim præfecti provinciæ: quos Alvredus Angliæ Rex dein in duo officia, videl. in Judices seu Justitiarios & Vicecomites divisit, Ingulphus, *p. 870.* De *Vicedominatu* Gregor. *l. 5. c. 38. col. 1640.* *Quicunque*, inquit, *Vicedominatum, vel aliam Ecclesiastic. rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerit, ab illa Ecclesia*, &c. Apud alias quoque gentes, *Vicedominus*, qui vices aut locum domini obtinet, ἀντικύριος, in versione Græca Concilii Lateran. IV. *can.* 45. Villicus, Major Domus, Vicarius, juxta veterem notionem. Namque apud Romanos, in Domini locum, notante Columellâ, *l. 12. in princ.* Villicus successit, ideoque *Vicedominus* quoque aliquando dictus est, ut in *Actis SS. Nerei & Achillei*: *Victorinus loci Vicedominum, triennium ex paralysi decumbentem, precibus sanavit.* Familiæ namque tutelam, inquit Appulejus, *Metam. l. 8.* Villico permittebat Dominus, isque rationes & dominicam pecuniam custodiebat: *Epitropos* Latinis Græcissantibus, Varroni *Agriculturæ Princeps* dictus, ut infrà videbitur, in voce *Villicus*. In *Chron.* Erfordiensi, *Episcopus ad nutum Imperatoris, Ludovicum Vicedominum*, i. e. *Vicarium per totum Thuringiam fecit*, A. C. 1015. Apud Adamum Bremensem, *Vicedominatum* dicitur possidere is, qui post Principem in Regno rerum summam obtinet, qualis Odo Episcopus Bajocensis & Comes Cantiæ, quem *Vicedominum totius Angliæ*, sub Wilhelmo Notho fuisse, scribit Wilh. Malmesburiensis. Aliàs in Anglia *Vicedominus* idem cum *Vicecomite*, uti docet Seldenus, *de Titulis Honor. Parte 2. c. 5. §. 20.* Sed & *Vicedominus*, dictus quondam Massiliensis Judex, qui sub Patricio provinciæ jus dicebat, sic ut ab eo ad Patricium provocatio esset. Guesnajus, *Annal. Massil.* A. C. 768. &c. Hæsit inprimis in Eccles. Latinæ vox, ubi *Vicedomini Ecclesiarum*, aut *Episcoporum*, iidem qui Theophani & Scriptoribus Græcis Οἰκονόμοι, ad id instituti erant, ut essent qui rerum temporalium ad Ecclesias pertinentium curam gererent, dum Episcopi, quorum vices agebant, & à quibus instituti erant, rebus spiritualibus & divino officio vacabant. Neque verò Episcopis solùm, sed & Abbatibus, ac Abbatissis, tales habere licebat. Et quidem, uti Advocati, sic & *Vicedomini* (qui aliàs diversi, nonnunquam iidem erant) ex Laico, ut ajunt, ordine, sumebantur, imprimis à quo Prælati ac Episcopi ratione *Regalium* suorum, vel bellis, castris, seu præliis Regis interesse, vel bona sua bellô propriô tutari compulsi sunt. Tum enim Viros nobiles in sui tutelam adscripserunt, qui eorum vice vasallos Ecclesiæ in aciem educerent, justitiamque iis præterea administrarent: quos ut haberent promtiores, bonorum Ecclesiasticorum partem aliquam eis in beneficium concedebant ultrò, ut reliquorum, ex feudorum lege, patroni essent ac defensores, si ab hostibus suis impeterentur. Iidem, præter alia munia ab Episcopis iis injungi solita, curabant, ut, morientibus Episcopis, res ab iis relictæ in tuto essent, neque domus eorum expilaretur, uti superiori ætate factum, quâ mos invaluerat, ut statim atque decessissent, domus eorum invaderentur resque ab iis quondam possessæ diriperentur, quod Episcopis

scopis quoque Romanis contigisse, liquet ex Actis Synodi Rom. sub Johanne IX. A. C. 904. *can.* 11. ubi id prohibetur, & pluribus videre est, apud Lud. Thomassinum, *de Disc. Eccl. circa Dignit. Eccles. Part.* 2. *l.* 4. *c.* 25. & 26. Sumserant autem sibi id juris in Episcoporum decedentium bona ipsi Principes, quod postmodum ultro Ecclesiis cessere, uti aliquot exemplis docet Car. du Fresne *Glossar.* &c. Sed & *Vicedominum* Pontifex Romanus ex ordine Cleri & aliquando ex Episcopali constituebat olim, cui Episcopii vel Palatii Lateranensis cura & administratio committebatur, in gubernanda domo, hospitibus excipiendis & domesticorum causis cognoscendis. Is Pontificem equitantem comitari solebat, una cum Vestiario, Nomenclatore atque Sacellario, ut est in *Ord.* Romano habebatque aedes suas in Palatio Lateranensi, quas *Vicedominium* appellat Anastasius Bibliothecar. *in Stephano* IV. ut alia omittam, de quibus praefatus *Glossarii* Auctor videri poterit, qui, inter alia, Ecclesias, quae *Vicedominorum* appellatione Tutores ac Advocatos habuerint, has fuisse obiter adnotat: Ambianensem, Belvacensem, in Gallia, Cameracensem, in Belgio; Carnotensem in Gallia; Comarum, in Italia; Gebennensem, Laudunensem, in Gallia; Lincolniensem, in Anglia; Lucensem, in Italia, ut & Parmensem; Ravennensem ibidem; Remensem, Rothomagensem, Silvanectensem, in Gallia, & Tarvanensem, in Belgio: vide quoque supra, ubi de Ecclesiarum *Advocatis*.

VICELIACUM, vulgo VEZELAY, Monasterium a Comite Gerardo constructum, sub Carolo Calvo: in pago Burgundiae Avalensi vel Morvinno, in Episcopatu Aeduensi vel Augustodunensi, ad fluv. Choram. Ibi Concilium ab Eugenio III. praesente Ludovico Rege A. C. 1145. celebratum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VICENAE, vide *Vincenna*.

VICENNALIA, seu VICENNALES LUDI, dicebantur apud Romanos, qui *vicesimo* quoque Imperii *anno* exhibebantur; Eorum meminit Eusebius, *de vita Constantini M. l.* 3. Vide infra, voce *Vota*. Etiam in funeribus *Vicennalia* celebrata fuisse, docet Rosinus, *l.* 5. *c. ult.* *Cum nonnulli essent, qui suorum vel propinquorum vel amicorum desiderium minus ferre possent, tertium, septimum, nonum, & quidam Vicesimum, trigesimum & quadragesimum non sine quadam numerorum religione, dies, defunctorum Manibus & memoriae statuebant: Unde Parentationes, Feralia, Novendialia, Decennalia, Vicennalia, Tricennalia &c. originem traxerunt, quae omnia tum lacte & vino, tum sertis & floribus, tum aliis rebus ab Antiquis celebrata sunt.* Ubi *Vicennalia*, non vigesimo quoque anno, sed vigesimo die, honori defunctorum data esse, videmus &c. De *Vicennio tauroboliatorum*, vide supra *Taurobolium*.

VICENTA, *Ptol.* VICETIA Plin. *l.* 3. *c.* 19. *Vicentia* Tacito, *l.* 3. *Hist. c.* 8. *Vincentia* posterioribus, urbs alias Venetiae, nunc Longobardiae, inter Veronam ad Occasum 30. & Patavium in Ortum 18. mill. pass. vulgo *Vicenza*. Ampla & probe munita: Episcopalis sub Archiepiscopo Aquilejensi, ad Reronis & Medoaci minoris confluentiam. Hanc a Gallis cum Verona conditam, Trogus refert: Scorpii figura. De illa Tacitus: *Possessa ipso transitu Vincentia, quod per se parum (etenim modica municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus illic Caecinam genitum & patriam hostium Duci ereptam esse.* Venetis subest, quibus illam eripuit Maximilianus I. Imperator, A. C. 1509. sed reddidit secuta pace A. C. 1516. *Ferrar. Baudrando Vicentia*, Gallis *Vicence* urbs est, alias Venetiae, hodie Longobardiae: Caput agri cognominis, 30. milliar. a Feltria in Merid. & 54. a Ferraria in Boream. Galassius Poëta Vicentinus:

> *Hic quondam Galli, victricia bella gerentes,*
> *In veteri vico moenia parva locant.*
> *Quo se reciperent, si belli adversa fuisset*
> *Fortuna & Latio territa terga darent.*
> *Hinc rem Romanam, Latiumque lacessere tentant,*
> *Seu mare seu terris bella gerenda forent:*
> *Hac quoque Romanas ad moenia vertere praedas,*
> *Hic quoque pro meritis praemia digna viris.*
> *Post victos hostes, libertatemque receptam,*
> *Hinc Vincentinis nomina dicta viris:*
> *Hinc data sunt terrae praeclara haec nomina nostrae,*
> *Hinc Vincentini nomina clara tenent.*
> *Nec Senonas credas dixisse haec nomina nostros,*
> *Antea Vicanos fama vetusta canit.*

Populi *Vicetini*, apud Cicer. *l.* 11. *Famil. Ep.* 19. *Nic. Lloydius.*

VICENTINUS Ager, IL VICONTINO, tractus Italiae, inter Comitatum Tirolis ad Boream, Marchiam Tarvisinam ad Ortum, Veronensem agrum ad Occasum, & Patavinum, partim ad Ortum, partim ad Merid. Sub Venetis. Caput ejus Vicentia.

VICENTINUS Bartholomaeus, vide *Bartholomaeus*.

VICENUMUM, vel VICESIMUM & VICENSIMUM, TREBISAZZI *Barrio*, oppid. M. Graeciae in Calabria citeriore apud sinum Tarentinum, inter Thurios & Heracleam.

VICEPOTA, Dea apud Romanos, quae fuerit incertum. Apud Livium, ubi de demolitione aedium Valerii Poplicolae agitur, sic legitur in vulgatis, *l.* 2. *c.* 7. *Delata confestim materia infra Veliam, &, ubi nunc Vicus est publicus, domus in infimo clivo aedificata.* Pro *vicus publicus*, legit B. Rhenanus, ex codice veteri, ubi nunc *Vicae pocae* est, illudque in *Viriplacae* commutandum censet. Carolus Sigonius legit, *ubi nunc Vicus publicus est*; quemadmodum & apud Plutarchum *in Popl.* vertit Xylander, *Ubi nunc templum est & Vicus publicus dicitur*. J. Lipsius, *Epist. quaest. l.* 2. *Epist.* 11. legendum apud Livium arbitratur, *ubi nunc Vicepotae est Templum*, & sic Plutarchum etiam emendandum: Ipse autem, quae aut qualis ea Dea fuerit, profitetur se ignorare. Vide Johan. Rosin. *Antiqq. Roman. l.* 2. *c.* 21. & supra *Vica Pota*.

VICES, apud Papinium Statium, *l.* 12. *Theb. v.* 353. ubi de Antigone,

> ---- *illam nam tempore in omni*
> *Attendunt vigiles, & Rex jubet ipse timeri,*
> *Contractaeque vices, & crebrior excubat ignis:*

vicissitudines sunt excubantium Vigilum, quos plures hic constitutos ait ut contraherentur spatia temporis & diligentius vigilaretur. Vide de *Vicibus Vigilum* Viros doctos, qui *Militiae res* Commentariis illustrarunt, ut & hic aliquid, ubi de *Excubiis*, ac *Vigiliis*. Sed & in Ecclesia V. T. munia omnia sacra per *vices* obita, uti videre est supra, voce *Ephemereuta* &c.

VICESIMA Haereditatum, Aerario apud Romanos, illata est. Cum enim duplex apud eos esset Aerarium, unum Largitionum seu rerum privatarum Augusti ac Augustae; Alterum Largitionum sacrarum seu Thesaurorum publicorum, quod communem Reipubl. censum & ordinaria tributa continebat, in Aedis Saturni exteriore Fano recondi solitum erat quoque Aerarium sanctius, quod ad ultimos Reipubl. laborantis casus, *aurum Vicesimarium* celans, in penitiori praefatae Aedis recessu, servabatur. Ita enim T. Livius, *l.* 27. *c.* 10. *Caetera expedientibus, quae ad bellum erant, Consulibus, aurum Vicesimarium; quod in sanctiori Aerario ad ultimos casus servaretur, promi placuit.* Et Cicero, *l.* 7. *ad Attic. Ep.* 21. *Attulit mandata ad Consules, ut Romam venirent, pecuniam de sanctiore Aerario proferrent.* Huc itaque *Vicesima* haereditatum, quas exteri cernerent, collata est, Liv. *l.* 7. quemadmodum Centesima rerum venalium & auctionum Aerario communi inferebatur. Hinc *Lex Vicesimae haereditatum*, apud Aemilium Macrum, cujus de ea libri saepe in libris Legum advocantur, ut *l.* 13. *de transactionibus*, *l.* 32. *de Religiosis*, *alibique*. Ubi licet *Legem vicesimam* appellent magni Jurecons. Cujacius & Ant. Augustinus, hicque quod mirum, ut legem Valeriam, Vatiniam, Vellejam, Voconiam, sic etiam legem *Vicesimam* subjiciat; monet tamen Gronovius, nullam fuisse *legem Vicesimam*, sed *Vicesimae haereditatum*: ut *Lex Locationis* dicitur, & *Leges publici cujusque*, Tacito *l.* 13. *Annal. c.* 51. Eam *de Vicesima haereditatum* vocat Capitolin. *Marco*, *c.* 11. &c. Eorum vero, qui manu mitterentur, *Vicesima*, Patronis solebat dependi. Vide Joh. Frider. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 3. *c.* 13. & *l.* 4. *c.* 5. ubi Publicanos, ex agris haereditatis, qui Plinio Jun. circa Larium venerant, Corelliae per Hermam Libertum non expectata auctione cum cohaeredibus, venditis, *Vicesimam* exigentes, non ex liberalitate Plinii, sed ex rei pretio agros aestimasse, refert ex Plin. *l.* 7. *Ep.* 11. Qui autem curabat Vicesimam, *Procurator ad Vicesimam*, *Procurator a Vicesima*, & *Procurator Vicesimae*, dicebatur. Ad quod officium mulionem, aliosque e vilissima plebe promovisse Heliogabalus legitur, apud Lamprid. *c.* 12. *Ad vicesimam haereditatum mulionem curare jussit, jussit & cursorem, jussit & cocum, & plaustrarium artificem.* De *Vicesima Fructuum*, Domino Feudi competente, medio aevo, vide Car. du Fresne, voce *Vintenum*. Sed & *Vicesima*, tertia Quadragesimae hebdomas dicitur, in Ecclesia Romana, ut videre est apud Dominic. Macrum, *Hierolex.* De *Vicesimatione Legionis*, dictum supra.

VICESIMA Lux, nomen festi, de quo supra voce *Icades*.

VICETIA, vide *Vicenta*.

VICINONIA, fluv. Galliae, cervicem peninsulae, in qua Britannia minor sita est, secat, & Vitrejum praeterfluens, oppid. Redonas interluit, Bellam Perticam, Rotonem, Rivos, Rupem Bernardi ac Insulam attingit, ac demum inter Namnetas & Venetos, sed hos propius, in Oceanum Britannicum effunditur. Vulgo *Vilaine*. Ad ostium ejus *Visonia*, forte fluv. olim nomine dicta. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VICLEFUS Johannes, Theologiae in Academia Oxon. Professor, Vir ingenio acer, vehemens & acutus, *Anglorum Apostolus* dictus. Papam Haeresiarcham, Antichristum in Scriptura designatum, docuit. Polydor. *l.* 19. Purgatorium, Imagines, Invocationem SS. Indulgentias, & alia scriptis editis oppugnavit, & ut erat ingenio promtissimo, duo maxima volumina, quae mole sua viderentur aequare opera B. Augustini, conscripsit. Cochlaeus *in Hist. Huss.* Biblia S. in linguam vernaculam vertit, secessionem ab Eccles. Roman. fecit, Procerum favore, ipsiusque Regis Eduardi III. gratia adjutus. Hinc passim Imagines abolitae: Praesulis Cantuariensis Synodum, contra se coactam, risit, *terraemotum* vocans. Obiit A. C. 1384. Eodem tempore in Bohemia Milicius, Pragensis concionator, in Francia Johannes de Rupe Scissa, & Nic. Oremus, Papam Antichristum: in Italia Franc. Petracha Romam Babylonem, esse docuerunt: ut de S. Brigittae in Ecclesiam Romanam invectivis nihil addam. Ex hujus libro *Alethia*, Johannes Hussus, luce doctrinae salutaris hausta, eam Pragae spargere coepit, extimulatus ad id impudentissimis indulgentiarum nundinationibus. Viclefus enim, a Richardo Rege Anglia pulsus, doctrinaque ejus ab Episcopis Londinensibus damnata, quo tempore prodigiosus terrae motus omnem Angliam concussit, in Bohemiam secedens, Valdensium doctrinae lucem attulerat; revocatus postea, in patria, ut dictum, decessit. Ossa ejus an. 40. post mortem, Concilii Constantiensis decreto, exhumata & cremata, novam lucem patriae attulerunt. Vide Morn. *de Myster. Iniq.*

VICLOVIUM, oppid. Lageniae, in Comitatu Dublinensi, 25. mill. pass. a Dublinio in Merid. Arcloam versus 12. *Viklo* vulgo.

de VICO Franciscus, vide *Franciscus*.

VICODONIA, *Herodot.* urbs Thraciae, postea *Hadrianopolis*. In ea, a Scythis capta, 100000. hominum caesa.

VICOHABENTIA, urbs Galliae Togatae, *Viloventa*, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Ravennate, nunc pagus agri Ferrariensis, sede Ferrariam translata, inde 16. mill. pass. Ravennam & Comachum versus.

VICTOBALI sive VICTOPHALI, gentes sunt circa Daciam aut Moesiam, trans Danubium, a Trajano devicti, a Capitolino, in

Marco, c. 14. & 21. nominantur *Villovali*, vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. l.* 1. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p.* 217.

VICOMAGISTRI, seu *Vicorum Magistri*, ab Augusto instituti sunt: qui, cùm Urbem in XIV. Regiones, 424. vicos, divisisset, per singulas earum duos Curatores, & duos Denuntiatores, creavit. E quibus illorum munus erat, procurare apud Principem commoda omnigena, decorem & elegantiam viarum & *Vicorum* Urbis, ne à privatis, novorum ædificiorum structurâ, intertumperentur, providere aliaque hujusmodi facere: Horum verò, quidquid Regioni tam publicè, quàm privatim accideret, denuntiare. Prætereà *Magistros Vicorum* quatuor per Vicos singulos creari jussit, ut illos tuerentur: de quibus, quòd, licèt de Magistratibus non essent, prætextati soliti fuerint ludos Compitalitios facere, in Deorum Larium honorem, scribit Asconius *in Pisonianam.* Mentio eorum frequens, apud Sext. Rufum & P. Victorem, *ubi de XIV. Urbis regg.* De iisdem Sueton. *Aug. c.* 30. *Spatium*, inquit, *Urbis in regiones, vicosque divisit instituitque, ut illas annui Magistratus sortitò tuerentur: hos Magistri è Plebe cujusque viciniæ electi.* Ubi per *annuos Magistratus*, Regionum Curatores & Denuntiatores, per *Magistros* autem *è Plebe*, *Vicomagistros* seu *Vicorum Magistros* indigitat. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 35. Et quidem regiones, μέρη Græcis, item κλίματα & ῥύμαι, unde ῥυμάρχας ac γειτονιάρχος, *Vico-Magister* dictus est. His legâsse separatim Tiberium legimus, apud Sueton. *in eo, sub fin. Dedit & legata plerisque: inter quos virginibus Vestalibus ac militibus universis, plebique Romanæ viritim, atque etiam separatim Vicorum Magistris.* Quod non sic capiendum, quasi id in propriam Vicomagistrorum utilitatem cessisset, sed tantundem valet, ac si Tribubus scriptum esset. Administratores enim & divisores istiusmodi largitionum *Vicomagistros* fuisse, Asconius alicubi indicat, probatque ex Plauto: ut in quos pleraque veterum Curiarum Magistrorum munera fuêre translata. Vide Casaubon. *ad Aug. Suetonii, c. ult.* ut & infrà voce *Vicus.*

VICTA, Dea *victus*, apud Romanos, de qua vide Arnobium, *adv. Gentes, l.* 3. & G. Elmenhorst *ad eum*: adde Salmas. *ad Solin. p.* 414.

VICTIMA, *Isidoro* sacrificium propriè erat, quod post *victoriam*, superatis hostibus, Diis offerebatur: hinc ut videtur, dicta: an quòd *vi ictus* caderet percussa? an quòd *vincta* ad aram staret? Nonnunquàm cum Hostia confunditur. Namque Ovidiô teste, *l.* 1. *Fast. v.* 336.

Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Sunt tamen, qui *Victimas* majora sacrificia, quàm Hostias, fuisse contendant. Quorum quidquid sit, certum est, ab Hebræorum, DEO victimas, futuri Messiæ mortem ac beneficia præfigurantes, offerendi ritu sacrô, Gentes mactandi quoque Diis suis *Victimas* rationem utcunque hausisse. Quemadmodum inter alia plurima, & Saturni diem, pravâ Judæos imitandi affectatione, otio & victui eidem destinabant, cùm tamen mores eorum atque causas ignorarent. Unde *Ethnicos exorbitâsse à Judaicis moribus*, quos tamen usurpare videbantur, optimè dixit Tertullianus, *Apologet. c.* 16. Et quidem apud Athenienses vetus Triptolemi institutum, temporis injuriâ collapsum, restituit Draco, jubens latâ Lege: Τιμᾶν θεοὺς καὶ ἥρωας ἐπιχωρίους ἐν κοινῷ ἑπομένους νόμοις πατρίοις, ἰδίᾳ κατὰ δύναμιν σὺν εὐφημίᾳ καὶ ἀπαρχαῖς καρπῶν πελάνοις ἐπετείοις, *Venerari Deos & Heroas patrios atque indigenas publicè, secundùm patrias sanctiones, privatim verò bonis verbis, frugumque primitiis, libis annuis, pro facultatum modulo.* Quæ liba ex frugum primitiis fiebant. At post Draconem, non diu obtinuit simplex illa adeoque parabilis Deos venerandi hæc ratio: nam ante Solonem jam *Victimas* Diis mactârunt, quarum pretium Legibus æstimavit Solon, ut est apud Plutarchum *in eo*, ubi inter alia Legem illam reperimus: Πρόβατον καὶ δραχμὴν, ἀντὶ μεδίμνου, uti legit Petitus, *Drachmam ovem, octodecim in medimnum*, ad quam frugalitatem exemplô suô Soloni præivit Epimenides, Athenienses que eidem assuefecit, quemadmodùm idem Plutarchus de Epimenide docet. Majus tamen, eôdem Solone auctore, in sextodecimo Axone, *eximiarum Hostiarum* pretium, quanquàm & hoc vile nimis, si ad sequentia tempora, quibus istud Solonis institutum proculdubio mutavit, attendas. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas, l.* 1. *tit.* 1. Antiquitùs autem Deo unicuique terræ arvipendia dedicabant, vel dividebant, quorum è locationibus proveniebant impensæ, quæ posteà in sacrificia publicè fiebant: non enim κατ' ἀξίαν *Victimas* mactabant, sed μισθώσεις, Isocr. *Areopag.* Vide quoque Harpocrationem: Atque sumtus hos faciebant majores, quàm Legibus cautum, prout majores erant τῶν μισθώσεων proventus. Omnes verò Hostiæ *Victimæque* nullô membrô captæ, nullô mutilæ, esse debebant: cujusmodi ἱερεῖα in Axonibus ἀφελῆ dixit Solon, teste Polluce, *l.* 1. *c.* 1. & *Victimarum* nonnihil, qui sacra fecerant, domum reportabant, è Lege: Τὰς ἐκ θυσίας ἰόντας, φέρειν ἐξ αὐτῆς θυσίας οἴκαδε. Idque fiebat bonæ fortunæ gratiâ; unde ὑγίεια nomen invenit, ut Hesychius in hac voce docet. Reliqua, nempe pelles & κωλαῖ, Sacerdotibus cedebant, juxta Legem, τὰ ἀποδερόμενα τῶν θυσιῶν τὰς ἱερείας λαμβάνειν. Vide Scholiastem Aristophanis *ad Vespas*, & Petitum præfatum, *ubi suprà.* Apud Romanos simpliciora similiter antiquitus sacra erant, & *immunis aram si tetigit manus, non sumtuosâ blandior hostiâ, Mollivit aversos Penates Farre piô ac saliente micâ*: Posteà, *tentare multâ cæde bidentium Deos placuit: Et quæ nivalem pasta per Algidum Devota, quercus inter & ilices: Aut crevit Albanis in herbis Victima, Pontificum secures Cervice tinxit*, Horat. *l.* 3. *Od.* 23. Ratio sacrificandi hæc: Aliquot diebus, antequàm *Victima* offerretur, Sacerdos totum corpus, manus inprimis pedesque, aquâ abluebat; atque ab uxore abstinens, certa quoque ciborum genera non attingebat: Dein, cùm in Templum pergeret, Æditaus vel Sacrorum aliquis famulus, ipsum præcedens, cum virga in manu *Commentaculum* dictâ, Populum his vocibus affabatur, *Hoc age*; ritu à Græcis, ut videtur, mutuatô, apud quos, paulo ante sacrum peragendum, Sacerdos Populum circumfusum interrogabat, Τίς τῇδε; respondente illô, Πολλοὶ κἀγαθοί. Sic *Victimâ* ad aram adductâ, imò circa aram ductâ, quem ritum observavit Aloysius Novarinus, *Electorum Sacrorum l.* 2. *c.* 17. stans Sacerdos manu aram prehendebat, & preces fundebat, à Jano & Vesta, precationis initiô factô, & Jove Opt. M. omnibusque Diis cæteris pariter advocatis. Ac ne quid verborum præteriret, aut præposterè recitaret, de scripto præire aliquem rursusque custodem dari, qui attenderet sedulò: alium, qui favere linguis juberet, & Tibicinem canere, ne quid infaustum exaudiretur, oportebat. Quibus peractis sacrum ab immolatione Sacerdos inchoans, fruges aut molam salsam in caput *Victimæ* deponebat. Dein Haruspex vinum cum thure adspergebat, postquàm simpuviô ligneô aut fictili admodùm parvô & ipse leviter delibâsset, & adstantibus gustandum detulisset: Media autem inter cornua reliquum fundebat, clamante aliquô clarâ voce, *Macta est hostia*, i. e. *magis aucta*: quibus peractis mactabatur *Victima*, hôc modô. Sacerdos setas inter cornua ejus manu evulsas, tanquàm prima libamina, projiciebat in ignem, conversusque ad Ortum, obliquum cultrum à fronte ad caudam ducebat; *Victimam* posteà Diis exhibitam & dedicatam, *Victimariis* jugulandam tradebat: reliquis, partim admotis vasculis emanantem cruorem excipientibus, partim victimam excoriantibus, partim ignem accendentibus. Mox, ubi perpurgata erat, Haruspex, Flamen, aut, Sacerdos cultrô ferreô (seu *Secespitâ*) viscera rimabatur, attentéque explorabat, an perlitatum foret: non autem manu licebat contrectare viscera, ne qua offensa pollutis sacris intercideret. Inspectis tandem & exquisitis singulis, ex omni viscere & membro Ministri (*Popa* seu *Victimarii*) partes certas decisas farinâ farris involvebant, & in calathis (propriè *discis* seu *lancibus*) sacrificanti exhibebant, quas Sacerdos aris impositas, foculô incensô, comburebat, sicque *reddere* ac *litare* dicebatur: Eum verò ignem ex olea, lauru aut quercu corticis crassioris aut cujus caudex cavus fungosusque esset, accendere erat nefas. Ubi, quod Diis tributum erat, conflagrâsset, ad epulas ipsi & convivia vertebantur, atque inter vescendum Diis laudes canebant, pedibusque circum aras complodentes ad numeros psallebant, & pulsatis cymbalis choreas agebant; ne ulla corporis pars esset, quæ Religionem non sentiret. Non autem licebat, nisi ceremoniis, de quibus dictum, ritè peractis, de *Victima* comedere: unde in gulonem Proverbiô dictum, *Sacra non immolata devorat.* Quod iterum ab Israëlitis mutuò sumtum: apud quos *de Victima comestio*, inter ritus sacros Vet. Testamenti, memoratur passim. Et quidem Sacerdotibus Israëlitarum, peractô sacrificiô, de victimarum carnibus epulari non fas solùm, sed & manducatio hæc sacrificii pars & appendix erat, utpote quod ritè factum censeri non poterat, nisi Sacerdos de partibus illius gustâsset. Quod tum in Eucharisticis, tum in Expiatoriis locum habuit, Levit. *c.* 6. & 7. Ratio, quòd *Sacerdos ferre debebat peccatum cætus*, atque ipse aliquô modô pro eo victima fieri: quod tum fieri censebatur, cùm partes victimæ delibabat, ac in propriam substantiam convertebat. Quæ egregia Christi, Sacerdotis pariter & *Victimæ* nostræ, repræsentatio erat. Præter Sacerdotem, manducabat *de victimarum carnibus* populus quoque: quod in Eucharisticis tantùm locum habuit. Hæc enim fundamentalis Sacrificiorum lex erat, neminem de piaculari victima pro sese oblata participare posse, ut idem simul ipsi & piamentum & cibus esset. Unde nec ipsi Sacerdoti, qui de victimis pro populo oblatis epulabatur, in proprio sacrificio, aut in sacrificio pro toto cœtu, hoc licuit, Levit. *c.* 4. *v.* 3. & *seqq.* licèt caro ista non modò res sancta esset, sed & Legis institutô peccatorem quoque sanctificaret. Nempe aliam tum victimam, aliasque epulas, quæ animam verè nutrire possent, expectare debebat. Sicut non ob aliam rationem quoque sanguinis, ut rei sacræ, esus tum vetitus fuit, Levit. *c.* 17. *v.* 11. 12. Unde manducationis, quæ sub Novo Test. instituta est, in S. Eucharistia, præstantia patescit: quam pluribus persequitur Franc. Burmannus, *Synops. Theol. Christ. Parte poster. l.* 7. *c.* 12. §. 10, 11, 12. Vide quoque suprà, ubi de *Carne victimarum*, voce *Chagiga*, & *Idolothytis*, nec non in *Trapeza*, ubi partes victimarum opimas, i. e. optimas & pinguissimas omnes, sibi selegisse Deum vidimus; & plura hanc in rem, apud Homerum, *Il. α. cum Comm.* Eustathii, Thom. Godwyn. *tr. Angl.* cui tit. *Anthologia Rom. l.* 2. *sect.* 2. *c.* 19. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c. ult. cum Paralipomenis* Thomæ Dempsteri. Casp. Barthium, *Animadversionibus Papinian. ad l.* 4. *Theb. v.* 465. & *seqq.* Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 33. Alios, nec non hic passim, ubi de *Hostia*, *Sacrificio*, & in specie, *de Jugulatione*, *Excoriatione*, *Dissectione victimæ*, cæterisque ritibus Sacrificalibus sigillatim. Addam saltem, uti victimarum mactandarum rationem ab Hebræis mutuò sumsisse Gentiles suprà diximus, sic *Victimæ* apud utrosque eædem communiter erant, boves nempe, oves & capræ: licèt alias quoque victimas immolaverint, puta Soli equos, Marti lupos, Priapo asinos, Dianæ cervas, Cereri sues, Hecatique canes. Sed & ritus non paucos ab iisdem didicerunt, inter quos celebris, manus super caput victimæ impositio, vel ab offerente, vel à Sacerdote facta, in sacrificiis omne genus, tam pacificis, quàm expiatoriis. Cui simile quid de Ægyptiis narrat Herodotus, *l.* 2. *c.* 39. ubi per universam Ægyptum execratos esse capita victimarum, in hæc verba, εἴ τι μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι, *ut si quid mali aut ipsis immolantibus, aut toti Ægypto futurum sit, in hoc caput convertatur*: hincque factum, ut nemo Ægyptiorum

rum

rum de ullius animantis capite gustet, memoriæ mandavit. Etiam quod de bove mare & integro in holocaustum offerendo habet Moses, ab iisdem diligentissimè observatum est, ut qui non solùm mares solos in sacris admitterent (cùm tamen Hebræi fœminas quoque in sacrificiis pacificis, ut in omnibus Græci & Romani, imò non nisi vaccam in quibusdam, sed quæ nondum arâsset, neque jugum tulisset) verum etiam integritatem victimæ summâ explorarent curâ. Apud illos namque Sacerdos ad id constitutus singula scrutabatur, *ὀρθοῦ ἑστῶτος τοῦ κτήνους καὶ ὑπτίου, pecude tam erectâ & stante, quàm resupinatâ.* Quô factô, si perfectam & ab omni vitio immunem repererat, eam notabat byblô cornibus alligatô, & applicitâ terrâ sigillari cum annulo suo impressô. Aliàs enim *ἀσφράγιστον* pecudem immolare grande nefas; teste eôdem ubi suprà, *c.* 42. Quod verò de sexu obiter dictum, Ægyptios Barbari circa montem Caucasum & Derbices, gens Persica, secuti sunt. Apud Romanos verò, ubi uterque sexus sacris idoneus habitus, in omnibus tamen sacris fœminæ potiores erant. Itaque si per marem litari non poterat, fœmina succidanea dabatur, non vicissim, qua de re vide plura apud Alex. ab Alexandro, *Genialium Dier. l.* 3. *c.* 12. aliquid etiam apud Farnabium, *Not. ad Phœnissas Senec. v.* 282. Nec omittendi, *victimas coronandi*; quod cupressu plerunque, aliàs fronde cuique Deo propriâ fiebat: illarumque *cornua deaurandi*, celebres ritus, de quo utroque pluribus agit Car. Paschal. *Coronar. l.* 4. *c.* 16. & 17. &c. De verbo *ὀλολύζειν*, quod propriè clamorem denotat, ab iis, qui Sacris intererant, *Victimâ mactatâ*, tolli solitum, agemus infrà voce *Ululatus*; de *victimis humanis*, quarum auctor Lycaon perhibetur, alibi diximus, inprimis in *Hostia humana*.

Victimæ suæ singulis Divis peculiares.

α. Æsculapio, gallis & gallinis litabatur. β. Albæ victimæ Diis Superis mactabantur: sic & Triumphantis *Victima* taurus candidus fuit, in Capitolio Jovi offerendus. γ. Apollini, quæ *Victima* ceciderit, vide infrà *Neptunus*. δ. Attyi aries mactabatur, vide suprà *Aries, Criobolium*. ε. Cereri primùm lacte, vinô & favis; postmodùm porcâ litatum est. ζ. Cybeli, itidem porcâ. Vide quoque in voce *Taurobolium*. η. Diana, cervam; at in Tauris, & virginem *Victimam* poposcit. θ. Fauno, agna vel hœdus, oblati. ι. Faustæ habitæ sunt *Victimæ*, cùm nec diræ, inter sacra, obstreperent; nec precatio errâsset: neque viscerum quidquam aut planè abesset, aut non suô locô positum deprehenderetur &c. κ. Heroibus, taurô, caprô & ariete, factum est. λ. Infaustæ *Victimæ* quæ fuerint, vide hìc suprà, in voce *Faustæ*. μ. Inferis, nigræ & pares mactabantur. ν. Jovi Flamini, bove candido. ξ. Fulminatori, vide suprà *Hamus*. ο. Prodigiali, thure & molâ salsâ litabatur. π. Junoni agna: ρ. Laribus gallus, offerebatur. σ. Libero Patri melle, vinô & lacte: interdum caprâ & hircô, fiebat. τ. Lunæ taurus cædebatur. υ. Marti & Soli, equus. Vide quoque infrà *Neptunus*. φ. Minervæ & Pani, caprâ. χ. Neptuno, Apollini & Marti, taurô, verre & ariete litabatur. ψ. Nigræ hostiæ, Inferorum erant. ω. Pani & Minervæ, capra mactabatur. αα. Soli & Marti, equus. ββ. Superis, albæ & impares *Victimæ* deputatæ erant. γγ. Sylvano, porca cædebatur. δδ. Triumphans, candidum taurum, in Capitolio solebat sacrificare. εε. Veneri columbâ litatum est. Vide quemque Deum suô locô; item ubi de *Præcidaneis* victimis actum est, & plura de his apud Rosin. *loc. cit.*

VICTIMARII, Sacerdotum apud Romanos dicebantur Ministri, qui *victimas* ligabant, & cultum, aquam ac molam, reliquaque, quæ sacris erant necessaria, parabant. Eorum meminit Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. *ex.* 12. *Libros Petilius Prætor Urbanus, ex auctoritate Senatus, per* Victimarios, *factô igne, in conspectu Populi, cremavit.* Liv. *l.* 40. *c.* 29. *Libri in Comitio, igne à* Victimariis *factô, in conspectu Populi, cremati sunt.* &c. Castra illorum Romæ fuisse, scribit P. Victor. Aliàs dicti sunt *Cultrarii*, à cultro: *Agones*, quod accincti ad ictum quærerent, *agon'* id est, *agone?* feriendi licentiam petentes: *Popæ*, item. Stabant autem illi ad aras, superiore corporis parte cingulô tenus nudi, ac laureô sertô caput cincti, cum cultro, ad victimam hostiandam, seu feriendam parati. Mactatâ dein, ad nutum Sacerdotis, victimâ, ubi illa perpurgata & exta diligenter inspecta ac exquisita erant, ex omni viscere ac membro partes certas decisas, farinâ farris involvebant, & in discis seu lancibus Sacerdoti afferebant, in aris foculô incensô comburendas, ut dictum suprà. In Triumphali pompa, ultimô locô, post Legatos nempe ac Centuriones, Popæ, Sacrificuli ac *Victimarii*, in turmas divisi, sequebantur bovemque candidum præ se agentes, cultros sacros, thus, molam, far, vinum aliaque sacro apparatui necessaria, gestabant, atque ita per Urbem totam, à porta triumphali, per viam sacram & clivum Capitolinum, cum reliqua pompa incedebant, in Capitolio Triumphantium sacrificia obituri. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Roman. l.* 3. *c.* 31. ac 33. & *l.* 10. *c.* 29. nec non suprà passim, in *Popæ* inprimis.

VICTOR, epitheton Jovis, quòd omnia *vinceret*. Huic ædem vovit L. Papyrius Cursor bellô Samniticô; Q. Fabius bellô cum Samnitibus ac Gallis, construxitque posteà in monte Palatino, teste Liviô & P. Victore: *Eidem vovit, si legiones hostium fudisset, pauxillum mulsi, priusquàm temetum biberet, sese facturum, idque votum Diis cordi fuisse.* Vide Joh. Rosin. *Antiquit. Roman. l.* 2. *c.* 5. Item Herculis, vide suprà.

VICTOR, in ludis Olympicis, ad quam Panegyrim celebratissimam fiebat concursus omnium Græci nominis Populorum & Barbarorum quoque; tum nomen sibi conciliabat magnum, tum Patriæ decus acquirebat immortale, ut quæ in partem *Victoriæ* præconiô veniebat. Plato, *Apologia Socr.* Οὐκ ἔσθ' ὅ, τι μᾶλλον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πρέπει οὕτως ὡς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα ἐν Πρυτανείῳ σιτεῖσθαι· πολύ γε μᾶλλον ἢ εἴ τις ὑμῶν ἵππῳ ἢ ξυνωρίδι ἢ ζεύγει νενίκηκεν Ὀλυμπίασιν. Ὁ μὲν γὰρ ὑμᾶς ποιεῖ εὐδαίμονας δοκεῖν εἶναι, ἐγὼ δὲ εἶναι. Itaque *Victores*, per Præconem, declarabantur; inter cujus proin officia Pet. Faber Sanjoran. *Agonistic. l.* 2. *c.* 27. & illud reponit, *ἀνακηρύξαι ἀγωνιστὴν*, ex Jul. Polluce, *Onomast. l.* 4. *c.* 12. Idque solâ præconum voce antiquitus; postmodùm Tubæ adhibitæ, Juvenalis, *Satyr.* 13. *v.* 3. 4. Vide quoque Isaacium Tzetzem, *in Lycophron.* aliosque. Nec verò ipsi solùm *Victores* sonô hôc citabantur, sed & patria, genus, parentesque publicè dicebantur, quod C. Plinius, *Victores sacrorum Agonum patriam suam coronare*, vocat. Coronæ porrò ipsis imponebantur; Eumenius Rhetor, *Orat. pro Scholis*, *Fortissimi Viri in sacris certaminibus, summò labore atque etiam vitæ periculô solam vocem Præconis & coronæ testimonium petunt.* Vide Car. Paschal. *l.* 6. *Coron. c.* 12. Cùm autem Urbes, ut dictum, è victoriis civium suorum Olympionicarum, honorem consequerentur, Athenienses, ne viderentur ingrati, iisdem honorem habuerunt vel magnô suô Reipubl. dispendiô & sumptu; quem coërcendum censuit Solon, scriptâ hâc Lege: Τῷ Ὀλύμπια νικήσαντι δραχμὰς πεντακοσίας δίδοσθαι, *Olympionicis quingentæ de publico drachmæ dantor*, uti discimus ex Plut. & Diogene *in vita Solonis*. Verùm hâc Lege mox abolitâ, Olympionicæ publicè in Prytaneio excepti sunt; Unde Callisthenes, apud Plut. *Aristide*, de Polycrita Lysimachi filia, Καὶ ταύτῃ, inquit, σίτησιν ὥσπερ καὶ τοῖς ὀλυμπιονίκαις ὁ δῆμος ἐψηφίσατο: idque quotidiè, ut videtur indigitare Ælian. *de Animal. l.* 7. *c.* 49. Ut verò ad epulum admitterentur, symbola fidem faciebant & niceteria de collo gestabant. Ad quam consuetudinem respexit Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 67.

Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromaticô fert niceteria collô.

Vide suprà *Olympionicæ*. Nec verò solis Olympionicis, verùm & Isthmionicis, Solonis Lege honorarium è fisco datum est; Τῷ Ἴσθμια νικήσαντι δραχμὰς ἑκατὸν δίδοσθαι, *Isthmionicis centum de publico drachmæ dantor*: Unde, cùm hi infra dignitatem Pythionicarum & Nemeonicarum fuerint, facilè colligitur, nec istis sua præmia defuisse &c. Similiter habuerunt honorem Hieronicis Imperatores Romani, Augusti vestigia legentes, præmiaque sive opsonia pro Iselasticis certaminibus constituerunt. Qua de re sic Plinius Trajano, *l.* 10. *Ep.* 119. *Athletæ, Domine, ea quæ pro Iselasticis certaminibus constituisti, deberi sibi putant statim ex eo die, quô sunt coronati. Nihil enim referre, quando sint Patriam invecti; sed quando certamine vicerint, ex quo invehi possint. Ego contrà scribo, Iselasticorum nomine. Itaque eorum vehementer addubitem, an sit potius id tempus, quô εἰσήλασαν, intuendum* &c. Cui Trajanus, *Ep.* 120. *Iselasticum*, inquit, *tum primum mihi videtur incipere debere, quum quis in civitatem suam ipse εἰσήλασεν* &c. Atque hæc præmia Hieronicarum ab iis capi poterant, qui pecuniam Hieronicis crediderant, auctore Papinianô, *l.* 10. *Respons.* Qui verò tribus coronis erant coronati, civilium munerum vacationem obtinebant, *l. unic. C. de Athletis.* Excusabantur quoque à tutelis, *l.* 6. §. 13. *ff. de Excusat.* neque ullâ notabantur infamiâ, *l.* 4. *ff. de his, qui not. infam.* Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. & de *Victoribus* aliorum certaminum atque Ludorum, *suô locô*. Non omittendum tamen hìc, post *victoriam* reportatam, Jovi Φυξίῳ seu Ἀποτροπαίῳ, *Averrunco* nempe vel *Prodigiali*, simulachrum statuamque Græcos olim consecrâsse, ut est apud Scholiastem Euripidis *in Phœnissis*: quo de vide quoque aliquid infrà, in voce *Victoria*. Etiam illud addendum, cùm statuis honorari *Victores* ipsi solerent, stantes illas fieri consuevisse. Ovid. *l.* 11. *Met. v.* 552.

—— Spoliisque animosa superstans
Unda, velut Victrix, sinuatas despicit undas.

Eorundem laudes cani fuisse solitas, Pindari inprimis Poëmata faciunt testatum ut vidimus suprà voce *Epinicia*. &c. De persea, *victorum* militum Alexandri M. præmio, diximus suprà in hac voce: Adde his omnibus ea, quæ retro pluribus exposita sunt, in voce *Præmia*, it. *Niceteria* & *Palma*.

VICTOR Cæsar, vide *Maximus Imperator*.

Pontifices Romani.

VICTOR I. Afer, post Eleutherium, Episcopus Romanus, A. C. 192. Ecclesias Asiaticas, quòd Pascha 14. Lunâ celebrarent, audaci ausu excommunicavit: Huic Asiatici Episcopi se opposuerunt Polycrates inprimis Synodi Asiæ scriptâ epistolâ eum vehementer redarguit. Idem fecit Irenæus Lugdunens. Episcopus. Obiit martyriô coronatus, sub Severo, A. C. 201. Euseb. *Hist. l.* 1. *c.* 23. & 24. Ado Vienn. *in Chron.* Ei successit Zepherinus.

VICTOR II. priùs Gebhardus, Episcopus Aichstadiensis, successit Leoni IX. ope Henrici III. Imperatoris, qui eum ipsemet Romam deduxit: A. C. 1055. Diversa suscepit itinera pro bono Ecclesiæ, & pace inter Christianos Principes concilianda. Necatus venenô calici in S. cœna, à Diacono, infusô, obiit A. C. 1057. Florentiæ. Ursperg, *in Henrico III.* Baron. *in Annal.* Successit Stephanus X.

VICTOR III. successit Gregorio VII. A. C. 1086. Desiderius priùs dictus, Patriâ Beneventanus. Obiit A. C. 1087. Scripsit *Dialogos, Epistolas*, &c. Petrus Diacon. *Vir. ill. Bened.* Otto Frisingensis, Ciacconius &c. Eum excepit Urbanus II.

VICTOR IV. Antipapa, vide *Octavianus*.

Viri Clari.

VICTOR, aliô nomine *Claudius*, Civilis Batavi è sorore nepos, Dux ab avunculo adversus Voculam missus. Tacit. *l.* 4. *Hist. c.* 33.

VICTOR, Historicus, vide *Aurelius Victor*.

VICTOR, Presbyter Antiochenus, scripsit *Commentar. Græcos in S. Marcum*: à Theod. Peltano latinè versos & editos.

VICTOR Africanus, Cassiani collationes correxit: Idem cum Victore Martiritano, Episcopo, cujus meminit Cassiodorus, *divin. Lect. c.* 19. Item Ado *in Chron.* Vide quoque *Victor Uticensis*.

VICTOR Capuanus, Episcopus, scripsit A.C. 545. tractatum de *Cyclo Paschali*: & *Præfationem in harmoniam Evangeliorum Ammonii*,

nii, Bedæ, *l.* 6. *de Ætat. & de rat. temp. c.* 48. Item Cartenæ, in Mauritania Episcopus secul. 5. Scripsit *contra Arianos*, *ad Gensericum*: Item *de Pœnitentia publica*, *Homilias*, &c. Gennad. *de Script. Eccl. c.* 76. Item Episcopus Tunetanus, in Africa. Scripsit *epitomen historiæ Eccles. à Mundo Cond. usque ad Justinum Imperatorem*, à Justiniano in exilium, quòd tria Capitula defenderet, missus. Obiit A. C. 566. *Chronicon ejus*, quod habemus, incipit A. C. 444. ubi Prosper desiit: Johannes Biclarius dein continuavit. Editum à Scaligero & Canisio. Isidor. *de Script. Eccl.* Vossius, *l.* 3. *Hist. Lat. c.* 3. *p.* 747. &c.

VICTOR Giselinus, Medicus Belga. Auctor *Commentariorum in Prudentium, Sulpicium Severum &c.* Valer. Andr. *in Biblioth. Belg.*

VICTOR Vincentius, vide *Vincentius*.

VICTOR Uticensis, Episcopus Africæ, secul. 5. meliùs *Victor Vitensis*, scripsit *libris* 3. *Historiam persecutionis, in Africa, à Vandalis excitatæ*: editam ultimò à Chiffletio, Divione, ubi addita series Episcoporum, qui involuti persecutioni. Idem sub Hunerico gravia est passus: Hilderici porro suasu, tractatu editô rationem fidei Orthodoxæ reddidit, Vossius, *l.* 2. *Hist. Lat. c.* 18. &c.

de S. VICTORE Hugo, vide *Hugo*.

de S. VICTORE Richardus, vide *Richardus*.

VICTORIA, Dea, quam vetustas pennatam & aligeram pinxit, ut è cœlo devolantem ad eos, quos suis ornare successibus vellet. Ausonius, *Epigr.* 1. *v.* 2.

Tu quoque ab æthereo præpes Victoria lapsu.

Prudentius, *l.* 2. *contra Symmach. v.* 28.

Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicat, & multis surgit formata talentis.

Dicta à *vinciendo*, quòd victi hostes vincirentur: unde *Vicia* priùs vocata est. Ἄζυγος fuit & Dea communis, sicut Mars & Bellona, Servius Maurus, *ad v.* 118. *l.* 12. *Æn.*

In mediosque focos & Diis communibus aras
Gramineas.

Primitus globo insidens, sine alis, depingebatur; quas dein pater Bubali & Athenidis addidit: quod alii ad Pergamenum Carystium, alii ad Aglaophontem pictorem referunt. Unde posteà, ut ex parte jam dictum, virginis alatæ habitu, vultu liberali & blandô, capite lauru coronatô, manu dexterâ protensâ ramulum lauri ostentante, repræsentari cœpit, ut ex antiquis apud Goltzium numismatibus patet: Hinc Pennatos Deos Porphyrius enumerat, Musas, Sirenas, Victoriam, Iridem, Amorem & Mercurium, vide Hadr. Turnebum, *Advers. l.* 27. *c.* 5. Hanc Phurnutus Pallantis filiam, Lycaonis neptem fuisse, cum Minerva enutritam & in numerum Deorum ab ipsa relatam *Victoriamque* dictam docet. Culta est à Romanis, apud quos antiquissimum ei in Aventino templum fuit, ab Arcadibus conditum, ut *Halicarnassæus* refert. Aliud habuit in Palatino, ubi aliàs P. Valerii Poplicolæ domus erat. Ædiculam quoque *Victoriæ* virginis M. Porcius Cato Consul an. Urb. Cond. 555. bello Hispaniensi vovit & bienniô pòst dedicavit, Liv. *l.* 35. *c.* 9. Etiam simulachrum ejus aureum 320. pondo ab Hierone Siciliæ Rege Romam missum & Capitolini Jovis templo illatum est, Idem, *l.* 22. *c.* 37. Prætereà statuebatur in templis, in domibus privatis & xystis, in Circo, in Senatu, in castris: Templorum quoque fastigia Victoriæ suffixô simulachrô solebant insigniri. Color autem simulachro purpureus fuisse videtur, unde Prudent. suprà *rutilas pennas* dixit: vel candidus, Sil. *l.* 15. *v.* 99. *niveis* Victoria *concolor alis*. Sed & Græca Dea fuit, unde Nonnus eam in nuptiis Cadmi saltantem introducit, Dionysiac. *l.* 5. *v.* 115. Principesque Byzantini eam in atriis suis habuerunt, Corippus, *l.* 3. *num.* 6. Ludos *Victoriæ* instituit L. Corn. Sulla, bellô civili, qui per 5. dies Octobri mense celebrati soliti sunt: Alios in memoriam victoriarum Cæsaris, Augusti &c. institutos legas. Sed eruditè hoc Numen explosit Prudentius, *in Symmachum*, *l.* 2. *v.* 35.

Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est,
Et Deus omnipotens, non pexò crine virago,
Nec nudô suspensa pede strophioque revincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

Sic ergo apud ipsos Gentiles, ad Numen relata est. Unde Lycophron *Cassandrâ*, ubi de Hectore Trojanorum Duce fortissimo, verba facit, inquit inter alia:

Καλῶν ἐπ' ἀρχαῖς κλεῖστα Φύξιον Δία:
Jovem Fugalem plurimâ incalans prece:

Ad quæ Joh. Meursius, *Appositè*, annotat, *Jovem prædicit invocandum Græcorum exercitui; quippe cui etiam post reportatam victoriam simulachra statuebant.* Vide quæ diximus suprà de *Feriis*, *Jove Statore*, *Spoliis opimis*, *Triumpho*, *Tropæis* &c. Pompejus Minervæ delubro manubias ex victoriis reportatas dedicavit, teste Pliniô, *l.* 7. *c.* 26. in quo etiam fuit breviarium rerum ab illo gestarum. A. Gellius, *l.* 10. *c.* 1. *Cùm Pompejus ædem Victoriæ* (potiùs *Minervæ*, in cujus delubro *Victoriæ* quoque statuam consecravit) *dedicaturus foret, cujus gradus vicem theatri essent, nomenque ejus & honores inscriberentur.* Cujus ritus imitatione, in Circensibus quoque qui *vicerant*, tumulis solebant honorari, quorum cippis inscriberetur *Victoriarum* numerus, unà cum factionis, generis gentisque mentione, ut in marmoribus antiquis legimus, apud Thom. Dempster. *Paralipom. ad Rosin. l.* 5. *c.* 5. Apud Lycophronem præfatum, cùm alii legant, παρ' Αὐσονίῳ φυλακῶν, Stephanus πυργωμῶν habet; Meursius πυραμοῦν colligit, victoriamque interpretatur, per tropum. *Solebant enim*, inquit, *Veteres Victoriæ præmium hoc placentæ genus dare. Artemidorus*, *l.* 1. *c.* 74. Ἢ ὁ πυραμοῦς παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἐπινίκιος. *Et quidem non omnis victoriæ* (*nam nimis latè Artemidori verba patent*) *sed tantùm in compotationibus, ubi certabant inter se insomniâ. Aristophanis Scholiastes Equit.* Ἐποίουν δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις ἁμιλλᾶσθαι περὶ ἀγρυπνίας, καὶ ὁ διαγρυπνήσας μέχρι τῆς ἕω, ἐλάμβανε τὸν πυραμοῦντα. *Simili notione etiam apud Aristophanem, Equit. est*,

Ἢν τ' ἀναιδείᾳ παρέλθῃ, ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.

Et *in Thesmophoria celebrantibus*:

Τὸ πρᾶγμα κομψὸν, καὶ σφόδρ' ἐκ τοῦ σοῦ τρόπου,
Τοῦ γὰρ τεχνάζειν ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.

In numismatibus Romanorum frequens *Victoria* conspicitur; communi inprimis illo nummorum genere, quod *Victoriatos* hinc dixêre. Et quidem alata *Victoria* passim, quò & Pegasus referendus. Vide infrà, in voce *Victoriatus*. Cujusmodi *Victoria* celebris inprimis erat, quam *in Senatu* fuisse memorat Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 14. h. e. in penetrali Curiæ parte, uti discimus ex Herodiano, *l.* 5. *c.* 5. De simulachro *Victoriæ* in Julia Curia, vide Dionem, *l.* 51. & Casaubon. *ad Octavium Suetonii*, *c.* 35. At *Victoria* ἄπτερος, quam *involucrem* novâ voce Amasæus reddit, meminit Pausanias, ejusque fani, quod Athenis habuit, prope rupem, unde se Ægæus, de Thesei filii reditu desperans, præcipitem dederat, cujusque rudera accuratè describit Jac. Sponius, *Itinerar. Part.* 2. *p.* 138. &c. De *Victoriarum* simulachris, è gypso, cum palmis, Imperatorum nomina inscripta habentibus, & in Circum, uti & cæterorum Deorum simulachra inferri ad spectacula solitis, vide Spartian. *in Severo*, *c.* 22. cum *Notis* Isaaci Casauboni. Lucernam *Victoriatam* Militis cujusdam Romani in qua *Victoria* gradiens, alata, coronam dextrâ, sinistrâ palmam gestans, cælata est, eruditè explicatam, vide apud Fortun. Licetum, *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 102. &c.

VICTORIA, urbs Alavæ provinc. in Hispania Tarraconens. primaria ubi aliàs vicus *Gasteys*, ad radices montis S. Adriani, prope Biscajam, 12. leuc. à Flaviobriga seu Bilbao in Merid. à Burgis in Cæciam satis culta. *Vitoria* incolis, *Victoire* Gallis. Condita A.C. 1180. teste *Marianâ*.

VICTORIA, *Ptol.* urbs Mauritaniæ Cæsariensis mediterranea. Nunc *Moascar*, *Sansoni*, etiamnum satis ampla.

VICTORIA, urbs Scotiæ, in Damniis, *Ptol.* nunc *Abernethea*. Vide ibi.

VICTORIACENSIS Villa, in suburbano Atrebatensis urbis sita, memoratur Gregor. Turonensi, *Hist. l.* 4. *c. ult.* & *l.* 5. *c.* 1. Hic Sigibertus Rex salutatus & paulo pòst idem per insidias immissis à Fregedunde percussoribus, interemptus: Chlotarius quoque infans, Chilperici patris jussu, nutritus est. Hodie vicus, inter Atrebates, Duagiumque medius, 2. à Duagio leuc. *Vitri* hodieque. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VICTORIACUM, vulgò VITRAY, oppid. Rhedonum, in Aremorica. Aliis *Vitriacum* & *Vitraum*; ad Vidanem fluv. in limite provinc. Cenomanensis, 9. leuc. suprà Rhedones in Ortum, Alenconium versùs 26. Vide *Vitraum*.

VICTORIACUM, castrum Galliæ, quò Mundericum regno inhiantem sese cum suis contulisse, refert Gregor. Turonens. *l.* 3. quod in Arvernorum finibus posuit Aimoinus, *l.* 2. *Hist.* Valesius verò in diœcesi Catalaunica, ac in pago Pertensi, regnoque Theodorici Austrasiorum Regis ad Saltum amnem, ad tertium à Matrona lapidem. Vulgò *Vitri en Partois*, vel *Vitri le Bruslé*. Ejus in locum Franciscus Rex *Victoriacum* ad Matronæ ripas extruxit, hinc *Vitri le Francois* dictum, quaternis alioquin in anno nundinis celebre. Item locus in pago Aurelianensi duplex, alter *Vitry* simpliciter, alter *Vitry aux Loges*, dictus: in quorum priore S. Medardi templum est, & monasterium à Roberto rege ædificatum, in Archidiaconatu Pitiverensi, ad Monasterium Floriacense pertinens. Aut *Victoriacum* à Victore vel Victorio domino, aut *Vitriacum* à vitro, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VICTORIACUM Francisci, *Vitry le Francois*, oppid. Campaniæ Gallicæ in Pertensi tractu, ejus locô, quod *Vitry le Bruslé* dicitur. Ad Matronam, ubi recipit Ornam. 7. leuc. à Catalauno in Eurum Desideriopolim versùs totidem 11. à Barroduco in Occasum Vide suprà.

VICTORIÆ, Juliobrigensium portus, *S. Vincent*, ut videtur, oppid. & portus Hispaniæ Tarraconensis in ora Cantabrica.

VICTORIÆ Mons, oppid. Hispaniæ Tarraconensis seu pagus in Catalaunia apud Iberum fluvium, circa Dertusam urbem *Monzia* Floriano.

VICTORIALES Ludi, item *Victoria* quoque, dicebantur Ludi ob triumphum decreti, quorum meminit *in Marco* Capitolinus, *c.* 12. *In triumpho autem liberos Marci utriusque sexus secum vexerunt, ita tamen ut & puellas virgines veherent. Ludos etiam ob triumphum decretos spectaverunt habitu triumphali*, ad quem loc. vide Casauboni *Notas*.

VICTORIANUS, ex Adrumetina civitate oriundus, Carthaginis proconsul, & in Vandalorum persecutione martyr insignis. Victor, *l.* 3. *de Vandal. Persecutione*.

VICTORIATUS, nummi apud Veteres Romanos genus, de quo sic Rosinus, *l.* 8. *c.* 20. *Qui nunc* Victoriatus *appellatur*, *lege Clodiâ percussus est: anteà enim ex Illyrico advectus, mercis locô habebatur. Est autem signatus victoriâ, & inde nomen.* Fortun. Licetus, *de Lucernis*, *l.* 6. *c.* 102. *Victoria signum peculiare videtur esse Romanis, qui mundum universum armorum fortitudine suæ ditioni ac imperio subjicere potuerunt. Hinc in eorum numismatibus frequentissimè cælata Victoria conspicitur, qui* Victoriati *nuncupabantur.* Et paulo pòst, *Alata Victoria passim adspicitur, in nummis Romanorum & in monumentis, quòd victoria parta fama sese statim humò tollit, amplexaque gloriam per summum æthera latè volat.* Alii. Pro tribus obolis accipitur, apud Dioscoridem, *l.* 20. *c.* 24. *Hæc tusa cribrataque vinô, quàm possit,*

se, excellenti digerantur in pastillos, Victoriati *pondere*. Propriè tamen tres obolos 24. chalcos habebat: Gronov. *de Pecun. vet. l. 3. c. 2. Drachma sex habet obolos, 8. chalcos; ergo drachma 48. chalcos. Denarius habet 2.* victoriatos, *obolus 4. sestertios 8. dupondios, asses 16. Ergo* Victoriatus *tres obolos, 24. chalcos; sestertius obolum & hemiobolium, chalcos 12.* &c. Ita ergo *Victoriatus* dimidium fuit denarii, & sestertius dimidium victoriati. Idem Gronovius, ad *victoriatum* etiam seu quinarium & sestertium summaria fieri solita: sed in his minutias æris seu æra excurrentia, per libellas, sembellas vel singulas, teruncios item, fuisse explicata scribit, *l. 3. c. 12.* ubi & rationes ad *Victoriatum* duplicis formæ, aut ut ad denarium, aut ut ad sestertium, in usu fuisse docet, ac utriusque specimen exhibet.

VICTORINA, vel Victoria, uxor an mater Victorini, à Posthumo, in consortium imperii adsciti. In Gallia, Aureliano multum negotii fecit, suadendo Tetrico, ut Imperium invaderet. Mater exercituum dicta, fortitudine & ingeniô supra sexum: Obiit an suô Fatô, an vi alienâ? Trebellius Pollio, *de 30. tyrann. c. 5. 24. 25. 31.*

Imperatores Romani.

VICTORINUS Marcus Piavonius, militaris industriæ vir, à Posthumo seniore in partem vocatus est Imperii, & cum eodem contra Gallienum conflixit: cumque adhibitis non paucis Germanorum auxiliis, diu bella traxissent, victi sunt: Tunc, interfectô etiam Lollianô, Victorinus in Imperio remansit: qui & ipse, quod matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret, à quodam actuario, cujus uxorem stupraverat, è factione Agrippinæ, percussus est, Victorinô filiô Cæsare appellatô, ab ipsa avia Victorina seu Victoria, quæ *Mater castrorum* dicta est: sed & hic Victorinus filius, adhuc puerulus, statim est interemptus, cùm apud Agrippinam pater ejus esset occisus, annô ab urbe 1019. Treb. Pollio, *de 30. tyrann. c. 5. & 6.*

VICTORINUS Junior, Victoriæ nepos, Victorini supradicti filius fuit: hic à patre & ab avia, sub eadem hora, quâ ipse pater Victorinus interemptus est, Cæsar est nuncupatus, ac statim à militibus occisus. Diceres iram divinam, de paternis flagitiis etiam in hoc puero supplicium ac vindictam sumpsisse. Treb. Pollio, *de XXX. Tyrann. c. 7.*

Viri Clari.

VICTORINUS, Episcopus Petavionensis, in Pannonia superiore scripsit *Commentarios, in Genesin, Exodum, Leviticum, Esaiam, Ezechielem, Habacuc, Ecclesiasten, Canticum & Apocalypsin ut & varia contra hæreticos*: stylô usus sublimi, sed non admodum politô, Hieron. *de Viris ill. c. 74. in epist. in Ezech. &c.* An Millenariorum fautor? Ait Hieronymus, negat Sixtus Senensis, *l. 6.* Martyrium sub Diocletiano subiit, A. C. 303. Vide Moret. *in Diction. Histor.*

VICTORINUS Cajus vel Fabius Marius, Afer, docuit Rhetoricam Romæ, seculô 4. statuâ ibi à Senatoribus, quos instruxerat, honoratus. Christianismum senex amplexus est. Vertit plurimos Platonicorum libros, & Augustinus exemplô ejus, monitus est à Simpliciano, ut & ipse se Deo consecraret. Scripsit *librum contra Arianos*, obscurum admodum, ut & *in epistolas Paulinas*: Item de *Consubstantialis* voce recipienda, *Hymnos aliquot, libros 2. contra Manichæos*, & *Poëma de Maccabæis*. Obiit A. C. 378. Hieron. *de Script. Eccl. c. 101. & in Chron. An. Ch. 354.* Augustin. *Confess. l. 8. c. 2.* Voss. *de Poët. Latin. c. 4.* Lilius Giraldus, Possevinus &c. Carthaginiensis, ut plerique existimant, fuit, docuitque Romæ, sub Constantio. Labbæus, *Vir Consularis, cui ob ingenii excellentiam, statua in Foro Trajano posita est.* Catal. *Testium Veritat.* Præter Rhetoricam & Dialecticam, in Poëtica etiam floruit, Lil. Giraldus, *de Poët.* Cautè opera ejus legenda monet Bellarminus, &c.

VICTORINUS Franciscus, vide *Franciscus.*

VICTORINUS Lampadius, Zenonem Imperatorem panegyricè laudavit. Photius, *Cod. 101. Biblioth.*

VICTORINUS Massiliensis, vide *Claudius Marius Victor*, & infrà in *Victorius.*

VICTORINUS Pomponius, vide *Pomponius.*

VICTORINUS, monetæ nomen, à Friderico II. Imperatore cusæ in Italia, cùm, Ferrariam obsidens, castra instar urbis vallis ac fossâ hâc mente munivisset, ut, direptâ ac eversâ civitate, in eo ipso loco, ubi stativa habuerat, *Victoriam* urbem conderet, uti narrat Joh. Candidus, *l. 5.*

VICTORIUM, oppid. agri Tarvisini.

VICTORIUS, seu VICTORINUS, Aquitanus, Mathematicus insignis. Hortatu Hilarii Papæ, cùm Cyclus Theophili Alexandrini Paschalis expiraret, novum condidit, qui exorsus à passione JESU CHRISTI pertexit usque ad A. C. 532. Scripsit autem A. C. 464. vel 465. Gennad. *in Catal. c. 38.* Isidor. *l. 6. Orig. c. 17.* Beda, *de 6. æt. & rat. temp. c. 48.* Sigebert. *c. 20.* Voss. *de Scient. Mathem. c. 40. §. 10.* Baronius, Possevinus &c.

VICTORIUS, Massiliensis Episcopus A. C. 330. sub Diocletiano tyranno martyriô coronatus. Gregor. Turonens. *l. 1. c. 77.*

VICTORIUS Marianus, vide *Marianus.*

VICTORIUS Petrus, Nobilis Florentinus, bonarum Literarum in Italia restaurator, vir sui seculi doctissimus, *clarissimi senis, & doctissimi Victorii* elogiô à Scaligero honoratus, Mecœorum Principum alloquiô & Henrici III. Galliæ Regis literis exculius. Inter Aristotelis interpretes eximius habitus, varia scripsit, de quibus vide Ant. Teissier, *Elog. Part. 1.* Cœterùm adeò magnanimus & pecuniæ contemptor, ut cuidam 2. mill. aureorum nummorum pro dedicatione offerenti annuere recusaverit. Non tamen caruisse suis nævis, disces ex *Scaligeran.* Balsaco, *Lettr. à Chapel. liv. 3. lettr. 21.* & alibi, ubi de oratione funebri in obitum Cosmi I. agens, meruisse Victorium, cùm è cathedra descenderet, ut ei acclamaretur, *ô indignum fatum tui Principis, bis mortuus est, semel per morbum, iterum per te*, ait. Obiit A. C. 1585. ætat. 90. Vide quoque Mich. Hospitalium, *Epist. l. 6.* Turneb. *Adversar. l. 19. c. 28.* & Auctorem *Bibliogr. Curios.*

VICTORIUS Petrus, ex eadem familia, consiliô & fortitudine inclytus, ac de Patria optimè meritus. Thuanus, *Histor.* qui 70. antè annis extinctum eum refert.

VICTOVALI, inter gentes, quæ ab Illyrici limite usque ad Galliam contra Romanos conspiravêre, sub Marco, memorati Capitolino in *Vita* ejus, *c. 14. & 22.* in optimo libro *Victuali* Βικτοάλοι Græcis Scriptoribus appellantur, monente Salmasiô *ad loc.* Vide quoque *Victobali.* Ita enim Ammiano, *l. 17. c. 31.* dicuntur, qui, ut & Eutropius, *l. 8. c. 2.* similiter eorum, inter inimicas Romanis gentes, quæ à temporibus Trajani innotuerunt, meminit.

VICTRIX, cognomen aliquot urbium seu legionum.

VICUM, vulgo VIC, oppidul. tractus Metensis, ad Sellam fluv. sub Gallis, 1. leuc. infra Marsalium, in Occasum Nancejum versus 5.

VICUS, regionis pars est; *Quippe Urbs in regiones, tanquàm in majora membra & in* Vicos, *tanquam in minora, dividitur. Dictus an quod vias circum habeat*, Joh. Rosin. *Antiqq. Roman. l. 1. c. 12.* seu quòd ex utraque parte *via* sint ædificia? an quod per *vices*, i. e. ordines ædificia collocentur? Hæc enim præcipua Veterum in Urbibus condendis cura. Romæ tamen, postquàm abscessêre Galli, qui eam everterant, *festinatio* (ædificantium) *curam exemit vicos dirigendi, dum omissô sui alienique discrimine, in vacuo ædificant. Ea est causa, ut veteres cloacæ, primò per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta: formaque urbis sit occupatæ magis, quàm divisæ, similis*, Liv. *l. 5. c. 55.* In Regiones itaque postmodum ac *Vicos*, primus Augustus Urbem Romam descripsisse legitur apud Sueton. *c. 30.* celebresque imprimis fuêre *Vicus Cannarum, Sandaliarius & Tuscus*, de quibus vide Rosin. *Antiqq. Rom. l. 1. c. 13. & alibi passim.* Hinc, more modôque *Vicorum* urbanorum, in agris *Vici* dicti sunt, an quòd essent *vice* Civitatis, an quòd *vias* haberent tantum sine muro? constabantque propriè ex uno eoque solo *Vico* perpetuo, complures domos aut villas conjunctas, vel etiam divisas, continente. Nonnunquàm tamen, præter vicum latum & rectum, viculos aliquot transversos habebant. Quam utramque vocis significationem, apud Romanos & recentiores Scriptores quivis habet obviam. *Pagum* verò & *Villam* ac *Chortem* vel *Curtim*, ab iisdem Auctoribus pro *Vico* agresti etiam accipi, non æquè omnes sciunt. Et quidem de *Pago*, res clara est: Cùm enim Romani in Urbanos, & Rusticos, olim essent divisi, hi quòd in pagis vicisque habitarent, *Pagani* quoque appellati sunt habuêreque suas Paganicas ferias seu Paganalia. *Chors* quoque vel *Cortis* sæpe pro villa, cujus membrum erat, ac dein etiam pro toto *Vico*, qui villæ alicui magnificæ accesserat accreveratque, à Gallicarum præcipuè rerum Scriptoribus accipitur; uti indicant plurima in hac gente *Vicorum* nomina; qualia sunt præ cœteris Bettonis Cortis non una *Bettancour*, Honulsi Curtis *Honcourt*, Alamannorum Curtis *Aumencour*, Harecortus *Harcour*, Sathulcurtis *Saulcour* &c. Sed & Villam, pro *Vico*, pagove etiam Veteres usurpâsse, docet Ausonius, *Epigr. 30. v. extr.* ubi *Villam Lucaniacum* memorat, quâ de re infrà dicetur. Nonnunquàm verò, sicut Villa, ita & *Vicus*, etiam pro urbe, reperitur. Quippe *Vicum Julii* vel *Vicum Juliensem* vocant Notitiæ Galliarum & Gregorius; quam civitatem esse & quidem Episcopalem constat, aliô nomine *Aturas* dictam. Sic Alingavia, Ambacia, Condate, Caino, Iciodorum, Luccæ aliave Turonum loca, à Sulpicio *de Vita S. Martini* & Gregorio laudato, passim *Vici* appellantur. Accepêre autem multi in Gallia *Vici*, ab his arboribus, quibus maximè abundabant, nomen: inprimis Nucetum, quod & *Nucaretum*, à nucibus; Mespiletum *la Meslerayе*, à mespilis, Salictum aut Salicetum *la Saussaye*, à salicibus; Cerasetum *Cerisy* & *Cerisaye*, à cerasis; Fraxinetum *le Fresny*, à fraxinis; Betuletum *la Boulaye*, à betulis: Sic Filicetum *Fougeraye*, Hosletum *la Houssaye* &c. Normannia plena *Vicis* est, quorum nomina composita in *Ville* terminantur, vide Hadr. Vales. *Præfat. in Notit. Gall.* De *Vicorum* Præfectis apud Veter. Romanos, diximus suprà, in voce *Vicomagistri.* Ut de *Vicorum* atque itinerum Diis aliquid addam, memorantur illi Arnobio, *adv. Gentes l. 3.* Lares --- *arbitratur vulgus* Vicorum *atque itinerum Deos esse, ex eo, quod Græci vicos cognominant lauras.* Certè Lares existimabantur locorum quasi proprii Genii, & singulis familiis ac domibus propriè assignati. Unde & *Vicorum* viarumque Dii habebantur: qui proin *Viales Lares* in *Mercatore* Plauti: & in compitis fixi ibidemque culti, Compitales appellati sunt, Des. Herald. *ad Arnobii loc.*

VICUS, urbec. Episcopalis Cataloniæ, prope Teram fluv. 12. leuc. à Barcinone in Boream. 10. ab ora maris Mediterranei. *Vich.*

VICUS, urbec. Episcopalis regni Neapolitani sub Archiepiscopo Beneventano. *Vico della Baronia* vulgò. Ægrè habitata. In Principatu ulteriore.

VICUS, locus in Lotharingia, prope Marsallum & Medium Vicum *Moyenvy*, salinis suis nobilis: vulgò *Vy*, aliàs *Vic.* Ad Saliam *Seille* fluv. Hic castrum fuit Ducis, à Stephano Mettensi Episcopo dirutum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Vide suprà in voce *Vicum.*

VICUS ad Alteiam, in finibus Ambianorum, *Vy sur Autie.* Idem.

VICUS ad Axonam, *Vic sur Aisne* à scriptoribus nuncupatur plerunque, veter. ignotus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VICUS Æquensis, urbec. Terræ Laboris Episcopalis sub Archiepiscopo Surrentino, ad radices collis, in ora Sinus Neapolitani 10. mill. pass. à promontor. Minervæ in Cæciam, quot ab Amalphio in Occasum. Vulgò *Vico di Sorrento.* Aliâs in Picenis.

VICUS Aquarius, *Antonin.* Vide *Lancia* & *Visensis urbs.*

VICUS Aurelii, pagus Ducatus Ferrar. ad Padum, 12. milliar. supra Ferrariam in Circium, Veronam versùs. In ipso limite Ducatus Mantuani. *Ficheruolo*, vulgò.

VICUS Bigerronum, *Vic de Bigorre*, locus Galliæ, in agro Bigerrico: sicut & *Vicus* Aquensis, *Bagneres*, à thermis suis salubribus dictus, vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VICUS Cuminarius, *Antonin.* oppid. Carpetanorum, hodie *la*

Zarza, vicus Castellæ novæ, prope Fanum S. Crucis *de la Zarza*, vix 1. leuc. à Tago, 13. à Madrito in Eurum.

VICUS Egonum, vide *Vicohabentia.*

VICUS Gentianus, aliàs *Castra Gentiana*, in septima Urbis regione, memoratur *P. Victori*, vide quoque Sextum Rufum: & de poculis, quæ inde *Gentiana* Martialis appellat, suprà.

VICUS Italicus, urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Colocensi, Croatiæ caput, in Liburniæ confinio, ad Segesticam insul. Sai fluv. *Zagrabia*, Bonfiniô authore. Vide *Sisopa.*

VICUS Julius, hodie *Germersheim*, Cluver. oppid. Palatinatus inferioris ad Rhenum, in ipso limite tractus Darmstadiensis, 9. milliar. infra Vormaciam in Boream.

VICUS Longus, in quo Virginia aram Pudicitiæ plebejæ dedicavit, occurrit apud Livium, *l.* 10. *c.* 23.

VICUS Martius, *Vimercato*, pagus ingens agri Mediolanensis, inter Mediolanum 14. & Brepium 12. mill. pass. Bergomum versùs.

VICUS Matrini, oppid. fuit Hetruriæ, inter Forum Cassii, cujus vestigia ad Vetullam & Sutrium; in provinc. Patrimonii, in ipsa via Cassia, ubi nunc diversorium publicum, *le Capannacie*, & rudera antiquorum ædificiorum, *L. Holstenius.*

VICUS Valerius, vel Varronis, oppid. Sabinorum apud Anienem fluv. *Villa Varronis* Tullio. Hodie *Vicovaro*, in colle. 9. mill. pass. à Tibure in Ortum, 18. à Reate in Merid. Cum titulo Princip. gentis Ursinæ.

VIDA Marcus Hieronymus, Episcopus Albæ Pompejæ ad Tanarum, per annos 35. Obiit A. C. 1556. Genebr. 1566. Ejus extant *Christiados libri 6. in octav. Brixiæ, A.* C. 1586. Poëma *de Scacchiæ ludo, de Bombycibus &c.* Primus inter Italos, post Jacobum Sannazarium, Poëticam ad res sacras transtulit, & versibus elegantissimis ac purissimis provinciam suam excoluit, Thuan. *Virgiliani carminis incomparabilis imitator* Sixto Senensi. Cœtera ejus scripta enarrat Teissier, *Elog. Part.* 1. & 2. ubi de *Bombycibus* carmen maximi habitum Scaligero; ab hoc insuper in *Poem.* suo *de Arte Poët.* & à Leon. Frisone in *Christiad.* quodam loco eum acriter reprehensum, addit. Vide & Ghillin. *Theatr. Part.* 1. Giraldum, Jul. Cæs. Scaligerum, *Poet. l.* 6. ut & suprà *Marcus.*

VIDATIUS Petrus, vide *Petrus.*

VIDENS, Hebr. הראה nomen, quô Prophetæ antiquitus indigitati. *Nam qui* נביא *Propheta hodie, antiquitus vocabatur Videns*, 1. Samuel. *c.* 9. *v.* 9. Sic, *indica mihi, ubi sit domus Videntis, Ibid.* 18. Et Jeduthun חוזה *Videns Regis*, appellatur 2. Chron. *c.* 35. *v.* 15 A *visione*, qui unus fuit ex divinæ revelationis modis, quæ Prophetis fiebat. Numer. *c.* 12. *v.* 6, 7, 8. *Si Propheta vobis, per visio*nem *me ipsum Jehovam notum facio ei, aut per somnium alloquor* eum. *Non sic servus meus Moses ---- Ore ad os alloquor eum ---- aspectu & non in ænigmatibus, & speciem Jehovæ videt.* Nempe cùm tribus præcipuè modis Deus se Prophetis patefaceret, per Intellectum, per Phantasiam & per Sensus externos: in primo, eorum mentibus immediatè illapsus, iis formas quaslibet & ideas rerum imprimebat; in secundo, varias rerum species in illorum phantasia pingebat, vel in *Visione*, quæ vigilantibus, amotô tantisper sensu eorum, objiciebatur, vel in Somno, quæ dormientibus; in ultimo, per sensus & sensibilia externa iis futura revelabat, mente interim sui compote, nec istô, quô percussa erat, lumine, magnopere alienatâ. Accedebant aliquando raptus, cum corporales, tum mentales, miræque & insolitæ corporis agitationes & membrorum motus, quin & languores, corporisque Deum amplius pati non valentis ægritudines, de quibus omnibus vide Franc. Burmannum, *Synopsi Theol. Christ. Part. prior. l.* 3. *c.* 5. & aliquid suprà, ubi de *Prophetis.* Postea vox *Visionis* latiùs extensa, prophetiam quamcunque notare cœpit, uti ex Prophetis discimus passim. Imò & ad fictiones Poëticas significandas translata occurrit, apud Papin. Statium, *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 22.

Plorantemque animam supra sua funera vidi.

Qua de re vide Casp. Barthium, *Adversar. l.* 44. *c.* 26. & suprà, ubi de Poëtarum, qui Gentilium Prophetæ dicuntur Apostolo, *furore.* Hodie *Videntem* Judæi vocant, qui Synagogæ curam gerit & interni Fori controversias decidit, uti legas apud Dominicum Macrum, *Hierolexicô.*

VIDERE, apud Spartianum, *in Hadriano. c.* 10. *quum ---- ægros milites in hospitiis suis videret*: visere est. Sic *videri* Princeps & *videre* dicebatur. Et *videbatur* quidem ab omnibus togatis, qui officia faciebant & matutinis salutationibus ave suum portabant. Sed *videre* eos dicebatur, & præcipuè, quum solos videbat, quibus impensiùs familiaris videri volebat Princeps. Quod cùm fecisset primò circa complures Alexander Sev. postmodum cognitô multos eâ familiaritate abusos, & de se fumos vendidisse, ab hac popularitate abstinuit, *& post epistolas, omnes amicos simul admisit, cum omnibus pariter est locutus, neque unquam solum quenquam, nisi præfectum suum* vidit *& quidem Ulpianum, ex assessore semper suo, causa justitiæ singularis*, ut ait Lamprid. *c.* 31. Unde phrasis orta, οὐκ εἶδεν ἡμᾶς ὁ Βασιλεύς, *non vidit nos Imperator*, de qua vide Plut. περὶ δυσωπίας, i. e. *non sumus familiares & amici Cæsaris.* At superbi quique Principes, & qui minimè communes essent, non solum neminem *videbant*, sed nec *videri*, i. e. salutari se, patiebantur, uti de Maximino legimus apud Capitolinum, *c.* 17. & de Imperatoribus aliquot, ante Alexandrum Imperatorem apud Lamprid. *d. l.* ad quæ loca vide Salmasii *Notas.* Apud Ciceronem verò *Acad. Quæst.* 2. *Quam rationem Majorum etiam comprobat diligentia, qui primum jurare ---- quæque jurati Judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut* videri *pronuntiarent*: indigitatur verbô hoc formula Veter. in sententiis uti solita, *Videri fecisse*, de qua vide Hottomannum de *Verbis Juris.*

VIDICINI, vide *Uvicini.*

VIDO, Flandriæ Comes, cum filia, quòd Angli partes tueretur, fraude captus à Philippo Pulchro, Galliæ Rege, cui frustra auxilium Eduardus gener ferre conatus est, A. C. 1295. 1296. P. Æmil. *l.* 8. Polydorus, *l.* 17. Iterum ab eodem captus, Flandriaque occupata est, A. C. 1299. sed filii Vidonis Patrem egregiè ulti ingenti clade Gallum vicerunt, 700. aureis calcaribus in tropæum suspensis, A. C. 1300. Vidoni mortuo successit fil. Robertus.

VIDOTARA seu VINDOTARA, Sinus Scotiæ, in ejus parte Occidentali & in Damniis popul. Quibusdam *Ayr Fyrth*, sinus parvus prope Aëriam urbem Covaliæ provinc. 25. mill. pass. à lacu *Ryan* in Boream.

VIDRUS, fluv. Germ. *Schwart Watter* Junio, *Græninger Diep* Becano, apud Groningam urb. Frisiæ fluens. Althamero *Vecht*, ex Westphalia in Flevum sinum inter Frisiam & Transisalanam ad Gelmudam oppid. influens. *Ortelio Vechta, Baudrand.* oritur in Westphalia, 5. milliar. German. à Monasterio in Circium, dein auctus Aa, Dinchelô & Reggâ fluv. & per Transisalanam labens, in mare Austrinum se exonerat, infrà Gelmudam, 8. mill. pass. à Suvolta in Boream.

VIDUA, vulgò CRODAGH Camdeno, fluv. Hiberniæ per oram Borealem in Oceanum, inter Venicnium promontor. & Argitam fluv. decurrens. *Ferrar. Baudrando* est, inter Vecniæios & Robogdios. Nunc *Dirgh* aliis. Inter Comitat. Tyronensem ad Ortum & Dungalensem ad Occasum, ac in Oceanum Deucaledonium se exonerat, infra Rapoam, per lacum Suvillium.

VIDUA, ex *ve* particula, vel *vir* & *iduare*, quod olim Hetruscis *dividere* significabat, quasi *Viridua*, à viro divisa; an ex ἰδίᾳ *privata*? fiebat apud Veteres duplici modô, morte Mariti & divortiô. Priori casu Viros defunctos ab uxoribus *viduis* menses decem apud Romanos lugeri consuevisse (tot enim annus Romuli menses habebat) discimus ex Plutarch. & Ovid. *in Fast.* ante quod legitimum tempus luctus, nubere nemini poterant, nisi id peculiariter à Magistratu aut Principe impetrâssent. Quòd si potestate hâc non impetratâ tamen nupsissent, infames à Prætore fiebant, ac multabantur. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Roman. l.* 5. *c. ult.* Intereà dum *viduæ* essent, census earum publicâ fide servati sunt, uti, de secundo bello Punico loquens, refert Sabellicus, *l.* 3. *Ennead.* 5. Vide quoque suprà *Pupillares pecuniæ.* Cùm autem *Viduæ* nubebant, non eâdem id pompâ, quâ cùm Virgines, fiebat; proin cùm feriatis, seu festis diebus, Virginibus nubere esset nefas, *Viduis* tamen id licebat. Martii tamen, durante Ancilium festô & Maji, inprimis per triduum Lemuralium, Ovid. *l.* 5. *Fast. v.* 487. *teste*,

Nec Viduæ *tædis, eadem nec Virginis apta*
Tempora: quæ nupsit, non diuturna fuit.

Qua de re Plutarchus disertè, *Problem.* 86. οὐ γαμοῦσιν ἐν τῷ Μαΐῳ περιμένοντες τὸν Ἰούνιον, *Uxores non ducunt Majô, usque in Junium rem differentes.* Vide Joh. Seldenum, *Uxor. Ebraic. l.* 2. *c.* 22. Quòd si quis earum nuptias refugisset, lege à Camillo de maritandis ordinibus latâ, multatus est, ut quâ præcipuè illos coërcuit, qui viduarum nuptias, quarum viri bellô cecidissent, devitarent, qua de re vide Alexandrum Neapol. *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 13. Apud Athenienses, *Viduæ* prægnantes, post Maritorum obitum, in eorum ædibus permanebant, sub Archontis cura; ex Lege Solonis, quæ Latine sic habet: *Archon orphanorum, dotalium fœminarum, familiarum quæ intercidunt, & prægnantium mulierum, quæ, post maritorum obitum, in eorum ædibus permanent, curam habeto, neque contumeliam aut aliquid injustum iis fieri sinito: Multam, quantam potest Magistratus potestate, irrogare ei jus esto. Si majore pœnâ dignus videtur, qui adversus hanc legem fecerit, Archon in jus vocato, in quintum diem & pœnâ pro arbitrio irrogatâ, Heliastis judicium permittito. Si convictus fuerit, Heliastæ de eo, quod luere in corpore vel in ære debet, judicium reddunto.* Vide Demosthenem, contra *Macart.* & Pollucem, *l.* 8. *c.* 9. Quod optimè constitutum à sapientissimo Legislatore, ne quis per dolum veniret in possessionem hæreditatis. Idem à Romanis quoque acceptum, esse discimus ex Edicto Prætoris, *L.* 1. §. 10. *ff. de ventre inspic.* Sam. Petitus, *Comm. in LL. Attic. l.* 6. *tit.* 7. De *Viduis*, quæ sicut apud Romanos Virgines, ita apud Græcos, ignem æternum Vestæ, curæ suæ custodiæque commissum habebant, diximus suprà, in voce *Prytanitides.* Apud Hebræos, neque Virginem neque *Viduam* ritè deduci volebant leges pridie Sabbati aut postridie, nedum ipsô Sabbatô, aut aliô die festô; quin nec intermediis sive Paschatis, sive Scenopegiæ diebus: Idque propterea, ne ex apparatu epulari, qui deductionem ex more præcederet, fortè violaretur Festum. Nam epulum à Sponso sive cœlibe antè sive *Viduo*, lætè lautéque erat celebrandum, per dies à deductione minimùm septem, ubi Virgo erat Sponsa: per triduum minimùm, ubi *Vidua* ducebatur. Sicut autem Virgini quarta feria seu dies Mercurii, ita *Viduæ* deductioni, quinta seu Jovis maximè idonea habita est; ut nempe sponsus assuetos sibi labores, à quibus abstinendum erat tribus diebus epularibus, feriâ primâ seu in ipso hebdomadis insequentis initio commodiùs redintegraret. Sed verò nec *Vidua*, nec Repudiata, ritè ducenda erat aut desponsanda, ante 90. dies seu tempus trimestre, sive à Mariti morte, sive à libelli divortii scriptione elapsum: quò inde satis certum fieret, an gravida fuerit necne, Joh. Seldenus, *Uxor. Ebraic. l.* [illegible] *c.* 11. Antequàm autem deduceretur, pacta inibantur dotalia & dos sponsæ constituebatur à sponso: quæ, sicut cùm Virgo erat, non erat minor 50. siclis seu 200. Zuzis; ita *Viduæ* 25. sicli seu 100. Zuzi è Sponsi bonis pro dote, adscribi solebant. Qua de re vide plura apud præfatum Seldenum, *Ux. Hebr. l. cit. c.* 9. & 10. In eadem gente pignus *Viduæ* non reddens Verberum pœnam luit: cumque litigatores complures in Synedrio simul adessent, præferebatur pupilli causa, causæ *Viduæ*; *Viduæ*, discipuli Sapientis; Discipuli Sapientis, cujusque è vulgo; fœminæ, Viri. Idem de Synedriis *Vet. Ebræor. l.* 2. *c.* 13. Pontifex vero Max. *viduam* ducere non poterat, nisi Antecessoris sui: quòd si cum *Vidua*, licet eam sibi conjugiô non copulâsset, concumberet, Verbera quoque meruit; quemad-

modùm

modùm & Sacerdotis filia extraneo nupta, si post Viri obitum, armum & pectus comedisset, vide Levit. c. 10. v. 14. & c. 22. v. 12. ut alia omittam. Apud Christianos, Clericis conversatione viduarum ac pupillarum interdictum, edictô Valentiniani I. Imperatoris, cujus Sigonius meminit, *Imper. Occid. l. 7.* Ipsarum autem *Viduarum* in Ecclesia usus aliquis fuit, uti diximus ubi de *Diaconissis*, item voce *Presbyter.* Postmodùm & peculiaris ordo esse cœpit earum, quæ *Viduitatis professionem* faciebant solenni ritu, hincque *Professæ, Consecratæ, Benedictæ* dicebantur, τὸ τῶν χηρῶν τάγμα, Palladio, in *Vita* Chrysostomi: de quarum professione, habitu, consecratione, aliisque huc pertinentibus, vide Car. du Fresne, *Glossario*, voce *Velum*, item *Vidua*, nec non *ad Alexiadem Notis.* Certè & apud Gentiles *Viduitati* suus honos fuit: imò virginitati eam Appulejus æquat, *Apolog.* qua de re vide notata Barthio, *Animadversion. ad hunc v. 35. Papinii, l. 1. Sylv. 2. Epithalamio Stellæ & Violantillæ,*

> ——— *licet expositum per limen aperto*
> *Ire, redire, gradu, jam nusquam janitor aut lex &c.*

Hinc *Viduitas*, vox Jureconsultis citimæ ætatis, de quo jure in Normannia inprimis ac Aragonia observari solito, vide Car. du Fresne, *Glossario cit.* ubi & varios eam in rem Auctores laudat. Vide quoque infrà.

VIDUA Fratris, Maritô sine liberis extinctô, Leviro, apud Hebræos, ducenda erat, ex lege sacra, Deuter. c. 25. v. 5. quâ temperatur interdictum de Fratria ducenda, quod habetur inter Leges, de Incestu, Levit. c. 18. v. 16. *Si habitaverint fratres simul, & mortuus fuerit unus eorum absque prole, non nubet uxor defuncti foràs viro extraneo. Sed Levir ejus ingrediatur ad eam, & capiat eam in uxorem, & præstet officium Leviri, & ejus primogenitus, quem pepererit, surget nomine fratris ejus defuncti, ut non deleatur nomen ejus de Israel.* Ajunt autem Magistri, non ex Lege ipsa fuisse, ut Levir cum Fratria more aliquô solemni iniret matrimonium, quoniam, nisi renuntiatio interveniret, pro Leviri uxore habebatur ex ipsius Numinis præscripto, idque tam ubi Sponsa esset demortui, quàm ipsa uxor. Attamen ex receptis moribus, matrimonium cum Fratria contrahebat regulariter Levir, coram duobus minimùm testibus, idque datô nummulô: Vocabantque contractum hunc solemni nomine כנוס *collocationem.* Neque ante hujusmodi contractum, licitus habebatur cum ea, ex Majorum instituto, congressus: Quin & accessit sacra nuptiarum benedictio & instrumentum dotale, ut Seldenus ostendit, *Uxor. Ebraic. l. 2. c. 2. & 10.* At verò, si Levir, his solemnibus prætermissis, cum ea rem haberet, ob contumaciam in instituta Majorum, verberibus plexus cogebatur ei dotem constituere. Interim integrum fuisse Leviro, fratris *Viduam* ducere, sive ei renuntiare, ex verbis seqq. patet. *Et si Vir ille noluerit capere uxorem fratris sui, ascendat affinis ejus* (Fratria) *ad portam dicatque Senioribus, recusat Levir meus suscitare fratri suo nomen in Israel, nec vult me habere.* Et paulo post. *Accedet illa ad eum in conspectu Seniorum & extrahet calceamentum ejus, de pede ejus, spuensque coram eo, respondeat dicens; Sic fiat viro, qui non ædificat domum Fratris sui, vocabiturque nomen ejus in Israel domus ejus cui exutus est calceus.* Atque ita regulariter se res habuit: exceptiones verò erant non paucæ. Si prior Maritus prolem reliquerat, tametsi Mamzerem aut Apostatam, lege hâc non tenebantur *Vidua* fraterque superstes: At tenebantur, licèt filius ei esset ex ancilla seu Gentili susceptus; nam proles ejusmodi pro sua non habebatur. Si Fratria gravida relicta abortum fecerat, lege tenebatur: sed partus vivus liberabat Matrem: ita tamen ut certò constaret, tempus eum novimestre in utero perfecisse &c. Si ante partum gravidæ fuisset renuntiatum, iteranda Renuntiatio post partum erat: proin, ut satis constaret, utrum gravida relicta esset, ex more suprà laudato usque ad diem 90. expectandum erat: intra quod tempus prioris Mariti bonis, sed ita, ut accederet etiam opificii sui, si quod erat, pretium, alenda *Vidua* fuit, &c. Porrò, ob dignitatem Regiam, sive Reges, sive eorum *Viduæ*, uti & Pontifices, hac lege erant soluti: qua de re vide hic infrà, in voce *Vidua Regis*, & plurima hanc in rem, apud sæpius laudatum Seldenum, *Uxor. Ebraic. l. 1. c. 10. 12. 13. 14.* Addam saltem formulam dotis Fratriæ à Leviro constitutæ, ex eodem. Levir enim Fratriam ex Lege ducens, ex fratris demortui bonis seu dote ipsa, quâ Maritus pristinus eam dotârat, adjectô pro libitu Leviri incrementô, dotabat formulâ hujusmodi: *Die N. Mensis N. &c. N. Filius. N. venit coram nobis & ad hunc modum locutus est nobis. Frater meus germanus dormivit & vitam Rabbinis nostris & toti Israeli reliquit, at filium aut filiam, quæ ei hæres esset & suscitaret nomen in Israel, minimè reliquit. Sed reliquit Uxorem hanc, cui nomen est* N. *filia* N. *& ad me ex Lege attinet, ut ad Levirum, eam ducere, secundùm illud, quod scriptum est in Lege Mosis, Levir ejus ingrediatur ad eam, & assensum præbuit illa, ut jure Leviratus jungeretur* N. *filio* N. *Leviro suo, ad suscitandum nomen in Israel, juxta id, quod scriptum est.* Et erit primogenitus, quem pepererit, surget nomine fratris sui defuncti &c. *Et adscribit dictus* N. *Levir dictæ* N. *Fratriæ suæ argentum Zuzorum, qui competunt ei, utpote qui adscripti sunt ei in dotali instrumento, à Marito suo priori; & adjecit insuper ex suo, usque ad valorem* N. *& bona, quæ secum attulit ipsa Sponsa* &c. *l. 2. c. 10.* Vide quoque suprà *Levir.*

VIDUA Regis, sive Regina, apud Hebræos, tum Regi superstes, tum ab eo divortiô ejecta, nemini, saltem subditorum, ex Majorum scitis, ritè nubebat: atque, ut nec equô Regis, nec sceptrô, nec coronâ aliisve rebus Regiis, subdito uti licuit, ita nec servis ejus nec ancillis. Sed res ejusmodi universa, præter supellectilem, in funere Regio, ex more comburi solitam, ad Regem, qui successit, tantùm attinebat. At verò de *Vidua* Regis, quâ Successorem seu Regem alium spectabat, dissensus est inter Magistros: Receptior verò sententia est, nec illam, ob dignitatem, Regi alteri ritè potuisse duci. Hinc erat, ut Lege illâ, de *Vidua* fratris seu fratria Fratri sine liberis demortui superstite ducenda, *Viduæ Regum* haberentur solutæ. Misna, *tit. Sanhedrin, c. 2. Rex nec calceo extractô renuntiat Uxori demortui sine liberis fratris, neque alii id faciunt uxori ejus. Ex Lege illa nullam ducit; neque ex Lege illa conjux ejus* Vidua *nubit.* Etenim regula erat, neminem ex illa Lege in virum accipiendum, nisi cui renuntiare fas itidem fuisset, exceptione unâ & alterâ admissâ: Renuntiasse autem turpe nimis ducebatur Regi dignitatique ejus minimè tolerandum; cùm in Renuntiationis solemnibus, sputum & calcei detractio adhiberetur, quorum neutrum Regiæ dignitati consonum habebatur. Adeò ut Fratriæ conjugium (ubi frater sine liberis decederet) cœteris, nisi solennis intercederet Renuntiatio, imperatum, Regi dignitatis causâ haberetur illegitimum. Et quidem, imitatione hujus ritus, quod Hebræi de Regum *Viduis* statuerunt, id voluit etiam Mahumedes de suis. Sic enim loquitur is *Azoar. 33. Vobis permissum non est, injuriâ afficere Apostolum Dei, nec ducere Uxores ejus, quas reliquerit omnino. Ne ita gravis sit nimis vestrûm apud Deum contemtus.* Ad quæ verba annotat Phil. Guadagnolus, *Apolog. tract. 2. c. 10. §. 3. Unde uxores Mahometi, post ejus mortem, in viduitate subsistere coactæ sunt; fueruntque numerô novem ipsi Mahumeto superstites.* Vide Joh. Seldenum, *Uxor. Ebraic. l. 1. c. 11.* Addantur pauca supradictis, de capitis tegmine *Viduarum* Christianarum, quô in Orbe olim Romano uti solebant. Uti enim Virgines, ita & *Viduæ* sedulò velantes capita, tegumentum adhibebant, quod modestiam & humilitatem earum omnibus insinuaret: sed nonnullô discrimine, tum inter utrasque Deo devotas, tum inter illas & reliquas mulieres. Virgines enim velatas fuisse eô tegmine, ritibus specialibus consecratô, contendunt quidam, ex Gelasii, *Epist. ad Lucaniæ Episc.* *Viduas* vero non: adeoque cùm S. Rictrudem viduam velamine consecratô B. Amandus donâsse dicitur, id de simplici quapiam benedictione veli accipiunt; longè aliâ ab ea, quâ vela sacrarum Virginum consecrabantur. Passim iidem velum *Viduis* impositum, *Velum conversionis* vocatum esse ajunt &c. qua de re vide disputantem Anselm. Solerium, *de Pileo, sectione 7.* Aliosque.

VIDUA Regis, dicitur in Anglia, ejus, qui de Rege tenet in capite, vidua. Sic autem dici solet, quia ei ad secundas nuptias, sine Regis permissu transire non licet, quin & dotem impetrat ex assignatione Regis, quem patronum ac defensorem habet. *Viduarum* enim & pupillorum cura ad Reges pertinebat, quam ideo suis Comitibus, per provincias & pagos olim delegabant, vide Marculf. *l. 1. c. 8.* Et Ludovicus Imperat. in admonit. ad Comites Capitol. *l. 2. c. 6. Pupillorum vero*, inquit, *& Viduarum & cœterorum pauperum adjutores, & defensores, juxta vestram possibilitatem, sitis &c.* Item Synod. Ticinensis, sub Ludovico Italiæ Rege *Pupillos &* Viduas *protegant.* Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

VIDUCASSES, populi Galliæ Celticæ, aliter *Biducasses*, vide ibi.

VIDULA, fluv. Galliæ, LA VESLE. Oritur in media Campania, 3. leuc. à Catalauno in Ortum apud vicum, qui ob id Summus Vidula, vulgò *Somme Vele*, dicitur. Dein auctus aliquot minoribus fluviis, postquàm Spinam, Novam Villam, Luperciacum *Louvercy*, Liberiacum *Livry*, Septem Salices *Sept-Saux*, Balliam *Basle*, Prunetum *Prunay*, Malliacum *Mailly*, vicum S. Leonardi, præterlapsus est, Durocortorum seu Remos rigat; porro Pontem Archiepiscopi *Pont l'Archevesque*, Campaniacum *Champigny*, Provilliacum *Prouilly*, Juncartam *Jonchery*, Montaniacum *Montigny*, Brolium *Brueil*, Fines vel Fimmas *Fimes*, Basilicam *Basoche*, ac Brainam seu Brennacum *Braine*: inque Axonam fluv. abit, inter Brainam & Suessiones: *Baudrand. Valesius* habet, apud Condate *Condé*. Etiam *Vitula* fluv. hic veterib. nonnunquàm dicitur, unde *Vitlina* villa fortè nomen nacta est. Inter Decanatus rurales 17. Remensi Ecclesiæ subjectos, sextum obtinet locum Decanatus *Viduis*: quò nomine vicus Summus Vidula indigitatur, teste Hadr. Valesiô, *Notit. Gall.* Britto, *l. 9. Philippidos.*

> *Axona cui faciunt nomen vulgare moderni,*
> *Qui tibi cum tollat nativum Vidola nomen,*
> *Ipse suum perdit, Isarâ majore receptus.*

VIELISKA, vulgò WIELICZKA, oppidul. Palatinatus Cracoviens. salisfodinis subterraneis celeberrimum, non longè à Cracovia in Ortum, habitatio non satis tuta, ob terram undique effossam. A. C. 1510. majori parte hæ salinæ conflagrârunt, ut & A. C. 1644. 16. Decembr. *Piasecius.*

VIELKYLUCHIA, urbs munita Moscoviæ, ad Lovatum fluv. in Ducatu Rescoviensi, & limite Lithuaniæ. 30. leuc. Polonic. à Vitepscia in Boream, Ilmenum lacum versùs 16. In edito colle. Capta fuit à Stephano Poloniæ Rege A. C. 1580. sed reddita. Vulgò *Vielkiluki.*

VIELLA, urbecula Aquitaniæ, ad Pyrenæos, juris Hispan. & Aragoniæ, ad fontes Garumnæ, in limite Cataloniæ & Convenensis tractus, 18. mill. pass. supra Lugdunum Convenarum in Merid. in Arania valle.

VIELUNA & VELUNIA, oppid. satis lautum Poloniæ majoris in Palatinatu Calisiensi, & limite Silesiæ, aliquot tantùm milliar. à *Czenstochova.* Malè habitum, & partim incendiô consumptum A. C. 1656. bellô Sueciô. Vulgo *Wielun.*

VIENNA, German. WIEN, Austriæ Metropolis, urbs inclyta, & omnium urbium, quas Danubius sustinet, & ædium magnificentiâ, & rerum copiâ, clarissima, Episcopalis sub Archiepiscopo Salisburgensi: *Viana* Plinio, *l. 3. c. 24.* teste Hermolaô. Ter incassum à Turcis obsessa, A. C. 1529. 1532. & 1543. Cum ponte ad

Danub.

Danub. ubi recipit amnem *Wien*. Sedes jam diu Imperatoris, 16. milliar. Germanic. à Lintio in Ortum Posonium versùs 10. aliàs *Vindobona*. Quibusdam Ala Flaviana. Hic Venceslaus Imperator postquàm è carcere Pragensi evasisset, cùm mores non corrigeret, sub custodia habitus est A. C. 1392. verùm & hinc liber, in Proceres sævijt, Daubravius, *l.* 23. Valdensium Episcopus Stephanus, ibidem exustus est, circa A. C. 1467. Camerar. *in Præf. ad Rationem Discipl. Fr.* Sacram quoque cœnam sub Utraque Specie hîc administrari curavit Ferdinandus I. Imperator. *Viennensis* lineæ auctor fuit Ferdinandus II. Imperator filius Caroli Archiducis, Styrii seu Græciensis rami conditoris, cùm frater ejus Leopoldus Ænipontanum ordiretur. Huic Ferdinando successit fil. Ferdinandus III. A. C. 1637. mortuus A. C. 1657. Pater Ferdinandi Francisci, qui Rex Bohemiæ A. C. 1646. Ungariæ A. C. 1647. Romanorum A. C. 1653. electus, ante Patrem obiit, & Leopoldi Imperatoris, qui hodie feliciter Imperii habenas tractat. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist.* Ausonius *in catalog. urbium, v.* 3.

Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.

VIENNA, Allobrogum, memorata Cæsari, *de bello Gall. l.* 7. *c.* 9. *Allobrogum Metropolis* Straboni, illustris Galliæ Narbonens. urbs Melæ, *l.* 2. *c.* 5. COL. VIENNA in *veter. inscr.* COL. VIENNA LEG. VII. CLAUDIANA PIA, in nummo Neronis: *Ornatissima & valentissima Colonia Viennensium* à Claudio Aug. *Pulchra & Vitifera* Martiali, *l.* 13. *Epigr.* 107. *Opulenta* Ausonio dicta, *loc. cit. Vienne en Dauphiné* vulgò. *Senatoriam* aliquando appellatam scribit Paradinus. Ex hac enim *Senatores* in Curiam à Claudio dicuntur lecti; forsitan, jam inde à Jul. Cæsare, à quo *civitate donatos quosdam è Semibarbaris Gallorum, receptosque in Curiam* tradit Suet. *c.* 76. Unde hîc Vitellius pro tribunali jura reddidit, & Valerius Asiaticus bis Consul, cujus apud Tacitum, *l.* 11. *Annal. c.* 1. mentio, Viennensis fuit. Horum posteri stante Occidentis Imperiô, quia Majores suos Senatores Romanos habuerunt, *Senatorum* nomine superbi, tanquam soli saperent, cæteros omnes vili pendere cœperunt: à Gundobaldo Burgundionum Rege, quòd Godegisilo fratri suo adhæsissent, magnâ ex parte sublati. *Bernus* Stephano dicitur. A Venerio Africano exule fundatam *Merula* vult, Sylvii Regis Romani, Lycurgi & Eliæ Prophetæ temporibus, *Ferrar.* Olim ex Galliæ præcipuis, ut ex parte è jam dictis colligere est. Hinc & Euseb. *Hist. Eccl. l.* 5. *c.* 1. *Galliæ Metropoles, inquit, insignes Lugdunum & Viennam.* Et ob dignitatem ac vetustatem, à Fabio Valente Vitellianarum partium Duce servata est, Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 66. Regis Archelai insuper relegatione, Juliani Cæsaris Consulatum ineuntis processu ac ludis, Valentiniani Junioris Augusti ab Arbogaste Comite extincti, Constantis Tyranni à Gerontio interfecti & Godegisili Burgundiæ Tetrarchæ à Gundobado fratre, de quo jam aliquid suprà, obsessi expugnatique nece nobilis, post sublatum in Gallia Imperium Roman. seculô 5. sedes fuit Regum Burgundiæ: quò regnô eversô à Clodovæo, sub Gallis fuit, usque ad Ludovicum Balbum, quô tempore à Bosone, affine Caroli Calvi Burgundiæ & Arelatense regnum rursum erectum est, Viennâ quoque comprehensâ: donec in Rodolpho ignavo desiit. Ab illo tempore Archiepiscopi jurisdictionem hîc omnem, ab Imperatoribus, Friderico I. inprimis acceptam, tenuerunt, donec Ludovicus XI. tractatu cum Archiepiscopo Johanne Pictaviensi initô, supremus à Viennensibus Dominus agnitus est. Hinc Dalfini *Daufins de Vienne*, nomen accepêre, de quibus vide in voce *Dalphinus*. Caput olim Provinc. Viennensis, in qua civitates 13. nonnullæ 14. numerant *Notit. veteres*. Habuit Amphitheatrum, Palatium, Sedem Imperatorum ac Regum, quod cœlesti igne conflagravit, templum Arianorum, regnantibus ibi Burgundionibus Arianis, ac totrim hominum 5000. capacem, Gregor. Turonens. *l.* 2. *c.* 32. Etiam Moneta hîc fuit, sub Merovei Caroli que posteris. De ejus situ Theodulfus:

Saxosa petimus constructam in valle Viennam,
Quam scopuli inde arctant, hinc premit amnis hians.

Crescente posteà Arelati dignitate ac splendore, cùm provincia *Viennensis* in duas divideretur, Viennensem & Arelatensem, priori ac Metropoli, Valentia, Darantasia, quæ postmodùm Metropolis evasit, Geneva & Gratianopolis solæ, posteriori reliquæ 10. quondam provinciæ Viennensis Civitates, à Leone primùm, dein Symmacho Papis sunt adscriptæ, & *Vienna*, quæ priùs Galliæ Narbonensis urbs, dein caput provinciæ cognominis atque 13. Civitatum erat, vix quatuor sub se urbes habere cœpit: quanquàm posteà 8. Civitatum nimirum Genevæ, Gratianopolis, Albæ seu Vivarii, Deæ, Valentiæ, Carpentoratis, Tricastinorum, & Mauriennæ, suffragatione gavisa est; de quibus duas urbes Tricastinorum & Carpentoratensium detractas esse recentiores Notitiæ testantur, Arelatoque additas. Quare meritò miratur Valesius, *Viennensem*, unum è sex Burgundiæ Archiepiscopis, Regnique ejus olim Cancellarium, sedem suam in nummis, *maximam sedem Galliarum* vocavisse olim, & se *Primatum Primatem* etiamnum appellare, cùm præter modò dicta, quoque nullum sub se Archiepiscopum habeat. Ex urbis hujus Præsulibus Fridericus, in præsentia Ottonis I. Ingelbemii Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopus ordinatus est, A. C. 968. Hugo à Friderico I. Imperatore privilegium Ecclesiæ suæ A. C. 1153. impetravit. Heraclius, ab eodem A. C. 1157. sacri Palatii Burgundiæ Exarchus & summus Consilii sui Princeps creatus, & à sequentibus Imperatoribus Viennensis Archiepiscopus Burgundiæ Regni Cancellarius habitus est. Fuit autem præfatus Imperator ab Archiepiscopo in Regem Burgundiæ, Arelati A. C. 1178. & in Imperatorem Mediolani A. C. 1186. coronatus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Urbs hodie se ipsâ longè angustior, bellis intestinis plurima passa, sedet ad radices collis, cum ponte ad Rhodanum, ubi Geram recipit, & duabus arcibus, *Pipet* & *la Bastie*, quæ nunc in ruinis, 13. leuc. à Gratianopoli. Patria fuit Qu. Curtii Rufi Rhetoris Romæ insignis, qui ob eloquentiam ac patriam suam à discipulis sæpe *Cicero Allobrox* dictus, inter 11. Rhetores claros, quorum vitæ à Suetonio scriptæ perierunt, auctor Vitæ Alexandri Magni, Achilli Statio videtur fuisse. Ibi celebratum Concil. Viennense A. C. 1311 & Arbogastes, de quo suprà, cùm Valentinianum Juniorem dolô strangulâsset, à Theodosio superatus, sibi mortem conscivit. *P. Diaconus.* Quia *Vitiferam* Martiali *Viennam* vocari suprà innuimus, adjiciam locum Plinii, *l.* 14. *c.* 1. & 4. *extr.* ubi ait: *Inventa vitis, per se picem resipiens in vino, Viennensem agrum nobilitavit, Arvernô Sequanôque & Helvicô generibus non pridem illustrata, Viennensesque soli picata sua pluris permutâsse, sed inter sese amore patria creduntur, idque vinum frigidius reliquis existimatur.* Martialis quoque in *l.* 13. qui *Xenia* inscribitur, *in picatum vinum de vitifera Vienna venerit*, distichon 107. composuit, quod vide apud Auctorem: & plura de Urbe hac apud Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Moterium, *Diction. Hist. &c.*

VIENNA, oppid. in sylva Arduenna, pagoque Lucilburgensi, olim Eifliæ regiunculæ attributa, caput Comitatus. Broüvero *Vienna Trevirica* dicitur, Gall. *Viande*, incolis *Viane*: mediô locô, inter Augustam Trevirorum ac Rupem in Arduenna *la Roche*. Item oppid. Flandriæ, dominii nomen ferens, prope Gerardi montem. Item, in diœcesi Trajectensi, apud Batavos, *Vianen* vulgò. Item castrum Campaniæ Gallicæ ad Axonam, vulgò *Vienne le Chasteau*, proximum Viennæ Villæ *Vienne la Ville*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VIENNENSIS Gallia, pars ampla Galliæ, quæ anteà Gallia Narbonensis dicta; sed ipsa major exstitit, cùm sub ipsa fuerint Gallia Narbonensis, & Subalpina. Sic dicta fuit sub Imper. Roman. & erat sub Præfecto Prætorio Galliarum. Ejus partes fuêre 5. Nempe *Viennensis prima*, quæ Narbonensis tertia, cujus caput Vienna. *Secunda*, quæ Narbonens. prima, in qua Narbo Metropolis. *Tertia*, quæ Narbonensis secunda, ubi Aquæ Sextiæ caput. *Quarta*, seu Alpium maritimarum in qua Ebrodunum Metropolis & *Quinta*, seu Alpium Grajarum, in qua Tarantasia caput. Hic sunt nunc Occitania, Provincia, Delphinatus, Sabaudia Pedemontium & Valesia. *Baudrand.* Valesius provinciæ *Viennensis*, primùm in Concil. Arelatensi, Volusianô & Annianô Consulib. A. C. 314. fieri mentionem animadvertit, cui primitus 13. vel 14. civitates fuêre, cùm hodie vix 4. vel quinque sub se habeat, vide suprà in *Vienna*. Idem miratur recentiores Geographos 5. vel etiam octo *Viennenses* provincias mundo obtrudere, cùm Veteres plus unâ provinciâ Viennensi nunquam agnoverint, provinciaque *Viennensis* pars fuerit Galliæ Narbonensis, ab eaque avulsa. Proin absurdum, inquit, abolitô nomine veteri provinciæ Narbonensis, pro provinc. Narbonensi 1. & 2. *Viennensem* 2. & 3. nobis obtrudere, & appellationem Narbonis, qui jam inde ab Augusto caput quartæ partis Galliarum extitit, supprimere, Viennam ei peius diuque subjectam præferendo. Idem sentit de Alpibus Grajis & Penninis, ut & de Maritimis sentit, quæ cùm Narbonensi Galliæ adjunctæ attributæque sint, iis *Viennensis* 4. & 5. vocabulum concedere non debuerint, *Notit. Gall.*

VIENNENSIS Tractus, LE VIENNOIS, pars Delphinatus, magis ad Occasum, extensa, inter Rhodanum & Isaram. Proin olim *Insula Allobrogum* dicta à quibusdam, quòd ibi Allobroges ex parte. Caput Vienna est, habuitque aliàs Principes proprios, *Delphinos Viennenses* dictos.

VIERE, Græcè πλέκειν, unde & funes, & corollæ & alia, quæcunque plexili opere fiunt, *vieri* dicuntur, hincque *vitilia* appellantur. Quæ qui facit *Victor* & *Vitor*, in *veter. Inscr.* Arnob. *l.* 2. *Quid bigarios, salinatores, bolonas, unguentarios, aurifices, aucupes, vannorum, scirpearum vitores*, h. e. πλόκους. Quemadmodum ἡ πλεκτρία vitrix dicitur Plinio, *l.* 35. *c.* 11. ubi de Glycera στεφανοπλόκῳ: *Amavit (Pausias pictor) in juventa Glyceram vitricem corollarum.* Quod & inter Veneris cognomina, à *ligando* vidcl. sic dictæ: *vio* enim à Græco ἰέω, Æol. βίω, quod est *ligo*, seu *plico*, Salmas. *ad Solin. p.* 246. Postmodùm *Vietores* solùm dici cœpêre, qui *vitilibus*, i. e. flexibilibus, quos vulgò *circulos* nominabant, vasa circumligarent, vinaria præcipuè. Ulp. *in fine* §. *l. si servus servum ff. ad l. Aquil. Item, ait, si Victori locaveris lacum vinô plenum curandum.* Cujusmodi servos Romani habuêre olim *Doliarios* seu *Doleares* dictos, quorum iconem cum Cellæ vinariæ typo, ex antiquo marmore, Augustæ Vindelicorum effosso A. C. 1601. exhibet Laur. Pignorius, *Comm. de Servis*. Vide quoque infrà, ubi de *Vitilibus*.

VIERVEDRUM, meliùs VIRVEDRUM, promontor. Scotiæ Boreal. aliàs in Cornariis, nunc in Stratnavernia. *Fare head* Sanson. *Briet.* 84. mill. pass. à Beruvio promontor. in Occasum.

VIERZONUM, oppid. Biturigum, *Merel.* E quibus orti, ut ipse ait, in Anglia Cantuarii & Vectuarii, hoc est, qui Vectim insul. & tractum è regione in continenti habitant *Ubii* nonnullis, teste *M. Nerylliô*. An iidem cum Gotthis, Gutis, Jutis? Vide ibi.

VIESTA, urbecula Capitanatæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Manfredoniensi, ad radices Gargani, in ora maris *Adriatici* 25. milliar. à Manfredonia in Cæciam, *Vieste* vulgò.

VIETA Franciscus, *Frontanæo* Picto, vir profundæ eruditionis, studiique tam indefessi, ut triduum nonnunquam jejunus & insomnis in Musæo suo exigeret, Mathematicorum ævi sui facilè princeps, problema ab Hadriano Romano omnibus Europæ Mathematicis propositum resolvit, Apollonii Pergæi περὶ ἐπαφῶν Geometriam resuscitavit, Emendationem Kalendarii à Christoph. Clavio factam erroris arguit, obiit A. C. 1603. Thuanus, *Histor.* Scripta ejus enumerat Ant. Teissier, *Elog. Part.* 1. Vide quoque Voss. *de Scient. Mathem. p.* 196. 235. 337.

VIGANDUS Johannes, Germanus, Mansfeldiæ, in radicibus Hercyniæ sylvæ natus. In patria primò docuit, dein Magdeburgi, Jenæ, Vismariæ Superintendens, tandem in Prussia Episcopus Pomezaniensis à Stephano Poloniæ Rege factus est. Ejus extant *Exercitationes in 3. pr. cap. Gen. Commentarii in Psalmos graduum, item in Psalm.* 84. 90. 91. 145. 147. *Annotationes in Esaiam: Explicatio brevis in Danielem: Explanatio in 12. Proph. min. Annotationes in ad Rom. Ephes. & Coloss. &c.* Vir fuit ingeniô, doctrinâque præstans, cujus vita sobria & honesta, aliis exemplo fuit, *Melch. Adam.*: Matthias Flacius

cio in concinnandis Eccles. Historiæ Centuriis operam navavit, magni inter Protestantes nominis. Thuan. *Histor. ad A. C.* 1587. quô obiit, Quenstedius *de Patriis Viror. illustr.* Ant. Teissier, qui scripta ejus enumerat *Elog. Part.* 2. Alii.

VIGELLIUS Saturninus, Africæ Præses, sub Severo, Christianorum acer hostis, à Deo vindice cæcitate percussus est. Vide Tertull. *in libr. ad Scapulam.*

VIGENNA, *Fortunat. Vienne*, fluv. Galliæ, per Pictavos in Ligerim inter Turones & Andegavos fluens, ad vicum Caudacens. irrigans Lemovicis, Conflando, Atvallis, Castro Heraldi & Chinone oppidis.

VIGERA, vulgò VOIRE, fluv. Galliæ, ad quem Puteolus monasterium, *Puiset sur Voire*, Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VIGERUS Marcus, vide *Marcus.*

VIGIL, an quia *vigil agilis*; an ex Græco ἀγρυπνὸς, ab ἀγρυπνεῖν, α. in ι. mutatô, Scalig. *ad Varron.* dictus est. Eorum olim Romæ familia publica fuit, quæ incendia restingueret. Seneca, *Ep.* 64. *Intervenerunt quidam amici, propter quos major fumus fieret: non hic, qui erumpere ex lautorum culinis & terrere Vigiles solet, sed hic modicus, qui hospites venisse significaret.* Et hi quidem Senecæ *Vigiles* ad Augustum pertinent, vide Sueton. *in eo, c.* 30. & Joh. Xiphilinum: qui rejectâ Triumvirûm nocturnorum, Ædilium & Tribunorum Pleb. curâ, per se maluit huic rei consuli, institutô Præfectô *Vigilum*, de quo infrà. Habuit verò familia ista, ut Jul. Paulus scribit, *l.* 1. *ff. de offic. Præf. Vig.* stationem suam *circa portas & muros*, unde si opus esset evocabatur. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis.* Neque frustra, ut enim notat Donatus *ad illa Terentii in Adelphis, Actu* 4. *sc.* 2. *v.* 44.

— *Priusquam ad portam venias, apud ipsum lacum:*

Varro docet, semper lacum portis additum: scil. ob usum jumentorum exeuntium & introeuntium: præterea, ut adversum hostilem ignem portis de proximo subveniretur. Vide Laur. Pignorium, *locô citatô.* In bellô (ubi *Vigilias* tesserasque Palamedes invenisse, bellô Trojanô, legitur apud Plin. *l.* 7. *c.* 56.) in eadem gente, *Vigiliarum*, quarum tessera à Præfecto legionis petebatur, dispositio hæc erat: Imperatorem ejusque tentorium, accubans custodiebat signum: Tribunorum tentoria & Equitum turmas deputati ex singulis. Itidem per singulos ordines omnes ex se ipsi custodias disponebant: cœteras Imperator; fiebantque ut plurimum tres excubiæ: apud Quæstorem una, binæ apud Legatos Consiliariosque: exteriorem castrorum aspectum Velites complebant, totum interdiu vallum circumsidentes. Portas singulæ ex iis decades accubantes servabant: eos qui erant *Vigiliis* deputati, ex singulis custodiis, qui primam vigiliam acturi erant, unus ex signis singulis Tergiductor vespere ducebat ad Tribunum: qui dabat singulis taleolas per singulas vigilias brevem admodùm habentes characterem: quô acceptô, illi ad destinata tendebant loca. Fides circuitionis Equitibus committebatur: quique præoptati erant per Tergiductores, ex prima ala quatuor, ubi sortiti essent vigilias, conferebant se ad Tribunum, accipiebantque in scriptis, quot vigilias circumire oporteret. Postea verò accubabant ii quatuor juxta primum signum Triariorum, cujus Princeps curam gerebat, ut competens vigiliis signum tubâ daretur. Cùm verò tempus accessit, primam visebat vigiliam, qui sortitus erat. Circuibat autem prædicta loca, non circa vallum, aditusque, sed omnia per signa turmasque & si inveniebat *Vigiles* primæ vigilantes, accipiebat ab iis taleolam: sin autem offendebat quempiam dormientem, aut locum deseruisse, attestatus proximos abibat. Idem fiebat ab iis, qui deinceps vigilias circumibant. Dandi verò signum buccina per singulas vigilias, quod circuitoribus conveniebat cum *Vigilibus*, Doctoribus ordinum primi signi Triariorum utriusque legionis quotidie cura incumbebat. Circuitorum singuli, sub ipsam lucem, referebant tesseras ad Tribunum, atque, si omnes essent redditæ, sine delicto abibant: sin pauciores attulissent, inquirebatur ex charactere, quænam custodia defecerit: quòd si in ipso circuitore esset culpa, fuste cædebatur. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 13. ex Polybio, *l.* 6. De buccina, quâ *Vigiliarum* tempus indicabatur, ita Propert. *l.* 4. *El.* 4. *v.* 63.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem.

Apud Athenienses, Excubitores nocturnis vigiliis nolam pulsabant, ad cujus pulsum ilico respondendum erat, ut Suidas refert in Κωδωνοφορῶν. Unde Aristophanes in *Avibus*, jubet Codonophorum circumcurrere, Κωδωνοφορῶν περίτρεχε, id est circumire urbem ac excubias seu *Vigiles*, ut, num hi officium strenuè obirent, deprehenderet. Quomodò verò id factum, ita ex conjectura docet Magius: *Codonophorus circumcurrens* (hodie *Ronda*) *tintinnabulô personabat; cui si non statim Vigiles occurrissent vel assurrexissent, eos minimè vigilâsse, sed tinnitu è somno fuisse excitatos, erat apertum.* Idem apud Iccium portum (Caletum quidam vocant) aliisque locis præsidiariis obtinet etiamnum: quemadmodùm si qua vis ingrueret, Campani æris tinnitu indicium dabatur olim hodieque per universam ferè Belgicam, ut alibi dictum. Germani verò nostrâ ætate, cùm *Vigiles* mutant, tympanum pulsare tibiâque canere solent. Vide Hieron. Magium, *de Tintinnabulis, c.* 10. *cum Notis* Fr. Sweertii. Cœterùm apud Hebræos vetustiores Græcosque (qui diem quoque in stationes tres, quaternis horis constantes, partiebantur, Farnabius *ad Thyestem Senecæ, v.* 798.) tergemini *Vigiles* noctu excubabant, quum Romani in quatuor *Vigilias* noctem haberent divisam. Ad quem proin priorem morem alludit Ausonius, *Griphô Ternarii, v.* 25. *Edyll.* 11.

——— *noctisque per umbram*
Tergemini vigiles ———

Et quidem primam Hebræi vocabant ראש אשמרות *initium vigiliarum*, Thren. *c.* 2. *v.* 19. secundam התיכונה *mediam*, Judic. *c.* 7. *v.* 19. tertiam אשמרת הבקר, *vigiliam matutinam.* Donec & ipsi, sed non nisi Romanis temporibus, 4. quoque earum constituerunt; huic quartæ mentio Matthæi *c.* 14. *v.* 25. & Marci *c.* 6. *v.* 48. Lucas tamen morem veterem secutus tertiam pro ultima videtur habere, *c.* 12. *v.* 38. Vide quoque suprà voce *Nox.* Pœnas *Vigilum* sui munere non ritè defunctorum quod attinet, semper illæ, bellô inprimis & rebus creperis, atroces fuêre. Nota vox Græci Decis, cum *Vigilias* ipse obiens vigilem dormientem gladio confodisset, *Εὗρον καθεύδοντα, κατέλιπον, dormientem inveni, dormientem reliqui.* Apud Romanos, qui tumultu Gallicô negligentior officii Vigil fuerat, de saxo præcipitatus est, teste Liviô, *l.* 5. *c.* 47. qui alias tesseram non reddidisset, aut dormivisset, aut locum vigiliæ deseruisset, virgis cædebatur, vide infrà *Virga.* Ne igitur somnus obreperet, solebant Excubitores *Vigilesque*, apud nonnullas gentes, cantu tempus fallere, cantilenisque quibus Regum suorum justitiam virtutesque prædicabant, noctem insomnem traducere, uti discimus ex Amm. Marcellino, *l.* 24. *Obstrepuerunt vigiles omnes, ex usu moris gentici, justitiam felicitatemque Regis sui canoris vocibus extollentes.* Vide etiam Zosimum, *l.* 3. ut alia omittam. Græcis recentioribus *Vigiliæ βίγλαι* sunt, ex *vigla* contractô; unde verbum *pervigilare*, apud Auctorem *Pervigilii Veneris*,

De tenente tota nox est pervigilanda canticis.

Et *Biglæ Drungarius*, apud Byzantinos, idem cum *Vigilum Præfectô*, apud veteres Romanos, vide suprà in ea voce, ut & voce Circa, item ubi de Veterum *Excubiis*, & *Nocte.* Addam saltem, quæ de servis Custodibus, Horreis Insulisque, in quibus plerumque fortunarum suarum pretiosissimam homines opulenti partem reponebant, adpositis, præter Paulum JCtum, *l.* 3. *ff. de off. Præf. Vig.* habet Juvenalis, *Sat.* 14. *v.* 304.

— *Misera est magni custodia census.*
Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, signisque suis &c.

Ubi Antiquus Interpres, *Per translationem*, inquit, *disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis & cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis,* &c. De *jure Excubiarum*, majoribus Justitiariis mediô ævô, competente, vide Car. du Fresne voce *Walta.*

VIGILANTES, vide suprà *Insomnes.*

VIGILANTIUS, Hispanus, Præsul doctissimus, A. C. 406. Damnavit cœlibatus necessitatem, reliquias martyrum adorandas non esse, nec ad eorum sepulchra in Ecclesiis vigilandum docuit. Cereos quoque frustra in templis clarâ luce accendi, monuit: Eleemosynas Hierosolymam mitti debere negavit, paulatim pauperibus distribuendas, non semel effundendas dicens: Monachorum denique in solitudinem fugam vituperavit. Cui quid respondeat Hieron. Vide illum *in tract. advers. Vigilantium.*

VIGILIÆ, urbs Apuliæ Peuc. littoralis, vulgò *Bisegli.* Episcopalis sub Archiepiscopo Tranensi, inde 5. mill. pass. in Ortum, Barium versùs 19.

VIGILIÆ, apud Gregorium Turon. *l.* 3. *Histor. c.* 17. *Cùm Dominici Natalis nox alma populis effulsisset, idem Pontifex, priusquam ad* Vigilias *descenderet, jussit* &c. nocturnæ preces sunt, quibus olim primò nocte illâ, quæ Paschatis festum antecedebat, inde in aliis quoque festis, & Martyrum natalitiis, Christiani vacabant. Et quidem cum ex necessitate primam habuissent originem, quippe publicô divini cultus exercitiô, Gentilismô regnante, sub gravi pœna vetitô; posteà, etiam libertate illius sub Christianis Imperatoribus impetratâ, mansêre tamen in septimana ante Pascha, præ cœteris, *Vigiliæ resurrectionis Domini*, in qua noctu congregati jejunabant. Unde Tertullianus, incommoda ex conjugio cum gentili oritura referens, inter alia, *Quis*, inquit, solemnibus Paschæ *abnoctantem uxorem securus sustinebit*, *l.* 2. *ad Uxor.* Posteà etiam in aliis Festis, ut dictum, & *in Martyrum cœmeteriis vigilari cœptum*, uti discimus ex *Historia* Tripart. *l.* 5. *c.* 32. Vide quoque Theodoretum, aliosque *Rei. Eccl.* Scriptores. Nempe, quod Gentiles noctu certis solennitatibus, in Isidis, Æsculapii, Cereris, aliorumque Idolorum templis, congregarentur; prudentia humana judicabat è re esse, ut id in veræ Religionis usum, sicut plurima alia, verteretur. Verùm sicuti in his Gentilium Vigiliis in scelerum occasionem consuetudo vertit, indigitatam Plauto, *Aulul. Prolog. v.* 36. de Lyconide,

——— *Senex*
Is, adolescentis illius est avunculus,
Qui eam stupravit noctu, Cereris vigiliis.

Unde Cicero, *de LL. l.* 2. *Quid autem mihi displiceat in nocturnis, Poëtæ indicant Comici.* Ita, processu temporis, apud Christianos, idem evenit, sicque aucta contagio est, *ut domus Dei — sicut veritas dicebat Judæis, fieret spelunca latronum, i. e. stupratorum*, Polyd. Virgilius, *de Inv. Rer. l.* 6. *c.* 4. Placuit proin Patribus Illiberi in Hispania convocatis, *prohibere, ne fœminæ in Cœmeterio pervigilent, eò quod sæpe, sub obtentu orationis, scelera latenter committantur.* Quorum vestigiis insistens Vigilantius ea *pervigilia* acriter reprehendit, obnitente Hieronymô, qui ob abusum ea non abolenda esse censebat; tandem necessitas pervicit: *& quia lusores ac cantores conveniebant, & turpibus canticis & saltationibus & comessationibus, potationibus ac fornicationibus intendere cœperunt — hujusmodi vigiliæ sunt interdictæ*, Durandus Mimat. *Rationol. l.* 6. *c.* 7. *num.* 8. Vide quoque Concilium Autissiodor. *can.* 5. Fr. Gualterum Episc. Pictav. A. C. 1280. idem prohibentem, apud Bochellum. *l.* 4. *tit.* 12. *c.* 17. Augustinum inprimis, *Sermone* 15. *ad Fratres in Eremo.* Quô factô, pridie diei cujusque festi jejunari cœpit, retentô *Vigiliarum* vocabulô, sicque

—— morem nova sustulit ætas.
Nam quia nox sceleri solet esse occasio, & illud
Observant, qui furta volunt committere, tempus,
Jejunare diem visum est sapientius illam,
Quæ præit. ——

ut inquit Mantuanus, *l.* 1. *Fastor.* Verùm hic iterum, uti Gentilium jejunia, quæ in Cereris, Jovis aliorumque Deastrorum, honorem colebant, in commessationes eò largiores desierunt; ita apud Christianos, jejunia dicta sequi cœpêre choreæ, convivia, lusus: quorum Bernhardus primus meminit. Ephræm verò, *Tom.* 1. *tract. de Char. p.* 20. *Dominus non dixit, adducite mihi opes aut vitulos aut hædos aut jejunium aut vigiliam, —— sed quod leve est ac facile ac compendiosum, hoc præcepit, dicens: Et tu ignosce fratri tuo &c.* Sed &, post *Vigilias nocturnas* abolitas, indictos fuisse certis locis & temporibus solennes cœtus, in quibus de die conveniant, ex vicinis oppidis & pagis, ibique variis lusibus sese exerceant in Cœmeteriis, juxta quas cauponæ erigi solitæ, atque hujusmodi solennitates Pictones vocare *pervoti*, quasi *pervigilia*, refert Andr. Rivetus, *Summæ Controv. Tract.* 2. *Quæst.* 15. Vide quoque suprà, ubi de *Nocturnis Cœtibus*, item voce *Paramonarius*, & plura hanc in rem, apud Macros Fratres, *Hierolex.* & Car. du Fresne *Glossar.* quorum hic officium pro defunctis in Eccles. Roman. cani solitum *Vigilias* quoque appellari: & de Tyronum, qui militarem ordinem consecuti, pridie in Ecclesiam secedentes, in ea pernoctabant ac orationibus vacabant, *vigiliis*: nec non de ritu medii ævi, *Vigilias cum clava notificandi*, indigitato in *Charta* Chrodegangi Episcopi Metensis A. C. 765. nonnulla addit.

VIGILIARII, item *Vigilgalli*, in *Reg.* Magistri, *c.* 31. dicuntur in Monasteriis, qui ad Matutinos excitant reliquos Monachos, apud eundem.

Pontifices & Viri Illustres.

VIGILIUS, Romanus, ope Theodoræ Augustæ, cui pollicitus erat, se Eutychianum fore, Sylverium Papam sustulit, seque intrusit in sedem Romanam, in qua cùm crudeliter se gereret, captivus Constantinopolim abductus, injectôque in collum fune, penè ad mortem cæsus & per urbem raptatus est, surrogatô ei Pelagiô. Obiit A. C. 555. Vide Evagr. *l.* 4. *c.* 18. Niceph. *l.* 17. Liberat. *in Brev.* Ciacconium, Morn. *Myster. Iniq. p.* 207. *& seqq.*

VIGILIUS, Episcopus Tridentinus, secul. 4. Scripsit *ad Simplicianum Mediolan. de martyrio Sisinnii, Martyrii & Alexandri, prope Tridentum à Gentilibus occisorum.* Imo ipsemet eò pergens, Saturni idolum ibi evertit, lapidibus propterea obrutus. Sub Consulatu Stiliconis, A. C. 400. seu 405. Gennad. *in Cat. c.* 37. Voss. *l.* 2. *de Hist. Lat. c.* 10. Gesn. &c. Item alius, sub Zenone & Anastasio Imperatorib. Scripsit *contra Eutychem, libros* 5. *egregios*: in quorum quinto meminit quoque tractatus sui *de Conciliorum decretis, & novitate vocum, à Patribus, contra hæreses, introductarum.* An idem cum Episcopo Afro, qui seculó 6. sub Athanasii nomine, scripsit *libros* 12. *de Trinitate, contra Arianos: & disputationem ejusdem contra Sabellium, Photinum & Arium!* Auctor quoque *Symboli Athanasii* creditus.

VIGILIUS, Diaconus, scripsit *regulam Monachorum contractam*, Gennad. *in Catal. Vir. Illustr. c.* 51. *&c.*

VIGILIUS Zuichemus, JCtus celebris in Belgio, Carolo V. à consiliis. Alciati auditor. Obiit A. C. 1577. variis in Jure scriptis editis. Valer. Andreas, *Biblioth. Belg.*

VIGILUM Præfectus, ab Augusto institutus est, testibus Suetonió, *c.* 30. Dione, *l.* 55. aliis. Cùm enim septem cohortes opportunis constituisset locis, ut binas regiones Urbis unaquæque tueretur, præposuit eis Tribunos & super omnes Spectabilem Virum, qui *Præfectus Vigilum* appellaretur. Is cognoscebat de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus: nisi si quà tam atrox tamque famosus quis esset, ut Præfecto Urbi remitteretur. Et quia plerunque incendia culpâ inhabitantium fiunt, aut fustibus castigabat eos, qui negligentius ignem habuissent, aut severâ interlocutione comminatus, fustium castigationem remittebat. Eidem incumbebat vigilare per totam noctem; coërrabat autem calceatus, cum hamis & dolabris, & curabat omnes inquilinos admonendos, ne incuriâ aliquâ incendium oriretur: Præterea, ut aquam unusquisque in cœnaculo haberet, Paulus JCtus, *ff. tit. de officio Præf. Vigilum.* Quæ confirmans Dio, *l. cit. Cùm*, inquit, *eô tempore multa in Urbe essent vastata, Libertinos septem locis ad ea curanda instituit, Equitem eis præfecit, quos etsi haud diu id officium gerere pati statuerat: tamen reipsâ expertus, utilissimum ac maximè necessarium esse eorum munus, perdurare jussit: suntque nostrâ ætate, etiam nocturni hi custodes, non ex Libertinis tantùm, sed ex aliis quoque militibus, muroque in Urbe tenent, & mercedem publicè accipiunt.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 34. & suprà *Vigil.*

VIGINTI Quatuor, apud Talmudicos Scriptores, Biblia dicta, vide suprà ubi de *Synagoga M.*

VIGINTITRIUMVIRALE Synedrium, unum ex tribus erat Hebræorum Synedriis, ut Septuagintaunius virali seu Magnó inferius, sic Triumvirali celebrius. Constituebantur ea in singulis Urbibus, quibus incolæ (Patresfamilias nempe) centum viginti: quem numerum colligit Gemara Babylonia *ad tit. Sanhedr. c.* 1. *fol.* 17. 2. *Qualisnam heic ejusmodi numeri usus? Viginti tres, qui faciant Synedrium minus & tres Ordines vigintitriumvirales, sic fiunt* 92. *Et decem, qui domui Synagogæ vacent, sic fiunt* 102. *&* 2. *Scribæ, &* 2. *Inspectores seu Lictores, &* 2. *Litigatores, &* 2. *Testes, &* 2. *ut Testes falsarii, &* 2, *qui eos convincere possint. Ecce centum & quatuordecim. Receptum etiam est, Urbem quamcunque, cui deessent hæ decem res, Habitationem habere illicitum fuisse Discipulo Sapientis, Synedrium Judicum, Lictores & pœnarum ministri, Arca eleemosynæ, à duobus collecta & à tribus eroganda & Domus Synagogæ* (Proseucha publica) *Domus ad lavandum, Latrina, Medicus, Chirurgus, Libellarius, Lanio, Pædagogus.* Quem locum eruditè explicat Joh. Seldenus, *de Synedriis Veter. Hebr. l.* 2. *c.* 5. §. 4. è quo etiam id colligitur, licèt 120. incolæ essent, non tamen Synedrio *Vigintitriumvirali* fuisse locum in Urbe, cui 10. illæ res deessent. Imò Maimonides *in ad tit. Sanhedrin, c.* 1. §. 5. *In urbe, cui deessent Bini Sapientes illustriores, quorum alter potis esset docere & sententiam pronuntiare in Lege universa, alter satis sciens esset ad audiendum interrogandumque, non fuisse collocata Synedria Vigintitriumviralia, tametsi in ea essent mille Israëlitæ*, scribit. Idem, numeri præfati, juxta Veter. doctrinam Talmudicam, hanc affert rationem *Ibid. Undenam factum est; quæritur, ut non constitueretur Synedrium* (Vigintitriumvirale) *nisi in Urbe, cui essent incolæ* 120? *Ideò, quòd Synedrium debet esse vigintitrium, quibus accedere debebant tres ordines, quorum numerus* 69. *& decem qui Sacræ Synagogæ vacarent, & duo Scribæ & duo Lictores, & duo Litigatores & duo Testes, & duo qui possent esse Falsarii & duo, qui hosce possent convincere & duo Eleemosynæ collectores, præter unum insuper, qui cum eis eam erogaret & Medicus & Chirurgus & Libellarius & Pædagogus.* Ubi tertius ille in re Eleemosynaria pro aliquo ex reliquis, qui binis Collectoribus assumtus officium illud juxta morem erogandi præstare posset, sumendus videtur, quò sic numerus 120. exactè prodeat. Ut autem in Synedrio Magno, ad exemplum illius, quod sub Mose primò habitum, Princeps erat seu Præses; quem נשיא *Nasi* vocitabant, ita etiam in *Vigintitriumvirali* semper erat, qui simili frueretur dignitate; ראש *Rosch*, quoque seu *Caput* dictus: à quo proxima dignitas erat אב בית דין *Patris Synedrii* seu Principis secundi. Similiter, in considendi ritu, *Vigintitriumvirale* Magnum æmulabatur: sic, ut semicirculum efficiendo, Princeps & Pater, in medio sederent, reliqui à dextris & sinistris juxta dignitates suas; Scribæ verò bini ad utrumque semicirculi cornu adstarent. Porrò, coram Synedris tres ordines Discipulorum Sapientum, singuli ex viginti tribus viris constantes, collocabantur: quorum usus erat non modò in eo, ut inde sic, in Judicii capitalis dissensu, adsciscerentur Vigintitriumviralium Synedris ex iis, si res postularet, plures etiam usque ad numerum 71. verùm etiam, ut Synedrorum demortuorum loca inde supplerentur. Ex utrisque autem, tum Ordinibus illis, tum Synedris, cooptabantur ac surrogabantur Collegæ Synedrii M. hôc modô: E Synedrio Vigintitriumvirali ad atrium Templi posito, velut è promtuario, unde M. Synedrium ritu ordinariô supplendum esset, successores evocabantur. E minoribus verò per urbes & Provincias Synedriis, viri egregii in Synedrium illud alterum Hierosolymis, ad montem Templi collocatum, evocabantur, demortuis scil. aut semotis Collegis: illinc, ut successores, in Synedrium, quod ad atrium Templi, evehendi. Quô factum, ut spectatissimi quique multóque rerum Forensium usu eminentissimi in Synedrium Magnum adsciscerentur, &c. Judicia synedriorum *Vigintitriumviralium*, tum pecuniaria fuêre & Civilia, tum capitalia & Criminalia omnigena, nisi quæ inter casus Synedrio M. reservatos reperta. Eodem judicia pertinebant, quibus bestiis, velut etiam delinquentibus, mors ex Lege inferenda erat. Levit. *c.* 20. *v.* 15. & 16. Item Exodi *c.* 21. *v.* 29. sic tamen, ut inde ad Synedrium Magnum provocatio daretur. Neque verò Synedrio solùm Magno, sed & *Vigintitriumvirali*, imò & Triumvirali, ita suberat, cum aliis, Pontifex Maximus, ut in jus, pro imperii in eis ac jurisdictionis discrimine, vocari posset judicarique: Imò nec ipse Rex immunis, cujus *judicia civilia peragenda fuisse apud Vigintitriumviros*, legimus in Gemara Hierosolym. quin & flagris ibi Regem obnoxium, tradunt Doctores: quemadmodùm & Pontificem M. cui tamen, ob singularem erga eum reverentiam & ne in jus vocatus functioni sacræ nimium fortè deesset, per Procuratorem, Hierosolymitanè אנטלר *Enteler* seu *Entoler* dictum, res suas agere permissum erat. Eorum tandem, qui in Synedrium, uti Magnum, ita & *Vigintitriumvirale*, cooptandi erant, Natales quod attinet, debuêre esse sanguine purô, sive Sacerdotes, sive Levitæ, sive è reliquis, qui generali nomine *Israëlitarum* venire solebant, exclusis Proselytis etiam Justitiæ, nedum Domicilii, Mamzeribus, profanis, Libertinis, Servis ac universis horum alicujus sanguine inquinatis; qua de re, ut & plura de Synedriis Hebræorum, vide apud præfatum Seldenum, opere cit. *l.* 2. *passim, inprimis c.* 5. §. 2, 3, 4. *c.* 6. §. 1, 2. *c.* 8. §. 1, 2, 3. *c.* 9. §. 1. &c.

VIGINTIVIRI agris dandis, apud Romanos, qui fuerint, docet Rosinus, *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 47. cùm ait: *Cùm aut Lege aliquâ à Plebe scitum, aut Senatusconsultô decretum esset, Coloniam aliquam deduci, & numerus colonorum esset scriptus, creabantur Comitiis Tributis, modò per Consulem, modò per Prætorem Urbanum, Curatores, qui coloniam deducerent, interdum tres, interdum quinque, septem, decem, viginti etiam, qui inde Triumviri, vel Quinqueviri, vel Septemviri, vel Decemviri, vel* Vigintiviri *coloniæ deducendæ, aut agris dandis, attribuendisve appellabantur. Hi, postquam creati erant, Colonos, qui vel suâ sponte nomina dederant, vel sorte exierant, in agros lege definitos atque in Coloniam sub vexillo, quasi exercitum aliquem deducebant: cujus deductionis Dux aliquis è Curatoribus Agrariis erat*, &c. Alii ab his *Vigintiviri* sunt, memorati Spartiano *in Didio Juliano, c.* 1. *Inter* Vigintiviros *electus est, suffragiô matris Marci.* Nempe liberâ Republ. vetus fuit consuetudo, ut populus quotannis XXVI. viros crearet, quorum munia sic posteà distribuebantur. Fiebant ex illis Triumviri capitales, Triumviri monetales, Curatores Viarum in Urbe, Decemviri litibus judicandis, qui hastam centumviralem cogebant, Duumviri Curatores viarum extra urbem, & Quatuorviri in præfecturas Campaniæ mittebantur. Sed hic numerus ab Augusto fuit imminutus, sublatis Viocuris, qui extra urbem curabant, & Quatuorviris, qui in Campaniam mittebantur: quô pactô pro XXVI. Viris mansêre XX. Viri solùm, quos quidem, non instituit hic Imperator, sed eorum tantùm creationem mutavit, ju-

jubens ut ex Equestri ordine eligerentur, qui videntur anteà soliti è Senatorum liberis creari. Vide Dionem, *l.* 54. ubi de illis fusè, Festum, voce *Præfecturæ*, & Jac. Cujacium, *Observat. l.* 11. Erat autem *Vigintiviratus*, velut janua, ad honores aditum pandens, ad quos perdiu Principum quoque liberi adibant hâc viâ. Sed dispensatum nonnunquam à Senatu, uti ex Tacito discimus, qui Tiberium commendantem Neronem, è liberis Germanici, jam ingressum juventam, petiisse, ut munere capessendi *Viginti-Viratus* solveretur, scribit *l.* 3. *Annal. c.* 29. Vide Casaubon. *Not. ad Spartian. d. l. & ad Sueton. Aug. c.* 37.

VIGISONUS, lacus est in agro Patavino.

VIGLEBANUM, urbs Insubriæ recens, Episcopalis sub Archiepiscopo Mediolanensi, inde 20. mill. pass. Casale versùs toudem, quot à Ticino. Vide *Vergeminum.*

VIGNATIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

VIGNERIUS Nicolaus, Barrô ad Sequanam oriundus, nobili genere natus, A. C. 1530. ob religionem patriâ extorris, in Aulis Germaniæ Principum Medicinam cum gloria exercuit. In Galliam reversus, Medicus Regius & Historiographus Franciæ factus est. Chronologicum opus magni nominis scripsit, aliaque Teisserio enumerata, *Elog. Part.* 2. Obiit A.C. 1596. Pater filii cognominis, qui scripsit *de Venetorum excommunicatione adversus Baronium.* Collectetus, *vita Vignerii* Gautier, *Chronol.* Sammarth. Sorellus, *Biblioth.* &c. Vide & *Nicolaus.*

VIGOR Simon, vide *Simon.*

VIGORNIA, vulgò WORCHESTERSHIRE, provinc. Angl. ubi aliàs Dobuni populi inter Comitatus Varvicensem ad Ortum, Staffordiensem & Salopiam ad Boream, Herefordiam ad Occasum & Glocestriensem ad Meridiem, versùs Sabrinam fluv. Caput *Vigornia*, vulgò *Worcester.* E collegio *Vigorniensi*, Presbyteri uxorati à Rege Eadgaro, annitente inprimis Dunstanô Archiepiscopô Cantuariensi, pulsi sunt, A. C. 960. Vide Polydor. *l.* 6. *p.* 297.

VIGORNIA, vulgò WORCESTER, urbs Angliæ inter Warvicum ad Ortum, & Herefordiam ad Occasum, 30. ferè mill. pass. ad Sabrinam fluv. Caput provinciæ cognominis.

VIHITZA, vulgò VIHITZ, urbs Croatiæ. Aliter *Bigihon*, juxta lacum parvum, quem efficit Uvana fluv. Aliàs *Ausancala* dicta quibusdam. Permunita est, sub Turcis, 45. mill. pass. à Senia in Ortum, quot à Jadera in Boream.

VIKEZLANDIA, tractus Estoniæ, inter Revaliam & Pirnaviam, in ora maris Baltici sub Suecis. Ibi Hapselia & Lehalium. Vulgò *Vikesland.*

VILBURGUM, oppid. Veteraviæ, ad Lanum fluv. caput Comitatus cognominis 3. milliar. Germanic. à Vezlaria in Occasum, Nassoviam versùs 6. & 7. à Magontia in Boream. Vulgò *Weilburg.*

VILDHUSIA, oppid. Westphaliæ, inter ditiones Oldenburgensem & Monasteriensem. Sed pendet ex Ducatu Bremensi. Ad Hontam fluv. 18. mill. pass. ab Oldenburgo in Eurum, 9. à Delmenstorstia in Merid. Vulgò *Wildeshusen.*

VILIA, fluv. Lithuaniæ, oritur in Palatinatu Braslaviensi, ubi auctus Narociô aliisque fluv. minoribus, Vilnam rigat, tandemque infra Counnam Chronio miscetur. Vulgò *Wilia.*

VILIA seu VILLIA Lex annalis, de ætate Magistratuum. Tulit eam *L. Villius* annalis Tribunus Pleb. L. Manliô Acidinô Fulvianô, Q. Fulviô Flaccô fratribus Germanis Consulib. An. Urb. Cond. 574. *quot annos nati quemque Magistratum peterent caperentque*, Liv. *l.* 40. *c.* 44. ubi tamen corruptè legitur, ab L. Julio Trib. Pleb latam, uti adnotat Sigonius. Meminit Legis ejus & Cœlius ad Ciceronem, *l.* 8. *Fam. Ep.* 8. & Valerius Max. *l.* 8. *c.* 11. *ex.* 6. ubi eôdem modô pro L. *Villio* aut L. Julius, aut Tullius, hactenus lectum est, quod Viri docti emendârunt. Quæ autem ætas cuique Magistratui capiendo definita hâc Lege sit, a Livio non exprimitur. Paulus Manutius & alii id quæsiverunt & liberaliter aliis communicaverunt, quod sic habet: Quæstura primus Magistratus Urbanus fuit, quem non licuisse capere ante annum ætatis 27. videtur colligi posse, ex Polybio, *l.* 6. ubi scribit, Legem fuisse, *Ne quis Urbanum Magistratum gereret, nisi decem stipendia confecisset*: annus autem legitimus ad militandum, fuit decimus septimus, Cicer. *Philipp.* 5. Tribunatui Pleb. definiunt annum ætatis 30. Ædilitati 37. Præturæ 40. Consulatui 43. &c. Vide præfatum Manutium, *Antiqq.* & Rosin. *l.* 8. *part.* 2. *c.* 5.

VILICA, pagus apud Dusseldorpium & Nuesium, ad Rhenum 5. leuc. à Colonia Agrippina in Boream. Vulgò *Bellich.*

VILIS, cognomen Amundi Gothorum & Sueonum Regis, quòd Amundo Annoso patri, ex concubina, natus esset. Hoc enim adeô in illis gentibus probrosum fuit, ut ex illegitima commixtione nati vix inter honestos comparare auderent, etiamsi Regum essent filii, uti pluribus videre est, apud Joannem Magnum, *l.* 18. *c.* 6. Cæterùm *Vilissimi* hominum Copreæ, in aulis Principum Roman. jam inde à temporibus Triumvirorum, dicti sunt: quæ vox Græcæ originis. Mos enim Græcorum, in omni *vilitate* explicanda, similibus vocibus aut loquendi generibus uti. Ut in illo improbo Heracliti, apud Strabonem, Plut. & Cedrenum, Νέκυες κοπρίων ἐκβλητότεροι. Unde Abdias, *Histor. Apostol. l.* 6. *Audi Domine Rex: ista stercora abjicienda sunt, & ex tuo Regno emundanda*: Τὰ κόπρια ταῦτα ἐκβλητέα. Sic *copreas* eleganter Hebraicè dixeris גלולים *gilulim*, quâ ejusdem originis voce Hebræi Deos falsos significant: & notum, quô pactô omnium rerum, extra Christum, vilipendium Paulus expresserit, in Epistolis. Vide Casaubon. *ad Tiberium Suetonii, c.* 61. de *Vilitate* verò *Antonii* suprà locô non unô.

VILKOMERIA, vulgò WILKOMIRTZ incolis, WILKMER German. urbs Lithuaniæ ad amnem Suvietam, 8. leuc. à Vilna in Boream, uti 7. à Torca.

VILLA, an à *vehendo*, quasi *Vehilla*, quòd in eam à Villico fructus convehantur & evehantur, cùm veneunt: an à *valle*, i. e. aggere terræ, qui pro limite constitui solet: an à *Via*? plerunque *ædificium fundi*, significat, *l.* 81. §. 3. *ff. de Leg.* 1. interdum accessio erat fundi, *l.* 8. & 10. *ff. quib. mod. usufr. amit.* Joh. Laurentius JCtus, *ad Phædrum, l.* 4. *fab.* 5. *v.* 23.

> *Lanificæ agellos, pecora,* Villam, *operariôs.*

Pignorio aut *urbana* erat, aut *rustica*, aut *fructuaria*: Rursusque urbana, aut *hyberna* aut *æstiva*, in quarum illa Paterfamilias per hyemem erat, in ista per æstatem. Cujus membra erant, cubicula, cœnationes, balnearia, ambulationes & reliqua, ut in habitatione legitimè urbana; instruebaturque ministeriis eò translatis, quousque Dominus ibi permansisset: Atriensibus e. g. Balneatoribus, Fornacariis, Diætariis, Ostiariis, Fullonibus, Mediastinis, Scopariis, Supellecticariis, Tonsoribus & reliquis aliis ad Domini usum ac delicias. Atriensi autem rustico injungit Columella, *l.* 12. *c.* 3. ut supellectilem exponat, ut curet ferramenta nitidari & liberari rubigine, quod non modò ruri, sed etiam in urbe aliquando placuit, cùm Cicero, *Paradox.* 5. Atriensi comparet illum, qui Matellionem Corinthium cupide tractabat. Et quidem id apud parcos utique & attentos Patresfamilias obtinuisse videtur, qui nollent supervacaneum supellecticarium domi habere. *Villæ* verò rusticæ primas idem Columella assignat culinæ, quam in chorte constituit Vitruvius: Pignorius, in recensione familiæ rusticæ, de Pistrino primùm agit. Dein loquitur de mulieribus, quæ pulmentaria rusticis coquebant, & iis, qui cibum familiæ conficiebant. Sequuntur apud Eundem Focariæ, Focarii seu Cellarii ac Promi; Valetudinarius, Operarii, Agricolæ, Mediastini, Sarritores, Occatores, Runcatores, Messores & alii hujusmodi, quos *operas* vocat Horatius, *l.* 2. *Sat.* 7. *extr.* Coloni porrò, Adscriptitii glebales, Lanificæ & Lanæ, Textores aliique, vide eum *Comm. de Servis.* Quibus omnibus præerat *Villicus*, cui juxta januam præcipiunt rei Rusticæ Scriptores habitationem fieri; quod *huic familiæ tutelam*, inquit Appulejus, *Metam. l.* 8. *dominus permitteret, isque rationes & pecuniam dominicam custodiret.* Latinis Græcissantibus *Epitropus* est, Auson. *Ep.* 8. Varroni *Agriculturæ princeps, de Re R. l.* 1. *c.* 2. qui, quia in domini locum successit, ut notat Columella, *l.* 12. *in princ. Vicedominus* subinde dictus reperitur. Atque hic quandoque distrahendis mercibus præponebatur, *leg.* 16. *de institor. act.* ut Ausonianus ille Philon. Ejusdem munera latè persequitur Cato, *tit.* 3. & 142. Varro, *de Re R. l.* 1. *c.* 36. Columella, *l.* 11. *princ. l.* 1. *c.* 8. Florentinus apud Constantin. *l.* 2. *c.* 42. & 43. & hoc ministerii nomen eleganter transtulit Cicero ad Magistratus, *Orat. pro Plancio*, inquiens: *Sic Pop. Rom. diligit Magistratus, quasi Reipublicæ Villicos.* Quem imitatus est Juvenalis, *Sat.* 4. *v.* 77.

> *Pegasus, attonitæ positus modò* Villicus *urbi.*

Et *Sat.* 3. *v.* 194.

> ——— *Nam sic labentibus obstat*
> Villicus, *& veteris Romæ contexit hiatum.*

Accepit autem Arnobius, *adv. Gentes l.* 3. propriè & signanter; *Cacus & ipse assequens, Fortunam arbitratus est Cererem, Genium Jovialem ac Palem, sed non illam fœminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis, ministrum Jovis ac Villicum.* Ejus contubernalis *Villica* fuit, cujus ministerium exequuntur Auctores laudati. Et sanè, cùm matronæ olim ruris & instrumentorum agrestium curam haberent sedulam, non erat *Villicæ* magna admodum opera, quòd ipsi domini sua quotidie inviserent. At cùm luxus & inertia pessum laudatos mores dedissent, necessaria *Villica* visa est, quæ Matronæ officia tueretur. Curabat autem illa pecora & salgama, præsertim ubi non aderant horum peculiares ministri. Unde Juvenalis, cùm Villicam nominâsset, *Sat.* 11. *v.* 68. ajens,

> ——— ——— *Et montani*
> *Asparagi: positô quos legit* Villica *fusô:*

Statim subjungit,

> *Grandia præterea, tortôque calentia fœnô*
> *Ova adsunt, ipsis cum Matribus, & servatæ*
> *Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ:*
> *Signinum, Syriumque pyrum, de corbibus iisdem,*
> *Æmula Picenis, & odoris mala recentis,*
> *Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquàm*
> *Autumnum & crudi posuêre pericula succi.*

Eidem unicæ curam vestis conditæ præscribit Columella, *l.* 12. *c.* 3. insuperque ut præparatas & pectitas habeat lanas, ex quibus sibi, actoribus & aliis in honore, servilis vestis domi conficiatur: Monet præterea, ut ad telam accedat, ac, si quid meliùs sciat, doceat. Imò & non semel ipsa occupabat Coqui partes, apud tenuiores, ut videre est apud Martialem, *l.* 12. *Epigr.* 18. & Muretum, *Ode ad Petrum Gerard.* Redeo ad *Villicum*, quem inter laudatores servos connumerat Plautus, *Casinâ, Act.* 2. *Sc. ult.* Ab eo non multum absuit Monitor, qui operariis verbô & exemplô præibat, Colum. *l.* 1. *c. ult.* Item Dispensator ac Procurator, cujus cellam supra januam constituit Columella, ut *Villicum* observet ex vicino, & intrantium exeuntiumque conspectum habeat: quam ministerii conjunctionem agnovit & Cicero, *l.* 14. *ad Attic. Ep.* 16. *Cùm Filiæ nostræ villam ad Lucrinum, Villicosque & Procuratores tradidissem.* In familia quoque Cæsarum *Villicos* seu Procuratores Hortorum, tam urbanorum, quàm suburbanorum, pro dignitate, seu potiùs superbia, divinæ domus, fuisse, discimus ex Inscr. veter. *D. M. Felici. Cæs. Ser. Villico Hortorum. Maianorum* &c. Item, *Genio. Coel. Herodian. Prægustator. divi. Augusti. idem. postea. Villicus. in. hortis. Sallustianis.* Et de his demum illud Senecæ Controv. *l.* 5. dici potuit, *Latinsque nunc* Villici, *quàm Reges imperant.* Cujus ordinis etiam *Subvillicus* fuit, de quo suprà. Nec planè intacta transeat *Villa* fructuaria, in qua sæpius laudatus Columella cellas locat, oleariam, torculariam, vinariam, defru-

defrutariam & ceteras: Cujus proin stationis erant, Olivitor, Capulator, Leguli, Strictores, Factores, Custos, Prælatores, Dopulator, Leguli, Strictores, Factores, Custos, Prælatores, Doliarii, Vinitores, Vindemiatores, Frondatores, Putatores, Salictarii, Fœnisecæ &c. Appendices tandem *Villæ*, hortus, fornax, furnus, piscinæ, sterquilinia, cohortes, aviaria, leporaria. Sed de his omnibus fusè atque eruditè agentem vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, cui adde, si visum est, Tit. Popmam, *de Operis Serv.* Addam saltem, quod Varro notat in sui temporis hominibus, illos *Villis* suis delicata nomina usque inde è Græcia petita imponere fuisse solitos. Notæ *Syracusæ* & *Technophyon* Augusti Imperatoris *Pausilipum*, *Academia* &c. aliorum, vide Casaubonum *ad Sueton. Aug. c.* 72. ut & suprà aliquid voce *Prætorium*. A' *Villa*, sed recentiori notione sumtâ, *Villani*, mediô ævô dicti sunt, qui aliàs *Rustici*, & *Pagenses*: propriè, qui *villæ* seu glebæ ascripti vilis ac servilis habebantur conditionis, &, ut servi, in commercio erant ac cum villis prædiisque vænibant, à servis tamen diversi, uti docet Car. du Fresne, *Glossar.* ubi *Villani* uxorem, non *Villanam*, sed *Nativam*, appellari consuevisse, docet ex Littletone, pluraque hanc in rem, ut & de crudeli *Villanorum Collaterrorum* & *de Parada* servitute apud Hispanos, qui *etiam inter filios dominorum suorum ducebantur gladiô dividendi*, ex Vitali Episc. Osmensi, nonnulla addit.

VILLA, pro vico pagove etiam Veteribus in usu. Nimirum *Villa* una aliqua, magna, amœna, atque magnifica, sæpissimè auctoris conditorisve sui, aut domini nomen ferens, vel à loco, in quo ædificata erat, vel ab eventu aliquo cognominata, paulatim ipsi adjunctis aliis ædificiis & minoribus villis, nomen suum toti vico olim dare consueverat. A German. *Wil*, habitationem designante, hinc Gallicum *Ville*, pro urbe, & tot nomina apud Germanos Gallosque ex voce illa composita. A *Villa*, *Villaris*, vel *Villare*, villulam significat, unde Alberti Villare, Domini Villare *Dampvilliers*, Altum Villare *Auvilliers*, *&c.* Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Fiscalis *Villa* seu *Villa* Regii fisci, quæ est in Regia hæreditate. *Villa* Regia, ubi ædes & curia Regalis. Gregor. Turonens. *l.* 6. *sect.* 12. *Cùm ad* Villam *fiscalem ductus esset*, & *sect.* 45. *Regressus Parisios familias multas de domibus fiscalibus referri præcepit.* Tales plurimæ olim in Imperio & Franciæ regno, &c.

VILLA, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis maritimum inter Lanigatum & Altaum. *Beni Arax* Marmolio.

VILLA Cæsarum, fluv. Tiberi imposita juxta nonum lapidem in via Flaminia, quæ ob id vocatur *Ad Gallinas*. Sic Plin. *l.* 5. *c.* 30.

VILLA Canini Rufi, apud Plin. Juniorem, *l.* 6. *Ep.* 10. in ora Larii lacus erat, apud Comum: ubi posteà cœnobium Humiliatorum fuit. in ejusdem urbis suburbiis.

VILLA Dominica, seu *Regia*, quæ Regum propria, dicitur apud *Rerum Franc.* Scriptores. Cujusmodi Villæ, *Curtes*, *Fisci* & *Vici Regii*, *Palatia*, interdum nudè *Villæ*, appellantur. Vide suprà passim, inprimis ubi de Franciæ Regum *Palatiis*.

VILLA Duodecim Deorum, nomen Villæ, in qua Tiberius, *oppressâ conjuratione Sejani*, *nihilô securior aut constantior*, *per novem proximos menses*, moratus est, apud Sueton. *in eo c.* 65. *extr.* ubi Casaubonum vide.

VILLA Ecclesiæ, vulgò *Villa d'Iglesia*, urbecul. recens Sardiniæ, in parte ejus Australi contra Sulci rudera. Episcopalis sub Archiepiscopo Calaritano, versus oram littoralem 34. mill. pass. à Calari in Occasum. Malè culta.

VILLA Faustini, oppid. Albionis in Anglia, Icenorum, nunc in Suffolcia, vulgò *S. Edmunsbury*, teste Talbotô, 18. mill. pass. ab Icianis in Ortum, uti 24. à Cantabrigia, 34. à Venta.

VILLA Franca, oppid. Galliæ tractus Baujoviensis, ad amnem Morgonem, qui paulò infrà in Ararim cadit, 6. leuc. infr. a Matisconem. Lugdunum versus 5. Vulgò *Ville Franche*. Item villa, inter Ellam & Duranium fluv.

VILLA Franca, oppid. Comitatus Niceæ, prope Niceam, cum arce & portu amplo, in ora maris Ligustici, 4. milliar. à Monœchio in Occasum, Varum fluvium versus totidem.

VILLA Franca Confluentum, urbs Comitatus Ruscinonensis ad Thetim fluv. Caput tractus adjacentis, ad radices Pyrenæorum, 10. leuc. Gallic. à Perpiniano in Occasum. Vulgò *Ville Franche de Conflent*.

VILLA Franca, cognomentô *de Rovergue*, urbs Galliæ, satis culta provinciæ Rutenensis, ad Veronium fluv. 8. leuc. infra Rutenos in Occasum, quot versus Caduream.

VILLA Franca, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ Toletanæ Stirpis ramus est. In hac enim Petrus Prorex Neapolit. fil. Friderici Alvari Toletani Albæ Ducis, ex Maria Osoria Pimentellia (filia Ludovici Marchionis *de Villa Franca*) genuit Garsiam I. Toletanum Osorium Marchionem *de Villa Franca* Ducem *de Fernandina*, qui, junctâ sibi Victoriâ Columniâ, suscepit Petrum, ex Elvira Mendocia, patrem Garsiæ II. qui ex Maria Mendozia lineam propagavit. Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Parte* 2. Vide eundem, *Arte Heraldicâ*, *Tom. II.*

VILLA Hadriani, locus deliciarum olim Imperatoris hujus, jam in ruinis, *Tivoli vecchio*, quasi *Tibur vetus*, appellatur vulgò, &, quæ ei hodie facies, accuratè describitur Jac. Sponio, *Itinerar. Part.* 1. *p.* 54. Meminit ejus Spartian. *c.* 26. his verbis: *Tiburtinam Villam mirè exædificavit, ita ut in ea & provinciarum, & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Poecilen, Tempe vocaret. Et, ut nihil prætermitteret, etiam Inferos finxit.* Inde Isidis ex marmore nigro simulachrum Romam translatum, hodie in Maximorum Palatio conspicitur &c.

VILLA Magna, vulgò *Valmaigne*, monasterium Abbatiale Galliæ clarum & vetus, in Septimania, cum vico cognomine. Vales. *Notit. Gall.*

VILLA Marii, *Marino*, oppid. seu castrum hodie Latii in colle, in via Appia, mediô itinere inter urb. Romam & Veliteras 10. mill. pass.

VILLA Matiana, quoque oppid. Latii apud Præneste, inde 3. mill. pass. Labicum versùs.

VILLA Martia, vulgò *Marville*, in Ducatu Lucilibnrgensi, posita est ad amnem Visinum *Vezin*, in Charem influere properantem. Alia in pago Mosellensi, quæ Mettensi Monasterio donata dicitur à Danihele seu Chilperico Francorum Rege. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VILLA Nova, oppid. Occitaniæ ad Rhodanum, è regione Avenionis & Comitatus Viodasceni, 7. leuc. infra Pontem S. Spiritus. *Ville neuve* vulgò.

VILLA Nova Bergia, urbecul. tractus Vivariensis, juxta amnem *Hibie*, 4. leuc. à Vivario in Occasum, 2. ab Albenaco in Eurum. Vulgò *Ville neuve le Berg*.

VILLA Nova *del Fresno*, nomen Familiæ in Hispania illustris, quæ Portocarreræ Stirpis ramus est. In hac namque Petrus cognomine *Surdus*, inter alios, Joannem genuit, Marchionem *Villa Nova* seu *de Villanneva del Fresno*, quô, & Mariâ Osoriâ, editus Alfonsus pater fuit, ex Leonora agnata, Joannis: cui Joanna itidem agnata peperit Alfonsum II. cujus, ex Isabella *de la Cueva*, liberi fuêre Joannes & Francisca *Marchiones de Villanueva del Fresno* seu *Villanova de Barcarotta*. Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Parte* 3. *p.* 23. & *Arte Herald. Tom. II.*

VILLA Nova *del Rio*, in eodem Regno, nomen illustris Familiæ, ortæ à Friderico *Henriquez*, Ferdinandi Henricii Ducis Alcalæ fratre, & Ferdinandi Henrici *de Ribera* Comitis *de los Molares* filio. Qui, dominium hoc nomenque nactus, ex Maria Cordubensi, genuit Ferdinandum, maritum Mariæ agnatæ, & ex ea patrem Antonii Henrici, qui decessit ἄπαις, nullâ ex Anna (filia Antonii Alvari Toletani Ducis Albæ) prole relictâ & Antoniæ hæredis, quæ Ferdinando Alvaro Toletano Duci Albæ nupsit. Spenerus, *Theatr. cit. Part.* 2. *p.* 53. Vide quoque eum, *Arte Herald.* ubi infrà.

VILLA P. Valerii, Cicer. *la Motta*, teste Gabr. Barriô, pagus Brutiorum in Calabria ulteriore ultra Rhegium apud Leucopetram.

VILLA Regia, oppid. Portugalliæ, in provinc. inter Durium & Minium, cum titulo Ducatus, 4. leuc. à Lameca in Boream, 3. à Durio fluv. Vulgò *Ville Real*.

VILLA Tasiliacum, *Ville Taillee*, locus Galliæ in pago Oximensi. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* qui videndus quoque de *Villa* Ceteris, vulgò *Huisons*: Villa Episcopi, *la Ville l'Evesque*: *Villa* Judæa. *Villa* Juliæ: *Villa* S. Laurentii: *Ville* S. Lazari: Villa Nova Regis *Ville neuve le Roy*: Villa Regis *Ville Roy*: *Villa* Nova S. Georgii: Villa Petrosa *Ville peux*, *&c.* in agro Parisino, in voce *Parisii*.

VILLA Totius Anni, Senecæ, *Ep.* 55. eleganter dicitur, quæ temperatis artificiô frigoribus fervoribusque, per omnes anni partes, commodam præbet habitationem, seu, ubi.

> ——— *Scirius alget,*
> *Bruma tepet, versumque domus sibi temperat annum.*

uti canit Papinius, *Epithalamiô Stellæ & Violantillæ*, *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 156. ubi Barthium vide.

VILLA Vitiosa, vulgò *Ville Viciosa*, castrum Portugalliæ cum splendido palatio, sedes anteà Ducis Brigantiæ, nunc deliciæ Regum, 7. leuc. à Pace Augusta in Occasum, Eboram versùs 9. Ibi Hispani à Lusitanis grandi clade haud pridem affecti.

VILLACUM, oppid. Carinthiæ superioris ad Cravum fluv. in ditione Episcopatus Bambergensis. Forsan *Tarnaicum* aliàs, 18. mill. pass. à Clagenfurto in Occasum. Vulgò *Villach*.

VILLALONSO, nomen Familiæ illustris in Hispania, quæ Stirpis Ulloæ ramus est. Nam in hac alter filiorum Doctoris Petri *Yannez de Ulloa*, Consiliarii Johannis II. Johannes, Dominos *de Villalonso* serit, è quibus ejus abnepos Joh. Casparus *Comitis de Villalonso* axioma nactus, junctâ sibi Teresâ *de Saavedra*, genuit Didacum *Ulloa Sarmiento Comit. de Villalonso Marchion. de Malagon*, qui ex Antonia Benavidia genus propagavit. Vide Spenerum, ubi suprà. *Theatr.* inprimis *Part.* 2. *p.* 114.

VILLALPANDUS Joh. Baptista, vide *ibi*.

VILLANIUS Johannes, Florentinus. Scripsit Italicè *Historiam*, *à Nimrodo*, *usque ad* A. C. 1348. quô obiit. Matthæus frater eam continuavit, filiusque hujus Philippus appendicem addidit. Ugolinus Verinus, *Florent. illustr.* Gesner. Spond. &c. Vide & *Johannes*.

VILLANUS Matthæus, vide *Matthæus*, it. *Nicolaus*.

VILLANOVANUS Michaël, vide *Michael*. It. *Elias* & *Thomas*.

VILLAR, nomen itidem Familiæ in Portugallia illustris, cujus auctor fuit Ferdinandus major natu filius Dionysii *Dn. de Cifuentes* & dem *Alba de Torres* (Petrô Rege ex Agnete de Castro geniti) Nactus hic enim titulum Domini *de Torres*, *Villar* & *Dompardo*, ex Beatrice *de Luzan*, Bernardinum genuit, Mariæ Mexiæ maritum, & ex ea patrem Ferdinandi *de Torres* & *Portugal*, *Comit. de Villar Dompardo*. Huic Francisca *de Carvajal* peperit Bernardinum, patrem ex Agnete Mauricia Joannis, quô & Isabellâ Osoriâ *de Carvajal* geniti sunt Bernardinus, & Agnes Mauricia, uxor Antonii de Calatayud Comit. *del Real*. Spenerus, *ibid. Part.* 2. *p.* 90. Vide etiam, *Arte Herald. Tom. II.*

VILLAREGIUS Nicolaus, 56. Annis sub 5. Regibus Franciæ Regni negotia gessit, Minister & Secretarius Status, de quo Thuanum aliosque vide. Hinc Familiæ illustri nomen, quæ Stirpis *de Neufville* ramus est. In hac enim Nicolaus *de Neufville*, Dominus *de Villeroy* præfatus, fil. patris cognominis, ex Magdalena Albaspinæa, pater fuit Caroli *de Neufville*, Marchionis *de Halincourt*; quô ex Jacoba Harlæa natus Nicolaus Dux Villaregius junxit sibi Magdalenam Crequiam *de Lesdiguieres*, atque ex ea suscepit Franciscum Marchionem Villaregium, qui ex Maria Margaretha Cossæa stemma propagavit. Spenerus ubi suprà, *Part.* 3. *p.* 78.

VILLARIACUM, locus Galliæ, in agro Tricassino, ubi Chrotildem in matrimonium accepit Chlodoveus Rex. Nunc *Villiers*, non

non procul ab Arciaca & Tricassis. Aliis *Villori* est, Barro ad Albam propinquus vicus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VILLARS, nomen in eodem Regno Familiæ illustris, de qua vide suprà, ubi de Familia *Tnotrea.*

VILLEMELDIS, vulgò **VILLEMEUS**, locus Galliæ, in Normannia memoratus Gaufrido Episcopo Carnutensi, apud Hadr. Vales.

VILLERIÆ ad Cotiam, seu *Villeriæ in Retia sylva*, oppidulum Insulæ Franciæ, cum palatio regio in tractu Valesia, vix 3. leuc. a Crepiaco in Ortum, 6. à Compendio in Eurum, *Villers Coste Rez* vulgò.

VILLERIUS Philippus, vide *Philippus.*

VILLICHIUS Jodocus, Prutenus, Philosophus & Medicus insignis. Francofurti ad Viadrum Bucolica Virgilii exposuit annô ætat. 25. aliquot pòst annis ibidem Professor ordinarius & Academiæ Rector, Græcam primò Linguam, dein Medicinam publicè docuit. Scripsit complura, inter quæ ejus *Erotemata Dialectica* Melanchthonis elogium meruêre. Obiit in arce Libusa, quò pestem fugiens concesserat, A. C. 1552. Thuanus, *Histor.* Melch. Adami, *Vit. Medicor.* Antonius Teissier, qui scripta ejus enarrat, *Elog. Part.* 1.

VILLICUM, oppid. agri Suessionensis, ad Axonam, vulgò *Vesly*, pars tamen Ducatus Remensis, 3. leuc. supra Suessiones in Ortum, 7. à Remis.

VILLICUS, Villæ præfectus, vide suprà, *Villa.* Sed & quivis præpositus, procurator dispensatorque. Sic ærarii præfectum *Villicum* vocat Tibullus, *l.* 4. *Epigr.* 13. *v.* 1.

Villicus ærari quondam nunc cultor agelli.

Juvenalis *Villicum Urbis*, pro præfecto, similiter dixit, *Sat.* 4. *v.* 77.

Pegasus attonitæ positus modò Villicus *urbi.*

Villicum Populi, Imperatorem, Lamprid. *Alexandro Sev. c.* 15. appellat &c. Similiter in antiquis lapidib. VIL. AB. ALIM. i.e. *Villicus ab Alimentis*, qui aliàs Procurator ab Alimentis: VILLICUS HORTORUM MAJANORUM: VILLICUS A PLUMBO, i.e. Procurator &c. occurrit. Vide Salmas. *Not. ad Lamprid.* Recentiori ævô, pro eo vox accipitur, qui vulgò *Major villæ* dicitur, seu is sit ad tempus, ut sunt *Majores* Scabini in civitatibus: sive id muneris habeat in prædiis rusticis, ratione Feudi, qua de vocis notione complura congessit Car. du Fresne, *Glossario.* Vide quoque suprà *Præpositus*, it. *Vicedominus.*

L. VILLIUS, annalis Tribunus Plebis legem tulit, Lucio Manliô Acidinô Fulvianô, Qu. Fulviô Flaccô fratribus Germanis Consulib. An. Urb. Cond. 574. de ætate Magistratuum, Liv. *l.* 40. *c.* 44. Quæsturæ ergo annus 27. Tribunatui Plebis 30. Ædilitati, 36. Præturæ 40. Consulatui 43. &c. definitus est, vide Paul. Manutium, *l. Antiquit. de Legg.*

VILLOSA, in *Ep.* 3. Bonifacii Episcopi Moguntini, *Transmitto — villosam ad tergendos pedes Dilectionis vestræ*; & *Chron.* Fontanellensi, *Lintea ad manus tergendas villosa*; tersorium est seu linteum villosum, ad tergendos pedes manusque. Est autem villosus pannus, qui τριχωτὸς Græcis, item ἑτερόμαλλος vel ἀμφίμαλλος, *altera*, vel *utràque parte pilosus*, qualia *gausapa* Veter. de quibus suô locô. Hinc *Velours* hodieque panni lanei, vel serici potiùs *villosi*, Gallis, licèt vocem à Græco βῆλος Cujacius *ad l.* 4. *Vest. holov. l.* 11. à Latino *Vellus*, Goldastus deducat *ad S. Valerianum Cimenel. p.* 105. Car. du Fresne, *Glossar.*

VILMURIUM, oppid. Occitaniæ, ad Tarnim fluv. 5. leuc. à Tolosa in Cæciam in limite tractus Albigensis, 4. leuc. supra montem Albanum, ubi olim acriter dimicatum. Vulgò *Villemur.*

VILNA, German. *Vilde*, & *Wildaw.* Incolis *Wilenski*, caput Lithuaniæ, urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Gnesnensi, ampla & male habita à Moscis, haud pridem. Capta ab ipsis, incensaque A. C. 1611. & 1655. sed recepta. Arcem habet munitam, cum palatio regio. Ad Viliam fluv. ubi recipit Vilnam amnem. Ministerio Vilnensi succensuit Calvinus, quòd Blandratam non ejecerit, A. C. 1560. Incensa 3. Protestantium templa, urbe captâ, A. C. 1611. cùm paulo antè in eosdem Pontificii sævire incepissent. Celeberrimum dein Euangelicorum templum his ademptum, sed aliud à Christophoro Radzivilio, Palatino Vilnensi, erectum est, A. C. 1640. Lætus, *Comp. Hist. Eccles.* Distat 130. leuc. Polonic. à Cracovia in Cæciam, uti 80. à Varsavia, 100. à Smolenco in Occasum, 50. à Riga in Meridiem.

VILUMBRI, Umbriæ populi Orientales, *Ptolem.* Horum caput est *Spoletium.*

VILVORDIA, vulgò **VILVORDEN**, oppid. Brabantiæ, ad Senam fluv. cum castro, inter Bruxellas & Mechliniam, sub Hispanis.

VIM vi repellere, Naturæ lex est, uti docet *in Milon.* Tullius. Non enim injuria infertur, sed repellitur, & *vi* vis illata vindicatur. Quare prima hac de re sancita lex & scripta Rhadamanthum auctorem habet, teste Apollodorô, *Biblioth. l.* 2. ubi de Hercule, qui Linum occiderat. Repetita postmodùm à Dracone Atheniensium Legislatore, his verbis: Καὶ ἐὰν φέροντα ἢ ἄγοντα βίᾳ ἀδίκως εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ, νηποινεὶ τεθνάναι, *Si quis alium injustè vim inferentem necâsset, jure cæsus esto*, apud Demosthenem, *in Aristocr.* Ubi tamen cautiones adhibet Draco primùm, ut statim ac illata fuerit vis & injuria vindicetur; dein ut ab eo solo, cui vis illata. Quomodo qui se occidisse fatebantur, causam in Foro τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ dicebant: utque jure se occidisse significarent, Soli gladium ostendebant, uti liquet ex Orestis apud Euripidem exemplo. Sam. Petitus, *Comm. in LL. Attic. l.* 7. *tit.* 1. qui est *de Sicariis.*

VIMA, locus, ubi Christiani Occidentales Saracenorum prædam captaque mancipia, inter se diviserunt.

VIMANIA, seu **VEMANIA**, urbs libera Sueviæ, nunc *Wangen.* Vide *Vemania.*

VIMARANUM, oppid. agri Bracarensis, 3. leuc. à Bracara in Ortum *Guimaranes*, seu *Guimaraes* vulgò. Damasi Pontificis patria.

VIMARIA, vulgò **WEIMAR**, urbs Thuringiæ, ad *Ilm* amnem, 3. milliar. Germanic. ab Erfordia in Ortum, Jenam versùs 2. & Naumburgum 5. olim Ottonis Imperatoris sedes, sub Duce è domo Saxonica. Hinc Bernardus Dux Weimar. bellô celeberrimus, mortuus A. C. 1639. Neoburgi ad Rhenum, Lineæ *Vimariensis* auctor fuit, Joh. Wilhelmus, filius Joh. Friderici Electoris, cujus major natu Joh. Fridericus II. Gothanam orsus est. Hic Joh. Wilhelmus genuit Frid. Wilhelmum Aldenburgici & Johannem *Vimariensis* rami conditorem: quorum hic pater fuit Joh. Ernesti, Friderici, Bernardi fortissimi Ducis, de quo vide suprà, Wilhelmi (cujus filii Johannes Ernestus Vinariæ habitat, Adolfus Wilhelmus Isenatum sortitus est, Joh. Georgius, Marcsulam obtinuit, & Bernardus Jenam nactus est) ac Ernesti, qui Gothanam denuo lineam inchoavit. Vide Phil. Jac. Speuerum, *Syll. Geneal. Histor.*

VIMEN, ex *vieo* vel *vincio*, quasi *Vincimen*, olim, cannabis usu nondum cognitô, funibus contexendis inserviebat. Inde est apud Calpurnium, *Eclog.* 3.

Quòd si dura times etiam nunc verbera Phylli,
Tradimus ecce manus, licèt illæ Vimine *tortô*
Scilicet, & lenta post tergum vite domentur.

Homerus, *Il.* λ. *v.* 105.

— Δίδη μόσχοισι λύγοισι.

Vide quoque Theocritum, *Idyll.* 1. Car. Paschalium, *Coronar. l.* 1. *c.* 13. & 14. ubi de vinculis coronarum, & Meursium, *Not. in Lycophr.* Est nempe *Vimen* virgultum *viendo* aptum: è quo præter ea, quæ vulgò inde confiunt, calathos, crates, alia, scuta Spartacô & copiis ejus contexta, coriôque tecta, memorantur Frontino, *l.* 1. *c.* 7. *ex.* 6. *Vimineam* caveam perdicis venatoris, habes suprà, ubi de eo: *Vimineарum navium* meminit Solinus, *c.* 22. ubi de Britannis, *Navigant autem vimineis alveis.* Quas *vitiles* vocat Plin. *l.* 7. *c.* 56. Sed *vitile* latiùs patet, *vimineum* autem id solùm, quod è *vimine* textum est. Salmas. *ad Solin. p.* 245. *Buticulas vitreas vimine circumtextô* muniri solitas habes suprà in *Phleos.* Immani magnitudine simulachra ex *viminibus* contexta, quibus inclusi homines, succensô igne, exanimarentur, habuisse veteres Gallos, legas apud Cæsarem, *de Bello Gall. l.* 6. *c.* 15. ubi de ἀνθρωποθυσίᾳ eorum &c. Alium *viminis* usum indigitat Aldhelmus, *de Virgin. Prosa*, *cùm virgulis & nodosis* viminibus *cæderetur.* Et *versu*,

— *& geminas vernanti* vimine *virgas.*

Scilicet *sceptrinæ virgæ*, & *sceptrinum vimen*, ut idem alibi vocat, eôdem fine inservii, quô *sceptrum ferulæ* memoratum Ausonio &c. Vide Jo. Frid. Gronov. *Observat. in Scriptor. Eccl. c.* 15. ut & in vocibus *Crates*, *Gerræ*, *Viminalis* & *Vimineus*, inprimis verò suprà ubi de Sinensium mirabili *vimine*, quod *Rota* Lusitanis, incolis *Teng* appellari diximus. Ut verbum addam de usu *Viminis* sacro, πυξίδιον, seu *canistrum vimineum*, in quo S. Eucharistia reposita, occurrit in *Liturgia* S. Basilii, ὁ Διάκονος ἀποτίθησι τὸ πυξίδιον, *Diaconus reponit sportam*: apud Hieronym. *Ep. ad Rusticum Mon.* *Nihil illô ditius, qui corpus Domini canistrô vimineô — portat* &c. in cujusmodi sportis panis mysticus ad ægros deferebatur, uti hodie in pyxide argentea deaurata. Habuisse autem πυξίδια illa formam Cherubinorum, cum 6. alis, discimus ex *Hist. Concil. Florent. sect.* 3. *c.* 17. Sed & πυξίδια *cartalii* fuere seu *cophini*, in quos componebant sacram supellectilem, cùm à mensa in Sacrarium referenda esset, *Chron. Alexandrinum ad annum Heraclii* 14. Olymp. 351. Nempe πυξὶς vas ἐκ πύξου, è vimine, unde πυξίδιον. Alia notio vocis, *in Liturgia* Jacobi, *Constit. Apost. l.* 8. *c.* 12. ubi *muscarium* notat, in *Liturgia*, usurpati solitum, vide Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Πυξίδιον.

VIMINA, fluv. unde ante annos 500 pagus *Vimnau* nomen accepit: dein Aucias, vel Aucus dictus; nunc Brisellæ nomen habet. Mabilioni tamen amniculus est, qui circa vicum *Vime* ortus, ei nomen suum dedit, ac vicum *Frestemeules* aliosque alluit, & apud Gamapium in Brisellam influit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VIMINACIUM, vide *Viminatium.*

VIMINALIS, collis dictus est Romæ, quòd ibi *Vimitum* sylva fuerit: vel à Jove *Viminco*, quòd ibi ejus aræ sint. Inde *Viminalis via*, quæ ad collem illum ducit & *porta.* Vide *Porta.*

VIMINATIUM, Mysiæ superioris oppid. *Ptol.* *Vidino Nigro*: *Wuczidern Lazio*, in Servia ad Danubium, Archiepiscopale & Satrapæ sedes. Item urbs Hispan. in Vacæis, *Antonin.* Item pagus Galliæ Celticæ ad Rhodanum fluv. & Lugdunum urb. *Ælian. Spartian.* *Vimy Paradino. Baudrando* est pagus cum castro ad Ararim, 2. leuc. supra Lugdun. in Boream, in ipso limite Bressiæ & tractus Dombensis. Hic Severus Imperator *quum iret contra Albinum, filium suum majorem Bassianum, appositô Aurelii Antonini nomine, Cæsarem appellavit, ut fratrem suum Getam, ab spe Imperii, quam ille conceperat, submoveret*, apud Spartian. *c.* 10.

VIMINEUS, seu **VIMINIUS**, epitheton Jovis, apud Romanos, unde collis *Viminalis*, quòd ibi aræ Jovis Viminii, aut quòd ibi Vimineta fuerint. Ejus hodie maxima pars inculta jacet, facitque cum Esquiliis quintam urbis regionem: Hinc quoque porta *Viminalis.* Vide Rosin. cum notis Thom. Dempster. *in Antiquit. Roman. l.* 1. *c.* 9. & 11. & suprà in voce *Viminalis.*

VIMPINA, vulgò **WIMPFEN**, urbs parva Sueviæ, Imperialis, ad Necarum, ubi recipit Coccarum & Jaxtum fluv. 2. leuc. infra Hailbrunnam in Boream, 5. ab Heidelberga in Ortum.

VIMUTIUM, castrum munitum Angliæ, cum portu capaci, in Dorcetia & in ora maris Britannici prope Vindelim Insul. & 6. mill. pass. à Dorcestria in Merid. *Veymouth* vulgò.

VINALIA, festum erat apud Romanos duplex: Jovis & Veneris. Quorum istud Kalend. Maji, illud mense Augustô, 14. Kalend. Septembr. celebrabatur. De quibus vide Thom. Dempster. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 4. 12. & *Paralip. ad c.* 12. ut & Jos. Scaligerum, *Caliga-*

ſtigationibus ad Feſtum. *Priora*, quæ vocabant, Faſti Kalendares 9. Kal. Majas adſcribunt, de quibus adeundi Ovidius, Plutarchus, Plinius, Alii. Secunda, *Vin. F. P.* i. e. *Vinalia Feriæ Publicæ* iisdem Faſtis illis ſignata 14. Kal. Sept. imò eundem iis feriis diem Varro *de Re R.* tribuit, & *Vinalia Ruſtica* intelligi, ait. Ea Veneri dicata fuiſſe Vir Doctiſſ. notavit; cui reclamat idem Varro *de L. L. l.* 5. *Vinalia à vino, hic dies Jovis, non Veneris*: adſentit Feſtus in *Ruſtica*. Curam ejus rei non levem in Latio fuiſſe, addit Varro: nam aliquot locis vindemias primùm à Sacerdotibus factas, & quidem publicè, idque Romæ præſertim, item Flaminem Dialem vindemiam auſpicari ſolitum, &, ut jus eſſet vinum legere, agnâ Jovi feciſſe. Aſtipulatur Feſtus, *Calpar*, inquiens, *vinum novum, quod ex dolio demitur, ſacrificii causâ, antequam guſtetur. Jovi enim priùs ſua vina libabant, quæ appellabant feſta Vinalia.* Vide Stewechium, *Electis ad hæc Arnobii l. ult.* *Æſculapii geritur celebraturque vinea: colunt enim Dii vineas, & longis ab vaſtionibus contractis exprimunt vindemiatoribus, vinum*: & infrà *Vindemiamus nos homines: & Deos credunt ſuas ducere atque agitare vindemias.* Atque hac in re adhibita formula de *Vino inferio*, de qua idem luculentiſſimè in *præcedd.* Vide & *l.* 4. Quod verò de *Æſculapii vinea* ait, quid illud ▪, N. L. de Venere, clara res &c. Vide & infrà *Vindemia.*

VINANTIUS Gualterus, vide *Gualterus.*

VINARIA, oppidul. Palatinatus inferioris *Weinheim* vulgò, in via montana, ſeu tractu *Bergſtraß.*

VINARII, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 33. *Corpora omnium conſtituit*, Vinariorum, *Lupinariorum*, *Caligariorum — hisque ex ſeſe defenſores dedit*: Negotiatores *Vini* ſunt, quorum corporis meminit etiam vetus *Inſcr.* Romæ,

C. SEN - - - O. REGULIANO. EQ.
R. DIFFVS. OLEARIO. EX. BÆTICA.
CVRATORI. EJUSDEM. CORPORIS. NEGOT. VINARIO. LVGDVN. &c.

Lenonibus junguntur, apud Aur. Victorem, *in Cæſarib. c.* 33. *Inter hæc ipſe* (Gallienus) *popinas ganeasque obiens, lenonum ac vinariorum amicitiis hærebat*: quemadmodum *vina* & *ſtupra* conjunxit Treb. Pollio *in eodem c.* 16. In ſpecie *Negotiantium vini Supernatis & Ariminenſis*, mentio fit Romæ in *veter.* itidem *Inſcr.* apud Jac. Sponium, *Itiner. Parte* 3. *p.* 38. Alii fuêre *Popinarii*, de quibus idem Lampridius paulo poſt, ut & in *Vita* Heliogabali. Sed & *Vinarius*, recentiori ævo inter Monaſtica officia, occurrit paſſim, iſque ſic dicitur, cui *Vini* cura *incumbit*. *Vinarius Conventus*, in *Tabul.* Ciſonienſi an. 1266. *Frater Vinarius*, in *Vita* Bernardi Pœnit. *num.* 18. *Cuſtos Vini*, apud Bern. Monachum, *in Conſuetud. Cluniac.* quem ſolum ab Abbate inſtitui & deſtitui non poſſe, docet ex *Hiſt.* Monaſterii præfati Car. du Freſne, *Gloſſar.*

VINCA Pervinca, *ſemper viret, in modum lineæ foliis geniculatim circumdata. Topiaria herba, inopiam tamen florum aliquando ſupplet*, in coronamentis ſcil. Plin. *l.* 21. *c.* 11. antiquitus *Vica Pervica* Apulejo *Vicia*; quòd *vinceret pervinceretque* injuriam temporis ac ſemper vireret. Vide ſuprà *Vica Pota.* *Clematis* dicitur Dioſcoridi, cujus folia lauro ſimilia, unde & *chamædaphnes* nomen ei à Plinio tributum, ſed quæ longè diverſa ab ea, quam Dioſcorides & Stephanus eandem cum Alexandrea faciunt, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 403. & 404.

VINCAMUS, vox olim in more, cùm veſperi lumen inferebatur, ſcil. *tenebras*, ſubintelligitur. Verùm per ſe innocens exitii occaſio fuit, apud Amm. Marcellin. *l.* 16. ubi quendam Agentium in rebus, in Hiſpania, ad cœnam invitatum, cùm inferentes veſpertina lumina pueros exclamâſſe audiſſet ex uſu, *Vincamus*, interpretatum atrociter, deleviſſe nobilem domum, refert.

VINCAS, vide infrà *Vivas.*

VINCE Luna, à ſuperſtitioſis olim Lunæ laboranti ac deliquium patienti acclamari ſolitum, ne à Sole ſcil. ſe vinci pateretur. *Indiculus Superſtit. & paganiar.* in Concilio Liptin. A. C. 743. *De Lunæ defectione, quod dicunt Vince Luna.* Id quod fiebat magna cum vociferatione, uti videre eſt apud Maximum Taurin. *Homil. de defectu Lunæ.* Unde Eligius apud Audoënum, in *vita ejus*, *l.* 2. *c.* 15. *Nullus ſi quando Luna obſcuratur, vociferari præſumat.* Addebatur ei juvandæ æris tinnitus, ut auctor eſt Plut. *Æmilio.* & Tacitus, *l.* 1. *Annal. c.* 28. tubarum clangor, teſte Farnabiô, *ad Hyppolytum Senecæ*, v. 790. aliaque maleficia. Beda, *de Rem. peccator. c.* 21. *Quando Luna obſcuratur, vel clamoribus ſuis, vel maleficiis, ſacrilegô uſu, ſe defenſare poſſe confidunt.* Nempe tunc Lunam à Sole impeti credebant. Sicut Turcæ hodieque ab horribili fera vim pati, & Indi, uſque ad ſanguinis effuſionem flagellari, cùm eclipſim patitur, habent perſuaſum, vide P. de Valle, *Itiner. Part.* 2. Octav. Ferrarium, *Origin. Ital.* voce *Glubiana*, Car. du Freſne, *Gloſſar.* &c. nec non ſuprà *Eclipſis*, it. *Luna.*

VINCENNÆ, vulgò VINCENNES, caſtrum Galliæ, in provinc. Inſulæ Franciæ cum palatio ſuperbiſſimo recèns excitato à Ludovico XIV. Diſtat Lutetiâ 1. leuca in Ortum Latiniacum verſùs. *Baudrand. Valeſio* meliùs *Vicena*, quòd vicenis Lutetiâ ſtadiis abeſſent. Philippus Auguſt. Rex A. C. 1183. nemus *Vicenarum*, hactenus patens murô cinxit, hinnuloſque cervorum, damulas & capras ſylveſtres, è tota Normannia & Aquitania collatas, ei incluſit. Ibi dein Prioratum B. Virgini inſtituit, & Monachis Grandimontenſibus eum contulit. Sed & in nemore iſto, jam tum regia erat domus: & Ludovicus X. fraterque ejus Carolus IV. ut & Carolus IX. ibi deceſſêre. Caſtellum ibi inchoavit Philippus Valeſius A. C. 1337. ad tertiam contabulationem perduxit Johannes ejus filius, conſummavit Carolus V. ibi natus. Vulgò *Vincennes*, aut *le bois de Vincennes*: quod diſtinguendum à Bellitate *Beauté*, caſtello regio in vicinia, *Notit. Gall.* in voce *Pariſii.*

VINCENTIA, vide *Vicentia.*

VINCENTIUS Bellovacenſis, Dominicanus, floruit ſeculô 13. gente Burgundus. Ludovico IX. Regi gratus, cujus ope adjutus, elaboravit *Speculum ſuum*, cujus 4. partes: *Speculum Doctrinale*, in quo à Grammatica ad Theologiam uſque, omnes ſcientias pertractat. 2. *Speculum Hiſtoriale*, quod comprehendit Hiſtorias omnes, à C. M. uſque ad An. 1244. Continuatum poſtmodùm, uſque ad An. 1494. 3. *Speculum Naturale*, ubi in rerum naturam inquirit. 4. *Speculum Morale*, ubi de Virtutibus, Vitiisque agit. Idem ſcripſit *de Gratia Dei*, *de Inſtitutione puerorum Regalium*, &c. Henr. Gandav. *in Catal. c.* 42. Voſſ. *l.* 2. *Hiſt. Lat. c.* 59. Geſn. Moter. *in Dict. Hiſt.*

VINCENTIUS Caſtellionæus Mediolanenſis, an Hiſpanus, ſummus Canoniſta, & Bern. Bottoni præceptor, inter primos Gloſſatores *Decreti*, memoratur. Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccl. n.* 334.

VINCENTIUS Ferrerius, Dominicanus, Valentiâ Hiſpanus Saracenorum & Judæorum converſioni intentus, interfuit quoque Concilio Conſtantienſi, A. C. 1418. Obiit annô pòſt, in Armorica. A Calixto III. inter Sanctos relatus. Scripſit *de Vita Spirituali*, *de fine Mundi*, *Epiſtolas*, &c. Trithem. & Bellarmin. *de Script. Eccleſ.* S. Antonin. Sixtus Sen. Antonius Senenſis, &c.

VINCENTIUS Lirinenſis, floruit ſecul. 5. Hic cùm Prætorio præfectus eſſet, in hoc poſteà monaſterium conceſſit. Scripſit libellum inſignem, contra Hæreticos, ſub titulo *Peregrini*, obiit ſub Theodoſio & Valentiniano, A. C. 450. Vide Morer. *Diction. Hiſt.*

VINCENTIUS de Paula, Auctor & primus Generalis Congregationis in Communione Romana, quæ Miſſionis dicitur, inſtitutæ, A. C. 1626. ut & Puellarum charitatis. Obiit A. C. 1660. ætat. 85. *Idem.*

VINCENTIUS Victor, Afer, Donatiſta, Orthodoxum mentitus, A. C. 425. pòſtmodùm novum errorem, de origine Animarum, commentus eſt, illas ex ipſa Dei ſubſtantia decerpi ſtatuens: libris duobus hac de re editis, quos Auguſtinus refutavit, *l. de Anima advers. Vincentium.*

VINCERE, Donato *eſt verbum familiare iratis, cùm nimirum iram ponunt, & irati omittunt indignationem.* Imò non tam cùm ponunt, quàm cùm, importunitate precum expugnati, permittunt ſe aliorum arbitrio. Cæſar, *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 30. *Vincite, inquit, ſi ita vultis.* Sueton. *Julio*, *c.* 1. *Satis conſtat, Sullam, cum — illi pertinaciter contenderent, expugnatum, tandem proclamâſſe — Vincerent ac ſibi haberent.* Vide quoque Terentium, Alios. Sic Græci νικᾷν ſimili notione uſurpant. Sophocles, *Electrâ*,

— εἰ δὲ μὴ καλῶς
Λέγω, σὺ νίκα σοὶ γὰρ ἐφίεμαί θ' ἅμα.

Oedipo Col.

Νικᾷς χρῄζω γὰρ οὐδ' ὅτι γνώμης ἔῶ.

Euripides, *Alceſt.*

Νίκα νῦν' οὐ μὴν ἀνδάνοντά μοι ποιεῖς &c.

A qua mente in eodem Suetonii loco *expugnatus* eſt, pro *exoratus*: uti & in *Tiberio*, *c.* 21. & apud Columellam, *Præfat. l.* 10. Quod imitatione Græcorum quoque dictum, qui non ſolùm μάχεσθαι, de omni vehementiore ſtudio uſurpant, ſed etiam πολεμεῖν pro *evincere precibus* accipiunt. Chion, *Epiſt. ad Matridem*, ἐξεπολιόρκησάς με αὐτὸν πεῖσαι ἀληθεῖ καὶ δικαίῳ λόγῳ. Quomodo uſi ſunt voce *oppugnatio* Imperatores in quadam de nuptiis *Conſtitutione*. Nec diſſimilem verbi καθοπλομαχεῖν uſum apud eundem Chionem, obſervavit Caſaubonus, quem hanc in rem vide ad Sueton. *d. l.* adde Barthium, *Animadverſion. Papinianus ad l.* 2. *Achilleid.* v. 244.

VINCESTRIENSIS Daniel, vide *Daniel.*

VINCIACUM, locus in tractu Cameracenſi, Caroli Martelli de Chilperico Rege ac Ragenfredo Præfecto Palatii victoriâ A. C. 717. relatâ nobilis. Hodie viculus *la Cenſe de Vinci* dictus, ad Cameracenſe Monaſterium S. Autberti pertinens, prope oppid. Crepacordium *Crevecœur*, *Aubertus*, *Miræus.*

VINCIPES, apud Tertullian. *de Pallio*, *c.* 5. *Quàm enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quàm in calceo vincipedem*: eſt qui *pedes* calceis *vinctos* habet. Videtur enim reſpexiſſe Auctor ad Muſonii Philoſophi dictum, qui, ut ἀνυποδησίαν commendaret, inter *calceari* & *vinciri* parùm diſcriminis eſſe, ſtatuebat, τὸ γὰρ ὑποδεδέσθαι ἐγγὺς τοῦ δεδέσθαι, uti apud Stobæum legimus. Adeoque præſtare eſſe dixit *nudipedem*, quàm *vincipedem*, h. e. nudos, quàm *vinctos* habere pedes. Certè & Latinis *vincula* pro calciamentis. Virg. *l.* 4. *Æn*, v. 518.

Unum exuta pedem vinclis in veſte recincta.

Et *l.* 8. *Æn.* v. 458. *Tyrrhena vincula*, apud eundem ſunt calceamenta Tuſca. Ovid. *l.* 3. *Artis*, v. 272.

Arida de vinclis crura reſolve tuis &c.

Soleis inprimis, quod vide, ut & Salmaſ. *ad Tertullian. d. l.* & de Veterum ἀνυποδησίᾳ ſuprà, voce *Nudipes*; plura verò de his pedum vinculis, in voce *Calceus*, item *Obſtragula.*

VINCIUM, Italis VENZA, urbecul. Provinciæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Ebrodunenſi, vix 1. leuc. ab Antipoli in Boream, quot à Varo fluv. in Occaſum Graſſam verſùs 3. *Vence* Gallis.

VINCIUS Rufinus, Eques Romanus, ſub Nerone falſi damnatus. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 40. Quâ Exemplar MS. *Vincius* Rhenanus legit *Vinicium.*

VINCULUM, à *vinciendo*, vox generalis eſt, & ad omnia ea, quibus neceſſitas, voluptas, ac Judicis provocata criminibus ſeveritas, hominem irretire ſolet, extenſa. *Vincula pedum* modò vidimus. *Verenda vincula*, conjugiales Veter. vittas, appellat Papinius, *Sylv.* 2. *l.* 1. de quibus vide Briſſonium, & Hottomannum, *de Nuptiis*, Sed & coronæ primitus nil niſi vincula erant, capiti inter convivalem ſive lætitiam, ſive laſciviam, adſtringendo. Quô fine ex Amerina ſalice, Saturni ætate, coronæ plexæ, ſtrophiisque ex obvio factis caput redimitum: donec è lectiore materia, ipſaque adeò florum diſpoſitione jam quæſitiore, confectæ ſucceſſerunt; quæ aureæ tandem gemmeæque excepêre. Ipſum diadema, quid niſi *vinculum*, quod & ipſa vox indigitat. Seneca, *Troad. Actu* 1. v. 271.

Ego esse quicquam sceptra, nisi vano putem
Fulgore tectum nomen? & falso comam
Vinclo *decentem.* ——

Quam in rem vide Car. Paschalium, *Coronar. l. 2. c. 1.* & *l. 9. c. 3.* uti de *vinculis* collo, brachiis, pectori, cruribus &c. ornatus causâ circumdari solitis, hic passim. Transeo ad illa, quæ Justitiæ rigor hominum delictis injicit. Quâ notione, voce hâc complexi sunt Romani compedes, pedicas, manicas, catenas, nervos, bojam & carcerem, Plautus *Asinar.* Et quidem ante confessionem in liberas custodias reos tradebant; dicebanturque *custodiæ liberæ*, cùm apud Magistratus domi, aut apud privatos Nobiles ponebantur custodiendi, quemadmodùm de Indice Bacchanalium scripsit Livius, *l.* 39. & de conjuratis Sallustius: Post confessionem verò in *Vincula* publica conjiciebantur. Venulejus *l. 5. ff. de custod. reorum*: *Reus confessus, donec de eo pronuntiaretur, in publica vincula conjicientibus.* Item Scævola, *l. 4. ff. ad leg. Jul. Majest. Reus confessus, ob solum confessionem consuevit in vincula conjici.* Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 9. c. 17.* Executionis nempe causâ. Unde *Vinctus* plus, quam *damnatus.* Curt. *l. 6. c. 9. Non reum modò, sed etiam damnatum, imò* vinctum, *intuebantur.* Sæpe tamen & ex vinculis causam dicebant, in primis in gravioribus criminibus; &, ubi suspicio suberat, ne fugeret reus, aut per vim eximeretur. Cæsar *de Bello Gall. l. 1. c. 4. Helvetii moribus suis Orgetorigem*, ex vinculis *causam dicere coëgerunt.* Imò apud ipsosmet Romanos, Paulus, quanquàm civis Romanus esset, ex vinculis causam dixit, Actor. c. 26. *v.* 29. Vibius it. Serenus, apud Tacitum, *l. 4. Annal. c.* 28. Conjurati apud Sueton. *Nerone, c.* 36. Servi, qui dominô occisô ante quæstionem habitam, fugerant, ex *l. Cornel.* nec non, qui capitali crimine postulati non defendebantur, *l. 2. ff. de Custod. reor.* &c. Sed regulariter non ita fuit, verùm ut soluti responderent post confessionem demum *vinciendi*, ut diximus. Vide Freinshemium *ad Curt. l. cit.* Captivis quoque triumphali pompâ prælatis *Vincula* catenæque injiciebantur: Et quidem collo, Ovid. *de Ponto, l. 2. El. 1. v.* 43.

Totque tulisse duces captivis addita collis
Vincula, penè hostes quot satis esse fuit.

Brachiis, Alb. Tibullus, *l. 1. El. 7. v. 6.*

—— *Evinctos brachia capta Duces.*

Manibus, quod adeò certum, ut constet non aliam fuisse militarem custodiam, nisi ut dextræ captivi catenis sinistra militis alligaretur; ne ille res novas tentare posset, & hic capulo paratam dexteram, si usus ita posceret, haberet. L. Seneca *de Tranquill. c. 10. Alligatique etiam sunt, qui alligaverunt, nisi tu leviorem in sinistra catenam putas* De Cleopatra captiva Sext. Propert. *l. 3. El. 10. v. 51.*

Fugisti tamen in timidi vaga cornua Nili,
Accepère tuæ Romula vincla *manus.*

Cruribus denique. Arrian. Nicomediensis, *Dissertat. Epict. l. 1. c. 19.* τύραννος εἴπῃ σοι, δήσω σοῦ τὸ σκέλος *Tyrannus dixerit alicui, vinciam crura tua* &c. Vide Thom. Dempster. *Paralipom. ad Rosin. l. 10. c. 29. de Triumpho.* Porrò leviora *vincula* audiunt Compedes, graviora *Nervi.* M. Cato apud A. Gellium, *l. 11. c. ult. Fures privatorum furtorum in nervo atque compedibus ætatem agere, fures publicos in auro atque purpura.* Sed de his actum suprà *suô locô.* Nec verò solùm ex ære & ferro, sed & argentea aureaque *Vincula* commemorat Heliodorus, *Æthiopic. l.* 9. & Herodot. *l.* 3. Hinc & apud Amm. Marcellin. *l. 27. c.* 12. legimus, *Regem Arsacem adhibitum in convivium jussit ad latentem trahi posticam, eumque effossis oculis vinctum catenis argenteis, quod apud eos honoratis vanum suppliciorum æstimatur esse solatium, exterminavit ad castellum Azabana nomine, ubi discruciatus cecidit ferrô pœnali.* Tertullian. *de habitu Mul. c. 7. Apud Barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum & copiosum, aurô vinctos in ergastulis habent, & divitiis malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores.* Vide eundem, *l. de cultu fœm. c.* 3. ubi Æthiopes intelligi Dio Chrysostomus ostendit, *Orat. ult.* & Plutarchus *Amator.* apud Theod. Canterum, *Var. Lection. l. 2. c. 5.* Simile quid de Persis refert Justinus, *l. 5. c. 6.* de Zenobia Trebellius Pollio, *in XXX. Tyrann. c.* 30. de veteribus Græcis Hecuba, apud Senecam, *Troade, Actu 1. in Choro*; de Latinis, Propert. *l. 2. El. 1.* & Sil. Italicus, *l. ult. in fin.* &c. quæ, si quem ignominiâ liberare volebant, frangi consuevisse, docet Jac. Durantius Casell. *Var. l. 2. c. 13.* Nec apud Gentiles sua Diis defuêre *Vincula.* Saturnum pactô cum Titanibus initô, vinctum & in Tartara fuisse abjectum, Nonnus fabulatur, *Dionysiac. l. 24. v.* 237. & quidem Sulla apud Plutarchum insulam quandam in Cronio esse mari, ubi is à Jove vinctus fuerit, tradit. Inde in omnibus Romanorum Fanis, *Vincula* Saturni statuis injecta erant, quæ festô ipsius solvebantur, in memoriam securitatis ac felicitatis, quam sub illo homines egerint, Lucianus in *Saturn.* Unde Arnob. *l. 4. contra Gentes, Nunquid parricidii causa vinctum Saturnum & suis diebus tantùm vinculorum ponderibus liberari?* Et Martialis, *l. 3. Epigr.* 29.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

Spartanos coluisse Martem compedibus irretitum, quô *vinculô* proprium sibi ac perpetuum bellorum illud Numen haberent; narrat Pausanias, *l.* 3. Athenienses, Victoriæ simulachro alas adimebant, ne ea Urbem desereret. Quomodo & apud Romanos, cùm Victoriæ alas decussisset fulmen, sic omen Pompejus exposuit,

Roma potens, alis cur stat Victoria lapsis?
Urbem ne valeat deseruisse suam.

Ratio *vinciendi* fuit, ut, quum esset pignus Imperii, perpetuò permaneret, ubi collocare libuerat Heliogabalo. Sic Tyrii ab Alexandro M. obsessi, apud Curt. *l. 4. c. 3. Cùm unus e civibus concioni indicâsset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, Urbem deserentis; quanquam Auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu, aureâ catenâ devinxère simulachrum, araeque Herculis, cujus Numini Urbem dicaverant, inseruère,* Vinculum, *quasi illô Deô Apollinem retenturi*: ut de aliis taceam. De qua cæca Ethnicorum superstitione eleganter Augustin. *de Civ. Dei, l. 1. c. 2. extr. Non homines inquit, à simulachro, sed* simulachrum *ab hominibus servabatur: quomodo ergo colebatur, ut patriam custodiret & cives, quæ suos non valuit custodire custodes?* Vide quoque Tertullian. Arnob. Patrumque alios, eôdem argumentô efficacissimè contra Gentilium cæcitatem usos. Quorum tamen imitatione hodieque nautas Lusitanos, navigatione periculosâ, S. Antonium *vincire* solere refert ridetque P. de Valle, Patricius Romanus, *Itin. Tom.* 4. De *Vinculis* Servorum, diximus suprà, in voce *Fossor, Pes*, item *Podostrabe.* Id saltem de his subjungo, si quem *vinculis* relaxaret apud Veteres dominus, catenas à manibus pedibusque, quibus is vinctus fuerat, incidere consuevisse, ita ut pars vinculorum in corpore maneret; hôcque argumentô significâsse, illum pristinæ libertati restitutum, quo de more vide Alex. ab Alexandro, *Genialium Dier. l. 3. c. 20.* Sed & *Verberationem Vinculorum* inter pœnas militares recenset JCtus, *l. in servor. ff. de pœn.* ubi vincula *lora* sunt Salmasio, *Not. ad Lampridii Alexandr. c. 51.* Vide suprà ubi de *Pœnis.* De *Vinculis* verò S. Petri, Dominic. Macrum, *Hierolex.* voce *Boja.*

VINDA, meliùs VENDA, vide ibi. Item, urbs Curlandiæ, cum portu ad ostia Wetæ fluv. in mare Baltic. 25. leuc. Polon. à Memelio in Boream 30. à Riga in Occasum, *Vindaw*, Polonis *Kiess.*

VINDANA, aliis VIDANA, fluv. Britanniæ minoris Rhedones alluit, dein in Oceanum Aquitanicum se exonerat inter ostia Ligeris ad Ortum & Venetias ad Occasum. Vulgò *Vilaine.*

VINDANA, portus Galliæ, & vicus cum Abbatia, vulgò *Landevenec*, proximus portui Brivatensi *Brest.*

VINDASCA, vel VINDAUSCA, urbs Episcopalis Galliæ Narbonensis, caput olim Mimenorum, nunc castrum Provinciæ, in Comitatu Vindascino, (*Venaissin*) ad amnem *la Nasque*, in monte positum, 3. leuc. à Carpentoracte, cujus finibus diœcesique inclusum, in Ortum, Aptam Juliam versùs. *Venasque* vulgò, aliàs *Vendisse.* Græcis Massiliensibus *Aëria* quoque à situ dictum, sedes olim aliquamdiu Episcoporum Carpentoratensium, jam inde à Concilio Epaonensi notorum. Unde Tetradius, qui Concilio 4. Parisino, A. C. 573. regni Chlotarii filiorum 12. habito; & Licerius, qui post annos circiter 70. Synodo Cabillonensi à Chlodoveo convocatæ interfuère, Episcopi ambo Carpentoratenses, *Vindauscenses* tamen dicuntur, quòd Chlotarii majoris filiis nepotibusque regnantibus Vindauscæ hi Præsules commorari consuevissent. Est hic Comitatus inter Delphinatum ad Boream, Druentiam ad Meridiem, & Rhodanum ad Occasum, à Joanna Regina Neapolitana Pontifici concessus, cui cum Avenione, hodieque paret. Ejus caput fuit aliàs Vindasca, nunc Carpentoracte, *Carpentras.* Sunt & ibi Vasio *Vaison*, & Cabellio *Cavaillon. Baudrand.* Item Insula *Lisle*, Interaquas *Entragues*, Caderossa *Caderousse*, Petra lata *Pierre late*, aliaque oppida & castella. Fuerat hic Comitatus jam olim à Gregorio IX. post acre in Albigenses, quorum ingens ibi numerus, bellum, Raimundo Comiti Tolosano, ereptus, nec Blancæ Reginæ Ludovici IX. matris, hujusque ipsius, nec Friderici I. Imperatoris & Siciliæ Regis, pro Raimundo rogantium preces, quidquam valuêre. Cùm dein ipse Raimundus sua repetere ac per literas nuntiosque instare pergeret, novâ technâ, sicut anteâ Imperator ac Francorum Rex, elusus est. Finxit enim Pontifex, *multos* (quorum tamen neminem nominabat) *in terram Venascensem jus habere sibi dicere*: Imò jam Urbanus II. circa A. C. 1096. inter Ecclesiæ Romanæ beneficia vel feuda Marchiam Provinciæ, aut saltem partem ejus, Comitatum nimirum *Vindauscensem* numerabat: quod inde factum, quia Urbanus tum ab Henrico Imperatore impugnatus, hunc vicissim excommunicaverat, vindicans sibi, quidquid Imperatoris erat: verba sunt Hadrian. Valesii, *Notit. Gall.* In finibus quoque Pedemontii duo loca sunt *Venasque & Benasco*, & *Venasca* Aragoniæ urbs, *Idem.*

VINDEDIVII, oppid. Laginiæ, *Tredagh*, vel *Drogheda*, inter Dondalchum & Dublinium.

VINDELICI, populi Rhætis vicini, inter Alpinas gentes, Plin. *l. 3. c. 20.* regio eorum *Vindelicia*, cujus nomen adhuc durat in tractu qui *Lintzgow*, teste Tschudô, nominatur. Cæterùm regio hæc vulgò *Bayern*, & Italis *Baviera* dici potest, teste *Aventinô.* Nomen habet à *Vindône*, & *Lico* fluv. Horum meminit Horat. *l. 4. Carm. Od. 4. v. 18.*

Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem & Vindelici.

Claudian. *de Vict. Stilic.*

Vindelicos saltus & Norica rura tenebant.

VINDELICIA, regio, ubi *Vindelici* populi, *Baudrando* terminatur à Septentrione Danubiô, ab Oriente Oenô, ab Occasu Brigant. lacu, à Meridie Rhætiâ. Aliàs fuit pars Illyrici, nunc verò Germaniæ ubi Bavaria & pars Australis Sueviæ.

VINDELIS, *Antonin. Portland Camdeno*, insula Durotrigum olim, maris Britannici, inter Albionem (cui propior est) & Galliam à Vecti insulâ 10. leuc. in Occidentem. Nunc peninsul. parva Angliæ Meridionalis in Dorsetia provinc. Extensa per 9. mill. pass. à Septentrione in Meridiem, prope Vimautium portum, 6. mill. pass. à Dorcestria.

VINDEMIA, quasi VINIDEMIA, à vino vel vite demenda, peragebatur apud Romanos à *Vindemiatore* seu *Vindemitore*, de quo vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis.* Ejus tempore Feriæ memorantur *l. 1. ff. de Feriis.* Nec tantùm in Foro, sed etiam in Scho-

lis.

lis. Augustin. *l. 9. c. 2. Et oportunè tum paucissimi dies supererant ad Vindemiales ferias & statui tolerare illos, uti solemniter abscederem.* Vide quoque Cyprian. *Ep. ad Donatum.* Tempus earum exactè definit *l. 2. C. de Feriis*, ubi: *A die octavo*, inquit Theodosius, *Kal. Julii usque in Kal. Augusti Messis feria concedatur: & à Kalendis Augusti, usque in 10. Kal. Sept. agendarum causarum tribuatur licentia. A decima autem Kalendarum Septembr. usque in Idus Octobris* Vindemialis *feria concedatur.* Vide quæ suprà de Feriis diximus, *suô locô.* Namque & viros graves *Vindemiarum* tempore in agros secedere solitos, & cum amicis suavissimè jocundari, vel præter dicta ex *Epistolis* Plinii, Ambrosiique *Sermonibus*, constat. Imò & festum *οἰνωμάτων* Imperatores quoque cum amicis ruri egêre, in qua lætitia multa in dominos jocularia, vel ipsis audientibus, jactari solebant. Id quod ab Heliogabalo compertum primò produnt rerum conditores nonnulli. Scribitque Paulus Diaconus, Tiberium Constantinum Cæsarem ritu Imperatoriô jus petiisse, ut *vindemiali* lætitiæ operam impertiretur diebus triginta, vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l. 28. c. 30.* Sed & jam antè Marcus Antoninus Pius *Vindemias privatô modô cum amicis agebat*, teste Capitolinô, *c. 11.* Ut de Messalina Claudii uxore, aliisque nil dicam. Cantio *in Vindemia*, cùm primum mustum gustabant, hæc erat:

Omnis gratia vetus, novum vinum bibo,
Veteri novo morbo medeor.

Unde & *Meditrina* Dea; cui libarent tunc, & Meditrinalia sacra, à *medendo*. Jul. Cæs. Scaliger, *Poëtic. l. 1. c. 55.* ex Athenæo &c. Vide quoque suprà voce *Cantilena* & *Vinalia*. Vide plura verò hanc in rem, inprimis de *Vindemiæ* apud Romanos ratione, tempore, legibus, instrumentis, apud Plinium, *l. 18. c. 31.* Apud Hebræos, *Vindemialis lætitia*, non minùs solennis fuit, ut ex Sacris discimus passim. Apud eosdem, *Vindemiantem* בְּלֹא שָׁנוּי *aliter ac præscriptum*, item in Jubilæo: Porrò qui ex *Vindemia* non dedisset pauperi, aut uvas in vinea relinquendas ei negâsset, verberum subiisse pœnam, docet Joh. Seldenus, *de Synedriis Veter. Hebræor. l. 2. c. 13. §. 8.* De *Vindemia Æsculapii* locum nota Arnobii *adv. Gentes*, *l. 7.* ubi de variis Deorum festis, *Jovis epulum cras est -- Æsculapii geritur celebraturque* vindemia. *Colunt enim Dii vineas, & ad suas usiones contractis exprimunt vindemiatoribus vinum? Cereris lectisternium erit Idibus proximis* &c.

VINDEMIATOR, sidus quod tertiô Nonas Martii apparet, Plin. *l. 18. c. 31. Cæsari & Assyriæ stella, quæ Vindemiator appellatur 11. Cal. Sept. mane exoriri incipit, vindemiæ maturitatem promittens.* Dicitur & *Vindemitor*. Ovid. *l. 3. Fastor. v. 407.*

Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes,
Mergetur, visus effugietque tuos.
At non effugiet Vindemitor.

VINDERIUS, fluv. Hiberniæ in ora Orientali, inter Isamnium & Rhobogdium promontor. *The Baye of Knocfergus* Camdeno.

VINDESORIUM, oppid. Albionis in Anglia ad Tamesim fluv. à Londinio 20. mill. pass. in Occasum, ubi aureæ periscelidis Equites inaugurati solent, vulgò *Windesore*.

VINDEX, memoratus in Legg. XII. Tabb. *Assiduo. Vindex. assiduus. esto. proletario. quisquis. volet. vindex. esto.* teste Festô, *ab eo, quòd vindicat, quo minùs is, qui prensus est, ab aliquo teneatur.* Hinc in *Glossis* Philoxeni, *Vindex* Ἔκδικος. *Vindex* itaque speciatim appellatur, qui cùm cuipiam esset injecta manus, ut ad Prætorem Judicemve duceretur, eum liberabat. Cum Vade à quibusdam malè confunditur: *Vindex* enim reum ab in jus eundi necessitate liberabat; Vas verò, ad Judicium vocatum seu Reum certô die affuturum promittebat. Sententia autem Legis est, Homini assiduo sive locupleti solùm assiduum sive locupletem fieri posse Vindicem; at proletario ac nullius classis homini, quisquis velit, h. e. non assiduum tantùm, utpote meliorem, sed & proletarium tanquam parem. Jac. Oiselius JC. *Notis in A. Gellium*, *l. 16. c. 10.* Apud Hebræos celebris fuit *Vindex sanguinis*, quô nomine appellatus est propinquus occisi, cui lege permissum, ut extra asyli loca homicidam interficeret, Numer. *c. 35. v. 26, 27. Quòd si ullô pactô exibat occisor iste terminos civitatis receptus sui quò confugerat; Et inveniet eum* Vindex *ille sanguinis extra terminum civitatis receptus ejus: quum occiderit Vindex ille sanguinis occisorem istum, non est reus sanguinis.* Idem occisorem in Judicio condemnatum, morti tradebat, ex Lege memoratâ *cap. eôd. v. 18, 19. Aut si ligneô instrumentô manuali, quô quis mori potest, percusserit illum, ita ut mortuus sit, occisor est: omnino morti traditor occisor ille. Vindex ipse illius sanguinis morti tradet occisorem illum: quum incidet in eum, ipse morti tradet eum.* Ubi rectè notant Hebræi Interpretes, talionem pro mortuo, manu exigi potuisse; pro se, ut putà in vulnere, non nisi per Judicem, quia scil. *difficilior est moderatio, ubi proprius accedit dolor*, Seneca, *de Clem. l. 1.* Jus autem hoc vindicandi sanguinem fusum non habebat, nisi propinquus occisi; cui etiam bona ejus alienata vindicandi jus erat, Franc. Burmannus, *Quæst. in Num. locô cit.* Parem morem, privatim *vindicandæ* cædis, apud vetustissimos Græcos fuisse, apparet ex Theoclymeni verbis, quæ apud Homerum sunt *Odysseæ* ο. qua de re vide Hug. Grotium, *de Jure Belli ac Pacis*, *l. 2. c. 20. §. 8.* & suprà ubi de *Homicidio*. Interim, privata planè *Vindicis* Hebræorum ultio no[illegible], utpote publicâ auctoritate, ad propinqui sanguinem vindican[illegible] divinitus instructi, ut vidimus. Plura hanc in rem vide apud Jo. Seldenum, *de Jure Nat. ac Gent. juxta Disciplin. Hebræorum*, *l. 4. c. 1.* Sed & *Vindices*, exactores dicti sunt, seu exactioni tributorum præpositi, in singulis civitatibus, de quibus agunt *Novellæ* Justiniani 38. 124. 125. 128. *Chron.* Alexandrinum, *p. 785.* Euagrius, *l. 3. c. 42. Ecl.* Basil. 58. Cyrillus Scythopolitanus, apud Alamannum *ad Procopii arcana*, *p. 100. 1. edit.* Alii. De proprio verò vocis significatu, quædam apud Jo. Fridericum Gronovium, *Observ. l. 4. c. 3.*

VINDEX Julius, vide *Julius*.

VINDICIUS, Vitelliorum servus, primus dicitur *Vindictâ* liberatus, quòd conjurationem nobilium adolescentum, de Tarquiniis reducendis, detexisset, Liv. *l. 2. c. 5.*

VINDENISSA, vide *Vindonissa*.

VINDICTA, manumissionis apud Romanos fuit ritus, à festuca seu virgula illa, quæ olim in libertatum vindicationibus adhiberi solebat, quæque etiam *Vindicta* vocabatur. Boëthius *in Topic. Cic. l. 2. Vindicta virgula fuit, quam lictor manumittendi servi capiti imponens, eundem in libertatem vindicabat, dicens quadam verba solennia; atque ideo virgula illa* Vindicta *vocabatur.* Hinc Persius, *Sat. 5. v. 88.*

Vindictâ *postquàm meus à Prætore recessi.*

Et pòst, *v. 125.*

An dominum ignoras, nisi quem Vindicta *relaxat?*

Qui eam *Festucam* quoque, in eadem *Sat. v. 175.* vocat: quemadmodùm & Plautus, *Mil. Actu 4. Sc. 1. v. 15.*

Quid? ean' ingenua, an festucâ facta è serva libera est?

Modus sic manumittendi hic erat: Dominus servum manumissurus tenebat modò caput, modò aliud ejus membrum, dicebatque, *Hunc hominem liberum esse volo*: & cum dicto eum circumagebat, significans, se ei potestatem facere abeundi, quò vellet, simulque alapam infligebat. Unde Claudianus, *de quarto Consulatu Honorii*, *v. 617.*

In civem rubuêre genæ ——

Et Persius, *Sat. 5. v. 75.*

—— *Heri steriles veri quibus una Quiritem*
Vertigo facit.

Ac paulo pòst. *v. 78.*

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. ——

Primus autem, qui hôc ritu liber factus, fuisse dicitur *Vindicius*; de quo suprà, unde etiam nomen ritûs quidam arcessunt. Vide Marcilium *ad d. Sat.* Brissonium, *Antiqq. l. 5. c. 11.* Sigonium, *lib. 1. de Antiq. Juris Civ. Rom. cap. 6.* Jac. Gall. Neapolitanum *in Apicibus Legg.* Johann. Laurentium JCtum, *Notis ad Phædrum*, *l. 2. fab. 5. v. 24.*

Multo majoris alapæ mecum veneunt &c.

E' quibus Car. Sigonius morem veterem, circa hanc manumissionem, observatum pleniùs sic describit: *Qui manumittere servum, apud Prætorem, (olim Consulem) volebat, ejus caput aut aliud membrum tenens, ad Prætorem ita dicebat; Hunc hominem liberum esse volo: & emittebat eum è manu. Prætor autem* Vindictâ, *h. e. virgâ ejusdem servi capiti impositâ, dicebat: Dico eum liberum esse, more Quiritum: Inde conversus ad lictorem, addebat: Secundùm tuam causam, sicut dixi, ecce tibi* Vindicta. *Tum lictor acceptâ à Prætore vindictâ, caput servi percutiebat, faciem palmâ, tergumque verberabat: quibus actis nomen manumissi in Acta à Scriba referebatur, adjectâ causâ manumissionis.* Addit idem ex Cajo *l. 7. D. de manumissu. Vindicta*, non fuisse omnino necesse pro Tribunali manumittere: itaque plerosque in transitu servos manumittere consuevisse, cùm aut lavandi aut gestandi, aut ludorum causâ prodiisset Prætor, apud Thom. Dempster. *Antiqq. Rom. l. 1. c. 20.* Vide quoque suprà, ubi de *Manumissione*.

VINDILI, seu VANDALI, populi incolebant eam partem Germaniæ, quæ inter sinum Godanum, Vistulam, Albimque & Chalusum. Sub his erant Angli, Varini, Caviones, Douringi, Eudoses, Nuithones, Vardones, Rugii, Heruli seu Lemovii, Carini, Guttones, Sidini, Langobardi & Burgundiones, *Chuverô*, *Brietiô*, *Sansone*, testibus. Vide suprà in *Vandali*, & infra in *Wandali*.

VINDINUM, seu VINDOCINUM *Fortunat.* urbs Galliæ Celticæ non obscura, & Ducatus in Belsia regione à Carnutibus 24. leuc. in Occasum, Turones versùs. Vulgò *Vendosme*. Vide *Vindocinum*.

VINDIUS, & *Edulius*, & *Egdubeda*, & *Ortospeda*, Hispaniæ Tarraconensis insignes montes sunt. Ptolem. *l. 2. c. 6. Baudrando Vindius* vulgò *Monte de las Asturias*. Inter Asturias ad Boream & regnum Legionis ad Merid.

VINDIUS Verus, vide infrà *Vinidius*.

VINDO, *Ortel. Wertach*, fluv. Vindeliciæ unà cum Lico Augustam Vindelic. alluens. *Fortunat.*

VINDOBALA, vide *Vindomora*.

VINDOBONA, eadem quæ *Vienna*, vide ibi: urbs permunita ad Danubium.

VINDOCINUM, urbs Belsiæ, in Carnutum finibus ad Lædum, vel Lidericum fluv. de quo Guillelmus Britto, *Philipp. l. 3.*

Castrum forte nimis, populosâ gente repletum:
Quod Lidericus aquâ subterfluit amnis amœnâ,
Cui tamen haud quidquam prodest munitio ducta,
Circuitu triplici, nec tantæ copia gentis.

Cum titulo Ducatus *Vendosme* vulgò. Caput tractus *Vindocinensis*, vulgò *le Vendosmois*, qui versùs Lædum fluv. inter Perticum agrum est ad Boream, Blesensem ad Ortum, Turoniam provinc. ad Merid. & Cenomanensem ad Occidentem.

VINDOCINUS Matthæus, vide *Matthæus*.

VINDOGLADIA, vulgò WIMBURN, Camdeno, oppid. Angliæ inter Sorviodunum 12. & Durnovariam 9. mill. pass. *Antonin.* Comitatus Dorsettensis, à Dorcestria 16. mill. pass.

VINDOILISUS, pagus Galliæ, in Capitulis Silvacensibus Caroli Calvi, A.C. 853. editis, memoratus, Bellovacensi proximus, nomen à *Vindoilo* accepit: quod vulgò *Vendeuil*, aut *Vendeul*, prope Britolium, ubi Abbatia illustris est, & à capite pagi Bellovacensis Cæsaromagô non amplius 6. leuc. distat. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

VINDOLANA, oppid. Albionis in Anglia ad Vallum, in Northumbriâ. *Winchester in the Wall*, vel *Old Winchester*, teste Camdenô. Ad differentiam oppidi *Winchester*, Latin. *Venta*, ac *Vintonia*. Vide ibi.

VINDOMAGUS, urbs Galliæ Narbonensis *Ptol. S. Tibere Poldo, Valesio.* Volcarum Arecomicorum olim urbs mediterranea, nunc Uceciaest, ad rivum, qui in Vardonem influit & Aissena *Ayssene* dicitur, vix 2. mill. pass. ab utriusque confluentibus. In *veterib. Notit.* in provincia Narbonensi prima, nunc ultimò, nunc penultimò: à Roberto *in Chron.* 8. locô ponitur. Ejus Episcopus Probatius Concilio Agathensi, & Firminus Aurelianensi 4. subscripsêre. Caput est pagi Uceciensis, vulgò *Uzegeois*. Ipsa *Uzes* incolis, aut *Usez*. Hadrian. Valef. *Notit. Gall.*

VINDOMANA, vide *Ala Flaviana*.

VINDOMARUS, Gallorum Rex, An. Urb. Cond. 288.

VINDOMORA, oppid. Albionis in Anglia Boreali inter Vallum 29. & Cataractonum 40. milliar. in Northumbriâ. *Wallsend* Camdeno. Oppidum fuit Ottadinorum, *Bambrand*. nunc viculus 3. milliar. à Novo Castro in Occidentem in Northumbria, in ipso limite Diœceseos Dunelmensis.

VINDOMUS, meliùs *Vindonus*, aut *Vindonum*, oppid. Belgarum, in Anglia Meridionali inter Calevam 15. & Ventam Belgarum in Occasum, 21. mill. pass. Nunc oppidul. est Hantoniæ, in ipso limite Bercheriæ, 6. mill. pass. à Readingo oppid. & à Tamesi in Merid. Britannis *Caersegont* dictum, id est, Segontiacorum civitas. *Silcester Camdeno.*

VINDONISSA, primò omnium Tacito, *l.* 4. *Hist. c.* 61. 62. memorata, qui legionem 21. ibi castra habuisse tradit: *in itin.* Antonini inter Vitodurum & Augustam Rauricam: *in tab.* Peuting. inter Augustam Rauricam, Arborem felicem & Brigantium ponitur. Eumenio *in Panegyr. Constant.* dicitur *Vindo*, cùm semel atque iterum Vindonis campos hostium strage completos commemorat: urbs olim Galliæ Lugdunensis, nunc pagus Helvetiorum, à Constantiâ 6. leuc. in Ortum proximus Badæ, inter Tigurum & Basileam. *Windisch* Rhenano, quem vide *Rerum Germ. Nov. Antiqu. l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p.* 482. In Ambronico olim pago, ad Arolam fluvium, ubi Russam recipit. *Baudrand.* seu, ut Plantinus habet, ad amnem Ursam, ubi Arulam ingreditur, in agro Bernensi. Fuit olim adeo ampla, ut omnia vicina loca, ubi hodie oppid. *Brück*, castrum *Altenburg*, Abbatia *Konigsfelden*, &c. ambitu suô complexa fuerit: quod rudera longè lateque sub terra dispersa, numismata, muri, collapsi fornices, pavimenta, &c. testantur, Stumpf. *Chron. l.* 7. Jam Cæsaris tempore fuisse, ac post incendium ejus reparatam credibile est: posteà varias experta vices, tandem ab Alemannis, ut habet Valesius, circa A. C. 600. vel ab Attila Rheni hoste, uti Sidonio dicitur, ita funditus eversa est, ut vix viculus paucarum ædium, cum suburbio *Bruck*, supersit. Ibi à dominis loci castrum olim, vulgo *Altenburg*, extructum est, à quo *Altenburgenses* & *Vindonissæ* dominos se vocavère. Cœterum insignis quoque hic locus victoriâ Constantii contra Alemannos fuit, circa A. C. 296. de qua vide Panegyristen suprà laudatum, Eutropium & Sigonium *de Imper. Occid.* Antiquitatis hic monumenta, Mercurii imago, lampas effossa, inscriptiones, nummi varii, hodieque visuntur, de quibus accuratè scripserunt Joh. Bapt. Plantinus, *Helvet. Nov. Antiquâ*, & Russingerus Basiliensis *in Vindonissa illustrata*. Fuit olim urbs sedes Episcopatus, unde Bubulcus Epaonensi & Grammatius Episcopi ejus Avernensi, Aurelianensi 4. & 5. Conciliis interfuisse leguntur: posteà, illâ eversâ, ut dictum Episcopatus Constantiam German. alterius provinciæ urbem Mogontiaco subjectam translatus est. Est & *Vinconissa* villa, in pago Remensi, vulgò *Venderesse*. Item vicus pagi Laudunensis, vide Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

VINDORUM Marchia, *Windisch Marck*, pars Carniolæ; proin *Carniola media* quibusdam. Inter Croatiam est ad Ortum & Lugeam paludem ad Occidentem, sub Austriacis. Ejus urbes præcipuæ Metulum & Rudolphiverda.

VINEA, vites vinumque ferens, sollicitè à Romanis curabatur: qui *Vinitores* ex familia sua hàc fini alebant. Columella, *l.* 3. *c.* 3. *Nam ut amplissimas impensas* Vineæ *poscant, non tamen excedunt septem jugera unius operam Vinitoris, quem vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium posse comparari, putat, sed ego, plurimorum opinioni dissentiens, pretiosum Vinitorem inprimis esse sentio.* Servius *ad Bucol. Ecl.* 10. *v.* 36.

——— *Aut matura Vinitor uvæ:*

Vinitor autem, inquit, *vel custos vel cultor vinearum.* Cujus ordinis *Vindemiator* erat, seu *Vindemitor*, ut diximus. Iidem Romani cellam *Vinariam* magnâ curâ instruxerunt in qua Ulpianus, *l.* 15. §. 6. *ff. de usufr.* ponit dolia defossa, serias, cupas, cados, amphoras. Hinc Servi Doliarii mentio in vet. marmore, *A. Terentius. M. L. Chrysogonus, Ser. Dolear. H. S. E.* cujusmodi servos cum cellæ Vinariæ typo exhibet itidem vetus marmor, A. C. 1601. Augustæ Vindelicorum effossum, apud Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, cui delineatio illa obtigit à Marco Velsero Patricio Augustano, simul admonente loci Pliniani *l.* 14. *c.* 21. *Circa Alpes ligneis vasis condunt, circulis cingunt.* Circa *Vineam* quid apud Hebræos juris fuerit, diximus retro in voce *Vindemia*. Primus autem vites plantavit vinique conficiendi docuit rationem Noë Patriarcha, ut cognoscere est, ex Genes. *c.* 9. *v.* 26. Unde quemadmodùm Bacchus Ægyptius ac Thebanus Moses, sic Indicus, hôc longè antiquior, Noë fuit. Cùm enim plures essent Bacchi seu Liberi, Diod. *l.* 3. antiquissimum eorum Indicum facit, atque universum ab eo Mundum esse edoctum ait, botros torcularibus exprimere; quem in Indiam ex Græcia venisse, ac Semeles fuisse filium, vana jactabat Græcia: Indi autem ex Assyria ad se venisse dixerunt, ut auctor est Philostratus, *de Vita Apoll. l.* 2. *c.* 4. quod apprimè Noacho convenit. Quemadmodùm in eundem probè quadrat, quòd Liber Indicus bis natus perhibetur. Si enim Veter. idonea visa est ratio, cur Liberum bis natum dicerent, quia vitis & ante Deucalioneum fuerit diluvium: & posteà iterùm effloruerit, quam Diodorus adfert *l. cit.* longè justiùs Noahus dicetur bis natus, quia fuit tum ante diluvium universi Orbis; tum pereunte Orbe reliquô, cum sua familia servatus est. Vide Gerhard. Joh. Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 19. & 25. plura verò in hanc rem, inprimis de *Vinearum situ, positione, colendarum disciplina, differentiis, cultoribusque nobilibus*, apud Plinium, *l.* 14. *c.* 4. *l.* 17. *c.* 3. & *seqq.* adde Salmas. *ad Solin. p.* 512. 513. & 514. ubi *de Vinea pulveratione & cultura* Veter. accuratè agit: ut & quæ suprà dicta voce *Pulveratio*. Nec omittendum, quòd apud Hebræos, *Si quis vineam consevit, neque profanavit*, à militia immunis fuit, Deuteron. *c.* 20. *v.* 6. At Scythæ neque terram arabant, neque vineam colebant, Gregoras, *l.* 2. Trebellius quoque Bulgarorum Dux vineas extirpari jussit, teste Bonfiniô, *l.* 1. *Dec.* 1. quod & Muhammedes inter superstitionis imperiique arcana habuit, unde sub gravissima pœna vinearum vinique usus hodieque apud Turcas vetitus. Sed & Domitianus Imperator ob summam quondam ubertatem vini, frumenti verò inopiam, existimans nimiô vinearum studiô negligi arva, edixisse, ne quis in Italia novellaret, utque in provinciis vineta succiderentur, relictâ (ubi plurimùm) dimidiâ parte; epigrammate, quod in hircum *vineæ* arrosorem vini amator Poëta scripserat, minimè absterritus, legitur apud Suetonium &c. A' vermibus *vineam* infestantibus Herculem Ἰποκτόνον cognominatum olim esse, diximus suprà voce *Vermis*.

VINEA, machina militaris, oppugnationibus urbium adhiberi olim solita: teste Vegetiô, *l.* 4. *c.* 15. tabulis cratibusque constrata erat, & subjectis rotulis impellebatur, ut ejus tectô muniti obsidentes, murorum fundamenta faciliùs subruerent. Item, ut cùm plures ordine impellerentur, milites post eas sequerentur occulti, Cæsar, *Bell. Gall. l.* 7. *c.* 17. 27. Has Franc. Hotomannus inde dictas opinatur, quòd, ut plerisque *locis vineæ sepibus*, ita hæ tectis vimineis muniri solerent. Unde *sub vitem præliari* dicebantur milites, cùm sub militari pugnabant. *Festus.* Priorem *Vinearum* usum Lucanus, *l.* 3. *v.* 487. hisce describit:

Tunc adaperta levi procedit Vinea *terra,*
Sub cujus pluteis & tecta fronde latentes
Moliri nunc ima parant & vertere ferrô
Mœnia, nunc aries suspensô fortior ictu
Incussus densi compagem solvere muri
Tentat & impositis unum subducere saxis.

Plura apud J. Lipsium *lib.* Πολιορκ.

de VINEIS Petrus, vide *Petrus*.

VINEMACUS, pagus, priscis memoratus, aliàs *Vimau*, seu *Vimmau*, & *Vimnau*, inter Auciam & Suminam fluv. jacet: à fluv. *Vimina*, quem Auciam esse & Breslam hodie dici, ait Valesius, nomen nactus: nunc *le Vimeu*. In hac Balliolum *Bailleul en Vimeu*, villa Andesagina *Ansene*, villa Augusta ad mare, hodie *Aut*, &c. collocantur ab Auctore vitæ S. Lupi Episcopi Senonici: Pipinus Rex Marcam, Avisnas, Vidriacum, Areas in illo ponit, in literis datis annô regni sui primô. Vide Hadr. Valef *Notit. Gall.*

VINETA, urbs Pomeraniæ, in Rugia, (vel Usedomia potiùs) Insul. excisa unà cum Arcona, Carento & Julino, urbibus extinctis, pro quibus hodie Sundis & Volinum.

VINETUS Elias, à Burgo natali, in Xantonia provinc. Galliæ cognominatus, Joh. Gelidæ successor docuit in Collegio Aquitanens. eruditis Commentariis veteres Auctores illustravit: Obiit Burdigalæ A. C. 1587. æt. 78. Mathematicus quoque, Arithmeticus & Geometra insignis. Inter opera illius, quorum seriem habes *in Elogiis* Teisserii, *part.* 2. *Commentarius in P. Melam*, optimum, *in Ausonium*, pessimum est. Jos. Scaliger, *Epist.* 199. *l.* 2. Vide etiam Sammarth. Vossium, de *Scient. Mathem. c.* 44. §. 26. *Scaligeran.*

VINETUS Johannes, vide *Johannes*.

VINGENNA, vel VIGENNA, nobilis Gall. in Aquitania fluv. qui se in Ligerim exonerat, *Ferrar.* Hodie *Vienne*, accolis fontis ejus, Lemovicibus *la Vignane*. Alluit Ratiastum Lemovicum oppid. S. Juniani, Confluentes, Insulam Jordanis, Luciacum, Calviniacum, Castellum Heraldi in Pictonibus, Insulam Burchardi, Cainonem Turonum, & apud Condate *Cande*, in Ligerim decurrit. Recipit amnes non ignotos Clennum *Clain*, Devæ *Dive*, Vonnæ & Medioximi *Mioßan*, aquas deferentem; & Crosam minore Crosâ *petite Creuse*, & Vartimpâ *Gartempe* auctum. Est & in Burgundia *Vincenna* fluvius, qui in Atarim devolvitur, vulgò *Vingeune*. Hadrian. Valef. *Notit. Gall.*

VINI Inspector, Græcè Οἰνόπτης, vide suprà *Oenoptes*.

VINI Minister, apud Hegesippum, *l.* 1. *c.* 29. *Nec minùs Vini minister missus in Judæam dolis prætenderat, ut caperet Herodem.* Et in *Vita* vet. Ambrosii, *Erat enim eô tempore, quô hæc loquebatur, vini Minister:* Josepho οἰνοχόος dicitur. Unde *Vini ministerium*, apud Ambrosium ipsum de Josepho Patriarcha, *c.* 6. *Et quanta hæc potentia, ubi Vini ministerium.* Vide suprà *Buticularius, Pincerna, Pocillator, Scancio*, & infrà, *ad Vinum*.

VINIDIUS Quadratus, vide *Titus*.

VINIDIUS Verus, inter Jurisperitos, quorum consiliô usus est Antoninus Pius Imperat. memoratur Capitolino in *Vita* hujus, *c.* 12. *Vindius* dicitur Ulpiano, *Digestor. l.* 4. & 5. ut & Volusiano, *l.* 35. *tit.* 2.

VINISIMA, quæ & VINSHEMIA, urbs Franconiæ, inter Norimbergam ad Occident. & Megethum, ad 7. leucas Spiram versùs. Vulgò *Winsheim*.

VINITIUS Quartinus, vide *Marcus*.

VINITOR, apud Maronem, *Ecl.* 10. *v.* 36.

Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ ;

Et *l.* 2. *Georg. v.* 417.

Jam canit extremos effœtus vinitor *antes :*

vindemiator est, Græcè τρυγητὴς, item ἀμπελουργὸς, de quo vide quæ suprà diximus, vocibus *Vindemia* & *Vinea*, quæque infrà dicemus, voce *Vitis*. Aliis Talmudicis *Vinitores* intelliguntur 2. Reg. *c.* 25. *v.* 12. ubi Nabuchodonosori præfectus Nabuzardan, reliquisse legitur *Vinitores & Agricolas*. *Cùm enim balsameta, quæ prope Engade præstantissima, instar vineæ fuerint : namque Balsami arbuscula est viti similior —— Malleolis seri dicitur, nuper vincta ut vitis : Et implet colles vinearum modò, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent. Tondetur similiter fruticans, & rastris mitescit* &c. Plin. *l.* 12. *c.* 25. Hinc per *vineas Engadi*, Cantic. *c.* 1. *v.* 14. balsameta illa : & per *Vinitores d. l.* eos, qui balsamum legebant, uti per *agricolas* à *torcularì* in Hebræo nomen nactos, purpuræ piscatores (quòd premerent & contunderent concham purpurariam, ut sanguinem ejus exprimerent) significari volunt Magistri, illosque secuti plurimi Interpretes. Sed utramque vocem propriâ notione ibi sumendam esse, utpote cùm flore populi ablatô tenuissimos solùm in patria relictos esse, indigitari velit sacer Scriptor, docet Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 5. *c.* 9. quem vide.

VINIUS, prænomine *Titus*, cum Galba Consul, in conjuratione Othoniana, unà cum Galba, ante Julii Cæsaris ædem, à Julio Caro legionario milite interfectus. Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 42. & 48.

VINIUS, fluv. Samnii apud Casinum decurrens, atque in Lirim influens, *Varro. Fiume di S. Germano*, teste *Sanfeliciô*.

VINNICZA, urbs munita Podoliæ inferioris, ad Bugem fluv. 12. leucis Polonicis, à Baro in Ortum, 10. suprà Braslaviam in Boream, caput territorii vicini. Capta fuit à Cosacis A. C. 1650. *Winnicza* vulgò.

VINOSI Fontes, non pauci Auctoribus memorantur. Vitruvius æqualis Augusto Scriptor, *l.* 8. *c.* 3. *Sunt etiam fontes*, inquit, *uti vinô mixti ; quemadmodum est unus Paphlagoniæ, ex quo etiam sine vino potantes fiunt temulenti*. Plin. *l.* 31. *c.* 2. auctor est, ab Eudoxo & Theopompo, Scriptoribus antiquissimis, quosdam fontes esse memoriæ proditos, qui bibentes inebriarent : quanquàm alios aquis illis effectus ipse Plinius tribuit. Etiam in *Eclogis* Sotionis, Scriptoris admodùm vetusti, legimus, fontem in Arabia fuisse, nomine *Ifodum*, in quem, si quis heminam vini infunderet, totus fons evadebat κρᾶμα. h. e. *vinum dilutum*, quale vulgò bibi solebat. Eodem Lyncestis aqua referenda, eidem Vitruvio ac Sotioni memorata ; cui & Tertullianus *vinosam* venam attribuit, ut & Plinius : Græcis tamen eam inter ὀξίζοντας *acidulas* referentibus &c. Unde Casaubonus non immeritò arguit Baronium, nullum se legisse Auctorem, qui ante DOMINUM nostrum (in nuptiis vinum ex aqua facientem) vixerit, fontiumque istiusmodi meminerit, dicentem. Nec fons ille Andri Insul. quem ex Plinio commemorat, necessariò referendus in censum eorum miraculorum, quæ post miraculum in Cana factum primò extiterint. Nam ipsum ejus nomen *Dios tecnosia* antiquitatem ejus miraculi veri, an falsi, indigitat : quod stulta Antiquitas, existimans esse monumentum Liberi Patris à Jove geniti, Διὸς τεκνώσιον nuncupavit : Ex illo autem fonte, statis diebus septenis, vinum manâsse, tradit Plinius, *l.* 31. Observationem Epiphanii super *vinosis* prorsus admirabilem, ut & plura in hanc rem, vide apud Isaac. Casaubonum, *Exerc.* 13. §. 22. & suprà quoque voce *Lyncestus*, item *Fons Veneræ*. De veterum verò Christianorum abstinentiâ, tempore jejunii, à *pomis* etiam *vinosioris succi*, diximus voce *Pomo*.

VINOVIUM, *Ptolem. Binovium*, oppid. Brigantum in Anglia Boreali inter Vallum & Cataractonum 22. mill. pass. *Antonin. Camdeno* est *Binchester*, oppid. seu pagus agri Dunelmensis, qui aliô nomine *Viconia* nominatur, ad Vedram fluv. 6. milliar. Anglicis, suprà Dunelmum in Meridiem.

VINSA, oppid. Ducatus Luneburgici, ad Albim, ubi recipit Ilmenaviam, 2. milliar. Germanic. infra Luneburgum in Cæciam Hamburgum versùs 4. Vulgò *Winsen*.

VINSBERGA, oppid. Bavariæ, ubi Velphus, frater Henrici Saxoniæ & Bavariæ Ducis, imperium sibi vindicantis, à Conrado III. Imperatore victus ac occisus est : Civibus oppidi, cùm eorum uxores, quibus pretiosissimas res efferre permiserat, *maritos humeris exportare* vidisset, pepercit Imperator. A. C. 1140. Naucler. *in Chron.*

VINSCHOTA, vulgò *Winschoten*, oppidul. Groningæ provinc. prope Sinum Dollartum, in limite Transisalaniæ, 5. milliar. German. à Groninga in Ortum. Hîc Hispani à Ludovico Nassovio victi sunt, seculô præteritô. Vide Thuan. *Hist. l.* 43. 46.

VINSTRINGA, oppid. Lotharingiæ, ad Saravum fluv. 7. leuc. à Marsalio in Ortum, uti à Bipontio in Merid. Malè habitum, pleriesque vastatum, ultimô bellô Germanicô. *Vinstringen* Germanis. *Finestrange* Gallis.

VINTIMILIUM, *Varro*, urbs Liguriæ in ora, sub Genuensi Republ. inter Albingaunum ad Ortum 40, & Nicæam ad Occident. 17. mill. pass. vide *Albintemelium*.

VINTIUM Nerusiorum, memoratum, Plin. *l.* 3. *c.* 19. inter gentes Alpinas, à mari supero ad inferum pertinentes, vulgò *Venza*, urbs Liguriæ in Alpibus maritimis, Episcopalis sub Archiepiscopo *Ebrodunensi*, in veterib. Notit. inter octo hujus provinc. civitates ultimô locô numerata, hodie in Provincia est, à Nicæâ 4. leuc. in Boream. Ejus majus templum, Mariæ Virgini sacrum, Episcopi sedes est. Interfuêre autem ejus Episcopi Deuterius Conciliis Aurelianensibus 4. & 5. & Aurelianus Concilio Cabillonensi, à Chlodoveo junior. Francorum & Burgundionum Rege convocato. Mummolus Episcopus Lerinensis Monasterii prædo, *Vintia* civit. princeps dicitur ab Aldevaldo *in vita Aigulfi*, eô sensu, quô malos Episcopos, potentiâ & auctoritate suâ abuti solitos, tum vocari solere, annotavit Valesius. Caput est Comitatus cognominis, in quo Monasterium S. Veram ad Lupum fluv. item castrum Aurilucum à veteribus memorantur. Decurrit autem Lupus *le Loup*, cis Varum in mare. *Vintio* proximum, eidemque amniculo appositum est oppid. St. Pauli *S. Paol*, & à vicinia capitis quoque *S. Paul de Vence*. Amniculus hic, per oppid. S. Pauli & Villam Novam in mare Ligusticum effluit, Hadrian. Valesf. *Notit. Gall.* Vide *Vensiensis urbs*.

VINTONIA, urbs Hantoniæ, aliàs *Venta Belgarum* Episcopalis sub Archiepiscopo Cantuariensi, ad amnem *Iching*, 14. milliar. ab ora maris Britannici in Boream, 16. à Sarisburia in Ortum, vulgò *Vinchester*. Ex Collegio *Vintoniensi*, ab Eadgaro Rege, impulsô à Dunstano Archiepiscopo Cantuariens. Presbyteri conjugati exturbati sunt, A. C. 960. postquàm præfatus Dunstanus Synodum ibi coëgit, Cœlibatum introducturus : quâ durante, audita vox, *Non bene sentiunt, qui Presbyteris favent*, (puta uxoratis ;) hinc contra illos statim conclusum quoniam vox imagini Christi, quæ ibidem prostabat, tributa : Sed Polydorus addit, *Non defuerunt, qui id Oraculum Phœbi magis, quàm Dei fuisse, hoc est, hominum fraude, non Dei nutu editum, dicerent*, *l.* 6. Vide quoque Thuan. *Dunstanus*.

VINTSHÆMUM, vulgò *Winsheim*, urbs parva Franconiæ, Imperialis & libera, in ditione Bambergensi, ad amnem *Aisch*. 7. leuc. ab Herbipoli in Eurum. Vide *Vimsima*.

VINUCIUS Quartinus, prænomine *Marcus*, cum L. Cassio Longino Consul An. Urb. Cond. 783. Callibus ortus, equestri familiâ, mitis ingeniô & comptæ facundiæ : cui Tiberius Juliam Germanicô genitam collocavit. Produxit vitam, ad Claudium & à Messalina, quia pudorem servavit, interfectus est. Pater ejus *Publius* Consul an. Urb. Cond. 755. Avus Marcus an. 735.

VINULI, sic Langobardi dicti, antequàm in Italiam irrumperent : *Paul. Diac.*

VINUM, quô Auctore mortalibus sit monstratum, diximus paulo suprà. Græcis id Oeneum, unde & οἴνου nomen, an Icarum, Italis Janum, dedisse, refert Athenæus, *l.* 15. uti & far : sed utrumque non tam potui aut cibo quàm divino cultui & sacris instaurandis, teste Lactantiô, *l.* 7. *c.* 6. quod in populo Dei similiter obtinuit. Ita primitùs ejus in Sacris usus insignis, & quidem cùm apud Hebræos, materia rerum, quæ Deo offerebantur, esset varia, sacrificiorum quædam *Victimæ*, alia *Oblationes*, nonnulla *Libamina*, dicta sunt, prout vel pecudes, vel fruges vel olei *Vinique* liquores, Deo offerebantur. E quibus illæ ad aram mactabantur ; istæ sacrô ritu templo inferebantur ; parsque eorum adolebatur : hi autem Sacrificiis affundebantur ac in altari Deo libabantur. Et quidem libamen ex *Vino* affundebatur holocaustis & sacrificio votivo ac spontaneæ oblationis, & in festis ; quibus & munus dapale adjungebatur. Exodi *c.* 29. *v.* 40. & Numer. *c.* 15. *v.* 3. 4. 5, 7. Nec *Vini* usus sacer in N. T. cessat, utpote, in sacra Synaxi, institutus in symbolum pretiosi CHRISTI sanguinis ; sicut panis in eodem Sacramento, Servatoris corpus fractum ac mortuum pro nobis, significat, exhibet atque obsignat, 1. Cor. *c.* 10. *v.* 16. & *c.* 11. *v.* 25. & *seqq.* Vide quoque suprà ubi de *Hierologia nuptiali*, it voce *Sanguis*. Apud Gentiles, Hebræorum ritus non paucos in sacra sua transferentes, similiter *Vinum* frequenter adhibitum est, etiam cùm Bonæ Deæ operarentur : Sed in his sacris non suô, verùm *lactis* nomine, appellabatur, quòd illa *Vinum* bibens à Marito suo fuerit interfecta, unde & amphora, quâ vinum in fanum ejus inferebatur, *Mellaria* dicta est. Quò refert Joh. Britannicus illud Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 115.

—— Taceant illi, sed prodere malunt
Arcanum, quam subrepti potare Falerni,
Pro populo faciens, quantum Laufella bibebat.

Vide Thom. Dempster. *Paralipom. ad Rosin. l.* 2. *c.* 19. Fundebant verò *vinum*, tum initiô sacrificii accensâ arâ, & thure impositô. Ovid. *l.* 5. *Trist. El.* 5. *v.* 11.

Da mihi thura puer pingues facientia flammas ;
Quodque pio fusum stridat in igne merum.

Quam ob causam, *merum thuris socium* Arnobio cluit *l.* 7. Tum postea mactatis jam & illatis victimis. Homer. *Il.* γ. *v.* 292.

Ἦ καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ,
Καὶ τοὺς μὲν κατέθηκεν ἐπὶ χθονὸς ——
Οἶνον δ' ἐκ κρητῆρος ἀφυσσόμενοι δεπάεσσιν
Ἔκχεον, ἠδ' εὔχοντο θεοῖς αἰειγενέτῃσι.

Vide Desid. Heraldum *ad Arnobium d. l. p.* 273. Pocillum vini à Papyrio Imperatore adversùs Samnites dimicaturo, Jovi votum, si vicisset, memoratur Livio, *l.* 10. *c.* 42. *extr.* & Plinio, *l.* 14. *c.* 13. Inferiis quoque præter lactis fontes, *vinum* additum, teste Siliô Italicô, *l.* 16. *v.* 308.

Ipse tenens nunc lacte sacrô, nunc plena Lyæi
Pocula ——

Et quidem Manibus cùm parentabant, rogum sepulchrumve conversâ manu *vinô* respergebant, pocula libabant, effusô *vinô* vasa in ignem mittebant, nigras hostias immolabant, Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 26. Quod quamvis prohibuisset Numa, propter rei inopiam ; Decemviri tamen *vinô* quovis id fieri permiserunt, murratô exceptô. Numæ autem lex fuit : *Vino rogum ne respergito*, apud Plin. *l.* 14. *c.* 12. ubi Dalecampii *Notas* vide. Inferorum item Sacris, quibus Manes evocabantur, adhibitum, apud Homerum, Virgilium, Silium, ad quem postremum Dan. Hein-

Heinsius videndus, *l.* 13. Primum autem Romæ *publicè Vinum ac thus sacrificiis publicè præbitum Q. Fabiô & P. Deciô Coss.* Liv. *l.* 10. *c.* 23. Verum *ex imputata vite libari Diis, nefas statuit posthumia lex Numæ*, apud Plinium, *d. l.* Porrò *Vinum novum* Athenienses undecimâ die mensis Anthesterionis libabant, votis conceptis, ut innoxius salutarisque ipsis illius usus foret, precati, quam festivitatem sacramque ceremoniam *Πιθοιγίαν* dixêre. Ejusdem mensis die 6. Bœotii, fausto Genio sacrô priùs factô, *vinum* degustabant primùm, Favoniô jam silente, cujus rei rationem Plutarchus exponit, *l.* 3. *Quæst. Conviv.* 7. De Romanis, nota Meditrinalia sacra ex Varrone, *de LL. l.* 2. Plinio, Festo, iisque quæ suprà diximus. Sed & in fœderibus *vini* usus, apud Thraces ac Ægyptios, quos è cornibus boum vina libare alternâ vice, conciliati amoris & perennaturæ fidei certissima pignora, consuevisse, docet Alex. ab Alex. ubi suprà, *c.* 3. Et priscos Reges epulum publicè præbentes, *vinum* phialis aureis aut argenteis temperatum à pincernis accepisse, eôque libatô, quod magni amoris signum esset, calicem cui volebant porrexisse, atque hoc *προπίνειν, propinare*, dictumque, quô id fiebat, *φιλοτησίαν* dictum esse, notat *Suidas*. Nec omittendum, quòd Persæ Germanique veteres de rebus maximis in conviviis ac inter pocula consultarent, *quod nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat*, uti de Germanis ait Tacitus, *c.* 22. de Persis vide Strabonem, *l.* 15. Imò & *Vinum* effudisse, aut eô vestes inquinâsse, bonæ Fortunæ signum habuêre Romani, teste Rosinô eôdem, *l.* 3. *c.* 9. &c. Ab Altaribus Deorum, ad hominum mensas, uti far, sic *Vinum* procedente ævô, translatum est, apud quas proin primum coronæ natæ, gravedini capitis, dolorique, ex ejus liberaliori usu oboriri solito, minuendo, uti diximus suprà non unô locô. Hinc stipendii locô datum Mezentio Hetruriæ Regi auxilio Rutulis contra Latinos venienti. *Plin. l.* 14. *c.* 12. Et universo Populo Probus Imperator illud publicè, sicut de pane hactenus factum, elargitus est. Quod cùm Aurelianus ante facere constituisset, à Caro Præfecto prætorio prohibitus est, dicente, *Si vinum populo Rom. damus, superest ut & pullos & anseres demus*, apud Cuspinian. Sic apud Hebræos vinô abstinere maxima habebatur mulcta; Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 5. &c. Apud eosdem tamen idem religionis erat, ut in Nazaræis & Rechabitis videre est. Quorum illi, quamdiu votum durabat, abstinere à *vino* tenebantur, quod ad ipsas uvarum pelliculas & acinos nonnulli extendunt, imo ab omni potu inebriante שכר, qualiscunque ille liquor aut undecunque expressus fuerit: Isti, per totam vitam suam, neque *Vinum* bibebant, neque agros aut vineas plantabant atque extra oppida sub tuguriis ac paupere tecto degebant ad hoc institutum a parente Jonadabo filio Rechab formati, Jerem. *c.* 35. *v.* 5, 6, 7. Quam consuetudinem non paucos Gentilium Sacerdotes imitatos legimus: Isiaci inprimis, nisi benè dilutum, illud non biberunt. Non dissimilem ob rationem, Romuli lege, Mulierum gravissimum crimen habitum est, si vinum bibissent, quòd temulentiâ illas crederet ad libidinem accendi. Unde nec cellæ *Vinariæ*, illis commissæ, ipsæque cognatis osculum ferre jussæ sunt, ut deprehenderetur, an Legem essent transgressæ: qua de re sic A. Gellius, *l.* 10. *c.* 23. *Mulieres Romæ atque in Latio ætatem abstemiæ egerunt: h. e. vino semper, quod temetum priscâ linguâ appellatur, abstinuerunt: institutumque, ut cognatis osculum ferrent* (Consobrinis nempe, Affinibus & Propinquis) *deprehendendi causâ, ut odor indicium faceret, si bibissent* &c. Imò, cum Egnatius Metellius uxorem, quæ vinum gustaverat, peremisset, *Factum id non accusatore tantùm caruit, sed etiam reprehensore; unoquoque existimante, optimè illam exemplô violatæ sobrietatis pœnas pependisse*, Val. Max. *l.* 6. *c.* 3. ex. 9. In solatium verò vini negati, loream, passam, murinam, aliaque id genus dulcia, bibere iis concessum, vidimus suprà voce *Temetum*. Sed & *vinum in expeditione neminem bibere, verum acetô universos esse contentos*, jussit Pescennius Niger, apud Spartian. *c.* 10. qui & apud Ægyptum limitaneis militibus vinum petentibus, *Nilum habetis*, respondit, *& vinum quæritis*, apud eundem *c.* 7. cui voce simili querentem populum de inopia ac caritate vini compescuisse Augustum, narrat in eo, Suetonius, *c.* 42. Apud Carthaginenses idem obtinuisse, ex Platone discimus, qui legis eorum, *Ut ne quis unquam in exercitu vinum gustet, sed illo omni tempore aquæ potu utatur*, meminit *de LL. l.* 2. Vide quoque ubi de *Lugendi ritibus*. At modum excessêre, Tatianus, Severus, Encratitæ, Manichæi, hæreticorumque alii, qui *fel Draconis & venenum antiqui serpentis* appellantes vinum, etiam in sacra ab eo Cœna abstinebant. Vide de iis suô locô. Quam ob causam *Vini* usu suis interdictum voluerit Mahometes, diximus alibi; De *Vino* verò morituris propinari solito, dicemus infrà in voce *Vinum Myrrhatum*: hîc, quædam de vulgari promiscuo ejus usu, ac Virorum circa illud cura, addituri. Æstimabant *Vinum*, ætate Veteres, quoque diutius fuisset asservatum, eô majoris habebant. Unde *vini cadus in ætate pretiosi*, Appulejo, *Metam. l.* 2. *Vina veterana*, Senecæ, *Natur. Quæstion. l.* 4. *c. ult. Lagena, vini vetusti*, Scævolæ JCto, *l.* 37. *ff. de leg.* 3. *Amariores calices*, Catullo, *Epigr.* 27. *v.* 2. *Annosus Lyæus*, Tibullo, *l.* 3. *El.* 2. *v.* 19. &c. pro laudato. Modus autem *Vinum* istiusmodi condendi in doliis erat, ut pice diligenter oblinerent, inque loco statuerent, quò fumus pertingere posset. Marcellus, *de Medicam. Operculo superposito & clauso vel gypsato diligenter de argilla.* Horat. *l.* 1. *Od.* 20. *v.* 2.

> —— *Græcâ quod ego ipse testa*
> *Conditum levi.*

Vinum verò *celerius fumô maturescere*, credebant; Columella, *RR. l.* 1. *c.* 6. quod insaluberrimum judicavit Plin. *l.* 23. *c.* 1. Horatius iterum *l.* 3. *Od.* 8. *v.* 9. *s.*

> *Hic dies annô redeunte festus*
> *Corticem adstrictum pice dimovebit*
> *Amphora, fumum bibere instituta*
> *Consule Tullô.*

Primus sic picandi reponendique vini auctor L. Opimius Consul. fuit, unde & *Opimiani* nomen. Plin. *l.* 14. *c.* 14. *Apothecas fuisse & diffundi Vina solita, annô 633. Urbis, apparet in Consulatu Opimiani vini argumentô, jam intelligente suum bonum Italia.* Nempe *Apothecæ* dicebantur cellæ vinariæ, Plin. *eod. l. c.* 4. Columella, *l.* 10. *c.* 6. Ulpianus, *leg.* 21. §. *sed etsi de nave ff. de furt.* Unde Phædrus, *l.* 4. *fab.* 5. *v.* 25.

> *Potrici plenam antiquis apothecam cadis:*

Cadisque, quorum quilibet capiebat *Vini* libras centum, ad vina condenda Veteres fuêre planè usi, ut ostendit Plinius, *l.* 14. *c.* 14. 15. Notabantur autem inscriptô nomine & Auctoris & Consulis: Hinc apud Petronium titulos amphoræ, *Falernum*, *Opimianum*, *annorum centum*. Et Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 34.

> —— *Cujus patriam titulumque senectus*
> *Delevit multa veteris fuligine testæ.*

Ubi & patriæ Poëta meminit. Tituli verò in cervicibus pittaciis affixis erant inscripti. Petronius ubi suprà, *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo.* &c. Elegantissimè Plautus ita in *Pœnulo*, *Actu* 4. *sc.* 2. *v.* 15. *s.*

> *Ibi tu videas literatas fictiles Epistolas*
> *Pice signatas, nomina insunt cubitum longis literis;*
> *Ita Vinariorum habemus nostræ delectum domi.*

Vide quoque suprà in *Vinea*. Porrò sicut nix seu nivata aqua percolari & sacco transmitti solebat, quò defæcatior esset, ita & vina ejusmodi vetera percolabant, quò egestis noxiis humoribus, aut fæce impuriori mitiora, leviora & liquidiora fierent. Quod *σακκίζειν* & *σακκελίζειν* Græci dixêre. Plin. *l.* 19. *c.* 4. *Inveterari vina saccisque castrari*, seu ut in MS. *castigari*. Similiter Judæi in colo, vel in sudario, vinum percolabant, ne culex, aut aliud animalculum per Legem prohibitum, tanquàm immundum, ab incautis absorberetur. Unde Græci Interpretes Amosi, *c.* 6. *v.* 6. *Οἱ πίνοντες τὸν διυλισμένον οἶνον. Qui bibunt percolatum vinum.* Et ad hunc ritum alludit Christus, cùm Scribas & & Pharisæos *διυλίζειν τὸν κώνωπα*, *percolare culicem* ait Matth. *c.* 23. *v.* 24. voce hâc propriè *vinulam* significans, uti vocat Scaliger, i. e. *vinarium culicem*, quem ex vino acescente nasci eôdemque ali ac pasci, Aristoteles tradit, *Histor. l.* 5. *c.* 19. Vide quoque Plutarch. *contra Stoicos & Symposiac. l.* 4. *c.* 1. Anatolium, *Geoponic. l.* 6. Bochartum, *Hieroz. Parte poster. l.* 4. *c.* 17. Alios. Percolatum dein sic vinum dulcius reddebant melle admixtô, quod *mulsum* dicebatur, Macrob. *l.* 7. *c.* 12. Vide Thom. Dempster. *Paralipom. ad Rosin. l.* 5. *c.* 30. Sed hac de re plura, paulo post. Græci, cùm priùs meracum biberent, ab Amphictyone, Atheniensium Rege, à Baccho edocto, diluendi temperandique *Vini* modum didicêre, ut refert Philochorus apud Athenæum, *l.* 2. Unde Lex ejus, *ἐν ταῖς συμποσίαις μὴ πίνειν ἄκρατον, in conviviis merum vinum ne bibento.* Confectô tamen jam epulô, mensis secundis, libari merum vinum, quod *ἀγαθοῦ Δαίμονος* dicebatur, voluit, hâc ea de re Lege scriptâ: *Προσφέρεσθαι μετὰ τὰ σιτία ἄκρατον μόνον ὅσον γεύσασθαι, τὸ ἀγαθοῦ Δαίμονος.* Quô poculô delibatô, quod *δεῖγμα* erat *τῆς δυνάμεως τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ*, poculum iterum impleri solebat; teste Apollodorô, *περὶ Σώφρονος*, *l.* 4 sed infundebatur *Vinum* dilutum; atque hoc non degustabant modò, sed quantum vellent, bibebant, dicebaturque *τοῦ Διὸς Σωτῆρος*, *Jovis Servatoris.* Vide suprà in voce *Servator*, & plura in hanc rem, apud Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 7. *tit.* 11. Addo saltem, ab eo tempore, quô *Vinum* diluere didicêre mortales, *τὴν ἀκρατοποσίαν meri potationem*, probro apud Veteres versam fuisse ex Athenæo, *l.* 10. eamque *Scythicam potationem* appellatam: semperque modestis & temperantibus in more fuisse temulentum Bacchum sobriis temperare Nymphis: quod à quo & quando cœperit, quot etiam modis & quantâ aquâ *Vinum* temperari solitum sit, pluribus docent Hier. Mercurialis, *Var. Lect. l.* 1. *c.* 18. & Stuckius, *Conviv. Antiqq. l.* 3. *c.* 11. Uti verò temperando vino aqua admixta, sic dulcedinis causâ, mel additum, uti jam innuimus, præcipuè vino austero ac forti, quale Falernum & Massicum, cui mel Atticum, vel etiam Siculum, miscebant Romani, uti diximus suprà, ubi de *Mulso.* Aliud erat *Vinum melitites*, quod adjectô ad quinque austeri musti congiô mellis unô, & salis cyathô, fieri consuevisse, docet Dioscorides, *l.* 5. *c.* 15. Superaddidit luxus unguenta, rosas, corollas, alia: utque color placeret magis, aloë odoratâ ac cinnamomô eum adulterabant, uti tradit, Plut. *Symposiac. l.* 6. *c.* 7. *Οἰνῶν καὶ τὸν οἶνον οἱ μὲν ἀλόαις χρωτίζοντες, ἢ κινναμώμοις καὶ ἡδύνοντες, ὥσπερ γυναῖκα καλλωπίζοντες εἰς τὰ συμπόσια καὶ προαγωγεύοντα*, de quibus aliisque Veter. circa vinum deliciis, vide Plin. Casaubon. *ad Athenæum*, Salmas. *ad Solin.* & *Hist. Aug.* Alios, & hic passim. Coronabantur autem in conviviis vina. Hinc Virgil. *l.* 1. *Æn. v.* 728.

> —— *Et vina coronant:*

Ejusque imitatione Statius, *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 75.

> —— *festasque dapes redimitaque vina*
> *Abripiunt famuli* ——

Metonymicè, quia videl. calices coronari mos fuit: imò & in ipsum poculum nonnunquàm flores indebantur, ut dictum. Vide quoque Tertullian. *de Coron. Milit.* & plura hanc in rem apud Car. Paschal. *Coron. l.* 2. *c.* 2. Sicque coronata poscebantur, à convivis ultro sese ad hilaritatem invitantibus. Cicero 1. *Verr. c.* 26. *Fit sermo inter eos & invitatio, ut Græcô more biberetur: hortatur hospes poscunt majoribus poculis.* Sic Horatiani convivæ Nasidieni *calices poscunt majores*, *l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 35. Et in convivio Trimalcionis, *potionem poposcit.* Unde Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 59. *v.* 3.

> *Frange toros, pete vina, rosas cape* &c.

quô de more vide Jo. Frid. Gronov. *Observation. l. 4. c. 4.* Ad quod dein latus pocula circumferri consueverint, dictum suprà. De aliis *Vini* usibus ut verbum aspergam, è *Vino* uti divinaverint Veteres itidem suprà diximus, ubi de *Divinatione*: Spartani infantes *vinô* abluebant à partu, argumentum sumturi, an epilepsiæ obnoxii forent; Alexander ab Alexandro mox laudandus, *l. 2. c. 25.* Alexander conspergebat pretiosô unguentô *vinôque odoriferô*, pavimentum & aliis suffimentis sibi suffumigari patiebatur, Athen. *l. 12. c. 18.* Etiam cadavera Græci suorum *vinô* & unguentô inspergebant, uti docet Alexander Neapol. *Genial. Dier. lib. 3. c. 7.* ut plura omittam. Celebriora apud Veteres *Vini* genera recensentur, Chium, Falernum, Myrrhinum, Pucinum, hodie *Vin di Prosecco*, cui *prima laus dabatur olim, sicut secunda vino Falerno*; in Italia, Strabo, *lib. 15.* Plin. *l. 14. c. 6.* Fortun. Licetus, *de Gemm. Annular. Schem. 49. c. 154.* &c. Atque hæc apud Latinos. Ægyptia laudat Alexander Aphrodisæus, *Probl. 55.* in specie Mareoticum, Gratius, *Cyneget. v. 312.*

Hæc illa est, Pharios quæ fregit noxia Reges,
Dum servata cavis potant Mareotica gemmis.

Quæ proin classe Alexandrinâ Romam advecta, docet Papinius, *l. 3. Sylv. 2. v. 25.* Inter Græcos Maroniticum, Pramnium, Chium &c. celebria. Vide Eustathium, Od. γ. In Judæa, vinum Alexander Trallianus commendat Sareptanum, Ascalonite, Gazense, alia. Et quidem de Sareptano & Gazensi, Sidonius, *Carm. 27.*

Vina mihi non sunt, Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sareptenô palmite missa bibas.

Et Corippus, *l. 3.*

—— *& dulcia Bacchi*
Munera, quæ Sarapta ferax, quæ Gaza creârat.

Ascalonite in S. Scriptura est *vinum Sorek*, à torrente urbi vicino. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l. 5. c. 9.* In Syria *vinum Chelbon* laudatur Ezech. *c. 27. v. 18.* quô solô Persiæ Reges uti consuevisse, legimus apud Strabonem, *l. 15.* Vide suprà voce *Chalybonitis* &c. De iis, quæ hodie in fama sunt, quædam paulo post subjungemus. Ita hactenus de *Vino*, quod *αἷμα τῆς σταφυλῆς*, *sanguinem uvæ*, Græci dixêre, vide quoque Genes. *c. 49. v. 11.* de *Vino aromatite, myrtite, scyllite*, innumerisque factitiorum generibus, aliisque huc pertinentibus, vide Auctores supra laudatos, Plinium præcipuè *totô librô 14.* ubi *rem Vinariam* Veter. prolixè exequitur, & Salmas. *ad Solin.* ac *Hist. Aug.* ubi de *Vino* insuper *Fiscali* ac *Mensali*, nec non hic variis in locis: de *Vino recentato*, diximus suprà; de more inter alia Veterum *vinum* explorandi, itid. suprà voce *Pytisma*.

Vina hodie in Europa celebriora, secundùm regiones.

α. Canariæ Insulæ illud proferunt, cui à colore *Secco* nomen. β. Candia, Malvatico superbit. Vide suprà. γ. Gallia, ferè tota *Vinô* abundat, Britanniâ, Normanniâ & Picardiâ exceptis, quibus vini locô non ingrata est sicera. Sed Aurelianense, deterioris notæ habetur. Burgundia, Belnense fundit; excellens Frontiniacum ad Monspelium, similiter Provincia, Auxitani genitrix est: Quæ pleraque ad Exteros efferuntur Rotomagô & Burdigalâ. δ. Germania, *Vini* plurimis in locis ferax est. Inprimis ejus proventu celebres sunt: Austria, Franconia, ad Rhenum; ubi nobiliora, Baccaracense, Hochemium, Ringavense. ε. Hispania, generosæ naturæ profert Alicantinum à loco celebris portus Ilice, quæ hodie *Alicante*, dictum. Petri Simonis, ab Auctore, qui vites Rhenanas in Hispaniam transtulerat, appellatum. ζ. Hungaria, optimæ notæ producit Tokayense & Sermiense, quod in Austriam, Poloniam, Walachiam devehitur. η. Italia passim nobili vinô luxuriat: Eminent in Florentino territorio, Vinum *de Trebiano*; in Genuensi, Vinum *di Tabiano*; in Lombardia, ignobilia vina proveniunt; dulciora tamen pro insalubribus habentur, & austeriori generi, *Garbo* dicto, postponuntur; juxta Neapolum, Vini Græci proventus est, in Romano territorio *Montefiascone*, colitur vinum Muscatellinum; Sicilia, insignis notæ profert Vinum S. Severini & Syracusarum; ad Vesuvium, lachrymæ Christi crescunt. θ. Rhætia, Veltlinensi, ita enim Vallis Telina Germ. dicitur, clara est. ι. *Secco*, vide suprà & de his Auctorem Anonymum, *Hist. Orb. Terr. c. 10. de Commerciis, paragr. 2.*

VINUM Myrrhatum, Græc. *ἐσμυρνισμένον*, memoratur Marco, *c. 15. v. 23.* Duplex enim potio SERVATORI fuit exhibita, in passione; quarum prior hæc Matthæo quoque dicta, *c. 27. v. 34.* posterioris omnes Euangelistæ meminerunt. Illa data est, ex more, cùm jamjam cruci affigendus esset: Ista, præter morem, quia dixerat Dominus *Sitio*, cùm jamjam animam esset emissurus. Utraque potio, perditæ malitiæ illorum, à quibus Christo propinata est, testis fuit, sed diversô modô. Et quidem, quod priorem attinet, dubitari non potest, ex Hebræorum consuetudine profectum esse, quòd Servatori in ipso articulo, quô fuit crucifigendus, poculum est exhibitum *Vini ἐσμυρνισμένου* seu *myrrhati*. Vide Maimonidem, *l. 14. halack Sanhedrin, c. 13.* Juchasin, *p. 114. 2.* Alios. Cui simile humanitatis genus apud Athenienses quoque olim in usu fuit: Ubi, qui damnati capitis fuerant, cùm è loco Judicii exibant, ducendi ad supplicium, cibum *Vinumque* largiùs sumendi facultatem habebant; poterantque tum tria quæ vellent cunque proloqui. Unde natum in ea gente proverbium imprecationis vim habens: *Dicas tria illa, quæ ad Curia ingressum licet.* Qui mos omnino Judæorum, de quo agimus, mori genuinus est: nisi quòd illi dabant exeuntibus è judicio jamjam perituris; hi perductis ad locum supplicii, post factam confessionem, quam diligenter à morituris exigebant. Illi potestatem faciebant ingurgitandi sese cibô & *Vinô*, ut puniendi supplicii horrorem minus attenderent: isti in eundem finem granum thuris aut myrrhæ vino admiscebant. Atque hic quidem communis Judæorum mos fuit: qui tamen in Domino nostro integrè servatus non est. Observant autem Hebræi, hoc officium puniendis præstari consuevisse ab honestis & nobilibus Matronis. Satis verò constat, non defuisse pias fœminas, quæ Christi doctrinam amplexæ illi cupiebant & casum miserantes sequebantur, Lucæ *c. 23. v. 17.* à quibus proin videtur *vinum*, pro more gentis, Christo paratum fuisse, quod milites, ad omne scelus proni, felle immixtô corrupêre, quemadmodùm ex collatione Matthæi ac Marci Euangelistarum satis clarè patet. Vide Isaacum Casaubonum, *Exercit. contra Baronium 16. §. 80.* Posteriorem quod spectat potionem Servatori exhibitam, fuit illa acetum, ita enim Matth. *c. 27. v 48.* *Et statim currens quidam ex eis, quum acceptam spongiam implevisset acetô, & circumposuisset calamô, dedit ei ut biberet.* Et quidem acetum reficiendis miseris, quos supplicii examinaret pavor, fuit necessarium; acetum quoque aquâ dilutum Vini locô bibebant milites Romani pauperesque alii, verùm istud non ad bibendum, sed ad reficiendum animum, si quis deliquium esset passus, comparatum fuit. Unde quòd milites eô Christum potabant, non humanitatis id fuit, sed barbaræ immanitatis specimen, ut implerentur Prophetiæ. Qua de re plura præfatus suppeditat Casaubonus, *l. seu Exercit. eâd. c. 88.* Exhibendi sic morituris *Vini* ritum plurimis in locis hodieque perdurare, notum, vide quoque supra *Murratum*.

ad VINUM, Romanis dictus est Servus, qui Suetonio *ad Cyathum*, Appulejo *Pocillator*, Juvenali *ad Cyathos*, in vet. Epitaphio à *Potione*, Græcis Οἰνοχόος, Gallis *Scanso* appellatus, convivantibus vinum ministrabat, de quo diximus suprà variis in locis. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, & hîc passim.

VINUNDRIA, *Ptol. Windischgratz Lazio*, vide *Vendum*; etiam *Vindomanam* sic dici idem scribit.

de VIO Thomas, vide *Thomas*.

VIOCURI, Magistratus apud Romanos, è numero XXVI. Virorum, à *curandis viis* nomen habuêre, erantque VI. numerô, quorum quatuor intra urbem, reliqui duo extra Urbem curabant, usque ad principatum Augusti, qui posteriores duos sustulit. Vide Dionem multa de iis tradentem, *l. 54.* & suprà, ubi de *Vigintiviris*.

VIOLA, inter flores tertium, post rosam nempe liliumque, juxta Plinium, *l. 21. c. 26.* in vernis floribus coronariis primum locum, teste Paschaliô, obtinet, utpote veris prænuntia, quam ob causam Græci ἴον dixêre, *παρὰ τὸ αὐτίκα ἰσχύειν, quòd statim surgit*, aut apparet, ut gelu frigoreque terra solvitur. Horatius, *l. 1. Carm. Od. 4. v. 9.*

Nunc decet aut viridi caput impedire myrtô
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.

Violam intelligens. Unde Ovidius tempus id describens *Tristium l. 3. El. 12. v. 5.* inquit,

Jam violas *puerique legunt.* ——

Poëtæ tamen *violam* ἴον dici ab *Io* puella malunt, in cujus à Jove amatæ, &, ut furtum celaretur, in juvencam conversæ, honorem terram produxisse hunc florem, pabulum juvencæ, fabulantur, ut videre est apud Constantinum Cæs. *l. 11. c. 23.* Et quidem cùm tres recenseantur *Violæ* species, *purpureæ, luteæ, albæ*, Plin. *l. 21. c. 6.* prima, utpote odoris gratissimi & coloris præstantissimi, unà cum hyacintho, in coronamentis Veter. principem tenuit locum. Theocritus, *Idyll. 1.*

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος,
Ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρᾶτα λέγονται.

E quibus priorem versum sic παραφράζει Virg. *Ecl. 10. v. 39.*

Et nigræ violæ sunt & vaccinia nigra.

Loquuntur autem *violæ* pulchritudinem plurima. Namque & Theocriti ejusdem votum erat, *ut rubi & spinæ ferant violas*, in *Thyrsi*, & Anacreon Venerem esse ait *κρίνον ὡς ἴοις ἑλιχθέν*, *quasi lilium violis insertum*, eademque *ἰοβλεφάρου*, *violaceas palpebras habentis*, ac *ἰοστεφάνου*, *violis coronatæ*, propterea cognomen tulit: & inter Lycophronis anagrammatismos celebris ille est, quô Arsinoën Reginam *ἴον ἥρας*, *violam Junonis* vocavit: & *ἰοπλοκάμους violaceô capillô insignes* Musas introduxit Theognis, quô eôdem epithetô cœlestes quoque Pleiadas insignit Simonides *in Fragm.* ut alia omittam. Quam ob causam coronam ex hoc flore plexam Veteres per excellentiam *κορωνίδα* appellârunt, teste Etymologô in hac voce. Eamque inprimis virgines usurpavêre, uti ex Longo, *l. 3.* de Chloë & Daphnide docet Paschalius. Inter Gentilium Numina, præter Venerem Musasque, de quibus jam aliquid attingimus, Lares illâ coronati. Tibullus, *l. 2. El. 1. v. 59.*

Rure puer verno primùm de flore coronam
Fecit, & antiquis imposuit Laribus.

Et expressiùs Juvenal. *Sat. 12. v. 89.*

—— *Laribusque paternis*
Thura dabo atque omnes violæ *jactabo colores.*

Atque hæc est in illis coronis, quas Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cùm erat, in focum indi solitas, M. Cato tradit *de Re Rust.* Sed & convivantibus violacea corona, non minùs ac rosacea placuit, *ὅτι παύει τῇ ὀσμῇ τὴν καρηβαρίαν*, *quòd odore sisteret gravitatem capitis*, uti loquitur Plutarch. *Symposiac. 3.* Porro sociabatur *Viola* omnibus floribus vernis, præcipuè rosis liliisque,

Virgil. *Copâ*; & Hieron. *l.* 2. *Epist.* 19. Quandoque solis rosis, Athen. *l.* 15. quandoque solis liliis, apud Anacreontem & Propertium, *l.* 3. Præterea hyacintho, apud Longum, *l.* 1. serpyllo, apud Theocritum, *Id.* 8. cythisis & thymo, apud Ovid. *l.* 5. *Fast.* croco, *ibid.* & apud Prudentium, *Cathemer.* narcisso denique apud Virgilium. Vide Car. Paschalium, *Coronar. l.* 3. *c.* 3. & 4. ubi de Ciceronis insuper dicto, *An tu me in viola putas, aut in rosa dicere, de Fin. l.* 5. Mart. item Capellæ, ubi *mixtas violis rosas* eloquentiam Epicuri vocat, *l.* 2. & Veterum luxu circa flores varia addit; plura verò de hoc flore, apud Plinium, ubi suprà, Salmas. *ad Solin. passim*, Auctorem Anonymum, *Siae & Europæ*, *c.* 33. Alios. Franc. Pomey sic de illo, *Viola florum, quos in vernam lucem terra effundit, minimus existit, tametsi natu maximus. Verùm, ut staturæ deficiatur dignitate, non tamen generis in illa desideres claritatem. Regiam probat commendatque stirpem, nativæ splendor purpuræ: ac licèt agrestes inter plebejasque pariatur & educetur herbulas, nil nisi patritium spirat, nil nisi augustum redolet. Figura illi est, non exquisita illa quidem, at elaborata perfectè; color pallidus at pretiosus; odor, ipsâ penè suavior suavitate: caulis perennis, quô nixa molliter assurgit solo Folia ab radice ad summam profusa humum floremque ambientia, novum flori decus accersunt — tum concinnâ rotunditate, in quam circinantur, tum viriditate gratissima. Quibus tamen conspicua prærogativis* Viola, *adeò non amat videri & ostentari, ut captet solitudinem, ut fugiat lucem, & quasi parvitatem intra suam non satis sibi videretur abdere, abjicit abditque sese, abjectas inter vilesque plantas. At frustra tamen quærit latebras, odore quippe vel invita proditur & prætereuntes compellit, abjectam tollere, suaviari, admirari; & obstupescere, tam tenue corpusculum, quinis senisve foliis constans, odorem exspirare tam procul, atque tam gratum* &c. Vide eum *Divers. Descript.* Hinc *violaceus*, quô colore Galliæ Reges in luctu, uti legimus, vide & suprà, ubi de vestibus *Iambinis*, voce *Niger*, it. *Nigrorum* ordo, & *Prælatitiis habitus*, ac *Terminarii*, *Tractus*. *Violarium*, apud Sedulium, *l.* 1. Juvencum, Fortunatum, *de vita Martini*, *l.* 4. Alios, hortus, seu locus violis consitus: *Violeus* & *Violantilla*, nomina propria apud Romanos, ut nonnullis visum, qua de re Salmasius agit *ad Solin. p.* 99. & 100. &c.

VIOLARE, propriè rerum religiosarum maculatarum. Statius, *l.* 5. *Theb. v.* 750.

Ne fletu violare sacrum, nec plangite Divos.

Hinc de virginitate, notante Varrone, *de L. L. l.* 5. ad quam alludendo, usum rei adulteratum velut indigitans, idem Poëta *aurum violare cibis* dixit, *l.* 1. *Theb. v.* 150. ad quem locum vide *Animadv.* Barthii. Sic Juvenalis, *Sat.* 11. *v.* 116.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullô violatus Jupiter aurô.

Idem *Sat.* 3. *v.* 20.

— *viridi si margine clauderet undas*
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum &c.

Vide etiam Barthium *ad Cirin.* Inde Pictonibus usurpatum, pro tingere, variare. Virg. *l.* 12. *Æn. v.* 67.

Indum purpureô veluti violaverit ostrô
Si quis ebur ————

Pro quo Claudianus, *l.* 1. *de Raptu*, *v.* 274.

— *non sic decus ardet eburnum,*
Lydia Sidoniô quod fœmina tinxerit ostrô.

Homerô auctore, qui verbô μιαίνω in eadem re utitur, *Iliad.* δ. quod *corrumpere* Papinius Statius reddit *l.* 1. *Achilleid. v.* 308.

———— *Vel ebur corrumpitur ostrô.*

Vide Franc. Junium, *de Pictura*, *p.* 261. Ex vi autem verbo originem esse notum &c.

VIOLASCENSIS Pagus, qui *Martialis* ætate citeriore vocatus est. Sidon. *l.* 2. *ep.* Ubi *Violvascensis* legit Jo. Savaro, quem vide, *p.* 169. *edit. Paris.* A.C. 1599.

VIOLENTIA, Numen olim Corinthiorum, uti & Necessitas, à quarum Fano arcebantur omnes, nemini aditu introituque permissô. Alexander ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 14. Vide quoque suprà, ubi de *Diis*.

VIPERA, Isidoro, *Origin. l.* 12. *c.* 4. quòd *vi pariat*, uti Græcis Grammaticis plerisque ἔχις, quia ἔχῃ, *contineat* usque ad mortem fœtum. Nempe *viperam* marem in coitu caput inserere ori conjugis ac in illud exspuere semen, illamque, rabidâ libidinis voluptate, caput maris præcidere: Sed catulos vicissim, partus moram pertæsos, lateribus matris perfossis vi erumpere, traditum Herodoto, *in Thalia*, ac Ægyptiorum Sapientibus; qui mulierem vitæ viri insidiantem soloque in congressu blandientem, *viperâ* designabant, ut est apud Horapollinem, *in Hieroglyph. c.* 59. creditumque maximæ Veterum, etiam Christianorum Doctorum, parti, Plinio, Æliano, Prudentio, Basilio, Chrysostomo, aliis. Unde etiam est, quòd Romani, uti gallum, canem & simiam, ita & *viperam*, culeô inseruerint cum parricida. Sed abundè priscum errorem refellit Apollonius apud Philostratum, *l.* 2. *c.* 7. ubi conspectam sibi ait viperam catulos lambentem, ac pluribus de eo tractat, *c. seq.* Scaliger quoque *in Vincentii Camerilli circulatoris lignea theca enatas viperillas parente salvâ*, se vidisse memorat, *Exercit.* 101. Viperæ nimirum & ipsæ quidem intus habent ova, sed intus etiam fovent atque excludunt, quod iis videtur proprium esse ex serpentibus, unde & viperæ, quasi potiùs *vivipara*, sicut ἔχις, quòd *contineant*, usque dum vivum pariant fœtum, dictæ videntur. Philosophus, *Hist. l.* 5. *c.* 34. Τίκτει δὲ μικρὰ ἐχίδνα ἐν ὑμένι, ὃ περιῤῥήγνυται τριταῖον. Ἐνίοτε δὲ καὶ ἔσωθεν διαφαγόντα αὐτὰ ἐξέρχεται. *Parvas viperas in membranis parit, quæ tertiâ die rumpuntur. Quandoque etiam, dum intus sunt, exedentes* (non matris uterum, sed membranas illas) *per se exeunt.* Interim etymon quod attinet utrumque, res eodem ferè redit; quia necesse est, ut *vi pariat*, si *vivos* catulos parit. Quò facit Hebræum *viperæ* nomen אפעה, *ephe*, factum ab פעה i. e. *clamare contentâ voce*, & quidem propriè in partu, Esai. *c.* 42. *v.* 14. Quòd verò Judæos aut Pharisæos passim γεννήματα ἐχιδνῶν, *progenies viperarum*, in Evangelio, vocari videmus, non ad fabulam illam de vipera ex eroso matris utero prodeunte alluditur, quod quibusdam placuit, sed simpliciter pessimorum parentum pessimi filii indigitantur, uti docet Bochartus infrà laudandus. Sunt autem *Viperæ*, Avicennâ finitore, *serpentes plani capitis & lati maximè circa collum, colli valde tenuis, caudæ mutilæ, clari sibili & sonori incessus*, *l.* 5. *c. cui tit.* *Ars trochiscorum e viperis*, ubi & colorem *flavum* illis tribuit, & marem ab unaquaque maxillæ parte *dentem caninum unum*, fœminam *plures* habere, addit. Magnitudo interdum tanta, ut Strabo novem cubitorum & dodrantis; Plinius etiam 16. cubitorum, viperas visas esse, scribant, *l.* 15. & *l.* 8. *c.* 14. Iræ indicia ex oculis desumas, quæ irascentibus inflammantur: sed & bisulcam vibrant linguam ac caudam extimam sinuant. Morsus vastissimis etiam belluis lethifer. Ovid. *de Remedio Amor. v.* 421.

Parva necat morsu spatiosum vipera *taurum.*

Unde Jobus, *c.* 20. *v.* 16. *Occidat*, inquit, *eum lingua viperæ*: linguæ tribuens, quod dentium est proprium; quia mordet serpens exertâ linguâ, quasi illâ vulnus infligeret. Et quidem maris morsus cognoscitur ex gemino ictu, fœminæ (quam ἔχιδναν propriè Græci dicunt) ex pluribus: illius etiam dentes sunt acutiores; hujus latiores, magisque periculi creant. Nocentior autem uterque comestô scorpiô, vel radice venenatâ, à coitu item, vel ubi cervum evaserint, & cùm exuunt senectam, quod tempore fit autumnali, ac præcipuè vernô. Intereà *serpentium vipera sola terra dicitur condi: ceteræ arborum aut saxorum cavis*, Plin. *l.* 8. *c.* 39. quod contrà esse, discas ex Aristotele, *Hist. l.* 8. *c.* 15. &c. Nihilominus non Paulo solùm non nocuit, Actorum *c.* 28. *v.* 3. de quo illustri miraculo, peculiari capite agit Bochartus, *Hieroz. Parte poster. l.* 3. *c.* 2. sed & in Medicina præclarum usum *vipera* habet. Ejus enim carnis esu leprosos sanari, homines reddi ὀξυδερκεῖς, (fœniculi namque usu viperam oculis caligantem sibi ipsi mederi pristinamque aciem recuperare notum) aliaque inde commoda trahere, habes apud Dioscoridem, Galenum, Alios. Quid quòd *theriaca* inde confit, ex θὴρ, vel θηρίον, quô nomine κατ' ἐξοχὴν *Vipera* Græcis dicitur, sic appellata, de qua vide retro: plura autem hanc in rem, præter Plinium Veteresque, apud Gerh. Joh. Vossium, *de Idolol. l.* 4. *c.* 52. & *seqq.* ubi & commentum *de viperæ cum muræna marina* congressu, inter alia, eruditè explodit: & Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 3. *c.* 1. adde Cromerum, qui inter Lithuanorum olim Numinum etiam hoc serpentis genus comprehendit, *l.* 15. Paulò laxiùs *viperæ* nomen apud Poëtas, & in Epiphanio, aliisque. Unde tot *viperarum* species, apud Arabes Græcosque, quibus dipsas, cerastes, hæmorrhous, hydra quoque, in eorum genere censetur: imò serpentum nonnunquam omne genus, uti Barthius docet, *Animadv. Papin. ad l.* 10. *Theb. v.* 609. Nec omittendum quòd è *viperæ* viventis capite dissectô, Plinius lapidem eximi tradit, *l.* 29. *c.* 4. cui is *echites* dicitur, *l.* 37. *c.* 11. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 388. de *Vipera succino inclusa*, diximus suprà voce *Electrum*.

VIPIO, ex Græco πιπίων, à sono, ut *pipio* in gallinis, apud Lamprid. *in Alex. Sev. c.* 41. grus minor, Balearibus olim in honore mensarum fuit. Plin. *l.* 10. *c.* 49. cùm dixisset, ex his insulis porphyrionem mitti, *Ibi*, subjungit, *& buteo accipitrum generis in honore mensarum est: item vipiones, sic enim vocant minorem gruem.* Vide Gerh. Jo. Voss. *de Idol. l.* 3. *c.* 92. & Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 1. *c.* 11. nec non suprà, ubi de *Gruibus*, & voce *Pipio*.

VIPITENUM, oppid. Rhætiæ, nunc pagus in Comitatu Tirolensi, inter Oenipontem & Brixinum, *Sterzingen Simlero*. Aliis est *Lug*, pagus inter Oenipontem & Sterzingum 3. leuc. *Sansoni* est *Sterzingen*; ad radices Alpium Tridentinarum & montis *der groß Verner* dicti, prope fontes Eysoci fluv. 7. leuc. à Boceno in Boream.

VIPSANIA, M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii adhuc privati uxor fuerat; Sed dimissa posteà, Asinio Gallo, Pollionis filio, nupta. Ex illa Tiberio Drusus natus. Obiit una omnium Agrippæ liberorum miti obitu, cùm Drusus filius urbe egressus esset, repetendis auspiciis, & mox ovans de Germanis introisset.

VIPSANIUS Apronianus, vide *Apronianus*, it. *Cajus*.

VIPSANIUS, prænomine *Cajus*, cum Fontejo Capitone Consul. An. Urb. Cond. 811. quô Nero matrem interfecit. Fulvius Ursinus ex fragmentis Inscr. Fratrum Arvalium scribendum censet *Vipstanus*.

VIPSANIUS Lenas, Q. Volusiô, P. Scipione Consulib. damnatus, ob Sardiniam provinc. avarè habitam, Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 30.

VIPSANIUS Messala, claris Majoribus, in legione septima Claudiana, exercitus Mœsici Tribunus; qui solus ad bellum contra Vitellium bonas artes attulit. Tacit. *l.* 3. *Hist. c.* 9. & 18. 25. 28. Scripsit historiam.

VIPSANIUS Publicola, vide *Lucius*.

VIR, an ex *vi*, quod *viribus* præstet; an à *Virtute*; an ex Hebræo גבר per aphæresin; an à *Virco*? quatuor modis intelligitur, Sexu, quô nascitur ut masculus sit; Ætate, quâ differt à puero; Lege, quâ maritus; Animô, quô in suo etiam sexu ab aliis distinguitur. Et quidem *Vir* natus seu masculus, boni olim erat ominis, unde partum non tollebant Patres, si sexus sequioris esset, sed necari potiùs præcipiebant. Ovid. *l.* 9. *Met. v.* 679.

Edita fortè tibi fuerit si fœmina partu;
Invitus mando: pietas, ignosce, necetur.

Contrariâ Indis Lacedæmoniisque lege, quæ Patribus tollendi arbitriô detractô reliquit voluntatem suscipiendi, quibus spectandi infantes curam demandavit. Eorundem cunæ ad latera erant, ut videre est in elegantissima tabula antiqui admodum manuscripti Codicis Geneseos, apud Lambecium, *Comm. Bibl. Cæs. l.* 3. in qua jacentem puerum blandâ arte sopire ac crepundiis aliisque exhibitis crepitaculis delinire velle cernitur Cunaria. Cibus illorum *Papa*, potus *Bua* dicebatur. Recens baptizatis Christianorum & pueris Paganis mel datum cum lacte, ex vasculo χυτρίδιον, per spongiam &c. Tertiô à nativitate die apud Romanos, quintô apud Græcos, coronæ natalitiæ foribus suspendebantur, & Athenis quidem masculis oleaginea, sicut lanea fœmellis, *Hesych.* Quintô die instituebantur λουτρὰ λεχώνια, & dabantur puero munera natalitia, polypi, sepiæ, coronæ, gemmæ. Ultimô primæ hebdomadis nati tabellæ fata inscribebantur, vel virgæ Natalitiæ compingebantur, quæ cum nato adolescerent. Nonô die, nomen adepturi, mortuorum instar, lustrabantur perque obstetrices circumferebantur circa forum: apud Hebræos octavô circumcidebantur, & nomina accipiebant. Mox, intra tertium ab imposito nomine diem, in Actis publicis referebantur à Præfecto Ærarii. Die quadragesimô, apud Hebræos & Æthiopes, quæ masculum peperisset, purificatione sui defuncta est, sicut quæ fœminam, 80. implere tenebatur. Reliqua vide suprà in vocibus *Infans* & *Puer*. Decimô septimô ætatis annô, apud Romanos prætextâ positâ, Toga sumpta *Virilis* est, & in *Viros* pueri transcripti sunt, non sine ritu solemni, de quo diximus suprà variis in locis, inprimis ubi de *Toga Pura* seu *Virili*. In Republ. Atheniensium inscribebantur κοινῷ γραμματείῳ apud τοὺς φράτορας, intra septimum ut plurimum annum: annô 18. inter Ephebos nomina sua profitebantur, eorundem albo inferebantur, exploratâ priùs virilitate, an per ætatem ad τὸ ἀσφαλῶς τὰ περὶ πόλιν φρουρεῖν apti essent: bienniô pòst inscribebantur Lexiarchico & abhinc erant sui juris, mittique ad negotia poterant; quod ἐγγραφῆναι εἰς ἄνδρας Græcis dictum, quia tunc in *Viros* transcribebantur. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas, l.* 2. *tit.* 4. Posteà uxore ductâ, *Viri*, i. e. *Mariti*, evadebant, qua de re vide suprà ubi de *Conjugio, Nuptiis, Sponso* &c. variantque Auctores quô annô masculis conjugium ineundum. Apud Hebræos novo Marito Sponsove immunitas erat, à deductionis tempore, annua, seu vacatio ab omnimodo sive militari, sive civili munere. Deuter. c. 20. v. 7. & c. 24. v. 5. veluti tributo, vigiliis &c. Vide Jo. Seldenum, *Uxor. Ebr. l.* 2. *c.* 3. Cùm verò officia Conjugum mutua sint, decem obligationum generibus Maritus tenebatur Uxori, sicut hæc illi quatuor. Et quidem ex decem illis, tria Lege divinâ nitebantur, Hellenistis dicta, τὰ δέοντα, ὁ ἱματισμὸς καὶ ὁμιλία αὐτῆς, *Necessaria, Vestimenta & congressus*, Exodi, c. 21. v. 9. & 10. Reliqua septem ex Majorum placitis sancita erant. I. Dos principalis. II. Medicinæ sumtus. III. Redemptio captivæ. IV. Sepultura honesta. V. Viduæ in domo defuncti Mariti sustentatio. VI. Ejus itidem filiarum, ex Marito susceptarum, donec essent desponsatæ. VII. denique, ut liberi ejus masculi ab eo suscepti succedant in dotem ejus, præter partes, quas cum fratribus insuper capiebant hæreditatis paternæ. Quæ sex Doti principali adjecta, vocitabantur *Dotis conditiones*, seu *Appendices*. De donationibus inter *Virum* & uxorem, apud eosdem, ut & plura hanc in rem, vide apud eundem Auctorem, *l. eod. c. seq.* qui etiam de Mariti in uxorem potestate, sive eam domi retineret sive in alias cum ea migraret sedes, *c.* 5. de illius Zelotypia, *c.* 13. de jure dimittendi, *c.* 16. prolixè agit; nec non suprà voce *Maritus*. Apud Romanos jus trium liberorum, sicut & apud Spartanos, ut prolem quærerent magnâ curâ, *Viros* impulit. Et quidem, qui tres filios suppeditâsset Reipublicæ Spartanæ, ab excubiis erat liber, Ælian. *Var. Hist. l.* 6. *c.* 6. Quod inde ad Romanos ita transiit, ut Præturas, Quæsturas, omnesque Magistratus ac honores, ad numerum liberorum Parentibus distribuerint; quin & frumentum accipiebant, teste Spartianô, & in fascibus sumendis priores erant, qui liberos habebant, Gellius, *l.* 2. *c.* 15. Hinc magnâ curâ gravidæ Uxores habitæ: quibus imminente puerperiô, clavis tradita à Maritis. In partu nonnullis in locis, ipsi *Viri* obstetricabantur, ut apud P. de Valle legimus, *Itin. Tom.* 4. ubi de Indiæ populis. Sic Maritus in Patrem transiens, apud Germanos veteres legitimum fœtum frigidâ exploravit, apud Psyllos serpentibus obtulit dijudicandum: nonnunquam & ipse natum abluebat, insigni amoris argumentô. In terra dein statutum suscipiebat, vel ipse, vel per Procuratorem, quæ sublatio à Patris utique potestate apud Romanos pendebat. Quem suscipere nollet, ominis ergò aut metus, exponebat. Quintô die, quô λουτρὰ λεχώνια instituta fuisse diximus, sequebantur Natalitia munera puero oblata, ministris item Puerperii & Puerperæ ipsi, cui solennia Kalendis Martiis quoque dona, umbellas, armillas, alia, donabant *Viri*, facili JCtorum veniâ, &c. Vide Thom. Bartholinum, *de Puerperio Vett.* & suprà passim, inprimis in voce *Pater*. Imò & *Vir*, pro forti ac animoso, quæ significatio se per omnes ætates diffundit. Namque in cunis jam Virum se Herculis præstitit, prodigiosæ magnitudinis anguibus, quos ipsi noverca Juno immiserat, elisis; & in adolescentia præclarissimas jam res Alexander gessit: ut de *Virili* seu *Viro* propria ætate nil loquar. Quò pertinent, quæ de *Gymnasticis* Exercitationibus, *Præmus, Victoria*, retrò attulimus. Sicut autem per Junonem plerunque fœminæ, ita per Genium soli ferè *Viri* olim jurabant. Seneca, *Ep.* 12. *Villicus jurat per Genium meum, se omnia fecisse.* Interim, cùm Juno utriusque sexûs Deus esset, etiam per illam aliquando Viros jurâsse legimus, apud Juvenalem, *Sat.* 2. *v.* 98.

Et per Junonem Domini jurante ministrô.

Apud Græcos in luctu comam alebant, tondentibus se mulieribus. Plut. *Romaic.* Καὶ γὰρ παρ' Ἕλλησιν ὅταν δυστυχία γένηται, κείρονται μὲν αἱ γυναῖκες, κομῶσι δὲ οἱ ἄνδρες. ὅτι τοῖς μὲν τὸ κείρεσθαι, ταῖς δὲ τὸ κομᾶν, συνήθές ἐστι. Artemidorus, *l.* 1. *c.* 20. Ἡ δὲ ὁ καλλωπιστὴς ἐν συμφοραῖς αὔξεται θρίξ. Quod de Persis quoque Curtius refert, *l.* 10. de Barbaris, Suetonius, *Calig. c.* 5. Vide Jo. Meursium, *Not. in Lycophron. vers.*

Κουρᾶς δ' ἀκαρπὸς νῶτα κωλύσει φόβη.
Soloque capitis terga fœdabit fada:

& suprà ubi de *Capillo, Coma, Funere, Luctu* &c. Vestis *Viris* olim fœminisque apud Romanos eadem, nempe Toga, fuit: donec discrimen procedente ævô factum, ut suprà vidimus in voce *Fœmina*, item *Vestis*. Apud alias verò gentes jam vetustioribus seculis distinctio fuit, ut ex Lege apparet divina, quæ capitis pœnâ promiscuum utriusque sexûs vestium usum prohibuit. Imò verô fœminam mentitô nil turpius, agnovit Papinius, *l.* 1. *Achilleid. v.* 142. ad quem locum vide Barthium, ut & *ad l.* 2. *Theb. v.* 664. ubi de summo convitio, *virorum*, cùm *fœminæ* dicuntur, plura eruditè congessit. Quid ergò statuendum de *Viris*, qui puerperarum locô decumbere olim soliti, uti de Scythis, Thracibus, Cantabris & Celtiberis, habet Alexander Neapolit. *Gen. dier. l.* 2. *c.* 25. De pileis tegminibusque *viriles* capitis, quà prôfanis, quà sacris, vide suprà in *Pileus*: de pedum integumentis aliquid hîc adjicietur: de *Parte Virorum*, i. e. in Templis loco, diximus aliquid voce *Pars*.

Pedum tegmina Virilia apud varias Gentes.

α. Abarca, vide suprà. β. Æreis calceis Empedocles Agrigentinus usus legitur, apud Ælian. *Var. Hist. l.* 12. *c.* 32. Vide quoque Tertull. *de Pallio, c.* 4. γ. Alcibiadæ, ab Alcibiade nomen adepti. δ. Amyclaidæ, à gente. ε. Antapodia, seu Anaxyrides, quibusdam ocreæ, aliis femoralia seu subligacula fuêre. ζ. Argenteô filô consutorum calceorum meminit Paulus Venetus, *de Reg. Or. l.* 2. *c.* 14. Etiam argentô non rarò suppactos habuisse *Viros*, legimus. η. Argiæ, Argivis in usu erant. θ. Aureis soleis gemmas insertas, gessit Sophites, apud Curtium, *l.* 9. *c.* 1. Socculum auratum Cæsari tribuit Seneca, *l.* 2. *de Benefic. c.* 12. aureum calceum Demetrio Plutarchus: *Soccis aureî subpactum solum*, refert Plautus, *Bacchid. Actu* 2. *sc.* 3. *v.* 98. ι. Basilides, Regibus Atheniensium familiares. κ. Baxeæ, crepidæ erant Philosophicæ. λ. Caliga, militum calceamentum. μ. Campagus, Regium fuit. ν. Conipodes, senum calceamenta fuêre. ξ. Cothurnus, in usu erat Tragœdis, Venatoribus, Viatoribus, aliquando & à fœminis adhibitus. ο. Crepidæ, apud Græcos cum Pallio gestabantur: sicut calceus apud Romanos cum Toga. π. Diabathra, utriusque sexus communia erant. ρ. Dipodia, socculi lanei videntur fuisse. σ. Embatæ, Comicis calceis erant similes: à Thracibus inventi. τ. Eumarides, *Viris* ac mulieribus conveniebant. υ. Ferreô calceô Empedocles usus legitur: alii tamen ex ære volunt, ut vidimus. In S. Basilisci Martyris historia ferrearum crepidarum fit mentio, quæ ignitis clavis pedibus ejus fuerint affixæ. φ. Hypicli, calcei viriles pretiosi erant. χ. Hyposchismata, vulgares. ψ. Iphicratides, ab Iphicrate habuêre nomen. ω. Junceis, Ægyptii sunt usi. αα. Ligneis, Indi olim: hodieque rustici variis in locis, quos Galli *Sabots* dicunt. Caligæ quoque & Gallicæ, ligneis soleis constabant. ββ. Linea calceamenta sive Udones, Antonino Imperatori aliisque Sacerdotibus inprimis Ægyptiis, ab Auctoribus tribuuntur. Iisdem Romani quoque Pontifices usi sunt per longa tempora. γγ. Lunati, Senatorum erant, Patriciorumque Romanorum. δδ. Menacii, ab Auctore dicti. εε. Mullei, à Regibus primùm Albanis: dein Magistratibus Romanis, Triumphalibusque usurpati sunt. ζζ. Papyracei, Ægyptiis erant familiares, Isidis præcipuè Sacerdotibus, Tertull. *Coron. ad Sen. c.* 2. ηη. Pedila, elegantia fuêre atque ad delitias & ostentationem comparata, variisque ac eximiis coloribus picturata, Unde toties illud apud Homerum, καλὰ πέδιλα. θθ. Pelyntra, pedum fascia potiùs, quàm calcei fuisse videntur. ιι. Perones, rusticis familiares erant: etiam Hernici eos in bello adhibuêre; transiitque in urbem ad plebejos mos, sic tamen ut peregrinum potiùs, quàm civile esset calceamentum. Parthis & Medis illos tribuit Tertullianus, *de Pallio, c.* 5. Imò & curiosum fœminarum genus eos experiri voluisse legimus. κκ. Persicæ, à gente. λλ. Phæcasia, Philosophis attribuuntur, apud Senecam, *Ep.* 113. *Puto quædam esse, quæ deceant phæcasiatum & palliatum.* Notum autem, peculiare Philosophis gestamen pallium fuisse. μμ. Proschemata, senum calceamenta fuêre. νν. Rhodiacæ, ab Insul. dictæ. ξξ. Sandalia, Viris, quoque usurpata, docet Hieronymus, *in Esaiam, l.* 5. *Comm. c.* 20. Sic apud Marcum, *c.* 6. *v.* 9. sandaliorum usum à Domino Discipulis suis permissum legimus. De Pontificum Sandaliis, diximus alibi. οο. Scythicæ, nomen habuêre à gente. ππ. Sericis Imperatores Pontificesque usi sunt, à quibus ad Episcopos descenderunt, unde ejusmodi calcei sive Sandalia, inter Episcopalis habitus insignia censentur. ρρ. Sicyonia, calcei fuêre delicatioris cultus, muliebres & amatorii. *Hesych.* Mulierum proin sic proprii, ut Virum iis uti esset contra decorem. Vide Appulejum, *Metam. l.* 7. σσ. Smindyridii, à Smindyride Sybarita, monstro luxuriæ famoso, nomen traxêre. ττ. Socci, Comicorum erant, asotorum nempe adolescentum, delirorum senum, parasitorum, lenonum &c. Sed & Messalinæ socculum tribuit Suetonius, *Vitellio, c.* 2. Prostibulis, Propertius, *l.* 2. *El.* 23. *v.* 15. Imò soccis uti probro viris fuisse datum ex Seneca discimus, *de Benef. l.* 2. *c.* 12. υυ. Solearum, pro civili more usus, mulieribus quidem potissimùm erat familiaris; interim, in omni animorum remissione, Romani soleati quoque fuêre. Sic enim ad convivia ibant, ut alibi dictum. φφ. Sparteis calceis, Hispanos usos esse olim, Plinius tradit, *l.* 19. *c.* 2. χχ. Thessalides, à Thessalis accepêre nomen. ψψ. Udones, ex candidissimo linteo, Sacerdotum olim erant: à quibus ad Pontifices Romanos usus eorum transiit. Sed & Antonino Philosopho attribuuntur, apud Herodian.

dian. *l.* 5. *c.* 3. ubi ejus exemplum alios multos imitatos esse, narrat. Vide quoque hîc suprà, ubi de *Linteis calceamentis.* ∞. Uncinati seu Repandi calcei, à quibusdam cum Lunatis, confunduntur, qui nempe per lunulam patriciam uncinum intelligunt, ut Salmasius, *Notis ad Dedic. Statuæ Regillæ*, & M. Zuerius Boxhornius: Sed Philostratus discrimen fuisse ostendit, dum Lunulas hasce non in parte anteriore calcei, sed circa talos pedis fuisse appositas ait. Scaliger tres calceamentorum apud Veteres Romanos species distinguens, Mulleos Patriciis, Uncinatos calceos minùs illustribus, Perones verò reliquis civibus, i. e. plebejis, attribuit. ∞. Zanzæ vel *Tzanga* potius aut *Tzanca*, calcei erant Imperatorii, mediô crure tenus alti aurô purpurâque insignes & aquilis intertextis venerabiles: quorum usum *exiliô & confiscatione bonorum* aliis prohibuerunt Arcadius & Honorius Augg. *Cod. Theodos. lib.* 14. *tit.* 10. *l.* 2. &c. Sed de his omnibus vide B. Balduinum, *de Calceo antiquo*, Jul. Nigronium, *de Caliga*, Alb. Rubenium, *de Re Vestiar*, & suprà *passim*.

VIRA, vide infrà *Virago*.

VIRA, fluv. Normanniæ notissimus, vulgò *Vire*. Hic oppid. *Viram*, non procul à suo capite, Taxam *Texe*, Condate ad Viram cognominatum, ad Viræ & rivuli cujusdam confluentem positum, & castrum S. Laudini *S. Lo* prætetlapsus, in Oceanum effluit. Ad ostium ejus Magnum Vadum *le Grand Vé*, non procul à Carentono, situm est. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VIRACOCHIN, summus Peruanorum Deus, quem aliàs *Pachacamach*, i. e. Creatorem cœli ac terræ, ut & *Usapu*, i. e. *Admirabilem*, vocaverint, memoratur H. Linschottano, *Hist. Ind. Occid.* l. 5. c. 3.

VIRAGO, apud Servium, *ad l.* 12. *Æn. v.* 468. *dicitur mulier, quæ virile implet officium, id est mulier, quæ viri animum habet, has antiqui Viras dicebant.* Dea, Heroina. *Sic cruda virago*, apud Papinium Statium, *l.* 11. *Theb. v.* 414. de Minerva, h. e. *bellicosa & pugnarum tractatrix*, vet. Schol. Idem de eadem, *l.* 4. *Sylv.* 5. *v.* 22.

——— Mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareô peraravit aurô.

Uti Ennius, *Annl.* 1.

Corpore Tartarinô, prognata palude virago.

Præcipuè vero Dianæ datus hic titulus, ob virile facinus venationis *Epigramma* vetus, prolatum à Justo Riccio, *Epist.* 42.

Munere te hôc dono Latonia, sancta virago,
Corniger am cepi, virtute & laude potitus,
Exuviis cujus templumque tuum decoravi.

Ovidius pariter, & Seneca, *Hippolyt. Actu* 1. *v.* 54.

Ades en comiti diva Virago,
Cujus certis petitur telis fera &c.

Vide Casp. Barthium, *Adversar. Comment.* l. 131. c. 3. Imò & Proserpinæ frequenter admodùm, & quidem peculiariter ferè, apud Arnobium, *adv. Gentes*. Sic enim is *l.* 5. *Cùm in Siciliæ pratulis purpureos legeret, nondum mulier flores, &* adhuc Virago, *Proserpina.* Ubi communiter *Virgo* legitur: à qua ferè sic licet *Virago* distinguatur, quòd hæc moribus, conformatione, ac filô corporis ad virum propè accedat, quia tamen & MS. favet, & Arnobius in *seqq.* idem repetit sæpius, de eadem Proserpina loquens, & hîc retinendum. Infrà enim, *in turpissimos appetitus Viraginem dicit raptam.* Iterum, *Quid Proserpina, quid Virago, notum est.* Iterum, *Quæ* Virago *jamdudum florum in lectionibus habebatur.* Et priùs, *In nemore Eanensi quondam flores Proserpina virago lectitabat* ---- *Quid accidit quæso, ut semen Proserpina diceretur* &c. Vide Stewechium, *Electis ad librum cit. Arnobii*, ubi & Capellæ hæc *Nuptiar. l.* 5. subnectit,

Hinc de patre ferunt, sine matris fœdere natam,
Providâ consilium quod nescit curia Matrum,
Consultisque Virûm prajis, hinc dicta Virago.

Aliàs superbam & rebellem mulierem vox notat: unde primæ matris nomen Hebr. *Ischa*, non bene *viraginem* reddi, ait Rivetus, meliùs *Viram*, quod insolitum huic ævo verbum, verus tamen ac probum est. Certè, præter ea, quæ diximus, *Querquetulanæ Viræ* ipsô adhuc Varronis ævô dicebantur, quibus sacellum erat in Esquilina regione, ad Querquetulanam portam. Vide præfatum Rivetum, *Exercitat. ad Genes. c.* 2. *v.* 23. & plura hanc in rem hîc passim, inprimis in vocibus, *Anses, Gemades* &c.

VIRBIUS, idem qui & *Hippolytus*, Thesei & Hippolytæ Amazonis fil. qui cùm à Phædrâ novercâ per calumniam apud patrem delatus esset, quòd ipsi stuprum inferre voluisset, patris iram veritus, conscensô curru fugam arripuit: cùmque juxta maris litus pervenisset, incussô à Neptuno pavore, equi consternati implicatum habenis Hippolytum dilaniârunt. Cujus vicem miserata Diana, Æsculapii ope ad vitam eum revocavit, & in Aricino nemore collocatum, pro *Hippolyto*, *Virbium* appellavit, quasi *bis virum*. Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 536.

Tum mihi, ne præsens augerem muneris hujus
Invidiam, densas objecit Cynthia nubes;
Utque forem tutus, possemque impunè videri,
Addidit ætatem; nec cognoscenda reliquit
Ora mihi, Cretamque diu dubitavit habendam
Traderet, an Delon, Delô, Cretâque relictis
Hic posuit, nomenque simul, quod possit equorum
Admonuisse, jubet deponere; quique fuisti
Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius esto.

Hinc *Virbii* clivus, locus Latii Româ 5. mill. pass. Ariciam versùs.

VIRBIUS, fluv. Laconicæ, ubi Æsculapius Hippolytum curavit. Vibius Sequest.

VIRCAO, Hispaniæ Bæticæ oppid. inter Cordubam 48. & Iliturgim 34. mill. pass. *Antonin.*

VIRDIUS Geminus, spectatæ militiæ vexillariorum, è legionibus, Dux, per quem Anicetum in potestatem redegit Vespasianus, Tacit *l.* 3. *Histor. c.* 48.

VIRENA, *Vitruv. Francolise Bapt. Portæ*, locus Campaniæ apud Teanum urb. & montem Gallicanum, à Teano mill. pass. ubi fontes acidi.

VIRENS, apud Claudian. *de Raptu*, *l.* 3. *v.* 266.

——— fremit illa marito
Mobilior zephyrô, totamque virentibus *iram*
Dispergit maculis ———

viridis est: cujusmodi maculis pavoni inter animalia quadrupedia similem esse tigridem, canit Oppianus, *Cynegetic. l.* 3. Quomodo & pardum alibi *viridem* dicit idem Claudianus, cujus maculas *liventes* exponunt Rabbini in celebri illo dicto Jerem. *c.* 13. *v.* 23. de quo Sam. Bochartus, *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 7. Vide suprà, ubi de utroque hoc animali, & infrà, voce *Virgatæ*.

VIRETUS Petrus, Orbâ Helvetius, Parisiis literis incubuit, ubi familiaritate cum Farello contractâ, Genevæ posteà inter primos Euangelii præcones eminuit, A C. 1535. Lausannâ, ubi Ministeriô sacrô defungebatur, eò vocatus. Dein Lugdunensium precibus invitatus, ibidem puriorem doctrinam per quinquennium docuit, Reginæ tandem Navarrenæ, matri Henrici M. à sacris concionibus, obiit Pali, in Bearnia, A. C. 1571. ætat. 60. Ejus eloquentia inprimis clara, quemadmodùm eruditio Calvini & vis vorticordia Farelli elogium meruêre Bezæ, *in epigramm* Scripsit varia Latinè & Gallicè, Melch. Adami, *in vita Theol. exter.* Vide *Petrus*.

VIRETUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

VIRGA, an à *virtute*; an quòd *vim regat*; an à *virendo* ? dicta, symbolum erat regiæ potestatis: Unde in Symbolica Gentilium Theologia Attis fistulâ ornatur & *Virga*, quòd Sol, hôc schemate denotatus, utpote omnium in hoc inferiore mundo rerum moderator, imperium obtineat. Vide Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 21. Et cui ignota *Virga ferrea*, quâ Messias prædicitur confracturus Gentes; Psalmô 2. *v.* 9. *Confringes istos virgâ ferreâ, ut vas figlinum dissipabis eos*: Quamque *Sceptrum* vocat idem Psalmographus, *Psalmô* 45. *v.* 7. Hinc *Virga* in Rhapsodorum manibus, Plut. *in Ione*, quod Reges Principesque repræsentarent: contrarium tamen sentiente Jul. Cæs. Scaligerô, *Poetic. l.* 1. *c.* 13. cùm ait: *Virga in manus, a baculis pastorum, à quibus universam Poësin effluxisse ostendimus.* Vide de *Virga* seu baculo *Histrionum*, suprà: & *lauri* vel *myrti*, pro lyra, in conviviis Veterum olim circumferri solitâ, Salmas. *ad Solin. p.* 868. & aliquid supra suô locô. Apud Senecam, *Ep.* 47. *Virga, quâ murmur omne famulorum compescebatur*, videtur fuisse insigne Tricliniarcharum in Triclinio; extra quod Actoribus seu Dispensatoribus conveniebat, docente Ammianô Marcellinô, *l.* 14. ubi præpositos urbanæ familiæ digerentes comitatum Matronarum prodeuntium, dextris aptatâ *Virgâ* insignes recenset. Similiter, nota est *Virga* & arondo Janitoris apud Petronium & Senecam. De *Virgarum* fasciculis unà cum securibus, Magistratibus olim Romanis solitis præferri, diximus suprà in voce *Fasces*. Porrò tum disciplinæ, tum eloquentiæ symbolum *Virga* fuit, unde caduceus Mercurio tributus, cujusmodi virgis insignita plurima Numismata, *Pacis* inscriptionem præferunt, & adhuc infrà, ELOQVENTIA. Nec certant, qui *Virgam* auream in hujus manibus, à qua ipse *Chrysorrapis* dictus est, dignitatis & excellentiæ, quæ illum ornant, qui scitè & opportunè orationem contexere nôrit, signum esse contendunt. Palladi quoque totius Sapientiæ Deæ, non uno in loco, ab Homero *Virga* accommodatur. Sed & *Virgam* manu tenebant Judices sacrorum certaminum, ut discimus ex Plut. *Pompejo & Catone Juniore*, quorum hic cùm Antiochiam venisset, obviam ipsi venit magna cum comitum turba, pro more recepto, ἔχων στέφανον καὶ ῥάβδον, *habens coronam & virgam*, qui cæterorum dux erat. Athletis quoque victoribus *virga* priùs, seu ramus è palma, quàm corona donabatur, eamque à judicibus modò dictis accipiebant, quos propterea ῥαβδοῦχοι appellatos, ait Aristides, *de Rhetor. Orat.* 1. Hanc dein *virga datiorem* sequebatur ἐπιῤῥόθησις, *incitamentum seu adhortatio*, inde κρότος, *plausus*, φυλλοβολία, *conjectus foliorum*, & tandem στέφανος, *corona*, qua de re vide Car. Paschal. *Coronar. l.* 6. *c.* 22. &c. De *Æsculapii Virga* seu nodoso bacillo, vide suô locô: De *Virga Aaronis & Moysis* infrà *de Virga Hesiodi*, inter Poëtarum Virgas maximè spectabili, Aristidem περὶ τῆς παραφθέγματος. de *Virga Mercurii* plura, apud Casp. Barthium, *Animadversion. Papinian. ad l.* 2. *Theb. v.* 21. inprimis in *Commentario Magno Superstitionum*, ubi de potestate ejus ac potentia peculiarem tractatum satis mysteriodem exhibet; Fortun. item Licetum *de Gemmis Annular. Schem.* 24. *c.* 107. ubi gemmam, in qua caduceus cum duobus gallis Gallinaceis, eruditè exponit: de *Virga Pastoris*, sub qua transibant armenta & greges quoties numerus illorum subducebatur, supra voce *Pastor* it. *Pedum*: de *Virga Prætoris*, quam in libertatum vindicationibus adhibebat, suprà itidem voce *Vindicta*: de *Virga Sceptrina Ludimagistrorum* itidem suprà, voce *Manus*, it. *Sceptrum* &c. Apud Recentiores, *Virga alba*, pacis fuit symbolum, Britton in *LL.* Angl. c. 53. Vide & infrà *Virga Moysis*. *Virgæ consecratæ* occurrunt, apud Aimoinum, *Histor. Francic. l.* 3. *c.* 68. *Post hæc misit Gundobaldus iterum duos Legatos ad Regem cum virgis consecratis, juxta ritum Francorum, ut scil. non contingerentur, sed expositâ legatione cum responso reverterentur.* Porrò *Virgam ferream*, per medium linguæ portaret, pœnam blasphemantium fuisse, apud Catalaunos,

docet

docet Car. du Fresne. Sed & *Virgam Ferream*, argenteis literis scitè inscriptam, quæ in Palatinis olim Cimeliis servabatur, publicavit ad staturam Caroli M. indicandam Marqu. Freherus. *Virga Regalis*, de qua vide suprà, voce *Baculus*, item *Manus justitia*: *Virga Regia*, h. e. districtus Senescalli Hospitii Regis Angl. cui in signum jurisdictionis commissa est *Virga*, coram Rege deferenda, ut olim Curopalatæ, qui idem ferè munus obibat apud Imperatores Byzantinos, cujusque virga χρυσῆς ῥάβδου ἀεὶ σκηπτοῦχος Ἀνάκτων dicitur Paulo Silentiario, *Descript. S. Sophiæ Parte* 2. *v.* 126. &c. de quibus, aliisque huc pertinentibus, vide præfatum Auctorem *in Glossario*, ut de *Virga* seu *baculo Episcopali*, Macros quoque Fratres, *Hierolex.* nec non suprà aliquid: uti de investitura *per Virgam* vel *Virgulam per Virgam & Pileum*, suô locô, de *Virgis aureis argenteisque* ante altaria suspendi solitis in Eccles. Romana, voce *Landunæ*, de divinatione per *Virgas*, voce *Tenus*.

VIRGA, Investitura fit, vel propriè tradendo terram ipsam, seu feudum: vel impropriè, tradendo terræ vel feudi nomine, vexillum, hastam, sagittam, vide Ingulphum, *p.* 901. Ex hastæ traditione nata est consuetudo, per festucam, vel *virgam*, conferendi feuda: cùm enim veteres Germani ne convenire quidem, nisi armati, soliti sint, teste Tacitô; omnia per armorum ministerium exigebant: desiderataque in tradendis feudis nonnunquam hastâ, posteri, quæ præstò esset, *virgâ*, festucâ, sive baculô, ejus vice usi sunt. Regna per gladium, provincias per vexillum à Principe tradi refert Otto, *de gestis Frider.* 1. *l.* 2. *c.* 5. Adrianus verò IV. Papa, Hibernici Regni investituram annulô tradidit Johanni filio Henrici II. Richardus I. tam ensem, quàm vexillum de Ducatu Normanniæ, accepit ab Archiepiscopo Rotomagensi. Zeno Imperator Italiam Theodorico Gothorum Regi sacri velaminis donô confirmavit, Ricobaldus Ferr. *de Theodorico*. Capillis abscissis nonnulli usi, scriptura antiquus mos Ducatus conferendi erat, &c. Nota Romanorum Virga prætoria, quam *Vindictam* appellabant, quâ libertatem contulêre: Persius, *Sat.* 5. *v.* 88.

Vindicta, postquàm meus à Prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas.

VIRGA, pro supplicio fuit, apud varias Gentes, hodieque & hic ejus usus perdurat. Infligebantur enim Verbera, vel flagris seu flagellis, vel *Virgis* seu fustibus, unde Flagellatio & Fustigatio: inter quæ id discriminis fuit, quod *Virgæ* honestiores essent, flagra servis, peregrinis, hostibus, ingererentur. Et quidem more Majorum Romanô vetustiori, capitaliter puniendi, aut *virgis* ad necem cædebantur, aut primò cæsi percutiebantur securi, gladiô aliterve occisi, qua de re ampliter & doctissimè egit Petr. Faber *in Semestribus*, *l.* 2. *c.* 10. Vide quoque suprà ubi de *Supplicio more Majorum*. Sed ita mos hic priscus demum mutavit, ut non solùm civis Romanus, ex Legibus Porcia ac Valeria, nec morti tradi, nec cædi omnino adversùs provocationem ad Populum deberet, sed tandem, ut nec hostis, nec alius verberibus tantùm necaretur. Atqui non Flagellationis solùm, sed & Fustigationis, castigationem etiam in usu Romanis fuisse, solis ex Digestis liquet Historiisque. Vide *l.* 10. & *l.* 4. §. 1. D. *tit. de Incendio, Ruina* &c. Val. Maximum, *l.* 2. *c.* 7. § 4. Jul. Frontinum, *Stratagem. l.* 4. &c. Ita tamen, ut servus, quemadmodùm dictum, flagellis; Liber fustibus seu *Virgis* cædendus esset, ut non semel in Digestis docetur, optimeque explicatur à Barn. Brissonio, *Select. ex Jure Civ. Antiq. l.* 3. *c.* 9. quod tamen, ut fieri in rebus hujusmodi solet, haud perpetuò eôdem se habuit modô. Et quidem, ex more, ut videtur, Romano, quô in non cives animadverti volebant more Majorum, id est, ita, ut capitaliter puniendi primò cæderentur, orta est illa DOMINI nostri flagellatio, a Pilato, Præside Romano, eum jam crucifixuro, illata: Ut enim pro mortuo habitus flagellaretur, mori Judaico non congruebat, ut vidimus suprà, ubi de *Verberibus*. Fustigationi autem subjici solebant, idque ex Rescriptis sæpius principalibus, liberi homines tantùm, qui tenuiores essent; etiam, in causa Majestatis, ipsi honestiores, ut in Basilica seu Jura Cæsarea Græcanica receptum est. Generaliter verò ait Callistratus, *l.* 28. §. 4. *ff. tit. de Pœn. Omnes, qui fustibus cædi prohibentur, eandem habere honoris reverentiam debere, quam Decuriones habent.* In bello, *quem militem extra ordinem deprehendit* (Scipio, ad Numantiam, disciplinam militarem corrigens) *vitibus: si extraneus, fustibus cecidit*, apud Liv. *Epit. l.* 55. Publiô Nasicâ & D. Brutô Consulib. *Cajus Matienus, accusatus apud Tribunos Pl. quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatus sub furca diu* Virgis *cæsus est & sestertiô nummô venit.* Fiebat verò id hôc pactô, ut Polybius, *l.* 6. exponit: *Acceptô fuste Tribunus vix tantùm attingebat damnatum, quod ubi factum erat, omnes, qui in castris erant, cædentes fustibus, plerosque in ipsis castris conficiebant; ac si evasissent, ne sic quidem servari poterant, quippe quibus nec in patriam redire liceret; neque à propinquis domum recipi possunt.* Infligebaturque hæc pœna Custodibus seu Vigilibus, qui tesseras non reddidissent aut dormivissent, aut locum vigiliæ deseruissent: item Tergiductoribus & Præfectis alæ, qui negligenter vigilias curâssent, aut tesseras non propagâssent. Etiam qui furtô sustulisset quidpiam è castris, nec non qui falsum testimonium dixisset; aut si quis ter ob idem crimen multatus esset, &c. Vide Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 25. aliosque, inprimis autem Lipsium, *de Militia Rom. l.* 5. *c.* 18. Apud Christianos, tam Fustigationis, quàm Flagellationis, usus forensis, extra causas aliquot atroces & personas tenues admodùm, diu abhinc evanuisse videtur. Vide Jul. Clarum, *Sentent. l.* 5. *Quæst.* 70. & ibi Dan. Bajardum. Certè apud Græcos veteres adeo infamis non habebatur pœna hæc, quin cæsus, quasi crimen omninò inde, quantum ad famam, satis expiâsset, existimationi pristinæ restitueretur &c. Quam in rem vide plura apud Joh. Seldenum, *de Synedriis Veter. Hebræorum, l.* 2. *c.* 13. Just. Lipsium, *de Cruce*, *l.* 2. *c.* 3. Alios. Salmasius *Virgas*, à fustibus, interdum diversas & illam quidem graviorem pœnam, utpote & *flagellorum* nomine venientem nonnunquam, hanc leviorem, illam servilem, hanc liberis, sed tenuioribus, irrogati solitam fuisse, docet *Not. ad ista Lampridii in Alexandro Sev.* *c.* 51. *Si quis* (miles) *de via in alicujus possessionem deflexisset* —— *aut fustibus subjiciebatur* —— *aut virgis, aut condemnationi.* Vide & suprà passim, inprimis voce *Verbera*. Addo saltem, inter Martyrum tormenta passim memorari & *Virgas* seu fustes baculosque, acumine suô per viscera & intestina adactos; vel quibus illi ad ossium confractionem usque cædebantur, βακτηρίας, item βάκλους Scriptoribus Eccles. dictos, uti ῥαβδίζειν hôc modô cædere appellârunt. Videè Cl. Suicerum in his vocibus.

VIRGA, in vestibus, veteri Scholiasti Juvenalis *ad Sat.* 8. idem cum paragauda vel loro; aliàs idem cum scutula, quas voces vide. Unde *virgare*, propriè *virgis* in longum latumque transversim positis, sicut *oculare*, rotundis maculis seu clavis, variare, ac maculis quadratis, operi reticulato similibus, aliquid distinguere. Quô pactô *Virgatæ* Vestes, memorantur Diodoro, qui Gallos saga ῥαβδωτὰ πλινθίοις πολυανθέσι καὶ πυκνοῖς διειλημμένα, *scutulata & reticulatim distincta*, gestare ait. Sic *Virgata* Propertio, *Epigr.* 65. *v.* 319. ac Virgilio, Polluci ῥαβδωτόν, h. e. *scutularum instar cancellatim ac articulatim distincta*, Scalig. *ad Varronem*. Ita autem Virgilius, *l.* 8. de Gallis, *v.* 660.

Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur.

Ubi tamen Servius, *Sagula virgata* interpretatur, *quæ habebant in virgarum morem deductas vias. Et bene*, addit, *adlusit ad Gallicum morem, quô* Virga *purpura dicitur. Virgatis ergo, ac si diceret purpuratis, quæ sagula virgata etiam trabeata dicta sunt.* Trebellius *in Gallienis c.* 6. *Perditâ Galliâ arrisisse & dixisse perhibetur: Non sine trabeatis sagis tuta Resp. est?* Hic enim mavult Ferrarius cum Casaubono, *trabeata saga*, ex Diodoro ῥαβδωτοὺς σάγους interpretari, quam *Atrebatica* cum aliis substituere. Ut Togæ namque à transversis purpuræ discurrentis lineis, sive trabibus, *Trabeæ* sunt dictæ: sic à *Virgis* purpureis trabeata Gallorum sagula. Turnebus verò, *l.* 2. *c.* 14. simpliciter *Virgatum*, ῥαβδωτόν, intelligit, quod virgas quasdam in longum aut latum variâ serie ac colore porrectas haberet, ut in concharum genere *Virgulatæ* sunt, i. e. ῥαβδωτοί. Ita Val. Flaccus, *Argon. l.* 2. *v.* 159. Thracum mulieribus *virgatas* vestes tribuit nec purpureas, inquit ille, intellexit, sed Barbarorum ritu discolores, & veluti virgatis segmentis contextas:

Jam veniet durata gelu, sed me quoque pulsam
Fama viro, nostrosque thoros Virgata *tenebit.*

Quam sententiam firmant, quæ de Scaligero suprà attulimus, *Virgas* interpretante *Scutulas*, Græc. πλινθία: Erant autem hæc quadra similia retium maculis, quas Græci βρόχους vocant. Nec fortè multum abludunt Saracenorum colorata sagula, apud Ammian. *l.* 14. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Vestiar. Part.* 2. *l.* 3. *c.* 16. & suprà voce *Acanthina*. Posteà verbum latiùs extensum, ut quamlibet macularum varietatem exprimeret. Sic *virgatas tigres* Poëtas Latinos dixisse, h. e. varias, & Threciscas mulieres, *virgatas* h. e. variis, in manibus, mentô, totôque corpore compunctas notis, ait Salmasius, *Not. ad Carinum Vopisci*, *c.* 20, ubi multa de his *vestium Virgis*. Sed de tigribus vocis proprietatem servari, docet Bochartus, & quoniam pardi rotundas habent maculas, tigrides verò longas tænias, *virgatas tigres*, longis tæniis varias, interpretatur, *Hierozoici Parte prior. l.* 3. *c.* 8. præeunte ipsô Salmasiô *ad Solin. p.* 210. abi ait: *Segmenta vocat maculas tigrium, quia longis ductibus erant lineatæ* ---- ῥάβδους & ῥαβδωτὰς σπίλους *hujusmodi oblongas macularum notas vocabant. Unde virgatæ tigres* ---- ταινίας *appellat Oppianus.* &c.

VIRGA Aaronis, *producens germen emisit florem & eduxit amygdala*, miraculô sic Sacerdotium ejus confirmante Deô, Numer. *c.* 17. *v.* 3. *s.* in cujus rei memoriam *ante testimonium* illam reponi voluit, *v.* 10. Sed &, ut mannæ urna, juxta Arcam adstans, alituram Christi spiritualem: sic *Virga* hæc Sacerdotium ejus, præfigurabat. Et quidem uti tum de arenti virga flos germinavit, & produxit fructum: ita Christus, tum in nativitate, tum morte, de sterili trunco effloruit, & Sacerdotium ἀπαράβατον habet. In cujus honoris partem nos quoque accipit, facitque ut de nostris quoque nodis flos germinet, & viles virgulæ balsama exudent, Psalmô 92. *v* 13. Franc. Burmannus, *Theolog. Christian. Part. prior. l.* 4. *c.* 14. §. 26. Fuisse illam ex amygdalo, ut & cœterarum XI. tribuum, ait Cyrillus *in Cat. Franc. Zephyri*, *Erant*, inquiens, *omnes virgæ amygdalinæ, de more ejus gentis, quæ ex ea potissimùm arbore scipionibus utebatur, gerit enim talis arbor vigilantiæ symbolum. Amygdalus excellit surculis rectis & proceris, quare valde apta est, ut ex ea scipiones senum, ac sceptra Principum exscindantur.* Nempe arbor hæc prima omnium floret, mense Januariô, Martiô verò pomum maturat. Alciatus hinc de ea,

Cur properans foliis præmittis amygdala flores?
Odi pupillos præcocis ingenii.

Unde apud Jeremiam quoque, ubi ait, *c.* 1. *v.* 11. *Virgam vigilantem* ego video, Theodotion *virgam amygdalinam* exponit: & propteà *scaked* Hebr. i. e. *vigilans*, hæc arbor dicitur. Quô pactô *Virga vigilans* erit signum hieroglyphicum Judicis ultoris, vigilis & ad puniendum festinantis &c. quam in rem vide plura, apud Auctorem Anonymum, *Sinæ & Europ. c.* 34. ubi Hebræorum suavia circa *Aaroniticam* hanc *Virgam* deliria quoque paucis perstringit: de fructu verò arboris, vide Salmas. *ad Solin. p.* 461. 599. & *seqq.*

VIRGA Moysis, non minùs celebris in Sacris, memoratur pluri-

pluribus Exodi, *c. 4. v. 2. & seqq.* ubi ejus in serpentem conversæ, moxque sibi iterum redditæ miraculô, Moyses confirmatus, vocationem divinam, suscepisse: *c. 7. v. 12. ac seqq.* ubi eidem metamorphosi vocationem suam Pharaoni Regi probavisse, & *c. 8. 9. 10. 11.* ubi varias eâ motâ plagas Ægyptiis inflixisse, legitur. Erat autem ea non nisi baculus ejus viatorius, quem forte manu tenebat, cùm Deus ipsum alloqueretur hac de re, *c. 4. cit. v. 1.* ut suaviter delirent Magistri, qui virgam hanc ex arbore vitæ, in Edenis horto, ab Angelo decerptam fuisse, atque ideo vi θαυματουργικῇ polluisse, tradunt. Quos ex parte Christianorum illi sequuntur, qui tam ex hac virga, quàm ex sudariis ac semicinctiis, à Paulo ad ægros delatis, Actor. *c. 19. v. 12.* hujusmodi vires rebus inanimatis Deum indidisse, contendunt. Vim infinitam certè miracula requirunt, nec *Virga Mosis* in sanguinem mutavit aquas, aut ranas produxit, aliaque complura patravit, sed eâ motâ id præstitit Deus, quod se facturum promiserat: voluitque hôc pactô servorum suorum operâ (namque & per Aaronem quædam hic gesta) uti, ut sic auctoritatem illis, tam apud Ægyptios, quàm apud Israëlitas, conciliaret. Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l. 4. c.* 18. Interim, ne vis illa crederetur scipioni indita, ipse Deus plagarum nonnullas immediatè Ægyptiis immisit, uti ex *Historia cit.* liquet. Idem *ibid.* Ægyptii verò tot monstris territi, ad motum *Virgæ* hujus editis, totum hoc similiter ipsi tribuentes, nec ad miraculorum Auctorem assurgentes, ab eo tempore, in quolibet Fanorum suorum, virgam similem consecrâsse ac collocâsse leguntur, apud Diodorum, aliosque Scriptores priscos. Sed & Legatorum ritum, virgam seu baculum album, cùm munus suum obeunt, gerendi, sequentibus temporibus inolitum, ex sacra hacce historia ortum sumsisse, sunt qui velint. Quam in rem vide plura apud Burmannum, *Meditation. in Exodum, d. l.*

VIRGÆ Natalitiæ, ultimô hebdomadis primæ die, natis olim infantibus, defigi solebant, in solo, quæ cum nato adolescerent: vel tabellæ fata inscribebantur. Et quidem populeæ *Virgæ* meminit Meursius, *Syntagm. de Puerp.* ex Donato, qui ita in vita Virgilii: *Virga*, inquit, *populea more regionis in puerperiis eôdem statim locô depacta ita brevi coaluit, ut multò antè satas populos adæquârit: quæ arbor Virgilii ex eo dicta atque consecrata est, summâ gravidarum religione, suscipientium ibi & solventium vota.* Aliis illæ quercinæ, unde Marianæ, erant &c. à quarum felicitate Fata puerorum metiebantur, veteres atque annosas restituere cogitantes. Atque hunc morem Veteres significare videntur, cùm *Fata scribunda advocare* dicerent, ut legimus apud Tertullian. *de Anima. c.* 39. Quippe hæc, quæ Fata vocantur, in tabula solita erant perscribi. Scritofinni, non nomina arboribus, sed ipsos nuper natos appenderunt; quemadmodùm alii Veterum luminibus accensis in Puerperio Fortunam natorum futuram explorârunt. Vide Thom. Bartholinum, *de Puerperio Veter.* ut & suprà, ubi de *Natalibus.*

VIRGAO, Plin. *l. 3. c. 1. Roda* Joh. Marianæ, oppid. Hispaniæ Bæticæ apud oram Oceani Gaditani, in Vandalitia, inter fanum Luciferi 4. leuc. & Menesthei port. 2. leuc. à Cæpione 3.

VIRGARIUS, in Ecclesia Romana Cantor Ecclesiæ: extititque prope Vaticanam Basilicam Ædes *S. Mariæ Virgariorum*, & *Schola Virgariorum*, de qua vide Macrum, *Hierolex.* ubi *de Schola Virgariorum Porticani.* Qui idem *Virgarium habuisse curam præparandi lectum pro Pontifice, ubi terminabat processio ejusdem Papæ, qui usus tamen remanserit præparandi lectum in eo cubiculo, in quo super lectum Pontifex induitur & exuitur paramentis sacris*, ait voce, *Virgarius.*

VIRGATORES, apud Scriptores *Rerum Anglic.* Watsium, Matthæum Paris. A. C. 1249. Auctorem *Fleta, l. 2. c. 1. §. 15.* Alios, dicuntur, qui Anglis *Servientes ad arma*, quòd *virgas argenteas deauratas*, ante Regem deferre consueverunt. Alii apud Plautum *Virgatores, Asinar. Actu 3. sc. 2. v. 19.* iidem videl. aut parùm diversi, à lorariis, coërcendis servis destinati: unde *virgidemia*, & *ulmea virga in servulorum tergo lusitantes*, apud eundem *Rud. Actu 3. sc. 2. v. 22.* & alibi passim, vide Salmas. *ad Lamprid. Alexandro Sev. c. 51.* & suprà, ubi de servili hac castigatione.

VIRGEJUM Castrum, vulgò *Vergy*, in Burgundiæ Ducatu, dioecesique Æduensi seu Augustodunensi: Guilielmo Brittoni *Vergiacum* dicitur, munitissimum olim. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VIRGI, seu URCE, urbs Hispaniæ Tarraconensis Episcopalis in ora Bastetanorum litorali, in confinio regni Murciensis, & Granatensis. *Vera* vel *Bera Clusio. Baudrando* fuit oppid. Bastetanorum, nunc regni Granatæ, in ora maris Mediterranei & Sinus Virgitani, in limite regni Murciæ, 11. leuc. à Carthagine nova in Occasum, 8. à Charidemo promontor. in Boream, 10. ab Almeria in Ortum. Inde *sinus Virgitanus, Golfo di Cartajena.*

VIRGILIANÆ Sortes, apud Spartian. *in Hadriano, c. 2. Quum solicitus, de Imperatoris erga se judicio*, Virgilianas sortes *consuleret*,

Quis procul ille autem ramis insignis olivæ
Sacra ferens? nosco crines, incanaque mentâ
Regis Romani, primam qui legibus urbem
Fundavit, Curibus parvis & paupere terrâ;
Missus in Imperium magnum, cui deinde subibit.

Sors excidit, quam alii ex Sibyllinis versibus ei provenisse dixerunt. Et apud Lamprid. *Alexandro Sev. c. 14. Ipse quum parentis hortatu animum à Philosophia & Musica ad alias artes traduceret*, Virgilianis Sortibus *hujusmodi illustratus est;*

Excudent alii spirantia molliùs æra &c.
Tu regere Imperiô populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem.
Parcere subjectis & debellare superbos.

Vide quoque Treb. Pollionem *in Divo Claudio:* quæ sint, & quô pactô institui solitæ, diximus suprà, voce *Sortes Virgilianæ.*

P. VIRGILIUS Maro, Mantuanus, Poëtarum Latinorum facilè Princeps. Nomen ejus quod attinet, Calvus, vetus Poëta:

Et vates cui virga dedit memorabile nomen.

Aldus verò Manutius negat hoc proprium Poëtæ nomen fuisse: sed ortum ait ex *Virgilia* familia; omnesque majores ejus *Virgilios* fuisse. Βεργίλιος Græcè scribitur apud Stephan. in *Μάντυα.* Alii à *virginali* facie, vel modestiâ; unde & *Parthenias* dicebatur. Natus patre figulô, in agro Mantuano, An. 684. Urb. Cond. 177. Olymp. Romam ut pervenit, Augusto, Mæcenati & Pollioni innotuit: Princeps Poëtarum Latinor. meritò dictus. Composuit *Eclogas*, ad Theocriti: *Georgica*, ad Hesiodi, & *Æneidem*, ad Homeri imitationem. Duo priora opera, in Mæcenatis & Pollionis, posterius in Augusti honorem: in quo 11. annos desudavit, in prosâ prius illô delineatô. Huic Poëmati ut ultimam manum imponeret, monitus ab Augusto, ostendit ipsi *libros* 2. 4. & 6. utpote reliquis exactiùs elaboratos; In quibus, ubi mortem Marcelli recitavit, interpellatus est Augusti & Octaviæ lachrymis suspiriisque. Obiit Brundusii, An. 733. Urb. Cond. occursurus Augusto, ex Oriente reduci. Cadaver ejus Neapoli conditum, cum Epigraphe:

Mantua me genuit, Calabri rapuêre, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, duces.

Moriturus jussit Æneida comburi, sed Augustus illam conservatam, Tuccæ & Vario corrigendam tradidit, qui tamen, solùm quod abundabat demantes, nihil addere ausi sunt. Vide Pier. *in 4. Georg.* Nomen cum *E.* scribunt. Cœl. Rhodig. *l. 7. c. 4.* Politian. *l. 5. ep. & Miscell. c. 77.* Elogia Virgilii pete ex Lud. de la Cerdâ, Scaligero, Vossio &c. de quo nos alibi plura. *Nic. Lloydius.*

VIRGILIUS, Romanus, Comicus Poëta, sub Trajano, impensè commendatus à Plinio. *l. 6. Ep. 21. ad Canin.* Item Historicus. Vide *Polydorus Virgilius.*

VIRGINALE Fanum, quod intrare *Virginibus* solis concessum, memoratur Papinio Statio, *l. 2. Theb. v. 251.*

—— *innuptam limine adibant*
Pallada; Munychiis cui non Argiva per urbes
Posthabita est Larissa jugis ——

Ubi *Palladis* nomine templum Palladis, in arce Argivorum Larissa, indigitat, quod nulli nuptæ aut viduæ ingredi licebat, sed *Virginibus* tantùm: quæ vittas sumturæ & matrimonium subituræ, ibi manipulum crinium, virginitatis ponendæ indicium, deponebant, ceremoniâ solenni: uti Atticæ puellæ ad Iphinoës tumulum, & Deliades in Hecaërgæ fano: Vestales item Romanæ, ad arborem loton ei rei destinatam, facere consuevêre. Ideo sequitur, *v. 253.*

—— *hic more parentum*
Iasides, thalamis ubi casta adolesceret ætas,
Virgineas *libare comas, primosque solebant*
Excusare toros ——

Ibidem hostiæ non nisi *virgines* cæsæ. Arnob. *l. 7. Quia virgo Tritonia est, idcirco ei convenit* virgines *hostias immolari.* Unde Statius iterum, *l. eôd. Thebaid. v. 724. intemeratas equas* eidem Deæ tribuit, quam in rem vide quæ adnotavit *in Animadversionibus suis Papinianis* Barthius, qui & *de Virginalibus* hujusmodi *Fanis* prolixè commentatur, in magno *Superstitionum* opere: ut & suprà voce *Megabyzi.* Addo saltem, uti *virginibus buculis* honoratam olim virginem Minervam, idem Arnobius *ibid.* seu *virginibus vitulis*, paulo infrà dicit; simili sic ritu nupturas *camelis virginibus* supplicâsse, auctorem esse Festum. *Telluri* contrà *matri scrofa inciens immolabatur forda*, Idem *ibid.* Vide & suprà, *Gravida.* Apud Athenienses porrò *Virgini* nubere non licebat, εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῇ θεῷ, *nisi sacra obiisset Dianæ.* Quoniam enim ob ursam cicurem, à puellæ, quam irritata prosciderat, fratribus interemptam, pestis oborta esset, consultô Oraculô, jussæ sunt virgines ἀρκτεύεσθαι τῇ θεῷ, *in ursæ peremtæ honorem Deæ dicari*; quod mense Januariô fieri solitum, quô *Virgines*, nec decem annis grandiores, nec quinque minores, crocotas indutæ, sacris hisce initiatæ fuerint, tradit Libanius, *Orat. de Dianæ laud.* Ut de cursu *Virginum*, in Junonis Templo, apud Elim: de ter novem *Virginum* processione, rebus creperis, apud Romanos; de *Virginum* ministerio, in Delphicis, aliisque sacris, in præsens nil addam, vide hanc in rem aliquid apud Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l. 13. c. 34.* plura apud Barthium, ubi suprà, & hic passim. At contrà fuêre sacra, à quibus mulieres innuptæ, non minùs ac servitiô pressi, vel ære coemti, arcebantur: inde in sacrorum apparatu Lictor Romanus præfabatur, *Hostis victus, mulier virgo exesto*, ut videre est apud Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l. 14. c. 17.* Sed & *nobilem Virginem* quotannis in Oraculo Lacedæmonii, peste divexati, immolaverant olim, donec aquilâ gladium abreptum, ab Helena, quæ fortè mactanda ducebatur, ad juvencam deferente, παρθενοκτονία cessavit, teste Plut. *in Aristodemo:* quod Romæ quoque in Valeria Luperca evenisse ratione consimili, Aristides prodidit, *Rerum Italic. l.* 19. Vide Cœl. Rhodig. *Antiq. Lect. l. 13. c.* 20. Originem moris, ex Historia Sacra, de filia Jephthæ, non sine ratione quidam arcessunt, de qua diximus suô locô &c.

VIRGINALIS Zona, castitatis symbolum: sicut ejus solutio, Sponsalium ac fœcunditatis, fuit. Hanc proin Mariti veteri more, primâ conjugii nocte, solvebant, ad sobolis propagationem, unde *Zonam solvere* in Proverbium abiit. Nova namque Nupta dudum zonâ laneâ & innodatâ cingebatur, quam in geniali lecto postea Sponsus solvebat, teste Festô & Arnobiô *contra Gentes*, *l.* 3. Ita autem is: *Cingulô nova Nupta præcingebatur, factô ex lana ovis, ut sicut illa in domum sublata conjuncta inter se sit: sic vir suus secum cinctus vinctusque esset. Hoc Herculaneô nodô vinctum Vir solvit, ominis gratiâ, ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, quemadmodum fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit. Cinxia Junonis nomen sanctum habebatur in Nuptiis, quòd initiô conjugii solutio erat cinguli, quô nova Nupta erat cincta.* Hic verò, *Unctionibus*, ait, *inquitis superest Unxia, Cingulorum Cinxia replicationi: Victua & Potua sanctissima, victui potuique procurant.* O egregia *Numinum & singularis potestatum interpretatio.* Nempe Zonam hanc à sponso, non sine Virginensis Deæ aut Junonis Cinxiæ ope, solvi crediderunt. Non. Marcellus, cingulum hujusmodi à *Marito tacito taxim solvi* consuevisse, tradit. Nonnumquàm, sive potiùs aliâ in regione, à Pronuba cunctabundæ Virgini laneum hoc cingulum duobus digitis solvi atque Dianæ, ob id *Cinxiæ* cognominatæ, sacrari fuisse solitum legimus. Nisi dicamus *Virginem* desponsatam, duas habuisse zonas, quarum exteriorem supra tunicam Pronuba solveret; interiorem supra interulam, in lecto, Maritus. Vide historiam pulcherrimam, de hujusmodi *Virginali* Zona Trœzeniarum, apud Pausaniam, *in Corinth.* Cœl. Rhodig. verò *Antiqq. Lect. l.* 16. *c.* 10. observat, à Veteribus zonam hujusmodi etiam *Mitram* dictam esse & solvi consuevisse primùm parturientibus, longè post nuptias, atque Dianæ, hinc *Λυσιζώνη* dictæ, fuisse dicatam. Sed facilè has sententias conciliat Bartholinus, triplicis Zonæ distinctione, ut in seqq. videbimus. Idem Rhodig. *Virginalem* Zonam *Tæniam* quoque appellatam fuisse, ait; unde Tæniapolis apud Eupolin, interprete Athenæô, pro ea quæ distrahit zonas. Et certum est, vetustis temporibus *Virgines* fasciam *Virginalem* perpetuò gestâsse, cujus jam Homerum meminisse videmus, *Od.* λ. qui mos ad Romanos posteà manavit, duravitque usque ad casum Imperii: Imò hodieque, *utuntur*, ait Vives, *& in Hispania Virgines fasciis*, &c. Vide Fortun. Licetum, *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 121. *ubi Lucernam Ægyptiorum mysticam eruditè explicat*, ut & infrà, in voce *Zona*.

VIRGINENSIS Dea existimata, quæ adhibebatur in nuptiis à Roman. ut quæ virgini Zonam solveret; ut Græcis Lysizona Diana: inter alia conjugalium Deorum simulacra, etiam hujus quoque ferebatur in conclave novæ nuptæ. Vide Augustin. *de Civit. Dei*, *l.* 4. *c.* 11. & *l.* 6. *c.* 9.

VIRGINIA, L. Virginii Centurionis filia, quam stupro destinatam ab Appio Decemviro pater in medio foro occidere maluit, quàm pati, ut in fœdam servitutem abduceretur. Qui mox ascitis militibus Decemvirorum superbam dominationem oppressit, post libertatem receptam annô 76. Liv. *l.* 3. *c.* 44. 45. 46. *s.* Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 294.

——— *Cuperet Rutila Virginia gibbum*
Accipere, atque suum Rutila dare. ———

VIRGINIA, Gallis *la Virginie*, regio Americæ Septentrional. à Richardo Grenvilio Anglo detecta, A. C. 1585. sicque dicta, in honorem Elisabethæ Angliæ Reginæ. Pars est novæ Franciæ latè sumptæ, sub Anglis tamen, quibus plures ibi coloniæ, huc privilegiis amplissimis concessis perductæ, sub Jacobo M. Britann. Rege, A. C. 1607. Thuan. *Hist. l.* 138. Extenditur ad 150. leuc. à Septentrione in Meridiem seu à Novo Belgio ad Floridam, versùs oram littoralem maris Borealis. Ejus præcipuum oppid. Jacobipolis, *Jamestowne*, ad Ponhatanum fluv. Virginiæ latè sumptæ. Ejus partes sunt etiam nova Suetia, juxta fluv. Austrinum, sub Suecis, & novum Belgium, *le nouveau Païsbas*, aliàs sub Belgis, nunc sub Anglis, ex quo tota provinc. occupata fuit ab illis, quibus & pace Bredanâ A. C. 1667. remansit. Ejus coloniæ præcipua Amsterodamum novum seu Manhatum, & arx Arausicana. Incolæ idololatræ plerumque, edones ingentes, sub Wevoanis, dominis suis.

VIRGINITAS, apud plerasque olim Gentes magno fuit in pretio: Unde quum legem Papiam Poppæam sanciret Augustus, quâ Maritis præmia, cœlibibus pœnæ constituebantur, non solùm ab ea *Virgines* excepit *Vestales*: sed etiam honorem illis eundem, quem Matribus, haberi voluit. Apud Græcos quoque non nisi per *Virginem* Oracula fundebantur: Talis enim Delphis Pythia antiquis temporibus fuit, donec eâ ab Echecrate Thessalo violatâ, seniores fœminæ, annorum saltem quinquaginta, suffectæ sunt, quæ tamen & ipsæ *Virginali* habitu, in memoriam veteris vaticinandi moris, uti tenebantur, Diodor. Sic. *l.* 16. *c.* 6. Ipsum verò Dei Populum non adeò *παρθενίαν ἀσκῆσαι*, neque propositum *Virginitatis* servandæ notum habuisse, scimus; ut contra, si qua perpetuò maneret *Virgo*, probro id illi verteretur & genus quoddam maledictionis censeretur: Quemadmodùm &, cùm in Oreste Euripidis, impura Helena Electram compellans, *Virginem diuturnam* appellat, *v.* 72.

Παρθένε μακρὸν δὴ μῆκος Ἠλέκτρα χρόνου.
Electra, Virgo quæ manes jam perdiu:

contumeliæ causâ sic illam esse locutam, Veteres observant. Hacque in re differentiam inter veterem Populum ac novum sæpe adnotant Patres & causas illius explicant. Neque tamen laudandum, quod passim fieri hodie videmus, ut pars Mundi non pœnitenda votum *Virginitatis* suscipiat magis, quàm præstet, Vestalium veterum more frustra se defendentes: Romæ enim Vestales erant saltem sex numerô, quæ, virginitatem vel solâ suspicione violâssent, gravissimis suppliciis, sine ulla misericordia, afficiebantur, vivæque defodiebantur, uti suprà dictum. Augustus quoque, paganus licèt Princeps, neque meliori ullâ luce illustratus, necessitatem suis lege illâ imposuit, vel castè vivendi, vel nuptias sectandi, *si*, inquiens, *carere semper Uxoribus volueritis, sicut Sacerdotes Vestales carent viris: ergo & iisdem, quibus illæ pœnis, & ipsi afficiemini, si flagitium aliquod admiseritis.* Nec favet ritui præfato, quod de *Virginibus ἐγκλείστοις, reclusis seu conclusis*, legimus Maccab. *l.* 2. *c.* 3. *v.* 19. ubi, tumultu ingenti Hierosolymis obortô, quòd Heliodorus Urbem ingressus esset, ad Templi thesauros inde rapiendos, de Virginibus Auctor libri ait: *Αἱ δὲ κατάκλειστοι τῶν παρθένων, αἱ μὲν συνέτρεχον ἐπὶ τοὺς πυλῶνας, αἱ δὲ ἐπὶ τὰ τείχη, τινὲς δὲ διὰ τῶν θυρίδων διέκυπτον, Virginum, quæ erant conclusæ, aliæ ad vestibula & portas concurrebant; aliæ ad parietes, quædam per fenestras exertô collô prospectabant.* Loquitur enim is ibi de omnibus totius Urbis puellis honestioris loci, quæ educabantur in domibus Parentum & propriis sibi cubiculis, neque prodire foràs sinebantur. Doctè Glossæ ordinariæ Auctor, *Virgines quæ conclusæ erant*, i. e. *de domibus Parentum non exibant, ratione verecundiæ ac pudicitiæ Virginalis: tamen in illa turbatione exibant, præter morem solitum, currentes ad Oniam.* Adeoque Virgines hæ *κατάκλειστοι* non erant Religionis causâ reclusæ, sed honestiorum id Virginum perpetuum est epithetum. Olim enim apud Hebræos, Græcos plerosque & Romanos, Virgines domi continebantur in propriis œcis, quos Græci appellârunt *Παρθενῶνας*, i. e. *cellas Virginales*, eratque ea pars Gynæconitidis. Idcirco & apud Græcos Poëtas Virgines *κατακλείστας* appellari videmus. Apud Hephæstionem, extat hoc Lyrici Poëtæ fragmentum,

Ἡ παῖς ἡ κατάκλειστος.
Τὴν οἱ φασὶ τεκόντες.
Ἐμοῦσιν ἀμφιπολεῖς
Ἔχειν ἔσω ἀλλῶν

Ad quem morem fortè allusit Auctor Sapientiæ Syracidis, cùm *c.* 42. *v.* 10. ait, *θυγάτηρ πατρὶ ἀπόκρυφος ἀγρυπνία, Filia est Patri suo causa occulta vigilandi.* Sed magis ad rem facit, quòd *Virginem* Hebræi appellant עלמה, quasi dicas *absconditam, κατάκλειστον.* Unde Hieronymus *in Quæst. Hebr. Alma*, inquit, *quod interpretantur, abscondita*, i. e. *Virgo nimiâ diligentiâ custodita.* Vide quæ de hoc instituto pluribus scribit Philo, *lib. de Legibus.* Hinc & Auctor incertus Tragœdiæ, *Christus Patiens*, B. Virginem rationem vitæ suæ explicantem introducens, ita illam loqui facit:

Πρῶτον μὲν ἔνθ' ἄν γε κἂν προσῇ, κἂν μὴ προσῇ,
Ψόγος γυναιξὶν, αὐτὸ τοῦτ' ἐφέλκεται
Κακῶς ἀκούειν, εἴ τις οὐκ ἔνδον μένει.
Οὗπερ πόθον παρεῖσ' ἔμιμνον ἐν δόμοις
Εἴσω μελάθρων.

Ubi, *domi se mansitâsse*, ait, *ne malè audiret, more illarum, quæ foràs prodire amant.* Contrà scortum aliquot locis in Targumim appellatur נפקת בוא *exiens foràs.* Facit & huc, quòd apud Græcos Scriptores *θαλαμευόμεναι* quoque Virgines vocantur, quod idem est cum voce *κατάκλειστοι*, in thalamis enim conclusæ educabantur. Chrysostomus, *Homil.* 1. de Anna Samuelis matre: *Τῶν θαλαμευομένων παρθένων μᾶλλον ἡμᾶς οἱ νῦν φυλαττέσθωσαν.* Notusque est versus Euripidis *in Oreste*, *v.* 108.

Εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν,
Foràs puellæ ut prodeant, parum decet.

Apud solos Corinthios vocabulum *κατάκλειστοι* aliô sensu usurpatum fuit, si vera Hesychii observatio: *Κατάκλειστοι· ἐν Κορίνθῳ ἑταῖραί τινες*, quod de Hierodulis Veneris interpretatur Casaubonus, ex illis, quæ tradit Strabo. Quemadmodùm verò *Virgines* suas inclusas domi servabant Veteres; sic etiam Matronas illas laudabant, quæ pedem domô rarò efferrent. Græci *οἰκουρέους* & *οἰκουρικὰς*, Latini *Cassarias* dixêre &c. Vide plura hanc in rem apud Isaac. Casaubon. *Exercit. contra Baron.* 1. §. 23. alibique passim, & suprà, ubi nos de Græcorum *Occuria*: uti de exploratione *Virginitatis* Gentilibus olim usitatâ, suprà ubi de *Pinea corona*: it. voce *Santes*, ubi de gagate lapide, *Taurus*, de Ebionitis, *Virginitatem* rejicientibus, *suô locô.*

VIRGINIUS, vide *Lucius*; it. *Opiter.* It. *Publius* & *Rufus.*

VIRGINIUS Tricostus. *Virginius* Cælimontanus, vide *Titus.* It. *Lucius.*

VIRGINIUS Rutilius, vide *Proculus.*

VIRGITANUS Sinus, melius à Virgi; *Golfo di Cartajena*, inter Scombrariam promontor. apud Carthaginem & Charidemum promontor. Bæticæ.

VIRGIUM, & VORAGIUM Latinis dicitur Liguriæ oppid. quod vulgò *Voraigne* vocari, auctores sunt *Blond.* & *Leander.*

VIRGO, Græcè *Παρθένος*, inter Minervæ cognomina, apud Athenienses, uti vidimus suprà ubi de *Nuptiis.* Sed & Sesti *Jovis & Virginis* Heroum Plinio memoratur, *l.* 10. *c.* 4. *Est percelebris apud Seston urbem aquilæ gloria: educatam à virgine retulisse gratiam, aves primò, mox deinde venatus aggerentem. Defunctâ postremò in rogum accensum ejus injecisse sese & simul conflagrâsse. Quam ob causam incolæ, quod vocant Heroum, in eo loco fecêre, appellatum Jovis & Virginis, quoniam illi Deo ales ascribitur.* Ubi quid *Heroum*, fusè exponit Cœl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 18. Vide & suprà aliquid.

VIRGO, inter sidera & signa Zodiaci XII. relata, ex vulgari sententia. Astræa fuit seu Justitia, vel Æquitas. Hinc Aratus,

——— Καὶ

——— Καὶ ἑ Δίκην καλέεσι,
——— *Et Justitiam vocitârunt.*

Illa namque, hominibus ab æquitate declinantibus, ad Superos transiisse credita est, ut Nigidius docet, apud Germanici Interpretem. At continuò antè legas ibid. *Nonnulli eam esse Cererem, eò quòd spicas teneat; alii Atergatin; quidam verò Fortunam pro eo, quòd sine capite Astris infertur.* Similiter Hyginus in hoc Signo, *c.* 25. *Poëtici Astronom. Sed hanc alii Fortunam*, alii *Cererem dixerunt. Et hoc magis non convenit inter eos, quòd caput ejus nimiùm obscurum videtur.* Festus Avienus *in Arati Phænomenis:*

Aut Pelusiaci magis & Dea litoris Isis,
Digna thori consors, & cura latrantis Anubis:
Seu tu diva Ceres.

Sed nil attinebat, pro diversis afferre opinionibus, quòd aliis sit Isis, aliis Ceres. Nam quæ *Isis* Ægyptiis, ea *Ceres* Romanis. Esse verò Cererem potiùs, quàm Fortunam, eò comprobatur, quòd spicam manu teneat; ut mox subjicit Avienus:

——— *Sic nam sibi fragrat arista*
Et seu Siriacô torretur spica calore,
Protentam manu &c.

Nec abludit, quòd quibusdam Atergatis fuerit credita, namque eandem Atergatim cum Cerere esse, ostendit Vossius, *de Idolol. l.* 2. *c.* 55. Aliis autem *Virgo* non Justitia aut Ceres est, sed Concordia vel Pax. Pro Cerere est *Virginis* imago in veteri Veneta Hygini editione expressa, ubi spicas manu tenet. Sed pro Concordia aut Pace, est illa veteris MS. à Commelino in Hygino suo, item ab H. Grotio *in Arateis Germanici*, efformata, manu dextrâ olivam, sinistrâ caduceum tenens. Concordiam verò & Pacem inter Numina fuisse habitam, satis constat: Namque Concordiæ templum fuit in Capitolio, juxta ædem Junonis Monetæ; Pax verò templum habuit Foro proximum, quod Cæsar quidem Claudius exorsus est, Vespasianus verò absolvit. Vide iterum Voss. de *Idolol. l. eod. c.* 36. Historiam si respiciamus, *Virgo* hæc Erigone fuit; cujus Pater Icarius (qui tempore Amphictyonis Atheniensium Regis vel potiùs Erichthonii, ob quadrigarum inventum, inter sidera relati *Heniochique* seu *Auriga* dicti, floruit) cùm à Libero vini faciendi modum edoctus, à rusticis venenum ab eo sibi propinatum ratis occisus esset; filia, luctûs impatiens, laqueô vitam finivit, atque ob hanc in Patrem pietatem in cœleste *Virginis* signum conversa credita est, ut inter alios refert Hyginus, *Fab.* 216. apud Eundem, *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 13. Vide quoque in voce *Erigone*. Inter desiderata Seldeni, *de Synedriis Veter. Hebræor. l.* 3. *c.* 16. §. *est* 9. cujus argumentum: *Commentum Orientalium vetustissimum de Virginis, velut in Ebræorum terra, cibantis Puerum, cui nomen Jesu imagine invisibili, in primò signi* Virginis *Decano semper ascendente. Albumasaris Mahumtedani & R. Abenezra Judæi, ea de re, è Persarum aliorumque scitis antiquissimis traditiones. Numina tria Barbarica cum signo illo coorientia. Etiam in Christianismo veteri, persuasio habita de Virgine Deipara, in signo Virginis, denotata.* Item §. 10. *De codice sub titulo de Vetula P. Ovidio Nasoni per ridiculam Christiani alicujus, ante secula aliquot, sive ignorantiam, sive imposturam tributo, in quo paraphrasis metrica, sed miserrima, disciplinæ illius Albumasariane, de primo Virginis Decano exoriente.* Qua de re & tres §. seqq. quos vide.

VIRGO, nondum desponsata, quantâ solicitudine olim custodiri solita fuerit à Parentibus, suprà diximus, ubi de *Occuria*, item *Virginitate*. Eodem facit, quòd illis, ut & Matronis, Eunuchi custodes comitesque additi leguntur, qui ideò quibusdam videntur dicti, quod tutiùs possent τὴν εὐνὴν ἔχειν ἢ φυλάττειν, *cubile observare ac custodire.* Ita autem servabantur, ut nec aspicerent viros ad justam usque & jam penè consponsam ætatem. Unde Statius, *l.* 1. *Theb. v.* 536.

——— *Nova deinde pudori*
Visa virûm facies ———

Eminus tamen è turribus hostiles copias contemplari, receptus mos fuit. Ovid. *l.* 8. *Met. v.* 14. 17. 19.

Regia turris erat, vocalibus addita muris,
Sæpe illuc solita est ascendere filia Nisi,
Tunc cùm pax esset: Bellô quoque sæpe solebat
Spectare ex illa rigidi certamina Martis.

Cujusmodi speculationes ex Homero notissimæ, vide Barthium, *Animadvers. Papin. ad l.* 7. *Theb. v.* 24.

Nondum hostis circa, trepido tamen agmine matres
Conscendunt muros ———

Cæterùm,

——— *servabat nata Penates*,

Idem Poëta, ubi vide iterum *de Virginibus data tuta servandarum ædium*, Barthium modò dictum. Etiam vestitus congruebat; namque stolâ, quæ ad imos usque pedes demissa, velòque cùm in publicum prodirent, illæ apud Veteres usæ. Unde Plut. *in Lycurgo*, attentiorem à Numa, quàm ab illo, circa *Virgines*, curam adhibitam fuisse, ait; cùm Lycurgi institutione *Virgines* nudis femoribus incedentes, locum sermonibus Poëtarum præbuerint, qui eas φαινομηρίδας propterea appellârunt: Non enim Virginalis tunicæ alas ab inferiore parte consutas esse voluit, quæ proin apertæ totum femur simul in incessu nudabant. Erant interim ita longi fluentesque hi pepli, ut euntes oras manuum alterâ attollere cogerentur (qualem Medeam describit Apollonius Rhodius, *l.* 4. *v.* 45.) zonâ ad ventrem, fibulâ ad humeros succinctæ, colore candidô, de quo iterum videndus Barthius, *ad l.* 2. *Theb. v.* 230. ubi *habitum verendum* hunc vocat Papinius. Sed quid de Lycurgo mirum, cùm teneriorem hunc sexum, omni etiam habitu positô, in Gymnasiis exerceri voluerit; ut ex illis Propertii, *l.* 3. *Eleg.* 13. *v.* 1. clarè elucet,

Multa tuæ, Sparta, miramur jura palæstræ,
Sed mage Virginei tot bona Gymnasii.
Quòd non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros:
Cùm pila veloces fallit per brachia jactus,
Increpat & versi clavis adunca trochi:
Pulverulentaque ad extremas stat fœmina metas
Et patitur durô vulnera pancratiô.
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavô protegit ære caput.

Vide quæ de *Virginibus* similia habet Xenophon, *de Rep. Laced.* Plut. *in Lycurgo*, vetus Poëta, apud Ciceronem, *Tuscul. l.* 2. Claudianus *de Manlii Consul.* &c. Hinc &, contra aliarum Gentium morem, *Virgines* Lacænas, intectâ facie, mulieres opertâ, in publicum prodiisse, Clem. Alexandrinus docet, *Pædagog. l.* 2. *c.* 10. additâ ratione, quòd hæ Maritum jam nactæ cui soli placere deberent, faciem meritò tegerent extra domum & viri conspectum: illæ, faciem ostentando, Maritos captarent. Præter Stolam, pallium quoque sive Pallam gestârunt; sicut & Matronæ, à quibus in hoc distinguebantur, quòd Matronæ *fertis crinibus*, i. e. *crinium fertis*, ornarentur; quod nec Libertinis licebat: cui dein novum discrimen à Senatu adjectum, scil. Vittæ sive fasciolæ, quibus & stolâ semper, præcipuè à Poëtis, Matronæ denotantur. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Vestiar. l.* 3. *c.* 17. Interim & *Virginum* nondum nuptarum fuisse vittas, docet illud Val. Flacci, *Argonaut. l.* 8. *v.* 6. *Ultima Virgineis tum flens dedit oscula vittis.* De *Virginum* Inauribus, vide Casp. Bartholinum, *l. de Inaurib. Veter.* de aliis circa vestitum observandis, Rubenium *de Re Vestiaria*, Anselm. Solerium *de Pileo*, Alios. Capillos quod attinet, cirratæ illæ erant, & crinem in vertice concumulatum & colligatum gerebant, absque ulla ἀμπυκι, sicque à mulieribus distinguebantur, Tertull. *de Virgin. veland.* antiquitus verò coma illis soluta ac libera fuit, ut ex priscis monumentis passim liquet. Unde de Venere Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 323. ——— *dederatque comam diffundere ventis.* At coma coacta coronataque, argumentum habebatur vel instantis vel jam præsentis lætitiæ conjugalis. Claudian. *de Raptu Proserpinæ, l.* 2. *v.* 149.

——— *libertatemque comarum*
Injecta voluit tandem frenare corona.

Erant autem *Virginum* coronæ, oleaginæ inprimis, quod hæc arbor Palladi sacra: aliquando è pinu, quæ virginitatis symbolum fuit, uti docet Dianæ sacerdos, apud Achill. Tatium, *l.* 8. ex fœniculo quoque, & populo, sed hæ non nisi in choreis intemperantioribus, qua de re vide Car. Paschal. *Coronar. l.* 2. *c.* 15. Priùs tamen, quàm frænarent hôc pactô comam, de crinibus aliquid Minervæ ponebant, vel matribus relinquebant, quo de ritu fusè Barthius, *ad l.* 2. *Theb. v.* 255. pupas etiam Veneri sacrificabant, quo de ritu vide suprà in *Poppea*. Porrò cuiquam temerè osculum dare aut accipere, illis non licebat: Ne Sponso quidem, nisi semel tantùm, Sponsaliorum confirmandorum causâ. Quô factum, ut, quæ præbuerat osculum, esset quasi Uxor, vel plus quàm Sponsa, uxorque aut maritus osculô tantùm putaretur, Quintilian. *Declam.* 370. quod tamen Cujacius de osculi specie, quæ *suavium* dicta est, intellectum solùm vult: Verùm hac de re paulo latiùs diximus, ubi de *Osculis*. Et hinc, cùm ad Maritum deducenda erat, è gremio Matris vi simulatâ abripi *Virgo* solebat, neque ipsa limen Mariti calcabat, quasi sponte ingressura, sed à Pronubis sublata intrò portabatur, ut videre est apud Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. & suprà *passim*. Sed nec ipsi *Virgini*, cui vellet, nubere licebat, verùm desponsanda erat, ex *Lege*. Et quidem apud Athenienses, Pater filiæ eam despondebat: despondebat quoque frater Germanus, si Pater non esset; neutrô horum superstite, Avus Paternus &c. qua de re vide suprà, ubi de *Nuptiis*. Addam hîc saltem, quæ apud Hebræos, circa *Virgines* desponsandas, erant in usu. Et quidem, puella usque ad annum 12. diemque insuper unicum, קטנה *Minor*, ab iis nuncupabatur, nisi manifesta præproperæ pubertatis signa nomen juvenculæ, נערה, fortè anticipâssent. Per sex, qui sequuntur, menses, נערה seu *Juvencula*, dicta est, & pro גדולה seu *annis majore*, habita. Dein בוגרת seu *pubertatis erat plena*. Erant autem minores puellæ in potestate patria, non omnino sua; uti etiam Juvenculæ, ab ipsis Natalibus, usque ad plenam libertatem, tametsi minor per sex postremos menses non esset: quod petunt ex Deuteron. *c.* 22. *v.* 16. *Filiam meam huic viro dedi in Uxorem.* Et quidquid bonorum filiæ, ante plenam pubertatem & perfectas nuptias advenerat, Patri cedebat; neque infra hanc ætatem Sponsalia aliter, sive nummulô, sive libellô, fiebant, atque ex paterno duntaxat consensu conventioneque. Formula erat hæc, *Ecce filia tua N. sit Sponsa mihi hoc nummulô.* Aut, *Filiam tuam N. mihi hoc nummulô spondes?* Cui Pater, *Despondeo eam tibi*; aut, *Do eam tibi.* Exactâ verò pubertate plenâ, desiit potestas patria, itaque incipiebat; à quo tempore ipsa *Virgo* ritè contrahebat: idque per Internuntium, sive Proxenetam, quem שליח seu *Apostolum* dixere. Auspicabantur autem, ex more veteri, uti res alias, ita etiam Sponsalia contrahenda à sacra benedictione, quæ Sponsalibus propria hæc erat:

Benedictus sis Domine Deus Rex Mundi; qui sanctificavit nos praeceptis suis & incestus nobis interdixit, atque ut à Sponsis abstineremus voluit, sed Uxores tam thalamô, quàm Sponsalibus conjunctas, nobis permisit. Benedictus, qui sanctificavit populum suum Israel, per thalamum & Sponsalia. Fiebatque ritus hic adhibitô vini, alteriusve potus, qui in usu, poculô; de quo, peractâ benedictione, Sponsi gustabant. Peractis Sponsalibus, praestituta erant tempora morae, quâ ante deductionem uti licuit: Neque minor desponsata, nisi tam ipsa quàm Pater, adsentiret, deduci à Sponso poterat, ante duodecimum Annum, seu antequam נערה seu *Juvencula* facta fuisset. Etiam postea roganda erat, ut libenter deduceretur, atque per menses 12. à die, quô rogabatur, putandos, pro arbitratu suo, deductioni ac Nuptiis ritè satis obstare poterat, idque ut interim se futuro conjugio *perornaret appararetque*. Hôc morae tempore, pacta Dotalia inibantur, & dos *Virgini* Sponsae constituebatur à Sponso, ut ferè ἀντίφερνα seu Donatio propter nuptias, jure Caesareô adhiberi solita, neque ea minor 50. siclis seu 200. Zuzis: in Sacerdotali autem genere illa duplicabatur. Vide suprà, ubi de *Dote*. Dotalis autem Syngrapha hunc ferè in modum concipiebatur: *Die N. mensis N. annô juxta calculum nobis in usu* &c. *ad fluvium N. N. filius N. dixit N. filia N. Virgini. Sponsa sis mihi in Uxorem, juxta institutum Mosis & Israelitarum. Et ego, Deô volente, colam, honorabo, sustentabo, alamque & vestiam te juxta morem maritorum Judaeorum, qui honorant, sustentant, cibant, alunt, vestiuntque Uxores suas, ut decet. Do etiam tibi, ut Virginitatis tuae dotem, argentum* 200. *Zuzorum, id est,* 25. *Zuzos argenteos, qui tibi ex Lege competunt; praestiturus etiam tibi alimenta tua, vestimenta tua, & quae tibi sufficiant & concubitum tecum; juxta morem universae terrae. Assensum item praebuit illa N. ut esset illi N. in Uxorem. Voluit etiam & adjecit ille illi, in principalis dotis incrementum, summam N. Et bona, quae attulit ipsa Sponsa* (*Nidunia* vocant, quod idem cum dote in jure Caesar.) *aestimantur summâ N. Totum autem Sponso hinc acceptum, in ejus possessionem transit & illius fit potestatis, atque ut creditum ex ejusce fide pendet. Et sic nobis dixit Sponsus ille N. In me recipio praestare, in me recipio praestationem totius ipsius dotis, etiam bonorum, quae secum ipsa Sponsa jam attulerit aut postmodùm sibi acquisiverit, item & Dotis incrementi conditionumque qualiumcunque ad dotem attinentium, nec in me solùm, sed etiam in haeredes meos, qui mihi successerint & in omnem substantiam meam pretiosiorem, possessionem, possessionesque qualescunque sub coelo quae sive nunc mihi sunt, sive imposterum fuerint*, &c. Dote sic constitutâ, moraeque tempore ad finem perductô, deductio fiebat: Sed nec pridie Sabbati aut postridie, neque ipsô Sabbatô, aut aliô die festô; quin nec intermediis sive Paschatis sive Scenopegiae diebus: nempe 5. qui inter Pascha & sequentem septimum, & sex, qui inter Scenopegiam & octavam, habebantur. Namque epulum à Sponso, ubi *Virgo* erat Sponsa, per dies à deductione minimùm septem, laetè lauteque celebrandum erat, cujus manifesta in Euang. vestigia sunt, ubi & Architriclini, qui epulis praeerat, mentio, Johann. *c.* 2. *v.* 9. proin ne epulari apparatu fortè violaretur Festum, dies illos eximi placuit. Solennis verò *Virginis* deductioni quarta feria erat, seu Mercurii dies, quemadmodum Viduae ac Vitiatae deductioni quinta seu Jovis maximè idonea habita est, cujus ritus rationem exponit Seldenus, *Uxor. Ebraic. l.* 2, *c.* 11. Sed nec deductio suâ benedictione carebat: quae vel in domo, ubi epularis illa laetitia & thalamus, in quem Sponsa deducenda; vel in alio quovis loco, ex more huic rei praestituto, adhibebatur; nec sine praeeunte iterum vini poculo, ejusque benedictione. Decem autem ad minimum, iique majores aetate atque ingenui benedictioni huic adesse tenebantur, cujus haec formula: *Benedictus sis Domine Deus noster, Rex Mundi, qui universa creavit in gloriam suam. Benedictus sis Domine Deus noster, Rex mundi, Creator hominis. Benedictus sis Domine Deus noster, qui creavit hominem ad similitudinem suam & ad similitudinem imaginis Archetypi sui, & praeparavit ei ex se ipso structuram.* (foeminam) *Benedictus sis Domine Deus noster, Creator hominis; gaudendo gaudebit, & exultabit sterilis colligendo liberos suos in sinum suum in laetitia. Benedictus sis Domine Deus noster, qui laetari facis Sion in liberis suis. Laetando laetari fac par hoc amatum, juxta laetitiam à te donatam creaturae tuae, in horto Eden, ab antiquo. Benedictus sis Domine Deus noster, qui laetari facis Sponsum & Sponsam. Benedictus sis Domine Deus noster Rex Mundi, qui creavit gaudium & laetitiam Sponso & Sponsae exultationem, cantum, hilaritatem, jubilationem, amorem, fraternitatem, pacem & amicitiam. Confestim Domine Deus noster, audiatur in Urbibus Judaeae & in plateis Jerusalem vox gaudii & laetitiae, vox Sponsi & Sponsae, vox affectus mutui Sponsorum ex thalamo suo & pueri è choro modulationis suae. Benedictus sis Domine Deus noster, qui laetari facis Sponsum cum Sponsa.* Praeibatque hanc benedictionem, vel maximus natu ex illis decem praefatis testibus, vel dignissimus. Sequebatur dein deductio in thalamum, quam כניסה לחופה *Introductionem in Chuppam*, i. e. *in thalamum nuptialem* appellabant, indeque Sponsa omnimodâ ratione perfecta Uxor regulariter habebatur. Fiebat autem id primô Nuptialis convivii die, omnibusque convivis futuris Sponsus & Sponsa, quae jam deducebatur in Nuptias, sollicitè expectandi erant observandique, Matth. *c.* 25. *v.* 10. &c. Vide praefatum Seldenum, *l. eôd. c.* 13. & *seqq. ubi de aliis quoque minorum gentium ritibus, Annulo, corona, frumento spargendo, myrto ac palmarum ramis praeferendis, velamine Sponsorum & Paranymphis, eruditè differit.* Inprimis Pontifici M. praeter Viduam Antecessoris, non alia quàm *Virgo* (uti & Regi Sacrorum apud Athenienses, vide suprà voce *Rex*) duci poterat: Neque verò cujuscunque generis, sed ea duntaxat, quae, קטנה seu *Minoris* aetatem egressa, scil. annos 12. praeter diem unicum, nondum plenam pubertatem seu annos 12. & 6. menses, attigerat: sed intra ה נערה seu *Juvencula*, seu sex, qui excrescebant, mensium aetatem constiterat. Quod colligunt Doctores, ex Levit. *c.* 21. *v.* 13. *Foeminam accipiat in Virginitate sua* &c. Idem, *l.* 1. *c.* 7. Nec omittendum, *Virgines* occidere non licuisse, apud Romanos. Sueton. *Tib. c.* 61. ubi de ruina Sejani: *Viginti unô die abjecti tractique sunt.* ——— *Immaturae puellae, quia more traditô nefas esset* virgines *strangulari, vitiatae priùs à carnifice, dein strangulatae.* Quod & Dioni notatum in filia Sejani, & in beatissimis Virginibus, quae pro Christo sanguinem fuderunt, saepe factum, ex Martyrologiis scimus. Cui similis religio Triumviros incessit, cùm proscriptionis tempore praetextatum quendam, ut occidi posset, togam virilem induere jusserunt, ut narrant Appianus & Dio idem. Vide Casaubon. *ad l.* &c. Dionis locus de filia Sejani sic habet, Τά τε παιδία αὐτοῦ, κατὰ δόγμα ἀπέθανε, τῆς κόρης, ἣν τῷ τοῦ Κλαυδίου υἱῷ ἠγγυήκει, προδιαφθαρείσης ὑπὸ τοῦ δημίου, ὡς οὐχ ὅσιον ὂν παρθενευομένην τινὰ ——— ἀπολέσθαι. De *Virginibus* apud Athenienses ἐπιπροίκοις & ἐπικλήροις, mox.

VIRGO, apud Athenienses, alia ἐπίκληρος, seu *Orba*, quae fratres non habuit; alia ἐπίπροικος, quae cùm fratres haberet, dotem certam, è bonis paternis, auferebat, dicta est. Illae iterum vel erant egenae, quibus proximi, si nollent eas ducere, dotem dicebant, dabant, αἱ κλῆρον οὐκ ἔχουσαι πατρῷον; aliae dotales, quae totam haereditatem in dotem afferebant, vide suprà ubi de *Epicleris*. Gentis his enuptio fuit vetita, teste Isaeô & Demosth. οὐκ ἐξῆν ταῖς ἐπικλήροις ἔξω τῆς ἀγχιστείας γαμεῖσθαι, ἀλλὰ προσῆκον ἦν αὐταῖς μετὰ τῶν χρημάτων τῷ ἐγγύτατα γένους συνοικεῖν, *Non licebat Virginibus* ἐπικλήροις *extra cognationem nubere, sed oportebat ipsas unà cum bonis proximo agnato nubere.* Neque verò Athenis solùm sed etiam in aliis Graecorum civitatibus. Diodor. enim Sic. *l.* 12. in Solonis & Charondae legibus, ita cautum fuisse hac de re testatur. Κελεύει ὁ νόμος τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικάζεσθαι τὸν ἔγγιστα γένους, ὁμοίως δὲ καὶ τῷ ἐπικλήρῳ ἐπιδικάζεσθαι τῷ ἀγχιστεῖ: ubi jus idem in viros ac mulieres statuitur; ut proximus Agnatus cum ea foemina, ad quam gentis haereditas esset devoluta, judiciô experiri possit, si nuptias ex lege recuset: & vice versâ *Virgo* aut Mulier, in casu simili. Simillima fuit lex Mosis, de qua *extremo c.* Numerorum agitur, ubi de filiabus Tzelophchadi Deus consultus ita respondit, *v.* 6. 7. *Hoc verbum quod praecipit Jehova de filiabus Tzelophchadi, dicendo, cui bonum videbitur in oculis suis, nubunt: veruntamen in familia Tribus paternae suae nubunto. Nam non avertetur possessio in filiis Israëlis à Tribu in Tribum: quum filii Israëlis adhaerebunt quisque possessioni, Tribus paternae suae. Quapropter quaecunque filia è Tribubus filiorum Israëlis est haeres possessionis, alicui è familia Tribus paternae suae nubito* &c. E quibus sequitur, B. *Virginem*, ut quae ἐπίκληρος erat, non solùm ejusdem fuisse Tribus Juda cum Josepho, cui erat desponsata: sed etiam ex eadem gente & cognatione, nempe Davidica. Quare verè & doctè Epiphanius, contra scelestissimum Haereticorum genus, Antidicomarianitas, scribit, Mariam Josepho esse traditam, κλήρου εἰς τοῦτο ἀναγκασάντων αὐτὴν αὐτῷ, *quum jura haereditatis, quam possidebat, eò ipsam adegissent.* Ubi quod Epiphanius bona, quae tum B. *Virgo* obtinebat, κλήρους appellat, non κλῆρον; videtur id innuere; unà cum Patris haereditate, etiam aliorum agnatorum bona ad ipsam fuisse devoluta. Vide Isaac. Casaubon. *Exercitat.* 1. §. 13.

VIRGO, nomen aquae Romae olim nobilissimae erat, quemadmodùm & *Martia*, quae priùs *Anceja*, ab Anco Martio Rege, posteà à Q. Martio Praetore in Urbem invecta & instaurata est. Meminit utriusque Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 42. *v.* 16.

Ritus, si placeant tibi Laconum,
Contentus potes aridô vapore,
Cruda Virgine Martiaque *mergi;*
Quae tam candida, tam serena lucet,
Ut nullas ibi suspiceris undas,
Et credas vacuam nitere Lygdon &c.

Gelidissimam Virginem, ut & tactu jucundissimam, sicut haustu Martiam, refert vocatque Plinius, *l.* 31. *c.* 3. quod nullis sordibus pollueretur, dictam vult Cassiodorus, *l.* 7. *c.* 6. *Var.* In hac post pilae lusum lavari consuevisse, idem innuit Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 163.

Redde pilam, sonat aes thermarum, ludere pergis?
Virgine *vis solâ lotus abire domum?*

Nempe cùm Thermae clausae erant, id fiebat: de quibus scribit Capitolinus, *c.* 24. *extr.* ante Alexandri Severi tempora, *nunquam ante auroram apertas fuisse & semper ante Solis occasum claudi consuevisse*; ipsum verò Imperatorem *publicarum Thermarum luminibus oleum addidisse, quò & noctu paterent*; quod etiam fecisse Lyconem Philosophum juventuti Graecae, scribit Laertius *in ejus vita.* Thermis autem apertis, post pilae lusum calidis balneis lavari fuisse solitos, tradit Galenus, *l. de parva pila lusu.* Vide Hieron. Mercurialem, *de Arte Gymnastica, l.* 1. *c.* 10.

VIRGO, it. *Pallas*, numerus Septenarius Veter. dictus, vide suprà *Septem.*

VIRGO Fortuna, memorata apud Nonium Varroni, *Et à quibusdam dicitur esse* Virginis Fortunae *simulachrum, ab eo quòd duabus undulatis togis est opertum, proinde ut olim Reges nostri undulatas & praetextas togas soliti sunt habere.* Aliàs *Dea Virginensis*, cui Zonam novae nuptae

ptæ dedicabant, Augustin. *de civ. Dei l.* 4. *c.* 11. & ad quam *tegulas suas puellæ*, quæ ad mulierum nomen libant, solebant *deferre*, uti loquitur Arnob. *adv. Gentes, l.* 2. haud aliter ac milites arma sua Diis militaribus suspendebant. Similiter comas suas Deæ *Virgini*, cujus in tutela fuerant priùs, libâsse, discimus ex Statio, *l.* 2. *Theb.* & diximus suprà. Vide Des. Heraldum, *ad Arnobium, d. l.*

VIRGO Genitrix, seu Mater, passim apud Poëtas Christianos pro Maria, Christi parente: de qua in Templo quodam Romæ id etiamnum distichon legitur;

Partus & integritas, discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Georg. Fabricius, *Commentar. in Poëtas Christianos.*

VIRGULTUM, quasi VIRGULETUM, locus fruticibus consitus est, uti *arbustum*, locus arboribus condensus. *Virgultum* enim *herbidum magis, quàm arbustum*. Solin. ubi de silphio. *Virgultus locus*, Sallustio, vide Salmas. *ad Solin. p.* 405. De eorum in Re Igniaria Veter. usu diximus retro. Addo hic saltem, Inferorum Sacris eligi consuevisse, quæ crepitarent multùm, & nihil cineris relinquerent, allusione Manium videl. qui, post editas voces, in nihilum suum redirent. Statius, *l.* 4. *Theb. v.* 468.

——— *nec rapidas cunctatur frondibus atris*
Subjectare faces, atque ipsa sonantia flammis
Virgulta, *& tristes crepuisse ut sensit acervos*
Tiresias ———

Vide quoque Theocritum, *Pharmaceutr. v.* 23. & suprà ubi de *Divinatione ex Igne.*

VIRIA, seu WIRLANDIA, vulgò WIRLAND, provinc. Estoniæ, inter Alentachiam ad Ortum, & Harriam ad Occasum, in ora Sinus Finnici, ubi aliquot tantùm oppida.

VIRIA, urbs Normanniæ inferioris *Vire* vulgò: ad fluv. cognomin. satis culta & lepida, 12. leuc. à Cadomo in Africum, paulo minus à Constantia in Ortum, uti ab ora maris Britannici.

VIRIA, vulgò VIRE, fluv. Normanniæ. Oritur paulò supra Viriam urbem, dein prope Fanum S. Laudi labitur, & auctus aliquot rivis, in mare Britannicum & in magnum Vadum se exonerat, prope Isiniacum, 7. leuc. à Bajocis in Occasum.

VIRIA, vulgò VIRE, fluvius Galliæ, unus ex quatuor illis, qui apud Abrincatuos, in colle Brimbalio *la Bute de Brimbal*, orti suò quisque alveò in diversa decurrunt: Sunt enim illa Seva, *Viria*, Egrannia & Nigra. Et *Viria* quidem, castrum cognomine alluit, ut & castrum vel oppidum S. Lautonis aut Laudi *S. Lo*: efficitque majus Vadum S. Clementis *le grand Vé*, quò Constantiensis Comitatus ac pagus à Bajocassino dividitur, Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Abrincatui.*

VIRIA, apud Tertullian. *de Pallio*, *c.* 4. *Utique sicut vestigia castrum* viria *occupavit*; quid sit, Ambrosius exponit, *l. de Abr. c.* 9. *Has virias quæ manum non materiali aurô ornarent, sed spirituali actu levarent*: manuum scil. ornamentum, sicut *viriola*, quod inde per diminutionem factum. Glossar. *Viriola*, περιχείρια, ψέλια. Idem, *Viriola*, κλάνιον, ψέλιον. Quapropter cum armillis jungunt Jureconsulti, Ulpianus, *l.* 25. §. 10. *ff. de auro & arg. leg. Inaures, armillæ*, viriolæ, *annuli præter signatorios*. Nomen inde, quòd *viris* victoriæ causâ conferebantur, uti quidem Isidorus, *Origin. l.* 19. *c.* 31. Interim fœminarum adeò fuêre propriæ, ut in nomina earum quoque transierint. Lapis antiquus apud Insubres,

V. F.
PETRONIUS GEMELLUS
VIVIR SIBI ET VIRIÆ
L. F. LUCILLÆ
UXORI

Unde & Salmasius, *ad Tertulliani l. Viriæ sunt armillæ, quas fœminæ in brachiis gestabant.* Profluxisse tamen à viris, ex Isidoro præfato colligas, ubi addit: *Armillæ propriè virorum. Unde & quondam vulgò* Viriliæ *dicebantur*: Nisi *virilias* virorum, *viriolas* fœminarum dixeris. Videtur sanè Plinius inter *Virias* & *Virilias* aliquod posuisse discriminis. *l.* 33. *c.* 3. *Viriola* (seu, ut alii, *Viriæ*) *Celtica dicuntur*, viriliæ *Celtiberica* &c. Vide Thom. Bartholinum, *de Armillis Veter.* ut & infrà, voce *Viriola*.

VIRIATUS, vel VIRIATHUS, Lusitanus, primùm in Hispania è pastore venator, è venatore latro, mox justi exercitus Dux factus, universam Lusitaniam occupavit. M. Ventidium Prætorem, fusô ejus exercitu, cepit. Pòst Cn. Plancius prætor nihilò feliciùs rem cum eo gessit; tantumque terrorem hostibus is intulit, ut adversus eum consulari opus esset Duce & exercitu. Denique verò à proditoribus, consiliô Cepionis, interemptus est, & ab exercitu multùm deploratus, tumulatusque nobilissimè. Authores Livius, *Epit.* 52. 54. & Florus, *l.* 2. *c.* 17.

VIRIBALLUM, Corsicæ oppid. *Ptol.* in ora Occidentali, *Capo d'Aiazzo* Leandro. Nunc *Capo Rosso*, seu *Capo di Calvi* Brictio. In parte Australi Sinus Calvensis; vix 6. milliar. à Calvio in Africum, 25. ab Adjacio in Boream, *Baudrand*.

VIRIDARIUM, apud Lamprid. *Heliogabalo*, *c.* 33. *Montem nivium in viridario domus æstate fecit, advectis nivibus*: quid sit, notum. Cujusmodi *Viridaria* apud Romanos instructa fuisse hominibus, qui colerent & ornarent, probat sepulchralis Inscriptio: *L. Cornelii. L. L. Safa. magul. viridaril. monumentum* &c. Laur. Pignorius, *Comm. de Servis.* Ulpianus *Viridarios*, servos hujusmodi viridiorum curæ præpositos, vocat docetque *Viridia* Hortos fuisse seu loca virentibus herbis graminibusque & arbustis consita, & voluptatis causâ comparata. *Viridaria* quoque dicta, Tit. Popma, *de Operis Servor.* Sic Sueton. *in Tib. c.* 60. *Militem Prætorianum, ob surreptum è* Viridario *pavonem, capite punivit.* Lamprid. *in Heliogabalo*, *loc. cit.* & Vegetius, *l.* 4. *c.* 7. Alii. *Viridium* etiam meminit Vitruvius, *l.* 5. *c.* 9. & *l.* 6. *c.* 6. & Seneca, *Ep.* 86. Apud Capitolinum, *Viridaria lauro, myrto & taxo frequentata*, habes *in Gordiano III. c.* 32. ubi Casaubon. vide. Græcè *Glossæ*, ἀλσῶνα *viridarium* vocant, ut alia omittam. Neque verò solùm in prædiis suis *Viridaria* habuêre Veteres, sed & in doliis aggestâ terrâ nonnunquàm defodiebant, uti liquet ex *leg.* 26. *ff. de instr. vel instrum. legat.* Quin & in fenestris, amœnitatis gratiâ interdum habebantur, ut ex Martiali, *l.* 11. *Epigr.* 19. *v.* 1. 2. & Plinio, *l.* 19. *c.* 4. vidimus suprà. Supra ædificia quoque Romanis sua *viridaria fuisse* discimus, *ex leg.* 12. *ff. de servit. urb. præd.* Vide etiam suprà, voce *Nemus*, item *Tectum*. Pro cœmeterio Monasterii vox occurris in *Tabular.* Prioratus de Domina in Delphinatu, apud Car. du Fresne *Glossar.*

VIRIDE Folium, castrum Galliæ, in agro Tolosano, vulgò *Verfeil*: à solo pingui ac humido dictum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VIRIDE Podium, castrum Galliæ, à Comite Montfortio captum: *Puechuert* vulgò, in monte herboso, non longe ab Slecta. Ejus meminit Petrus, *de bello Albig. c.* 42.

VIRIDIS, color fœmineus, ut ex Juvenali docet Lipsius, *l.* 1. *Elect. c.* 13. Græcis χλωρὸς, Latinis etiam *Galbeus* & *Galbanus*: unde *galbanos mores*, i. e. *molles, fœmineos*, Raderus *ad Martialem*, *l.* 5. *Epigr.* 24. ubi Poëta sic ad Bassum,

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
Jura Theatralis dum siluêre loci.
Quæ postquàm placidi Censoris jura renasci
Jussit, & Oceanum certior audit Eques.
Non nisi vel cocco madidâ, vel murice tinctâ
Veste nites &c.

Atque ita quoque Turnebus. Ferrarius verò aliud quid hic latere suspicatur: Cur enim non potius Tyrios mores & Amethystinos Martialis dixit *al. l.* 1. *Epigr.* 97. *v.* 7. 8. 9. è quo phrasis illa petita: qui colores pretiosiores & fœminis magis convenientes? cùm *galbeus* color eorundem interpretatione vilis fuerit, herbaceus scil. ideoque exigui pretii. Vide eum *de Re Vestiar. Part.* 2. *l.* 2. *c.* 23. Interim certum, *galbeum* seu *galbinum*, Meretricibus inprimis, quibus purpurâ erat interdictum, placuisse; & quia is color fœminarum dedeceret Viros, dixisse in Zoilum, Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 82. *v.* 5.

Jacet occupato galbinatus in lecto.

Idem, *Part.* 1. *l.* 3. *c.* 22. Vide quoque suprà in voce *Galbea.* At, cùm inter factiones Circi, una ex celebrioribus Prasina esset seu *Viridis*, unde *Viridis panni*, apud præfatum Poëtam, mentio; qui Circi his factionibus favebant, earum quoque colores vestimentis præferebant, adeoque Venetorum studiosi cœruleas, Prasinorum *virides* gestabant. Unde Juvenalis majorem Romanæ civitatis partem Prasinæ factioni favisse docens, *Sat.* 11. *v.* 196. *Virides* illam vestes, præ aliis, amâsse indigitat: Sed hac de re vide suprà ubi in genere de *Factionibus*; in specie, *de Prasina*: quemadmodùm de *Herbidis* vestibus, in hac voce, & de *Viriditatis* gradibus, ubi de *Porraceo*. In Ecclesia Romana hodierna, uti pileus galerusque ruber Cardinalium est, ita Episcopis peculiare capitis tegmen est, *Viridis* galerus & mitra: Et quidem, cùm Mitrâ aliis quoque uti liceat, *Viridis* galerus Episcoporum ita est proprius, ut *in Clero Christiano, hanc esse notam gradus in Religione sublimioris*, dicat Petrus Bellonius, *Observat. l.* 3. *c.* 24. Apud Turcas quoque, *Viridis* tiara majoris Religionis insigne est, nec caligarum aut vestium viridium usus ulli conceditur, præterquàm iis inter ipsos nobilioribus, qui ad Mahometem genus suum referre possunt. Olim & Tartaris *viridis* fuit pileus qui nunc ruber est, ut & Persis, qua de re paulò latiùs diximus suprà, in voce *Turbans* &c. Certè *viridem* etiam colorem olim in pretio habitum, docet Car. du Fresne, *Glossariô*. Cæterùm de *Viridi* colore, duobusque ejus generibus, vide Salmas. *ad Solin. p.* 200. 346. 903. 1105. & de Veter. more *virides gemmas*, smaragdos inprimis, poculis aureis, quæ hinc διάλιθα dicta, intexendi, eundem, *p.* 197. ut & suprà, ubi de *Beryllo*, *Poculis gemmeis*, *Smaragdo*, alibi. Sicut de Scalptoribus gemmarum *viridis scarabæi*. voce *Scarabæus*.

VIRIDOMARUS Æduus, adolescens summæ domi potentiæ, quem Cæsar, ex humili loco, ad summam dignitatem perduxerat; & cum Eporedorige de Principatu contendebat. Cæs. *Comment. l.* 7. *c.* 39. Postremò Galliæ motu unus è quatuor Ducibus adversus Cæsarem, *Ibid. c.* 76.

VIRIDOVIX, præerat Unellis ac summam imperii tenebat earum omnium civitatum, quæ defecerant. Cæs. *Comment. l.* 3. *c.* 17. Qui Cæsari *Unelli* & *Viridovix* Dioni Venesii & Idovix appellantur, haud dubiè mendosè. In aliis libris, quos inspexit Fulvius Ursinus, habetur *Vridovix*.

VIRIDUNUM Castrum Galliæ, in diœcesi Cabillonensi, vulgò *Verdun sur Saône*: ad Ararim fluv. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VIRILIS Toga, vide suprà, *Toga Pura*, item in voce *Vir*.

VIRILITAS, adempta stupratoribus, apud Ægyptios, quòd unô crimine tria haud parva scelera complecterentur, injuriam, corruptelam & liberorum confusionem, Diodorus, *l.* 1. *c.* 6. Pæ-

Pæderastis item, apud Romanos, principatu Justiniani, & sequentium Imperatorum, de quibus vide Zonaram, *Tom.* 3. Paullum Diac. *l.* 16. Cedrenum. Alios. Proditoribus porrò, apud Moscos, uti de Joanne Basilide refert Paulus Oderbornius in *Vita* ejus, quem etiam unum alterius virilia devorare coëgisse tradit &c. Sed & deliciarum causâ, innocentibus, uti suprà vidimus passim, ubi de *Castratione*, *Eunuchis*, *Spadonibus*. Sibi ipsis verò id faciebant inter Gentiles sacerdotes Matris Deûm, inter Christianos Hæretici. *Eunuchi* ob id appellati, Alii. Nec omittenda pudori fœmineo data lex, in hæc verba: *Si ortò inter aliquos certamine, alterius uxor accesserit, sui viri —— defendendi ergò, & injecta manu illius virilia prehenderit, et manum sine ulla misericordia præscinditote*, Deuteron. *c.* 25. *v.* 11. & 12. Plura hic passim.

VIRIOLA, Glossar, *ψέλιον*, *armilla Viriola περιχείριον*, *ψέλια*: *Viriola*, *κλάνιον*, *ψέλιον*. Isidorus, *Origin. l.* 19. *c.* 31. eas armillas hôc nomine indigitatas vult, quæ *Viris* victoriæ causâ conferrentur. Per diminutionem à *Viria* deductam *Viriolam*, probant Barn. Brissonius, Calvinus, *Lexic. Jurid.* Becmannus, *Origin.* Et quidem *Viria* meminit Tertullian. *Pallio*, *c.* 4. *Utique, sicut vestigia cæstuum* Viria *occupavit.* Ambrosius, quid essent, disertiùs explicavit, *de Abrah. c.* 9. *Has Virias, quæ manum in materiali auro ornarent, sed spirituali actu levarent.* E quo loco *Virias* manum exornâsse discimus, quemadmodùm *Viriolæ*, quas ideo cum armillis jungunt Jurisconsulti. Ulpianus, *Leg.* 25. §. 10. *ff. de auro & argento leg. Inaures, armillæ*, Viriolæ, *annuli præter signatorios.* Ut meritò miretur Lazarum Baysium, Virum alioqui doctissimum, nihil de *Viriolis* apud probatos Auctores se invenisse confitentem, *l. de Vasculis*, Thom. Bartholinus: idemque eundem non sine ratione arguat, quod de colli ornamento *Viriolas* ex Smaragdo, in *Lege de Medico* interpretatur. Diversum enim planè fuit ab his monile, de quo Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 458.

Quum virides gemmas collo circumdedit.

Inter muliebria ornamenta refert Ulpianus, *l. c.* Hinc apud Tertullianum similiter ubi suprà: *Cinædus*, inquit, *Clitomachus*, *quum ex pugile in fœminam transisset*; Viriolas *induxit corporis cicatricibus.* Et, *sicut vestigia cæstuum Viria occupavit: ita & endromidis solocem aliqua multicia synthesis extrusit.* Ubi *vestigia cæstuum* cicatrices sunt, quas in capite plerunque ostentabant pugiles. Hinc, quum in MS. inveniatur *Virus* pro *Viria*, putat Polyhistor Salmasius, *Not. ad Pallium Tertull. Birus* reponendum seu *Berus*, quod tutulus erat, capitis tegmen cicatricibus in capite occultandis accommodatum. Intereà non refugit vulgatam lectionem, ut *Viriæ* armillæ sint fœminarum, quas locô cæstuum inseruit brachiis Clitomachus, postquàm in fœminam de Viro esset mutatus. Et quidem illam planè ad Afri mentem judicat necessariam Bartholinus: Nam cæstus manibusque & lacertis in luctationibus inducti, quos effœminatus jam Cinædus cum armillis permutavit; & ex cæstibus vestigia, non capiti, sed brachiis, impressa. Quin possunt vestigia nudô sensu de cæstuum loco explicari, in quem successêre *Viriæ* seu Armillæ, Vide Martialem, *l.* 11. *Epigr.* 22. Imò fœminarum adeò hæ propriæ, ut in nomina quoque transierint. Ita Lapis antiquus, apud Insubres, quem ex ædibus Nicolai Castillionei publico dedit Bonaventura Castillioneus: V. F. *Petronius. Gemellus. Vivir. sibi. & Viria. L. C. Lucillæ. uxori.* Vide Thom. Bartholinum, *Schedio de Armillis Veterum.*

VIRIPLACA Dea, culta à Romanis, quæ nomen à placandis viris assecuta fertur: Nam ut Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. *ex.* 6. scribit, quoties inter virum & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum *Deæ Viriplacæ*, quod in Palatio fuit, veniebant, qui ibi invicem loquuti, quæ voluerant, contentione animorum depositâ, concordes revertebantur. Meminit sacelli hujus P. Victor in regione decima Urbis, & in eadem Onuphrius Panvinius.

VIRISIACUM, nunc VERZY, vicus Galliæ, Frodoardo memoratus *Hist. Rem. l.* 2. *c.* 3. distat ab urbe Remis 10. mill. pass. In hoc silvis & fontibus amœno, extruxit Monasterium S. Basolus, quod posteà Nivardus Remorum Episcopus reparavit. In planitie sedet ad maximam silvam, nemus nempe Rigetium. In Tab. tamen Campaniæ Remensis, Monasterium & locus S. Basoli *S. Basle* in monte prope Virisiàcum ponitur, & ab illo distinguitur. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & Morer. *Dict. Hist.*

VIRITIM legendi militem mos, apud C. Nepotem occurrit *in Pausania*, *c.* 1. *Mardonius----cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat* &c. Erat autem ista delectus hujus ratio, quâ *vir virum* suæ salutis causâ legerat, cum quo in præliis versaretur: nec Romanis & reliquæ Italiæ insolens, uti Livius docet, *l.* 9. *c.* 39. *Cùm vir virum legisset.* Germanis quoque in usu, uti videre est apud Cæsarem, *de Bell. Gall. l.* 1. *c.* 48. & Justin. *l.* 2. *c.* 13. Gebhardus, *ad Nepotis l. c.*

VIRITIUM, urbs Sidenorum, in German. nunc *Piritz*, Cluver. oppidul. Pomeraniæ ulterioris in Ducatu tamen Stetinensi, sub Suecis. Ad Oderam fluv. 5. milliar. German. à Stetino in Merid. in confinio Marchiæ Brandeburg.

VIRIUS Vibius, vide *Vibius.*

VIRNENBURGIUS, Comitatus in Palatinatu, sub Comite proprio ex familia Comitum Leonsteniorum. Hunc nactus est Christophorus Ludovicus, fil. Ludovici Comitis Werthemii. Qui mortuus A. C. 1612. reliquit successorem Frider. Ludovicum, cui plures filii. Vide Phil. Jac. Spenerum, *in Appendice familiæ Palatinæ.*

VIROCONIUM, oppid. Cornaviorum, in Anglia, in Comitatu Salopiensi. *Wrekceter* Camdeno. Alii *Vigorniam* esse volunt, vulgò *Worcester*. Nunc viculus *Wroketer*, ad Sabrinam fluv. paulò suprà Salopiam, urbem. *Baudrand.*

VIRODUNUM, oppid. Sequanorum, vulgò *Verdun*. Vide *Verodunum*. Item oppid. Burgundiæ Ducatus *Verton*. Vide *Viridunum*.

VIROSIDUM, oppid. Brigantum, in Anglia Boreali, nunc vicus *Warvick upon Eden*, seu ad Itunam fluv. in Cumbria, 5. milliar. Anglic. supra Carleolum in Ortum.

VIROVESCA, seu BURVESCA Ptol. oppid. Hispaniæ Tarraconensis in Castella veteri, hodie *Breviesca*. Inter Burgos ad Austrum 8. & Hordoniam ad Arct. 13. leuc. in finibus Cantabrorum.

VIROVIACUM, vulgò VERUICH, vicus ad fluv. Lyliam, inter Teruannam atque Turnacum, utrinque 16. mill. pass. distans. Vide *Veroviacum*.

VIRSIO, oppid. Provinc. Bituricensis, ad Carim fluv. ubi recipit Avarum, in limite tractus Blesensis. *Baudrand. Valesio* vetus oppid. Biturigum Cuborum, dolô captum & concrematum à Richardo Angliæ Rege. De hoc Bituriges in ore habent,

Virzio villa virens, aliunde pauca requirens,
Vitibus ornata, campis, pratis decorata.

Quorum versuum si qua habetur ratio, *Virsio* colonia fuerit nationis Germanæ, Vesigothorum videl. vel potiùs Francorum, à viriditate soli sui denominata, uti *Wirtzbburgus* in Francia Orientali. Distat 8. leuc. à Biturico, in Circium, Turones versùs, 14. ab Aureliis in Merid. *Vierzon* vulgò.

VIRTINGUI, seu VIRTINGI, populi German. in Suevia trans Danubium, ab Aureliano Imperatore devicti. Trebell. Pollio, *in Claudio*, *c.* 6. Hodiè *Wirtenbergenses*, teste B. Rhenanô, quem vide *Rerum Germ. l.* 1. ibique *Notas* Cl. Ottonis JCti.

VIRTONIUM, vulgò WIRTON, urbecula Ducatus Luxemburgici, in limite Lotharingiæ, 5. leuc. à Luxemburgo in Occasum, 4. ab Orolauno in Merid. sub Hispanis, in limite ditionis Gallicæ.

VIRTUDUM, vulgò VERTUS, castrum Campaniæ Remensis, unde *Virtudensi* pago nomen, in quo villam Vernam Frodoardus. *Histor. Rem. l.* 4. *c.* 2. ponit.

VIRTUS, apud Roman. pro Dea colebatur; quorum primus ei fanum posuit Scipio Numantinus: deinde ei ædem vovit in Gallia, ad Clastidium M. Marcellus primô suô Consulatu, quam etiam ejus fil. ad portam Capenam 17. annis posteà dedicavit. Liv. *l.* 27. *c.* 25. & *l.* 29. *c.* 11. Plut. in *l. de Fortuna Romanor.* & in *Vita Marcelli.* Alteram C. Marius devictis Cimbris, summissiorem exstruxit, ne publicis auspiciis fortè officeret, & eam ideo Augures demoliri juberent. Hujus templum ita conjunctum fuit cum Honoris æde, ut in hanc non nisi per illud pateret aditus, ut significarent veram, unicamque parandi honoris viam esse virtutem. Varias etiam finxerunt Virtutis imagines: nunc enim eam matronali habitu honestô inaffectatôque formabant, nunc quadrato saxo insidentem: aliquoties mulierem columnæ lævo nixam cubito, dextrâ colubrum tenentem. Mascula Virtus sub imagine senis barbati, nudi, stantis, clavæ innitentis, cum leonina pelle brachio advolutâ, vide Thom. Dempster. *l.* 2. *Antiqq. Rom. c.* 18. Simulachrum ejus succinctis vestibus pingi solitum, contrà quàm aliarum Dearum, notat Lutatius, *ad Statium l.* 10. *Theb. v.* 638. De corona illius, pluribus agit Car. Paschal. passim *in Coronar. libris*, inprimis *l.* 5. *c.* 1. ubi oleaginam plerunque apud Veteres fuisse docet. Vide quoque Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 4. *c.* 22. *Inscr. vet. p.* 102. præter Varronem, Lactantium, Plautum, *Prologo Amphitr. v.* 75. 78. E quibus Lactantius *Virtutem* Romanis eandem cum Bellona fuisse, quum dicit, *Institut. div. l.* 1. primigeniam ejus acceptionem indicat, eamque usurpat *ἀνδρεῖος*, quatenus idem Latinis, quod *Ἀνδρεία* Græcis, h. e. *Fortitudinem*, denotat. Quô sensu Lucanus ait, *l.* 6. *v.* 148.

Pronus ad omne nefas, & qui nesciret, in armis
Quàm magnum crimen Virtus *civilibus esset.*

Cœterùm *Virtutum* enarrationes inter pocula frequentes, veterum Heroum more, occurrunt apud Homerum, non unô locô, cœterosque illum sequutos: Qua de re & suprà aliquid, ubi de priscorum *Conviviis*.

VIRTUTES, inter Angelorum ordines, & quidem in secunda illorum Hierarchia, secundô locô, numerantur illi, qui, *Dionysii* nomine vulgò insignitus, Angelorum Rempubl. primus ordinavit, eorumque sedes ac choros descripsit, totamque Curiam cœlestem justô ordine componere aggressus est: quem secutus postmodùm Damascenus, deinde Magister Sententiarum, & tandem cum Thoma universa Schola. Eorum esse procurare ea omnia, quæ ad Religionem spectant in communi, *per quos signa & miracula fiunt in mundo*, inquit Rhabanus, *de Univ. l.* 1. *c.* 5. Vide quoque Thomam, 1. *p.* 9. 108. Sed nomina illa diversa, Angelis in S. Scriptura tributa, unde occasio hierarchiæ videtur nata, *potiùs* sunt *gloriosiorum spirituum elogia & illustria epitheta*, *ad Dei ipsius ———— Majestatem exprimendam ac commendandam*, ait Burmannus, *Theol. Christ. Part. prior. l.* 1. *c.* 46. ubi, de X. ordinibus Angelorum apud Judæos quoque agens, ab iis ad Platonicos, ab his ad Christianos, de perpetuo hoc Spirituum beatorum ordine, & statis eorum officiis ac gradibus, sententiam fluxisse, ostendit.

VIRUCINATES, populi Vindeliciæ in Bavaria, hodie *Frisingenses* inter Ambram & Isaram fluv. teste *Simlerô*.

VIRVEDRUM, promontor. Scotiæ Borealis in Strathernia, nunc *Faro Head*; 5. mill. pass. à Beruvio promontor. in Occasum, paulo minus à Tarvedro. In ora Boreali Scotiæ, ubi incipit Occidentalis.

VIRU-

VIRUNUM, *Ptol.* oppid. Norici in Carinthia *Friesach Lazio*, *Brunek* verò *Simlero*, oppid. Norici in Comitatu Tirolensi. Hodie *Volck-marck Cluver.* urbs Carinthiæ inferioris ad Dravum, sub Austriacis, 5. leuc. infra Clagenfurtum in Ortum, uti à Vitopoli Lavantum versùs.

VIRUS, apud Plinium, *l.* 17. *c.* 24. *Cytisus necat virô, quod Halimon Græci vocant:* falsugo est seu succus salsus, uti vox apud Lucretium quoque sumitur, *l.* 1. *v.* 719.

Ionium glaucis aspergit virus ab undis.

Qui &, *l.* 2. *v.* 852. pro herbarum succo & naturali virtute eam posuit.

Concoctasque suo fervere & perdere viro.

Certè *malum* & *bonum virus* dixisse Veteres adnotat Servius. Unde & cinnamomi odorem, ob acrimoniam ac vehementiam, *masculum virum* appellat, Plin. *l.* 12. *c. ult.* Nempe in plerisque aromatum τὸ βρωμῶδες cum odoris vehementia conjunctum cernitur, quod *virosum* & *virus* Latini dixêre. Sic & herbarum succus, & τὸ πληκτικὸν τῇ ὀσμῇ τῆς ὀσφρήσεως πλημμελές in aromatibus, *Virus*; sed & γονὴ animalium quoque ita appellata est, uti docet Salmas. *ad Solin. p.* 174. 361. 441. & 1307. Aliàs pro malo odore seu fœtore, & veneno, ut notum.

VISAPORA, vulgò WISAPOR. aliàs forsan *Musopalle*, caput regni Decani, in tractu *Cankan*, ad fluv. Mandovam. 120. mill. pass. à Dabulo in Ortum, 186. à Goa in Cæciam.

VISBADA, vulgò WISBADEN, oppidul. ditionis Moguntinæ, aliàs *Aquæ Mattiacæ*, ubi aquæ salubres multis morbis. Vix 2. milliar. German. à Moguntia in Boream, 4. à Francofurto in Occasum. Hinc Comitatus *Vuisbadensis*, in Veteravia.

VISBIUS, sub Domitiano floruit: auctor *vitæ S. Dionysii Areopagitæ*, ut vult Hilduinus, *Epist. ad Lud. Pium.* Vide Voss. *l.* 1. *de Hist. Lat. c.* 29. *extr.*

VISBUA, seu VISBIA, vulgò WISBUY, urbs Gothlandiæ, cum portu capaci, in ejus ora Occidentali; Aliàs ampla & potens, nunc multum deficit, paucisque constat incolis. 9. leuc. Suecic. ab Oelandia Insul. in Ortum, uti 13. à Vestrovico oppido proximo Smalandiæ.

VISBURGII, German. populi. *Ptol.*

VISCELLINUS, vide *Cassius.*

VISCERA, Græcè σπλάγχνα, Veteribus propriè, quidquid inter cutem & ossa, seu *quidquid sub corio est*, ut ait Servius, *ad illud l.* 1. *Æn. v.* 215

Tergora diripiunt costis, & Viscera *nudant.*

Unde *visceratio*, ἡ κρεωδαισία, de qua posteà: & *viscera* membra quælibet, apud Solin. *c.* 19. ubi Phannesiorum aures adeò dilatari ait, *ut viscerum reliqua illis contegant, nec ut amiculum aliud sit, quàm ut membra membranis aurium vestiant.* Alibi, ubi de Britannis, corpus pingentibus, *Inscriptisque* visceribus *hominis incremento pigmenti notæ crescunt:* & de Anthropophagis, *quibus exsecrandi sunt cibi humana viscera:* Ciceronem item *Tusculan.* ubi de μαστιγώσει Laconum, *sanguis è* visceribus *defluens*, i. e. non ex intestinis, sed ex summo corpore &c. Quô sensu Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 253. ait,

Et solida imponunt taurorum viscera *flammis.*

Ubi in holocaustis Veter. carnes immolatarum victimarum concremari solitas tantùm, non etiam exta, indigitat, monente Serviô. Postmodùm intestinis vox hæsit, quæ in Haruspicum Schola *exta* dicta. Unde, postquàm sacrificiorum ratio immutata, & exta reddi ac prosecari cœperunt, reliquiis extorum, quæ non erant prosecata, partim vescentes, qui sacro intererant; partim honoris ergò, missa, qui non aderant, accipientes, Græcis unô verbô σπλαγχνεύεσθαι (quô ritus omnis nonnunquàm comprehensus, quô exta inspiciebantur, probabantur, aræ imponebantur, & quæ edulio erant comedebantur) dicti: ipsæ verò proficiæ extorum σπλάγχνων ἀπαρχαὶ, appellatæ sunt: *Viscerationem* propriè Latini dixêre. Solinus de Hercule sacrificante, *c.* 2. *Etenim cùm* viscerationem *sacricolis daret:* i. e. epulum vel convivium, Græcè σιτηρέσιον. Quam viscerationem sacri Herculei sic expressit Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 179. *s.*

Tunc lecti juvenes certatim, araque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laborata Cereris, Bacchumque ministrant,
Vescitur Æneas, simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.

Et quidem exta priùs mandebant, quàm reliquam carnem: unde illud de Pinariis, qui in sacrificio Herculis cùm extis jam adesis ad cæteram venissent dapem, in posterum extorum communione abesse jussi, ad reliquam *viscerationem* solùm admissi sunt, apud Livium, *l.* 1. *c.* 7. Plura de voce hac infrà, uti de *Viscerum* quolibet, corde, jecore, pulmonibus &c. suô locô: de *viscerum* Præside, apud Romanos, voce *Carna:* de fustibus baculisque acumine suô per *Viscera* & intestina Martyrum adactis, suprà voce *Virga* &c. Quia autem *Viscera*, misericordiæ sedes, inde σπλάγχνα ἐλέους, *viscera misericordiæ*. & σπλαγχνίζεσθαι, *misericordiâ commoveri*, in Sacris, quam in rem vide Barthium, *Adversar. l.* 149. *c.* 11. Indidem *Viscera*, charitas summa, filius *viscerum* instar charus, apud Papinium, *l.* 7. *Theb. v.* 522.

——— *suæ credite matri*
Viscera ———

Hodieque proin læsæ Majestatis in Anglia reis, adhuc spirantibus, apertô corpore *viscera* eximuntur, comburunturque, ut hôc modô, omnem illos in Patriam ac Principem humanitatis affectum penitùs exuisse, indigitetur, quo de supplici genere diximus aliquid suprà, voce *Exenteratio*.

VISCERATIO, Græcè σιτηρέσιον, propriè epulum, quod ex *visceribus*, i. e. carnibus immolatarum hostiarum, inter sacricolas; apud Veteres, agitabatur. Servius, *ad illud l.* 7. *Æn. v.* 716.

——— *populique Latini:*

Qui intererant, inquit, *Albani montis visceratione*. Vide quæ paulo suprà hanc in rem dicta, ut & ubi de *Idolothytis*, alibique. Addo saltem, post hujusmodi epulum, thus & vinum in ara libari consuevisse, quod ἐπὶ τοῖς σπλάγχνοις σπένδειν Græci dixêre. Sed & σπλαγχνεύειν vocabuli paulò laxiorem fuisse usum, apud eosdem, ut *ibid.* videre est. Dein sic appellata crudæ carnis distributio, in solenni festivitate fieri solita. Item epulum funebre: quod in opulentorum civium funeribus populo dabatur. Peractis enim ad sepulchrum justis, convivia domi apparabantur, ad quæ convocabantur Amici atque Cognati: Senibusque cœna funebris exhibebatur, quod dicebatur *Silicernium*, cujus mentio in XII. Tabulis. Sed & Populo interdum ab hæredibus epulum dabatur, aut cruda caro distribuebatur; quod dicebatur *Visceratio*. Denicales inde feriæ celebrabantur, cùm hominis mortui causâ familia purgabatur &c. Joh. Rosin. *Antiq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Quam in rem Godelevius, *In solenni*, ait, *festivitate, vel in funeribus Magnatum, carnes sive crudæ, sive coctæ, quandoque etiam panis vinumque domum perferentibus præbebatur*, *Not. ad Liv. l.* 8. *c.* 22. ubi de *Visceratione* Populo Rom. à M. Flavio, in funere matris, datâ. Plura vide apud Blondum, *Romæ Triumph. l.* 2. Alex. ab Alexandro, *Genialium Dier. l.* 5. *c.* 7. Alios. Addo hoc unum, quòd *Viscerationem* magni honoris locô fuisse, discimus ex modò *cit. l.* Livii, ubi & *annum illum, nullâ re belli domive insignem, P. Plautiô Proculô, P. Corn. Scapulâ Coss. præterquàm quòd Fregellas colonia deducta & populo visceratio data à Flavio*, fuisse: & ob eam causam, proximis Comitiis, illum *Tribunatum plebei petentibus, absentem fuisse prælatum*, ait. Nec mirum, cùm magnis id impensis constaret. Pomponius, *l.* 54. *de leg. & fid. l.* 32. *L. Titius pleni quinquaginta millia dedit, hoc ampliùs Sejus viscerationem.* Et Cicer. *de Offic. l.* 2. *c.* 16. *Prodigi qui epulis & viscerationibus & gladiatorum funeribus, ludorum venationumque apparatu pecuniam profundunt.* Vide quoque Paulum, *l.* 22. *de LL. lib.* 30. De *Visceratione* sub Imperatoribus *data*, diximus aliquid, voce *Caro:* uti de eadem Natali die à nonnullis exhiberi solita, voce *Divisio:* deque Ἑστιάτορσι Atheniensium, qui *viscerationem* tribui sua ex lege præbebant, in *Epulones*.

VISCUM, seu US, apud Plautum, *Bacchid. Actu* 5. *sc.* 2. *v.* 39.

Tactus sum vehementer visco, *cor stimulo foditur.*

Et, *ibid. Actu* 1. *sc.* 1. *v.* 16.

Viscus merus vestra est blanditia: ———

illecebra est, laqueus, tendicula, insidiæ, ad capiendum paratæ. Alludit enim Comicus ad *viscum*, excogitatum *pennis avium tactu ligandis, juglandis oleô subactum, cùm libeat insidias moliri*, ut ait Plin. *l.* 16. *c.* 44. *extr.* de quo aucupii genere diximus aliquid suprà, voce *Arundo Crescens*. Nascitur autem *viscum* in abiete ac larice; in quercu, robore, ilice, pruno sylvestri, ac terebintho: *sed copiosissimum in quercu, quod dryos hyphear* (*Quæ* reponit Dalechampius) *vocant*.... *Adjiciunt discrimen, visco in his, quæ folia amittunt, & ipsi decidere: contrà inhærere nato in æterna fronde. Omnino autem satum nullô modô nascitur, nec nisi per avium alvum redditum, maximè palumbis ac turdi. Hæc est natura, ut nisi maturatum in ventre avium, non proveniat*, Plin. *ibid.* unde *turdum sibi ipsi exitium cacare*, proverbiô dictum. Addit idem de aliis ejus usibus quædam, & de modo *viscum avium* conficiendi. Pergit dein, de usu ejus ac veneratione apud Druidas: *Nihil habent Druidæ*.... *viscô & arbore, in qua gignitur (si modò sit robur) sacratius*.... *Quidquid adnascatur illis, è cœlo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu, & repertum magnâ religione petitur: & ante omnia sextâ lunâ*.... *Omnia sanantem appellant suô vocabulô, sacrificiis epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candidâ veste cultus arborem scandit. Falce aureâ demetit. Candidô id excipitur sagô. Tum deinde victimas immolant, precantes ut suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederit. Fœcunditatem eô porrò dari cuique animalium sterili arbitrantur, contraque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio est.* Quod *viscum Gallorum* cum S. Eucharistia, quomodo conferat in *Hieroglyphicis* Nic. Causinus, vide illum *Parabol. Histor. l.* 10. *c.* 79. plura verò *de Visci colligendi ratione*, & usu in Medicina multiplici, apud eundem Plinium, *l.* 24. *c.* 4. *l.* 27. *c.* 7. alibi. Addo hoc unum, quòd *viscô* non aves solùm, sed *ursum* quoque *captum*, exhibet Martialis, *in Spectaculis*, *Epigr.* 11. cui tit. *de Urso viscato;*

Præceps sanguineæ dum se rotat ursus arenâ,
Implicitam visco *perdidit ille fugam* &c.

ubi Raderum & Marcilium vide. Alia vocis notio, apud Apulejum, *l.* 2. *Fotidem, quæ suis dominis parabat* viscum *fartim concisum, & hamma compascuè jurulentum.* Ibi enim pro *viscere* sumitur, & *pulpa frustatim confecta* exponitur in glossamento. Nisi legendum sit *viscus fartim concisum*, Salmas. *ad Solin. p.* 374.

VISELLIA Lex, à L. Visellio Varrone Consule cum C. Fontejo An. Urb. Cond. 776. Claudii temporibus lata, sanxit, Ne libertinis hominibus, qui jus annulorum aureorum adepti non erant,

Pæderastis item, apud Romanos, principatu Justiniani, & sequentium Imperatorum, de quibus vide Zonaram, *Tom.* 3. Paullum Diac. *l.* 16. Cedrenum, Alios. Proditoribus porrò, apud Moscos, uti de Joanne Basilide refert Paulus Oderbornius in *Vita* ejus, quem etiam unum alterius virilia devorare coegisse tradit &c. Sed & deliciarum causâ, innocentibus, uti suprà vidimus passim, ubi de *Castratione*, *Eunuchis*, *Spadonibus*. Sibi ipsis verò id faciebant inter Gentiles sacerdotes Matris Deûm, inter Christianos Hæretici, *Eunuchi* ob id appellati, Alii. Nec omittenda pudori fœmineo data lex, in hæc verba; *Si ortò inter aliquos certamine, alterius uxor accesserit, sui viri — defendendi ergò, & injecta manu illius virilia prehenderit, ei manum sine ulla misericordia præscinditote*, Deuteron. *c.* 25. *v.* 11. & 12. Plura hic passim.

VIRIOLA, Glossar. ψέλιον, *armilla Viriola περιχείριον*, ψέλια: *Viriola*, κλάνιον, ψέλιον. Isidorus, *Origin. l.* 19. *c.* 31. eas armillas hôc nomine indigitatas vult, quæ *Viris* victoriæ causâ conferrentur. Per diminutionem à *Viria* deductam *Viriolam*, probant Barn. Brissonius, Calvinus, *Lexic. Jurid.* Becmannus, *Origin.* Et quidem *Viria* meminit Tertullian. *Pallio*, *c.* 4. *Utique, sicut vestigia cæstuum* Viria *occupavit.* Ambrosius, quid essent, disertiùs explicavit, *de Abrah. c.* 9. *Has Virias, quæ manum in materiali auro ornarent, sed spirituali actu levarent.* E quo loco *Virias* manum exornâsse discimus, quemadmodùm *Viriolæ*, quas ideo cum armillis jungunt Jurisconsulti. Ulpianus, *Leg.* 25. §. 10. *ff. de auro & argento leg. Inaures, armillæ*, Viriolæ, *annuli præter signatorios.* Ut merito miretur Lazarum Baysium, Virum alioqui doctissimum, nihil de *Viriolis* apud probatos Auctores se invenisse confitentem, *l. de Vasculis*, Thom. Bartholinus: idemque eundem non sine ratione arguat, quod de colli ornamento *Viriolas* ex Smaragdo, in *Lege de Medico* interpretatur. Diversum enim planè fuit ab his monile, de quo Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 458.

Quum virides gemmas collo circumdedit.

Inter muliebria ornamenta refert Ulpianus, *l. c.* Hinc apud Tertullianum similiter ubi suprà: *Cinædus*, inquit, *Clitomachus, quum ex pugile in fœminam transiisset*; Viriolas *induxit corporis cicatricibus.* Et, *sicut vestigia cæstuum Viria occupavit: ita & endromidis solocem aliqua multicia synthesis extrusit.* Ubi *vestigia cæstuum* cicatrices sunt, quas in capite plerunque ostentabant pugiles. Hinc, quum in MS. inveniatur *Virus* pro *Viria*, putat Polyhistor Salmasius, *Not. ad Pallium Tertull. Birrus* reponendum seu *Berus*, quod tutulus erat, capitis tegmen cicatricibus in capite occultandis accommodatum. Intereà non refugit vulgatam lectionem, ut *Viria* armillæ sint fœminarum, quas locò cæstuum inseruit brachiis Clitomachus, postquàm in fœminam de Viro esset mutatus. Et quidem illam planè ad Afri mentem judicat necessariam Bartholinus: Nam cæstus manibusque & lacertis in luctationibus inducti, quos effœminatus jam Cinædus cum armillis permutavit; & ex cæstibus vestigia, non capiti, sed brachiis, impressa. Quin possunt vestigia nudò sensu de cæstuum loco explicari, in quem successêre *Viriæ* seu Armillæ, Vide Martialem, *l.* 11. *Epigr.* 22. Imò fœminarum adeò hæ propriæ, ut in nomina quoque transierint. Ita Lapis antiquus, apud Insubres, quem ex ædibus Nicolai Castillionei publico dedit Bonaventura Castillioneus: V. F. *Petronius. Gemellus. Vivir. sibi. & Viria. L. C. Lucilla. uxori.* Vide Thom. Bartholinum, *Schedio de Armillis Veterum.*

VIRIPLACA Dea, culta à Romanis, quæ nomen à placandis viris assecuta fertur: Nam ut Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. *ex.* 6. scribit, quoties inter virum & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum *Deæ Viriplacæ*, quod in Palatio fuit, veniebant, qui ibi invicem loquuti, quæ voluerant, contentione animorum depositâ, concordes revertebantur. Meminit sacelli hujus P. Victor in regione decima Urbis, & in eadem Onuphrius Panvinius.

VIRISIACUM, nunc VERZY, vicus Galliæ, Frodoardo memoratus *Hist. Rem. l.* 2. *c.* 3. distat ab urbe Remis 10. mill. pass. In hoc silvis & fontibus amœno, extruxit Monasterium S. Basolus, quod posteà Nivardus Remorum Episcopus reparavit. In planitie sedet ad maximam silvam, nemus nempe Rigettum. In Tab. tamen Campaniæ Remensis, Monasterium & locus S. Basoli *S. Basle* in monte prope Virisiacum ponitur, & ab illo distinguitur. Vide Hadr. Valess. *Notit. Gall.* & Morer. *Dict. Hist.*

VIRITIM legendi militem mos, apud C. Nepotem occurrit *in Pausania*, *c.* 1. *Mardonius-...cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat* &c. Erat autem ista delectus hujus ratio, quâ *vir virum* suæ salutis causâ legerat, cum quo in præliis versaretur: nec Romanis & reliquæ Italiæ insolens, uti Livius docet, *l.* 9. *c.* 39. *Cum vir virum legisset.* Germanis quoque in usu, uti videre est apud Cæsarem, *de Bell. Gall. l.* 1. *c.* 48. & Justin. *l.* 2. *c.* 13. Gebhardus, *ad Nepotis l. c.*

VIRITIUM, urbs Sidenorum, in German. nunc *Piritz*, Cluver. oppidul. Pomeraniæ ulterioris in Ducatu tamen Stetinensi, sub Suecis. Ad Oderam fluv. 5. milliar. German. à Stetino in Merid. in confinio Marchiæ Brandeburg.

VIRIUS Vibius, vide *Vibius.*

VIRNENBURGIUS, Comitatus in Palatinatu, sub Comite proprio ex familia Comitum Leonsteniorum. Hunc nactus est Christophorus Ludovicus, fil. Ludovici Comitis Werthemii. Qui mortuus A. C. 1622. reliquit successorem Frider. Ludovicum, cui plures filii. Vide Phil. Jac. Spenerum, *in Appendice familia Palatina.*

VIROCONIUM, oppid. Cornaviorum, in Anglia, in Comitatu Salopiensi. *Wroketer* Camdeno. Alii *Vigorniam* esse volunt, vulgò *Worcester.* Nunc viculus *Wroketer*, ad Sabrinam fluv. paulò suprà Salopiam, urbem. *Baudrand.*

VIRODUNUM, oppid. Sequanorum, vulgò *Verdun.* Vide *Verodunum.* Item oppid. Burgundiæ Ducatus *Verrun.* Vide *Viridunum.*

VIROSIDUM, oppid. Brigantum, in Anglia Boreali, nunc vicus *Warvick upon Eden*, seu ad Itunam fluv. in Cumbria, 5. millar. Anglic. supra Carleolum in Ortum.

VIROVESCA, seu BURVESCA Ptol. oppid. Hispaniæ Tarraconensis in Castella veteri, hodie *Breviesca.* Inter Burgos ad Austrum 8. & Hordoniam ad Arct. 13. leuc. in finibus Cantabrorum.

VIROVIACUM, vulgò VERUICH, vicus ad fluv. Letiam, inter Teruannam atque Turnacum, utrinque 16. mill. pass. distans. Vide *Veroviacum.*

VIRSIO, oppid. Provinc. Bituricensis, ad Carim fluv. ubi recipit Avarum, in limite tractus Blesensis. *Baudrand. Valesio* vetus oppid. Biturigum Cuborum, dolò captum & concrematum à Richardo Angliæ Rege. De hoc Bituriges in ore habent,

Virzio villa virens, aliunde pauca requirens,
Vitibus ornata, campis, pratis decorata.

Quorum versuum si qua habetur ratio, *Virsio* colonia fuerit nationis Germanæ, Vesigothorum videl. vel potiùs Francorum, à viriditate soli sui denominata, uti *Wirtzeburgus* in Francia Orientali. Distat 8. leuc. à Biturico, in Circium, Turones versùs, 14. ab Aureliis in Merid. *Vierzon* vulgò.

VIRTINGUI, seu VIRTINGI, populi German. in Suevia trans Danubium, ab Aureliano Imperatore devicti. Trebell. Pollio, *in Claudio*, *c.* 6. Hodiè *Wirtenbergenses*, teste B. Rhenanô, quem vide *Rerum Germ. l.* 1. ibique *Notas* Cl. Ottonis JCti.

VIRTONIUM, vulgò WIRTON, urbecula Ducatus Luxemburgici, in limite Lotharingiæ, 5. leuc. à Luxemburgo in Occasum, 4. ab Orolauno in Merid. sub Hispanis, in limite ditionis Gallicæ.

VIRTUDUM, vulgò VERTUS, castrum Campaniæ Remensis, unde *Virtudensi* pago nomen, in quo villam Vernam Frodoardus. *Histor. Rem. l.* 4. *c.* 2. ponit.

VIRTUS, apud Roman. pro Dea colebatur; quorum primus ei fanum posuit Scipio Numantinus: deinde ei ædem vovit in Gallia, ad Clastidium M. Marcellus primô suô Consulatu, quam etiam ejus fil. ad portam Capenam 17. annis posteà dedicavit. Liv. *l.* 27. *c.* 25. & *l.* 29. *c.* 11. Plut. in *l. de Fortuna Romanor.* & in *Vita Marcelli.* Alteram C. Marius devictis Cimbris, summissiorem extruxit, ne publicis auspiciis fortè officeret, & eam ideo Augures demoliri juberent. Hujus templum ita conjunctum fuit cum Honoris æde, ut in hanc non nisi per illud pateret aditus, ut significarent veram, unicamque parandi honoris viam esse virtutem. Varias etiam finxerunt Virtutis imagines: nunc enim eam matronali habitu honestô inaffectatôque formabant, nunc quadrato saxo insidentem: aliquoties mulierem columnæ lævo nixam cubito, dextrâ colubrum tenentem. Mascula Virtus sub imagine senis barbati, nudi, stantis, clavæ innitentis, cum leonina pelle brachio advolutâ, vide Thom. Dempster. *l.* 2. *Antiqq. Rom. c.* 18. Simulachrum ejus succinctis vestibus pingi solitum, contrà quàm aliarum Dearum, notat Lutatius, *ad Statium l.* 10. *Theb. v.* 638. De corona illius, pluribus agit Car. Paschal. passim *in Coronar. libris*, inprimis *l.* 5. *c.* 1. ubi oleaginam plerunque apud Veteres fuisse docet. Vide quoque Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 4. *c.* 22. *Inscr. vet. p.* 102. præter Varronem, Lactantium, Plautum, *Prologo Amphitr. v.* 75. 78. E quibus Lactantius *Virtutem* Romanis eandem cum Bellona fuisse, quum dicit, *Institut. div. l.* 1. primigeniam ejus acceptionem indicat, eamque usurpat εἶδος, quatenus idem Latinis, quod Ἀνδρεία Græcis, h. e. *Fortitudinem*, denotat. Quô sensu Lucanus ait, *l.* 6. *v.* 148.

Pronus ad omne nefas, & qui nesciret, in armis
Quàm magnum crimen Virtus *civilibus esset.*

Cæterùm *Virtutum* enarrationes inter pocula frequentes, veterum Heroum more, occurrunt apud Homerum, non unô locô, cæterosque illum sequutos: Qua de re & suprà aliquid, ubi de priscorum *Conviviis.*

VIRTUTES, inter Angelorum ordines, & quidem in secunda illorum Hierarchia, secundô locô, numerantur illi, qui, *Dionysii* nomine vulgò insignitus, Angelorum Rempubl. primus ordinavit, eorumque sedes ac choros descripsit, totamque Curiam cœlestem justô ordine componere aggressus est: quem secutus postmodùm Damascenus, deinde Magister Sententiarum, & tandem cum Thoma universa Schola. Eorum esse procurare ea omnia, quæ ad Religionem spectant in communi, *per quos signa & miracula fiunt in mundo*, inquit Rhabanus, *de Univ. l.* 1. *c.* 5. Vide quoque Thomam, 1. *p.* 9. 108. Sed nomina illa diversa, Angelis in S. Scriptura tributa, unde occasio hierarchiæ videtur nata, *potiùs sunt gloriosiorum spirituum elogia & illustria epitheta, ad Dei ipsius ——— Majestatem exprimendam ac commendandam*, ait Burmannus, *Theol. Christ. Part. prior. l.* 1. *c.* 46. ubi, de X. ordinibus Angelorum apud Judæos quoque agens, ab iisad Platonicos, ab his ad Christianos, de perpetuo hoc Spirituum beatorum ordine, & statis eorum officiis ac gradibus, sententiam fluxisse, ostendit.

VIRUCINATES, populi Vindeliciæ in Bavaria, hodie *Frisingenses* inter Ambram & Isaram fluv. teste *Simlerô.*

VIRVEDRUM, promontor. Scotiæ Borealis in Stratheruia, nunc *Faro Head*; 5. mill. pass. à Beruvio promontor. in Occasum, paulo minus à Tarvedro. In ora Boreali Scotiæ, ubi incipit Occidentalis.

VIRU-

VIRUNUM, *Ptol.* oppid. Norici in Carinthia *Friesach Lazio*, *Bruneck* verò *Simlero*, oppid. Norici in Comitatu Tirolensi. Hodie *Volck-marck Cluver.* urbs Carinthiæ inferioris ad Dravum, sub Austriacis, 5. leuc. infra Clagenfurtum in Ortum, uti à Vitopoli Lavantum versùs.

VIRUS, apud Plinium, *l. 17. c. 24. Cytisus necat virò, quod Halimon Græci vocant:* salsugo est seu succus salsus, uti vox apud Lucretium quoque sumitur, *l. 1. v. 719.*

Ionium glaucis aspergit virus *ab undis.*

Qui &, *l. 2. v. 852.* pro herbarum succo & naturali virtute eam posuit.

Concoctasque suo servare & perdere viro.

Certè *malum* & *bonum virus* dixisse Veteres adnotat Servius. Unde & cinnamomi odorem, ob acrimoniam ac vehementiam, *masculum virum* appellat, Plin. *l. 12. c. ult.* Nempe in plerisque aromatum τὸ βρωμῶδες cum odoris vehementia conjunctum cernitur, quod *virosum* & *virus* Latini dixêre. Sic & herbarum succus, & τὸ πληκτικὸν τῇ ὀσμῇ καὶ τῆς ὀσφρήσεως πληκτικὸν in aromatibus, *Virus*; sed & γονὴ animalium quoque ita appellata est, uti docet Salmas. *ad Solin. p.* 174. 361. 441. & 1307. Aliàs pro malo odore seu fœtore, & veneno, ut notum.

VISAPORA, vulgò WISAPOR, aliàs forsan *Musopalle*, caput regni Decani, in tractu *Cunkan*, ad fluv. Mandovam. 120. mill. pass. à Dabulo in Ortum, 186. à Goa in Cæciam.

VISBADA, vulgò WISBADEN, oppidul. ditionis Moguntinæ, aliàs *Aquæ Mattiacæ*, ubi aquæ salubres multis morbis. Vix 2. milliar. German. à Moguntia in Boream, 4. à Francofurto in Occasum. Hinc Comitatus *Vuisbadensis*, in Veteravia.

VISBIUS, sub Domitiano floruit: auctor *vitæ S. Dionysii Areopagitæ*, ut vult Hilduinus, *Epist. ad Lud. Pium.* Vide Voss. *l. 1. de Hist. Lat. c. 29. extr.*

VISBUA, seu VISBIA, vulgò WISBUY, urbs Gothlandiæ, cum portu capaci, in ejus ora Occidentali; Aliàs ampla & potens, nunc multum deficit, paucisque constat incolis. 9. leuc. Suecic. ab Oelandia Insul. in Ortum, uti 13. à Vestrovico oppido proximo Smalandiæ.

VISBURGII, German. populi. *Ptol.*

VISCELLINUS, vide *Cassius.*

VISCERA, Græcè σπλάγχνα, Veteribus propriè, quidquid inter cutem & ossa, seu *quidquid sub corio est*, ut ait Servius, *ad illud l. 1. Æn. v. 215*

Tergora diripiunt costis, & Viscera *nudant.*

Unde *visceratio*, ἡ κρεωδαισία, de qua posteà: & *viscera* membra quælibet, apud Solin. *c. 19.* ubi Phannesiorum aures adeò dilatari ait, *ut* viscerum *reliqua illis contegant, nec ut amiculum aliud sit, quàm ut membra membranis aurium vestiant.* Alibi, ubi de Britannis, corpus pingentibus, *Inscriptisque* visceribus *hominis incremento pigmenti notæ crescunt:* & de Anthropophagis, *quibus execrandi sunt cibi humana viscera:* Ciceronem item *Tusculan.* ubi de μαστιγώσει Laconum, *sanguis è* visceribus *defluens*, i. e. non ex intestinis, sed ex summo corpore &c. Quò sensu Virg. *l. 6. Æn. v. 253.* ait.

Et solida imponunt taurorum viscera *flammis.*

Ubi in holocaustis Veter. carnes immolatarum victimarum concremari solitas tantùm, non etiam exta, indigitat, monente Serviô. Postmodùm intestinis vox hæsit, quæ in Haruspicum Schola *exta* dicta. Unde, postquàm sacrificiorum ratio immutata, & exta reddi ac prosecari cœperunt, reliquiis extorum, quæ non erant prosecata, partim vescentes, qui sacro intererant; partim honoris ergò, missa, qui non aderant, accipientes, Græcis unô verbô σπλαγχνεύεσθαι (quò ritus omnis nonnunquàm comprehensus, quò exta inspiciebantur, probabantur, aræ imponebantur, & quæ edulio erant comedebantur) dicti: ipsæ verò prosiciæ extorum σπλάγχνων ἀπαρχαὶ, appellatæ sunt: *Viscerationem* propriè Latini dixêre. Solinus de Hercule sacrificante, *c. 2. Etenim cùm* viscerationem *sacricolis daret:* i. e. epulum vel convivium, Græcè εὐωχίαν. Quam viscerationem sacri Herculei sic expressit Virg. *l. 8. Æn. v. 179. s.*

Tunc lecti juvenes certatim, araque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laborata Cereris, Bacchumque ministrant,
Vescitur Æneas, simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.

Et quidem exta priùs mandebant, quàm reliquam carnem: unde illud de Pinariis, qui in sacrificio Herculis cùm extis jam adesis ad cœteram venissent dapem, in posterum extorum communione abesse jussi, ad reliquam *viscerationem* solùm admissi sunt, apud Livium, *l. 1. c. 7.* Plura de voce hac infrà, uti de *Viscerum* quolibet, corde, jecore, pulmonibus &c. suô locô: de *viscerum* Præside, apud Romanos, voce *Carna:* de fustibus baculisque acumine suô per *Viscera* & intestina Martyrum adactis, suprà voce *Virga* &c. Quia autem *Viscera*, misericordiæ sedes, inde σπλάγχνα ἐλέους, *viscera misericordiæ.* & σπλαγχνίζεσθαι, *misericordiâ commoveri*, in Sacris, quam in rem vide Barthium, *Adversar. l. 149. c. 11.* Indidem *Viscera*, charitas summa, filius *viscerum* instar charus, apud Papinium, *l. 7. Theb. v. 522.*

——— ——— *sua credite matri*
Viscera ———

Hodieque proin læsæ Majestatis in Anglia reis, adhuc spirantibus, apertô corpore *viscera* eximuntur, comburunturque, ut hôc modô, omnem illos in Patriam ac Principem humanitatis affectum penitùs exuisse, indigitetur, quo de supplici genere diximus aliquid suprà, voce *Exenteratio.*

VISCERATIO, Græcè εὐωχία, propriè epulum, quod ex *visceribus*, i. e. carnibus immolatarum hostiarum, inter sacricolas; apud Veteres, agitabatur. Servius, *ad illud l. 7. Æn. v. 716.*

——— *populique Latini:*

Qui intererant, inquit. *Albani montis viscerationi.* Vide quæ paulo suprà hanc in rem dicta. ut & ubi de *Idolothytis*, alibique. Addo saltem, post hujusmodi epulum, thus & vinum in ara libari consuevisse. quod ἐπὶ τοῖς σπλάγχνοις σπένδειν Græci dixêre. Sed & σπλαγχνεύσεως vocabuli paulò laxiorem fuisse usum, apud eosdem, ut *ibid.* videre est. Dein sic appellata crudæ carnis distributio, in solenni festivitate fieri solita. Item epulum funebre: quod in opulentorum civium funeribus populo dabatur. Peractis enim ad sepulchrum justis, convivia domi apparabantur, ad quæ convocabantur Amici atque Cognati: Senibusque cœna funebris exhibebatur, quod dicebatur *Silicernium*, cujus mentio in XII. Tabulis. Sed & Populo interdum ab hæredibus epulum dabatur, aut cruda caro distribuebatur; quod dicebatur *Visceratio.* Denicales inde feriæ celebrabantur, cùm hominis mortui causâ familia purgabatur &c. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 39.* Quam in rem Godelevius, *In solenni*, ait, *festivitate, vel in funeribus Magnatum, carnes sive cruda, sive cocta, quandoque etiam panis vinumque domum perferentibus præbebatur*, *Not. ad Liv. l. 8. c. 22.* ubi de *Visceratione* Populo Rom. à M. Flavio, in funere matris, datâ. Plura vide apud Blondum, *Romæ Triumph. l. 2.* Alex. ab Alexandro, *Genialium Dier. l. 5. c. 7.* Alios. Addo hoc unum, quòd *Viscerationem* magni honoris locô fuisse, discimus ex modò *cit. l.* Livii, ubi & *annum illum, nullâ re belli domive insignem, P. Plautiô Proculô, P. Corn. Scapulâ Coss. præterquàm quòd Fregellas colonia deducta & populo visceratio data à Flavio*, fuisse: & ob eam causam, proximis Comitiis, illum *Tribunatum plebei petentibus, absentem fuisse prælatum*, ait. Nec mirum, cùm magnis id impensis constaret. Pomponius, *l. 54. de leg. & fid. l. 32. L. Titius pleni quina millia dedit, hoc ampliùs Sejus viscerationem.* Et Cicer. *de Offic. l. 2. c. 16. Prodigii qui epulis &* viscerationibus *& gladiatorum funeribus, ludorum venationumque apparatu pecuniam profundunt.* Vide quoque Paulum, *l. 22. de LL. lib. 30.* De *Visceratione* sub Imperatoribus *data*, diximus aliquid, voce *Caro:* uti de eadem Natalidie à nonnullis exhiberi solita, voce *Divisio:* deque Ἑστιάτορες Atheniensium, qui *viscerationem* tribui sua ex lege præbebant, in *Epulones.*

VISCUM, seu US, apud Plautum, *Bacchid. Actu. 5. sc. 2. v. 39.*

Tactus sum vehementer visco, *cur stimulo foditur.*

Et, *ibid. Actu 1. sc. 1. v 16.*

Viscus merus vestra est blanditia: ———

illecebra est, laqueus, tendicula, insidiæ, ad capiendum paratæ. Alludit enim Comicus ad *viscum*, excogitatum *pennis avium tactu ligandis, juglandis oleô subactum, cùm libeat insidias moliri*, ut ait Plin. *l. 16. c. 44. extr.* de quo aucupii genere diximus aliquid suprà, voce *Arundo Crescens.* Nascitur autem *viscum* in abiete ac larice; in quercu, robore, ilice, pruno sylvestri, ac terebintho: *sed copiosissimum in quercu, quod dryos hyphear* (ὑφέαρ *reponit Dalechampius*) *vocant---Adjiciunt discrimen. visco in his, quæ folia amittant, & ipsi decidere: contrà inhærere nato in æterna fronde. Omnino autem satum nullô modô nascitur, nec nisi per avium alvum redditum, maximè palumbis ac turdi. Hæc est natura, ut nisi maturatum in ventre avium, non proveniat*, Plin. *ibid.* unde *turdum sibi ipsi exitium cacare*, proverbiô dictum. Addit idem de aliis ejus usibus quædam, & de modo *viscum avium* conficiendi. Pergit dein, de usu ejus ac veneratione apud Druidas: *Nihil habent Druidæ---viscô & arbore, in qua gignitur (si modò sit robur) sacratius---Quidquid adnascatur illis, è cœlo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu, & repertum magnâ religione petitur: & ante omnia sextâ lunâ---Omnia sanantem appellant suô vocabulô, sacrificiis epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candidâ veste cultus arborem scandit. Falce aureâ demetit. Candidô id excipitur sagô. Tum deinde victimas immolant, precantes ut suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederit. Fœcunditatem eô porrò dari cuique animalium sterili arbitrantur, contraque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio est.* Quod *viscum Gallorum* cum S. Eucharistia, quomodo conferat *in Hieroglyphicis* Nic. Causinus, vide illum *Parabol. Histor. l. 10. c. 79.* plura verò *de Visci colligendi ratione*, & usu in Medicina multiplici, apud eundem Plinium, *l. 24. c. 4. l. 27. c. 7.* alibi. Addo hoc unum, quòd *viscô* non aves solùm, sed *ursum* quoque *captum*, exhibet Martialis, *in Spectaculis, Epigr. 11.* cui tit. *de Urso viscato;*

Præceps sanguinea dum se rotat ursus arenâ,
Implicitam visco *perdidit ille fugam* &c.

ubi Raderum & Marcilium vide. Alia vocis notio, apud Apulejum, *l. 2. Fotidem, quæ suis dominis parabat* viscum *fartim concisum, & bamma compascuè jurulentum.* Ibi enim pro *viscere* sumitur, & *pulpa frustatim confecta* exponitur in glossamento. Nisi legendum sit *viscus fartim concisum*, Salmas. *ad Solin. p. 374.*

VISELLIA Lex, à L. Visellio Varrone Consule cum C. Fontejo An. Urb. Cond. 776. Claudii temporibus lata, sanxit. Ne libertinis hominibus, qui jus annulorum aureorum adepti non erant,

erant, eos honores, qui ingenuorum proprii sunt, capere liceret, Thom. Dempster. *Antiq. Rom. l.* 8. *c.* 15.

VISELLIUS Varro, inferioris Germaniæ, sub Tiberio legatus. Vide *suprà.* Fuit & C. Visellius Varro, Ciceronis Consobrinus.

VISENDUS Fons, in Ligurum finibus, memoratur Solino, *c.* 2. *Italia Padò clara est, quem mons Vesulus superantissimus inter juga Alpium gremiò suò fundit, Visendò fonte in Ligurum finibus, unde se primùm Padus proruit.* Vide quoque Plinium, *l.* 3. *c.* 16. quòd in alto, fortasse sic dictus. *Mirabilem*, vocat Marcianus Capella. Vide Salmas. *ad Solin p.* 84.

VISENSIS Urbs, seu *Viseum*, aliàs *Lancia*, urbs Lusitaniæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Bracarensi; in provinc. inter Durium & Tagum dicta, juxta amnem *de Monterio.* 9. leuc. Lusitan. à Lameca in Merid. 12. à Guardia in Occasum. *Viseu* vulgò.

VISENTUM, castrum Aprutii ulterioris *Bisento.* Ad Simum amnem, in colle, 5. milliar. à Pinna in Circium.

VISERA, fluv. navigabilis Galliæ, *la Vesere.* Muratum, Condate *Condac.* Usercam Monasteriò nobilem *Userche* attingens: infra Brivam Curretiam recipit, inde Terrassonem cœnobiò insignem, Cundate *Condat*, Montanacum *Montignac*, Marciacum *Marzac* alluit & ad Limolium *Limeil*, in Duranium effluit. Est & alius ei proximus Superior *Visera* à situ dictus *Haute Vesere*, qui Album Roccam & Cambium *le Change* alluens, ab Elba *l'Ile*, fluvio nobili, in Duranium defertur. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VISERE, cupere videre est, Servio *ad l.* 8. *Æn.* hinc apta Eleusinio Sacro vox, cujus mystarum nota desideria, non nisi post longam moram & operosas προπαρασκευὰς lenienda. Cujusmodi *mysteria visere* & *invisere* Latini Scriptores passim dicunt, pro μυεῖσθαι, i. e. *initiari* seu παραλαμβάνειν τὰ μυστήρια, *sumere*, aut *suscipere sacrum*: sicut *revisere*, pro ἐποπτεύειν. Quamvis τὸ ἐποπτεύειν seu ἐποπτείαν non rarò cum μύησιν loquendo Auctores confundant: quô pactô duplex ἐποπτεία constituenda, prima, ad quam τὸ *visere*, & secunda, ad quam τὸ *revisere* referatur. Uti autem mystæ *visebant*, sic Sacerdotes dicebantur δεικνύειν, i. e. *ostendere* mysteria. Seneca, *Nat. Quæst. l.* 7. *c.* 31. *Eleusina servat, quod ostendat revisentibus* &c. Vide Salmas. *Not. ad Hadrianum Spartiani*, *c.* 13. & suprà ubi de Sacris hisce sacerrimis. Aliquando verò *Visere*, pro *videre*, quod vide.

VISIDIANUS, Narniensium Deus, apud Tertullian. *Apologet. c.* 24.

VISIGOTHI, *Sidonio* contractè *Vesa*, aliàs *Westrogothi*, i. e. Gothi Occidentales, Mœsiam Thraciæque partem cùm concessu primùm Valentis tenuissent, mox contra fœdera malè habiti, bellò in Romanos sumtò, Valententem ejusque exercitum occidunt: Constantinopolis suburbium incendunt; Thracias inde & Daciam Ripensem, non jam precariò jure, sed plenô dominatu tenuêre: etiam Gratiani temporibus. Pars eorundem, Duce Fridigernô, Epirum, Thessaliam Achajamque, pars alia sub Alatheo & Safrach Pannoniam incursat. Theodosiumque Imperatorem ad fœdus compellit: quô non rectè servatô Alarichus Rex, cùm Thraciam Græciamque ipse vastâsset, præmissô Radagaisô per Pannonias invadit Italiam, primusque post Gallos Senonas Romam capit, Honoriô imperante. Fecit idem, qui ei successit Athaulfus; & mox desertas à Wandalis Gallias invasit. Hujus successor Wallia, Hispaniam occupavit, adjecitque secundam Aquitaniam, cum urbibus finitimis quibusdam .. firmante Honoriô, quæ in hunc quoque diem *Gothia* dicitur. Ex hujus successoribus Theudericus secundus Suevorum per Hispaniam vires fregit. Post quem Euricus Lusitaniæ pleraque, Cæsaraugustam, Pompejopolim ac vicina, & in Gallia Arelatum & Massiliam subegit: Post Euricum, de Gallia, Narbonensis prima, penès Visigotthos mansit, cæteræ ejus Ostrogotthis, sub Theuderico Burgundionibusque & Francis tenentibus. Hispaniæ possessio Westrogotthis Anastasii concessione firmata est: accessit & in Africa provincia Tingitana. Rudericus ultimus Hispaniam rexit, tum ob impios ejus & Witizæ antecessoris mores, nobilissima & antiquissima Regum Gotthorum familia, in prædam barbaris Mauris divinitus data, ac universâ nobilitas totumque regnum brevi funditus eversum est A. C. 711. Neque verò, postquàm in Hispaniam irrupêre Saraceni, ita omne Gotthicum nomen ibi periit, ut non hodieque, quod potissimum est per Hispaniam nobilitatis, prædicet, eô sanguine se ortum, testimonium origini nominibus quoque præbentibus. Et sunt Gotthica nomina Ferdinandi, Frederici, Roderici, Hermanni, aliaque id genus. Sed & Reges ipsi Hispaniæ è Pelagio se genitos credunt, credique volunt, qui Favilæ Gotthi filius, primus Gotthorum reliquiis in Asturia collectis, in tenui fortuna, sed in spe rerum meliorum, quas Deus tandem dedit, Rex appellatus est. Gottha ei & uxor Frouliba nomine: Sed & gener ejus Aldefonsus ex Recaredi Regis sanguine fuit. Literæ quin etiam in Hispania Gotthicæ in publicis, sacris, privatis mansêre, ad tempora Ferdinandi I. quales Wulphila Episcopus Valentis temporibus Gotthis tradiderat. Navarræ etiam Reges genuinos se Gotthos fatentur, nec in Narbonensi Gallia, quam Balthi Reges diu tenuêre, stirps eorum tota interiit. Plura de his, exactam inprimis Regum, ab Athanarico A. C. 369. usque ad præfatum Rodericum, seriem, cum Chronologia & rerum gestarum succincta historia, vide apud Hug. Grotium, *Prolegom. in Hist. Gotthorum, Vandalorum & Longobardorum.* Quære etiam in voce *Gothi.*

VISIGOTHORUM Lex. Sic dicti Hispaniæ invasores, ad discrimen Ostro-Gothorum, qui in Pannonia, Hungaria, Illyria &c. consedêre. Utraque autem gens sub prioris interdum appellatione venit: & effusa per Europam una vel altera, non bella solùm & clades, sed Legum Regnorumque vicissitudines induxit. Tenebantur verò jure non scriptô, & patriis moribus, è ritu Borealium populorum, donec sub Rege Euridico, aliis Eurico & Theoderico, Erâ 504. A. C. 466. *instituta scriptis habuerunt*, Isidor. *Chron. Goth.* His à Levigildo posteà Erâ 608. in aliquibus emendatis, rejectis item nonnullis & adjectis complurimis, plenissimum imposuêre vigorem Chindaswindus & Recaswindus, Reges. Recensuit tamen Egica singulorum acta, suisque hinc inde intertertis, auctoritate Concilii Toletani 16. omnia confirmavit, Lindenbrog. Hinc istarum Legum usus in Hispania & Gallia Narbonensi. Henr. Spelmannus, *Glossar. Archæol.*

VISILAUS, seu WIZLAVUS, nomen quorundam Vandaliæ Principum: è quibus secundus hujus nominis Aritbbertum, Caroli M. militem & Fastradæ sorore ductâ affinem, fratres habuit. Pater Billungi, seu Mistevoji, quem à Vistula ad Visurgim imperâsse & ductâ Vagonis, Episcopi Oldenburgi Vagriæ sorore, Christianam fidem, quam dein desertam persecutus est, amplexum fuisse dicunt. Hôc nati filii Micislaus, Sedericus & Naco, Ottonis I. Imperatoris hostis, Paganam superstitionem pariter tutati sunt. Micislaô geniti, Mistavo Rex Herulorum, Mizdrachus, & Grimmus, Rugiorum Principum conditor: è cujus posteris *Wizlavus* seu *Visilaus*, expeditionibus in Livoniam propagandæ fidei institutis celebris fuit: avus alterius *Wizlavi*, qui Danorum se obsequio subtraxit, & Imperio associavit: in cujus filio cognomine, Rugiorum Principum lineâ extinctâ A. C. 1325. Pomeraniæ Principes, Megapolitanis Danisque repugnantibus, hæreditatem adiêrunt. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist.*

VISIO, oppid. seu pagus Galliæ Narbonensis in Allobrogibus & Sabaudia. *Antonin. Vignemmes Paradino.*

VISIO, unus ex Propheticæ revelationis, in Vet. Testamento, modus. Cùm enim Deus vel per intellectum, vel per phantasiam, vel per sensus seu sensibilia externa, cùm visibilia, tum audibilia, voluntatem suam Prophetis cognoscendam exhiberet; per phantasiam dupliciter id faciebat, vel in *Visione*, quæ vigilantibus, amotô tantisper sensu illorum, objiciebatur; vel in *Somno*, dormientibus: in quo utroque variæ rerum species in illorum phantasia pingebantur. Numer. *c.* 12. *v.* 6. 7. 8. *Si est Propheta ex vobis, per* Visionem *meipsum Jehovam notum facio ei, aut per somnium alloquor eum. Non sic servum meum Mosen---- Ore ad os alloquor eum, aspectu & non in ænigmatibus, & speciem Jehovæ videt.* Nempe excelluit in Prophetiæ gradu Moses. Quod in eo inter alia consistebat, quòd cùm reliqui Prophetæ per imagines, per somnum, aut in *Visione* acceptas, Dei fierent compotes, atque in ista nebula voces ejus ferè audirent; illi Deus loquutus est re ipsâ, per voces sonosque humanos, quas videns vigilansque & mente præsens hauriebat: Nec auditu solùm, sed, quantum homini Deum usurpare fas est, visu ipsius gloriam libavit, per gloriosissimam speciem oculis ejus exhibitam, Exodi *c.* 33. *v.* 23. &c. Vide Franc. Burmannum, *Theol. Christ. Parte prior. l.* 3. *c.* 5. §. 14. 15. & suprà, voce *Videntes*: quorum cacozeliâ, *Visiones*, Græcè Ὁράσεις, libri Græcorum pariter ac Saracenorum dicebantur, in quibus tradebatur, quot annos Imperatorum quisque esset victurus & quæ imperante illô etiam eventura: memorati Luithprando, *in Legat.* de quibus plura apud Meursium, *Glossar.* Sed & circumferebantur olim in Orientalibus & Merid. regionibus αἱ Ὁράσεις τοῦ ἁγίου Παύλου, *Visiones S. Pauli*, teste Marcô Patriarchâ Alexandrinô *Qu.* 2. quas in *Respons.* meritò rejicit Balsamon. Vide Cl. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ὅρασις.

VISITATIO, Ordo sacer Monialium, in Communione Romana, à Francisco de Sales, & Chantalia Matre institutus. Vide *Franciscus & Johanna Francisca Fremiota.*

VISITATIO B. Mariæ Virginis, Festum est Ecclesiæ Romanæ ab Urbano IV. institutum, ad diem 2. Jul. celebrandum, A. C. 1389. *ex voto propter persecutionem schismatum*, verbis Macri *in Hierolex.* Nempe Schismate tunc laborabat Ecclesia Romana, ad quod componendum, auxilium B. Virginis imploratum, huicque faciliùs obtinendo festum illud ab Urbano dedicatum est, confirmatumque à successore ejus Bonifacio IX. qui amplissimis illud indulgentiis ditârunt, ut habetur in Bulla utraque, quô observationem ejus promtiorem redderent. Nec tamen in omnibus Ecclesiis illud tunc fuisse receptum videtur, usque ad Concilium Basiliense, in cujus sessione 43. A. C. 1441. universalis ejus observatio sancita est. Recolitur eô memoria visitationis Elisabethæ à B. Maria factæ, apud quam trimestre totum eam transegisse, ex Euangelio discimus &c. Vide Rivetum, *Apolog. pro Sanctiss. Virgine*, *l.* 2. *c.* 13. In Syriaco Rituali Festum antiquius reperiri, ac in illa gente, mense Decembri, paulò ante nativitatem Domini, celebrari, eô ipsô die, quô in honorem ejusdem Deiparæ Græci in Templo, quod *in Blachernis* dictum, festum agunt, habes apud præfatum Macrum, *d. l.* Aliter *Visitationis* vox sumitur, in *Orig.* Murensis Monast. *p.* 39. *Villicus autem debet dare ---- piscem magnum pretiô 5. solidorum, ante Natale Domini, quod vocatur Visitatio.* Pro pensitationis videl. specie, sic dictâ, quòd vassalli Dominos suos identidem *visitare* tenebantur cum xeniis aut muneribus; quod postmodùm in præstationem abiit necessariam, & in Gallia *Salutagii* nomine innotuit. Car. du Fresne, *Glossar.*

VISITATOR, in Ecclesia Romana dicitur Episcopus, qui in locum alterius Episcopi demortui, vel propter crimen à communione suspensi, aut remoti, à Metropolitano vel Pontifice mitti consuevit, ad obeunda in ea diœcesi Episcopalia munera, donec alius Episcopus ordinetur, cujus electione ipsum interesse mos. Cujusmodi *Visitatorum* officium accuratè perstringit vetus *Formula electionis Episcopi*, in *Spicilegio* Acheriano, *Tom. VIII.* Vide quoque suprà, voce *Ambulator*; item *Periodeuta.* Sed & *Visitatores*, in

Mona-

Monasteriis, dicebantur, qui, in Capitulis Provincialibus electi, Monasteria visitabant, in Monachos, ipsosque adeò Abbates, inquirebant, horum delicta emendabant, mulctasque ac pœnas pro eorum ratione irrogabant. Qui cùm, sub prætextu *Visitationis*, Monasteria gravibus expensis premerent, seu longiori morâ, seu sumtuosis epulis, seu etiam numeroso comitatu; interdum & ab iis pecunias extorquerent, *Constitutionibus* Gregorii IX. Nicolai IV. Benedicti XII. aliisque cautum est, ne Monasteriis & locis visitatis onerosi & graves porrò existerent, uti docet Car. du Fresne ubi suprà. At *Visores*, apud Matth. Paris. A. C. 1235. sunt, qui forestis inspiciendis, ne fierent *vasta*, à Rege præfecti erant: alias vocis notiones habes apud eundem.

VISITATOR, nomen Magistratus, in eadem Ecclesiâ ubi Inquisitio viget. Cùm enim Inquisitorum officia soleant esse perpetua, necesse est, ut interdum rationem munerum suorum reddant. Solet itaque creari Magistratus, qui *visitet* Inquisitores, cæterosque Inquisitionis ministros. Is igitur visitare omnes Inquisitorum provincias, &, quidquid correctione dignum cognoverit, ad Inquisitorem generalem & Senatum referre debet: cui muneri si unus non sufficiat, alter vel plures eliguntur &c. Vide Phil. à Limborch, *Historiâ Inquisitionis l.* 2. *c.* 11.

VISMARIA, vide *Wismaria*.

VISNIOVICIA, oppid. Poloniæ, ubi Tartari à Sigismundo Poloniæ Rege victi, A. C. 1506. Vide quoque in *W*.

VISNIOVICIUS Michael Coriputus, Polonor. haud pridem Rex.

VISONTIUM, vel VISONTUM, oppid. olim, nunc pagus Pannoniæ superioris in Hungaria, apud Capronizam promontor. *Vihicie Lazio*. Item urbs Hispaniæ Tarraconensis in Pelendonibus. *Viseo Villanovano*.

VISOR, vide suprà *Confirmatores testes*, & hic paulò antè. Tacitus quoque *Visorum* meminit, *l.* 16. *Annal. c.* 2. ubi de ludibrio thesauri per quietem reperti, *Nero*, ait, *non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectatâ, nec missis* Visoribus, *per quos nosceret an vera afferentur, auget ultro rumorem* &c.

VISORONTIA, locus urbi Viennæ in Gallia subjectus, ubi Chlodomerus, Francorum Rex à Burgundionum Rege Godomaro interfectus est. Vicus hodie *Veseronce*, non procul à Rhodano, inter Vienam & Belicam urbes, sed huic propior. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

de VISS Jacobus, vide *Jacobus*.

VISSEGRADIA, incolis *Vizegrad*. German. *Plindenburg*, urbs munita Hungariæ, in colle, ad Danubium sub Turcis. 5. milliar. Germanic. à Strigonio in Eurum, 8. supra Budam in Boream, 4. à Vacchia in Circium.

VISSEMBURGUM, urbs Alsatiæ inferioris Imperialis. Ad amnem Lutterum, in limite Palatinatus inferioris, 4. milliar. Germanic. ab Hagenoa in Boream, Landaviam versùs 2. à Philippopoli, 4. in Occasum. Vulgò *Weissenburg*.

VISSEMBURGUM, urbs Imperialis, in Bavaria Transdanubiana in ditione Aichstetensi, ad fontes Redniti. 4. milliar. Germanic. à Donavetta in Boream, Norimbergam versùs 7. & ferè 5. à Neoburgo in Cæcium. *Weissenburg* vulgò.

VISTILIA, prætoriâ familiâ genita, Titidii Labeonis uxor, licentiam stupri apud ædiles vulgavit: ob id à Senatu, Tiberiò imperante, in insulam Seriphon abdita est.

VISTOCHIUM, oppidul. mediæ Marchiæ Brandeburg: in tractu *Pregnitz*, ad Dorsam amnem, ubi Austriaci à Suecis, Bannerió Duce, grandi clade affecti. In limite est Megalopolitano, 7. milliar. ab Halverberga in Cæcium, vix 4. à Rupino in Boream. Vulgò *Witstock*.

VISTULA, fluv. antiquissimus Germán. Sarmatiæque ad mare Suevicum terminus, antequam Aestii, Germanica gens, in Venedorum agros transiverant; hodie *Weissel*. Antiquis Græcorum Romanorumque auctoribus variè scribitur. Nam Plinio, *l.* 4. *c.* 14. ac Solino, *c.* 23. *Vistula* & *Vistulia* dicitur. *Ptolemæo* Οὐιστούλας, Plinio etiam est *Vistillus*. Apud eundem, *l.* 4. *c.* 13. *Istula*. Melæ, *l.* 3. *c.* 4. *Visula* est, & Marcellino *Bisula*, quia Græcè scribebatur Βιστούλας. Vide Cluver. *de Ant. Germ. l.* 3. *p.* 717. *Baudrando* fluv. Poloniæ. Oritur in Ducatu Tescinensi in Silesia, ex monte Carpatho, in ipso limite Hungariæ; dein auctus aliquot rivis, per Poloniam superiorem fluens, Osvicinum, Zatorium, Cracoviamque rigat. Hinc Villocum fluvium recipit, prope Polaniecum, Sanum infra Sendomiriam, & Vieprum ad Stesicam; posteà per Mazoviam labens, Czercum & Varsaviam rigat, receptóque Bugo fluviò juxta Ploscum & Uladislaviam fluit: tandemque per Prussiam labens, ibi Torunium, Chulmiam, Graudentiumque rigat, & supra arcem *Hauft*, in duo brachia scinditur: ex quibus Orientale in Sinum *Frisch Haff* cadit. Occidentale paulo infra Gedanum, in mare Balticum, juxta arcem *Weisselmunde*, in ora Sinus Gedanensis labitur. Ad hanc Thorunium A. C. 1234. conditum à Crucigeris, quibus à Conrado Polono contra Prussos evocatis hic tractum Culmensem, & quidquid inter Vistulam ac Druentium fluv. tradiderat. Fluvium hunc transiturus Georgius Israël; ruptâ glacie in extremo vitæ discrimine versatus, postquam Ps. 142. cecinisset, evasit incolumis, A. C. 1550. Vide Lætum, *Comp. Hist. Universal.*

VISTUS, vulgò VYST, una Æbudarum, à Septentrione in Meridiem extensa, per 45. milliar. cum aliquot oppidul. Ei ferè adjacet ad Boream Leuvitia Insul.

VISUNTIO, vide *Vesontio*.

VISURGIS, fluv. ingens Germaniæ ex Meliboco monte in Franconia oriens, ac inter Hassiam ad Occasum, Thuringiam ad Ortum, Westphaliam ad Austrum, & Saxoniam ad Boream, in Oceanum Germanic. se exonerans, *Baudrando* primùm *Verra* dicitur, *Wertz*, oriturque in confinio Franconiæ; dein per Hassiam fluens, prope Smalcaldum & Isenacum labitur. Sed recepta ad Mindam oppid. Fuldâ fluviò *Visurgis* dicitur: & in Arctos tendens, juxta Ducatum Brunsuicensem, ibi Hamelam rigat, uti Corbiam, Mindam, ad confluentes Fuldæ & Verræ, Neoburgum & Hoyam, urbes Westphaliæ. Hinc receptò Allerâ, paulò infra Verdam labitur juxta Bremam, & tandem Oceano Germanico ad Depstem damiscetur, inter Ducatum Bremensem & Comitatum Oldenburgensem. In hunc, captâ Mundâ 2500. occisorum civium projecti, victore Tilliô, A. C. 1626. *Straboni* Βισούργις; apud *Ptol.* verò in descriptione Germanici litoris est genitivus casus Οὐισούργιος. At rectiùs posteà, in recensione populorum Germaniæ, idem casus τοῦ Οὐισούργιος. *Dioni* dicitur Οὐισούργιος. Hodie *Weser* vocatur. Visurgis, inquit Lipsius, mutuâ Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis, cui famam præcipuè Tacitus dedit, & ipse Tacito (mirum fatum) vitam. Nam. 5. primores Annalium libri inventi Corbejæ, quod monasterium ad Visurgim est.

VISURGIS, fluv. parvus Belgii, *Weser*. Oritur in Ducatu Limburgensi, & in confinio Juliacensi; dein Limburgum rigans, posteà in Urtum cadit, & cum ipso paulò pòst in Mosam, supra Leodium.

VISUS, vide suprà ubi de *Oculis*, *Opteriis*, *Optice*. Cæterùm *Visui* populi præbendi Duces hostium devictos captivosque mos, Romanis in usu, apud Tacitum occurrit *l.* 12. *Annal. c.* 21. ubi de Mithridate Bosporano, pro quo Eunones intercedens apud Claudium Imperatorem, ne triumpharetur, neve pœnas capite expenderet, impetraverat, *Traditus*, inquit, *post hac Mithridates, vectusque Romam*, *vultu interritò permansit, cum rostra juxta custodibus circumdatus, visui populi præberetur.* Vide suprà verbò *Ostendere*.

VITA, inter nomina S. Cœnæ, apud Scriptores Ecclesiasticos occurrentia. Augustin, *de remiss. peccator. contra Pelagium, l.* 1. *c.* 24. *optimè Punici Christiani, Baptismum ipsum nihil aliud, quàm* Salutem, *& sacramentum corporis Christi nihil aliud, quàm* Vitam, *vocant.* Et mox, *Quid aliud etiam, qui sacramentum mensæ Dominicæ* Vitam *vocant, nisi quòd dictum est, Ego sum panis vitæ?* E quibus verbis colligimus, fuisse hanc nomenclaturam topicam, Punicis seu Afris Christianis propriam: Sicut & aliæ quædam similes, doctis potiùs, usurpatæ, quàm in communem Ecclesiæ usum receptæ, occurrunt. Casaubon *Exercit.* 16. *ad Annal. Eccles. Baronii, num.* 54. Nempe symbolum est S. Cœna divinitus institutum corporis & sanguinis Domini, qui propriè *Vita* est, sicut idem *Veritas* & *Via*, Joannis *c.* 14. *v.* 6. Eandem ob rationem & Baptismum invenias in scriptis Antiquorum *Vitam* appellari, ut, quum ait Paschasius, *l. de Corp. & Sang. Domini*, de iis, qui statim post acceptum Baptismum obierunt, *In nullo post perceptam* vitam *declinârunt à via*. Ubi *Vita* est Baptismus, aut ipse Christus, quem induunt, qui lavacrò regenerationis tinguntur, Gal. *c.* 3. *v.* 27. Ideo subjicit Paschasius, *Sed permanserunt in* Vita, *qui Christus est*, Casaubonus *ibid.* Vide & Jo. Casp. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ζωή. De *Vita* verò *Communi*, seu κοινοβίῳ tum veterum Pythagoræorum, tum inter Christianos Ascetarum, suprà voce *Cœnobium*, alibique: uti de *Vitam producendi morte alterius ratione* Veterum seu opinione potiùs, voce *Fata* &c.

VITÆ, populi apud Bedam, quorum caput *Witenberga*. Vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. Nov. Antiq.* cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p.* 235.

VITACA, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis. *Ptol.*

VITAKERUS Guilielmus, Theologus Anglus eloquentissimus & longè doctissimus, in Academia Cantabrigiensi Professor. Acutissimus contra Latinos disputator suô tempore habitus, refutavit vastum Bellarmini opus, antequàm id totum in lucem prodiisset: graviter invectus in dissolutos mores Ordinum in Anglias: obiit A. C. 1605. Lætus, *Comp. Hist. Univ.*

VITALIA contorquere, vocabulum Luctæ veteris, apud Trebell. Pollionem, *Claudiò, c.* 13. *Iratus est, qui non baltheum, sed* vitalia *sibi contorserat, omnes dentes unò pugnò excussit*; de quo vide suprà voce *Ilia*, item ubi de *Lucta*.

VITALIANA, turris firmissima, in lacu Verbano; à Ludov. Borrhomæo, cùm ab hostibus premeretur, condita. Cui alta longè major adjacet, malis aureis condita & amœnissima.

VITALIANI, Hæretici, à *Vitali*, seu *Vitalio* Presbytero Antiocheno, Apollinaris adjutore, nomen nacti, vide *Vitalis*.

VITALIANUS, Tyrannus, Scytha. Ut Imperiò potiretur, fidem Orthodoxam, quam Anastasius Imperator persequebatur, se amplecti simulavit: hæresin & ambitionem altò pectore premens. Potitus sic Thraciâ, Scythiâ & Mœsiâ, Constantinopolim usque pervenit; spe plurimorum restituendorum deceptus, arma posuit, præfecturâ militari postmodùm ab Imperatore exutus. Tandem à Justino Imperatore Constantinopolim allectus, Consulis dignitate vix libatâ, occisus est in palatio, A. C. 520. Cedr. *in Comp.* Euagr. *l.* 3. & 4. Marcellin. *in Chron.*

VITALIANUS, LXXIV. Pontifex Romanus sedit, ann. 14. mens. 6. A. C. 655. Eugenio I. successit. Campanò Italus. In templa Organa Musica introduxit; ab Osvino multis vasis aureis argenteisque donatus, ipsi vicissim Theodorum, ordinatum Archiepiscopum Doroverncensem misit. Beda *in Hist. Angl.* Polydor. *l.* 4. Cultum sacrum Latinâ linguâ, circa A. C. 666. qui numerus mysticus est, Apoc. *c.* 13. *v.* 18. peragi jussit; apud Constantem II. Imperatorem & contra Præsules Ravennates, multa egit. Obiit A. C. 669. Platina, Ciacconius &c. Successit Adeodatus.

VITALIS, Antiochæ Episcopus, A. C. 331. Pietate & doctrinâ celebris, præsedit in Conciliis Ancyrano, ut & Neo-Cæsariensi. Item, Apollinarista, intrusit se in sedem Antiochenam. Item, Afer, concursum divium sic à nobis pendere commentus est, ut

nobis volentibus quidem ille in nobis effectum sortiatur. nolentibus verò inefficax sit: Sicque, ut quis Euangelio assentiatur, nihil aliud quam externum præconium requiri deliravit: efficaciam Spiritus S. internè nos convertentis eludens. Huic scripsit Augustinus, *Ep.* 107. Baron. *A.C.* 419. *n.* 54. *&* 55.

Duces Venetorum, &c.

VITALIS Falierus, Dux Venetorum, Dalmatiam & Croatiam, plenô jure, ab Alexio Imperatore impetravit, cùm anteà tributum Imperatoribus Byzantinis pendere tenerentur, A. C. 1085.

VITALIS Michaël, Dux Venetorum, bellô contra Emanuelem Imperatorem Græcum, Chium Insul. sub Reipubl. potestatem redegit: à quo tempore universi maris Adriatici Dominos sese appellitare cœperunt. Georg. Hornius, *Orb. Imp. cum Not.* L. Joach. Felleri, *p.* 159.

VITALIS Janus, Johannes, Oldericus, vide suis locis.

VITALIUS Victor, inter Nobiles Romanos, sine causæ dictione Severi jussu occisos, memoratur Spartiano, *in Vita* hujus Imperator. *c.* 13.

VITAS-PATRUM, in *Libro Ordinis* S. Victoris Paris. MS. *c.* 19. apud Car. du Fresne. *Quales sunt Bibliotheca & majores Expositores & Passionarii &* Vitas Patrum *& Omeliarii*: indeclinabile est, & librum Ecclesiasticum notat, Πατερικὸν & Πατερικὰ Græcis appellatum, quod *Vitas SS. Patrum* contineat, vide Gregor. Turon. *Præfat. ad Vitas Patrum*, Rosweidum, *ad easdem in Prolegom.* Alios. Gennadius *de Scriptoribus Eccl.* Euagrium librum scripsisse ait, *qui attitulatur Vita Patrum*, ut *Petronium scripsisse putant* Vitas Patrum *Ægypti Monachorum* &c. Sic *Vitas-Fratrum* unicâ quoque voce opus suum inscripsit Gerardus Frachetus Lemovic. Dominicanus, in quo virorum illustrium Ordinis sui *Vitas* & elogia descripsit, circa A. C. 1263. Vide Carol. du Fresne, *Glossar.*

VITEI, vide infrà S. *Vitus.*

VITELLA, oppid. Italiæ, unde *Vitellinus. Steph.*

VITELLESCUS Johannes, Tuscus, Cardinal. Archiepiscopus Florentinus. Ingeniosus, audax, dissimulator: primùm tyranno cuidam Italo, nomine Tartalio, adhæsit, eique à secretis fuit. Dein hôc, jussu Martini V. capite plexô, Romam profectus, in Eugenii IV. gratiam se insinuavit. Româ posteà Italiâque à Tyrannis liberatâ, pacem & tranquillitatem populis conciliavit. Tandem ambitione elatus, gratiâ Pontificis excidit, qui ipsum in Mole Adriani captivum detinuit: ubi animi mœrore confectus, obiit A.C. 1440. Elogiis ornatus à Sixto IV. Julio II. Leone X. Clemente VII. & Paulo III. Vide Paul. Jovium, *in elog. ejus*, Jul. Roscium, Platinam, Garimbertum, Ciacconium, Leonhardum Aretinum, & Scipionem Ammiratum, *Hist. Flor.* Epitaphium ei hoc erexit Bartholomæus Episcopus Cornet.

Quando ego pro patria, pro Majestate repressi
Pontificis, furias bellorum, hostesque subegi
Ecclesiæ, nostris quæ floruit aucta sub armis.
Restitui res effluxas, urbesque, decusque
Invidit Sors atra mihi, magis æmula Virtus,
Immeritam statuens non æquô munere mentem.

VITELLIA, colonia Romana in finibus Æquorum Liv. *l.* 2. *dec.* 1. extincta. Sicut & Verrugo oppid. vicinum.

VITELLIANI, pugillares dicti sunt lutei, *vitellô* fortè illiti, quibus res lascivæ & elegantiores inscribebantur. Aliis à *Vitellio*, nescio quô Inventore, dicti sunt. Eorum meminit Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 6. *v.* 5.

Hæc sunt quæ relegente me solebas
Rapta exscribere, sed Vitellianis.

Et, *l.* 14. *Epigr.* 8. *cui tit. Vitelliani*,

Nondum legerit hos licèt puella,
Novit quid cupiant Vitelliani.

VITELLIANUM, Galliæ Transpadanæ oppid. ad Padum in Ducatu Mantuano. *Vidiana* Alciato. A Vitellio Imperatore dictum.

VITELLICUM, oppid. ditionis Trevirensis, *Vitlich*, cum castro splendido, ubi ferè degit Elector. Ad amnem Leserum, 1. milliar. German. à Mosella, 4. à Treviris in Cæciam.

VITELLII, Faunô Aboriginum Rege & *Vitelliâ*, quæ multis locis pro numine colebatur, orti, teste Suetoniô, *c.* 1. *Vitell.* Patricia fuit gens & majorum gentium: ex qua fuerunt *Marcus & Manius Vitellii* fratres uxoris Collatini primi Consulis, à Bruto cum filiis, quòd de recipiendis in Urbem Regibus conjurâssent, suppliciô affecti. Videatur Dionys. *l.* 5.

VITELLIUS, nonus Roman. Imperator ab exercitu, post Ottonem, salutatus. In gratiam hic Caligulæ, Claudii & Neronis, turpi adulatione se insinuavit. Sub Claudio enim e. g. unum calceorum Messalinæ, sub toga portans, ei subinde oscula fixit. Hinc amplissimis muneribus admotus, Proconsul Africæ non sine laude præfuit. In Ædilitio munere non pari gloriâ est versatus, exspoliator Fanorum: In Imperio vitiis frænô laxatô, quotidie quater epulatus est, in singula epula impensis XM. Imperialibus. De clypeo Minervæ, quô nomine sumptuosum aliquando convivium insignierat, vide Sueton. *in Vitell. c.* 13. At luxuriem crudelitas vicit, cùm in quoscunque, Matrem ipsam, nullâ ratione habitâ, ob levissimas causas, sæviret. Hinc in Pannonia, Mœsia, Judæa & Syria turbantibus militibus, Vespasianus Imperator proclamatus est, à quo Vitellius sæpe victus; tandem cum neporari pergeret, à propriis militibus discerptus & à populo in Tiberim projectus est. A. C. 69. ætat. 57. Imper. 8. Vide quoque Tacit. *l.* 2. *&* 3. *Hist.* Dion. Eutrop. Aurelium Vict. &c. & insuper in voce *Q. Eulogius.*

VITELLIUS, Censoris Vitellii ac ter Consulis filius, missu Galbæ, ad inferioris Germaniæ legiones, Consularis legatus.

VITELLIUS, prænomine *Lucius*, cum Paullo Fabio Consul, Orienti à Tiberio præpositus: ubi ut & alibi priscâ virtute egit. Ex provinciis regressus & formidine C. Cæsaris, familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus; exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 32. Vide & *Lucius.*

VITELLIUS Erasmus, vide *Erasmus.*

VITELLIUS Saturninus, Præfectus cohortis Prætoriæ, sub Othone, vulneratus, in tumultu nocturno urbano, Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 82.

VITELLIUS Varro, vide *Lucius.*

VITEM dare, apud Ælium Spartianum, *Hadriano, c.* 10. *nulli* vitem, *nisi robusto ac bonæ famæ, dedit*: est Centurionem facere. His enim cùm ad id muneris promoverentur, *vitis* in manu dabatur, verberando militi, qui deliquisset, unde *Vitis* Centurionatus insigne. Eusebius, *Hist. Eccl. l.* 7. *c.* 14. Τιμή τις ἐςὶ παρὰ Ῥωμαίοις τὸ κλῆμα, ὅ τοὺς τυχόντας φασὶν ἑκατοντάρχους γίνεσθαι. *Vitis nomen militaris dignitatis apud Romanos, quam qui obtinent, Centuriones esse dicuntur.* Et Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 26.

Vare Parætonias Latiâ modò vite per urbes.
Nobilis & centum dux memorande viris &c.

Qui autem Centuriones fiebant, vel ordine promotionis ad hunc gradum perveniebant, ut ille Marinus apud Eusebium, *d. l.* & Scæva apud Lucanum, *l.* 6. *v.* 146.

——— *ibi sanguine multô*
Promotus Latiam longô gerit agmine vitem.

Vel beneficiô Imperatoris aut Ducis, quibus *vitis* scil. ab ipso Imperatore dabatur, ut *loc. cit.* Spartiani & in veter. *Inscr.* ET. MIHI. VITEM. DEDERIT. VLPIA. LEGIONE. MISSIS. Unde Suetonius, *in Tiberio, c.* 12. *per quosdam beneficii sui Centuriones* &c. Salmas. *ad Spartiani locum.* Quòd verò *Vitis* electa militum castigationi, Juvenali quoque indigitatur. *Sat.* 8. *v.* 247.

Nodosam posthac frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabrâ:

hinc est, quoniam vetere de suppliciis lege Romanâ sancitum est, *ut cives non virgis everberarentur, sed vitibus*, uti apud L. Florum ac T. Livium, *Epit. l.* 57. legimus. Hinc *vite* percussum esse, probro non erat. Plin. *l.* 14. *c.* 1. *extr. Quid quod inserta castris summam rerum, imperiumque continent. Centurionum in manu vitis & opimô præmiô tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat.* Contrà fuste externus miles plectebatur. Martianus tamen *ff. de re militar. Si miles vitem tenuit* (i. e. pœnæ vitis subjectus est, quod *sub vineam jacere* quoque dictum) *militiam mutat: si ex industria fregit, —capite punitur.* Cæterùm, quâ figurâ hujusmodi *Vitis Centurionalis* fuerit, videre est, in Goltzii Cæs. *tab.* 23. *num.* 5. & apud Ant. Pois. *de Num. Veter. tab. H. num.* 5. plura verò de illa apud Cœl. Rhodig. *Lection. Antiqq. l.* 26. *c. ultim.* Stewechium ad Vegetium, *l.* 1. *c.* 26. & Just. Lipsium, *de Militia Rom. l.* 2. *Dial.* 8.

VITEMBERGA, urbs German. vulgò dicta. *Ptol. Calegia.* Ad Albim, cum Academia celebri, fundatâ A. C. 1502. à Friderico Electore. Hic primò Lutherus concionibus innotuit, & Electoris gratiam nactus est. Sedes olim Electoralis, quæ nunc Dresdam translata est. Scripsit *Academiam Vitembergensem* Gothofredus Suevus, *Vitas* verò *Theologorum Vitembergensium*, Job. Bismarcus uti *Inscriptiones Wittembergenses*, Andr. Sennertus. Vide & *Wittemberga.*

VITENEN, miles, obtruncatô dominô suô, Lithuaniæ Duce, regionis imperium rapuit A. C. 1279. Ei successit Gediminus A. C. 1300. qui fines Lithuaniæ longissimè per Russiam protulit, & à finibus Prussiæ, usque ad Pontum Euxinum, protendit, unde *Magni Duces* appellati. Georg. Hornius, *Orbe Imper. cum Notis* L. Joachimi Felleri, *p.* 391.

VITEPSIA, vulgò WITEPSK, urbs munita Lithuaniæ, caput Palatinatus cognominis ad Dunam fluv. ubi recipit *Widzbam* cum arce munita, vix 12. leuc. Polonic. à confinio Moscoviæ, Poloscam versùs 16. & 25. à Smolenco in Circium. Pluries capta & recepta ultimô bellô Moscoviticô. Duces habuit proprios usque ad Olgerdum Magnum Ducem Lithuaniæ.

VITERBIENSIS Jacobus, vide *Jacobus.*

VITERBUM, urbs ampla & culta Hetruriæ Episcopalis locô Ferentii, urbis excisæ, ad montis Cimini radices, priùs *Vetulonia*, teste *Platinâ*. Hodie *Viterbo* Italis, *Viterbe* Gallis, caput Patrimonii. 40. milliar. ab urbe Roma, in Circium. Senas versùs. 10. à Volsinio lacu in Ortum. Volaterranus putat fuisse *Longulam* Livii. Hermolaus scribit Ptolemæi *Elbii vicum* dici. Hieron. Rucellius in suo *de illustr. Virorum insignibus stemmatibusque libro*, ubi Lucernas quasdam celebres compertas fuisse in quibusdam casulis sepultas, alias autem in parietibus murorum inclusas, quæ in aëre aperto per aliquot horas accensæ ardentesque perdurârint, sponteque suâ posteà extinctæ sint, exiguô quôdam in illis pulvere remanente, asserit: narrat, earum præter alias multas aliquas repertas esse tempore Alexandri VI. Pontificis Romani 2000 pass. à *Viterbo*: in oppido desolato, Ferenti nomine dicto; ubi scribit Suetonius, natos esse

se progenitores Othonis Imperatoris. Vide Fortunium Licetum, *de Lucernis antiqq. l. 1. c.* 8.

VITERICUS, Visigothorum in Hispania Rex XXI. occisô Leuvâ, thronum occupavit, A. C. 603. crudelis & subditis exosus, obiit A. C. 610. Ejus filiæ Ermenbergæ, cum Theodorico Burgund. Rege nuptias disturbavit Brunechildis. Vide Isidor. *in Chron.* Marianam, *Hist. Hisp.* Successit Gundemarus.

VITEX, herba, Græcè λύγος, item ἄγνος, unde *agnos casta* libidinis stimulis coërcendis ac castitati servandæ conducere credita est: indeque matronæ Veteres, quæ in Casto Cereris aut Isidis erant, *vitice* stramenti vicem, per omnes illos dies, quibus secubantes à toris suis genialibus, in Templo dormiebant, uti consuevêre. *Dioscorides*, Ὠνόμασται δὲ ἄγνος, διὰ τὸ τὰς ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ἁγνευούσας γυναῖκας εἰς ὑπόστρωμα χρῆσθαι αὐτῷ. Sub eadem Samios Junonem apud se, ad Imbrasum flum. natam esse, jactare olim solitos, atque *viticem* illam suâ ætate, in Idoli hujus sacro solo, adhuc fuisse ostensam, tradit Pausanias *in Achaicis*. Est autem *Vitex*, salicum genus, in Ægypto adeò frequens, ut Ἀγνοῦ κέρας, h. e. *Viticis cornu*, inde dictum sit promontorium Ægypti, inter Bolbiticum & Sebenniticum ostium, cujus meminit Hesychius, post Strabonem, *l.* 17. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l. 5. c.* 15. & suprà *Laqueus*, item *Salix*. Nominis origo à *viteo* seu *vio*, de quo suprà.

VITEY, primus Chinensis Imperii conditor, cui omnium artium inventionem incolæ ascribunt, Georg. Hornius, ubi suprà. *p.* 451. Vide eundem, *Arcâ Noæ*. Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ*, *c.* 47. ubi *Chronologiam Sinicam* exhibet, Alios.

VITHUNGI, apud *Sidonium Apollin.* qui *Vithungi*, apud Treb. Pollionem, *Claudio*, *c.* 6. ubi diversos Scytharum populos recenset; *Juthungi* dicuntur Ammiano Marcell. *l.* 17. ubi Alemannorum eos esse partem, scribit. Dexippus tamen Scythas quoque appellat. Vide Salmas. *ad Pollionem d. l. Vopiscum in Probo*, *c.* 18. nec non suprà, voce *Virthungi*.

VITIA, Fusii Gemini mater, anus necata, sub Tiberio, quòd filii necem flevisset. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 10.

VITIA de plaustris antiquitus, inde in scena, liberè arguebantur olim. Apud Alexandrinos certè statis diebus in curribus homines vectos, quibus hoc munus datum esset, totam urbem peragrare, & consistentes, ubi vellent, ac domo adstantes cujuscunque visum esset, verè de plaustro canere, nec falsa convitia, sed vera crimina, utpote probris civium accuratè priùs exploratis, objicere consuevisse, quò hâc libertate corripiendi homines ab improbitate absterrerentur, tradit *Suidas*. Vide quæ suprà dicta voce *Plaustrum*. De veterum verò Comicorum, in reprehendendis civium *vitiis*, παῤῥησίᾳ, sic Horatius, *Serm. l. 1. Sat. 4. v.* 1.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque Poëta,
Atque alii, quorum Comœdia prisca virorum est;
Si quis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant:
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus.

Vide iterum suprà, ubi *de Comœdia*, *veteri* inprimis & *nova*. Quod eousque obtinuit, donec omni pudore excussô *Vitia* plenô alveô humanum genus irrupêre. Tum monitores hi è medio sublati, Virtuteque conculcatâ *Vitia* in prètio esse, coronari etiam, imò in Numinum numero, haberi sunt cœpta. De Monitoribus prisci ævi, vide suprà voce inprimis *Cantor*. De coronis, nota Sybaritarum væsania, apud quos ii, quos luxus erudierat ferculis condiendis apponendisque, coronas meruêre, teste Athenæô, *l.* 12. Xenocratem similiter, propter longiorem compotationem, præmii locô, coronam accepisse, narrat Diogenes Laërtius, *l.* 4. ut alios omittam. In quos meritò Bernardi illud usurpes, *Serm. 66. Coronabitur turpitudo? Nihil minùs decet honestatis auctorem.* Quantum verò id, quòd non solùm alia innumera, sed & *Vitia* ipsa, cum quibus Divinitati nullum potest esse vel per umbram commercium, in Deorum Senatum Romani retulêre: *Iracundiam, Cædes, Lasciviam, Ebrietatem, & nescio quæ alia his consentanea*, uti testatur Auctor gravissimus. Gregorius Naz. *Orat. 2. de Theol.* Non scil. *Numina colendorum, sed crimina colentium*, ut scitè Augustinus. *Quo ex genere*, ut Cicero addit, *de Nat. Deor. l. 2. c. 23. Cupidinis & Voluptatis & Lubentinæ Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum* (ut ipse fatetur) *rerum.* Omitto Lavernam, Persicam, Mutunum, Deos Lucrios, Murciam, Mellonam, similisque farinæ Idolorum farraginem, de quibus latè Arnobius, *adv. Gentes*, *l.* 1. Augustin. *de Civ. Dei*. Alii, videndi. Nec saniores Græci: apud quos Parmenides Discordiam, Cupiditatem, cœteraque ejus gregis, ad Divinitatem revocavit, teste Cicer. ubi suprà *l.* 1. &, quod amentiæ hujus extremum censeri queat, Athenienses, Sapientiæ, si ipsis crederes, alumni eò impudentiæ progressi sunt, ut teste eôdem *ibid. l.* 2. Contumeliæ quoque, & Impudentiæ ipsi, fanum extruxerint: quod auctore Epimenide factum, docet Clemens Alex. *Protrept. p.* 12. Vide Tob. Pfannerum, *System. Gentilis Theol. pur. c. 1. §.* 2. & 3. ut & suprà, ubi de *Diis*. Contrà Deus noster, *qui tam purus est, ut ne videre quidem malum possit*, ut Propheta loquitur: non aliis solùm modis, quantoperè ab omni labe velit esse cultores sui immunes, testatus est, ab omni ævo, sed & ne victimam quidem sibi offerri ullam voluit unquam, quæ aliquô vitiô esset infecta. Quò fine Sacerdotibus (qui & ipsi extra omne corporis probrum esse tenebantur, vide suprà voci *Lusci*) præscripsit, quâ hic cautione opus, quæque ab Altari animal excludant, exactè docuit. Levit. *c. 22. v.* 22. 23. 24. ubi XII. *vitia* enumerantur, quorum unumquodque sacrificium redderet abominabile, de quibus prolixè Bochartus agit, *Hieroz. Parte prior. l. 2. c.* 46. Vide quoque hic passim, ubi de *Sacrificiis*, atque *ad Sacra* pertinentibus.

VITICULÆ, ornamenta librorum, vide suprà *Capitularium*.

VITIGES Dalmata, stabuli præfectus, sub Theodato, Ostro-Gothorum in Italia Rege IV. huic surrogari se curavit. Posteà Romam accurrens, cum 4000. militum, populum juramentô sibi adstrinxit, repudiatâque uxore, Marasuentam, filiam Amalasuntæ, sibi junxit, raptis Antecessoris sui thesauris. Sed Romani, appropinquanti Bellisario portas recluserunt, urbem obsidente Vitige, A. C. 537. cum LM. hominum, ultra annum; quam relinquere coactus est, ut Ariminum sibi intereà ereptum recuperaret: sinistrô successu. Namque Mediolanô, Novarâ, Bergamô &c. à Belisario exutus, & hanc obsidionem solvit, Ravennamque se recepit: ubi dedere se coactus est, A. C. 539. Hinc victor eum cum Uxore, & Magnatibus, Constantinopolim misit, ubi ex Rege Patritius factus est. Procop. *de Bello Goth. l.* 2. Ei successit *Theobaldus*.

VITIKINDUS, Saxoniæ Princeps, à Carolo M. victus; Caput Serenissimæ familiæ Saxoniæ. Vide *Witikindus*.

VITIKINDUS, Monachus Corbiensis, in Saxonia, floruit seculô 10. Scripsit *Historiam Saxonum libris* 3. cum *historia Ottonis I. Imperatoris* ad hujus filiam Mathildem. Item *Carmina*, *Historiam fundationis Archiepiscopatus Magdeburgici*, &c. Sigebert. *de Vir. Ill. c.* 129. *& in Chron. A. C.* 973. Adam de Brema, *l. 2. c.* 6.

VITILES Naves, apud Plinium, *l. 7. c. 56. Etiam nunc in Britannico Oceano* vitiles *coriò circumsuta sunt. In Nilo ex papyro, & scirpo & arundine*: Solino dicuntur *viminei alvei*, *c.* 22. Sed aliud *vitile*, aliud *vimineum*. Quidquid enim è vimine est, id *vitile* quidem, cùm vimen virgultum sit *viendo* aptum, ut suprà vidimus: At non contrà, quidquid *vitile*, vimineum est seu ex vimine. Cùm & funes & corollæ, & alia, quæcunque plexili opere fiunt, *vieri* dicantur. Plin. *l. 13. c.* 4. de foliis palmæ, *Nunc ad funes vitiliumque nexus & capitum levia umbracula finduntur.* Strabo de palma itidem, *l.* 17. καὶ ψιάθι καὶ ἄλφιτα τά τε πλεκτὰ παντοῖα ἐξ αὐτοῦ, *vitilia omne genus* &c. Sic è scirpi cortice tegetes aliaque *vitilia* texi consuevisse, diximus suprà. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 245. 246. & suprà voce *Vietor*.

VITILIGO, Arabum morbus, teste Jo. Bodinô, *Methodi Hist. c.* 5. Græcè ἄλφος quibusdam, aliis λευκή, vide Theod. Zuingerum, *Theatrô Hum. vitæ*, ubi *de Lepra*. Vossius *Vitiliginem* ab impetigine, scabie & elephantiasi, sic discriminat: *Si lenior sit pruritus, vocatur* λειχὴν, *sive impetigo. Quod malum adeò mite, ut sanare possis, si quotidie defrices salivâ jejunâ. Sin malum sic gliscat, ut cutis in furfures resolvatur, nominatur propriè* ψώρα, *seu scabies. Quòd si asperitas — altiùs descendat in carnem subjectam; nec furfures, sed squamæ, ex cute oboriantur: ab hisce squamis, quas Græci λεπίδας vocant, appellatur* λέπρα. — *Arnobius*, *l.* 1. vitiliginem *dixit. Est verò tantus in hac pruritus, ut nec scabendo juvetur; sed eò sæpe ulcera & inflammationes proveniant. Si denique in lepra humor magis uratur & malignior fiat —* ἐλεφαντίασις *dici solet* &c. *de orig. & progr. Idolol. l. 4. c.* 45. ubi, ut & *c.* 89. de remediis quoque horum disserit. Cujusmodi morbô licèt infecta esset Atossa, Artaxerxis uxor, ille tamen nihil quicquam eâ re offensus, Junonem supplex pro ea adorâsse, manibus tellurem contingens, Satrapæque & Amici jussu ejus tantam illi vim donorum misisse, ut interjecta inter Fanum & Regiam 16. stadia aurô argentôque, purpurâ item & equis implerentur, leguntur apud Plutarch. *in eo*. Eundem Israelitis ex Ægypto exeuntibus, Manethon, Chærephon & Lysimachus, aspergere conati sunt, sed pulchrè Josephus illos confutavit, *l. contra Maneth.* Interim certum, ex Australi Orbis parte illi malo originem esse, quod proin Ægypto peculiare facit Plinius, nullos ante Pompejum M. Italiam leprosos vidisse, tradens. Cui argumento sit, quòd Moses, omnium antiquissimus Scriptor, Leges de leprosis varias, Græci ac Romani nullas, tulerunt. Vide suprà, ubi de *Lepra*.

VITIS, seu UTIS, & UTENS, *Montone* Leandro, *Rocone* aliis, & apud Ravennam *Aquedotto*, fluv. parvus Galliæ Togatæ ex Apennino monte per Æmiliam viam, viam hancce secans apud forum Livii, in mare Hadriaticum prope & infra Ravennam labens. Hic Hispani ipsô Paschatis die A. C. 1512. sub Ludov. XII. Galliæ Rege 3. mill. pass. à Ravenna maximâ clade affecti sunt.

VITIS, an à *vieo*, quod lenta; an à *vi*, quâ flectitur; an quòd *invitat* ad bibendum? jure apud priscos magnitudine suâ inter arbores numerata est, ut infrà videbimus. Hujus plantandæ inventum, ad Bacchum, ad Oenum, ad alios: putandæ, ad asinum, qui arrosô *vitis* palmite inposterum uberiorem proventum exhibuerit; referunt Plinius, *l. 7. c.* 56. Athenæus, & Pausanias *in Corinthiacis*, certiora suprà attulimus ubi de *Vinea*, quæ *vitibus consitus ager* est. Nempe ex Sacris Literis discimus, Noë Patriarcham post diluvium *vitem*, quæ priùs inculta fuerat, & sylvestribus plantis adnumerata, quæque esui solùm inservierat, ut volunt nonnulli cum Masio *in Gen.* arte excoluisse, in vineta distribuisse, ac primum ex uvis vinum expressisse & in potum adhibuisse. Unde cùm illius vim ignoraret, præter opinionem inebriatus est, ut notat, eum sic à peccato & intemperantia excusans, Hieronymus. Ob hoc inventum Berosô Anniano Janus *Vitifer*, ab Hebr. *jan*, i. e. vinum: ac *Bifrons*, qui tot seculis Pyrrhæ & Ogygis diluviô anterior, eôdem vultu ætatem ante diluvium actam atque secutam sit intuitus; illius fine, hujus initiô spectatô. Vide Auctorem Anonymum *Chinæ & Europæ*, *c.* 38. Procedente ævô magnum culturæ incrementum accessit, quo de Plinius, *l. 14. c.* 1. *In Campano agro* (vites) *populis nubunt: maritasque complexæ atque per ramos earum procacibus brachiis geniculatô cursu scandentes, cacumina æquant, in tantum sublimes, ut vindemia-*

tor austeritius rogum ac tumulum excipiat. Ubi Vindemiatorem, dum ad putandum auctorabatur, pacisci consuevisse, si fortè casu periret, rogum ac sepulchrum sibi fieri, impendiò auctorantis, indigitat. Quam in rem vide plura *ibidem*, alibique passim, nec non apud Salmas. *ad Solin. p.* 512. 586. & *seqq.* ubi & de balsami arbore, ad *Vitium* modum, excultâ. Usus earum præclarus, & quidem præcipuus hic est, ob quem tantoperè Noahum illarum plantatione delectatum ait Chrysostomus *quòd scil. non ignoraret, Vini virtutem ad lenïendum animi mœrorem, & vires hominis, quæ multò quàm priùs imbecilliores erant, per illud restaurari*: unde *tanquam aliquod naturæ nostræ solatium ac remedium posteris* illum hôc pactô relinquere voluisse, addit. Præterea corona ex *Vite* in sacris Bacchicis, non minùs, ac ex hedera & smilace, olim frequens fuit, uti discimus ex Athenæo, *l.* 5. de cujusmodi coronis vitigineis, vide Car. Paschal. *Coronar. l.* 4. *c.* 1. Sed & *Junoni vitem Callimachus indixit. Ita & Argis signum palmite redimitum, subjecto pedibus ejus corio leonino insultantem ostentat novercam, de exuviis utriusque privigni.* Tertullianus, *de Cor. milit.* Dulcissimum verò liquorem ejus in sacris suis libârunt Veteres, sic tamen, ut de non putata id fieri nefas haberetur, ex Pythagoræ disciplina, qua de re vide Tobiam Pfannerum, *Theolog. Gent. purior. c.* 15. §. 10. quemadmodùm & fulmine tactam, impuram habitam refert Plinius, *l. & c. cit.* ubi *in principio c.* de ligno ejus porrò sic habet: *Jovis simulachrum in urbe Populonia ex una conspicimus, tot ævis incorruptum. Item Massiliæ pateram. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis stetit, etiam nunc scalis tectum Ephesiæ Dianæ scanditur vite una Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt, nec est ligno ulli æternior natura.* Idem ipsum quoque Dianæ hujus simulachrum ex *vite* fuisse, ex sententia Muciani, alibi tradit, de quo videndus Salmas. *ad Solin. p.* 815. & 816. Contra nihil sumi ex illo ligno ad aptandum operi, ne quidem paxillum ad appendendum ei ullum instrumentum, ait Deus, Ezech. *c.* 15. *v.* 3. Quare pergit Plinius, *Verùm ista ex sylvestribus facta crediderim, quando hæ vites tonsurâ annuâ coërcentur, & vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, sucique tantùm gratiâ ex his pluribus modis ad cœli mores solique ingenia.* Topiario insuper operi idonea vitis. *Una vitis Romæ in Liviæ porticibus subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat, eadem duodenis musti amphoris fœcunda*, Plinius, *ibid.* In Ægypto inprimis circa Memphim, ubi perpetuâ comâ Vites viridescunt, Salmas. *ad Solin. p.* 270. &c. Neque verò *Vites* solùm ipsæ in tot usus placuerunt, sed & in tessellatis operibus *vites* expressæ occurrunt apud Anastasium Bibl. *in Zacharia*, ubi *vitium*, vel, ut alii legunt, *vitiometallum*, quasi *vites ex metallis*, hujusmodi opus vocat, quod Galli *vignettes*, quasi *vineolas* seu *viticulas* hodieque appellant. Vide quoque infrà, ubi *de Vite Aurea.* Magni itaque muneris locô, *Gallis omnibus & Hispanis ac Pannoniis, ut vites haberent, vinumque conficerent*, permisit Probus Imperator apud Vopiscum, c. 18. cùm anteà nec in Italia quidem Vites instituendi aut colendi, quantum quis vellet, jus esset, utpote libertate hujus rei lege Domitiani coërcitâ, quam refert Suetonius, *c.* 7. ubi Casaubonum vide. At Lycurgus Spartanos, Diceneus Germanos Getasque, Mahometes sectatores suos, *Vites* exscindere funditus voluêre: nec inter Christianos defuêre errones, eadem sentientes, de quibus, ut & plura hanc in rem vide suprà, ubi de *Vinea* & *Vino*, item *Vitem dare*: uti *de Vite* 4. *animalium sanguine à Damone aspersâ*, voce *Pavones*; de verme *Vites* infestante & hinc Herculi Ἰποκτόνῳ cognominato, voce *Vermis.*

VITIS Aurea, in Templo Hierosolymitano secundo, celebris olim, è qua botri inusitatâ magnitudine dependebant, supra ipsum Templi ostium & quidem supra coronas aureas & argenteas, intra quas aureæ catenæ suspensæ erant, fuit collocata. Docet autem Casaubonus, duo diversa ejus formæ donario quorum utrumque *Vitis aurea* appellatum sit, apud Auctores reperiri. Strabo verò apud Josephum dubitat, utrum, *Vitem* vel *Hortum*, priùs illorum debeat nominare. Quibus non dissimilia videntur fuisse illa Apolloniatarum aliorumque Populorum donaria, quorum mentio apud Plut. *l. de def. Orac.* & appellat θέρη χρυσᾶ, *æstates aureas*, quòd æstivos fructus similitudine referrent. Utriusque donarii meminit tum Josephus, tum Pseudogorionides: quorum hic planus, ut fœdissimus impostor, multa mentitur, præsertim ubi de posteriore *Vite*, sicut doctè observatum est Josepho Scaligero, *in Serarium*, *c.* 5. Antiquior *Vitis* χρυσῆ fuit domus Hasmonæorum, ut rectè ait Scaliger, quam Pompejo dedit Aristobulus, Alexandri Regis filius: At de posteriore, quæ ab Herode in Templo à se instaurato, dedicata fuit, agit Josephus, *l.* 15. *c.* 14. cum quo capite comparanda sunt, quæ narrat Pseudogorionides partim vera, partim falsa. Sed & *Vitis aureæ*, quæ in Templo fuit, etiam in libris antiquorum Rabbinorum fit mentio, è quorum monumentis Zacuthus, *in Juchasin*, *p.* 27. *b.* hominum nonnisi trecentorum operâ solitum hoc donarium locô moveri ait, unde facilè intelligimus, cur Strabo non solùm *Vitem* illud appellet, sed etiam *Hortum*: Hebræi tamen, ut cœteri, גפן של זהב. Vide Isaacum Casaubonum, *Exercit. ad Annal. Eccles. Baronii*, 10. §. 108. Adde, quòd, præter nomen Alexandri Jannæi R. inscriptum, pomorum omnis generis ac animalium figuris, ornatam Hasmonæorum vitem fuisse, existimat Lipsius, qui verba Plinii, de triumpho Asiatico Pompeji, *l.* 37. *c.* 2. *Mons aureus quadratus, cum cervis, leonibus & pomis omnis generis, circumdata vite aurea*, ad nobilem hanc vitem trahit, *Electer. l.* 2. *c.* 5. à quo tempore Jovi Capitolino mansit sacra. Nec minus artificii fuit, in illa, quæ super portam Templi Herodiani pendebat, βότρυας ἀνδρομήκεις, *racemos hominis longitudine*, exhibens, ut ait Joseph. *Orig. l.* 15. *c.* 14. quamque mille talentis auri fuisse æstimatam ajunt. Nec certè sine hujusmodi Artificibus folia, uvæ, ac racemi aurei, ex ea à voventibus suspendi potuissent, quod tamen fieri solitum tradunt Talmudici. Sed notat Seldenus *Vitem* priorem, regium domus Hasmonææ cimelium nec omnino sacrum quid fuisse, antequàm Jovi Capitolino Romæ offerretur, *de Jure Nat. & Gent. juxta Discipl. Ebræor. l.* 2. *c.* 8. ubi de gemina hac Vite (non enim aliam præter illas Hierosolymæ, nisi in deliramentis Rabbinorum fuisse, ostendit &c.) multa egregia, ut & de similibus Persarum Regum cimeliis, ex Athenæo, *l.* 7. & 12. Herodoto, *l.* 7. Plut. *de Fortuna Alex.* & Plinio, *l.* 33. *c.* 10. &c. Causam verò *Vitis* suæ in eo ponunt Magistri, *quoniam Synagoga Judæorum viti assimilatur*, ut videre est apud Constantinum l'Empereur *ad tit. Middoth*, *c.* 3. *p.* 133. toties scil. in veteri Fœdere Ps. 80. *v.* 9. Oseæ *c.* 10. *v.* 1. &c. Idem potiori jure Christiana Ecclesia sibi vendicat, ex Joannis *c.* 15. *v.* 1. & *seqq.* Hinc & opere tessellatô seu musivô *Vitis* expressâ legitur, in æde Sophiana Constantinopoli, apud Paulum Silentiarum, *in Descript. ejus, Parte* 2. *v.* 235.

——— μετ' ἰοχρόης δὲ κελεύθους,
Κλήμασι χρυσοκόμοισι περίδρομος ἄμπελος ἕρπει,
Δεσμὸν ἑλιξοπόρον σκολιοῖς πλέξασα κορύμβοις
Ἠρέμα δὲ προύχουσα, ὅσον καὶ γείτονα πέτρον,
Βαιὸν ἐπεσκιάασεν ἑλικώδεϊ πλέγματι χαίτης
Αἰθούσης ———

Vide Car. du Fresne, *Glossar.* voce *Vitinus.*

VITISATOR, inter Saturni epitheta. Arnob. *adv. Gentes*, *l.* 3. *Quem Cœlo esse editum patre, magnorum & esse procreatorem Deorum*, vitisatorem, *falciferum vetustas edidit prisca.* Et Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 179.

Vitisator *curvam servans sub imagine falcem.*

Bacchi item. Accius apud Macrob. *Saturn. l.* 6. *c.* 5.

ô Dionysie pater optime, Vitisator, *Semela genitus.*

In *Glossis*, ἀμπελοφύτης &c. G. Elmenhorst, *ad Arnobii loc.*

VITIZA, Visigothorum in Hispania Rex cum patre Egica quinque annos, post eum verò, ab A.C. 701. ad A.C. 710. an 711? regnavit. Princeps luxuriosus, & voluptatibus mersus, rebellionem subditorum timens, Urbes rêgni sui muniit. Mariana, *Hist. Hisp.* Successit ei Rodericus, Visigothorum ultimus, quem vide.

VITODURUM, oppid. Helvetiorum, medium ferè inter Constantiam urb. Sueviæ, & Tigurum urbem Helveticam, *Winterthur*, teste Scudô. Duplex, superius seu vetus, & inferius seu novum. Illud ad dextrum Eulacum situm, vulgò *Ober Winterthur*, magni olim nominis fuit, unumque è 12. Helvetiorum oppidis, Julii Cæsaris tempore, incensis, posteàque reparatis, creditur *Guillimanno.* Diocletiani & Maximiani tempore Romanorum erat castellum, sed ab Alemannis, cum multis aliis, eversum. Constantius dein & Galerius, victis prope Vindonissam, & ultra Rhenum rejectis hostibus, id instaurandum curârunt per Aurelium Proculum, in Helvetia procuratorem, ut ex vetere lapide Constantiæ colligitur, cujus inscriptionem exhibent *Stumpfius*, & *Ruffingerus.* Eversum tandem funditus est iteratâ sub Valentiniano III. in Helvetiam Alemannorum irruptione, nihilque ejus præter vicum aliquem cum pervetusto templo, & veteris famæ rudaribus residuum mansit: Huic tamen aliquid splendoris iterum accessit, sub Franciæ Regibus, & priscis Sueviæ Alemanniæque Ducibus: Rudolpho imprimis, qui post Arnolphi Imperatoris excessum, Rodolphum Burgundiæ, & Arelati Regem, Alemanniæ Ducatui Turgoviæque imminentem, hic vicit, circa A. C. 919. Posteà Comites cognomines habere cœpit, qui arcem ad sinistrum Eulacum, prope oppid. in colle extructam, incoluerunt: Hinc inferius seu novum Vitodurum, evanescente sensim vicô, qui adhuc Friderici II. tempore celebris erat, paulò infrà arcem, excitatum emersit. Auctum dein insigniter, sub Comitibus Kyburgiis, ad quos, extinctâ priorum Comitum familiâ, pervenit: Hi oppidum mœnibus, privilegiisque quibusdam ornârunt; Hartmannus verò Comitum ultimus A.C. 1244. Episcopatui Argentoratensi donatum, rursus ab eo feudi locô possidendum accepit: quô vivô adhuc cives arcem prædictam solo æquârunt, quod cùm ægrè Comes ferret, nepoti ex sorore, Rodolpho Habspurgico, jus omne tradidit, qui A. C. 1264. Vitodurô expugnatô, cives satis duriter habuit, posteà tamen, quòd sibi jam Cæsari contra Ottocarum aliosque hostes, fortem navâssent operam, novis privilegiis donâvit, alterô leone insignibus additô: Hinc magna oppido incrementa. Obsederunt id A. C. 1292. Adolphi Imperatoris Alberto Austriaco infesti jussu, Tigurini, sed non sine clade. Post quæ incendiô A. C. 1313. & seditione A. C. 1342. turbati cives; auspiciis Alberti Archiducis iteratô Tigurum obsedêre, A. C. 1351. & 1355. Baroni Bonstettio paulò pòst oppignorati: ut & post hunc Donato ac Diethelmo Comitibus Toggiis, fideli intereà Austriacis contra Helvetios variis in præliis operâ exhibitâ: Ab Abbatiscellanis A. C. 1405. non exiguâ clade affecti. Fridericô Archiduce postmodùm proscriptô, tempore Concilii Constantiens. Vitodurum ab Helvetiis occupatum, mox tamen, pace initâ, ad pristinos Dominos rediit, quibus porro A. C. 1443. 1445. 1446. fidem suam contra hostes, egregiè probavit: sed obsessum à Tigurinis A. C. 1460. tandemque post pacem factam, his à Sigismundo Archiduce, A. C. 1467. concessum est, salvis aliquibus privilegiis ac immunitatibus. Ab illo tempore Tigurinis paret, proprios tamen Magistratus habet: bellique tempore iisdem militat, sed sub propriis signis. Ad Tigurinorum dein imitationem, Latinis ritibus, Missâ cum Imaginum choragio, abolitis, A. C. 1525. Euangelii lux urbi

orbi asserat, quâ in hodiernum diem, benignitate Dei, fruitur. Patria Johannis Monachi, *Vitodurani* vulgò dicti, qui *Chronicon Vitodurense* condidit. Oppido nomen German. *Winterthur*. ex veteri voce Vitoduro: quod alii à Duro seu *Thur* fluv. nomen habere volunt, vide Stumpf. *de Turgovia*, *l.* 5. *c.* 32. & 33. Joh. Bapt. Plantinum. *Helvet. Antiq. & Nov.* Simlerum. *Descr. Helv. &c.*

VITRÆUM, oppid. Armoricæ, *Vitriacum* & *Victoriacum* aliis. Ad Vidanam fluv. *Baudrand. Valesio* haud procul à capite Vicinoniæ, in limite Cenomanensis provinc. 9. leuc. supra Redones in Cæciam. In diœcesi Redonensi. *Vitray* Gall. vel *Vitré*.

VITRAGO, nomen herbæ, quæ *helxine* aliàs, teste Oribasiô: quòd *vitro* herbæ similis sit, vel simili virtute prædita. Sunt tamen qui *Vitrariam* vocent, ut Apulejus & *Vitreolam*, quia apta sit, vitreis vasis abstergendis. Quam ob causam & *Urceolaris* dicta est de qua vide pluribus differentem Salmas. *in Praexerc. ad Plin.* Alia est *Vitraria* herba, uti appellatur in provincia Narbonensi, è cujus cineribus cum quodam silicum genere mixtis, pretiosa ac nitidissima crystallina conficiunt Vitrarii Veneti. Eadem nempe cum illa, quæ in Ægypto & Syria frequens Arabibus *Kali* appellatur, quamque ad vitra conflanda jam olim exuri in Græcia consuevisse, tradit Aristophanis Scholiastes *ad Nubes*, Ἡμεῖς μὲν αὐτίας τὰ ἐν βαλανείοις τινὲς [illegible], καὶ διὰ τοῦτο [illegible] ὡς κατακαίοντες ἀγγεῖον τινὰ λέγομεν, οἱ παλαιοί δὲ κτλ. Aliter & *Solda*, quasi *solida*, quòd cineres ejus in lapidem ferruminantur, propriò verò nomine *Halimum*, quæ vide, & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solin. p.* 1096.

VITRARII, vide infra *Vitriarii*.

VITRASIA, nomen gentis Romanæ, unde *Vitrasiano* SCto nomen. memoratur Capitolino *in Marco Imperatore*, *c.* 12. ubi Salmasium vide.

VITREUM, apud Æl. Lamprid. *Heliogabalo*, *c.* 19. *Æstiva convivia coloribus exhibuit, ut hodie prasinum, vitreum, alio die, Venetum deinceps exhiberet, semper variè per omnes dies æstivos:* coloris genus, Veneto & prasino affinis; diversi tamen. Et quidem viride remissius & clarius hic notat, τὸ ὑαλῶδες vel τὸ ὑάλινον, tam ab herba *vitro*, quam ab illa specie, quâ constant vasa. At succus ipse herbæ *vitri*, vel isatidis, quô vestes tinguntur, quòque Britanni olim corpora inficiebant, cœruleum obscuriorem facit colorem, uti diximus, supra voce *Glastum* & *Guesdum*: vide plura de hac herba. apud Salmas. *ad Solin. p.* 254. & *seqq.* Sic *Vitreum*, de colore apud Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 350.

——— vitreisque sedilibus omnes
Accepêre ———

Et *ibid. v.* 335.

——— hyali saturô fucata colore.

Ubi Servius, *vitreo*, ait, *viridi*, *Nymphis apto*. Similiter trigonales pilæ vitrei coloris erant: unde *vitrea* dicuntur in veteri *Inscr.*

Ursus togatus, vitreâ qui primus pilâ
Lusi decenter cum meis lusoribus.

Aliud quid sonat *vitrea Toga*, apud Nonium, ut infrà videbimus. Aliàs *Vitreum*, quod ex *vitro* est: ut *Vitrea quadratura*, quibus *bitumine aliisque medicamentis insertis domum induxisse perhibetur* Firmus Imperator apud Vopiscum, *c.* 3. *vitrea fenestra*, apud Hieronymum aliosque, è quibus Leo Ostiens. *l.* 3. *c.* 27. & 32. *Fenestras ——— plumbo simul ac vitro compactis tabulis, ferroque connexis inclusit.* Etiam *vitrea* simpliciter, apud Gregor. Turonens. *l.* 6. *c.* 10. item *vitria*. in lemmate ænigmatis *de Speculari*, apud Symphosium, annotante Salmasiô,

Perspicior penitus, nec luminis arceo visus.

Græcis ὑέλινα, item ὕαλα, vide suprà ubi *de Fenestris*, & voce *Specular. Vitrea pocula*, alia, de quibus paulo pòst. Addo saltem *Vitreum Cælum*, Archimedi olim fabricatum, quod omnes cœlestium corporum motiones, itinera, intervalla, proportiones, tantâ arte exhibuit, teste Pappô Alexandrinô, ut totus Orbis ejus fabricam fuerit admiratus. Huic Sphæræ tres similes ostentat *Musæum* Kircherianum, in Ara Magnetica, quæ in Musæi medio ambulacro spectatur. Quarum media & grandior fluitantis humidi, pendulum Orbis terreni globum in centro refert, quæ ponderibus ipsa suis librata & motu occulti ducis, magnetis, circa suum centrum, 24. horarum spatia sympathicè Angelo, qui in media aqua fixus manet, indiceque, occurrentia sibi horarum intervalla distinguit. Secundus globus, cujus exteriorem superficiem diversis coloribus distincti circuli seu lineæ, Solis ac reliquarum Planetarum circumvolutionem diurnam & nocturnam discriminantes referunt. Genius in medio pendulus, ad suæ motricis virtutis imperium impiger circumit, sceptròque in vitreæ sphæræ circumferentia, influxum prædominantis Planetæ indicat. Tertia sphæra Zodiacum & reliquam orbis siderei lucentem & fixam familiam refert, in cujus itidem medio Genius Magnete, ut prior, fœtus, iisdem legibus 24. Meridianorum intervallis totidem horarum spatiis, ad quodvis momentum sidera fixa in nostrum Horizontem influentia, ostendit &c. Quæ latius videre est apud Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Societat. Jesu Musæo*, *p.* 20. & 21. ipsam verò Aræ figuram exhibet Auctor *in Arte Magna Lucis & Umbræ*. Nec omittenda *Vitrea catena*, a Lugdunensi quodam fabricata, tantâ subtilitate, ut non frangeretur humi allisa: ut & montes, specus, animalia, suis depicta coloribus, jacula item minutissima, ut è cera diceres confecta: currus item cum bobus, qui sub muscæ alis occultaretur, quorum meminit Cardanus, *de Rerum var. l.* 10. *c.* 52.

VITRIDIENSIS Jacobus, vide *Jacobus*.

VITRIACENSIS Philippus, vide *Philippus*.

VITRIARII, seu VITRARII, Græcè Ὑαλουργοί, memorantur Ælio Lampridio in *Alexandro Sev. c.* 24. *Braccariorum, Linteonum, Vitrariorum, Pellionum ... & cæterarum artium vectigal pulcherrimum instituit, ex eoque jussit thermas ——— populi usibus exhiberi.* Habuêre illi vicum suum Romæ, in regione prima, portâ Capenâ, ut docet Sextus Rufus *in descript. Urbis*. Nempe conjunctim habitârunt, sicut & alii Opifices. Namque, ut probè Marlianus, *Topogr. Antiq. Rom.* observat, M. Varro Figulos quoque uno in loco conjunctim habitâsse indicat, cùm dicit, *Venerem Myrteam fuisse inter Figulos.* Sandaliarii Vici, suprà meminimus, sic dicti, non tam quòd Apollinis effigies, quæ ibi dedicata fuerat, sandaliis esset ornata; quàm quòd in eo sandaliorum sive calceorum Opifices habitarent. Idem de Sutoribus clarè colligitur ex Plinio, *l.* 10. *c.* 43. &c. Balduinus *de Calceo*, *c.* 7. *Admirandarum vitrearum operarii*, occurrunt apud Sugerium *de Adm. sua*, *c.* 29. *Vitri factores* vocat Beda *de Wiremuth. Monast. l.* 1. *c.* 5. *Misit legatos in Galliam, qui vitri factores, artifices videlicet Britanniis eatenus incognitos, ad cancellandas Ecclesiæ porticuumque & cœnaculorum ejus fenestras adducerent.* Cujusmodi (lapidearum &) vitrearum fenestrarum Artifices primus omnium, in Angliam ascivisse Wigfridus Episcopus Wigorniensis legitur, apud Thomam Stubbs *in Actis Pontificum Eborac. sub A. C.* 716. apud Carolum du Fresne, *Glossario*. Vide plura hic infrà.

VITRIX, cognomen Veneris. vide suprà *Victor*.

VITRUM, quod *visui* pervium, recensetur Talmudicis inter tria beneficia, quæ verbis illis Deuteron. *c.* 33. *v.* 19. *Thesauri absconditi arenæ*, quibus ex littorali arena, quæ alioqui solet esse infœcunda ac sterilis, magnas opes Zabulonitis accessuras promit Moses, intellecta volunt. Nempe in horum finibus, ad secundum à Ptolemaide stadium, erat Belus fluv. ex cujus arenis vitrum conflatur. Tacitus *Histor. l.* 5. *c.* 7. *Belus amnis Judaico mari illabitur, circa cujus os collecta arena admixtô nitrô in vitrum excoquuntur. Modicum id littus, sed egerentibus inexhaustum.* Et Plin. *l.* 5. *c.* 19. *Rivus Pagida sive Belus vitri fertiles arenas parvo littori miscens. Ipse è palude Cendevia à radicibus Carmeli profluit.* Quâ autem occasione *Vitri* conficiendi ratio inventa, idem hisce tradit, *l.* 36. *c.* 26. *Quingentorum passuum* (quinquaginta legendum monet Bochartus) *non amplius littoris spatium. Idque tantùm per multa secula gignendo fuit vitro. Fama est appulsâ nave mercatorum nitri, cùm sparsi per littus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glebas nitri è nave subdidisse. Quibus accensis, permixta arena littoris, translucentes nobilis liquoris fluxisse rivos, & hanc fuisse originem vitri.* Quæ arena Græcis proin ὑαλὶς dicta est, ut Hebr. חול *hol*, unde *vitrum* ὕαλος. *Mox*, pergit idem, *ut est astuta & ingeniosa solertia: non fuit contenta nitrum miscuisse: cœptus addi & magnes lapis .... Simili modô & calculi splendentes multifariam coquntur: deinde concha & fossiles harenæ. Auctores sunt, in India è crystallo fracta fieri, & ob id nullum comparari Indico.* Sed, qui *vitrum* omne genus in Indica Emporia à Mercatoribus Romanis afferri solita, tradit *Periplû* Auctor, nusquam meminit *vitri* aut crystalli, quod ex illis emporiis in nostrum orbem à Mercatoribus adveheretur. Strabo tamen Indiam crystalla gignere scribit, *l.* 15. sed per κρυστάλλους ibi crystallinâ facie gemmas, h. e. candicantes, inter quas adamas principatum tenet, intelligi debere, docet *ad Solin.* Salmasius, *p.* 1093. Reliquam *vitri ex arena conficiendi*, apud alias postmodùm gentes, historiam pete ex Plinii loco. Post hujus demum ætatem, ex herba *vitrum* conflare Græci invenêre, cui halimo nomen, uti suprà monuimus voce *Vitraria*, quæ ratio hodieque obtinet. Ex cineribus enim filicis custæ, admixtâ, quam *soldam* vocant, conflatur vitrum vilius, *filicarios calices* Galli, *verres de Fouchere*, vulgò appellant: at ex cineribus herbæ, de qua Comici Interpres loquitur, cùm quodam silicum genere mixtis, pretiosa ac nitidissima sua crystallina conficiunt Veneti Vitrarii, qua de re vide Salmas. *ibid. p.* 1099. Sæpe autem λίθον Auctores *vitrum* vocant, item λίθον ὕαλον. κρύος quoque, quô nomine, cùm propriè *frigus* & *glaciem* denotet, lapidem specularem ab idiotis suâ ætâte appellatum, scribit ille vetus Scholiastes. Unde & κρύσταλλος *glacies*, quam vocem pro *vitro* quoque nonnullis usurpatam, discimus ex *Hesychio* aliisque, nosque Germani etiamnum *glass*, sicut *glace* Galli, vocamus. *Cujus acies tanta, ut citra ullum sensum ad ossa consecet, quicquid attigerit corporis*, Plin. *d. l.* Unde non ineptè *vitrô* usam dicas Ziporam, cùm *acutissimô lapide circumcidisse præputium filii sui* legitur Exodi *c.* 4. *v.* 25. cùm & balsami fruticem, *vitrô, lapide, osseisque cultellis*, incidi solitum, testentur Tacitus, *Hist. l.* 5. *c.* 6. & Plin. *l.* 12. *c.* 25. Cæterùm usus ejus ad potandum Veteribus magnoperè frequens fuit, pulsô aurô & argentô, utpote quod κρυσταλλοφανὲς esset, h. e. *in translucentia candidum*, cui vitri generi ac colori maximus honos ac pretium fuit. Unde לבנה זכוכית *vitrum album* auro non cedere, nisi materia esset fragilis, ait Jonathan *ad Deuter. l. cit.* Et Plinius iterum, Neronis principatu modicos calices duos, *quos appellabant petrotos, H. S. sex millibus* venisse refert ubi suprà. Sed hisce potiùs ab arte pretium fuerit. Certè *Vitri* officina Romæ olim in Circo fuit Flaminio, in qua pocula fiebant punctis coloratis, quasi gemmis insignita & crystallinis similia; quæ ut pretio gemmatis æquanda non erant, ita usu reperiebantur firmiora, quòd aquis calidis, ut veræ gemmæ, non vitiarentur aut fluerent. Inprimis verò Ægyptiorum artificium ingens fuisse in formandis *vitreis* calicibus versicoloribus, quos Adrianus Imperator *Allassontes* dixerit, docet Scaliger *ad Propert. l.* 4. & meminisse istiusmodi calicum Martialem, *l.* 14. *Epigr.* 115. ait,

Adspicis ingenium Nili, quibus addere plura
Dum cupit, ah, quoties perdidit auctor opus!

Ad quæ verba tamen Salmasius: *Vitreos*, inquit, *hos calices fuisse, in quibus Ægypti ingenium artificiumque ostentabatur, arguit lemma* Calices vitrei. *Sed qua in re spectabatur ars illa? an in colorum varietate? minimè. In sculptura igitur & cælatura visebatur. Vitrum enim argenti modò calabatur.* Plin. *l.* 36. *c.* 26. *Aliud flatu figuratur: aliud tornò teritur; aliud argenti modò cælatur, Sidone quondam iis officinis nobili. In flatu figurandis vitris, ut nunc moris est, & in torno terendis, ut olim quoque solebant, nullum operis periculum. Nam &* Audaces, *qui plebeji erant calices & parvò veniebant, tornò formabantur: hinc* Torcumata *Martiali dicta. at in sculpendis cælandisque periculum non parvum. Suntque hi calices omnino, qui* diatreti *dicebantur.* Ubi non in varietate colorum, sed in cælaturæ ingenio, artificium illud ponit & quidem quod de *Diatretis* dixit, mentionem eorum idem Poëta facit, *l.* 12. *Epigr.* 71. *v. ult.*

■ quantum diatreta valent, & quinque comati?

Ubi idem Salmasius, *Calices diatreti, id est, tornati & tessellati.* Vide Turneb. *Advers. l.* 27. *c.* 31. *Calices nempe erant vitrei, cavati perforatique, h. e. sculpti. Διατρῆσαι enim est perforare vel cavare, quod sculpere Latini dicunt. Qui enim gemmas sculpunt, quasi quosdam sulcos in iis cavant & foramina calò imprimunt inde* Cavatores *dicti gemmarum sculptores.* Alii erant *Allassontes*, de quibus suò locò. Hi calices, ut & diatreti, cæterique Alexandriæ optimè fiebant, & maximo erant in pretio, atque inde in Indiam, Italiamque advehebantur. Unde inter merces Alexandrinas, quam Αἰγυπτίαν ἐμπορίαν vocabant Veteres, *vitrum* quoque occurrit, apud Vopisc. *Aureliano, c.* 45. *Vectigal ex Ægypto urbi Romæ* Aurelianus *vitri, chartæ, lini, stupæ, atque anabolicas species æternas constituit.* Cùm contrà, quæ Romæ communiter fierent, illorum comparatione vilia essent & χαλκοῦ, ut ait Strabo, i. e. *asse* vel *assis quadrante*, venderentur. Cujus rei rationem ex eodem exponit Salmasius. *Strabo scribit, Romæ Vitrarios multa commentos esse & ad vitreorum colores, & ad eorundem tornandorum facilitatem, unde tanta eorum vilitas orta, ut vulgò vitreum poculum asse venundaretur. Not. ad Saturnin. Vopisci, c.* 8. ubi de Veter. *Re Vitraria.* Ubi quod de coloribus habet, confirmat Plinius *l. cit. Fit & tincturæ genere Obsidianum, ad escaria vasa, & totum rubens vitrum, atque non translucens, hæmatinon appellatum. Fit album & murrhinum aut hyacinthos sapphirosque imitatum, & omnibus aliis coloribus. Nec est alia nunc materia sequacior, aut etiam picturæ accommodatior.* In quibus tamen maximè de Alexandrino *vitro* loquitur, ut ista declarant: *Maximus tamen honos in candido translucentibus, quàm proxima crystalli similitudine —— Est autem caloris impatiens, ni præcedat frigidus liquor.* Talia enim Alexandrina pocula, κρυσταλλοφανῆ, atque hinc *crystalla* quoque abusivè Martiali dicta, sed caloris impatientia: cum quæ Romæ fiebant κουφαλλοφανῆ, viliora quidem, sed & firmiora, haberentur. Quò nomine idem quoque illa Poëta commendat, hôc versu, *l.* 14. *Epigr.* 94.

Nostra nec ardenti gemma feritur aqua &c.

Interim fragilis hæc voluptas, & levi impulsu peritura. Sed & hic humana industria succurrere conata est, & vitra fracta sulphure solidare seu malthare docuit, uti videre est apud Commentatorem Pithœanum Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 48. ubi Sutoris Beneventani calicem Poëta ait, esse

Quassatum & rupto poscentem sulfure vitro.

Rarior ars, sed Auctori perniciosa, quæ *Vitrum* ductile seu malleabile ostendit Tiberio Imperatori qui, ne aurum præ *Vitro* vilesceret, Auctorem cum officina sustulit. Interim hodieque *Vitrum* radiò rotâve secari, in quasvis species arborum, florum, artificiorum, quin & in specularia, quæ cætera in eodem Vitro sculpta reddant perfectissimè, pavonis caudam oculatam repræsentent &c. Francofurti vidit Adam. Preyelius, *Sina & Europ. c.* 43. *ubi Sinenses ex oryza quoque Vitrum mirè perspicuum, adeoque friabile conficere tradit.* Nempe & specula ex vitro, à Sidoniis excogitata, apud Plinium: & specularia, de quibus abundè diximus suprà, ubi de *Fenestris Veter.* & *Specularibus:* uti de *Speculis* itidem suò locò, nec non voce *Laterna.* Adeo non intra poculorum usum nobilis materia stetit. Sed & præter hujusmodi vitreamina, habuerunt Veteres & in solo vitrum, ut in thermis Agrippinis factum: & pro pariete vitrum adhibebant, ut in Scauri theatro: & vitreas quoque cameras facere instituerunt. teste Pliniò, *l.* 36. *c.* 26. & Senecâ, *Ep.* 86. de quibus vide Salmas. *ad Solin. p.* 1215. Quò pertinent *vitrea quadratura*, quibus Firmi Imperatoris inducta domus, apud Vopiscum, *c.* 3. item specula seu *orbes*, ut idem Seneca vocat *Ep. seq.* quibus similiter parietes domus distingui consuevêre, vide suprà vocibus *Orbes* & *Quadratura.* Imò & columnas vitreas miræ magnitudinis, in æde quadam, memorat Auctor *Hist. Apost.* quam in rem vide Casaubon. *ad locum Vopisci.* Nec viris solùm multiplicem præstat utilitatem *vitrum* sed & mortuis inservire, docet Herodotus. *l.* 3. ubi in loculis mortuorum plurimum olim ejus usum fuisse tradit: *Cadaver enim*, inquit, *Ægyptii more condiverunt, illud cavo cippo circumdant ἐξ ὑέλου, qui è vitro constat:* ἐν μέσῃ δὲ τῇ στήλῃ ἐνεὸν διαφαίνεται ὁ νέκυς, οὔτε ἀηδίην οὐδεμίαν ἄχαριν παρεχόμενος, οὔτε ἄλλο ἀεικὲς οὐδὲν, *in cujus medio interlucet mortuus, nihil neque ingrati odoris, nec fœditatis aliud exhibens.* Vide quoque Diodorum, *l.* 3. Ubi qui *vitri* nomine Obsidianum intelligunt, lapidem Æthiopicum nigri coloris & translucidi, & speculi instar imagines reddentem, refelluntur à Sam. Bocharto, *vitrum fossile* & ὑάλινον cujuslibet formæ & cælaturæ capax (unde diatreta illa, de quibus dictum) cujus nomen *mahu* cum ipsa re ad vicinos populos, ex Æthiopia transierit, hic intelligendum pluribus docet, *Hieroz. Parte poster. l.* 6. *c.* 16. Ut verò etiam tracto vitro sua laus constet, in varios & illud usus adhibitum: hinc fracta aut læsa vitra contra sulphur Romæ olim vendi consuevisse, innuit Papinius, *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 74.

—— comminutis
Permutat vitreis gregale sulfur.

Horum unicum attigisse sufficiat, quòd minutatim illa contusa terminis nonnunquam subdita legimus apud Siculum Flaccum, *de Condit. Agror. Aliquibus terminis subduntur cineres, aut carbones, aut vitrea fracta, aut ossa subcensa.* Et Arcadium Aug. *Sub terminis qualia signa invenimus? Aut calcem aut gypsum, aut vitrea fracta, aut cineres, aut testam tusam.* Vide Barthium, *Animadv. Papin. ad h. l.* Quid quòd, *cùm ignis propria & suprema actio sit vitrificatio: Chymici quidam non ineptè dictant, vitrea omnia & crystallina ex ultima conflagratione evasura*, uti ait Autor libri, cui titul. *Religio Medici, Sect.* 49. ut & ista addam, *additâ aquâ vitreas pilas Sole adversò in tantum excandescere, ut vestes exurant*, tradit Plinius sæpe citatus, unde reperta speculorum urentium materia, de quibus suò locò. Sed & *vitrò tinctæ*, ut hodie, sic olim quoque gemmæ adulteratæ, quod Indorum inventum facit Plinius, unde & *vitreæ gemmæ*, pro falsis in *Hist. Aug.* apud Trebell. Pollion. in *Gallienis duob. c.* 12. & *vitreum* absolutè de falso lapide, apud Tertullianum, qua de re vide Salmas. *ad Solin. p.* 1092. At cùm *vitreæ vestis* meminerunt Auctores, tralatione utuntur, & pellucidam ac tenuem indigitant: Nonius, *c.* 6. *num.* 4. *Vitreum pertenue & pellucidum quidquid est.* Unde Varro *Vitrea Toga* mentionem facit, apud eundem *c.* 14. *in lim.* & Circe *vitrea* nuncupata reperitur, quòd pellucente, adeoque, meretriciò indumentò ornaretur, vel quòd maris esset accola, Adrian. Turnebus, *l.* 8. *c.* 15. adeoque hyali coloris haberet vestem, de qua Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 333.

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit, eam circùm Milesia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali saturò fucata colore.

Hyali enim color vitreus, ut vocis Etymologia satis indicat; isque Italis *Giallo*, aut ut aliis visum, *Gialdo*, vide Nicolaum Erythræum, *de orig. linguæ Vernac.* & *l. de colorib.* ut & Thom. Dempster. *Paralipom. ad Rosin. l.* 5. *c.* 31. elegans verò epigramma de *Vitro* Mesomedis suprà, in hac voce. Ὕαλος autem *vitrum* est. Cùm enim ὕω sit *madidare* ac *humectare*, inde ὕαλος, *humectum*; & quia, quæ madidata ac aquâ aspersa, ea lucent nitentque, hinc porrò pro *lucido* sumptum, tandem peculiare nomen lapidis primò specularis, inde *vitri* factum est, Salmas. *ad Solin. p.* 1096. Vide suprà quoque vocibus *Vitreum* & *Vitrarii.*

VITRUVIA, seu VICTORINA, mater Victorini Tyranni inter XXX. Tyrannos memoratur Treb. Pollioni ultimò locò, CASTRORUM MATER dicta, uti patet ex nummis ejus; de qua vide illum ibi, nec non in *Vita Lolliani*, ut & suprà, voce *Victoria* vel *Victorina*, cujus locò *Vitruviam* vel *Victorinam*, apud Auctorem hunc ubique legi, notant Jan. Gruterus & Claud. Salmasius, *Not. ad l.* Idem nomen fuisse Proculi Imperatoris uxori, quæ posteà *Samfo* dicta, apud Vopisc. *in Proculo, c.* 12. ubi vulgò *Viturgia* legitur. idem Salmas. docet *ad eum.*

M. VITRUVIUS Pollio, parentum curâ liberalibus disciplinis ab ineunte ætate fuit institutus, Encyclopædiamque absolvit, quod ipse fatetur in libri sexti procemio. Julio Cæsari fuit non ignotus, post cujus obitum ab Octavia fratri Augusto commendatus, apparationi balistarum, scorpionum, cæterorumque tormentorum præfectus est, annuò ei reditu, quoad viveret, constitutò. Quâ munificentiâ excitatus, omnem ædificandi rationem Augusto scripsit, quam 10. libris complexum se esse, sub finem operis, testatur. Ingenui, felicisque fuisse ingenii, libri 7. 9. & 10. argumento esse queant. *Philander.* Vide Possevin. *l.* 15. *Bibl. c.* 17.

VITRUVIUS Flaccus, Fundanorum Dux, An. Urb. Cond. 425.

VITSTOCHIUM, urbecula Marchiæ, prope fontes fluvii Prignitii. Hic Saxonem Sueci, A. C. 1634. Suecos Elector Brandeburgicus A. C. 1675. profligârunt.

VITTA, an quòd eâ pectus vinciatur, instar *vitis* ligantis; *Isidor.* fascia fuit, quâ caput vinciretur. *Perotto.* Sic Rosinus, capitis ornamenta muliebria, *Vittas* vocat, quibus illæ capillos colligabant, ex Ovidio, *l.* 1. *Met. v.* 477.

Vitta coërcebat positos sine lege capillos.

Erantque illæ sive Matronales multiplices, sive Virginales simplices, de quibus plenè Bernartius *ad l.* 5. *Thebaidos sub fin.* Propriæ enim honestarum Matronarum, Virginum, ac Vestalium fuêre, *Tæniæque* etiam dicebantur: de quarum origine, aliquid suggerit Val. Max. *l.* 5. *c.* 2. *ex* 1. ubi de matre & uxore Coriolani: *In quarum honorem Senatus Matronarum ordinem benignissimis decretis adornavit. Sanxit namque, uti fœminis semitâ Viri cederent, confessus, plus salutis Reipubl. in stola* (quæ Matronarum propria) *quàm in armis fuisse: Vetustisque crinium insignibus novum* Vittæ *discrimen adjecit.* Nempe cùm Matronæ à Libertinis crinium sertis discernerentur, quas solæ habere poterant, novum discrimen à Senatu adjectum, scil. *Vitta* sive fasciolæ, quibus, ut & Stolâ, semper, præcipuè apud Poëtas, Matronæ denotantur. Tibullus, *l.* 1. *El.* 6. *v.* 67.

—— Quamvis non Vitta ligatos
Impediat crines, nec stolâ longa pedes.

Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 403.

—— Ma-

——— Matres ubicunque Latinæ
Solvite crinales Vittas, *capite orgia* [illegible]

Juno quoque, apud Martianum Capellam, *de Nupt. Mercur. & Philol. l. 1. expurgatioris auri venâ splendente addiderat crinibus sociale vinculum.* I. e. *Crinalem Vittam*, ut Dempsterus exponit. Sic enim Statius, *l. 1. Sylv. 2. v. 240.*

——— Dat Juno verenda
Vincula, & insigni geminat concordia dextra.

Neque verò Matronarum solùm, sed & Virginum nondum nuptarum fuisse *Vittas*, discimus ex Val. Flacco, *l. 8. Argonaut. v. 6.*

Ultima Virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Meretricibus verò, sicut Stolâ, ita & Vittis, interdictum fuit, Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. Part. 1. l. 3. c. 17.* Vide quoque Solerium *de Pileo, sect. 6.* & Thom. Dempster. *ad Rosin. l. 5. c. 35.* Imò & amplior *Vittarum* usus fuit, neque muliebri solùm mundo adnumeratæ sunt, ut Critici docent. Namque & Sacerdotes erant *Vittati*, & Poëtæ & supplices & ad ultimum supplicium ducendi: Templa quoque ipsa, & aræ Deorum ac Victimæ: Naves item è portu exituræ, aut post longinquam navigationem reversuræ; Faces tandem nuptiales, Ludorum præmia, arboresque ipsæ, certis quibusdam Diis consecratæ, ut diligenter ac eruditè præfatus Joh. Bernartius, *l. c.* observavit: vide quoque G. Elmenhorst *ad illa Arnobii, l. 1. Veternosis in arboribus tæniæ*; & ibidem Des. Heraldum. Adde & diademata priscorum Regum nihil aliud, quam *Vittas* fuisse discolores, ut ad Claudianum exposuit Dempsterus. Et quidem, quod de Sacerdotibus Victimisque dictum, confirmat apud Virgilium impostor Sinon, cùm *l. 2. Æn. v. 133.* sic loquitur:

Jamque infanda dies aderat, mihi sacra parari,
Et salsæ fruges & circum tempora Vittæ.

Et infrà, *v. 156.*

——— Vittaeque Deûm, quas hostia gessi.

Sic Ovid. *l. 15. Met. Fab. 2. v. 130. f.*

Victima labe carens & præstantissima forma,
Nam placuisse nocet, Vittis insignis & aurô
Sistitur ante aras &c.

Unde *εὐστέφανον* Βοῦν Lycophr. *bovem infulatum seu vittatum*, habet: Suem quoque *vittatam*, exhibet vetustissimum marmor, à Casalio publicatum, in quo Silvani sacrificium describitur, apud Fortun. Licetum. *de Gemmis Annular. Schem. 32. c. 119.* De Sacerdote Chryse. Homer. *Il. α. v. 14.* *στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν Ἀπόλλωνος.* Fuerunt autem hæ è lana. Festus, *Infulæ sunt filamenta lanea, quibus Sacerdotes & hostiæ templaque velabantur.* Vide quoque Varronem, *l. 6.* Inde, cùm antiquitùs, flores atque frondes ad sepulchrum ferre, moris esset, posteà addi cœpit lana, Joh. Meursius *ad Lycophron.* Idem tamen, suprà laudatus Bernartius, accuratiùs inter *Vittas* & Infulas distinguens, Infulam asserit esse fasciam laneam, partem capitis capillô tectam ad bina tempora aperientem, utrinque adstrictâ ac dependente vittâ; quò factum, ut Vittæ Infulæque non rarò confundantur, quem vide omnino, ut & Salmas. ad Tertullian. *de Pallio, c. 4.* ubi *de Cereris Sacerdotibus*, & Juvenalem 50. de iis versu, *Sat. 6.*

Pauca adeò Cereris vittas *contingere digna.*

Verbô, *Vittis* cingebant Veteres, quidquid volebant consecratum, uti pluribus docet Casp. Barthius, *Animadv. Papin. ad l. 8. Theb. v. 127.* Color iis albus & purpureus. Idem Poeta, *ibid. l. 2. v. 738.*

——— & ab arbore castæ
Nectens purpureas niveô discrimine vittas.

Ubi, *alternis*, ait vet. Scholiastes, *albô & purpureô colore textas.* Et, *l. 4. v. 218.*

Albaque puniceas interplicat infula vittas.

Communiter verò albæ fuêre, uti idem Barthius *ad prior. l.* docet. Phœbejorum inprimis Antistitum. Statius iterum de tali, *Achil. l. 1. v. 11.*

——— primis albescunt tempora vittis.

Sic *albam vittam*, in spicea corona, pro religiosissimo insigni datam, notat Plinius, *l. 18. c. 2.* Quia verò *albescunt*, ait Poeta, non *albent*, putat Barthius & hisce purpureum quid infuisse, *Animadv. ad l.* Iisdem frons oleæ nonnunquam innexa. Idem alibi,

——— glaucaque innexus oliva
Vittarum provenit honos ———

Vel lauri, ut Paschalius collegit ex Marc. Capellæ his verbis. *c. 1. Subdenda tamen Clario fidibus personanti, atque inter serta laurigera infularum lubrica, implexaque crine.* Vide illum *in Coronarum libris, l. 4. c. ult.* ut & suprà voce *Infula*: plura verò hanc in rem, præter Auctores jam memoratos, apud Salmas. *Not. ad Aurelian. Vopisci, c. 46.* ubi inter alia *lorum & phrygium & vittam & fasciam mitram & tiaram*, synonyma, & de vinculo primùm capitis, inde & de vestium ornatura, usurpata esse, adnotat. Hinc *Vittatus*, quod cognomen L. Metello, quia ulceris causâ frontem fasciâ circumdederat, inditum, annotante Alexandrô Neapol. *Genial. Dier. l. 1. c. 28.* aliàs quid signet, ex præcedd. liquet.

VITULA, Dea apud veteres lætitiæ Præses. Hanc Piso Victoriam nominari ait; quod postridie Nonas Julias, re bene gestâ, cùm pridie populus à Tuscis in fugam versus esset, unde *Populifugia* dicta, post victoriam certis sacrificiis vel vitulatio fuerit. Ei pro frugibus sacrificatum legitur, quòd iis vita humana toleratur, Macrob. *Saturn. l. 3. c. 2.* Hinc *vitulare* verbum Græc. *παιανίζειν*, h. e. *voce lætari*, & *παιᾶν*, quod Germani quoque imitantur. Item *vitulatio*, quomodo sacra hujus Idoli appellata. Nonnulli tamen non tam à lætitia, quàm à *vita* dictam volunt, quòd *Vita* frugibus sustentetur, quarum causâ Vitulæ Deæ sacra facta, sive peculiare illa Numen, sive cum Victoria, quam sequitur pax, faustitasque omnis, idem fuerit. Vide omnino Macrob. *Saturnal. l. cit.* Apud recentioris ævi Scriptores, vox Musicum instrumentum denotat, quod *vielle* & *violon* Galli etiamnum vocant. Vide Car. du Fresne, *Glossar.*

VITULA, Hebr. עגלה Hoseæ, *c. 10. v. 11. Ephraim vitula est, quæ assuevit & amat triturare.* Vide quoque Esai. *c. 50. v. 11.* non tam *vitula herbilis* est, quæ herbâ vescitur, ejusque pastu pinguescit, ut placet nonnullis: quàm *vitula triturans*, quæ soli trituræ assuevit neque aliâ re delectatur, adeoque idem cum *vitulo* מרבק *marbek.* 1. Sam. *c. 28. v. 24.* nisi quod genus mutatum. Cujusmodi vitulos bovesque, ad areæ palum aut columnam, vel etiam ad se invicem collô adalligatos, grana pedibus suppositis olim triturâsse, & quoniam os eorum capistrare Lex prohibebat, illorum esu eximiè pinguefieri consuevisse, diximus suprà, ubi de veterum *Trituratione.* Gravius opus erat, aratio, in quo sub jugo ligabantur, colla illarum atterente atque exulcerante. Quò respicit Poeta, cùm ei memoratur juvenca adhuc

Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ,
Indomita, quam nondum quisquam sub jugum duxit

Oseas idem *juvencam refractariam* talem vocat, *c. 4. v. 16.* Huic proin ut assuescerent, pluribus plagis erat opus. Jerem. *c. 31. v. 18. Me castigâsti & castigatus sui, ut vitulus non edoctus.* Nempe tum non aliter, quàm stimulis & verberibus boum vel ignaviam vel contumaciam correxêre: ac proinde stimulum boum vocabant Hebræi *malmad*, quasi *διδακτικὸν* dixeris. Postmodùm artes variæ accessêre. Namque Columella, postquàm dixit, *Retinaculis eos contineant: & unus cum clava lignea procedens, modicis ictibus subinde impetus eorum coërceat, l. 6. c. 2.* docet, quomodo ad patientiam laboris paucissimis verberibus juvenci perducantur. Nempe si fabricetur jugum, quò tres jungantur, & juvencus contumax inter boves veteranos collocetur. Tum enim sive efferatus prosilit, duorum arbitriô inhibetur: seu consistit, duobus gradientibus obsequitur; seu conatur decumbere, à valentioribus trahitur. Quale est, quòd bovem cubitorem, h. e. qui in medio sulco decumbit, non vult stimulis, aut ignibus aut aliis tormentis excitari; sed pedes ejus vinculis obligari, ne aut insistere, aut progredi, & per hoc pasci possit. Quò factô inediâ & siti compulsus deponit ignaviam &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 41.* Ut alia prætercam. De usu sacro id saltem addo, quòd *Vitula decervicanda*, in casu homicidii, cujus Auctor ignotus, lex & historia habetur Deuteron. *c. 21. v. 1. f. Si inventum fuerit cadaver hominis occisi in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi possidendam, jacens in agro & ignoratus fuerit homicida, egredientur Seniores seu Presbyteri tui & Judices tui & metientur à loco cadaveris singularum per circuitum distantias civitatum. Et quæ cæteris est vicinior, tollant Seniores illius civitatis* Vitulam *seu juvencam de armento, quæ non est servitium ullum fa. llum & quæ non traxit jugum. Et deducant Seniores illius civitatis* Vitulam *illam in valle. Accedentque Sacerdotes filii Levi, quos elegit Dominus Deus tuus, ut ministrent sibi & benedicant in nomine Domini; & juxta verbum eorum erit omnis causa atque omnis plaga. Et omnes Seniores civitatis illius, qui propinquiores cadaveri, lavabunt manus suas super* Vitulam *in valle decervicatam & respondebunt & dicent, manus nostræ non fuderunt sanguinem istum, nec oculi nostri viderunt. Propitius esto Populo tuo Israël* &c. Tum nempe, cùm in campestribus aut rusticis locis cadaver occisi in terra jacens repertum est, neque sciebatur, undenam cædes illa evenisset, Synedris sive omnibus, sive aliquot ex auctoritate omnium, Synedrii Magni exeundum erat, ad loci cadaveris atque urbium circumjacentium inde distantias metiendum, tum ut ita urbem cadaveri proximantem, tum ut, an ejusdem, ut proximantis, ex Lege, ratio habenda esset, ipsi dignoscerent. A cadavere enim non mensurabant intervallum aliquod, præter ea, quæ inter illud, & urbem aliquam, cui inerat Synedrium Vigintiriumvirale, interciperentur; aliis minoris notæ prorsus prætermissis. Mensurâ sic ritè peractâ, sepeliebatur cadaver, & dein Hierosolymam Synedri præfati redibant, si de homicida intereà nil constaret: tuncque viciniorís cadaveri Urbis Synedrium Vigintitriumvirale, juvencam bimulam aut ætatis minoris, in vallem, qualis descripta est, ducebant ibique decervicabant; nec solùm ipsi, verùm etiam universi Seniores seu Presbyteri alii ejusdem Urbis aquâ ibi lavabant manus suas, carmen in Lege præscriptum linguâ sanctâ pronuntiantes, *Manus nostræ non fuderunt sanguinem istum, nec oculi nostri viderunt.* I. e. ut Doctores explicant *In nostram potestatem non venit occisus hic & dimissus est à nobis impastus, nec eum vidimus & dimisimus eum incomitatum*: In causa nimirum non fuimus nos, sive hospitiô eum non excipiendo, sive cibum aut itineris comitatum aliave humanitatis officia ei non præstando, petenti non præbendo, ut inde hujusmodi cædis infortunium, extra Urbem vaganti eveniret, qua de re vide plura, apud Maimonidem *More Nebochim, Part. 3. c. 40.* Sequebatur

dein Sacerdotum carmen expiatorium, linguâ itidem sanctâ pronuntiandum, *Propitius esto populo tuo Israël, quem redemisti Domine, nec reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israël.* Quòd si binarum Urbium adeò videretur par omnino à cadavere distantia, ut quænam vicinior, satis dignosci nequiret, unicam utraque ut sociæ, *Vitulam* adferebant, atque altera alteri partem ejus suam (conditione adjectâ, si reverâ vicinior esset) donabat: unde fiebat, ut juvencæ integræ domina, ut vicinior ex iis, eam decervicaret, cùm utræque simul id facerent; neque enim binæ juvencæ, unius locô, decervicandæ erant. Noctu porrò hic ritus non peragebatur, sed interdiu tantùm; humabaturque *Vitula*, nec omnino caro ejus aut polluebatur, aut gustabatur, aut pars ejus ulla usui alicui relinquebatur, Vallis item ipsa in æternum inculta nec sata remanebat &c. Josephus, ubi de hac lege agit, *Orig. Judaic. l. 4. c. 8.* quantopere a Talmudicorum scitis receptissimis discedat, ut & plura in hanc rem, vide apud Jo. Seldenum, *de Synedriis Vett. Ebr. l. 3. c. 7. ubi & de cædis dolo atque clam ita patrata lustratione ac expiatione publica, apud Athenienses: Anglorum item veterum consuetudine, eruditè differit.* Nec omittendum quod duos aureos vitulos, quos cultus ergô Jeroboamus erexit, in fœminino genere עגלות *vitulas* vocat Hoseas, *c. 10. v. 5.* Quod ad contemtum videtur pertinuisse: ut illud Græci Vatis *Il. β. v. 235.*

——— Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ᾽ Ἀχαιοί.

Et Romani, *l. 9. Æn. v. 617.*

O verè Phrygiæ, nec enim Phryges ——

Nec dubium, quin illud [illegible] genus multum valuerit, apud Hebræos, qui Deorum sexus nesciunt, ac proin in Diis censent Berith Judic. *c. 8. v. 33.* & Astarten 1. Reg. *c. 11. v. 5. 33.* quamvis reverâ apud cultores suos pro Deabus habitæ fuerint. Fœmininô itaque genere *juvenca* seu *vitula* appellantur idola Jeroboami, ut illa non haberi posse pro Deo, cujus nomina omnia masculina sunt, eò magis constet. Vide iterum Bochartum ubi suprà. *c. 34.* ut & quæ paulo pòst dicemus. Quòd verò *Vitulæ* & quidem *trimæ* se clamantem comparat Propheta Esaias, *c. 15. v. 5.* & Jerem. *c. 48. v. 34.* inde est, quòd in solo boum genere fœmina mare vocalior; tertiô inprimis annô, qui plenior ætas & firmius robur; ante quem proin hoc genus domituræ non esse aptum, Plin. tradit, *l. 8. c. 45.* & Columella, *d. l.* eidem Bocharto laudati, *c. 41. cit.* Vide quoque suprà, voce *Juvenca.*

VITULI Insula, *Selsey*, teste *Camdenô*, insula Albionis Angliæ adjacens.

VITULIA, i. e. Italia, à vitulorum copia, quos Græci ἰταλοὺς, A. Gelliô teste vocant.

VITULUS, Græcè antiquitus Ἰταλὸς, aut ab Ἰταλὸς, quòd *taurum* notat, A. Gell. *l. 11. c. 1.* aut quod plerique, quasi vegetus, *vegitulus*, Varr. à *virili ætate*, Isidor. Ægypti fuit symbolum, inprimis Sacerdotum. Fortun. Licetus, *de Gemmis Anul. Schem. 48. c. 149.* Nota enim de Deo illorum *Vitulo* vel Bove Api historia, apud Herodotum, *Thalià*, Diod. Sic. *l. 1. c. 4.* Plin. *l. 8. c. 46.* Strabonem, *l. 17.* Solin. *c. 35.* Melam, *l. 1. c. 9.* Alios. Cujus idololatriæ occasio juxta nonnullos ex eo fuit, quòd monumenta in memoriam Josephi Patriarchæ, qui totam Ægyptum in septennali fame per septem vaccas Pharaoni in somnio præfiguratâ conservaverat, erecta, processu temporis in superstitionem versa sunt. Quam imitati posteà Israëlitæ, ἐμοσχοποίησαν, ut dicitur in Actis, *c. 7. v. 41.* i. e. *Vitulum conflârunt* in deserto, cujus rei historia prolixè narratur Exodi *c. 32. v. 1. s.* Quum enim videret Populus, *admodum differre Mosen descendere ex monte, congregati ad Aaronem dixerunt ei, age, fac nobis Deos, qui anteant nobis. Et dixit eis Aharon, rumpentes detrahite inaures aureas, quæ sunt in auribus uxorum vestrarum, filiorum vestrorum, filiarumque vestrarum & afferte ad me.* Quod cùm factum, *Formavit calô fecitque ex eo Vitulum fusilem: tum dixerunt, hi Dii tui Israël, qui eduxerunt te à terra Ægypti. Quod videns Aaron, extruxit altare coram eo proclamavitque Aharon dicendo, Festum Jehovæ cras. Surgentes itaque postridie manè, obtulerunt holocausta & applicârunt Eucharisteria: seditque Populus ad edendum & bibendum, deinde surrexerunt ad ludendum.* Didicisse autem id Idololatriæ genus Israëlitas ab Ægyptiis, facilè patet ex collatione *Vituli aurei* & *Vituli* Ægyptiorum, seu bovis *Apis* cognominati. Namque tori huic peculiares suæ notæ erant, *in dextro quippe latere candicans macula, cornibus Lunæ crescere incipientis, nodus sub lingua, quem cantharum appellabant, fasciculus in capite,* Plin. *l. 8. c. 46.* & *Suid.* ita *calô vitulum suum tornavit fusilemque fecit Aaron.* Apidem solemni festô, lætabundi ac tripudiantes celebravêre Ægyptii, *Suid.* quod itidem fecêre Israëlitæ. Tandem, cùm Apidem fas non esset certos vitæ annos excedere, *mersum eum in Sacerdotum fonte enecabant,* Plinius ubi suprà: quod itidem *Vitulo aureo* contigit. Moses enim, *accipiens eum exussit igne, commoluitque donec minutus esset, dispergensque in superficiem aquarum, jussit bibere filios Israëlis,* Exodi *c. cit. v. 20.* Nec est, quòd Hebræorum quidam Aharonem excusaturi culpam hujus Idoli conflati, in proselytum quendam Ægyptium referant, qui Magicâ arte effecerit, ut inaures aureæ, ab Aharone longè aliô fine in ignem conjectæ, sponte in *Vitulum* coalescerent: namque alii, quibus major candor, lubentes confitentur, graviter hic Aaronem peccâsse. Unde Proverb. apud illos, *Nullum Judicium divinitus Israëli immitti in quo non sit uncia Vituli,* ut testatur Moses Gerundi. Vide quoque Munsterum, *in Exod. c. cit.* & plura in hanc rem, apud Vossium, *de Idolol. l. 1. c. 3.* & Thom. Godwyn. *tr. Anglicô de Ritibus Hebr. l. 4. c. 5.* Sed quæ de superstitione Ægyptiorum, occasione Josephi ortâ, eruditi hi Viri sentiunt, non adeò firmô stant talô. Id certum, *Vitulini* hujus *cultus* originem ex Ægypto rectè arcessi, ubi *vituli* & boves in plurimo cultu fuêre, [illegible] Memphitarum idolum Apis & Heliopolitarum Mnevis docent: sacra item vacca, cui à Momemphitis honor præstitus. Præter quos alii boves non quidem Dii, sacri tamen, habiti sunt, teste Strabone, *l. 17.* At jam anteà boum cultus in ea gente frequens fuit: qui non eos vivos solùm coluêre, sed etiam simulachra illorum, in templis erecta, vide Exod. *c. 8. v. 26.* Strabonem, *l. 17.* Herodot. *l. 2.* Suidam voce [illegible], Alios. Et his, durante servitute, Israëlitæ non minùs ac ipsis Ægyptiis, servierunt, Josua *c. 24. v. 14.* Ezech. *c. 20. v. 7. 8.* quos proin, pristinæ superstitionis memores, ad Ægyptiorum exempla, aureô in deserto *Vitulô* fusô, sese composuisse, colligitur ex Actorum *c. 7. v. 39.* quam in rem vide egregia complura, apud Sam. Bochartum ubi suprà, *c. 34.* Verbum addam de modo, quô *Vitulum* combusserit, contriverit, & in pulverem redegerit Moses. Namque aurum posse comburi, ac molendo seu atterendo in pulverem redigi, negant metallicæ rei periti. Itaque sunt, qui herbæ cujusdam vi id factum esse asserant; alii alia comminiscuntur. Bochartus vitulum non aliter combustum esse ostendit, quàm auri illius fusione, ex quo conflatus fuerat. Quamvis enim vituli materia, i. e. aurum in igne non perierit, forma tamen & species externa sic abolita est, ut hæc pro vera combustione haberi potuerit: à quo loquendi genere Romanos non abhorruisse, suadet, quòd *ustrinam* vocabant locum, *in quo metalla conflantur.* Sic destructum limâ Moses elimatum, in tenuissimam scobem attrivit: artem enim elimandi aurum Hebræis non fuisse ignotam, ostendimus suprà. Hinc moluisse dicitur, quòd ramenta auri tam minuta essent, quàm quæ in pistrino sunt commolita. Tandem hanc scobem in aquas conjecit, hasque populo bibendas obtulit, ut idololatriæ reos cognosceret, uti Sacerdos adulteras dignoscebat aquæ amaræ potu, Numer. *c. 5. v. 27.* Quod verò signum in reis apparuerit, non liquet. De *barba aurea*, quam iis inde natam volunt Hebræi, vidimus suprà: plura apud Bochartum habes, *d. l.* Simile Idololatriæ genus communiter habetur illud, cujus Auctor Jeroboamus fuit, primus X. Israëlis Tribuum Rex. Is namque, veritus ne subditi sui ascenderent Hierosolymam, in domum Jehovæ, sicque Populi animus rediret ad dominum suum, *initô consiliô fecit duos* Vitulos aureos, *& edixit Israëlitis, satis vobis, ut non ascendatis Hierosolymam, ecce Dii tui ô Israël, qui eduxerunt te è terra Ægypti: horumque unum posuit Bethele, alterum collocavit Dane. Sic, fuit res ista in (causa) peccati, cur iret Populus coram hoc Danem usque. Paravit enim domum excelsorum & fecit Sacerdotes è Populo, qui non erant è filiis Levi. Et constituit festum mense octavô, quintadecimâ die, simile festo quod in Jehuda & obtulit in altari similiterque fecit Beth-Ele sacrificando Vitulis quos fecerat,* 1. Reg. *c. 12. v. 28. & seqq.* Quam *Vitulorum Jeroboamiticorum* historiam accuratè exequitur idem Bochartus, *c. cit.* quod est *de aureis Aaronis & Jeroboami Vitulis.* Burmannus verò Jeroboamum Cherubinorum, qui ex Propitiatorio Arcæ, in Templo Hierosolymitano, eminebant, figuram imitatum contendit, ut sic desiderium suis Hierosolymam ascendendi eximeret, tanquam iisdem divinæ præsentiæ symbolis fruerentur. Ita enim is *Synopsi Theol. l. 4. c. 14. Part. 1. §. 19. Eminebant ex eo* (Propitiatorio) *ex eodem auro, duo Cherubini,* Exodi *c. 25. v. 18—20. quibus Judæi puellarum facies appingunt, ad Angelos exprimendos; & binos sacratos volunt, ne pro Deo haberentur, ac Propitiatorio utrinque incubuisse, superque illud ad decem palmarum altitudinem alas expandisse tradunt. Describit autem illos aliter Scriptura, apud Ezech. c. 1. v. 5. s. & c. 10. v. 14. instar 4. animalium, quaternâ facie, hominis, leonis,* Vituli *& aquilæ, eos depingens. Et sex iis alas attribuit Esaias c. 6. v. 2. confer Apocal. c. 1. v. 8. & c. 10. v. 8. quarum bina in altum elata, bina leniter expansa, ac bina demissa erant: subque alis à cunctis partibus manus humanas collocat Ezech. c. 1. v. 8. & c. 10. v. 8. totoque corpore oculatos v. 12. pedibus insistere facit, quorum extrema pars vitulinam calcem referebat; unde &* Vituli *dicuntur c. 10. v. 14. & solida erat, instarque levigati æris refulgebat. Ut erecti potiùs in Propitiatorio steterint, frontibus adversis, ac Propitiatorium despectantibus.* Atque hinc simul intelligi potest, quinam fuerint Vituli aurei Jeroboami, 1. Reg. *c. 12. v. 28. 29.* Hos cur fœmininô genere *Vitulas* appellet Hoseas, *c. 10. v. 5.* vidimus suprà voce *Vitula*. Cæterùm *Vituli* non in cibis solùm, sed & in deliciis veterum Hebræorum fuêre. Hinc Abraham apponit Angelis *vitulum tenerum & bonum*, Genes. *c. 18. v. 7.* & Regi Sauli Pythonissa mactari jubet *vitulum marbek*, h. e. triturando saginatum, qua de re retro diximus. Nec paterfamiliâs in parabola quidquam habet lautius, quô resipiscentem filium excipiat, quàm *vitulum saginatum*, Lucæ *c. 15. v. 23.* Contrà apud gentium nonnullas, in mensam vitulos admisisse, summum censebatur scelus. Orienti quoque Valens Imperator legem dixit: *Ne quis vitulinam esitare carnem vellet*, ut agricolationi consuleret, qua de re Cœl. Rhodig. vide *Lection. antiqu. l. 28. c. 2.* & suprà ubi de *Bobus* ac *Carne bovilla.* Vituli namque & triturationi, & arationi adhibiti, atque ad has operas cum industria assuefacti sunt jam olim, ut vidimus. Sed & hodie non licere Moscis *vitulos* mactare, tradit Alexander Guaguinus *in Moscovia*, & nota Jo. Basilidis in operarios quosdam fame pressos, qui vitulum emptum mactaverant, crudelitas exercita A. C. 1569. cùm arcem Wolochdam extrueret. Præter hunc usum, & sacris adhibiti *Vituli*, tum apud Israëlitas, tum apud Gentiles, inter quos Romani rebus lætis *vitulum* Diis suis offerebant, unde *vitulari* & *vitulatio* nonnullis dicta. Vide suprà. In fœderibus quoque: Ita enim bove aut *vitulô* in duas partes discissô, inter has partes transiisse eos, quorum erat jurare fœdus, legimus Jerem. *c. 34. v. 18. & 19.* cujus ritus alibi in Scriptura nullum est vestigium, nisi quòd Gen. *c. 15. v. 9. 10.* jubetur Abraham *Vitulam trimam*, capram trimam & arietem trimum,

nem, per medium dissecare, & partes singulas singulis ex adverso opponere. Tum v. 17. lampas ignis inter segmenta illa transiit, i. e. Deus O. M. per typum illum significatus, qui cum Abrahamo fœdus pepigit, ut dicitur *versu seq.* Vide quæ suprà diximus de *Bove* & *Cane* simili modô apud Macedones, dissectô; & de *vitulo miræ magnitudinis, candido, sed purpurantibus maculis, ita ut haberet in latere uno, ave, in alio coronam*, nato matri Aureliani Imperatoris in omen Imperii filio aliquando conferendi, Fl. Vopiscum *in Aureliano, c. 4.* uti de *Vitulô bovis utero excerpto* sacrificio, retro voce *Populus*, it. *Palilia*, & de probatione victimarum in *Vitulo*, apud Romanos voce *Suffraganeus*. Atque hæc de proprio vocis significatu. Aliàs *vituli* elephantorum quoquè pulli dicti sunt, ut videre est apud Plin. *l. 8. c. 1.* & Ælian. *Histor. l. 10. c. 1.* ubi hic μόσχος Græcè itidem vocat. Æthiopes insuper, de filio, catulo & pullo hominum, quadrupedum atque avium, vocem usurpant, uti docet Bochartus, *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 27.* Inde *Vitulinus*, inter cognomina Romanorum, inter quos *Pomponius Vitulinus* memoratur eidem, *ibidem, c. 43.* &c.

VITULUS Marinus & *Vitulus* etiam absolutè, animal amphibium, nomen hoc nactum, quòd in somno mugit, *boce* ob eandem causam dictum est, à *boando*, ut ait *Festus*, nisi malis id ex Græco φῶκα factum: *accipit disciplinam, voce pariter & visu populum salutat, incondité fremitu; nomine vocatus respondet. Nullum animal graviore somnô premitur. Pinnis quibus in mari utitur, humi quoque vice pedum serpit* &c. Plin *l. 9. c. 13.* Ejus pellem, (quam *etiam detractam corpori sensum aquorum retinere, semperque æstu maris recedente inhorrescere*, addit idem) contra tonitrua & fulgura semper & ubique pro remedio circumtulisse Augustus legitur, apud Sueton. *c. 90.* Cujus Magicæ vanitatis ac ineptæ persuasionis, quæ olim aliorum quoque mentes tenuit, præter Plinium eundem & Spartian. *in Severo*, testes sunt Plutarchus, *Sympofiac. l. 5. Problem. 9.* ubi eadem vis & ficis inesse traditur, *Geoponicorum* Auctor, *l. 1. c. de grandine*, & in simili argumento Palladius, *l. 1. c. 35.* Cùm verò animal hoc, apud Septentrionales inprimis, copiosum, amphibium sit, ordictum, carneque & laridô constet, scrupulum movit plurimis, circa delectum ciborum hærentibus, utrum eô tempore Quadragesimalis jejunii vesci liceat. Quam in rem utrinque allatis causis, nec dum lite decisâ, nonnulli simplicius & commodius asserunt, ex ipso *Vitulo* demonstrationem sumendam, ut, cùm partum fecerit in littore, si ad sylvas à venatore compulsa bellua fugerit, abstinendum sit ejus esu, tempore prohibitô: si verò ad aquas, securè eâ vescendum. Pinguedine certè ejus utuntur in obsoniis, locô olei, carnesque instar porcinæ in vasa recondunt. Olaus, *l. 20. c. 7.* Plura de eo vide apud Gerh. Johan. Voss. *de Idololatr. l. 4. c. 2. 15. 21.* & qui de *Animalibus* ex professo scripserunt, nec non suprà, voce *Phoca*.

VITUMNUS & Sentinus Deus, apud Romanos, ad *vitam* sensumque infantibus dandum erant instituti, quemadmodùm Alemona ad alendum, aliique Numina ad alia officia eidem tenellæ ætati erant attributa. De qua tota Deorum fictitiorum familia adiri potest, præter Tertullianum, Augustinus. *de Civ. Dei, l. 7. c. 3.*

VITUNGI, seu VITHUNGI, Alemannorum pars, à quibus Wirtenbergensi ditioni nomen. Ab illis enim profecti *Virtingui* seu *Virtingi*, à Claudio Imperatore devicti, apud Treb. Pollionem, *c. 6.* Vide B. Rhenanum, *Rerum Germ. l. 1.* cum *Notis* Ottonis JCti, *p. 160.*

VITUNUS, antiquorum Deus, qui videbatur *vitam* largiri, uti *Sentinus sensum*. Vide *Vitumnus*.

VITURGIA, Proculi Imperatoris uxor, apud Vopisc. *c. 12.* ubi *Viruvia* legi mavult Salmasius, vide suprà.

S. VITUS, circa A. C. 300. temporibus nempe Diocletiani Imperatoris Martyr obiit, cum Modesto & Crescentia: quod paucis refertur *in Martyrologio* Bedæ, Usuardi, Adonis & Romano 15. Jun. fusè autem deducitur apud Surium, *in Vita ejus*, ex MSSis expressa. Hujus corpus à Fulrado, Abbate S. Dionysii Româ sub Pipino Rege translatum fuit Parisios, Sigebertô teste, *Chron. ad an. 757.* A. autem C. 836. sub Ludovico Pio, ut idem ait, reliquiæ *Viti Parisiis ad Corbejam Saxoniæ translatæ: unde Franci testati sunt, quòd ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones translata sit.* Vide & Witichindum, *Gest. Saxon. l. 1.* Porrò Rugiani, qui à Saxonibus, & Corbejensibus inprimis, religionem hauserant Christianam, eorum exemplô *S. Vitum*, summo habuerunt in pretio templumque magnificum ab eo *Viti* vocitârunt. Posteà in Gentilismum relapsi, perstiterunt in *S. Viti* cultu, supremi eum Numinis locô evehentes, uti docet Helmoldus, *Annalib. Slavorum, l. 1. c. 6.* Inde enim omnibus provinciis Slavonicis responsa petita & sacrificia annua exhibita: Nec Mercatoribus, qui fortè ad illas sedes appulêre, ulla facultas data vendendi emendique, nisi priùs de mercibus suis huic Deo pretiosissima quæque libâssent; Flamen quoque illius regiô honore cultus. Vocârunt autem eum *Zuante Vith*, corruptè ex *Sanctus Vitus*, qui hodieque Polonis *Swiety Wit*, eique *in peculium honoris*, ut idem Helmoldus ait, *c. 98. annuatim hominem Christicolam, quem fors acceptâsset, litabant; tantâ circa Fanum ejus reverentiâ affecti, ut neque juramentis facilè indulgerent, neque ambitum Fani vel in hostibus temerari paterentur.* Similia habet *l. 2. c. 12.* & Albertus Crantzius. *Vandal. l. 3. c. 37.* Saxo quoque Grammaticus, *l. 14.* inter alia hac de re sic loquitur: *Rugiani, quondam à Karolo M. expugnati, sanctumque Vitum Corvegiensem, religiosâ voce insignem, tributis colere jussi, defunctô victore, libertatem repetere cupientes, servitutem superstitione mutârunt, institutô domi simulacrô, quod Sancti Viti vocabulô consuerunt. Ad cujus cultum, contemtis Corvegiensibus, pensionis summam transferre cœperunt, affirmantes, domesticô Vitô contentos, externo obsequi non oportere. Quamobrem Vitum venisse sui solennis tempore, eorum manus turbaturum, à quibus tam similem monstro figuram acceperit. Meritò namque eum ab his injuriarum pœnas exigere debere, qui venerabilem ejus memoriam sacrilegô cultu fuerant complexi.* Vide quæ suprà dicta de *Rugiis*. Simili planè modô, in regione Permia, Stephanum Episcopum divinô honore fuisse affectum, docet Sigism. Liber Baro Herberstenius, *Comment. rer. Moscovit.* De utroque prolixè agit Gerh. Johan. Vossius. *de orig. & progr. Idolol. l. 1. c. 41. ubi de hominibus divinô cultu affectis.* Nec omittendum, quòd, cùm Sclavica hæc superstitio diu inter Bohemos quoque viguisset, illi hodieque hospitem vel amicum peregrè advenientem excepturi, *Vitei, Vitei*, ingeminant, quasi à Suantovito concessæ saluti gratulantes: *quia fortè ita evenit, ut peste quondam inter vicinos increbescente, ipsi duntaxat, qui hoc idolum colebant, à contagio incolumes permanserint.* Dubravius, *l. 1.* &c.

VITUTIARII, in *l. 2. Cod. Theodos. de collat.* qui fuerint, vide ibi Jacob. Gothofredum.

VIVA, urbs Africæ propriæ *Antonin. Vivensis* Episcopi meminit Concilium Carthaginense.

VIVA Aqua, expiationibus sola idonea olim habita i. e. naturalis & jugiter fluens. *Maris* præcipuè, quæ juxta Euripidem & Tullium *pro Roscio*, omnia nostra mala abluit, cunctasque maculas detergit: item, quia nihil in sese sordidum patitur. Purgaturi autem se, sæpiùs *Caput* aquæ vivæ immergebant. Persius, *Satyr. 2. v. 15.*

> —— *Tiberino in gurgite mergis*
> *Manè caput bis terque* &c.

Aliquando bis tantùm, Ovid. *l. 4. Fast. v. 655.*

> *Bis caput intonsum fontanâ spargitur undâ.*

Sæpiùs tamen ter. Idem *ibid. l. 3.* & Juvenal. *Sat. 6. v. 523.* Imò & septies quandoque, Apulejus, *l. 11.* Quod faciebant superis sacrificaturi, idque dicebant *abluere*, ut docet Macrob. *Saturn. l. 3. c. 1.* Abluebant verò præter caput, *Manus*, ut videre est apud Aur. Victorem *de Viris Illustr.* & Scholiastem Sophoclis *in Ajace lorar.* à Brissonio relatum. *Pedes* item, uti docet vetus Horatii Interpres *ad l. 2. Sat. 3.* Totum denique *corpus*, qui tum dicebantur *lauti* ἀπελθεῖς vel *puri*, Arnob. *l. 7. quorum templa cùm adire disponitis, ab omni vos labe puros, lautos, castissimosque præstatis.* Cùm autem Diis inferis operaturi erant, adspergebant se tantùm, testibus Macrobiô Serviôque, seu *purâ aquâ circumferebant*, ut Maro loquitur, utentes aspergillô ex oleæ vel lauri ramusculo, Juvenal. *Sat. 7. v. 158.* apud M. Anton. Delrium, *ad Sen. Hippolytô v. 717.* Vide quoque hic passim, inprimis ubi de Veterum *Lotionibus*.


VIVARIA, Græcis ζωγρεῖα & ζώγρια, ut apud Strabonem est, septa sunt animalibus includendis, damis, leporibus, aliis: seu *septa, in quibus vivæ feræ pascuntur*, *Leporaria* aliàs dicta, Varroni *de RR. l. 3. c. 3. & 12.* Vide suprà in hac voce. Item *Roboraria*, à tabulis roboreis, quibus circumsepta, A. Gellius, *l. 2. c. 20.* medii ævi Scriptoribus *Parci*, item *Perivolia*, quas voces itidem vide. Sicut *Zωγρεῖα* dicebantur cellæ, in quibus saginabantur *vivæ* animalia, turdi, gallinæ, alia: Atticè *ὀρνιθῶνες*, Grammaticis *ὀρνιθοτροφεῖα*. Et ζώγρια quoque caveæ, quibus aviculas includi mos, Salmas. *ad Solin. p. 1209.* *Piscina* verò ubi pisces &c. quamvis nonnunquàm hæc omnia *Vivaria* generali comprehendantur appellatione. Sic enim *Vivariorum* tres species facit Gellius *d. l.* *Ornithonas*, Gall. *les Volieres*; *Leporaria*, Gall. *les Garennes*; & Piscinas, Gall. *les Estangs*. Quamvis ex eodem colligatur, *Vivaria* potiùs ad feras pertinuisse, ut Græcorum *παραδείσους*, & *biberia* Hebræorum, quam vocem ex Latino depromtam, docet Bochartus, *Hieroz. Parte prior. l. 1. c. 19.* sicut & *βιβάριον* Græcorum, qui ambo recentiori ævô pro piscina solùm, sicut Galli suum *vivier*, vocem sumere cœperunt. Et quidem Samium Tyrannum Polycratem omnia, quæ erant alibi, ob delicias congregâsse, canes ex Epiro Molossos & Lacænos, ex Scyro & Naxo capras, oves ex Mileto & Athenis, sues ex Sicilia, tradit Athenæus, *l. 12. c. 19.* Apud Romanos primus aviaria instituit M. Lælius Strabo Brundusii Equestris ordinis. Ex quo tempore cœperunt Romani carcere animalia coërcere, quibus natura cœlum assignaverat, Plin. *l. 10. c. 50. extr.* Aprorum itaque & glirium, cæterorumque sylvestrium, primus togati generis invenit Fulvius Lippinus, & in Tarquiniensi feras pascere instituit. Quem mox sequuti L. Lucullus & Q. Hortensius, idem *l. 8. c. 52. & 57.* E quibus Hortensii vivarium, quod is non *Leporarium* priscô more, sed Θηριοτροφεῖον, appellari voluit, exactè describitur, à Varrone, *l. cit. c. 13.* Ne verò gula Neptuni arbitrio subjecta maneret, C. Servius Orata, peculiaria sibi maria excogitavit, æstuariis intercipiendo fluctus, piscium que diversos greges inprimis oratarum unde illi nomen, & ostrearum, separatis molibus includendo. Plin. *l. 9. c. 54.* Eâdem ætate prior Licinius Muræna reliquorum piscium vivaria invenit, *ibid.* privatim verò C. Hirius murænarum vivarium primus instituit. Cochlearum auctor fuit Fulvius Hirpinius, in Tarquiniensi, paulò antè civile bellum, quòd cum Pompejo M. gestum est, qui & saginam earum excogitavit, ut videre est apud eundem Plin. *c. 56.* &c. Sed nec gulæ solùm, verùm & avaritiæ, hæc argumenta fuêre: cùm multi ingentes ex hujusmodi Θηριοτροφείαις sibi opes paraverint. Unde *magna vectigalia ex ingenio suo percepisse* Oratam præfatum *& primum pensiles balneas excogitâsse, ita mangonizatas villas subinde vendendo*, ait idem, *l. ibid. c. 54. cit.*

Vide quoque Gerh. Jo. Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 23. & hic passim. Longe laudatior Mauritii Imperatoris largitas, qui domum in qua senes morbosi alerentur maximis impensis, *Vivarium sumtuosum* hinc dictam, extruxisse legitur, apud Cedrenum &c. Vide suprà, ubi de *Gerontotrophiis Veter.*

VIVARIENSE Monasterium, pagus tractus Vivariensis ad Rhodanum, 2. leuc. infra Vivarium in Austrum, versùs Pontem Sancti Spiritus; paulò minus à Fano S. Pauli, *le bourg S. Andiol*, vel *le bourg de Viviers* vulgò. Hic S. Andochus Subdiaconus, sub Aureliano Imperatore martyrium subiit.

VIVARIUM, seu o, seu *urbs Vivariensis*, Galliæ Narbonensis oppid. *Viviers Joh. Poldo.* Aliàs *Alba Augusta Helviorum*, in Occitania, ad Rhodanum in planitie, è regione Delphinatus. Episcopalis sub Archiepiscopo Viennensi, 5. leuc. supra Pontem S. Spiritus in Boream, destructa à Croco, A. C. 430. Caput tractus Vivariensis, *le Vivarais*: qui in Superiorem & Inferiorem divisus, terminatur ab Oriente Rhodanô, quô à Delphinatu separatur, à Septentrione Forensi tractu & Velaunis, ab Occidente Gabalis, à Meridie Occitaniâ inferiore & Ucetiensi tractu. Hic Helvii olim. Reliquæ urbes, Annonæum, Albenacum, Privatium & Turnonium. Regio hæc, licet undique montibus, velut turribus, sit cincta, fertilis tamen est, & vini generosi ferax. A vivariorum multitudine dicta, *Ferrar.*

VIVAS, ut & *Vincas*, acclamatum jam olim Principibus. Trebellius Pollio *in Claudio, c.* 18. *Quum esset nunciatum, illum cum Macriano fortiter, contra gentes in Illyrico, dimicâsse, acclamavit Senatus, Dux fortissime, habeas virtutibus tuis, devotioni tua--Vivas Valerie* &c. Græcè ζώοις, apud Dion. *in eodem*, ubi inter alia ei acclamatum ait ζώοις, πανοδαιμονοίης. Aliàs solennis acclamatio Græcorum, καλλίνικε, ut notum, vide Salmas. *ad Trebellium, d. l.* Acclamari autem ita solenne Principi, post victoriam reduci, vel ad Principatum evecto, inprimis. Commodus verò etiam, quoties in æstu [illegible] ibus ingens vini poculum hausisset, *Vive Cæsar*, à cunctis acclamari voluisse, legitur. Sed & *Vive, Vivatis*, ultima valedicentis vox fuit charis suis, quibus felicem vitam optaret & diuturnam, post suum excessum. Unde monumentis suis incidi id verbum faciebant: præsertim illi, qui, ut loquimur, immaturâ ætate decedebant. Ut filia Stiliconis, Honorio Imperatori nupta; in cujus sepulchro hæc figura gemmis insculpta reperta est.



H. e. quos annos nobis fata negârunt, ad plenum vitæ humanæ spatium, eos vobis, nobis apprecantibus, velint largiri. Vide C. Gevartium, *Elector. l.* 3. *c.* 8. ubi plura hanc in rem. Infert autem hoc verbum delicatam & hilarem simul vitam, in amore jocisque. Horat. *l.* 1. *Ep.* 6. *v.* 66.

—— sine amore jocisque
Nil est jucundum, vivas *in amore jocisque:*

Catullus, *Epigr.* 5. *v.* 1. *Vivamus mea Lesbia atque amemus* &c. Et hoc dicebant *Bene esse*, h. e. jucundam absque curis vitam vivere. Petronius.

Heu! heu! nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Ergo vivamus, *dum licet esse bene.*

Item simpliciter *esse*. Non. Marcellus, *Qui nunc est in summa lætitia, eum esse dicimus* &c. Vide Casp. Barthium, *Animadvers. Papinian. ad l.* 9. *Theb. v.* 894. & Salmas. *ad Solin. p.* 634. è quo hoc unum addo, quòd ζῆθι, i. e. *Vive*, suis Horologiis Græci olim eôdem fine inscripserunt. Ita autem is, *Græci de Horologiis*,

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι, ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.

Literis numeralibus horæ singulæ à prima ad ultimam totidem lineis erant descriptæ, hôc modô: A. B. Γ. Δ. E. ς. Z. H. Θ. I. *& deinceps, usque ad duodecimam, quæ hâc notâ indicabatur IB. Priores sex horæ, usque ad Meridiem, rebus agendis dabantur, reliquæ —— corpori curando. Hinc eô, quô sequuntur ordine ac serie, vocem* Ζῆθι *efficiunt, quò admonemur* vivere, *h. e. genio indulgere. Ita enim hoc verbum propriè sumebant homines geniales*, & quæ seqq.

VIVENTANI, Umbriæ gens. *Ptolem.*

VIVERRA, Græcè κτὶς & ἰκτὶς, mustela rustica, *ζῶόν τι ὅμοιον γαλῇ, animal feli simile*, *Hesych.* ὀρνιθοφάγον, *gallinas vorans*, Philosophus. *Hist. l.* 9. *c.* 6. *maculosum*, in Oriente scil. unde Hebr. תהלא אלן *thela Ælan*, cujus in cuniculorum venatione multus olim usus. Plin. *l.* 8. *c.* 55. ubi de cuniculis apud Baleares: *Magna propter venatum cum* viverris *gratia est. Injiciunt eas in specus* (cuniculorum) *qui sunt multifores in terra, unde & nomen animali, atque ita ejectos supernè accipiunt.* Vide quoque Strabon. *l.* 3. ubi capistrari eas hôc fine consuevisse, addit; & plura de hoc animali. fabulâ inprimis Mahometanorum, qui ab eo urbem Bagdad in tantum terrorem conjectam esse annô Hegiræ 304. ut cives opus habuerint Sultani auxilium implorare, tradunt, *apud* Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 30. Addo saltem, è pelle illius galeam vel galerum antiquitùs fieri consuevisse, uti diximus suprà, voce *Galea*. Mediò ævô *furonis* nomen ei inditum, ut ex Isidoro liquet, unde *Furettum* & *Furonem* Galli hodieque dicunt. Salmas. *ad Solin. p.* 1009.

VIVES Ludovicus, Valentiâ Hispanus, Parisiis & Lovanii postquam literis incubuisset, tandem Brugis docuit, ibi defunctus A. C. 1541. Rei Literariæ cum Erasmo & Budæo triumvir, *judiciô* pollens, uti ille *eloquentiâ* & hic *ingeniô*. Scripta ejus habes in *Elogiis* Teisserii. *Part.* 1. inter quæ eminet *Commentarius in Augustinum de Civ. Dei*, initiô quidem tam infelix, ut primis nundinis Francofurtensibus ne unum quidem exemplar celeberrimus Frobenius vendiderit. Unde Erasmus ad Vivem, *Vides etiam in Musarum rebus regnare fortunam.* Vide eum, *Ep.* 36. *l.* 18. Vivem ipsum, *Ep.* 15. & 20. & suprà aliquid voce *Ludovicus* & *Joh. Ludovicus.*

VIVI Lapides, apud Lamprid. *Heliogabalo, c.* 7. *Lapides, qui vivi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, afferre voluit:* Græcis λίθοι ἔμψυχοι, aliàs Βαίτυλοι, quales fuerint, vide suprà, ubi de *Batylis*, item voce *Divi.*

VIVIANUS, Consul, annô Urb. Cond. 1216.

VIVIANUS, Comes & Abbas S. Martini Turonienſ. inter Proceres Aulicos Caroli Calvi illustris fuit, de quo vide multa apud Car. du Fresne, *Glossar.* voce *Armiger*, ubi tabellam præfixam Codici Bibliorum, quem Imperatori huic obtulerunt Canonici dicti, eruditè exponit.

VIVIANUS Anninus, gener Corbulonis, bellô Armeniacô, pro legato quintæ Legioni impositus. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 28.

VIVIANUS Georgius, vide *Georgius.*

VIVIDUS Color, idem cum *Claro, Excitato, Vegeto*, vide ibi.

VIVISCUM, vulgò *Vivay*, German. *Vivis*, oppidum elegans Helvetiæ, in regione Vaudi. ad Lemanni ripam Borealem *Antonino* memoratum. Bellô Burgundicô, ab Helvetiis in cineres redactum est, A. C. 1475. posteà reparatum: hodie Reipubl. Bernensi subest. Hic vinum crescit optimæ notæ, vulgò *der Reyff-wein*, à ripa lacus, Ital. *Riva*, dictum: & certè castrum est *Riva Lausannensis*, prope Lausannam, ad extimum lacus angulum. Vide Stumpf. *Chron. Helvet. l.* 8. *c.* 22.

VIUPPO, seu VUIPO, Presbyter Germanus, Eleemosynarius Henrici III. Imperatoris in hujus laudem poëma condidit, editum à Canisio, *tom.* 2. *Antiquar. Lection.* Scripsit quoque vitam Conradi Salici, patris Henrici: Pistorius edidit in *Tomo Scriptor. de rebus Germanic.*

ULA, oppid. Sueciæ, in Cajania, in ora Sinus Bothnici, *Oulo* vulgò. Ei adjacet Vlaburgum oppidum, in insula parva ejusdem Sinus; ad ostia Ulæ.

ULA, vulgò *Ula Tresk*, lacus Sueciæ, in Cajania, seu Bothnia Orientali in mediterraneis, versùs Suavolaxiam provinc. Ei insidet Cajaneburgum oppid.

VLACIDÆ, peculiare apud Turcas Cursorum genus. Apud illos enim *Peichi*, in comitatu Principis & antecursores, cùm opus est, huc illuc mittuntur; tantâ velocitate currentes, cum securicula in manu, & phialâ odoratæ aquæ, ut adfirment, eos Byzantiô Hadrianopolim die ac noctu pervenire, quod intervallum est milliarium Romanorum circiter 160. Ab his diversi *Vlacidæ*, citatissimô itidem cursu magnum iter peragunt; & si fortè eques occurrit, illum dejiciunt, ipsi equum conscendentes: iterumque si alium, idem faciunt, & defessum equum ei tradunt: corpus, ne doleat in cursu, succingentes. *Ex Peloponneso Hadrianopolim*, ita de iis Laonicus, *l.* 9. *regios istos cursores venisse scio, intra quinque dies: quod iter* 15. *dierum spatiô ægrè eques peregerit, etiam festinus & expeditus.* Vide Justum Lipsium, *Centur.* 3. *Ep.* 59. *ubi de variis Cursorum generibus accuratè agit.*

VLADIMIRUS, ex filiis Suatoslai, Græcis *Sphendosthabli* dicti, de quo vide suprà, voce *Olha*: solus fratribus superstes, Russiæ Monarcha factus A. C. 976. junxit sibi Annam Basilii Imperatoris filiam & Græcos ritus in Russiam introduxit A. C. 989. Urbem *Vladimiriam* condidit, sede Imperii in ea collocatâ. Obiit A. C. 1005. relictis XII. filiis, quibus totidem Ducatus obtigêre; inter quos præcipui duo, Kiovia, sedes Russiæ Nigræ, & Vladimiria Russiæ Albæ, postmodùm facta: donec hinc Susdaliam primò, tandem Moscoviam, sedes Regni translata est, à Georgio, A. C. 1325. Ad hunc tamen usque diem *Vladimiria* primum in Magni Ducis titulis locum obtinet, secundum demum Moscovia. Georg. Hornius, *Orb. Imper. cum Animadv.* L. Joachimi Felleri, *p.* 374. & *seqq.*

VLADISLAVIA, vulgò *Wladislaw*, urbs Poloniæ majoris ad Vistulam, 15. leuc. à Gesna, media inter Poloscam in Eurum & Thorunium in Circium, 5. leucis utrinque, 22. infra Varsaviam. Caput est Cujaviæ provinc. in Palatinatu Inowolocensi; Episcopalis sub Archiepiscopo Gnesnensi, ab A. C. 1173. Cum arce tantisper munita, in palustri loco. Hic ab Euangelicis synodô habitâ, Stancari hæresis damnata est, seculô præteritô. *Lætus.*

VLADISLAUS, Ducum Bohemiæ vicesimus, ab Henrico IV. Imperatore Rex Bohemiæ creatus est, A. C. 1086. Sed hæc dignitas crebrò interrupta, titulusque Regis à successoribus, per annos 180. omissus est, usque ad principatum Friderici I. à quo *Vladislaus*, qui Imperatorem in expeditione Mediolanensi strenuè juverat, illum recepit, atque ad posteros continuâ successione transmisit, una cum insignibus leonis albi, duplici caudâ in altum porrectâ instructi, quibus ab eodem donatus est. Hornius, *ibid. p.* 127.

VLADISLAUS, vide *Ladislaus.*

ULÆ, Sarmatiæ Asiaticæ populi. *Ptolem.*

ULAI, nomen fluvii, Daniel *c.* 8. *v.* 2.

ULAKUKAN, Paulo Veneto *Allau*: post Persiam, à Schingois Khane in Tartarorum potestatem redactam A. C. 1224. Regnum ad familiam suam transtulit, ex qua aliquot Reges, Christianam amplexi fidem, Turcas universâ Syriâ & Palæstinâ expulerunt, qua de re videatur Haito Armenus & alii *Belli Sacri* Scriptores. Ultimus horum Regum, Abuzaid Baheder Chan, obiit A. C. 1337. Hornius, *ubi suprà*, *p.* 420.

ULAM, fil. Serex, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 16. Primogenitus Esec. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 39. Latinè *porticus*, *vestibulum*, aut *fortitudo* vel *stultitia eorum*.

ULAMA, villa in 12. Diœcesareæ lapide, contra Solis Ortum in tribu Zebulon.

ULBANECTES, vulgò *Senlis*, popul. & urbs Galliæ Belgicæ, Latinè *Silvanectum*. Valletiæ regionis caput. *Metel. Sylvanectes.* Vide ibi.

ULCEJUM, castrum Galliæ, nunc *Ouchi le Chastel*, Augustæ Suessionum proximum: cui vicinus est vicus cognominis ad eundem amniculum, vulgò *Ouchi la ville*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

ULCI, Lucanorum urbs, *Ptolemæo*, in Basilicata, *Laurino* vulgò.

ULCINIUM, vide *Olcinium*.

ULDA, fluvius Galliæ, quem Guntchramni Regis exercitum tumultuariis pontibus factis transiisse, scribit Gregor. Turon. *Histor. l.* 10. Hic Rohapum & castrum Gauzleni vel Goslini *Joselin*, ac Malum Strictum *Malestroit*, præterlapsus, in Vicinoniam, Franciæ olim Britanniæque terminum, defluit; malè in tabulis Geographicis *Ausse*, vel *Aust*, & *Aoust* dictus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

ULDINUS, Hunnorum Dux, junctus Stiliconi Romanorum & Saro Gotthorum Ducibus, vicit Radagisium, A. C. 405. P. Orosius, *l.* 7. *c.* 26.

ULFEJACUM, vel ULFEJUM, memoratur in literis Guidonis Comitis Forensis, datis A. C. 1173. Vide *Ulfejum*.

ULFEJUM, vulgò *Urfé*, castrum Galliæ, in pago Forensi superiore, non procul à monte Maurilionis, cum titulo Baronatus. Ei proximus vicus cognominis *S. Marcel d'Urfé*.

VLIA, Turdulorum in Hispania Bætica urbs, *Ptolem. Monte major Morali* 5. leuc. à Cordubâ: Cæsaris tempore munitissima. Aliis *Varna*. Tucci & Ægabræ proxima, aliis *Velia*.

VLIARUS, seu OLARIO, Insula Oceani Aquitanici, in ora Santoniæ, contra ostium Carentonii fluvii, 2. leucis in Occidentem, *l'Isle d'Oleron* Gallis. Extenditur à Septentrione in Meridiem per 6. leuc. Lata est 2. Cum arce permunita, in parte Australi Insulæ, quæ 1. cum dimid. leuc. distat ab ostio Separæ fluv. in Occident. 3. à Rea Insula in Meridiem, 6. à Rupella in Africum. Fertilis probèque culta, vicos ampliùs 115. habet, in quibus eminent S. Dionysii, S. Georgii, S. Petri, Dolutum & Castellum, portu commodò instructum. Ipsa diœcesi Santonicæ ascribitur, *Olarionensium lepusculorum* meminit Sidonius. Ab eâ, Sinus Aquitanici insularum maxima, nonnunquam & vicinæ insulæ, ut Radis quæ Rupellanæ diœceseos est, Aja *l'Isle Dax*, Varenna *la Garanne*, Oria *l'Isle d'Oire*, aliæque proximæ dicuntur Insulæ Olarionenses *les Isles d'Oleron*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

ULIBILIANI, Mauritaniæ Tingitanæ gens, *Ptolem.*

VLISSINGA, vide *Flissinga*.

ULIUS Apollo dicebatur, quòd *salubritatis* esset author. Est enim οὖλος Græcè *integer*, vel *sanus*.

ULIZIBIRA, Africæ propriæ urbs *Ptolem. Ulusubritanum oppidum* vocatur Plinio, *l.* 5. *c.* 4. *extr.*

ULLÔA, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ ex Gallæcia originem trahit. In ea, præter Vascum *Lopez de Ulloa*, Agnetis *de Moscoso* maritum, ac Lupi *Sanchez de Moscoso Ulloa* primi Comitis *de Altamira* ἀκμαῖος patrem, atque Sancium *Sanchez de Ulloa*, Dominis *de Ulloa* & *Monterroso* editum; Teresiæ *de Zuniga & Viedma* Vicecomitis *de Monterrey* conjugem, qui, per filiam Franciscam hæredem, Comitum *de Monterrey* titulum ad Azevedios transmisit, ut vidimus suprà: celebris fuit Doctor Petrus *Yannez de Ulloa*, Consiliarius Joannis II. Cujus duo filii, alter Joannes Dominus *de Villalonso*, ex quibus ejus abnepos Joannes Casp. *de Ulloa* Comitivâ dignitate ornatus est; Rodericus Dominus *de la Mota* sevit, *Marchionum* axiomate cum tempore ornatos, dederunt. Germanus Petri Jo. Alfonsus *de Ulloa*, ejusdem Regis Consiliarius, Beatrice Petri Roderici *de Fonseca* filiâ ac hærede ductâ, præter Alfonsum Archiepiscopum Sevilliensem, Petrum genuit ac Fernandum *de Ulloa Fonseca*; quorum posteri, patriò omissò nomine, *Fonseca* appellati: & quidem illius, Domini *Villanova de Cannedo*, demum Comitatus dignitate exornati; hujus, Domini *de Coca & Alaëxos*, ac per proneptem, in Toletanam domum, elocatam, Comites *de Ayala* fuêre. Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Part.* 2. *in Indic.* Vide quoque eum, *Arte Heraldicâ*, *Tom.* 2.

ULMA, ab ulmis arboribus, vel ab uligine, juxta distichon vetus:

> *Nomen; quod Latiò desumptum est fonte, quòd apta*
> *Ulmensis posita est plena hac uligine terra.*

Vel ab Hulmigeris, seu Bructeris, huc olim profectis ejusque conditoribus. German. *Ulm*, insignis Sueviæ civitas, ubi Hylarus & Blanus amnes Danubio miscentur, redditurque inde Danubius navigabilis. Olim *Alcimannis Caritinorum* urbs, in limite Vindeliciæ. Mœnibus caruit, usque ad A. C. 1300. hodiè perampla, munita, & libera, probèque culta est, cum magnifica præcelsaque turri. Eam Carol. M. olim Cœnobiò Augiæ Divitis, (quod in veteri est Alemann. insula, quam lacus Venetus efficit, quæque *Sindelsiana* primùm, deinde Augia Dives, vulgò *Richenow* appellata est) unò lapide à Constantia distanti, donavit: à quo multis pòst annis magnâ pecuniæ summâ redempta, sui juris rursus effecta est, annitente Fridericò III. Imperatore. Alii eam paulatim, pecuniis prudenter suppeditatis, in libertatem se vindicâsse scribunt, sub Ludovico Bavaro Imperatore, qui Urbi Senatum creandi veniam dedit, circa A. C. 1346. plura dein privilegia addentibus Carolô IV. & Fridericô III. Forma Reipubl. Aristocratica est, Senatores habet quadraginta duos, qui ex utroque ordine, Patricio & Plebejo constant. Emptionis jure possidet Helfenstenium castrum, cùm Gislinga oppido, Albecensem item Comitatum, quem in libra dulciarta, ab Ulmensibus acceptam, Comes quidam Werdenbergensis insumpsisse dicitur, Felix Faber, *l.* 2. *Histor. Suev.* Leiphemium quoque oppidum iisdem emptionis jure accrevit, ad Danubium: præter quæ tenent Ravenstenium arcem, *Langendau* oppidum, *Altheim*, *Stisbersheim*, dynastiam *Wangen*, *Bermeringen*, *Bernstadt*, *Balendorff*, *Mellingen*, *Küchen*, *Gingen*, *Altenstadt*, *Sieffen*, *Uberspring*, *Launsheim*, *Luitshausen*, *Weidenstädten*, *Aufhausen*, &c. Insignis Urbis, cui custodia Suevicæ Registraturæ ab Imperatore concredita est, sunt colores duo, in area superiori niger, in inferiori albus. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 57. Inter primas Germaniæ civitates ad *Protestantium* partes accessit, A. C. 1529. Conventus dein Smalcaldicorum ibidem habitus est, A. C. 1546. quapropter Cæsar urbi minatus, eam à sociis desertam mulctavit, decem signorum præsidiò illi impositò. Posteà, cum Principum fœderi, ad liberandos captivos Saxonem & Hassum, nomen dare nollet, ab illis obsessa, agerque ejus vastatus est, A. C. 1552. Vide Sleidani *Commentar.* Augustanæ Confess. addicta est hodieque, 10. milliar. German. ab Augusta Vindelic. in Occasum, 15. à Constantia in Cæciam, 25. ab Argentina in Ortum, uti 12. à Tubinga.

ULMETUM, vulgò *Elmesly*, locus in Angliâ, *Camden.*

ULMI, oppidum Pannoniæ inferioris in Hungaria, *Antonin. Ilessi* Lazio, *Ilez* Simlero; inter Sirmium 26. & Cibalim 24. mill. pass. Mursam versùs in Boream.

ULMUS, oppidum Pannoniæ superioris nunc *Ilmitz. Cluver.* vicus Peisoni lacui impositus, in Austria inferiori, in ipso limite Hungariæ.

ULMUS, pagus Mysiæ superioris à Naisso urbe 19. mill. pass. in Ortum, Sardicam versùs.

ULMUS, gratissima vitibus arbor. Papinius Statius, *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 49.

> *Qualiter æquævo sociatam palmite vitem*
> Ulmus *amat, miscetque nemus* ———

Manilius, *l.* 5.

> *Et te, Bacche, tuas nubentem junget ad ulmos.*

Alii passim, de utriusque arboris conjugio mira, sed vera narrantes, ut ait Barthius, *Animadv. ad Statium, d. l.* Gymnosophistis sacra etiam fuit, à qua Apollonius humanâ voce salutatus, quòd scripsit Philostratus, sive hoc ejus, vel Damidis, aut alterius fuerit commentum, Hierocli quoque, ut fabulosum, objectat Eusebius *Confutat. l.* 8. adnotante Vossiô, *de Idolol. l.* 3. *c.* 44. Ejus sponte renascentis portentum memorat Plin. *l.* 16. *c.* 32. *princip. Factum hoc populo Rom. Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nuceriæ, in luco Junonis, Ulmo, postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restitutâ sponte, ita ut protinus floreret: à quo deinde tempore Majestas populi Romani resurrexit, quæ antè cladibus vastata fuerat* &c. Vide de hac arbore plura, apud Plin. *l.* 16. *c.* 17. alibique passim, Matthiolum *Commentar. in Dioscorid.* & alios Rei *Herbariæ* Scriptores. Addo saltem, quòd *Ulmeis virgis* in servos olim animadverterint Romani, unde *ulmitriba*, Plauti vox, *Pers. Act.* 2. *sc.* 4. *v.* 7. Quodque lanionibus non ex alia arbore codices frequentiores, uti docet vetus Schol. Juvenalis, *ad Sat.* 11. *v.* 141. quem locum suprà adduximus, voce *Carptor.* Nomen quod attinet, inde videtur ortum, quòd *uliginosis* locis arbor gaudet. Græcis ὕλη &c.

ULNA, ex Græco ὠλένη, propriè brachium, cubitus. Calpurnius, *Ecl.* 1. *v.* 45. de Numeriano Cæs.

> ——— *maternis causas qui lusit in ulnis.*

Unde *tendere ulnas*, dicit Statius, *l.* 10. *Theb. v.* 515.

> ——— *pronas tendentis Amyntoris ulnas*
> *Fundentisque preces* ———

Quomodo tamen Virgilium non fuisse loquuturum, retur Barthius, *ad l.* Harum candor, cùm fœmineæ pulchritudinis non minima pars sit: hinc Juno λευκώλενος non unò locò Homero dicta &c. Vide Christ. Becmannum, *Origg. L. L. p.* 1150. Ex eo deinde sumta mensuræ ratio, aut spatii. Et Suetonio quidem πῆχυς, *cubitus*, scil. ex origine: Servio *spatium est, in quantum utraque extenditur manus*; quemadmodùm ὀργυιὰ Græcis, ἡ ἀμφοτέρων χειρῶν ἔκτασις. Quam mensuram quatuor cubitis determinârunt, aut quod idem est sex pedibus. Cujus rei ratio hæc: Quoniam longissimi hominis communis mensura sex pedes non excedit. Quantus autem modus à vertice ad calces patet, tantum esse constat inter longissimos digitos utriusque manus expansæ. Hinc apud Ctesiam, *in Indicis*, ὀργυιοφόροι, *qui manus expandunt & extendunt, ad aliquid amplectendum*, de calamis Indicis, πάχος μὲν ὅσον δύο ἄνδρες περιοργυιούμενοι μόλις περιλάβωσι. Sed Suetonii definitio potior: nec bene ὀργυιὰ *ulna* redditur. Duas enim *ulnas* homo habet, ut duo brachia & duo cubita: quarum ambarum extensio ὀργυιά est. Interim hodie *ulnam* dicimus, quæ longè cubitò major est, & pro locorum varietate mensuram quoque habet variam, Salmas. *ad Solin. p.* 1234. & 1235. Apud Scriptores Anglicos *Ulna* modus agri est, cujus

mensura ad *ulnam ferream* Joannis Regis exacta, vide *Monasticum* Angl. *Tom.* 2. *p.* 383. &c. uti de verbo ἀλλεγανίζω infrà, voce *Umbo.*

ULODAVIA, oppidum Poloniæ majoris, ubi Synodô habitâ A. C. 1583. consensus Ecclesiarum Poloniæ majoris & Lithuaniæ, confirmatus est, cùm idem jam Synodô Petricoviensi A. C. 1578. priùs factitatum esset. Aderant Viri clarissimi Ordinis Senatorii ac Equestris cum Superintendentibus, Senioribus ac Ministris 70. Vide Thuan. *l.* 100. Refugium posteà præbuit fidelibus Bohemiâ pulsis, A. C. 1628. Raphaële Comite Lesnensi hic & Lesznæ illos humaniter excipiente: Paulo pòst Seniores Orlii primò, dein *Vlodaviæ* Conventu iterum indictô de ritibus discrepantibus in Lithuania & Polonia convenerunt. Lætus, *Compend. Histor. Univers.*

VLODIMERIA, urbs Volhiniæ superioris ad Lugum amnem, qui paulo infrà in Bugem cadit, 12. leuc. Polon. à Luceoria in Occasum. 8. à Belza in Boream. Vulgò *Wlodzimierz.*

ULPHILAS, Socrati, *Gulphilas* Lilio Gyraldo, *Dial.* 1. *de histor. Poëtarum, ex vet. cod.*

Moyses primus Hebraicas exaravit literas,
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.
Abraham Syras & idem repperit Chaldaicas.
Isis arte non minore protulit Ægyptias.
Gulfilas *promsit Getarum, quas videmus literas.*

Vixit circa A. C. 370. temporibus Valentiniani ac Valentis Imperatorum, ac Gothorum, qui *Minores* vocati in Mœsia, fuit Episcopus: cui Geticas sive Gothicas literas etiam tribuunt. Socrates, *Histor. Eccles. l.* 4. *c.* 27. Jornandes, *in Geticis*, Ricobaldus Ferrariensis, *Chron.* cui tit. *Pomærium Ecclesiæ Ravennatis.* A quibus dissentit Corn. Agrippa, *de Vanit. Scient. l.* 1. *c.* 2. ubi Gothos ait à Gordano Episcopo literas accepisse. Nisi *Ulfilas* fuerit binominis, seu Agrippa corruptô codice sit usus. Qua de re sic Vossius, *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 9. *Si Gothi, quibus ex Scandinavia origo, demum Ulfila vel Gordani Episcopi temporibus, literas accepêre, quam fidem meretur, quòd Johannes & Olaus Archiepiscopi ajunt, Scandinaviæ incolas habuisse suas literas, ante repertas Latinas, h. e. annis ante Christum natum propè mille ducentis? Planè vereor, ne hoc majori gentis suæ amore scripserint, quàm veritatis. Lubens quidem illud dedero, quòd Ulphilas Gothicas dicitur literas invenisse, id ex eo profectum videri, quòd, antequam ille Biblia in Gothicam transtulisset linguam, paucis ex ea gente literæ essent cognitæ, ac proptereà nec habere illas nationibus aliis crederentur. Attamen istud persuadere mihi non possum, fuisse Gothis suas literas, antequam eas haberent Latini.* Similiter Wormius *Liter. Runic. c.* 4. *Ulphilam* characteres hos non invenisse, sed ad exteros tantùm eos protulisse, fusè demonstrat. Vide quæ diximus de literis *Runicis.* Quod verò de Gothis ad Arianismum ab eo seductis traditur, non adeò liquet: cùm Socrates & Sozomenus quidem scribant, eum in Arii hæresin prolapsum, *sive necessitate coactum, sive quòd sic de Deo loquendum esse, putaret*: uterque tamen eum laudet, *quòd Gothicas literas adinvenit & divinis Scripturis in Gothicam linguam conversis, divina Oracula barbaros docere satêgit*, vide Sozom. *l.* 6. *c.* 37. Socr. *l.* 4. *c.* 34. & plura hanc in rem, apud A. Rivetum, *Summâ Controv. Tract.* 1. *Q.* 5.

ULPIA, Legio 30. oppid. Germaniæ inferioris apud Rhenum. *Alpen* Mercatori, inter *Berck* ad Austrum, & *Santen* in Boream, 2. leuc. quot à Vesalia in Occasum, ad *Castra Ulpia Antonin.*

ULPIA Bibliotheca, memorata Vopisco *in Probo, c.* 2. *Usus autem* ——— *præcipuè libris ex Bibliotheca* Ulpia, *ætate meâ thermis Diocletianis* &c. ab *Ulpio* Trajano Imperatore nomen habuit, & primò quidem alicui nobiliorum Trajani operum annexa, postmodùm à Diocletiano, ut thermarum suarum operi novo celebritatem inde conciliaret, eò translata est. Casaubon. *ad loc.*

ULPIA Castra, vide *Castra.*

ULPIA Gordiana, Gordiani senioris, ex Metio Marullo, mater, è genere Trajani Imperatoris memoratur Capitolino *in Gordianis III. c.* 2.

ULPIA Marcella, filia Marci Ulpii Dama-Paradoxi & Canidiæ Bassæ, Sacerdos Dianæ, in urbe Thyatira, statuam meruit, curâ & sumptibus Andronici Andronicô geniti & Stratonicæ filiæ Menogenis, qui illam educaverant; uti discimus ex *Inscr.* Græca hodieque in ea urbe, quæ jam *Hakkissar* dicitur, superstite, & descriptâ, à Cl. Sponio, *Itiner. Part.* 3. *p.* 108.

ULPIA Trajana, seu *Colonia Ulpia Trajana*, quæ *Zarmizegetusa*, & *Zarmigetusa*, urbs fuit Daciæ mediterraneæ præcipua ad Sargetiam fluvium, nunc castrum *Varhel*, seu *Zarmis* in Transylvania ad radices montium, 6. leucis ab Aluta fluvio in Occident. Vide *Zarmesegethusa.*

ULPIANUM, geminum: unum Mysiæ superioris, in Dardania apud Macedoniæ confinium olim urbs Episcopalis, & *Justiniana secunda* appellata: nunc Latinis recentiorib. *Villa Procopiana*, teste *Lazio*, proxima Scupi, inde ad 12. mill. pass. in Occidentem. Nunc quibusdam est *Vulpia*, castrum Serviæ, in limite Bulgariæ, vix 40. mill. pass. ab Istro in Meridiem. Alterum oppid. Daciæ, *Pyrethi*, teste *Lazio*, apud Albam Juliam in Transylvania. Aliis est ipsa Alba Julia, Nigro *Czanadre*; aliis *Varadinum.*

ULPIANUS, Jurisconsultus, Adriani temporibus, scriniorum magister. Tyrius fuit. Tutor, dein à secretis, tandem à consiliis Alexandro Severo: Præfecturam prætorii quoque adeptus est, sed in Christianos sævus. Hic utitur authoritate Pomponii *in libris Pandectarum*; qui cùm Galliam regeret, populari tumultu excitatô, interfectus est, ut notat Raphael Volaterranus. A. C. 226. Vide Dion. & Lamprid. *in Alexand. Severo, c.* 16. Fischard. *in vita Jurisconf.*

ULPIANUS, *Arabica* scripsit *Stephan.* Sed quis sit iste Ulpianus, haud facile dictu est. Nam & fuit ejus nominis Antiochenus Sophista, qui Constantini Imperatoris temporibus vixit: & alter Emisenus; & alius Gazæus, & præterea Isidori frater; quos 4. *Suidas* refert. Ut de Ulpiano Tyrio, uno ex collocutoribus Athenæi, & de Domitio Ulpiano JCto nihil dicam.

ULPICIUS, an ULPIUS Crinitus, Dux Illyriciani limitis & Thracii, sub Aureliano Imperatore apud Vopisc. in *Vita* hujus, *c.* 10. 11.

ULPIUM Forum, occurrit apud Jul. Capitolin. *in Marco. c.* 22. *Multi Nobiles bellô Germanicô, sive Marcomannicô, imò plurimarum gentium interierunt, quibus omnibus statuas in Foro* Ulpio *collocavit.* Sic Augustum in utraque Fori sui porticu statuas Ducum dedicavisse, apud Suetonium legimus. Vide suprà *Forum.*

ULPIUS Marcellus, JCtus sub Antonino Pio, cui gratissimus extitit. Vide & *Marcellus.*

Bohemiæ Rex.

ULRICUS, Bohemiæ Rex, Moraviam Polonis eripuit. Micislaum dein Regem Conrado II. Imperatori proditurus, frustra fuit, detestante hôc impias technas. Ei successit filius Brzetislaus, Cosmas Bohem. *in Histor.* Æn. Sylv. Item filius naturalis Christiani IV. Daniæ Regis, à Belgis ad Vesaliam cæsus, cùm in Brabantiam copias, Hispanis auxiliaturus, ductaret, A. C. 1639. Vide infrà.

Principes varii.

ULRICUS, Friderici II. Daniæ Regis, ex Sophia Megapolitana, filius, hæres Norvegiæ, Suerinensis & Slesvicensis Episcopus, frater Christiani IV. floruit sub seculi præsentis initium. Item filius Christiani IV. ex Anna Catharina Brandeburgica, Suecorum in Borussia, & posteà in bello Germanico Saxonum in Silesia, ubi aliquas Cæsareas copias profligavit, miles. Obiit A. C. 1633. in Silesia, dubiô percussore globô trajectus. Item fil. nothus ejusdem Christiani, dum in Brabantiam copias ducit, Hispanis militaturus, ad Vesaliam, à Belgis cæsus est, circa A. C. 1639.

Fridericus ULRICUS, Dux Brunsvicensis, filius Henrici Julii, extincti A. C. 1613. Brunsvicum obsedit A. C. 1615. sed interpositione Regis Daniæ, plurimorumque Principum & Civitatum pax sequenti annô conclusa, & à civibus, servatis privilegiis, Duci homagium præstitum est. In causa Grubenhagia damnatus, translationem Electoratus in Bavarum palàm improbavit, A. C. 1623. In bello Danico, Regis avunculi partes secutus; post prælium ad Lutteram, ad Cæsarem rediit: Guelferbytum, per Pappenhemium, domuit: cùm Lipsiæ ob defensionem Euangelici convenissent, legatos quoque suos eò misit. Obiit A. C. 1634. ultimus sui rami, qui *Guelferbytanus* dictus est, hæredibus agnatis Lunæburgiis.

ULRICUS, Comes Wirtembergicus, & Dominus Beutelspacensis, filius Conradi, quem, *Ulrici* Beutelspacensis ex filia Werntrude generum ac hæredem, ab Henrico IV. Imperatore Comitem Wirtembergensem creatum fuisse, tradunt. Pater fuit Johannis, à quo hodierni Wirtembergici Duces descendunt, quique inter filios *Ulricum* Eberhardi I. genitorem habuisse dicitur.

ULRICUS, fil. Eberhardi I. modò memorati, Uracum arcem ab Henrico Comite Furstenbergico emit, dictusque est *Ulricus cum magno pollice*, quem dextrum majorem habebat. Ei Guilielmus Hollandus Imperator advocatiam Monasterii *Denckendorff* concessit. Pater fuit Eberhardi cognomine *Illustris* vel *Rixosi*: quô genitus

ULRICUS, à Comite Schlüsselburgio, Comitatum Grœningensem, A. C. 1336. emptionis jure accepit: quemadmodùm Tubingam, à Goëzzone & Wilhelmo fratribus, Comitibus Palatinis Tubingæ, A. C. 1342. Cùm A. C. 1339. è Comitiis Metensibus rediret, à Domino Vinstingensi absque causa captus, 100000. marcis argenti libertatem redemit; Pater Eberhardi Contentiosi, cujus filius *Ulricus*, arcem Stauffensem à Nobilibus Riedhemiis emit, in prælio ad Wilam infelici cæsus A. C. 1388. alter verò filius Eberhardus Mitis genuit Eberhardum juniorem, cujus filii, Ludovicus Uracensem, & *Ulricus* Stutgardianam, lineas orsi sunt.

ULRICUS, cognomine *Adamatus*, vel *Gottes Niesswurtz*, filius Eberhardi junioris Stutgardiæ lineæ conditor, emit A. C. 1450. à Ludovico Bavariæ Duce dominium *Heidenheim*, & arcem *Hellenstein.* Variis bellis implicitus, decessit A. C. 1480. De ejus virtutibus & defectibus, vide Naucler. *Vol.* 3. *gener.* 49. Pater fuit, ex Elisabetha Bavarica, Eberhardi & Henrici, qui *Ulricum* lineæ Ducalis, primæ, & Georgium, Montispelicardensis & Ducalis secundæ, auctores genuit.

ULRICUS, fil. Henrici modò dicti, ab Eberhardo Barbaro Stutgardiæ educatus est. Successor dein pulsi à Maximiliano Imperatore patrui Eberhardi, A. C. 1484. in bello Bavarico Palatinos aggressus, plurima occupavit. A Ferdinando Novocastrensi jus suum, quod habebat, ex fideicommisso, in dominiis Blamontii, Herituriæ, Clemontii, Chastelotii & Insularum, certâ pecuniæ summâ emit: arcemque Blamontium vi recepit. Posteà cùm suorum exasperâsset animos, & Reutlingam vexare non desineret, à Suevici fœderis sociis Ducatu ejectus est, A. C. 1522. quem Cæsar Ferdinando fratri suo contulit. Sed, victis ad Laufenam Austriacis, A. C. 1534. à Landgravio Philippo est restitutus.

tutus. Foederi dein Smalcaldico nomen dedit, & Evangelium amplexus est: Obiit A. C. 1547. Pater Christophori, cujus filius Ludovicus cognomine Pius, auctor Collegii Illustris Tubingensis A. C. 1589. lineam terminavit, extinctus A. C. 1593.

ULRICUS, fil. Johannis Friderici Ducis Wirtembergici tertius, sub Cæsare & Electore Bavariæ meruit, ac ad Augustam in primis A. C. 1648. strenuè se gessit. Inde in Belgio Hispanis militavit, postea aliquot annis auspicia Gallica sequutus, in bello tandem Turcico equitatui Generalis præfectus est. Obiit haud pridem.

ULRICUS, fil. Alberti Formosi, Ducis Megapolitani, Episcopus Suerinensis. Frater fuit Jo. Alberti, qui ambo docti ipsi & doctorum fautores. simul Rostochiensem Academiam dotârunt. Iisdem, quibus universa Principatus administratio communiter data fuerat, Megapolis, quidquid in judiciorum publicorum atque Ecclesiæ ordinatione salubriter institutum habet, refert acceptum, Obiit Ulricus A. C. 1603. Pater, ex Elisabetha Danica Sophiæ Reginæ Daniæ.

ULRICUS, fil. Bogislai XIII. Pomeraniæ Ducis. A. C. 1602. extincti, Episcopus Caminensis. obiit A. C. 1622. Frater Bogislai XIV. qui familiam clausit A. C. 1637. Fuit quoque hoc nomen aliquot Ducum ex veteri Zeringio-Teccia familia. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syllog. Geneal. Histor.*

ULRICUS, Comes Phretarum, floruit seculô 14. Ejus viduâ in uxorem ductâ Rudolfus Hesso Marchio Badensis, dominia Hericuriæ & Bellifortii tenuit, sed absque liberis extinctus. A. C. 1332. filiam verò unicamque heredem ejus Johannam, sibi matrimonio junxit Albertus Sapiens Archidux Austriæ, filius Alberti I. Imperatoris.

ULRICUS, Cilliæ Comes, magni nominis, sub Ladislao Posthumo Hungariæ & Bohemiæ Rege, ob tutelam hujus Fridericum III. Imperatorem acriter vexavit: à Ladislao, qui Johanni Huniadi Ungariam, & Georgio Podiebradio Bohemiam gubernandam tradidit, Austriæ præfectus. Sed quòd nobilitati gravis esset, aulâ Regiâ exul, inconstantis Fortunæ insigne documentum fuit. Mox Eyzingerô, qui illum de gradu dejecerat, exturbatô, Regi reconciliatus: tandem, quòd Huniadis auditâ morte, velut sublatô æmulô, jam solus in aula dominaturus, exultâsset, à Ladislao Huniadis filio, obtruncatus est, A. C. 1456. Vide Æneam Sylvium, *Histor. Bohem.*

VIRI ILLUSTRES ET CLARI.

ULRICUS Fuggerus. Raimundi fil. Kirchbergæ & Weissenhorni Dominus, in Pauli III. Pontificis Romani cubiculo Veritatis lumen, ex familia primus agnovit, exulque vixit, apud Fridericum III. Electorem Palatinum. Obiit A. C. 1584. Bibliothecâ suâ, in qua eximius Manuscriptorum thesaurus, Friderico Quarto Electori legatâ. Epitaphium ejus, cujus initium habes suprà in Fuggerus Ulricus, sic porrò habet, *veritatis lumen ex familia primus & solus agnovit, vitamque privatam amplissimis dignitatibus anteferre didicit. Dum veterum scriptis liberali sumptu comparandis & evulgandis intentus, à patrimonii administratione, profusionis prætextu, dejicitur: Apud Fridericum III. Electorem Palatinum fortunam constantiâ & æquanimitate superavit. Suis interim restitutus, fraternis quinetiam bonis auctior, eundem in re lauta, quem in afflicta, vultum animumque retinuit. Annua pauperibus quingena legavit: Sex liter. Studiosis stipendia constituit. Bibliothecam pii exilii comitem unicam Palatinatus moriens donavit* CIↃ IↃLXXXIV. *Obiit 18. Kal. Julii, ætatis 58. Heredes & Legatarii grata memoria ergo, consanguineo & hospiti B. M. hoc monumentum. P.*

ULRICUS Han, seu Hacn, natione Germanus, ex municipibus Johannis Gutenbergii, unius ex inventæ seculô decimô quintô Typographicæ artis Triumviris, primus formas librarias, rem inauditam, nec unquam Romanis visam, Romam attulit, circa A. C. 1471. Cujus nominis amphibologiâ (namque Latinè *Gallus Gallinaceus* redditur) deceptus Antonius Campanus, ob istam primitivam in Italiam Typographiæ illationem, nec solum hunc Ulricum pro primo artis inventore habuit, sed etiam, quòd eum à patria & natione ità appellatum credidit, cùm esset familiæ nomen hominis è Germania oriundi, Gallis repertæ tantæ rei gloriam asseruit: Secutique sunt errorem ejus etiam alii. Itaque hic Ulricus *Han*, cùm diviná hôc opificiô, rem literariam Romæ ex inopia ad ingentem ubertatem adduxisset, in illum præfatus Campanus hôc lusit tetrastichô:

Anser Tarpeji custos Jovis, unde quòd alis
Constreperes Gallus decidit, ultor adest
Ulricus Gallus, ne quem poscantur in usum,
Edocuit pennis nil opus esse tuis.

ULRICUS Zasius, Constantiensis JCtus, Vir priscorum morum, & antiquæ virtutis exemplar, primas inter Jurisconsultos Germaniæ obtinuit, & jus Civile commentariis doctissimis illustravit: Obiit Friburgi Brisgojæ A. C. 1635. ætat. 74. Etiam ab Italis, raris alioqui Ultramontanorum laudatoribus, summo in pretio habitus. Theod. Zwing. *Theatr. l.* 1.

ULRICUS, vel HULDERICUS Zuinglius, Helvetius, probis Parentibus natus, in Doggii Comitatus vico, quem Sylvestrem domum, Germani *Wildhaus* vocant, Reformator Ecclesiæ Tigurinæ celeberrimus. Biennió, antequàm Lutherus in Saxonia surgeret, Glaronæ in Helvetiis Christum annuntiavit: cùm idem jam decem ante annis Græcanicis literis eâ causâ operam dedisset, ut ex fontibus doctrinam Christi hauriret, Pareus *in dedic. Tom.* 3. Tigurum dein vocatus, magnô animô ingens & periculosæ plenum aleæ opus aggressus, contra Bernhardum Samsonem Mediolanensem, instituti Francisc. (qui Indulgentias in Helvetia, sicut Tezelius in Germania, venum exponebat, publicè Badæ exclamans: *Ecce volant, Ecce volant*, animas indigitans è Purgatorio vi Indulgentiarum cœlum petentes) magnô zelô concionatus est, lumenque, discussis tenebris, feliciter reduxit. Scripsit plurima, quæ 4. Volum. in fol. prodierunt Tiguri A. C. 1544. 1581. & 1595. Obiit in prælio, contra Quinquepagicos, cui Pastorem, ex more gentis, interesse necesse erat, A. C. 1531. ætat. 48. Melch. Adami, *Vir in omni disciplinarum genere solidè doctus, qui beneficiô trium linguarum principum, quas egregiè callebat, felicissimè Scripturam scrutabatur & tractabat: Idiomate suô, id est, Sermone Helveticô habitus disertissimus;* Vesheid. *Stando conficit omnia sua studia, certas eis vendicans horas, quas non omisit, nisi coactus. A summo mane ad horam decimam lectioni, interpretationi, doctrinæ, scriptioni dabat operam, prout temporis & rerum postulabat ratio. Post prandium audiebat vel narrantes, vel consilia rogitantes, aut confabulabatur, aut deambulabat cum amicis usque ad horam secundam, hinc ad labores redibat, quos in medium interdum noctem producit*, Oswaldus Myconius *in de Vita & Obitu Zuinglii*. Vide quoque infrà in voce *Zuinglius*.

Divinô Helvetius munitus, caligine pulsâ,
Addunt ad lucis limina facula novæ.

ULRICUS, vide quoque *Huldericus*, & *Udalricus*.

ULTERIOR Portus, Galliæ in Caletis locus, à situ nomen accepit: est enim Auci vel Aucô portu portus ulterior, ac mari propior, vulgò *Tresport*. Hic Monasterium S. Michaelis condidit Robertus Comes Aucensis, circa A. C. 1036. quod est in municipio maritimo Cœnobium Benedictinorum, in diœcesi Rotomagensi & Comitatu Aucensi. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

ULTERPES, choreæ species, vetita *can.* 76. Concil. Sareber. A. C. 1217. an ex Gallico *Outrepied*. Car. du Fresne, *Glossar.*

ULTIO, mandata heredi, apud Romanos olim, memoratur Suetonio, *in Vesp. c.* 6. *Jactatum exemplar epistolæ... defuncti Othonis ad Vespasianum extremâ obtestatione*, ultionem *mandantis*. Nempe sic illi soliti, ultionem mortis suæ amico aut heredi mandare; ut Germanicus apud Tacitum, *l.* 2. *Annal. c.* 85. quique non ulciscitur heres, jure civili indignus habitus hereditate, *leg.* 9. *C. de his qui indig.* Pauli. *Sent. Tit.* 5. *l.* 3. Unde & filii conquestio apud Attium *in Epigon.* ex quo Marcellus profert *in Ulsc.* Ejusdem modi Francorum jus, apud Aimoinum. *Histor. Francor. l.* 4. *c.* 28. Nec dissimiliter Senatus consultum Silanianum, de ultione Domini. An vestigia rei in Sacris, ubi de mandatis Davidis Regis ad Salomonem fil. circa Simei & Joabum? 1. *Reg. c.* 2. *v.* 5. 8. Vide quoque Curtium, *l.* 5. *extr.* ubi Darii, & *Sinicarum Rerum* Scriptores, ubi Monarchæ Zunchinii ultima, enarrant: præter Theod. Marcilium, *ad Sueton. d. l.* Certè etiamnum id non unô Italiæ locô in usu esse dicitur; sed & vix ulli ingratum votum illud Didonis Punicæ, *l.* 4. *Æn. v.* 625.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor &c.

Nec mirum, cùm *ultione* naturæ nostræ, sibi relictæ, nihil sit jucundius, ut Homerus alicubi ait, ad quem Eustathium vide: longè aliter sentiente Apostolô, qui *Rom. c.* 12. *v.* 19. *Ultionem*, velut rem sacram, Deo propriam facit, *Ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω κτλ.* Vide quoque suprà *Inimici*, it. *Manes*: uti de more telis, quibus *Ultio* peracta, consecrandi, voce *Tycho*.

ULTONIA, sive HULTONIA cum aspiratione, apud Scriptores Hibernicos, *Ulster*, una in Hiberniæ regionibus, in Boream contra Scotos vergens, in qua urbes Episcopales quinquaginta olim censebantur, nunc undecim duntaxat, quarum Metropolis est Armaca, sive Ardamacha, à Dublinio Metropoli Laginiæ 55. mill. pass. Hibernicis in Boream recedens, à Dumbo promontorio 40. in Austrum, à Tuama Metropoli Connaciæ supra 100. in Ortum æstivum, à Duno (quod à Dublino 50. milliarib. abest) 20. per compendium. Cùm autem Hibernia manus similitudinem gerat, *Ultonia* hujus figuræ pollex est, sicuti Connacia index, Laginia medius, Momonia medius & auricularis, Media seu Midia vola; ut his versibus exprimitur:

Pingitur in speciem sinuosa Hibernia palmæ:
Ultonia est pollex studiis asperrima Martis;
Index Connacia; at medius fit Lagnica tellus, &c.

Ferrar. Baudrando Ultonia, vulgò *Ulster* Anglis, *Cui Gally* Hibernis, i. e. provincia *Gally*, Britannis *Valtow*, Gallis *Ultonie*, Hispanis & Italis *Ultonia*, una est ex quatuor Hiberniæ partibus, ad Hyperboreum mare protensa, & hinc Buinda fluviô à Lagenia, illinc Ernô lacu & Bannô fluviô à Connachtia secluditur: estque regio ampla, sed multis & lacubus & stagnis interfusa: In ea sunt decem Comitatus seu provinciæ minores, nempe Lugensis Comitatus, *Louth Countye*, Dunensis, *Downe Countye*, Antrimensis, *Antrim Countye*, Armacanus, *Armag Countye*, Monaghanus, *Monaghan Countye*, Cavonensis, *Cavon Countye*, Fermanaghensis, *Fermanagh Countye*, Dungalensis, *Countye Dunghall or Tyrconell*, & Colranensis, *Colrayne Countye*, qui duplex est, nempe superior & inferior; erantque aliàs in illa regione populi Darnii, Erdini, Rhobogdii, Venicnii, & Voluntii. Ejus autem præcipuæ urbes sunt Dunum, Armacha, & Rupes Fergusii.

ULTONIÆ URBES:

Armacha, *Armach*.	Dunum, *Downe*.
Derrium, *Derry*.	Dunkeranum, *Dundalk*.
Drogheda, *Droghedo*.	Kilmoria, *Kilmore*.
Dungalia, *Dunghall*	Rupes Fergusii, *Knock Fergus*.

ULTOR, Jovis epitheton, quod sceleratorum impia facta ulcisceretur. Huic Agrippa ædem, Pantheon nomine, sacram fecit, cujus descriptionem vide apud Thom. Dempster. *Antiquit. Rom. l. 2. c. 5.*

ULTRAJECTUM, German. *Utrecht*, urbs ampla Germaniæ inferioris in Batavis; Caput unius ex septem Fœderati Belgii provinciis. Condita est à Dagoberto Francorum Rege, A. C. 642. Ejus Episcopus Fridericus, Frisiam ab Arii dogmate vindicavit, indignè à Juditha Imperatrice necitraditus, A. C. 826. Hujus successores cum opibus & potentiâ crevissent, varia cum vicinis bella gessère, unde A. C. 1018. à Theodorico Hollandiæ Comite Ultrajectin. Episcop. binis vicibus superatum, refert Matth. Vossius, *in Annal. l. 1.* Philippus Burgundus posteà hujus Ecclesiæ Episcopus, cùm à Maximiliano II. Legatus ad Julium II. Pontificem Romanum ivisset, Româ tantùm non Euangelicus rediit, ita ipsi nihil ibi, præter cœlum & solum, lapides & ligna, ac cives illos Romanos, placuit: ut testatur Gerardus Noviomagus, *in vita ejus Margaretæ Austriacæ dedicatâ.* Ab urbis oppugnatione Hispanus miles, Lugdunô discedens, qui eam sibi prædæ destinaverat, depulsus est, A. C. 1575. Posteà fœderi accessit, imo locus fœderis fuit inde *Trajectum* dicti, quò plurimis Belgii provinciis ad imperium Philippi Regis redeuntibus, Gulielmus Princeps Arausionis arctiori fœdere illigavit evocatos illuc Ordines ejus nationis, tum Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ ejus, quæ circa Lavicum fluv. & ejus, quæ inter id flumen & Amasium est: cujus summam vide apud Hug. Grotium, *Annal. l. 3.* Academia hic aperta est, A. C. 1636. vocatis undique ad Professiones Viris doctissimis: & gratulata est ejus natali excellenti carmine Anna Maria à Schurmann, virgo supra sexum in linguis & scientiis docta. In potestatem Gallorum venit A. C. 1672. ab iisdem deserta A. C. 1674. Patria fuit Hadriani VI. Pontificis, qui Caroli V. Imperatoris fuerat præceptor. In cujus honorem cùm celebres Batavi ludos darent, tapetibus ac parietibus ascribentes, *Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, Cæsar incrementum dedit:* adjecit quidam, *Hic Deus nihil fecit, &c.* Vide quoque in voce *Trajectum.*

ULTREJA, apud Landulfum de S. Paulo, *in Histor. Mediolan. c. 2.* ubi de expeditione Hierosolymitana Conradi Italiæ Regis sub A. C. 1098. nomen clamoris seu cantilenæ militaris: an quasi *eja ultra* scil. eamus; vel potiùs *ultra mare?* ut suspicatur Ferrarius, *de Veter. acclamationibus, & plausu, l. 6. c. 7.*

de ULTRICURIA Nicolaus, vide *Nicolaus.*

ULTZA, vulgò ULTZEN, urbs Ducatus Luneburgici ad amnem *Ilmenow*, 5. milliar. German. supra Luneburgum in Meridiem, quot à Danneberga in Occidentem.

ULVA Palustris, tuguriis olim integendis adhibita, vide suprà *Imbrex.*

ULUBRÆ, oppid. Latii, apud Velitras urb. ubi Augustus Cæsar educatus, est excisum. Juvenal. *Sat. 10. v. 102.*

Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris.

Horat. *l. 1. ep. 11. extr.*

——— *Quod petis hic est,*
Est Ulubris, animus si te non deficit æquus.

ULULA, vide suprà *Noctua.*

ULULATUS, luporum propria vox: quam in bello Romanos imitatos esse, ex Josepho colligere est, qui Iotapatenses jussit πρὸς τὸν ἀλαλαγμὸν τῶν ταγμάτων ἐπιφράξαι τὰ ὦτα, ὡς μὴ καταπλαγῶσιν, ubi Interpres, *ad Legionum* ululatum *aures obturare, ne metu percellerentur.* Nisi malis hic vocem de quocunque graviore sono intellectam; cùm Græcum ἀλαλαγμὸς quemcunque notet *barritum, ululatum, jubilationem*, sive Ducum, sive militum, qui vel ante pugnam, atque in ipsa pugna exultare, vel post victoriam adeptam solent, uti suprà vidimus ubi *de Clamore militari.* Placuisse autem iis Romanis clamor videtur, in honorem lupæ, quæ Romulum cum fratre lactavit, & ab illo tempore in signis illorum eximium habuit locum. Sed & Romanos, tanquàm lupæ uberibus altos, *luporum animos* habere asserit ille, apud Justin. *l. 38. c. 6.* unde *lupelli* convitiò dicti, à Volscis Æquisque Ducibus, apud Livium, *l. 3. c. 66.* à Tecasino, Samnitium Duce, apud Velleium, *l. 2. c. 27.* quam in rem Bochartum vide, *Hieroz. parte prior. l. 3. c. 10.* Hinc *ululata prælia*, apud Statium, *Theb. l. 9. v. 724.* ubi tamen Lutatius *ululanda* legit, & lugubria ac more luctu excipienda intelligit: uti *ululata atria*, i. e. omnia ædium spatia ululatu seu ejulatu fœmineò completa, habes apud eundem, *l. 10. v. 567.* Namque & clamor quilibet confusus hâc voce venit. Idem Poëta, *l. 1. v. 328.*

——— *Ogygiis* ululata *furoribus antra*
Deserit, & pingues Bacchæo sanguine colles.

Ubi Bacchi festa indigitantur, magnò tumultu perstrepentia, quali Deaster hic furens semper inducebatur, ut mille locis videre est, in Nonni *Dionysiacis*; adde Catullum, *Epithalamiô Pelei*, & Ovidium, *l. 3. Met.* Imò proprium Baccharum hoc verbum fecère. Juvenalis, *Sat. 6. v. 316.*

——— ——— *vinoque feruntur*
Attonitæ, crinemque rotant, ululantque Priapi
Mænades ———

Unde *Bacchei ululatus*, Ovid. *l. 11. Metam. v. 16.*

Tympanaque & plausus & Bacchei ululatus.

Quid autem in illis sacerrimis Orgiis inclamari & *ululari* solitum fuerit, vide suprà voce *Evoë.* De Hecate tamen eadem vox occurrit, apud Virgil. *l. 4. Æn. v. 609.*

Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes &c.

Commune tandem tam lætis, quàm infortunatis rebus, id verbum. Lucanus de Scæva, *l. 6. v. 261.*

Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis
Templa potes; non tu lætis ululare *triumphis.*

Vide Casp. Barthium, *Animadversion. Papin. ad Statium, Theb. lib. 1. cit. l. & l. 5. v. 729.* quò posteriore locô exponit verba Poëtæ,

——— *lætaque ululante tumultu.*

Originem vocis quod spectat, *ululare* factum Becmanno, ex Græco ὑλᾷν seu ὑλακτεῖν, *latrare*, quod ex Hebr. ילל, vel ex Græco ἀλαλάζειν, indidem deducendo, *quod propriè de clamore dicebatur, quem tollebant, mactatâ victimâ, qui & sacris intererant, ut ab Herodoto est adnotatum, morem hunc à Libya in Græciam manâsse dicente*, vide eum in [illegible]. *L. L. p. 701. & 703.*

ULULETUS, *Vibius Seq.* seu *Ululeus*, ut alii legunt, *Argento Ursolio*, ex tabulis recentiorib. & *Castaldo*, fluvius Macedoniæ, juxta Dyrrachium decurrens.

ULUSUBRUM, vide *Ulizibira.*

ULYSSEA, Hispaniæ Bæticæ locus, in quo Minervæ fanum. Super Abdaram in montanis est *Straboni.*

ULYSSES, Rex Ithacæ & Dulichii insularum, filius Laërtæ & Anticleæ, quanquàm non desunt, qui ex Sisypho conceptum velint, qui Anticleæ, cùm ad Laërtæ nuptias duceretur, vim dicitur obtulisse. Unde Ajax apud Ovid. *l. 13. Met. v. 31. s.*

——— *Quid sanguine cretus*
Sisyphiô, furtisque, & fraude simillimus illi,
Inserit Æacidis aliena nomina gentis?

Fingitur ab Homero vir multâ præditus facundiâ, nec minore experientiâ, vafer consiliô, egregius bellô, laborum patientissimus *Od. α. v. 1. s.*

Μῦσά μοι ἔννεπε ἄνδρα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε,
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Quos versus ita Latinè reddidit Horat. *de Arte, v. 141.*

Dic mihi Musa virum captæ post tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Idem alibi, *l. 1. Ep. 2. v. 17.* ubi de Homero:

Rursus quid virtus, & quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem:
Qui domitor Trojæ multorum providus, urbes
Et mores hominum inspexit, latumque per æquor
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.

Uxorem habuit Penelopen, Icarii filiam, ex qua Telemachum filium suscepit, eamque tantoperè adamavit, ut reliquis Græcorum Principibus, in bellum Trojanum, proficiscentibus, ipse insaniam simulaverit, futurum sperans, ut tanquàm bello inutilis domi relinqueretur. Junctis itaque duobus diversi generis animalibus, litus proscindebat, & frugum locô salem serebat. Palamedem tamen virum prudentissimum latere non potuit, qui, ut technam illius detegeret, aranti illi Telemachum filium in sulco objecit: quod Ulysses conspicatus, ne filium læderet, aratrum sublevavit. Quô argumentô facilè deprehensum est, non veram illam, sed simulatam esse insaniam. Verùm de hâc re Ciceronem audire operæ pretium fuerit. Sic autem ille *l. 3. de Offic. c. 26.* *Utile videbatur Ulyssi, ut quidam Poëtæ Tragici voluerunt: nam apud Homerum optimum auctorem, talis de Ulysse nulla suspicio est: sed insimulant eum tragœdiæ, simulatione insaniæ, militiam subterfugere voluisse. Non honestum consilium. At utile (ut aliquis fortasse dixerit) regnare, & Ithacæ vivere otiosè cum parentibus, cum uxore, cum filio. At quid auditurum putas fuisse Ulyssem, si in illa simulatione perseveràsset? qui cùm maximas res gesserit in bello, tamen hæc audivit ab Ajace:*

Cujus ipse princeps jurisjurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem.
Furere assimulavit, ne coiret, institit;
Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepit malitiosam audaciam,
Fidei sacratæ jus perpetuo falleret.

Pertractus itaque ad Trojam, strenuam, utilissimamque eo in bello Græcis operam navavit. Nam & Achillem, inter Lycomedis Regis filias, virginali habitu latitantem, ad bellum perduxit, & sagittas Herculis à Philoctete impetratas ad Trojam pertulit. Cinerem præterea Laomedontis, qui super Scæâ portâ Ilii servabatur, clam sustulit. Palladiumque unà cum Diomede ex Trojâ, cæsis custodibus, rapuit. Missus deinde explorator cum eodem Diomede, Rhesum Thraciæ Regem, occidit, equosque ejus abduxit:

——— ——— *Priusquam*
Pabula gustâssent Trojæ, Xanthumque bibissent.

Uti loquitur Virg. *l. 1. Æn. v. 476.* Erant autem hæc omnia in Trojanorum fatis, sine quibus eorum urbs expugnari non poterat. Cum Palamede frumentationis causâ gravissimas inimicitias exercuit, quem tandem, per calumniam circumventum, lapidibus obruendum curavit. Occisô Achille, in armorum illius judicio, Ajaci prælatus est:

——— *For-*

——— *Fortisque viri tulit arma disertus.*

Uti loquitur Ovidius, *l.* 13. *Met. v.* 383. Captâ autem Trojâ, Orsilochum Idomenei Cretensis Regis filium obstantem, ne legitima pars prædæ sibi divideretur, exortâ rixâ, interemit. Denique Polyxenâ ad Achillis tumulum jugulatâ, atque Astyanacte Herculis filiô è turri præcipitatô, cùm navim conscendisset, tanquàm in patriam rediturus, gravi exortâ tempestate, primùm in Ciconum litus pulsus est. Atque inde rursus solvens simili tempestate ejectus in Africam, ad Lothophagorum gentem pervenit, ubi cùm socii lotum gustâssent, ægrè inde potuerunt avelli. De quo Homerus, *Odyss.* ι. *v.* 91.

Οἱ δ' αἶψ' οἰχόμενοι μίγεν ἀνδράσι Λωτοφάγοισιν,
Οὐ δ' ἄρα Λωτοφάγοι μήδονθ' ἑτάροισιν ὄλεθρον
Ἡμετέροις, ἀλλά σφι δόσαν λωτοῖο πάσασθαι.
Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκέτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι.

Ovid. *l.* 4. *Trist. El.* 1. *v.* 31.

Sic nova Dulichio Lotos gustata palato,
Illo quo nocuit grata sapore fuit.

Idem, *l.* 4. *ex Ponto, Ep.* 4. *v.* 18.

Nec degustanti lotos amara fuit.

Inde rursus vela faciens in Siciliam delatus est, ubi Polyphemi antrum cum duodecim sociis intravit, ex quibus cùm Cyclops sex devorâsset, oculum ei eruit præustô stipite, pellibusque arietum involutus cum superstitibus antrum evasit. Hinc in Æoliam navigans ab Æolo ventos in utrem coactos obtinuit. Verùm cùm jam Ithacæ proximus esset, socii, thesaurum esse credentes, utrem solverunt: quô factô reflantibus ventis denuo in Æoliam repulsus est, sed ab Æolo abactus ad Læstrygonas devenit, quos ob immanitatem fugiens, ad Circen pervenit, quæ cùm exploratores ejus in bestias mutâsset, ipse sumptô à Mercurio pharmacô, accessit impavidus, & strictô gladiô eam coëgit, ut socios pristinæ formæ restitueret: quod cùm fecisset, ejus postea consuetudine usus per totum annum, suscepit ex ea Telegonum filium. Hesiodus verò *Agrium* & *Latinum* ex Circe genuisse dicit, *v.* 1011.

Κίρκη δ' Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο,
Γείνατ' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἐν φιλότητι
Ἄγριον, ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε.

Ægrè dein ab ea dimissus ad Oceanum pervenit, unde peractis sacris ad inferos descendit, ibique de Anticlea matre, & Elpenore Tiresia vate multis de rebus certior factus, revertitur ad Circen: & Elpenorem socium, qui nuper inebriatus de scalis deciderat, honorificâ prosequitur sepulturâ. Post hæc, ad insulam Sirenum delatus est, quarum cantus ne audiret, sociis aures cerâ obturavit: se autem ad malum alligari fecit, eâque ratione illarum insidias tutus evasit. Horat. *l.* 1. *Ep.* 2. *v.* 23.

Sirenum voces & Circes pocula nôsti:
Quæ si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub dominâ meretrice fuisset turpis & excors.
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 148.

——— *Nam cùm pro me Fortuna rogatur,*
Affigit ceras illa de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdô.

Festus Avienus *de Sirenibus, in Epigram. vet. l.* 4.

Illectos nautas dulci modulamine vocis
Mergebant avida fluctibus Ionii:
Sanguine Sisyphiô generatus magnus Ulysses,
Hâc tutos solâ præstitit arte suos.
Illevit cerâ sociorum callidus aures,
Atque suas vinclis præbuit ipse manus.
Transsilit scopulos, & inhospita litora classis,
Illa præcipites desiluêre fretô.

Inde Scyllam transiens & Charybdim, non sine maximo periculo, in Siciliam venit, ad eadem loca, ubi Phaëtusa Solis filia cum duabus sororibus greges patris pascebat, à quibus vim omnem abstineri jussit. Sed ipsô dormiente, socii fame coacti, suadente etiam Eurylochô, plura ex gregibus animalia mactaverunt: quod scelus posteà naufragiô luerunt. Homer. *Od.* α. *v.* 7. de sociis Ulyssis:

Αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο,
Νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς Ὑπερίονος Ἠελίοιο
Ἤσθιον, αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόστιμον ἦμαρ.

Adeò ut ex omnibus solus sit servatus Ulysses, qui, arreptô navis malô, novem diebus à vento & undis huc illuc agitatus, tandem ad Ogygiam insulam appulsus, à Calypso Nympha susceptus est, septemque annis consuetudine ejus usus, Nausithoum, & Nausinoum filios, ut Hesiodo placet, ex ea genuit. Post hæc, misertus ejus Jupiter, Mercuriô in Ogygiam missô imperat Deæ, ut Ulyssem missum faciat. Confectâ itaque rate Ulysses rursus mari se committit. Verùm cùm jam Phæacia in conspectu esset, subito immissa à Neptuno tempestas navem fregit, actumque de eo omnino fuisset, nisi ejus miserta Leucothoë tabulam ei suppeditâsset, cui ille innitens, incolumis in Phæacensium portum adnatavit, ibidemque quòd nudus esset, inter frondes sese occultavit. Verùm non multo pòst à Nausicaâ filia Alcinoi repertus, vestes accepit. Deinde Palladis operâ ad Aretem ejusdem Alcinoi conjugem deductus donô navem & socios accepit, qui eum in Ithacam reduxerunt, ubi cùm dormientem cum donis deposuissent, tandem excitatus à Pallade, ipsius monitu habitum mendici accepit, eôque modô ad subulcos suos pervenit, apud quos Telemachum quoque vidit. Demum ab Eumæo porcario incognitus domum ducitur, ubi post multas injurias sibi à procis illatas, tandem ab Euryclea nutrice agnitus, arma ex composito cum filio & 2. subulcis, quibus se indicârat, adversus procos sumens, eos ad unum omnes trucidavit, atque sic Penelopem recepit. Porro cùm ex oraculo didicisset, se à filio interemptum iri, in locis abditis vivere decrevit. Telegonus autem fil. ex Circe susceptus patrem suum videre cupiens, Ithacam profectus est, ubi cùm incognitus à domo patris prohiberetur, ortâ contentione, patrem incognitum spinâ venenosâ Trygonis piscis transfixit. Mythologiam ejus habes apud Nat. Com. *l.* 9. *c.* 1. Labores ejus breviter descripsit Tibullus, *l.* 4. *ad Messalam, v.* 52. *s.* ubi de Ulysse:

Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Quà maris extremis tellus includitur undis,
Nam Ciconumque manus adversis repulit armis;
Non valuit Cyclops coeptos avertere cursus:
Cessit & Ætnææ Neptunius incola rupis
Victa Maronæo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Æolios placidum per Nerea ventos;
Incultos adiit Læstrygonas, Antiphatenque,
Mobilis Artacia gelidos quos irrigat unda.
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
Queis nunquam candente dies apparuit ortu,
Sive super terras Phœbus, seu curreret infra.
Vidit ut inferno Plutoni subdita regna
Magna Deûm proles levibus discurreret Umbris.
Præteriitque citâ Sirenum litora puppi.
Illum inter geminæ nantem confinia mortis
Nec Scyllæ sævo conterruit impetus ore,
Cùm canibus rapidas inter freta serperet undas,
Nec violenta suô consumpsit more Charybdis.
Vel si sublimis fluctu consurgeret imô,
Vel si interruptô nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor, & fœcunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis & errorum misero Phæacia tellus.

Breviùs autem Propertius, *l.* 3. *El.* 11. *v.* 23. hôc pactô,

Postumus alter erit miranda conjuge Ulysses,
Non illi longæ tot nocuêre moræ.
Castra decem annorum, & Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustaque tua mox, Polypheme, gena.
Et Circæ fraudes, lotosque, herbæque tenaces,
Scyllaque & alternâ scissa Charybdis aqua,
Lampetiæ Ithacis verubus mugisse juvencos,
(Paverat hos Phœbo filia Lampetie)
Et thalamum Ææa flentis fugisse puellæ,
Totque hyemis noctes, totque natâsse dies:
Nigrantesque domos animarum intrâsse silentum,
Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et veteres arcus leto renovâsse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.

Nic. Lloydius. Cæterùm Delphinum clypeo incisum habuit, cùm alias aquilæ antiquitus Heroum clypeis insculperentur. Scholiastes Aristoph. *Ranis*, *Εἰώθεσαν γὰρ ζωγραφεῖν εἰς τὰς ἀσπίδας αὐτῶν.* De *Ulysse* autem Lycophron, *Cassandr.*

Ἕνα φλεγύρταν ἄγγελον λιπὼν φίλων
Δελφινόσημον, κλῶπα Φοινίκης θεᾶς.
Uno relicto nuntio sodalibus
Delphinisigno, fure Punicæ Deæ.

Cujus rei causam exponit ex Plutarcho, G. Canterus. Ejusdem verò *Ulyssis* iconem, in gemma signatoria, quendam prisci ævi Principem virum circumgestâsse, Eustathius, *in Homer.* auctor est. Idem, cujus cum Ajace de nobilitate contentio apud Nasonem extat, ut nobilis exprimeretur, pileatus pingi est solitus, quemadmodùm & Dioscurorum nobilitatem pileis novimus adumbratam. Pileum enim, ut posteà libertatis, ita priùs nobilitatis symbolum fuisse, pluribus docet Pierius Valerianus, *l.* 4. *c. de Pileo.* An Asciburgii fuerit conditor, quæritur. Certè apud Tacitum, *de Mor. Germ. c.* 3. quosdam legimus *opinatos, eum longô errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniæ terras Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque Ἀσκιπύργιον: Aram quinetiam Ulyssi consecratam, adjectô Laërtæ Patris nomine, eôdem locô olim repertam* &c. Sed, si Homericorum navigiorum, quæ aperta erant, forisque carentia, speciem ac figuram consideremus, ea longè reperiemus infirmiora ac humiliora, quàm ut Oceani æstum perferre possent: quem tribus anni mensibus vix triremes egregiè factæ, optimâ materiâ atque opportunè cæsâ ædificatæ, sustinere valent. Dein, quis credat, per Hispanicum, Gallicum, Britannicum Oceanum, eum pervagatum, in Germaniam demum penetrâsse atque aras illic & delubra esse nactum? Cùm instructæ classis non lembi à paucis remigibus agitari, id fuisset opus. De *Ulyssipone*, vulgò *Lisboa*, Lusitaniæ Metropoli, major veri specie, quam ab *Ulysse* conditam & nomen arguit, & præter Strabonem,

nem, præcipuum hujus sententiæ, invitò Polybiò, tibicinem, *l.* 3. testatur quoque Solinus Polyhistor, *c.* 36. Qui & *c.* 25. de Britannia scribens, inter alia, hæc memorat: *In quo recessu* Ulyssem *Calidonia appulsum, manifestat ara Græcis literis inscripta.* Verùm, an *Ulyssis* isthic extent monumenta, in dubio est. (Nec enim prorsus extra fidem, ut multos Hercules fuisse remur, ita non unum *Ulyssem* putare) Homerici quidem extare nulla, Joh. Brodæus, *Miscellan. l.* 3. *c.* 4. pluribus docet. De *Ulysse* verò Britannico, quem laudatus modò Solini locus adstruit, haud displiceat Guil. Camdeni conjectura *in Britann.* aram illam in Ulyssis potiùs honorem, quàm ab ipsomet positam, existimantis. Quod ipsum de ara in Germania eidem consecrata dicere, non fuerit absurdum. Cæterùm plura de *Ulyssis* erroribus dicturo, vellit aurem Seneca, *Epist.* 88. *Quæris Ulysses ubi erraverit, potiùs, quàm efficias, ne nos semper erremus? Non vacat audire, utrùm inter Italiam & Siciliam jactatus sit, ad extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus,* &c. Vide Matth. Berneggerum, *in Tacit. Germaniam, Quæst.* 10. & Voss. *de Idol. l.* 1. *c.* 36.

ULYSSES Aldrovandus, Bononiensis, Philosophus Medicusque insignis. Scripsit tractatus 120. plurimis voluminibus comprehensos: ubi inprimis eminent, quæ *de avibus, quadrupedibus, piscibus* &c. scripsit. Obiit A.C. 1605. A Maphæo Barberino Cardinal. carmine egregiò laudatus. Vide Anton. Bumaldum, *in Bibl. Bonon.* Vander Linden, *de Script. Med.* Laurentium Crassum, *in Elog.* & suprà *Aldrovandus Ulysses.*

ULYSSIPPO, quæ *Olisippo* Plin. *l.* 4. *c.* 22. *Oliosippon* Ptolem. vulgò *Lisbon* Anglis, *Lisboa* Hispanis. *Lisbona* Italis. *Lisbone* Gallis, urbs Hispan. perampla & splendidissima, Lusitaniæ caput, seu conventus juridicus & regia, Archiepiscopalis à Bonifacio IX. facta, & emporiò clarissima, omniumque urbium Hispanicarum maxima, 7. collibus imposita, ad Tagum fluv. haud procul ab ora occidua, distans à Toleto 83. ab Hispali 63. leuc. in Occasum. Ab *Ulysse* condita nomen habet, teste Solinò, *c.* 36. Arcem habet permunitam in colle, & portum, crescitque in dies. *Baudrando* 2. leuc. ab ostio Tagi, & ab ora Oceani Atlantic. in Ortum, uti 6. à Lunæ promontor. 33. à Sacro promontor. in Boream Portum versùs 46. circiter, 56. ab Hispali in Circium, 32. à Pace Augusta in Occasum. A. C. 1147. victis Mauris, unà cum Ebora, Helvis & Pace Julia recuperata est, ab Alphonso Rege. In portu urbis hujus classem Hispanicam, 36. navium diripuit ac incendit, Fr. Dracus Anglus. A. C. 1585. posteà ex eodem solvit stupenda illa classis, quæ Angliæ exitium minata est, A. C. 1588. &c. Vide *Olisippo.*

ULYSSIS Portus, *Odyssea* Ptol. portus olim Siciliæ in ora ad Ortum apud Engyum, nunc lapidibus ab Ætna monte oppletus. *S. Giovanni di Decatria* Fazello. Aliis est locus, in ora Orientali ubi hodie *Porto di Legnina*, locus parvus, cum turri, in valle Demonæ, 7. mill. pass. à Catana in Ortum prope Acim amnem. Tauromínium versùs. Ei adjacent scopuli Cyclopum.

UMA, oppid. Bothniæ, ad ostia fluv. Umæ, cum portu capaci, prope oram Sinus Bothnici. Hinc tractus adjacens Lapponiæ, *Uma Lapmarck.*

UMBELLA, dicta ab *umbra*, quam facit, Græcis σκιάδιον, caput velut cœlum quoddam, tegit; fœminis hodieque nobilioribus in usu, inprimis in Italia. Ejus meminit Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 28. cui lemma, *Umbella:*

Accipe quæ nimios vincant umbracula Soles,
Sit licèt & ventus, te tua vela tegent.

I. e. quæ, sicubi publica defecerint in Theatris vela, ventis revoluta, ut *seq. Epigr.* privata arceant nimios Solis ardores, ipsiusque vim Venti. Portabant illas ancillæ, hinc *Umbellifera* dictæ. Ovid. *de Arte Amandi, l.* 2. *v.* 209.

Ipse tene distenta suis umbracula Virgis;
Ipse face in turba, qua venit illa locum.

Ubi Amatorem hortatur, ut, ad captandam puellæ gratiam, servilia etiam ministeria non detrectet. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis.* Sed &, cùm apud Athenienses maximâ pompâ peplus inferebatur Panathenæis, prosequebantur Athenienses omnis ordinis, omnis ætatis; neque Athenienses tantùm, sed etiam Inquilini, & quidem mares cum ligonibus, fœminæ cum hydriis ac *Umbellis*, ex Lege: Τὰς μετοίκους ἐν ταῖς πομπαῖς, αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν, τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν ὑδρεῖα καὶ σκιάδια, apud Harpocrationem. Qua de re vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas, l.* 1. *tit.* 1. Fuit quoque *Umbella*, capitis tegmen, quò in Aula Constantinopolitana, olim Despota utebatur. Ita enim Codinus, *de offic. Eccles. & aula Constantinop. c.* 3. *Tegumentum capitis, quo Despota utitur, quod* Umbella, *seu* Umbraculum *appellatur, totum ex margaritis constat. Umbo seu ambitus præfert nomina ejus qui gestat illud, auroclavatum fimbriatum.* Τὰ ὦτα, *qualia sunt Imperatoris pilei, excepta modò & palmulis.* Quæ illius pilei ὦτα, *apices*, exposuit Junius. Quid sint, ambigit Gretserus, *l.* 2. *Comm. c.* 4. Notat verò paulò pòst Codinus, de eo ipso Despotæ pileo: *Cùm Despota adhuc puer est, nullum tegumentum fert in capite, dum in palatio versatur; sed manet apertò capite. At, quando equitat, tum fert eum, quem descripsimus, pileum* &c. Et paulò pòst, *Cùm ad ephebi ætatem processit, tunc fert eum, quem antè descripsimus, pileum idque etiam in Palatio.* Vide quoque Solerium, *de Pileo, Sect.* 9. Neque verò Despota solùm, sed & alii Proceres, sua quisque Umbracula & σκιάδια habuêre, quibus videl. illis utendi jus ab Imperatore erat concessum. Περισκιάδας vocat Acropolita, *c.* 11. καλόπτρας περισκιάδια Nicetas *in Andronico, l.* 1. Ipse Imperator *sciadium* quoque gerebat, cujus apex grandiori gemmâ insigniebatur, τιάραν vocat Cantacuzenus, *l.* 3. *c.* 27. & *l.* 4. *c.* 14. At Procerum, ab Hypersebasto usque ad Stratopedarchem, erant χρυσοκόκκινα: à Magno Primicerio, usque ad Curopalatem κοκκινοχρυσᾶ à Protovestiario usque ad infimos κλαπωτὰ, σταυρωτὰ, λινᾶ, ut habet *Codex MS.* Bibl. Reg. apud Car. du Fresne, *Glossar.* Inter insignia Veneto Duci ab Alexandro III. Pontif. concessa, *Umbellam auream* quoque memorat Sabellicus, *l.* 5. *Ennead.* 9. &c. At *Umbella* seu *Umbraculum*, quod, ex pellibus compactum, expandi aut contrahi solet, ad faciem contra Solem tuendam, jam Aristophani *in Avibus* memoratur: & in *Lexico Gr. MS.* ejusdem Bibliothecæ διφθέρα dicitur, atque σκιάδιον δερμάτινον exponitur, apud eundem *Glossarii* Auctorem. Vide quoque suprà, voce *Galerus*; item *Baldachinum, Mappa, Pallium, Petasus, Pileus.*

UMBER, apud Silium Ital. *l.* 3. *v.* 295.

——————— *aut exigit* Umber
Nare sagax è colle feras ———

Et Gratium, *Cynegeticô, v.* 171.

Et fugit adversos idem quos repperit hostes
Umber &c.

canis venaticus, è sagacibus est, quales Umbria provinc. Italiæ gignit præstantes. Car. du Fresne ubi suprà.

UMBILICUS, quod *iliorum umbo, Isidor.* ad libros à Romanis translatus est. Libris enim materiam cortex olim, papyrus, carbasus, ovilla tergora, lintei, plumbum, & alia suppeditârunt, ut cuilibet animadvertere promptum est. Vide suprà. Iidem quòd circùm ligneùm teretem surculum vel osseum convolverentur, *Volumina* sunt appellati. Surculum verò ipsum seu surculi capitula, quæ & cornua, *Umbilicum* vocabant: qua de re, ut & de universa scribendi ratione, contexuit insignem Commentarium Vinc. Contarenus, citatus Laur. Pignorio, *Comm. de Servis.* Meminit istiusmodi *Umbilicorum* Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 67. *v.* 9.

Mutare dominum non potest liber notus;
Sed pumicata fronte si quis est nondum,
Nec Umbilicis *cultus atque membranâ* &c.

In quæ Scholiastes, *Libri*, inquit, *pellibus, ut nunc fit, olim obtegebantur, eaque pumice poliri ac lævigari solebant. Si quis verò liber novus sit, cujus frontes (h. e. extremitates membranæ in orbem complicatæ, in medio quarum apparebant cornua) pumice jam pridem polita sunt; & cujus Umbilicus (is bacillus cedrinus, buxeus, cupressinus* &c. *extremæ paginæ, absolutò jam opere, adsutus) vel Umbilici extremitates (quæ complicatis in volumen membranis, utrinque apparentes Cornua appellabantur) ebore sunt vel argentò aut aurò exornata, & quem novissimè obducit pellis, hunc emi jubet Poëta.* Et paulò pòst: *Umbilici bullæ sunt in utraque libri extima facie media, in fine libri ex ligno aut osse apponi solitæ.* Pierius, *l.* 34. *Per Umbilicum*, inquit, *intelligendus est voluminis terminus, qui, cùm volumen explicatur, in fine est: cùm verò idem obvolvitur in spiram collectum, medium tenet locum.* Idem, *l.* 5. *Epigr.* 6. *v.* 14.

Quæ cedrò decorata purpuráve
Nigris pagina crevit Umbilicis.

Unde patet, non semper obtinuisse, quod ait Dempsterus, librorum tegmen nigrum, literarum majuscularum apices miniò notatos, aut cedrinò succò, *Umbilicum* verò diversi alterius coloris fuisse: ex Ovidio, *l.* 1. *Tristium, Eleg.* 1. *v.* 7.

Nec titulus miniò, nec cedrò charta notetur,
Candida nec nigrâ cornua fronte geras.

Vide eum, *Paralipom. ad Rosin. l.* 1. *c.* 1[illegible] Colerus verò calculos nitidiores hâc voce intelligit, quibus olim libros decoratos ait, *Not. ad Val. Maximum, l.* 8. *c.* 8. *num.* 1. ubi Scipio & Lælius *Cajetæ & Laurenti vagas littoribus conchulas & umbilicos legitasse* leguntur. Teretes scil. lapillos littorales, qui aliàs *ocelli* etiam seu *ocellati*, nec non *Nympharum ocelli*, appellati sunt: quòd scil. *umbilici* figuram referrent, ac velut oculi pupula lucerent. Sed nec in his lapidibus figura multum diversa est, ab oculi & umbilici: uterque enim protuberat in rotundo. Vide quæ de his lapillis suprà diximus, voce *Ocelli.* Atque hôc fortè sensu vox occurrit, apud Curtium, *l.* 4. *c.* 7. ubi de forma Jovis Hammonis. *Id*, inquit, *quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgò Diis artifices adcommodaverunt:* umbilico *maximè similis est habitus, smaragdo & gemmis coagmentatus.* Ad quæ verba Vir eruditus, *Umbilicum hîc interpretor rem aliquam eminentem, metæ instar, veluti conum, aut quadratum, aut rotundum, quemadmodùm voluminibus jam ferè absolutis ornamento & usui apponi solent, atque etiamnum hodie extrinsecùs globi dimidiati formâ apponuntur.* Additque priscæ gentilitatis homines hâc informi formâ non rarò Deos suos indicâsse potiùs, quàm effigiâsse: sic, apud Cypri Paphum, Veneris Deæ signum continuum fuisse orbem, latiore initiò, tenuem in ambitum, metæ modò, exsurgentem, teste Tacitò; vel albæ pyramidis instar, ut habet Maximus Tyr. *Orat.* 38. Apud Arabes, tetragonò lapide, Martem figuratum &c. *Notis ad Curtium, d. l.* ubi plura hanc in rem de Dea Pessinuntia, ex Livio, *l.* 29. *c.* 11. de Sole seu Heliogabalo, ex Herodiano, *l.* 5. *c.* 5. aliaque. Herwartius verò, *Umbilicum* hunc Curtii de charta marina & pyxide nautica seu magnetica, interpretatur, &, *cùm Jupiter Hammon, ut responsum det, navigio fuerit gestandus. Quis*, inquit, *dubitabit, ad rem nauticam pertinere.* Vide *ibid.* &c. Ob eandem rationem *umbilicus* vel *umbonculus* gemmis quibusdam tribuitur. Solinus, *c.* 37. *Zmilanthis in ipso Euphratis alveo legitur, gemma ad imaginem marmoris Proconnensis, nisi quòd in medio umbilico lapidis istius glaucum, ut oculi pupula,* inserui-

intermitet. Ubi *umbunculum* nonnulli legunt, quod idem. Sic autem in gemma vocatur, quod in medio ejus orbiculo protuberat. Verùm in parvis tantùm gemmis umbunculos eminere, notat Salmasius, quem vide *Exercit. ad h. l.* ubi *umbilicum* & in clypeis, ὀμφαλὸς quoque Græcis, aliter τὸν κόγχον; & in placentis seu popanis, id videl. quod in medio eorum extumescens fiebat; & in montibus, supercilium in orbiculatum cacumen surgens; & in quacunque alia re, ubi aliquid rotundi uspiam extuberat emineteque, reperiri docet. Sic porrò *Umbilicus* Romæ, dicebatur meditullium Urbis, quod in octava regione ponunt Onuphrius, & P. Victor; nemo autem hactenus, quid loci id fuerit, descripsit. Terræ *Umbilicus*, Templum olim Apollinis Delphici creditum est. Suid. in γῆς ὀμφαλός. Hinc Strabo, *l.* 9. τῆς Ἑλλάδος ἐν μέσῳ πώς ἐστι τῆς συμπάσης τῆς τε ἐντὸς ἰσθμοῦ, καὶ τῆς ἐκτὸς, ἐνομίσθη δὲ καὶ τῆς οἰκουμένης καὶ ἐκάλεσαν τῆς γῆς ὀμφαλόν. Petr. verò Apollon. Collatius, non malus, ut illa ferebant tempora, Poëta, *de Excidio Hierosolym. l.* 3. Hierosolymis id tribuens, ait,

———— ———— *Medium telluris aperta*
Credita habere locum, titulô quoque Delphica quô se
Insula jactavit magnis Auctoribus olim.

Contrà tamen Auctores plurimi, inter quos Pindarus, *Pythior. Od.* 6.

———— ———— Ἀναπελάζομεν
Ὀμφαλὸν ἐριβρόμου χθονός.
Versamus
Umbilicum horrisonæ terræ.

Et, *Od.* 8.

———— Ἰόντι γνώς
Ὀμφαλὸν παρ' ἀοίδιμον.
Eunti terra
Umbilicum *ad decantatissimum.* &c.

Quo è fonte fabula defluxit, cùm Iupiter medium Mundi locum cognoscere vellet, ex Ortu atque Occasu duas aquilas emisisse, quæ lassæ volatu in vertice Parnassi consederint, uti legimus apud Luctatium Placidium, *ad Theb. Statian. l.* 1. *v.* 117. Vide quoque Claudian. *præfat. ad Consul. Manlii Theodori.* Alii de corvis id scribunt: cygnos fuisse, Scholiastes Pindari & Plutarchus habent, sed de Aquilis sententia communior est. Vide & Pausaniam, *l.* 10. qui hôc fine *Umbilicum fasciis velatum*, ex candido marmore in Templo Delphico, asservatum fuisse, narrat. Sic Italiæ *Umbilicus*, in agro Rheatino. Solin. *c.* 8. Siciliæ, in Enna civitate, Cicer. 6. *Verr.* Græciæ. in Ætolis, collocatus olim, Liv. *Dec.* 4. *l.* 5. &c. Vide præfatum Dempsterum, *locô cit.* Recentioribus Græcis ὀμφαλὸς, i. e. *umbilicus*, medium templi dicitur, ut videre est, apud Marcum, *de Dubiis Typici*, *c.* 16. Χαράττει σταυρὸν ἔμπροσθεν τῶν Βασιλικῶν πυλῶν, ὡσαύτως καὶ εἰς τὸν ὀμφαλὸν, ἤγουν ἐν μέσῳ τοῦ ναοῦ. *Facit crucem ante portas Basilicas, similiter in* Umbilico, *i. e. medio templi.* Quod vocabulô magis propriô μεσόναον appellat Balsamon, *ad can.* 47. *Trull. p.* 451. ubi quosdam lectulos seu strata, vel ad majores delicias, vel alioqui, ad suam quietem, ἐν τῷ μεσονάῳ, *in medio templi*, fecisse ait, apud Jo. Casp. Suicerum, *Thesaurô Eccl.* voce Ὀμφαλός. Dominico & Car. Macris *Umbilicus* quoque *lapis dicitur, qui continet compagem & coagmentationem fornicis sese forficum modô intersecantem, quemadmodùm & in forfice umbilicus nominari solet*, ex Budæo *in Aristotelem de Mundo*, & Henr. Stephano, *Thes. Græc.* Sic Anastasius Bibliothecar. *in Benedicto* III. *In Ecclesia*, inquit, *B. Petri, ad cooperiendum Umbilicum confessionis, fecit cooperculum ex auro* &c. In S. Scriptura tandem vox pro libidine & concupiscentia carnis occurrit. *Libido enim in* umbilico *dominatur mulieribus, sicut Lex divina dicit: Non est præcisus umbilicus tuus, quasi diceret, non est amputatum peccatum tuum. Nam & matrix illic catenata constringitur, unde & epinephridia eôdem locô firmandis fœtibus opponuntur*, Fulgentius, *Mytholog. l.* 2. ubi *de Hercule & Omphale.* Vide quoque hic infrà, voce *Umbo.*

UMBER, lacus Umbriæ, in Hetruriæ confinio, apud Tiberim. Propert. *l.* 4. *El.* 1. *v.* 124. idem fortè cum Vadimone. Item fluv. Albionis maximus, *Beda.* Vide *Habus. Ptol.*

UMBILICUS Maris, nominatur *Paulo Diacono* quædam Oceani vorago, quam describit circa littus occidentale Scandiæ. Hujus meminit Sylvester Cambrensis. & nostrô tempore *Olaus Magnus*, sub nomine *Charybdis.* Lucas Aurigarius eum appellat *Maelstroom* sed propriô nomine *Moustestroome*, eumque à peritis naucleris etiam *navel der Zee* idem cum umbilico maris sonans vocari addit. Haud procul est à Norvegiæ continente; & ab effectu nomen sortitur. Est enim maris Germanici locus, ubi, teste *Ortelio*, singulis senis horis crescente Oceanô aqua deorsum in barathra demergitur, atque devolvitur rotatione adeò violentâ, undarumque strepitu tam incredibili, ut plenè quis admirari vix possit, nedum describere; & contra eadem totidem horis Oceanô decrescente rursum ex imo resurgit, sursumque emergit, atque attollitur tantô impetu, ut nulla sit tam ingentis ponderis moles, neque ullum, quantumvis vastissimum, piscium genus, quod ad fundum subsidere queat; omniaque tunc anteà rapta absortaque, inter quæ interdum naves hominibus & mercibus onustas eructat & evomit. Patet hæc vorago in ambitu ad 13. milliaria Germanica, sive 40. mill. pass. cujus punctus est scopus *Mouske* dictus.

UMBO, ex Græco ἄμβων, Æol. ὄμβων, idem cum *Umbilicô*, quæ vox indidem orta. Hinc, quos in cylindris, qui nonnullis ex beryllis fiebant, *umbilicos* Plinius, *l.* 37. *c.* 5. Solinus *umbones*, appellat, duo nempe utrinque capita, quæ tales aurô comprehendere solebant, uti diximus suprà. Et quos *umbilicos* in clypeis Tertullianus *de Cultu Fœm. Vos verò adjicitis ad pondus colluræ quasdam vel scuti* umbilicos *cervicibus adstruendos*, alii *umbones* itidem vocitant. Quod & in gemmis usu venire, retrò diximus. Inde ἄμβιξ, *olla*, Græcis & ἄμβων, *ampullarum venter*, ab umbilicato tumore: atque hinc lapideus suggestus, rotundus instar turris, unde legebantur S. Scripturæ ad populum & sermo prædicabatur, cujus descriptionem habes luculentam; apud Paulum Silentiar. *Poëmate*, cui tit. Ἔκφρασις τοῦ Ἄμβωνος. Vide suprà quoque, voce *Ambo.* Addo hic saltem, non in eo solùm sacras has actiones obitas, sed & post eum, propter eos qui in extrema parte stabant, finitâ liturgiâ, orationem recitari consuevisse, quæ εὐχὴ ὀπισθάμβωνος hinc dicta erat; quasi σφραγὶς πάντων τῶν αἰτημάτων καὶ ἀνακεφαλαίωσις τακτική, πρέπουσα τοῖς πρώτοις καὶ τιμιωτέροις ἐπιλόγοις, *sigillum omnium petitionum. & summa ordine repetita, conveniens primis & pretiosioribus epilogis*, ut ait Germanus Constantinopolitanus, *Histor. Eccl. p.* 179. apud Jo. Casparum Suicerum, *Thes. Eccl.* in voce Ὀπισθάμβωνος. Apud Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 46. *v.* 5.

In turbam incideris; cunctos Umbone *repellet;*

vox de cubito quibusdam intelligitur, quô turba obvia, haud secus ac umbone hostes, repellitur: Et favet Luciani *Crito*, πολλοὺς παραγκωνισάμενος καὶ τὸ ἰσθμὸν χαῦς εἰπών, ac Iuvenal. *Sat.* 3. *Hic cubito ferit.* Vide quoque Turnebum, *Adversar. l.* 13. *c.* 15. & *l.* 22. *c.* 7. & 9. Comici ἀλλοπρανίζειν dixêre, ab ὠλένη *cubitus*, & κρανίον aut κρανός, *cubiti* aut brachii *extremum*, ut videre est apud Pollucem, *l.* 2. *c.* 4. Sed Musambertius de *Umbone* Togæ intelligit: qui quid propriè fuerit, acriter inter se disceptant Joh. Frid. Gronovius, & Octav. Ferrarius, ut videre est in Epistolis illorum ἀμοιβαίαις, quas hic Operi suo inseruit *de Re Vestiaria Part.* 1. *l.* 1. *c. ult.* Et quidem Ferrarius, concedens Togæ *Umbonem* idem fuisse Macrobio & Tertulliano, quod *Baltheum* Quintilianus vocat, in Togis communibus *Umbonem* intelligit sinum rugis ac plicis fortuitis protuberantem, neque illum à sinu in vulgari Toga distinctum fuisse contendit: imò nec aliud quid fuisse, quàm rugas & plicas utriusque sinus, tàm illas, quæ de faucibus ad sinistrum brachium cadebant, quàm quæ de inferiori Toga eodem brachiis subducta cogebantur. Quod probat ex Persio, qui *candidum Umbonem* appellat, *Sat.* 5. *v.* 33. Togæ puræ, depositâ Prætextâ: *In prætexta.* inquiens, *candidus esse non poterat, sed purpureus, sive purpurâ distinctus: Ergo extrema Togæ ora, quæ sola purpurâ prætexebatur, pars Umbonis erat, ea scil. quæ brachiô sinistrô ad pectus subducebatur; Nulla in sinu superiore purpura, aut alibi, quàm in ima ora. Quare, si prætextatus quis sinistro brachio togam demisisset, purpureus Umbo non fuisset: quæ clarè evincunt, Umbonem etiam ex rugis inferioris sinus fuisse confectum. In universum ergo brachiô intra Togam cohibitô, nulli sinus fuêre; nulla ruga, quales erant antiquissimorum Togæ: brachio dein dextero atque humero exerto Togæ pars superior, quæ dextrum humerum, dextramque pectoris partem velâsset, si brachium non exereretur, à faucibus dejecta cadebat in pectus, nec cadere poterat, nisi complicata in rugas, hic Sinus superior fuit: Ad has rugas aliæ accedebant, quas nempe Togæ ima ora brachio subducta reddebat, qui Sinus inferior. Utrarumque rugarum aggestio ac conglobatio protuberans clypei Umboni similis erat, unde Umbo Persio.* Tertullianum verò, *Umbonem* à sinu distinctum facientem, centrum videl. & nodum artificem coëuntium plicarum, ibidem, refellit. Vide quoque ejusd. *libri c.* 6. & Salmas. *ad Tertull.* nec non suprà aliquid voce *Sinus.*

UMBRA, an ab *imbre*, quòd omnes Umbræ humidæ; an quòd *imbres* obscurant lucem Solis: *Perot.* & *Isidor.* an à terra, cujus etiam *color* dicta Veteribus, *humi chroa*, χροία enim Græcis *color*; pòst *Humbra* & *Umbra*, i. e. *Terræ color*? *Becmann.* aër est carens Sole. Earum rationem in Græcia primus observâsse dicitur Anaximenes Milesius Anaximandri auditor, qui Gnomonices initia primus dedit Græcis & horologium, quod *Sciothericum* vocatur, Lacedæmone ostendit primus, teste Pliniô, *l.* 2. *c.* 76. & Laërtiô, *in vita Anaximandri.* Quod factum Olympiade 58. tempore Cyri ac Servii Tullii, circa annum Urb. Cond. 200. Multò verò antè ea res cognita fuit in Populo Dei. Unde 2. Reg. *c.* 20. *v.* 11. memoratur, ut Ezechiæ, Regi in Horologio sciotherico Regis Achazi (is Ezechiæ seu Hiskiæ Pater fuit) regressu *Umbra* sanitatis signum datum fuerit, ab Iesaja Propheta. Achazus autem fuit ante Anaximenem annis circiter 200. utpote Romuli σύγχρονος, cujusque obitus incidit in Olymp. 12. Locus autem Regum præfatus sic habet: *Quapropter, cùm inclamâsset Jeschahia Propheta Jehovam; reduxit* Umbram *illam iisdem gradibus, quibus descenderat in solario Achazi decem gradibus.* Cujus miraculi Fama cùm Babylonem usque perlata esset, *Misit Berodac Baladan, filius Baladanis, Rex Babyloniæ literas cum munere ad Chizkijam, versu seq.* Apud Romanos, Sciotherica diu post Græcos habuêre, idque demum tempore belli Tarentini, ac cum Pyrrho Rege, an. Urb. Cond. 478. quem annum designat Plinius, *l.* 7. *c. ult.* atque addit, id factum esse *à M. Valerio Messalla Consule, Catanâ captâ in Sicilia.* Ac mox. *Nec congruebant ad horas ejus lineæ, paruerunt tamen eis annis undecentum, donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paulo fuit Censor, diligentiùs ordinatum juxtà posuit. Etiam tum tamen nubilô incertæ fuêre horæ, usque ad proximum lustrum. Tum Scipio Nasica, collega Lænatis, primus aquâ divisit horas, æquè noctium ac dierum: Idque horologium sub tecto dicavit, an.* Urb. Cond. 595. *Tamdiu Populi Rom. indiscreta lux fuit.* In Gallias primus Sciotherica invexisse, putatur Elias Vinetus: Est autem Sciothericum vel diurnum sive Solare; vel nocturnum, quod vel Lunare, vel Siderale: in quibus Solaria præstant, à Pastoribus primitùs, ex *Umbris* arbo-

rum, inventa. Vide Gerh. Joh. Voss. *de Scientiis Mathem.* c. 28. §. 12. & *seqq.* Sed haud adeò antiquus Horologiorum hujusmodi usus Salmasio videtur, ut ad Anaximandrum aut ejus discipulum Anaximenem referri queat. Nec horas certè Sciothera illa indicâsse, sed æquinoctia tantùm ac solstitia designâsse. Laertius testis est. Unde plus quàm ducentis annis ab Anaximandri morte, nec horarum nomen, pro minutis illis diei particulis, in Græcia auditum, nec usus horologii sciotherici ullus cognitus est. Ut constat ex Menandri hisce, quæ Athenæus citat, *l.* 6. ex ejus Comœdia *Orge*, ubi de Chærephonte,

——— ὅς κληθείς ποτε
Εἰς ἑστίασιν δωδεκάποδος, ὄρθριος
Πρὸς τὴν σελήνην ἔτρεχε τὴν σκιὰν ἰδὼν,
Ὡς ὑστερίζων, κ̓ παρῆν ἅμ᾽ ἡμέρᾳ.

Nempe tum adhuc veteri more, horarum vice, *Umbram* pedibus metiebantur, & ad certam ejus mensuram decempodalem ut putà, (quæ prolis gratissima parasitis. Erasm. in *Adag.*) vel plurium pauciorumque pedum, cœnæ tempus indicebant. Unde partes diei, quæ *ὧραι* apud Veteres dicebantur, *ἑξάπους σκιὰ*, *umbra sex pedum*, *ἑπτάπους*, *ὀκτάπους*, & sic deinceps, ab umbræ mensura pedibus comprehensa. Imò, non ut horas cognoscerent, umbras metiebantur: sed ex umbrarum magnitudine pedibus admensa colligebant, quantum diei à manè ad meridiem superesset, quantumque à meridie ad vesperam itineris restaret Soli faciendum, sicque eâdem ferè ratione umbrarum modulis diem partiebantur, ut posteà horis sunt dispertiti. Ut verò *ἑπτάπους* & *ὀκτάπους σκιὰ*, dicebatur, ita & *ἑπτάπουν* & *ὀκτάπουν στοιχεῖον*, pro eodem, occurrit apud Aristophanem, in Ἐκκλησιαζ. Vide præfatum Salmas. *ad Solin.* p. 632. & *seqq.* ut & suprà, ubi de *Horis*, *Horologiis*, *Sciathericis*, *Solariis* &c. De *Umbrarum* in Gymnasticis exercitationibus usu, diximus in voce *Sciamachia*. Graphice quoque, ab Optica capit hæc duo, *Umbram* & lucem; quorum prior facit recessum, sive ut aliqua longiùs distare videantur, lumen verò præstat, ut quid emineat, sive ut propiùs abesse videatur. Ad *Umbram* conducit ater color; ad lucem, candidus. de quo invento ita Plinius, *l.* 35. *c.* 3. *De Picturæ initiis incerta, nec instituti operis quæstio est. Ægyptii sex millibus annorum apud ipsos inventam, priusquàm in Græciam transiret, adfirmant, vanâ prædicatione; ut palàm est. Græci autem Sicyone, alii apud Corinthios repertam, omnes Umbrâ hominis lineis circumductâ. Itaque talem primam fuisse: secundam singulis coloribus & monochromaton dictam, postquàm operosior inventa erat, duratque talis etiam nunc. Inventam linearem dicunt à Philocle Ægyptio vel Cleanthe Corinthio. Primi exercuère Ardices Corinthius & Telephanes Sicyonius, sine ullo etiamnum colore, jam tamen spargentes lineas intus. Ideo & quos pingerent, adscribere institutum. Primus invenit eas colorare testâ, ut ferunt, tritâ, Cleophantus Corinthius* &c. Ubi, originem Picturæ, ex lineis *Umbra* hominis circumductis videmus Græcos arcessere. De progressu Artis dein, *c.* 5. sic scribit: *Tandem se Ars ipsa distinxit, & invenit lumen atque* Umbras, *differentia colorum alternâ vice sese excitante. Deinde adjectus est splendor: alius hic, quàm lumen: quem quia inter hoc & Umbram esset, appellaverunt tonon: commissuras verò colorum & transitus, harmogen.* Quæ abunde elucent ex Amulii Minerva, de qua Plinius, *l.* 35. *c.* 10. *extr.* Apellis Hercule averso. Plin. *l.* 36. *c.* 5. ex Bupalo & Anthermo, in Chio, Lucian. *in Dea Syr.* Vide & Tzetzen, *Chil.* 11. *Histor.* 381. ac præcipuè, *l.* 8. *c.* 191. ubi eadem illustrat Phidiæ & Alcamenis exemplô. Primus verò Apollodorus Pictor, *ἀνθρώπων εὗρε φθορὰν καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς*. *Inter homines, reperit colorum mistura & umbræ usum*: fuitque Atheniensis. Vide Plutarchum, *Bellóne, an pace illustriores fuerint Athenienses?* Dein Zeuxis, luminum *Umbrarumque* rationem exactiorem invenit teste Quintilianô, *l.* 12. *c.* 2. Non exiguæ enim Artis est, *Umbram* luci immittere, aut lucem umbra obscurare, *unde fatis liquet, picturæ etiam mediocri cognitione, judicium acui in luminibus, coloribus & umbris dignoscendis; quæ res multùm confert & in Naturæ scientia & in Vita civili.* Voss. *tr. de* 4. *Artibus Popular.* c. 5. *de Graphice* §. 12. & *seqq.* &c. Nec omittendum, quòd *Umbram* quoque vectigalem fecit avaritia prisci ævi, uti discimus ex Plinio, *l.* 12. *c.* 1. quodque Isidorum Presbyterum Alexandrinum, tantæ etiam Gentilibus admirationi fuisse, ut *umbram* quoque ejus reveriti sint, legimus apud Palladium &c. Alias significationes vocis vide hic infrà.

UMBRA Pompeja, pro porticu Pompeji, apud Martialem, *l.* 5. *Epigr.* 10. *v.* 5.

Sic veterem ingrati Pompeji quærimus Umbram;
Sic laudant Catuli vilia templa senes.

Vide suprà, voce *Porticus*.

UMBRACULUM, Græcè Σκιάδιον, pro *Umbella*. Ovid. *Faster.* *l.* 3. *v.* 311.

Aurea pellebant rapidos Umbracula *Soles*,
Quæ tamen Herculeæ sustinuère manus.

Ubi Neapolitanus docet, è pellibus aliaque qualibet materie divite, fieri consuevisse. Vide suprà in voce *Umbella*. Græci *Umbracula*, pro casis ac locis Actorum excitata, *Scenas* vocavêre. Ita enim Jul. Cæs. Scaliger, *Poëtic.* *l.* 1. *c.* 21. ubi de Theatro: *Pro locis Actorum & Thymelicorum excitata sunt per initia*, Umbracula *pro casis. Scenas Græci vocant. Mansit nihilosecius nomen posteà marmoreis quoque.* Vide suprà in voce *Scena*, item *Topia*. Sed & sub *Umbraculis* merces vendebantur, uti diximus ubi de *Opificibus* &c.

UMBRÆ, dicti Veteribus, qui non invitati quidem ipsi, amicum tamen invitatum, ad convivium, comitabantur. Origo à Socrate, ut videtur, qui Aristodemum induxit non vocatum, ut iret secum ad Agathonem: ubi jocularium quid accidit. Imprudens enim ille in via Socratem post se reliquit, ac ingressus prior est, planè *umbra* antecedens corpus, quod à tergo lumen habet. Post tamen in præbendo hospitibus convivio, maximè Principibus viris, necessarium fuit, ut cùm ignorarent comites, qui in honore apud eos erant, hospiti permitterent invitandi arbitrium, sed definirent numerum, ne accideret iis idem, quod accipienti epulô ruri Philippum Regem, qui cùm multos secum traxisset, ad cœnam paucis instructam, conspicatus hospitem perculsum, significavit per internuntium amicis, ut placentæ locum relinquerent. Quam dum exspectantes parciùs attingebant cætera, affatim cœna omnibus fuit. Plut. *Symposiac.* *l.* 7. *Quæst.* 6. Vide & *Musca* suprà. Sed & *Umbræ* dicebantur olim Animæ mortuorum, quas velut *Umbras* esse fingebant, de quarum circa sepulchra apparitione, vide variis in locis Fortun. Licetum, *de Lucernis Antiqq.* Seu potiùs Spectra infernalia, quæ Animas se esse mentirentur. Istiusmodi *Umbras*, æris tinnitu, in sacris Lemuralibus, ab Anu expelli consuevisse, scribit Ovidius, *in Fast.* Unde & Alexander Aphrodisæus in suis *Problem.* *æris sonô*, ait, *malos Spiritus depelli, eamque ob rem, in Lunæ defectu, æra moveri fuisse in more positum.* Vide Hieron. Magium, *de Tintinnabulis*, *c.* 14. Ita autem Ovidius habet, *l.* 5. *Fast.* *v.* 441.

Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat Umbra *suis.*

Ubi crepitus fiebat ad finem sacrificii, ut volens *Umbra* discederet: unde sunt abacta silentia. Imò & lacte sparsæ, retrocedebant. Papinius Statius, *l.* 4. *Theb.* *v.* 545.

——— *alias avertere gressus*
Lacte quater sparsas, mæstôque excedere luco,
Nata jube ———

Ubi *quater* nonnullis exponitur sæpius: Barthius autem *ritualé* esse verbum numerumque Papinium posuisse constitutum, non dubitat *ad h. l.* qui etiam de *Umbrarum circumvolatione circa cadavera, donec illa consumerentur; curvis unguibus; evocatione; iracundiâ & vindictæ cupiditate; responsis* (quæ qui petebant, *Umbrarii* dicuntur in *Edict.* Theodorici Regis, *c.* 108.) aliisque huc pertinentibus, varia eruditè collegit, ex Veterum monumentis, *in Animadversionibus suis Papinian. passim*: De Umbris, Neptunalium Festo, à Romanis excitari solitis, vide Ovid. *l.* 3. *Faster.* plura verò hanc in rem suprà, vocibus *Aheri*, *Anima*, *Biothanati*, *Manes*, *Necyomantia* &c. Addam hoc unum, quòd *Umbras accusatrices*, post hanc vitam, quarum meminit Lucianus *in Necyomant.* non malè referre maleficos Spiritus, qui homines reos in ultimo Judicio delaturi sunt, ut ex Scriptura sacra addiscimus, observat Tob. Pfannerus, *Systemat. Theol. Gentil. pur.* c. 20. §. 10.

UMBRANICI, populi fuère Galliæ Narbonensis, inter Cemenum montem ad Occidentem Vardonem fluv. ad Merid. Rhodanum, ad Ortum & Ardescam, quô ab Helviis separantur. Ibi pars est Occitaniæ inferioris, vulgò Uticensis tractus *l'Uzege*, cujus caput Uccria, 25. leuc. à Vabris in Ortum, *Baudrand.* Valesio, à Volcis Tectosagibus seu Tolosanis non procul abfuerunt: certè pagus, inquit, vulgò dictus *Avraguez* Tolosâ non longè remotus, ab nomine *Umbranicia* parum recedit; sed nihil affirmat, *Notit. Gall.*

UMBRARII, qui ab umbris, i. e. à Spiritibus responsa expetunt: vide Edictum Theodorici Regis, c. 108. Augustin. *Confess.* *l.* 10. *c.* 25. Ubi *Non curo*, ait, *nôsse transitus siderum, nec anima mea quærit unquam responsa* Umbrarum, *omnia sacrilega sacramenta detestor*: Eundem, *l.* 7. *de civ. Dei*, *c. ult.* &c.

UMBRATICUS Ordo, apud Dominic. Macrum, *Hierolex.* idem cum *Nigrorum Ordine*. Vide suprà, ubi de *Nigris Monachis*.

UMBRIA, etiam vulgò *l'Ombria*, an ab umbra Apennini? regione Italiæ ampla, Apenninô monte divisa, inter Etruriam ad Occidentem, Tiberi discreta, & Sabiniam ac Picenum ad Ortum, Nare fluv. ad Meridiem terminata, mari Adriaticô ad Boream. *Ombria* olim dicta, teste Plin. *l.* 3. *c.* 14. quasi ab *imbribus*, vel ab *Umbrone* fluv. teste eôdem Plin. Urbes *Narnia*, *Interamna*, *Fulginium*, *Nuceria*, *Assisium*, *Eugubium*, *Tifernum*, *Tudertum*, *Ameria*, & *Spoletium*, a quo nunc ea regio *Ducatus Spoletinus* dicitur, & hæ sunt Cisapenninæ. Transapenninæ verò *Urbinum*, *Fanum*, *Pisaurum*, *Senogallia*, *Forum Sempronii* & *Callium*. *Baudrand.* *l'Ombrie* Gallis; aliàs divisa fuit in Vilumbriam, seu Umbriam trans Apenninum, & Olumbriam seu cis. Ibi hodie pars Romandiolæ, Ducatus Urbini, & minuta pars Piceni. Hic territorium Perusinum, ager Civit. Castellanæ, & Ducatus Spoletanus. Umbria autem recens complectitur tantùm Ducatum Spoletanum, Gallis *le Duché de Spolete*, vulgò *Umbria*. Terminatur à Septentrione Marchiâ Anconitanâ, ab Ortu Aprutiô ulteriore, ab Occasu territoriis Perusinô & Orivetanô, à quibus separatur Tiberi, à Meridie provinciâ Patrimonii & Sabinâ. Tota sub Pontifice. Ejus urbes præcipuæ Spoletum, caput Provinc. Fulginium, Tudertum, Interamna, & Reate. Ut hoc addam. Sub Imperatorib. unum cum Tuscia annonaria Rectorem habuit, quem modò *Consularem*, modò *Correctorem* legas appellatum: vide Salmas. *ad Treb. Pollionem in Tetrico Sen.* & hic ubi de regionibus *Annonariis* ac *Urbicariis*. Populi ejus XV. *Amerini. Assisinates. Foroflaminienses. Fulginates. Hispellenses. Iguvini. Interamnates. Mevenates. Narnienses. Nucerini. Ocriculani. Spoletini. Trebiates. Tudertini. Et Vettonienses*, memorantur in vetere *Inscr.* quæ Fulginii hodieque extat, facta honoris ergò C. *Betuo*, *Tro. Cilo. Minuciano. XV. Populorum Umbriæ. Patrono.*

trano. Municipi apud Jac. Sponium, *Itinerar. Parte* 3. *p.* 42. & 43. de quibus omnibus vide suo loco.

Urbes Umbriæ hujus temporis.

Ameria, *Amelia*, Episcopalis, libera, i. e. à jurisdictione Archiepiscopi exempta.
Assisium, veteribus Æsisium, *Assisi*, Episcopalis, libera.
Burgum S. Sepulchri, sub Archiepiscopo Florentino, & Magno Duce. *Borgo di S. Sepolcro.*
Callium, *Cagli*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Camerinum, *Camerino*, in confinio Piceni, in Marchia Anconitana.
Eugubium, *Gubio*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Fanum Fortunæ, *Fano*, Episcopalis, libera, intra fines Ducatus Urbini.
Forum Sempronii, *Fossombrone*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Fulcinium, *Foligno*, Episcopalis, libera.
Hispellum, *Spello*, olim Episcopalis, sedes Spoletinæ juncta, oppidulum.
Interamna, *Terni*, Episcopalis, libera.
Leopolis, *S. Leo*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Manliana, *Magliano*, sedes Episcopi Sabinensis, in Sabina.
Mevania, *Bevagna*, olim Episcopalis, sedes Spoletium deducta, nunc castrum.
Narnia, *Narni*, priùs Nequinum, Episcopalis, libera.
Nuceria, *Nocera*, Episcopalis, libera.
Nursia, *Norcia*, olim Episcopalis.
Ocriculum, *Otricoli*, olim Episcopalis.
Pisaurum, *Pesaro*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Reate, *Rieti*, Episcopalis Sabinorum, libera.
Senogallia, *Sinigaglia*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Spoletium, *Spoleto*, Episcopalis, libera, Umbriæ caput.
Tifernum geminum: Tiberinum, *Citta di Castello*, Episcopalis, libera; alterum Metaurense, *S. Angelo in Vado*, sedes Urbaneæ juncta.
Trebia, *Trevi*, olim Episcopalis, sede Spoletium translatâ, nunc castrum.
Tudertum, *Todi*, Episcopalis, libera.
Vettiona, *Bittona*, olim Episcopalis, nunc castrum.
Urbanea, *Urbanea*, Episcopalis sedes Tiferno Metauro juncta:
Urbinum, *Urbino*, Archiepiscopalis & Ducatus Urbinatis caput.

Interiere Forum Flaminii, Carsula, Interocrea, & Martula seu Martana urbs. Populi *Umbri*, ut & Græcis scriptoribus Ὀμβρικοὶ dicuntur. Patria fuit Propertii Poetæ. Sic enim ipse *l.* 1. *El.* 22. *v. ult.*

Proxima supposito contingens Umbria campo,
Me genuit terris fertilis uberibus.

Vide Cluverium & Leand. Albertum *descr.*

UMBRIATICUM, vulgò UMBRIATICO, urbecula Calabriæ citerioris *Brustacia* aliis. Episcopalis sub Archiepiscopo Siberinensi, ad radices montium. 12. mill. pass. à mari Ionio in Occasum 10. à Siberina in Boream, vulgò *Umbriatico.*

UMBRICA, seu UM. oppid. Faliscorum, prope Fescennium Urbem apud Treliam fluv.

UMBRICIUS, haruspex qui 18. Kal. Febr. sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ tristia exta & instantes insidias ac domesticum hostem prædixit. Tacit. *l.* 1. *Hist. c.* 27.

UMBRO, fluv. Hetruriæ, inter Senam & Aretium oriens, in Austrumque fluens, apud Rosetum urb. quam alluit, mari Tyrrhenô exceptus. *l'Ombrone. Baudrand.* Oritur in agro Senensi, in confinio tractus Florentini, 10. milliar. à Senis in Ortum. Dein in Merid. tendens, auctus Arbiâ infra Bonum conventum, Merol & Orciâ fluv. versùs Rosetum labitur, & 5. milliar. infra in mare Tyrrhenum cadit, 7. milliar. à Telamone in Circium. Rutilius, *l.* 1. *v.* 337.

Tangimus Umbronem: non est ignobile flumen,

Item oppid. Hetruriæ in monte *S. Quiricio Annis.* In Senensi territorio, à Senis 10. mill. pass. in via, quæ Romam ducit, occurrens, inter Montem Alcinoum 3. & Picentiam 2. *Ferrar.*

UMIDIUS Quadratus, inter eos, quos Hadrianus Cæsar graviter insequutus est, memoratur Spartiano in *Vita* ejus, *c.* 15. Nomen familiæ ab *humore* & *humido*, pro quibus Veteres *umorem* & *umidum* scripsère. *Umidios* certè, sed & *Ummidios*, lapides quoque exhibent. Salmas. *ad loc.*

UNA, Mauritaniæ Tingitanæ fluv. *Ptolem.* in Oceanum Atlanticum fluens, inter Usadium promontor. ad Boream & Athantem majorem apud Surigam Urbem. *Sus*, teste *Marmolio.*

UNCÆ Manus, apud Papinium, *l.* 2. *Theb. v.* 577.

——— *abscissis infringens cautibus* uncas
Exsuperat juga dira manus, *scopulosque potitus:*

Manus sunt *in uncos* compositæ, quibus comprehendens scopulos se elevabat, ut se in cautes attolleret, uti locum exponit vetus Scholiastes. Alluditur ad morem per abrupta enitendi, Curtio indigitatum, *l.* 7. *c.* 11. ubi de Petra Arabiæ ab Alexandro ad deditionem coacta: *Ut in prærupta perventum est, alii manibus eminentia saxa complexi levare semet, alii adjectis funium laqueis evasère, quùm cuneos inter saxa defigerent, quis gradus subinde insisterent* &c. Quo genere scandendi exercitatissimum Eurybatum furem, jussum solertiæ suæ specimen edere, circumpositis spongiis & stimulis, vel *uncis* ferreis, in parietes ascendisse, & tandem coram custodibus ipsismet, artes has admirantibus, tectô superatô, evasisse è carcere, tradit *Suidas.* Est autem *uncus* ferrum incurvum acuminatumque, an ab *unguis*, an à Græco ὄγκος *tumor*, quòd, ubi incurvatur, videtur intumescere? Cujusmodi *uncos* in telo Parthenop[æi] tres numerat Statius iterum, *l.* 9. *Theb. v.* 750.

——— *cui luminis orbe sinistri*
Aspera tergeminis acies se condidit uncis:

adeò ut sine maxima pernicie evelli non posset. Quemadmodùm, de Alexandro M. legimus, in Oxydracarum urbe sagittâ, cui similes hami inerant, vulnerato, apud eundem Curtium, *l.* 9. *c.* 5. de *uncis quadruplicibus.* Vide notata Justo Lipsio, *Poliorcet. l.* 4. *c.* 6. uti de *uncinis januarum* apud Veteres quos κλεῖδας dixère Græci, item de *Uncino* seu digitulo *ferreo*, ad subaperiendas fores, apud eosdem usitato, supra, ubi de *Foribus*, item voce *Lusciniolus*, alibique passim. Sed & *Unci*, Veteribus in usu, ad Reos excarnificandos vel pertrahendos ad pœnæ locum, h. e. ad scalas Gemonias, etiam ad eosdem in sublimi appendendos & demum, ad infames, multisque flagitiis ac sceleribus adstrictos, qui ex hac vita discessissent, in sentinas, fordium receptacula, Tiberim raptandos. Sueton. *Tib. c.* 54. *Uncos & laqueos carnifex ostentabat.* Vide quoque Arnob. *adv. Gent. l.* 2. Hinc Prudentius *περὶ στεφ. in Vincentio Mart. v.* 173.

Hæc fatur & stridentibus
Laceratur uncis *denuo.*

Ubi tamen, uti in *Martyrologiis* passim, non Veter. *uncos*, sed *ungulas*, de quibus infra, intelligendos monet Desid. Heraldus, *ad Arnob.* Ad Veter. verò morem pertinet, quòd de B. Sebastiano legimus, fuisse corpus ejus post obitum ipsius, in cloacam Maximam *unco* pertractum: quidquid enim in maximè flagitiosos statui a Gentilibus solebat, idem Christiani ab iisdem patiebantur. Describi autem *Uncus* talis sic optimè potest, quòd fuerit baculus oblongus, sive hastula oblonga, ab altero latere ferramentum habens incurvum, ac in se retortum, cum in usum inventum, quem diximus. Vide Gallonium, *de Martyrum cruciat.* Meminit de *Uncis*, Cicero, *Philipp.* 1. *c.* 2. *Uncus impactus est fugitivo illi.* Amm. Marcellin. *l.* 7. *Intendebantur Equulei Uncique parabat carnifex.* Seneca, *de Ira, l.* 3. *c.* 3. *Cadavera quoque trahens Uncus.* Sidonius Apollin. *l.* 1. *Epist.* 7. *in fin. Uncum & Gemonias & laqueum per horas turbulenti carnificis perhorrescens* &c. Hodieque, in Hungaria inprimis, nihil inter Hungaros Turcasque frequentius *Unci* suppliciô, quô Proditores inprimis affici solent: sed palus is est erectus, cum ingenti, in medio, *Unco* è ferro, cui miseri impacti pendent aliquando satis diu, donec penitus exanimentur. Unde memorabile, quod de Demetrio Duce Wisnovecio Polono, uno ex Majoribus Michaëlis Wisnoveccii nuperi Regis, circa A. C. 1600. Walachorum insidiis ad Turcica vincula deducto, & Selimi jussu, qui fortitudinem ejus & fidem limis aspexerat oculis, ex *Unco* istiusmodi ferreo, quò lentiùs periret, suspenso, scribit Stanislaus Sternbergius, *Chronol. Palmitis Corylutti.* Cùm is vitam in truci hoc supplicio aliquandiu toleràsset, gratiam sibi fieri petiit, ut militari more datâ pharetrâ suâ cum manipulo sagittarum liceret perire. Quam cùm impetràsset, intorsit sagittisque emissis præcipuos Turcas exanimavit, unâ sagittâ ad cervicem repositâ. Quò ad Selimum perlatô, cùm is celeriter advolans miraretur tantum vigoris adhuc Demetrio superesse; iste sepositam sagittam pharetræ mox applicans, eam in Tyrannum direxit. Verùm, cùm viribus jam vacillantibus frustra esset, ità percitus Selimus, ilico Sagittarios telis ipsum conficere jussit. Vide Auctorem Anonymum, *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 8. *uti de Polonia Regno,* §. 2. & plura, voce *Tractus.* Sed & in feras, leones inprimis, *uncos* injici mos. Ezech. *c.* 19. *v.* 4. *Et duxerunt eum uncis* (vel *uncinis*) *in terram Ægypti:* ubi de Judæorum Rege sermo est, quem leoni in fovea capto assimilat Propheta. E fovea enim in caveam *uncis* leonis tracti, per varias regiones circumferri olim hodieque consuevère. Balænas Crocodilosque similiter *uncis impactis* in potestatem redigi notum. Quò respiciens Deus Job. *c.* 40. *v.* 21. de Leviathane, *Ponesne*, ait, *uncum* (ferreum) *in naribus ejus, aut maxillas ejus hamô perforabis.* Et Ezech. *c.* 29. *v.* 4. ubi sub ceti aut crocodili figura Pharao describitur, *Indam*, inquit, *hamos genis tuis;* quomodo hodieque Itali bubalos, annulô naribus insertô, quovis ducunt. Sed & uncinos ferarum naribus aut malis affigebant, quo invitæ traherentur. Ad quem morem iterum Deus alludit, Rabsaci dicens 2. Reg. *c.* 19. *v.* 28. *Ponam* uncinum *meum in naribus tuis.* Et principi Gog. Ezech. *c.* 39. *v.* 2. *Indam* uncinos *maxillis tuis.* Atque hujusmodi *unci* magis intelligi videntur, apud eundem Prophetam *d. l.* ubi de leonibus. Plura hanc in rem apud Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 4. ubi vocem Hebr. חחים explicat. De *uncorum* in vulpibus lupisque capiendis usu, vide aliquid infrà voce *Vulpes.*

UNCARE, Græcè ὀγκᾶσθαι, ursorum vox, apud Auctorem poematii *de Philomela*, potiùs asinorum, vide infrà *Ursus.*

UNCHÆ, Assyriæ aut Mesopotamiæ Urbs, apud Curt. *l.* 4. initiô. *Oncha* habent alii codd. *Sochos* Arrian. *l.* 2.

UNCIA, *Οὐγκια* Siculis, minutus nummus, Romanis duodecima pars Libræ. Plurima enim, in re Monetali, vocabula Siculorum adoptavêre Romani, non ut eandem quidem omnibus partibus rem significarent, sed tamen, propter quandam analogiam. Ita sicuti Obolum, nummum argenteum, dixerunt *λίτραν*; Romanis Libra *σταθμὸς* cujusvis rei ponderandæ, sed prima in ære. *Οὐγγία* Siculis minutus ex ære nummus, ut dictum, Romanis pars minima Libræ. Siculis decalitron secabatur, in decem partes argenti: Romanis *Denarius* appellabatur à decem libris æris, dividebaturque in quatuor partes argenti &c. Unde optimè monet Gronovius, licet hujusmodi Latinorum vocabulorum nonnulla Græcæ originis sint, vim tamen eorum ac potestatem totam esse Latinam. *de Pecun. Vet. l. 4. c. 17.* Est autem *Uncia* signum Græcis, gamma appositum vel superpositum habens omicron. Vide Agricolam, *l. 5. de Ponder. & Mens. in fin.* Unde in Eusebii Pamphili Ἐκλογῇ περὶ σταθμῶν MS. ab Isaaco Vossio sibi communicata, notavit Gronovius. *Δηνάριοι γο δ.* id est, *οὐγκίας τέσσαρες*, *Uncia quatuor*. *Νόμισμα γο α.* i. e. *Uncia una*. *Στατὴρ γο τὸ . . .* i. e. *οὐγκίας τὸ ἥμισυ*, *Uncia dimidium:* stater scilicet argenteus tetradrachmus. Vide eum, *de Pecun. l. 3. c. 10.* Fuit autem argenti *Uncia*, ut P. Gassendus æstimat, valore 64. solidorum Turonicorum, seu 50. Belgicorum, qui efficiunt *Uncialem* sive Thalerum. Gronovio exactè sunt 52. Hollandici, 65. Gallici, quod tamen discrimen tam leve esse, ut non attendi debeat, nisi à Mensariis; ait. In *Unciario* fœnore. *Uncia* non fuit capitis seu sortis, sed centesimæ: sicque in singulos menses fœnus hoc promittebat ejusdem centesimæ partis *Unciam*, ut totò annò existeret una pars centesima integra. Fuit verò centesima, denarius menstruus in denarios centum: uncia denarii sedecim assium, as cum triente; tantum igitur in mensem pariebat unciarium fœnus: qui annui sunt duodecim asses, duodecim trientes, hoc est denarius unus sedecim assium, atque ita denarius unus ad centum annuos accessit *Unciis usuris*, à parte duodecima centesimæ, quæ & ipsa menstrua fuit, appellatis. Vide iterum Gronovium, *l. 3. c. 13.* & suprà *Centesima*. Constituit *Unciarium* hoc fœnus, Lex XII. Tabb. *Neque Unciariò fœnore amplius exerceto.* Hinc Tacitus, *Sanè vetus*, inquit, *l. 6. Annal. c. 16. urbi fœnebre malum & seditionum discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque & minùs corruptis moribus. Nam primò duodecim Tabulis sanctum, ne quis Unciariò fœnore amplius exerceret, cùm anteà ex libidine locupletium agitaretur: dein rogatione Tribunitiâ ad semuncias redacta. Postremò vetita versura multisque Plebis scitis obviàm itum fraudibus, quæ, toties repressa, miras per artes rursum oriebantur.* Repetiit Legem hanc XII. Tabb. Lex Duillia Mœnia an. Urb. Cond. 396. lata, donec an. Urb. Cond. 406. C. Plautiò Ypsæò, T. Manliò Imperiosò Torquatò Consulib. Lex *Semunciarii fœnoris*, quam Tacitus quoque innuit, à Tribunis Pleb. lata est, vide Rosin. *Antiqq. Rom. l. 8. c. 20.*

UNCINATI Calcei, memorati in veter. M. Catonis fragmento, *l. 7. Orig. Qui Magistratum Curulem cepisset, calceos mulleos, alii uncinatos* (uti emendat Scaliger, cùm priùs legeretur *allucinatos*) *cæteri Romani perones* &c. Quibusdam fuêre calcei uncinis ac clavis confixi. Alii pro lunatis accipiunt, per Lunulam Patriciam *uncinum* intelligentes, in fronte prima calcei infixum: Ita Cl. Salmasius, *Notis ad dedic. Statuæ Regillæ* & M. Zuerius Boxhornius. Balduino dicti sunt calcei, *unci* ad instar in altum reflexi & in acumen intortum desinentes: cujusmodi calceum, aut certè ei non multùm dissimilem, aliquoties se Hagæ Comitis, in gazophylacio Johannis Schelhameri vidisse, scribit Andr. Frisius, qui figuram illius Balduini *de Calceo* tractatui inseruit. Atque hi veterum Romanorum calcei fuêre, qualibus & Junonis Sospitæ simulachrum semper ornatum fuisse, testatur Cicero *de Nat. Deor. l. 1. c. 29.* ubi, *Nostram*, ait, *Sospitam nunquam, ne somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis.* Ubi, *repandum* idem, quod recurvum, & sursum versùs reflexum. Similiter, aliæ quoque pleræque veteres cùm statuæ, tum imagines, *uncinatis* istiusmodi seu repandis calceis, insignes sunt. Quibus etiam, ex posteriorum temporum literis, fides amplior accedit. Ita enim Gerson, ubi de corruptis Ecclesiasticorum ævi sui moribus conqueritur, A. C. 1400. *Quid est*, inquit, *quòd quarundam Ecclesiarum Canonici calceis rostrati, vestibus accurtati, abjectò Clericali habitu, militarem assumunt.* Unde militibus saltem rostratos illos calceos familiares fuisse, apparet. *Cornutos* ac *Lunatos* hos calceos vocat Decretum Provinc. Concilii Senonensis, celebrati A. C. 1528. sub Francisco I. *Canon. 24.* quò eorum usu Clericis denuo interdictum. Hinc *Uncipes*, Tertulliano *de Pallio, c. 5. paulò post initium, Calceos nihil dicimus, proprium Togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, verùm & falsam. Quam enim non expediat in algore & ardore, rigere nudipedem quam in calceo uncipedem!* In quo loco *Uncipedem* vocat, cujus calcei uncinati. Vide Ben. Balduinum, *de Calceo antiquo passim, inprimis, c. 8.* Adde Nigronium, *de Caliga*, & Albertum Rubenium *de Calceo Senatorio:* insuper quæ suprà voce, *Pigacia*, it. *Poulainia*, ubi de calceis *Repandis*, voce *Rostra*, alibique passim. Sed & *uncinati panni* mentio est, in *Charta* quadam vetere apud Car. du Fresne in *Glossar.* ubi, quòd *uncis* seu eorum figurâ distinctus esset, sic dictum sit.

UNCTI, vide suprà *Loti*. Cæterùm in Sacris, qui singulari divinæ providentiæ beneficiò ad eximiam dignitatem provectus erat, *Unctus* vocabatur, vide Psalm. 105. v. 15. ut Abraham, & Isaac; & Sacerdos summus, est Sacerdos unctus. Præcipuè verò hòc nomine intelligebatur Libertatis vindex. Ita Saul in Regem unctus est, ut populum ab hostibus circumvicinis liberaret. Azael Rex Syriæ unctus est ab Elia, 1. Reg. c. 19. v. 15. & Deus Cyrum *unctum* suum vocat, Esai. c. 45. v. 1. quia illius, operâ ad libertatem populi sui uti decreverat. Similiter Zerobabel & Josua, qui de Babylonia populum reduxerant, *duo filii olei* a Zacharia appellantur, *c. 4. v. 14.* Joh. Marsham. *Can. Chron. Sec. XIII. ubi de Saule Rege.*

UNCTIO Extrema, inter ritus sacros Ecclesiæ Romanæ, de qua vide aliquid supra, ubi de *Oleo*, item voce *Inunctio*.

UNCTOR, Græcè Ἀλείπτης, servi nomen, qui in balneis Dominum *ungebat*. Consuetudo enim erat Veter. singulis diebus, antequam cibum caperent, in balneo se lavandi & post modùm ungendi. Cicer. *l. 7. ad Fam. Ep. 24. Ille autem, qui sciret, se nepotem bellum tibicinem habere, & sat bonum* unctorem, *discessit à me, ut mihi videbatur, iratior.* Posteà re in voluptatem versâ, Unguentarius accessit; quem ab *Unctore* sic distinguunt, ut hic valetudini, ille voluptati inserviret. Gœddeus, *ad l. 203. ff. de verb. sign. num. 4.* In antiquo lapide, Romæ, *Unctorem*, dextrâ manu guttum tenentem, nec longè strigilem incisam, spectari, docet Victorius, *Variar. Lect. l. 37. c. 1.* De *Unctoribus Gymnasticis* hic infrà.

UNCTUARIUM, Cæcilio Plinio, *l. 2. Ep. 17.* quod Julio Polluci Ἀλειπτήριον, aliis *Elæothesium*, quarta fuit apud Veteres Gymnasii pars, in quo luctaturi vel alias exercitationes aut etiam balneas adituri, qui in Coryceo seu Apodyterio, parte tertia, vestes posuerant, *ungebantur redungebanturque*; Inprimis verò, qui ad luctam vel pancratium sese accingebant, (nam Pugilatoribus, Cursoribusque *unctione* non opus.) Hi itaque Alipterium ingressi *ungebantur*, atque ita uncti ad Conisterium seu partem quintam, transeuntes, pulvere conspergebantur sicque deinceps in exercitationes diversas diversi prodibant: donec, exercitationibus defuncti, ad *Unctuarium* revertebant, ibique à mediastinis & reunctoribus strigilibus ferreis detergebantur, qua de re vide suprà, in voce *Strigilis*. Sed & detersi iterum diligentiores aliqui valetudinis aut delitiarum gratiâ ungebantur, & nonnunquam inuncti balnea ingrediebantur; postque egressi denuo ungebantur, modò simplici oleò, modò variis odoribus conditò, modò diapasmate, ad coërcendos sudores, ut scribit Plinius, *l. 12. c. 19.* Adeò ut varia essent ungendi tempora: Interdum post balnea, quod Homeri temporibus jam observatum fuisse legimus, *Odyss. γ. v. 466.*

> *Αὐτὰρ ἐπεὶ λοῦσέν τε καὶ ἔχρισεν λίπ' ἐλαίῳ,*
> *Postquam lavit & pingui oleò unxit.*

Vide quoque *Odyss. δ.* & *ε.* Interdum quoque ante, sicuti refert Galenus, *de valet. conserv. l. 6.* Unde de Archimede apud Stobæum legimus. *Eum abaco incumbentem, & figuras quasdam ducentem à famulis vi abstractum ungi consuevisse, atque ipsum in corpore ita uncto figuras Mathematicas non rarò designâsse.* Atque in hac Gymnasiorum parte fortè mansêre illi Ministri, qui victus quærendi gratiâ servandis vestibus inservientes, *Olearii* nuncupabantur: quosque etiam in Asiæ balneis adhibitos fuisse, perhibet Epiphanius, *Hær. 30. Ungebantur* verò, Aristotelis tempore, Athletæ simplici oleò & aquâ mixtò, *Problem. 5.* ita enim interiùs penetrans oleum exsiccata membra magis humectat. Hippocrates verò, *de Diæta, l. 2.* istiusmodi actiones minimè permittit, ut corpora plus justò incalescant; auctorque est Plinius, *l. 15. c. 4. Græcos vitiorum omnium genitores oleum primos in Gymnasia invexisse*: de quo Anacharsis quoque dicebat, *insaniæ esse pharmacum*, quoniam eò peruncti Athletæ insanirent. Butyrum, apud nonnullas gentes Barbaras, quibus fortè deerat oleum, in usu fuisse, idem testatur Plinius, *l. 11. c. 41. extr.* & post ipsum Galenus, *de alim. fac.* Etiam aliud misturæ genus posteà inventum est, ex oleo, pulvere & cera commixtum, quod *Ceroma* Plinio vocatur, qui eò Juventutem Romanam, corpora exercendo, vires animorum dicit amisisse. Martialis, *l. 4. Epigr. 19. v. 5.*

> *Seu lentum ceroma teris,*

Vide quoque *l. 5. Epigr. 67. v. 2.* & *l. 7. Epigr. 31. v. 9.* Quanquàm dubium non est, quin apud Plinium, Senecam, D. Hieronymum, Alios, *Ceroma* etiam locus, ubi ungebantur, vocatus sit, quem *Unctuarium* aliàs appellatum esse, diximus. Scribit idem Plinius, oleum in Gymnasiis condiri odoribus, sed vilissimis, consuevisse; quæ omnia de unctionibus ante exercitationes adhibitis, intelligenda sunt: Cùm post illas balneaque infinita propè variorum odoribus conditorum unguentorum genera tradantur usurpata, quæ soli lasciviæ atque libidini inserviebant, ut Plutarchus, *Erotic.* indicat. Et hunc morem oleis odoratis utendi apud exteros quoque viguisse, notat Athenæus, *Dipnosoph. 5.* ubi scribit, *Antiochum Epiphanem apud Daphnem consuevisse, certaminis die, exhibere certantibus olea odorata, crocinum, amaracinum, telinum, irinum, & alia, quibus ungerentur corpora.* Quò fine autem hæc gymnastarum unctio fieret, diversa ab Autoribus memoriæ prodita sunt. Hippocrates, *de Diæta, l. 3. terrarum pulverem oleo admisceri solitum*, scribit, ut suò frigore & siccitate olei æstum & humiditatem temperaret. Alexander, *Problem. 119. l. 1.* Athletas ante exercitationem inungi ait consuevisse, *ut membra emollita laberes, sine rupturæ periculo, sustinerent.* Lucianus, ut corpora fortiora redderentur, luctatores pulvere sese conspergere solitos fuisse, opinatur. Plut. *de primo frig.* ad refrigeranda calefacta corpora & cohibendum sudorem, eum adhibitum judicat. Mercurialis verò Lucianum secutus, usum potissimum pulveriseum fuisse judicat, ne oleò manus laberentur, sed faciliùs exercitatores sese comprehendere valerent, neque sudore diffluerent aut venti corpora aperta ingrederentur. Cui sententiæ favet, quòd ille *ἀφὴ* vocatus est, Martial. *l. 7. Epigr. 66. v. 5. flavescit haphe.* Unde &, si qui adversarios perunctos & sine pulvere certantes vincerent, majori gloriâ digni habiti sunt, quemadmodùm de Dioxippo legimus apud Plinium, *l. 35. c. 11.* & Dioreo, apud Pausaniam,

Eliac.

Eliae. qui proin A'λειπτὴς nomen promeritus est, qua de re vide Horatium, *l.* 1. *Ep.* 1. Quae verò post balnea *unctiones* adhibebantur, fecerunt ne humiditas in balneis acquisita evanesceret, neve reseratis à balnei calore meatibus nativa caliditas exspiraret. Quanquàm etiam aliqui delicatiores, voluptatis & lasciviae gratiâ, odoriferis unguentis aut siccis diapasmatis, ad comprimendum immoderatum sudorem, ut scribit Plinius, *l.* 13. *c.* 7. post balineas ungebantur: de quibus Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 88. *ad Fescenniam*, *v.* 5.

Quid quòd olet gravius mixtum diapasmate virus?

Caeterùm, quomodo ungerentur, nihil certi definitum reperitur. Probabile tamen est, nonnullos, cùm priùs seipsos fricâssent, manibus propriis hoc egisse, aut alterum ab altero vicissim unctum, quòd Lucianus *in Gymnasiis* scribit; licet etiam à servis Gymnastis atque *Reunctoribus* vocatis ungerentur: qui & ipsi priùs fricantes, tandem universum corpus modò leniter, modò secus prementes, perungebant, &, prout temporis constitutio postulabat, aliâs tepidum, aliàs calidum, aliàs frigidum linimentum applicabant: Quae omnia plerunque fiebant in *Unctuaria*. Qui nitrô & aphronitrô sese fricabant, ut meminit Cyprianus, *l.* 4. *Ep.* 7. Martialis, *l.* 14. id fortè agebant, ut sordes corporis meliùs eluerent, atque exsiccarent. Vide Hier. Mercurialem, *de Gymnastic*, *l.* 1. *c.* 8. Vossius similiter *Unctionem* hanc gymnasticam duplicem facit, unam ante exercitationem, quae ceromate fiebat; alteram, quae oleô fiebat magis pretiosô, variisque odoribus conditô, *de Gymnastic.* §. 12. Qui aliàs ungebant, *Unctores* servi erant, Plautus, *Trinummô*, *Actu* 2. *Sc.* 1. *v.* 22.

——— Ducitur familia tota
Vestispica, Unctor, *auri custos.*

Antiq. Inscr. *Aurelius. Eros. Unctor.* Iidem *Alipta* vocati, qui dominum lavantem ungebant. Seneca, *Ep.* 56. *Cùm in Aliptem inertem & hâc plebejâ unctione contentum incidi, audio crepitum illisa manus humeris.* Cujusmodi ministros Commodus Imperator è medio sustulisse legitur, apud Victorem *Edit. A. Schotti.* Instrumenta erant strigilis, linteа, guttus: item ampulla, ac lenticula. Ridet verò Aliptae munus egregiè Epictetus apud Arrianum, *l.* 3. *c.* 26. Interim & peculiaris minister unguentis praefuit, qui premeret ac asservaret. Servius, *ad l.* 1. *Aen. v.* 697.

——— Ubi mollis Amaracus illum
Floribus & dulci aspirans complectitur umbrâ:

narrat, *Amaracum puerum regium* Unguentarium *fuisse*, *qui casu lapsus dum ferret unguenta*, *majorem ex confusione odorem creaverit.* Quae cuncta Isidorus, in *Origines* suas transtulit, *l.* 4. *c. penult. l.* 17. *c.* 9. Horatius hujusmodi puerum alloquitur, *l.* 3. *Od.* 14. *v.* 17.

I pete unguentum puer & coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli &c.

Laur. Pignorius, *Comm. de Servis.* Sed de his plura infrà, ubi de *Ungendi ritu*: de *Unctuario* verò aliquid etiam suprà diximus, ubi de balnearum cellis seu *Oecis*.

UNCTUS in Bellum, quis dictus apud Hebraeos. Vide suprà, ubi de *Belli indicendi ritu*, it. voce *Mazuza*.

UNCUS, & UNCINUS, quid propriè, vide suprà, ubi de *Uncis manibus*, quarum meminit Papinius. Apud Martialem, *l.* 1. *Epigr.* 54. *v.* 4.

Sic interpositus vilis contaminat uncus
Urbica Lingonicis, Tyrianthina Bardocucullis:

vox notat acutum apicem bardocucullorum, qui in iis retro inflexus erat, uti cuculli erant vetustissimorum Monachorum, hodieque sunt Carthusianorum & Capucinorum, cappae item, quas Galli vocant Bencarnenses. Fortè & paenularum olim ac lacernarum, quas pluviô tempore Romani superinducebant, cuculli tales. Imò *cucullus* propriè tegmen capitis in acutum desinens, ex Graeca origine, quâ κόκκυξ significat λόφον vel *apicem*, inde enim *cuccus* & *cucullus*. Uti verò in hisce pileis *uncus* retro inflexus erat, sic in aute in Persicis ac Phrygiis tiaris, vel etiam rectus: cujusmodi apices *fastigatos* vocat Isidorus de Alanis loquens &c. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 556. & suprà passim, ubi de variis Capitis humani tegminibus. In Ecclesia Romana *uncus Pastoralis* appellatur Thomae Archidiacono Spalatensi *in Histor. Salonit. c.* 16. virga seu baculus Episcopalis recurvus, de quo vide aliquid suprà, voce *Cambuta*.

UNDA Julia, vide *Julia*.

UNDALUS, oppid. Galliae Narbonensis ad Rhodanum fluv. ubi Sulgas fluv. confluit. *Ponte de la Sorgue Paradine.* Vel *St. Remy* pagus, teste *Johan. Poldô.* Vel *Port de Traille*, teste *Scaligerô*, non procul ab Avenione.

UNDECIM Dierum spatiô, ab omni ornatu, luctus tempore, Lycurgi lege, abstinentis, vide ubi de *Lugendi ritu*.

UNDECIMVIRI, nomen Magistratus, apud Athenienses olim cujus officium tangit C. Nepos, *Phocione c.* 4. *damnatus, traditus est* Undecimviris, *quibus ad supplicium ——— publicè damnati tradi solent.* Triumviris sic Romanorum capitalibus non absimiles: quorum erat officium, delinquentes facinorososque homines comprehendere, in carcerem conjicere & capitis damnatos ad supplicium ducere. Vide suprà, & plura apud Budaeum, *poster. Annotat. ad ff.* Electionem eorum quod attinet, *Decemviri*, ait Pollux, *singuli à singulis tribubus cooptari solebant*; quibus additus ὁ Γραμματεὺς, i. e. *Scriba.* Sic *Undecim* efficiebat; qui hinc οἱ Ἕνδεκα Polluci aliàs Ἔπαρχοι quoque, an & Νομοφύλακες, dicti sunt. Ita quidem vult Magius *ad loc. Nepotis*: de Νομοφύλαξι verò Atheniensium diximus suprà. De *Undecimviris* porrò, exclusis ab ἀμνηστίας lege, cujus Thrasybulus auctor, habes aliquid suprà voce *Amnestia*. plura apud Xenophontem Ἑλλην. *l.* 2. ubi de XXX. Tyrannis, *Undecimviris* & X. viris qui in Piraeeo imperârant, antequàm Thrasybulus patriam in libertatem vindicâsset.

UNDERSEA, Latinè *Interlacus*, oppidul. Helvetiae, ad dextrum Arolam, in Argovia. Olim sub Nobilibus Riediis & Oberhoviis, posteà in Habspurgiorum & Austriorum familiam transiit. Occupatum tandem, bellô Sempacensi, A. C. 1387. à Bernatibus, illis etiamnum subest, regiturque à Sculteto, ex urbe Berna illuc missо, vide Stumpf *de Argovia*, *l.* 7. *c.* 22. Jos. Simlerum, *descript. Helvet.* &c.

UNDULATA Vestis, memoratur Plinio, *l.* 8. *c.* 48. *Undulata vestis prima è lautissimis fuit, unde Sororiculata defluxit. Togas rasas Phryxianasque D. Augusti novissimis temporibus coepisse, scribit Fenestella. Crebra papaverata antiquiorem habent originem, jam sub Lucilio Poëta in Torquate notata.* Idem paulò antè, *Lanam*, inquit, *cum colo & fuso Tanaquilis, in Templo Sangi durâsse, prodente se, auctor est M. Varro, factamque ab ea Togam Regiam* Undulatam *in aede Fortunae, quâ Servius Tullius fuerat usus.* Nonius quoque, *Undulatum novè positum, pictum.* Item Varro *de Vita Pop. Rom. Et à quibusdam dicitur esse Virginis Fortunae, ab eo, quòd duabus* Undulatis *Togis est opertum, perinde ut olim nostri Reges undulatas & praetextas Togas soliti sint habere.* Ubi Nonius videtur *Undulatam* opponere *Praetexta*. Sed majorum Gentium Critici ineptiae Nonium accusant, ipsique existimant, *Undulatas* vestes dictas, quarum textura *undas* imitaretur, quae Plauto, *Epidicô*, *Actu* 2. *sc.* 2. *v.* 49. *Cumatilis* dicta; quod in lana texenda an fieri possit, ipsi viderint. Certè vestes *Undulata*, quales hodie in usu sunt, quâ ratione fiant, etiam rudes intelligunt. Cùm praeterea Togae essent albae, quis *undarum* speciem colorum ac liciorum varietate expressam arbitretur? Et licèt tali Togâ usus dicatur Rex Servius, ideoque picta fuisse undulatim dici possit, tamen communes hujusmodi vestes fuisse, verba Plinii indicant; cùm ait, vestem *undulatam* primam fuisse è lautissimis, i. e. quâ & alii, praeter Reges, lauti homines uterentur, quibus nullum jus pictarum fuit, nisi in triumpho. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Vestiar. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 11. qui proin circa hanc vocem haeret, cùm Togam illam *Undulatam* albam fuisse constet, neque artificium, quô nunc vestes aquâ respersae ac prelo subjectae undarum speciem exprimunt. Veteribus notum fuisse, certum sit. Interim & Ovidius *Undulatas* vestes describit, cùm ait, *l.* 3. *Artis*, *v.* 177.

Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis,
Crediderim Nymphas hâc ego veste tegi.

Sed de hujusmodi veste diximus aliquid, in voce *Vitrum*. Vide iterum Ferrarium, *Part.* 1. *l.* 3. *c.* 20. *ubi varia muliebrium Vestimentorum nomina, Plauto Epidicô, Act.* 2. *Sc.* 2. *memorata, exponit.* Ab eadem origine *undaizare* vel *undejare*, est infantem moribundum, non adhibitis omnibus Baptismi ceremoniis, lustrali aquâ perfundere, Gall. *Ondoyer.* Vide Petrum Episcopum, Clarom. *ad Mauritium Episcop. Paris.* in *Epistolis* Stephani Episcopi Tornacens.

UNELLI, populi sunt inter Celtas ex maritimis civitatibus Oceanum attingentibus. Vulgò *Le pays du Perche.*

UNGARI, Scythica gens, sedes sibi legit ac nomine suô insignivit, A. C. 886. cùm eôdem tempore Chrouatae & Servii, loca illa quae hodie Croatia & Servia dicuntur, occupâssent. Mox evocati inde à Leone Philosopho Imperatore, Simeonem Bulgarum magnâ clade affecerunt, A. C. 889. Germaniam vastârunt immaniter, Ludovicô III. Imperatore infelicissimè resistente, circa A. C. 902. sed ab illis Germaniam liberavit successor Conradus, A. C. 913. cum iisdem, quorum novem Duces capti, novennalem pacem percussit Henricus Auceps, A. C. 923. qui praelium cum illis initurus voverat, se nundinas sacrorum è Germania sublaturum. Maximô praeliô ab Ottone M. victi, A. C. 955. sub Rege Geisâ, ope Pilgrini, ad fidem conversi sunt, A. C. 966. Adalbertus quoque Episcopus Pragensis, plurimos eorum, unà cum Rege Stephano, ad Christianismum perduxit, A. C. 1000. quem, Bavariam sibi vindicantem, debellavit Conradus II. Imperator A. C. 1030. Subacti posteà sunt ab Henrico III. qui Ungariam, Abanô, qui pulsô Petrô Ungariae regnum arripuerat, ter victô, mox Andreâ, qui restitutum Petrum occiderat, superatô, feudum Imperii fecit, parte regni Austriâ, Alberto Bavaro donatâ, A. C. 1043. Ab Isaco quoque Comneno ad pacem compulsi, A. C. 1057. regioque ab Emanuele Imperatore Orientali vastata est, A. C. 1150. Stephanus dein III. post Geisam, egregiè se adversus Ladislaum Belae fil. defendit; successit frater Bela, qui fures latronesque è regno ejecit, A. C. 1162. 1173. De regno certantes Fratres duo convenerunt, ut is Rex esset, qui fortiùs se in Palaestina gessisset, A. C. 1200. Andreas ergo, *Hierosolymitanus* dictus, thronum conscendit, A. C. 1201. Cujus successor Bela, ob Tartaros, regnô profugus, A. C. 1235. in reditu Fridericum Austrium vicit & trucidavit, A. C. 1246. Eum filius Stephanus, hunc Ladislaus, qui foedus cum Rodolpho I. Imper. iniit, excepit: post quem Andreas praefuit, A. C. 1290. qui Austriâ vastatâ, oppida ad Hungariam spectantia recuperavit, A. C. 1291. Hôc defunctô, à quibusdam Vencеslaus Bohemiae Rex electus est, cum alii Carolum Martellum opposuerunt, qui quidem coronam, sed non regnum obtinuit: huic tamen successit filius Carolus Robertus, A. C. 1310. qui regnum insigniter auxit, Dalmatiâ, Croatiâ, Serviâ, Russiâ, Bulgariâ, Bosniâ, &c. adjectis. Eum in regno filius Ludovicus excepit, A. C. 1343. Poloniae quoque Rex electus, A. C. 1370. Hic Transal-

pinam subegit Valachiam, Venetos vicit, Dalmatiam recepit, sed Apuliam amisit. Post eum præfuit fil. Maria, cujus imperium pertæsi Ungari. Carolum Apuliæ Regem accersiverunt, quem Mariæ mater Elizabetha mox dolô occidit. A. C. 1385. Sigismundus dein Mariæ maritus coronatus est, à Turcis victus, à suis in carcerem conjectus: qui cum Ladislaum Neapol. ei opponerent, ipse custodiâ elapsus regnum recuperavit, A. C. 1398. ingenti rursus ad Danubium clade à Turcis fusus. A. C. 1409. Ladislaô infante post Vladislaum à Turcis ad Varnam victum, A. C. 1443. Johannes Huniades, malleus Turcarum, regnum administravit, A. C. 1445. Rege posteà repentè mortuô Matthias Johannis filius regnum adeptus est: cui A. C. 1490. extinctô, Vladislaus Bohemus Ungaris quoque imperitavit. Huic successit Ludovicus filius decennis, A. C. 1516. quô in prælio contra Turcas interemptô, A. C. 1527. Johannem Transylvaniæ Vaivodam alii, alii Ferdinandum Caroli V. Imperatoris fratrem in regnum vocârunt, quorum ille ab hoc ad Tocajum victus & pulsus, Solimannum vindicem habuit: A. C. 1529. tandem tamen illô mortuô, Ferdinandus cum vidua ejus & fratre Georgio transegit, regnô, cujus caput Buda magnaque pars jam sub Turcis, obtentô, A. C. 1537. Georgium dein regni administratorem per sicarios occidit, A. C. 1551. ob cujus mortem ortô dissidiô Solimannus Hungaros fudit, Temesvaram occupavit, Zalnacô captô, Agriam frustra obsedit, tandem ad tempus Ungariâ cessit, A. C. 1552. Ferdinandi successor Maximilianus II. Duce Lazarô Suendiô, contra Johannem Transylvaniæ Vaivodam & mox Solimannum ejus defensorem rem gessit: Sigethum amisit, pacem cum Selimo sibi utilem fecit, A. C. 1566. Successit Rodolfus II. Imperator cui Mahometes III. Agriam eripuit, A. C. 1596. quô bellô vix finitô Austriaci Præfecti, vi in Protestantes versâ, Stephanum Botskai in se concitârunt, qui victis hostibus, superioris Hungariæ Dynasta vocari voluit, aureâ Vladislai coronâ à Turcis donatus, A. C. 1605. pacemque religionis obtinuit, A. C. 1606. Sub Ferdinando postmodùm II. Betleemus Gabor Transylvaniæ Princeps, coronam Hungariæ in se transtulit. mox diademate Ferdinando redditô, A. C. 1619. Sub Leopoldo I. Imperatore Neuheuselia, castrum fortissimum, à Turcis occupata est, A. C. 1663. &c. Haud pridem Euangelicis Hungaris omni Religionis exercitiô demptô, Pastores & Rectores Scholarum in vincula conjecti, hinc inde per arces Hungariæ ad fœdissima ministeria dispersi, pars ad triremes damnati, ubique pessimè habiti, tandem intercessione Belgarum libertatem quidem impetrârunt, sic tamen ut ad Ecclesias suas, & in patriam redeundi spem exiguam habeant, &c. Vide quoque in voce *Hungaria*.

UNGARIA, urbs Hungariæ superioris, Caput Comitatus Unghensis, ad radices Carpathi montis, & prope Ungum fluv. in limite Russiæ nigræ, 30. mill. pass. à Cassovia in Ortum, 25. à Tibisco in Boream, *Unghwar* incolis.

UNGENDI Ritus, olim frequens admodùm. Namque infantem uterô egressum statim lavabant, partim sale, partim aquâ, eâque vel tepidâ, vel fervente, vel frigidâ, quâ Germani etiam legitimum fœtum explorârunt, Lacones vinô: Additum apud Græcos oleum in *χύτλῳ*, de quo Nonnus, *l.* 25.

Τικτομένῳ δὲ οἱ ἦεν ἔρις τροφὸς, ἔγχεα δ' αὐτῷ
Μαζὸς ἔην καὶ χύτλα, φόνος καὶ σπάργανα θώρηξ.
Nato verò illi erat contentio Nutrix, gladii verò ipsi
Mamma erat & vasa olearia, cædes & fascia thorax.

Eô verò *ungebant* vel totum corpus, vel oculos solùm naresve, ad infantis robur & calorem non satis firmum augendum & conservandum. Schol. *in Aristoph. Plut.* *ἵνα οἱ πόροι ὑπὸ θέρμης ἀποπνιχθέντες κλεισθῶσιν ἀπὸ τοῦ ἐλαίου ἐπισπομαστικοῦ ὄντος.* Unctioque hæc lotionem tam constanter sequebatur, ut posterior ritus pro priore sæpe sumeretur, & per τὸ *χυτλῶσαι* indigitaretur lotio. ut videre est apud Callimachum, *Hymnô in Jovem.* Sed & Græci recentioris ævi infantes à lamiis læsos oleô, quod *ἅγιον ἔλαιον*, vel corruptè *ἔλεος* appellant, inungere consuevêre, eos hâc ratione sanari putantes. Ex lampadum nempe, ante divos accensarum, oleo bombycem seu gossipium intinctum in cavum calamum ingerunt, ut oleum conservetur, nec aliarum rerum contactu dispereat. Eô, domum reversi, puerorum infirmorumque partes præcipuas illinunt, & Sancto, cujus ex lampade oleum est, commendant. Modum intinctionis & dies quibus ea fiat, docet Auctor *Typici*, *c.* 22. dies, quibus solitum fit dari, exponit L. Allatius, *de quorundam Græcor. opinat. p.* 119. plura verò hanc in rem, vide apud Joh. Casparum Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ἔλαιον. De ritu eosdem in Baptismate inungendi, attingemus infrà aliquid. In Gymnasticis dein exercitationibus frequens *unctio*, ut vidimus suprà, in voce *Unctuarium*, atque hinc in convivia ritus translatus, ubi similiter *ungebantur* Veteres, tanquàm cum Baccho luctaturi. Ita enim Aristophanes *in Vespis*,

——— *Γυμναστικῶς*
Ὑγρὸν χύτλασον σεαυτόν.

Unguentis nimirum delibuti crinesque peruncti ac coronati sedebant epulantes: ac præsertim nardô, rosâ, unguentô se inungebant, ut infinitis Veterum Scriptorum testimoniis probat Athenæus, *Dipnosophist. l.* 15. *c.* 14. & *seqq.* Vide quoque Clementem Alex. *Pædagog. l.* 2. *c.* 8. Plutarchum, *Symposiac. l.* 3. Alios. Unde Ovid *l.* 5. *Fast. v.* 340.

——— *Habent uncta mollia serta comæ.*

Catullus item de cœna sua, ad Fabullum, *Epigr.* 13. *v.* 11.

Unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donârunt Veneres Cupidinesque.

Addebatur & minium. Plin. *l.* 33. *c.* 7. *Hâc religione etiam nunc addi inunguenta cœnæ triumphalis & à Censoribus inprimis Jovem miniandum locari.* Imò adeo frequens usus in conviviis *Unguentorum* ac coronarum, ut nullum absque illis apud antiquos descriptum reperiamus, hæcque duo ferè semper conjungantur. Seneca, *de Ira, l.* 2. *c.* 33. *Ad cœnam invitavit eum illô die, unguentum & coronas misit.* Claudianus *de bello Gildon. v.* 444.

Umbratus Dux ipse rosis, & marcidus ibat
Unguentis, crudusque cibo, &c.

Idque apud Græcos, Hebræos, ac Romanos: hosque non solùm primis Reipubl. nascentis temporibus, sed eâ florente, imò & jam penè senescente, ut discimus ex Pomponio JCto, *l.* 21. *ff. de auro & arg. leg. Unguentis legatis, non tantùm ea legata videntur, quibus ungimur, voluptatis causâ, sed & valetudinis, qualia sunt commagena, glaucina, crina, rosa, mura, colum, nardum purum, hoc quidem etiam, quò elegantiores sint & mundiores, utuntur fœmina.* Ubi pro *crina*, *Crinina*: pro *rosa*, *Rhodina*: pro *mura*, è *myrrha*, denique pro *colum*, *Costum* Eruditi reponunt. Et quidem hic distingui videmus *Unguenta*, quæ ad necessitatem vel valetudinem adhibebantur, uti paulò suprà de exercitationibus balneisque vidimus: ab iis, quæ voluptati solùm inserviebant, quæque muliebri mundô contineri voluit Legislator, *l. argum. ff. de auro & arg. leg.* cùm eâ quæ valetudini inserviebant, eô non continerentur. Ulpianus, *leg.* 25. *ff. eod.* Inprimis autem in conviviis petalium laudatum est, unguentum è nardo præstantissima, *Foliatum* Latinis dictum, de quo vide Dioscoridem, *l.* 1. *c.* 81. Martial. *l.* 14. *Epigr.* 110.

Hac licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriosè bibas, si foliata sitis.

Quæ omnia fiebant partim ad impediendos vapores sursum ferri solitos, partim ad poros aperiendos, quò eô promptius evaporarent. Vide Franc. Rossæum, *Archæol. Atticæ l.* 6. *c.* 3. & Thom. Dempster. *Paralipom. ad Rosin. l.* 5. *c.* 30. nec non suprà aliquid, voce *Myrrha*. Nec verò capita solùm convivantibus inuncta, sed vino etiam unguenta infusa sunt, ut diximus retro, ubi de potione *Murrhata*, seu *Murina*. Etiam coronis convivialibus addebantur, quibus aut irrorabantur eæ, aut etiam mergebantur, ut gratiæ florum, quæ pascit aspectum, accederet voluptas. Inferebantur autem cum coronis unguenta ante missus secundæ mensæ, Athen. *l.* 15. qua de re multa commentatus est Car. Paschalius, *Coronar. l.* 2. *c.* 4. Porrò, in Triclinio æquè ac balneo, pedes quoque *inungere*, apud plurimos, moris fuit: unde & CHRISTO idem contigisse à pia quadam fœmina, legimus Marci *c.* 14. *v.* 8. ubi nardini unguenti mentio fit, quod magni tum fuisse pretii eô est probabilius, quia illis temporibus unica fuit urbs Laodicea, quæ unguentum hujusmodi cum laude conficeret, nec multò ante Galeni tempora in aliis etiam urbibus eidem bonitate fiebat. Modum verò & hic excessit Nero, quem, cùm foràs prodibat, *pedes* M. Ottone monstrante *unguentô tinxisse*, Plinius, *l.* 13. *c.* 3. memorat. Vide quoque Curtium, *l.* 8. *c.* 9. ubi de Indorum Rege, & eruditas ibi Raderi *Notas*. Interim & Græcos olim, adeoque eorum imitatione posteà Romanos, antequàm calcearentur, pedes inungere frequentissimè fuisse solitos, ex Athenæo constat, qui morem hunc mollitiei postulat. Quamobrem & Lucretius Sicyonia *unguentis* junxit, *l.* 4. *v.* 1118.

Unguenta & pulcra in pedibus Sicyonia rident.

Qua de re vide Balduinum *de Calceo*, *c.* 21. *sub fin.* & suprà ubi de *Myrobathrariis*. Etiam hospitum pedes lavari ungique consuevisse, diximus *alibi*. De reliquis membris aliquid infrà dicemus. Neque verò corpus solùm, membraque illius inungebant veteres, sed &, præter coronas, de quibus aliquid dictum, vestibus unguenta affundebant, uti suprà vidimus. Etiam Persarum Reges diadema seu fasciam suam Regalem unguentô è myrrha, & odore illô, quem *Labyzon* vocabant, perfundere soliti sunt, uti Athenæus refert, *l.* 12. Similiter priscos Ægyptiorum Reges, quandoque ignem, quandoque arborem, quandoque redolentia super caput unguenta, gestâsse, majestati conciliandæ, testis est Diodor. Sic. *Antiqq. l.* 2. ut nil dicam, de *inunctis* militum clypeis & legionum aquilis, de postibus ædium Mariti, à Sponsa, adipe *ungi* ac oblinire solitis, unde Uxor quasi *Unxor* quibusdam dicta, aliisque, de quibus aliquid suprà, uti de *Oenanthino*, quô non vestes solum, sed & mensas & thalamos, imò integras domos, perfundi à luxuriosis consuevisse, vidimus. Atque hactenus ab *Ungendi* se ritu veteres Christiani abstinuerunt, utpote minimè necessario, & ad libidines incitante, ut doctè Clemens Alex. *Παιδαγ. l.* 2. *c.* 8. Chrysostomus, *Conc.* 1. *de Lazaro*, Athanasius, *de Virgin.* Alii. Funeribus solùm unguentorum usu reservatô. Tertullian. *de Idol. Pigmenta nobis ad solatia sepulturæ usui sunt.* Et *Apolog. Sciunt Sabæi pluris & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm Diis fumigandis.* Pergo itaque ad pollincturam cadaverumque *unctionem*, quæ magnâ curâ olim adhibita duplex fuit, una vulgaris, altera Magnatibus solùm Principibusque Viris adhibita, ut & cadaveri eorum, quà pote, æternitas conciliaretur. Defuncti nempe corpus apud Græcos Romanosque, per intervalla primò conclamabatur, atque à proximis & affinibus calidâ aquâ abluebatur, dein unguentis *ungebatur*. Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 219.

Per calidos latices & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis & ungunt.

Unde ambrosia in caput vultumque Sarpedonis interfecti effusa *Il. π. v.* 670.

Χρῖσεν τ' ἀμβροσίῃ,

Quô

Quò ritu qui defungebantur apud Romanos, *Pollinctores* dicebantur; apud Græcos verò, id à certis mulieribus, ad id destinatis, peragebatur: In utraque gente, sic lotum *unctumque* corpus candidâ veste induebatur, amiculisque ferâlibus obstringebatur, ut Appulejus ait. *l.* 10. *Metam.* Quò facit, quòd apud Marcum, *locò cit.* Dominus noster, de fœmina illa, *Quod habuit*, inquit, *ipsa fecit*: *anteverlit unguentò linere corpus meum ad pollincturam.* Quod alterum *ungendi* condiendique genus attinet, dictum de illo suprà. Imò & in suppliciis unguenta. Quò enim occisorum corpora diutiùs integra manerent, semperque vultus agnoscerentur, capita saltem inungi consuevêre, id quod κατὰ μαρῦρ dixit Plut. ubi, postquam Cleomenis αὐτοκτονίαν commemoravit, Ptolemæum jussisse τὸ σῶμα χρησμένον καταμυρώσαντας, *cruci affigi unguentatum ejus corpus*, docet: ταριχεύειν Herodotus aliique, quo de more vide Casaubon. *ad Cæsarem Suetonii*, *c.* 74. Servorum verò funeribus *unctura* legibus negata. Cicero, *de Legibus*, *l.* 2. *Hæc præterea sunt in legibus de unctura. Servilis unctura tollitur, omnisque circumpotatio. Quæ & rectè tolluntur, neque tollerentur, nisi fuissent, ne sumtuosa aspersione longa coronanes acerra prætereantur.* E quibus verbis colligit Paschalius, funera, ab iis omnibus, qui prosequebantur, quique rogum circumstabant, unguentis olim fuisse solita aspergi. ubi supra, *l.* 4. *c.* 7. Plura apud Jac. Ouzelium *Animadversion. ad Minucium Fel.* ubi de Ægyptiorum, à quo is mos videtur ortus, Hebræorum, Romanorum, Christianorum *unctura*, *p.* 61. & *seqq.* erudite &c. Sed & in sacris, non exiguus *Unctionis* usus fuit. Consecratio namque Pontificis Max. apud Hebræos, uti vestitu, & sacrificiô, ita & *Unctione* constabat: quæ per septem dies continuos administrabatur, quandiu oleum sacrum supererat. Istud enim semel à Mose confectum, Exodi *c.* 30. nongentos ferè annos durâsse dicitur: quò posteà amissô, Pontificis inauguratio solô vestitu peracta est. Sed & Sacerdotes vulgares hunc ritum aliquousque cum Pontificibus communem habuêre, Exod. *c.* 29. & Levit. *c.* 8. Discrimen ferè in his duobus situm erat: I. Quòd omnes & singuli Pontifices, in novi honoris exordio, ungebantur: Sacerdotes verò reliqui, in prima consecratione filiorum Aaronis, inuncti & consecrati censebantur. II. Quòd Pontifices *oleô in capite perfundebantur*, Exodi *c.* 29. *v.* 7. coll. cum Levit. *c.* 8. *v.* 12. & *c.* 21. *v.* 10. *unguentumque illud optimum descendebat super barbam eorum, usque ad oram vestium*, Psalmô 133. *v.* 2. Sacerdotes autem oleô, admixtô victimarum sanguine, in sacra veste leviter tantùm adspergebantur, Exodi *c.* 29. *v. cit.* Vide quoque Levitic. *loc. cit.* Quæ quid designârint, eruditè explicat Franc. Burmannus, *Synops. Theol. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 8. §. 25. & *seqq.* Præter Pontifices, etiam Reges Israëlitarum oleô fuisse inauguratos legimus, quod quidam cum oleo sacro idem fuisse contendunt, aliis diversum id facientibus, auctoritate loci Exodi *c.* 30. *v.* 32. 33. *Carnem hominis ne eô ungito, aut secundùm confectùram ejus ne facitote simile ei: res sancta est*, &c. Cùm verò omnes & singuli Pontifices, in initiatione, sacrô oleô linerentur, unde *Sacerdotes uncti* appellantur, Levit. *c.* 4. *v.* 5. & *c.* 6. *v.* 22. Reges tantùm ii ungebantur, qui rebus turbidis & successione ob tumultum ac seditiones incertâ, in Davidis solium evehebantur, ut in Salomone & Joa factum, 1. Reg. *c.* 1. *v.* 39. & 2. Reg. *c.* 11. *v.* 12. Ubi & hoc observandum, quòd Saul & Jehu dicantur inuncti פך *Bepac*, i. e. *lenticulâ olei*, 1. Sam. *c.* 10. *v.* 1. David verò & Salomo בקרן *Bekeren*, h. e. *cornu olei*: quorum illô brevem Regni durationem, istô perpetuitatem indigitatam fuisse, ajunt Doctores, vide Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 4. & suprà voce *Oleum*, infrà *Unguentum*. Etiam Antiquis in more positum fuit, ut testandæ reverentiæ & cultui religioso, vel qui proximè ad religiosum accederet, oleum vel *unguentum* offunderent. Sic Jacob lapidi, quò erat usus pro cervicali, oleum superfudit, Genes. *c.* 28. *v.* 18. idemque statuam eô loci erectam, ubi Deus cum ipso erat locutus, simili veneratione prosequutus est. Similiter lapides *unguine delibutos*, ut loquitur Appulejus, pagani in biviis, triviis, quadriviis, coluerunt, quod multi Scriptores confirmant: Clem. Alexandrinus λιπαροὺς λίθους illos vocat, *l.* 7. *Strom.* Fuêre autem lapides illi vel *Viales*, de quorum *unctura*, vide præter hunc Auctorem Appulejum, *Floridor. l.* 1. ubi & alia similis superstitionis recenset. Vel *Terminales*, de quibus Sicul. Flaccus eleganter. Imò & acervos ex lapide congesto, qui pro terminis eligebantur, *inungi* consuevisse, discas ex Theophrasto περὶ δεισιδαιμονίας. & plura de his omnibus, ex Jac. Ouzelio, *Animadvers. ad Minucium Fel. p.* 11. & *seqq.* ut & iis, quæ hîc passim. Ad quem ritum alludens Plato, Homerum è Republ. sua unguentis delibutum emittit; non contumeliæ causâ, sed quasi hôc factô testans, majorem se illum agnoscere, quàm ut locum civis in sua Republ. obtineret. Animalia quoque, quæ Diis consecrabant Veteres & libera sinebant abire, unguentis eandem ob causam linebant, ut multis exemplis probat *ad Sueton. l.* 1. *c.* 80. Casaubonus. Et fortè, Mulieres illæ sanctissimæ in Euangelio, quum in Domino, quem esse Deum adhuc ignorabant, aliquid tamen supra hominem admirarentur, devotionem suam hôc factô testatæ sunt. Vide eund. Casaubon. *Exercitat.* 14. *ad Annales Baronii* §. 12. & de lapides, Terminales inprimis, ligna, aliaque inungendi superstitione, apud Gentiles frequenti, plura apud Car. Paschalium, *in Coronar. l.* 4. *c.* 4. Ut verbum addam de unctionibus Christianorum, inter ritus Baptismales, *unctionem* quoque processu temporis adhibitum jam olim, docet pluribus Joh. Casparus Suicerus, *Thesaurô Eccl.* voce *Chrisma*. Bulgari verò semel in Baptismo unctum, denuo chrismate inungebant, qui ritus ἀναμυρισμὸς, quasi *reunctio* seu *repetita unctio*, dictus est. Photius, *Epist.* 2. *p.* 50. de Bulgaris, ὁ ἀναμυρισμὸς τῶν ἤδη βεβαπτισμένων τῷ μυρωθέντι, ... *Jam baptizatorum & oleô inunctorum reunctio ne Canonibus quidem indiget ad sui condemnationem.* Hæreticorum tandem nonnulli, postquàm conversi essent, licèt non baptizarentur, *ungebantur* tamen, uti de Novatianis docet *can.* 7. Concilii Laod. ut & Photinianis ac Quartodecimanis: de iisdem, atque insuper de Arianis, Macedonianis, Sabbathianis, Apollinaristis, aliis, *can.* 7. Concilii Constantinopolitani, ubi *sacrô unguentô frontem & oculos & nares & os & aures*, illini consuevisse, innuitur. Vide eundem Suicerum, voce Ἄλειμμα: uti de ritu inungendi *Infirmos*, *Moribundos*, *Mortuos*, suprà voce *Inunctio*, item ubi de *Oleo*; de natatoris, itidem suprà ubi de *Nandi peritia*, & de alia exercitia subituris, voce *Unctuarium*: adde quæ diximus, voce *Chrisma*, ut & quæ hîc mox subjungemus.

UNGEPAUR Erasmus, Numburgo Misniæ urbe oriundus, fil. Matthæi Ianii, Juris Professor Altorfii A. C. 1614. & biennio pòst in Consiliariorum Noricorum ordinem adscitus: exin ad Academiam Jenensem vocatus, Jus ibi magnâ nominis sui famâ docere cœpit, A. C. 1635. defunctus A. C. 1659. ætat. 78. Edidit *Exercitia Justinianea*, seu *Disputationes XVI. ad libb. Institutionum.* Vide Paul. Freherum. *Theatrô Viror. eruditione clarorum.*

UNGHENSIS Comitatus, vulgò *Comté d'Unghwar*, provinc. Hungariæ superioris, ad radices Carpathi & Russiæ nigræ, inter Abanvivariensem Comitatum ad Occasum, & Zemblyniensem & Peregiensem ad Meridiem. Sub Austriacis. Caput ejus Ungaria.

UNGUENTUM, pro vario usu multiplex est. Auctor est Athenæus, priscos Græcos adeò eorum fuisse studiosos, ut exploratum habuerint, ecquod *Unguentum* cuique membro esset accommodatum, *Dipnosophist. l.* 15. Ὅτι δὲ σπουδὴ ἦν τοῖς παλαιοτέροις ἡ τῶν μύρων χρῆσις, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ ἐπιτηδείως ποιεῖν τι ἑκάστῳ τῶν μελῶν ἡμῶν εἶναι ἐπιτήδειον. Et hospitem esse in Scriptoribus Græcis ac Latinis oportet eum, qui ignoret, luxum pretiosissimorum *Unguentorum* priscis nepotibus in frequenti usu fuisse; maximè autem, cùm in tricliniaribus lectis accumberent. Casaub. *ubi supra.* Metopiô, de quo multa Hieron. Mercurialis *Variar. Lection. l.* 2. *c.* 19. quodque unguentum Ægyptium fuit, sicut & Mendesium, crura & pedes inungebantur: Phœnicinô, malæ & mammæ: Serpyllinô, genua & collum: Sisymbrinô, utrumque brachium: Amaracinô, supercilia & coma: Amomô, capilli, ut patet ex Seneca aliisque. Ovid. *Ep.* 21. *Heroid. v.* 166.

Spissaque de nitidis tergit amoma comis.

Statius, *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 111.

Nec pingui crinem deducere amomo.

Unde, non liquidum, id, ut Bernardinus autumat, sed valde spissum fuisse patet, quod etiam Persius satis clarè indigitat, cùm ait, *Sat.* 3. *v.* 104.

Compositus lecto crassisque lutatus amomis.

Fuit autem maximo in pretio, non Ægyptium illud, de quo Daniel Galetanus *ad Senecam*, qui inscitè amomum cum metopio confundit: sed Assyrium, de quo Virg. *Eclog.* 4. *v.* 25.

——— *Assyrium vulgò nascetur amomum.*

Vide Delrium, *Notis ad Justin. l.* 9. *c.* 4. §. 1. Totum hominem unguentô perfudit Antiochus Epiphanes, quem cùm unguentis delibutum beatum quidam prædicâsset, lætatus, *Ego*, inquit, *hujus satietatem tibi inducam, ac vas plus quam duas choas capiens crassi unguenti in caput illius effundi jussit: lubricòque factô locô ipse cecidit ridens, & eorum complures, qui una lavabantur*, uti habet Interpres Polybii, *Histor. l.* 26. Non minor luxuria Othonis, qui, Neronem excipiens, fistulas aureas argenteasque diversis proposuit locis, quæ aquæ instar *unguentum* funderent, apud Plut. *in Galba* &c. Sed ab his lætitiæ signis atque irritamentis lugentes abstinuêre, 2. Sam. *c.* 12. *v.* 20. specialiter in jejuniis ut colligitur ex 2. Sam. *c.* 14. *v.* 2. coll. cum *v.* 16. qua de re vide Joh. Casp. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ἄλειμμα. Flamini quoque Diali, sub dio saltem, fas inungi non fuisse, testatur Plut. *in Quæst. Rom.* &c. Cæterùm de origine & progressu *Unguentariæ Rei*, sic Plin. *l.* 13. *c.* 1. *princip. Quis primus invenerit, non traditur. Iliacis temporibus non erant* —— *Persarum esse debet gentis unguentum. Illi madent eô, & accersitâ commendatione, ingluvie natum virus extinguunt. Primum quod equidem inveniam, castris Darii Regis expugnatis, in reliquo ejus apparatu Alexander cepit scrinium unguentorum. Posteà voluptas ejus à nostris quoque inter laudatissima atque etiam honestissima vitæ bona admissa est.* & quæ seqq. ubi ordine enarrat, quô tempore, apud quas gentes, quodque unguentum in usum venerit, cesseritque recentiùs inventô. Sed *unguenti* Homerum jam meminisse, discimus ex *Il.* ξ. *v.* 171. ubi de Junone,

——— ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ
Ἀμβροσίῳ, ἑδανῷ, τό ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν,
Τοῦ καὶ κινυμένοιο Διὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ
Ἔμπης ἐς γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἵκετ' ἀϋτμή.

Vetusque Comœdia passim μύρον nominat, & μυρίζεσθαι & μυραλοιφεῖν, ut & Lyrici Poëtæ, Alcæus, Sappho, Anacreon, Alii. Sic Sophocles inducit in quadam Fabula Venerem μύρῳ ἀλειφομένην; Minervam autem ἐλαίῳ χριομένην. Legeque suâ sanxit Solon, ne viro liceret μυροπωλεῖν. Notant etiam Grammatici, μύρου quidem nomine primum fuisse usum Archilochum hôc versu,

Οὐκ ἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφεο,

rem tamen ipsam longè antiquiorem, & Homericô jam, ut vidimus, ævô, usitatam: neque ex oleo tantùm, sed & ex aroma-

tis

tis condita, quæ Veteribus θυμιάματα dicebantur, unde veſtes apud eundem Homerum τεθυωμένη, h. e. *unguentu perfuſa, ibid. v.* 172. &c. Quod verò de Perſis idem Plinius ait, ſic habet. Sobrietatem in hac gente ac victus frugalitatem commendant Veterum haud pauci. Exercitiis quin etiam ac ſudoribus ita aſſuefacti ſunt, ut homo Perſa temerè cibum non ſumeret, priuſquàm ab exercitio ſudâſſet. Cùm autem poſt ſudorem lavarent reliquæ gentes, Græci & Romani, & hi quidem frequentiùs, Perſæ in ſudata veſte durabant. E qua illuvie atque *imbalnitie*, ut loquitur Lucilius, ſordes & immunditia & totius corporis fœtor, quod virus *unguentorum* uſu, quibus toti madebant, expellere conſueverunt. Ad Romanos quando exotica unguenta pervenerint, idem indigitat, *l. eôd. c.* 3. *Quando id primùm ad Romanos penetraverit, haud facilè dixerim. Certum eſt, Antiochô Rege Aſiaque devictis, urbis annô quingenteſimô ſexageſimô quintô, P. Licinium Craſſum, L. Julium Cæſarem Cenſores edixiſſe, ne quis venderet unguenta exotica.* Itaque non ſtatim poſt Alexandri M. ætatem, quod Solinus vult, ſed demum poſt domitam Aſiam, ungentorum illecebra cum cœteris Aſiæ deliciis, in Romanum ſolum fluxit, uti pluribus docet ad illum Salmaſius, *p.* 947. Compoſitionem *Unguentorum* quod ſpectat, de illa ſic iterum Plinius, *c.* 1. *l. cit. Ratio faciendi duplex, ſuccus & corpus. Ille olei generibus ferè conſtat, hoc odorum. Hæc ſtymmata vocant, illa hedyſmata. Tertius inter hæc eſt color, multis neglectus. Hujus cauſa adduntur cinnabari & anchuſa* &c. ad quem locum vide Dalechampium, & præ illo Salmaſ. *ad Solin.* ubi hanc in rem, & in ſpecie, *de unguentis ex amomo, cinnamomo, coſto, croco, palma; de Unguento Mendeſio, Muſcellino, Nardino*, aliis: de *Unguentorum ſpeciebus*, quorum alia χρίσματα, alia ἀλείμματα, aliiſque huc pertinentibus, egregia habes complura. De quibus tamen omnibus graviter idem Plinius, ubi ſuprà *c.* 3. *princip. Hæc eſt materia luxus è cunctis maximè ſupervacui. Margaritæ enim gemmæque ad heredem tamen tranſeunt: veſtes prorogant tempus: unguenta illico exſpirant, ac ſuis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut tranſeunte fœminâ odor invitet etiam aliud agentes, Excedùntque quadringentos denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena. Etenim odorem qui gerit, ipſe non ſentit.* Alia longè ratio fuit *Unguenti illius ſacri*, quod ipſe Deus Moſi conficiendum præſcripſit, quoque, præter res ſacras univerſas, Pontificem Max. quemque in vetere Eccleſia inungi oportebat: ut hôc ſignô adumbraretur Divinitatis in Jeſu Chriſto, Pontifice noſtro unico, inhabitatio & Spiritus S. dona largiſſimè in ejus carnem effuſa, Pſalmo 45. v. 8. & Johannis *c.* 3. *v.* 34. De eo ſic legimus Exodi *c.* 30. *v.* 23. & *ſeqq. Accipe tibi aromatum præſtantiſſimum, myrrhæ ingenuæ quingenta* (pondo) *& cinnamomi odorati dimidium ejus, ducenta quinquaginta: & calami odorati ducenta quinquaginta: Et caſiæ quingenta, prout eſt pondus ſacrum & olei olivæ hinem: Et parabis ex illo oleum unctionis ſacræ, unguentum unguentariæ operæ unguentarii: oleum unctionis ſacræ eſto. Eôque unges Tentorium conventus, & Arcam ipſam Teſtimonii, Menſamque illam cum omnibus inſtrumentis ipſius & Lychnuchum ac inſtrumenta ejus & Altare ipſum ſuffitus. Altare quoque holocauſti & omnia inſtrumenta ejus, labrumque ac ſcapum ejus: ut ſanctifices illa; ſintque res ſancta ſanctarum: quidquid tetigeris illa, ſanctum eſto. Aharonem quoque & filios ejus ungito*, &c. Et paulo pòſt, *v.* 32. & *ſeqq. Carnem hominis ne eô ungito, aut ſecundùm confecturam ejus ne facitote ſimile ei: res ſancta eſt, res ſancta eſto vobis. Quiſquis conficiet ſimile ei, aut quiſquis imponet ex eo rei exteræ, propterea exſcindetur è Populis ſuis.* Unde colligi poteſt, ne ipſos quidem Reges eôdem oleô inungi conſueviſſe, quod quidam aſſerunt. Duràſſe *Unguentum* hoc ſacrum annos ferè nongentos, eôque tandem amiſſô, Pontificis inaugurationem ſolò veſtitu ſacrô fuiſſe peractam, jam diximus. Vide hic ſuprà in voce *Unctuarium*, item ubi de *Ungendi ritu*: de vaſis verò, in quibus optimè conſervantur *unguenta*, voce *Alabaſtrum*: uti de vino ab *Unguentis* nomen adepto, *Murina*.

UNGUIS, an ex Græco ὄνυξ, an quaſi *unctus*: pellucidus enim eſt? quem animæ teneat gradum, diſputat Auguſtinus ex Varrone, *de Civ. Dei, l.* 7. *c.* 23. *Tres*, inquiens, *affirmat eſſe Animæ gradus, in omni univerſaque natura. Unum, qui omnes partes corporis, quæ vivunt, tranſit, & non habet ſenſum, ſed tantùm ad vivendum valetudinem: Hanc vim in noſtro corpore permanare dicit in oſſa.* Ungues, *capillos: ſicut in Mundo arbores ſine ſenſu aluntur, & creſcunt, & modò quôdam ſuô vivunt* &c. Uſus eorum multiplex, non enim ornant modò, verùm etiam muniunt digitos, uti Ariſtoteles ait, *de Uſu part. l.* 1. Et quidem antiquiſſima hæc arma mortalibus, fœmineo inprimis ſexui. Legimuſque Dionyſii filias, poſt innumeras contumelias, *ungium* tandem compunctione necatas, à Lorenſibus, apud Athenæum, *l.* 12. *c.* 19. Hinc præſcindendi nulla ejus ævi hominibus cura, hodieque apud certam Indiæ gentem nobilitatis non aliud certius indicium. Poſtmodùm verò, politiori vitæ illos præſecare cœperunt, quod ἐξονυχίζειν Græcis appellatum. Erat autem id officium apud Romanos Tonſorum, ut de Bruti Porcia refert Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 15. & *l.* 4. *c.* 6. *ex.* 5. de Vultejo item, Horatius, *l.* 1. *Ep.* 7. Unde Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 36. cujus lemma eſt, *Ferramenta Tonſoria*:

Tondendis hæc arma tibi ſunt apta capillis:
Unguibus hæc longis utilis, illa genis.

Tonſtricumque, uti diximus ſuprà. Cujuſmodi munere apud Cleopatram functa Charmione eſt, una ex illuſtribus, illius ancillis, cujus meminit Galenus, *de Theriac. ad Piſonem, l.* 1. *c.* 8. ἡ ἀποτέμνουσα τὰς ἐξοχὰς τῶν ὀνύχων ἐυθυῶς, *extremos ungues dextrè præſidebat.* Vide quoque Tzetzen, *Chil.* 6. *Hiſtor.* 44. & ſuprà voce *Charmione*, it. *Symphonia.* Non reſecabant autem nundinis. Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Ungues reſecari nundinis Romanis tacenti atque à digito indice, multorum pecuniæ religioſum eſt.* Vide apud eundem plura de ſuperſtitione circa hæc veter. Romanorum alibi. Reſegmina verò Flamen Dialis, utpote inter immunda cenſita, ſubter arborem felicem, ut & capilli ſegmina, terrâ operiebat, A. Gellius, *l.* 10. *c.* 15. Alii ad φίλτρα adſervabant, unà cum pilis urenda. Unde in *Erotopægnio* Lælii apud Apulejum. *in Apolog.* ubi pleraque Veterum philtra enumerantur, etiam illa recenſentur,

Trochus, pili, ungues, *tænia.*

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 942. At Sinenſes hodierni etiam idolis ſuis illa offerre non dubitant &c. Sed & ſcindebantur mediô ævô *ungues*, quæ eorum ſciſſura, inter pœnæ levioris ſpecies, occurrit apud Auctorem *Fleta, l.* 1. *c.* 26. §. 4. ubi de pœnis in Anglia uſitatis. Porrò rodunt eos invidi. Ità enim Martialis, *l.* 4. *Epigr.* 27. *v.* 5.

Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.

Meditabundi item, unde quæ ſcripta *admorſum unguem* ſapiunt, præclara habentur. Inaurant inſuper Turcicæ virgines, ſponſæ inprimis, de quo more jam apud Veteres (etiam in ferarum exuviis, quas priſci Heroës cum *unguibus* geſtabant) uſitato, vide ſuprà, ubi de artificio *Deaurandi.* Ut ad uſus eorum redeam, *Unguibus* ac digitorum ſummitate citharæ nervos temperari, diximus ſuprà voce *Plectrum.* Præterea marmorarii juncturas *unguibus* probant, unde ab *ungue* phraſes ortæ, quæ pertinent ad ſummam ἀκρίβειαν. Ut *Ne latum quidem unguem diſcedere, Tenere ad unguem.* Et in Horatio, *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 31.

——— *ad unguem*
Factus homo ———

Et, *in Arte, v.* 294.

——— *carmen non caſtigavit ad unguem.*

Et in Virgilio, *l.* 2. *Georg. v.* 272.

——— *omnis in* unguem
Arboribus poſitis ſectò via limite quadret &c.

Vide Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte prior l.* 2. *c.* 44. Sed & in Sacris *unguium* aliquis olim uſus fuit. Avibus enim, quod operoſius ſacrum fuiſſe tradunt Judæi, Sacerdos pollicis *ungue* diſcindebat caput, tum ſanguinem ad Altaris angulum exprimebat, dein ingluviem auferebat, tandemque diſciſſis ſubalarum receſſu carnibus concremabat, Lev. *c.* 1. *v.* 14. 17. de quo uſu vide Bochart. *Hieroz. parte poſter. l.* 1. *c.* 5. Contrà abuſi graviter iis ſunt Veteres qui in ſacris Inferorum evocatoriis terram illis ſcalpebant, vide ſuprà *Scalpere*, & qui ex illis divinare ſatagebant inter Κατοπτρομαντείας ſpecies hanc quoque referentes: memoratam Kimchio *ad Ezech. c.* 21. *v.* 21. ubi de Βελομαντείᾳ Regis Babyloniæ: *Acuebant & expoliebant aciem ferri telorum, ita ut valde ſplenderet & conjectores in ea viderent, quid futurum eſſet, quomodo vident in ungue pollicis manus, quia ſplendet, ita & in gladio vident & in ſpeculo.* Quò pertinet, quòd ex maculis *unguium* hodieque mendaces arguuntur, quodque omnium, quæ ſibi eventura eſſent, veſtigia in *unguibus* apparuiſſe, ſcribit Cardanus, *de Var. Rer. l.* 8. *c.* 43. Graviùs, qui ſub illis venenum occultabat Monachus, quô tandem is Henricum VII. Imperatorem interemit, vide in eo. Item qui adactis intra digitorum ungues acubus miſeros excarnificârunt Tyranni, vide Ælian. *Hiſt. l.* 9. &c. uti de *Animalium unguibus*, Plinium, *l.* 11. *c.* 45. plura verò hanc in rem hic paſſim.

UNGUIS Odoratus, vide ſuprà *Bdellium* & *Onyx*, uti de *Ungue* piſce, Voſſium, *de Idol. l.* 4. *c.* 36.

UNGULA, ab UNGUIS, cornea pars pedis eſt in equis, bobus & ſimilibus. Et quidem in equis ἡ χελιδὼν cavum ejus Græcis dictur, quòd bifurcatam hirundinis caudam aliquô modô referat, profundius in equis generoſis, quorum proin pedes tam facilè non læduntur. Unde pede ſolô alliſô graviùs ſtrepunt. Poëta, *l.* 3. *Georg. v.* 88. ubi de nobilis equi notis,

——— *ſolidò graviter ſtrepit* ungula *cornu.*

Indidem χαλκόποδες, κασαχήποδες, ὑψηχέες Græcis dicti, inter quos Homerus ἐριγδούπους πόδας ἵππων vocat, de bellicis equis verba faciens. Ὥσπερ κύμβαλον ψοφεῖ πρὸς τῷ δαπέδῳ ἡ κοίλη ὁπλή, *ſolo enim alliſa cava* ungula *reſonat, ut cymbalum*, Xenophon: quam in rem vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 8. uti de vi onagri, in *ungulis* pedumque ictu ſitâ, ſuprà ubi de eo; de cœterorum verò animalium *ungulis*, Plinium, *l.* 11. *c.* 46. Dico ſaltem, ex *ungula* quoque munditiei indicium capi voluiſſe Deum, Levitici *c.* 11. *v.* 2. & in quadrupedibus mundis, præter *ruminationem*, requiſiviſſe, *ungulam ſciſſam & diviſam ſimul*, uti quoque videre eſt Deuter. *c.* 14. *v.* 8. Quorum locorum occaſione Bochartus. *Animal*, ait, *aliud eſt μώνυχον, ſolidipes, ut equus, mulus, aſinus; aliud δίχηλον, biſidum, ut bos, cervus, capra, ovis; aliud πολυσχιδές, multiſidum, ut canis, leo, lupus, felis. Multiſidum dicit Moſes ambulare ſuper plantas aut manus ſuas*, Lev. *c.* 11. *v.* 27. *cùm quia caret ungulâ, tum quia pedes habet manuum inſtar digitatos. Hoc ſubtilius, quòd diſtinguit Moſes inter ſiſſionem & diviſionem ungulæ. Ita ut quædam ſcribat ungulam ſimul dividere & findere, ex quorum numero eſt porcus, alia ungulam dividere quidem, ſed non findere*, Lev. *c.* 11. *v.* 7. 26. *quia cohæret adhuc vel à parte ſuperiore, vel ab inferiori* ——— *Exemplô ſit camelus, cujus ungula supernè diviſa eſt & infernè cohæret* &c. Quare verò animalia *ſciſſam ſimul & diviſam ungulam* habentia pro mundis fuerint habita, & quid utrôque ſignô fuerit indigitatum, Burmannus docet, *fiſſione ἀφορισμὸν*

rerum

ferum sacratum, & *divisione* in duas solùm partes, firmitatem & constantiam in fide ac justitia, præfiguratum innuens, *Medit. ad l.*. Ut hoc unum addam, intra *ungulam bovis* cibum recondere solitum Epimenidem, tradit ex Demetrio Laërtius. Contrà ex *ungula equi* mortem hausit Alexander M. *Veneni* enim, quô is peremtus, *tanta vis fuit, ut non ære, non ferrô, non testâ contineretur, nec aliter ferri nisi in* ungula *equi potuerit*, Justinus, *l.* 12. *c.* 14. Vide quoque Pausaniam, *in Arcadicis*. Plut. tamen *in Alex. c.* 129. & Ælianus, *Hist. anim. l.* 10. *c.* 40. *ungulam asininam* fuisse scribunt: ut Arrianus, *l.* 7. Plinius, *fine libri* 30. & Vitruvius, *l.* 8. *c.* 3. *mulinam*: Curtius *jumenti ungulam* simpliciter vocans *l.* 10. *c.* 10. rem in medio relinquit &c. Vide Berneggerum, *ad l.* & plura hanc in rem hîc passim, ubi de Animalium quolibet in specie, ut & infrà voce *Ungulus*.

UNGULA, inter instrumenta hominibus excruciandis excogitata, memoratur Cypriano, *ad Donatum*, *Hasta illic & gladius & carnifex præstò est*, Ungula *effodiens latera & deradens*, *Eculeus extendens* &c. Prudentio *Hymnô* 2. *D. Vincentii*, *v.* 117.

> *Ridebat hæc miles Dei,*
> *Manus cruentas increpans,*
> *Quòd fixa non profundiùs*
> *Intraret artus* Ungula.

Bisulcæ eidem dicuntur, *in Hymno* 14. *D. Romani*, *v.* 71.

> *Amor coronæ penè prævenit crucem*
> *Lictoris artem, sponte nudas offerens*
> *Costas bisulcis exarandas* Ungulis.

Idem alibi ictus earum *hiulcos*: vulnera *lacunas* vocat &c. Erat autem ferrum mucronatum, quô sulcatim corpora laniabantur & fodiebantur. Et quidem eorum, qui in Equuleo torquebantur, cutem *Ungulis* ferreis laniari solitam esse discimus ex Justiniano *de Mathem.* in C. ubi ait. *Sic Equuleo deditus &* ungulis *latera sulcantibus scelere dignas perferat pœnas*: & Sigonio *de Judic. l.* 3 *c.* 18. ubi, de Equuleo loquens, inter alia, ait, *Catasta fuit lignea* &c. *in altum erecta, ut ex ea quasi ex cruce quadam miser penderet; tum primùm compagem ipsam ossium illius divellebant, deinde candentibus ejusdem corpori laminis admotis, atque bisulcis* ungulis *ferreis lateribus laniatis doloris acerbitatem augebant.* Has *Fidiculas* esse, ex Isidoro videtur colligi, *Etymol. l.* 5. *cap. ult. Ungulæ dictæ, quod effodiant; hæ &* Fidiculæ, *quia iis rei in equuleo torquentur, ut fides inveniatur.* Gallonius, ex *findendo* seu fodiendo sic appellatas esse statuit. Vide suprà ubi de *Fidiculis*. Idem fuisse genus quoddam forcipis ferreæ docens, eas hôc modô explicat: Conjungebantur primùm duo simul ferri frusta oblonga aliquantulùm, eô prorsus modô, quô illa forcipis ferreæ fabrorum connecti copularique solent; quorum extremæ partes rotundæ erant & prope earundem finem paululum excavatæ, quod idcirco fiebat, ut hastulæ aliquæ in ipsis includi atque affigi possent, ad majorem commoditatem carnificum, reos in Equuleo positos vel stipitibus affixos vel sublime appensos discerpentium. In partibus verò superioribus à conjunctione nimirum frustorum amborum ferri incipiendo, unius palmi erant longitudinis, duorum digitorum latitudinis exiguæque crassitiei, subtiles siquidem ac exiles construebantur. Porro affigebantur his mucrones sex ferrei, terni in singulis, hôc ordine, ut in alterius illarum medietate duo mucrones ejus ferme superficiei fixi essent, in medietate verò alterius unus tantummodò adversùs duos: qui, si contingebat forcipes constringi quia in frusti medio affixus erat, duobus prioribus aculeis obviam fiebat atque occursabat, per eos quasi seipsum trajiciendo. Ampliùs in iisdem partibus alii totidem mucrones in earum capitibus inerant, aculeorum ordine duntaxat immutatô. Unde eveniebat, ut carnes illorum quibus admoverentur, & fodicarentur & sulcarentur. Quocirca non mirandum, quòd *bisulcæ* dictæ. Variis autem modis excarnificabantur his *ungulis* homines, quandoque Equuleo, vel palis aut columnis alligati, quandoque sublimè appensi, capite etiam nonnunquam ad terram versô &c. Vide Gallonium *de Martyr. Cruc. c.* 3. Hinc *ungulare*, seu *exungulare*, ungularum tormentum inferre, in *Vita* Potiti Martyr. *c.* 6. *Ferantur ferreæ ungulæ & unguletur.* Et in *Act.* Eulaliæ Barcinon. *num.* 6. *Jussit --- suspendi eam, quamdiu exungularetur*, apud Car. du Fresne, *Glossar. lacerare* simpliciter vocat Seneca, *de Ira*, *l.* 3. *c.* 3. Unde *equuleis & lacerationibus subjacere*, in *l.* 4. *Cod. Theodos. de Numerar.* Vide suprà in hac voce.

UNGULUS, singulare Armillæ genus brachiô suspendi solitum. Ità enim Pacuvius apud Festum. *Suspensum in lævo brachio ostendo Ungulum.* Et Nonius *Repugnanti ego porrò hunc vi detraxi ungulum.* Oscorum linguâ Annulum hâc voce denotari, scribit Festus & Isidorus, *Origin. l.* 19. *c.* 32. Sic Plinius de Annulis, *l.* 33. *c.* 1. *Græci à digitis appellavêre, apud nos prisci* Ungulum *vocabant, posteà & Græci & nostri Symbolum.* Cur non & *Armillæ*, quæ annuli sunt brachiorum? quærit Bartholinus. Nam *Ungulus* videtur annulus dictus, quòd cornu in circulo imitetur, licèt aliter Isidorus senserit, vel quòd rudi seculô *Ungulæ*, seu cornua annulorum armillarumque vices sustinerent, quemadmodùm ebur aliis & cornu brachiale in arcubus adhuc, inter Turcas, Arabesque usitatum, si credimus Bellonio, *Observat. l.* 2. *c.* 89. Pro cornu enim *Ungulum* accepisse antiquos, ex signatis plurimorum Auctorum locis, in *Observ. de Unicornu*, *c.* 31 evicit Th. Bartholinus: qui ipse anceps hæret, num huc corniculos referre debeat, armillis sæpe sæpius, velut cognati generis, sociatos: Ita Livius, *l.* 10. *c.* 44. *Corniculis, armillisque argenteis donat.* Nihilque à veritate alienum putas, si Armillam, à tortuosi flexus similitudine cum cornibus, *Ungulum* vocaverit antiquitas. Cæstus namque, Armillis ferè similes, in brachiis manibusque ad cornua arietina componit Plinius, *l.* 11. *c.* 37. &c. Vide quoque præfatum Thomam Bartholinum, *Schediô de Armillis Veterum*, §. 4.

UNI, qui & *Unni*, vel *Hunni* plerisque, popul. German. qui *Thunni* Eustathio dici videntur, quique ex Septentrione profecti, Italiam & Galliam oppressêre. Hi *Avares* etiam apud *Eginarthum*, *Ongari Agathiæ*, unde nunc *Hungari*. *Unni* verò apud Dionys. sunt populi Scythiæ, Caspiis & Albanis finitimi, à quibus fortè orti priores. Sic enim ille *v.* 730.

> Οὖννοι δ' ἑξείης, ἐπὶ δ' αὐτοῖς Κάσπιοι ἄνδρες,
> Ἀλβανοί τ' ἐπὶ τοῖσιν ὄχθαι:

Ubi sis consule Montanum. *Nic. Lloydius.*

UNICORNU, Græc. Μονόκερως dicitur. Cujusmodi animalium septem species Viri eruditi observârunt, præ aliis Dalechampius *in Plin.* Rhinoceros piscis plerunque in Rubro mari capitur, & vix aliud tributi genus ab incolis illius tractûs Abyssinorum Regi penditur, referente Alvarô Bermudesiô. Martinus Forbisserus, susceptâ in Americam peregrinatione, sub A. C. 1576 cùm Oceanum Septentrionalem mense Juliô, glacie constrictum ac transitu perdifficilem invenisset, ibi consistere coactus, multos pisces frigore enectos reperit, & in his Rhinocerotem ingentem, inter ingentes glaciei montes fluctuantem, rotundum instar histricis, 12. pedes longum, cornu 2. ulnis extensô, minùs 2. digitis, è naso exuberante, quod rectissimum iis, qui viderunt visum est, eôdemque modô ac penè formâ pari cum iis, quæ Venetiis ac Divi Dionysii in Gallia spectantur, pars summa resecta, aut fracta erat, cui araneæ impositæ mox expiraverunt. Asservatum id inter pretiosissima cimelia, postquàm in Angliam allatum esset, Vindsoræ Regina collocavit, teste Casp. Emsiô Lusitanô. Relatum similiter est à rerum Britannicarum Scriptoribus, sub A. C. 1588. inventum hujusmodi cornu in litore Sudovolgio à muliercula, vilique divenditum, posteà magno usui fuisse. Quæ in Terra Viridi N O. cornua sunt, longè ab illis figurâ dissident, quæ in Mari Rubro frequenter visuntur. Neque pridem Thom. Buttonus & Frobertus Bassinus, in Insul. Fœminea Atlantica deprehenderunt, totam incolarum opulentiam in istiusmodi cornibus consistere, quibus maxima virtus adversùs quælibet venena. Cardanus *Unicornem* esse animal scribit rarum, magnitudine equi, pilô mustelæ simillimô, capite cervinô, in cujus fronte cornu crescat unicum, cubitorum 3. longitudine erectum, in imo autem amplum, tendens in aciem. Porrò collum ei tribuit breve, jubam rarissimam & in alteram tantùm partem tendentem, crura velut capreolo tenuia, posteriorumque tenuiorem partem multô pilô villosam, ungulas bifidas esse tradit: Cujusmodi duos, Sultano ex Æthiopia missos, Mechæ ad Mahometis sepulchrum, cancellis septos minimè feroces, fortè quòd longô jam tempore domiti, se vidisse refert Ludov. Vartomannus. Nec Idaich Aga, Solimanni ad Maximilianum II. Imperatorem Orator veritus est, Viennæ in frequenti Procerum corona, dicere, se in Arabia deserta vidisse greges istiusmodi animalium, uti boum vaccarumque in nostris regionibus. Diluvió universali illa periisse, nunc Terrâ erui ossa fabulantur plurimi, cùm majori ex parte terræ visceribus recondita exhumari cernant. Ad Dionysii Fanum propè Luteriam, integrum extat eximiæ proceritatis cornu: solennibusque Venetorum feriis, Sanmarciano delubro, quæ publicè spectanda proponuntur, & magnitudine & figurâ sunt dissimillima. Kereczenio quoque Baroni ad Nicleburgum, brachii crassitie, ingentis molis fuit os, è Pannonum, ut credi voluit, Regis Matthiæ thesauris, ad se delatum: quod balænarum quoque fuisse alii judicant. Nec difficilis fucus est, cùm in littora ejecti pisces cetacei, salô arenas propellente, sæpe obruantur, postque multa demum secula rursus ex imis terræ visceribus eruta, cornuum simulachra referant. Unde Joh. Hugo Linschotius, qui integros 12. annos in urbe Goa commoratus est, atque illuc undique comportari, quidquid in illis terris est rari, vidit, Rhinocerotem Veteribus imposuisse judicat, illumque esse pro Monocerote seu *Unicornu* ab iis sumtum. Piscium itaque hæc cornua fuêre, quæ passim ostentantur, neque ferè amplius hodie dubitant, quin ita se res habeat, navigationibus inprimis Hamburgensium aliorumque, meliora docti. Cæterùm in Europa istiusmodi cornua 20. integra reperiuntur, totidemque non integra, sed confracta. Parisiense multis naturale est, quod quia concavum, deciduum esse non potest, ut cervinum. Longum est 7. pedes magnos, pendit 13 $\frac{1}{4}$ libras, si quis sublevet, plus 18. libras tribuit. Figura recta est instar cerei, inferiore parte crassâ, deinde paulatim usque ad mucronem gracilescens: Crassitiem manus complecti nequit, cùm 5 digitos in diametro habeat. Ubi capiti adhæsit, inæquale est non nihil, reliquâ parte leve ac politum: levibus canaliculis cochleæ in modum striatur, integróque pene, ubi capiti fuit insertum, cavum est &c. Nec omittenda hîc Sinensium *velox vacca*, in vertice capitis à fronte, oblongô ac tereti armata cornu, tantæ velocitatis, ut 300. stadia facilè unô die superet. Vide Auctorem *Sinæ & Europæ*, *c.* 40. inprimis autem apud Thom. Bartholin. *de Unicornu*. Adde unicum hunc locum Cl. Vossii, *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 60. *Ajunt & rhinocerotem* (quem *Monocerotem* alibi vocat) *esse fœminei sexus amatorem: nuda autem virgine sic affici, ut in ejus sinu deponat caput, atque ita exuere feritatem omnem: in sinu autem ejus soporatum capi. Referunt Albertus M. & alii juniorum: nec memini me apud antiquiorem legere, quàm Isidorum Hispal. Originum, l.* 12. *c.* 2. *Eôdem verò hoc locô habendum ac fabulæ Æsopicæ. Commentô enim hoc significare voluerunt, nullam esse vim tam efferam, quin amore dometur.* Vide quoque ejus judicium de vi veneno resistendi, quæ cornibus istis ascribitur vulgò, *l. eod. c.* 68. & plura hanc in rem, suprà voce *Monoceros*.

UNIO, veterib. Latinis σκόροδον μονοκέφαλον, *cæpe simplex & unicô capite constans.* Columella, *l.* 12. *c.* 10. *Pompejanam vel Ascaloniam cæpam, vel etiam Marsicam simplicem*, *quàm vocant* unionem *rustici*, *eligito*.

eligito. Hodieque *oignon* Gallis, sed cæparum omne genus, appellari notum. Hinc grandioribus margaritis, quarum notitia circa Sullana demum tempora ad Romanos pervenit inditum nomen, quòd *unionum*, i. e. cæparum figuram referrent: quemadmodum iisdem longiores, *elenchi*, quod elenchi seu pittacia eâ formâ amphoris, ad indicandam vini ætatem, adfigerentur; & quæ dimidiatæ rotunditatis formam haberent, *tympana* vocitata sunt. Vide Salmas. *ad Solin. p.* 1169. alibique passim, ubi de aliis quoque vocis notionibus varia. Et quidem *Unio*, cùm de pretiosa hac maris grandine sumitur, Vossio propriè margarita est, ex concha quæ apud Rubrum Mare crescit ac coalescit, *ex leg.* 19. §. *penult. ff. de auro & arg. leg.* atque ita Plinius, *Unio in maris Rubri profundo, Smaragdus in ima tellure quæritur.* Quod apertiùs idem Auctor, *l.* 9. *c.* 35. Hinc Propert. *l.* 1. *Eleg.* 14. *v.* 12.

Et legitur Rubris gemma sub æquoribus.

Lucanus, *l.* 6. *v.* 677.

--- Innataque Rubris
Æquoribus custos pretiosæ vipera conchæ.

Et clariorem utique *Unionem* in Rubro Mari reperiri: Indicum verò, licet magnitudine præcellentem, specularium lapidum squamas assimilare, tradit Plinius. Nomen eidem inde, non quòd nunquam duo simul reperiantur, ut Solino, *c.* 10. proditum, & Isidoro, *Origin. l.* 16. *c.* 10. verùm, quia *nulli duo reperiuntur indiscreti*, Plin. *l.* 9. *c.* 35. Sed prior originatio placet magis. Sicut *Margaritæ* vocabulum, si Eustathium audimus ad *Il. α.* fuerit à μαργαίρειν; sin alios, à Persico vel Indico *berberi*, quô nomine conchas, in quibus margarita, vocant. Interim à conchis, in quibus nascitur, clarè etiam distinxit Tertullianus, *de Habitu mul. c.* 6. Ferunt autem margaritum pinnæ, pectines, myaces: Item μαργαριτομήτρα, sive ut vocant, *perularum mater*: quæ pectinem magis refert, quam pinna, ac facie exteriori scabritiem habet & rugas. Has conchas aperire se ac claudere constat, unde & μύες ἀπὸ τοῦ μύειν, dictæ. Ajunt verò noctu pandi, ut ex lunari aspergine, i. e. rore concipiant, atque purô illô & pellucidô humore inclarescente, parere candidum illum lapillum, quem *Unionem* dicimus, quæ sententia Plinii est & exinde Solini, atque ex hoc Amm. Marcellini. Sed ut id de terrestribus conchis verum sit, falsum tamen fuerit de marinis, quarum cùm aliæ ἰχθύβιοι sint, aliæ ἐπιπολάζουσαι καὶ ἀναφέρονται, teste Athenæô, *l.* 3. *c.* 14. minores sunt hæ, ut quæ in maris superficie fluitant. Respondent quidem ad hoc, tantum conchis esse prudentiæ, ut fundum petant, simul ac conceperint. Sed obstat, quòd conchæ maximas habentes margaritas, creentur in profundo: talesque non vagentur, sed fundo adhærescant ita ut sæpe opus sit, urinatores mergi ad 20. orgyarum altitudinem, sicut idem ait Isidorus. Quare credibilius, ex eadem materia & animal gigni & lapidem, sed hunc creari ex puriori humore ac magis perspicuo: crescente dein animali, crescit quoque lapillus, sive os malis; nam utrôque modô Veteres loquuntur. Si fulguret, fieri minores, docet Plinius, *l.* 9. *c.* 35. idque fieri ait pro jejunii modo. Sed tonitrû majores potius reddi, censet idem: uti & Characenus Isidorus, apud Athen. ubi *suprà*. Nempe imbris beneficiô, tonitru consequentis: propter quam causam tubera quoque tum grandiora fiunt; neque ineleganter idcirco vocare possis *Maris tubera*: sicut non dissimili tralatione *Maris poma* appellavit Tertullianus, *locô cit.* Vide Gerh. Jo. Voss. *de or. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 47. Proprium iis esse, ut quò magis à Sole occultantur & radiis ardentibus, eo pulchiores evadant, scribit laudatus Athenæus, *l. cit. c.* 8. Inter saxa, timentem piscantium insidias, sese occultare concham, & ne capiatur, delitescere, *certumque esse natantium ducem, quâ captâ, quæ evaserint, redire ut capiantur*, legimus apud Solin. *c.* 56. Rorem *matutinum candidas facere, h. e. meliores: vespertinum aerem obscuras deterioresque*, *annotatum* Isidoro, *l.* 16. *c.* 10. quæ de quibus sint intelligenda conchis, ex præcedentibus videre est. Usus varius: *Ornabantur eô templa statuæque Deorum*, Cicer. 1. *Verr.* Vide quoque Lamprid. *in Alex. Sev. c.* 51. Porticus publicæ, unde P. Victor in 8. reg. ponit *Porticum margaritariam*, h. e. margaritis affixis splendidam, decoratamque. Mulierum colla, brachia, aures: Notus enim *Unio* Cleopatræ, de quo infrà prolixiùs; Metellæ, apud Horatium, *l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 239. ubi is sic de Clodio Æsopi Tragœdi filio,

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidum absorberet, acetô
Diluit insignem baccam. ---- ----

Vitellii, qui, cùm exituro viaticum defuisset, detractum ex aure matris, cum solum pignoravit ad omnes itineris impensas, Suetonius *in eo*, *c.* 7. Imò conjungebant alii, quasi in quodam luxus certamine, duos, tres quatuorve atque ita utraque aure gerebant. Plinius, *l.* 9. *c.* 35. *Hos (uniones) digitis suspendere & binos ac ternos auribus fœminarum gloria est.* Vide hanc in rem querelam Senecæ, *de Benefic. l.* 7. *c.* 9. & Claudian. *de VI. Consul. Honorii v.* 561. ubi digitos quoque iis fulsisse docet, ut & suprà ubi de *Inauribus*. Lolliam Paulinam, quæ fuit Caji Principis matrona, smaragdis margaritisque opertam, alternô textu fulgentibus totô capite, crinibus, spiris, auribus, collô, manibus digitisque, quæ summam quadringenties sestertium colligebant, se vidisse testatur Plinius ubi *suprà*. Ornamenta mamillarum ex tympanis margaritis, Paulus JCtus habet, *l.* 32. §. *ult. ff. de aur. & arg. legat.* Hinc vestibus inserti, unde nomine *muliebris mundi* comprehendebantur, Artemid. *Oneiroc. l.* 2. *c.* 5. Imò ad perones luxus descendit, imitatione Parthorum & Medorum, quos cùm vidisset Romæ Tertullianus, *de Habitu mul. c.* 7. *In peronibus*, inquit, *uniones emergere de luto cupiunt,* *Sed & Principum ephippia & phaleræ margaritis rutilabant.* Varro apud Non. & Heliogabalus luxuriæ monstrum, *habuit in calceamentis margaritas & quidem sculptas, quod omnibus risum movit, quasi possent nobilium Artificum opera in pedibus cerni*, Æl. Lampridius *in eo*, *c.* 23. Caligula absorpsit quoque exemplô Cleopatræ, Sueton. *c.* 37. &c. Quem luxum hisce Tertullianus, *l. c.* castigat: *Sed si quid de mari Britannico aut Indico, ambitio pascatur: Conchæ genus est, non dico conchylio aut ostreo, sed nec peloride gratius de sapore. Ad hoc enim conchas noveris Maris poma. Quod si concha illa aliquid intrinsecus pustulat, vitium ejus magis debet esse, quam gloria: & licet Margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum, quàm conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca.* Nec appensi solùm vel affixi *Uniones*, sed & perforati sunt, ut pertusis in linea uterentur: Unde *linea margaritorum triginta quinque*, *l.* 26. *ff. ad Leg. Falcid.* Vide quoque Ulpianum, *l.* 27. §. *si cùm maritus*, *ff. ad leg. Aquil.* &c. Ante Sullam verò usus eorum Romæ ignotus, mox verò, ab eo invectus in urbem, tantum omnium Ordinum studium sensit, ut *Cæsar Dictator usum margaritas gestandi tollere & latâ lege coercere* fuerit coactus, Sueton. *c.* 43. Vide Thomam Dempsterum *ad Rosin. l.* 1. *c.* 13. *Paralipom. ad Region.* 9. Addam prædictis: Non in Æthiopia modò, India, Rubroque mari, sed etiam in Britannico nasci æstuario. Ausonius *in Mosella*, *v.* 68.

Nota Caledoniis talis pictura Britannis,
Cùm virides algas & rubra corallia nudat,
Æstus, & albentes concharum germina baccas.

Hodie *Perlæ*, ita enim vulgo vocantur, quasi *pilulæ*, laudatissimæ veniunt è Mari Persico, item à Promontor. Comorino ad Insulam *Zeilan*, ubi conchas 100. granorum reperire est. Generantur & in Insula Borneo, quæ, tametsi sint grandes, formæ tamen elegantiâ à superioribus vincuntur. Sic & nonnullas ad Chinam & Japaniam piscantur, sed viles. Etiam in Novo Orbe reperiuntur, verùm cum Orientalibus minimè conferendæ, nam aut obscuri sunt, & nubili coloris, aut nullô orbe lævoreque commendantur, Garc. ab Hort. *l.* 1. *c.* 57. Quibus tamen *Uniones* maximè commendari, indigitat Plinius, *l.* 9. *c.* 35. *Conchas*, inquiens, *etiam captas, multô obrutas sale in vasis fictilibus, erosâ carne omni, nucleosque quosdam corporum, h. e. uniones decidere in ima. Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere.* Nec omittendum, quòd apud eund. Ælius Stylo *Jugurthinô bellô*, Unionum *nomen impositum maximè grandibus margaritis prodit.* Cùm verò *Margaritas rudes*, dixit Ulpianus, *l.* 25. §. *Margarita ff. de aur. & arg. leg.* intelligit vel *in nulla adhuc*, ut Arnobius loquitur, *opera confectas*: vel indigitat, *senos concharum partus*, ut Plinius ait, *multiplici constare cute; non impropriè callum corporis ut existimari possit: itaque & purgari à peritis*, consuevisse. Nomina eorum, ut vidimus *Uniones*, *Tympana*, *Elenchi*, *Baccæ* &c. Græcis vetustioribus μονόκοκκα quasi *unica grana*, recentioribus μονοχοὶ, imitatione Latinorum. Vide Jo. Laurentium, JCtum, *Not. in Phædrum*, *l.* 3. *fab.* 12. & suprà passim, vocibus inprimis *Bedolach*, *Extractio*, *Margarita*, *Margaritarii*, *Peninim*, *Perla* &c. Inde formosi pueri *uniones*. Martiali, *l.* 12. *Epigr.* 49. *v. extr.* & *teretes*, appositô epithetô, Horatio, *Epod.* 11. *v. extr.* & Petronio, qua de re vide Casp. Barthium, *Animadvers. Papinian. ad l.* 3. *Theb. v.* 263. De *Unione* in talorum tesserarumque lusu, vide suprà, voce *As*, item ubi de his lusibus.

UNIO, nomen legis apud Aragonios, quâ olim libertati suæ cavebant. Postquàm enim Petrus cognomine *ab Acinace*, quòd Legem de electione Regis strictô acinace discidisset, regnum fecisset hæreditarium, ut nihilominus libertas sua maneret salva, condiderunt Aragonii legem titulô *Unionis* in hæc verba, *Si Rex patrias leges violet, Aragoniis liberum esto, citra crimen læsæ Majestatis, fœdera inter se & cum vicinis, pro conservanda libertate inire aliumque Regem eligere*, uti legimus apud Georg. Hornium, *Orbe Imper. cum Notis* L. Joach. Felleri, *p.* 279. Vide suprà ubi de *Aragoniæ Regno*, voce *Justitia*, item *Nuca*. Sed & sic dictum est Fœdus, quod sub initium hujus seculi, in Imperio, Principes Statusque Euangelici aliique nonnulli, contra Pontificios quosdam Principes, qui fœdus *Ligam* dictum inter se inierant, pepigerunt, occasione an Juliacæ successionis, an Donawerdensis causæ? Dederunt autem *Unioni* nomen Reges Angliæ, Galliæ, Daniæ, Sueciæ, Ordines Belgii, & præter Venetos, varii in Italia Principes; Protestantes item per Germaniam & Princeps Transsylvaniæ. Ligæ verò Rex Hispaniæ, Pontifex Rom. Domus Austriaca, Dux Bavariæ, aliique non pauci. Quæ utrinque, & quô successu eventuque gesta, vide apud *Belli Germanici* Scriptores, & quædam apud Fellerum, ad *Georg. Hornium*, ubi suprà, *p.* 104. & 105. nec non hîc voce *Liga*.

UNIO Cleopatræ, dedicatus est, tanquam donarium, Veneri, postquam Antonius ab Augusto fusus & ille Romam traductus est. C. Plinius, *l.* 9. *c.* 35. *Duo fuêre maximi uniones per omne ævum, utrumque possedit Cleopatra, Ægypti Reginarum novissima, per manum Orientis Regum, sibi traditos.* Vide quæ celebratissimâ historiâ comprehensa sequuntur, & ex eo Aur. Macrobium, *l.* 2. *c.* 13. qui tamen nonnihil à Plinio varians, cùm hic *Veneri* tantùm donatum *unionem* prodat is, *Templo ejus, quod Pantheon dictum*, consecratum: & quem hic *C. Plancum*, ille *Munatium Plancum*, appellat. Nec de pretio horum *Unionum* ubique consensus. Quidam HS. centies, i. e. ducenta quinquaginta millia aureorum, pretium statuunt: Alii longè suprà, nempe HS. sexcenties, h. e. quindecies centena millia aureorum. Catullus, *Epigr.* 30. *v.* 15.

Ducenties comesset, aut trecenties.

Nota enim Cleopatræ ingluvies, alterum *Unionum*, acetô liquefactum, sorbentis. Et hic ille ornatus, quem tam magnificè, extulit Lucanus, *l.* 10. *v.* 138.

Nec sceptris contenta suis, nec fratre maritô,
Plena Maris Rubri spoliis, colloque comisque
Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.

Exemplô Cleopatræ C. *Caligula*, apud Suetonium, *c.* 37. *pretiosissimas margaritas acetô liquefactas absorpsit*: qui ritus ab eo nepotibus frequens, ut de filio Æsopi, ex Horatio suprà vidimus. Fuit autem Templum Veneris, cum *Unione* Cleopatræ, in Regione 9. seu Circo Flaminio, Thom. Dempsterus, ad *Rosin. l.* 1. *c.* 13. Quinam verò illi *uniones Cleopatrani*, quos Calphurnia Titi tyranni uxor habuisse perhibetur, apud Treb. Pollionem, *in XXX. Tyrannis*, *c.* 32. *in Tito*? Vide Salmas. *ad loc.* Addam ex Historiis pauca quædam præter ea, quæ suprà diximus de *Unionibus* quibusdam celebrioribus. Serviliæ, Catonis Uticensis sorori, Jul. Cæsar margaritam emit sexagies sestertiô, teste Suetoniô, *c.* 50. quam summam, ex calculo Budæi, centum quinquaginta millium coronatorum, facit Lipsius. Metellæ, cujus rei ro facta mentio, ex altera aure detracta bacca, valuit decies centum millia sestertium. Uxori Alexandri Sev. *quum quidam Legatus uniones duos per ipsum obtulisset magni ponderis & inusitatæ mensuræ, vendi eos jussit: qui quum pretium non invenirent — in auribus Veneris eos dicavit Imperator*, apud Lampridium, *c.* 51. De candidissimo *Unione*, quem Justinianus centum auri libris licitatus est, miram narrationem apud *Cedrenum* vide. Sed & apud Pancitollum meminit *Zonaras*, Regem Persarum Perosam, in expeditione adversus albos Hunnos, à dextra aure detractum *Unionem* abjecisse, quem posteà repertum Justinianus centum auri libris redimere à Barbaris voluerit, &c. Vide Casp. Bartholin. *de Inauribus Veter.* Pulchrè hanc in rem Zeno Martyr, *Serm. de Justit. O quantarum neces animarum in phaleris pendent ornatæ Matronæ! Ornamentum, cujus unum si solvas in pretium, distribuasque necessitatibus singulorum, ex eorum respiratione cognosces, quantorum malô ille constet ornatus.*

UNIONITÆ, Hæretici, à Prudentio *in Apotheosi*, carmine cui titul. *contra Unionitas*, refutati: quô nomine Sabellianos, quod in Divinitate, *non unam solùm substantiam, sed & unam solùm personam esse*, contenderent, appellatos, ait Ivo Mag. Vide suô locô, item ubi de *Noetianis*.

UNITAS, vide *Fratres*.

de UNIVERSALIS titulo infelix certamen, vide *Marcianus*: it. *Catholica*, & *us*, nec non voce *Oecumenicus*.

UNIVERSITAS, vel *Academia*, (quarum vocum subtilius discrimen hic non moramur) est à summo Principe privilegiatum docentium & discentium Collegium, ad hoc ut certo in loco Artes liberales publicè tradere & addiscere, atque eruditis & benè meritis Honorum certos quosdam titulos & gradus conferre liceat, ad Dei gloriam & Reipubl. Ecclesiæque utilitatem. Olim quidem, ut de Romanis taceam, apud quos in templo Pacis omnium artium Professores ad disputandum convenisse legimus, doctorum hominum celebritas Academiam fecit: & deinceps quôcunque locô celebriores Episcopatus sunt fundati, ibidem aut Scholæ aut Academiæ nobiles institutæ sunt. Unde in Concil. Lateranensi sub Alexandro III. injunctum legimus Episcopis, ut in singulis Ecclesiis, suis sumptibus Professorem alerent, qui Juventutem in bonis artibus erudiret. Sic in Germania, alibique, studia Academica in Canonicorum collegiis, quæ cathedris Episcopalibus annexa erant, solebant tractari, ac tales Scholas illustres Carolus M. Osnabrugæ, Hildesiæ, & alibi, monente Ansegisô instituit. Præter has, Scholas nempe *Canonicas*, *Monasticæ* etiam erant, inter quas maximi nominis olim Corbejensis & Fuldensis, vide Crantz. *in Metropol.* Verùm postquàm Canonicorum, aulicis aliisque negotiis occupatorum, negligentia, Monachorumque, ventri potius quàm Palladi litantium, ignavià, utræque pessum irent, accessit seculô 9. tertium Scholarum in magnis Civitatibus genus, quibus Academiæ nomen datum est: Talis Parisiensis tum in Gallia fuit, sed nondum alii tum Professores, quàm Literarum & Artium, docebant: quô factum, ut hodieque, in Academia modò memorata, ex solis Philosophis, in prisci instituti memoriam, Academiæ Rector eligatur. Imò ipsa hæc Philosophiæ professio intra angustos admodùm terminos constitit, fuitque triviô hôc absoluta, Grammaticâ, Rhetoricâ & Dialecticâ, unde *Trivialium* nomen. Alibi tamen Academica eruditio quatuor disciplinis absoluta fuit, Arithmeticâ, Geometriâ, Musicâ & Astrologiâ. Nec ulla quoque tum temporis Academiarum in Studiosos jurisdictio fuit, nulla adhuc graduum solennis collatio, nulla Studiosorum privilegia. Donec seculô 13. affulgente primò Parisiis 4. Facultates floruerunt, teste Richardô *in Chron. Paris.* sicque Academia illa *Universitatis* nomen emeruit & Magisterii honores solenniter ibi conferri cœperunt. Posteà tamen A. C. 1220. Honorii Papæ interdictô Juris Civil. Professio in eadem sublata est. In Italia antiquissimæ Academiæ feruntur Bononiensis, MATER STUDIORUM dicta, & Salernitana: in quarum illa, auspice Irneriô, studium juris Civil. primùm effloruit. Verùm nondum ibi seculô 12. Medicinæ ulla Professio; imò & Theologica in ea demum A. C. 1362. cœpit. Germaniam seculô demum 14. Academiæ primùm illustrârunt, quarum princeps Pragensis A. C. 1360. à Carolo IV. fundata est. à quo tempore tam grata Musis sedes Germania esse cœpit, ut jam Lipsii tempore, sola illa universas Europæ regiones Academiarum numerô vicerit; quemadmodùm is habet *in Lovanio*, *l.* 3. *c.* 8. Habent autem Academiæ suos Cancellarios, qui ut plurimùm Episcopi sunt illius loci, in quo Academiæ instituuntur, vel qui proximè Academias accolunt. Sic Heidelbergensis Præpositum Wormatiensem, Basiliensis Episcopum cognominem, Gryphiswaldensis Caminensem, Lipsiensis Martisburgensem, Rostochiensis Suerinensem, Tubingensis Constantiensem &c. Cancellarios habent, quorum est, collationes Dignitatum Decanis vel Promotoribus publicô concedere elogiô, &c. Interdum tamen Principes Cancellariatus jus sibi integrum reservant, ne ob Religionis diversitatem incommodum oriatur. Præterea habent Academiæ Conservatores privilegiorum, Rectores, Professores, & Studiosos: quibus accedunt Bedelli, Bibliopolæ, Typographi, alii. De quibus omnibus vide prolixè disserentem Limnæum, in *de Jure Publ.* & Herm. Conringium *dissertat. de Antiquitatibus Academicis*.

Universitates Europæ.

Hispania.

Complutensis A. C. 1517. *Alcala de Henares*.
Compostellana, *Compostella*.
Conimbrica, à Joanne III. Rege, *Coimbra*.
Eborensis, instaurata ab Henrico Cardinale, *Evora*.
Gandiana, à Gandiano Duce, *Gandia*.
Granatensis, à Ferdinando Rege & Cancellario, *Granada*.
Hispalensis, ante Sixtum II. Papam, *Sevilla*.
Ilerdensis ante Callistum III. Papam, *Ilerda*.
Onnensis sive Onnatensis, ab Episcopo Abulensi.
Oscensis antiquissima, *Huesca*.
Palentina antiquior Salmanticensi, *Palenza*.
Salmanticensis maxima, A. C. 1404 *Salamanca*.
Secontina, *Siguenza*.
Toletana, ante S. Ildephonsum, *Toledo*.
Valentina A. C. 1470. *Valencia*.
Vallisoletana, *Valladolid*.
Ursonensis A. C. 1549. *Offuna*.

Anglia.

Bangoriensis in Wallia, antiquissima, *Bangor*.
Cantabrigiensis A. C. 630. *Cambridge*.
Oxoniensis A. C. 872. *Oxford*.

Scotia.

Aberdonensis A. C. 1480. *Aberdeen*.
Andreapolitana A. C. 1431. *S. Andrew*.
Glascoviensis, ab Episcopo Jurnbullo, *Glascow*.
Edimburgensis, *Edimbourg*.

Gallia.

Andegavensis, quando Heidelberg. *Angers*.
Aquensis, ab Henrico IV. *Aix*.
Avenionensis, sub Rom. Pontificibus, *Avignon*.
Aurelianensis A. C. 1302. *Orleans*.
Bituricensis antiqua, *Bourges*.
Burdigalensis antiqua, *Bourdeaux*.
Cadomensis A. C. 1418. *Caen*.
Dolana A. C. 1484. *Dole*.
Duacensis nova A. C. 1562. *Douay*.
Flexiensis, ab Henrico IV. Rege, *la Fleche*.
Lugdunensis A. C. 830. *Lyon*.
Monpessulana A. C. 1196. *Mompelier*.
Mussipontana, *Pont à Mousson*.
Nannetensis antiqua, *Nantes*.
Nemausensis in Gallia Narbonensi recens, *Nismes*.
Parisiensis amplissima A. C. 791. à Carolo magno, *Paris*.
Pictaviensis post Parisiensem maxima, *Poictiers*.
Remensis, à Carolo Cardinale Guisio, *Reims*.
Tolosana post Parisiensem, non multo post, *Toulouse*.
Turnonensis nova, à Francisco Cardinale Turnonio, *Tournon*.
Valentina antiqua, *Valence*.
Cadurcensis, à Rebuffis, *Cahors*.
Massiliensis, ubi trium linguarum Professores, *Marseille*.

Germaniæ & adjacentium regionum.

Altorfensis nova A. C. 1579. *Altorf*.
Basiliensis A. C. 1459. *Basel*.
Chiloniensis novissima A. C. 1669. *Kiel*.
Coloniensis antiquissima, *Cöln*.
Dillingensis, ab Othone Cardinali A. C. 1549. *Dilinghen*.
Erphordiensis A. C. 1391. aucta; erecta sub Dagoberto Rege, *Erfurt*.
Francofordiæ ad Oderam A. C. 1506. *Francfurt an der Oder*.
Franekerensis A. C. 1586. *Franeker*.
Friburgensis in Brisgoia A. C. 1450. *Friburg*.
Giessena nova A. C. 1607. *Giessen*.
Grypswaldensis, ab Vratislao Duce A. C. 1456. *Griphswaldt*.
Hafniensis A. C. 1478. in Dania, aliis 1539. *Copenhagen*.
Heidelbergensis A. C. 1346. aliis Budorina, *Heidelberg*.
Herbipolea A. C. 1403. *Wurtzburg*.
Jenensis in Turingia A. C. 1548. à Johanne Frederico Electore Saxoniæ, *Jena*.
Ingolstadiensis A. C. 1479. Aliis 1410. *Ingelstat*.
Juliana, à Julio Duce Brunsvicensi, quæ & Helmestadiensis, A. C. 1598. prius Gannæ erat. Aliis 1576. *Helmstat*.
Lavingensis, à Wolfgango Comite Palatino, *Lawingen*.
Lipsica A. C. 1408. *Leipzig*.
Lovaniensis A. C. 1426. *Louvain*.
Lugduni Batavorum præcipua, ubi 12. Typographiæ, A. C. 1575. ab Hollandiæ Ordinibus, *Leyden*.
Marpurgensis A. C. 1526. *Marpurg*.
Mechliniensis & Leodiensis ante A. C. 1129. *Malines & Liege*.
Moguntina A. C. 1482. *Maintz*.
Pragensis A. C. 1360. à Carolo IV. Imperatore, *Prag*.
Rostochiensis A. C. 1461. aliis 1415. *Rostock*.
Segina, quæ & Herborna, Nassoviorum Principum, *Sigen*.
Sorana, in Dania, *Sora*; de qua:

Doctorum famuli sunt omni tempore tardi;
Sudant quando vorant, frigescunt quando laborant.

Tekelburgensis in Westphalia, *Teckelburg.*
Trevirensis A. C. 1339. *Trier.*
Tubingensis A. C. 1479. *Tubingen.*
Vesuntina, à Peregrino Cardinale, *Besançon.*
Viennensis A. C. 1232. *Vienne.*
Ultrajectina A. C. 1636. *Utrecht.*
Upsaliensis, in Suecia, vetusta est, *Upsal.*
Vratislavia A. C. 1503. *Breslaw.*
Witembergensis A. C. 1502. *Wittemberg.*
Minores, Cliviæ, *Cleves*, Suollæ, *Zwol*, Monasterii, *Munster*, Susati, *Soest*, Padebornæ, *Paderborn*, Tremoniæ, *Dortmund*, Dusseldorpii, *Dusseldorp*, Namurci, *Namur.*

Poloniæ regni.

Cracoviensis A. C. 1361. *Cracow.*
Elbingensis erecta A. C. 1542. *Elbingh.*
Posnaniensis etiam antiqua, *Posen.*
Regiomontana A. C. 1544. *Kønigsberg.*

Italiæ.

Bononiensis, à Theodosio Imperatore Juniore, *Bologna.*
Ferrariensis A. C. 1316. à Friderico Imperatore, *Ferrara.*
Neapolitana, à Friderico II. *Napoli.*
Papiensis, à Carolo Magno, *Pavia.*
Patavina ab eodem, A. C. 1222. à Friderico II. instaurata, *Padoua.*
Pisana A. C. 1339. *Pisa.*
Romana antiquissima, *Roma.*
Salernitana ante Victorem IV. Papam. *Salerno.*
Senensis instaurata A. C. 1387. *Siena.*
Taurinensis ante Gratianum, *Torino.*
Maceratensis recentior, *Macerata.*
Parmensis nostrâ ætate, *Parma.*
Mantuana novissima, *Mantoua.*

UNIVERSUM, Græcè τὸ πᾶν, *statua Dei*, Platonicis, imo pro Numine fuit. Vide Coel. Rhodig. laudatum Cl. Pfannero, *System. Theol. Gentil. pur. c. 2. §. 5.* & suprà voce *Dii. Nec Universum* solum, sed & *Universa* culta. Ita enim de Romanis Cæcilius apud Minucium Fel. *Videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phryges Matrem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astarten Syros, Dianam Tauros, Gallos Mercurium*, universa *Romanos*. Et mox, *Universarum gentium sacra susceperunt.* Item, *Initiârunt ritus omnium religionum.* Unde Arnobio *Roma civitas maxima, cultrix omnium religionum.* Notaque Romanorum sententia, *Omnes Deos colendos esse sapienti.* Causam idem Cæcilius subjicit: *Vel ut remuneraretur divina indulgentia, vel ut averteretur imminens ira, aut ut jam tumens & sæviens placaretur.* Verùm dum *Universa* Romani veneratione prosecuti sunt, ab *Uno* deerrârunt, solô Hebræorum Numine non admissô. Tertullianus *de Idolol. c. 4. Omnia colit humanus error, præter ipsum omnium Conditorem.* Prudentius, *l. 1. adv. Symmachum*, iterumque Tertullian. *Apol. Apud nos quodvis colere jus est, præter verum Deum.* Noverant enim, *solum illum coli velle sine socio & æmulo Majestatis*, Augustin. *de Civ. Dei l. 9.* adeoque verebantur, *si unum verum colerent, ne multos falsos offenderent, magis arbitrantes, sibi obfuturam multorum iracundiam, quam unius benevolentiam profuturam.* Idem *de Consensu Evangelist. l. 1. c. 17.* Sed & *consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros (si Christum inter Deos recepissent) & templa reliqua deserenda*, uti responsum Alexandro Sev. cùm post Hadrianum, Christo templum facere voluisset, apud Lamprid. *c. 43.* Vide Nic. Rigaltium, cæterosque *ad Minucium d. l.*

UNIVIRIA, apud Treb. Pollionem *in Tito*, *c. 32. Hujus uxor Calphurnia ---- quam Majores nostri univiriam Sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorârunt, cujus statuam in templo Veneris adhuc videmus* &c. in *Glossis* Isidori, *Unicuba* dicitur, *unius viri uxor*, ἡ μονόγαμος. Tertullianus, *Exhortat. ad castit. Monogamia apud Ethnicos in summo honore est, ut & virginibus legitimè nubentibus univira pronuba adhibeatur, & si auspici initium est, item in quibusdam solemnibus & auspiciis, ut prior sit univiræ locus, certè & Flaminica non nisi univira est.* Unde id inter fœminarum elogia. In veter. lapide, RENATUS. VOLVSIÆ. JVSTÆ. MATRI. CARISSIMÆ. OMNIUM. FEMINARVM. SANCTIORI VNIVIRÆ. ubi *Univira* dicitur, quæ in alia *Inscr.* & apud Trebellium. *Univiria* est. Nec aliæ Sacerdotiis habitæ aptiores. Seneca, *Contr. l. 1. c. 2. Eam sacerdotem facite, quæ honestè maneat, quod fuit.* Junonis inprimis, Vestæ & Telluris, quæ omnes univiræ, Dionysius Halic. *l. 8.* Liv. *l. 10.* Hieron. *adv. Jovinian. l. 1. c. 6.* & 30. Alii. Sed & *Fortunam muliebrem non coronabant bis nuptæ*, Servius *in l. 4. Æn.* Hinc apud Minucium Octavius, *Alia sacra coronat Univira, alia multivira, & magnâ religione conquiritur, quæ plura possit adulteria numerare*, ubi *Commentatores* vide. Etiam in *Cod. Theodos. de revocandis donationibus* extat privilegium, solis concessum *unius tantum matrimonii mulieribus*, i. e. ταῖς μονογάμοις & *univiris* quæ videl. *unius viri* matrimoniô contentæ vixissent. Qualis monogamia in Ecclesia quoque magni æstimata est. Unde in Diaconissam viduam eligi, non minorem sexaginta annorum, γεγονυῖαν ἑνὸς ἀνδρὸς γυναῖκα, *quæ fuerit unius viri uxor*, jubet Apostolus 1. Timoth. *c. 5. v. 9.* Postmodùm quoque plurimæ fuêre, quæ à secundis nuptiis abstinebant, ut commodiùs precationi & jejuniis vacarent, inter quas celebres Marcella, apud Hieronym. *in Epitaph.* ejus; Junia cum socru sua, apud Auctorem *libri, de bono Viduit. c. 19.* Publia, apud Theodoretum, *Hist. Eccl. l. 3. c. 14.* mater Augustini, apud hunc, *Confess. l. 9. c. 9.* Aliæ. Vide quoque Jo. Casp. Suicerum, *Thes. Eccl.* in vocibus [illegible], Διακόνισσα, & Μονόγαμος. Uti verò *Univiram* Diaconissam, sic μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, *unius uxoris virum*, Episcopum vult esse idem Apostolus 1. Timoth. *c. 3. v. 2.* ad quem locum Commentatores sacros vide.

VNKAM, seu *Johannes Vnod Cham*, Rex Magnæ Tartariæ Nestorianus, cùm videret Mogolûm, qui Tartarica tribus erant, potentiam succrescere, distrinuere eos per provincias passim statuit, ut distractis viribus nocere minus possent, circa A. C. 1187. Quod consilium cùm innotuisset Mogolibus, ex provinc. Karakoram, versùs Septentrionem in Campestria *Bargu* migrârunt, atque Unkamo tributum negârunt, Duce Suko Badur, cujus fil. Temukin, velut obses in aula *Unkami*, educatus hactenus fuerat. Qui mox inde profugus ad populares pervenit, divinâque ad Imperium vocatione simulatâ, ab iis Rex creatus est, mutatôque nomine *Schinguis Khan* appellatus. Unkamum in campis Tenducanis superatum, majori ditionum parte spoliavit, atque Tartaricô Imperiô conditô, barbaros Scythas hactenus inopem in re pecuaria vitam agentes ad summum potentiæ culmen evexit. Georg. Hornius, *Orbe Imp. cum Notis* L. Joach. Felleri, *p. 430.* Vide & suprà non unô locô.

UNNA, vulgò UNNA, urbs Hanzeatica Westphaliæ, in Comitatu Marchiæ, aliàs probè culta, nunc parva, & bellô nuperô miré deformata. Sub Electore Brandeburgicô.

UNTZERUS Matthias, vide *Matthæus.*

UNUM, Assyriis in veneratione, *Adadi* nomine, cultum. *Ejus* enim nominis interpretatio est UNUM. Macrob. *Saturn. l. 1. c. 23.* Certè *Unus* Deus summus, etiam Gentilibus non ignoratus. Vide suprà voce *Pachacamak*, & passim alibi.

UNXIA, Junonis epitheton: vocabatur in nuptiis, ut & Interduca, Domiduca & Cinxia. Ejus meminit Arnob. *adv. Gentes, l. 3. Unctionibus, inquitis, superest Unxia: Cingulorum Cinxia replicationi.* Nempe nova Nupta domum Mariti ingressura, postes inungebat apud Romanos axungiâ, oleô aut adipe lupinô, ut Plinio, Servio & Capellæ traditum. Unde Junoni, Nuptiarum Præsidi, id nomen. Vide quoque Gerh. Joh. Voss. *de Idol. l. 2. c. 26.*

VOBERCA, sive VOBERTA, oppid. Hispaniæ Tarraconensis in finib. Celtiberorum, *Bobierca*, vel *Bubierca Vasæo*, *Baudrando* oppid. Celtiberorum, nunc pagus est *Bubierca*, in Aragonia, ad Salonem fluv. 5. leuc. supra Bilbilim in Occasum, Seguntiam versùs. Ejus meminit Martial. *l. 1. Epigr. 50. v. 14.*

Præstabit illic ipsa figendas prope
Voberca prandenti feras.

VOBERNUM, pagus Cenomanorum, in agro Brixiensi. *Boarno, Hel. Capredo.*

VOBRIX, Mauritaniæ Tingitanæ oppid. *Ptol.* Babæ & Volubili finitimum. *Lamia Marmolio.*

VOCA, Callaicorum in Hispania urbs. *Ptol.*

VOCALES, apud Lamprid. *in Alex. Sever. c. 34. Nanos & nanas & moriones, & Vocales & exoletos & omnia acroamata —— populo donavit:* Casaubono sunt, qui phonasco dabant operam & vocem ad mollitiem erudiebant. Quam in rem Sidonius de Theodorico Gothorum Rege. *Illic non organa hydraulica sonant, nec sub phonasco Vocalium concentus, meditatum acroama simul intonat.* Vide eum *l. 1. Ep. 2.* & *l. 8. Ep. 9.* Salmasio pueri puellæque sic dicti, qui voce canerent, ex A. Gellio, *l. 19. c. 9. Desideravit exhiberi, quos habere eum adolescentem sciebat, scitissimos utriusque sexus, qui canerent voce, & qui psallerent.* Cujusmodi pueros *fibulas in naturis habere, ne coeant*, legas apud vet. Scholiastem Juvenalis, *Sat. 6.* Vide quoque suprà, ubi de *Fibula*, alibique passim. Βωκάλεις Græci recentiores, voce Latinâ leviter immutatâ, appellârunt, ut videre est in *Chronico* Alexandrino. Sed & *Vocalis* ipse Phonascus, item *Vocipararius* dicebatur. *Glossæ*, Φωνασκὸς, *Vocalis.* Et, Φωνασκητὴς, *Vocipararius*, Magister videl. formandæ vocis, quem πλάστην τῆς φωνῆς dicebant Græci, unde *plasma* apud Persium, *Sat. 1. v. 17.* i. e. liquida & ἐκλελασμένη vox &c. Vide Salmas. *Not. ad Tertullian. de Pallio, c. 5.* & suprà, ubi de *primo vocis Edomatore*, item voce *Plasma*, nec non infrà ubi de *Voce*. Apud Plinium verò *vocales aves* sunt canoræ, seu quæ humanum sermonem imitari didicissent. Sic enim is de patina Æsopi, *In ea posuit aves cantu aliquô aut humanô sermone vocales, ---- ut in iis imitationem hominis manderet, ne quæstus quidem sui reveritus illos opimos & voce meritos, l. 10. c. 51.* Tertullianus *loquaces* vocat d. l. Cujusmodi sunt psittaci, picæ, corvi, & similes. De *Vocalibus*, sectâ Philosophorum modernorum, vide suprà voce *Nominales.*

VOCARE, solemne vocabulum. Seneca, Oedipô, v. 304.

In vota superos voce solenni voca.

Propriè ôrare est Deos, ut suscipiant, quæ illis vovemus, nosque votorum compotes faciant. Virg. *l. 7. Æn. v. 471.*

—— Divosque in vota vocavit.

Et, *l. 12. Æn. v. 780.*

----- Opemque Dei non cassa in vota vocavit:

Quod proin supplendum, apud eundem, *l. 6. v. 51.*

----- Cessas in vota precesque
Tros ait, Ænea?

Scil. *vocare Deos.* Gronov. *ad Sen.* Sed & Romanis in usu verbum, cùm invitationes conviviorum designarent: ut & *revocare*, sicut videre est apud Palmerium *in Spicilegiis*, & Jan. Gulielmium *in libris Verisimilium*, ac *Quæstionibus Plautinis ad Amphitruon. c. 8.* it. *invocatus*, apud hunc *Captivis*, *Actu 1. sc. 1. v. 2. 6.* & C. Nepotem, *Cimone, c. ult.* ubi & *devocare* eôdem sensu. Vide paulò suprà.

VOCATES, populi Aquitan. quos *Marlianus* perperam cum *Vasatibus* confundit, quorum oppid. hodie *Vique* dicitur. Licèt Vigenereus velit horum tractum esse *Bigorre*. *Brieno* sunt iidem, qui & *Boates* quorum tractus vulgò *le Captalat de Buch*, in ora Oceani Aquitaniæ.

VOCATOR, & Invitator, servi erant apud Romanos, appellationem ex munere sortiti. Et quidem hujus meminit Athenæus, Martialis, *l. 7. Epigr. 85. extr.* & antiqua Romæ Inscr. *Agathopus. Augg. Lib. Invitator.* Illius Plinius, *l. 35. c. 10. Indignantique Ptolemæo, & Vocatores suos ostendenti, ut diceret, a quo eorum invitatus esset.* Officium describit Appulejus, *Metam. l. 3. Et ecce quidam intrò currens famulus, rogat te, ait, tua parens Byrrhena, & convivii, cui te serò desponderas, jam appropinquantis, admonet.* A qua, fortè opera servum *Calatorem* Plautus in *Rudente*, *Act. 2. sc. 3. v. 5.* appellat, ubi tamen Lambinus a Festo non discedit, Græc. [illegible] Artemidoro. Vide quô pactô eos expresserit Christus Dominus, apud Matthæum, *c. 22. v. 3. 4. 5.* & Lucæ, *c. 14. v. 17. 18.* Describit autem Seneca, *Ep. 47. Alius, cui convivarum censura permissa est, perstat infelix & expectat, quos adulatio & intemperantia aut gulæ aut linguæ revocet in crastinum.* Neque verò hi vocabant solùm convivas, sed & accipiebant ac discumbentibus loca, pro dignitate cujusque, statuebant. Seneca, *de ira, l. 2. c. 37. Asinus honoratò loco positus irasci cœpisti convivatori: Vocatori ipsi, qui tibi præferebatur.* Hinc apud Sueton. *Calig. c. 39. Provincialem locupletem ducenta sestertia numerâsse Vocatoribus legimus, ut per fallaciam convivio interponeretur.* Et Catullus, *Epigr. 48. extr.*

Quærens in trivio vocationes.

Eorum verò usus, in ministerio Augg. & illustrium Virorum: inprimis in conviviis publicis ac nuptialibus. Vide Laurentium Pignorium, *Comment. de Servis* & Tit. Popmam, *de operis servorum*. Apud Scriptores Ecclesiæ Romanæ, *Vocatio* in Litaniis dicitur, cùm Sancti alicujus nomen decantatur. Et *Vocatoria Epistola*, quâ, qui absens in Episcopum alicujus Ecclesiæ electus est, ad functionem suam capessendam *vocatur*, directâ à Metropolita, ad Episcopum & Presbyteros, ex quorum diœcesi & paræcia est electus, apud Car. du Fresne, *Glossar.* Formulam habes *in Ordine Roman.*

VOCCIO, Germaniæ Rex, cujus sororem, ab ipso in Galliam missam, Ariovistus uxorem duxit. In mariti fuga periit.

sub VOCE præconis, apud Auctorem *Passionis Agnetis*, *Serm. 90. Jussit ad lupanar duci, sub voce Præconis. Agnetem sacrilegam virginem Diis blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datum:* quid sit, vide suprà voce *Superdictio*.

VOCETUS, vel VOCETIUS, mons in Helvetiis, Tacitus, *l. 1. Hist. c. 68. Botsberg Scudo*; Aliis est *Wicken* in Helvetia apud Arburgum. Joh. Bapt. Plantino est Juræ portio, haud procul arce Habspurgensi, prope Brugas oppid. agri Bernensis: *Botzberg* dicta, à pago *Botzen*, qui cum aliis multis situs est ad montis pedem. Hunc *malum montem* alii dictum volunt, ob difficilem admodùm, pluviô inprimis tempore, ascensum, *Helv. Antiq. & Nov.* Juræ principium, illum vocat Simlerus, *descr. Helv.* Vide Cl. Ottonem, JCtum *ad Rhenanum*, *l. 3 p. 481.*

VOCIFERATIO, Græc. [illegible], inter exercitationes Antyllo, apud Oribasium, memorata, tum morborum diversorum curationi tum vocis ipsius cultui, multùm idonea visa est: quemadmodùm Ætius Amidenus, *l. 1. Ser. 1. c. 5.* & Avicenna Arabs *l. 2. fen. 3. doc. 2. c. 2* etiam testantur. Interim neque Athleticæ neque Militari disciplinæ studiosis, necessaria Mercuriali videtur: Licèt & Athletas in certaminibus & Milites in pugnis conserendis, eâ non sine utilitate usos legamus. Quemadmodùm Cæsar, *de bello Civ. l. 3. c. 92. haud frustra antiquitus fuisse institutum* scribit, *ut in bello committendo signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent, quibus rebus & hostes terreri & suos incitari existimaverint.* Duo itaque solùm hominum genera *Vocis* exercitationi inprimis operam dedisse reperimus, Histrionicæ professores & Medicorum Gymnasticos. Priores enim, sub quibus Præcones, Choristæ, Tragœdiarum aliarumque fabularum recitatores, nec non *Vocibus* certantes comprehenduntur, *Vociferationibus* exerceri consuevisse, testis est Plato, *in Ione* & Aristoteles, *Problem. 11. & 19. partic.* ubi legimus Phrynichi, nec non antiquioribus temporibus, Tragœdias, Comœdias, Dithyrambos atque Leges ipsas, cantu recitari consuevisse, eo quòd Vocis exercitatio tantæ existimationis fuit, ut *publicæ Vociferationis* certamina, à Cœl. Aureliano, *l. 5. Chro. c. ult.* sub *Agonisticæ modulationis* nomine intellecta, propositis Victori præmiis, instituerentur. Quem morem, usque ad Galeni tempora perdurâsse, ex eo conjiciunt eruditi, quòd, *l. 7. de Med. compos. sec. loc.* multa is medicamenta recenset, quibus antiquiores Medici in iis, qui voce contendere debebant, tum ante tum post certamen, fuerint usi. Sicut idem, suô tempore, Phonascos omnes, Citharœdos scil. Præcones, nec non Comœdiam ac Tragœdiam personatos repræsentantes; qui magnâ vocis contentione utebantur, si quando vocem oblæsissent, balneis multis & cibis levibus atque laxantibus uti solitos docet. E quibus verbis intelligere est, non modò Histrionicæ Professores, *voce & cantu*, quod dixit Plato *in Ione*, simpliciter in recitandis dramatibus, rhapsodiis aliisque, verùm etiam altâ voce usos: atque eâ interdum uniformi, interdum variâ ac mutatâ, velut in Tragœdiæ ad mœroris calamitatisque magnitudinem augendam factum fuisse olim, testatur Aristoteles, *19. partic. Probl. 6.* Quare nemini mirum esse debet, quòd Corn. Celsus, *l. 7. c. 25.* memoriæ prodidit, apud nonullos morem fuisse, vocis gratiâ Adolescentulos infibulare; ut à Venere, quâ summopere illa labefactatur, abstinerent: quo de ritu diximus suprà *suô locô*. Dicta autem ars hæc *Phonascia* Theophrasto est, ejusque Magistri *Phonasci*, de qua voce vide quoque suprà. Locum quod attinet, Græcos æque ac Romanos imaginem theatri locum quendam constructum habuisse, *Odeum* dictum, in quem deferrentur Poëmata, priusquàm in Theatro agerentur, & ex quo certamina spectarentur Musica, scribit Pausanias *in Atticis*. Atque in hoc videntur *Vocis* hæ exercitationes peractæ; quandoquidem Suetonius Neronem, *c. 12.* Musicum certamen instituisse, Domitianumque Odeum, ubi præter Citharœdos, Chorocitharistæ atque Psallocitharistæ certarent; excitavisse scribit. Interim & alibi quoque, inprimis in Gymnasiorum exedris, ubi Philosophi ac Rhetores disputare soliti, Veter. *Vociferationibus* certâsse videntur, cùm ad formandam excolendamque vocem, alios in locis concavis, alios prope maris littora, ut de Demosthene fertur, *vociferari*, legere cantareque consuevisse legamus, quem Demosthenem, cùm lingua ob spiritus imbecillitatem hæsitaret, *Neoptolemo Histrioni decem millia drachmarum numerâsse, ut cum unô spiritu versuum periodos proferre faceret*, auctor est Plut. *de X. Orat.* Finis fuit multiplex. Exercebantur enim *Vociferationes*, vel ut in Choris, in Sophistarum ac aliorum ad hoc institutis certaminibus, in Dithyrambis, [illegible] sive adversarios superarent; vel ut in Scena & Theatro quisque munere suô cum laude fungeretur. Modus talis à Cœlio Aureliano, *c. de Furore* proditur: *Principia leni voce promebantur, Narratio verò & demonstrationes extenta atque majore, tum Epilogus demissâ & indulgenti.* Anthyllus ita prolixiùs, *Cùm alvus defecerat, inquit, primò leniter fricabantur, ac præcipuè inferiores partes faciesque spongiâ aut madefiebat aut abluebatur; deinde prius sensim ac per intervalla mediocria loqui incipiebant, nonnunquam prius deambulabant, post verò ad vociferationem accedebant, in qua doctrinæ expertes ea dicebant, quorum meminerant, quæve clara & multas habere lenitatis atque asperitatis mutationes videbantur. Sin autem versus sciebant, Jambicos dicebant, & tertius locus Elegiæ dabatur: quartus modulis & numeris, atque in his omnibus præstantius judicabatur memoriâ recitare quàm legere.* Et, ut admonuit Plutarchus, *l. de valetud. tuenda, mediocribus potiùs, quam nimis commotis Vociferationibus & jurgiosis clamoribus uti. Inprimis vociferabantur, vocem, quam gravissimam fieri sonus poterat, producendo, tum ad acutissimos eam redigendo, deinde, cum non multum in acuto sono permansum foret, retro vicissim reflectebant, paulatim vocem diminuendo, donec ad gravissimam, a qua ductum initium, revertebantur.* Quæ omnia agebant tam accumbentes, quàm sedentes ac stantes, ut proin loca ampla hujusmodi exercitationi minimè necessaria judicaverit Socrates. Eodem pertinet, quod de Nerone Principe narrat Plinius, *l. 34. c. 18.* cum *laminâ pectori impositâ sub ea, Cantica exclamantem alendis vocibus demonstrâsse rationem.* Plura de hac *Vociferatione* seu *Anaphonesi*, vide apud Mercurialem, *de Arte Gymn. l. 3. c. 7.* ubi de *Gemitu* quoque varia addit: & exactiùs de 6. distinctis Vocis Exercitationibus, *Vociferatione*, Cantu, Lectione, Sermone, Risu atque Fletu, partim *ibid.* partim *l. 6. c. 5. & 6.* Addantur pauca de Tragœdis, quos, quod huic uni rei vel maximè studerent ut vastâ voce vociferarentur potius, quam loquerentur, [illegible], dicebat Crantor, teste *Laertio*: [illegible], Dion Chrysostomus, *Serm. 4. de Regno*, Demosthenesque propterea [illegible] objicit Æschini, quem histrionem fuisse, & [illegible] docet idem [illegible], & [illegible]. Vide Desid. Heraldum, *ad Arnob. l. 7.* Quædam item, ex Lipsio, *Cent. 3. Epist. 59. de Cursoribus*; ubi de Regibus Ingis, in vasto Novi Orbis tractu Peruano, memorat, locô Cursorum habere illos homines, quibus casulæ dispositæ, per publicas Regni vias, dimidiati milliaris quamque intervallô, in quibus duo Cursores, cum sua quisque Uxore agant. Re vero aliquâ nuntiandâ, ad primum illum voce deferri, quidquid hoc sit: quem cursu intentô à sua casula ad proximam pergentem, jamque viciniorem, altâ voce *vociferare* hocque ipsum inclamare; quod accipiens alter similiter pergat ad proximam, ac sic per manus ad fines Regni, tantâ celeritate, ut omnium equorum cursum ab iis superatum Hispani Scriptores fateantur. Nec absimilem rationem Galli, usurpabant olim, de quibus sic Cæsar, *l. 7. c. 3. Ubi major atque illustrior res incidit, clamore per agros regionesque significant: hunc alii deinceps excipiunt, & proximis tradunt, ut tunc accidit. Nam quæ Genabi Oriente Sole erant gesta ante primam confectam vigiliam, in finibus Arvernorum sunt audita: quod spatium est millium passuum circiter 160.* De Persis quoque Diodorus Siculus *in rebus Eumenis, l. 19. Persis, inquit, pleraque montana est, & vallibus interrupta in montibus, opportunis locis speculæ sunt, in quibus consistunt homines maximè vocales. Speculæ autem ita divisæ, quantum vox ab una ad alteram venire & excipi potest. Re igitur nuntiandâ unus inclamat proximo, ille alteri, & sic deinceps per omnes Satrapias Regni, ad extrema ejus.* Et hôc modô, cùm Eumenes milites & arma expediret, quosdam Persarum, qui 30. dierum spatiô aberant, eôdem illô die hoc cognovisse, addit. Quem *Vociferationis* usum adjungere liceat iis, quos ex Hieron. Mercuriali suprà adduximus. Nec omittenda Veterum superstitio, qui Lunam, quoties deficiebat, laborare rati, dissonô æris crepitu, de quo vide suprà voce *Tinnitus*; & immanibus *vociferationibus*, eam juvare conabantur: rationem moris reddente Alexandrô Aphrod. *Probl. 45.* at improbante Auctore *de Rectitud. Catholicæ conversat.* apud Augustin. *Tom. IX. f. 789. Nullus quando Luna obscuratur, vociferare præsumat, quia certis temporibus, Deo jubente, obscuratur.* Verùm cum apud Christianos quoque altiùs radicem fixisset, Burchardus Wormaciens. Episcop. furiosas hujusmodi exclamationes exercentibus duorum annorum pœnitentiam imposuit, ut videre est *Decret. l. 10. c. 33.* & *de Pœnitentia, l. 19. p. 269.*

VOCONIA, oppid. Insubriæ, in valle, apud Athisonem fluv. inter Mediolanum 60. & Oscellam oppid. 7. mill. pass. ab Arona, ultra Verbanum lacum, 10. milliar. *Vogogna* vulgò.

VOCONIA Lex, à Q. Voconio Saxa Tribuno Pleb. An. Urb. Cond. 524. lata, mulierum hæreditates definivit, vide Thom. Dempster. *Ant. Rom. l. 8. c. 18.*

VOCONIUS, Episcopus Mauritaniæ, floruit seculô 5. Scripsit contra *Judæos & Arianos*, qui tum rerum in Africa potiebantur: Item de *Sacramentis*. Gennad. *in Catal. Viror. Illustr.*

Q. VOCONIUS Saxa, vide *Voconia*.

VOCONIUS Victor, Poëta Latinus. Plin. *l.* 2. *ep.* 13. *ad Prisc.* Martial. *l.* 7. *Epigr.* 28.

VOCONTIA, vel VOCUNTIA, populi Galliæ Narbonensis, quorum regio in Delphinatu *Val de Vaso*, teste *Pinedo*, nominatur *Bertio* aliisque fuêre, ubi nunc diœcesis Diensis in Delphinatu, & Vasionensis in Comitatu Vindasino. Eorum urbes erant Dia & Vasio Silius, *l.* 3. *v.* 467.

> *Jam faciles campos, jam rura Vocontia carpit*

Vide *Vocontii*.

VOCONTII, inter Alpinas gentes aut Alpinis proximas, olim clarissimi, fuerunt, quorum capita Vasio, Lucus Augusti & Dea Vocontiorum. Sed Deam omittit Plinius, *l.* 3. *c.* 4. Per hos in Italiam penetravit Annibal. Silius, *loc. cit.*

> *Jamque Tricastinis incedit finibus agmen,*
> *Jam faciles campos, jam rura Vocuntia carpit.*

In his Pompejus Trogus, ex quo Justinus epitomen fecit, se natum memoriæ prodidit. Vestigium nominis in tractu montano Deæ proximo, quem *Vercors* vulgò dicunt, superest. Boëssius tamen Salvianus, Vertacomicoros Vocontiorum pagum, ex quo ortam Novariam ait Plinius, *Vercors* interpretari mavult. Vide Hadr. Valef. & suprà in voce *Vasio*.

VOCULA, vide *Dellius*.

VODA, à Germanis Mercurius appellatur. Perperam mavult Lipsius *Wonda* vel *Wonsta*. Gotefridus Viterbiensis *Chronicô*: *Votam quidam Gotam adjectâ literâ, dixêre Ipse est, qui apud Roman. dicitur Mercurius, & tunc ab universis Germanis, ut Deus, adorabatur. Unde usque hodie Got Teutonicâ linguâ dicitur Deus.*

VODGORIACUM, locus Nerviorum *Antonin*. Nunc *Gauryn*, *Cluver*. vicus Hannoniæ, 11. mill. pass. à Bagaco in Cæciam, Binchium versus 5. mill. pass. uti à Montibus in Eurum.

VODNANA, oppid. Bohemiæ, ad Blanitium fluv. Vulgò *Wodnany*. Vix 3. leuc. à Budovissa in Circium, 10. à Passavia in Cæciam uti 3. à confinio Austriæ superioris.

VODOMARUS, Rex partis Galliæ, secul. 4. A Constantio Imperatore permotus, ut bellum inferret Juliano Apostatæ, fidem per literas dedit, quibus interceptis eum in Hispaniam captivum hic misit. Ammian. Marcellin. *l.* 21.

VOERDA, oppid. Hollandiæ, ad Rheni alveum 10. mill. pass. ab Ultrajecto in Occasum Lugdunum Batavor. versùs 18. Vulgò *Woerden*.

VOGESUS, mons Galliæ Belgicæ Sequanos & Lingones dividens à Mediomatricibus, Araris & Mosæ fontibus insignis, *Ferrar. Baudrando le Mont de Vauge.* Extenditur, inter Lotharingiam & Comitatum Burgundiæ, uti etiam inter Lotharingiam, & Alsatiam ubi inest sylva Vogesa. Ex eo Mosella in Boream ut & Arar, profluunt, non verò Mosa. Lucan. *l.* 1. *v.* 397.

> *Castraque quæ Vogesi curvam super ardua rupem,*
> *Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.*

A Gallis *Essay*. à Germanis verò *Auff der Stay* appellatur.

VOGHERIA, oppid. Lombardiæ Cispadanæ, *Vicheria Merula*.

VOGIA, Turdulorum in Bætica oppid. *Ptol.*

VOGLADE, aliis VOGLAVUM, castellum Galliæ in Pictonibus, ad fluv. Clenoum: vulgò *Vougle*, unde campis circumjacentibus nomen, in quibus Alaricus à Chlodoveo victus & interfectus, totaque sic Aquitania Francicæ ditioni subjecta est, A. C. 507. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

VOGODORGIACUM, vel VODOGORIACUM, vulgò *Waudray* aut *Vaudré* locus Belgii, in Hannonia, 12. mill. pass. à Bavaco. Vide Hadr. Valef. *Notit. Gall.* in voce *Bacivum*.

VOIGTLANDIA, vulgò VOIGTLAND, provinc. Saxoniæ superioris sub Electore Saxoniæ, majori ex parte, in Misnia; Incolis *Voigtlandische* dicitur. In limite Bohemiæ & Franconiæ. Ejus urbes præcipuæ Zuica & Plava.

VOL, urbs Africæ propriæ. *Ptol.*

VOLA, Græcè *θέναρ*, cavum in manu, seu cava manus planities, nomini tantum, exceptis, quibusdam. Namque & hinc cognomina inventa, Planci, Plauti, Scauri, Pansæ, Plin. *l.* 11. *c.* 45. Hanc stipem porrigentibus præbere mendici soliti. Sueton. *Aug. c.* 91. *extr.* *Ex nocturno visu etiam stipem quotannis die certo emendicabat à populo, cavam manum asses porrigentibus præbens*: ad exorandam nempe Nemesin, de quo more retro diximus. Græci *συγκοιλαίνειν τὴν χεῖρα* dixêre. Quod aliàs hominibus liberis & honestis, etiam cum aliquid acciperent, probro vertebatur: *Expansâ* enim *chlamyde* tales accipere, moris fuisse, discimus ex Amm. Marcellino, *l.* 16. Unde Ruffini Præfecti Prætorio Orientis sub Honorio manus, post cædem ejus, per novam Romam, sic formata ludibrii causâ circumlata est, teste Hieronymô & Zosimô. Et avaris *ac αἰσχροκερδέσι*, id objici solitum, ut notum ex Proverb. *Τὴν χεῖρ᾽ ὕπτιον κοιλάναντα ἀποθανεῖν Ἀθηναῖος, Atheniensis vel moriens cavat manum*, quam in rem vide plura apud Casaubon. *ad locum Suetonii*, uti de divinatione ex *vola* manus, suprà, ubi de *Chiromantia*. Nomen quod attinet, ex Græco *βολὴ* ejus etymon accersit Scaliger, *à jactu*, est enim quasi funda manus, vide eum *Histor. Animal. l.* 1. *c.* 14. Hinc *volema* pyra, quod *volam* impleant; & *involare*, i. e. volam vel manum injicere, Christ. Becmannus, *Origg. L. L. p.* 656.

VOLAGINIUS, Scriboniani, sub Claudio, res novas tentantis, percussor: ideo è gregario ad summa militiæ provectus. Tacit. *l.* 2. *Histor. c.* 75.

VOLANA, Samnitum urbs à Carvilio capta. Liv. *l.* 10. *c.* 44.

VOLANDUM, castellum validissimum Armeniæ, Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 39. aliis *Vallandum*.

VOLANE, item Olane, Plin. *l.* 3. *c.* 16. nunc *Porto di Volana*, unum ex ostiis Padi, inter Fossam Carbonariam ad Boream, & Sagim ad Meridiem in Ducatu Ferrariensi. Ei adjacet vicus Volane, *Volana*, in ora maris Adriatici.

VOLATUS, agitatione alarum fit in aëre, sicut natatio pinnarum in aquis, ac directione caudæ, quæ id avi est, quod navi clavus. Unde ex milvi inprimis *volatu*, navigandi Artem primam cepisse originem, sunt qui scribant. Ut autem ad progressum, natationem & reptationem, reliquis animalibus, sic & ad *volatum* avibus idonea fabricavit corpora Deus, qua de re pulchra habes apud Vossium, *de Orig. Idol. l.* 3. *c.* 37. Et quidem semper fermè *volant*, quæ *ἄποδες* dicuntur, manucodiatæ inprimis seu paradisiacæ aves, quibus pedes quidem sunt, sed non ut iis consistant, verùm hæreant solùm, cùm quiescendum est. Reliquæ, *expandunt alas, pendentesque rarò intervallô quatiunt* (ut milvi) *aliæ crebrius* (ut accipitres) *aliæ & tota lacera pandunt* (ut corvi) *quædam verò majore ex parte compressis volant* (ut picæ) *percussoque semel aliquæ & geminô ictu* (ut carduelis) *aëre feruntur, vel, ut inclusum eum prementes, ejaculantur sese* (ut hirundines) *in sublime, in rectum, in pronum. Impingi putes aliquas* (ut perdices) *aut sursum ab alto cadere has* (ut alaudas) *illas salire* (ut coturnices) *Anates solæ, quæque sunt ejusdem generis, in sublime protinus sese tollunt, atque è vestigio cœlum petunt, & hoc etiam ex aqua. Vultur, & ferè graviores, nisi ex procursu, aut altiore tumulo immissæ, non evolant, caudâ reguntur*, Plin. *l.* 10. *c.* 38. Præterea avium quædam solivagæ sunt, ut merula: quædam *volant* catervatim, ut sturni, Idem, *l.* 10. *c.* 24. Plerisque item avium volatus rectus, hirundini anfractuosus unde eam aquila intercipere nequit, *ibid.* Anseres & olores, liburnicarum more, rostratô impetu feruntur, a tergo semper dilatante se cuneô, *l. eod. c.* 23. Merops, non ut avium aliæ, *εἰς τὸ πρόσθεν*, *seu anteriora versus fertur*, verùm *ἐς τὰ ὀπίσω retrorsum* ac versùs caudam, Ælian. *de Anim. l.* 1. *c.* 49. Porro altè, quamvis tardè, vultures volant, Ovid. *in Ibin, v.* 169

> --- *tardus trahet ilia vultur.*

Etiam ardeæ sublimis volatus est. Imo *uncos ungues habentes omnes ferè altivolæ sunt, præter nocturnas --- Omnibus alæ grandes, corpus exiguum*, iterum Plin. *l. cit. c.* 19. quod volatum non parùm juvat. Celeritatem quod attinet, ea mira in accipitre est, *Φασσοφόνω* inprimis, à palumbis necandis, sic vocatô, Porphyr. *de Abstin. l.* 3. Scriptura S. columbarum volatum a pernicitate commendat. Psalmô 55. *v.* 7. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, ut volem.* Sed aquilarum maximè, 2. Sam. *c.* 1. *v.* 23. *leviores erant Aquilis*, de Saule & Jonathane. Habacuci *c.* 1. *v.* 8. *Volabunt, ut aquila, quæ festinat ad cibum*, de Assyriis &c. Unde rapidè decurrentis ævi spatia, apud Hiobum *c.* 9. *v.* 26. & fluxæ opes instabilesque, Proverb. *c.* 23. *v.* 5. cum aquila volante conferuntur. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. part. prior. l.* 2. *c.* 3. Atque ab hoc avium in *volando* impetu est Græcum *ὄρνις*, nempe ab *ὀρνύεσθαι*. & Latinum *avis*, nempe ab *ἀΐειν*, ut vult Scaliger, vel ab Hebr. *עוף volavit*, ut Vossius, quem de avium hoc motu eruditè disserentem vide ubi suprà, *l.* 3. *c.* 87. De Veterum verò ex avium *volatu* divinandi more, diximus suprà ubi de *Avibus, Auguriisque*, uti de piscium quorundam volatu, ubi de *Piscibus*: & de temeritate quorundam, *pennis non homini datis*, idem aëris iter tentantium, in voce *Icarus*, item ubi de *Neurobatis* & *Scænobatis*. Hinc *Volaticum* ut *volaticæ mulieres* apud Festum, i. e. Striges, mulieres maleficæ & sagæ, quæ in aves verti & *volare* credebantur. Ovidius de saga, *l.* 1. *Amor. El.* 8. *v.* 13.

> *Hanc ego nocturnas fuetam volitare per umbras*
> *Suspicor, & plumâ corpus anile tegi.*

Et *Volatica*, *ἡ ἀνεμιαία, ἡ ἀεροπορουμένη* &c. Vide Salmas. *ad Tertullian. de Pallio, c.* 5 *sub fin.*

VOLATERRÆ, colonia & urbs antiquissima Etruriæ, in monte asperrimo ad Cæcinam fluv. una ex 12. primis Tuscorum coloniis, hodie *Volterra*, a Jano, seu Tyrrheno Lyd. condita, atria invenit, ann. 500. ante Urb. Cond. Volaterranus hinc oriundus, tradit eam aliquando à Pannonibus eversam, sed paucis pòst annis ab Othone I. Imperatore restitutam, & suô nomine *Othonianam*, verum à posteris corruptè *Antonianam* appellatam. Persii Poëtæ patria fuit: Episcopalis est sub Archiepiscopo Florentino. inde 34. mill. pass. Hinc *Volaterrana vada*, quæ ab urbe 8. mill. pass. distant.

VOLATERRANUS Raphaël, vide *Raphaël*.

VOLAVIA, vulgo *Wolavv*, urbs Germaniæ, Ducatus cognominis caput, in Silesia, prope Oderam fluv. 28. mill. pass. à Vratislavia in Circium Glogaviam versùs totidem, & 18. à Lignitio in Cæciam.

VOLCÆ, vel VOLGÆ, populi Galliæ Narbonensis ultra Rhodanum fluv. quorum regio Occitania, *Languedoc* dicitur. Erant divisi in *Volcas Arecomicos* (ex Celtico *volk* & *herkommen*) ad Ortum, ubi hodie pars Orientalis Occitaniæ, *le bas Languedoc*; & in *Volcas Tectosoges* (ex Celtico *deck den sack*) ad Occasum, ubi hodie pars Occidentalis seu superior. Eorum urbes erant Narbo, Tolosa, Carcasso, Biterræ, Agatha & Nemausus. An arx *Teccensis* in Ducatu Wirtemberg. à Tectosagibus his? Cæterùm & in Asiam penetrârunt, Liv. *l.* 21. *c.* 26. Strab. Plin. *l.* 3. *c.* 4. Silius.

> --- *Per inhospita vera*
> *Volcarum populatur iter.*

Baudrand. Vide latius infrà.

VOLCÆ Arecomici, populi Galliæ, ad quorum fines depopulandos misisse Vercingetorigem Rutenos Cadurcosque, scribit Cæsar, *l.* 7. *c.* 4. In provinc. Narbonensi prima, circa utramque ripam Rhodani coiêre. Livio dicuntur, *l.* 21. *c.* 26. Hannibalis in Italiam iter describenti. Eorum stagna memorantur Melæ, *l.* 2. *c.* 5. & Plin. *l.* 3. *c.* 8.

Laternæ lacus in agro Nemausensi meminit, angustis faucibus, captura mugilum clari. Agros horum, ut & Helviorum, publicè Massiliensibus à Cn. Pompejo concessos, iterum Cæsar, *de bello Civ.* l. 1. c. 35. sed eorum oppida 24. Nemausensibus attributa, scribit Plin. *l.* 3. *c.* 4. Metropolis gentis Nemausus est. Mela, *l.* 2. *c.* 4. urbium Galliæ Narbonensis opulentissimis quartô locô, *in veter. Notit.* aliquando quinto, adnumerata. *Recentiores* vero *Notit.* Episcopum Nemausensem septimum tantummodò sive antepenultimum ponunt, inter novem Antistites Narbonensi Vasconiæ Archiepiscopo suffragantes. Dicta à fonte *Nemauso*, cujus Ausonius meminit *in Burdigalâ*, *v.* 33:

> ----- ----- *Vitreâ non luce Nemausus*
> *Purior.*

Hic vulgò *le Vistre*, per fossam urbis decurrens, alluit vicos Burgum, Viridaria *Vergeres*, Vestricum, Vallem Viridem *Vauvert*, Salinosam *Salmaze*. & non procul ab Aquis mortuis in maritimum stagnum Laternam seu Taurum paludem *l'Estang. du Tau* se diffundit. Urbs magna olim, vulgò *Nismes*, cum Agatha & Biteris, à Carolo Francorum Principe diruta atque mœnibus nudata est, ejectis Saracenis. Habet hodieque Amphitheatrum magnificentissimum & maxima ex parte integrum, *Arenes* vulgo dictum, quò Paulum rebellem se recepisse cum suis, indicat Julianus Archiepiscopus Toletanus *de Expeditione Wamba in Gallias.* Præterea Basilicâ Plotinæ illustris est, aliisque operibus Romanis. *Nemausenses* Tiberii Rhodii manentes imagines & statuas per odium aut contemtum subvertisse, Sueton. *in Tiber. c.* 13. tradit. T. Aurelii Antonini Pii Imperatoris paternum genus *Nemausense* fuisse dicitur Jul. Capitolino. Horologium quoque & Corporati *Nemausenses*, in veterib. inscriptionibus reperiuntur: ut & Præpositus thesaurorum, in *Notit. Imper.* Ager ejus longè latèque olim patuit ad Rhodanum & ad Vardonem ac mare: vulgò *le Nemausois*, vel *le Nimois.*

Diœcesi Nemausensi in Volcis Arecomicis continentur:

Alestum *Alais*, caput Comitivæ, ad Vardonem.	Juncariæ.
Andusia, *Anduse.*	Nemausus, gentis caput.
Aquæ Vivæ, *Aigues Vives.*	Salvia, *Sauve.*
Armasanicæ, *Aymargues.*	Sumerium, *Somiere.*
Bellagarda.	Turnacum, *Tornac.*
Bellicadrum, *Beaucaire.*	Vallis Viridis, *Vauverd.*
Colonsacum, *Colognac.*	Vicanum, *Vigan.*
Furcæ. *Fourques.*	Villa S. Ægidii, *S. Gilles.*

E quibus Alestum, Andusia, Armasanicæ, Bellicadrum, Salvia, Sumerium & Vicanum, capita sunt Vicariatuum, quos incolæ *Viguries* vocitant. Altera urbs *Volcarum Arecomicorum* Vindomagus Plinio dicitur, quæ fortè Uceria est. Fuit & eorum urbs Magalona, è qua sedes Episcopalis Montem Pessulanum translata est. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VOLCÆ Tectosages, gens Gallica, teste *Strabone*, ad Pyrenæum accedens & Septentrionalia Cemmenorum montium nonnihil attingens. Hos eorundem montium Austrina usque ad promontoria habitare, & fœcundam auri terram colere: unde plurimi seditione pulsi migraverint in Asiam, aut Phrygiæ majorem meliorémque partem obtinuerint, caputque Ancyram habuerint, fertur. Dicta autem pars hæc Phrygiæ Galatia & Gallogræcia; Cæsar fertilissima Germaniæ loca circum Hercyniam sylvam eosdem occupâsse, atque ibi consedisse, scribit *Comm. de bell. Gall. l.* 6. *c.* 23. Etiam Illyricum quidam ex illis petierunt, spoliatisque Istris in Pannonia consedêre; Justin. *l.* 32. *c.* 3. Mediterranea Galatiæ occupâsse, Lipsius habet. Plinius verò, *l.* 5. *c.* 32. Tolistobogos in Galatia, parte Phrygiæ majore, cum *Tectosagibus* collocat, Trocmis, quæ tertia erat gentium, quæ à Brenno Duce, in Dardanis seditione ortâ, secesserant, in Mæonia & Paphlagonia collocatis. Eorum urbes *Ptolemæus* recenset Tolosam; Illiberim, Ruscinonem, Narbonem, Carcassonem, Beterras, Ceseronem, & Agatham. Caput Tolosa, in angustiis Isthmi, Oceanum à mari Narbonensi vel interno dividentis, posita, inter Galliæ Narbonensis opulentissimas urbes recensetur à Mela, *l.* 2. *c.* 4. *COLONIA TOLOSA* in nummo Galbæ. *Palladis* Martiali, *l.* 9. *Epigr.* 101. *v.* 3. à templo & cultu Minervæ. Ab Ausonio, claras inter urbes, *v.* 13. sicut Narbo 13. ita Tolosa 12. locô collocatur, ad Garumnam, muris ex latere coctô ingentis ambitus cincta, & *quintuplex* dicitur *Epist. ad Paulinum*, ob quatuor urbes vel colonias aut regiones veteri Civitati addictas. Inter provinciæ Narbonensis primæ civitates 8. vel 10. secundùm alios secundô locô, in *veterib. Notit.* ponitur, éstque Archiepiscopalis & hodie è maximis Galliarum clarissimisque urbibus, vulgò *Toulouse.* Olim per annos 89. Regia Vesigothorum, caputque regni Tolosani, quod, cæsô Alaricô, à Chlodoveo eversum ac occupatum est. Posteà Charibertus, Dagoberti Regis frater, cùm *Tolosates*, Cadurcos, Aginnenses, Petrocorios, Santones & Novempopulanos à fratre accepisset, sedem Tolosanam eligens, regnavit aliquandiu in parte provinciæ Aquitanicæ. Deficientibus dein Meroveis, sub Pippino, & Carolo Ducibus Francorum, subque Pipino Rege Caroli filio, *Tolosam* cum Ucetia Duces Aquitaniæ obtinuêre, Eudeo, ejusque filius ac nepos, Hunoldus & Waifarius. Dein obtinuêre illam Reges Aquitaniæ, Ludovicus Pius & Pippinus ejus filius nepósque Pippinus, ac Carolus Caroli Calvi filius. His successêre diu pòst *Tolosa* Comites, nonnunquam Comites St. Ægidii dicti: qui totam Gothiam & partem etiam Aquitaniæ, nimirum Albigenses, Cadurcos, Aginnenses, Rutenos ac Petrocorios imperiô presserunt: Marchiâ quoque Provinciæ potiti, quam ab Imper. recipiebant, vide Godofr. *in Annalibus* ad *A. C.* 1235. Erat *Tolosa* Capitolium Jovi dicatum, unde fortè illorum *Capitoul*, magistratus publici, quales Burdigalæ *Jurati*, alibi Consules, alibi Pares, alibi Scabini; Amphitheatrum & Palatium, quorum nihil superest. Ejus regiones sunt octo, quæ Capitolatus vocantur *Capitoulas.* Episcopus quintô olim locô, inter novem Episcopos Narbonensi Vasconiæ Archiepiscopo suffragantes fuit, Carcassonensi, Agathensi, Luteveńsique, quod miteris subjectus: posteà verò Johannes XXIII. Tolosam ad Metropolis sive Archiepiscopi extulit fastigium, & septem novas ei sedes, Apamiensem, Mirapicensem, St. Papuli, Montis Albani, Rivensem, Lumberiensem & Vaurensem, attribuit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Diœcesi Tolosanâ præ cæteris continentur:

Alta Ripa.	Pauliacum.
Aureolus mons, *Montoriol.*	Placentia.
Clarus mons.	Sancta Fidis.
Judicatura Laureacensis.	Vetus Tolosa; *Vieille Tolose.*
Mons Acutus, *Montagut.*	Villa Longa.
Mons Goliardus, *Montgailhard.*	Villa Nova.
Mons Laureus.	Vivaria.

VOLCÆÆ, paludes Pannoniæ superioris in Hungaria, Dio. *Balaton*, & *Platsee* Bonfinio, 3. leuc. ab Alba reg. juxta Vesprinium, in ora illius Boreali.

VOLCANALIA, seu VULCANALIA, festum apud Romanos Volcano dicatum, quô populus pro se in ignem animalia misit. Vide Varronem *de L. L. l.* 5. Plin. *l.* 18. *c.* 13. Colomellam, *l.* 11. *c.* 3.

VOLCATIUS, Consul, impediit ne Catilina, ob accusationem repetundarum, peteret Consulatum. *Pædianus.*

VOLCATIUS Epidius, Grammaticus, scripsit *res gestas Pompeji M. & ejus patris*, primus Libertinorum qui *historiam* scripserit, cùm ab optimo quoque scribi solita sit, teste Corneliô Nepote, *in Fragm. c.* 6. Ludum aperuit, docuitque inter cæteros Marcum Antonium & Augustum.

VOLCATIUS Gallicanus, quintum Consul, scripsit *vitas Imperatorum ad Diocletianum.* Ejus tantùm extat nunc Avidii Cassii vita. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 5.

VOLCATIUS Sedigitus, in *l.* de Poëtis, quid sentiat de his, qui comœdias scripserunt, ex aliquot ejus versibus indicat Agellius, *l.* 15. *c.* 24.

VOLCATIUS Terentianus. *Historiam sui temporis*, i. e. *Gordianorum* scripsit; ubi dicit, Gordianum Seniorem vultum Cæsaris Augusti valde retulisse. Jul. Capitolin. *in Gordiano jun. c.* 21. *extr.*

VOLCATIUS Tullus, prænomine *Lucius*, Consulatum gessit triennió ante Ciceronem, An. Urb. Cond. IↃCLXIIX. Ejus filius *Cajus Volcatius Tullus*, sub Cæsare in Galliis militavit. *l.* 6. *Comment. c.* 28.

VOLCEIUM, vide *Volcentani.*

VOLCENTANI, Lucanorum populi. Plin. *l.* 3. *c.* 11. Quorum oppid. *Volcejum*, *Bocino*; C. Cittadino, in monte.

VOLCI, vide *Volsci.*

VOLCIANI, populi Hispaniæ Tarraconensis. *Liv.* Eorum oppidi seu pagus hodie *Villa Dolce* dicitur; teste *Floriano*: in Aragonia circa ortum Guerbæ fluv. Eorum mentio in bello Hamilcaris, contra Romanos.

VOLCIENTES, populi Hetruriæ, quorum oppidum *Volce* nunc extinctum est, locus adhuc *Voce*, apud Castrum urbem in tractu *Piano della Badia.*

VOLCMARCHIA, vulgò *Wolcmarck*, urbs Carinthiæ inferioris ad Dravum, aliàs *Virunum*, *Cluver.* Vide ibi.

VOLCMARUS, Abbas Bavarus, floruit seculô 14. A principibus sui temporis, in consilium sæpe adhibitus. Scripsit *Historiam Bavariæ usque ad A. C.* 1314. Aventin. *in Annal. Bojorum*, Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 63. *princip.*

VOLERIUS, Corsicæ fluv. *Ptolem. Fiumale Leandro*, *Rigi Nigro.* Vide *Valerius.*

VOLESUS, vide *Marcus.*

VOLESUS Messalla, Asiæ Proconsul sub Augusto sævissimus; quippe trecentos unâ die securi percussit, incedensque inter cadavera vultu superbô, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, græcè proclamavit, O rem regiam! damnatus ob hæc. Vide Senec. *de Ira*, *l.* 2. *c.* 5.

VOLFEMBUTELA, vulgò *Wolffembüttel*, urbs Ducatus Brunsvicensis, Ducum sedes firmissima, ad Oacrem fluv. 2. leuc. supra Brunsvicum in Meridiem, Halberstadium versùs 7. & 6. ab Hildesio in Ortum, intra paludes. Eam inundatione perdere Sueci conati sunt, ætate nostrâ, *Baudrand.* Vide quoque *Guelferbytum.*

VOLFGANGUS Suevus, Comes Pfullingensis, duodecimus Ratisbonensium Episcopus, vir suô seculô doctissimus, Comes Pilgrini, ab Ungarorum Rege è Batavia evocati, ut suam gentem de vera salute erudiret: In Bohemia quoque, quæ nuper, idolorum cultu abjectô, Christo nomen dederat, de voluntate Ottonis secundi Episcopatum instituit. Cùm dein Lotharius, Galliæ Rex, ruptô, quod cum Ottone inierat fœdere, Orientale quoque regnum suo adjungere, vi & armis contenderet, Imperator cuncta cæde & incendiô vastavit, atque in reditu ad Axonam fluv. castra posuit. Huic expeditioni Volfgangus interfuit, primúsque hæsitantibus vadum invenit, animumque militibus addidit. Obiit A. C. 994. Aventinus *l.* 5. *Annal. Nauclerus*, &c.

VOLFGANGUS Lazius, Viennâ Austrius, Philosophus & Medicus. Scripsit *Historiam Viennensem libris* 4. *Commentarios de Republ. Romana*, & plurima alia, Gesner. *in Biblioth.* Reliquos hujus nominis, Germanos omnes, ut *Volfgangum Hungerum*, JCtum, *Volfgang. Meurerum*, Medicum, vide apud eundem.

VOLFGANGUS, vide *Wolfgangus.*

VOLGÆ, vide *Volcæ.*

VOLGASTIA, vulgò *Wolgast*, urbs munita Pomeraniæ citerioris sub Suecis, ad ostium Oderæ, *Psin* dictum, 5. mill. pass. ab ora maris Baltici, 14. ab Anclamo in Boream, 30. à Sundis in Ortum, cum arce lepida Ducali. Ibi portus est sub Insula *Ruden*, totius Pomeraniæ commodissimus. Capta fuit à Rege Sueciæ, A. C. 1630. ipsique hinc pace Monaster. remansit. Nunc ab Electore Brandeburgico ei erepta est, A. C. 1675. *Volgastensium* olim Deaster Heronitus erat, qui linguâ Latinâ Mars dicitur; quô prævio, in omni prælio victores sese futuros miseri confidebant. In ejus templo miræ magnitudinis clypeum ei dedicaverunt, qui de pariete dependebat, aureis laminis, mirô artificiô exsculptis, obtectus; nemineque mortalium illum attrectare fas erat, Auctor *vita Ottonis M.* l. 3. c. 5. Cœterùm, cùm Pomeraniæ Ducum Familia floreret, illi in *Wolgastenses* & *Stettinenses* distincti fuêre, in Ottonis filiis discrimine ottô. E quibus hi, cùm sub Ottone & Filio ejus Barnimo M. bellum gessissent A. C. 1345. cum Ludovico Rom. Marchione Brandeburg. id hâc tandem lege compositum est, ut deficienti aliquando masculâ Stettinensium Principum prole, Brandeburgii succederent. Et desiit illa Familia in Ottone III. A. C. 1464. qui fatô functus acerrimæ liti inter Fridericum II. Brandeburgium atque Pomeranos *Wolgastenses* locum dedit, eum tandem in modum pacatos, ut deficiente quandocunque & horum Familiâ Brandeburgiis Pomerania cederet, interim tituli honore atque insignibus gavisuris. Rediêre tamen subindé jurgia & turbæ, donec finem genti fecit Bogislaus, A. C. 1637. defunctus, ac Brandeburgiis locum daturus, nî Sueci & adversa istis fata obstitissent, qui tandem citeriore Pomeraniâ Suecis cedere, Pace Osnabrugensi, consultum duxêre, ut ulteriorem servarent, in damni solatium Magdeburgi, Halberstadi, Mindæ atque Camini Episcopatibus, qui in seculares Principatus versi, acceptis. Vide Tob. Pfannerum, *de præcipuis Germaniæ Principum Gentibus*, c. 4. ubi *de Gente Brandeburgica*.

VOLGESIA, Babyloniæ regionis ad fluvium Baarsarim urbs, *Ptolem. Vologesocerta* Plin. *l. 6. c. 26.* *Vologesia* Ammiano, *l. 23.* *Bologesias* Stephano.

VOLHINIA, Polonis *Vollin*, provincia Poloniæ, Lithuaniæ pars. Extenditur ab Ortu in Occidentem per 450. mill. pass. lata est 100. mill. pass. Terminatur à Septentrione Lithuaniâ propriâ & Polesiâ provinc. ab Oriente Moscoviâ, ab Occidente Russiâ nigrâ, à Meridie Podoliâ. Duplex est, nempe Volhinia superior seu Palatinatus Luceoriæ, *(de Lusuc)* qui ab Occidente & Inferior seu Palatinatus Kioviensis, aliter *Ocrania*, seu confinia, quæ ad Ortum & versùs Borysthenem. Pluries miserè à Moschis & Colacis (quibus à Stephano Rege castrum *Techtimirovv* cum suo territorio infra Kioviam 20. milliar. ad Borysthenis ripam concessum fuit, ut ibi consiliorum & Magistratus militaris sedem, ac bellicorum apparatuum receptaculum haberent,) vastata, & etiamnum Moschi occupant Kioviam & præcipua loca Volhiniæ inferioris. Sunt autem urbes Volhiniæ:

Kiovia.	Circassium.
Luceoaia.	Volodimiria.
Bialaceria,	Czernobela.

VOLIBA, *Ptolemæo*, *Falemouth*, seu *Volemouth Camdeno* portus Albionis in ora Australi Cornubiæ, ab Exonia urbe 60. milliar. in Occasum 5.

VOLKOVISGA, urbs Lithuaniæ, in Palatinatu Novogrodensi, prope amnem *Ross.* 45. mill. pass. à Bielsca in Cæciam, 55. à Novogroda urbe in Occasum *Wolkovvisca* vulgò.

VOLLENHOVIA, oppid. Transisalaniæ, ad Sinum Australem, vix 8. mill. pass. ab ostio Isalæ in Boream, uti 10. à Suvolia, Leovardiam versùs 32. 3. à Bloczilia arce. Vulgò *Vollenhove*.

VOLLINUM, vulgò *Wollin*, oppid. munitum Pomeraniæ citerioris sub Suecis, quibus haud pridem ereptum est ab Electore Brandeburgico; ad ostia Oderæ fluv. Crevit ex ruinis Jullini urbis inde 10. mill. pass. distatque ab ora Maris Baltici Stetinum versùs 20. prope lacum *das grosse Haff*, ad Divennæ sinistrum marginem. Aliàs emporium celebre, nunc paucis constat incolis. Vide quoque *Julinum*.

VOLMARIA, urbs Liflandiæ, ad Teyderam fluv. 9. milliar. German. à Felino in Meridiem, Cokenhusiam versùs 12. & 15. à Riga in Circium, *Wolmer* vulgò.

VOLOCHDA, urbs Muscorum, ampla & permunita Episcopalis à Moscha 8. leuc. in Boream & Cæciam, *Wologda* vulgò Provinc. Rom. Caput provinc. cognominis amplæ, quæ tota paludosa, versùs fontes Duinæ fluv. est, inter Cargapoliam provinc. ad Boream, Bieloseram ad Occasum, Bielscam & Susdaliam ad Meridiem & Ustiugam ad Ortum.

VOLODIMIRIA, vulgò *Wolodimer*, urbs Muscoviæ, aliàs Russiæ Albæ Metropolis, usque ad Joann. Danielis filium, qui inde sedem Moscuam transtulit. Ad fluv. Clesinam, 90. mill. pass. à Novogardia parva, seu Nisa in Merid. Moscuam versùs 120. circiter. Caput Ducatus cognominis; qui est inter Susdaliam ad Occidentem, Mortuates ad Ortum, Rezaniam ad Meridiem & Ducatum Novogardiæ parvæ ad Boream. Ager usque adeò fertilis, ut ex una tritici mensura sæpe 20. interdum 25. proveniant.

VOLOGDA, vide *Volochda*.

Reges Parthorum.

VOLOGESES I. vel ut Græci, *Vologæsus*, Vononis Mediæ Regis filius, per tempus Neronis. Vixit ad Vespasiani imperium, ut liquet ex Tacit. *l. 4. Histor. c. 51.* Historia ejus paucis hæc est. Rex Parthorum fuit, qui Tiridatem fratrem Armeniâ pulsum vident, ubi Romam Tigranem Regem constituerant, Arsacidarum gloriam tuiturus, vindictam sumere decrevit: variis Fortunæ vicibus bellô Tigrani illatô. Filius hujus cognominis, sub Marco Antonio Romanis bellum similiter intulit. Julius Capitolin. *in M. Antonin. c. 8.* Tacit. *l. 14. Annal. c. 25.* & *l. 15. Annal. c. 2. 5. 10. 14. 24.* Vide infrà. Ei num fil. Vardanes, patris æmulus, Tacit. *l. 13. Annal. c. 7.* an alius successerit, non liquet. Vide *Artabanus III.*

VOLOGESUS II. Parthorum Rex post Parthamaspatem, Capitolin. *in M. Antonino Philosopho c. 8. Fuit eô tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus paratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit.* Filius fuit illius *Vologesi*, de quo Tacit. *in Annal. loc. cit.* tandem à Lucia Vero Imperatoris victus, Xiphilin. *l. 69.* Orosius, *l. 7. c. 9.* Aurel. Victor. *c. 15.* Alii. Illum excepit Artabanus IV. seu ultimus, de quo suprà. Quidam è Græcis scribunt Ὀυλογαῖσος, alii Βολόγισος, ut *Aristides*.

VOLONES, dicti sunt servi, qui bellô Punicô, cùm deessent, qui scriberentur, pro dominis pugnaturos se polliciti, in civitatem recepti sunt, & *Volones* appellati, quia hoc spontè *voluerunt*. Vide Festum, & Macrob. *l. 1. Saturn. c. 11.* Eorum exemplô Marcus Imperator apud Capitolin. *c. 21.* servos ad militiam itidem paravit, & *Voluntarios* appellavit. Quô nomine apud Livium, *l. 23.* in eadem historia sæpe appellantur liberi homines, qui cùm vel propter ætatem, vel, quod legitima stipendia confecissent, cogi non possent, spontè militabant *Evocati* posteà, vide suprà, Dioni ἀνάκλητοι dicti. Casaubon. *ad Capitolin in Marco. loc. cit.* Vide quoque infrà, *Voltinia*, it. *Voluntarii*.

VOLONIUM, oppidum Lombardiæ Cispadanæ ad Abduæ caput, in Lario Lacu.

VOLOVICIUM, vulgò VOLVIC, Monasterium Galliæ cum Basilica, ab Avito, Præjecti Arvernorum Episcopi unà cum Marino Abbate, per sicarios ab Avernorum Proceribus immissos, hîc interfecti, successore, extructum. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VOLSCÆ, seu VULCI, *Ptolem.* aliisque, Tusciæ civitas fuit Episcopalis ad dextrum latus Floræ amnis, ubi nunc *il piano de Volci*, in Ducatu Castrensi; & aquæductus ejus pars, *il ponte della Biada* vulgò, *L. Holstenius*, Inter oppida Montem Altum & Montem Acutum, prope Floram fluv.

VOLSCI, vel VOLCI, populi Latii ultra Circejos, Subjugati à Consule T. Sicino, An. 267. Urb. Cond. & à Q. Capitolino *An.* 286. triumphati à Dictatore, Aur. Posthumio Tuberto, *An.* 323. Iterum subacti à Camillo, *An.* 365. Liv. *l. 3. & 4.* Plin. *l. 3. c. 5.* Virg. *l. 2. Georg. v. 168.*

Assuetumque malo Ligurem, Volcosque veratos.

Græcis auctoribus dicuntur, *Scylaci* Ὀλσκοί, *Dionysio* atque *Diodoro* Οὐολοῦσκοι, *Straboni* & aliis post eum Ὀυολσκοί. Horum Regina Camilla bellicosissima, & stupendæ celeritatis fuit, vide Virg. *l. 8. Æn. Baudrando* ab Occidente separabantur à Rutulis & Latinis, à Septentrione Æquis, Hernicis & Marsis; ab Ortu Samnitibus & Campanis; à Meridie mari Tyrrhenô, ubi hodie pars Occidentalis Campaniæ Roman. versùs Velitras, Paltanum, Privernum, & Terracinam.

VOLSELLA, apud Tertullian. *de Pallio, c. 4. tum furax à mento volsella:* forcipula est, quâ barbam sibi *vellebant* Veteres. Idem, *de cultu fœm. Proprias quoque præstigias formæ & hic sexus sibi agnoscit: barbam acrius cædere, intervellere, circumradere capillum!* Hinc in *Glossis* Servii, *volsella* τριχολάβιον, in aliis *volsella*, μαδιστήριον. Græci ψιλίζειν τὸ γένειον dicunt. Salmas. *Not. ad loc.* Vide quoque suprà, ubi de *Alipilis* alibique.

VOLSGRÆ Aves, ex Augurum disciplina appellatæ sunt, quæ se *vellendo* malum ostentarent auspicium, hinc inter prohibitorias recensitæ. De illis Æschylus, *Persis*:

Μεθύστερον δὲ κίρκον εἰσορῶ δρόμῳ
Πτεροῖς ἐφορμαίνοντα, καὶ χηλαῖς κάρα
Τίλλοντα —

Et Papinius Statius, *l. 3. Theb. v. 514.*

--- simul ore recurvô
Ungue secant rabidæ, planctumque imitantibus alis
Exagitant Zephyros & plumea pectora cædunt.

Vide Scaligerum, *Conjectaneis in Varr.* Anton. Thysium, *Exercitat. Miscellan. Exerc.* 19. Casp. Barthium, *Animadversion. Papin. ad. d. l.* Alios.

VOLSINIENSIS Lacus, *Vulsiniensis* Columellæ, *l. 12.* *Bulsinus* Procopio & Agathiæ, lacus Hetruriæ ingens, & ferè rotundus, circuitu 22. millarium circuitus, piscolus. In eo insula est parva, ubi Farnesiorum sepultura, & ubi Amalasiuntha Regina Athalarici Gothorum Regis mater impiè occisa est. Vulgò *Lago di Bolsena*, in Ducatu Castrensi, juxta provinc. Patrimonii, & agrum Urbevetanum. Eum circumstant oppid. Volsinium, Marta, Caput montis, Bisentia, & Mons Faliscorum, urbs in colle. Ibi duæ Insul. *Baudrando*, una major ad Ortum *Martana*, ubi Amalazonta cæsa: altera ad Occasum *Bisentina*.

VOLSINIUM, *Ptolem. Volsinii* *Strab.* & Liv. *l. 7. c. 3. l. 10. c. 37.* Tuscorum urbs: una ex 12. primis eorum coloniis: olim Episcopalis. *Ferrar.* hodie *Bolsena*. Nunc castrum ditionis Pontific. ad radices collis in provinc. Patrimonii, in limite agri Orvietani, 9. mill. pass. ab Oropito in Meridiem, 6. à Monte Faliscorum in Circium, *Baudrand.* Juvenal. *Sat. 3. v. 191.*

Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce.

VOLTA, locus Arverniæ, ad Elaver, Monasteriô clarus, vulgò *la Voute*, in Diœcesi S. Flori. Numeratus inter Prioratus Ordinis Cluniacensis, in veter. Paschalis Papæ & Ludovici Regis literis. Est & *Volta*, ad Rhodanum, contra hujus & Drunæ confluentes, inter Turnonem Vivariumque. Hadr. Vales. *Notit Gall.*

VOLTINIA Tribus Romæ, à loco nobis hodie ignoto nomen habet, ejus meminit Cicero, *Orat. pro Plancio.* Ex illa, *Cajus Antonius Rufus fil. Marci Flamen Divi Julii & Augusti in Colonia Claudia Aprensi, &*

Philippensi, *Princeps item Coloniæ Juliæ Parianæ*, *Tribunus Mil. cohortis XXXII. Voluntariorum*, *& Legionis XIII. cognom. Geminæ*, *Præfectus Equitum alæ I. Scubulorum*, memoratur in vet. *Inscr.* quæ Trecis Campaniæ visitur, teste Jac. Sponiô, *Itinerar. Part.* 3. *p.* 90.

VOLTUMNÆ Fanum, locus Etruriæ apud Ciminum montem, ubi nunc *Viterbium*, teste Anniô. Alii *Maffam* esse velint in Sinensi territorio. Huc Concilium omni Etruriæ indictum habes apud Livium, *l.* 4. *c.* 61.

VOLTURNALIA, festum Volturno Deo, apud Romanos sacrum: cujus sacerdos Volturnalis dictus. Vide in voce *Volturnus*.

VOLTURENA, quasi *Vol torrens*, Celticè, aliis *Vallis Telina*, German. *Veltlin*, regio est Insubriæ, à Maximiliano Sfortia Mediolan. Duce, Rhætis confœderatis, ob fortem contra Gallos operam præstitam, honorarii locô concessa, circa A. C. 1513. Hodie inter Præfecturas eorum Transalpinas, tertiô locô, sed dignitate & amplitudine reliquis præstans: Vini laudatissimi, quod longè in Helvetiam, Noricum, Germaniam avehitur, copiâ celebris. Incolæ *Vennonetes* Plinio, *l.* 3. *c.* 20. dicti videntur. Dividitur in sex Præfecturas, Bormiensem, Tiranensem, Telinensem, Sondriensem, Morbeniensem & Trahonensem: de quibus infrà. A plerisque tamen Bormiensis præfectura in Volturena non numeratur, qui proin vallem in tres partes *terzier*, i.e. tertiarias dispescunt: Quarum prima Tiranensem & Teliensem præfecturas complectitur: Secunda Sondriensem; tertia Morbeniensem & Trahonensem comprehendit. His pro ordine fœderum & communitatum in singula biennia à Rhætis præfecti mittuntur. Vide Jos. Simlerum, *descr. Helv.* Sprecher. *Pallad. Rhæt. &c.* & suprà in voce *Vallis Telina*.

Præfecturæ Volturenæ vallis:

Bormium, in suprema valle, ad Braulium montem, præ reliquis privilegia & immunitates habet.
Tiranum.
Telium oppid. in edito loco, totius provinc. arx habetur, cui forte nomen dedit.
Sondrium, oppid. totius vallis celeberrimum: sedes quartæ Præfecturæ, quæ dignitate & potestate cæteras antecellit. Hanc qui tenet, *Capitaneus* dicitur.
Morbenium.
Trahona.

VOLTURNUM, vide *Vulturnum*,

VOLTURNUS Amnis, & *Volturnum Mare*, in ea parte Italiæ, ubi oppid. Volturnum seu Vulturnum, Plin. *l.* 36. *c.* 26. unde advenientem seque afflantem Eurum Romani appellavêre *Volturnum*. *Μελαμβορέας* dicitur *in Glossis*, fortè quòd *Volturnum*, quasi *Vulturinum*, i. e. nigrum, dictum, hunc ventum putavit Auctor. Sed hæc expositio convenit Aquiloni, qui est *μέλας Βορέας*, seu *aquilus* ventus, casco vocabulô, i. e. niger. Salmas. *ad Solin. p.* 1258. Vide & *Vulturnum*.

VOLTURRENA, locus Hetruriæ, apud Viterbium, *Caton.*

VOLUBILE, Plin. *l.* 5. *c.* 1. *Antonin. Volubilis Ptolem. Volubilis* aliis, urbs Mauritaniæ Tingitanæ. Nunc *Fezza*, urbs maxima, caput regni Fezzani, ad fluv. Fezzam, 100. mill. pass. ab Oceano Atlantico in Ortum, totidem à mari Mediterraneo in Meridiem, uti 160. à Tingi. Vide *Fezza*.

VOLUBILES Coronæ, vide suprà ubi de *Cylistis* & *Encylistiis*.

VOLUCE, Hispaniæ urbs inter Cæsaraugustam & Asturicam, *Antonin.*

VOLUCER, & *e*, quicquid pinnatum est, etiam quadrupes, Salmas. *ad Solin. p.* 177. Hinc quidquid celeritate præstat. Unde inter Circensium equorum nomina, memoratur eidem *ibid. p.* 895. inter quos celebris præ primis fuit equus Veri Imperatoris, de quo sic Capitolin. *c.* 6. *Volucri equo prasino aureum simulachrum fecerat, quod secum portabat. Cui quidem passas uvas & nucleos, in vicem hordei in præsepe ponebat, quem sagis fucô tinctis coopertum, in Tiberianam ad se adduci jubebat, cui mortuo sepulchrum in Vaticano fecit. In hujus equi gratiam primùm cœperunt equis aurei vel bravia postulari. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei à populo prasinianorum sæpe modius aureorum postularetur*, ad quem loc. Vide Casauboni & Salmasii *Notas*. Ex ejusdem nomine, *habuit idem Imperator inter alium luxuriæ apparatum, calicem crystallinum, nomine itidem* Volucrem, *humanæ potionis modum supergressum*, apud eundem Capitolin. *in seqq.* Sed & *Volucres* denarii, vulgò *Vlieghers*, occurrunt in LL. Opstalbomicis Frisiæ *c.* 21. nummi videl. 4. stuferorum, aquilæ sive Angeli volantis effigie insignes, apud Kilianum &c. De more Veter. cadavera hostium *Volucribus* objiciendi, retro dictum.

VOLVENTUM, vulgò *Vouvant*, locus Galliæ in agro Pictonico, Pertinaculo, *Partenay*, proximus.

VOLUMEN, pro libro. Veteres enim (ut Turcæ etiamnum) circum ligneum teretem surculum vel osseum librorum materiam, sive corticem, sive papyrum, sive carbasum, sive ovilla tergora, sive linteum sive aliud quid convolvebant; librumque sic complicatum *Volumen*, surculum ipsum *Umbilicum*, ejusque capitula utrimque eminentia, *Cornua* dicebant, qua de re aliquid dictum passim, imprimis in voce *Umbilicus*. Unde Licetus *de Gemmis Annular. Schem.* 3. *c.* 30. *Veteres*, ait, *suorum scriptorum monumenta, non pagellis explicatis (ut nunc fit) habebant extensa, sed in semetipsa revoluta, sub tali specie; unde* Volumina *dicebantur, ad nostram ætatem etiam eôdem nomine traductô, cui non correspondeat res nominata in paginis nostrorum librorum extensis, non involutis.* Mentio istiusmodi voluminis extat Zachariæ *c.* 5. *v.* 2. *Quumque diceret mihi, quid tu vides? dixi. Video* Volumen *volans, longitudine viginti cubitorum & latitudine decem cubitorum.* Vocâruntque id Hebræi *Megilla*, à convolvendo, sicut Latinis eadem notatio placuit. Psalmô quoque 40. *v.* 8. legimus, *in Volumine libri scriptum est de me*: quod cùm clauderet Christus, *πτύξας* dicitur, Lucæ, *c.* 4. *v.* 20. sicut *v.* prior. 17. cùm aperiret illud, *ἀναπτύξας* vocabulum reperitur: quorum illud *complicare* hoc *explicare* significat. Vide Buxtorfium, *Institut. Epist. p.* 14. In his autem *Voluminibus*, non continuâ orationis serie scribebatur, sed in varia spatia columnas ac areas scriptura distinguebatur, quæ scribendo impletæ paginarum vice erant. Sicque intelligendus omnino Jeremiæ locus est, *c.* 36. *v.* 23. *Fuit igitur quum legisset Jehudi tria folia aut quatuor, (ut) laceraret illud scalprô librariô, & projiceret in ignem, qui in foco, donec consumeretur totum* Volumen *igne illô*: Ubi de libro Jeremiæ sermo est. Quomodo hodieque videmus in Synagogis Judæorum *Volumina* Legis asservari, ut videre est apud Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 6. *c.* 7. Vide quoque suprà, ubi *de Scribendi ratione*, alibique. Quamvis verò & in scapum charta convolvi ac complicari similiter apud Veteres solebat, *volumen* tamen, quemadmodùm & *tomus*, ut de libro, seu charta scripta, diceretur, usus obtinuit. Imò non de libro tantùm, sed & omni sectione majore, quas *μερίδας* & *τμήματα* Diodorus vocat. Plin. *l.* 3. *Epist.* 5. *Studiosi tres, in sex volumina, propter amplitudinem, divisi.* Quam in rem vide Casaubon. *ad Julium Suetonii*, *c.* 56. & Salmas. *Not. ad Firmum Vopisci*, *c.* 3. ubi de Re Chartaria Veterum. Græci *εἰλήματα* istiusmodi *volumina* vocant, ab *εἰλέω*, *volvo*, unde & *εἰλήματα camera*, quæ *volumina* quoque *Isidorus*, & *volubila monumenta* Auctor *Itinerar. Burdigal.* vocat, ut infrà videbimus, voce *Voluta*. Sed & *εἰλητόν*, in *Liturgia* Chrysostomi, *p.* 87. & 88. sindon est, cui panis Eucharisticus *involvebatur*; *Corporale* vocant Scriptores Ecclesi. Roman. de quo vide Lud. de la Cerda, *Advers. c.* 97. *num.* 5. uti de aliis vocis *Volumen* notionibus, Casp. Barthium, *Animadv. Papinian. ad l.* 1. *Theb. v.* 352.

VOLUMEN, in nummis Faustinæ & Antonini Philos. in quibus lemma VOTA PUBLICA, & binæ figuræ muliebres, cum viri altera, stolatâ & palliatâ, quæ Consulis videtur, tenentis dextrâ aliquid *Volumini chartaceo* simile; in nummo item Aurelii Veri, in quo duæ figuræ dextras jungunt, quæ Consulum itidem esse videntur, sinistrâ *Volumen* perinde tenentium, cum *Inscr.* CONCORDIÆ. AUGUSTOR. TRIB. P. COS. II. alio porrò Commodi, & ejusdem Aurelii Veri; imò in vetustissimis palliatorum vel etiam togatorum (atque adeò mulierum) imaginibus, apud *Velserum* & *Boissardum*: in Petri porrò & Pauli SS. Apostolorum picturis nonnullis; crebriùs verò in Imperatorum Byzantinorum nummis, maximè in Consulari Juliani Cæsaris, in nummo aureo Theodosii Junioris & ferè semper in Tiberii II. Mauricii, Phocæ & Leonis Isauri nummis: nonnullis mappa est ludorum edendorum symbolum, aliis Codicilli Consulares, seu Magistratuum aliorum, qui res publicas tractabant, insigne; quibusdam sudaria complicata; Car du Fresne, in Græcis inprimis Imperatorib. idem cum acacia, de qua voce vide suprà, plura verò hanc in rem apud Cl. hunc Virum, *Diss. de infer. ævi Numism. n.* 12. & 13.

P. VOLUMNIUS, Philosophus, ex partibus Bruti & Cassii, *pugnæ ad Philippos* illis fatalis *historiam* scripsit. Vide de hoc, & aliis hujus nominis, Voss. *de Hist. Lat. l.* 1. *c.* 17. It. suprà voce *Lucius*.

VOLUMNIUS Aventinus, vide *Publius*.

VOLUMNUS Deus, & *Volumna* Dea, à Volendo dicti, quòd bona vellent: Dei nuptiales, ut bene conjungerentur, maritus & uxor.

VOLUNTARII, apud Capitolin. *in Marco*, *c.* 21. qui *Θελημάριοι*, apud Georg. Pachymerem, *l.* 2. *c.* 14. quinam milites olim dicti, vide suprà ubi de *Volonibus*, nec non in voce *Voltinia*: Addo saltem, Cæsarem quoque Aug in Germania & Illyrico, cohortibus Libertinorum compluribus lectis, *Voluntarias* eas appellâsse, ex Macrobio, *l.* 1. *Saturn. c.* 11. Vide Casaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 25.

VOLUNTII, Hiberniæ popul. *Ptol.* Quorum oppid. Voluntium *Argla*, in ora Lageniæ, ab Armacha 22. milliar. in Ortum.

VOLUPIA, Dea apud veteres à voluptate dicta, quòd voluptatem hominibus afferret, Augustin. *de Civit. Dei*, *l.* 4. *c.* 8. Ei sacellum erat, prope portam Romanulam, in via nova: fuitque in ara ejus etiam Angeronæ simulachrum. Pinxerunt Volupiam, ut *Lilius Giraldus* ait, in throno, instar Reginæ, sed pallidiore aspectu, & quasi Virtutes subeus habere videretur. Vide Cicer. *de Nat. Deor. l.* 2.

VOLUPTAS, non *Volupia* tantùm aliisque nominibus sed & propriô, apud Romanos olim culta est. Cicer. *de Nat. Deor. l.* 2. *c.* 23. *Cupidinis & Voluptatis & Lubentinæ Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum* (ut idem ipse addit) *rerum. Sed tamen* (causa Deitatis) *ea ipsa vitia vehementiùs naturam sæpe pulsant.* Inde non mirum, quòd tanta luxus portenta occurrunt, apud Senecam, Plinium, alios, facundè in eam seculi labem passim declamantes: quòdque *Voluptatum inveniendarum officium* instituisse legitur Tiberius, præpositô Equite Romanô & Censoriô, apud Sueton. in *Vita* ejus, *c.* 42. *extr.* Sed jam olim Sardanapalo *Voluptatis* simulcharum positum, statuam videl. lapideam, secum ipsa tripudiantem, ritu barbaricô, digitisque supra caput concrepantem, cum *Inscr. Ede, bibe, Veneri indulge, cætera nihil sunt*, discimus ex Plutarch. *de Fortuna Alex. orat.* 2. Quantò laudatiores primi Spartani, quibus *voluptatum fastidium Leges Lycurgi attulisse*, graviter ait Agesilaus, apud eundem *Apophthegm.* Verùm Romanorum asiatumque gentium *ἀσωτίαν*, longè superavit Muhammedes sceleratissimus, qui omnia superstitionis, quam sectatoribus suis instillavit, dogmata ad corporis voluptatem referens, eam jejuniô etiam miscere, & ipsam futuræ vitæ felicitatem in luxuria ac libidine constituere non erubuit, in hoc pejor Simone M. & hunc secutis Valentinô, Carpocrate, Florinô, aliisque Hæreticis *voluptuariis*, quales *Φιλήδονας* Apostolus vocat, quod hi ad omnem quidem in hac vita spurcitiem projecti ambularent *ἐπὶ τῷ σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ*, eandem tamen libidinem ab altera vitam excluderent, de quibus vide hîc passim, plura verò apud Jo. Forbesium, *Instruction. Historico-Theol. l.* 1. *c.* 37. *l.* 4. *c.* 11. alibique. Quia verò non minima *Voluptatum Romanarum* pars spe-

ſtacula fuêre, hinc nomen id illis peculiariter inditum. Julius Capitolin. *in Marco*, c. 23. *Abſens populi Romani voluptates curari vehementer præcepit, per ditiſſimos editores.* Apud Virgilium, *l.* 8. *Æn.* v. 581. ubi de monitis Evandri ad filium in bellum proficiſcentem,

Dum te chare puer, mea ſola & ſera voluptas,
Amplexu teneo ---

vox chariſſimum notat, ſicuti aliis quoque veterum Auctorum locis docet Caſp. Barthius, *Animadv. Papinian. ad Theb. l.* 7. *v.* 775. quem vide, uti de Græcæ vocis ἡδονὴ ſignificatibus, apud Scriptores Eccleſiaſtic. Clar. Suicerum *Theſ. Eccl.* in ea. Vide quoque ſuprà *Cyrenaici.*

VOLUSENUS, prænomine *Cajus*, tribunus militaris in exercitu Cæſaris, vir & conſilii magni & virtutis. Cæſar, *l.* 3, *Comment c.* 5. Totum nomen eſt *Cajus Voluſenus Quadratus.* Hirt. *l.* 8. *c.* 23.

VOLUSIANUS, Conſul cum Gallieno, memoratur Pollioni *in Gallienis*, *c.* 1. *Gallienô igitur &* Voluſianô *Conſulib. Macrianus & Baliſta in unum coëunt --- & cùm Romanum in Oriente nutaret Imperium, quem facerent Imperatorem, requirunt, Gallienô tam negligenter ſe agente &c.*

VOLUSIANUS Rufus, vide *ibi.*

VOLUSIANUS Vibius, 30. Roman. Imperator regnavit ann. 2. A. C. 253. Vide *Gallus.*

VOLUSIUS, veteri familiâ neque tamen Præturam egreſsâ genitus: Ipſe Conſulatum intulit, cenſoriâ etiam poteſtate legendis Equitum decuriis functus opumque, queis domus illa immenſum viguit, primus accumulator. Obiit ſub Tiberio M. Valerio & M. Aurelio Conſulib. fine anni. Vide *Voluſius Saturninus.*

VOLUSIUS, Poëta ineptus, patriâ Patavinus, qui Ennium ſecutus rerum geſtarum populi Romani Annales carmine ſcripſit. An idem cum Tanuſio Gemino? Senec. *ep.* 93. extr. Catullus, *Epigr.* 96. *v.* 7.

At Voluſi Annales Paduam morientur ad ipſam,
Et laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas.

Vide & *Epigr.* 37. *v.* 1.

VOLUSIUS, prænomine *Cajus*, tertiæ legionis miles, primus irrupit in Cremonam. Tacit. *l.* 3. *Hiſt. c.* 29.

VOLUSIUS, prænomine *Lucius*, cognomentô *Saturninus*, præfectus urbis, tempore Neronis explevit 93. annos vitæ. Vide & *Lucius.*

VOLUSIUS Metianus, JCtus ſub Antonino Pio, huic pergratus. Jul. Capitolinus, *c.* 12.

VOLUSIUS Proculus, in claſſe Miſenenſi Chiliarchus, occidendæ matris Neronis inter miniſtros. Ab Epichari, conſcientiâ conjurationis, illigatus, audita ad Neronem detulit. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 51.

VOLUSIUS, prænomine *Quintus.* Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 46.

VOLUSIUS Saturninus, de quo ſic Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 30. *L. Voluſius egregiâ famâ conceſſit, cui tres & nonaginta anni ſpatium vivendi, præcipuæque opes &c.* De divitiis ejus idem, *l.* 14. *Annal. c.* 56. Et quantum Voluſio longa parſimonia quæſivit, &c. Sed & tota Voluſiorum domus dives. Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 30. *Voluſio vetus familia, neque tamen Præturam egreſſa, ipſe Conſulatum intulit, opumque, quibus domus illa immenſum viguit, primus accumulator fuit.* Silius, *l.* 5. *v.* 262.

Occumbis, generoſe Volux, nec clauſa repoſtis
Pondera theſauris, patriô nec regia quondam
Præfulgens ebore, & poſſeſſa mapalia ſoli
Præfuerint. --- ---

Vide & *Lucius* & *Quintus.*

VOLUSUS, è Sabinis nobilis, P. Valerii Voluſii Poplicolæ Pater.

VOLUTABRUM, in *Gloſſis* κυλίςρα ζώων, propriè de apris & ſuibus, hinc de equis: de quibus capiendus *Gloſſarum* hic locus. Nam ζῶα Græci, abſolute plerunque equos appellant, ut & ἄλογα. Hos in arena prope amnem aut lacum *volutare* Veteres conſuefaciebant, eaque loca κυλίςρας & ἀλίςρας vocabant. Pollux, *l.* 1. *c.* 11. τὸ δὲ κυλῖσαι ἢ ἀλῖσαι ἵππους ἢ ἐξαλῖσαι, ὁ τόπος χωρίον, ἀλίςρα ὁ ἐξαλίςρα ὁ κυλίςρα. Ubi ἵππον ἐξαλῖσαι, eſt *facere ut equus volutetur*, idem ſcil. quod κυλῖσαι unde ἀλίςρα & κυλίςρα idem ſed & ἀλινδήθρα dicebatur. Cujusmodi *volutationes*, in exercendis curandisque equis, quæ tum locô ad id deſtinatô fiebant, hodiernis equiſonibus ignotæ ſunt. Meminit moris etiam Ariſtophanes in *Nebulis.*

Ἄπαγε τὸν ἵππον ἐξαλίσας οἴκαδε.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 475. De *volutationibus* verò lugentium ſupplicumque ad pedes eorum, quibus ſupplicabatur, diximus ſuô locô, vide inſuper Joann. Paſſeratium *ad Propertium, l.* 3. *Eleg.* 8.

VOLUTATORIA Lucta, ſtatariæ oppoſita, aliter *Pancratium*, ſpecies luctæ in Veter. Gymnaſiis erat; quâ in lucta certantes ſeſe non dejicere ſtudebant, recti manentes, ut in Stataria, ſed humi proſternebantur, atque ibi invicem ſeque mutuò convolventes, alter alterum ſibi ſupponere nitebatur, quemadmodùm clariſſimè monſtrant depicti nummi cujusdam Saluſtii Auctoris, qui ſub Valentiniano & Placidiæ Aug. principatu, Africæ regnô vi occupatô, ludos ſimiles atque alios ob victoriam edidit. Exhibet eos Mercurialis, *Arte Gymn. l.* 2. *c.* 8. Et de hac exercitatione Ariſtot. loqui videtur, *l. de comm. anim. ingr.* ubi nullum erectum & ſtantem continenter & tutò incedere poſſe demonſtrat, quia perinde ſe moveret, ut Palæſtritæ, qui per pulverem in genua ſubſidentes procurrunt. *Luctam ſuper pavimento* vocat Antyllus, apud Oribaſium, *6. Collect. c.* 27. quæ tamen valde diverſa fuit, ab ea *volutatione*, Hippocrati, *l. de Diæta*, Ἀλινδήσιος nomine appellatâ, quâ homines in palæſtra humi proſtrati vel ſoli vel cum aliis convolvebantur, & de qua Cœl. Aurelianus verba facit, *de Diæt. l.* 2. ubi volutationem in Palæſtra, pro diminuenda carne laudavit. Si quidem in ea nec certabant, neque complicabantur, ſed ſolùm celeriter ſupra pavimentum nitidum aut pulvere conſperſum, ſeſe rotabant. Unde Galenus, *de tuenda valitudine* eam, inter celeres motus, non ſine ratione poſuit &c. Vide Mercurialem, *loc. cit.* & *l.* 5. *c.* 5. Et quidem, qui in hac arte valebant, κυλιςικοὶ hinc vocabantur, ab illis nexibus, quos τοὺς χαμαὶ τρόπους vocat vetus Scholiaſtes Pindari, *Iſthmionic. Od.* 4. in terra complicandis, indidemque pancratium Plutarchus, περὶ τὰς κυλίσεις, *circa volutationes ut plurimum* verſari tradit, *Sympoſ. l.* 2. *c.* 4. In ejusdem certaminis genere, uſque ad ἀπαγόρευσιν certabatur, ſicut & in pugilatu, quique prius animum deſponderat, digiti ſublatione victum ſe fatebatur, quod Græci δάκτυλον ἀνατείνασθαι dixêre, cùm in lucta ter dejectus pro victo haberetur. Qua de re vide plura ſuprà paſſim, inprimis ubi de *Pancratio*: uti de Veter. more ſuper candente harena, vel in nive, exercendo corpori, ſeſe *volutandi*, ſuprà itidem, ubi de *Harenarum remedio*, *Nive* &c.

VOLUTIO, apud Auctorem *Vitæ* Deſiderii Epiſcopi Cadurcenſ. *c.* 11. *Sepulturam quoque ſibi in eodem Monaſterio ſub dextri lateris* volutione *præparari juſſit*, aliosque medii ævi Scriptores; *Voluta*, in *Chron.* Abbatiæ S. Trudonis, *l.* 6. & *Volta*, apud Durandum, *Rat. l.* 1. *c.* 1. *n.* 19. unde Gall. *voute*; Item *Volumen* Iſidoro, & *Transvolutum tectum*, apud Gregor. Turonenſ. fornix eſt, camera, ſeu curva porticus, ut vocat Spartianus *in Peſcennio Nigro*, *c.* 6. Græc. εἴλημα. Unde Εἰλημιατικαὶ καμάραι, quæ ex ſtructura factæ eſſent & concavos receſſus haberent, ad diſcrimen τῶν δρομικῶν, quæ ſemicylindri formam haberent, eſſentque oblongæ. Εἰλημιατικὸς ναὸς, ſeu εἰλητὸς, templum hujusmodi cameris volutilibus conſtans, qualia templa *Volutilia* & *Volubilia* Latinè dicere liceat, uti & Anaſtaſio alicubi appellantur. Sic *Volubilia Monumenta* apud Auctorem *Itiner.* Burdigal. ſepulchra dicuntur concamerata, qualibus Judæi & Græci utebantur, *cryptæ, hypogæa* & *ſpeluncæ*, aliter appellatis. Et *volutiles columnæ*, & *volutiles phari*, apud Anaſtaſium eundem, in *Vitis* Pontific. &c. Ἑλίσσειν de cameris hujusmodi uſurpat Paulus Silentiarius, in *Ecphraſi Templi S. Soph.*

--- Διχθαδίας δὲ
Ἡμιτελεῖς ἀψῖδας ἑλίξατο ἴχνεσι κόγχης
Ἀνέρις ὑπεσελίξατο δαίμονες ---

Idem ἕλικα ἄντυγα vocat apſidem, & concham, τρίλικτον ἀψῖδα. Et ſanè ἕλιξ idem etiam, quod ψαλὶς, infimæ Latinitati *voluta*, ut vidimus. Ornabantur iſtiusmodi cameræ, bracteis aureis, teſte Vopiſcô, *in Aureliano*; vel etiam muſivô pingebantur, uti legimus apud Spartian. *d. l.* Sic apſides & cameræ templorum, porticuum, Baſilicarum, oratoriorum & tricliniorum, decoratæ, occurrunt paſſim apud Anaſtaſium, ubi ſuprà. Vide plura hanc in rem, apud Salmaſ. *Not. ad Hiſt. Aug. Scriptores præfatos*: & *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 1219. & hîc paſſim. Apud veterem Interpretem Palladii, *Lauſiacorum c.* 22. *Trium ſibi* voluminum *cellulas fecit*: voce tholum ſignificari, adnotat Carolus du Freſne *in Gloſſario.*

VOLUTRINA, Dea apud Romanos involucris ſegetis præfecta. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 61.

VOMANUS, vulgò VOMANO, Piceni fluv. Plinius, *l.* 3. *c.* 13. cujus meminit Silius, *l.* 8. *v.* 438.

--- *Statque humectata Vomano*
Adria. --- ---

In Aprutio. Ex Apennino in Hadriam decurrit, medius inter Truentum & Aternum flum.

VOMER, quòd terram *vomit* & eruit, Varroni, Græcis ὕνις, ab ὗς *ſus*, quia primùm roſtrô humum ſulcans ſus, arandi artem docuiſſe videtur, Plut. *Sympoſ. l.* 4. *Probl.* 5. Certè horum operâ ad agrorum cultum uſos Ægyptios, illoſque, aratrô non adhibitô, cùm irrigatis eorum arvis effluxit Nilus, porcos continuò pòſt immittere conſueviſſe, qui terram partim pedibus conculcando, partim roſtrô ſuffodiendo, ſtatim à fundo invertant, atque ita ſemen abſcondant, legimus apud Plut. *Sympoſiac. locô cit.* Vide quoque Eudoxum, apud Ælian. *l.* 10. *c.* 16. Eſt autem propriè *Vomer* τὸ ἀρότρου σιδήρεον, *culter* mediæ Latinitati, unde & Galli vocem mutuati ſunt. Plinii verò ævô *vomer* & *culter* diverſa, ſic enim is, *l.* 18. *c.* 18. *Vomerum plura genera, culter vocatur prædenſam, prius quam proſcindatur, terram ſecans, futuriſque ſulcis veſtigia præſcribens inciſuris, quas reſupinus in arando mordeat vomer.* Nempe reſupinus *vomer* terram mordebat, at *culter* rectus inciſuris eam notabat. Et quidem in aratro *buris* ſeu *urvum* pars ima & curva temonis dicebatur, in pedes octo à ſtirpe protenſi, cui dentale aptatum, uti dentali præfixus *vomer*, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 820. ubi de Agricultura Veter. pluribus agitur & ſuprà *Culter.* Samogitæ verò terram non ferrô, ſed lignô proſcindunt, quamvis terra eorum tenax admodùm minimeque arenoſa ſit: araturique ligna complura, quibus *vomeris* locô utuntur, ſecum portare ſolent, ut unô fractô aliud atque aliud habeant in promptu. Cui moleſtiæ, cùm quidam Provinciæ Præfectus conſulturus, ferreos vomeres complures fieri curâſſet, ſegetes verò ab illo tempore aliquot per annos expectationi minùs reſponderent, vulgo agrorum ſterilitatem ferreis vomeribus adſcribente, ad ligneos reditum teſte Guaguinô *in deſcr. Lithuan.* Sed & in urbibus condendis *Vomerum* uſus olim fuit. Feſtus, *Sulcus fit in urbe condenda urvô aratri, quæ ſit forma ſimillima uncini, curvatione buris & dentis, cui præfigitur vomer.* Vide quoque ſuprà voce *Oppidum*, item ubi de *Urbe.* At *Vomeres igniti*, purgationis per ferrum candens ſpecies, occurrit apud medii ævi Scriptores paſſim: quos, qui innocentiam ſuam jubebantur aſtruere, calcare tenebantur nudis pedibus, unde & *pedale examen* dictum, de quo vide Car. du Freſne, *Gloſſar.* & ſuprà ubi de *Ferro candenti*, nec non voce *Parricida.*

VOMIA, vulgò *Wome*, seu *Midwick*, urbs Poloniæ, quæ & *Medurchia*. Vide ibi.

VOMIA, urbs Niphoniæ, in tractu Jedsegeno, vix 50. mill. pass. à Meaco in Ortum prope Sinum magnum Meacensem. Caput regni cognominis, vulgò *Vomi*, *Brietius*.

VOMITIONES, in remedium cruditatis excogitatæ sunt, canibus primùm monstrantibus, teste Pliniô, *l.* 11. *c.* 53. & *l.* 29. *c.* 4. Et quidem ab Hippocratis tempore mos fuit multorum, ut bis quot mensibus ἐμετικὴν agerent (ut Cicero loquitur *l.* 13. *ad Attic. Epist.* 52.) quibus erat valetudo sua curæ, qua de re vide Casaubon. ad Sueton. *Vitellio*, *c.* 13. Quotidianas autem aut nimis frequentes egestiones universa Medicorum Schola damnat: queriturque Seneca, *multos vomere ut edant, comesse ut vomant epulas toto orbe conquisitas, quas coquere dedignantur*. Plutarchus etiam μικρὰ hæc vocat ἐπιλήσμονα πλησμονῆς, *exigua satietatis levamina*: utendum verò potiùs ὑδροποσίᾳ καὶ ἀσιτίᾳ, *aqua potu & cibô exili* suadet, & remedia porrò hæc esse velut ἐκβόλια ait ac φθόρια, quibus intemperantes fœminæ partum necant abiguntque, ut Venerem repetant & iterum concipiant. Cujus rei exemplo Vitellius est Imperator, quem epulas trifariàm semper, interdum & quadrifariàm dispertitum esse, in jentacula, & prandia, & cœnas, commissationesque facilè omnibus sufficientem vomitandi consuetudinem, legas apud Sueton. *d. l.* Vide plura hanc in rem, apud Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 21. *c.* 9. & *l.* 28. *c.* 2. Meliùs illi, qui Athletas maluêre cibos ambulatione perficere, & pervigiliis, Plinius, *c.* 53. *cit.* At navigantibus *Vomitiones ipsa instabili volutatione commotæ plurimis morbis capitis, oculorum, pectoris medentur, omnibusque propter quæ elleborum bibitur*, Idem *l.* 31. *c.* 6. Per translationem *vomunt*, qui ex tempore dicunt. Unde Aristides, Rhetor se non esse τῶν ἐμούντων, sed ἀκριβούντων, Imperatori Marco respondit. Quique acerbius in aliquem invehuntur. Sic Pompejus Marcellino acriùs contra se in Senatu oranti, exprobravit suô beneficiô ἐκ πεινατικοῦ ἐμετικόν, *ex esuritore vomitorem*, è muto vocalem, imò convitiatorem, esse factum. In genere, magnâ copiâ effundere est. Unde *Vomitoria* in Spectaculis dicta, per quæ homines glomeratim ingredientes in sedilia se fundebant, Macrob. *l.* 6. *Saturnal. c.* 4. &c.

VOMURA, urbs in parte Occidentali Ximoæ, in regno *Figen*, cum portu capaci, 15. mill. pass. à Nangazachio in Circium.

VONGUM, vel *m*, vicus Galliæ ad Axonam, mediô inter Remos ac Eporssum spatiô, vulgò *Von*, aut potius *Vousi*, non procul à *Von* distans. Caput pagi Vongensis, inter Dolomensem & Castricensem medii, cujus Frodoardus meminit, *l.* 2. *c.* 18. in hoc villam Riguliacum, vulgò *Rilly* ad Axonam inter Attiniacum & *Vousi* ponit Alcuinus, *in vita S. Vedasti*, vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VONONES, incertum cujus stirpis, anteà Mediæ Rex, lectus adscitusque à Parthis, brevi & inglorio Regno, Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 10.

VONONES Parthus, obses à patre Phraate Romanis datus, in regnum reposcitur, mox spretus à suis ab Artabano regnô exuitur. Justin. *l.* 42. *c.* 5.

VOORNIA, insula Hollandiæ, prope & infra Confluentes Mosæ & Vahalis. Vix 4. aut 5. milliar. cum arce cognomine in parte Orientali vulgò *Voorn*.

Fl. VOPISCUS, Historicus Roman. sub Diocletiano, & Constantino Chloro, Syracusanus: Romam [venit], ibique *Aureliani, Taciti & Floriani Imperatorum vitam descripsit*. Dein *Probi historiam* composuit, illamque Celso Rufo dedicavit: Addidit posteà *Firmi, Saturnini, Proculi & Bonosi, tyrannorum vitas*: subjunctis tandem *Cari, Numeriani & Carini*; Omnia ordine exquisitô, & eruditionem non mediocrem spirante. Proposuerat sibi quoque Apollonium Thyaneum, quem magnopere extulit, eôdem modô, enarrare. Vide Voss. de *Hist. Lat. l.* 2. *c.* 7. De nomine ita Solinus, *c.* 1. *E geminis, si, remanente alterô, alter abortivô fluxu exciderit, qui legitimè natus est*, Vopiscus *nominatur*, ex Plin. *l.* 7. *c.* 10 Vide Salmas. *ad locum Solini*.

VOPISCUS Poppæus, vide *Poppæus*.

de VORAGINE Jacobus, vide *Jacobus*.

VORAGINES Subpolares, vide *Polaris Stella*.

VORANUS, Qu. Luctatii furacissimus libertus, de quo Cœl. Rhodig. *l.* 19. *c.* 2. Ejus meminit Horatius, *l.* 1. *Sat.* 8. *v.* 39.

> *Julius & fragilis Pediatia, furque Voranus.*

VORATES, Princeps Jazygum, Gesandri Pater, apud Valer. Flacc. *l.* 6. *v.* 288.

VOREDA, Angliæ urbs, *Antonin*, *Old Carlile*, *Camdeno*; nunc vicus, apud Carleolum urbem.

VORGANIUM, vulgò *Triguer*, Galliæ Lugdunensis urbs in Osismiis, *Ptolem.* vide *Trecorium*.

VORMATIA, vide *Vangiones*, & *Wormatia*.

VORNEMETIS, vide *Vernemetes*.

VOROTINENSIS Ducatus, *le Duché de Worotin*, est provinc. Moscoviæ Australis versùs Tartariam minorem & Lithuaniam, extensa à Septentrione in Meridiem prope Moscoviensem & Rezanensem Ducat. Ejus caput

VOROTINUM, cum castro, ad Occam fluv. 66. mill. pass. à Moscua urbe in Meridiem, totidem à confinio Lithuaniæ in Ortum. *Worotin* vulgò.

VORSTIUS Æl. Everhardus, ex familia clara Ruremundæ in Menapiis natus A. C. 1565. ab Alphonso Catanæo Archiatro Ferrariensi commendatus Nic. Grano Episcopo Anglonensi, in magna Græcia, ad Sinum Tarentin. Ejus domesticus Medicus per triennium fuit: hôc defunctô in aula Fabricii Pignatelli March. Querceti per annum commoratus, post 14. annorum peregrinationem domum reversus est, A. C. 1595. Tum Practicus Delphensis primò, inde Medicinæ Professor Lugduno-Batavus constitutus, A. C. 1598. obiit A. C. 1624. ætat. 59. à Petro Cunæo pro funere laudatus. Edidit *Commentariolum de Annulorum Origine, in gratiam Abr. Gorlæi, qui Dactyliothecæ ejus præfixus est, Observationum rerumque memorabil. per magnam Græciam, Japygiam, Lucaniam, Brutios &c. Commentarium Hodæporicum: De Batavicæ piscibus: Notas ad Corn. Celsum de Re Medica.* Auctor *Vitarum Profess. Leidensium*, & Franc. Sweertius *Athenis Belg.* Pater fuit *Adolphi*, itidem Medicinæ D. & in Acad. Leidensi Professoris, ac, rarô exemplô, Patris sui Collega: Claudii Salmasii amicus singularis, cui etiam defuncto parentavit. Obiit A. C. 1663. ætat. 66. Scripsit, *Catalogum plantarum Horti Academici, cui accessit Index plantarum indigenarum, quæ prope Lugdunum in Batavis nascuntur: Disputationes varias Physico-Medicas: Orationes funebres in exequiis Petri Cunæi, Salmasii* &c. Idem recognovit *versionem Joh. Opsopæi Aphorismorum Hippocratis* &c. Ex *Orat. fun.* Joh. Anton. Lindani. Freherus, *Theatrô virorum eruditione clasor.*

VORSTIUS Conradus, Coloniensis, à Remonstrantibus Leidam in locum Arminii, Steinfurtô, ubi jam diu Socinismi suspectus docuerat, vocatus, Professionem non obtinuit, ob protestationem plurium Ecclesiarum, & minas Regis M. Britanniæ Jacobi, qui scripta ejus publicè exuri jussit, circa An. Chr. 1610. Vide & *Conradus*, ac plura de illo apud Paul. Freherum, *Theatrô Viror. erudit. clasor.*

VORTIGERNUS Saxonum, qui Angli vocabantur, Regulus, à Britannis auxilio, contra piratas vocatus, invadit insulam, sibique vindicat. Socer Hengisti A. C. 449. Polyd. Virgil. *l.* 3. Ei successit filius Vortimerus, A. C. 457.

VOSAGENSIS Pagus, in Biturigibus, horumque extremis finibus, memoratur Gregor. *Hist. Fr. l.* 9. *c.* 19. Vulgò *Besage*, Marollio.

VOSAGUS, Fortun. *in Carm. ad Gogonem*:

> *Ardenna, an Vosagi, cervi, capreæ, helicis, ursi*
> *Cæde sagittifera sylva fragore tonat.*
> *Seu validi bufali*, &c.

Sylva Germaniæ ingentis magnitudinis, Austrasiam olim à Burgundia divisit. Ejus pars major Austrasiorum Regibus, quâ nempè Borbetomagum, Nemetas, Tabernas, Saletionem, Brocomagum ac Argentoratenses ad Rhenum attingit, & quâ introrsum inter Mosellam ac Mosam attollitur: reliqua pars circa castrum Luxovium & Anagratas Monasteriumque Salicis in Sequanis, Regibus Burgundiæ parebat. In ea Cœnobium Montis Romarici vetus ac nobile, seu Rumerici castellum positum esse præ cæteris docet vita S. Salabergæ. In *tabul. Theodos. seu Peuting.* à Boconia ad Brocomagum pertinet sylva Vosagus, quod est spatium 61. mill. pass. ad ripam Rheni. Valesio est sylva, simul ac mons quoque eô nomine, quem multicipitem montem ajunt inter Alesatios & Lotharienses eminere, & longô tractu à Treviris per Mediomatricos & Leucos ad Lingones & Sequanos pertinere, alibi convallium & perennium aquarum amœnitate, alibi sylvestrium jugorum altitudine spectabilem; quà in Lotharingiam, & in Burgundiam Comitalem brachia diffundit, claris Monasteriis insignem. Mons *Vosegus* Lotharingiam à Comitatu Burgundiæ & ab Alesatia discludit; nec jam à Bonconica ad Brocomagum, ut tabula Theodosiana docet; sed ad Augustam Rauracûm aut ad Basiliam Sequanorum pertinet, quod est spatium 132. milliarium: ac vulgò dicitur à Gallis *le mont de Vosge*, vel *les montagnes de Vosge*. Nomen *Vosegi*, vel *Vosagi* servat Cœnobium cum vico *Voyge*, aut *Voyse* dictum, Mosæ fontibus proximum: servat & inter flumina Mosam ac Mosellam sylva ingens cùm plana tum maximè montana, quam *la forest de la Voyge*, aliàs *le bois de la Voyse* nuncupant, à qua abest oppidum *Voysi* milliaria circiter 32. *Vosagi* appellationem retinens. Mons sylvestris Burgundiam Comitalem à Lotharingia dividens, ac propterea Mons Burgundiæ dictus, *Montaigne de Bourgogne*, aliàs Mons Falcium à fœno & pascuis, *Mont de Faucilles*, pars est saltus ac *montis Vosagi*. Regio utrumque *montis Vosagi* latus continens usque ad Duos Pontes oppidum, sive Zweypruck, *Vosagia*, aut *pagus Vosagensis* nunc vulgo nuncupatur, à Lothariensibus quidem *le pays de Vosge*, aut *la Vosgue*, à Germanis autem *Das Wasgow*, i. e. Vosagensis pagus. *Gaw* enim & *gow* Germanicâ linguâ pagum significat, ut Cluverius scribit: & Nithardus *Wasagum* pro *Vosago* vocavit, ex quo *Wasgaw* Germani fecerunt. Ex his apparet, plurimos montes longè latéque diffusos, sed alteros alteris contiguos communi nomine atque singulari *Vosagum* vocari, id quod Juræ, Cebennæ, Pyrenæo videmus accidisse, Richerius in Chron. Senonensi hanc regionem describit *in l.* 1. *c.* 11. excelsis montibus & vallibus profundissimis, in quibus nemora abiegna sint, asperam, longam itinere 4. dierum, latam sex aut 7. millibus, feris quàm hominibus convenientiorem: *quam terram (inquit) antiqui Vosagum, moderni Vogiam dixerunt*. Georgius Furnarius *in sua Orbis Notitia* scribit, *Vosagum montem cum sylva in Lingonibus oriri, & per 25. leucas versus ortum excurrere ad Basiliam, quâ Burgundiam à Lotharingia dividit, inde ad Septentrionem versus continuis jugis & perpetuis sylvis Lotharingiam ab Alsatia separantem, per 50 leucas ad Moguntiacum & Augustam Trevirorum expandi. Ex eo monte Mosam, Mosellam, Ararim*, seu Sauconnam, *Helellum*, vel potiùs Ellum, *Ill*, aliosque non obscuros fluvios *demitti*, alios in Oceanum, alios in mare Gallicum partim suô partim alienô ore perventuros. Certe *sylva monsque Vosagus* capita quatuor maximorum fluminum continet, Matronæ, Mosæ, Mosellæ, atque Araris. Ex quibus *Mosam profluere ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum*, tradit Cæsar in *Commentar. l.* 4. *belli Gallici*, *c.* 10. ex quo intelligitur *Vogesum* montem à veteribus dictum esse, qui posteà à recentioribus transpositis litteris vocatus sit *Vosegus*, & *Vosagus*. *Vogesi* montis in Lingonibus meminit & Lucanus *in l.* 1. *v.* 397.

> *Castraque quæ Vogesi curvam super ardua rupem*
> *Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.*

Est altera *sylva Vosagus*, in pago Diœcesique Laudunensi, cujus Hermannus Monachus, *in l. 3. de Miraculis S. Mariæ Laudunensis, c. 3.* ante Ann. 500. meminit his verbis: *Episcopus* (Laudunensis Bartholomæus) *Laudunum rediens, duxit eum in sylvam Vosagum, ostenditque ei* (Norberto) *in ipsa locum quendam, qui Pratum Monstratum vel Præmonstratum vocatur.* Idem, *in c. 5. l. 3. sylvam Vosagum* iterum vocat, & proximam Lauduno, ac extramurano Monasterio S. Martini facit: alibi etiam in Laudunensi Diœcesi *Cœnobium S. Nicolai in sylva Vosago situm* commemorat: ita ut nomine *sylvæ Vosagi* sylvam Codiciacensem aut Fatensem Lauduno proximam designasse videatur, *la forest de Coucy*, in qua uterque locus est, *Notit. Gall.* Vide *Vogesus*.

VOSAVIA, ubi Mammæa Alexandri Severi Imperatoris mater cæsa & sepulta, Christianorum fautrix, oppid. Germaniæ superioris *Oberwesel*. Vide *Fecelia*, & *Vesalia*.

VOSIA, clara veteri Abbatiâ, est in Lemovicum finib. vulgò *Visoie*, aut *Vigeois*: in Gallia. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VOSONNUM, nunc *Vouson*, Cella seu Prioratus, in Archidiaconatu Solliacensi, qui unus est è 6. Archidiaconatibus Ecclesiæ Aurelianensis. In Botarotii nummo veter. *Vosonno vico.* Idem.

VOSSIUS Gerardus Johannes, Archipalatinus, eloquentiâ & eruditione seculi hujus inter principes. Natus Heidelbergæ A. C. 1577. Dordraci literis incubuit, cum Erycio Puteano. Dein eruditarum linguarum notitiâ exactè imbutus, præcipuas Europæ urbes invisit, ubique magnâ veneratione cultus. Reversus, Dordraci, Lugduni Batav. & Amstelodami docuit. Obiit A.C. 1649. ætat. 72. Operum ejus, quæ plurima sunt, præcipua: *De Idololatria: De Historicis Græcis, Latinis: De Poëtis Græcis, Latinis: De Scientiis Mathematicis: De 4. artibus popularibus: Aristarchus: Partiones Oratoriæ*: Ejus Epitaphium:

> *Hôc tumulô plorat Pietas & candida Virtus,*
> *Et inclusa Pallas saxa dirigunt.*
> *Invida mors videt: videt quoque Vossius illam,*
> *Dum calamô mortem vincit & ingeniô.*

Pater Dionysii, Francisci, Gerardi, Matthæi & Isaaci, qui omnes eruditionis laude scriptisque inclaruerunt: quorum ultimus imprimis egregia ingenii monumenta edidit. Vide Paul. Freherum, *Theatro Viror. Erudit. claror.*

VOSSIUS Matthæus, vide *Matthæus*.

VOSSIUS Samuel, Lupeloviâ Mecklenburgicus, ex nobili & antiqua familia, Generalis Superintendens Frisiæ Orientalis primum, A. C. 1657. Circuli Rostochiensis exin itidem Superintendens General. & Consiliarius Eccles. Gustavi Adolphi Ducis Megapolitani constitutus, A. C. 1670. obiit A. C. 1674. ætat 63. P. Freherus, *Theatrô Viror. Claror.*

VOSSUENSE Monasterium, posteà *Fossense*, & *Fossa*, vulgò *Foss* dictum, à Foillano Furseum fratrem non multo pòst ex Hibernia in Gallias secuto, ope Gertrudis virginis, Pippini Majoris domus filiæ, in villa ejus fundatum: inter Castellum *Chastelet* & Namurcum in diœcesi Leodicensi ad fluv. Gervertuam, non procul à fluv. Sabi. *Vales.*

VOSUMA, urbs in parte Australi Ximoæ, caput tractus cognominis, vulgò *Vosumi*, *Brietius*.

VOT. *XX. Vot. XXX. Vot. X.* in aris, nummis & arcubus triumphalibus, significabant, uti apud Tacitum & Livium legere est, Salutis augurium: cùm scil. SPQR. vovebant hæc vel illa sacrificia se facturos ludosque celebraturos & ædes dedicaturos, si præscriptô illô annorum spatiô Respubl. in eodem statu permansisset, quô tunc florebat, quum vota ea suscipiebant. Unde *Vota decennalia, Vicennalia, Tricennalia*, Pierius, *Hieroglyph.* Vide infrà.

VOTA, & VOTORUM dies, Latinis appellati sunt, qui annum inchoabant, ob solemnem prò salute Principis *votorum* nuncupationem. Et quidem propriè tertius post Kal. Januar. hôc nomine insignitus est, uti apparet ex *l. 233. De verb. signif.* & Dione, *l. 58.* licet ipsis etiam Kalendis suscepta pro Principe *vota*, ut illô ipsô locô hic Auctor ait. Istiusmodi diebus autem, velut auspicatissimis, lugere erat nefas. Spartian. in *Hadriano*, de Vero, *c. 23. Ab Adriano* Votorum *causa lugere est vetitus*: quemadmodùm & Marcus, filio sibi mortuo, *quia Ludi Jovis Opt. Max. erant, interpellari eos publicô luctu noluit*, apud Capitolin. *c. 21.* Nihil enim religionum ceremoniis magis adversari credebatur, quam luctus. Retinuêre Christiani Principes *Votorum* morem & appellationem, uti liquet ex tit. Codicis *de oblat. Votor.* & ex *can. 62.* Concilii in Trullo: ubi Græcus Interpres Balsamo, homo alioquin impensè doctus, de vocis *Βοτά* origine sanè quàm suaviter philosophatur, illud festo ei nomen inditum, ἀπὸ τῶν βοτῶν sive προβάτων, quod in honorem Panis Pastorum Dei institutum sit, contendens. Vide Casaubon. *Not. ad Spartian. d. l.* ut & plura hanc in rem infrà.

VOTANTES, nomen officii in Aula Pontificia de quo suprà aliquid voce *Referendarius*.

VOTIENUS Montanus, cujus inter celebres Oratores & Poëtas mentio, postulatus ob contumelias in Tiberium Cæsarem dictas; Ideò majestatis pœnis affectus & in Baleares insulas relegatus est, Corneliô Cossô, Asiniô Agrippâ Consulib. in quibus & mortuus. Patriâ fuit Narbonensis Tacit. *l. 4. Annal. c. 42.*

VOTIVA Expeditio, vide suprà *Crucem assumere*.

VOTIVÆ Tabulæ, suspendebantur olim non columnis modò & parietibus, sed & tholis ipsis seu fastigiis ædium sacrarum. Luctat. Placidus *ad l. 2. Theb. v. 934. Tholus est in media templi camera locus, in quo voventium primitiæ aut exuviæ figebantur.* Dictæ *Donaria* quoque seu *Anathemata*, quæ *Diis vota* interpretatur Phalaris Agrigentinorum tyrannus, Τρίποδας Δελφικοὺς καὶ στεφάνους χρυσοῦς, καὶ ἄλλα πολλὰ πολυτελῆ χαριστήρια τῆς σωτηρίας, *Tripodas Delphicos & coronas aureas & alia multa ac pretiosa munera pro actione gratiarum, ob recuperatam salutem.* &c. Vide suprà in voce *Donarium*. Suspendebat verò istiusmodi tabulas *Voti damnatus*, quemadmodùm ante Aras *Vota* solebant suscipi, ubi qui se Numinibus susceptô Votô obligabat, *Voti reus* dictus est. Virgilius, apud Macrobium, *l. 3. Saturn. c. 2.*

> *Constituam ante Aras voti reus.*

Vide quæ de Annibalis voto contra Romanos, Cornelius habet Nepos, *in ejus vita, c. 2.* Sed neque verbis solùm concipiebantur vota, verùm & concepta tabellis inscribebantur, obsignabantur, Deorumque genibus affigebantur plerunque, donec votorum compotes eæ tabellæ solvebantur, h. e. lacerabantur ac Diis reddebantur, quæ daturos se fuerant polliciti, quo de *obsignandi Vota* more egregia congessit Janus Rutgersius *Var. Lect. l. 3.* Casus verò talis votivi doni infelicissimum omen habitum. Papinius *l. 2. Theb. v. 257.*

> *In gradibus summi delapsum culmine templi,*
> *Arcados Evippi spolium, cadit arcus orbus.*

Et *l. 4. v. 332.*

> ---- ---- *sacrisque*
> *Exuvias cecidêre tholis* ---

Nuncupabant autem Junoni seu Opigenæ, quæ Græcis Λόχεια, Puerperæ vota, ut faciliùs eniterentur, quæ eleganter expressit Propertius, *l. 4. Eleg. 1. v. 99.*

> *Idem ego, cùm Cinara traheret Lucina dolores*
> *Et facerent uteri pondera lenta moram,*
> *Junoni votum facite impetrabile, dixi,*
> *Illa parit.* --- ---

Eorum memoria in Inscr. veteri apud Gruterum, *p. 41. Dianæ. Lucinæ. invictæ. Cn. Pompejus. Cn. Lib. Barbus. Procurat. tibicin. Rom. voto. suscepto. l. m.* Pro infantium salute, Veneri, eidem Junoni, Lucinæ, Castori item ac Polluci: Unde Deæ hujus Sospitatricis tutelæ eximiô planè monumentô veter. commendari videmus Cecropii cujusdam filium vel adhuc morbidum, vel post salutem recuperatam: quod monstrat manus ænea, effossa inter D. Gregorii rudera, cum Inscr. *Cecropius V. C. votum. S.* Iconem à Cassiano à Puteo Tomasino communicatam, Thomas Bartholinus, *l. de Puerperio Veter.* inseruit. De Castore & Polluce *Inscr.* testatur idem, ex saxo, quod Murciæ repertum, apud Gruterum, *p. 98. Castori. &. Polluci. Dis. Magnis. Sulpitia. Q. Sulpitii. f. votum. ob. filium. salute. restitutum.* Pueri dein atque Adolescentes Deo alicui suos crines vovebant, teste Petroniô, *Sat. p. 65. Cui Deo crinem vovisti?* Neque pueri solùm, sed & puellæ ac virgines, Lucianus *in Dea Syria*: quod votum concipiebatur interdum statim ab ipsa nativitate, depositô in terram nuper natô, ut testatur Q. Flor. Tertullianus, *de Anim. c. 40.* Sic Ajax Telamonius Ilisso flumini, Theseus Apollini Delphico, ut & pueri Ambraciotæ, vulgus Atheniensium Herculi, adolescentes Romani Æsculapio, aut Jovi, aut Baccho: Puellæ Deliorum Hecaërgæ Deæ, capillos suos dedicabant. Vide suprà *suô locô*, ut & plura hanc in rem, apud Thom. Dempsterum, *Paralipom. ad Rosin. l. 10. c. 29.* Idem faciebant, qui in peregrinationem longinquam aut expeditionem proficiscebantur, qui similiter Deo alicui comam devoventes, ei, domum reduces, detonsam consecrabant. Statius *l. 6. Theb. v. 608.*

> *Flavus ab intonso pendebat vertice crinis*
> *Arcados, hoc primis Triviæ pascebat ab annis*
> *Munus, & Ogygio victor cùm Marte redisset,*
> *Nequicquam patriis audax promiserat aris.*
> *Tunc liber nexu, lateque in terga solutus*
> *Occursu Zephyri retro fugit.*

Quem ritum ex antiquitate primus eruit Hadr. Turnebus, *Advers. l. 22. c. 28.* Inprimis cùm vel timeretur vel sentiretur morbus, *Vota* suscipi consuevêre, nunquàm proniore ad pietatem animô, quàm cùm pericula nobis aurem de Numine vellunt. Quam in rem Plinius, *l. 8. c. 16. circa fin. Votorum præcipuus locus, quando spei nullus.* Unde Veter. ad morborum profligationem remedia salutaria retulisse, non vocali prece, sed oratione mentali desideriôque silenti, tum vigilantes Oracula tantùm operientes in locis sacris; tum etiam dormientes, monet ex Antiquis Pierius, *Hieroglyph. l. 22.* ubi addit: *Et Astrologi quosdam homines à genesi eo Fato nasci prædicant, ut* Votorum *potius ope, quam medicinæ, ab ægritudinibus & morbis liberentur.* De *Votis* Neogamorum diximus alibi. De *Votis* veterum Hebræorum vide Levitic. *c. ult.* & Numeror. *c. 30.* circa illa verò miram Magistrorum disciplinam, apud Joh. Seldenum, *de Jure Nat. & Gentium juxta Disciplinam Hebr. l. 7. c. 1. Votum* Christianorum in Baptismo peragitur, cui quæcunque alia successerint, nihil aliud sunt, quàm primigenii illius repetitio, & arctior quidam nexus. Sequuntur *Vota*, quæ publica sunt, & pro Respubl. aut Principe suscipi olim solita. Et quidem de prioribus suprà actum, ubi de *vovendi ritu*. Insuper frequens apud Veteres votum fuit, ut decimam prædæ & spoliorum, quidquid ex hostibus captum fuisset, Jovi & Diis voverent: ùnde Jupiter *Prædator* apud Romanos cognominatus est, de quo ejusdem gentis, ut & Gallorum, Crotoniatarum, Locrensium, aliorum, more, vide Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l. 3. c. 22.* De *Votis*, pro Imperatorum salute, suscipi consuetis, Martialis, *l. 8. Epigr. 4.* mentionem injicit:

> *Quantus io! Latiæ mundi conventus ad aras*
> *Suscipit & solvit pro Duce vota suo.*

In quæ verba sic Heraldus: *Reus voti*, inquit, *pro Imperat. salute, de anno præterito solvit vota, & nova vota nuncupat in annum proximum, quæ oppidò fiebant, redeunte Domitianô, Mense Januariô. Commodùm Januariô mense redibat Domitianus, quô pro Imperatorum salute vota suscipiebant ac solvebant. Suscipiebant in proximum annum, solvebant pri-*

ori

ovi annô suscepta, *Vide Plinium*, *l.* 10. *Epist.* 44. *ad Trajanum.* *Cœpit autem mos temporibus Jul. Cæsaris, cui inter cæteros honores hic quoque decretus, ut vota pro eo quotannis conciperentur: Unde idem honos cæteris Imperatoribus posteà habitus. Nuncupabantur ista à Magistratibus ac Sacerdotibus præcipuè: qui etiam celebrabant diem suscepti Imperii & pro Imperatore vota suscipiebant. Neque pro Imperatoribus tantùm, sed & pro eorum liberis ac charis vota signabant.* Vide quoque Dempster. *ad Rosin. l.* 4. *c.* 4. Locus ubi solemnia istiusmodi vota concipiebant Romani, Capitolium erat. Sueton. *Nerone*, *c.* 46. *Votorum nuncupatione, magnâ jam ordinum frequentiâ, vix repertæ Capitolii claves.* Unde Flor. Tertullian. *l. de Coronis*, *Annua votorum nuncupatio quid videtur, prima in principiis, secunda in Capitoliis, accipe post loca & verba, hunc tibi Jupiter bovem cornibus aurô decoratis vovemus esse facturum* &c. Vide plura infrà, ubi de *Votivis Nummis*. Nec omittendus *voventium* mos, quô, qui compotes voti fuissent, ut potiora sumerent, veteribus persolutis, novis se obligabant votis, indigitatus Alex. Neapolit. ubi suprà, qui & alia in hanc rem egregia congessit *ibid.* &c.

VOTIVI Ludi, apud Romanos, erant, qui à Magistratibus ad bellum ituris vovebantur, post res feliciter gestas, ac victoriam partam exhibendi. Atque hi introducebantur aut Sibyllinis versibus aut Augurum præceptionibus, aut promissis Imperator. vel ante bellum, vel confectô bellô, hostibusque devictis. Cujusmodi erant, quos *Magnos* cognominârunt, quòd in honorem Jovis, quem Principem Deorum putabant, fierent: quorum mentio tum apud alios, tum inprimis apud Liv. Hic enim inter alia, *l.* 22. *c.* 10. scribit, an. Urb. Cond. 536. auctore Q. Fabiô Max. Dictatore, *placandæ Deûm iræ & victoriæ de Carthaginensibus impetrandæ gratiâ, ex libris Sibyllinis votos fuisse Ludos magnos, æris trecentis, triginta tribus millib. trecentis triginta tribus triente: præterea bubus Jovi* 300. *multis aliis Divis bubus albis atque cæteris hostiis* &c. Qui quô modô voverentur, exponit Idem, *l.* 36. *c.* 2. *Certâ deinde sorte SConsultum factum est, quod Populus Rom. eô tempore duellum jussisset, cum Rege Antiocho esse, ut ejus rei causâ supplicationem impetrarent Consules: utique M. Acilius Consul Ludos magnos Jovi voveret, & dona ad omnia pulvinaria. Id votum in hæc verba, præeunte Publ. Liciniô Pontifice Max. Consul nuncupavit: Si duellum, quod cum Antiocho Rege Populus sumi jussit, id ex sententia S. P. Q. R. confectum erit, tum tibi Jupiter Populus Rom. Ludos magnos dies* 10. *continuos faciet, donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreverit. Quisquis Magistratus eos ludos, quando, ubique faxit, hi Ludi rectè facti, donaque data rectè sunto* &c. Vovebantur quoque nonnunquam in quinquennium, ut apud eundem videre est, *l.* 27. & *l.* 30. Quod de M. Acilio modò dictum ex Livio, docet Jul. Cæsar Scaliger, non tùm primùm Ludos illos fuisse votos, sed postquàm ad Thrasymenum pugnatum est. Idem bellô Samniticô debellatô, Ludos eos Populum spectâsse coronatum: M. Crassum, suâ Ædilitate, coronas frondeas aureis bracteolis imitatum Populo donô dedisse, & Ludis Magnis, Græcô ritu victoribus palmas: itemque Populo ab Ædilibus epulum datum esse, addit, *Poet. l.* 1. *c.* 30.

VOTIVI Naziræi (namque & Nativi erant) apud veteres Hebræos, propriô votô seipsos Deo sacrabant, idque ferè ad certum tempus: quod si expressum non esset, menstruum erat, ut Judæi suô more colligunt ex Numeror. *c.* 6. *v.* 5. Erant autem Nazireatus hæ leges, ad humiliationem sui facientes, 1. Ut abstinerent à vino omnique potu inebriante שכר, qualiscunque ille liquor & undecunque expressus esset. 2. Ut comam alerent; tantâ quidem religione, ut ne pilum quidem unicum abradere vel evellere fas foret, nisi tempore voti peractô: quô factô, attondebantur oblatôque sacrificiô, votivam cæsariem, tanquàm rem sacram, in peculiari Templi conclavi concremabant. 3. Ut ad cadaver mortui non accederent, Numeror. *c.* 6. *v.* 3.-10. Quod si proin ex improvisô mortui vel morticinii attactu polluerentur, votum redintegrandum & de novo Nazireatus tempus implendum erat. An & vestis illis fuerit peculiaris, incertum est: quod enim de Johannis Baptistæ vestimento *è pilis camelinis & Zona coriacea circum lumbos ejus*, habetur Matth. *c.* 3. *v.* 4. id non Naziræorum, sed Prophetarum, præsertim Eliæ, exemplô factum: Interim aliquam eorum cum Prophetis in vestitu fuisse convenientiam, à vero non abludit, &c. Præter istiusmodi *Votivos* Rechabitæ erant in V. T. quorum tamen institutum prorsus humanum, nullâ voti religione erat obstrictum, sed solâ erga Parentem reverentiâ, observatum. Vide Franc. Burmannum, *Synops. Theol. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 10.

VOTIVI Nummi, qui *Vota publica* nuncupata, suscepta, & soluta, pro salute Principis, in *Inscr.* suis præferunt; vel quòd iis, quibus suscepta sunt annis, cusi ac formati, id nomen accepêre. Et quidem, ut *Votorum* istorum origo ab ipsis primordiis repetatur, scribit, *l.* 53. Dio, Augusto, cùm primum decennium exivisset, aliud quinquennium, atque eô circumactô, rursum aliud quinquennium, pòst decennium, ac aliud item eô finitô decretum esse, ut continuatis decenniis, per totam vitam, summam obtinuerit Imperii: eamque ob causam posteriores quoque Imperatores licèt non ad certum tempus, sed ad vitam, Imperium iis esset delatum, id deinceps observâsse, ut singulis decenniis festum, pro ejus renovatione, agerent, quod *πανήγυριν δεκαετηρίδα* Xiphilinus, & *δεκαετῆ πανήγυριν* Eusebius vocat, *Orat. de Laudibus Constantini.* Sic Severus Imperator, Imperii hâc periodô decursâ, congiaria & annonas militibus distribuit populoque Circenses dedit, apud eundem Dionem; sic alii, apud alios, quam in rem quædam suprà jam diximus, ubi de *Decennalibus*. Sed postmodùm obtinuit, ut *Vota publica* pro Decennalibus feliciter auspicandis & ineundis ederentur cujusque decennii initiô, quod ex nummis potissimùm Antonini Pii colligitur, quorum alii, PRIMI DECENNALES; alii, SECUNDI DECENNALES, præferunt; alii, VOTA SOL. DECEN. II. alii denique, VOTA SUSCEP. DECENN. III. In aliis nudè extat, VOTA PUBLICA, ut Lucillæ L. Veri uxoris, Hadriani, Septimii Sev. Caracallæ, Macrini, Elagabali, Aliorum: in quibus omnibus sacrificium ferè semper effingitur, quòd *Vota* ejusmodi, pro salute Principis & Imperii felicitate, cum sacrificiis, initiô cujusque lustri aut decennii, exsolverentur, uti monet Car. du Fresne, *in Constantinopoli Chr.* ubi de Tribunali XIX. accubituum. Sic in gemma, quam habet *Dactyliotheca MS.* Lud. Chalucii, apud eundem, extat figura sacrificantis specie, cum *Inscr.* VOTA. SUSCE. VICE. i. e. *Vota sucepta Vicennaliorum* &c. His verò, sub Imperatorib. Christianis, abrogatis, reliquæ tamen solennitates servatæ, imò & novæ excogitatæ sunt, in quibus illa, ut offerrentur Imperatoribus ex more à Magistratibus munera, certa scil. aureorum solidorum vis, ab ipsis Principibus definita, quam in rem insignis extat *Epistola* Symmachi ad Valentianum Junior. *l.* 10. *Ep.* 26. Præterea edebantur Circenses, rei de carceribus eximebantur, agebantur Deo gratiarum actiones, & distribuebantur per civitates pecuniæ, ut habet Eusebius, *d. l.* Sed, quæ singulis decenniis concipiebantur priùs vota, posteà singulis quinquenniis exsolvi cœperunt: unde *Quinquennalium* vel *Quinquennaliorum votorum Inscr.* in nummis manârunt, ita ut Quinquennalium vota primô initæ dignitatis annô celebrata censeri debeant, Decennalium post exactum quinquennium, vel ipsô quintô exeunte annô, Quindecennaliorum exeunte decenniô, Vicennaliorum exeunte decimô quintô annô, & sic deinceps; vide suprà ubi de *Quinquennalibus*, *Tricennalibus* & *Vicennalibus*. Portò ex Nazarii *Panegyrico* videtur posse colligi, eum in Quinquennaliorum celebritate dictum fuisse; uti & alios: qui proin erant *publica* populorum *vota*, quorum edendorum gratiâ deligebantur Oratores diserti, qui in Principum laudes excurrerent, & felicia lustra vel decennia iis apprecarentur; votis ipsis in nummos relatis, in quibus voces FELICIA, FELICISSIMA, FELICITER, sæpe reperias additas. Qui mos ad Episcopos inde transiit, uti docent Viri eruditi. Imò obtinuit temporis processu, ut non *felicia* solùm, sed & *multa* voverentur *Decennalia*, ut in Constantini M. nummo, ubi scriptum VOTIS MULTIS X. & in alio, VOTIS V. MULTIS X. rursum in alio, X. MULT. XX. &c. unde *πολυχρόνιος* acclamatio videtur originem habuisse. Donec post extinctam Theodosii familiam, ejusmodi *Vota* nummis adscribi desiêre, uti docet Car. du Fresne, *Dissertat. de infer. ævi Numism. num.* 40. & *seqq.* ubi plura in hanc rem.

VOTUM S. Olavi, vide suprà *Census Eccles.*

VOTURI Galli, qui Galatiam quondam tenuerunt. Plin. *l.* 5. *c.* 32. & Solin. *c.* 43. *extr.*

VOX, contractè ex *voco*, *φθόγγος σημαντικὸς* Philosopho, *sonus significativus*, in brutis affectus, in homine animi sensa, exprimit. Non enim, nisi per prosopopœiam, ne rei, crimine admissô, posse latere se putent, etiam ipsis ædibus, in quibus id perpetratum, *vocem* Poëtæ tribuunt. Inter quos Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 103. *s.*

> *----- ----- secretum divitis illum*
> *Esse putas? servi ut taceant: jumenta loquentur,*
> *Et canis & postes & marmora -----*

Cui simile illud in Babylonios, & quosvis rapaces & violentos dominos, Habacuc. *c.* 2. *v.* 11. 12. *Lapis è pariete clamat & later è ligno respondet ei*, ad quem locum Bochartum vide, *Hieroz. Parte prior. l.* 4. *c.* 24. Et quidem de *Voce brutorum* pulchrè Plinius, *l.* 11. *c.* 51. quem vide, ut & hic passim. De *Voce hominis* idem *ibid.* sic: *Infantis in nascendo nulla auditur, antequàm totus emergat uterô. Primus sermo anniculo est. Semestris loquutus est Crasi filius in crepundiis: quô prodigiô totum id concidit regnum ---- Vox roboratur XIIII. annô. Eadem in senecta exilior: neque in alio animalium sæpiùs mutatur ---- In theatrorum orchestris scobe aut harenâ superjectâ devoratur, & in rudi parietum circumjectu, doliis etiam inanibus: currit eadem concavô, vel rectô parietum spatiô; quamvis levi sonô, dicta verba ad alterum caput perferens, si nulla inæqualitas impediat --- magnam habet vultus partem. Agnoscimus eam priùs, quàm cernamus; non aliter quàm oculis, totidemque sunt eæ, quot in rerum natura mortales, & sua cuique, sicut facies. Hinc illa gentium totque linguarum totô orbe diversitas: hinc tot cantus & moduli flexionesque. Sed ante omnia explanatio animi, quæ nos distinxit à feris, inter ipsos quoque homines discrimen alterum æquè grande, quàm à belluis, fecit.* Imo & divini quiddam *Voci* inesse, iisdem Gentilibus creditum, ut quibus *Voces* vel ex occulto missæ, vel responsi instar redditæ, suspiciones sæpe de variis moverunt eventibus, in utramque partem. Sæpe veridicæ exauditæ *Voces* in rebus turbidis & tanquàm monitu Deorum, acceptæ sunt, qualem Romæ ex luco Vestæ exitisse memorant, non multò ante captam à Gallis Urbem, ut muri & portæ reficerentur: futurum enim, nisi præstitum hoc atque effectum esset, ut Urbs caperetur. Sic, cùm maximas Urbs clades perpessa esset, & ancipiti contentione agerent Patres, an, relictô solô Patriô, Vejos migrarent: *Vox* Centurionis audita, *Hic manebimus optimè*, retinuisse in urbe cives & confirmâsse fertur. Hostilio Mancino Consuli an. Urb. Cond. 617. conscensuro navem & Numantiam petituro, *Vox* objecta de improvisô scribitur, *Mane Mancine*: ipse verò paulò pòst devictus & Numantinis deditus est, Crasso similiter in Parthos ituro, qui Cauneas ficus venales clamabat, omen illud fecit, quô paulo pòst fortunis exspoliatus omnibus, famâ, vitâ & exercitu amissis, interiit. Neronem paucis ante mortem diebus vox è Mausoleo reddita appellavit: Augustum Cæsar. supremô digressu ab Urbe *Vox* temerè emissa monuit, non ampliùs eum Romæ futurum, &c. Hinc Ovid. *l.* 15. *Met. Fab. ult. v.* 792.

Mille locis lachrymavit ebur, cantusque feruntur
Auditi, sanctis & verba minantia luco.

Lucan. *Pharsal. l. 1. v. 569.*

-- -- *Magnaque per avia* Voces
Audita nemorum.

Vide quoque Virg. *l. 1. Georgic. in fin.* Petronium *in Civil.* Plutarchum *de Isid. & Osirid.* &c. Plerunque verò *Voces* sinistri erant augurii, ut docent Cicer. *de Div. l. 2.* Halicarnass. *l. 7. in fin.* & *l. 8. in fin.* Euseb. *Præp. Evang. l. 5. c. 6.* Plut. *in Themistocle*, Alii. Latratus inprimis canum ejulantium gemitus imitantes, & noctuarum ululatus: Equos contrà hinnitu alacriore & ferociore fremitu victoriam ominari prælia ituris, etiam nunc militibus persuasum est, vide insuper Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 3. c. 9.* Dempsterum, *Paralipom. ad caput præc.* & plura hanc in rem suprà, ubi de *Divinatione*, *Ominibus*, *Oraculis*, ac *Sortibus*. Verùm quid illud, quòd ipse Deus humanam imitari *vocem* dignatus, voluntatem suam Sanctis suis revelavit, è cœlo, ex adyto, in visione, aliter, uti videre hic passim est, inprimis ubi de *Prophetis*, & *Prophetia*, nec non ubi de *Revelatione*, it. *Urim & Thummim.* Hinc nota *Filia Vocis*, quó nomine quoddam Oraculi genus intellectum Hebræi velint, vidimus *ibid.* Qua autem voce in aëre formatâ voluntatem mystis suis revelavit olim Deus, eam & voce humanâ, quæ nil nisi dentibus elisus aër est, primitus cum aliis communicari, & ad posteros propagari παραγγελθῆναι, nec Verbum suum nisi à Mose demum scripto comprehendi voluit, quem reliqui Viri Θεόπνευστοι, à quibus Canon conditus, postmodùm sequuti sunt. A' quo tempore mansit nihilominus vivæ voci suus in Ecclesia honos, ut quâ vox Dei *scripta*, à Prophetis, Evangelistis, Apostolis & Pastoribus ordinariis, *prædicari* ad finem usque seculi jussa est. Cujus doctrinam cœlestem tradendi modi quanta virtus, quanta efficacia sit, nemo meliùs expresserit Apostolo, ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, *fides est ex auditu*, dicente, Romanor. *c. 10. v. 17.* Atque, qui sic in cognitione mysteriorum divinorum instituebantur, dicebantur ἀκροαταὶ, item κατηχούμενοι. Quæ posterior vox cùm latè sumta hoc ipsum significet, quod diximus, nonnunquàm strictiùs accipitur significatque instituere vivâ voce in cognitione primorum fidei capitum, ut videre est Actor. *c. 18. v. 25.* coll. cum Hebr. *c. 5. v. 12.* Quam rationem instituendi post Apostolorum quoque tempora aliquot seculis in Ecclesia obtinuisse, ex multis Veter. scriptis Catecheticis patet. Indeque qui sic docebant, Κατηχηταὶ, qui sic discebant, Κατηχούμενοι, in quibus locis autem ea institutio fiebat, Κατηχούμενα & Κατηχουμενεῖα, dicta sunt, de quibus omnibus aliquid suprà; plura autem apud Cl. Suicerum, *Thesauro Eccl.* in his vocibus. Præter hunc verò & alius eximius *Vocis* usus est, in precando videl. seu orando. Quamvis enim etiam tacitas animorum cogitationes habeat perspectas Deus ac cognitas, unde ad Mosen quoque silentem, *Quid clamas ad me*, *dicebat*, Exodi, *c. 14. v. 15.* clara tamen vox, seu clamor, in oratione probatur, ad vehementiam & ardorem affectus nostri denotandum. Unde in Sacris *clamare* aliquando est, ardentissimó affectu Deum invocare, ut Exodi, *c. 8. v. 12. c. 14. v. 10. 15.* Matth. *c. 27. v. 46. 50.* inprimis Hebr. *c. 5. v. 7.* ubi ipse Dominus noster Jesus Christus dicitur μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς, *cum clamore valido*, obtulisse precationes & supplicationes &c. Sed & Pythagoras suos μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι, *clara voce precari*, jussit: cujus præcepti rationem explicans Clemens, *l. 4. Strom.* non hoc illum jussisse ait, quasi existimaret, Deum non posse exaudire nos, ἀλλ' ὅτι δικαίας ἐβούλετο εἶναι τὰς εὐχὰς ἃς οὐκ ἄν τις αἰδεσθείη ποιεῖσθαι πολλῶν συνειδότων, *sed quòd justas vellet esse preces, quas non vereretur quis fundere multis consciis*: qua de re alibi jam diximus, uti de profitendi *clarâ voce* Christum officio, fidelibus incumbente, suprà voce *Negatores*; & de aliis *Vocis*, in Foro inprimis & Scena, apud Gentiles, usibus, exercitiisque hinc, à prima jam pueritia, cui eô fine *primus Enodator vocis* adhibitus, in usum vocatis, suprà in hac ipsa voce, item ubi de *Phonascis*, *Phonascia*, *Porro*, & *Vociferatione*, nec non voce *Zarabotana*, ubi de instrumento, quô *Vox* secretò transmittitur ab uno extremo ad alterum in medio imperceptibilis, alibique passim: de *Fletu* verò, *Gemitu*, *Risu* suis locis. Addam saltem, apud Romanos aliosque *voce* ac plausu Imperatores consuevisse excipi: inprimis sub initia Imperii, vel cùm in Theatrum publicumque prodibant, vel ab expeditione revertebantur. Martialis, *l. 8. Epigr. 56. v. 5.*

Hic laurô redimita comas, & candida cultu
Roma salutavit Voce *manuque Ducem.*

Et, *l. 6. Epigr. 34. v. 5.*

Quaque sonant pleno vocesque manusque Theatro,
Cùm Populus subitò Cæsaris ora videt.

Qui ritus hodieque perdurat. Vide suprà ubi de *Acclamandi ritu* &c.

VOXUA, urbs in parte Orientali Niphoniæ, in Ochia region. 240. mill. pass. à Jendo in Boream cum regno cognomine. *Brietius.* Vulgo *Voxu.*

UPILIA, Dea viatum, apud Arnob. *adv. Gentes*, *l. 4.* *Ab erroribus viarum Dea* Upilia *liberat.* Sed *Vibiliam* legendum monent Eruditi, quod vide.

UPIS, apud Lacedæmonios Diana dicta est. Palæphatus, *c. 32.* Καλοῦσι τὴν Ἄρτεμιν Θρᾷκες Βένδειαν, Κρῆτες, δὲ Δίκτυνναν, Λακεδαιμόνιοι δὲ Οὖπιν. Callimachus tamen eam sic à Cretensibus appellari tradit in his:

Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι, φαεσφόρε, καὶ δέ σε κείνης
Κρηταιεῖς καλέουσιν ἐπωνυμίην ἀπὸ νύμφης.

Nic. Lloydius.

UPLANDIA, vulgò *Upland*, provinc. Suevoniæ, ubi urbes Upsalia & Holmia, caput Succiæ. Terminatur à Septentrione Gestricià, ab Ortu mari Baltico, ab Occasu Westmanniâ, à Meridie Sudermanniâ; abundans & propè culta. Ejus caput Upsalia, aliàs regni caput.

UPSALA, sive UPSALIA, vulgò *Upsal*, urbs Scandinaviæ Archiepiscopalis & Metropolis olim Suediæ, sive Succiæ ab Eugenio III. Pontif. Roman. erecta, olim regia; ab Holmia hodierna regiâ 36. mill. pass. seu 7. leuc. Succic. in Boream, recedens. Cum Academia insigni, 6. leuc. ab Arosia in Ortum, ad fluv. Salam, qui in lacum *Ekolen* influit. Urbi arx munitissima incumbit.

UPTONUS Nicolaus, vide *Nicolaum.*

UPUPA, Æschylo πετραῖος ὄρνις, *saxatilis avis*, aut *gallina*, Græcorum vulgo hodie ἀγριόπετεινος, ut Hesychio ἀλεκτρύων ἄγριος, *gallus sylvestris*, & Hebr. דוכיפת *duchiphath*, ubi alludunt ad *duc* & *cheph*, quorum illud Arabicè *gallum*, hoc Hebræis & Syris *petram* notat; vel quasi *gallus ominosus* aut *auguralis*: ratione scil. cristæ *gallus* dicitur, quamvis illa in gallo ex cartilagine, in *upupa* ex plumis constet; *sylvestris* verò, quòd in montium jugis & præruptis rupium sylvarumque recessibus, commorari soleat. Aliàs avis est tam portentosa, ut eâ visâ nemo non obstupescat: quippe

------ ----- *cui stant in vertice cristæ.*
Prominet immodicum prælonga cuspide rostrum,
Nomen epops volucri, facies armata videtur.

Ovid. *l. 6. Met. fab. 7. v. 672.* Unde Philocles, Æschyli ex sorore nepos, Comicus Poëta, quod capite sic acutô & fastigiatô esset, *upupa* cognomen tulit, teste *Suida.* Sed & eadem avis *auguralis* Hebraicè dicta videatur, quod illi, Magorum & Augurum veteri superstitione, inter oscines locum vel præcipuum fuisse nonnulli scribunt, inter quos Damir inprimis *c. De upupa proprio*, & Alkazuinius, Scriptores Arabes, videndi. Judæi quoque, qui inter alia, ab ea Salomoni oblatum שמיר *samir*, i.e. vermiculum, cujus virtute fissi fuerint templi lapides durissimi; eandemque ad Sabæorum Reginam pro Salomone legationem obiisse, & fontes in ima tellure latentes huic revelâsse, fabulantur. Vide quoque suprà *Ababilo.* Cæterùm inter aves immundas in Vet. Test. habita, ut quæ spurcissima est, & ex humano stercore nidum sibi comparat, ac rebus fœtidissimis vescitur, Aristot. *Histor. l. 9. c. 15.* Ægyptiis tamen in veneratione fuit, quos gratum indicantes animum *upupam* pinxisse, scribit Horapollo, *l. 1. c. 52.* διότι τοῦτο μόνον τῶν ἀλόγων ζώων, ἐπειδὰν ὑπὸ τῶν γονέων ἐκτραφῇ, γηράσασιν αὐτοῖς τὴν αὐτὴν ἀποδίδωσι χάριν. *Propterea quòd solum hoc ex mutis animantibus, postquam à parentibus educatum est, iisdem senio confectis parem refert gratiam.* Unde & Ælianus upupas αὐτὰς τὰς γεννησάσας εὐσεβεῖς, *erga parentes pias*, vocat, *l. 10. Histor. c. 16.* Imo & Indorum Reges amores & delitias suas *Upupam* facere, hanc manibus gestare, eâ se oblectare & nativam ejus venustatem summâ admiratione frequenter intuentes, magnam inde lætitiam voluptatemque capere consuevisse, legas apud eundem, *l. 16. c. 5.* Hodieque Mahometanis in veneratione, vide suprà *Rana.* Quod vero Aristoteles *upupam* in aliam avem mutari adeoque cum cuculo, mutatâ pro tempore formâ & colore, eandem esse credidit, ex Æschylo habet, inde deceptô, quod cuculus vere procedit, æstate discedit, quô tempore *upupa* apparere incipit. Versus Æschyli sunt,

Τοῦτον δ' ἐπόπτην ἔποπα τῶν αὐτοῦ κακῶν
Πεποικιλωκὼς καπεδήλωσεν ἔχει
Θρασὺν πετραῖον ὄρνιν ἐν παντευχίᾳ.

Ubi eleganter πετραῖον ὄρνιν ἐν θρασεῖ πανοπλίᾳ upupam vocat, propter plumarum varietatem, quæ vesti Thraciæ comparatur, variis pictæ liciis: Sed & notis compuncti Thraces & varias vestes gerebant. Upupa quoque cristam habet in capite, *contrahens eam subrigensque per longitudinem capitis*, Plin. *l. 10. c. 29.* qualem gerebant in galeis οἱ πάλαιοι Θρᾷκες, qua de re vide Salmas. *ad Solin. p. 238. & 239.* Nomen quod attinet Græcum Latinumque, ut aliorum originationes omittam, Varro à voce propria avis deducit. Videtur enim *epop* vel *upup* semper ingeminare. Hinc in fabulis habetur, Tereum in *upupam* mutatum, clamâsse ποῦ; ποῦ; *ubi? ubi?* ut insequentes solent, cùm Prognen & Philomelam insequeretur &c. Plura apud Sam. Bochartum, *Hieroz. part. prior. l. 2. c. 31. toto*, uti de instrumento fossorio, à similitudine avis hujus, *upupa* itidem dicto, supra voce Obpopa, it. *Pica.*

UR Chaldæorum, *Orche Strab. Orchoë Ptolem.* regio sub Babylonia, Abrahami Patriachæ patria: quæ aliter *Urie & Camarina*, ut ex Eupolemi opere, de Judæis Assyriis traditum est Eusebio, *Præp. Evang. l. 9. c. 17.* *Camarina, quæ Babylonia civitas est, ac quam nonnulli Uriem dicunt, id autem significare Chaldæorum civitatem.* Nempe eo spectat, quod sacerdotes Chaldæorum κατ' ἐξοχὴν Græcis dicerentur Χαλδαῖοι Chaldæis autem כומרין *Cumerin*, ut Hebræis כמרים *Comarim*: Unde & quartus ex Diis Samothracicis, qui Axiero, Axiocersæ & Axiocerso ministraret, nominatus est *Camillus* seu *Casmillus.* Ab eadem itaque origine est Camarina, quia in ea degerent *Cumerin*, i. e. Sacerdotes ac Philosophi gentis, vulgò *Chaldæi* vocati, quomodo Abraham dictus est reperisse τὴν Χαλδαϊκὴν, i. e. *Chaldæorum Philosophiam.* At eadem civitas *Ur* & *Uroe* nuncupata est, quod Ignis in ea coleretur sive cultus is proprius fuerit sive symbolicus. Sanè & regio tota ab eadem causa Ὀρχόη dicta est *Ptolemæo*; & fortè inde *Ur* nomen castello est Persico: Namque & Persis maxima in veneratione Ignis fuit. Sicut autem אור *Or*, est *lux*, *lumen*, *Sol*: sic אור *Ur*, significat *flammam*, *ignem*, *focum*, à quo Latin. *Uro* & Græc. πῦρ, ac German. *vuer* & *vier.* Hic natum esse Abrahamum, verisimile est, quando ex ea dicitur profectus, Genes. *c. 11. v. 31.* & Haran fratrem ibi mortuum constat, Ibid. *v. 28.* Imò & de eo fabellam hanc, apud Hieron. *Quæst. in Genes.* reperias:

rias: *Pro eo, quòd legimus, in regione Chaldæorum* [ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Χαλδαίων] *in Hebræo habetur* אור כשדים *Ur Chasdim, i. e. in igne Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi, ex hac occasione, istiusmodi fabulam. Quòd Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de Idololatriæ igne profugerit. Quod in sequentibus scribitur, egressum esse Tharan cum sobole sua de regione Chaldæorum: pro eo, quod habetur, de incendio Chaldæorum, quòd videlicet, ignem nolens adorare, igne consumtus sit.* Quam fabulam habes etiam in *Medras Haggada*, ac referunt etiam Salomon Jarchi & Moses Gerundensis. Vide Gerh. Joh. Vossium, *de Idolol. l. 2. c. 64.*

UR, fluvius intra Helvetiæ terræ limites. Genere fœmininô Celticè dicitur *die Ur*, posteà per elisionem diphthongi Celticæ *ie d'Ur*. *Ura* productè dicitur, quam longam literam cùm Germanica lingua non habeat, sicut nec Græca *Dur*, verterunt in *Daur*. Unde Romani, qui nobis omnia antiqua corruperunt nomina, *Taurum* vocârunt. At Helvetiorum lingua *Dur* pronunciat & regionem adjacentem *Durgow*. *Ur* fluvius immensum crescere solet, torrentis in morem, sed navibus non admodùm aptus est: infra majorem Rheni cataracten, qui sub Schafthusia est, Rhenum influit.

URA, locus ad Euphratem, in quo is reversus ad Orientem relinquit Palmyrenæ regionem, Plin. *l. 5. c. 24.*

URABA, vulgò quoque *Uraba*, tractus Terræ firmæ, in gubernio Carthaginis novæ versùs oram maris Borealis & sinus Urabæ. Ibi aliquot coloniæ Hispanicæ parvi momenti.

URABÆ Sinus, *Golfe d'Uraba*, pars maris Borealis in Austrum extensa; inter provinc. seu gubernium Carthaginis novæ ad Ortum & provinc. Terræ firmæ, ad Occasum juxta Urabam tractum.

URABOOS, i. e. *bovis cauda*, locus Cypri in ora Orientali inter Salamina & Carpasiam.

URACUM, urbs Ducatus Wirtembergici, ad Amerum fluv. Olim sub Comitibus, è quibus Egonis Comitis de Aurach vidua, Agnes filia Bertholdi Ducis Zeringensis nupsit Eberhardo I. Comiti Wirtemberg. Alii *Uracum* arcem ab Henrico Comite Furstenbergico venditam Ulrico filio Eberhardi perhibent: è cujus posteris Ludovicus fil. Eberhardi III. Ulrico juniori fratri cum Stutgardia, parte inferiori Principatus concessâ, superiorem partem obtinuit, Uraci sede electâ; hinc *Uracensis* lineæ auctor. Emit hic à Comitibus Helfensteniis, Balingam, Dutlingam & Blaubeuram, A. C. 1447. primusque monetam cudi fecit. Obiit A. C. 1450. Pater Eberhardi Barbati, cujus *in Palæstinam iter* A. C. 1468. descripsit Joachimus Mynsingerus à Froudeck. Fundavit hic Academiam Tubingensem, A. C. 1477. Aurei velleris equitibus ascriptus est, A. C. 1492. Ad cœnam, in Comitiis Wormatiensibus, à Principibus Saxoniæ invitatus, cùm reliqui varia de ditionibus suis prolixè jactarent, de hoc uno gloriatus est, quòd *in cujusvis subditi gremio dormire ausit.* Obiit A. C. 1495. Ejus sepulchro adstans Maximilianus I. Imperator. *Latere*, dixit, *in hoc tumulo talem Principem, cui sapientiâ aliisque virtutibus parem in Imperio nullum noverit.* Vide Naucler. *Vol. 3. gen. 50. p. 510.* E conjuge Barbara Gonzagea Mantuana, nullam reliquit prolem, sed naturalem filium habuit Ludov. à Greiffenstein juris Doctorem, Naucleri & Capnionis fautorem. Successit in ditionibus Eberhardus Junior è familia Stutgardiana, qui captivus Uraci obiit, A. C. 1519. pater communis lineæ Ducalis primæ & Montispelgardensis, seu Ducalis secundæ. Vide Phil. Jacobum Spenerum, *Syll. Geneal. Histor. in famil. Wirtemberg.*

URAGUS, Pluto sic dictus, non ab *urgendo*, ut quidam volunt, sed à Græco Οὐραγὸς dicitur, hoc est, qui in acie extremam agminis partem ducit. Unde non invenustè ad Ditem transfertur, qui postremum humanæ fabulæ actum excipit.

URAJA, Gothorum Dux, occisus à Theudibaldo Rege, qui pro-inde neci quoque datus est. Jornandes *de reb. Goth.* A. C. 540.

URANIA, una Musarum, Jovis & Mnemosynes filia, cui Astrologiæ inventio tribuitur: Pingitur cum veste cœrulea, stellis coronata, utraque manu ingentem globum tenens. Ovid. *l. 5. Fast. v. 55.*

Excipit Urania, tenuêre silentia cuncti.

Item Dea Punica, ab Heliogabalo in uxorem ductâ. Herodot. *l. 5. &c.* Sic enim Afri, ut & Orientales, ab loco & vi cælesti, *Lunam* vocârunt; non quasi Græcâ voce usi sint Libyæ vel Asiæ gentes, sed quia Grajô sermone sic illa vox redderetur, sicut Latini *Cœlestem* dixêre. Namque & nomen *Cœlestis* Deæ legas in veteri nummo Juliæ Soemiæ, quæ mater erat Heliogabali, natione Syra, ut mirum non sit, si Numen hoc ab ea fuerit cultum. Primi verò omnium hanc venerati sunt Assyrii: ab his accepêre Phœnices & Cyprii; ab illis Græci & Afri. Vide Pausaniam *in Atticis.* Nec obstat, quòd *Uraniæ* nomine alii Junonem intelligant, & Athenis fuerit Veneris Οὐρανίας Templum, namque ad Lunam hæc fœminea Numina facilè reduci, diximus suô locô: quemadmodùm Astarte eadem Phœnicibus dicta est. Namque *Astarte Urania idem omnino valet apud Phœnicas, quod Juno Lucina, apud Latinos.* Vide Augustin. *super Judic. quæst. 16.* & prolixè atque accuratè de *Uraniæ* hujus cultu disserentem Gerh. Joh. Vossium, *de Orig. & progr. Idolol. Gentil. l. 2. c. 21.* ut & suprà, ubi aliquid diximus de *Regina cœli.* Addo saltem, quòd Helenæ stellam *Uraniam* quoque dictam esse, ex Lutatio observat Casp. Barthius, *Animadversion. Papin. ad l. 7. Theb. v. 792.*

URANIA & Aporraxis, apud Pollucem, pilæ parvæ ludorum species sunt, in quibus scilicet sese reclinantes pilam in cœlum projiciebant, & antequàm terram attingeret excipiebant. Vide Hier. Mercurialem, *de Arte Gymn. l. 2. c. 4.* & suprà, ubi de *Pila* ac *Sphæristica.*

URANIBURGUM, castrum splendidum, Daniæ in Huena Insula in Sundico freto, inter Seelandiam ad Occasum & Scaniam ad Ortum. Extructum à Tychone Brahe, nobili Dano, Mathematico percelebri. Nunc ferè collapsum. Vulgò *Uranienburg.*

URANII, seu URII, populi Helvetiæ, Tauriscorum tradux. Fuêre autem Taurisci Romanis dicti populi Inalpini, de quibus Polyb. *l. 2.* Nominis origo ab Uro, bove sylvestri est, cujus caput Aborigines eorum, insignium locô habuerunt: unde hodieque in bellis ingens cornu inflant, quod munus qui obit, incolis *der Stier von Uri* dicitur. A. C. 555. Gothorum à Narsete devictorum pars Uriis se junxit, Procopiô, Agathiâque testibus, & ad nostra usque tempora manet Gothicæ apud gentem originis opinio. Re dein contra Saracenos præclarè gestâ, *αὐτονομίᾳ* cum Suitiis, Unde Waldiis & Haselensibus, à Ludovico Pio Imperatore & insignibus à Pontifice donati sunt. Cùmque prius ad præfecturam Tigurinam regio pertineret, postmodùm jus hoc à Ludovico II. Abbatissano cœnobio, quod Tiguri est, in gratiam filiæ Hildegardis primæ Abbatissæ est concessum: salvis nihilominus Uraniorum immunitatibus, quibus proprius Landammannus & Consilium semper fuit. Rerum tamen criminalium judicium penes Imperatores erat, qui, sicut in reliquos pagos, ita huc quotannis Præfectos miserunt, qui jus dixêre. Præterea Dominis Rupertivillæ, & Comitibus Homburgiis olim aliquid hìc juris fuit. Primus cum Suitiis & Subsylvanis eos in amicitiam illexit Rodolfus Comes Habspurgicus, qui posteà Imperator factus est, sub cujus ductu latis bene se res habuerunt: postquàm jam A. C. 1251. cum Tigurinis & Suitiis, post excessum Friderici II. fœdus ferilient. Nobilitatem postmodùm bonis infestam, circa A. C. 1260. finibus pepulerunt, tum primùm aditibus regionis muniendis intenti. Post Rodolfum, sub filio ejus Alberto principatum in Helvetiis moliente, Geslerus Suitiis Uriisque missus est præfectus, qui prope Altorffium arce apud hos extructâ *Zwing Uri under die Stegen*, præter innumera alia tyrannidis intolerabilis facinora; Altorffi in foro, pileô prælongæ perticæ impositô, cui ab omnibus reverentiam exhiberi voluit, patientiam populorum ultimô experimentô tentare statuit. Verùm hoc ipsô viam ad libertatem oppressis stravit, quam Walthero Furstio unius ex libertatis Helvetiæ Triumviris, ex Uriis oriundi, cum Arnoldo Melchtal, & Wernhero Stauffachero fœdus A. C. 1307. initum & Guiliel. Tellii similiter Urii felix sagitta, brevi pepererunt. Ad Uriensem ergo lacum locô *in Grütli* delectô, tres fœderis Principes convenêre, & re maturè deliberatâ, domum reversi, alios in fœderis societatem pellexêre: Sic arces A. C. 1308. Kalend. Jan. eversæ, & libertas pagis restituta est. Factum dein à tribus Pagis in decennium fœdus, demum A. C. 1315. post debellatos Morgatensi prælio Austriacos, in perpetuum versum est. À quo tempore Uraniis omnia cum reliquis Helvetiis, inter quos quartus illis locus, communia esse cœpêre. Sunt ex populis, qui Sylvestres seu Vallium civitates, vulgo *die Lander* dicuntur, & Latinis ritibus adhærent. *Uria* enim nec urbs, nec oppid. est, sed vicatim habitata regio: difficili inter montes aditu, nisi illum navigiis, vel per montem Gothardi, & id latis periculosè tentes. Viros habet prudentes, acres & verè animæ contemptores, ubi pro justitia dimicandum est. Dividitur regio in 10. partes, quas ipsi vocant *Gnossamenen*, quasi participationes, è quibus ad annuos conventus gentisque concilium, quod primâ Dominicâ Maî celebrari solet, sub præside *Ammanno*, senatores vocantur. Imponunt Urii Lepontinæ valli trans Alpes præfectum: cumque duobus aliis pagis trans easdem Bilitionum, Brenniam vallem & Rivieram regunt. Præterea Ursam Viberi, Gotthardi montis accolæ, Uriorum imperium agnoscunt: Cætera cum 7. & 8. veter. item cum universis Pagis varias alias Præfecturas communes habent. Vicus princeps *Altorffium* est, quasi vetus vicus, ita pollens ædificiis, & plateis lapide sectô stratis, ut ab oppido nihil differat, nisi quòd careat mœnibus. Vide plura apud Stumpf. *de Turgovia*, c. 26. Jos. Simlerum, *de Republ. Helvet.* Joh. Baptist. Plantinum, *Helv. Nov. Antiq. &c.* Egregiam hanc gentem Henr. Glareanus hôc *panegyr.* prosecutus est:

Uria post ingens Taurisca gente creata
Progenies Gallorum antiqua, per ultima belli
Fortunæque pericla, in has compulsa latebras
Delituit multis annis, ignobile fessa
Otium agens, donec claris Habsburgius Heros,
Ductor in Helvetiis multâ virtute Rudolfus,
Surgeret Ausonii præcelsa in culmina regni,
Ad veteres rediit mores; sunt robora prisca,
Atque eadem virtus, eadem est audacia membris,
Nemo ibi major bellô, nemo acrior armis:
Hæc nostri fons imperii, quæ prima tyrannos
Corripere est ausa, & volitanti plectere ferrô.

URANIUS, Presbyter Ecclesiæ Nolensis, scripsit *historiam mortis S. Paulini*, seculô 5. Isidor. *de illustr. Scr. c. 4.* Item Scriptor in Arabia, Stephan. Byzant. Item, Tyrannus, sub Alexandro Severo. *Zosimus.*

URANIUS, Historicus, de quo vide Vossium, *de Histor. Græc. l. 3. p. 422.*

URANOBOSCÆ, dicti sunt Eunomius, Aëtius & Theophilus Æthiops, Euzoio Arii primùm συναιρετιστῇ, posteà ejus & asseclarum hosti facto, sub Valente Imp. in Synodo Antiochiæ, faventes, uti quidem docet Philostorgius, *l. 9. tom. 3. p. 120.* Græcè Οὐρανοβόσκοι, quasi *pascua cœlestia incolentes*, pari ironiâ, quâ Ματαιολέσχαι, Gothofredus. Suicerus tamen Οὐρανοβάται legi vult, sicque per ludibrium fuisse vocatos, quòd gloriarentur, sibi ipsam Dei οὐσίαν esse perspectam, docet *Thesauro Eccl.* voce Γνῶσις, item Εὐνόμιος. Vide de quoque eorum, suô locô: at de pisce Οὐρανοσκόπος, suprà, voce *Callionymus.*

URANOPOLIS, Pamphyliæ urbs Episcopalis. *Ptolem.* Alia *Uranopolis*, oppid. Macedoniæ sub monte Atho, ab Alexandro Cassandri fratre conditum, Plin. *l. 4. c. 10.* Alia etiam Galatiæ, ex *Lib. Concil.*

URA-

URANUM, oppid. Istriæ, nunc *Castellaium*, seu *Castellerium*.

URANUS, pater Saturni, (Cœlum Latini vocant) cui filius virilia dicitur excidisse, quæ in mare projecta, & fluctibus agitata, spumas ediderunt, ex qua Venerem natam volunt.

URATHINÆ, Indiæ extra Gangem urbs. *Ptol.*

URATISLAVIA, German. *Breslaw*, an *Budorchis*, *Ptolem.* Caput Silesiæ, urbs ampla, in Ducatu Vratislaviensi, ad Oderam fluv. A' Mieslao, Duce Poloniæ extructa, pauló ante Christi 1000. Ann. Episcopus sub Archiepiscopo Gnesnensi, cum Ecclesia Cathedrali, à Casimiro, Poloniæ Rege A. C. 1041. institutus est, qui tantopere increvit, ut *Aurea* dictus sit. A. C. 1341. die 7. Septembr. urbs penè tota exusta est, posteà à Carolo IV. Imperatore reædificata, ut hodie nulli German. civit[illegible] cedat. Distat 20. milliar. à Gorlitio in Ortum, 10. à confinio Poloniæ, 10. infra Oppolium in Circium, Glogaviam versùs 15. uti 35. à Cracovia in Circium, Berlinum versùs 40. Hic, in canum campo, Boleslaus Poloniæ Princeps, ab Henrico V. Imperatore victus & ad tributum ac sacramentum adactus est. Fuit olim sub Principibus propriis, è familia Piastea. Vide Michov. *l.* 3. *c.* 51. Cromer. *l.* 8. Longinum, Spondanum, &c.

URBA Salvia, oppid. olim *Ptolem.* excisum ab Alarico Rege nunc vicus Piceni, *Urbisaglia*, in ditione Pontific. juxta Chientum fluv. 6. milliar. à Tolentino in Ortum. Firmum versùs 18 & 5. à Macerata in Meridiem.

URBA Vicus, seu castrum pagi Transjurensis, 18. mill. pass. circiter à lacu Lema, ad Urbam fluv. Gallis *Orbe*, incolis *Orbach*. Fortè prius *Tabernæ*, ut Valesius, vel *Tavelles*, ut Plantinus vult, qui ex Vaudi Chronicis, olim ab Alemannis constructum, cùm hanc Helvetiæ oram occupâssent, dein illis ab Helvetiis profligatis, destructum ac dirutum, idque jam ante Cæsaris tempora, refert. Hanc *Urbam* Urbigeno pago *tanquam caput olim ejus*, *cui Aventicum successerit*, nomen dedisse, eandemque cum *Orba* hodierna 18. mill. pass. Lausannâ distante, statuit Guillimannus; sed oppidum hoc ad Tilam, fluvium non procul inde è Jura erumpentem, ponit. Oritur autem fluv. *Urba* è lacu quodam, & alluens Lacum *le Lieu*, locum magno lacui adsitum, Jutam Abbatiale Monasterium Joux, Vallem Urbæ *Val Orbe*, castrum Ebredunum *Iverdon*, ad caput lacus Ebredunensis, dein in Arolam defluit. Vide Hadr. Valef. *Notit. Gall.* Johan. Bapt. Plantinum, *Helv. Nov. Antiqua*, *&c.* & in voce *Verbigenus*.

URBANEA, vulgò quoque *Urbania*, urbecula Ducatus Urbinatis, aliàs *Castrum Durantium*, anteà *Tifernum Metaurum*; recens Episcopalis facta, sub Archiepiscopo Urbinate, & sic ab Urbano VIII. sic dicta Ejus Episcopatui unitus est Episcopatus S. Angeli in Vado, 7. mill. pass. ab Urbino in Africum, Tifernum Tiberinum versùs 8. circiter.

URBANI, Græcè ἀστεῖοι vel εὐτράπελοι, homines dicebantur Romæ elegantis ac faceti ingenii, qui dictis & salibus suis, risum non tàm captarent, quàm exprimerent, idque cum moderatione quadam; & habitâ non personarum modò, sed temporis etiam & verborum ipsorum ratione: ita ut tristibus & parùm politis hominibus, quales ruri sæpiùs aut nascuntur aut fiunt, opponerentur, quos ideo Græci ἀγροίκους ac [illegible] appellant. Sic Heraldus *ad Martialem*, *l.* 1. *Epigr.* 42. *v.* 1.

> Urbanus *tibi Caeili*, *videris.*
> *Non es*, *crede mihi*: *quid ergo? Verna es.*

Gronovius contrà *Urbanorum* nomine apud Livium aliosque vult intelligi homines humiles & nullius negotii, quibus per Tribus divisis campum corrupit App. Cæcus apud Livium, *l.* 9. *c. ult.* Et inde appellat *humiles urbanos* Liv. è qua nota circumforanei, subrostrani, subbasilicani, canalicolæ, umbratici, qui penè totò die πλήθουσαν ἀγορὰν faciebant, adeoque assiduè Forum terebant & Urbem tenebant, ut nec ruri nec militiæ unquam agerent: quos *Urbanos assiduos* cives vocat Plautus, *Trinummô*, *Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 162.

> *Nihil est profectò stultius*, *neque stolidius*,
> *Neque mendaciloquius*, *neque per perjurius* &c.
> *Quam* Urbani *assidui cives*, *quos Scurras vocant.*

Ex eodem genere Advocati illi Pænuli Plautini, & Advocati nocturni Petronianæ scenæ, & divisores sequestresque, apud Ciceronem & operæ Clodianæ & præcones, salutigeruli, anteambulonesque, cœnarum & sportularum sectatores, tum parasiti, omne denique genus otiosorum. Inter quos erant homines naturâ dicaces & ad quævis dicteriis promti, non in tempore & cum causa, & ut proficerent aliquid in suscepto negotio, (quibus rebus Oratorem facetum à scurra separat Cicero) sed, ut ridiculi viderentur, & totum diem & sine causa: Quidam, quod ingenio deerat, impudentiâ & consuetudine supplebant: clientes Regibus supparasitati & vel testimonium falsum perjuriumque præstare sueti, quosvis alios probris inverecundè lacessere: inter sese & alios risum tam præbere, quàm captare: apud sordidam plebem, quia quotidie occurrebant, & admiratione ingenii & insectatione bonorum conspecti & grati, eoque miscere cœtus gnari ac faciles. *Mostellar. Actu* 1. *Sc.* 1. *v.* 14.

> *Tu* Urbanus *verò scurra*, *deliciæ popli.*

Unde *Urbanus* pro *scurra*. Sueton. *Jul. c.* 20. *Ut nonnulli urbanorum*, *cùm quid per jocum testandi gratiâ signarent*, *non Cæsare & Bibulô*, *sed Juliô & Cæsare Coss. actum scriberent.* Et vicissim *scurra*, pro *urbano*. Plaut. *Truculentô*, *Actu* 2. *sc.* 6. *v.* 10. ---- *Quem scurræ laudant*, *manipulares mussitant.* Hi itaque saniori parti civium meritò contemnebantur, ex prisco instituto, quum *vera Romuli proles*, ut ait Columella, *præf. l.* 1. *RR. assiduis venatibus*, *nec minùs agrestibus operibus exercebatur & rusticam plebem præponebat urbanæ: quum Proceres civitatis in agris morabantur & ubi consilium publicum desiderabatur*, *è villis arcessebantur in Senatum.* Unde honestum nomen plebeji ordinis, *Rustici Romani*, vide suprà & in Optimatum, h. e. qui consilia sua optimo cuique probari vellent, secta collocati. Cicer. *pro Sextio.* Plura apud Salmas. *ad Pollionem in Tetrico Sen. c.* 24. Gronov. præfatum *de Pecun. vet. l.* 4. *c.* 9. Facit huc, quòd Scaliger multitudinem dividens in Agrestem, *Urbanam* & Militarem, Urbanam supinam, pavidam, tumidam, mollem, ignavam, verbis quàm factis promtiorem, luxu atque otiò feram, superbam non resistentibus, demissam instantibus, esse docet, *Poet. l.* 3. *c.* 13. De *Urbanis* Tribubus quatuor, in quas transferri ignominiosum erat, diximus suprà ubi de *Tribubus*.

URBANISTA, in Gallia, Moniales S. Claræ, quibus prædia possidendi jus est, dictæ ab *Urbano* V. Pontifice Romano, à quo Regulam accepêre, memorantur Richelieto, *Diction. Gall.* ubi laudat Abbatis Patru *le Plaidoyes Urbanistes*.

Pontifices Romani.

URBANUS I. Episcopus Roman. post Calixtum I. A. C. 224. gente Romanus; sæpiùs proscriptus, tandemque sub Severo Imperatore captus, pertulit liventis verbera plumbi, & jussus Marti thura dare, in facies Deorum expuit: proin securi percussus A. C. 231. Hunc Jovianus excepit. Euseb. *in Histor.* Baleus *in Urbano* I. Successit Pontianus.

URBANUS II. dictus *Odo*, Gallus, successor Victoris III. A. C. 1088. tempore schismatis, cui Antipapa Gilbertus ansam præbuit. Ab hujus factione, urbe pulsus in Galliam se recepit, ubi varia celebravit concilia: Claromonte inprimis, ad recuperandam Terram sanctam. In Italiam dein reversus, obiit Romæ, A. C. 1099. Baron. *in Annal.* Eum excepit Paschalis II.

URBANUS III. cui nomen, *Lambertus Crivellus*, successit Lucio III. A. C. 1185. Obiit A. C. 1187. auditô, de captis ab Saladino Hierosolymis, nuntiô. Duchesnius & Massonius, *in vit. Pontif.* Sequutus est Gregorius VIII.

URBANUS IV. Trecensis, nomine *Jacobus Pantaleo*, obscurô genere natus, successit Alexandro IV. A. C. 1261. Crucem contra Manfredum, qui se Siciliæ Regem fecerat, Pontificibus infestum, sumi jussit. Dein Orvetum secedens, Carolum Comitem Andegavensem & Provinc. in Italiam vocavit, utriusque Siciliæ Regem illum facturus. Festum posteà Corporis Christi, in gratiam suæ Evæ, an, quia in Longobardia sacrifico incredulo sacris operante, sanguis ex hostia profluxerat, instituit. Obiit A. C. 1264. Scripsit *relationem Terræ S.* quâ Adrichomius ad theatrum suum Terræ S. usus est; Item *Volumen Epistolarum*, *Paraphrasin Psalmi* 51. &c. Vide Joh. Balæum, Platinam, Papyrium, Massonium, Onuphr. Ciacconium, &c. *in ejus vita.* P. Æmylium, *l.* 7. *&c.* Ei successit Clemens IV.

URBANUS V. Gallus, nomine *Guiliel. Grisaeus*, filius Grimoardi. Successit Innocentio VI. A. C. 1362. Avenione, ubi tum sedes erat. Barnabam Mediolani tyrannum, aliosque Italiæ Magnates, in subditos acriter sævientes, armis compescuit. Hinc in Italiam, populi rogatu, & Petrarchæ literis invitatus, Romam venit A. C. 1367. rebusque compositis, Avenionem rediit, A. C. 1370. Obiit pauló pòst, An. ætat. 61. Hic rosam consecratam excogitavit, & Johannæ Apuliæ Reginæ donô misit: Agnos item cereos finxit, illis magnam vim attribuens. Mornæus *in myst. iniq. p.* 1060. Duchesn. *in ejus vita*, *&c.* Successit ei Gregorius XI.

URBANUS VI. nomine *Bartholomæus Pregnanus*, Neapoli oriundus, ab Italis, ut Romæ Papam haberent, Gregorio XI. surrogatus est, clamantibus: *Volemo un Papa Romano*, *o vero Italiano*, & Cardinalibus congregatis minantibus, multis lignis congestis, se, ni desiderio suo satisfieret, illos exusturos. A. C. 1378. Cùm interim diversa factio Avenione Clementem VII. elegisset. Hoc initium horrendi schismatis; Illi Italis, Germanis, Anglis, Lusitanis: huic Gallis, Hispanis, Apulis adhærentibus. Unde diræ mutuæ: dum quisque alterius *sectatores extra viam salutis esse ajebat*, *canes*, *incredulos*, *infideles* clamitans. Froissard. *l.* 2. *c.* 132. 133. *&c.* Urbanus post electionem, ferox & superbus, Johannam Neapolitanam Reginam, quòd Clementem honorificè excepisset, excommunicavit, invitatô Ludovicô Hungariæ Rege ut Carolum Dyrrachinum contra illam cum copiis mitteret: Quoque similiter Richardum adversus Gallum excitaret, prodigiosas indulgentias promulgavit. Ludovicô Duce Andegavens. à Johanna hærede scriptô, ipse Carolum Parvum ei opposuit, sed hunc excommunicatum contra se ire audiens, Genuam aufugit, A. C. 1385. Cardinalibus 5. annô pòst necatis, Jubilæô ad 33. annos contractô, festô Visitationis institutô, obiit A. C. 1389. Scripsit *Historiam Episcoporum Barensium.* Theod. à Niem *Hist. Schismat.* *&c.* Eum excepit Bonifacius IX.

URBANUS VII. Romanus, nomine *Joh. Baptista Castaneus*, excepit Sixtum V. Hic in Concilio Tridentino Calicis acer oppugnator fuerat, adeo *ut petitionem eam hæreseos introductionem sapere*, diceret. Petebant autem illius usum Carolus IX. Ferdinandus I. Imperator, Albertus Bavariæ Dux, &c. Petr. Suavis, *in Hist. Concil. Trid. l.* 6. Decimô quintô ab electione die extinctus, A. C. 1590. Cicarella, Ciaccon. &c. *in vita ejus.* Successit Gregorius XIV.

URBANUS VIII. nomine *Maffeus Barberinus*, surrogatus est Gregorio XV. A. C. 1623. Princeps eruditione singulari, Ducatum Urbinatem sedi Romanæ junxit: in lite, quòd Jesuitæ in Gallia, è Kalendario S. Germano eraso, Ignatium suum substituissent exorta, decrevit, *Si simul stare non possent*, *expectare debere Ignatium annum bisextilem*, die intercalari illô donatô. Marc. Antonium de Dominis, in carcerem S. Angeli detrusit: in Regem Galliæ, ob Vallem Telinam insurrexit, adeò nil curante ejus iram Rege, ut Antonii Santarelli librum Romæ contra se excusum, à Sorbona flammis publicè exuri pateretur, Parlamenti decretô. Ei tamen de Ru-

pella

pella expugnata gratulatus est, cui triumpho Josephus Hallus Episcopus Exoniensis egregium scriptum opposuit. Legatis in Hispaniam, Galliam, Germaniam missis pacem persuadere, sub Ferdinando III. Imperatore verbis conatus, reipsâ Cæsari pecuniam ingentem, ad bellum continuandum summisit. Obiit A. C. 1644. sedis 21. ætat. 76. Jac. Revius *in Urbano VIII.* Scripsit *Hymnos*, *Paraphrases aliquot Psalmorum*, & *Canticorum Vet. Test. Epigrammata*, *Poëmata alia Latinè & Italicè*, *Decreta*, &c. Successit Innocent. X.

URBARA, Mauritaniæ Cæsariensis oppid. *Ptolem.* Nunc *Calaa* seu *Calat Hoaora*, intra montes, in regno Tremisino.

URBATA, Pannoniæ urbs, *Antonin.*

URBEVETANUS Tractus, *il territorio d'Orvieto*, pars aliàs Hetruriæ, nunc sub Pontifice inter Umbriam ad Ortum, agrum Perusinum ad Boream, & provinc. Patrimonii ad Meridiem. Ejus caput est Urbs vetus, seu Oropitum & Orivetum, vulgò *Orvieto*.

URBI, Indiæ populi. Plin. *l. 6. c. 23.*

URBI Præfectus, vide *Præfectus Urbi.*

URBIA, fluv. Galliæ, regnum olim Chilperici à Regno Guntchramni divisit, à quo pons *Urbiensis* flumini impositus, in agro Parisino. Hîc Chilpericus præsidium posuit, ad transitu arcendos insidiatores, si qui à fratre summitterentur. Hodie vulgò *Orge*, Valesio: qui vicum S. Maximæ, *S. Mesme*, Dordingum, *Dourdan*, & Castra alluit, ibique Remandam recipit, *Remande*, ad quem sunt Rumbelitum, *Rambouillet*, vicus St. Arnulfi in Aquilina sylva, *Saint Arnoul en Iveline*, ac Bruetiæ Castellum; *Bruieres le Chastel.* Tum *Urbia* Campum lupi, *Chantelou* vel potiùs *Champdelou*, Brittonariam *Bretonniere*, Lupi Villam *Leuville*, Spinetum vulgò dictum *ad Ordeam*, *Espinay sur Orge* Gallis nuncupatum, ac villam Messium, *Ville moison* præterlapsus, augetur rivô vel amniculô ex Marcociis, Linais, (*Linas*) ac Longo Ponte decurrente. Inde ad Minorem Vallem (*le petit Vaux*) Ivetam amnem admittit, *Ivette*, qui Donnampetram *Dampierre*, ad S. Ferreolum *Saint Forgel*; Capellam Milonis *la Chapelle Milon*, Caprosiam *Chevreuse*, Gif Monasterium, Bures, Orcenum *Orsay*, Palatiolum *Palesçau*, Villam Bonam *Villebon*, Montem Gemellum, *Lonjumeau*, Majorem Vallem *le Grand Vaux* attingit, atque apud Sabiniacum vicum non ignobilem in *Urbiam* influit. His auctus aquis *Urbia* paulo infra Gevisiacum *Juvisy* in Sequanam evolvitur. *Pons* igitur *Urbiensis civitatis Parisiacæ* apud Gregorium, vel *Pons Urbiæ fluvii* videtur esse Sabiniacum ad *Urbiam*, *Savigny sur Orge*, vicus pagi Parisiaci, ubi pons *Urbiæ* est hodieque impositus: de quo ceu de re contemnenda Gallorum est verbum, *le Pont de Savigni en l'air*, aliàs *len lere.* Nisi si malumus *Gevisiacum*, ostio confluentibusve *Urbiæ* ac Sequanæ proximum, *Pontis Urbiensis* nomine à Gregorio designari, *Notit. Gall.*

URBICARIA, absolutè nonnunquam, aliquando *Urbicaria Regio* seu *Provincia*, dictum olim territorium *Urbis* Romæ, seu regiones, quæ urbi circumjacebant ac Præfecto Urbis suberant, eundemque cum urbe Rationalem rei privatæ habebant: quibus oppositæ Annonariæ Regiones, quæ *Italiæ* nomine, Urbi contradistinctæ, aliquando veniunt. Græcè ἡ πόλις καὶ ἡ περὶ πόλιν χώρα vel ἡ περίχωρος, Latinè aliter *Romana Regio.* Mentio *Urbicariæ Regionis* in Cod. Theodos. quæ & *Suburbicaria* appellatur in eod. *leg.* 12. *de Indulg. deb.* ubi Picenum & Tuscia eò referuntur, quorum illud in *Notit.* quoque Imperii *suburbicarium*, at in *Notis liter.* Petri Diaconi, Magnonis & Papiæ, *orbicarium* corruptè pro *urbicario* dicitur. Quousque autem se hæc regio extenderit, vide suprà ubi de *Annonaria*, & *Romana Regione*, item voce *Banleuca.* Atque uti hæc regio jurisdictioni Præfecti Urbis suberat, sic urbis olim Episcopus diœcesin suam habuit urbicariarum provinciarum limitibus definitam ac circumscriptam. Unde Episcopum Romanum, *Episcopum Urbicum* Cyprianus, *Epist.* 4. Zepherinum, ejusdem urbis Pastorem similiter Optatus Milevitanus, & Presbyteros Romanos *Sacerdotes urbicos* Ambrosius, *Ep.* 34. appellant, uti discimus ex Car. Macro *in Hierolex.* ubi *sex Episcopatus esse dignitati Cardinalitiæ annexos, quorum jurisdictio ad suburbana Romæ loca antiquitus fuerit extensa*, ex Ciacconio addit. Vide plura de Regione hac Urbi vicina, apud Salmas. *Not. ad Treb. Pollionem in Tetrico Sen. c.* 24.

URBICUA, Hispaniæ Tarraconensis urbs. Liv. *l.* 41. *c.* 16. Hodie *Arbecha* Beutero & Clusio dicitur; Albonicæ proxima, 88. mill. pass. à Cæsaraugusta in Merid. Item Catalauniæ, 4. leuc. ab Ilerda.

URBICUS, Romæ sub Antonino Philos. præfectus. Vide & *Pompejus.*

URBICUS, Hispan. fluv. apud Augustam Asturicam fluens. *Orbego Morali.* Parvus, in regno Legionis, *Baudrand.* Oritur ex montibus Asturiæ; dein in Austrum tendens, Asuram fluv. juxta Asturicam profluentem recipit, & posteà in Estolam cadit.

URBIGENUS Pagus, nunc *Argovia*, secundùm Guillimannum, unus ex 4. pagis Helvetiæ antiquis, Cæsari, cum pago Tigurino memoratus, *l.* 1. *c.* 12. nomen accepit ab *Urba* fluv. vulgò *Orbe*, pagi Ultrajurani villam *Urbam*, cujus Fredegarius, c. 4. meminit, quæque 18. mill. pass. Lausannâ abest, alluente. Habebat fines, ab Occasu æstivo Juram montem & Genevam, ad fontes usque Birsæ amnis; à Meridie totam dextram Lemani ripam; ab Ortu fluvium Sonam & Arolam ad Telæ usque confluentem. Caput ejus olim Urba, posteà Aventicum fuit, unde Aventicensis pagus Urbigeni portio est: Pro partium diversitate, nomina ei diversa. Circa Burghdorffium oppid. & Salodorum, *Imburgeden* & *Burgenthal*: prope Emmatiam fluv. *Emmenthal*: à Vitlisbachia Oltam usque, *Buchsgovia*, ab arce *Buchsen*: Circa monaster. Muri *Vagenthal* & libera Præfectura, itemque *Rusthal*, sive vallis Ursæ: Apud Silvanios infra sylvam *Surichgovia*, à fluv. Surina, circa Friburgum *Uchtlandia*, Neocomo Salodorum usque, *Salgovia* &c. dicitur. Habuit olim proprium Episcopum, cujus sedes Vindonissæ erat. Joh Baptista Plantinus, *Helv. nov. antiq.* Guillimannus &c. Cluverius aliique *Urbigenorum* nomine *Urbæ* amnis accolas, seu Urbenses, Friburgenses & Bernates designari volunt. Ejus oppida Berna, Friburgum, Solodurum, Aquæ Helveticæ, Bremogardia, Tobinium, Aventicum, &c. Ibidem Comitatus Lentzburgiorum, Aquensium, Habsburgiorum, Franc. Guillimannus, Otw. Molitor &c. Vide quoque in voce *Aventicum*, it. *Urba.*

URBINIA, Virgo Vestalis amissæ castitatis ergò viva defossa est, an. Urb. Cond. 282.

URBINUM, Italis *Urbino*, Gallis *Urbin*, Italiæ oppid. Archiepiscopale in Umbria, ad Isauri fontes 20. mill. pass. à Pisauro in Africum, 25. ab Arimino in Merid. 7. à Tiferno Metauro in Cæciam. Patria Raphaëlis Sanctes, pictoris excellentissimi. De Urbinate quodam, in agro Reatino, à militibus ob necem conquisito, refert Cœl. Rhodiginus, servum cum habuisse heri adeò amantem, ut is ejus vestibus & ornamentis indutus se in cubile receperit, ibique locô heri interfici sustinuerit: statuam proin à grato heri animo meritus. Caput est Ducatus *Urbinatus*, vulgò *Ducato di Urbino*, incolis *il Stato*, qui pars est Italiæ, ubi aliàs Vilumbria seu Umbria trans Apenninum, ex parte. Anteà sub Ducibus propriis è gente Roborea, quæ in Franc. Maria desiit. Hic Urbano VIII. etiamnum vivus ditionem cessit. Partes Ducatus Urbini sunt, Comitatus Montisferetrani *Contado (di Montefeltro)* Comitatus Eugubii *il Contado o territorio di Gubio*, Pisauri Dynastia, *il dominio ò signoria di Pesaro*, & Vicariatus Senogalliæ, *il Vicariato di Senigaglia.* Terminatur à Septentrione mari Adriaticô & Romandiolâ, ab Ortu Picenô, à Meridie Umbriâ, ab Occasu Hetruriâ. Reliquæ urbes, Pisaurum, Senogallia, Calium, Eugubium & Urbanea. Sed Fanum, urbs erat, jam olim ditionis Pontific. licet intra fines Ducatus Urbinatis. Hunc Ducatum Julii II. Pontificis Romani frater Johannes Soræ Dux, junctâ sibi Joannâ Montfeltriâ, Guidonis Ubaldi, qui Montfeltrios morte suâ clausit A. C. 1508. sorore, in Domum Roboream intulit: in qua ultima Victoria fuit Ferdinandi II. Magni Ducis Florentiæ uxor, post cujus obitum Ducatus cameræ Pontificiæ adscriptus est. Vide suprà ubi de Familia *Roborea*, & plura apud Phil. Jac. Spenerum, *Arte Heraldica, Tom. II.*

URBINUS Raphaël, vide *Raphael.*

URBISALIA, vide *Urba Salvia.*

URBS, ordinata est plurium ædificiorum, pro recipienda civitate, series, murô cincta: Dicta an ab *urbo* i. e. curvaturâ aratri, quô futuræ urbis magnitudinem olim adumbrabant? An ab *orbe*, quòd in orbem, cùm prima mœnium fieret designatio, aratrum circumducebatur? Prima à Caino, Adami filio, condita legitur Gen. *c.* 4. *v.* 17. quam, Henochiam vocatam, ad montem Caucasum fuisse augurantur eruditi. Post hanc Joppe antiquissima habetur, quam jam ante diluvium conditam quidam volunt. Has Treviri, Solodorum, Tigurum sequuntur &c. In Germania olim nullæ, posteà raræ fuêre: Unde Tacitus eam *horridam, agris incultam & desertam* judicavit. Imo nec nonô seculô ulla urbs in Germania magna memoratur: nimirum in tota Saxonia, Westphalia omnique illo tractu, qui inter Visurgim, Albim & Salam, in Holsatiam usque protenditur: solùm illustrium vicorum, è quibus posteà urbes factæ, mentio fit, Bardevici, Wurtzeburgi, &c. In Germania tamen Transrhenana Romana, jam à Julii Cæs. tempore condiderunt Argentoratum, Spiram, Wormatiam, Coloniam, Augustam Rauracorum & Vindelicorum. Reliquæ itaque, in tractu inprimis Saxonico, non nisi sub Carolo M. vel successoribus ejus, initium habuêre; De Henrico enim Aucupe referunt Scriptores, illum nonum quemque virum ex agro in oppida hinc inde noviter condita ac munita transtulisse, reliquorumque labores in urbana horrea condidisse: discrimine factô inter plebem rusticam *die Bauren*, à colendo agro, & urbanam *die Burger*, à burgis i. e. locis murô vel aliô quopiam sepimentô firmatis, dictos. At hodie totius orbis nulla est regio, cui numerô, elegantiâ & amplitudine urbium Germania cedat. Harum quædam *Mediatæ*, quæ iterum in duplici differentia: aliæ *Immediatæ* sunt & *Imperiales*, German. *Reichsstadte*, dicuntur, quarum originem quidam ad Caroli M. quidam ad Ottonis III. vel etiam citeriora tempora referunt. Vide Conringium *in Exercit. de urbibus Germ.* Mylerum *in Archol. c.* 17. Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 1. Burgoldensem, *part.* 1. *ad instr. Pac. Disc.* 21. *n.* 9. *&c.* Numerum urbium cujusque in Europa & Sinis provinciæ, inivit Ad. Preyelius *in Admir. Sinæ & Europæ*, *c.* 5. *&* 6. Cæterum, Urbibus similes Castra fuêre, imò non rarò in *Urbes* transiêre. Sueton. *in Augusto*, *c.* 18. *Ampliatô vetere Apollinis Templô locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis ---- consecravit.* Ubi quidem totum Castrorum locum in templum versum ait, ut &c. 96. sed Dio, in Castrorum loco Urbem Nicopolim fuisse ædificatam refert. Templum verò conditum in loco, ubi Augusti fuerat tabernaculum. Certè Romanos, in loco, quô Castra habuerant, postmodùm *Urbes* condidisse, ex Scriptoribus passim liquet. Vide quæ de Augusta apud Salassos habet Strabo, *l.* 4. Nec aliunde est, quòd Hispaniæ, Africæ, Græciæ, Germaniæ aliarumque Regionum urbes, *Castrorum Burgorumque* nomina gerant. In limitibus autem Imperii id inprimis fiebat, cujusmodi proin urbes Κάστρα vel Κάστελλα non rarò Græcis Scriptoribus citerioris ævi appellantur, vide suprà ubi de *Limitaneis Arcibus* seu *Urbibus*, item in vocibus *Charax*, *Fossa* &c. Quò pertinet, quòd summi Reges integras *Urbes*, pro tropæis, statuerint. Herodian. *l.* 3. *c.* 4. de Alexandro, Μεθ' ἣν ἔτι νῦν τρόπαιον καὶ σύμβολον τῆς νίκης ἐκείνης πόλις ἐπὶ τοῦ λόφου Ἀλεξάνδρεια καλουμένη. Qua de re vide Casp. Barthium *Animadvers. Papinianis ad l.* 2. *Theb. v.* 706. uti de *Urbibus Regiis*, apud Salmas. *ad Solin. p.* 475. & de *Urbe Regia* κατ' ἐξοχὴν sic dicta, urbe scil. Constantinopoli, apud Macros Fratres, *in Hierolexico*, sicut de *Urbe Aurea*, quomodo Roma Scriptoribus venit, Car. du Fresne, *Glossar.* Ut quædam addam de Veterum moribus ritibusque circa Urbes, Romani earum condendarum ambitum

aratrô circumducebant & vestigia murorum sulcô imprimebant, ut dictum: alii cretâ vel polentâ notabant, ut suprà vidimus: de quo constituendarum Urbium more, multa insigni eruditione congessit Salmasius modò laudatus, *ad Solin. p.* 819. & *seqq.* Certis dein ceremoniis, pronuntiatione inprimis solennium ac legitimorum verborum, inaugurabantur ac dedicabantur. Quem ritum indigitat Tertullianus, *de Pallio*, c. 1. *Ubi mœnia Statilius Taurus imposuit: solennia Sextius Saturninus enarravit.* Porrò Urbes etiam provinciæque integræ ad reditus olim concessæ à magnis Principibus, Satrapis & Dynastis suis, aliisque quibus cupiebant. Sic Reginæ cuidam Ægyptum olim datam fuisse εἰς κόσμον à marito: Themistocli à Xerxe Lampsacum εἰς οἶνον, Magnesiam εἰς ἄρτον, Myuntem εἰς ὄψον, Percoten & Palæscepsim εἰς στρωμνὴν καὶ ἱματισμόν, legimus apud Plutarchum, & C. Nepotem *in eo*, c. *ult.* Similia de Alcibiade, Pytarco, aliis, referuntur: Ægypti quoque Reges ab aliis urbium suarum esculenta, ab aliis poculenta, ab aliis stragula exigere solitos, legimus apud Aristeam. Vide quoque suprà *Calyptra.* Etiam integræ coronabantur, præsertim victrices & aliarum dominæ: Sic Græci Athenas, ingenti adversùs Persas obtentâ victoriâ, coronârunt, teste Aristide *in Panath.* ejusdemque Urbis statuam sexdecim cubitorum in Bosporo erigi curârunt Byzantini, apud Demosth. *de Coron.* quam in rem vide plura apud Car. Paschalium, *Coronar. l.* 7. *c.* 6. & suprà, ubi de *Iselasticis Certaminibus*, ac *Olympionicis.* Etiam post Maximianum & Diocletianum, vel saltem Probum Imperatores nummorum inferiori posticæ parti characteres inscripti visuntur, *Urbium*, in quibus fuêre cusi, significantes nomina, uti pluribus videre est suprà, ubi de *Re Monetaria.* Tandem, uti solennia ac legitima verba effabatur Augur, quibus Urbes inaugurabantur: sic contrariis solemnibus eædem, cùm diruendæ erant, exaugurabantur, uti docet Salmas. *Not. ad Tertullian. d. l.* Plura hîc passim, inprimis voce *Oppidum*, ubi de *Oppugnatione urbium*, *Tutelaribus Diis.*

Urbes Imperiales seu Liberæ, ex Limnæo.

Alena, Sueviæ, *Awien.*
Aquisgranum, Juliacensis Ducatus, *Acken* seu *Aix.*
Argentoratum, Alsatiæ, *Strasbourg.* Jam sub Gallis.
Augusta Vindelicorum, Sueviæ, *Augsbourg.*
Biberacum Sueviæ, *Biberach.*
Boffinga Sueviæ, *Boffinghen.*
Brachelium Westphaliæ, *Brakel.*
Brema Saxoniæ inferioris, *Bremen.*
Brunsviga Saxoniæ inferioris, *Brunswick.* Jam sub proprio Duce.
Buchorna Sueviæ, *Bochorn.*
Buchovia Sueviæ, *Buchaw.*
Cæsaris Mons Alsatiæ, *Keisersberg.*
Cameracum Belgii, *Cambray.*
Campidona Sueviæ, *Kempten.*
Caufburna Sueviæ, *Keufburen.*
Cella in Hamerspacho Sueviæ, *Cella an Hamerspach.*
Colmaria Alsatiæ, *Colmar.* Jam sub Gallis.
Colonia Agrippina, *Cologne*, & *Coln.*
Constantia Sueviæ, *Costentz.*
Cornelia seu Wimpina, *Wimpfen.*
Dortmania seu Tremonia Westphaliæ, *Dortmund.*
Donaverta seu Verda Sueviæ, *Donawert.*
Dunkespyla Sueviæ, *Dunkelspihel.*
Duysburgum, in Clivensi Ducatu, *Duysbourg.*
Egra Bohemiæ, *Eger.*
Ensbemium Alsatiæ, *Ensisheim.* Jam sub Gallis.
Erfordia Turingiæ, *Erford.*
Ezelinga Sueviæ, *Ezlingh.*
Fanum S. Galli Helvetiorum, *S. Gal.*
Francofurtum ad Mœnum, *Francfort am Main.*
Francofurtum ad Oderam, *Francfort an der Oder.* Jam sub Electore Brandeburgico.
Friberga Veteraviæ, *Fridberg.*
Fristaria Hassiæ, *Fritzlar.*
Gelnhusia Franconiæ, *Gelnhausen.*
Gemunda Sueviæ, *Gemund.*
Geneva Allobrogum, *Geneve.*
Gengenbachium Sueviæ, *Gengenbach.*
Gienga Sueviæ, *Giengen.*
Goslaria in Saxonia inferiori, *Goslar.*
Gothinga in Saxonia inferiori, *Gothingen.*
Hagenoa Alsatiæ, *Haguenaw.* Jam sub Gallis.
Halberstadium Saxoniæ inferioris, *Halberstadt.*
Halla Sueviæ, *Schwabische Hall.*
Halpruna vel *Heilbronna* Sueviæ, *Hailprun.*
Hamburgum Saxoniæ inferioris, *Hambourg.*
Hervordia Westphaliæ, *Herworden.*
Hildesia Saxoniæ inferioris, *Hildesheim.*
Isna Sueviæ, *Isne.*
Landavium Alsatiæ, *Landaw.* Jam sub Gallis.
Leukirchum Sueviæ, *Leutkirck.*
Lindavium Sueviæ, *Lindaw.*
Lingovia Westphaliæ, *Lemgow.*
Lubecum, Saxoniæ inferioris, *Lubek.*
Luneburgum, Saxoniæ inferioris, *Luneboury.*
Magdeburgum Saxoniæ inferioris, *Magdebourg.* Jam sub Electore Brandeburgico.
Memminga Sueviæ, *Memmingen.*
Metæ Lotharingiæ, *Metz.* Jam sub Gallis.
Minda Westphaliæ, *Minden.* Jam sub Electore Brandeburgico.
Moguntiacum ad Rhenum, *Maintz.*
Molhusia seu *Mulhusia*, Alsatiæ, *Mulhausen.*
Molhusia Thuringiæ, *Mulhausen.*
Monasterium Alsatiæ, *Munster in Gregorienthal.* Jam sub Gallis.
Nerolinga Sueviæ, *Nordlinghen.*
Norimberga Franconiæ, *Nuremberg.*
Northusium Thuringiæ, *Northausen.*
Offenburgum Sueviæ, *Offenburg.*
Oppenhemium Palatinatus Rheni, *Oppenheim.*
Padeborna Westphaliæ, *Paderborn.*
Pfullendorfum Sueviæ, *Pfullendorf.*
Ratisbona Bavariæ, *Regenspurg.*
Ravenspurgum Sueviæ, *Ravenspurg.*
Rosenhemium Alsatiæ, *Rosheim.* Jam sub Gallis.
Rotenburgum Franconiæ, *Rotenburg an der Tauber.*
Rotevilla Sueviæ, *Rotweil.*
Rutlinga Sueviæ, *Reutlingen.*
Saræpons Lotharingiæ, *Sarbourg.*
Schafhusia Helvetiorum, *Schafhausen.* Jam unus ex XIII. Helvetiæ Cantonibus.
Scelestadium Alsatiæ, *Schlestat.* Jam sub Gallis.
Schvveinfurdia Franconiæ, *Schweinfurt.*
Spira Palatinatus Rheni, *Spier & Spire.* Jam in ruinis.
Sunda Pomeraniæ, *Stralsund.* Jam sub Sueciæ Rege.
Susatum Westphaliæ, *Soest.*
Tremonia Westphaliæ, *Dortmund.*
Treviri ad Mosellam, *Trier & Treves.*
Tullum Lotharingiæ, *Toul.*
Turichemum Alsatiæ, *Turckeim.* Jam sub Gallis.
Uberlinga Sueviæ, *Uberlinghen.*
Vesalia inferior Ducatus Clivensis, *Wesel.* Jam sub Electore Brandeburgico.
Vesuntio Comitatus Burgundiæ, *Besançon.* Jam sub Gallis.
Villa Sueviæ, *Weyll.*
Virdunum Lotharingiæ, *Verdun.* Jam sub Gallis.
Ulma Sueviæ, *Ulm.*
Wanga Sueviæ, *Wangen.*
Weissenburgum Alsatiæ, *Weissenburg.* Jam sub iisdem.
Weisseoburgum Franconiæ, *Weissenburg.*
Weslaria Hassiæ, *Wetzlar.*
Wimpina Sueviæ, *Wimpfen.*
Winsheimum Franconiæ, *Weinsheim.*
Wormacia Palatinatus Rheni, *Worms.* Jam in ruinis.
Zuvolia Transisalaniæ, *Zwol.* Jam sub Belgis Fœderatis.

Olim plures fuêre: sed magna earum pars cum Tyrannorum violentiâ; tum regiminis perversitate pessundata est. Episcopi quoque, postquàm ipsis ab Imperatoribus jus, quod in talibus habuerunt, concessum est, multas illarum, pulsis Optimatibus, suæ ditioni subjecerunt. Egram pignoris titulô Bohemiæ regno cessit, Ludovicus Bavarus. Zuiccaviam, Altenburgum, Chemnitium, Fridericus Admorsus, Misniæ Marchio, sibi subjecit, A. C. 1308. Metim, Tullum, Verdunum Rex Galliæ præterit. secul. subegit. Dantiscum, Elbinga, Emda, aliæ ab Imperio se exemerunt, &c. Vide Limnæum *de Jure Publ.*

Series urbium seu civitatum, quæ Regum sedes.

Agra, in India, tempore hybernô.
Buda, olim in Hungaria.
Constantinopolis, in Imperio Turcico: Olim Adrianopolis & Prusia.
Cracovia in Polonia.
Edinburgum olim, in Scotia.
Hafnia in Dania.
Holmia in Suecia.
Jedum in Japonia.
Ispahanum, in Persia.
Judia, in regno Siami.
Kisemira, in India tempore æstivô, ut & Laborium.
Londinum, in Anglia.
Luteria, in Gallia.
Madritum, in Hispania.
Monomotapa, in regno M. Tabaqui seu Regis Monomotapæ.
Moscovia, in Russia.
Pekingum, in Sinis.
Posonium, hodie in Hungaria.
Praga in Bohemia.
Vienna, in Imperio Germanico.
Zanguebaria, vide *Monomotapa.*

His adjungi possunt arces regiæ: Quales in Hispania, Escuriale, *Aranjuez*, & Aragonicum Molendinum. In Gallia, Lupara, Fons Bliaudi, Fanum S. Germani, & Vincennæ. In Anglia Windsorum, Hamptoncurtium, Greenvicum & *Nonesuch.* In Dania Coronæburgum & Fridericoburgum. Plura vide apud Becmanum, *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* Cognati urbibus Pagi quidam sunt, qui non minùs libertatis titulô gaudent: ut Gerisovium, in Helvetia: Pagi in regno Sueciæ, quibus jus votum consultivum ferendi competit: Immediati in Imperio Pagi, quorum mentio in Instr. Pacis *Artic.* 5. §. 11. & apud Goldastum, *Epist. dedic.* Vide quoque suprà in vocibus *Civitas* & *Oppidum*, it. paulò antè dicta.

URBS, vulgò *Urba*, vel *Orba*, Liguriæ fluv. ex Apennino fluens, maximè perspicuus, Bormiæ in agro Alexandrino se miscet, indeque cum eo ad 4. mill. pass. in Tanarum, ab Alexandria 2. mill. pass. labitur. Aliis fluviolus videtur, qui Astæ urbis mœnia lambens, in Tanarum influit, *Borbo* incolis. Claudian. *de Bell. Get. v.* 555.

Pervenit ad fluvium miri cognominis Urbem.

URBS Vetus, hodie dicitur ea urbs Holsatiæ, quam Saxones *Aldenburg*, Dani *Brannesia*, & *Wandali Stargard* vocant. Olim Episcopalis, nunc Lubeca successit. *Crantzius.*

URBS Vetus, urbs Episcopalis naturâ & arte munitissima, caput agri cognominis prope Pelliam fluv. Sub Pontifice. Nunc *Orvieto*, Vide *Oropitum.*

URBS Vetus, nunc *Civita vecchia*, vide *Centumcella*.

URBUBUMA, Æthiopiæ sub Ægypto oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

URBUM vel URVUM, vide *Vomer*.

URCE, Hispaniæ Lartachaensis urbs. *Ptol.* Hodie *Aquile*.

URCENSIS Pagus, Galliæ, in Capitulis Caroli Calvi memoratus, medius fuit inter pagos Suessionicum & Vadensem, nunc vel incolis ignotus est. Forte ab *Urca* fluv. *Orcy*, dictus est, qui Faram Tardanensem & Nantogilum ad Urcum cognominatum, *Nanteuil sur Ourc* ac Firmitatem Milonis attingit, non procul à pago Suessonico & Vadensi, ac in Matronam decurrit, ferè ex adverso confluentium Mucræ & Matronæ. Nantogilo ad Urcum proximum est municipiolum *Nully Saint Front*, quod *Novilliacum* Frodoardi *Hist. Eccl. Rem.* in pago Urcensi videri potest. Est etiam *Urca* fluv. in Burgundiæ Campaniæque confiniis *Ource*, qui Crolam *Creuse* & Arsam *Arcce* vel *Larse* amnes accipit, ac apud Barrum Sequanicum in Sequanam labitur. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

URCESA, Celtiberorum urbs in Hispania Tarraconens. *Ptol. Velez* quibusdam castrum satis cultum, ad amnem *Bedija*, 18. leuc. à Toleto in Ortum, 12. à Concha in Occasum, ubi Prioratus dives, Ordin. milit. S. Jacobi.

URCEUS, à Græco ὕρχη, vas modicæ capacitatis *Casaubono*: ansam habens lateri applumbatam, ex ære, *Varroni*, aliaque materia. Namque *Urceus* Fictilis, lemma *Epigr.* 106. *l.* 14. Martialis,

Hic tibi donatur parvâ ruber Urceus ansa,
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam &c.

Angustô & gracili collô, in patulum desinente ore, pingit *Laz. Baysius*: quem *Forcatulus* arguit, cùm *urceos picatos* ponat Columella, in quibus sorba condiantur, *l.* 12. *c.* 4. idem autem paulo antè vasis conditivis hanc formam dederat, *ut usque ad imum æqualia essent, ne ventrem facerent, utque, exemtis ad usum salgamis, quod reliquum erat, æquali pondere, atque ad fundum posset deprimi.* Sed & *urceis* aqua in ahenum infundebatur, *l.* 18. *cùm de lan.* §. 2. *asin. ff. de fund. instr.* cui rei æquabilitas necessaria est, cùm angustô & gracilescente collô mora hauriendo fiat. Adde, quòd & fructus *urceis* componebantur, *l.* 12. *quæsit.* §. 1. *conserv. ff. de fund. instr.* quodque in *urceis* cineres quoque mortuorum condi consueverunt, qua de re suprà diximus &c. Uti autem certam formam, sic certam mensuram non habuit *Urceus*. Cato in torculario *urceum* ponit, quinque amphorarum capacem. Per. Lentulus Spinther, ex onyche marmore, cadi magnitudine habuit. &c. Forcatulus *in Penu Juris Civ.* *c.* 25. Vide quoque suprà *Cucurbita*, Hinc diminutiv. *Urceolus*. Sic apud Martialem iterum, *Urceoli ministratorii*, *Epigr. præc.*

Frigida non desit, non deerit calda petenti,
Sed tu morosâ ludere parce siti.

Et Joh. Laurentius JCtus, *Notis in Phædr. l.* 5. *fab.* 5. nomine *Lavationis argenteæ* intelligit supellectilem omnem balnearem, ut strigiles, guttos, *Urceolos* & id genus, &c. Apud Scriptores Ecclesiæ Roman. inter ministeria seu vasa sacra itidem *Urceoli* occurrunt, lavandis manibus vel infundendæ in sacrum calicem aquæ, ut videre est apud Car. du Fresne, *Glossar.* At *Urcei* seu *Urceoli auro inclusi*, quos inter munera Claudio II. adhuc Tribuno, à Gallieno Imperatore missa, recenset Treb. Pollio, *in Claud.* *c.* 17. pocula sunt deaurata, χρυσένδετα, eô videl. deaurandi genere, quô tessellæ aureæ in argentum imprimebantur & quasi inligabantur, per Artem χρυσοκολλητικὴν, uti Salmas. docet, *Not. ad l.* & suprà diximus suô locô.

URCI, seu E urbs, multis Virgi, *Vera*; urbs aliàs Bastetanorum, nunc regni Granatens. in ipso limite Murciæ, & in ora maris Mediterranei, sinusque Virgitani. Deficit indies, olim Episcopalis recepta est A. C. 1265. Vide *Virgi*.

URCINIUM, Corsicæ insul. oppid. *Ptol.* *Giperca Nigro*; *Alaz Pineto*. *Adiazzo Baudrand.* cum portu & sinu parvo, in ora Occidental. Insulæ; aliàs caput fuit ejus, 42. mill. pass. à Bonifacio in Circium, 40. à Calvio in Meridiem, uti 70. à Bastia, Episcopale sub Archiepiscopo Pisano.

UREMA, Syriæ urbs, ad Euphratem. *Ptol.* *Urima* Interpretib.

URERE Coloribus, in illo Nasonis, *l.* 3. *Fast.* v. 831.

—— tabulamque coloribus urit,

quid sit, vide suprà ubi de *Cera*, & *Encaustice Arte*.

URETUM, *Ptol.* Vide *Veretum*.

URGAVONENSE Municipium, vide *Alba*.

URGELLA, *Vasæo* dicitur Arragoniæ urbs in Hispania Tarraconensi, quæ hodie *Urgel* vel *Xea de Urgel*, vocatur: Ilergetum urbem eam dicit *Florianus*: *Ferrarius* Catalanniæ. Episcopal. sub Archiepiscopo Tarraconensi. Vide *Orgella*.

URGELLENSIS Planities, tractus Cataloniæ, inter Sicorim fluv. Pyrenæos montes, Ilerdam, Cervariam & Cardonam extensus. Dictus ab *Urgella* urbe adjacente Comitatus Cerretaniæ: Incolis *plano de Urgel*, Gallis *la plaine d'Urgel*.

URGENUM, Strab. *Enargium* Antonin. *Ernagium* Ptol. oppid. Gall. Narbonens. in Provincia. *Orgon* Dalechampio. Nunc oppidul. est ad Druentiam, cum arce destructa in colle, 1. leuc supra Cabellionem in Ortum, Aquas Sextias versûs, uti 6. ab Arelate. Sed ab *Enargino*, oppid. ad Rhodanum differt, *Baudrand.*

URGI, Sarmatiæ gens inter Istrum & Borysthenem. *Strab.*

URGIA, cognominatum *Castrum Julium*, oppid. Gaditani conventûs. Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Oriam* Strabonis esse putat *Hermolaus*. *Villanovanus* verò *Vejam Ptolemæi*.

URGO Plin. *l.* 3. *c.* 6. *Orgon*, Steph. *Gorgon* Rutilio, *Itinerar. l.* 1. v. 515. *la Gorgona* Italis, *la Gorgone* Gallis, insul parva maris Tyrrheni in Ligustici confinio sub Genuensibus, inter Portum Liburnum & Corsicam *Ferrar.* Sub Magno Duce Hetruriæ, *Baudrand.* ut pars agri Pisani, cum arce. Tota montuosa est, & media inter Liburnum ad Ortum, & Sacrum promontor. Corsicæ ad Occasum, 20. mill pass. *Margarita* Insul. dicta tempore Desiderii, Longobardorum Regis.

URGULANIA, Liviæ Aug. amicitiâ, sub Tiberio, potens, quam tamen Lucius Piso in jus vocavit, quamvis non obtemperantem, & multùm Augustâ querente, se violari & imminui: nec ille abstitit, donec deferri Augusta pecuniam, quæ petebatur, juberet. Tacit. *l.* 2. *Annal.* *c.* 34.

URI, gens circa Pontum Euxinum & Indum fluv. Orpheus & Plin. *l.* 6. *c.* 20.

URI, fil. Hur. 1. Paral. *c.* 2. v. 20. Pater Gaber. 1 Reg. *c.* 4. v. 19. Latin. *lux*, vel *ignis*.

URIA, sacerdos quidam, 2 Reg. *c.* 16. v. 11. Propheta, filius Semei, de Cirath Jarim. Jerem. *c.* 26. v. 20. Maritus Beth sabee. 2 Sam. *c.* 11. v. 3. Latin. *ignis*, aut *lux Domini*.

URIA, *Strab.* urbs Japygiæ inter Brundusium & Tarentum: Episcopalis sub Archiepiscopo Tarentino: sede nunc Brundusinæ junctâ. Oria hodie *Baudrand.* urbs aliàs Messapiæ, in Salentinis, nunc Terræ Hydruntinæ, in colle, ad radices Apennini, aliàs ampla, nunc parva admodùm, cum arce, 16. mill. pass. à Brundusio in Occasum, Tarentum versûs 18. & 25. ab Aletio in Circium. Item M. Græciæ oppid. apud oram Calabriæ ulterioris in territorio Locrensi, *Varro*. *Condojani* vulgò.

URIA, vide *Uranii*.

URICONIUM, vide *Branovium* & *Viroconium*

URICUS Theodoricus, vide *ibi*.

URIEL, pater Maacha, 2. Paralip. *c.* 13. v. 2. qui 1. Reg. *c.* 15. v. 2. dicitur *Abessalom*. Filius Thahath. 1. Paral. *c.* 6. v. 24. Idem significat quod *Uria*.

URIENSIS Pagus *Canton d'Uri*, unus est XIII. Helvetic. à Septentrione in Merid. extenditur, ad radices montium, juxta Ursam fluv. ab Alpibus, ad lacum Lucerinum, inter pagum Glaronensem, ad Ortum & Sylvaniensem ad Occasum. Ibi Vetus Vicus seu Altorfium, vicus primarius. Orti dicuntur ab Hunnis, qui ibi consederunt, cùm Gothi, Hunni, Wandali in Italiam irrumperent. Vide *Uranii*.

URIM & Thummim, Oraculum seu modus erat, in Vet. Test. divina responsa accipiendi, solis Pontificibus peculiaris: de quo legitur Exodi *c.* 28. v. 30. Levitici *c.* 8. v. 8. Numer. *c.* 27. v. 19. Deuteronomii *c.* 33. v. 8. Jusserat namque DEUS amiculo Sacerdotali, *Ephod* dicto, medio in pectore illigari pannum pretiossimum, palmi magnitudine, quod *Pectorale* seu *ḥšn* dicebatur, cui duodecim uniones stupendô opere inserti erant, XII. Tribuum nomina præferentes. Qui quaterni gemmarum ordines (quadruplici enim serie erant dispositi) vel ipsa *Urim* & *Thummim* erant; quæ voces *Luces* & *Perfectiones* denotant; conf. Exodi *c.* 39. v. 8. 10. & Levit. *c.* 8. v. 8. vel certè fuêre secretius ac sanctius aliquid, à Deo artifice Mosi traditum & mystico isti panno inscriptum, Scripturis verò tacitum adeoque ignotum. Modus Oraculum consulendi hic: Pontifex, extra Adytum, facie ad Arcam obversâ, stabat, & qui petebat responsum, à tergo ejus se componebat. Quô habitu ille ad id, quod animô conceperat, certissima responsa accipiebat & consulentibus reddebat. Quæ ex novo ac insolito lapillorum fulgore, vel literarum ex Pectorali prominentium ac ordine protuberantium serie, ab ipso deprehensa, Judæi autumant: Quod tamen incertum est; cùm in longis variisque adeò Oraculis locum id habere non potuerit, vide Judic. *c.* 1. v. 1. 2. 2. Sam. *c.* 5. v. 19. 23. 24. 1. Sam. *c.* 23. v. 11. 12. 13. Unde cùm *Urim & Thummim* certus Prophetiæ gradus in Pontifice fuerit verosimilius est, vel externâ voce ex Adyto, vel saltem per internum instinctum, in mente Pontificis, respondisse. Consultum autem illud Oraculum maximè sub Tabernaculo legimus; sub Templo autem, cùm Deus per Prophetas crebriùs responderet, paulatim desiisse: sicut & sub secundo Templo unà cum aliis rebus sacris illud prorsus desideratum est; quod frustra Judæi sub Messia restituendum putant, malè intellectô locô Esræ *c.* 2. v. 63. & Nehemiæ, *c.* 7. v. 65. Usus ac causæ Oraculi hæ erant: Ut Deus sese Populo suo præsentem testaretur, atque illum à Gentium superstitione totque Oraculorum ac sortium ludibriis abstraheret; inprimis, ut CHRISTI imagini figurandæ atque adornandæ hi Pectoralis lapides & hæ *luces ac perfectiones* inservirent. Ille enim solus Sacerdos iste est, qui in pectoris sui Adyto luces ac perfectiones insculptas habet, quique Dei ac hominum Interpres unicus, certissima mortalibus responsa reddit. Ut non aliô oraculô ampliùs opus sit, ne quidem in Ecclesia; cùm lucis hujus fulgor & radii universum Dei Templum collustraverint, omnemque ejus doctrinam perfectissimè absolverint: ut alias sortes movere, mendacemve Spiritum vel in specu aliquo mugientem, vel in templo, aut ex Capitolio proloquentem; audire nefas sit. Vide Franc. Burmannum, *Synopsi Theolog. Tom.* 1. *l.* 4. *c.* 29. §. 1. 6. & suprà *Pectorale*, it. *Revelatio*, ac *Sanctuarium*, ubi de *Arca Dei*, in qua cum Pectorali *Urim & Thummim* conservari mos erat.

URINA, à Græco οὖρον, unde Palinuri proprium apud Maronem viri nomen. Eam in locis sacris reddere non licuisse, suprà diximus. Unde sub Antonino Caracallo *damnati sunt, qui urinam in eo loco fecerunt, in quo statuæ aut imagines erant Principis*: exemplô nempe Tiberianô, de quo Sueton. vide *c.* 58. Nec reddendæ causâ, adversùs Solem, aut Lunam, denudari. Plin. *l.* 28. *c.* 6. *extr.* Eâ tamen Deam Syriam fœdavit Nero, teste Sabellicô, *l.* 2. *Enn.* 7. hanc ob causam Numinum contemtor habitus. At vectigal *urinæ* Vespasianus instituit, inde quoque lucrum non aspernatus, cujus *odorem qualibet ex re bonum esse*, filio consilium improbanti respondit, vide suprà ubi de *Fullonibus*, item voce *Gastra*. Quem sequutus Ferdinandus Neapol. Rex, cùm Capuæ simile vectigal instituisset, publicâ Campanorum non caruit notâ;

uti refert Pontanus, *c. de Liberal.* Celtiberi verò etiam dentes & corpus *urinâ* fricare consuevêre, hanc optimam corporis curam existimantes, apud Diodorum, *l. 5. c. 9.* Vide suprà *Dens.* Imò à militibus urgente siti bibita, occurrit apud Auctores Palæstinos: qua de re Barthium vide, *Animadversion. Papinian. ad l. 4. Theb. v. 756.* ut & ubi de *Siti* suprà. Nec hominum solùm, sed & jumentorum, hausta Cretensibus à Metello obsessis, *quâ sitim torserunt potiùs, quàm sustentaverunt: quia dum vinci timent, id passi sunt, quod eos ne victor quidem pati coëgisset*, Val. Max. *l. 7. c. 6. ex. ext. 1.* Plura hanc in rem vide suprà, ubi de *Lotio*, uti *de urina animalium*, apud Plinium, *l. 8. c. 38. cynocephali* inprimis, duodecies de die redditâ, suprà: de lyncurio gemma, è lyncis *urina* concrescere creditâ, itidem retro in hac voce: de vesica *urinâ* plenâ & lana in collo vinctâ in Veter. *πυρομαντείᾳ* adhibita, voce *Pyromantia* &c.

URINATOR, Græcè *κολυμβητὴς*, *δύτης*, vel potiùs *ἀνάδυρος* seu *ὑποδύομενος*, quibusdam ab *urna*, Varroni contrà, Becmanno ab *ἀὴρ* nomen habet: eo quòd pulmones id hominum generi cavi sint ac sic dispositi, ut diutiùs *τὸν ἀέρα*, i. e. *aërem*, ad respirationem cohibere queant, *in Origg. L. L.* Eorum mentio *l. 4. §. 1. ff. de l. Rhod.* ministerium his verbis describitur, à Manilio *Astronomic. l. 5.*

> *Illis in Ponto jucundum est quærere pontum,*
> *Corpora qui mergunt undis, ipsumque sub antris*
> *Nerea, & æquoreas conantur visere Nymphas,*
> *Exportantque maris prædas & rapta profundo*
> *Naufragia, atque imas avidi scrutantur arenas.*

Nempe per *Urinatores*, naufragiô mersæ res & in mare, navis levandæ causâ, jactæ, solitæ sunt extrahi. Cui simile, quòd opes periculi tempore, in aquas abjectas, ibique reconditas, eô discussô, inde repetunt, uti de Perseo Macedoniæ Rege legimus apud Livium, *l. 44. c. 10.* Iidem manu conchas capiunt & petris adhærescentes avellunt, uti suprà dictum non unô locô, inprimis voce *Extractio*, item ubi de *Margaritarum Piscatione*. Porrò bellô navali admodùm utilem præstant operam, ut qui hostilem classem suffodiendo vel navium funes præscindendo vires hostium multum imminuere possunt. Quorum illud factum, bellô Henrici III. Imperatoris contra Hungaros, quô vir inter hosce nandi peritissimus, cùm intempestâ nocte, Præfecti jussu hostium naves clam subiisset, sensim eas terebrô tenui perfodit, ut secundâ & tertiâ horâ diei imô desidere cœperint, quô pactô rebus Germanorum debilitatis, Posonium, quod tum Imperator obsidebat, liberatum est, teste Bonifiniô, *l. 2. Dec. 2.* Istud in pugna apud Salaminem nobili, quô *urinatorem*, qui funes hostilium navium præscindendo utilem Patriæ navaverat operam, non solùm splendidâ remuneratione donatum, sed & dignum habitum legimus, cujus, in hoc opere versantis celeberrimus illius ævi Pictor imaginem coloribus ad vivum exprimeret, apud Plin. *l. 35. c. 10.* Etiam ad literas ad obsessos perferendas, omni aliô aditu interclusô; tales adhibiti occurrunt, cujus rei illustre exemplum Gallica historia suppeditat, in qua bellô inter Gallos Anglosque fervente, cùm hi Insulam Ratiacensem arctè premerent, illos per insignem istiusmodi *natatorem*, uti *κατ' ἐξοχὴν* Varro id hominum genus appellat, seu *urinandi artificem*, uti Symmachus, *l. 1. Ep. 25.* nomine *La Pierre*, obsessis adventum suum significâsse, reperimus. Sed & quotannis esse, qui dum Veneti Duces priscô more sibi maria despondent, annulum in undas conjectum extrahant, docet *ad Curtium l. 4. c. 3.* Cl. Freinshemius. &c. Ut autem durare sub aquis queant *Urinatores*, per fistulas & vitra aërem attrahunt: nonnulli etiam tam capaces habent pulmones, ut magnam copiam aëris initiô attractam, diu pro cordis refrigeratione, præcipuè sub aqua, quæ & ipsa frigida, fovere possint, unde & nominis etymon nonnullis accessi diximus. Iidem spiritum comprimendo seipsos propellunt; uti delphini primò comprimunt spiritum, ac deinde corpus, velut sagittam nervô expulsam, jaculantur, qua de re Vossium vide, *de Orig. & progr. Idolol. l. 4. c. 19.* Interim in elemento non suo versantibus periculum non unum. Unde non rarò

> *Quæstus naufragiô petitur, corpusque profundo*
> *Immissum, pariter quàm præda exquiritur ipsa,*

ut iterum Manilius canit, ubi suprà. Memorabili exemplô est Siculus *Urinator* famosissimus, *Pisce-Cola*, quasi *Piscis Nicolaus*, hoc enim ipsi nomen, ab incolis dictus, qui, cùm singulari an fatô, an sidere, genitus diu plus in aquis, inter belluas marinas, quàm in terra inter homines versatus, semel etiam ipsam Charybdim ingressus esset, tandem festô annuô solennique die, artis specimen coram immensâ spectantium multitudine à Rege edere jussus, & pateram auream munus natantibus in mare dejectum, ab imo erepturus, se mari immersit, dumque prædæ studiô summa exquirit vada, diu exspectatus, non iterum emersit, neque posteà ampliùs comparuit, an profundis vorticibus haustus, an à marinis belluis, quarum cavernas irruperat, miserè laniatus, uti legere est apud Alexandr. Neapolitanum, *Genial. Dier. l. 2. c. 21.* Volaterranum, Alios, & suprà diximus, voce *Charybdis*, alibique. Quòd verò Firmico, *in Paraphr. Sphæra Barbar. Orciscopularios* vult urinatores dictos, quòd maris *latentes scopulos* tentare soleant, refellitur à Salmasio, *Orchestopoles* ibi legente, & intelligente istiusmodi *Θαυματοποιὸς*, qui concitatissimô motu in orbem se volventes atque saltantes, spectantibus potiùs, quàm sibi, vertiginem faciunt, *Exercit. Plin. ad Solin. p. 986.* Interim Saltatorum genus, qui, in caput convoluti, manibus pedibusque contractis, saltare soliti, *κυβιστῆρες* quoque hinc dicti sunt, ut ex Homero & Nonno notum &c. Vide quoque suprà ubi de *Orchestica*.

URITES, Italiæ exterioris populi. Liv. *l. 42. c. 48.*

URIUM, Hispaniæ urbs. *Ptol. Orta Villanovano. Vetus Baudrand.* in Vandalitia, 12. mill. pass. supra ostia fluv. cognominis.

URIUM, Plin. *l. 3. c. 1.* fluv. Vandalitiæ, nunc *Odier* quibusdam, qui simul cum Luxia fluv. *Tinto*, in Oceanum & in Sinum Gaditanum se exonerat prope Guelvam oppid. inter ostia Anæ & Bætis.

URIUS, cognomen Jovis, vide suprà *Jupiter*.

URNA, proprie vas vinarium, *cadus* Africano *in Cestis*, 4. congios continens Kirchetio, vide *Descr.* Musæi ejus, *p. 22.* Ad quam formam fictiles urnæ æneæque factæ posteà, condendis defunctorum cineribus. Homeri Interpres, *Il. ψ.* Οἱ Ἀρχαῖοι τὰ σώματα τῶν θανόντων ἐπὶ γῆν εἰ μὴ ἀπὸ πυρὸς ἔκαυσαν, εἶθ' οὕτως τὴν τέφραν σὺν τοῖς ὀστέοις ἐχόμενοι ἐν ἀγγείοις ἐνετίθεσαν. Ubi in genere *ἀγγεῖον* τὸ vocat: Moschus, *Idyllio 4.* *κρωσσὸν* appellat,

> *Καί κεν ἴσα χεύοιεν εἰς ὀστέα κρωσσὸν ἅπαντες*
> *Αἴξαντες καλέσαιντο ὅτι ἀφνίδιον γενέσθαι.*

Quam vocem etiam reperias, apud Lycophronem, *Cassandr. p. 26.*

> *Οὐδ' ὑστάτην κόνιν σοι ἀμφὶ πυρὸς τέφρην*
> *Κρωσσοῖσιν ἐγχεῦσαι, ἂν φθιτῶν θέμις.*
> *Rogi supremum non tegentes pulverem*
> *Urnis latentem, ut justa denicalia.*

Nempe Veteres rogo imposita cadavera, in cineres convertebant, exceptis infantibus adhuc edentulis, de quibus Plin. *l. 7. c. 16. Hominem*, ait, *priusquàm genitô dente, cremari mos gentium non est*: Unde, ut alios omittam, Juvenalis, *Sat. 15. v. 139.*

> ---- ---- *Terrâ clauditur infans,*
> *Et minor igne rogi.*

Id est, qui nondum attigit septimum mensem, quô demum infantium dentes erumpunt. Quoties itaque loquebantur de defuncto, post crematum cadaver, utebantur vocabulis *Cinis* vel *cineres* & *ossa*, vel *reliquiæ*. Ita Tacitus, *l. 3. Annal. c. 2. Centurionum humeris cineres* (Germanici) *portabantur*. Et Suetonius, de monumento Filii Domitiani loquens, *l. 8. c. 8. ossa*, inquit, *& reliquias, quæ inerant, mari mersit*. Idemque *in Aug. c. 100. Reliquias legerunt minores Equestris ordinis*. Residuas enim ossium particulas colligebant, *Urnæ* imponendas, unde hæc *Ossilegium* appellata est. Sic enim Virg. *l. 6. Æn. v. 227.*

> *Postquàm collapsi cineres & flamma quievit,*
> *Reliquias vino & bibulam lavêre favillam,*
> *Ossaque lecta cado texit Chorinæus aheno.*

Eadem & *feralis* dicta, Tacito ubi suprà, *c. 1. Feralem urnam tenens egressa navi*: sicut Poëtæ:

> ---- *Quod digitis quinque levatur onus.*

Eæ verò, quæ *Ossuaria* appellatæ, *Urnæ* majores erant, in queis urnæ plures atque adeò totius familiæ reliquiæ condebantur. Feralem autem Urnam condebant Romani, extra Urbem, celebrioribus viis, scil. Flaminiâ & Latinâ, quas Juvenalis indigitat, *Satyr. 1. v. ult.*

> *Quorum Flaminiâ tegitur cinis atque Latinâ.*

Tumque mortuis, quibus bene precabantur, optabant terram levem. Hinc in *antiqq. Inscr.* S. T. T. L. id est, *sit tibi terra levis*, crebrò occurrit, &c. Vide Joh. Laurentium JCtum, *Notis in Phædrum, l. 3. fab. 9.* Interim nec Romani nec Græci semper defunctorum corpora cremabant, condere ea soliti *πυέλοις*, ex lapide ut plurimum factis, cui natura est corpora citò absumere: cujusmodi Assius erat, propterea *σαρκοφάγος* dictus. Peregrè verò inprimis mortuorum cineres *Urnis* impositi domum mittebantur. Ammian. *l. 19. Post incensum corpus, ossaque in argenteam urnam conjecta, quæ ad gentem humo mandando portari statuerat Pater* &c. Ovid. *l. 3. Trist. Eleg. 3. v. 65.*

> *Ossa tamen facito parva referantur in* Urna,
> *Sic ego non etiam mortuus exul ero*, &c.

Vide hanc in rem plura suprà variis in locis, inprimis ubi de *Cadavere*, *Cremandi ritu*, *Defunctis*, *Funere*, *Sepulchris* &c. Addam saltem, coronari quoque defunctorum *urnas* consuevisse. Hinc Plutarchus Marcelli cadaver combustum *urnâ argenteâ*, cui aurea corona fuerit circumdata, conditum fuisse memorat, *in eo.* Idem *urnam auream*, in qua Demetrii reliquiæ repositæ erant, fuisse coronis circundatam, & cùm classis Corinthum navigaret, è prora regiô ornatu insuper ac diademate conspicuam, refert, in *Demetrio*. Vide Car. Paschal. *Coronar. l. 4. c. 6.* Neque verò cineres solùm & ossa, *Urnæ* sepulchrales servabant, verùm etiam in tumulis repertæ sunt, quæ liquorem lampadibus alendis idoneum, lachrymas item Præficarum collectas, complecterentur, ut Fortun. Licetus observavit *in de Lucernis Antiqq.* Præter *Urnas* sepulchrales seu ferales, adhibitæ sunt etiam antiquitus *Urnæ*, suffragiis colligendis, vel sortibus extrahendis, sed de his vide suprà, ubi de *Sortibus* ac *Suffragiis*. Quonam horum modorum vox *Urna* sumatur, in illo Martialis, *l. 10. Epigr. 6. v. 1.*

> *Felices, quibus* Urna *dedit spectare coruscum*
> *Solibus Arctois, sideribusque ducem;*

disceptant Eruditi. Raderus enim hîc *Urnam* vitam exponit; sic ut dicat felices eos, qui nondum urnâ clausi & mortui, videre poterunt venturum in Urbem Trajanum. Alii *Urnam* pro sorte sumunt; Felices scil. quibus sorte bonâ contingit Trajanum videre posse: vel *Urnam* vitæ diuturnioris seu mortis, prout seriùs

ferius aut ocyus sors exierit: vel *Urnam* electionis intelligunt, qua lecti ad Principem Legati mittebantur &c. Nec omittenda *Urna Mannæ*, quæ ad alterum Arcæ Fœderis, in Tabernaculo Mosaico, latus disposita, alterum virgâ Aaronis occupante, alituram Christi spiritualem præfigurabat, de qua sic Exodi *c.* 16. *v.* 33. & 34. *Quare edixit Moses Aaroni, accipe urnam unam, & repone illic plenam mensuram Homer man: & colloca ipsam ante conspectum Jehovæ asservandam per ætates vestras. Quemadmodum præcevit Jehova Mosi, sic collocavit eam Aharon coram testimonio ipso asservandam* &c. Quam in rem vide plura apud Andr. Rivetum, *Exercitat. ad loc. prior.* & Franc. Burmannum, *Meditat. ad utrumque* nec non suprà, voce *Manna*. De *Urna* vero in qua fulgur condebant Græci diximus suprà in voce *Fulguritum*.

URNULA, capeduncula, securis, lituus, patella, sacrificantium instrumenta, visuntur in numismate antiquo, cujus inscript. præfert *P. Clodius*, apud Joh. Rosin. *Antiqq. l.* 3. *c.* 32. Vide quoque suprà ubi de *Sacrificiis*.

UROCONIUM, vide *Viroconium*.

UROLANIUM, vide *Verolamium*.

UROTALT, Deus Ethnicus, de quo Herodot. *Mus.* 3. ubi Arabum religionem & mores describit: Διόνυσον δὲ θεὸν μοῦνον, καὶ τὴν Οὐρανίην ἡγεῦνται εἶναι. Subdit: Ὀνομάζουσι δὲ τὸν μὲν Διόνυσον Ὀροτάλτ, τὴν δὲ Οὐρανίην Ἀλιλάτ. Etymon quod attinet, Puto notare beneficium luminum, inquit Vossius; Habemus, Es. *c.* 26. *v.* 19. ubi est טל אורת *tal oroth*, h. e. *ros lucis*, sive *luminum*. Aliam originationem hujus nominis ex Cl. Pocokio exhibet. D. Dickinsonus, *Delph. Phœn. p.* 107. *Nic. Lloydius*. Verba Herodoti Latinè, *Solos pro Diis habent Dionysum & Uraniam: Ac Dionysum quidem* Urotalt, *Uraniam verò Alilat appellant*. De quibus duobus Diis similiter Origenes, *contra Celsum, l.* 5. Ἄραβες δὲ τὴν Οὐρανίαν καὶ Διόνυσον, τούτους μόνους σέβουσι, *Arabes Uraniam tantùm ac Liberum colunt*. Aliter tamen de isto Arrianus, *l.* 7. ubi narrat, quomodo Alexander M. quia cognovisset, duos solùm Deos ab Arabibus coli, Uranum sive Cœlum, & Dionysum sive Liberum, petierit, ut duobus illis tertius adderetur: quippe qui non inferiora Liberô Patre gessisset ac præterea Arabibus concessisset suis vivendi legibus potestatem. Sed de Arabibus antiquis potior est Herodoti auctoritas. Nec propterea diffitendum, ab iis Liberum quoque, ob res strenuè gestas, divinô esse honore adfectum. Sed enim honos ille primitus heroicus solùm fuit; posteà in divinum est conversus: neque tum Liber seorsim cultus à Sole; sed cultu mixtô Liberum in Sole, Solem in Libero, venerabantur. Sed nec illud probatur, quòd Libero Uranum addit Arrianus, Uraniâ præteritâ, quam Asia & Africa omnis tantoperè coluit: nec Uranus est à Sole, qui cœlestes moderatur ignes, diversus. Voss. *de Idolol. l.* 2. *c.* 8. *ubi Solem, variis sub nominibus, olim cultum esse, pluribus ostendit*.

URPANUS, Plin. *l.* 3. *c.* 25. *extr.* vulgò *Sarvvicze*, fluv. Pannoniæ, apud Vesprimium urbem oriens & per Albam Regalem fluens in Ortum Danubium petit inter Colotiam & Teutoburgium, *Ferrar*.

URSA, ab URSUS & hoc ab *ursat* Isidoro, quòd *ore suô formet fœtus*, juxta pervulgatam apud Veteres opinionem, qui ursas parere massam rudem, membrisque indistinctis informem, quam posteà lambendo figurent ac perficiant, tradidêre, ut videre est apud Aristot. *Hist. Animal. l.* 6. *c.* 30. Horum Apollinem, *Hieroglyph. l.* 2. *c.* 83. Plinium, *l.* 8. *c.* 36. & ex eo Solinum, *c.* 29. Ælianum, *de Animal. l.* 2. *c.* 19. Alios. Unde & Petronius.

Sic format linguâ fœtum cùm protulit Ursa.

Sed planè fabulosum id, indeque ortum, quòd crassæ admodùm sint secundinæ ursarum, quod nihil ad fœtum contentum (hunc enim membra habere prorsus distincta, gravidas cùm Ursas dissecuissent, comperêre Venatores) partim inde, quòd lambant fœtus suos; quasi non aliæ hoc animantes faciant, ad sordes abluendas. In qua sententia sunt, Cæsar Scaliger, *Exercit.* 6. *sect.* 15. ubi scribit: *Quid hujus fabulæ auctoribus fidei sit tribuendum, ex hac historia cognosces. In nostris Alpibus Venatores fœtam* Ursam *cepêre dissectâ eâ fœtus planè formatus intus inventus*; Dalechampius *ad Plin. l. c.* ubi se in utero gravidæ Ursæ, à Venatoribus captæ & exenteratæ, omnibus suis membris distinctos catulos formatos vidisse, testatur: Camerarius, *Centur.* 2. *Embl.* 21. Andr. Laurentius, *Rei Anatom. l.* 8. *c.* 4. *quæst.* 13. Alii. Fallendi eam hæc ratio adfertur à Conr. Herelbachio *in Therentice*, quam libris de Re Rustica adjunxit. *Venator armatus aggreditur Ursum cultrô præacutô accinctus. Ursus, ubi hominem cernit, mox complectitur prioribus pedibus, veluti brachiis, comprimendo necaturus. Interim Venator, tutus armaturâ, cultrô cor ursi petit atque occidit.* Orbatarum catulis ferocia, etiam in literis sacris, decantata est: Proverb. *c.* 17. *v.* 12. *Satius est occurrere Ursæ captis catulis, quàm fatuo in stultitia.* Cæteris autem ferociores sunt Arctoæ illæ, atque albæ, quod magnô suô malô cognovêre Argonautæ Batavi, expeditione suâ in Novam Zemblam, Vide Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 72. Namque & maximi his in locis. Unde *Calcedonius Ursus*, pro maximo & sævissimo, Martialis, ubi de pœna Laureoli, *de Spectac. Epigr.* 7. *v.* 3.

Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso, &c.

Cæterùm & *Ursas* Ægyptiis olim sacras fuisse Herodotus, *Euterpe* memorat, ubi de earum, ut & luporum sepultura, Τὰς δὲ ἄρκτους ἐούσας ἱράς, καὶ τοὺς λύκους, οὐ πολλῷ μέζ ἐόντας ἀλωπέκων μέζονας, αὐτοῦ θάπτουσι τῇ ἂν εὑρεθέωσι κείμενοι. De *Ursa Dianæ* apud Athenienses infrà [illegible] voce *Ursus*. Hodie Peruanos, uti præter Solem, Lunam, [illegible]raticasque quinque alias quoque stellas venerantur, ita stellam *Chuquichinchai*, i. e. *Tigrem*, vocatam, quam tigribus, *Ursis* ac leonibus præfectam tradunt, colere, memoriæ prodidit Acosta, *l.* 5. *c.* 2. Ut qui nullum uspiam animal seu quadrupes seu volatile, in terra esse credant, cujus simulachrum in cœlo non splendeat. Vide iterum Vossium, *de Idolol. l.* 2. *c.* 36. Olim porrò apud Romanos *Ursi* & Leones placidi domi alebantur, Senec. *l.* 2. *de Ira*, *c.* 8. unde inter ministeria Venatoria *Ursarios* habuêre, uti discimus ex Edinero, *in vita D. Anselmi, l.* 1. In Lucerna veteri *Ursi* iconem exhibet ex Gutherio Fortun. Licetus opinaturque ex earum numero illam fuisse, quæ diutissimè sine novi fomitis adjectu foverent igniculum: eo quòd animal id totam hyemem, absque nutrimentorum adsumptione, conservet, in corpore suo cum vita coloris nativi ignem vividum, teste Aristotele, *Histor. Animal. l.* 8. *c.* 11. Vide Licetum *de Lucernis, l.* 6. *c.* 91. & plura infrà.

URSA, sidus cœleste. Vide *Arctos*, it. *Feretrum*.

URSA, fluvius Helvetiorum (quem transpositis duabus prioribus literis vulgò *Rusam* German. *Rus*, vocant) in summis Alpibus, quibus hodie S. Gothardi nomen est, seu potiùs ex palude, inter duo suprema S. Gothardi juga, oritur, ac rectà ad Septentrionem labitur; cùm contrà *Ticinus* ex eodem jugo per Lepontios in Meridiem abeat. Ursulam sive *Ursellam* primùm, vallem Rhæticam; deinde *Uriam* Tauriscorum, gentis Gallicæ reliquias, venit, ubi lacui *der Lucerner see*, vel *der vier Waldstätten see*, miscetur, qui *Uros*, Suitios, Silvanos ac Lucerinos, quatuor Silvæ civitates (nam ita appellant hodie) alluit: Porrò deinde Tuginis amnibus susceptus Bremgartum ac Mellingam (oppida sunt ditionis Helveticæ) alluens, infra Brugas Arolæ commiscetur. *Baudrando* ex Adula monte ortus, dein in Boream tendens, prope Altorfium & per Lucerinum lac. fluens, Luceriam rigat: ac tandem auctus aliquot amnibus, prope Vindonissæ rudera, in Arolam cadit. *Simlero* dictus videtur, ab Ursariis populis (ubi *Urseren*, ad radices ferè S. Gothardi) quibus ursus pro insignibus est. Idem testatur: *Ursam* aurum ferre, unde Lucernates multi studiosè auri ramenta colligunt, maximè quando imbribus aut nivibus solutis vicina prata mundat. De illo sic Glareanus.

--- --- Ursa celer, nunc versô nomine Rusa,
Gottica stagna trahens, Tauriscos proruit undas
Alpibus à summis, hoc est, a monte Gothardi,
Usque ad Luceriam, Tuginisque amnibus auctus,
Labitur in patrios, quos nunquam contigit, ortus.

URSACIUS, Episcopus Singidonis, in Mysia, secul. 4. Arianus & Orthodoxorum persequutor. Junctus amicitiâ Valenti Meursiâ Pannoni, in Arii schola eruditus est, qui ambo cum Eusebio Nicomediensi, Concilio Tyrio, contra Athanasium, & dein Sardicensi, ubi depositi sunt, interfuêre. Posteà in Concil. Mediolanensi hæresin ejurâsse simulantes, brevi iterum errorem tuiti sunt, & Syrmii A. C. 351. expunxerunt ex Euangelio: *Deus est Spiritus*, quod meritò illis exprobrat Ambrosius, *l.* 3. *de Spir. S. c.* 11. Iterum depositi Conciliô Ariminensi, tantum effecerunt, ut restituerentur, Arianismô interim in Illyrico longè lateque sparsô, donec Romæ à Damaso excommunicati sunt. Theodoret. *l.* 2. Socr. *l.* 2. Sozom. *l.* 3. Baronius *in Annal.*

URSELLA, vicus & vallis Helvetiæ, ad radices montis S. Gothardi, 90. ferè stadiis à fontibus Rhodani. Hic enim Sedunorum fluvius, ex Alpibus oritur, eô locô, quô ex *Ursellana* valle, per Furcam montem, in Sedunos iter est. Assurgit mons, in cujus radicibus Rhodani fontes, perpetuâ glacie in altitudinem 16. ferè stadiorum, suô candore iners, cum utrinque ferè montes abietibus aliisque arboribus vireant. Glareanus.

Tum monteis Ursella tuos, ubi spumifer exit
Cæruleò Rhodanus curru. ---

URSENTINI, populi Lucaniæ, Plin. *l.* 3. *c.* 11. quorum oppid. *Ursimarso*, in Brutiorum confinio, 6. mill. pass. à Lao.

URSEOLA, vel URSOLIS, urbs Galliæ Narbonens. *Antonin.*

URSIDUNGUM, posteà Cella S. Gisleni, vulgò *S. Gulaain*, oppid. seu pagus Hannoniæ ad Hanam fluv. Montibus urbi proximus, inde 2. leuc. in Occasum. *Baudrand.* Valesio vulgò locus cum Monasterio *S. Gulin* aut *Guilham* appellatur, estque in Diœcesi Cameracensi: Idem addit: Gislenus in pago Hainoo prope Castriucium seu Montes in *Ursidungo* monasterium statuit ac *Cellam Apostolorum* appellavit, quæ *Abbatia S. Guleni* nunc à Patrono & Conditore dicitur, ac totius Hainoi primaria habetur, *Notit. Gall.*

URSILLIANUS, ex Ducibus, qui ex Probi Imperatoris disciplina prodiêre, memorantur Vopisco *in Probo, c.* 22.

de URSINIS Joh. Juvenalis, vide *ibi*.

URSINORUM familia, in Italia, Romæ inprimis, illustris, ante 600. circiter annos Historicis memorata, Atibertum III. conditorem habuisse fertur: filium Radbodi Ascaniæ, Ballenstedæ & Harciniæ domini, extincti A. C. 693. Horum ramus in Galliam translatus. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in Fam. Ascania.*

URSINUS Fulvius, ex eadem familia, sed extra conjugium genitus, atque proin ab agnatis suis neglectus, favore cujusdam Canonici Rom. emersit, brevique in doctissimorum sui ævi numero habitus est. Antiquitatis indagator acerrimus, veterum Auctorum varia opera primus in lucem protulit, quæque jam lucem aspexerant emendavit, expoliitque. Scripsit exactâ diligentiâ & curâ adhibitâ, non pauca, Teisserio enarrata *in Elogiis Part.* 2. inter quæ Tractat. ejus *de Familiis Romanis*. Jos. Scaliger *divinum opus* vocat, in *Scaligeran.* Interim *in Notis* suis in *Historic. Lat.* Ciaconium non semel exscripsisse, arguitur Thomas. *de plagiis Litterat.* §. 553. quæ proin Andr. Schottus, postquàm compos *Notarum Ciaconii* MSSc. factus est, ab Ursinianis secrevit. Obiit A. C. 1600. ætat. 70. Thuanus, *Histor.* Nic. Erythræus Pinacoth. 1. Alii.

URSINUS Latinus, vide *Latinus Ursinus.*

URSINUS Mus, vide suprà *Saphan.*

URSINUS Zacharias, Vratislaviâ Silesius, celeberrimus Theologus, scriptis clarissimus, diu Heidelbergæ Professor, in Palatinatu & Arce Coloniensi, sub Gebhardo Truchsessio Elect. Reformator, obiit Neapoli Nemetum, A. C. 1583. ætat. 49. Ejus extant, *Exegesis variorum S. Scripturæ locorum*, *Comm. in cap. 21. Esajæ. Vindicatio Cap. 1. Joh. à blasphemis corruptelis Neariianorum & Samosatenianorum*, *Explicatio Catechismi Heidelb. &c. inter opera*, 3. *Vol. fol. Heidelb.* 1612. *& alibi.* Theologiæ studiosus, quàm Doctor dici maluit, Melchior Adami *in vitis Theol.* Musæo suo inscripsit:

Amice quisquis huc venis,
Aut agito paucis, aut abi
Aut me laborantem adjuva.

Idem. Vide quoque Thuanum, *Hist.* Lætum, *Comp. Univ. &c.* it. voce *Zacharias.*

URSLINGA, castrum Sueviæ, caput territorii cognominis cum titulo *Ducatus* olim, qui, unà cum aliis, Comitibus Wirtembergicis accessit. Et quidem Reinhardi *Ducis Urslingensis* mentio inter Consiliarios Eberhardi Barbati Comitis Wirtemberg. fit apud Hortlederum, *de Causis Belli Germ. Part.* 1. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 23. De Eberhardo Miti id habet Crusius, cui Friderici postremi Teccensium Ducis, ex ultima Duce *Urslingensi*, filia nupta, & hanc & Teccensem ditionem attulit, Tob. Pfannerus *de præcipuis Germ. Principum Gentibus*, *c.* 7. *de Gente Wirtembergica.*

URSO, quæ *Genua Urbanorum*, teste Pliniô, *l.* 3. *c.* 1. *Ursao* A. Hirtio, *de Bell. Hispan. c.* 26. *Orsuno* Appiano, *Ossuna* Morali, oppid. præclarum & Academia Hispaniæ Bæticæ in Vandalitia, ab Astigi 5. leuc. in Austrum ab Hispali 13. Malacam versùs, Ducatus.

URSOLI, aliàs URSEOLI, vulgò *Rosillon* vel *Rousillon*, locus Galliæ, in Delphinatu, inter Valentiam & Viennam, non procul à Rhodano, in diœcesi Viennensi. Est & *Rosilio* in Santonibus, unde nobili familiæ nomen. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

URSTISIUS Christianus, Mathematum apud Basiliens. Professor celebris, scripsit *Patriam historiam & Varia opera Mathematica.* Obiit A. C. 1588. Vide *Christianus.*

S. URSULA, seu Urselinæ, Congregatio sacra virginum & viduarum, in Communione Romana, quæ, sub Episcoporum ductu, Regulam Augustini sequuntur. Instituta primùm ab Angela Brixiacensi, in Italia, approbataque, à Gregorio XIII. A. C. 1572. Dein Magdalena Luilleria, in Gallia similem cœtum constituit, A. C. 1611. à Paulo V. confirmatum. In hisce Monasteriis puellæ magno cum zelo, in omnibus, quæ sexum decent, instituuntur. Hilario Costus, *de fœm. illustr.* Griseô nigroque indui Richelietus docet *Dictionar. Gall.* voce *Ursuline.*

URSUS, Consul an. Urb. Cond. 1000.

URSUS, quasi *orsus* Isidoro, ut vidimus; Barthio potiùs à vi *urgente* & pertinaci bestiæ sævitia; at Varroni, quem sequitur Bochartus, *ab ipsius voce*; quam βρυχὴν quoque, i. e. *rugitum*, vocat Oppianus: quemadmodùm &, sicut Leones, pardos, pantheras, ita etiam *ursos*, βρυχᾶσθαι dicit Pollux. Στεναγμὸν appellant Græci Interpretes i. e. *gemitum*, Esai. *c.* 59. *v.* 11. & videtur ursorum vox habere aliquid gemebundum. Unde Horatius, *Epod. Od.* 16. *v.* 51.

Nec vespertinus circumgemit ursus *ovile.*

Latinè *uncare* est, apud Autorem Poëmatii de *Philomela*,

Dum lynces orcando fremunt, ursus ferus uncat.

Sed ea vox, ut plures aliæ ibidem, eruditis suspecta est, quum ὀγκᾶσθαι, *uncare*, propriè sit asinorum. Meliùs igitur Spartianus, *in Antonino Geta*, Ursi *sæviunt*, inquit, *c.* 5. Unde Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 18.

---- atque in præsepibus ursi
Sævire ----

Græcè ἄρκτος, quasi ἀεργὸς i. e. *piger.* Pigerrimum enim esse animal, docet φωλείας tempus, quô *ursa* per plures menses, præ nimia pinguedine, βαρεῖα καὶ παχεῖα καὶ δυσκίνητος οὖσα, manet in antro prorsus immota, donec emaciata pristinas vires recuperet. Aliter κνωπεὺς seu κνῶπις, à κνώψ, *cæcus.* Namque *oculi eorum hebetantur crebrò, quâ maximè causâ favos expetunt, ut convulneratum ab apibus os levet sanguine gravedinem illam*, quâ scil. oculi hebetantur, Plin. *l.* 8. *c.* 36. Solinus tamen id lucis desuetudini imputat: *Enixæ ursæ quaternis* latent mensibus. *Mox egressæ in diem liberum, tantam patiuntur insolentiam lucis, ut putes obsitæ cæcitate*, *c.* 26. Unde apud Syrachidem, *Eccles. c.* 25. *v.* 23. Πονηρία γυναικὸς ἀλλοιοῖ τὴν ὅρασιν αὐτῆς, καὶ σκοτοῖ τὸ πρόσωπον αὐτῆς ὡς ἄρκτος, Vulgatus vertit hæc posteriora, *& obcæcabit vultum suum tanquam ursus.* Verùm quia in Græco non legitur τυφλοῖ, *obcæcat*, sed σκοτοῖ, *obtenebrat*, *obscurat*; judicat Bochartus, nubila morosi vultus, qualem nequam mulieres exhibent, potiùs conferri cum ursorum πισσαμενόδοισι προσώποις, *faciebus à risu planè alienis*, ut Oppianus vocat, *Cyneget. l.* 3. Certè animal hoc esse σκυθρωπότατον *maximè tetricum*, ait Plut *de Amore erga liber.* unde est, quòd ursos Poëtæ *tristes* vocitant. Inter alios Statius, apud quem *l.* 2. *Achill. v.* 408. legitur Achilles,

---- tristes turbare cubilibus ursas.

Ut autem hilaritas vultui videtur lucem addere, contrà ira & morositas illum obscurat, & obnubilat, uti pluribus docet Bochartus, ubi de Leonum episcynio. Hebræis, Chaldæis, Syris, Arabibus, Æthiopibus דב, *dob* vel *dub*, appellatur ursus, quasi *villosus*, *hispidus*, quod in omnibus feris huic maximè est proprium. Unde de Callisto in ursam mutatâ, Ovid. *l.* 2. *Met. Fab.* 5. *v.* 478.

Brachia cœperunt nigris horrescere villis.

Et *villosus* familiare ursorum epitheton, apud Poëtas est. Uti & Λασιόλλις, in Etymologo: & secundùm quosdam Germanis *Beer*, vel *Baer*, & Anglis *Bear*, dicitur, quia in Phavorino βειρὸν est δασὺ, *densum*, *villosum.* Cœterùm prima in Sacris *ursi* mentio fit 1. Sam. *c.* 17. *v.* 34. ubi narrat Sauli David, quomodo ursum, auferentem ovem à grege, percusserit, ove ex ore ejus erutâ, ac in se insurgentem, maxillâ arreptum, necaverit. Nempe & ursi ovibus infesti, idque noctu maximè, quandoque sub auroræ tempus. Unde Val. Flaccus, *Argonaut. l.* 2. *v.* 73.

Albet ager notisque truces ab ovilibus ursi
Tecta domosque petunt ---

Quandoque sub vesperam, ut ex Horatio vidimus. Os autem iis juxta Oppianum, Κάρχαρον, ἀπέλατον, ἔκτεινὸν, *asperum*, *exitiosum*, *patulum*, è quo David ovem abreptam, tanquam è barathro eruit, illumque in posteriores pedes insurgentem, ut eum priorum amplexu suffocaret & contereret, secundùm Papinianum illud,

Prælia villosis ineunt complexibus ursi,

maxillâ aut mentô arreptum, ut à morsu cohiberet, pastorali pedô confodit. Quàm verò periculosum sit ursi rostrum attentare & corripere, ex Martiali notum, *l.* 6. *Epigr.* 64. *v.* 27.

---- rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.

Nec minus ab urso, quàm à leone, periculum. Unde Amos, *c.* 5. *v.* 19. *Quomodo si quis fugiat leonem, & occurrat ei ursus.* Ut in quo duo timentur, versutia & ferocitas. *Nec enim alteri animali in maleficio stultitia solertior*, Plin. *ubi suprà.* Quare etiam cicuratum in speciem & mansuefactum, ad ingenium subinde redit, & incautos homines aggreditur necatque. Quò facit illud Jeremiæ, *Thren. c.* 3. *v.* 10. *Ursus insidians est mihi.* Ferocia dein ei maxima est, in orbitate inprimis ac fame. Unde Deus ipse Oseæ *c.* 1. *v.* 8. *Occurram eis, ut ursa orbata, & dilacerabo præcordia eorum.* Vide quoque 2. Sam. *c.* 17. *v.* 8. & Proverb. *c.* 17. *v.* 12. Scilicet in hoc genere fœmina ferocior fortiorque, de qua suprà jam dictum: quam proin raptis (id quod tamen rarò fit) occisisque catulis, immanem in modum ferocire, constat. Vide elegantem in hanc rem locum Cyrilli *in Esai. l.* 5. *p.* 834. In fame verò non greges solùm, sed & armenta, audet aggredi ursus, adeoque ipsos tauros: de qua ursorum cum tauris lucta pulchrè Ælianus, *Histor. l.* 6. *c.* 9. Aristoteles, *Histor. l.* 8. *c.* 5. Plinius & Solinus, *ubi suprà.* Proinde, ut magna rerum conversio sub Messia futura significetur, prædicitur fore, ut, mutuô inter hæc animalia odiô desæviente, *bos & ursa pascantur simul*, Esai. *c.* 11. *v.* 7. Alia quædam de *Ursorum* natura infrà, ubi de Persarum cum hoc animali comparatione. At *caput urso invalidissimum, quod leoni fortissimum. Ideo, urgente vi, præcipitaturi se ex aliqua rupe, manibus eô opertô jaciuntur*, Plin. *d. l.* Ubi *manus* appositè vocat anteriores ejus pedes, ut qui manuum formam exactè imitantur. Oppianus iterum *Cyneget. l.* 3. *v.* 144.

Χεῖρας χειρὶ βροτῶν ἴκελαι ---

His laqueos discerpunt, Plut. *de Causis Natur. Qu.* 28. taurorum cornua apprehendunt, Alkazuin, ubi *de pugna ursi cum tauro*: & circumplicatos venatores suffocare conantur, ut vidimus. Sed dextrâ imprimis valent, quâ devinctâ omnis eorum impetus cessat. Oppianus, *l.* 4. Eandem, per totos 40. dies sine cibo manentes, circumlingere sat habent, Ælianus, *l.* 6. *c.* 3. quam γλυκυτάτην εἶναι, σάρκα δὲ φαγεῖν ἡδίστην, *dulcissimam esse & carnem illius esui gratissimam*, ait idem Plutarchus, *ubi suprà Quæst.* 22. Scilicet & homini ad varia hoc animal inservit. Et quidem Atalantam, & Paridem *ursa* libera lactâsse legitur, apud Ælian. *Histor. Var. l.* 13. *c.* 1. & Alexandrum Neap. *Genial. Dierum l.* 2. *c.* 31. Capiuntur autem non unô modô, è quibus unum exposuimus suprà. Ac tum vel feritati suæ relinquuntur spectaculis inservituri. Plin. *ibid. Annalibus notatum est --- Domitium Ænobarbum Ædilem Curulem ursos Numidicos centum & totidem venatores Æthiopas in Circo dedisse. Miror adjectum, Numidicos fuisse, cùm in Africa ursos non gigni constet.* Quem tamen Plinii stuporem, &, unde is ortus, errorem, eruditè refellit Salmas. *ad Solin. p.* 311. & 312. Mille ursos unâ die exhibitos, habes apud Capitolin. *in Gordianis trib. c.* 3. At *ludis Circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicæ & P. Lentuli Ædilium Curulium, sexaginta tres Africanas, & quadraginta* ursos *& elephantos lusisse*, apud Livium, *l.* 44. *c.* 18. Atrocius id, quòd & illis sontes objecti: quos tamen persequutione Diocletianæâ Christianis pepercisse, in Palæstina & Tyro, Eusebius narrat, *l.* 8. *c.* 7. Vel humanâ industriâ cicurantur. Et tum vel Numini alicui consecrabantur olim, qualis Athenis fuit *ursa Dianæ*, quam cùm jaculis confixissent juvenes quidam, sororem ab illa discerptam ulturi, pestis oborta ingens non cessavit priùs, quàm virgines nonnullæ in locum, honoremque ursæ peremptæ, dicarentur Dianæ, quod ἀρκτεύεσθαι τῇ θεῷ dictum, quemadmodùm & ipsæ puellæ ἄρκτοι, i. e. *ursæ*, appellatæ sunt, uti legimus apud Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l.* 26. *c.* 19. Vel domesticæ oblectationi adhiberi consuevêre, uti vidimus de Romanis, voce *Ursa*, adde suprà dicta, in voce *Innocentia.* Hodieque spectaculô ursos circumduci, à Lithuanis præsertim, Moscisque [illegible]orum. Alius fuit *Ursum circumducendi* ritus, notatus Hincmar[illegible]emensi *Capitul. ad Presbyteros*, *c.* 14. *Nec turpia joca cum urso, vel tornatricibus, ante se facere permittat.* Et *can.* 61. Synodi Trull.

Τῷ

Τῷ αὐτῷ δὲ τῷδε ἐπίθυμῳ καθυποβάλλοντες δεῖ ἐ τοὺς ἄρκτους ἐπιτρεφομένους ἐ τοιαῦτα ζῶα αὐτοῖς παίγνιον ἐ βλάβην τ̄ ἀπλουστέρων. Ubi, in ejusmodi *Urſorum* capitibus & corporibus tincturas appendere ſolitos dareque paſſim ex pilis eorum cum tincturis, tanquam phylacteria, ad depellendos morbos, atque adeò oculorum faſcinos amoliendos, obſervat Balſamon? *Minatores*, apud Eligium Noviom. Epiſcop. *Hom.* 14. hujusmodi urſorum circumductores vocitatos eſſe, ait Carolus du Freſne in hac voce. Sed & occiſi ad varia inſerviunt. Dextram inprimis manum in Principum deliriis eſſe conſtat. Vide quæ paulo antè, item ſuprà, dicta ſunt, voce *Branca.* At cerebro veneficium ineſſe creditum, *occiſorumque in Spectaculis capita cremant*, *teſtato*, *quoniam potum in urſinam rabiem agat*, Plin. *d. l.* Capita verò integra galeis olim addita, Statius, *Theb.* *l.* 4. *v.* 304.

Ille Lycaoniæ ritu caput aſperat urſæ.

Medullâ Achilles paſtus, apud Apollodorum, *l.* 3. Pelle loricas galeasque levis armaturæ milites equitesque apud Romanos tectas habuére, teſte Alexandrô Neapol. *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 20. Etiam pelles urſorum, alborum præſertim, ſcabellis ſacrorum Altarium, ne frigus Sacerdotibus noceat, apud Septentrionales ſubſterni conſueviſſe, legas apud Olaum, *l.* 4. *c.* 5. Imò & nomina ab *Urſis* Principibus viris placuêre, qua de re vide Crantzium, *Daniæ l.* 4. *c.* 27. ut de illuſtri *Urſinorum*, quæ Romæ hodieque floret, Familia; de potentiſſima in Helvetiis Bernatium Republ. cujus inſignia nobilis hæc fera illuſtrat, aliisque nil addam. Non poſſum tamen non pauca adjicere, de Perſarum Monarchia, cum *urſo* collatâ, Daniel. *c.* 7. quam comparationem in 4. hiſce conſtitiſſe, volunt Talmudici, *quia edunt & bibunt urſinò more*, *& pingues ſunt ut urſi*, *& comati ut urſi*, *& irrequieti ut urſi*, *in Kiddusin*, *c.* 4. Et quidem, primum quod attinet, notum illud Horatii de Mavio lurcone, *l.* 1. *Epiſt.* 15. *ad Vallam*, ubi alii *Mænium* legunt, *v.* 35.

--- --- patinas cœnabat omaſi
Vilis, *& agninæ*, *tribus* urſis *quod ſatis eſſet.*

Cui vitio Perſæ mancipari cœperunt, cùm priſcos illorum mores Medicus & Lydius infecit luxus: Unde & pinguedo corporis, notata Æliano, in *Variis*, *l.* 12. *initiô.* Prolixum dein capillitium Perſis, quos proin κομήτας, i. e. *crinitos*, vocat Oraculum Mileſiis redditum, apud Herodotum, *Muſâ* 6. Ultimum minùs quadrat in urſos, quos pigerrimum eſſe animal diximus. Tamen ibidem habet *Gloſſa*, *Urſo nulla quies*, *cùm enim ad palum eſt vinctus*, *eum aſſidue circumit.* At Joſeph Jachiæ fil. urſum obſervat eſſe leone minùs pugnacem, & Nebucadnezarem leoninô robore Babylonicum Imperium ſtabiliviſſe, cùm *Urſi* robur Dario Medo ſuffecerit ad Chaldæos debellandos. Alii ex Xenophonte Perſas olim habitâſſe probant ἐν ὀρεινῇ αὐτῇ τῇ χώρῃ, *in regione montana*, quomodo urſi, Theocr. *Idyll.* 1. Addunt, cum urſo conferri Perſas, ratione immanitatis, quæ ſumma fuit, Ammianus, *l.* 23. His junge Perſarum libidinem, quæ in *urſis* itidem tanta, ut quia, cùm fœtæ ſunt, Veneris uſu carent, proinde fœtum ante tempus ex utero violenter exprimant, teſte Oppianô, *d. l.* Subtilius id, quam ſolidius, quòd nonnemo huc refert, ad Perſarum Regem aliter accedere non licuiſſe, quàm pronum, & proſtrâtô more adorantium corpore: conſtat autem, ante urſos tam venatores, quàm viatores, ad terram cernuos ſe projicere, tanquàm mortuos, ut evadant illorum, quippe qui cadavera non tangant, impetum, ex Æliano, *Hiſtor. l.* 5. *c.* 49. &c. Apocalypſeos verò, *c.* 13. *v.* 2. Beſtia, quô nomine Romanum Imperium intelligunt Eruditi, leonis os, pardi corpus, & *urſi* pedes habet. Ubi, ut per os leonis robur immenſum, & per pardi corpus aut maculas varium regimen, vel diverſæ gentes, vel technæ variæ, quibus rem ſuam Romani auxerunt: ſic per *urſi pedes*, firmior quidem, ſed & tardior greſſus ac progreſſus videtur ſignificari. Latum enim in terra pedem urſus figit fortiùs, pardô verò & leone lentiùs graditur, Plin. *l.* 11. *c.* 45. Ita Romanæ Reipubl. firma fuêre incrementa, ſed tarda, ut quæ annô Urb. Cond. 500. demum Italiâ primùm exceſſit. Vide Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 9. *totô*, ubi plura in hanc rem, inter alia & de judicio Dei per *urſos* exercito, ac ſtrage puerorum, ad Eliſæi preces, ab iis editâ, prope Bethelem, memoratâ 2. Reg. *c.* 2. *v.* 23. 24. varia egregia addit: aliquid etiam ſuprà ubi de urſis *Numidicis.*

URSUS Pileatus, Sex. Ruf. locus Romæ, apud Portam Eſquilinam. Ubi ædes *S. Bibianæ* virgin. Hinc *S. Bibiana* dicitur.

URTA, fluv. inter eos qui in Moſam decurrunt, non poſtremus. Oritur ex ſtagno in ſylva Arduenna, inter Biſtane & Tumbas loca Veterib. ſolùm non hodie nota, & partem pagi Bedenſis alluit, atque à Condruſis accolitur: alluitque *Urtam* vicum, non procul à fonte ſuo *Ourt*, dein *Urtam* minorem recipit, cujus amniculi 9. milliar. circiter currentis fonti adjacet alter vicus *Urta.* Tum attingit caſtellum Rupem vel Roccam *la Roche*, Hammum majorem & minorem *Grand Han*, & *Petit Han*, Durbojum *Durbuy*, Longum Vadum *Longué*: mox Amblavam fluv. *Ambleſ* admittit: demum Weſam ſeu Weſdratum fluv. Limburgenſem, apud vicum Condate *Chône*, atque ad urbem Leodicum in Moſam effunditur. Accolæ vocitant *Urt*, Galli *Ourt.* Quidam ad vicum S. Leonhardi *S. Lenart*, *Urtæ* & Moſæ confluentes ponunt, infra Leodicum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

URTICA, ab URTUM, pro *uſtum*; eſt enim, quod ait Macrobius, *igneæ naturæ*; ejusque folia mordacia, ut ait Plinius, *l.* 16. *c.* 24. Unde illa *mordax* Ovidio, *de Arte*, *l.* 2. *v.* 417. *acris* Juvenali, *Sat.* 11. *v.* 166. Et Jobi *c.* 30. *v.* 7. legimus *Urticâ pungebantur.* Plinius quoque, *l.* 22. *c.* 13. *princip.* hinc exclamat, *Urticâ quid inviſius eſſe poteſt?* Addit tamen, *At illa*, *præter oleum*, *quod in Ægypto ex ea fit*, *vel plurimis ſcatet remediis*, quæ mox ſubjungit. Et poſt hæc, *Condidit*, inquit, *laudes ejus Phanias phyſicus*, *utiliſſimam cibis coctam conditamque profeſſus* &c. Idem illius *primùm enaſcentis cibum religioſum* fuiſſe, ait *l.* 21. *c.* 15. *extr.* Et *urticæ* genus, corticem telæ faciendæ bonum habens, memorat Salmaſius *ad Solin. p.* 300. quemadmodùm ex cortice lini, cannabis & byſſi, texebantur olim telæ & hodieque mos texi eſt. Quem ad uſum *Urtica Bohemica* inprimis idonea eſt, ut vidimus ſuprà, voce *Cannabis.* Sed & Antigonus olim pro aurea corona hederaceam, & pro ſceptro dextrâ manu pungentes *urticas* geſtâſſe hôcque habitu jus populis dixiſſe legitur, vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 1. *c. ult.* ut de uſu ejus, in carne Aſcetarum domanda, nil dicam: plura hanc in rem, apud Plinium paſſim, cui adde *Herbariæ Rei* Scriptores: uti de *Urtica marina*, piſcis genere, à cujus eſu ſectatores ſuos abſtinere voluit Pythagoras, Voſſium, *de Orig. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 12. 18. & 39. *Urticam albam*, *in ſolo rubro*, in Daniæ Regum inſignibus, Holſatiam denotare ſuprâ diximus in *Dania.*

URTICINI, populi Piceni. *Plin.* quorum oppid. excisum hodie *Ortezzano* dicitur.

URUNCA, ſeu IS, oppid. Germaniæ ſuperioris in Alſatia, *Enſisheim* Simlero, aliis Mûlhuſia.

URUS, ab ὄρος, quaſi ὀρεινὸς βοῦς, *bos montanus*, ſeu ferus, apud Macrob. *Saturnal. l.* 6. *c.* 4. inter animalia Septentrionis, memoratur Plinio, *l.* 8. *c.* 15. *princip. Gignit---Germania* (Scythiæ contermina) *inſignia boum ferorum genera*, *jubatos biſontes excellentique vi & velocitate uros*, *quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit*, *cùm id gignat Africa*, & quæ ſeqq. quod usque hodie in uſu eſſe, notat Salmaſius, vide ſuprà, ubi de *Bubalis.* Exactiùs ſic deſcribitur Aimoino, *Hiſtor. Franc. l.* 1. *c.* 1. ubi de Hercyniæ ſylvæ feris, *Hi ſunt*, inquit, *magnitudine paulò infra elephantos*, *ſpecie & colore & figurâ tauri*, *Magna vis eorum eſt & magna velocitas: neque homini neque feræ --- parcunt. Hos ſtudioſè captos foveis interficiunt. Hôc ſe labore durant adoleſcentes*, *atque hôc genere venationis ſe exercent --- amplitudo cornuum & figura & ſpecies multum à noſtrorum boum cornibus differt. Hæc ſtudioſè conquiſita ab labris argentô circumducunt*, *atque ampliſſimis epulis pro poculis utuntur.* Ubi quod de cornuum habet uſu, firmat Plinius, *l.* 11. *c.* 37. *Urorum cornibus Barbari Septentrionales potant*, *urnaſque binas capitis unius cornua implent.* Et Solinus, *c.* 20. *Iſtis - - cornua in tantum modum protenduntur*, *ut dempta*, *ob inſignem capacitatem*, *inter Regias menſas*, *potuum gerulæ fiant.* Vide quoque Cæſarem, *l.* 6. *c.* 27. & ad utrumque locum Plinii ac Solini, Salmaſ. *Exercit. Plin. ad hunc p.* 230. & 231. Atque hujuſmodi poculum deauratum, inter alia ſpolia, quæ de Getis acceperat, Jovi Caſio appendit, in monte Caſio, cùm ad bellum Parthicum proficiſceretur, Trajanus Imperator, donaria eleganti carmine Græcô celebravit Hadrianus, ubi poculum hoc vocat,

--- --- Βοὸς οὔρου
Ἀσκηθὲς χρυσῷ παμφαίνοντι κέρας,

apud Salmaſium, *Not. ad Spartiani Hadrian. c.* 14. De reliquis cornuum horum uſibus Plinius ſic pergit, *Alii præfixa his pila cuſpidant. Apud nos in laminas ſecta tranſlucent*, *atque etiam lumen incluſum latiùs fundunt: multaſque alias ad delicias conferuntur*, *nunc tincta*, *nunc ſublita*, *nunc quæ ceſtrota picturæ genere dicuntur*, quæ verba exponentem Salmaſium vide, *ibid.* Sed & ſuper galeis adhibita, docet Car. Paſchalius, *Coronar. l.* 10. *c.* 17. Hodieque eximius eorum apud Helvetios in bello uſus, de quo ſic Sabellici *Supplem. l.* 5. ex Jovio: *Helvetii ad Mediolanum congreſſi cum Gallis*, *cùm in noctem uſque prælium protractum eſſet*, *Duces*, *ut reliquias exercitus colligerent*, *ſignum ingenti claſſicô propoſuerunt. Id erat ampliſſimum cornu ſylveſtris* Uri *operoſô argentô labris exornatum*, *quod à Majoribus per manus traditum*, *apud Uranienſes Helvetiæ libertatis auctores*, *cum magna cura ac religione cuſtoditur. Ejus itaque beneficiô plurimi conſervati ſunt.* &c. Adde quæ dicimus infrà voce *Zubron*, ubi etiam de venatione horum animalium aliquid. Hinc *Urogallus*, German. *Urhan*, galli ſylveſtris genus, duplô majoris, apud Albertum; quem Judæi recentiores *gallum montanum* vocant, Geſnerus cum Plinii *tetraone* eundem eſſe putat, ſicque dictum vult, quòd magnitudine tantùm vulgares gallos, quantum *uri* vulgares boves, ſuperet. Vide eum ubi de hac ave, ut & ſuprà.

URUS, vulgò *Ouſe* teſte *Camdenô*, fluv. Albionis in Anglia per Eboracum urb. fluens, ac in Abrum, ſive Humbrum influens.

USADIUM, Mauritaniæ Tingitanæ promontor. in ora maris Atlantici. *Ptol. Capo di Alguer Marmolio. Capo Cantin Baudrand.* Cantinum caput: in Ducala, provinc. regni Marocani, prope Azaſiam urbem 100. mill. paſſ. à promontor. Gero in Boream.

USAPHÆDUS, Rex Thinitarum in Ægypto V. poſt patrem Venepheri filium Miebidum, regnavit ann. 20. dum Pemphos in Thebaide imperaret, circa tempora naſcentis Corugi. Joh. Marshamus, *Canone Chron.*

USAPU, ſummus Peruanorum Deus i. e. *Admirabilis*, quod inter Meſſiæ epitheta, ac titulos occurrit, apud Eſaiam, *c.* 9. *v.* 6. Vide Joh. Linſchottanum, *Hiſtoriâ Indiæ Occid. l.* 5. *c.* 3.

USARCHIA, urbs parva provinc. Lemovicenſis, ad Veſeram fluv. 5. leuc. à Tutela in Boream, uti 5. à Brivate, 8. à Lemovico in Auſtrum. Melius *Userca*, vulgò *Uſerche.*

USARCHIA, oppid. Inſul. Franciæ 7. leuc. à Lutetia, in Boream, 3. à Sylvanecto in Occaſum Bellomontium verſùs 2. *Luſarche* vulgò.

USBECKIA, vulgò *Usbeck.* aliter *Zagataja*, regio Aſiæ, ſub Tartaria latè ſumpta ſæpe comprehenſa: Ibi aliàs fuêre Sacæ & Ja-

Xartæ

xartæ populi Scythiæ intra Imaum, nunc *Mauralnahar* dicitur, extenditurque inter Thibetum regnum ad Ortum & mare Caspium ad Occasum. Præcipua ejus urbs Samaracanda est. Horuio Regnum Zagatajæ, quod posteri Tamerlanis inter alia retinuêre, primò quidem A. C. 1451. dein A. C. 1470. in Regnum *Chorasan* & *Mavvaranachar* divisum; ac ex Regno *Chorasan* Regnum *Magni Usbecki* natum est, cujus historiam hanc exhibet, *Nomen hoc admodum recens esse oportet. Neque enim ante A. C.1500. mentio ejus in historiis ulla. Primus* Usbeckorum *Rex, cujus apud Texeiram ex Emirkon mentio fit, vocatur Budak, quò pulsô, atque etiam Baburò cognatò ejus, qui in Mavvaranachar latè regnabat, in Indiam ejectô, Schabeck seu Sabakan Rex Chorasane Usbekanum Imperium vel condidit vel instauravit: quod hodie complectitur, quidquid inter Persiam, Indiam, Chinam & Kathajam terrarum jacet. Ita nomen Usbekextinxit Schagadajam. Contra hunc Schabek Ismael Sophi gravissimum gessit bellum eumque totâ Chorasanâ expulit. Ita sedes Regia translata Boccaram. Hodie autem plerunque in urbe Balch versantur Magni Usbeki & infensissimi Persarum hostes sunt*, vide eum *Orbe Imper.* cum *Notis* L. Joach. Felleri, *p.* 441. Ubi quod de infesto illorum in Persas odio ait, confirmat P. de Valle, *Itiner Tom. III.* ubi etiam ephippia eorum mirâ arte facta, quibus proin Persarum Magnates utantur, describit, sicut *Tom. seq.* de Regno hoc prolixiùs paulò disserit. In Jure Hungar. facinorosos ad aliquot dies inviolabiles, *Uzber* dici, habes apud Sambucum & Molnarum.

USBIUM, oppid. Norici, ad Danubium, in Austria. *Ips* hodie, teste *Laziô. Baudrando* quid sit non constat. Sed *Ips* vicus Austriæ superioris ad Danubium aliàs ad Pontem Isis dictus fuit, 6. milliar. German. infra Laureacum. Sunt tamen, quibus Usbium est vicus *Porsenperg*, ad amnem *Usper* dimidiô milliari ab *Ips*.

USCANA, oppid. Macedon. apud Lychnidum. Liv. *l.* 43. *c.* 18.

USCENUM, *Ptol.* oppid. Jazygum ad Granuam fluv. in Hungaria Transdanubiana Strigonio finitimum. *Persexburg Moletio.*

USCOCHI, Gall. *le Uscoques*, populi Croatiæ, versùs sinum littoralem sinus Veneti, & Seniam; sub Austriacis. Aliàs cum Venetis magnas exercuerunt immicitias, unde ortum bellum cum Ferdinando II. Imperatore tunc Archiduce Austriæ.

USCUDAMA, urbs Thraciæ, posteà *Hadrianapolis.* Amm. Marcellin.

USE, inferioris Ægypti Rex XVII. post Anonymum, præfuit annos 50. quô tempore Thebanis Moscheris & Musthis Thinitis Nepher-Cheres & Sesochris Memphitis Meucheres adhuc & Ratæses imperitabant: Isaacus autem Patriarcha Ecclesiam Dei in terra Canaan, doctrinâ & exemplô ædificabat. Illum excepit Ramesses, Joh. Marshamus, *d. l.* ex *Syncello.*

USEDOMIA, vulgò *Usedom*, urbs Pomeraniæ citerioris sub Suecis, quibus nuper, ab Electore Brandeburgico erepta est, in Insul. cognomine inter ostia Oderæ, *Psin* & *Suine*, cum arce & portu, in ora æstuarii seu lacus *das Grosse Haff*, 3. leuc. ab ora maris Baltici in Occasum Anclamum versùs paulò minus, 9. à Stetino in Boream Sundim versùs 12. 2. à Wolgasto milliar. Aliàs emporium celebre, ex ruinis Vinetæ crevit; nunc deficit indies. Occupata est cum tota insul. ab Electore Brandenburgico, A. C. 1676.

USELLIS, *Ptol.* quibusdam *Ales*, aliis *Usel*, urbs est Sardiniæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Arborensi, versùs oram Occidentalem 10. milliar. ab Arborea in Merid. Calarim versùs. Parva admodùm & deficit indies. Olim sub propriis dominis, dein cum Insula tota in Aragonum venit potestatem. Obsessa fuit à Gallis, A. C. 1639. Ibi Sinus quoque cognominis. *Morer.*

USERCA, vulgò *Userche*, locus Galliæ, in finibus Lemovicum, veteri Monasteriô illustris: cujus Abbas Concilii Lemovicensis 2. A. C. 1034. habiti instituta dicitur contempsisse. Ecclesiam *Usercæ* primus omnium Ruricius major, Lemovicensis Episcopus *in Epist. ad Rusticum* memoravit. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Malè *Usarchia* quibusdam, vide ibi.

USILLA, urbs fuit Byzacenæ, *Ptol.* nunc *Casar Cetona* quibusdam, vicus regni Tunetani, in ora Syrtis minoris 30. mill. pass. à Thysdro in Eurum, olim fuit Episcopalis sub Archiepiscopo Carthaginens.

USIPETES, seu USIPII, populi Germaniæ, quorum locus *Hochrug* dicitur B. Rhenano, inter Rhenum fluv. & montes Hassiæ. Sed *Usipetes* Cæsari, *l.* 4. *Bell. Gall. c.* 1. 4. 16. 18. erant finitimi Sicambris & Tencteris; sic apud Tacit. *Germ. c.* 32. quorum urbs *Zutphen* in Geldris, teste H. Juniô; aliis *Wesop*, oppid. in finib. Batavorum, ab Amstelodamo 2. leuc. in Austrum, à Trajecto 3. *Baudrando* prope Rhenum fuêre, in agris Sicambrorum; sed expulsi à Chattis unà cum Tencteris, hæserunt, ubi hodie tractus Reclinckusa, cum parte Comitatus Marchiæ, prope Lupiam fluv. in Westphalia, ex *Brietio.* Aliis, ubi hodie Comitatus Zutphaniæ. Dicti quasi *Uspieter* German. provocatores. *Vispi* Ptolemæo, *Usipii* Martial. *l.* 6. *Epigr.* 60. *v.* 3.

Sic leve flavorum valeat genus Usipiorum.

USO, vir insignis, & antiquissimus, qui tegmina corporis ex ferinis pellibus confecisse dicitur. Euseb. *Præp. Euang. l.* 5.

USO Phœnix, ventis Templum posuit, Euseb. *de Præpar. Euang. l.* 1. Non enim Persæ solùm ventos coluêre, sed & Phœnices, ut ex Phœnicia Sanchuniathonis Theologia liquet. Imò & Græcis erant in veneratione: Unde cùm maximus iis metus esset incussus, ob adventantem Xerxis exercitum, Oraculum Delphicum jussit eos Ἀνέμοις εὔχεσθαι, *Ventis supplicare.* Et ratio addita, quia ab his maximè auxilium maneret Græciam. Itaque tum in delubro Thujæ Cephisi filiæ, ara est Ventis constituta, illisque sacrificatum: Herodot. *l.* 7. Qua de re plura vide apud Voss. *de Idolol. l.* 3. *c.* 1. Idem piscis nomen Danubio familiaris, *insanæ magnitudinis* Bonfinio, Germanicè *Hausen*, de quo vide Thvvroczium quoque *in Andrea Hungar. Rege c.* 43. & suprà *Huso.* An idem cum *glanide* Latinorum, quem cum siluro Plinius confudit, vide suprà?

USONA, vide *Usocona.*

USOUS, Hypsuranii qui Tyri habitavit, frater, ortâ inter illos discordiâ, primus ausus est, Cymbâ ex arboris trunco exstructâ εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι, *mare ingredi*, Sanchuniathon apud Euseb. *Præparat. l.* 1. Unde Tibullus, *l.* 1. *El.* 7. *v.* 20.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

A' quo tempore numerabant Tyrii Sacerdotes annos 2300. Verùm navigationis Phæniciæ primordia urbi nondum conditæ immeritò tribui, iis maximè temporibus, quibus tota Phæniciæ ora *Sidoniorum* nomine celebrabatur, docet Marshamus, *Canone Chron. Sec.* XI. ubi de *Tyro condita.*

USPEN, urbs Siracorum, editô locô, fossisque munita, nisi quòd mœnia non saxô, sed cratibus junctis, ac mediâ humô adversum irrumpentes invalida erant. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 16.

USSERIUS Jacobus, patriâ Dubliniensis, clarâ familiâ in Hibernia natus, Cancellarius Patritii Dubliniensis, Archiepiscopus Armachanus & totius Hiberniæ Primas: cujus avunculus Henricus ex Prædecessoribus unus fuit. Ejus extant, *Chronologia Vet. Testam. Annales Vet. Test. de Cainane, Syntagma de Gr. LXX. Interpretum versione, &c.* Obiit A. C. 1655. ætat. 75. *Vastæ lectionis & eruditionis Theologus, inque antiquitate Ecclesiastica versatissimus*, Voetio. *Eruditione & pietate & scriptis imprimis clarus.* Bertio. *Acatholicorum doctissimus*, Fitz-Symondo P. *Insignis Calvinista Hibernus*, Moranezio *in Anti-Jansenio.* Vide & *Jacobus*

USTADIUM, oppid. Scaniæ, ad Austrum in ora maris Baltici cum portu tantisper capaci. Vulgò *Usted*, 7. milliar. Germ. ab Elleboga in Ortum 9. à Christianostadia in Meridiem.

USTICA, insula Siciliæ, imo & urbs. *Ptol.* Οὐστίκα νῆσος ἐ πόλις. Arabs Geographus à Panormo distare scribit XLM. passus, & aquis esse irriguam, & portum habere commodum. Nomen hodie retinet, vulgò *l'Ustica*, seu *l'Ustega* Fazello. Arabes per Koph scribunt אשתיקה. Sed Pœni olim, ut videtur, per Cheth אשתיחה, quæ vox depressionem & incurvationem sonat: quia insulæ maxima pars plana & depressa est. Horat. *l.* 1. *Od.* 17. *v.* 10.

Utcunque dulci Tyndari fistulâ
Valles & Usticæ cubantis
Levia personuère saxa.

Cubantis, hoc est, depressæ. Bochart. Una Æoliarum est, à littore Siciliæ 60. mill. pass. quot ab aliis Æoliis in Austrum & Libanotum. *Ustica* etiam mons fuit in Sabinis, de quo versus supra scripti sunt intelligendi. *Nic. Lloydius.*

USTILIACUM, seu *Hostiliacum*, vulgò *Ostille*, & à patrono loci *Saint Mars d'Ostille*, castellum est Galliæ, non longè ab urbe Cenomanis. Dictum ab Hostilio conditore. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Majatum.*

USTIUGA, urbs Moscoviæ; *Ostioug* vulgò. Ad fluv. Suchanam, condita olim, ubi *Jug* fluvium recipiebat, unde ei nomen; sed propter opportunitatem ad dimid. milliar. translata est, 180. mill. pass. à Volochda Urbe in Cæciam, 50. à Duina fluv. Caput provinc. cognominis quæ versùs Suchanam fluv. ubi in Duinam cadit, inter Permiam provinc. Czeremissosque populos ad Ortum & Vologdam est ad Occident. Moscoviæ Oriental. provincia est. Hìc panis locô piscium plerunque usus est.

USTORIA Horologia, Specula, vide suprà *Caustica.*

USTRICULÆ, apud Tertullian. *de Pallio*, *c.* 4. *Feras in puero matris solicitudinem, patiens certè jam* Ustriculas, *certè jam virum alicujus clanculum functus*: fœminæ sunt vellendis cruribus destinatæ, Græcè παρατίλτριαι, quarum videl. munus erat, pilos & fruticantem lanuginem molliorum ac delicatiorum resinâ calente aut dropace subtrere, & lævigare *Glossæ*, παρατίλτριαι, *Ustriculæ.* Ad quod Brutriâ inprimis pice utebantur, quod *calidum viscum* vocat Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 14.

--- nullus tota nitor in cute, qualem
Bruttia præstabat calidi tibi fascia visci.

Vide Philostratum *in Vitis Sophistar.* Jul. Pollucem, *l.* 7. *c.* 33. & Salmas. *Not. ad Tertulliani locum*, ubi tamen *hystriculus* mavult legendum, neque ad *Ustriculas* præfatas Afrum Doctorem his verbis respicere censet.

USU capiendi uxorem mos, unum ex tribus Nuptiarum generibus, apud veteres Romanos, de quo vide suprà, ubi de *Nuptiis.*

USUARDUS, Benedictinus, sub finem seculi 9. Auctor Martyrologii, quod Carolo Calvo inscripsit. Sigebert. *c.* 85. *de Viris Illustr.* Trithem. *de Script. Eccles.* Joh. Bollandus *Præf. gen. in vit. SS. c.* 4. §. 7. Voss. *de Histor. Lat. l.* 2. *c.* 31. Valesius, *in Annot. ad Euseb. Hist. Eccl.* Possevinus, *in App.* 5. *&c.*

USULA, Antonin. *Usilla* Ptolem. urbs fuit Africæ mediterranea inter Tusdrum 32. & Theænas ad Ortum 28. mill. pass. Cujus meminit D. Augustinus.

USUM-Cassan, dictus quoque Ozun-Asembec, ex Assembiorum familia, filius Alibeci, oriundi ex Tamerlane, quique de factione *Arietis albi* erat. Cùm Præfectus Armeniæ esset, occisô Rege Joonchâ, cum filio Acenbali utrôque de factione *Arietis nigri*, Persiæ regnum occupavit, bellôque Turcis illatô, filiam Imperatoris Trapezuntini, licèt Mahometanus, sibi junxit. Fœdus quoque cum Christianis pepigit, successu rerum inclytus, sed parum iis profuit. Mortuus A. C. 1478. Angiolelus, *de reb. gestis Usum-Cass.* P. Bizarrus, *l.* 10. *Rer. Pers.* Chalcondylas, *Hist. Turc.* Græcis *Cazanes Longus* dictus, cum Venetis contra Turcas fœdus iniit solenne, sed ut dictum nullô eorum commodô. In familiam postmodùm ejus, ut & Turcomannos, è quibus oriundus, atrociter sæviit Ismaël Sophi major natu fil. Haiddaris Principis Urbis *Ardevil*, in media, quem *Uzum-Cassanis* fil. Jakkubbus præliô interfecerat, capite ejus canibus

in prædam objectâ: sicque novam Familiam Ismaël orsus est, quæ hodieque ad Persiæ clavum sedet. Georg. Hornius, *Orbe Imper. cum Notis* L. Joach. Felleri, p. 421. & 422. Vide quoque suprà passim, inprimis ubi de *Persia*, & *Turcomanni*, nec non voce *Karakiouli*.

USURA, propriè ipse *usus* est, χρῆσις: posteà secundùm eminentiam sic dici cœpit *fœnus*, τόκος. Quomodo summa *Usura*, quantum damni dederit in Republica Romana, docent tum alii plurimi rerum Romanorum Scriptores, tum verò Corn. Tacitus, l. 6. *Annal.* c. 16. his verbis: *Sanè vetus*, inquit, *Urbi fœnebre malum & seditionum discordiarumque creberrima caussa, eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primò XII. Tab. sanctum, nequis unciario fœnore amplius exerceret: cum antea ex libidine locupletium agitaretur, dein rogatione Tribunitiâ ad semuncias redacta. Postremò vetita versura, multisque Plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ miras per artes rursum oriebantur.* Ubi quas leges indigitat, illas videre est suprà, ubi de *Fœnore*. Contrà, apud Germanos, *Fœnus agitare & in Usuras extendere ignotum: Ideoque magis servabatur, quàm si vetitum esset*, Idem *de moribus Germ.* c. 26. §. 1. Thebanis quoque *usuram* exosam fuisse, velut pestem, notat Alexander Neapolitanus, *Genial. Dier.* l. 4. c. 6. nec Indos ad usuram pecuniam locâsse, aut accepisse, aut syngrapham aut depositum fecisse, tradit Ælianus, *Var. Hist.* l. 4. c. 1. Neque pauci sunt, qui omnino illas statuant illicitas. Sed cùm juxta Aristotelem, *Ethic.* l. 5. æqualitas mutua conservet civitates, nec vita humana sine auxiliis mutuis servari possit: jam autem quivis rerum suarum tenax sit, ut, nisi aliqua species lucri subsit, malit pecuniam otiosam retinere, quàm eâ erogandâ forsan, per fraudes & imposturas debitorum aut casus alios, omnino carere: annon sic magis divellendæ, quam firmandæ, societatis civilis causâ præberetur, si omninò usu moderati fœnoris esset interdictum? Dico *moderati*, nam non nisi tale, Legibus & Decretis Imperatorum ac Principum, approbatur atque conceditur. Quemadmodum, Caroli V. constitutione laudabili, indistinctè omnes *Usuræ* ac pensiones ad quincunces reductæ sunt, h. e. ne ultra 5. in singula centena stipulatio fieret, sub interminatione amissionis quartæ sortis, ut apparet ex *Reichsabschied* A. C. 1548. Augustæ celebrato. Atque in hunc modum, non privatis tantùm *Usuræ* licitæ sunt, sed à Magistratibus quibusdam non sine laude exercentur. Ita cum Jac. Bornitus, *Discurs. Polit.* Aliique, Venetæ aliarumque in Italia Rerumpubl. commendant institutum, quò tenuioribus, vel iis, qui subitâ aliquâ necessitate pressi, præsenti pecuniâ indigent, Magistratus ex publico ærario pecuniam credit eâ lege, ut supellectilem auream argenteamve oppignorent & pensionem annuam mediocrem solvant: Qui si solvendo non fuerint, pignus venditur, quodque solutâ pecuniâ reliquum est, debitori restituitur. Quò pactò cavetur, ne tenues gravioribus Usuris urgeantur & (ut S. Scriptura ait) *mordeantur*, aut ad bonorum suorum distractionem alienissimò tempore ac locô adigantur; sed potiùs se suaque servare, ac intereà temporis pignora commodè luere possint. Cujusmodi quid ab Antonino Pio quoque factitatum, quem Capitolinus *in eo*, c. 1. scribit, *Fœnus trientarium*, (h. e. quo pro centum non, ut aliàs, duodena annua, sed quaterna tantum pendebantur) *exercuisse, ut patrimonio suo plurimos adjuvaret.* Quod Pii exemplum non retulit modò, sed & superavit Alexander Imperator, qui & ipse fœnus publicum trientarium exercuit, sed ita, *ut pauperibus plerisque sine Usuris pecunias ad agros emendos dederit, reddendas de fructibus*, Lamprid. *in eo*, c. 21. Ante utrumque verò Augustus, *quoties ex bonis damnatorum pecunia superflueret, usum ejus gratuitum iis, qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulsit.* Sueton. c. 41. §. 2. Ejusque filius ac successor Tiberius, *obæratis tulit opem, disposito per mensas millies sestertiò*, (hoc est coronat. vicies quinquies centenis mill.) *factâque mutuandi copiâ sine Usuris per triennium, si debitor Populo in duplum prædiis cavisset.* E' quibus exemplis facilè patet, probè distinguendam eorum, qui mutuum petunt, conditionem: &, uti Magnatibus, Nobilibus, Mercatoribus, Aliis, ad emenda prædia, ad ædificia extruenda, ad fastum & luxum exercendum, ad faciendum quæstum aliaque gratis dare mutuam pecuniam, nec divini nec humani juris est; ita pauperculos & infirmos ope gratuitâ sublevare nos teneri, cùm ipsi id quoque pagani fecerint, Matth. Berneggerus *in Tac. German. Quæst.* 137. Apud Hebræos ipsos, *Usura* absolutè non fuit prohibita, sed ea tantum, quæ à fratre, i. e. ab Hebræo, exigeretur; non etiam illa, quæ ab extraneo. Vide Deuteron. c. 23. v. 19. Aliam ob rationem Muhammedes, *Usurâ* suis interdixit: Cùm enim Deus usuram cibi æquè prohibuisset ac pecuniæ, Muhammedes Usuram rerum edulium permisit, quæ non in pondere & mensura darentur: harum verò non admisit mutuationem seu permutationem, nisi par pari, absque incremento nimirum ac accessione, restitueretur. Hinc licitum esse voluit, duos olerum fasciculos pro uno paciscì, duo ova pro uno, duos dactylos & similia: Quinimo & pecuniæ etiam numeratæ, ut follium & drachmarum, mutuationem indulsit usurariam, quia non in pondere & mensura constarent, sed in numero. Aliæ verò sectæ Arabum, ut Xaphienses & Malichenses, etiam ciborum, quam permiserat Muhammedes, non in pondere aut mensura dandorum, fœnebrem mutuationem prohibuerunt, rigidiores hâc in parte ipsô Muhammede. Interim in toto Oriente, ferè ab omni ævo, credendi consuetudo minùs frequens fuit, quàm inter Europæos: cum non nisi de rebus certis ac præsentibus præsentes ipsi contrahere inter se ferme soleant & venditiones emptionesque rarò aliter fiant quàm præsentariâ pecuniâ. Quem morem & Græcos olim habuisse docet Proverb. *Græcâ mercari fide*, ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα, item Δὸς, λαβὲ, ut Arabes similiter, *de manu in manum*. De Phœnicibus idem testatur Sophocles, his versibus, quos Grammatici citant.

... ... Ἐκεῖ φιλεῖ γίνεσθαι,
Τῇ μὲν δίδωσι χειρὶ, τῇ δὲ λαμβάνει.
— — *Mox Phœnix fit*,
Alterâ quidem do manu, alterâ verò accipio.

At fœnus esse non potest, nisi in diem credatur. Cum Christianis verò Muhammedani sic agunt, ut Muhammedanus inter Christianos degens illi fœnerari possit: contrà cùm Christianus inter Muhammedanos agit, *Usuram* ab illo accipere non liceat, non magis quàm ab ullo Muhammedano seu Muslimo, ut vocant: Imò nec à Christianis exigi licitæ, qui se illis subjicere coacti sunt & tributum solvunt, &c. Hinc *Usurarii*, non qui omnem, sed qui immodicam usuram exercent. Quales priscis temporibus apud Romanos fuisse diximus, cùm ex libidine locupletum fœnus agitaretur. Quales item illi, qui pecunias levioribus usuris mutuati, graviori fœnore collocabant, notati Augusto, apud Sueton. c. 39. Quamvis in genere Veter. usuræ satis essent graves, utpote menstruæ apud Romanos, Græcos Hebræosque, uti docet Clar. Rittershusius, *Sacrar. Lection.* l. 7. c. 17. Unde, licèt varius usurarum in Republ. Romana modus esset, id tamen ferè semper observabatur, ut, quò quisque honestioris loci esset, eò severiùs fœnerandi licentiâ illi interdiceretur. Sic & Justiniani *Lege*, ut antiquiora omittam, cùm Mercatoribus *bessales usuræ* permittantur, cæteris saltem semisses, Nobilibus verò trientales tantùm conceduntur. Imò cùm Senatores eô tempore, quò vetiti sunt creditæ pecuniæ usuras exigere, *muneris* seu *doni* nomine aliquid à debitoribus acciperent, sustulit illud Alexander Sev. apud Lamprid. c. 26. ad quem Casauboni ac Salmasii *Notas* vide. Recentiori ævô *Usurariorum*, inter Christianos, numerò ac sævitiâ crescente, non unis Conciliis, Lateranensi prælertim A. C. 1179. excommunicati, & bona eorum in Fiscum redacta sunt: ita tamen, ut non vivi ac superstites, sed post mortem punirentur, uti prolixè docet Car. du Fresne, *Glossar.* quem vide: plura verò hanc in rem, apud Salmas. *de Usuris*, item *de Fœnore Trapezit.* & *de modo Usur.* Hug. Grotium, *de Jure Belli & Pac.* l. 2. c. 12. §. 20. & *seqq.* Joh. Frid. Gronov. *de Pecunia vet.* & suprà, ubi de *Caorsinis*, item, voce *Fœnus*: de Hebræorum verò *Usuris* in specie, Joh. Seldenum, *de Jure Nat. & Gent. juxta Disciplin. Hebræorum*, l. 6. c. 9.

USUS, Musicæ species, quæ non per regulas, sed ex *usu* addiscitur, notis Musicis in Libris Ecclesiasticis singulis syllabis superpositis, abrogatis ac neglectis lineis & clavibus Musicalibus: cujus exemplum Menardus descripsit, *Notis ad librum Sacrament. Gregorii M.* Originem ad Alemannos quosdam, & præcipuè Canonicos Ordinis S. Benedicti, refert Anonymus Interpres Hugonis Reutling. apud Car. du Fresne ubi suprà.

UT tu Dominus, ita ego Domina, seu *ubi tu Cajus, ibi ego Caja*, solemnis olim in Nuptiis formula, quâ Sponsa, cùm in ædes Mariti deduceretur, solebat hunc alloqui: indigitans, uti in vitæ, ita in bonorum omnium, se venire consortium. Et quidem fiebat id in Matrimonio per coëmtionem contrahi solito: in quo nec Sponsus nec Sponsa propriô compellabantur nomine: sed ille *Cajus*, ista *Caja* dicebatur, ut suprà latiùs vidimus. Vide Cœl. Rhodig. quoque *Antiquar. Lection.* l. 28. c. 17.

ab UTENHEIM Christophorus, Alsata, Episcopus Basiliensis, doctissimus, bonarum artium ac Canonum Doctor. Eô Ecclesiam moderante, Evangelii doctrina Basileæ, ut & alibi per Germaniam locum invenit: universô Papatu paulò pòst ibi abrogatô. Quam ob causam, ætate ingravescente, Nic. Diesbachium collegam seu coadjutorem nactus est: uterque tamen A. C. 1527. eam dignitatem abdicavit. Successit Philippus de Gundolzheim, sub quo, Collegium majoris Basilicæ Friburgum migravit, ipse ab electione sua urbem nunquam ingressus, Porrentrutii sedem sibi delegit. Vide Christ. Urstisium, *Epit. Hist. Basil.*

UTENHOVIUS Carolus, Gandavensis, nepos Nicolai, de quo infrà, vagus per omnem vitam, sed in Studiorum amore constans, comes aliquandiu Pauli Foxii fuit in Legatione ad Elizabetham Angliæ Reginam, posteà Coloniæ sedem fixit, ac in *Dionysiaca Nonni* commentari orsus, diuque in hoc labore occupatus, perficere tamen opus non potuit, morte præventus. Obiit A. C. 1600. ætat. 64. Scripsit VII. Linguis diversis, Hebraicâ, Chaldaicâ, Græcâ, Latinâ, Gallicâ, Germanicâ & Belgicâ, Epithaphium Henrici Galliæ Regis, quas præter etiam Anglicam & Italicam calluit. Reliqua ejus opera enarrat Anton. Teissier. *Elog. part.* 2. ubi eum mirè ab Adriano Turnebo laudatum, præceptorem Ebroduni trium filiarum Joh. Morelli, Camillæ scil. Lucretiæ & Dianæ, ac in Anglia, à Regina Elizabetha, in cujus gratiam complura scripserit, donis magnificis excultum, addit. Vide quoque *Biblioth.* de la Croix du Maine Melch. Adami, Val. Andream, *Biblioth. Belg.* du Verdier, *Biblioth.* &c. Filius fuit Caroli de quo mox aliquid

UTENHOVIUS Nicolaus, stirpe, prudentiâ & eruditione nobilis, pater fuit Caroli, facundiâ inprimis ac pietate inclyti: Qui ambo inter Reipubl. suæ proceres, ac in pretio fuêre apud omnes seculi sui eruditos, Erasmum præprimis qui Græcô & Latinô epitaphiô Nicolaum ac compluribus epistolis Carolum honoravit. Fuit hic Carolus pater filii cognominis, de quo suprà.

UTER, cui liquor infusus aliò deportatur, aut asservatur, Græcè ἀσκὸς, Isidoro, *Origin.* l. 20. c. 6. ab *utero* dictus est, ob similitudinem. Unde *Utrarius*, quæ vox occurrit apud Livium, l. 44. c. 33. ubi de Paulo docet, quò pactô aquarum inopiam in Olympo monte levaverit, *Postremo sequi se utrarios ad mare, quod minus trecentos passus aberat, jussit.* Ex corio autem fiebant, unde, cùm

 unnió

nimiô Etesiarum flatu aliquando accolæ læderentur, Empedocles Agrigentin. asinos excoriari, & *utres* inde factos in promontoriis extendi ut ventum exciperent, jussisse legitur, apud *Suidam*: alterum hôc pactô se Æolum præstans, cujus *utrem* multis Poëtarum carminibus celebratum habemus. Cujusmodi utribus inflatis innitì & natantes soliti: quô pactô Jul. Cæsarem eâ velocitate maria tranâsse ut sæpe nuntios de se præverteret, ex Suetonio discimus, c. 77. Quod inventum antiquissimum Græcis ante adventum Alexandri M. in usu fuisse, ex Xenophonte liquet *Anabas.* l. 3. *sub fin.* Unde Curtium arguas, qui l. 7. c. 7. Alexandrum sic loquentem introducit, *Utribus autem trajiciendi exemplum fecimus nuper: hoc ut Scythæ imitari nesciant, Bactri docebunt.* Inflabantur autem vel follibus, ut apud Suetonium d. l. Cæsarem, Xenophontem, Florum, Alios: vel stramentis infersiebantur, ut apud Curtium, *eod. lib.* & Arrianum, l. 2. ubi de trajectione Istri, [illegible] hujusmodi utres appellat, sicut follibus inflatos [illegible], Græci vocabant. His itaque incubantes, & pedibus iter adgubernantes tranabant. At Hispanos *in utres vestimentis conjectis, ipsi cetris suppositis incumbentes, flumen transisse* discimus, ex Livio, *Dec.* 4. l. 1. Porrò rates quoque ex iis factæ: sic *utribus*, vel navigiis ex utribus factis, quas [illegible] vocat, thus omne, quod in Regione Thurifera nascebatur, deferri ad Emporium Rubri maris Caneu consuevisse, Arrianus ait *in Periplo.* Etiam ex *bubulis utribus* pontem habes, apud Solinum, c. 56. ubi de Ascitis Arabibus, è re nata sic appellatis: *nam bubulis utribus contabulatas crates superponunt, vectatique hôc ratis genere transcurrentes infestant sagittis venenatis.* Ubi tamen *pontis* nomine non nisi *ponticum stratum* adeoque ratis aliquod aliud genus intelligi, monet Salmasius. Plinius *ponte utres sternere* hoc ipsum dixit, l. 6. c. 29. de iisdem populis loquens: *Bubulos binos utres sternentes ponte piraticam exercent sagittis venenatis.* A' Romanis verò pontes utribus junctis constantes, qui *ascogephri* dicti sunt, inventos habemus quorum descriptio extat *in Notit. Imp.* Sic junctum Tigrim à Ioviano, in reditu è Perside narrat Zosimus, l. 3. &c. Vide suprà voce *Ascogephri*, item *Ponticulus*, & alia quædam huc facientia, infrà, voce *Utres*, item *Utricularius*: de *Utru* verò seu culei apud Hebræos usu in perjuris puniendis, suprà, ubi de *Perjurio.*

UTERINA, inter puerperarum olim Deas, de quibus vide Augustin. *de Civ. Dei*, l. 7. Ab *utero*, sacrosanctâ illa corporis fœminei parte, quam commendandis rebus suis principes fœminas sæpe nominare, legimus apud Poëtas. Sic Ceres apud Claudian. l. 1. *Raptus* v. 195. Siciliam alloquens,

> --- *Tibi gaudia nostri*
> *Sanguinis & caros* Uteri *commendo labores.*

Niobe, apud Ovid. l. 6. *Met.* v. 192. Latonam contemnens,

> --- *illa duorum*
> *Facta parens*, Uteri *pars est hæc septima nostri.*

Vide quoque Papinium Statium l. 3. *Theb.* v. 154. & Barthium ad eum. Theb. Quo facit, quòd Chassanæus de Illustribus Germaniæ fœminis memorat, illas non minùs *Viri* fœcundô proventu, quàm Corneliam illam Gracchorum apud Romanos matrem, gloriari consuevisse. Est autem *Uterus* propriè officina mulebris, in qua fœtus concipitur, Græc. [illegible] pars scil. umbilico subjecta, & ab illo ad pubem pertingens, aliter [illegible] Græc. ut scribit Pollux, l. 2. Unde de mulieribus propriè, sicut *alvus* de viris, *venter* de utrisque. Nomen Isidoro inde, *quòd duplex sit & ab utraque in duas se dividat partes, quæ in diversum diffusa ac reflexa circumplicantur in modum cornuum arietis, vel quòd interiùs impleatur fætu*, Origin. l. 11. c. 1. Rectiùs ab [illegible] Græco, seu [illegible], quod idem membrum Græcis notat, teste Polluce, d. l. Apud Persas olim *Uterum* Reginæ, in spem masculæ prolis, in Regno successuræ, coronatum esse, diximus suprà uti de *Utero Poppææ* à Senatu Rom. Diis commendato, voce Poppæa. Plura vide hîc passim, ut & apud Suicerum, *Thes. Eccl.* voce [illegible], ubi locutionibus his [illegible], seu [illegible], *venereas libidines* communiter indigitari, apud Scriptores Eccles. appositè ad ea, quæ antè dicta, notat.

UTHAI, nomen viri, Esdr. c. 8. v. 14. Latinè, *perversitas*, *hora*, vel *temporalis.*

UTHINA, urbs Africæ mediterranea *Ptol. Stephan.* & *Polybio*, &c. Colonia & urbs olim Episcopalis Africæ littoralis, sub Archiepiscopo Carthaginiensi à Carthagine 34 mill. pass. in Occas. *Punicarum in Africa urbium*, inquit Cl. Bochartus, *si Carthaginem demas, nulli cessit Utica*, unde Appianus: [illegible] Stephan. eam scribit esse [illegible], h.e. *Tyriorum coloniam.* Ita Justinus, l. 18. c. 4. *Cùm & opibus & multitudine Tyrii abundarent, missâ in Africam juventute Uticam condidere.* Itaque de antiquitate non parum gloriabatur, quin & eô nomine Carthagini præferebatur. Aristoteles *in libro mirabilium*: [illegible] i. e. *in Libya Utica quam vocant, quam in sinu sitam esse ajunt, inter Mercurii & Hippi promontoria, ultra Carthaginem stadiis ferè ducentis atque annis 287. ante Carthaginem esse conditam, ut in Phœniciis historiis scriptum legitur.* Vellejus Paterculus, l. 1. c. 2. circa Codri tempora, qui Saulis, Israëlitarum primi Regis æqualis fuit, Tyrios paucis annis post Cades Uticam condidisse refert. Silius, l. 3. v. 241.

> *Proxima Sidoniis Utica est effusa maniplis,*
> *Prisca situm, veterisque ante arces condita Byrsæ.*

Utica enim, vel *Ityca* Punicè [illegible] *Attica*, i. e. *prisca* dicebatur *Bochart. Nic. Lloydius.* Baudrando Utica nunc omnibus *Biserta*, Arab. *Benesert*, urbs regni Tunetani, satis ampla & munita, sed piraticâ infamis, cum portu capaci, seu veriùs sinu parvô in ora Maris Afrci. Hîc Gn. Nevius, tertium inter Comicos locum obtinens, apud Volcatium, Româ inimicorum factione ejectus obiit, ut & Cato, hinc *Uticensis* dictus.

UTI, apud Trebellium Pollionem, *in Herode*, c. 16. *in XXX. Tyranno. Ingenio ejus usus Odenatus, quidquid cum ... regalium, quidquid divitiarum gemmarumque cepit, eidem tradidit*: notione sumitur non vulgari, eleganti tamen & merè Latinâ, estque *ingenio alicujus uti*, pro obsequi ingenio & morem gerere. Sic *uti Foro* dicitur, qui sese fori cursui, ut vulgò dicitur, accommodat, & secundùm ejus annonam, prout vilis aut cara est, aut merces suas proponit, aut retrahit. *Uti Regibus* dixit Horatius, pro Regibus obsequi & illorum voluntatibus secundas agere, in notissimis illis versibus, l. 1. *Ep.* 17. v. 13.

> *Si pranderet olus patienter, Regibus uti*
> *Nollet Aristippus, si sciret Regibus uti,*
> *Fastidiret olus, qui me notat* ---

Et l. 1. *Ep.* 12. v. 21.

> Utere *Pompejo Grosphô, &, si quid petet, ultrò*
> *Defer* ---

Apud Plautum, *Mil. Actu* 3. *sc.* 1. v. 85. similiter *uti sese* dicitur, qui genio suo indulget, animoque obsequitur:

> *Es, bibe, animo obsequere mecum, atque onera te hilaritudine.*
> *Liberæ sunt ædes: liber sum autem ego: me uti volo liberè.*

Neque aliter accipiendum illud Plauti, *Captivis Sc.* 4. *act.* 4. v. 12.

> *Dicam ut sibi penum aliud ornet, si quidem sese uti volet.*

Parasitus namque totum carnarium deturbaverat & aulas & calices confregerat, & cellas omnes refregerat, & omnia denique, quæ ad genium lepidè curandum valent, conturbaverat, adeoque aliud sibi quærendum habebat penu, siquidem genio suo indulgere vellet, Salmasius *ad Pollion.* d. l. Vide & Barthium, *Animadv. Papin.* passim.

UTICA, quæ meliùs *Uzetia*, sive *Ucetia*, item *Ucetia*, Gall. *Uzes*, urbs Galliæ Narbonens. in Occitana regione Episcopalis sub Archiepiscopo Arelatensi, in *veteri*. *Notitia* provinciarum & civitatum Galliæ, in provincia Narbonensi prima, nunc ultimô locô, nunc penultimô ponitur. Proin miratur Valesius, illam in quibusdam earum *Metropolim* vocari, cum eô honore urbs ista nunquam gavisa sit, sed semper Narbo: dumque Narbo Gothorum fuit ac Saracenorum, Bituricas ad tempus pro Metropoli habuerit; vel, si aliis credimus Arelatum. *Arisitatensem* eam vocatam quoque asserit Monachus, qui duos de vita S. Arnulphi Mettensis Episcopi libros composuit, fortè à rivo *Aslinus*, seu *Alsina*. Gregor. Turonensis, l. 8. c. 18. ejus meminit, *urbem Ucetiam* illam vocat: quemadmodum idem, l. 6. c. 7. *Ferreoli Ucecensis Episcopi* mentionem injicit: ex quo colligitur, promiscuè nunc *Ucetiam*, nunc *Uetiam* dici consuevisse. Divisio regni Lotharii A. C. 870. facta *Ucetiam* vocat Vivarisque conjungit; & iterum post Lugdunense ac Viennense territorium, Vivarias & Ucetiam infrà commemorat, i. e. pagum seu agrum Vivaticensem ac Uceticum. Rigordus in A. C. 1183. in *Gothia civitatem Ucetiam* memorat. Ex ejus Episcopis Probatius Concilio Agathensi subscripsit: Concilio Aurelianensi 4. Firminus, *Episcopus Ecclesiæ Ucticensium* dictus Concilio Parisiensi 2. interfuit Firminus &c. inter Nemausum 4. & Luteviam ad Occident. 8. leucis. Hinc *Uceticensis* tractus, *l'Uzegeois.* Vide *Ucetia.*

UTICA, oppid. Hispaniæ Bæticæ, nunc *Marmolexo*, in Vandalitia, in Diœcesi Giennensi, teste *Lubinô*,

UTHICA, vide *Uthina.*

UTICENSE Cœnobium, seu *Fanum S. Ebrulphi*, Gall. *Saint Evroul*, pagus Normanniæ, cum Abbatia celebri, ad fontes Carentoni fluv. in sylva *Uticensi*, vulgò *la Forest d'Ouche*, quæ est in Diœcesi Lexoviensi, & Decanatu Monasterioli ac limite Ebroicensis, 3. leucis ab Aquila in Circium 7. à Lexovio in Meridiem, non longè à castello Oximis, unde & *Oximense* olim dictum esse affirmat Cointius in *Annal.* apud Hadr. Vales. *Notit. Gall.* A' S. Ebrulpho, primo Abbate, qui obiit A. C. 596. dictum.

UTICENSIS Victor, vide *Victor.*

UTICUM, vel US, vulgò *Ouche*, vel *la forest d'Ouche*, sylva est Galliæ in Diœcesi Lexoviensi & Decanatu Monasterioli, cum loco cognomine, ubi Ebrulfus Abbatiale Monasterium extruxit, quod ab ipso nomen accepit & dicitur unà cum loco, *Ad S. Ebrulfum*, Gall. S. *Evroul.* Idem tamen, quoniam situm erat in pago Oximensi, non longè à castello Oximis (*Hiesmes*) olim *Oximense* dictum esse, nec non à saltu, in quo est, *Uticense*, Cointius in suis *Annal.* affirmat. Cæterùm *Saltus Uticensis*, *Sylva & Eremi Uticensis* meminêre Ordericus Vitalis & VVilh. Gemeticensis. Vide Hadr. Vales. *Notit. Galliæ.*

UTIDAVA, oppidum Daciæ, Ptolemæo, excisum. *Uwarchel Lazio.*

UTIDONENSIS Henricus, vide *Henricus.*

UTILIUS, inter adulteros Faustinæ, memoratur Capitolino, in *Marco Imperatore*, c. 29. ubi tamen *Tutilius* legi jubet Salmasius utrumque *Vitilius*, non minùs ac *Tutilius*, nomen Romanorum, & *Vitilia*, nomen mulieris in saxis esse, non inficiatus, *Not. ad l.*

UTILO, alii *Odilonem*, vel *Theodonem* vocant, Bavariæ Princeps, septem monasteria extruxisse, unum *Afanse*, prope Mœnum, lacum Noricorum: sex in inferiori Bavaria, juxta Danubium, legitur, apud Aventinum, l. 3. *Annal.* Postquàm Hildtrudam Caroli Martelli filiam raptam, in uxorem duxit, idem *ibid.* vide & Rhegin. l. 2.

de UTINO Leonardus, vide *Leonardus*

UTINUM, & UTINA, *Attina* Melæ. l. 2. c. 4. ut aliquibus videtur

videtur, urbs Carnorum, ac Foro-Juliensium conventus juridicus, Patriarchæ Aquilejensis sedes, olim Episcopalis sub Carolo M. ab Aquileja, in Circium 20. mill. pass. à Foro-Julio 8. & à Venetiis 70. in Boream *Ferrar.* Hodie *Udine* incolis, German. *VVeyden.* Caput Foro Julii. Sub Venetis ab A. C. 1420. ab ora maris Adriatici 20. mill. pass. in Boream, 20. à Goritia in Occasum. *Baudrand.*

UTLAGATI, in Anglia olim, qui ob contumaciam in non comparendo, cùm in jus vocarentur, capitaliter convicti, adeoque capite diminuti fuêre, dicti sunt, quasi *extra Legis protectionem positi*, etiam antiquitùs *Forbanniti*, similes iis, qui apud Venetos hodieque *Banniti* dicuntur, & in quales, apud veteres Hebræos, Zelotæ jus suum exercere poterant. Henr. Bractonius JCtus A. C. 1240. *Item*, inquit, *foris facit Vtlagatus omnia, quæ pacis sunt, quia à tempore, quô Vtlagatus est, caput gerit lupinum, ita quòd ab omnibus interfici poterit & impunè maximè si se defenderit vel fugerit, ita quòd sit difficilis ejus captio.* Quibus consonæ sunt Leges Eduardi Confessoris, c. 7. *Si repertus fuerit & retineri possit, vivus Regi reddatur; vel caput ejus, si se defenderit. Lupinum enim gerit caput, & hæc est Lex communis & generalis de omnibus Utlagatis.* Et nomen illud *Capitis Lupini* etiam in Henrici IV. tempora, in Foro, pro *Vtlagato*, duravit, ut elicit Seldenus ex Rogerii Cos. Londinensis fabula, apud Galfredum Chaucerum, necdum omnino editâ, designavitque quasi jus Zelotarum, ex origine, usurpatum pro eo, quem non solùm cuique licuerit occidere, sed ob cujus mortem sic inflictam laus saltem, publici præmii locô, singularis debita eô nomine fuerit interfectori. Sic enim antiquitus in Anglia circa lupos se mos habuit, quemadmodùm posteà aliquamdiu circa vulpes etiam, catos sylvestres, mustelas, lutras, quadrupedes alios, uti & circa aves aliquas, frugibus & pullis infestiores, Lex hæc obtinuit. Certè & jus ejusmodi nonnulli olim, apud eosdem, in eos viguisse opinati sunt, qui *extra pacem & protectionem Regis* ideò positi (juxta formulam Forensem *Præmunire* dictam) quòd de re aliqua in Foro quocunque sive Romæ, sive Avenione, sive intra Angliam agerent, cujus cognitio ad Tribunalia spectaret Regia, i. e. maximè in Ecclesiasticos Majestatem Regiam sic planè auctoritatis Pontificiæ obtentu, lædentes. Sed sub Elisabetha Regina, sancitô Parlamentariô, optimo hæc abolita est: quemadmodùm *Vtlagatos* occidendi immunitas seculis abhinc aliquot evanuit. Interim mortem, pœnæ instar, inferendi, citra figuram judicii, usus etiam cernitur, ut in mortem receptus, ubi famâ aliterve læsus quis in duellum lædentem provocaverit: quâ de re Scriptores obvii, sed præ aliis, Thom. Hurtado *in Resolut. Moral. Tract. ult. Resol.* 5. &c. apud Jo. Seldenum, *de Synedriis Veter. Hebræor. l. 2. c.* 14. §. 3. Vide quoque infrà ubi de Hebræorum *Zelotis.*

UTO, Hermanni Suevorum Ducis frater, cum Conrado Sapienti, auxilio advenit Ottoni I. Imperatori Brisacum obsidenti, quem Giselbertus Lotharingiæ Dux & Eberhardus Comes invadere parantes, superatô Rhenô prædas egerunt. Horum vestigia legens *Uto*, monitus à sacerdote, cui Lotharingi jumentum abstulerant, de loco ubi degerent hostes, illis improvisus supervenit: occiditur Eberhardus, Giselbertusque, dum Rhenum equô tranare tentat, mergitur. Quô nuntiô acceptô, equô desiliens Otto & in genua profusus Deo gratias egit, ac cum universo Comitatu in templum perrexit, Crantzius, *Saxon. l.* 3. *c.* 59.

UTRAQUISTÆ, in Bohemia ab adversariis dicti, qui *sub Utraque*, scil. specie, Panis videl. Eucharistici & Calicis benedicti communicabant in S. Cœna. Vide hic *passim* inprimis voce *Calix* Specialiter verò à Taboritis hôc epithetô distinguebantur Calixtini, quos vide.

UTRECHTUM, vide *Ultrajectum*: & plura apud Cl. Ottonem JCtum, *Notis ad B. Rhenanum p.* 634.

UTRES, ludi olim genus. Erant enim, qui supra *Utres* oleô unctos & vinô plenos pedibus saltarent, inter quos censebantur victores, qui ita sese gerebant dextrè, ut præ lubricitate humi non caderent, atque hi pro præmio utrem cum vino ferebant: qui verò utris lubricitate in terram lapsi, natibus solum percutiebant, non sine magna voluptate spectatoribus movebant risum. Quod antiquitus observatum fuit in ludis Baccho sacris quos Ἀσκώλια vocabant in quibus *Utres* è caprinis pellibus conflati (ἀσκὸς enim *utrem* notat) hujusmodi saltibus calcabantur, in caprarum contemptum, quæ adeò vitibus infestæ creduntur. Meminit ludi Aristophanes, *Pluto*, Ἀσκωλίαζ᾽ ἐνταῦθα πρὸς τὴν αἰθρίαν, i. e. *hic sub dio super utrem salta.* Eubulus etiam apud Aristophanis Interpretem καὶ πρός γε τούτοις ἀσκὸν εἰς μέσον καταθέντες εἰσάλλεσθε καὶ καγχάζετε ἐπὶ τοῖς καταρρέουσιν, i. e. Quare *Utrem, in medio collocantes, saltate, & eos, qui humi ceciderint, cachinnô prosequimini.* Ex Latinis Virgilius, *l.* 2. *Georg. v.* 384.

--- --- atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saliêre per Utres.

Cujus exercitationis priscæ iconem habes, è gemma Petri Stephanonii, quam Hieron. Mercurialis inseruit suo Operi *de Arte Gymnast. l.* 2. *c.* 11. Sed nec illud ignorandum, quod scriptum est apud Jul. Pollucem ἀσκωλιάζειν, tam de his, quàm de uno sublevato pede, alterô solô saltantibus, dictum esse apud Veteres. Vide quoque Eustath. *in Homer.*

UTRICULUS, Musici instrumenti genus, apud pastores agricolasque usitatum, cujus figuram una cum tibiis & fistula: Sistro item, crotalo, aliisque crepitaculis, ex antiquis monumentis, curioso Lectori spectandam exhibet Laur. Pignorius *de Servis.* Jul. Cæs. Scaliger, *Poët. l.* 1. *c.* 20. ubi de variis tibiarum speciebus agit, *Utricularis* quoque tibiæ meminit, *utrôque additô Ascaulon factam, longè diversâ figurâ; apud Mysos ac Pannonas, tantâ acritate, ut penè tubam superaret. Apud Gallos verò pleniorem, rauciorem, graviorem, molliorem haberi, adeò ut in cubiculis quoque sine aurium offensione audiatur*, addens. Vide quoque suprà voce *Musa.* Hinc *Utricularius*, Græcè Ἀσκαύλης, qui *utriculô* ludit, ad quod instrumentum respicit Hieronymus, seu si quis alius Auctor *Epist. ad Dardanum*: *Antiquis temporibus fuit chorus quoque simplex pellis, cum duabus cicutis æreis, & per primam inspiratur, secunda vocem emittit.* Ubi *dorus* existimat legendum Salmasius, nam & δορὸς Græcis pellis est vel uter, apud *Hesychium.* Quòd verò de *Utriculario*, versum hunc Virgilii, sive incerti Auctoris in *Copa*,

Ad cubitum raucos excutiens calamos:

explicant nonnulli, eidem refelluntur, Syricam illam κοπαλίδα ante tabernam suam sub crotalo saltantem, crotalumque simul manu quatientem & brachiô crispante æreos calamos excutientem, quorum raucô concussu crepitus ille reddebatur, innui docenti, *Not. ad Vopisc. in Carino.*

UTRIO, fluv. Galliæ, in Biturigibus, vulgò *Oron*: prope Avaricum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Bituriges Cubi.*

UTRICESIUM, urbs Batavorum, *Utrecht.* Vide *Trajectum.*

UTRICULUM, hodie *Otricoli*, oppid. Umbriæ olim Episcopale, in monte, Tiberi proximum, inter Narniam 8. & Romam 30. millibus pass. Populi *Utriculani.*

UTTA, sylva olim Regia vel saltus Galliæ, inter Agendicum Senonum & Augustobonam Tricassium, nunc *Otte* vulgò. Fuit olim, qualis hodieque est, maxima, inter Icaunam ac Venenam amnes longè lateque patens, ante Ann. 500. regnante Ludovicô Septimô, & à Villa Nova Regis Agendico proxima ferè usque ad Augustobonam, Tricassium pertinebat: unde pago circumjacenti longè latéque nomen. In litteris Imperatorum Ludovici & Lotharii, inter cætera, Monachis S. Germani Agmantum in Senonicis *Esmans*, cum sylva *Utta* datum legitur. Ejus pars *nemus Ottonis* olim dicta. In sylva hac Sedantum est *Sens en Otte*, Villa Nova Regis, castellum Aquæ *Aix en Otte*, ad rivum in Venenam influentem, non procul à Sedanto, ad Episcop. Tricassinum pertinens, quod Angli 400. qui in præsidio erant A. C. 1358. excursione factâ fusi, posteà incenderunt ac deseruerunt. Cœnobium à Mariano Abbate Autissiodorensi sub Ludovico præfato Rege extructum &c. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

UTUNTÆ, vicus Brisgaviæ, prope Rhenum, inter Brisiacum ad Boream & Basileam ad Meridiem. Vulgo *Uuten.* Fortè is est, qui *Urunca*, seu *ir*, aliis. Vide ibi.

UTUS, fluv. Mysiæ, ex Hæmo in Danubium fluens, & urbs *Antonin.* duodecim millibus pass. ab Oesco Triballorum, Thraciam versùs. Hic Arugillus ab Attilla interfectus, *Ammian.* in Dacia Ripensi.

VV.

W Duplex *VV*, Germanis usitatum est, quamvis & per *Gu* sæpe reddatur: Unde *VVilhelmus* & *Guilhelmus* promiscuè dicitur. Imò olim Romanos V. efferre solitos esse, sicut German. *VV.* hodie; illosque pronuntiâsse *VVinum*, *VVallum*, *VVidua*; *VVacillare*, &c. unde Belgarum *VVijn*, *VVall*, *VVeduwe*, *VVaggelen*, &c. docet Ger. Jo. Vossius *in Aristarcho*, *l.* 1. *c.* 24.

UVA, ab UVORE, i. e. humore & latice intus concluso, Varroni, *l.* 4. *de LL.* quem αἷμα τῆς σταφυλῆς, *sanguinem uvæ*, dixêre Græci, uti & in Sacris appellatur, vide Gen. c. 49. v. 11. & Deuteron. c. 32. v. 14. Aliter *racemus*, quod vide. Græcè Βότρυς, in vite potissimum, totus fructus est, qui partibus constat, *scapô*, *pediculô* & *acinô* sive *granô*, ut vocatur Ovidio, Columellæ, Scribonio, *Acini* partes sunt, *folliculus*, *succus*, *caro* (qui & *callus* Plinio) & *nucleus*, de quibus omnibus vide If. Casaubon. *ad Sueton. Octav. c.* 76. adde Hadr. Turnebum, *Advers. l.* 25. *c.* 26. & Becmannum, *Origg. L. L. p.* 193. *Earum genera magnitudine, colore, saporibus, acinis innumera --- Hic purpureô lucent colore, illic fulgent roseô, nitentque viridi. Candicans enim nigerque vulgares. Tument verò mammarum modô bubasti. Prælongis dactyli porriguntur acinis. Est & illa naturæ lascivia, ut pragrandibus adhæreant parvi, mites & suavitate certantes --- Durant aliæ per hyemem, pensili concamerata modô. Aliæ, in sua tantùm continentur anima, ollis fictilibus & insuper doliis inclusæ, stipata vinaceis circumsudantibus. Alius gratiam, qui & vinis, fumus affert fabrilis, iisque gloriam præcipuam in fornacibus Africæ Tiberii Cæsaris auctoritas fecit. Ante eum Rhæticis prior mensa erat, & uvis Veronensium agri. Quin & a patientia nomen acinis datur passis. Condiuntur & mustô uvæ, ipsæque vinô suô inebriantur. Aliæ decoctæ in musto dulcescunt, aliæ verò sobolem novam in matre ipsa exspectant, transflucidæ vitro* &c. Plin. *l.* 14. *c.* 1. Ubi tamen, quod de *uvis passis* ait, fallitur Dalechampiô judice, qui potiùs, quòd ad Solem expandantur, sic appellari tradit. Vide quoque Auctorem Anonymum, *Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ. c. de Commerciis*, ubi eas hodie è Cypro afferri, quæque Malagâ ex Hispania veniunt, duûm generum esse, *de Lexia* & *de Sol*, ait. Addit Plinius, *uvas magnitudinem infantium puerorum in interiore Africæ parte exsuperare.* Quod circa hyperbolem dici, colligimus ex Numer. c. 13. v. 23. ubi de exploratoribus à Mose emissis, *Deinde pervenerunt usque ad vallem Escholis, unde excisô unô palmite, cum botro uvarum, deportaverunt cum palanga duobus*; scil. hominibus, digna proin res visa, cujus gratiâ tam beata regio victricibus armis quæreretur. Quemadmodùm Gallos primos in Italiam expeditionem suscepisse, ubertate soli & vini inprimis suavitate allectos, cùm Elico quidam Helvetius, qui fabrilem artem Romæ aliquamdiu exercuerat, sub Tarquinio Prisco, ficum siccam & uvam oleique & vini præmissa, remeans secum tulisset, scribit Plinius, *d.*

l. Quod autem de *uvis ollis fictilibus includi solitis* habet idem, confirmat Aurelianus, qui *ollares* inde vocat, sicut σταφυλὰς ἀπὸ χύτρας appellat Aëtius. Earundem meminit Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 19. *v.* 9. de fure cœnarum Santra,

Dulci placenta sordidam linit mappam,
Illic & uvæ collocantur ollares.

Et Statius, *l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 42.

Ollares rogo non licebat uvas,
Cumano patinas in orbe tortas
Aut unam dare synthesin ---

Quæ quomodo componi ac servari sint solitæ, docet Columella, *l.* 12. *c.* 43. Ut de *uvis Apamenis*, quæ hodie *Damascena*, Lampridio memoratis in *Heliogabalo*, *c.* 21. ubi inter alia hujus luxuriæ argumenta etiam hoc recenset, *quòd miserit uvas Apamenas in præsepia equis suis*: de *uvis Lavitanis*, quarum mentio apud Capitolin. *in Clodio Albino*, *c.* 11. ubi *uvarum Lavicanarum pondo viginti*, cum, juxta alia complura, jejunum comedisse, de aliis, nil dicam. Legem de *uvis* habemus Deuteron. *c.* 23. *v.* 24. *Si ingrediaris vineam proximi tui, comedes quidem* uvas *pro desiderio tuo, ad saturitatem tuam: at instrumento tuo ne indito.* Quâ non paulo severior militaris illa, quam cùm Hecatonymus gregarius miles, decerpendo uvas contra Imperatoris edictum, esset transgressus, vite ad mortem usque cæsum, legimus *in* 1. *Epigr. Græc.* εἰς πονηρούς. Benedictionem *uvæ* in Eccles. Romana suprà. Ex voto abstinuerunt, ad tempus Nazitæi; in perpetuum Rechabitæ, de quibus suprà: ex superstitione, hodiernorum Turcarum nonnulli &c. De more plurimarum olim Ecclesiarum simul cum pane & vino *uvas* in altari offerendi, pauperibusque distribuendi, vide *can.* 28. Concil. Trull. Acinô *uvæ* porrò inter potandum suffocatus Anacreon: Elephanti *uvarum* mororumque sanguine ad prælium accensi, 1. Maccab. *c.* 6. *v.* 34. sed & coronati *uvis* ebrii, uti docet Car. Paschalius, *Coron. l.* 2. *c.* 8. &c. Vide plura apud Plinium, *c. cit.* alibique, nec non hîc passim. Quàm ad vivum autem *uvas* expresserit Zeuxis, adeò ut aves similitudine deceptæ ad illas convolaverint, vide in eo. Ἀμπέλογυς vox de aliis quoque dici solet, notumque pro baccis & corymbis hederæ vel sambuci usurpari non rarò: *de uva populi albæ*, aliisque huc pertinentibus, Salmasium adi, *Exercitation. Plin. ad Solin. p.* 333. 497. 610. &c. uti de genere ornatus capillaris, item inauris, quibus ab *uva* Græci nomina indiderunt, vide suprà voce *Botronatus* & *Botrus*: de apibus autem βοτρυδὸν volantibus, ut Homerus habet, ubi de *Apibus*. Nec omittendum, quòd inter Zoophyta aquatica etiam *uva* est, de qua vide aliquid apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. I. c.* 8. & *uva* in palato soli animalium homini data, memoratur Plinio, *l.* 11. *c.* 37. de *uva amomi* dictum suprà & de *uva mali granati*.

WADINGUS Lucas, vide *Lucas*.

WAGNERUS Sebastianus, cognomine *Hofmeisterus*, Theologiæ Doct. Franciscanorum primò institutum sequutus, posteà Euangelii lucem ex Sacrarum literarum lectione hausit, primusque ac primarius Scaphusianæ in Helvetiis Ecclesiæ Reformator extitit, initiô circa A. C. 1522. factô. Interfuit dein colloquio Tiguri A. C. 1523. cum Pontificiis: & A. C. 1525. cum Anabaptistis instituto: in quorum priore Joachim. Vadianum, Consulem Sangallensem, illustre Dei in Reformationis negotio organum, Synagonistam habuit. Quemadmodùm in Schaphusiana Ecclesia repurganda mox nactus est συνεργὸν, Sebastianum Hofmannum Argentin. Theol. itidem Doct. Francisc. Ordinis; qui, postquàm Lucernæ contra varios errores cum zelo concionatus esset, A. C. 1522. inde pulsus Schaphusiam se receperat: Qui dum strenuè rem gererent, evocatus ab adversariis Rotvillâ Erasmus Ritterus, facundiâ suâ tantum apud Senatum effecit, ut Wagnerus ex urbe discedere fuerit coactus. Hinc ergo Basileam delatus, cum Oecolampadio aliquandiu conversatus est: mox Scaphusiam reversus, cùm frustra colloquium cum antagonistis suis petiisset, ibi privatus degit, vel sic tamen munus suum gnaviter clam, palam, voce scriptô obiens. Unde Processiones variæ, aliaque abrogari, cœlibatuique impuro honestæ nuptiæ præferri cœperunt A. C. 1523. Ipse quoque Ritterus veritatis vi convictus, manus Euangelio mox dedit. Et quamvis A. C. 1524. tam ingenti negotio sufflamen positum esset, edictô Lucernæ ab Helvetiis publicatô: non diu tamen pòst Mich. Eggenstorffius Abbas Cœnobii omnium Sanctorum cum toto suo clero Magistratui se submisit, simulque Euangelicam doctrinam amplexus est: Iconomachia quoque non uno in loco exarsit. Sequenti annô cum Anabaptistis, qui in urbem irrepserunt, Wagnero res fuit: Eodem Clemens VII. literis ad Senatum datis conatus hos morari nisus est: Sequutô mox intestinô motu. Wagnerus denuò, cum socio Hofmanno. Urbem deserere jussus, Zofingam in agrum Bernensem se recepit, ubi Euangelium ad mortem usque prædicare non destitit: inde ad varios conventus & colloquia sacra hinc inde instituta frequenter evocatus: A. C. 1526. imprimis, quò interfuit collationi illi celebri Ilantii in Rhætia institutæ, Eccium quoque scriptô editô refutavit. Intereà, cùm nova à colloquio Badensi ann. eôdem habitô remora Schaphus. Reformationi objecta esset, visum fuit inde Euangelium planè exulaturum: sed novæ illi vires à Disputatione Bernæ A. C. 1528. instituta, & Tigurinorum piis monitis, accessêre, quibus auctum A. C. 1529. se plenè ibi exeruit, idolisque dejectis, & Missâ abolitâ, divini Verbi doctrina in Urbe, ubi prima ejus Wagnerus sparserat semina, ab eo tempore inconcussa, ad nostram usque ætatem permansit. Vide Leonh. Meyerum *de Reform. Eccles. Scaphus. &c.*

Dum te, Christe, loquor, patriis agor exul ab oris:
Sed tecum, Jesu, quis, precor, exul erit?

WAGRI, populi Germ. in Holsatia, quorum urbs primaria *Aldenburgum* fuit.

VVALACHRIA, insul. olim Frisiæ Citerioris nunc inter 5. Zelandiæ Occidentalis insulas, maxima & potentissima, vulgò *Walcheren*. In hanc venientes Normanni A. C. 837. Egghardum ejus Comitem occiderunt, vastatôque Dorestadô, & acceptô à Frisonibus tributô, reversi sunt. Eam dein Lotharius Herioldo Dano ob merita, in beneficium contulit, A. C. 841. Henricus verò Imperator Balduino Flandrensi Comiti A. C. 1007. concessit, *Sigeb.* qui eam Regni Lotharingiæ Insul. vocat. Urbem habet claram Middelburgum, totius Zeelandiæ caput, ubi sedes Episcopatus A. C. 1559. sub Trajecto metropolit. constituta, sed ad breve tempus, ut ex Belgica historia notum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Ibi Vlissinga, Middelburgum & Veera.

VVALANUS, primus se Episcopum Basil. dici voluit, circa A. C. 749.

S. VVALARICUS in Planis, vicus maritimus & portus Nortmanniæ, in regione Caletorum diœcesique Rotomagensi, à S. VValarico Abbate dictus, *S. Valeri les Plains*: quòd in planitie situs esset, & ut distingueretur à portu S. VValarici in Ambianis ad Suminam fluv. qui olim Leuconaus vel Luganau vocabatur, & aggeribus arenarum, vel dunis proximus erat. Certè hodieque proximum habet vicum *Manneville le Plains*. Nec longè abest à. S. VValarico in Planis, Plana Sylva *Plaine Seve*, vicus: sed nunc plerunque *S. Valeri en Caux* dicitur. Ordericus, *l.* 10. S. Remigium de Planis vocat locum in Cenomanis, vulgò *S. Remy du Plain*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VVALCHER, nomen Mercurii, in Insul. VValcharia, olim culti. Jac. Eindius, *Chron. Zeland. l.* 2. *Testes quoque sunt Ecclesiæ, quas per singula loca extruxit. Et sicuti Wallacriæ idolum Mercurii,* VValcher *nomine, rejecit, Ecclesiam Dei consecravit; ut illic Westcapellis, ubi idolum adhuc ostenditur, patet.* Ubi de S. VVillibrordo sive Clemente ei sermo est, qui Mercurii simulachrum hoc, quod VVestcapellæ, VValachriæ vico, erat, destruxit, ut est apud Bekam, *in vita ejus*. Fuisse autem Mercurio id nominis, ex eo judicat Eindius, quia tutela illi Insulæ, seu littorum esset commissa. Nam quid *Walcher* aliud ac *Wal-heer*, h. e. *litorum potens* sive dominus litoralis? quippe *Wall* est agger aquis oppositus: item litus, ripa, crepido aquæ, Gerh. Joh. Vossius, *de orig. ac progr. Idol. l.* 2. *c.* 32.

VVALDECCUM, German. *Waldeck*, regio Germaniæ, cum titulo Comitatus, de cujus situ vide voce *Valdecum*. Sub proprio Comite, ex Familia illustri, quæ seculô XII. à VVitekindo hæreditario Advocato Episcopatus Paterbornensis originem nacta dicitur: sed ita, ut ab ejus Vulquino Sualenbergia atque *Waldeccia*, VVernero Pyrmontana, & Henrico Sternbergia linea descenderint. Hâc extinctâ A. C. 1399. inter Schavvenburgicos ac Lippienses de successione certatum est. Istam clausit sub finem seculi XV. Ursula Joanni Comiti Spiegelbergio nupta: unde ad hujus posteritatem, sed brevi iterum ex ea ad Gleichenses, atque tandem *Waldeccios*, hæreditas devoluta est. Illam (Vulquini) progeniem quod concernit, Gotfridus fil. Sualenburgios sevit, ex quibus Henricus Ottonem *Waldeccium* agnatum hæredem habuit A. C. 1376. Godefridi frater Adolphus *VValdecciorum* auctor est. Et quidem, qui ab hoc ortum trahit. Henricus cognom. *Ferreus*, ex Henrico & Adolpho filiis, duplicem progeniem habuit, quarum hæc terminata est A. C. 1495. Henrici duo filii, VVolrathus & Henricus, iterum duas lineas constituerunt: quarum hanc finiit VVilhelmus Ernestus, qui Tubingæ decessit A. C. 1598. illa hodieque superstes est; in qua qui nunc vivunt, communem patrem habent Josiam, extinctum A. C. 1588. Ejus enim major natu filius, ex Maria Comite Barbiensi, Christianus, qui obiit A. C. 1638. ex Elisabetha Comite Nassovia *in Sigen*, genuit Mariam Magdalenam (natam 1606. uxore Simonis Comitis Lippiæ) Sophiam Julianam (natam. 1607. denatam 1637. uxorem Hermanni Landgrav. Hassiæ) Annam Augustam (natam 1608. denatam 1658. uxorem Joan. Comitis Saynæ & VVitgensteinæ) Elisabetham (natam 1610. denatam uxorem VVilhelmi VVirichii Comitis *de Falckenstein*) Mauritium natum 1611. denatum 1617. Catharinam (natam 1612. uxorem Simonis Ludovici Comitis Lippiæ. 2. Philippi Ludovici Ducis Holsatiæ, denatam 1649.) Philippum (natum 1613. denatum 1645. cui uxor obtigit Anna Catharina Saynensis) Christinam (natam 1614. uxorem Ernesti Comitis Saynæ & VVitgenst.) Dorotheam (natam 1617. uxorem Emiconis Comitis Leiningensis) Agnetem (natam 1618. uxorem Jo. Philippi Comitis Leiningensis denatam 1651.) Sibyllam (natam 1619. uxorem Frid. Emiconis Comitis Leining.) Gabrielem (natum 1621. denatum 1624.) Joannem (natum 1622. maritum Alexandrinæ *de Vehlen* 2. Henricæ Dorotheæ Hassiacæ) Joannam Agatham (natam 1623. denatam 1636.) & Luisam (uxorem. Bar. *de Effern*) E quibus Philippo, ex Anna Catharina præfata, geniti sunt Christianus Ludovicus (natus 1635. maritus Annæ Elisabethæ Rappolsteinæ) Josias, (qui natus 1636. sibi junxit VVilhelminam Nassoviam) præter filias, omnes *Comites VValdeccia* &c. Minor filius Josiæ, ex eadem uxore, Volrathus lineam *in Arolsen & Culenburg* condidit: Pater ex Anna Marchione Badensi (cujus mater fuit Elisabetha Comes Culenburgica) inter alios, Philippi Theodorici (nati 1614. denati 1645. mariti Mariæ Magdalenæ Nassoviæ) Joannis Ludovici (nati 1616. denati 1638.) Georgii Friderici (qui natus 1620. duxit Elisabetham Carolam Nassoviam) &c. E quibus Philippô Theodoricô & Mariâ Magdalenâ nati sunt, Amelia Catharina (nata 1640. uxor. Georgii Ludovici Comitis Erpach) Henricus VVolrath (natus 1642. denatus 1664. uxor... fil. Philippi Comit. *VValdeccii*) & Florus VVilhelmus (natus & denatus 1643.) *Comites de VValdeck &c. lineæ Culenburgicæ.* Georgiô verò Fridericô & Elisabethâ Carolâ, Volrath Christianus (natus 1646.) Fridericus VVilhelmus (1657.) aliique *Comites VValdeccii &c. in Arolsen & Culenburg.* At Christianô Ludovicô ex Anna Elisabetha Rappolst. inter alios geniti sunt Fridericus (natus 1663.) Henricus Vollrath (natus 1665.) & Fridericus Ludovicus

tur(natus 1672.) Vide Spenerum, *Theatrô Nobil. Europ. Part.* I. *p.* 116. 129. 146 166. *in Indice Part. II. p.* 86. & de *Arte Herald. Tom. II.*

WALDEMARUS, vide *Woldemarus.*

WALDENBURGUM, seu WALLENBURGUM, oppidulum agri Basiliensis, ad montis Juræ jugum, quod ab excisa rupe *der Hauvenstein* dicitur, & quidem ubi superior scissa rupes, *der obere Hauvenstein.* Occupat totam, inter altissimos montes, convallis latitudinem, castrô in præalta rupe imminente, Nomen idem, quod *Castrum sylvæ* sonat, quanquàm Rhenanus à vallo derivet, quòd montis transitum eò loci muniat. Patuit olim Comitibus Vroburgensibus, quorum ultimus decessit, A. C. 1370. Posteà in ditionem transiit Episcopi, qui unà cum ditione Homburgica, omne hoc dominium, in Senatum Basil. qui Præfectum eò mittit, transtulit. A. C. 1400. Vide Chist. Urstisium, *Epit. Hist. Basil,*

WALDENBURGUM, castrum Germaniæ in Franconia, sub proprio Comite, ex Familia Hohenloica. In hac enim cùm præcipua hodie divisio sit, in ramum Langenburgicum & *Waldenburgicum*, hujus auctor fuit Eberhardus, filius minor natu Georgii, extincti A.C. 1551. Junxit is sibi Agatham Comitem Tubingensem, & suscepit ex ea Georgium Fridericum, qui obiit A.C. 1600. pater ex Dorothea Ruthena Philippi Henrici, defuncti A. C. 1644. Hôc & Dorotheâ Walpurge agnata, inter alios complures, nati sunt, Wolphgangus Frider. (A. C. 1617. cui uxor obtigit Eva Christina agnata, den ...) Philippus Gothofridus (A. C. 1618. maritus Annæ Christinæ Limpurgiæ) &c. E quibus uterque numerosam prolem suscepit, qui omnes, *Comites* sunt *de Hohenloe* &c. *in Waldenburg.* Phil. Jac. Spenerus, *ibid. Part. I. p.* 160. & *II. p.* 121. & 123. Vide quoque suprà, ubi de Familia *Hohenloica.*

WALDENSES, eôdem circiter tempore, cum Albigensibus, de quibus suprà, Lugduni exorti hincque *Pauperes dicti de Lugduno*, sicut à *Waldo* (vide suprà voce *Valdo*) *Waldenses* seu *Valdenses*: quædam cum Albigensibus habuerunt dogmata communia, ut vidimus. Peculiaria illorum fuêre. 1 *Omne judicium, inprimis ad mortem, esse prohibitum: juxta illud, Nolite judicare & non judicabimini.* 2. *Indulgentias, quæ fiunt per Prælatos Ecclesiæ Romanæ non valere; purgatorium post hanc vitam nullum esse, adeoque suffragia & orationes defunctis nil prodesse.* 3. *In Ecclesia tantùm tres Ordines esse, Episcopalem, Sacerdotalem & Diaconalem.* Multa verò alia infanda, quæ passim apud Baronium, Bzovium aliosque tùm Albigensibus, tùm Valdensibus credita leguntur, ex mero odio, ut plebi redderentur invisi ac abominabiles, conficta esse, apodictice probatur hinc, quod in sententiis eorum, qui coram tribunali Inquisitorum accusati & condemnati fuêre, nihil tale comparet aut illis exprobratur, uti ad oculum id docet Phil. à Limborch ex *Libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ*, jam primùm in lucem ab eo prolato. Ritus eorum quod attinet, *Ante & post prandium* dicuntur *orare flexis genibus, & inclinati super bancam*: quod in omnibus ferè Valdensium sententiis occurrit. Quin & usitatum ipsis videtur fuisse mensæ benedicere, quia Perrino Fabri crimini datur, *quòd comederit & biberit cum Valdensibus in eadem mensa benedicta per eos.* Dicuntur *seipsos vitæ & perfectionis Apostolicæ comparantes & meritis coæquantes, jactare se tenere & servare Euangelicam & Apostolicam paupertatem.* Tum & mores alios à communi vivendi genere diversos habuisse dicuntur; Tandem in sententia Johannis Philiberti Presbyteri legitur, *quod Valdenses prædicant credentibus suis aliquando post cœnam noctie de Euangeliis, & de Epistolis in vulgari, d. l.* Vide de illis plura, apud Jac. Usserium, Archiepiscopum Armachanum, Tractatu *de Successione Ecclesiarum in Occidente*, *c.* 8. præfatum à Limborch, *Historiâ Inquisitionis l.* 1. *c.* 8. *ac seqq.* Et hìc voce *Majores*, ita enim quidam inter illos dicti; item, ubi de *Valdensibus.* Addam id saltem, rudiores illos Albigensibus (fortasse & puriores in doctrinâ) præfato Limborchio, cumque Mennonitis hodiernis non parum convenientiæ habuisse, & forte progressu temporis in eandem cum Albigensibus sectam coaluisse videri, *d. l.*

WALDENSIS Thomas, vide *Thomas.*

S. WALDOMERIS oppidum, vulgò *S. Germier*, vel *S. Galmier*, in Segusianis, patria Clementis Puteani, avi Petri & Jacobi, virorum clarissimorum: in agro est ac diœcesi Lugdunensi inter Casellas *Chazelles* & oppid. S. Stephani *S. Estienne de Furen*, parum à Ligeri remotum.

WALDPURGUM, vide ubi de Familia *Dapiferorum*, seu *Truchsessia.*

WALDSHUTUM, oppid. in extremis Rauracorum finibus, ultra Rhenum, sub Hercynia sylva situm, sub Habspurgiis olim, à quibus & conditum dicitur. Nomen à custodia duxisse videtur, cujus illic contra sylvam constituendæ magna est opportunitas. Unum ex quatuor oppidis, quæ vulgò *Waldstadt* dicuntur, quæ æquali ferè intervallô ab invicem dissita, singulis pontibus Rhenum insternunt. Sunt autem illa Rinfeldia, Sacconium, Lauffenbergum & *VValdshutum*, sub Austriacis. Vide Christ. Urstis. *Hist. Basil.*

WALENSTADIUM, quasi *Italorum statio*, hos enim Germani *VValen* vocant, oppid. est Helvetiæ, in præfectura Sarunegaunensi, ad lacum Rivarium, qui hinc *VValensee*, vel *VValenstatter see* Germ. dicitur. Hic videtur, adversus Rhætorum irruptiones, custodias collocâsse Tiberius. Ibidem Rhætorum causæ disceptari solent: sicut septem antiquorum Pagorum, in cœnobio Eremitano: Bernens. & trium Pagorum, in loco *das Kienholtz*: Tigurin. & Bernatium Zofingæ: Glaronensium & Uraniorum Merchæ: eorundem & Suitiorum Bergeræ: eorundem & Under Waldiorum Brunnæ: Friburgensium & Soloduriorum, si cum 8. Pagis lites habent, Zofingæ & VVilisovii: Basiliensium, Scaphusianorum & Abbatiscellanorum, Badæ, &c. Simler. *descript. Helv.*

VVALHOFIA, vulgò *VValhoff*, vicus Semigalliæ, cis Duinam fluv. prope Ascheradam arcem, ubi Poloni ingenti clade affecti, A. C. 1626. mense Januar. à Gustavo Adolpho Rege.

VVALIS, vide *Vabalis.*

VVALLENSES, aliis *VVallones* & *Romani.* Cùm Germaniæ populi provincias Imperii Romani in Occidentis partibus, nimirum Galliam, Hispaniam, Britanniam, Africam, atque Italiam, armis occupavissent, provinciales quidem priscum nomen suum retinuêre, ac modò suæ quisque nationis propriô vocabulô, modò, idque sæpiùs, in commune *Romani* sunt appellati: novi autem possessores & domini Germani, honoris causâ, dicti sunt *Barbari.* Unde in priscis Legibus & Historiis item apud Gregorium Turonens. & Fortunatum *Barbaros ac Romanos* junctim nominari & alteros alteris opponi constat. Hinc & Galliæ partem, quæ Odoni, Francorum Regi parebat, *Franciam Romanam*, i.e. Neustriam vel Franciam, Gallicâ linguâ utentem Luitprandus, *l.* 1. vocat, ut eam à Francia Germanica, sive ab Austrasia Lotharii ve regno & Germania distinguat. Et Nithardus, *l.* 3. *Romanam* linguam *Teudiscæ* opponit. Brabantia itidem Romana Divo dicta est, Gallorum linguâ utens, *le VVallon Brabant*, & promiscuè *le Roman pays*, Divæus, *Rerum Brabant. l.* 7. Equestres ad lacum Lemanum, Caballenses vulgò dicti & confines iis Vallenses, i.e. Sedunensis & Lausannensis Diœcesium partes, quæ Gallicâ linguâ utuntur, vulgò *Pays Roman* nuncupantur. Rhæti etiam Curienses, portio quondam Imperii Romani, se *Romanos* dicunt, & fabulosa Poëmata *Romans* Gallis vocantur, quòd sunt linguâ Romanâ, i.e. Gallicâ composita: Hos Romanos Germani, qui in illorum agris finibusque consedêre, linguâ suâ *VVallenses*, vel *VVallanos* nuncupavêre: unde Giraldus Cambrensis scribit, *in descript. Cambriæ, l.* 1. & 7. hanc Britanniæ partem, post occupatum Britannicum regnum, dictam esse *VValliam*, à Saxonibus, linguâ suâ extraneum quemlibet *VVallum* appellare solitis: & Guillimannus, *l.* 2. *rer. Helvet.* in Comitatu Sisgoviæ, agri Basiliensis, oppidum *Valenburgum*, interpretatur *Burgum Romanorum.* Hodieque Germanis Sclavisque communiter Itali *VValchen* appellantur. Hinc & *VValachia* dicta, quòd Romanos seu Italos incolas habuerit: Ita ergo Belgæ, qui linguâ Gallicâ utuntur, Germanis finitimi, *VValen* his, Gallis morem Germanorum sequentibus *VVallons*, vel *Ouallons* appellantur. Horum in Gallia Belgica tres sunt provinciæ, Attrebates, Flandria VVallensis, & Hainoum, qui in commune pagus VVallensis, *pays VValon* vocantur: non sic tamen vocantur Sapaudia, Sedunensis, & Lausannensis diœceseon portio, Burgundia Jurensis vel Sequanorum, Lotharingia, Luciloburgensis Ducatus & Leodicensis diœcesis ac pars Brabantiæ supradicta, licèt & ipsæ linguâ Romanâ vel Gallicâ similiter etiamnum utuntur, quamvis corruptâ. Duo tandem in Lotharingia fluvii Nidæ sunt, quorum alter alterum in Saravum defert: Horum alter Nida Teutonicus, *die Teutsche Nidt*; alter Romanicus vel VVallonicus, *die VVelsche* dicitur, ab accolis German. & Romanâ seu Gallicâ linguâ utentibus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VVALLERSTENIUM, castrum Germaniæ, in Suevia, sub proprio Comite, ex Familia Oetingensi, in qua Fridericus minor natu filius Ludovici, defuncti A. C. 1557. *VVallerstenium* ramum ex se produxit. Junctâ enim sibi Euphrosunâ Comite Oetingensi, decessit is A. C. 1579. relictô fil. VVilhelmô, qui obiit A. C. 1582. Pater, ex Joanna Zollerensi, Martini Francisci (denati 1653. post matrimonium cum Isabella Eleonora Helfenstenia contractum) Mariæ Magdalenæ (uxoris VVilhelmi Marchionis Badensis) Ulrici (denati 1644.) Friderici VVilhelmi (cui uxor obtigit Rosina Susanna *de Trubeneck*) & Margaretæ (ex .. *de Thun* matris Guidobaldi Archiepiscopi Salisburgensis) *Comitum Oetingensium* &c. *lineæ VVallerstenæ.* E quibus Martino Francisco ex uxore præfata geniti sunt Maximil. Ferdin. (A. C. 1639.) Maria Francisca (uxor Cratonis Adolfi Ottonis *Comitis de Cronenburg & Hohengeroldseck*) &c. *Comites Oeting.* &c. *in Balderen.* Philippus Jacobus Spenerus ubi suprà, *Parte* 2. *p.* 26. & 122.

VVALLIA, Visigothorum in Hispania Rex V. successit Sigerico, A. C. 416. reliquias Vandalorum Bæticâ ejecit; Romanis amicus, à quibus etiam Aquitaniam accepit, Isidor. *Erâ* 454. extinctus est A. C. 419. regni 3. successore Theoredô vel Theodoride, quem vide.

VVALLIA, principatus Angliæ olim cum titulo Regni. Cùm enim Britanni à Saxonibus (quos Vortigernus Rex contra Scotos & Pictos evocaverat) pulsi, versùs Occidentem in altissimos montes se recepissent, ibi peculiare Regnum *Cambriæ*, seu, uti Saxones vocabant, voce German. *VVallia*, nomine, condiderunt, quod post varias vices, quô pactô ad Angliæ Reges pervenerit, diximus suprà, voce *Cambria.* Vide & *Vallia.*

VVALONES, populi Belgicæ, Latinis juniorib. *VVallons* ipsis, German. *VValen.* Inter Scaldim & Legiam fluv. occupantque partem Flandriæ, quæ *Gallicana*, ab ipsis *la Flandre VVallone*, seu *Gallicane* dicitur, ubi tractus Tornacensis, Duacensis, atque Castellania Insulana, sub Gallis, ab A. C. 1667. *Baudrand.* Vide quoque *VVallenses.*

VVALONIÆ, castrum Normanniæ, in parte pagi Constantini quam nonnulli *Hagam*, quidam Historici Angli *Insulam Constantini* pagi pro peninsula vocant, 2. circiter à mari leucis, hodie *Valongnes.* Nomen à *VValone* accepit, quod viri nomen linguâ Francicâ olim bonum significâsse refert Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VVALPURGA sive VVALPURGIS, S. VVinibaldi & VVillibaldi soror, ob eruditionem, inque aliis convertendis zelum ob sanctitatem in pretio fuit, A. C. 780. Condidit *Hodœporicon* fratris VVillibaldi. Vitam ejus scripsit Philippus Aichstadianus, quæ extat *Tom. IV. Antiqq. Lect. Henrici Canisii.*

Comites Nassovii.

VVALRAVIUS, ortum à Theodosio Lauerbergii Toparcha ducens, (ex Helena, Joannis Arduennæ D. filiâ) Dieterici successoris, pater fuisse fertur, tumulatus Baccaraci ad Rhenum. Ex ejus abnepote Joanne ortus *VValravius*, ex Barbara Muntzenbergica, inter alios, filium habuit cognominem in ditionem successorem, maritum Agnetis Comitis Deckenbergensis: ut alios vetustioris illius ævi, & certis historiæ monumentis destituti, omittam.

WALRAVIUS I. filius Othonis Comitis Nassoviæ, Toparchæ Lopperæ, Laurebergii & Sonnebergii, (à quo certior series) ex Magdalena (Walravii Comitis Sponhemii filiâ) pace & bellô egregius, Othoni Imperatori in Hungaria, Bohemia & Gallia fortem operam præstitit, defunctus A. C. 1020. postquàm 48. annos ditiones rexisset, & tumulatus Norimbergæ. Ei ex Irmgarda Burggravii Torsellani fil. sorore Henrici III. Imperatoris genita, prognati sunt, *VValravius II.* Patris successor, & Otho, stemmatis Nassovio-Geldrici conditor, præter filias, Adelheidam Reginhardi Rinckelæ Toparchæ & Irmtrandam Joannis Coningsteinii uxores.

WALRAVIUS II. Arnstenii Comite sibi junctâ, obiit A. C. 1068. Pater Roberti successoris, & Arnoldi, qui decessit improlis.

WALRAVIUS III. Roberti modò dicti filius, Conradi Imperatoris miles, defunctus est A. C. 1156. relictis filiis Henricô & Robertô, quorum is *Princeps* nomine in priscis Annalibus aliquoties salutatus obiit A. C. 1199. Ei ex Agnete (filia Burggravii Stromberg.) geniti sunt, Henricus, Otho successor, *VValravius* brevis ævi, & Anna. Othonis filius, Henricus fuit cognomine *Dives*, quô genitus

VVALRAVIUS, primus Weisbadæ, Weilburgi, Idsteniique Comes, hæreditate paternâ cum fratre minore natu Othone (Dillenburgici Comitatus primô auctore) divisâ factus, A. C. 1255. Rodolpho I. Imperatori gratus fuit, ab eo Aulici Consilii Præses constitutus. Decessit A. C. 1285. ex Adelheida (Comitis Catimeliboci filia) pater, inter alios Adolphi Imperatoris, qui Patri in Comitatu successit, & *VValravii*, cujus filius Philippus fuit, ex Anna Friderici Noribergæ Burggravii filia prognatus. Eidem Adolpho præter Gerlacum successorem, filius quoque fuit *VValravius* Mechtildis (Ludov. Comitis Palatini fil.) maritus &c. Cyr. Lentulus, *Geneal. Principum & Com. MS.*

WALSINGHAMUS Thomas, vide *Thomas*.

WALTHAMUS Rogerius, vide *Rogerius*.

WALTHERUS de Cronberg, Alberto Magistro Ordinis Teutonici, (qui Poloniæ Regi se submisit, parte Borussiæ in feudum, Ducatus nomine, acceptâ) ab Ordine suffectus, in plerisque Comitiis graviter eum accusavit, donec tandem Albertus, ab Imperio A. C. 1532. proscriptus est. Sed hic Euangelium amplexus, mansit in possessione, & Academiam Regiomontanam instituit.

WALTHERUS, improvisô ictu in venatione, ferit Wilhelmum Rufum, Angliæ Regem A. C. 1100. Polydorus Virg. *Hist. l.* 9.

WALTHERUS, vide *Gualtherus*.

WANDALI, Gothorum propago, iidem cum *Vandulis* tabul. veter. *Winilis* Pauli Warnefridi, *Vinulis* Adami Bremensis, sic à Germanis vocati sunt, quòd hominum multitudine abundantes, in alienas terras transmigrarent: quod vox *Wandeln* Germanis denotat. Itaque *Wandalorum* appellatio, vi vocis tam latè patuit, quam ipse vagandi alienaque occupandi mos. Nobis de illis, qui Hispaniam, & post Africam tenuêre, sermo est. Hos ab Oceani littore venisse, scribit Dexippus apud Trebellium, *in Gallienis duob. c.* 13. & Eunapium: de Longobardis nempe illis, quorum ingens tum alibi, tum postremò in Italia potentatus fuit, Paulus *in Longobard.* Inde in illam vexatam tot incolis Daciam transiêre, Aureliô Antoninô Romanis imperante, *Wandali Asdingi*, Jornandi dicti. Aurelianô Principe sedisse ad Danubium, Dexippus suprà memoratus, Priscusque docent. Pannoniæ partem Constantinus illis dedit. Hinc in Gallias se intulerunt tempore Honorii, inde se in Hispaniam promovêre *Wandali*, in Bæticam Silingi qui dicti, cæteri in Gallæciam eique vicina, Godigisclô Rege, cui successit Gontharis, qui Alanos in Hispania potentes subegit: Gonthari Gizerichus, Guntharis vel Gunderichi ex Godigisclo frater, Africæ domitor, qui possessionem Africæ fœdere firmavit Valentinianô imperante: imò præter Africam, patentem à Gadibus Tripolim usque, & retro ad Maurorum invia, Sardiniam quoque & Corsicam suæ ditionis fecit, Romam diripuit A. C. 455. principesque fœminas, supellectilem regiam, ipsas deinque Capitolii auratas tegulas, inde quo voluit, abduxit. Eum excepit Hunnerichus filius, cujus successor Gundamundus fuit, filius Genzonis, Gizerichi nepos. Hunc sequutus est frater Transamundus, post quem Hilderichus Hunnerichi filius, ex Valentiniani Imperatoris filia, Genzerichi nepos. In Gelimero tandem, Gelarichi filio, Genzonis nepote, Gizerichi pronepote, à Belisario victo, Wandalorum dominatus desiit: post annos fermè in Africa centum. Per Hispanias Wandalici imperii vestigium servat Andalusia, *Wandalosia* olim appellata. Christianam pietatem fermè eôdem tempore, quô Gothi & Gepidæ, avidè arripuerunt: sed dolendum, quòd hi tunc omnes permixtum vero Arii dogma, fraude Valentis Imperatoris, qui Arianos ipsis Doctores summisit, imbibêre. Unde, cæcô quôdam zelô, in Orthodoxos sævi, sub Gunderico, qui primus Arianismum amplexus erat, Gizericho seu Genserico, & Hunerico: citra hujus tamen, & Gundemundi tempora, à subditorum sibi populorum animis vim abstinuêre. Laudatissimis prius moribus inclytos corrupit Africæ mollities, in quibus opimas mensas, non minùs quàm balnea, circos, theatra, mimos, magnorum malorum semina notat Procopius, qui res illorum latè prosecutus est. Huic, si plura voles, adde Zonaram, Victorem Turon. Hug. Grotium, *Prolegom. in histor. Gothorum, Wandalorum, & Longobard. &c.* Post eversas Ostrogothorum Wandalorumque & Longobardorum res, ex eadem illa virorum matre Scanzia, Normanni prorupêre. Ex Wandalorum sanguine ortos Burgundiones, sub Theodosio Juniore expulsis latè Sequanis Heduisque non illam solùm veteris Galliæ partem, sed & dimidiam Helvetiam occupâsse, adjunctis sibi sociis Nuithonibus: atque à *Wandalis* regionem Vaudi, sicut ab his *Nuchtlandiam* appellatam esse, refert, ex aliorum sententia, Johan. Bapt. Plantinus, *Helvet. Antiq. & Nov.* Prisca inprimis *Wandalorum* sedes ad mare Balticum nomen hodieque retinet, licèt in locum primò Venedi, dein Saxones successerint. Unde & in titulis Regum Daniæ & Sueciæ, Ducum item Pomeraniæ, & Megalopolitanorum, Regum, Ducum, Principum *VVandalorum* inscriptio hodierna servatur: Et in fœdere Hanseatico, Lubeca, Hamburgum, Rostochium, Stralesunda, Wismaria, & Luneburgum nomine civitatum *VVandalicarum* gaudent, eorumque Conventus præliminares, quos instituere solent, antequam Comitia universæ Hansæ celebrentur, *Conventus VVandalici* dici solent. Rugia tandem, Usedomia & Wollinia, tribus olim emporiis celebres, Arconâ, Vinetâ & Julinâ, Pomeraniæ adjacentes, *VVandalicæ* quoque *insulæ* nominantur. Vide Chr. Becmannum, *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* Vide quoque in voce *Vandali*.

WANGENA, oppidulum Sueviæ Imper. ad Argum amnem.

WANTUS, vide suprà *Chirotheca*.

WAPENTACHIUM, Comitatus portio in Anglia, quam Centuriam, Hundredum vocant, à Saxonico *wapen*, arma, & *tach*, i. e. tactus, quasi Concussio armorum. Germani enim veteres nec concilium inibant, nec judicia exercebant, nisi armati. Quæ displicuit sententia, fremitu aspernari: quæ placuit, concussis armis laudare solebant, Tacit. *de Germ. mor. c.* 11. Hos ritus patrios à Macedonibus, de quibus idem refert Jod. VVillich. *in Germ. mor.* acceptos, in Britanniam, posteri eorum Saxones trajecêre: factôque de re nomine, & conventum ipsum, conventuique adscriptam regiunculam, *VVapentac* nuncupârunt. Apud Romanos non omnino dissimilis mos, illi enim Centumviralia Comitia hastâ Prætorianâ positâ celebrabant. Aliis *VVapentach* dicitur, à deditione armorum, quòd in adeunda Centuriæ præfectura, dominus Centuriæ arma inhabitantium à seipsis in subjectionis symbolum deditis accepit: *tac* enim accipere significat. Vide Henr. Spelman. *Glossar. Archæol.*

VVARACTUM, locus Galliæ, in Lemovicibus, ubi Lantharius Comes Lemovicensis Monasterium St. Petri honori sacravit, cujus primus Abbas Pardulfus. Situs est inter fontem fluv. Vartimpæ *la Gartempe* & Crosam, vulgoque *Gueret* vocatur. Unde vicus ei proximus S. Sulpicii Varactensis, vulgò *S. Sulpice Gueretois*. Forte ex Latino Vervactum, quod agrum requietum & aratri pridem expertem, Galli *Gueret* dicunt. Caput agri VVaractensis *le Gueretois*, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VVARANDRA, locus Galliæ, ad Itam fluv. in Veliocassium Bellovacorumque confinio, inter Gisortium atque Gornacum municipia, Novo mercatui proximus, vulgò *Ouarde*, aut potius *Varde*. Olim villa, ubi Beat. Geremarus, tempore Dagoberti Regis, ortus est, Idem.

VVARCUS, castellum ad Mosam & Sulmonam, Gall. *Vuare*, ab Ottone Comite extructum, in Remensi Parœcia. Vide Eundem.

VVARDA, æ, Saxon. tutela, custodia. Sic dicuntur urbis Londini regiones, quæ pro numero Majoris & 24. Aldermannorum viginti quinque constitutæ sunt, singulorumque custodiis singulæ attributæ. Uti ergò à *regendo*, quatuordecim illæ Romæ urbis portiones, *Regiones* sunt dictæ, sic in Anglica hac Roma 25. divisiones urbis, à custodiendo, *VVardæ*, i. e. custodiæ appellantur. Spelman. *Gloss. Archæol.*

VVARDA, seu VVARDUS, pupillus in Britannia insula dicitur, qui ratione infirmioris ætatis prædiorumque servitutis, in custodia Regis vel domini sui est, usque ad ætatem integram, h. e. 21. annos. Quod jugum Anglis imposuit, omnia gladiô premens Guilielmus Primus Conquestor: Sed nec ratione lex caret: Ea enim fuit olim feudorum militarium conditio, ut nec hæreditariò concederentur, nec pro vita vasalli, sed nec ad certum terminum, ne anni quidem; Vide Lotharii Constit. *tit. Qui feud. dare possunt.* Posteà eò deventum, ut per annum, dein ut usque ad vitam vasalli feudi concessio firmitatem haberet: Porro factum, ut beneficium ad filios deveniret, & eum quidem primò, qui Domino placebat, tandemque stabilitum, ut ad omnes æqualiter pertineret. Veruntamen neque tunc adhuc hæreditariò, neque ultra filios, porrigebatur feudum, ante leges Conradi Imperatoris, imò nec tum demum ad filias, nisi expressa de his mentio esset: nam quid colo cum framea, mulieri cum Marte? Sensim dein, vigore acceptô, feuda hæreditaria facta sunt: è quibus ne vasallus innoxius ejiceretur, aut filius ad militiam idoneus à patrio munere excluderetur, publicæ utilitatis ratio obtinuit: Suis nihilominus conditionibus feuda intereà subjacuêre. Hinc, vel ob læsam fidelitatem, vel ob defectum servitii, quod utrumque variis modis contingere potest, feudum ad dominum rediit. Cùm igitur ad infantem devolutum feudum est, æquum duxêre Majores, feudum interim ob defectum servitii, domino reddi, donec vasallus ad arma aptus esset, vasallumque in custodia ejus esse, quò ad militiam munusque debitum obeundum posset instructior reddi: interim honorificè à Dominis pupilli sustentari. Vide Henr. Spelmann. *Gloss. Archæol.*

VVARDHUSIUM, ultimum Europæ oppidum, in extrema Lappia; sedes Præfecti est, qui totam Finmarchiam & Oceanum Septentrionalem gubernat. Georgius Hornius, *Orbe Imperante, cum Notis* L. Ottonis Menckenii, *p.* 314. Vide *Lappia*, item *Vardhusium*.

VVAREGI, Imperium Russiæ condiderunt A. C. 753. per *VVaregen* autem Russi intelligunt, quidquid nationum mari Balthico adjacet, Finnos, Suecos, Livonos, Russos, Vandalos: è quibus delati in Russiam tres fratres Ruricus Novogardiam, Scineus *Biale-Gosioro* & Truborus Plescoviam, tres celebres Ducatus, condidêre, Georg. Hornius, *Orbe Imp.* ubi tamen *Zechum*, *Lechum* & *Russum*, tres itidem fratres, & à duobus prioribus Bohemos & Polonos, à tertio Russos, conditos fuisse, ait L. Joach. Fellerus, *Animadvers. ad eum*, *p.* 373. Vide quoque suprà, ubi de *Rurico* & *Russia*.

VVAREMUNDUS, aliquot priscorum Nassoviæ Comitum nomen: è quibus unus, filius Joannis, provinciam rexit post patrem, ac VValravium fratrem successorem habuit, filiæ solùm ex Sindacula,

cola, Audakero Mundervorstio nata, pater. Alius Arnoldô Comite natus ex Sidonia Comite Schwartzenburgica, genuit Joannem Dietericum & Ambergam &c. Cyr. Lentulus, *Genealog. Principum & Comitum Nassoviæ MS.*

VVARENGISI Villa, in diœcesi Tullensi, posita ad ripam Mortæ fluv. in Lotharensium finibus, inter Rosaria *Rosieres*, & Nancejum, Cellâ & Prioratu suô hodieque clara, a domino quondam suo cognominata. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VVARNEFRIDUS, seu VVINFRIDUS, vide *Paulus Diaconus.*

VVARSAVIA, urbs ampla Poloniæ, Mazoviæ caput, ad Vistulam, ubi frequens Regum secessus, German. *VVarschaw*, Gall. *VVarsovie.* Culta est, cum arce Regia. Vix 3. leuc. Polon. à limite Poloniæ minoris in Ortum, uti 24. à Lancicia, 33. à Gnesna, 25. à Thorunia in Eurum, 24. à Sandomiria in Boream, uti 36. à Cracovia, & 58. à Vilna, in Africum. Hactenus comitiis publicis, & duobus palatiis regiis nobilis. Duplex est, Vetus & Nova. In suburbio Cracoviensi visitur sepulchrum Jo. Demetrii Sutsci Magni Ducis Moscoviæ. Capta à Suecis A. C. 1655. ingenti prælio victoribus, sed posteà recepta est.

VVARTBURGUM, arx Saxoniæ, ubi Lutherus ab Imperatore proscriptus, ab Electore Saxoniæ Friderico III. 10. mens. occultissimè servatus est, adeò ut ne Magi à Pontificiis de loco consulti illum divinare potuerint. Hoc asylum Pathmum vocare Lutherus solitus est, qui ibi quoque varia scripsit, A. C. 1521. Chytræus *in Saxon. part. 1. l. 1. &c.*

Principes Pomeraniæ.

VVARTISLAUS I. fil. Suantibori, Pomeraniæ Ducis, cum fratribus Ratiboro, Suantopulco & Bogislao, ab Ottone Andechsio, Episcopo Bambergensi, Cancellario Henrici IV. *Pomeranorum Apostolo*, ad fidem Christianam adductus: cum fratre Ratiboro Pomeraniam citeriorem (quæ brevi Germanicos mores, tum coloniis ex Saxonia, VVestphalia, Frisia, Hollandia, Flandria huc traductis, tum occasione Saxonicæ clientelæ: cùm Pomerania ulterior moribus & linguæ Henetorum pertinaciùs inhæreret,) sortitus est. Quorum hic, pater alterius *VVartislai* fuit, Principis fortissimi, qui cum Danis & Henrico Leone pro libertate sua diuturna gessit bella: in cujus filio Bartholomæo A. C. 1224. ramus hic extinctus est. Ille A. C. 1124. baptizatus, Episcopatum Julini fundavit: tum Marchiam Novam & Ucraniam ad Gustroviam usque sibi subjecit: tandem verò A. C. 1136. à ministro, quem Vandali odió religionis instigaverant, ipse verò jam vulneratus confecit, peremptus est: cœnobiô Stolpensi, in necis hujus memoriam, à fratre conditô. Filii ejus Casimirus & Bogislaus II. à Friderico Barbarossa A. C. 1181. in castris ad Lubecam Duces creati sunt, datâ in Imperio sessione.

VVARTILAUS II. Vide suprà.

VVARTISLAUS III. filius Casimiri II. ex Bogislao II. de quo retro, geniti; recuperavit quædam à Danis, in Megapolitanis confinibus. Obiit improlis A. C. 1264.

VVARTISLAUS IV. fil. Bogislai IV. cui cognomen *Corpus & Anima*, ex Margareta Rugia, extinctô avunculô VVizlavô, de quo suprà, Rugiæ Principatum, adversus Danos & Megapolitanos, sibi vindicavit; Danô, ut jus suum cederet, coactô. Brandeburgicis Paleralcum & Primislaviam; Cruciferis & Polonis Stolpam, Slavam, Regenvoldam & Belgardam bellô extorsit. Ex eo A. C. 1326. relicti filii Bogislaus V. lineæ Pomeranicæ Orientalis, Barnimus IV. Occidentalis auctores fuêre.

VVARTISLAUS V. cognomine *Monachorum Pater noster*, qui pro portione sua, annuam sibi portionem pactus, obiit absque prole A. C. 1390.

VVARTISLAUS VI. fil. Barnimi IV. VVolgastanæ lineæ conditoris, obiit A. C. 1394. pater *VVartislai* & Barnimi VI.

VVARTISLAUS VII. fil. Bogislai V. iter Hierosolymitanum ingressus, in Servia obiit A. C. 1392. relictô ex Maria Mecklenburgica, cujus mater Ingelburgis erat, Margaritæ Semiramidis Arctoæ soror, filiô Ericô I.

VVARTISLAUS VIII. fil. *VVartislai VI.* ex Anna Megapolitana, Rugiæ, Strallundæ & Barti dominus: filios habuit Suantiborum III. & Barnimum VIII. quorum ille A. C. 1446. iste A. C. 1451. sine liberis defecêre.

VVARTISLAUS IX. fil. Barnimi VI. nepos ex hoc *VVartislai VI.* laude justitiæ, & fundatione Academiæ Gryphiswaldinæ A. C. 1456. inclaruit. Pater ex Sophia Lawenburgica *VVartislai X.* & Erici II.

VVARTISLAUS X. fil. prioris, in divisione hæreditatis paternæ cum Barto Rugiam nactus est, Ericô VVolgastum tenente. Qui ambo, communi ope, contra Fridericum II. Electorem Brandeburgicum, ex antiquo pacto & investitura Imperatoris recenti jus repetentem ac cum 13. Principibus fœderatis Pomeraniam invadentem, acriter provinciam defenderunt: Marchiam quoque excursionibus populati, donec Casimiri Regis Poloniæ interventu de pace convenit: A' Cruciferis Borussis quoque Lawenburgum & Bytovium armis asseruêre. Obiit VVartislaus A. C. 1478. in cujus filiis Harmanno & Suantiboro IV. Bartensis linea defecit. Sed Ericô natus est

VVARTISLAUS XI. qui tamen cum fratre Casimiro VI. non diu superfuit: tertiô fratre Bogislaô X. totâ Pomeraniâ potitô, qui consiliariô quôdam Langiô rusticô non infeliciter usus est, mortuus A. C. 1523.

VVASA, vel VVASDA, in priscis tabulis tractus est Belgii, in Flandria ad Scaldim fluv. vulgò *VVaes*, aut *la pays de VVaes*. Hadr. Vales. *Notit. Gall. in voce Gandà.*

VVASITICUM, Nithardo *Basiu* in Capitulis Caroli Calvi, villa olim Galliæ Dominica, Palatiumve Regale, vulgò *Vassy*. Vide *Vasiiacum.*

VVASLARE, vulgò *VVasler*, monasterium in sylva Fania, quæ Carbonariæ pars est, dictum à fluviolo præterlabente, quod Dodonis Monachi, Rectoris quondam sui, corpus servabat, pridem intercidit. Proin ejus reliquiæ in cellam Laubiensi cœnobio subjectam, atque Faniæ finibus inclusam, quam *Moustier en Faigne* vocant, translatæ sunt. Hadr. Vales. *Notit. Gall. in voce Fania.*

VVASLOGIUM, Monasterium à S. Grodingo extructum, in diœcesi Virdunensi; fortè hodie *Beaulieu en Argonne*, i. e. Bellus locus in sylva Argonna, Arduennæ parte. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VVASO, seu Guaso, vide suprà *Cesses*, & ubi de variis *Investituræ* generibus.

VVASTINENSIS Pagus Galliæ, vulgò *le Gastinois*, unus ex iis est, quibus Franci, postquàm in Galliis sedem ceperunt, Germanicum imposuêre nomen, quasi *VVoestyne*, i. e. locus desertus ac vagus, eò quòd stagnis, montibus, saxis & sylvis, quarum hodieque pars, inprimis in Bierra, remanet, scateret. Olim augustior fuit, à Melodunensi quippe distinctus, nunc Melodunum Senonum quoque comprehendit, propterea *Melun en Gastinois* appellatum. Hunc Fulco, qui Gaufridum fratrem Comitatu Andicavensi spoliaverat, metuens iram Philippi I. Regis, eidem cessit, cum anteà à Comitibus Andicavensibus teneretur. In eo Monasterii S. Mariæ fortè hodie *Gyles Nonnains* i. e. Gaicum Nonnarum, ad Lupam fluv. 3. leuc. à monte Argisi: villæ item Fontanatum, scriptores veteres Marculfus & Odorannus meminêre. Cœterùm *VVastinas*, dicta esse olim loca deserta & inculta à Germanis, certum. Hinc in Pictonibus, circa Castanetum *la Castaigneraye*, Voventum *Vouvant*, Merventum, Secundiniacum, & Partiniacum, ager est hodieque sylvestris, 12. leuc. circiter patens, qui pagus *VVastinensis* similiter nuncupatur; vulgò *Gastinois*, sæpius *Gastine* vel *le pays de la Gastine*, ubi hodieque vici sunt Boscellus *Buisseau*, Boscaria *Buisserie*, Boscetum *Boussay* & Tilia. Etiam in *VVastina* Pictonica Viertum est, à situ cognominatum. Habent quoque Bituriges Cubi, in agro deserto & sylvestri *Vastinum* vulgò *Vatan*: circa quod sunt vici Boscolium *Busseul*, Spinaria *l'Espiniere* & Ulmetellum *l'Ormeteau*, inculti & sterilis agri argumenta. In pago porro Vindocensi, ut & Cenomanis *Vastina* fuit, i. e. sylva, cujus utriusque meminit in literis suis Gaufridus Andegavorum Comes, qui Monasterium S. Trinitatis, apud castrum Vindocinum A. C. 1040. extruxit. Et Vindocinensis fortè illa est, in qua circâ A. C. 1140. cœnobium nomine *Gastinetum*, Christianus Monachus ædificâsse dicitur: cui Abbatiæ proximus est vicus S. Laurentii, vulgò *S. Laurent en Gastine*. Sic Præmonstratenses in Episcopatu Constantiensi Monasterium habent, *de Vastinio Candido*, vulgò *Blanche Lande*, inter Exaquium *L'Essay* & castrum S. Salvatoris Vicecomitis: Idem enim *Vastinium*, quod *Landa*, quæ non minùs Germanica vox est, unde Landæ Burdigalenses vel Vasaticæ, & Landæ Armoricanæ. Tandem, in Chron. Monasterii Andrensis Gulielmi Abbatis, confecto A. C. 1234. memoratur *Comitatus Solitudinis de Gisnes*, qui in eodem Chronico, *VVastinia de Gisnes* dicitur, hodieque in illa solitudine locus est *VVatines*. Optimè proin pago *VVastinensi* id nominis convenit, qui magna ex parte incultus omniumque rerum sterilis est, præsertim circa Nemus, Murittum & Miliacum. *Gastinetum* VVilhelmus Britto vocat *Philippidos l. 2.* & cum Castro Nantonis conjungit. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VVATERFORDIA, vide *Vaterfordia.*

VVATERLOSIUS Lambertus, vide *Lambertus.*

de VVAUCQUIER Matthias Martin. Vide *ibi.*

VUCHEUM, urbs septima Kiansiæ, sub qua 5. aliæ. Ad radices montium, juxta *Liensam* fluv. In limite provinc. Fochiensis. *Vucheu* vulgò. In Sinis. *Martinius.*

VUCRINA, fluv. Illyricè, in Saum per Bossinam influens. *Lazius.*

VVECKERUS Joannes Jacobus, Basiliensis. Medicus celebris, scripsit *Antidotarium*. Obiit Colmariæ, A. C. 1586. Vide & *Joh. Jacobus.*

VVEDEREIBA, in vita S. Sturmis Abbatis Fuldensis; aliis *VVettereiba* & *VVedereiba*, hodie *VVetteravia* dicitur seu *Vetteravia*, vide ibi.

VVEIBLINGA, Germanis *VVeiblingen*, oppid. Germaniæ, in Ducatu VVirtenbergico, patria Conradi III. Imperatoris, cujus milites cùm in prælio contra Henricum Superbum, Guelphi fratrem, suum *VVeiblingen* inclamarent, inde *Gibellinorum* celebre nomen ortum vult, Georg. Hornius, *Orbe Imper.* Fellero, potiùs ex verbis *bie Gybeling*, quod villæ nomen, ubi Conradus educatus, illud arcessente, *Animadv. ad eum*, p. 34. Vide suprà.

VVEILBURGUM, oppid. Germaniæ, in Comitatu Nassoviæ, sub proprio Comite, ex Familia hac illustri. Defunctô enim Adolphô Imperatore filius ejus Adolphus, hæreditate cum fratre Joanne minore natu divisâ, Patri in VVisbadensi & Idstenio Comitatu successit, Johannes verò VVeilburgum nactus est, unde stemmatis *VVeilburgii*, ab integro corpore separati, origo. Nactus is postmodùm Annam, Joannis Comitis Saræpontani filiam unicam, Comitatum hunc *VVeilburgensi* junxit, defunctus A. C. 1371. Ei successit fil. Philippus, qui decessit A. C. 1429. Pater ex Catharina Lotharingica (Friderici Ducis filia) Philippi, qui *VVeilburgum* ramum continuavit; & ex Anna Hohenloica, Johannis, qui Saræpontanum ortus est. Philippô genitus Ludovicus filium habuit Philippum II. quô natus Albertus, Saræpontanam ditionem VVeilburgensi Comitatui denuo junxit, extinctus A. C. 1616. Natus ei, ex Anna agnata, Ludovicus, qui obiit A. C. 1627. è cujus, & Annæ Mariæ Hassiacæ, filiis tribus, VVilhelmo Ludovico Saræpontum, German. *Sarbrucken*, Joanni VVisbada cum Idstenio, & Ernesto Casimiro *VVeilburgum* obtigit, unde tres iterum lineæ. Et quidem Ernesto Casimiro genuit Anna Maria Comes Saynensis & VVitgenstenia, Fridericum (maritum Elisabethæ Christinæ VVitgensteniæ) & Mariam Eleonoram, (uxorem Casimiri Comitis Eberstenii) *Comites Nassoviæ &c. Lineæ Saræpontanæ in VVeilburg.* Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Part. I. p. 60.* & in *Ind.* ubi de Familia *Nassavia*, vide quoque

eum

cum *Arte Heraldicâ*, *Tom. II.* Primus autem Walramus seu Walravius Henrici cognomine *Divitis* fil. pater Adolfi Imperatoris in divisione hæreditatis paternæ, *Weilburgum* cum aliis nactus fuerat, ut vidimus suprà.

WEILDINGA, Germanis *Weildingen*, castrum Germaniæ, in Suevia, sub proprio Duce, ex Familia Wirtembergica. Manfredus enim fil. minimus natu Julii Friderici Brentianæ lineæ auctoris, genitus A. C. 1626. postquam bellum reliquisset, *Weildingæ* sedem fixit ductâ Julianâ Oldenburgicâ (filiâ Antonii Comitis Delmenhorstani) A. C. 1652. ex qua filiis Fridericô Ferdinandô, Augustô & Manfredô, genitis A. C. 1655. 1656. & 1658. inque tutela Ducis Eberhardi patruelis, & Marchionis Anspacensis, relictis, decessit A. C. 1662.

WEIMARIA, elegans Thuringiæ oppid. quondam peculiari Comitatui nomen, jam verò Saxoniæ Ducibus sedem ac domicilium præbet. Comes ejus ultimus Hermannus fuit, à Friderico Landgravio Thuringiæ, quem contemtim *Fritz* appellare solitus erat, Comitatu exutus A. C. 1342. Eum Joh. Friderici Elect. filii, post bellum Smalcaldicum, à Cæsare acceperunt, unde linea *Saxo Weinmariensis* orta. Quæ hodie, Altenburgicô ramô nuper extinctô, in Gothanam (Altenburgensis ac Coburgensis Ducatuum hæredem) ac *Weinmariensem*, tribus surculis, Weinmariensi, Marcsulanô & Jenensi florentem, distinguitur. Vide Georg. Hornium, *Orbe Polit.* cum *Animadvers.* L. Ottonis Menckenii, *p.* 221. & suprà passim. Vide *Vimaria.*

WEINDRICHIUS Martinus, vide *Martinus.*

WEISBADA, oppid. & Comitatus Weteraviæ, sub proprio Comite ex Familia Nassovica. Obitu enim Henrici cognomine *Divitis*, imperante Rodolphô I. inter filios ejus Walravium & Ottonem hæreditate divisâ: huic Dilleburgum, illi *Weisbada* & *Idstenium* cessêre, circa A. C. 1235. Ei successit fil. Adolphus, Imperiali Fastigio mate auctus, in cujus posteris Adolphus præfecturâ Geldriæ ac Zutphaniæ, & gratiâ Maximiliani I. Imperatoris clarus, ex Margareta Hanovica Philippum sustulit, qui primus Lutheri reformationem Comitatui huic intulit, defunctus A. C. 1510. Ultimus fuit Joannes Ludovicus Weilburgensis & Saræpontanus. Huic cùm tres essent filii, medius Johannes *Weisbadam* cum Idstenio nactus, ex Sibylla Magdalena Marchione Badensi suscepit; præter filias aliquot, Gustavum Adolphum (natum 1632. denatum 1656.) Ludov. Fridericum (natum 1633. denatum 1656.) & Joannem (natum 1638. denatum 1658) *Comites Nassoviæ* &c. *Linea Wisbadiæ* seu *Idsteniæ*. Cyr. Lentulus, *Geneal. Principum & Comitum Nassoviæ MS.* & Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europæô*, *Part. III. p.* 28. Vide quoque hunc, *Arte Herald. Tom. II.* ut & in voce *Visbada.*

WEISSENBURGUM, urbs Imperialis, sedes veterum Sebusianorum, unde ei nomen, syllabâ primâ dirutâ, *b.* in *v.* versô, & additâ voce *Burgum*; ad Lutarum amnem, in radicibus montis Vogesi. Vulgò *Cronweissenburg.* Item *Weissenburg am Wasgaun.* Privilegia accepit amplissima à Dagoberto Francorum Rege, habuitque olim Cœnobium magnificum, in honorem S. Trinitatis ab eodem Rege extructum, cujus Abbas à Carolo IV. Imperatore Abbas Cathedræ Imperialis & Princeps factus est. Huic diu civitas subfuit: posteà Cœnobiô in sacerdotum Collegium commutatô, & Nemetum Præsuli subjectô, civitas Imper. Romano vindicata est. Movit ei, sed frustra, status quæstionem Elector Trevirensis, qui Episcopus Spirensis & Præpositus Weissenburgensis fuerat, A. C. 1647. de qua controversia vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 59.

WEISSENBURGUM, ad Nortgojam dictum, in Franconia ad Alemannum fluv. *an der Altmühl* situm est: oppid. Imperiale, sedes Præfecturæ. Vide eundem *c.* 60.

WEISSENHORNA, vide suprà ubi de Familia illustri *Fuggerorum* Comitum.

Viri Principes.

WELFI, seu GUELPHI, celeberrimum superioribus seculis nomen, duarum fuêre stirpium, quarum posterior alteri insita, in nomen & ius successit. Priorem nonnulli Witikindeis, alii Alsatiæ genti, unde Habspurgii, adscribere contendunt: Dicunt enim Eberhardum, Alsatiæ Ducem, per filios Ruthardum Kyburgios levisse, & per Warinum Alemanniæ Principem, vel Altorfii Comitem, Ethiconem Helfensteinorum patrem ac Isenbardum, genuisse: quorum huic cùm uxor Irmentrudis, soror Hildegardis Imperatricis 12. unô partu peperisset, eorumque 11. pro catulis (unde nominis origo) exponi jussisset, patrem eos servâsse: Ex his præcipuum *Welfum* Comitem Altorfii & Ravenspurgi, patrem fuisse Juditæ uxoris Ludovici Pii & Conradi Comit. quô natum Conradum, partium Rhæticarum & Juriensium Ducem, Lingonum Comitem, Regum Burgundiæ conditorem, & Ethiconem, vel Henricum, à quo Comitum Altorfianorum gentem propagatam, cui in *Welfo II.* Ducatus Bavariæ accesserit. Addunt, defecisse familiam in *Welfo III.* vel secundùm alios IV. cujus soror Cunigundis, nupta Azoni Atestino seu Estensi in illam gentem *Welfium* nomen & jus intulerit. Ex hoc igitur Azone gens *Guelfica* posterior orta: Is enim, uti ex Juditha Conradi II. Imperatoris filia, secunda conjuge, Azonem Estensis seu Atestinæ lineæ auctorem, ita ex Cunigunde, *Guelforum* priorum hærede, *Welfum* cognomine *Robustum* genuit, de quo *infrà.*

WELFUS I. fil. Azonis, ex Cunigunde, veterum Guelforum hærede, posteriores Guelfos sevit, Altorfii Comes, & ex eo Henrici IV. Imperatoris beneficiô Dux Bavariæ. Ab Heri partibus cùm ad Pontificem & Rodolfum Anti-Cæsarem defecisset, pulsus Ducatu, sed post decennium restitutus est.

WELFUS II. fil. prioris, Patri in Ducatu successit: & ad filium Henricum, cognomine *Nigrum* vel *Catulum* transmisit.

WELFUS III. fil. Henrici Nigri, ex Wulfilde, filia Magni Bilingii Saxoniæ Ducis, Princeps Tusciæ, quam à Mathilde Comitissa Sedi Romanæ donatam, ab Imperatore acceperat, Dux Spoleti, Princeps Sardiniæ fuit: Frater Henrici Superbi Saxoniæ & Bavariæ Ducis, cujus fil. Henricus Leo Ducum Brunsuicensium & Lunæburgensium auctor est. Vide Phil. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in fam. Guelfica.* A' Guelfis hisce *Guelphorum* factioni nomen, cui *Gibellinorum* opposita; quæ ambæ Florentiam omnemque Hetruriam ante aliquot secula in tantum distraxerunt, ut cùm hi fasciam, illi bandam vel palum: hi rubras aquilas, illi nigras: hi leones reptantes, illi progredientes in insignibus præferrent, familiæ pleræque notas gentilitias penitus, vel earum ad minimum situm atque colorem immutare coactæ sint, ut quarum essent partium, inde dignosci possit. Post adventum Caroli Andegavensis, quem Pontifex regno Neapolitano investiverat, *Welfi* seu *Guelphi*, qui Pontificiarum erant partium, ad illum transierunt. Unde in illo tractu Italiæ, qui Romania dicitur, non paucæ civitates & familiæ lilia Gallica insignibus suis adjecerunt, quæ Guelpham factionem indicabant, sicut tres stellæ Gibellinam, vide Sêb. Feschium, *tr. de insignibus*, & suprà in voce *Guelfi.*

WELLIÆ, urbecula Belg. Episcopalis in Anglia *Theorodunum* olim. Vide ibi.

WELLINGUS Conradus, vide *Conradus.*

WELPEDALIUS Rogerius, vide *Rogerius.*

WELPHI, vide *Welfi.*

WELZERIA, seu *de Wels*, Familia Germaniæ illustris, quæ seculô jam XIV. florens, in duos præcipuos ramos divisa est, *Styrium* & *Carinthium*, quorum uterque iterum pluries subdivisus. Unius è Styria linea seriem hanc exhibet Spenerus. Erasmus *Welz* in *Spiegelfeld*, Ruperti fil. Joannis nepos ex Joanna Bar. de *Kollonitsch*, genuit Gothardum Dn. de *Welz*, L. Bar. de *Eberstein*, cujus ex Rosina Baron. de *Eybiswal* fil. Joannes Felix junxit sibi Amasiam Sidoniam Liber. Baron. *de Freiberg*, atque ex ea genuit Gothardum Helfricum (natum 1654) &c. *Dn. de Welz L. B. de Eberstein* &c. Vide Spenerum ubi suprà, *Part. II. p* 60. & *Arte Herald. Tom. II.* Sed & Patricii Auguft. *Marcus Welserus* scriptis, & Philippina *Welzeria*, conjugiô Ferdinandi Archiducis Austriæ, è quo Carolus Marchio Burgoviæ & Andreas Cardinalis prodierunt, notissimi sunt. Nominis, an & stirpis, origo à *Belisario*, celebri illo Justiniani I. Imperatoris Duce?

Imperatores & Reges.

WENCESLAUS, Bohemiæ Rex & Imperator Romanus, vide *Venceslaus.*

WENCESLAUS, Bohemiæ Princeps, pietate inclytus, à fratre Boleslao ad lustricum convivium invitatus, in templo, inter preces, odiô Religionis Christianæ, trucidatus est, A. C. 929. Cosmas Bohemus, *Hist.* M. Cromerus, *Hist. l.* 3.

Principes varii.

WENCESLAUS, fil. Maximiliani II. frater Rudolfi II. & Matthiæ Imperatorum in Hispanica aula ætatem exegit, obiit ætat. annô 17.

WENCESLAUS, Dux Saxoniæ, cujus filiæ nuptæ filiis Magni Ducis Brunsuicensis, gravi bellô, inter hunc & Albertum Saxonem, ob hæreditatem Wilhelmi Principis Luneburgici, ortô, finem imposuêre, seculô 14.

WENCESLAUS Lucemburgicus, gener Johannis III. Brabantiæ Ducis, socero, agnatis Hallis præteritis, successit, A. C. 1356. Obiit A. C. 1383. A quo tempore, Brabantiæ Ducatus, jure à Margareta Johannæ, sorore quæ Wenceslao uxor fuerat, repetitô, ad domum Burgundicam, inde in Austriacam devolutus est.

WENCESLAUS, Elector Saxoniæ, ex familia Ascania, fil. Rudolfi Electoris, Rudolfo fratri in Electorali dignitate successit. Obiit, lethali vulnere, in oppugnatione arcis Cellensis A. C. 1388. acceptô. Pater ex Cæcilia Carrariensi *Wenceslai*, designati Archiepiscopi Moguntini, & Rudolfi III. ac Alberti III. successorum: quibus absque prole A. C. 1418. & 1422. extinctis, dignitas ab Ascaniis Principibus ad Misniæ Marchiones translata est.

WENCESLAUS, fil. Boleslai, Principis Lignicii, in divisione, Goldbergam sortitus est, sed omnia, prodigus, aut dissipavit bona aut ære gravavit alienô. Inde fratri majori Ludovico persuasit, ut Lignitium sibi concederet, ni spem successionis omnem, bonis venditis, interversam vellet; adhuc enim improlis erat. Verùm susceptis post hæc, ex conjuge Teschinensi filiis, fratris spem elusit, obiitque in summa paupertate A. C. 1364. Inter filios *Wenceslaus* quoque fuit, Lebunensis atque Vratislaviensis Episcopus.

WENCESLAUS, fil. Boleslai, Ducis Teschinensis, Wenceslao Regi charissimi, suscepit ex Euphemia Mazovia, filium cognominem, successionem hanc sibi frustra asserere conatum, & sine liberis mortuum, seculô 15. Item fil. Casimiri IV. utriusque Silesiæ Capitanei, ante patrem, qui obiit A. C. 1528. extinctus: pater *Wenceslai* Adami posthumi, qui Austriacis fidissimus, præter Fridericum Casimirum, suscepit ex Sidonia Catharina Lawenburgica Adamum *Wenceslaum*. Hic in aula Christiani I. Electoris Saxoniæ educatus, posteà in bello Turcico se strenuè gessit, & A. C. 1607. supremus Silesiæ Capitaneus constitutus, atque sequente annô, postquàm ad Romanensium sacra transisset, mortuus est. Ejus fil. Fridericus Wilhelmus, eorundem titulum tenax, nostrâ memoriâ totam Micislai, primi Silesiæ superior. Ducis stirpem extinctus sine prole terminavit, vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Histor.*

WENDELSTENIUS Joannes, *Codicem Canonum Romanorum* primus edidit A. C. 1525. de quo vide Gerh. von Mastricht, *Hist. Jur. Eccl. num* 79 qui etiam *Wenilonis* inter eos, qui *Capitula Caroli* Ludovici fil. collegêre, meminit *n.* 198.

WENILO, Archiepiscopus Senonensis in Gallia, coronavit Carolum Calvum A. C. 832. à quo ad id fastigii sublatus erat: Sed proditor sui Regis, Ludovicum Germanicum accersitum in urbem recepit. Qua de re cùm conquestus esset Carolus in Concilio A. C. 859.

859. in suburbio Tullensi habito, quatuor Metropolitis res commissa est; quô successu, reticetur ab Historicis: Ipse enim *Wenilo* in dignitate sua obiit, A. C. 865. An hinc factum, quod in veteribus Gallorum fabulis *Ganelon* proditorem notat, à quo sæpius gens decepta? Vide Baron. *A.* C. 859. Sammart. *Gall. Christ. tom.* 1. p. 620. 621.

WENTIUS Johannes, vide *Johannes*.

VVEPRIA, aut *VVipria*, sylva, corruptè *in Actis* S. Dagoberti fabulosis appellatur, quæ aliàs *Vabrensis sylva*, vulgò *le Bou de Vojure*, alterô lapide à Satanaco. Vide in voce *Vabrensis pagus*.

WERA, vox medii seculi notissima, pretium vel æstimatio hominis. Hinc *Wergilda*, solutio *Weræ*. Germani enim veteres & Aquilonares gentes, qui jugum pariter & leges omni Europæ imposuêre, gravissima delicta, ipsaque homicidia pecuniis commutabant, Tacit. *de Germ.* Idem obtinuit apud Cimbros & Danos, usque ad Christianum III. Crantz. *de bello Dithmars. l.* 1. Apud Anglos &c Unô namque infelici casu duos de medio tolli non ferebant. Unde omnes hominum classes, ab ipso Rege usque ad mancipium inclusivè æstimatæ, peremtique pretium familiæ ejus persolutum est. Hujus instituti occasionem quidam volunt esse locum Exod. c. 21. 29. & 30. *Wergildorum* tamen cumulo exempta fuêre, quæ quis in Principem, Rempubl. vel civitatem machinatus esset: LL. Bojorum *tit.* 1. *c.* 7. *&* *tit.* 2. *c.* 1. §. 2. *&* 3. ut & alia quædam apud Anglos crimina: de quibus vide Henr. Spelmannum, *Glossar. Archæol.*

WERDA, insul. Rheni, infra Coloniam Agrippinam, aliàs S. Suitberti Insula seu SS. Werda: nunc Cæsaris Insul. *Keisers-Weerd*, clara oppidô & monasteriô, quod nunc pro Monachis Canonicos, ac etiamnum Suidberti Patroni sui & conditoris reliquias habet. Item ad flumen Ruram in pago Ripariorum Coloniensique diœcesi, veteri Monasteriô à Liudgero structô illustris. Est autem *VVerd* vel *VVert*, vox Germanica quæ locum dénotat aquis undique circumfusum, & Insulæ similem. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

WERENFELSIUS Joh. Jacobus, Ecclesiastes Basiliensis, Theologus insignis: Scripsit *in Ecclesiastem*, *in Apocalypsin*, quod posterius adhuc ἀνέκδοτον, aliaque: *Joh. VVollebii Antistitis Basileensis vitam & obitum Heroicô carmine* prosecutus est. Obiit, illustre constantiæ, in morbis ærumnisque vitæ hujus gravissimis, exemplar, A. C. 1655. ætat. 53.

WERENFELSIUS Petrus, prioris fil. natus A. C. 1627. Theologus Basiliensis celeberrimus. Post Euangelium foris domique, magnô successu, prædicatum, Lucæ Gernleri Antistitis, A. C. 1675. piè defuncti, successor, voce, vitâ, scriptis Ecclesiam Dei, & Academiam patriam, indefessô studiô, juvat. Parentis postuma quædam edidit, & locupletavit: ipse quotidie sacris dissertationibus, *de Collatione* inprimis *Adami primi cum secundo*, *de Judicio incipiente à domo Domini*, *de Sabbatho* &c. prælum fatigat.

Doctrina, eloquium, pietas, sensusque modestus,
Cum cauta, in corde hoc, dexteritate sedent.

WERNERUS, Comes Grœningensis, fil. Conradi, qui Albertô Comite Wirtenbergicô & Lœwensteniô natus, Ulrici Beutelspacensis filiâ Werntrude ductâ, hæres ejus fuit: habetque etiamnum traditio, ab Henrico IV. Imperatore Conradum hunc Wirtenbergiæ Comitem creatum esse. Eô itaque, præter Henricum & Ulricum Comites Wirtenbergicos ac Dominos Beutelspacenses, genitus *VVernerus*, Comites Grœningenses, Landavienses, ac VVullenstettenses sevit; sed Hartmanni, ab Eberhardo Illustri Comite VVirtenbergico, cujus tutelam minùs fideliter gesserat, capti filii Conradus, Eberhardus & Ludovicus, titulum Grœningensem omittere sunt coacti. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist.* Vide quoque *Vernerus*.

VVERNERUS, nomen aliquot Comitum Schirensium, unde Sereniss. familiæ Palatinæ origo: Item Comitum quorundam Homburgiorum, in agro Raurico. Vide *Homburgum*.

VVERNERUS Johannes, vide *Johannes*.

VVERNERUS Staufacherus, vide *Staufacherus*.

VVERTHEMIUM, oppid. Palatinatus, caput Comitatus cognominis, sub propriis olim Comitibus, quorum ultimô Michaële A. C. 1556. extinctô, Comitatus transit ad Ludovicum, è familia Comitum Leonsteniorum: de cujus ob ditionem VVerthemiam bello, contra Julium Episcopum Herbipolensem, vide Thuan. *l.* 138. *p.* 1251. Obiit Ludovicus A. C. 1611. Pater Christophori Ludovici, qui VVirnenburgios, & Joh. Theodorici, qui Rupifortios sevit: de quibus accuratè agit Phil. Jac. Spenerus, *in appendice fam. Palatina.* Habuit autem præfatus Michaël Comes unicam filiam, Barbaram, sed eâdem secum annô extinctam, cujus progenitores, à Michaële Dn. *Breuberg*, aliis Joan. Comite *VVerthemio*, Sophiæ Comitis Hennenbergicæ, aliis Mechtildis Comitis Schwartzenburgicæ (Guntherô genitæ) marito, ad annum usque emortualem, idem exhibet, *Theatrô Nobil. Europea, Tom. I. p.* 114. Hodierna verò Familia, cùm in duos ramos abierit, ut dictum; in priore, Christophorus Ludov. Com. *de Lewenstein* & *VVertheim*, defunctus A. C. 1618. ex Elisabetha Manderscheidia, pater fuit Friderici Ludovici; quô & Annâ Hedvige Stolbergiâ, geniti sunt Ludov. Ernestus (A. C. 1627. cui Catharina Elisabetha Saynensis nupsit) Fridericus Eberhardus (A. C. 1629) & Gustavus Axel (qui natus A. C. 1632. Agatham Oetingensem sibi junxit A. C. 1657.) præter filiam Ludovicam Barbaram (natam A. C. 1631.) &c. *Comites de Lewenstein & VVertheim* &c. *lineæ Virnburgicæ.* E quibus Ludovico Ernesto, ex uxore dicta, inter alios, genitus est, Joachim. Fridericus A. C. 1667. In posteriore, Joann. Theodoricus, qui decessit A. C. 1644. ex Josina Marcæ Comite juxta alios, suscepit Josinam VValpurgim (natam, A. C. 1615. uxorem Henrici Comitis Bergensis) Ferdinandum Carolum (natum A. C. 1616.) & Dorotheam Catharinam (natam A. C. 1618. ac Ferdinando Manderscheidio nuptam) Quorum medius ex Anna Maria Comite Furstenbergia genuit Mariam Annam (quæ nata A. C. 1652. nupsit VVilhelmo Hassiæ Landgravio) Eleonoram (quæ A. C. 1653. genita, Erico Adolfo Comiti Salmens. Reifferscheidio elocata est) Maximilianum Carolum (natum A. C. 1656.) Franciscum Leopoldum (natum A. C. 1661.) aliosque *Comites de Lew.* & *VVertheim* &c. *Lineæ Rupifortiæ.* Vide eundem Spenerum, ubi suprà, *Parte I. p.* 35. *Parte II. p.* 59. *Parte III. p.* 84. 85. & *Arte Heraldicâ Tom. II.*

VVESALIA, civitas Clivensis, ad cujus mœnia amnis Lupia Rheno fluvio conjungitur. Vide *Vesalia*.

VVESENBECIUS Matthæus, vide *Matthæus*; & plura apud Paul. Freherum, *Theatrô Viror. erudit. clarorum*, ubi etiam de *Andrea*, *Petro* & *Johanne VVesenbeciis*, prolixè agit.

VVESSELUS Gansefort, Gröningensis, tantâ omnium literarum ac disciplinarum cognitione fuit præditus, ut communi elogiô *Lux Mundi* diceretur. Peritus erat trium linguarum, Latinæ, Græcæ & Hebrææ: ad quarum mediam eò exactiùs discendam, in ipsam Græciam profectus est. Cúmque A. C. 1477. Philippus Elector Palatinus Heidelbergensem instauraret Academiam, non alius dignior visus est, qui ad Theologicam cathedram vocaretur: Sed cùm Doctoratum suscipere non posset, propterea quòd Monasticum ordinem parùm amaret, relictâ Professione Theologicâ, Philosophicam suscepit. Profitebatur autem Philosophiam Platonicam, quòd eam Christianismo judicabat convenientiorem atque utiliorem. Mox verò, cum Lutetiam inde secessisset, Successorem accepit Rod. Agricolam Omlandum, vide Joh. Georg. Hornium, *Hist. Phil. l.* 6. *c.* 5.

VVESSELUS Johannes, Gröninganus, Concionator VVormatiensis, damnatur ab Inquisitoribus hæreseos Moguntiæ, quòd de Indulgentiis, Jejunio, aliisque quædam à communi sententia aliena docuisset, A. C. 1479.

VVESTERBURGUM, German. *VVesterburg*, quasi *occiduum Castrum*, nomen Comitatus Germaniæ in Palatinatu ad Rhenum, sub proprio Comite, ex Familia meritis, antiquitate & affinitatum splendore inclyta: cui *Leiningensem* titulum attulit Margaretha Landgravia Leiningensis filia, Reinhardo *VVesterburgico* nupta, dicunturque filii horum Reinhardus & Cuno à Palatino Electore investiti A. C. 1471. lite tamen inter hanc & Leiningensium Comitum illustrem Domum nondum decisâ. Dispescitur illa in duos nunc ramos, *VVesterburgium* & Leiningensem, in quo posteriore, surculô unô Oberbrunnensi (de quo suprà) extinctô: alter *Grunstadensis* superest, à Ludovico Eberhardo *Comite Leining. & VVesterburg.* &c. *in Alt & Neu-Leiningen*, marito Carolæ Nassoviæ, continuatus. In priore, Georgius VVilhelmus Comes *de Leiningen & VVesterburg*, filius Christophori, nepos Georgii, pronepos Cunonis, ex Sophia Eleonora Lippiensi, inter alios genuit Annam VValpurgim (A. C. 1647. uxorem Augusti Ducis Saxon.) Fridericum VVilhelmum (A. C. 1648.) Joann. Antonium (A. C. 1655.) Christoph. Christianum (A. C. 1656.) Henricum Ern. Fridericum (A. C. 1665.) & Georgium (A. C. 1669.) *Comites de Leiningen & VVesterburg.* Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatrô Nobilit. Europ. Part. I. p.* 65. *in Ind. Parte III. p.* 30. & *Arte Herald. Tom. II.*

VVESTERVVALDIA, German. *VVesterwald*, quasi *Occidua Sylva*, tractus Germaniæ est, in Comitatu Nassoviæ, sub proprio Comite, ex illustri hac Familia. Cessit autem, in divisione hæreditatis paternæ, Georgio Joannis Senioris filio tertio, unà cum Quatuor Pagis & Beilsteinio dominio: pecorumque pastu nobilis est, & fonte Hunniacô, ac ingenti lapidum strue in sublime concumulatâ, monumentis, ut quidam volunt, Hunnorum Gigantumque, à quibus aliquando culta fuerit. Cœterùm majorem hujus terræ portionem Ernestus Casimirus filius Joannis præfati ordine quartus, liberis suis tradidit, post quam relictâ illâ Georgii proles Dilleburgum legit: alterâ parte Hadamariæ Domino adjectâ, Cyr. Lentulus, *Delineat. Urbium & Agrorum Nassoviæ MS.*

VVESTFRISIA, Alberto Saxoni à Maximiliano I. concessa est, A. C. 1498. Vide *Frisia Occidentalis*.

VVESTGOTHI, vide *Visigothi*.

VVESTMONASTERIENSIS Matthæus, vide *Matthæus*.

VVESTMONASTERIUM, quasi Occidentale Monasterium, pars urbis Londini, prisca Angliæ Regum sedes, ante D. Eduardi Confessoris tempestatem: Beati Petri nomine insignitum fuit, sed quod ex pœnitentiæ voto Rex (quod exemplaris verbum est) suscepit meliorandum. Opere proin egregiè navatô, Nicolaus Papa splendida adjecit privilegia, intèr cœtera, *ut amplius in perpetuum Regiæ Constitutionis locus sit, atque Depositorium regalium insignium*, *in Epist. ejus ad Div. Eduard. Concil. tom.* 3. *B. f.* 1128. *&c.* Vide Spelmannum, *Gloss. Archæol.*

VVESTPHALIA, regio est ampla Germaniæ, quæ unum ex decem circulis Imperii constituit, inter Saxoniam inferiorem ad Ortum & Belgium ad Occasum; Sic dicta, quòd Saxonibus Occidentalis est: Equus enim, quem *Phalen*, seu *Falen* antiqui Saxones dicebant, horum insigne erat. In ea sunt regione Episcopatus seu ditiones Monasteriensis, *Evesché de Munster*, Gall. *Stifft Münster* Germanis Paderbornensis, *de Paderborn*, Osnabrucensis, *d'Osnabruk*, & Mindensis, *de Minden*: Comitatus Oldenburgensis, *le Comté d'Oldenbourg*, Frisiæ Orientalis, *de la Frise orientale*, & Marchiæ, *le Comté de la March*, VVestphaliæ propriæ Ducatus, *le Duché de VVestphalie*, Comitatus Hoyensis, *Comtez de Hoye*, Diepholtensis, *de Diepholt*, Ravensbergensis, *de Ravensberg*, Lemgoviensis, *de Lemgow*, Lingensis, *de Lingen*, Luppiæ, *de Lippe*, Benthemensis, *de Benthem*, & Schaumburgensis, *Scaumburg*. Dicitur *VVestphalen* incolis, *VVestphalie* Gallis. Terminatur à Septentrione mari Germanicô; ab Oriente Ducatibus Bremensi, Ferdensi, Luneburgicô, & Brunsvicensi; ab Occidente Belgii uniti provinciis, & à Meridie Ducatibus Clivensi, Veteraviâ, Valdecensi Comitatu, & Landgraviatu Hasso-Casselland. Totius re-

gionis caput est Monasterium, *Munster*. Sed Ducatus Clivensis, Montensis, Juliacensis, & ditio Episcopi Leodiensis non censentur proprie in Westphalia, quanquam partes sint *Circuli Westphalici* dicti. Ejus Topographiam exhibet Merianus: De *Westphalorum*, seu antiquorum Saxonum situ, moribus &c. scripsit Wernerus Rollfincius. Vide quoque Adelarii Erichii, *Gülchische Chronicke l. 7. ad A. C. 1610.* Teschenmacheri, *Annales Cliviæ*, Hamelmanni *Chronicon Oldenburgense &c.* Addo, quòd inter Gentis Anhaltino-Lauenburgicæ titulos etiam hic comparet. Nempe translatâ ab Anhaltinis seu Lauenburgiis, in Misnenses Saxoniâ, de qua re suô locô, Angrivaria tamen (quæ aliàs eosdem semper Principes cum Saxonia habebat) in Bernardi Ascanii posteritate mansit, juxtà cum iis Westphaliæ terris, quas Henrico Leoni ablatas, illi Cæsar adjecerat. In partem tamen etiam Philippus Ubiorum Antistes venit, qui, Henrico suâ sponte infensus, tum Cæsare iratô, occupatam armis ditionem hujus assensu sibi asseruit. Et quidem septem oppida, 25000. subditos & 200. Nobiles *Landsaßios*, ex *Westphalia* Coloniensium Præsulum ditione teneri, Electoris Legatus hisce in Comitiis Imperii memoravit. Ideoque tum Archiepiscopus, tum Lauenburgius Dux, ut harum terrarum *Ducumque Angrivariæ & Westphaliæ* nomine peculiare suffragii alternâ vice ferendi jus ipsis permitteretur, consentiente & commendante horum desideria Cæsare, petiêre. Tob. Pfannerus *de præcipuis German. Principum Gent. c. 10.*

WESTPHALIÆ propriæ Ducatus, *le Duche de Westphalie*, pars est Westphaliæ latè sumptæ, sub dominio Electoris Coloniensis, inter Comitatus Valdecensem ad Ortum & Marchiæ ad Occasum, atque inter ditiones Monasteriensem & Paderbornensem ad Boream, & Veteraviam ad Meridiem. Ibi Arensberga oppidum primarium, cum aliquot aliis minoribus.

Westphaliæ urbes præcipuæ.

Arensberga, *Arensberg.*	Oldenburgum, *Oldembourg.*
Embda, *Emden.*	Osnabrucum, *Osnabruck.*
Minda, *Minden.*	Paderborna, *Paderborn.*
Monasterium, *Munster*, regionis caput.	Susatum, *Soest.*
	Tremonia, *Dortmund.*

WESTPHALUS Joachimus, vide *Joachimus.*

WESTRASIA, vide *Neustria.*

WESTROGOTHIA, vulgò WESTROGOTHLAND, pars Occidentalis Gothiæ, in Suecia: sub qua provinciæ Dalia, Vermelandia, & *Westrogothia propria*, quæ inter Venerum lacum est ad Boream, Ostrogothiam ad Ortum, Smalandiam ad Merid. & Hallandiam, Præfecturamque Bahusianam ad Occasum. Habet urbes præcipuas Gotheburgum, Scaram, Lidcopiam & Falcopiam. Vide & *Visigothi.*

WESTSAXONES, populi Angliæ, è Germanis oriundi, Westsaxoniam seu Saxoniam Occidentalem tractum latè maritimum Cornubiam usque, incolentes. Sub horum ditionem coëuntibus Cantianis, & reliquis Saxonibus, horum lege, vixerunt. Primus autem, post Ethelbertum Cantii Regem, Inas Saxonum Occidental. Rex, circa A. C. 712. leges suis dedit. Successit Merciorum Legislator Offa, A.C. 758. Inde pius, inclytus, felix, Alvredus Rex item Occiduorum Saxonum, trium priorum legibus recognitis, quidquid dignum, in suas transcripsit, & Anglis omnibus imposuit, Regnum ordinavit, literas & scientias omnes penè extinctas suscitavit, &c. Post eum suas promsêre leges Eduardus senior, Æthelstanus, Edmundus, Edgarus, Ethelredus, Saxones: & Canutus Danus. Eduardus dein Confessor, triplice justitiæ lance sublatâ, Anglos, Danos & Mercios unô jure uti voluit. Vide *Saxones Occidentales.* Addo hîc, Regnum hoc, tertium ordine, ex VII. illis, quæ Anglo-Saxones in Britannia Insul. constituêre, à Cerdicio fundatum esse A.C. 519. postmodùm sub Rege Egberto, Heptarchiâ illâ in Monarchiam conversâ, primus hic perpetuus Monarcha factus, abrogatô *Saxonum* nomine, universam gentem appellari voluit Anglos, & Regnum Angliam A. C. 800. Georgius Hornius, *Orbe Imper. cum animadv.* L. Joachimi Felleri, *p. 314.*

WETHINUM, oppid Saxoniæ à Witikindo juniore cum Witteberga, conditum: Comites habuit ex ejus posteritate, qui paulò pòst defecerunt. Vide Phil. Jac. Spenerum, *in fam. Saxonica.* Ex Comitibus *Wettinensibus* Bruno post Geronem Comitem Altenburgi & Mersburgi, terras, quibus nunc *Marchiæ Brandeburgicæ* nomen, *Marchionis* titulô à Cæsare regendas accepit A. C. 956. Sed nepotem ejus Theodoricum ditione Obotriti exuerunt, pulsi rursus ab Udone Soltwedelensi. Tobias Pfannerus, *ubi suprà c. 4.*

WETSTENIUS Johannes Rodolfus, Theologus & Philologus Basiliensis celeberrimus. Natus A. C. 1614. patre itidem Joh. Rodolphô, Consule Reipubl. Basil. gravissimô, (qui ob res pro Patria Helvetiaque tota passim, imprimis in pacificatione Osnabrugo-Monasteriensi A. C. 1649. & paulo pòst, in aula Cæsarea, præclarissimè gestas *Vindicis libertatis Helveticæ* elogium emeruit) Professionem Græcam juvenis admodùm A. C. 1637. nactus est; quam Spartam ut feliciùs exornaret, non contentus multijugæ eruditionis suæ conscientiâ, quidquid ubique Eruditorum est Virorum, adire statuit. Itaque post iter in Galliam, Angliam, Belgium & Germaniam pro votis susceptum & commercium cum Musagetis totius Europæ præstantissimis stabilitum, in Patriam redux, Proceribus eum se præbuit, ut A. C. 1643. quidem Organi Aristotelici: A. C. verò 1654. Locorum Communium & Controversiarum Theologicarum Professio ei crederetur; quam mox A. C. 1655. Novi Testamenti provincia excepit, in quâ, magno cum successu, hactenus pervigil versatur. Pater est egregiæ & numerosæ prolis, in qua eminet maximus natu Filius cognominis natus A. C. 1647. Philologus Latinus Græcusque insignis, Professor Oratoriæ lectus A. C. 1673. inde ad Cathedram Theologicam translatus magni Patris ad unguem factus, commerciòque itidem, cum præcipuis literati Orbis luminibus, post peregrinationem paternæ æmulam, inclytus. Ejus prodiêre *Origenis Dialogus contra Marcionitas cum Exhortatione ad Martyrium, & Responso ad Africani Epistolam, de Historia Susannæ.* Quæ primùm è MSS. Codicibus Græcè edidit, versiones partim correxit, partim novas adjecit; additis *Notis, Indicibus, Lectionibus variantibus & Conjecturis, A.C. 1673.* Basileæ. Idem Venerandum Canonum Conciliorum in Anglia Editorem, *Zonaræ & Balsamonis Commentarios, in Canones Conciliorum, cum Amerbachiano Codice Acad. Basil. MS. summô labore industriaque conferendo*, plurimum juvit: ut ex præfatione operi Anglicano præfixa luculenter patet; Plura sequens cum Deo dabit ætas.

Ingeniô, zelô, meritis, pietate, fideque,
Natus ut est Patris, sic Pater instar Avi est.

WETTERBURGUM, arx Comitatus Valdecens. inter Tuvistam & Haram fluv. *Metel.*

WETTINGA, vulgò WETTINGEN, vicus Helvetiæ, haud procul Badâ seu Thermis Helveticis, quem Henricus cognomine *Wandelar* ob varias peregrinationes in Orientem susceptas, Comes Rapertivillanus, cum ab Hartmanno, Comite Dilingano, cujus patrimonium erat, emisset 660. argent. marcis, ibi Monasterium celebre ædificavit, cui, quidquid in Uranios juris habebat, contulit, A. C. 1241. quod posteà Abbas & conventus *Wettingensis* communitati Uraniorum vendidêre. Sequitur hoc Cœnobium institutum Ordinis Cisterciensis, diciturque Monaster. *Maris stellæ*; plurima passum bellô primô Austriacô, secul. 14. Vide Joh. Henr. Höttingerum, *Speculo Tigur.* Paruit Comitibus *Wettingensibus* Isena quoque, Sueviæ oppid. hodie liberum, vide *Isena & Vetunga.*

WETZLARIA, civitas Imperialis, cujus præfectura Hassiæ Landgraviis à Cæsare collata est. Vide Limnæum Enucl. *l. 4. c. 6.*

WEXFORDIA, urbs Hiberniæ, in provinc. Lagenia, bellô Henrici II. Angliæ Regis contra Rodericum Hiberniæ Regem prima Hibernicarum urbium; ab Anglis capta est, arce ibi belli contra Hibernos constitutâ, circa A. C. 1170. Georg. Hornius, *l. cit. p. 325.*

WETHAMPSTEDIUS Johannes, vide *Johannes.*

WICHBILD, jus civitatis Magdeburgensis dicitur, quasi *jus municipale*, ut est in *Vocabulario* Juris Saxonici, cujus compilatorem esse ajunt Burchardum Mangepheldium, qui vixit sub Othone IV. Imperatore Duce Saxoniæ Brunsuic. & Comite Pictaviensi, vide Goldastum, *Prolegom. ad illud*, Jo. Gryphiandrum, *Commentar. de Wichbildu Saxon.* Herm. Couringium *de Orig. Juris German.* Alios.

WIEDA, oppid. Germaniæ, Comitatus cognominis caput. Quæ Familia cùm diu inter illustriores habita fuisset, ultimus marium Wilhelmus Comitatum fratris Joannis nepoti Friderico ex Dominis Runckeliæ descendenti, donavit. Unde nova stirps, quæ in duabus jam lineis consistit, auctoribus Fridericô *in Wied*, & Joanne Ernestô *in Dierdorff*, Hermanni & Julianæ Elisabethæ Solmensis filiis. Quorum ille, Mariam Juliam Comitem Lemingensem sibi junxit & ex ea inter alios suscepit Georgium Hermann. Reinhardum (natum A. C. 1640.) Fridericum Melchiorem A C. 1642.) Carolum Ludovicum (A. C. 1654.) &c. *Comites de Wiedt* &c. Iste, defunctus A. C. 1664. ex Hedvige Eleonora Comite Eberstenia reliquit filium Ludov. Fridericum *Comitem de Wied, Dn. de Runckel, Isenburg & Massou, lineæ Dierdorffianæ.* Vide Spenerum, *Theatrô Nobil. Europ. Part. II. p. 4. Parte III. p. 75.* & *Arte Herald. Tomo. II.*

WIELANUS Philippus, vide *Philippus.*

WIER Johannes, Graviæ ad Mosam in lucem editus, discipulus Corn. Agrippæ, sub nomine præceptoris de *Vanitate* librum à se compositum edidisse creditur. Itinere per Africam & Cretam susceptô inde domum rediit, ac curæ sanitatis adhibitus à Guilelmo Duce Clivensi, per 30. annos Medicinam ingenti successu exercuit, Carolo etiam V. Ferdinando I. Maximiliano II. & Rudolpho II. à Consiliis Medicis. Insigniter doctus, sed & ipse magiæ, impietatis ac atheismi accusatus, à Bodino præcipuè *Dæmonoman.* Namque & veneficarum patrocinium suscepit, & inventarium Monarchiæ Diabolicæ confecit, ut alia omittam. Tandem Tecklenburgum profectus ad Comitem Benthemium ibi obiit, A. C. 1588. ætat. 73 Thuanus *Histor.* Melch. Adami *Vit. Medicor.* Ant. Teissier *Elog. Part. 2.*

WIESA, fluv. agri Basiliensis, cujus rivô bifido deductô irrigatur Basilea minor, aquis per omnes plateas, usui simul & ornatui, derivatis: profluit ex sylva Hercinia, piscationique inprimis molendinis & lignis devehendis aptissimus est. Vide Christ. Urstisium, *Epit. Hist. Basil.* Vulgò *Wiesen.*

WIESENSTEIGA, castrum Germaniæ in Suevia, sub proprio olim Comite ex Familia Helffenstenia. Superiori nempe seculô, in Ulrici Comitis Helffenstenii & Catharinæ Sonnenbergiæ filiis, Georgio atque Ulrico, duo rami *Meßkirchius & Wiesensteigius* in diversum ire cœpêre: cujus tamen utriusque masculi, intra anni spatium, defecêre A. C. 1626. in bona alia succedentibus Bavaris: alia (inprimis *Meßkirchium* seu *Meßkircham*) occupantibus Fürstenbergiis, quibus hodieque ab Helffensteniis filiabus, earumque hæredibus, lis movetur, nondum hucusque decisa. Ita autem se *Meßkirchiorum* linea habuit: Fridericus Comes Helfenstenii, qui obiit A. C. 1474. ex Agnete Weinspergensi, Engelberti filiâ, pater fuit Friderici extincti A. C. 1482. Hôc & Agnete Ebersteniâ (filia Bernardi Comitis) genitus Ludovicus, junxit sibi Elisabetham Limpurgiam (filiam Georgii Dn. & Pincernæ *de Limpurg*) obiitque A. C. 1494. Pater Ulrici præfati, cujus major natu filius Georgius Comes Helffenstenii, *in Meßkirch*, decessit A.C. 1573. relictô ex Apollonia *de Zimmern* (filia Frobenii Christophori Comitis) Georgiô Frobeniô filiô, defunctô A. C. 1622. Huic Maria Helffenstenia agnata, lineæ *Wiesensteig*, genuit Georgium Wilhelmum, Sibyllæ Hohenzolleranæ Joanne Comite

geni-

genitæ maritum, extinctum A. C. 1626. & Joannam Eleonoram ac Mariam Vratislao Comiti Furstenbergico nuptam ac defunctam A. C. 1629. Comit. Helffenstenios &c. ultimos lineæ *Meßkirchix*. Idem *Part. II. p.* 20. Idem verò jam nomen, matrimoniô Mariæ præfatæ, in Furstenbergicam familiam transiit. Vratislaus enim maritus ejus Comes *de Furstenberg*, lineæ Blombergiæ, ab uxore dictus *in Meßkirch*, novum in hac familia ramum condidit. His enim conjugibus nati sunt Maria Eleonora Dorothea (uxor Johannis Eusebii Fuggeri Comitis *de Kirchberg*) Franciscus Christophorus (natus A. C. 1625. maritus Mariæ Theresiæ Principis Arenbergæ) Frobenius Maria (natus A. C. 1627.) & Joannes Maximilianus Franciscus, qui obiit.... omnes *Comites de Furstenberg &c. Lineæ Blombergiæ in Meßkirch.* Similiter appellantur, qui ex secundo Vratislavii conjugio orti sunt. Is enim, priore conjuge extinctâ A. C. 1629. ex altero Helffensteniæ stirpis ramo, Franciscam Carolinam, filiam minimam natu Rudolfi Comitis Helffenstenii, (qui ultimus è masculis totius stirpis obiit A. C. 1626.) sibi uxorem junxit, secundis nuptiis, atque ex ea progenuit Mariam Franciscam (natam A. C. 1638.) Jo. Martinum Ferdinandum (1640.) Rudolfum Maximilianum (den...) & Ferdinandum VVilhelmum (itidem extinctum...) omnes itidem *Comites de Furstenberg*, *lineæ Blomb. in Meßkirch*. Vide Ph. Jac. Spenerum, *Theatrô Nobil. Europ. Part. II. p.* 20. & *Part. III. p.* 41. & 87. *Wiesensteigiorum* verò series hæc. Ulricus præfatus, rami auctor, ex Catharina Montfortia suscepit Rudolphum, patrem Rudolphi, qui ultimus è masculis totius Helffensteniæ stirpis decessit A. C. 1626. Pater ex Eleonora Furstenbergia numerosæ prolis, in qua tamen masculi omnes cœlibes, & ante patrem defecêre: inter filias, Maria Joanna nata, A. C. 1612. Maximiliano primùm Adamo Landgravio Leuchtenbergio, inde Christiano Comiti Palatino Rheni *in Birckenfeld* nupta obiit A. C. 1665. Isabella Eleonora, nata A. C. 1613. uxor obtigit Martino Francisco Comiti Oetingensi *in VVallerstein* & Francisca Carlotta nata A. C. 1618. elocata est Vratislao Comiti Furstenbergio, extincta A. C. 1641. Vide eundem Spenerum, *ibid. p.* 9. ut & *Arte Heraldica, Tom. II.*

WIGANDUS Johannes, vide *Johannes*.

WILA, urbecula Ducatus Wirtembergensis, sed libera & sui juris, ad Vurmum rivum, olim villa, unde ei nomen, à Friderico II. Imperatore jure civitatis donata est 3. milliar. Germanic. à Tubinga in Boream, Spitam versùs, 2. à Stutgardia in Occasum, *Weill* vulgò.

WILDGRAVII, vide suprà *Rhingravii*.

WILDUNGA, urbs Comitatus VValdecc. ubi fodinæ metallicæ, è quibus auri, æris, ferrique magna vis eruitur, & fontes acidi, *Merel*.

Principes Varii.
Ex Familia Austriaca.

WILHELMUS, cognomine *Ambitiosus*, fil. Leopoldi cognomine *Probi*, Archiducis Austriæ, & lineæ Tirolensis conditoris, Tripolim obsidione Turcicâ liberavit, cœterùm frustra quæsitô Hedvigis Polonicæ conjugiô infelix. Vixit sub finem seculi 14.

Ex Fam. Bavarica.

WILHELMUS, fil. Ludovici Bavari Imperatoris ex Margareta Hollandica, Hollandiam cum Comitatibus junctis nactus est: in matrem impius, & civilium bellorum causa, mente motus, tandem improlis obiit A. C. 1378. Successit frater Albertus, cujus filii fuêre *VVilhelmus* & Johannes Episcopus Leodiensis; contra quem Jacoba, VVilhelmi filia, incontinentiâ suâ famosa, Comitatus sibi vindicavit: donec hæres omnium domus Burgundica, ob uxorem Johannis Burgundiæ Ducis Margaretam, filiam Alberti Ducis Bavariæ, Wilhelmi & Johannis sororem, etiam has ditiones ad se traxit. Vide in voce *Guilielmus*, *inter Hollandiæ Comites*.

WILHELMUS, filius minor natu Johannis, Bavariæ Ducis, qui Monachiensem lineam hodieque superstitem condidit: Fratri Ernesto junctus grave cum Ludovico Barbato Ingolstadiensi bellum gessit: Basiliensis dein Concilii defensor, obiit improlis, seculô 15.

WILHELMUS I. fil. major natu Alberti Sapientis, nepos Ernesti prædicti, ex filio Alberto Pio, patri successit. Ad Electoralem dignitatem, Palatinis extorquendam, sæpiùs aspiravit, inprimis A. C. 1524. Inde defunctô Ludovicô Pacificô Electoratum sibi deberi arbitratus, indignè tulit, cùm post bellum Smalcaldicum Fridericus Elector in gratiam ab Imperatore reciperetur, ipse Septemviratus ejus potiundi spe creditus sequi Cæsareas partes: Idem cum fratre Ludovico acerrimus Lutheri hostis, Austriacæ quoque potentiæ non obscurè invidebat, Imperio etiam & regno Hungariæ imminens: Unde, cùm Ferdinandus Roman. Rex electus est, Bavari æquè ac Saxo & Protestantes nonnulli, pro libertate Germanica tuenda, clàm fœdus iniêre cum Francisco Galliæ Rege, qui 100000. aur. in usus bellicos, si quid repentini accidisset, apud illos deposuit. Ambo quoque singularem religionis Pontific. curam præ se tulêre, fœderis sancti A. C. 1538. Norimbergæ percussi primarii Duces. In Colloquio quoque Ratisbonensi, A. C. 1541. cùm à Friderico Comite Palat. consilia conciliationis proponerentur, mortem potiùs se obituros dixêre, quàm ut vel latum unguem de inveterata Religione & consuetudine remitterent: quod credebantur fecisse stabiliendæ suæ apud Ecclesiasticos auctoritatis, & ne ex compositione ad Palatinum, ac Austriacos gloria redundaret. Nihilominus in bello Smalcaldico à fœderatis solicitatus VVilhelmus, illis ambiguè quidem respondit, sic tamen ut eorum hostis haberi nollet. Pater fuit Alberti V. qui, Jesuitis licet addictissimus, tamen suis A. C. 1556. ad tempus indulsit, exemplô soceri Ferdinandi I. Imperatoris ut cœnâ Domini integrâ uterentur & carnibus, etiam diebus vetitis, urgente necessitate, vescerentur: posteà quoque in Calicis negotio A. C. 1564. ad Pontificem scripsit, vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Histor.*

WILHELMUS II. fil. Alberti V. præfati, Patri in regimine successit: Ab illo *VVilhelmina lineæ* nomen, quò Ferdinandi fratris ejus, ex imparibus nuptiis suscepti, liberi excluduntur. Literis excultus, Jesuitisque deditissimus fuit. Fratri Ernesto Coloniensem Electoratum adituro auxilia misit, A. C. 1583. Tandem Maximiliano fil. regimine traditô, ipse Monasterium ingressus, obiit A. C. 1624. in Monasterio Carthusiano, prope Ratisbonam. Pater 4. filiorum, è quibus Maximilianus, modo dictus, Electoralis: Albertus verò Albertinæ, linearum auctores extitêre. Nati hôc, Maximilianus Henricus Archiepiscopus Coloniensis, & Albertus Sigismundus Episcopus Frisigensis, *Idem*.

Ex Familia Saxonica.

WILHELMUS, Landgravius Thuringiæ, fil. Friderici I. Saxoniæ Electoris, cum fratre Friderico Placido Electore ob alterius fratris Henrici occisi hæreditatem bellum gessit, sed ubi fratrem in necem ipsius non consensisse intellexit, pietate ejus motus pacem fecit. Ob uxorem Annam, filiam Alberti II. Imperatoris Lucenburgensem Ducatum sibi vindicavit, sed pulsô Duce Ernestô Comite Gleichiô A. C. 1443. à Philippo Bono Duce Burgundiæ, quem Elisabetha Lucenburgica, dicta Gœrlicensis, Mamburnum seu protectorem sumserat, exclusus: cùm iterum A. C. 1453. Fortunam tentâsset, captâ Theodonis villâ, à Burgundo per Crojum alterâ vice ejectus est. Itaque cùm fratris Ladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis hæreditate novum jus accepisset Anna, A. C. 1459. Carolo VII. Galliæ Regi VVilhelmus Ducatum 50000. scut. vendidit: cujus successor Ludovicus XI. cùm in gratiam Burgundi jure suô cessisset, VVilhelmus cum conjuge A. C. 1462. id pretiô itidem Philippo addixêre, acceptis 120000. ducatis. A quibusdam quoque ob uxorem, Bohemiæ Rex destinatus, Georgiô Podiebradiô dein electô, Silesiam obtinuit, quæ tamen posteà quoque huic accessit. Obiit improlis.

Joh. WILHELMUS, fil. minor natu Joh. Friderici Electoris Vinariensis lineæ conditor. Bellô Salmalcaldicô à Patre, ut domi res curaret, relictus, Fribergam ad conventum Mauritianorum misit, ut contra Ferdinandum Imperatorem arma jungeret. Inde à Patre, mortuô Mauritiô Electore in Belgium ad Cæsarem missus, Electoratum ipsius nomine petiit: A. C. 1550. Cui cùm operam suam obtulisset, nec reciperetur, Galliæ se Regi addixit, copiasque duxit contra Hispanos. Dein cum fratre majori Joh. Friderico II. ei controversia fuit, Friderici III. Electoris Palatini interventu sopita: Verùm non longè pòst A. C. 1567. ei Fratris subditi universi, ob Grumbachium ab hoc receptum, addicti sunt, ac ipse unâ cum Augusto Electore Gothanam obsidionem ursit: pro arce *Grimmenstein* frustra deprecatus. Eôdem annô cum Carolo M. Badensi delectus pro Rege Galliæ egit: Sequente verò ipsius & Electoris Augusti auctoritate colloquium Altenburgicum, inter Thuringicos & Misnicos Theologos, celebratum ac in 5. menses protractum est, donec hi confessionem Electori minùs acceptam Disputationi finiendæ mitterent: unde invectivarum & inter ipsos Principes odiorum semina. Obiit A. C. 1573. per fil. Fridericum VVilhelmum, Aldenburgicæ & Johannem Vinariensis linearum auctor. Vide quoque *Guilielmus*.

Fridericus WILHELMUS, fil. prioris, in divisione, Aldenburgicam ditionem nactus est: dein cum Joh. Brandenburgico adjunctus tutelæ Christiani II. administravit Electoratum, in Reformatos, Doctoribus dimissis & Cancellariô Nic. Creliô capite plexô, acer, obiit A. C. 1602. Pater inter alios, ex Anna Maria Palatina, Johannis *VVilhelmi*, Saxonicarum Electoralium in Silesia copiarum Ducis, & Friderici *VVilhelmi*, qui fratrum minimus, sed eorundem, ut & posteà Joh. Ernesti patruelis ex parte hæres, auspiciis Electoris agnati, in Lusatia A. C. 1634. exercitum duxit: Pater itidem Friderici *VVilhelmi*, ex Magdalena Sibylla agnata.

Ex Fam. Brandeburgica.

Christianus WILHELMUS, fil. Joachimi Friderici, Electoris Brandeburgici post patrem A. C. 1598. Administrator Magdeburgensis factus: Sed quòd bellô Danicô arma contra Cæsarem gessisset, proscriptus est A. C. 1628. & à suis desertus. Itaque ad Regem Sueciæ A. C. 1630. profectus, ejus ope imploratâ, Magdeburgum rediit: sed sequente annô in hujus expugnatione glande plumbeâ sinistrum crus trajectus, in potestatem Pappenheimii venit: & A. C. 1632. in captivitate Latinos ritus induit, suô nomine *Speculum Veritatis*, cui Brochmannus & Melch. Nicolai se opposuêre, evulgari passus. In pace dein Pragensi A. C. 1635. ab Augusto Saxone Archiepiscopo Magdeburgensi annua 12000. Imperialium Cæsar ei pactus est: quorum locô in Monasteriensi A. C. 1649. cœnobium & præfectura Zina & Loburg sunt substituta. Obiit haud pridem, nullâ masculâ prole ex triplici matrimonio susceptâ.

Georgius WILHELMUS, prioris ex fratre Joh. Sigismundo nepos, in Ducatum Juliacensem à patre Administrator missus, A. C. 1613. ab eodem vivo Electoratum accepit, A. C. 1619. Investituram Borussiacam à Polonis obtinuit, A. C. 1621. In translationem Electoratus ad Bavarum, ægrè tandem consensit A. C. 1627. Edictô restitutionis, Episcopatus Brandeburgensem Havelbergensem & Lebusiensem à se repeti passus est, A. C. 1628. Induciis inter Suecos & Polonos initis, Mariæburgum, Stumam & *Haupt*, sequester accepit, A. C. 1629. quæ restituit, A. C. 1635. Ad partes Suecicas, vi ante Berolinum ostentatâ, à Rege traductus: paulò ante Lipsiense prælium copias suas cum Saxonicis Suecico exercitui jungi permittens, ad sua digressus est, Pace Pragensi A. C. 1635. probatâ, Pomeranicam investituram accepit, obiit A. C. 1640. Pater fil. unici Friderici *VVilhelmi*.

Fridericus WILHELMUS, fil. prioris, natus est A. C. 1620. Princeps fortitudine, clementiâ, Religionis zelô, rerum gestarum gloriâ inclytus: Patri successit A. C. 1640. Pro cessione citerioris Pomeraniæ, præter ulteriorem, & Episcopatum Caminensem, pro se & agnatis suis, accepit Episcopatum Halberstadiensem, cum feudis Honsteniis: Mindensem item, ac Archiepiscopatus Magdeburgici, post Administratorem Augustum, expectantiam. Fœdere cum Polonis A. C. 1656. initô, supremum in Borussiam jus sibi pactus est: Ab his dein irritatus, Suecico exercitui suum junxit, victoriæ apud Warzoviam obtentæ præcipuus auctor. Sed Polonis reconciliatus, fœdus adversus Suecos toti Septentrioni imminentes percussit, caput militiæ illius dictus, A. C. 1658. donec ad Olivam pax coaluit A. C. 1662. Hodie pro libertate Imperii egregiè rem gerit, Suecis non semel acie victis, & Pomeraniæ maximâ parte exutis. Pater est ex Luisa Henrica Arausionensi Caroli Æmilii, in Alsatica expeditione A. C. 1674. Argentorati mortui, & Friderici: in secundo quoque conjugio fœcundus.

WILHELMUS, fil. Friderici, qui, frater Johannis Magni Electoris in Franconia ditiones obtinuit, & post mortem alterius fratris Sigismundi Voitlandiam quoque nactus est: Archiepiscopus Rigensis est factus, A. C. 1534. In bello Smalcaldico, à Cæsare stetit. Captus A. C. 1555. à *Wilhelmo* Furstenbergio M. Magistro Ordinis Livonici, bienniô pòst liberatus est à Sigismundo Poloniæ Rege, cui cum reliquis in Livonia se ab Imperio discedens submisit, A. C. 1561. Vide Thuan. *l.* 21. & 28. *Histor.*

Ex Fam. Guelfica.

WILHELMUS, fil. Henrici Leonis Ducis Bavariæ & Saxoniæ longè potentissimi, frater Henrici Comitis Palatini, & Ottonis IV. Anticæsaris, sine prole extinctorum, stemma propagavit, genitô Ottone V. qui à Friderico II. Imperatore cujus præsidium Brunsuicô ejecerat, Dux Brunsuici & Luneburgi creatus est, A. C. 1235. cùm conventione initâ cum Ascaniis, Saxoniæ omisisset titulum. Ejus filii duarum linearum satores fuêre, Johannes Lunæburgicæ & Albertus Brunsuicensis, quarum illa in Johannis nepote *Wilhelmo* extincta est, vide *infrà*.

WILHELMUS, Dux Lunæburgicus, fil. Johannis præfati, cùm filias tantum Elisabetham Ottoni Saxoniæ inferioris Duci & Machildem Ludovico agnato nuptas relinqueret, hæredem initiô scripsit nepotem Albertum Ducem Saxoniæ, A. C. 1355. confirmante id Carolô IV. Imperatore. Dein, mutatâ voluntate alterum generum Ludovicum Brunsuicensem, ejusque fratrem Magnum instituit, unde bellum ortum, quod tandem in nuptias filiorum Magni cum filiabus Wenceslai Saxonis desiit.

WILHELMUS, Dux Luneburgicus, fil. Otthonis junioris, quem Otto, Harburgiorum sator, ex nobili Metta de Campen suscepit, lineam Cæsare contra agnatos tutante: Initiò cum fratre Christophoro, dein solus regimen gessit; Linguarum & Theologiæ apprimè peritus fuit, unde aliqua ejus manuscripta adhuc supersunt. Fratribus præmortuis, ultimus lineam terminavit, A. C. 1642.

WILHELMUS, fil. tertius Ernesti Ducis Lunæburgici, extincti A. C. 1546. in divisione Cellensem Ducatum nactus est: cui A. C. 1582. Hojensem, & A. C. 1585. Diepholtensem Comitatus junxit. Obiit A. C. 1592. Pater ex Dorothea Danica numerosæ prolis: è qua, præter filias, superfuêre Patri septem filii, quos cum patruo Henricus Julius successione Grubenhagiâ exclusit, unde utriusque lineæ Brunsuicensis & Luneburgicæ controversia. Cùm fratribus reliquis ex pacto cœlibibus, fil. Wilhelmi Georgius, rebus gestis celebris, solus uxorem duxisset, Annam Eleonoram Hassiacam, suscepit ex illa Christianum Ludovicum, inferioris Circuli Saxonici Ducem, Georgium *Wilhelmum*, cui Hannoverana seu Calenbergia portio relicta est: Joh. Fridericum Osnabrugæ Coadjutorem, & Ernestum Augustum, Episcopum Osnabrugensem ac ex Sophia Palatina familiæ propagatorem.

WILHELMUS, fil. Henrici Magni, Ducis Brunsuicensis, à septem victoriis *Victoriosus*, aliàs *Gottskube* cognominatus est. Ottonis Gœttingensis, cujus tutor fuerat, ditionem initiò pignoris locô, inde eô mortuô, successione hæreditariâ ex parte obtinuit. Decessit nonagenarius A. C. 1482. Pater *Wilhelmi*, cui Gœttinga, & Friderici, cui Hannovera obtigerunt: quorum ille Henricum Malum, Guelferbytanæ, & Ericum Gœttingensis seu Calembergicæ, linearum auctores genuit.

WILHELMUS, fil. Henrici Mali, modò dicti, Commendator Teutonicus, ab Henrico fratre, cùm ei in prælio Luneburgico vitam servâsset, vix ab Hildeshemio Episcopo dimissus, diuturnô carcere vexatus & ut patrimonio acceptis 2000. aur. an. & juri primogenituræ probato renuntiaret, coactus est. Seculô præteritô. Vide Spenerum, *Syll. Geneal. Hist.*

Ex Familia Badensi.

WILHELMUS, fil. Edoardi Fortunati, Marchionis Badensis, ex Maria filia Jodoci ab Eicken Domini de Riviere, Bredæ gubernatoris, cujus majores Ducibus Brabantinis inservierant, natus est A. C. 1593. Cui cùm ab altera linea Durlacensi nempe, gravis ob matrem mota esset controversia, tandem A. C. 1612. in aulico Cæsareo judicio, pro VVilhelmo sententia lata jussique sunt agnati ei superiorem Marchionatum, cum litis expensis restituere: sed inter partes dein Eslingæ A. C. 1629. transactio instituta est. Bellô Suecicô à Cæsare fuit, Hispanis dein in Belgio serviit, agnatis pace Monasteriensi quædam restituere jussus & linearum alternatio sancita est. A. C. 1648. Obiit, Judex Cameræ Spirensis, haud pridem: Pater inter alios Leopoldi *VVilhelmi*, & Ferdinandi Maximiliani successoris: qui ex Luisa Christiana, Sabauda genuit A. C. 1655. filium Ludovicum *VVilhelmum*. Habuit quoque VVilhelmus fratrem Hermannum, cui Rodemachera obtigit, patrem Caroli *Wilhelmi* Eugenii.

Ex Familia Hassiaca.

WILHELMUS Senior, filius Ludovici Pii, Principis Cassellani, in Palæstinam profectus, & in reditu ab Innocentio Pontifice Romæ honestè habitus est. Debilitatis dein, ob philtrum in Italia propinatum, animi viribus, regimini ineptus, fratri *VVilhelmo* medio A. C. 1493. cessit: qui, in aula VVirtembergica educatus, inde à Maximiliano I. Imperatore in Flandria eques creatus, ejusdem auspiciis A. C. 1490. in expugnatione Belgradi fortissimè se gessit, Palatinis bellô Bavaricô, multa ademit, è quibus *Bickebach*, & *Umbstadt*, de quo dein transactio facta, retinuit: post mortem patruelis *VVilhelmi* Junioris, de quo infrà, totius Hassiæ Princeps: Pater ex Anna Megapolitana Philippi Magnanimi.

WILHELMUS Junior, cognomine *Dives*, filius Henrici, qui Ludovici prædicti frater, Marpurgum obtinuerat, sub patrui Hermanni, Archiepiscopi Coloniensis tutela adolevit. Eppsteini dominii partem emit, sed improlis ex Elizabetha Palatina, equi casu in venatione, cui nimium indulsit, A. C. 1500. extinctus est. Cùm sorores haberet, Mechtildem Johanni Duci Cliviæ, & Elisabetham Johanni Comiti Nassov. Dillenburgio nuptas, hæ Catimelibocensem Comitatum, quem avus à socero Comite, A. C. 1479. mortuo nactus erat, sibi deberi asserebant, sed successionem solus sibi vindicavit VVilhelmus medius, quòd A. C. 1487. conventu Efordianô frater sororibus non nisi dotem 100000. aureorum pactus, cæterùm successionem patrueli policitus esset. Cæteros in Serenissima hac familia *Wilhelmos*, vide in voce *Guilielmus*.

Principes, Comites, Viri clari.

WILHELMUS, filius Friderici, Principis Anhaltini, qui Hatzkerodam nactus est.

WILHELMUS, Princeps Arausionensis, pronepos ejus cognominis, Belgicæ & Anglicæ libertatis, post Deum, auctor. Vide in vocibus *Arausio*, *Guilielmus*, & *VVilhelmus III.*

WILHELMUS, Comes Palatinus Tubingæ, cum fratre Gœtzone majore natu, Tubingam vendidit, an oppignoravit, Ulrico Duci VVirtembergico A. C. 1342.

WILHELMUS, Northmannorum Comes cum Francis Angliam intravit, Regem Haraldum vicit, Anglos cæcidit, superavit, sibi subjecit, quibus ann. 26. imperavit, Paul. Æmil. *l.* 3. Hinc Reges hodierni Angliæ.

WILHELMUS Ferrobrachius, Drogonis Tancredô Normannô geniti in Apuliæ Comitatu successor, Calabriam & Capuam adjecit, seculô XI. quem Robertus Guiscardus excepit, magnâ Siciliæ parte potitus: hunc ejus frater Rogerius Bossus, qui primus se *Siciliæ Comitem* appellavit. Georg. Hornius, *Orbe Imper.* cum *Animadvers.* L. Joach. Felleri, *p.* 183. Vide quoque suprà, ubi de *Sicilia*, alibique.

WILHELMUS Tellius, vide *Tellius*.

WILHELMUS, vide *Guilielmus*.

WILIPERGIUM, oppid. Ducat. VVirtemberg. ad Nagoltam fluvium situm, *Metel.*

WILLIS Thomas, Anglus, ex Theologo Medicus eximius, Philosophiam Natural. Oxonii docuit. Inde Londinum vocatus A. C. 1667. ibi Medicinam fecit, magnô successu & famâ, Obiit A. C. 1677. Ætat. 57. perpetuis precibus, studiis, laboribus & eleemosynis exercitus. Ingenii monumenta reliquit varia, magni ab Eruditis habita. Vide *Præfationem Pharmaceutices Rationalis Parte II. Hagæ Com. editam*, A. C. præfatô.

WILLISOVIUM, vetus Comitum, qui adhuc circa A. C. 1160. floruêre, sedes, oppidul. est Helvetiæ, in Argovia. Ab Anglis vastatum est A. C. 1374. Posteà Comitibus Valendisiis subfuit, imperante VVenceslaô; Dissidiô dein inter Comitem & Bernates circa A. C. 1386. ortô, ab his occupatum & incensum: Tandem cum tractu, cujus caput est, in Lucernensium pervenit potestatem, qui è Senatu Præfectum oppido mittunt, cui proprium consilium est. Vide Stumpf. *de Argovia*, *l.* 7. *c.* 27. Distat Brandisiô 2. milliar. Huttvillæ propius. Huc Friburgenses & Solodurii, cùm lites cum octo Pagis, aut aliquo illorum habent, si rei sunt, venire solent, causam disceptaturi: quemadmodùm, si actores illi sint, Zofingam Judices conveniunt, Jos. Simlerus, *descript. Helvet.* German. *VVillisau.*

VVILTABURGUM, oppid. fuit Hollandiæ, seu illustre Pippini castellum, vulgò *VViltenburg*, 2. à Trajecto leuc. *Baudrand. Valesius* habet 3600. passus, ubi adhuc rudera ejus. Ibi sedes erat Episcopalis anteà Trajectensis, secundùm Bedam, *Hist. l.* 5. *c.* 12. quod falsum esse ex prædictis patet, Trajectum enim sedes Episcopatus vetus, quod ille cum *VViltaburgo*, confudit. Vales. *Notit. Gall.* Vide B. Rhenanum, *Rer. Germ. Nov. Antiqq. l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p.* 634.

VVILTONIUS Johannes, vide *Johannes*.

VVIMPHELINGUS Jacobus, vide *Jacobus*.

VVIMPINA, vulgò *VVimpfen*, oppid. Imperii, ad Nicrum, quasi *VVeibespein*, à mulierum pœna, quam ab Hunnis perpessiæ erant, nomen invenit: cujus rei memoria in Curia VVimpinensi hodieque extat. Hìc Georgius Fridericus, Marchio Durlacensis, pro Palatina causa, cum Tillio & Cordubensi infeliciter conflixit, A. C. 1622. die 26. April. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 63.

VVINDESHORIUS Rogerius, vide ibi.

VVINDOVERUS Rogerius, vide *Rogerium*.

VVINFRIDUS, vide *Bonifacius*.

VVINSHEMIUM, urbs Imperialis Franconiæ, ad amnem Æstum *Aisch*, à VVindegasto Pharamundi Regis Duce, qui illam condidit A. C. 425. sic dicta. A Sigismundo Imperatore oppignorata, & à Friderico, urbis Noricæ præfecto, aliquandiu possessa est, verum publicâ

dein

dein pecuniâ redempta jus recuperavit suum. Vide eundem, *ibidem*, c. 64.

WINULI, populi German. qui & *Vinuli*, & *Longobardi*, Paul. Diaconus. Vide ibi.

WIRCEBURGUM, vulgò *Wurtzburg*, Franconiæ urbs, ubi post Germaniam à Martino IV. & Honorio V. avarè expilatam, convocatâ synodô, Legatus Pontificius de vita periclitatus, & Probus Episcopus Tullensis in Papas acerrimè est invectus, A. C. 1285. Lætus, *Comp. Hist. Univ.* Vide *Herbipolis*.

WIRTEMBERGA, vulgò *Wirtemberg*, castrum vetustum Sueviæ, in colle, prope Nicrum, & Esslingam Canstatumque oppid. Nomen dedit familiæ Procerum, posteà Comitum, tandem Ducum. Horum origo communiter ad Francos refertur. Deductio certa ab Eberhardo I. marito Agnetis filiæ Bertholdi, Ducis Zeringensis, viduæ Egonis Comitis de Aurach, circa A. C. 1240. Hujus filius Ulricus *cum magno pollice*, genuit Eberhardum γαεγγευγδυ, cognomine *Illustrem*, seu *Rixosum*, qui bis adversus Rodolfum I. Imperatorem rebellis toties ab eo in gratiam receptus est. Posteà cùm Henrico VII. Imperatori iterùm obsequium negaret, universâ ferè ditione exutus, & castrum *Wirtemberga* destructum est: sed restituit illum Ludovicus Imperator. Obiit A. C. 1325. *Gottes Freund, und aller Welt Feind.* Filius Ulricus, è Comitiis Metensibus A. C. 1339. redux, à Domino Vaistingensi, absque causâ captus, & non nisi 100000. marcis argenti solutis dimissus est: Tubingam A. C. 1342. à Comitibus Palatinis Tubingæ sibi comparavit. A Carolo IV. Ulmæ, Heilbronnæ, Reutlingæ, Eslingæ & Wilæ advocatus constitutus, ab his de nimiis exactionibus conquestis, bellô petitus, eorum copias fudit, A. C. 1372. sed A. C. 1377. ad Reutlingam, magnam partem nobilitatis amisit: iterum ad Wilam A. C. 1388. victus. Filius Eberhardus, cognomine *Mitis*, *Liberalis*, seu *Pacificus*, A. C. 1395. nobilitatis seditionem expertus est; ducatumque Teccensem obtinuit, ductâ Beatrice filiâ Friderici Ducis Teccensis ultimi & ultimæ Ducissæ Urslingensis, A. C. 1417. Habebat hic Eberhardus in aula sua sex Principes, octo Comites, quinque Barones, & septuaginta Nobiles. Filius Eberhardus Junior ex Henrica filia primogenita Henrici *de Montfaucon de Montpelgard*, Domini *d'Orbes*, qui A. C. 1397. ad Nicopolim, prælio contra Turcas, cecidit, Comitatum Montispelicardi, per varias diu familias hactenus vagum, domui acquisivit. Hujus filii Ludovicus, & Ulricus fuêre, ille conditor Uracensis lineæ, quæ in Eberhardo Barbato filio extincta est, A. C. 1496. hic Stutgardianæ: pater Eberhardi Junioris & Henrici, cujus filii, Ulricus, lineam Ducalem primam, quæ in Ludovico Pio A. C. 1593. terminata est; Georgius verò Montispelicardensem, vel Ducalem secundam orsus est: quô natus Fridericus quinque filios suscepit, quorum duobus sine prole extinctis, Joh. Fridericus Stutgardianæ, Ludovicus Fridericus Monpelicardensis, & Julius Fridericus Appennagiatæ seu Julianæ linearum conditores extitêre. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in fam. Wirtemb. in qua Duces Wirtemb. & Teccæ, Com. Montispelg. & antiqui Domini Beutelspacenses, &c.* Addo, quòd Ducatum hunc Ulrico Duci, à Fœderis Suevici Sociis Reutlingæ urbi, à Duce infestatæ, opitulantibus A. C. 1500. ereptum, Carolus V. Imperator emit, Ferdinando fratri, cùm paternas terras partirentur, adsignatum; quem tamen huic rursus ademtum Philippus Hassiæ Landgrav. Ulrico restituit. Secuta pòst, Philippi operâ, Cadomica tranlactio. Ulrico possessionem hujus terræ ita firmavit, ut eam beneficium Domus Austriacæ agnosceret, huic etiam successionis spes deficientibus aliquando *Wirtembergiis*, servaretur, quanquam conditiones istæ Ulrico minùs placerent. At tandem Duces istô nexu Rudolfus II. Imperator exsolvit, consensu Gentilium pactus, ut clientelâ hàc eximerentur Wirtembergii, salvô tamen Austriacis, si illi deficerent, successionis jure, hujusque abdicationis pretium non spernendam auri summam tulit. Quam ob spem tamen successionis titulum Austriaci retinuêre &c. Tob. Pfannerus, *de præcip. German. Princip. gentibus*, c. 1

WIRTEMBERGENSIS Ducatus, regio ampla Sueviæ, cujus caput Stutgardia. Ei à castro nomen: Sub Duce proprio. Terminatur ab Ortu & Meridie Sueviâ, à Septentrione Palatinatu Rheni, ab Occidente Sylvâ nigrâ, & Marchionatu Badensi. Ejus urbes præcipuæ Stutgardia, Tubinga, & Schorndorfia. De Theologorum hujus Ducatus Colloquio Epistolico, cum Jeremia Patriarcha Constantinopolit. Vide in voce *Jeremias*.

WISBADA, vide *Wesbada*.

WISCARDI, i. e. Errones. Unde dracones volantes pyriô pulvere in spectaculum circumactos, *Wischardos* Iceni hodieque dicunt: ut & omnes res maximè impetuosas & rapidas. Origo vocis à Roberto VVischardo, qui paucis ante accessum in Angliam Gulielmi Victoris annis, relictâ Normanniâ patriâ, Apuliam cum 15. tantùm militibus fortunæ sociis ingressus: brevi tot tantaque belli velut miracula edidit, ut subjugatis Apulis, Calabris, Sicolis, Afris, fusisque tandem Papâ, Venetis ipsôque Alexiô Imperatore latissimas sibi ditiones acquisiverit, terror mundi habitus. Impositum est autem ipsi hoc nominis per invidiam à Saracenis, quorum linguâ *Guiscard* erronem & per terras vagum significat. Vide Falcandum Siculum, *Præfat. l. de rebus in Sicil. gestis*, Henricum Spelmannum, *Glossar. Archæol. &c.*

WISENBURGUM, oppidum Germaniæ in Misnia, sedes Philippi Ludovici fuit, filii minimi natu Alexandri Holsatiæ Ducis, lineæ Sonderburgicæ, qui ex Catharina Comite VValdeccia ductâ A. C. 1649. genuit Dorotheam Elisabetham, Georgio Ludovico Comiti Sinzendorfio nuptam: ex altera verò conjuge, Annâ Margarethâ Hassiacâ, Fridericum (qui natus A. C. 1651.) Chiliarcha Cæsareus Carolam Ducem Ligniciam duxit & à patre *Wisenburgum* emit, Carolum Ludovic. (qui natus A. C. 1654.) VVilhelmum Christianum, & filias aliquot, *Duces Slesvici & Holsatiæ lineæ Sonderburgicæ, in Wisenburg.* Vide Philipp. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Histor. in Famil. Oldenburgo-Danica & Arte Herald. Tom. II.*

WISMARIA, vulgò *Wismar*, urbs Hanseatica Germaniæ, in Ducatu Megalopolitano, cum portu capaci, in ora maris Baltici, & arce recenti permunita, sub Suecis, pace Monasteriensi, quibus illa à Daniæ Rege erepta est, A. C. 1675. media ferè inter Rostochium ad Ortum, ac Lubecam ad Occidentem, 7 utrinque milliar. German. & 4. à Sverino in Boream. Crevit ex ruinis urbis Megalopolitanæ in viciniis: Sed ab A. C. 1266. urbis privilegia ei concessa fuêre ab Henrico Duce Megalopolitano. Ejus originem repetunt quidam, à VVismaro, Rege Vandalorum, qui tempore Constantini Magni floruit, alii coloniam Gothorum, ex VVisbuja Gothlandiæ metropoli, eò deductam dicunt. Crantzius paulò ante A. C. 1240. à Gunzelino Comite Sverinensi, sub Joh. Theologo, Duce Megapolit. Henrici Burevini, conditoris Collegii Gustrov. filio, seu conditam, seu amplificatam, ex urbis Megalopolitanæ ruderibus affirmat. A. C. 1262. ferè tota incendiô periit, postmodùm lapideâ surrexit. Hìc Reformati Angliâ, sub Maria, ejecti, malè habiti sunt, A. C. 1554.

VVISNIOVICIUM, vulgò *Wisniowick*, castrum Volhiniæ superioris seu Palatinatus Luccoriensis, cum titulo Ducatus gentis Koributæ, unde cognomen Michaëli, Poloniæ Regi electo A. C. 1669: cujus familia à Corybuto Jagellonis fratre, qui in Baptismo Græci ritus nomen Demetrii sumpsit, orta est. Parens ei fuit Michaël Jeremias Dux *Wisnovicius*, avus Michaël Dux, qui durantibus Moldavico-VValachicis motibus A. C. 1614. Moldaviam ac VValachiam propriis viribus tutatus est. Inter Majores Demetrius fuit, circa A. C. 1500. qui cùm à VValachis deceptus & ad vincula Turcica abductus esset, jubente Selimô Imperatore ex unco ferreo, lentæ mortis in illis tractibus genere, suspensus legitur. In quo cùm vitam aliquandiu tolerâsset, gratiam sibi fieri petiit, ut militari more datâ pharetrâ suâ cum manipulo sagittarum liceret perire. Quam cùm accepisset, intorsit, sagittisque emissis præcipuos Turcas exanimavit, unâ sagittâ ad cervicem repositâ. Quod cum Selimo nunciatum esset, illico advenit, miratusque est in exhausto corpore adhuc tantum virium superesse. Sed ille sepositam sagittam mox pharetræ applicans, eam in Tyrannum direxit, viribus tamen jam vacillantibus: Quare telis illico Heroëm Selimus perimi præcepit, Stanislaus à Sternberg Tembetski, *in Chronol. Palmitis Corybutei.* Situm est castrum ad Ikwam amnem, 4. leuc. à Zbarasio Podoliæ oppid. in Boream Luccoriam versùs 9.

VVISSENBURGIUS VVolphgangus, Theologiæ Doctor, è primis unus, quorum operâ purior Religio Basileæ refloruit, Oecolampadii fidelis ac constans Symmystes. In Nosocomio primùm A. C. 1524. dein minoris urbis parochia, postremò apud S. Petrum, Christum fideliter docuit. Obiit A. C. 1575. ætat. 80. Vide Christ. Urstisium, *Epit. Hist. Basil.*

VVITAKERUS Guilelmus, Anglus, Theologus magni nominis. Admodùm juvenis. Latinè vertit *Liturgiam Anglicam* ac *Ivelli dissertationem contra Hardingum*, Græcè autem *Catechismum* ab Al. Novello avunculo suo editum. Posteà Theologiæ consecratus Patres Latinos Græcosque omnes evolvit, inde Theologus Professor Cantabrigiæ creatus brevi pro Oraculo Academiæ & maximo undiquaque Theologo habitus est. Primus Bellarminum refutare aggressus, ipsius P. Simonis elogium meruit, *Hist. Crit. du V. T. l.* 2. *c.* 25. Sed studiorum indefessis laboribus tandem fractus, obiit A. C. 1595. ætat. 47. Auctor *Vitæ* ejus, & Thuan. *Histor.* Opera ejus recenset in *Elogiis* Anton. Teissier, *Part.* 2.

WITELSPACHIUM, oppid. Bavariæ, ab Ottone III. Comite Schirensi, filio Ottonis I. Comitis Schirensis & Bavarico palatio præfecti, è veterib. Bavariæ Ducibus oriundi, conditum, Schirensi arce in Monasterium conversâ: Hinc familiæ posteà titulus. Fuit hic Otto, pater Ottonis IV. avus Ottonis V. qui vexillifer Friderici Barbarossæ, proscriptô Henricô Leone A. C. 1180. 3. Id. Jul. Ducatum Bavariæ nactus est, postliminio reducem in hanc familiam. Auctor enim familiæ Arnolfus quidam, A. C. 891. à Normannis cæsus perhibetur, pater Luitpoldi Bavariæ Ducis, ab Ungaris A. C. 908. occisi. Cujus filius Arnolphus Dux, cùm Conrado I. vitrico, & Henrico Aucupi Imperatoribus aliquoties rebellis, cum iis gravia gessisset bella, liberi ejus Ducatu exclusi sunt: è quibus Eberhardus veteres Austriacos Marchiones sevit, Arnolphus vero Comites Schirenses progenuit. Ex his Otto V. retro memoratus, cognomen *Magni* meruit, pater Ludovici, qui à Friderico II. Imperatore Palatinatum consecutus est, cùm ejus filio cognomine *Illustri* Agnes, Henrici Saxonis filia, hæres Palatinatus nuptui daretur. Hinc Serenissimæ Palatinæ familiæ origo. Ex familia Comitum *Witelspacensium* Otto VII. nepos ex fratre Ottonis V. ob cædem Philippi Imperatoris A. C 1208. *Homicida* dictus, ex filio Gerhardo VVildgravios in *Kirburg*, & *Daun* prosevit, quorum ditiones ad Rheni Comites posteà devolutæ sunt. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in Fam. Palatina*, aliosque.

WITEMBERGA, vulgò *Wittenberg*, caput Saxoniæ superioris ad Albim, cum Academiâ, Lutheri concionibus nota. *Vitarum mons* quibusdam. Munita est, sub Electore Saxoniæ; 9. milliar. Germanic. à Lipsia in Boream, uti 5. infra Torgaviam, 14. à Dresda in Circium Magdeburgum versùs 12. circiter. Condita est à VVitekindo juniore, Academia verò, à Friderico III. Electore, Ernesto & Alberto fratribus A. C. 1502. erecta est, cui prædictum, illam cunctis aliis Germaniæ Academiis luce suâ caliginem offusuram. Surrexit ibi mox Martinus Lutherus, qui A. C. 1517. contra Tecelium indulgentiarum Pontificiarum propolam 95. theses publicè defendit: mirabili somniô Friderico præcedente nocte Suidniciæ de futuro præmonitô. Post colloquium dein cum Eccio Lipsiæ habitum, VVittenbergæ jus Pontificium & Diplomata, publicè exussit, A. C. 1520. Sepultus ibidem est, A. C. 1526. Urbs dein cum Electoratu, Joh. Friderico Electori erepta, & in Mauritium translata est à Carolo V. A. C. 1546. Academia approbavit Confessionem Fratrum Bohemorum, quæ Maximiliano II. oblata est A. C. 1575. Unà cum Lipsiensi Academia, dogma de Ubiquitate, post obitum Melanch-

thonis exortum, oppugnavit, unde lites delatæ ad Augustum Electorem. Jacobi Andreæ dira vox, *se sententiam Wittebergensem pro Alcorano & Mahometana habere: Item, à morte Lutheri in Wittenbergensi Academia non sonuisse veram, puram & sacram doctrinam, &c.* Carcer tandem & exilium Professorum, qui formulæ Concordiæ subscribere renuerunt, A. C. 1560. 1576. Etiam A. C. 1593. Urbanus Pierius Professor & Pastor VVittebergensis, quòd in placita à Selneccero & Leysero conscripta jurare nollet, post 36. hebdomadum custodiam, vix precibus Elisabethæ Reginæ à Friderico VVilhelmo liberorum impuberum Christiani Electoris tutore donatus est, &c. Vide Lætum, *Compend. Hist. Univ.*

WITGENSTENIUM, German. *Witgenstein*, urbs Germaniæ, in Circulo Rheni superioris Comitatus cognominis caput, sub proprio Comite, ex Familia Sayno-VVitgensteinia, de qua vide suprà, voce *Sayna*.

WITHERNA, vide *Candida Casa*, & *Lucopibia*.

Saxoniæ Principes.

WITIKINDUS I. filius VVernekini Saxonum Regis, cujus stirpem aliqui à Sighardo, uno ex Hengisti posteritate, Saxonum Rege, auspicantur: bella patris, cum Albione patruele, contra Carolum M. continuavit, donec hi ambo potentiæ majori cessêre, ad obsequium & fidem adducti A. C. 785. Duravit autem bellum hoc Saxonicum Caroli M. 32. annos, ut in historia hujus Imperatoris legere est. Frater *Witikindi* Bruno nuncupatur, ex quo nonnulli Guelfos Comites Altorfii & Duces Bavariæ, ex Guelfis autem Zollerio-Brandeburgicos: alii ex ipso Imperatores Saxonicos Ottones deducunt. Qui verò de Ottonum origine aliter sentiunt, constituunt *Witikindum* VVigberti, & *Witikindi* Junioris, de quo vide infrà: Wigbertum autem VValperti & Brunonis, patrem. Hic Bruno illis Ottonum sator est, Walpertus verò Dux Angriæ & Comes Ringelhemii fuit: pater Theodorici, itidem Ringelhemii Comitis, qui per filium Immodum Sabaudorum, per *Witikindum* Ferratiensium, per Theodoricum Marchionum Brandeburgicorum veterum, per Regimbertum autem Oldenburgiorum Comitum auctor fuisse perhibetur. Cæterum, *Witikindum* non Saxonum, sed Angrivariorum tantùm atque VVestphalorum Ducem, nec hæreditariô quidem jure fuisse, docet H. Conringius *ad Lampad. de Rep. Rom. Germ. Part.* 3. *c.* 5. Et jam priùs observârunt alii, non semper *Regis* neque *Ducis* aliôve nomine regiô minore, *Witikindum* hunc à Scriptoribus appellatum esse: haud fortè incommodè conciliandis, si, quod Crantzius fert, Saxoniam tum XII. Proceres alternis vicibus administravêre, ex quibus, ingruente fortè bellô, Rex delectus, quem series provinciæ gubernandæ contigerat, imperium militare non ante positurus, quàm positis armis pax rediisset. Atque hanc sortem *Witikindo* obvenisse, cùm arma Saxoniæ Carolus M. inferret: eique, licèt victo, mansisse tamen benignitate victoris in terras suas, Angrivariam saltem, Imperium, uti videre est apud Tob. Pfannerum, *de præcip. Germ. Princ. gentibus*, *c.* 2. qui idem post Vdonem rectorem à Carolo M. impositum Holsatis, Stormaris atque Dietmarsis, *Witikindeos* præcipuè, donec Billingiani & hic & in Saxonia succederent, addit, *c.* 11. Adde prædictis de hoc celebri Saxonum Duce, B. Rhenanum, *Rerum German. Nov. Antiq. l.* 2. ibique *Notas* Cl. Ottonis JCti, *p.* 181.

WITIKINDUS II. cognomine Junior, filius Witikindi I. Wittebergam & VVetbinum condidit; Soraborum, contra quos Carolo Magno militaverat, Burggravius fuit, & Dominus, de *Budsez*; Pater Dietgremi, & ut quidam volunt, *Witikindi III.* quorum ille pulsus Saxoniâ, ab agnato Ottone, Diethmarum & Fridericum genuit, Brandeburgicorum primorum Marchionum, aliquorum Misniæ ac Ostlandiæ Marchionum, & Mersburgiorum Comitum satorem. Diethmarus verò, quem ab Henrico Aucupe bonis restitutum quidam volunt, genuisse Theodoricum dicitur, patrem Dedonis II. quô nati Fridericus Comes Palatinus Saxoniæ, Theodoricus Marchio Landsbergensis, Thiemo, bellicus Dux Henrici IV. cujus filius Misniæ Marchio A. C. 1126. confirmatus est à Lothario Imperatore & Otto Dives, stemmatis propagator. Hujus enim filius Theodoricus Henricum genuit Illustrem, qui A. C. 1249. Thuringiæ Landgraviatum sibi vindicavit, cumque eo Palatinatum Saxoniæ rursus in domum suam intulit. Pater Alberti, qui, filiis iratus, Adolpho Imperatori ditiones vendidit: sed & hic & Albertus ejus successor victi, ac Alberti filius Fridericus cognomine *Fortis*, vel *Admorsus*, ditiones posteà quietè rexit, mortuus A. C. 1326. Ejus filio Friderico Severo inter alios natus Fridericus Serenus Coburgensem Principatum familiæ intulit: pater Guilielmi Divitis, & Friderici Bellicosi, à quo novum domui axioma. Cùm enim Saxoniæ Ducatum Otto I. Imperator Hermanno Billungio, præteritis agnatis, contulisset, ille extra *Witikindeam* stirpem in variis hucusque hæserat: Hermanni namque posteritate extinctâ, in Magno, collatus hinc Lothario Supplinburgio posteà Imperatori: ab hoc autem concessus est genero Henrico Superbo, cujus filiô Henricô Leone proscriptô à Friderico Barbarossa, hic eum Bernardo Ascanio Alberti Ursi filio dedit, donec Albertus ultimus A. C. 1422. orbus decederet. Demum A. C. 1423. licèt variis dignitatem hanc ambientibus, Fridericus memoratus, ob operam adversus Bohemos, imprimis in Broxiensi prælio, navatam, ab Imperatore Sigismundo investitus est, & Ducatus Electorato auctus redit ad *Witikindeos*, qui eam dignitatem ad hæc usque tempora illibatam conservârunt.

WITIKINDUS III. juxta eorum, qui Capetinos Galliæ Reges à Saxonibus arcessunt, sententiam, filius *Witikindi II.* in Galliam profectus, per filium suum Robertum huic regno Reges dedisse dicitur.

WITIKINDUS, filius Theodorici Ringelhemii Comitis, qui Witikindi I. ex VVigberto filio & VValperto nepote, pronepos fuit, Ferratiensium, (an Montferratensium, quos cum Cevæ, Savonæ, Salutiarum & Finali Marchionibus, ex quodam Almaro Saxone natos narrant) auctor dicitur. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syllog. Geneal. Histor.*

WITLAM, seu **WITAM**, oppid. fuit Batavorum, ad ostia Mosæ, à Normannis A. C. 835. conditum. An Brila hodie? *Gemblac.*

WITSANTUM, voce German. portus Britannicus, ab arenæ albedine dictus, seu potiùs Galliæ portus, Britanniæ adversus & proximus, unde in Britanniam insul. commodissimus trajectus est. Nunc *Witsan*, in quibusdam tabulis *Witsan*. Hunc portum Iccium ait Camdenus, eumque portum, è quo in Britanniam trajectus erat, pridem obstructum esse, ob idque, ut antea *Witsantum* Gesoriaco successerat, sic in *VVitsanti* locum Calasium fuisse substitutum. In Comitatu Bononiæ ponit eum Reginaldus Comes Bononiæ, in literis suis A. C. 1200. datis, in Comitatu Gisnensi Guilielmus Abbas Andrensis *in Chronico Monast. sui*, ubi *Burgum Withsand* vocat. Prope hunc portum Rodolfus Gisnensium Comes, apud Stronas Monasterium olim construxit. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

WITTENSTENIUM, oppid. Livoniæ, à Moscis expugnatum, & crudelissimè habitum, A. C. 1573. qui tamen mox à Suecis victi & in regionem suam compulsi sunt. Vide Thuan. *Histor. &c.*

WIZLAUS, vel *VVitlavus*, vide *Visilaus*.

VULCANALIA, feriæ Vulcano sacræ, incidebant in 10. Kal. Sept. quô die populus pro se in ignem animalia mittebat. Varro, *de Lingua Lat. l.* 5. Ad ea respexit Plinius, *l.* 18. *c.* 13. cùm de nāpi satione scribit: *Serere*, ait, *nudum volunt, precantem sibi & vicinis serere se: satus utrique generi justus, inter duorum Numinum dies festos, Neptuni atque Vulcani.* Vide quoque Columellam, ubi de raphani satione agit, *l.* 11. *c.* 3. In iisdem Ludis nocturni Ignis usum fuisse, Scaliger docet, ubi de Ludis Cerealibus sic ait: *Isidis quoque sacra nocturnis vigiliis imitabantur, expressa Cereris peregrinatione, Liberam cum face quæritantis. Nocturni verò ignis usus in multis Ludis fuit, quippe in Vulcanalibus, ob ignis Numen: in Promethei, ob surreptum ignem* &c. Vide Eundem, *Poët. l.* 1. *c.* 32. Sed & Tubilustria dicebantur *Vulcani feriæ*, de quibus suprà.

VULCANI Insula, quæ & *Hiera* & *Therasia* Plin. *l.* 3. *c.* 8. insula Siciliæ, una Æoliarum, ignes emittens. *Vulcano* Leandro, à Lipara 4. mill. pass. Ibi templum erat Vulcani, teste *Strabone*. Ejus meminit Virg. *l.* 8. *Æn.* v. 422.

Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

VULCANIUS Bonaventura, Brugis Flander, fil. Petri ob eruditionem Erasmo quondam charissimi, Francisco de Mendoza Cardinali Burgensi, Græcos aliquot Auctores Latinè vertit, & Bibliothecam rexit, in Hispaniam adductus ab Joh. Paccio Historico Regio A. C. 1559. Inde, Coloniæ, Basileæ & Genevæ aliquandiu commoratus libros aliquot edidit. Tandem Lugduni Batav. Græcæ Linguæ Professor designatus, A. C. 1578. ibi 32. annos cum gloria docuit: extinctus A. C. 1614. ætat. 77. Edidit *Cyrilli Opera Græcè & Latinè, Arrianum de Rebus gestis Alexandri M. Græcè & Latinè, Commentarium de Lingua Gothica, Glossaria Græco-Latina & viceversa cum Notis, Historiam tumultuum Belgic. ab A. C. 1556. ad ann.* 1577 *Notas in Apulejum de Deo Socratis* &c. Paul. Freherus, *Theatrô Viror. erudit. claror.*

VULCANUS, Junonis filius, Hesiod. *in Theog.* v. 927.

Ἥρη δ᾽ Ἥφαιστον κλυτὸν οὐ φιλότητι μιγεῖσα,

Hunc quidam voluerunt, subventaneô conceptu fuisse genitum sine patre, quem tamen Homer. è patre Jove Junoneque matre natum esse putavit. Fuerunt qui dixerint, Vulcanum Jovis fuisse filium, qui cùm deformis natus esset, fertur à Jove in Insulam maris Ægæi Lemnum præcipitatus, ut ipse de seipso testatur, apud Homerum, *Il.* α. v. 591.

Ἤδη γάρ με καὶ ἄλλοτ᾽ ἀλεξέμεναι μεμαῶτα
Ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν, ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.
Πᾶν δ᾽ ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ᾽ ἠελίῳ καταδύντι
Κάππεσον ἐν Λήμνῳ, ὀλίγος δ᾽ ἔτι θυμὸς ἐνῆεν.

Quòd autem diu fuerit in Lemno Vulcanus, ita scripsit Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor. c.* 22. *Vulcani item complures: primus Cælô natus, cujus in tutela Athenas antiqui historici esse voluêrunt: Secundus in Nilo natus, Opas, ut Ægyptii appellant, quem custodem esse Ægypti volunt: tertius ex tertio Jove & Junone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse: quartus Menaliô natus, qui tenuit insulas prope Siciliam, quæ Vulcaniæ nominantur.* Verùm Lucianus *in Dialog. de sacrificiis* fabulam hanc non sine risu recitat, quòd Vulcanus ita fuerit è cœlo præcipitatus: χωλεύων γὰρ αὐτὸν ἀπὸ τοῦ πτώματος, ὁπότε ἐρρίφθη ὑπὸ τοῦ Διὸς ἐξ οὐρανοῦ, καὶ εἴγε μὴ οἱ Λήμνιοι, καλῶς ποιοῦντες ἔτι φερόμενον αὐτὸν ὑπεδέξαντο, ἐτεθνήκει ἂν ἡμῖν ὁ Ἥφαιστος, ὥσπερ Ἀστυάναξ ἀπὸ πύργου καταπεσών. Homerus verò *in Hymnô II. quem scripsit in Apollin.* non à Jove, sed à Junone Vulcanum præcipitatum fuisse de cœlo memorat, ac in mare decidisse, fuisseque non à Lemniis, sed à Thetide educatum; qui Junonem ita canentem introducit *in his*, v. 317.

Παῖς ἐμὸς Ἥφαιστος ῥικνὸς πόδας, ὃν τέκον αὐτὴ
Ῥίψ᾽ ἀνὰ χερσὶν ἑλοῦσα καὶ ἔμβαλον εὐρέϊ πόντῳ.
Ἀλλά ἑ Νηρῆος θυγάτηρ Θέτις ἀργυρόπεζα
Δέξατο, καὶ μετὰ ᾗσι κασιγνήτῃσι κόμιζεν.

Memoriæ

Memoriæ prodidit *in Atticis* Pausanias, Vulcanum injuriæ acceptæ à matre minimè oblitum, auream sellam cùm occultis quibusdam vinculis donô matri misisse; quæ Deam, cum assedisset, statim implicaverunt: quod etiam Plato innuit, *l. 2. de Republ.* Καὶ τὰς ποιήσεις ἐγγὺς τούτων ἀναγκαστέον λογοποιεῖν, Ἥρας δὲ δεσμοὺς ὑπὸ υἱοῦ καὶ Ἡφαίστου ῥίψεις ὑπὸ πατρός. Habuit uxorem unam è Gratiis, ut ait Isacius, Majam, secundùm Cincium, Majestam, ex mente Pisonis: Communior autem sententia est, quòd Venerem è Lemno duxit. Unde Virg. *l. 8. Æn. v. 370.*

At Venus haud animô nequidquam exterrita mater
Laurentumque minis, & durô mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit, & dictis divinum inspirat amorem.

Et Juvenalis, *Sat. 7. v. 25.*

----- ----- *Et quæ*
Componis dona Veneris Thelesine marito.

Quod idem est cum Catulliano illo; *Epigr. 37. v. 21.*

----- *Dona Tardipedi Deo*
Infelicibus ustulanda lignis.

Hanc uxorem suam quum posteà cum Marte in adulterio deprehendisset, ambos adamantinis catenis colligavit, nudosque uti erant Diis deridendos exhibuit. Unde Virg. *l. 4. Georg. v. 346.*

Vulcani Martisque dolos, & dulcia furta.

Vide Catonem *in Diris*:

Tum credo fuerat Mavors distentus in armis,
Nam certè Vulcanus opus faciebat, & illi
Tristi turpabat malas fuligine barba.

Prudentius: *Deos catenæ colligant adulteros.* Nonnus γαμοκλόπον ἅρπαγα nominat, cujus nexum Sol detexerat, *Bassaricôn l. 5.*

----- Ἀρχεκακῷ ἐπὶ δεσμῷ
Γυμνῷ γυμνὸν Ἄρηα περισφίγξας Ἀφροδίτῃ.

Paulus quoque Silentiarius optat Vulcania vincula, ut amator puellam suam satis arctè complecti posset, *Antholog. l. 7.* Plura de Vulcano petenda sunt ex N. Comite, *l. 2. c. 6.* Eundem esse volunt eruditi *Vulcanum* cum *Tubalcain.* Et apud Ægyptios certè ignis inventor: apud Diodor. fabrilis artis fornacilque auctor habitus est. Ponitur interdum pro igne. Virg. *l. 2. Æn. v. 310.*

----- *Jam Deiphobi dedit ampla ruinam,*
Vulcano superante, domus. -----

Idem *l. 5. Æn. v. 662.*

----- *Furit immissis Vulcanus habenis.*

Et apud Plautum, *Amphitr. Actu 1. sc. 1. v. 185. Vulcanum in cornu inclusum gerere*, Anglicè est *to carry a lanthorn.* Unde Vulcanum & Vestam, utpote duos ignes, illum quidem violentiorem, hunc verò leviorem, conjunxère veteres: & Euseb. *Præpar. Evangel.* Ignis ait virtutem Volcanum appellatam & in forma hominis ei simulachrum constitutum, in cujus capite pileus esset cæruleus, cœlestis symbolum volutionis, ubi integer sincerusque ignis invenitur: nam qui è cœlo in terram delapsus est, cùm imbecillior sit, materiâque indigeat, claudicans fingitur. Et templum Romæ vovit Titus Tatius, teste Varrone & Dionys. Halicarn. *l. 2.* Plutarchus verò ipsum Romulum Vulcani fanum extra urbem ædificâsse, ibique cum Tatio & Senatu, de rebus arcanis consultâsse, scribit *Quæst.* 67. In id idem ex Cameria cum reliquis spoliis, quadrijugum æreum currum deportavit, sicque statuam ex victoria coronatam ibi collocavit, Plut. *in Romulo.* Etiam Athenis templum Vulcanus habuit, in quo quasdam juris controversias decidere, & criminum reos detinere, moserat, ut ex Demosth. patet. De Vulcano sic Prudent. *l. 1. contra Symmach. v. 304. s.*

Ipse ignis nostrum factus qui servit ad usum,
Vulcanus perhibetur, & in virtute suprema
Finditur, ac delubra Deus, & nomine & ore
Assimilatus habet: nec non regnare caminis
Fertur, & Æoliæ summus faber esse vel Ætnæ:

Nic. Lloydius. Hinc *Vulcanalia*, festa Vulcano dedicata, quæ inciderunt in 11. Kal. Junii. Horum meminit Columella, *l. 11. c. 3.* Vide suprà. Adde de Vulcano, quòd eum etiam, post adulteratum corpus, constanter amâsse Venerem Poëtæ fingunt, adeò quidem, ut etiam incestis ejus eque aliis prognatis filiis, suo opificio adfuerit, uti videmus apud Maronem, qui Æneæ fabricâsse eum arma tradit. Interim superinduxisse ei alteram conjugem, Gratiam videl. cum qua in Lemno dormitaret, sicut in cœlo cum Venere, Lucianus ait *Dial. Apollin. & Mercur.* Sed & in Adonim zelotypus fuit, nec illi arma venatoria confabricatum credit Bacchus, *in l. 42.* Dionys.

----- καὶ τὸ ἄπιστον ἔχω νόον ὅττι τέλεσσαι
Ζηλομανὴς Ἥφαιστος Ἀδώνιδι τεύχεα θήγειν.

Quam in rem Barthium vide, *Animadversion. Papin. ad Theb. l. 5. v. 69.* ubi & *de Officina* ejus nonnulla &c. Cùm verò plures, ut Joves ac Hercules, ita & *Vulcani* fuerint, antiquissimus eorum Tubalcainus fuit. Quamvis enim Diodor. Siculus, qui Jovis Cretensis filios hôc ordine recenset, *Vulcanum*, Martem, Apollinem & Mercurium, *l. 5.* dicat *l. 1.* secundùm Sacerdotes Ægyptios primum in Ægypto regnâsse *Vulcanum*, eique divinos post obitum honores attributos, propter ignem repertum: certum tamen est, Ignis inventum longè esse antiquius. Neque *Vulcanus* tam in Deos relatus, ob repertum Ignis, quàm ignis in Arte fabrili usum: quod claré docet Diodorus ipse, *l. 5.* ubi rectè vidit, *Volcanum* esse hominem istum, qui Artem reperit ærariam ac ferrariam, sed quis Heros iste fuerit, vel quando vixerit, penitus ignoravit. Tubalcainus, Lamechi ex Sella filius, Mehujalis, nati ex nepote Caini, pronepos: quem eas invenisse artes, Moses tradit Genes. *c. 4. v. 22.* ubi etiam refert, ut fratrum unus Jabal Tentoria: alter autem, Jubal, Artem invenerit Musicam. Hunc igitur homines, ac inprimis Ærarii & Ferrarii, ut suæ Artis parentem, retulêre in Deorum numerum, atque cum Deo ignis præside coluerunt; Poëtæ autem Jovis fulmina fabricare sunt commenti &c. Vide Voss. *de Idolol. l. 1. c. 16.* Alius ab hoc fuit Ægypti Rex, Diodoro memoratus, à quo Ægyptum antiquitùs Ἡφαιστίαν seu *Vulcaniam* dictam fuisse, accepimus: Tubalcainus enim neque Ægypti Rex fuit unquàm, & ante diluvium, adeoque Reges Ægyptios omnes, floruit. Qua de re vide Eundem, *l. eòd. c. 27.* Alius item, Rex Lemni, cujus meminit Isidorus, ut alia omittam. Cæterùm *Vulcanus* Ægyptiis credebatur utrumque sexum habere, ut & Minerva, unde illos duos solùm habere Deos ἀρσενοθήλεις, *masculo-fœminas*, scribit Orus Apollo, *l. 1. c. 13.* cum quo non malè convenit, quòd Poëtæ Vulcanum fingunt marem, sed mulierosum; Minervam mulierem, sed viraginem. Iidem Ægyptii, *Vulcanum* Solis dixêre patrem, quia sidera sint ignea. Ita enim *Chronici* Alexandrini Scriptor, *p. 106.* Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν Ἡλίου τοῦ βασιλέως, υἱοῦ Ἡφαίστου, ἐβασίλευσεν Αἰγυπτίων Σῶσις, *Post obitum Solis Regis, filii Vulcani, imperavit Ægyptiis Sosis.* Ubi quidem non de corporibus inanimis, sed antiquis Ægyptiorum Regibus sermo est: sed Reges vetustissimi & Dii naturales, iisdem vocabantur nominibus, si credimus iis, quæ Manethos prodidit Ægyptius, atque ex iis; qui supersunt, Diodorus Siculus, *Bibl. l. 1.* & exinde Eusebius, *Præp. Evangel. l. 2. c. 1.* Vide iterum Voss. *l. 2. c. 64.* Ut autem Minervæ & Lunæ, sic Marti & *Vulcano*, ad expiandas cædes, arma olim cremavêre, nempe Marti & Minervæ, ut Diis bellicis; *Vulcano*, ut armorum fabro; Lunæ, propriâ ratione. Adde, quòd Ignem vim purgandi habere, credebant: Unde & apud Inferos, sicut ait Maro, *l. 6. Æn. v. 742.*

----- ----- *Aliis sub gurgite vasto*
Infectum eluitur scelus, aut exuritur Igni.

Cultus illius apud Græcos Romanosque eximius: Sed & Germanis ac Sarmatis *Vulcanum* ac ignem esse cultum, auctor est Cæsar, *de bello Gall. l. 6. c. 20.* Imò, ut idem ait, præter Solem Lunamque, cultus est illis solus. Unde etiam elucet, distinxisse vulgò à Sole: utcunque eundem, ac Solem existimet Philippus Cluverius, *German. antiq. l. 1.* Potiùs igitur Vulcanus Germanis fuerit Jupiter, sive aëris potestas, tonitrua ciens ac fulgura: quomodo & Etrusci Vulcanum dixêre Jovis ignem è nubibus jaculari, apud Servium *in l. 1. Æn. v. 46.* Neque causæ satis est, cur idem Vir eruditissimus Germanis eundem censeat Vulcanum ac Martem: Romanos saltem distinxisse, argumento est, quòd Marti devota potuerint suspendi in Templo: vota *Vulcano*, comburerentur. Unde Liv. *l. 30. c. 6. extr. Magna vis armorum capta, ea omnia Imperator, Vulcano sacrata, incendit.* A veteribus etiam Sauromatis Ignem esse cultum, refert Clemens Alex. *Admonit. ad Gent.* deque eo testem laudat Nymphodorum, *l. de Legg. Barbaricis.* Eoque magis fidem facit, quia à Lituanis, gente Sarmatica, priusquàm Christum amplecterentur, quod contigit circa A. C. 1230. honore divinô cultum esse Ignem, quem dixêre *Znicz*, scribunt, qui de Sarmatia Europæa egêre: ut Alex. Gaguinus, *de prisca Lituan. relig.* De Afris etiam sic Cæs. Scaliger, *Exercit. 258. sect. 1. Scriptum est in historiis Africanis, ignem in Libya pro Deo habitum, quem Vestalium ritu perpetuum servarent.* Hausit verò hoc ex Joh. Leonis Africani *l. 1. c. de priscorum Afrorum fide*: uti Vossius docet *l. c. c. 66. sub fin.* Nec omittendum, etiam Athenis Templum habuisse *Vulcanum*, de quo Demosth. *p. 536. n. 6.* ubi & carcerem fuisse, & certas quasdam causas decidi consuevisse, docet. Idem παραγρ. πρὸς Ἀπατ. Vide Franc. Rossæum, *tract. Angl.* cui titulus, *Archæolog. Attic. l. 2. c. 3.* uti de *Vulcano Κωμωδίαι* Alcamenis, suprà voce *Marmor.*

VULCANUS, nomen quoque est montium ignivomorum, quos Natura constituisse videtur, ut essent, veluti spiracula Pyrophylaciorum subterraneorum, per quos aër attractus ignem sub terra foveret, ipseque superfluâ fumi fæciumque mole exoneraretur. Horum in omnibus Orbis partibus quidem, nulli tamen frequentiores, quàm in America, Merid. inprimis: in cujus solo regno Chilensi 14. neque in Peruana pauciores numerantur, quæ omnes Andium continuati jugorum vertices exhibent: Nova Hispan. tribus *Vulcanis* formidabilis est: qui Hispanis *Volcanos* vocantur, &c.

Vulcani montes in Europa:

Ætnæ, in Sicila: cujus nuperrimum A. C. 1669. incendium omnium adhuc memoriæ inhæret.
Hecla, in Islandia: in quo Infernum esse mediis & rudioribus seculis creditum, quòd ignium per angustias eluctantium soni hominum lamentis similes boatus ederent.
Strongylus aliique in Liparitanis Siciliæ insulis, quorum unus in specie *Vulcani* nomen gerit.
Vesuvius in Campania, aliàs vini Falerni ferax.

In Asia.

Balaluanus mons, in insula Sumatra.
Chimæra, in Lycia, Asiæ minoris regione.
Gounapius seu Gurapius mons, in una Bandanarum insula.

Sin-

Sineparama, in Japania, 8. milliar. ab urbe Meaco.
Tosa mons, in Mauriciis insulis.
Vulcanus Ternatensis.

Porro alius est in Regno *Jetchu*, in cujus flamma horribilem Dæmonis speciem comparere solitam, testatur Petr. David, *Hist. Asiæ*: ut reliquos Japaniæ omittam. Sunt quoque eorum nonnulli in Tandaja, una ex Philippinis Insul. juxta promontor. S. Spiritus.

In America.

VULCANUS Autoci, *Volcano de Antoco*, in limite provinciæ Cujæ, versus tractum castri Anguli.

VULCANUS Chillani, *Volcano de Chillan*, est inter Cujam provinciam & Chillanum tractum.

VULCANUS Chuanaucus, *Volcano Chuanauca*, est in parte Australi Ciles, versus Ancudiam provinciam.

VULCANUS Copiapi, *Volcano de Copiapo*, est in parte Boreali Ciles, ad fontes fluvii cognominis, in limite Peruviæ.

VULCANUS Coquimbi, *Volcano de Coquimbo*, est ad fontes fluv. cognominis, in limite Cujæ provinciæ.

VULCANUS Huapeus, *Volcano de Huape*, in limite Quillatæ tractus, versus Fanum S. Joannis de confinio.

VULCANUS Liguæ, *Volcano de Ligua*, est prope fontes fluv. cognominis, versus Fanum S. Joannis de confinio.

VULCANUS Notuci, *Volcano de Notuco*, est inter Purenam vallem & Pulcas populos.

VULCANUS Osorni, *Volcano de Osorno*, est inter tractus Osorni & Villæ divitis.

VULCANUS Peteroæ, *Volcano de Peteroa*, est ad fontes fluv. cognominis, inter Vallem S. Jacobi & Cujam provinciam.

VULCANUS Quechucabus, *Volcano Quechucabi*, est in parte Australi Ciles, prope Ancudiam tractum.

VULCANUS S. Clementis, *Volcano de S. Clemente*, est in parte Meridionaliori Ciles, versus Magellanicam.

VULCANUS Villæ divitis, *Volcano de Villa ricca*, est inter Vallem cognom. & Pulcas populos, juxta lacum *Mallabaulquen* dictum.

Vulcani montes sunt etiam in Peruvia.

VULCANUS Arequipæ, *Volcano de Arequipa*, in parte Australiori Peruviæ, & prope Arequipam urbem.

VULCANUS Caucæ, *Volcano de Coca*, in valle cognomine.

VULCANUS Maspæ, *Volcano de Maspa*, in provincia Quixorum.

VULCANUS Pintæ, *Volcano de Pinta*, in Provincia Quitoa, & prope Quitoam urbem.

Vulcani montes duo sunt etiam in nova Hispania, scilicet

VULCANUS Guatimalæ, *Volcano di Guatimala*, in provincia cognomine, & prope urbem S. Jacobi de Guatimala. Hic cæteros omnes antecellit.

VULCANUS Nicaraguæ, *Volcano de Nicaragua*, in provincia cognomine, prope urbem Legionem dictam.

Becmannus tres habet: additque, nec ultimum Septentrionem suis ignium penuariis destitui, quorum 4. sunt in regione Tingœsorum. Habet & Grœnlandia suos Vulcanos, vicinæque insulæ seu continens Polo circumsita: qui & in Terra Ignea, vulgò *del Fuogo*, tam frequentes, ut multi Antarctici plagam Poli, ob ignivomorum montium multitudinem, inaccessam putent, Kircher. *Mund. Subterr. l. 2. c. 11.* Varen. *&c.* De montibus in Congo & Angola, qui jam ardere desierint, vide eundem.

VULCATIUS Araricus, Eques Romanus, socius conjurationis in Neronem, capite Pisone. Tacit. *l. 15. Annal. c. 58.*

VULCATIUS Gallicanus, ex *Hist. Aug.* Scriptoribus unus, vide *Volcatius*.

VULCATIUS Moschus, exul in Massilienses receptus, bona sua Reipubl. eorum ut patriæ reliquerat, permissu Tiberii. Tacit. *l. 4. Annal. c. 43.*

VULCATIUS Tertullinus, Eques Romanus, periculô L. Silani, tanquàm conscius incesti cum amitâ, tractus. Appellatô Principe frustratus damnationem, ad Principatum Vespasiani supervixit ac Tribunatum plebei gessit.

VULDRACA, vulgò *Leudrac*, fluvius agri Augustodunensis, in Gallia, cui Patriciacus villa *Percy*, veteri Monasterio, nobilis prope est. Vide Hadr. Vales. *Notit. Galliæ*: ut & in voce *Augustodunum Æduorum*.

VULGUS, vide suprà *Plebs*, *Populus* &c.

S. VULMARI Monasterium, Galliæ, vulgò *Samer*, pro *S. Vulmer*, in eremo pagi Bononiensis, non longè ab Oceano, & à patria Vulmari Sylviaco villa: unde oppidulo circumjacenti origo & nomen. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VULNUS, à plaga distinguitur. Plin. *l. 16. c. 12. Aperitur picea parte Solari non plagâ, sed vulnere ablati corticis.* Ubi Salmasio *plaga* est οὐλὴ, cùm cutis tantùm laxatur & scinditur; *vulnus* τὸ ἕλκος, cùm distrahitur & tollitur ac separatur, i. e. ἕλκεται) à corpore. Quæ tamen sæpissimè confunduntur. Et quidem *Vulnus*, ab Æsculapio primùm obligatum dicitur, quem & specilli inventorem, Apollinis filium, Arcades venerati sunt. Vide Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 17.* Priusquàm autem curarentur, lymphâ abluebantur atque eluebantur. Papinius Statius, *l. 3. Theb. v. 398.* ubi de Tydeo, in acie vulnerato,

Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon.

Quod *siccare lymphis* dixit Princeps Poëtarum, divini operis *l. 10. v. 833.*

---- *Tiberini ad fluminis undam*
Vulnera *siccabat lymphis, corpusque lavabat.*

Ubi Servius *novè & Physicè*, inquit, *loquutus est. Nam cùm aquâ omnia infundantur, hic ait siccari vulnus aquâ, & ratio vera est, quia fluxus sanguinis aquarum frigore continetur.* Vide quæ de rigidæ aquæ ad sanguinem supprimendum facultate, habet Corn. Celsus, *l. 5. c. 1. & 26.* uti de spongiis Gladiatorum, quibus illi *vulnera* obturabant, suprà: de Herculis verò nodo, quô *vulnera* præligavit, Plin. *l. 28. c. 6.* At contra ea sequiore ævô militaria amuleta, priscis illis Heroibus optimè ignorata, in usum venêre, suntque hodiernô die in eo plurimis semichristianis, ut Historiæ & experientia quotidiana testatur. Cui superstitioni adstipulatus Nahodabeguca, Princeps Malaccæ, teste Osoriô, *de rebus Indic. & Afr. l. 7.* in conflictu cum Malacensibus, multis *vulneribus* conscissus, ita cecidit, ut nullum sanguinem emitteret: cùm verò illum nudâssent & armillam ex auro factam, in qua lapis quidam erat inclutus, detraxissent, magna repentè vis sanguinis emanavit. Lapidem autem è bestiis quibusdam Siamensibus *Cabrisias* dictis erui, & mirificam ad sistendum sanguinem vim habere, idem addit. De superventu Allobrogum in urbem Genevam A. C. 1602. narrat Sallustius Pharamundus *in Car. Allobrog.* militum audaciam auxisse initiò quædam incantamenta carminum, quæ à Jesuitis Thononianis se accepisse dixerint, præsens contra hostium vires auxilium. *Visebantur*, ita enim is, *in illis cruces, principium Euangelii S. Johannis, nomina B. Mariæ, Jesu, Trinitatis & haud scio, qui ignoti characteres, subsignatis istis Franciсâ linguâ: Quicunque hanc schedulam portaverit, eô die non peribit, neque terrâ, neque aquâ, neque gladiô. Nec mendax fuit, licèt solenni suô usus sit Satan. Nam postridie strangulati in aere perierunt.* Cœterùm unde vis talis amuletis insit; item an & quatenus iis uti liceat, exponit Joh. Georg. Gödelmannus *de curat. Morbor. præstig. l. 1. c. 8. Quando*, ajens, *res naturales, ut herbæ, in certa cœli constitutione collectæ, characteres, sigilla, carmina, Euangelium S. Johannis, quæ neque qualitate elementari, nec occultis viribus agere possunt, collo aut cæteris corporis partibus appenduntur, aut ad fugandos Dæmones aut ad avertendos globos bombardæ, ictus gladii vel hastæ; tum illa amuleta sunt sacramenta Diaboli* &c. Et paulò pòst, *Naturalia sunt licita & sunt res, quæ suâ sive occultâ qualitate divinitùs in prima creatione inditâ, semper eôdem modô agunt in corporibus quibus applicantur, sive suâ sympathiâ sive antipathia & quæ seqq.* Quam sententiam confirmat Camerarius, *Hist. Miscell. Cent. 3. c. 30. Etenim hæc quoque idololatria est, si vis curandi herbis, plantis, animalibus, metallis, tribuatur, nisi eâdem operâ laus ad Deum referatur.* Et clariùs Augustinus cum Chrysostomo meram esse Idololatriam asserit, si charta aut characteres collo appendantur, quidquid etiam illis inscribatur, si ab ignorantibus factum; sortilegium verò, si à noscentibus interdictum, & fidem nihilominus superstitioni adhibentibus. Vide quoque Plin. *Histor. Natur. l. 28. c. 2.* & Matth. Berneggerum *in Tac. Germ. Quæst. 39.* ut & Mos. Amyraldum *in vita Lanovii*, infrà etiam aliquid voce *Zipangrini*. Quo magis laudari meretur incomparabile uxorum par, Eduardi Angliæ Regis & Roberti similiter Regis, quæ venenata maritorum vulnera lambendo exsugendoque felicissimô successu, quô Deus tam raram fidem remuneratus est, curâsse leguntur, apud Rodericum Sancium, *Histor. Hispan. Part. I. c. 4.* Olim verò & inter Sacrorum ritus *Vulnera* fuêre. Octavius apud Minucium Fel. Gentilium idolomaniam perstringens, inter alia, *Quid*, inquit, *qui sanguine suô libat & vulneribus suis supplicat, non profanus meliùs esset, quàm sic religiosus.* Ubi alludit ad morem Gallorum Cybeles, qui non solùm *sua sibi obscœna testâ demetebant*, ut paulo pòst sequitur; sed & *arreptô flagrô comortis tæniis lanosi velleris prolixè fimbriatô & multijugis talis ovium tessellatô, indidem sese commulcabant ictibus*, Apulejus, *Miles. l. 8.* ferrô quoque in se sæviebant, sua inprimis *quisque brachia dissecantes*, *Ibid.* sicque *illis sectis matrem placantes Deûm*, Prudentius, *Romanô Mart.* Simile quid de Sacerdotibus Baalis extat 1 Regum *c. 18. v. 28.* Κατετέμνοντο κατὰ τὸν ἐθισμὸν αὐτῶν ἐν μαχαίραις καὶ σειρομάσταις, ἕως ἐκχύσεως αἵματος. Dianæ, apud Athenagoram *Apolog.* οἱ δὲ ἐγκόπτουσιν, ἢ ἐντέμνουσι οἱ περὶ τὴν Ἄρτεμιν. ἐπὶ γὰρ τοὺς μὲν μαχαίραις, καὶ τοὺς ἀστραγάλοις αἰκιζομένους αὐτοὺς λέγει, ubi ἀστραγάλων nomine intelligit μάστιγα ἀστραγαλωτὴν, ut Plut. *c. Colot.* vocat, quod *flagrum talis ovium tessellatum* vertit Apulejus, ut vidimus: plura hic passim, ubi de *Gallis Sacerdotibus*, *Bellonariis* item, alibique &c. Hinc *Vulnerarius*, cognomen Archagatho inditum, Lysaniæ filio, Peloponnensi, qui primus è Medicis Romam cùm venisset L. Æmiliô & M. Liviô Consulib. an. Urb. Cond. 535. ei jus Quiritium datum, & taberna in compito Acilio concessa est. Sed mox â sævitia secandi urendique honorificum hoc nomen in alterum minùs honestum *Carnificis* mutatum est, Plin. *l. 25. c. 7. & l. 29. c. 1.* ex Cassio Hemina. Aliàs vocabulum id generale, Medicorum id notat genus, quod circa *vulnera* obliganda curendaque occupatur, de cujusmodi Medicis *Vulnerariis* quædam Freinshemius habet *ad Curtium l. 9. c. 5.* Quanta verò *vulnerum curandorum* peritia jam Homericis apud Græcos temporibus fuerit, ex ipsomet Poëta, eruditè exponit Theod. Zuingerus, *Theatr. Hum. Vitæ Volum. V. l. 2. p. 1244. & 1245.*

VULPANSER, Græcè χηναλώπηξ, Ægyptis in Veneratione, apud Herodot. *in Euterpe.*

VULPES, Varroni quasi *volipes*, meliùs ex Græco ἀλώπηξ, quod παρὰ τὸ ἀλᾶν τὰ ὦπα quia per ambages & gyros cursitando *fallit* quasi *oculos*, adeoque, ut ait Philosophus, *Histor. animal. l. 1. c. 1.* animal est πανοῦργον καὶ κακοῦργον. Unde ἀλιτρὴ ἀλώπηξ Simonidi, & Horat. *ad Pisones, de Arte Poët. v. 437.*

Nunquam te fallent animi sub vulpe *latentes.*

Quò pertinent reliqua quoque ejus nomina apud Græcos, κερδὼ κίναδος & κιδάφη quæ, licèt diversissima, ad fraudes tamen omnia adhibentur. Uti enim *vulpinari*, Nonio est *fraudibus & mendaciis vera pervertere*, & *vulpio* dolosus palpator Appulejo, *Apolog. 2.* sic ἀλωπεκίζειν Aristophani & κιδαφεύειν Hesychio idem: κερδοσύνη quoque *astutia* est; & κερδαλέος, uti & κίναδος, quæ

quò maximè Siculi *vulpem* insigniunt nomine, Sophocli, Aristophani & Theocrito, significat πανοῦργον & κερδαλέον itidem. Cujus versutiæ indicia, cubile, quod sibi parat ἀμφίθυρον, ad cujus instar Hannibal, apud Prusiam degens, *castellum, quod ei à Rege datum erat muneri, sic ædificâsse ut in omnibus partibus ædificii exitum haberet, semper verens, ne usu eveniret, quod accidit*, legitur in *Vita* ejus, à Corn. Nepote condita, c. 12. Eandem aure admotâ ad glaciem, ejus crassitudinem conjectare, Plinius, *l.* 8. *c.* 28. *extr.* Plutarchus & Ælianus scribunt: quorum medius Barbaros prom, cùm trajiciunt pedibus amnes, *vulpes* tentando itineri præmittere, notat, *de primo frig.* & in specie de Thracibus idem habet *de Anim. comparat.* Ut de ratione, quâ avibus, favis vespatum, pisciculis, erinaceô, in potestatem redactis, potiatur; quaque à pediculis, aut pulicibus, sese liberet, aliisque ejus vafrâmentis ac strophis, ex Oppiano, Alkazuinio, Digbæo *de Nat. Corpor.* & jam laudatis Auctoribus, nil addam nisi hoc unum, quòd, cùm datur optio, potiùs incedere per salebrosam terram, ut occulet vestigia sua scribit Damir. Quò fortasse pertinet, quòd Tobias Ammonita, Judæos subsannans, qui Hierosolymorum mœnia instaurabant, *Ædificent*, inquiebat, Nehem. *c.* 4. *v.* 3. *& vulpes, si ascenderit, murum eorum lapideum deruet.* Quasi diceret, tam infirmum esse id ædificium, ut ne minora quidem animalia, quæque sensim incedunt & maximè suspensô gradu, ut *vulpes*, sustinere queat. Atque ob dolosum hunc & fraudulentum vulpium animum, cum iis falsi Doctores comparantur, Cantici *c.* 2. *v.* 15. & Herodem, hominem πανουργότατον & ad Romani tunc Imperatoris exemplum ex asse compositum, *vulpem* nominat Dominus noster, Lucæ, *c.* 13. *v.* 32. Hebraicè שועל *sual*, à *tussi* dicitur, cui ob calorem internum, qui vehementissimus est, animal hoc perpetuâ pulmonum intemperie laborans, quod gannitus ejus & raucus clamor abundè docent, obnoxium esse dicitur. Unde notum Gallorum Proverb. de sene ex imo pectore tussim vix extundente. *C'est une toux de renard, qui vous menera au terrier*, h. e. *Hæc est vulpina tussis, quæ in foveam te deducet.* Alimentum quod attinet, *Vulpes* παμφάγος est. Eam enim vesci carne cadaverum, docent hæc de Davidis hostibus Psalmô 63. *v.* 11. *portio vulpium erunt.* Ubi è carnivoris feris pro toto genere una ponitur species, & illa quidem despectissima, quasi sit magis probrosum à vulpe discerpi ac devorari, quàm à nobiliore fera. Vide quoque, quæ suprà diximus, voce *Cauda*. Sed & fructibus vescuntur & maximè uvis delectantur, Cantic. *d. l.* Unde carne earum Autumnô uti venatores, quòd tum uvarum esu maximè pinguescant, legas apud Galenum, *de Alim. facult. l.* 3. *c.* 2. Et nota Phædri hanc in rem fabella 3. *l.* 3. *v.* 1. *s.*

Fame coacta vulpis alta in vinea
Uvam adpetebat, summis saliens viribus,
Quam tangere ut non potuit, discedens ait,
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.

Cæterùm solivagum animal *vulpes* est, Ezech. *c.* 13. *v.* 4. & Thren. *c.* 5. *v.* 18. ἀπὸ τῦ ἀλᾶσθαι, *ab errando* in solitariis locis, hinc aliis dictum. Quare, ut rem prorsus insolitam notat Amyntas, apud Ælian. *Histor. l.* & *c.* 17. vulpium Caspiarum tantam esse copiam ut non solùm agrestia stabula adeant, sed urbes quoque ingrediantur & in ædibus ipsis conspiciantur. Quin ut lateant magis, in ipsis terræ visceribus lustra habent sua seu foveas, quæ ἀλωπεκίας Græcis, φωλεοὺς vocat Dominus noster Matth. *c.* 8. *v.* 20. ubi extremam suam paupertatem indigitans, Αἱ ἀλώπεκες, inquit, φωλεοὺς ἔχουσι κτλ. *Vulpes foveas habent* &c. quem locum eruditè exponit Cl. Suicerus, *Thes. Eccles.* voce φωλεός. Aliè autem sibi lustra fodiunt. Phædrus item, *Fab.* 19. *v.* 1. *s.*

Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit,
Egitque plures altius cuniculos,
Pervenit ad draconis speluncam ultimam &c.

Idque summâ astutiâ, ut suprà innuimus: quæ insuper scillâ ambire, ut lupum hostem fugent, dicuntur. Atque hinc venatio earum difficillima, gravidarum præsertim, teste Philosophô, *Histor. l.* 6. *c.* 34. Imò laqueis & retibus eas posse capi, utpote quæ lacerent, etiamsi in ea inciderint, negant, Oppianus, *Cyneget. l.* 4. *in fin.* aliique, inter quos, Teumesiam in Bœotia vulpem non potuisse capi, scripsêre veteres Mythologi. Tamen quoque capi posse, tam Pelliones, quàm Venatores, nôrunt. Et quidem laqueis, uti docet Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 37. *v.* 13.

Hic olidam clamosus ages in retia vulpem:

Sæpe etiam canum præda fiunt. Oppianus, ubi modò,

Α᾽λλὰ κύνες μιν ἄγρευσαν ἀολλέες -----

Quin apud Ælianum, Indi milvos & aquilas, ad id institutos, immittere in vulpes, qui captas dominis afferant, leguntur, *l.* 4. *c.* 26. quod de Persis hodiernis quoque scribit Petrus de Valle, *Itinerar.* Transennas taceo, & γαλεάγρας, & decipulas, & fossas, & indaginem, & alias mille nocendi artes, quibus in ferarum perniciem industria humana utitur. Addam saltem, si aguinâ hamum carne occultâris, & lupos assilientes, & *vulpes*, dum bolum deglutire studem, uncô detineri, ex Petro Crescentiensi, *de Agricult. l.* 10. Hinc mirum non est, quòd Samsonem trecentas vulpes (quô nomine forsan & thoës comprehensi, animal vulpi simillimum, gregarium & in Judæa frequens) *cepisse, quas funiis tadis obvertit caudam ad caudam* ---- *Et tadis igne succensis vulpes dimisit in Philistæorum segetes, & combussit cùm metas, tum segetes & vineas & oliveta*, legimus Judic. *c.* 15. *v.* 4. Ad quod facinus Judex ille Israëlis, de hostibus vindictam hôc pactô sumturus, *vulpes* inprimis elegit, utpote quæ tortuosô suô & anfractuosô incessu faces caudis alligatas in plures locos differebant & latiùs incendium, plus satis sponte in frugibus semel accensis serpens, diffundebant. Cujus historiæ insigne monumentum est *Vulpium combustio*, festum apud Romanos, quod incidit in 14. Kal. Mai. seu potiùs diem 19. Aprilis, quô Equiria etiam erant, in Circo Maximo. Tum itaque *Vulpes* cum stipulis ardentibus in Circo mittebantur, qui mos originem suam habuisse dicitur ab Adolescente quodam, filio cujusdam rustici Carseolani, qui cùm maturis frugibus *vulpem* laqueis implicitam comprehendisset, eam stipula involvit & accensô igni dimisit. Illa verò fugiens maturas fruges adussit: quare id singulis annis repetitum est, ut *Vulpes* Cereri, ob adustas fruges, pœnas darent; Carseolis autem Lege prohibitum vel nominare hoc animal, à quo tantam olim tantam segetes passæ. Qua de re prolixè agit Ovidius, *Fastor. l.* 4. è quo pauci hi versus, 710. *s.* instituto sufficiant:

Factum abiit: monumenta manent, nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Utque luat pœnas gens hæc, Cerealibus ardet:
Quoque modô segetes perdidit, ipsa perit.

Sed potior Franc. Burmanni conjectura, festi hujus adeò solemnis occasionem non à tam obscuris initiis, sed ex altiori origine arcessendam, & ut multa Gentilium sacra imitatione Hebræorum, vel ansâ aliquâ ex historia eorum depromtâ, orta sunt, ita historiam de agris Pelistæorum per *vulpes* à Simsone immissas, Judic. *c.* 15. devastatis eorumque segete atque vineis incensis, interis traditam etiam huic apud Romanos ritui annuo primordia dedisse. Vide eum *Explic. & Medit. in locum cit.* Bochartus rei famam à Phœnicibus ad alias gentes disseminatam, sicque ad Romanos tandem pervenisse, existimat, duplici nixus argumentô: Namque vulpes Romæ fœno non involvebantur, quomodo vulpes Carseolana, sed tædas in cauda gerebant. Ovidius *ubi suprà*, *v.* 681.

----- *Junctis ardentia tadis*
Terga ferant vulpes -----

quod ipsissimum de Samsonis vulpibus refert Scriptura. Dein emittebantur hæ vulpes, non quô tempore Romæ vel Carseolis, sed quô in Palæstina fit triticea messis, nempe circa medium Aprilem. Ita enim is iterum, *v.* 679.

Tertia post Hyadas, cùm lux erit orta, remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos.
Cur igitur missæ junctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, *causa docenda mihi est* &c.

Unde verisimile est, incendium illud eô ipsô die accidisse, quô Romæ vulpes in Circum emittebantur, & in illius incendii memoriam id primò à Phœnicibus, dein Phœnicum exemplô etiam ab aliis esse factitatum. Indidem videtur sumtum, quòd Bœotii, quibus olim Phœnices imperaverant, quidvis incendi posse credebant, si certa quædam animalia, blattæ nimirum & *vulpes* & testudines, cum facibus affixis, emitterentur, uti ex Suida discimus in Νικίας. Sed & facit huc, quòd λαμπουρίς vulpes dicitur Lycophroni, Poëtæ Tarsensi, h. e. *in cauda lucens, lampadis cultor*; quod aliàs cicindelæ seu noctilucæ nomen est, ut cui cauda noctu non minùs luceat, quàm si facem haberet tergo infixam &c. Quam in rem, ut & de animali hoc plura, vide apud Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte prior. l. III. c.* 13. adde Gerh. Joh. Voss. *de Idol. l.* 3. *c.* 59. 61. 65. 72. 73. cæterosque, qui *Historiam Animalium* condidêre Scriptores. Verbô saltem monendum, Alexandrum Priami filium à *vulpe*, sicut Jovem à capra, Romulum Remumque à lupa, educatum legi, apud Ælianum, *Var. l.* 12. *c.* 42. Nec omittendum, quòd *Vulpis* augurium maximè solenne apud Romanos fuerit. Plin. *l.* 8. *c.* 28. *de prognost. animal. Auguria quidem artem fecêre apud Romanos & Sacerdotum Collegium vel maximè solenne est inter ea locis rigentibus & vulpis, animalis alioquin solertia diri --- amnes gelatos lacusque non nisi ad ejus itum reditumque transeunt.* Sed nec hoc, quòd *vulpinam* seu lupinam caudam, in bellis triumphisque, militaribus hastis, fortè in contemtum hostium, Suecones olim Gothosque affigere consuevisse, narrat Olaus, *l.* 8. *c.* 14. &c. Haud absimilis *vulpi* lynx Mexicana, de qua vide suprà voce *Lynx*. De *Vulpibus marinis* earumque astutia, adi Plinium, *l.* 9. *c.* 43. *extr.*

VULPES, machinæ bellicæ species, memorata & descripta Alberto Aquensi, *Histor. Hierosol. l.* 2. *c.* 30. *Quidam de majoribus Alemanniæ vulpem ex propria sumtu quercinis trabibus composuerunt, cujus gyrô tutos intexuerunt parietes, ut gravissimos Turcorum sufferret ictus armorum, omniaque jaculorum genera; ac sic in ea manentes tuti, & ictasi urbem fortiter impugnando perforarent. Hoc tandem Vulpis instrumentum, dum ad urbem opere & ligaturis perduceretur, milites prædictorum Principum loricati ad viginti in eadem Vulpis protectione sunt constituti. Sed magna virorum inundatione & conamine juxta muros applicatâ non æquô subsedit aggere* &c. apud Car. du Fresne, *Glossar.* ubi & *Vulpeculam* dictam esse, ex Ottone de S. Blasio, *c.* 23. addit. Vide & in voce *Ericius*. Sed & aleæ species, Gallis hodieque haud incognita, quibus *le Jeu du Renard* appellatur, eôdem nomine venit, apud Jo. Sarisberiensem *de Nugis Curialium, l.* 1. *c.* 5. eidem laudatum.

VULPIACUM, Eginart. *Ulpen* vulgò, vicus 2. leuc. à Limburgo urbe, in Germania inferiore.

VULPICULA, convitii species, in L. Salica, *tit.* 32. §. 3. *Si quis alterum* Vulpiculam *clamaverit*: quasi *Vulpecula*, ob notas animalis fraudes. *Vulpis ingeniosa*, Gregorio Turonensi, *l.* 8. *c.* 6. Unde *Goupil* Gallicum, quô *Vulpem* olim eadem gens appellavit. Idem.

VULSINII, & VULSINIENSIS lacus, & Insul. quò Amalesventam Theodabatus relegatam, ibi strangulari curavit, A. C. 536. Vide *Volsinium*.

VULSO, vide *Manlius*, it. *Volso*.

VULTACONUM, vicus Galliæ in Pictonibus, memoratus Gregorio, *c.* 45. *l.* 2. *de mirac. St. Martini*. Profert Claudius Botarotius trientem Theudomeris, diademate è margaritis redimiti, in cujus aversa parte, *Vuultaconno*: quid hodie sit, non constat. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

VULTEJUS Hermannus, Veteris Hassorum oppid. natus, fil. Justi Hebrææ Linguæ Professoris & Pædagogiarchæ in Academia Marpurgensi, Basileæ J.U. Doctor renuntiatus, A. C. 1579. mox in Academia patria Græcæ Linguæ primò, exin Juris primariam Professionem nactus, A. C. 1580. tantâ nominis sui famâ docuit, ut ex tota Europa undique ad eum Juri dicata pubes conflueret. Post quæ à variis Principibus expetitus modestè se excusavit, Procancellarii tamen Marpurgensis, Consiliarii Suecici, Comitis Palatini, Equitis & Consiliarii Cæsarei à Ferdinando II. oblatum axioma, suscepit. Obiit A. C. 1634. ætat. 79. Profession. 55. matrimonii 53. Pater *Johannis* Cancellarii Hassiaci, præter *Christophorum* Consiliar. Hassiac. frater *Johannis* Rackenburgi Archiatri Archiducis Austriæ & *Christophori* Regis Daniæ in Jutia Consiliarii; ac socer trium Cancellariorum. Scripsit complura. Vide Joh. Henr. Dauterum, *Vitâ H. Vulteji*, & Casp. Cunradum, *Prosopographiæ Melicæ Parte III.*

VULTEJUS Justus, VVetterâ-Hassus, in patria Rhetoricam & Dialecticam, cum Linguis Græca ac Latina, primùm docuit: postmodùm, cùm ob Scholæ famam multi Acad. Marpurgensi relictâ ad eum confluerent, à Guilelmo Hassiæ Principe solenniter ad Pædagogiarcham Marpurgensem vocatus, etiam Linguæ ibidem Sanctæ Professionem posteà, à morte Happelii, nactus est. Obiit A. C. 1575. ætat. 46. miserabili casu. Pater *Hermanni*, de quo suprà. P. Freherus, *Theatrô*.

VULTIACUM, villa olim Autharii Optimatis, cujus duos filios infantulos Adonem & Dadonem, à matre sibi oblatos Columbanus ibidem suâ benedictione prosecutus est. An hodie *Eussi*, vicus ad Matronam non longè ab urbe Meldis, ubi Autharius prædictus, hodieque colitur, sicut in Monasterio Resbacensi, quod filius ejus Audoenus Dado condidit. Vales. *Notit. Gall.*

VULTUNNA, seu VULTONIA, fluv. Aquitaniæ, per fines Santonum fluit, ex Pictonibus ortus, ac per Engeriacum oppid. in Carantonum abit, *la Boutonne* vulgò. Et quidem, sincerô hôc nomine nuncupatus reperitur in *Tabulario* Augeriacensi; in *Gestis* Consulum Andegavensium *Vultona* dicitur. Ultimus auget Carantonum, alluitque Secundiniacum *Secondigny*, Cisacum *Chizay*, Insula *l'Isle*, Avallem *Availle*, Verventum, Angeriacum oppid. Monasteriô suô illustre, Tauniacum ad *Vultonnam Tonay Bontonne*, & Vallem *la Vallée*: tum apud locum nomine Portum *Port*, in Carantonum, influens. Monachus Majoris Monasterii qui *Gesta* præfata ante annos 500. scripsit, vicum seu castrum ad fontem ejus positum vocat Caput Vultonæ *Ché Boutonne*. Vide Hadr. Vales, in voce *Carantonus*.

VULTUR, à *volatu* Latinis, uti vult Beemannus *in Origg. L. L.* qui qualis sit, vide suprà ubi de avium *Volatu*: an à vultu, quòd perspicacissimus? Græcis γὺψ, item αἰγυπιὸς, quô nomine tamen propriè *vultur niger* venit, quem Hebr. דיה *daja* appellant, ut videre est Deuteron. *c.* 14. *v.* 17. ubi de mundis avibus; cùm iidem vulturis aliud genus, quod magna ex parte album est, רחם *racham*, à misericordia nomine impositô, vocent, qua de re aliquid infrà. *Prævalent* autem *vulturum nigri*, Plin. *l.* 10. *c.* 6. Unde ab atro vulture rodi, una è gravissimis Inferorum apud Poëtas pœnis est. Juvenalis, *Sat.* 13. *v.* 51.

----- *nec saxum aut* vulturis *atri*
Pœna -----;

Medici quoque atrô vulture libentiùs in pharmacis suis utuntur, uti docet Sammonicus, *c.* 14. ubi ad oculorum dolorem mitigandum adhiberi vult,

----- *vulturis atri*
Fella -----

Vide quoque *c.* 34. ubi de *Atrophia*, & *c.* 58. ubi de Comitiali morbo. Est autem avis rapax, & si vulgo credendum, maximè immanis: utpote quæ humanâ carne vescitur. Certè *Vultur*, mortalium antiquissimis pro tumulo fuit: unde τάφοι ἔμψυχοι dicti, Hermogen. περὶ ἰδεῶν, *c.* περὶ σεμνότητος, Παρὰ δὲ τοῖς ὑπερξύκοις τούτοισι σοφισταῖς πάμπολλα εὕροις ἄν, τάφους τε γὰρ ἐμψύχους τοὺς γύπας λέγουσι, ὥσπερ εἰσὶ μάλιστα ἄξιοι. Posteà, iis objecta cadavera, genus pœnæ fuit: Ennius de Metio Fuffetio quadrigis distracto:

Volturus in sylvis miserum mandebat hemonem,
Heu quàm crudeli condebat membra sepulchro!

Vide Joh. Meursium, *Comment. in Lycophron.* Certè Vulturum videas ἀγέλας μυρίας τοῖς στρατιώταις παρεπομένας, *innumeros greges exercitus sequentes*, ut ait Basilius, *Hexaem. Homil.* 8. quod in specie de castris Marii, habes apud Plut. *in eo*, de bello, quod in Apulia contra Bajazethem parabatur, apud Petrum Bembum, *Histor. Venet. l.* 5. ut videl. cadavera depascantur, ad quorum loca *triduo antè, aut biduo eos volare*, scribit Plinius, *ibid.* Unde cum *Vulturibus* parasitos conferens Plautus, *Truculento*, *Actu* 2. *sc.* 3. *v.* 16.

Illud est, ait: vide ut jam, quasi volturii, triduo
Priùs prædivinant, quo die esuri sient.

Atque hinc inter inauspicatas aves numerata, ut quibus & amissio Regni Tarquinio significata sit: aliasque à *Vulturibus* fuisse aves credunt nonnulli, quarum auspiciô Romam conditam fuisse legimus. At 12. fuisse *Vultures*, qui Romulo fecerint Urbis condendæ omen, plerique Auctores scribunt. Lucanus, *l.* 7. *Pharsal.* *v.* 437.

Vulturis ut primum lævô fundata volatu
Romulus infami complevit mœnia ludô.

Aurel. Prudentius *in Romano Mart. v.* 612.

Antiquitatem Romuli & Mavortiam
Lupam renarras, primum & omen Vulturum.

Sidon. Apollinaris, *Carm.* 7.

Quid rogo bisseno mihi Vulture *Thuscus aruspex*, &c.

Et Varro apud Censorinum, *de die Natali*, *c.* 17. ex visis illis Vulturibus spatium Urbis duraturæ conjicit, notaque prædictio Vectii Valentis Auguris, Romam 12. *vulturum* auspiciô conditam, 1200. ann. duraturam: quam ad A. C. 455. mox à morte Valentiniani III. Imperator. Occidentalium & Romæ veteris ultimi; cùm Gensericus Wandalorum Rex Romam jam secundâ vice captam incendit, fuisse impletam, statuit Jos. Medus. Et certè tum numerus Regum, de quibus Apoc. *c.* 17, nuper in vetere territorio Romano exortorum, ad numerum denarium excrevit, ut alibi vidimus ex præfato Medo *de Apostas. noviss. tempor.* Sed & Cæsari & Augusto, novam Urbem condituris, par vulturum numerus apparuit, apud Jul. Obsequentem, & Sueton. *Octavio*, *c.* 95. E quibus id obiter perspicere est, *vulturem* avem gregalem esse, contra rapacium reliquarum naturam. Unde Gesnerus, *Vultures*, inquit, *soli uncunguium gregatim degunt, ita ut aliquando quinquaginta in uno grege appareant, ut in Ægypto se observâsse, Bellonius scribit.* Porrò etiam *Vulturem* in ædem Jovis aut Deorum volâsse, prodigii locô habitum esse, Vulturesque, corvos & aquilas, si coiissent, conflictus & cædes indubias denuntiare ajunt, Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 9. Contrà Romanos *Vulturibus* maximè in auguriis usos fuisse, docet & Plutarchus rationesque rei exponit, *Quæstion. Roman. Quæst.* 93. ubi ait: *Herodotus refert. Herculem in capiendis auspiciis, inprimis esse oblatis delectatum Vulturibus, eò quòd avium omnium carnivorarum hanc censeret justissimam. Primùm, quia nihil animatum tangit aut necat, sed solis vescitur cadaveribus. Deinde, quòd sui generis cadavera præterit. Nemo enim conspexit avem à Vulture gustari: cùm aquilæ & accipitres maximè persequantur eas & occidant. Atqui secundùm Æschylum,*

Qui pura avis sit, si qua avem voraverit?

Ad hæc, avis hæc minimè omnium hominibus nocet, cùm neque fruges perdat, neque plantas, neque ullum animal mansuetum lædat. Eadem in *Romulo* legas. Unde concludit, vulturem omnium sui generis animalium esse δικαιότατον, καὶ ἀβλαβέστατον, *justissimum & minimè noxium.* Quæ causa, quod non solùm pro fausta alite Romanis hæc fuerit, sed etiam, quod Indos mortuorum suorum corpora, non in pœnam, sed honoris ergò, vulturibus objecisse, auctor est Sextus Philos. *Pyrrhoniar. Hypothes. l.* 3. *c.* 14. Quale quid in usu fuisse, etiam apud Persas, probat Brissonius, *de Regn. Pers. l.* 2. idemque factitâsse Hispanos, testatur Silius Ital. *l.* 13. *v.* 471. ubi de iis, qui in bello fortiter dimicantes occubuerant,

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Iberâ,
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.

Et Baccæos, h.e. Vaccæos in specie. Ælianus, *Histor. l.* 10. *c.* 22. ubi apud Ægyptios, *Vulturem* esse Junoni sacrum, & ejus pennis ornari caput Isidis, ac τῶν προπυλαίων ὀροφὰς, *vestibulorum fastigia* addit. Quid quòd Horus Apollo Ægyptios eosdem matrem aut misericordem pictô *vulture* significâsse *in Hieroglyphicis* ait: quippe, quem propriô exsectô femore pullis suis præbere sanguinem suum exsugendum, ne cibi penuriâ conficiantur, tradit *l.* 1. *c.* 11. suffragante Pisidâ *v.* 1064. Quæ vera ratio nominis Hebræi præfati *racham*: cujus historiam Patres interpolârunt, ut pelecano tribuerent, quod vulturis erat proprium, uti pluribus docet Bochartus, *Hieroz. Parte poster. l.* 2. *c.* 27. ubi inter alia, etiam reliquas aves eum ab accipitre tueri, & proin *pii* elogiô insigniri à Cassiodoro, *l.* 2. *Epist.* 19. adnotat. Effugere tamen non potuit Vultur, quin *avidus* dicatur Catullo, *Epigramm.* 109. *v.* 4. & Senecæ *in Agamemn.* à qua ejus indole *Vultures* dicti Testamentorum captatores, ut Origeni annotatum, *Homil.* 7. *in Levit.* Imò & Imperatores prædæ inhiantes ac avaros provinciarum præfectos *Vulturios* Cicero *pro Sextio* & alibi vocat. Gerh. Joh. Vossius, *de Idol. l.* 3. *c.* 85. Sed & unguenti odore offenditur, rosacei inprimis, quô & exanimari, testes sunt, Aristoteles *in Mirab.* Theophrastus, *de Causis plantar. c.* 4. Plin. *l.* 11. *c.* 53. Alii. Quòd verò apud Ægyptios Vulcani Minervæque symbolum hæc avis fuit, quorum ille ἀμήτωρ Poëtis, hæc ἀμήτωρ Euripid. *in Phœnissis* dicta, hinc est, quia omnes Vultures, absque conjugis operâ, pullos generare primi crediderunt. Quæ opinio ab illis ad Græcos, à Græcis ad Christianos propagata est, è quibus Basilius non dubitat, ex Vulturum citra marem conceptu, firmare conceptionem B. Virginis. Sed errorem solidè refellit Albertus M. qui ait, inter Trevitos & Vangionum urbem, quæ *Wormatia* dicitur, sæpe conspectum, eos inter se misceri: Ubi & testatur, eosdem hîc videri

deri quotannis nidificantes, atque ex congestis in nidos cadaveribus fœdum spargi odorem: quibus refellitur, quod in Geoponicorum Collectan. legimus, *non nidificare Vultures*, &c. Vide iterum Voss. *l. cit. c.* 78. Porrò visus symbolum quoque *Vulturem* esse, discimus ex Oro, *Hieroglyph. l.* 1. *c.* 11. dicente, Ægyptios ad significandum visum, Vulturis uti hieroglyphicô. Interim Vossius assentitur iis, qui Vulturem censent visu ab aquila vinci. Imò quòd uterque longè adeò sibi subjecta conspiciat, non tam ab organi præstantia esse censet, quàm ex sublimi volatu, quod judicium etiam Isidori est, *Origin. l.* 12. *c.* 7. &c. Similes *Vulturibus*, inter aquilas, percnopteri sunt, aquilæ degeneres & vulturinâ specie, atque ex aquilæ & vulturis adulterio natæ, hincque γυπαιετοὶ dictæ: quas *aquilarum* nomine indigitari Matth. *c.* 24. *v.* 28. & Lucæ, *c.* 17. *v.* 37. ubi *aquilas ad cadaver congregari* dicitur, censet idem Bochartus, ubi suprà, *l.* 2. *c.* 10. Ut & hoc addam, *ala Vulturis*, quòd volatu valeat sublimi, apud Hebræos, in pretio fuit, unde [illegible] *filiam alæ* avem hanc Onkelos vocat. Sed & in Ægypto, domorum vestibulis alas ejus affixas, indicium nobilis, ac vetusti generis fuisse, suprà innuimus, & pluribus docet Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 24. &c. De lapide [illegible] seu [illegible] ex India à *vulturibus* afferri solito, secundùm Recentiorum sententiam, Hieronymi, seu quisquis Auctor est Epistolæ *De cereo Paschali*, Eustathii *in Hexaëm.* Aliorum, quod soli aquilæ Veteres ascripsêre, ἀετίτην hinc i. e. *aquilinum* lapidem appellantes: de *Tityi vulture* in Fabulis, idem significante, quod in Sacris *vermis non moriens*, vide eundem Bochartum, *d. l.* & plura de *Vulturis*, apud Ægyptios veteres in Hieroglyphicis usu, apud Nic. Caussinum, *Symbolicâ Ægyptior. Sap.* uti de Agrio, Polyphontes filio, in *vulturem* mutato, Anton. Liberalem, ex Boei *Ornithog.* Adde qui de *Avibus* ex professo scripserunt, jam ex parte suprà passim laudatos.

VULTURA, & VULTURARIA, urbs Hirpinorum in Apuliæ confinio Episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano. *Volturara* hodie *Baudrand.* urbecula Capitanatæ, 23. mill. pass. à Benevento in Boream, 12. à Luceria in Occasum. Hujus meminit Horat. *l.* 3. *Od.* 4. *v.* 9.

Me fabulosæ Vulturæ in Apulo
Altricis extra limen Apuliæ, &c.

Ubi alii codices habent *Vulture. Vultur* verò mons est vel flumen Apuliæ.

VULTURII, ut & *Reguli*, tali dicti sunt olim, observante Cœl. Rhodiginô, *l.* 8. *c.* 18. Cujus rei rationem Hadr. suggerit Turnebus, *Adversar. l.* 5. *c.* 6. *Pro numeris*, inquit, *effigies animalium habebant, ut Vulturum, aut regulorum.* Meminit autem *Vulturiorum* Plautus, *Curcul. Actu* 2. *Scen.* 3. *v.* 78.

Tace parumper, jacit Vulturios quatuor.

Vide Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *Sect.* 3. *c.* 13.

VULTURNUM, urbs olim Campaniæ Episcopalis sub Archiepiscopo Capuano, à Capuâ 10. mill. pass. ad ostia Vulturni fluv. nunc exiguum castrum inter Sinuessam ad Occidentem 8. & Liternum ad Ortum 9. milliar. *Vulturnum* urbs priùs, posteà Capua est appellata, teste Liviô. *l.* 4. *c.* 37. Ex uno *Vulturnum* geminum fuisse videatur, unum interius, alterum in orâ. *Baudrand.* Vulturnum, nunc *Castel del Volturno*, in Terra Laboris, in ora maris Tyrrheni 9. milliar. à Literno in Boream.

VULTURNUS, Deus apud veteres, vide *Volturnum.* Item ventus ab Ortu hyberno spirans, quem Græci *Eurum* vocant. Plin. *l.* 2. *c.* 47. Item fluv. ad Vulturnum urbem in Campania, qui in Samnio oriens, apud fines Atinæ, per Venafrum, Telesiam & Capuam, in mare Tyrrhenum, ad Vulturnum urbem decurrit, Calore & Sabbatô fluv. acceptis. Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 729.

----- ---- Amnisque vadosi
Accola Vulturni. ----- -----

Silius, *l.* 8. *v.* 529.

----- ----- Pluilisque sonorum
Vulturnum. ----- -----

Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 714.

Liternum, multamque trahens sub gurgite arenam
Vulturnus. ----- -----

[illegible], inquit Strabo. Lucan. *l.* 2. *v.* 423.

----- Delabitur inde
Vulturnusque celer. -----

Statius, *l.* 4. *Sylv.* ubi de via Domitiana, *v.* 67.

At flavum caput, humidumque latè
Crinem mollibus impeditus ulvis,
Vulturnus levat ora, maximoque
Pontis Cæsarei reclinis arcu,
Raucis talia faucibus redundat:
Qui me vallibus aviis refusum
Et ripas habitare nescientem
Recti legibus alvei ligâsti,
Et nunc ille ego turbidus minaxque
Vix passus dubias priùs carinas,
Jam pontem fero, perviusque calcor.
Qui terras rapere & rotare sylvas
Assueram (pudet) amnis esse cœpi, &c.

Nic. Lloydius.

VULTUS, à *volo*, quasi *voltus.* Ita enim de discrimine *faciei* & *vultus*, Laur. Valla, *l.* 4. *c.* 13. *Facies magis ad corpus: vultus magis ad voluntatem refertur: unde descendit. Itaque dicimus, iratô & mœstô vultu potiùs, quàm facie.* Et Jul. Cæs. Scaliger, *Histor. Animal. l.* 1. *c.* 9. *Vultus verè solius hominis dicitur. Est enim habitus faciei voluntatem indicans. Græci carent hâc vocabuli commoditate.* Hinc *vultus artifex*, apud Persium &c. Inde pro larva seu persona, ad similitudinem *vultus* alicujus efficta, vox sumitur Publio Syro,

Libido cunctos etiam sub vultu domat;

quasi Gallicè diceres *sous le masque*, Græcè ὑπὸ τῷ προσώπῳ, de qua notione ejus vide suprà, voce *Persona.* Ulteriùs pro imagine thorace tenus expressa, apud Lucium Ampelium, *c. de miraculis mundi, Juxta autem mare, qui locus Rhœteon dicitur, ibi est Achillis & Patrocli vultus*, i. e. imago ore vel pectore tenus in clypeo expressa. Quô more, inter alios honores Imperatoribus collatos, imagines eorum effigiabantur, id quod *consecrare vultibus*, dixit Fl. Vopiscus *in Probo*, *c.* 23. *Eant nunc --- & dignitatem Probo derogent, quam Imperatores nostri prudentes & consecrandam vultibus, & ornandam Templis, & celebrandam ludis Circensibus judicârunt.* Proponebantur autem hæ imagines adorandæ, Capitolin. *in Maximo & Balbino*, *c.* 17. *Legiones ipsæ & auxilia ubique terrarum vultus jam vestros adorant.* Atque in pompis præferebantur; *Cod. de Publ. Læt. nunt. l. un. Quidquid nostrorum nunciari cœperit prosperorum --- si sacros vultus inhiantibus fortè populis inferimus, hæc sine immodico pretio nuntiari excipique sancimus.* Ubi [illegible] Græci verterunt. Nempe, cùm *laburum* propriè esset salutatio vel adoratio, quâ Imperator vel Imperatoris imago excipiebatur, ipsæ posteà imagines, *labratis* adorari solitæ, sic quoque dici cœperunt. Qua de re vide suprà in hac voce, plura verò apud Salmas. *Not. ad Vopisc. locô cit.* Porrò Imperatorum *Vultibus* signati apud Romanos nummi, non modò florente jam Republ. sed etiam nascente: nec modò id in more Romanis, verùm & Græcis fuit, Aristot. *Politic. l.* 6. Unde nummi χαράγματα, Latin. *titulus*, *figura*, h. e. Vultus Imperatorum, qui cudi hujusmodi monetam jubebant, nomen, inscriptionem, notam aliquam victoriæ cujusdam aut casus alterius indicem addentes, ut ex Goltzii *Thes. Numism.* patet. Ratio elegans apud Aur. Cassiodorum, *l.* 6. *Ep.* 7. *Ut imago Principum subjectos videretur pascere per commercium.* Hujusmodi itaque nummis, cùm quælibet gentes Romanorum Imperio subjectæ uterentur, miratur Procopius, *de bello Goth. l.* 3. *Quòd Franci, non, ut alii Populi, Romani Imperii imagine, sed suâ impressâ, nummos signent:* Notaque est Historia Evangel. de numismate Tiberii Aug. effigie impressâ signato. Factum id autem inprimis in Principum inaugurationibus, ut patet ex Corippo Gramm. *de laudibus Justini Imp. l.* 4. *num.* 2. & Amm. Marcellino, *l.* 26. *Aureos scil. nummos in vultum novi Principis, aliaque ad illecebras aptantes:* ut nempe novô hôc largitionis genere militum favorem sibi conciliarent; Pecuniam enim suâ signatam effigie in vulgus spargebant, vel singulis dividebant militibus. Vide Curopalatem *de Offic. Aulæ Constantinop. p.* 102. Unde duo maxime requisita, ut numisma valeret, proba materia & *vultus* Imperatoris ei impressus, Thom. Dempster. *Paralipom.* ad *Rosin. l.* 7. *c.* 31. & Fortun. Licetus *de Gemmis Annular. Schem.* 11. *c.* 68. Vide de moneta *Vultibus* Neogamorum signatâ, suprà ubi de *Repotiis.* In Graphice. Cimon Cleonæus, *primus catagrapha invenit, h. e. obliquas imagines, & variè formare Vultus respicientes suspicientesque & despicientes*, Plinius, *l.* 35. *c.* 8. Timanthes verò, cùm Iphigeniâ stante ad aras peritura, *pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Ulyssem, addidisset Menelao, quem summum poterat Ars efficere mœrorem; consumtis affectibus, non reperiens, quò dignè modò Patris Vultum posset exprimere, velavit ejus caput & suo cuique animo dedit æstimandum*, Quintilian. *l.* 2. *c.* 13. &c. Vide quoque hic passim, inprimis ubi de *Facie*, uti de *Sacris vultibus* Principum, quorum mentio *l. un. Cod. de publ. læt. nunt.* suprà voce *Lauratum.* Hinc *Vultivoli*, qui, ad *affectus hominum immutandos, in molliori materia, cera fortè vel limo, eorum quos pervertere nituntur, effigies exprimunt*, apud Joh. Sarisberiensem, *de Nugis Curial. l.* 1. *c.* 12. Cujus illusionis in *Pharmaceutria* suâ Virgilius meminit, *Ecl.* 3. *v.* 80.

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Uno eodemque igni, sic nostrô Daphnis amore.

Aliter *defixio* dicitur, an quia hujusmodi incantatores acus subinde defigerent in imagines hasce, iis locis, ubi puncturas persentiscere ipsos viros volebant? Ita videtur ex Nasone, *Ep. Heroid.* 6. *v.* 91.

Devovet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Sed de hac re suprà passim; vide inprimis verbô *Defigere* &c. Iidem verò & *Vultuarii* appellati sunt & præstigiæ illorum *Invultus*, item *Invultatio.* Sic Joannam Reginam, Philippi Pulchri Galliæ Regis uxorem, à Guichardo Episcopo Trecensi *invultatam* esse, & hâc *invultatione* periisse, testes quosdam asseverâsse, refert Car. du Fresne, *Glossar.* ubi etiam *de Vultu de Luca*; i. e. imagine Crucifixi, quam à Nicodemo effictam volunt, Lucæ in Italia asservatâ, & more Guilielmi Angliæ Regis *per sanctum vultum de Luca jurandi:* de imagine item ejus apographa, in una ex Capellis Eccles. Sandionysianæ in Gallia, inde *Saint vœult* communiter dicta &c. quædam adjicit. Plura de voce *Vultus*, ejusque variis acceptionibus vide apud Casp. Barthium, *Animadversionib. Papini*

passim: de ejusdem verò distortionibus ridiculis aut etiam horribilibus suprà, voce *Grimacia*, uti de arte *Vultus* variè formandi, à Cimone Cleonæo inventa, ubi de Veteribus *Pictoribus*: de illo Pacati *in Panegyr. Vultus animi proditor*, egregia apud Jac. Ouzelium, *Animadversion. ad Minucium Fel. p.* 21. & 22. ubi speciatim de fronte, oculis, naribus.

VVODAN, teste Paulô Diaconô, *de Gestis Longobard. l.* 1. *c.* 9. & Godofredô Viterbiensi, *Chron. part.* 17. Numen fuit olim Germanorum, quod Romani suâ linguâ Mercurium dixerint. Sed nihil video, inquit Vossius, unde colligam, *VVodan* vel literaturæ vel facundiæ, vel negotiationi apud Germanos præfuisse: At potiùs, unde fiat verisimile, eum rei præfectum militari. Quippe apud Tacitum est, *l.* 13. *Annal. c.* 57. *Ab Hermunduris diversam aciem Marti ac Mercurio sacratam.* Etiam similis in eo cultus, quòd utrique victimas, imò & humanas, mactarent. Imò *Wodan* Germanis non fuit Deorum nuntius, eoque multo inferior, non Jove solùm, sed cunctis Saturni liberis: Verùm summus Deus, Universi Præses. Nam *Wodan*, sive *Woden*, est idem, ac *Guodan* seu *Guode*, pro quo *Gode* vel *God* nunc dicimus; facili permutatione literarum *W. GU. G.* & apocope ultimæ syllabæ: quemadmodùm aphæresi, *Dan*, unde *Dani* populi pari ratione, ac à *Theuth*, Teutones. Ab integro verò est *Godan* sive *Codan*, sinus Codanus: item *Gedanum*, quod aliter Dantiscum. J. Lipsius Nomen hoc non *VVodan*, sed *VVonsda*, putabat fuisse dictum, eò quòd non *VVodesdag*, sed *VVoonsdag* dicant Belgæ, pro die Mercurii: quodque Mercurius lucro præfuerit, quod Belgis *VVinst* vel *VVonst*. Sed non cogitavit, à *VVodan*, vel *VVoden*, esse *VVodansdag* vel *VVodensdag*, unde per syncopen *VVoonsdag*: Nec Germanorum Mercurius lucro præfuit, neque à *VVonst* proin nomen habuit; sed ex voce Θεῦθ, *Theuth*, *Thoyth*, *Thoth*, *Thout*, *Thouth*, *VVoth*, (quia *VV.* literâ gaudent Germani) *VVothan*, vel *VVodan*, vel *VVoden*, aut *VVode*, terminatione additâ: Unde porrò factum *Gnoth*, *Goth*, *God* vel *Got*. Quæ deductio firmatur derivatis à *Godan*, *Dan*, *Theuth*. Nam à *Godan* Ins. Danica Melæ est *Codanonia*, quæ nunc *Zieland*; uti incolæ Ptolemæo *Codanones*. Et quia à *Godan*, extritô *o*. est *Gdan*, unde *Dan*, hinc Danis nomen datum: Et affine Δὰν à Ζδὰν, pro Ζὰν sive Ζὴν. A' *Teuth* verò Germanicum *Teutsche*, Latin. *Teutoni* vel *Teutones*: ac ab eodem Gallis *Teutates*. Nempe nationes Germanicæ à Deo, suâ quæque dialectô, nomen assumpserunt; quasi *Populum Dei* dixeris, quod facere iis visum, ad cultum Dei inculcandum suis & simul ad terrorem injiciendum hostibus, Gerh. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 37. *sub fin.* Car. du Fresne verò *VVodenis diem*, Anglis (quorum Reges ab hoc Deo originem suam repetebant, teste Malmesbur.) feriam VI. fuisse dictam, ex Ord. Vitali, *l.* 7. & eodem Malmesbur. *de Gestis Regum Anglor. l.* 1. *c.* 1. observat in *Glossar.*

VVOLCESTRIENSIS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

VVOLCKENSTENIUM, German. *VVolckenstein*, castrum Germaniæ, sub proprio Comite. Et quidem emit illud ex Familia *de Pradel* vel *de Vilanders* oriundus Randoldus, qui decessit A. C. 1319. Inter ejus filios Conradus III. primus *VVolckensteniorum* cognomen gessit, pater Michaëlis, & Oswaldi, quorum is *Trostburgiam*, hic *Rodeneciam* lineam orsus est. *Baronis* titulus Oswaldi hujus filio Oswaldo primò datus: utrique dein lineæ *Comitum* dignitas est concessa. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatrô Nobilit. Europ. Parte II. p.* 55. 77. & *in Ind.* nec non *Arte Heraldicâ*, *Tom. II.*

Reges Daniæ.

VVOLDEMARUS I. seu VVALDEMARUS, Canuti Daniæ Regis, à Suenone interempti, filius: hôc per Jutos vicissim cæsô, Patri, post gravissimas turbas, circa A. C. 1161. Sclavos piraticâ Danos infestantes oppugnavit, eorumque Ducem Niclotum ad fidem adegit. Obiit A. C. 1184. regni 24. Ei successit filius Canutus V.

VVOLDEMARUS II. filius VVoldemari I. Canuto fratri, A. C. 1203. extincto, substitutus: Magistrum Templariorum in Livonia adversus Barbaros juvit, ibidemque Revaliam urbem condidit, circa A. C. 1223. Paulo pòst, ab Henrico Suerinensi Comite, ob violatam uxoris pudicitiam, captus, biennio pòst 35. argenti talentis libertatem redemit: Injuriam ulturus victus est. Obiit A. C. 1242. Pater, inter alios, Erici & Abelis, successorum, quorum ille ab hoc mari summersus, hic autem à Frisonibus, quos exactionibus offenderat, interemptus est. Ei successit Ericus VI. ex Christophoro, tertio VVoldemari filio, nepos, qui *Woldemarum* amitæ suæ maritum Sueciâ depulit, A. C. 1286.

VVOLDEMARUS III. filius Christophori II. patri successit A. C. 1333. Ducatum Slesvicensem sibi subjecit, peregrinationem Hierosolymam suscepit, Rostochiensem tractum Alberto Megapolitano, Rugiam Pomeraniæ Ducibus contulit: filias Ingeburgim Henrico Alberti filio, Margaretam Haquino Norvego despondit: Scaniam recepit: à Cimbris & Holsatis suis, quos duriùs habebat, oppugnatus, Pontifici, ut mitiùs cum subditis ageret, monenti, acerbè respondit. Obiit A. C. 1375. regni 42. Successit Margareta filia, Arctoa Semiramis, cum filio suo Olao, qui mortuo patre, Daniam Norvegiæ junxit: Hôc, vivâ adhuc matre, defunctô, Ericus X. Margaretæ ex sorore nepos, à Margareta adoptatus regnum nactus est, A. C. 1411. imò tria regna, Daniæ nempe, Sueciæ & Norvegiæ, in quibus omnibus eum excepit Christophorus III. Bavarus, ejus ex sorore nepos, A. C. 1438. quo cum A. C. 1448. defuncto, extincta est vetustissima, atque Aboriginum Daniæ Regum prosapia, regni Daniæ à Dano Rege conditi 2488. successêreque Reges ex Oldenburgica familia, quæ hodieque Regnum tenet. Horum primus fuit Christianus seu Christiernus I. ex Adolphi Slesvicensis, avunculi sui, commendatione, post mortem Christophori, ad regnum vocatus.

Principes Varii.

VVOLDEMARUS, fil. Christiani IV. Daniæ Regis, è pellice Christina Munckia, in Moscoviam ducendæ M. Ducis filiæ profectus, multos sumptus fecit; exin Suecis in Polonia militans obiit.

VVOLDEMARUS, filius Alberti IV. Principis Ascaniæ, genuit Sigismundum, patrem Ernesti; cujus filio Erico, natus est Otto Magnus seu Dives, pater Alberti Ursi, rebus gestis inclyti. Huic, ob fortem contra Sorabos operam præstitam, Conradus III. Imperator Marchiam Brandeburgicam, antiquis Marchionibus ex familia Stadensi & Pribislao Heneto extinctis, contulit. Idem posteà cum Henrico Leone universam gentem Sclavicam tantùm non extinxit. Pater Ottonis, qui stirpem Brandeburgicam A. C. 1312. in Johanne illustri extinctam, & Bernardi, qui Saxonicam familiam condidit.

VVOLDEMARUS I. filius Conradi, ex posteris Ottonis modò memorati, Elector Brandeburgicus, Friderico Admorso, Marchioni Misniæ, ademit Lusatiam inferiorem, & victus à Rudolfo Electore Saxoniæ, à Britzensibus civibus servatus est, sed absque masculis A. C. 1319. decessit: frater Henrici sine terra, quô genitus

VVOLDEMARUS II. post patruum Electoralem dignitatem gessit: successore fratre Johanne IV. qui ambo A. C. 1322. intra non totum mensem extincti sunt. Tum, præteritis agnatis, Anhaltinis & Saxonibus, Ludovicus Bavarus Imperator tanquàm feudum vacans, Marchiam cum Electoratu filio suo Ludovico Romano Tirolis jam Comiti tradidit: qui à quodam molitore Jacobo Rebock, defuncti *VVoldemari* nomen mentito, & à Saxonibus ac Anhaltinis strenuè adjuto, non parum exagitatus est. Hôc mortuô, Electoratum nactus frater Otto, illum A. C. 1373. socero Carolo IV. vendere coactus est. Sic ex Bavarica familia in Lucenburgicam delapsa Marchia, tandem ab Imperatore Sigismundo Friderico Norimbergensi collata est, in cujus familia adhuc hæret.

VVOLDEMARUS, filius Alberti, Principis Anhaltini, cujus pater Sigfridus Servestanam lineam orsus est, A. C. 1367. prælio Magni Torquati Brunsvicensis adversus Hildeshemios cecidit: Pater *VVoldemari*, qui improlis obiit, & Alberti junioris, quô genitus Johannes, *VVoldemarum* suscepit iterum avum, Albertum III. & Sigismundum, quorum ille inter alios quoque *Woldemarum* habuit: hic verò Georgii pater fuit, quô natus *Woldemarus*, è Margareta Schwartzenburgica VVolfgangum genuit, qui A. C. 1566. cælebs decessit.

VVOLFECCUM, German. *Wolfegg*, castrum ejusdem regionis, in Suevia, sub proprio Comite, ex Familia Dapiferorum in *Walpurg*. Cùm enim in Joannis extincti A. C. 1403. filiis, tres lineæ cœpissent, media *Wolfecca* Georgium habuit auctorem, iterumque in duos ramos divisa est, videl. Comitum *de Wolfegg*, atque Comitum *in Zeil*. Illorum series hæc: Georgius Truchsessius, qui obiit A. C. 1482. pater fuit Johannis, avus Georgii, proavus Georgii: quô & Joannâ Comite Rappolsteinâ genitus Jacobus Truchs. Dn. *de Walpurg*. decessit A. C. 1589. Pater ex Joanna Comite Zimmerensi Henrici Comitis *in Wolfeck*, qui, ex Maria Jacoba Comite Zollerana, genuit Joannam Euphrosynam (uxorem Hugonis Comitis Montfortii) Joannem Episcopum Constantiensem (qui natus A. C. 1598. obiit A. C. 1644.) Maximilianum VVilibaldum (natum A. C. 1604. maritum Magdalenæ Julianæ Hohenloicæ primùm, inde Isabellæ Claræ Arschotanæ, denatum A. C. 1667.) &c. *Dapiferos seu Truchsessios in Walpurg*, *Comites in Wolfeck* &c. E' quibus Maximiliano VVilibaldo, inter alios, natus est Franciscus A. C. 1641. Ipse verò Henricus Comes obiit A. C. 1637. Phil. Jac. Spenerus, *Theatr. cit. Part. II. p.* 58. & 123. Vide quoque ejus *Artem Heraldicam*, *Tom. II.*

VVOLFFENBUTTELUM, seu *Guelferbytum*, arx in Ducatu Brunsvicensi munitissima, Ducum sedes. A' Pappenhemio bellô Germanicô expugnata, posteà recepta est. Rami, qui cum Calenbergio Guelferbytanum principatum tenuit, sator Henricus fuit, filius Magni Ducis Brunsvicensis, A. C. 1373. demortui. Pater is fuit VVilhelmi, avus VVilhelmi, cujus filius Henricus *Senior* vel *Malus* dictus Guelferbytanam lineam, & Ericus Goetingensem seu Calebergicam orsus est: sed hôc A. C. 1584. sine legitima prole defunctô, Julius agnatus hæreditatem crevit: verùm & hujus posteritate, in Friderico Ulrico, Brunsvicensis lineæ ultimo, hôc seculô extinctâ, successit Augustus è familia Luneburgica, Henrici Dannebergicum Principatum nacti, in divisione, filius. Hujus lineæ, pace Monasteriensi, si Cellensis, cui VVilhelmus, præfati Henrici frater, auctor, deficiat, ad alternationem Episcopatus Osnabrugensis vocatur. Sustulit è Dorothea Anhaltina Augustus Rudolfum Augustum, è Christina Elisabetha Barbiensi Antonium Ulricum, è Sophia tandem Elisabetha Megapolitana Ferdinandum Albertum. Princeps ætate super omnes sui temporis, pietate, justitiâ, literis inclytus: quod Bibliotheca Guelferbytana, opus ejus, abundè testatur. Phil. Jac. Spenerus, *Syll. Geneal. Hist.* Vide etiam *Guelferbytum*.

VVOLFGANGUS, vide *Wolfgangus* & *VVolphangus*.

VVOLFIUS Hieronymus, Oetingâ Rhætus, familiâ nobili & antiquâ, corpore tam tenellô fuit ac infirmô, ut Pater, eum à studiis prohibiturus, sumtus ipsi ad Academias studiorum causâ profecturo negaret. Tubingæ igitur Studiosis operam suam addixit, inter serviendum tamen tantum temporis suffuratus est, ut brevi Græcè Latinèque evaserit doctissimus. Perlustratis exin Galliæ Italiæque Academiis, Norimbergæ aliquandiu hæsit, posteà Augustæ Vindel. Bibliothecarius, & Collegii Præses, Zonaram, Nicetam Gregoram vertit, & Auditorum ingenium semper nutrivit Græcâ eruditione imbuit. Obiit A. C. 1580. ætat. 64. cælebs

&

& inops, sed Fuggerorum munificentiâ multum adjutus. Melch. Adami *Vit. Philos.* Scripta ejus enarrat *in Elogiis* Teissier.

WOLFIUS Johannes, cognomine *Herbipolensis*, scripsit *Arithmeticam*. Alius JCtus, Vernaco Bipontinus, scripsit *Lectiones Memorabiles*. Idem Teissier *ibid.*

VVOLFIUS Johannes Tigurinus, Minister verbi & Theolog. Profess. à Martyre decessore suo lectionum telam cœptam pertexuit Obiit A. C. 1572. ætat. 50. Frater Caspari Medici, cui multa Gesneri debemus. Scripta Johannis enumerat Anton. Teissier, *Elogiis*, *Part.* 1. Vide & Stuckium, *Vitâ VVolfii* & Hottingerum, *Biblioth. Quadrip.* ac suprà *Johannes*.

VVOLFSPERGUM, urbs Stiriæ, ad Lavandum fluv. *Metel.*

VVOLGASTUM, seu VOLGASTIA, urbs munita Pomeraniæ citerioris ab Electore Brandeburgico A. C. 1675. expugnata. Etiam ab Henrico Leone direpta, sub VVartislao Pomeraniæ Duce, seculô 13. *VVolgastensis* rami auctor fuit Bogislaus IV. fil. Barnimi I. Pomeraniæ citerioris Ducis, frater Ottonis majoris natu, qui Stetinensem inchoavit. Hujus Bogislai, qui Brandenburgicis Stargardiam ademit, filius fuit VVratislaus IV. qui Rugiæ principatum A. C. 1325. fortiter contra Danos & Megapolitanos asseruit. Extinctus A. C. 1326. reliquit Boleslaum V. Pomeraniæ Oriental. & Barnimum IV. Occidentalis, linearum satores: quorum hic arcem VVolgastanam magnis impensis condidit, pater VVratislai VI. A. C. 1394. mortui, avus Barnimi VI. cui filius fuit Barnimus VII. & VVratislaus IX. Hôc geniti, VVartislaus X. cum Barto Rugiam, & Ericus II. VVolgastum, tenuêre: cujus posteritas in Bogislao XIV. totius Pomeraniæ domino, A. C. 1627. defuncto, extincta est. Vide Spenerum, *Sylloge Geneal. Historicâ*, & supra in voce *Pomerania*.

VVOLLEBIUS Johannes, Theologus Basiliensis eximius. Successit Johanni Jacobo Grynæo, quarto Ecclesiæ illius Antistiti, A. C. 1617. Edidit, inter alia, *Compendium Theologiæ*, quod præstantiâ suâ, in plurimas linguas, transferri meruit. Obiit A. C. 1529. ætat 44. Pater Joh. Jacobi, Ecclesiastæ Elizabethani, & Theodori Ecclesi Martiniani ibidem, sacrâ facundiâ & solidâ eruditione inclytorum: qui ambo, peste grassante, dum gregis curæ summâ invigilant fide, propriæ salutis incuriosi, ad beatiorem vitam abrepti sunt, A. C. 1667. ille quidem, (cujus fil. Johannes Medicinæ Doctor & Professor Physices, in flore ætatis, A. C. 1675. obiit) annô ætat. 54. hic 42. Successit Patri in primaria Eccles. Basil. statione Theodorus Zuingerus.

Sincerus, fidusque Dei dum sacra ministro
Ritè gregi, ad cæli præmia Christe vocas.

VVOLMARUS Melchior, Rotuilæ natus in ditione Ducis Longævillani, discipulus Fabri Stapul. Parisiis, & A. Alciati Avarici Biturigum, Tubingam vocatus ibi Græca docuit. Isenacum dein delatus cum Joach. Camerario amicitiam contraxit. Obiit A. C. 1561. ætat. 64. à Calvino, quem Græcè docuerat, dedicatione *Commentarii in* 2. Cor. & Bezâ, quem in Euangel. religione instituerat, sepulchali elogiô honoratus, vide Bezam, *Vita Calv.* Ob probitatem *Melioris* prænomen meritus, ac Margaritæ Navarræ Reginæ gratissimus. Cœterum licet magnâ Eruditione esset instructus, nihil tamen edidit, præter *Præfationem* pulcherrimam, *in Grammaticam Græcam Demetrii Chalcondylæ.* Vide Thuan. *Histor.* Ant. Fayum *Vitâ Bezæ*, Melch. Adam. *Vit. Philosoph.* A. Teissier. &c.

VVOLPHANGUS, vir doctissimus, Pilgrino, in Ugrorum conversione egregiam navavit operam, A. C. 966. Aventin. *Annal.* l. 5. Vide *Wolphgangus.*

Principes Varii.

VVOLPHGANGUS, Dux Bipontinus, filius Ludovici, nepos Alexandri, unicus à Patre filius, adhuc puer, relictus: Maturè dein in aulam Friderici II. Electoris Palatini admissus, artibus regendi imbutus est. Paternæ ditionis administrationem an. ætat. 18. aggressus, superiori quoque Palatinatui, sub Friderico, præfuit. Euangelicæ religionis constantissimus assertor, Smalcaldicis tamen in bello contra Carolum V. accedere recusavit. Interimisticam autem formulam A. C. 1548. piô ac generosô responsô deprecatus, nihilominus Pastores, si solum vertere jubeantur, etiam in re molestissima, obsequium promisit: ne posteà quidem, cùm de Principibus captivis liberandis vi ageretur, licet Philippi Landgravii gener, misceri voluit. Paulo pòst ab Ottone Henrico agnato Neoburgicum Principatum donationis titulô accepit, ubi gymnasium Laugingæ & alterum apud Bipontinos Hornbaci erexit. Demum exercitus auxiliaris A. C. 1569. destinati à Friderico Electore juvandæ Reformatorum in Gallia causæ, imperium suscepit. Obiit Nessunii in Lemovicibus, eôdem annô. Ejus filii Philippus Ludovicus Neoburgicam, Johannes Bipontinam & Carolus Bircofeldiam, lineas auspicati sunt.

VVOLPHGANGUS VVilhelmus, fil. Philippi Ludovici modò dicti, in divisione Neoburgicum Principatum nactus, ductâ uxore Magdalenâ Bavaricâ A. C. 1613. sequente annô Pontificiam Religionem Dusseldorpii publicè primum profiteri cœpit: Patre dein extinctô, ditiones subjectas ministrô Jac. Reihingio Jesuitâ, qui demum ipse ad Euangelicos transiit, ad eundem cultum retraxit. Cæsari quoque in Austriæ reformatione inservijt. Cùm verò Ratisbonæ, de translatione Electoratus in Bavarum ageretur, pro viribus se opposuit, negans ex Aurea Bulla, se proximô agnatô innoxiô præteritô, dignitatem aliorsum ferri posse. Sed frustra fuit: spes tamen non omnino negata in posterum. Tandem, ob Juliacensem causam bellis Belgicis involutus, obiit A. C. 1653. unicô relictô filiô Philippô VVilhelmô, qui natus A. C. 1615. patri mortuo successit: Religionis suæ acerrimus assertor, & ex uxore secunda Hassiaca, quæ in mariti gratiam Pontificiis quoque accessit, numerosæ prolis Parens.

VVOLPHGANGUS, fil. Alberti Pii, Bavariæ Ducis, A. C. 1460. extincti, fratri Alberto Sapienti, Christophoro itidem fratri junctus, multum molestiæ creavit. Tandem improlis moriens sua nepotibus transmisit.

VVOLPHGANGUS, etiam inter nomina est hodierni Bavariæ Electoris, qui ex Maximiliano Electore genitus A. C. 1635. Ferdinandi Mariæ Francisci Ignatii *Wolphgangi* nomina in Baptismo accepit.

VVOLPHGANGUS, Princeps Anhaltinus, fil. VValdemari è Margareta Schuartzenburgica, pietate, consiliô, moderatione, temperantiâ, gravitate & literis inclytus: Augustanam Confess. cum reliquis obtulit, fœderi primo Euangelicorum Magdeburgico A. C. 1526. & deinceps Smalcaldico nomen dedit: Mauritio Magdeburgicis reconciliando A. C. 1550. suas partes interposuit, demum A. C. 1566. cœlebs decessit fatis, eorum, qui Confessionem prædictam obtulerant, ultimus.

VVOLPHGANGUS, fil. Ludovici Comitis Leonstenii, ex Helena Konigseckia, in bello Smalcaldico Duci VVirtenbergico se junxit, inde Caroli V. auspiciis, in Gallicis & Belgicis expeditionibus sequutus. Tandem ab Archiepiscopo Salisburgensi Dux militum constitutus, obiit A. C. 1571. Pater Henrici & *Wolphgangi* junioris, qui Duci VVirtenbergico percarus fuit, vir miti & placidô ingeniô, obiitque A. C. 1596. Eô nati sunt Georgius Ludovicus, bellô Austriacô Venetorum miles, defunctus A. C. 1633. & Johannes Casimirus, fidus Electoris Palatini in exilio Achates, in conflictu ad Hochstam Mœno mersus A. C. 1622.

Viri illustres & Clari.

VVOLPHGANGUS à Dalburg, Archiepiscopus & Elector Moguntinus, obiit A. C. 1601. Ei successit Johannes Adamus à Bicken.

VVOLPHGANGUS Fabricius Capito, vide *Capito.*

VVOLPHGANGUS Frantzius, Plaviâ Variscus, Theologus VVittenbergensis. Obiit A. C. 1623. Ejus extant: *Tractatus Theologicus, de Interpretatione Scripturæ: Historia animalium sacra, Schola Sacrificiorum &c.*

VVOLPHGANGUS Lazius, vide *Volphgangus.*

VVOLPHGANGUS Musculus, Lotharingus, ex oppido Dusa salinis percelebri, Theologus insignis. Scripsit Commentarios, in plerosque S. Scripturæ libros: qui Basileæ prodierunt variis volum. Obiit A. C. 1563. ætat. 66. Bernæ sepultus. Vide Melch. Adami *in vit. Theol.* De eo Verheiden: *Labore, studiô ac industriâ, literarumque sacrarum cognitione clarissimus evasit.*

VVOLPHGANGUS Sedelius, scripsit: *Quæsita quædam de Paulo*, ed. *Cremonæ.* A. C. 1595. Item *Templum Salomonis mysticum*, quod prodiit A. C. 1548.

VVOLPHGANGUS Siberius, auctor *Commentar. in Canticum Canticorum*, vide Catal. Oxon.

VVORMACIA, German. *Worms*, Galli *Vormes*, olim *Borbetomagus*, seu *Bormetomagus Vangionum*; est autem Celtis *Magus* idem quod domus ac burgum, unde Noviomagus, Drusomagus &c. A Treveris opinio est ortam esse, quibus etiam quotannis tributum contulerit: ab his ad Romanos translata, ab Attila eversa, posteà à Clodoveo Francorum Rege reparata, urbs est Palatinatus inferioris ampla, Imperialis, sed malè culta. Ad Rhenum. Pluries capta & recepta. Sub proprio Episcopo cum tractu parvo. Habuit aliàs Archiepiscopos, sed ob perfidiam Gervilionis, à Pipino in Episcopatum A. C. 729. transiit. *Baudrand.* Magnâ fuit apud Romanos & Gallos auctoritate. Quippe quæ quasi asylum quoddam & præsidium habita est, comitiisque celebrata. Palatium hîc quondam Dagoberti Francorum Regis & prætorium Vangionum Ducis Conradi, quod cùm successori hujus Ottoni castellum esset forensis latrocinii, operâ Henrici II. Imperatoris Bruxellam se recipere, & oppido omne jus suum vendere coactus est. Sic Civitas in libertatem vindicata Imperio accessit. Privilegia accepit insignia à Friderico II. Carolo IV. Maximiliano I. Ferdinando I. Imperatoribus. Episcopo quidem jurare solet, sed non nisi in quibusdam ejus jussa observat, in reliquis libera manens; nec plures quàm unicum Senatorem Præsul constituendi jus habet. Insignia Civitatis clavis alba in rubro clypeo, jus Patronatus hîc Elector Palatinus habet. Synodô in civitate habitâ A. C. 1078. Gregorius VII. Pontifex Roman. adulterii, Necromantiæ, aliorumque criminum accusatus & depositus est: sed longè celebrior illa fuit, ad quam vocatus Lutherus A. C. 1521. amicis ob periculum iter dissuadentibus, respondit, *se iturum, etiamsi sciret, tot ibi Diabolos sibi obstituros, quot in tectis urbis tegulæ essent*: dein eô appulsus coram totius Imperii Senatu causam Euangelii intrepidè egit, ut apud Sleidanum videre est. Unde VVendelini Helbachii τετράστιχον:

Urbs jacet æquoreo celebris contermina Rheno,
Vangionum sedes quæ generosa fuit.
In qua vel toto coram facer orbe Lutherus
Confessus Christi dogmata pura fuit.

Vide Limnæum Enucl. l. 4. c. 65. & in voce *Vangiones.* Jam verò in ruinis jacet, à Gallis eversa A. C. 1689.

WOTTONUS Eduardus, Oxoniensis Medicus insignis, scripsit *de differentia Animalium*, ingenti industriâ quidquid in Veter. scriptis hanc in rem faciebat, collecto. Porrò *Emendationes* varias, cum *Notis* edidit, eruditis magni æstimatus. Obiit Londini A. C. 1555. ætat. 63. πολυίστωρ. Thuanus *Histor.* Possevinus *Biblioth.* l. 2. c. 44. Alii.

WRECCUM, Gallis *Varech*, vox Saxonica, id quod mare ejicit, ejectus maris, quô nomine non tantùm res naufragæ, sed & electrum, lapi-

lapides pretiosi, ipsique pisces in litore destituti veniebant; quæ omnia cùm jure naturali inventori cederent, jure tamen gentium Principum privilegiis accessêrunt. Hoc justum privilegium forsit ad injurias avaritia, rapiunturque aliquando unà, quæ certissimos agnoscunt dominos; Atrox sanè immanitas, quam Ovidius increpans exclamat, *l. 1. Trist. El. 6. v. 8. & in Ibin. v. 18.*

Naufragii tabulas certant habere mei.

Richardo igitur I. cùm in sacra expeditione, classem suam maximis ereptam periculis Messanæ denuo recepisset, *Quietum clamavit in perpetuum* Wrec *per totum regnum suum*, Hoveden. Ipse mox gravissimò classis suæ naufragiò, à Cypri Imperatore Isaacio, omnibus rebus spoliatus. Delapsa brevi quoque apud Anglos res est in pristinum, lenivit tamen asperitatem lex Westmonasteriensis prima, c. 5. ubi sancitum: ut *Wrecci* nomine nihil habeatur, si vel homo vel canis vel catus è naufragio vivus in terram evaserit. Hæc de *Wrecco* privilegia à barbaris Principibus videntur introducta, in jure enim Romano nihil hujusmodi reperitur. Vide Henr. Spelmannum, *Glossar. Archaeol. &c.* Juvenalis, *Satyr. 4. v. 54.*

Quidquid conspicuum, pulchrumque ex æquore toto,
Res fisci est, ubicunque natat: donabitur ergo,
Ne pereat.

WULFRANUS, Episcopus Senonensis, seculò 7. cùm Radbodum Frisiorum Regem eò permovisset, ut baptismum admittere vellet, huic interroganti, quò Majores venissent, post mortem? in Infernum, respondit. *Quò audito Radbodus, baptizari renuit: Malle cum viris adeò illustribus, in inferno esse, quàm cum misero populo Christiano & Clericis in cœlo, dictitans.* Annales Frisii.

WURMIUS, fluv. Germaniæ inferioris *Vvorm* vulgò, apud Aquisgranum oriens, in Ruram, qui Mosæ ad Ruremundam miscetur, influit. *Eginart.*

VURSCHAGTO, Lar sive Deus olim Borussorum domesticus, qui præerat jumentis cœterisque quadrupedibus. Vide suprà *Prussia.*

WURZENA, urbecula Misniæ, ad Muldam. Alias sub Comitibus propriis nunc in ditione Episcopi Misnensis. 2. milliar. Germanic. à Lipsia in Ortum, *Wurzen* vulgò.

WUTINGA, vulgò *Viting*, urbs Junnaniæ quarta, sub qua tres aliæ. In limite Queichex provinc. Martinius.

UXACONA, seu WOCONA Antonin. *Okenyate* Camden. oppid. olim, nunc pagus Comitatus Salopiensis, in Anglia, medius ferè inter Rutunium 22. & Etocetum 24. mill. pass. versùs Bennaventam.

UXAMA, oppid. Hispaniæ citerioris Plin. *l. 3. c. 3.* Episcopalis sub Archiepiscopo Toletano: *Osma* Clusio, apud Durium fluv. in vetere Castella, ferè extinctum, à Pompejo M. eversum, & refectum, rursus à Mauris penè in solitudinem est redactum. Inter Burgos 20. & Segontiam 10. leuc. à Numantia 12. à Toleto supra 30. in Boream Burgos versùs.

UXANTUS, vel *is*, Insul. Galliæ, in ora Britaniæ minoris, 16. mill. pass. à Gobæo promontor. in Occasum 52. à Corisopito in Circium, uti 55. à Leona in Occasum. Parva est, circuitûs 8. mill. pass. cum castro & aliquot villis. *Baudrand.* Valesio *Ouessant* hodie, aliàs *Heyssant* vel *Heissant*, Angl. *Ushan* dicitur, à promontor. Fagi *cap du Fou* non longe remota. Ejus Britto meminisse videtur, *Philipp. l. 7.*

Et qui rostratis ratibus secat æquor Alanus,
Piratas secum assumat, quibus utitur ipse,
Quum Grenesum rebus juvat exspoliare vel Ossam.

Ubi *Ossant* legi mavult Valesius, nomine ab *Uxanti* deductô: nisi quis malit eam *Osam* Aimoini esse, quam *de mir. S. Benedicti l. 2. c. 11.* describit. Grenesis autem est *Grenesey*, Insul. Anglis subjecta, nec distans ab Uxanti, Osæ tamen propior. Cum *Uxanti* vel *Axanti* quoque conjungitur apud Plin. Insul. *Samnis*, Melæ, *l. 3. c. 6. Sena, Osismicis adversa litoribus, Gallici Numinis*, i. e. Mercurii *oraculò insignis*: quæ hodie dicitur *l'Isle de Sain* & illa infra Uxantim posita, Audiernæ portui adversa, *Notit. Gall.*

UXELA, vide *Vexala.*

UXELLA, melius *Uxela*, *Ptol. Camdeno Lestithiel* oppid. Albionis in Cornubia (aliis est *Kreekorn well* oppid. ejusdem region. proximum) ab Exonia ultra 40. mill. pass. in Occasum.

UXELLA, locus Galliæ, Prioratu clarus, in Ecclesia Aurelianensi Archidiaconatu Balgentiacensi, vulgò *Huisseau.* Item in Secalonia, non longe a Rivo Morentini. Item in Burgundia, cum titulo Marchiæ, in pago Gabillonensi, non longè à Brancidunò *Brancion*, & à fluv. Crauna *la Grone*, qui Ararim auget. Vulgò *Uxelles.* A vetere hoc nomine Gallico deducitur *Uxellodunum*, Hirtio, *l. 8. Bell. Gall. c. 32. & 40.* tantoperè celebratum, in Cadurcis. Vide ibi, & Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

UXELLODUNUM, oppid. Galliæ Aquitanicæ in finibus Cadurcorum, *Cadenac* Vigenereo. *Baudrando* oppid. fuit Cadurcorum, est nunc *le puech d'Issoudun*, locus Cadurcensis provinc. prope castrum *Martelac*, ad Oldum fluv. 3. leuc. à *Cadenac*; ex *Bretio.*

UXELLUM, *Ptol.* oppid. Albionis in Selgoviis in Scotia, apud Carbantorigum ac Trimontium.

UXENA, pagus Hispaniæ Bæticæ. *Uzeda* Clusio.

UXENTUM, urbs Salentinorum, Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino, ab Hydrunto 20. mill. pass. in Merid. *Ufento* Leandro. *Ugento.* Baudrand. in Terra Hydrunt. 20. milliar. ab Hydrunto in Africum, 12. à Gallipoli in Eurum Japygium promontor. versùs totidem, 4. ab ora littorali Sinus Tarentini. Parva admodùm & ægrè habitata.

UXENTUS, mons Indiæ citerioris cis Gangem fluv. *Ptol.* juxta quem incolunt Adisathri populi quorum urbs primaria Balantipyrgum est, Palibothra Occidentalior, *Ferrar.*

UXII, montes Armeniæ majoris ex quibus oritur Tigris fluv. *Diodor.* ubi *Uxii* populi & *Uxia* regio. *Strabo.*

UXISAMA, insul. Oceani occidui, *Strabo*; una ex illis quæ ab Hispania tridui navigatione in Occasum distant; quæ *Azores* dici videntur Ortelio.

UXOR, quasi *Unxor*, quòd apud Romanos Sponsa, antequàm ædes Mariti ingrederetur, postes januæ laneis vittis ornaret, oleòque, vel, ut Plinius habet *l. 28. c. 9.* adipe lupinô, inungeret ac oblinirel, dein demum limen januæ transiliret, eôque modô in ædes induceretur. Tribus verò modis, apud eosdem, *Uxores* justæ habebantur, *Usu*, quæ matrimonii ratio antiquissima fuit & à raptu Sabinarum initium sumsit: *Confarreatione*, quæ per Pontifices, præsentibus 10. testibus & sacrificii interventu, peragebatur: ac *Coemtione*, quæ certis itidem solemnitatibus peragebatur, sic ut *Uxor* in manum mariti conveniret, essetque in mancipio Mariti, ac fieret ejus sua hæres. Atque in hoc Matrimonii ritu, Maritus *Cajus*, Uxor *Caja* dicebatur, item Materfamilias, quoniam non in matrimonium solùm, sed in familiam quoque Mariti & in sui hæredis locum veniebat, vide Barn. Brissonium, *de ritu Nuptiar.* Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 37.* & 38. Cœl. Rhodig. *l. 28. c. 17.* Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l. 2. Sect. 2. c. 20.* ubi quartum modum prioribus addit, nempe *Sortitionem*, ex Suetonio, *in vita Tiberii*, *c. 35.* Alios, & suprà *passim.* Inter servos verò, non conjugium, sed contubernium fuisse, similiter suprà diximus. Apud Athenienses, *Uxorem* dotis datio dictio à Concubinis secernebat, ut in palliato Plauti *Trinummo*, *Actu. 3. sc. 2. v. 64.*

Sed, ut inops. Infamis ne sim, ne mihi hanc Famam differant,
Me Germanam meam sororem in Concubinatum *tibi*
Sic sine dote dedisse magis, quàm in Matrimonium.

Neque tamen concubinæ ac pellices omnino ἄπροικοι erant, sed legitimas *Uxores* imitatæ, τὰ τοκεῖα, mille illas drachmas, quas è bonis paternis auferebant, ad eum, cui jungebantur, Virum adferebant, vide Sam. Peritum, *Comm. in LL. Atticas, l. 6. Tit. 2.* Primus autem, in ea gente, volgivagam Venerem Cecrops, hinc Διφυὴς dictus, Lege compescuit, & sanxit, ne quis binas nuptias eôdem tempore constitutas haberet, Ἕνα ἄνδρα μιᾶς γυναικὸς τυχεῖν, Athen. *l. 13.* cui Legi circa Socratis tempora videtur derogatum fuisse Psephismate, quô, ob virorum penuriam, concedebatur è peregrina seu pellice, domi retenta, παιδοποιεῖν, *liberos tollere.* Vide Eundem *Tit. præced.* Solonis Lege etiam, eôdem Patre natam Sororem *Uxorem* habere licuit, ut docet Idem, *Ibid.* Apud Hebræos, non defuêre, qui ex Lege binas *Uxores* Israëlitam simul retinere fas non putarent; sed velut Hæreticos hosce explodebant Magistri, Polygamiæ tenaces: Interim monebant, quaternarium *Uxorum* numerum à nemine (præter Regem, cui 18. permittebant) excedendum, cujus rei rationes vide apud Seldenum, *Uxor. Ebraic. l. 1. c. 9.* Et obtinuit numerus hic etiam apud Orientales atque Afros, Christianismum nondum amplexos, ut discimus ex Alcorano, *Azoar. 4. in Latin. 8.* cùm tamen ipse Muhammedes earum undecim habuerit Lege, quam aliis tulit, teneri impatiens. Cùm verò octo fuerint officia, quibus in in Hebræorum Republ. Maritus *Uxori* erat obstrictus, uti dictum suprà in voce *Vir*: quatuor vicissim erant, quibus *Uxor* Marito erat obligata. Primum fuit, *ut opera manuum ejus*, quodlibetcunque officium ejus, *in commodum Mariti ac potestatem cederet.* Secundum, *ut quidquid ei casu post Nuptias accederet, Mariti fieret.* Tertium, *ut qualiscunque substantia Uxoris, dum superstes fuerit, usufructus in Mariti cederet commodum.* Quartum, *atque ut ipse superstes, ac velut hæres, succederet.* In quantum autem *Uxoris* nomen revera induat Sponsa, per verba, ut ajunt, de præsenti, ante Nuptias, disputant Jurisconsulti Theologique, qui Jura tractant conjugalia: quò spectant, quæ præfatus Seldenus, *Op. cit. l. 2.* attulit non pauca. Apud Hebræos certè Benedictio deductioni in thalamum atque ipsis Nuptiis, prævia erat: Annuli quoque usus primus, non in Nuptiis, sed in Sponsalibus, fuit. Corona verò in ipsa deductione adhibebatur: ut & Velamen duplex, alterum, quô Sponsorum capita, ut flammeô, obtegebantur; alterum, quod in ipsa Benedictione nuptiali, velut tentoriolum, eos obumbrabat. Paranymphi porrò aderant, iique bini minimùm, tum in ipsa deductione, tum in cubili seu thalamo, qui etiam de omnibus ad apparatum lætitiamque nuptialem attinebant, prospexêre. Ut de frumenti seu tritici usu, aliisque Ritibus Nuptialibus, hic nihil addam, ut de quibus in præcedentib. prolixè actum. Ab Hebræis ad alios populos, ut multa alia, ita varii quoque hujusmodi ritus, transiêrunt. Namque apud Græcos Romanosque, ne testatione luculentiori carerent Sponsalia, præter testes de contractu ac dote adhibitos, accessêre item sæpius convivium solenne, tabellæ legitimæ, munera Sponsalia atque arrhæ sive datæ sive missæ, in quibus primatium obtinuit Annulus pronubus; quem ferreum, sine gemma, Sponsæ à Viro datum esse, scribit Jul. Cæs. Scaliger, *Poetic. l. 3. c. 100.* Et ut benedictionum sacrarum formulæ apud Hebræos, ita etiam non ea solùm Paganis obiter in usu, verùm etiam & sacra Nuptiis propria fuêre. Imò & tertium Nuptiarum apud Romanos genus, quod *Confarreatio* dictum, ex ipsis sacris constabat: cui sacrificio nuptiali præerant Pontifex Maximus & Flamen Dialis, cujus & Flaminicæ nuptiæ ut hôc ritu fierent, olim necesse erat. Nec nisi è Parentibus confarreatis nati Flamines ritè fiebant. Hinc Plinius, *Histor. Natur. l. 18. c. 3.* *In sacris nihil religiosius confarreationis vinculò erat.* Etiam Coëmtioni solenniùs adhiberi sacra, quæ ex auspiciis, auguriis, immolationibusque constarent, consuevisse, legimus: Unde *Sacra Nuptialia*, *Sanctimonia Nuptiarum*, & *Sacramenta Nuptialia* dicta, quæ sic firmabantur, Liv. *l. 30.* ut de Genio, cui sternebatur lectus: de Diis Conjugalibus, qui in sacris his invocati: de immolato à Neogamis, in *Hetruria*, porco; de

de Γαμοδαισίας, seu sacris Nuptiarum præviis, Thessalorum: de Προτελείοις reliquorum Græcorum ac Γαμηλίοις, Junoni, Veneri, Gratiis fieri solitis: de thymiamate sacro Mexicanorum, nihil adjungam. Ipsæ, quæ usu annuô apud Romanos fiebant Nuptiæ, sine sacris sibi propriis non fuêre, teste Arnobiô, *adv. Gentes l.* 4. imò & Benedictio planè conjugalis habetur, apud Juvenalem, *Sat.* 2. v. 119.

Signatæ tabulæ, dictum Feliciter; ingens
Cœna sedet; gremio jacuit nova Nupta mariti.

Coronarum similiter nuptialium frequens apud Paganos mentio, Στέφος γαμήλιον, occurrit in Bionis *Epitaphio Adonid.* & apud Eurip. *in Aulide*: *Turrita corona*, apud Lucanum, *Pharsal. l.* 2. v. 358. ubi de Marciæ nuptiis: in nummo Hadriani Aug. parte alterâ *Conjugium Aug.* alterâ *M. P. T. nob.* in corona, scriptum habetur. Nec conjectura deest, duplicem fuisse Sponsæ coronam, ex Val. Flacco, ubi de nuptiis Medeæ & Iasonis, *Argonautic. l.* 8. Et quidem Bæotarum coronas hujusmodi ex asparago fuisse, Plut. *de Præc. Conjug.* scribit: Alii sisymbriô coronari solitos sponsos, eliciunt ex illo Aristophanis, *Avibus*, ubi cùm Epopis dixerat, suos in hortis pascere alta sesama, myrta, papavera & sisymbria, respondet Euelpis.

Υμεῖς μὲν ἄρα ζῆτε Νυμφίων βίον: &c.

Nascente Christianismô, mores ritusque Hebraici, ut circa reliqua, ita circa Sponsalia & Nuptias, per annos 30. ampliùs, post Christi ascensionem, obtinuêre. Postquàm dein tam à Gentilibus aliquot, quàm à Judæis, Christianismus receptus est: ritus etiam Pagani, quotquot scil. cultui Christiano non adversarentur, præter Judaicos, ut in aliis, sic in re Matrimoniali, admissi sunt. Proin cùm jure Romanô tùm passim Gentes, in quibus Christiani reperti, uterentur: Confarreationisque, quod sanctius fuerat Romanis Nuptiarum genus, solennia prisca in desuetudinem, etiam inter ipsos Paganos, abirent, Coëmtionis quoque ritus non ita strictè observarentur: Christiani veteres omnino Confarreationem, quâ ex ipsis Paganorum sacris constabat, rejicientes, ejus tamen vestigia aliquot retinuêre, Coëmtionem eousque admisêre, quò dotis donationisque propter nuptias interventu simpliciter peragi posset: Sponsalibus interim & nuptiis Paganorum, qui posteà Christo nomen dedêre, non rescissis. Inter ipsos verò Sponsalium ac Nuptiarum contrahendarum formulæ, in celebritate sacra, quâ & Sponsalia publicè iterari solita, cernuntur: uti similiter pluribus videmus suprà passim, inprimis ubi de *Nuptiis*, & *Nuptialium Rituum* unôquoque in specie. Adjicio saltem, apud Romanos non *Uxorem justam* solùm, sed & *pene justam*, occurrere, apud Sueton. *Vesp.* c. 3. *Post uxoris excessum, Canidem Antoniæ libertam ---- dilectam quondam sibi, revocavit in contubernium: habuitque etiam Imperator* pænè justæ uxoris *locô*: qui amplior concubinæ honore. Nempe pænè Augustam, qualis Marcia concubina Commodi, cui *ἄλλα πάντα ὑπῆρχεν, ὅσα Σεβαστῇ, πλὴν τοῦ πυρὸς, concessæ omnes Augustarum prærogativæ, exceptô igne*, apud Herodian. *l.* 1. *c.* 16. i. e. extra quàm quòd ignis sive lampas ei non præferebatur, ut Augustæ, qui ritus notissimus. Vide Theod. Marcilium, *ad Sueton.* Apud eosdem, non solùm militum uxores, si qui fortè per illa tempora uxores habuêre, sed ne Legatorum quidem, maritos in provincias comitari solitas, idem Sueton. *Octaviô* docet c. 24. *ad antiquum morem nonnulla revocavit, disciplinam severissimè rexit, ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravatè, hibernisque demum mensibus, permisit uxorem intervisere.* Idem apud alias gentes in usu fuit, quam in rem vide Joh. Livinejum, *ad Propert. l.* 4. *Eleg.* 3. Thom. Dempster. *Antiqq. l.* 10. *c.* 12. Joh. Passeratium, *ad Propert. eund. l.* 2. *Eleg.* 7. Brissonium, *l.* 3. & qui *de Militia Rom.* Commentarios ediderunt. Persæ tamen in exercitum proficiscentes, conjuges, liberos, matres, pellices, secum ducebant; tum ut conspectus eorum animos illis adderet; tum ut pro rerum charissimarum tutela acriùs depugnarent, ut Xenophonti, Diodoro, Herodoto observatum. Neque ab hoc more alieni Germani, Historicô teste in *Germania*. Sed & apud ipsos Romanos, posteà licentiâ temporum, vivô adhuc Augustô (imo ipsius Augusti exemplô, qui in Occidentem atque Orientem sæpius meavit, comite Liviâ) mutari cœpit: & magis Tiberii principatu, ut apparet ex relatione Cæcinæ, qui morem priscum reducendum denuo censuit, apud Tacitum, *Annal. l.* 3. Idem docet, de Rectoribus provinciarum loquens, Juvenalis, *Sat.* 8. v. 127.

Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit acersecomes, si nullum in conjuge crimen,
Nec per conventus, & cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licet à Pico numeres genus ------

Id verò omni ratione fœdum; quod in eadem gente *ad uxorem instituendi mos* inolevit, memoratus Victori *in Claudiô II. c.* 34. ubi, *Claudium*, ait, *plerique putant Gordianô satum, dum adolescens a muliere matura institueretur ad uxorem*, de quo vide nonnulla apud Salmas. *Not. ad Trebellium Poll. in Claudio, c.* 11. & *ad Martialis illud, l.* 11. *Epigr.* 78. *v. ult.*

Ergo Suburanæ tironem trade magistræ,
Illa virum faciet, non bene Virgo docet &c.

De more *commutandi Uxores*, in Hibernia olim usitato, vide Lanfrancum Archiepiscopum Cantuar. *in Epist.* ad Gothricum Hiberniæ Regem: de *more eas à conviviis arcendi*, quem Græci; vel *admittendi*, quem Persæ olim Romanique, tenuêre: de *more illas permittendi παιδοποιΐας ἕνεκα* aliis, apud Romanos itidem recepto; easdem *subhastandi*, apud Thraces olim, memorato Solino, c. 10. &c. De *pœna eorum* apud veteres Spartanos, *qui vel serò nimis vel imprudenter uxorem duxissent*, suprà, voce *Opsigamia*. Porrò de *Uxorum communione*, apud varias gentes hæreticosque hîc passim, vide quoque Clar. Suicerum, *Thesaurô Eccl. voce Γυνή*, adde Seldenum superiùs laudatum, *de Jure Nat. & Gentium juxta Discipl. Ebræor. l.* 5. *totô*, inprimis *c.* 7. ubi *de Concubinæ & Uxoris nomine.*

UXORIS emendæ ceremonia. Apud Germanos olim in more fuit, teste Tacitô, mulierem, post obitum viri non nubere. Posteà verò is exolevit; ita tamen, ut nec liberæ esset vidua potestatis. Ejus igitur qui ambiret matrimonium, non pretiô solùm, sed & Conciliô publicô impetratâque à Magistratu veniâ, voti factus est compos. Hinc enata fortè Anglorum consuetudo, de viduis Regiis maritandis pecuniisque ideo, quod *Fines* vocant, persolvendis. Apud Germanos autem utique & Anglos ea semper fuit conducendæ hujus veniæ ratio, ut Formalis potiùs videretur, quam lucrosa, viduisque ideo imposita, ne conjugalem fortè dignitatem & defuncti mariti familiam temerarent. En ceremoniæ formam, apud Salicos, *tit.* 46. §. 1. *Si quis homo moriens viduam dimiserit, & eam quis in conjugium voluerit accipere, antequàm eam capiat Tunginus aut Centenarius, mallum indicent, & in ipso mallo scutum habere debent, & tres homines causas tres demandare, & tunc ille, qui viduam accipere vult, cum tribus testibus, qui approbare debent, tres solidos æquè pensantes & denarium habere debet, & hôc facto, si eis convenit, viduam accipiat, &c.* Pecuniam autem hanc, sive pretium Salici *reippum* dicebant, qui apud Salicos propinquis persolvebatur, non fisco, ut in Anglia solet. Etiam apud Gothos mos hic invaluit, sic enim Wisegoth. *l.* 3. *tit.* 4. *leg.* 2. *Mulier desponsata, quæ datô pretiô, & sicut consuetudo est ante testes factô placitô de futuro conjugio, adulterium commiserit &c.* Et *l.* 7. *si puella ingenua, sive vidua ad domum alienam, adulterii causâ venerit; & ipsam ille uxorem habere voluerit, & parentes, ut se habeant, acquiescant, ille pretium det parentibus, quantum parentes puellæ velint, & quantum ei cum ipsâ muliere convenire poterit.* Collectio Chronic. ex Thoromacho, *Antiqq. Lect.* Canis. *Tom.* 2. *p.* 671. *Eam se daturum spondet* (scil. in matrimonium) *legato offerens solidum & denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei desponsavi*: Lindenbrogius, Spelmannus, *Gloss. Archæol.*

UXORIUS, inter poëmata Gordiani Senioris Imperatoris memoratur Capitolino *in Gordianis*, c. 3. *Adolescens cum esset --- poëmata scripsit --- & cuncta illa, quæ Cicero ex Demetrio & Arato, & Alcyonas &* Uxorium *& Nilum: quæ quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poemata nimis antiqua viderentur.* Ubi *Uxorium*, Comœdiæ epigraphen, quàm elegiæ, ut Servius Ciceronis poëmata vocat, in 1. *Ecl.* magis sapere, quemadmodùm apud Græcos Amphis, Alexis, alii Comici, Γυναικοκρατούμενον vel Γυναικοκρατεῖαν ediderunt, notat Casaubonus.

VYSZEGRADUM, oppid. Ungariæ, à Rodolfo II. Imperatore occupatum, A. C. 1596. Chytræus *in Sax. part.* 5. Thuanus *in Histor. &c.*

UZAL, fil. Jectan. Gen. *c.* 10. v. 27 Latin. *ambulans*, *velificans*, aut *destillans*.

UZALIS, colon. & urbs Africæ mediterranea, olim Episcopalis apud Uticam urbem. *D. Augustin.*

UZBECKIA, vide suprà *Usbeckia*.

UZECIA, Africæ propriæ urbs. *Ptol.* mediterran. Thysdro finitima. *Carrahon*, ut aliquibus placet. *Usceta* A. Hirtio, *de Bell. Afric.* c. 89. Huc Antonius, à Philippo II. Hispaniæ Rege per Albanum, ad vitam deportatus, sed inde à populo Lusitano ad regnum revocatus est. Vide in voce *Antonius Crati Prior*

UZEDA, nomen illustris in Hispania Familiæ, cum titulo Ducali quæ ramus est Sandovalliæ Stirpis. In hujus enim linea Lermensi Didacus Comesius primus titulô *Comitis de Castrogeriz* à Joanne II. Rege mactatus, A. C. 1426. alter ejusdem nominis primus *Marchio de Denia*, A. C. 1484. hujusque filius Bernardus primus *Comes de Lerma*, creatus est. Istô genitus Ludovicus, pater fuit Francisci, cujus fil. Franciscus Gomesius *Ducis Lermæ* axioma, à Philippo II. obtentum, domui intulit, A. C. 1599. Nec hîc substitit Regia clementia; quippe quâ filius hujus Christophorus *de Sandoval & Roxas*, *Ducis de Uzeda* titulum accepit. Junxit autem is sibi Marianam Mauriciam de *Padilla*, & ex ea suscepit Franciscum Ducem *de Cea*, quô, & Feliciâ Henriciâ, genitus est Christophorus II. (A. C. 1615.) frater Marianæ, qui ambo nominis *de Sandoval & Roxas*, Duces sunt *de Lerma*, *Uzeda & Cea*. Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobilit. Europ. Parte II. p.* 18. Vide quoque eum *Arte Heraldicâ*, *Tom. II.* & suprà ubi de Familia *Sandovallia*.

UZELLA, videtur *Uxella* vel meliùs *Uxela Ptol.* Vide ibi.

UZESTA, castrum tractus Vasatensis, ad amnem Cyrionem, in limite Burdegalensis tractus, *Uzeste* vulgò. Hîc sepultus est A. C. 1316 Clemens V. Gallus: anteà Bertrandus *de Goth* dictus, qui natus erat in vico Villandrando, 1. hinc leucâ, & obierat apud Rupem Mauram, ad Rhodanum, 2. leuc. supra Avenionem A. C. 1314.

UZETIA, vide *Ucetia* & *Utica*, urbs Galliæ Narbonensis.

UZIA, Amaziæ fil. Rex Judææ, de quo vide 2. Paral. *c.* 26. *v.* 1. & Josephum, *l.* 9. *Jud. Ant. c.* 21.

UZITA, oppid. Africæ mediterraneum Ulizibiræ urbi finitimum, à Cæsare deletum. A. Hirtius, *de Bell. Afric. c.* 41. 51. 56. 58. 59.

X. Du-

X.

X Duplex consonans est, à priscis loco CS. & GS. posita, *Apecs*, *Apex*: *Gregs Grex*: Non magni proin apud Latinos usus, ut Cicero *de Orat. c.* 45. & Quintilianus, *l.* 1. *c.* 5. observârunt: Hinc, teste Mariô Victorinô, Nigidius, antiquitatem sequens, illam refugit. Imò & Attici serò usurpârunt, Æoles nunquàm admiserunt, K Σ. locô ejus usurpantes: quod longô quoque tempore Latini, etiam post Antoninorum imperium, sunt imitati. Hinc & in Longobardicis exemplaribus *Dicsit*, pro *Dixit* invenias: Jam tamen in Duilii columna, *Exfociunt*, pro *Effugiunt*, legitur. In numerandi ratione denarium notat, ejusque dimidia *V.* quinque significat. Quare Ausonius, *de litt. monos.*

In Latio numerus denarius, Argolicum X.

Quò faciunt quoque nummi veteres, ob literam hanc inscriptam *Denarii* dicti. Plin. Voss. *in Aristarcho*, *l.* 1. *c.* 21. ubi docet, Latinos literam hanc duplicem, nunquam pro *GS.* sed tantùm pro *CS.* usurpâsse. Apud eosdem Claudii Imperatoris: uti Ξ. apud Græcos Palamedis inventum fertur. Pro *Ch.* occurrit in nummo Ludovici Pii Imperatoris XRISTIANA RELIGIO. uti videre est, apud Car. du Fresne, *Glossar.* Vide quoque suprà, ubi de Christi *Monogrammate*, inde enim illud X. arcessendum omnino.

XACA, Philosophus Indus, auctor fuit circa A. C. 65. Sinicæ Sectæ, quæ apud illos, *Sciequa*, nec non *Xekiao*, seu *Fockiao*: apud Japonenses verò *Sciacca* & *Amidaba* nuncupatur. Ejus dogmata sunt: *Quatuor esse elementa*, *Multiplices mundos*, *Animas in alia corpora migrare &c.* Eadem Idololatriam exercet, carnium esu interdicit: cæterùm, in reprimendis imprimis affectibus occupata, præcepta de moribus egregia suppeditat, si *Trigantio* fides, certum etiam Triadis modum inducit, quô tres Deos in unum Numen coalescere fabulatur. Idem Idololatricæ hujus hæreseos pariter ac transmigrationis Sinensibus auctor, Japonenses eadem docuit. Vide Theoph. Spizelium, *de re liter. Sinensium passim.*

XAIRES Topa Inca, ultimus Incarum, qui Peruviæ olim in America dominati, Philippo II. Hispaniarum Regi se submisit, A. C. 1557. Georg. Hornius, *Orbe Imper. cum Animadversion.* L. Joach. Felleri, *p.* 487. Vide & suprà, ubi de *Incarum Imperio.*

XALISCA, vulgò *Xalisco*, pars Australis novæ Gallæciæ, versùs oram maris Pacifici, ubi Purpureum incipit. Ibi urbs præcipua *Xaliscum.* Sunt prætereà in hoc tractu aliquot coloniæ Hispan.

XALO, vicus in magno campo situs videtur, inter utramque Galilæam in tractu Manasse. Galilææ inferioris terminus, versùs Merid. Joseph. *de Bell. Jud. l.* 3. *c.* 2.

XANDRAMES, vide *Angammes.*

XANSIA, vulgò *Xansi*, provinc. Sinarum secunda, in parte Boreali. Terminatur à Septentrione Murô Sinicô, quô divellitur à Tartaria magna; ab Ortu provincia Pechinensi, ab Occasu Xensiâ, à Meridie Honaniâ. In ea quinque urbes præcipuæ, nempe *Taiyven*, caput provinc. *Pingyang*, *Taitung*, *Lugan*, & *Fuencheu*, sub quibus 92. urbes minores; M. Martinius, in *Atlante Sinico.* Multi quoque in hac provinc. fontes ignei, quibus incolæ ad coctionem utuntur, Neuhof. *Itiner. Chin. p.* 12.

XANTHE, Nympha marina, Oceani ac Tethyos filia à flavo colore sic dicta. Hesiod. *in Theog. v.* 356. A Virgilio *Xantho* vocari videtur, *l.* 4. *Georg. v.* 336.

Drimoque, Xanthoque Ligeaque Phyllodoceque.

XANTHI, populi Thraciæ. *Steph.* Horum urbs *Xanthia*, de qua Nicetas Choniata *in Annalibus.* Item Asiæ populi, qui cùm eorum urbs ab Harpago Cyri Regis præfecto obsideretur, uxores suas ac servos unà cum supellectili in arce posuerunt, eamque igni succenderunt, inde omnes pariter contra Harpagum irruentes interfecti sunt. Herodot. *l.* 1.

XANTHIA, locus Thraciæ, *Nicetas.* Episcopalis locus apud Curopalatem.

XANTHICA, festum Macedonum, de quo vide suprà ubi de *Canem secandi* ritu.

XANTHIPPE, uxor Socratis Philosophi, de qua Gellium sis, vide *l.* 1. *c.* 17.

XANTHIPPUS, Lacedæmoniorum Dux accersitus à Carthaginensibus, contra Luctatium Consulem pugnavit. *Volaterr.*

XANTHIPPUS, Periclis pater ex genere Alcmæonidarum.

XANTHO, vide *Xanthe.*

XANTHUS, Candaulis Lydi fil. Historicus Sardianus, qui eôdem tempore fuit, quô Sardes (non quidem à Cyro, sed ab Ionibus & Atheniensibus, regnante Dariô, Herodot. *l.* 5. *c.* 100.) captæ sunt; *Suida* teste. Scripsit *Lydiacorum libros* 4. in quibus de Regibus Lydorum egit. Meminit Diog. Laërt. *in proœmio.* Operis ejus apud Athenæum mentio est, *l.* 12. Idem *l.* 10. citat ejusdem operis librum 2. uti & Hesychius Illustrius, ac Suidas, quorum uterque ex eo refert, Gygem, Lydorum Regem, primum fœminas castrâsse, quò iis ætate florentibus semper uteretur. Vide omnino Voss. *Hist. Græc. l.* 4. *p.* 451. 452. *Nic. Lloydius*: & suprà voce *Alcimus*, it. *Adramytes.* Item Poëta Melicus, cujus meminit *Ælianus*.

XANTHUS, fil. Tremili & Praxidices in Lycia natus. Steph. in *Tremile.*

XANTHUS, Lydus, Historicus Græcus, impensè à priscis laudatus. Scripsit *historiam Lydiæ*, &c. Dionys. Halicarn. *l.* 1. *Antiq. Rom.* Solin. *c.* 43. Strabo, *l.* 12. Voss. *de Hist. Græc. loc. cit.* Vide suprà.

XANTHUS, equus Achillis, cum Balio, altero ejusdem Herois equo, Podargen, ex Harpyjis unam, matrem habuit. Ita enim Homerus, *Il.* ι. *v.* 400.

Ξάνθε τε καὶ Βαλίε, τηλεκλυτὰ τέκνα Ποδάργης.

Nomen a colore. *Flavus* autem ξανθὸς est, quod cum gilvo quidem confundere videtur Galenus *de Sanit. tuenda*, *l.* 5. Ὃν ὁ Ἱπποκράτης εἴωθε κιῤῥὸν καλεῖν, δύναιο δ' ἂν καὶ ξανθὸν ὀνομάζειν αὐτόν. *Quem (vini colorem) solet Hippocrates gilvum appellare, possis etiam vocare flavum.* Idem verò gilvum esse flavô dilutius, apertè docet, vinum album, cùm veterascit, semper fieri κιῤῥόλευκον, *gilvum*, & tandem etiam ξανθὸν, *flavum*, scribens *Comm.* 3. *in Hippocr.* Ob hanc tamen affinitatem gilvus Germanicè *falb*, Gall. *fauve*, quod maximè ad *flavum* accedat, dicitur. Hujus autem coloris fuisse Nisæos in Media equos, tanti apud Persas nominis, Phavorinus refert, Νισαῖος ἵππος ὁ ἐστι ξανθός· ἡ γὰρ Νίσα πάντας τοὺς ἵππους ξανθοὺς ἔχει. Sed, ut in vino, ita in equis, gilvus à flavo differt. Unde Apocal. *c.* 6. *v.* 8. ἵππος χλωρὸς, videtur esse *gilvus equus*. Ibi enim χλωρὸς, ut passim, pro ὠχρῷ constitur autem hic color, λευκῷ ξανθῷ μεμιγμένῳ, *cùm flavo miscetur album*, ut in *Timæo* docet Plato. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. II. c.* 7. ubi *de sex equorum coloribus*, in Zacharia, *c.* 1. *v.* 8. adde Salmas. *ad Solin.* passim, inprimis, *p.* 1154. & 1155. ubi ξανθὸν idem cum roso dilutiore, adeoque vicinum τῷ πυῤῥῷ, & à quibusdam infra πυῤῥὸν, sed & à nonnullis suprà poni, ait.

XANTHUS, urbs Lyciæ *Straboni*, à Xantho Cretensi dicta, quam *Arnam* olim vocatam *Steph.* scribit. Episcopalis sub Archiepiscopo Myrensi. Dicitur & *Xanthopolis.* Inde Nicephorus Callistus *Xanthopolitanus.* Et Theodori *Xanthopolitani* mentio in Synodo VIII. *Ferrar.* Item Lesbi oppid. *Steph.* Et urbs Germaniæ inferioris apud Rhenum, vulgò *Santen.* Urbs aliàs Gugernorum, nunc Duc. Clivens. *Baudrando*, aliàs *Vetera castra*, quod vide. Satis parva est, 2. leuc. infra Vesaliam in Occasum, quot à Geldria in Boream. An à Trojanis condita, ann. ab excidio Trojæ 280?

XANTHUS, fluv. Troadis, idem cum Scamandro, ita dictus, teste Aristot. *de Hist. Animal. l.* 3. quòd oviùm vellera flavô colore inficiat. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 477.

------ Priusquam
Pabula gustâssent Trojæ, Xanthumque bibissent.

Item Lyciæ fluv. *Xanthum* urbem interluens. *Sirbis Straboni*, hodieque *Sirbi* vulgò. Oritur è Cadmo monte. Herodot. Plin. *l.* 5. *c.* 27. Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 143.

Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo.

Item fluviolus Epiri. Hôc prætereà nomine fuit unus ex equis Hectoris, cujus meminit Homer. *Il.* 23. Sunt etiam qui dicant, Xanthum inter equos Solis numerari, propter illud Martialis, *l.* 8. *Epigr.* 21. *v.* 7.

Quid cupidum Titana tenes? jam Xanthus & Æthon
Frana volunt. ------ ------ ------

XANTONIA, provinc. Sinarum Imper. quarta, in parte Boreali *Xantung* vulgò. Mirè rigua est & fertilis. Terminatur à Septentrione & Ortu Sinarum intimô recessu, seu Nanchinensi sinu, ab Occasu Pechinensi provinciâ, uti à Meridie Nanchinensi. Ibi urbes præcipuæ, *Cinan* caput, *Yencheu*, *Tunchang*, *Cingcheu*, *Tengcheu*, & *Laicheu*: sub quibus 98. urbes minores *M. Martinius.*

XAOCHEUM, urbs Quantoniæ secunda. Alluitur duobus fluviis cui subsunt 5. aliæ. 80. mill. pass. à Quancheo in Boream. *Idem.* Vulgo *Xaocheu.*

XAOHINGA, urbs Chequianensis provinc. octava, sub qua 6. aliæ. Ampla & valde culta, intra aquas, Venetiarum ferè instar, ad ostia fluvii *Che* in Oceanum Eoum. *Idem.* Vulgò *Xaohing.*

XAOUM, urbs Fochiensis provinc. octava, in ejus parte Boreali juxta *Zuyun* fluv. ad radices montium, in limite Xansiæ. Sub qua 3. aliæ. In tractu admodùm fertili, *Idem.* Vulgò *Xaoun.*

XARAJORUM Lacus, in Paraguaia, ex quo Argenteus fluv. ut multi tentur, effluit. Vulgò *Lagos de los Xarayes.*

XARANDILLA, urbs Castellæ, prope Placentiam. Sub proprio Domino, ex familia Lusitaniæ Regum. Johannes enim *de Portugallia*, Dux Bragantinus, ex Catharina *de Portugallia*, genuit Eduardum, Marchionem *de Flechilla*, qui, ductâ Beatrice Toletanâ Marchione *de Xarandilla*, Marchionatum hunc in suam familiam intulit: Pater Ferdinandi Alvari *de Toledo Portugal Monroy Ayala M. de Flechilla & Xarandilla*; cui ex Mencia Pimentellia natus Eduardus Alvarus Toletanus Dux de Oropesa, suscepit ex Anna de Zuniga Modica *de Corduba Pimentel Com. d'Alcaudete*, Manuelem Joachimum Alvarum Toletanum, Marchionem *de Xarandilla.* Vide Phil. Jac. Speneru, *Theatrô Nobilit. Europ. Tom. III. p.* 74. de Famil. autem Portugallica, vide Eundem, *Tom. II.*

XARAX, vel ZARAX, Laconicæ oppid. Pausan. *l.* 3. in ora Orientali ad sinum Argolicum, inter Epidaurum, ultra Malcam promontor. & Cyphantum portum. *Xaralesi Malvasia*, aliis Cara vel *Zara. Zarex Ptolemæo.* Vide ibi.

XARXIARE, urbs Drangianæ, *Ptol.*

XATHRI, libera Indorum gens, circa Indum fluv. Arrian. *l.* 6.

XATIVA seu SATIVA, aliàs *Sætabis*, urbecula regni Valentiæ, cum castro antiquo, sed munito. 2. leuc. Hispanic. à Sætabi flûv. in Meridiem, uti 7. à Valentia, & 12. ab Artemisio promontor. in Occasum. Vulgò *Xativa.*

XAVERIUS Franciscus, primus Provincialis Indiæ ab Ignatio Lojola, Jesuitici Ordinis Auctore, præpositus: sicut idem primum Provincialem Lusitaniæ præposuit Simonem Rodericium, Hispaniæ, Antonium Araozium Cantabrum; Italiæ Jacobum

Lay-

Laynem; Germaniæ, Petrum Canisium &c. nobilis fuit Cantaber, qui, postquàm aliquandiu Loyolæ Societatem novam molientis institutum restitisset, tandem secundus à Petro Fabro Allobroge, illi se socium ac imitatorem junxit: quos dein sequuti sunt, Jacobus Laynes Seguntinus, Alfonsus Salmeron Toletanus, Nicolaus Bobadilla Placentinus, Simon Rodericius Lusitanus; & pòst aliquanto, Claudius Jajus Gebennensis, Johannes Codurius Ebredunensis & Paschasius Boëtius Ambianensis, Fabri præcipuè monitis permoti. Cùm itaque, mox à principio Ordinis confirmati, A. C. 1540. Petrus Mazarenius, Johannis Lusitaniæ Regis Romæ Legatus à Papa. Regis sui nomine peteret, ut ex decem Ignatii sociis prædictis, aliquot, promulgandi Evangelii gratiâ, in Indiam mitterentur: missi sunt ex illis duo, Franc. *Xaverius* Navariensis & Simon Rodericus Lusitanus, qui cùm in Lusitaniam adpulissent, mox Xaverio India destinata, Rodericus autem in Lusitania retentus est. *Xaverius* igitur A. C. 1541 cum Indiæ Præfecto Martino Alphonso Sosâ, & itineris comite è sua Societate Italo, nomine Paulo, in Indiam profectus, eò pervenit Majô mense A. C. 1542 ac Goæ aliquandiu versatus, in eam inde oram discessit, quæ vulgò *Comorius caput* dicitur, ab Urbe Goa 600. mill. pass. atque hinc in alia quoque regna provinciasque transiit. Secuti eum posteà alii quamplurimi periculosis navigationibus. & novas has insulas ad Romanos ritus pertraxerunt, ubi etiam multa ab iis edita miracula Japonicæ ac Indicæ eorum literæ referunt: de quibus tamen dubitont ex ipsorummet communione Viri cordati. vide Franc. de Victore, *Relect.* 5. *Prop.* 5. Acostam, *l.* 6. *de Procur. Sal. Ind.* c. 4. & alibi, Andr. Vegam, *Opuscul. de Fide & Operibus*, *quæst.* 5. Alios. Ipse Xaverius. *l.* 3. *Epist.* 5. scribit: *Si nos linguam calleremus Japonicam, non dubito, quin plurimi fierent Christiani. Faxit Deus, ut eam brevi addiscamus. Tum demum aliquam Christianæ rei navabimus operam. Nam nunc quidem inter eos, tanquam mutæ statuæ, versamur. Multa enim illi de nobis & dicunt & agitant, ad quæ nos obmutescimus, patrii ipsorum sermonis ignari.* Interim magnâ famâ is in iis locis versatus, post egregiam Romanæ sedi navatam operam, *Indorum Apostoli* elogium tulit, Sanctorumque albo accessit, sub Gregorio XV. Vide *Vitam* ejus, & Ludovicum Lucium, *Histor. Jesuit. passim.*

XAUNAS, filius Pharegmanis, pater Rufini Leontiique, quorum in Africam contra Mauros virtutem prædicat Procopius Cæsareensis, *Historiæ Vandalicæ l.* 2.

XAURUS, locus Macedoniæ, à *Xauro* quodam dictus. Incolæ *Xaurii. Steph.*

XAUXA, fluv. Peruviæ *Rio Maragnon* etiam. Oritur ex lacu *Chincacocha* 120. mill. pass. à Lima in Boream, dein in Ortum tendens, recipit fluv. *Parcos, Vinoque, Abancay, Apurima*, & *Incay*: quibus auctus in Boream fluit; & rigatis *Maina, Mananes*, & *Pacamores*, aliisque provinciis Peruviæ, ac receptis *Chupachos* & Maybamba fluv. in fluv. Amazonum se exonerat.

XE, vide suprà *Moschus.*

XECIENUM, vulgò *Xecien*, urbs in parte Septentrionali Quichex, inter urbes Sucheum ad Ortum & Sinanum ad Occasum versùs fluv. Iyenum. Quinta hujus provinc. sub qua 5. arces.

XEHOA, piscis genus, quod in Croceo Sinici Imperii flumine, prope solam civitatem Paote, reperitur, à *lapideis* in cute *maculis* nomen habet, magnoque apud epulones in pretio est. Auctor Anonymus, *Sinæ & Europæ* c. 42. quod est de *Piscibus.*

XENA, locus Cretæ, ubi Lycurgum sepultum tradit *Plut.*

XENAGORAS, Historicus, Auctor *Chronici &c.* celebratur à Macrob. *l.* 5. *c.* 19. extr. Dion. Halicarnasseo, *l.* 1 *&c.* Vide Voss. *l.* 3. *Hist. Græc. p.* 422. *&c.*

XENAIAS, cognomine *Philoxenus*, Monachus Syrus, Hæreticus non baptizatus, Hierapolis Episcopus constitutus à Petro Gnapheo, magnas dedit turbas effecitque ut Flavianus Episcopus Antiochiæ, quòd Concilio Chalcedonensi anathema dicere recusaret, solum vertere Anastasii Imperatoris jussu cogeretur, Evagrius, *l.* 3. *c.* 31. & 32. Vide quoque Nicephorum Callisti, *l.* 10 *c.* 27.

XENARCHUS, Poëta Comicus, cujus fabulas commemorant *Athenæus, Aristot. Suid.* Alius è Seleucia Ciliciæ Peripateticus, qui Alexandriæ primùm docuit, deinde verò Romæ, ubi Cæsaris Augusti amicitiâ usus usque in senectutem in honore habitus fuit. Strabo. *l.* 14. qui ejus discipulus fuit. *Nic. Lloydius.*

XENETUS, Locrensium ditissimus, qui cùm filiam Doridem Dionysio tyranno nuptum dedisset, generô instigante tyrannidem affectavit: quod populus animadvertens & ipsum & alios Optimates oppressit. Vide Aristot. *l.* 5. *Polit.* c. 7.

XENEPHYRIS, vicus Libyæ. *Steph.*

XENEUS, Chius, de Chio insul. volumen edidit. Athen. *l.* 14.

XENIA, dicta olim munuscula, quæ à provincialibus Rectoribus provinciarum offerebantur, *L.* 6. *D. de off. procons. &c.* Vox in privilegiorum Chartis non insueta: ubi *quietos esse à Xeniis*, immunes notat ab hujusmodi muneribus aliisque donis, Regi vel Reginæ præstandis, quando ipsi per prædia privilegiorum transierint. In more enim Principibus olim, à subditis vel invitis munera extorquere, quod hodieque Persarum Regibus solenne esse, ostendit Petrus de Valle, *Itiner. tom.* 2. *&* 3. Itaque ab hoc jugo liberos in Anglia Ecclesiasticos fecit Æthelbaldus, Rex Merciorum A. C. 749. Vide Ingulph. Sax. & Will. Malmesburium *de gestis Reg. Angl. p.* 29 ubi inter alia hæc habentur: *Nec munuscula præbeant Regi, nisi voluntaria.* Quò autem posteà consuetudo devenerit, docet Continuator Matt. Paris. de Henrico III. initiô A. C. 1251. his verbis: *Et jam cum Abbatibus, Prioribus, Clericis, & Viris satis humilibus, hospitia quæsivit Rex Henricus I. & prandia, moraturus, & munera postulaturus. Nec jam civiles habebantur hi, qui Regi & Regalibus, hospitia cum procurationibus splendidis exhibuissent, nisi muneribus nobilibus & magnis Regem ipsum, Reginam & Eduardum, & aulicos sigillatim respectos honoraverint, imo nec erubuit, ipsa non tanquàm gratuita, sed quasi debita postulare.* Et paulo pòst: *Nec appreciabant Aulici & Regales donativa, nisi pretiosa & sumtuosa: utpote palefridos desiderabiles, cuppas aureas vel argenteas, monilia cum gemmis praelectis & zonis Imperialibus & consimilia.* *Et facta est Curia Regalis Romanæ consimilis, in quæstu pro meretrice sedens, vel prostans, veraciùs.* Hæc ille. A' Saturnalium autem fastu hæc consuetudo emanâsse videtur. In illis enim solitum fuit, munera hospitibus mittere, quæ ideo à Græco ξένος *Xenia* dicta. Similis etiam in Natalitiis mos: undè sic puer in *Pseudolo, Act.* 3. *Sc.* 1. *v.* 9.

> *Nunc huic lenoni est hodie natalis dies:*
> *Interminatus est a minimo ad maximum,*
> *Si quis non hodie munus misisset sibi,*
> *Eum cras cruciatu maximo perbitere.*

Etiam dabantur *Xenia*, an ad, an ob ingressum Ecclesiarum, utrumque hodie in usu, sed omnino vetuit prius Imperator Carolus M. *Capitul. l.* 1. *c.* 146. *Ut nullus Presbyter ad introitum Ecclesiæ* Xenia *donet.* Imò hodie pacta pretia solvuntur, *Xenia* arbitraria non admittuntur. *Xenia* porrò à militiæ candidatis dabantur: ab ipsis quoque Christianis Kal. Januarii, quod Conciliô Antissiodorensi A. C. 624. prohibitum est: *Can.* 1. *Non licet Kalendis Januarii vecola aut cervolo facere, vel strenas* (ita enim quoque hæc *Xenia* dicebantur) *diabolicas observare, sed in ipsa die sic omnia officia tribuantur, sicut & reliquis diebus.* Quæ autem *Xenia* dantes, ab accipientibus referebant, Apophoreta appellata sunt. Henr. Spelmann. *Glossar. Archaeol.* Apud veteres Græcos, unde vocis usus ad alios transiit, τὰ ξένια seu ξενικὰ δῶρα, dicebantur dona hospitibus abiturientibus dari solita, partim memoriæ ergo, partim viatici locô: qua de re vide latiùs suprà, ubi de *Hospitibus.* Eô nomine titulòque insignem voluit esse Martialis Epigrammatum suorum *librum* 13. quemadmodùm *librum sequentem apophoreta* inscripsit: ubi Scholiastes, *Xenia*, inquit, *dicta*, *quòd τοῖς ξένοις, i. e. hospitibus, nec non amicis, apponebantur mittebanturve: quæ cùm Pictores tabellis, Poëta carminibus imitatus est. Apophoreta verò erant dona, quæ in Saturnalibus dabantur convivis domum ferenda.* Ipse de suis *Xeniis*, Lectorem sic alloquitur *Epigr.* 3.

> *Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello*
> *Constabit nummis quattuor empta tibi.*
> *Quatuor est nimium, poterit constare duobus,*
> *Et faciet lucrum Bibliopola Tryphon.*
> *Hæc licèt hospitibus pro munere disticha mittas,*
> *Si tibi tam rarus, quàm mihi nummus erit.*
> *Addita per titulos sua nomina rebus habebis:*
> *Prætereas, si quid non facit ad stomachum.*

Neque verò solùm abeuntes hospites *Xeniis* suis prosequebantur Græci, sed humaniter, quamdiu apud ipsos morabantur, ac munificè tractabant, in peculiaribus cubiculis ad id destinatis, quæ Ξενῶνας dixêre, uti discimus ex Eurip. *Alcest.* ubi cùm Hercules venisset in Admeti ædes funere tum mœstas, indeque mox discessum pararet, rogavit ipsum Admetus, ne id faceret, dicens,

> Χωρὶς ξενῶνές εἰσιν, οἷ σ' εἰσάξομεν.
> *Seorsim* Xenones *sunt, in quos introducent te.*

Imò & mensas eosdem habuisse peculiares, iisque solos accubuisse, videtur docere idem Poëta, apud quem in *Electra*, v. 849. Orestes, cùm Athenis degeret, ait:

> --- Ξένια μετασχὼν ... μοι
> Παρέχων οἴκων, &c.

Vide Franc. Rossæum, *Archæolog. Attic. l.* 6. *c.* 8. & suprà passim, vocibus *Hospes, Peregrinus, Vale* &c. Apud recentioris ævi Scriptores, priscâ notione exutâ, præstationem muneris vice vox denotare cœpit, cujusmodi *Xenia* ab Episcopis exigi solita, docet Domin. Macer, *Hierolexicô*, in vocibus *Cathedraticum, Insinuativum, Pastellus* & *Synodaticum.* A Clericis quoque soluta Ecclesiis, habes apud eundem: ut ab utrisque id, quod *Enthronisticum* dictum. Vide & Car. du Fresne, *Glossar.* in vocibus *Donum, Exenium*, nec non *Dissert. ad Joinvillam, p.* 154. & quæ hanc in rem jam diximus. Imò vassallos identidem Dominos suos cum *Xeniis* visitare coactos, hancque præstationem *Salutatum* fuisse appellatam, habes voce *Visitatio.*

XENIADES, Corinthius, qui cùm emere vellet Diogenem Cynicum, & quid is artificii novisset, percontatus foret: *Novi*, inquit Diogenes, *hominibus liberis imperare.* Quô responsô incitatus Diogenem Xeniades emit, & manumisit, filiosque suos ei tradens: *Accipe*, inquit, *liberos meos quibus imperes.* Gellius, *l.* 2. *c.* 18.

XENICUS, pauperis nomen & in comœdia exagitati. Erat gulosus & rapinæ opsoniorum inhiabat. Quidam Ducem fuisse autumant. Aristoph. *Plut. Act.* 3. *sc.* 1.

XENION, *Cretica* conscripsit, teste *Steph.* Macrobiô *l.* 1. *c.* 9. & Etymologô. Idem *Italica* condidit. Macrob. *Sat l.* 1. *c.* 9.

XENIPPA, regio Scythiæ confinis, Qu. Curt. *l.* 8. *c.* 2.

XENIUS, Jupiter sic dictus, quasi *Hospitalis.* Virg. *l.* 1. *Æn.* v. 735.

> *Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.*

Meminit ejus Suidas in voce ξένιος Ζεύς. Julius Pollux, *Onomast. l.* 1. *c.* 1. *num.* 23. Plut. *l. de Exiliô*, Ξενίου Διὸς

πολλαὶ τιμαὶ καὶ μεγάλαι, *Jovis Hospitalis honores multi ac magni*, & in *Erot.* Ξείνων καὶ ἱκετῶν ἀδικίας ὁ Ξένιος ὑπατεύει Κάλλεσι Ζεύς, *Hospitum & supplicum injurias Hospitalis Jupiter audit vindex.* Servius inprimis Honoratus *ad Virgil. loc. cit. Lycaon cùm hospites susceptos necaret, à suscepto Jove, postquàm ei epulas humanas apposuit, versus in lupum, ostendit hospitii jura non esse violanda.* Græci τὸν Ξένιον Δία, i. e. Jovem Hospitalem, *appellant.* Sic M. Cicero *de finibus bonor. & mal. l. 4. Jovem tum Optimum & Maximum dicimus, cumque eundem Salutarem, Hospitalem, Statorem; hoc intelligi volumus, salutem hominum in ejus esse tutela.* Et hoc *Hospitalis* cognomentum Romanis fuit usitatissimum. Cultus ejus quàm fuerit antiquus, doceant illa Homeri verba *Odyss. ι. v. 270.*

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
Ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.
Jupiter ultor est supplicumque hospitumque,
Hospitalis, qui hospitibus simul verecundis opitulatur.

Ad quem locum vide Eustathium, & plura hanc in rem, apud Thom. Dempster. *Paralipom. ad Rosin. l. 2. c. 5.* & *suprà.*

XENOCLES, Spartiata, in expeditione Agesilai contra Persas, mille & quadringentorum Dux; cùm in sylva noctu Persis manè prætereuntibus Agesilaus insidias abdidisset. Diodor. *l. 14.*

XENOCLES, Carcini fil. Poëta Tragicus impolitus in carmine & allegoriis nimium gaudens. Fratres ei fuerunt, Xenoclitus & Xenotimus. Secundùm aliquos, duo Xenocles tragici Poëtæ viguerunt; tertius Reipubl. administrationi deditus: mali atque improbi Patris soboles, municipiô Cholargeus. Vide Scholia *in Aristophanis Ranas, Act. 1. sc. 2.* Vide & *in Vespas, p. 537. E.*

XENOCLIDES, Poëta Græcus Olymp. 105. *Demosth.*

XENOCRATES, fil. Agathenoris, Chalcedonius, auditor Platonis, qui in Academia Speusippo successit & 25. ann. docuit. Adeò tardus ingeniô fuit, ut cùm illum Plato Aristoteli compararet, alterum frænô, alterum calcaribus indigere diceret. Hic Philosophorum severissimus extitit. Ferunt enim, cùm Phryne nobile scortum, deditâ operâ a quibusdam intra ejus cellam missa esset, atque ab eo orans lectuli partem accepisset, demumque, imperfectô opere discessisset, dixisse, se non à viro, sed à statuâ venisse. Ejus verbis tanta fides adhibebatur, ut cùm injurati nullius testimonium admitteretur; huic injurato crederetur. Munera ab Alexandro M. oblata generosè respuit, legatisque victus ratione ostensâ, *En! pecuniâ*, inquit, *vestrâ opus non habeo.* Dixit, *nunquam silentium nocuisse*: Discipulum, rerum Mathematicarum rudem non admisit. Scripsit *libros 6. de Natura*; *totidem de Philosophia*; *Unum de divitiis* &c. Diog. Laërt. *l. 4. de Philos.* Vide quoque Gesner. *in Biblioth.* & Voss. *de Hist. Græc. l. 3. p. 423.* Hunc Athenienses aliquando vendiderunt, ut ita in exilio degens frangeretur. Obiit 82. ætatis suæ annô, quum noctu forte in sartaginem offendisset.

XENOCRATES, Philosophus, Platonis auditor, præceptor Polemonis, cùm princeps quondam intentatæ legationis iret ad Antipatrum, à quo omnium expectatio erat, nihil non illô orante impetrari posse, reliquis sociis humaniter exceptis, in conspectum vix quidem admissus est, quòd suspectus haberetur. Tunc versus ad socios Xenocrates, beneficium accipere dixit, quòd se unum Antipater suæ in Athenienses ingratitudinis & perfidiæ testem vereretur; & dicere incipientem, nunc obstrependo, nunc obsecrando tacere Antipater coëgit, cui in orando Phocion legationis comes successit. Ad hunc misit Alexander dono triginta talenta auri. Ille autem statim remittens ait, *Regibus non Philosophis opus esse pecuniâ.* Suidas.

XENOCRATES, alter Philosophus, modestiâ nihil superiore inferior, scripsit *domesticum auspicium*, quomodo videl. cùm aut mustela, aut serpens, aut his similia apparent, quid portendere soleant. *Suidas.*

XENOCRATES, *Chronica* edidit, teste Etymologô in Ἀ.... Quis hic fuerit, haud facilè cognoscas. Nam præter Chalcedonium (de quo suprà, & Vossius, *Hist. Græc. l. 1. c. 8.*) fuit & *Xenocrates* Ephesius, cujus Plin. *l. 37. c. 2.* meminit. Fuit etiam *Xenocrates* Aphrodisiensis, qui de Animalibus commentatus est, teste Artemidorô *Oneirocr. l. 4. c. 24.* Fuit & *Xenocrates* insignis pingendi & cœlandi artifex, de quo Plin. *l. 34. c. 8.*

XENODOCHIUM, Græcè Ξενοδοχεῖον, locus est ... τῶν ξένων ..., *can. 10.* Concil. Chalced. in *Collect. Constitut. Eccl. ex l. 1. Cod. tit. 2. num. 15.* alibique memoratus, ubi à Μαρτυρίῳ, *sacello seu templo, in Martyris alicujus honorem & memoriam ædificato*, Πτωχείῳ, *ubi pauperes aluntur*, & Νοσοκομείῳ, *ubi ægri curantur*, distinguitur. Propriè enim *hospitibus excipiendis*, quod ipsum etymon innuit, inservit *Xenodochium*, quæ vox occurrit apud Augustin. *in Joannem, Tract. 97. Xenodochia & Monasteria postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur.* Ξενὼν vocatur Chrysostomo, *Homil. in Acta 45.* Καὶ ... τῶν ξένων, Basilio, *Epist. 371.* in veteribus Glossis, *Hospitalium.* Idem Chrysostomus κελλίον τοῦ Χριστοῦ, *Cellulam Christi* appellat, & locum fuisse ab Æde sacra segregatum, ac antiquitus subterraneum, docet, *d. l.* Ἡ οἰκία αὕτη τοῦ Χριστοῦ ἀφώρισται. Κἂν κατάγειον ᾖ καὶ εὐτελές, μὴ παραιτοῦ, *Hæc cellula Christi est: domus ista ei segregata est. Etiamsi subterraneum sit ac vile, non despicit.* Cujusmodi pro peregrinis loca primus extruxisse dicitur Hierosolymis Hyrcanus Judæorum Rex, uti legimus apud Josephum, *Antiqq. l. 1. c. 2.* Hegesippum, *l. 1.* & Isidorum in *Origin. l. 15. c. 2.* Institutum hoc postmodùm Christianis Imperatorib. certatim sequutis: ad quorum æmulationem ipse quoque Julianus *Xenodochia*, ubi inopes sine discrimine exciperentur, jussit extrui, teste Theophane *in Chronographia.* Inprimis verò hac in re laudanda diligentia Equitum Ordinis S. Joannis, qui etiam nomen inde habent, uti pluribus videre est apud Dominic. Macrum, *Apolog. ad calumn. Hieronymi Brusoni.* Primum autem *Xenodochium* Constantinopoli à S. Zotico conditum, habetur *in Constitut. Leonis Imper.* In Italia, post Barbaros pulsos, primum Senis extructum à Sorore A. C. 898. legas apud eundem Macrum in *Hierolexico*, ubi *Hospitale de Schala* id appellatum, addit &c. Sed & latius vox extensa, ut etiam Πτωχεῖον, uti videre est ex iis, quæ modo de Juliano diximus; item Νοσοκομεῖον, uti apud Suidam voce Ξενών, comprehendat. Sed & *Xenodochii* nomine venire *Hospitium Religiosorum, ubi non habetur formatum Monasterium*, eidem Macro notatum est. Qui verò *Xenodochiis* præerant, *Xenodochi* dicuntur Gregorio M. *in Regist. l. 3. Epist. 24.* Sic Isidorus Presbyter *Xenodochus Alexandrinæ Eccles.* vocatur Palladio, *in Lausiaca c. 1* &c.

XENODOCHUS, nomen viri proprium, de quo Plut. *in Alex.*

XENODOCHUS Messenius, Olympionices, Stadium vicit Olymp. 9. cujus annô 2. regnantibus apud Lacedæmonios Alcamene & Theopompô, apud Messenios Euphaë, bellum Messeniacum I. inter utramque gentem conflatum est, Pausan. *l. 4.* Vide & suprà passim.

XENODORUS, statuarius egregius. Plin. *l. 34. c. 8.* Item historicus, patriâ Trœzenius.

XENOPAROCHUS, Græcè Ξενοπάροχος, qui publicô nomine hospites seu peregrinos curat, memoratur Arcadio, *tit. de muner. l. munerum, Tabularii*, vel *Xenoparochi*, *in in quibusdam civitatibus.* Idem ferè cum Parochio, præbente ligna salemque, ut ait Horatius, *l. 1. Sermon. Sat. 5. v. 46.* Quod officium penès Romanos Quæstoris Urbani fuisse, legas apud Dominicum & Car. Macros, *quià ab eisdem nihil agebatur solemnius; unde Regibus & Legatis, ex ultimis terrarum regionibus Romam profectis, publicum hospitium & munera, quæ Lautia dicebantur --- largè & hospitaliter erogabantur.* Idem de aliis quoque gentibus, *Germanis verò*, pergunt, *hospitii jus sanctissimum usque adeò erat, ut arcere hospites inexpiabile nefas haberetur. Idem servatum fuit inter Lucanos, Calabros, Corinthios, Megarenses & alios.* Cùm contrà Ægyptii, Athenienses, Carthaginenses, Gampsantes, Lacedæmonii, Scythotauri, Syri, in peregrinos minùs æqui fuisse legantur: Apud Indos quoque nemini peregrino ultra triduum morari licuerit, ne cives longô usu dissimiles mores imbiberent, & in alienas leges ritusque transirent, qua de re multa habes, apud Alexandrum ab Alex. *Genialium Dier. l. 4. c. 10.* Vide quoque suprà, ubi de *Hospitibus* & *Peregrinis*: nec non voce *Hospitale.*

XENOPHANES, Philosophus Colophonius, Archelai auditor, scripsit *elegias & jambos contra Hesiodum & Homerum*, quæ de Diis dixere improbanda. Floruit Olymp. 60. in Sicilia. Quatuor Elementa asseruit, sed mundos innumeros. Laërtius. & Strab. *l. 14.* Item *Xenophanes*, Poëta Jambicus, Lesbius. Suid. Diod. *l. 5. vitæ Phil.* Sextus &c.

XENOPHILUS, inter Duces Alexandri Magni, cui Susianæ arcis cura à Rege mandata est, mille Macedonum ætate gravibus, præsidere arcis custodiæ jussis. Curt. *l. 5. c. 2.*

XENOPHILUS Musicus, patriâ Chalcidensis, Pythagoricus, bienniô minor quàm Gorgias, qui ann. 107. vixit, sed felicitate non inferior. Siquidem, ut Aristoxenus Musicus ait, omnis incommodi humani expers, in summo perfectissimæ doctrinæ splendore extinctus est. Plin. *l. 7. c. 50.*

XENOPHON, Dux, Philosophus & Historicus celeberrimus: Grylli fil. Atheniensis, Socratis discipulus ob eloquentiam *Musa Attica* vocatus est; Equorum, venationis & rei familiaris inprimis studiosus, ut ex ejus libris deprehendi potest. Dux copiarum, Byzantium ingressus, facundiâ suâ impedit, ne urbs diriperetur. Olymp. 95. Venit dein in amicitiam Cyri minoris, cum quo militavit, ac ejus παιδείαν scripsit, non tam historiæ serviens veritati, quàm ut perfectum Ducem institueret, uti Cicer. *l. 2. de Orat.* testatur, quem librum se frequenter lectitâsse, & manibus trivisse *l. 9. Famil. Epist. 25.* dicit. Scripsit præterea *Symposium & Oeconomicum*, à Cicerone in Latinum sermonem conversum, si credimus Columellæ. Edidit & historiam Peloponnesiaci belli, ac eorum quæ Athenienses post Thucydidem, quem edidit, gesserunt, primus Philosophorum hunc laborem aggressus. Quinctilianus Xenophontis jucunditatem inaffectatam dixit, quam nulla affectatio consequi possit. *Librum de Æquivocis*, nôrunt omnes, Annii Viterbiensis abortum illum esse, qui Berosum, aliaque plurima similiter commentus est: Cum Platone simultates gessit, teste Gelliô, *l. 14. c. 3.* Post memorabilem XM. Græcorum è Persia, quos ipse duxerat, reditum, Agesilaum in Asiam sequutus est, interfuitque prælio ad Chæroneam, unde Scylluntem se recepit, eò quòd Cyrum sequutus Athenas redire non auderet. Postquàm dein Spartanorum dominatio ab Epaminonda est labefactata, Corinthum abiit, ibi mortuus Olymp. 105. ætat. 90. Hic aliquando sacrificans, auditâ morte filii, sertum, quod capite gestabat, deposuit, cùm autem nuntius addidisset, illum fortiter pugnando obiisse, reposuit illud. Filius hic ille fuit, qui Epaminondam in prælio ad Mantineam occiderat. *Diog. Laërt.* Pluribus persequitur hujus vitam Laërtius, *l. 2.* Vide quoque Voss. *de Hist. Græc. l. 1. c. 5.* Varii hujus nominis authores fuêre, ut 1. *Xenophon* Atheniensis, frater Pythostrati illius, qui *Theseida* scripsit, ac inter cætera quoque Epaminondæ ac Pelopidæ vitam consignavit, teste Laërtiô *in Xenophonte.* 2. Ab eodem Laërtiô alter *Xenophon* commemoratur, qui Annibalis historiam literis tradidit. 3. Item alius fuit, qui de fabulosis prodigiis tractavit, eôdem teste. 4. *Xenophon* Antiochenus, historicus, qui *Babylonica* condidit. Sunt autem amatoria. *Suidas.* 5. *Xenophon*, Ephesius historicus, qui *Ephesiaca* composuit. 6. *Xenophon* Cyprius, Historicus, qui *Cypriaca* consignavit. 7. *Xenophon* Lampsacenus, Geographus, ut videtur, cujus meminit Plin. *l. 4. c. 13.* & *l. 6. c. 31.* & Solinus, *c. 22.* 8. *Xenophon* etiam nescio qui, μακροβίους in literas retulit, de quo Plin. *l. 7. c. 48.* *Nic. Lloydius.*

XENOPHON, Claudii Cæsaris Medicus, secundùm ipsum, Æsculapii familiâ ortus: cujus precibus datum, ut omni tributô vacui in posterum Coi sacram & tantùm Dei ministram insulam colerent.

rent, Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 61. Paulò pòst in conscientiam Agrippinæ assumptus, de tollendo venenis Claudio, tanquàm nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapidô venenô illitam faucibus ejus demisisse creditur. *Ibid. c.* 67.

XENSIA, vulgò *Xensi*, tertia provinc. ex 15. provinciis Sinarum Imper. In ejus parte Boreali. Terminatur à Septentrione montibus, Sinicô murô, & Croceô fluv. quô separatur à Tartaria magna, ab Ortu Xansiâ, à Merid. Suchuensi provinc. ab Occasu regnô Tibethi. In ea octo urbes præcipuæ *Sigan* caput, *Fungciang*, *Hanchung*, *Pingleang*, *Cungchang*, *Linyao*, *Kingyang*, & *Fengyang*, sub quibus 108. urbes minores & 19. arces permunitæ, *Martinius*.

XEQUES, titulus dignitatis apud Arabes. Vide suprà *Alrbeich*.

XERA, Græcis hodiernis rupes est seu scopulus, item sabulum sub aqua, uti *Nisaki* seu *Nisopolo*, parvam Insulam seu [illegible]da appellant, Jac. Sponius, *Itiner. part.* 1. *p.* 151. Ex ξίρον, [illegible] ξηρεῖ, de quo vide Salmas. *Not. ad Balistam Pollionis*, in XXX. *Tyrannis*, *c.* 17. & *ad Severum Spartiani*, *c.* 18. Est autem ξηρὸς, propriè *siccus*: hinc *solus*, ut ξηρὸς ἄρτος, *solus panis*, sicut *sicca vehicula*, apud Capitolin. *in Maximinis*, *c.* 13. ξηρὰ ἔπη *sola & mera carmina*; qua de re vide *Notas* Salmasii *ad Capitol.* & Suicerum, *Thesaurô Eccl.* voce Ξηρὸς, ubi κατὰ ξηρᾶ τὰς λέξεις ἐκλαμβάνειν, apud Athanasium, *de communi Ess. trium Personar. Tom. I. p.* 235. *ad Matth. c.* 12. *v.* 31. exponit, *nudæ literæ adhærere*. Porrò, homo tenax propositi & cedere nescius; apud Diogenianum, qua de notione, vide eundem Salmas. *Not ad Alexandrum Sev. Lampridii*, *c.* 59. ut & suprà, vocibus *Assa vox*, item *Retorridus*, & *Siccus*.

XERA, urbs juxta Herculis columnas, *Steph.* Alii legunt *Xerea*. Hinc nomen gentis *Xeræus*, hodie *Xerez de la Frontera*. Urbs Hispaniæ Bæticæ, in Vandalitia, prope ostia fluv. *Guadalete*, 2. leuc. à Mesthæi portu, in Boream, uti 6. à Gadibus Hispalim versùs, prope sinum Gaditan. Aliis *Cæsariana* & *Asta Regia*. Vide ibi.

XERA, oppid. Guatimalæ; vulgò *Xerez*. Versùs oram maris Pacifici, 90. mill. pass. à Legione, urbe Nicaraguæ in Occasum, Guatimalam versùs 250. sub Hispan.

XERAMPELINUS, Græcè ξηραμπέλινος, coloris nomen, apud veterem Scholiastem Juvenalis, ubi eum, inter coccinum & muricem fuisse, scribit; alii atrum faciunt, eò quòd Suidas *Atrebaticis vestibus* illum tribuit, quas ab *atro* colore dictas censeut perperam. Sed ex etymo res expeditu facilis. Uti enim ὀμφακίνα dicuntur, quæ *viridia* adhuc *vitium* folia; sic ξηραμπέλινα, quæ *sicca* jam & *arida* imitantur. Salmas. *ad Solin. p.* 1072. Vide quoque eum *Not. ad Treb. Pollion. in Gallienis*, *c.* 6.

XEROLIBYA, pars Libyæ interior, propter aquarum inopiam inculta. Unde Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 42.

Hinc deserta siti regio. ——

XEROLOPHUM, locus Constantinopoli celebris, apud Justinianum, *l.* 4. *Instit. titul. de publicis Jud. Admonet nos epigramma in Xerolopho scriptum.* Sed hoc vocabulum, Alciato hic coruptum, pro tumulo à *Suida* ponitur, ex congestis lapidibus facto. Tripodes in eo fuisse: in quibus epigrammata solerent scribi, Priscianus auctor est, apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

XERON, in Tabul. *Itiner.* quæ à Peutingero nomen habet, ubi iter Copto Berenicen describitur, mansio in Arabico Sinu, quæ *Aristonis* dicitur in veter. *Itinerario* à loci ariditate fortè dicta. Salmas. ad *Solin. p.* 1184.

XERONIACA, Vallis circa Halatiam alicubi videtur, apud Metaphrasten, *in vita S. Theodori Archimandritæ*.

XEROPHAGIA, apud Tertullian. *adv. Psychicos*, *Saginentur pugiles & pyctæ Olympici: illis ambitio corporis, quibus & vires necessaria: & tamen illi quoque* Xerophagiis *invalescunt*: ex Græco ξηροφαγία: non jentaculum est, in quo *siccô pane* etiam Principes olim viri utebantur, quem *buccam* vocabant, unde *buccellatus panis*, qui antè *nauticus*, vulgò *biscoctus*: Græcis ξηρὸς ἄρτος, appellatus, de quo vide Casaubon. *ad Octav. Suetonii*, *c.* 76. Sed plus aliqnid, ratio nempe vescendi Athletis olim præscripta, qui carnis tantùm pulpam *siccam* & aridam, nullis jurulentiis eblanditam, edere tenebantur, ut robustius corpus evaderet, quemadmodùm pluribus suprà diximus, ubi de *Arida Saginatione*, uti hanc ξηροφαγίαν idem Tertullianus *in Pallio* vocat, item ubi de *Athletica* & voce *Colephia*. Ab Athletis transiit postmodùm vox ad Christianos Ascetas, qui non solùm ab omnibus carnis scitamentis, & pomis succi vinosioris, sed & carne in totum, vinô etiam (quod tamen & Athletæ nonnunquàm faciebant) abstinere, quoties jejunarent, soliti sunt. Et quidem Δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν, ξηροφαγοῦντας, *Oportet totam quadragesimam jejunare, aridis vescentes*, sanctio est Concilii Laodiceni, *can.* 50. Ubi Sabbatha & dies Dominicos excipiendos, notat Balsamon. Neque verò in Quadragesima solùm, sed etiam *quartâ & sextâ feriâ oportere* ξηροφαγεῖν, adeò ut ne ægrotis aliud, quàm pisces, administrare fas sit, etiam in vitæ periculo, habet idem ad *can.* 69. *Apostolic.* Porrò, sex diebus majoris hebdomadæ ξηροφαγίας Christianis fuisse imperatam, habes apud Epiphanium *in Compendio Doctr. Cathol.* Quam in rem vide plura apud Cl. Suicerum, *Thesauro Eccl.* voce Ξηροφαγία, ubi inter alia *omophagiam* Cassiano, ex Græco ὠμοφαγία (quod *rerum crudarum & igne non emollitarum usum* notat) hanc vescendi rationem appellari, addit: ut & aliquid suprà, voce *Mysterium*.

XERXENE, regio Mediæ Borealis, inter Iberiam & Albaniam, apud Alazonem fluv. sic à *Xerxe* Persarum Rege ibi orto dicta, teste *Eutropiô*. Apud *Strabon.* est regio Mediæ Armeniæ majori contermina. Sic *Cambysene* à Cambyse.

Reges Persarum &c.

XERXES I. Persarum Rex, filius Darii secundogenitus, & Cyri ex Atosâ filia nepos, Artabazani fratri majori, natô Patre nondum Rege, antelatus, An. 269. Urb. Cond. Ægyptum subegit, Achæmene fratre illi præfectô. Dein 170. hominum myriadibus, h. e. decies septies centenis millibus per totum quinquennium contractis, Græciæ bellum intulit. Quam tantam hominum turbam cùm ex editiore specula aspexisset, teneriter fertur lachrymâsse, quòd post centum annos ex tanto hominum numero nemo esset superfuturus. Tantum autem habuit navium apparatum, ut totum Hellespontum operiret, & Asiam Europæ ponte conjungeret; Athon præctereà montem à continente abscidit, Plin. *l.* 4. *c.* 10. Lucan. *l.* 2. *v.* 672.

Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
Construxisse vias: multum cum pontibus ausus
Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
Incessitque fretum rapidi super Hellesponti,
Non Eurum Zephyrumque timens, quum vela, ratesque
In medium deferret Athon, —— ——

Propert. *l.* 2. *Eleg.* 1. *v.* 22.

Xerxis & imperiô bina coisse vada.

Victus demum apud Thermopylas à 4. hominum millibus, navale quoque certamen cum Themistocle tentavit, à quo similiter apud Salaminem superatus, cùm anteà tota maria classe sterneret, vix parvulâ cymbâ effugit, relictô Mardoniô præfectô, qui & ipse, re in Bœotia infeliciter gestâ, cum paucissimis in Persidem se recepit. Demum, cùm se otio socordiæque, relictâ militiâ, tradidisset, præmium genus luxuriæ novum invenientibus proposuit, Valer. Max. *l.* 9. *c.* 1. *ex. ext.* 3. Quamobrem à suis spretus, paucis pòst annis, ab Artabano præfecto suo, An. 287. Urb. Cond. in regia interficitur, cùm regnâsset annos 8. Nominis interpretationem quære in *Artaxerxes*. Herodot. *l.* 7. & 8. Diodor. Justin. *l.* 2. *c.* 10. 11. *f.* Plut. &c. Ei successit Artaxerxes, quô natus.

XERXES II. qui 2. saltem menses regnavit, An. 329. Urb. Cond.

XERXES, pictor Heracleota, Venerem adeò pulchram depinxit, ut ex eâ quæstum magnum faceret, *Ælian.*

XIANZUM, oppid. Poloniæ minoris ubi habitâ celebri Synodô, A. C. 1560. cui 50. Ministri, Proceres plerique & è Nobilitate plurimi interfuêre, Stancari doctrina condemnata est. Lætus, *Comp. Histor. Univ.*

XICCHO Riccius Polentonus, Patavinus, floruit seculô 15. Composuit *argumenta in Orationes Cicer. Volumen de illustribus scriptorib. Latinis* &c. Bernardinus Scardeonus, *l.* 2. *de reb. Patavinis.* Vossius *de Histor. Latin. l.* 3. *c.* 9. *extr.* &c.

XICOCUM, vulgò *Xicoco*, Insula una ex tribus partibus Japoniæ. Dicitur & *Chicoko*, i. e. quatuor regna, & *Tokoesi*. Est inter Niphoniam, quæ ei ad Boream & Ortum est, & Ximum Insul. à qua separatur, ad Occasum angustô fretô, ad Austrum habet mare Sinicum. In ea IV. regna sunt, *Ava*, *Ivo*, *Sanuqui* & *Tosa*, sed nulla urbs alicujus notæ, *Brietius*.

XIFIDIUS, vide *Ælius Xifidius*.

XILIA, urbs Libyæ, *Stephan.* Vide *Zilia*.

XILINE, Ponti Cappadocici urbs, *Ptol.* vulgò *Sentina*.

XILOCA, vulgò quoque *Xilloca*, fluv. Aragoniæ. Darocam oppid. alluit, dein in Salonem se exonerat, prôpe Bilbilim.

XIMENA, locus Asiæ majoris unde Halys oritur.

XIMENIUS Franciscus, vide *Franciscus*.

XIMENIUS Rodericus, vide *Rodericus*.

XIMUM, vulgò *Ximo*, Insula una ex tribus partibus Japoniæ, versùs Austrum & ferè inter Niphoniam & Xicocum ad Ortum à quibus separatur angustô fretô, & Coream regnum ad Occasum. Dicitur *Ximum*, i. e. Regia inferior & *Saycock*, i. e. novem regna, quot continet: Nempe *Figen*, *Bungo*, *Chicuien*, *Fingo*, *Fiunga*, *Bugen*, *Satcuma*, *Volumi* & *Uto*. In hi[illegible]cipuæ urbes *Arima*, *Bungo*, *Nangasachi* & *Satcuma*.

XINCHEUM, vulgò *Xincheu*, urbs Huquaniæ duodecima, *Martin.* In tractu montuoso, sub qua 5. aliæ. Paucis milliar. ab Iveno fluv. 30. à Tuntinga lacu in Occasum.

XINGOVINI, Bonziorum apud Sinenses genus, qui Denichum colunt; *Xintani* qui Quoquium. Idem, *sect.* 9.

XINI, Thessaliæ populi *Hesychio*. Fortè Xyni à *Xynia*.

Imperatores Sinensium.

XINNUNGUS, Imperator Sinicus, alterum genus literaturæ excogitavit, ex Agriculturæ rebus concinnatum: quod usurpavit in annotandis iis, quæ ad Agriculturam requiruntur. Sicut Fohius Imperator primum ex serpentibus & draconibus. Tertium ex alis avis *Fumboam*, Xauhoamus Imperator. Quartum ex ostreis & vermiculis: Quintum ex herbarum radicibus: Sextum ex decurtatis avium vestigiis Rex Choamus confecit. Yaus septimum ex testudinibus fabricavit: Reliqua vide apud Theophilum Spizelium, *de re liter. Sinensium sect.* 14. Idem *Ximnungus*, non terræ solùm fertilitatem quinque frugum generibus triticô, oryzâ, miliô, frumentô Indicô, & leguminibus sparsis exploravit; verum in summo tum Medicinæ defectû, herbarum vires in proprio corpore expertus est, tantâ industriâ ac successu, ut unius diei spatiô 60. ferme herbarum venenatarum genera, cum totidem antidotis, distinxerit: proin Princeps Medicorum à Sinensibus habitus. Apud *eundem*.

XINSII, vulgò *Xinsien*, Sinensibus dicuntur beati, quos immortalitate donatos, in jugis montium summis voluptatibus vacare fingunt, *Idem*.

XIPHENE, regio Palæstinæ, *Steph.* ex Josepho, *l.* 6. *Antiqq.* Hinc *Xiphenæus*, nomen gentis.

XIPHIANA Venatio, apri videl. ingentis, setis, rostrô, *dente* (quem non malè ξιφ☉ dicas) metuendi, qui, cùm Cappadociam aliquandiu vastâsset, à Constantio Aug. superatus occisusque est, exhibetur in hujus Imperatoris Sapphiro eximia, quam Marquardus Freherus eruditô *Commentario* exposuit, uti diximus suprà, voce *Sapphirus*. Nempe & Θηροφονίας gloriam etiam Principes viri, à vetustissimis jam temporibus, affectârunt. Unde Gregorius Naz. *Orat.* 1. *in Julianum Imperatorem* (quem Constantius hic Cæsarem fecit successoremque habuit) ubi ad imaginum illam & statuarum ambitionem venit, in quibus ipsi Principes adorari gauderent, ait, *Imaginibus illis alios aliud quid Imperatorum appingere solere: hos quidem civitates clariores dona ferentes; alios autem Victorias serta capiti imponentes; nonnullos militiæ præfectos eos adorantes; quasdam Barbarorum devictorum & pedibus provolutorum seu cæsorum figuras: οἱ δὲ (addit denique) θηροφονίας ᾗ λεοχίας.* Vide quoque suprà, ubi *de Aprorum Venatione*. Aliàs *Xiphias*, Italicè *Pesce spada*, piscis est, delphinis magnitudini non impar; mediocres enim duodecim circiter palmos in longitudine æquat: dentibus caret, quorum locô *gladium* oblongum in fronte gestat, oculi sunt orbiculati & modicè capiti immissi, branchiæ quatuor, juxta quas duæ pinnæ, tertia in dorso, quarta in ventre, aliis aliquantò amplior. Porrò corpore seu pelle glabrâ & levi, in cuspidem, instar aliorum piscium, gracilescit: venter argenteus & fulgidus est, tergum modicè nigrescit splendetque. Tantæ docilitatis Kirchero, ut linguam Græcam ab Italica discernere eum dicat: unde certò cantilenæ genere è subaqueis antris à piscatoribus allectus ipsorum præda evadit, quod Auctor hic αὐτόπτης A. C. 1638. dum fretum Mamertinum trajiceret, *die* 17. Maji, testatur *in Musurgia*. Ejus rostra seu gladii, unde illi nomen, duo asservantur in *Museo* ejusdem Auctoris, qui, semipalmum lati, in longitudine ferè quinque palmos adæquant. Georg. de Sepibus *in Collegii Roman. Societatis Jesu Museo*, *p.* 24. Salmasius ξιφίαν *canculam* interpretatur, & de ejus τόμοις i. e. *frustis concisis ac salitis*, quâ voce integrum piscem intellexit Plinius, deque *accipitre & apro* ξιφία, varia habet, *ad Solin. p.* 1317. uti de ξιφίῳ, herbæ nomine, i. e. *gladiolo*, *p.* 999. & 1225. Vide quoque de *Xiphia* pisce, Voss. *de orig. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 10. & 17. Ab eodem themate ξιφισμὸς, saltationis genus cum *ense*, memoratur Jul. Cæs. Scaligero, *Poëtices l.* 1. *c.* 18.

XIPHILINUS Johannes, Patriarcha Constantinopolitanus, seculô 11. eruditione & probitate inclytus. *Trapezuntinus*: post mortem Constantini sede potitus est, A. C. 1066. Obiit A. C. 1080. Dionem in epitomen redegit. Glycas P. 4. *Annal.* Andr. Schottus, *Proleg. in Phot. Bibl.* Voss. *de Hist. Græc. l.* 2. Baron. *in Annal.* *Nic. Lloydius.*

XIPHONIA, urbs Siciliæ, *Stephan.* in ora Orientali. Nunc est Augusta, (*Agousta*) oppid. parvum, sed munitum Vallis Nezzinæ in peninsula, cum portu peramplo seu sinu parvo, prope Taurum promontor. & 24. mill. pass. à Syracusis in Boream Catanam versùs 16. & 24. in Merid. à Longo promontor. *Capo delli Molini. Baudrand.* Incolæ *Xiphoniata* Theopompo, *l.* 3.

XIPHONIÆ, promontor. Siciliæ in ora ad Ortum *Capo di Molina*, Fazello. Inter Acis ostium & Cyclopum scopulos proximos, à Tauromino 10. mill. pass. Catanam versùs 10. *Ferrar.*

XISUTHRUS, Alexandro Polyhistori & Abydeno, diluvii universalis historiam narrantibus, Noë dicitur, ut est apud B. Cyrillum, *contra Julianum desertorem*, *l.* 1. *sub init.* ubi addit, Assyriam sibi vocem videri. Nec sine ratione, quandoquidem vicina vox זז *Ziz*, unde מזוזה *Mezuza*, i. e. *postis*, *limen* Deuteron. *c.* 6. *v.* 9. A' *ziz* autem vel *zus*, quatenus postis vel liminis habet significationem, per ἀναδίπλωσιν fuerit *Xisuthrus*: atque ita dictus sit Noë, tanquam postis sive limen, vel janua, h. e. primordium omnium, qui ab diluvio fuêre, sunt vel erunt. Vide Ger. Joh. Voss. *de Idolol. l.* 1. *c.* 18. & P. Megerlinum *in Tab. Chronol.* Hinc & Romani, quia alterum initium generis humani erat, eidem, sub Jani nomine, initia rerum dicârunt: unde & initio ædium *januæ* nomen datum, [stain] mensium initium *Januarji* nomen accepit. Idem *ibidem.*

XOA, seu XAOA, vulgò XOA, regnum Æthiopiæ, versùs Zanguebariam. Ejus pars subest Abyssiniæ Imperatori, altera ipsi erepta fuit per Galas, superiori seculô. Hier. Lupus, *in descript. Æthiopiæ superior. & dissertat. de fontibus Nili.*

XOANA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptolem.*

XODRACA, urbs Indiæ intra Gangem. *Idem.*

XOES, vel XOIS, insula & urbs Ægypti inter Sebennyticum & Pharnicum Nili ostia, *Ptol.* Incolæ *Xoitæ*. In Eusebiana Dynastiarum Ægyptiacarum recensione, apud Syncellum, *p.* 61. xiv. *Dynastia Xoitarum Regum* 76. *qui regnârunt annos* 184. *aliàs* 484. refertur inter Diospolitanos & Pastores; quasi omnes fuissent ejusdem temporis. Unde Marshamo verisimile est, regnum hoc ex calamitate à Pastoribus Ægypto illata, ortum habuisse, dum Ægyptiorum pars magna, Pastoribus campestria infestantibus, *ἐν τοῖς βουκολίοις*, *in palustribus*, locis desertis & inaccessis, salutem libertatemque quæsiverint. Atque hos fuisse τῆς ἄλλης Αἰγύπτου Reges, qui Manethoni apud Josephum *contra Apion. l.* 1. Thebanis dicuntur auxilio fuisse, contra Pastores, ejusdem conjectura est. Vetustis enim illis seculis, diversa Regna in diversis Ægypti partibus fuisse certum, nec Pastores, præter Thebanos, omnibus cæteris Ægypti locis fuêre potiti. Vide Joh. Marshamum præfat. *Canone Chronico Sec.* 12. & suprà voce *Pastores*, it. *Tanita.*

XOLLA, Africæ urbs, Appian. *in Punicis.*

XUCHES, urbs Libyæ. Gentile *Xuchites*, *Stephan.*

XUICHEUM, urbs Quansiæ provinc. decima, in Sinis, intra montes, sub qua 2. aliæ, *Martin.* Media inter urbes Nanchangam ad Ortum & Ivtocheum ad Occasum, 60. mill. pass. à lacu Poyangi in Occasum. Vulgò *Xucheu.*

XUNCKINGA, vulgò *Xunching*, urbs Suchuensis provinc. tertia, in tractu montuoso, prope *Kiang* fluv. 90. mill. pass. ab urbe Chingto, primaria provinc. in Ortum. Sub illa 9. aliæ. *Idem.*

XUNNINGA, urbs Iunnaniæ, in Sinis, ampla, in tractu montuoso. Idem. Vulgò *Xunning.*

XUNTA, urbs quinta Pechinensis provinc. sub qua 8. aliæ, ad radices montium, versùs Imperii confinia, *Idem.* *Xunte* vulgò.

XUNTIENUM, i. e. cœlo obediens, urbs amplissima, caput Sinarum, meliùs *Pechinum.* Vide *ibi.*

XUNUS, quem pater instigante novercâ, sæpius è medio tollere parabat, tolerantiâ, ac mansuetudine suâ parentum fregit improbitatem: quâ perdomitâ tota familia ad frugem se recepit, & ipse S[stain]icum acquisivit imperium. Vide Theophilum Spizelium, *de re[stain]aria Sinensium*, *sect.* 12.

XUTHIA, urbs Siciliæ. Gentile *Xuthiates*, *Stephan.*

XUTHUS, fil. Hellenis, Deucalionis nepos, è Phthiotide Athenas concessit, regnante Pandione, ubi Creusâ ejus filiâ ductâ, filium quem ea ex Apolline conceperat, adoptavit, atque *Ionem* vocavit, quòd ἰόντι, *eunti*, in Apollinis templum primus occurrisset: à quo *Ionum* dein nomen, longè latèque sparsum. Ita Græci Scriptores, sed fabulosè, ut docet Bochartus, *Geogr. Sacræ. l.* 3. *c.* 3. cujus titul. *Javan.* Vide & suprà *Ion.*

XYLALOE, Græcè ξυλαλόη, est aloës odoratæ lignum, seu arbor aloës, quæ aliàs *agallochum*, item *arbor Paradisi*, ab excellenti odore, dicitur, uti vidimus suprà: neutiquàm proin cum aloë *καθαρτικῇ* seu medicamentaria, quæ herba est, confundenda, quod Suidas, Geographus Arabs, aliique fecerunt. Magna ejus copia in Regno Tunquinensi, cujus in ligni hujus, ut & serici, commercio, maxima divitiarum pars consistit. Sed duplex illud, alterum succi plenum, quod pretiosissimum, cujusque proin libra mille Imperialibus constat; alterum exsuccum & humore omni carens, quod vix tres Imperiales valet. Illius ingens æstimatio ac usus est apud Muhammedanos omnes, illos inprimis qui barbam promittunt, Turcas videl. Arabesque: qui, cùm sese mutuò invisunt, nihil antiquius habent, quàm ut frustulô ligni aliquantulum madefactô & in acerram conjectô odorem excitent fragrantissimum, quô barbas illi suffumigant, id beneficium Dei, sublatis in cœlum manibus, & verbis *Elhemed Illahh*, h. e. gratiæ Deo, venerati. Istud verò ad scrinia ferè tantùm cistulasque, vel etiam grana, quæ de collo suspendunt, inde conficienda, adhibetur. Quam in rem vide plura apud Joh. Baptistam Tavernier, *Relat. nouv. du Royaume du Tunquin*, *chap.* 4. ubi inter alia, postquam Joannes IV. ad Regnum Portugalliæ evectus esset A. C. 1642. Vice-Regem Goæ, inter alia munera, quibus animum Japonensium Monarchæ suæ genti propitiare conatus est, frustum *Xylaloës* laudatissimæ 6. pedes longum & 2. crassum ei obtulisse, memorat.

XYLANDER Guilielmus, Augustanus, Theologus doctissimus, Heidelbergæ docuit. Fuit linguarum apprimè peritus, & in omni antiquitate ac literatura versatissimus, Poëta, Musicus, Historicus, Philosophus, Mathematicus insignis. Obiit A. C. 1576. ætat. 46. Edidit Strabonis, Cedreni, Plutarchi, Dionis aliorumque auctorum versiones, dum vixit, cum egestate luctatus. Bucholcerus, *Ind. Chronol.* Lætus, *Comp. Hist. Univ. &c.* Cætera ejus scripta, inter quæ *Tryphiodori* Ἰλίου ἅλωσις, *Heroicô carmine versa*, illô adhuc sedecenne prodiit, enarrata habes in *Elogiis* Anton. Teissier *Part.* 1. Vide quoque Melch. Adami *Vit. Philos.* Jos. Scaligerum, *Epist.* Alios: ut & *Guilielmus Xylander.*

XYLENOPOLIS, oppid. ab Alexand. M. conditum, in littore Carmaniæ aut Gedrosiæ, Plin. *l.* 6. *c.* 23.

XYLI, populi Brittanniæ insulæ, quorum meminit Jornandes *de rebus Geticis*, *c.* 2. cùm ait: *In extrema ejus parte Memme, quam Cornelius etiam Annalium scriptor narrat, metallis plurimis copiosam, herbis frequentem, & his feraciorem omnibus, quæ pecora magis quàm homines alat. Labi verò per eam & multa quàm maxima relabique flumina, gemmas margaritasque volventia:* Xylorum *colorati vultus, tortô plerique crine & nigrô nascuntur: Caledoniam verò, &c.*

XYLICCES, Libyæ inferioris populi, *Ptolem.*

XYLINE. Vide *Xiline.*

XYLINUM, lana Ægyptia ex arbore vel frutice gossypio. Plin. *l.* 19. *c.* 1. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem alii gossipion vocant, plures* Xylon *& inde facta* Xylina. Nempe ξύλον, per antonomasiam vocata hæc arbor, i. e. *lignum*, alias ἐριόξυλον, quasi *lignum lanigerum*, de cujus fructu vide plura suprà, voce *Bombax*, item *Gossypium*. Et certè ξύλον pro *arbore* in Codd. N. T. occurrit Apocal. *c.* 22. *v.* 2. & passim apud Græcos V. T. Interpretes. Apud Scriptores Ecclesiasticos equuleum notat non semel, seu nervum, quô posteriore significatu vocem ξύλον exponit, Actor. *c.* 16. *v.* 24. Cl. Suicerus. Vide suprà ubi de *Ligno*, & *Nervo*. Hodie Græcis sic dicitur ligneum instrumentum, quô ad cœtus sacros convocandos, locô tintinnabuli seu campanæ, utuntur, ac σημαντήριον nuncupant, magisque propriè χειροσήμαντρον, quòd manibus teneatur, iisque pulsetur; ad differentiam alterius magni, quod μέγα σήμαντρον appellant. Meminit ejus Theodoretus Petreorum Episcopus in *Vita* Theodori Archimandritæ & prolixè describit Leo Allatius *de Templis*, *Epist.* 1. Vide quoque suprà voce *Simandrum.*

XYLOBALSAMUM, propriè lignum balsami arboris, seu potiùs surculi ac sarmenta, quæ à balsamo arbore amputabantur, ac, quòd impendiò odorata erant: carò quoque vendebantur. Plin. *l.* 12. *c.* 25. *Et sarmenta quoque in merce sunt. DCC. sestertio am-*

putatio

putatio ipsa surculique vanidre intra quintum devicta annum. Xylobalsamum *vocatur, & coquitur in unguentis* &c. quem locum eruditè Salmas. explicat *ad Solin. p.* 582. Uti verò *Xylobalsamum* de ligno; sic *opobalsamum* de succo, at de ipsa arbore *balsamum* dicitur propriè, vide suprà, vocibus *Balsamum*, & *Opobalsamum*: præter hæc autem & cortex, & pomum vectigalia fuêre, Salmas. *ibid.* At *Xylocinnamomum*, Græcè ξυλοκιννάμωμον, non lignum cinnamomi est, sed ligneum cinnamomum & ξυλῶδες. Nempe verum cinnamomum in parvis ac tenuibus surculis cernebatur, sed *Xylocinnamomum* virgultis erat longioribus ac robustioribus: Uti *Xylocasia* quoque dicebatur casia crassiori & lignosiori cortice, ἡ ξυλώδης ἢ ξυλικὴ, casia xylica, unde *salichah* factum, quô hujusmodi casiam Arabes appellant. Fuit tamen & suum *Xylocinnamomo* pretium, scil. *in libras XX.* Plin. *l.* 12. *c.* 19. Quam in rem vide Salmas. *ad Solin. p.* 582. 1054. 1306. alibique passim, ubi & de *Xylochia* Veter. quod illi idem cum ligno odorato *Haud* Arabibus hodie dicto: de *Xylolybano*, virgultis videl. & sarmentis thuris arboris, aliisque huc pertinentibus, inprimis varia de vocis ξύλα acceptionibus, apud Herbariæ Rei Scriptores.

XYLOCASTRUM, castellum Armeniæ, *Cedren.* Gabius apud Curopalatem *Psilocastrum* legit. *Nic. Lloydius.*

XYLOCERATIA, hodiernis Græcis fructus arboris vocatur, siliquas ferentis, quibus Filius prodigus esurientem stomachum placare conatus est, uti in historia ejus legimus, Lucæ *c.* 15. *v.* 26. Cujusmodi arbores circa Megaram observâsse se, memorat Cl. Sponius, *Itinerar. Part.* 2. *p.* 188. Vide suprà voce *Ceratium*, item *Siliqua*, & plura de hoc fructu, apud Salmas. *ad Solin. p.* 459. & *seqq.* ubi ξυλόγλυκα quoque hæc κεράτια dicta, inter alia ostendit.

XYLOCHARTIA, Græcè ξυλοχάρτια, apud Eustathium τὸ παρεμβολίτην ad Od. φ. quasi ligneæ chartæ, appellantur Græcis recentioribus, chartæ è papyro, ad differentiam chartarum, ex linteis conceptis & contusis parari solitarum, quarum jam tum fuisse apud Græcos usus videtur, quom abolitus esset chartarum è papyro texendarum modus. Papyrum autem ξύλον, *lignum*, vocabant. Cassiodorus de papyro, *Surgit Nilotica sylva, nescio quâ vacuitate plena, plenitudine vacua, bibula teneritudo, spongeum lignum.* Vide Salmas. *Not. ad Vopisc. in Firmo, c.* 3. Apud eundem, ξυλογραφίαν Græcis inferioris ævi appellari laquearia picta & cælata, legimus *Exercitat. Plin. ad Solin. p.* 1219. ubi ad verba Constantini *de Imperio*, agentis de Templorum genere, quod Δρομικὸν dixêre, ὃν ξυλογραφίαις ὀρχαίως, *Ita*, ait, *appellavit sive planum tectum habuerit, sive cameram, sed ex contignatione factam & laqueatam.*

XYLOCINNAMOMUM, vide suprà *Xylobalsamum.*

XYLOLATRÆ, vide suprà *Sacrivæ arbores.*

XYLOPHAGUS, promontor. Euboeæ, Metaphr. in *vita Theoclisti.*

XYLOPOLIS, oppid. Mygdoniæ, *Ptolem.*

XYLOS, Cariæ oppid. *Stephan.* & Hecatæus *in Asia.* Gentile *Xyleus.*

XYMETHUS, urbs Marmaricæ, *Ptolem. Zemythus*, Latini codices An *Semeros Antonin.* dubitat *Simlerus.*

XYNIA, urbs Thessaliæ, *Stephan.*

XYNIAS, palus, vel ab urbe vicina sic dicta, vel quòd ξυνὴ, h. e. *communis* esset Thessaliæ & Bœotiæ. *Boebeis Stephano* dicitur. Vide Liv. *Dec.* 4. *l.* 2. & 9. Gentile *Xynieus.*

XYNOECIA, Græcè ξυνοίκια, festum publicum in honorem Minervæ institutum, ab Atheniensibus, postquàm Theseus, Conciliis & magistratibus cæterarum urbium sublatis (priùs enim Attica κατὰ πόλεις ᾠκεῖτο, πρυτανεῖά τε ἔχουσα καὶ ἄρχοντας, *oppidatim incolebatur, Curias habens & Magistratus*) omnes in unum Concilium & Prytaneum Athenis coëgit: uti apud Thucydidem videre est, *l.* 2.

XYPETE, vicus in tribu Cecropide, *Stephan.* Item vicus Atticæ, *Troja* priùs dictus, *Idem.*

XYSITHRUS, vide suprà *Xysuthrus.*

XYSTARCHA, in Veterib. Gymnasiis, à Gymnasiarcha secundum tenens locum, ambobus Xystis, stadio & denique cunctis Athletarum exercitationibus præerat, ut scriptum reliquit Tertullianus, *libr. ad Martyres*; & ex Inscr. conjicitur, quæ Romæ in Foro Trajani in basi statuæ, Græcis literis notata, Latinè sic habet: *Demetrium. Hermapolitam. Alexandrinum. Pancratiasten. Periodi. victorem. Palæstritam. admirabilem. Aliptam. Pontificem. totius. Xysti. perpetuum. Xystarcham. balneis. Augusti. præfectum. patrem. M. Aurelius. Asclepiades. qui. &. Hermodorus. Alexandrinus. Hermapolita. magni. Serapidis. Æditus. Pancratiastes. Periodi. victor. Alipta. quem. nemo. detrudere. poterat. inculpatus. Xystarcha. filius. Pontifex. totius. Xysti. perpetuus. Xystarcha. &. balneo. Augusti. præfectus.* A quo, Mercurialis judiciô, diversus erat Præfectus luctæ, à Galeno Ἐπιστάτης παλαισμάτων vocatus, qui, perinde ac Pædotriba quidam, luctantium duntaxat Magister erat, cùm *Xystarchus* plurium exercitationum moderator, victorumque & omnium præmiorum decernendorum Judex foret. Nominatur & ab Hippocrate παλαιστροφύλαξ, quasi *Custos palæstræ, Epidem. l.* 6. *sect.* 7. *prope fin.* quòd non solùm ipse luctaretur, verùm etiam palæstræ curam haberet. Idem ab Agonistarcha distinguendus, qui certaminum publicorum præfectus fuit, & in Amphitheatris Gymnasiisque, ubi Athletæ, in publicos Ludos prodituri, priùs exercebantur, munus suum obibat: memoratus in vet. Inscr. *Apollini. Invicto. sacrum. M. Aurelius. M. Aug. lib. Apollonius. Agonistarcha. Commodianus.* Post quos Gymnastes fuit, Xenophonti *Progymnastes*, Platoni *Pædotriba* appellatus: Aderat & Sphæristicus, servi denique fricandis corporibus destinati, item Reunctores & Mediastini, de quibus omnibus vide Hieron. Mercurialem, *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 12.

XYSTI & XYSTA, ultima Gymnasiorum apud Veteres pars, inter se non parum apud Græcos Latinosque differebant. Quorum *Xystos* hi vocabant porticus tectas, ubi, per hyemem & æstatem, tempore luctationibus alienô, exercebantur: *Xysta* autem, subdiales ambulationes, ubi hyeme tempestate leni ex porticu prodeuntes, & æstate ferè semper exercebantur atque ambulabant. Atque has παραδρομίδας à Græcis quoque nominatas fuisse, scribit Vitruvius; quæ duplices erant, aliæ nudæ, aliæ platanis, aliisve arboribus consitæ, ad præstandum amœnitatem, atque illis, qui Sole offendebantur, umbram. De his Plinius loquitur, *l.* 12. *c.* 1. ubi *platanis Athenis in Academiæ ambulatione celebratas* fuisse scribit: ut & alter Plinius, *l.* 2. *Epist.* 17. & *l.* 5. *Epist.* 6. ubi, in depingendis Tuscis ac Laurentina, villis suis, *Xystos* toties decantat. Nec alium intellexit locum Ischomachus, apud Xenophontem *in Oeconom.* quando ambulationem in Xysto factam memorat: sicut nec Phædrus apud Platonem, ubi, ex Acumeni sententia, salubriorem facit ambulationem in viis, quàm in cursibus, sub hisce verbis: Τῷ δὲ σῷ καὶ ἐμῷ ἑταίρῳ πειθόμενος Ἀκουμενῷ, κατὰ τὰς ὁδοὺς ποιοῦμαι τοὺς περιπάτους, φησὶ γὰρ ἀκοπωτέρους τῶν ἐν τοῖς δρόμοις εἶναι, id est, *Tuo autem meoque socio Acumeno obtemperans, in viis ambulationes facio, nempe quas minorem lassitudinem iis, quæ fiunt in cursibus, parere*, dicit. Easdem quoque ambulationes Justinus Martyr indigitat, cùm in princ. Dialogi sui dicit: Περιπατοῦντί μοι ἐν τοῖς τοῦ ξυστοῦ περιπάτοις, *Ambulanti mihi, in Xysti deambulationibus*: quod ejus Interpres minùs exactè percepisse videtur. Imò & nemora, quæ tum in Thermis publicis deportâsse, tum in suis, juxta Neronianas, diruptis ædificiis, Alexandrum Severum fecisse scribit Lampridius, *c.* 25. nulla alia, quàm platanones & *Xysta* Græcorum fuêre. Hier. Mercurialis, *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 9. *sub fin.* Salmasius verò ξυστοὺς δρόμους, & absolutè ξυστοὺς, Græcis porticus dictas esse, in quibus *rasa* & æquata arena vel terra esset, docet *ad Solin. p.* 455. ubi multa de vocibus ξυστὸς & ξυστόν. Vide quoque *p.* 1045. ubi de verbis ξῦσαι vel ξύειν, γλύφειν & ξεσθῆναι. Idem *Not. ad Tertullian. de Pallio, c.* 4. *Omnes ferè tectas porticus*, inquit, *quas Græci δρόμους & δρόμους ξυστοὺς appellant, adjunctas sibi habebant hypæthras ambulationes, quæ inde paradromides vocatæ.* Et paulò pòst: *Græci ξυστὸν vocabant, τὸν κατάστεγον δρόμον sive porticum: Latini* Xystum, *ambulationem hypæthram, quæ ad porticum juncta erat --- Falluntur itaque Viri docti, qui existimant in eo solo constitutam --- differentiam, ut* Xystus *in genere fœminino porticum significaret, in neutro verò* Xystum *subdialem ambulationem.* Xysta *igitur Latinis sunt ambulationes sub dio* &c. Hinc *Xystici Athletæ*, qui in utriusque generis *Xystis* exercebantur: *Xystica Synodus*, in veter. *Inscr.* & *Xystica vanitas*, apud Tertullian. *de Pudicit.* Similiter depilari & velli, *Xysticas munditias* vocat Tertullian. *locô cit.* quòd hunc morem haberent homines *Xysto* & palæstræ dediti, de quo suprà pluribus jam egimus passim, inprimis lemmate *Palæstrici Juvenes* &c. Vide quoque suprà, ubi de *Nemoribus*, ubi per æstatem, sicut in *Xystis* per hyemem, vel inter ambulandum, vel à sedentibus, de rebus gravibus quoque agi solitum, monet Casaubonus *ad Octav. Suetonii, c.* 72.

XYSTICI, apud Romanos gladiatores erant, non in arena, sed in porticu, & ambulacris Hybernô tempore pugnantes. Est enim *xystus, ambulacrum*, quod Græci ὑπαίθριον vocant. Horum meminit Sueton. *in Aug, c.* 45. Vide suprà.

XYSTIS, urbs Cariæ, unde *Xystiani*, de quibus Plin. *l.* 5. *c.* 29. Nunc non videtur extare.

Pontifices Rom.

XYSTUS I. 6. Rom. Episcopus, Euseb. *l.* 5. *c.* 6. *A.* C. 121.

XYSTUS II. 23. Rom. Episcopus, *ann.* 2. *A.* C. 257.

XYSTUS III. excepit Cælestinum, A. C. 432. Obiit A. C. 440. Successit Leo M.

XYSTUS IV. Pauli II. successor, obiit A. C. 1484. Sequutus est Innocentius VIII.

XYSTUS V. post Gregorium XIII. sedere cœpit A. C. 1585. Obiit A. C. 1590. Urbanô VII. successore. Vide *Sixtus.*

Y.

Y Græca penitus vocalis est, neque à Latinis, nisi in vocabulis Grajæ originis adhibetur. Apud eosdem in u mutatur, unde δύο, μῦς, ὗς, τύρβη, &c. Latinè *duo, mus, sus, turba*, &c. Sic à κῦμα, *cumatilis*, color est: hoc tamen discrimen inter utramque vocalem, quòd *Y.* exilius sonuerit. A Palamede inventa, ad imitationem volatus gruum. Pythagoræ quoque litera dicta est, eò quòd duobus suis ramis, duo omnium rerum extrema: Virtutem & Voluptatem, denotaret. Hinc Persius, *Sat.* 3. *v.* 59.

Et tibi quæ Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextrô monstravit limite callem.

Et Virgilius, locô jam citandô:

Litera Pythagoræ, discrimine secta bicorni, &c.

Ausonius quoque *de lit. monos. v.* 9.

Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Y.

Nec tamen semper hanc picturam quam hodie habuit obtinuit: Olim enim unum ejus cornu rectum, alterum proclive ac tamen præceps fuisse monet auctor veteris carminis modò memorati, quod *in Catalectis Virgilianis*, legitur. Finale *Y.* in nominibus Græcis, Latini semper corripiunt. Vide Cicero. *de Orat.* Vossium *in Aristarcho, l.* 1. *c.* 12. ut & vocem, *Palamedes.*

YANCHEUM, vulgò *Yancheu*, urbs 7. Nanchinensis provinc. in Sinis, sub qua 9. aliæ. Ampla, emporium celebre, prope *Kiang* fluv. ubi in eum se exonerat lacus *Pieze*, 50. mill. pass. à Nanquino in Ortum.

YANG, vide *Yn*.

YBLA, urbs tergemina Siciliæ, major, parva, & minor, quæ & Megara; ab *Hyblo* Rege. Gentile *Yblæi*. Vide *Hybla*.

YCOLMKILL, Scotiæ Insula, quæ olim *Hy* dicta, Monasteriò à S. Columbano fundatò nobilis, unde ei nomen hæsit, quasi *Hy Columbani Cella*. Ex ea in Angliam missos, Euangelium magno cum fructu prædicâsse, refert Beda, *Histor. Eccl. l. 3. c. 3. 4. 5.* Ubi inter alia de Monasterio hoc, *Hujus Insulæ monasterium in cunctis penè Septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum Monasteriis non parvò tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat.* Item, *Habere autem solet ipsa Insula rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis provincia & ipsi etiam Episcopi ordine inusitatò debeant subesse, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit & Monachus.* Vide Joh. Forbesium, *Instruction. Historico-Theol. l. III. c. 3. §. 7.*

YEKING, nomen libri cujusdam Sinici, magni apud eos, ob res arcanas in eo latentes, pretii. Continet is Philosophiam mysticam, Pythagoricæque persimilem, multaque ibi *de Generatione & Corruptione, de Fato, de Astrologia Judiciaria, de Principiis naturalibus &c.* disputantur. Abutuntur verò illò hodie ad divinationes & sortilegia, sensu Auctoris genuinò vel neglectò vel ignoratò. Pinguntur figuræ atque characteres illius scripti certò lineolarum numerò atque situ, quibus rerum naturalium principia, formæ atque symbola, lineis partim integris, partim divisis exprimuntur. Vide Theoph. Spizelium, *de Re literaria Sinensium*.

YELA, seu HYELA, *Strab.* Vide *Velia*.

YENCHEUM, urbs Xantoniæ, in Sinis, tertia, sub qua 17. minores; ampla & culta, versùs confinium Nanchinensis provinc. *M. Martin. Yencheu* vulgò.

YESDA, vulgò *Yesd*, urbs Persiæ, in mediterraneis, in provinc. *Atrach*, versùs montes, 130. mill. pass. ab Aspahamo in Ortum.

YGGADE, *Antonin.* Vide *Uggade*, ut alibi legitur.

YN, & YANG, duo apud Sinenses rerum principia seu qualitates, in quas Chaos in prima productione rerum, divisum esse docent. *Yn* autem occultum seu imperfectum: *Yang* verò patens seu perfectum notare: Iisque bis in se ductis, imagines sive signa quatuor: inde octo formas symbola prodiisse, quibus iterum multiplicatis, quatuor & sexaginta symbola constituta fuisse, perhibent. Quæ omnia non tam in ipsa rei veritate fundata, quàm ex Arithmetica derivata, deprehenderunt eruditi. Vide Spizelium suprà laudatum, præclarè de his, ut & tota Sinensium Philosophia disserentem *libr. de Re Literar. Sinens. sect. 6.* cui adde, si placet, Martinii *Histor. Sinens.*

YOCHEUM, vulgò *Yocheu*, urbs Huquaniæ, sub qua decem minores. Ampla, & culta, in regione feracissima, prope Tutingam lacum, ubi ex eo effluit *Kiang* fluv. *Yocheu*, *M. Martinius*.

YPRA, Flandriæ urbs Episcopalis, capta ab Alexandro Parmensi, A. C. 1584. Hic Cornelius Jansenius Episcopus floruit seculò præteritò.

YSNA, aliàs *Viana*, urbs Rhætiæ, in Vindelicia, libera; nunc *Isne*, urbs Sueviæ, ad Argum inferiorem fluv. 16. mill. pass. à Campoduno in Occasum Lindaviam versùs totidem. Vide *Isna* & *Viana*.

YU, nomen herbæ, apud Sinenses, ex qua sub Quangsia, in *Cincheu*, pannum concinnant, præstantiâ, atque hinc pretiô, ipsum sericum superantem. Auctor Anonymus, *Sina & Europ. c. 32.*

YUNGUS, seu VUNGUS, *Antonin.* pagus Remorum, in Gallia Belgica nunc *Vouzi*, oppidul. Campaniæ, ad Axonam, 12. leuc. à Durocortoro seu Remis in Ortum, Ivodium versùs 10.

YVODIUM, vulgò *Yvoix*, oppidum aliàs Treverorum, nunc Ducatus Lucemburgensis, ad Carum fluvium. Aliàs munitum. Sub Gallis. Inter Macerias 7. leuc. & Lucemburgum 11. meliùs *Epoissus* & *Ivodium*. Vide ibi.

YUPIA, regio ampla Tartariæ magnæ, inter Oceanum Eoum ad Ortum & Tenducum regnum ad Occasum. Vix detecta versùs oram littoralem ad Austrum. *Yupi* vulgò.

Z.

Z Græca itidem litera est, neque adhibetur, nisi in vocibus ex hac lingua promanantibus, ejus locò duplici SS. utuntur Latini: ut *Patrisso*, *Sicilisso*. Memorat Appium Claudium Martianus Capella abhorruisse ab hujus pronuntiatione, quòd morientium exilem sibilum imitari videretur. Scribit nihilominùs Velius Longus, id in carmine jam Saliari reperiri, atque usum duplicis hujus apud Romanos antiquum admodùm fuisse. Ausonius in *N.* Literorum hujus literæ characterem mutatum ait:

Zeta jacens, si surgat, erit nota quæ legitur N.

Multi eô pactô illud hodie pronuntiant, quô à Gallis *G.* effertur ante *E.* & *I.* Imo & Græci hodierni *Agiami*, i. e. Persam vel Barbarum signare volentes, scribunt *Azami*. Alii pro duplici SS. illud sumunt, ut dictum: Sed genuinam ejus potestatem esse *DS.* docet Vossius *in Aristarcho, l. 1. c. 21.* unde ΣΑΕΥΣ ΣΑΕΥΘΕΡΟΣ apud Goltzium in nummis, &c. In fortibus inauspicatam hanc literam habitam & mali eventus, discas ex Alex. Neapolitano, *Genialium Dier. l. 3. c. 5.*

ZAARA, vulgò quoque *Zaara*, seu desertum, regio ampla Africæ, ubi aliàs Getuli & Garamantes, ab Ortu in Occasum extensa, inter Biledulgeridiam ad Boream, Nigritarum regionem ad Austrum, Nubiam ad Ortum, & Oceanum Atlanticum ad Occasum. Ejus partes seu deserta sunt VII. nempe Gaoga, Bornum, Berdoa, Lempta, Targa, Zuenziga, & Zanhaga. Sed raræ urbes & oppida in illo tractu.

ZAARAM, seu ZABRAM, regio Arabiæ Felicis *Ptolem. Baudrando* urbs Arabiæ Felicis *Algiar* dicta, in ora sinus Arabici in provinc. *Hagias*, ad ostia fluv. *Laakec*, 90. mill. pass. à Methymna Tanalbia in Occasum ex *Sansone*.

ZABA, Zenobiæ socia, apud Vopisc. *in Aureliano, c. 25. Pugnatum est post hæc de summa rerum, contra Zenobiam & Zabam, ejus sociam.* Sed mulier non fuit, verùm vir; neque socius Zenobiæ, sed Dux illius, *Zabas* nomine, quem in *Claudio* Treb. Pollio, *c. 11. Sabam* vocat, Zosimus *Zabdam*, uti notat *ad l.* Casaubonus. Apud citimos Scriptores, *Zaba* lorica est, cujus thecam, quam ex corio bubulo esse vult Leo *in Tacticis, c. 6. §. 12.* Ζαβαρέιον vocat Lexicon Græc. *MS.* apud Car. du Fresne, *Glossar.* ubi & in *LL.* Wisigothorum vocem *Zava* occurrere, idemque quod *perpunctum* seu *gambasium* esse, asserit. Vide quoque infrà *Zaberna*.

ZABA, Indiæ extra Gangem urbs; & insula circa Taprobanam, *Ptolemæo*.

ZABAD, fil. Thahath, 1. Paral. c. 7. v. 21. Filius Ooli 1. Paral. c. 11. v. 41.

ZABAD, filius Nathan, 1. Paral. c. 2. v. 36. 2. Paral. c. 24. v. 26.

ZABADIAS, filius Beriæ, 1. Paral. c. 8. v. 15.

ZABARELLA, nomen Familiæ illustris in Italia, quæ à Cornelia gente, inter Romanos celebri, atque inde à Sabatinis, qui Bononiæ olim rerum potiti, derivari amat. Ajunt enim Calorium Sabatium, Equitem Bononiensem, cùm Fatis temporique cederet, Patavium venisse, atque ibi condidisse hanc stirpem, cui deinde inflexâ pronuntiatione *Zabarellarum* nomen. Ei præter alia decora, literarum & armorum meritis parta dignitas etiam Comitum Imperii accessit. Scripsit autem *de augusta regiaque origine & nobilitate familiæ Zabarellæ, ex Johanne Cavaccia, Casp. Scioppii Comit. à Claravalle & aliorum Clarissimorum Virorum Commentariis*, Burchardus Brudersen Brunsuicensis: quem Commentarium videre est in *Aula Zabarella*, à Joh. Cavaccia Nobili Patavin. atque Comit. Jacobo *Zabarellâ* delineata, ac Patavii impressâ A. C. 1670. Floruit in hac Familia Jacobus I. Comes, sub finem seculi 15. defunctus A. C. 1506. cujus filius Julius, ex Griola Doctoria, genuit Jacobum II. Comitem Imperii, & Credarii, Philosophum illustrem, extinctum A. C. 1589. Ei natus, ex Elisabetha Cavaccia, Franciscus, obiit A. C. 1642. Pater ex Imperatrice Barisona, Jacobi III. quô, ut & Ignatiâ Comite Colaltiâ, geniti sunt, Æmilia A. C. 1642. Martius eôd. annô, & Imperatrix A. C. 1644. è quibus Martius morte abreptus obiit A. C. 1645. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatrô Nobilit. Europ. Tom. III. p. 18. & in Indic.*

ZABARELLA Franciscus, vide *ibi*.

ZABARELLA Jacobus, Patavinus, Græcè & Latinè doctus, Optices it. & Mathemat. peritus, sed Astrologus inprimis ac Philosophus insignis. Edidit *in Aristotelem* Commentarios magni habitos, aliaque, quorum indicem exhibet Anton. Teissier, *Elog. Part. 2.* Cœterùm nec memoriâ, nec eloquiô pollens, etiam erroris de Animæ mortalitate, imò & atheismi, arcessitur, ab Imperiali, *Musæi Histor.* Obiit in patria, ubi Philosophiam diu docuerat, A. C. 1589. ab Ant. Ricobono *Oratione fun.* ornatus. Dicitur paulo antè mortem ostendisse Auditoribus suis stellam, cujus influxus sibi funestus foret, non vanô eventu. Pater fuit Julii, de quo mox.

ZABARELLA Julius, fil. prioris, Mathematicus eximius, sed luxu podagricus, ut integrum ante obitum quinquennium lectô decumbere fuerit coactus. Vide de utroque porrò Jac. Phil. Thomasinum, *Elog.* Posslevinum *Biblioth. l. 12. c. 1.* Teisserium, *Alios*.

ZABATUS, fluv. Mesopotamiæ non longè à Tigri amne, apud Niniven, in Tigrim labens, *Xenoph.*

ZABBAI, nomen viri, Esdr. c. 10. v. 28. Latinè, *fluens*, sive *fluens*.

ZABDÆA, regio Persidis.

ZABDAS, Zenobiæ Dux, apud Zosimum, de quo vide aliquid suprà, voce *Zaba*.

ZABDI, pater Charmi, Jos. c. 7. v. 1. Filius Semei, 1. Par. c. 8. v. 19. Latinè, *dos*, vel *dotatus*, sive *fluxus abundantia*.

ZABDIAS, nomen viri, 1. Par. c. 27. v. 27.

ZABDICENA, Transtigritana regio, *Amm. Marcell.*

ZABDIEL, nomen viri, 1. Par. c. 27. v. 2. Lat. *dos*, *seu dotatus Dei*.

ZABE, regio Africæ, ultra montem Aurasium sita, quam, Mauris Numidiâ ejectis, Romanis vectigalem fecit Salomo, ex Orientis ultimis finibus, Belisarii Justiniani Imperatoris Ducis inclyti, adjutor. Caput ejus Sisiphis est. Vide Procopium Cæsar. *Histor. Vandal. l. 2.*

ZABECES, Africæ populi inter Maryes, & Zygantes. Herodot. *in Melpomen.*

ZABEL, mons Arabiæ Felicis, ubi Mahometes orare, seu potiùs consulere Satanam erat solitus.

ZABERNA, apud Abdiam, *in Histor. Apostolorum*, *Haud mora collectis libris magicis Zabernas plenas ad Apostolum attulit.* Et paulò pòst, *Ne fortè odor incendii vexet incautos, appende Zabernis lapides & plumbum & mitte in mare*: pluteus est vel capsa librorum. A' voce *Zaba*, quæ non loricam tantùm, sed & pluteum, significat, apud medii ævi Scriptores. Vulgò *Zabyras* excusum in Abdia, sed veram lectionem, ex vetere libro Jureti, restituit Salmas. *Not. ad Heliogabal. Lamprid.* c. 21.

ZABESUS, vulgò *Zabes*, urbs Transylvan. *Millembach* German. olim primaria Saxonum sedes. *Zaszebes* etiam Hungar. juxta Marisium fluv. 6. mill. pass. infra Albam Juliam in Meridiem 29. à Cibinio in Occasum.

ZABI, Mauritaniæ Cæsariensis locus, *Antonin.* in mediterraneis inter Juliam Cæs. & Cirtam, à Milevo 125. mill. pass. Cæsaream versùs supra 200.

ZABIDA, vicus in mediterraneis Arabiæ Felicis. *Steph.*

ZABII, populi Indiæ, qui cum Deriade contra Bacchum pugnavêre. *Stephan.*

ZABII, populi Magici, qui Dæmonem hircinâ formâ apparere crediderunt, teste Maimonide, Mote Nevochim, *l.* 3. *c.* 46. Videatur Gregorius nostras in illud Exod. *c.* 23. *v.* 19. *Non coques hædum in lacte matris suæ. Nic. Lloydius.*

ZABINA, nomen viri, Esdr. *c.* 10. *v.* 43.

ZABIRNA, Libyæ urbs, ubi Bacchus Campen ingentem feram mortalibus perniciosam peremit, Diodor. *l.* 3.

ZABIUS, Rex Hyperboreorum.

ZABOLCENSIS Comitatus, pars Hungariæ superioris versùs Tibiscum, *Comte de Chege*, Gall. Inter Comitatum Zemblinensem ad Boream, Bihoriensem ad Ortum, & Hewesiensem ad Occasum. Ejus caput est *Chege*, oppidum ad Tibiscum. Sub Turcis.

ZABOLUS, apud medii ævi Scriptores frequens, pro Diabolo, ex Dorico Ζάβολος, quod à ζαβάλλειν, pro διαβάλλειν. Sic *Zabolenus*, pro *Diabolenus*, unde *Jabolenus*, insignis JCtus, cujus meminit in *Pio* Capitolinus, *c.* 12. Ζῶρος & Ζῶρος, unde Gallorum *jousle*, pro Διάρος, *Zeta*, pro *Diata*; *Zacones*, pro *Diacones*; quô nomine & Lacedæmonii hodie appellantur à Græcis, à voce *Lacones* detortô, ut Pachymeres auctor est, *l.* 5. *c.* 25. &c. Vide Salmas. *ad Capitolin. l. cit.* Car. du Fresne, *Glossar.* & suprà, voce *Niger.*

ZABULON, vel ZEBULUN, decimus filius Jacob, ex Lea, natus A. M. 1228. Obiit A. 2411. Genes. *c.* 30. *v.* 20. Latinè, *habitaculum*, vel *habitans*. Aliter *Hesychius*: Ζαβουλών, ῥύσις νυκτερινή, αὐτίκα χόρτος σκότους. Hic tantoperè semen Abrahæ multiplicavit, ut de ejus familia juxta montem Sinai recensiti & inventi sint viri bello apti à vicesimo anno & suprà, quinquaginta septem millia & quadringenti absque parvulis & mulieribus. Quorum filii bellatores viri sexaginta millia & quingenti, parentibus in deserto mortuis, terram à Deô promissam ingressi sunt, ac missâ cum aliis tribubus sorte, habitaverunt circa Jordanem, in fertili Galilææ regione, quæ longitudine tendit à lacu Genezareth, usque ad littus maris Magni, quod est juxta montem Carmelum, latitudine verò à monte Tabor versùs Septentrionem quinque occupat milliaria. Vide Bochart. *descr. terræ S.* Torniel. & Salian. *in Annal. Vet. Test.*

ZABULON, validissima Galilææ civitas, quæ appellatur *virorum*, in tribu Zabulon, vicina Ptolemaidi, terminus Galilææ inferioris ad Occasum. Hinc oriundus fuit Elon judex, mortuus & sepultus in Zabulon.

ZABUR, regio Babylonica, in qua Seleucia. *Concil. Nicen.*

ZACANTHA, Iberiæ oppid. ab Annibale captum, *Steph.* Populi *Zacanthæi*, teste *Polybiô*, Zacynthiorum coloni.

ZACATÆ, populi Sarmatiæ Asiaticæ circa fontes Tanais, in Moschorum finibus. *Ptolem.*

ZACATECARUM tractus, *los Zacatecas*, provinc. novæ Hispaniæ inter novam Biscajam ad Boream & novam Galæciam ad Austrum à Zacatecis popul. Hic 5. urbes Hispan. nempe *los Zacatecas*, *Durango*, Nomen Dei *Nombre de Dios*, Ellerena, & Xera de limite, *Xerez de la Frontera*, cum aliquot aliis coloniis in Hispan. parvi momenti; Suntque in Præfectura Guadalajaræ.

ZACCHÆI, dicti nonnullis Hæretici, qui aliàs *Barbelitæ*. *Borboriani*, *Floriniani*, *Gnostici*, *Milites*, *Phibionitæ* &c. apud Epiphanium, *Hær.* 26. §. 3.

ZACCHÆUS, Hierichuntinus, Christum hospitiô excipit, ab illo conversus Item, Episcopus Hierosolymit. secul. 2. Item, Hæreticus, secul. 4. *Zachæani* etiam Gnosticorum nomen est. Epiph. *hær.* 26. & 80. Baronius *A. C.* 120. & 136.

ZACCHIUS Zacharias, vide *Zacharias.*

ZACHAEUS Lacus, Imperii Monomugi, in Æthiopia inferiori, è quo Zambra fluv. ettluit. Gall. *Lac de Zachaf.*

ZACHALIAS, Babylonius, *in libris, quos scripsit ad Mithridatem, humana gemmis attribuens fata, hæmatitem non contentus oculorum & jecinorum medicinâ decorâsse, à Rege etiam aliquid petituris dedit, & litibus judiciisque interposuit*, Plin. *l.* 37. *c.* 10. Græcis Ζαχαρίας est. Salmas. *ad Solin. p.* 408.

ZACHAR, præsidium in jugo montis Colchidis. *Ferreum* illi cognomen est inditum. *Agathias.*

Reges, & Viri Illustres.

ZACHARIAS, Rex Israëlis, post patrem Jeroboamum II. post interregnum 11. aut 12. annorum, admodùm enim juvenis erat, regnare incepit, A. M. 3262. sextô pòst mense à Sallum occisus, ob scelera, quibus sese mancipaverat, 2. Regum *c.* 14. *v.* 29. Item, Princeps, filius Mosollamiæ, 1. Paral. *c.* 5. *v.* 7.

ZACHARIAS, undecimus ex XII. Prophetis minoribus, filius Barachiæ, Esaj. *c.* 8. *v.* 2. Prophetare incepit A. M. 3533. regni Darii II. Populum ad reædificandum templum hortatus, iisdem præceptorum divinorum observationem sedulo inculcavit, variisque similitudinibus usus, de Jesu Christo & Ecclesia vaticinatus est. Hieron. *in Zach.* Sixtus Sen. *Bibl. S.* Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.* Non idem est cum Zacharia, cujus mentionem Euangelista facit, ille enim filius Jojadæ fuit. Latin. *memoria*, vel *masculus Domini*. In *Prophetiam* ejus, extant: Balduinus, Brocardus, Chytræus, Danæus, Grynæi *Comment.* in octav. Genev. A. C. 1581. Melanchthonis item. Oecolampadius, Basil. A. C. 1527. Olorii *Comment.* Pembelii *Explicatio*. Regius. de Reyroles *Quæstiones lit. & mor. in* fol. Paris. A. C. 1631. Rupertus. Stunica. Willii *Comment.* in 8o. 1638. Winckelmannus, &c.

ZACHARIAS, Pater Johannis Baptistæ, Luc. *c.* 1. *v.* 5.

ZACHARIAS, Græcus, post Gregorium III. Papa, A. C. 741. Consuluit Rachi. Longobardorum Regi, ut depositâ coronâ Monasterium ingrederetur, pœnitentiam delictorum ibi acturus. Francis sacramentô, Childerico Regi suo legitimo, dictô solutis, Pipinum Regem creavit, & Childericum, tanquàm ignavum, in Monachum tonderi jussit: Sicque ut Sigon. *l.* 3. *ad. A. C.* 750. &c. ait, *rebus pro Ecclesiæ salute & Apost. sedis auctoritate, non tam piè quàm prosperè gestis*, obiit A. C. 752. *Dialogos Gregorii Græcè vertit*, *Epistolas* aliquot scripsit, &c. Platina, Ciaccon. Duchesn. *in ejus vita.* Successit Stephanus II.

ZACHARIAS, Patriarcha Hierosolymitanus, successit Sophronio, A. C. 609. Captis à Chosroë Persarum Rege Hierosolymis, in Persiam abductus, ibi hæsit, usque ad A. C. 628. quô ab Heraclio Imperatore restitutus est. Theophanes *in Annal. Græc.* Baron. *in Annal.*

ZACHARIAS, Episcopus Chrysopolitanus, secul. 12. Auctor Concordantiarum Euangel. quas *Monotessaron* vocat, libb. 4. Has Ammonius Alexandrinus Græcè olim elaboravit, prodiêrunt Latinè in fol. Coloniæ A. C. 1535. & extant tomô 12. Bibliothec. Coloniensis; nam in Parisiensibus hactenus desiderantur. Alberic. *in Chron.* Trithem. & Bellarm. *de script. Eccl.* Item Scholasticus, Episcopus Mytilenes, auctor Dialogi, cui titul. *Ammonius*. Item Rhetor, scripsit historiam Ecclesiasticam, quæ adhuc ἀνέκδοτος. Anton. Verderius, *in suppl. Bibl. Gesn.*

ZACHARIAS Benedictus, Vincentinus Carthusianus: *vitam Brunonis carmine expressit*, &c. A. C. 1518.

ZACHARIAS Ursinus, Silesius, Theologus insignis. Natus Vratislaviæ, A. C. 1534. Scriptis inclytus, diu in Schola Neapolitana Nemetum & Heidelbergæ Professor, in Palatinatu & Archiepiscopatu Coloniensi Reformator. Opera ejus 3. Volumin. in fol. prodiêrunt Heidelbergæ, A. C. 1612. & alibi. Theologiæ studiosus, quàm Doctor, dici maluit: Temporis quàm parcus fuerit, docet inscriptio Musæi ejus talis:

Amice, quisquis huc venis,
Aut agito paucis, aut abi,
Aut me laborantem adjuva.

Obiit A. C. 1583. Neapoli Nemetum, cùm à sævissimis colicæ doloribus attrito, nemo impetrare potuisset, ut scriptiones & meditationes suas intermitteret. Vide Gesner. *in Biblioth.* & M. Adami *in vita ejus.*

ZACHARIAS Zacchius, Volaterranus; Statuarius insignis & elegantiarum studiosus, tractatum de his insignem edidit. Leand. Alb. *descr. Italiæ.*

ZACHLUBI, Slavorum gens forsan, apud *Cedrenum* & *Curopalatem.*

ZACORUS, è Ducibus auxiliaribus Persæ, occisus ab Argo, Phryxi fil. apud Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 554.

ZACUR, fil. Mosma. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 26.

ZACYNTHUS, olim *Thyrrea*, vulgò *Il Zante*, insul. (cum urbe cognomine à *Zacyntho* Dardano condita, unde nomen, teste *Steph.*) maris Ionii, uvarum passarum proventu celebris, Peloponneso ad Occidentem adjacens contra Cheloniten promontor. inter Cephalleniam ad Arctos, & Strophades ad Austrum 30. mill. pass. Hic Diblobatazius Imperator Græc. 71. per annos 33. imperavit, A. C. 1221. initiô factô. *Baudrando* longa est 25. mill. pass. lata 20. ambitûs 60. A Cephallenia 12. mill. pass. in Merid. 15. à Chelonate promontor. in Occasum. Cum urbe cognomine amplâ & permunitâ, Episcopalis sub Archiepiscopo Corcyrensi, arceque in colle. Pagi hîc frequentes. Sub Venetis. Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 270.

Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthus.

Quod ex Homer. desumpsit, *Odyss.* α. *v.* 246.

Δουλιχίῳ τε Σάμῃ τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

Ovid. *in ep.* 1. *Heroid. v.* 87.

Dulichii, Samiique, &, quos tulit alta Zacynthos,
In me turba ruunt luxuriosa, proci.

Theocr. *Idyll.* 3.

---- Καλὰ πόλις ἁ Ζάκυνθος,

Vide sis ibi Palmerium. *Nic. Lloydius.* Cæterùm, omnibus humanæ vitæ delitiis abundat, nisi quòd ligni ibi hodie penuria, unde *nemorosæ sylvosæque* epitheta, quæ apud veteres Poëtas occurrunt, illi jam citra insignem catachresin, tribui nequeant. Incolarum Urbis ad 25. millia, qui Italicè non minùs ac Græcè loquuntur; Latinos tamen ritus pauci servant. Habent interim utrique Episcopum, & quidem Græco Episcopo etiam Cephallenia insul. subest, ubi quoque communiter degit. Sepulchrum Ciceronis & Tertiæ Antoniæ conjugis ejus, in æde S. Heliæ repertum esse sunt qui scribant, sed præter fundum porphyreticæ urnæ nihil ibi conspicitur, quod rei faciat fidem, uti docet Cl. Sponius, *Itinerar. Parte* 1. *p.* 143. & *seqq.* ubi Insulæ hujus, qualis hodieque est, vinearum inprimis, quarum proventu tam celebris est, ac fontis piciferi, qui in eadem optimam picem juncturis navigiorum stipandis fundit, exactam descriptionem habes, unà cum 50. circiter vicorum, quibus reliquum Insulæ habitatur, catalogo. In nummo Caracallæ Imperatoris à Zacynthiis cuso Bacchus conspicitur, dextrâ manu uvam, sinistrâ thyrsum hederâ pampinôque circumplicatum tenens, cum *Inscr.* ΖΑΚΥΝΘΙΩΝ, apud eundem, *Itiner. ejusd. Part.* 3. *p.* 172.

ZADADRUS, Indiæ fluv. *Ptol.*

ZADOCUS, nomen Pontificis Hebræorum Summi, qui suffectus in locum Abjatharis, à Salomone Rege honorem in Eleazari, Aharonis primogeniti, stirpem, velut postliminiô, reduxit, postquàm turbatâ successione Heli Pontifex, qui Ithamarides fuisse creditur, Pontificali dignitate potitus fuerat. Cùm enim duo Aharoni filii essent, Eleasar & Ithamar, binas illi quidem constituerunt familias Sacerdotales, sed prior solùm Pontificalis erat, Numeror. *c.* 20. *v.* 28. Tum itaque interruptam ab Heli seriem *Zadocus* restituit, Franc. Burmannus, *Synopt. Theol. Tom. I. l.* 4. *c.* 8. §. 18. & 19. Filius ejus Achimahazus, cladem Absalomi illatam annuntiavit Davidi, 2. Sam. *c.* 18. *v.* 28. alius verò, Hazaria, inter Salomonis Regis Principes primô locô numeratur 1. Regum, *c.* 4. *v.* 2. *Præses* fuit. Item nomen discipuli Antigoni Sochæi, qui Simeoni Justo successerat. Cujus Præceptor Antigonus, cùm Auditores suos hortaretur, ut ne essent, sicut servi, qui Domino,

intuitu

intuitu solùm mercedis, servirent: *Zadocus* sanam ejus doctrinam perversè interpretatus, post hanc vitam, neque præmia bonis, neque pœnas malis instare, sed animam cum corpore interire, statuit, sicque orsus est sectam Sadducæorum, ab ipso sic dictorum, atque ad Templum montis Garizim defecit. Vide Scaligerum, *Triharesii El.* c. 15. & Drusium *de Sectis l.* 3.

ZADRACARTA, Hyrcaniæ urbs, apud Arrian. *l.* 3. Infrà Ζαδράκαρτα idem legit, regiamque & maximam urbem vocat.

ZADRAME, regio Cinædocolpitarum, qui Felicis Arabiæ populi sunt. *Stephan.*

ZADRIS, urbs Colchidis mediterranea apud Albaniæ fines, à Surio in Ortum recedens. *Ptol. Calikhea Moletio.*

ZÆA, urbs Bœotiæ antiquissima. *Steph. Zea* item.

ZAFLANUS Lacus, *Lac de Zaflan*, peramplus, in Æthiopia superiore à Borea in Austrum extensus, cum urbe cognomine aliàs sub Abyssiniæ Imper. nunc sub Galis. *Hier. Lupus.*

ZAGABRIA, urbs Pannoniæ superioris ad Saum fluv. & ad Segesticam insul. Episcopal. sub Archiepiscopo Colocensi, Croatiæ caput, Sisciæ, cui successit, proxima. Hic D. Marci Euangelium, manu ejusdem scriptum, asservari dicitur. Vide *Sisopa.*

ZAGACUPODA, urbs Africæ propriæ, *Ptol.*

ZAGATAIA, pars ampla Tartariæ, vulgò *Zagatay* seu *Usberk*; Aliter *Mauralnahar*, nempe versùs Austrum dicitur. Ibi aliàs Sacæ, Jaxarthæ populi & Bactriana. Terminatur ab Occasu mari Caspiô, à Septentrione Tartariâ verâ, ab Ortu regnô Thibetô, & à Meridie Persiâ. Sed de ea pauca dici possunt.

ZAGATIS, Ponti fluv. Arrian. *in Periplo.*

ZAGERÆ, populi Troglodytarum in Æthiopia. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

ZAGILLOVITIS, regio Asiæ minoris apud *Strabon. Gazelotis* ejusdem fortè: sed *Gazatvin* mavult *Casaubonus.*

ZAGIRA, urbs Paplagonum, in Galatia. Forsan *Zagora Arriani.*

ZAGMAIS, urbs Arabiæ desertæ. *Ptol.*

ZAGORA, Galatiæ locus maritimus. Arrian. *in Periplo.*

ZAGORIA, regio circa Develtum in Thracia. *Cedren. Leon.* & *Zonar.* Vide *Develtus.*

ZAGRABIA, urbs permunita Hungariæ. *Zagrab* incolis, *Agram* German. in Slavia, in limite ditionis Turcicæ & Croatiæ 15. mill. pass. à Petrina in Ortum, uti 40. à Carolostadio, 45. à Vihitza in Boream. Caput Comitatus *Zagrabiensis*, qui inter Turcicam ditionem ad Ortum est, Comitatum Risiensem ad Boream, Sagoriensem ad Occasum & Croatiam, à quo Savo separatur, ad Merid. Sub Austriacis.

ZAGRI Pylæ, angustiæ montis Zagri, per quas ex Assyria in Mediam trajicitur, hodie *Semirami* teste Nigrô; quod mons à Semiramide 15. milliar. pervius factus sit, sicuti & Strongylus in Carmania inter illam & Gedrosiam, similiter *Semiramidis mons Ptolemæo* dicitur.

ZAGRUS, mons excelsus, mediam à Babylone dividens. Strabo, *l.* 11. *Adilbegian* Castaldo, Niphati finitimus, à quo in Ortum recedit, *Ferrar.*

ZAGURI, palus in Asia, *Curopal.*

ZAGYLIS, vicus olim Marmaricæ marit. *Ptol.* nunc oppidum, *Cazales Mercatori*: inter Catabathmum ad Occasum & Parætonium ad Ortum, inde 50. hinc 78. mill. pass.

ZAGYSTIS, regio parva Libyæ. *Steph.*

ZAHARA, oppid. aliàs munitum Vandalitiæ, in colle, unde ortum ultimum bellum Granatense. 12. leuc. Hispan. ab Asta Regia in Ortum 13. ab Hispali in Eurum in limite regni Granatensis. Vulgo quoque *Zahara*

ZAHASPA, urbs Zagatajæ, ad ostia Oxi, in mare Caspium; in limite Persiæ.

ZAHEL, sive *Zahel*, vel *Zeel Bebiz*, Arabs, celebrem nominis sui memoriam fecit Opere *de temporum significationibus in judiciis*: item alterô *de Electionibus*, quô posteriori exequitur, quâ coeli constitutione agere conveniat, quod in animo habemus. Eum Nicolaus Prucnerus, unà cum Firmico & aliis, edendum Basileæ apud Hervagium procuravit, A. C. 1533. Dispiciendum autem, idemne ac *Zahel*, sit Arzabel Messallah, cujus varii tractatus editi sunt Venetiis A. C. 1493. & quidem floruit hic circa A. C. 1080. in Hispania edidítque quæ *de obliquitate Zodiaci* observârat. In iis fuit, maximam Solis declinationem, suô tempore, esse graduum 23. 34 Sed, quod ad ætatem, alii centum antea annis, videl. centum annis post Albaregnium viguisse dicunt. Vossius verò, his missis, assentire mavult, Henrico Bruceo *Catalog. Astrolog. quem de Motu libb.* 3. *intexuit*, & Ioh. Blancano in *Chronolog. Mathematicorum*, quos vide.

ZAHUCHA, Arabibus crocodili fragrantia peculiari nomine dicitur: ut quem odorem muscô vel castoreô suaviorem diffundere, refert Petrus Martyr, *l.* 13. *c.* 4. Vide quoque Sam. Purchas *Descr. Floridæ*, Vinc. le Blanc *Navig. Part.* 1. *c.* 2. & 27. Joh. de Laet. *Americæ suæ p.* 126. Alios. Abdomen præcipue, quod Arabicos quoque odores superare, ait idem Martyr. Quam rem de crocodilo tam insignem, omisisse Veteres miratur Bochartus, eò locum Jobi, ubi leviathan dicitur *mare reddere, ut mortarium unguenti c.* 41. *v.* 22. referens *Hierozoici Parte poster. l.* 5. *c.* 17.

ZAIA, urbs Bœotiæ vetustissima, *Steph.* cui ab Herodiano quoque *Zea* dicitur.

ZAIRUS, fluv. amplus Æthiopiæ inferioris. Oritur ex lacu cognomine. Dein in Occasum tendens, regnum Congi à regno Cacongi separat, ibique latô æstuariô in Oceanum Æthiopicum se exonerat.

ZAIRUS Lacus, in Æthiopia superiore peramplus, in cujus medio insul. amplissima est, quæ eum dividit: ab urbe *Zaire* ei adjacente, ad Occasum dictus. Ejus pars Australis dicitur Zamberus lacus. Ex eo autem effluit Zairus fluv. in Occasum, ut & Nilus, plurimis. Sed aliter sentit Hier. Lupus, in *dissert. de fontibus Nili & Æthiopiæ super.* in qua per 12. ann. moratus est.

ZALA, urbecula Hungariæ, vulgò *Zalawar*. Ad Zalam fluv. 3. milliar. German à Canisia in Ortum, uti 6. à Mura fluv. versùs Volceam paludem. *Sala* etiam antiqq. Caput Comitatus *Zaladiensis*, qui inter Balatonum lacum, seu Volceam paludem ad Ortum, Stiriam ad Occasum, Dravum fluv. ad Meridiem & Comitatum Castri ferrei & Vesprimiensem ad Septentrionem est. Ibi & Canisia. Sub Turcis.

ZALA, oppid. Amaseæ propinquum. Metaphr. *in vita B. Eutychii.*

ZALACA, Mediæ urbs. *Ptol.*

ZALACUS, mons Mauritaniæ Cæsariensis in Occasum vergens, *Quanser* incolis.

ZALADIENSIS Comitatus, vide *Zala.*

ZALAPA, urbs Africæ propriæ. *Ptol.*

ZALATES, pathicus quidam. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 164.

. . . . . Et tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse tribuno.

ZALENI, populi circa Persiam, Zosimo, *l.* 3.

ZALEUCUS, Locrensis Legislator, vinum ægris prohibuit injussu Medici, pœnâ capitis inditâ. *Ælian. l.* 2. *c.* 37. Val. Max. *l.* 6. *c.* 5. *ex. ext.* 3. de eo narrat, quòd cum ejus fil. adulterii crimine damnatus, secundùm jus ab ipso constitutum utròque oculô carere deberet, ac tota civitas vitrum & meritis patris crimen condonaret, ipse sibi non pepercerit: sed suô priùs, deinde filii oculô erutô, usum utrique videndi reliquerit.

ZALICHUS, urbs Cappadociæ, apud *Porphyrogenn.*

ZALISCUS, seu ZALICUS, Galatiæ fluv. *Ptol.* in cujus confinio oritur; dein per Paphlagoniam fluens, ibi in Pontum Euxinum cadit, 30. mill. pass. à Sinope in Ortum. Super eo urbs cognominis est, Episcopalis sub Archiepiscopo Amaseno, in mediterraneis, *Bolis*, regionis primaria, quam denominat, *A. Thevetus*, vulgò *Bolle.*

ZALISSA, Iberiæ urbs regia, *Ptol. Scander*, *Theveto*, quasi Alexandria. Ad Cyrum fluv. in confinio Armeniæ majoris à Georgianis habitata.

ZALOT, vicus, ubi latitudo Galilææ inferioris incipit. Egesippus, *l.* 3.

ZAMA, fil. Semei. 1. Paral. *c.* 6. *v.* 42. Latinè *cogitatio*, *scelus*, vel *turpitudo*

ZAMA, seu ZAMA *Regia*, colonia & urbs Africæ, apud quam Annibal magnô prœliô à Scipione victus fuit. Episcopalis, olimque Jubæ regia. 120. mill. pass. à Carthagine in Merid. 100. ab Hadrumeto in Occasum. Cujus veteri Inscr. *Colonia Ælia Hadriana Augusta Zama Regia* fuit. *Zamora* Marmolio. Sil. *l.* 3. *v.* 261.

Et Zama, & uberior Rutulorum sanguine Tapsus.

ZAMÆ, fons Africæ, canoras voces reddens iis, qui aquas illius potant. Plin. *l.* 31. *c.* 2.

ZAMAZI, gens Libyæ interioris, *Ptol.*

ZAMBDAS, Episcopus Hierosolymitanus, secul. 3. post Hymnæum, convertit legionem Thebaidem, quæ in Palæstina hybernaverat. Obiit A. C. 298. Baron. *in Annal.*

ZAMBERTUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

ZAMBERUS, fluv. Monomotapæ, vulgò *Zambre*. Oritur ex lacu *Zachaf*, dein auctus aliis fluviis & in Ortum tendens, versùs oram Cafrorum, inibi in Oceanum Æthiopicum cadit, in regno Zofalæ.

ZAMBERUS Lacus, vulgò *Zambre*, pars est Australis lacus *Zaire*, versùs Galas popul. & regnum Monœmugi. Ei adjacet urbs *Zambre*, ad Austrum in Æthiopia superiore.

ZAMBRI, fil. Salæ. Numer. *c.* 25. *v.* 14. Filius Ela. 1. Reg. *c.* 16. *v.* 9. Rex Israëlis, Elâ occisô, thronum conscendit, A. M. 3106. Octavô pòst die ab Amri Thirsæ obsessus, se cum tota familia exussit. Vide *Amri*, & *Ela*. Item fil. Juda. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 26.

ZAMEIS Ninias, V. Assyriorum Rex, A. M. 2091. usque ad 2128. Nini & Semiramidis fil. regnavit ann. 38. post matrem Semiramidem, quam occiderat. In S. literis vocatur *Amraphel*. Hic belli studiis depositis in deliciis vitam transegit. Diodor. *l.* 3. Justin. *l.* 1. *c.* 2. Euseb. *Chron.* Ornavit tamen templa Deorum, & Chaldæos amplavit. Beros. *l.* 5.

ZAMETES, mons Arabiæ Felicis. *Ptol. Zamat in tabul. recent.* apud oram Australem, unde Berius fluv. qui in Sinum Arabicum defluit.

ZAMIRA, fil. Bechor. 1 Paral. *c.* 7. *v.* 8.

ZAMIRÆ, Indiæ extra Gangem gens.

ZAMIZON, urbs Africæ propriæ.

ZAMMA, fil. Jahath, filii Cobni, 1. Paral. *c.* 6. *v.* 20.

ZAMMALE, nunc *Samuel* Ottel. & *Molle*, vicus Brabantiæ, 2. leuc. à Ghela oppid. in Ortum, ut ab Arschotio in Cæciam. In vita S. Dympnæ Virgin.

ZAMNES, Æthiopiæ sub Ægypto urbs. Plin. *l.* 6. *c.* 29

ZAMOLXIS, vir inter Getas natus, Pythagoræ discipulus ac servus, ad Ægyptios unà cum eo penetravit, quorum ritus secum in patriam deduxit, à suisque, ut & Thracibus, putantibus illum Saturnum esse, post mortem habitus est Deus: Cui victimas humanas fecerunt, quod *Legationem ad Deum suum* vocârunt. Herodot. *l.* 4. Vide Hesychium in Ζάμολξις. Nic. Lloydius. Meminit ejus Plato in Charmide, Ζάμολξις λέγει ὁ ἡμέτερος βασιλεὺς, θεὸς ὤν, *Zamolxis ait, noster Rex, qui Deus est.* Laërtius item *in Pythagora*, ea respiciens, quæ apud Herodotum legere est *loco cit.* Sed Herodotus refert, putare se *Zamolxin*, multo fuisse Pythagorâ antiquiorem. De cultu sic quoque Jamblichus *in vita Pythagoræ*, *c.* 30. [illegible] *Cumque hæc Getas docuisset, eisque leges præscripsisset, Deorum apud eos habitus est maximus.* Vide de eodem Strabonem, *l.* 7. & 16. Lucianum *in Deorum Concilio*, Malchum sive Porphyrium *in vita Pythag.* Origenem *contra Celsum*, *l.* 2. & 3. Iornandem *in Geticis* & Etymologici Magni Auctorem in Ζάμολξις, ubi variæ de eo Veterum sententiæ afferuntur.

afferuntur. Thracem eum fuisse, Laërtius docet *in præf.* sed Philosophiam à Pythagora, atque adeò Thracas à Græcis, hausisse vult, testem hujus rei Herodotum laudans: sed de Herodoto præterit illud, quòd posteà, ut diximus, is addit, putare se Zamolxin multis ante Pythagoram annis extitisse. Quod idcirco omisit Laërtius, quia mallet Philosophiæ inventæ gloriam suis adscribere Græcis, quàm Barbaris. Vulgarem verò opinionem, quâ duo *Zamolxes* confunduntur, (si modò Pythagoræ ullus eò nomine servus fuit) etiam sequuntur Malchus sive Porphyrius & Jamblichus, uterque in *Pythagoræ vita*: de quibus quid mirum, cùm id ad Pythagoræ laudem pertineat? Interim à Thracibus multa hausisse Pythagoram Hermippus observavit: fierique potest, ut Pythagoræ servus, qui Thrax erat, Patriæ Philosophiæ non fuerit inscius, multaque ab eo Pythagoras didicerit; imò & potuit servi indiciò in aliorum Thracum notitiam pervenire, qui plenius meliusque ea intelligerent. Vossius, *de Sectis Philos. c.* 3. §. 1. &c.

ZAMORA, olim *Sentica*, seu *Sarabris*, urbs Hispaniæ Tarraconensis ad Durium, in confinio Portugalliæ in regno Legion. Episcopalis sub Archiepiscopo Compostellano, 12. leuc. à Salmantica, 13. à Vallisoleto in Occasum, Mirandam versus,

ZAMORI, Calecutum condidit, unde *Zamorini* ab eo Calecutensium Reges hodieque appellantur. Vide suprà *Kalecutum*, it. *Malabaria*.

ZAMOSCIUM, vulgò *Zamosky*, urbec. Russiæ nigræ munita, in Palat. Belsiensi, juxta stagnum, cum titulo Principatus 14. leuc. Polon. à Sandomiria in Ortum, 15. à Leopoli in Boream, Lublinum versùs 9. Magnis impensis excitata à Joh. Zamoscio, M. Poloniæ Cancellario, rebus præclarissimè, sub Stephano & Sigismundo Regibus, gestis inclyto, in planitie amœna, non procul à fluv. Vepro, frustra à Cosaccis tentata A. C. 1651.

ZAMRAM, fil. Abrahæ ex Cetura, Gen. *c.* 25. *v.* 2.

ZAMRI, fil. Zaræ. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 6.

ZAMUR, apud Thangidæum Scriptorem Arabem, *piscis parvi corporis, mille vocum, quarum auditu sit familiaris hominibus; unde est, quòd naves comitatur, vectores recreans.* Sequitur, si cetus accedat, τὸν *Zamur* in ejus aurem statim insilire & perpetuò cantu illi obtundere, donec ad vada & rupes eum impellat, ad quas, tam importunum cantorem excussurus, toties caput allidat, & tantò impetu, ut tandem ipse sibi mortem consciscat. Inde pisciculum illum charum esse vectoribus, qui nihil non agunt, ut apud se diu detineant, tanquàm malorum averruncum. Et si in retia fortè inciderit, beneficiorum memores dimittunt, ut sacrum piscem, quemque attingere sit nefas. Sic Scriptor ille, aliique ejus gentis & farinæ. At cum cetis Græci agunt multò clementiùs, cùm pisciculum illis adjungunt, qui sit viæ dux & imminentia vada præmonstret, ne in illa impingat temerè. Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. l.* 6. *c.* 15. quod est de Arabum *Animalibus aquaticis fabulosis.*

ZANAATHA, Arabiæ Petrææ urbs. *Ptolem.*

ZANCHA, apud Pollionem *in Claudio*, ubi munera, à Gallieno, huic adhuc Tribuno, missa recensentur, *Zanchas de nostris Parthicas paria tria*: sunt calcei Imperatorii, ex Parthica pelle facti; cujusmodi pellium, & qui illas curabant, *Parthicariorum*, multa apud Veteres mentio, uti vidimus suprà. Unde Corippus *de Laud. Justini Jun. l.* 2. ubi calceos Imperatorios describit, inquit,

Purpureò sura resonant fulgente cothurnò,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco &c.

Erant nempe pelles illæ rubricatæ. Et quidem, ante Aurelianum Imperatorem liberâ inprimis stante Republ. Patricii & Senatores calceos nigros gestabant: ex Patriciis autem qui Magistratum Curulem cepissent, mulleos, h. e. rubros, qui Tyrrhenorum erant inventum, hincque *Tyrrhenici* quoque sunt appellati, & solum altum habebant; ac aureis corrigiis vinciebantur. At postquàm Imperatores sibi solis puniceos illos sive mulleos calceos voluère quasi proprios relinqui, Consulibus aurati attributi sunt, ut constat ex Cassiodoro. Cujus rei auctorem facit Aurelianum Vopiscus, *c.* 49. cùm ait, *Calceos mulleos & cereos —— viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.* A quo tempore solis Imperatorib. præsertim qui Constantinopoli sedebant, calcei rubri & ex rubricatis pellibus, consecrati sunt. Accessère & alia ornamenta processu temporis, uti diximus voce *Tzanca*. Sunt autem hi calcei Ζάγχαι, dicti Græcis illius ævi vel Τζάγχαι, à Græco verbo ἄγχω, i. e. *constringo*, unde ἄγχη, *constrictio*; & διάγχη, à διάγχω, è quo ζάγχη factum, sicut ex διάβολος, ζάβολος, ut vidimus, & additione barbaricâ τῦ τ. Τζάγχη. Salmas. *Not. ad Claudium Treb. Pollionis*. & Vopisci *Aurelian. loc. cit.*

ZANCHIUS Hieronymus, Italus, patriâ Alzanensis, in valle Seriana, genere clarô. Ex Italia cum Petro Martyre profectus, sacrarum literarum Professor Argentinæ primùm fuit, è qua urbe Stanislaum Ostrorogium Polonum hortatus est, ne nimis iis in locis à Luthero dependerent. Dein Heidelbergæ, porro Neapoli Nemetum, iterum tandem Heidelbergæ docuit, ubi extinctus est, A. C. 1590. ætat. 75. *Multis in re Theologica scriptis libris, optimè de Eccl. Christiana meritus*, Buchholc. *Ind. Chron.* quæ prodierunt 5. Vol. fol. Genevæ 1613. 1619. &c. *Vir in Patrum & Philosophorum scriptis versatissimus; modestia singularis: pacis Ecclesiarum amantissimus*, Melch. Adami *in vitis Theolog.* Verheiden *Effig.* Labbeus Jesuita qui illum omnium suæ communionis maximè judicat subtilem, *de Script. Eccles.* Tom. I. *p.* 803. Anton. Teissier, qui scripta ejus enarrat, *Elog. Part.* 2. Vide & *Hieronymus*.

ZANCHIUS Hieronymus, Bergomensis, JCtus eximius, varia in hac Scientia publici juris fecit. Teissier, *d. l.*

ZANCLE, oppid. Achajæ. Plin. *l.* 4. *c.* 5.

ZANCLE, Siciliæ urbs, in penitissimo Pelori sinu, posteà à Messeniis instaurantibus *Messana* appellata: licèt alii diversam à Messana faciant: *Zancle* enim ab Anaxila Rheginorum tyranno eversa, non longè. Omnium Siciliæ urbium fuit longe vetustissima, si B. Hieronymo credimus, qui ad annum 256. Chronici Eusebiani de suo hoc inseruit: *Hoc tempore in Siciliâ Messana, quæ & Mamertina, conditur.* Sic condita fuerit Zancle annis ferè 600. ante excidium Trojæ. Sed & apud Diod. *l.* 4. Hesiodus *Zancles* meminit, tanquàm urbis antiquissimæ, in qua Orion Zanclo Regi portum jactis molibus extruxerit. Sunt qui ab hoc *Zanclo* gigante conditam & dictam volunt; alii à fonte *Zancle*; alii à Saturni falce, ibi absconditâ. Stephanus ex *Hecatæo*: Οἱ μὲν τῦ Ζάγκλυ γηγενῦς, ἢ ἀπὸ κρήνης Ζάγκλης, οἱ δὲ διὰ τὸ ἐκεῖ Κρόνω τὸ δρέπανον ἀποκρύψαι. Sed Thucyd. multò verius, *l.* 6. Ὄνομα δὲ τὸ μὲν πρῶτον Ζάγκλη ἦν ὑπὸ τῶν Σικελῶν κληθεῖσα, ὅτι δρεπανοειδὲς τὸ χωρίον τὴν ἰδέαν ἐστί, τὸ δὲ δρέπανον οἱ Σικελοὶ ζάγκλον καλῦσι. Unde apud Stephan. Nicander *de Sicilia*, *l.* 10.

Καί τε κ̀ Ζάγκλας ἰδὲ δρεπανηΐδος ἄστυ.
Quamvis falcata Zancles combusserit urbem.

Ovid. *l.* 4. *Fast. v.* 474.

Quique locus curvæ nomina falcis habet.

De falce nihil habet Strabo, tantùm *Zanclen* curvum esse dicit. Verba sunt: Ζάγκλη πρότερον καλυμένη διὰ τὴν σκολιότητα τῆς τόπων, Ζάγκλον γὰρ ἐκαλεῖτο τὸ σκολιόν: Nempe παρὰ τοῖς ἐκεῖ, ab hominibus, qui illic habitant, ut rectè addit Eustath. hunc ipsum locum citans in *l.* 12. *Odyss.* Itaque Ζάγκλη propriè *curvam* sonat. Quam vocem esse Siculam frustra contendunt, cùm sit Punica אלגצ *zalga* per Metathesin G. & L. Bochart. *l.* 1. *Phœnic. Colon. c.* 28. Ovid. *l.* 15. *Metam. v.* 290.

Nunc freta circumeunt. Zancle quoque juncta fuisse,
Dicitur Italiæ. ———— ————

Nic. Lloydius. De illa sic apud Joh. Marshamum Thucydides, *l.* 6. sub init. ubi de Siculis Græcorum coloniis, *Zancle initiò à Cumæi piratis condita, postmodùm à Chalcidensibus inhabitata fuit: illos ejecerunt Samii Ionesque alii, Medos fugientes. Hos ejecit Anaxilas Rheginorum tyrannus, qui urbem appellavit Messenem.* Quod ita se habuit, ut ipse Marshamus alibi: *Anaxilas Messenios* (post captam Eiran excisos dissipatosque) *in Italiam accersit. Erat illi cum Zanclæis bellum, quibus ager optimus, urbs opportuna: hanc se Messeniis traditurum dixit, si secum hostem confecissent. Consentientes Anaxilas in Siciliam traduxit. Zanclæos Anaxilas navali* (quod inter antiquissima) *terrestri præliò Messenii fudère: dein hinc à Rheginis, illinc à Messeniis, terrâ marique obsessi, dejectô murò, ad aras Deorum —— confugiunt: supplicibus concessa est impunitas, & fide ultro citroque datâ, domicilium utrisque commune fuit: Urbem verò pro* Zancle *Messenem appellari placuit*, Olymp. 29. ex Pausaniæ *Messeniacis*. Vide eum *Canone Chron. Seculô* XVI. & XVII. Populi *Zanclæi*; & *Zanclæus* adjectiv. Silius, *l.* 14. *v.* 49.

Nec Zanclæa gerunt obscurum mœnia nomen,

Inde etiam *Zancleïus*, nomen gentis τετρασυλλάβως. Ovid. *l.* 14. *Metam. v.* 47.

Oppositumque petens contra Zancleia saxa.

ZANCLE, fons, unde urbi nomen, vide suprà.

ZANCLES, Samothracenus, cui dentes renati sunt post 104. annos Plin. *l.* 11. *c.* 37.

ZANCLUS, gigas, à quo *Zanclem* urbem dictam vidimus.

ZANES, oppid. vetustum circa Danubium, non longè ab alio castello, *Pontes* dicto. *Procop.*

ZANFARA, regnum Nigritiæ, cum urbe primaria cognomine inter regnum Gangaram, à quo separatur Nigrô fluv. ad Boream & regna Beninum & Biafaram ad Merid.

ZANGUEBARIA, vulgò *le Zanguebar*, regio perampla Æthiopiæ superioris ubi aliàs Barbaria. Extenditur à Septentrione in Meridiem versùs oram littoralem maris Æthiopici, inter Azaniam regionem ad Boream, Æthiopiam propriam ad Occasum, & oram Cafrorum ad Merid. ad Ortum habet Oceanum. Ejus regna præcipua sunt Lamonum *de Lamon*, Melindæ *de Melinde*, Monbaciæ *de Monbaza*, Mongalum *de Mangalo*, Mozambici *de Mozambique*, Quiloæ *de Quiloa*, cum urbibus primariis cognominib. versùs oram littoralem maris Æthiopici.

ZANHAGA, desertum in parte Occidentali Zaaræ, inter Tessetum regnum ad Boream, Gualatam & Tombutum regna ad Merid. Zuenzigam desert. ad Ortum, & Oceanum Atlanticum ad Occasum. Vulgò quoque *Zanhaga*.

ZANI, Procop. *l.* 1. Colchorum populi Christiani: antiquitùs *Sani*. Pontum Euxinum accolunt, circa Trapezuntem. Mentio *Zanorum* fit quoque *in Nov.* 1. *constit. de hær.* qui sub Justiniano primùm victi, ac in provinciam redacti sunt. Priùs *Macrones*, item *Sanni* dicti sunt, quas voces vide. Aliàs Τζάνες ab idiotis & vulgaribus Eustathius, *Od.* ξ. appellatos scribit, qui Veterib. σάννοι & σάννες, h. e. *sanniones*, de qua voce vide suprà. Unde suos *zanos* Itali accepère, Salmas. *ad Treb. Pollionem in Gallienis*, *c.* 8.

ZANJA, Mediæ urbs. *Ptol.*

ZANNOHUA, in tribu Juda; in finibus Eleutheropoleos, Æliam pergentibus; *Villa Zanna* dicta Hieronym. *in loc. Hebr.*

ZANOE, civitas in tribu Judæ. Jos. c. 15. v. 34.

ZANZALUS Jacobus, vide *Jacobus*.

ZANZIBARA, vulgò *Zanzibar*, insul. Africæ, in mari Æthiopico, & ora Zanguebariæ regionis inter Melindam urbem, ad Boream & Quiloam ad Austrum. Et quidem ita à Persis Arabibusque vocatur, estque in parte Africæ Meridionali & Veteribus incognita fuit; Quemadmodùm nec Japoniam, Philippinas vel Moluccas Insulas, Borneum & utramque Javam novère, vel certè non nisi tenuem earum habuère notitiam. Vossius, *de Scientiis Mathem*. c. 42. p. 242. §. 9.

ZAOPORTUS, Galliæ Narbonensis locus, Plinio, l. 3. c. 4. ut legit Pintianus pro *Citharista portus*. Dalechamp. legit *Zaoti tharista Portus*. Ortelius divisim legit *Naoci Tharista portus*. *Nao* sive *Anao* habet hoc tractu Antonini Itinerarium. Et si *N*. primum elementum inverteris, Z. habebis.

ZAPAVORTENE, Regio à Caspiis, Orientem versùs. Hujus situm describit Trogus, l. 41. c. 5.

ZAPETRA, Armeniæ urbs videtur, apud *Cedrenum* & *Curopalatem*. Circa Samosatam est.

ZAPOROHIANA societas Cosacorum, vide *Ucraina*.

ZARA, fil. Rahuel. Gen. c. 36. v. 13. Filius Judæ. Gen. c. 38. v. 30. Fil. Simeonis. 1. Paral. c. 4. v. 24. Rex Æthiopum. 2. Paral. c. 14. v. 9. Pater Regis Edom. Gen. c. 36. v. 33. Pater Zabdi. Jos. c. 7. v. 1.

ZARA, urbs, circa Armeniam Minorem *Antonino*. Circa Syriam, Josepho, *Jud. Ant*. l. 13. *Zapŭ* apud eundem l. 13. c. 23. & l. 1. *belli Jud*. c. 2. Moabitarum urbs.

ZARA, nomen illustris in Hispania Familiæ, ex Pontiorum stirpe, in Bætica provincia. Initiò enim A. C. 1430. Petro Pòncio Leonensi, ex Dominiis *de Marchena*, Comitis Metellini (*Medellin*) titulus datus, dein ille in civitatem Arcuensem (de *Arcos*) A. C. 1445. translatus est. Filiorum primus Johannes Rodericum & Emanuelem genuit, quorum is Marchio *de Cadiz* creatus est, dein Dux *de Cadiz*, tum de *Arcos*: Pater Franciscæ Ludovico Pontio Leonensi Dn. de Villagarsia & Marchioni de *Zara*, filio Petri & Ludovici, Roderico primo, ut dictum est, Comite nati, nepoti nuptam. In quorum liberis Franciscus posteritatem habuit, in oppido *Xerez de la Frontera*: sed major Rodericus Dux Arcuensis, Marchio de *Zara* & Comes *de Casares*, reliquorum, in quos tituli hi propagati sunt, fuit sator. Alter verò filius Johannis, Emanuel, Comes de *Baylen* à Rege appellatus est; sed A. C. 1618. ultimus ex ejus posteris Petrus, sine prole, decessit, unde ob successionem ortæ controversiæ. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatr. Nobilit. Europ. Part. II. Indic*.

ZARABI, Gothorum populi, *Jornande* Auctore, qui eos *Tereos* dictos scribit. *Tarabostes* alia lectio: *Nic. Lloydius*.

ZARABOTANA, apud Chalcondylam, l. 7. *Iisdem volebantur bombardæ plurimæ, quas Zarabotanas vocant*: bombardæ genus. Hodie verò Italis tubum seu fistulam vox notat, per quam secretò vox transmittitur ad alium, iis, qui in medio spatio sunt, illam non percipientibus, vulgò *Ciarabotana*: de quo artificio suprà dictum; vide Car. Macrum *in Hierolexico*, ubi occasione prioris notionis de bombardarum machinarumque, hujusmodi inventore & usu pluribus disserens, majores illas, quas *Canones* Galli vocant, in obsidione Fossæ Claudiæ, à Venetis primùm adhibitas, A. C. 1380. minores verò seu portatiles, in Mediolanensis Ducis Sfortiæ exercitu, primitus visas esse, tradere Blondum: Sed jam ab Agarenis A. C. 1343. instrumenta similia, ad formam doliolorum confecta (cujusmodi unum Melitæ circulis ferreis cinctum hodieque asservetur) usurpata esse; reperiri in *Gestis* Alphonsi XI. Regis Castellæ, notat.

ZARAGARDIA, urbs Mesopotamiæ ad Euphratem, Zosimus, l. 3.

ZARAHIAS, fil. Ozi. Esdr. c. 7. v. 4.

ZARAI, Mauritaniæ Cæsareensis urbs. *Antonin*.

ZARAM, regio Arabiæ Felicis. *Ptol*.

ZARAMA, Mediæ urbs. *Ptol*.

ZARANGÆI, Asiæ populi, ultra Arios. Arrian. l. 2. Idem omissâ diphthongô *Zarangi* scribit, l. 6.

ZARANIS, Mediæ urbs, *Ptol*.

ZARASPÆ, populi Asiatici, Plin. l. 6. c. 23. Horum urbs primaria *Prophthasia*. Vide ibi.

ZARATA Vici, & *Zaratensis* agelli meminit Apulejus, *Apol*. *Zaratha* Mauritaniæ Cæsareensis urbs, *Ptol*.

ZARAX, Peloponnesi urbs. Polyb. l. 4.

ZARCÆUS, Mediæ regionis mons, à Semiramide pervius factus. Diod. Sic. l. 3. idem Zagro, vide ibi.

ZARED, torrens in deserto Moab. Numer. c. 21. v. 12.

ZAREHE, nomen viri. Esdr. c. 8. v. 4.

ZARES, uxor Aman. Esth. c. 5. v. 10. Item Lazorum Rex, ab Imper. designatus, An. 500.

ZARETA, fons supra Chalcedonium mare, parvos nutriens crocodilos, qui *Zaretii* vocantur. *Steph*.

ZARETHRA, castrum Eubœæ, circa Eretriam, *Plut*.

ZARETIS, *Hesych*. Ζαρῆτις, Ἄρτεμις, Πέρσαι.

ZAREX, urbs Laconiæ maritima. *Zarax* Polyb. l. 4. *Cara*, seu *Zara* Nigro. Item mons & portus Laconicæ, ad Sinum Argolicum.

ZARGIDAVA, Mœsiæ inferioris oppid. *Ptol*.

ZARIASPA, urbs Bactrianæ. *Strabo*. regia olim. *Bactra* etiam. Vide ibi. Nunc *Belch*, urbs ampla regionis *Mauralnahar*, in Tartaria magna, *Steph*.

ZARIASPES, nobilis Perses, cum Ozine ejusdem gentis, defectionem ab Alex. M. moliens, oppressus est, atque in vincula conjectus. Curt. l. 9. c. 10.

ZARIASPES, Græcè Ζαριάσπης, fluv. Bactrianæ, à quo *Zariaspa* urbs, quæ postmodùm Bactra dicta est, nomen accepit. Vide Salmas. *ad Solin*. p. 985.

ZARINENSIS Portus, meminit Claudian. *in Epigrammat*.

ZARIS, urbs Mediæ aut finitimæ reg. *Ctes*.

ZARLINUS Josephus, Italus, *de Musica* omnium optimè scripsit. Alb. Bennus, *Dissertat. de Musica*. Præterea alia nonnulla edidit, quæ omnia prodierunt *IV. Volum. in Fol*. Venetiis, ubi obiit, A. C. 1599. Vide Marinum Mersenn. l. 4. Vossium *de Mathem*. Alios: ut & suprà *Josephus Zarlinus*.

ZARMISOGETHUSA, regia olim Daciæ urbs, *Ptol*. Quæ & *Ulpia Trajana*. *Varzel* nunc & *Venecz* & incolis *Varhel*, ac Slavonicè *Gradisch*, teste *Lazio*. Nunc pagus ab Alba Julia 8. leuc. in Austrum paulo plus à Cibinio. Vetus Inscr. *Colonia Ulpia Trajana Augusta Dacia Zarmis*.

ZARVANA, urbs Armeniæ minoris *Ptol*. majoris, Salmas. *ad Solin*. p. 698.

ZASIUS Hieronymus, Constantiensis JCtus vir priscorum morum, Erasmo & antiquæ virtutis exemplar, Jureconsultorum sui temporis facilè princeps, Jus civile commentariis doctissimis illustravit. Obiit Friburgi Brisgojæ, A. C. 1535. ætat. 74.

ZASIUS Ulricus, Constantiâ oriundus, Notarius primò, inde JCtus clarissimus, Jus docuit Friburgi, Joh. ibi Fichardi, de quo suprà, Præceptor. Opera ejus, quæ vivus adhuc luci dedit, magni habentur: in iis, quæ post mortem ejus edita, ultima maximus desideratur. Obiit A. C. 1535. ætat. 74. Melch. Adami *Vitâ Jurisconf*. Anton. Teissier scripta ejus enumerat. Vide & *Ulricus Zasius*: & hic paulò suprà, ubi eidem *Hieronymi* nomen per errorem tributum, ab Auctore anonymo.

ZASLAVIA, oppid. Bohemiæ, ubi inter Bohemos & Austriacos ambiguò Marte certatum est, A. C. 1618.

ZATECIUM, Bohem. *Ziateck*, German. *Satz*, oppid. Bohemiæ, ad Egram fluv. 11. milliar. German. ab Egra in Ortum, Litomeritium versùs 8. & 10. à Praga in Circium.

ZATHAM, nomen viri. 1. Paral. c. 26 v. 22.

ZATHES, Armeniæ fluv. fortè apud Xenoph. l. 3. *Cyrop*.

ZATHUA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol*.

ZATHUS, Lazorum seu Colchorum Rex Constantinopoli baptizatus, & conjugiò nobilissimæ virginis à Justino Imperatore donatus est, A. C. 522.

ZATMARIUM, vulgò *Zatmar*, urbecula munita Hungariæ superioris ad amnem *Samos*, in ipso limite Transylvaniæ 10. milliar. Germanic. à Varadino in Boream, 14. à Tokæo in Ortum, Caput Comitatus cognominis qui est inter Ugoghensem ad Boream, Biboriensemque Comitatum ad Occasum, & Transylvaniam ad Ortum & Merid. Sub Austriacis.

ZATORIA, vulgò *Zator*, urbs Palatinatus Cracoviensis, ad Vistulam, 6. leuc à Cracovia in Occasum, versùs Silesiæ confinia 5. ubi Skauda amnis Vistulæ miscetur; cum arce satis munita. Hinc Ducatus Satoriensis, qui sicut Ozviecensis, Silesiæ Polonicæ pars est, à Sigismundo Poloniæ Rege adjectus.

ZATRICIUM, Græcè Ζατρίκιον, recentiori ævô calculorum ludus, in hac gente dici cœpit, uti pluribus Salmas. probat *Not*. ad Vopisc. *in Proculo*, c. 13. Nempe Ζατρίκιον & Ζάτριον vel ζατρίκιον, quod & ζατρίκιον appellabant, dicebatur propriè pistrinum vel carcer, in quem servi nequam conjiciebantur. *Hesych*. ζατρίκιον, τὸ τῶν δούλων κολαστήριον. Moschopulus interpretatur, κάστρον, de qua voce vide suprà. Ζατρίκιον citeriores dixêre, atque ita vocavère postmodùm mandram vel septum sive carcerem latrunculi, h. e. locum vel sedem, in qua veluti clausus tenebatur latrunculus: unde toti ludo nomen. Persæ voce è Græco mutuatâ *Xatreng* illum appellârunt, postquàm eundem, ut alia plurima, cum suis nominibus, à Græcis accepère. Hodieque *Axedrez*, ab eadem origine, nuncupant Hispani, sicut *Alxatret* cum articulo Mauritani, quos penè innumerabiles è Græco ac Latino voces in suam linguam traduxisse, notum. Vide iterum Salmas. *ad Solin*. p. 1130. & hanc in rem plura suprà, ubi de *Calculis* & *Latrunculis*, nec non voce *Tzatricium*.

ZAVALMEDINA, seu ZALMETINA, apud Rerum Hispanicar. Scriptores, Prætor Urbanus est, quem tamen Prætori Urbano veterum Romanorum non ex asse respondere, notat Blanca, *Epist. Dedic. ad Commentar. de Rebus Aragon*. Nomen ab Arabibus, qui olim Hispaniam possederant, retentum: de quo vide plusculà apud Car. du Fresne, *Glossar*. ubi & *Salmedina* occurrere, inter alia monet.

ZAVAN, fil. Ezer. Gen. c. 36. v. 2.

ZAVANA, sive *Zavanes*. *Hesych*. Ζαυάνης θεός τις ἐν Σιδῶνι; fortè à זוע *Zava*, *timere*.

ZAVECES, populi Libyæ. *Steph*.

ZAVICHOSTUM, vulgò *Zavichost*, urbecula Palatinatus Sandomiriensis, ad Vistulam 2. milliar. German. infra Sandomiriam. Ibi A. C. 1205. cæsus fuit à Lesco Poloniæ Rege Romanus, Russiæ Princeps, qui inauditâ crudelitate in Nobiles sæviebat, Mart. Cromerus, l. 7.

ZAVOLHENSE Regnum, Tartariæ Occidentalis, olim potentissimum, jam nomen quoque perdidit. Cùm enim Schinguis Khan, magnus ille Tartarici Imperii conditor, filio suo Tukli omnes provincias Occidentales ad fluv. Volgam dedisset, uti suprà dictum, post varias rerum à successoribus ejus gestarum vices, Occidentalis Tartaria, in regnum *Zavolhense*, & Crimense seu Præcopense, divisum est A. C. 1400. occasione expeditionis in Tartariam hanc Occidentalem seu Desthensem susceptæ à Tamerlane, qui cùm Toktamischum Imperatorem ejus evertisset, Crimenses Tartari, peculiari sibi Rege sumtô, *Zavolhensibus* ulterius subesse renuerunt. Quod cùm hisce successisset, illorum exemplum aliis quoque Hordis sequutis, ex *Zavolhensi* Imperio porrò tria alia Regna, Casanense scil. Astracanense & Nagajense, originem acce-

cepêre; ficque defectione totuplici illud debilitatum tandem penitùs evanuit: cùm Imperatores hi olim Duces pro arbitrio Russis imposuissent gravique jugô pressissent gentem hanc, in cujus clientela hodiernô tempore præfata tria ultima Regna degunt. Georg. Hornius, *Orbe Imper.* cum *Animadversion* L. Joach. Felleri, *p.* 376. & *seqq.* Nomen à *Zavolhensi* tribu Tartarorum, præcipuâ olim, omniumque maxima. Idem, *Orbe Polit.* ubi de *Tartaria Magna.*

ZBANSCIUM, oppid. Poloniæ, obsessum ab Andrea Bninio Episcop. Posnaniensi, qui Abrahamum Zbanicium, in cujus ditione, Bohemis prædicantibus, Euangelium florere cœperat, ut sibi quinque sacerdotes traderet, adegit, paulo pòst Posnaniæ publicè crematos, circa A. C. 1430. M. Cromerus, *Hist. Pol. l.* 21. Mar. Bielscius *in Chron. l.* 3. Anton. *pars.* 3. *tit.* 22. *c.* 7. §. 8.

ZBARASIUM, vulgò *Zbaras*, oppid. Podoliæ interioris in limite Volhiniæ interioris, ubi anteà actum de pace cum Cosaccis. 10. leuc. Polon. à Braclavia in Boream, 13. à Luceoria in Merid. uti 4. à Wisniovieczo, & 6. à Zboravia; cum titulo Ducatus Wisniovieciorum. Ibi obsessus fuit exercitus Polonicus à Tartaris & Cosaccis. A. C. 1649. in qua obsidione strenuè se gessit Jerem. Michaël de Koributh, Wisniovieccii, Zbarasii & Lubriæ Dux, Russiæque Palatinus; pater Michaëlis Regis: sed A. C. 1651. ibi obiit.

ZBIGNIEVIUS, frater Boleslai Poloniæ Regis ob turbas, suppliciô affectus. A. C. 1120. M. Cromer. *Hist. l.* 5.

ZBORAVIA, oppid. Urcaniæ, 6. leuc. Polon. à Zbarasio, cum arce, munita, ubi Tartari & Cosacci grandi clade affecti. A. C. 1649. à Joan. Casimiro Poloniæ Rege, *Zborovo* vulgò.

ZDIARUM, vulgò *Sorow* in Lusatia, vide *Sorava.*

ZEA, quæ & *Zea*, urbs olim Bœotiæ primaria nunc extincta. Steph. ex *Herodiano.*

ZEA, frumenti genus. Plin. *l.* 18. *c.* 8. *Ægypto ac Syria, Ciliciaque & Asia ac Græcia peculiares* Zea, *olyra, tiphe.* Et mox, *Qui Zeâ utuntur, non habent far. Est & hac Italiam Campania maximè. semenque appellatur. Hoc habet nomen res præclara, propter quam Homerus ζείδωρος ἄρουρα dixit: non, ut aliqui arbitrantur, quoniam vitam donaret* &c. Ejus granum pulchrius, quàm tritici, idem esse ait & usum Medicum exponit. *l.* 22. *c.* 25. ad quæ loca Dalechampium vide, ut & suprà ubi de *Frumento.* Hodie *spelta* Germanis, vide Becmann. *Origg. L. L. p.* 1170.

ZEAZAR, Babylonius, de Astrologia Arabicè opus condidit: cujus initium tale esse ait Gesnerus: *Universa Astrologia judicia.* Vide Voss. *de Scient. Math. c.* 64. §. 13.

ZEB, nomen viri Madianitæ. Judic. *c.* 7. *v.* 25. Latinè *lupus.*

ZEB, oppid. fuit Palæstinæ, in tribu Manasse, ultra Jordanem, paullulum à Ramoth & Jabes oppid. in Ortum recedens.

ZEBECE, urbs Galilææ. *Steph.*

ZEBEDÆUS, pater Jacobi & Joannis Apostolorum.

ZEBEE, Rex Madianitarum. Ps. 83. *v.* 12.

ZEBELLINÆ Pelles, apud Venetum, *l.* 3. *c.* 47. *Inter parva verò animalia est quædam species apud illos* (Tartaros) *quæ delicatissimas suppeditat pelles, quas vulgò* Zebellinas *appel*[illegible] aliàs *Sabellina*, item *Zobellina*, à *sabelo* seu *sobolo*, Anglis & Gallis olim *sable*, mustelæ specie; quam nonnulli cum marte eandem faciunt, alii à marte distinguunt, nomen accepêre; ac fulciendis Magnatum vestibus superariis, collisque delicatiorum fœminarum contra frigus muniendis inserviunt. Deferuntur ad nos, è Siberia maximè, unde *Siberinas* potiùs dicendas vult Hornius, idque Moscorum operâ, quorum negotiationis pars magna in pellibus hisce consistit. Sed & Xansia & Xensia, Sinensis Imperii provinciæ, pelles hujusmodi cum reliquis provinciis communicant, Auctor Anonymus *Sina & Europa*, *c.* 40. ubi de *Quadrupedibus*. Vide quoque suprà aliquid ubi de *Sabellicis pellibus*, it. voce *Simor.*

ZEBENNUM, vel ZEBINUM urbs, unde *Geminum* Antiochianæ Ecclesiæ presbyterum oriundum, scribit D. Hieronymus, *de scriptoribus Ecclesiasticis.* Ζεβίνω Monasterii, in Mesopotamia, meminit Procopius, *l* 5. *Ædif.*

ZEBENNUS, vel *Zebinus*, Episcopus Antiochiæ, ab A. C. 230 usque ad A. C. 241.

ZEBIDA, mater Joacim sive Eliacim, 2. Reg. *c.* 23. *v.* 36.

ZEBUL, servus Abimelech. Judic. *c.* 9. *v.* 28.

ZEBUM, & ZEBES, *Ptol.* regio Biledulgeridiæ, in Africa, inter Biledulgeridiam propriam ad Ortum & Tegorarinam regionem ad Occasum, uti inter regnum Algerii ad Boream, & Lemptam desert. ad Merid. Apud montem Aurasium. *Procop.*

ZEBYRES, nomen gentis. *Suid.*

ZEBYTTIS, urbs Libyæ. *Steph.*

ZECARUS, vide *Ozecarus.*

ZECHIS, Scythica gens videtur, apud Procop. *l.* 2. *Persic.* Ζηκχίας Archiepiscopatus sub sede Constantinopolit.

ZECHRI, fil. Isahar. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 19.

ZECHUR, Pater Sammua. Numer. *c.* 13. *v.* 5.

ZECHUS, Bohemorum conditor, circa A. C. 550. frater Lechi, quem Polonorum Auctorum ferunt, & Russi, qui Russicæ genti originem dedisse dicitur, longam posteritatem habuit, *Ducum Regumque* nomine Bohemiæ imperantem, quam tandem clausit Wenceslaus III. secundô Regni sui annô nefariè Olomutzii obtruncatus. Vide Georg. Hornium, *Orbe Imp. cum Animadvers.* L. Joach. Felleri, *p.* 123. & *seqq.* ut & suprà, ubi de *Bohemia*.

ZEDECH, Hierosolymam primùm dictam fuisse, conjicit And. Masius *ad c.* 10. *Josue.*

ZEEL Bebiz, vide suprà *Zabel.*

ZEELANDIA, Insul. Daniæ, vide *Selandia.*

ZEERITÆ, gens Felicis Arabiæ, *Ptol.*

ZEERNEBOCH, i. e. *niger Deus*, à Slavis olim cultus. Helmoldus, *Chronic. Slavor. c.* 53. *Sub nomine Deorum, boni scilicet atque mali, omnem prosperam fortunam à bono — adversam à malo, dirigi profitemur. Ideo etiam malum Deum suâ linguâ Diabol, sive* Zeerneboch, *i. e. nigrum Deum appellant.* Quorum hoc nomen à Slavis sit: at illud sine dubio est ex *Diabolus*, ut à Christianis hoc acceperint vocabulum. Nisi fortè illud *Diabol* ex glossemate in textum irrepsit. Sanè non habet Albertus Crantzius, *in Wandalia sua*, *l.* 3. *c.* 37. ubi Helmoldum ad verbum exscripsit, tacitô Auctore. Aliter *Zernebock*, apud Saxones antiquos *Tybilenus*, à quo hodieque notum in Germanico sermone Dæmonis nomen. Vide Gerh. Joh. Voss. *de Orig. Idolol. l.* 1. *c.* 38. ut & *c.* 5. Ubi de vetustissimorum apud gentes Theologorum, de duplici Principio, seu duobus Summis Diis opinione.

ZEGEDINUS Stephanus, vide in SZ.

ZEGIRA, *Ptol.* potiùs *Zigira*, vulgò *Gezira*, urbs Assyriæ ad Tigrim, in confinio Mesopotamiæ, 6. mill. pass. à Marde in Boream, Ammianô teste.

ZEGRENSII, gens Mauritaniæ Tingitanæ *Ptolemæo.*

ZEGZEGUM, vulgò *Zegzeg*, regnum Nigritiæ, cum urbe primaria cognom. inter Cassenam regnum ad Boream, & Beninum regnum ad Merid.

ZEILA, vulgò *Zeila*, urbs regni Adelii, in Æthiopia superiore in ora maris Arabici paulo extra fauces maris Rubri, cum portu capaci, ad ostia fluv. Zeilæ. Anteà *Avalites* dicta, 400. ab Aromatum promontor. in Occasum in Azania regione.

ZEILA, castrum Germaniæ in Suevia sub proprio Comite, ex illustri Dapiferorum *in Waldpurg* Familia. In hac enim, Wolfeccia linea, in duos ramos divisa est, Comitum scil. *in Wolfeck*, & Comitum *in Zeil.* Et quidem Georgius, Joannis extincti A. C. 1603. filius secundogenitus, qui Wolfecciæ lineæ auctor est, ex Georgio filio nepotem habuit Jacobum, cujus minor natû filius Frobenius junxit sibi Annam Mariam Baron. *de Tœvingen*, atque ex ea suscepit Joann. Jacobum Comitem *in Zeil*, quô geniti sunt Paris, Jacobus & germani, *Truchsessii Dn. de Waldpurg, Comites in Zeil* &c. Ph. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobilit. Europ. Parte II. p.* 18. Vide quoque eum, *Arte Heraldicâ. Tom. II.* ut & suprà, ubi de *Dapiferis*, & in specie de Linea *Wolfeccia*.

ZEILAN, insul. Asiæ perampla & nobilis, Sumatra nonnullis est, aliis *Taprobane* Veter. Quorum his favet nomen ab Arabibus & Persis Insulæ impositum, qui *Zeilan* eam appellant, à recentiore ejus appellatione Σάλη vel Σαλικὴ, cùm ante Ptolemæum, qui nominum horum meminit, Παλαισιμούνδου vocaretur, quæ vetustissimis temporibus *Taprobane*, Auctor *Peripli Maris Rubri*, Εἰς πέλαγος ἔκκειται πρὸς αὐτὴν τὴν δύσιν. λεγομένη Παλαισιμούνδου, παρὰ δὲ τοῖς ἀρχαίοις αὐτῶν Ταπροβάνη. Sed & situs Insulæ, elephanti, quos gignit maximos, gemmæ & margaritæ grandiores, quas illa fert, aliaque multa prorsus evincunt, esse Veter. Taprobanem. Vide quoque suprà *Palæsimundum*. Unde & *Zeilan* Salomonis esse Ophiram remotiorem, contendit Auctor Anonym. *Sina & Europ. c.* 30. Uni Regi eam jam circa A. C. 1290. subjectam fuisse, Marcus Paulus Venetus tradit, *l.* 3. *c.* 26. & Haito Armenus, *c.* 6. Post quæ tempora Zingalæ (uti *Zeilonenses* appellantur) trucidatô Rege suô in multa Regna Insulam diviserunt, quorum quatuor numerat Vartomannus ad A. C. 1500. Regum præcipuus *Colomugi* dicebatur, cui cœteri tributum pendebant: donec circa A. C. 1580. Tonsor quidam, nomine *Maru Ragu*, Rege præcipuô interfectô, cœterisque populis, totius Insulæ Monarcham se constituit, sede Regiâ in urbe *Candi* positâ. Cum hoc Fimala Rege *Zeilab* Belgæ fœdus inivêre A. C. 1600. Ei successit Fimala Derma, Suri Ada, qui, à Lusitanis baptizatus Christianô ritu, *Joannes de Austria* dictus est. Similiter Waed Madale Regem circa A. C. 1647. baptizatum esse referunt. Georg. Hornius, *Orbe Imp. cum Animadversion.* L. Joach. Felleri, *p.* 457. Vide quoque Salmas. *ad Solin. p.* 1102. & *seqq.* Habuerunt in Insula hacce loca varia Lusitani; quæ omnia à Batavis iis erepta sunt, uti videre est apud Joh. Bapt. Tavernier. *Itiner. India*, *l.* 3. *c.* 15. ubi de elephantis Zeilanis, ad bellicos terrores aptissimis adeoque ab omnibus Indiæ Principibus maximè expetitis, illis naturali quôdam instinctu aliarum Regionum elephantos certô corporis gestu venerationem exhibere, & de rhinocerotum venatione, commercio item Regum in elephantis præcipuè & canella existente, quædam addit. Plura apud Jac. Saar *in Itiner.* cui titul. *Ostindianische 15. jährige Kriegs-Dienste*, ut & voce *Ceylanum.*

ZEILLERUS Martinus, auctor *Catalogi Historicorum*, aliorumque plurimorum operum. Stirius fuit, oculô dextrô jam à teneris vitiatô, alterô tantùm suos labores peregit: tam celebris industriâ suâ ac operum suorum gloriâ factus, ut plurimi Proceres & viri eruditi, non Germani solùm, sed & exteri, Itali, Galli, Poloni, Dani, Sueci, Bohemi, Ungari, eum videre ac alloqui desideraverint. Gessit Ulmæ Ephoriam Gymnasii, Librorum Historicorum & Philosophicorum Censuram, ac Inspectionem Scholarum Germanicarum. Obiit familiæ suæ ultimus A. C. 1661. ætat. 73. Eteostichon non inconcinnum, *MorItVr DoCtVs ZeyLer*, de illo occurrit apud P. Freherum, *Theatrô Viror. Erudit. clarorum*, ubi ejus *Scripta* enarrat, ac de patre illius cognomine, Melanchthonis olim discipulo, & Pastore tum alibi, tum Ulmæ tandem, quædam addit.

ZEIRINIA, oppid. Thraciæ, *Steph.* ex *Theopompô.*

ZEKELHYDA, arx munita Transylvaniæ in colle, anteà sub Austriacis juxta Beretonium fluv. 22. mill. pass. à Varadino in Boream, quot Zatmarium versùs. Vulgò *Zekelheid.*

ZELA, urbs Cappadociæ, nunc jacens, in Ponto Polemoniaco, apud Neocæsaream: olim Episcopalis sub Archiepiscopo Amaseno. Item Armeniæ, aliàs *Artemidis ara* dicta.

ZELA, vel ZELE, urbs Troadis à *Zeleô* heroë. Est etiam *Zelea* castellum Cyzici. *Steph.*

ZELANDIA, incolis *Zeeland*, Gallis *la Zelande*; provinc. Belgii uniti, cum titulo Comitatus, quasi *Sealand*, quòd olim mari obruta. Vide Verstegannum, *c.* 4. vel à Danis & Normannis, qui ex Selandia Daniæ profecti hic sedem fixerunt. Constat 5. Insul. præcipuis, inter ostia Scaldis, nempe Valachriâ (*Walcheren*,) Bevelandiâ Australi (*Zud Bevelandt*) & Boreali Scaldiâ (*Schouven*) & Duvelandiâ. Aliâs amplior, sed maris inundationibus, præsertim A. C. 1176. 1304. & 1509. valde imminuta est, *Baudrand. Becmanno*, ab Hollandiæ Insulis modicô fretô separantur insulæ 7. quæ provinciam Zelandiæ nunc constituunt, quas multâ effusione à continenti Flandriæ Imperatorem Ottonem A. C. 980. dissecuisse & insulas fecisse, ne à Francis facilè occuparentur, docent Annales Hollandiæ. Harum Orientales sunt præcipuè tres Tolla *Ter Tollen*, à vectigalibus nomen sortita: Duvelandia, à columbarum copia, in qua urbes multæ, quæ perierunt A. C. 1530. & Scaldia *Schouven*, quæ maris sævitiâ indies atteritur: Occidentales, quæ à prioribus Scalde fluv. dirimuntur, quatuor sunt: Walachria, Bevelandia Australis, in qua urbs *Romerswal*, salis negotiatione celebris, Bevelandia Borealis, & inter utramque *Wolffersdijck*. Tota terminatur à Septentrione Hollandiâ, ab Ortu Brabantiâ, ab Occasu mari Germanicô, à Meridie Flandriâ. Notatur à Politicis error Albani Ducis, quòd in primis Belgii motibus secul. præterit. non *Zelandiæ* statim, in qua prima libertatis & Reipubl. Belgicæ, post Brielam captam, fundamenta jacta erant A. C. 1572. incubuit; Vide Hug. Grotium, *Annal. Belg. ad A. C.* 1573. Ejus urbes præcipuæ Middelburgum, Flislinga, Veria, Ziriczæa, Goesa, Briela & Tola. In ea 102. vici, ex quibus tamen quidam mari absorpti. Item insula maris Balthici, ad Oresundam, in regno Daniæ, opulentissima, ipsâque Regiâ donata, præter quam 12. civitates, totidem arces & parœcias 347. habet: Priori secundùm quosdam nomen dedit. Vide in vocibus *Hollandia* & *Silandia*.

ZELANDIA Nova, pars Terræ Australis seu Antarcticæ, recens detecta à Batavis, A. C. 1654. Extenditur à Septentrione in Merid. versùs Insulas Salomonis, & terram Diemeni. Sed an Insula sit, an Continens, non constat?

ZELASIUM, Isthmiæ id, super Demetriadem, promontorium est, peropportunè objectum, Livio, *l.* 31. *c.* 46. In Euboea aut circa, in continente Macedoniæ vel Atticæ videtur.

ZELES, unus è Cyzicenis, à Polluce, in conflictu nocturno, cæsus ac semianimis relictus. Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 152.

ZELES, *Strab.* urbs Hispan. ad Eretum, sed à Romanis in Mauritaniam oppositam translata, & posteà *Julia Joza* vocata. Ζῆλιν Strabonem scripsisse putat Casaubon. quanquàm, istis in nominibus Barbaris, nullam sequuti sint veteres certam analogiam. Plinio, *l.* 5. *c.* 1. *Zilis*, *Ptol.* Ζιλία vocatur. Nunc *Arzila*, sub Lusitanis. Vide *Zilia* & *Xilia*.

ZELIA, Dioni, *l.* 42. *Ziela* Hirtio, *de Bello Alexandr. c.* 72. & Plut. Cappadociæ oppid. ubi Cæsar Pharnacem Regem devicit.

ZELIA, Troadis urbs, à Zeleo Heroë condita, sub pede Idæ montis ad Æsepum fluv. Homer. *Il.* 2. in Lycia nempe regione *Strabo*. Lyciorum oppid. quoque facit Plut. *de virtutibus mulierum*. Stephanus & Eustath. faciunt Cyzici castellum.

ZELIAS, Nicomedis fil. Crestam Paphlagoniæ urbem occupavit. *Steph.*

ZELIMIRUS, Dalmatiæ & Croatiæ Regum ultimus, ductâ Ladislai Hungariæ Regis sorore, ipsi moriens legavit Regnum, quæ Ladislao fratri, circa A. C. 1080. Georg. Hornius, *ubi suprà p.* 144.

ZELIOBES, Hunnorum Rex in Justinum Imperatorem, perfidus. Procop. *de bello Pers. l.* 1.

ZELIS, vide *Zeles*.

ZELLA, Africæ urbs, in bello, quod Cæsar cum Scipione gessit, deleta. *Strabo.*

ZELLIA, regio in Pannonia, aut Illyrico videtur, apud Paulum Diac. *l.* 4. *Longobardorum.* Mss. Excusus codex, *Aglia* & in ora *Azellia* legit. Ab hac *Azellia* usque ad *Medaria* (alia lectio *Meclaria*) regionem, habitant Slavi, ut idem inquit. Pro Ciliensi agro Norico, habet Wolg. Lazius. Vide *Celia*.

ZELOTÆ, à ZELO dicti sunt. His in veter. Hebræorum Republ. jus erat, pro atrocitate in Numen Sanctissimum Populique sanctiora facinoris, peccantem, citra figuram judicii, nedum in jus vocationem, statim obruere & morte mulctare. Misna, *Qui sacrilegium commiserat* (ex sacra nempe supellectile quicquam suffuratus) *qui per Idolum maledixerat* (Numini) *qui se miscuerat cum fœmina Aramæa* (exterâ seu planè gentili) *Zelotis fas fuit incurrere in eum. Sacerdotem in immunditie sua sacra obeuntem, non erat necesse, ut Sacerdotes cæteri in Forum deducerent: sed Sacerdotes, qui per ætatem nondum ministerio sacro pares erant, eum extra Atrium protrahebant & cerebrum ejus fustibus elidebant.* Heic enim Templi & Numinis violatio manifesta: quemadmodùm commixtione cum extera, Populi violabatur sanctitas. Ejusmodi autem id *Zelotarum* jus fuit, ut si viderent בפרהסיא *palàm* seu *in publico*, i. e. præsentibus coràm decem minimùm Israëlitis, quempiam facinorum aliquod jam dictorum commissurum, ipsô eôdem momentô fas eis esset, incurrendo seu aggrediendo eum, aut verbere, aut vulnere præpedire ac cohibere, aut etiam cæde perseverantem è medio tollere. Nam si intermitteret, occidendus, sine Judicio Forensi, non erat. Idem juris obtinuit de Israëlita Apostata &c. Origo juris hujus, ut non pauca recepti Juris alia, dicitur *Traditio Mosis à Sinai*. Exemplum primum è S. Historia petunt Phineæ, qui, zelò accensus, hastâ trajecit par impudicum, Numeror. *c.* 25. ubi à Numine propterea laudatur. Vide Joseph. *Jud. Ant. l.* 14. *c.* 6. & Philonem. *de Monarch. l.* 1. ac *de Vita Mosis l.* 1. ubi *Zelotarum* jus, velut à Numine tunc præstitutum, asserit. Quod itidem, licèt parciùs, innuit ipse, ubi de eo, qui lignatum exivit in Sabbato, loquitur, *de Vita Mos. l.* 3. Sic itaque, *judicium Zeli*, ut vocant, à Phinea primò exercitum, in morem abiit. Unde Judæum quendam, Græcis se ritibus polluentem, conspiciens Mattathias, *Zelatus est & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundùm Judicium Legis* (κατὰ τὸ κρίμα) *& insiliens trucidavit eum super aram. Sed & virum* (Apellem) *quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso templo & aram destruxit, & zelatus est Legem* (ἐζήλωσε τῷ νόμῳ) *sicut fecit Phinees Zamri filio Salom. Et exclamavit Mattathias voce magnâ, in civitate, dicens, omnis qui Zelum habet Legis, statuens testamentum, exeat post me*, 1. Maccab. *c.* 2. *v.* 24. quæ verba sic profert Josephus, *Orig. Judaic. l.* 12. *c.* 8. Εἴ τις ζηλωτής ἐστι τῶν πατρίων ἐθῶν καὶ τῆς τοῦ θεοῦ θρησκείας, ἑπέσθω μοί. Eôdem modô trecenti alii Judæi à suis popularibus occisi referuntur librô, qui vulgò dicitur Maccabæorum tertius. Nec aliô obtentu instituta lapidatio in Stephanum, Actorum *c.* 7. *v.* 57. & conjuratio in Paulum, Actorum *c.* 23. *v.* 13. Imò scimus, nominis hujus prætextu, nec ab alia omnino origine petitô, immanem scelerum segetem Hierosolymis pullulâsse, quam Josephus pluribus explicat, *libris de bello Jud.* ubi ejusce Auctores ita se nominâsse ait. *l.* 4. *c.* 12. ὡς ἐπὶ ἀγαθοῖς ἐπιτηδεύμασιν, ἀλλ' οὐ ζηλώσαντες τὰ κάκιστα τῶν ἔργων καὶ ὑπερβαλλόμενοι, *ac si optimis rebus studuissent & non pessima facinora, usque ad nequitiæ summum, Zelô affectâssent.* Atque *l.* 7. *c.* 30. καὶ τοι τὴν προσηγορίαν αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ἐπ' ἀγαθῷ ζηλουμένων ἐπέθεσαν, *Nomen sibi ab iis, qui id, quod bonum est, Zelô affectabant, imposuêre:* Zelotas planè, de quibus diximus, innuens. Nempe, quod nil novi, nefarii illi homines, patrii juris obtentu, flagitia sua obtegere conati sunt: Quô tamen, dum pii atque sancti utebantur, privati quidem ipsi, sed publicâ auctoritate, atque moribus è Majorum disciplina receptis nixi, bene consultum est & Numinis & Templi & Gentis sanctitati, quam hôc mediô tueri atque inviolatam servare volebant. Nec injuriâ vis inferebatur, quia patriis legibus, etiam à Mosis ævo deductis, ut ita inferre liceret, sic stabilitum. Vide Hug. Grotium, *de jure Belli & Pac. l.* 2. *c.* 20. §. 8. Certè & legitur in Essenorum disciplina, apud Josephum, *de Bello Jud. l.* 2. *c.* 12. convitiantem quempiam Mosen adeoque Legis sanctitatem polluentem, impunè licuisse occidi: neque ad aliud jus referri videtur, quod tradit Philo, de pæderaste & androgyno τὰ ἐκ φύσεως νόμιμα παρακόπτοντι, *de Legg. special. seu* 6. *&* 7. *dec. præc.* Inprimis autem in Idololatram pellicientem hoc jus exercitum est, teste eôd. lib. περὶ θυόντων, Κολαστέον ὡς δήμιον καὶ κοινὸν ἐχθρὸν ὀλίγα φροντίζοντα οἰκειότητος καὶ τὰς παραινέσεις αὐτοῦ διαγγέλλειν πᾶσι τοῖς εὐσεβείας ἐρασταῖς οἳ ἀνυπερθέτῳ τάχει ταῖς κατ' ἀνδρὸς ἀνοσίου ἐπιδραμοῦνται τιμωρίαις, κρίνοντες εὐαγὲς τὸ κατ' αὐτοῦ φονᾶν, *Necandum esse, velut hostem publicum, sine respectu privatæ necessitudinis. Et illecebræ ejus emittendæ sunt ad omnes pietatis amatores, qui absque mora in scelestum irruant, rati sanctitatis officium, talem hominem occidere.* An idem jus, in Negotiatoribus & Nummulariis, flagellô à D. N. Jesu Christo, expressissimo universæ pietatis ac justitiæ exemplari, è Templo ejectis, Matthæi, *c.* 21. *v.* 12. & Johann. *c.* 2. *v.* 14. locum habuerit, disquirit pluribus, Joh. Seldenus, *de Jure Natur. & Gentium, juxta Ebræorum disciplinam, l.* 4. *c.* 5. *totô.* Cùm igitur *Zelotarum* sive juris, sive moris tot vestigia, tum apud Josephum, tum in Sacris, appareant, mirum alicui videri possit, cur Judæorum Primates, velut juris hujusmodi oblivionem simulantes, apud Hyrcanum, Herodem Antipatri filium accusârint, quòd Ezechiam τὸν ἀρχιλῃστήν, *Latronum Principem*, ejusque socios occidisset, adjicientes, Παραβὰς τὸν ἡμέτερον νόμον, ὃς κωλύει ἄνθρωπον ἀναιρεῖν καὶ πονηρὸν ὄντα, εἰ μὴ πρότερον κατακριθείη τοῦτο παθεῖν ὑπὸ τοῦ Συνεδρίου· μὴ λαβὼν δὲ ἐξουσίαν παρὰ σοῦ ταῦτα ἐτόλμησεν, *Transgressus leges nostras, quæ hominem, quantumvis scelestum, non sinunt tolli, nisi priùs morte damnatum à Synedrio. Nec à te potestate acceptâ patrare hoc ausus est*, apud Josephum, *Origin. l.* 14. *c.* 17. Namque, ut hæc prioribus addantur, nec reverentiam ipsam sive Summi Pontificis, sive Consessus Magni, obstitisse, quin mos hic licitus haberetur, ex Historia Euangelica patet. Etenim cùm in Consessu sistebatur CHRISTUS, ac filium Dei se profitebatur, ob quod reus blasphemiæ habitus est, in adstantibus erant, qui Zelum proculdubio obtendentes, in eum irruerent, in faciem exspuerent, colaphis cæderent, uti videre est apud Matthæum, *c.* 26. *v.* 67. ac Marcum, *c.* 14. *v.* 65. Etiam, cùm ex ministris cuidam CHRISTUS haud satis reverenter habuisse Caipham Summum Pontificem visus esset, percussus est ab ipso, Joh. *c.* 18. *v.* 22. Ubi observandum Servatoris responsum ministro illi, *Si malè locutus sum, perhibe testimonium de malo; si bene, cur cædis me?* ac si ex more licitum fuisset adstanti eum, qui publicè Pontificis Summi sanctitatem violâsset, irruendo statim percutere: rogat igitur tantùm, ut testimonium perhiberetur de malo, quòd alapam ibi mereretur. Ubi enim ejusmodi nihil esset, nefas fuisse reum in judicio percutere, scimus ex Pauli verbis Actor. *c.* 23. *v.* 3. Nec omittendus Simon *Zelotes* Apostolus, cujus mentio apud Lucam, *c.* 6. *v.* 15. & Actorum, *c.* 1. *v.* 13. qui cùm Matthæo & Marco, in plerisque Cod. Κανανίτης: in Exemplaribus aliis Καναναῖος, aliis Κανανίτης, dicatur, ex numero *Zelotarum*, seu *justô Numinis Zelô accensorum*, de quibus suprà, fuisse videtur Seldeno. Hebræis enim קנאה *Kinea* est *Zelus*, & קנא *Kanna* ac קנאי *Kannai*, i. e. *Zelotes*, unde plural. קנאים *Kannaim*, est *Zelotæ*: à qua voce illum cognominatum vult, ut infrà videbimus. Apud Athenienses simile quid cernitur, quorum Legibus cautum fuit, ut Psephismatis verba habent, apud Andocidem, *Orat.* 1. *sive de Myster.* Ἐάν τις δημοκρατίαν καταλύῃ τὴν Ἀθήνησιν ἢ ἀρχήν τινα ἄρχῃ καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας, πολέμιος ἔστω Ἀθηναίων καὶ νηποινεὶ τεθνάτω, *Si quis Democratiam Atheniensium everterit, aut*

evertiâ

veritâ eâ Magistratum gesserit, ut hostis Atheniensium censendus erit & cuique eum occidere impune sit. Etiam, quicunque occidisset ὅσιος ϗ εὐαγὴς, purus & sanctus à cæde sine lustratione habebatur. Quin & jurejurandô inter sacra universi, ad idem præstandum, obligabantur: Subinde etiam præconiô edictum, quemque, damnatum aliquem occidentem, præmiô remunerandum, qua de re vide Demosthenem, *Philipp.* 3. atque ex eo Harpocrationem, verbô ἄτιμος, item ἐπικεκηρυχέναι, apud Sam. Petitum, *ad LL. Atticas*, *l.* 7. *p.* 232. & 562. Etiam Juris Cæsarei, aliorumque scita, aliquid ejusmodi in se habent, dum publicorum Judiciorum actiones nemini non permittunt, *Institut. tit. de publicis Judiciis in princ.* Simile jus exerceri permittitur, apud Venetos, in *Bannitos*, vide Phil. Maussacum *in Harpocrationem*, *p.* 179. quibus olim apud Anglos, non dissimiles fuêre ii, qui *Utlagati* dicti sunt, de quibus suprà egimus. Nec multum abit mos Germanorum, quô istiusmodi homines omnium injuriæ objiciunt, quod *Vogel frey machen*, apud illos vocatur &c. Vide Joh. Seldenum præfatum, *de Synedriis Veter. Hebræorum*, *l.* 2. *c.* 14. §. 3. inprimis autem *de Jure Nat. & Gentium juxta Disciplinam Ebræorum*, *l.* 4. *c.* 3. 4. & 5.

ZELOTES, cognomen Simonis Apostoli Lucæ *c.* 6. *v.* 15. Hunc à voce Hebr. *Kanna*, & *Kannai*, quæ *Zelotem* notat, denominatum vult Seldenus, cui exemplaria N. T. illa favent, in quibus *Καναῖος* appellatur, id quod proximè accedit, ut ex *Kanna* seu *Kannai*, adjectâ Græcâ terminatione, videatur nomen deductum. Neque proin assentitur Viris doctis, etiam S. Hieronym. *ad Matth. c.* 10. sequacibus, qui à *Cana* (quod קנה Hebr. scribitur) urbe Galilææ, eum nuncupatum volunt: quæ etiam *Katana* passim Syro, Iosuæ, *c.* 19. *v.* 28. exaratur. Et quid *Zelota* cum urbe illa? Cananæum autem seu Cananitem, apud Matthæum & Marcum, reddit Syrus per *Canania*: *Zelotem* verò apud D. Lucam per *Tanana*, quod id est ipsum, uti & Arabs. Idem perperam nimis Ebraicum Matthæi Euangelium habere ait, שמעון הכנעני *Simeonem Cananæum*, ac si à terra *Canaan* nomen deduxisset; nec enim soni nec ipsius rei rationem id omnino ferre: Additque non magis videri Thomam & Didymum eosdem esse, quàm heic *Cannaum* & *Zelotem*, de Simone dicto. Vide eum *de Jure Nat. & Gentium*, *l. cit. c.* 4.

ZELOTYPIA, in utroque sexu, sequiore inprimis, extremus supremusque omnium affectuum est; teste Jul. Cæs. Scaligerô, *Poët. l.* 3. *c.* 14. Quo in negotio, memorabilis apud Hebræos *Zelotypiæ* Lex fuit, quam de Uxore suspecta legimus Numeror. *c.* 5. *v.* 12. & *seqq.* *Si Viri cujuscunque uxor declinaverit, & prævaricando in eum prævaricata fuerit, & concubuerit Vir alius cum ea commixtione seminis & absconditum fuerit ab oculis mariti ejus, atque occultata fuerit illa, & immunda facta fuerit, & testis non fuerit contra eam, pertransierit autem illum Spiritus* Zelotypiæ, *ut suspicetur uxorem suam, quæ polluta est, aut si pertransierit illum Spiritus zelotypiæ, ut suspicetur uxorem suam, quæ tamen non est polluta, adducat Vir ille uxorem suam ad Sacerdotem, adducatque cum ea sacrificium pro ea, nempe decimam partem ephæ farinæ hordeaceæ, sed non fundat oleum super eam, neque ponat thus super eam, quoniam oblatio Zelotypiæ est, oblatio pro memoriali, faciens recordari iniquitatem. Adducet itaque illam Sacerdos, & stare eam faciet ante Dominum. Assumat quoque Sacerdos aquas sanctas, in vase fictili, & de pulvere, qui fuerit in pavimento Tabernaculi, tollat Sacerdos & ponat in aquam. Stare autem faciet Sacerdos mulierem ante Dominum, & denudet caput mulieris, ponens super manus ejus oblationem pro memoriali, quæ oblatio est Zelotypiæ, habeatque Sacerdos in manu aquas amaras ac maledictas. Et adjurans eam Sacerdos, dicet ad mulierem, si non concubuit Vir tecum & non declinâsti ad immunditiem sub Viro tuo, liberaberis ut innocens ab aquis istis amaris & maledictis. Sin tu declinâsti sub marito tuo & polluta es & posuit vir concubitum suum ad te extra maritum tuum; adjurabitque Sacerdos mulierem juramentô execrandô & dicet, det te DOMINUS in execrationem & juramentum, in medio Populi tui, adeò ut faciat DOMINUS corruere femur tuum & inflari uterum tuum. Ingrediantur aquæ istæ maledictæ in viscera tua, ut intumescat uterus tuus & corruere faciant femur tuum, dicatque mulier Amen, Amen: Scribat autem Sacerdos in libello maledictiones istas, & rasas projiciat eas in aquas amaras potetque mulierem aquis illis amaris & maledictis, ut intrent in eam aquæ illæ maledictæ & amaræ. Tollet deinde Sacerdos de manu mulieris oblationem Zelotypiæ, & ventilabit oblationem illam coram Domino, atque adducet eam ad altare. Tollet etiam Sacerdos pugillum plenum de oblatione illa pro memoriali incendetque in Altari, & posteà dabit mulieri potum illius aquæ. Et postquàm potaverit mulierem illam aquis illis, si fuerit polluta,* &c. Ad cujus Legis explicationem, è Seldeno, pauca adjicere placuit. Maritum *Zelotypum*, ut hâc Lege comprehendatur, eum esse ajunt Magistri, qui præmonuerat Uxorem, ne deinceps in secreto esset aut clam occultaretur cum aliquo sive Patre ejus, sive fratre, nedum aliis plus dissitis, sive gentili sive servo, idque coram testibus: quæ nihilominus cum ipso, de quo præmonita est, in secreto esset occultata, idque testibus item probaretur, *quantillô tempore fœmina pollui posset, id est, quantillô tempore ovum* (gallinæ) *& assari posset & absorberi.* Uxore itaque suspectâ, etiam Marito interdicebatur, usque dum potatis aquis amaris innocentem illa se præbuisset. Interim; fuêre etiam Uxorum genera n[illegible]ca, quæ, tametsi antecesserat præmonitio & occultatio [illegible]tque utriusque testes, potatione nihilominus libera quidem erant; at ejicienda sine dote & illicita dein perpetuò Maritis. In his censebantur & Sponsa & Fratria, cujus nuptiæ à Leviro expectabantur, ut & aliæ quædam, de quibus Seldenus, *Uxor. Ebraic. l.* 3. *c.* 14. Formula, quâ ad Examen uxor suspecta deduci solebat, forensis erat hujusmodi. Adibat Maritus Forum, cujus jurisdictioni proximè suberat. Huic narrabat, se suspectam sibi Uxorem præmonuisse, eam nihilominùs cum eo, de quo præmonita erat, in occulto egisse, testes totius rei adesse, ipsam se ab adulterio mundam asseverare, ideoque se petere, ut Aquarum amararum examine res decideretur. Tum testimoniis auditis, & traditô Maritô in custodiam duorum Studiosorum Legis, quibus erat cavendum, ne cum Uxore ipse, ante potationem concumberet, utrique conjuges Hierosolymam transmittebantur, ut ibi in Synedrio M. res procederet: alibi enim id genus examinis ritè fieri nequibat, Maimonides, *halach Sanhedrin*, *c.* 5. Ibi Uxorem comparentem terrere primò nitebatur Synedrium, ne aquas biberet, crimen confiteri suadebat, monebat ut recoleret exempla Judæ & Thamaris, Rubenis & concubinæ Patris sui, alia ejusmodi, ne gravis nimis ipsi confessio videretur. Quod si confiteretur, aut potationem detrectaret, ejiciebatur, idque sine dote: Sin innocentem se assereret, ex conclavi saxeo *Lishath hagazith*, ubi Synedrium habebatur, eductam circumducebant, tentantes an defatigata atque anxia demùm confiteretur. Perseverantem; prope portam Atrii exterioris Orientalem collocabant, atque ornamentô omnimodô muliebri, etiam solennibus capitis operculis spoliatam (qui mos in omnibus Judiciis; secundùm Philonem) vestibus induebant nigris. Eôdem mulierum frequentia evocabatur, ut erudiretur sexus ille, *ne ageret juxta ejusce facinora*, Ezech. *c.* 23. *v.* 48. Aderant, qui vellent, alii, exceptis ancillis ejus atque domesticis, si qui essent, servis, qui summovendi erant, ne eorum præsentiâ Dominæ fortè mens distraheretur. Dein, monebat eam iterum de tota re Sacerdos huic rei præstitutus, atque adjurabat; idque linguâ ei notâ; cui illa similiter linguâ sibi cognitâ respondebat, Amen, Amen. Ex mundissima pòst membrana; libellô Sacerdos, atramentô, sine chalcantho, ut faciliùs abstergeretur, confectô, præter Mulieris nomen, omnia adjurationis vocabula inscribebat & dimidium aquæ sextarium, ex æneo labro, Exodi *c.* 30. *v.* 8. quod ex speculis mulierum conflatum, juxta Altare locum habuit, desumtum, ac poculo testaceo recèns ficto inclusum, pulvere pavimenti Templi, aut si comperiri nequibat, aliunde allatô, inspergebat, commistis etiam, quæ amaritudinem adderent, veluti absinthiô, & id genus aliis. Mox abrasa quæ libello inscribebantur, atque abstersa in poculum item conjiciebantur. Tunc Sacerdos alius vestes ei corde tenus dilacerabat, nudatô usque ad crines capite, cincinnos, si qui erant, abscondebat, & fune, si comparari posset, Ægyptiô (quò Ægypti miracula ei in animum faciliùs reducerentur) vestes ei laceras supra mamillas circumcingebat. Ægyptiô dein canistrô afferebat decimam partem ephæ farinæ hordeaceæ, ex Mariti apothecis desumtam & mulieri tradebat: tum oblationem in sartaginem imponebat sine oleo ac thure: quorum si alterutrum abjiceret, ex Lege vapulabat semel, si utrumque, bis: Quæ dum fiebant, poculum aquæ amaræ tenebat Sacerdos, qui miscuerat, idque in conspectu Mulieris, cui jam in examen præbebatur: quæ simul atque biberat, sartaginem ei dabat Sacerdos, ita tamen ut ejusce manus simul subesset. Oblatione demum solemni seu sacrificiis ejusmodi agitatione, ad Australe altaris cornu, interiùs delatis, pars in suffimentum abibat, & quod reliquum erat, comedebant Sacerdotes, nisi Maritus ipse Sacerdos esse: quô casu in cinerum receptaculum rejiciebatur tota. Sic omnibus ritè peractis, si pota innocens esset, domum redibat, Marito denuo licita; quin augebatur ei venustas faciei; corporis firmitudo, fœcunditas, eaque masculorum & cum facili partu. Sin adulterii rea esset, illicò facies ejus expallescebat ac proruebant oculi, atque ne Templum, Atriaque ejus, inquinaret, statim educta, intumescente ventre ac putrescente femore moriebatur: eôdemque modô ac eâdem horâ moriebatur item adulter. Quòd si non ventris tumore ac femoris putredine, sed aliô morbi genere, laborare inciperet, licita Marito erat. Fiebat autem interdiu tantùm hoc examen, non nocte: neque unô die binæ potabant: & nullus erat dies huic Examini non idoneus. Quòd si ob timorem profiteretur se uxor aquas recusare, nihilominus si vellet, denuo admitti poterat: Sin simpliciter semel recusârat, modò integrâ esset valetudine, retractare nefas habebatur. Post abrasum verò libellum recusare adeò nefas erat, ut etiam vi cogeretur potare, sed non sine præeunte suadela hac: *Filiâ mea, si adeò certum sit te innocentem esse ex fiducia innocentiæ tuæ, bibes nec omnino timeas; quoniam aqua non aliter habeat se ac venenum siccum super carnem animalis. Si vulnus ibi fuerit, dolorem affert & irrodit; sin verò vulnus ibi non sit nullum omnino affert dolorem.* Si pollutam se fateretur, effundebantur statim aquæ, totaque oblatio comburebatur. In mores etiam receptum erat, ut pro arbitratu suo Maritus horrendum carmen subituram uxorem ritè posset adigere, ut de suspectis adulteriis aliis simul, præeunte Sacerdote, juraret iisque ob quæ seorsim nullô modô aliàs ad hujusmodi Examen deduci potuisset. Nimirum, nec se, dum Sponsa erat, ante deductionem; nec dum uxor ante repudium; nec si Fratria esset, superstite priori Virô, adulterium commisisse: ad quæ omnia subjunctâ responsione *Amen*, *Amen*, examinis diris Mulier se devovebat, tam horum nomine, quàm ad eluendam suspicionem, cujus gratiâ ritè in forum esset deducta, &c. Sed in desuetudinem ista abiêre, cùm in seculo excidium secundi Templi proximè antecedente, insigniter cresceret adulterorum numerus, idque ex iis inprimis, qui Mariti essent. Etenim, ubi Maritus illicitô se polluerat ipse concubitu, vim nullam aquis inesse, opinio obtinuit, & Tetragrammatum nomen incassum abstergi nolebant. Etiam ingravescente, ipsô eôdem ævô, Romanorum imperiô, judiciorum capitalium, adeoque hujus proculdubio Examinis quod capitale erat, usus, minuebatur tribunalibus Hebræorum, licèt non penitùs ablatus, quod demum fa-

ctum esse 40. annis ante excidium Templi, plerumque volunt Eruditi. Postquàm verò in desuetudinem sic abierat Examen hoc, inoleverit, ut ubicunque ejusmodi *Zelotypia* ac Præmonitio, præter occultationem, Foro testibus adhibitis constiterat, Uxor dote spoliata statim juberetur dimitti. De recentiorum Judæorum hac in re moribus, vide Leonem Mutinensem, *de Ritibus Hebr. Part.* 4. *c.* 6. Apud Muhammedanos, diversum quid habetur, uti discimus ex Alcorano, *Azoarâ* 24. ubi ista legimus: *Imponentes adulterium bonis fœminabus* (sic Retinensis, nec male, verbatim, *qui castas mulieres infamant*) *nec unde proferunt quatuor testes, fustigandi sunt plagis octoginta* (totidem inebriato etiam debentur in Doctrina Mahumedis veteri) *Nec unquam recipiendum est* (postea) *eorum testimonium; & ipsi sunt prævaricatores. Verùm, qui posteà bene egerint & fuerint conversi, Deus condonat & miseretur. Imponentes quidquam* (adulterium) *Uxoribus suis, nec habentes testimonium aliud, præter se ipsos, testimonium unius illorum* 4. *testimonia* (seu instar quatuor) *si dixerit per Deum se verum dicere & velut quintum adjiciat* (Retinensis, quintâque vice dicat) *Maledictio Dei sit super eum, si mentiatur. Mulier verò interim non puniatur, si quatuor adhibeantur testimonia, per Deum illum fuisse mentitum & quintum accedat, quò iram Dei invocat illa, si verum dixerit*, &c. Redeo ad Hebræorum ritus: *Zelotypi* uxor, quam post solennem præmonitionem ipse viderat in secretum, quò occultaretur seu remotis arbitris ageret, cum eo, de quo præmonita est, abiisse ibique, dum pollui posset, juxta superiùs dicta, cum eo mansisse, nec intereà ob testium defectum, ad Aquarum examen deducere quibat, velut interdicta tamen, ob sceleris præsumtionem, erat dimittenda, sed non sine dote. Quod ipsum dicendum, ubi fama aut testis ejusmodi rei unicus haberetur, cui scilicet Maritus præbebat fidem. At si, uxore aquarum examen subiturâ, testis unicus adesset adulterii, cum eo, de quo præmoni[illegible]t, commissi, ad potationem non admissa, fine dote, atque ut illicita viro erat ejicienda: Ex ipsa enim *zelotypia* ac deductione ejus in examen, de fide, quam haberet testi Maritus, præsumebatur. Sed & ex *Zelotypia* Fori, cujus jurisdictioni uxor suberat, habebantur interdum Maritis illicitæ Uxores, etiam & jure dotali excidebant. Præter Maritum autem nemo ad aquarum examen adigere potuit. At verò, ubi Maritus surdus erat, mentis inops, peregrè profectus, aut custodiæ traditus & publicâ libidinis infamiâ interim laborabat uxor, licèt eam non ad Aquarum examen, nihilominus ad Præmonitionem evocabat Forum. Sic eam cum eo, de quo ita præmonita est postmodùm in secreto, dum ita pollui posset egisse ex binorum testimonio liqueret, è sententia Fori & Marito interdicebatur & jure dotali omnino excidebat; dilaceratô etiam apud Acta dotis libellô. Maritus dein convalescens, redux seu custodiâ liberatus, libellô divortii eam ejiciebat. Nec omittendum, hac de re, uti etiam de iis, quæ ad Aquarum Examen fuêre deducendæ, aliisque aliquot causis publicis, quotannis XV. die Adar mensis (qui Februario Iuliano proximè quadrat) quam aliàs, magis solicitos fuisse Tribunalium Præfectos: Qua de re, ut & plura in hanc rem vide apud præfatum Seldenum, *Uxor. Ebr. c.* 13. & *seqq.* & Fortun. Licetum, *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 19. *ubi de judicio probationis per aquam.*

ZELPHA, ancilla Liæ uxoris Jacob. Gen. *c.* 29. *v.* 24.

ZELUS, urbs Æthiopum Occidentalium. *Steph.*

ZEMA, vel *Zemum* aut *Zumum*, ex Græco ζέμα, quod à ζωμός, jus vel decoctio: unde ἀφεψητὰ ζέματος, quæ sunt *elixa & jure decocta*. Et quidem ζέμα simplex est liquor, in quo decoctæ sunt carnes, *brodium* veterib. Latinis: sicut ζωμὸς, condimentum & ex multis speciebus gulam irritantibus compositum jus, quod assaturis superfundebatur. Isidorus. *Zemam* appellat, *Jus coquinæ Magistri à jure nuncupârunt, quia ea lex condimenti ejus hanc Græci* Zemam *vocant.* Inde & olla, in qua aqua decoquitur, *Zema*, *um* vel *Zumum* dicta. Treb. Pollio *in Divo Claudio*, *c.* 14. *Item in cauças & scyphos & Zuma pondo undecim.* Et Servius in *l.* 3. *Æn. Lebetas, olim aerea: Græcè dixit: Zemas enim vulgare est, non Latinum.* Vide Salmas. *ad Pollionem*, *l. cit.* & Vopisc. *Aureliano*, *c.* 40.

ZEMBLYNIUM, vulgò ZEMBLYN & ZEMLYN, oppid. Hungariæ superioris ad Bodrochium fluv. *Zemlyn* etiam quibusdam 5. milliar. German. à Cassovia in Ortum, 6. à Tokaio in Boream. Caput Comitatus cognominis, qui terminatur à Septentrione Ungensi Comitatu, ab Ortu Perigiensi, ab Occasu Abanvitariensi, à Merid. Borsaniensi.

ZEMENE, urbs Laconicæ, Tænaro finitima: *Eutrop.* Episcopalis sub Archiepiscopo Corinthio olim: nunc Metropolis.

ZEMMA, nomen viri. 2. Paral. *c.* 29. *v.* 12.

ZEMOVITUS, Poloniæ Rex clarissimus, A. C. 892. Ei successit fil. Lescus VI. Vide *Ziemovitus.*

ZENAS, Legis peritus quidam. Tit. *c.* 3. *v.* 13.

ZENETI, populi Africæ, Mauritaniâ potiti sunt A. C. 950. familiâ Idris, qui Ommiadarum caput Regni Fezzanum condiderat, penitus extinctâ. Regnârunt autem in duas Familias *Mecnazad* & *Magraoa* divisi, annos centum, & quod excurrit: à Lautuniis Almoravidis pulsi, circa A. C. 1072. Hornius, *l. cit. p.* 469. & 470. Vide quoque suprà *Magraoa.*

ZENGIZA, promontor. Africæ, ad Sinum Barbaricum, Ptol. *Zingis* idem vocat, *l.* 1. *c.* 17.

ZENICETA, latro nobilis, apud Strabonem, in Lycia arcem habuit, *Olympi* nomine, ab Isaurico eversam, de qua vide Salmas. *ad Solin. p.* 802.

ZENIS, Dardaniarum urbium princeps. Polyæn. *l.* 8. *c.* 54.

ZENO Isauricus, Consul. A. C. 471. Vide suprà.

IMPERAT. ET VIRI ILLUSTRES.

ZENO Isauricus, Imperator ex Ariadne, filia Leonis Senioris, filium susceptum, decimô mense, postquàm Augustum eum declaraverat, ut solus regnaret, venenô dicitur sustulisse. Imperiô potitus, A. C. 474. impudentissimè turpissimis vitiis se immersit. Heterodoxis semper favit, in fideles sævus: Hinc Saracenorum & Hunnorum irruptionibus punitus, Basiliscum quoque infestum habuit, qui visô quantoperè contemptibilem se Zeno fecisset, Imperiô illum exuere conatus est: Et fugit ex urbe Zeno, sed paulò pòst restitutus, corruptô Harmatiô, Duce Basilisci, hunc in Cappadociam relegavit. Intereà aliquantisper orthodoxum mentitus, mox Præsules hæreticos, pulsis fidelibus, restituit: dein quasi utrosque reconciliaturus, *Henoticon* edidit; quô in speciem orthodoxô, reipsâ Concilium Chalcedonense damnatum ivit. Paulò pòst morbô comitiali, cui obnoxius erat, correptus, ab Ariadne, læta sic ab illo liberari, sepulchro præpropere illatus est: in quo licèt ad se rediisset, & à custodibus dimitti petiisset, ab illis irrisus in se sæviit, manusque proprias & sandalia depastus, obiit. Dicitur, edoctus ab illis, jam alium thronô potiri, enixè rogâsse, ut monasterio alicui includeretur, in quo vitam finiret. Zonaras, *tom.* 3. *Annal.* hoc illi vinô obruto contigisse scribit. Cedrenus in *in Comp.* refert, rumorem per urbem sparsum esse, illi caput noctu esse detruncatum. Factum id A. C. 491. ætat. 65. Vide etiam Marcellin. & Cassiodor. *in Chron.* Euagr. *l.* 3. *&c.*

ZENO, Polemonis, Regis Ponti, filius, favore Armeniorum, quòd is primâ ab infantiâ instituta & cultum eorum æmulatus erat, ad regnum vocatus. Cui Germanicus, in urbe Artaxata, approbantibus Nobilibus, circumfusâ multitudine, insigne regium imposuit. Cæteri venerantes Regem Artaxiam consalutavêre; quod illi vocabulum indiderant, ex nomine urbis. Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 56.

ZENO, Philosophus ex Cypro, Græca civitate, Stoicorum sectæ, à Stoa, seu porticu, ubi deambulare Zeno solebat, dictæ conditor. Athenas pervenit, naufragiô ejectus: Oraculô monitus, ut cum mortuis conversaretur, literis se dedit. Discipulus Crateris, mox editô de Republ. librô, aliisque quibusdam ingenii monumentis, numerosum ipse auditorium habuit. Summum bonum in vita, rectæ rationi conveniente, collocavit: cui sententiæ Cleanthes, Chrysippus, & reliqui Zenonis successores, mordicus adhærentes, etiam in mediis tormentis virtute præditum hominem beatum prædicârunt. Unum esse Deum agnovit, cujus plures virtutes plura nomina indigitarent: Sed hunc Animam mundi esse credidit. Stoici porro opum & artium liberalium contemptores, de Auctore suo varia per errorem statuerunt. Interim clarissimi ex hac secta viri prodiêrunt, quæ ad Christianismum quàm proximè accessit. Dicitur, se ipsum strangulâsse, cum lapsu corpus attrivisset. Vide infrà. Tanto in honore apud Athenienses fuit habitus, ut apud eum claves urbis deponerent, ornarentque ipsum aureâ coronâ & imagine æreâ. Adolescenti cuidam inepta multa loquenti ait: *Ideo duas habemus aures, os autem unum, ut scilicet multa audiamus pauca verò loquamur.* Partem scientiæ in eo consistere dixit, ut ignoremus ea, quæ scire non interest. Amicum definivit, *Alter ego.* Eos, qui facundè loquerentur, sed malè viverent, monetæ Alexandrinæ comparavit. Servo, quem ob furtum percusserat, fatô se excusanti, fatum opposuit. Decessit autem 72. ætat. suæ annô sine morbo. Nam, ut ferunt, cùm abiret ex schola, lapidem offendens digitum perfregit, manu verò terram feriens, illud ait, ex Niobe. *En adsum, quid me quæso vocas?* Et continuò se strangulans inter[illegible]. An. 490. Urb. Cond. 129. Olymp. Strabo, *l.* 14. Cicero, A. Gellius, Augustinus, Diog. Laërt. *l.* 7. *Nic. Lloydius.*

ZENO Cittieus, de quo Cicer. *in Orat.* *Zeno quidem ille*, inquit, *à quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam cùm compresserat digitos, pugnumque fecerat, Dialecticam ajebat ejusmodi esse; cùm autem diduxerat, & manum dilataverat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat.* Idem cum priore. Fuit alius ejusdem nominis Philosopus Epicureus, Ciceronis synchronus, cujus meminit Cicer. *l.* 1. *de Finibus.*

ZENO Eleates, Parmenidis auditor, simul cum Perdicca, & in Philosophia & in administranda Republ. clarissimus, *Suidas.* Hunc inventorem Dialectices fuisse, sicut Empedoclem Rhetorices, Aristoteles author est. Ejus celebratissima fuit in perferendis cruciatibus patientia, enim cùm adolescentes nobilissimos cupiditate liberandæ patriæ inflammâsset, contra Nearchum Tyrannum; factô judiciô comprehensus, traditusque est tortoribus torquendus, qui cùm laceraretur, ut conscios conjurationis nominaret, neminem illorum nominavit, sed amicos intimosque tyranni participes conjurationis esse dixit. Deinde cùm quippiam se in aurem tyranni loqui velle significâsset, eam mordicus correptam non ante dimisit, quam raptâ aure mutilatum caput reliquisset. Sed cùm socios conjurationis proferre cogeretur, concisam dentibus linguam in os tyranni conspuit, quô factô cives tyrannum lapidaverunt. Floruit Olymp. 70. Plures mundos esse, vacuum non dari, rerum naturam ex calido, frigido, humido & sicco constare, animam ex omnibus rebus compositam esse, statuit. Diogen. Laërtius, *l.* 9.

ZENO Rhetor, Laodiceam ampliavit; cujus fi[illegible]mo, regiô itidem nomine donatus ab Antonio & posteà ab [illegible]gusto, in gratiam hujus urbem, quæ olim Διόσπολις dicta, Ἀντωνιόπολιν appellavit, Salmas. *ibid. p.* 828.

ZENO Rhodius, auctor *Historiæ.* Item Auctor *historiæ Pyrrhi*, & *epitomes belli Romano-Punici.* Alius, Philosophus, Chrysippi discipulus. Alius Medicus. Item Sidonius, Epicuri sectator, Idem.

dem. *Zenonis* Sidonii Stoici meminit *Suid.* Vide Voss. *de Hist. Græc. l.* 1. *c.* 16. *& de Sectis Philos. c.* 1. §. 30. *c.* 19. §. 1. &c.

ZENO, Veronensis. Episcopus & Martyr, secul. 3. Scripsit *Homilias* 90. inter quas quædam Basilii versæ, aliæex operibus S. Hilarii deprompte. *Christianus quidam Apulejus, adeo eruditus est, & densus in significandis per pauca multis: Nobilissimus auctor*, Casp. Barthio. Passus dicitur die 12. April. circa A. C. 266. Vide Ambros. *ep.* 64. Paul. Diacon. *in Hist. Longob. l.* 3. *c.* 23. Vossium, *l.* 3. *part.* 4. *c.* 2. Morerium *in Diction. Hist.* Labbeum, &c.

ZENOBIA, Rhadamisti uxor, ejus ab Armeniis ejecti comes ac tunc gravida, primum utcunque fugam, ob metum hostilem & mariti charitatem, toleravit. Pòst, festinatione continuâ, ubi quasi uterus & viscera vibrabantur, ut morte honestâ contumeliis captivitatis eximeretur, rogavit. Ille primò amplecti, allevare, adhortari. modò virtutem admirans, modò timore æger, ne quis relictâ potiretur. Postremò, violentiâ amoris & facinorum non rudis. distringit acinacem vulneratamque ad ripam Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferretur. Ipse præceps Hyberos, ad patrium regnum pervadit. Interim *Zenobiam* placidâ illuvie spirantem ac vitæ manifestam advertêre Pastores, obligant vulnus, agrestia medicamenta adhibent; cognitóque nomine & casu, in urbem Artaxata ferunt, unde publicâ curâ deducta ad Tiridatem comiterque excepta, cultu regiô habita est, Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 51.

ZENOBIA, Regina Palmyrenorum, post Odenati viri mortem in Syria, Romanorum rexit imperium, poniturque inter 30. tyrannos, qui tempore Galieni orbem usurpaverint. Ingeniô, clementiâ. fortitudine, constantiâ inclyta. Corpus habebat ad bellicos labores induratum, pedes sæpe cum copiis suis iter faciens. Gente Judæa, humaniores literas à Sophista Longino didicit, avida quoque Christianorum sacra sciendi, felici fatô. in Paulum Samosatenum incidit. Superata tandem A. C. 273. ab Aureliano, ac in triumphum ducta fuit. eique Principis clementiâ Tyburte possessio concessa, ubi honeste ageret. Hæc eâ castitate dicitur fuisse, ut ne cum viro suo, nisi prolis gratiâ, congrederetur. Regali alioquin pompâ Persarum ferè modô adorabatur. Ad conciones galeata procedebat cum limbo purpureo, gemmis dependentibus, voce clarâ, moribus severis, Græci, Ægyptiique sermonis peritissima, Latini non ignara. Orientalem Alexandrinamque historiam epitomavit. Herennianum ac Timolaum filios literis erudiit. De quorum exitu nescitur, an interierint morbô, an ab Aureliano fuerint interfecti. Trebell. Pollio, *de* 30. *tyr. c.* 10. Vopisc. *in Aurel. c.* 25. *f.*

ZENOBIA, à Zenobia. Odenati uxore, ædificata dictaque urbs: in ripa Euphratis, versùs Occasum. Procop. *l.* 2. *Ædif.* & 2. *Persic.* In Palmyrenis esse verisimile.

ZENOBIA, possessio est. Tiburte, Zenobiæ Reginæ concessa, non procul ab Hadriani palatio, atque ab eo loco, cui nomen *Conche*. Treb. Pollio *in XXX. Tyrannis, c.* 30. ubi de *Zenobia Palmyrenorum Regina. Huic, ab Aureliano* (qui de illa triumphavit) *vivere concessum est. Fertur que vixisse cum liberis, matrona jam more Romana, datâ sibi possessione in Tiburti, quæ hodieque* Zenobia *dicitur, non longè ab Adriani palatio, atque ab eo loco, cui nomen est Conche.*

ZENOBII, *Ptolem. Pelagii Steph.* septem insulæ in sinu Sachalite prope Arabiam Felicem.

ZENODOTIUM, urbs Osrhoënæ, prope Nicephorium, *Steph.*

ZENODOTUS. Grammaticus, discipulus Philetæ, vixit temporibus Ptolemæi primi, cujus etiam filios erudiit, ac præfuit Alexandrinæ Bibliothecæ: primus quoque Homeri libros correxit, ac in ordinem redegit, *Suidas.* Alius Sophista sub Adriano Imperatore docuit Romæ, scripsitque *epitomen proverbiorum Didymi*: convertit *in Græcum sermonem historiam Sallustii*, præterea *Genethliacum in Adrianum*, & alia. *Suidas.*

ZENEDOTUS, sculptor nobilis. qui Mercurii statuam fecit, in civitate Galliæ Arvernis. Item, mandatô Neronis, Colossum sex pedum longitudine Soli dicatum.

ZENODOTUS Trœzenius, *Umbricam historiam* condidit, Dionys. Halicarn. *l.* 2. Suspicari autem liceat eundem esse ex quo Solin. *c.* 8. tradit, *Præneste* ita dici à Prænesto Latini filio, Ulyssis nepote. Quam nominis rationem etiam legere est apud Steph. in Πραίνεστος, & Mar. Capellam. *l.* 6. Alius est Ætolus, Cæsari Germanico memoratus, penè *initiô Commentarii. in Aratæa Phænomena.* Item *Zenodotus* Theophilus, ex quo de Phalange & Arachne quædam narrat Nicandri Scholiastes in Theriaca. Alius quoque Ephesius, itemque Alexandrinus; de utroque *Suidam* sis adi.

ZENOIS. uxor Basilisci Imperatoris Constantinopolitani, Eutychianæ hæresi addicta, maritum contra Orthodoxos instigavit, Euagr. *l.* 3. *c.* 5.

ZENON, Roman. Imperator A. C. 476. Vide *Zeno.*

ZENON, Martyr. A. C. 251.

ZENONIS Chersonesus. in Tauric. Chersoneso, *Ptolem.* tractus est Bugem paludem seu sinum discludens, à Coreto sinu seu Mæotide palude, *Sanso.* Totus montuosus admodùm, ad 50. mill. pass. extensus à Meridie, nempe ab Heracleo in Boream, ad Agarum promontor. quò angustô tantùm fretô dividitur à Basilydis Scythis. seu Sendica regione in parva Scythia.

ZENOPHRURIUM, *Eutrop.* meliùs *Cœnophrurium*, nunc *Drepali*; Castrum est tenue in ora Occidentali Propontidis, ubi incipit Borealis. 10. mill. pass. à Selimbria in Occidentem Heracleam versùs paulo plus, 40. à Byzantio.

ZENOPOLIS, olim Pamphyliæ urbs, in mediterran. à Zenone Imperatore sic dicta. *Porphyrog.*

ZENORUM Episcop. Pasinici meminit *Socrates.*

ZENOTHEMIS, vetus author, de quo Voss. *Histor. Græc, l.* 3. *p.* 425.

ZENOTHEMIS. Auctor Græcus, scripsit *de rebus monstrosis*, Plin. *l.* 37. *c.* 2. Ælian. *l.* 17. *c.* 30. Tzetzes, *Chil.* 7. *Hist.* 44. An idem cum præcedente?

ZENUS Jacobus, vide *Jacobus.*

ZEOPHIR, & *Caicaphas*, oppida fuêre. circa Neapolim Phœniciæ. *Guilielm. Tyrus.*

ZEPHOIM, vide *Zeboim.*

ZEPHRON, terminus terræ Canaan.

ZEPHRONA. Civitas aut vicus, terræ promissæ ad Septentrionem terminus. In tribu Nephthalim, Numer. *c.* 34. *v.* 9. Hier. *in Ezech. c.* 47.

ZEPHYRE, insula parva Cretæ, ante Samonium promontor. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

ZEPHYRIA, Aristoteli. quæ aliàs *Melos* Insul. Vide ibi.

ZEPHYRINUS, post Victorem. Papa, A. C. 201. Montanistarum hæresi infectus, vitreos calices pro ligneis ordinâsse creditur. Mortonus, *Apol. c.* 18. Persecutionis Severianæ tempore latuit. sed Plautianô Severi socerô, Christianorum acerrimô hoste mortuô. iterum ad functionem rediit. Obiit A. C. 219. Anastasius, Platina. Ciacconius. Duchesnius & Papyrius Massonius *de Papis.* Barònius *in Annalib.*

ZEPHYRIS Arx. in Zephyro jugo Hispaniæ.

ZEPHYRITIS Venus, vide *Arsinoë.*

ZEPHYRIUM, urbs Ciliciæ Episcopalis sub Archiepiscopo Seleuciensi, inter ostia Calycadni ad Occasum. & Corycum urbem ad Ortum; *Tarsu Nigro.* Halicarnassus olim quoque sic dicta fuit, teste *Steph.*

ZEPHYRIUM, promontor. M. Græciæ in ora Orientali Calabriæ ulterioris apud Locros, à quo Locri *Epizephyrii*, *Capo Bruzano* Mazzellæ. Nunc *Capo Bianco* quibusdam. In Mare Ionium excurrit, & 10. mill. pass. distat ab Herculeo promontorio in Boream, Locros versùs. prope Burzanum castrum. *Baudrand.* Alterum Cretæ in ora ad Ortum *Capo d' Alselin* Lusignano, *Capo di Mirabello* Pineto, apud Chersonesum urbem. *Baudrando* in parte Insulæ Boreali; aliis est *Capo S. Zuane*, seu *Caput S. Johannis*, prope Spinam longam arcem, 12. mill. pass. à Mirabello castro in Boream. Tertium Cypri in ora Occidua apud Paphum veterem, *Capo Chelidonio* Lusignano. Quartum Cyrenaicæ in ora apud Darnin urbem, proximum Naustathmo, *Capo di Bonandrea* Nigro. De Zephyrio M. Græciæ Ovid. *l.* 15. *Metam. v.* 705.

Zephyriumque legit, Caulonaque Naritiamque.

Nic. Lloydius.

ZEPHYRO, Sacratum jugum in Hispan. *Avieno.*

ZEPHYRUS, Arsinoës delitium, Ptolemæi Philadelphi sororis uxorisque, memoratur Ausonio *in Mosella, v.* 315.

ZEPHYRUS, ventus, flans ab Occasu Æquinoctiali, adversus Subsolanum, quem Latini *Favonium* vocant. Sic dictus quasi ζωηφόρος, hoc est, *vitam ferens*, eò enim plantæ omnes germinant & pullulant. Vide Gell. *l.* 2. *c.* 22. Plin. *l.* 18. *c.* 34. A Philostrato in Hyacinthi imagine describitur: illi enim humeros seu scapulas alatas attribuit, facie & aspectu molli cum corona ex omni florum genere in capite. Ovid. *l.* 3. *Trist. El.* 12. *v.* 1.

Frigora jam Zephyri minuunt. ——

Idem, *l.* 1. *Met. v.* 108.

—— *Placidique tepentibus auris*
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 44.

—— *Zephyrô putris se gleba resolvit.*

Lucanus, *l.* 4. *v.* 405.

Et tepidum in molles Zephyros excurrit Ilerda.

Silius, *l.* 12. *v.* 4.

—— *Blandisque salubre*
Ver Zephyris tepidò mulcebat rura serenô.

Nic. Lloydius. In turre octogona Andronici Cyrrhestis, hodieque Athenis superstite, eum repræsentat juvenis pectore cruribusque nudis, in pallii sinu flores offerens & sedenti tranquilloque similis, vide suprà. Albam ei pecudem, albumque in Circo aurigarum colorem sacravêre Veteres, quorum illud Virgilius innuit, *l.* 3. *Æn. v.* 120. ubi mactat Æneas

—— *pecudem Zephyris felicibus albam;*

hoc Tertullianus refert *de Spectaculis, c.* 9. quòd ventus sit albus ac serenus, Gerh. Joh. Vossius, *de Idolol. l.* 3. *c.* 11. Cæterum nuntios Deorum portare credebantur Zephyri. Idem Poëta, *l.* 4. *Æn. v.* 223.

Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, & labere pennis.

Quem eorum mollem allapsum, oculis penè videndum ponit Val. Flaccus, *l.* 1. *v.* 686.

Ecce autem molli Zephyros descendere lapsu
Aspiciunt: volat immissis cava pinus habenis:

Vide Casp. Barthium, *Animadv. Papin. ad l.* 2. *Theb. v.* 4. plura

verò de hoc vento apud Salmas. *ad Solin. p.* 1251. & *seqq.* ubi, inter alia, inter flatus Occiduos, cum solum ἰαπυγίαν esse, adnotat.

ZEPIDÆ, populi, de quibus Procopius, *l.* 3. *Goth.* Et Blondus, *l.* 4. *Decur.* 1.

Rabbi ZERACHIA, scripsit librum *Meor Enajim* Bononiæ, & *Observationes in Rab. Alphes*, ann. 4910. juxta Rabbi *David. Ganz.*

ZERANIA, regio Thraciæ, Populi *Zerani*, *Steph.*

ZERAVITCIUM, oppid. Moraviæ, ubi celeberrimâ synodô à Fratribus habitâ, A. C. 1616. cui non ex Bohemia solùm, sed & Polonia Antistites cum Ministris interfuêre, conclusum inter alia, ut *Ordo Ecclesiæ* conscriberetur & publicaretur. Lætus *Compend.*

ZERBIS, Mesopotamiæ fluv. in Tigrim cadens, Plin. *l.* 6. *c.* 26.

ZERETRA, Arcades vocant vadi foramina quædam, per quæ Erasinus fluv. è lacu Stymphalo erumpit in Argivam terram.

ZERINGA, German. *Zäringen*, castrum Brisigaviæ, infra Friburgum, unde illustrissimæ olim familiæ nomen. Primus Zeringiæ Dux fuit Berchtoldus I. filius Landoli II. Brisiaci domini, qui frater Rapatonis, unde Habspurgii Austrijque orti, obiit A. C. 1036. Berchtoldus hic Carinthiâ, ab Imperatore, locô promissi Ducatus Suevici, auctus, Bertholdum II. & Hermannum, illum rami *Zeringio-Tecci*, istum *Hochbergio-Badensis* lineæ auctores, progenuit. Bertholdo II. filii fuêre, Bertholdus III. Friburgi Brisgojæ conditor, & Conradus, à Conrado III. Imperatore captus Zeringâ & Tecciô, ad obsequium perductus. Hôc geniti Bertholdus IV. Friburgi in Uchtlandia & Bernæ conditor, ac Albertus seu Adelbertus, Comitum seu Ducum Tecciæ sator: cujus familiæ ultimô A. C. 1439. extinctô, ditio ad Eberhardum Comitem Wirtembergicum generum transiit: Mundelhemiô dominiô, à Jutha ac Irmgardi Friderici VII. filiabus Werthemiæ & Rechbergiæ stirpi illatô: Bertholdi verò IV. posteritas in Bertholdo V. filio, jam A. C. 1238. desiit. Vide Spener. *Syll. Geneal. Histor. in familia Wirtemberg.* Tob. Pfannerum de præcipuis Germaniæ Principum gentibus, *c.* 7. ubi de *Gente ead.* & *c.* 9. nec non ubi *de Gente Badensi*, suprà, in voce *Bertholdus*, Item *Hochberga*, & *Teccium.* Addo hoc saltem, Stumphium, *l.* 7. *de Argovia*, Bertholdum I. Comitem, Bertholdum verò II. Marchionem Zeringiæ, appellare, qui demum Ducatu Sueviæ, à socero Henrico IV. Imperatore promissô, Sueviæ Zeringiæque Ducis titulum sumpserit.

ZERINTHUM, vide *Apollinis templum.*

ZERMIZIRGA, Daciæ urbs, apud *Ptolem.*

ZERNA, fluvius, in Macedonia, *Curopalati.* Thraciæ urbs est, *Antonino.* Sed & *Zerne* legitur. Est fortè *Therne*, *Steph.* *Txerna* apud *Cedrenum* legitur, inter Thraciam & Thessalonicam.

ZEROGERE, urbs Indiæ, circa Gangem.

ZEROTINIUS Carolus, Johannis filius, Baro. Moraviæ Pro-Marchio, Heros insignis, ad carceres usque & bonorum confiscationem, quæ sub Friderico Bohemiæ Rege ei obvenit, fidus Imperatori Ferdinando II. nihilominus Pastores dimittere, templaque occludere cum aliis jussus est. Qua de re Viennam profectus, cùm nihil ab Imperatore impetrare posset, dicente: *Se Prædicantes ferre non posse*, intrepidè respondit, *Neque se sacrô Dei cultu carere posse, neque hunc absque Verbi Ministris peragi.* Inde discedens non solùm aulæ suæ Ecclesiasten Paulum Hronovium palam, sed & plures alios clam, ut pius Abdias, in specubus suis pane & aquâ sustentavit, ad sacra veniendi facultate omnibus concessâ. Tandem exiliô generali Evangelicis impositô, Vratislaviæ in Silesia fixâ sede, obiit A. C. 1636. septuagenariô major, Przerovìæ in Moravia. Lætus, *Comp. Hist. Univ.*

ZERVESTA, seu SERVESTA, urbs parva Saxoniæ superioris in Principatu Anhaltino, *Zerbst* vulgò, in limite Ducatus Magdeburgensis, sub proprio Principe. Lineæ hujus auctor fuit Sigfridus, filius Henrici, à Friderico II. Principis Anhaltini creati, frater Bernhardi, qui Bernburgiam orsus est. Sigfridus is genuit Albertum, cujus filius Albertus junior Johannem suscepit: qui Xanthippeis uxoris Elisabethæ Hennebergicæ jurgiis fatigatus, sponte perpetuum exulavit, pater Alberti III. qui Cœthani, & Sigismundi, qui iterum *Servestani* rami auctor fuit. Hôc natus Georgius obiit A. C. 1474. pater Woldemari, cujus filius Wolfgangus pietate, temperantiâ & literis inclytus fuit, & Ernesti: cujus filii tres Johannes *Servestam*, Georgius Hatzkerodam, & Joachimus Dessaviam tenuêre. Johannis filius Joachimus Ernestus, unus post plura secula, totius Principatus possessor, pater inter alios fuit Rodolfi, *Servestanæ* iterum lineæ conditoris, cui, ex secunda uxore Magdalena Oldenburgica, Johannes natus est, qui solus ex sua gente Augustan. Confessionem est amplexus, ex Sophia Aug. Holsata numerosæ prolis parens, Phil. Jac. Spenerus, *Syll. Geneal. Histor.* Distat urbs 7. milliar. Germanic. à Witteberga in Circium, Magdeburgum versùs 5. & 3. à Dessavia in Boream. Cerevisiâ suâ nota.

ZERYNTHUS, urbs & antrum Hecates in Samothracia; *Canis antrum* Lycophroni. Inde *Zerynthius* adjectiv. Ovid. *l.* 1. *Trist. El.* 9. *v.* 19.

Inde levi vento Zerynthia litora nactis
Threiciam tetigit fessa carina Samum.

Lycophr. ἄντρον τ' κυνοσφαγοῦς θεᾶς ὁ ἴεν σπήλαιον τ' Ζηρύνθου, i. e. *Spelunca Hecatæ.* Eò narrat Aristophanis Scholiastes *ad Pac.* confugere fuisse solitos, qui in magnis versarentur periculis, & mox, ubi Hecatæ ac Corybantibus sacrificâssent, liberatos. Hinc Ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἔστιν τελεταί τινες ἃς ἰδόντας τελεῖσθαι πρὸς ἀλεξιφάρμακα κινδύνων. Ἠν δὲ ἐκεῖ καὶ τὰ τῶν Κορυβάντων μυστήρια, καὶ τὰ τῆς Ἑκάτης καὶ τὸ Ζηρύνθιον ἄντρον, ἔνθα κύνας ἔθυον· ἐν κινδύνοις δὲ γινόμενοι, ἐπεκαλοῦντο τὰς δαίμονας ἐπιφανῆναι καὶ ἀλεξῆσαι, ἐδόκουν δὲ οἱ μεμυημένοι ταῦτα, ἐκ τῶν δεινῶν σώζεσθαι καὶ ἐκ χειμώνων. Vide Joh. Meursium, *Comm. in Lycophronem.* Dicitur autem Hecate Κυνοσφαγὴς θεὰ, quòd canes illi immolarentur; ut tradit Theocriti Scholiastes, *Idylliô* 2. & Plut. *Γωμαϊκ.*

ZET, Tanitarum seu Pastorum in Ægypto Rex XVII. ac ultimus, post Psammum præfuit annos 31. Abimelechô & Tholâ judicantibus Israëlem. Sub eo Misphragmuthosis, Thebaidos Rex, Pastores vicit ac in Abarim inclusit: qui tandem filio ejus sese dediderunt ac Ægyptum reliquerunt. Reversi quidem posteà sub Amenophe, sed denuo post 13. annos expulsi, Tanitarum regno finem imposuerunt, postquàm duravisset ann. 511. Vide *Amenophis II. Misphragmuthosis*, *Thummosis*, nec non ubi de *Pastoribus.*

ZETA, quasi *Diæta*, Plinius id indicat *l.* 2. *Epist.* 17. ubi cùm aliquoties *Diætam* memoret, monet Interpres ejus Joh. Catanæus, alios libros *Zetam* habere, & sunt contractionis hujus exempla, præter hymnum Eccl. apud alios permulta. Ita enim pro *Diabolus* legitur *Zabulus*, apud Cyprian. *ad Demetrian.* Ambrosium, *de Fide ad Gratianum*, *l.* 5. *c.* 1. Hilarium *in Matth. can.* 26. Paulinum, *Epist.* 4. pro διαβάλλειν ζαβάλλειν aput *Plut.* pro διάκορος Ζάκορος &c. Fuit autem Diæta vel cœnatio vel cubiculum; vel cubiculum & triclinii appendix. Abdias, *Hist. Eccl. l.* 5. *Jam enim regnum paratum vobis, & ex coruscantibus gemmis Zætas instructas, plenas gaudii, plenas epulis, plenas deliciis, plenas denique vitâ perpetuâ & lumine æternô, parvô tempore amisistis.* Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis.* A Velsero *Zeta* utique cœnatio fuit antiquitus, seu id, quod Germanicâ linguâ *Tafelstuben* vocamus, Ital. *Tinello.* Sidonius enim Apollinaris, *l.* 2. *Epist.* 2. *Ex hoc Triclinio*, inquit, *fit in Diætam, sive in Cœnatiunculam transitus.* Lexicon Græco Latin. vetus, *Δίαιτα ὑπερῷον.* Hinc apud Athenæum, *l.* 5. ubi Hieronis navis describitur, *ad utrumque parietem aditus medii Diætæ fuerunt numerô 30. viriles, quatuor lectis stratæ:* Dalechampius *Cœnacula, cœnationes*, interpretatur. Interim non semper pro *Cœnatione* vocem accipi Plutarchus suggerit, μίαν παλλακίδων δίαιταν, à Domitiano extructam, cum Capitolii magnificentia comparans, qui locus certè non de cœnatione muliebri, sed de loco, ubi concubinæ Imperatoris degebant, intelligendus est. Sic *Leg. Codicillis* 34. *ff. de usu & usufr. Pallia & Trophima Diætas omnes, quibus uti consuevit, habitet, quam demum post mortem eorum ad Rempubl. pertinere volo*, & placet Jureconsultis Diætam in hortis significare, habitationem voluptatis & amœnitatis causâ extructam. Quô sensu capiendus Ælius Lampridius, *Heliogabal. c.* 30. *Dicitur & balneas fecisse multis in locis ac lavisse atque statim destruxisse, ne ex usu balneas haberet. Hoc idem de domibus, de prætoriis, de* Zetis *fecisse dicitur.* Unius non magnæ descriptio apud Plinium habetur *Epist. cit. Diæta perquàm elegantur recedit, quæ specularibus & velis obductis reductisve, modò adjicitur cubiculo, modò aufertur: lectum & duas cathedras capit.* Quia verò in unica domo earum sæpe plures erant, discernebantur appositô nomine Nominis alicujus vel alterius cujusdam rei. Exemplô est celebris apud Lucullum *Apollinis* Diæta, & illa altera eidem cognominis, in vet. lap. *Gestatio. circini. exterior. à. diæta. Apollinis. ad. diætam. eandem. in. circuitu. p.* ∞ *CCLXXVII.* Item in Palatio *Hermæum*, in quod Claudius recesserat, Sueton. *c.* 10. atque in eodem cœnatio *Jovis*, cujus meminit *in Pertinace* Capitolinus, *c.* 11. *Mica* Domitiani & *Timonium* Antonini, indice non egent, cùm per se nota sint satis. Sed & verba Dominica apud Matth. *c.* 25. *v.* 23. Εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ Κυρίου σου; vix aliter Grammaticè, quàm de Diæta seu Cœnaculo possunt intelligi, quod Dominus χαρὰν vel appellârit vel inscripserit. Unde inutilem servum jubet ibidem Dominus ἐκβάλλειν εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, *in tenebras exteriores*, tenebras extra Diætam, copioso tædarum, lampadum, lychnorumque lumini, quô Cœnaculum illustrabatur, opponens, judiciô Maldonati. Verùm ut *Zeta* istiusmodi seu Diæta munda esset ac nitida, cum supellectile sua ac instrumento omni, *Zetarii* seu Diætarii cura erat, quam functionem servilem fuisse, lapis vetustus Romæ docet, *Diis. Manibus. dextri. Cæsaris. servo Diætarcho. domus. Aug. Trebonia. Laudice fec. conjug. b. m. cum. duabus filiis. Fortunata &. Felice.* Ubi videmus Diætarchum Diætarium esse, nisi fortè princeps *Zetariorum* fuerit Diætarchus: quem, utut servum, aliquid eximium habuisse supra cæteros Diætarios, nomen ipsum haud obscurè demonstrat. Meminit Diætariorum *L. Quæsitum est* 12. §. 42. *ff. de instr. leg. Hostiarii, vel Topiarii, Diætarii, Aquarii, domui tantùm deservientes, continebuntur:* & Julius Paulus *lib. Sent. tit.* 7. *de Leg. Domo cum omni jure suo, sicut instructa est, legata, urbana familia, item Artifices & Vestiarii &* Zetarii *& Aquarii & eidem domo inservientes, legato cedunt.* Ubi dum *Zetarios* vocat, quos prior Lex *Diætarios*, clarissimè patet, Zetarium à Diætario nihil differre. Et cui ignotus, ut pauca superioribus addamus, literæ D. in Z. lapsus. Nomen Dei ipsius apud Latinos sunt qui derivent à voce Græca Ζεὺς, solerti profectò conjecturâ. Similiter lapicidinæ sunt, seu latomiæ, in agro Vincentino, indigenis & peregrinis, ob novitatem spectaculi, celeberrimæ, quas patriô sermone Itali *Costoza* vocant, antiquô nomine *Custodia* sensim, per licentiam prædictam, sic tandem inflexô &c. Vide præter Pignorium præfatum A. Velserum, *libellô pecul. de Zeta & Zetario*, & Car. du Fresne *Glossar.* ubi non rarò vocem pro quolibet ædis cubiculo & zetam Plinii Junioris, *l. c.* & *l.* 6. *Epist.* 15. *Alcoviam* Gallis hodie dici apud Orderic. porrò Vitalem *l.* 8. & 10. pro specula muris imminente: & vitii tandem in libris signo, apud Paulum Diaconum, *in Epist. ad S. Adelhard. Abb.* sumi docet, insuperque S. Gastuli Martyris *Zetaris Palatii*

ktii; h. e. cubiculi interioris Palatii custodis; meminit, ex *Vita* ejus.

ZETEON, oppid. Arcadiæ, Pausan. *l.* 8. *Zœteum*, *Steph.*

ZETETICI, Græc. Ζητητικοὶ, iidem cum Aporeticis, Ephecticis, Pyrrhoniis, Scepticis, Philosophorum genus, qui Pyrrhonis sententiam sequebantur Laërtio memorantur, *l.* 9. Nomen iis à ζητεῖν, *quærere*, quòd, nihil certò sciri posse persuasi, in veritatem rerum inquirere nunquam cessarent, vide suprà ubi de *Pyrrhoniis* & *Scepticis*. Imò inter boni discipuli notas, ζητητικὸν εἶναι, refert Plato, *de Rep. l* 6. uti diximus suprà ubi de *Silentio Pythagor.* Alii erant Συζητηταὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, Apostolo memorati, 1. Corinth. *c.* 1. *v.* 20. de quibus suò locò. At Ζητηταὶ, apud Athenienses, Consultores dicebantur, ut videre est apud Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 12. *c.* 18. item Budæum, *in Comment.* de Zeti verò Græcorum Horologiis inscripto, diximus voce *Vive.*

ZETHA, Africæ promontor. ad Syrtim minor. Ptol. *Zerbi Mercatori*, à Girbi Insul. vicina; à Tacapis 85. mill. pass. in Ortum.

ZETHAN, nomen viri, 1. Paral. *c.* 23. *v.* 8. Item filius *Balan*, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 10.

ZETHAR, nomen Eunuchi, Esth. *c.* 1. *v.* 10.

ZETHES, Boreæ filius, ex Orithyia, & frater Calais. Hi duo fratres ex Argonautarum numero extiterunt, & quoniam alati fuerunt, ad pellendas Harpyias missi sunt, quas usque ad Strophades insulas sunt insecuti. Hi ab Hercule in Teno interfecti, quòd Argonautis Herculem quæsituris obstiterunt. Sunt autem ibi, in eorum sepulchro, duæ erectæ columnæ. Alia ab aliis necis causa affertur. Alnesidemus, quòd Herculem hospitiò exceptum occidere voluerint. Stesimbrotus, quod in contentionem cum Hercule venerint, de datis muneribus comitibus, ab Iasone. Nicander quòd Herculem diversantem, in Coo insula, Boreas eorum Pater tempestate dejecerit. Sunt qui per *Calaim* & *Zethem* Boreæ filios Septentrionales Scythas accipiant, qui se Argonautis adjunxerunt, quique ob velocitatem *alati* dicuntur. Apoll. *l.* 1.

> *Ζήτης αὖ Κάλαΐς τε Βορήϊοι υἷες ἵκοντο,*
> *Οὕς ποτ' Ἐρεχθηῒς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια.*

Propertius, *l.* 1. *El.* 20. *v.* 26.

> ——— *Aquilonia proles*
> *Hunc super & Zethes, hunc super & Calais.*

Ovid. *l.* 6. *Met. v.* 716.

> *Barbara dum rutilis aberat subnixa capillis,*
> *Implumes Calaisque puer, Zetesque fuere.*

Apollod. *l.* 1. Οἱ Βορέου παῖδες Ζήτης καὶ Κάλαϊς ὄντες πτερωτοί. Meminit Pausan. *in Lacon. & Eliac. Nic. Lloydius.*

ZETHIS, Carmaniæ oppid. Plinio, *l.* 6. *c.* 23. *Cethis* ex vetustis codicibus legit Hermolaus: & ni fallor sincerius. Ejusdem enim nominis fluvium, habet Mela: neque infrequens est, oppida cum fluminibus adluentibus ejusdem esse nominis.

ZETHU, nomen viri, Nehem. *c.* 10. *v.* 14.

ZETHUA, nomen viri, Esdr. *c.* 2. *v.* 8.

ZETHUS, nomen Cursoris, apud Ciceronem, *l.* 9. *Famil. ep.* 15. *Duabus tuis epistolis respondebo: uni, quam triduo antè acceperam* à Zetho: *alteri, quam attulerat Phileros Tabellarius.* Nempe ad Tabellariorum, Cursorumque celeritatem signandam, Antiqui nomina ventorum illis imponere consueverunt. Hinc *Zethi* nomen, ex Ælii etiam Cæsaris instituto, Cursoris aptissimum nomen est, quòd inter ventos Zethus Calaisque numerantur. Ait enim de illo Spartianus, *c.* 5. eum Cursoribus suis exemplò Cupidinum alas frequenter addidisse; illosque ventorum nominibus sæpe vocâsse, *Boream* alium, alium *Notum*; item *Aquilonem*, aut *Circium*, cœterisque nominibus appellantem, ut indefessè cursitarent. Vide Fortun. Licetum, *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *ubi Lucernam phalerati Cursoris explicat.*

ZETTA, vide *Zetha.*

ZETUNIM, Thermopylarum urbs, *Laonicus.*

ZETUS, vel *Zethus*, filius Jovis ex Antiope, & frater Amphionis. Horatius, *l.* 1. *Epist.* 18. *v.* 42.

> *Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque*
> *Zeti dissiluit.* ——— ———

Vide *Amphion.*

ZEUGALADIA, hodiernis Græcis appellantur prædia rustica, de quibus vide Jac. Sponium, *Itinerar. Græciæ*, *part.* 2. *p.* 249.

ZEUGITÆ, tertium τμῆμα seu ordo civium, in Republ. olim Atheniensi, vide supra *Athenæ, Theta* &c.

ZEUGITANA, regio Africæ in ora litorali, Numidiæ finitima, Tuscâ fluv. eos separante. Zeugitana gens chiromantica fuisse putatur; & hinc quos *Cingaros* Itali dicunt, Belgæ *Egyptenaren*, Angli *Gypsies*, qui divinando ex manus inspectione circumvagantur, profectos tradunt. Vide *Zigeuni.* Cœterùm ab Africa propriè dicta secernitur Solino, *c.* 27. & inter eam ac Numidiam collocatur: Æthicus tamen in *Cosmogr.* Isidor. & Victor Uticens. *de Pers. Vandal.* cum illa, quæ & Africa Carthaginensis, & Proconsularis appellata est, eandem faciunt. Certè *Zeugitana provincia Proconsularis pars fuit*, Salmas. *ad Solin. p.* 18.

ZEUGITES Calamus, vide suprà *Calamus.*

ZEUGMA, urbs Syriæ Episcopalis in Comagena sub Archiepiscopo Hierapolitano, ad Euphratem, à Samosatis 72. mill. pass. in Austrum inter Germaniciam 30. & Edessam 45. à Doliche 10. *Antonin.* Ibi pons erat super Euphratem, cujus vestigia adhuc durant. Contra illam in altera ripa Apamia urbs erat munitissima & ampla, 65. stadia, sedes Satraparum, ubi tributa solvebantur Plin. *l.* 5. *c.* 24. *extr.* Statius, *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 136.

> *Antiqua Babylonis opes & Zeugma Latinæ*
> *Pacis iter.* ——— ———

Item Daciæ urbs, *Ptolem. Zaxsebes* Lazio. *Mulenach* German. in Transylvan. 3. leuc. à Claudiopoli in Austrum, *Zabeus* Latino recenti.

ZEUGMATIUS, insignis & mirabilis Eremita, de quo Sozom. *l.* 8. *c.* 6.

ZEUGMINIUM, quod nunc *Sirmium.*

ZEUXIDAMUS, Theopompi ex Archidamo filio, ante patrem mortuo, nepos, in regno Spartano avum excepit, Rex ex Proclidarum Familia X. Polydori Agidæ collega, sub quibus Messenii, quos Polydorus & Theopompus subegerant, æquò animò Lacedæmoniis parebant, nec Argivi, cum quibus iisdem ob Thyream acre bellum fuerat, quidquam movebant. Successorem habuit fil. Anaxidamum. Vide Pausan. *in Laconicis.*

ZEUXIPPE, inter Apollini amatas memoratur Arnob. *l.* 4.

ZEUXIPPI Porticus, memoratur *in l.* 18. *Cod. de oper. publ.* & *Zeuxippe Therma*, apud Auctorem incertum *Descr. Urbis Constantinop.* ubi in secunda regione ponuntur. Ζευξίππου λουτρὸν vocat Zonaras *in Philippico*, καὶ ἐν τῷ τοῦ Ζευξίππου μετὰ τὸν ἀγῶνα λουσάμενος λουτρῷ. Nempe locus fuit intra mœnia Constantinopolitana, thermis suis nobilis, à *Zeuxippo*, Macedoniæ & Thraciæ Præfecto, uti legas apud Macrum *in Hierolex.* nomen suum nactus. Ibi Diomedem olim Thraciæ Regem, qui hospitum carne equos suos paverat, ab Hercule domitum occisumque esse, adnotat Hesychius Illustrius. Flammis tandem consumtus est, imperante Justinianò, uti Gregorius Naz. testatur *Orat. ad Arianos*, *Nec novam illam Hierusalem, hoc est*, Zeuxippum *inviso, imperante Justinianò incendiò consumptum est.* Descripsit accuratè magnificam ejus structuram Cedrenus, reliquias illustravit Petrus Gyllius, quos vide.

ZEUXIPPUS, vide *Sicyon.*

ZEUXIS, Heracleotes, pictor suâ ætate, nempe Olympiad. 78. maximus, qui, teste Plin. *l.* 35. *c.* 9. tantas opes acquisivit, ut in ostentatione earum Olympiæ, aureis literis in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentârit. Posteà donare opera sua, inter quæ Umbræ eminebant, instituit, quòd ea nullò satis dignò pretiò permutari posse diceret. Æquales ejus & æmuli fuêre, Timanthes, Androcydes, Eupompus, & Parrhasius, cum quo descendisse in certamen traditur. Idem fertur pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas cùm advolarent aves, eâdem ingenuitate processit iratus operi, ac dixit: *Uvas meliùs pinxi quàm puerum, nam si & hunc consummâssem, aves timere debuerant.* Etiam pinxit Penelopes & Helenæ simulachrum, teste Plin. *l.* 35. *c.* 10. Ejus meminit Cicer. *l.* 2. *de Invent. c.* 1. Plutarch. *in Pericle, &c.* Vetulam, à se exactè pictam, intuens, risu nimiò crepuit. Unde priscum:

> *Nam quid modus facturus risu denique*
> *Nisi pictor fieri vult, qui risu mortuus est?*

Nic. Lloydius. Helenam ejus, quòd amplum ex hac pictura lucrum is reportaret, Ἑταίραν, i. e. *Meretricem*, vocâsse Græcos, narrat Ælianus, *Hist. Var. l.* 4. *c.* 12. Ipse eam cùm pinxisset, quid de opere homines censuri essent minimè expectandum ratus: protinus hos versus adjecit, ex *Iliad.* γ. *v.* 156.

> *Οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς*
> *Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν,*
> *Αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.*

Vide Val. Maxim. *l.* 3. *c.* 7. *ex. ext.* 3. & Joh. Meursium, *Comm. in Lycophr.*

ZEUXO, Nympha marina, Oceani & Tethyos filia, Hesiodus, *in Theogonia*, *v.* 352.

ZIANORUM legionem habet Ammian. *l.* 25. cui Veteranio præerat.

ZIATECUM, vide *Zatecum.*

ZIBETTA, sive *Civettica Felis*, è cujus sudore odoramentum colligitur suavissimum, ζαπέτιον Nicetæ, Bellonio Veterum hyæna est, sed hyæna in luporum genere, Zibetta in felium potiùs est. Nec hyænam, quæ Veteribus adeò nota fuit, odore notabili præditam fuisse, ullus eorum memoriæ reliquit. Paulus Venetus cum moscho confundit, sed hoc animal capreolus est, nec felis similitudinem habet: adde quòd liquor *zibetticus* illò moschi sit gratior. Ex Guinea autem felinum id odoramentum longè optimum deportatur, teste Hugone Linschottanò, *Itiner.* ac dimanat is liquor circa extimam abdominis partem intra femora, unde ab iis, qui animal alunt, bis ter de die abstergitur, ut in *Africa* sua prodidit Joannes Leo. Et quidem primò albus est, hinc subluteus, denique nigrescit; Primùm quoque gravis admodùm odoris est; sed posteà virus exuit, & gratissimum odorem spirat: cujus non ad delitias solùm, verùm & ad Medicinam usus eximius est, uti disces ex Matthiolo & Fallopio, vide quoque Cæs. Scaligerum, *Exercit.* 211. & Gerh. Jo. Voss. *de Idol. l.* 3. *c.* 71. ubi *Algallias* felem hanc Indis dici, inter alia addit. A rusticis verò Suecis hujusmodi unguentis & odoribus delibutos viatores, Russos præcipuè, Moscos & Danos, non raro fustibus cædi, quippe quibus odores hi ingrati dupli ci nomine, quòd & fœminæ iis haustis abortiant, & non nisi à peregrinis, quos suspectos habent, adferantur, legas apud Olaum, *l.* 16. *c.* 13. & 14. Felis *zibethica*, è vivario Galliæ Regis allatæ, anatomen habes apud Jo. Conr. Peyerum, *in Exercitation. Anatomico-Medicis, Exerc.* 18. ubi inter alia, *In pube*, inquit, *didu-*

ltis orwribus rima patens ducit utrinque ad foveam seu crumenam, zibethi *receptacula. Hoc album est & pingue ac oleosum, fragrans, a liquibus etiam nimiâ odoris suavitate vel potiùs acritudine molestum, detractâ pelle glandula conglomerata alba & purpureis vasis sanguineis elegantissimè distincta in conspectum venerunt, in quibus zibethum secernitur. Glandulas extrinsecus ambiunt musculi, ut secreta materia inde propellatur ad receptacula per canales aut ductus singulares.* Inde nuncupatum ζαπέτιον Nicetæ suprà memorato, cujus, ut & animalis, apud Veteres nulla mentio, teste Salmasiô ubi suprà. Vide quoque *Mus peregrinus.*

ZIBITUM, vulgò ZIBIT, urbs ampla Arabiæ Felicis, Emporium celebre, ad fluv. cognominem, versùs sinum Arabicum. Olim *Saba*. Caput est regni cognominis, & capta fuit ultimô seculô à Turcis: Sed haud pridem expugnata à proprio Rege, cui etiamnum subest, cum tototractu, 180. mill. pass. ab Adenoin Circium ferè, 200 à faucibus Sinus Arabici in Boream.

ZIBYNA, vide suprà *Sibyna*.

ZICCHI, populi fuêre Asiæ, olim *Achæi* in ora Boreali Ponti Euxini & Caucasei maris. Inter Heniochos ac Saginas ad Ortum, & Cercetas ad Occidentem, ubi nunc Avogasia regio ex parte & Circassi populi.

ZICCHIA, id est, Scythia. Ζιγχία, apud Stephan. Diacon. in *vita Stephani Junioris mscra.*

ZICCHIA, Thraciæ fluv. videtur, apud *Cedren. Zicchia, Gothia, Nicopsis*, loca ad Pontum Euxinum. Johanni Damascen. & Surio. in *vita Sancti Stephani junior. Zicchia* meminit quoque Gyllius in Bospoto.

ZICENSES, populi in Africa videntur, ex *Collat. Carthag.*

ZICHNÆ, vulgò etiam *Zichna*, urbs Macedoniæ, Episcopalis priùs sub Archiepiscopo Serrano, posteà Metropolis effecta, *Leunel.*

ZIDAR, nomen oppid. Barbari, *Probus Grammaticus.*

ZIDENUM, vulgò ZIDEN, meliùs *Giudda*, urbs Arabiæ Felicis cum portu, in ora maris Rubri, aliàs *Pudin* dicta, ut quidam credunt, 60. mill. pass. à Mecca in Africum, 220. à Ptolemaide ferarum in Ortum.

ZIDKIA, XXII. Judæorum Rex, regnavit Ann. 9. A Nabuchodonosore Rex tributarius constituitur. A. M. 3336.

ZIDON, mons Palæstinæ, *Josippus.*

ZIE, nomen viri, 1. Paral. *c.* 5. *v.* 13.

ZIEGLERUS Jacobus, Landaviensis Orator, Philosophus, Mathematicus & Theologus insignis, docuit Viennæ; inde Turcicorum armorum terrore motus, ad Episcopum Passaviensem, qui tum è Salmensibus Comitibus erat, se recepit, atque in otio hoc gratissimo varia scripsit. Obiit A.C. 1549. Ejus liber, *Christiani II. Regis Danemarchiæ crudelitas, perpetrata in proceres Sueciæ & populum Holmensem*, multùm laudatur à P. Jovio. Edidit etiam *Descriptionem Terræ Sanctæ*, quâ Eusebium, Bedam, Baconum, Burchardum & Breitenbachium longè post se reliquit; Reliqua ejus scripta enarrat Teissier, *Elogior. Part.* 1. *Notas* ejus *in selecta S. Scripturæ loca*, cum *Epist. Candidi Arriani, & Rhetoris. Marii Victorii*, qui *de Generat. div.* agunt, J. J. Fuggerus edidit. Vide quoque Voss. *de Scient. Mathemat. p.* 255. & 377. 378. ut & suprà *Jacobus Zieglerus.*

ZIELA, urbs Cappadociæ, quam condidit Nicomedis filius. *Zielas, Stephan.*

Reges et Principes.

ZIEMOMISLUS, filius Lesci, nepos Ziemoviti, de quo infrà, pronepos Piasti, patris successor, Princeps fuit lenis, beneficus & hospitalis: Pater tandem, ex uxore sterili, Miecislai, qui ad septimum ætatis annum cæcus, visu dein, cùm tonderetur, receptô, Poloniæ lumen magnum portendit, gente ad fidem perductâ A. C. 965. inclytus. Obiit A. C. 962. Regni vel Principatus 46. successore filiô Miecislaô.

ZIEMOMISLUS, vel *Semomislaus*, filius Casimiri Lenciciensis, Mazoviæ in Polonia Ducis, Cujaviam cum Lencicia tenuit. Pater Casimiri, qui cùm à Lesco Nigro Rege, patruo suo, cum fratre Primislao Principatum Pomerelliæ impetrâsset, eôdem à Cruciferis ejectus filium habuit, Vladislaum Album: qui venditô Ducatu *Gniewkov* Monasterium Divione ingressus est. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal.*

ZIEMOVITUS, Piasti Polonorum Principis inclyti filius: Militarem disciplinam instituit, victoriisque adversus Ungaros, Bohemos, Moravos, quorum Rex Suatopluccus tum bellô Germanicô distinebatur, Cassubiosque felix, amissas Popieli, post quem Piastus sceptro admotus fuerat, ignaviâ provincias recuperavit: sub finem seculi 9. Sub eo Russi, qui hodie secundùm quosdam Cosaci, classe ad Pontum usque Euxinum excurrerunt, Constantinopolique frustra obsessâ reversi, ex captivis religionem Christianam addidicerunt, A.C. 860. Norvegi quoque tyrannidem Haraldi fugientes, in Islandiam, Ingulfô Duce, eôdem ferè tempore migrârunt, vide Mart. Cromerum, *Hist. Polon. l.* 2. Obiit Ziemovitus A. C. 892. successore filiô Lescô VI. quietis & otii, quam belli, amantiore.

ZIEMOVITUS, fil. Conradi, Mazoviæ Ducis, frater Casimiri Lenciciensis, cujus ex filio Vladislao Loctico nepos Casimirus Magnus, A. C. 1370. in Piastea familia, qui Polonis imperâsset, ultimus finem vivendi fecit. Pulsus est *Ziemovitus* à fratre Siradiensi Principatu: Pater, inter alios Conradi, qui regnum adversus Boleslaum Calvum, & posteà Lescum Nigrum, cui præter Cracoviam à Germanis servatam nihil superfuit, sibi vindicare conatus, spe suâ excidit: & Boleslai Ducis Plocensis: quô genitus *Ziemovitus* Mazoviam A. C. 1355. Regi Casimiro obnoxiam fecit. Hujus filii duo Johannes, & *Ziemovitus*, ille Warsoviensis vel Cirnensis, hic Plocensis seu Ravensis, linearum auctores fuêre, de quibus vide *infra*.

ZIEMOVITUS, filius Boleslai præfati, auctor rami Plocensis seu Ravensis, regnum Poloniæ sibi oblatum recusavit: Pater *Ziemoviti*, qui post Jagellonis mortem ejus fuit gubernator. Ultimi tandem ex hac familiâ *Ziemovitus* atque Vladislaus fratres, Duces Ravenses, venenô dicuntur sublati A. C. 1462. ut ditio ad Regnum reverteretur: quemadmodùm & Johannis retro memorati posteritas in Johanne & Stanislao, simulque omnis in Polonia Piasteus sanguis extinctus est A. C. 1526. Regi relictâ successione: à quo tempore Mazovia Regno conjuncta mansit, nec Regi Sigismundo concessum est, ut eam uxori dotalitiam faceret.

ZIEMOVITUS, seu SEMOVITUS, filius minimus Casimiri II. Silesiæ Ducis, auctoris rami Teschinensis, qui A. C. 1288. Regi Bohemiæ Wenceslao se submiserat: improlis defecit. Frater Casimiri III. cujus posteritas in Friderico Wilhelmo nostrâ memoriâ, simulque tota Miecislai, qui Silesiæ superioris Ducum sator fuit, linea terminata est. Hujus Casimiri filius major natu itidem *Semovitus*, Glogoviam tenuit, sed sine prole extinctus est. Vide Phil. Jacob. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in Fam. Piastea.*

ZIEVONIA, Nomen enim Sarmatarum Europ. cum Diana Romana idem, vide *Sarmatia.*

ZIGÆ, vide *Zygi.*

ZIGANA, urbs Armeniæ, vel Ponti Cappadocici, *Antonino*, geminatô *Lib. Notit.*

ZIGENHÆMUM, vulgò ZIGENHAIN, urbecula permunita, in ditione Hasso-Cassellana, 7. milliar. Germanic. à Cassela in Merid. uti 4. à Fritslaria, 6. à Fulda in Circium. Hinc Comitatus *Zigenhamius*: cujus primus Comes memoratur Fridericus, Ludovici II. Thuringiæ & Hassiæ Lantgrav. filius, cujus prosapia in Joanne Comite sublata A. C. 1453. Ludovicus Mitis Hassiæ Landgravius emtionis, ut perhibetur, cum Joanne, multis debitis beneficiisque Landgravio obstricto, contractæ titulô occupavit, unde illi cum Hohenloicis hæreditatem sibi vindicantibus controversia, Wormatiæ tandem ita composita, ut Comitatus penès Cattos maneret, A. C. 1495. Tob. Pfannerus, *de præs. Germ. Principum gentibus*, c. 8.

ZIGERA, oppidum Africæ propriæ. *Ptolem.* per *i.* in media, Assyriæ urbs.

ZIGERE, urbs Thraciæ, circa Mœsiam infer. Plinio, *l.* 4. *c.* 11.

ZIGEUNI, Germanis dicuntur, qui aliàs *Cingari*; apud Gallos & Anglos *Ægyptii*: Belgis *Heydens*, id est, Ethnici: Hispanis *Gittani*: Colluvies variarum gentium nusquam habitans, & Ægyptiorum aut Nubianorum nomen mentita. Profitentur enim se ex inferiori Ægypto aut Nubia ortos, atque ad erraticum hoc vitæ genus divinitus damnatos esse, quòd Majores ipsorum olim Beatam Virginem cum infante Jesu hospitiô excipere recusaverint, Aventin. *Annal. l.* 7. In Galliam cùm primò venirent, prætexuerunt vagationem suam esse septem annorum pœnitentiam, à Pontifice Rom. ipsis impositam, ob apostasiam à fide Christiana ad Muhammedismum, nec septennium istud finiri, sed perpetuâ successione renovari, Paschas. *Liv.* 4. *des Recherches de la Fr.* Quorum quidquid sit, fieri potuit, ut errones ejusmodi calamitatibus bellicis primùm ex Nubia & conterminis regionibus expulsi, & jam anteà erroneo vitæ generi assueti, post longas ambages, in Circum-Danubianas regiones se effuderint, ibique ad tempus oberraverint, donec per Hungariam in Bohemiam, Germaniam, Galliam aliasque regiones spargerentur: quibus succedenti tempore varii errones, ex gentibus illis, ubi aliquandiu moram traxêre, admixti sunt. Primùm autem Occidentalibus Europæ tractibus innotuerunt, circa A.C. 1417. Spondan. *in Auctuario Chronol. ad Epitomen Annal. Baronii, ab an.* 1418. ubi refert, mentiri illos, se descendisse ex urbis Singaræ in Mesopotamia incolis, quos à Juliano Apostata inde pulsos postmodùm vagabundâ hâc vitâ distrahi oportuit. E Gallia hi regiô edictô A. C. 1561. exclusi sunt: cumque in Hispania longè lateque grassarentur, à Ferdinando jam A. C. 1492. coërceri cœperunt. In Germania quoque, in Zigeunos, tanquàm proditores & arcanorum exploratores, Comitiorum severitas incubuit. E Brabantiâ, sub pœna capitis bonorumque, Caroli V. edictô exturbati sunt: ut & ex Hollandia, Curiæ decretô, A. C. 1582. sic & aliis è regionibus, utpote publici grassatores, furtique ac Magiæ rei, exesse jubentur. His prisci Nomades, Scenitæ ac Saraceni, hodieque in imperio Turcico Torlaqui, errones ac impostores, non absimiles sunt, quos à Bajazethe A. C. 1494. proscriptos esse Historici referunt; vide Leunclav. *Pand. Turc. n.* 175. & Camerar. *Cent.* 2. *c.* 75. Plura de *Zigeunis*, vide apud Ahasuerum Fritschium, *tract. peculiari, de Zigeunis*, Voetium, *tom.* 2. *Disput. de Gentilismo, ubi de religione, baptismo & linguâ eorum inprimis agit*, Christ. Becmannum, *Histor. Orbis terrar. Geograph. & Civil. c.* 9. *sect.* 4. *de Moribus Gentium*, §. 4. *&c.* ut & suprà in voce *Zeugitana.*

ZIGGA, urbs Episcopalis, *Victor. Uticens.*

ZIGUENSIS, locus in Africa, *Collat. Carthag.*

ZIITO, Magus celebris, in aula Wenceslai Imperatoris & Bohemorum Regis. Hic cùm, affinitate cum Principe Bavariæ contractâ, ejus filiam Sophiam uxorem duxisset: Socer, ubi generum ludicris spectaculis & magicis præstigiis delectari cognovit plenum ludionum & præstigiatorum plaustrum Pragam secum vexit. Ibi dum præstantissimus artificum ludibria artis, ad permulcendos oculos, explicat, adest inter spectatores *Ziito*, ore usque ad aures dehiscente, accedensque propius, artificem illum Bavari Principis cum omni apparatu subitò devorat, solos duntaxat calceos, quia lutô obliti videbantur, exspuens; Inde secessum petens, ventrem insolitâ escâ gravem, in solium aquâ plenum exonerat,

prsti-

præstigiatorem adhuc madidum spectatoribus restituit passim deridendum, adeò ut cæteri quoque ejus socii à ludo desisterent. Ipse verò artem suam ostentans, nunc suâ, nunc alienâ facie, staturâque: modò item in purpura & serico, ac confestim in lana & panno sordido, Regi sese offerebat. ambulantique in terra, ipse tanquam in aqua adnavigabat: aliquoties equis rhedariis vectum, gallis gallinaceis ad epiredium suum alligatis subsequebatur. Convivas præterea Regis variè ludebat: interdum manus eorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in ungulas equorum transformans: & aliquoties fronti illorum cornua cervorum latissima adjiciens, quoties videlicet è fenestris ad subitum spectaculum prospicerent, ne rursus caput & ora ad mensam referre possent, antequàm ipse vinô dapibusque illorum se ingurgitâsset. Atque ut ostenderet, se pecuniam quoque pro usu suo facilè constare posse, triginta sues benè saginatas, è manipulis fœni effingit, illasque pastum, proximè sues Michaëlis cujusdam Pistoris locupletis extrudit, proponitque venales, quò Pistor voluit pretiô: hoc tantùm emptorem monens, ne gregem novum ad flumen lotum propellat. Quâ ille monitione neglectâ, cernit in flumine manipulos fluitare, suibus submersis. Ergo diu venditore quæsitô atque in taberna vinaria tandem repertô, in qua porrectis pedibus in scamno recubabat, dum stomachabundus alterô pede correptum excitare vult, eum à corpore protinus cum coxendice avellit, clarè Zitone pessimô quiritante, & obtortô collô Pistorem ad Judicem trahente. Quid faceret Pistor, in manifesto deprehensus, ut sibi videbatur, facinore, nisi ut damnum damnoadderet, atque de hac insuper injuria cum altero decideret? Usurpant ad hoc usque tempus Bohemi, ut malam emptionem exprobraturi, vice proverbii dicant: *Lucrum facies instar Michaëlis.* Ad extremum a cacodæmone Magus abreptus injecit Wenceslao curam, de religiosis ac magis seriis rebus in posterum cogitandi, Dubravius, *l.* 23. *Hist. Bohem.*

ZILIA, seu ZELIS *Strab.* Mauritaniæ Tingitanæ urbs, *Ptolem. Alger Castaldo.* Dicitur & *Xilia. Baudrando Arzilla*, urbs regni Fezzæ, in Hasbata, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Tingitano, probè munita, cum arce & portu peramplo, in ora Oceani Atlant. 32. mill. pass. à Tingi in Merid. Lixum versùs 20. Aliàs sub Lusitanis, posteà Gailano Principi paruit, nunc Regi Fezzæ & Marrochi subest.

ZILIA, nomen fluv. apud *Ptolem.*

ZILMISSUS, collis in Thracia, in quo Sebadæo Deo ædes dicata. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 18. Aliis *Cilmissus.*

ZIMARA, urbs Armeniæ majoris sub montis Capotis radicibus, unde Euphrates fluv. erumpit, Solin. *c.* 40. *princip.*

ZIMARUS, locus maritimus, inter Cretam & Lotophagos, ubi Ulysses erravit. Dict. Cret. *l.* 6.

ZIMARUS Marcus Antonius, vide *ibi.*

ZIMIRI, Æthiopiæ regio arenosa, ubi laudatissimus magnes.

ZIMISCES, prænomine Joannes, Imperator Constantinopolitanus Christi imaginem primus in nummis adscribi curavit, cum his characteribus in altera & media eorum facie, IESUS CHRISTUS BASILEVS BASILEON, Latinis literis, teste Scylitze, *p.* 683. de cujusmodi nummis, aliisque similibus, qui *Σωτηρίχοι* quoque dicti, vide Car. du Fresne, *Dissert. de inf. avi Numism. num.* 37. ut & suprà; plura verò de hoc Imperatore, voce *Johannes I. Zimiscius.*

ZIMYRA, urbs Ariæ, in ora ad Ortum. *Ptol.*

ZIN, desertum, *Cades aliàs*, ubi trigesima tertia mansio, Numer. *c.* 13. *v.* 21. &c.

ZIN, locus, cujus incolæ *Mithera*, ubi Ambra in mari nascitur.

ZINA, nomen viri, 1. Paral. *c.* 23. *v.* 10.

ZINCGREFIUS Laurentius, Zimmerio-Palatinus, Joh. Sturmium Argentorati audiit, A. C. 1556. Witrenbergæ dein Mathematicam excoluit, ac Magister Philosophiæ renuntiatus, Nov. Test. Græcum publicè profitendi à Senatu Academico facultatem accepit, A. C. 1565. Munificentiâ exin Georgii Palatini adjutus iter in Galliam suscepit, ac Lutetiæ Parisior. Astronomica privatim docuit. Juris dein Licentiam nactus Aureliæ, A. C. 1570. post reditum à Friderico III. Elect. in Consiliariorum numerum ascitus est, ac Christophoro Principi Auriaco copias auxiliares adducenti, à bellicis consiliis fuit, A. C. 1574. obiit A. C. 1610. ætat. 71. Præter Consilia Principibus suis impensa, multos JCtos novitios ad praxin manu suâ duxit. Horis succisivis historiarum lectione se oblectavit, dicere solitus, cum Plinio, *Nullum esse librum tam malum, ut non aliquâ parte prosit.* Symbolum habuit, *Wie Gott will.* hòc versu Latinô expressum, *Sic mihi cuncta cadant, ut fert divina voluntas.* Cœtera ipsi familiaria apophthegmata hæc præcipuè fuêre: *Nullam esse suaviorem harmoniam, quàm cordis & linguæ; Musicam omnium pulcherrimam esse mores concinnos: Litem litigare: Satius inter bonos quàm inter claros, habere nomen* &c. Vide Melch. Adami, *Vitis JCtorum.*

ZINCHA, urbs Africæ, bellô deleta, quod Cæsar cum Scipione gessit.

ZINCHI, populi ad Pontum Euxinum in Sarmatia Asiatica, *Arrianus.*

ZINDI, & *Jamna*, numerantur inter regiones calidas: ubi color niger, & capilli crispi.

ZINGIBER, aromatis genus. Plin. *l.* 12. *c.* 7. *Zingiberi in Arabia atque Troglodytica in villis nascitur, parva herba radice candida. Celeriter illa cariem sentit, quamvis in tanta amaritudine. Pretium ejus in libras VI.* Græc. *Ζιγγίβερ*, *Suid.* ad cujus imitationem *Zingeberi* habes & in *l. ult.* §. *species* 7. *ff. de publican.* Indis *Zengebil*, unde vocem suam mutuati sunt Græci. Patria Æthiopia est, seu, quod idem, Arabia Troglodytica, ut vidimus. Unde, quòd Oppianus *in Ixeuticis*, ciconias advolare ex Æthiopia scribi nonnullis ait, confirmari potest ex historia radicis *Zingiberis* adhuc recentis, à ciconia hospiti suo Vesaliam Germaniæ urbem allatæ, & tanquàm pro xenio & hospitali munere, ad ejus pedes projectæ, quam Goblerus refert apud Gesnerum. Neque aliud voluit Galenus, cùm, *Simplicium l.* 6. Zingiber ex Barbaria convehi scribit. Interim, varia Indiæ loca idem ferunt, Malabaria, Bengala, *Babul, Becain* &c. Imò *Gingiber*, ait Jo. Metellus, *semine aut radice satum, in omnibus Indiæ nobis notis locis gignitur:* Ubi addit, *optimum est Malavaricum, idemque frequentissimum, Arabibus & Persis expetitum: secundum locum obtinet id, quod in Bengala reperitur; tertium quod in Dabulo & Bazaimo, omnique ea ora maritima.* Etiam in Africæ vicinis Insulis *Madagascar* &c. inveniri, habet Auctor Anonym. *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c. de Commerciis.* Inter Orientis delitias, Mariæ Mediceæ Galliæ Reginæ, Amstelodami, in epulo, quò Societas Orientalis eam excepit, *Zingiber* quoque *non conditum* memorat Casp. Barlæus, *in Medicæa* &c.

ZINGIS, Æthiopiæ sub Ægypto promontor. in ora Azaniæ, *Ptol.* apud Oponenem emporium. Etiam *Zengila* dicitur.

ZINZENDORFFIA Familia, in Austria illustris, in qua Marquardus claruit A. C. 1240. Accessit hæreditas Familiæ Pottendorffiæ superioris seculi initiô, allata Christophoro Dn. *de Zinzendorff*, qui obiit A. C. 1535. à Sophia *de Pottendorff* uxore. Quibus genitus Joannes Alexandrum fil. habuit, patrem Alexandri, avum Joannis; qui ex Juditha Liechtenstenia suscepit Georg. Hartmannum (maritum Sabinæ Comitis Solmensis) Ottonem Henricum (qui sibi Apolloniam Zelking; inde Sidoniam Elisab. *de Hardeck*; tandem Maximilianam *de Auersperg*, junctas habuit) & Albertum (cui Barbara Maria filia Christophori Comitis Kevenhuller nupsit) præter filias aliquot, omnes *Dominos de Zinzendorff.* &c. Eôdem Christophorô & Sophiâ genitus major natu Stephanus fuit: sed & Joanni fratri ejus, præter Alexandrum præfatum, duo alii filii minores fuêre, Joannes Fridericus & Otto, ipsi quoque duarum linearum Auctores. Phil. Jac. Spenerus, *Theatrô Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 108. & 3. *p.* 88. Vide quoque eum, *Arte Herald. Tom.* 2.

ZINZIMUS, Antipapa, post Paschalem I. Eugenio II. oppositus: auditô, Lotharium à patre Ludovico Pio Romam missum, cessit, Anastas. *in vit. Pontif.*

ZIOBERIS, fluvius Hyrcaniæ, qui postquàm per 300. stadia subter terram conditus defluxerit, denuo erumpit, inque alium fluvium nomine Rhyndacum cadit. Curt. *l.* 6. *c.* 4. *Stiboetes* Diodor. *l.* 17. ubi describitur. Vide *Rhidago.*

ZIONCELLUS, fluv. Thraciæ, per Drusiparam fluens: In *vita Drvi Alexandri Martyris.* Forte idem Zorolo. Vide ibi.

ZIPANGRINI, populi Orientis, memorantur M. Paulo Veneto, *l.* 3. *c.* 3. ubi gestare eos brachialia, in quibus lapides quidam pretiosi, tam efficacibus Diaboli incantationibus inaugurati sint, ut nullô modô queant ferrô vulnerari, inter alia, refert.

ZIPH, duæ civitates in tribu Juda, ex quibus altera nomen magnæ dedit solitudini, Jos. *c.* 15. *v.* 24. & 1. Sam. *c.* 23. *v.* 14. quam ædificavit Roboam, 2. Paral. *c.* 11. *v.* 8.

ZIPH, mons in tribu Juda squalidus, caligans & nebulosus. Item unus ex posteris David. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

ZIPHA, filius Jaleleel, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 37.

ZIPHAR, mons Æthiopiæ interioris.

ZIPHENE, locinomen, *καινή*, i.e. *nova* dictus. In Palæstina, Joseph. *l.* 6. *Antiqq. c.* 13. *Stephanus* legit *Xiphene.*

ZIPOETIUM, urbs Bithyniæ à *Zipoetô* Rege, *Stephan.* ad Lyperum montem.

ZIPPA, Belgis *de Ziip*, quasi sentina Oceani, lacus Hollandiæ Borealis inter Alcmariam ad Merid. & Tesseliam insul. Ab aliquot annis exsiccatus, munitur aggere *Hondsbosch.*

ZIQUENSIS Episcopatus in Africa, meminit D. Augustinus & *Ziquensis* montis Victor Uticens.

ZIRICZÆA, vulgò ZIRICZEE, urbs munita Scaldiæ Insul. cum portu capaci, in ejus parte Australi contra Scaldis æstuarium. Dimidiâ leuc. à Brouwershavia, 5. à Bergaad Zomam in Occasum, 3. à Middelburgo in Cæciam. Capta fuerat ab Hispanis A. C. 1575. post longam obsidionem; posteà fortiter recepta à Batavis; & juxta ipsam Flandri, ingenti clade fuêre affecti, à Gallis Batavisque, A. C. 1604. In Zeelandia.

ZIRIDAVA, *Ptolem.* urbs Daciæ, ad Naparim fluv. *Scharsten, Lazio*, in Valacchia. Aliis *Targorod*, urbs munita Moldaviæ, 40. mill. pass. à Suczova in Merid.

ZIRMA, fluv. circa Carduchios montes, *Agathia.*

ZISCA Johannes, famosus Hussitarum Dux, victoriis contra Sigismundum Imperatorem magnô numerô obtentis, in omne ævum memorandus. Illius nomen fuit *Johannes de Trots Nova*, sed dictus est *Ziska*, quòd unoculus esset: qui tamen & illô, quò adhuc videbat, oculô tandem captus, bella nihilominus gerere non destitit. Moribundus jussit pellem sibi detrahi, & ex ea tympanum fieri, prædicens arrepturos hostes fugam quàm primum illud tympanum tinnuisset. Ei in ducatu successit Procopius; qui verò ipsum sequebantur *Orphanos* se vocârunt, occasione loci Joh. *c.* 14. *v.* 18. Licèt autem Taboritarum primò Dux esset *Zisca* à Calixtinis tamen se passus seduci in illos non minùs, quàm Pontificios, ferrô & igne sævire cœpit, ut suprà vidimus. Plura de illo, rebusque ejus gestis, apud Æn. Sylvium, Christian. Matthiæ *Theatrô*, Regensvolscium, *Histor. Sclav.* Mutium, *Chronico*, Alios; aliquid etiam suprà, ubi de *Johanne Zisca.*

ZITA, Arabum Princeps, qui cùm ei Hebræi duo Magi & Astrologi, imperium & vitam longam polliciti essent, si Christianorum templa demoliretur, paruit quidem, at annô vix exactô repentè mortuus est. Quare filiô impostores punire parante, fugam illi in

in Isauriam arripuerunt, circa initium imperii Leonis Isauri. *Zonaras.*

ZITÆ, populi circa Bulgariam forte, in Hist. Miscell. *l.* 22.

ZITHA, promontor. & oppid. Africæ, *Ptol.* Vide *Zetta.* Item Mesopotamiæ urbs. *Sitha* apud *Zosimum.*

ZITIA, urbecula Misniæ, *Zeitz* vulgò, in tractu Novoburgico, ad Elsterum fluv. 4. milliar. Germ. ab Altenburgo in Occasum, Jenam versùs 5. quot à Lipsia & Mersoburgo in Austrum.

ZITTAVIA, urbs Lusatiæ superioris ad Neissam amnem, in limite Bohemiæ, sub Electore Saxoniæ, 4. milliar. Germanic. supra Görlitium, in Merid. Pragam versùs; ædificata, aut certè munita, A. C. 1255. à Wenceslao Bohemiæ Reg. *Zittaw* vulgò.

ZITURON, locus Persidis, circa Ctesiphontem, *l.* 18. Hist. Miscell. *Siasur Cedreno.*

ZIZA, filius Jonathan, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 33. Est & nomen Principis, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 37. Item urbs Arabiæ Petrææ, *Ptol. Lib. Notit.*

ZIZERUS, Indiæ portus, Plin. *l.* 6. *c.* 23. Ibidem *Muziris* dicitur.

ZIZEUM, urbs in confinio Colchidis. Agathias, *l.* 5.

ZIZI Montes, in provinc. *Chaus*, regni Fezzæ, in mediterran. *Zizes* vulgò, *Marmol.* Extenduntur ab Ortu in Occasum inter Ommirabihum fluv. & fontes Mulviæ fluv.

ZIZIMUS, Mahometis Turcarum Imperatoris filius, mortuò patre, à Bajazethe fratre regnò pulsus, Rhodiis sese primùm per literas, tum per Oratores permisit: ac paulò pòst onerariâ nave Rhodum delatus, regiò apparatu exceptus est, A. C. 1482. Quò auditò, Bajazetes pacem cum Rhodiis fecit, eâ lege, ut Zizimum custodirent, & alimentorum nomine 45000. nummûm auri quotannis Rhodi persolvenda Kalend. August. acciperent. Quinetiam ut gratiam M. Ordinis Magistri assequeretur, dextram Johannis Præcursoris ei donò misit. Cumque annò insequenti ingentem pararet classem, in Italiam per Hellespontum mittendam, minitante Magistrò Rhodiò, fratrem se emissurum, exercitum dissolvit, juramentò adhibitò. Dehinc Zizimus Romam perductus, A. C. 1488. & Innocentio VIII. arte & solertiâ Leonelli, Concordiensis Antistitis, Legati Apostolici, concessus fuit; licèt Bajazetes per Legatos Rhodiis, præter coetera, sepulchrum Christi cum Hierosolymis, & omni Terra S. pro Zizimo obtulisset, intereaque Rex Hungariæ Matthias eundem impensè peteret, Zizimò ibi deditò, victoriam de Turcis indubitatam sperans. Vicit enim facundia Leonelli, ut Pontifici traderetur, sub militum Rhodiorum custodia. Posteà, cùm Carolus VIII. Francorum Rex Romam cepisset, eâ conditione pacem cum Alexandro VI. sanxit, A. C. 1495. ut captivum sibi traderet, qui in Vaticano detinebatur. Verùm Alexander quidvis potiùs, quàm res Caroli, per Zizimum illustriores reddi volens, venenum lentum misero propinari curavit, quò tandem absumptus est. *Cuspinianus.*

ZIZIMUS, vide *Bajazetes II.*

ZMILANTHIS vel *Zmilantis*, gemmæ nomen, apud Solin. *c.* 37. *Zmilanthis in ipso Euphratæ alveo legitur, gemma ad imaginem marmoris Proconnesii, nisi quòd in medio umbilico lapidis istius glaucum, ut oculi pupula, internitet.* Sed gemma non est, quippe nec de minimis nec de pellucidis, hic lapis, aream habens Proconnesio marmori similem, i. e. candidam; mediò colore glaucò, (unde μεσόγλαυκος dictus) qui niger est in Proconnesio. Salmas. *ad Solin. p.* 703. & *seqq.*

ZMILUS, Rholus & Theodorus, fecerunt Labyrinthum Lemnium, vide Zuingerum, *Theatr. Vita hum. vol.* 20. *l.* 3. *p.* 3717. *col.* 2.

ZMIRIS, Indiæ emporium, apud eundem, *c.* 54. quod *Muziris* verò nomine, pro quo *Zimiris* seu *Zmiris*, quod Æthiopiæ regio apud Plin. is substituit. Salmas. *ibid. p.* 1185.

ZMIRNA, Mœsiæ primæ urbs, *Lib. Notit.*

ZNICZ, ignis divinò honore cultus apud Lithuanos, qui demum ab Idololatria conversi sunt A. C. 1230. Vide Alexandrum Gaguinum *de prisca Lithuanorum religione*, *c.* 1. & suprà, ubi de *Fulmine* ac *Igne.*

ZNOIMUM, German. *Znaim*, Bohemis *Znoymo*, urbs Moraviæ, ad Teyam fluv. in limite Austriæ, 7. milliar. Germanic. à Bruna in Africum, 10. à Vienna in Circium. Pluries capta receptaque, præsertim à Suecis, A. C. 1645. Hic decessit Sigismundus Imperator A. C. 1437.

Rabbi Benjam. ZOAB, composuit *Quæstiones & Responsiones*, circa ann. 294. Millenarii VI. juxta calculum *Rabbi Dav. Ganz.*

ZOANA, oppid. Armeniæ minoris.

ZOAR, nomen loci, Gen. *c.* 19. *v.* 22. *Suidas*, Ζώαρ τόπος.

ZOARA, urbs Persidis. Cives *Zoari*, vel *Zoarita.* Est etiam *Zoara*, vicus magnus sive castellum Palæstinæ ad mare Mortuum, quò Loth confugit à Sodomis. Cives *Zoareni*, vel *Zoroata*, *Steph.*

ZOBIDÆ, populi prope Carmaniam, *Idem.*

ZOCOMUS, Saracenorum Princeps, qui apud Monachum quendam celebrem, de orbitate conquestus, ab eo certâ prolis promissione recreatus est, hâc conditione si in Christum esset crediturus. Reversus is lætò in regiam animò, post preces ad Deum ardentes fusas, filium suscepit. Quò eventu confirmatus non ipse solùm Christianorum fidem alacriter amplexus est, sed & subditos suos simul omnes, eandem ut amplecterentur, permovit, Sozom. *l.* 6. *c.* 38.

ZODOCATHA, Palæstinæ urbs, *Lib. Notit.*

ZODIACUS, aliàs *Signifer*, circulus est in Astronomia notissimus. Ejus *obliquitatem primus intellexit, hoc est, rerum fores aperuit* Anaximander Milesius, docente Pliniò, *l.* 2. *c.* 8. Fuit autem is Thaletis auditor, & docuit, terram se habere instar centri & esse globosam; Solem terræ magnitudinem æquare: Solis porrò conversionem ac æquinoctia ostendit, ac primus itidem horas docuit ex umbra gnomonis distinguere: Sphæram quoque construxit ac terræ marisque descripsit circuitus. Factum id verò quod de *Zodiaco* diximus, annò 2. Olymp. 58. *Signa deinde in eo Cleostratus & prima Arietis ac Sagittarii* notavit, teste eòdem Pliniò, *l. c.* qui & auctor ὀκταετηρίδος fuit. Alii tamen obliquitatem Zodiaci non Anaximandri, sed Pythagoræ vel Oenopidæ Chii, inventum esse volunt, teste Diodorò Siculò, *l.* 1. Plutarchò, *de Placitis Phil.* ac Censorinò, *de die Natali*, *c.* 19. Estque hic Oenopides ille, quem Ælianus, *l.* 10. *Var. c.* 7. ait, annum magnum vertentem annis definiisse undesexaginta. Imò ab Eudemo idem proditum est in Historia Astrologic. cujus præter Laertium in *Thalete* & Simplicium *de Cœlo*, etiam meminit Theon Smyrnæus *his verbis*, Εὔδημος ἱστορεῖ ἐν ταῖς Ἀστρολογίαις, ὅτι Οἰνοπίδης εὗρε πρῶτος τὴν τοῦ Ζωδιακοῦ διάζωσιν, καὶ τὴν τοῦ μεγάλου ἐνιαυτοῦ περίστασιν, *Eudemus narrat in Astrologicis, Oenopidem invenisse Zodiaci obliquam positionem, magnique anni constitutionem*, &c. Vide Gerh. Jo. Voss. *de Scient. Mathem. c.* 33. §. 1. Sed & ante Anaximandrum Thales *Eclipses* prædixit, quod sine *obliquitatis Zodiaci* notitia intelligere non potuit, Joh. Marshamus, *Can. Chron. Sec: XVIII.* Cœterùm circulus hic, descriptus ex polis distantibus à polis Mundi, grad. 23. & dimid. numeratis, in Coluro Solstitiorum, secat Æquatorem, secaturque vicissim ab ipso in duas æquales medietates, obliquè tamen, ita ut Zodiacus sit ad Æquatorem inclinatus, unaque medietas vergat ad Septentrionem & Polum Arcticum, altera ad Austrum & Polum Antarcticum: punctò mediò utriusque medietatis, recedente tantum ab Æquatore, quantum poli Zodiaci à polis Mundi, nempe gradus 23. & dimid. Arabes Circulum hunc *Almantica* seu *Nitas* vocant, quod *Balthenm* sive ζωστῆρα denotat. Ebræis dicitur חשב אפודת הגלגל, *opus Phrygionarium*, h. e. *Fascia* seu *Limbus textilis*: Arato est Μέσος & ἠελίοιο κέλευθος, Proclo λοξὸς κύκλος: Lucano, *l.* 10. *v.* 212.

——— *Varii mutator circulus anni:*

Aliis *Signifer*, Ἀγαλματοφόρος, Ζωγράφος, *Sigillaris*, item Ζωδίων περιτέλλουσα & τὸ Δωδεκατημόριον. Duodecim namque signa sive constellationes continet, quorum nomina vulgatò hôc distichò exprimuntur.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

De quorum unoquoque vide *suis locis.* Addam ex Vossio hic ista saltem: Distribuerunt in XII. signa *Zodiacum* Veteres, Babylonii primùm, ut Salmas. ait ad *Solin. p.* 641. quia Sol, dum suum permeat circulum, duodecies cum Luna coit; singulaque Signa distribuêre in gradus 30. quia Luna diebus totidem iterum conjungitur cum Sole: unde etiam liquet, cur gradus sint 360. quando tot conflunt, si duodecies sumas triginta. Atque hæc ratione constat manifestâ. Non item illud, cur singulis corporis membris aliquod *Zodiaci* signum præfecerint; Arietem capiti; Taurum cervici & jugulo; Geminos humeris, lacertis ac manibus; Cancrum pectori & costis; Leonem diaphragmati, stomacho ac ventri; Virginem præcordiis ac hypochondriis; Libram renibus, vertebris & natibus; Scorpium ilibus; Sagittarium femoribus, genibus ac poplitibus; Capricornum suris & talis; Pisces pedibus; quam rem pulchrè versibus expressit Manilius, *l.* 2. Atque ex his Leo, grandes vires & leoninis similes, dicitur conferre: Virgo, pulchritudinem; Sagittarius, quà parte homo, pulchros; quà equus, fortes reddere perhibetur: Cancer, Capricornus & Pisces, robore contrà ac pulchritudine destituunt. Etiam signi cujusque domum huic vel illi Planetæ tribuerunt: Ut Soli Leonis, Lunæ Cancri, Mercurio Geminorum: Virginem credidêre domum aptam Soli; quia Leoni, Solis domo, vicina: Veneri Taurum & Libram dedêre &c. Quibus ita constitutis, Solem in Aquario, Lunam in Capricorno, Saturnum in Leone & Cancro, noxios esse; imò nascentes futuros cæcos, si Saturnus foret in domo 12. & Solem, Lunam ac Martem, trigonâ ratione spectaret, dixêre. Ut alia omittam, quæ legere est è Veteribus, apud Ptolemæum *in Centum sententiis ad Syrum fratrem*, Firmicum Maternum *in Matheseos libris, ad Mavortium Lollianum*, & M. Manilii *Astronomico*: E Junioribus, apud Jovianum Pontanum, *Comm. in Ptolemæum* & 14. *libris rerum Cœlest.* item Junctinum, Cardanum, tot alios: quorum omnium instar erit Campanella, *Astrologicor. l.* 6. nec enim hanc Artem aliquis præceptis meliùs constrinxit. Particulatim verò examen eorum, quæ de moribus Gentium, ex signo iis dominante, tradiderat Ptolemæus, vide apud eum, *l.* 2. *c.* 5. Vossius suprà laudatus, *de Idolol. l.* 2. *c.* 47. Quomodo verò ad Dei cognitionem *Zodiaci* attenta contemplatio nos ducat, exponit eruditè Plutarchus, *de Placitis Philosoph. l.* 1. *c.* 6. &c. Monetam *Zodiaci simulacris* notatam, atque haud pridem à M. Mogolis uxore, insciò maritò cusam, perque totum Imperium mirâ celeritate sparsam; sed, ut res palàm facta est, mox iterum suppressam, habes apud Jo. Bapt. Tavernier, *Itinerar. Ind.* ubi & typum uniuscujusque duodenorum horum aureorum signorum exhibet. &c. Vide & suprà, ubi de *Ægyptiaca* πόλει, item ubi *de Ostiis Circi XII.* nec non de disco, in quo XII. signa cælata, quemque proin ἀργύρεον πόλον vocavit vetus Poeta, suprà aliquid voce *Polographia*; deque tonsura Simonis Magi & sectatorum ejus, qui sulcum per capitis verticem in *Zodiaci* Symbolum ducebant, ubi *de Tonsura Petri*: de voce verò Ζώδιον plura, apud Salmas. *ad Solin. p.* 116. 652. & 1046.

ZOE,

ZOE, Imperatrix, Constantino Monomacho nupsit, A. C. 1043. libidinibus infamis. Filia fuerat Constantini Junioris. Obiit A. C. 1052. ætat. 70. Vide *Romanum III. Michaël IV.* & *V Constantinum Monom.* Item uxor Nicostrati Martyris, 7. annos muta ex morbo. demum à Deo O. M. curata.

ZOELÆ, Hispaniæ Tarraconensis populi in Asturia, Plin. *l.* 3. *c.* 3.

de ZOEMEREN Henricus, vide *Henricus*.

ZOES, locus Cyrenes à Batto conditus, Herodot. *l.* 4.

ZOETIUM, urbs Armeniæ à *Zoete* quodam, *Steph.*

ZOFALA. vulgò quoque *Zofala*, urbs munita Cafreriæ, in ora maris Æthiopici in Insula ad ostia fluv. cognominis cum arce, in limite Zanguebariæ, 250. mill. pass. à Currentium promontorio in Boream 340. à Mozambicha in Africum, sub Lusitanis. Caput regni cognominis in parte Boreali Cafreriæ, quod versus oram est Oceani Æthiopici & inter ostia Cuamæ & Zamberi fluv. in limite Zanguebariæ. Pars fuit alias Imper. Monœmugi.

ZOFINGA, vulgò *Zofingen*, olim *Tobinium*, oppid. Helvetiæ in pago Verbigeno, sub ditione Reipubl. Bernensis, in regione Argovia, ad fluv. Altacum vel Viggerim. Jus cudendæ monetæ, jam Caroli Crassi tempore, oppido concessum, ejus antiquitatem loquitur. Olim sub Comitibus Spitzbergensibus, quibus prope arx fuit, quorumque insignibus *Zofinga* utitur, fuisse videtur. Posteà variis privilegiis donata. his salvis A. C. 1285. patrocinio Rodolphi I. Imperatoris se submisit: sed filius hujus Albertus, eam obsessam A. C. 1295. penitus sub jugum redegit. Incendiò tota, unicâ domô exceptâ, absumpta est, A. C. 1396. sed reparata, nova ab Austriacis Principibus privilegia accepit. In Bernatum dein, cum tota Argovia, potestatem pervenit, A. C. 1415. quibus hodieque subest, salvis tamen pristinis immunitatibus: Unde proprium ei Consilium, cujus caput Scultetus, &c. Præposituram hic fundàrunt olim Vroburgii Comites: Dominicani dein, sub Friderico II. hic pedem fixère, ob proditorios conatus, paulò pòst pulsi. Reformationem tandem amplexum oppidum, Missam cum toto Latinarum ceremoniarum choragio, abrogavit, A. C. 1528. Hic. Tigurinorum & Bernatium: Friburgensium item & Saloduriorum, cùm his actoribus res est cum 8. Pagis, lites causæque decidi solent. Vide Stumpf. *l.* 7. *de Argovia*, *c.* 33. Jos. Simler. *descr. Helv. &c.* Distat dimid. milliar. ab Arolæburgo, *Arburg*.

ZOGOCARA, Armeniæ majoris urbs, *Ptol.* *Zογόκαρα MS. Boldoni.*

ZOHELETH, rupes juxta fontem Rogel, 1. Reg. *c.* 1. *v.* 9.

ZOHETH, filius Jesi. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 22.

ZOILUS, Patriarcha Alexandrinus, secul. 6. Ab Anastasio Imperatore pulsus. Baronius, *A. C.* 537. *num.* 15.

ZOILUS, Sophista Amphipolites, *Ptol.* Philadelphi temporibus: hôc unô facinore nobilitatus, quòd Homerum, Poëtarum omnium facilè Principem, libris adversus illum scriptis, ausus sit reprehendere; unde & Ὁμηρομάστιξ cognomen accepit. Ovid. *l.* 2. *de Rem. Am. v.* 365.

Ingenium magni livor detrectat Homeri,
Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.

Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 93.

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dicit:
Non vitiosus homo, es, Zoile, sed vitium.

Non prætermittendus hìc locus Vitruvii de Zoilo, qui *in Præfat. l.* 7. talis est. *In sequentibus annis à Macedonia Zoilus, qui adoptavit sibi nomen, ut* Homeromastix *vocitaretur, Alexandriam venit, suaque scripta contra Iliadem & Odysseam comparata Regi recitavit. Ptolemæus verò cùm animadvertisset Poëtarum parentem, Philologiæ omnis ducem, absentem vexari, & cujus ab cunctis gentibus scripta suspicerentur, ab eo vituperari, indignatus nullum ei dedit responsum. Zoilus autem cùm diutiùs in regno fuisset, inopiâ pressus, summisit ad Regem, postulans, ut aliquid sibi tribueretur. Rex verò respondisse dicitur, Homerum, qui ante annos mille decessisset, ævò perpetuò multa millia hominum pascere; Item debere, qui meliori ingeniò se profiteretur, non modò se unum, sed etiam plures alere posse. Et ad summam mors ejus, ut parricidii damnati, variè memoratur. Alii enim scripserunt, à Philadelpho esse in crucem adfixum; nonnulli in eum lapides esse conjectos; alii Smyrnæ vivum in pyram conjectum: quorum utrum ei acciderit merenti, digna constitit pœna.* Hæc Vitruvius. *Canis Rhetoricus* etiam nominabatur, teste Ælian. ποικιλ. *l.* 11. *c.* 10. Honestiùs tamen de Zoilo Dionys. Halicarn. sentit, qui non tam animi vitiò notâsse ipsum & reprehendisse Homerum, Platonem & alios, quàm veritatis studiò putat, quem vide *Responsione ad Epistol. Cn. Pompeji*, in qua de reprehenso ab eo Platonis stylo ille conquerebatur, *c.* 6. Vide quoque Voss. *de Hist. Græc.* *l.* 1. *c.* 15.

ZOILUS, quingentos equites in supplementum Alex. M. ex Græcia adduxit, apud Artacacnam, Ariorum urbem, Curt. *l.* 6. *c.* 6.

ZOITIUM, Arcadiæ urbs, *Stephan.*

ZOLCA. Paphlagoniorum in Galatia oppid. *Ptol.*

ZOLERNUM, vel ZOLLERIA, castrum Sueviæ, caput Principatus cognominis à paucis annis, prope Hechingam urbeculam; *Zollern*, 3. milliar. Germanic. à Tubinga in Merid. Constantiam versus 9. & 2. à Danubio. Hoc è Petro Columnello, qui sub Henrico IV. Pontificis iram fugiens, in Germaniam venerit, conditum, ipsique Zollеriorum Comitum originem propterea adscribendam, quidam volunt. Alii ad Tassilonem, Caroli M. militem, stirpis initium referunt: cujus fil. Danckoarcem Zolleranam tenuit, A. C. 829 Ex hujus posteris Fridericus VI. Comes Zolleranus, genuit Fridericum & Eitelfridericum, quorum hic pater fuit Eitelfriderici. Zollerensium, qui in Principum gradum evecti, hodie in Hechingensem & Sigmarigensem lineam dispescuntur, satoris: & Friderici natu majoris, cui ab avunculo Rodolfo I. Imperatore Eberhardo ex Vohburgiis ultimo Noribergæ Burggravio extinctô, Burggraviatus seu Franconiæ Ducatus collatus est. Alia ut Berythum, & Cadesburg, ab uxore Elisabetha Merania ei obtigère, nec non Jus in Burgundiæ Comitatum, quod posteà A. C. 1256. & 1269. Hugoni Cabillonensi vendidit, retentâ solâ advocatiâ Vesontinâ, quæ deinceps separatim vendita. Hujus filius Fridericus II. Ludovici Bavari Imperatoris castra secutus, ab Oetingensibus, Castellanis, Hohenloicis & Heideccanis plurima emit. Pater Johannis, qui Columbacum, Blassenburgum & alia ab Orlamundanis sibi comparavit. Hôc natus Fridericus IV, gratiosus apud Carolum IV. Imperatorem pater fuit Friderici ex Burggraviis V. sed ex Electoribus Brandeburgicis, à Sigismundo Imperatore Constantiæ A. C. 1415. ob merita creati, primi: è cujus posteris feliciter hodie imperat Fridericus Wilhelmus Elector. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Histor. in famil. Brandeburgica.* Ex Comitibus Zolleranis, German. *die Fürsten von Hohen-Zolleren*, primus à Ferdinando II. Imperatore in Principum classem translatus est, Johannes Georgius A. C. 1623. sic tamen ut non nisi ex illo descendentes id privilegium concernat: In Senatum Principum & votum, demum A. C. 1652. durantibus Comitiis, admissus est, Eitelfridericus Princeps, & locus ei assignatus post Arnbergium. Insignia antiqua Comitum ita describuntur:

Zollern stat niveo rufus leo margine lato,
Sylvas atque nigris octo spatiis variato.

Limnæus Enucl. *l.* 3. *c.* 13. Uti verò Eitelfridericus Burggravios Noribergenses & sic Marchiones Brandeburgicos, sic Fridericus Comites *Zollerenses*, avitô titulô retentô, sevit. In cujus posteris cùm variæ essent lineæ, complures eorum extinctæ sunt. Qui nunc vivunt, omnes communem satorem agnoscunt Carolum, defunctum A. C. 1576. Ejus filius Eitelfridericus Hechingensem, in qua primus *Principis* titulô decoratus est ipsius filius Joannes Georgius, ut dictum; Carolus autem secundogenitus Sigmaringensem ramum ex se dedit, qui nunc eâdem gaudet dignitate. Commune verò Familiæ decus est, quòd cùm Brandeburgici Marchiones Electoratûs ratione Archi-Camerarii Imperii sint, *Zollerani* Camerariorum titulus competat. Speners, *Theatrô Nobil. Europ. Part. I. in Ind.* Vide quoque cum *Arte Herald. Tom. II.* & utriusque Lineæ, *Hechingensis ac Sigmaringensis*, nec non *Hohenzollerani* rami, ad posteriorem spectantis, seriem suô locô.

ZOLNOCHIUM, urbs Hungariæ, ad Tibiscum; *Zolnock* vulgò. Permunita, 40. mill. pass. à Varadino in Occasum Budam versus 60. Caput Comitatus cognominis, qui inter Torantaliensem est ad Ortum, Pestensem ad Occidentem, Herrensiensem ad Boream, & Bathiensem Comitatum ad Austrum. Sub Turcis.

ZOMBIS, urbs Mediæ, *Stephan.*

ZOMPUS, Pons in Sangario flumine, *Curopal.*

ZOMUCHANA, Ariæ oppidum.

ZOMZOMMIM, gigantes qui & Rephaim. Deuter. *c.* 2. *v.* 20. Lege *Zanzummim.*

ZONA uxoris regiæ & *Calyptra*, nomina Persicarum regionum fertilissimarum. Sic dictæ ab ornamentis Reginæ, quibus hæ addictæ erant. Plato, *Alcibiade.* Apud Gallicarum Rerum Scriptores similiter *Zona Regina* occurrit, Gall. *la Ceinture la Reyne*, præstationis species, quæ singulis trienniis exigebatur de pane & vino, uti docet Car. du Fresne *in Glossar.* ex *Aresto* A. C. 1415. cui subjungitur titulus hic: *Taille du pain & du vin, dite la Ceinture la Reyne, qui se lieve de trois ans en trois ans* &c.

ZONA, Africæ urbs, à Sestio fame subacta, Dioni, *l.* 48. Thraciæ oppidum; in Ciconibus est, apud *Stephanum*, circa Hebri fluminis ostia: *Herodoto.* Mons est ibidem, Plinio, *l.* 4. *c.* 11. & *Nicandro.* Nemus quoque, Pomponio, *l.* 2. *c.* 2. & *Apollonio.*

ZONÆ, quantum ad nostrum attinet institutum, sunt circuli quidam lati, cœlum, terramque veluti cingulâ quâdam ambientes. Sunt autem numerò quinque: ex quibus media, quæ inter Tropicos est, nimiò calore parum apta creditur habitationi: duæ verò extremæ sub Arctico & Antarctico circulis sitæ, nimiò frigore horrent, unde & ipsæ quoque habitationi parum sunt idoneæ. Reliquæ autem duæ, utpote quæ mediæ inter torridam & gelidam situm obtinent, temperatæ sunt, & humanæ vitæ accommodatissimæ. Eratosthenes apud Heraclidem Ponticum, *in Allegoriis Homeri*:

Πέντε δέ οἱ ζῶναι περιηγέες ἐσπείρηντο,
Αἱ δύο μὲν γλαυκοῖο κελαινότεραι κυάνοιο,
Ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἐκ πυρὸς οἷον ἐρυθρή
Τυπτομένη φλογμοῖσιν, ἐπεί ῥά ἑ μοῖραν ὑπ' αὐτὴν
Κεκλιμένην ἀκτῖνες ἀειθερέες πυρόωσι.
Αἱ δὲ δύω ἑκάτερθε πόλοιο περιπτηγυῖαι
Αἰεὶ κρυμαλέαι, αἰεὶ δ' ὕδατι μογέουσαι.

Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 233.

Quinque tenent Cœlum Zonæ, quarum una corusco

Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni;
Quam circum extremæ dextrâ lævâque trahuntur
Cæruleæ glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter mediamque duæ mortalibus ægris
Munere concessæ Divûm, & via secta per ambas
Obliquus quâ se Signorum verteret ordo.

Ovid. *l.* 1. *Met.* v. 45.

Utque duæ dextrâ cœlum, totidemque sinistrâ
Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numerô distinxit eôdem
Cura Dei: totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu;
Nix tegit alta duas; totidem inter utramque locavit,
Temperiemque dedit mistâ cum frigore flammâ.

Tibullus, *l.* 4. *Panegyr. ad Messalam*, n. 1. v. 152.

——— *Circumfuso consistit in aëre tellus,*
Et quinque in partes totô disponitur orbe.
Atque duæ gelidô vastantur frigore semper.
Illic & densâ tellus absconditur umbrâ.
Et nulla inceptô perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque nivemque.
Quippe ubi non unquam Titan superegerit ortus.
At media est Phœbi semper subjecta calori.
Seu propior terris æstivum fertur in orbem,
Seu celer hybernas properat decurrere luces.
Non ergo pressô tellus consurgit aratrô.
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terra.
Non illic colit arva Deus, Bacchusve, Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est, interque rigentes,
Nostraque, & huic adversa solo pars altera nostro,
Quas similis utrinque tenens vicinia cœli
Temperat: alter & alterius vires necat aër.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.
Hic & colla jugo didicit summittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
Tonditurque seges maturos annua partus,
Et ferrô tellus, pontus confinditur ære.
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.

Varro,

Mundus domus est maxima rerum,
Quam quinque altitonæ fragmine Zonæ
Scindunt, per quam limbus pictus
Bis sex signis stellimicantibus,
Altus in obliquo æthere Lunæ
Bigas acceptat. ——— ———

Claudian. *l.* 1. *de Raptu Proserp.* v. 258.

Addit quinque plagas: medium sub tegmine rubro
Obsessum fervore notat, squalebat adustus
Limes, & assiduô sitiebant flumina Sole.
Vitales utrinque duas, quas mitis oberrat
Temperies, habitanda viris, tum fine supremô
Torpentes traxit geminas, brumâque perenni
Fœdat, & æternô constringit frigore telas.

Vide Mel. *l.* 1. *c.* 1. Cicer. *in Somn. Scip.* Plin. *l.* 2. *c.* 68. *Nic. Lloydius.*

ZONÆ, veteribus frequenti in usu; ut vestes succingerent & marsupium inde suspenderent recondendæ pecuniæ. Sic Mercurius depictus olim, cum sacco, marsupio à zona pendulo, Cornutus *in Persii Sat.* 6. v. 63. Neque mercatores solùm, sed & Magistratus iis hunc in finem usi, apud Græcos æque ac Romanos. Juvenal. *Sat.* 14. v. 297.

Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus & Zonam lævâ morsuque tenebit.

Neque tamen circa lumbos, ut nunc fit, hæ zonæ gestatæ, sed è collo pendulæ erant, ut Plautus docet *in Truculento, scenâ ult.* v. 61. *Epidico Actu* 2. *sc. Fecisti* v. 5. & *in Asinaria scenâ, Cur me.* De militari Zona, notum illud, *Zonam perdidit*: & ζώννυσθαι apud Græcos idem, quòd ἐνδύνασθαι τὰ ὅπλα, induere arma, significat, Cœl. Rhodig. *l.* 21. *c.* 19. Pars enim corporis Zonâ succincta Marti sacra erat, sicut frons Genio, lacerti Junoni, pectus Neptuno, renes Veneri, pedes Mercurio, digitique Minervæ, Alex. ab Alex. *l.* 2. *c.* 19. Inter muliebria porro vestimenta Zonæ numerantur ab JCtis, eaque, quâ nova nupta præcingebatur, primâ nocte à marito solvendâ, *castus* peculiariter dicta est, unde λυσιζώνη Diana. Duplicem autem fuisse, quarum unâ nocte geniali, altera tempore puerperii, solvebatur, docet Franciscus Rossæus, *Archæologia Attica l.* 4. *c.* 7. Ex Zona factum Semizona, unde *Semizonarii* apud Turnebum: qui semizonas conficerent. Has non easdem fuisse cum semicinctiis, monet Octav. Ferrarius, *de re Vestiaria l.* 3. *c.* 21. quòd partem hominis anteriorem à cingulo, & lumbis ad pedes usque præcingebant, &c. Et quidem usus earum primus is fuit, ut succingerent corpus illudque ad actiones suas obeundas redderent agile atque expeditum. Unde viatores *Zonis* accincti, inprimis apud Orientales, laxioribus vestibus communiter usos. Quô proin gestu ritumque Pascha comedi jussit Deus Exodi *c.* 12. v. 11. quippe quod manducandum erat ab Israëlitis viatoriô habitu instructis, *lumbis succinctis, calceatis pedibus & cum baculo in manu.* Apostolis similiter, utpote ituris in universum Orbem, *zonæ* tribuuntur Matth. *c.* 10. v. 9. Marci *c.* 6. v. 8. & Actor. *c.* 21. v. 11. Porrò Cursores, inprimis in Ludis Olympicis, *Zonis* fuere seu subligaribus accincti, unde Homerus istiusmodi ζωμάτων meminit, *Il.* δ. v. 187. 216. ψ. v. 683. *Od.* ξ. v. 482. Sed Olympiadis 35. annô primô ab Archonte Hippomene constitutum est, ut *sine zona*, eoque prorsus nudi, cursitarent. Idque occasione eâ, quòd Orsippus Megarensis cursuesset superatus propterea quòd subligaculum impediisset cursum: vel, ut alii narrant, cingulum decidere sivisset, quô expeditiùs curreret adeoque victor evasisset, vide Pausan. *Attic.* Poëtam incertum *in Anthol.* Anonymum Olympiadum Scriptorem, Eusebium, *Chron.* 1. Isidorum, *Origin. l.* 18. *c.* 17. Homeri Scholiasten, *in Iliad.* ψ. Nicetam seu Etymologi M. Scriptorem in Γυμνάσιον. Quamvis hæc *zona* velandis potiùs, quæ honestas conspici non vult, adhibita, adeoque hujus loci esse non videtur. Præsertim autem Viri militares *zonis* olim accincti, in prædictos usus, ut videre est Esaiæ *c.* 5. v. 27. & apud Florum, *l.* 2. *c.* 4. ubi de Gallis, *non prius soluturos se baltheô, quàm Capitolium ascendissent, jurantibus.* Itaque *zona* erat signum honoris & auctoritatis, maximè verò militaris. Imò ut Magistratus omnes, & quicunque gestandi jus gladii haberent, non nisi accincti, in conspectum Principis venirent, mos vetus fuit, indigitatus Chrysostomo, *Homil.* 26. *in* 1. *ad Corinthios*, Gregor. Naz. *Orat.* 42. ubi *Enzonorum* & *Monozonorum* Syriæ meminit, alludens ad Josuæ *c.* 4. v. 13. 2. Regum *c.* 5. v. 1. & *c.* 6. v. 23. Nicetæ ad *Gregorii l. c.* Aliis. Quare Ethnici Principes *militiæ zonam* seu cingulum iis auferebant, qui fidem Christo datam rescindere nollent, ut de Marino inprimis docet Eusebius. *Hist. Eccl. l.* 5. *c.* 15. contrà qui fidem abnegare nollent ἐρρίπτουν ζώνην, *abjiciebant zonam*, ultro, hôc modô honoribus tum militaribus, tum palatinis, renuntiare se testati, quod de Gordio Martyre docet Basilius, *Orat. in illum.* Sed & postmodùm Christiani Imperatores τῆς ζώνης ἀφαιρέσει *ablatione cinguli* puniebant, qui contra Leges peccâssent, uti discimus ex Joanne Antioch. *in Nomocan. tit.* 24. De Sacris ut aliquid addam: In vestitu Pontificali Hebræorum, Zonâ seu cingulô, Hebr. אבנט nil sanctius erat: Unde cùm Sacerdotes in Templo, totô ministerii sui die, etiam extra tempus illud, quô actu ministrabant, vestitum sacrum retinere possent, cingulo tamen, quod singulare erat, & sacrum reliquarum retinaculum, extra tempus illud vestiri non licebat, Jo. Seldenus *de Synedriis Vet. Hebr. l.* 3. § 3. Cùm autem istiusmodi Cingulum, unà cum tribus aliis vestibus aureis, Sacerdotes gregarii cum Pontifice Max. commune haberent, inter quatuor hujus vestes albas, quibus solus Pontifex semel in anno, cùm interius Adytum intraret, utebatur, iterum *Zona* seu baltheus erat, vide Levit. *c.* 16. v. 4, 32. & suprà ubi *de Vestibus sacris.* Ad hujus imitationem *Zona* quoque occurrit, inter Vestes Sacerdotales Eccles. Roman. apud Alcuinum *de Off. divin.* Ricolfum Episc. Suession. *in Statutis A. C.* 989. *c.* 7. Durandum, *Ration. l.* 3. *c.* 4. Alios. Quæ *Zona Romana* dicitur, quòd Româ ejus usus in alias Ecclesias profluxerit, Alcuino, *d. l.* vide suprà, voce *Baltheus* &c. Quia verò hôc pactô succinctum corpus aptius reddebatur, & robustius, hinc *altè cinctus* Antiquis appellatus est strenuus, fortis, viribus minimè mollis, Græc. εὔζωνος, cui *laxiùs cinctus* & *discinctus* oppositus. Unde *otia discincta*, Ovid. *l.* 1. *Amor. Eleg.* 9. v. 41. Item cinctu difficilis, quales nimiùm ventri dediti, obesique. Quô fine apud Gallos & Iberos *Zonæ* mensuram habere Magistratus, quam si capere non posset mulier, aut juvenis, magnô affici probrô consuevisse olim, memorabili exemplô refert ex Stobæo Alex. Neapol. *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 15. ubi quod de muliere habet, ansam de muliebribus *zonis* quædam adjungendi præbet. Non duplicem solùm, verùm & triplicem fuisse olim *zonam* reperies, vide suprà, ubi de *Virginali zona.* E quibus ultima erat *zona* seu mitra ærea, quam circa imam ventris partem gestabant prægnantes, ad majorem fœtus securitatem & indemnitatem: easque mitras in primo partu solvebant & Dianæ appendebant: quod erat *solvere Zonam*, Paschalius, *Coronar. l.* 4. *c.* 20. vide quoque suprà *Mitra.* Cl. Vossius Græcorum Romanorumque mores distinguens, apud illos parientes *Zonam solvisse*, eamque Dianæ λυσιζώνῃ consecrâsse; apud hos nubentibus *Zonam solutam* à maritis, huicque rei Junonem Cinxiam præfectam fuisse, statuit, fatetur interim, apud Græcos quoque solutionem cinguli ad nubentes quandoque pertinere, ex Homerico illo *Odyss.* λ. v. 244.

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην. ———

& Spartanorum more, Plutarcho indigitato, *Vitâ Lycurgi.* Vide eum, de *Orig. & Progr. Idol. l.* 2. *c.* 25. &c. Alius *Zonæ*, militaris inprimis, usus, ut in ea reponeretur pecunia. Æl. Spartian. *in Pescennio Nigro*, *c.* 10. jussit, *ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent.* Ubi nolebat quidem esse discinctos milites, sed ne aureos vel argenteos secum portarent, volebat Imperator. Ideo panniculariis non significabantur bona damnatorum, nec *Zona*, quam circa se habuissent: sed ventralis, in qua nummi ad victum quotidianum promendi condebantur, in *Rescr.* Hadriani *l.* 6. *ff. de bonis damnat.* Erat autem ventrale *Zonæ* genus in medio receptaculum habens, quô nummi continebantur, uti diximus suô locô, plura vide apud Salmas. *ad Spartian. d. l.* Imò & in suppliciis *zonæ* usurpatæ. Apud Persas namque moris fuisse, ut quos Rex exitio destinâsset, *Zonâ* apprehensos apparitoribus interficiendos traderet, legimus apud Diodorum, *l.* 17. &c. Materia, communiter ex corio. Sic ζώνη δερματίνη, *Zona coriacea* vel *pellicea*, quâ Joannes Baptista circa lumbos suos accinctus erat, memoratur Matth. *c.* 3. v. 4. ad imitationem Eliæ

liæ Prophetæ, inter cujus notas ζώνη δερματίνη, ponitur 2. Regum *c.* 1. *v.* 8. Similis Zona inter vestes Monachicas reponitur apud Bedam, Dorotheum, Palladium, *Hist. Laus.* &c. Sed & ex ære, prægnantium fuit, uti paulò ante diximus, nec non suprà, voce *Mitra.* Aureæ mentio est, Apocalyps. *c.* 1. *v.* 13. ubi Christus apparet περιεζωσμένος ζώνην χρυσῆν. Et *c.* 15. *v.* 6. ubi de Angelis simile quid habetur &c. Modus cingendi plerunque circa lumbos. *Hesychius*, ζώνη ὁ ὑπὸ τὴν γαστέρα τόπος, καὶ ὁ τόπος ὃν ζωννύμεθα. Vide 2. Sam. *c.* 20. *v.* 8. 1. Regum *c.* 2. *v.* 5. Matthæi *c.* 3. *v.* 4. alibique passim. Christus tamen præter morem πρὸς τοῖς μαστοῖς, *ad mamillas*, præcinctus apparuit Joanni, *d. l.* ut & Angeli similiter *l. cit.* cujus rei causam pulchrè exponit Andreas Cæsar. *ad loca hæc*, vide quoque Dionysium Areop. *de Celesti Hierarch. c.* 15. *sect.* 4. & plura *de Zonis*, apud Stuckium, *Antiqq. Convival. l.* 2. *c.* 29. Fessclium, *Advers. tom. I. l.* 5. *c.* 9. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ζώνη, Alios: uti de investitura *per zonam* suprà, ubi de *Investitura*; & de festo *Depositionis Zonæ B. Virginis*, in Ecclesia Græca, die 31. Augusti, celebrari solito, ubi de *Depositionis festis*. A *Zona* Plautus *in Trinummo, Actu* 4. *Sc.* 2. *v.* 20. appellat *Sectores Zonarios*, quos Aristophanes Comicus Βαλαντιοτόμους, i. e. *Crumenisecas*, vocat: Cujusmodi cingulorum incisores, in Republ. Atheniensium, si ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenderentur, morte mulctati sunt, ex Lege, Ἐάν τις φανερῶς γένηται βαλαντιοτομῶν, τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν, *Manifesti sacculari morte luunto*, quam laudat Xenophon, Ἀπομνημονευμάτων *l.* 1. Vide quoque Aristophanem, *Ranis*. Optimè describit Plautus *loc. cit.*

——— ——— Mira sunt,
Ni illic homo 'st aut dormitator aut sector Zonarius.
Loca contemplat, circumspectat sese atque ædis noscitat.
Credo edepol, quò mox furatum veniat, speculatur loca.

Neque verò solùm, οἱ Βαλαντιοτόμοι, sed & illi *Sacculari* dicti sunt, οἱ ἀπὸ σάκκων κλέπτοντες, ii videl. qui teste Ulpianô, *l.* 9. *de offic. Proconsf. vetitas in sacculo artes, exercentes, partem subducebant, partem subtrahebant.* I. e. aut Magicis Artibus & carminibus ex alienis sacculis pecunias subducebant & eliciebant, aut subtrahebant & manu auferebant: atque cùm hi, tum illi, manifesti & ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensi, capite plectebantur. Vide *Comm. in LL. Atticas l.* 7. *c.* 5. & Jo. Laurentium JCtum, *Not. in Phædr. l.* 4. *Fab.* 21. *v.* 11. De *Zonario* diximus suprà, ubi de *Vestibus* &c.

ZONARAS Johannes, Historicus fuit suâ ætate clarissimus, in regno Constantinopolitano. A. C. 1120. Prodiit ante paucos annos *volumen triplex historiarum* earum, quas conscripsit. Desinit autem ibi, ubi Nicetas incipit, atque ubi is desinit, ibi incipit Nicephorus Gregoras, & in fine hujus Chalcocondylas. Amplissimis muneribus defunctus, Monachus posteà S. Basilii factus est. Annales ejus 3. volum. ut dictum, ab Hier. Wolfio Latinè versi & Basileæ impressi, A. C. 1557. in 1. continent res Judæorum, usque ad urbem captam. In 2. res Romanorum, ab Urb. Cond. usque ad Constantinum M. In 3. res gestas, usque ad obitum Alexii Comneni, A. C. 1118. Sed & *in Canones Apostol. Conciliorumque commentarios* scripsit, &c. Vide Bellarm. *de Script. Eccl.* Voss. *de Hist. Græc. l.* 2. *c.* 27. Possevin. *in appar.* Gesner. *in Biblioth.* Idem Parisiis quoque prodiit. Sed in Bibliotheca Basiliensi codex habetur canonum omnium Concilior. & SS. Patrum cum Nomocanone Photii & duplici commentario *Zonaræ* ac Balsamonis, ubi longè plura, quàm in editione Parif. quô codice editionem nuperam Canonum omnium Conciliorum Oxonii in Anglia accuratam, plurimum juvit, Clariss. Werstenius Junior Oratoriæ olim, jam S. Theologiæ, in Acad. Basil. Professor.

ZONTIUM, oppid. German. in Archiepiscopatu Coloniensi, ad Rhenum, 12. mill. pass. infra Coloniam Agrippinam in Boream, Dusseldorpium versus 8. Vulgò *Zons.* Alias *Durnomagus.*

ZOOLATRIA, seu cultus animalium, qui apud Ægyptios olim hodieque apud Indos, prodigiosè frequens est, ex μετεμψυχώσεως dogmate ortum traxit; in quod processu temporum degeneravit de Immortalitate Animæ doctrina, quam præter alia à Josepho acceperant Ægyptii. Hinc Osiridis animam Taurum petiisse asseruerunt: Scarabæum quoque hôc nomine Ægyptiis fuisse sacrum, tradunt Eruditi. Ab Ægyptiis propinatum venenum hausit Pythagoras, qui ut eô facilius suis persuaderet, mortem simulans, sub terra septenniô latitavit: dein, quasi ex Inferis excitatus, narravit suis; seipsum Euphorbum primò, posteà Pyrandrum, tum Callicleam, denique pulchrâ facie scortum, cui nomen Alce, fuisse. Sparsum inde in alias gentes, unà cum abominando hoc cultu, de quo inprimis videri poterit Petrus de Valle, *Itiner. tom.* 4. Theophilus Spizelius *de re liter. Sinensium Sect.* 13. Gerard. Joh. Vossius, *de origine & progr. Idol. &c.* Vestigia ejus etiam in Sacris, non obscura. Cùm enim Assyriæ Rex, Israëlitis devictis & aliorsum translatis, colonias in terram eorum mitteret, *faciebant quæque gens Deos suos: Nam homines Babelis fecerunt Succoth Benoth & homines Cuthi fecerunt Nergalem: homines verò Chamatha fecerunt Aschimam: Havai autem fecerunt Nibchanem & Thartakum: & Sepharai comburebant filios suos igne Adramelech & Hanammelech, Diis Sepharvaimorum*, 2. Regum *c.* 17. *v.* 30. 31. Ubi Hebræi Doctores *Succoth Benoth* dicunt fuisse imaginem gallinæ, pullis incubantis: *Nergal*, interpretantur gallum sylvestrem; *Aschimam*, capram; *Nibchanem*, canem; *Thartakkum*, asinum; *Adramelecum*, mulum; *Anammelecum*, equum. Cujusmodi superstitio fortè ridicula plurimis videatur & fabulosa, sed inter Gentiles talia fuisse in usu ac veneratione sæpissimè, plurimorum Scriptorum testimoniis luculenter probari potest. Gallum enim in veneratione Syris fuisse, testatur Lucian. *de Dea Syr.* Hircum, Mendesiis, Herodot. *in Euterpe*: Canem, apud alios, Cicer. *de Legg. l.* 1. Vide & Tiraquellum *in Alexandr. Neapolitanum, l.* 6. *c.* 26. Imò in numerum albumque suorum Deorum recepisse leguntur, Boves, Leones, Aquilas, Lupos, Crocodilos, Catos, Sorices &c. Vide Plannerum, *Syst. Theol. Gent. pur. c.* 1. §. 2. Etiam apud Ægyptios,

Porrum & cepe nefas violentò frangere morsu,
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Nota Juvenalis exclamatio est, *Sat.* 15. *v.* 9. Vide Th. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 4. *c.* 7. & suprà, ubi de *Diis*. Sed quod de *Nergal* & *Succoth Benoth* dictum, aliud docet Bochartus, ut suô locô vidimus. Affine *Zoolatriæ*, consecratio animalium est, quæ καθιερωμένα ζῶα appellata hinc, de quibus dictum suprà, voce *Azazel*, item *Consecratio*. Alia erant ζῶα καθωσιωμένα, cum quibus Regem Ægypti persequutum esse Judæos, ex Artapano, *l. de Judæis*, Eusebius, *Præpar. Evang. l.* 9. *c.* 27. scribit. Ibi enim Apim seu Mnevim bovem, & alia animalia, accipitrem, felem, ibidem cæteraque, quæ pro Diis habuerant Ægyptii, intelligi, Cl. Reinesius docet, *Var. Lect. l.* 2. *c.* 5. Vide quoque Seldenum, *de Diis Syris, Syntag. l.* 1. *c.* 4. Suicerum, *Thes. Eccl.* voce Ζῶον. Alios.

ZOOM, fil. Roboam. 2. Paral. *c.* 11. *v.* 19.

ZOOPHYTA, vide *Spongia. Uva* &c.

ZOPARISTUS, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.*

ZOPHOIM, regio Principum in Edom; nunc Gabalena.

ZOPOLA, oppid. Foro. Julii.

ZOPYRIO, Alexandri è Prætoribus, Thraciæ præpositus, dum, Rege subigente Indiam, expeditionem in Getas facit, procellis tempestatibusque subitò coortis, cum toto exercitu oppressus est. Curt. *l.* 10. *c.* 1. *extr.*

ZOPYRION, Ponti præfectus, Scythis bellum indixit. Justin. *l.* 2. *c.* 3. *Zopyrion* verò, qui Josepho celebratur, *l.* 1. *contra Apionem*, Historicus fuisse videtur; de quo Voss. *Hist. Græc. p.* 425.

ZOPYRUS, nobilis Persa, qui cùm Darius Rex Persarum Babylonios diu & frustra oppugnaret, ipse sibi nasum, aures, & labia amputavit, & ita ad Babylonios, quasi transfuga se contulit, conquerens de sui Regis crudelitate. Receptus igitur à Babyloniis & Dux belli factus urbem Dario tradidit. Unde posteà Darius solebat dicere, se Zopyrum malle integrum, quàm viginti capere Babylonas. Herodot. *l.* 4. Alius Physiognomista fuit, h. e. qui profiteretur se hominum mores, naturasque ex corporis habitu, oculis, vultu, fronte possepernoscere. Qui cùm turpia quædam, & à virtute aliena de Socrate dixisset, eoque is à multis derideretur; *Non erras*, respondit Socrates, *hujusmodi enim naturâ essem, nisi naturam philosophiâ superâssem.* Alius Byzantius, *historias* scripsit, quarum *l.* 3. citat Plut. *Par. Min. c.* 36. Idem videtur esse, cujus meminit Marcellinus *in vita Thucydidis*. Alius quoque Heracleota, cujus craterem esse ferunt Orpheo inscriptum, ut ex Clem. Alexandrino discimus. Meminit & *Zopyri* Oratoris Laërtius Diogenes *in Timone*. Mentio item fit *Zopyri*, nescio cujus apud Steph. in Ἀφροδισιάς.

ZORA, locus celebris, habitatoribus frequens, non procul Damascô. In tribu Manasse.

ZORIGA, urbs Armeniæ majoris. *Ptol.*

ZOROANDA, locus in Tauro monte, ubi Tigris sub terram conditus, paulò pòst emergit. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

ZOROASTRES, Rex Bactrianorum Nini Assyriorum Regis temporibus, annis 400. ante bellum Trojanum. Primus magus Plinio est, *l.* 30. *c.* 1. Risit eôdem, quô natus est, die. Idem, *l.* 7. *c.* 16. In *fragmentis* Berosi Chaldæi legitur Zoroastrem fuisse Chamum, fil. Noæ, sic dictum quasi ζῶν ἀστὴρ, scil. à diligenti contemplatione motus siderum. A Semiramide victus. Videtur quibusdam à Mago diversus: Astrologus excellens. Euseb. *in Præp. Evang.* Bochart. *Geogr. Sacra.* Naudæus *apol.* Vide quoque Suidam, & Voss. *de Hist. Græc. p.* 416. sed præ cæteris Cl. Bochartum, *Phaleg. l.* 4. *c.* 1. Præter hunc meminerunt Eruditi *Zoroastris* secundi seu Persomedi, cui vetustissima symbola quædam seu λόγια μαγικὰ à quibusdam tribuuntur, quæ tamen non immeritò pro nothis habentur: Item *Zoroastris* Proconnesii: Imo multò plures hôc nomine floruisse existimat Joh. Bisselius, *illustr. ruin. Dec.* 1. *ruin. Zor.* Vide Theophil. Spizelium *de re liter. Sinensium Sect.* 6.

ZOROBABEL, filius Salathiel, Judæorum Dux fuit, an. secundùm veter. Chron. à mundo condito 3418. ante verò Christum natum 544. Hic Regis Jeconiæ in directa (quam vocant) lineâ nepos erat: qui, cum Jehosua, sive Jesu Sacerdote summo, in Judæam remigravit, & cum multis Judæorum millibus, templi Hierosolymitani fundamenta jecit, permittente Cyrô Persarum Rege. Cæterùm quatenus attinet ad historiam sacram, de Salathiel & Jehosua, consulito librum Esdræ, *c.* 2. *v.* 2. *& sequentibus capitib.* Item Aggæum & Zachariam prophetas, ut & Ecclesiasticum, *c.* 49. ipsum denique Joseph. *Antiq. l.* 10. *c.* 1. ac Joan. Carion. *Chron. l.* 2. Item fil. Phadaja Esdr. *c.* 2. *v.* 2. Latinè *alienus à confusione*, aut *aliena*, vel *extranea confusio*, vel *commistio*, aut *dispersio*, vel *circulus commistionis*, aut *confusionis*.

ZOROLUS, fluv. Thraciæ, 14. mill. pass. à Drusipara, à Tzurulo, proxima urbe, dictus.

ZOROPASSUS, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.* inter Cotænam & Nysam, proxima Comanis Cappadoc. ab ea in Boream. Incertum an extet.

ZOROYS, Mahometis Boabdelini, ultimi Granatensium Maurorum Regis, uxor, pulso illi à Ferdinando Aragonio & excæcato à suis, cum nimis muliebriter in ejulatus solveretur, dixisse fertur, *Plorate, ut fœmina, qui ut viri pugnare nescivistis.* Secul. 15. sub finem. Petr. Matthæi *Hist. Henr.* 4. *l.* 1.

ZORSINES, Siratorum Rex, tempore Claudii. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 15.

ZORUS & Carchedon, Carthaginis conditores, apud Eusebium, de quibus vide Salmas. *ad Solin. p.* 321.

ZOSIMUS XXXIX. Romanus Pontifex A. C. 417. successit Innocentio I. Pelagii librorum aliquem, à Cælestio hujus socio deceptus, approbavit: errore agnitô utrisque condemnatis. Obiit A. C. 418. Anastas. *in Zosimo*, Baron. *in Annal.* De *Collectione* ejus *Canonum*, quâ Nicænis Canonibus subjecit Sardicenses, hos pro Nicænis itidem venditans, ut appellationes ad Romanam sedem inde adstrueret eaque missa ad Synodum Carthaginensem VI. A. C. 417. sed ab Africanis Patribus rejectâ, vide Gerh. von Mastricht, *Hist. Jur. Eccl. n.* 67. ut & suprà, ubi de Canonibus Concilii *Niceni* & *Sardicensis*.

ZOSIMUS, Comes, & Advocatus fisci, temporibus Theodosii Junioris ut ex Euagrio Scholastico patet. Reliquit *historia libros* 6. quorum primus Cæsares ab Augusto usque ad Diocletianum percurrit. Cæteris 5. fusiùs persequitur res Romanas, inprimis sub Theodosio & filiis, usque ad Romam iterum ab Alarico obsessam. An ulterius perrexerit, ignotum, cùm libri 6. initium saltem habeamus. Sigonius septimum quoque ab eo scriptum refert, sed sine ratione. Stylum hujus auctoris jactat Photius, additque, videri historiam ejus Eunapii epitomen, nisi quòd Zosimus Stiliconem defendit contra Olympium, qui auctor ei calamitatis fuit. Homo fuit paganus, unde creber est in sugillandis Principibus Christianis, inprimis Constantino M. quô nomine etiam à Photio reprehenditur, item Euagrio, *l.* 3. *c.* 41. Nicephoro, &c. Frustra à Leunclavio, apologiâ hac de re editâ, defensus. Dictione utitur brevi, perspicuâ, purâ, & suavi. Diversus autem est ab hoc *Zosimus* Gazæus, quippe qui temporibus vixerit Anastasii Imperat. auctor Commentarii in Demosthenem & Lysiam, teste *Suidâ*. Meminit & idem *Zosimi* Alexandrini, qui vitam Platonis posteris tradidit. Sed ætatem ejus non ponit, ut an idem sit, ac *Zosimus* iste, de quo priùs diximus, parum liqueat. Voss. *de Hist. Græc. l.* 2. *c.* 20.

ZOSITERPUM, Thraciæ oppid. *Procop.*

ZOSTER, oppid. & promontor. Atticæ inter Piræeum portum & Cæam insul. cujus meminit Cicer. *l.* 5. *ad Attic. epist.* 12. Licet *Strabo* illud apud Isthmum describat, sicut & *Steph.* qui sic dictum ait, quòd ibi Latona *Zonam* solverit, in stagno lavatura, ubi incolæ pisces illi & Dianæ immolabant.

ZOSTER, Italiæ promontor. ubi Sibyllæ Cumanæ domicilium. *Lycophron.* In Campania putat esse *Ortelius.*

ZOSTIUM, loci nomen.

ZOTALE, fluv. Margianæ. Plin. *l.* 6. *c.* 16.

ZOTAPE, Isauriæ urbs. *Concil. Chalcedonense.*

ZOTHECA, in veter. *Inscr.* quæ Tibure visitur: *Herculi. Saxano. sacrum. Ser. Sulpicius. Trophimus. aedem. Zothecam. culinam. pecunia. sua. à. so'o. restituit.* &c. jungitur culinæ, & pro cellula sumitur, in qua saginabantur viva animalia, ad sacrificium. Nempe *Zothece* propriè Atticorum οἰκίσκος, Grammaticis exponitur ὀρνιθοτροφεῖον, in quo turdi, gallinæ, alia, ab Altiliariis saginari solebant. Hinc pro cavea, cui includebantur aviculæ, Σώγρος alias & ζώγρειον Græcis. Porrò Strabo ad septa animalibus includendis, damis, leporibusque, quæ *Vivaria* Latinis, vocem transtulit: extensam tandem ad quemvis οἰκίσκον seu parvum conclave denotandum. Quomodo *Zothecular* vocat Sidonius armariola vel librorum thecas, vel ipsum etiam conclave & bibliothecam, *l.* 8. *Ep.* 16. & *l.* 9. *Ep.* 11. E Græco, quasi Ζωθήκη. Salmas. *ad Solin. p.* 1209. Unde *Zothecarium* Gallis, sedile in quo gallinæ cubant, & *zothecare*, eô modô cubare, quô perticis suis impositæ cubant, Idem *ibid.*

ZOTHMUNDUS, Hungarus quidam, nandi peritissimus, qui, cùm Henricus III. Romanus Imperator Petri Hungarorum Regis ab Andrea excæcati, mortem ulturus Posonium obsideret, intempestâ nocte, Præfecti jussu, nando clàm hostium naves subiit, sensimque eas tenui terebrô perfodit. Sic illæ, non modò propriô onere, sed machinis etiam onustæ, secundâ ac tertiâ horâ diei imo desidere occepêre. Qui arte elusæ hostium vires, obsidioque soluta est, Bonfinius, *Dec.* 2. *l.* 2.

ZOTHO, Dux Beneventanus, Caiinense diripuit cœnobium, incensumque solo æquavit: Nec diu superstes facinori, brevi post morte consumptus est, cui Arrigem Agilulphus surrogavit, Sabellicus, *l.* 5. *Ennead.* 8.

ZOTICUS, vir sanctus & probatissimus, Comogenæ Episcopus, qui, cùm apud Pepuzam Maximilla, Montani hæretici meretrix, se prophetare simularet, repentè ingressus, cœpit imperare spiritui, qui in ipsa loquebatur, itaut eam penitus cohiberet. Euseb. *Hist. Eccles. l.* 5. *c.* 1. Item libertus Heliogabali Imperatoris è cujus consiliô Rempubl. hic turpiter administravit. Vide Herodian. *l.* 5. Æl. Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 10. *&c.* ut & infrà.

ZOTICUS, sub Heliogabalo Imperatore tantum valuit, ut ab omnibus officiorum Principibus sic haberetur, quasi Domini maritus esset. Idem hôc familiaritatis nomine abutens, omnia Heliogabali dicta & facta vendebat, aliisque alia pollicitus, omnes fallebat, dicens: *De te hoc locutus sum, hoc de te audivi, hoc de te futurum est.* Lamprid. *loc. cit.*

ZOTON, Æthiopiæ sub Ægypto urbs. *Plin.*

ZOTOPOLIS, locus circa Thraciam *Marcellino*, *Syropolis* legit *Cuspinianus*: *Sozopolis* legendum putat Ortel.

ZOTUASTES, vel *Zatraftes*, simulatâ divinitate primùm leges dedit Arianis, Diodor. Sic. *Antiquit. l.* 2. *&* 3. *c.* 5.

ZOTUS, pictor insignis, Florentinus, circa A. C. 1340. Ejus opera per Italiam extant plurima, præcipuè Florentiæ: Romæ verò navicula Petri fluctuans, in atrio ipsius Basilicæ. Volaterranus, *Anthrop. l.* 21. Hunc ad pingendas Martyrum historias, in ædibus à se structis, conducere in animo habuisse Benedictum XII. Pontificem narrat *Platina.*

ZOTYPUS, Argivus quidam, qui cùm Pyrrhum Epirotarum Regem, in obsidione urbis patriæ saxô percussum humique prostratum conspexisset, accurrit caput ei ademturus: Verum cùm galeam ei detraxisset, parum abfuit, quin eum relinqueret inviolatum, adeò Pyrrhi jacentis conspectu deterritus est. Cæterùm facinoris horrorem vincente avaritiâ, ob præmium, quod inde sperabat, ad amputandum caput reversus, adeò vereenter manum operi admovit, ut vultu aversô citis ictibus gladiô collum, & pro collo interdum os ipsum percutiens, ægrè tandem caput abstulerit, *Plutarch.*

ZOVIANUS, Pergensis Ecclesiæ Episcopus: Hujus manum Antiochus, nepos Eusebii Samosateni, Episcopi celeberrimi, cùm post mortem patrui, ei in Episcopatu à Synodo surrogatus, manuum impositione ab Episcopis muneri consecraretur, admittere renuit; quòd negaret, se eam manum ferre posse, quæ aliquando impietati Arianæ, contra fidem Nicænam, subscripsisset: quasi etiam post pœnitentiam blasphemiæ hujus cicatrices quædam apparerent. Theodoretus, *l.* 4. *c.* 15.

ZTEUZITANUS, Episcopatus in Africa. *Victor Uticensis.*

ZUATAPLUGUS, aliis *Suatbes*, Sarmata, in Pannonia latè imperavit, eô tempore, quô Hunnorum gens, è Scythia, ob multitudinem, alias sedes quæsitum emigravit. Qui, postquàm Tanai superatô per Roxolanos, Sarmatas, Hamaxobios & Tauros Scythas itinere factô, in Transylvaniam penetrâssent, ibique septem castra, unde adhuc regioni nomen, fixissent: tandem desideriô Pannoniæ capti, Cusidum Chundi filium ad *Zuataplugum* miserunt, sedes petiturum. Qui ratus nihil sibi commodius accidere potuisse, quàm regionem feracissimam, exhaustamque incolis, ab Ungaris, quam rusticam esse gentem opinabatur, postulari, Legatum honorificè donatum dimisit. Hic voti compos, nigri soli glebam, herbas item & aquæ Danubii lagenam ad indicanda regionis commoda, in Septena castra retulit. Quô factô, Arpadus, ex telluris herbarumque indicio, regionis ubertatem aërisque clementiam auspicatus, mox cornu aquam infudit, altâque voce Marti ac Herculi progenitori Istrianam aquam, libavit: multasque victimas patriis Diis, per singula castra, mactari præcepit. Quartô post die omnium consensu idem Legatus ad Zuataplugum reversus, candidum equum ephippiô frenôque aureô excultum ei obtulit, in obsequii pignus, terræque quantum voluit, obtinuit. Quô ad suos reduce, Hunni montibus Carpathiis superatis, Danubioque jam propinqui Legatum tertiò ad Regem miserunt, qui septem Ducum nomine ei significaret, ut terrâ, quam equô vendiderat, decederet, quandoquidem Ungari, Pannoniam tellurem equô, herbam frenô & ephippiô aquam mercati essent, quæ tria immodicâ cupiditate ipse abalienâsset. Ad quæ ille subridens, equum ligneâ clavâ collidendum esse, frenum in prata, ephippiumque in Danubii fluenta projiciendum, respondit. Quibus verbis irritati Hunni eum cum tumultuariis copiis præliô congrediausum vicerunt, in Danubio maxima cum Sarmatarum manu submersum, circa A. C. 744. Bonfinius, *Decadis* 1. *l.* 9. Ritius *de Regibus Ungariæ*, *l.* 1. Nauclerus, *gener.* 24. *&c.* Sex post hæc gesta annis, vicinas Hunni gentes infestare aggressi, Carniam, Stiriam, Carinthiam, Moraviam & Bohemiam: posteà auditâ morte Bojorum Ducis, quæcunque Boji infra Anassum possederant, flammâ & ferrô vastârunt, Laureacô excisô, Aventinus *Annal. l.* 3.

ZUBRON, uri species in Illyrico, de quo Albertus. *Capi*, inquit, *aliter non potest, quàm fovea, aut venatore circa crassissimi trunci arborem circumeunte* &c. *l.* 22. de quo uros aliaque majora animalia capiendi more, vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prim. l.* 3. *c.* 28.

ZUCHABARUS, Africæ Propriæ mons. *Ptol.*

ZUCHATUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

ZUCHIS, urbs Libyæ juxta Syrtim. *Steph.*

ZUCHIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

ZUENOTTO seu SUENOTTO, filius Heraldi Danorum Regis, Christianam fidem amplexi, patre jam in senium vergente, sentiens Procerum magnam partem, ob susceptam religionem indignari, quòd furta & latrocinia per mare, per terras, quibus insueverant, eâ lege interdicerentur: patri bellum indixit, regnô illum deturbaturus; qui ita processit ad bellum, ut militibus suis severa de servando filio suo præcepta daret. Sed victus Haraldus elabitur Julinum, Vandaliæ civitatem, ubi reparatis viribus, denuo in filium movit, non feliciori exitu. Tertiò cum congressuri viderentur, Procerum interventu prælium diremptum est. Cui rei fidens Pater, cùm in terram egressus, à suis paulisper digrederetur, clàm jaculô percussus, & Julinum reductus, ibi obiit. Sed non diu paternâ successione gavisus parricida filius, ab illo tempore, vitam, omnis generis calamitatibus obnoxiam, justitiâ illum divinâ acerrimè urgente, perpetuò habuit. Vide Crantzium, *l.* 3. *Metrop.* Saxon. *l.* 10. *&c.*

ZUENTEBALDUS, filius nothus Arnolphi Imperatoris, frater Ludovici IV. Germaniæ, Bavariæ, Lotharingiæ & Franciæ Orientalis Regis, cum ignobilibus solùm versari delectatus, honestiores dignitatibus suis spoliavit, ob mores hosce & sævitiam insuper, cunctis invisus, vide *Cuspinianum.*

ZUENTIBOLDUS, Lotharingiæ Regis fil. nothus Arnolphi Imperatoris occisus in prælio ad Mosam, A. C. 900. Sepultus in *Susteren*, Ducatus Juliacensis loco. Vide *Arnolphus* & *Ludovicus III.* ut & suprà.

ZUENZIGA, regnum Zaaræ regionis in Africa, cum urbe primaria cognomine inter Targam regnum ad Ortum, Zanhagam ad Occasum, Tegoratinum ad Boream & Agades ad Merid. In eo regno deserta sunt Gogdemum & Ghirum.

ZUGANA, urbs Arabiæ Felicis. *Ptol.*

ZUGAR, urbs in Africa Propria. *Ptol.*

ZUICHEMUS Viglius, vide *Viglius*.

ZUICKAVIA, vulgò ZWICKAW, urbs Voigtlandiæ, ad radices Sudetorum montium, & ad Muldam fluv. ubi Carolus M. quondam castra habuit, contra Slavos. Jacuit posteà, usque ad Henrici Aucupis Imperatoris tempora, à quo restaurata est.

ZUINGERUS Theodorus, Philosophus & Medicus Basiliensis præstantissimus, Bucholcer. *Ind. Chron.* Natus Basileæ A. C. 1533. patre Leonhardô pellione, Episcopicellanô, sed cive Basiliensi, ex Christiana Oporina, sub Conrado Lycosthene studiorum in patria rudimenta posuit: Petrum dein Ramum Parisiis, Bassianum Landum, Victorem Trincavellam Venetum, Antonium Francanzanum Vicentinum, Hier. Capivaccium Patavinum, Aloysium Bellacatum Brixiensem, Gabr. Fallopium, Patavii docentes audiit. Inde Venetias A. C. 1555. delatus, Laur. Priulo Nobili operam suam addixit, reversusque Patavium, Phil. & Medicinæ ibi lauream adeptus est, A. C. 1559. Mox Patriæ redditus, Græcâ primùm, exin Ethicâ Professione defunctus, obiit A. C. 1588. Ejus prostant *Somnium Nautileum, in nupt. Bas. Amerbachii: Tabulæ in Arist. Ethica & Politica: Methodus Apodemica & Rustica: Morum Philosophia Poëtica: Theatrum Vitæ Hum. in 4. tom. Tabulæ in 22. Comment. Hippocratis, in artem Medicin. Galeni, in ejusd. librum, de constitutione artis Medicæ: Physiologia*, à Jacobo fil. edita: *Tabulæ in Psalmos Davidis, &c.* Elogium ejus vide apud Thuanum, qui ejus hospitiô aliquandiu usus est, *in Histor.* nec non apud A. Teisserium, *Elog. Part.* 2. Pater fuit Jacobi.

ZUINGERUS Jacobus, fil. prioris, Philosophus itidem & Medicus Basileens. celeberrimus. Natus A. C. 1569. Petrum Ramum, qui ob religionem tum Basileæ exul degebat, Patrem lustricum habuit: provectiore dein ætate, ad Medicinam animô applicitô, Patavium petiit, Italiæque celebrioribus lustratis locis, ubi monumenta quæcunque antiquitatem spirantia diligenter in tabulas suas retulit, in Patriam redux, Doctura primùm Medicâ, Promotore Felice Platerô, dein Græcâ Professione ornatus, quantus esset, luculenter monstravit. Obiit peste A. C. 1610. Pater Theodori, de quo infrà. Ejus extant: *Vigilia Socratica, in nupt. Jac. Rudini: Hypotyposis Græcarum Dialectorum: Examen principiorum Chymicorum: Physiologia Parentis, continuatâ orationis serie exposita & illustrata: &c.* Idem *Theatrum* Parentis quartùm edidit, cum accessione insigni, & indice locupletissimo.

ZUINGERUS Theodorus, Jacobi ex Juditha Brandia fil. Theologus Basiliensis incomparabilis. Natus A. C. 1597. ex voto Parentis, sacro admotus studio, miros in illo mox progressus, in Athenæo Patrio, fecit. Præstantissimos dein in Palatinatu, Belgio, Anglia & Gallia Theologos docentes audiit: inde per Genevam domum reversus, acri desideriô Dordracum sacramque Theologorum ibi congregatorum panegyrin visendi ardens, Ecclesiasticæ vocationis vinculis retentus est, A. C. 1619. In qua, dum majoris minorisque Urbis Ecclesias solicitè aliquandiu pavit, Johanni Wollebio quinto Ecclesiæ Antistiti, A. C. 1629. piè defuncto, in primariâ statione surrogatus, pietatis, doctrinæ, prudentiæ, candoris, eloquii exemplar emendatissimum, Majorum splendori magnorum in Ecclesiam meritorum gloriam, fluctu velut reciprocante, adjecit. Obiit A. C. 1654. Pater Johannis, ex Magdalena Buxtorfia. Ejus extant: *Theatrum Sapientiæ cœlestis: Analytica recensio Epistolæ ad Romanos: Syntagma Exercitationum selectarum, à filio editum, &c.* Ei successit Lucas Gernlerus.

ZUINGERUS Johannes, Theodori fil. Theologus item Basiliensis insignis. Natus A. C. 1634. post linguarum Artiumque curriculum promtâ felicitate emensum, Theologiæ, ad magni Parentis exemplum, se totum dedit, tyrociniis ejus ad tanti Gamalielis pedes in patria depositis. Inde Genevæ aliquandiu Ecclesiastem Teutonicum egit: Germaniæ dein Belgiique Ecclesiis aditis, præter alios, Joh. Crocium Marpurgi, & Samuelem Maresium Groningæ, Theologos nostri temporis summos, docentes audiit. Eôdem postmodùm, quô in patriam reversus est, die, Græcam Professionem, velut hæreditariam familiæ, nactus A. C. 1656. Postmodùm Theologiæ Professor, *Locos Communes & Controvers. Theol.* cum fructu aliquandiu tractavit; Inde jam Novi Testamenti provinciæ exornandæ summâ fide industriâque incumbit. Pater egregiæ prolis. Ejus extant: *Oratio de Barbarie superior. seculorum: Disputationes Philos. & Theol. quàm plurimæ: &c.* Idem Parentis *Syntagma Exercitationum* edidit.

O nimium dilecta Deo gens, lumina porro
Spargere ne Patriæ desine, neve polo!

ZUINGERUS Theodorus III. fil. prioris, Medicus doctus & felix, Physices in inclyta Rautica Prof. Publ. de *Magnete*, & in Re Medica varia scripsit: jam in *Herbario* adornando magnô studiô desudat, Majorum famam non sine accessione ad posteros transmissurus.

ZUINGLIUS Ulricus, natus in pago *Wildhaus*, in Toggiis, honestô inter suos locô, A. C. 1484. in Helvetia, Reformator Ecclesiæ Tigurinæ. Tiguri primam concionem habuit, A. C. 1519. & Euangelium secundùm Euangelium enarrare cœpit. Kal. Jan. Lavaterus, *de Cometis*: cùm in Saxonia ministeriô Lutheri reformatio cœpit. Bernardo Samsoni, Franciscano Mediolanensi, à Leone X. in Helvetiam missô Indulgentiarum præconi, eôdem tempore, quô idem in Germania munus Joh. Tezelio demandatum fuerat, strenuè se opposuit: adjutus in eo ab Hugone quoque Episcopo Constantiensi. Primum A. C. 1525. edidit *Commentarium, de vera & falsa religione*, Francisco I. Gall. Regi inscriptum. Item *tractat. de S. Cœna*, in quo tropum in verbis S. Cœnæ ex S. Scriptura defendit. Eôdem annô, abolitis veteris Missæ ceremoniis, primùm Tiguri celebravit Cœnam Domini, die 23. April. secundùm institutionem Domini &c. Porro contra Anabaptistas, Fanaticosque magno cum successu disputavit. Obiit, in prælio, contra Quinquepagicos, cui, ut Pastori, ex legibus urbis, illum interesse necesse erat, A. C. 1531. ætat. 48. Ministerii Tigurini 12. Ultima morientis vox fuit: *Ecquid hoc infortunii? Age, corpus quidem occidere possunt, animam non possunt.* Myconius *in vita ejus*. Cadavere ejus ab hostibus flammis traditô, cor exuri non potuit. Thuan. *Histor. l.* 1. Ei successit Henricus Bullingerus.

Cor zelô accensum divinô, & Numine fervens
Pruna favilliferi non cremat ulla rogi.

Vide quoque in voce *Ulricus Zuinglius*.

ZUIRIA, vulgò ZUIRIE, provinc. Georgiæ, ad Ortum, versùs oram Occidentalem maris Caspii, ubi aliàs Albania regio. Hic Tartari *Daghestani*. Dividitur in tres partes; & ejus urbes præcipuæ sunt *Sirana*, aliàs Albana, *Zurach* aliàs Getara, & *Chipicke*, aliàs *Cabala*.

ZUMA, vel GIUMA, Mahummedanis dicitur templum magnum & congregatio, à verbo גמע *gama*, i. e. congregavit; quod à Meschita tum materiâ tum formâ differre, docet Joh. Leunclavius. Et quidem, quoad materiam, Meschitam è lignis, *Giumam* è lapidibus constare, indicat Schindlerus. Hinc dies Veneris iisdem *Zuma juni*, i. e. templi dies, quod ad magnum templum tum se conferant, festum suum hebdomadarium celebraturi, vocatur. Jo. Forbesius, *Instruction. Historico Theol. l.* 4. *c.* 15. §. 24. Vide quoque suprà *Giuma*, item *Zema*.

ZUMI, Germ. gens à Maroboduo Rege subacta. *Strab.*

ZUNDEBALDUS, Slavorum Moravensium Rex, Ducatum Bohemorum ab Arnulfo Imperat. accepit, ut Hungaris Pannoniam occupantibus, propulsandis par esset. Verùm immemor mox beneficii, fretus jam auctis viribus, tributa Imperatori reddere negavit, jugum etiam ejus excutere molitus. Qua re cognitâ Arnulfus copias contra ingratum duxit, Hungarisque, fractis munitionibus, quas *Clausas* vocant, in auxilium vocatis, eum domuit: Dicitur etiam *Zuenteboldus*, vide Luitprandum, *l.* 1. *c.* 5. Sigebertum ad A. C. 893. &c.

ZUNGAR, castellum in Cilicia, *Nicet.*

ZUNIGA, Familia in Hispania illustris, descendit à Didaco Lopezio de *Zuniga* sive *Destunica Dn. de Bejar & Monterey*, qui Justitia major Castellæ fuit, atque ex Johanna Garcia de Lievia, sive Leva, plures filios sustulit. In his I. Petrus de *Zuniga*, A. C. 1430. titulô Comitis *de Leidesma* & Placentiâ ornatus est, à Joanne II. Castellæ Rege & Alvarum atque Didacum Lopezium genuit. Ille Dux *de Arevalo*, Placentia & demum *Bejar*, sive *Bexar*, sive *Vejar*, creatus, ex primogenito Petro D. *de Bejar*, inter alios Franciscum *de Zuniga*, & Guzmanorum M. *de Ayamonte*, nepotem habuit; patrem Teresæ, quæ hanc lineam terminans hæreditatem *de Bejar Ayamonte*, *Gibraleon* & *Bannares* marito Francisco Comiti *de Belalcazar*, atque ita famil. *de Sotomayor* attulit. Præterea Alvari II. Ducis de *Bejar* fil. naturalis fuit Petrus de *Zuniga*, Marchionum de Aquila Fuente Auctor. Alter verò Alvari filius Didacus, ab uxore Johanna de la Cerda factus Dominus *de Villora* titulum, cum Cerdano etiam agnomine, propagavit ad posteros. Nec minùs reliqui Alvari filii Alvarus & Franciscus posteritatem reliquerunt. Et quidem hic Dominus *de Mirabel* fuit, & ab uxore Maria *Manuel de Sotomayor*, dominium *Alconchel* obtinuit, sed utraque successio per Mariam *Manuel de Zuniga* ad familiam Davilarum est delapsa, unde Marchiones Mirabellani orti sunt. Petri verò præfati fil. Didacus Lopezius A. C. 1467. Comes de Miranda creatus, uxorem habuit Aldonciam de Avellaneda, unde hoc *Zunigensi* cognomen à posteris adjectum, Comitibus his dein accessit titulus Ducum de Penneranda & Marchion. de Banneza. In eadem linea Johannes de *Zuniga* & Avellaneda, Petri II. Comitis filius, ab uxore Stephania domus Requesenæ, in Catalonia, hæreditatem crevit: unde reliqui de Zuniga & Requesenes, Barones de *Maturel* descendunt, in Mencia deficientes, quæ M. Velezio & Comiti *de Benavente* nupsit. II. Minor natu filius Didaci Lopezii, familiæ Auctoris, fuit Didacus Lopezius *Monterey*, qui ex priore matrimonio Elviræ hæredis de Viedma & Ribera, Johannem de *Zuniga* & Viedma, Vicecomit. de Monterey, patrem Teresiæ (unde ad familiam de *Ulloa* & inde *de Azebedo* successio translata est, ex altero verò matrimonio Constantiæ de Monte Salvo Petrum Dn. *Baydes* & *Pedrosa* genuit. Cujus filius Petrus Comes de Pedrosa creari meruit, posteris tamen Dominorum *de Baydes* titulô contentis. Tertius demum filius Didaci Lopezii, Petrique ac Didaci prædictorum frater, Inicus fuit *Ortiz* seu Arista de Zuniga, Marescallus Castellæ & Johannæ Navarrenæ maritus. Cujus filius Didacus Lopezius primogenitus Comes creatus est de *Nieva*, sed hunc titulum ejus neptis Francisca Marito Antonio de Velasco attulit. Reliqui, Lupus Arista sive *Ortiz* & Johannes Lopezius, posteritatem etiam habuêre. Vide Spenerum, *Theatr. Nob. Part. II.*

ZUPA, vide suprà *Quadrata vestis*.

ZUPANUS, vide supra *Supanus*.

ZURACHI, Arabiæ populi, apud Plin. *l.* 6. *c.* 28.

ZURINANÆ, civitatis Episcopalis, in Africa, meminit Vict. Uticensis, *l.* 1.

ZURITA Hieronymus, vide *Ard.*

ZURMENTUM, Africæ Propriæ urbs.

ZUROBORA, Daciæ oppid. *Ptol. Temeswar Nigro.* Vide *Temesvaria*.

ZURTA, fluv. circa Thraciam, ad quem Aristum devictum à Bulgaris scribit Marcell. Comes.

ZURULUM, vide *Tzurulum* & *Turulum*.

ZURZACUM, vulgò *Zurzach*, vicus ingens Helvetiæ, ad Rhenum, oppidi in morem excultus, inter oppid. Clingenovium, & Cæsaris Solium, quæ ambo ad præfecturam Badensem pertinent: in diœcesi Episcopi Constantiensis. Celeberrimus est nundinis suis, quæ binæ quotannis ibi celebrantur: ad quas non ex Helvetia solùm & Germania, sed & ex Gallia mercatores magnò numerò confluunt. Plerisque videtur *Forum Tiberii* Ptolemæo memoratum, qui proin nundinarum originem ab ipso Tiberio accessunt; Aliis ex ruinis Fori Tiberiani ab Alemannis sub Diocletiano eversi Zurcacum excrevisse, nundinasque quæ antea apud Forum Tiberii, nunc Zurcacum translatas fuisse, opinantibus. Nomen Zurzaci, quasi *Certiaci vici* accepit, fortè à M. Junio Certo, milite Romano, vel Viennensi, quem illic conditum vetus inscriptio testatur, apud Guillim. & Stumpf. Oppidum primò, dein per Alemannorum, qui iteratâ irruptione Romanos penitus hisce regionibus, sub Valentiniano III. pepulére, vel Francorum aut Hunnorum bella, in vicum redactum est. Abbatia hic celebris Benedictinorum, à Regibus, ex Carolinorum familia fundata, quæ posteà ab Episcopo Constantiensi Eberhardo empta est, circa A. C. 1251. Jurisdictio loci ad Clingenoviensem præfectum pertinet, qui quotannis, mense Januariô, apparitorem deligit, ut in criminibus gravioribus, judicium exequatur & reum multet: leviorum delictorum multâ, quæ non nisi 10. libras excedat, Episcopo Constantiensi relictâ. Verùm nundinarum tempore, 1. Kal. Sept. & primâ feriâ septimanæ, quæ festos dies Pentecostes sequitur, pridie nundinarum adveniente præfectô Badensi, jurisdictio omnis Episcopi cessat, solusque præfectus imperandi & edicendi jus habet, ad finem usque nundinarum. Vide Stumpfium, *Chron.* qui etiam Nobilium *de Zurzaco* meminit, Jos. Simlerum, *descr. Helvet.* Joh. Bapt. Plantinum, *Helv. Antiq. & Nov. &c.*

ZURZURA, urbs Armeniæ majoris, *Ptol. Erzil* hodie *Moletio*, parum in Ortum recedens à Gerva & *Magistana*.

ZUTHI, Carmaniæ desertæ populi.

ZUTPHANIA, vulgò *Zutphen*, urbs Belgii, ad Isalam, ubi recipit Berkelam. Permunita, cum arce valida. 9. mill. pass. à Daventria in Merid. quot Doesburgum versùs. 17. ab Arenaco in Cæciam. Crudeliter expugnata, ab Albano seculô præteritô, ante biennium proditione, cum plurimis aliis Belgii urbibus, in Gallorum potestatem venit, sed eâdem facilitate, quâ perdita fuerat, recepta est. Caput Comitatus *Zutphaniæ*, à paludibus, quas *Venen* vocant, dicti, in Geldria; ubi alias Usipetes. Terminatur à Septentrione Transisalaniâ, ab Ortu Westphaliâ, ab Occasu Geldriâ inferiore, à qua dirimitur Isalâ, à Merid. Cliviæ Ducatu. Reliqua oppida Doesborgum, Grolla, & Dotechemum.

ZWEIBRUCKENSES, sive *Bipontini* & *Birsebii*, Auctorem dicuntur habuisse Weckerum Comitem qui in exercitu Henrici Aucupis militaverit A. C. 934. In Simonis dein III. cognomin. *Weckeri* (cujus patruus Eberhardus sua Roberto Palatino A. C. 1385. vendidisse dicitur) filiis Simone IV. & Henrico, duæ cepére lineæ, quarum hæc citò extincta est: Illa denuo Fridericum protulit, patrem Henrici IV. & Simonis V. Weckeri: quorum illi Cunigundis Ochsenstenia, huic Elisabetha Liechtenbergia, utraque certarum ditionum domina nupsère. Sed Simonis Weckeri nepotes Simon VI. Weckerus & Jacobus masculorum extremi familiam superiori seculô clausère. Priori uxor Barbara Falckenstenia, superioris Henrici Bipontini ex Cunig. Ochsenstenia neptis, peculiaria jura attulisse visa est: à qua prætensionem suam Leiningenses (nam Amalia Simonis filia Philippo Leiningio-Westerburgio nupserat) ab altera Margaretha Ludovica Philippo Comiti Hanoviæ nupta, Hanoici derivant: ne nunc quidem lite successionis terminatâ. Vide iterum Spenerum, *Tomo cit. in Indice.*

ZUVOLLA, vulgò ZWOL, urbs Hanzeatica Transisalaniæ, ad Aam fluviolum, qui mox cadit in Vidrum, non procul ab Isala, ex quo vallum perductum est & tria castra. Munitissima, 8. mill. pass. ab ostio Isalæ & ab ora maris Australis in Ortum, 18. à Daventria in Boream Leovardiam versùs 44. circiter.

ZUZA, mons apud *Æthicum Sophistam.*

ZUZIDAVA, urbs Daciæ, *Ptol.* in Moldavia, ad fluv. *Gerassum*. Hodie *Hulz* dicta. *Sucidava* Scythiæ, *Lib. Notit.*

ZUZUS, Hebr. זוז monetæ apud Hebræos genus, denario Romano argenteo par, cujus sæpe mentio, cùm in Misna & Gemara, tum in Syriaca Novi Fœderis versione, pro eo quòd *Drachma* est. Valorem autem ejus ad receptam olim monetæ æstimationem supputans Maimonides, juxta veterem æris & argenti commixtionem illi septem æris partes & octavam argenti inesse vult: Ita ut *Zuzis* 200. (quæ Virginis dos erat) sic commixtis inesset 25. Zuzorum argenti puri valor, id est, siclorum 50. Nam is ita commixtus, quartæ sicli argentei parti æqualis erat, ut etiam sumi videtur Chaldæo Prophetarum Paraphrasti, 1. Sam. c. 9. v. 8. At si argenteus esset totus, binis siclis æquiparabantur. Fuêre autem 200. *Zuzi* ita Virginis dos, ut minor dari non posset, major autem esset ita Sponsi arbitrio: nisi quòd filiabus suis Virginibus summam duplicari voluit genus Sacerdotale: contrà Vitiatæ ac Viduæ factæ, Repudiatæ item seu à Leviro renuntiatæ, postquàm deducta esset, centum solùm *Zuzi* seu 25. sicli, è Sponsi bonis, pro dote, solebant adscribi, quam & מנה *Minam* vocant. Vide Joh. Seldenum, *Ux. Hebr. l.* 2. *c.* 9.

ZYDRITÆ, Arriano, in suo *Maris Euxini Periplo*, sunt populi, circa idem Mare. Hos *Procop. Sisilissos* vocat, ut scribit *Theod. Adamant.* Eosdem esse cum *Zentiensibus*, quos Strabo, *l.* 10. describit, idem auctor est. Stuckius autem *Zydretas* eosdem esse contendit cum *Cercetis* Strabonis.

ZYGACTES, Thraciæ fluv. circa Philippos, in cujus trajectu dicunt Plutonem fregisse currûs jugum, cùm Proserpinam rapuisset, indeque sortitum nomen. Appianus, *l.* 4. *Civilium.*

ZYGÆNA, *Ptol.* Vide *Zygena.*

ZYGÆNA, Græcè *Ζύγαινα*, Latinè *Libella*, è cetaceorum genere נחש בריח *serpens vectis* dicitur Esaiæ, *c.* 27. *v.* 1. quòd caput ejus vectis instar transversum sit, uti jugum, quod transversum boum collis imponitur, aut transversum librile, ex quo lances dependent, unde Græcum nomen à *ζυγός*. Utrumque enim monstrosâ capitis formâ refert, quod neque rotundum, neque rostratum, neque fastigiatum, neque in latera compressum, quale in piscibus reliquis esse solet, sed (quod ei peculiare) in latera extensum atque transversum est. Quam ob causam Gaza *libellam* vertit, Italorumque alii *balista*, alii *pisce martello* vocant, ut quæ balistæ sit & malleo non absimilis. Neque aliò referendum quòd *Zygænam* indigitant Massilienses *barretellam* & *peis jouzieu*, h. e. piscem Judæum, à birreto, seu quadrato petaso, quô usi olim Judæi Avenionenses. Cæterùm immane pisci robur, quô inter cetaceos pisces eminet, uti docet Oppianus, *Halieutic. l.* 1. & *l.* 5. Vide quoque Ælian. *Histor. l.* 9. *c.* 49. Basilium *Hexaëm. Homil.* 7. Rondeletium, Salvianum, Alios. Ei formâ planè similis est *panapana*, piscis in Brasilia fluviatilis, sed mole minor, de quo vide eundem Rondeletium, Bellonium, Aldrovandum, Joh. de Leri, *Itin. c.* 12. Joannem Laëtium, *America l.* 15. *c.* 14. &c. Sed & insigne aliquod hujus nominis sidus apud Syros fuisse olim, colligit ex Hiobi *c.* 26. *v.* 13. Sam. Bochartus, qui plura de hoc pisce exhibet, *Hieroz. Parte poster. l.* 5. *c.* 13. ubi & iconem ejus habes: adde Voss. *de Idolol. l.* 4. *c.* 28.

ZYGANTES, vide *Gyzantes.*

ZYGANTES, Africæ populi; apud quos magnam vim mellis apes conficium, sed multò plus opifices viri facere dicuntur. Herodot. *l.* 4. ubi illos simiis tantùm vesci corpusque miniô inficere refert: quemadmodum & Hypotereæ Æthiopiæ populi, tota corpora rubricâ illinere leguntur.

ZYGENA, insul. in mari Rubro. Gentile *Zygenites*. Possessivum *Zygeniticus*. *Steph.*

ZYGES, Marmaricæ Nomi gens. *Ptol.*

ZYGI, populi juxta Bosporum Asiæ; ad quos pertinere videtur etiam *Zygopolis* juxta Trapezuntem. Gentile *Zygianus*. *Steph.*

ZYGIA, Juno apud Pindarum sic dicta, eo quòd nuptiis præsidere putabatur; Unde *Γαμηλία* Græcis, & *Pronuba* Latinis dicitur. Hinc Ovid. *Ep.* 2. *Heroid. v.* 41.

Junonemque toris quæ præsidet alma maritis.

Orienti eandem, ac Junonem & Lucinam magna in veneratione fuisse, docet Voss. *Ibid. l.* 2. *c.* 21. & 26.

ZYGIANA, Bithiniæ regio, *Ptol.*

ZYGITÆ, meliùs *Zeugitæ*, Græcè *Ζευγῖται*, tertia erat civium Atheniensium classis. Solon enim, inclytus Reip. hujus legislator, in quatuor hos ordines seu classes populum divisit: *Πεντακοσιομεδίμνους, Ἱππεῖς, Ζευγίτας, Θῆτας. Pentacosiomedimnos, Equites, Zeugitas, Thetas*: de quibus vide Franciscum Rossæum, *Archæol. Attica l.* 1. *c.* 4. Petitum, *Comm. in leges Atticas &c.*

ZYGOPOLIS, oppid. Cappadociæ, ultra Trapezuntem, in confinio Colchidis. *Strabo.*

ZYGOSTATES, Libripens; qui per civitates constitutus erat, ad controversias de monetis ortas dirimendas. Julianus *ad Mamertinum in L.* 1. *c. de pond. rat.* apud Pancirollum *de Magistr. c.* 15. *Quoties*, inquit, *de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio: placet quem sermo Græcus appellat* Zygostaten, *per singulas civitates constitutum, qui pro sua industria neque fallat, neque fallatur, contentionem dirimere.*

ZYGOSTATICA, pars Statices, de qua suprà.

ZYGRIS, Marmaricæ vicus, *Ptol. Solonet Castaldo.* Olim urbs fuit Episcopalis maritima, inter Catabathmum M. ad Occasum & Parætonium in Ortum. Popul. *Zygritæ*: Episcopi *Zygrorum* meminit D. Athanasius.

ZYMNA, Syriæ urbs inter Edessam & Cyrrhum. *Antonin.* extincta. *Sucidava* Scythiæ, *libr. Notit.*

ZYPOETES, pater Nicomedis, à quo Nicomedia condita, cum Lysimacho bellum gessit, eamque multis præliis contudit; teste Memnone, de quo vide Salmas. *Notis ad Treb. Pollionem in Gallienis*, *c.* 4.

ZYRAS, amnis Thraciæ Dionysiopolim alluens. *Baudrando* fluv. Mœsiæ inferioris nunc *Varne*; infra Varnam urbem cadit in Pontum Euxinum.

F I N I S.

JEHOVAE SERVATORI GLORIA!

NOMENCLATOR ΜΙΞΟΓΛΩΤΤΟΣ,

Locorum, Personarum, Rerumque nomina, vernaculo cuique genti sermone, in fronte exhibens.

A.

A, amnis Belgii in Transisalania, *Aa.*
Aa, fluv. Westphaliæ, *Aa*, aliis *Velicer*,
Aa, fluv. etiam Westphaliæ, *Aa.*
Aa, amnis Westphaliæ, *Aa.*
Aa, fluv. Artesiæ, *Emeno*, & fluv. Westphaliæ, *Velicer.*
Aa, fluv. Artesiæ, *Agnio*, *Emeno* & *Emo.*
Aa, fluviolus Germaniæ in Frisia, *Alpha.*
Aade, fluviolus Brabantiæ, *Aada.*
Aahus, oppid. Westphaliæ, *Aahusium.*
Aar, *Arola*, vide *Arr.*
Aarburg, oppid. Helvetiorum, *Arburgum.*
Aarasso, urbs Pisidiæ, *Aarassus.*
Aare, & Are, amnis Germaniæ, *Abrinca.*
Abacares, populi Americæ meridionalis, *Abacares.*
Abach, pagus Bavariæ, *Abudiacum.*
Abaghu, vide *Bachu.*
Aback, oppid. Vindeliciæ, vide *Abach.*
Abacoa, insul. Americæ septentrionalis, *Abacoa.*
Abaibe, montes Americæ meridionalis, *Abaibe.*
Abarbo, fluv. Æthiopiæ, *Abanbus.*
Abancay, fluv. Americæ meridionalis, *Abancaius.*
Abbandune, oppid. Angliæ in Bercheria, *Abendonia.*
Abanhy, fluv. Africæ, *Astapus*, aliis *Nilus.*
Abannas, vide *Abarnas.*
Abano, vicus Patavinus, *Aponus.*
Abaruivar, Comitatus Hungariæ, *Abaruivar.*
Abaraner, oppid. Armeniæ, *Abaranum.*
Abaraus, oppid. Guineæ in Africa, *Abaraum.*
l'Abbatie, vicus Galliæ, in insula Radi, *Abbatia.*
Abavi, fluv. Æthiopiæ, *Astapus.*
Abarnas, lacus Mediæ, *Mantiana palus.*
Abba Curia, insul. maris Rubri, *Dioscoridis insula.*
Abbabuis, fluv. Ægypti, *Nilus.*
Abbaschi, populi Asiæ in Georgia, *Abbassi.*
l'Abbaye Blanche, locus Galliæ in Hiero insul. *Abbatia Alba.*
l'Abbaye du Val, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, *Vallis Sanctæ Mariæ.*
Abbefort, oppid. Norvegiæ, *Abbefortia.*
Abbeville, urbs Galliæ, *Abbavilla*, vel *Abbatisvilla.*
Abela, oppid. Palæstinæ, *Abela.*
Abella, fluv. Poloniæ, *Abella.*
Abellinas, mons Syriæ, *Antilibanus.*
Abenow, mons Germaniæ, *Abnoba.*
Abensperg, oppid. Bavariæ, *Abusina.*
Aberavon, oppid. Angliæ, *Aberavonium.*
Aber-Conwey, oppid. Walliæ, Conovium.
Aberconwey, oppid. Angliæ in Wallia, *Aberconovium*
Aberdone, & *Aberdeen*, urbs Scotiæ, *Aberdonia, Devana.*
Aberdore, oppid. Scotiæ borealis, *Aberdora.*
Aberdour, oppid. Scotiæ australis, *Aberdura.*
Aberford, oppid. Angliæ, Calcaria.
Aberfraw, oppid. Monæ insulæ, Gadiva.
Abergeveny, oppid. Walliæ, *Gobannium. Ferrar. Baudrando Abergeveny*, oppid. Angliæ in Wallia, *Abergenium.*
Aberistywith, oppid. Angliæ, *Aberystyvium.*
Abernethy, urbs Scotiæ, *Abernethum.*
Abertivy, fluv. Walliæ, *Tybius, Rhatostathybius.*
Abet, oppid. Mauritaniæ, *Suriga.*
Abexin, vide *Abissia.*
Abia, fluv. Tartariæ, *Abia.*
Abiagrasso, oppid. territorii Mediolanensis, *Albiasum.*
Abiam, fluv. Margianæ, Oxus.
Abiamu, vide *Abiam.*
Abington, oppid. Angliæ, *Abindonia.*
Abisca, provincia Americæ in Peruvia, *Abisca.*
Abissia, provincia Africæ, *Æthiopia.*
Abissini, populi Africæ, *Æthiopes.*
Abissinie ou païs des *Abissins*, regio Africæ, *Abassenia seu Abissinia*, & *Æthiopia.*
Abissini, populi Æthiopiæ, *Abyssini.*
Abislaveras, urbs Siciliæ, *Olbasa.*
Abiz, fluv. Bulgariæ, *Iatrus.*
Abnaquiou, populi Americæ septentrionalis, *Abnaqui.*
Aboedara, pagus Portugalliæ, *Meribriga.*
Abo, urbs Sueciæ, *Aboa.*
Aboy, urbs Hiberniæ, *Aboya.*
Abraconis, oppid. Armeniæ, *Abracunium.*
Abrantes, oppid. Hispaniæ in Portugallia, *Abrantum.*
Abrantes, oppid. Portugalliæ, *Tubucci.*
Abreojos, ò Baxos de Babueca, scopuli Americæ septentrionalis, *Aperi oculos Babueca.*
Abrigada, oppid. Portugalliæ, *Arabrica.*
Abrolhos, scopuli in mari Brasilico, *Aperi oculos.*
or Abrobos, scopuli in ora Brasiliæ, *Aperi oculos.*
Abruckbanya, oppid. Transylvaniæ, *Auraríarum.*
l'Abruzzo, regio Italiæ, ubi Samnites populi, *Aprutium, Samnium.*
Abuio, insula Asiæ, *Abuia.*
Abutich, urbs Ægypti, *Abydus.*
Abyso, fluv. Siciliæ, *El[illegible]*
Abzel, oppid. Livoniæ, *Adzeha.*
Aca, urbs Phœniciæ, *Ptolemais.*
Acada, fluv. Bithyniæ, *Sangarius.*
Acafran, fluv. Mauritaniæ, *Chinasal.*
Acanes, urbs Africæ in Guinea, *Acanes.*
Acapulco, urbs novæ Hispaniæ, *Acapulcum.*
Acaraig, oppid. Americæ meridionalis, *Acaraga.*
Acaxi, oppid. Iaponiæ, *Acaxum.*
Acaxutla, portus novæ Hispaniæ, *Acaxutla.*
Accadie, provincia novæ Franciæ, *Accadia.*
Accara, oppid. Africæ in Guinea, *Accara.*
Accaron, urbs Palæstinæ, *Accaron.*
Accia, urbs Corsicæ insulæ, *Accia.*
l'Accolade, amplexus, quô Equites initiari solent.
Accumba, oppid. Peloponnesi, *Hypania.*
Acdenix, Ægæum mare.
Acellero, fluv. Siciliæ, *Elorus.*
Accrano, pagus agri Navariensis, *Achera*, *Acerra.*
Acere, pagus agri Ticinensis, *Acerra*, *Acherra.*
Acerenza, urbs regni Neapolitani, *Acherontia.*
l'Acerra, urbs regni Neapolitani, *Acerra.*
Ach, vide *Aken.*
Acha, fluv. Bavariæ, *Acha.*
Achacica, oppid. novæ Hispaniæ, *Achacica.*
Achamba, insula Indiæ, *Taprobana.*
Achatana Esbahan, urbs Mediæ, *Ecbatana.*
Achaton, oppid. Cypri, *Aphrodisium.*
Achbaluc, oppid. Asiæ in Catala, *Achbalucum.*
Achelo, urbs Thraciæ, *Anchialus.*
Achem, urbs Asiæ in Sumatra insula, *Achemum.*
Acheri, vicus ad Isaram, *Echercum.*
Achlar, fluv. Armeniæ majoris, *Araxes.*
Achoury, urbecula Hiberniæ, *Achouria.*
Achoton, vide *Achaton.*
Achrida, urbs Macedoniæ, *Achris, Achridus.*
Achsteede, oppid. Germaniæ in Saxonia, *Acsteda.*
Achterwaldt, sylva Galliæ Belgicæ, *Arduenna.*
Achy, locus Belgii, ad fluv. Saram, *Aciacum.*
Achyr, urbs Poloniæ, *Achyrion.*
Aci, arx Siciliæ, apud Acim fluv.
Aciaponda, oppid. Indiæ, *Aciaponda.*
Acierno, urbs regni Neapolitani, *Acernum.*
Aciline, fluv. Siciliæ, *Acilius*, *Acithius.*
d'Ack, in Britannia minore, *Pagus Agnensis.*
Acoioulu, regio Asiæ, *Armenia minor.*
Acoma, locus Americæ septentrionalis, *Acoma.*
Acon, vide *Emeley.*
Acon & *Acone*, vide *Acon*
Acopende, urbs excisa Pamphyliæ, *Olbia.*
Acor, urbs Mauritaniæ, *Icesium.*
Açores, vide *Azores.*
Acqs, urbs Galliæ, *Tasta* seu *Aqua Tarbellica.*
Acqua dolce, vide *Aqua dolce.*
Acqua dolce, castrum Siciliæ, *Calacta.*
Acqua Favella, fons Calabriæ, *Thuria.*
Acquapendente, oppid. Hetruriæ, *Acula, Aquula, Aqua Taurina.*
Acquapendente, urbs Hetruriæ, *Acula.*
Acquaria, oppid. Italiæ, *Aquarium.*
Acqua Sparta, oppid. Umbriæ, *Aqua Sparta.*
Acqua di Trevi, vide *Fonte di Trevi.*
Acqua viva, oppid. regni Neapolitani, *Aqua Viva.*
Acque di Mondragone, thermæ Campaniæ, *Aqua Suessana vel Sinuessana.*
Acqui, urbs Montisferrati, *Aqua Statyellæ.*
Acra Spandona, promontor. Thraciæ, *Metopon.*
Acre, urbs Syriæ, *Acon seu Ptolemais.*
Acremont, oppid. Siciliæ excisum, *Acra.*
Acri, fluv. & oppid. Calabriæ, *Acitis.*
Acri, vide *Aca.*
Acrioteri, lacus Phrygiæ, *Tatta.*
Acristia, oppid. Siciliæ in ruinis, *Scrythea.*
Acs, urbs Vasconiæ. *Aqua Tarbella. Aqua Augusta.*
Acsa, lacus Bithyniæ, *Ascania*, & fluv. *Ascanius.*
Acsar, urbs Ciliciæ, *Anazarbus.*
Acseras, vide Acsar.
Acsu, fluv. Bithyniæ, *Ascanius.*
Actamar, lacus Mediæ, *Mantiana palus.*
Acumar, vide *Azumar.*
Acumoli, oppid. Aprutii in Italia, *Acumulum.*
Acyla, urbs Arabiæ Felicis, *Ocelis.*
Aczud, oppid. Valachiæ, *Aczuda.*
Adacth, urbs Taprobanæ, *Ulpada.*
l'Isle Adam, in Bellovacis, *Insula Adami.*
Adoovus, populi Africæ in Guinea, *Adoovi.*
Adare, oppid. Hiberniæ, *Adara.*
Adata, urbs Syriæ, *Germanicia.*
Adazar, mons Asiæ, *Caucasus.*
Adda, fluv. Lombardiæ, *Abdua Addua.*
Adea, regnum Africæ in Æthiopia. *Adea.*
Adegele, fluv. Damasci, *Chrysorrhoas.*
Adel, regio & regnum Æthiopiæ, *Azania.*
Adel, regnum Æthiopiæ, *Adel* & *Azania.*
Adelsperg, oppid. Croatiæ, *Postoina, Pistoina, Avendone, Adulis.*
Aden, urbs Arabiæ, *Adenum.*
Aden, urbs Arabiæ Felicis, *Arabia*, aliis *Madoce, Adedi.*
Adena, urbs Ciliciæ, *Adana*, & Sarus, fluv.
Ademo, oppid. Siciliæ, *Adranum, Hadranum.*
Aderborn, oppid. Germaniæ, *Aderborna.*
Aderbourg, oppid. Germaniæ, *Aderburgum.*
Adhasta, pagus agri Bergomensis. *Invenatium.*
Adhel, oppid. Indiæ citerioris, *Adhele.*
Adiga, populi Sarmatiæ Asiaticæ, *Ziga.*
l'Adige, fluv. Venetiæ, *Athesis.*
Adilbegian, regio, *Daretis*, & Zagrus, mons Mediæ.
Adima, oppid. Moscoviæ, *Adima.*
Adingtona, oppid. Angliæ, *Adingtona.*
Admind, pagus Stiriæ, *Montana*
Admirati, fluv. Siciliæ, *Eleutherus*, Orethus aliis.
Adom oppid. Hungariæ, *Potentiana*, *Salinum.*
Ador, vide l'*Adour.*
Adorf, oppid. Germaniæ, *Adorfium.*
Adorian, oppid. Transylvaniæ, *Adorianum.*
Adou, vide l'*Adour.*
l'Adour, fluv. Aquitaniæ, *Aturus* & *Aturrus.*
l'Adour de Beaudean, fluv. Galliæ, in valle Baudeanica, *Aturrus Baudeanicus.*
l'Adour de la Seube, fluv. Galliæ, in finibus vallis Campaniæ, *Aturrus Silvensis.*
Adra, oppid. Granatensis regni maritimum, *Abdara.*

Adramelech, fluv. Palæstinæ, Arnon.
Adri, vide Atri.
Adriaxà, provinc. Asiæ, Assyria.
Adrobe, fluv. Tartariæ, Adrobus.
Adzel, oppid. Livoniæ, Adzelia.
Ægospotamos, vide Egospotamo.
Ægrez, amnis Rauracorum, in agro Basiliensi, Ægitta.
Æliopoli, vide Eliopoli.
Aellen, præfectura agri Bernensis, Salinæ.
Aelst seu Alost, oppid. Flandriæ, Alostum.
Aera, urbs Mauritaniæ, Quiza.
Argoeu, pagus Helvetiæ ad Arolam, in ditione Bernensi, Argovia.
Aeschleben, urbs Cariæ, Aesora, Astropolis, Leucopolis.
Aath, oppid. Hannoniæ, ubi Essui populi Galliæ.
Afdime, urbs Epiri, Arsinoe.
Aferra, oppid. Portugalliæ, Laucobrica.
Aferat, fluv. Mesopotamiæ. Euphrates.
Africa, pars quarta mundi, Africa.
Africa, urbs Africæ, Aphrodisium.
Africani, populi Africæ, Afri.
Afrique, orbis pars, Africa.
Agades, regnum Africæ in Guinea, Agades.
l'Agadez, regio Galliæ, ager Agathensis.
Agag, regnum Æthiopiæ superioris, Agag.
Agamer, oppid. Hiberniæ, Agamerum.
Agamii, populi Persiæ, Persa.
Agan, insula Asiæ, Agana.
Agaos, populi Æthiopiæ, Agaosi.
port d'Agai, aliàs Port d'Aigas, insula maris Gallici, Portus Aquarum.
Agde, urbs Linguadociæ, Agatha.
Agello, vide Ajello.
Agen, urbs Aquitaniæ, Agennum, Aginum.
Agenna, oppid. Mauritaniç Tingitanç, Acrath.
les Agemois, populi Aquitaniæ, Garites.
l'Agenois, in Aquitania, Pagus Aginnensis.
l'Agerola, pagus agri Ticinensis, Acerra.
Aggerhus, arx Norvegiæ, Aggerhusia.
Aggia, fluv. Sabinorum, Himella.
Aggiul Fellanos, urbs Phrygiæ, Philomelium.
Aghem, oppid. agri Novariensis, Agamium.
Agia parascewe, suburbium Byzantii, Cobus Campi.
Agiomana, oppid. Macedoniæ, Torone.
Agion oros, mons Macedoniæ, Athos.
Agios Adrianos, oppid. Peloponnesi, Mycenæ.
Agios Phocas, locus apud Constantinopolim, Archion.
Agia, oppid. regni Fezzç in Africa, Agla.
Aglar & Aglon, urbs Carnorum, Aquileia.
Agmundesham, oppid. Angliç, Agmundeshamum.
Agnetlin, oppid. Transylvaniç, Agnetlinum.
Agniadello, vicus Ducatus Mediolanensis, Agniadellum.
Agno, fluv. Campaniç Italicç, Clanius.
Agnon, fluv. in Tilam se exonerans, Angio.
Agnone, oppid. Aprutii, Aquilonia.
Agnum, oppid. Siciliç excisum, Morgantium.
Agobel, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Victoria.
Agola, urbs Æthiopiæ superioris, Agola.
Agonara, urbs Indiæ citerioris, Aganagara.
Agoro, oppid. Venetiæ, Agorum.
Agout, fluv. Galliæ in Occitania, Acutus.
Agra, urbs Asiæ in India, Agra.
Agramont, oppid. Cataloniæ, Agramontium.
Agreda, urbs Americæ meridionalis, Agreda.
Agreda, oppid. Castiliæ veteris, Gracuris.
Agri, fluv. Lucaniæ, Aciris.
Agri, fluv. regni Neapolitani, Agrius.
torre d'Agri, vicus Italiæ, in Lucania, Aciris.
Agria, urbs Hungariæ, Agria.
Agrionela, fluv. Thessaliæ, Sperchius.
Agromento, castrum Lucaniæ, Grumentum.
Agropoli, oppid. regni Neapolitani, Acropoli.
Agu, pagus Delphinatus, Acusio.
Agua de Moura, oppid. & fluv. Portugalliæ, Cæciliana.
Aguatva, oppid. Lusitaniæ, Ceciliana.
Agueda vel Agada, oppid. & fluv. Portugalliæ, Æminium.
Aguilar del Campo, vide Aquilar del Campo.
Aguilar de Campos, oppid. Hispaniæ, Agilaris.
Agulecourt, locus Galliæ, in Remis, ad fluv. Supiam, Acutior Curtis.
Agulha, insula maris Æthiopici, Acus.
Agumont, vicus Galliæ in Picardia, Acutus mons.
Ahausen, oppid. Sueciæ, Ahusa.
Ahinadal, populi Sarmatiæ Europææ, Massagetæ.
Aholz, seu Habolz Comitatus in Westphalia, Aaboltinum & Haboltinum.
Ahu, vel Ahun, oppid. Galliæ, Agedunum.
Ajabire, oppid. Peruviæ, Ajabira.
Ajalum & Ajaluai, urbs Cariæ, Hagia.
Ajaxum vel Ajassa, urbs Ciliciæ, Issa.

Ajazzo, & Ajaccio, urbs Corsicæ maritima, Adiacium, Urcinium.
Aichstadt, urbs Bavariæ, Ala Narisca, Aureatum.
Aidineli, regio Asiæ minoris, Caria. aliis Lycia.
Aidnay, oppid. Galliæ Aquitanicæ, Autedanacum.
Aidos, urbs Asiæ minoris, Abydus.
Aidnacal, mons Africæ, Atlas.
Aiduni, oppid. Siciliæ, Aidunum.
Ajello & Ayello, oppid. Calabriæ citerioris, Thyella, Tyllesium.
l'Aigle, oppid. vel castrum Normanniæ, Ad aquilas.
Aiglun, locus Galliæ, in Bodiontiis, Agledunum,
Aigremont, castrum Galliæ, in Lingonibus, Acermons.
Aigueperse, oppid. Alverniæ, Aquasparsa.
Aigues Caldes, locus Gallæciæ, Aquæ calidæ, vel Aquæ Quintianæ.
Aigues mortes, oppid. Linguadociæ maritimum, Fossa Mariana, Aquæ mortuæ.
Aigues Vives, locus Galliæ, in diœcesi Nemausensi, Aquæ Vivæ.
l'Aiguille seu Agulha, insula maris Æthiopici, Acus.
Aiguillon, oppid. Aquitaniæ, Aguillonum.
Aigurande, locus Galliæ, in Biturigibus Cubis, Prioratu clarus, Igaorandis.
Aila, oppid. Arabiæ Petrææ, Elana, Ælana, Evila.
Ailesbury, oppid. Angliæ, Æglesburgus
Aileres, vel Allieres, locus Galliæ in Cenomanis, Alleriæ.
Ailly, oppid. Lotharingiæ, cum Monasterio, in agro Verodunensi, Alliacum.
Ailzall, insula Scotiæ, Ailza.
Aimargues, oppid. Galliæ in diœcesi Nemausensi, Armajanca.
Aime, vel Aisma, vicus Centronum, Axima.
Ainay, monasterium apud Lugdunum Celtarum, ubi Ara Lugdunensis, Latinè Atanacum.
la place d'Ainay, locus Galliæ, cum monasterio, intra Lugdunum hodie, Atanacum, & Athanacum. Vide quoque Aisnay.
Aindre, insula Galliæ Celticæ, Antrum,
Ainsa, urbecula Aragoniæ, Ainsa.
Ainzia, regiuncula Scotiæ, Ainzia.
Aire, urbs Aquitaniæ, Aturum.
Aire, oppid. Attesiæ, Æris, Heria.
Aire, oppid. Provinciæ, Æria, Heria.
Aire, vicus Galliæ montanus, Arisicum.
Aires, oppid. Galliæ in provinc. Novempopulana, Civitas Aturensium, Atura, Vicus Julii.
Airu, fluv. Scotiæ, Airus.
Airy, vicus Burgundiæ, Airiacum.
Aisnay, pagus & Abbatia juxta Lugdunum, Athanacum.
l'Aisnay Brulé, locus Galliæ, in Meldis, Athenum Combustum.
Aisne, vel Esnes, fluv. Galliæ Belgicæ, Axona.
Aiso, oppid. Guipuscoæ dirutum, Oeaso.
Aittoles, vicus Galliæ in agro Parisino, Attejola.
Aix, urbs Provinciæ, Aquæ Sextiæ.
Aix la Chapelle, urbs Germaniæ, Aquisgranum, vel Aquæ Grani.
Aix en Otte, castellum Galliæ in Utta sylva, Aquæ.
Aixu, provincia Japoniæ, Aixua.
Akadin, urbs Palæstinæ, Ptolemais.
Aken, urbs Germaniæ, Aquæ Grani, Aquisgranum.
Akemanceſter, locus Angliæ, Bathonia.
Akerhuys, urbs Norvegiæ, Acherhusia.
Akerman, urbs Moldaviæ, Alba.
Akersondt, insula Norvegiæ, Acbersunda.
Akill, insula Hiberniæ, Achilia.
Aksa, fluv. Asiæ in Georgia, Acza.
Al, fluv. Prussiæ, Guttalus.
Alachti, regio Asiæ, Armenia minor.
Alagon, oppid. Aragoniæ, Alavona, Allabona.
Alagon, fluv. Hispaniæ, Alagonius.
Alais, urbs Galliæ in Occitania, Alesia.
Alamitro, oppid. Castellæ novæ, Laminium.
Alamion, fluv. Galliæ, in Elaverem effluens, Alanio.
Alamon, oppid. Galliæ cum monasterio, in diœcesi Vapincensi, Alamo.
Alan, fluv. Angliæ, Alanus.
Aland, insula maris Baltici, Alandia.
Alandriana, oppid. Epiri, Meandria.
Alandt, insula Finlandiæ, Oona.
Alano, urbs Aprutii excisa, Avia.
Alanquer, oppid. Lusitaniæ, Alanquera.
Alanquera, oppid. Portugalliæ, Jerebrica.
Alar, fluv. Persidis, Alarus.
Alarch, vicus & Chaldaici lacus, lacus Chaldææ, Aphle.
Alarcon, oppid. Castellæ novæ, Illarco.
Alarcos, oppid. Castellæ novæ, Lacuris seu Ilarcuris
Alato, fluv. Calabriæ, Sagra.
Alascehar, oppid. Pamphyliæ, Hypsela.
Alaschehyr, urbs Phrygiæ magnæ, Hypsus.
Alatri, urbs Latii, Alatrium, Aletrium.

Alava, regiuncula Hispaniæ in Biscaja, Alava.
Alava, oppid. Hispan. Tarraconensis, Alaba.
Alb, locus Ducatus Wirtenbergensis, Alba.
Alb, vel Aubs, oppidul. Galliæ, in diœcesi Viviensi, Alba.
Alb, vide Aben.
Alba, urbs Latii excisa, Alba Longa.
Alba, urbs Liguriæ, Alba Pompeja.
Alba Giulia, urbs Transylvaniæ, Apulum, Alba Julia.
Alba Græca, urbs Serviæ, Taurunum.
Albagra, insula Africæ, Cerne.
Albana, sylva Latii, Albanea.
Albanesi, populi Dalmatiæ, Pirusta.
Albania, pars Macedoniæ, regio Græciæ, ubi Albani populi.
Albanie, Albania seu Epirus.
Albano, villa Latii, Albanum.
Albanopoli, urbs Macedoniæ, Albanopolis.
Albaracin, urbs Aragoniæ, Lobetum, aliis Turia.
Albasequis, urbs Sarmatiæ Asianæ, Ampsalis.
Albayn, Britanniæ pars, Britannia secunda, Albania, Scotia.
Albe Royale vel Stulweissemburg, urbs Hungariæ, Alba Regalis.
Albegna, fluv. Tusciæ, Almiana.
Albegna, fluv. Thusciæ, Albania.
Alben, mons & oppid. Carniolæ, Albanus, Albinus, Albius.
Alben, montes Italiæ, Alpes.
Alben, fluv. Japodum, Alpis.
Alben Villacher, vide Villacher Alben.
Albenga, urbs Genuensis ditionis, Albingaunum.
Albersdorf, oppid. Lotharingiæ, Alberstorphia.
Alberton, oppid. regni Barcæ, Paratonium & Albertonium.
Albhon, vide Alhalib.
Albi, oppid. Aprutii, Alba Marsorum.
Albic, oppid. Aquitaniæ, ubi Albici populi.
Albicia vel Albuxa, pagus Insubriæ, Mannantes.
Albigeois, provinc. Galliæ, Albingensis, & Helvii populi.
les Albigeois, populi Galliæ, Albigenses, vel Albienses.
Albiala, insula Æthiopiæ, Meroe.
Albistaverati, urbs Ciliciæ, Olbasa.
Albias, vicus Belgii, Tabula.
Albon, castellum Galliæ in Delphinatu, Albo.
Albona, oppid. Histriæ, Alvum & Alvona.
Albona, fluv. Ducatus Mediolanensis, Albanea.
Albor, oppid. Algarbiæ, Portus Hannibalis.
Albora, oppid. Mauritaniæ, Jol.
Alboran, insula inter Africam & Hispaniam, Erroris Insula.
Alborg, urbs Daniæ, Albergum.
Alborno, mons Lucaniæ, Alburnus.
l'Albret, vel l'Abrit, vicus Galliæ, in arenis Burdigalensibus, Leporetum.
Albs, fluv. Umbriæ, Isapis, Sapis.
Albsor, mons Asiæ, Caucasus.
Albufeira, oppidul. Lusitaniæ, Balsa.
Albufera, palus regni Valentiæ, Amœnum stagnum.
Albuna, fons Latii, Albuneus.
Albuquerque, oppid. Hispaniæ, Albuquercum.
Albusama, insula Africæ, Erroris insula.
Alby, urbs Linguadociæ, ubi olim Helvii populi, Albiga, Alba Helviorum, Albia.
Alca, insula maris Caspii, Talca.
Alcairo, urbs Ægypti, Babylon, Memphis.
Alcala de Henares, urbs Castiliæ, Complutum.
Alcala de Guadaria, oppid. Hispaniæ, Hienipa.
Alcala Horra, oppid. Granatensis regni, Arcilacis.
Alcala Real, oppid. Hispaniæ Alcala Regalis.
Alcala del Rio, oppid. Andaluziæ, Italica.
Alcamo, oppid. Siciliæ, Alcamus.
Alcanitz, oppid. Aragoniæ, Alcanitium.
Alcaniz, oppid. Aragoniæ, Ergavica.
Alcanizes, oppid. Hispaniæ, Alcanitium.
Alcantara, fluv. Siciliæ, Acesines, Asines.
Alcantara, urbs Extremaduræ, Norba Cæsarea, Pons Trajani, Turobrica.
Alcaraz, urbs Castellæ novæ, Orgia, Tugia.
Alcaraz, oppid. Hispaniæ, Alcaratium.
Alcasar d'Osal, vide Alcazar.
Alcasor, oppid Lusitaniæ, Arcobriga.
Alcaudete, oppid. Hispaniæ, Alcadeta.
Alcazar d'Osal, oppid. Portugalliæ, Salacia.
Alcer, vide Alzete.
Alchabor, vide Chabor.
Alchabyr, urbs Ægypti, Babylon.
Alchasar, urbs Ægypti, Berenice.
Alchosan, Arabiæ Felicis, Sarapidis insula.
Alchria, oppid. Macedoniæ, Doliche, Achris, Lychnidus.
Alcia, vide Albicia.
Alcipo, oppid. Epiri, Holyzia.
Alcmaer, urbs Hollandiæ, Alcmaria.

Alcobaca, monasterium Portugalliæ, Alcobasa.

Alcocerdosal, vide Alcazar.

Alcocer do Sal, oppidul. Portugalliæ, Alcocerum Salinarum.

Alcol, urbs Mauritaniæ. Dicitur etiam Col & Collo, Cullu & Collops magnus.

Alcolea, oppid. Andaluziç, Flavium Arvense.

Alcorrucen, oppid. Andaluziæ, Sacili.

Alcudia, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Abyla, Alyba.

Alcudia, oppid. Africæ, Automala.

Alcudia, oppid. Gallæciæ, ubi olim Celtici populi.

Alcudia, oppid. Majoricæ insulæ, Pollentia.

Alcudia, oppid. Majoricæ, Alcudia.

Aldburg vel Aldborrow, oppid. Angliæ, Isurium.

Aldea el muro, pagus Castellæ veteris, Augustobriga.

Aldea el rio, oppid. Andaluziæ, Iliturgis.

Aldeberg, urbecula Saxoniæ, Aldeberga.

Aldego, fluv. Venetiæ, Aldegus.

Aldemburch, oppid. Flandriæ, Aldemburgum.

Aldenburg, urbs Holsatiæ, Urbs vetus, Brannesia.

Alderney, insula maris Britannici, Ebodia.

Aldinelli, vide Atdinelli.

Aldradina regio, popul. Græciæ, Dryopum.

Ale, fluv. Galliæ, Alea.

l'Alea, urbs Æolidis maritima, Elea.

Alemagna, regio Europæ, Alemannia, Germania.

Alemani, populi Germaniæ, Alemanni, Germani.

Alençon, vel Alentio, oppid. Normanniæ, Alenconium.

Alengon, vel Langon, locus Galliæ, Alingo.

Aleppo, urbs Syriæ. Chalybon. Aliis Berrhœa, & Hierapolis.

Aleria, urbs Corsicæ Insulæ excisa, Aleria.

Aleria, fluv. Corsicæ, Rhotanus, Rotanus.

Alesatia, vide Alsatia.

Alessandretta, urbs Syriæ, Alexandria.

Alessandretta, oppid. Cypri, Arsinoe.

Alessandria di Egitto, urbs Ægypti, Alexandria.

Alessandria della Paglia, urbs Liguriæ, Alexandria Statiellorum.

Alessano, urbs terræ Hydruntinæ, Alexanum.

Alessio, urbs Macedoniæ maritima, Lissus.

Alesso, fluv. Calabriæ, Alex.

Alestenosori, urbs Macedoniæ, Alectryopolis.

Alet, urbs Linguadociæ, Alecta, & Electa.

Alexandre, urbs Ægypti, Alexandria.

Alexandrie, urbs Poloniæ, Alexandria.

Alexandrow, oppid. Poloniæ, Alexandrovium.

Alsaques vel Alsais, urbs Mauritaniæ maritima, Ruspæ.

Alsaqui, nomen Sacerdotum Turcicorum.

Alsen, vicus Brabantiæ, in diœcesi Andoverpensi, Alsihemum.

Alsen, vide Alphen.

Alfeldt, oppid. Germaniæ, Alfelda.

Alfidena, oppid. Aprutii, Aufidena.

Alford, oppid. Angliæ, Alfordia.

Alfrangues, populi Europæ, Europæi.

Alfreton, oppid. Angliæ, Alfertonium.

Algarria, provinc. Castellæ, Algarria.

Algarve, regio Hispaniæ, ubi Turdetani populi, Algarbia.

Alger, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Iol, Iulia Cæsarea, meliùs Rusucurum aliis.

Alger, urbs Mauritaniæ, Rusucurium, Algerium.

Algezira, urbs Andaluziæ, Cartheia, vel Carteia.

Algher & Alghier, urbs Sardiniæ maritima, Algarium, Tarras. Corax aliis.

Algonquins, populi novæ Franciæ, Algonquii.

Algoew, tractus Sueviæ, ubi Calucones, Suanetes, populi, Algea & Algovia, Item Almangovia aliis.

Algona, oppid. Istriæ, Alvum, Alvona.

Alhabas, provinc. Africæ, Æthiopia.

Alhabib, insula Æthiopiæ, Meroe.

Alhama, urbs regni Granatensis, Artigi.

Al[illegible]Hilet, desertum Arabiæ, Sin.

Alibaluch, insula maris Caspii, Alibaluchia.

Alicante, Valentiæ regni urbs, Alone. Illici aliis.

Alicata, urbs Siciliæ, Gela.

Alicudie, insula Siciliæ, Phœnicusa.

Alicur, insula Siciliæ, Ericusa.

Aliduli, regio Mesopotamiæ, Anthemusia.

Alier, vide Allier.

le bec d'Alier, locus ad Elaveris & Ligeris confluentes, in Gallia, Rostrum Elaveris.

Alibermont, locus Galliæ, in Caletis, Alacris Mons.

Aliola, insula maris Æthiopici, Aliadora.

Alise, Mandubiorum urbs Burgundiæ excisa, Alesia, Alexia.

Aljubarote, vicus Portugalliæ, Aljubarota.

Alix, nomen mulieris, Adelais, vel Adelheida.

Alixe, vide Alise.

Alkebulan, quarta pars orbis, Africa.

Alla, oppid. tractus Tridentini, Alla.

Alla, fluv. Poloniæ, Alla.

Allatur, urbs Moscoviæ, Allatura.

Allaway, oppid. Angliæ, Alauna.

Allemagne, regio Europæ, Germania.

Allendorf, urbecula Germaniæ, Allendorfia.

Allerburg, oppid. Prussiæ, Allerburgum.

Allerton, oppid. Angliæ, Cataractonium vel Caturractonium.

Allex, vel Alais, oppid. Galliæ, in diœcesi Nemausensi, Alesium.

Alli, locus Belgii, ad Saram fluv. Alliacum.

Allier, fluv. Borbonii, Elaver.

Allvie, vicus Galliæ, in Carnutibus, Avallocium, seu Alogia.

Almacaron, oppid. Hispaniæ, Almacara.

Almada, oppid. Lusitaniæ, Cetobrix, Cetobrita.

Almadag, mons Galatiæ, Stella.

Almagro, oppid. Hispaniæ, Almagrum.

Almaguer, oppid. Americæ meridionalis, Almagrum.

Almaz, oppid. Hungariæ, Alisca, Anamascia, Amantia.

Almazan, oppid. Hispaniæ, Almazanum.

Alme, amnis Germaniæ, Aliso.

Almeda, oppidul. Hispaniæ, Asena.

Almenara, (vel Byrsa arx) urbs Africæ, Carthago.

Almendralejo, oppid. Hispaniæ, Almendralegium.

Almenesches, locus Galliæ, ad Olinam fluv. Almanisciæ.

Almeria & Villa Rica, oppid. novæ Hispaniæ, Almeria.

Almeria, urbs regni Granatensis, Portus magnus.

Almerin, oppidul. Portugalliæ, Almerinum.

Almidis & Almydis, oppid. Thraciæ, Almedessus, Halmydissus.

Almina, mons Mauritaniæ Tingitanæ, Abyla.

Almiro, vide Armiro.

Almissa, oppid. Dalmatiæ, Del[illegible]ium. Aliis Peguntium.

Almisla, mons Chii insulæ, Arvisius.

Almonacid, urbs Castellæ, Reccopolis nova.

Almondbury, oppid. Angliæ, Camulodunum.

Almouchiquois, populi novæ Franciæ, Almochiqui.

Almourol, oppid. Portugalliæ, Moro.

Almstad, oppid. Sueciæ, Almostadium.

Almudenar, oppid. Aragoniæ, Burtina.

Almudevar, oppid. Aragoniæ, Burtina.

Almunna, oppid. Aragoniæ, Nertobriga.

Almuneccar, populi & oppid. Granatensis regni, Exitani, Hexi, Sex.

Alne, fluv. Angliæ, Alaunus, Halænus.

Alne, pagus Hannoniæ, Alna.

Alnewick, oppid. Angliæ, Alnevicum.

Aload, fluv. Ægypti, Nilus.

Alomaton, locus Bospori Thracii, Sosthenium, Michaelium.

Alora, pagus Catalauniæ, Illuro.

Alost seu Aelst, oppid. Flandriæ, Alostum.

Alota, oppid. Corsicæ, Aluca.

Alpalhano, oppid. Portugalliæ, Fraxinum.

Alpen & Vipen, oppid. Clivensis Ducatus, Tricesima legio, Vipia legio xxx, Castra Vipia.

Alpenach, vicus in Helvetiis, Alponacum.

Alphen, pagus Hollandiæ, Albiniana vel Albaniana castra.

l'Alpi, montes Italiæ, Alpes.

Alpi di S. Pelegrino, mons Italiæ, Letus.

Alpon vecchio, fluv. agri Veronensis, Alpinus.

les Alpujares, montes Hispaniæ, Alpuxaræ.

Alre, fluv. Germaniæ, Alera.

Alresford, oppid. Angliæ, Alresfordia.

Als, fluv. Lucemburgensis Ducatus, Alisuntia.

Alsace & Elsas, Item Aussoys, vel Aussay, provincia Germaniæ, Alsatia.

Alsen, insula Daniæ, locus Elysiorum populorum.

Alsen, insula Daniæ, Alsena.

Alsidonia, oppid. Hetruriæ, Cosa vel Cossa.

Alsitz, aliàs Alsat fluv. agri Mettensis, in Suram se exonerans, Alisontia.

Alsitz, vide Als.

Alsois, pars Burgundiæ, ubi olim Mandubii populi & Alesia oppid.

Alsone, oppid. Galliæ Narbonensis, Alsona.

Alster, fluviolus Germaniæ, Alstera.

Alswangen, oppid. Livoniæ, Alsvanga.

Alt, fluviolus Angliæ, Alta.

Altai, mons Scythiæ, Altai aliis, Imaus.

Altamura, oppid. territorii Barensis, Altus murus, Petilia.

Altamura, portus Peloponnesi, Minoa.

Altdorff & Altörff, oppid Helvetiæ, ubi Taurisci populi, Uria Altdorfium aliis.

die Alte Statt, vicus Belgii, Altostate.

Alterola, pagus Liguriæ, Antilia.

Altelia, oppid. Italiæ, Altilia.

Altemberg, oppid. Transylvaniæ, Altemberga.

Altemura, oppid. Cretæ, Minoa.

Alten, fluv. Norvegiæ, Alta

Altenbourg, oppid. Germaniæ, Aldenburgum.

Altenburg, pagus Bavariæ, Attila.

Altenburg, oppid. Hungariæ, Flexum, aliis Altenburgum.

Altenhofen, oppid. Caratarum populorum in Austria, & Vacorium, oppid. Carinthiæ, Arrianum, Vetus curia.

Alterdochan, pagus Portugalliæ, Elteri.

Altib, fluv. Daciæ. Aluta.

Altino, urbs maritima Marchiæ Tarvisinæ excisa, Altinum.

Altmul, fluv. Germaniæ, Alemannus.

Altobosco, urbs Ioniæ maritima, Colophon.

Alt Ofen, oppid. Hungariæ, Herculia, Buda vetus, Sicambria.

Altomonte, oppid. Hetruriæ, Balbia.

Altomonte, oppid. Italiæ, Altomontium.

Alton, oppid. Angliæ, Altonium.

Altorf, oppid. Germaniæ, Altorfia.

Altorf, pagus Sueviæ, Vimania

Altringham, oppid. Angliç, Altringanum.

Altrip, oppid. Germaniæ superioris. Alta ripa.

Altrip, locus Palatinatus, ad Rhenum, Alta Ripa.

Altrune, sagarum quoddam genus, in vetere Germania, Astrinia.

Altsol, oppid. Hungariæ, Altisolia.

Altzheim, oppid. Germaniç, Aliso.

Alva de Tormes, oppid. Hispaniç, Alba.

Aluata, fluv. Daciæ, Aluta.

Alverton, oppid. Angliæ, Alvertonia.

Alvidona, oppid. Calabriæ, Leutarnia.

Alvie, locus Galliæ, in Pertico Goëti, Avallocium.

Aluvay, oppid. Scotiç, Aluva.

Alymite, vide Palymite.

Alyne, lacus Hiberniæ, Alineus.

Alzato, oppid. Ducatus Mediolanensis, Alsiatum.

Alzeim, oppid. Germaniç, Alzaa.

Alzete, urbs Palæstinæ, Azotus.

Alzia, pagus territorii Mediolanensis, Alsiatum, Alciatum.

Alzira, oppid. Valentiæ regni, Setabicula.

Amacaches, populi Brasiliæ, Amacaxi.

Amacusa, insula Iaponiç, Amacusa.

Amadabath, urbs Indiæ citerioris, Armadabatum.

Amager & Amac, insula maris Baltici, Amagria.

Amaguana, insula Americæ septentrionalis, Amaguana.

Amalfi, urbs regni Neapolitani, Amalphis.

Aman, urbs Syriç, Apamea, Epiphania.

Aman, portus Mauritaniæ, Mysocaras.

Amana, insula Americæ septentrionalis, Amana.

Amançe, oppid. Lotharingiæ, Aimentia, Almantia, Amantia.

S. Amand, locus Belgii, in diœcesi Tornacensi, S. Amandi Cella.

Amandaune, fluv. Indiæ, Namados.

S. Amans, oppid, Galliæ, in Convenis, S. Amantii.

Amansisirdim, urbs Arabiæ Felicis, Carna, aliis Carman.

l'Amanthea, urbs Calabriæ citerioris, Amantia.

Amanza, vide Capo di Amance.

Amapaia, provinc. novæ Andalusiæ, Amapaia.

Amara, vide Monte Amara.

Amara, mons Æthiopiæ, Pylæ, Pylei, Amara aliis.

Amarante, oppid. Portugalliæ, Amaranthus, Araducta.

Amargo, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Tocolosida.

Amarmochdy, oppid. Æthiopiæ, Amarmochdum.

Amarumaya, fluv. Americæ meridionalis, Amarumaia.

Amasen, oppid. Nigritiæ, Amasenum,

Amasia, urbs Cappadociæ, Cappadociæ pars, & Amasea.

l'Amasse, fluv. Galliæ, in Turonibus, Amatissa.

Amatique seu S. Thomas, urbs Americæ in nova Hispania, Amatica.

Amatitue, fluv. novæ Hispaniæ, Amatituens.

Amato, fluv. Calabriæ, Amatius.

Amatrice, oppid. Aprutii, Amantrice.

Amaya, oppid. regni Legionensis, Aregia.

Ambadare, urbs Æthiopiæ, Ambadara.

l'Amballe, oppid. Britanniæ minoris, ubi Ambiliates populi, meliùs Lamballe.

Amber, fluv. Bavariæ, Ambro, Ambra, & Amber.

Amberg, urbs Palatinatus superioris, Amberga, Cantiæbis.

Bec d'Ambés, locus Galliæ, ad Duranii & Garumnæ confluentes.

Ambiam, urbs Æthiopiæ, Ambianum.

Ambiancativa, urbs Æthiopiæ, Ambiancativa.

Ambie, oppid. Britanniæ minoris, ubi Ambibarii populi.

Ambierte, locus Galliæ, Amberta.

Amblef, fluv. Belgii, in Urtam effluens, Amblava. Vide & infrà in voce Ambleve.
Ambliteul, locus in Morinis. Ambletclium, olim Anficat, aut Amfleot.
Ambleve, fluv. Ducatus Lucemburgensis, Amblavia.
Ambly, castrum Galliæ, in agro Remensi, Amblidum.
Ambohistmenes, populi Madagascariæ, Ambohitimeni.
Amboina, insula maris Indici, Amboina.
Amboise, urbs Galliæ, Ambacia.
Ambon, insula Indiæ, una Sindarum.
Ambote, oppid. Poloniæ, Ambota.
Amboule, provincia Madagascariæ insulæ, Ambola.
Ambournay, Monasterium Galliæ, apud Bugesios, in diœcesi Lugdunensi, Ambroniacum.
Ambrachia, urbs Epiri, Ambracia.
Ambres, locus Galliæ, in Volcis Arecomicis, Ambrussum vel Ambrusium.
Ambresbury, pagus Angliæ, Ambrosii mons, Ambrosia.
Ambrisi, fluv. Africæ, Ambrisius.
S. Ambrois sur Arnon, locus Galliæ in Biturigibus, Ernodorum olim, nunc ad S. Ambrosium.
Ambrun, urbs Delphinatus, ubi Ambrones populi, Ebredunum.
Ambuleio, castrum Venetiæ, Mamboleium.
Amcopetz Hokel, mons Islandiæ, Amcopeltum.
Amezara, urbs Syriæ, Palmira.
Amel, regnum Africæ, Amel.
Ameland, insula maris Germanici, Amelandia.
Amelandt, insula Frisiæ occidentalis, Fosete.
Amelia, urbs Umbriæ, Ameria.
Amelsfeld, campus vel regio Serviæ juxta Danubium, Cosobus, Cassovius, & Campus Merulæ.
Amendolara, oppid. Calabriæ maritimum, Heraclea, Amigdalaria.
Amendolia, oppid. Calabriæ ulterioris, Peripolis.
Ameren, Insula maris Baltici, Austrania.
Ameren, insula maris Germanici, Glessaria.
America, orbis novus occidentalis, Atlantis.
Amerique, quarta orbis pars, America & Novus Orbis.
Amersford, urbs Belgii, Amersfordia.
Amfora, fluviolus Forojuliensis provinciæ, Amphora.
Amid, urbs Paphlagoniæ maritima, Amisus.
Amid, vide Hemit.
Amienois, populi Galliæ, in Picardia, Ambiani.
l'Amienois, tractus Galliæ, in Picardia, Ambianensis ager.
l'Amienois, pagus Galliæ, in Picardia, Ambianum vel Ambianensis.
Amiens, urbs Picardiæ, ubi Ambiani populi, & Ambianum, Samarobrina.
Aminel, oppid. Africæ, Aminelia.
Amircapi, vide Demircapi.
Amista, vide Almista.
Amititan, lacus novæ Hispaniæ, Amititanus.
Amixocores, populi Brasiliæ, Amixocori.
Am Lug, pagus Tirolensis Comitatus, Vipitenum.
Ammam, Item Land-Ammam, nomen annui Magistratus in Helvetia.
Ammerzée, lacus Bavariæ, Ammer.
Amo, fluv. Scythiæ Asiaticæ, Polytimetos.
Amonde, fluv. Scotiæ, Almon.
l'Amone, fluv. Æmiliæ, Anemo.
Amorbach, urbs Franconiæ, Amorbachium.
Temple d'Amour, vicus Galliæ in Lemovicibus, Fanum Amoris.
Ampatres, populi Madagascariæ insulæ, Ampatri.
Ampela, oppid & promontor. Cretæ, Ampelus.
Amper, pagus Bavariæ, Ambra.
Ampilly le se., villa Galliæ, Ampeliacum.
Amposta, oppidul. Cataloniæ, Adeda.
Ampugnana, oppid. Corsicæ, Ampuniana.
Ampurias, oppid. Catalauniæ maritimum, Emporia.
Ampus, vel Ampuce, villa Galliæ, Ampucius.
Amroms, insula Daniæ, Amron.
Amserfeld, vide Amelsfeld.
Amstel, fluviolus Hollandiæ, Amstela.
Amsterdam, insula maris Glacialis, Amsterodamum.
Amsterdam, insula maris Indici, Amsterodamum.
Amsterdam, insula maris Pacifici, Amsterodamum.
Amsterdam, insula maris Sinici, Amsterodamum.
Amsterdam, urbs Hollandiæ, Amsterodamum.
Amus, lacus Tartariæ, Amus.
Amurgo, vide Murgo.
Amuzon, urbs Cariæ, Amyzon.
Amy, montes Indiæ, Dædali.
Anachimoussi, populi Madagascariæ Insulæ, Anachimosi.
Anacuses, populi Brasiliæ, Anacusi.
Anaduole, regio Asiæ, Armenia minor.
Anaghelone, oppid. Hiberniæ, Anagelum.
Anagni, urbs Latii, Anagnia.
Anan, fluv. Scotiæ meridionalis, Anandus.
Anan, oppid. Scotiæ, Ananum.
Anandal, provinc. Scotiæ, Anandia.
Anapadore, vide Anpadore.
Anapo, fluv. Siciliæ, Anapus.
Anapuia, provinc. Americæ meridionalis, Anapuia.
Anaquito, campus Peruviæ, Anaquitus.
Anatolaidag, mons Mysiæ Asiaticæ, Olympus.
Anatolia, pars Asiæ minoris, & Asia minor, Anatolicum Thema.
Anatoria, urbs Bœotiæ, Tanagra.
Anazzo, urbs Apuliæ excisa, Egnatia.
Ancamares, populi Americæ meridionalis, Ancamari.
Ancara, vide Angara.
Ancaster, oppid. Angliæ, Crococalana vel Crorolana.
Ancenis. oppid. Galliæ, ubi Amnitæ populi, Ancenisum, seu Andenisium.
Anchialo, urbs Thraciæ, Anchialus.
Anchisa, mons Mauritaniæ Tingitanæ, Atlas major.
Anchora, oppid. Peloponnesi, Asine.
Ancium Fu, urbs Sinatum, Anciuma.
Anclam, urbs Pomeraniæ, Anclamum.
Ancona, urbs Marchiæ Anconitanæ, Ancon.
Anconitan, mons Cariæ, Phœnix.
Ancre, oppid. Picardiæ. Ancora.
Ancud, provinc. regni Chiles, Ancudia.
Ancy le Franc, locus Galliæ in agro Ternodorensi, Anciacum.
Anczakrich, fluv. Podoliæ. Anczacricus.
Andaguailas, populi Peruviæ, Andaguli.
Andaluzia, pars Hispaniæ Bæticæ, ubi Bastuli populi, Vandalitia.
Andanagar, urbs Indiæ citerioris, Andanagarium.
Andance, oppid. Galliæ Narbonensis, Andaia.
Andaye, burgus Aquitaniæ, Andaya.
Andelle, fluv. Galliæ, in Veliocassibus, Indella.
Andelot, oppid. Campaniæ Gallicæ in agro Bassiniaco. Andelavium.
Andely, pagus Normanniæ, Andelaus, Andeleium, vel Andeliacum.
Andemam, insula sinus Gangetici, Andeman.
Anden, locus ad Mosam, Andana.
bourg S. Andeol, ad Rhodanum, in Gallia, Burgus S. Andeoli.
Ander Thur, pagus Hetruriæ, Adfines.
Andernach, oppid. Germaniæ, Antenacum, Anturnacum.
Andernopoli, urbs Thraciæ, Adrianopolis, Hadrianopolis.
Andes, mons Americæ, Sepher.
les Andes, montes Americæ meridionalis, Andes.
Andiatoroque, lacus novæ Franciæ, Andiatorocus.
Andilly, & Andely, vicus Galliæ, in agro Parisiensi. Item locus, in Veliocassibus, Andeliacum.
Andio, Insula maris Britannici, Andium vel Angia.
Andorre, Vallis Cataloniæ, Andorra.
Andra, fluv. Guineæ, Andra.
Andragiri, urbs Asiæ, Andragira.
Andre, locus Galliæ, cum Monasterio, in Comitatu Gisnensi, Anderna vel Andria.
Andres, urbs Galatiæ, Androsia.
Andreswaldt, sylva Angliæ, Danica sylva.
S. Andrews, urbs Scotiæ, Abernethum.
Andri vel Andria, urbs Apuliæ, Andria, Netium.
Andrinople. urbs Thraciæ, Adrianopolis.
Andro, insula maris Ægæi, Andros, Lassia.
Androsen, castrum Scotiæ, Androsa.
Anduiar, urbs Andaluziæ, Claston, aliis Illiturgis.
Anduse, urbs Occitaniæ, in diœcesi Nemausensi, Andusa.
Anduse, unus ex alveis Vardonis fluv. Andusia.
Anegray, cella Monachorum Burg. in diœcesi Vesontionensi, Anagratæ.
Anenas insula Norvegiæ, Anena.
Anet, castrum Galliæ, Anetum.
Anfe & Anafe, oppid. regni Fezzæ, Anfa.
Anfiloca, urbs Epiri, Amphilochia, Argos Amphilochium.
Anfisa, oppid. Phocidis, Amphissa.
Angamale, urbs Indiæ, Angamala.
Angara, vide Anguri.
Angedive, insula Indiæ citerioris, Angediva.
Angelen, populi Germaniæ, Suevi.
los Angeles, & puebla de los Angeles, urbs novæ Hispaniæ, Angelopolis.
Angely, vide S. Iean d'Angely.
Angeren, vide Engern.
Angermond, oppid. Germaniæ, Angeramunda.
Angermond, oppid. Pomeraniæ, ubi Angrivarii populi.
Angermund, oppid. Livoniæ, Angermunda.
Angers, urbs & populi Galliæ, Andegavum, Iuliomagus, Andes.
Angevins, populi Galliæ, Andicavi vel Andegavi, vide Angers.
Anghiera, oppid. Insubriæ, Angleria.
Angitola, oppid. Calabriæ, Angitula.
Anglesey, insula Walliæ, Mona.
Angleterre, regnum Europæ, Anglia.
Anglona, urbs excisa Lucaniæ, Anglona, Aquilonia.
Angluze, locus Galliæ in Tricassibus: item Belgii Leodio proximus, qui Angleure potiùs vocatur, Angledura.
Angluze, oppidul. Galliæ, Anglusa.
Angola, regio Africæ meridionalis, Angola.
Angote, regnum Æthiopiæ superioris, Angotinum.
Angotina, insula sinus Arabici, Ophiodes, Acanthina.
Angoulesme, urbs Aquitaniæ, Egolisma, Engolisma, Iculisma.
Angoulesme, urbs Galliæ, Engolisma.
Angoumois, provinc. Galliæ, Engolismensis.
l'Angoumois, seu l'Engoumoisin. Idem.
Angoumoisins, populi regionis Engolismensis, Engolismenses.
Angra, urbs Insulæ Tertiariæ, Angra.
Anguien, oppid. Belgii, Angia & Anghia.
Anguillara, oppid. ditionis Pontificiæ, Anguillara.
Anguillara, oppid. ditionis Venetæ, Anguillara.
l'Anguillare, Insul. Galliæ in ostio Rhodani, Anguillaria.
Anguri vel Angori, urbs Galatiæ, Ancyra.
Angusia & Anguis, regio Scotiæ, ubi Heresti, Oresti, populi. Angusia.
Anhalt, castrum Germaniæ, Anhalt.
Anholt, oppid Belgii, Anholtum.
Anian, urbs Sinarum, Aniana.
Aniava, promontor. Terræ Esonis, Aniava.
Animacha, fluv. Indiæ, Ammaca.
Anjou, regio Galliæ, ubi Andes, Andegavi, populi Andegavia.
Anici, locus Galliæ, inter Augustodunum & Decetiam, Alisincum vel Asiuncum. Item villa Galliæ, in diœcesi Laudunensi, Anisiacum.
Ankenlat populi Angliæ, Ancalites.
Anna, urbs Arabiæ, Anna.
Annaberg, urbecula Germ. Annaberga.
Annacioni, populi Brasiliæ, Annaringi.
Annecy, urbs Sabaudiæ, Annecium.
Annibi, lacus Tartariæ, Annibi.
Annobon, insula Africæ. Annobona.
Annonay, oppid. Galliæ Celticæ, Annoniacum.
Anno, oppid. Mediolanensis territorii, Anonium.
Anone, oppidul. Ducatus Mediolanensis, Anonium.
Anossi & Carcanossi, provinc. Madagascariæ, Anossia.
Anout. insula Daniæ, Anotia.
Anpadore & Arpadore, fluv. Cretæ, Catarractus.
Ansa, fluv. Forojulii, Alsa.
Anse, oppid. Galliæ, Ansa. Item Asa Paulini, vel Asa Pauli.
Anseatiques, vide villes Anseatiques.
Ansedonia, oppid. Thusciæ. Ansidona & Cosa.
Ansene, locus Galliæ, in Normannia, Andesagina.
Ansene, urbecula Ægypti, Angira.
Ansestadt, oppid. Transisalanæ, ubi Ansibarii populi.
Ansianactes, populi Madagascariæ insulæ, Ansianacti.
les Ansiquaiis, populi Æthiopiæ superioris, Ansicani.
Anslo, urbs Norvegiæ, Opslo & Ansloye, Ansloga.
Anspach, oppid. Germaniæ, Anspachium.
Antachio, urbs Syriæ, Antiochia.
Antacon, vide Lago di Antacon.
Antali, urbs Pamphyliæ, Attalia.
Antap, urbs Ciciliæ, Augusta.
Antavares, populi Madagascariæ insulæ, Antavares.
Ante, amnis Normanniæ, Anta.
Ante, oppid. Guineæ, Anta.
Antequera, urbs Andaluziæ, Anticaria, Singilia.
Antessa, urbs Lesbi insulæ, Antissa.
Antixill, oppidul. Angliæ, Antilia.
Anthios, urbs Ægypti, Antinoe.
Antibe, oppid. Provinciæ, Antipolis, aliis Athenopolis.
Antifello, urbs Lyciæ, Antiphellus.
Antignano. mons apud Neapolim, Pausilypum.
Antigoa, insula Americæ septentrionalis, Antiqua.
Antigoca, urbs Macedoniæ, Antigona.
les Antilles, insulæ Americæ septentrionalis, Antillæ.

Anti-

Antilodam, oppid. Peloponnesi, Coryne.
Antimilio, insula Archipelagi, Thera.
Antio, urbs Latii excisa, Antium.
Antiochetta, urbs Ciliciæ maritima, Antiochia.
Antiochia, urbs Americæ meridionalis, Antiochia.
Antopia, oppid. Palæstinæ, Hesron, Hasor.
Antopia, oppid. Palæstinę, Assor.
Antiparo, insula Archipelagi, Prepesinthus.
Antiscoti, insula Americæ septentrionalis, Antiscota.
Antivari, urbs Dalmatiæ, Antibarum, Dioclea, Doclea.
Antona, oppid. & portus Angliæ, Antona, Trisantonis portus.
Antorff, urbs Brabantiæ, Andoverpum.
Antra, urbs Africæ, Bulla regia
Antrain, locus Galliæ, in finibus Senonum, Interamna vel Interamnis.
Antranques, urbs Africæ, Sicca, Sicca Veneria.
Antravida, oppid. Peloponnesi, Cyllene.
Antrayges, locus Galliæ in diœcesi Vivariensi, Inter aquas.
Antrim, castrum Hiberniæ, Antrimum.
Antsianach, provinc. Madagascariæ insulæ, Antsianachia.
Antwerpen, urbs Brabantiæ, Andoverpium, Antverpia.
Anveres, Anvers, vide Antwerpen.
Anversa, urbs Brabantiæ, Andoverpum, Antverpia, Atuacutum.
Anzerma, provinc. Americæ meridionalis, Anzerma.
Anzicains, populi Africæ, Anzicani.
Anzuqui, oppid. Iaponiæ, Anzuquium.
S. Aon, vel S. Haon, locus Galliæ in pago Bellojocensi, ad S. Abendum.
Aosta, urbs Pedemontii, Augusta Prætoria.
Aouste, vel Ost, vide Aosta.
Apaches, populi Americæ septentrionalis, Apaci.
Apalaches, populi Floridę, Apalatci.
Apami, urbs Bithyniæ, Apamea.
Apamie, urbs Phrygiæ magnæ, Apamea, Cibotos, Celane.
Apante, provincia Americæ meridionalis, Apanta.
Aparia, provincia Peruviæ, Aparia.
Apea, oppid. Andaluziæ, Aspavia.
l'Appennino, mons Italiæ, Apenninus.
Apenrade, urbs Daniæ, Apenroa.
Apetous, populi Brasiliæ, Apetubæ.
Aphosiatin, portus juxta Constantinopolim, Ephesiorum portus.
Apice, oppid. regni Neapolitani, Apicium.
Apodisia, urbs Cariæ, Aphrodisias.
Apoley, urbs Thraciæ, Constantinopolis.
Apoli, Piceni urbs, Asculum.
Apollonia, promontor. Guineæ, Apollonia.
Apotevitz, oppid. Sclavoniæ, Apotevizza.
Appenzel pagus in Helvetiis, Abbatiscella.
Appleby, oppid. Angliæ in Cumbria, Aballaba, & Abellaba.
Appledore, oppid. Angliæ, Appledora.
Aprighano, vicus Calabriæ, Aprustum.
Aprio, urbs Thraciæ, Apros, Apri.
Apt, vel Apte, urbs Provinciæ, Apta Iulia.
Apuies, populi Brasiliæ, Apui.
Apurima, fluv. Peruviæ, Apurima.
Apurwaca, fluv. Guaianæ, Apurwaca.
Aqs, vide Acs.
Aqua, fluv. Bithyniæ, Calpas.
Aqua dolce, fluv. Thraciæ, Athyras, Pydara.
Aqualagna, vicus Italiæ, Aqualania.
Aqua Naval, fluv. Catalauniæ, Sicoris.
Aqua pendente, vide Acqua pendente.
Aquataccia, amnis territorii Romani, Almo.
Aquatulco, oppid. novæ Hispaniæ, Aquatulcum.
Aquaviva, castrum regni Neapolitani, Aquaviva.
Aque, oppid. Convenarum, in Gallia, Aquæ Calidæ.
Aquedotto, fluv. Romandiolæ, Vitis.
Aqui, oppid. Iaponiæ, Aquia.
Aquigires, populi Brasiliæ, Aquigira.
l'Aquila, urbs Aprutii, Aquila seu Amiternum.
Aquilar del Campo, oppid. regni Navarræ, Iuliobrica.
Aquileia, urbs Carnorum, Aquilée, Aquileia.
Aquilonda, lacus regni Congi, Aquilunda.
Aquino, urbs Latii excisa, Aquinum.
Aquisgrana, urbs Germaniæ, Aquisgranum.
Aquita, provinc. Iaponiæ, Aquita.
Aquitaine, vide Guienne
Aquila, oppid. Siciliæ, Ocula.
Ar, vide Arr.
Arabie, Arabia, Asiæ regio, Arabia.
Arable, oppid. Britanniæ minoris, ubi Aruvii populi.
Arach, provinc. Asiæ, Partiria,
Arach, urbs Arabiæ petrææ, Petra.
Aracgelaran, regio Susianæ, Melitene.
Araciol, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Aracillum.
Aracuies, populi Brasiliæ, Aracuiti.
Arad, mons Asiæ, Caucasus.
Aragon, regnum Hispaniæ, Aragonia.
Aragon, fluv. Hispaniæ, Aragonius.
Arais, fluv. Armeniæ majoris, Arasi aliis, Araxes.
Aran, insula Scotiæ, Arania.
Aranda de Duero, oppid. Castellæ veteris, Randa.
Aranios, fluv. Transylvaniæ, Aranus.
Araquil, oppid. Navarræ, Arocillum.
Arari, fluv. Brasiliæ, Ararus.
Aravacca, locus Castellæ, ubi Arevacæ populi.
Arauco, castrum regni Chiles, Arauco.
Arawiana, pagus Hispaniæ Tarraconensis, Barbarinna.
Araw, fluv. Lotharingiæ, Aravus.
Araxai, fluv. Brasiliæ, Araxaius.
Arays, urbs Mauritaniæ, Lixa.
Araz Ausen, promontor. Cyrenaicæ, Phycus.
Arbauge, locus Galliæ in Pictonibus, Arbatilicus.
Arbe, insula & urbs Liburniæ, Arba, Scardona.
Arbeca, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Vibecua.
Arberg, urbs Helvetiæ, Arolæ Mons.
Arbia, fluv. Hetruriæ, Albia.
Arbogen, urbs Sueciæ, aliis Arbo, Arboga.
Arbois, urbs Burgundiæ, Arborosa & Arbosium.
Arbon, oppid. Helvetiæ, Arbor felix.
Arbon, fluv. Peloponnesi, Asopus.
Arburg, castrum Helvetiæ fortissimum, Arolæ Burgus.
l'Arc, fluv. Provinciæ, Arcus seu Cænus.
Arc sur Til, locus Galliæ, in Lingonibus, Arcus super Tilam.
Arcachon, portus Aquitaniæ, Arcassonius.
Arcadia, regio Peloponnesi, Arcadia: & urbs ejus regionis, Arcadia.
Arcadia, urbs Peloponnesi maritima, Cyparissi, Haliartus aliis.
Arcan, oppid. Tartariæ, Arcanum.
Arcane, urbs Paphlagoniæ, Aboniteichos.
l'Arcangel, urbs Moscoviæ, Arcangelopolis.
Arcani, oppid. & fluv. Cappadociæ, Apsarus, Absarus.
Arcas, vicus Castellæ novæ, Arcabriga.
Arce, oppid Latii, Arcanum.
Arce, amnis Burgundiæ, Arsa.
Arces, urbs Cypri, Arzus, Arsinoe.
Arche, fluv. Sabaudiæ, Arca.
Archelles, viculus Galliæ, in Caletis, Arcella.
Arches, vicus Galliæ, in agro Maceriensi, ad fluv. Mosam, Arca Remorum, Frodoardo Archeja.
l'Archevesché de Mayence, in Germania, Maguntina ditio.
Archidona, oppid. Hispaniæ, Archidona.
Archidona, oppid. Peruviæ, Archidona.
Archiech, oppid. Mediæ, Orosa, Alinza.
Archipelago de Chilve, Archipelagus Chilvensis.
l'Archipelago, Ægæum mare.
l'Archipelago de S. Lazaro, pars Oceani Orientalis in Asia, Archipelagus S. Lazari.
l'Archipelague du Mexique, pars maris Borealis in America septentrionali, Archipelagus Mexicanus.
l'Archipelague du nouveau Pais-Bas, pars Oceani Borealis versus novum Belgium, Archipelagus novi Belgii.
Archis, urbs Phœniciæ, Arca.
Archisana, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Arcilacis.
Archy, oppid. Galliæ Celticæ, Arcis sur Aube, Arciaca, Artiaca.
Arci sur Aube, urbs Galliæ, Artiaca.
Arcipelago di Maldivar, inter Indiam & Æthiopiam, Anzanium mare.
Arcisate, pagus Insubriæ, ubi olim Hisarci populi.
Arck, lacus Scotiæ, Arcus.
Arckel, vide Eskelens.
Arckyrgill, castrum Scotiæ, Archirgilum.
Arclo, urbecula Hiberniæ, Arclovium.
Arco, oppid. Tridentini tractus, Arcus.
Arcobia, urbs Phrygiæ, Cercopia.
Arcos, urbs Hispaniæ Bæticæ, Arcensium colonia, Arcus, Arcobriga.
Arcos, oppid. Aragoniæ, Arci, Arcobriga.
Arcueuil, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, Arcolium.
Arcula, turris prope Constantinopolim, Damalis.
Ardacher, pagus Austriæ, Aredate.
Ardbey, oppid. Cyrenaicæ, Bryerion litus.
Ardea, oppid. Latii, Ardea.
Ardebil, urbs Persiæ, Ardebila.
Ardée, amnis Normanniæ, Ardea.
Ardée, oppid. Hiberniæ in Vltonia, Ardracum.
Ardelium, vide Erdel.
Arden, regio Syriæ, Palmyrene.
Ardenburg, oppid. Flandriæ, ubi Levaci populi.
Ardenburg, oppidul. Flandriæ, Ardenburgum.
Ardenne, vel les Ardennes, sylva ditionis Leodiensis, Arduenna.
Ardernagthead, promontor. Scotiæ, Novantum.
Ardes, regiuncula Hiberniæ, Ardesia.
Ardesche, fluv. provinciæ Vivariensis, Ardeca.
Ardiere, fluv. Galliæ, in agro Matisconensi, Arderia.
Ardila, amnis Hispaniæ, Ardila.
Ardmore, vicus Hiberniæ, Ardmora.
Ardona, oppidul. Apuliæ, Herdonia.
Ardoza, oppid. Portugalliæ, Araducta.
Ardragh, oppid. Hiberniæ, Ardracum.
Ardragh, urbecula Connachtiæ, Ardracum.
Ardres, oppid. Picardiæ, ubi olim Oromansaci populi.
Ardres, urbs Picardiæ, Ardra.
Ardriher, oppid. Scotiæ, Rerigonium.
Ardstin, fluv. Scotiæ, Ardstinus.
Ardurnes, oppid. Scotiæ, Ardurna.
Are, fluv. Angliæ, Arus.
Are, locus Sardiniæ, Sardopatris.
Aremberg, oppid. Germaniæ, Aremberga & Arebarium.
Aremuzze, oppid. Hetruriæ excisum, Ara Mutia.
Arenda, oppid. Calabriæ, Aranthe.
les Arenes, in Gallia loca dicuntur, ubi Romanorum theatra fuêre.
le cimetiere des Arenes, in Lemovicum urbe Galliæ, Cœmeterium Arenarum.
la porte des Arenes, in eadem urbe, Porta Arenarum.
Arensberg, urbs Westphaliæ, Arensberga.
Arensberg, oppid. Eyfaliæ, Areburium.
Arensualde, oppid. Germaniæ, Arensualda.
Arequipa, urbs Peruviæ, Arequipa.
Aresgol, urbs Mauritaniæ maritima, & fluvius, Siga.
Aresque, vide Arais.
Aresinga, insula Carmaniæ, Liba.
Arevalo, oppid. Castellæ veteris olim, Arevacarum.
Areuna, mons Ciliciæ, Amanus.
Arexil, vide Arraiola.
Arezibo, oppid. Americæ septentrionalis, Arezibum.
Arezzo, urbs Hetruriæ, Aretium.
Arg, fluv. Sueviæ, Argus.
Arga, fluv. Guipuscoæ, Aragus.
Arganda, oppid. Castellæ, ubi Varcilienses populi.
Argent, fluv. Provinciæ, Argenteus, aliis Argens.
Argenta, burgus Ducatus Ferrariensis, Argentia.
Argentan, oppid. Normanniæ, Argantomagum, Argentomagum.
Argentar, vide Capo Argentar.
Argentat, locus Galliæ in Aquitania, Argentadum.
Argenteuil, oppid. Galliæ in agro Parisino, Argentolium.
Argentina, urbs Alsatiæ, Strasburg.
Argentine, vide Argenton.
Argento, fluv. Macedoniæ juxta Dyrrachium, Viuleus.
Argenton, oppid. Biturigum, Argantomagum.
Argenton, fluv. Provinciæ, Argenteus, vel Argentarius.
Argenton l'Eglise, castrum Galliæ, in confinio Andicavorum & Pictonum, Argento, vel Argentonium.
Argile, regio Scotiæ, ubi Canovaci populi, Argathelia & Argadia.
Argilly, oppid. Galliæ, Argillaria.
Argin, insula maris Atlantici, Cerne.
Argiro castro, urbs Epiri, Antigonia.
Argis, palus Mediæ, Mantiana.
Argisch, oppid. Valachiæ, Argidava.
Argitti, insula Scotiæ, una Ebudarum, Ricina.
Arglas, urbs Hiberniæ, Voluntium, aliis Argla.
Argo, urbs Peloponnesi, Argi, Argos.
Argonne, tractus Campaniæ Gallicæ, Argonna.
Argouille, vicus Galliæ, in Picardia, Adlullia.
Arguenon, fluv. Britanniæ minoris, Argenus.
Arguin, castrum Nigritiæ, Arguinum.
Arhon, fluv. Peloponnesi, Asopus.
Arhusen, urbs Daniæ, Arhusia.
Ariano, oppid. Ducatus Ferrariensis, Arianum.
Ariano, urbs regni Neapolitani, Arianum, Equotuticum.
Arias, vicus Galliæ, Arisitum.
Arica, oppid. Peruviæ, Arica.
Aricanda, oppid. Galatiæ, Moson.
l'Ariccia, oppid. Latii, Aricia.
l'Ariege, fluv. Galliæ in Occitania, Aresa, Arigia & Alburacis.
Ariel, fluv. Tartariæ minoris, Ariel.
Arignano, oppid. Hetruriæ, Ariniamum.
Arima, urbecula Iaponiæ, Arima.
Arimoa, insula Asiæ, Arimoa.
Arimoa Eylandt, insula in mari Indico, Arimoa.
Arjona, oppid. Andaluziæ, Aurigia, Alba Virgaonensis, Virgavonense municipium.
l'Arizza, vide l'Ariccia.

Arkel, vide Erkelens.
Arky, oppid. Hungariæ, Archium.
Arlanzon, fluv. Castellæ veteris, Areva.
Arles, urbs Provinciæ, Arelas, Arelate.
Arleux, oppidul. Arthesiæ, Arnusium.
Arley, castellum in Sequanis, Arlatum.
Arlon, urbs Lucemburgensis Ducatus, Orolaunum.
Arma, provinc. Americæ meridionalis, Arma.
Armagh, urbs Hiberniæ, Ardmacha, Armacha.
Armalnac, in Aquitania, Arminiacensis tractus.
Armance, fluv. Galliæ, Armancia, vel Almantia.
l'Armançon, vel l'Armençon, fluv. Galliæ in agro Alesiensi, Hormentio.
Armanoith, provinc. Scotiæ, Armanothia.
Armanson, vel l'Armençon, fluv. Burgundiæ, Armentio.
Armenidag, mons Bithyniæ, Hyppius.
Armening, urbs Armeniæ, Artemudita, Artemitta.
Armenna, oppid. Lusitaniæ excisum, Medobriga.
Armentiers, oppid. Flandriæ, Armentaria.
Armenza, urbs Hispaniæ Tarraconensis, Armentia.
Armignac, regio Aquitaniæ, ubi Arecomici populi, Aremorica.
Armilon, urbs Tauricæ, Theodosia.
Arminacha, urbs Asiæ. Aliis Cybistra, urbs Armeniæ minoris, Comana Cappadociæ.
Armiro, urbs Thessaliæ, Larissa. Aliis Pegasa, Argose
Armiro, fluv. Cretæ, Armerus.
Armoa, fluv. Arcadiæ, Amarynthus.
Armuyden, oppid. Zeelandiæ, Arnemuda seu Ramua.
Arnano, oppid. Guipuscoæ, Argenamescum.
Arnay le Duc, oppid. Burgundiæ, Arnacum Ducium.
Arne, fluv. Galliæ, in ditione Remensi, in Supiam effluens, Harna, vel Arna.
Arneburg, oppid. Germaniæ, Arneburgum.
Arnedo, oppid. Peruviæ, Arnedum.
Arnhem, urbs Geldriæ, Arenacum, Herenatium.
Arnhusen, urbecula Pomeraniæ, Arnhusia.
Arnish, castrum Vltoniæ, Arnisium.
Arno, fluv. Hetruriæ, Arnus.
Arnon, fluv. Galliæ, in Biturigibus, Erno.
Arnouville, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Ermenovilla.
Arnsburg, oppid. Osiliæ insulæ, Arensburgum.
Arnsburg, arx Daniæ, Aquilaeburgum.
Arnstadt, oppid. Thuringiæ, Arnostadium.
Arocella, oppid. Calabriæ ulterioris, Amphissia.
Arache, oppid. Portugalliæ, Aruci.
Aroe, insula Daniæ, Aroa.
Aroer, urbs Arabiæ petrææ, Areopolis, Moab.
Aromaia, provincia novæ Vandalitiæ, Aromaia.
Arona, oppid. Insubriæ, Arona.
Aronches, oppid. Portugalliæ, Arunci.
Aronde, fluv. Galliæ, Arona.
Arondel, oppid. Angliæ, Aruntina.
Arone, vide Larone.
Arool, urbs Moscoviæ, Arola.
Arosen, urbs Sueciæ, Arosia.
Arosen seu Westeras, urbs Sueciæ, Arosia.
Arou, fluv. Galliæ, in agro Augustodunensi, Arotius.
Arouaage, vel Arouaise, regiuncula Galliæ, Bapalmis proxima, Arvatia, vel Aridagamantia.
Arouca, pagus Portugalliæ, Araducta.
Arouu, urbs Helvetiæ, in ditione Bernensi, Arovium.
Aroy, fluv. novæ Vandalitiæ, Arcius.
Arpaja, oppid. Hirpinorum dirutum, Caudium, & Harpadium.
Arpaterro, mons Hungariæ, Almus.
Arpino, oppid. Latii, Arpinum.
Arq, fluv. Galliæ, Canus.
Arqua, oppid. Venetiæ, Arqua.
Arqua, vicus Liguriæ, Arcuatum.
Arquata, oppid. Marchiæ Anconitanæ, Arquata.
des Arquebuzades, nomen fontis in Benearnia.
Arques, vel Arca Caletorum, vicus Normanniæ, Arca.
Arques, vicus Barrensis Ducatus, Arqua.
la forest d'Arque, in Caletis Galliæ, Silva Arcensis.
Arr, fluv. Helvetiorum, Arola, Ar…
Arrabida, oppid. Lusitaniæ, Arabriga.
Arrades, urbs Africæ, Quina.
Arrajola, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Aracillum.
Arrajolas, pagus Portugalliæ, Calantica.
Arran, insula Scotiæ, Glota.
Arras, urbs Artesiæ, ubi Atrebates populi, Origiacum. Item Atrebatum & Nemetocerna.
Arre, fluv. Angliæ, Arro.
Arren, insula Daniæ, Aria.
Arriana, urbs Africæ, Abditana.
Arrois, castrum Mulæ insulæ, Arroium.
Arroux, fluv. Burgundiæ, Adrus, Isius, Hosrus, nunc Arrosius.

Arrya, Gorriaga, oppid. Hispaniæ, Padura.
Ars, fluv. Galliæ, Florius, Vir, Sars.
Arsa, oppid. Hungariæ, Arsatianum.
Arsá, fluv. Histriæ, Arsia.
Arsago, pagus Insubriæ, Ara Cæsaris.
l'Arsat, pagus Galliæ in Rutenis, Arisitum.
Arschot, oppid. Brabantiæ, Ariscotium.
Arseron, regio inter Syriam & Arabiam, Hus.
Arsid, oppid. Palæstinæ, Assur.
Arsine, fluv. Lappiæ, Arsinus.
Arsingan, urbs Armeniæ minoris, Dascusa, aliis Aziris.
Arsinoe, civitas ad sinum Arabicum, Epitheria.
Arsori, castrum Ducatus Lucemburgici, Oralaunum.
Arsusso, insula maris Syrii, Paria.
Arsuso, urbs Palæstinæ, Ioppe.
Arsur, vide Assur.
Arsy, vide Archy.
l'Arta, urbs Epiri, Ambracia.
Artaie, locus Hispaniæ excisus, Ortana.
Artana, oppid. Navarræ ruinatum, Ortana.
Artenay, vicus Galliæ in sylva Aurelianensi, Artenayum.
les Artesiens, populi Belgii, Atrebates.
Artegna, castrum Foro-Julii, Artinia.
Artinia, regio Græciæ, Ætolia.
Artisino, fluv. Siciliæ, Hereus.
Artois, regio Belgii, Artesia, ubi populi Atrebates.
Artonne, vicus Galliæ, in Arvenis, Artonna.
Artzberg, pagus Bavariæ, Artobriga.
Aru, oppid. Sumatræ insulæ, Arus.
Aru, insula Asiæ in Moluccis, Arva.
Arva, oppid. Hungariæ, Arva.
Arvangen, oppid. Helvetiæ, in ditione Bernensi, Arvangia.
Arvas, locus Hispaniæ, ubi Forum Narbasorum, Narbasi populi & montes.
Arve, fluv. Sabaudiæ, Arva.
Arvinata, urbs Dalmatiæ, Salo.
Arun, fluv. Angliæ, Hamela.
Arunar fiord, sinus Islandiæ, Arunarius.
Arvon, oppid. Walliæ, Armone, Arvone.
Aruvacques, populi Caribanæ, Aruvacca.
Aryes, populi Brasiliæ, Ari.
Arzen, vide Arzerum.
Arzenara, vide Arzentara.
Arzentara, insula maris Ægæi, Prepesinthus.
Arzerum, urbs Armeniæ majoris, Arziris, Aziris.
Arzerum, provincia Asiæ, Assyria.
Arzerun, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Arsinaria.
Arzes, vide Arces.
Arzichan, urbs Armeniæ minoris, Aziris.
Arzila urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Zilia, Zelis, aliis Arzila.
Arzita, oppid. Mauritaniæ, Xilia.
Arzua, oppid. Lusitaniæ, Araduca.
A…baba, fluv. Thessaliæ, Peneus.
Asburg, oppid. Germaniæ excisum, Asciburgium.
Asburton, oppid. Angliæ, Asburtonium.
Asc…ia, castrum Germaniæ, Ascania.
Ascension, insula in ora Brasiliæ, Ascensio.
Ascerade, oppidul. Livoniæ, Ascerada.
Aschafenbourg, oppid. Franconiæ, Aschafenburgum & Asciburgium.
Aschelburg, urbs Germaniæ, Asciburgium.
Ascherleben, urbecula Saxo…, Ascherleba.
Ascherne, urbecula Hiberniæ, Askerna.
Aschetem, provinc. Hiberniæ, Askerna.
Ascisi, vide Assisi.
Ascoli, urbs Piceni, Asculum.
Ascoli di Satriano, urbs Apuliæ, Asculum Apulum.
Ascoytia, oppidul. Ipuscoæ, Ascotia.
Asded, urbs Palæstinæ, Azotus.
Asebin, urbs Mesopotamiæ, Antiochia, Nisibis.
Asenaga, regio Libyæ, ubi Pharusii populi.
Ashford, oppid. Angliæ, Ashfordia.
Ashwel, oppid. Angliæ, Magiovintum.
Asi, mons Umbriæ, Asius.
Asie, Asia, una ex quatuor orbis partibus, Asia.
Asinara, insula Sardiniæ, Diabate, Herculis insula.
Asinello, fluv. Aprutii, Trinium.
le mas d'Asil, mo…sterium Galliæ, in agro Tholosano, Asilum.
Aslogen, urbs Norvegiæ, Asloa.
Asmere, urbs Indiæ, Asmera.
Asna, urbs Ægypti, Syene.
Asnan, urbs Ægypti, Metacompso, Tachompso.
Asnieres, vicus Galliæ, in agro Parisino, Asinaria.
Asola, oppid. agri Brixiani, Asola.
Asolo, oppid. Marciæ Tarvisinæ, Acelum.
Asolo, oppid. Marchiæ Tarvisinæ, Asulum.
Asope, oppid. Græciæ, Anaplistus.

Asoph, urbs Sarmatiæ, Tanais.
Asope, fluv. Bœotiæ & Thessaliæ, Asopus.
Asoro, oppid. Siciliæ, Assorus.
Aspa, oppid. Aquitaniæ, Aspaluca.
Aspaham & Hispaham, urbs Persidis, Aspahanum.
Aspe, oppid. Valentiæ, Jaspis.
Aspe Viejo, oppid. regni Valentiæ, Aspis.
Aspe, amniculus Benearnensis, Aspa.
la vallee d'Aspe, vallis ad fluv. prædictum, Aspalucensis vallis.
Asperosa, urbs Thraciæ, Abdera.
Aspida, urbs Sinarum, Aspithra.
Aspido, amnis Italiæ in Marchia Anconitana, Asis.
Aspra, pagus Umbriæ, Casperia.
Aspremont, tractus Rhætiæ, ubi Rhucantii populi.
Aspri, fluv. Epiri, Achelous.
Aspro, fluv. Macedoniæ, Apsus.
Aspropiti, oppid, Achaiæ, Chalcos, aliis oppid. Phocidis maritimum, Cyrrha.
Aspropotamo, fluv. Epiri, Achelous.
Asrach, oppid. …variæ, Io…cum.
Assadib, regio Africæ, Cyrenaica.
Assanchef, urbs Mesopotamiæ, Scaphe.
Assas, populi Guineæ, Assa.
Assé, vel Essay, castrum Galliæ, in Pertico, Axium.
Assenta, fluv. Liguriæ, Merula.
Assera, oppid. Macedoniæ, Asserus.
As Sete irmaõs, Insula septem Fratrum.
Asse le Basme, Item Asse le Hiboussé, & S. Jean l'Asse, castellum Galliæ in Pertico, Axejum.
Asserim, castrum ditionis Magni Mogolis, Asserimum.
Assin, fluv. Scotiæ, Itys.
Assinshire, regio Scotiæ, ubi Cerones populi.
Assinshire, Comitatus Scotiæ, Assinus.
Assisi, urbs Umbriæ, Assisium, Asisium.
Asso, urbs Mengreliæ, Sarium.
l'Assomption, urbs Paraguaiæ regionis, Assumptio.
Assoro, oppid. Siciliæ, Assorus, & fluv. Chrysas.
Assur, urbs Palæstinæ, Antipatris, Assur.
Asta, urbs Indiæ citerioris, Asta.
Asta, urbs Andaluziæ excita, Asta.
Asta, fluv. Asturum, Asturia.
Astachar, urbs Persiæ, Allacora.
Astaco, oppid. Doridis, Buon, Astacus.
Astago, urbs Æthiopiæ inferioris, Astagoa.
Astarac, tractus Vasconiæ, Astaracensis.
Astarbil, oppid. Catalauniæ, Setelsis.
Astat, oppid. Islandiæ, Astatum.
Astepa, vide Estepa.
Asterabath, regio Persidis, Asterabatia.
Astetlan, provinc. novi Mexici, Astetlania.
Asti, urbs Liguriæ, Asta Pompeja.
Astora, oppid. Latii excisum, Astura.
Astora, vide Estora.
Astorga, urbs Hispaniæ Tarraconensis, Astura Augusta.
fons Astorgue, fluv. Provinciæ, Ilrga.
Astrachan, urbs Tartariæ sub Moscis, Astrachanum.
Astriadi, populi Hyrcaniæ, Astabeni.
Astruno, fons juxta Neapolim, Oranus.
Astura, fluv. Latii, Austra.
Asturia, provinc. Hispaniæ, Asturia.
las Asturias, populi & regio Hispaniæ, Astures, Asturia.
las Asturias, montes Pyrenæi, Hispaniam à Gallia disterminantes.
Asturias de Quiedo, pars regni Asturiæ, in Hispania.
Asuam, vide Asuan.
Asug, oppid. Æthiopiæ superioris, Asuga.
Asungen, lacus Sueciæ, Asunga.
Atacama, desertum Peruviæ, Atacama.
Atad, mons Asiæ, Caucasus.
Atalaya de Sertorio, locus Valentiæ maritimus, Hemeroscopium.
Atali… mons Mesopotamiæ, Singaras.
Atavillos, populi Peruviæ, Atavilli.
Ateca, oppid. Aragoniæ, Attacum.
Atella, oppid. Basilicatæ, Atella.
Atellari, fluv. Siciliæ, Elorum, Elorus.
Atenuz, oppid. & promontor. Valentiæ, Artemisium, Dianium.
Ateno, oppid. Lucaniæ, Atina.
Ath, & Aeth, oppid. Hannoniæ, Athum.
Atha, amnis Bavariæ, Atha.
Athene, oppid. regni Neapolitani, Athenæum.
Athol, provincia Scotiæ, Atholia.
Athren, oppid Hiberniæ, Athra.
Athyna, oppid. Sclavoniæ, Athyna.
Atichy, locus Galliæ, ad Axonam fluv. Attipiacum.
Atienza, oppid Castellæ, Nouaugusta, Nova Augusta.
Aties, villa regia Galliæ, in Viromanduis. Item vicus agri Parisini, Ateja.

Atilly, vicus Galliæ, in Briegio, Attilliacum.
Atino, oppid. Macedoniæ, Atinium, Atinium.
Atino, oppid. Latii, Atina.
Atouville, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Attovilla.
Atlone, urbs Connaciæ, Atlona.
Atquanachukes, populi Virginiæ, Atquanachuci.
Atrecht, vide Arras.
Atri, urbs Aprutii, & altera Venetiæ, Adri, Adria, Atria, Hadria.
Atribonie, fluv. Hispaniolæ insulæ, Atribunia.
Atripaldo, oppid. Latii, Fregellæ.
Attali, vide Antali.
Atte, vide Apte.
Atteny, oppid. Indiæ citerioris, Attenium.
Atteria, urbs Cretæ excisa, Aptera.
Atterith, oppid. Scotiæ, Trimontium.
Attersee, lacus Germaniæ, Atter.
Attichy, villa Galliæ, ad Axonam fluv. Attipiacum.
Attigny, pagus Galliæ Belgicæ, in Campania, Attiniacum.
Attigouvantans, populi novæ Franciæ, Attigouvantani.
Attily, vide Atilly.
Attiquamecques, populi novæ Franciæ, Attiquamechi.
Attramittin, urbs Troadis, Thebe.
Attur, provinc. Asiæ, Assyria.
Ava, urbs Indiæ, Palibothra, aliis Arisabium.
Avairon, vide Aveyron.
Avalle, Galliæ Aquitanicæ, Avallensis Comitatus.
Avallon, oppid. Burgundiæ Ducatus, Aballo.
l'Avallonois, in Burgundia tractus, Aballonensis.
Avançon, locus Galliæ Narbonensis, ubi Avatici populi.
Avaux, urbs Galliæ in agro Remensi, Avallis.
Aubagne, urbecula Provinciæ, Aubanea.
Aubance, fluv. Galliæ in agro Andegavensi, Albantia.
Aubanton, locus in sylva Tooracia, Albento.
Aubanton, oppid. Galliæ in Picardia, Abantonium.
Aube, fluv. Campaniæ Belgicæ, Alba.
Aubenas, oppid. Galliæ Narbonensis, Albenacum, Alba Augusta.
Auberive, oppid. Galliæ, in Lingonibus, Alba Ripa.
Auberville, villa Galliæ in Caletis, Auberti villa.
Aubervilliers, vicus Galliæ, in agro Parisino, Alberti-villare.
Aubetin, vel Aubette, fluv. Galliæ, Alba.
Aubigny, oppid. Biturigum & Picardiæ, Albiniacum.
S. Aubin le Caux, vicus Galliæ in Caletis, S. Albini.
S. Aubinle Cormier, vicus Galliæ, Cormitius.
Aubuçon, locus Galliæ, in Lemovicibus, ad fluv. Crosam. Albucio.
Aucby le Chasteau, oppid. Artesiæ, Alciacum.
Aude, fluv. Galliæ Narbonensis, Atax.
Audenarde, vide Oudenarde.
Audiença, nomen Præfecturarum, in Peruvia.
Audimo, urbs Cypri, Curium.
Ave, fluv. Gallæciæ, Avo, Avus.
Avein, vicus Belgii, Aveinum.
Aveiro, oppid. Portugalliæ, Lavara, aliis Talabrica.
Aveiron, fluv. Galliæ, Avario.
Avella, oppid Campaniæ, Abella, Avella.
Avellino, urbs regni Neapolitani, Abellinum.
Aven, fluv. Scotiæ, Avo.
Avenay, urbecula Campaniæ, Avenacum.
Avenches, oppid. Helvetiorum, Avanticum, Aventicum.
Avendone, oppid Carniolæ, Avendonis.
Aven-liffe, fluv. Hiberniæ, Modonus.
Aven mor, fluv. Hiberniæ, Dabrona.
Aveo, urbs Asiæ minoris, Abydus.
Averacin, vide Albaracin.
Avero, vide Aveiro.
Aversa, urbs Campaniæ Italicæ, Atella.
Avesne les Dames, monasterium Virginum in Atrebatibus, Avenense monasterium.
Avesnes, oppid. Hannoniæ, Avenna.
Avesnes le Comte, oppid. Artesiæ, Avenna.
Avezzano, oppid. Marsorum, Alphabucelis.
Aufay, locus in Caletis, Alta Fagus.
l'Aufente, fluv. Latii, Ufens.
l'Aufente palude, palus Latii, Pontina.
Auff der Alben, mons Carniolæ, Albanius, Albius.
Auff dem Hartz, sylva Germaniæ, pars Hercyniæ.
Auff der Stay, mons Lotharingiæ, Vogesus, Vosegus.

Auffourg, locus prope Basileam, Vobur.
Aufon, fluv. Angliæ, Antona.
Augarars, populi Brasiliæ, Augarari.
Augé, locus Galliæ, in Turonibus, Augiacum.
Augela, urbs Cyrenaicæ, Ægila, Augila.
Augon, vide Mons Augon.
Augsburg, urbs Sueviæ, Augusta Vindelicorum, Drusomagus, aliis Damasia.
Augspurg, vide Augsburg.
Augst, urbs diruta, nunc viculus juxta Basileam, Augusta Rauricorum.
Augst, vide Aosta.
Augsthal, regio & populi Pedemontii, Salassi.
Augusta, oppid. Siciliæ maritimum, Chersonesus, aliis Megara, Hybla, Augusta.
Augustberg, oppid. Saxoniæ, Augustoberga.
Augustow, urbs Poloniæ, Augustavia.
Avia, fluv. Gallæciæ, Avus, Via.
Aviano, castrum Tridentinorum, Apianum.
Aviaroki, fluv. Finnoniæ, Aviarocus.
Avignon, urbs Provinciæ, Avenio.
Avila, urbs Castellæ veteris, Abula.
Avila, oppid. Americæ in Peruvia, Abula.
Avila fuente, oppid. Hispaniæ, Abula fontana.
sierra d'Avila, montes Castellæ veteris, Abulenses.
Aviles, urbecula Asturiæ, Avila.
Avin, fluv. Scotiæ, Avinus.
Avington vel Aventon, oppid. Angliæ, Abonis.
Avino, oppid. novæ Hispaniæ, Avinum.
Aviquirina, insula regni Chiles, Aviquirina.
Avis, oppid. Portugalliæ, Avisium.
Aukland, oppid. Angliæ, Auklandia.
Aulagas, lacus Peruviæ, Aulaga.
Aulcester, oppid. Angliæ, Aulcestria & Alcestria.
Aulerton, oppid. Angliæ, Agelocum, Segelocum.
Aulne, vide Alne.
Aulny, pagus Engolismensis, Alnia.
Aulot, oppid. Cataloniæ, Aulotum.
Aumale, oppid. Normanniæ, Albamala.
Aumancour, vel Aumencour, locus Galliæ, in Remis, Alamannorum curtis.
Aumont, locus Flandriæ, cum monasterio, in diœcesi Camaracensi, Altus Mons.
Aunay, oppid. Pictaviæ, Aunedonacum.
la grande Aune, fundus Galliæ Novigento proximus, Magna Alnus.
Auneau, urbecula Belsiæ, Aunus.
Aunois, aliàs S. Paul des Aunois, vicus Galliæ, in agro Parisino, Alneta.
Aunoy, locus Galliæ, ad Icaunam fluv.
Auny, vide Aulny.
Avoine, vicus Galliæ in Turonibus, Evena.
Avogasie, provinc. Asiæ prope Georgiam, Avogasia.
Avola, oppid. Siciliæ, Hybla major.
Avon, fluv. Angliæ, Abonis vel Abon, Alaunius & Halenus.
Avon, fluv. Angliæ, Avenna, Avona.
Avon, fluv. Walliæ, Avo & Alaunius.
Avoniani, populi Angliæ, Simeni.
Aupec, vel Port Aupec, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, Alpecum.
Aupep, urbs Syriæ, Heraclea.
Aurach, oppid. Sueviæ, Artaunum.
Aurach, oppid. Sueviæ, Auracum.
Auragues, vel l'Auraguez, tractus Aquitaniæ, in Gallia, Umbranicia, & pagus auriacensis.
Aurais, mons Africæ, Audus.
Avranches, urbs Normanniæ, Abrinca.
Auray, oppid. Britanniæ minoris, Auraicum.
Auraz, mons Mauritaniæ, Aurasius.
Aure, fluv. Galliæ, in Normannia, Ara, Arva, vel Aura.
Auregne, locus in Ambianis, Aurina.
le chemin Aurelien, in Provincia, Via Aurelia.
Aurette, rivulus Galliæ, Avera minor.
Auriac, oppid. Galliæ in pago Lauriacensi, Auriacum.
Aurichysar, vide Sisrichisar.
Auriege, fluv. Galliæ Narbonensis, Alburacis.
Aurick, urbecula Germaniæ, Auricum.
Auro, vide Aveo.
Auron, fluv. Biturigum, Eura.
Auronzo, oppid. Italiæ, Auruncum.
Aursperg, oppid. Iapodum, Arupenum, ubi Auripini populi.
Ausch, vide Aux.
Auschwitz, oppid. Poloniæ, Osviczinum.
Ausa, vide Ansa.
Ausene, locus Galliæ, in Caletis, Andesagina.
Aust-clive, locus Angliæ, apud os Sabrinæ, Trajectus.
Austerlitz, oppid. Moraviæ, Austerlitium.
Austrasie, pars Germaniæ Cis-Rhenanæ, Austrasia.
Austriche, provinc. Germaniæ, Austria.
l'Austunois, vide l'Autunois.
Aut sur la mer, oppid. Galliæ, in Ambianis, Augusta.

Auter, urbs Sinarum, Achatara.
Auteuil, vicus Galliæ in agro Parisino. Item locus in Bellovacis, in Picardia, in pago Vadensi cum Prioratu, Altolium, vel Altoilum, vel Altogilum.
Authie, fluv. Galliæ, Altilia.
Aution, locus Galliæ, in Pettico Goëti, Alto. Item Mansio Odonis.
Autise, amnis Galliæ, in Pictonibus, Altisia.
Autrepe, locus Picardiæ, in silva Teoracia, Alta Ripa.
Autrey, Abbatia Lotharingiæ, Alteriacum.
Autun, urbs Burgundiæ, Augustodunum.
l'Autunois, tractus Burgundiæ, Ædui, & Hedui.
Auu seu Loch Aw, lacus Scotiæ, Avus.
Auvagdoune, urbs Hiberniæ, Achadia.
Auvare, locus Galliæ, ad fluv. Varum.
Auve, fluv. Galliæ, Alba vel Albia.
Auvergnats, populi Galliæ, Arverni.
Auvergne, regio Galliæ, ubi Arverni populi, Alvernia.
Awn, vide Emeley.
Aux, populi & urbs Aquitaniæ, Ausci, Augusta Ausciorum.
Auxerre, urbs Burgundiæ, Antissiodorum, Autricum, Vellaunodunum.
Auxois & Aussois, vide Alsois.
Auxone, urbs Burgundiæ, Aussona.
Ax, vide Dax.
Axaguas, populi Venezuelæ, Axaqui.
Axar, urbs Ciliciæ, Anazarbus.
Axe, fluv. Angliæ, Axus.
Axel, oppid. Flandriæ, ubi Levaci populi, Axela.
Axholm, locus Angliæ, Agelocum.
Axmister, oppid. Angliæ, Axa.
Ayamonte, oppid. Vandaliriæ, Aymontium.
Ayay, insula Americæ, Ayaya, vide Sanctæ Crucis insula.
Ayerbe, oppid. Aragoniæ, Nemanturissa, Ebellanum.
Aylesham, oppid. Angliæ, Æleshamia.
Ayman, vel Ayaman, provincia Asiæ, Arabia Felix, Eudamon.
Aymargues, locus Galliæ, in diœcesi Nemausensi, Armasanicæ.
Aymargues, oppid. Provinciæ, Augusta Tricastinorum.
Aymeries, castrum Hannoniæ, Ameriæ.
Aynadeki, oppid. Hungariæ, Aynadecium.
Ayotecos, montes novæ Hispaniæ, Ayoteci.
Ayr, urbs Scotiæ meridionalis, Aerea.
Ayre, vide Aire.
Aysne, vide Aisne.
Ayssene, aut Eyssene, fluv. Galliæ, Aissena aut Essena.
Ayti, insula Americæ, Aytia, vide Hispaniola.
Ayton, urbs Ætoliæ, Aquila Calydon.
Aytona, oppid. Catalauniæ, Itanorum olim populorum.
Aytoxu, fluv. Paphlagoniæ, Halys.
Aytuacal, mons Mauritaniæ Tingitanæ, Atlas major.
Ayutla, fluv. novæ Hispaniæ, Ayutla.
Aza, urbs Armeniæ minoris, Aza.
Azac, fluv. Sarmatiæ, Tanais.
Azafi, promontor. Mauritaniæ, Solis mons.
Azagar, urbs Marmaricæ, Oasis parva, Anasis.
Azamor, portus Mauritaniæ, Rusibis, Azaamurum.
Azamor, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Thymaterium.
Azanaga, fluv. Libyæ, Asana.
Azar, regio Syriæ, Comagene, Euphratesia, & urbs, Augusta Euphratesia.
Azay, locus Galliæ in Turonibus, ad Carem fluv. Asiacum. Aliàs Ayzay sur Cher.
Azay le Chetif, locus alius Turonum, Asiacum parvum. Item reperitur, Azay le Ferron, & Azay le Rideau.
Azebanu, insula Indiæ, Taprobana.
Azech, fluv. Andaluziæ, Iberus.
Azelburg, oppid. Bavariæ destructum, Acilia Augusta, Augusta Acilia, Atilia.
Azemia, provincia Asiæ, Persis.
Azenaga, vide Asenaga.
Azimia, regio Asiæ, Assyria.
Azioth, urbs Ægypti, Bubastus.
Azirut, urbs Ægypti, Arsinoe.
Azores, insulæ Oceani Occidentalis, inter quas Atlantis & Uxisama, Azores aliis.
Azua, oppid. Hispaniæ insulæ, Azua.
Azuaga, oppid. Lusitaniæ, Arcobrica.
Azionar, pagus Lusitaniæ, Septem Aræ, Ad Septem Aras.
Azuri, insula Dalmatiæ, Azura.
Azza, urbs Palæstinæ, Gaza.

B.

BAar, Comitatus Sueviæ, ubi Virgiones populi.
die Baar, montes Sueviæ, Abnobi
Baaz, vel l'Isle de Baz, Insula Galliæ, in Britannia minore, Batha.
Babelmandel, insula in ore maris Rubri, Diodori Insula.
Babenhausen, vide Bebenhausen,
Babilone, urbs Chaldeæ, Babylon.
Babolitza Carethna, oppid. Hungariæ, Vallis Carimiana.
Babolitza, vide Babolixa.
Babólixa & Babolza, Hungariæ oppid. Mansuetinum, Pons Sociorum, Pons Mansuetudinis.
Babuco, oppid. Latii, Bovilla.
Babul, urbs Patalenes, insulæ Indiæ, Patala.
Baçaim, urbs Indiæ cis Gangem, Bacrmum.
Bacala, urbs Indiæ maritima, Baracura.
Bacalal, lacus Americæ Septentrionalis, Bacalalus.
Bacam, urbs Indiæ, Barygasa.
Bacar, regio Palestinæ, Ituræa, Trachonitis.
Bacar, regio Indiæ propriæ, Bacara.
Bacarac, oppid. Palatinatus, Bacaracum.
Baccano, vicus Hetruriæ, Baccane.
Bacchabel, locus peramœnus Palæstinæ, in finibus Zabulon, Bacchades.
Baccharach & Bachrach, oppid. Palatinatus, Bacchiara.
Bacchiglione, fluv. agri Vicentini, Medoacus minor, Rero.
Bachad. urbs Mesopotamiæ, Seleucia.
Bacharac, oppid. Germaniæ, Bacaracum.
Bacharin, oppid. Slavoniæ, Velcera.
Bachdad, oppid. Mesopotamiæ, Thelda.
Bachian, insula Indiæ, Bachianum.
Bachow, urbs Walachiæ, Bachovia.
Bachu, urbs Albaniæ, & Hyrcanum mare, Albana, Gangara.
Bacras, mons Ciliciæ, Taurus.
Bacuem, locus Frisiæ, Baduhennæ lucus.
Badajoz, urbs Extremaduræ, Pax Augusta.
Badallons, vide Budelona, & Illuro, oppid. Hispaniæ Tarraconensis.
Badara, oppid. Indiæ, Badara.
Badascian, urbs Bactrianæ, Maracanda.
Badelona, oppid. Catalauniæ, Betulo, Betullo.
Baden & Ober-Baden, urbs Helvetiorum, Aqua, Castellum aquarum, Thermæ superiores.
Baden, urbs in Germania, Cattorum.
Baden, urbs Sueviæ, Bada.
Baden, urbs Sueviæ, Mattiacum, Thermæ inferiores.
Baden, oppid. Austriæ, Thermæ, aliis, Aquæ Pannoniæ.
Badenoth, provincia Scotiæ, Badenacha.
Badia, urbs Bœotiæ, Lebadea.
Badra, urbs Peloponnesi Pathra.
Baergen, pagus Bavariæ, Cambodunum.
Baera, urbs Norvegiæ, Bergues, & Berga, Berges.
Baeza, urbs Andaluziæ, Beatia.
Baffins Bay, in Terra Arctica, Baffini sinus.
Baffo, urbs Cypri maritima gemina, destructa, Paphos.
Bagamidri, in Æthiopia, Bagamidriæ regnum.
Bagdad & Bagdet, antea Seleucia, Bagdatum.
Bagdasan, urbs Bactrianæ. Bactra.
Bagdet, urbs Babyloniæ, Babylon, & provincia Asiæ, Babylonia.
Bagenhaim, pagus Hannoniæ, Bagamum.
Bagnacavallo, oppid. Romandiolæ, Ad Caballos, Tiberiacum.
Bagnarea, urbs Hetruriæ, Balneum Regis, Balneoregium, Novempagi.
Bagnaux, locus in pago Tornodorensi, Balneola.
Bagneres, oppid. Vasconiæ, Aquæ Convenarum, Marotalica, Onesiæ aquæ, Aquensis vicus aliis.
Bagni d'Abano, balnea agri Patavini, Fontes Aponi, Aquæ Patavinæ.
Bagni d'[illegible]gnano, locus juxta Puteolos, Anianæ Thermæ, Luculli Villa.
Bagni di Astrugno, lacus juxta Puteolos, Astrunum.
Bagni di Bollicano, Hetruriæ locus, Aquæ calidæ.
Bagni di Bracciano, in Hetruria, Thermæ Stygianæ.
Bagni di S. Cassiano, balnea Hetruriæ, Clusini fontes.
Bagni de Cicerone, locus Campaniæ, juxta Puteolos, Ciceronis aquæ.
Bagni di S. Filippo, locus Hetruriæ, Rusellana balnea.
Bagni del Lago, Campaniæ Italicæ, Anianæ Thermæ.
Bagni di Salviati, locus apud Cumas. Cæsaris Dictatoris villa.
Bagni di Stigliano, balnea Hetruriæ, Thermæ Stygianæ.
Bagni di Tivoli, salutares, in Latio, Albula aquæ.
Bagni di Tritoli, locus Campaniæ Italicæ, Academia.
Bagni di Tritolino, locus Campaniæ, juxta Puteolos, Ciceronis aquæ.
Bagnias, urbs Phœniciæ, Balanea.
Bagnolx, vide Baignols.
Bagnone, oppid. Hetruriæ, Bandelia.
Bagnuolo, oppid. regni Neapolitani, Balneolum.
Bagola, locus prope Bajas in Campania, Bauli.
Bagrada, fluv. magnæ Græciæ, Galesus.
Bahalbeth, urbs Ægypti, Heliopolis.
Bahama, insula Americæ septentrionalis, Bahama.
Baharen, insula sinus Persici, Ichara, Tylus.
Bahar-emil, fluv. Africæ, Nilus.
Bahar Rumi, mare Mediterraneum.
Bahar Zocoroph, Sinus Persicus.
Bahus, castrum Norvegiæ, Bahusium.
Baja, urbs Campaniæ Italicæ excisa, Baja.
Baja de Cadiz, Hispaniæ, Sinus Gaditanus.
Baja de Sospiers, Ital. Idem quod Cap de S. Sospiers Gallis, vide ibi.
Bajaria, fluv. Siciliæ, Eleutherus.
Baicadul, urbs Indiæ citerioris, Batancasara.
Baida, regio Tartariæ desertæ, Baida.
Baier, vide Bayern.
Baieux, urbs Normanniæ, Bajoca, Bajocasses, Velocasses.
Baigneux, vicus agri Parisini, Balneda.
Baignolet, vicus Galliæ, juxta Charronem, Balneda.
Baignols, locus in territorio Nemausensi, Gabalicus pagus.
Bailleul, oppid. Belgii, in Hannonia, Belliola.
Bailleul, oppid. Galliæ, Baliolum.
Bailleul en Ternois, locus in pago Ternensi, Balliolum.
Baillot, vel Baillon, castrum prope Fractam vallem, Balao.
Bainbrig, oppid. Angliæ, Glanibanta, Clanoventa.
Bainburg, vicus Bavariæ, Bedaium.
Bains, locus Galliæ in Aquitania, Balnea.
Baiona, vide Bayonne.
Baions, vicus Galliæ Narbonensis, Bedionium.
Bair, fluv. Belgii, Barus.
Bais, Monasterium Galliæ, ad Suminam, Bacium.
Baise, fluv. Galliæ, in Pictonibus, Balisa.
Baise, fluv. Lingonum, Besua.
Baize, Monasterium in Ducatu Burgundiæ, Besuense nominatum.
Balagna, tractus Corsicæ, ubi Balatoni populi.
Balaguate, regio Indiæ cis Gangem, Balaguata.
Balaguer, urbs Catalauniæ, Bellegarium.
Balambuan, urbs Iavæ insulæ, Balambuanum.
Balan, locus in Turonibus, Balatedo.
Balançon, locus ad Lignonem fluv. Balantio.
Balassan, regio Parthiæ, Choroane.
Balassia, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, Audus.
Balatymore Bay, sinus Hiberniæ, Balatimora.
Balaton, lacus Hungariæ, Volcæa.
Balbastro, urbs Aragoniæ, Bergidum, Barbastrum, Burtina.
Balbec, Cæsarea Philippi, urbs Syriæ, Heliopolis,
Balchusen, pagus Germaniæ inferioris, Belgica.
Baldach, urbs Babyloniæ, Babylon.
Baldino, fluv. Latii, Ufens.
Baldwin, audax victor, nomen Germ. viri.
Baleso, pagus Terræ Hydruntinæ, Balesium.
Balestra, mons Liguriæ, Balista.
Balikesre, oppid. Phrygiæ, Palæocastrum.
Balkan, mons Thraciæ, Æmus, Hæmus.
Ballieu en Mauix, castrum in pago Vabrensi, Balodium.
Ballons, mons Lotharingiæ, Vogesus.
Balneole, oppid. Catalauniæ, Aquæ Voconis.
Balsara & Balsera, urbs Babyloniæ, Teredon.
Balubathra vel Balubadra, urbs Peloponnesi, Patra.
Baly, insula Indiæ, Balya.
Bamba, provincia regni Congi, Bamba.
Bamba, provincia Americæ meridionalis, Bamba.
Bamberg, urbs Franconiæ, Gravionarium, Bamberga, Pamberga, Papeberga.
Bamberg, oppidul. Bohemiæ, Bamberga.
Bambola, vide Banbola.
Bamborrow, oppid. Angliæ, Bremenium.
Bamburg, oppid. Germaniæ, Badacum.
Ban, castrum Scotiæ, Banatia.
Banbury, oppid. Angliæ, Banburia.
Banca, insula Asiæ, Banca.
Banchor, vide Bangor.
Banda, insula Asiæ, Banda.
Bandera, castrum Indiæ, Bandera.
Bando, urbs Asiæ propriæ, Bandum.
Bangela, urbs Indiæ ulterioris, Baracura.
Bangor, urbs Walliæ, Bangorium, Banium, Bovium, Branogenium.
Banjaluch & Blandona, urbs Bosniæ, Banjaluchum.
Banituede, vide Beni-Trudi.
Ban & Banna, vide Bawny.
Banora, urbs Indiæ, Banora.
Bannesdown, Angliæ prope Bathoniam, Badonicus mons.
Bawny vel Bawn, fluv. Hiberniæ, Argita, Bovinda, Rhavius, Boandus.
los Banos de Albama, locus Aragoniæ, Aquæ Bilbilitanorum.
Banoles, vide Balneole.
Banoles, oppid. Cataloniæ, Aquæ Calidæ. Baeula.
Banoles, locus Galliæ in agro Carcassonensi, Balneola.
Banone, vide Bagnone.
Bansey, oppid. Angliæ, Banatia.
Bantam, urbs insulæ Iavæ, Bantamum.
Banya, oppid. Transylvaniæ, Rivuli puellarum.
Banza, oppid. regni Congi, Banza.
Bapalme, oppid. Artesiæ, Bapalma, Balma, Balneosectastrum.
Bapho, urbs Cypri, Paphos.
Bar, vide Baer.
Bar, oppid. Poloniæ, Barium.
Bar sur Aube, oppid. Galliæ, Barium ad Albulam.
Bar sur Reonne, locus in Lingonibus, Barrum sub Reomao.
Bar sur Seyne, oppid. Burgundiæ, Barium ad Sequanam.
Bara, oppid. Æthiopiæ superioris, Bara.
Barampour, urbs Indiæ propriæ, Barampura.
Baranateta, regnum Tartariæ, Baranatheta.
Baranvwer, oppid. Hungariæ, Aniana.
Barathra, palus Palæstinæ, Sirbonis.
Barbe, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Bunobora.
Barbacoas, populi Americæ meridionalis, Barbacoa.
Barbade, insula Americæ septentrionalis, Barbata
Barbara, urbs Siciliæ diruta, Egesta, Acesta, Segesta.
Barbaria, provincia Africæ, Mauritania & Africa.
Barbate, vide Rio Barbate.
S. Barbe en Auge, ad fluv. Divam municipium. S. Barbara.
Barbeau, locus in Senonibus, cum Monasterio, ad fluv. Lupam, Sacer portus.
Barbebel seu Barbeau, locus ad Sequanam, cum Monasterio, Barrum.
Barbela, fluv. regni Congi, Barbela.
Barbenqon, Principatus in Hannonia. Barbensio
Barberino, oppidul. Tusciæ, Barberinum.
Barboude, insula Americæ septentrionalis, Barbuda.
Barbowyna, oppid. Hungariæ, Berbis.
Barca, urbs Marmaricæ Barce.
Barcei, oppid. Parmensis Ducatus, Barcetum.
Barcelona, urbs Catalauniæ maritima, Barcino.
Barcelor, urbs Indiæ cis Gangem, Barcelorum.
Barcelos, oppid. Hispaniæ, Celiobriga Celerinorum.
Barcena, palus Æthiopiæ, Coloe.
Barcha, provincia Africæ, Marmarica.
Barckshire, provinc. Angliæ, Berchesyia.
Barda, oppid. Marmaricæ, Pyrgus.
Bardari, vide Vardari.
Bardi, oppid. & castrum Lombardiæ, Bardium.
Bardo, pagus Ducatus Augustani, Bartum.
Bardsey, vide Berdsey.
Bardt, urbs Pomeraniæ, Bardum.
Bardwick, urbs Saxoniæ, Bardwicum.
Barech, urbs Bithyniæ, Prusa.
Bareges, locus Galliæ in finibus Bigerronum, Vallestria.
Barfleu en Constantin, portus Galliæ, in pago Constantino, Barbaflot.
Bargamo, urbs Mysiæ Asiaticæ, Pergamus.
Bari, urbs Apuliæ Peucetiæ, Barium.
Barillana, insula ad ostia Danubii, Peuce.
Barjols, oppid. Galliæ. Berjolum.
Barkshire, tractus Angliæ, ubi Atrebatii populi.
Barlasina, pagus Insubriæ, Bretina.
Barle-Duc, urbs Lotharingiæ, Barrum-Ducum.
Barletta, oppid. Apuliæ, Barolum.
Barlinguas, insula Lusitaniæ, Erythia, Londobris.
Barnagasso, regnum Æthiopiæ, Barnagassium.
Barnet, oppid. Angliæ, Sullonaca.
Barnevelds Eyland, in mari Australi, Barneveldi insula.
Barnstable, oppid. Angliæ, Barnastapula.
Baroche, oppid. Indiæ propriæ, Baroca.
Baromela, tractus Sardiniæ, ubi Balari populi.
Baroniwar, oppid. Hungariæ, Veromianum.
the Barony of Kendal, oppid. & territorium Angliæ, Concangium.
Barou, vicus Galliæ, in Turonibus. Berravensis.
Barra, oppid. Palæstinæ, Machmas.
Barraab, pars Arabiæ, Arabia Petræa.
Barraarn. urbs Ægypti ad mare Rubrum, Cleopatris, Arsinoe.
Barri, vide Bari.
Barri, pars Arabiæ, Nabathæa, Arabia petræa.
Barrile, castrum Galliæ, prope Fuxum oppid. Varilla.
Barriano, castrum Cenomanorum, Barra.
le Barrois, in Lotharingia pagus, Barrensis,
Barrow, fluv. Hiberniæ, Birgus.

Barsac, castellum Galliæ, ad Sirionis & Garumnæ confluentem, Barsacum.
Bart, urbs Pomeraniæ, Alisus, Bardum.
Bart, pagus Pedemontii, Bardum.
Bartz, fluviolus Germaniæ, Barda.
Barus, palus & urbs Ægypti, Coloe.
Barua, urbs Æthiopiæ superioris, Barua.
Baruti, urbs Phœniciæ, Berytus.
Barwick, oppid. Northumbriæ, ubi Ordovicæ populi, Borcovicum, Bremenium, Bervicium, Tuesis.
Bas, oppid. Catalauniæ, Basi
Basarab, mons Parthiæ, Coronus.
Basel, urbs Helvetiæ, Basilea.
Basepote, insula Britannici maris, Barsa.
Basepola, insula Britanniæ minoris, Batha.
Baserena, palus Palæstinæ, Barathra.
Basilea, vide Basel.
Basilica, oppid. Peloponnesi, Sicyon.
Basilicata, regio Italiæ, Lucania, Magna Græcia.
Basilipotamo, fluv. & Eurotas & oppid. Peloponnesi, Thalame.
Basilougorod, urbs Moscoviæ, Basilopolis.
Basiri, fluvius Carmaniæ, Saganus.
Basket, vas Britannicum, Bascauda.
Basle, urbs Helvetiæ, Basel, Arialbinum & Basilea. Hinc Basler, populi Helvetiæ, Rauraci.
Basle, locus ad Vidulam, Basilia.
la Basoche, Baronia Galliæ, in Pertico, Basilica. Item locus ad Vidulam, Basilica.
Basra, oppid. regni Fezzæ, Bassra,
Bassanese, in Marchia Trevisana, ager Bassanensis.
Bassano, oppid. Marchiæ Tarvisinæ, Bassanum.
Basse, insula Indiæ, Baracata.
la Basse Bretagne, provincia Galliæ, Britannia minor, Peninsula.
la Bassee, oppid. in confinio Flandriæ & Artesiæ, olim Bassorum vel Hassorum popul.
Bassento & Basento, fluv. Calabriæ, Casuentum, Basentium, Acheron.
Bassignana, oppid. Liguriæ, Augusta Batienorum.
Bassigny, in Campania Gallica, Bassiniacus ager.
Bassigny, regio Galliæ, ubi olim Mandubii populi.
Bastenach, vide Bastonach.
Basti, oppid. Salentinorum excisum, Basta.
la Bastia, oppid. Corsicæ, Mantinum.
la Bastide, oppid. Galliæ in Rutenis, Bastita.
Bastilica, tractus & oppid. Corsicæ, ubi Tarrabeni populi.
Bastogne, urbs Ducatus Lucemburgensis, Belsonancum.
Bastonach, urbs Ducatus Lucemburgensis, Belsonancum.
Basurure, fluv. Americæ meridionalis, Basurura.
Batavia, urbs Indiæ in Java insula, Batavia.
Batavia, fluv. Terræ Australis, Batavia.
rivier Batavia, fluv. Asiæ, in Carpentaria regione terræ Australis, Batavia.
Batenborg, locus Geldriæ, Arx Batavorum, Batavodurum, Batanburgum, Batenis arx.
Batha, oppid. Hungariæ, Cornacum.
Bathaserk, tractus Hungariæ, Bathanatis.
Bathe, urbs Angliæ, Aquæ calidæ, Aquæ solis, Bathonia, Thermæ.
Bathmonster, tractus & populi Hungariæ, Bathanacii.
Batica, oppid. Laconicæ, Boæ.
Baticala, urbs Indiæ cis Gangem, Baticala.
Baticala, urbs Ceylani insulæ, Baticale.
Baticano, promontor. Calabriæ, Vaticanum.
Bato, fluv. Calabriæ citerioris, Batum.
Baton, in mari Indico, Insula Batonia.
Batta, provincia regni Congi, Batta.
Battagio, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Carepula.
Battenburg, oppid. Geldriæ, Batenis.
Batter, regio Asiæ, Bactriana.
Batuecas, populi Hispaniæ, Batueci.
Bavay, oppid. Hannoniæ, Bagacum, Belginum, Belgis.
Baubola, locus Aragoniæ, ubi Bilbilis urbs.
Bauco, castrum ditionis Pontificiæ, Bovillæ
l'Adour de Baudeau, fluv. Galliæ in valle Baudeanica, Aturus Baudeanicus.
Baudino, vide Baldino.
Baudour, nomen proprium fœminæ, Batildis.
Baudras, urbs Mesopotamiæ, Seleucia.
Bave, amnis Galliæ in agro Torinnensi, Bava, i.e. Spumosa.
Baugé, oppid. Galliæ, Balgium.
Baugency, oppid. Galliæ, Belgentiacum.
Baugey, vide Beugey.
Bawiera, regio Germaniæ, Vindelicia, Bavaria.
Baxion, locus Galliæ, in agro Arausicano, Belgis.
Baoli, vide Bagolo.
Baulieu, locus Galliæ, in Lemovicibus, Bellus locus.
Baulx, oppid. Galliæ Narbonensis, Gabalicus pagus.
les Baulx, oppidul. Provinciæ, Glanum.
Baume & Baulme, oppid. Burgundiæ Comitatus, Balmense.
S. Baume, locus Galliæ in Provincia, S. Balma.
Baumes les Nonnains, oppidul. Comitatus Burgundiæ, Balmense cœnobium.
Baumiens, populi Zeugitanæ, regionis Africæ.
Bavona, fluv. Corsicæ, Circidius.
Bausko, oppid. Poloniæ, Bauscum.
Bautre, sinus Hiberniæ, Bautra.
Bautzen, urbs Germaniæ, Budissina.
Baxagia, urbs Extremaduræ, Pax Augusta.
Baxos de Barberia, Africæ, Syrtes.
Baxos de Barberia, in Africa, Syrtis magna.
Baxos de India, in mari Æthiopico, Syrtes Indæ.
the Bay of Cardroweck, fluv. & æstuarium Angliæ, Moricambe.
of Galway, fluv. Hiberniæ, Ausoba.
of Knockergus, fluv. Hiberniæ, Vinderius.
of Slego, fluv. Hiberniæ, Libnius.
Baya de Cadiz, in ora Vandalitiæ, Gaditanus sinus.
Baya de Bonaventura, in America meridionali, sinus Bonaventuræ.
Baya de Cavite, in Philippinis, Manilhanus seu Cavita sinus,
Baya del Spiritu santo, in Florida, sinus Spiritus sancti.
Baya ò Bahia de todos os Santos, in Brasilia, sinus omnium Sanctorum.
Baya de los Trabajos, in America meridionali, sinus Laborum.
Bayana, oppid. Indiæ propriæ, Bayana.
Bayburt, urbs Mesopotamiæ, , Babytace.
Baye d'Antongil, in Madagascaria, Antonii Ægydii sinus.
Baye de France, Africæ in Guinea, Francicus sinus.
Baye Françoise, in nova Francia, sinus Gallicus.
Baye de S. Augustin, in Madagascaria, sinus S. Augustini.
Baye des Trepassez, in insula Terræ Novæ, sinus Mortuorum
Bayerena, palus Palæstinæ, Sirbonis.
Bayern, regio Germaniæ, ubi Boii populi, Bavaria, Vindelicia.
Bayerne, oppid. Helvetiæ, Paterniacum, German. Beterlingen.
Bayeux, urbs Galliæ, Bajoca.
Bayon, locus Lotharingiæ, Bajo.
Bayona, vide Vayona.
Bayona, urbs Galæciæ, Baiona.
Bayone, urbs Vasconiæ, Aquæ Augustæ, Boiatium, Genus.
Baynane, urbs Aquitaniæ, Baious & Boiatium.
Bayport, vide Bayburt.
Bez, insula Hiberniæ, Ocite.
Baza, urbs regni Granatensis, Basti
Bazadois, tractus Vasconiæ, ubi Vasatæ populi.
le Bazadois, ager in Gallia, Vasatensis.
Bazaim, urbs Indiæ, Barace.
Bazano, mons Aprutii, Officius.
Bazas, urbs Vasconiæ, ubi Vasata populi, Cossium.
la Bazoche, locus Galliæ, in Pertico Goëti, Basochia.
Bazois, ager Galliæ in Ducatu Nivernensi, Bassensis.
Beareford, oppidul. Gronelandiæ, Bearefordia.
Bear-head, promontor. Hiberniæ, Notium.
Bearn, pars Aquitaniæ, ubi olim Cocosati populi.
Bearn, provincia Galliæ, Benearnia.
S. Beat, oppid. Galliæ, in Convenis, S. Beati.
Beau Rain Chasteau, Castellum Galliæ, Bellus Ramus.
Beaucaire, oppid. Occitaniæ, Belloquadra.
Beauchamp, locus Galliæ, in Caletis, Bellus Campus.
Beaufort en Vallée, castrum Galliæ, in Andibus, Bellum Forte.
le Beaugey, ager Bressiæ provinc. Belicensis.
Beauvu, vicus Galliæ, Bellovesus.
Beaujeu, oppid. Lugdunensis provinciæ, Beaujovium.
Beaulieu, pagus Aquitaniæ, ubi Bercorcates populi.
Beaulieu, locus Galliæ, in Turonibus, ad Andrum, Bellus locus.
Beaulieu en Argonne, locus in sylva Argonna, quæ pars Arduennæ est, Bellus locus.
Beaulne, oppid. Burgundiæ Ducatus, Belne.
la Beaulse vel Beause, regio Galliæ Celticæ, ubi Vidugasses populi, Belsia.
Beaumarish, oppid. Angliæ, Bellomariscus.
Beaumont, oppid. Galliæ Belgicæ, Brausspantium.
Beaumont, oppid. Normanniæ, Bellomontium.
Beaumont, oppid. Hannoniæ, Bellomontium.
Beaumont, castrum Galliæ, in Bellovacis, Bellus Mons.
Beaumont, locus Galliæ, in Ducatu Lepotetano. Item in saltu Vosago, Bellus Mons.
Beaumont en Argonne, oppidul. Campaniæ, Beaumont.
Beaumont sur Oyse, oppid. Franciæ, Bellomontium.
Beaumont le Roger, oppid. Galliæ, ad Riselam fluv. Bellus Mons Rogerii.
Beaumont le Vicomte, oppid. Cenomanensis provinc. Bellomontium.
Beaune, fluv. & vicus Galliæ, in Caletis, Belnajus.
Beaunois, ager in Burgundia, Belnensis.
Beauvais, oppid. Picardiæ, ubi Bellovaci populi, Belgium.
le Beauvaisis, ager Galliæ, in Picardia, Bellovacensis.
Beauvoir sur mer, oppid. Galliæ, in Pictonibus, Bellus Visus.
Beauvois, populi & urbs Picardiæ, Bellovaci, Belgium, Cæsaromagus.
Beauvois, oppid. Sabaudiæ, Bilonnum.
Beauvoisin, tractus Picardiæ, ubi Bellovaci, populi & urbs.
Bebbu, locus Palæstinæ, ubi 12. fontes, Elis, Helis.
Bebech, urbs Mesopotamiæ, Thapsacum, Tapsacum.
Bebelingen, oppid. Sueviæ, Bibonum.
le Bec, locus Galliæ, ad Riselam fluv. cum Monasterio, Beccum Herluini.
le Bec d'Alier, locus Galliæ, ad Elaveris & Ligeris confluentes, Rostrum Elaveris.
le Bec d'Ambec, locus Galliæ, ad Durantii & Garumnæ confluentes, Rostrum.
Bec de Cise, in Turonibus, Rostrum seu Ostium Siceræ.
Bec Helvin, Abbatia Galliæ, Beccum Helvini.
Becher, fluv. Bœotiæ, Ligir.
Bechria, regio Africæ, Ægyptus inferior.
Becsangial, provinc. Asiæ, Bithynia.
Bed, Æthiopiæ, Lunæ mons.
Bed Amare, insula Æthiopiæ, Meroe.
Bedalac, fluv. Andaluziæ, Lethes.
l'Isle de Bedasne, alias Tourville & Oissel, Insula Galliæ, in Normannia, Oscellus.
Bedburg, vide Bitburg.
Bedenhusen, urbs Germaniæ, Aslovia.
Beder, urbs Indiæ cis Gangem, Betana.
Bedese seu Ronco, fluv. Æmiliæ, Bedesis.
Bedford, oppid. Angliæ, Lactodurum.
Bedford, urbs Angliæ, Bedfordia.
Bedfordshire, regio Angliæ, ubi Cattieuchlani populi.
Bedia, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, Tamuda.
Bediz Velez, oppid. regni Fezzæ, Acrath.
Beets, vicus Brabantiæ, ubi Betasii populi.
Befort, oppid. Alsatiæ, Befortium.
Begasar, urbs Phrygiæ, Iuliopolis.
Begerra de Melena, vide Bejar de Melena.
Begles, canum in Anglia genus, Agassæi.
Behemerland, regnum Germaniæ, Boiemum, Bohemia.
Behemerwald, pars Hercyniæ sylvæ Germaniæ, Bohemica sylva.
Behenhausen, oppid. Sueviæ, aliis Fabiana castra, Bibonum.
Bela, urbs Portugalliæ, Pax Iulia.
Bejar, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Bigerra.
Bejar de Melena, urbs Andalusiæ excisa, Portus Menesthei, Mellaria.
Bejer, oppid. Andaluziæ, Besippo, Besippo, Mellaria.
Belje, urbs Africæ propriæ, Bulla Regia.
Beilstein, oppid. Germaniæ, Bilstinum.
Bein-einabarim, Persicus sinus.
Beira, tractus Portugalliæ, ubi Turduli populi.
Belas, oppid. Liburniæ, Sidrona.
Belay, urbs Sabaudiæ, Belica.
Belbais & Belbes, urbs Ægypti, Pelusium.
Belbes, vide Bebbu.
Belcastro, urbs Calabriæ, Chonia.
Belchite, oppid. Aragoniæ, Belia.
Beled Genewa, provincia Africæ, Libya interior.
Beled el Vgueb, urbs Africæ, Hippon regius.
Beleguanze, provincia Abyssiniæ, Beleguanza.
Belekya, insula Americæ, Bequia.
Belenas, urbs Palæstinæ, Dan, vide Bellena.
Belet, fluv. Catalauniæ, Subi.
Belesme, oppid. Galliæ, Belesma.
Beley, seu Belay, urbs Beugeæ in Bressia, Belica.
Belfort, locus Galliæ Narbonensis, ubi Vocontii populi.
Belforte, pagus Istriæ, Diomedis templum.
Belforte, pagus Calabriæ ulterioris, Subcinum, Subsicinum.
Belgart, oppid. Pomeraniæ, Belgartia.
Belgian, mons Scythiæ, Imaus.

Belgida, pagus Valentiæ regni, Belgida.
Belgeque seu fort Belgeque, in India, arx Belgica.
Belgiosa, castrum Ducatus Mediolanensis, Belgiosium.
Belgrade, urbs Hungariæ, Alba Græca.
Belgrado, fluv. apud Constantinopolim, Hydralis.
Belgrado, urbs Hungariæ, Taurunum.
Belice, vide Bilice.
Belice destro, fluv. Siciliæ, Crimisus & Crinisus.
Belicastro, vide Belcastro.
Belegrard, urbs Mysiæ inferioris, Hermonassa.
Belegraz, oppid. Iapodum, Bibium.
Belina, vide Beilena.
Belingen, in Picardia, Belingense castrum.
Belinzona, oppid. Insubriæ, Belitio, Bernsona.
Beljoco, pagus Aragoniæ, Beljinum.
Belis de Gomera, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Acrath.
Belitres, homines nequam, Balatrones.
Belitri, vide Velitri.
Bella mare, pars Oceani Septentrionalis, mare Album.
Bellac, urbs Galliæ, Bellacum.
Belle, oppidul. Belgii, Belliola.
Bellefontaine, vicus agri Parisini, Bellus Fons.
Bellegarde, urbs Burgundiæ, Bellogardia.
Belle-isle, insula Galliæ, Calonesus.
Belle-isle & Formosa, insula Sinarum, Calonesus.
Bellelay, cœnobium agri Rauraci, Bellelagium.
Bellena, urbs Palæstinæ, Lachis, Cæsarea Philippi, Paneas.
Bellencombre, locus Galliæ in Caletis, Bellus Combrus.
Bellentz, oppid. Insubrum, Belitio, vel Bilitionum.
Bellesme, oppid. Galliæ Celticæ, ubi Veneti populi, Bellismum.
Bellesme, castellum Galliæ in Pertico, Bellismum.
Bellevaux, locus ad Lignonem fluv. Bella vallis.
Belleve, locus Galliæ in Aquitania. Bellus locus.
Bellich, pagus Germaniæ inferioris, Vetera.
Bellina, vide Bellena.
Bellinas, oppid. Cœlesyriæ, Abila.
Bellinghuvolder schans, arx Belgii, Bellingvoldium.
Belluno, urbs Marchiæ Tarvisinæ, Belunum.
Belmont, vicus ad lacum Lemanum, Bellus Mons.
Belmonte, oppidul. Calabriæ, Bellomontium.
Belona, oppid. Andaluziæ excisum, Belona.
Belor, regio Scythiæ, ubi olim Sacæ populi.
Beloy en France, vicus Franciæ propriè dictæ, Bedolitum.
Beltz, sinus maris Baltici, Lagnus.
Beltz, & Belts, Balticum mare, Mare Balticum.
Belvedere, oppid. Calabriæ citerioris, Blanda.
Belvedere, urbs Ioniæ maritima, Colophon.
Belvedere, provincia Peloponnesi, Elis.
Belvedere, urbs Elidis regionis Peloponnesi, Elis.
Belvedere, locus prope Syracusas, Euryalus.
Belusia, pagus & monasterium Hungariæ, Curta.
Belz, urbs Poloniæ, Belza.
Bemarin, provincia Floridæ, Bemarina.
Bemerland, vide Behemerlandt.
Bemont, Monasterium Virginum, in Lingonibus, Bellus Mons.
Bena, regnum Nigritiæ, Bena.
Benamarim, provinc. Asiæ, Mauritania Tingitana.
Benavarri, oppid. Aragoniæ. Benavarium,
Benavente, oppid. Portugalliæ, Avitium.
Benavente, oppid. regni Legionensis, Beneventum.
Benda, urbs Albaniæ, Benda.
Bendarmassen, urbs Indiæ, Bendarmassina.
Bendenal, lacus inter Mediam & Armeniam, Mariane.
Bene, oppid. Pedemontii, Bena.
Bene saacan, provinc. Asiæ, Lycia.
Benevento, urbs regni Neapolitani, Beneventum.
Benfeld, urbs Alsatiæ, Benefeldia.
Bengala, urbs Indiæ, Gange Bengala aliis.
Bengaucal, provinc. Asiæ, Arabia petræa.
Benges, fluv. Hungariæ, Sabaria.
Benguela, regio Æthiopiæ inferioris, Benguela.
Beni Arax, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Bambara.
Beni Maraz, urbs & mons Africæ, Septa, Septem fratres.
Beni Teudi, urbs Mauritaniæ, Babba, Iulia campestris.
Benibessera, regio Libyæ, Benibessera.
Benibuhalul, oppid. Mauritaniæ, Centa.
Benich, vide Bernich.
Benguazeval, mons regni Fezzæ, Beniguazevalus.
Benimager, promontor. Mauritaniæ Tingitanæ, Solis mons.
Benin, regnum & urbs Guineæ, Beninum.
Benisvaif, urbs Ægypti, Hermopolis, aliis Phylace Hermopolitana.
S. Benoist sur Loire, vicus Galliæ, cum Monasterio, in Carnutibus, Floriacum.
Benfert, vide Biserta.
Bensford bridge, oppid. Angliæ, Vennona.
Benthem, oppid. Westphaliæ, ubi Tubantes populi, Benthemum.
Benthemerberg, locus Frisiæ, Tanfanæ templum.
Bentihem, insula maris Tyrrheni, Parthenope.
Bentivoglio, castrum Italiæ, Bentivolium.
Bentotiene, vide Ventotiene.
Benyl, pagus Lotharingiæ, Ibliodurum.
Bera, urbs regni Granatensis, Virgi.
Berawn, urbs Bohemiæ, Verona
Beraun, urbs Bohemiæ, Beranna.
Berbero, fluv. Gedrosiæ, Arbis.
Berbowyna, vide Barbowyna.
Berchelies, prioratus Galliæ, in agro Parisino, Bercheria.
Berchem, oppid. Ducatus Iuliacensis, Tiberiacum.
Berchem, oppid. Germaniæ, inter Juliacum, & Coloniam, Tiberiacum.
Berck, oppid. Germaniæ inferioris, Vetera castra, Tricesima legio.
Berckel, fluv. Germaniæ, Velicer.
Berdoa, regnum Libyæ, Berdoa.
Berdsey, insula Walliæ, Barsa, Limnos, Edros, Andros Hedros
Berdun, pagus Catalauniæ, Bergidum.
Bereczlo, oppid. Hungariæ, Cibalis.
Beregras, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, Serbes.
Berejeth, mons Asiæ, Emodus.
Berejina, fluv. Sarmatiæ Europææ, Borysthenes.
Berg seu Mons, urbs Hannoniæ, Montes.
Berga, oppid. Hispaniæ, ubi Bergistani populi, Bergusia, Berginium.
Bergamo, urbs Cenomanorum Italiæ, Bergomum.
Bergamo, urbs Thraciæ, Pergamum.
Bergane, oppid. Liburniæ excisum, Assisia.
Berganza, vide Braganza.
Bergas, urbs Thraciæ, Arcadiopolis, Bergula, Pyrgus.
Bergen, oppid. Germaniæ in Rugia, Berga.
Bergen, urbs Norvegiæ. Bergoi.
Bergen op Zoom, oppid. Brabantiæ, ubi Ambivariti populi, Berga ad Zomam.
Bergerac, urbs Galliæ, Bergeracum.
Bergstrass & Bergstras, tractus juxta Heidelbergam, Capellatium, Palas.
Bergua, oppid. Hispaniæ, ubi Bergistani populi.
Bergue S. Vinnoch, castrum Belgii, S. Vinnochi.
Bergues seu Berg S. Vinoch, urbs Flandriæ, Berga S. Vinoci & Vinnociberga.
Bergzabern, oppid. Germaniæ, in Palatinatu, Tabernæ montanæ seu parvæ.
Beri seu bac à Beri, oppid. Galliæ, Barium seu Bacivum.
Beriara, provincia Asiæ, Arabia deserta
Beribir, oppid. Liburniæ excisum, Assisia, Assisia.
Berick, oppid. Clivæ, Calonis.
Berlanga, oppid. Castellæ veteris, Valeranica.
Berlin, urbs Marchiæ Brandenburgicæ, Berlinum, ubi Sodcrani populi.
Bermeo, oppid. Biscaiæ, Amanum portus, Flaviobriga.
Bermet, urbs Indiæ citerioris, Barbari.
Bern, urbs Helvetiæ, Berna, ubi Bernenses populi.
Berney, oppid. Galliæ, cum Monasterio, in Lexoviis, Bernacum.
Bernebourg, oppid. Germaniæ, Bernoburgum.
Bernhard de Stampes, urbs Arabiæ, Abratum.
Bernich, urbs Cyrenaicæ, Berenice.
Bernstad, oppid. Germaniæ, Bernardi urbs.
Bernswale, locus Scotiæ, Berubium.
Beroald, urbs Palæstinæ, Azotus.
Beron, urbs Arabiæ Felicis, Bilana.
Berre, fluv. Galliæ Narbonensis, Berra.
l'estang de Berre, in Provincia, stagnum Berrense.
Berry, regio Galliæ, ubi Bituriges populi.
Bersack, urbs Africæ, Carthago, Byrsa arx. Item oppid. Mauritaniæ, Castra Germanorum.
Berthalom, locus Transylvaniæ, ubi Pirum urbs.
Bertinoro, urbs Romandiolæ, Petra Honoris, Britinorium.
Bertolchgaden, oppid. Germaniæ, Bertolgada.
Berton, urbs Marmaricæ maritima, Paratonium.
S. Bertrand de Cominges, urbs Galliæ, Convenæ.
Berricour, locus Galliæ, in Remis, Berrici curtis.
Berwalde, urbs parva Germaniæ, Bervaldea.
Berwick, vide Barwick.
Berzembe, oppid. Pannoniæ, Berbis.
Berzeto, oppid. agri Parmensis, Barcetum.
Besagno, fluv. agri Genuensis, Feritor.
Besalu, oppid. Catalauniæ, Bisuldunum.
Besanzon, urbs Burgundiæ Comitatus, Bisontia, Vesontio, Visontium.
Besbre, amnis Galliæ in Boiis, Besbria.
Besecath, quarta pars orbis, Africa.
Besenege, promontor. Libyæ, Arsinarium.
Besermanni, populi Asiæ, Scythæ.
Beses & Besos, fluv. Catalauniæ, Betulo.
Besiers, urbs Galliæ Narbonensis, Biterra, Bæterra.
Beson, oppid. parvum Hispaniæ Tarraconensis, Betulisto, vel Betulo.
Beson, fluv. Catalauniæ, Bætulo, Betullo.
Bessan, pagus Aquitaniæ, Bisonum.
Bessarabia, regio Mysiæ inferioris, ubi Arpii, Bessi, Istriani, populi.
Bessin, tractus Normanniæ, ubi Baiocasses.
Bessin, locus Normanniæ, ubi Egui populi.
Bestede, arx Islandiæ, Besteda.
Besterczye vel Bestrecz, urbs Transylvaniæ, Bestricia, Nemidava.
Bestie, vide Vestie.
Beta, fluv. Americæ, Beta.
Betancourt, locus Galliæ, Betonis curtis.
Betania, urbs Peloponnesi, Gerenia.
Betanzos, urbs Gallæciæ, Flavium Brigantium, Brigantium.
de Betaw, vide Betowe.
Betencourt, locus Galliæ in Caletis, Bettonis curtis.
Betente, insula prope Neapolim, Parthenope.
Beteron, vide Boran.
Beters, pagus Hispaniæ Tarraconensis, ubi Betrones populi.
Bethel, urbs Palæstinæ, Luza, Bethel.
Bethenoble vel Bethnubie, oppid. Palæstinæ, Nob.
Bethgebrim, oppid. Palæstinæ, Bersabee.
Bethonopolis, oppid. Palæstinæ, Nob.
Bethoron, oppid. Palæstinæ, Bethsor.
Bethsan, urbs Palæstinæ, Scythopolis.
Bethsemes, urbs Ægypti, Heliopolis.
Betisi, oppid. Franciæ, Betisiacum.
Betogi, oppid. Tusciæ, Biturgia.
Betowe & Betwe, pars Bataviæ in Germania inferiori.
Bettonia, oppid. Umbriæ in Italia, Bettonium.
Betune, urbs Artesiæ, Bethuna.
Bevagna, oppid. Umbriæ, Mevania.
Beveland, insula Belgii, Bevelandia.
Beverley, oppid. Comitatus Eboracensis, Petuaria.
Bevi, locus in fœdere Rhætorum Cathedrali, Bivium.
Beunen, urbs Picardiæ, Gessoriacum.
Beuvrect, oppid. Burgundiæ excisum, Bibracte.
Beury, pagus juxta Leodium, Eburonia.
Beuthen, oppid. Germaniæ, Brutha.
Beuvron, fluv. Galliæ in Carnutibus, Bevero.
Bewtern, oppid. Norici excisum, Boioduram.
Beyeren, regio Germaniæ, Bavaria, ubi Boii, Narisci populi.
Beyern, castrum Sueviæ, Bragodurum, Brigobanna.
Beysel, oppid. Palæstinæ, Geth.
le Bezares, ager Galliæ, Biterrensis.
Beze, locus Galliæ cum monasterio, in Lingonibus, Fons Besuæ.
Bezmiliana, oppid. Hispaniæ, Menoba, Mænoba.
Biada, urbs Arabiæ Felicis, Badeos,
Biafara, urbs Guineæ, Biafara.
Bialacevieu, urbs Poloniæ, Bialacevia.
Bialograd, urbs Mysiæ inferioris, Arpii, Hermonassa.
Biana, oppid. Hispaniæ Bæticæ, Alba Virgao.
Biandra, pagus agri Novariensis, Blanderate.
Biarmi & Biarmia, populi & regio Sarmatiæ Europææ, Perm & Permia.
Biaur, vel le Biaur, amnis Galliæ, in Rhutenis, Biaurus ac Viaurus.
Biber, vide Bivar.
Biberna, oppid. Pedemontii, Forum Vibii.
Bibona, vide Bivona.
Biborge, Daniæ urbs, Biburgum,
Bibrach, urbs Sueviæ, Bibacum.
Bibrogger, populi Angliæ, Bibroci.
Bicaner, urbs Indiæ, Bardeates.
Bicari, oppid. Siciliæ, Hyccarum.
le pas de la Biche, locus Galliæ, passus Cervæ, vide Chlodoveus I.
Bichieri, urbs Ægypti, Canopus.
Bicorna, oppid. Peloponnesi, Cyparissi.
Bidasche, castrum Galliæ, Bidassia.
Bidassoa, fluv. Aquitaniæ, Bidasso.
Bidente, fluv. Romandiolæ, Vitis.
Bidan, vide Vidin.
Bidlyn, fluv. Indiæ, Indus.
la Bidourle, fluv. Galliæ, in Septimania, Vidourlus.
Bidumi, regio Palæstinæ, Idumea.
Bieda, oppid. Hetruriæ. Biera.
Biel, oppid. Aragoniæ, Bbelbium.
Biel, oppid. Helvetiæ, Benna.

Biela,

Biella, oppid. Pedemontii, Gaumellum, aliis Begella.
Bieller sée, lacus Helvetiæ, Biennensis.
Bielsko, urbs Poloniæ, Bielca.
Bienne, oppid. Helvetiorum, Bienna.
Bientina, oppid. Hetruriæ, Lucus Feroniæ.
Bierre, sylva Galliæ, in Senonibus, Bieria.
le Biern, vide le Bearn.
Bierne, oppid. & regio Aquitaniæ, Bearnensium urbs & Bearnia.
Biervliet, arx Belgii, Bersfletum.
Biescid, mons Sarmatiæ, pars Carpatis.
Bien, amniculus Galliæ, in agro Lugdunensi, Biecus.
Bievre, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, ad fluv. cognominem, Bevera, vel Beveris.
la riviere de Bevre, fluv. Galliæ in agro Parisino, Bevera.
Bigen, oppid. Japoniæ, Bigenum.
Bigeus, urbecula Siciliæ, Abacena, Abacenum.
Bigorre, regio Aquitaniæ, ubi Bigerriones, Vocates, populi.
Bignba, regnum Nigritiæ, Bignba.
Bilaus, leges Anglis dicuntur, Belligines.
Bilbao, urbs Biscaiæ, Flaviobriga.
Bilber, urbs Gedrosiæ, Arbis.
Bilbes, vide Belbes.
Biledla Abid, provinc. Asiæ, Lybia interior.
Biledulgerid, provinc. Africæ, Numidia.
Biledulgerid, regio Africæ, Biledulgeridia.
Bilenos, oppid. Phrygiæ, Polichna.
Bilici & Belici, fluv. Siciliæ, Hypsa.
Bilina, lacus & fluv. Sueciæ, Bilina.
Bille, amnis Germaniæ, Billena.
Billegracz, vide Beligraz.
ober-Billich, vicus Germaniæ, in Treveris, Bellicum superius.
wasser-Billich, vicus ad Suram fluv. Bellicum aquense.
Billom, oppid. Alverniæ, Billomum.
Bimaru, lacus Arachosiæ, Arachotus.
Bimini, insula Americæ, Bimina.
la Bina, pagus Cenomanorum, Italiæ, Bebriacum.
Binasco, pagus Insubriæ, Binus.
Binch, oppid. Hannoniæ, ubi etiam Vodgoriacum, Binchium.
Binchester, oppid. Angliæ, Binovium, Vinovium.
Bindemir, fluv. Persiæ, Bagrada, Brisoana, Brizana.
Bingen, oppid. Germaniæ superioris, Bingium.
Bingo, oppid. Japoniæ, Bingum.
Bins, vide Binch.
Bins en Hainaut, oppid. Belgii in Hannonia, Binchium.
Biorneburg, urbs Sueciæ, Biorneburgum.
Bir, urbs Mesopotamiæ, Birtha, Bethuas.
Bira vel Birra, oppid. Palæstinæ, Machmas.
Birckhausen, oppid. Bavariæ, Augusta. Badacum, Badanum.
Birgi, fluv. Siciliæ, Acithius.
Birieu, locus Galliæ, Biriacum, aut Viriacum.
Birka, urbs Sueciæ, Birca.
Birckenfeldt, oppid. Germaniæ, Birchenfeldia.
Birn, vide Bira.
Biron, castrum Aquitaniæ, Bironium.
die Birs, amnis in agro Basiliensi, Birsa.
Birsick, fluviol. agri Basiliensis, Birsicus.
Birviesca, oppid. Castellæ veteris, Virovesca.
Bisaccia, urbecula Italiæ, Bisaccia.
Bisagno, vide Besagno.
Bisalta, urbs Ægypti, Acanthus.
Bisano, oppid. & mons Apuani, Triferum.
Bisargo, insula Gallæciæ, Cassiterides.
Biscaya, regio Hispaniæ Tarraconensis, ubi Cantabri populi, Cantabria.
Bischoffzell, oppid. Helvetiæ, in Turgea, Episcopizella.
Bisegli, urbs Apuliæ, Vigilia.
Bisenzo, oppid. Hetruriæ, Visentium.
Biserta, urbs Africæ, Hippon Diarrhytos, Utica.
Bisignano, urbs Calabriæ citerioris, Besidiæ, Bisinianum.
Bisitas, promontor. Thraciæ juxta Constantinopolim, Iasonium.
Bismantua, mons & pagus agri Regiensis, Bismantum.
Bismeo, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Vabar.
Bisnagar, regio Indiæ, Bisnagaria.
Bisnagar, urbs Indiæ citerioris, Modura, Arcati.
Bisnagar seu Chandegry, urbs Indiæ, Bisnagaria.
Bisneghe, promontor. Africæ, Hesperium cornu.
Bisson, vide Besson.
Bisthumb Hildesheim, in Germania, Hildeshemiensis Episcopatus.
Bisthumb Munster, in Germania, Monasteriensis Episcopatus.
Bisthumb Wurzburg, in Germania, Herbipolitanus Episcopatus.

Biston, lacus Thraciæ, Bistonis.
Bistricz, pagus Hungariæ, Pistrensis villa.
Bistricz, vide Bestercze.
Bitburg, pagus Trevirensium, Beda.
Bitetto, urbs regni Neapolitani, Bitettum.
Bithlis, urbs Syriæ, Bithias.
Bitturo, vide Pittuto.
Bito, regnum Nigritiæ, Bitum.
Bitonto, urbs Apuliæ Peucetiæ, Butuntum, Budruntum.
Bitsch, oppid. Alsatiæ, Bidiscum.
Bittona, oppid. Umbriæ, ubi Vettonienses populi, Vettonium.
Bivar, oppid. Hungariæ, ad Saum fluv. in insula Metubarri.
Biudere, vide Bouterre.
Bivona, oppidul. Calabriæ, Hippo, Vibo.
Biverar, fluv. Andaluziæ, Salsum.
Bouterre, fluv. & sinus Thraciæ, Bathycolpus.
Bizini, oppid. Siciliæ excisum, ubi olim Bidini populi, Bidis.
Bizze, insula Sardiniæ, una Cuniculariarum.
Blackmore, Angliæ, Badonicus mons.
Blackwater, fluv. Essexiæ, Idumania.
Bladnoch, fluv. Scotiæ, Devia.
le Blaguez, ager Galliæ, Blaviensis.
le Blaisois, tractus terræ in Gallia, Blesensis.
Blaison, locus Galliæ, in Andicavis, Blaso.
Blamberg, mons inter Burgundos & Helvetios, Iura.
Blamont, castrum Lotharingiæ, Albus Mons.
le Blanc en Berry, oppid. Galliæ, in Biturigibus, Oblincum.
Blanc-Mesnil, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Alba Domus.
Blanche Lande, Monasterium Galliæ, in pago Constantino, Vastinum Candidum.
Blancbnest, promontor. Picardiæ, Icium.
Blanckenberg, locus Lotharingiæ, Albus Mons.
Blanes, oppid. Cataloniæ, Blanda.
Blangi en Tornois, vicus agri Tarvennensis, Blanciacum.
Blangis, oppidul. Galliæ, in Caletis, Blangiacum.
Blanckeberg, oppidul. Belgii, Blancaberga.
Blanmont, oppid. Lotharingiæ, Blamontium.
Blanquefort, oppidul. Aquitaniæ, Blancafortium.
Blata, oppid. Africæ maritimum, Barathia.
Blaubeuren, oppid. Sueviæ, Ara Flavia, Blabyria.
Blavet, oppid. Britanniæ minoris, Blabia, aliis Portus Ludovici.
Blaye, oppid. Aquitaniæ, Blavia.
Blayguez, vide le Blaguez.
Blechisfeld, tractus Daciæ, ubi Paloda oppid.
Bleiss, vicus Belgii, Blesa.
Blekyng, provinc. Sueciæ, Blekingia.
Blenda, insula Peloponnesi, Belbina.
Bleneau, oppid. Galliæ, Bleaavium.
Bleone, amnis Galliæ, in Provincia, Bledona.
Bleré, locus Galliæ in Turonibus, ad Carim fluv. Blaracum vel Blisiacum.
Blere, castellum Galliæ, in Cenomanis, Blera.
Bleterans, oppid. Comitatus Burgundiæ, Bletterum.
Blida, oppid. Bulgariæ, Oescus.
Bliese vel Bliers, fluv. Belgii, Blesa.
Biese Cassel, castellum Belgii, Blesa.
le Bliron, locus Galliæ, in Briona, Bliro.
Blindenburg, oppid. Hungariæ, Felicis lacus vel locus.
Blois, oppid. Galliæ Celticæ, Blesa, Blesense castrum.
Blaise, fluv. & castellum Belgii, Blosia vel Blesa, vide Blaise.
Blonicz, urbs Poloniæ, Blonicum.
Bloudhounds, canum Anglicorum genus, Sanguinarii.
Bloys, vide Blois.
Boagrio, fluv. Locrorum, Boagrius.
Boarno, pagus agri Brixiensis, Vobernum.
Bobbio, vide Bobio.
Boberca, oppid. Aragoniæ, Voberca.
Bobigny, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Balbiniacum.
Bobio, urbs Ducatus Mediolanensis, Bobium, Boium, Libarna.
Boburci, populi Americæ.
Boca & Bocaibalbec, regio Palæstinæ, Cœlesyria.
Bocca del Inferno, spelunca regni Neapolitani, Amsancti vallis.
di Lupo, angustiæ montis Thessaliæ, Thermopylæ.
del Mar maggiore, Os Ponti, Bosporus Thracius.
di S. Giovanni, fretum Tauricæ, Bosporus Cimmerius.

Boccariz vel Boccharia, oppid. Liburniæ, Volcera.
Bocchara, fluv. Bactrianæ, Bactrus.
Bocche di Bonifacio, prope Sardiniam, fretum Taphros.
Bocche di Bonifacio, prope Sardiniam, fretum Taphros.
Bochar, urbs Asiæ, Bochara.
Bochir, urbs Ægypti, Canopus.
Bocino, oppid. Lucaniæ, Volcetum.
Bodenal, locus Bæticæ juxta oppid. Nertobricam.
Bodenhausen, oppid. Saxoniæ, Asturia.
Bodensée, lacus Sueviæ, Acronius, Brigantinus.
Bodensée seu Lac de Constance, lacus Sueviæ, Venetus, Brigantinus, & Podamicus.
Bodman, oppid. Cornubiæ, Voliba.
Bodmin, oppid. Angliæ, Bodminia & Bosuena.
Bodon, urbs Mysiæ superioris, Bononia, Bodina, Bydena.
Bodrog, fluv. Hungariæ, Bodrogus.
Bod-vary, oppid. Walliæ, Varis.
Boene, tractus Scotiæ, ubi Vacomagi populi.
Bog, fluv. Sarmatiæ Europææ, Hypanis.
Bogazar, vide Bozagar.
Bogazasar & Bogasar, oppid. Thraciæ Chersonesi, Lamocopia, aliis Sestos.
Bogazin, fretum prope Constantinopolim, Bosporus Thracius.
Bogazosser, vide Bogazasar.
Bogdiana, pars Daciæ, provinciæ Europæ.
Bogesund, oppid. Sueciæ, Bogesunda.
Boglio & Bueil, castrum ditionis Sabaudiæ, Bovillium & Boglio.
Bogras, urbs Syriæ, Pagra, aliis Portæ Amani, Pylæ Amanicæ.
Bohar Corsun, in Asia, Arabicus sinus, Hyrcanum mare.
Bohemia, regio Germaniæ, Boiemum.
Bohemischwaldt, sylva Germaniæ, pars Hyrcaniæ, Sylva Bohemica.
Bohor, vide Beor.
la Boiana, fluv. inter Dalmatiam & Macedoniam, Drilo, Drinus.
Boiana, fluv. Dalmatiæ, Barbana.
Boiano, urbs Samnii, Boianum, Bovianum.
Boibo, oppid. Æmiliæ, Boium.
Boisbelle, oppidul. Galliæ, Boscobellum.
Bois le Duc, urbs Brabantiæ, Aduaticorum popul. Boscum Ducis, Sylva Ducis.
le Bois l'Abbé, sylva in Morinis, Abbatis sylva.
Bois d'Arcis, vicus Galliæ, in agro Parisino, Nemus Arsicii.
le Bois de Bourfin, sylva in Morinis, Cellensis.
Bois de Ciran, pars sylvæ Carbonariæ, Cerasia.
Bois Commun, locus Galliæ, in sylva Aurelianensi, Boscus communis.
Bois de Mormal, pars sylvæ Carbonariæ, Marmalia.
le Bois de Perchet, sylva Galliæ, in Pertico, Perticulum.
le Bois de San Lodegair, locus Artesiæ, ubi Siricizium pagus.
le Bois S. Pierre, vicus Galliæ, in agro Parisino, Boscus S. Petri.
Bois de Soigne, pars sylvæ Carbonariæ, Soniaca sylva.
le Bois de Vaure, sylva Lotharingiæ, Vabrensis.
Boissere, locus Galliæ, in agro Wastinensi, Boscaria.
Boissi sous S. Ion, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Bussiacum sub vico S. Jonii vel Æonis.
Boissise, vicus Galliæ, in sylva Bieria, Bossisia.
Boissy S. George & Boissy S. Martin, vici Galliæ, in agro Parisiensi, Busciacum vel Boscigacum S. Georgii & S. Martini.
Boissy le Rey, vicus Galliæ, in sylva Bieria, Bosciacum Regis.
Boisy, locus Galliæ ad Mucram, Bosciacum.
Boitre, urbs excisa Bavariæ, Boiodurum.
Boldo, oppid. Syriæ, Paltos.
Boldue, vide Bois le Duc.
Bolen, oppid. Galliæ, Gesoriacum seu Bononia.
Boleta, urbs Peloponnesi, Bolina.
Boleslav, urbs Bohemiæ, Boleslavia.
Boliana, fluv. inter Dalmatiam & Macedoniam, Drinus.
Bolina, urbs Macedoniæ, Apollonia.
la Bolicina di Bovano, mons Calabriæ, Clibanus.
Boli, regio Bithyniæ juxta Paphlagoniam, Honorias, urbs, Alcontecbos, fluv. & urbs Galatiæ, Zalissus.
Bolli, provinc. Asiæ minoris, Paphlagonia.
Bologna, urbs Romandiolæ, Bononia, Felsina.
Bologna al mare, vide Bologne à la mer.
Bologne, oppid. Aquitaniæ, Bosonia.
Bologne à la mer, urbs Picardiæ, Gessoriacum, Bononia.
Bolsano, vide Bolzan.

Bolsena, oppid. Hetruriæ, Volsinium.
Bolsvert, oppid. Belgii, Bolsverda.
Bolton, oppid. Angliæ, Boltonia.
Bolzan, oppid. Comitatus Tyrolensis, Bozenum.
Bolzano, castrum Venetiæ, Bolzanum.
Bomarzo, oppid. Hetruriæ, Polymartium.
Bombon, provinc. Peruviæ, Bombona.
Bommelia, oppid. Gueldriæ, Bommel.
Bon vel Bonn, urbs Germaniæ inferioris, Bonna.
Bona, pagus Galliæ, Buata.
Bona, urbs Africæ maritima, Hippon regius.
Bonaire, in America Meridionali, Insula Boni aëris.
Bonandrea, urbs maritima Cyrenaicæ, Apollonia.
Bonconvento, oppid. Etruriæ, Bonus Conventus.
Bondeno, oppid. Galliæ Togatæ, Bodincomagum.
Bondi, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Bunzeja.
Bondoniza, oppid. Græciæ, Scarphea.
Bondoufle, vicus Galliæ, in agro Parisino, Bondofla.
Bondrut, oppid. ditionis Basileensis, Brundusia.
Boneuil sur Marne, vicus Galliæ, in agro Parisino, ad Matronam fluv. Bonogilum.
Bonfatti, oppid. Calabriæ, Hyela.
Bonhomme, insula Provinciæ, una Stœchadum.
Bonifacio, oppid. Calabriæ, Hyela.
Bonifacio, oppid. Corsicæ, Syracusanus portus.
Bonifacio, urbs Corsicæ insulæ, Bonifacium.
Bonmonster, oppid. Hungariæ, Bonoma.
Bonne, oppid. Sabaudiæ, ubi olim Bodiontii, Ebrodontii, populi, Bonna.
Bonne, oppid. Germaniæ, Ara Ubiorum & Bonna.
Bonnes, seu Bonne, locus Galliæ, in agro Parisiensi. Item in Belsia, Bonna.
Bonnes, i. e. limites, locus Galliæ, ad Junnam, Bonna.
Bonnevalle, oppid. Galliæ, Bonavallis.
Bonneville, oppid. Sabaudiæ, Bonnopolis.
Bononio, Gallis l'Isle Bon homme. Insula Galliæ, una ex Arcensibus, Bononium.
Bonporto, vide Porto bon.
Bonpruo, mons Indiæ, Bepyrrus.
Bonzuda, locus Hungariæ, Bregatium.
Boor, urbs Macedoniæ, Berrhœa.
Boot, insula Scotiæ, Boota.
Boparten, vide Boppart.
Boppart, oppid. Germaniæ, superioris, Bodobriga.
Boguerano, insula Asiæ, Boguerana.
Borbo, fluviolus Liguriæ, Urbs.
Borca, oppidul. Gomeæ, Borca.
Borch loon, seu Borch loen, oppid. Belgii, in diœcesi Leodiensi, Lossense.
Borcholm, oppidul. Sueciæ, Borcholmia.
Borcholm, arx Sueciæ, Burcholmia.
Borcholt, oppidul. Germaniæ, Borcholtum.
la Borde, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Borda, aliàs Borda.
Bordeaux, vide Bourdeaux.
les Bordelois, populi Galliæ, Bituriges Vivisci.
Bordelong, urbs Indiæ, Bordelonga.
Borrebs, pagus agri Burdigalensis, Vereginis villa.
Boreyia, oppid. Africæ maritimum, Deorum portus.
il Borghetto, oppidul. Italiæ, ad Decimum.
Borgo, urbs Finlandiæ, Borgus, Burgus.
Borgo Lavizaro, popul. Insubriæ, Forum Lebuorum, Lebetiorum.
di S. Donnino, urbs Ducatus Parmensis, Fidentia, Iulia, aliis Burgus S. Domnini.
di S. Martino, pagus Montisferrati, Vetus caput.
di S. Pietro, pars urbis Romæ trans Tiberim, Leonina, Transtyberina.
di San Sepolcro, urbs Hetruriæ, Biturgia, Burgum San Sepulchri.
di Sesia, oppidul. Italiæ, Burgus Sesitet.
di Tamasso, urbs Cypri excisa, Tamassus.
Borgognoni, vide Bourguignon.
Borja, urbs Aragoniæ, Belsinum.
Boriquen, insula Americæ, Boriquena.
Borkom, insula maris Germanici, Burchana, Byrchanis, Fabaria.
Borkum, insula Frisiæ, Byrchanis.
Borme, locus Galliæ, in Provincia, Bromum.
Bormia, fluv. Pedemontii, Bormia.
Bormio, oppid. Rhætiæ, ubi Bormiæ aquæ, Bormium.
Born, vel S. Paul de Born, vicus Galliæ, in Aquitania, Bundium vel Burnum.
Bornea, vide Burnea.
Borneo, insula Indiæ, Bona Fortuna.
Borneo, insula Indiæ, Borneum.
Bornheim, castrum Belgii, Bornhemum.
Bornholm, insula maris Baltici, ubi Burii populi, Boringia aliis.
Borno, regio Africæ, ubi Atlantes populi.
Borno, desertum Africæ, Bornum.
Borough bridge, vicus Angliæ, Isurium.
Borowa, oppid. Bohemiæ, Eburum.
Boru, urbs Ciconum popul. Thraciæ in Bistonis regione.

Borwick, vide Barwick.
Bosa, urbs Sardiniæ, Bosa.
Bosco di Baccano, in Hetruria, Mæsia sylva.
di Monte Fiascone, Hetruriæ, Sylva Volsiniensis.
di Pontremoli, Liguriæ, Marcius Saltus.
di Solano, locus Calabriæ, Clibanus.
Bose le Roger, oppid. Galliæ, ad Riselam fluv. Boscus Rogerii.
Bosi, vide Bosa.
Bosrie, oppid. Ægypti, Chersonesus parva, Busiris.
Bosna, regio Europæ, pars Mæsiæ superioris.
Bosna, fluv. Bosniæ regionis, Bosna.
Bosna Saray, urbs Bosniæ, Bosna Saraium.
Bosnesi & Bosnachi, populi Hungariæ, Scordisci.
Bosnie seu Bosser, regio Europæ, Bosnia aut Bossena.
Bosoch, regio Armeniæ minoris, Melitene.
Bosra, urbs Arabiæ petrææ, Bostra.
Bossay, locus Galliæ, in Briona, Bosciacum.
Bossega, urbs Bosniæ, Basiana.
Bossen, regio Dardanorum popul. Mysiæ superioris, Dardania, Bossina, Bosna.
Bossonville, oppid Lotharingiæ, Bossonis villa.
Bossut, castrum Belgii in Hannonia, Buxudis.
Bossy, vicus ad Ederam fluv. Bosci.
Bostizan, oppid. Peloponnesi, Ægira, Æginum.
Boston, oppid. Angliæ, ubi olim Metaris æstuarium.
Botan, regio Assyriæ, Adrabene.
Bothnia, regio Scandinaviæ, ubi Levona populi.
Bothnie, provinc. Sueciæ, Bothnia.
Botrum, urbs Phœniciæ, Botrus.
Botzberg, mons intra Burgundiam & Basileam, pars Iura, Vocetius.
Bou, locus Galliæ, in sylva Aurelianensi, Bullium.
Bova, urbs Calabriæ ulterioris, Bova.
la Bouble, fluv. Galliæ, in Elaverem: Item alius in Sicaulam influens, Bulbula, vel Bubula.
Bouchaut, oppid. Belgii, in Flandria, Bochanium, vel Buccinium.
la Bouche de Garonne, locus Galliæ, ad Garumnam fluv. Os Garumnæ.
Bouche-Maine, locus Galliæ, infra Juliomagum Andium, Os seu Bucca Meduanæ.
Boudonville, aliàs Bousonville, in Lotharingia, Bodonis Monasterium.
la Bouille, locus Galliæ, ad Sequanam, Butila.
Bouillon, vide Bouillon.
Bovines, oppid, Comitatus Namurcensis, Bovinacum.
Bovino, urbs Apuliæ, Bovinum.
Boul sur Suippe, locus Galliæ, Bobiliniaca supra Suppiam.
le Boulay, locus Galliæ in Turonibus, Buculium.
la Boulengerie, unus ex vicis urbis Meldorum in Galliâ, Bolengaria.
Bouillon, oppid. & Ducatus in Belgio, Consedia, Bullonium, aliis Tungrorum fons.
Bouillon, locus Belgii, Tungrorum fons.
le Boulonois, populi Galliæ in Picardia, Bononienses.
Boumon, castrum ad lacum Lemanum, Bonus Mons.
Bourbon, oppid. Galliæ Celticæ, ubi Boii populi.
Bourbon l'Ancy, oppid. Galliæ, ad Ligerim, Burbo vel Borbonium Anselmi.
Bourbon l'Archambaut, oppid. Galliæ, Borbonium Archembaldi.
Bourbon le bains, castrum Galliæ, in Biturigibus, Burbo ad Balnea.
Bourbonnois, Galliæ Celticæ regio, ubi Boii populi, aliis Borbonensis.
Bourbourg, oppid Belgii, Burburgus.
Bourdeaux, urbs Aquitaniæ, Burdigala.
Bourdeaux, oppidul. Delphinates, Burdegala.
le landes de Bourdeaux, aliàs les landes de Bazes, tractus Galliæ, dictus, Arenæ Burdigalenses vel Vasatenses.
Bourdencourt, locus Galliæ, in Caletis, Burdonis curtis.
Bourg, oppid. juxta Burdigalam, Ebromagum, Hebromagum.
le Bourg, vicus Galliæ, in agro Nemausensi, Burgum.
de Deols, locus Galliæ in Biturigibus, Doli.
Bourg en Bresse, oppid. Bressiæ regionis Franciæ, Forum Sebusianorum, Tamnum Burgus.
Dalim, vide Burg Dalim.
De la Duile, pagus inter Alpes, Arebrigium.
Dun, vicus Galliæ, in Caletis, Burgum Duni.
de Duysans, oppid. Decéatum popul. Provinciæ.
Fontaine, locus Galliæ, cum Monasterio, in sylva Retia, Burgus Fontis.
de Hierochipe, vicus Cypri, Hierocepia.
sur mer, oppid. Galliæ, in Aquitania, Burgus ad mare.
sur mer, oppid. Aquitaniæ, Burgus.

la Reyne, vicus Galliæ, in agro Parisino, Burgus Reginæ.
S. Andoni, pagus Galliæ, Fanum S. Andeoli.
Bourganeuf, oppid Aquitaniæ, Burgus novus.
Bourges, urbs Galliæ, Biturica, Bituris, olim Biturigum, & Avaricum.
le Bourget, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Burgus vel Burgulum.
Bourgogne, provincia Galliæ, Burgundia.
Bourgoin, oppid. Delphinatus, Bergusia.
Bourgtheroude, locus Galliæ, in diœcesi Rotomagensi, Burgus Turoldi.
Bourguignons, populi Galliæ Celticæ, Burgundiones, Ædui Sequani.
Bourgow, oppidul. Sueviæ, Burgovia.
Bourgueil, oppidul. Galliæ, Burgolium.
Bourgueil en Vallee, locus Galliæ, cum Monasterio, in Andibus, Burgulium.
Bourmont, locus Lotharingiæ, in Ducatu Barrensi, Brunonis mons.
Bouro, insula Asiæ, Buroa.
Bouron lac, in Thracia, Bistonis lacus.
Bourtang, arx Belgii, Bortanga.
Bousencourt, locus Galliæ ad Suminam, Bosonis curtis.
Boussay, locus Galliæ, in agro Wastinensi, Boscetum.
Boussi, vel Bossi, vicus Galliæ, in Briegio, Buxeum.
Boussoi, vide Bossut.
Boussut, pagus Hannoniæ, Buxudis.
Boutelle, vicus Galliæ, in Caletis, Butila.
Bouteiller, vide Buticularius.
la Boutonne, fluv. Galliæ, in Santonibus, Vultonna.
Bouxieres, locus Lotharingiæ, ad fluv. Saliam, Buxeriæ.
Bowes, pagus Angliæ, Lavatris.
Bowling Boug, oppid. Galliæ, Gesoriacum seu Bononia.
Boxtehude, oppid. Germaniæ, Boxtuda.
Bozagar, urbs Sarmatiæ ad Tanaim, Exopolis.
Bozolo, oppid. Italiæ, Bozolum.
Bozwiba, fluv. Hungariæ, Bacuntius.
Bra, oppid. Liguriæ Barderate.
Brabançons, populi Belgii, Brabanti.
Brabant, regio Belgii, Brabantia, ubi Ambivariti populi.
Brabate, oppid. Andalusiæ, Belo.
Bracciano, oppid. Hetruriæ, Arcennum, Braccianum, Bryganum, Sabata.
Braccio di S. Giorgio, Hellespontus.
Braccio di S. Rainer, promontor. Siciliæ, Argenum.
Braces, insula maris Tyrrheni, una Ithacesiarum.
Brachesac, castrum Galliæ, in Andicavis, Braccum sacum.
Brachi, locus Galliæ in Caletis, Bracietum.
Bradano, fluv. Lucaniæ, Brada.
Braga, urbs Portugalliæ, Augusta Bracarum, Bracara, Bracara.
Braganza, urbs Portugalliæ, Brigantia. Caliobriga, Tuntobriga.
Braid Albin, provincia Scotiæ, Albania.
Brailaw, oppid, Moldaviæ, Piroboridava.
Braine, vide Brayne.
Braine, oppid. Belgii, Branium.
Braine, oppidul. Galliæ, in Turonibus, Brennacum.
Braine le Chasteau, castellum Belgii, in Hannonia, Braina.
Braine le Comte, locus Belgii in Hannonia, Braina Comitis.
Bramans, oppid. Sequanorum, Bramagum.
Bramant, oppidul. Sabaudiæ, Brammovicum.
Bramas, populi Æthiopiæ, Brama.
Bramasans, vide Bramans.
Bramins, populi Indiæ, Brachmanes.
Brampton, oppid. Angliæ, Bremenium.
Bran, vide Brau.
Brancaster, oppid. Angliæ, Branodunum.
Brancion, castellum Galliæ, Brancedunum.
Brandeburg, urbs Germaniæ, Brandeburgum, Brennoburgum.
Brandeburger, populi Germaniæ, Sodrani.
Brandeis, oppid. Bohemiæ, Brandisium & Brandisium.
Brandenderberg & Isle de Vulcain, in mari Indico, Insula Vulcani.
Branick, castrum Germaniæ, Branicum.
la Branle, fluv. Galliæ, in Turonibus, Brahma.
Bramesia, vide Aldenburg.
Branicero, oppid. Mysiæ inferioris, Variano.
Branville, locus Galliæ in Lexoviis, Brandevilla.
Braslaw, urbs Lithuaniæ, Bratislavia.
Brassow, urbs Transylvaniæ, Corona, Prætoria Augusta, Stephanopolis, Patrovissa, vide Cronstat.
Brassowa, urbs Transylvaniæ, Patrovissa, Prætoria Augusta, Corona.

Braia,

Brata, oppid. Africæ maritimum, Barathia.
Brau, pagus Aquitaniæ, Hebromagum, Hebromanum.
Brava, urbs Africæ, Brava.
Braunaw, oppid. Bavariæ, Braunodunum, Cabanodurum, Brundunum.
Braunecken, tractus Comitatus Tirolensis, Brionum.
Braunsfeld, oppid. Germaniæ, Braunsfelda.
Braunswyck, urbs Saxoniæ, Brunopolis, Tulisurgium.
Bray, oppid. Campaniæ Gallicæ, Bibrax.
Bray, pagus Picardiæ, Samarobrina.
Bray, fluv. Galliæ, in Lidericum fluens. Item locus Galliæ, in Bellovacis, ad Hormentionem fluv. &c. Braium.
Bray, vel la forest de Bray, sylva Galliæ, Brajensis.
Bray Comte Robert, castrum Galliæ, in agro Parisino, Braia Comitis Roberti.
Brai en Reitel..., locus Galliæ in Ducatu Reitestinio, Brajum.
Bray sur Seine, locus Galliæ, Brajum ad Sequanam.
Bray sur Somme, locus ejusdem regni, Brajum ad Suminam.
Braychipult point, promontor. Angliæ, Canganorum.
Braye, castrum Galliæ, in Veliocassibus, Brajum. Item rivus Galliæ, in Cenomanis, Brigia.
Brayes, parœcia Galliæ, in agro Remensi, Bracæ, vel Bragæ.
Brayne, oppid. Campaniæ Gallicæ, Bibrax.
Brazza, insula Liburniæ, Brattia, vel Brachia.
la Brebine, fluv. Galliç in agro Augustodunensi, Burbintia.
Breche, vicus Galliæ in Turonibus, Bricca.
Brechin, urbs Scotiæ, Brechinium.
Brechyn, urbecula Bohemiæ, Brechynia.
Brecnok, provinc. Angliç, Brechinia.
Breda, urbs Belgii, Breda.
Bredenberg, oppidul. Daniæ, Bredenberga.
Brederode, castrum Hollandiæ, Brederoda.
Brefort, oppidul. Belgii, Brefurtium.
Breganzon, arx Galliæ, Brigançonia.
Bregentz, oppid. Sueviæ, Brigantium.
Bregna, oppid. Liburniæ, Arucia.
Bregna val, vide la Val di Bregna.
Bregnitz, urbs Hungariæ excisa, Bregætium.
Bregnitz, vide Bregentz.
Bregno, fluv. apud Brennos popul. Alpinos, Brennus.
Brema, urbs Sinarum, Bramma.
Brema, urbs Indiæ, Brema.
Brembo, fluv. Italiæ, Brembus.
Bremen, urbs Saxoniæ, Phabiranum, Brema.
Bremerfurde, oppid. Germaniæ, Bremenfurda.
Bremgarten, oppid. Helvetiorum, bremocartum.
Brendolo, oppidul. Venetiæ, Brendulum.
Brenne, locus Campaniæ Gallicæ, Brenna.
Brenner, mons Rhætiæ, Pyrenæus.
la Brenta, fluv. Venetiæ, Brentesia, Brinta, Medoacus.
Brento, oppid. Romandiolæ excisum, Brintum.
Brentonego, vide Brentoni.
Brentoni, pagus Venetiæ, Brentonicum.
Bresca, oppid Mauritaniæ, Rustonium.
Brescia, urbs Cenomanorum Italiæ, Brixia.
Brescon, arx Occitaniæ, Blascon.
Bresil, regio Americæ, Brasil, Brasilia.
Breslaw, urbs Silesiæ, Budorgis, Vratislavia, Budorigum.
la Bresle, fluv. Galliæ in Caletis, Brisella.
Bresne, oppid. Galliæ Belgicæ, Bibrax.
Bresne, fluv. Galliæ in Turonibus, Breslia.
la Bresse, regio Galliæ, ubi Sebusiani populi, Bressia.
la Bresse Chalonoise, tractus Burgundiæ, prope Cabillonum, Brexia Cabillonensis.
la Bresse Savoyarde, tractus terræ, Brexia Sabaudica.
Bressello, oppid. Ducatus Mutinensis, Brixellum.
Bressenon, urbs Germaniæ, Brixino.
Bressici, urbs Poloniæ, Bressicia.
Bressuire, urbecula Galliæ, Bressuria.
Brest, portus & oppid. Britanniæ minoris, Brivates, cui Vindana portus proximus.
Brest, urbs Poloniæ, Breslia.
Bretagna, pagus Gallæciæ, Bretonia.
Bretaigne, regio Galliæ, ubi Aremoricæ civitates, Armorica, Britannia minor.
Bretanniere, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Brittonaria.
la Bretéche, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Bretescia. Dicitur & S. Non de la Breteche.
Bretenham, oppid. Angliæ, Combretonium.
Breteuil, oppid. Galliæ, Bretelium & Bretolium.
Breteuil, burgus Galliç in Bellovacis, ad Ittonam fluv. Bretolium vel Britolium.
Bretigny, vicus Galliæ, in agro Parisino, Britiniacum.
la chapelle de Bretot, vicus Galliæ, in sylva Brotona, Capella Brotonæ.

Bretta, oppid. Sueviæ, Solicinium.
Bretten, oppid. Palatinatus, Solicinium.
Bretten, oppidul. Sueciæ, Bretta.
Bretulla, pagus Portugalliæ, Bretolæum.
le Breuil, locus Galliæ, in Lexoviis, Brolium.
Brexar, oppid. Mauritaniæ maritimum, Castra Germanorum.
Breyn, lacus Scotiæ, Bruna & Breyna.
Briançonet, arx Sabaudiæ, Brianzonia.
Brianzon, oppid. Delphinatus, Brigantium, ubi Brigiani populi.
le Brianzonnois, pagus Delphinatus, Brigantionius.
Briare, oppid. Galliæ Celticæ, in agro Aurelian. Bridoborum.
Briatico, vide Vmbriatico.
S. Brice, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, S. Bricii.
Bricque, antiquus locus Belgii, ad mare, inter Altejam & Quantiam fluv. Brica, an Lambrica.
Bricquenay, villa Galliæ, ad Rotumnam fluv. Bracancium.
Bricquia, provincia Asiæ minoris, Lycia.
Bridlington, oppid. Angliæ, Brillendunum.
Bridore, vicus Galliæ, in Turonibus, ad Andriam fluv. Brioireidis vicus.
la Brie, provincia Galliæ, Bria.
Brie-Comte-Robert, oppid. Galliæ, Bria Comitis Roberti.
Brieg, urbs Germaniæ, Brega.
Briel, la Brile, urbs Hollandiæ, Briela.
S. Brieu, oppid. Aremoricæ, Briconium.
Brieu de Ville, oppid. Gall. ad Elaver fluv. Brivas vetus.
Briga, pagus Vallesiæ, Sempronium.
Brig-Casterton, oppid. Angliæ, Causennis.
Brigdewater, oppidul. Angliæ Brigevatera.
Brige, vel Brig dans le Vallais, vicus Helvetiæ, in Vallesia inferiori, Briga.
Brignais, aliàs Brignicx, vicus Galliæ, in agro Lugdunensi, Prisciniacum.
Brignano, oppid. Venetiæ, Bretena.
Brignole, locus Galliæ, in Provincia, Brinonia.
Brignoles, oppid. Galliæ, Brinolium.
Brignon, fluv. Galliæ, in Turonibus, Brenno.
Brin, urbs Moraviæ, Eburum, Arsicua, Brinnum.
Brindisi, urbs Salentinorum, Brundusium.
Brinnitka, oppidul. Germaniæ, Brinnica.
Brinon, vel Bernon, locus Galliæ, in Tricassibus, Eburobricæ.
Briolay, locus Galliæ, Brioledum.
Briones, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, ubi Berones populi.
li Brioni, insulæ Istriæ, Pullariæ.
Brionne, vel Briosne, oppid. Galliæ, in Neustria, Brionia.
Brioude, oppid. Arvenorum, Brivas.
Vieille Brioude, vicus priori proximus, vetus Brivas.
Briouse, locus Galliæ, in Normannia, Briosa.
Briqueras, oppid. Pedemontii, Briquerascum.
Brisach, oppid. Alsatiæ, Brisacus mons, Mons Brisiacus.
Brisay, castrum Galliæ in Turonibus, Brixis.
Brisca, oppid. Mauritaniæ maritimum, Castra Germanorum.
Brisgow, regio Germaniæ superioris, Brisgoia, ubi Brisigavi populi.
Brisgower, populi Germaniæ superioris, Brisigavi.
Brisigghella, oppidul. Italiæ, Bresegella.
Brisna, fluv. Sarmatiç Europææ, Borysthenes.
Brisnon, vide Brixen.
Briserte, locus ad Sartam fluv, Pons Sartæ.
S. Brisson, castrum Galliæ in Turonibus, S. Brictionis.
Bristow, urbs Angliæ, Bristolium, Venta Belgarum, Venta Silurum.
Brit, provincia Scotiæ, Aaneja.
le Brivadois, ager Galliæ, in Arvernis, Brivadensis.
Brive, pagus Lemovicensis. Urbs est Brivas.
Brive la Gaillarde, aliàs Brive sur Courreze, oppid. Galliæ, in Lemovicibus, Briva Curretia.
Briviesca, vide Birviesca.
Briwo, oppid. Insubriæ, Bripium.
Brixen, urbs Comitatus Tirolensis, Brixino.
Bro, vicus Helvetiæ, Bromagus.
lac de Bro, lacus Helvetiæ, Bromagensis.
Broboliza oppid. Laconicæ, Thalame, Theramne.
Brocalo, regnum Nigritiæ, Brocalum.
Brokersberg, mons inter Thuringiam & Franconiam, Melibocus, & oppid. Busacterorum.
Brockmerlandt, tractus Frisiæ, ubi Bructeri populi.
Brod Behemisch, urbs Bohemiæ, Broda.
Brod Deutschen, urbs Bohemiæ, Broda.
Brodegni, oppid. Peloponnesi, Bityla.
Brodra, oppid. Indiæ, Brodra.
Broia, vide Labroia.
Bronchorst, oppid. Belgii, Bronchorstium.

Brandolo, prope Venetiam, Brundulus portus.
Brou, oppid. agri Ticinensis, Blandenona.
Brombrou & Broemsebro, pagus Ostrogothiæ, Brombroa.
Bross, augustia Alpium inter Hungariam & Transilvaniam, Bontas.
Bressa, oppid. Transylvaniæ, Frateria vel Phrateria.
la Brosse, Prioratus Galliæ, in agro Parisiaco, Brocia.
Brosses, lacus Galliæ in Turonibus, Brixæ aut Brixis.
les Brosses, aut le Plessis le Broces, vicus Galliæ, in agro Parisino, Plessejum Fruciarum.
Brou, oppidul. Galliæ, in Pertico Goëti, Brajacum, vel Brajotum.
Brou, oppidul. Aquitaniæ, Brigiosum.
Brouck, oppid. Ducatus Bergensis, ubi populi Boructuarii, Bructeri,
Brougham, oppid. Angliæ, Brovonacis, Braboniacum.
Broughton, oppid. Angliæ, Brige.
Brouillar, locus Burgundiæ, Ebrovillare.
haute Bruyere, locus Galliæ, cum monasterio, in agro Parisino, Alta Brueria,
Bruyeres, vicus sylvæ Cotiæ. Item vicus Galliæ, in agro Parisino. Item castellum ad Remandam Brueriæ
Bruyeres sur Cher, locus Galliæ, Brueriæ ad Carum.
Brunois, locus ad Ederam fluv. Bronacum.
Brouvershaven, oppid. Belgii, Brouvershavia & Brouverii portus.
Brouvers Straet, in America, Brouverii fretum.
Bruca, fluv. Siciliæ, Pantagia.
Bruck an der Leyte, vide Pruck an de Leyte.
Bruck, seu Brugg, urbs Helvetiæ, Bruga.
Brucomat, oppid. Alsatiæ, Brucomagus, Breucomagus.
Brucramel, vide Buicramel.
Bruel, oppidul. Germaniæ, Briclum.
Brug, pagus Bavariæ, Ambra.
Bruges, urbs Flandriæ, Brugæ, ubi Grudii populi.
Brugge, vide Bruges.
Brugueto, urbs Liguriæ, Brunetum.
Bruine en Limosin, pagus Lemovicensium, Brivas.
Brunauwer, populi Comitatus Tirolensis, Brenni, Breuni.
Bruneck, oppid. Comitatus Tirolensis in Briona regione, Virunum, ubi Brenni populi.
Bruno, fluv, Hetruriæ, Prille.
Brunsberg, urbs Prussiæ, Brunsberga.
Brunsbutel, oppidul. Daniæ, Brunsbutta.
Brunswyck, vide Braunsvvick.
Bruntrut, vide Bondrut.
Brussel, urbs Brabantiæ, Bruxellæ.
Bruxel, urbecula Germaniæ, Bruxella.
Bruzzano. promontor. Calabriæ, Zephyrium.
Bry, vicus Galliæ in agro Parisino, Brajacum.
Brynbida, oppid. Mysiæ inferioris, Cimbrianum.
Bua, insula Dalmatiæ, Bubua.
Bubierca, vide Bobierca.
Buccabel, pagus Palæstinæ, Buccades.
Buccara, urbs Sogdianæ, Trybractia.
cap de Buch, in Gallia, Promontorium Bojorum.
captal de Buch, nomen dignitatis, Dominus Bojorum.
le Captalat de Buch, Capitaletum, seu dominium Bojorum, vide Buchs.
Buchara, vide Buchiara.
Buchaw, regio Fagophagorum, popul. Germaniæ.
in der Buchen, tractus Germaniæ, in Hassia, Buchonia.
Buchillon, locus ad Lemannum, Portus Abucini.
Buchian, fluv. Bactrianæ, Bactrus.
Buchiara, lacus Ægypti, Mareotis, Maria, aliis Mæris.
Buckenheim, locus ad Saravum fluv. Buckenhemium.
Buchs, tractus Aquitaniæ, ubi Boij populi.
Buckingham, oppid. Angliæ, Niomagus, Neomagus.
Buckinghamshire, pars Catyeuchlanorum popul. Angliæ, Buckingamia.
Bucker, regio Indiæ, Bucoria.
Buco Velenoso, locus Campaniæ apud Puteolos, Spiracula, Charoneæ scrobes.
Buda, urbs Hungariæ, Buda Heraclia, aliis Aquincum.
Budasan, urbs Bactrianæ, Bactra.
Budin, oppid. Mysiæ, Oescus.
Budmir, fluv. Persiæ, Bagrada.
Budnuck, oppid. Hungariæ, Budnocum.
Budoa, urbs Dalmatiç, Butua.
Budrio, oppid. Romandiolæ, Butrium.
Budweiss, urbs Bohemiæ, Bubienum, Marobudum, Budaissa.
Bueil, locus Galliæ, in Turonibus, Buculium.
Buelth, promontor. & oppid. Angliæ, Bullaum.
Bueltb, mare Balticum, Codanus sinus.
Buenen, urbs Galliæ, Gesoriacum seu Bononia.
Buenos ayres, urbs Americæ, Bonus aer.
Busera, oppid. Portugalliæ, Balsa.

Buffalara vel Buffalora, urbs Calabriæ excisa, Thorium.
Buza, oppid. Pisidiæ, Baga.
Bugen, urbs Iaponiæ, Bugenum.
Bugey, populi Sabaudiæ, Sebusiani.
le Bugey, provinc. Galliæ, in Bressia, Beugesia.
Bugia, urbs Mauritaniæ maritima, Saidæ, Tabraca, Bugia.
Buheira, lacus Ægypti, Arapotes, Maria, Mareotis.
Buicramel, promontor. Africæ, Tretum.
Buier, populi Galliæ in Normannia, Boii.
le Buis, oppid. Delphinatus, Busium.
Buisseau, locus Galliæ in agro Wastinensi, Boscellus.
Buisson, locus Galliæ, in Briegio, Buscio.
Bulahuana, oppid. Africæ. Bulahuana.
Bulzari, populi Mysiæ Europææ. Triballi.
Bulgaria, pars Mœsiæ inferioris, regionis Europæ.
Bulgarie, in Moscovia, Bulgaria regnum.
Bulles, oppidul. Galliæ, Bullæum.
Bulles, vicus Galliç, in agro Bellovacensi, Bubulæ.
le Bullet, vicus Burgundiæ; Abiolica
Bullingen, pagus Germaniæ inferioris, Belgica.
Bulness, oppid. Angliæ, Blatum, Bulgium.
Bulzzir Zzalbizz, oppid. Ægypti, Gossen.
Bungo, urbs Iaponiæ, Bungum.
Bunina, mons Thessaliæ, Oeta.
Buo-pruo, locus Indiæ, Bepyrus.
Buosa, vide Bosa.
Buquebamness, Buquhan-ness, promontor. Scotiæ, Taizalum.
Buquhania, regio Scotiæ, ubi Taizali populi.
Buragrag, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, Sala.
Buragrag, fluv. Africæ, Buragragus.
Burchain, oppid. Bavariæ, Buricianæ.
Burckhausen, vide Birckhausen.
Burdugna, oppid. Peloponnesi, Thyrea.
Buren, oppid. Belgii, Bura.
Buren, oppid. Helvetiæ, Petinesca.
Burg en Bresse, vide Bourg en Bresse.
Burg upon sands, pagus Angliæ in Cumbria, Castra Exploratorum.
Burgdalim, pagus Cypri, Idalium.
Burgeuil, oppidul. Galliæ, in Andicavis, Burgolium.
Burgh under Stanmore, pagus Angliæ, Verteris.
Burghi, oppid. Mauritaniæ, Suburgia.
Burgian, urbs Asiæ, Alexandria.
Burgo Lavezaro, oppid. agri Novariensis, ubi Lebui populi.
Burgoin, oppid. Delphinatus, Bergusia.
Burgos, urbs Castellæ veteris, Masburgi, Bravum, Burgi.
Burgsted, oppid. Angliæ, Cæsaromagus,
Burgum templi, oppid. Cypri, Agidos.
Buriack, oppidul. Sueviæ, Buaoris.
Buriana, oppid. regni Valentini, Brigiana.
Burick, oppid. Cliviæ vel Geldriæ, Burcinacium, Buruncum.
Burick, oppid. Germaniæ, Buricum.
Burnea, pagus Tusciæ, Turrena Augustalis.
Burneo, vide Borneo.
Burren, pagus Helvetiæ, Petinesca, vide Büren.
Burrow, pagus Angliæ, Verometum.
Burrow hill, locus Angliæ, ubi Verometum oppid. excisum.
Bursa, urbs Bithyniæ, Prusa.
Bursia, regio Asiæ, Mysia.
Bursia, regio Asiæ, pars Bithyniæ.
Bursterstaller, populi Dalmatiæ, Pirustæ.
Burtolf, oppid. Helvetiæ, Burgdorffium.
Burtza, conventus Rhætorum, in fœdere Cano, Waltensburgum.
Burus de la Duile, vicus Salassiorum, Arebrigium.
Burusss, vide Bursa.
Burux, urbs Phrygiæ, Cibyra.
Bury, vide Beury.
Busa & Busaten, oppid. Walachiæ, Napuca.
Busançais, oppid. Galliæ in Biturigibus, Bosentiacæ.
Busseto, oppid. Italiæ, Buxetum.
Bussereth, urbs Arabiæ petrææ, Bostra.
Busseuil, locus Galliæ in Cenomanis, Bussogilum.
Busseul, vicus Galliæ, in Vastinno, Boscolium.
Bussigni, locus ad Venogiam fluv. in lacum Lemanum effluentem, Portus Abucini.
Butera, oppid. Siciliæ, Bucia, Hybla minor, aliis Buterium.
Butow, oppid. Germaniæ, Butovia.
Butrinto, urbs Epiri, Buthrotum.
Butro, vide Budrio.
Buttons Bay, in America, Buttoni sinus.
Butua, urbs Æthiopiæ, Butua.
Butzen, locus Rhetiæ, Ebodurum.
Buxoy, locus Galliæ, in agro Mauripensi, Buxidum.
Buyl mancy, fluv. Æthiopiæ, Raptum.
le Buys, oppid. Provinciæ excisum, Apollinarium.
Buzançois, oppid. Galliæ, Buzanceium.
Buzanich, fluv. Liburniæ, Pausinus.
Buzenval, vicus agri Parisiaci, Bogivallis.
Bychow, oppid. Poloniæ, Bychovia.
Bydini, vide Budini.
Byrramerwaldt, mons Carniolæ, Albius.

C.

CAbado, vide Cadavo.
Cabaignac, locus Occitaniæ, Cobiomagum.
Cabannes, varia Galliæ loca, Attegia.
le Carbardet, ager Galliæ, in Carcassesio, Cabarensis.
Cabe, fluv. Gallæciæ, Chalybs.
Caberton, oppid. Vasconiæ, ubi Osquidates populi.
Cabezza del Griego, pagus Castellæ novæ, Segobriga.
Cabis, fluv. Carmaniæ, Sabis.
Cabo, vide Capo.
Cabra, oppid. Andaluziæ, Ægabra, Agabra, Bebro, Caiucula.
Cabrera, insula maris Balearici, Capraria.
Cabriere, oppid. Galliæ, in diœcesi Biterrensi; Item castrum, Capraria.
Cabrieres, locus Galliæ, in Provincia, ad Sulgam fluv. Capraria.
Cabul, regio Asiæ, Arachosia, & urbs Arachosiæ, Alexandria, Arachotus.
Cabusco, mons Parthiæ, Choatras.
Cacagioni, oppid. Tauricæ, Charax.
Cacari, fluv. & oppid. Mengreliæ, Heracleum.
Caccaria, insula Sarmatiæ Europææ, Achillea.
Cacelina, urbs Bithyniæ, Chalcedon.
Caceres, oppid. Extremaduræ, Castra Cæcilia, Geraa.
Caceres, urbs Asiæ in Philippinis, Cacera.
Cachant, vicus Galliæ, in agro Parisino, Caticantum.
Cachar, fluv. Indiæ, Indus.
Cacia, pagus Portugalliæ, Talabriga.
Caco, mons Hispaniæ, Cacus, Caunus.
Cacoberio, oppid. Marmarica, Chimo.
Cacos, Cycladum Insul. una, Astrabe.
Cadenac, oppid. Galliæ Aquitanicæ, Vxellodunum.
Cadenac, oppid. Galliæ, Cadenacum.
Cadiliac, oppid. Aquitaniæ, Cadillacum.
Cadima & Carima, pagus Lusitaniæ, Carrina.
Cadiz, insula & civitas Hispaniæ, Gades.
il Cadorino, in Venetia, Cadorinus ager.
Cadra, oppid. Siciliæ excisum, Hydia.
Caemps, vide Kaemps.
Caen, urbs Normanniæ, Cadomus.
Caer Badon, urbs Angliæ, Aquæ Solis, Bathonia.
Caer Cory, oppid. Angliæ, Corinium.
Caer Frock, urbs Angliæ, Eboracum.
Caer Grant, urbs Angliæ, Durovernum, oppid. aliis Granta.
Caer Guidi, oppid. Scotiæ, Victoria.
Caer Gwent, urbs Angliæ, Ventonia, Venta Belgarum.
Caer bean, oppid. Walliæ. Conovium,
Caer-Laverock, oppid. Scotiæ, Carbantorigum.
Caer-Leon, urbs Angliæ & oppid. Walliæ, Civitas Legionum, Deva, Devana, Cestria, Deunana, Divana, Legio xx. victrix.
Caer Lud, urbs Angliæ, Londinium.
Caerludcoyd, urbs Angliæ, Lindum.
Caer-Marden & Caermarden, oppid. Walliæ, Maridunum.
Caermardenshire, in Wallia, Comitatus Maridunensis.
Caernavan, urbs & Comitatus Walliæ, Arvonia.
Caer-Peri, oppid. Angliæ, Carperis.
Caer Segent vel Caersegont, oppid. Angliæ, ubi Segontiaci populi.
Caer Sysk, urbs Angliæ, Isca.
Caer Vortigern, urbs & Academia Angliæ, Oxonium.
Caer Vrangon, urbs Angliæ, Branovium.
Caerwent, pagus Walliæ, Venta Silurum.
Caffa, urbs Tauriæ, Theodosia, aliis Cavum.
Caffen, oppid. Mauritaniæ, Icmnium.
les Cafres, populi Africæ, Cafri.
Cagiali, urbs Asiæ minoris, Ægialos.
Caglac, locus Galliæ, in Rutenis, Calliacum.
Cagli, urbs Umbriæ, Cale, Calle, Callium.
Cagliari, urbs Sardiniæ, Caralis, Carallis, Calaris.
Caborle, insula & urbs Forojuliensis ditionis, Capruia.
Cahors, urbs Cadurcorum, popul. Galliç Aquitanicæ, Deveona, Divona, Duona.
Caia, vide Gaia.
Caianeburg, oppid. Sueciæ, Caianeburg.
la Caianie, provincia Sueciæ, Caiania.
Caianello, oppid. Campaniæ Italicæ, Callicula.
Caiassa, insula sinus Arabici, Astrata.
Caiazzo, vide Caiassa.
Caiazzo, urbs regni Neapolitani. Calatia.
Caibo, mons & promontor. Ciliciæ, Crocodilus.
Caicol, mons Armeniæ majoris, Capotes, Aba, Abus,
Caienne, insula Americæ, Cayana.
Cailon, Insula Indiæ, una Barussarum.
Cailus de Bonnette, castrum Galliæ, in Cadurcis, Cessetum.
Caiman, insula Ameriæ, Caimana.
Cainam, insula Indiæ, una Sabadibarum.
Caipha, vide Cayfa.
Cairasco & Cherasco, oppid. Pedemontii, Carrea, Ciarassum.
Cairmalei, oppid. Angliæ, Camaletum.
Cairo, urbs Ægypti, Babylon, Memphis.
il Cairo, oppid. Liguriæ, Canalicum.
Cairoan, urbs Africæ, Cyrene.
Cairoan, urbs regni Tunetani, Cairoanum.
Caisar, urbs Cappadociæ; Cæsarea magna, & urbs excisa Palæstinæ, Cæsarea Palæstinæ.
Caishow, tractus Angliæ, ubi Cassii populi, aliis Catyeuchlani.
Caitachi, urbs Mediç, Ara Sabea.
Caitachi, populi Sarmatiæ Asiaticæ, Heniochi.
Calabria, Regio Italiæ, ubi olim magna Græcia, & Brutii populi.
Calacari, vicus Galliæ Togatæ, Colicaria.
Calaborta, urbs Hispaniæ Tarraconensis, Calaguris, Clunia.
Calaiate, urbs Arabiæ Felicis, Metacum, Cumacatum.
Calais, urbs & portus Picardiæ, Iccius portus, aliis Caletum, Scalæ.
pas de Calais, fretum Gallicum, Angustiæ Calesienses.
Cala longa, oppid. Majoricæ insulæ, Cinium.
Calama, fluv. Epiri, Thyamus.
Calama, urbs Mauritaniæ, Celama.
Calamata, urbs Africæ, Calama.
Calamata, oppid. Laconiæ, Thalame, Thyramne, aliis, Abea, Thuria.
Calamea en la Serena, oppid. Extremaduræ, Ilipa.
Calameta vel Calamera, oppid. Siciliæ excisum, Schera.
Calamianes, insula Indiæ, Calamiana.
Calamita, fluv. Tauricæ, Istrianus.
Calamita, oppid. Tauricæ, Pastorum portus.
Calamo, insula Archipelagi, Claros.
Calamolo, portus Bithyniæ, Heræus.
Calamota, insula Dalmatiæ, una Elaphitum.
Calandra, oppid. Italiæ in Lucania, Acalandra.
Calao, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Altao,
Calap, urbs Arabiæ desertç, Auzara.
Calapate, urb. Indiæ, Chabetis.
Calari, vide Cagliari.
Calaruega, oppid. Hispaniæ, Caleroga.
Calatabellota, fluv. Siciliæ, Sossius, aliis Isburus.
Calatagirone, urbs Siciliæ, Calata, Calata Ieronis.
Calatayud, urbs Aragoniæ, Bilbilis nova.
Calatrava, oppid. Castellç, Oretum.
Calbe, vide Kalbe.
Calcacester, vide Kalcacester.
Calcar, urbs Germaniæ, Calcaria.
Calchistan, mons Asiç, Paropamisus.
Calcidona, urbs Bithyniæ, Chalcedon.
Calcitiu, urbs Bithyniæ, Chalcedon.
Caldana, fluv. Calabriæ, Ciris vel Cyris.
Caldar, locus Scotiç, ubi Caledonia regio.
Caldar, & Kaldar, provinc. Asiæ, Chaldæa.
Caldes, oppid. Catalauniæ, Aquæ calidæ, ubi Aquicaldenses populi.
Caldes, vide Aigues Caldes.
Cale nove, vide Case nove.
Calecut, urbs Indiæ citerioris, Canthapis, aliis Cottiara, Barygaza, Calecutium.
Calezuano, oppid. Calabriæ, Altanum.
Calemberg, Austriæ, Cesius mons.
Calemberg, tractus Germaniæ, Calembergicus.
Calendar, locus Scotiæ, ubi olim Caledonia regio.
Calendo, fluv. Siciliç, Lalassis.
Caleos, oppid. Achaiç, Chaleos.
Calepio, oppid. Italiæ, Calepium.
Cales, oppid. Picardiæ, Gessoriacum, Iccius vel Icius portus, vide Calais.
Caleu, portus Atticæ, Piræus portus.
Caliar, mons Græciæ, Callidromus.
Calibis, oppid. Mauritaniæ, Carobis.
Calico, fluv. Macedoniæ, Echedorus, Chidorus.
Californie, Insula Americæ, California.
Calis-malis, insula & urbs Hispaniæ, Gades.
Calixene, ostium Nili, Taniticum.
Calkar, urbs Cliviæ, Calcaria, ubi Calciaci populi.
Callao de Lima, portus Americæ, Callaum.
Callara, urbs Siciliæ excisa, Calasta.

Callatis, oppid. Persiæ, Ariaspe.
Calle longue, locus in mari Gallico, Callis longus.
Calle Sarraine, locus similis, Callis Saracenicus.
the strait of Calleis, aliàs straight of Calais, fretum Gallicum, Angustiæ Morinorum, seu Calesienses.
Calliacra, urbs Mysiæ inferioris, Callatia.
Callica, pagus Bithyniæ, Canos Gallicanos.
Callil, oppid. Palæstinæ, Eleutheropolis, Hebron.
Calmar, urbs Sueciæ, Calmaria.
Calmont, locus Belgii, in diœcesi Leodiensi, Calmont.
Calogeron Oros, mons Mysiæ Asiaticæ, Mæsius, Mysius Olympus.
Caloiero, insula Eubœæ, Atalantes Nesium, Atalanta.
Calonica, pagus Corsicæ, Ara Tutila.
Calonio vel Calcmio, insula Propontidis, Besbicus.
Calopinaco, fluv. Calabriæ, Taurocinium.
Calore, fluv. Hirpinorum, Calor.
Caloro, fluv. Venetiæ, Varamus.
Calpinzée, lacus Germaniæ, Calpinus,
Calpurt, urbs Armeniæ, Colchis.
Calsery, urbs Indiæ propriæ, Batancæsara.
Caltabellota, vide Calatabellota.
Caltichea, urbs Colchidis, Zadris.
le Calvaire, mons Palæstinæ, Calvarius.
Calvi, urbs Campaniæ Italicæ, Cales.
Calvi, oppid. Corsicæ maritimum, Littus Casiæ.
Calviri, urbs Sardiniæ excisa, Nora.
Calvisano, vicus territorii Brixiensis, Forum Calvisii.
la Calzada, urbs Hispaniæ, Calciata.
Calzan vel Calzun, in Asia, Arabicus sinus,
Camairano, pagus Insubriæ in agro Novariensi, Mariana castra, Arcus Marianus.
Camala, urbs Syriæ, Emisa.
Camaldoli, cœnobium Italiæ, Camaldulum.
Camaran, insula sinus Arabici, Cardamine.
Camarana, urbs Siciliæ excisa, Camarina.
Camarasa, oppid. Cataloniæ, Cissum.
Camarata, oppid. Siciliæ, Camicus, Inycus.
Camares, oppid. Peloponnesi, Cane.
Camargue, oppid. Fossa Mariana, & insula amnica Provinciæ, Camaria vel æ.
Camariano, pagus Insubriæ, Castra Mariana, Arcomarianum, Mariana castra.
Camarina, fluv. Siciliæ, Hipparis, Iporus.
Camb, fluv. Austriæ, Cambus.
Cambaia, urbs, Cœlemba, Camane, Taxila, & regio Indiæ, ubi Pandæ populi, Syrastene.
Cambaia, urbs Indiæ, Cambaia.
Cambalech, urbs Sericæ, Sera.
Cambalu, urbs Tartariæ, Isedon, & regio Asiæ, Serica.
Cambalu, urbs Tartariæ, Cambalum.
Cambayth, urbs Indiæ, Camane.
Cambec, vide Camby.
Cambery, vide Chambery.
Camboia, regnum Asiæ, Camboia.
Cambray, urbs Hannoniæ, Camaracum, Samarobriva.
Cambresiens, populi Belgii, Cameracenses.
le Cambresis, regio Belgii, Ager Cameracensis.
Cambridge, oppid. & Academia Angliæ, Cantabrigia, Camboricum, Granta.
Cambridge Shire, Comitatus Angliæ, Cantabrigiensis.
Cambronde, monasterium Galliæ, in Arvernis Cambidobrense.
Cambruse, insula Cretæ, Myle.
Cambrussia, mons & promontor. Cretæ.
Camby vel Cambec, oppid. Angliæ, Amboglanna.
Camelione, mons & fluv. Provinciæ, Acema, Cema.
Camenopoias, montes Asiæ, Hyperborei.
Camera, oppid. Cretæ, Camara.
Camera Torre, oppid. Cyrenaicæ, Herculis Pyrgos.
Camerata, vide Camarata.
Camergue, vide Camargue.
Camerino, urbs Umbriæ, Camerinum.
Cameryck, vide Cambray.
Camesa, urbs Syriæ, Emisa.
Camet Esturnel, palus Ægypti vel Palæstinæ, Sirbonis.
Cametz, pagus Hungariæ, Acumincum.
Camin, urbs Chamavorum popul. Germaniæ, Caminum.
Caminate, fluv. Sabinorum, Allia.
Caminei, fluv. Siciliæ, Hypatis.
Cammart, provinc. Daciæ, Valacchia.
Camonica, vallis Venetiæ, Camonica.
Camora, vide Zamora.
Camotra, vide Zamotra.
Camp Redon, oppid. Catalauniæ, Campus Rotundus.

Campagna, urbs Lucaniæ, Campania.
Campania di Francia, vide Champaigne.
Campagna di Roma, Italiæ, Latium, Campania, ubi olim Hernici populi.
Campagnano & Campaniano, fluv. Calabriæ, Acheron.
Campana, oppid Calabriæ, Calasarna.
Campana, locus Campaniæ apud Puteolos, Cambre.
Campanella, promontor. Principatus citerioris, vel Picentum, Athenæum.
Campaniano, fluv. Brutiorum, in Italia, Acheron.
Campanillo, oppid Hispaniæ, Susana.
Campanir, urbs Indiæ citerioris, Astacapra.
Campeaux, locus ad Taram fluv. Campelli.
Campen, oppid. Stiriæ, Campania.
Campen, urbs Chamavorum popul. in Transisalana regione, aliis Manarmanis, Campi.
Campi di S. Pelino, locus Aprutii, ubi olim Corfinium urbs.
Campiano, oppid. Italiæ, Campianum.
Campidoglio, in urbe Roma, Capitolium, Capitolia, & Capitolinus mons.
Campli, urbs Aprutii, Camplum.
Campo Carmeli, regio Ægypti, Scithiaca.
Campo di Faba, campus Palæstinæ, Esdrelon.
Campo Gabio, urbs Latii, Gabii.
Campo Marino, oppid. Apuliæ, Claterna.
Campo Martio, locus Romæ, Campus Martius, Tiberinus campus.
Campo Mazzone, locus juxta Capuam, Stellates ager.
Campo di Montiel, locus Castellæ novæ, Laminitanus ager.
Campo pendente, in Sabinis, Reatinus ager.
Campo di S. Martino, locus Siciliæ, ubi Agathyrium, urbs & promontor..
Campo di Tariffa, vide los Campos de Tarif.
Campo di Tarragona, regio Hispaniæ, Cossetania.
Campos de Cerdanna, tractus Catalauniæ, ubi Surdaones populi.
los Campos de Taris, tractus Andaluziæ, Tartessis.
Camul, urbs Scythiæ, Chaurana.
Camunen, populi Rhętiæ, Camuni.
Cana, oppid. Galilęæ, Cana, Chana.
Canacain, locus Arabiæ Felicis, Cana.
Canada & nouvelle France, pars Americæ, Canada.
Canada, fluv. Americæ, Canada.
het Canael & Canale, mare inter Galliam & Angliam, Britannicus Oceanus, Mare Britannicum.
Canaga, fluv. Africæ, Darat, Daradus.
Canaia, promontor. & oppid. Eubœæ, Cenæum.
Canal de Piecko, in Oceano Eoo, Fretum Piekum.
Canal calcagno, fluv. Siciliæ fons, Simæthi,
Canal di Fela, pagus Carnotum, Via Beloium.
Canala, fluv. Siciliæ, Pantagia.
Canale di S. Alberto, fossa & lacus juxta Ravennam, Fossa Messanicia, Padusa.
Canamancina, promontor. Indiæ, Colaicum.
Canancina, urbs Indiæ, Colchi.
Cananor, urbs Indiæ citerioris, Calligeris, aliis Canaorium.
Canapina, oppid. Hetruriæ, Capena.
Canara, regio Indiæ, Canara.
la Canaria, una ex insulis Fortunatis, Canaria.
les Canaries, insulę Africę, Canariæ, Fortunatæ.
Canavese, tractus Italię, Canavensis.
Canche, fluv. Picardię, Quantia, aliis Cancius.
Candahar, urbs Asię, Ortospana, aliis Candahara.
Candahar, urbs Indię cis Gangem, Alexandria Arachosiæ & Candaharia.
Candalor, urbs Pamphylię maritima, Sida.
Candannedo, mons Hispanię Tarraconensis, Candamius mons.
Candari, oppid. Paphlagonię, Candara.
Candé, oppid. Gallię, Candacensis vicus & Candaum.
Candé, vicus Gallię, in Turonibus, Condate.
Candea & Candy, urbs Indię citerioris, Candea.
Candelaro, fluv. Italię, Candelarus.
Candeloro, urbs Asię minoris, Celenderis.
Candia, insula, Creta; & urbs ejus, Matium, Cytæum.
Candia, oppid. Insubrię. Caudium.
Candiano, fluv. prope Ravennam, ubi Condinianus vel Candidius pons.
Candria, oppid. Bithynię, Didaucana.
Canduraie, vide Candari.
la Canea, urbs Cretę maritima, Cydon, Cydonis.
Canedo, vicus Galliæ in Provincia, Canetus.
la Canelle, pagus Corsicæ, Canelate.
Canelle, montes Sardinię, Manomena.
Caneri, oppid. Corsicæ, Canelate.
Canes, castellum Gallię, Gano.

Caneto, oppid. Ducatus Mantuani, Bebriacum.
Canfera, urbs Zeelandiæ, Vera, Camphora.
Cang, fluv. Livoniæ, Chesinus.
Cangas, locus Asturiæ, Canicæ valles.
Cangigu, urbs Indiæ, Canagora.
Cangria, urbs Paphlagoniæ, Gangra, Theodosia.
Cani, locus Galliæ, in Caletis, Cannetum.
Canibel, pars Tauri montis inter Cappadociam & Ciliciam.
Canigo, mons in Gallia Narbonensi, Canigus.
Canigriza, urbs Peloponnesi, Olenus.
Canina, regio & oppid. Epiri, Chaonia.
Canina, urbs Macedoniæ, Elyma, aliis regio Chaonum populorum Epiri.
Canington, promontor. in Wallia, Canganorum.
Canis, fluv. Phœniciæ, Adonis, Fons hortorum.
Canischa, vide Canissa.
Canisia, vide Canissa.
Canissa, urbs Pannoniæ superioris, Canisia.
Canistro, oppid. Macedoniæ maritimum, Pallene;
Canna destrutta, urbs Italiæ, Cannæ.
Cannaga, fluv. Libyæ, Gir.
Cannatanazor, oppid. Hispaniæ, Veluca.
Cannatello, vortex maris inter Calabriam & Siciliam, Charybdis.
Cannete, pagus Andaluziæ, Sabora.
Canni, locus ad Taram fluv. Cannetum.
Cannina, vide Canina.
Cano, regnum Nigritiæ, Canum.
Canobio, oppid. Insubriæ, Canobium.
Canonden, pagus Angliæ, Canonium.
Canosa, urbs Apuliæ, Canusium.
Canovia, mons Macedoniæ, Candavia.
Canstat, urbecula Germaniæ, Canstatum.
Cantam & Canton, urbs Sinarum, Cattigara.
Cantara, fluv. Siciliæ, Acesines, Achates, Alabus.
Cantarirbridge, diversorium Scotiæ, ubi Cataractonum oppid.
Cantaveja, vicus Hispaniæ, Carthago vetus.
Cantavilla, vicus Hispaniæ, Carthago vetus.
Canterbury, urbs Angliæ, Cantuaria, Darvernia, Durovernum.
Cantewarberi, vide Canterbury.
Cantire, promontor. Scotiæ, Epidium, aliis Novantum.
Canton de Lucerne, in Helvetiis, Lucerinus pagus.
Canton de Schafhouse, in Helvetiis, Scafusiensis pagus.
Canton de Soleure, in Helvetiis, Solodorensis pagus.
Canton de Suits, in Helvetiis, Suitensis pagus.
Canton d'Underwald, in Helvetiis, Sylvaniensis pagus.
Canton de Zug, in Helvetiis, Tugiensis pagus.
Canton de Zurich, in Helvetiis, Tigurinus pagus.
Cantyre, vide Cantire.
Cannel, vel Connel, locus Galliæ, in Britannia minore, fortè, Quentovicum.
Canvey, insula Angliæ, Counos, Convennos.
Canzaron di Mahoma, lacus Marmaricæ, Ammon, Ammonis Oraculum, Solis fons.
le Caborsin vel Caorsin, ager Galliæ, Cadurcensis, vide le Querci.
Cap du Fou, promontor. Galliæ, in Britannia minore, Caput Fagi.
Cap Garouppe, vel Garoupe, promontor. Galliæ, in Provincia, Gallupe.
Cap of Maintenance, dicitur in Eccles. Romana, Pileus supportationis.
Cap Rous, vel Roux, promontor. Galliæ, in Provincia, Caput Rubeum.
Cap de S. Sospires, vel de S. Sospir, sinus Galliæ, portui Herculis Monœci proximus, Caput S. Xysti.
Cap de S. Vincent, promontor. Galliæ, in sinu Forojuliensi, Caput S. Vincentii.
Cap, vide Capo.
Capace vel Capaccio, urbs Lucaniæ, Caput aqueum.
Capalbio, oppid. Hetruriæ, Caput alvei.
Capana, oppid. Calabriæ, Calasarna.
Capaniano, vide Campagnano.
Caparra, urbs Extremaduræ, Capara.
Capdrot, locus ad Drotium fluv. Caput Drotii.
Cape, vide Capo.
Capelets, militum in Albania genus.
Capelle, vicus Germaniæ ad Rhenum, Ambiatinum.
la Capelle, arx Galliæ, Capella.
Capes, oppid. Africæ, Tacape.
Capestain, castrum Galliæ Narbonensis, Caput stagni.
Capestan & Capestang, vide Capestain.
Capestein, oppid. Hungariæ, Capedunum.
Capsenberg, vide Capestein.
Capilamba, urbs Indiæ, Balantipyrgon.
Capitanata, regio Italiæ, Apulia Daunia aliis, Capitanata.
Capitania de la Bahia de todos os Santos, in Brasilia,

Sinus

Sinus Præfectura, seu Præfectura sinus omnium Sanctorum.
Capizzi, oppid. Siciliæ, Capitina, Capytium.
Capo, Cabo, Cap, Cape.
d'Abroth, promontor. Scotiæ, Virvedrum.
Acria, promontor. Bithyniæ, Acritas.
d'Aden, promontor. Arabiæ, Hammæum littus, Ammonium.
de Agatas, promontor. Hispaniæ Tarraconensis, Charidemum.
di Aiazzo vel Aiaccio, promontor. Corsicæ, Rhium, Viriballum.
des Aiguilles, promontor. Africæ, Acuum Caput.
di Alber, pagus Marmaricæ, Catabathmus.
de Alfaques, promontor. Hispaniæ, Tenebrium.
d'Alguer, in Mauritania Tingitana, Atlantis, montis promontor. Vsadium.
d'Alice, promontor. Calabriæ, Lacinium, aliis Alicium.
d'Aitelin, promontor. Cretæ, Zephyrium.
di Amance, promontor. Corsicæ, Graniacum.
Anrwa, promontor. Asiæ in Tartaria, Aniuva.
d'Antio, locus Latii, Antium.
Ara, promontor. Arabiæ Felicis, Neptunium.
dos Arecifes, promontor. Rupium in Cafreria.
Argentar, promontor. Sardiniæ, Gorditanum.
dell' Arme, promontor. Calabriæ, Leucopetra.
di Baffo, promontor, Cypri, Drepanum.
di Baticani, oppid. & promontor. Calabriæ, Medama, Vaticanum.
Bernich, promontor. Cyrenaicæ, Pseudoppnias.
Bianco, in America septentrionali, promontor. Album.
Bianco, in Peruvia, promontor. Album.
Bianco, in Brasilia, promontor. Album.
Bianco, promontor. Ioniæ, Argennum.
Bianco, promontor. Palæstinæ, juxta Carmelum montem.
Bianco, oppid. Siciliæ excisum, Heraclea.
Bianco, promontor. Africæ, Hesperium Cornu.
Bianco, promontor. Corcyræ, Leucimna.
Bianco, promontor. Cypri, Phrurium.
Bianco, promontor. Libyæ, Soloentia.
Bicayo, in Philippinis, Caput Bicayum.
de Biaye, in Aquitania, Santonum promontor.
Boco, promontor. Siciliæ, Lilybæum.
Bojador, promontor. Mauritaniæ, Solis mons, aliis Boiadorum.
Bon, Africæ promontor. Hermæa, Mercurii promontor.
de Bona Speranza, promontor. Africæ australissimum, Frons Africæ, aliis Bonæ Spei caput.
di Bonandrea, promontor. Cyrenaicæ, Zephyrium.
Breton, in nova Francia, Caput Britannicum.
Bruzano, vide Capo Bursano.
de Bueno Deseo, in nova Guinea, promontor. boni Desiderii.
Bursano, promontor. Calabriæ, Brutium, Zephyrium.
Busco, promontor. Cretæ, Cadiscus.
de Butz, promontor. Aquitaniæ, Curianum.
della Cacca, promontor. Sardiniæ, Hermæum.
Calori, promontor. Siciliæ, Calaritanum.
Calissin, promontor. Æthiopiæ, Dere, Dire.
Campana, promontor. Hetruriæ, Populonium.
Campanella, vide Campanella.
di Campanella, promontor. Campaniæ, Athenæum, Promontor. Minervæ.
Candenos, in Moscovia, Caput Candenoum.
Canistro, promontor. Macedoniæ, Canistraum.
Cantin, promontor. Mauritaniæ Tingitanæ, Herculis promontor. Solis mons, Soloentia.
di Capri, promontor. Picentinorum, Minervæ promontor.
de Carbonero, promontor. regni Granatensis, Charidemum.
Carlos, in Florida, promontor. Carolinum.
Carmelo, locus Phœniciæ, Sycaminus.
de Casafa, promontor. Mauritaniæ, Metagonium, Metagonites.
de Cascais, promontor. Portugalliæ, Magnum promontor. Olyssipponense.
Catalzym, promontor. Cyrenaicæ, Zephyrium.
de Celi, locus Arabiæ Felicis, & Ocelis, promontor. Acila.
Charles, in terra Arctica, promontor. Carolinum.
delle Chelidonie, promontor. Pamphyliæ, Chelidonium.
delle Chelidonie, promontor. Lyciæ, Hiera, Sacrum Promontor. Chelidonium.
Chelidonio, promontor. Cypri, Zephyrium.
Chesimi, promontor. Cretæ, Cianum, Psaca.
Chessino vel Chesimo, promontor. Cretæ, Cimarus, Cyamum.

Capo, Cabo, Cap, Cape.
Chevelar, promontor. Corsicæ, Tilox.
di Chiarenza, promontor Elidis, Araxus.
della Chimera, promontor. Epiri, Acroceraunium.
di Chio vel Crio, promontor. & oppid. Cariæ, Cnidus, Gnidus, aliis Canastræum, Triopia.
Christian, in Gronelandia, promontor. Christianum.
Cista, promontor. Dalmatiæ, Hyllis.
di Cler & Cape Clear, promontor. Hiberniæ, Notium.
Coco, promontor. Siciliæ, Lilybæum.
di Colle, promontor. Indiæ, Colaicum.
delle Colonne, promontor. Calabriæ, Lacinium.
delle Colonne, promontor, Atticæ, Sunium.
Comorin, promontor. Indiæ, Colaicum, Cory, Comaria.
de Condé, in Guiana regione, Promontor. Condaum.
Conello, promontor. Peloponnesi, Cyparissium.
de Coquiboco, in Terra firma, Promontor. Coquibocum.
de Cordan, promontor. Aquitaniæ, Curianum.
de Corena vel Carena, promontor. Cyrenaicæ, Phycus.
di Corica, promontor. Calabriæ, Linum.
of Cornwal, promontor. Cornubiæ, Antivestæum.
delle Correnti, promontor. Pamphyliæ, Chelidonium.
dos Corrientes, in ora Cafreriæ, Caput Currentium, aliàs Prassum Promontor.
dos Corrientes, in Terra firma, Promontor. Currentium.
Corso, promontor. Corsicæ, Sacrum.
Corso, arx in Guinea, Caput Corsum.
de Cotoche, in nova Hispania, Promontor. Cotochium.
de Creux, promontor. & oppid. Catalauniæ, Aphrodisium, Pyrenæa Venus, Veneris fanum.
Crio, promontor. Macedoniæ, Canistraum.
Crio, in Creta insula, Criu metopon.
di Croce, promontor. Sarmatiæ Asiaticæ, Eione, Achillæum.
de la Croix, in Asia & in Terra Esonis, Caput Crucis.
de Cruz, in Florida, Promontor. Crucis.
de Cruz, in Cuba insula. promontor. Crucis.
Cumano, promontor. Dalmatiæ, Oneum.
Delgado, in Zanguebaria. promontor. Gracile.
Desseado, in terra Ignium, promontor. Desideratum.
Desseado, in terra Nigrorum, promontor. Desideratum.
Dorat, promontor. Scotiæ, Taizalum.
di Durazzo, Albaniæ, Epidamnus.
del Engano, in Lusonia insula, promontor. Fraudis.
del Engano, in America, promontor. Fraudis.
Ems, promontor. Hiberniæ, Boreum.
Esparto, vide Capo Spartelle.
Fagona, promontor. Bithyniæ, Posidium.
Falco, in Cafreria. promontor. Falsum.
di Faro, in Sicilia, promontor. Pelorum.
Farwel & Cap d'Adieu, in Gronelandia, Caput Farvelum.
Ferrari vel Ferrato, promontor. Sardiniæ, Ferraria.
Ferrato, promontor. Africæ, Candidum, Tretum.
Ferrato, promontor. Sardiniæ, Cunion, Charion.
Figalo, promontor. Epiri, Actium.
Figalo, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Cæsarea.
de Figel, promontor. Catalauniæ, Lunarium.
de Figo, promontor. Hispaniæ, Scythicum.
de Finisterra, in Hispania, Caput Finis terræ & Artabrum promontor.
de Florida, in America, Caput Floridæ.
Formoso, in Guinea, Caput Formosum.
François, in Florida, promontor. Francicum.
della Fraschea, promontor. Cretæ, Dion.
Frio, in Brasilia, promontor. Frigidum.
di Gallo, promontor. Messeniæ, Acritas.
Gangir. promontor. Syriæ, Rhossicus.
de Garcel, promontor. Provinciæ, Citharistes.
de Gates, promontor. regni Granatensis, Charidemum.
delle Gatte, promontor. juxta Curium oppid. Cypri, Curias.
di Gebba, promontor. Mauritaniæ, Oleastrum.
Giallo, promontor. Peloponnesi, Iunonis promontor.
Gianizzari, in Mysia, promontor. Sigæum.
Gibranel, promontor, Mauritaniæ Cæsariensis, Audum.
della Giudeca, promontor. Africæ, Trierorum.
della Gomiera, Mauritaniæ Tingitanæ, Phœbi promontor.
Griego, promontor. Thraciæ Chersonesi, Mastusia.
di Griego, promontor. Cypri, Pedalium.

Capo, Cabo, Cap, Cape.
Guadavari, in India, promontor. Guadavarium.
di Guardafuni, promontor. Æthiopiæ, Aromata.
de Guer, in regno Marochii, promontor. Gerum.
Henry, in Virginia, Caput Henriceum.
Henriette Marie, in terra Arctica, promontor. Henricea Maria.
Hernico, promontor. Cretæ, Fons Arietis.
de Honduras, in nova Hispania, Promontor. Honduræ.
de Hoorn, in Magellanica, Caput Hornanum.
d'Hyver, in nova Zemla, Promontor. Hyemale.
Ianizari, promontor. Troadis, Æantium.
Iaquette, vide Capo Iasquette.
Iasquette, promontor. Carmaniæ, Armozum.
do Infante, in Cafreria, promontor. Infantis.
d'Istria, vide Cavo d'Istria.
Lemano, promontor. Mysiæ inferioris, Tiristria.
della Lengueta, promontor. Epiri, Acroceraunium.
Leon, promontor, Cretæ, Leon.
Leone, promontor. Cretæ, Criu-metopon, Frons Arietis.
di Leuca, promontor. terræ Hydruntinæ, Acra Iapygia, Salentine.
Leucosa & della Licosa, in Licania, Posidoniatæ promontor. Sirenussarum promontor.
de l'Evesque, in nova Françia, Promontor. Episcopi.
Ligra, promontor. Hiberniæ, Venicnium, Boreum.
di Limon, promontor. Cappadociæ, Heracleum.
Litar, promontor. Eubœæ, Cenæum.
Longobardo, promontor. Siciliæ, Bucra.
de Lopo Gonsalvo, in Africa, Caput Lupi Gundisalvi.
Lucho, promontor. Marmaricæ, Catæonium.
Lugudori, promontor. Sardiniæ, Gorditanum.
Machasaco, in Hispania, Promontor. Machasacum.
Maina, promontor. Peloponnesi, Tænaria.
Malio, promontor. Laconicæ, Malea.
di Masvasio, promontor. Peloponnesi, Cinætium, Onugnathos.
de Malvason, Aquitaniæ, Santonum Promontor.
Mantello promontor. Eubœæ, Leon, Leuce acte.
del Mar, promontor. Hiberniæ, Notium.
Martin, promontor. Hispaniæ, Ferraria, Dianium & Artemisium.
Marzo, portus & promontor. Siciliæ, Odyssia, Vlyssis portus.
di Massa, promontor. Campaniæ, Athenæum, promontor. Minervæ.
Massa Olivieri, vide Massa Olivieri.
Masticho, oppid. & promontor. Chii insulæ, Phana.
Matapan, promontor. Peloponnesi, Tænaria.
di Melaxo, promontor. Ioniæ, Posidium.
di Melazzo, promontor. Siciliæ, Chersonesus.
Melechia, promontor. Cretæ, Drepanum.
Mendocino, in California, promontor. Mendocinum.
Mesurata, promontor. Africæ, Cephalas.
di Milazzo, promontor. & peninsula Siciliæ, Chersonesus.
di Minerva, promontorium Picentinorum, Athenæum, Minervæ promontor.
di Mirabello, promontor. Cretæ, Zephyrium.
Mochandan, promontor. Arabiæ Felicis, Asaborum promontor.
di Molina, Siciliæ, Xiphoniæ promontor.
Monastier, promontor. Macedoniæ, Sepias.
di Mongia, promontor. Gallæciæ, Aræ solis, Ara Sestiæ, Artabrum.
di Monte, in Madagascaria, Promontor. Montis.
di Monte Falcone, promontor. Sardiniæ, Gorditanum.
di Monte & di Monte Posilipo, promontor. prope Neapolim, Pausilypum.
di Monte Santo, in Sardinia, promontor. Montis Sancti.
de Monte Santo, in Macedonia, promontor. Nymphæum.
di Mwro, mons Corsicæ, Rætius.
de Natal, in Madagascaria, promontor. Natalis.
Negro, in ora Cafrorum, Caput Nigrum.
Ninfeo, promontor. Macedoniæ, Nymphæum.
Nista, promontor. Epiri, Thyamis.
de Non, in Africa, Caput Non.
di Non, promontor. Libyæ, Chaumaria.
de Nort, in America, Caput Boreale.
di Nubia, promontor. Africæ, Hermæa.
d'Oby, promontor. Moscoviæ, Lytarmis.
Olm, promontor. Dalmatiæ, Hyllis.
de Ogni, promontor. Mauritaniæ, Magnum.
di Orlando, promontor. Siciliæ, Agathyrium.
d'Ormus, promontor. Persidis, Armozum.

Capo, Cabo, Cap, Cape
d'Oro, promontor. Eubœæ, Caphareus, Cherſoneſus.
de Oropeſa, promontor. Valentiæ, Tenebrium.
d'Ortiguera, promontor. Gallæciæ, Lapatia Cori, Trileucum, d'Ortegal.
di Otranto, mons Hydrunto finitimus, Hydrus.
Pago, promontor. Peloponneſi, Cythium.
Palenudo, promontor. Lucaniæ, Palinurum.
Pali, promontor. Macedoniæ, Nymphæum, aliis Dyrachinum.
do Palmar, in Æthiopia inferiori, Promontor. Palmarini.
de Palmas, in Africa, Deorum Currus.
das Palmas, in India citeriori, promontor. Palmarum.
Dos Palmas, in Guinea, Caput Palmarum.
de Palos, Murciæ promontor. Scombraria, promontor. Saturni.
Paſſero vel Paſſaro, promontor. Siciliæ, Pachynus, & Theſsaliæ, Poſidium.
di Patientia, in terra Eſonis, promontor. Patientiæ.
di Patras, promontor. Achajæ propriæ, Rhium.
Pembrock, in terra Arctica, promontor. Pembrochium.
de Pennas, promontor. Hiſpaniæ, Aræ Seſtianæ, Lapatia, Cori, Scythicum promontor. Trileucum.
di Perales, promontor. Hiſpaniæ, Scombraria.
di Peſolo, promontor. Calabriæ, Cænis.
di Pile, promontor. Cypri, Throni.
di Piſciota, promontor Lucaniæ, Buxentum.
Piſello, promontor. Paphlagoniæ, Carambis.
Pointu, in nova Francia, promontor. Acutum.
di Pola, promontor. Hiſtriæ, Polaticum promontor.
di Porto, promontor. Corſicæ, Caſalus.
di Potinio, prope Chalcedonem, Bithyniæ promontor.
della Pula, locus Sardiniæ ruinatus, Nora.
di Rameda, promontor. Marmaricæ, Ardanis.
Raſamuzar, in Africa, Apollinis promontor.
di Raſcaranchi, promontor. Siciliæ, Odyſſia, Vlyſſis portus.
Raſocolmo, vide Raſocolmo.
di Raxaſen, vide Raxaſen.
di Raxiltin, in Marmarica, promontor. Cherſoneſi magna.
Revelat, promontor. Corſicæ, Tilox.
Riſotto, Epiri locus juxta Corcyram, Poſidium.
Rizalgate, promontor. Arabiæ Felicis, Corodamum, Syagros.
de la Rocca de Sintra, in Luſitania, aliter Magnum & Olyſipponenſe, Lunæ promontor.
Roſaphar, promontor. Tauricæ, Parthenium.
Roſſo, promontor. Ioniæ, Erythræum.
Rouge, in nova Francia, promontor. Rubeum.
Sabioncello, promontor. Sclavoniæ, Oneum.
de Sable, in America, Arenarum Caput.
di Sachalat, promontor. Arabiæ Felicis, Syagros.
Sagra, promontor. Corſicæ, Sacrum.
Salamon, promontor. Cretæ, Samonium.
Salanga, vide Salanga.
de Salinas, in America meridionali, promontor. Salinarum.
Saline, promontor. Cypri, Throni.
de S. Agoſtino, cum arce, in Braſilia regione, Caput S. Auguſtini.
di S. Aleſſio, promontor. Siciliæ, Argennum.
di S. Andrea, promontor Ætoliæ, Antirrhium.
di S. Andrea, promontor. Cypri, Clides, Dinaretum.
S. Andre, promontor. Scotiæ, Veruvium.
of S. Andrew, promontor. Scotiæ, Berubium, Veruvium.
de S. Antonio, in America, Caput S. Antonii.
de S. Antonio, in Cafreria, promontor. S. Antonii.
de S. Antonio, in Cuba inſula, Caput S. Antonii.
de S. Bras, in Cafreria, promontor. S. Blaſii.
de S. Catharina, in Sardinia, promontor. S. Catharinæ.
di S. Croce, promontor. Sarmatiæ Aſiaticæ, Cimmerium.
di S. Croce, promontor. Siciliæ, Taurus.
de S. Cruz, in America, Caput. S. Crucis.
di S. Elia, promontor. Peloponneſi, Cypariſſium.
di S. Epifanio, promontor. Cypri, Acamas.
de S. Franceſco, in Peruvia, promontor. S. Franciſci.
de S. Franceſco, in Cafreria, promontor. S. Franciſci.
de S. François, in nova Francia, promontor. S. Franciſci.

Capo, Cabo, Cap, Cape.
de S. Georgio, promontor. Theſsaliæ, Magneſia.
de S. Georgio, in Magellanica, promontor. S. Georgii.
S. Iani, promontor. Cretæ, Crin-metopon, Frons Arietis.
de S. Iuſtin, promontor. Angliæ Damnonium.
de S. Lucas, in California, Caput S. Lucæ.
de S. Lucia, in Sardinia, promontor. S. Luciæ.
de S. Luzia, in Cafreria, promontor. S. Luciæ.
S. Mabe, promontor. Britanniæ minoris, Gobæum.
di S. Maria, promontor. Algarbiæ, Cuneum.
de S. Maria, in Cafreria, promontor. S. Mariæ.
de S. Maria, in America meridionali, promontor. S. Mariæ.
de S. Maria, in nova Hiſpania, promontor. S. Mariæ.
di S. Maria, promontor. terræ Hydruntinæ, Iapigium, Acra Iapygia.
de S. Maria, in Nigritia, promontor. S. Mariæ.
di S. Maria, promontor. Phrygiæ, Iarganum.
de S. Maria, in Hiſpaniola inſula, promontor. S. Mariæ.
di S. Maria, Corſicæ, Mariana.
di S. Maria finis terræ, promontor. Gallæciæ, Artabrum, Celticum, Nerium.
S. Marie, promontor. Aquitaniæ, Curianum.
de S. Martin, promontor. Valentiæ, Hemeroſcopium, vide Cap. Martin.
di S. Martino, promontor. Siciliæ, Agathyrſus.
di S. Maura, promontor. Leucadis, inſulæ Epiri, Leucata, Leucates.
de S. Michael, promontor. Angliæ, Damnonium.
de S. Nicolo, in Hiſpaniola, promontor. S. Nicolai.
de S. Nicolo, in Cafreria, promontor. S. Nicolai.
di S. Paolo, promontor. Melitæ inſulæ, Cherſoneſus.
de S. Romain, in Madagaſcaria inſula, promontor. S. Romani.
de S. Sebaſtian, in Madagaſcaria, Caput S. Sebaſtiani.
de S. Sigo, promontor. Provinciæ, Cithariſtes.
de San Spiritu, in Philippinis, promontor. Spiritus Sancti.
di S. Theodoro, promontor. Siciliæ, Agathyrſus.
di S. Thomaſo, promontor. Cappadociæ, Iaſonium.
de S. Thome, in America, promontor. S. Thomæ.
di S. Vincente, promontor. Luſitaniæ, Sacrum promontor.
di S. Vito, promontor. Siciliæ, Ægitharſus, & Agathyrſus.
Saſſoſo, promontor, Cretæ inſulæ, Dion.
Scandreri, promontor. Peloponneſi, Rhium.
di Scardola, promontor. Corſicæ, Attium.
Scigli, promontor. Peloponneſi, Scyllæum.
Sciglio, vide il Sciglio.
de Set, mons & promontor. Linguadociæ, Setius, Sigium.
Sidro, promontor. Achaiæ, Cynoſura, Deriſcum.
de Sierra Liona, promontor. Guineæ, Heſperium Cornu & Caput montis Leanæ.
di Sigillo, promontor. Peloponneſi, Scyllæum.
de Sintra, promontor. Portugalliæ, Lunæ mons.
di Sorti, promontor. Africæ, Hippi.
Spada, promontor. Cretæ, Cianum, Cyanum.
Spartelle, promontor. Mauritaniæ, Cotes, Cottes, Ampeluſia.
di Spartivento, promontor. Calabriæ, Herculeum, Leucopetra.
de Spichel, promontor. Luſitaniæ, Barbarium, Olyſſiponenſe.
Sperco, promontor. Peloponneſi, Spiræum.
Sproni, promontor. Angliæ, Ocelli promontor.
Stellaro, promontor. Ioniæ, Argennum.
Stillari, mons Ioniæ, Mimas.
di Stilo, promontor. Calabriæ, Carcinum, Cocinthum, Cocynthum.
Sudeyca, promontor. Africæ, Trierorum vel Trieron.
Tabin, in Tartaria, promontor. Tabinum.
Tacharigo, in Zanguebaria, promontor. Tacharigum.
di Tetones, promontor. Cyrenaicæ, Boreum.
di Tenes, promontor. Mauritaniæ, Apollinis promontor. Gunugi.
Tenia, promontor. Thraciæ, Thynias.
Tigrua, promontor. Ioniæ, Trogilium.
della Torre del Faro, promontor. Siciliæ, Pelorus.
di Trapani, promontor. Cypri, Drepanum.
de Tres Arcas, promontor. Mauritaniæ Tingitanæ, Metagonium.
de Tres Forcas, promontor. Mauritaniæ, Metagonium, aliis Seſtiaria extrema.

Capo, Cabo, Cap, Cape.
de tres Puntas, in Guinea, promontor. trium Cuſpidum.
Tynias, promontor. Thraciæ, Thinias, Thynias.
das Vaccas, in Cafreria, promontor. Vaccarum.
de Vallis, vide Cabo de Figel.
Verde, promontor. Libyæ, Heſperium Cornu, Frons Africæ, Arſinarium, Ryſſadium, aliis Viride.
de la Vergines, in Magellanica, Caput Virginum.
Verlichi, promontor. Macedoniæ, Magneſia.
di Verre, promontor. Calabriæ, Linum.
Verſoda, promontor. Hiberniæ, Rhobogdium.
de Viana, promontor. Gallæciæ, Avarum.
de la Victoria, ad fretum Magellanicum, Caput Victoriæ.
di Volo, promontor. Ioniæ, Erythræ.
di Volpe, vide Coda di Volpe.
Xili, vide Xili.
Zunchi, promontor. Peloponneſi, Coryphaſium.
Capoa, urbs Neapolitani regni, Capua.
Cappa, oppid. Thraciæ, Carpudæmum.
Cappanach, fluv. Bactrianæ, Oxus.
Cappendu, caſtrum Galliæ, in Septimania, Canis ſuſpenſus.
Capraia, inſula maris Tyrrheni, Capraria.
Capranica, oppid. Italiæ, Capranica.
Caprara, inſula maris Adriatici, una Diomedæarum.
Caprarola, caſtrum Italiæ, Caprarola.
Capreſe, pagus Hetruriæ, Capra.
Capri, inſula maris Tyrrheni prope Neapolim, Capreæ, Caprea, Telonis inſula.
Caproncza, urbs Sclavoniæ, Copranitza.
Caproſe, inſula Pamphyliæ, Chelidonia.
Caps, urbs Africæ, Capſa, aliis Tacape.
Caps, vide Capes, & Rio di Capi.
Capſia, oppid. Thraciæ, Carpudæmum.
Capſir, pars Comitatus Ruſcinonenſis, in Hiſpania.
Captan de Buch, nomen dignitatis & dominii in Gallia, Capitalis Bojorum.
Capuſco, mons Meſopotamiæ, Chaboras.
Cara, oppid. Peloponneſi, Xarax, Zarex.
Cara, pagus Ducatus Mediolanenſis, Carraca.
Carabeis, urbs Ægypti, Pharamia.
Carabeni, pagus Corſicæ, ubi olim Tarrabeni populi.
Carabes, oſtium Nili, Peluſiacum, aliis Peluſium.
Carabi, fluv. Siciliæ, Atys.
Carabogdana, pars Dacia, provinc. Europæ.
Caraburun, urbs Lyciæ, Balbura.
Caracaran, urbs Indiæ, Lariagara.
Carachiſar, urbs Ciliciæ, Corycus.
Caraci, vide Caruci.
Caracomulu, regio Aſiæ, Colchis.
Caracoran, urbs Scythiæ, Iſſedon Scythica.
Caracuel, pagus Caſtellæ, Carcuvium.
Caradenis, Pontus Euxinus.
Caradrina, fluv. Serviæ, Drinus.
Caragoſa, oppid. Caſtellæ, Caracca.
Caragoza, urbs Aragoniæ, Cæſaraugusta.
Carahemit, vide Caramit.
Carai, inſula ſinus Perſici, Icarium, Ichara,
Caralupo, pagus Liguriæ, Canalicum.
Carama, vide Charama.
Caraman & Caramania, provinc. Aſiæ minoris, Cilicia, Pamphylia, & Taurus mons.
Caramit, urbs Meſopotamiæ, Amida, Ammæa, & Armeniæ, Zoriga.
Caraoiluc, provinc. Aſiæ, Meſopotamia.
Carapula, urbs Mauritaniæ, Carepula.
Caraſia & Caraſicli, regio Aſiæ minoris, Lydia, Mæonia.
Garaſia, urbs Aſiæ minoris exciſa, Alexandria Troadis, Troas, Troia.
Caraſicli, vide Caraſia.
Caraſſan, provincia Aſiæ, Bactriana.
Caraju, fluv. Ciliciæ, Cydnus.
Carat, oppid. Palæſtinæ, Gazorus.
Caravacca, oppidul. Hiſpaniæ, Caravacca.
Caravaggio, oppid. Mediolanenſis Ducatus, Carraca.
Caravaggio, oppidul. Italiæ, Caravagium.
Carazaſar, urbs Piſidiæ, Seleucia.
Carbolongi, oppid. Siciliæ, Hyccara.
Carbon, urbs Africæ, Ruſazus.
Carbon, fluv. Peloponneſi, Alpheus.
Carbonara, vicus regni Neapolitani, Aquilonia.
Carboniano, Caſtrum in Latio, Corbio.
Carcanoſſi, regio Madagaſcariæ, Carcanoſſia.
Carcaranna, fluv. Americæ, Carcaranna.
le Carcaſſe, vel le Carcaſiez, regio Galliæ, Ager Carcaſſonenſis.
Carcaſſone, urbs Aquitaniæ, Carcaſſum & Carcaſo.
Carcora, oppid. Cyrenaicæ, Diacherſis.

Cardamila, insula maris Ionii, Cardamyle.
Cardandan, urbs Scythiæ, Chaurana.
Cardiano, oppid. juxta Ravennam dirutum, Classis.
Cardiff, urbs Angliæ, Cardiffa.
Cardigan, provinc. Angliæ, Ceretica.
Cardona, regio Castellanorum popul. Catalauniæ, & oppid. Athanagia.
le Cardonay, locus Galliæ, in Caletis, Carduetum.
la riviere aux Cardons, amnis Galliæ, in agro Pontivo, Sarduo.
Carelie, provinc. Scotiæ, Carelia.
Carembole, tractus Madagascariæ, Carembola.
Carentan, oppid. Normanniæ, Carentonium.
Carfagnana, tractus Italiæ, Carferoniana.
Cargapol, provincia Moscoviæ, Cargapolia.
Carge, vide Carai.
Cari, portus Provinciæ, Incarus.
Cariati, urbs Calabriæ, Carianum, Chariatum.
Caribes, populi Americæ, Caribæ.
Caribider, urbs Indiæ, Corindur.
Caridia, urbs ad Chersonesum Thraciam, Cardia, Cardiopolis.
Carignano, oppid. Pedemontii, Carinianum.
Carime, pagus Paphlagoniæ, Armene, Armena.
Carin, urbs Syriæ, Cyrrhus.
Caron, oppid. Siciliæ dirutum, Cetaria.
Carim, oppid. Siciliæ, Hyccara.
Carini, vide Carime.
Carimena, oppid. Hispaniæ, Illiturgis.
Carino, oppid. Sclavoniæ, Corinium.
Carinola, urbs Campaniæ Italicæ, Calenum.
Carinthia, regio Carentanorum popul. Norici.
Carissar, urbs Galatiæ, Carissa.
Caristo, urbs Eubœæ, Carystus.
Carixa, vide Caroza.
Carizath, provincia Asiæ, Hyrcania.
le Carladez, tractus Galliæ in Arvernis, Ager Carlatensis.
vic en Carladez, vide Vic.
Carlat, castrum Galliæ, in Arvernia, Cartilatum.
Carlisle, urbs Angliæ, Cataractonum seu Cotterractonium Carleolum, aliis Luguvallium, Lucopibia.
Carlingford, oppid. Hiberniæ, Carlingfordia.
Carlostadt, oppid. Sueciæ, Carolostadium.
Carmagnola, urbs Italiæ, Carmaniola.
Carmain, castrum Galliæ, in agro Tolosano, Carmanum.
Carmelo, mons Palæstinæ, Carmelus.
Carmene, mons Palæstinæ, Carmelus.
Carmesond, sinus flexuosus Scandinaviæ, Sunda.
Carmia, urbs Cypri, Curium.
Carmon, urbs Susianæ, Charax.
Carmon vel Corman, urbs Arabiæ Felicis, Coromanis.
Carmona, oppid Andaluziæ, Carmon.
il Carner, vide il Quarnero.
il Carnero, vide il Quarnero.
Carnia, regio Epiri, Acarnania.
Carniola, regio Illyrici, Iapydia, aliis Carniola.
Carnobio, pagus Navarræ, Carnovium, Cernonium.
Carolei, oppid. Calabriæ, Inia, ixias.
la Carolina, arx Floridæ, Carolina.
Carolstadt, urbs Germaniæ, Carolostadium.
Caronia, urbs Siciliæ destructa, Halæsa, Alæsa.
Caros de los infantes, oppid. Hispaniæ, Ilarcuris.
Carosa, oppid. Galatiæ, Cyptasia.
Carouges, locus Galliæ, in Holmetia, regione Normanniæ, Quadrugiæ, vide quoque Carrouges.
Caroza, oppid. Hispaniæ, Aurelia Carisa.
Carpaluc, palus intra Europam & Asiam, Mæotis palus.
Carpasso, urbs Cypri, Carpasia.
Carpen, oppid. Hungariæ, Carpis.
Carpentaria, regio terræ Australis, Carpentaria.
Carpentras, urbs Provinciæ, Carpentoracte.
Carpi, pagus Africæ, Carpis, item urbs in littore Ponti Euxini.
Carpi, oppid. Lombardiæ, Carpum.
Carpio, oppid. Andaluziæ, Corbulo, aliis Calpurniana.
Carrazatin, oppid. Andaluziæ dirutum, Siarum.
Carrano, pagus Siciliæ, Achara.
Carrara, oppid. Hetruriæ, Cariara.
Carrathassam, fluv. Bithyniæ, Calpas.
Carrick, provincia Scotiæ, Carricta.
Carrieres, aliàs Carriere S. Denis, vicus Galliæ, in agro Parisino ad Sequanam, Quadraria seu lapidicina S. Dionysii.
Carrieres sous le bois, vicus Galliæ, in eodem pago, ad sylvam Lediam, Quadrariæ sub sylva.
Carrieres pres Charenton, viculus agri Parisini in Gallia, Quadrariæ ad Carentonem.
Carieres lez Poissi, vicus Galliæ in Veliocassibus, Quadrariæ ad Pinciacum.
Carrouges, locus Galliæ, haud procul ab Olina fluv. Quadrugiæ.

Cars, urbs Armeniæ, Carse.
Carsis, locus Galliæ, prope Massiliam, Carsici.
Carsola, urbs Umbriæ, Carsoli, Carsola.
Carsoli, oppid. Latii, Carseoli.
Cartagena, urbs Murciæ regni, Carthago nova.
Cartagena nueva, urbs Americæ, Cartagena nova.
Cartama, oppid. Granatensis regni, Cartamitanum.
Cartaricon, fluv. prope Constantinopolim, Barbyssus.
Cartin, urbs Africæ, Carthago.
Carto, pagus Marmaricæ, Catabathmus.
Carto, oppid. Marmaricæ, Chettæa.
Caruci, oppid. Corsicæ, Carax.
Carvehen, pagus Geldriæ, Caruo.
Casal, vide Cassil.
Casal maggiore, oppid. Italiæ, Casale majus.
Casal nuovo, oppid. territorii Hydruntini, Manduriæ.
Casal Pistorlengo, oppid. Ducatus Mediolanensis, Casale Pisterum.
Casal Romol, urbs Africæ, Aquæ regiæ, Tuburbis.
Casal di S. Vaso, urbs Montisferrati, Casale.
Casale, urbs Montisferrati, Casale, aliis Bodincomagum.
Casalmach, fluv. Cappadociæ, Iris.
Casals, castrum Galliæ, in Rutenis, Casalia.
Casalun, vicus Palæstinæ, Caseleth.
Casan, regnum Moscoviæ, Casan.
Casan, urbs Moscoviæ, Casan.
Casbin, urbs Mediæ, Arsacia, aliis Casbinum.
Cascada de Tivoli, casus Anienis fluv. Catarractes.
Cascano, pagus agri Neapolitani, juxta montem Gallicanum.
Cascante, oppid. Navarræ, Cascantum.
Caschow, urbs Hungariæ, Cassovia.
Cascia, oppid. Italiæ, Cascia.
Cascina, urbs Italiæ, Carsola.
Case, oppid. Liguriæ, Cassium.
Case nove, locus Latii, ubi olim Forum Appii.
Caselotre, Germaniæ, Keyserslautern, oppid. in Palatinatu Rheni, regione Germaniæ, Cæsaropolis.
il Casentino, apud Clusium in Hetruria, Cassentini oppidi ager, Clusinus ager, aliis Pasumena terra.
Caserta, Italiæ oppid. Tifata, Caserta.
Caserta, urbs Italiæ, Caserta.
Cashel, urbs Hiberniæ, Cassilia & Casella.
Casilirmar, fluv. Paphlagoniæ, Halys.
Casino, vide Cassino.
Caslona, pagus Hispaniæ Tarraconensis, Castulo.
Casopo, oppid. Corsicæ, Cassiope.
Casquettes, vel Quasquettes, Insulæ vel potiùs cautes in mari Britannico, Cascatæ vel Cacatæ.
Cassan, urbs Mediæ, Europus, Raga, Rhages.
Cassandria, urbs Macedoniæ maritima, Cassandrea.
Cassandt, arx Belgii, Cassanda.
Cassano, urbs Calabriæ, Cassanum, Cosanum, Cosa.
Cassano, oppidul. Ducatus Mediolanensis, Cassanum.
Cassano, vide Cosano.
Cassaro, oppid. Siciliæ, Cacyrum, aliis Cacyron.
Cassel & Kassel, urbs Hassiæ, Castellum Cattorum, Stereontium, aliis Cassella.
Cassel vel Kassel, oppid. Flandriæ, Castellum Morinorum.
Cassello, mons Liguriæ, Procavus.
Cassia vel Cassi, oppid. Sabinorum, Cursula.
Cassianum, urbs Persiæ, Cassian.
Cassibili, fluv. Siciliæ, Cacyparis.
Cassidane, insula Galliæ, Stœchadum una, Carchedonia.
Cassil, urbs Hiberniæ, Laberus.
Cassino, urbs Neapolitana diruta, Casinum & Cassinum.
Cassipa, lacus Americæ meridionalis, Cassipa.
Casso, insula maris Mediterranei, Casos.
Casson, provinc. Asiæ, Hyrcania, & urbs, Hyrcania.
Cassou, vide Cossovo.
Cassuben, populi Cassubiæ regionis juxta Pomeraniam, Reudigni.
Castagna, mons Thraciæ, Pangæus.
Castamena & Castromena, urbs Bithyniæ, Claudiopolis, Neoclaudiopolis.
Castanheira, vicus Portugalliæ, Arabriga.
Castanovitz, arx Croatiæ, Castanovitium.
Castel, pagus juxta Moguntiam, Trajani monumentum.
Castel & Castro.
Aragonese, urbs Sardiniæ, Emporiæ.
d'Arnaldo, oppid. Palæstinæ, Nobe.
Bernardo de Stampis, oppid. Arabiæ, Adratum.
Bolognese, oppidul. Italiæ, Castrum Bononiense.
Brito, oppid. Æmiliæ, Brintum.
di Brolo, oppid. Siciliæ excisum, Aluntium.
Durante, urbs Italiæ, Urbania.
del Fiume, vide Castro el Rio.
Folit, oppidul. Italiæ, Egola.

Castel & Castro.
Franco, oppid. Marchiæ Tarvisinæ, Castrum Francorum.
Franco, castrum Romandiolæ, Forum Gallorum.
Franco, oppidul. Calabriæ, Pandosia.
Gandolpho, in Campania Romana, Arx Gandulphi.
delle Grutte, vide Grutte.
Guelfo, castrum Guelphum.
Holm, oppid. Sueciæ, Castellum Holmiense.
Joanni, urbs Siciliæ, Enna.
Jubileo, urbs Latii diruta, Fidenæ.
Lombardo, vide Lombardo.
Lamberto, oppid. Palæstinæ, Ecdippa.
de la Lucena, locus Hispaniæ, Barbariana.
à Mar, emporium Siciliæ, Segestanum, Egestanum.
à Mar di Botorno, urbs excisa Campaniæ Italicæ, Vulturnum.
à Mar della Brucca, urbs Lucaniæ excisa, Velia.
à Mare di Stabia, locus Campaniæ, Pompeii, Stabiæ.
Marin, castellum Galliæ, in Rutenis, Castellum Marinum.
Maure, locus Galliæ, in diœcesi Narbonensi, Castellum Maurum.
Mur, oppid. Rhætiæ, Murum.
Novo, pagus Thraciæ, Canophrurium, Zenophrurium.
Novo, urbs Dalmatiæ, Castrum Novum.
Novo, oppid. Istriæ maritimum, Nesactium.
Novo di Carfagnana, oppid. Italiæ, Castrum novum Grafinianum.
Novo di Graffignana, oppid. Hetruriæ, Castrum novum.
Novo di Scrivia, oppid. Liguriæ juxta Dertonam, Castrum novum.
dell'Ovo, arx & insula apud Neapolim, Lucullanum, Megaris, Megalia.
Pelegrino, oppid. Palæstinæ, Petra incisa, Ecdippa.
Rampo, oppid. Macedoniæ, Torone.
el Rio, oppid. regni Granatensis, Castra Posthumiana.
di Sangro, castrum Aprutii, Sarum.
S. Angelo, locus in Roma, Hadriani moles.
S. Elmo, in Ruscinonensi Comitatu, Arx S. Elmi.
di S. Helia, castrum Hetruriæ, Suppentonia.
S. Lamperto, locus Palæstinæ, Saron.
di S. Pietro, urbs Cariæ, Halicarnassus.
di S. Silvestro, castrum Hetruriæ, Feronia.
Seprio, oppid. territorii Mediolanensis, Castrum Severi.
Seras, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Castrum altum.
Tornese, oppid. & promontor. Peloponnesi, Chelonates, Chelonites.
Vetere, oppid. Calabriæ, Caulon.
Vetrano, urbs Siciliæ excisa, Entella.
Villari, oppid. Calabriæ, Summuranum, Aprustum, Syrum.
Castellaccio & Castellazzo, oppid. Mediolanense, Gamundium.
Castellane, oppid. Provinciæ, Castellana.
Castellaneta, urbs juxta Tarentum, Castania.
Castellas, oppid. Paphlagoniæ, Callistratia.
Castellaun sive Castellum, oppid. ditionis Trevirensis, Castellum Hunnorum.
Castellazzo & Castellazzo, oppid. Siciliæ destructum, Eubœa.
le Castelle, arx Calabriæ maritima, Castra Hannibalis.
Castelle, oppid. Paphlagoniæ, Cytorum, Cotyora.
Castelletto, arx Ægypti, Lochias.
Castello, pars urbis Venetæ, Olivula, Castellum.
Castello d'Ampurias, oppid. Catalauniæ, Castelon.
Castello Ruzo, insula Pamphyliæ, una Chelidoniarum.
Castelluccio vel Castelluzzo, pagus Campaniæ, Castinum.
Castelnau d'Arry, vide Chatelnau d'Arry.
Castelnau de Pont Juvenal, locus Galliæ, ad Ledum fluv. Castrum novum Pontis Juvenalis.
Castelnau de Stretefons, locus Galliæ, Stricti fontes.
Castels, locus Galliæ, in Ducatu Leporetano, Castella.
Castenoy, Burgus Galliæ, in Bellovacis, Castanetum.
Castenwald, pars sylvæ Martianæ, in Germania, prope Brisacum, Castrum Nemus.
Caster, oppid. Angliæ, Durobriva, Venta Icenorum.
Castiglia de oro, regio Americæ, Castella aurea.
Castiglia, vide le Castelle.
Castiglione, oppid. Hetruriæ, Castula.
Castiglione Mantuano, oppidul. Italiæ, Castilio Mantuanus.
Castiglione delle Stivere, oppid. Italiæ, Castilio Stiverorum.
Castilla la nova, provinc. Hispaniæ, Castella nova.
Castilla la veja, provinc. Hispaniæ, Castella vetus.

Castil-

Castillion, oppid. Galliæ, in Convenis, *Castellio*.
Castillo, pagus Gadium insulæ, *Herculis fanum*.
Castillo Villovio, locus Aragoniæ, *Bilbium*.
Castillon, nomen multorum oppidor. in Gallia, *Castilio*.
Castilons, locus Galliæ, ad Garumnam, *Castelliones*.
Castion, oppid. Mediolanensis Ducatus, *Castrum Stiliconis*.
Castleford, pagus Angliæ, *Lagecium*.
Castoria, urbs Macedoniæ, *Castoria* & *Castoria castra*.
Castoro, fluv. Macedoniæ, *Lydius*.
Castralla, oppid. Valentiæ, *Castrum altum*.
Castres, urbs Linguadociæ, *Cessero*, aliis *Castrum*.
Castres, oppid. Galliæ, in Convenis; Item ad Tarnim fluv. *Castra*.
Castri, fluv. Æolidis, *Caicus*, *Caycus*.
Castri, urbs Asiæ maritima, *Cumæ*.
Castri, urbs Phocidis, *Delphi*.
Castri, oppid. Peloponnesi maritimum, *Ermione*, *Hermione*.
Castro, vide *Castel*.
Castro, oppid. Latii, *Castrimonium*.
Castrò, urbs Hetruriæ excisa, *Castrum*.
Castro, urbs agri Hydruntini, *Castrum*.
Castro & *Cividal de Castro*, oppid. Castellæ veteris, *Clunia*.
Castra Caro, castrum Romandiolæ, *Salsubium*.
Castromena, vide *Castamena*.
le Catacumbe, locus juxta Romam, *Catacumbæ*, *Cœmeterium Callisti*.
Catadbi, populi juxta Catarractas, *Catarractæ Nili* vel *Catadupi*.
Catajo & *Catay*, regio *Chetarum*, popul. Scythiæ, *Scythiæ* pars.
Catalani, populi Catalauniæ, *Castellani*, *Catalauni*.
Cataluna & *Catalogna*, regio Hispaniæ, *Catalaunia*.
Catania, urbs Siciliæ maritima, *Catana* vel *Catina*.
Catanzaro, urbs Calabriæ, *Catacium*.
Catay & *Catayo*, regio Asiæ, populi Scythiæ extra Imaum, *Serica*, aliis *Catata*.
le Cateau Cambresis, oppid. Belgii, *Castrum Cameracense*.
le Catelet, oppidul. Galliæ, *Castelletum*.
Catena del Mondo, mons Thraciæ, *Hæmus*.
Caterlagh, urbs Hiberniæ, *Caterlogium*.
Caterlagh Countie, Comitatus Hiberniæ, *Caterlogensis*.
le mont S. Catherine, seu *le fort S. Catherine*, locus munitus Rotomagi, *Mons vel munimentum S. Catharinæ*.
Cathnes, *Catnesia*, *Cathanesia*, in Scotia, *regio Cornabuorum*, *Cornovacarum* popul. aliis *Lugorum regio*.
la Cathona, vicus Calabriæ, *Columella*, *Columna Rhegina*.
el Catif, urbs Arabiæ, *Gerra*.
Catigan, urbs Indiæ citerioris, *Tilogrammum*, aliis *Chatiganum*.
Cato, vide *Kato*.
Catochi, fluv. Acarnaniæ, *Achelous*.
Catolica, oppid. excisum Romandiolæ, *Crustumium*.
Cattaro, urbs Dalmatiæ maritima, *Ascrivium*.
Catterick, pagus Angliæ apud Eboracenses, *Cataractonum* seu *Caturractonium*.
Catwyck, oppid. Hollandiæ, *Cattorum vicus*.
Catzenelebogen, in Germania, oppid. & regio *Cattorum Melibocorum*.
la Cava, urbs regni Neapolitani, Cava.
Cava, fluv. territorii Barensis, *Pactius*.
la Cava di Giorgia, pars agri Syracusani, *Gyas*.
Cavado, fluv. Portugalliæ, *Celandus*, *Alestes*, *Cadavus*.
Cavado, fluv. Hispaniæ, *Celandus* & *Alestes*.
Cavaillon, urbs Provinciæ, *Cabellio*.
Cavalla, urbs Macedoniæ, *Chalastra*.
Cavalla, Macedoniæ urbs, *Oesyma*, aliis *Cabyla*, *Cavyla*, *Bucephala*.
Cavan, regio Palæstinæ, *Auranitis*.
Cavan, castrum Hiberniæ, *Cavodium*.
la Cauchie, locus Galliæ ad Suminam fluv. *Calciata*.
Cauchoise, unum è forensibus burgis Rotomagi, *Caleticum*.
la Cauchoise, una ex portis urbis Rotomagi in Gallia, *Caletensis*.
Caudebec, urbs Galliæ, *Calidobeccum*.
Caudia, in Insubria, *Raudi campi* vel *Rhaudi campi*.
le Cave, locus Provinciæ, *Comaci*, ubi *Bormanico*.
Caverna della Sibylla, spelunca Campaniæ, *Antrum Sibyllæ*.
S. Aubini le Cauf, vicus Galliæ, in Caletis, *S. Albini*.
la Cavi, insula Galliæ, una ex Arecensibus, *Cava* vel *Cavin*.
Cauville, locus Galliæ, in Caletis, *Caleta villa*.

Caul, portus Indiæ, *Zizerum*.
Caulo, mons Calabriæ, *Caulon*.
le Caulx, regio Galliæ Belgicæ, ubi *Caletæ* populi.
Cavo d'Istria, urbs Istriæ, *Ægida*, *Justinopolis*.
Cavours, oppidul. Italiæ, *Cavortium*.
Caura, insula Peloponnesi, *Teganusa*.
Caurea, vide *Caura*.
Cauro, insula maris Ægæi, *Cythnus*.
Caurzim, oppid. Bohemiæ, *Caurzima*.
Causalion, oppid. Aquitaniæ, *Casinomagnum*.
Cawata, fons Palæstinæ, *Cades*.
le Caux, ager Galliæ, *Caleticus pagus*.
Caxamalca, locus Americæ, *Caxamalca*.
Cayem, urbs Arabiæ Felicis maritima, *Cane*.
Caysa, oppid. Palæstinæ, *Porphyreum*.
Cayrahon, urbs Africæ, *Vzecia*.
Cayrasco, vide *Cairasco*.
Cayro, vide *Cairo*.
Cayseven, pars Lincolniensis Comitatus in Anglia, à *Causenni* oppid. dicta.
Cazales, oppid. Marmaricæ maritimum, *Zagylis*, *Axilis*.
Cazeres, oppid. Extremaduræ, *Castra Cæcilia*.
Cazerbaseen, oppid. Africæ maritimum, *Barathia*.
Cazorla, oppid. Hispaniæ, *Castaon*, *Mentesa*, *Salaria*, *Aurelia Carisa*.
Cebit, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, *Subur*.
Cebu, insula Asiæ, *Cebus*.
Cecerigo, insula Peloponnesi, *Ægialia*.
Cechemet, oppid. Hungariæ, *Partiscum*.
Cechiana, provinc. Sinarum, *Cechiana*.
Cecina, fluv. & oppid. Hetruriæ, *Cecima*.
Cecrium, promontor. Thraciæ, *Astia*.
Cedic, vide *Zedic*.
la Cedogna, oppid. Apuliæ, *Laquedonia*, *Erdonia*, *Aquilonia*.
Cefalonia, insula maris Ionii, *Cephalenia*.
Cefalu & *Cifalu*, urbs Siciliæ, *Cephalœdis*, *Cephalodium*.
Cefiso, fluv, Bœotiæ, *Cephissus*.
Ceglie, oppid. Salentinorum, *Cælium* & *Celium*.
Ceglie, oppid. Apuliæ, *Celia*.
Ceice, pagus Portugalliæ, *Cælium*, *Celium*.
Ceirat quivir, Africæ, *Syrtis major*.
Ceiresie, pagus Provinciæ, *Citharistes*.
Ceitz & *Czeits*, urbs Misniæ, *Citizum*, *Cetia*, *Mamilla*.
Cela, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, *Sala*.
Celana, oppid. Aprutii apud lacum Fucinum, *Cliternum*, aliis *Celanum*.
Celebes, insula Indiæ, una *Sindarum*.
Celebes, insula Asiæ, *Celebis*.
Celef, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, *Chinaphal*.
S. Celerin, locus Galliæ, *Castellum S. Cerenici*.
Celestria, urbs Pisidiæ, *Seleucia*.
le Celine, fluv. Marchiæ Tarvisinæ, *Cælina*, *Celina*.
Celino, oppid. Apuliæ, *Beretra*.
Celio, oppid. Calabriæ, *Cælium*.
Celir, urbs Ægypti, *Berenice*, *Beronice*.
la Celle, locus Galliæ, in Meldis: Item in agro Parisino: Item in Remis: Item in Senonibus, *Cella*.
Celle seu *Celles en Berry*, locus Galliæ, in Biturigibus, *Cella S. Eusicii*.
Celle S. Clou, vicus Galliæ, in agro Parisino, *Cella S. Chlodoaldi*.
Celle sur Naon, locus Galliæ, in Biturigibus, *Cella St. Genulphi*.
Cellersee, lacus Sueviæ, *Venetus seu Acronius*, aliis *Cellensis*.
Cemelio, locus Galliæ Narbonensis, *Cemeneleum*, *Cemelion*.
Cenchres, portus Peloponnesi, *Cenchrea*.
Ceneda, urbs Marchiæ Tarvisinæ, *Acedum*, *Ceneta*.
Cenedic, fluv. Libyæ interioris, *Gir*.
Cennois, vel *Sanois*, vicus Galliæ, in agro Parisino, *Centum nuces*.
la Cense de Vinci, viculus Galliæ, in pago Cameracensi, *Vinciacum*.
Centeno, oppid. Thraciæ excisum, *Sentinum*.
Centeny, vicus Galliæ, in Briegio, *Centeniacum*.
Cento, oppid. Italiæ, *Centum*.
Cento Camerelle, locus prope Baias, *Luculli horti*.
Centorvi, urbs Siciliæ excisa, *Centuripæ*.
Centuri, oppid. Corsicæ maritimum, *Centurinum*.
Cenum, in agro Bergomensi, *pagus Cenomanorum*.
Cephala, regio Æthiopiæ, *Ophir*.
Cepol, oppid. Hungariæ, *Acincum*, *Aquincum*
Cepusz, Comitatus Hungariæ, *Cepusiensis*.
Ceram, insula Asiæ, *Ceramum*.
Cerane, pagus agri Novariensis, *Ceredanum*.
Ceray, seu *Ceré*, vicus Galliæ, in Turonibus, *Cerate*.
Cercel, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, *Canucu*.
Cercelli, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, *Cisse*.
Cercha, fluv. Liburniæ, *Titius*.
Cerchiara, oppid. magnæ Græciæ, *Arponium*.

le Comté de Cerdagne, tractus Hispaniæ, trans Pyrenæos, *Comitatus Ceretaniæ*.
Cerdan, oppid. Catalauniæ, *Ceretanum*.
Cerdanna, seu *Cerdagnes*, provinc. Hispaniæ, *Ceretania*, *Ceretani*.
Cere, oppid. Hetruriæ, *Alsium*.
Cerentia, vide *Gerentia*.
Ceres, oppid. Macedoniæ, *Cranon*.
Ceresei, oppid. Macedoniæ, *Tyrissa*.
Ceresi, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, *Iturissa*
Ceret, oppidul. Galliæ Narbonensis, *Ceretum*.
Ceretena, oppid. Siciliæ, *Ceretanum*.
Cereto, oppid. Umbriæ. *Ceratæ*, *Cercatæ*.
Cerey, arx Belgii, ubi olim *Caresi* populi.
Cerez, oppid. Palæstinæ, *Sarepta*.
Cerezo, oppid. Castellæ veteris, *Ceressus*.
Ceri, oppid. Hetruriæ, *Cere*.
Ceri, vide *Cere*.
Cerignola, oppid. Apuliæ, *Erdonia*.
Cerigo, insula juxta Peloponnesum, *Cythera*.
Cerines, urbs Cypri, *Cerannia*, *Cyrinia*.
Cerisoles, vicus Italiæ, *Cerisolæ*.
les vaux de Cernay, vicus Galliæ, cum monasterio, in pago Parisino, *Sarnajum*.
Cernuch, oppid. Hungariæ, *Inicerum*.
Cernico, vide *Gernico*.
Cernuo, regio Angliæ, *Cornubia*.
Cerosicka, oppid. Pannoniæ inferioris, *Cucci*.
Cerpa, oppid. Portugalliæ, *Serpa*.
Cerselle, locus Galliæ. in agro Parisino, *Cersilla*.
Cervaria, fluv. Apuliæ, *Cerbalus*.
Cerveira, oppid. Catalauniæ, *Secerræ*.
Cervera, oppid. Catalauniæ, *Cervaria*, *Servaria*.
Cervera, oppid. Castellæ novæ, *Cervaria*.
Cervera, oppidul. Cataloniæ, *Corbaria vallis* & *Cervaria*.
Cervetere, oppid. Hetruriæ, *Agylla*, *Cere*.
Cerugnola, oppid. Apuliæ, *Geryon*.
Cervia, urbs Romandiolæ maritima, *Cerevia*.
Cervia, urbs maritima Romandiolæ, *Ficocle*, *Phicocle*, *Phycocle*.
Cerviani, populi Corsicæ, *Cervini*.
Cesano, fluv. Umbriæ, *Sena*.
Cesenatico, urbs Romandiolæ, *Cæsana*.
Cesnon, fluv. Britanniæ minoris, *Tetus*.
Cester, vide *Chester*.
Cestrienses, populi Angliæ, *Ordovices*.
Ceton, oppid. Galliæ, in Pertico, *Ceto*.
lo Cetraro, oppid. Calabriæ maritimum, *Clampetia*, *Lampetia*.
Ceva, oppid. Pedemontii, *Ceba*, aliis *Cevanum*.
Cevennes, oppid. Linguadociæ, ad *Gebennæ* montis radices.
Ceuta, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, *Exilissa*, *Septa*, *Abyla*, *Ad septem Fratres*.
Ceylan, insula Asiæ, *Ceylanum*, *Taprobana*.
Cezimbra, oppid. Portugalliæ, *Catobrix*.
Chabannes, *Chavannes* & *Chevannes*, varia Galliæ loca, *Cabannæ*.
Chablais, tractus Sabaudiæ, ubi *Veragri* populi, aliis *Caballicus*.
Chably, oppid. Franciæ, *Cabliacum*.
Chabor, fluv. Palæstinæ, *Habor*.
Chabria, fluv. Macedoniæ, *Chabrinus*.
Chabris, locus Galliæ, in Biturigibus, ad Carim fluv. *Carobrivæ*.
Chabur, fluv. Mesopotamiæ, *Chaboras*.
Chacy, locus Galliæ, ad Ictam fluv. *Calcegium*.
fauxbourg de Chage, suburbanum urbis Meldorum, in Gallia, *Cagia*.
Chaiapa, oppid. Arcadiæ, *Leprium*.
Chaici, fluv. Asiæ minoris, *Caystrus*.
Chailli, locus Galliæ, in agro Parisino, in Decanatu Linariensi, *Calliacum*.
Chalanchi, pagus Picardiæ, *Salentiacum*.
Chalcidona, vide *Calcidona*.
Chalcis, insula & urbs Propontidis, *Chalcitis*, *Demonesus*.
Chaleppo, vide *Aleppo*.
Chalevane, vel *Chalevaine*, vicus agri Parisini, in Gallia, *Carolivenna*.
Chaligny, locus Lotharingiæ, ad Mosellam, *Caliniacum*.
Chalon sur Saone, urbs Burgundiæ, *Cabillonum*.
Chalonne, locus Galliæ, in Andibus, *Calonna*.
Chalons, urbs Campaniæ Gallicæ, *Catalaunum*.
la Chalosse, pagus Galliæ in Normannia, *Chalossia* seu *Scialocia*.
Chalpon, vel *Chalepon*, vicus Galliæ, in agro Parisino, *Caroli pons*.
Chalus, locus Galliæ, in Lemovicibus, *Castlucium*, vel *Castrum Lucii*.
Chamb, oppid. Bavariæ, ubi *Camani* populi, aliis *Chamum*.
Chamberi, urbs Sabaudiæ, *Civaro*, *Camerinum*, *Forum Voconii*, aliis *Camberiacum*.

Chambli, castrum Galliæ, in Bellovacis, Cambiacum, Cameliacum, & Camiliacum.
Chambo, locus Galliæ, in Arvernis, Cambiovicus.
Chambor, castrum Galliæ, Camborttium.
Chamboy, locus Galliæ, ad Divam fluv. Cambovinum.
Chambray, urbs Belgii. Item locus Galliæ, ad Carentonam fluv. Cameracum.
Chambrefontaine, locus Galliæ, cum Monasterio, in Meldis, Cameræ fons.
Chamchere, locus Galliæ, cum Monasterio, in Arvernis, Camelaria.
Chemen, in Westphalia urbs, Chamovorum, Camanarum.
Chamuniza, oppid. Peloponnesi, Oleum.
Champrond, locus Galliæ, in Pertico, Campus rotundus.
Champaigne, regio Galliæ, Campania, ubi Catelauni populi.
Champenois, populi Galliæ, Campani.
Champignet, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, Campiniacum parvum.
Champigni, locus Galliæ, ad Matronam fluv. Campiniacum.
Champigny, locus Galliæ, ad Junnam fluv. Campiniacum: Item ad Vidulam, in Remis, Campaniacum.
Champlant, vicus Galliæ, in agro Parisino, Campi Plantarium.
Champré, locus Galliæ, in sylva Retia, Campi pratum.
Champs Moteux, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, ad Matronam fluv. Campi.
Champuis, vel Sampus, locus Galliæ, in Bellovacis, Centum putei.
Chana vel Cana, urbs Ægypti, Combos, Ombri, aliis Coptos.
Chana, locus Galliæ, ad lacus Burgulensis in Rhodanum decursum, Candate.
Chanceaux, locus Galliæ, in Æduis, ubi Sequana oritur, Cancelli.
le Change, locus Galliæ ad super. Viseram, Cambium.
Chanid, urbs Cretæ maritima, Cydon.
Chanoury, urbs Scotiæ, Chanoricum.
Chantelle le Castel, castrum Galliæ, in Biturigibus, Cantilia.
Chantelle la ville, villa Galliæ, ad Sicaulam fluv. Cantiliæ vicus.
Chantelou, locus Galliæ, in Briegio, Campus lupi.
Chantorceaux, locus Galliæ, in Andibus: Item in Namnetibus, Castrum celsum.
Chaource, oppid. Lingonum, Caduccense vel Caturica.
le Chap, locus Galliæ, in Vellavis, Caput.
Chapelle S. Denys, vicus Galliæ, Lutetiæ proximus, Capella S. Dionysii.
S. Louis, locus Galliæ, in Bieria sylva, Eremitorium S. Ludovici.
Milon, locus Galliæ, ad Urbiam fluv. Item vicus agri Parisiensis, ad Ivetam, Capella Milonis.
en Servois, aliàs la Chapelle, locus Galliæ, in pago Sylvanectensi, Capa.
en Terasse, locus Galliæ, in sylva Teoracia, Capella in Teoracia.
Chapsilar, vide Chapsala.
Charams, urbs Arabiæ Felicis, Carman, Acarman.
La Charante, fluv. Galliæ, in Aquitania, Carantelus.
Charasou, fluv. Thraciæ, Nesus, Nestus.
Charazasar, vide Carazasar.
los Charcas, populi Peroviæ, Charca.
la Charce, castrum Galliæ, in diœcesi Vapincensi, Carcer.
Charchana, insula maris Africi, Cercina.
Charci, insula maris Rhodii, Chalcia.
le Charente, fluv. Galliæ, in agro Encolismensi, Carantonus.
Charenton, oppid. juxta Parisios, Charento.
la Charentone, aliàs Carentonne, Galliæ fluv. Carentona.
Charentoneau, villa Galliæ, in agro Parisiensi, Carentoniolum.
Charges, oppid. populorum Delphinatus, Caturiga.
Charia, oppid. Peloponnesi, Mycena.
Charing, oppid. Angliæ, Duroicvum.
Charon, urbs Siciliæ, Charinum.
la Charité, oppid. Galliæ, Charitas.
Charlburg, oppid. Hungariæ, Chartobalus.
Charle Mesuil, locus Galliæ, in Caletus, Caroli Mansionile.
Charlemont, oppid. Belgii, Carolomontium.
Charleroy, arx Belgii, Caroloregium.
Charleva, locus Galliæ, ad Indellam fluv. Caroli vallis.
Charleville, urbs Galliæ, Carolopolis.
Charleville, locus Galliæ, in Remis, Caroli villa.
Charlieu, monasterium Burgundiæ, in diœcesi Vesuntionensi, Caruis locus.

Charmes, locus Lotharingiæ, Ad Carpinos.
Charny, locus Burgundiæ, Carniacum.
Charolles, oppid. Galliæ, cum titulo Comitatus, Quadrigella.
Charonne, vicus Galliæ in agro Parisino, Carrona.
Charrebolo, urbs Cariæ, Charsopolis.
Charrois, oppid. Galliæ, in Biturigibus, Carrocium.
Charrolois, populi & regio Burgundiæ, Amberri, aliis Carolesium.
Charrone, vide Charonne.
Charroux, Abbatia Galliæ, in agro Pictavensi. Item locus in Aquitania, cum monasterio, Carrofum.
Chars, urbs Armeniæ majoris, Chorsa.
Chartaricon, vide Cartaricon.
Chartrain, popul. Galliæ, Carnutum regio.
la Chartre, castrum Galliæ. Item Castellum ad Ledericum fluv. Carcer.
Chartres, urbs Galliæ, Carnutum, Autricum.
la Chartreuse, eremus & cœnobium Delphinatus, Carthusia.
Charreuve, locus in agro Tardanensi, Cartrava.
Chastlles, locus Galliæ in pago Forensi, Casula, vel Casella.
Chases, locus Galliæ ad Elaverim, Casæ monasterium.
Chasey, locus Galliæ ad Breziam, Casiacum.
Chasseneuil, castrum agri Aginnensis in Gallia, Casinogilum.
le Chasteau, locus in Vliaro Galliæ insulâ, Castellum.
Chasteau Cambresis, vel Chasteau en Cambresi, Castellum in urbe Belgii Cameraco, Cameracense.
Chasteau, Chinon, locus Galliæ, in diœcesi Augustodunensi, Castrum Caninum.
Chasteau Fort, castrum agri Parisiensis. Item pagi Pontici, in Gallia, Castrum Forte.
Chasteau Galliard, castrum Galliæ ad Sequanam, Gallardum.
Chasteau Gontier, oppid. Galliæ, Castrum Gonterii.
Chasteau d'If, aliàs la Tour d'If, locus in Insul. Hipæa, Stœchadum unâ, Castellum Hypæa.
Chasteau Landon, locus Galliæ, in Vastinio tractu, Castrum Nantonis
le Chasteau de Lates, vel La tour de Late, castellum in Gallia Narbonensi, Latara.
Chasteau du Loir, oppid. Galliæ, Castrum ad Ledum.
Chasteau de la Lune, locus Galliæ in Aulercis, Castrum Lunæ.
Chasteau Meilant, locus ejusdem regni in Biturigibus, Castrum Meliandi.
Chasteau de Monferrat, locus Belgii, Mons ferratus.
Chasteau Neuf, locus Galliæ, ad Carim, Castrum Novum.
Chasteau Neuf de Randon, locus ejusdem regni, in Gabalis, Castrum novum Randonense.
Chasteau Neuf en Timerais, locus Pertici, in Gallia, in agro Teomerensi, Castellum Novum.
Chasteau de Pierre Cize, locus Lugduni, in Gallia, Castrum Petræ scissæ.
Chasteau Porcien, oppid. Galliæ, in agro Retelensi, Castrum Porciani.
Chasteau Regnaut, vel Renaud, castrum Galliæ, Castrum Reginaldi.
Chasteau Renard, oppidul. Galliæ, Castrum Vulpinum.
Chasteau Rous, pro Chasteau Raoul, locus Galliæ, in Biturigibus, Castrum Radulphi.
Chasteau Roux, oppid. Biturigum, Castrum Rufum.
Chasteau Salin, locus Lotharingiæ, ad Saliam fluv. Castrum Salinarum.
Chasteau Thierry, oppid. Campaniæ Gallicæ, Castrum Theodorici.
Chasteau Trompette, nomen arcis Burdigalensis, in Gallia.
Chasteau Villain, locus Galliæ, in Lingonibus, Castrum Villanum.
Chasteaudun, oppidum Galliæ, in Belsia, Dunum, aliis Castellodunum.
Chasteaulandon, oppid. Galliæ, Vellaunodunum.
Chasteaulerault, oppid. Pictaviensis agri, Castrum Heraldi, aliis Chastellerault.
Chasteaux en Anjou, locus Galliæ, in Andibus, Castella.
Chasteaux Briant, oppid. Britanniæ minoris, ubi Cadetes populi, aliis Castrum Briandi.
les Chasteaux de Lepante, vide Dardanelli.
Chastel, locus in saltu Vosago, Castellum.
Chastel Aliion, locus Galliæ, in Santonibus, Castrum Alta.
Chastel Censoy, locus ejusdem regni, ad Icaunam fluv. Castrum Censorium.

Chastel Chalon, locus in Sequanis, Castellum Carionis.
Chastelet, itidem in Sequanis, Castelletum.
Chastellenie de Lille, tractus Flandriæ, Insulana Castellania.
Chastellus, locus Galliæ, Castelluccium.
Chastenay, nomen duorum vicorum Galliæ, in agro Parisiaco, Castanetum.
Chastenoy, locus Lotharingiæ, similiter, Castanetum.
S. Chastier, locus Galliæ, in Petrocoriis, S. Casterii vicus, vel ad S. Casterium.
Chastillon en Basois, locus Galliæ, in agro Bassensi, Castellio.
Chastillon sur Indre, locus ejusdem regni in Biturigibus, Castellio ad Angerim.
Chastillon sur Loing, oppid. Galliæ, Castellio ad Lupiam.
Chastillon sur Marne, oppid. Galliæ, Castellio ad Matronam.
Chastillon sur Morin, locus Briegii, in Gallia, Castellio ad Mucram.
Chastillon sur Seyne, oppid. Galliæ, Castellio ad Sequanam.
Chastillon en Vendelois, locus Galliæ, in Bellovacis, in agro Vindelensi, Castellio.
Chastre, locus in Biturigibus, regione Galliæ, Castra.
Chastres en Brie, locus Galliæ; in agro Parisino, Castra Briegensia.
Chastres sous Montlehери, locus ejusdem agri, Castra sub monte Letherici.
Chataide, populi Scythiæ, Massagetæ.
Chataru, populi Scythiæ, Chetæ.
Chatelnau d'Arry, oppid. Linguadociæ, ubi Tascodunitari populi.
Chatenay, locus Galliæ, in Lingonibus, Catenacum.
Chatou, vicus agri Parisini, in Gallia, Catonacum.
Chatre, locus Galliæ, ad Carim fluv. Castra.
Chatzan, urbs Arachosiæ, Arachotus.
Chavanci, locus Belgii, Cavantiacum.
la Chaucée, locus Burgundiæ, in Ducatu Barrensi, Calciata.
Chaudes Aigues, oppid. Velaunorum in Gallia, Thermæ.
Chavenay, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, Cavemiacum.
Chaves, vide Chiaves.
Chavignon, vicus Galliæ, prope Laudunum, Cavenio.
Chavillé, vicus ejusdem regionis, Caput villæ.
Chaul, urbs Indiæ citerioris, Muziris, aliis Camen.
Chaume, oppid. Galliæ, cum monasterio, in Briegio, Calma.
Chaumont, oppid. Vallesiæ Gallicæ, Calvus mons.
Chaumont, oppid. Galliæ, Calvus mons.
S. Chaumont, locus Galliæ, in agro Forensi, S. Annemundi castrum.
Chaumont en Bassigny, locus Galliæ, Calvus mons in Bassiniaco.
Chauny, oppid. Galliæ, Calniacum.
Chaurim, pagus Bohemiæ, Casurgis.
Chauvigny, oppid. Pictonum, in Gallia, Calviniacum.
Chaxumo, urbs Æthiopiæ, Axume.
Chedover, oppid. Normanniæ, Crociatonum, Coriacotinum.
Chef Boutonne, oppid. Galliæ, in Pictonibus, Caput Vultonnæ.
Cheiser, vide Caisar.
Chelbi, insula maris Africi, Dracanteus.
Chelit, fluv. Cappadociæ, Lycus.
Chelle & Chelles, vicus agri Parisiensis, in Gallia, Cala.
Chelles, oppidul. Galliæ, Cale & Cala.
Chelm & Chelmnick, urbs Russiæ nigræ, Chelma.
Chelmsford, oppid. Angliæ, Cæsaromagus.
Chelo, oppid. Transylvaniæ, Dierna.
Chelquera, urbs Persiæ excisa, Pasagarda.
Chelva, oppid. Valentiæ, Incibilis.
Chemach, urbs Ciliciæ, Camacus.
Chemillé, castellum Galliæ, in Andibus, Camilliacum.
le Chemin Aurelien, locus Galliæ, in Provincia, Via Aurelia.
Chemois, pagus Galliæ, Camizisus.
Chemps, urbs Syriæ, Emisa.
Chenevieres, oppid. Lotharingiæ. Item tres vici in finibus Parisiorum, Cannabaria.
Chenford, oppid. Angliæ, Cæsaromagus.
la Cheppe, Municipiolum Galliæ, Cippidum.
Chepstow, oppid. Walliæ, Chepestow, Strigulia.
Cher, fluv. Galliæ, Caris & Charus.
Cheramidi, oppid. Peloponnesi, Phena.
Cherasco, vide Carrasco.
Cherasia, vide Cherm.

Che-

Cherasonda, vel Chirisonda, urbs Cappadociæ maritima, Ceralia.
Cherbonne, locus Galliæ, in diœcesi Laudunensi, Carbonacum.
Cherbourg, locus Galliæ, Cæsaris burgum.
Cherbourg, urbs Normanniæ, Caroburgus.
Cherfulenberg, oppid. Austriæ, Chertobalus.
Cheria, urbs Assyriæ, Ninus.
Cherima, urbs Mediæ, Carine.
Cheru, urbs Bithyniæ, Prusa, Prusias.
Cherman, vide Chirman.
Chermizy, villa Galliæ, in agro Remensi, Calmiciacum.
Cheroga, oppid. Castellæ veteris, Pintia, Calaroga.
Cheronea, oppid. Bœotiæ destructum, Cheronea.
Cheronisi, oppid. Peloponnesi, Epidaurus.
Cheronac, vicus Galliæ, in pago Encolismensi, Caronacum.
Cheropoli, urbs Peloponnesi, Chariopolis.
Cherso & Kersoy, urbs Tauricæ, Cherronesus & Chersonesus.
Cherso, insula Liburniæ, Crepsa, Crexa.
Cherza, urbs Siciliæ destructa, Gela.
Chesapeack Bay, Virginiæ, Chesapeacus sinus.
Chesel, fluv. Sogdianæ, Iaxartes.
Chelesia, vide Chesia.
Chesia, urbs Macedoniæ, Heraclea.
Chesim, vide Capo Chesimi.
Chesimur, provinc. Asiæ, Arachosia.
le Chesnay, locus agri Parisini, in Gallia, Chesnetum.
Chese, vicus sylvæ Cotiæ, Cassium.
Chester, urbs Angliæ, Civitas Legionum, Divana vel Devana, Cestria, Deva, Legionum urbs.
Chester upon the street, oppid. Angliæ, Condercum.
Chestino, mons Cretæ, Cimarus.
Chevelar, vide Capo Chevelar.
Chevily, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Civiliacum.
Cheviota, montes, Villanovano, inter Angliam & Scotiam, Ordovices.
Chevrese, locus ad Ivetam fluv. in agro Parisino Galliæ, Caprosia.
Chevry, vicus Galliæ, in Briegio, Capriacum.
Chezy, vel Chesy, oppid. Galliæ, in Suessionibus: Item Abbatia, prope Meldos urbem, Cafiacum.
Chiampaa, regnum Indiæ, Ciampa.
Chiamsi, provinc. Sinarum, Cmamsia.
la Chiana, fluv. Hetruriæ, Clanis, Glanis.
Chiangare, regio Asiæ, Galatia.
Chiapa, provinc. novæ Hispaniæ, Chiapa.
Chiaapa, vide Chaiapa.
Chiaravalle, vide Clervaulx.
Chiarenza, promontor. Elidis, Araxus.
Chiarenza, oppid. Peloponnesi, Cyllene.
Chiaromonte, oppid. Siciliæ, Claromons.
Chiartachar, urbs Bactrianæ, Charta, & Chatracharta.
Chias vel Chiay, fluv. Ioniæ, Cayster.
Chiascio, Umbriæ in Italia fluv. Asius.
Chiastezo & Chiastieggio, oppid. in territorio Papiensi, Clastidium.
Chiavari, oppid. Liguriæ, Claverinum & Clavarum.
Chiavenna, oppid. Rhætiæ, Clavena, Clavenna.
Chiaves, oppid. Portugalliæ, Aquæ Flaviæ.
Chiaurlic, urbs & fluv. Thraciæ, Arzus.
Chiay, fluv. Æolidis, Caicus; & fluv. Ioniæ, Cayster.
Chiazo, fluv. Umbriæ, Asius, alii Chiascio.
Chiazza, oppid. Siciliæ, Erbita.
Chichees, locus agri Ternodorensis, Ciconiæ.
Chichester, urbs Angliæ, Cicestria.
Chieiano, oppid. Alpinum, Ocelum.
Chielder, mons Armeniæ majoris, Pariedrus.
Chiemosee, urbs Norici, Chemnum.
Chiente, fluv. Marchiæ Anconitanę, Ufens.
le Chier, fluv. Belgii, Chares.
Chiera, pagus Siciliæ prope Messanam, Zancle.
Chieri & Quiers, oppid. Pedemontii, Cherium.
Chierlieu, oppidul. Galliæ, in Æduis, Carus locus.
Chiersi, vicus Galliæ ad Isaram, Carisiacus.
Chiese, fluv. agri Brixiani, Clesis, Clusius.
Chieti, vide Civita di Chieti.
Chievremont, castellum Tungrorum, dirutum, Capræ mons.
Chifale, insula sinus Arabici, Minervæ ara.
Chifont, populi Asiæ, Iudæi.
Chilca, insula Scotiæ, Hiona, Ibona.
Chili, regnum Americæ, Chile & Cile.
Chilminare, urbs Persidis excisa, Persepolis.
Chiloe, oppid. Americæ, Chiloa.
Chilon, pagus Castellæ novæ, Ssapone.
Chimarioti, montes Epiri, Ceraunii, Acroceraunii.
Chimay, oppid. Belgii, Chimacum.

Chimi, promontor. Eubœæ, Caphareus, Caphereus.
China, urbs Ægypti, Syene.
le Chine, regio Asiæ, ubi Sinæ populi.
Chinchilla, urbs Castellæ novæ, Cinctylia.
Chinchon, oppid. & populi Hispaniæ, Cincum.
Chinesi, populi Asiæ, Sinæ.
Chingale, populi Navigeris insulæ Indiæ.
Chinois, populi Asiæ, Sinæ.
Chinon, oppid. Galliæ Celticæ, in Turonibus, ad Vigennam fluv.
Chinserin, urbs Syriæ, Chalcis.
Chio, urbs Cariæ maritima, Cnidus, Triopia.
Chiores, oppid. Messeniæ, Abea, Abea.
Chiorme, urbs Armeniæ minoris, Nicopolis.
Chioza, urbs Venetorum, Clodia fossa, Clugia.
Chipicche, provinc. Asiæ, Albania.
Chipicche oppid. Mengreliæ, Madia.
Chipiona, oppid. Andaluziæ, Capionis turris.
Chipsala, urbs Thraciæ, Cypsella.
Chirajco, vide Cairasco.
Chirisonda urbs Pamphyliæ maritima, Sida.
Chirman, regio Asiæ, Carmania.
Chirobacchi, locus Thraciæ, Cherobacchi.
Chiromandel, urbs Indiæ, Caticardamna.
Chirronisso, urbs Candiæ, Chersonesus.
Chisamopoli & Chisamo, urbs Candiæ, Cisamus.
Chisime, fluv. Asiæ minoris, Simois.
Chisino, promontor. Cretæ, Cyamon.
Chison, vide Corso.
Chissay, locus Galliæ, in Turonibus, Cisomagus.
Chite, urbs Cypri excisa, Citium.
Chitelino, mons Parthiæ, Masdoranus.
Chitor, provinc. Indiæ interioris, Chitor.
Chitri, oppid. Cypri mediterraneum, Chytros.
Chitro, urbs Macedoniæ maritima, Citrum, Pidna.
Chivas, urbs Pedemontii, Clavasium.
Chiur, vide Cirech.
la Chiusa, oppid. Forolivii, Augustanæ Clausuræ, Iulia Claustra, Via Beloium.
la Chiusa, oppid. agri Veronensis, Veruca.
Chiusi, urbs Hetruriæ, Clusium.
Chiusi alterum, oppid. Hetrurię, Clusium novum.
Chiutaie, regio Asiæ minoris, Bogdamantis, & urbs, Cotyeum.
Chizico, urbs Mysiæ in Asia, Cyzicus.
Chiu & Chlajerort, oppid. & ager prope Lubecam, & flumen, Chalusum.
Chmielnick, oppid. Polonię, Chmielnicum.
Chognitz, oppid. Sclavoniæ, Æquum.
Choin, urbs Mediæ, Artaxata.
Choiseul, locus in Lingonibus, Caseolum.
Choisille, fluv. Gallię, in Turonibus, in Ligerim influens, Coseiia & Cusilia.
Choisy aux bœufs, vicus Galliæ, in agro Parisino, Cauciacum ad Boves.
Choimkill, in Scotia, Insula S. Columbani.
Chonad vel Chomad, urbs Hungarię, Canadium, Cenadium.
Chone, urbs Phrygiæ, Colossæ.
Chone, vicus Belgii, ad confluentes Wesæ & Urtæ, Condate.
Choniad, urbs Hungariæ, Genadium.
Chora, urbs Lydiæ excisa, Tralles.
Chorasan, vide Corassan.
Chorasmuni, palus Sogdianæ, Oxiane.
Chorges, oppid. Gallię Narbonensis, Caturiga, vel Caturigomagum.
Chosair, urbs Ægypti, Berenice.
Chremnitz, mons Hungarię, Carpates.
Christbourg, oppid. Polonię, Christoburgum.
Christiana, insula juxta Candiam, Laguja, Dia, Letoa.
Christiana Ansloye, urbs Norvegię, Christiana.
Christianopel, oppid. Suecię, Christianopolis.
Christianpreis, munimentum in Iutia. Christiani.
Christianstad, oppid. Danię, Christianostadium.
Christina, oppid. Americę, Christina.
Christopoli vel Chrisopoli, urbs Macedonię, Amphipolis, Christopolis, Neapolis.
Chvalenskoe morie, in Asia, Hyrcanum mare.
Chub, provinc. Asiæ, Persia.
Chumerse, vide Cumersee.
Chur, urbs Grisonum, Curia.
Churnford, vide Cranford.
Churwalen, populi Germaniæ, Photi.
Chus, vide Chub.
Chutz, urbs Palæstinę, Hierosolyma.
Chypsala, vide Cipsala.
Chyseleth, urbs Mediæ, Cyropolis.
Chzepregh, oppid. Hungariæ, Scarabantia.
Chzonad, vide Chonad.
Ciampagu, insula maris Indici, Chryse.
Cianganor, urbs Sinarum, Coccenagara.
Ciarlatani, populi Umbriæ, Ceratæ.

Cicabo, fluv. Colchidis, Cyaneus, Cyanos, Glaucus.
Cicerigo, vide Cecerigo.
Ciceron, locus in Latio novo, Formianum.
Ciceroniano, locus juxta lacum Avernum, Ciceronis villa.
Cicestre, vide Caer-Cory.
Ciclana, oppid. Andaluziæ, Besippo.
Cico, mons Algarbię, Cicus.
Cicogné, locus Galliæ, in Turonibus, Ciconiacum.
Cicognes, in eadem regione locus, Ciconia.
les Cicules, populi Transylvanię, Ciculi.
Cidariso, oppid. Laconiæ, Oenoe.
Cideriso, oppid. Sclavonię, Oeneum.
Cidonia, urbs Lesbi insulæ, Eresus.
Cifalu, vide Cefalu.
Ciges, vide Siges.
Cigognola, pagus agri Papiensis, Cumillomagum.
Ciguenza, vide Siguenza.
Cilabro, fluv. Macedoniæ, Chabrius.
Cilcester, vide Silcester.
Ciliano, oppid. Lucanię, Calianum.
Cilio, vide Ceglie.
Cilley, urbs Germaniæ, Cilleia & Celia.
Cima di monte Santo, jugum Athi montis, Acroathon.
Cimana, oppid. Palæstinæ, Chamon.
la Cimera & Chimera urbs Epiri, Chimæra, Acroceraunia.
le Cimetiere des Arenes, locus Gallię, in Lemovicum urbe, Cœmeterium arenarum.
Cimies, locus juxta Niceam, ubi olim Cemenelum vel Cemelion, urbs.
Cimolo, insula Archipelagi, Cimolos.
Cinga, fluv. Aragoniæ, Cinga.
Cincelle, urbs Hetruriæ diruta, Centum cellæ.
Cinen, vicus Majoricæ insulę, Cinium.
Cingari, populi Africæ, in Zeugitana regione.
Cinguli vel Cinguli, oppid. Marchiæ Anconitanæ, Cingulum.
Cinq Eglises, urbs Hungariæ, Quinque Ecclesiæ.
Cinquefronds, castrum Calabrię ulterioris, Templum Musarum.
Cio & Chio, portus Bithyniæ, Diospolis, aliis Tium.
Ciorlich, vide Cierlo.
Ciorlo, urbs Thraciæ, Tirulum, Tzurulum.
la Ciotat, urbecula Provinciæ, Civitas.
Ciozo, arx Daciæ in regione Ciazeforum.
Cipaissi, oppid. Peloponnesi, Brasiæ, Prasia.
Ciprico, oppid. Tauricæ Chersonesi, Nymphæum.
Cipro, insula Syriæ, Cyprus.
Ciradlo, fluv. Corsicæ, Valerius.
Circan, regio Asiæ, Gedrosia.
Circassi, populi Sarmatiæ, Cercetæ & Cercetii, Zigæ.
Circe, urbs Mysiæ Asiaticæ, Lampsacus.
Circelli, oppid. Mauritaniæ, Cartenna.
Circelli, promontor. Provinciæ, Citharistes.
Circombate, urbs Mediæ, Cyropolis.
Cirech, fluv. Albaniæ, Cyrrhus, Cyrus.
Cirella, oppid. Calabriæ maritimum, Cirelli.
Cirencester & Circester, oppid. Angliæ, Corinium, Durocornovium.
Cirenza, urbs Lucaniæ, Acherontia.
Ciria, in Castella, Caritum & Carytarum popul. oppid.
Cirignola, oppid. Apuliæ, Geronium, Gerenia.
Ciriiano, oppid. Calabriæ, Cyterium.
Cirndiaso, mons & fluv. Lucaniæ, Lagaria.
lo Ciro oppid. Calabriæ, Crimisa, Paternum.
Cis, oppid. Thraciæ, Ciffus.
Cisa, fluv. Daciæ, Pathissus.
Cisano, fluv. Istriæ, Formio.
la Cisse, fluv. Galliæ, in Turonibus, Sicera, vel Sicia.
Cissi, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Cisse.
Cisteaux, cœnobium in Burgundia, Cistertium.
Cisterna, urbs Latii excisa, Tres Tabernæ.
Cisteron, urbs Provinciæ, Segesterorum urbs, Sistarica.
le Cisteronois, regio Galliæ, Pagus Secusteronensis.
Citadella, oppid. Hispaniæ, Iamna.
Citeaux, cœnobium Galliæ, prope Citharisten promontor. quid sit non constat.
Citherone, mons Græciæ, Cithæron.
Cithira, pagus Cypri, Cythera.
Citino, insula maris Mediterranei, Cythnus.
Citte, vide Sittia.
Citor, urbs Indiæ citerioris, Taxila.
Citta, Civita.
de gli Angeli, urbs Americæ, Angelopolis.
Castellana, urbs Hetruriæ, Fescennia.
di Castello, urbs Umbriæ, Tifernum.
di Chieti, urbs Aprutii, Teatea.
Ducale, urbs Aprutii, Civitas Ducalis.
Lanovina, pagus Latii, Lanuvium.
Lavinia, oppid. Latii, Lavinium.

Nova, urbs Istriæ. Æmonia, Nova Civitas.
Nova, urbs Marchiæ Tarvisinæ excisa, Heraclea.
Nova, oppid. Marchię Anconitanæ, Novana.
di Penna, urbs Aprutii, Pinna.
Citta della Pieve, in Italia, Civitas Plebis.
di S. Angelo, urbs, Aprutii, Angelopolis, Angolus.
di S. Maria, vide Lucera.
di S. Thoma, urbs Indiæ citerioris, Calamina.
Citta del Sole, urbs Italiæ, Civitas Solis.
Vecchia, urbs Hetruriæ, Centum cellæ.
Vecchia, urbs Latii excisa, Circæi & Circæum.
Cittadella, oppid. Siciliæ, Erbita, Herbita.
Cittadella, oppid. Minoricæ insulæ, Iamna.
Cittadella, urbs Siciliæ excisa, Machara.
Cituatu, insula Danubii in Hungaria, Cituatorum insula.
Ciudad del Re Felipe, urbs Magellanicæ excisa, Philippopolis.
Ciudad Puerto, urbs Portugalliæ, Portus Calensis.
Cividad Rodrigo, urbs Hispaniæ, Mirobriga, Rodericopolis, aliis Rusticiana.
Cividal d'Austria, urbs Carnorum, Forum Iulium, Castrum Iuliense.
Cividal di Bellimo, urbs Marchiæ Tarvisinæ excisa, Belunum.
Cividal del Friuli, vide Cividal d'Austria.
Civita, vide Citta.
Civita Burella, urbs Aprutii, Bucellum.
Civita nova, oppid. Piceni, Civitas nova.
Civita Reale, urbs Aprutii, Civitas Regia.
Civita vecchia seu Medina, urbs Melitæ insulæ in Africa, Civitas vetus.
Civitella, oppid. Piceni, Belegra.
Ciutra. Peloponnesi portus, Cyphanta.
Cize, insulæ Gallæciæ, Cica.
le Clain & Clin, fluv. Galliæ, Clenus & Clitis.
Clairvaux, vide Clervaux.
Claise, fluv. Gallię in Biturigibus, Clasia.
Clamecy, castrum Galliæ, in agro Nivernensi, Climiciacum.
Clarence & Clare, oppid. Angliæ, Clarentia.
Clarenze & Chiarenza, oppid. Peloponnesi, Dyme & Clarentia.
Clarioboli, urbs Cariæ, Cariopolis.
Claro, urbs Latii excisa, Casinum.
Clavello, oppid. Piceni, Empulum.
Claven & Cleven, oppid. Rhætiæ, Clavenna.
Claveos, oppid. Phocidis, Crissa.
Clausenburg, vide Klausenburg.
Claye, locus Galliæ, Claja.
Cleckgow, regio Latobricorum popul. Sueviæ, Hegoia.
Cleppern, oppid. Poloniæ, Asaura.
Clerac, oppid. Aquitanię, Clariacum.
Clerieu, locus Galliæ, in Delphinatu, Clariacum.
Clermont, locus Galliæ, in Lingonibus, Clarus Mons.
Clermont, urbs Arverniæ, Arvernum, Claromons, Nemosus.
Clermont, oppid. Picardiæ, Bratuspantium.
Clermont, oppid. Bellovacensis agri, Claromontium.
Clermont en Argonne, oppid. Ducatus Barensis, in saltu Argonna, Claromontium.
Clermont Ferrand, locus Galliæ, in Arvernis, Clarus Mons Ferrandi.
Clermont de Lodeve, oppid. Occitaniæ, Claromontium Lutevense.
Clervaulx, oppid. Burgundiæ, Claravallis.
Clery, oppid. Francię juxta Aurelianos, Clariacum.
Cletorio, fluv. & oppid. Peloponnesi, Clitor, Clitorium.
Cleve, pagus Angliæ, prius oppid. Clevum.
Cleve & Cleves, urbs Cliviæ Ducatus, Clivia, Clivensis arx, Castra Vlpia, Calonis.
Cleves, Ducatus Germaniæ, Clivensis.
Clichi vel Clichy en l'Aunay, vicus Galliæ, in agro Parisino, Clippiacum in Alneto.
Clichi la Garenne, vicus ejusdem tractus, Clippiacum.
le Clin, vide le Clain.
Clion, vicus Galliæ in Turonibus, Calatorium.
Cliquedent, locus ejusdem regni, in Caletis, Clicadentes.
Clissa, oppid. Liburniæ, Iepsica, Lopsica, Clitia, Cluci, Salo, aliis Andetrium.
Clitunno, fluv. Italiæ in Vmbria, Clitumnus.
Clivensi, populi Cliviæ Ducatus, Menapii.
Clogher, urbs Hiberniæ, Clocheria.
Clon & Cloney, urbs Hiberniæ. Clona, Cluanum.
Clonfert. urbs Hiberniæ in Connacia, Clonfertia.
S. Clou, nomen Viri, & Monasterium in Gallia, S. Clodoaldus.
Cloyd, vide Cluyd.
Clucci vel Cluzzi, oppid. Sclavoniæ, Æquum.
Clugny & Cluny, pagus & cœnobium Burgundiæ, Cluniacum, Luna.
Cluid & Clyd, fluv. Scotiæ, Clota, Glota, Cluda, Vara.
Clundert, oppid. Belgii, Clunderta.
Clusa, pagus Carnorum, Augustana Clausura.
Clusburg, oppid. Germaniæ, Calisia.
Cluse, castrum Galliæ, in Fauciniaco tractu, Clusa.
la Cluse, vicus Galliæ, ad Rhodanum, prope Jurenses rupes, Clusa.
le pas de la Cluse, transitus Clusæ, vide la Cluse.
Cluyd. fluv. Walliæ, Toësobis.
Cluydesdale, provinc. Scotiæ, Cludesdalia, aliis Glotiana.
Coa, fluv. Portugalliæ, Cuda.
Coad Andres, sylva Angliæ, Danica sylva.
Coame, fluv. Africæ Meridionalis, Coama.
Coanze, fluv. Africæ, Coanza.
Coblentz & Cobolentz, urbs Germaniæ. Confluentes.
Cobolentz, oppid Helvetiorum, Confluentes.
Coburg, urbs Franconiæ, Melocabus.
Coca, oppid. Castellæ, Cauca.
Cocas & Cochias, mons Asiæ, Caucasus.
Cocco, fluv. Calabriæ, Laus.
Cochile, fluv. Calabriæ, Sybaris.
Cochin, urbs Indiæ, Colchi, aliis Cottiara, & Cochinum.
Cochino, oppid. Lemni Insulæ, Hephestias.
Cocinchine, regnum Indiæ ulterioris, Cocinchina & Concinsina.
Cockermouth, promontor. Albionis, Novantum.
Cockley, oppid. Angliæ, Coccyum.
Coda di Volpe, promontor. Calabriæ, Cænis, Posidonium.
Codane, insula Carmaniæ, Liba.
Coderea, pagus agri Ferrariensis, Caput Padi.
Codi lago, locus ad lacum Comensem, Summum lacus.
Codogno, oppid. Insubriæ, Cotoneum.
los Codos de Ladoco, mons regni Legionensis, Ladicus.
Codroipo. locus in Carnis, Codropolis.
Codsbarich, urbs Palęstinæ, Hierosolyma.
Coeln, urbs Germaniæ, Colonia Agrippina.
Coeron. urbs Galliæ, ad Ligerim, Corbilo.
Coesfeld, urbs Germaniæ, Cosfeldia.
Coesnon, vide Cesnon.
Coeworden & Coevorden. oppid. Transisalanę, ubi Tencteri populi, Baduhennæ lucus. Covordia.
Coffolens, locus Galliæ in agro Carcassonensi, Confluentes.
Cofo vel Cafe, urbs Tauricæ, Theodosia.
Cognac, urbs parva Galliæ, Conacum.
Cogni, urbs & regio Asiæ minoris, Iconium, Lycaonia.
Cognitz, vide Chognitz.
Cognizza, urbs Epiri, Cassiope.
Cogoreto, vicus Italiæ, Coguretum.
Coqusa, urbs Galatiæ, Congustus.
Cohan, fluv. Albaniæ, Albanus.
Coibocaran, mons Asiæ, Bagous.
Coimbra, urbs Portugalliæ, Conimbrica.
Coiogna, oppid. Macedoniæ, Antigonia,
Coira, vide Coria.
Coisnon, fluv. Galliæ, Coetus,
Cokermouth, oppidul. Angliæ, Cocermutium.
Coket Iland, insula Angliæ, Coqueda.
Col, vide Alcol.
Col de l'Argentiere, in Pedemontio, Argentarius mons.
Col yland, insula maris Scotiæ, Cola.
Colachz, fluv. Armeniæ majoris, Araxes.
Colberg, urbs Germaniæ, Colberga.
Colbrook, oppid. Angliæ, Pontes.
Colchester, oppid. Angliæ, Colonia, Camudolanum, Camulodunum, aliis Colcestria.
Coldingham, oppid. Scotiæ, Colania, Coldania.
Colcester, locus Northumbriæ, Procolitia.
Colen, vide Coeln,
Colibre, oppid. Catalauniæ, Caucoliberis, Eliberris, Illiberis.
Colire, urbs Ioniæ maritima, Erythræ.
Coliseo, in Roma, Amphitheatrum Vespasiani.
Colivre, vide Colibre.
Colle, urbs Africæ, Cullu.
Colle, urbs Hetruriæ, Collis.
Colle Viminale, in Roma, Viminalis collis.
Collerford, Collerton, oppid. Angliæ Cilurnum.
Collo, fluv. Africæ, Amsaga, vide etiam Alcol.
Collonsa, insula maris Scotici, Colonsa.
Colmar, urbs Alsatiæ, Columbaria, Colmaria, Argentuaria.
Colmars, oppid. Provinciæ, Colmartium.
Colme, fluv. Belgii, Colma.
Colmogora, urbs Scythię, Aspabota.
Coln, vide Coeln.
Coln an der Spree, oppid. Germaniæ ad Spreham fluv. Colonia Brandeburgica.
Colne, oppid. Angliæ in Essexia, Colonia.
Colocz & Colocza, urbs Coetianorum, in Hungaria, Colocia, Ad statuas Colossas.
Cologna, oppid. agri Veronensis, Colonia.
Cologna, urbs Germaniæ, Colonia Agrippina.
Cologna, oppid. Burgundiæ, Equestris.
Colognac, locus Galliæ, in diœcesi Nemausensi, Coloniacum.
Cologne, vide Cologna.
Coloigne, vide Cologna.
Colombo, urbs Indiæ in Ceylani insula, Columbum.
Colomey, urbs Poloniæ, Coloma.
Colomiers, oppid. Galliæ, Colomeriæ.
Colon sur Sevre, vicus Galliæ, Columna ad Separim Niortensem.
Colona, oppid. Hetruriæ, Colonia.
Colonamich, oppid. Mysiæ inferioris, Axiopolis.
Colonna, oppid. Latii excisum, Columen.
Colonne di Giove, Alpes Graiæ.
Colonella, castrum Marchiæ Anconitanæ, Cupra montana.
Colosvar, vide Klausenburg.
Colotma corca, urbs Sarmatiæ Asianæ, Cororondame.
Colounelle, vicus Galliæ in Carnutibus, Columna.
Colraine, castrum Hiberniæ, Colranum.
Columbacz, urbs Mysiæ superioris, Tricornium.
Colури, insula inter Atticam & Peloponnesum, Salamis.
Com, urbs Mediæ, Choana, Chaona, Comum.
Com, urbs Lyciæ, Choma,
Com, urbs Cappadociæ, Comana Pontica.
Comachio, urbs Romandiolę, Comacula, Comaclum.
Comanie, Asiæ regio, Comania.
Comano, promontor. Paphlagoniæ, Carambis.
Comano, oppid. Paphlagoniæ, Cromna, Cromnum.
la Comarca de Covilhan, pars Portugalliæ, ubi Pæsuri, Pesuri, populi.
Comaro, urbs Græciæ, Heraclea Phthiotidis.
Comaro, vide Komar.
Comarus, urbs Thessaliæ, Heraclea.
Comba, urbs Lyciæ Comba.
Combaux, vulgo Combeaux, vicus Galliæ, in Briegio, Combelli.
Comen, oppid. & fluv. Thessaliæ, Sperchia, Sperchius.
Comenolitari, pars Macedoniæ regionis Græciæ, Thessalia.
Comidia, urbs Bithyniæ, Nicomedia.
Comingeois, populi Aquitaniæ, Convenæ.
Cominges & Comminges, regio Convenarum popul. Vasconiæ.
Comino, insula maris Siculi, Cominum.
Comino, oppid. Latii excisum, Cominium.
Comiso, oppid. Siciliæ, Casmene.
Commerci, oppid. Galliæ, in Leucis, Commerciacum.
Commercy, urbecula Galliæ. Commercium.
Commingeois, populi Galliæ, Convenæ.
Como, urbs Insubriæ, Comum. Novocomum.
Compiegne, oppid. Gallię Vallesiæ, Compendium, Carolopolis.
Compludo, oppid. Hispanię Tarraconensis, Complutica.
Compostella, urbs Gallęciæ, Brigantium, Ianasium.
Compostella nueva, urbs Americæ, Compostella.
Comté d'Antrim, in Hibernia, Antrimensis Comitatus,
Comté d'Embden, provinc. Germaniæ, Frisia Orientalis.
Comté de Pelyst, in Hungaria, Pelysiensis Comitatus.
Con-la-ville, vel Combs la ville, vicus Galliæ in agro Parisino, Combu villa, vel Cumbæ villa.
Cona, urbs Phrygiæ, Chonæ, Colossæ.
Conca, fluv. Umbriæ, Crustumium.
Conca, urbs excisa Italiæ, Conca.
Concarneau, oppid. Galliæ, Concarneum.
Concentayna, oppid. Contestanorum popul. Valentiæ, Contestana.
la Conception, urbs Americæ in Paraguaia, Conceptio.
la Conception, urbs Americę in regno Ciles, Conceptio.
Conches, oppid. Normannię. Conchus.
Conches, vicus Galliæ, cum monasterio, in Briegio, Conchæ. Item Castellio.
Concieiro, pars Herminii montis Portugallię.
Concordia, urbs Forojuliensis diruta, Concordia.
Concordia, pagus juxta Mirandulam, Concordia.
Concressant, oppid. Galliæ, Concordiæ saltus.
Concressaut, castrum Galliæ, Concurcallum.
Condac, oppid. ad Viteram fluv. Condate.
Condapoli, urbs Indiæ, Condapolis.
Condé, locus Galliæ, in majori Pertico, Condate.
Condé sur Noireau, oppid. Normanniæ, Condatum.

Condé sur Vire, locus Normanniæ in Gallia, Condate ad Viram.
Condet, oppid Hannoniæ, Condate, Scaldis.
Condexa la veja, oppid. Portugalliæ, Conimbrica vetus.
Condciani, oppid. Calabriæ ulterioris, Vria.
Condom, urbs Vasconiæ, Condomum.
Condora, provinc. Moscoviæ, Condora.
Condreu, oppid. Galliæ, Condriacum.
Condrotz, regio Condrusorum popul. Episcopatus Leodiensis.
Condor, urbs Indiæ intra Gangem, Coddura.
Conegliano & Conegiano, oppid. Cogiensium popul. Marchiæ Tarvisinæ.
Conejera, insula juxta Majoricam, Tiquadra.
Coner, urbecula Hiberniæ, Coneria.
Conflan, vicus Belgii, in Atrebatibus, Confluentes.
Conflans, in Sequanis locus, Confluentes.
la Comté & Viguerie de Conflans, regio Galliæ, prope Pyrenæos, Comitatus ac Vicariatus Confluentinus.
Conflans Sainte Honorine, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Confluentes Isaræ & Sequanæ.
le Conflent, tractus Galliæ Narbonensis in Comitatu Ruscinonensi, Confluentes.
Confolant, locus Galliæ ad Vigennam, Confluentia.
Confolans, ejusdem regni locus, in Lemovicibus, Confluentes.
Confulent, locus ad Isaram, Confluentes.
Congedo, fluv. Aragoniæ, Cogedus.
Congleton, oppid. Angliæ, Condate.
Congo, regnum Africæ, Congum.
Coni, urbs Pedemontii, Cuneum.
Conigliere, insulæ inter Africam & Siciliam, Pelagia.
Conigsberg, vide Konigsberh.
Conil, urbs Andalusiæ, Cartheia.
Conique, urbs Bithyniæ. Claudiopolis, & urbs Paphlagoniæ, Neoclaudiopolis.
Connaught, pars Hiberniæ, Connacia.
Connestable, nomen summæ olim in Gallia dignitatis militaris, Comestabilis & Constabularius.
la Conocchia, mons apud Neapolim, Pausilypum.
le Conquet, portus Galliæ, Conquestus.
Conscavoda, fluv. Sarmatiæ Europææ, Panticapes.
Conserans, urbs & populi Aquitaniæ, Consoranni, Consuarani.
Constables of the castle, apud Anglos, Castellani.
Constance & Constances, urbs Normanniæ, Constantia castra, aliis Cosedia & Cosedia.
Constantia, urbs Mysiæ inferioris maritima, Tomi.
Constantina, urbs Africæ, Cirta, Tuburnica, Constantina.
Constantina, oppid. Andaluziæ, Iporcense municipium.
Constantina, oppidul. Hispaniæ, Constantina.
Constantinopoli, urbs Thraciæ, Byzantium, Constantinopolis.
Constantinow, oppid. Poloniæ, Constantinovia.
Constanza, urbs Cypri excisa, Salamis.
Constanza, vide Costentz.
Consuegra, oppid. Castellæ novæ, Consaburum.
Conta, fluv. Liguriæ, Merula.
Contabora, locus Hispaniæ Tarraconensis, ubi Consaburenses populi.
el Contado de Cerdanna, regio Cerretanorum popul. Catalauniæ.
Contado de Nizza, pars Galliæ Narbonensis, Nicaensis Comitatus.
il Contado di Zara, regio Illyrici, Liburnia.
Contarini, oppid. Cretæ. Phalasarna.
Conté de Sault, Comitatus Provinciæ, Saltus.
Conterrana, urbs Siciliæ excisa, Egesta.
Contigliano, oppid. vel castrum Sabinorum, Cutilium, Cotilia.
Contrevill, locus prope Leucorum urbem, Gundervilla.
Contursio, oppid. regni Neapolitani, ubi populi Ursentini.
Conty, municipium Galliæ, in Bellovacis, Contejum seu Contiacum.
Conucha, oppid. Cypri, Cythera.
Conversano, urbs Apuliæ, Cupersanum, aliis Conversanum.
Conwey, oppid. & fluv. Walliæ, Conovium & Conovius. Novius, Tisobis.
Conza vel Consa, urbs regni Neapolitani, Compsa, Consa.
Copa, oppid. Sarmatiæ Asiaticæ, Cepa, Mapeta.
Copa, fluv. Sarmatiæ Asianæ, Rhombites, Acherdeus.
Copenhagen, urbs Daniæ, Codania, Hafnia, Haphnia.
Copiapo, oppid. Americæ, Copiapum.
Cora, oppid. Latii, Cora.

Coraci, fluv. Calabriæ ulterioris, Crotalus.
Coranto, vide Corintho.
Corasan, regio Chorasmiorum popul. Asiæ, Parthia, Bactriana, Aria.
Corasmia, provinc. Asiæ, Sogdiana.
Corassan, vide Corasan.
Coraxus, mons Ætoliæ, Corax.
Corbach, oppid. Germaniæ, Corbacum.
Corbeil, oppid. Galliæ, Iosedum, Corbelium.
Corbetta, pagus Mediolanensis, Curia picta.
Corbie, urbecula Galliæ, Corbia.
Corbiere, oppid. Galliæ Narbonensis, Cervaria, Servaria.
Corbiere, fluv. Galliæ Narbonensis, Birra.
les montagnes de Corbiere, in Gallia Narbonensi, montes Corbarienses.
Corbigny, locus Galliæ, in agro Nivernensi, Corbiniacum ad S. Leonhardum, vide S. Leonord.
le Corbiois, regio Galliæ in Picardia, Ager Corbeiensis.
Corbon, oppid. Galliæ, in Pertico, Curbio.
Corbrigde, oppid. Angliæ, Corisopitum, Curia.
Corbueil, vide Corbeil.
Corby, pagus Angliæ, Petriana.
Corcan, provinc. Asiæ, Hyrcania.
Corck, urbs Hiberniæ, Corcagia.
Corkhaven, in Hibernia, Portus Corcagiæ.
Corcos, vide Coruch.
Corcu, insula juxta Cyprum, Eleusa.
Corcurra. oppid. Cyrenaicæ, Herculis pyrgos.
la tour de Cordan, in ostio Garumnæ, fluv. Galliæ nobilis, Turris Cordubensis.
Cordini, vide Curdi.
Cordova, urbs Andaluziæ, Corduba.
Corea, & Corey, regio Asiæ, Corea.
Corene, urbs metropolitica Cyrenaicæ, Cyrene.
Coresiti, fluv. Sabinorum, Hortinus.
Coreto locus Piceni, Cupra montana.
Corfu, insula Epiri, Corcyra, Phaeacia.
Cori, urbs Asiæ in Iberia, Harmastis.
Cori. oppid. Latii, Cora.
Cori & Karin, oppid. Dalmatiæ, Corinium.
Cori, fluv. Albaniæ, Cyrus, Cyrrhus.
Coria, urbs Extremaduræ, Cauria & Caurium.
Coria & Cora, urbs Rhætiæ, Curia.
Coria, oppid. Macedoniæ, Horma.
Corica, promontor. Calabriæ citerioris, Tyllesium.
Corideres, mons & oppid. Ioniæ, Coressus.
Corigliano, oppid. Calabriæ, Coriolanum.
Corintho & Corinto, urbs Peloponnesi, Corinthus.
Corlin, urbs Germaniæ, Corlinum.
Cormaba, urbs Babyloniæ, Bible & Digba.
Cormadel, urbs Hiberniæ, Nagnata.
Cormeille, vicus Galliæ in confinio Parisiorum & Sylvanectum. Item prope Augustam Suessionum, Cormilia.
Cormeilles, locus Galliæ, in Veliocassibus: Item vicus in agro Parisino, & Pertico, Cormelia & Cormilia.
Cormeri, locus Galliæ in Toronibus ad Imbriam, Cormaricum.
Cormes, vicus Pertici, in Gallia, Cormiliæ.
Cormes, pagus Galatiæ. Claudiomerium.
Cormicy, villa Galliæ, in agro Remensi, Culmisciacum.
S. Aubin le Cormier, vicus Galliæ, dictus Cormetum.
Cormous & Cremons, oppid. Carnorum, Cremona.
Cornachetto, oppid. & promontor. Cypri, Crommyon.
Corneto, urbs Hetruriæ diruta. Castrum novum.
Corneto, urbs Hetruriæ, Cornuetum.
Corneto, pagus Sardiniæ, Cornus.
Cornico, mons & promontor. Cretæ, Corycus.
le fauxbourg de Cornillon, in urbe Meldorum, Suburbium Corneliacense.
Corno, promontor. prope Constantinopolim, Ciconium.
Cornovaille, urbs & populi Britanniæ minoris, Corisopitum, Curiosolitæ.
Cornui, fluv. Ciciliæ, Pyramus.
Cornwall, regio Angliæ, Cornubia, ubi populi, Cornavii, Damnonii.
Coro, urbs Americæ meridionalis. Corum.
Corolan vel Coloran, urbs Indiæ, Corula.
Coromandel, regio Indiæ intra Gangem, Coromandela.
Coromaran, fluv. Indiæ ulterioris, Serus.
Coron, urbs Peloponnesi maritima, Corone.
Coronea, urbs Bœotiæ, Coronea.
Coronum. oppid. & fons Palæstinæ, Callirrhoe.
Coropa, provinc. Americæ meridionalis, Coropa.
Corer, fluv. Æthiopiæ, Astaboras.
la Corougne, oppid. Gallæciæ clarum, Turonium.

Corplere, locus Galliæ, in Arvernis, Curva Petra.
Corregio, oppid. Italiæ. Corregium.
le Corrente, insulæ Pamphyliæ, Chelidoniæ.
Cors, locus Galliæ, in Delphinatu, Corpum.
Corsica, insula maris Ligustici, Corsica, Cyrnus.
Corso, fluv. Palæstinæ, Chorseus.
Corte, oppid. Corsicæ, Centurium: aliis, Curia.
Cortegana, oppidul. Hispaniæ, Certimata.
Cortereal, ora in America septentrionali, Corterealis.
Corteje, fluv. Sabinorum, Allia.
Cortilestan, mons Asiæ, Taurus.
Cortona, urbs Hetruriæ, Cortona, Corytus.
Cortryck, oppid. Centronum. Pleumosiorum, popul. in Flandria, Corteriacum.
Corva, vide Corvan.
Corvan, mons Lusitaniæ, Corduba.
Coruch, urbs Ciciliæ, Corycus & promontor. Corycium antrum.
Corvey, urbecula Westphaliæ, Corbeja.
Corvi, insula Propontidis, Demonesus.
Corunna, urbs Gallæciæ, Caronium.
la Corunna, oppid. Callaicorum, Adrobicum & Caronium.
Corusceve, pagus Serviæ, Tricornium.
Corusun, in Asia, Hyrcanum mare.
Corvvey & Corbie, urbecula Germaniæ, Corbia.
Cosa, fluv. Latii. Cosas.
Cosabet, oppid. Mysiæ inferioris, Physce.
Cosacho, oppid. Thraciæ. Naulochus.
Cosano & Cassano, urbs Calabriæ, Cosa, Cosanum.
les Casaque & Cosackes, populi Poloniæ, Cosaci.
Cosenza, urbs Calabriæ, Cosentia.
Coserans, vide Conserans.
Cosir, urbs Ægypti ad mare Rubrum, Muos hormos.
Cosliaco, oppid. Italiæ, Casliacum.
Coslin, urbs Germaniæ. Coslinum.
Cosne, oppid. Galliæ, Conium.
Cosne sur Loire, oppid. Galliæ, Condate ad Ligerim.
Cosona, tractus Daciæ, ubi Albocensis populi.
Cospetir, urbs Indiæ, Caspira.
Cossa, oppid. Hetruriæ, Cosa, Cosa, Cossæ.
Cossovo, tractus Pannoniæ inferioris, Campus Merula.
Cossovo, mons Thessaliæ, Ossa.
Costa d'Amalfi, ora Picentinorum, popul. Italiæ.
Costa de Garaf, mons & promontor. Catalauniæ, Scalæ Hannibalis.
Costa Ricca, provinc. novæ Hispaniæ, Ora Dives.
Coste d'Ayan, in Æthiopia, Azanium mare.
la Coste des Dents, regio Guineæ, Ora Dentium.
Coste de Melinde, pars Oceani Æthiopici, Barbaricus sinus & Asperum mare.
la Coste d'Or, regio Guineæ, Ora Aurea.
la Coste de la Pescherie, Indiæ citerioris, Ora Piscaria.
Costegnazzo, mons Thraciæ, Hæmus.
Costentz, urbs Harudum popul. Sueviæ, Constantia, Ganodurum.
Costuma, in Liguria, Via Postumia.
Cotbus, oppid. Germaniæ, Cotbusium.
Cotena, urbs Armeniæ minoris, Cotena.
Cotereaux, vel Costereaux, locus Galliæ, Coterelli.
Cotrone, urbs Calabriæ maritima, Croton.
Cottomanidia, pars Asiæ minoris.
Cotzaruck, oppid. Albaniæ, Getia.
Coubele, arx Indiæ Orientalis, Coubella.
Coubeton, vicus agri Parisini in Gallia, Cobretum.
Couco, regnum Africæ, Coucum.
Coucy, locus Galliæ, in diœcesi Laudunensi, Cociacum.
le Coudray, locus Galliæ, ad Catim, Coryletum.
Coudun, Burgus Galliæ in Bellovacis, Colduunum.
Coventry, urbs Angliæ, Conventria, Prætorium.
Covernacion de Cartagena, tractus in Gallæcia nova, novæ Cartaginis regio.
Couffilen, aliàs Conflant au Jarnisi, locus Burgundiæ, in Ducatu Barrensi, Confluentia.
Coulan, urbs Indiæ intra Gangem, Coulanum.
Coulange, locus Galliæ, ad Icaunam, Colonica.
Coulmiers, locus Burgundiæ, Columbarium. Item vicus Galliæ, in Carnutibus, Columna.
Coulogne, oppid. Galliæ, in Vasconia, Casinomagum.
Coulombet, vicus Galliæ, ad Sequanam, in agro Parisiensi, Columbæ.
Coulombs vel Coulons, vicus Galliæ, cum monasterio, in diœcesi Carnutina. Columbæ. Sic Coulombiers, locus in Turonibus. Columbaria.
Coulomiers, vicus Galliæ, in Meldensi diœcesi, Columbarium. Item municipium in agro Brigensi, Columbaria. It. castrum ad Mucram, Columbarium.
Coulon, vicus Galliæ, in Belgio, Collis Longus.
Coulonge, oppid. Sequanorum, Equestres Colonia.
Couna, oppid. Portugalliæ vel Andaluziæ, Equabona.

Cou-

Coontie Dublin, in Hibernia, Dubliniensis Comitatus.
la Cour Neuve, vicus Galliæ, in agro Parisino, Curtis Nova.
Courbe voye, vicus agri Parisini, in Gallia, Curva via.
Courbon, locus Galliæ, ad Idoneam fluv. in majori Pertico, Corbo.
Courcelle, locus Galliæ, ad fluv. Taram, Curticula vel Curticella.
Courcourone, vicus agri Parisiensis in Gallia, Curcorona.
Courexe, fluv. Galliæ, in Lemovicibus, Curretia.
Cournon, locus Galliæ, in Arvernis, Crono.
la Court neuve, locus agri Parisiensis in Gallia, Curtis nova.
Courtenay, castellum Galliæ, in Senonibus, Curtinetum.
Courtenay, urbecula Galliæ, Cortenacum.
Courtisans, quinam dicantur, vide in Lexico in voce Cors.
Courtray, vide Cortryck.
Courtresiens, populi Belgii, in Flandria, Corteriacenses.
le Courtresis, regio Flandriæ, Ager Corteriacensis.
Courville, locus Galliæ, in Carnotibus, Curva villa.
Cousson, fluv. Galliæ, in Ligerim influens, Cisa.
Coutances, urbs Normanniæ, Cosedia & Constantia Castra.
Coutras, oppidul. Aquitaniæ, Cutracum.
Couve, vel Couvres, vicus Galliæ, in Briegio, Curvenna.
Cowbrigde, oppid. Walliæ, Bovium, Bovium.
Coz, urbs Palæstinæ, Hierosolyma.
Cozzo, oppid territorii Papiensis, Cottia.
Cozzulari, insulæ maris Ionii, Echinades.
Crabaten, populi & regio Sclavoniæ, Herbatii, Corbavii, Ombrici, Liburnia, Valeria.
Cracay, oppid. Galliæ, in Biturigibus, Craccacum.
Cracow, urbs Poloniæ, Cracovia, Carrodunum, Gracchopolis.
Craguac, vide Eraguac.
Il Cragno, regio Norici, Carniola.
Crainburg, vide Krainburg.
Craner, populi & regio Norici, Japodes.
Cranganor, urbs Indiæ intra Gangem, Cranganora.
Cranostaw, urbs Poloniæ, Cranoslavia.
Craon, urbecula Galliæ, Cratumnum.
le Craonois, regio Galliæ, in Audibus, ager Credonensis.
Crapock, mons inter Sarmatiam & Hungariam, Carpates.
Crapin, fluv. Mysiæ, Carpis.
Crasso, fluv. Sarmatiæ, Ordessus.
la Crau, locus Provinciæ, Campi lapidei, & populi, Anatili.
la Crau près de Mauqueil, fauces stagni in Gallia Narbonensi, Fauces Laterræ.
le Craux, oppid. Provinciæ, Tricorium.
Crecede, fluv. Indiæ, Indus.
Creci en Brie, locus Galliæ, in Briegio, Creciacum.
Crecy sur Seve, locus Galliæ, in Remis, Creciacum Remense.
la Forest de Crecy, sylva Galliæ, in Ambianis, Creciacensis.
Credazzi, insula maris Adriatici, una Diomedearum.
Cree Fyrth, æstuarium Scotiæ, Jena.
the Creek of Dunesbay, sinus Eboracensis regionis, Dunum.
Cregi, vicus Briegii, in Gallia, Cregiacum.
Creil, oppid. Galliæ, in Bellovacis, ad Taræ & Isaræ confluentes, Credilium.
Creil, urbecula Galliæ, Creolium.
Crema, urbs Venetorum, Crema, Forum Diuguntorum.
Cremani, urbs Mediæ, Candys.
Cremieniec, urbs Poloniæ, Cremenecum.
Cremieu, castrum Galliæ, in pago Viennensi, Crimiacum & Stramiacum.
Cremona, urbs Lombardiæ, Cremona.
Cremans, vide Cormont.
Crempen, urbecula Daniæ, Crempa.
Crepa, oppid. Arcadiæ, Lysias.
Crepacuore, oppid. Calabriæ ulterioris, Somos & Grumus mons.
Crepol, castrum Delphinatus, in Gallia, Crepolium.
Crescentino, oppidul. Italiæ, Crescentinum.
Crespi en Valois, locus Galliæ, in Valesia, Crispejum.
Crespin, monasterium Hannoniæ, Crispinium.
Cressy, oppid. Galliæ, Crepiacum.

Cressy, oppid. Galliæ geminum, Crestiacum, Carisiacum.
la Crest, urbs Galliæ, cum monasterio, in Lingonibus, Crestidum & Crista Arnaldi.
Creteil pro Creteuil, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Cristolium.
Crevacore, oppidul. Italiæ, Crepacorium.
Crevan, locus Galliæ, ad Icaunam, Crevennum.
Crevant, oppid. Burgundiæ, Crevantium & Crebennum.
la Creuse, fluv. Galliæ, Crosa.
Criechen Averon, locus Germaniæ prope Augustam Vindelicorum.
Criel, castrum Galliæ, in Calexis, Crolium.
Crimiti, vertex rupis in agro Syracusano, Lepas.
le Crinchon, fluv. Belgii, in Atrebatibus, Crientio.
Crimero, urbs Ciliciæ, Celenderis, & fluv. Melas.
Cripteria, oppid. Calabriæ ulterioris, Castrum Minervæ.
Crismato, mons Normanniæ, Phoeacs.
Crisocu, oppid. Cypri, Arsinoe.
Crispalberg, mons Rhætiæ, Adula.
Critea, oppid. Thraciæ Chersonesi, Elaus.
Critia, oppid. Chersonesi Thraciæ, Crithea.
Croatia, regio Colapianorum popul. Pannoniæ, Corbavia.
Croatia, regio Illyrici, Liburnia, Croatia.
Croc de Montamat, castrum superioris Arverniæ, in Gallia, Mons amatus.
Crocon, locus Galliæ, Carocotinum.
Crodagh, fluv. Hiberniæ, Vidua.
Croia, urbs Albaniæ, Antigonia, Eribœa, Croia.
Croicy vel Croissy, vicus Galliæ, in agro Parisino, Crociacum.
col la Crois, in Delphinatu, Collis crucis.
la Croisade, nomen sacræ militiæ, Cruciata.
le Croisic, locus Galliæ, in Britannia minori, Crociacum.
Croisil, oppid. Britanniæ minoris, Brivas, Corbilon, aliis Crocilacum.
Cromarty, oppid. Scotiæ, Cromartium.
Crommion, scopulus juxta fretum Constantinopolitanum, Calone.
Cronberg, vide Tranburg.
Crone, vicus agri Parisini in Gallia, Crona ad Edenam.
Cronenburg, arx munita Daniæ, Cronaburgum.
Cronstat, urbs Transylvaniæ, Corona, Stephanopolis, Patruvissa, Prætoria Augusta.
Croquetame, vicus Galliæ, in Briegio, Croquetona.
Crosetta & Crosera, oppid. Liguriæ, Crexia.
Crosic, vide le Port de Croisil.
Crosno, urbs Poloniæ, Crosna.
Crossen, urbs Germaniæ, Crossa.
Crotoy. oppid. Galliæ, Caracotinum.
le Crotoy, locus Galliæ in Normannia, Carocotinum, vel Corocotinum.
le Crou, fluv. Galliæ, Crodoldus.
Crouy, vicus Galliæ, in Suessionibus, Croviacum.
Croydon vel Croyden, oppid. Angliæ, Noviomagus.
Cruch, oppid. Licurniæ, Curcum.
Crumaw, urbecula Germaniæ, Crumavia.
Crunna del Conde, pagus Castellæ veteris, Clunia.
Cruppa & Culp, vide Kulp.
Cruspo, insula Cariæ, Crusa.
Crusocco, mons & promontor. Cypri, Acamas.
Crupswolde, vicus Frisiæ, Crupsoricis villa.
Crussie, insula Archipelagi, Corasia, Carassia.
Crutznach, vide Kreutznach.
Cruys Schans, in Brabantia, Arx S. Crucis.
Cuba, insula novi orbis, Atlantis, aliis Cuba.
Cubert, vicus Galliæ, in Briegio, Curia Bardi.
Cucara, lacus Siciliæ, Cocanicus.
Cucutina, oppid. Mauritaniæ, Culcua.
Cudelass, pagus Hungariæ, Cusi.
Cuenca, urbs Castellæ novæ, Concha.
Cufa, urbs Chaldeæ, Cufa.
Cujavie, provinc. Poloniæ, Cujavia.
Cuise, in Gallia, Cotia sylva & vicus.
Culembach, oppid. Germaniæ, Culembachium.
Culembourg, oppid. Belgii, Culemburgum.
Culiacan, oppid. novæ Hispaniæ, Culiacanum.
Cullant, oppid. Galliæ, in Biturigibus, Cullencum.
Cullera, oppid. Valentiæ, Sucro.
Culm, urbs Poloniæ, Culmia.
Culp, vide Kulp.
Culuccia, palus Campaniæ, Acherusia.
Cuma, urbs regni Neapolitani diruta, Cumæ.
Cumanorum campi, tractus Hungariæ, ubi Jazyges populi.
Cumberland, regio Angliæ, Cumbria.
Cumersee, locus Insubriæ, Larius.
Cumestra, oppid. Peloponnesi, Thuria.
Cumeniza, mons Thraciæ, Hæmus.
Cunaut, locus Galliæ, in Andibus, Cunaldum, aliis Cunaltum.

Cunengeburg, municipium Britanniæ majoris, Cun.
Cunsins, locus in Lingonibus, Consinium.
Cuni, urbs Pedemontii, Cuneus.
Cungard, regio Europæ, ubi Rozolani populi.
Cunghan, provinc. Scotiæ, Cunnghamia.
Cunsar, in Asia, Hyrcanum mare.
Cupo, oppid. Calabriæ, Copia.
Cupri, locus juxta Byzantium, Caperium.
Cupron, insula Syriæ, Cyprus.
Cur, vide Curech.
Curasso, insula Americæ meridionalis, Curassa.
Curech & Curecho, vide Coruech.
Curcuraci, locus Siciliæ, Trotilum.
Curden, urbs Indiæ citerioris, Carnasa.
Curdi, populi Suardi, Sordueni, Carduchi, region. Armeniæ, Gordeæs, Corduena.
Curdistan, regio Babyloniæ, Chaldæa.
Curdistan, regio Asiæ, Curdi.
Curdo, mons Armeniæ majoris, Niphates.
Cure, vicus Galliæ, in agro Nivernensi, Chora.
la Cure, fluv. Galliæ, Chora.
Curese, oppid. Sabinorum, Cures.
Curgliano, oppid. Hetruriæ, Caseromanum.
Curia muria, insula Arabiæ Felicis, Dioscoridis insula.
Curiale, urbs Arabiæ Felicis, Diana oraculum.
Curiorowicze, mons Thraciæ, Rhodope.
Curisch Haff, lacus Prussiæ, Curonensis.
Curland, provinc. Livoniæ, Curlandia.
Currese, fluv. Sabinorum, Aveus.
Cursol, oppid. Galliæ, Cursolium.
Curta, oppid. Hungariæ, Curta.
Curtein, nomen gladii Eduardi Confessoris, Curtana.
Curusca, oppid. Hungariæ, Curci.
Curuska, vide Karosca.
Curzola, insula Dalmatiæ, Corcyra nigra.
le Curzolari, vide Cozzulari.
Cusco, urbs Peruviæ, Cuscum.
Cusinas, mons Lydiæ, Sipylus.
Cusistan, vide Susistan.
Cussy, oppid. Ducatus Lucemburgensis, Cosedia, Cosedia.
Cussy en Morvan, locus Galliæ, in pago Morvinno, Cussiacum.
Cussu, populi Æthiopiæ provinciæ Africæ.
Custrin, urbs Germaniæ, Custrinum.
Cutaye, urbs Phrygiæ, Cotyæum.
Cute, vide Cutaye.
Cuthew, regio Palæstinæ, Samaria.
Cuyo, provinc. Americæ meridionalis, Cuia.
Cuzague, regio Galliæ, in Aquitania, Pagus Cosizensis.
Cuzumoharech, urbs Palæstinæ, Hierosolyma.
Cycli, vide Xicli.
Cylley, urbs Norici, Celia vel Celeia, & regio, Zellia.
S. Cyre en Vaux, vicus Galliæ, in agro Aurelianensi, ad S. Cyriacum, in vallibus.
Cyzarca, vide Czarga.
Czarigrad, urbs Thraciæ, Constantinopolis.
Czsroudom, vide Czarigrad.
Czaslaw, urbs Bohemiæ, Czaslavia.
Czeben & Seben, urbs Transylvaniæ, Cibinium.
Czechi, populi Bohemiæ regionis Germaniæ, Bohemi.
Czehrin, oppid. Poloniæ, Czerinum.
Czenstokon, oppid. Poloniæ, Cheslocova.
Czeremissi, populi Moscoviæ, Ceremissi.
Czemaniwerii, mons Thraciæ, Rhodope.
Czeruicz, oppid. Dalmatiæ, Salomana.
Czernik, castrum Sclavoniæ, Cirtisa.
Czernikow, urbs Poloniæ, Czernibovia.
Czernobel, oppid. Sarmatiæ, Axagarium.
Czersko, urbecula Poloniæ, Czerschia.
Czongrad, provinc. Hungariæ, Orodiensis Comitatus.
Czurgan, oppid. Tauricæ Chersonesi, Bana.
Czyrcassi, urbs Poloniæ, Czircassia.

D.

DAbul, urbs Indiæ, Dunga, aliis Dabulum.
Dacha, regio Asiæ, Paropamisus.
Dachia, fluv. juxta Romam, Almo.
Dagerort, promontorium Livoniæ, Rubea promontor.
Daghestan, provinc. ad mare Caspium, Daghestana.
Daghe, insula Livoniæ, Daghea.
Dagno, urbs Dalmatiæ, Thermidava.
Dam vel Dun, fluv. Brexiæ, Indis.
Dakia, pars Babyloniæ, Chalame.
Dalanguer, mons Scythiæ, Imaus.
Dalsburg, oppid. Sueciæ, Dalebergum.
Dalecarle, provinc. Sueciæ, Dalecarlia.
Dalekarli, populi Germaniæ, Helleviones.
Dalem, oppid. Belgii, Dalemum.

Dalie,

Dalie, provinc. Succiæ, *Dalia*.
Dallendorff, pagus & arx Eyfaliæ, ubi *Tolliates* populi.
Dam, oppid. Belgii, portusque Flandriæ, *Damum*.
Dam, oppid. Germaniæ, *Damum*.
Dam-Martin, locus Galliæ, *Vicus Domni Martini*.
Damala, urbs Peloponnesi maritima, *Trœzen*.
Daman, urbs Indiæ, *Camane*, & *Comanum*.
Damasco, urbs Syriæ, *Damascus*.
Dambea, regnum & lacus Africæ, *Dambea*.
Avesne les Dames, vicus Belgii, in Atrebatibus, *Monasterium Avenense*.
Damiata, urbs Ægypti, *Tamiatis*, aliis *Damiata*.
Damna, oppid. Sclavoniæ, *Dalmana*.
Damna, oppid. Dalmatiæ, *Delminium*.
Damnio, oppid. Dalmatiæ, *Delminium*.
Dampierre, locus Galliæ, in Lingonibus, *Domni petra*, vel *Domna petra*, vulgo *Dampetra*.
Damor, fluv. Phœniciæ, *Leon*, *Tamyras*; etiam oppid. *Leonton*, *Leontopolis*.
Damout, regnum Æthiopiæ, *Damutum*.
Damvilliers, oppid. Belgii, *Damvillerium*.
Danambre, fluv. Sarmatiæ Europææ, *Borysthenes*.
Dancali, regnum Africæ, *Dancalum*.
Dancaster, oppid. Angliæ, *Danum*.
Danberga, oppid. Germaniæ, *Dameberga*.
Danemarck & *Danemarcker*, vide *Denemarck* & *Denemarcker*, *Dania*.
Danfront en Passais, castrum Galliæ, in Cenomanis, *Damfrons*.
Dangeau, oppid. Galliæ, in Pertico Goëti, *Dangeolum*.
Dangeul, vel *Saint George Dangeul*, castrum ejusdem regni, in Cenomanis, *Dangeolum S. Georgii*.
Danneberg, urbs Saxoniæ, *Danorum mons*.
Dantzk, *Dantzig*, *Dantzick*, urbs *Gythonum*, popul. Prussiæ, *Dantiscum*.
Danubio, fluv. Germaniæ, *Danubius*.
Darby, urbs Angliæ, *Derbia*.
Darbyshire, provinc. Angliæ, *Derbia*.
Dar el Hamera, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, *Pistiana*.
Darbon, fluv. Peloponnesi, *Alpheus*.
Dardanello, arx Asiæ ad Hellespontum, *Dardanium*, *Dardania*.
Dardassi, oppid. Macedoniæ, *Debona*.
Darha, provinc. Africæ, *Darha*.
Darien, urbs Americæ excisa, *Darien*.
Darmstadium, oppid. Germaniæ, *Darmstad*.
Daroca, oppid. Aragoniæ, *Daroca*, *Attacum*.
Daron, regio Palæstinæ, *Edom*, & locus ibidem, *Anthedon*.
Darzira, locus Arabiæ petrææ, *Cabubathra*.
Dasquillo, urbs Bithyniæ, *Dascylium*.
Dava, oppid. Arcadiæ, *Phialia*.
Daulia, urbs Phocidis, *Daulis*.
Dauphiné, regio Galliæ, ubi populi *Allobroges*, *Delphinatus*.
Daumignon, fluv. Galliæ, in Summam influens, *Dalmanio*.
Dax, urbs *Datiorum*, popul. Vasconiæ, *Aquæ Augustæ* vel *Tarbellicæ*, *Tasta*.
Dealmarach, urbs Ægypti, *Heliopolis*.
Dean, sylva Angliæ, *Danica*.
Debbasseibea, urbs Colchidis, *Phasis*.
Debrecyn, urbs Hungariæ, *Debrecinum*.
Decan, regnum Indiæ, *Decanum*.
Decan, populi Scythiæ, *Ariaca*.
Decbky, locus ad Suram fluv. *Decciacum*.
Decimo, locus Latii, *Decimum*.
Deceise, oppid. Mauritaniæ, *Decetia*.
Decize, oppid. Galliæ, *Decetia*.
Dedu, oppid. Mesopotamiæ, *Durbeta*.
Dee vel *Dea*, fluv. Walliæ, *Deva*, *Divus*.
Dee, fluv. Scotiæ, *Deuva*, *Deva*, *Diva*.
Dee-mouth, æstus Angliæ, *Seteia*.
Dees, oppid. Transylvaniæ, *Comidava*.
Deinse, oppidul. Belgii, *Deinsa*.
Dehias, fluv. Bactrianæ, *Oxus*.
Deizer, urbs Parthiæ, *Dordomana*.
Delacha, mons Thessaliæ, *Othrys*.
Deltz, mons Sclavoniæ, *Tullum*.
Delfo, urbs Phocidis, *Delphi*.
Delft, urbs Hollandiæ, *Delphi*.
Delft, Castellum Belgii, *Flenium* vel *Flevum*.
Delm, provinc. Parthiæ, *Parthyene*.
Delly, urbs Indiæ, *Dellium*.
Delmenhorst, oppidul. Germaniæ, *Delmenhorstium*.
Demer, fluv. Brabantiæ, *Tabuda*.
Demircapi & *Themircapi*, urbs Albaniæ, *Caucasiæ porta*, *Porta ferrea*, *Alexandria*.
Demonege, oppid. Ioniæ, *Pyrrha*.
Demonigrazza, mons Macedoniæ, *Catherium*.

Denain, locus Belgii, in Hannonia, *Donninum*.
Denbigh, urbs Angliæ, *Denbiga*.
Dendermonde, oppid. Flandriæ, ad os Teneræ fluv. *Teneramunda*.
Denemarck & *Danemarck*, regnum Europæ, *Dania*, *Cimbrica Chersonesus*.
Denemarcker, populi ad Cimbricam Chersonesum, *Dani*.
Denia, oppid. Valentiæ, *Dianium*.
Denigu, oppid. Mysiæ, *Dinogetia*.
S. Denis en Vaux, locus Galliæ, in agro Aurelianensi, ad *S. Dionysium in Vallibus*.
carriere S. Denis, vicus ejusdem regni, in agro Parisiaco, ad Sequanam fluv. *Quadrariæ seu lapidicina S. Dionysii*.
la ville de S. Denis en France, oppid. Galliæ, in agro Parisiensi, *Catolacum* olim, nunc *Fanum S. Dionysii*.
Denna, oppid. Dalmatiæ, *Delminium*.
Denshe, vide *Devonshire*.
Dentecane, fluv. Lucaniæ, *Calor*.
Deols, vicus Galliæ, in Biturigibus, *Dolensis*.
Der, urbs Babyloniæ, *Duraba*.
Der, sylva in Gallia, *Dervensis*.
Der, fluv. & palus Hiberniæ, *Argita*.
Deraz, arx Aquitaniæ, *Duracii*.
Derbent, urbs Albaniæ, *Caucasiæ porta*, *Porta ferrea*, *Alexandria*.
Derby vel *Darby*, oppid. Angliæ, *Derbia*, *Derventio*, aliis *Margidunum*.
Derbyshire-men, populi Angliæ, *Derventani*, *Derbienses*.
Derkon, urbs Thraciæ, *Delcos*, *Delta*.
Derenderen, ramus Atlantis montis, *Netuia*.
Derna, promontor. & oppid. Marmaricæ, *Derrhis*.
Derote, urbs Ægypti, *Latone*.
Derpt, urbs Livoniæ, *Torpatum*.
Derry, urbs Hiberniæ, *Robortetum*, aliis *Derra*.
Dervase, urbs Lycaoniæ, *Derbe*.
Derwent, fluv. Angliæ, *Derventio*.
Desenzano, oppidul. Italiæ, *Desenzanum*.
Desert de Belgian, in Tartaria, *Belgianum desertum*.
la Desirade, insula Americæ, *Desiderata*.
Desize, locus Galliæ ad Ligerim fluv. *Dececia*.
Desmond Countye, provinc. Hiberniæ, *Desmonia*.
Desna vel *Disna*, fluv. Sarmatiæ Europææ, *Hypacyris*, *Pacyris*.
Despotato, regio Epiri, *Acarnania*.
Dessaw, oppid. Germaniæ, *Dessavia*.
Destretto, regio & populi Italiæ, *Samnites*.
Destroit d'Anian, fretum Americæ septentrionalis, *Anianum Fretum*.
Destroit de Babelmandel, ad fauces maris Rubri, *Fretum Babelmandelum*.
Destroit de Balambuan, in Asia, *Fretum Balambuanum*.
Destroit de Caffa, inter Mæotidem paludem & Pontum Euxinum, *Bosphorus Cimmerius*.
Destroit de Constantinople, inter Europam & Asiam, *Bosphorus Thracius*.
Destroit de Davis, in terra Arctica, *Fretum Davisii*.
Destroit de Forbisbers, in terra Arctica, *Fretum Forbisherii*.
Destroit de Gallipoli, inter Thraciam & Asiam minorem, *Hellespontus*.
Destroit de Gibraltar, inter Africam & Hispaniam, *Fretum Herculeum*.
Destroit de Hudson, in America, *Fretum Hudsonis*.
Destroit de Magellan, in America, *Fretum Magellanicum*.
Destroit de le Maire, in America, *Fretum Marcum*.
Destroit de Malaca, in Asia, *Fretum Malacense*.
Destroit de Manar, in Asia, *Fretum Manarum*.
Destroit de Manilha, in Asia, *Fretum Manilha*.
Destroit de Mosendam, in Asia, *Fretum Mosendam*.
Destroit de Sangaar, in Asia, *Fretum Sangaarium*.
Destroit de la Sonde, in Asia, *Fretum Sunde*.
Destroit de Vries, in Asia, *Fretum Vria*.
Destroit de Weigats, in Oceano Boreali, *Fretum Vegatium*.
Deterra, urbs Macedoniæ, *Derra*, *Derris*.
Detlegle, fluv. Mesopotamiæ, *Tigris*.
Deva, fluv. & oppid. Guipuscoæ, *Deva*.
Develta, urbs Thraciæ, *Develtus*, *Dibaltum*.
Deventer, urbs Transisalanæ, *Daventria*.
Devonshire, Angliæ regio, *Devonia*, ubi populi *Damnonii*, *Dumnonii*.
Deutsch, locus juxta Coloniam, *Divitense munimentum*, *Tuitium*.
Deuxberg, *Cetii montis pars* inter Noricum & Pannoniam.
Deux Ponts, urbs Germaniæ, *Bipontium*.

Deyrat Bediz, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, *Acrath*.
Deyrat Milila, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, *Ryssadirum*.
Deyrat Vaeim, promontor. Mauritaniæ Cæsariensis, *Magnum*.
Dezise, oppid. Galliæ, in insul. Ligeris, vide *Desize*.
Diablerets, regio *Diablintrum* populi Britanniæ minoris.
Diacibyssa, oppid. Bithyniæ, *Libyssa*.
Diacopton, oppid. Peloponnesi, *Pellene*.
Diano, castrum Liguriæ, *Dianium*.
Diano, oppid. Lucaniæ. *Dianium*.
Diano, oppid. Montisferrati, *Dianium*.
Diavero, oppid. Macedoniæ, *Alorus*, *Olorus*.
Diantres, vox pejerandi apud Gallos.
Diarbech, provinc. Asiæ, *Mesopotamia*.
Diargument, provinc. Asiæ, *Hyrcania*.
Diasibe, oppid. Bithyniæ, *Libyssa*.
Diasquillo, vide *Dasquillo*.
Dibris, oppid. Macedoniæ, *Deborus*.
Didascalio, insula maris Ionii, *Asteria*.
Dickelvenne, vicus Flandriæ, *Ticlivinus*.
Die, urbs Delphinatus, *Dea*, *Dia*.
Dieben, oppid. Saxoniæ, *Thebæ*.
Dienten, vallis in Carinthia, ubi olim *Sabatinca* oppid.
Diepholt, oppid. Germaniæ, *Diepholtia*.
Dieppe, urbs Normanniæ, *Deppa*.
Diessen, oppid. Bavariæ, *Diessa*.
Diessen, vicus Brabantiæ, in diœcesi Sylvaducensi, *Diosma*.
Diest, oppid. Brabantiæ, *Diesta*.
Dietenhoffen, urbs Lucemburgensis Ducatus, *Theodonis villa*, *Divodurum*.
Dietmaning, oppid. Bavariæ, *Bidaium*.
Dietmerschen, *Dietmerscher*, populi & regio Cimbricæ Chersonesi, *Fosi*.
Dietrichsbern, urbs Cenomanorum Italiæ, *Verona*.
S. Dieu, oppid. & monasterium Lotharingiæ, *S. Deodati*.
Dieuze, vide *Duese* & *Douze*.
Dieuze, oppid. Lotharingiæ, *Duodeciacum* & *Decempagi*.
S. Diey, oppid. Lotharingiæ, vide *S. Dieu*.
Diez, oppid. Provinciæ, *Decia*, *Decensium civitas*.
Diganwy, oppid. Walliæ, *Dictum*, & *Canganorum promontorium*.
Digne, urbs Provinciæ, *Dinia*.
Digoine, vel *port de Digoins*, locus Galliæ, in agro Quadrillensi: ad Ligerim, *Dengontium*. Item ad Arotium fluv. *Digoina*.
Dijon, urbs Burgundiæ, *Divio*, *Divionum*.
Dijonois, regio Galliæ, in Burgundia, *Ager Divionensis*.
Dilinghen, urbs Germaniæ, *Dilinga*.
Dillembourg, oppid. Germaniæ, *Dillemburgum*.
Dima, urbs Peloponnesi, *Dyme*.
Dimitriada, urbs Thessaliæ maritima, *Demetrias*.
Dimitzana, fluv. mons, & oppid. Arcadiæ, *Erymanthus*.
Dimotuc, urbs Thraciæ, *Didymothichos*.
Dinant, oppid. Belgii, *Dinantium*.
Dinant, oppid. Galliæ, *Dinantum*.
Dinas Beli, urbs Angliæ, *Londinium*.
Dingle, urbs Hiberniæ, *Dingla*.
Dinkelspihel, urbs Germaniæ, *Dinchelspila*.
Diastigritza, oppid. Macedoniæ, *Tyrissa*.
Le Diocese d'Avranches, populi Galliæ Lugdunensis, *Ambibarii*.
Diod, oppid. Valacchiæ, *Tiasum*.
Dionyssades, insula Cretæ, *Dionysiades*.
Dioscori, insula magnæ Græciæ, *Dioscoros*.
Diplociana, locus juxta Constantinopolim, *Insianum*.
Dipnanos, oppid. Phrygiæ, *Dipotamum*.
Dirgh, lacus Hiberniæ, *Dirgus*.
Dirschow, oppid. Poloniæ, *Dirchavia*.
Disano, vide *Resano*.
Disne, fluv. Galliæ Belgicæ, *Axona*, vide *Aisne*.
Dist, populi Scythiæ, *Scythæ*.
Distrell, locus Palæstinæ, *Petra Incisa*.
Ditrana, oppid. Cretæ maritimum, *Dictamnum*, *Dictynna*.
Dittaino, fluv. Siciliæ, *Chrysas*.
Diu, urbs Delæ insulæ apud ostia Indi, *Patala*. Aliis Insula & urbs, *Barace*.
Diu, urbs Asiæ, *Dium*.
Divandurow, in Archipelago Maldivarum, *insula Divandura*.
Divertigi, urbs Syriæ, *Seleucia ad Belum*.
Diveto, castrum Siciliæ, *Naulocha*.
Divise, fons urbis Burdigalensis, *Divona*.

Divion, vicus Galliæ, in Picardia, Divio.
Diul, fluv. Indiæ, Indus.
Dixmuyde, urbs Flandriæ, olim Pleumosiorum populorum.
Dixmude, oppid. Belgii, Dixmuda.
Dnester, vide Nester.
Dnieper, vide Nieper.
Doblach, oppid. Norici, Aguntum.
Doblin, urbs Curlandiæ, Dublinium.
Dobronicha, urbs Dalmatiæ maritima, Epidaurus.
Dobrzin, oppid. Poloniæ, Dobrinum.
Docastelli, oppid. Cappadociæ, Lycastum.
Docimi, urbs Phrygiæ, Docimaum, Docimia.
Docna, oppid. Epiri, Elaus.
Docono, urbs Æthiopiæ, Aduliton.
l'Isle Dodon, oppid. Galliæ, in Convenis, insula Dodonis.
Doerne, pagus juxta Antverpiam, Turninum.
Doesburg, oppid. Geldriæ, Teutoburgium, Arx Drusiana, aliis Doesburgus.
Doffrafiel, vide Doffrini.
Doffrini, montes Scandinaviæ, Sevo, Hyperborei.
Doira & Doria, fluv. Pedemontii geminus, Duria, Doria.
Dol, urbs Britanniæ minoris, Dolensis urbs, Dola, Neodunum, Tollium.
Dolap, fluv. Bithyniæ, Parthenius.
Dolcigno, vide Dulcigno.
Dolcinda, vide Dulcinda.
Dole, urbs Burgundiæ, Dola, Tollium, Didatticum.
Dole, urbs Comitatus Burgundiæ, Dola Sequanorum.
Dollaert, sinus Oceani in Germania, Dollartius.
Dollendorff, vide Dallendorff.
Dolus, vicus Galliæ, in Turonibus, Doli.
Dolut, vicus Galliæ, in Vliaro insula, Dolutum.
Dombes, tractus Galliæ, Dombensis.
Dome, castrum Galliæ, ad Duranium, Doma.
Domezopoli, urbs Isauriæ, Domitiopolis.
Domfront, vide Danfront.
la Dominique, insula Americæ, Dominica.
Domitz, oppid. Germaniæ, Domitium.
Dommart, vel Dammart, vicus Galliæ, cum Prioratu, in agro Parisiensi, Domnus Medardus.
Dommartin, castrum Galliæ, in Meldis, Dominium Martinum.
Dommeci, vicus Galliæ, in agro Nivernensi, Domitiacum.
Dommele, fluv. Brabantiæ, Duthmala.
Domnissan, locus Lotharingiæ, Dumnissus.
Domnissan, locus Aquitaniæ, Dumnitonus.
Domo d'Oscela, oppid. Insubriæ, Oscella.
Domochi, urbs Thessaliæ, Domonicus, Domocus, aliis Lamia.
Don, fluv. Sarmatiæ, Tanais.
Donato, fluv. Calabriæ, Isaurus.
Donaw, fluv. Germaniæ, Danubius.
Donawert, urbs Germaniæ, Donavertia & Vertia.
Doncastre, oppid. Angliæ, Devana, Deunana.
Donchery, oppid. Galliæ, Doncheriacum.
Doncourt aux Templiers, locus Galliæ, in pago Vabrensi, Dodonis curtis.
Done, urbs Indiæ, Daona.
Dongo, oppid. Japoniæ, Dongum.
le Donjon, supremum arcis turrisque tabulatum, Dangio.
Donostien, fluv. Hispaniæ, Menlascus.
Donoy, urbs Galliæ Narbonensis, Dinia.
Donussa, insula Archipelagi, Donysa.
Donzere, Castrum Delphinatus, Durion.
Dora, urbs Bulgariæ, Durostorus, Durostolon.
le Dorat, urbs Galliæ, Oratorium.
le Dorat, castrum vel oppid. Galliæ, in Lemovicibus, Dauratum, vel Daratium.
Dorbie, fluv. Galliæ, in Tarnim labens, Turbida.
Dorchester, oppid. geminum Angliæ, Dorcestria, Durnium, Durnovaria.
la Dordonne, fluv. Angliæ, Dordonia, Duranus.
Dordrecht, vide Dort.
Dore vel Doire, fluv. Galliæ, in Arvernis, Duria. In Elaverem influens, Dorius.
Dorgwyn, fluv. Angliæ, Derventio.
Doria, vide Doira.
Dormans, locus Galliæ, ad Matronam fluv. Dormanum. Item Domnamantum.
le pays de Dormois, tractus Galliæ, in agro Remensi, Pagus Dulcumensis.
Dornford, oppid. Angliæ, Durobrivæ.
Dorneck & Dornach, arx Helvetiæ, in agro Rautico, Dorneggum vel Dornacum.
Dornick, urbs Flandriæ, olim Nerviorum popul. Tornacum.
Dormagen, vide Durnmagen.
Dorno, oppid. territorii Papiensi, Durii.
Dornock, urbs Scotiæ, Durnodunum.
Dornstet, oppid. Sueviæ, Tarodunum.

Doro, fluv. Hiberniæ, Oboca.
Doroston, urbs Thraciæ, Bisanthe.
Dorsetshire, regio Durotrigum popul. Angliæ, Duria, aliis Dorsetia.
Dorsetshiremen, populi Angliæ, Durotriges.
Dorsten, urbs Germaniæ, Dorsta.
Dort, urbs Hollandiæ, Dordracum.
Dortaire, oppid. Palæstinæ, Dora, Dor.
Dortmund, urbs Westphaliæ, Tremonia, Trotmania.
Dosle, vide Dole.
le Dou, fluv. Belgii, Dubis.
Douarnenes, oppid. Galliæ, Douarnena.
Douay, urbs Catuacorum popul. Flandriæ, Duacum.
Doué, oppid. Galliæ, Douaum.
Doué, castellum Galliæ, in Andibus, Theotuadum.
Dover, oppid. & portus Angliæ, Darvernum, Durovernum. Aliis Dubris.
Doul, vide Dol.
Doulens, urbs Galliæ, Dulendium.
Doulens, castellum Galliæ, in Ambianis, Dominicum.
le Dour, fluv. Aquitaniæ, Aturrus.
Dourdan, locus Galliæ, ad Urbiam fluv. Dordingum.
Doustre, fluv. Galliæ, in agro Torinnensi, Dostra.
Douve, Dove, pagus Aquitaniæ, Doveona.
Down, urbs Hiberniæ, Dunum.
Downe countye, in Hibernia, Dunensis Comitatus.
Downcanon, castrum Hiberniæ, Doncanonium.
Dourdan, oppid. Galliæ, Durdanum.
le Doux, fluv. Burgundiæ, Alduasdubis, Dubis.
Douze vel Dieuz, Duodeciacum.
Douzi, castrum vel oppid. Galliæ, in agro Nivernensi, Douziacum, vel Douzejum.
Douziles Prez, locus Belgii, ad Charem fluv. Duciacum ad prata.
Doyre, pagus Delphinatus, Durion.
Dra, fluv. Norici, Draus, Dravus.
Draburg, oppid Germaniæ, Dravoburgum.
Drac, fluv. Galliæ, in Delphinatu, Dracus.
Drackenfeld, arx Caracatium popul. juxta Wormaciam in Germania,
Draco, vide Drago.
Dragamesto, oppid. Acarnaniæ, Oeniadæ.
Draganti, urbs Ciliciæ excisa, Arsinoe.
Dragemel, oppid. Pannoniæ, superioris, Adrantis.
Drago, fluv. Siciliæ, Acragas, Agragas.
Dragone, fluv. Campaniæ, Dracon.
Dragonera, insula Hispaniæ, Colubraria.
Draguinien vel Draguignan, oppid. Deceatium popul. Provinciæ, Decetum, aliis Draguinianum, Forum Voconii.
Draney, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, Darentiacum.
Draquo, portus Atticæ, Piræus.
Drasat vel Drazat, pagus Hungariæ, Teutoburgium.
la Drava, vide Dra.
Dravaniza, fluv. Poloniæ, Vistula.
le Drave, fluv. Norici, Dravus.
Dravemond, vide Travemund.
Dravenna, fluv. Holsatiæ, Chalusus, Treva.
Draun, fluv. & oppid. Austriæ, Drachonis, Duras.
Draun, fluv. Lotharingiæ, Drachonis.
Draunsee, lacus Austriç, Felicis lacus.
Drausen, lacus Poloniæ, Drausenus.
Drazio, urbs Macedoniæ, Epidamnus.
Drazzi, urbs Macedoniæ maritima, Dyrrachium: Item Epidamnus.
Drechshausen, oppid. Germaniæ, Trajana legio.
Dreckfurdt, oppid. Germaniæ, Tulipburdum.
Drent, tractus Transisalanæ, ubi Tencteri populi, aliis Drents dicitur.
Dresen & Dresden, urbs Misniæ, Dresda.
Drever, aliàs Drevel, vicus Galliæ, in Briegio, ad Sequanam fluv. Dravernum.
le Dreugesin, regio Galliç, Pagus Durocassinus.
Dreux, oppid. Druidum popul. Galliæ, Drocum, Durocasses.
Drillo, fluv. Siciliæ, Achates.
Drilo, oppid. Siciliæ, Phthinthia.
Drimago, oppid. Mysiæ, Dinogetia.
Drimago, oppid. Mysiæ inferioris, Trimmanium.
la Drina, fluv. Serviç, Drinus, Drinius.
Drinax, fluv. inter Macedoniam & Dalmatiam, Drilo.
Drino, fluv. Illyrici, item Macedoniæ, Drilo.
Drino, vide Drina.
Drinowar, urbs Serviæ, Drinopolis.
Drista, urbs Bulgariç, Tirista.
Drivasto, urbs Derenistarum popul. Dalmatiæ, aliis Drivastum.

Drivesto, oppid. Dalmatiæ, Enderum.
die Droan, vel Dron, fluv. Germaniæ, in Treviris, Drahonus.
Drobasaf, Sarmaticum mare, Cronium.
Drogheda, oppid. Hiberniç, Vindevivii, aliis Droghedа.
Droisy, vide Trouci.
Droithat vel Droit, vide Drogheda.
la Drome, fluv. Delphinatus, Druna & Druma.
Dromore, urbs Hiberniæ, Dromoria.
Drone vel Drosne, fluv. Delphinatus, Druna.
Dronheim vel Drontheim, urbs Norvegiæ, Nidrosia.
Drontheimhus ou gouvernement de Drontheim, Norvegiæ, Nidrosiana Præfectura.
Droses, fluv. Hiberniæ, Iernus.
le Drot, fluv. Galliæ, in Garumnam influens, Drotius.
Drumbough, arx Angliæ in Cumbria, Castra Exploratorum.
Drusenhaim, oppid. Alsatiæ, Concordia.
Drut, fluv. Carmaniæ, Dara.
Duasso, pagus juxta Anconam, Dysir.
Dublin, urbs primaria Hiberniæ, Dublinum, Eblana.
Ducato di Cardona, tractus Catalauniæ, in Hispania, ubi populi Castellani.
Ducato di Lombardia, regio Italiæ, ubi Insubria, Lombardia, Insubres.
Ducato di Setbina, regio Græciæ, Attica.
Ducato di Bracciano, tractus Hetruriæ, Sabatia.
Duccala, provinc. regni Marochii, Duccala.
Duché de Bremen, in Germania, Bremensis Ducatus.
Duché de Clarence, provinc. Græciæ, Achaia propria.
Duché de Juliers, in Germania, Juliacensis Ducatus.
Duché de Lunebourg, in Germania, Luneburgensis Ducatus.
Duché de Mantoue, provinc. Longobardiæ, Mantuanus Ducatus.
Duché de Milan, in Italia, Mediolanensis Ducatus.
Duché de Modene, in Italia, Mutinensis Ducatus.
Duché de Monts, in Germania, Montensis Ducatus.
Duché de Spolete, in Italia, Spoletanus Ducatus.
Duderstadt, oppid. Germaniæ, Duderstadium.
Duegna, vide Duenas.
Dueil, aliàs Deuil, vicus Galliæ, in agro Parisino, Diogilum.
Duenas, oppid. Castellæ veteris, Domina.
Duenas, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, ubi Vennenses populi.
Duennas, oppid. Castellæ veteris, Eldana.
Duero, fluv. Hispaniæ, Durius, Doria.
Duerstede, oppid. Geldriæ, Batavodurum, Durostadium.
le Duesmois, tractus Galliæ in Lingonibus, Pagus Dusmensis.
Duglas, castrum Scotiæ, Duglasium.
Duglas, castrum Monoedæ, Duglasium.
Duna, fluv. Livoniæ, Chesinus.
Duisbourg, urbs Germaniæ, Duisburgum.
Duitsch, in Germania, Divitense munimentum.
Dulcigno, urbs Dalmatiæ, Olchinium, Ulcinium.
Dulcinde, regio Asiæ, Carmania deserta, Nelcynda.
Dume, vide Dunis Pei.
Dummerzée, lacus Germaniæ, Dummera.
Dumno, oppid. Dalmatiæ, Delminium.
Dumnotir, castrum Scotiæ, Dumnotirum.
Dun, fluv. Angliæ Borealis, Dunus.
Dun, locus Lotharingiæ, in Ducatu Barrensi, Dunum.
Dun le Roy, locus Galliæ, Dunum Regis.
Duna vel Dwina, fluv. Livoniæ, Rubo, Turuntus.
Duna, fluv. Poloniæ, Duina.
Dunawert, urbs Sueviæ, Verda, Donavertia.
Dunbar, oppid. Scotiæ, Bara, Vara, Dumbarum.
Dunblane, urbs Scotiæ, Dumblanum.
Dunbritton, oppid. Scotiç, Castrum Britonum.
Duncans bay, vide Dunsby.
Duncaster, oppid. Angliæ, Camelodunum.
Dundalk, urbs Hiberniæ, Dunkeranum.
Dundée vel Dondy, oppid. Scotiæ, Alectum, Deidonum, Allectum.
Dunemund, arx Livoniæ, Dunemunda.
Dunenbourg, arx Livoniæ, Duneburgum.
Dunesbay, sinus Eboracensis, Dunum.
le Dunet, insula Ligeris, in Gallia, Dunetana.
Dunfreis, urbs Scotiæ, Dunfreia.
Dungall, urbs Hiberniæ, Dungalia.
Dungarvan, oppid. Hiberniæ, Dungarvanum.
Dungisbehead, promontor. Scotiæ, Tarvedum, aliis Berrumum.
Dunis Bes Dunis bey vel Dunsby, promontor. Scotiæ, Berubium, Veruvium, aliis Virvedrum.
Dunkelden, urbs Caledoniorum popul. Scotiæ, Castrum Caledonium, Dunchelldinum.

Dun-

Dunkeran, urbs Hiberniæ, Iverni.
Dunkeren, urbs Hiberniæ, Iverni.
Dun le Roy, oppid. Galliæ, Regiodunum.
Dunluce, castrum Hiberniæ, Donluca.
le Dunois, regio Galliæ, in Belsia: Item in Carnutibus, Ager Castellodunensis, Ager Dunensis.
Dunowert, castrum Scotiæ, Dunovertum.
Duno), oppid. Sabaudiæ, Equestris.
Dunquerque, urbs Belgii, Dunquerca.
Dunsby, promontor. Scotiæ, Vierverdrum.
Dunstaburg, oppid. Angliæ in Northumbria, Debba.
Dunstaphag, oppid. Scotiæ, Evonium, aliis Stephanodunum.
Duose, oppid. Lotharingiæ, Decempagi, Dundericum.
Durance, fluv. Galliæ Narbonensis, Druentia, Durantia.
Durango, urbs Americæ, Durangum.
Duranga, oppid. Hispaniæ, Durangum.
Duras, castrum Galliæ, Duraci & Duracium.
Durazzo, urbs Macedoniæ, Durracium, Dyrrachium, Epidamnus.
Durbuy, locus Galliæ, ad Urtam fluv. Durbojum.
Duren, urbs Ducatus Iuliacensis, Dura vel Duria, olim Marcodurum.
Durenza, vide Durance.
Duresme, vide Durham.
Duretail, oppid. Galliæ, Durestallum.
Durgat, regio Asiæ, Phrygia.
Durham, urbs Angliæ, Dunelmum.
Duringer, populi Germaniæ, Chasuarii, Turingi, Teuriochamæ, Thuringi.
Duringerwaldt, sylva Germaniæ, Bacenis, Semana sylva.
Durlach, urbs Marchiæ Badensis, Durlacum, Badoris.
Durmagen, pagus juxta Coloniam, Durnomagum.
Durnguerr & Dwr Gwyr, populi Angliæ, Durotriges.
Dury, vide Derry.
Duvels cutz, locus Frisiæ, Herculis columna.
Dwina, fluv. Moscoviæ, Duina.
Dwina, provinc. Moscoviæ, Duina.
Duysburg, urbs Bergensis Ducatus, Dispargum, Asciburgium, Dysporum.
Dyfed, populi & regio Walliæ, Demetæ, Demetia.
Dyffyr-dwy, fluv. Walliæ, Deva.
Dyfnaint, populi Angliæ, Damnonii.
Dyfy, fluv. Walliæ, Deva, Divus, Devus.
Dyrne, urbs Hungariæ, Tirnavia.
Dzimis, populi Europæ, Europæi.

E.

EAme & Lough Earne, lacus Hiberniæ, Erne.
Easton ness, promontor. Suffolciæ, Extensio.
Eaubonne, locus Galliæ, in agro Parisino, Aqua bona.
Eaune, fluv. & locus ejusdem regni, in Caletis, Heldona, vel Elna.
Eause, urbecula Galliæ, Elusa.
Ebada, urbs Peloponnesi, Lacedæmon.
Ebernsdorff, oppid. Austriæ, Ala nova.
Ebersheim, pagus & monasterium Alsatiæ, Noviantum.
Eberwyck, urbs Angliæ, Eboracum.
Eblebanda, urbs Cariæ, Alabanda.
Eboli, vide Evoli.
Ebora, vide Evora.
Ebreule, locus Galliæ, in Arvernis, ad Sicaulam fluv. Eborolacum, vel Ebrogilum.
Ebro, fluv. Hispaniæ, Iberus.
Ebron, urbs Palæstinæ diruta, Eleutheropolis, Hebron.
Echternach, pagus agri Trevirensis, Andethanna.
Echternach, locus ad Suram fluv. Andethannale, vel Epternacum.
Ecthal, oppid. Sueviæ, Estodurum, Hestodurum.
Ecya, urbs Andaluziæ, Astigi, Astygi.
Eda, fluv. Arabiæ Felicis, Betius.
Edana, urbs Portugalliæ excisa, Igædita.
Edel, fluv. Sarmatiæ Asiaticæ, Rha.
Eden, fluv. Angliæ, Ituna.
Edenborrow, Edenburgh, urbs Scotiæ, Agneda, Alata castra, Pterotos, Stratopedon, aliis Edenburgum.
Edenborow Frith, fluv. & æstuarium Scotiæ, Bodotria.
Eder, fluv. Germaniæ, Adrana, Ædera.
Ederington, pagus Angliæ, Adurnum.
Edernay, urbs Thraciæ, Hadrianopolis.
Edgeworth, oppid. Angliæ, Sulloniaca.
Edremus, urbs Bithyniæ, Adranes.
Eems, vide Ems.
Eerenburg & Erenburg, pagus inter Alpes, Arcburgium.

Efeso, urbs Ioniæ, Ephesus.
Ega, fluv. Hispaniæ, Ega.
Eger & Erlaw, urbs Hungariæ, Agria.
Eger & Egra, urbs Bohemiæ, Mesnogada, Egra.
l'Egers, fluv. Aquitaniæ, Ægereius, Egercius.
Eggeworth, vide Edgeworth.
Eggiasord, insula maris Baltici, Oone.
l'Egine, insula inter Atticam & Peloponnesum, Ægina.
Egostenia, oppid. Phocidis, Ægosthenia.
Egli, fluv. Galliæ Narbonensis, Thelis.
Egospotamo, promontor. Macedoniæ, Hegoub.
Egra, vide Eger.
Egrez, fluv. agri Basiliensis, Ergitia.
Egribo, urbs Eubœæ, Chalcis.
l'Egypte, regio Africæ, Ægyptus.
Ehenheim, urbs parva Alsatiæ, Enhemium.
Ehingen, oppid. Sueviæ, Dracuina.
Eiolia, mons Bœotiæ, Helicon.
Eichelstein, vide Eychelstein.
Eider, vide Eyder.
die Eifel, regiuncula Germaniæ, in Ducatu Juliacensi, Efilia, vel Eiflia.
Eimagiol, urbs Phrygiæ, Natolea.
Einaihisar, urbs Phrygiæ, Eumenia.
Einebachti, urbs Ætoliæ, Naupactus.
Einsidlen, monasterium Helvetiæ celebre, Eremus, vel ad Eremum.
Eischfeldt, tractus Thuringiæ, Eisfeldia.
Eisleben, urbecula Germaniæ, Eisleba.
Ekelenfördt, urbs Daniæ, Ekelenfordia.
Ekesio, urbs Sueciæ, Ekesium.
El Segro, Hispaniæ fluv. Sicoris.
El Var, fluv. Galliæ, Varus. Aliàs Varo.
Eladasequi, urbs Macedoniæ, Daulpa.
Elanda, fluv. Arcadiæ, Lampia.
Elatach, fluv. Sarmatiæ, Rha.
Elba, insula Hetruriæ, Æthalia, Ilva.
Elbe, fluv. Germaniæ, Albis.
Elber, regio Africæ, Lybia deserta.
Elbeuf, oppidul. Galliæ, in diœcesi Rotomagensi, Elbotum, & Elbovium.
Elbing, urbs Prussiæ, ubi Ælvæones populi.
Elbing, urbs Prussiæ, Elbinga.
Elbogen, urbs Daniæ, Malmogia.
Elcatif, regio Arabiæ Felicis, ubi olim Leanitæ populi, & Persicus sinus.
Elche, oppid. Valentiæ regni, Illici.
Elchebitz, vide Elquibet.
Elcur, fluv. Albaniæ, Cyrrhus, Cyrus.
Elenborrough, oppid. Angliæ, Olenacum.
Elenecath, urbs Marmaricæ, Oasis parva.
Elefa, insula Ciliciæ, Eleusa.
Eleshe, oppid. Angliæ, Sulloniaca.
Eleusa, urbs Palestinæ, Elusa.
Elfium, urbs Ægypti, Abydus.
Elgin, urbs Scotiæ, Elgis.
Eliopoli, urbs Lyciæ, Hadriana.
Elisabeth Cap, in terra Arctica, promontor. Elisabetha.
Elkii, urbs Thraciæ, Drusipara.
Ell, pagus Alsatiæ & fluv. Hellum, Elegia.
Ellan u' Frugadery, locus Hiberniæ, Patricii Purgatorium.
Elle, vicus Alsatiæ, Elcebus, Hellelus.
Ellerena, oppid. Extremaduræ, Regiana, Regina.
Ellopia, oppid. Eubœæ, Cerinthus, aliis Ellopia.
Elmachani, urbs Mysiæ Asiaticæ, Palæscepsis.
Elmabdua, urbs Africæ, Aphrodisium.
Elmesly, pagus Angliæ, Vinctum.
Elne, urbs Catalauniæ, Helena.
Elne & Eaune, civitas Hispaniæ, in Comitatu Ruscinonensi, Elena.
Elorina, oppid. Macedoniæ, Alorus.
S. Eloy du Crau, vicus Galliæ, in campis lapideis, ad S. Eligium.
Elpatron, urbs Phœniciæ, Botrus.
Elquibet, regio Africæ, Ægyptus.
Elsa, populi & urbs Guasconiæ, Elusa, Eluza, Elusates.
Elsaba, insula Æthiopiæ, Meroe.
Elsas, Germaniæ regio, ubi Triboces populi, Alsatia.
Elsasser, populi Alsatiæ, Triboces.
Elsaszabern, vel simpliciter Zabern, oppid. Germaniæ, in Alsatia, Taberna Alsatica.
Elsenur, urbs Daniæ, Elsenor.
Elsingborch, oppid. Scaniæ, Helsingoburgum.
Eltor, urbs Arabiæ petrææ, Ælana, Alas mons, Sur, Taurus.
Eltdorff, vide Altorff.
Elwang, urbs Germaniæ, Elwanga.
Elvas, urbs Lusitaniæ, Helvæ.
Elvino, fons juxta Aquinum, Helvina.
Elvire, urbs destructa apud Granadam, Illiberis, Eliberi.
Ely, insula Angliæ, & urbs, Elys, Helia.

Embden, urbs Germaniæ, Amasia, Embda.
Embolle, locus Galliæ, Ambacia.
Emboli, urbs Macedoniæ, Amphipolis.
Embran, oppid. Aquitaniæ, Hebromagum.
l'Embro, vide Lembro.
Embrun, vide Ambrun.
Emeley, urbs Hiberniæ, Anna, Emelia.
Emerdag, Emiodag, mons Mysiæ Asiaticæ, Olympus.
Emet, vide Hemyt.
S. Emilien, aliàs Saint Melion, castellum Galliæ, in Aquitania, S. Æmiliani.
Emiodag, vide Emerdag.
Emmen, fluv. Helvetiorum, Amma.
Emmenthal, una ex præfecturis Cantonis Lucernensis, in Helvetia, Vallis Emmæ.
Emmerich, locus Germaniæ inferioris, Embrica, Asciburgium, aliis Emmericum.
l'Empire de la Chine, in Asia, Sinarum Imperium.
l'Empire du Prete Jean, Pretiosi seu Presbyteri Joannis Imperium.
Empoli, oppid. Thusciæ, Emporium.
Empoli, vide Emboli.
l'Empourdan, tractus terræ, in Hispania Tarraconensi, Emporitanus ager.
Ems & Eems, fluv. Germaniæ, Amasius, Amisius.
Enckhuysen, locus Hollandiæ, Anchusanus.
Enchuysen, urbs Hollandiæ, Enchusa.
Encre, castrum Galliæ in Picardia. Item fluv. in Suminam influens, Incra.
Ender, oppid. Dalmatiæ, Enderum.
Endren, urbs Thraciæ, Hadrianopolis, Adrianopolis.
Endromit, urbs Phrygiæ, Adramyttium.
Engadin, tractus Rhætiæ, ubi Vennones populi.
Engern & Engerhen, oppid. Westphaliæ, ubi Angrivarii populi.
Engern, oppid. Westphaliæ, Angria.
Engetyn, oppid. Transylvaniæ, Singidava.
l'Engia, insula sinus Saronici, Ægina.
l'Engina, vide l'Egine.
Enguim, oppid. Siciliæ, Engyum.
England, pars Albionis insulæ Europæ, ubi Angli populi, Anglia.
Englesquevelle, locus Galliæ, in Caletis, Anglica villa.
Engur, fluv. Colchidis, Astelfus.
Enguri, urbs Galatiæ, Ancyra.
Enhly, insula Angliæ, Andros, Hedros.
Ensheim, oppid. Alsatiæ, Vrunca.
Enkoping, oppid. Sueciæ, Encopia.
Eno & Enio, urbs Thraciæ, Ænos.
Ennun vel derten Basel, oppid. Helvetiæ, in Germanico solo, Basilea minor.
Ens, urbs Austriæ, Claudivium vel Claudionum, urbs & fluv. Anisus.
Enseada de Nanquin & Golfe de Gang, in Sinis, Nanchinensis & Gangus sinus, aliis Sinarum intimus recessus.
Ensisheim, urbs Germaniæ, Ensisheimum.
Entram, locus Galliæ, cum monasterio, in confinio Britanniæ minoris & Cenomaniæ, Interamnis. Item in pago Nivernensi, ejusdem regni, Interamna.
Entre Duero e Minno, pars Portugalliæ, ubi Bracara urbs, & Bracari populi.
Entrevaux, vel Entrevals, oppid. Provinciæ, Intervallum, vel Inter valles.
Enyed, oppid. Transylvaniæ, Singidava.
Epenburg, pagus Bavariæ, Epona, Epinaburgum.
Eperies, urbs Hungariæ, Eperia.
Epheso, vide Efeso.
Epideno, fluv. Thessaliæ, Apidanus.
Epila, oppid. Aragoniæ, Segontia, Secontia.
Episcopia, insula Cariæ, Telos.
Episcopia, urbs Cypri, Curium.
Epte, fluv. Galliæ in Bellovacis ortus, Itta.
Eragnac, locus Galliæ, Ernazinum.
Eragni, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, ad Isaram, Ereniacum.
Erang, oppid. ad Mosellam, Eringium.
Erasino, fluv. Argiæ, Erasinus.
Erblay, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, ad Sequanam, Erblcjum.
l'Erand, l'Errault, fluv. Linguadociæ, Arauraris, Rhauraris.
Ercoco, urbs Æthiopiæ ad mare Rubrum, Adulitum, Adulis, aliis Erquicum, Magnum littus.
Erdel, regio Europæ, Dacia Ripensis, Pannodacia.
Erdewud, oppid. Hungariæ, Teutoburgium.
Erdewdy, locus Hungariæ, Herta turris, Teutoburgium.
Erding, oppid. Bavariæ, Ariodunum.
Eres, oppid. Provinciæ maritimum, Olbia.
Eresma, fluv. Castellæ veteris, Arena.
Eretia, oppid. Bœotiæ, Cnemus.
Erffurdt, vide Erfurdt.

Erfurdt & Erfurt, Erfordt, urbs Thuringiæ, Bicurgium, Erphordia, Hercinophordia.
Ergel, urbs Cariæ, Heraclea.
Ergow, locus Helvetiæ, Verbigenus.
Eri, fluv. Hetruriæ, Ceretanus.
l'Erice, oppid. ditionis Genuensis, Ericis portus.
Erichez, oppid. Peloponnesi, Cyphanta.
Erin, insula Oceani Occidentalis, Hibernia.
Erisse, portus Cappadociæ, Rhizus.
Erissi, urbs Lesbi insulæ, Eressus.
Erisso, urbs Macedoniæ, Acanthus, Apollonia, Andaristus,
Erkelens, oppid. Geldriæ, Castra Herculis, Herculis castra.
Erla, urbs Hungariæ, Agria; & pagus Austriæ Arlape.
Erlaph, fluv. Austriæ, Arlape.
Erlenbrunnen, locus Franconiæ, Lisboum.
Ermenidag, mons Bithyniæ, Ormenius.
Ernay, locus Hannoniæ, cum collegio Canonicorum, Rotnacum.
Erne, fluv. & lacus Hiberniæ, Ravius.
Ernio, mons Hispaniæ, Vindius, Hermius.
Erpach, castrum Germaniæ, Erpachium.
Errif, provinc. regni Fezzæ, Errifis.
Erriff, regio Africæ, Ægyptus inferior.
Errif, mons Mauritaniæ, Atlas minor.
Ersech, populi Mysiæ inferioris, Picnesii, Picensii.
Ertzbisthumb Meydburg, in Germania. Magdeburgensis Archiepiscopatus.
Ertzbisthumb Saltzburg, in Germania, Salisburgensis ditio.
Eruscka, mons Hungariæ. Almus.
Erzil, urbs Armeniæ majoris, Zurzura.
Erzirum, urbs Armeniæ majoris, Erzerum, Aziris, Arziris, Sinera, Sinibra, Theodosiopolis.
Esapo, oppid. Peloponnesi, Asopus.
Esaro, fluv. Calabriæ, Æsar, Æsarus.
Esbus, oppid. Palæstinæ, Esbus.
l'Escault, fluv. Flandriæ, Scaldis.
Escaupont, pagus Hannoniæ, Pons Scaldis.
Esce, locus Galliæ, ad Suram fluv. Arca.
Esceulog, populi Helvetiæ, Estiones.
Eschanden, fluv. Galliæ in Turonibus, Scando.
Eschauffour, locus Galliæ, in Lexoviis. Item in Normannia. Excalfurnum.
Eschenloch, vide Esceulog.
Eschenthal, regio Alpina, ubi olim Lepontii populi & oppid. Oscella.
Eschercon, locus Galliæ in agro Parisino, Escharco.
Eschevins, nomen Senatorum Burdigalensium, in Gallia, Jurati.
Eschuvege, urbs Hassiæ, Scuvegia.
l'Esclavonie, regio Europæ, Sclavonia.
le ru d'Escole, vicus Galliæ, in pago Wastinensi, Scola.
Escombrera, insula Hispaniæ, Scombraria.
l'Escosse, regnum Europæ, Scotia.
Escossois, populi Albionis, Scoti.
Escouchi, vicus Galliæ, ad Olinam fluv. Scoceium.
Escouen, vicus ejusdem regni, in agro Parisino, Escuina.
Esculapio, oppid. Peloponnesi, Epidaurus, Templum Æsculapii.
l'Escurial, monasterium Hispaniæ, Scoriale & Escuriale.
Escuroles, castrum Galliæ, in confinio agri Arverni & Burbonensis, Scoriolæ.
Esdan, vide Sedan.
Esdron, urbs Armeniæ, Theodosiopolis.
Esebon, urbs Palæstinæ, Esebon, Sebunta.
Esero, lacus Thessaliæ, Bæbeis.
Esfacus, urbs Africæ maritima, Ruspæ.
Esilles, oppid. Galliæ Narbonensis in Delphinatu, Ocelum.
Esino, fluv, Marchiæ Anconitanæ, Æsis, Esis.
Eskedale, tractus Scotiæ, ubi Horesti populi, aliis Eskiæ.
Eski Stamboul, urbs Phrygiæ, Troas Alexandri.
Esla, fluv. regni Legionensis, Estola.
Esling, urbs Germaniæ, Eslinga.
Esne, fluv. Galliæ, Axona.
Espagne, provinc. Europæ, Hispania.
Esparto, oppid. & promontor. Mauritaniæ, Cotes, Cottes, Ampelusia.
Espejo, oppid. Andaluziæ, Aspavia, Attubi, Claritas Iulia, Ucubi.
Espernay, oppid. Campaniæ Gallicæ, Asprenciacum, seu Spernacum.
Espernon, castrum Galliæ, cum Prioratu, in Carnutibus, Sparno.
Espinal, urbs Lotharingiæ, Spinalium.
Espinay, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Spinetum.
Espinay en Brie, vicus ejusdem agri, Spinolium,
Espinay sur Orge, castellum Galliæ, in pago Pontivo, ad Urbiam fluv. Spinetum.
Espinay sur Seuar, vicus agri Parisini, Spinolium.
l'Espine, locus Galliæ, ad Vidulam, Spina.
Espineuil lez S. Denys, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Spinogilum.
Espineuil sur Seine, Idem.
l'Espiniete, vicus Galliæ, in Biturigibus, circa Vastinium, Spinaria.
Espogny, locus Galliæ ad Icaunam, Eponiacum.
Espoisse, villa Galliæ regia inter Aballonem & Sinemurum, Spinsia vel Spissia.
Espone sur Maudre, locus Galliæ, in Carnutibus, Spedona ad Maldram.
l'Essart, vicus sylvæ Cotiæ, Exartum.
l'Essay, locus Galliæ, in pago Constantino, Exaquium.
Essé, locus Galliæ, Exejum.
Esseck, oppid. Hungariæ, Mursa.
Essekebe, fluv. Americæ, Essequebia.
Essex, regio Angliæ, ubi Iceni, Trinobantes.
Essici, regio Asiæ minoris, Opsiciana.
Essilles, vide Esilles.
Esslingen, urbs Sueviæ, Ezelinga.
Essone, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, ad fluv. cognom. Axona. Item vicus ad Junnam, Exona.
la riviere d'Essone, fluv. Galliæ, in agro Parisiensi, Exona.
Estam, oppid. Africæ, Automala.
Estampes, oppid. Franciæ, Stampæ.
Estanford, locus Hiberniæ, Darinum.
Estang, & Estan, stagnum Linguadociæ, Laterra.
l'Estang, vicus Galliæ, in agro Parisino, Stagnum.
l'Estang d'Ambleteul, in Maurinis, Stagnum Ambliteliense.
l'Estang d'Andre, ibid. Stagnum Andrense.
l'Estang d'Ardres, ibid. Stagnum Ardrense.
l'Estang de Cauuel, ibid. Lacus Camelensis.
l'Estang de Nieulle, ibid. Stagnum Neoletense.
l'Estang d'Olivier, stagnum maritimum Galliæ, Stagnum Oliverii.
l'Estang de Perotz, in Gallia Narbonensi, Stagnum Peroziacum.
l'Estang de la Rubine; in Occitania, Rubrensis lacus.
l'Estang de Selacque, in Morinis, Stagnum Selacense.
l'Estang du Tau, in Volcis Arecomicis, regione Galliæ, Taurus Palus, seu stagnum Laterna.
les Estangs, locus Lotharingiæ ad Nitam fluv. Stagna.
Estaples, oppid. Picardiæ, cum portu, in agro Boloniensi, Stapula, Stabulæ.
Estarac, castrum Galliæ, in Novempopulana, Astariacum.
l'Estat de l'Eglise, in Italia, Pontificia ditio.
Estay. mons Lotharingiæ, Vegesus.
Este, oppid. Venetiæ, Ateste.
Estelle, urbs Navarræ, Stella, aliis Curnonium.
Esten. pars Livoniæ, Esthonia.
Estepa, oppid. Andaluziæ, Astapa.
Estepona & Estapona, oppid. Andaluziæ, Ostippo.
Esterlich, oppid. Catalauniæ, Setelsis, Castrum dives.
Estezo, portus Mauritaniæ, Rusibis.
S. Estienne à Arne, aliàs Somme-Arne, locus Galliæ, in Remis, S. Stephanus ad Arnam.
Estivay, locus cum monasterio in Lotharingia, ad Mortam fluv. Strivagium.
Estnerberger, populi Rhætiæ vel Helvetiæ, Estiones.
Estnig, populi Helvetiæ vel Rhætiæ, Estiones.
Estombar, urbs Algarbiæ excisa, Ossonaba, Onoba.
Estoni, locus Aprutii, Histonium.
Estora, oppid. Africæ propriæ, Rusicada.
Estotilande, regio Americæ, Estotilandia.
Estouteville, locus Galliæ, in Caletis, Stotavilla.
Estoy, vide Estombar.
l'Estraye, oppid. Lotharingiæ ad Mosellam, Strata.
val de l'Estraye, locus in Lotharingia, Vallis Stratæ.
Estrechi, vicus Galliæ, in confinio Parisiorum & Senonum, ad Junnam fluv. Sturpiniacum.
l'Estrée, Abbatia Galliæ, Strata.
Estreaupont, locus in sylva Teoracia, Strata ad Pontem.
Estrecho de Anian, fretum Americæ, Anianum.
Estrecho de Gibraltar, inter Africam & Hispaniam, Fretum Herculeum,
Estrecho de Magellanes, in America, Fretum Magellanicum.
Estrecho de Manilha, in Asia, Fretum Manilhæ.
Estrecho de Mindora, in Asia, Fretum Mindora.
Estreham, oppid. Normanniæ, Strehamum.
Estremadura, vide Extremadura.
Estrepigny, aliàs Estrepagni, oppid. Galliæ, in Veliocassibus, Sterpiniacum.
Estrichi, locus Galliæ, in Belsia, Sturpiniacum.
Estrun, castellum Belgii, cum monasterio, in Atrebatibus, Strum.
las Esturias, vide las Asturias.
Etesciam, populi Sclavoniæ, Enchelea.
Etsch, fluv. agri Veronensis, Athesis.
Etschlender, populi Tridentini, Athesini.
Etzel, mons Rhætiæ, Adula.
Eu, oppid. Picardiæ, ubi Essui, populi Galliæ Celticæ, aliis Augæ.
Eu, locus Galliæ in Caletis, Auga.
la forest d'Eu, in Caletis, Saltus Augensis.
Evelmouth, vide Ivelmouth.
Evesché d'Hildeshem, in German. Hildeshemiensis Episcopatus.
Evesché d'Osnabruck, in Westphalia, Osnabrucensis Episcopatus.
Eufrata, oppid. Africæ, Pyrgus Euphranta.
Eugubio, urbs Umbriæ, Eugubium, Igubium.
Evian, oppid. Sabaudiæ, Aquianum.
Evisse, insula Hispaniæ, Ebusus.
Evoli, oppid. regni Neapolitani, Ebolum & fluv. ejusdem regni, Elees.
Evora, urbs Lusitaniæ, Ebora.
Evora de Alcobaca, oppid. Portugalliæ, Eburobritium.
Eurainville, vicus Galliæ, in agro Parisino, Aurenvilla.
font Evraud, monasterium Galliæ, in Pictonibus, Fons Ebraldi.
Eure, fluv. Galliæ, Ebura & Aura.
Eure vel Yeure, fluv. Galliæ, in Biturigibus, Avera. Item in urbe Tullo, Suburbium S. Apri.
Eureux, urbs Ebroicarum, Eburovicum, Eburaicorum popul. Normanniæ, aliis Ebroicum.
l'Europe, una ex mundi partibus, Europa.
S. Euroul, locus Galliæ, cum monasterio, in sylva Uticensi, ad S. Ebrulfum.
Eurre, fluv. Galliæ, in Carnutibus, Autura.
Eury, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, in Decanatu Moissiacensi, Euriacum.
Eusa & Eause, urbs Aquitaniæ Flustatium popul. Elusa, Eluza.
Eusiois, populi Galliæ, in Normannia, Augenses.
Eussi, vicus Galliæ, non longè ab urbe Meldis, ad Matronam fluv. Vultiacum.
Eust, insula Scotiæ, Ebuda, una Ebudarum.
Eutremesnil, locus Galliæ, in Caletis, Ebrardi mansionile.
Ex, fluv. Angliæ, Isaca, Isca.
Examili, vide Hexamili.
Execester, urbs Angliæ, Exonia, Isca.
Exilles, vide Esilles.
Exisnis, locus Galliæ, ubi populi Sesuvii.
Exsechia, lacus Armeniæ majoris, Lychnitis, regio Motene, Otene.
Extremadura, regio Hispaniæ, Baturia, Vetturia, in qua populi Vectones vel Vettones.
Extremadura, pars Portugalliæ, Extremadura Lusitanica.
Extremos, oppid. Portugalliæ, Extrema.
Extuca, provinc. regni Marochii, Extuca.
Exuba, vide Estombar.
Eychelstein, locus juxta Moguntiam, Drusi monumentum.
Eychstat, Eystadt, in Bavaria, Aureatum, Eistatum, Quercopolis.
Eyder, fluv. Daniæ, Egidora, aliis Eidera,
Eydgnosschafft, regio Germaniæ superioris, aliàs Schweitzerland, Helvetia.
Eydgnossen, populi Europæ, Helvetii.
Eyerlandt & Eierlandt, insula maris Baltici, Oona.
het Eynde der Werelt, locus insulæ Gaditanæ, Fanum Saturni.
Eysenach, urbs parva Thuringiæ, Isenacum.
Eysenthor, locus inter Daciam & Transylvaniam, Pylæ Geticæ.
Eystadt, urbs Bavariæ, Aureatum.
Ezeck, oppid. Hungariæ, Mursa. Aliis Teutoburgium.
Ezero, urbs Græciæ, Ezerus.

F.

Faba, locus Palæstinæ, Apheca, Esdrelon.
Fabreguas, oppid. Linguadociæ, Forum Domitii.
Fabreguet, locus Galliæ, in diœcesi Montispessulana, Fabrica.
Fabriano, oppid Marchiæ Anconitanæ, Fabrianum.
Fachs, oppid. Africæ propriæ, Taphra.
Faenza, urbs Romandiolæ, Faventia.
la Fage, locus Galliæ, in Gabalis, Fagia.
Faial, insula maris Atlantici, Faialu.
Faience, urbecula Galliæ, Faventia.
Faniam, promontor. Macedoniæ, Hegonis.

Faing vel *Fainge*, oppid. Sueviæ vel Bavariæ, *Baieani.*
Fair foreland, promontor. Hiberniæ, *Robogdium.*
Fair isle, insula Oceani Germanici, *Dumna*, aliis *Fara.*
Falacrino, pagus Sabinorum, *Phalacrina.*
Falaise, oppid. Normanniæ, *Faleſia*, *Promontoriola.*
Falare, urbs Hetruriæ deſolata, *Faleria*, *Phalerium*, *Phalaris.*
Falckenburg & Fauquemont, oppid. Germaniæ inferioris & Falconis mons, *Coriovallum.*
Falconara, fluv. Siciliæ, *Aſſinarius.*
Falconara, inſula Archipelagi, *Polyægus.*
Falcongney, locus in Sequanis, *Falconiacum.*
Falemouth, *Falmouth*, portus Angliæ, *Voliba*, aliis *Falmutum.*
Falere, vide *Falare.*
Falerione, oppid. exciſum *Falarienſium* popul. Anconæ, *Falaria.*
Fallſter, inſula Daniæ, una *Hemodum*, aliis *Falſtria.*
Faluga, inſula Sardiniæ, *Diabate.*
Famagoſta, urbs Cypri, *Ammochoſtos*, *Arſinoe*, aliis *Fama anguſta.*
Famar, promontor. Tauricæ, *Arietis frons*, *Criumetopon.*
Famais, vicus Belgii, in Hannonia, *Fanum Martis.*
Famaſtro, urbs Paphlagoniæ, *Amaſtris.*
Famenne aut *Faminc*, tractus Belgii, in Ducatu Lucilïburgenſi, *Falemannia.* Item, *pagus Famenenſis.*
Fan, vicus Hannoniæ, *Fanum Martis.*
Fan Iaux, locus Galliæ, in Volcis Tectoſagibus, *Fanum Iovis.*
Fanagoria urbs Cappadociæ, *Themiſcyra.*
Fanale, promontor. Chii inſulæ, *Phane.*
Fanar, fluv. Epiri, *Acheron.*
Fanar, locus Peloponneſi, *Cherſoneſus.*
Fanar, vide *Famar.*
Faneromini, oppid. Peloponneſi, *Aſine.*
Faneſtria, vicus ditionis Pontificiæ, *Faneſtria.*
Fanfara, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, *Banaſa.*
Fangiou, oppid Linguadociæ, *Fanum Iovis.*
Fano, urbs Umbriæ maritima, *Fanum Fortunæ.*
Fanshera, fluv. Africæ, *Fanshera.*
Fantin, regnum Africæ, *Fantinum.*
Fanu, inſula maris Ionii. *Thoronus.*
Fara, urbs & mons Arabiæ petrææ, *Pharan.*
Faraglioni, ſcopuli Siciliæ, *Cyclopum ſcopuli.*
Faramida, oppid. Palæſtinæ, *Rhinocolura.*
Faraoni, vide *Pharaoni.*
Fare, una *Electridum* inſularum maris Germanici juxta Scotiam, aliis *Farenſes* inſulæ.
Faremouſtier, locus Galliæ, cum monaſterio, in Meldis, *Fara monaſterium* ſeu *Eboriacum.*
Farfa, amnis Sabinorum, *Fabaris.*
Farfa, caſtrum Italiæ in Sabina, *Farfa.*
Farfar, vide *Farfaro.*
Farfaro, fluv. Sabinorum, & fluv. Syriæ, *Orontes*, *Chryſorrhoas*, *Fabaris*, *Farfarus.*
Faribo, fluv. Macedoniæ, *Helicon*, *Pharybus.*
Farma, urbs laponiæ. *Farma.*
Farion, inſula Ægypti juxta Alexandriam, *Pharos.*
Farmaco, inſula maris Ægæi, *Pharmacuſa.*
Farnace, urbs Cappadociæ maritima exciſa, *Pharnacia.*
Farnaſia, inſula Bithyniæ, *Thynias.*
Farnaſu, ſcopuli Bithyniæ, *Erithini.*
Farnazzano, locus Umbriæ circa Piſaurum, *Aſſianus fundus.*
Farne, inſula Angliæ, *Farna.*
Faro, urbs Algarbiæ in regione *Cuneo.*
Faro di Meſſina, inter Siciliam & Italiam, *Fretum Mamertinum.*
Farſa, urbs Theſſaliæ, *Pharſalus.*
Farſi, provinc. Aſiæ, *Perſia.*
Farſiſtan, vide *Farſi.*
Fartach, vide *Fertach.*
Faſſo, urbs & fluv. Mengreliæ, *Phaſis.*
Fatigar, regnum Africæ, *Fatigara.*
Favagnana, inſula Siciliæ, *Ægathos*, *Æguſa*, *Æthuſa.*
Favateria, oppid. Latii dirutum, *Fabrateria.*
Favernach, locus Helvetiæ, prope Friburgum, *Faverniacum.*
Favernay, vicus Galliæ, inter Oſcaram & Ararim fluv. in Burg. *Fabermacum* vel *Fauriniacum.*
Favernay, Abbatia in Comitatu Burgundiæ, *Fauriniacum.*
Favieres, vel *Saint Sulpic de Favieres*, vicus Galliæ, in Briegio, *Fabariæ.*
Fauquemont, caſtrum trans Moſanum, *Falconis mons.*
Faux bourg, pro *Forsburg*, locus extramuranus, *Suburbium.*
le Fauxbourg S. Laurent, vicus Galliæ, prope Pariſios, *S. Laurentii*, vel *ad S. Laurentium.*
le Fauxbourg de S. Manſuet, ſuburbium in urbe Tullo, *S. Manſueti.*
Fay, locus Galliæ, in Velacis, *Fabia.*
Faye la Vineuſe, locus Galliæ. in Turonibus, *Faja.*
Fayet, vicus ejuſdem regni, in agro Pariſino, *Fagetum.*
Feillenbach, vide *Veillenbach.*
Felber Taurn, mons Germaniæ, ubi olim populi *Norici*, *Taurisci.*
Feldkirch, pagus Rhætiæ, *Velcurium*, aliis *Feldkirchia.*
Felicur, inſula juxta Siciliam, *Phœnicuſa.*
Felin, urbs Livoniæ, *Felinum.*
Fella, caſtrum Forojulienſis ditionis, *Carnicum*, *Iulium.*
Felles, mons Æthiopiæ ſub Ægypto.
Fello, oppid. Macedoniæ, *Phila.*
Fellos, urbs Lyciæ, *Phellus.*
Felo, oppid. Calabriæ ulterioris, *Hipporum.*
Felti, urbs Phrygiæ magnæ, *Peltæ.*
Feltri, urbs Marchiæ Tarviſinæ, *Feltria.*
Femeren, una *Hemodum*, inſula Danica, *Femeræ*, aliis *Fimeria.*
Femy vel *Finy*, Item *Femy en Cambreſis*, locus Belgii cum monaſterio, in pago Cameracenſi, *Fidemium.* Item *Fidemenſe cœnobium.*
Feneſia, fluv. Bithyniæ, *Pſillis.*
Feneſtrange, locus ad Saravum fluv. *Viſtringium.*
la Fenicia, regio Syriæ, *Phœnice.*
Fenicuſa, inſula juxta Siciliam, *Phœnicuſa.*
Fer, fluv. Syriæ, *Orontes.*
Ferachio, oppid. Rhodi inſulæ, *Camirus.*
Ferden, urbs Saxoniæ, *Verda.*
la Fere, urbs Galliæ, *Fara.*
Fere, oppid. Theſſaliæ, *Pheræ.*
Fere Briang, locus Galliæ, in Briegio, *Fara Briangia.*
la Fere Champenoiſe, urbecula Galliæ, *Fara Campania.*
la Fere en Tardenois, locus Galliæ, in Suſſionibus, *Fara Tardanenſis.*
Ferentino, urbs Latii, *Ferentinum.*
Ferento, urbs Thuſciæ deſtructa, *Ferentia*, *Ferentium.*
Fergeol, caſtrum Galliæ ad Lupam, *S. Ferreoli.*
Fering, oppid. Styriæ. *Rhippia.*
Fermaco, vide *Formaco.*
Fermanagh Countye, in Hibernia, *Comitatus Fermanagenſis.*
Fermene, inſula maris Ægæi, *Rhene.*
la Fermete, vicus Galliæ, in Briegio, *Ferrole.*
Fermo, urbs Marchiæ Anconitanæ, *Firmium.*
Fermoſel, oppid. vel pagus Caſtellæ veteris, *Ocelum.*
Ferne, fluv. Syriæ, *Chryſorrhoas.*
Fernes, urbs Hiberniæ, *Fernæ.*
Feroles, vicus Galliæ, in Briegio, *Ferrolæ.*
Ferona, pagus Sardiniæ, *Feronia.*
Ferrandina, oppid. Italiæ, *Ferrandina.*
Ferrara, urbs Romandiolæ, *Ferraria*, *Forum Alieni.*
Ferrata, locus Hetruriæ, *Ferratæ aquæ.*
Ferrete, urbs Germaniæ, *Ferreta.*
la Ferriere, vicus Allobrogum, *Ferraria.*
Ferrieres, oppid. Galliæ, cum Monaſter. in Senonibus. Item vicus Briegii, *Ferrariæ.*
Ferro, vide *Fiume del Ferro.*
Fertach, urbs Arabiæ Felicis, *Syagros*, *Sapphar*, *Fartachium.*
la Ferté Alais, locus Galliæ, *Firmitas Adelaidis.*
la Ferté ſur l'Aube, oppid. Galliæ, prope monaſter. Claræ Vallis, *Firmitas ad Albulam.*
la Ferte S. Aubin, locus Galliæ prope Aurelianum, *Firmitas S. Albini.*
le Ferté Aucoul, locus ejuſdem regni, *Firmitas Auculphi.*
la Ferte Auvrain, locus in Carnutibus, in eodem regno, *Firmitas Aureni.*
la Ferté Bernard, oppid. Galliæ, in Cenomanis, *Firmitas Bernardi.*
la Ferté en Bray, locus ejuſdem regni, *Firmitas in Brajo.*
la Ferté Gaucher, locus Galliæ, in Meldis, *Firmitas Galteris.*
la Ferté ſur Grone, locus Galliæ, cum monaſterio, in Lingonibus, *Firmitas ad Garonam.*
la Ferté Hubert, oppid. ejuſdem regni, in Secalonia, *Firmitas Huberti.*
la Ferté ſous Iouarre, oppid. Galliæ, in Meldis, ad Matronam fluv. *Firmitas ſub Iotro.*
la Ferté Maſſé, caſtrum Galliæ, in Holmetia, tractu Normanniæ, *Firmitas.*
la Ferté Milon, urbs Galliæ, in Sueſſionibus, *Firmitas Milonis.*
la Ferté Nabert, locus ejuſdem regni, in Carnutibus, *Firmitas Naberti.*
Ferté au Vidame, oppid. ejuſdem regionis, *Firmitas Vicedomini.*
Ferteu, lacus Hungariæ, *Peiſo.*
Fervaques, locus Galliæ, in Lexoviis, *Aqua fervida.*
Ferventia, in Luſitania, *Fons agri Carrinenſis.*
Feſchamp, item *Feſcam en Caux*, oppid. Normanniæ, in Caletis, *Fiſci Campus.*
Feſſa, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, *Volubilis.*
Feſto, oppid. Cretæ, *Phæſtum*, & *Phœnicus* portus.
Fetu, regnum Africæ, *Fetum.*
des Feuillans, ordo ſacer in Eccleſia Romana, *Fulienſes.*
Feurs, oppid. Foreſtiæ in Gallia *Forum Seguſianorum.*
Fez, regnum Mauritaniæ, *Fezzanum.*
Fez, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, *Phthuth*, *Fut*, & urbs *Volubilis*, aliis *Fez.*
Fezzen, regio Biledulgeridiæ, *Fezzena.*
Fiaccone caſtrum Liguriæ, *Altanus.*
S. Fiacre, locus Galliæ, cum Monaſterio S. Feſri, *Broilum.*
Fiandra, vide *Flandria.*
Fianona, oppid. Iſtriæ, *Flavona*, *Flanona.*
Fichien, provincia Sinarum, *Fichiena*, vide *Fochien.*
Fidari, vide *Phidari.*
Fidoniſi, peninſula & *Dromos Achillis*, inſula maris Euxini, *Achillea.*
Fiechtelberg, montes Germaniæ, *Suditi.*
Fieines, ſeu *Fiennes*, oppidul. Galliæ, in Comitatu Giſnenſi, *Fielnæ.*
Fieſco, urbs Cariæ, *Phyſca.*
Fieſole, urbs Hetruriæ excifa, *Feſulæ.*
Fiſe, regio Scotiæ, ubi populi *Vernicones*, *Otholinia*, aliis *Fiſa.*
Figalo, urbs & promontor. Epiri, *Actium.*
Figari vel *Figeri*, caſtrum Corſicæ, *Fiſera*, *Phiſera.*
Figarolo pagus Venetiæ, *Varianus vicus*, *Vicus Aurelii.*
Figeac, urbs Galliæ, cum monaſter. in Aquitania, *Figeacum.*
Figena, urbs Ioniæ, *Phygela*, *Pygela*, *Epheſus.*
Figera, promontor. Eubœæ, *Caphareus.*
la Figuier, promontor. Vaſconum in Gallia, *Oeaſo.*
Filadelphia, urbs Lydiæ, *Philadelphia.*
Filea, promontor. Thraciæ, *Philia.*
Filech, urbs Hungariæ, *Filecum.*
Fileſia, oppid. Valacchiæ, *Marcodava*, *Triphulum.*
Filibe, vide *Filippopoli.*
S. Filibert de Grandleu, monaſter. Galliæ, in Pictonibus, *S. Filiberti de Grandi lacu.*
Filippo, urbs Macedoniæ, *Philippi.*
Filippopoli, urbs Thraciæ, *Philippopolis*, *Trimontium.*
Fimes, locus ad Vidulam fluv. *Fimmæ*, ſeu *Fines.*
Final de Modena, oppid. Italiæ, *Finalium.*
Finale, oppid. Liguriæ maritimum, *Pollupice*, *Finarium.*
Finiana, oppid. regni Granatenſis, *Accitum.*
Finica, vide *Phinica.*
Finichia, provinc. Aſiæ, *Cilicia.*
Finlandia, *Finlandt*, regio Scandinaviæ, ubi *Fenni*, *Phinni*, *Sitones*, populi, aliis *Finnonia* & *Finna.*
Finmarcker, populi ſeptentrionales Scandiæ, *Chadeni.*
Fionda, urbs Pamphiliæ, *Phaſelis*, *Pytyuſſa.*
Fiouſſi, oppid Cretæ, *Liſſus.*
Fiore, fluv. Hetruriæ, *Oſſa.*
Fiorentino, vide *Ferentino.*
Fiorenza, urbs Hetruriæ primaria, *Florentina*, *Fluentia.*
Fiorenzuola, oppid. geminum, Parmenſis ditionis, & Hetruriæ, *Florentiola*, aliis *Fidentiola.*
Firando, oppid. Aſiæ, *Firandum.*
Firenze, vide *Fiorenza.*
Firenzuola, vide *Fiorenzuola.*
Firi, fluv. Hyrcaniæ, *Maxera*, *Mazeras.*
Firmiano, caſtrum Anconitanum, *Firmanorum caſtrum.*
Firth, vide *Fryth.*
Fiſcello, mons Umbriæ, *Fiſcellus.*
Fiſchio, urbs Cariæ maritima, *Phuſca.*
Fiſmes, oppid. Galliæ, *Fimæ* & *ad Fines.*
Fitelco, oppid. Theſſaliæ, *Pitheleon*, *Sperchia.*
Fitico, oppid. Theſſaliæ, *Pteleon.*
Fiumara de Moro, oppid. Calabriæ, *Canis*; & fluv. *Crateis.*
Fiume, oppid. Illyrici, *Tarſatica*, *Flumium.*
Fiume dell' Abbatia, fluv. Latii, *Amaſenus.*
d'Aſſoro, fluv. Siciliæ, *Chryſas.*
di Benevento, fluv. regni Neapolitani, *Sabbatus.*
di Bulia, fluv. Phocidis, *Heraclius.*
di Canne, fluv. Apuliæ, *Gelius*, *Vergellus.*
di Catania, fluv. Siciliæ, *Terias.*
di Chitri, fluv. Macedoniæ, *Leucos.*

Dimetriada, fluv. Thessaliæ, Anaurus.
del Ferro, fluv. Ciliciæ, Calycanus.
di Ginosa, fluv. Cretæ, Ceratus.
Grande, fluv. Siciliæ, Himera.
dell' Istria, fluv. Illyridis, Artatus.
di Larach, fluv. Mauritaniæ, Lixus, Lix.
di Lentini, fluv. Siciliæ, Lisson.
della Maldalena, fluv. apud Neapolim, Sebetus, Vesuvianæ aquæ.
di Mangresia, fluv. Lydiæ, Lethæus.
di Marciopoli, fluv. Thraciæ, Potamus.
di Melazza, fluv. parvus Siciliæ, Longanus.
della Muraglia, fluv. Siciliæ, Herethus.
di Noti, fluv. Siciliæ, Erineus, Orinus, Acheus, Assinarius.
della Posta, fluv. Latii, Fibrenus.
di Roseto, fluv. Calabriæ, Acalandrus.
di S. Bartolomeo, fluv. Siciliæ, Crinisus, Acis.
di S. Germano, fluv. Italiç, Vinius.
di S. Paulo, fluv. Siciliç, Simæthus.
di Scatari, fluv. Dalmatiç, Barbana.
Fiumesino, fluv. Marchiç Anconitanç, Æsis.
Fiuminale, fluv. Corsicç, Volerius.
Flagania, provinc. Asiæ, Paphlagonia.
l'Isle de Flaix, Insula Galliæ, in Santonia, Flaicus.
Flandre, provinc. Belgii, Flandria.
Flandria, regio Belgii, in qua olim Menapii, Plenmosii populi, Flandria.
Flaviano, oppid. Aprutii, Castrum novum, aliis Claterna.
Flavigny, oppid. Burgundiç Ducatus, Flavia Æduorum, aliis Flavniacum.
Fledorp, pagus Frisiç Occidentalis, Flevum Castellum.
Fleeten vel Vleden, locus Belgii.
Flensbourg, urbs Daniç, Flensburgum.
Flessingues, urbs Belgii, Flessinga.
Fleury, seu Fleurien, pagus Burgundiç Ducatus, Floriacum.
Fleury, vicus Galliç, in agro Parisino, Floriacum.
Fleury en Biere, vicus Galliç, cum Prioratu, in sylva Bieria, Floriacum Bierense.
Fleury sur Loire, monasterium Galliæ, Floriacum ad Ligerim.
Flict, mons Sclavoniæ, Phlygadia.
Flie, insula Hollandiç ad ostia Rheni, Flevo.
Flietsele, locus Belgii, in agro Gandavensi, Flithersala.
de Fliet, in Batavia, Corbulonis Fossa.
Flims, conventus Rhætorum, in fœdere Cano, Flemium.
Flint, castrum Angliç, Flintum.
Fliopoli, urbs Ciliciç, Flavias, Flaviopolis.
Fliopoli, urbs Thraciç, Phinopolis.
Flix, oppid. Catalauniç, Ibera.
Floreff, locus cum monasterio, ad Sabein fluv. Floreffia.
S. Florent, monasterium Galliæ, in Pictonibus, S. Florentii.
S. Florentin, oppid. Galliç, in Senonibus, S. Florentini.
Flores, insula Asiæ, Florum.
la Floride, regio Americç, Florida.
le grand Floyon, vicus Galliæ, in Teoracia sylva, Fleo major.
Flotz, vide Galarz.
Flueten, vicus Belgii, in dominio Ultrajectensi, Fletio.
Flumica, fluv. Calabriæ, Crimisa.
Flushing, urbs Zeelandiç in Belgio, Vlissinga.
Fluvian, fluv. Catalauniæ, Clodianus.
Focaria, promontor. Umbriæ juxta Pisaurum, Necate.
Foce de Rosne, pagus ad ostium Rhodani, Rhoda.
Focceschio, vide Fossechio.
Focheu, provinc. Imperii Sinarum, Fochiensis.
Foele vel Fole, mons & urbs Arcadiç, Pholoe.
Foggia, oppid. Apuliç, Equotuticum, Tuticum, aliis Foggia.
la Fogina, fluv. Umbriç, Isaurus.
Foglia nova, vide Foia nova.
Foglia vecchia, vide Foia vecchia.
Foia nova, urbs Æolidis maritima, Cumæ, Cyme.
Foia vecchia, urbs Æolidis, Phocæa.
Foiano, oppid. Thusciæ, Flavianum.
Foica, vide Phoica.
Foigny, aliàs Foisny, vicus Galliæ, in sylva Teoracia, Fusniacum vel Fisniacum.
Foisny, vide Foigny.
Foix, oppid. Linguadociæ Flusiatium popul. Fuxum.
les Foxiens, populi Galliæ, Fuxenses.
Foligno, vide Fuligno.
Follenbray, locus Galliæ, in agro Laudunensi, Follembrajum.
Folino, oppid. Calabriæ citerioris, Arianthe.

Fonillon, oppid. Portugalliæ, ubi populi Bibali, Vibali, Forum Bibalorum.
Fon Somme, vicus Galliæ, in Veromanduis, Fons Sumina.
la Fondazza, castrum agri Placentini, Fontech.
Fondi, urbs Latii, Fundi.
Font-Astorgue, fluv. Galliæ, in Provincia, Orge.
Font-Evrand, monasterium ejusdem regni, in Pictonibus, Fons Ebraldi.
la Font de Leure, locus Galliç, vulgò Fons Ligeris.
Fontaine-le Dun, locus Galliæ, in Caletis, Fons Duna.
Fontaine de Vau-Cluse, locus Galliæ, in Provincia, Fons vallis clausæ.
Fontainebleau, castrum Galliç, Fonsbellaqueus, aliis Fons Bleaudi.
Fontaines, oppid. Galliç, in agro Dunensi, in Burgundia, Fontanæ.
Fontana murata, oppid. Siciliç excisum, Hydia.
Fontana Bianca, locus Siciliæ, Naustathmus.
Fontanelle, pagus & monasterium Normanniæ, Fontanella.
Fontany, locus ad Isaram, Fontanetum.
Fonte ferrato, fluv. Siciliæ, Simæthus.
Fonte de Salsas, fons Aquitaniæ, Salsula.
Fonte di Trevi, in Roma, Aqua Verginea.
Fontenay, oppid. Aquitaniç, Aunedonacum, aliis Fontenaum.
locus Lothariogiæ, Fontanetum.
sur le Bois, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Fontanetum super nemus Viccenarum.
le Fleury, vicus ibidem, Fontanetum Floridum.
Mareuil, vicus in eodem agro, Fontanetum juxta Marolium.
aux Roses, vicus ejusdem tractus, Fontanetum ad Rosas.
le Viconte, vicus ibidem, Fontanetum Vicecomitis.
Fontenelle, monasterium Lothariogiæ, in pago Virodunensi, Fontanella.
Fontenelle en Hainaut, locus Belgii cum monasterio, Fontanella Hannonica.
Fonterabia, vide Fuenterabia.
Fontevrault, oppidul. Galliæ, Fons Ebraldi.
Fontrouge, monasterium Galliæ, in pago Antissiodorensi, Fons rogi.
Forcalquier, oppidul. Provinciæ, Forum Neronis, It. Fons Qualquerius seu Calcarius.
Forcasii, vide S. Maria Forcasii.
Forcelle, oppid. Hetruriæ excisum, Forum Cella.
Forcelli, vide Furcelli.
Forchaim, oppid. Germaniç, Forchena.
Forcheim, urbs Franconiæ, Locoritum, Trutavia.
Forcone, oppid. Aprutii, Avia, Furconium.
Fordon, oppid. Scotiç, Fordunum.
Forenza, oppid. Apuliæ, Forentinorum popul. Ferentum, Forentum.
Forresiens, populi Galliæ, Forenses.
la Forest, regio Aquitaniæ, ubi Sebusiani, Segusiani populi.
la Forest d'Ardenne, sylva Galliæ Belgicæ, Arduenna sylva.
de Biere, sylva Galliæ in pago Wastinensi, Sylva Bieria.
de Bondis, sylva Galliæ, Bungejensis, olim Lauchonia sylva.
en pays de Bray, sylva ejusdem regni, Saltus in Braje.
Charbonnere, sylva Belgii, Carbonaria.
la Forest de Compiegne, sylva Galliæ, Compendiensis.
de Cuise, sylva ejusdem regni, Cotia.
d'Iveline, sylva Galliæ, in agro Hurepensi, Aquilina.
de Lesque, sylva Galliæ, in Suessionibus, Lisga.
de Lions, sylva ejusdem regni, in Velocassibus, Sylva Leonum.
de Livry, sylva ejusdem regni, in agro Parisiensi, Liberiacensis sylva, olim Lauchonia.
aux loges, sylva Galliæ, Logium.
de Montargis, sylva Galliæ, prope oppid. Montargium, Sylva montis Argisi.
Noire, in Germania, Sylva Nigra seu Martiana.
d'Orleans, in Gallia, Sylva Aurelianensis.
de Rouie, nemus Galliæ in Rhemis, Rigetinum.
de Surene, sylva in Morinis, Surisnensis.
de Villers Costierez, sylva Galliæ, prope Compendium, Cotia.
de la Voyge, vel le bois de la Voyse, sylva Lotharingiæ, inter Mosam ac Mosellam, Saltus Vosagensis.
Foresta, oppid. excisum Lucaniæ, Buxentum.
Forestia, provinc. Scotiæ, Aaneja.
Forestmoustier, cœnobium Galliæ, in pago Pontivo, Forestiscella.
Forfair, Forfar, oppid. Scotiæ, Orrhea.
Forfiamme, urbs Umbriæ diruta, Forum Flaminii.

S. Forgel, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, ad Urbiam fluv. S. Ferreolus vel ad S. Ferreolum.
Forges, vicus ibidem, Forgiæ.
Forli, urbs Romandiolæ, Forum Livii.
Forlimpopuli, oppid. Romandiolæ, Forum Pompilii.
Formentera, insula maris Balearici, Ophiusa, Pityusa, Colubraria.
Formiano vel Formignano, oppid. Ducatus Urbinatis, Formanum.
le Formicole, locus Calabriæ ulterioris, Herculis portus.
Formigue, parva insula Galliæ, una Stœchadum, Formica.
Formipt, provinc. Asiæ, Gedrosia.
le Fornaci, unum ex ostiis Padi, Carbonaria.
Fornacusa, urbs Syriæ, Arethusa.
Fornelli, vide Furni.
Fornello, fluv. juxta Neapolim, Sebetus.
Fornove, oppid. Parmense, Forum novum.
Forolo, vicus Sabinorum, Foruli.
Foron, municipium Belgii, Foroni.
the Forest of Dean, in Anglia, Danica sylva.
Forsels, oppid. Marmaricæ, Azylis.
Forstler, urbs Hassiæ, Bogadium, Frisilaria.
Fort des Alinges, in Sabaudia, Arx Alingarum.
Barraux, in Delphinatu, Arx Barrana.
Belgique, in Moluccis, Arx Belgica.
de Blockzyl, in Belgio, Arx Bloczylla.
Bourtang, in Belgio, Arx Bortangi.
de Briançonet, in Sabaudia, Arx Briançonia.
de Capo Corso, in Guinea, Arx Capitis Corsi.
Charles, in Hibernia, Arx Carolina.
Coubels, in insula Amboina, Arx Coubella.
Dauphin, in Madagascaria, Arx Delphina.
de Delfzÿl, in Belgio, Arx Delfzylia.
de Fuentes, in Insubria, Arx Fontanensis.
de Gueldria, in India, Arx Gueldria.
Hemmin, in Flandria, Arx Hemmina.
de Heusi, in Prussia, Arx Hosteusis.
Isabelle, in Flandria, Arx Isabella.
de Lieroot, arx Frisiæ orientalis, Arx Lierotia.
Louis, in America meridionali, Arx Ludovicæa.
Mardic, in Flandria, Arx Mardica.
Maurice, in Moluccis, Arx Mauritia.
Mortmont, in Brabantia, Arx Mormontia.
Monaghan, in Hibernia, Arx Monaghana.
Nassau, in Guinea, Arx Nassovia.
Nassau, in Brabantia, Arx Nassovia.
Nassau, in Moluccis, Arx Nassovia.
Niculet, in Picardia, Arx Niculana.
d'Orange, in novo Belgio, Arx Arausicana.
d'Orange, in Brasilia, Arx Arausicana.
Patientia, in Flandria, Arx Patientia.
Pinsee, in Brabantia, Arx Pinsii.
Royal, in Guadalupia insula, Arx Regia.
Saefstingen, in Flandria, Arx Saeftinga.
S. André, Arx S. Andreæ. Vide Arx Andriana.
de S. André, in Belgio, Arx Andreana.
S. Donaes, in Flandria, Arx S. Donati.
S. Helene, in insula Oceani, Arx S. Helenæ.
S. Marie, in Flandria, Arx S. Mariæ.
S. Marie, in Guadalupia insula, Arx S. Mariæ.
S. Martin, locus Galliæ, in insula Radi, Munimentum S. Martini.
S. Nicolo, in Dalmatia, Arx S. Nicolai.
S. Philippe, in Tertiaria insula, Arx S. Philippi.
de Schenk, in Belgio, Arx Schenkia.
de Steenberge, in Brabantia, Arx Stenoberga.
Urbano, in agro Bononiensi, Arx Urbana.
Zelandia, in Asia, Arx Zelandia.
du Zud, in Brabantia, Arx Austrina.
Forteventura, una ex insulis Fortunatis, Capraria, aliis Iunonia.
Forteventura, insula Africæ, Forteventura.
Fortezza di S. Maria, in ora Genuensi, Arx S. Mariæ.
Fortezza di S. Martino, in Hetruria, Arx Sancti Martini.
Forth, fluv. Scotiæ, Forthea.
Forth, vide Fryth.
Fortore, fluv. Aprutii, Frento, aliis Tifernus, Phiternus.
Fos, oppid. Linguadociæ dirutum, Fossæ Marianæ.
Fos, vicus Galliæ, in Provincia, Fossæ. Hinc terroir de Fos, ager Fossensis. Item vicus ejusdem regni, in Campis lapideis, Fossæ.
Fos de novo, vide Fossel novo.
Fôss, aliàs Fosse, meliùs Fosses, locus Belgii cum monasterio, in diœcesi Leodicensi: Item vicus agri Parisini, Fossæ.
Fosse, fluv. Hetruriæ, Cremera.
Fossa nova, monasterium in Latio, ubi Forum Appii, urbs in ruinis, aliis Fossa nova.
Fossano, urbs Pedemontii, Fossanum.
Fosiato, locus Romandiolæ apud Ravennam, Fossatum.

Fossato, oppid. Umbriæ, Fossatum.
la Fossé du Boulonnois, locus in Morinis, Fossa Bononiensis.
Fossechio & Fucecchio, oppid. & lacus Thusciæ, ubi populi Phocenses.
Fosselnovo, oppid. Thusciæ, Fossa Papiriana.
Fosses, oppid. Belgii, in agro Leodicensi, vicus agri Parisini, Fossæ.
Fossewerd, tractus Frisiæ Occidentalis, ubi populi Fosi.
Fossez, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Fossatum.
Fossigny, vide Foucigny.
Fossombruno, Fossombrone, urbs Umbriæ, Forum Sempronii.
Fossone, os Padi, Fossa Philistina.
Fulat, urbs Ægypti, Memphis.
le Fou, castrum Galliæ, in Britannia minori, Fagum.
Fovais, oppid. Aquitaniæ, Boistum.
Foucarmont, locus Galliæ in Caletis, Fulcardi mons.
Foucigny, tractus Sabaudiæ Focunatum popul. tractus Fossiniacensis.
Foug, lacus Lotharingiæ in Ducatu Barrensi, Fagussi.
Fougeres, urbs Galliæ, seu castrum in Britannia minore, Fugeriæ, seu Filiferiæ.
la Fouillouse, locus Galliæ, Foliosa.
le Four, oppid. Britanniæ minoris, Gobæum.
Fourques, aut Fourquez, oppid. Galliæ, in diœcesi Nemausensi. It. vicus ad Rhodanum, ubi in duo ora scinditur, Furca.
Fourvent, locus Galliæ in agro Lingonico, Fontis Venæ castrum.
Fowlers, nomen grandium tormentorum, Peraria.
S. Foy, oppid. Galliæ, in Aquitania; Item vicus ad Duranium fluv. S. Fidis.
Fraga, oppid. Aragoniæ, Flavia Gallica, Gallicum, aliis Fraga.
les Fraires, insulæ duæ in mari Gallico exiguæ, seu nesides, Fratres.
le Fran, tractus terræ, in Belgio, in Flandria Gallicana, Pagus Francus.
Franca villa, oppid. Aprutii, Ferentanum, Frentanum.
France, regnum Europæ, Francia, Gallia.
la France, provinc. Galliæ, circa monasterium S. Dionysii & Argentoilum, Francia.
France, vide l'Isle de France.
Francesi, Galli. Franci.
la Franche Comté, regio Galliæ, Burgundiæ Comitatus, ubi populi, Sequani.
Franchimont, locus in Sequanis: Item oppid. Belgii, in pago Leodicensi, Francus mons.
Franchises, Gall. Franchisez & Franchises Anglis, Franquezas Hispanis, immunitates denotat, Francitates.
la Francia, provinc. Galliæ, Comata Gallia, Celtica.
Francia, vide France.
Francken, populi Germaniæ, Franci.
Franckendal, urbs Germaniæ, Franchendalia.
Franckenlandt, regio Germaniæ, Franconia, ubi populi Franci.
Francker, oppid. Germaniæ inferioris, ubi olim Franci, Sicambri.
Franckford & Francfort, vide Franckfurt.
Franckfurt, urbs Marchiæ Brandeburgensis, Francofurtum, Trajectum Francorum.
Franckfurt, urbs Franconiæ, Helenopolis, Francofurtum, Trajectum Francorum.
Franco castro, oppid. Macedoniæ, Stratonica.
Franco fonte, oppid. Siciliæ excisum, Thermæ Himeræ.
Francochorium, regio Hungariæ, ubi populi Scordisci.
François, populi Galliæ, Franci, Galli.
Francolin, fluv. Catalauniæ, Tulcis.
Francolise, locus Campaniæ, Virena.
Francom, vide Francesi.
Franconie, provinc. Germaniæ, Franconia.
Franconville, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, Francorum villa.
Franeker, urbs Frisiæ, ubi olim Franci populi, aliis, Franequera.
Franki, populi Europæ, Europæi.
Frascati, urbs Latii, Tusculum, aliis Frascata.
Fratolari, fluv. Siciliæ, Oanus.
Fraselone, oppid. Latii, Frusino.
Frajenete, oppid. in Italiæ Provinciæque confinio, Fraxinetum.
Frassinet, oppid. Montisferrati, Fraxinetum.
Frat, fluv. Asiæ, Euphrates.
Fratte, locus Latii. Fundus Decimianus.
Frawenburg, oppid. Poloniæ, Frawenburgum.

Freddano, fluv. Thusciæ, Egelidus.
Freddo, fluv. parvus Siciliæ, Acis.
Freddo, fluv. Thusciæ, Frigidus.
Freddo, vide Fiume di S. Bartolomeo.
Freiburg, urbs Helvetiæ, Alsatiæ, & Misniæ, Friburgum.
Freinwaldt & Fridwaldt, urbs Brandeburgica, Colancorum.
Freis Castle, oppid. Scotiæ apud Dervam fluv. Carbantorigum.
Freising & Freisingen, urbs Bavariæ, Frisinga, Fruxinum.
Frejus, urbs Provinciæ, Forum Julium, aliis Forum Voconii.
Fremincourt, vicus Galliæ, Freminicuria.
Fremona, urbs Æthiopiæ, Primis magna.
Fremont, locus Galliæ, cum monasterio, in Bellovacis, Frigidus mons.
Fresne, locus Galliæ, in Cenomanis, Fraxinetum.
Fresne, vicus Galliæ, in agro Parisino, Fraxinus.
Fresno, oppid. Andaluziæ, Fraxinum.
Fresno, oppid. Aragoniæ, item Castellæ veteris duplex, Fraxinum.
Freteval, locus Galliæ, in Carnutibus, Fracta vallis.
la Frette, castrum Belgii, in Ducatu Luciliburgensi, Fracta.
Freullevalle, locus Galliæ, in Caletis, Fragilis villa.
Frexinal, oppid. Hispaniæ juxta Nertobricam.
Friaul & Friuli, regio Carnorum popul. proximorum Venetis, Forum Julium, Carnia, Venetiæ pars.
Friberg, urbs Germaniæ. Friberga.
Friburg, urbs Germaniæ in Brisgavia. Friburgum.
Friburg, urbs Helvetiorum, Friburgum.
Friburg, oppid. in confinio Hungariæ & Stiriæ, Cardabianca.
Fricento, urbs regni Neapolitani, Frequentum.
Friconto, urbs regni Neapolitani, Æculanum & Fricentum.
Fridberga, oppid. Misniæ, Fridberga.
Frideck, oppid. Silesiæ, Parzena.
Fridericks, urbs Americæ in Brasilia, Friderica.
Friderickbourg, castrum Daniæ, Fridericoburgum.
Friderickbourg, arx Danorum in Guinea, Fridericoburgum.
Friderickstadt, urbs Norvegiæ, Fridericostadium
Friderik Hendrik Schans, in Brabantia, Arx Friderici Henrici.
Friesach, oppid. Carinthiæ, Virunum.
Friesinger, populi Bavariæ, Vernicenates.
Friesletterwaldt, sylva Bohemiæ, Gabreta.
Frigido, fluv. Hetruriæ, Bracchus.
Frignano, tractus Italiæ, Frinianus.
Frisch Narung, insula Prussiæ, ad os Vistulæ, Latris.
Frischaff, sinus Germaniæ, Clylipenus sinus & Venedicus, Mentonomum, aliis Habus.
Frise, provinc. Belgii, Frisia.
Frise orientale, provinc. Germaniæ, Frisia orientalis.
Frislar, urbs Hassiæ, Bogadium, aliis Fryslaria.
Fritola, lacus sudatorius apud Baias, Myrteta.
Fritzlar, vide Frislar.
Fromentera, vide Formentera.
la Fromigne, nesis Galliæ, una Stœchadum, Formica.
Fronsac, castrum Aquitaniæ, in diœcesi Burdigalensi. Franciacum.
le Fronsaquez, regio Galliæ, Ager Frontiacensis.
Frontenay, castrum Galliæ, non procul à Niortio, Fontanetum.
Frontignan, oppid. Occitaniæ, Forum Domitii & Frontinianum.
Frotmont, locus Belgii, in Hannonia, Frigidus mons.
Frusilone, urbs Latii, Frusino.
Fryth, fluv. Scotiæ, Forthea, Bodotria, Loza, Bora.
Fuczel, oppid. Pannoniæ superioris, Aqua viva, Aquavia.
Fuenfria, oppid. Gallæciæ, Flavia, Lambris.
Fuengirola, oppid. regni Granatensis, Salduba.
Fuente Duenna, oppid. Castellæ novæ, Ispinum.
Fuente Encelada, oppid. Gallæciæ, Interamnium Flavium.
Fuente d'Ivero, oppid. Hispaniæ ad Iberim fontem, Juliobrica.
Fuente Ovetuna, oppid. Andaluziæ, Mellaria, Sisapone.
Fuente de Teivela, fons Andaluziæ apud Ateguam.
Fuenterabia, oppid. Biscaiæ, Fons Rapidus, aliis Oeasopolis.
Fuentes, oppid. Hispaniæ juxta Nertobricam.
Fuerça de S. Iuan de Ulva, in nova Hispania, Arx S. Ioannis de Ulva.
Fuerte S. Cristoval, in Extremadura, Arx S. Christophori.
Fuerte de S. Miguel, in Extremadura, Arx S. Michaelis.

Fuessen, oppid. Sueviæ, Abodiacum, Abudiacum, Abusiacum, Abuzacum.
Fuld, urbs & fluv. Germaniæ, Fulda.
Fuligno, urbs Umbriæ, Fulginium.
Fumay, locus Galliæ, ad Mosam, Fumacum.
Funchal, urbs Maderæ insulæ in Africa, Funchala.
Funfkirchen, urbs Hungariæ, Amantia, Quinque Ecclesiæ, aliis Teutoburgium.
Fungie, regnum Africæ, Fungia.
Fuoa, urbs Ægypti, Nicii.
Furcelli, pagus Cyrenaicæ, Erythron.
Furck, mons Rhætiæ, Adula.
il Furlo, locus Umbriæ, Intercisa.
Furnes & Werne, urbs Flandriæ, Furna.
Furni, scopuli juxta Samum insulam, Melantii.
Furstenfeldt, oppid. Stiriæ, Aquæ.
Furstenow, conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, Furstenovia.
Furstenow, oppid. Germaniæ, Ascancalis.
Furstenthumb Halberstadt, Germaniæ, Halberstadiensis Principatus.
Furstenthumb Hennberg, tractus Germaniæ, Hennebergensis Principatus.
Furstenthumb Minden, in Westphalia, Mindensis Principatus.
Fusaro de lo Lino, locus prope Baias, Fossa Neronis.
Fussenetz, regio Sabaudiæ, ubi Bodiontii populi.
Fuynen, insula Daniæ, una Hemodum.
Fuynen, insula Daniæ, Fionia.
Fynlandt vel Finlandt, pars Scandinaviæ ubi Fenedi populi, Eningia.
Finlanders, populi Scandinaviæ, Fenni, Phinni.

G.

GAbaa, oppid. Palæstinæ, Gabaon.
Gabacu, lacus Armeniæ majoris, Thospites.
le Gabardan, regio Galliæ, in provinc. Novempopulonia, Gabarretanus pagus.
Gabarret, castrum Galliæ, in provinc. prædicta, Gabarretum.
Gabella, oppid. Dalmatiæ, Narona, Narbona.
Gabiano, oppid. Gabienorum popul. Montisferrati.
Gabin, urbs Poloniæ, Gabinium.
Gadara, oppid. Palæstinæ, Gadara.
Gademes, regio Africæ, Gademessa.
Gademez, urbs Marmaricæ, Oasis magna, Auasis.
Gadura, fluv. Rhodi, Physcus.
Gaetta, vide Gaietta.
Gafers, oppid. Siciliæ, Justinopolis.
Gagliano, oppid. Siciliæ, Galeria, Galerinai.
Gago, regnum Africæ, Gagum.
Gaia, pagus Portugalliæ, Cale.
Gaiazzo, urbs Campaniæ Italicæ, Calatia, Galatia.
Gaietta, urbs regni Neapolitani maritima, Cajeta.
Gaillac, locus ad Tarnem fluv. Galliacum.
Gaillefontaine, locus Galliæ, in diœcesi Rotomagensi, Gosleni fons.
Gaillon, castrum Normanniæ, cum monasterio, Galliō.
Gaino, urbs Thraciæ. Ganum.
Gaiola, insula Neapolitana, Euplœa.
Gaiferat, provinc. Asiæ, India.
Gaisting, vicus Bavariæ, Augustana castra.
Gairo, fluv. Phrygiæ, Gagetome.
Galacz, oppid. Mysiæ inferioris, Axiopolis.
Galafa, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Galafa.
Galas seu Imban Galas, populi Æthiopiæ, Gala.
Galaso, fluv. agri Tarentini, Galesus.
Galata, insula maris Africi, Calathe, Galata.
Galata, suburbium Byzantii, Chrysoceras, Cornu Byzantii.
Galati, oppid. Siciliæ, Calata, Galata.
Galatina, oppid. Salentinorum, Galatana.
Galba, oppid. & promontor. Mauritaniæ, Sestiaria.
Gale, Galetta, vide Gallo.
Galea, oppid. Sardiniæ, Cornus.
Galeata, vicus Romandiolæ, Galliani saltus, Mevaniola.
Galefontaine, vide Gaillefontaine.
Galera, vicus & fluv. juxta Romam, Gallera, Galleria.
Galese, urbs Hetruriæ, Falisca, Gallesium, aliis Fescennia.
la Galetta, insula Africæ, Ægimurus.
la Galevesse, regio Galliæ, ad Matronam fluv. Ager Vadicassium.
Galfanacar, oppid. Mauritaniæ, Gichthis.
Galgala, insula Æthiopiæ, Meroe.
Galibis, populi Americæ in Guaiana, Galibi.
Galice, regio Hispaniæ, Gallæcia.
Galisteo, oppid. Castellæ veteris, Rusticiana.
Gallardon, castrum Galliæ, in Carnutini pagi Belsiæque confinio, Galardo.

Gal-

Gallego, fluv. Aragoniæ, Gallicum.

Gallegos, populi Gallæciæ, Gallæci, Callaïci.

Gallera & Gallerato, oppid. Mediolanensis Ducatus, Gallorum Area, Glareatum.

Galles & Principauté de Galles, pars Angliæ, Vallia.

Gallicano, oppid. Latii, Gabii.

Gallicano, locus Latii, Latomiæ.

Gallicia, regio Gallæcorum, Callaicorum popul. Hispaniæ, Gallæcia.

Gallipoli, urbs Thraciæ, Callipolis.

Gallipoli, urbs territorii Hydruntini, Gallipolis, Anxa.

Gallo, insula Lucaniæ, una Sirenussarum.

Galloway, regio Scotiæ, ubi Novantæ populi, aliis Brigantes, Gallovidia.

Gallezzo, locus regni Neapolitani, Gallucium.

Gallyn, oppid. Palæstinæ, Bersabée.

S. Galmier, oppid. Galliæ, in agro Forensi, S. Waldomeris oppidum.

Galofaro, mare periculosum Siciliæ, Charybdis.

Galosdia, oppid. Mysiæ inferioris, Galtis, Calatis.

Galre, vicus in sylva Arduenna, Longolarium.

Galumbatz & Galumbacz, urbs Mysiæ superioris, Tricornium, Zuzidava.

Galway, urbs Hiberniæ, ubi populi Brigantes, Ducacum, aliis Galliva.

Gamache en Vimey, locus Galliæ in Picardia, Gamapium in Ambianis.

Gamaches en Vexin, locus Galliæ, in Velocassibus.

Gamartingen, oppid. Bavariæ, Gamandurum.

Gambea, fluv. Libyæ interioris, Stachir, Trachiris, Gir, Niger, aliis Gambia.

Gambulo vel Gambalo, oppid. Insubriæ, Duæ Columnæ, Gembolatum, Campolatum.

Gamelara, insula Africæ, Æthusa.

Ganabara, fluv. in Brasilia, Ianuarius.

la Ganache, oppid. Galliæ, Ganacia.

Ganaforda, oppid. Hiberniæ, ubi Brigantes populi, Ivernis.

Gand, urbs Belgii, Gandavum.

Gandavars, urbs Indiæ, Codidura.

Gandia, urbecula Hispaniæ, Gandia.

Ganga, fluv. Indiæ, Ganges.

Gange, pagus Siciliæ, Engyum.

le Gange, fluv. Indiæ, Ganges.

Ganna, Caspium mare, mare Hyrcanum.

Ganock, promontor. Walliæ, Gangavorum.

Gant, vide Gent.

Gant, oppidul. Galliæ, Gantum.

Gany l'Isle, locus Galliæ, cum Prioratu, in agro Rotomagensi, Vadiniacum.

Ganzer, oppid. Transylvaniæ, Germanum.

Gaoga, urbs Africæ, Gaoga.

Gaoga, palus Libyæ interioris, Chelonides.

Gap, urbs Delphinatus, Vapingum, Appencensium urbs.

Gar, oppid. Mauritaniæ, Cisterna.

Gar el Metha, urbs Africæ excisa, Utica.

Garaandavid, oppid. Palæstinæ, Gabaon.

Garamal, populi & urbs Libyæ, Garamantes, Garama.

Garande, vel Guerande, castrum Galliæ, in Britannia minori, Grannona.

la Garame, insula Galliæ, in sinu Aquitanico, Varenus.

Garat, vide Carat.

Garazu, oppid. Americæ, Garazua.

Garbe, fluv. Siciliæ, Isburus.

Garbel, urbs Mauritaniæ, Rhusuccora, Ruscurium.

Garbenda, urbs Mengreliæ, Giganeum.

Garbolangi, oppid. Siciliæ, Hyccara.

Garches, vicus Galliæ in agro Parisino, prope Versalias, Bigargium.

Garcis, idem cum Galasa.

Garde, urbs Groenlandiæ excisa, Garda.

Gardeleben, oppid. Germaniæ, Gardeleba.

Gardichi, oppid. Peloponnesi, Clitor, Clitorium.

Gardiens des droicts du Roy & de la couronne, nomen dignitatis, Ballivi regii.

Gardon, fluv. Linguadociæ, Nardo seu Vardo.

Gardon d'Alais, fluv. Galliæ, Vardo Alestensis.

Gardsee, lacus Lombardiæ, Benacus.

Garelzare, regio Africæ, Tripolitana.

le port de Guaremes, locus Galliæ ad Sequanam, Portus Varennensis.

Garet, provinc. regni Fezzæ, Gareta.

Garges, vicus Galliæ, vide Garches.

Garigliano, fluv. inter Latium & Campaniam, Liris.

Garipo, oppid. Paphlagoniæ, Galorum.

Gariope, fluv. Bithyniæ, Gallus.

Garnsey, insula maris Britannici, Sarnia, aliis Garnsria.

Garofalo, specula in insula Pharo, Antipharus.

Garofaro, vide Galofaro.

Garofilo, promontor. Calabriæ ulterioris, Scyllæum.

Garon, fluv. Galliæ, in agro Lugdunensi, Calaro.

la Garonne, fluv. Galliæ, Garumna.

Garray, pagus Castellæ veteris, ubi olim urbs Numantia.

la Garrigue, locus Galliæ, in diœcesi Leutevana, Garrica.

Garro, mons agri Neapolitani, Gallicanus mons, Gaurus.

la Gartempe, fluv. Galliæ, Vartimpa.

Gartz, oppid. Germaniæ, Gartia.

Garza, fluv. agri Brixiani, Mela.

Garzena, Asiæ provinc. Albania.

Gascoigne, pars Aquitaniæ, regio Galliæ, Vasconia, Gallia Novempopulana, Novempopulana.

Gassey, locus Normanniæ, in Gallia, Guacejum.

Gasseres, populi Britanniæ, Cassi.

Gastanu, pagus Bavariæ, Augustana castra.

Gasteitz, pagus Biscayæ, Vellica.

Gastenthal, oppid. Austriæ, Gesodunum.

Gastera vel Gastela, locus Rhætiæ, Castra Rhætica.

Gastine, vel le pays de la Gastine, vide le Gastinois.

Gastine, monasterium Galliæ, in agro Vindocinensi, Gastina, vel Gastinetum.

Gastinois, tractus Galliæ, in Pictonibus, Vastinium.

Gateshaed. oppid. Angliæ, Gabrosentum.

Gatizzo, una Diomedearum, insula juxta Apuliam.

Gatonesi, promontor. Ioniæ, Trogilia insula, & Trogilium.

Gatopoli, oppid. Thraciæ, Andriaca.

Gavachs, populi Galliæ Aquitanicæ, Gabales.

Gauda, locus regni Neapolitani, Forum Vulcani.

Gaudena, pagus Catalauniæ, Egosa.

S. Gaudens, oppid. Galliæ, in agro Benearnensi, in Convenis, S. Gaudentii.

Gaudisch, insula maris Africi, Gaulus & Gaudus.

Gave, fluv. Aquitaniæ, Gaberus.

le Gave Bearnois, fluv. Galliæ, in Benearnia, Gaberus Benearnensis.

le Gave d'Oleron, fluv. Galliæ, Gaberus Oleronensis.

le Gave de Saison, fluv. Galliæ, in Aquitania, Gaberus Saso.

Gavi, oppid. Italiæ, Gavium.

Gaviano, oppid. Lusitaniæ, Fraxinum.

Gavot, tractus Vallesiæ Helveticæ, ubi populi Veragri.

Gavotz, populi Galliæ Narbonensis, Cavara & Cavares.

Comté de Gavre, regio Galliæ, Comitatus Gavrensis.

Gaysar, tractus Pannoniæ, ubi olim populi Gesatæ.

Gazara, urbs Palæstinæ, Gaza.

Gazaria, peninsula Tartarorum in Sarmatia, Taurica Chersonesus.

Gazer, urbs Palæstinæ, Gazara.

Gazola, oppid. Mauritaniæ, Tamusiga.

Gazura, oppid. Paphlagoniæ, Gazura.

Gdansk & Dantzick, urbs Poloniæ, Gedanum.

Gebba, vide Capo di Geba.

Gebel Caph, mons Æthiopiæ, Lunæ mons.

Gebel Tarif, mons Andaluziæ, & Fretum Herculeum, Calpe.

Gebel Tor, montes Arabiæ petrææ, Melani.

Gebelelhadich, mons Mauritaniæ Tingitanæ, & Herculis promontor. Phocra.

Gebise, oppid. Bithyniæ, Libyssa.

Geertruydenberg, urbs Hollandiæ, ubi Ambivariti populi: nonnullis Lugdunum.

Geertsberg, oppid. Belgii, Gerardi mons.

Gegel, vide Gegel.

Gehiagen, urbs Babyloniæ, Dasem.

Geichon, fluv. Margianæ, Oxus.

Geila, fluv. Transylvaniæ, Gelsil.

Geme, locus Palæstinæ, Gaii vel Hai.

Geivise, urbs Bithyniæ maritima, Astacus.

Gelas, regio Asiæ minoris, Galatia.

Gelb, idem cum Geldub.

Geldenaken vel Geldernaken, oppid. Belgii, in Flandria, Geldonia.

Gelder, oppid. Geldriæ, Calonis.

Gelderlandt, provinc. Germaniæ inferioris, ubi populi Sicambri.

Geldub, pagus Coloniensis, Gelduba.

Gelseten, urbs Indiæ citerioris, Bucephala.

Geliboli, urbs Thraciæ, Callipolis.

Gelosia, oppid. Calabriæ ulterioris, Mistia.

Geluchalat, palus Armeniæ majoris, Mantiana.

Gelves, vide le Gerbi.

Gemaa, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Gentiana.

Gemar, oppid. Alsatiæ, Gemaringa.

Gemblours, oppid. Brabantiæ, Gemblacum.

Gemen, provinc. Asiæ, Arabia felix.

Gemiege vel Jumiege, locus Galliæ, cum monasterio, in agro Rotomagensi, Gemeticum.

Gemmarum mons, mons Siciliæ, Caprianus.

Genona, oppid. Forolivii, Glemona.

Gemund, oppid. Sueviæ, Gamunda.

Gemund, locus ad Saravi & Blesæ confluentes, Gemunda.

Gemundersee, lacus Austriæ, Felicis Lacus.

Genemani, insula Æthiopiæ, Gythites.

Genepe, pagus Brabantiæ, Gamapius vicus.

Gendinar, urbs Cypri, Ceryria.

Gends & Gent, urbs Flandriæ, Clarinea, Gandavum, Ganda, Gordunorum urbs.

Genech, pars Cappadociæ.

Genehoa, regnum Africæ, Genehoa.

Genep, urbs Germaniæ, Cenebum & Genepum.

Genes, locus Galliæ ad Ligerim, Gena.

Geneve, urbs Sabaudiæ, Geneva.

Genevra, vide Geneve.

Genezareth, lacus Palæstinæ, Genesara.

Gengen & Giengen, urbs Sueviæ, Rhinsiava.

Geuchisar, promontor. Thraciæ, Hermæum.

Genova, urbs Liguriæ maritima, Genua, Janua.

Genovese, ditio in Italia, Genuensis.

Gensac, oppid. Galliæ, in Pictonibus: Item in Convenis, Gentiacum.

Gensui, fluv. Armeniæ minoris, Melas.

Gentilly, vel Iantilly, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Gentiliacum.

Genubath, vide Guinea.

Georgeto, oppid. Calabriæ ulterioris, Morganticum.

Georgiani, vide Giorgiani.

Georgie, regio Asiæ, Georgia.

Geraw, tractus Germaniæ, Geravia.

Gerberoy, oppid. seu castellum Galliæ, in Bellovacis, ad Turam fluv. Gerboredum.

Gerbi, insula Africi maris, Girba, Meninx, Lotophagites, & oppid. Thoar.

Gerentia, urbs Calabriæ ulterioris, Pumentum.

Geresto, oppid. & promontor. Eubœæ, Geræstus & Geræstum.

Gergeau, locus Galliæ, in sylva Aurelianensi, Gargogilum.

Gergenti, urbs Siciliæ, Agrigentum, Agragas.

Gergoie, oppid. Arvernorum, Gergobia.

S. Geri, vicus Galliæ, prope Cadurcos, ad S. Desiderium.

Gerimum, locus Palæstinæ, Jesrael.

Gerione, oppid. Apuliæ dirutum, Geronia, Geryon.

S. Germain de Bressele, vicus Galliæ, in Caletis, Fanum S. Germani ad Breselam.

S. Germain de Fossez, oppid. ejusdem regni, ad Elaver. fluv. Fanum S. Germani de Fossis.

S. Germain des Noyers, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, Fanum S. Germani de Nucibus.

Germansheym, urbs Bavariæ excisa, Augusta Tiberii.

S. Germer de Flay, Burgus Galliæ, in Bellovacis, Flaviacum S. Geremari, vel S. Geremari de Flaviaco.

Germersheym, oppid. Palatinatus Rheni, Vicus Julius.

Germian, regio Asiæ, Phrygia major.

Germian, mons Phrygiæ, Dindymus.

S. Germier vel S. Galmier, oppid. in Segusianis, S. Waldomeri.

Germignano, vide Ghiara d'Adda.

Germinago, pagus Insubriæ, Gemminus lacus.

Gerne, fluv. Angliæ, Garrysnus.

Gernia, oppid. Lesbi, Ægirum.

Gernico vel Cernico, arx populor. Scotiæ, Cornabiorum.

Gernsey, vide Garnsey.

Geromena, oppid. Portugalliæ, Iurisfnenia.

Geromlea, fluv. Græciæ, Achelous.

Gerro, vide Garro.

Gerry, oppid. Catalauniæ, Acerris.

Gers vel l'Egers, fluv. Aquitaniæ, Egercius.

Gersy, vicus Galliæ, cum monasterio, in Briegio, Gerciacum.

Gertrudenberg, urbs Hollandiæ, ubi populi Ambivariti, mons S. Gertrudis & Gertrudenberga.

Geru, insula Indiæ, Ogyrus.

Gerum, insula Persici sinus, Armuzia.

Gerzey, insula Normanniæ, Cæsarea.

Gesam, regio Arabiæ Felicis, Zaraam.

Gesara, peninsula Sarmatiæ Europææ, Taurica Chersonesus.

Geschisdag, fluv. Mysiæ in Asia, & Olympus mons, Masius.

Gesseins & Iesseins, vicus Galliæ, Gessena.

Gessoire, oppid. Picardiæ, Gessoriacum.

Gest, provinc. Asiæ, Gedrosia.

Gesthe, urbs Parthiæ, Suphthia.

Gestricie, provinc. Sueciæ, Gestricia.

Gevalr, urbs Sueciæ, Gevalia.

Gevodan, regio Aquitaniæ, ubi olim Gabales populi.

Geyl, fluv. agri Salisburgensis, Julia.
Gezarra, tractus Barbariæ, Gezarra.
Gezan, urbs Arabiæ Felicis, Zaaram.
Gezat Eddcheb, insula Ægypti, Natho, Prosopitis.
Gezer, urbs Mauritaniæ, Iol, Iulia Cæsarea.
Gezera, insula Mesopotamiæ, Eden.
Gezien, urbs Arabiæ Felicis, Muza.
Gezira, insula maris Atlantici, Cerne.
Gezire, urbs Assyriæ, Zegira.
Ghamma, fluv. Tartariæ magnę, Ghammas.
Ghem, oppid. agri Novariensis, Agamum.
Ghiara d'Adda, regiuncula Lombardiæ juxta Cremam, Fulcheria insula.
Ghiera d'Adda, regiuncula Insubriæ, Addua Glarea.
Ghierra, castrum Insubriæ, Acherra.
S. Ghislan, vel Guilam, locus Belgii, cum monasterio, in Hannonia, Fanum S. Guileni.
Ghivira, oppid. Italiæ, Gaviratium.
Gianca, insula Provinciæ, Blascon.
Gianch, urbs Armeniæ minoris, Nicopolis.
Giansaches, vide Dionyssades.
Gianuti, insula maris Hetrusci, Dianium, Sinonia.
Giaretta, vide Iarettia.
la Giava, insula Indici maris, Iabadii.
Giavarin, urbs Hungariæ, Arabo, Iaurinum.
Giazza, urbs Ciliciæ, Issus.
Gibel, urbs Phœniciæ, Gabala, Paltos. Aliis Byblos.
Gibel elhadich, locus Ciliciæ, Pagra.
Gibel Ephra, mons Palæstinæ, Ephraim.
Gibel Noe, mons Armeniæ majoris, Gordiaus.
Gibeleto, vide Giblet.
Gibelin, oppid. Palæstinæ, Bersabee.
Giblet, urbs Phœniciæ, Byblus.
Giblou, Gemblou vel Gemblours, oppid. Tungrorum, Gemeniacum.
Gibralcon, oppid. Andaluziæ, Onoba, Onobalistaria.
Gibraltar, mons & urbs Hispaniæ Bæticæ, Calpe, aliis Gibraltaria.
Gibraltar viejo, urbs Hispaniæ excisa, Heraclea.
Gien, vide Gyen.
Gien, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Iersath.
Gien le vieil, locus Galliæ, in diœcesi Antissiodorensi, Gemmum Vetus.
Giera, insula Cretæ, Hiera.
Gieraci & Geraci, urbs magnæ Græciæ, Hieracium, Locris, Naritia.
Gierapetra, urbs Cretæ, Hiera petra, Hierapytna.
Gierusalem, Gerusalem, urbs Judææ, Hierosolyma.
Giesi, vide Iesi.
Giessen, urbs Germanię, Giessa.
Giessenberg, castellum Belgii, Caspingium.
Giff, vicus Galliæ, cum monasterio, in agro Parisino, Giffium.
Gigel vel Gigeri, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Igilgili.
Giger, urbs Africæ, Colops.
il Giglio, insula Tyrrheni maris, Ægilium, Igilium, Iginium, Egilium.
Gigonza, vide Gisconza.
Gihon, fluv. Ægypti, Nilus.
Gilan, populi & regio Mediæ, Gela, aliis Gilania.
Gilford, oppid. Angliæ, Neomagus.
Gilles, nomen viri, Ægidius.
S. Gilles, locus Galliæ, in diœcesi Nemausensi, cum monasterio, ad Rhodanum, S. Ægidii villa.
Gillet, nomen fœminæ, Ægidia.
Gilolo, insula Indiæ, una Sindarum, aliis Gilola.
Ginerca, oppid. Corsicæ, Urcinium.
Gineto, oppid. Calabriæ citerioris, Thyella.
Gingi, urbs Indiæ, Gingu.
Ginopoli, urbs Paphlagoniæ, Germanopolis.
Ginopoli, urbs Paphlagoniæ, Jonopolis.
Ginosa, urbs Cretæ excisa, nunc pagus, Gnosses, Cnosus.
Gintalay, oppid. Hispaniæ, Cinna.
Giocho, palus Armeniæ, Arissa.
Giogo di S. Maria, locus Samnii, Caudinæ furcæ & fauces.
Gioia, oppid. agri Bariani, Ioia.
Gioia, oppid. Calabriæ ulterioris maritimum, Metauria, Metaurus.
Gioiosa, oppid. Calabriæ ulterioris, Mystia, Mysia.
Giordano, fluv. terræ sanctæ, Iordanis.
Giorgiana, regio Asiæ, ubi Georgi populi, Iberia.
Giorgiani, populi Asiæ, Georgi, Iberi.
Giovenazzo, urbs Apuliæ, Iuvenacium.
Giovenco, fluv. Latii, Iuvencus, Iuvellus.
Gir, fluv. Libyæ, Gir.
Giraconda, oppid. Tauricæ Chersonesi, Charax.
Girasfumar, urbs Mauritaniæ, Carepula.
Gircona, urbs Æolidis, Myrina.
Girgenti, vide Gergenti.
Girgeny, oppid. Scotiæ, Rhetigonium.
Girgia, provinc. Asiæ, Hyrcania.
Girgio, urbs Ægypti, Girgium.

Girmasti, fluv. Æolidis, Caicus & urbs Phrygiæ minoris, Germa, Hierogerma.
il Giro, insula Italiæ, Venaria.
Girona, urbs Catalauniæ, Gerunda.
Giranda, insula maris Lycii, Caretha, Dionysia.
S. Girons, oppid. Galliæ, in agro Benearnensi, Fanum S. Gerontii.
Gisconza, oppid. Andaluziæ, Saguntia, Seguntia.
Gisors, oppid. Galliæ Belgicæ, Cæsoricum, Cæsarotium, aliis Gisorium.
Gisse, pagus insulæ Liburniæ, Gissa.
Giva, oppid. Lyciæ, Chyda.
Givaudan, vide Gevodan.
le Givaudan, provinc. Galliæ, Gabali.
Giudei, populi Judææ regionis Asiæ, Judæi.
Giulap, fluv. & urbs Mesopotamiæ, Chaboras & Chobar.
Giulia, urbs Transylvaniæ, Julia.
Giulia nova, oppid. Aprutii, Castrum novum, aliis Julia nova.
Giulich, mons Ciliciæ, Taurus.
Giulick, urbs Germaniæ inferioris, Juliacum.
Giuliers, regio Germaniæ inferioris, ubi Menapii, Gugerni populi, Julia.
Giumba, idem cum Gemaa.
Giustandil, urbs Macedoniæ, Achis, Justiniana prima, Lychnidus, Tauresium.
Glamorganshire, provinc. Angliæ, Glamorgania & Morganuccia.
Glan, fluv. Bavariæ, Clanes.
Glandesve, urbs Provinciæ excisa, Glandata. Vide quoque Glandeve.
Glandeve vel Glandevez, urbs in provinc. Alpium maritimarum, Glanateva.
Glanfeuil, nunc S. Maur de Loire, prædium Galliæ, cum cœnobio, in Andibus, Glannafolium.
Glanis, fluv. Campaniæ Italicæ, Clanius.
Glarys, urbs Helvetiæ, Calarona, Glarona.
Glas, fluv. Scotiæ, Navarus.
Glascow, urbs Scotiæ, Glasquum.
Glastenbury, oppid. Angliæ, Glastonia, Avalonia.
Glatz, urbs Germaniæ, Glatium.
Glencar, oppid. Scotiæ, Carbantorigum.
Glendelagh, urbs aliàs, nunc vicus Hiberniæ, Glendelacum.
Glerolles, vel Gleraule, arx Helvetiæ, in præfectura Lausanensi, Calarona.
Glessenburg, oppid. Angliæ, Glessoburgum.
Glinbe, oppid. Sclavoniæ, Corinium.
Glisbotin Planina, mons Macedoniæ, Scardus.
Glogaw, urbs Silesiæ, Lugidunum aliis Glogavia.
Glomach, populi Germaniæ, Sorabi.
Glon, regio Bavariæ, ubi olim Genauni, Launi, Naunes, & fluv. Glonek.
Glocester, urbs Angliæ, Claudia & Claudia castra, Clevum, Glovernia.
Glocestershire, regio Dobunorum popul. Angliæ, aliis Glocestria.
Gluckstadt, oppid. Daniæ, Gluestadium.
Glurentz, oppid. Rhætiæ, Glorum.
Glycynero, fluv. Thraciæ, Athyras.
Gmund, oppid. Germaniæ, Gemunda.
Gmund, oppid. Austriæ, Lacianum.
Gnazzi, urbs Apuliæ excisa, Egnatia.
Gnesna, urbs Poloniæ, Limiosaleum, aliis Gnesna.
Gnido, urbs Cariæ, Cnidus & Gnidus.
Gnosa & Lisso, insula Cretæ, Myle.
Goa, urbs Indiæ citerioris, Barygasa, aliis Goa.
Gobelins, vel la riviere de Gentilly, vide Gentilly.
Gobinan, urbs Drangianæ, Arsaspe.
Goch, oppid. Geldriæ, Hernacum.
Godmundingham vel Godmanham, pagus Eboracensis, Delgovitia.
Godz, vide Gotz.
Goede Fortuyn Eyland, in Oceano Indiæ, insula Fortunæ divinæ.
Goertz, vide Goritia.
Goes, urbs Belgii, in Zeelandia, Goa.
Goeyinge, insula Angliæ, Counos.
Goeylanders, populi Germaniæ inferioris, Chauci.
Goga, urbs Indiæ, Donga.
Gogarth, promontor. Walliæ, Canganorum.
la Gogna, fluv. Insubrium, Agoma.
Gogni, vide Cogni.
Goiame, regnum Africæ, Goiamum.
Golconde, regnum Asiæ, Golconda.
la Goletta, insula Africæ, Calache.
Golfo & Goulfe
di Adiazzo, Corsicæ, Adiacii sinus.
di Agiomana vel Aromana, sinus Macedoniæ, Toronaicus.
di Agropoli, sinus Lucaniæ, Pæstanus, Posidoniates.
dell' Aiazzo, sinus Ciliciæ, Issicus sinus.
di Albufera, sinus Valentiæ, Sucronensis.

Golfo & Goulfe
d'Alicante, in regno Valentiæ, Illicitanus sinus.
de Andrimiti, in Asia minori, Adramitanus sinus.
de gli Arabi, portus Marmaricæ, Gyzis.
di Arabia, sinus Asiæ, Arabicus.
di Arcadia, sinus Peloponnesi, Cyparissius sinus.
dell' Arcadia, Peloponnesi, Chelonites sinus.
d'Armiro, sinus Thessaliæ, Pagasicus, Demetriacus, Pelasgicus.
del Arta, sinus Epiri, sinus Ambracius.
di Balsora, Arabiæ, Persicus sinus.
di Beno, vide Golfo di Caps.
di Bengala, sinus Indiæ, Gangeticus.
di Bona, sinus Africæ, Hipponensis.
de Bothnie, Sueciæ, Bothnicus sinus.
di Bucariza, pars Adriatici maris, Volcera sinus.
di Butrinto, sinus Epiri, Thesprotius, Buthrotacus, aliis Butroti sinus.
de Cadiz, Hispaniæ, Gaditanus sinus.
di Calamata, Peloponnesi, Messeniacus sinus.
di Calari, Sardiniæ, sinus Calaritanus.
di Calvi, Corsicæ, Casalus sinus.
di Cambaia, sinus Indiæ citerioris, Cambi, Barygazenus.
di Caps, sinus Africæ, Syrtis minor.
di Caridia, sinus apud Thraciam Chersonesum, Melas. Vide Cardia.
del Carnero vel Quarner, sinus Istriæ, sinus Flanaticus.
di Cartajeno, sinus juxta Chalcedonem, Virgitanus.
di Castel à mare, Siciliæ, sinus Castri ad mare.
di Castel Rampani, in ora Peloponnesi, Laconicus sinus.
di Castel Tornese, sinus Peloponnesi, Chelonites.
delli Castelli, magnæ Græciæ, Scylleticus sinus.
di Catania, Siciliæ, Catanensis sinus.
di Cataro, Dalmatiæ, Rhizonicus sinus.
della China, sinus Asiæ orientalis, Sinus Sinarum, Chryse.
di Cochin, Indiæ sinus, Sinus Colchicus.
de Cochinchine & d'Haynam, Indiæ ulterioris, Magnus Sinus & Cocinsinæ sinus.
du Colle, Numidiæ, Numidicus sinus.
de Colochina, sinus Peloponnesi, Laconicus sinus.
di Comidia, sinus Bithyniæ, Astacenus.
di Contessa, Macedoniæ, Strymonicus sinus.
di Coranto, sinus Græciæ, Sinus Corinthiacus.
de Coro, Americæ, Venezuela sinus.
di Coron, sinus Peloponnesi, Messeniacus, Coronæus, Asinæus.
di Damiata, lacus Palæstinæ vel Ægypti, Sirbonis.
de Dantzick, in mari Baltico, Gedanensis & Venedicus sinus.
dello Drino, sinus in Illyrico, Illyricus.
di Eltor, sinus Arabicus, Ælaniticus vel Elaniticus.
d'Edimbourg, sinus Scotiæ, Bodotria.
dell' Engia, inter Peloponnesum & Atticam, Saronicus sinus, Hermionicus sinus.
di Eno, in Thracia, sinus Melanes.
di Ercoco, sinus Æthiopiæ, Sinus Adulicus.
di Estora, sinus Africæ, Latarus sinus, Numidicus, Olcachites.
de Finlande, pars maris Baltici, Finnicus sinus.
di Gaetta, sinus Latii, Formianus sinus.
de Gang, in Sinis, Gangus & Nanchinensis sinus.
di Generca, sinus Corsicæ, Casalus.
di Grimault, Provinciæ, Sambracitanus sinus.
de Guadel, Carmaniæ, Paragonticus sinus.
della Guardia, sinus Peloponnesi, Cyparissius.
de Gugerath, sinus Carmaniæ, Paragonticus.
de Haynam, Indiæ ulterioris, Magnus sinus.
de Hondura, in Nova Hispania, Honduræ sinus.
de Hudson, Terræ Arcticæ, sinus Hudsonius.
de l'Inde, sinus Indię, Canthi.
di Landramiti, Troadis, Idæus sinus.
di Landramiti, Troadis, Adramytticus sinus.
de Livonie, maris Baltici, Cirlipenus sinus.
de Lubeck, Germaniæ, Lubecensis sinus.
de Lyon, Gallicum mare & Gallicus sinus, aliis Lugdunensis.
de Machomete, in regno Tunetano, Adrumeti sinus.
de Macre, Asiæ minoris, Glaucus sinus.
de Magarese, Thraciæ, sinus Melanes.
di Manfredonia, pars maris Adriatici, Urias sinus.
de Melinde, mare ad ortum Æthiopiæ, Asperum mare, Barbaricus sinus, Mare Azanium, Troglodyticus sinus.
di Messi, sinus Cariæ, Iasius.
de Mexico, Americæ, Mexicanus sinus.
di Melasso, Cariæ, Iassius sinus.
di Modon, sinus Peloponnesi, Asinæus.
di Montanea, Bithyniæ, Sinus Nicopolitanus.

Golfo & Goulfe
di Monte Santo, sinus Macedoniæ, Strymonicus, Singiticus.
de Moscovie, Tartariæ minoris, Carcinites sinus.
di Nanquin, Sinarum, sinus Nanchinensis.
di Napoli, sinus Campaniæ, Crater, Sinus Puteolanus, Cumanus, Baianus, aliis Neapolitanus.
di Napoli di Romania, sinus Peloponnesi, Sinus Argolicus.
de Narenza, sinus Dalmatiæ, Naronensis.
di Negroponte, mare inter Eubœam & Bœotiam, Euboicum mare, Euboicus sinus, Oetæus sinus.
di Nicomedia, sinus Bithyniæ, Astacenus.
di Nigropoli, sinus Tauroscythiæ, Carcinites.
di Oristagni, Sardiniæ, Arboreus sinus,
di Palermo, Siciliæ, Panormitanus sinus.
di Palma, Sardiniæ, sinus Sulcitanus.
di Palo, sinus Africæ, Syrtis major.
de Panama, Americæ meridionalis, sinus Panamæ.
de Paria, Americæ meridionalis, Pariæ sinus.
di Patras, sinus Peloponnesi, Corinthiacus sinus.
de Pegu & de Martavan, Indiæ, Sabaracus sinus.
di Persia, in Asia, Sinus Persicus.
de Piombino, Hetruriæ, Plumbini sinus.
di Policastro, sinus Calabriæ, Sinus Talaus, Sapricus.
do Polimeure, sinus in Asia minori, sinus Nicopolitanus.
di Pozzuolo, sinus Campaniæ Italicæ, Baianus, Puteolanus.
di Rampo vel Rampa, sinus Macedoniæ, Toronaicus.
de Rapallo, Liguriæ, Rapalli sinus.
di Rhode, sinus Calabriæ, Vrias.
de Rige seu de Livonie, maris Baltici & Rigensis, Clipeinus sinus.
di Sachalas, sinus Arabiæ, Sachalites.
di Sagora, sinus Thraciæ, Thymacus.
de Salé, Mauritaniæ Tingitanæ, Emporicus.
di Salerno, sinus Lucaniæ, Pæstanus sinus.
de Salinas, Novæ Hispaniæ, sinus Salinarum.
di Salonichi, sinus Macedoniæ, Thermæus.
de S. Croce, in ora Dalmatiæ, S. Crucis sinus.
di S. Eufemia, sinus Calabriæ, Sinus Hipponiates, Terinæus, Napitinus, Lameticus, Vibonensis.
di S. Fiorenzo, sinus Corsicæ, Casalus, S. Florentii sinus.
de S. Laurent, Novæ Franciæ, sinus Laurentii.
de S. Miguel, Americæ, sinus S. Michaelis.
di S. Nicola, sinus Cretæ, Amphimalis.
di S. Pietro, sinus Cariæ, Iassius vel Iasius, aliis Ceramicus.
de S. Thomas, Africæ, Hesperius sinus.
de S. Tropé, sinus Sambracitanus, in Gallia, Sinus S. Tropetii.
de Saudra, sinus Arabiæ, Madisanites.
di Savolas, sinus Indiæ ulterioris, Sarabacus.
della Scalea, vide Golfo di Policastro.
di Sella, sinus Mauritaniæ Tingitanæ, Emporicus.
di Settalia, sinus Pamphyliæ, Attalicus.
de Siam, Indiæ ulterioris, Perimulicus sinus.
de Sidra, in ora Cyrenaicæ, Syrtis Magna.
di Siponto, maris Adriatici, Vrias sinus.
di Sitia, Cretæ, Sitiæ sinus.
de Smirne, in ora Æolidis, Mare Æolium, pars Ægæi, & Smyrnæus sinus.
di Solocho, sinus Africæ, Syrtis major.
di Soltana, sinus Bithyniæ, Cyclamenus.
della Spezzia, sinus Liguriæ, Lunæ portus.
di Spinalonga, Cretæ, Spinæ longæ sinus.
di Squillaci, sinus magnæ Græciæ, Scylleticus, Scyllacius.
di Stora, vide Golfo di Estora.
di Suda, sinus Cretæ, Amphimalis.
di Suez, pars Arabici, Heroopolites sinus.
di Susaco, Sinus Sarmatiæ, Cerceticus.
di Taranto, sinus Italiæ, Tarentinus sinus.
di Tenese, lacus Palæstinæ, Sirbonis.
di Terranova, Sardiniæ, Terranovæ sinus.
di Trieste, sinus Istriæ, Tergestinus.
de Tunis, Africæ propriæ Tunetanus sinus seu Carthaginensis.
di Valenza, Hispaniæ, Sucronensis sinus.
della Valona, Albaniæ, Onæus sinus.
di Venetia, mare Venetum, Hadriaticum mare, Adria, Sinus Hadriaticus.
de Venezuela, Americæ meridionalis, sinus Venezuelæ.
di Vlonata, sinus Peloponnesi, Sinus Chelonates.
di Vollo, sinus Thessaliæ, Pegasicus, Iolciacus.
del Volo, Thessaliæ, Maliacus sinus.
de Vraba, Americæ meridionalis, sinus Vrabæ.
de las Yeguas, sinus Oceani Occidentalis, sinus Equarum, Gaditanus sinus, Atlanticus.

Golfo & Goulfe
di Zeilan, sinus Æthiopiæ, Avalites.
di Zeilan vel Ceylon, Indiæ, Sinus Orgalicus, Argaricus.
di Ziton, sinus Thessaliæ, Maliacus sinus, aliis Oetæus, aliis Euboicus.
di Zonchio, vide Golfo della Guardia.
de Zonchio, Peloponnesi, Cyparissius sinus.
la Golle, rivulus Galliæ, in Suessionibus, Galliola.
Gollenberg, mons Poloniæ, Asciburgus.
Golnow, urbs Germaniæ, Golnovia.
Golo, fluv. Corsicæ, Tuola.
Golumbacz, vide Galumbatz.
la Gomera, una ex insulis Fortunatis, Nivaria, aliis Throde.
Gomere, insula Africæ, Gomera.
Gomets, Item Gomets le Chatel, castellum Galliæ in agro Parisino, Gomesi castrum, Item Gomedum castellum.
Gomets la ville, vicus ibidem, Gomedus villa.
Gonans, locus Galliæ, ad Lignonem fluv. Gonantium.
Gondecourt, vicus Galliæ, in agro Vabrensi, Gundulfi Curtis.
Gonesse, & Gonesse en Parisis, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, Gaunissa.
Gonfi, oppid. Thessaliæ, Gomphi.
Gonga, urbs Thraciæ, Ganum & Ganos.
Goniga, oppid. Macedoniæ, Gonni, Gonos.
la riviere de Gonnesse, vide Crou.
Gontel, locus Galliæ, in agro Lugdunensi, ad Dinam fluv. Castellum Gunteri.
Gorante, oppid. Lyciæ, Andriace.
Gorck, oppid. Hungariæ, Gorsion
Gordan, vide Cap. de Cordan.
la Gorgona, insula maris Tyrrheni, Gorgon, Vrgo.
Gorgonzola, vicus Insubriæ, Argentia, Gorgunsola.
Goritia, urbs Forojulii, Noreia, aliis Iulium Carnicum, aliis Goritia.
Goriza, urbs Arcadiæ, Mantinea.
Gorkum, urbs Hollandiæ, Gorichemum.
Gorlitz, urbs Germaniæ, Gorlitium.
Gormoncester, oppid. Angliæ, Durolipons.
Gornay, vide Gournay.
Goro, portus apud ostium Padi, Sagis.
Gortyn, urbs Cretæ eversa, Gortyna.
Gorza & Gorza Pasari, oppid. Macedoniæ, Gordynia.
Gorze, locus in pago Scarponnensi, cum monasterio, Gorzia.
Goslar, urbs Saxoniæ, Goslaria.
Gosporto, vide Gozporto.
Gostynin, urbs Poloniæ, Gostinia.
Gotham, insula maris Africani, Egates, Ægathes.
Gothardsberg, montes Helvetiorum, Adula, Summæ Alpes.
Gothen, urbs Thuringiæ, Gotha.
Gotlandt, regio Scandinaviæ, Gothia, Gothscandia, ubi populi Gutæ.
Gottingen, urbs Dulgibiorum, Dulgumniorum, popul. Germaniæ, Munitium, Tulisburdum.
Gotthausbund, in Rhætia, Fœdus Cathedrale seu Domûs Dei.
Gotz, urbs Palæstinæ, Hierosolyma, aliis Emmaus.
Gotzmi. oppid. Lemni insulæ, Hephæstias.
Governlo, pagus agri Mantuani, Acroventum.
Goulfe, vide Golfo.
Gourdon, locus Burgundiæ, cum monasterio, in diœcesi Cabillonensi, Gurto.
Gournay, oppid. Picardiæ. Item castellum in agro Parisino, Gornacum.
Gournay, oppid. Normanniæ, Gornacum.
Gourohs, provinc. Asiæ, Iberia.
Gousainville, vicus Galliæ, in agro Parisino, Gunsanavilla.
Gowy, vide Gwy.
Gozano, pagus Insubriæ, Gaudianum.
Gozi, insula juxta Cretam, Thera.
il Gozo, insula apud Melitam, Gaulos.
Gozo, insula maris Cretici, Claudus.
Gozporto, oppid. Mauritaniæ, Suriga.
la Grace, vide la Grasse.
Grachova, oppid. Liburniæ, Burnum.
Gradisch, pagus Transylvaniæ, Vipia Trajana, Zarmigethusa.
Gradischa, oppid. Sclavoniæ, Gratiana.
Grado, insula & urbs Forojulii, Gradus.
Graciaria, insula Sarmatiæ Europææ, Achillea.
la Grafignana, regio Hetruriæ, Caferoniana.
Grafschaft Mansfeld, in Saxonia, Mansfeldiensis Comitatus.
Graial, locus Hispaniæ Tarraconensis, Gracuris.
Graitz, vide Gratz.
Grambusia, insula Ciliciæ, Crambusa.
Gran, fluv. & urbs Hungariæ, ubi Granni populi, Granua, Strigonium.

Grana, fluv. Liguriæ, Iallum.
Granada, regio Hispaniæ, pars Andaluziæ, aliis Granatense regnum; & urbs ejus regionis, Granatum, Illiberis.
Granari di Giosefo, Pyramides Ægypti.
Grancay. seu Grancy. castrum Burgundiæ, in agro Lingonico, Grancejum.
la Granche de Ruilly; vide Reüilly lez Paris.
Granchester, oppid. Angliæ, Camboricum.
Grancourt, locus Galliæ, in Caletis, Grandis chors.
Grand' Han, locus Belgii, in agro Leodicensi, Magnus Hammus.
la Grand Mer, stagnum Lotharingiæ, Magnum mare.
Grand selve, locus Galliæ, cum monasterio, in Septimania, Grandis sylva.
Grand Vé, locus Galliæ, in Bajocassibus, Magnum Vadum.
Grandmont, oppid. Belgii, Gerardi mons.
Grandmont, cœnobium Galliæ, Grandimontium.
Grane, insula Galliæ, in sinu Aquitanico, Grana.
Granea, fluv. Macedoniæ, Echedorus.
la Grange S. Louis, vicus Galliæ, in Ledia sylva, Granea vel Granica S. Ludovici.
la Grange le Roy, vicus Galliæ, in Briegio, Granchia Regis.
Granico, fluv. Phrygiæ, Granicus.
Granson, oppid. Helvetiorum, Gransonium.
Grantbridge, oppid. Angliæ, Granta.
Granvelle, vulgo Gransel, monasterium Burgundiæ, in diœcesi Vesontionensi.
Granville, oppid. Normanniæ, Magna villa.
Granviller, pagus Picardiæ, Bratuspantium.
Granzebain, mons Scotiæ, Grampius.
S. Grapaz, locus Galliæ, ad Duranium fluv. S. Crapasii vicus.
Grare, mons Æthiopiæ, Masta.
Gras d'Enfer, in sinu maris Gallici, Gradus infernus.
Gras Grand, in eodem, Gradus Magnus.
Gras Neuf, in eodem, Gradus Novus.
Gras d'Orgon, in eodem, Gradus Urgonensis.
Gras de Passon, ostium Rhodani fluv. Massalioticum.
Gras de Poulet, in eodem, Gradus Paulitensis.
Grasse, Grassa, urbs Provinciæ, Grinnicum, Grinnicensis urbs.
Gratiosa, insula maris Atlantici, Cerne, aliis Gratiosa.
Grattepance, pagus Picardiæ, Bratuspantium.
Gratti, fluv. Calabriæ, Crathis.
Gratz, urbs Stiriæ, Graiacum, Gracium, Savaria.
Graudentz, oppid Poloniæ, Graudentium.
Grave, oppid. Geldriæ, Carno.
Grave, urbs Belgii in Brabantia, Gravia.
Gravelines & Gravelinghen, arx Flandriæ, Gravelina & Gravenenga.
Gravelinga, oppid. Flandriæ, Gessoriacum.
Gravesende, oppid. Angliæ, Gravesinda.
Gravina, urbs Apuliæ, Gravina.
Gravis, mons Rhætiæ, unde Addua fluit, Addua.
Grawpuntner vel Grawbundtner, populi Europæ, Canini, Rhæti.
Gray, urbs Comitatus Burgundiæ, Graium.
Grebegin, arx Peloponnesi, Ithome.
Grebigni, oppid. Peloponnesi, Mycenæ.
Gree. vide Capo di Griego.
Grela, locus Siciliæ, Galeagra.
Grenade, insula Americæ, Granata.
Grenade, urbs Hispaniæ, Granata.
Grenade, oppid. Aquitaniæ, Granata.
la Greuille, nesis Galliæ, Gravilia.
Grenoble, urbs Delphinatus, Acusio, Granopolis, Gratianopolis, aliis Cularo.
Grentemaisnil, vulgò Gratemesnil, locus Galliæ, in Normannia, Grentonis mansio vel mansionile.
Gres, vicus Galliæ, in Briegio, de Gressibus.
Grese, castrum Galliæ, in Gabalis, Gredonense.
le Gresivaudan, regio Galliæ, Pagus Gratianopolitanus.
Gretones, vide Rio Gretones.
Grevenos, mons Peloponnesi, Cronius vel Cronium.
Grey, castrum in Sequanis, Gradicum.
Greze, locus in Gabalis, Castrum Gredonense, vide Grese.
Griechisch Weissenburg, urbs Hungariæ, Taurunum.
Griesnagen, oppid. Pomeraniæ, Viritium.
Grim, oppid. Germaniæ, Grima.
Grimigny, locus in agro Vabrensi, Griminicia.
Grimsel, mons Rhætiæ, Adula.
Grin, populi & oppid. Hollandiæ, Grinnes.
Grine, oppid. Ioniæ, Clazomenæ.
Grimade, oppid. Galliæ, in Convenis, Granata.
Grintzenberg, oppid. Sueviæ, Guntia.
puy de Grion, locus Galliæ, in Petrocoriis, Magnus Greo.

Gripp-

Grippswald, urbs Pomeraniæ, Varinum, aliis Gripswaldia.
Grisano, oppid. Macedoniæ, Cremniæ.
Griso, oppid. Peloponnesi, ...
Grisoni, populi Europæ, Lepontii, Rhæti, aliis Grisones.
Gritto, vide la Grotte.
Grobming, oppid. Austriæ, Gabromagum.
Grodno, urbs Poloniæ, Gredna.
Groeningen, urbs Frisiæ occidentalis, Groeninga, Phileum.
Groeninger diep, fluv. Frisiæ, Vidrus.
Grollay, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Graulidum.
Grol, urbs Belgii, Grolla.
Grona, oppid. Sclavoniæ, Cremone.
Groneburg, urbs Sueciæ, Groneburgum seu Tornstia.
Gronelandt, pars terræ Arcticæ, Gronelandia seu Regio viridis.
Groppoli, urbs Lucaniæ excisa, Grumentum.
Gros Bois, locus Galliæ, in agro Parisino, Crassum Nemus.
Groß S. Bernhartsberg, inter Italiam & Sabaudiam, Penninæ Alpes.
Grossea, urbs Mysiæ inferioris, Istropolis.
Grosserhava, oppid. Valacchiæ, Tersium.
Grossseto, urbs Hetruriæ, Rosetum.
Grosso, fluv. Corsicæ, Ticarius.
Grostwerder, insula Prussiæ ad ostium Vistulæ.
Groß Vernner seu le grand Bernnet, pars Alpium Tridentinarum, Pyrenæus mons.
Grotkaw, urbs Germaniæ, Grotkavia.
Grotta delli Cani, locus prope Baias, Spiracula.
Ferrata, cœnobium, Crypta Ferrata, & villa Latii, Tusculanum.
à Mare, vide la Grotte.
di Napoli, specus juxta Neapolim, Crypta Neapolitana.
Rossa, locus prope Romam, Rubra saxa.
di S. Nicola, locus Siciliæ apud Syracusas, Latomiæ.
della Sibilla, spelunca Campaniæ, Antrum Sibyllæ, Sacellum Sibyllæ.
Grottaria, oppid Calabriæ, Castrum Minervæ, Crypta aurea, Crypteria.
la Grotte, pagus Anconitanus, Cupra marina.
Grubenhagen, oppid. Germaniæ, Grubenhaga.
Gruningen, vide Groeningen.
Grutte, oppid Siciliæ dirutum, Herbessus.
Guadajoz, fluv. Andaluziæ, Salsum.
Guadalajara, provinc. Americæ, Guadalaxara.
Guadalaiara, urbs Castellæ novæ, Caracca, Arriaca.
Guadalajara, oppid. Hispaniæ, Guadalaxara.
Guadalajara, urbs Americæ, Guadalaxara.
Guadalaviar, fluv. Valentiæ, Durius, Turia.
Guadalcanal, oppid. Andaluziæ, Corticata, aliis Sisapone.
Guadalentin, fluv. Hispaniæ, Chrysius, aliis Terebs.
Guadalete, fluv. Andaluziæ, Lethes.
Guadaloupe, insula Americæ septentrionalis, Guadalupæ & Aquæ Lupiæ.
Guadalquivir, fluv. Andaluziæ, Bætis, Tartessus.
Guadalquivirein, fluv. regni Granatensis, Saduca.
Guadalupe, oppid. Extremaduræ, Castra Cæcilia.
Guadalupe, vicus Extremaduræ, Aquæ Lupiæ.
Guadoxenil, fluv. Andaluziæ, Singilis, Singulis.
Guadel, urbs Carmaniæ, Samydace, aliis Guadela.
Guadiana, fluv. Hispaniæ, Anas.
Guadiaro, fluv. Andaluziæ, Chrysius, Barbesola.
Guadilbalbar, fluv. Africæ, Rubricatus.
Guadilbarbar, fluv. Africæ, Tusca.
Guadix, urbs regni Granatensis, Acci.
Guagida, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Lanigara.
Guaira, provinc. Americæ, Guaira.
Gualata, regnum Africæ, Gualata.
Gualdo, oppid. Umbriæ, Validum.
Gualeuza mare, in Asia, mare Caspium.
Gualgaz, fluv. Indiæ, Ganges.
Guamanga, urbs Peruviæ, Guamanga.
Guanguera, populi & regio Libyæ, Garamantes.
Guansere, mons Mauritaniæ Cæsariensis, Zalacus.
Guanuco, oppid. Americæ, Guanucum.
la Guarda, promontor. Mauritaniæ Cæsariensis, Magnum.
Guarda, urbs Portugalliæ, Guardia.
Guardafu & Guardafumi, urbs & promontor. Æthiopiæ, Aromata.
Guardamar, oppid. Valentiæ, Longuntica.
Guardia, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Siga.
Guardia, fluv. & oppid. Elidis, Sela.
Guardiano, insula maris Ionii, Letoa, Letoia.
Guargala, regnum Africæ, Guargala.

la Guascogna, vide Gascoigne.
Guastalla, oppid. Ducatus Mantuani, Guardestallum, Vastalla.
Guasto, oppid. Hetruriæ excisum, Forum Cassii.
il Guasto d'Amone, oppid. Aprutii, Histonium, aliis Vastum Amonium.
Guatimala, pars novæ Hispaniæ, Guatimala.
Guattaro, fluv. Corsicæ, Battarus.
Guaxaca, provinc. novæ Hispaniæ, Guaxaca.
Guayaquil, oppid. Americæ, Guaiaquilum.
Guben, oppid. Germaniæ, Guba.
Guber, regnum Nigritiæ, Guber.
Guber, urbs Æthiopiæ, Nigra.
Gubio & Gubbio, urbs Umbriæ, Eugubium, Iguvium, Iguvinum.
Gué de Mauny, castellum Galliæ, Vadum mali nidi.
Gué à Treme, vicus Galliæ, cum castello, in Meldis, Vadum Tremæ.
Gueguere, insula Æthiopiæ, Meroe.
Gueldre, provinc. Germaniæ inferioris, Gueldria.
Gueldre, urbs Belgii, Gueldria.
Gueldre, arx Indiæ, Gueldria.
Guenga, fluv. Indiæ, Guenga.
Guengneroy, locus Galliæ, Vangionis rivus.
la Guepie, locus Galliæ, in tractu Albigensi, Guespia.
Guepins, dicuntur cives urbis Aurelianorum, in Gallia, Guepini vel Gepini.
Guer, oppid. Galliæ, in Britannia minori, Guader.
Guerande, urbs Galliæ in Britannia minori, Guaranda.
Guerba, fluv. Hispaniæ Tarraconensis, apud cujus ortum locus Volcianorum popul.
Gueret, castrum Galliæ, in Lemovicibus, Varactum, hinc le Gueretois, i. e. pagus Varactensis.
Guerret, urbs Galliæ, Gueretum.
Guesca, vide Huesca.
Guescar, idem cum Huescar.
Gueser, urbs Babyloniæ, Seleucia.
Guetalabiar, vide Guadalaviar.
Guetaria, oppid. Guipiscoæ, Menosca.
Guete, urbs Castellæ novæ, Opta.
Gueux, locus Galliæ, in agro Rhemensi, Gaugiacum.
Guharan, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Quiza, Buxa.
Guiane, regio Americæ meridionalis, Guiana.
la Guibray, suburbium Falesiæ in Normannia, Gibraum, Wibreum & Wibrajum.
la Guie, amnis Burgundiæ, Guetta vel Gutta.
Guiencourt, vicus Galliæ, in agro Parisino, Guidonis curtis.
Guienne, Provinc. Galliæ, Aquitania.
Guierville, locus Galliæ, in Lexoviis, Gujardi villa.
Guion, vide Gyon.
Guilan vel Guilao, Hyrcanum mare.
Guilestre & Guillestre, oppid. Delphinatus, ubi olim populi Caturiges vel Suelteri.
S. Guilin, aut Guilain, monasterium Belgii, in diœcesi Cameracensi, S. Gislenus.
S. Guilhem les Deserts, monasterium Galliæ, ad Arauraricum, S. Wilhelmi Desertum.
Guilliennes, ad Varum fluv. Vicus Guillielmeran.
Guimaraes, vide Gumaranes.
Gumaranes, oppid. Lusitaniæ, Catralencot, Vimaranium, Egita, aliis Araducca.
Guinea, regio Africæ, ubi olim populi Gaugines, aliis Guinea.
Guinedhia, tractus Walliæ, Venedotia.
Guines, oppid. Picardiæ, ubi populi Oromansaci, aliis Guine, item Gisna.
Guippana, una Elaphitum insularum Dalmatiæ.
Guipuscoa, regio Hispaniæ, ubi Burdinii, Vardali, Caristi populi, aliis Guipuscoa & Ipuscoa.
Guir, fluv. Mauritaniæ, Dyrus.
Guise, item Guise en Tierache, oppid. Picardiæ, in Teoracia, Guisa seu Guisia.
Guith, oppid. Albionis, Victoria.
Guladyr haf, populi Angliæ, Murotriges.
the Gull, insula Angliæ, Lissa.
Gulick, urbs Germaniæ inferioris, Iuliacum.
Guns, fluv. Hungariæ, Sabaria.
Guntz, fluv. Sueviæ, Guntia.
Guntzburg, oppid. Sueviæ, Guntia.
Guplo, lacus Poloniæ, Guplo.
Gurck, urbs Carinthiæ, Gurcum.
Gurck, fluv. Carniolæ, Corcoras.
Gurckfeldt, oppid Carniolæ, Quadrata, Quadratam.
Gurcktal, oppid. Carinthiæ, Aguontum.
Gurgian vel Giorgian, mare Caspium, Hyrcanum mare.
Gurgo, oppid. Siciliæ, Herbessus.
Gurmendt, oppid. Pannoniæ, Sacarbaxtia.
Gurrea, oppid. Aragoniæ, Forum Gallorum.

Gurulo, oppid. Sardiniæ excisum, Gurulis.
Gustrow, urbs Germaniæ, Gustrovium.
Gutkow, oppid. Germaniæ, Gutkovia.
S. Gover, oppid. Germaniæ, S. Goaris.
Guy les Nonains, monasterium Galliæ, in pago Wastinensi, Guiconis Nonnarum.
Guydhyl, populi Britanniæ, Scoti & Hiberni.
Guyon, vide Gyon.
Guzarate, provinc. Asiæ, Gedrosia, Guzaratta.
Guzzettina provinc. Africæ, Numidia nova.
Guzzling, pagus Hungariæ vel Stiriæ, Ragus.
Gwy, fluv. Walliæ, Vaga.
Gwydh, insula Angliæ, Vectis.
Gwydhyl, vide Guydhyl.
Gwyneth, pars Walliæ, Venedotia.
Gyen, oppid. Belsiæ regionis Galliæ, Genabum.
Gyfhorn, urbs Germaniæ, Gyfhornia.
Gyll, fluv. Hiberniæ, Ausoba.
Gyngijch, urbs Hungariæ, Genadium, Cenadium.
Gyon, oppid. Asturiæ, Gigia, ubi Aræ Sestianæ.
Gyula Fejervar, urbs Transylvaniæ, Alba Iulia.

H.

HAbaches, populi Lydiæ, Abaces.
Habas, provinc. Africæ, Æthiopia sub Ægypto.
Habes, fluv. Siciliæ, Eleutherus.
Habimberg, locus Sueviæ prope Augustam Vindelicorum.
Habynacht, fluv. Indiæ, Indus.
Hacdar, promontor. Libyæ, Arsenarium.
Hatzag, tractus Valacchiæ, Sarmisia Vallis.
Hademar, oppid. Germaniæ, Hademarium.
Hadersleben, urbs Daniæ, Haderslebia.
Hadilbegiam, vide Adelbegian.
Hadoncastel, locus Lotharingiæ, in Ducatu Barrensi, Hardonis Castellum.
Haerlem, urbs Hollandiæ, Harlemum.
Hafern, fluv. Walliæ, Sabrana, Sabrina.
Hagriand, tractus sylvæ Carbonariæ.
Hagenaw, urbs Alsatiæ, Hagenoia.
Hagenauer forst, sylva Alsatiæ, Saltus Hagenoviensis.
Hagobel, vide Agobel.
la Hague de Costantin, tractus Galliæ, in Normannia, Septum Constantiense.
Hailbrun, urbs Germaniæ, Alisum, Fons salutis, aliis Hailbrunna.
Hailprun, vide Hailbrun.
Hainburg, vide Hymburg.
le Hainault, provinc. Belgii, Hannonia.
Hainrich, nomen viri, olim Ambiorix, hodie Henricus vel Ericus.
Hair, desertum Libyæ, Hairum.
Halapia, provinc. Africæ, Mesopotamia.
Halar, urbs Islandiæ, Halara.
Halberstat, urbs Saxoniæ, Phengarium, Halberstatum.
Halegfex, oppid. Angliæ, Olicana.
Halenberg, pars Cetii montis inter Noricum & Pannoniam.
Halep, urbs Syriæ, Chalybon.
Haleppo, urbs Syriæ, Hierapolis, Bambyca, Chalybon, Beroea.
Hali, urbs Arabiæ Felicis, Muza.
Halig Eiland, insula Angliæ, Augustaldia, Lindisfarna.
Halitz, oppid. Poloniæ, Halicia.
Hall, urbs Saxoniæ, alia Sueviæ, alia Tirolensis Comitatus, Hala, Halla.
Hall, vicus Austriæ, superioris, Ernolatia.
Halla, urbs Armeniæ majoris, Tasca.
Hallandt, provinc. Daniæ, Hallandia.
Halmydis, urbs Thraciæ, Almedessus.
Halyrwood, pagus & cœnobium Scotiæ, Sacrum nemus.
Ham, provinc. Africæ, Ægyptus.
Ham, urbs Germaniæ, Hamum.
Ham, urbecula Galliæ, Hamum.
Hamam & Hama, urbs Syriæ, Emisa, Apamea.
Hamay, aliàs Haimage, locus Belgii, cum Monasterio, in Flandria, Hamaticum.
Hamburg, urbs Saxoniæ ubi Gambrivii populi, Hamburgum, aliis Treva.
Hamel, oppid. prope Corbejam, ad amnem, in Summam effluentem; Item vicus Picardiæ, Hamulus.
Hamel du bois, vicus Galliæ, sylvæ Litensi proximus, Hamulus sylvestris.
Hamelen, urbs Saxoniæ, Hamela.
Hames, locus Galliæ Calesio proximus, Hamæ.
Hami, vide Selva di Hami.
Hammeren, urbs Norvegiæ, Hammaria.
Hamaut, urbs Syriæ, Apamea.
Hampton, vide Southampton.

Hamptoncourt, castrum Angliæ, *Hampton curia*.
Hamsa, urbs Syriæ, *Emisa*.
Hamshire, vel *Hampshire*, regio Angliæ, ubi *Belgæ*, *Santoni* populi.
Hausur [illegible], locus ad Lætiam fluv. [illegible].
Hausur Sambre, oppid. ad fluv. Sabim, *Hamma*.
Esire Hav, vicus Galliæ, in Normannia, *Strata Harenæ*.
Hanau, oppid. Germaniæ.
Hangefa, vide *Sechusa*.
Han, urbs Mediæ, *Ecbatana*.
Hannonia, provinc. Belgii, *Hannonia*.
Hannovera, urbs Germaniæ, *Hanovera*.
Hauster, urbs Saxoniæ, *Hanovera*, *Leuphana*.
Haushire, provinc. Angliæ, *Hantonia*.
Haoan, fluv. Africæ, *Hanas*.
Hapharras, oppid. Palæstinæ, *Ephraim*.
Happenz, pagus Bavariæ, *Abusiacum*.
Hapsel, urbs Livoniæ, *Hapselia*.
Harbetie, urbs Cappadociæ, *Salambaria*.
Harburg, oppid. Germaniæ, *Harburgum*.
Harcourt, oppidul. Galliæ, *Harcurtium*.
Harda, fluv. [illegible].
Hardberg, oppid. Pannoniæ inferioris, *Hеrta*.
Hardewyck, urbs Geldriæ, *Hardebouts*, aliis *Harderwicum*.
Hardtwaldt & Hardewald, mons Thuringiæ, *Melibæus*, & sylva Germaniæ, *Sylva Hercinia*, *Sylva Semana*, alias *Sylva Bacenis*.
Harecort, Harecourt, & Harecourt, castrum Galliæ, inter Autusum & Riselam fluv. *Harecortis*.
Harfleu, castellum Galliæ, in Caletis, *Harsflatum*, vide quoque *Harfleur*.
Harfleur, oppid. Normanniæ, *Harflevium*.
Harford, urbs Angliæ, *Harfordia*.
Harisa, oppid. Aragoniæ, *Ares*.
Harlingen, oppid. Frisiæ occidentalis, *Harlingi*, aliis *Manarmanis* & *Almanum*.
Harsteu, oppid. Germaniæ inferioris, *Abisa*.
Harpasa, oppid. Samnii excisum, *Harpadum*, *Hirpinum*, *Caudium*.
Harria & Harsland, provinc. Livoniæ, *Harria*.
Hartfordshire, regio Angliæ, ubi *Catyeuchlani* populi.
Hartland point, promontor. Angliæ, *Herculis promontorium*.
auf dem Hartz, sylva Germaniæ, *Bacenis*.
Hartzgerode, castrum Germaniæ in Saxonia, *Hartzgeroda*.
Harwich, oppid. Angliæ, *Harvicum*.
Hasbaigne, tractus Galliæ Belgicæ, *Pagus Hasbaniensis*.
Hasbat, provinc. regni Fezzæ, *Hasbata*.
Hascora, provinc. regni Marochii, *Hascora*.
Haselberg, oppid. Burgundiæ Comitatus, *Didattium*, *Ditratium*.
Hasnon, cœnobium Belgii, in Attrebatibus, *Hasnonium*.
Haspaam, urbs Persiæ, *Haspahamum* & *Aspahamum*.
Haspa, aliàs *Hespen*, fluv. medius inter Landas & Tenas, *Harbanus*.
Hasbengau, regio Centronum popul. Belgii, *Hasbania*.
Hasso poris, urbs & portus Cariæ, *Heraclea*.
Hastings, oppid. Angliæ, *Othona*.
Haunge, insula Æthiopiæ, *Meroe*.
la Havana, portus Americæ in Cuba insula, *Havana*.
Havelsprade, provinc. Europæ, *Dacia Alpestris*.
Haudonville, vicus Lotharingiæ, *Aldonis villa*.
Havelberg, urbs Marchiæ Brandeburgicæ, *Havelberga*.
Havelburg, urbs Brandeburgica, *Havelburgum*.
Havessen, regio *Cimmeriorum*, popul. Georgiæ.
Hauslach, pagus Bavariæ, *Aurimansala*.
Havre, vox Gallica, *Portus*, vide in Lexico, in voce *Abravanus*.
le Havre de Grace, arx Normanniæ, *Portus Gratiæ*.
Haurach, pars Austriæ provinc. *Novarum Regense*.
la Haute-pierre, monasterium in Comitatu Burgundiæ, *Alta petra*.
Haute-rive, locus Galliæ, in Delphinatu, *Alta Ripa*.
Haute-vezere, fluv. Galliæ, *Altus Visera*.
Hauvenstein, mons Burgundiæ, *Iura*.
Haux, municipiolum Brabantiæ, *Halle*.
la Haye, pagus Hollandiæ, *Haga Comitis*.
Haye du Reytol, vicus Galliæ, in sylva Brotona, *Haga Brotona*.
la Haye en Touraine, oppid. Galliæ, *Haga Turonica*.
Hayne, fluv. Hannoniæ, *Haganus*, aliis *Hanas*.
Hayphe, oppid. Palæstinæ, *Porphyreum*.
Hayrich, locus Germaniæ superioris, *Hercinia regio*.

Hecla, mons Islandiæ, *Hecla*.
Hesenfeld, locus *Lindisfarnia* insulæ Angliæ.
Hegew, tractus Sueviæ, *Hegovia*.
Heidelberg, urbs Palatinatus inferioris, *Edelberga*, *Budoris*, *Heidelberga*, ubi *Intergi* populi.
Heiden, oppid. Holsatiæ, *Heida*.
Heidenheym, oppid. Sueciæ, *Ara Heniæ*.
Heil, locus maris Baltici, ubi *Helleviones* populi.
Heila, oppid. Prussiæ, *Hela*.
Helgeland, insula maris Germanici, *Actania*, *Saxonum insula*.
Heilsberg, oppid. Prussiæ, *Helsberga*.
Heis, insula Galliæ, in mari Pictonico, *Heriis* vel *Herus*.
Helcaster, oppid. Angliæ, *Calatum*.
Helch, locus regni Valentini, *Longuntica*.
Helicona, mons Græciæ, *Helicon*.
Helmandmench, provinc. Asiæ, *Gedrosia*.
Helmstat, urbs Saxoniæ, *Helmstadium*.
Helmstadt, urbs Sueciæ, *Helmstadium*.
Helpren, vide *Hailbron*.
Helsingfors, urbecula Sueciæ, *Helsingfordia*.
Helsingia, provinc. Sueciæ, *Helsingia*.
Hemid, urbs Paphlagoniæ, *Amisus*.
Hemit, urbs Mesopotamiæ, *Amida*, *Amacas*.
Hems, urbs Syriæ, *Emisa* & *Emessa*.
Hen, vide *Han*.
petit-Hen, oppid. Galliæ, in Picardia, *Henouum minus*.
Henault, regio Belgii, *Hannonia*.
Henaut, oppid. Galliæ Campaniæ, *Hanum altum*.
Henbont, oppid. ejusdem regie, in Aremoricis, *Confluentia* vel *Conjuentia*.
Henegow, vide *Henault*.
Hengstlesberg, mons Austriæ, *Cetius*.
Henley, vide the *Hundred of Henley*.
Henneberg, castrum Germaniæ, *Henneberga*.
Hennebont, oppid. Galliæ, *Hennebontum*.
Hepeuel, vel la Haye-Paynel, locus Galliæ, *Haga Paganelli*.
le Comté d'Herbauge, vel *Arbauge*, tractus Galliæ, in Nannetum Pictonumque confinio, *Pagus Herbadillensis*.
Heppen, castrum Tridentinorum, *Appianum*.
Herac, urbs Arabiæ Petreæ, *Petra*.
Heracaian, provinc. Asiæ, *Carmania*.
Heraclea, insula Archipelagi, *Heraclea*.
Heraclia, urbs Syriæ, *Heraclea*.
Heraclia, oppid. Tauricæ, *Heraclea*.
Heraclea, urbs Thraciæ maritima, *Heraclea*, *Perinthus*.
Herbipolis, urbs Germaniæ, *Herbipolis*.
Herck, fluv. Belgii, *Archa*.
Hercklens, oppid. Geldriæ, *Castra Herculis*.
Herdach, fluv. Thuringiæ, *Herdacea*.
Herdel, vide *Erdel*.
Hereford, urbs Angliæ, *Herefordia*, *Ariconium*, ubi *Silures* populi.
Herefordshire, provinc. Angliæ, *Herefordiensis Comitatus*.
Heren, urbs Mesopotamiæ, *Carrhæ*.
Heri, provinc. Asiæ, *Aria*, urbs illius, *Alexandria*, & fluv. *Arius*.
Herison vel Herson, castrum Galliæ, in diœcesi Laudunensi, ad Isaram, *Iritio*.
Heris, populi Arabiæ Felicis, *Adramitæ*.
Herivaux, vicus Galliæ, in agro Parisino, *Herivallis*.
Herma vel Erma, urbs Galatiæ, *Germa*, *Therma*.
Hermanstadt, urbs Transylvaniæ, *Cibinium*.
Hermanstein, arx Trevirensis ditionis, *Hermanni saxum*.
Hermanville, locus Galliæ, in Caletis, *Hermanni villa*.
Hermerie, vicus Galliæ, in Briegio, *Hermeriæ*.
Hermiona, in Britannia minore, *Armoricæ civitates*.
Herndall, tractus Norvegiæ, *Herndalia*.
Herrich, oppid. Africæ, *Psilam vetus*.
Hervaco, vide *Capo Hermico*.
Heron, urbs Ægypti, *Heropolis*.
Hersfeld vel Hersfel, oppid. Germaniæ in confinio Thuringiæ, item villa publica ad Molam: item ad Visurgim. *Herisfeldum*.
Hertford, oppid. Angliæ, *Durocobriva*, ubi *Catyeuchlani* populi.
Hertland, vide *Hartland point*.
s'Hertoghen bosch, & *Hertzebosch*, urbs Brabantiæ, *Sylva ducis*, *Boscoducum*.
Hertogenrad, oppid. Belgii, *Rodia Ducis*.
Hertzberg, mons Austriæ, *Cetius*.
Hertzogenrode, oppid. Limburgici Ducatus, *Vatuca*.
Hertzogthumb Bremen, in Germania, *Bremensis Ducatus*.
Hertzogthumb Ferden, in Saxonia inferiori, *Ferdensis Ducatus*.

Hertzogthumb Lunenburg, in Germania, *Luneburgensis Ducatus*.
Hervorden, urbs Westphaliæ, *Herfordia*.
Herzegovina, provinc. Serviæ, *Chelmia* & *Zachulmia*.
Hesdin, oppid. Attrebat. *Helena*.
Hesermalas, sylva Ducatus Clivensis, *Cæsia sylva*.
Hessen, regio Germaniæ, *Hassia*, ubi *Catti*, *Tencteri* populi.
Hessi, populi Germaniæ, *Catti*, *Tencteri*.
Hetzgang, locus Austriæ, *Cataractæ Danubii*.
Hethy, insula Scotiæ, *Orcas*.
Heilant, una *Electridum* insularum maris Germanici.
Het Staten Eylandt, in America Australi, *insula Statuum*.
Heutz le Maure, locus Galliæ, in diœcesi Catalaunica, *Mauritanum*.
Hex, fluv. Scotiæ, *Isys*.
Hex Nigde, urbs Lycaoniæ, *Nigidia*.
Hexen Termin, locus in agro Toënensi, *Hexenum*.
Hexamili, inter Græciam & Peloponnesum, *Isthmus Corinthiacus*.
Hexamili, urbs ibi, *Isthmus Chersonesi Thraciæ*, & *Lysimachia*, *Cardia*, *Hexamylium*.
Hexham, oppid. Angliæ, *Axelodunum*.
Heylindra, populi e Zeugitana regione Africæ.
Heylichlandt, vide *Heiligelandt*.
Heydelberg, pagus Palatinatus inferioris, *Pyramides*.
Heylessem, villa cum monasterio, in Hasbania Brabantina, *Atilis*.
Heyssant, insula Britanniæ minoris, *Hyadeta*, *Sena*.
Heyssant, vide *Heyssant*.
Hichen, insula maris Icarii, *Chios*.
Hidro, mons terræ Hydruntinæ, *Hydrus*.
Hielmer, lacus Sueciæ, *Hielmarus*.
Hierari, vide *Gierace*.
Hieres, vide *Eres*.
Hieres, oppidul. Provinciæ, *Olbia*.
Hierico, urbs Palæstinæ, *Hiericus*.
Hierusalem, urbs Iudææ, *Hierusalem*.
Hierson, locus Galliæ, in sylva Teoracia, *Iritio*.
l'Hiesmois, tractus Galliæ, in Normannia, *Oximensis Pagus*.
Higuera, oppid. Bæticæ, vel juxta *Nertobrica*.
Hind, fluv. Indiæ, *Indus*.
Hildesheim, urbs Saxoniæ, *Ascalingium*, *Hildesia*, *Bennopolis*.
Hirschfeld, oppid. Germaniæ, *Hersfeldia*.
Hispahan, urbs Parthiæ, *Hecatompylos*, aliis *Aspahanum*.
Hispaniola, insula Americæ, *Hispaniola*.
Histria, regio Italiæ, *Histria*.
Hita, oppid. Castellæ novæ, *Ilsonium*.
Hita, oppid. Castellæ novæ, *Cesata*, *Cesada*, aliis *Laxta*.
Hixona, oppid. Aragoniæ, *Ollogesa*.
Hixera, vide *Ierra*.
Hochberg, locus Germaniæ, ubi *Gambrivii* populi.
Hocrug, tractus Germaniæ, ubi *Usipetes* populi.
Hodu, sinus Asiæ, *Persicus sinus*.
Holstein et Holsatia, tractus Germaniæ, *Holsatia*.
la Hogue S. Vast, item parte de la Hogue, portus Galliæ, in pago Constantino, *Oga* vel *Oga S. Vedasti*.
Hohenegg, oppid. Hungariæ, *Ripa alta*.
Hohentwiel, arx Germaniæ, *Durbonum*.
Hohenwart, oppid. Bavariæ, *Ripa prima*, *Samnorum*.
Holderness, pars Comitatus Eboracensis, ubi *Parisii* populi.
Holi, pagus Basileensis territorii, *Olino*.
Holstat, oppid. *Caldalornum*, popul. Bohemiæ.
Hollanders, populi Germaniæ inferioris, *Batavi*.
Hollandt & Hollandia, regio Germaniæ inferioris, *Batavia*, aliis *Hollandia*.
Holmberg, locus Pomeraniæ, *Rugium*.
Homburg, oppid. Pannoniæ superioris, *Carnuntum*.
Holstein, regio Cimbricæ Chersonesi, *Holsatia*.
Homano, fluv. Apruti, *Vomanus*.
Hombieres, locus & monasterium in Episcopatu Noviomagensi, *Humolaria*.
Homburg, castrum Lotharingiæ, *Homburgum*.
Homburg, oppid. Hassiæ. Item castrum Rauricæ, in agro Basiliensi, *Homburgum*.
Honan, provinc. Imperii Sinarum, *Honania*.
Hondarribia, oppid. Guipuscoæ, *Oeaso*.
Honduras, provinc. novæ Hispaniæ, *Honduras*.
Honfleur, castellum Galliæ, in Lexoviis, vide *Harfleur*.
Hongfleur, oppid. Normanniæ, *Iuliobona*, aliis *Honflorium*.
Hongrie, regnum Europæ, *Hungaria*.
Honneau, fluv. Hannoniæ, *Hau*.

S. Honore de Lerin, aliàs l'Isle de S. Honorat, Insula Galliæ, Lerinum.
Honscote, oppid. Flandriæ, ubi Pleumosii populi.
de Hoofden, mare inter Galliam & Britanniam, Fretum Britannicum. Fretum Gallicum.
Hoorne, urbs Hollandiæ, Horna.
Hoornenis Eylandt, in mari Pacifico, insula Hornia.
Horburg, oppid. Germaniæ, Argentuaria.
Hordogna, oppid. Apuliæ excisum, Erdonia, Ardonia, Herdonia.
Horduna, vide Hordogna.
Hordunes, oppid. Hispaniæ, Octoviolca.
Horeb, mons Arabiæ petrææ, Melani.
Horguela, urbs Valentiæ, Orcelis, Oriola.
Horonz, fluv. Mesopotamiæ, Saocoras.
Horn, oppid. Brabantiæ, Quartensis pagus, aliis Horna.
Hornachos, oppid. Extremaduræ, Phornacis.
Hornsteep, fluv. Frisiæ, Arnapa.
Horomeli, provinc. Europæ, Græcia.
Hortes, oppid. Aquitaniæ, Beneharnum.
Horti, urbs Hetruriæ, Hortanum.
l'Hostel de Nesle, apud Lutetiam, Domus Negelensis.
l'Hostel de Roanne, vel la Maison de Roanne, Lugduni in Gallia, Domus Rodana.
Hostia, oppid. Ducatus Mantuani, Hostilia.
Hostia, urbs Latii excisa, Ostia.
Hostimo, urbs terræ Hydruntinæ, Hesturium.
Houat, aliàs l'Isle Haiat, una ex Insul. Venedicis, in Gallia, Horata.
Houdan, urbecula Galliæ, in Carnutibus, Hodanum seu Holdenchum.
Houilles, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Holiæ.
le Houlme, tractus Galliæ, in Normannia, Holmesia.
Hounecourt, vel Hunecourt, locus Belgii, in agro Cameracensi, Hunulfi Curtis.
Haut en Famine, vel Famene, Item Haidre en Femenne, locus Galliæ in agro Luciliburgensi, Herdra.
Haute Gave, locus Galliæ, ad Gabari & Aturi confluentes.
la Houssoye, vicus Galliæ, in Briegio, Hosseia.
Hoy, insula Scotiæ, Dumna, aliis Hova.
Hoya promontor. Scotiæ, Virvedrum.
Hoye, oppid. Iuliacensis Ducatus, Huiomum, Ischomum.
Hoye, urbs Westphaliæ, Hova.
Hradisch, oppid. Moraviæ, Hradisca & Arsiena.
Hubet, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Muaria.
Hudson Bay, in America septentrionali, Hudsonis sinus.
Hudwicswaldt, urbs Sueciæ, Hudwicswaldium.
Huecar, fluv. Hispaniæ, Vera.
Hued Hiir, vide Hued Niar.
Hued Icer, fluv. Mauritaniæ, Serbes.
Hued Niar, fluv. Æthiopiæ, Niger, Nigir.
Hued el Quibir, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, Nasabath.
Huermedam, pagus Aragoniæ, ubi Bilbilis, urbs excisa.
Huesca, urbs regni Granatensis, Faventia, Calcula, Vesci, aliis Osca, Escua.
Huesca, urbs Aragoniæ, Osca.
Huescar, urbs regni Granatensis, Escua, Osca.
Huessen, oppid. Geldriæ, Arces Lobiæ.
Huete, urbs Castellæ novæ, Opta.
le roy Huguet, nomen spectri, in urbe Turonum, in Gallia, Rex Huga.
Hui, oppid. Belgii, in diœcesi Leodiensi, Hoium.
Huigaerden, vicus Belgii in Flandria, Hugardæ.
la Huine vel Huysne, fluv. in Sartam influens, Idonea.
Huisseau, locus Galliæ, cum Prioratu, in diœcesi Aurelianensi. Item locus in Secalonia, Uxellum.
Hulford, oppid. Walliæ, Vindoeladia.
Hull, urbs Angliæ, Hullum & Petuaria.
Hulst, urbs Belgii, Hulstum.
Humago, insula prope Histriam, Cissa.
Humain, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Siga.
Humana, urbs Marchiæ Anconitanæ eversa, Humana.
Humber, fluv. Angliæ, Abus.
Humble, fluv. Angliæ, Homelea.
Hunderthübel, oppid. Hungariæ, Centum colles.
the Hundred of Bray, tractus Angliæ, ubi Bibroci populi.
the Hundred of Henley, tractus Angliæ, ubi Ancalites populi.
Hundsruck, tractus Germaniæ prope Treviros, Sauromatum arva.
Hungaria, provinc. Europæ, Pannonia inferior.
Hungerland, regnum Europæ, Hungaria.

Huningen, fortalitium in Rheni ripa, Huninga.
Hunsruck, vide Hundsruck.
Hutendune, vide Huntingdon.
Huntingdon, oppid. Angliæ, Durolipons, Venantodunum, aliis Huntingtonia.
Huquan, populi Sinarum, Acadræ, Huquania.
Huquan, urbs Sinarum, Huquanum.
le Hurepois, tractus Galliæ, Pagus Auripensis, Hurepensis, vel Moripensis.
Husum, urbs Daniæ, Hysinum & Husenum.
Huy, oppid. Leodiensis ditionis, Huum.
t' Huys de Bretten, locus Hollandiæ, ubi Britanni populi, Armentarium, Armamentarium.
der Huys van Haelderen, locus in Roma, Amphitheatrum.
Hyali, oppid. Amorgi insulæ, Ægiala.
Hyesmes, oppid. Normanniæ, Oximum.
Hymburg, oppid. Austriæ, Comagenum.
Hyrach, provinc. Asiæ, Hyrcania.
Hyth, portus Angliæ in Cantio, Hyta.

I.

Iacamtari, urbs Indiæ citerioris, Sositura.
Iacca, urbs Aragoniæ, ubi Lacetani populi, Iacca.
Iaco, oppid. Thessaliæ, Ialcos.
les Iacques, populi Africæ, Iages.
Iada, insula Archipelagi, Lade.
Iadasou, urbs Indiæ citerioris, Pabbothra.
die Iade, fluv. Frisiæ orientalis, Iadus, Guttalus.
Iadog, fluv. Africæ, Rubricatus.
Iaen, urbs Andalusiæ, Gyrisænorum popul. Aurigi, Giennium, Oningis, aliis Illiturgis.
Iafanapatan, urbs Ceylani insulæ, Iafanapatanum.
Iaffo vel Iaffa, urbs Palæstinæ excisa, Ioppe.
Iagerndorf, oppid. Germaniæ, Carnovia.
Iagny en France, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Iabeniacum.
Iaitis, locus Siciliæ, Acium.
Iaitza, urbs Bosniæ, Gaina, aliis Iayeza.
Iakotyn, oppid. Poloniæ, Iakotynum.
Iala, urbs Indiæ, Iala.
Ialea, regio & urbs Peloponnesi, Elis.
Ialina, palus Epiri, Acherusia.
Ialines, oppid. Cypri, Macaria.
la Ialie, amniculus Galliæ, in Garumnam effluens, Gala.
Iamagorod, arx Sueciæ, Iama.
la Iamaica, insula Americæ, Iamaica.
Iamama, urbs Arabiæ, Iamama.
Iamaysou, regio Iaponiæ, Iamaisetia.
Iamba, urbs Indiæ propriæ, Iamba.
Iambe, urbs Sumatræ insulæ, Iambeum.
Iambol, urbs Bulgariæ, Ioannipolis.
Iamboli, urbs Ætoliæ, & Macedoniæ pars orientalis, Chalcis, & Chalcidica regio.
Iames bay, sinus Americæ septentrionalis, Iacobi sinus.
Iamestowne, urbs Americæ septentrionalis, Iacobipolis.
Iametz, oppid. Lotharingiæ, Iametium.
Iampoli, urbs Phocidis, Hyampolis, Anemoria.
Iancama, regnum Indiæ, Iancama.
Iandelise sur Orne, locus Galliæ, in pago Vabrensi, Gandrilisia, ad Ornam.
S. Iangou, locus Burgundiæ, S. Gengulfi castrum.
Ianizi, oppid. Bœotiæ, Thisbe.
Ianna, regio Græciæ, Epirus: & urbs Ænianum popul. Epiri, Ioanna, Ioannina, Cassiope, aliis Thessalia.
Iannina vel Ioannina, urbs Epiri, Cassiope.
Ianizari, promontor. & oppid. Troadis, Sigeum.
Ianowitz, oppid. Bohemiæ, Ianowitz.
Ians Mayen Eylandt, in Oceano Boreali, Insula Ioannis Maieni.
Iaoeti, vide Giaueti.
Iapan, & Giapan, insula maris Indici, Chryse, Aurea Chersonesus, aliis Iaponia.
Iapara, urbs Indiæ, Iapara.
le Iapon, insula maris Indici seu Eoi, Iaponia.
Iappenow, populi Carnioli, Iapodes.
Iarcazes, insulæ duæ maris Euxini, Cyaneæ.
Iardan, promontor. Peloponnesi, Ichthys.
la Iaretta, fluv. Siciliæ, Terias, aliis Simethus.
Iarettana, vide Ceretana.
Iargeau & Gergeau, oppid. Belsiæ, Iargolium, vel Gargogilum, Gergolium.
Jarnac, oppid. seu castrum Galliæ ad Carantonum fluv. Jarnacum.
Iaromitz, oppid. Bohemiæ, Iaromitia.
Iaroslaw, urbs & Ducatus Moscoviæ, Iaroslavia.
Iaroslaw, oppid. Poloniæ, Iaroslavia.
Iarsay, vide Gerzey.
Iartiere, Germanicè, Hosenband, nomen ordinis equestris in Anglia, Periscelis.

Iassy, urbs Daciæ in Moldavia, Iassium.
Iaziges, populi Sarmatiæ Europææ, Iazyges.
Iati, fluv. Siciliæ, Bathis.
Iato, oppid. Siciliæ, Ietas.
Iava, insula maris Indici, Iabadii, aliis Iava.
Javarçay, oppid. Galliæ, in Pictonibus, Gavarciacum.
Javarin, vide Giavarin.
Jaunay, locus Galliæ, in Pictonibus, ad Clennum fluv. Gelnacum.
Jauulam, oppid. Carinthiæ, Iuenna.
Javols, vel Javoulx, oppidul. Galliæ, in Gabalis, Gabali.
Jauron, locus Galliæ, in Cenomanis, Gabro.
Jawer, urbs Silesiæ, Jauria.
Jayck, fluv. Scythiæ, Rhymnus.
Jaz, populi Sarmatiæ Europææ, Jazyges.
Icaria, vide Nicaria.
Ickborough, oppid. Angliæ, Iciani.
Ichtiman, castrum Thraciæ, Stenimachum.
Idanhas, urbs Portugalliæ ruinata, Igædita.
Idanhia le veja, urbs Portugalliæ ruinata, Igædita.
Idelton, oppid. Angliæ, Sigeleum.
Idenaw, oppid. Bavariæ, Idunum.
der Iderwald, sylva ad fluv. cognominem, Idra.
Idia, locus Hispaniæ, Idiensis.
Idisa, montes Scythiæ, pars Imai, Semanthini.
Idra, insula Lybiæ, Hydra.
Idro, vide Lago di Idro
Idro, oppidul. Italiæ in ditione Veneta, Idrinum.
Iduacal, mons Mauritaniæ, Atlas major.
S. Jean l'Asse, castellum Galliæ, in Pertico, Axeium.
S. Jean au Bois, vicus Galliæ, in sylva Cotia, S. Johannis ad sylvam.
S. Jean de Laone, oppid. Galliæ, in finibus Lingonum, Latona.
S. Jean de Luz, locus Galliæ, in agro Laudunensi, Lusius vicus.
S. Jean de Mont-Faucon, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Mons Falconis.
S. Jean Pié de port, oppid. Galliæ, Imopyrenæum S. Johannis, vide quoque Saint Jean.
Jeble, vicus Galliæ, in Briegio, Ebudum.
Jesserkin, urbs Palæstinæ, Capernaum vel Capharnaum, Tarichea.
Jempterlandt, provinc. Sueciæ, Jemptia.
Jena, urbs parva Germaniæ, Jena.
Jende, lacus Sueciæ, Jendus.
Jendo, urbs Iaponiæ, Jendum.
Jenville, locus Galliæ, ad Rotundam fluv. Genevilla & Ienvilla.
Ienff, urbs Sabaudiæ, Geneva.
Ienffer-see, lacus Sabaudiæ, Lemanus.
Ienisar, oppid. Thessaliæ, Pheræ.
Ienisey, fluv. Moscoviæ, Ienisea.
Ieniza, urbs Macedoniæ, Pella.
Ienkoping, urbs Sueciæ, Ienekopia.
Ienupor, urbs Indiæ, Iempara.
Jerby vel Jerbey, pagus Angliæ, Arbeia.
Jercon, fluv. Pamphyliæ, Eurymedon.
Jere, fluv. Galliæ, in Caletis, Eara.
Jeres, vide Yres.
Jerne, fluv. Gallæciæ, Jerna.
Jero, insula Archipelagi, Gyaros.
Jeron, locus juxta fretum Constantinopolitanum; Jovis Urii fanum.
Jeron Kemelio, locus juxta Constantinopolim, Polichnion.
Jerre, vicus cum Monasterio, Galliæ, in agro Parisiensi, ad fluv. cognom. Edera.
Jersey, insula inter Angliam & Galliam, Cæsarea.
Jeselbas, provinc. Asiæ, Margiana.
Jesi, urbs Marchiæ Anconitanæ, Æsium, Æsis.
Jesolo, urbs Venetiæ eversa, Equilium.
Jesselmere, urbs Indiæ, Jesselmera.
Jesual, urbs Indiæ, Jesualium.
Jesupol, oppid. Poloniæ, Jesupolis.
Jeter, fluv. Mysiæ superioris, Jatrus.
Jethura, pagus Palæstinæ, Athar.
Jethra, mons Asiæ, Emodus.
Jetsegen, regio Iaponiæ, Jetsegena.
Jetsen, regio Iaponiæ, Jetsenga.
Jex & Jexdi, urbs Parthiæ, Hecatompylos, & Parthia, provinc. Asiæ.
If, insula Galliæ, Stœchadum una, Hypæa.
la roche d'Ige, locus Galliæ, Rupes Jalgeru.
Ige, oppid. Carniolæ, Æmonia.
Iglaw, urbs Germaniæ, Gibava & Iglava.
Igle, pagus Trevirensis, Ad aquila.
Igliaco, fluv. Peloponnesi, Peneius.
Igualada, vide Yqualada.
Ihor, urbs Indiæ, Ihora.
Ila, promontor. & insula Scotiæ, una Ebudarum, Epidium.

Iland of Good Fortuyn, in America septentrionali, Fortunæ Divinæ insula.
Ilantz, conventus Rhætorum in fœdere Cano, Ilantium.
Ilbetha, pagus Africæ, Isporis.
Ilcester, oppid. Angliæ. Ischalis.
l'Ile, castellum in Sequanis, Insula. Il. fluv. Galliæ, Ella.
Ilens, regio & populi Sardiniæ, Ilienses.
Iler, fluv. Sueviæ, Hilara, Ilargus & Ilarus.
Ilerda, urbs Catalauniæ, Lerida, aliis Athanagia.
Ilessi, oppid. Hungariæ, Ulmi.
Ilheos, urbs patria Brasiliæ, Insulæ.
Ilkusch, & Ilinsia, oppid. Poloniæ, Ileussum.
Ill. fluv. Germaniæ, Ellus & Hellus, Helelus.
l'Ille, vide l'Isle.
l'Ille, locus Galliæ, in Meldis, Insula.
l'Ilebaune, urbs Galliæ, in Caletis, Julubona.
Illescas, oppid. Castellæ novæ, Titulcia.
Illiers, castellum Galliæ, in Carnutibus, Lalera.
Illora, oppid. regni Granatensis, Ilurgis.
Ilmen, fluv. Persiæ, Aralius.
Ilmen, lacus Moscoviæ, Ilmenus.
Ilo, oppid. Hungariæ, Ulmi.
Ilza, urbecula Poloniæ, Liza.
Im Bart, vide Bart.
Im Thunca, vide Thunca.
Im Zagor, mons Syriæ, Claudius.
Imertipitia, insula Dalmatiæ, Celadussa.
Immacen vel Immaiccen, pagus territorii Genuensis Immanicelum.
Imola, urbs Romandiolæ, Cornelia, Forum Cornelii, aliis Imola.
Imperiale, urbs Americæ meridionalis, Imperialis.
Inacheri, pagus Cretæ, Inatherium.
Inachos, fluv. Epiri, Aphas, Inachus.
Incisa, oppid. Montisferrati, Liburnus.
l'Inde, regio perampla Asiæ, India.
Inde & Indo, fluv. Indiæ, Indus.
Index, fluv. Indiæ, Indus.
India, provinc. Asiæ, India.
India occidentale, novus orbis, Atlantis, aliis America.
Indianos, populi Indiæ, Indi.
Indion, urbs Margianæ, Alexandria, Antiochia, Seleucia.
Indostan, regio Indiæ citerioris, Dachinabades, & India citerior, aliis Megolum regio.
Indovino, oppid. Latii, Lanuvium.
Indre, fluv. Galliæ, in Ligerim effluens, Ingeris, Ander vel Andria.
Indu, fluv. Indiæ, Indus.
Ingadin, tractus Rhætiæ, ubi populi Saruneti.
Ingelheim, oppid. Germaniæ, Ingelheimum.
Ingermanland & Ingrie, provinc. Sueciæ, Ingria.
Inghilterra, regnum Europæ, Anglia.
Ingiuni, oppid. Siciliæ excisum, Engyum.
Ingolstadt, urbs Bavariæ, Ingolstadium, Aureapolis.
Ingrande, vicus Galliæ in Pictonibus, Igorandis.
Inhambane, regnum Africæ, Inhambanum.
Inhamior, regnum Africæ, Inhamiorum.
Iniesta, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Segobriga.
Inisa, mons Scythiæ, Imaus.
Inis Avalon, locus Angliæ, Avalonis.
Inncken, oppid. Carinthiæ, Aguntum.
Innernesse, oppid. Scotiæ, Inneraium.
Inowladislow, oppid. Poloniæ, Inuuladislavia.
Inn & Inn, fluv. Norici, Oenus, Ænus.
Inspruck, urbs Tirolensis Comitatus, Oenipons.
Inslad, oppid. Germaniæ, pars Bataviæ, Bojodurum, Ænistadium.
Interdoco, oppid. Sabinorum, Interocrea.
Ioac, locus Galliæ, in Lemovicibus, Iocundiacum.
Ioannipoli, urbs Bulgariæ, Parustlaba.
Iocelin, oppid. minoris Britanniæ, Iosselinum, vel Goscelini castellum.
Joden, populi Palæstinæ, Judæi.
Jodoigne, vel Judoigne, municipium Belgii, in Flandria. Geldonia.
Joguei, populi Indiæ, Gymnosophistæ.
Joigni, vide Joigny.
Ioigny, oppid. Galliæ, in Senonibus, ad Icaunam fluv. Iuniacum & Ioviniacum.
S. Ioire, locus Galliæ in Delphinatu, S. Georgii castrum.
Ioinville, oppid. Galliæ, ad Matronam fluv. Joanvilla, seu Jovis villa.
Iona, insula Scotiæ, Hii, Ihona.
Ioune, fluv. Galliæ, Ioauna.
Ionquera, oppid. Catalauniæ, Juncaria.
Iortan, urbs Indiæ, Jortanum.
Iosas, locus Galliæ, in diœcesi Parisiensi, Ioviacum, in pago cognom.
S. Iosse, locus Galliæ, in Picardia, Cella S. Jodoci.
S. Josse sur mer, locus Galliæ, in Britannia minore, S. Jodoci cella.
Jou, vide Joux.
Jouarre les Nonnains, monasterium Galliæ, in saltu Jotrensi. Jotrum Nonnarum.
Jouay, vicus Galliæ, in Turonibus, Jocundiacum.
Joué, vel Jouay, locus Galliæ, in Turonibus, Gaudium.
le Jourdain, fluv. Palæstinæ, Jordanis.
Joux, inter Galliam & Helvetiam, pars montis Jura.
Joux vel Jou, monasterium & vicus in monte Jura. It. vicus ad Dubim fluv. Jurensis.
Jouy, vicus Galliæ, in Carnutibus, Gaudiacum.
Jouy le Chastelet, locus in Briegio, Ioviacum Castellum. Item castrum Galliæ, in diœcesi Meldensi, aliàs Jouy sur Morin, Joviacum seu Gaudiacum ad Macram.
Jouy en Josas, vicus Galliæ, in agro Parisino, Josiacum seu Joviacum.
Jouy sur Morin, vide Jouy le chastelet.
Jouy en Pitueraus, locus Galliæ, in Carnutibus, Joviacum.
Jouy le Potier, locus ejusdem regni, in Secalonia, Joviacum Peterii.
Joy en Val, Abbatia Galliæ, in agro Parisiensi, Vallis Gaudii.
Joya, pagus Andaluziæ, Sala.
Joyeuse, locus Galliæ, in agro Vivariensi, Gaudiosa.
Joyne, locus Galliæ, in pago Tardanensi, Jovinlacum.
Joyosa, oppid. regni Valentini, Honosca.
Ipepa, urbs Lydiæ. Hypæpa.
Ipere Gall. Iperen Germ. Vide Ypreen.
Iphrichia, pars mundi, Africa.
Ips, oppid. Austriæ. Vibium.
Ipsala, urbs Thraciæ, Cypsella.
Ipsch, pagus agri Lucemburgensis, Epoissum.
S. Irier de la Perche, villa Galliæ, in Lemovicibus, Atanus.
l'Irio, fluv. Cappadociæ, Iris.
Iris, fluv. Peloponnesi, Eurotas.
Irland, Irlanda, Ireland, insula Europæ, Hibernia, Ivernia.
Irneo, mons Hispaniç, Vindius, Hermus.
Is sur Tille, locus ad Tilam fluv. Icium.
Isarso, pagus Insubriæ, ubi olim populi Hisarci.
Ischar, fluv. Mysiæ superioris, Jatrus, Jeterus, Escamus, Strymon.
Ischeboli, Ischepoli, urbs Thraciæ, Scopelus.
Ischel, oppid. ditionis Salisburgensis, Tutatio.
Ischia, insula Neapolitana, Ænaria, Inarime, Pithecusa.
Ischia, insula maris Tyrrheni, una Oenotridum, Ischia & Ænaria, Iscia.
Ischia, fluv. Mysiæ inferioris, Cius.
Iscodar, urbs Albaniæ, Scodra.
Iselburg, oppid. Geldriæ, Aliso.
Isen, oppid. Sueviæ, Isinisca.
Isenach, urbs Thuringiæ, Isenacum.
Isenberg, mons Sueviæ prope Augustam Vindelicorum, Isidis mons.
Isendick, oppid. Belgii, Isendicum.
Iser, fluv. Bavariæ, Isara.
Isenborn, locus Brabantiæ, Tungrorum fons.
l'Isere, fluv. Delphinatus, Hisara, Isara.
l'Isere, fluv. Flandriæ, Plaudus.
Isernia, urbs regni Neapolitani, Æsernia.
Iserre, aliàs Iseure, vicus Galliæ, in Turonibus, Iciodorum.
Iseure, vide Iserre.
Isilles, vide Esilles.
Isin, pagus & fluv. Bavariæ, Isen. Isinisca.
Isakal Lein Alschemes, urbs Ægypti, Busiris, Ramesses.
Isla, Isle, Isola.
De l'Admiral, in nova Zemla, insula Admiralis.
Isla de Amirante, in mari Æthiopico, insula Admiralis.
d'Ancam, insula Sinarum. Ancamia.
l'Isle d'Annobon, in mari Guineæ, Annoboni insula.
Isles d'Aran, insulæ Hiberniæ, Arania.
Isle d'Armas, insula in ora Santonæ, Armotia.
Isla d'Ascemçan, versùs Brasiliam, Ascensionis insula.
Isla de Aves, insula Caribarum, Avium insula.
Isla, Isle, Isola.
Isla de Aves, una ex Antillis insulis, Avium insula.
Isla de Aves, in mari Lanchidolio, Avium insula.
Isla. Isle, Isola.
l'Isle Bouchart, oppid. Galliæ, Insula Bucardi.
Isle de Bourbon, insula Oceani Æthiopici, Borbonia.
Isle Bouin, insula Galliæ, Bovinum.
l'Isle du Cap Breton, in America septentrionali, insula promontorii Britonis.
Dauphine, insula Africæ, Delphina seu Madagascaria.
l'Isle de France, provinc. Galliæ, Insula Franciæ.
l'Isle de Jourdain, oppid. Galliæ, Insula Jordani.
Islas de Juan Fernandez, in mari Pacifico, insulæ Joannis Ferdinandi.
Isle de Sarck, insula maris Britannici, Arica.
Isla de Denia, insula Valentiæ, Planesia.
de S. Borondon, una ex Canariis, Aprositos.
de Diego Roiz, in Africa, Diduci Roi insulæ.
di S. Margarita, vide Margarita.
Islandt, insula maris Septentrionalis, Thule, aliis Islandia.
Islas de Baiona, insulæ Gallæciæ, Deorum insulæ.
de Cabo Verde, vide Isole di Capo Verde.
de Canaria, insulæ maris Atlantici, Fortunatæ insulæ.
de Fernando Noronha, insula Americæ meridionalis, Ferdinandi Noronhæ.
de Ferdinando Pao, insula Africæ, Ferdinandi Pai.
de Ladrones, in Oceano Indico, insulæ Latronum.
de las Perlas, in mari Austrino, insulæ Unionum.
dos Pescadores, in Oceano Sinico, insulæ Piscatorum.
de Pracel, insulæ Sinenses, Manola.
do Principe, in mari Guineæ, insula Principis.
de Salomon, in mari Pacifico, Salomonis insulæ.
d'Yviza, insula Hispaniæ, Pityusa.
Isle, locus Galliæ, in Remis, Insula.
l'Isle, urbs Flandriæ, Insula.
l'Isle Adam, in Bellovacis, Insula Adami.
l'Isle d'Aix, insula Galliæ, in sinu Aquitanico, Aa vel Agia.
l'Isle-Barbe, insula amnica Galliæ, in Arari, Insula Barbara.
Isle de Bas, insula Angliæ, Barsa.
l'Isle de Bas, insula Galliæ, in Britannia minore, Batha.
l'Isle de Bedasne, aliàs Tourville & Oissel, insula Galliæ, in Normannia, Oscellos.
Bouchard, insula Galliæ, in Turonibus, Insula Bucardi.
de Brehal, aut Brehat, insula Galliæ, in mari Britann. Brehalta.
Dais, insula Galliæ, in Aquitania, Aia.
de Diu, insula Indiæ, Alambater.
Dodon, oppid. Galliæ, in Convenis, Insula Dodonis.
de Figo, insula inter Sardiniam & Corsicam, Phintonis.
de Flaiz, insula Galliæ, in Santonibus, Flasius.
de France, provinc. Galliæ, ubi Parisii populi.
Jourdain, in Lemovicibus, Insula Jordanis.
du Levant seu du Titan, insulæ Provinciæ, Hypæa.
du Lys, insula maris Tyrrheni, Ægilium.
of Man, insula Angliæ, Eubonia.
de S. Marguerite, insula Galliæ, Lero.
des Mousches, in mari Pacifico, insula Muscarum.
de Nermoustier, insula Galliæ, in mari Pictonico, olim Hernis, nunc Insula nigri monasterii.
d'Orre, insula Galliæ, in sinu Aquitanico, Oria.
d'Ouëssant, insula Galliæ, in mari Britannico, Uxantis vel Axantos.
de Ré, insula Galliæ, in sinu Aquitanico, Radis.
de Renards, insula Sarmatiæ, Alopece.
de Sable, in America Boreali, insula Arenæ.
de Sain, insula Galliæ, in mari Britannico, Sena.
du Titan, insula Galliæ, una ex Arcensibus, Titanis nomine celebris.
Islenos, urbs Ciliciæ, Selinus, Trajanopolis.
les Isles des Eres, vel d'Hieres, insulę tres, in mari Gallico, Insulæ Arcenses.
les Isles de Ieres, insulæ Galliæ, Stœchades.
les Isles de S. Marguerite, insulæ Galliæ, S. Margareta dictæ, aliàs Lero, Eerinus, Translero, & Insul. S. Ferreoli.
des Martyrs, in Archipelago S. Lazari, insulæ Martyrum.
de Narbonne, insulæ Linguadociæ, Piplæ.
d'Oleron, insulæ Galliæ, in sinu Aquitanico, Olarionenses.
d'Or, vide le Isles des Eres.
les sept Isles, in mari Britannico, Insulæ septem.

les

des Isles de la Sonde, insulæ in mari Indico, Sinda.
de Vaunes, insulæ Aquitanici Oceani, Nesiades.
des Islois, populi Flandriæ, Insulenses.
Ismid, vide Isnigimid.
Ismyr, urbs Ioniæ, Smyrna.
Isne, urbs Sueviæ, Ysna, aliis Isna & Visna.
Isnich, urbs Bithyniæ, Ascania palus, Nicæa, Antigonia.
Isnigimid, urbs Bithyniæ destructa, Nicomedia.
Isola, insula Tiberis, Lobaum almæ Veneris.
Isola, urbs regni Neapolitani, Insula.
Isola, oppid. Istriæ, Alietum.
Isola, urbs Calabriæ, Esula, Asyla.
Isola, oppidul. Latii, Insula Arpinas, Interamna.
Isola, castrum provinciæ Patrimonii, Veii.
Isola, fluv. Hetruriæ, Cremera.
Isola d'Albenga, insula maris Ligustici, Gallinaria.
Bisentina, insula Hetruriæ in lacu Vulsinio, Tyrus.
delle Capre, insula maris Ægæi, Æga.
di Chizico, insula Propontidis, Porphyrione.
de Colombi, insula maris Africani, Ensipia, Ænesippa.
Comacina, insula lacus Comaceni vel Larii, Comacina.
de Fer, insula Africę, Ferri.
del Ferro, insula una ex Fortunatis, Ombrios, Aprositos. Aliis Pluitalia.
de Flores, insula in mari Atlantico, Florum.
des Gerbes, insula Africæ, Lotophagites.
del Guido, insula prope Corcyram, Prychia.
de Lipari, insula Siciliæ, Æolia.
di Mezzo, insula in ora Dalmatiæ, una Elaphitum.
de Nassau, in mari Indico, insula Nassovia.
del Patriarcha, insula maris Africi, Aphrodites.
dei Prencipe, insula Propontidis, Antigonia, Bebicus.
de Puerto santo, insula in mari Atlantico, Portus sancti.
Rossa, insula inter Sardiniam & Corsicam, Phintonis.
Sacra, ad Tiberis fluv. ostia, Assis.
de saute Alouzie, in America Boreali, insula S. Luciæ.
de S. Andero, in America Boreali, Insula S. Andreæ.
di S. Antiocho, Sardiniæ, Sulcitana insula, aliis Enosis.
de S. Barthelemi, in America, insula S. Bartholomæi.
di S. Bartholomeo vel Bartolameo, urbis Romæ insula, Insula sacra, Lycaonia, Tiberina insula.
de S. Borondon, in mari Atlantico, Ombrios, Inaccessibilis, Aprositos.
de sainte Catherine, in America Boreali, insula S. Catharinæ.
de S. Christophle, in America, insula S. Christophori.
de sainte Croix, in America Boreali, insula S. Crucis.
di S. Domino, vide S. Domino.
de S. Eustache, in America Boreali, insula S. Eustachii.
di S. Giulio, insula lacus Hortani in Mediolanensi Ducatu, Insula S. Julii.
de sainte Helene, in Oceano Æthiopico, insula S. Helenæ.
di S. Honorato, vide S. Honorato.
de S. Jean, in nova Francia, insula S. Ioannis.
de S. Juan, in Philippinis, insula S. Joannis.
de S. Juan de puerto ricco, in America Boreali, insula S. Ioannis de portu divite.
de sainte Marie & Nossi Hibrahim, prope Madagascariam, insula S. Mariæ.
di S. Martiano, insula Siciliç, Plemmyrium.
de S. Martin, in America, insula S. Martini.
de sainte Marguerite, insula Galliæ Narbonensis, Lero.
di S. Maura, insula Epiri, Prinoessa, aliis Leucas.
de S. Miguel, in mari Indico, insula S. Michaelis.
de S. Michele, insula maris Adriatici, Michaelia.
de S. Miguel, insula maris Atlantici, Michaelia.
de S. Pierre, insula Sardiniç, Accipitrum seu Hieracum insula.
di S. Pietro, insula Sardiniæ, Hieracum insula.
di S. Pietro, insula Cariæ, Pidosus.
de S. Thome, in Africa in mari Guineæ, insula S. Thomæ.
de S. Vincent, in America, insula S. Vicentii.
Serrana, in America Boreali, insula Serrana.
del Toro, insula Sardiniæ, Molybodes, Plumbea.
di Zara, insula Sclavoniæ, Lissa.
l'Isole del Arcipelago, insulæ maris Ægæi, Cyclades & Sporades.
di Bajona, insulæ Gallæciæ, Lancia, Albianus & Cincia, aliis Cicæ & Deorum insulæ.
Canarie, insulæ maris Atlantici, Fortunatæ insulæ.
di Capo Verde, insulæ Atlantici maris, Gorgones, Hesperides, Capitis viridis insulæ.
del Compare, vide Val di Compare.
di Correnti, vide le Corrente.
d'Eri, insulæ in mari Gallico, Areenses.
di Mezzo, insulæ 3. Dalmatiæ, Elaphites.
di S. Maria & S. Michel, maris Atlantici, Atlanticæ insulæ.
di S. Pietro, insulæ Sardiniæ, Molybodes.
l'Isole delle Smirne, Pystira, & aliæ insulæ Asię.
Isona, pagus Catalauniæ, ubi Ætouenses populi.
l'Isonzo, fluv. Forojulii, Isontius, Natiso, Sontius.
Isperite, mons & pagus Thraciæ, Sparte.
Issandon, oppid. Galliæ, in Lemovicibus, Exaudo.
Issel, vide Ysel.
Issoire, urbs est Galliæ, Issorium.
Issoire, vicus Galliæ, in Arvernis, Iciodorum.
Issoudun, oppid. Galliæ, Exoldorum.
Issy, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, ad Sequanam, Issiacum.
Ista, pagus Corsicæ, Alista.
Istar, urbs Samariæ excisa Sichem.
Istechia, oppid. Peloponnesi, Electra, Leuctrum.
Isthme de Panama, tractus Americæ, Isthmus Panamæ.
Istigias, urbs Bactrianæ, Charispa, Zariaspa, Bactra.
Istria, provinc. Italiæ, Histria, Istria.
Istrig, fluv. Valacchiæ, Sargetia.
Isluth, vide Y-stwith.
Italia, regio Europæ, Italia.
Italica, urbs Syriæ, Heraclea.
Ithancester, oppid. Essexiæ ad fluv. Pentem, Ad ansam, Othona.
Itro & Itri, oppid. Latii in regno Neapolitano, Mamurrharum, aliis, Itrum.
Itzeho, urbs Daniæ, Itzehoa.
Iuanogorod, arx Ingriæ, Iuanogroda.
Iucatan, regio novæ Hispaniæ, Iucatania.
Iudenberg, oppid. Carinthiæ, Idunum.
Iudenburg, urbs Stiriç, Iudenburgum.
Iudia, & Odiaa, urbs Indiæ ulterioris, Iudia.
Iudica, oppid. Siciliæ vastatum, Hybla minor, Tyella.
Iudicello, fluv. Siciliæ, Amenanus.
Iuelcester, vide Ilcester.
Iuelmouth, æstuarium Angliæ, Vexala, Uxela.
Iuette, amnis Galliæ, in Urbiam effluens, Iveta.
Iuges dessus l'orme, nomen Judicum, in Gallia, Iudices sub orno.
Iugon, oppid. Britanniæ minoris, Iugo.
Iuhorski, provinc. Moscoviæ, Iugra.
la Iuierie, unus ex vicis urbis Meldorum, in Gallia, Iudæaria.
Iuifs, populi Palæstinæ, Iudæi.
Iuilly, locus Galliæ, cum monasterio, in diœcesi Meldensi, Item in Lingonibus, Iuliacum.
Iuine, fluv. Burgundiæ, Iunna.
S. Iulien du Saut, oppid. Galliæ, ad Icaunam, S. Iuliani de Saltu.
Iuliers, urbs Germaniç, Iuliacum,
Iumieges, cœnobium Galliæ, Gemeticum.
Iuncto, mons Portugalliæ, Tagrus.
Iunnan, provinc. Sinarum, Iunnania.
Iunnan, urbs Sinarum, Iunnanum.
Iunquera, vide Ionquera.
Iuois, oppid. Lucemburgi, Epoissus, Iuodium.
Iupile, pagus Leodiensis ditionis, Iopilia.
Iupile vel Iopil, villa olim publica, ad Mosam, Iopila.
Iura Yl, insula Scotiæ, Iura.
Iurat, pars Iuræ montis, inter Burgundiam & Helvetiam.
Iurea, urbs Pedemontii, Eporedia.
Iurgano, oppid. Valacchiæ, Frateria.
Iurten, mons Burgundiæ, Iura.
Ivry, oppidul. Galliæ, in Aulercis Eburovicibus, Ebrejum. Item vicus agri Parisini, Iuriacum.
S. Iust, vicus Galliæ, ad Icaunam, S. Iusti.
mont-Iustin, castrum Comitatus Burgundiæ, Iustina.
Iustinopoli, vide Cavo d'Istria.
Iutlander, populi; Sabalingii, & Iutlandt, regio Daniæ, Iutia, Cimbrica Chersonesus.
Iuvignieu, locus Galliæ, Iovinjacum vel Iuviniacum.
Iuvisy, vicus ejusdem regni, in agro Parisino, Gevisiacum.
Ixar, oppid. Aragoniæ, Ixarium.
Izli, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Githil, Gilva.

K.

KAemps, oppid. Germaniæ superioris, Cambetis, Cambate.
Kammachites, populi Tartariæ magnæ, Kalmachitæ.
Kala, Chrêtes, cœnobium Campaniæ Gallicæ, Cale.
Kalbe, oppid. Saxoniæ, Calacia.
Kalcacester, oppid. Angliæ, Calcaria.
Kalenberg, montis pars inter Noricum & Pannoniam, Cetii.
Kalisch, urbs Poloniæ, Calisia.
Kalmar, urbs Gothiæ, Calmaria.
Kalmontz, oppid. Palatinatus superioris, Celmantia.
Kam, provinc. Africæ, Ægypnus.
Kamos, vel Kemps, vide Kaemps.
Kamieniek, urbs Poloniç, Camenecia & Clepidava.
Kanow, oppid. Poloniæ, Kaniovia.
Karkessa, oppid. Arabiæ desertæ, Charchamis.
Karn Tuurn, mons Carinthiæ, ubi populi Norici Taurisci.
Karnwald, in Helvetiis, Carna sylva.
Karopnitze, mons Macedoniæ, Orbelus.
Karosca & Curuska, oppid. Hungariæ, Cornacum.
Kassel, vide Cassel.
Kastel, locus juxta Moguntiam, Trajani monumentum.
Kato, pagus Palæstinæ, Manatheth, Cathot.
Katzenelebogen, vide Catzenelebogen.
Kaufbeurn, urbs Germaniæ, Kaufbura.
Kaumberg, mons Austriæ, Comagenus.
Keccio, urbs regni Tunchini in India, Daona.
Keisers Lautern, urbs Germaniæ, Cæsareopolis.
Keiserswerd, vel Keiserswert, oppid. & monasterium Germaniæ, Insula Rheni.
Keiserswerd, vide Keyserswerd.
Kelaggebar, oppid. Arabiæ petrææ, Petra deserti.
Keldan, provinc. Asiæ, Chaldæa.
Kelh, aut Kil, fluv. Germaniæ, Celbis.
Kellen, vicus Clivensis Ducatus, Trajana colonia.
Keller ampt, in agro Bremogartensi, Cellæ præfectura.
Kellnsey, Angliæ promontor. Ocelli promontorium.
Kelmantz, oppid. Sueviæ, Calimons, Celimons.
Kemach, urbs Siliciæ, Camachus.
Kemois, populi Cocinsinæ, Kemi.
Kempen vel Kampen, tractus Brabantiæ, ubi Toxandri populi, aliis Campinia.
Kempenland, vide Kempen.
Kemper, civitas Galliæ, Curiosolitum, Cornuba.
Kemper Corentin, oppid. Galliæ, in Armorica, olim Alanna.
Kempten, urbs Sueviæ, Drusomagus, Campodunum, Campidona.
Kenchester, oppid. Angliæ, Ariconium.
Kendal, oppid. Angliæ, Cancangium.
Kenkis, urbs Thraciæ, Anchialus.
Kennemerlandt, tractus Hollandiæ, ubi Caninefates populi.
Kennet, oppid. Angliç, Canetio.
Kent, regio & promontor. Angliæ, Cantium.
Keregi, populi Germaniæ, Obotritæ.
Keresbania, vide Kereswarya.
Kereswania, oppid. Transylvaniæ, Aurariarum.
Kerez, vide Keureux.
Kerka, fluv. Illyrici, Titius.
Kerlburg, oppidul. Hungariæ, Geralata.
Kermen, urbs Thraciæ, Germia.
Im Kermen, promontor. Tauricæ Chersonesi, Criumetopon.
Kernaw, vide Cernuo.
Keroska, oppid. Pannoniæ, Cucci.
Kerry Countie, in Hibernia, Kerriensis Comitatus.
Kersoy, vide Cherso.
Kersteuryck, pars quarta orbis, Europa.
Kerume, oppid. Bithyniæ, Ceramea.
Keschisdag, mons Mysiæ, Masius, Olympus.
Kesmarckt & Keysersmarckt, oppid. Hungariæ, Cæsareopolis.
Kesse, oppid. Thraciæ, Cissus.
Kessel & Kassel, oppid. Brabantiæ, Castellum Menapiorum.
Keureux, fluv. Transylvaniæ, Chrysius, Cusus.
Kew, pagus Hungariæ, Onochtrimum.
Kexholm, provinc. Sueciæ & oppid. Kexholmia.
Keysterstul, oppid. Helvetiæ, Forum Tiberii.
Keyserswerd, oppid. Germaniæ inferioris, Trajana colonia, Colonia Trajana.
Kharnburg, oppid. Pannoniæ superioris, Carrodunum.
Khomus, provinc. Persiæ, Margiana.
Kiburg, oppid. Helvetiorum, Kiburgium.

Kiel, urbs Holsatiæ, Chilonium.
Kengara, vide Cangria.
Kil, fluv. ditionis Trevirensis, Gelbis.
Kildare, urbs Hiberniæ, Kildaria.
Kildare Countie, Comitatus Hiberniæ, Kildariensis Comitatus.
Kile, provinc. Scotiæ, Covalia.
Kilia, urbs Mysiæ inferioris, Gallatia & insula, Achillea.
Kilkenny, urbs Hiberniæ, Fanum Canici, Kilchennia.
Kilkenny Countie, Hiberniæ, Kilkenniensis Comitatus.
Kil lair, locus Hiberniæ, Laberus.
Killian, fluv. Scotiæ, Celnius.
Kilmalock, urbs Hiberniæ, Kilmalocum.
Kilmore, urbs Hiberniæ, Chilmoria & Kilmoria.
Kiloom, urbs Hiberniæ, Cluanum.
Kinges Countye, pars Hiberniæ, Regis Comitatus.
Kinges towne, urbs Hiberniæ, Regiopolis.
Kinsale, urbs Hiberniæ, Kinsalia.
Kintzen, vide Kyntzen.
Kiow, urbs Lituaniæ, Kiovia.
Kiow & Kioff, urbs Poloniæ in Volhinia, Kiovia.
Kiow & Kiovia, urbs Mysiæ inferioris excisa, Tomis.
Kirchem, oppid. Alsatiæ, ubi Triboces populi.
Kiri, amnis Illyrici, Drinus.
Kirkbysteven, oppidul. Angliæ, Fanum S. Stephani.
Kirkreul, urbs Scotiæ, Reguli Fanum, Andreapolis.
Kirkwall & Kirkwale, urbs Pomonæ insul. Scotię, Carcoviana.
Kisdarnoczi, mons Hungariæ, Claudius.
Klagenfurt & Clagenfurt, urbs Carinthiæ, Claudia, Claudivium.
Klausenburg, urbs Transylvaniæ, Claudiopolis, Zeugma.
Kleckgow, regio Germaniæ, Eremus Helvetiorum.
Klein Brabant, regiuncula Brabantiæ, Brachbantium.
Klein Glogaw, oppid. Silesiæ, Glogavia minor.
Klosternenburg, oppid. Austriæ, Claudivium.
Knapdaile, provinc. Scotiæ, Knapdalia.
Knaringen, oppid. Germaniæ, Grinario.
Knin, oppid. Dalmatiæ, Arduba.
Knocfergus, urbs Hiberniæ, Rupes Fergusii.
Knytlinger steig, locus prope Heydelbergam, Pyri mons.
Kocchaw, vide Kotting.
Kochel, locus Bavariæ, Coveliacæ.
Kochersberg, oppid. Alsatiæ, Concordia.
Kockenhausz, oppid. Livoniæ, Kockenhusia.
Kogel, locus Bavariæ, Joviacum, Laviacum.
Kola, emporium Russiæ in Lappia, Cola, Kola.
Koldinguen, urbs Daniæ, Coldinga.
Kolom, urbs Moscoviæ, Columna.
Kolosvar, vide Klausenburg.
Komar, oppid. Hungariæ, Crumerum, aliis Comara.
Kongel, urbs Norwegiæ, Congella.
Konigsberg, urbs Prussiæ, Mons Regius, aliis Regiomons.
Koningesgard, arx Islandiæ, Besteda.
Koningsgretz, urbs Bohemiæ, Hradium Regina.
Konitz, urbs Poloniæ, Conitia.
Kopersberg, oppid. Sueciæ, Cuprimontium.
Kopizath, mons Scythiæ, Imaus.
Koppan, urbs Hungariæ, Campona, Copanum.
Koppel, pagus Hungariæ, Campona.
Koppenhagen, urbs Daniæ, Hafnia.
Korbaten, regio Colapianorum popul. Croatię.
Kornthaurn, mons Carinthiæ, Taurus.
Korsoe, urbecula Daniæ, Corsoa.
Korsum, oppid. Poloniæ, Korsuma.
Kotting, regio Cotuantiorum popul. Rhætię.
Kotwig, oppid. Austrię, Cetium.
Kouuno, urbs Polonię, Conuna.
Krabaten, populi Croatiæ regionis, Chrobata, Horbatii.
Krach, urbs Arabiæ petrææ, Petra.
Krain & Carniole, provinc. Germaniæ, Carniola.
Krainburg, oppid. Bavariæ, Carrodunum.
Krainburg, oppid. Germaniæ, Carnioburgum.
Krainburg, oppid. Rhætię, Carrodunum.
Krainburg, urbs Norici, Carrodunum, Noviodunum.
Krainer, populi Carniolæ, Carni Taurisci, Japodes.
Kraiss, fluv. Transylvaniæ, Chrysius.
Krakow, urbs Poloniæ, Carrodunum, Cracovia.
Kranenburg, oppid. Ducatus Clivensis, Burcinacum.
Kraus, mons Macedonię, Scardus.
Kratzer, mons Lotharingiæ, Vogesus.
Kray, fluv. Angliæ, Jena
Krayn, regio Illyrici, Liburnia.
Kreckornwel, oppid. Angliæ, Uxella, Uxella.
Krems, urbs Austriæ, Cremsa, Cremisium.
Kreutznach, oppid. Palatinatus, Cruciniacum, Stauronesus.
Krivieczne, mons Thraciæ, Hæmus.
Kronstadt, vide Cronstat.
Krumler Taurn & Krumlech-thaurn, pars Alpium in Carinthia, ubi Norici Taurisci, Taurus.
Krup, vide Kulp.
Kruppa, fluv. Mysiæ, Carpis.
Kudack, oppid. Poloniæ, Kudacum.
Kulp, fluv. Croatiæ, Culpa, Colapis.
Kunigsberg, oppid. Carniolæ, Regis mons.
Kunigsberg, vide Konigsberg.
Kunigwiser, tractus & populi Germaniæ, Teracatriæ campi.
Kunman, oppid. Cenimagnorum popul. Angliæ.
Kunmänner, populi Galliæ, Cenomani.
Kuryma, oppid. Valacchiæ, Carsidava.
Kurzitadan, urbs Palæstinæ, Hierosolyma.
Kussy, oppid. Valachiæ, Augustia.
Kuttenberg, urbs Bohemiæ, Cutnæ, ubi Gothini populi.
Kyntzen, oppid. Bavariæ excisum, Augusta Quintanorum, Quintanæ.

L.

LAbach & Laybach, urbs Carniolæ, Labacum, Nauportus.
Labathian, oppid. Hungariæ, Commercium.
Labe, fluv. Germaniæ, Albis.
Labina, castrum Cremonense, Bebriacum, Biberiacum.
Laberinto, mons Cretæ, Dicte, Dictæus.
Labroia, locus Burgundiæ Comitatus, ubi populi Prausi.
Labus, fluv. Scythiæ Europeæ, Athres.
Lac, vide Lago.
Lac de Neurol, in Helvetia, Biennensis lacus.
Lac de Vastan, in Armenia, Arcissa palus.
Lacari, fluv. Hiberniæ, Libnius.
Lacedogna, urbs regni Neapolitani, Aquilonia, Laquedonia, Erdonia.
Lacerca, urbs Ioniæ, Lebedus.
Lacha, mons Thessaliæ, Olympus.
Lachi, oppid. Macedoniæ, Petra.
Laconiano, oppid. regni Neapolitani, Æculanum, Eclanum.
Lacosichia, regio Macedoniæ, Pieria.
Ladenbourg, oppid. Germaniæ, Ladenburgum.
Ladi, fluv. Albaniæ, Cyrrhus.
Ladog, fluv. Africæ, Rubricatus.
Ladoga, lacus Europæ amplissimus, Ladoga.
Laspdari, fluv. Ætoliæ, Lycormas.
Lagara, urbs Calabriæ eversa, Lagaria.
Laghi, urbs Arabiæ, Laghuum.
Laghlyn, oppid. Hiberniæ, Laghlinia.
L'Aguo, vide l'Agno.
Lagny, oppid. Galliæ, Latiniacum.
Lagny le sec, vicus Galliæ in Meldis, Latiniacum Siccum.
Lago, Lac
d'Alessandria, palus Ægypti, Maria.
di Altobosco, palus Asiæ minoris, Selenusia.
d'Amu, palus Sogdianæ, Oxiane.
di Anguillara, Hetturiæ, Sabatinus lacus.
di Antacon, lacus Ægypti, Arapotes.
d'Averno, lacus Campaniæ, Avernus.
di Balaton, vide Balaton.
di Bassanello, vide Lago Vadimone.
di Bendemal, lacus Armeniæ vel Mediæ, Mariane, Mantiana.
de Bientina, in Hetruria, Bientinus.
di Bolsena, lacus Hetruriæ, Volsiniensis.
di Bracciano, Hetruriæ, Sabatinus lacus, Sabatus.
di Buchiara, palus Ægypti, Mareotis.
di Burgian, palus Ariæ regionis, Aria.
di Burano, lacus Hetruriæ, Prille, Aprilis.
di Camarana, palus Siciliæ, Camerina.
de Cap de Estang, Linguadociæ, Rubrensis lacus.
di Capo di monte, vide Lago di Bolsena.
di Caps, palus Africę, Tritonias.
di Castel Gandolfo, lacus Latii, Albanus.
di Castiglione, lacus Hetruriæ, Prille, Trasimenus.
di Castro Joanni, lacus Siciliæ, Pergusa.
di Celano, lacus Latii, Fucinus.
della Colucia, lacus Campaniæ, Acherusia, Servilii Vaciæ villa.
di Comacchio, in Romandiola, Origanum.
di Comidia, lacus Bithyniæ, Sunonensis.
di Como, lacus Insubrię, Larius, Comacenus.
de Constance seu Bodenzée, lacus Sueviæ, Brigantinus, Veneius, seu Podamicus.
di Constanza, lacus Suevię, Venetus, aliis Constantiensis.
Lago, Lac
di Contigliano, lacus Sabinorum, Cutilia, Aqua Cutiliæ.
de Coras, lacus Tartariæ, Coras.
di Exsechia, vide Exsechia.
di Ferona, lacus juxta Feroniam oppidum Latii.
di Fondi, lacus Latii, Fundanus.
di Garda, lacus Lombardiæ, Benacus.
di Genesareth, lacus Palæstinæ, Genesara, Tiberiadis lacus.
de Geneve, lacus Sabaudiæ, Lemanus.
di Geneura, lacus Sabaudiæ, Lemanus.
di Genfar, lacus Bœotiæ, Bebeis.
di Giocho, palus Armeniæ, Arsissa.
di Geridan, lacus Siciliæ, Pergus.
de Guarde, in Nigritia, Guardiæ lacus.
di Guber, lacus Æthiopiæ, Nigritis palus.
di Janna, lacus Epiri, Acherusia.
di Idro, Cenomaniæ Italicæ, Brigantinus lacus.
di Jensano, lacus Latii, Triviæ lacus.
Ipibat, stagnum Mysiæ Asiaticæ, Artynia.
d'Iseo, lacus Territorii Bresciani, Sebinus, Sevinus.
di Isnich, vide Isnich.
di Jubat, palus Mysiæ Asiaticæ, Artynia.
di Leontini, lacus Siciliæ, Herculeus lacus.
di Lesica, lacus Apuliæ, Pantanus.
di Licola, lacus Campaniæ juxta Bajas, Lucrinus.
de Locata, palus Linguadociæ, Sordice.
Lochrida, vide Lago del' Ochrida.
di Losanna & de Losane, lacus apud Genevam & Lausonium, Lausonius, Lemanus.
di Lucerne, lacus Helvetiorum, Lucerinus.
di Lugano, lacus Insubriæ, Lucanus.
di Lupo, unum Elorinorum stagnorum in Sicilia.
Maggiore, lacus Insubriæ, Verbanus lacus.
di Maracaybo, lacus Americæ meridionalis, Maracaybus.
di Marogna, lacus Thraciæ, Maris.
di Marso, lacus Latii, Fucinus.
di Marta, lacus Hetruriæ, Volsiniensis.
de Mexico, lacus in nova Hispania, Mexicanus.
di Mezzano, lac... Ducatus Castrensis, Stationensis.
di Monte Orfilo, lacus Insubriæ, Eupilis.
Naffia vel Naphtia, in Sicilia, Palicorum lacus.
de Narbonne, stagnum Linguadociæ, Rubrensis lacus.
di Nemi, Latii, Triviæ lacus.
di Nicaragua, lacus in nova Hispania, Nicaragua.
di Nicea, palus Bithyniæ, Ascania.
de Nostre-Dame du Danube, lacus Mysiæ inferioris, Halmyris.
del' Ochrida, lacus Macedoniæ, Dassarites, Lychnidus, Lychnittus.
di Orbitello, lacus Thusciæ, Marinus.
Pantano, vide Pantano.
de Parime, lacus in America, Parimeus.
di Passignano, lacus Hetruriæ, Trasimenus.
di Patria, Campaniæ Italicæ, Linterna palus.
di Perugia, lacus Hetruriæ, Trasimenus.
di Pie di Luco, Sabinorum, Velinus lacus.
di Pusiano, lacus Insubriæ, Eupilis.
Ravetti, unum Elorinorum stagnorum in Sicilia.
di Rieti, palus Sabinorum, Reatina.
di Ronciglione, Hetruriæ, Ciminius lacus.
di Salpe, lacus Apuliæ, Salapina palus.
Salso, lacus Capitanatæ, Anduriacus.
di S. Prassede, lacus Latii, Regillus.
S. Severa, lacus Latii, Regillus.
di Scutari, lacus Dalmatiæ, Labeatis.
di Serta, palus Africæ, Lycomedis.
di Sesehan, vide Sesehan.
Stivo, lacus Bœotiæ, Copais.
di Stracciacappa, lacus Hetruriæ, Papirianus
Sudatorio, lacus prope Baias, Anius.
di Tagliacozzo, lacus Latii, Fucinus.
di Terracina, palus Latii, Pontina.
di Terni, lacus Umbriæ, Velinus.
di Tripergola, lacus Campanię Italicę, Avernus.
Vadimone, lacus Hetruriæ, Vadimonis lacus.
di Varano, lacus Apuliæ, Gerne, aliis Varanus.
Versentino, lacus Apuliæ, Mandurius.
di Vico, lacus Hetruriæ, Ciminius.
di Viterbo, Hetruriæ, Vadimonis lacus.
di Vulsi, palus Arcadiæ, Stymphalis.
de los Xaraies, Americæ meridionalis, Xaraiorum lacus.
de Zaflan, lacus Æthiopiæ, Zaflanus.
de Zaire, lacus Æthiopiæ, Zairus.
de Zambre, lacus Æthiopiæ, Zamberus.
de Zell, lacus Germaniæ, Cellensis.
de Zurich, lacus Helvetiorum, Tigurinus.

La-

Lagonero, oppid. Lucaniæ, Nerulum.
Lagos, urbs Algarbiæ, Lacobrica, aliis Lancobrica.
Lagosta, insula Dalmatiæ, Ladesta.
Lagoviscino, oppid. Macedoniæ, Myeza.
Lagula, oppid. Bithyniæ, Ateoe.
Lagula, urbs Lyciæ, Calinda.
Lagune di Venetia, pars maris Adriatici, Gallicæ paludes, Septemmaria, Stagna Hadriatica.
Lagusta, insula Dalmatiæ, Celadussæ vel Celaduse.
Laholm, oppid. Sueciæ, Laholmia.
Lahor, urbs Indiæ, Laborinum, Bucephala.
Laiazzo, urbs Ciliciæ, Issus.
Laiere, pagus Corsicæ, Arenosum littus.
Lagny, vicus Galliæ, in agro Parisino, Latiniacum.
Laimon, fretum prope Constantinopolim, Bosporus Thracius.
Laino, oppid. & fluv. Calabriæ citerioris, Laus.
Lairac, vicus Galliæ, in Medulis, Lariacum.
Laire, fluv. Bojorum, in Gallia, Lerin.
Lakeum, oppid. Hungariæ, Prætorium Latovicorum.
Lalande, insula Daniæ, Lalandia.
Lali, fluv. Asiæ minoris, Halys.
Lalisa, urbs Cœlesyriæ, Laodicea.
Lamarante, oppid. Portugalliæ, Araducta.
Lambach, oppid. Austriæ, Ovilabu.
Lambale, oppid. Britanniæ minoris, Lambalium.
Lamberville, locus Galliæ, in Caletis, Lamberti villa.
Lambese, oppid. Provinciæ, Lambesca.
Lambesca, urbs Africæ, Lambese.
Lambina, oppid. Phocidis, Amphissa.
Lambra, pagus Insubriæ, ubi olim Lambrani populi.
Lambro, fluv. Insubriæ, Lambrus.
Lamegal, castrum Portugalliæ, Lama.
Lamego, urbs Lusitaniæ, Lacoximurgi, Lamaca, Lameca.
Lamentana, pagus Sabinorum, Nomentanum, aliis Nomentum.
Lameto, fluv. Calabriæ, Lametus.
Lamia, portus Bithyniæ, Amyeli.
Lamina, oppid. Thessaliæ, & ipsa Thessalia, regio Græciæ, Hamile, Lamia.
Lamo, regnum Africæ, Lamum.
Lamo, urbs Ciliciæ, Lamus.
Lampach, monasterium Austriæ, Tergolape.
Lampedosa, insula Africæ, Lopadusa.
Lampsico, urbs Mysiæ Asiaticæ, Lampsacus.
Lampta, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Vobrix.
Lampuraa, urbs Indiæ ulterioris, Selampura.
Lancashire, provinc. Angliæ, Lancastria.
Lancaster, urbs Angliæ, Alion, Alione, Mediolanum, aliis Lancastria.
Lancerotta, una ex Fortunatis, Junonia insula.
Lanchester, oppid. Angliæ, Longovicum.
Lanciano, urbs Aprutii, Anxanum.
Landaff, urbs parva Angliæ, Landava.
Landes, tractus Aquitaniæ, ubi Vasatæ populi.
Landaw, urbs Germaniæ, Landavia.
Landen, villa Pipini, in Hasbaniæ, Brabantiæque confinio, Landinum.
Landramiti, urbs Phrygiæ, Adramyttium.
Landrecy, urbs Belgii, in Hannonia, Landrecium.
der Landrichter, in Rhætia, Præfectus fœderis.
the Lands end, promontor. Cornubiæ, Antivestæum, Bolerium, Ocrinum.
Landshut, urbs Germaniæ, Landshutum.
Landshut, urbs Bavariæ, ubi Consuanetes populi.
Landskroon, urbs Daniæ, Stephanopolis, Corona.
Landsperg, urbs Germaniæ, Landspergo.
Landsperg, urbs Bavariæ, Landsperga.
Landspurg, urbs Sclavoniæ, Segestica.
Landt over Yssel, vide Overissel.
t' Landt van Eendracht, pars terræ Australis, Concordiæ regio.
d' Landt van Luyck, diœcesis Leodiensis, Carbonarius saltus, aliis pars sylvæ Arduennæ, aliis Leodiensis ditio.
t' Landt van Peeter Nuitz, pars terræ Australis, Nuitz regio.
d' Landt van Rhen, tractus Belgii, ubi Ambivariti populi.
Landtuberwaldt, locus Daciæ in Valacchia, Translucum.
Landtvogty, tractus Rhætiæ, ubi Suanetes populi.
Langanico, urbs Peloponnesi, Olympia.
Langascho, pagus Genuensis, ubi olim Langienses populi.
Langeay vel Langeai, oppidul. Galliæ, in Turonibus, Alingavia, vel Langiacum.
Langest, oppid. & portus Aquitaniæ, Alingonis portus.
Langlandt, insula Daniæ, una Hemodum, ubi Lagnus sinus, aliis Langelandia.
Lango, insula Archipelagi, Cos, Coos.
Langon, oppid. Aquitaniæ, Alingonis portus.
Langres, oppid. Galliæ, Andomatunum, Antematunum, ubi olim Lingones populi.
Langroiva, pagus Lusitaniæ, Lancobrica.
Langsee, lacus Insubriæ, Verbanus lacus.
Langis, fluv. Aquitaniæ, Aturus.
Languedoc, provinc. Galliæ, ubi Volcæ, Septimani populi, aliis Occitania.
Languillade, insula Provinciæ, Blascon, Metina.
Langeac, locus Galliæ ad Elaver fluv. Langiacum.
Lanieu en Bugey, vicus Galliæ, Latiniacum.
Laniza, fluv. Mysiæ inferioris, Panysus.
Lanschet, urbs Poloniæ, Lancicia.
Lanissa, oppid. Pedemontii, Axima.
Lantaine, fluv. Burgundiæ Comitatensis, Lantana.
Lantriguier, vide Treguier.
Lanz, oppid. Pedemontii, Axima.
Lanzano, urbs Aprutii, Anxanum.
Lanzarote vel Lanzerotta, una ex Fortunatis insulis, Pluitalia.
Laon, urbs Picardiæ, Laudunum.
Laorma, vide Lauria.
Laorzatos, oppid. Transylvaniæ, Lizisis.
Lapord, vel le pais de Lapourd, aliàs Labord, urbs Galliæ, Lapurdum seu Ilaßona.
Lapathior, urbs Cypri, Lapithus, Lapathos.
Lappa, pagus Cretæ, Lappa.
la Lappowe, regio Scandinaviæ, Lapponia.
Lapiisa, Siciliæ fluv. Hypsa.
Lar, vide Porto Lar.
Lar, urbs Persiæ, Lara.
Lara, oppid. Hispaniæ, Lara.
Larach, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Lixa.
Laranda, urbs Asiæ minoris, Laranda.
Larass, vide Larach.
Lard, oppid. Africæ, Aspis.
Lardy, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, ad Junnam fluv. Larduarum.
Larfeld, oppid. vel pagus Norici, Larices.
Larghier, urbs Sardiniæ, Turras
Larras, insula Provinciæ, una Stœchadum.
Larino, urbs Aprutii, Larinum.
Laris, urbs Palæstinæ, Larissa.
Larissa, urbs Palæstinæ, Anthedon, Matuma & Casius mons.
Larissa, fluv. Thraciæ, Melas.
Larite, fluv. Sarmatiæ, Avirrites.
Larizzo, urbs Thessaliæ, Larissa.
Larobo, oppid. Mauritaniæ, Collops parvus.
Laroro, mons Hispaniæ, Laditus.
Larone, fluv. Hetruriæ, Laros, Laro.
Larsa, vide Larizzo.
Larso, urbs Thessaliæ, Larissa.
Larta, vide l'Arta.
Larta, regio Græciæ, Epirus.
Lartacho, fluv. Mysiæ Asiaticæ, Rhyndacus, aliis Lycus.
Larzis, oppid. Serviæ, Vellanis.
Lasa, oppid. Laconiæ, Las.
Lasa & Laas, regnum Tartariæ, Lassa.
Lasnebourg, seu Lanslebourg, burgus Sabaudiæ, Anteburgus & Lanebargium.
Laspi, urbs Mysiæ Asiaticæ, Priapus.
Lassiti, mons Cretæ, Dicte.
Lastre, insulæ Dalmatiæ, Celadussæ.
Lataraco, oppid. Calabriæ, Erriculum, Hetriculum.
Lates, castellum Linguadociæ, Latara.
S. Latier, castellum Galliæ, in Delphinatu, S. Eleutherii.
Latiti, fluv. Sarmatiæ Asiaticæ, Anticites, Atticitus.
Lavagna, fluv. & oppid. Liguriæ, Entella, Lebonia, aliis Libarna, Lavania.
Laval, oppid. Galliæ Celticæ, ubi Vaguli populi, Lavallium.
Lavanmynd, urbs Germaniæ, Lavantmunda.
Lavardin, castrum Galliæ, ad Lidericum fluv. Lavarzinum.
Lavaur, urbs Occitaniæ, Vaurium.
Laubenburg & Lawenburg, urbs Germaniæ, Canonum.
Lauden, regio Scotiæ, in qua Ladeni populi, Laudonia.
Lauden, oppid. Franconiæ, Lauda.
Laudichia, urbs Lydiæ, Laodicea.
Laudichia, urbs Syriæ, Laodicea.
Laudonia, regio Scotiæ, olim Meatarum, Pictorum, Ladenorum popul.
Lavedan, populi & regio Aquitaniæ, Sontiates.
Lavedan, vicecomitatus Galliæ, in agro Bigerrico, Lavitania.
Lavello, urbs Apuliæ, Labellum, aliis Lavellum.
Lavenzo, vide Levanso.
Lauffen, oppid. Bavariæ, Laviacum, Bidaum.
Lauffenburg, oppid. Germaniæ, Lauffenburgum.
Laufrica, oppid. Latii, Lavinium.
Lauging, oppid. Sueviæ ad Danubium, Febiana castra.
Laugingen, urbs Sueviæ, Lavinga.
Lavino, fluv. Romandiolæ, Labinius.
Laulia, castrum Liguriæ, Tegulia.
Lavona, oppid. Cappadociæ, Hermonassa.
Lauraguez, regio Galliæ, Pagus Lauriacensis, vel Lauracensis.
S. Laurens, locus Galliæ, ad Vatum fluv. Municipium S. Laurentii.
S. Laurent en Gastine, in agro Galliæ Vindocinensi, S. Laurentii vicus.
Laureshani, vel Lorsheim, locus Galliæ, cum monasterio, in agro Remensi, Laurishamum.
Lauria, oppid. Lucaniæ, Ulci.
Laurige, pagus Valentiæ, Lauro.
Lauriol, oppid. Delphinatus in Gallia, Æria.
Lausanne, urbs Galliæ Lugdunensis, Lausonium & Lausanna.
Lausnitz, regio Elysiorum, Luitiiterum, popul. Germaniæ, Lusatia.
Laute, fluv. Sarmatiæ, Anrites.
Lawenborg, oppid. Pomeraniæ, Lawenburgum & Leoburgum.
Lawenburg, urbs Saxoniæ, Leoburgum, aliis Lawenburgum.
Lauwers, fluv. Frisiæ, Laubacus, Labola.
Laxia, provinc. Asiæ, Colchis.
Lay, vicus Galliæ, in agro Parisino, ad Beveram fluv. Lajacum.
Laybach, vide Labach.
Laye, in Gallia, Sylva Ledia.
Lazunitz, oppid. Pomeraniæ, Laciburgium.
Lazzaro, fluv. Phrygiæ, Granicus.
Leaotum, provinc. Sinarum, Leaotunum.
Lebeditzi Chisar, urbs Ioniæ, Lebedus.
Leberberg, mons Helvetiæ, Jura.
Lebida, urbs Africæ, Leptis magna.
Lebina, pagus Cretæ, Lebena.
Lebise, vide Lebussa.
Lebinaw, oppid. Vindeliciæ, Artobriga.
Lebotte, vide Porto delle Botte.
Lebrixa, oppid. Andalusiæ, Nebrissa.
Lebuss, urbs Marchiæ Brandeburgicæ, Lebussa.
Lebussa, oppid. Bithyniæ, Libyssa.
Lecci, urbs terræ Hydruntinæ, Aletium.
Lecco, oppid. Insubriæ, Leucum.
Lech, vide Leck.
Lechrainer, populi Bavariæ, Licatii.
Leck, fluv. Hollandiæ, pars Rheni, Fossa Corbulonis, aliis Lecca & Leccus.
Leck, fluv. inter Sueviam & Bavariam, Lycias, Licus, Lechus.
Lecois vel Laeois, tractus Burgundiæ, Laticensis pagus.
Lecousi, urbs Palæstinæ, Hierosolyma.
Lectour, urbs Aquitaniæ, Lactoracium.
Ledesma, oppid. Castellæ, Bletisa.
Ledeville, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, in Decanatu Linariensi, Ludovilla.
Leining, fluv. Hiberniæ, Dur.
Ler, locus Occitaniæ inferioris, Leve fanum.
Leeberg vel Leeberg, Juræ montis pars inter Burgundiam & Helvetiam.
Leeder, insula Scotiæ, una Ebudarum.
Leerdam, locus in Belgio, Lauri.
Leerpole, oppid. Angliæ, Liserpalus.
Leeuwarden, urbs Frisiæ occidentalis, Leovardia.
Leew, oppid. Brabantiæ, ubi olim Levaci populi.
Lescare, oppid. Cypri, Arsinoe.
Legaester, oppid. Walliæ, Legionum urbs.
Legancester, urbs Angliæ, Deva, Devana, Cestria.
Legie, amniculus Belgii, in Mosam influens, Legia.
S. Leger, vicus Galliæ, ad Varum fluv. S. Leodegarii.
Legina, vide l'Egina.
Legion, pagus Insubriæ, Legiodunum.
Legnago, oppidul. in ditione Veneta, Liviacum.
Lehal, oppid. Sueciæ, Lehalium.
Lehenzusa, oppidum Castellæ novæ, Libisosa.
Leheriis, locus in sylva Teoracia, Leseberia.
Leicester, urbs Angliæ, Licestria.
Leicestershire, Comitatus Angliæ, Leicestria.
Leicster, pars Hiberniæ, Lagenia.

Lenoc, castellum Galliæ, prope Carcassonem, Lauratum.
Leiton, oppid. Angliæ, Durolitum.
Lelise, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Esigus.
Lellen, oppid. Achaiæ, Lilaa.
Lem, fluv. Liguriæ, Lemurus.
Lemana, urbs Mysiæ inferioris, Odessus.
Lemarais, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Limaracum.
Lendiro, insula maris Ægæi, Imbros.
Lemburg, vide Limburg.
Lemburg & Lowow, urbs Poloniæ, Leopolis.
Lemene, insula maris Ægæi, Peparethus.
Lemerich, vide Limerick.
Lemgaw, urbecula Germaniæ, Lemgovia.
Lemise la neuve, pagus Cypri, Neapolis.
Lemno, urbs Lemni insulæ, Myrina.
Lempta, regio Libyæ, ubi Garamantes populi.
Lempta, desertum Africæ in Zaara, Lempta.
Lempta, urbs Africæ, Leptis parva.
Lenteci & Lanschet, urbs Poloniæ, Lancicia.
Lenez, oppid. Carinthiæ, Loncium.
Lenirosia, insula Scotiæ, una Ebudarum.
Lenham, oppid. Angliæ, Durolenum.
Lengon, locus Galliæ, ad Garumnam, Alingo.
Lenno, villa ad lacum Larium, Comedia.
Lennox, regio Canovacorum, Elgovarum, popul. Scotiæ, Elgovia, Lennoxia, Lelgovia, Levinia.
Lens, oppid. Artesiæ, Nemetacum, aliis Lentium.
Lens, vicus Belgii, in Atrebatibus, Elena.
Lentini, urbs Siciliæ, Leontium, ubi olim Leontini, Læstrygones populi.
Lenza, fluv. agri Parmensis, Nicia.
Lenza, fluv. Italiæ, Antia & Lentia.
Leocata, vide Locate.
Leon, urbs Hispaniæ, Legio Germanica & septima.
Leon & Landoul, urbs Britanniæ minoris, Leona.
Leon, urbs Cappadociæ, Polemonium.
Leon de Nicaragua, urbs Americæ septentrionalis, Legio.
S. Leon, monasterium in suburbio Tulli, S. Leonis.
S. Leonard, oppid. Galliæ, in Lemovicibus, S. Leonardi. Item in Nivernensi agro castrum, Cortemiacum.
Leondari, vide Leontari.
Leondoul, oppid. Diablintrum, popul. Britanniæ minoris, Neodunum, Neodunum.
Leontari, urbs Peloponnesi, Christianopolis, Megalopolis, Tympania.
Leonessa, oppid. Regni Neapolitani, Leonessa.
Lepanto, urbs Ætoliæ, Naupactus, & regio Græciæ, Ætolia.
Lepe, oppid. Andaluziæ, Lepia magna, aliis Elepia.
Lepi, urbs Africæ excisa, Leptis parva.
Lepide, oppid. Africæ, Eoa, Ora, Leptis magna.
Lepontz, pagus Rhætiæ, Lepontium.
Leprio, oppid. Arcadiæ, Leprium.
Leprus, mons Armeniæ majoris, Pariedrus.
Lepseke, urbs Bithyniæ vel Mysiæ, Lampsacus.
Lepsina, oppid. Atticæ, Eleusis.
Lepuscoa, vide Guipuscoa.
Lera, fluv. Aquitaniæ, Igmanus, Sigmanus.
Lerisse, fluv. Sarmatiæ, Borysthenes.
Lergue, aliàs Lierge, fluv. Galliæ Narbonensis, Larga
Leria, vide Lera.
Lerice, vide l'Erice.
Lerice, oppidul. Liguriæ, Ericis portus.
Lerida, urbs Cataloniæ, Ilerda.
Lerma, oppidul. Hispaniæ, Lerma.
Lerna, palus Peloponnesi, Lerna.
Lero, insula Archipelagi, Leros, Leria.
le Lers, fluv. Galliæ Narbonensis, Lertius.
le Lés, vel le Lez, fluv. Galliæ Narbonensis, Telis, aliis Ledus.
Lescar, urbs Vasconiæ, Lascura.
Lescke, fluv. Belgii, Letia.
Leser, fluv. Lesura, & pagus ditionis Trevirensis, Leso.
Lesere, vide Losere.
Lesigny, aliàs Lesigny en Brie, vicus Galliæ, in agro Briegensi, Liciniacum.
Lesilly, vel Lezillé, vicus Galliæ, in Turonibus, inter Carum & Andriam, Lucilliacum.
Lesina, insula Sclavoniæ, Pharia, Pharos.
Lesina, urbecula regni Neapolitani, Lesina.
Leskerd vel Leskard, oppid. Angliæ, Sebaste, Legio altera Augusta.
Lesnow, oppid. Poloniæ, Lesnovia.
Lesse, insula maris Baltici, Glessaria.
Lesleiocheri, portus isthmi Corinthiaci, Lechæum.
Lesines, urbecula Belgii, Lessina.
Lestines, villa olim regia, in agro Cameracensi, Liptinæ.
Lestorocori, urbs Macedoniæ, Gasorus, Tirissa.

Lestuthiel vel Lestithiel, oppid. Cornubiæ, Uxella, Uxella.
Leto morto, fluv. Marchiæ Anconitanæ, Leta.
Letor, fluv. Cretæ, Lethæus.
Letrum, oppid. Hiberniæ, Letrumium.
Letrum Countie, Comitatus in Hibernia, Letrumensis.
Letta, urbs Macedoniæ, Lete.
Lettaw, insulæ oræ Gallicæ adjacentes, Cæsarea & Sarmia.
Letten & Lettland, pars Livoniæ, Litlandia.
Lettere, urbecula regni Neapolitani, Letteranum & Lotteranum.
Lettere, urbs Campaniæ ad Lactarium montem, Lycterensis urbs vel Lactariensis.
Leu, pars sylvæ Carbonariæ, Levara.
S. Leu lez Taverni, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, S. Lupi.
Levanso, insula Siciliæ, Phorbantia.
Leucat, vide Locate.
Leucate mons, arx & vicus Galliæ Narbonensis, Leucata.
Leucosa, insula Lucaniæ, una Sirenussarum, Leucasia.
Leuchtenberg, castrum Bavariæ, Leuchtenberga.
Leudrac, fluv. Galliæ, in agro Augustodunensi, Valdraca.
Levica, insula Sicilia, Pacania.
Levidona vel Levidonia, oppid. Calabriæ, Leutarnia.
Levilly, locus Galliæ, in diœcesi Laudunensi, Luciacum.
Levin, fluv. Scotiæ, Bodotria, Levinus.
Levis, insula Scotiæ, una Ebudarum, Ebuda.
Levis, vel Leves, Item Saint Non de Levis, vicus Galliæ, in agro Parisino, Levia.
Levita, insula Archipelagi, Lebinthos.
Leukirchen, oppid. Sueviæ, ubi Caluccones populi, Ectodurum.
Levontinerthal, regio Alpina, ubi Lepontii populi, Lepontia vallis.
Leurson, castellum Galliæ, in Pertico, Luperciacum.
Leurey le bourg, burgus Galliæ cum cella, in Æduis, Lupertiacum.
Leutkirck, urbs Sueviæ, Leutkirca.
Leutmeritz, urbs Germaniæ, Litomerium.
Leuveck, urbs regni Cambodiæ, Leuvecum.
Levraux, castrum in Biturigibus, Leprosum.
Levroux, vide Leroux.
Leuse, locus Flandriæ. Item vicus Hannoniæ, cum monasterio, Lutosa.
Lewenburg, vide Lowenburg.
Lewaren, vicus Batavorum, Levefanum.
Lewville, locus ad Urbiam fluv. Lupi villa.
Lewes, oppidul. Angliæ, Lesva.
Lewis, insula Scotiæ, Leuvissa.
Lewwen, fluv. Scotiæ, Leuvinus.
Leybnitz, oppid. Stiriæ, Polybianum.
Leybnitz, oppid. Stiriæ, Savaria.
Leyden, urbs Hollandiæ, Lugdunum.
Leye, fluv. Flandriæ, Legia.
Leyne, fluv. Saxoniæ, Lynius & Lenius.
Leypsick, urbs Germaniæ, Lupfurdum, Lipsia, Luppia, Lypsia.
Leyte & Leyta, fluv. Austriæ, Lutis.
le Lez, fluv. Linguadociæ, Ledum, Ledus, Liria.
Lezard point, promontor. in Anglia, Damnonium.
S. Lezer, oppid. Galliæ, in Aquitania, Fanum S. Licerii.
Lezert, fluv. Galliæ, in Rutenis, Lanterna.
Lezignan, castrum Galliæ, in Pictonibus, Liziniacum.
Lezzi, vide Lecci.
Lhanvelin, oppid. Walliæ, Mediolanum.
Lhein, promontor. Walliæ, Canganorum.
Lhon, fluv. Hassiæ, Lupias, Lhona.
Lhundain, urbs Angliæ, Londinium.
Lhydaw, pars Britanniæ minoris, Letavia.
Lhygny, vide Liz.
Liacura, mons Phocidis, Parnassus.
Liamone, fluv. Corsicæ, Pitanus, aliis Ticarius.
Liane, fluv. Galliæ Belgicæ, in Picardia, Elna & Leana.
Liba nova, oppid. Macedoniæ maritimum, Stagira.
Libano, mons Phœniciæ, Libanus.
Libaw, oppid Poloniæ, Liba.
Liberata, fluv. Aprutii, Albula.
Libonati, oppid. Lucaniæ, Sapris.
Liborne, locus Aquitaniæ, apud Condatem portum, aliis Liburnia.
Libourne, locus Galliæ, in Aquitania, Liburnia.
Librafatta, pagus Hetruriæ, Herculis fanum

Librafatta, vide Liberata.
Librata, fluv. Aprutii, Matrinus, aliis Albula.
Lica vel Lika, regio Liburniæ, ubi Mokal populi.
Lices, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, in Decanatu Montis-Letherici, Licia.
Liche, vide Lezza.
Lichfelde & Litfelde, urbs Angliæ, Lichfeldia.
Lichtenaldt & Lechenaldt, oppid. Bavariæ, Licestoma, Leckhouse, Leckmose.
Licho, fluv. Phrygiæ, Lychus.
Lico, portus Sardiniæ, Lugudone.
Lico, fluv. Mysiæ Asianæ, Rhyndacus.
Licola, fossa juxta Baias, Fossa Neronis
la Licosa, vide Leucosa.
Licostoma, oppid. Mysiæ inferioris, Harpis.
Licostomo, urbs Thessaliæ, Scotussa.
Licudia, oppid. Africæ, Pilsou vicus.
Lida, oppid. Poloniæ, Lida.
Liddesdale, provinc. Scotiæ, Liddesdalia.
Lidkioping, urbecula Sueciæ, Lidkopia.
Liece, vel Liesse, vicus Galliæ, in Picardia, Licete.
Liege, urbs Eburonum popul. Germaniæ, Leodium, Legia.
les Liegois, populi Belgii, Leodicenses.
S. Lienard, vicus Galliæ, ad Vidulam fluv. S. Leonardi.
Lier, fluv. Belgii, Leda, Item vide Liere.
Liere, oppid. Brabantiæ, Nivesdum, Lyra.
Liessy vel Liessies, oppid. Nerviorum, Latia.
Lietor, oppid. Andaluziæ excisum, Iliturgis.
le Lieu, lacus Helvetiæ, unde Urba fluv. oritur.
le Lieuvin, regio Galliæ, Ager Lexoviensis.
the Liffy, fluv. Hiberniæ, Modonus.
Lignano, pagus agri Mediolanensis, Forum Licinii.
Lignieu en Bresse, castellum Galliæ, Ligniacum.
Lignitz, urbs Silesiæ, Hegetmatia, Lingarum populorum, aliis Lignitia.
Ligon, insula maris Britannici, Liga, aliàs Iga.
Ligor, urbs Indiæ ulterioris, Ligoria.
Ligorno, vide Livorno.
Ligra, vide Capo Ligra.
Lihou en Santers, oppid. Galliæ in Ambianis, Lehunum.
Liifflander & Lifflender, populi Sarmatiæ, in regione Livonia, Lemovii, Livones, Esthi, Levona.
Liifflandt, regio Sarmatiæ, Euphrasia.
Lilers, oppid. Belgii, in Atrebatibus, Lilerium.
Lille, urbs Flandriæ, Insula.
Lilie, fluv. Aquitaniæ, Illa.
Lilio, arx Brabantiæ, Lilloa.
Lim, vide Lem.
Lima, vide Puente de Lima.
Lima seu los Reges, urbs Peruviæ, Lima & Civitas Regum.
Lima, fluv. Portugalliæ, Lithes, Limæa, Belion, Limius, aliis Læmia.
Limaigne, regio Galliæ, Limane, aliis Limania.
Limat & Limmat, fluv. Helvetiæ, Limagus, Lindemagus.
Limbach, vide Lymbach.
Limbourg, provinc. Belgii, Limburgensis Ducatus.
Limbourg, oppid. Belgii, Limburgum.
Limbourg & Lemburg, urbs Russiæ nigræ, Leopolis, Leucopolichna.
Lime, fluv. Bithyniæ, Elatas.
Lime, pagus Angliæ, Lemanus.
Limeil & Limeuil, castrum Galliæ, in Aquitania; Item vicus in Briegio, locus ad Viseram, Linolium.
Limen, in Sarmatia, Mæotis palus.
Limerick, urbs Hiberniæ, Laberus, aliis Limericum.
Limerick countie, in Hibernia, Limericensis Comitatus.
Limmo, fluv. Forojulii, Romatinum, Alsa.
Limisso, urbs Cypri excisa, Amathus.
Limasol, oppid. Cypri, Linenia.
Limoges, urbs Galliæ, Lemovicum.
Limoges, vicus Galliæ, in Briegio, Limogiæ.
Limou, pagus Galliæ inter agrum Lemovicensem & Pictaviensem, Limonum.
Limon, oppid. Liguriæ, Limone.
Limosin, provinc. Galliæ, Lemovicensis.
le haut Limosin, regio Galliæ, pagus Lemovicensis superior seu Cebennicus.
le bas Limosin, tractus ejusdem provinc. Lemovicensis, Pars inferior.
la marche de Limosin, tractus Galliæ, Marchia Lemovicum, seu Lemovicensis.
Limours, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Limogiæ.
Limoux, castrum Galliæ, in agro Redensi, Limosum.
Limoux, urbs Occitaniæ, Limosum.
Limoxa, insula maris Africi, Æthusa.
Limpach, vicus Belgii, Limpacum.

Lim-

Limpum, pagus Angliæ, Lemannus.
Linares, oppid. Hispaniæ, Castulo nova.
Linaria, insula Sardiniæ, Herculis insula.
Linea & Lenza, oppid. Aragoniæ, Julia Libyca.
Lineco & Lenco, fluv. Macedoniæ, Lyncestis.
Linieres, oppid. Galliæ, in Bituugibus, Linaria.
Lincken, arx Flandriæ, Linckia.
Lincoln, urbs Angliæ, Lincolnia, Lindum.
Lincolneshire, provinc. Angliæ, Lincolnia.
Lincopen, urbs Gothiæ, Lincopia.
Lindaw, urbs Sueviæ, Lindavia, Philyra.
Lindo, oppid. Rhodi insulæ, Lindus.
Lingen, oppid. Westphaliæ, Linga.
Lingua del Faro, promontor. Siciliæ, Argennum.
Linguadoca, vide Languedoc.
Linois & Linais, vicus ejusdem regni, in agro Parisiensi. Linas.
Linter, pagus Brabantiæ, ubi olim Diablintres populi.
Lintz, urbs Austriæ, Aurelianum, Lentia.
Lintzgow vel Lintzgower, populi Bavariæ, Lentienses, & regio Vindelicia.
Linzano, lacus Africæ, Lycomedis.
Linza, vide Linea.
Liombon, locus Syriæ vel Arabiæ Felicis, Phœnicum.
Lion le Saunier, castellum Burgundiæ Comitatensis, Leo Salinarius.
Lioncas, vide Lyonnois.
les Lions, insulæ Galliæ duæ, ante Forum-Julii, Leones, vel Leonum insulæ.
Lions en Santerre, oppid. Picardiæ, Leonium.
Lipari, insula Siciliæ, Lipara.
Liphei, fluv. Hiberniæ, Oboca.
Lipotamo, urbs Colchidis, Æa, Æapolis.
Lippa, urbs Transylvaniæ, ubi olim populi Petulatensis.
Lippa, urbs Transylvaniæ, Lippa.
Lippe, urbs Westphaliæ, Luppia.
Lippo, fluv. Bithyniæ, Hyppius.
Lipuda, fluv. Calabriæ, Aretus.
Liria, oppid. Valentiæ, Hedeta, Leria.
Leris, fluv. Iris, & regio Cappadociæ, Themiscyra.
le Lis, fluv. Flandriæ, Legia & Letia.
Lisbon, urbs Portugalliæ, Olyssippo, Ulyssippo.
Lisbona, vide Lisbon.
Lisieux, urbs Normanniæ, ubi olim populi Lexobii, Neomagus, Noeomagus, aliis Lexovium.
Lisigni, vulgo Lesigny, vicus Galliæ in Briegio, Lisigniacum.
Lison, mons Syriæ, Casium.
Lisonzo, vide l'Isonzo.
Lissa, insula Sclavoniæ, Issa.
Lissa, insula Liburniæ, Lissa.
Lister, insula Hiberniæ, Hedros.
Listo & Gnosa, insula Cretæ, Myle.
Listra, urbs Lycaoniæ excisa, Lystra.
Lita, urbs Macedoniæ, Lete.
Lithguo, oppid. Scotiæ, Lindum.
Lithuani, populi Sarmatiæ Europææ, Alani.
Lithuania, regio Poloniæ, Lithuania.
Littleborough, oppid. Angliæ, Agelocum, Segelocum.
Livadia, oppid. Bœotiæ, Creusa, & regio Græciæ, Achaia.
Livenza, fluv. Forojulii, Liquentia.
Livonia, regio Sarmatiæ, ubi populi Levona. Livonus.
Livorno, portus & oppid. Hetruriæ, Liguranus vel Liburnus, Labro. Pagus, ad Herculem, Triturita.
Livry, item Livry en l'Aunay, locus & castrum Galliæ, in agro Parisiensi, Libertacum, seu Livriacum.
Livron, oppid. Delphinatus, Libero & Librantium.
Lixa, vide Lissa.
la Lizaine, fluv. Galliæ, in Normannia, Lirecianus.
the Lizard point, promontor. Angliæ, Ocrinum, Damnoniorum promontor.
Lizza, urbs Cœlesyriæ, Laodicea.
Llandaff, urbs Walliæ, Landava.
Llienz, oppid. Austriæ, Liburca.
Lleyda, urbs Catalauniæ, Ilerda.
Llivia, oppid. Catalauniæ, Juba Libyca.
Llobregat, amnis Cataloniæ, Clodianus.
S. Lo, castrum Galliæ, in Normannia, in diœcesi Constantina, S. Laudi vel Lautonis castrum.
Loanda, insula parva Æthiopiæ inferioris, Loanda.
Loango, regnum Africæ, Loangum.
Lob seu Lobes, locus cum monasterio, in sylva Carbonaria, Laubia.
Lobach, rivulus in Sabrim Sambramque influens, Laubacus.
Lobaw, oppid. Poloniæ, Lobavia.
Lobbe, pagus Hannoniæ, Labecu Castra, Laubium.
Lobes, vide Lob.

le Lobi, locus Liguriæ, ubi olim Levi populi.
Lobon, oppid. Extremaduræ, Lycon.
Lobregat, fluv. Catalauniæ, Rubricatus.
Locaber, regio Scotiæ, Leucobibia, Leucopibia, Loquabria.
Locarno & Luggaris, oppid. Italiæ, Locarnum.
Locate & la Locata, fortalitium Linguadociæ, ubi Sordicena populi, Leucata.
Locbar, vide Legher.
Lochem, oppid. Belgii, Lochemum.
Loches, urbs Galliæ, Lochia.
Lochet, castrum Galliæ, in Turonibus, Lucca.
Locontano, vide Lucontano.
Locofardo, pagus Sardiniæ, Tibula, vide Longofardo.
Locra, fluv. Corsicæ, Locra.
Locrida, vide l'Ochrida.
Loda, fluv. Aquitaniæ, Olda.
Lodbury, oppid. Walliæ, Burrium.
Lodeve, urbs Linguadociæ, Glanum, aliis Luteva.
Lodi, urbs Insubriæ, Laus Pompeja.
Lodi vecchio, pagus Insubriæ, vera Laus Pompeja eversa.
Lodimo, fluv. Macedoniæ, Deilo.
Lodron, oppid. Tridentini territorii, ubi Alutraenses populi.
Loduc, oppid. Pictaviensis agri, Juliodunum, aliis Lauduacum, aliis Loduxum.
Loet, fluv. Galliæ, prope Stampas, Lod.
Loeven, Loewen, urbs Brabantiæ, ubi Grudii populi, Lovanium.
la Loeuve, tractus Belgii, Latiens pagus.
le Loges, vicus Galliæ, in sylva Ledia, Logiæ.
Logh, fluv. Conaciæ, Ausoba.
Logher, oppid. Walliæ, Leucarum.
Logitsch, pagus Carniolæ, Longanicum, Longaticum.
Lognes, vicus Galliæ, in Briegio, Langæ.
Lognina, oppid. Siciliæ, Longum promontor. Engyum, Portus Ulyssis.
Logroño, urbs inter Castellam & Navarram, Juliobriga, Varia nova.
Loguet, vide Jongues.
Loignon, fluv. Galliæ, Ligno.
Loin, vide le Loing.
le Loing, fluv. Galliæ, Lupia.
Loiwogrod, oppid. Poloniæ, Loiwogrodum.
le Loir, fluv. Galliæ in Ligerim influens, Arula, aliis Ledus.
le Loir, fluv. Galliæ, Ledus vel Lidericus.
L'abbaye du Loir, monasterium in Gallia Lugdunensi, Lidi monasterium.
Loire, vicus Galliæ, in agro Andegavensi, Lauriacum.
Loire, fluv. Galliæ, Liger.
Loiret, vel Leret, fluv. agri Aurelianensis, Ligerula vel Ligeriticus.
Loixme, vicus Galliæ, in agro Lapurdensi, indigenis aliàs S. Jean de Luz, Latine Lanum vel Lusium.
Lokyt & Edebogen, urbs Bohemiæ, Locta.
Lomagne, tractus Galliæ, Leomania.
Lombardi, populi Italiæ, Langobardi, Longobardi.
Lombardia, regio Italiæ, Venetiæ pars, Gallia Cisalpina, aliis Longobardia.
Lombardia di la dal Po, pars Italiæ, Italia Transpadana.
Lombardia di qua dal Po, provinc. Italiæ, Gallia Togata.
Lombardo, oppid. Ciliciæ, Jotape.
Lombes, urbs Vasconiæ, Lombarium.
Lomber, oppid. Navarræ, olim oppid. Ilumberitanorum popul.
Lombura, fluv. Indiæ, Indus.
Lomond & Lough Lomond, lacus Scotiæ, Lomondus, Lomundus.
Lon, vide Lhon.
Lonez, vide Lencz.
Londan, oppid. Peloponnesi, Lysius.
Londari, urbs Arcadiæ, Megalopolis.
Londra, vide Londen.
London & Londen, urbs Angliæ, Londinium, Augusta Trinobantum.
London-Derry, urbs Hiberniæ, Roboretum, novum Londinium.
Londra & Londres, vide London.
Long & Lough Long, fluv. Scotiæ, Longus.
Long Wy, vide infra Longwy.
Longanico, oppid. Arcadiæ, Stymphalus.
Longdemer, locus Galliæ, in Caletis, Longus demarium.
Longford, urbs Hiberniæ, Longofordium.
Longo, oppid. Macedoniæ maritimum, Torone.
Longobarda, oppid. Siciliæ, Bucra.
Longobardo, oppid. Siciliæ, bytas, Camicus, Bucra.
Longoburo, urbs Calabriæ excisa, Temesa.
Longofardo, oppidul. Sardiniæ, Tibula.
Longpont, vicus Galliæ, cum Priorato, in agro Parisiaco. Item in Suessionibus, Longus Pons.

Longret, locus ejusdem regni, cum monasterio, in diœcesi Antissiodorensi, Longaretum, vel Longum Rete.
Longray, locus Galliæ, in Caletis, Longum Rete.
Longel, locus Galliæ ad Uram fluv. Longum vadum.
Longueval, locus ejusdem regni, in Caletis, Longa vallis.
Longueville la Guiffard, locus ibidem, Longa villa Gifardi.
Longueville en Tardenois, oppid. Galliæ, in pago Tardanensi, Longa villa.
Longwy, oppid. Lotharingiæ, in diœcesi Verodunensi, Longovicum, seu Longus vicus.
Longumeau, mons Galliæ, in agro Parisiensi, Gemellus.
Loolay, monasterium Galliæ, in Cenomanis, Longiledum.
Loon, vel Loen Flandris, incolis Len, Gallis Los, tractus Belgii, in diœcesi Leodicensi, Comitatus Lassensis, vel Lossensis.
Lopesia, populi & regio Epiri, Hellopes, Hellopia.
Loqhaber, vide Longhabria.
Loquabre, provinc. Scotiæ, Abria & Loquabria.
Loquera, oppid. Castellæ novæ, Lacuris.
Lor, urbs Mesopotamiæ, Laodicea.
Lora, oppid. Andaluziæ, Axalita, Flavium Axalitanum, Obucola.
Loraine, regio Galliæ Belgicæ, Lotharingia, Austrasia.
Lorca, urbs Murciæ, Eliocrata, Ilorci.
Lorck, urbs Austriæ destructa, Lauriacum.
Lorco, vide l'Orco.
Lorde, oppid. Aquitaniæ, Lapurdum.
Lorde en Lavedan, oppid. Galliæ, Lapurdum in Levitanis.
Lords of Parlament, in Anglia dicuntur, Barones & Proceres regni.
Loredo, oppid. ditionis Venetæ, Loretum.
Lorena, vide Loraine.
Loreto, urbs Marchiæ Anconitanæ, Lauretum.
Lorne, regio Scotiæ, ubi Canavaci populi, Lorna.
le Loroux, vicus Galliæ, in Turonibus, Leprosi.
Lorqui, oppid. regni Murciensis, Ilorci.
Lorris, locus Galliæ, in diœcesi Aurelianensi, Lauriacum.
Losanne, urbs Latobricorum popul. juxta lacum Genevensem, Lausonium.
le Bailliage de Losanne, regio Helvetiæ, in agro Bernensi, Præfectura Lausannensis.
Losere, mons Aquitaniæ, in Gabalis, Lesura seu Lesora.
Losse, fluv. Scotiæ, Loxa.
le Lot, fluv. Aquitaniæ, Olda, vide Lode.
Lothiane & Lauden, provincia Scotiæ, Laudonia.
Lothien, vide Lauaonia.
Lothier, regio Germaniæ, Lotharingia inferior.
Lothreuger, populi Galliæ Belgicæ, Tulingi, Lotharingi.
Lotreych vel Lothar-reich, regio Galliæ, Lotharingia.
Lou-Puech d'Aubargue, locus Galliæ, in Leuceranis, Podium.
Louans, vel Louens, vicus Galliæ, in agro Parisino, in Decanatu Linatensi, Loandum.
Loucienes, alias Leuveciennes, vicus Galliæ, in agro Parisino, in Decanatu Castri Fortis, Lupicena.
le Loudonois, tractus Galliæ, Pagus Laudunensis.
Loudun, urbs Pictavensis provinciæ, Juliodunum.
Lovensteyn, arx Hollandiæ, Lovensteinum.
Loug, fluv. Scotiæ, Loonus.
Laugh & Lough Foyle, insula Hiberniæ, Logia.
Lough Lomond, vide Lomond.
Loughabria & Loughaber, regio Cerenorum popul. Scotiæ occidentalis, aliis Loquabria.
Loughborow, Laughborow, oppid. Angliæ, Leodurum.
Lovino, oppid. Italiæ, Vennia, Vannia.
Lovicz, urbs Poloniæ majoris, Lovicium.
Lovo, insula Peloponnesi, Ephla.
le Loup, fluv. Provinciæ, Lupus.
le Loup Garou, nomen spectri Blesis, in Gallia, Lupus Varcius.
la Loupe, amniculus ejusdem regni, in Gallia Lugdunensi, in Auturam defluens, Lupa.
Louppi, oppid. Lotharingiæ, in Ducatu Barrensi, Luppejum.
la rue de Lourcines, vicus urbis Parisiensis, in Gallia, cum monasterio, Lupercinana.
Lourde, vide Lorde.
Lourdes, urbs Galliæ, in Bigerris, Lorda.
Loursaing, vicus ejusdem regni, in Briegio, Lausfaucius.
Louses, locus Galliæ, in diœcesi Tricassina, Lutosa.
Louth, oppid. Hiberniæ, Lutum.
Louth Countie, in Hibernia, Lugensis Comitatus.

Louvain, vide Louven.
Louvat, fluv. Sarmatiç, Chesinus.
la Louve, fluv. in Sequanis, Lupa.
Lovve, vide Lobbe.
Louvenborch, oppid. Pomeraniæ, Lauvenburgum.
Louviers, oppid. Normanniæ, Luparia.
le Louvre, palatium Regum Galliæ, Lupara.
Louvreciennes, vicus Galliæ, olim prope urbem Parisiorum, nunc platea urbis, Luperciana.
Louvre en Paris, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, in decanatu montis Maurentiaci, Lupera.
Louvy, vicus Galliæ, in confinio utriusque Burgundiæ, Lovigenus.
Loylandt, insula Daniæ, una Hemodion.
Lubanokerzee, lacus Livoniæ, Lubanius.
Lubeck, urbs Saxoniæ maritima, Lubecum, Marionis.
Lubiana, urbs Carniolæ, Nauportus, aliis Labacum.
Lubin, urbs Poloniæ, Lublinum.
Lubonia & Lublaw, arx Hungariæ, Lubloa.
Luc, locus Galliæ in Rutenis: Item vicus exiguus in Vocontiis: Item locus in Provincia, Lucus.
le Luc, oppid. Delphinatus, Lucus Augusti.
les Lucayes, insulæ Americæ septentrionalis, Lucaiæ.
Lucayoneque, insula Americæ, Lucaioneca.
Lucca, urbs Hetruriç, Luca.
Lucchiola, fons Simethi, fluv. Siciliç.
Luce, locus Galliæ, in Burgundia, Lucus.
Lucemburg, urbs Ducatus Lucemburgensis, Augusta Romanduorum, aliis Luxemburgum.
Lucena, oppid. Valentiæ, Illicias, Lucentum.
Lucera, urbs Apuliæ, Luceria.
Lucera, oppid. Ducatus Mantuani, Nuceria.
Lucerna, urbs Helvetiæ, Lucerna.
Lucernerzee, lacus Helvetiorum, Lucerinus.
Luche, castellum Galliæ, in Cenomanis, Lucejum.
Luco, oppid. Marmaricæ, Acropolis, Antipyrgus.
Lucomorie, provinc. Moscoviæ, Lucomoria.
Luçon, insula Asiæ, Lussonia.
Luçon, monasterium Galliæ, in Pictavis.
Lucques, urbs Hetruriæ, Luca.
Lucubi, oppid. regni Granatensis, Ucubis.
Lucugliano, locus prope Neapolim, Luculli villa.
Luczcko, vide Lutzko.
Luday, oppid. Phrygiæ minoris, Alydda.
le Lude, castrum Galliæ, ad Lidericum fluv. Lugdum.
Lug, fluv. Walliæ, Logus.
Lugano, oppid. Insubriæ, Lucanum.
Lugnitz, conventus Rhætiæ, in fœdere cano, Vallis Leguntia.
Lugo, urbs Gallæciç, Lucus Augusti, Turris Augusti, Ara Sextiana.
Lugosardo, vide Longosardo.
Luig Ostri, urbs Achaiæ, Pegæ.
Luitticherwaldt, sylva Galliæ Belgicç, Arduenna.
Luki, urbs Gothiæ, Ledusia.
Lunatia, provinc. Europæ, Mysia inferior.
Lumellina, regio Lombardiæ, Lumellina.
Lumello, oppid. Lombardiæ, Laumellum.
le Lumera, vide Lomera.
Lundain, vide Lhundain.
Lunden, Londen, urbs Scandiæ, & oppid. Ditmarsiæ, Lundis.
Luneburg & Lunenburg, urbs Saxoniæ, Hilliconum populorum, Luneburgum, Marionis.
Lunel, oppid. Linguadociæ, Lunellum.
la Lunera, inter Neapolim & Puteolos, Leucogæus collis & Leucogæi fontes.
Lungisarie, locus Marmaricæ, Aptuchi fanum.
Luni, urbs Hetruriæ excisa, Luna.
Lunigo, oppid. territorii Veronensis, Leonicum.
Lunkha, tractus Galliæ, ubi Lingones populi.
Lupadi, urbs Mysiæ Asiaticæ, Apollonia, Lopadium.
Lupadi, fluv. Mysiæ Asiaticç, Rhyndacus.
Lupff, oppid. Sueviæ, Lupodum.
Lure, mons in Sequanis, Lutera.
Lure, in Comitatu Burgundiæ, Lurense monasterium.
Lurfeld, vide Larfeld.
Luri, pagus Corsicæ, Lurinum.
Luria, vide Lauria.
Lus, vicus Galliæ, in Aquitania, Elusio.
Lusace, provinc. Germaniæ, Lusatia.
Lusarche, oppid. Insulæ Franciæ, Usarchia.
Lusarche, locus Galliæ, in Bellovacis, Lusarco.
Lusignan, oppid. Pictavensis provinc. in Gallia, Lusignanum, seu Liciniacum.
Luso, quasi Pluso, fluv. Romandiolæ, Aprusa.
Luson, vide Lusson.
Lussac, oppid. Galliæ, in Pictonibus, Luciacum.
Lusseul, vide Luxeul.
Lusso, fluv. Mauritaniæ Tingitanç, Lixus, Lix.
Lussoia, urbs Burgundiæ excisa, Alexia.
Lusson, urbs agri Pictaviensis, Secor, Luciona, Lucionum.

Lusuc, urbs Poloniæ, Luceoria.
Lutach, pagus Carinthiç, Lutanum.
Lutenberg vel Lutenburg, oppid. Stiriæ, Leutodum.
Lutterworth, oppid. Angliæ, Lactodurum, Luttervortium.
Luttich, vide Liege.
Lutzelburg, vide Lucemburg.
Lutzenburg, vide le Luxembourg.
Lutzko & Lutzcko, urbs Volhiniæ, Leinum, Luceoria.
Luwow, urbs Poloniæ, Leopolis.
le Luxembourg, provinc. Belgii, Luxemburgensis Ducatus.
Luxembourg, urbs Belgii, Luxemburgum vel LucilibVrgus.
Luxente, oppid. regni Valentiæ, Lucentum.
Luxeu, vide Luxeul.
Luxeul & Luxeoul, oppid. Burgundiæ, Luxovium.
Luyck, vide Liege.
Luzara, oppid. Ducatus Mantuani, Nuceria.
Luzcko, vide Lutzko.
Luzen, oppid. Portugalliæ, Liciniana.
li Luzzi, oppid. Calabriæ citerioris, Thebæ.
Lyche, urbs Syriæ, Laodicea.
Lym, fluv. Bulgariæ, Moschius.
Lymbach, oppid. geminum Pannoniæ superioris, Olimacum.
Lymburg, oppid. Hiberniæ, Rhigia.
Lymen, insula Walliæ, Limnus.
Lymes, mons Walliæ, Limenius.
Lymford, sinus Daniæ in Jutia, Lymicus sinus.
Lymmerick, urbs Hiberniæ, Nagnata.
Lymoges vel Limoges, urbs Galliæ, ubi Lemovices populi, Lemovicum, aliis Augustoritum.
Lymove, fluv. Arverniæ, Limane.
Lymosin, vel Limosin, regio Galliæ, ubi Lemovices populi.
Lynne, oppid. Angliæ, Linum Regis.
Lyon, urbs Galliæ, Lugdunum.
Lyon le Saunier, oppid. Burgundiæ, Lugdunum Salinarum.
Lyonnois, tractus Galliæ Celticæ, ubi Segusiani populi, Lugdunensis.
Lyons en Forest, oppidul. Normanniæ, Leones.
Lyppe & Lippe, fluv. & oppid. Westphaliæ, Lupias, Luppia.
Lysmore, urbs Hiberniæ, & alia Scotiæ, Lismora.

M.

Maber, urbs Indiæ, Chaberis.
Mabeuge, vide Maubeuge.
Mabra, urbs Africæ, Aphrodisium.
Mabringues, locus Galliæ, ad Elaverem, Mabringa.
Mabuga, oppid. Syriæ, Mamuga.
Macandan, promontor. Libyæ, Arsinarium.
Macao & Amacao, urbs Sinarum, Aoracaum.
Macari, oppid. Siciliæ excisum, Hemickara, Macara, Machara.
S. Macari, locus Galliæ, ad Garumnam, S. Macarii castrum.
Macaria, oppid. Cypri, Macaria.
Macarmeda, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Erpis.
Macasar, insula Asiæ perampla, Macasaria.
Macasar, urbs insulæ cognominis, Macasaria.
Macay, vicus Galliæ, cum cœnobio, in Biturigibus, Masciacum.
Maccaron, oppid. Murciæ, Lucenti, Lucentia.
Macedoine, regio Europæ, Macedonia.
Macerata, urbs Marchiæ Anconitanæ, Ælia Ricina nova, Macerata, Helvia Ricina.
Machari, vide Macari.
Machecou, oppid. Britanniæ minoris, Machecolium.
Machecou en Raiz, locus Galliæ, Machicul, in pago Ratensi.
Machelen, urbs Brabantiæ, Machlinia.
Machian, insula Asiæ, Machianum.
Machicores, in Madagascaria, Machicorum tractus.
Machlenet, oppid. Walliæ, Maglavs.
Machlesna, fluv. juxta Constantinopolim, Cydarus.
Machometta, vide Mahometta.
Maciquopatan, urbs Indiæ citerioris, Minagara.
Macoco, regnum Æthiopiæ superioris, Macocum.
Macra, oppid. maritimum Macedoniæ, Stagira.
Macran, provincia Persiæ, Macranum.
Macri, oppid. Lyciæ dirutum, Dædala.
Macri, urbs Thraciæ apud Propontidem, Macronichos.
Macri, oppid. Macedoniæ, Panormus.
Macri, oppid. Sami insulæ, Panormus.
Macri, insula juxta Eubœam, Rhodia, Macris, Macra.
Macros, urbs Africæ, Marodama, Macomeda.
Macuf, fluv. Susianæ, Mosæus.
Macyn, provinc. Asiæ, India ulterior.
Maczua, insula sinus Arabici, Orine.

Madagascar, insula Africæ, Cerne, & Menuthias, Madagascaria & Delphina.
Madaque, urbs Sarmatiæ Asiaticæ, Hermonassa.
Madara, urbs Africæ propriæ, Madaura.
Madara, mons Cretæ, Leuca Ora.
Madaura, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Quiza.
Maday, provinc. Asiæ, Media.
Madera, insula maris Atlantici, Heras, Junonia, Cerne, Atlantica, & Madera aliis.
Madera, fluv. Americæ Meridionalis, Madera.
Maderaspatan, urbs regni Narsingæ, Maderaspatanum.
Madinni, fluv. Siciliæ, Selinus.
Madonia, mons Siciliæ, Nebrodes.
Madran, oppid. Carinthiæ, Magistrica.
Madre, fluv. Asiæ, Meander, & urbs propinqua, Meandropolis, Meandrus.
Madrid, urbs Castellæ novæ, Mantua nova, Madritum aliis.
Madonia, vide Madonia.
Madure, urbs Indiæ intra Gangem, Madura.
Maduro, urbs Africæ, Madaura.
Maelstroom, vorago maris, non procul à Norvegia, Umbilicus Oceani.
Maersdiep, fretum Hollandiæ prope Marsacos, Marsacos, populos.
Maersen, vide Marsen.
Maes, fluv. Belgicæ, Mosa.
Maes eyck, oppid. Belgii ad Mosam, Mosacum, seu Masacum.
onder-Maesland, in Belgio, Ager Mosæ inferior.
opper-Maesland, ibidem Ager Mosæ superior.
Maestricht, urbs Brabantiæ, Trajectum superius, Obtricum.
Maffa, urbs Arabiæ Felicis, Mepha.
Maffliers, vicus Galliæ, in Bellovacis, Mefflare.
Magadoxo, urbs Zanguebariæ, Magadoxa.
Magale, Megale, urbs & promontor. Æthiopiæ, Rapta, Raptum.
Magarckin, urbs Armeniæ majoris, Martyropolis.
Magareb, mare ad Occidentem Europæ & Africæ, Oceanus Atlanticus.
Magaresso, Latii oppidum excisum, Maruvium.
Magaris, fluv. & sinus Thraciæ, Melas.
Magdeburg, Mesuium, vide Moydeburg.
Magduni, oppid. Galliæ Celticæ, Medialanium, Magdunum.
Magellanique, regio Americæ, Magellanica.
Magenta, vide Mazenta.
Magiar, regnum Europæ, Hungaria.
Magiarab, urbs Arabiæ petræç, Nascus, aliis Macoraba.
Magiordech, fluv. Africç, Bagradas.
Magiuni, fluv. Siciliæ, Herminius.
Magliano, oppid. Thusciæ, Manliana, Bituirgia: & oppid. Sabinensis agri, Massa Manliana.
Magliano, oppidul. Aprutii ulterioris, Manliana.
Magnarello, locus apud Puteolos, Pompeji villa.
Magnavacca, unum ex ostiis Padi, Caprasia.
Magnieu, locus Galliæ, Magniacum.
Magulem & Maulion, pagus & monasterium Aquitaniæ, Magulocense cœnobium, Magnilocus.
Magnoac, locus & Comitatus Galliç, in Novempopulonia, Matemacum.
Magny les Essarts, vicus Galliç, in agro Parisiensi, Magnejum de Exarto.
Magog, populi Persiæ, provinciæ Asiç, Persæ.
Magowcha, oppid. Liburniæ, Ardotium.
Magonza, urbs Germaniæ, Magontiacum, Moguntia.
Magra, fluv. inter Liguriam & Thusciam, Macra.
Magrah, insula juxta Alexandriam, Pharos.
Magri, insula Cariæ, Macris.
Magri, urbs Cariæ maritima, Caunus.
Magrib, vide Magareb.
Magrida, fluv. Africæ, Bagradas.
Magro, fluv. Africæ, Cinyphus.
Magstat, urbs Lotharingiæ, Magetrobia.
Maguelone, urbs Linguadociæ excisa, Magdalonensium urbs.
Mahadia, urbs Africæ, Aphrodisium, Ruspina.
Mahara, fluv. Ægypti, Nilus.
S. Mahé, Item le chef de S. Mahé, in Britanniâ minori, Vicus & promontorium S. Matthæi.
Maheleth, pars Ægypti, Delta.
Mahmora, urbs regni Fezzæ, Mahmora.
Mahomena, locus Palæstinæ, Bilu.
Mahometa, oppid. Africæ, Leptis parva.
Mahometta, urbs Africæ, Marodama, Adrumetum, Hadrumetum.
Mahon, oppid. Minoricæ insulæ, Mago.
Majaguana, insula Americæ, Majaguana.
Maid, insula Scotiæ, Eumia.
Maida, oppid. Calabriæ ulterioris, Malanium, Melanium.

Maid-

Maidstone, oppid. Angliæ, Madus, Vagniacum, Durobrus.
Maignan, vicus Galliæ, in campis lapideis, Maguiacum.
Maigny, oppid. Lotharingiæ, ad fluv. Saliam, Maguiacum.
Majella, mons Aprutii, Nicates.
Maille, locus duplex Galliæ, in Turonibus, Malliacum.
Maillé Laillier, Ibidem.
Mailleraus, urbs Pictaviensis agri, Malleaca.
Maillotins, nomen seditiosorum, in Gallia, sub Carolo VI. Rege.
Mailly le chasteau, locus Galliæ, ad Icaunam fluv. Malliacum castellum.
Mailly la ville, locus ibidem, Malliacum villa.
Maimont, castrum in Lingonibus, Magnus mons.
Maina, oppid. Peloponnesi maritimum, Leuctra, aliis Tanarus.
Maina, oppid. Laconicæ, Tænarus, Tænarum.
Maincourt, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Media Curtis.
Maine, regio Cenomanorum popul. Galliæ.
Mainerville les Plains, locus Galliæ, in Caletis, Magna villa, in planis.
Mainland, insula una Orcadum, Pomona.
Maintenon, corruptè pro Mestenon, locus Galliæ in Carnutibus, Mestena.
Maintz, Mentz, vel Mentz, urbs Germaniæ, Moguntia & Magontiacum.
Mainy, pagus Flandriæ, Nemetarum.
do Mayo, una ex Gorgadibus, Maji insula.
Majorica, vide Mallorca.
Maiorque, insula & urbs Balearium, Majorica.
Maira, fluv. Pedemontii, Merula, Macra.
Maire, Burdigalæ in Gallia, Magister, Consul.
Maire, locus Galliæ, cum monasterio, in Pictonibus, Mariacum.
Maírmoustier, locus Galliæ, in urbe Turonum, Majus monasterium.
Maisel, locus ad Taram fluv. Macellum.
Maisieres, oppidum Campaniæ Gallicæ, Maceria.
Maisieres pres Beaune, oppid. Burgundiæ, cum monasterio, in pago Belnensi, Maceriæ.
Maison Mahaut, vicus Galliæ, in agro Parisino, Mansio aut domus Mathildis.
Maisoncelles, locus Galliæ in Meldis, Mansiuncula vel Mesoncellæ.
Maisons, vici duo ejusdem regni, in agro Parisino, Mansiones.
Maiton & Maitor, urbs Thraciæ, Macydos, Madytos.
S. Maixant, monasterium Galliæ, in Pictonibus, S. Maxentii.
Maizieres, urbs Galliæ, Amagetrobia.
Mal Consiglio, insula Sclavoniæ, Scardona.
Malabar, regio Indiæ citerioris, Dachinabares, aliis Malabaria.
Malabriga, urbs Hispaniæ excisa, Mirobriga.
Malaca & Malacca, urbs & regio Indiæ ulterioris, Malaca, Tacola, Aurea Chersonesus, ubi promontor. Malai colon.
Malaca, mons Thraciæ, Pangæus.
Malacasa, oppid. & mons Bœotiæ, Mycalessus.
Malaga, urbs regni Granatensis, Malaca.
Malagona, locus juxta Constantinopolim, Melanga.
Malalbergo, pagus agri Tridentinensis, Maletum.
Malamocco, urbs juxta Venetias eversa, Medoacus portus, Methamaucum.
Malatia, urbs Armeniæ minoris, Melita, Melitene.
Mal-Borgetto, pagus Norici, Burgium.
Malck vel Malkou, oppid. Hiberniæ, Macolicum.
Malcoluri, oppid. Macedoniæ, Chyretia.
les Maldives, insulæ Indiæ citerioris, Maldiva.
Maldon, oppid. Angliæ, Camudolanum, Camalodunum, aliis Malodunum.
Malear, populi Indiæ citerioris, Malai.
Maleg, fluv. Æthiopiæ, Maleg.
Maleguette, ora Guineæ regionis, Maleguetta.
Male-Maison, vicus Galliæ, in agro Parisino, Mala Mansio.
Malemort, oppid. Provinciæ, Malemortium.
Malenoë, vel Malenoix, vicus Galliæ, in Briegio, Mala Noda.
Malestroit, locus Galliæ, in Britannia minori, ad Uldam fluv. Malum strictum.
Malfi, urbs Picentinorum, Amalphis.
Malgara, oppid. Thraciæ, Agora.
Malgara, urbs Macedoniæ, Megale, Agora.
Malgrado, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Malaca.
Malgues, urbs Hispaniæ, Malaca.
Maliapur, urbs Indiæ citerioris, Maliapora & Meliapora.
Malicut, in Maldivis insulis, insula Malicutia.
Malido, oppid. Thraciæ excisum, Sestus.
Malines, urbs Brabantiæ, Machlinia.
Malipur, urbs Indiæ citerioris, Melange, Calamina.
Malleguette, regio Guineæ, Malleguetta.
Malien, oppid. Lusitaniæ excisum, Manlcana.
Malio, urbs Ciliciæ maritima, Mallus.
Mallora, scopulus maris Tyrrheni, Mellaria & Meniara.
Mallorca, insula, una Balearium, Palma, aliis Majorica.
Malmedi, aliis Malmedier, monasterium in Sylva Arduenna, Malmunderium.
Malmedy, oppid. Lucemburgensis Ducatus, Malmunderium.
Malmesbury, monasterium & oppid. Angliæ, Maldunense cœnobium.
Malmistra, urbs Ciliciæ, Mamistra, Mopsuestia.
Malmistra, fluv. Ciliciæ, Pyramus.
Malmoe, urbs Daniæ, Malmogia.
Malora, insula Thusciæ, Lemellum, Mellaria.
Malpertuso, fluv. Siciliæ, Monalus.
Malta, insula maris Africi, Melita.
Maltz, conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, seu Domus Dei, ad Malos.
Malvasia, urbs Laconiæ maritima, Epidaurus, Monembasia.
Malvoisin, vide Cap de Malvoisin.
Malvito, oppidum Calabriæ citerioris, Temesa, Tempsa.
Malzan, locus juxta Tridentum, Maletum.
Malzieu, vel le Malzieu, locus Galliæ, in Gabalis, Malsiorum.
Mamers, castellum Galliæ, in pago Sagonensi, Mamercia.
Mamista, vide Malmistra.
Mamotta, provinc. Asiæ, Arabia felix.
Man, insula Angliæ, Eubonia, Monarda, Monapia, Mensvia.
Manangbare, fluv. Madagascariæ, Manangareus.
Manampani, fluv. Madagascariæ, Manampanus.
Manar, insula Indiæ citerioris, Manaria.
Manartzberg, Manhartzperg, regio Germaniæ, ubi olim populi Manimi.
Mancanera, oppid. Valentiæ, Pomerium.
les Manceaux, populi Galliæ, Cenomani.
Mancester, oppid. Angliæ, Manduessedum.
la Mancha, regio in Castella nova, ubi olim Oretani populi.
la Mancha, tractus Hispaniæ Tarraconensis, ubi urbs Bigastrum.
la Mancha d'Aragon, locus Castellæ novæ, Laminitanus ager.
la Mancha Cieca, locus Castellæ novæ, Laminitanus ager.
Manche, inter Galliam & Angliam, Britannicus Oceanus, aliis Mare Britannicum.
Manchester, oppidum Angliæ, Mancunium.
Mancup urbs Tauricæ, Taphræ.
Mandangan, promontor. Libyæ citerioris, Hesperium cornu.
Mande, urbs Aquitaniæ, Gabalus, Mimatum.
Mandeure, locus in Sequanis, Epamanduorum.
Mandi, urbs Arcadiæ, Mantinea.
Mandinga, regnum Africæ in Nigritia, Mandinga.
Mandigna, urbs Argiæ, Mantinea.
Mandoua, fluv. Indiæ citerioris, Mandoua.
Mandrerei, fluv. Madagascariæ, Mandrereus.
Mandres aux quatre tours, locus in Ducatu Barrensi, Mandra ad quatuor turres.
Mandria, oppid. Amorgi insulæ, vel ipsa insula maris Ægæi, Minyia.
Mandula, oppid. Salentinorum excisum, Manduria.
Manduria, mons Gallæciæ, Medullium.
S. Manehou, oppid. Galliæ, Auxuenna.
Manfredonia, urbs Apuliæ, Sipontum novum, Manfredonia.
Mangalor, urbs Indiæ citerioris, Mandagara, aliis Monoglossum, Mangalora.
Manghisi, peninsula Siciliæ, Tapsus, Thapsus.
Mangresia, urbs Cariæ vel Ioniæ, Magnesia.
Manhate, oppid. Americæ septentrionalis, Manhata & Amstelodamum novum.
Manheim, castrum Palatinatus Rheni, Manhemium.
Maniago, oppid Forojulii, Celina.
Manille, insula Oceani Eoi seu Indici, Manilla & Lusonia.
Manille, urbs Asiæ in Philippinis, Manilla.
Manissa, urbs Lydiæ, Magnesia.
Manna, vide Nao.
Manna, promontor. Calabriæ non procul à Lacinio.
Mannrich, vicus Belgii, Mannaricium.
Manoa, & el dorado, urbs Americæ Australis, Manoa.
Manora, arx Indiæ citerioris, Manora.
Manosque urbecula Provinciæ, Manosca.
Manresa, urbs Catalauniæ, Athanagia, Minorisa.
Mantich, pagus Geldriæ, Mannaricium.
le Mans, urbs Cenomanorum, popul. Galliæ.
Mansraux, vide Manceaux.
Mansfeld, pars Saxoniæ, Mansfeldensis Comitatus.
Mansfeld, insula Americæ septentrionalis, Mansfeldia.
Mansfelders, populi Germaniæ, Cherusci.
Mansfeldt, urbs Saxoniæ, Mansfeldia.
Mansfield, oppid. Angliæ, Manduessedum.
Mansiatre seu Anse de Mansiatre, in Madagascaria, Mansiatre sinus.
Mansperg, oppid. Hungariæ, Memeiana, aliis Croatiæ, Monetium.
la Manta, oppid. Sabaudiæ, Mantala.
Mante, oppid. Franciæ, Petromantalum, Medunta.
Mante, vel Mente, locus Galliæ, in agro Viennensi, Mantala.
Mante le chasteau, in Gallia, Medunta castrum.
Mante la ville, in eodem regno, Medunta villa.
Mantegna, urbs Argiæ, Mantinea.
Mantelan, vicus Galliæ, in Turonibus, Mantelomagum.
Mantenay, municipium Galliæ, ad Sequanam, in Tricassibus, Mentuniacum.
Mantoua, urbs Longobardiæ, Mantua.
la Manza vel Mancha, tractus Hispaniæ Tarraconensis, Spartarius campus.
Manzanilla, oppid. Legionensis regni & Andaluziæ, Pomerrola.
Manzera, vide Manzanilla.
Mapalia, montes Trojæ, Ostrini.
Mapia, urbs Syriæ, Epiphania.
Mapotrinca, urbs Sarmatiæ Asianæ, Phanagoria.
Mar, vide Mare.
Mara, populi Sardiniæ, Norenses.
Maragnan & l'Isle de Maragnan, insula Brasiliæ, Maranania.
Maragnon, fluv. Americæ meridionalis, Maranonius.
Marais, locus Galliæ, in Caletis, Marisci.
Marais flottans de Balbingen & Andre, in Gallia, Paludes Balinghemienses & Andrenses.
Marana, aqua Romæ, Gabrusa.
la Maranella, aqua territorii Romani, Crabra.
Marans, oppid. Galliæ, ad Separim Niortensem, Maranorum.
Marason, vide Maratona.
Marasso, promontor. Sardiniæ, Hermæum.
Marat, urbs Syriæ, Maronias.
Marata, regnum Americæ septentrionalis, Marata.
Marateca, pagus & fluvius Portugalliæ, Malecca.
Marathona, oppid. Atticæ, Marathon.
Maratona, oppid. Atticæ, Marathon.
Marazie, urbs Persiæ, Marrasium.
Marbech, urbs Syriæ, Heliopolis.
Marbella, urbs Hispaniæ Bæticæ, Barbesola.
Marburg vel Marzburg, oppid. Cemandrorum popul. Norici in Stiria, Martena, Marciana Castra.
la Marca d'Ancona, regio Italiæ, Picenum, Marchia Anconitana.
Marca seu Marcha Trevisana vel Trevigiana, regio Italiæ, ubi Euganei populi, Venetiæ pars, Marchia Tarvisina.
Marcana, urbecula Dalmatiæ, Marcana.
S. Marcel, locus Galliæ, in Albigensibus, S. Marcelli.
Marcellino, fluv. Siciliæ, Myla, aliis Pantachus.
la Marche, locus Lotharingiæ, in Ducatu Barrensi, Marchia.
Marchen Famine, tractus Belgii, in Ducatu Lucilburgensi, Marchia in Famenna, seu Falemannia.
la Marche seu la Marche de Limosin, provinc. Aquitaniæ, Marchia.
le Marché de Maux, in Gallia, Forum Meldense.
Marche rous, corruptè pro Marchais, locus Galliæ.
Marchena, oppid. Andaluziæ, Marcia, Marciana colonia.
Marchesia, vide Marquesia.
Marchesnoir, locus Galliæ, in Carnutibus, Marchenoirum.
Marchiennes, oppid. vel pagus Hannoniæ: Aliis, locus cum monasterio, in Atrebatibus, Marchiana.
Marci, urbs Aprutii ruinata, Marsi, Valeria.
Marcia, portus Carthaginis urbis Africæ excisæ.
Marcianopoli, Bulgariæ urbs, Marcianopolis.
Marcigliano vecchio, vicus Sabinorum, Crustumeria.
Marcigni, locus Galliæ ad Ligerim, Marciniacum.

Marcillac, castrum Galliæ, ad Carantonum fluv. Marciliacum.
Marcilli sur Aube, vel Marsilli en sant Aube, aliis Marcilli sur Seine, oppidulum Galliæ, in Tricassibus, Marcelliacum.
Marcilly, locus ejusdem regni, ad Icaunam fluv. Marcelliacum.
Marck, tractus Germaniæ inter Austriam & Moraviam, ubi Marcomanni populi, Marcomannia.
la Marck seu Marquisat de Brandebourg, provincia Germaniæ, Marchia Brandeburgica.
Alt Marck, Neu Marck, Mittel Marck, tractus Germaniæ, Vetus, Nova, Media Marchia Brandeburgica.
la Marck, provinc. Westphaliæ, Marchia.
Marchia, castrum Westphaliæ, Marchia.
Marckfelder, populi Germaniæ, Quadi, Marcomanni.
Marckfeldt, Marckfeldberg, regio Germaniæ, ubi Quadi populi, Adrabæ campi, Teracatriæ campi.
Marckpurg, urbs Germaniæ, Marcpurgum.
Marczyzeck, vide Margoscsl.
Marcoussi, aliàs Marcoussy, vicus Galliæ, in agro Parisino, in Decanatu castri Fortis, Marcocia.
Mare, Mar, Mer, Mare
Adriatico, Italiam ad ortum alluens, Hadriaticum mare.
d'Africa occidentale, Oceanus Atlanticus.
di Africa, Africam & Mauritaniam alluens, mare Africum.
Aggiacciato, Scandinaviam alluens, mare Glaciale.
di Arabia, Oceanus Arabicus, mare Rubrum.
Atlantico, in ora occidentali Africæ, Mare Atlanticum.
de Ayam, pars Æthiopici, Mare Azanium.
el Azach, Mæotis palus.
di Bachu, mare Asiæ mediterraneum, Mare Caspium, Hyrcanum mare.
di Barberia, Mare Africum.
di Barcha, pars Africani maris, Libycum mare.
di Bretagna, inter Britanniam & Galliam, Mare Britannicum.
Bianco, Scythiæ, Mæotis palus.
di Biscaya, Mare Cantabricum, ad Boream Hispaniam alluens, Oceanus Cantabricus.
de Bresil, in ora Brasiliæ, Mare Brasilium.
di Cadiz, Oceanus Gaditanus.
di Calabria, Calabriam alluens, Ausonium mare.
di Candia, inter Cretam & Ægyptum, Mare Creticum.
del Catay, Seras alluens, Oceanus Sericus.
della China, Sinas alluens, Magnus sinus, Oceanus Eous, Mare Eoum, Chryse, Sinus magnus.
di Cipro, versùs Cyprum insulam, Mare Cyprium.
di Dalmatia, Dalmaticam alluens, Liburnicum mare, Dalmaticum etiam.
di Danemarcha, mare Daniam alluens, Mare Cimbricum.
di Egitto, Ægyptum & Marmaricam alluens, Mare Ægyptium.
d'Espagne, juxta Hispaniam, Mare Ibericum.
di Francia, Galliam meridionalem alluens, Gallicum mare.
de Genova, vide Mar di Leone.
di Germania, Germaniam alluens, Mare Germanicum.
Gionio, maris Mediterranei pars, Jonium mare.
Grande, sinus maris Ionii, Sinus Tarentinus.
di Groenlandia, mare Scandinaviam alluens, Mare Croxium, Congelatum.
di Guascogna, pars Oceani ad Galliæ occasum, Oceanus Aquitanicus.
di Ibernia, inter Hiberniam & Angliam, Mare Hibernicum.
des Indes, Indicum mare & Oceanus Indicus.
d'India, Indiam alluens, Mare Rubrum, Mare Indicum.
d'Inghilterra, vide Mare di Bretagna.
Jonio, inter Siciliam & Græciam, Jonium mare.
d'Irlanda, Hiberniam alluens ad Austrum, Oceanus Virginius.
d'Irlande, juxta Hiberniam, Mare Hibernicum.
Kalender, Scotiam alluens, Oceanus Deucaledonius, Caledonius.
di Leone, Liguriam alluens, Ligusticum mare.
di Levante, Mediterraneum mare.
della Libia, Cyrenen & Marmaricam alluens, Mare Libycum.
di Macedonia, pars Ægæi maris, Mare Macedonicum.
Magellanque, in America, Magellanicum mare.

Mare, Mar, Mer, Mare.
Maggiore, Euxinum mare.
di Majorica e Minorica, Mare Balearicum.
di Mallorca, in ora Hispaniæ, Balearicum mare.
di Mandria, pars Ægæi, Myrtoum mare.
di Marmora, mare inter Thraciam & Bithyniam, Propontis.
de Martegue, lacus Provinciæ, Stomalimne.
di Mauritania, Africam alluens ad Occasum, Mare Atlanticum.
di Mecha, Arabicus sinus.
Mediterraneo, Mare mediterraneum,
de Mexique, in America, Mare Mexicanum.
Morto, lacus Palæstinæ, Asphaltis.
Morto, Campaniæ juxta Puteolos, Lucrinus lacus.
Negro, Mare Euxinum, Euxinus pontus.
di Negroponte, vide Golfo di Negroponte.
di Nicaria, pars Ægæi, Icarium mare.
del Norte, in America, Mare Boreale.
Pacifico, mare ad Asiæ Ortum, Eous Oceanus.
Pacifico, in ora occidentali Americæ meridionalis, Mare Pacificum & mare Australium.
di Persia, vide Golfo de Persia.
di Portugallo, Portugalliam alluens, Oceanus Occiduus.
di Rhodi, Rhodum alluens, Mare Rhodium.
Rosso, in Asia, Erythræum mare, Sinus Arabicus, Rubrum mare.
de Sala, in Asia, Hyrcanum mare.
di S. Giorgio, Propontis vel Hellespontus.
di Sardegna, inter Sardiniam & Mauritaniam, Mare Sardoum.
di Scarpanto, pars Mediterranei, Mare Carpathium.
di Schiavonia, pars Adriatici, Mare Illyricum.
di Setelia, Pamphyliam alluens, Mare Pamphylium.
Settentrionale, mare Scythiam & Sarmatiam alluens, Morimarusa, Hyperboreum, Scythicum.
Mare di Sicilia, à Sicilia Peloponnesum usque, Mare Siculum.
di Soria, quod Syriam alluit, Syriacum mare.
di Spagna, Hispaniam alluens ad ortum, Mare Balearicum & Ibericum.
di Sperlunga, sinus Latii. Amyclaum mare.
della Tana, Mæotis palus.
Tireno, Inferum vel Tyrrhenum mare.
di Toscana, vide il Mar Tosco.
Tosco, Italiam ad occidentem alluens, Inferum mare, Tuscum, Tyrrhenum.
di Venetia, Italiam ad orientem alluens, Mare Hadriaticum, Superum mare.
Vermejo, in America, Purpureum mare.
delle Zabacche, Scythiæ, Mæotis palus.
di Zanguebar, pars Æthiopiæ, Mare Barbaricum.
del Zur, vide Mare Pacifico.
Mareau des Bois, vide Marotte.
Marecchia, fluv. Romandiolæ, Ariminum.
Marengo, vicus Liguriæ juxta Alexandriam, ubi olim populi Marici.
Marennes, oppid. Galliæ in Santonibus, Marinæ.
Maresma, æstuarium Andaluziæ, Aestuarium.
Marettimo, insula Italiæ, Hiera, Maritima.
les Mares flottans des Hames, in Morinis, Paludes Hammenses, vide quoque suprà in voce Marais.
Mareuil, loca Galliæ ad Maldram fluv. Maroilum. Ad Carim in Turonibus, Marojalum. In sylva Ledia vicus, in Decanatu Gonessæ, Marolium.
Mary sur Tille, locus Burgundiæ ad Tilam fluv. Mariacum.
S. Margareta, locus Galliæ, ad Varum fluv. Ad S. Margaretam.
Margarita, insula maris Tyrrheni, Urgo.
Margarita, insula Americæ meridionalis, Margarita.
Margath, urbs Syriæ, aliis Gabe & Gabala, Marathos.
la Margelle, locus Burgundiæ, Marginella.
Margojesl, urbs Moldaviæ, Marcodava.
Margret-overton, oppid. Angliæ, Margidunum.
la Marguerite, rivulus Galliæ, in Suessionibus, Margareta.
Marhani, oppid. Æolidis, Myrina.
Mari, vide Mira.
Maria, oppid. Peloponnesi maritimum, Ermione, Hermione.
Mariana, urbs Corsicæ excisa, Mariana.
la Mariaride, fluv. Galliæ, in agro Gabalico, Margareta.
Marib, urbs Arabiæ Felicis, Mariaba, Mariama.
Marice, oppid. Bulgariæ, Transmarisca.
S. Marie de l'Ermitage, monasterium Helvetiæ. S. Maria in Eremo. Germ. Einsidlen.
Marienberg, urbs Germaniæ, Mariaberga.
Marienbourg, oppid. Belgii, Mariæburgum.
Marienburg, urbs Prussiæ, Mariæburgum.
Marienthal, oppidul. Franconiæ, Mergentheimum.

Mariestadt, urbs Sueciæ, Mariæstadium.
Marigalante, insula Americæ, Marigalanta.
Marigliano, oppid. Campaniæ Italicæ, Marianum.
Marignano, oppid. Ducatus Mediolanensis, Meliganum.
Marigny, locus Galliæ, in Normannia, ad Icaunam fluv. Marennesium, seu Mariniacum.
Marinat, mons Macedoniæ, Scardus.
Marino, oppid. Latii, Lavinum. Aliis Mariana villa: aliis Villa Marii.
Marisch, fluv. Transylvaniæ, Marisus, Marus.
Mariza, fluv. Thraciæ, Hebrus.
Marle, oppid. Picardiæ, Marla.
Marle, castrum Galliæ, in agro Laudunensi, Merna.
Markborow, oppid. Angliæ, Cunetio.
Marley, locus Germaniæ, in Alsatia, Marilegium,
Marliano, oppid. territorii Mediolanensis, Marianum.
Marley le Bourg, in agro Parisino Galliæ, Malliacus Burgus.
Marley le Chastel, ibidem, Malliacum castellum, & Marly la Ville, &c.
Marmaigne, locus in pago Ternodorensi, Marcomania.
la Marmande, fluv. Galliæ, Milmandra.
Marmande en Agenois, castrum ejusdem regni, in Nitiobrigibus, Marmanda.
Marmara, fluv. inter Macedoniam & Thraciam, Strymon.
Marmolexo, oppid. Vandalitiæ, Utica.
Marmora, insula Propontidis, Elaphonesus, Proconesus, Neuris.
Marmoreto, pons Romæ, Æmilius pons, Sublicius.
Marmorto, vide Mare morto.
Marmoutier, Abbatia Galliæ, Majus Monasterium.
Marnis, portus Frisiæ occidentalis, Manarmanis.
Marnay, villa in Comitatu Morivensi, Madriniacum.
Marne & Marnay, arx, seu castrum seu vicus Galliæ, in pago Augustodunensi, Materna.
Marne, fluv. Galliæ, Matrona.
Marno, pagus Latii, Marruvium.
Maroc, regnum in Africa, Marocanum.
Marocco, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Bocanum Hemerum, aliis Maroquium.
Marogna, urbs Thraciæ, Maronea, Ismaros.
Maroilles, locus Hannoniæ, cum monasterio, Marilia.
Marolle, vicus Galliæ, in sylva Aurelianensi, Maregilum, Majoralum.
Marolles, duo vici Galliæ, in agro Parisino, Merrola.
Marona, vide Marat.
Maros, fluv. Transylvaniæ, Marisus.
Marothe, oppid. Hungariæ, Martis castra.
Maretto, fluv. Marchiæ Anconitanæ, Misa.
Marpurg, urbs Hassiæ, Amasia, Marburgum, Marpurgum, Mattiacum.
Marquesa, oppid. Castellæ veteris, ubi populi Arevacæ.
Marri, locus Galliæ Narbonensis, ubi populi Deceates.
S. Mars, pro S. Mard, vel S. Medard, vicus Galliæ, in Suessionibus, S. Medardi.
Mars en Famine, Marche en Famine, oppid. Lucemburgenie, Fanum Martis.
S. Mars d'Oslille, castellum Galliæ, in Cenomanis, Hostiliacum.
Marsa, oppid. Africæ, Maxula.
Marsal, oppid. Lotharingiæ, Marsalium.
Marsala, urbs Siciliæ, Lilybæum.
Marsala, fluv. Siciliæ, Sossius.
S. Marsau, castellum Galliæ, in Rutenis, S. Marcelli.
Marseille, urbs Provinciæ, Massilia.
Marseille verre, locus Provinciæ, Massiliæ specula.
Marseille vieille, vicus Galliæ, ad mare, prope Massiliam, Massilia vetus. Vide Marseille verre.
Mer de Marseille, pars maris Gallici, circa Massiliam, & Stœchadas, aliàs mer de Levant, Latinè Mare Massiliense, seu Ortivum.
Marsen, pagus apud Trajectum inferius, ubi populi Marsatii, Marsaci.
Marsico, urbs regni Neapolitani duplex, Marsicum.
Marsiglia, locus Latii, ubi Archippe oppid. excisum.
Marsiglia, vide Marseille.
Marsillac, locus Galliæ, cum monasterio, in Cadurcis, Marsillacum.
Marta, oppid. & fluv. Hetruriæ, Martha.
Marta, fluv. Hetruriæ, Ossa.
Martaban, urbs Indiæ ulterioris, Martabanum.
Martegues & Martegue, oppid. Provinciæ, Maritima, Astromela, Mastramella.

Martei, urbs Galliæ, Martellum.
Martenach, oppid. Vallesiæ, ubi populi Veragri, Octodurum.
Martemano, pagus Hetruriæ, Lartheniarum, Vep.
Martigni, vicus Vallesiæ, in Veragris, Martinacum, olim Octodurum. Vide quoque Martenach.
Martigny, locus Galliæ, in Caletis, Martiniacum.
Martilly, locus Galliæ, ad Sicaulam, Martiniacum.
Martimas, mons Arabiæ Felicis, Marithæ.
S. Martin, vicus magnus Galliæ, in insul. Radi, in Suessionibus, in Remis, S. Martini.
S. Martin de Castres, locus Galliæ, in diœcesi Leutevana, S. Martinus de Castris.
S. Martin des Combes, locus ibidem, S. Martini in convallibus.
Martin de Crau, vicus Galliæ, S. Martino in campis lapideis.
S. Martin de Dangeul, locus ejusdem regni, in Cenomanis, S. Martinus de Dangeolo.
Martin l'Eglise, locus Galliæ, in Caletis, Martini Ecclesia.
Martinique, insula Americæ, Martinica.
Martiopoli, urbs Thraciæ, Martianopolis.
Martorano, urbs Calabriæ citerioris, Mamertium, aliis Martoranum.
Martorel, oppid. Cataloniæ, Martorelium.
Martos, oppid. Andaluziæ, Tucci, Augusta Gemella.
Marspurg, vide Marpurg.
Marz, pagus Austriæ, Metenum.
Maruburu, urbs Thraciæ, Maronea.
Maruecco, vide Marocco.
Marveil sur Cher, vicus Galliæ, in Turonibus, ad fluv. Carim, Marolium, seu Maroialum.
Maruejols, urbs Galliæ, Marvegium.
Marugi, oppid. terræ Hydruntinæ, Marubium.
Marville, locus Belgii, in Ducatu Lucilburgensi: item in agro Mettensi, Martis villa.
Marzasia, promontor. Chii insulæ, Arvisius.
li Maruti, urbs Lati excisa, Forum Appii.
Marroyxen, fluv. Americæ meridionalis, Maruvinus.
Marza Sirocco, portus Melitæ, Herculis fanum.
Marzac, locus Galliæ, ad Viletam fluv. Marciacum.
Marzoquevir, portus Mauritaniæ Cæsariensis, Portus magnus.
Marzi, campus Cœlesyriæ, Marras.
le Mas, locus Galliæ, in Linguadocia, Mansus.
le Mas d'Agenois, locus ejusdem regni, Mansus Aginnensis.
Mas d'Asil, oppid. Occitaniæ, Azilium Mansum.
le Mas d'Asil, monasterium Galliæ, in agro Tolosano, Asilum, vel Mansus Asili.
le Mas de Cabardes, locus Galliæ, Mansus Cabaretensis.
Mas de Maurus, locus Galliæ, in agro Vivariensi, Mansus Maurorum.
le Mas Saintes Puelles, locus Galliæ, Mansus SS. Puellarum.
le Mas de la Tour, locus ejusdem regni, ad Atracem fluv. Mansus ad Turrim.
Masandram, urbs Mediæ, Maudagarsis.
Masandran, provinc. Asiæ, Hyrcania, Hyrcanum mare.
Masano, fluv. Cretæ, Massalia.
Masat, fluv. Libyæ, Massa, Masatat.
Masoy, populi Rhætiæ, in fœdere Cano, Misauci. Item Pagus Mosaucus, accolis Maesland.
Masbate, insula maris Indici, Masbata.
Mascalat, urbs & regio Arabiæ Felicis, ubi populi Maca, aliis Mascalatum.
Mascoli, oppid. Siciliæ, Inessa, Ætna.
Mascat, urbs Arabiæ Felicis, Mascatum.
Mascon, urbs Burgundiæ, Matisconæ.
le Masconois, regio Galliæ, Ager Matisconensis.
Mase, vide Maes.
Masegetæ, tractus & populi Walliæ, ubi oppidum Magæ.
Maseli, oppid. Ægypti, Gerra, Gerrum.
Maseres, locus Galliæ, in Comitatu Fuxensi, Maceria.
Maseyck, oppid. Belgii ad Mosam, ubi populi Masaci.
Masa, urbs Arabiæ, Masa.
Masiere, vicus Galliæ, ad Isaram, Maceria.
Masieres, oppid. Galliæ Belgicæ, Maderiacum, Maceriæ, Magetrobia.
Masiers, aliàs Mazerolles, villa Galliæ, in agro Pontivo, Maceriolæ.
Masmunster, oppid. Germaniæ, Masonis Monasterium.
Masotto, fluv. Cretæ, Massalia.
Masovie, provinc. Poloniæ, Mazovia.
Masoxerthal, populi Alpini, Isarci, Misauci.
Massa, oppid. Palæstinæ, Masada.
Massa, oppid. Thusciæ, Massa seu Massa Carraria.
Massa, urbs Thusciæ, Massa Veternensis, Vetumnæ Fanum.
Massa de Asta, oppid. Hispaniæ excisum, Asta.
Massa di Sorrento, urbs Terræ Laboris, Massa Lubrensis.
Massa Oliveri, promontor. Siciliæ, Plemmyrium.
Massafro, vide Masafra.
Massar, urbs Ægypti, Babylon.
Masser & Miso, regio Africæ, Ægyptus.
Masserano, oppid. Pedemontii, Masseranum.
Massy, vicus Galliæ, in agro Parisino, Maciacum.
Masstbroeck, tractus Frisiæ occidentalis, Septem Sylvæ.
Masulepatan, urbs Indiæ citerioris, Masulepatanum.
Matagi, pagus Corsicæ, Matisa.
Mataia, provinc. Americæ, Mataia.
Matala, oppid. Cretæ, Matalia.
Mataloni, locus Campaniæ Italicæ, Tifata, Magdalonum, Meta Leonis.
Matamau, regnum Africæ in Æthiopia, Matamanum.
Mataxia, insula Asiæ in Philippinis, Mataxia.
Matatane, regiuncula Madagascariæ, Matatania.
Mategriffon, castrum Siciliæ, Mata Græcus, vel Mata Griffo.
Matelica, oppid. Piceni, ubi olim populi Matilicates, Matilica.
Mateputain, castrum Galliæ, in Normannia, Meta putenæ.
Matera, urbs regni Neapolitani, Mateola.
Materan, urbs Iavæ Insulæ, Materanum.
Mathecgk, mons Mysiæ superioris, Aureus.
Mathesio, mons Aprutii, Nicater.
Matiggi, oppid. vel pagus Corsicæ, Mattea.
Matin, fluv. Macedoniæ, Mathis.
Matique, provinc. Floridæ, Matica.
Matucz, oppid. Norici, Mace.
Matran, oppid. Comitatus Tirolensis, Matreium.
Matrega, urbs Sarmatiæ Asiaticæ, Hermonassa, Phanagoria.
Mattagia, urbs Peloponnesi, Messene.
Mattagorda, locus prope Gades Insulam, Charybdis.
S. Matthieu, vulgò S. Mahé de fine-terre, municipium Galliæ, cum monasterio, in Britannia minore, S. Matthæi finis terræ.
Matzuway, regio terræ Esonis, Matsumaia.
Maubert-Fontaine, locus Galliæ, in Remis, Fons Malberti.
Maubenge, oppid. Belgii, cum monasterio, in diœcesi Camaracensi, Melbodium.
Maubeuge, oppid. Hannoniæ, Malbodium.
Mauchan, vicus Galliæ, in agro Parisino, Malus Campus.
Maudre, vel Modre, fluv. Galliæ, Maldra.
Mauge, oppid. Galliæ, in Andibus, Meldecum.
le Mauge, tractus Galliæ, in agro Pictavensi, Madalgiensis pagus.
les Mauges, vel le Comte de Mauge, tractus ejusdem regni in Andibus. Pagus Meldacensis.
Mauge, oppid. Galliæ Celticæ, Magdunum, Mediolanum.
Mauleon, oppid. Pictonum, Malleo.
Mauleon, locus Galliæ, cum monasterio, in Pictonibus. Malus Leo.
Mauleon de Soule, oppid. Aquitaniæ, Malleo.
Mauli, fluv. Siciliæ, Hirminius.
Maulieu, vicus Galliæ, in Arvernis, Malus locus.
Maumont, locus Galliæ, in pago Cadellensi, Malus mons.
mont Maur, locus Galliæ, in Volcis Tectosagibus, Mons Maurus.
S. Maur de Fossez, vicus Galliæ, cum monasterio, in agro Parisino, Fossata, vel Fossatum Bagaudarum.
Maure, insulæ duæ circa Tenedum, Calydnæ.
S. Maure, castrum Galliæ, in Turonibus, S. Maura.
Mauregard, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, in Decanatu Montis Maurentiaci, Malus Respectus.
Mauren-haer, Asiæ provinc. Sogdiana, aliis Bactriana.
Maurepas, castellum Galliæ, in eodem agro, cum vico, Malus Repastus.
Mauriac, locus Galliæ, cum monasterio, in Arvernia, Mauriacum.
Maurice, urbs Brasiliæ, Mauritia.
S. Maurice, Germ. S. Moritz, oppid. Vallesiæ, Agaunum.
la Maurienne, pars Sabaudiæ, ubi populi Branovices, Mauriana.
Mauritz Eylandt, in Oceano Æthiopico, Insula Mauritia.
Mauritz landt, in America Australi, Mauritii regio.
Maurkirchen, pagus Austriæ, Ad Mauros.
Maurmunster, in Alsatia, Mauri Monasterium.
Mauritealessa, pars Mediterranei maris, Excisus pontus.
Maurum, mons Asiæ, Taurus, & Mare Hyrcanum.
Mausac, vel Mosac, locus Galliæ, cum monasterio, in Arvernis, Mausiacum.
Mauve, fluviolus Galliæ, in Carnutibus, Malva.
Maxi, urbs Cariæ maritima, Larymna, Larymna.
S. Mey, monasterium Galliæ, in diœcesi Secustrionensi, S. Marii.
la Maya, urbs Hispaniæ, Amaia.
Maydenburg, urbs Saxoniæ, Magdeburgum, Parthenopolis.
Mayence, urbs Germaniæ, Magontiacum.
Mayenne, oppid. Cenomanorum in Gallia, Meduana.
Mayenne, vel Mayne la Juhel, locus Galliæ, ad Meduanam fluv. Meduana Juchelli.
Mayet, castellum Galliæ, in Cenomanis, Majetum.
Mayzasoli, fluv. Siciliæ, Isburus.
la Mayne, la Mayenne vel Majene, fluv. Galliæ, Meduana.
Meyo county, in Hibernia, Majensis Comitatus.
Mayton, vide Matton.
Mazacbarri, locus Africæ, ubi Utica urbs excisa.
Mazagan, urbs regni Marochii, Mazaganum.
Mazandaran, urbs Persiæ, Mazandaranum.
Mazar, urbs Ægypti, Babylon.
Mazara, urbs Siciliæ, Mazara.
Mazarino, locus Siciliæ, Mactorium.
Mazaresti, montes Sarmatiæ Asiaticæ, Hippici.
Mazenta, pagus agri Mediolanensis, Maxentia.
Maziere, locus non longè à Mosella fluv. & Mettis urbe, Maceria, vide quoque suprà Masiere.
Mazira, in mari Rubro, Sarapidis insula, Mazira, Organa.
Mazua, insula sinus Arabici, Macaria.
Mazzagran, oppid. Mauritaniæ, Cartenna, Deorum portus.
Mazzone, vide Campo Mazzone.
Mazzoni rossi, campi circa Capuam, Laborie campi.
Meaco, urbs Iaponiæ, Meacum.
Mearon, fluv. inter Gallæciam & Asturiam, Mearus, Metarus.
Meath, provinc. Hiberniæ, Media.
la Meause, locus Galliæ, ad Tolcam fluv. Melsa.
Meaux, urbs Galliæ Belgicæ, Iatinum, Meldæ.
Mebsese, urbs Ciliciæ, Mopsuestia.
Mecca & la Mecque, urbs Arabiæ, Mecca, Macoraba.
Mecchata, oppid. Africæ, Macomada, Cabymacoma.
Mecha, urbs Arabiæ Felicis, Mochura.
Mechelen, pagus Belgii juxta Trajectum, Machela.
Mechelen, urbs Brabantiæ, Machlinia, Maunæ.
Mechoacan, provinc. novæ Hispaniæ, Mechoacana.
Mechoacan, urbs novæ Hispaniæ, Mechoacanum.
Meckelburg, urbs eversa & regio Germaniæ, Magnopolis, Megalopolis.
Meckelburger, Germaniæ populi, Megapolitanus Ducatus, Obotritæ, Pharedini, Vandali.
Meczek, vide Metzek.
Medan, fons fluv. Jordanis, Phiala.
Medamon, urbs Arabiæ petræ, Medaba.
Medbab, urbs Arabiæ petræ, Medabab.
Medelin, oppid. Extremaduræ, Metellinum, Castra Metallina, Castra Vicelliana.
Medelpad, provinc. Sueciæ, Medelpadia.
Medemblick, urbs Hollandiæ, Medemblicum.
Medina del Campo, oppid. Castellæ veteris, Methymna Campestris.
Medina Celi, oppid. Castellæ novæ, Ecirsta, Eteleſia, Augustobriga, Medrcium, Secontia vetus, Methymnacelia.
Medina de Rioseco, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Forum Egurrorum.
Medina de Rio seco, oppid. Hispaniæ, Methymna sicca.
Medina Sidonia, urbs Andaluziæ, Asindum, Assidonia.
Medina Talnabi, urbs Arabiæ, Jesrab, Methymna Talnabia.
Meding, oppid. Carniolæ, Meclaria, Medaria, Metulum.
Medling, oppid. Bavariæ, Medullum.
Medniky, urbs Poloniæ, Medniciæ.
Medoc, tractus in Aquitania, Medulanus.
la rote de Medoc, in Gallia, Ora Medulana.
les Isles de Medoc, ibid. Insulæ Medulianæ.
Medon, oppid. Dalmatiæ, Doclea.
Medzquins, populi Galliæ in Biturigibus, Meduli.
Medue vel Medoc, regio Aquitaniæ, ubi Meduli populi.

Medules, pagus Asturiæ, Argentola.
Medway, fluv. Angliæ, Meduacus.
Megeswar, vide Megies.
Megies, oppid. Transilvaniæ, Porum.
Megisto, fluv. Mysiæ Asiaticæ, Macestus.
Megra, urbs Achaiæ, Megara, Misilea, Alcathoe.
Megrada, fluv. Africæ, Bagradas.
Mehedia, vide Mahadia.
Mehegde, locus Africæ, Semelia.
Mehun, oppid. Bituricensis ditionis, Magdunum, Mediolanum Aulercorum, Meholunum, Megledunum.
Mehun sur Indre, oppid. Galliæ, in Biturigibus Cubis, Magdunum ad Angerem.
Mehun sur Yeure, in Gallia, Magdunum ad Averam.
le Mehunois, ibid. Ager Magdunensis.
Meies, in Mauritania, pars Montis Atlantis.
Meinow, insula Sueciæ, Augea minor.
Meinungen, Franconiæ oppid. Meininga.
Meira, fluv. Liguriæ, Merula.
Meis, oppid. Africæ, Aspis.
Meisner, populi Misenæ, Libonotriæ regionis Germaniæ, Hermanduri, Suardones, Euduses.
Meissen, urbs Germaniæ, Lupfurdum, Misna.
Mela, urbs Africæ, Milevum.
la Mela, fluv. agri Brixiani, Mela.
le Melantois, in Gallia, Pagus Medelentensis.
Melasso, vide Melazo.
Melatige, regio Armeniæ majoris, Melitene.
Melazo, urbs Ioniæ vel Cariæ, Miletus, aliis Mylasa.
Melazzo, oppid. Siciliæ, Myla.
Melik, oppid. Austriæ ad Danubium, Claudivium, Medeliacum.
Meldola, oppid. Romandiolæ, Meldula.
Melechia, vide Capo Meletria.
Melerzée, lacus Sueciæ, Meierus.
Melfa, fluv. Latii, Melpis.
Melfi, urbs Lucaniæ, Melphis.
Melgueul, castrum Galliæ, in diœcesi Montispessulana, Melgorium.
Melgueul, seu Melgnel, oppid. Galliæ, in Volcis Arecomicis, Melgorium.
Meliane, urbs regni Algerii, Malliana.
Melida, insula prope Corcyram, Melita.
Melilla, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Ryssadirum, aliis Melilla.
Melilli & Melidi, oppid. Siciliæ excisum, Hybla.
Melilot, urbs Floridæ, Melilotium.
Melinde, urbs Zanguebariæ, Melinda.
Melissa, oppid. Calabriæ ulterioris, Meiese, Melise.
Melitia, oppid. Thraciæ, Melantias.
Melito, urbs Calabriæ ulterioris, Miletus.
Melitopoli, urbs Mysiæ Asiaticæ, Miletopolis.
Melle, castrum Galliæ, in Pictonibus, Metullum. Item le Melle, aut Melle sur Sarte, castrum Normanniæ, Merula ad Sartam.
Melli, regnum Nigritiæ, Mellum.
Mello, vel Merlou, locus Galliæ, in Bellovacis, Melletum.
Mellora, insula parva Thusciæ, Menaria.
Melmon, villa Angliæ, Adrezin.
Melnik, oppid. Bohemiæ, Melnecum.
Melo, provinc. Africæ, Agizimba.
Melonta, promontor. Cypri, Zephyrium.
Melteans, regio Armeniæ minoris, Melitene.
Meluza, vide Muluya.
Melun, oppid. Galliæ Celticæ, Melodunum.
Melun en Gastinois, locus Galliæ, in pago Wastinensi, Melodunum Vastinense.
Melzo, oppid. territorii Mediolanensis, Melzum.
Membrole vel Montbrole, vicus Galliæ, in Andibus, Mons Brodelli.
Memel, oppid. Prussiæ, Memellum.
Memel, fluv. Sarmatiæ Europææ, Chronus.
Memers, oppid. Galliæ, Memersium.
Memers en Sannois, castellum Galliæ in agro Sagonensi, Mamertiæ Sagonenses.
Memmingen, urbs Sueviæ, Drusomagus, Rostrum Nemaviæ, Augusta Drusi, aliis Memminga.
Menan, fluv. Indiæ, Maeclo, Sobanus.
Menan, fluv. Indiæ ulterioris, Menamus.
Menasio, pagus ad lacum Larium in Insubria, Menasium.
Menat, locus Galliæ, cum monasterio, in Aquitania, Manata. Item Manatense monasterium, in Arvernis.
Menaw, insula eadem ac Man.
Menay, fluv. Walliæ, Menaius.
Menchis, urbs Ægypti excisa, Memphis.
Mencio vel Menzo, fluv. agri Mantuani, Mincius.
Mende, urbs Aquitaniæ, Anderidum seu Mimatum.

Mendin, urbs Arabiæ Felicis, Madoce.
Mendicino, oppid. Calabriæ, Menecina.
Mendip hills, montes Angliæ, Minarii.
Mendolia, oppid. Calabriæ excisum, Peripolium.
Mendres, vicus Galliæ, in Briegio, Mandræ.
Menecy aut Mancey, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Manassiacum.
Meneg, peninsula Cornubiæ, Menmus, Meneu.
Menes, vide Mineo.
Menestreau sur Cher, oppid. Galliæ, in agro Bituricensi, Monasteriolum ad Carem.
Mengrelia, regio Manialorum popul. Asiæ, Colchis.
Mengrelli, populi Asiæ, Colchi.
Menjasco, fluv. Hispaniæ, Menlascus.
Menorca, insula, una Balearium, Minorica, Balearis minor.
Menosque, oppid. Provinciæ, ubi olim populi Menini, Menina.
Menteith, provinc. Scotiæ, Menthitia.
Mentese, urbs Cariæ, Myndus.
Menteseli, regio Asiæ minoris, Caria.
Menteza, urbs Hispaniæ diruta, Mentesa.
Mentz & Mentz, urbs Germaniæ, Moguntiacum, Megantia.
Menuis les S. Clou, vicus Galliæ, ad Sequanam, Menutium ad Clodoaldum.
Menuf, oppid. Ægypti, Delta.
Meona, locus Hetruriæ, Maon.
Meppen, urbs Westphaliæ, Meppa.
Mequinenza, oppid. Aragoniæ, Octogesa.
Mequinenza, oppidul. Aragoniæ, Mequinenzia.
Mer d'Allemagne, pars Oceani, Germanicum mare.
Mer Baltique seu die Belt, Mare Balticum, seu Codanus sinus.
Mer Blanche seu Golfe de Grandvic, in Sarmatia Europæa, Mare Album.
Mer de la Chine, pars Oceani Eoi, Sinarum Oceanus.
Mer Douce, in nova Francia, Mare Dulce.
Mer d'Ethiopie, in ora Africæ, Mare Æthiopicum.
Mer de Gascogne, in ora Galliæ, Mare Aquitanicum.
Mer Glaciale, in Oceano Septentrionali, Mare Congelatum.
Mer de Lanchidol, in Oceano Orientali, Anchidoliun mare.
Mer de Martigues, in Provincia, Astromela sinus.
Mer Noire & Mer Majeur, Mare Nigrum & Pontus Euxinus.
Mer de Petzorcke, pars Oceani Glacialis, Petzoricum & Chronium mare.
Mer de Provence, in ora Galliæ Narbonensi, Mare Gallicum.
Mer sauvage, vel, ut incolæ efferunt, Souvage, mare Gallicum, quod Radis insul. alluitur, Mare Ferum.
Mer de Tabarie, lacus Palæstinæ, Genesara.
Mer du Zud, sinus Belgii, Mare Australium.
la Mera, fluv. Thraciæ, Melas.
Merale, insula Æthiopiæ, Meroe.
Mercex, urbs Syriæ, Germanicia.
Merche, provinc. Scotiæ, Marchia.
Mercogliano, oppid. Campaniæ in Italia, Mercuriale.
Mercqs, villa Galliæ, in Lemovicibus, Mercoria.
Mercutur, Mercoeur, & Mercure, olim Marcueil, & Mercueuil, castrum Galliæ, in Arvernis, Mercorium.
Merdin, Merdee, urbs Mesopotamiæ, Marde.
Merdino, urbs Mesopotamiæ, Marde, Mardium.
Meren, in Belgio, Stagna latiora.
Meretz, oppidul. Lithuaniæ, Meretium.
Mergen, pagus Belgii, Menariacum.
Merghem, Gallicè Merville, locus Belgii, in Ducatu Lucilibuigensi, Menariacum.
Mergian, urbs Sogdianorum, Drepsa, Dropsa.
Mergo, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Tocolosida, & & insula Archipelagi, Amorgus.
Merhern, provinc. Germaniæ, Moravia, ubi olim populi Marcomanni.
Meri, oppid. Galliæ, in Tricassibus, Mauriacum.
Merida, urbs Lusitaniæ, Augusta Emerita, Emerita.
Meridiano, fluv. Insubriæ, Lambrus.
Meriel, quasi le petit Mery, vicus Galliæ, in agro Parisino, ad Isaram, Madriacellum.
Merignano, oppid. Insubriæ, Meriianum Novum.
Merindada de ultra Puertos, in Hispania regio, Navarra inferior.
Merionethshire, provinc. Walliæ, Mervinia.
Merlere, Merlere Fano, insula maris Ionii, Othronus, Thoronus.
Merletes, insulæ Siciliæ, Æoliæ, Liparæ.
Merlou, locus Galliæ, ad Tatans fluv. Merlatum.
Merna, regio Scotiæ, ubi populi Horesti, Marnia.
Merns, provinc. Scotiæ, Marnia & Mernia.

Meroua & Merouer, oppid. & populi Ulstrici, Meroniani.
Mersuola, oppid. vel castrum Campaniæ Italicæ, Tifata.
Merpins, castrum Galliæ, ad Carantonum fluv. Merpinum.
Merq, locus in Morinis, Caleto proximus, Mercuritium. Item in Tricassibus, Mauriacum.
la terre de Mercq vel le pays de Merck, locus maritimus Galliæ, inter Calesium & Gravenengas, Ager Mercensis.
Merseburg & Meersburg, urbs Misniæ, Martinopolis.
Mersburg, urbs Misniæ, Merseburgum & Martinopolis.
Merse, fluv. Walliæ, Merda.
Mersey, fluv. & æstus Angliæ, Setera.
Merspurg, oppid. Sueviæ, Mersburgum.
Mertola, oppid. Portugalliæ, Julia Myrtilis, Myrtilis.
Meruelo, oppid. Hetruriæ, Suderum, Tulernum.
Merville, vide Mergen.
Mesagna, oppidum territorii Hydruntini, Messapia.
Mesaulla, castrum Phrygiæ, Dorylaum.
Mesandra vel Mesendrea. Vide Mafandran.
Mesar, urbs Hyrcaniæ, Maufora.
Mese, peninsula Galliæ Narbonensis, cum oppidulo cognomine, Messua.
Mesember, urbs Thraciæ, Mesembria.
Mesendin, Persicus sinus.
Mesenna, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Tamodenga.
Mesi, vide Messi.
Mesiano, oppid. Calabriæ ulterioris, Messis.
Mesieres en Brenne, locus Galliæ, Macerix in Brivia saltu.
S. Mesme, vicus Galliæ, ad Urbiam fluv. S. Maximus.
S. Mesmin, vicus ejusdem regni, ad Ligericinum, Mitiacum. Item S. Maximini monasterium.
le Mesnil, vicus Galliæ, in sylva Ledia, Mansionile.
le Mesnil Aubry, vicus ejusdem regni, in agro Parisino, Mansionile Alberici.
Mesnil S. Denis, vicus ibid. Mansionile S. Dionysii.
Mesnil Montant, vicus ibid. Mansionile Momani.
Mesorata, vide Mesurata.
Mesrata, urbs Cyrenaicæ, Cyrene.
Messac, locus Galliæ, in Britannia minore, Mecia. cum.
Messi, urbs Cariæ, Halycarnassus, aliis Mylasa.
Messin, Metensis tractus, ubi Mediomatrices, in Lotharingia.
Messina, urbs Siciliæ maritima, Messana.
Messo, mons Macedoniæ, Bermius.
Messoarebe, urbs Lydiæ, Mastaura.
les quatre Mestiers, in agro Gandavensi, in Flandria, Quatuor Ministeria.
Mestre, oppid. juxta Venetias, Mestratum.
Mestre, oppid. prope Venetias, ad novam Venetiam.
Mestri, pagus Hungariæ, Mestriana.
Mesue, vel Mesve, vicus Galliæ, in pago Antissiodorensi, Mesva.
Mesuna, fluv. Calabriæ ulterioris, Medama.
Mesuraca, oppid. Calabriæ, Reatium.
Mesurata, oppid. Africæ, Macomada.
Mesurata, insula Africi maris, Misynus.
Metasus, vide Marasus.
Metalia, pagus Cretæ, Mataha, Metallum.
Metaro, vide Metro.
Metelen, pagus ditionis Monasteriensis, Mediolanum.
Metelin, insula maris Ægæi, Lesbos, & urbs, Mitylene.
Meteloch, pagus Lotharingiæ, Medelacus.
Methe, vide Mieh.
Meti, urbs Indiæ citerioris, Barbari.
Metling, vide Medling, aliis Metalum.
Metramo, fluv. Calabriæ ulterioris, Metaurus.
Metro, fluv. Ducatus Urbinatis, Metaurus.
Mettelen, vide Metelen.
Mettelier, pagus Germaniæ inferioris, Mediolanum.
Metz, urbs Lotharingiæ, Divodurum, Metæ, Metis, ubi populi Mediomatrices.
Metzek, vide Matheryk.
Meudon, oppid. Galliæ, in Senonibus, Metiosedum. Item vicus agri Parisini, Modunum.
Meuillon, oppid. & castrum Galliæ, in Medulis: Item locus in Delphinatu, Medullio.
Meulan, oppid. Galliæ, seu castrum, in Veliocassibus, Mulanum seu Mellentum.
Meun, locus Galliæ, in Biturigibus, Mediolanum. Item in Carnutibus, Magdunum.
Meurs, vide Mehun.
Meurs, urbecula Ducatus Clivensis, Mersa.

la Meurte & Meurte, fluv. Lotharingiæ, Murta, seu Morta.
Meuse, fluv. Galliæ Belgicæ, Mosa.
Meuse en Bassigny, vicus Galliæ, Mosa in Bassiniaco.
Mexemieu, locus Galliæ, Maximiacum.
Mexico, urbs Hispaniæ novæ, Mexicum.
le Mexique, regio Americæ septentrionalis, Mexicana.
Meydenburg, vide Maydenburg.
Meyen, locus Germaniæ, in Treviris, Meginum vel Megenum.
Meyenfeldt, oppid. Rhętiæ, Lupinum, Maiæ Campus.
Meylandt, urbs Insubriæ, Mediolanum. Item ager Magniacensis, in Treviris.
der Meyn, fluv. Germaniæ, Mœnus.
Meyssen, vide Meissen.
Meza Paludosa, insula ad ostia Tiberis, Insula sacra.
Mezaal, insula Æthiopiæ, Meroë.
Mezeires en Breme, vide Mesieres en Brenne.
Mezemme, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ maritimum, Acrath.
Mezieres, urbs Campaniæ, Maderiacum & Meceria.
Mezieres, oppidul. Galliæ, Bennacum.
Mezo, urbs Candiæ, Amyzon.
Mezuna, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Oppidum novum.
Mezzaba, tractus Africæ in Biledulgeridia, Mezzaba.
Mezzovo, mons Macedoniæ, Pindus.
Miana, urbs Mediæ, Apamea.
Miary, fluv. Brasiliæ, Miarus.
S. Michel, monasterium Galliæ, in Theoracia sylva, S. Michaëlis.
S. Michel en Brene, locus Galliæ, S. Michaël in sylva Briona.
S. Michel en l'Er, monasterium ejusdem regni, in Aquitania, S. Michaëlis in Eremo.
Michiasa, locus Ægypti juxta Memphim, Dædali templum.
Mici, locus Galliæ, cum monasterio, in agro Aurelianensi, Miciacum.
Micila, oppid. Africæ, Myræum.
Micole, insula maris Ægæi, Myconos.
Middelburg, oppidul. Flandriæ, Middelburgum.
Middelburg, urbs Zelandiæ, ubi populi Mattiaci, Metelli castrum.
Middlesex, regio Angliæ, ubi populi Trinobantes, aliis Middlesexia.
Midelfart, vide Metteler.
Mideli, urbs Phrygiæ, Midaium.
Midia, urbs Thraciæ, Medea.
Midou, fluv. Galliæ, Midorius.
Miegemont, locus Galliæ, in Lemovicibus, Medianus Mons.
Mieh vel Miih, regio Hiberniæ, Media.
S. Miel, locus Galliæ, in agro Vivarensi, S. Michaëlis.
Miepherkin, urbs Armeniæ majoris, Martyropolis.
Mierle, pagus Geldriæ, Mederiacum.
Migana, urbs Africæ, Lares.
Migni, oppid. & os Nili, Mendesium.
Mignone, vide Magnone.
Migrum, vide Migni.
S. Mihel, in Verdunensi diœcesi, oppidum & monasterium, S. Michaëlis.
Milanese, in Longobardia, Mediolanense territorium.
Milano, urbs Insubriæ, Mediolanum.
Milazzo, vide Melazzo.
Milden, oppid. Helvetiæ, Minnodunum.
Milel, fluv. Cyrenaicæ, Lethon.
Mileto, urbs Calabriæ ulterioris, Melita, Miletus.
Mileusko & Mileusck, oppid. Bohemiæ, Meliodunum.
Milfordhaven, portus Angliæ, Milfordiensis.
le territoire de Milhau en Rouergue, tractus Galliæ, Ager Æmilianus, in Rutenis. Vide Millau en Rouergue.
Milia, urbs Pamphyliæ excisa, Milyas, Mylias.
Miliana, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Manaana.
Millas, vide Rio de Millas.
Millau en Rouergue, oppid. Galliæ, Æmilianum Rutenorum.
Millaud, urbs Aquitaniæ, Millialdum.
Milly, oppidum seu burgus Galliæ Celticæ, Milliacum vel Milleium.
Milo, insula maris Ægæi, Melos.
Milopotamo, urbs Cretæ maritima, Milopotamos, Pantomatrium.
Mimpelgard, urbs Burgundiæ Comitatus, Magetrobia, Epamanduodurum.
Mina & S. George de Mina, arx Guineæ, Mina.
Mina, fluv. Mauritaniæ, Cartenus.
Mina, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, Chylemath.
Mindanao, insula maris Eoi, una Barussarum, aliis Mindanoa.
Mindanao, urbs in Philippinis, Mindanoa.
Minden, urbs Germaniæ, Minda.
Mindora, insula Asiæ in Philippinis, Mindora.
Mindora, urbs in Philippinis, Mindora.
Mineo, oppid. Siciliæ, Mene.
Minerbino, vide Monervino.
Minerve, alias Menerbe, castrum Galliæ, in diœcesi Carcassonensi, Minerva.
le Minervez vel Minerbois, tractus Galliæ, Ager Minervensis.
Minzelstal, populi Alpini in Istria, Menocaleni.
Mingiu, regio Asiæ, Carmania deserta.
Mingrelli, vide Mengrelli.
Minibar, provinc. Asiæ, India.
Minio, urbs Ægypti, Thebæ.
Minno & Minho, fluv. Gallæciæ, Minius.
Minolo, oppid. Cretæ, Minoa.
Minori, urbs Principatus citerioris, Minora.
Minorica, vide Menorca.
Miolans, oppid. Delphinatus, olim Medulorum popul.
S. Mion, pro S. Mioul, locus Galliæ, in Arvernis, S. Medulfi aquæ.
Mions, locus Galliæ, Montes.
Mioffan, locus Galliæ in Aquitania, ad Vingennam fluv. Medioximum. Item fluv. Pictonum, Medioximus.
Mira vel Miri, urbs Lyciæ, Limyra.
Mirabello, oppid. Cretæ maritimum, Heraclea, Panormus.
Mirali, urbs Albaniæ, Caucasiæ portæ.
Miramar, oppid. Catalauniæ, Oleatrum.
Miramonts, castrum Galliæ, in Arvernia superiore, Mirabilis Mons.
Miranda, urbs Portugalliæ, Concia.
Miranda, oppid. Biscaiæ, Moræca, aliis Miranda Iberica.
Miranda, fluv. Siciliæ, Erineus, Orinus.
Miranda de Duero, urbs Portugalliæ, Sepontia Paramica, Miranda Durii.
Mirande, oppid. Aquitaniæ, Miranda.
Mirandola, urbs parva Italiæ, Mirandula.
Miravet, oppidul. Cataloniæ, Miravetum.
Miraumont, castrum Galliæ, in Petrocoriis, Mirabilis Mons.
Mirebeau, urbs Pictavensis provinc. Mirabellum.
Mirecourt, urbs Lotharingiæ, Mirecurtium.
Mirepoix, urbs Linguadociæ, Mirapisca, ubi populi Tascodunitari.
Mirilli, urbs Siciliæ excisa, Hybla parva.
Mirofidi, urbs Thraciæ, Myrophytos.
Miron, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, Serbes.
Misa, fluv. Umbriæ, Senna, Sena.
Misagno, oppid. terræ Hydruntinæ, Messapia.
Miscou, insula novæ Franciæ, Miscovia.
Miseno, promontor. & urbs Campaniæ excisa, Misenum.
Misini, urbs Thraciæ, Drusipara.
Misitra, urbs Peloponnesi, Lacedæmon, Sparta.
Misnia, regio Germaniæ, Misnia, Libonotria.
Misraim, urbs Ægypti, Babylon nova.
Mistretta, urbs Siciliæ, Amastra, Amestrata, Mutistrata, ubi populi Mutustratini.
Mitlin, oppid. Angliæ, Mediolanum.
S. Mitre, vicus Galliæ, in campis lapideis, S. Metriæ.
Mitry, villa Galliæ, in agro Parisino, Mintriacus.
Mittel-Marck, regio Germaniæ, Media Marchia Brandeburgica.
Mittelburg, vide Middelburg.
Mittena, mons Peloponnesi, Minthe.
Mittenwaldt, oppid. Tirolensis Comitatus, Inutrium.
Mitzir, urbs Ægypti excisa, Babylon, Memphis.
Moascar, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Victoria.
Modena, urbs Lombardiæ, Mutina.
il Modenese, Ducatus in Italia, Mutinensis.
Modiana, oppid. Romandiolæ, Mutilum.
Modica, oppid. Siciliæ, Motuca.
Modigliana, vide Modiana.
Modin, urbs Palæstinæ excisa, Modin.
Modon, urbs Peloponnesi maritima, Methone.
Modona, vide Modena.
Modrusch, urbs Liburniæ, Modrusa, Tediastum.
Moen, insula Daniæ, Mona.
Moesel, fluv. Lotharingiæ, Mosella.
Mogheli, mons Asiæ, Emodus.
Mogins, castellum Galliæ, Maginum.
les Mogols, populi Indiæ citerioris, Mogoles.
Mogores, populi Sarmatiæ Asiaticæ, Sarmatæ.
Moguan, urbs Indiæ citerioris, Margara.
Mohacz, oppid. Hungariæ, Amantia, Anamascia.
Mohilow, urbs Lithuaniæ, Mobilovia.
Mojent Pont, locus Belgii, ad Saram fluv. Medianus Pons.
Mojenvic, oppid. Lotharingiæ, Mojenvicum.
le Moine bourru, nomen spectri Parisiis, Lycanthropus.
Moissac, oppid. Galliæ cum monasterio, in Cadurcis, Moissacum, seu Mussiacum.
Moissettes, vicus Galliæ, in agro Parisino, Muscella.
Moissi l'Evesque, vicus Galliæ, in Briegio, Mossiacum Episcopi.
Moituce & Mutune, vide Modon.
Mola, pagus Latii, Molæ formianæ.
Molara, insula Sardiniæ, Ermea.
Molcoluri, urbs Macedoniæ, Chyretia.
Moldavia, pars Mysiæ inferioris, vel Daciæ, ubi Patzinacæ populi.
Moldavie, regio Europæ, Moldavia.
Mole vel Môle, vicus Galliæ, cum monasterio, in Normannia: ad Maldram fluv. Mauuia.
Molena, oppid. Andaluziæ, Suel.
Molesme, vicus cum monasterio, inter Burgundiam & Campaniam, Molismum.
Molfa, fluv. regni Neapolitani, Melphes.
Molfetta, urbs Apuliæ Peuceriæ, Melfictum.
Molicria, oppid. Ætoliæ, Molycria.
les Molieres, vicus Galliæ, in agro Parisino, Moleriæ.
Molina, oppid Castellæ novæ, Molina.
Molina, oppid. Gallæciæ, Malaaca, aliis Olina.
Molina, fluv. Siciliæ, Monalus.
Molingar, urbs Hiberniæ, Molingaria.
Molins, urbs Borbonii, Gergobia, Molinum, aliis Nemosus.
Molise, Comitatus in regno Neapolitano, Molisinus.
Molise, oppidul. regni Neapolitani, Molisia.
Moll, vide Mollicolno.
Molle, pagus Brabantiæ, Zammale.
Mollicolno, insulæ Africæ, Larunesiæ.
il Molo, locus juxta Puteolos, Puteolana moles.
Molo di S. Joan Calamolo, portus Bithyniæ, Heræus.
Molome en Tonnerre, locus Burgundiæ, cum monasterio, Melugda vel Melunas.
Molsheim, urbecula Alsatiæ, Molsemum.
les Molucques, insulæ in Oceano Indico, Moluccæ.
Mombaza, urbs Æthiopiæ, Tonice, aliis Monbacia.
Mompellier, urbs Linguadociæ, Agathopolis, Mons Pessulus, ubi Nitiobriges populi.
Mon, insula Walliæ, Mona.
Mon-contour, oppid. Galliæ, in Pictavis, Mons Consularis.
Mon-miral, baronatus Galliæ, in Pertico Goëti, Mons mirabilis.
Monachorum lacus, lacus Africæ, Arrhata.
Monaco, urbs Bavariæ, Monachium.
Monaco, oppid. & fortalitium in Genuensi ditione, Herculis Monœci portus.
Monaghan, oppid. Hiberniæ, Monaghanum.
Monago, vicus Salassiorum, Arebrigium.
sierra de los Monos, mons Mauritaniæ Tingitanæ, Abyla.
Monasteriachi, oppid. Siciliæ excisum, Murgantia.
Monastier, item S. Chaffre, monasterium Galliæ, in Vellavis, S. Theotfridi.
Monastir, oppid. Macedoniæ, Monasterium, & mons Athos.
Monbeliard, urbs Burgundiæ, Magetrobia, Mons Belligardus.
Monberou, locus Galliæ, inter Durocortorum Remorum & Laudunum urbes, Mons Beraldi.
Monbrison, urbs Galliæ, Monbrisonium.
Moncalvo, oppid. Ducatus Montisferratensis, Mons calvus.
Monçaon, oppidul. Portugalliæ, Monsonium.
Moncastro, oppid. Macedoniæ, Ænia.
Moncastro, urbs Mysiæ inferioris maritima, Hermonassa.
Moncastro, urbs Sarmatiæ Europææ, Tyras.
Moncayo, mons in Aragoniæ confinio, Caunus, Cacus, Edulius.
Moncenis, mons intra Pedemontium & Sabaudiam, Cibennica juga, Mons Cinerum, Mons Cinesius, Alpes Cottiæ.
Monchi le chastel, burgus Galliæ, in Bellovacis, castellum ad Taram fluv. Montiacum vel Moncejum.
Monchi vel Moussi la Gasse, locus in Veromanduis, itidem Montiacum.
Monchi le Perreux, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Montiacum Petrosum.
Monclou vel Monclu, locus Galliæ, in agro Burbonensi, Item in Delphinatu, Mons clausus.
Moncolobrer, insula juxta Baleares, Colubraria.
Monçon, urbs Aragoniæ, Montio.
Monçon vel Monson, castrum Lotharingiæ, Montio.
Moncontour, vicus Galliæ, ad Ligerim, non procul ab urbe Turonum, Moncontorium.
Moncontour, oppid. Pictavensis provinc. Moncontorium.
Moncontour, locus Galliæ, cum prioratu, in Britannia minore, Mons Conterius.

Moncontour, locus Galliæ, in diœcesi Alecensi, seu Maclovienfi, Moncontorium.
Moncornet, oppid. Galliæ, Mons Corneti.
le Monde, Orbis terræ seu Mundus.
Mondego, fluv. Portugalliæ, Monda, Munda.
Mondidier, oppid. seu castrum Picardiæ, in Ambianis, Mons Desiderii.
Mondonnedo, urbs Gallæciæ, Mindon, Glandomirum.
Mondovi, urbs Pedemontii, Mons Regalis, Mons Vici.
Mondragon, oppid. Guipuscoæ, Tritium, Tuboricum.
Mondragon, locus in Sabaudia, Mons Draconis.
Mone, insula Daniæ, ubi Manimi populi.
Monemugi, regnum Africæ, Monemugium.
Monervino & Monorvino, urbs Apuliæ, Minervinum, Minervinum, Mons Orvinus.
Monfalcon, locus Galliæ, in Cadurcis, Mons Falconis.
Monfaucon, aliàs quoque Monfalcon, locus cum monasterio in Gallia, in Rhemis, Mons Falconis.
Monfeltro, urbs Umbriæ, Leopolis, Mons Feretranus.
Monfermeil, vicus Galliæ, in agro Parisino, Mons Famolius.
Monferrant, urbs Alverniæ, Monferrantium.
Monferrat, provinc. Italiæ, Mons Ferratus.
Monferrat, loca Galliæ, in Provincia, Delphinatu & Brexia, Mons Ferratus.
Monferrier, castrum Galliæ, prope Montem Pessulanum, Mons Ferrarius.
Monfia, insula Zanguebariæ, Monfia.
Monfort l'Amaury, oppid. Galliæ, Monfortium Amalrici.
Monforte de Lemos, oppid. Gallæciæ, Dactonium.
Mongaguabe, fluv. Brasiliæ, Mongaguabe.
Mongalor, vide Mangalor.
Monge, locus Galliæ, in agro Parisino, Mons Gejus.
Mongelino, oppid. Siciliæ, Magella.
Mongeron, vicus Galliæ, in Briegio, Mons Gironis.
Mongibellifo, locus juxta Syracusas, Hexapylum.
Mongibello, mons Siciliæ, Ætna.
Mongimel, vicus agri Parisiensis, in Gallia, Mons Gemellus.
Mongul, provinc. Asiæ, pars Scythiæ ulterioris.
Mongufio vel Mongano, locus Insubriæ, Eupilis.
Monray, locus Galliæ, in agro Parisiaco, ad Matronam, Mons Capi.
Monins vel Mourens, locus agri Benearnensis, in Gallia, non ignobilis, Moneoforum.
Monjoye, locus Galliæ, in agro Parisino, Mons gaudium.
Monjoyre, castrum Galliæ, prope Tolosam, Mons Jovis.
Monjui, mons Catalauniæ, Jovis mons, Scala Hannibalis.
Monluçon, urbs Galliæ, Monlussonium.
Monmedy, urbs Belgii, Monsmedius.
Monmelian, arx Sabaudiæ, Mommelianum.
Monmirail, oppid. Pertici tractus, Monmiralium.
Monmirail, oppid. Galliæ, Monmiralium.
Monmor, locus Galliæ, prope Deam, Mons Maurus.
Monmorency, oppidul. Galliæ, Monmorenciacum.
Monmouth, urbs Angliæ, Monumethia.
Monmouthshire, in Anglia, Monumethensis Comitatus.
Monnoye, vicus Galliæ, in Turonibus, Medicomus.
Monobriga, pagus Bæticæ, Monobrica.
Monoczle, mons Hungariæ, Claudius.
Monomotapa, regnum Africæ, Monomotapa.
Monomotapa, urbs Africæ, Monomotapa.
Monopoli, urbs Apuliæ, Monopolis, Egnatia nova.
Monpezat, castellum Galliæ, in Cadurcis; Item in Volcis Tectosagibus, Mons Pensatus.
Monreal, castellum Galliæ, in Æduis: Item in Novempopulana provinc. Mons Regalis.
Monreal, oppidul. novæ Franciæ, Mons Regius.
Monreale, urbs Siciliæ, Mons Regalis.
Monreale, urbs Arabiæ petrææ, Petra.
Monrouveau, locus Galliæ, ad fluv. Lidericum, Mons Revelli.
Mons, urbs Hannoniæ, Montes.
les Mons de Neufchatel & Danner, in Morinis, Montes Novi Castelli & Danerum.
Mons & Poulle, vicus Belgii, in Flandria, Mons in Pascuis, vel Mons in Paludis.
Monsay, locus Galliæ, in Turonibus, Mitelacum.
Monselice, oppid. agri Patavini, Mons Silicis.
Monsaut, vicus Galliæ, in agro Parisino, Moncellum.
Monspurg, oppid. Carniolæ, Montium.
Monstereau Faut-Yonne, municipium Galliæ, in Senonibus, Monasteriolum.
Monstier, vide Moustier.
Monstier en Der, monasterium Galliæ, Dervum.
Monstier S. Jean, monasterium Galliæ, in Lingonibus, Reomaus.
Monstier Ramey, monasterium ejusdem regni, Arremari.
Monstrelet, locus Galliæ, in Ambianis, Monasteriolum.
Monstreul, oppid. Picardiæ, Monasteriolum.
Monstreul vel Monstreuil l'Argille, locus Normanniæ, Monasteriolum in Argilla.
Monstreul Belay, monasterium ejusdem regni, in Andibus, Monasterium Berlaeii.
Monstreul sur le Bois, locus Galliæ, in agro Parisino, Monasteriolum super Nemus.
Monstreuil aux Lions, vicus ibidem, Monasteriolum ad Leones.
Monstreuil sur mer, oppid. Galliæ, ad Quantiam fluv. Monasteriolum ad mare.
Mont-Anis, in Vellavis, Galliæ regione, Anicius Mons.
S. Catherine, seu le fort S. Catherine, locus munitus Galliæ, in urbe Rotomago, Mons vel munimentum S. Catharinæ.
Cesar, locus Galliæ, in Bellovacis, Mons Cæsaris.
Chauvet, locus Galliæ, Mons Calidus.
S. Claude, sic à monasterio mons Jura dicitur, Mons S. Claudii.
Cornet en Ardenne, castellum in sylva Arduenna, Mons Cornutus.
Evrvain, vicus Galliæ, in Briegio, Mons Abreni. Aliàs Mons Euvin.
Faucon en Argonne, locus Galliæ, in Remis, in saltu Argonna, Mons Falconis, vide quoque Monfalcon.
Ferrand, locus Galliæ, in Arvernis, Mons Ferrandi.
Juif, in Brexia & Gothia, Galliæ provinciis, Mons Judæorum.
Laur, in agro Carcassonensi Galliæ, Mons Laureus.
Loys, vel Mont-Loüis, in Turonibus, ad Ligerim, Laudiacum, seu Mons Laudiacus.
Martre, vicus Galliæ, in agro Parisino, Mons Martyrum.
le Mont S. Michel, vel S. Michel du Mont, locus Galliæ, cum monasterio, in confinio Britonum ac Normanniæ, S. Michaelis Mons ad duas Tumbas.
Mont-Real, castellum Galliæ, in Pictonibus, Mons Regalis. Vide & Monreal.
Retaut, oppid. Galliæ, in Britannia minore, Mons Retaxus.
Rembert, in Lingonibus, Mons Ramberti.
Savion, castellum in Lingonibus, Mons Salonis.
des Singes, mons Mauritaniæ Tingitanæ, Abyla.
à Taire, castellum Galliæ, in Bellovacis, Mons ad Taram fluv.
Tessou, vicus Galliæ, in agro Parisino, ad Sequanam, Mons Taxonis.
Valerien, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Mons Valeriani.
Ventoux, in Provincia, Mons Ventosus.
le Mont de Vosge, vel les Montagnes de Vosges, in Lotharingia, hanc ab Alsatia & Comitatu Burgundiæ discludens, Mons Vosagus.
Mont, vide Monte.
Montagnana, Montagnano, oppid. Venetiæ, Anianum.
Montagne di Cefer, mons Æthiopiæ, Quinquedigitus.
di Durazzo, mons Macedoniæ, Pylartes.
di Fondi, in Latio, Fundanus mons.
della Lunegiana, Montes Lunæ, Apuani. Vide Monte della Lunigiana.
di S. Pelegrino, mons intra Lombardiam & Hetruriam, Mons Latus.
di Sicignano, mons Lucaniæ, Alburnus.
di Sorrento, in regno Neapolitano, Æquana juga, Surrentini colles.
di Tauris, mons Mediæ, Orontes.
di Tenda, pars Alpium juxta Nicæam, Alpes maritimæ, Ligusticæ.
di Viterbo, mons Hetruriæ, Ciminus.
la Montagne, pagus Galliæ, in agro Remensi, Montana.
la Montagne de Tarare, ultimum Cebennarum jugum, Mons Tararensis.
le Montagne di Tenda, montes inter Provinciam & Liguriam, Maritimæ Alpes.
Montagudet, in Cadurcis, Mons Acutulus.
Montagut, locus Galliæ, in agro Burbonensi, Mons Acutus.
Montagnes d'Auvergne, montes Galliæ, Cemmenus, Gebenna.
de Cevenne, mons Linguadociæ, Cemmenus, Gebenna.
Montaigu en Combraille, oppid. Galliæ, Mons Acutus.
Montalboto, oppid. Umbriæ, Bodius mons, Mons Bodius.
Montalcino & Monte Alcino, urbs Hetruriæ, Mons Alcinus.
Montalto, urbs Piceni, Mons Altus.
Montalvan, oppid. Aragoniæ, Mons Albanus.
Montanea, oppid. Bithyniæ, Nicopolis.
Montanata, in Hetruria, Mons Tanatus.
Montanges, urbs Portugalliæ, Calcabrum.
Montarcis, locus Galliæ, Mons Arvicus.
Montargis, urbs Galliæ, Montargium.
Montargis, castellum Galliæ ad Lupam fluv. Mons Argisus.
Montauban, urbs Linguadociæ, ubi populi Nitiobriges: Item in Cadurcis, Armoricis, Provincia & agro Parisiensi.
Montauriol, in diœcesi Galliæ Tolosana, Mons Aureolus.
Montaut, locus Galliæ, in diœcesi Carcassonensi. Item in Gothia, Montaltus.
Montbar, castrum Burgundiæ, Mons Barrus.
Montbason, oppid. Galliæ, in Turonibus, Mons Basinus.
Montbel, locus Galliæ, in diœcesi Carcassonensi, Mons bellus.
Montbelliard, vide Moubelliard.
Montblanc, prope Glannatevam, Mons albus.
Montbrion, locus Galliæ, Mons Brunus. Vide Montbrun.
Montbrison, castrum agri Forensis, in Gallia, Mons Brusonis.
Montbrun, in superiori Arvernia, & Provincia, Mons Brunus.
Montbrun, pro Montberaul, castellum Galliæ, in diœcesi Engolismensi, Mons Beraldi.
Montcauvet, castrum Galliæ, in agro Bononiensi, Mons Capreoli.
Montchanin, in pago Cadrellensi, Mons Caninus.
Montchastaure, locus Galliæ, cum prioratu, in agro Viennensi, Mons Castaneus.
Montchaulon, aut Montchablon, castrum Picardiæ, Mons Cabillonis.
Montchenu, in Delphinatu, Mons Canus.
Montchevrel, vicus Veliocassium, Mons Capreoli.
Montclar, locus Galliæ, in Delphinatu: Item in Arvernis: Item in diœcesi Carcassonensi, Mons Clarus.
Montcornet en Thirasche, castellum Galliæ, Mons Cornutus in Tierascia.
Montdoubleau, locus Galliæ, in Pertico minori, Mons Dublelli.
Monte, Mont
Albano, mons Latii, Albanus mons.
Alfonso, arx Ducatus Mutinensis, mons Alfonsinus
d'Alicata, mons Siciliæ, Ecnomus.
Alto, urbs Hetruriæ destructa, Graviscæ.
Alto, urbs Calabriæ, Uffugium.
d'Alverno, mons Tusciæ, Alvernus.
Amara, mons Æthiopiæ, Mons Pylei, Pyla.
di Ancona, promontor. apud Anconam urbem, Cumerum.
d'Angori, mons Galatiæ, Magaba.
Anfidiano, mons Lusitaniæ, Tapeus.
d'Apalatay, in Florida, Apalataeus mons.
Aragon, oppidul. Aragoniæ, mons Aragonius.
Argentaro, mons Thusciæ in ora, Argentarius, Etruriæ caput vel promontor.
Argentaro, mons Thraciæ, Hæmus.
Armine, mons Portugalliæ, Herminius.
Augon, mons Liguriæ, Auginus.
Baldo, mons Venetiæ, Baldus.
Balestro, mons Liguriæ, Balista.
Barbaro, mons Carmaniæ, Gaurus.
Beyeux, mons Normanniæ, Phanus.
Bernina, pars Alpium, Alpes Tridentinæ.
Blanc, oppid. Cataloniæ, Mons Albus.
Bozo, mons Ducatus Mediolanensis, Bosus.
Braulio, montes inter Rhætiam & Italiam, Alpes Rhæticæ, Rhætica juga.
di Brianza, montes Ducatus Mediolanensis, Brigantini.
Camelione, mons ex Alpibus, Ceme.
Caugo, in Comitatu Ruscinonensi, Mons Candidus.
Capitolino, collis Romæ, Capitolinus mons, Tarpeius mons.
di Capoa, mons Campaniæ, Tifata.
di Caserta, mons Campaniæ, Tifata.
Castamona, mons Bithyniæ, Hormisius.
Cavallo, unus ex septem collibus Romæ, Quirinalis mons, Agonus.
Cenis, vide Moncenis.
Cerignone, oppid. Umbriæ, Gingenum.
di Cesena, mons Romandiolæ, Sacer mons.
di Chizico, mons Troadis, Dindyma, Dindymus.

Mon-

Monte, *Mont*

di Christo, insula maris Tyrrheni, *Dianium*, *Oglasa*, *mons Christi*.
Circello, mons & promontor. Latii, *Circaeum*.
di Civennes, vide *Montaignes de Cevennes*.
Colibre, insula parva Hispaniæ, *Colubraria*.
di Corene, mons Cyrenaicæ, *Cyra*.
di Coron, mons Peloponnesi, *Temathea*.
Corvan, vide *Corvan*.
Corvo, mons Umbriæ, *Coritus*.
de Coslegnas, mons Thraciæ, *Hæmus*.
di Corrone, mons Calabriæ, *Latymnus*.
Crimiti, vide *Crimiti*.
Dragone, in Campania, *Montis Massici promontorium*.
di Enzina, mons Æginæ insulæ, *Panhellenius*.
Falcone, oppid. Forojulii, *Veruca*.
Famastro, mons Paphlagoniæ, *Cytorum*, *Cytorus*.
Fano, oppid. Piceni, ubi *Veragrani* populi.
de Faucilles, mons Lotharingiæ, *Vogesus*: vel potius *Vogesi*, *mons Falcium*.
Feltro, tractus Italiæ, *Mons Feretranus*.
di Ferro, mons Mauritaniæ Tingitanæ, *Phocra*.
Fiascon, urbs Hetruriæ, *Mons Physcon*.
Fiascone, urbs Hetruriæ, *Falisca*, aliis *mons Physcon*.
di Figena, mons apud Ephesum, *Pactyes*.
Fiscello, vide *Fiscello*.
Flanquin, oppid. Aquitaniæ, *Mons Flanquinus*.
Furado, oppid. Asturum, *Forum Egurrorum*.
di Gaieta, mons regni Neapolitani, *Cæcubum*.
di Gargano, mons Apuliæ, *Garganus*.
Genebre, in Pedemontio, *Alpes Cottiæ*, aliis *mons Genebra*.
Gibello, mons Siciliæ, *Ætna*.
di Giove, montes Sabaudiæ, *Graiæ Alpes*, *Pœninæ Alpes*.
di Gorante, mons Lyciæ, *Cragus*.
Gradacchio, mons Corsicæ, *Aureus*.
Granario, castrum Marchiæ Anconitanæ, ubi *Veragrani* populi.
Guasco, idem cum *Monte Santo*.
Hulin, arx Picardiæ, *Mons Hulini*.
Jan, in Andibus, *Mons Johannis*.
Judaico, mons Catalauniæ, *Jovis mons*.
Juncto, mons Portugalliæ, *Tagrus*.
Jura seu de saint Claude, mons Galliæ, *Jura & Jurassus*.
di Larta, mons Epiri, *Perranthes*.
Leone, urbs Calabriæ, *Hippo*, *Vibo Valentia*.
Leone, oppid. Sabinorum, *Mutusca*, *Trebula*.
di Livadia, mons inter Epirum & Achaiam, *Callidromus*.
Maggiore di S. Bernardo, intra Pedemontium & Sabaudiam, *Pœninæ Alpes*.
Marano, urbs regni Neapolitani, *Mons Maranus*.
de Marsan, oppid. Aquitaniæ, *Mons Martiani*.
di Massa, vide *Capo di Massa*.
Masso, mons Campaniæ, *Massicus*.
Mayor vel *Maior*, oppid. Portugalliæ, *Manliana*, & oppid. Andaluziæ, *Ulia*.
Melone, oppid. Marchiæ Anconitanæ, *Polentia*.
Merano, castrum Thusciæ, *Eba*.
di Mezzo, mons Corsicæ, *Rhætius*.
Morillon, oppid. Galliæ, *Mons Morillonis*.
Nero, mons inter Ciliciam & Syriam, *Amanus*, *Pieria*.
Nero, mons in confinio Macedoniæ, *Scardus*.
Nero, mons Sabinorum, *Severus*, *Tetricus*.
di Norcia, mons Umbriæ, *Fiscellus*.
de Oca, mons Hispaniæ, *Vindius*.
Offidio, Aprutii mons, *Offidius mons*, aliis mons Sabinorum, *Tetricus*.
Olimpe, arx Campaniæ, *mons Olympus*.
Oliveto, mons Judææ, *Olivarum mons*, *Olivetus*.
d'Or, mons in Alvernia, *Aureus*.
di Palatia, mons Cariæ, *Latmus*.
Palatino, mons Romæ, *Palatinus*.
di Patras, mons Peloponnesi, *Panachaicus*.
Peloso, urbs regni Neapolitani, *Mons Pelusius & Pilosus*.
di Pisato, promontor. Umbriæ, *Focaria*.
della Petina, mons Lucaniæ, *Alburnus*.
di Pezuoli, mons juxta Neapolim, *Olibanus*.
de Pico, in Canariis insulis, *mons Pici*.
Pincio, collis urbis Romæ, *Pincius*.
Poglisi, mons Peloponnesi, *Stymphalus*.
Polciano vel *Pulciano*, urbs Hetruriæ, *Mons Politianus*.
di Polline, mons Macedoniæ, *Tenitrus*.
Polystilo, mons Thraciæ, *Ismarus*.
Rabida, mons Lusitaniæ, *Barbarius*.
Reale, vide *Monreale*.
Ritondo, oppid. Latii, *Eretum*, aliis oppid. Sabinorum, *Crustumerium*.
Rosi, pagus Hetruriæ, *Rosulum*.

Monte, *Mont*

Rosso, mons Corsicæ, *Rætius*.
Rosso, locus Hetruriæ, *Rubra Saxa*.
Sacra, promontor. Cretæ, *Hieron Oros*.
Santo, promontor. Anconæ, & *Athos*, mons Græciæ *Cumerum*.
de saint Adrian, in Hispania, *mons S. Adriani*.
di S. Angelo, mons & urbs Apuliæ, *Garganus*.
S. Bernard, Alpium pars, *Penninus mons*.
di S. Bernardino, montes Rhætiæ, *Lepontiæ Alpes*.
di S. Bernardo, pars Alpium, *Graius mons*.
di S. Bernardo maggiore, intra Pedemontium & Sabaudiam, *Pœninæ Alpes*.
di S. Bernardo minore, *di S. Bernardo piccolo*, Graiæ Alpes, Graius mons.
di S. Ciriaco, promontor. Piceni, *Cumerum*.
di S. Claude, pars *Juræ* montis Galliæ.
de sainte Gertude seu *S. Gertruydenberg*, urbs Belgii, *Bergæ Divæ Gertrudis*.
di S. Giovanni, mons Sabinorum, *Severus*, *Tetricus*.
di S. Giovanni Laterano, unus ex collibus Romæ, *Cælius*, *Cœlius*.
di S. Giuliano, mons cum urbe Siciliæ, *Eryx*.
di S. Gothardo, montes Helvetiæ, *Adula*, *Summæ Alpes*.
di S. Lorenzo in Palisperna, collis Romæ, *mons Viminalis*.
di S. Maria maggiore, collis Romæ, *Esquiliæ*, *Exquiliæ*.
di S. Martino, mons Campaniæ, *Trifolinus*.
de saint Michel, mons Normanniæ, *mons S. Michaelis*.
di S. Nicola, mons Ischiæ insulæ, *Epomeus*.
di S. Nicola, vide *M. Bernina*.
di S. Oresto, mons Etruriæ, *Faliscorum mons*, *Soracte*.
di S. Pelegrino, in Thuscia, *Letus mons*.
di S. Pietro in Borgo, collis Romæ, *Vaticanus mons*.
di S. Pietro in Montorio, collis Romæ, *Janiculus*.
di S. Pietro in Vincola, collis Romæ, *Esquiliæ*.
di S. Sabina, Romæ, *Aventinus mons*.
di S. Silvestro, Etruriæ mons, *Faliscorum mons*, *Soracte*.
Sardo, insula sinus Tarentini, *Electris*.
di Sauslia, mons Cappadociæ, *Argæus*.
di Scanderona, mons Syriæ, *Amanus*.
di Scutari, mons Dalmatiæ, *Rhamnusius*.
Secco, urbs Siciliæ, *Agragas*.
di Segni, mons Latii, *Lepinus*.
Sempron, mons inter Valleſiam & Insubriam, *Sempronius*.
Serras, mons Cataloniæ, *mons Serratus*.
di Sethines, mons Atticæ, *Hymettus*.
Severo, mons Sabinorum, *Severus*, *Tetricus*.
della Sibilla, mons Umbriæ, *Fiscellus*.
Sina, mons Arabiæ, *Melani*, *Sina*, *Syneus*.
de Sinta, mons Lusitaniæ, *Tagrus*.
di Somma, mons Campaniæ, *Vesevus*, *Vesuvius*.
Spreverio, vide *Spreverio*.
di Stives, mons Bœotiæ, *Cithæron*, aliis *Hypatus*.
Stolp, in Sarmatia, *Riphæi montes*.
de la Strella, mons Portugalliæ, *Herminius*, *Iduheda*.
Tabor, vide *Tabor*.
Testaccio, mons collis Romæ, *Doliolum*, *Testaceus mons*.
Tignoso, promontor. Corsicæ, *Tilox*.
di Tivoli, mons Latii, *Catilius*, *mons Sacer*.
della Torre, locus Campaniæ Italicæ, *Tabiæ*.
di Venzone, mons agri Forojuliensis, *Picus mons*.
Verde, urbs Hirpinorum, *Mons Viridis*.
Vergine, locus Hirpinorum, *Ad Matrem magnam*, Cibele, *Mons Virginis*.
Visardo, mons Calabriæ, *Clibanus*.
Viso, pars Alpium, *Vesulus mons*.
di Viterbo, mons Italiæ, *Ciminus*.

Montebourg, locus Galliæ, cum monasterio, in diœcesi Coustantiensi, *Montisburgus*.
Montechio, oppid. Piceni, ubi *Triauenses* populi, *Trajana*.
Monteclair, in Lingonibus, *Mons Clarus*.
Montegu, loca Galliæ, in Pictonibus, in pago Laudunensi & prope Galliacum, *Mons acutus*.
Montegu en Combraille, locus Galliæ, ad Sicaulam fluv. *Mons acutus in Combralia*.
Monteils, locus in Rutenis, *Monticali*.
Monteion, urbs Hispaniæ excisa, *Mentesa*.
Montelice, oppid. Galliæ, in Venetis, *Acelum*.
Montelimar, pro *Monteil Aimar*, oppid. Galliæ, in diœcesi Valentia, *Montilium Adhemari*.
Montemel, castellum in Cadurcis, *Mons Amatus*.
Montenglos, locus Briegii, *Mons inclusus*.
Monterosi, castrum Italiæ, Mons *Roseus* & *Rosulus*.

Montes de Asturias, mons Hispaniæ, *Vindius*.
Claros, mons Mauritaniæ Tingitanæ, *Atlas major*.
de Jacca, pars Pyrenæi, *montes Aragoniæ*.
de Oca, vide *Monte d'Oca*.
Pireneos, Hispaniæ, *Pyrenæus mons*.

Monteverte, urbes duæ in regno Neapolitano, *Mons Viridis*.
Montferrier, castrum Galliæ, in diœcesi Mirapicensi: ad Ledum, *mons Ferrarius*.
Montfermeul, vicus Galliæ, in agro Parisino, *mons Fermolus*.
Montfort, locus Belgii, in agro Ultrajectino: Item castrum Lotharingiæ, *Mons Fortis*.
Montfort l'Amauri, castrum Galliæ, in Carnutibus, *Mons fortis Amalarici*.
Montfort la Canne, oppid. Britanniæ minoris in Gallia, *Mons Fortis*.
Montgailhard, in diœcesi Tolosana Galliæ, *Mons Goliardus*, vel *Galardus*.
Mongausi, castrum Galliæ, proximum Podio Laurentii, *Mons gaudii*.
Montgomery, oppid. Walliæ, *Mons Gomericus*.
Montgomery, vel *Mongomery*, oppidul. Galliæ, in Lexoviis, *Mons Gomerici*.
Montgomeryshire, Comitatus in Wallia, *Montgomeriensis*.
Monthabur, mons Germaniæ, *Thabor*.
Monti della Chimera vel *Cimera*, montes Epiri, *Acroceraunia & Ceraunii*.
della Lunigiana, inter Liguriam & Hetruriam, *Ligurum & Ligustici montes*.
di Madara, vide *Madara*.
di Misitra, locus Peloponnesi, *Quinque colles*.
di Padoa, juxta Paduam, *Euganei colles*.
Sancti, montes Scythiæ, *Agion Oros*.
Spachia, vide *Spachia*.
Zelam, vide *Monte Bernina*.

Montjay vel *Mongay*, aliàs *Mongé*, castrum Galliæ, in agro Parisino, *Mons Gaius*.
Montjeu vel *Montjou*, summus Penninus, *Mons Jovis*.
Montignac, oppid. Aquitaniæ, *Montiniacum*.
Montigny, vicus duplex, in agro Parisiensi, *Montiniacum*.
Montigny le Roy, oppid. Campaniæ, *Montiniacum Regium*.
Montigny & Montigney sur Vigenne, locus Galliæ, in Bassincio, *Montiniacum super Vigennam*.
Montisori, montes Siciliæ, *Montes Aerii*.
Montivier, locus cum monasterio in diœcesi Parisiensi, *Mons æstivus*.
Montivilliers, locus in diœcesi Rotomagensi Galliæ, *Monasterium villare*.
Montlaur, locus Galliæ, in parœcia Carcassonensi, *Mons Lauri*.
Montleheri, castellum agri Parisini, *Mons Letherici*.
Montlimar, oppid. Delphinatus, *Æmarorum mons*, *Mons Limarii*.
Montlion, locus Galliæ, in pago Meltiano & Turonia, *Mons Leonis*.
Montlong, in diœcesi Galliæ Vaurensi, *Mons longus*.
Montluel, locus Galliæ, in diœcesi Lugdunensi, *Mons Lupelli*.
Monluzon, oppid. Borbonii agri, *Gergobia*.
Montluzon, castrum ad Carum fluv. in Gallia, *Mons Luzonis*.
Montmaur, locus Galliæ, in diœcesi Rivensi: Item prope Vapincum, *mons Maurus*.
Montmelian, aut *Monmeillan*, vicus Galliæ, in Parisiorum & Sylvapectum confinio, *mons Melianus*.
Montmerle, locus Galliæ, in Brexia: Item ad Ararim alius, *Mons Merulæ*.
Montmiraille, aliàs *Montmirail*, castrum Galliæ, in Briegio, *Mirabilis mons*.
Montmorenci, incolis, *Morancy*, castrum agri Parisini, *Mons Maurentiacus*, vel *Maurentiacum*.
Montmorillon, castrum Pictonum: Item in pago Forensi, *Mons Maurilionis*.
Montoire, oppid. Galliæ, in pago Vindocino, *Montorium* seu *Mons Aureus*.
Montolieu, aliàs *Montolíou*, locus Galliæ, in diœcesi Carcassonensi, *Mons Olivus*.
Montone, fluv. Æmiliæ, *Bedesis*.
Montone, fluv. Romandiolæ, *Vitis Bedesis*.
Montorio, unus ex septem collibus Romæ, *Janiculus*.
Montoro, oppid. Bæticæ, *Eporæ*.
Montpellier, vide *Mompellier*.
Montperroux, *Montpeirous*, & *Montpeyroux*, loca Galliæ, in Ducatu Burgundiæ, in agro Burbonensi, in Atvernia & diœcesi Leutevana, *Mons Petrosus*.
Montpinſou, castrum Galliæ, in Cenomanis, *Mons Piceonis*.

Montplaisant, castrum Delphinatus, Mons placens.
Montreal, oppidum Convenarum, Mons Regalis.
Montreau faut Yonne, oppid. Campaniæ, Monasteriolum ad Icaunam.
Montresor sur l'Indrois, locus Galliæ in Turonibus, Mons thesauri ad Andresium fluv.
Montreveau le petit, locus Galliæ in Andibus, Mons Revelli.
Montrevers, locus Briegii, Mons reversus.
Montreuil l'Argille, locus Galliæ, ad Carentonam fluv. Monasterium Argillæ.
Montrichard, castrum in Turonib. ad Carem fluv. Mons Richardi.
Montrond, aliàs Mouron, locus Galliæ ad Ligerim: Item castrum in Biturigibus Cubis: Item in Gothia & in Britannia minori, Mons Rotundus.
Montros & Montrose, oppid. Scotiæ, Celurca, Mons rosarum.
Montrouges, vicus agri Parisini, Mons Rufus.
les Mons de S. Inglevert, in Morinis, Montes S. Engelberti.
Montsalvi, in Arvernia superiori, Mons Salvius.
Montsavion, ad Vigennam fluv. in Gallia, Mons Salionis.
Montsegur, in Gothia, Galliæ provinc. Mons Securus.
Montsoreau, oppid. Galliæ, in confinio Andicavorum & Turonum, Mons Sorelli.
Montvert, in superiori Arvernia, Mons viridis.
Montuniata, mons Hetruriæ, Tuniatus.
Monviso, mons Liguriæ, Vesulus.
Monza, oppid. Insubriæ, Mudicia, Modoetia.
Monzia, pagus Catalauniæ, Victoria mons.
Mor Weridh, inter Hiberniam & Angliam, Vergivium mare.
Morano, oppid. Calabriæ, Muranum, Summuranum.
Morasus, urbs Mauritaniæ, Rusconia, Rustonium.
Morancy, vicus Galliæ, in agro Parisino, Mons Maurentiacus, Item in Bellovacis, Morentiacum.
Morange, vicus Galliæ, ad Isaram, Moranciacum.
Morat, oppid. Helvetiorum, Moratum.
Morato, fluv. Mesopotamiæ, Tigris.
Morava & Marti, fluv. Moraviæ, Moravus.
Morava, fluv. Mysiæ, Ciabrus & Cebrus.
Morava, fluv. Mysiæ superioris, Moschius, Moravus.
Moravia, Murray, regio Cantorum popul. Scotiæ, Moravia.
Moravia & Mahren, provinc. Germaniæ, Moravia.
Morbach & Murbach, monasterium Germaniæ, in Alsatia, Morbacum.
Morbegno, oppid. Rhætiæ, Morbonium.
le Morbihan, portus Britanniæ minoris, Morbihanum.
Morcone, oppid. regni Neapolitani, Murgantia.
Morduates, populi Moscoviæ, Mordueæ.
la Morea, peninsula Græciæ, Peloponnesus.
Morea, castrum Aprutii, Maruvium.
Moregau, locus Galliæ, in Comitatu Convenarum, Mons Regalis.
Moresby, oppid. Angliæ, Morbium.
Moret, oppid. Galliæ Celticæ, Lithophaum, Moretum. Item castrum agri Wastinensis, Muritium.
Morgab, fluv. Margianæ provinciæ Asiæ, Margus.
Morhanges, aliis Morhancz, oppidul. Lotharingiæ.
Mori, populi Africæ, Mauri.
Morianez, in agro Leodicensi, Maurellimansus.
Val di Moriana, Ital. la val de Morienne, Mauriana vallis.
Morigny, locus Galliæ, cum monasterio, ad Junnam fluv. in Senonibus, Mauriniacum.
Morimond, monasterium Cisterciense, in Lingonibus, Morimundum.
Morin, fluv. Galliæ, in Matronam influens, Mucra.
le grand Morin, le petit Morin, fluv. Galliæ, Mucra major, Mucra minor.
S. Moritz, locus Vallesiæ, S. Mauritii. Olim Agaunum.
Morlaix, oppid. Britanniæ minoris, Morlaum & Mons Relaxus.
Mormandes, fluv. Galliæ, in Biturigibus, Milmandra.
Moron, oppid. Andalusiæ, Arucci.
Moron, oppid. Andaluziæ, Aurigi.
Morpeth vel Morpit, oppid. Angliæ, Corstopitum.
Morsan, vicus agri Parisini, Moncnum.
Mortaigne, oppid. Galliæ, Mauritania, Moritania.
Mortaigne, vel potius Talmon, castrum Galliæ, ad Garumnam, Tauium. Item castrum Aquitaniæ, item Pictonum: Item Belgii, Moritania.
Mortaigne, locus Hannoniæ, Moritania.
Mortain, oppid. seu castrum Normanniæ, Moritonium.
Mortane, fluv. Lotharingiæ, Mortana.

Mortara, oppid. Insubriæ, Mortaria, Pulchra sylva.
Mortemar, castrum Galliæ, in Lemovicibus, Mortuum mare.
Mortemer, locus Normanniæ, cum monasterio, Mortuum mare.
Mortemer sur Eaune, locus Galliæ, in Caletis, Mortuum mare.
le Morvant, tractus Burgundiæ, Morundia seu Morvinnus pagus.
Morvedre, oppid. Valentiæ, Saguntum.
Mor Verridh, juxta Hiberniam, Mare Hibernicum.
la Mosa, fluv. Galliæ Belgicæ, Mosa.
Mosambique, urbs Africæ in Zanguebaria, Mosambica.
Moscovia, regio Europæ, ubi Moschi populi, Moscovia.
Moscow, urbs Moscoviæ, Moscua & Moschia.
Moscoviti, populi Europæ, Moschi.
Moselle, fluv. Lotharingiæ, Obrincus, Mosella.
Moseniza, urbs Peloponnesi, Messene.
Moska, fluv. Moscoviæ, Moscus & Moscha.
Moskow, urbs Moscoviæ, Moscha.
Mosne, vicus Galliæ, in Turonibus, Medicomum.
Mossel Bay & Beaupert, in Cafreria, Portus Formosus.
Mostagan, oppid. Mauritaniæ, Cartenna.
Mostar, oppid. Sclavoniæ, Andecrium, Mandetrium.
Mosth, oppid. Sclavoniæ, Aleta.
Mostolon, oppid. Græciæ, Cytinium.
Mosul, regio Asiæ, Assyria; & urbs Assyriæ, Ninus, Ninive, Seleucia.
Mosul, urbs Mesopotamiæ, Durbeta.
Motay, mons Hungariæ, Claudius.
le Mote Achard, locus Galliæ, Mota Achardi vel Acharii,
Antique, locus Galliæ, in Arvernis, Mota vetus.
Bremay, locus Galliæ, Mota Brimaldi.
Foucran, locus Galliæ, Mota Fulcramni vel Folcradi.
Freslon, locus ejusdem regni, Mota Fraxilonis.
Gautier, locus in Cenomanis, Mota Gualtheri.
S. Lie, locus Galliæ, prope Aurelianos, Mons S. Laeti.
Messeme, locus Galliæ, Mota Maximiani.
de la Nue, in Cenomanis, Mota seu Mons de nube.
Motica, vide Modica.
Motir, una ex Moluccis insulis, Motira.
Motola, urbs prope Tarentum, Motula.
Motril, oppid. Andaluziæ, Hexi, Sex.
la Motta, pagus Calabriæ ulterioris, Villa Publii Valerii.
la Motte des Sarasins, vicus Valesiæ, Galbæ castra.
Motzing, pagus Bavariæ, Mocenia.
Mocy le Neuf, vicus Galliæ, cum prioratu, in agro Parisino, Monciacum novum.
Moudon, oppid. Helvetiæ, Minnodunum.
Moulignon, vicus agri Parisini, Molendinum parvum.
Moulins les Engilbers, oppid. Galliæ, in agro Nivernensi, Molæ vel Molinæ Engilbertorum.
Moulon, rivus Galliæ, ad Avaricum, Molo.
Mounster, regio Hiberniæ, Momonia.
Moura, oppid. Portugalliæ, Aruci novum.
Mouraon, oppid. Lusitaniæ, Moro.
Mouraon, oppidul. Portugalliæ, Muranum.
Moure seu Fort Nassau, arx Guineæ, Moura.
Mourans, oppid. ad Rhodanum fluv. ubi olim Meminı populi.
Mourophoros, populi Sarmatiæ Asianæ, Melanchlæni.
Mouson, urbs Campaniæ, Mosomum.
Mouson, locus cum monasterio, ad Mosam, Mosomagum.
Moustier, urbs Sabaudiæ, Tarantasia.
Moustier la Celle, monasterium in Tricassibus, Cella.
Moustier Haute-Pierre, monasterium in Sequanis, Alta Petra.
Moustier S. Jean, monasterium in Lingonibus, S. Johannis. Olim Reomaus.
Moyen Moustier, in Senonibus, Megeni monasterium.
Moustiers, prioratus in Carnutibus, Monasteria.
Moustiers en Tarantaise, urbs Sabaudiæ, Forum Claudii.
Moyen-Vic, locus ad Salium fluv. Medianus vicus.
Mozambique, promontor. & urbs Africæ, Prassum.
Mscislaw, urbs Lithuaniæ, Mscislavia.
Muchli, urbs Arcadiæ, Tegea.
Mucidan, oppid. Aquitaniæ, ad Ellam: Item in Petrocoriis, Mussidanum seu Muscedonum.
Mucuba, fons fluv. Siciliæ, Simæthi.
Mudarni, urbs Bithyniæ, Modrena.
Muela, oppid. Aragoniæ, Secontia.
Muen, insula Daniæ, una Hemodum.
Muer, fluv. Stiriæ, Savaria, Darus, Mura.
Muera, oppid. Stiriæ, Murorla.
Muers, urbs Germaniæ inferioris, Murocmella.
la Muete, vicus Galliæ, in sylva Ledia, Muta.
Mufii, locus in Hirpinis, Ampsanctus.

Mugello, ager Ducatus Florentini, MucLallia.
Mugia, oppid. Istriæ, Mingum, Ningum.
Mugnone, fluv. Hetruriæ, Minio.
Muhel, torrens Austriæ, ubi Mugilones populi.
Muiaco, regnum Africæ, Muiacum.
the Mul of Cantire, promontor. Scotiæ, Epidium.
the Mul of Galloway, promontor. Scotiæ, Novantum.
Mula, insula Scotiæ, una Ebudarum, Maleos.
Mulbach, fluv. Transylvaniæ, Miliare.
le Mulcien, locus Galliæ, Melcianum.
Muldaw, fluv. Bohemiæ, Mulda.
Mulenbach, oppid. Transylvaniæ, Zeugma.
le Mulet Odet, nomen spectri Aurelianis, Mulus Odo.
Mulets, stagnum Galliæ Narbonensis, Latara.
Mulhausen & Mulehausen, urbs Germaniæ, Arialbinum, Artalbinum, Mulhusia.
Mulhausen, urbs Thuringiæ, Mulhusia.
Mulheym, oppid. Saxoniæ, Lirimiris.
Mulleras, oppidul. Germaniæ, Mullerasium.
Mullon, fluv. Asturiæ, Navilubio.
Multan, urbs Indiæ citerioris, Multanum.
Multaw, fluv. Bohemiæ, Multa, Multavia.
Muluchan, fluv. Mauritaniæ, Molochath, Mulucha.
Mululo, vide Muluya.
Muluya, fluv. Mauritaniæ, Malva, Malvena, Mulvia.
den Munch, mons Sarmatiæ Europææ, Carpates.
Munchen, urbs Bavariæ, Cambodunum novum, Campodunum, Monachium.
Muncken haven & Port de Munck, in terra Arctica, portus Monachi.
Munda, urbs Bæticæ excisa, Munda.
Mundecaran, oppid. Andaluziæ, Munda.
Mundelheym, oppid. Germaniæ, in Suevia, Ristronomance, aliis Rostrum Nemavia.
Mundello, oppid. Siciliæ, Motyæ.
Mundi, urbs Arcadiæ, Mantinea.
Munebriga, oppid. Aragoniæ, Monobriga.
Munfia, urbs Ægypti, Apollinis urbs magna.
Mungellino, vide Mongellino.
Mungboa, urbs Sinarum, Mungboa.
Munia, urbs Ægypti, Lycopolis, Phylace Thebaica.
Munick, urbs Bavariæ, Monachium.
Munickedam, oppid. Hollandiæ, Monachodamum.
Munster, urbs Westphaliæ, Miningroda, Monasterium.
Munster, oppid. Alsatiæ, Monasterium.
Munster Eiffel, oppid. Ducatus Juliacensis, Monasterium.
Munsterberg, urbs Siciliæ, Munsterberga.
Munstersche, populi Westphaliæ, Busacteri.
Munsterthal, conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, Vallis Monasterii.
Munzarum, mons Armeniæ minoris, Taurus.
Munzemar, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, Molochath.
Mur, oppid. Rhætiæ, Murum.
la Muraille de la Chine, in Asia, Sinicus murus.
la Murana, fluviolus territorii Romani, Crabra.
Murano, vide Morano.
Murat, oppid. Alverniæ, Muratum.
Muraw, oppid. Stiriæ, Muravia.
Murbach, oppid. Alsatiæ, Murbacum.
Murcia, regio Hispaniæ, Mavitania, Murcianum regnum.
Murcia, urbs Hispaniæ, Murcia, Murgis, Vergilia.
Mure, locus Provinciæ, ubi Menini populi. Item castellum in Delphinatu, Mura.
Mure, locus cum monasterio, in Helvetiis, Mura.
Mureck, oppid. Stiriæ, Murorla.
Muret, pro Murel, castrum Galliæ, ad Garumnam, Murellum.
Muret, oppid. Aquitaniæ, Muretum.
Murga, pagus Granatensis regni, Murgis.
Murgo, insula Archipelagi, Amorgos.
Murgo, oppid. Siciliæ excisum, Morgantia, Murgentia.
la Murienne aut la Muriana Sabaudis, regio Sabaudiæ, Vallis Mauriena.
Muro, urbs Basilicatæ, Murus.
Muro, oppid. Aprutii, Tessuinum.
Muro Carini, oppid. Siciliæ, eversum, Hyccara.
Muro, vide Aldea el Muro.
Murovitza, oppid. Hungariæ, Mursa.
Murray Firth, fluv. vel æstuarium Scotiæ, Vara.
Murtlay, pagus Scotiæ, Murthlacum.
Mur Sever & The Picts Wal, in Anglia, Murus Picticus.
Murten, oppid. Helvetiæ, Murtena: Prope quod lacus Murtensée.
Musa, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Exilissa.
Musachia, regio Macedoniæ, ubi olim Taulantii populi.
Musitra, urbs Peloponnesi, Sparta.
Musoburn, oppid. Hungariæ, Limusa.
Musphla, locus Assyriæ, Ninive.
Mussy, oppid. Galliæ, Mussejum.

Mussy l'Evesque, castrum in Lingonibus, Maxejum, vel Muxiacum.
Musulmani, populi Asiæ & Europæ, Turcæ.
Mustagaun, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Caripula.
Mut, fluv. Hiberniæ, Vidua.
Mutigliana, oppid. Romandiolæ, Mutilum.
Mutigney, vicus ad Lignonem fluv. Montiniacum.
Muxacra, oppid. regni Granatensis, Murgis.
Maya mulcha, fluv. Æthiopiæ, Nigir.
Myisa, urbs Pamphyliæ, Mysias.
Myrica, urbs Bithyniæ, Myrlea, Apamia.

N.

NAb, fluv. Nortgoiæ, Nabus.
Nabel, urbs Africæ, Neapolis.
Nadin, oppid. Dudinorum popul. Liburniæ, Nedinum.
Nagaia, pars regni Tartariæ, Regnum Astracanum.
Nagarcziache, urbs Sarmatiæ Asianæ, Navaris.
Nagbanya, urbs Transylvaniæ, Rivuli puellarum.
Nagold, oppid. Germaniæ, Nagoldia.
Naha, fluv. Germaniæ superioris, Nava.
Nahe, fluv. Belgii, Nava.
Naiac, oppid. Aquitaniæ, Naiacum.
Najara, urbs Castellæ veteris, Anagarum, Nagara, novum Tritium Metallum.
Naim, urbs Galilææ, Naim.
Naim, pagus Africæ, Isporis.
Nain, oppid. Africæ, Phileni vicus, Aræ Philenorum.
Nairi, Indiæ populi, Gymnosophistæ, Brachmanes.
Naistan, provinc. Parthiæ, Parthyene.
Namen, v. de Namur.
Namur, urbs Belgii, Namurcum, Nemetocerna nonnullis.
Namur Comté, seu in Belgio, Aduatici seu Namurciensis Comitatus.
Nancang, urbs Sinarum, Nancangum.
petit Nanci, grand Nanci, ad Ornam fluv. Parvum Nasium, magnum Nasium.
Nanciang, urbs Sinarum, Nancianum.
Nancy, urbs Lotharingiæ, Nasium, Nanceum.
Nandor Alba, urbs Hungariæ, Taurunum.
Nanfio, insula maris Cretici, Anaphe.
Nangato, oppid. Iaponiæ, Nangatum.
Nangazachi, urbs Iaponiæ, Nangazacum.
Nanhiung, urbs Sinarum, Nanhiunga.
Nankanga, urbs Sinarum, Nankanga.
Nanning, urbs Sinarum, Nanninga.
Nanquim, provinc. Sinarum, Nanquinensis.
Nanquin, urbs Sinarum, Nanquinum.
Nansa, fluv. Biscaiæ, Nesua.
Nansers & Nanser-berg, populi & regio in finibus Tridentinorum, Naunes.
Nanterre, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Nempiodorum
Nantes, urbs & populi Britanniæ minoris, Corbilum, Nannetes
Nanteuil, locus Galliæ, cum monasterio, in pago Constantino. Item vicus Firmitati sub Iotro proximus, in Meldis, Nantus, seu Nantogilum.
Nanteuil le Haudoin, locus ejusdem regni, in agro Vadensi, Nantogilum Hilduini.
Nanteuil sur Ourc, locus Galliæ, Nantogilum ad Urcum fluvium.
Nantey vel Nantoy, pagus Campaniæ, Nantonense castrum.
Nantua, oppid. Bressiæ in Gallia, ubi Nantuates populi.
Nantua, monasterium Galliæ, in Brexia, Nantuadis.
Nanyang, urbs Sinarum, Nanyanga.
Nao, locus Calabriæ, Junonis Laciniæ templum.
Napelo, vide Nayz.
Naplos, urbs Samariæ, Neapolis.
Napo, fluv. Americæ meridionalis, Napus.
Napole, castellum maritimum Galliæ, Neapolis.
Napoli, urbs Campaniæ Italicæ, Neapolis.
Napoli, oppid. Sardiniæ, Neapolis.
Napoli di Romania, urbs Peloponnesi, Nauplia.
Napoliza, vide Naplos.
Narbona, urbs Languadociæ, Narbo.
Narbonne, urbs Languadociæ, Narbo.
Narbonne, vide Narbona.
Narden, oppid. Hollandiæ, Nardenum.
Nardo, urbs Salentinorum, Neritum.
Narenta, fluv. & oppid. Sclavoniæ, Naro & Narona.
Narni, urbs Umbriæ, Narnia.
Naro, oppid. Siciliæ, Narum.
Narova, lacus nova Franciæ, Narova.
Narracellebe, fluv. Phœniciæ, Adonis.

Narroy, locus Galliæ, in pago Vabrensi, Nugaretum.
Narsinga, provinc. Asiæ, Carmania.
Narsinga, regnum Indiæ citerioris, Narsinganum.
Narsingapatan, urbs Indiæ, Narsingapatanum.
Narva, fluv. Livoniæ, & oppid. ejusdem, ubi Neuri populi, Chesinus, aliis Narva.
Nas, pagus Lotharingiæ, Narva.
Nasacepha, urbs Babyloniæ, Seleucia.
Nascaro, fluv. Calabriæ ulterioris, Sinis, Syris.
Nasivancasi, urbs Mesopotamiæ, Nicephorium.
Naso, oppid. Siciliæ, Nasida, Nasis.
Nassa, oppid. Mauritaniæ, Nasaia.
Nassau, oppid. Germaniæ, Nassovia.
Nassavels, oppid. Germaniæ, in Palatinatu superiore, Aureatum.
Nassenfues, urbs Bavariæ excisa, Aureatum.
Nassivan, urbs Armeniæ majoris, Naxuana.
Nassoin vel Nassogne, vicus in sylva Arduenna Nassonia vel Nassonium.
Nata, oppid. Americæ meridionalis, Nata.
Natalico, oppid. Epiri, Halycea, aliis Azilia.
Natarone, fluv. Campaniæ Italicæ, Vulturnus.
Naters, oppid. Valesiæ, ubi olim Nantuates, Antuates populi, Natertium.
Natissa & Natisone, fluv. Forojulii, Natiso.
Natolia, vide Anatolia.
Natolia, pars Asiæ, Asia minor.
Nau, vertex Lacinii promontor. magnæ Græciæ, Storthynga.
Navagrot, mons Asiæ, Paropamisus, Imaus.
Navareins, urbs Beneharniæ, Navarresium.
Navarino, oppid. Peloponnesi, Abarinus, Pylus.
Navarra, regio Hispaniæ, ubi Vascones populi, aliis Navarra.
la Nave, scopulus Calabriæ, Taurianus.
Navel der Zee, vide Maelstroom.
Naugracut, urbs Indię, Bitanagra, Naugracutum.
Navia, oppid. Asturiæ, Noega, Noegaucesia.
Navin, vide Nain.
Naulelabe, insula Æthiopiæ, Meroe.
Naumburg, urbs Misniæ, Neoburgum, Neopyrgum.
Naunio, oppid. Tridentini Episcopatus, ubi Naunes populi, Naunium.
die Naw, vide Naba.
Naxia & Naxsia, insula maris Ægæi, Naxus.
Naxio, portus & oppid. Bithyniæ, Acone.
Nazelles, vicus Galliæ, ad Sicceram fluv. Navicella.
S. Nazere, locus Galliæ, cum monasterio, in Namnetibus. Vicus S. Nazarii.
Nazzi, urbs Apuliæ excisa, Egnatia.
Neath, oppid. Walliæ, Nidum.
Neause, vel Neausle, locus Galliæ, in Veliocassibus, Nelfa.
Neausle l'Aiveux, in Carnutibus, Nelfa Aquosa.
Neausle le Chasteau, ibid. Nelfa Castellum.
Neausle la Ville, ibid. Nelfa villa.
Neaugh, lacus Hiberniæ, Neaughus.
Nebbio, urbs Corsicæ diruta, ubi Cilimbesii populi, Cersunum, Nebium.
Nebilas, urbs Samariæ, Sichem, Neapolis.
Nebrixa, vide Lebrixa.
Necans, urbs Africæ excisa, Baga, Vaga.
Neciter, oppid. Belgii ad Mosam excisum, Nemetocerna.
Necker, fluv. Sueviæ, Niter, Neccarus.
Ned Roma, oppid. Mauritaniæ, Celama.
Neda, fluv. Arcadiæ, Nedina.
Nederlands, regio Europæ, Germania inferior seu Belgium.
Neelle en Tardenois, locus Galliæ, Nigella in agro Tardanensi. Vide quoque Nelle.
Neer-Hespen, vicus Hasbaniæ, in Belgio, Cubasbam.
Neers, fluv. Geldriæ, Nabalia, Nerisius & Neritius.
Negapatan, urbs Indiæ citerioris, Negapatanum.
Negran, urbs Arabiæ Felicis, Nagara, Negra.
Negre Pelice, castrum Galliæ, in Rutenis, Nigrum Palatium.
Negrepelisse, oppid. Cadurcensis provinc. Nigrapelissa.
les Negres, populi Nigritæ, & regio Africæ, Nigritia.
Negro, fluv. Lucaniæ, Tanager.
Negro castro, urbs Mysiæ inferioris, Tyrapolis, Tyras.
Negroponte, insula Græciæ, Abantis, Eubœa & urbs in ea Chalcis.
grand Negus, nomen Imperatoris Abyssinorum.
Neissa, urbs Dardaniæ & fluv. Naisum.
Neisse, urbs Silesiæ, ubi Osi populi, Nissa.
Neites, fluv. in Rhenum, prope Autunnacum, influens, Nita.
Neiva, fluv. & oppid. Portugalliæ, Nabis, Nebis.

Nekrokun, insula sinus Persici, Armuzia.
Nelle, castrum Galliæ, ad Lingonem fluv. Item ad Isaram, Nigella. Vide quoque Neelle.
Nelle l'Hospital, in Caletis, Nigella Xenodochio clara.
Nellenburg, tractus Sueviæ, ubi Tulingi populi.
Nemi, pagus Latii, ubi Nemorensis ager, Nemos.
Nemours, oppid. Galliæ, Nemosium.
Nemours, olim Nemox, & Nemoux, oppid. Galliæ, in agro Wastinensi, Nemus.
Nen, fluv. Angliæ, Antona.
Nenteuil, & Nenteulle, in pago Galliæ Reitestino, Nantogilum.
Neocastro, oppid. Peloponnesi, Aliareus.
Neocastro, promontor. juxta Constantinopolim, Hermæum.
Neofle, vide Neausle.
Neospiti, oppid. Arcadiæ, Phialia, Phigalia.
Nepanto, vide Lepanto.
Nephrun, urbs Mesopotamiæ, Nicephorium.
Nepi vel Nepe, urbs Hetruriæ, Nepet, Nepita.
la Nera, fluv. Umbriæ, Nar.
Nerac, urbs Aquitaniæ, Neracum.
Nerg, urbs Indiæ, Dionysiopolis, Nagara, Nyssa.
Nericie, provinc. Sueciæ, Nericia.
Nerre, amnis Galliæ, Nigra.
Neruli, oppid. Sabinorum, Nerulum.
Nery, pagus agri Borbonii, Gergobia.
Nesauto, locus Sabinorum, Ansancti vallis.
Nesita, insula Campaniæ, Nesis.
Nesle, oppid. Picardiæ, Nigella.
Nester Alba, urbs Moldaviæ ad ostia Tyræ fluv. Hermonassa.
Nester, fluv. Sarmatiæ Europæę, Borysthenes, Tyras.
Nesto, fluv. Thraciæ, Nesus, Nestus.
Nesvvies, oppid. Lithuaniæ, Nesvisium.
Netherby, pagus Angliæ, Æsica.
Neto, fluv. Calabriæ ulterioris, Neæthus.
Nettuno, oppid. Latii, Neptunium, Antium novum.
Neube, insula Æthiopiæ, Meroe.
Neuburg, urbs Bavariæ. Neoburgum, Neopyrgum.
Neuburg, oppid. Carniolæ, Noviodunum.
Neubury, oppid. Angliæ, Spinæ.
Neve, vide Nerva.
Nevers, urbs Galliæ ad Ligerim, Nivernum, Noviodunum. Augustonemetum.
Neuf Bourg, in Normannia, Novus Burgus.
Neufchastel, oppid. Galliæ, Novum castrum.
Neufchastel, urbs Angliæ, Novum castrum.
Neufchastel, oppid. Helvetiorum, Neocomum.
Neufchastel sur Aine, locus Galliæ, Novum Castellum ad Axonam. Item ad Mosam.
Neufmarché, municipium Galliæ, ad Ittam fluv. Novus Mercatus.
Neufmeules, in Caletis, Novem molæ.
Neufmoustier, in Meldis vicus. Item in Briegio, Novum Monasterium.
Neufrus vel Neuphrus, promontor. Phœniciæ, Theoprosopon.
Neufvi, locus Galliæ, in Turonibus, Novus vicus.
Neufville, locus Galliæ, ad Vidulam fluv. Item ad Mosam, Nova Villa.
Neufville, oppid. ad lacum Lemanum, Penne.
Neuilli aut Neuilly, item Nuliy, vicus Galliæ, cum prioratu, in agro Parisino. Item locus in Turonibus, Nobiliacum vel Noviliacus.
Neukirchen, oppid. Austriæ, Quadrata.
Neumagen, vide Numagen.
Neumarck, oppid. Carniolæ, Noviodunum.
Neure, fluv. Hiberniæ, Birgus.
Neusidler see, lacus inter Austriam & Hungariam, Peiso.
Neustat, urbs Austriæ; & multæ aliæ in Germania, Civitas nova, Neostadium.
New Aberden, urbs Scotiæ. Aberdonia nova.
New Albion, regio Americæ, nova Albion.
New Angermund, oppid. Germaniæ, Angermunda nova.
New Britaigne, regio Americæ, Britannia nova.
New Bristol, urbs Americæ, Bristolium novum.
New England seu Nouvelle Angleterre, regio Americæ septentrionalis, Anglia nova.
Newcastle, oppid. Angliæ. Gabrosentum, Orrhea.
Newe Marck, regio Marchiæ Brandeburgensis, ubi Varini populi.
Newelise, locus Galliæ, ad Rotundam fluv. Nova Ecclesia.
Newenburg, oppid Alsatiæ, Noviomagum.
Newenburg, oppid. Brisigaviæ, Neoburgum.
Newenden, oppid. Angliæ, Anderida.
Newenstadt, oppid. ad lacum Lemanum, Penne.
Newenstat, vide Neustat.
New-haven, oppid. Angliæ, Novus portus.
Newhausel seu Owar, oppid. Hungariæ, Neoselium.

Neuville, locus Galliæ, in Andibus: Item vicus agri Parisini ad Sequanam, Nova Villa.
Neuvi sur Baragnon, in Biturigib. Noviodunum.
New London, urbs Americæ, Londinum novum.
le Neufmarché, pagus Normanniæ, Novus Mercatus.
Newmark, oppid. Carniolæ, Noviodunum.
Newmarckt, oppid. Nortgoiæ, Devona.
Newmarckt, oppid. Rhætiæ, Ebodurum.
Newmarckt, oppid. Silesiæ, Neoforum.
Newmarkt, urbs Transylvaniæ, Novomarchia.
New North Walles, pars terræ Arcticæ, Nova Wallia Borealis.
New Plimouth, urbs Americæ, Novum Plimuthum.
Newport, oppid. Vectis insulæ Angliæ, Medena, Novus portus.
New South Valles, pars terræ Arcticæ, Nova Wallia meridionalis.
New Stetin, oppid. Pomeraniæ, Stetinum novum.
Newy, oppid. Galliæ ad Ligerim, Nevidunum, Noviodunum. Item in diœcesi Antissiodorensi, Novus Vicus.
Neuvy sur Baranion, in Biturigibus, Noviodunum ad Baronionem.
Nianchen, urbs Sinarum, Nianchenum.
Niaren more, pars Oceani Septentrionalis, mare Chronium & mare Scythicum.
Nicaragua, provinc. novæ Hispaniæ, Nicaragua.
Nicaria, insula maris Ægæi, Icaria.
Nicaro, insula Archipelagi, Doliche, Macris, Ichthyoessa.
Nicaphtach, fluv. Margianæ, Oxus.
Nicaser, vide Nichor.
Nicastro, oppid. Peloponnesi, Aliartus.
Nicastro, urbs Calabriæ, Neocastrum, aliis oppid. Lucaniæ, Numistro.
Nice, urbs Macedoniæ, Nicæa.
Nice en Provence, vide Nizza di Provenza.
Nichea, urbs Bithyniæ, Nicæa.
Nichor, urbs Bithyniæ, Nicæa.
Nicodro, urbs Calabriæ ulterioris, Nicotera, Medama.
S. Nicola de Course, vicus in sylva Cotia, S. Nicolai.
Nicopen, urbs Sueciæ, & altera Gothiæ, Nicopia.
Nicoping, urbs Sueciæ, Nicopia.
Nicoping, urbs Daniæ, Nicopia.
Nicopol, urbs Palæstinæ, Emmaus, Nicopolis.
Nicopoli, urbs Mœsiæ, Nicopolis.
Nicopoli, urbs Thraciæ, Nicopolis.
Nicopolize, urbs Daciæ, Druphegis.
Nicor, vide Comidia.
Nicosia, urbs Siciliæ, Erbita, Herbita.
Nicosia, oppid. Siciliæ, Hechmara.
Nicosia, urbs Cypri, Ledrensis urbs, Leucosia, Leucotheon, aliis Nicosia.
Nicotera, urbs Calabriæ ulterioris, Medama, Nicotera.
Nicovar, insula maris Indici, Cory.
Nicoya, urbs novæ Hispaniæ, Nicoya.
Nicsia, insula & urbs maris Ægæi, Naxos.
Nid-Burg, in Lotharingia Nitæ Burgus.
Nideck, locus Brabantiæ ad Rutam, Nidæcum.
Nideren Valsee, lacus Austriæ, Felicis lacus.
Nidrosia, fluv. Norvegiæ, Nidrosia.
Niebla, oppid. Andalusiæ, Elepla, Ilipa.
Nied vel die Teutsche Nied, Gallis, le Nied Alleman, fluv. Lotharingiæ, Nita Germanica.
le Nied François, Germanis, die Welsche Nied, fluv. ibid. Nita Gallica.
Niemecks, provinc. Europæ, Germania.
Niemen, fluv. Sarmatiæ, Chronus.
Nienhusf, oppidul. Westphaliæ, Nienhusium.
Nieper, fluv. Sarmatiæ Europææ, Borysthenes, Naparis.
Nieumagen, urbs Geldriæ, Noviomagum.
Nieva, fluv. Sueciæ, Nieva.
Nieves seu Mewis, in America, Nivium insula.
Nieuport, urbs Flandriæ, Novus Portus.
Nievre, fluv. Galliæ, in agro Nivernensi, Niveris.
la porte de Nievre, in urbe Niverni, Porta Nivernensis.
Niew Amsterdam seu Manhate, urbs Americæ, Amsterodamum novum.
Niew Danemark, pars terræ Arcticæ, nova Dania.
Niew Frieslandt, pars Spitzbergæ, nova Frisia.
Niew Hollandt, regio Moscoviæ Borealis, nova Hollandia.
Niew Hollandt, pars terræ Australis, nova Hollandia.
Niew Nederlandt, pars Americæ Borealis, novum Belgium.
Niew Vlissinghen, oppid. Americæ, nova Flessinga.
Niew Walcheren, insula Americæ, nova Valachria.

Nigde, urbs Pamphyliæ, Nagidos.
Nig[illegible], urbs Lycaoniæ, Nigidia; & urbs Pamphyliæ, Nagidos.
Nigeboli, urbs Mysiæ Europææ, Nicopolis.
Niger, fluv. Nigritiæ, Niger.
Nigir, fluv. Libyæ, Gir vel Nigir.
Nigropoli, urbs apud Tauricam Chersonesum, Carcina.
Nil, fluv. Ægypti, Nilus.
Nimage, & Niemeuge, urbs Belgii, Noviomagus Batavorum.
Nimbarum, mons Armeniæ majoris, Gordiaus.
Nimega, vide Nimmeghen.
Nimmeghen, urbs Geldriæ, Noviomagum.
Ningpo, urbs Sinarum, Ningpoa.
Ningque, urbs Sinarum, Ningqua.
Ninove, urbecula Flandriæ, Niniva.
Ninoven, aliàs Ninove, locus Belgii cum monasterio in Flandria, Ninive.
Nio, insula Archipelagi, Ios, Nea.
Nions, locus Galliæ, in Delphinatu, Næomagus.
Niora, oppid. Peloponnesi, Helice.
Niort, oppid. agri Pictaviensis, Noverogus.
Niphas, oppid. Palæstinæ, Gad.
Niphon, pars Iaponiæ, Niphonia.
Nisa, oppid. Siciliæ, Eusis.
Nisa, urbs Lydiæ, Nyssa.
Nisar, vide Nixar.
Nisaro, insula juxta Cariam, Nisyros, Porphyris.
Nisbin & Nisibi, regio & urbs Mesopotamiæ, Nisibis, Acabene, Antiochia, Mygdonia.
Nisi, urbs Peloponnesi, Corone.
Nisi, locus Mysiæ superioris, Naisum, Nessum.
Nisi, urbs Armeniæ minoris, Nysa.
Nisi, fluv. Siciliæ, Eusis.
Nisi Novogorod, urbs Moscoviæ, Novogardia inferior.
Nisim, urbs Peloponnesi, Messene.
Nismes, Nimes, urbs Linguadociæ, Nemausum.
Nissars, populi Galliæ, Nicenses.
Nissava, urbs & fluv. Mysiæ superioris, Naissum, Nesus, Neslus.
Nista, vide Capo Nista.
Nithesdale, provinc. Scotiæ, Nithia.
Nitrachi, urbs Hungariæ, Nitria.
Nitzeulatik, urbs Ægypti excisa, Memphis.
Niu le Comte, locus Galliæ, Mimaticum.
Nivata, provinc. Iaponiæ, Nivata.
Niuche, regnum Tartariæ, Niucanum.
la Nive, fluv. Galliæ, Nivus.
Nivelle, oppid. Brabantiæ, Nivigella, Nivalis.
Nivernois, populi Galliæ, Ambarri, Nivernensis provincia.
Nixar, urbs Cappadociæ, Neocæsarea.
Nixia, vide Nicsia.
Nizari, insula Lucaniæ, una Sirenussarum.
Nizyn, oppid. Poloniæ, Nizynum.
Nizza di Provenza, urbs Liguriæ, Nicæa.
Nocera, urbs Umbriæ, Nuceria.
Nocera, vel Nucera de Pagani, urbs Picentium, Nuceria.
Nocera, oppid. Calabriæ, Terina, Nuceria.
Nochdarzazari, mons Asiæ, Parsueti, Parsenti.
Nodales, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Arocelum.
Noere, fluv. Galliæ, in agro Encolismensi, Notra.
Noesen, vide Noesenstadt.
Noesenstadt, urbs Transylvaniæ, Bistritia, Nenditava.
Nogent, pagus Campaniæ Gallicæ, Nonigentum, Novigentum.
Nogent sur Andelle, locus Galliæ, Noviomagum ad Indellam.
Nogent l'Artaud, vicus ejusdem regni, in Briegio, Novigentum Artaldi.
Nogent le Bernard, vicus Galliæ in Pertico, Novigentum Bernardi.
Nogent sous Coucy, oppid. in Galliæ agro Laudunensi, Novigentum.
Nogent sur Eure, oppid. ad Auturam fluv. similiter Novigentum.
Nogent sur Marne, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Novigentum ad Matronam.
Nogent le Retrou, oppid. Galliæ, Nonigentum Rotrudum.
Nogent le Roy, oppid. Belsiæ, Nonigentum Regium.
Nogent sur Seine, oppid. Campaniæ Gallicæ, Neomagus.
Nogent les Vierges, oppid. in Bellovacis, Novigentum Virginum.
Nogentel, vicus Galliæ, in Briegio, Novigentulum.
Nogheres, oppid. Linguadociæ, Heraclea.
Noicy, locus Galliæ, ad Ederam fluv. Nuceium.
Noigens, locus Galliæ in Bassineio, Novigentum.

Noisi le sec, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, in Decanatu Monasterioli, Nucetum siccum.
Noisiel, Noisel, Noiseau, & Noisi le petit, vicus Galliæ, in agro Parisino, Nucetum vel Nuciacum minus.
Nola, urbs regni Neapolitani, Nola.
Noli, urbs Liguriæ, Naulum, Naulum.
Nomanoster, oppid. Moldaviæ, Niconia.
Nombre de Dios, urbs Americæ, Onomatheopolis, Nomen Dei.
Nomento, urbs Sabinorum excisa, Nomentum.
Nomeny, urbs Lotharingiæ, ad Saliam fluv. Nomenum seu Numeriacum.
Nona, urbs Liburniæ, Ænona, Enona.
les Nonnettes, locus Galliæ, cum monasterio, in Arvernis, Usio.
Nonnevilles, vicus Galliæ, in agro Parisino, in Alneto, Nonna villa.
de Noordtsche zee, Germaniam alluens ad septentrionem, Germanicum mare.
Norcia, urbs Umbriæ, Nursia.
Norden, urbs Westphaliæ, Nordenum.
Nordlingen, urbs Sueviæ, Ara Flavia, Nerolinga, Ala Flavia.
Norfolk & Norfolkmen, regio Angliæ, & Iceni populi.
Norfolkshire, provinc. Angliæ, Norfolcia.
Norimberg, vide Nurnberg.
Norkoping, urbs Ostrogothiæ, Norcopia.
Norma rovinata, urbs Latii, Norba.
Normandia, provinc. Galliæ, Neustria, Normannia.
Norois, populi Galliæ, Normanni.
Nort Caep, promontor. Scandinaviæ, Rubea.
Nortgoew, regio Germaniæ, ubi Narisci populi.
Northampton, oppid. Angliæ, Antona, Bennaventa, Camudolanum, aliis Northantonia.
Northamptonshire, provinc. Angliæ, Northantonia.
Northausen, urbs Thuringiæ, Northusia.
Northeavendune, locus Angliæ, Bennaventa.
Northforeland, promontor. Angliæ, Cantium.
Northtyne, fluv. Angliæ, Alaunus.
Northumberland, regio Angliæ, ubi Meatæ, Otadini, Taizali, populi, Northumbria.
Norville, vicus Galliæ, in agro Parisino, in Decanatu Linariensi, Norvilla.
Northwales, regio Cambriæ, ubi Genunii populi, Venedotia.
Norwegen, regio Scandinaviæ, Norvegia, Nerigon, Basilia.
Norweger, populi Scandinaviæ, Chadeni.
Norwich, urbs Angliæ, Nordovicum, Norvicum, Ordovicum, Venta Icenorum.
Nosenstat, vide Noesenstat.
Noti vel Noto, urbs Siciliæ, Nea, Netum.
Nottebourg, oppid. Ingriæ, Notteburgum.
Nottingham, urbs Angliæ, Nottinghamia.
Nottingham, oppid. Angliæ, Rhage.
Nottinghamshire, provinc. Angliæ, Nottinghamia.
Nova Antequera, urbs novæ Hispaniæ, Anticaria nova.
Nova Guinea, insula maris Eoi, Jabadii, aliis Nova Guinea.
Novaille, castrum cum monasterio, in Pictonibus, Nobiliacum.
Novalesa, oppid. Pedemontii, Forum Claudii, aliis Novalicia.
la Novalese, locus cum monasterio, in valle Segusina, Novalicium.
Novara, urbs Insubriæ, Novaria.
la Noue, locus Galliæ, ad Ittonam fluv. Nucetum.
Nove Lesche, urbs Lydiæ, Laodicea.
Novellara, oppid. Longobardiæ, Novellara.
Novians, oppid. Galliæ, Novigentum.
Novibazar, urbs Mysiæ superioris, Arribantium.
Novibazar, urbs Serviæ, Novus Mercatus.
Novigrad, oppid. Illyrici, Argyrutum.
Novigrad, oppidul. Dalmatiæ, Novigradium.
Novigrad, oppid. Macedoniæ, Iorum.
Novito, fluv. Calabriæ, Buthrotus.
les Noulliers, pagus Aquitaniæ, Noverus.
Novogorod Veliki, urbs Moscoviæ, Novogardia magna.
Novogrod & Novogorod, urbs gemina Moscoviæ, Novogardia.
Novogrodek, urbs Lithuaniæ, Novogardia.
Novogrodek Sevierski, urbs Lithuaniæ, Novogardia Severia.
Novomont, urbs Serviæ, Novæ, Novopyrgum.
Novomont, oppid. Bulgariæ, Novæ.
Nouveau Amsterdam, urbs Americæ in novo Belgio, Amsterodamum novum.
Nouveau Danemark, regio Americæ, nova Dania.

le

le Nouveau Monde, pars Orbis recens detecta, novus Orbis.
Nouveau Pays-Bas, regio Americæ septentrionalis; novum Belgium.
Nouveau Royaume de Grenade, regio Americæ, Granata nova.
Nouvelle Albion, pars Americæ, nova Albion.
Nouvelle Angleterre, pars Americæ Borealis, nova Anglia.
Nouvelle Espagne, pars Americæ Borealis, nova Hispania.
Nouvelle France, pars Americæ septentrionalis, nova Francia.
Nouvelle Galice, regio Americæ, nova Gallecia.
Nouvelle isle de S. Helene, in Oceano Æthiopico, Insula nova S. Helenæ.
Nouvelle Suede, regio Americæ Borealis, nova Suecia.
Nouvelle Zelande, pars Terræ Australis, Zelandia nova.
Nouvelle Zemle, regio Europæ, Carambice insula, & nova Zemla.
Nouvion, oppid. Belgii, ad Saram fluv. Noviomagum.
Noya, oppid. Gallæciæ, Noela, Novium.
le Noyer, vicus Galliæ, in agro Parisino, Nucetum, ad Nucem.
Noyers, locus ejusdem regni, ad Carim fluv. Nucaria.
Noyersmont, vicus Picardiæ, Nuceriorum mons.
Noyon, urbs Picardiæ, Noviodunum, Noviomus.
Noyon sur Andelle, vicus Galliæ, Noviomagum ad Indellam.
le Noyonois, tractus Galliæ, Ager Noviodunensis in Suessionib.
Nubia, regio Africæ, ubi Nubæ populi.
Nubia, vide Nuebia.
la Nubie, Nubia, & Neubia, regio Africæ, Nubia.
Nuebia, oppid. Africę, Misua, Nisua.
Nuestra Sennora de Beton, oppid. Lusitaniæ, Plagiaria, Budua.
Nuestra Sennora de Oca, urbs Hispaniæ Tarraconensis excisa, Auca.
Nuestra Sennora de Tiermes, oppid. Hispaniæ excisum, Termantia, Termes.
Nueva Andaluzia, provinc. Americæ meridionalis, nova Andaluzia & Vandalitia nova.
Nueva Bizcaia, pars novæ Hispaniæ, nova Biscaia.
Nueva Caceres, urbs Asiæ in Philippinis, Caurensis.
Nueva Cordona, urbs Tucumaniæ, nova Corduba.
Nueva Espana, pars Americæ septentrionalis, nova Hispania.
Nueva Galizia, pars novæ Hispaniæ, nova Gallacia.
Nueva Mexico, urbs Americæ, novum Mexicum.
Nueva Segovia, urbs in Philippinis, nova Segovia.
Nuevo Mexico, in America, novum regnum Mexicanum.
Nuevo Reyno de Granada, regio Americæ meridionalis, Granata nova seu novum regnum Granatense.
Nuevo Reyno de Granada, in America, novum regnum Granatæ.
Nuille vel Neuilly le Lierre, locus Galliæ, ad Briennam fluv. in Turonibus, Nobiliacum.
Nuille le Noble, vel Neuilly, ibid. vicus.
Nuithland, regio Helvetiæ, ubi Nuithones populi.
Nully, Nuilly vel Neuilly, Item le Port de Neuilly, vicus Galliæ, in agro Parisino, Noviliacus.
Numagen, vicus Trevirensium, ad Mosellam, Neomagus, Nivomagum, Noviomagum.
Nura, urbs Sardiniæ excisa, Nora.
Nura, fluv. agri Parmensis, Nicia, aliis Placentinus.
Nurnberg, urbs Germaniæ, Norica, Noricorum mons, Neroberga, Segodunum.
Nuys, oppid. Germaniæ ad Rhenum, Novesium.
Nuyz, oppid. Provinciæ, Athenopolis.
Nybourg, oppid. Daniæ, Neoburgum.
Nyd vel Nyth, fluv. Scotiæ, Novius.
Nyenbourg, urbs Westphaliæ. Novoburgum.
Nylands, provinc. Sueciæ, Nylandia.
Nymfa, urbs Latii excisa. Tres Tabernæ.
Nymsi & Nyms, fluv. ditionis Trevirensis, in Proneam influens, Nemesa.
Nyne, fluv. Angliæ, Aufona.
Nyon, oppid. ad lacum Genevensem, Neomagus.
Nyon, oppid. Helvetiorum, Neviduum.

O.

OBdach, oppid. Carinthiæ, Badacum.
Obdora, provinc. Moscoviæ, Obdora.
Obedec, fluv. Libyæ interioris, Gir.
Obengir, fluv. Persiæ, Dorgomanes, Ochus.
Ober-Baden, urbs Helvetiæ, Aquæ, Thermæ superiores.
der Ober-oder Graue Bundt, in Rhætia, Fœdus superius, seu Canum.
Oberbartaw, oppid. Curlandiæ, Obertavia.
Oberrhyn, superior pars Rheni, Obrincus.
Ober Rhingaw & Oberrhyn, tractus Germaniæ superioris, & pars Rheni, Obricus.
Oberrois, populi Provinciæ, Oxubii.
Obersachs, conventus Rhætorum, in fœdere Cano, Suprasaxum.
Ober Walsée, vicus Austriæ, Lacus felix.
Obervats, conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, seu Domus Dei, Vatium superius.
OberWesel, urbs Germaniæ, Ficelia, Vosavia.
Obii, fluv. Æthiopiæ, Raptum.
Obrac, oppid. Provinciæ, Bormani.
Obrach, oppid. Serviæ, Obracum.
Obros, urbs Africæ, Tobrus.
Obrovazo, oppid. Liburniæ, Ouporum, Argyruntum.
Obtryck, Trajectum superius, Obtricum.
Oburg, urbs Finlandiæ, Oburgum.
Oby, fluv. Scythiæ, vel Sarmatiæ Europææ, Ovis, Carambice, Obius.
Oca, vide Nuestra Sennora de Oca.
Ocabo, fluv. Colchidis, Glaucus.
Ocanna, oppid. Castellæ, ubi Olcades populi.
Occa, fluv. Moscoviæ, Occa.
l'Ocean, Oceanus.
Ocean Ethiopien, versùs Africam, Oceanus Æthiopiæ.
Ocean Indien seu Mer des Indes, Oceanus Indicus.
Ocean Occidental ou Atlantique, Oceanus Alanticus.
Ocean Oriental, pars est Oceani, versùs ortum Asiæ, Eous Oceanus seu Oceanus Eous.
Ocey, vide Ouix.
Ochio, regio Iaponiæ, Ochia.
Ochums, fluv. Colchidis, Tarsuras.
l'Ochryda, urbs Macedoniæ, Achris, Justiniana prima, Lychnidus, Tauresium.
Ochsenfurt, urbs Franconiæ, Bosporus, aliis Ochsenfurtum.
Ochula, vel Ocula, oppid. Siciliæ, Ocula.
Oclin Merodach, insula Æthiopiæ, Meroë.
Ocre, oppid. Umbriæ excisum, Ocre.
Oculus Zilice, fluv. Peloponnesi, Alpheus.
Oczakow, urbs Sarmatiæ Europææ in Podolia, Axiace.
Odenheym, oppid. Palatinatus inferioris, Neomagus, Noviomagum.
Odensee, vide Otthen.
Odensee, urbs Daniæ, Ottonium.
Odenwaldt, vide Ottenwaldt.
Oder, oppid. Silesiæ, Odera.
Oder, fluv. Germaniæ, Guttalus, Odera, Suevus, Viadus, Viadrus.
Oder, amnis Britanniæ minoris, Odera.
Oderzo, & Uderzo, oppid. Marchiæ Tarvisinæ, Opitergium, Epiterpum.
Odewaldt, pars Hercyniæ sylvæ in Germania.
Oditgen, vide Oetingen.
Odolengo, castrum Marchionatus Montisferrati, Badincomagum.
Odria, fluv. Liburniæ, Tedanium.
Oduco, oppid. Sclavoniæ, Adra.
Oedenburg, & Odenburg, urbs Hungariæ, Sempronium
Oeland, insula Sueciæ, Oelandia.
Oeno, urbs Thraciæ maritima, Ænos.
Oenoa, oppid. Atticæ, Oenoe.
Oesel, insula maris Baltici, ubi Osi populi, Osilia, Latris aliis.
Oestereicher, populi Austriæ, Quadi.
Oesterick, provinc. Germaniæ, Austria.
Oestfrisen, vide Oostfriesen.
Oetingen, oppid. Bavariæ, Æni pons, Oeni pons, Pontes Oeni.
Oetmarsen, populi & oppid. Transisalaniæ, Veteres Marsi.
Off, urbs Voitlandiæ, Curia.
l'Offanto, fluv. Apuliæ, Aufidus.
Offen, urbs Hungariæ, Curta, Curia, Buda,
Offemburg, urbs Sueviæ, Offemburgum.
Ofica, oppid. Japoniæ, Ofica.
Ofisa, urbs Mysiæ inferioris, Ophiusa, Tyras.
Ogenti, vide Ugenti.
Ogersheim, urbs Palatinatus, Borbetomagus.
Oggion, pagus Mediolani, Eugeon, Oglonium, Uglonium.
l'Oglio, vel Ollio, fluv. Venetæ ditionis, Ollius.
Oiarzo, pagus Guipuscoæ, Olarso.
Oisans, oppid. in Delphinatu, Olcenorum.
l'Oise, fluv. Galliæ, Oesia, vel Isara.
Oisi, municipium Belgii, ad Sabis fluv. caput, Osiacum.
Ossa, oppid. Thessaliæ, Phestum.
Okenyate, pagus Angliæ, Usocona, Uxacona.
Olans, ad Lignonem fluv. locus, Olantium.
Olbia, urbs excisa Sardiniæ, Olbia.
l'Old, vel l'Ould, fluv. Galliæ in Cadurcis, Olitis.
Old Carlisl, locus Angliæ in Cumbria, Castra exploratorum, Voreda.
Old Radnor, oppid. Walliæ, Maga, Magnæ.
Old Sarisbury, urbs Angliæ, Sorbiodunum, Sorviodunum.
Oldtown, pagus Angliæ, Blestium.
Olde, vel Oude, fluv. Galliæ, in Britannia minore, Ulda.
Oldemard, oppid. & portus Frisiæ, Manarmanis.
Oldembourg, [illegible] Westphaliæ, Oldemburgensis Comitatus.
Oldembourg, urbs Germaniæ, Oldemburgum.
Oldenburg, urbs Holsatiæ, Urbs Vetus, Brannesia.
Oldeslo, oppid. Holsatiæ, Oldeslovia.
Oldford, locus Angliæ, in Essexia, Durolitum.
Oldzeel, vel Oldseel, oppid. Transisalaniæ, ubi olim Salii populi, Oldesalia, & vetus Salia.
Oleno, urbs Ætoliæ, Olenus.
Oleron, insula Aquitaniæ, Uliarus.
Oleron, urbs Aquitaniæ, Elorona, Lugdunum, Oloronensis urbs.
Olezo, oppid. agri Novariensis, Olegium.
Olgar, regio Tartariæ magnæ, Olgaria.
Oliere, oppid. regni Valentini, Leria.
Oliergue, castrum Galliæ, in Arvernis, Merolianum,
Olika, urbs Poloniæ, Olica.
Olimpo, mons Thessaliæ, Olympus.
Olinde, urbs Brasiliæ, Olinda.
Olintho, locus inter Thraciam & Macedoniam, Olinthos,
Olira, mons Thessaliæ, Ossa; Oliba aliis.
Olit, oppid. Navarræ, Oliba.
Oliva, oppid. Navarræ, Juliobrica.
Oliva, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Leonica.
Olivença, urbs Portugalliæ, Oliventia.
Olivenza, oppid. Extremaduræ, Evandria.
Oliverio, vide Olivieri.
Olivieri, fluv. Siciliæ, Helicon.
Olmutz, & Olmuntz, urbs Moraviæ, Eburum, Olomucium.
Olo, vel Ololo, pagus Cretæ, Olulis.
Olone, oppidul. Pictaviensis provinciæ, Olonium.
Olone, cella Galliæ, in ora maris Pictonici, Olona.
Olono, mons Peloponnesi, Minthe.
Oloron, oppidul. Hispaniæ Tarraconensis, Illuro.
Olsperg, cœnobium nobilium puellarum, in Rauracis, Olspergium.
Olsi, oppid Silesiæ, Olsa.
Olt, fluv. Daciæ, Aluta.
Olven, monasterium Prussiæ, Oliva.
Olulo, oppid. Siciliæ excisum, Olulis.
Om, fluv. Arabiæ felicis, Lar.
Omanagda, urbs Arabiæ felicis, Omana.
Omara, urbs Persiæ, Obroatis.
Ombla, fluv. Illyrici, Ariona.
l'Ombria, regio Italiæ, Umbria.
l'Ombrone, fluv. Hetruriæ, Umbro.
Omegna, pagus agri Novariensis, Eumenia.
Omganli, promontor. & urbs Æthiopiæ, Mosylon.
Omidie, urbs Cappadociæ, Cerasus.
Omirabi, fluv. Mauritaniæ, Casa, Asama; aliis Rusibus, Rusubis, portus & oppid. Ommirabibus.
Omiso, oppid. Dalmatiæ, Almissa.
Omiso, pagus Corsicæ, Osincum.
Omme, fluv. Latii, Trerus,
Omont, pagus Hannoniæ. Item, in agro Remensi Galliæ, Altomons, vel Altus Mons.
Omps, locus Syriæ vel Arabiæ, Hus.
Onda, oppid. Valentiæ, Oronda.
One, oppid. Africæ, Gisira; Jol aliis.
Onega, lacus Moscoviæ, Onega.
Oneglia, Comitatus Liguriæ, ubi Oxybii populi.
Ongari, populi Pannoniæ, Pannones, Pannonii.
Ongaria, provinc. Europæ, Hungaria.
Ongaria di la dal Danubio, regio Europæ, ubi Jazyges Metanastæ.
Onna, oppid. Castellæ veteris, Ona; ubi olim Onenses populi.
Onoblacha, & Omblacha, regio Dolopum, popul. Thessaliæ, Dolopia.
Onor, urbs Indiæ citerioris, Hippocura; Onorium aliis.
Onspach, & Anspach, oppid. Germaniæ, Onoldium, & Onspachium.
Oostburg, oppid. Flandriæ, ubi Levaci populi.
Oostfriesen, regio Germaniæ, Frisia Orientalis; ubi Cayci, Cauchi, Chauci, Frisii majores, populi.
Oosteynde, castellum Belgii, Flevum.
Oostsée, Balticum mare.
Opin, urbs Æthiopiæ, Opane, Opone.
Oppelen, urbs Silesiæ, Oppolium.
Oppelo, urbs Silesiæ, ubi Osi populi.
Oppenheim, oppid. Germaniæ superioris, Rufiana, Bauconia; Oppenhemium.

Oppie

Oppido, urbs Calabriæ, Oppidum.
Opirrick, vel Obtryck, oppid. ad Mosam, Obtricum, Trajectum.
Opula, insula maris Ægæi, Peparethus.
Oradour, locus Galliæ, in Arvernis, Oratorium.
Oran, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Icosium.
Orange, urbs Provinciæ, Arausio, Aurasica.
Orangis, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Orengiacum.
Orano, Oran, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Quiza, Auranum; Oranum aliis.
l'Orba, fluv. Liguriæ, Urbs.
Orbach, vicus Helvetiæ, ad fluv. cognominem, Urba.
Orbe, oppid. Helvetiæ, Urba, Verbigenus.
l'Orbe, fluv. Linguadociæ, Obris, Orobis.
Orbego, fluv. regni Legionensis, Urbicus.
Orbetello, oppid. Hetruriæ maritimum, Cosa, Cossæ; Orbetellum aliis.
Orbigne, aliàs Orbigny, vicus Galliæ, in Turonibus, Orbiniacum, & Orbaniacus.
Orbo, fluv. Corsicæ, Hierus.
les Orcades, insulæ Scotiæ, Orcades.
Orcan, urbs Rugiæ insulæ excisa, Arcona.
Orcane, vide Orkney.
Orcay, vicus Galliæ in agro Parisino, Orcejum.
Orce, oppid. regni Granatensis, Urci.
Orchies, oppid. Flandriæ, Origiacum.
Orchies, oppid. Flandriæ Gallicanæ, Orciacum.
Orchomeno, urbs Bœotiæ, Orchomenus.
Orco, oppid. Epiri maritimum, Oricum.
l'Orco, fluv. Pedemontii, Morgus.
la tour d'Ordre, in Morinis, prope Gesoriacum, Turris Ordinis.
Orduna, oppid. Biscaiæ, Ordunia.
Oreb, mons Arabiæ petrææ, Melani.
Orebro, urbs Sueciæ, Orebroa.
Oregrund, oppid. Sueciæ, Oregrunda.
Orenoque, fluv. Americæ meridionalis, Orenocus.
Orense, urbs Gallæciæ, Amphilochia, Auria, Aquæ calidæ.
l'Oreo, urbs Eubœæ, Oreum, Horæus.
Oresund, in mari Baltico, Fretum Sundicum.
Oreto, vide S. Maria de Oreto.
Orfa, urbs Mesopotamiç, Carrhæ; & urbs Syriæ, Edessa.
Orfea, vel Orpheo, fluv. Peloponnesi, Alpheus.
Organz, fluv. Sogdianæ, Jaxartes,
Organzi, populi Scythiæ, Orgasi.
Orgaz, oppid. Castellæ novæ, Orgia, aliis Rigusa.
Orge, fluv. Galliæ, in agro Parisino, Urbia, seu Orgia.
Orgon, oppid. Provinciæ, Enarginum, Urgenum.
Oria, urbs Salentinorum, Vretum, Uria.
Oria, fluv. & oppid. Guipuscoæ, Menlascus, Menosca.
Origni, locus Galliæ, in sylva Teotacia, Auriniacum.
Oribuela, urbs Valentiæ, Orcelis, Oriola.
Orillac, oppid. Aquitaniæ, ubi olim Heleuteri populi.
Orillac, oppid. Alverniæ, Aureliacum.
l'Oriol, oppid. Delphinatus, Æria.
Oriolo, locus Romandiolæ, Aureolum.
Oriolo, oppid. Thusciæ, Forum Claudii.
Orisa, urbs Indiæ citerioris, Argiros.
Orissa, urbs Indiæ citerioris, Oribura, aliis Orsa.
Oristagni, urbs Siciliæ, Arborea.
Oriza, urbs Indiæ, Oriza.
Orizella, pagus Calabriæ, ubi olim Morgantia oppid.
Orkney, & Orknay, insulæ Scotiæ, Orcades.
Orleans, urbs Galliæ Celticæ, Aurelia.
Orly, vicus Galliæ, in agro Parisino, Aureliacum, seu Orliacum.
Ormay, vicus agri Parisini, Ormeja.
Ormeçon, vel Ormeson, vicus ibid. Ulmetius.
l'Ormetian, vicus Galliæ, in Biturigibus, circa Vastinum, Ulmetellum.
Ormoas, oppid. Peloponnesi, Acrias.
Ormoy, vicus agri Parisini. Ulmetum.
Ormus, insula sinus Persici, & urbs, Armuzia, Organa aliis, Ormuzium aliis.
Ornay, vel Orney, insula intra Angliam & Normanniam, Ebodia.
Orne, fluv. Normanniæ, Olina, Orna, Argenes aliis.
l'Orne, fluv. Austrasiæ, Odorna.
Oroer, locus Galliæ, in Bellovacis, Oratorium.
Oronz, fluv, Syriæ, Orontes.
Orp le grand, in Flandria, Monasterium Orpense.
Orpha, vide Orfa.
Orrhai, urbs Mesopotamiæ, vel Syriæ, Edessa.
Orrou, fluv. Galliæ, in Biturigibus, Urrio.
Orsa, oppid. Lutetiæ, Orsa.
Orsay, vicus Galliæ, cum Monasterio, in agro Parisiensi, Orcejum.
Orsoy, oppid. Germaniæ, Orsoium.
Orta, urbs Hetruriæ, Hortanum.
Orta, oppidul. Ducatus Mediolanensis, Horta.
Ortenberg, oppidul. Veteraviæ, Artaunum.
Ortenburg, oppid. Carinthiæ, Ortenburgum.
Ortezzano, populi & urbs Marchiæ Aconitanæ, Videcini, Urticini.
Orthes, oppid. Aquitaniæ, Beneharnum.
Orticuse, castellum Galliæ, in Cenomanis, Urticosa.
Ortona, urbs Aprutii, Orton, Ortona.
Ortopola, oppid. Liburniæ, Ortopula.
Orval, ad Catim fluv. locus Galliæ, Aurea vallis.
Orvieto, urbs Hetruriæ, Herbanum, Oropitum, Urbs vetus.
Osa, amnis Latii, Veresis.
Osanne, amniculus Galliæ, in Pertico Goëti, Osanna.
Osari, fluv. Thusciæ, Æsaris, Auser.
Osech, oppid. Hungariæ, Certisa, & Certissa.
Oscla, oppid. Sardiniæ, Usellis.
Osenburg, urbs Westphaliæ, Haseburgum, Osnaburgum, ubi Osi populi, Osnabrucum aliis.
l'Osco, pagus Sardiniæ, Osea.
Osero, insula & urbs Liburniæ, Absorus.
Osia, regio Sarmatiæ Europææ, Gothia.
Osimo, urbs Marchiæ Anconitanæ, Auximum.
Osismer, tractus Britanniæ minoris, ubi Osismi populi.
Osma, urbs Castellæ veteris, Oxama, Uxama.
Osmanli, provinc. Asiæ, Bithynia.
Osmiana, oppid. Lithuaniæ, Osmiana.
Osmo, urbs Piceni, Auxumum. Vide Osimo.
Osnabrug, vide Osenburg.
Osoir la Ferriere, locus Galliæ, cum prioratu, in agro Parisino, Oratorium, seu Ecclesia Oratorii.
Osona, urbs Catalauniæ excisa, Ausa.
Osopo, oppid. agri Foro-Juliensis, Osopium.
Ossea, pagus Hispaniæ Tarraconensis, Asso.
Osseau, amniculus Benarnensis, Ossavus.
Ossera, oppid. Aragoniæ, Osicerda, Ascerris aliis.
Ossery, Comitatus & Episcopatus Hiberniæ, Osseria, Ossoria.
Ossuna, urbs Andaluziæ, Orsona, Urso.
Ostende, urbs Flandriæ, Ostenda.
Osteria d'Anagni, pagus Latii excisus, Compitum.
Osterich, vide Oesterick.
Osterlandt, tractus Misniæ, Osterlandia.
Osterlinger, populi Germaniæ, Teutones.
Ostervandt, tractus Hannoniæ, Austrebatensis pagus.
Osterwick, oppid. Saxoniæ, Ostrovicum, & Austervicum.
Ostia, urbs Latii excisa, Ostia.
Ostiong, provinc. Moscoviæ, Ustinga.
Ostiouz, urbs Moscoviæ, Ustinga.
Ostinobiza, oppid. Sclavoniæ, Silupi.
Ostragioni, urbs Ægypti, Ostracine.
Ostro, fluv. Macedoniæ, Astræus.
Ostrog, oppid. Poloniç, Ostrogium.
Ostrogard, regio Sarmatiæ, ubi Roxolani populi,
Ostrogothlandt, regio Sueciæ, Ostrogothia.
Ostroviza, oppid. Liburniæ, Arauzona.
Ostuni, urbs terræ Hydruntinæ, Ostunium; ubi olim Pediculi populi.
Oteley, oppid. Angliç, Olicana.
Otero de Rey, oppid. Gallæciæ, Ocellum.
Othoni & Othrom, insula inter Italiam & Epirum, Othronus, Thoronus.
Othosach, oppid. Liburniæ, Arucia.
Otmaginchi, fluv. Paphlagoniæ, Halys.
Otozecz, insula Hungariæ, Bubalia, Metubarris.
Otranto, urbs Salentinorum, Hydruntum.
Otricoli, oppid. Umbriæ, Ocriculum, Otriculum, Utriculum.
Otte, saltus Galliæ, in Tricassibus, Utta.
Aix en Otte, castellum Galliç, Aquæ in Utta sylva.
Ottenwaldt, sylva Germaniç, Othonia.
Otthen, urbs Daniç, Ottonium.
Otting, oppidul. Sueviæ, Ottinga.
Ou, fluv. Galliæ, in Ambianis, Aucia, vel Auva.
Ouarde, locus Galliæ, ad Ittam fluv. in Veliocassium Bellovacorumque confinio, Warandra.
Ouche, vel la forest d'Ouche, sylva Galliç, cum monasterio, in pago Oximensi: in agro Ebroicino, Uticum. Hinc le pays d'Ouche, tractus Galliæ ibid. Ager Uticensis.
Ouche, fluv. Burgundiæ, Oscara.
Ouchi le Chastel, castrum Galliæ, in Suessionibus, Ulcejum.
Ouchi la ville, vicus priori proximus, Ulcejum villa.
d'Oudeman, Belgicè, The old man Anglis, locus maritimus Picardiæ juxta Bononiam, Farum, Pharum.
Oudenarde, oppid. Flandriæ, Aldenardum.
Oudon, fluv. Galliæ, in Andibus: Item in Aquitania Olda. Item in Bajocassibus, Uldo.
Overburrow, oppid. Angliç, Calatum, Galacum.
Over-hespen, vicus Halbaniç, Trans-Hasbam.
Overissel, vel Over-yssel, provinc. Belgii, Sallandia, Transisalana, ubi Busacteri populi.
Ovessant, aliàs Heysant, vel Heissant Gall. Ushant Anglis, insula Britanniæ minoris, Uxantis.
Oviedo, urbs Asturiæ, Ovetum, Brigacia.
Oukham, oppidul. Angliæ, Ochamum.
Oulo, oppid. Sueciç, Ula.
Oulx, vel Ours, oppid. Delphinatus, Ocelum.
Oumoy, vicus Galliæ, haud procul à castello Guntherici, Olnetum, vel Ulmetum.
Ovo, vide Castel del Ovo.
Ourc, fluv. Galliæ in Matronam influens, Urcus.
Ource, fluv. ejusdem regni, in Burgundiæ & Campaniæ confinio, Urca.
Ourcq, vide Ourc.
Ours, pagus Galliæ Narbonensis, Ocelum.
Oursines, aut Ursines, vicus Galliæ, in agro Parisino, in Decanatu Castri Fortis, Ocine.
Ourt, vici duo ad fluv. cognom. Urta,
Ourt-Chastel, ad Urtam minorem, Castellum Urtæ.
Ourt, fluv. per sylvam Arduennam fluens, Urta.
Ourtez, urbs Aquitaniæ, Ortesium.
Ousche, fluv. Burgundiæ, Oscarus.
Ouse, fluv. Angliæ, Urus.
Ousle, fluv. parvus Britanniæ minoris, Ousla.
Outin, oppid. Holsatiæ, Outinum.
Owar, urbs Hungariæ, Ovaria.
Ouvidowe Jezeoro, lacus Mysiæ inferioris juxta Temos.
Owlercher, gens Galliæ, Aulerci.
Owse, fluv. Angliæ, Garryenus.
Oxenford, vide Oxford.
Oxford, urbs Angliæ, Caleva, Nalcua, Oxonium.
Oxfordshire, provinc. Angliæ, Oxoniensis Comitatus.
la terre d'Oye, in Morinis, Pagus Aucensis.
S. Oyen, in monte Jura, Condatescense monasterium.
Oyse, fluv. Galliæ Belgicæ, Æsia, Esia, Isara.
Ozaca, urbs Japoniæ, Ozaca.
Ozraz, urbs Mediæ, Gaza, Azaga.
Ozwieczin, oppid. Poloniæ, Ozviecinum.

P.

PAcamores, populi Peruviæ, Pacamores.
Pacca, urbs Portugalliæ, Pax Julia.
Pachicolmo, fluv. Ætoliç, Achelous.
Paci, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, ad Sequanam; Paciacum.
Paconia, oppid. Corsicæ, Paxea.
Pacli, vide Patti.
Padeborn, & Paderborn, urbs Westphaliç, Padeborna, Teuderium.
Padoua, urbs Venetiæ, Patavium.
el Padron, oppid. Gallæciæ, Iria Flavia.
Padstow, oppid. Angliæ, Paslovia.
Paese di Anguillara, populi Hetruriæ, Sabatienses.
di Bracciano, regiuncula Thusciç, Sabatia.
della Cucagna, locus Æthiopiæ, Solis mensa.
Paesi Bassi, regio Europæ, Belgium, Germania inferior.
di mont Cenis, populi Alpini, Garoceli.
Settentrionali, regio Europæ, Basilia, Baltia, Scandinavia.
Pagania, portus Epiri, Pelodes.
Paglia, fluv. Hetruriæ, Pelia.
Pagliopoli, pagus Calabriç inferioris, Peripolis.
Pago, insula Liburniæ, Curicta, Paganorum insula, Gissa.
Pago, urbs apud Isthmum Corinthiacum, Paga, Pegæ.
Paillon, accolis Palion, fluv. Provinciæ, Paulio.
Painbourg, oppid. Germaniæ, in Bavaria, Augusta Badacum.
le Pais, vide Pays.
Pais Bas, pars Galliæ Belgicæ, Belgium.
Païs de Galles, pars Angliæ, Cambria, & Wallia.
Pais de Liege, in Germania inferiori, Leodiensis ditio.
Païs de Monts, seu de Berg, in Germania, Montensis Ducatus.
Palacios, oppid. Andaluziæ, Palacia.
Palafigel, promontor. Catalauniæ, Lunarium.
S. Palai, in inferiori Navarra oppid. S. Pelagii.
S. Palais, Idem.
le Palais, locus Galliæ, in Lemovicibus, Palatium.
Palaiseau, vicus Galliæ, in agro Parisino, Palatiolum.
Palamos, oppid. Cataloniæ, Palamus.

Palasta, oppid. Corsicæ, *Palania*
Palatia, urbs Cariæ vel Ioniæ, *Heraclea, Priene.*
Palatinat de Baviere, regio Germaniæ, *Palatinatus superior.*
Palatinat du Rhin, regio Germaniæ, *Palatinatus Rheni.*
Palazzo, pagus Venetiæ, *Ad palatium.*
Palazzo maggiore, collis Romæ, *Palatinus mons, Romuleus mons.*
Palazzuolo, pagus Lombardiæ, *Palatium.*
Palazzolo, oppid. Siciliæ, *Pattorus, Acræ.*
Palazzuolo, urbs Siciliæ, *Herbessus.*
Pale, urbs Indiæ citerioris, *Ozene.*
Paleapoli, oppid. Peloponnesi, *Gythium.*
Palencia, urbs regni Legionensis, *Palantia.*
Palene, locus Hirpinorum, *Caudinæ fauces.*
Palenserthal, tractus Alpinus, ubi *Breuni* populi.
Paleocastro, oppid. Cretæ, *Itanus, Aptera, Minoa, Lyctus.*
Palermo, urbs Siciliæ & portus Epiri, *Panormus.*
Palermo, oppid. Phrygiæ, *Panormus.*
Palescamandro, fluv. Phrygiæ, *Palescamandrus.*
Palesched, vicus Germaniæ, *Ausana.*
Palesoli, urbs Ciliciæ eversa, *Pompejopolis, Soli.*
Palestina, provinc. Asiæ, *Palæstina.*
Palestrina, urbs Latii, *Præneste.*
Paletyro, urbs Phœniciæ excisa, *Palætyrus*, vel *Tyrus vetus.*
Pali, vide *Palo.*
Paliano, oppid. ditionis Pontificiæ, *Palianum.*
Palichi, pagus Cephaleniæ, *Paleis.*
Paliconia, oppid. Siciliæ destructum, *Palica.*
Palietto, urbs Picentinorum, *Sarnus.*
Palimban, urbs Sumatræ insulæ, *Palimbanum.*
Pallon, fluv. Liguriæ, *Paulon.*
Palleschied, vicus Germaniæ inferioris, *Aussana.*
Palli, urbs Armeniæ minoris, *Satala.*
Palinuro, promontor. Lucaniæ, *Palinurum.*
Palma, arx ditionis Venetæ, *Palma.*
Palma, oppid. Andaluziæ, *Illipula*, vel *Ilipa.*
Palma, urbs Majoricæ insulæ, *Palma.*
Palma, fluv. Lusitaniæ, *Calipus.*
Palmaria, insula maris Tyrrheni, *Pandaria, Pandataria.*
Palmarola, insula maris Tyrrheni, *Artemita.*
Palmarola, insula maris Tyrrheni, *Palmaria*, aliis *Pandaria.*
Palmer, oppid. Palæstinæ, *Bala.*
Palmis, oppid. Palæstinæ, *Azotus.*
Palmosa, insula maris Ægæi, *Patmos*; & maris Tyrrheni, *Parthenope.*
Palo, castrum Hetruriæ in Ducatu Braciani, *Alsium.*
Palo, oppid. Neapolitañ regni, *Fratuolum.*
Palo, locus Hetruriæ, *Fregenæ.*
Palombara, oppid. Sabinorum, *Crustumerium, Crustuminum.*
Palomera d'Avila, mons Castellæ veteris, *Idubeda, Orospeda.*
Palopoli, urbs Asiæ minoris, *Celenderis*; & oppid. Corcyræ, *Psychia.*
Palos de Moguer, oppid. Vandalitiæ, *Palus.*
Palota, oppid. Hungariæ, *Paloda.*
Palvau, locus Galliæ, in Turonibus, *Paludellum.*
Paludi Pontine, palus Latii, *Pontina palus.*
Palmdosa, insula apud ostia Tiberis, *Sacra insula.*
Palveau, vicus Galliæ, ad Exonam fluv. *Paludellus.*
Paluel, locus Galliæ, in Caletis, *Paludellum.*
Paluzzo, oppid. Thraciæ, *Pantalia.*
Palymite, oppid. Siciliæ destructum, *Elyma.*
Palvaa, & *Palma*, urbs Hungariæ, *Cibalis.*
Paneas, oppid. Palæstinæ, *Dan, Paneas.*
Pamer, mons Asiæ, *Paropamisus.*
Pamia, vide *Pamiers.*
Pamiers, urbs Aquitaniæ, *Epaunum, Pamiæ, Apamia*, ubi *Bipedimui* populi.
Pampelune, urbs Navarræ, *Pampelone*, & *Pompeiopolis.*
Pampiona, urbs Navarræ, *Pompelon.*
Panaie, oppid. & promontor. Chii insulæ, *Phanæ.*
Panama, urbs Americæ meridionalis, *Panama.*
Panara, fluv. Mutinensis Ducatus, *Scultenna, Scutana.*
Panare, & *Panaria*, insula Siciliæ, *Didyme, Icesia.*
Panarucan, urbs Javæ insulæ, *Panarucanum.*
Pancalieri, urbs Pedemontii, *Pancalerium.*
Panconia, urbs Sericæ, *Paliana.*
Pandalia, urbs Mysiæ inferioris, *Calatis.*
Pandasgu, urbs Indiæ citerioris, *Panassa.*
Pandosia, regio Epiri, ubi *Molossi* populi.
Pangelongos, populi Æthiopiæ, *Hesperii.*
Panido, urbs Thraciæ, *Pactya.*
Paniza, fluv. Thraciæ, vel Mysiæ inferioris, *Panysus, Pamisus.*
Panizza, fluv. Thraciæ, *Panissa.*
Panormo, portus Epiri, *Panormus.*
Pantalarea, insula maris Africani, *Cossyra, Datalaria, Patalaria, Paconia.*
Pantalica, oppid. Siciliæ excisum, *Herbessus.*
Pantanella, palus territorii Syracusani, *Lysimelia.*
Pantano, in Latio, *Ostiensis lacus.*
Pantico, urbs Tauricę, *Panticapæa.*
Pantiro, urbs Thracię, *Heraclea, Perinthus.*
Pantzenheim, oppid. Alsatiæ, *Arialbinũ.*
Panuco, regio novæ Hispaniæ, *Panuca.*
Panuco, urbs novæ Hispanię, *Panuca.*
le Panzin, vide *le Pauzin.*
Paoking, urbs Sinarum, *Paochinga.*
Paoning, urbs Sinarum, *Paoninga.*
Paoting, urbs Sinarum, *Paotinga.*
Papa, urbs Hungariæ, *Papa.*
Papadiros, oppid. Dalmatiæ, *Epicaria.*
Papcastle, oppid. Angliæ, *Epiacum.*
Papenhaim, oppid. Germaniæ, *Papenhemium.*
Papacz, oppid. Hungariæ, *Basiana.*
S. Papoul, locus Galliæ, in Occitania, *Papuli Fanum.*
Para, urbs Americæ meridionalis, *Para.*
Paradiso, fluv. Siciliæ, *Fons Dianæ.*
Paragoia, insula Oceani Indici, *Paragoia.*
le Paraguay, regio Americæ meridionalis, *Paraguaia.*
Paraiba, urbs Brasiliæ, *Paraiba.*
Parama, oppid. Peloponnesi, *Cardamyla.*
Parana, provinc. Paraguaiæ, *Parana.*
Parana, fluv. Americæ meridionalis, *Parana.*
Paranaiba, provinc. Americæ meridionalis, *Paranaiba.*
Paranaiba, fluv. Americæ meridionalis, *Paranaiba.*
Parasio, urbs Lombardiæ excisa, *Parasium.*
Paray, vicus Galliæ, in agro Parisino, in Decanatu Linariensi, *Paretum.*
Paray le Frairy, locus Galliæ, *Paredum Fratrum.*
Paray le Monial, oppid. Burgundiæ, *Paratum Monachium.*
Pardiac, Comitatus Galliæ, in provinc. Novempopulana, *Pardiniacum.*
Pardoul, alias *Pardoux*, locus Galliæ, in Lemovicibus, *ad Pardulfum.*
S. Pardoul, & *S. Perdoux*, vicus Galliæ, in Aquitania: item castrum in Arvernis, *S. Pardulfi.*
Parenzo, urbs Istriæ, *Parentium.*
Paretalaw, urbs Bulgariæ, *Parastlaba, Ogygia.*
Parfondeval, locus Galliæ, in Caletis, *Profunda vallis.*
Parga, portus Epiri, *Elææ portus*; & oppid. *Torone.*
Pari, urbs Indiæ ulterioris, *Palauda.*
Paria, provinc. Americæ meridionalis, *Paria.*
Parias, regio novi Orbis, *Jobab.*
Parimoth, urbs Indiæ citerioris, *Patala.*
Parinacocha, provinc. Peruviæ, *Parinacocha.*
Pario, urbs Mysiæ Asiaticæ, *Parium*; & insula Archipelagi, *Paros.*
Paris, urbs Franciæ, *Lutetia, Lucotetia, Parisii.*
Paris en Ardenne, oppid. Belgii, in Ducatu Luciliburgensi, *Bastonacum.*
le Parisis, locus Galliæ, *Parisiacum.*
ville Parisis, vel *Parisi*, vicus Galliæ, in agro Parisino, *Parisium.*
Pariso, urbs Mysiæ, *Parium.*
Parita, urbs Americæ Septentrionalis, *Parita.*
Parlier, mons Palæstinæ, *Casius.*
Parma, fluv. Longobardiæ, *Parma.*
Parma, urbs Italiæ, *Parma.*
Parmajola, vide *Palmajola.*
Parmegiano, pars Longobardiæ, *Parmensis ditio.*
Parmosa, insula maris Ægæi, *Pharmacusa.*
Parnaso, mons Phocidis, *Parnassus.*
Paroczlo, oppid. Hungariæ, *Partiscum.*
Paray le Moinal, locus cum Monasterio, in Comitatu Carolensi, *Paredum.*
Parpinano, oppid. Linguadociæ sub Hispanis, *Papirianum, Ruscino nova.*
Parsans, in Gallia, *Regiones Benearnensis Principatus.*
Partanna, locus Sicilię, *Parthenicum.*
Partenay, urbs Pictaviensis provinciæ, *Parthenæum.*
Partenu, fluv. Bithyniæ, *Parthenius.*
Partenkirch, pagus Bavariæ, *Parthanum.*
Parthen, urbs Pomeraniæ, *Alisus.*
das Parthergeberg, mons Italiæ, *Apenninus.*
le Partois, tractus Galliæ, *Pagus Pertensis.*
Pas de Calais, *Fretum Britannicum*, vel *Gallicum.*
Pasava, urbs Peloponnesi, *Gerenia.*
Pascoa, insula maris Rubri, *Isidis insula.*
Passage de Brouvers, *seu du Brasseur*, in America meridionali, *Transitus Bruverii.*
Passara, vide *Capo Passara.*
Passaros del Sol, nomen avium, in insula Borneo.
Passaw, urbs Bavariæ, *Batave, Patavia.*
Passo di Cane, mons Phœniciæ, *Climax.*
Passo di Siracusa, fluv. Siciliæ, *Panachus.*
Pastrana, oppid. Castellæ novę, *Paterniana*, *Pastrana* aliis.
Pasuli, pagus Piceni, ubi olim *Pasulani* populi.
les Patagons, populi Americæ meridionalis, *Patagones.*
Patalenes, peninsula Macedoniæ, *Pallene, Patalena.*
Patane, urbs Indiæ ulterioris, *Perimula.*
Patay en Beausse, oppid. Galliæ, in Belsia, *Patavium.*
Patera, urbs Lyciæ, *Patara.*
Paterno, oppid. Siciliæ, *Paternum, Hybla major.*
Paternoa, oppidul. Valentiæ, *Paterniana.*
Path, oppid. Hungarię, *Basiana.*
Patras, urbs Peloponnesi, *Patræ.*
Patria, regio Venetiæ, *Carnia, Forum Julium.*
Patria, locus Campaniæ, ubi olim *Linternum* oppid.
Patrimonio di S. Pietro, *seu provincia del Patrimonio*, pars est ditionis Pontificiæ, *Patrimonium S. Petri.*
Patrington, oppid. agri Eboracensis, *Prætorium.*
Patteringen, locus Helvetiæ, *Paterniacum.*
il Pattese, fluv. Siciliæ, *Timethus.*
Patti, urbs Siciliæ, *Pacta.*
Patzin, urbs Taprobanæ insulæ, *Palesimundus.*
Pau, urbs Aquitaniæ, *Epaunum, Palum.*
il Pavese, in Ducatu Mediolanensi, *Papiense territorium.*
Pavia, urbs Insubriæ, *Papia, Ticinum.*
S. Paul Trois chasteaux, in Delphinatu, *Fanum S. Pauli.*
S. Paul de Vence, Provincialibus *S. Paol.* oppid. Provinciæ, *Sancti Pauli de Vintio.*
Paula, oppid. Calabrię citerioris, *Patycos.*
Pauliac, pagus Aquitanię, *Pauliacus.*
Paulsperg, mons Gallię, *Gebenna.*
Pauluize, vide *Palutze.*
Paunton, oppid. Anglię, *Ad pontem, Pontes.*
Pavoasan, urbs insulę S. Thomę in Africa, *Pavoasanum.*
la Pavonare, insulę duę Euxini, *Cyaneæ, Symplegades, Planetæ.*
Pavonia, vide *Paconia.*
Pautzke, oppidul. Prussię, *Puscum.*
Pautzkerwick, sinus Germanię, *Clylipenus, Venedicus.*
le Pauzin, vel *le Pouzin*, in Diœcesi Vivariensi, *Paucinum.*
Pax, oppid. Hungarię, *Lussonium.*
Paxu, insulę duę maris Ionii, *Paxæ*; *Ericusa* aliis.
Paxoli, oppid. Cilicię, *Pœcile petra.*
Pays, & *Pais*,
  de Aelen, vide *le Pais de Vaud.*
  d'Antoine Diemens, pars terrę Australis, *Antonii Diemeni regio.*
  d'Arles, pars Provincię, ubi *Anatilii* populi.
  d'Arnheims, *seu t'landt van Arnheims*, pars terrę Australis, *Arnhemii regio.*
  d'Auge, tractus Normannię, *Augia.*
  d'Aunis, tractus in Aquitania, *Alnensis*; aliis *Anagnutes.*
  Bas, regio Europę, *Germania inferior.*
  de Caux, populi Gallię, *Caletæ, Galleti.*
  du Chablais, populi Sabaudię, *Veragri, Equestres.*
  de Cocagne, locus Æthiopię, *Solis mensa.*
  de Concorde, pars terrę Australis, *Concordiæ regio.*
  de Gavot, tractus Sabaudię, ubi *Veragri* populi.
  du Maine, populi Gallię, *Cenomani.*
  de Marsan, in Aquitania, *Martianus ager.*
  de Narbonne, populi Provincię, *Decumani.*
  entour à Nevers, populi Gallię, *Ambarri.*
  de Nuitz, pars terrę Australis, *Nuitii regio.*
  Reconquis, tractus Picardię, *Recuperata ditio.*
  Roman, *seu le pais de Vaux*, tractus Helvetiorum; *Romana ditio.*
  de Soule, in Aquitania. *Solensis tractus.*
  de Vaud, vel *Vault*, regio Valesię, ubi olim *Antuates*, *Nantuates* populi.
Paysans, nomen rusticorum, propriè *Pagani.*
la Paz, urbs Peruvię, *Pax.*
Pazzi, urbs Thracię, *Pactya.*
le Peage, unus ex alveis Vardonis fluv. *Pedatium.*
Pebils, oppid. Scotię, *Peblisium.*
Pecais, oppid. Occitanię, *Rhoda, Pecaja.*
Pechrun, locus Gallię, in Aquitania, *Podium nigrum.*
Peccais, portus Massiliensium, *Halydon.*
Pech Alvart, castrum Aquitanię. *Podium Alvari.*
Pech Celsis, castrum Gallię, in diœcesi Albigensi, *Podium Celsum.*
Pechlarn, oppid. Austrię, *Ara lapidea, Arlape.*
Peckfelds, oppid. Carinthię, *Pedicum.*
Pechmacorion, fluv. prope Constantinopolim, *Barbyssus.*
Pedena, urbs Istrię, *Petina.*
Pedeo, fluv. Cypri, *Pedæus.*
Pedir, urbs Sumatrę insulę, *Pedira.*
Pedrazza de la Sierra, oppid. Castellę, *Metercosa, Mentercosa.*
Peelanders, populi Brabantię, *Pamani, Betasii.*
Peelandt, tractus Brabantię, ubi *Betasii* populi.
Pe'kiam, promontor. Troadis, *Rhœteum.*
Pegian, regio Asię, *Armenia minor.*
Pegnitz, fluv. Franconię, *Radiantia, Pegnesus.*
Pegu, regnum Indię ulterioris, *Peguanum.*
Pegu, urbs Indię ulterioris, *Trigypton*, *Peguum* aliis.
Peim, urbs Sericę, *Piada.*
Peirousse castrum Galliæ, in Arvernia, *Petrocia.*
Peisida, fluv. Tartariæ, *Peisida.*

Pekarlez, oppid. Hungariæ, Pecentinum.
Peking, provinc. Sinarum, Pechinensis.
Peking, urbs Sinarum regia, Pechinum.
Pelaguisi, insula Archipelagi, Allonesus.
Pelagonga, urbs Indiæ citerioris, Perincari.
Pelagosa, in medio Adriatici sinus, Adriæ Scopulus.
Pelandre, pagus Cypri, Palæa.
Pelecas, fluv. Macedoniæ, Aliacmon, Haliacmon.
Pelia, mons Thusciæ, Pelus.
Peliaca, fluv. magnæ Græciæ, Ajax, Æas.
Pelicore, urbs Magnæ Græciæ excisa, Heraclea. Aliis Metapontum.
Pelesacz, populi Dalmatiæ, Plevai.
Pelin, spelunca Judææ, unde Jordanis fluv. oritur, Panias, Panium.
Pelino, oppid. Calabriæ, Petelia.
Pelis, vide Felis.
Pelysz, oppid. Hungariæ, Pelysia.
Pemont, pagus Leodiensis ditionis, ubi Pemani populi.
Penbrock, urbs Walliæ, Penbrochium.
Penbrockshire, Comitatus Walliæ, Penbrochiensis.
Penckrigde, vide Penerriche.
Penda, insula Africæ, Penda.
Pendenis, castrum Angliæ, Pendenium.
Penderachi, urbs Bithyniæ, Heraclea Ponti.
Pendoli, insula Phœniciæ, Tyrus.
Pene, fluv. Pomeraniæ, Suevus.
Penerriche, vel Penckrigde, oppid. Angliæ, Pennocrucium.
la Peneta di Patria, sylva Campaniæ, Gallinaria.
Pengab, seu Labor, urbs Indiæ citerioris, Pengabum & Laboria.
Penguern, oppid. Angliæ, Uriconium.
Penegk, urbs Misniæ, Penca.
Peniscla, vel Peniscole, oppid. Valentiæ, Cherronesus, Peninsula.
Penna, vide Civita di Penna.
Penna Escritta, pagus Castellæ novæ, Ergavica.
Penna de Francia, castrum Hispaniæ, Laucia oppidana.
Pennaflor, oppid. Austriæ, Laberris.
Pennaflor, oppid. Andaluziæ, Ilipula.
Pennafiel, oppid. Castellæ veteris, Pintia; Rupes fidelis aliis.
Pennas negras, locus Hispaniæ juxta Calatravam, Lapides atri.
Pennas de Genes, scopuli Oceani Cantabrici, Trileuci.
Penne d'Agenois, locus Galliæ in Nitiobrigibus, Pinna Aginnensis.
Penringuard, promontor. Cornubiæ, Antivestæum, Bolerium.
Pentalo, seu Pentalo, oppid. Cretæ, Pæcilasium.
Pentin, vel Pantin, vicus agri Parisini, Pentinum.
Pentina, urbs Aprutii excisa, Corfinium.
Pentole, oppid. Hungariæ, Ripa alta.
Pepers, insula maris Ægæi, Peparethus.
Pera, suburbium Byzantii, Chrysoceras, Cornu Byzantii.
Peray, castellum Galliæ, in Cenomanis, Peretum.
Peraxuch, urbs Mesopotamiæ, Bithias.
le Perche, regio & Comitatus Galliæ, Perticus, ubi Veneli populi,
le Perche Gouet, tractus Galliæ, Perticum Gotti.
Percherons, populi Galliæ, Veneli, Perticenses.
Percy, villa & monasterium Galliæ, in diœcesi Augustodunensi, Patriciacum, seu Patriciacus.
Pereaslaw, oppid. Poloniæ, Pereaslavia.
Pereczaz, Comitatus, pars Hungariæ, Peregiensis.
Pereczaz, urbs Hungariæ, Peregia.
Perenntum, oppid. Daciæ, ubi Prendavesii populi.
Peretaslaw, vide Parctalaw.
Perga, vide Parga.
Pergamo, urbs Mysiæ Asiaticæ, Pergamum, Pergamus.
Pergel, fluv. Sarmatiæ Europææ, Chronus.
la Pergola, oppid. Umbriæ, Pertia.
Pergola, oppid. Naxi insulæ, Strongyle.
Perigni, vicus Galliæ, in Briegio, Parriniacum.
Perigord, populi & regio Galliæ, Petrocorii, Petrocoriensis provincia.
Perigueux, urbs Galliæ, Petrogoricum, ubi olim Petricorii populi, Vesuna aliis.
Peringen, pagus Bavariæ, Tiberina castra.
Peristasi, urbs Thraciæ, Peristasium, Tyristasis.
Perlacherheyd, vide Perlachers.
Perlachers, populi Vindeliciæ, Breuni.
Permavelikj, urbs Moscoviæ, Permia magna.
Permeso, fluv. Bœotiæ, Permessus.
Permsky, provinc. Moscoviæ, Permia.
Pernambuco, & Capitania de Pernambuco, tractus Brasiliæ, Pernambuci Præfectura.
Pernambuco, urbs, vide Olinda.

Pernaw, oppid. Salisburgensis ditionis, Brianum, Bernum, Teurnia.
Pernaw, urbs Sueciæ, Pernawia.
Perone, urbs Picardiæ, Perona.
le Perou, regio Americæ meridionalis, Peruvia.
Perouze, locus Galliæ, in regione Forensi, Perogia.
Perouse, urbs Hetruriæ, Perusia.
la Perouse, oppidul. Pedemontii, Perusa.
Perpers, urbs Indiæ ulterioris, Pagrasa.
Perpugnan, Perpignano, vide Parpinnano.
Perrenay, vel Pernay, locus Galliæ, in Turonibus, Pætruiacum.
la Perriere, locus Galliæ, in Pertico Gotti, Petraria.
Perrieres, nomen tormenti ignivomi, Petraria.
la Perse, regio Asiæ, Persia.
Perseigne, locus Galliæ, cum monasterio, in agro Sagonensi, Persenia.
Perseguero, insula Portugalliæ, Petanium.
Persenburg, oppid. Hungariæ, Ussenum.
Persia, regio Asiæ, Persia.
Persiani, populi Persiæ, Persæ.
Pert, urbs Galatiæ, Perta.
Perthia, provinc. Scotiæ, Perthia.
Pertuis Rosan, locus Galliæ, inter Brigantionem, ac Ebrodunum, Fauces Rosanenses.
Pertus, vide Pertusa.
Pertusa, oppid. Catalanniæ, Percusa, Pertusa, Bergusia.
Peru, provinc. Americæ, seu novi Orbis, Ophir, Peruvia.
Perugia, urbs Hetruriæ, Perusia.
il Perugino, tractus Hetruriæ, Perusinus ager.
Perwis, vel Perwois, pagus Brabantiæ, in Tungris, Perviciacum.
Pesaro, urbs Umbriæ, Pisaurum.
Pescara, fluv. & urbs Aprutii, Aternum.
Pescha, urbs Liburniæ, Argentarium.
Peschiera, oppid. Venetiæ, Piscaria & Ardelica.
Pescia, fluv. Hetruriæ, Arnine.
Pesseguero, vide Perseguero.
Pesenas, vel Pezenas, oppid. Linguadociæ, Piscena.
Peson, castellum Galliæ, Pesoltrum.
Pesser, & Petzer, oppid. Hungariæ, Pessium.
Pesth, urbs Hungariæ, Pestum.
Pesto & Pesti, urbs regni Neapolitani excisa, Pæstum, Posidonia.
Petacal, urbs Indiæ citerioris, Patala.
Petalidi, locus Peloponnesi, ubi olim Messene urbs.
Petaux, seu Potevins, populi Galliæ, Pictones.
Peterborough, urbs Angliæ, Petroburgum, Petuaria.
Peteril, fluviol. Angliæ, ubi Petriana oppid.
Peterkau, oppidul. Poloniæ, Petricovia.
Petigliano, oppid. Hetruriæ, Petilianum.
Petra Molina, oppid. Umbriæ, Pitinum.
Petra patria, locus Siciliæ, Petra.
Petramala, vide Pietramala.
Petras, mons Thessaliæ, Pelius, Pelion.
Petresse, vel Scalas, promontor. Picardiæ, ubi Iccius portus: seu Portus Caletensis.
Petrina, oppid. Peloponnesi, Lerna.
Petrina, urbs Croatiæ, Petrina.
Petroche, pars Beturiæ regionis Hispaniæ Lusitanicæ.
Petrola, urbs Calabriæ excisa, Rudia.
Petrona, locus Calabriæ ulterioris, Rheginus saltus.
Petrovaradin, oppid. Hungariæ, Acumincum.
Petrun, locus Cariæ, Branchidarum oraculum.
Petschen, urbs Hungariæ, Quinque Ecclesiæ.
Pettaw, urbs Stiriæ, Petovio, Petavium.
Petterfdorff, oppid. Valacchiæ, Patridava.
Petula, pagus agri Mantuani, Andes.
Petz, urbs Austriæ, Ala Flaviana, Vienna.
Petzoræke, provinc. Moscoviæ, Petzora.
Peule, vel Pevele, in Flandria Gallicana, Pagus Pabulensis.
Peyriac de Minerbois, locus Galliæ, Petriacum Minervense.
Peyrousse, locus Galliæ, ad Elaverem fluv. Petrocia.
Pezin, fluv. Thessaliæ, Peneus.
Pfal, pagus Bavariæ, Vallatum.
Pfaltz, regio Germaniæ, Capellatium, Palas, Palatinatus Rheni.
die Pfaltz, locus amœnissimus, in urbe Basilea, inter tria urbis Tempe Rœmo memoratus, Palatium.
Pfaltzbourg, urbs parva Lotharingiæ, Phalsburgum.
Pfaltz of Rhein, regio Germaniæ, Palatinatus Rheni.
Pfeter, pagus Bavariæ, Vetera castra.
Pfin, vel Pfin an der Thur, oppid. Helvetiæ, Ad Fines, Fines.
Pflaum, locus Istriæ, Flovium.
Pfortzheim, urbs Marchiæ Badensis, Phorcena.

Pfullendorff, oppid. Sueviæ, Bragodurum, Juliomagus.
Phacus, pagus Ægypti, Phacusa.
Phadisa, oppid. Cappadociæ, Chadisia, Phadisana.
Phanar, promontor. Peloponnesi, Cherfonesus.
Phanarion, promontor. Thraciæ, Panium.
Phaneromini, vide Faneromini.
Phanu, vide Fanu.
Pharamica, oppid. Palæstinæ, Rhinocerura.
Pharaoni, in Ægypto, Pyramides.
Pharibo, vide Faribo.
Pharsala, regio Thessaliæ, Phthia.
Pharsic, provinc. Asiæ, Persia.
Phasga, montes Arabiæ petrææ, Melani.
Phazzeth, urbs Mengreliæ, Phasis.
Pheachi, oppid. Palæstinæ, Athaca.
Phelicure, vide Felicure.
Phellos, vide Fellos.
Phepyurch Alcapher, mons Armeniæ majoris, Gordiæus.
Phermene, vide Fermene.
Phiachi, insula maris Ionii, Ithaca.
Phichtaid, populi Scotiæ, Picti.
Phidari, fluv. Ætoliæ, Evenus, Lycormas.
Phiesco, vide Fiesco.
Philadelphia, urbs Pamphiliæ, Selga.
Philatra, promontor. Peloponnesi, Cyparissium.
Philibe, urbs Thraciæ, Philippopolis.
Philippstadt, urbs Sueciæ, Philippopolis.
Philippeville, oppid. Hannoniæ, Philippopolis.
Philippiner Schantz, in Flandria, Arx Philippina.
les Philippines, insulæ in Asia, Philippinæ.
Philippopoli, urbs Thraciæ, Philippopolis.
Philipsbourg, arx Germaniæ, Philippoburgum.
Phinica, oppid. Lyciæ, Aperræ.
Phinopoli, urbs Thraciæ, Phinopolis.
Phinursso, oppid. Cretæ, Lysius, Lissus.
Phitona, oppid. Valacchiæ, Pinon.
Phlinopoli, vide Fliopoli.
Phlius, oppid. Peloponnesi, Rupela.
Phoica, oppid. Peloponnesi, Phlius.
Phonea, oppid. Laconiæ, Lerna.
Phorizham, urbs Sueviæ, Phorizhemum.
Phrascia, oppid. Cretæ, Cytaum.
Phthelia, oppid. & promontor. Thessaliæ; Sperchia.
Pi Nauter, castrum Galliæ, prope Carcassonem, Podium Nauterium.
Piacenza, urbs Longobardiæ, Placentia.
Piandena, pagus agri Cremonensis, Platina.
Pianello, fluv. Corsicæ, Circidius.
Piano della Cella, Latii, Valeria Via.
il Piano di S. Spirito, Latii Valeria Via.
Pianosa, insula Galliæ, Planasia.
Pianosa, insula maris Tyrrheni, Planasia.
Piatari, pagus Eubœæ, Cale, alle.
la Piave, fluv. Marchiæ Tarvisinæ, Anassus, Plavis.
Piazza, vide Plazza.
Piazza, pagus prope Ferrariam, Forum Alieni.
Piazza Montanara, urbis Romæ forum, Forum Olitorium.
Piazza Navona, locus in Roma, Circus Flaminius, aliis Circus Neronis.
Pibeseth, urbs Ægypti, Bubastus.
Picardie, provinc. Galliæ, Picardia.
Picello, urbs Bithyniæ maritima, Psyllium.
Pichtland Firth, inter Scotiam & Orcades, Fretum Pictlicum.
Pizzighettone, oppid. Cremonensis territorii, Forum Diuguntorum, Piccleo.
Pico & Ilha de Pico, insula Oceani Atlantici, Pica.
Picolmaio, fluv. Paraguaiæ, Picolmaius.
Picorna, portus Cretæ, Amnias, Amnisus.
Picquigny, oppid. Picardiæ, Picquinium.
the Pictswall, in Britannia, Vallum, Hadriani murus.
Pidanemo, fluv. Thessaliæ, Apidanus, Appidanus.
Piedmont, regio Italiæ, ubi Tauriai populi, Gallia Subalpina, Pedemontium.
Pil gros, in Delphinatu, Podium crassum.
Piemonte, vide Piedmont.
Pienza, urbs Thusciæ, Corsinianum, Pientia.
Pierge, urbs & fluv. Macedoniæ, Apollonia, Lous.
Pierre, locus Galliæ, in Turonibus, Noviliacus ad Pontem Petreum.
Pierre Fitte, vicus agri Parisini, in Decanatu Gonessiæ, Petra Ficta seu Frixa: Item oppid. Ducatus Barrensis, Petra Fixa.
Pierrefons, oppid. Suessionum, Petra Fons.
Pierre fontaine, locus in Comitatu Burgundiæ, Petra Fontana.

Pierre gourde, locus Galliæ, in diœcesi Vivariensi, Petra curta.
Pierre laye, vicus agri Parisiensis, Petra lata.
Pierre pont, locus Galliæ, in agro Laudunensi: Item in pago Picardię Santeriensi: Item in Caletis, Petra Pons, seu Petreus Pons.
Pierre le vieux, in Caletis vicus, S. Petri veteris.
S. Pierre sur Braye, in Cenomanis Galliæ, monasterium S. Petri ad Brigiam fluv.
en Chasse, in sylva Cocia vicus, S. Petri.
sur Dive, locus Galliæ, Burgum Divæ.
le Moustier, oppid. Gallię, in agro Nivernensi, S. Petri monasterium.
de Reits, vel Rez, locus Gallię ad Ligerim, Restis.
Pietra Larobo, vide Larobo.
Pietra di Marazzi, vide Pietra di Marici.
Pietra di Marici, oppid. Mediolanense juxta Alexandriam, ubi olim Marici populi, Petra Maricorum.
Pietra della Nave, vide la Nave.
Pietra Santa, oppid. Hetruriæ, aliis Feronia, Lucus Feroniæ, Petra Sancta.
Pietramala & Petramala, castellum Calabriæ, Cleta.
la Pieve di Cadora, oppid. agri Tarvisini, Plebs.
la Pieve d'Incino, pagus Mediolanensis Ducatus, Forum Licinii.
Pisar, fluv. Aprutii, Phiternus.
Pigiada, oppid. Peloponnesi, Epidaurus.
Pignel & Pinhel, oppid. Portugalliæ, Cepiana.
Pignerol, urbs Pedemontii, Pinarolium.
Pila, pagus Corsicę, Pala, Paila, Palma.
Pilaca, fluv. Calabriæ, Ajax.
Pilari, populi Dalmatiæ, Vardai.
Pilastrina, vide Palestrina.
Pilau, arx Prussiæ, Pilavia.
Pile, Cypri pagus, Throni.
Pilos, in Peloponneso, Pylus Eliaca.
Pilsen, urbs Bohemiæ, Pilsenum.
Pilsno, urbs Poloniæ, Pilsna.
le Pin, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Pinus.
Pinara, urbs Lyciæ, Pinara.
Pinarolo, urbs Pedemontii, Pinarolium.
Pinburg, pagus Bavariæ, Epona.
le Pinceran, tractus Galliæ, Ager Pinciacensis. Item locus in Veliocassibus, Pinciacum.
Pinco, fluv. Cretæ, Pycnus.
Pinder, urbs Taprobanæ insulæ, Moduti.
la Pineda, sylva juxta Ravennam, Pinetum.
Pineda vel Pineta di Patria, vide la Peneta di Patria.
Pingleang, urbs Sinarum, Pingleanum.
Pinglo, urbs Sinarum, Pinglum.
Pinguento, oppid. Histriæ, Picuentum.
Pingyang, urbs Sinarum, Pingianum.
Pingyue, urbs Sinarum, Pingyua.
Pinhel, urbs Portugalliæ, Pinellum.
Pino, oppid. Corsicæ, Opinum.
Pinck, urbs Poloniæ, Pinscum.
Pinzgau, locus ditionis Salisburgensis, Pænina castra.
Piobigo, oppid. Umbriæ, ubi olim Pelestini populi.
Piolenc, vel Pionlenc, locus Galliæ, in diœcesi Arausicana, Podiolenum.
Piomba, fluv. Aprutii, Helvinum, Matrinus.
Piombino, urbs Hetruriæ, Plumbinum.
Piperno, oppid. Latii, Privernum.
Piphith, provinc. Asiæ, Gedrosia.
Piquigny, locus in Picardia, Pinkeniacum.
Pir, fluv. Syriæ, Orontes.
Piraino, promontor. Siciliæ, Agathyrsus.
les Piramides, Pyramides Ægypti.
los Pireneos, mons inter Hispaniam & Galliam, Pyrenæus.
Pirgi, urbs Pamphyliæ, Perga.
Pirn, oppid. Misniæ, Pirna.
Pirrepert, mons Sequanorum, Jura.
Pisa, urbs Hetruriæ, Pisæ.
il Pisano, pars Hetruriæ, Pisanus tractus.
Pisatello, fluv. Romandiolæ, Rubico.
Piscina, urbs Latii excisa, Marsi.
Piscina de Cyano, vide Pisma Ciriui.
Piscina mirabile, locus Campaniæ, Palatium Luculli.
Pisciota, urbs Lucaniæ excisa, Buxentum, Pyxus.
Pisciota, fluv. Lucaniæ, Eleès seu Elea.
Piscopia, vide Episcopia.
Piscot, vicus Galliæ, in agro Parisino, Piscosi.
Pisello, vide Capo Pisello.
Piseux en bray, locus Galliæ, Puteoli in Brajo.
Pisma & Pisma Ciriui, fons Siciliæ, Cyane.
Pismota, vide Pisma Ciriui.
Pissera, insula maris Ægæi, Psyra.
Pissia, fluv. Latii, Cosa.
Pisson, fluv. Africæ, Nilus.
Pistoia, urbs Hetruriæ, Pistoria.
Pestrina, ostium Padi, Philistina Fossa.
Pisuerga, fluv. Hispaniæ, Pisoraca.
Pitarevil, oppid. Cypri, Epidarum.
Pitigliano, oppid. Hetruriæ, Eba.
Pitinco, fluv. Alesus; & oppid. Siciliæ, Pittia.
Pitiotidia, regio Macedoniæ, Emathia.
Pitiusa, insula Peloponnesi, Pityusa.
Jouy en Pinerais, locus Galliæ, Joviacum in agro Petiverensi.
Pitys, insula Propontidis, Pityodes.
Piur, vide Pluis.
Pizeux, aut Piseux, aliàs Pusieux en France, vicus agri Parisini, Puteoli.
Pizina, insula ad ostia Danubii, Peuce.
Pizzighiton, vide Piccighiton.
lo Pizzo, oppid. Calabriæ, Napitia.
Pizzo Falcone, locus Campaniæ apud Neapolim, Luculianum.
Placan, regio Epiri vel Macedoniæ, ubi populi Elymiotæ.
Placeda, insula maris Ægæi, Platea.
Placencia, urbs Castellæ veteris, Placentia.
Plaine Seve, locus Galliæ, in Caletis, Plena sylva.
Plaisance, locus Galliæ, Placentia, olim Vernus Sol.
Plaisance, arx novæ Franciæ, Placentia.
Plaitz, mons Austriæ, Cetius.
Planara, insula maris Ligustici, Planaria.
Planca, in Dalmatia, Diomedis promontor.
Planier, Stœchadum insul. una, Planaria.
Planizza, fluv. Peloponnesi, Inachus.
la Plata, urbs Americæ in Peruvia, Argentea.
Platamona, fluv. Macedoniæ, Aliacmon.
Platan, urbs Macedoniæ, Pydna.
Platani, fluv. Siciliæ, Lycus.
Plati, oppid. Amorgi insulæ, Minyia.
Platena, urbs Cappadociæ excisa, Pharnacia.
Plattsee & Plattsee, palus Hungariæ, Volcæa, aliis Hiulca.
Plaven & Plaun, urbs Voitlandiæ, Plava.
Plawe, oppid. Ducatus Megalopolitani, Plavia.
Plazza & Piazza, oppid. Siciliæ, Plutia, aliis Erbita.
Pleskow, provinc. Moscoviæ, Plescoviensis Ducatus.
Pleskow, urbs Moscoviæ, Plescovia.
le Plessis, vicus agri Parisini, Plessejum Comitis.
Plestina, regio Umbriæ, ubi populi Pelestini.
Plimouth, urbs Angliæ, Plimuthum.
Plinlimon, vide Lymes.
Ploen, urbs Holsatiæ, Plona.
Plotzko, urbs Mazoviæ, Ploscum.
Plundin, oppid. Thraciæ, Plotinopolis.
Plurs, oppid. Rhætiæ destructum, Plurium.
Plusa, fluv. Romandiolæ, Aprusa.
Pluviers, oppid. Gastiniæ regionis Galliæ, Pithuerium.
Pluviers, urbs Belgiæ, Aviarium.
Po, fluv. Italiæ, Padus, Eridanus.
Po di Ariano, minimum Padi brachium.
Po di Ferrara, seu Po morto, Po di Primaro, seu Po di Argenta, Po di Volana, nomina partium Padi fluv.
Po grande, ramus Padi præcipuus in Longobardia, Philistina fossa.
Poblit, monasterium Cataloniæ, Populetum.
Porcevera, fluv. Genuæ, Porcifera.
Pocutie, tractus Poloniæ, Pocutia.
Podensac, locus Galliæ, ad Garumnam, Potentiacum, vel Podentiacum.
Podepheton vel Podephoran, urbs Indiæ citerioris, Podoce.
Podolia, regio Sarmatiæ Europææ, ubi olim Bodeni, Budini, aliis Patzinaca populi.
Podolie, provinc. Poloniæ, Podolia.
Podgarim, provinc. Asiæ, Babylonia.
le Poget, vicus Galliæ ad Varum fluv. Podiolum vel Podietum.
Poggibonzi, oppid. Hetruriæ, Bonitium, Poggium Bonitii aliis.
Poggio di Guino, promontor. Corsicæ, Tilox.
Longo, locus Siciliæ, Phalarium. Ecnomus.
Mirtcio, pagus Sabinorum, Mandela.
Muciacco, propugnaculum Siciliæ, Ecnomus.
Regle, horti prope Neapolim, ubi olim Palæopolis, Deliciæ.
Poglisi, vide Monte di Poglisi.
Poholitti, provinc. Asiæ, Arachosia.
Poitiers, urbs Galliæ in Aquitania, Augustoritum, Limonum, Pictavium.
Poictou, regio Galliæ, Pictavensis provincia, ubi populi Pictavi.
Poictevins, populi Galliæ, Pictavi, Pictones.
Poitcaur, locus Galliæ, ad Rotumnam fluv. Pauli turris.
Poinsy, villa Galliæ, in Briegio, Pipinisum.
la Pointe, locus ad Garumnam, Puncta.
Poises, locus Galliæ in Normannia, Pisia.
Poissieux, locus Burgundiæ, Puscio.
Poissy, oppid. Franciæ, Pisias, Pissiacum.
Pola, urbs Istriæ, Pola, Julia pietas.
Poia, vide Pila.
Polan, fluv. Stiriæ, Bellia.
Polana, fluv. Siciliæ, Monalus.
Polangen, locus Samogitiæ, Polanga.
Polaquie, provinc. Poloniæ, Polachia.
Polencia, oppid. Majoricæ, Polentia.
Polenta, pagus Æmiliæ, Polentina plebs.
Polenzo, urbs Liguriæ excisa, Polentia.
Polesie, provinc. Poloniæ, Polesia.
Polesino di Rovigo, tractus ditionis Venetæ, Rhodigina peninsula.
Policandro, insula Archipelagi, Philocandros, Pholegandros, aliis Polyægus.
Policastro, urbs regni Neapolitani, Palæocastrum; Petelia, Policastrum, Buxentum, & urbs Thraciæ, Lysimachia.
Polignano, urbs parva regni Neapolitani, Polinianum & Pulcinianum.
Poligny, oppid. Comitatus Burgundiæ, Polichnium, Polemniacum, & Polminum.
Poligusa vel Pologusa, insula Archipelagi, Polyægus.
Polimalon, fluv. Ariæ provinciæ, Arius.
Polina, lacus Hungariæ, Hiulca.
Polina, fluv. Macedoniæ, Aous.
Poleni, pagus Latii, Politorium.
Polino, insula maris Cretici, Cimolus & Cimolis.
Polischa, fluv. Sclavoniæ, Titius.
Polistonia, urbs Colchidis, Phasis.
Polizzi, oppid. Siciliæ, Politium.
Polignac, oppid. Galliæ, Apolliniacum, Podemniacum aliis.
Polina, urbs Macedoniæ, altera Thraciæ, altera Siciliæ, Apollonia.
Pollaci, oppid. Siciliæ excisum, Pintia.
Polmen, oppid. Bithyniæ, Libyssa, aliis Patavium.
Polotzk, urbs Lithuaniæ, Polotzka, aliis Polotia.
Pologne & Polonia, regnum Europæ, Polonia.
Polonci, populi Sarmatiæ Europææ, Gethi, Getæ.
Polystylo, urbs Thraciæ maritima, Abdera.
Pomarol, locus Galliæ, in diœcesi Vapincensi, Pomariolum.
Pomaranzi, oppid. Thusciæ, Marantium.
la Pomegue, insula Galliæ, Stœchadum una Pomponiana.
la Pomeraye, locus Galliæ, in Lexoviis, Pometum.
Pomeranie, provinc. Germaniæ, Pomerania.
Pomereaulx, pagus Cameracensis, Pomeriola.
Pomerelle, regiuncula Prussiæ, Pomerellia.
Pomeren, regio Germaniæ, ubi populi Reudigni, Pomerania.
Pomiers, locus in Gallia, Villa Pomerii.
Pomige, insula Provinciæ, Hypæa.
Pomigliano, oppid. Asturiæ, Interamnium, Pons ferratus, Pons Nevius.
Pompone, vicus Galliæ, cum prioratu, in agro Parisiensi, ad Matronam, Pomponia.
Ponfria, vide Sierra de Ponfria.
Pons sur Yonne, locus Galliæ, Pontes Icaunæ.
Pont, pagus Geldriæ, ad Mosam, Pons.
Pont Alier, locus Galliæ, Pons Elaveris.
Pont Antoiny, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Pons Antoniacensis.
Pont de l'Arche, locus ad Sequanam fluv. Pons Arcus.
Pont l'Archevesque, locus Galliæ ad Vidulam fluv. Pons Archiepiscopi.
Pont Audemer, oppid. Galliæ, ad Risslam fluv. Pons Andomari, olim Brevodurum.
Pont Autou, locus Normanniæ, Pons tutus.
Pont à Mouson, oppid. Lotharingiæ vel Campaniæ, Mussipontum, Mosamum.
Pont Beauvoisin, oppidul. Delphinatus, Pons Bellovicinus.
Pont de Cé, oppid. Andegavensis provinciæ, Pontes Cæsaris.
Pont Centino, locus Italiæ, Pons Centinus.
Pont du Chasteau, locus Galliæ, ad Elaverem fluv. Pons castellum.
Pontdain, locus Galliæ, in Brexia, Pons Indis.
Pont Faverge, locus Galliæ, in Remis, Pons Fabricatus.
Pont du Gard, locus Galliæ, Pons Vardonis.
Pont de Gournay, prioratus Galliæ, in agro Parisino, Pons Gornacensis.
Pont Orson, locus Galliæ, in Normanniæ Britanniæque confinio, Pons Ursionis.

Pont Quarré, vicus ejusdem regni, in agro Parisiensi, in Decanatu Latinacensi, Pons Quadratus.
Pont S. Esprit, oppid. Galliæ Narbonensis, Pons S. Spiritus, Planasia.
Pont S. Remi, locus Galliæ, ad Suminam fluv. Pons Remigii.
Pont S. Remi, pont Rade, pont Sainte Celine, pont devers Cornillon, in urbe Galliæ Meldis, Pons S. Remigii, Pons Rapidus, Pons S. Celinæ, & Pons Corneliacensis.
le Pont de Sé, Ligeri impositus, Pons Sai.
Pont à Selaue, locus Galliæ, in Ambianis, Pontes ad Altejamfluv.
Pont de la Sorgue, oppid. Provinciæ, Undalus, Pons Sorgiæ.
Pont Tera, locus Galliæ, ad Taram, Pons Taræ.
Pont de Vaux, locus Galliæ, ad Separim Niortensem, Pons Vallium.
Pondormy, locus Galliæ in Ambianis, Pons Remigii.
Ponte Corvo, oppid. Campaniæ, Fregellæ.
à Era, oppidul. Hetruriæ, Pons Eræ.
à Fella, oppidul. Carinthiæ, Pons Fellæ.
du Gard, in Occitania, Pons Gardonis.
Giudeo, pons Romæ, Pons Fabricius.
Lamentano, pons Sabinorum, Pons Nomentanus vel Numentanus.
de l'Arche, urbs Normanniæ, Pons Arcuensis seu Arcus.
l'Evesque, oppid. Normanniæ, Pons Episcopi.
de Lima, vide Puente de Lima.
Lucano, pons super Aniene in Italia, Pons Lucanus.
Mammolo, pons urbis Romæ, Mammæus pons.
Marmorato, vide Marmorato.
Molle, pons urbis Romæ, Milvius pons.
Neuf, Lutetiæ, Pons Novus.
Nura, pagus juxta Placentiam, Emporium.
de Quattro Capi, Romæ, Fabricius pons.
de Remi, oppidul. Picardiæ, Pons Remigii.
Rezzoli vel Rieciols, pagus Umbriæ, Luceolum.
de Rialto, Venetiis, Pons Rivi alti.
Rotto, urbis Romæ pons, Pons Aurelius, Janiculensis, Pons S. Mariæ & Palatinus aliis.
Rotto, fluv. Siciliæ, Eleutherus.
Salaro, urbis Romæ, Salarius pons.
de S. Angelo, pons urbis Romæ, Ælius pons, Pons Ælius.
di S. Bartolomeo, Romæ urbis, Cestius pons.
di S. Maxence, oppid. Galliæ, in Bellovacis, Pons S. Maxentiæ.
S. Mariæ, urbis Romæ, Pons Palatinus & Senatorius.
de S. Nicolas, in Occitania, Pons S. Nicolai.
sur Seine, oppid. Campaniæ, ad Sequanam, Pons ad Sequanam.
sur Yonne, oppid. Galliæ, Pons ad Icaunam.
Sisto, pons Romæ, Janiculensis.
de Sor, vide Puente de Sor.
Stura, oppidul. Italiæ, Pons Sturæ.
Vaticano, pons urbis Romæ, Pons Vaticanus.
Vedra, oppid. Gallæciæ, Pons vetus.
de Vesle, oppid. Bressiæ, Pons Velus.
Pontarlier, seu Pontarley, oppid. Comitatus Burgundiæ, Pontarlum, Ariarica, seu Pons Arlicus.
Ponteau de mer, oppid. Normanniæ, Pons Audomari.
Pont-eland, oppid. Northumbriæ, Pons Ælii.
Pontevedra, populi & oppid. Gallæciæ, Hellenes.
Ponticus, pagus Hetruriæ, Larthenianum.
Pontico, insula Thessaliæ, Cecynethus.
Pontieu, oppid. Picardiæ, Pontes.
le Pontieu, tractus Picardiæ, Ponticum.
Ponteguy, oppid. Galliæ, in Lingonibus, cum monasterio Virginum, Pontiniacum.
Pontion, oppid. pagi Pertensis, in Galliæ: Item villa olim regia, in Campania, Pontico.
Pontirolo, pagus Insubriæ, Aureoli pons.
Pontons, locus in Aquitania, Pontones.
Pontorson, oppid. Normanniæ, Pons Ursonis.
Pontoyse, oppid. Franciæ, Pontesium, Pontisara, Æsiæ pons, Briva Isaræ.
Pon[illegible], locus in Burgundiæ Aussitaniæque confi[illegible]o, Petræ pons.
Ponquarré, locus Galliæ, in pago Briegio, Pons quadratus.
Pontremole, oppid. Liguriæ, ubi olim populi Ligures Apuani.
Ponza, insula maris Tyrrheni, Pontia, una Oenotridum.
Punza, insula Latii, Pontia.
le Popayan, regio Americæ meridionalis, Popaianus.
Popayan, urbs Americæ meridionalis, Popaianum.
Poperinghe, urbecula Flandriæ, Poperinga.

Popincourt, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Popini Curtis.
Popoli di Capo Corso, populi Corsicæ, Vanacini.
Popoli di Narbona, vide le Pais de Narbone.
Poppel, vicus Belgii in Brabantia, Pieplo.
S. Porcain, vel Saint Poursain, in pago Galliæ Burbonensi, S. Porciani oppidum.
Porcari, fluv. Siciliæ, Pantagia.
li Porcelli, insula Siciliæ, Ostrodes, Paconia.
Porchena, oppid. Granatensis regni, Lacippo.
Porcuna, oppid. Andaluziæ, Obulco.
Pordapas, urbs Paphlagoniæ, Sinope.
Porentru, oppid. Sequanorum, Brundrusia.
Pormon, fluv. Cappadociæ, Thermodon.
Poro, insula Archipelagi, Poros.
Porqueroles, insula Provinciæ, Prote, seu Porcariola.
Porsbut, oppid. Angliæ, Abonis.
Port d'Agat, aliàs Port d'Aigas, insula maris Gallici, Portus Aquarum.
le Port de Croisil, locus ad ostia Ligeris, Brivas.
le Port Sarasin, gradus Magalonæ urbis, in Gallia, Portus Saracenus.
Port sur Seiller, in Lotharingia, Portus ad Saliam.
Port de Traille, oppid. Provinciæ, Undalus, seu Portus Trallæ.
Port de Vendres, in sinu Salso maris Gallici, Portus Veneris.
Porta di Ferro, in Arabia Felici, Cinedocolpitarum mons.
di Ferro, vide Derbent.
Latina, porta Romæ, Ferentina, Latina.
Maggiore, porta urbis Romæ, Esquilina porta. Nævia porta.
Pinciana, porta urbis Romæ, Collatina.
del Popolo, urbis Romæ, Flumentana porta.
di Ripa, Romæ porta, Porta Navalis, Portuensis.
Rosaus, vide Rosaus.
Salara, porta Romæ, Collina, Salaria, Agonensis, Quirinalis.
di S. Agnese, porta urbis Romæ, Figulnensis porta, Viminalis.
di S. Croce, porta urbis Romæ, Nævia.
di S. Giovanni, porta urbis Romæ, Cælimontana, Latina.
di S. Lorenzo, urbis Romæ, Esquilina porta, Porta Gabiusa.
di S. Maria maggiore, vide Porta Maggiore.
di S. Pancratio, porta Romæ, Porta Janiculensis.
di S. Paolo, porta urbis Romæ, Ostiensis, Trigemina.
di S. Pietro, porta Romæ, Porta Triumphalis.
di S. Sebastiano, porta urbis Romæ, Capena.
Settimiana, urbis Romæ, Porta Fontinalis, Septimiana.
Portalegre, urbs Portugalliæ, Amaa, Ammia.
Portalegre, urbs Portugalliæ, Portus alacris.
el Portatore, fluv. Latii, Ufens.
Portbail, locus Galliæ, in agro Constantino, Portus Balli.
Porcbeller, oppid. Angliæ, Carperis.
la porte des Arenes, in urbe Galliæ Lemovicarum, Porta Arenarum.
Porte Croix, insula Provinciæ, Phœnice, una Stœchadum.
Portelle, transitus montis inter Ciliciam & Syriam, Amanicæ Pylæ.
Portello, fluv. Romandiolæ, Vitis.
Portes, mons Peloponnesi, Taygetus.
Portimo vel Portmo, urbs Eubœæ, Porthmus.
Portlion, vide Porto Lion.
Portland, insula Angliæ, Vindelis.
Portmiou, in Gallia Narbonensi, Portus Mines.
Portmuck, promontor. Hiberniæ, Isamnium.
Porto, vide Portugallo.
Porto, urbs Hetruriæ excisa, Portus Augusti, Portus Romanus.
Porto, Port à port, & Ciudad de Puerto, urbs Lusitaniæ, Portus Cale.
Porto, Port.
Porto de Acaxutla, portus novæ Hispaniæ, Portus Acaxutla.
Porto Alberto, portus & oppid. Marmaricæ, Selinus.
d'Ascoli, oppid. Piceni excisum, Truentum.
Baratto, urbs Hetruriæ excisa, Populonia.
Belo, urbs Americæ meridionalis, portus Belus.
en Bessin, in Normannia, Portus Bajocensis.
Betto, urbs Palæstinæ, Gazæorum portus, Maiuma.
Bo, portus Sarmatiæ, Portus Bonus.
Bon, in Sarmatia, Athæorum portus, Portus bonus.
di Bonandrea, portus Cyrenaicæ, Naustathmus.
Bota, vicus Sardiniæ, Bota.
delle Botte, portus Peloponnesi, Cyphanta.
Porto Carbonero, portus regni Granatensis, Charidemum.

di Castell' à mare, oppid. Lucaniæ, Portus Planus.
di Cenchres, portus Peloponnesi, Portus Cenchrea.
di Ceri, locus Tusciæ, Caretanorum emporium.
di Chioza, portus Venetiæ, Portus Edron.
della Coruna, Gallæciæ, Brigantium portus.
Desiré, in Magellanica, Portus Desideratus.
Entigrasso, portus Africæ, Siur.
Ercole, portus & oppid. Hetruriæ, Herculis portus.
Famine, urbs Magellanicæ excisa, Portus Famis & Philippopolis.
Farina, urbs Africæ excisa, Utica.
Favone, Porto Faon, portus Corsicæ, Philonius.
Ferraro, vel Ferrato, portus Ilvæ insulæ, Argous portus.
Filon, vide Porto Favone.
Fin vel Fino, pagus Genuensis, Delphini portus.
Frangozo, portus Hetruriæ, Portus Trajani.
Gaboso, insula juxta Cretam, Gaudos.
Gallo, oppid. Siciliæ excisum, Motya.
di Goro, in Italia, portus Gori, Carbonaria.
Porto Gozo, una insularum Areensium, in Gallia, Portus altus.
Greco, locus Apuliæ, Agasus portus.
Gruaro, oppid. Forojuliense, Portus Romatinus.
Guiscardo, oppid. Cephaleniæ insulæ, excisum, Samos.
Hassio & Port de Hassio, oppid. & portus Bithyniæ, Drospolis.
Iscauro, locus prope Cajetam, Scauri fundus.
Lar, portus Arabiæ Felicis, Tretos.
de los Leones, in Magellanica, Portus Leonum.
Lion, portus Atticæ, Piræus.
de Lognina, Siciliæ, Ulyssis portus.
Longobardo, portus Siciliæ, Pachynus.
Longone, in Ilva insula, Portus Longus.
Louis, & Blavet, oppid. Britanniæ minoris, Portus Ludovici, & Blabia.
Lugoduni, locus Sardiniæ, Ligudonis portus.
de Magnavacca, portus in Ducatu Ferrariensi, Sagis.
Mahon, portus Minoricæ insulæ, Mago.
Malfitan, portus & oppid. Cariæ, Cresa, Cressa.
Meschat, portus Arabiæ Felicis, Moscha.
Moriso, oppid. Liguriæ maritimum, Portus Mauritius.
Morlay, portus & oppid. Britanniæ minoris, Portus Saliocanus.
Navon, oppid. Corsicæ maritimum, Navonium.
Neuf, in nova Francia, Portus Novus.
di Noti, portus Siciliæ, Phœnicus.
di Pali, Siciliæ, Odyssia, Portus Ulyssis.
del Patriarcha, portus Marmaricæ, Phthia.
di Paula, in Campania Romana, Portus Paulæ.
de la Paz, in Hispaniola insula, Portus Pacis.
di Primaro, in Ducatu Ferrariensi, Portus Primarius.
delle Quaglie, oppid. & portus Peloponnesi, Tænarus.
Ragusco, Epiri oppid. & portus, Amantia, Panormus.
Rascaranche, portus Siciliæ, Portus Ulyssis, Odyssia.
Rassa, portus Marmaricæ, Parætonium.
Ravaglioso, portus Calabriæ, Orestis.
Ricco, urbs Americæ, Portus Dives.
Risso, vide Ryffo.
Royal, in Florida, Portus Regius.
di Sabia, oppid. Africæ, Philæni vicus, Aræ Philænorum.
Sabione, juxta Venetiam, Edron.
Salones, portus Marmaricæ, Panormus, Selinus.
Salu, portus Catalauniæ, Solorius.
di S. Lepidio, vel Lupidio, oppid. excisum Marchiæ Anconitanæ, Potentia.
di S. Maria vel el puerto de S. Maria, oppid. Andalusiæ, Junonis ara.
de S. Marie, in Aquitania, Portus S. Mariæ.
Santo, insula maris Africi, una ex Fortunatis, Cerne, Ombrios, Portus Sancti insula.
S. Stephano, in Thuscia, Portus S. Stephani.
Scheno, vide Scheno.
Sel, portus Arabiæ Felicis, Trulla.
Seren, portus Libyæ, Magnus Portus.
Serifo, portus Arabiæ, Portus Sysippi.
di Sethunes, vide Porto Lion.
Simeon, ostium fluvii Syriæ, Orontis.
Sivita, vide Sivita.
Talamone, vide Talamone.
di Torre, urbs maritima Sardiniæ excisa, Libissonis portus.
Trojano, oppid. & portus Hetruriæ, Trajanus portus.
Vecchio, portus Corsicæ, Philonius.
Vecchio, portus Corsicæ, Alista.
Vendres, in Gallia Narbonensi, Portus Veneris.

Vener

Porto Venere, oppid. Liguriæ, Veneris portus.
de Verdon, portus Galliæ, Dila.
Viero, in ditione Veneta, Portus Victriæ.
de Ville franche, portus Galliæ Narbonensis, Olivula.
di Volana, in Ducatu Ferrariensi, Portus Volanæ & Olana.
Porto Zoara, portus Africæ, Pisidon.
Porto di Zona, portus Palæstinæ, Portus Jamnitorum.
Porteros, insula Provinciæ, Mese & Pomponiana.
Portsmouth, portus & oppid. Angliæ, Magnus portus.
Portugalette, oppidul. Biscaiæ, Amanum portus.
Portugallo, provinc. Hispaniæ, Lusitania, Portugallia.
Portugallo, urbs Lusitaniæ, Portus Calensis.
Poru, urbs Cicomum in Bistonia regione Thraciæ, Bistonia, & Bistonis lacus.
Porzevera, fluv. Liguriæ, Porcifera.
Poscbing, pagus Bavariæ, Pisona.
Posega, urbs Sclavoniæ, Posega.
Posen, urbs Poloniæ, Setidava, Posnania, Strageana.
Posnan & Posen, urbs Poloniæ, Posnania.
Poson & Presbourg, urbs Hungariæ, Posonium.
Possega, urbs Bosniæ, Basiana.
Posseur, urbs Galatiæ, Pessinus.
Potenza, urbs Basilicatæ, & fluv. Marchiæ Anconitanæ, Potentia.
Potosi, urbs Peruviæ, Potsium.
Pouillac, pagus Aquitaniæ, Pauliacus.
la Pouille, regio Italiæ, Apulia.
Pouilleu les Moyues, locus Galliæ, Pauliacum.
Poully, locus Galliæ, ad Ligerim, prope Floriacum, Pauliacum.
Pouligny vel Poligny, urbs Burgundiæ Comitatus, Polichnium, Polinium.
Povos, pagus Portugalliæ, Ierobrica.
Poutieres, vicus in Lingonibus, Pultaria.
Powesland, oppid. Walliæ, Levcomanum, Lucotinum, regio Powisia.
Powbatan, pars Virginiæ, Powvatania.
Powhatan, fluv. Virginiæ, Powvatanus.
Pouville, locus Galliæ, in Caletis, Provilla.
Powys, regio Walliæ, Powisa.
li Pozzelli, vide Porcelli.
Pozzuoli vel Pozzuolo, urbs Campaniæ Italicæ, Dicæarchia, Puteoli.
Praca, una Ebhaccsiarum insularum Tyrrheni maris.
Prasa, vide Presa.
Pradelles, in agro Galliæ Carcassonensi, Pratella.
Prades, locus Galliæ ad Ledum, Prata.
Prag, Praga, & Prague, urbs Bohemiæ, Casurgis, Marobudum, Bubiemum, Praga.
Prageca, mons Phœniciæ, Lithoprosopus, Theuprosopus.
Pralon, monasterium Virginum in Lingonibus, Prati longi.
Prasobo, mons Thraciæ, Hæmus.
Prato, oppid. Hetruriæ, Pratum.
Pratolino, castrum Hetruriæ, Pratolinum.
Prato magno, tractus Hetruriæ, Etrusci campi.
Pre S. Gervais, vicus agri Parisini, Pratum S. Gervasii.
le grand Precigny, vicus Galliæ, in Turonibus, Preciniacus major.
le petit Precigny, vicus ibidem, Preciniacus minor.
Precius, populi & oppid. Aquitaniæ, Preciani.
Precops, urbs Thauricæ, Procopias, Procopiana villa, Taphra.
Precopska, peninsula Sarmatiæ Europeæ, Taurica Chersonesus.
Pregell, conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, Pregallia.
Preguac, vide Prenguac.
Premery, locus Galliæ, in agro Nivernensi, Primeriacum.
Premonstré, pagus Picardiæ, in diœcesi Laudunensi, Pratum Monstratum vel Præmonstratum.
Preneco, vallis & pagus Liguriæ, ubi Prenicus mons.
Premer, mons Tirolensis, Carnacus, Brennus, Pyrenæus.
Prentz, pagus Sueviæ, Beivenus.
Presa, oppid. Parthinorum popul. Illyrici.
Presburg, urbs Hungariæ, Flexum, Posonium, Pisonium.
stato delli Presidii, tractus Italiæ, in ora maris Tyrrheni, Status præsidii.
Preslaw, vide Breslaw.
Presles, vel Preller, vicus agri Parisini, Pratella.
Prespa, urbs Macedoniæ, Eribæa, Prespa, aliis Assalus.
Presqu'Isle de l'Inde delà le Gange, pars Indiæ, Aurea Chersonesus.
Prefrem, urbs Thraciæ, Philippopolis.
Preste Jean, nomen Regis Abyssinorum.
Prettignen, mons Rhætiæ, Rhetico.
Prettigow, tractus Rhætiæ, ubi Rhucantii populi.
Prettigowerberg, mons Rhætiæ, Rhætico, Rhetico.
la Prevesa, urbs Epiri, Nicopolis.
Preugnac, pagus agri Burdigalensis, Premiacum.
Preuilh, locus Galliæ, cum monasterio, in Remensi agro, Proviliacum.
Preussen, vide Prussia.
Pridewich, oppid. Hungariæ, Pratorium Latovicorum.
le Prieuré noir, in Herio insul. Galliæ, in mari Pictonico, Monasterium nigrum.
Prignico, oppid. Peloponnesi, Brendina.
Prileppo, urbs Macedoniæ, Prillapum.
Prim, fluv. Arabiæ Felicis, Prion.
Primaro, ostium Padi fluvii, Spineticum.
Primera, insula ad fretum maris Rubri, Diodori insula.
Princen Eylandt, in Oceano Indico, Insula Principis.
Principato citra, regio regni Neapolitani, ubi Picentini & Lucani populi, Principatus citerior.
Principato oltra, regio regni Neapolitani, ubi olim Hirpini populi, Principatus ulterior.
Principato di Val di Taro, in Longobardia, Principatus Vallis Tari.
Principauté d'Halberstadt, tractus Germaniæ, Halberstadiensis Principatus.
Priorize, oppid. Cretæ, Psychium.
Prisack, vide Brisach.
Prislaw, vide Peretslaw.
Prisrien vel Prisreben, urbs Macedoniæ, Justiniana prima.
Privas, oppid. Vivariensis tractus, Privatium.
Privas, in pago Galliæ Gabalitano, castrum seu monasterium, S. Privati.
Privaz, aliàs Privat, castrum Galliæ, ad fluv. Andereschum, Privatum.
S. Prix, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, S. Prajecti.
Procida, insula Campaniæ, Prochyta.
Prockan, Sclavoniæ, Scardonius lacus.
le Promontore, insulæ Histriæ apud Polam.
Prosecho, oppid. Istriæ, Pucinum.
Prosych, oppid. Macedoniæ, Prosiacum.
Prote, insula Propontidis, Demonesus.
Proteriato, fluv. Calabriæ, Locanus.
Proti, insula Bospori Thracii, Prota.
la Provence, regio Galliæ, ubi olim Galloligures populi, Provincia, Anatiliorum regio.
la Provenza, regio Galliæ, ubi Galloligures, Provincia.
Provençaux, populi Galliæ, Provinciales.
Proviantbauß, Gallis Magazin, Latinis Horreum.
Prouilly, locus Galliæ, in Remis, Proviliacum.
les Provinces du Pays bas, in Germania inferiori, Provinciæ fœderatæ Belgii seu Belgium unitum.
Provins, oppid. seu castrum Galliæ Celticæ, Agendicum, aliis Provinum.
Pruck, pagus Bavariæ, Ambra.
Pruck an der Leyte, oppid. Austriæ, Leitæ pons, Lutipons, Muteum.
Pruck an der Muer, oppid. Stiriæ, Pœdicum, aliis Pons Muræ.
Prucuply, peninsula Europæ, Taurica Chersonesus.
Pruilly, oppid. Galliæ, in Turonibus, Pruiliacum.
Pruime, monasterium in sylva Arduenna, Prumia.
Prussen, vide Prussia.
Prum & Nider Prum, vici duo, ad Proneam fluv. in Arduenna sylva, Prumia.
Prumey, locus Galliæ, ad Vidulam fluv. Prumetum, aliàs Pruneium.
Prunde, insula Peloponnesi, Prode.
Prurop, pars Bengalæ, urbis Asiæ.
la Prusse, provinc. Poloniæ, Prussia & Borussia.
Prussia, regio Sarmatiæ, ubi Borusci populi.
Pruth, fluv. Moldaviæ, Hierasus, Porata.
Pruym vel Pruim, fluv. & pagus ditionis Trevirensis, in sylva Arduenna, Promia, Prumia, Brumia.
Prymer, incolæ montis Pyrenæi in Tirolensi Comitatu, Ibriones, Briones.
Przecop, vide Precop.
Przecopska, vide Precopska.
Przemysle, urbs Rutheniæ, Premyslia.
Przepetz, fluv. Sarmatiæ Europææ, Panticapes.
Przypycz, vide Przepetz, fluv. Poloniæ, Pripetus.
Psara, insula juxta Chium, Psyra.
Psilorsti, mons Cretæ, Ida.
Psamian, promontor. Bithyniæ, Ancyræum.
Ptolemeta, urbs Cyrenaicæ, Ptolemais.
la Puebla de la Sutea, oppid. Hispaniæ, Sucrosa.
Puech d'Issoudun, oppid. Cadurcorum, Uxellodunum.
Puechvert, castrum Galliæ, prope Electam, Podium viride.
Puente d'Alcantara, oppid. Extremaduræ, Trajani pons.
Puente del Arçobispo, oppid. Castellæ, Augustobrica, & aliis Pons Archiepiscopi.
de Lima, oppid. Lusitaniæ, Forum Limicorum, Limia.
de Neyza, in Callaicis, Pons Neviæ.
d'Orbego, oppid. Hispaniæ, Deobriga.
de la Reina, oppid. Navarræ, Tulonium.
la Reyna, oppid. Navarræ, Pons Reginæ.
de Sor, pagus Portugalliæ, Matusarum.
Vedra, vide Ponte Vedra.
los Puercos, scopuli in sinu Gaditano, Choerades.
Puerto de Cavallos, in nova Hispania, portus Equorum.
Puerto del Colmenar, mons Hispaniæ, Idubeda.
del Cuervo, in insula Corvi, portus Corvi.
de Francesco Drac, in California, portus Francisci Draci.
de Guaderama, mons Hispaniæ, Idubeda.
Guasce, in regno Cales, portus Vasci.
Hermoso, in Hispaniola insula, portus Formosus.
de la Madelena, in California, portus Magdalenæ.
di Muradal, montes Hispaniæ, Saltus Castulonensis.
del Pico, mons Hispaniæ, Idubeda, aliis Orospeda.
Quemado, in America meridionali, portus Crematus.
Real, in Vandalitia, portus Regius.
Real, in nova Hispania, portus Regius.
Rico, in America, portus Dives seu Fanum S. Joannis de portu Divite.
de Salou, oppid. Catalauniæ, Salauri portus.
de S. Antonio, in nova Hispania, portus S. Antonii.
de S. Estevan, mons Hispaniæ, Saltus Castulonensis.
de S. Juan, in nova Hispania, portus S. Joannis.
de S. Maria, oppid. Andaluziæ, Mnesthei portus.
de S. Pedro, in Paraguaia, portus S. Petri.
Seguro, urbs Brasiliæ, portus Securus.
della Tablada, mons Hispaniæ, Idubeda, Orospeda, Ortospeda.
de Tornavacas, mons Hispaniæ, Idubeda.
Viego, in Peruvia, portus Vetus.
Pugan, urbs Sinarum, Puganum.
Puglia di Bari, vide Terra di Bari.
Puglia piana, regio Italiæ, Daunia, Apulia Daunia.
Puglienza, oppid. Majoricæ, Polentia.
Pugna, locus Italiæ juxta Calorem fluv. Pugna.
Pui do Serre, castrum Galliæ, in Aquitania, Podium Cæsaris.
Puig de Cerdan & Puig cerda, oppid. Catalauniæ, Jugum Cerretanorum.
le Puiset, castrum Galliæ, in diœcesi Aurelianensi. Item in pago Bituricensi & Senonico, Puteolus.
Puiseux en France, vicus agri Parisiaci, Puteoli.
Puisie, locus Galliæ, cum monasterio, in saltu Deruensi: prope Vassiacum, Puteolus.
Pulati, populi Albaniæ, Polata.
Pulici, fluv. Siciliæ, Sossius.
Pulimalon, provinc. & urbs Asiæ, Aria.
Pullerium, promontor. Sigium, & mons Provinciæ, Setius.
Pulo Ciampello, in India ulteriori, Insula Ciampella.
Man, in mari Indico, Insula Maonis.
Nera, in Moluccis, insula Nera.
Ron, in Moluccis, Insula Rona.
Way, in Moluccis, Insula Vaia.
Punta di Aiaccio, promontor. Corsicæ, Viriballum.
Punta dos Celebes, in Asia, promontor. Celebum.
Punta di Corinto, promontor. Cretæ occidentale, Chersonesus.
Punta de la Galera, in Philippinis, promontor. Triremis.
Punta de la Galera, in America, promontor. Triremis.
Punta de Gallo, in Taprobana, promontor. Gallum.
Punta di Lacervolo, in Corsica, Atticum promontor.
di Lopez Gonzalez, promontor. Æthiopiæ, Dorcum cornu.
de Luna, promontor. Lusitaniæ, Lunæ mons.
Malota, promontor. Cypri, Zephyrium.
di Matriga, promontor. Sarmatiæ Asiaticæ, Bioræ.

del Promontore, Istriæ, Polaticum promontor.
Sabia, promontor. Cyrenaicæ, Drepanum.
delle Saline, promontor. Cypri, Throni.
de S. Anna, in Nigritia, promontor. S. Annæ.
de S. German, in America septentrionali, promontor. S. Germani.
de S. Helena, in America, promontor. S. Helenæ.
de S. Lazaro, in America, promontor. S. Lazari.
de S. Luzia, in Florida, promontor. S. Luciæ.
de S. Sebastiano, locus Insulæ Gaditanæ, Fanum Saturni.
di Setia, promontor. Cretæ, Chersonesus.
le Purgatoire de S. Patrice, locus Hiberniæ, Patricii Purgatorium, ubi Rhegia oppid.
Puschiavo, vide Puschlavv.
Puschlavv, Puschlauff, oppid. Rhætiæ, Peschlavium.
Pusgusa, lacus Bithyniæ, Nicomediensis lacus.
Pusto, urbs Thraciæ, Toperus.
Puting, urbs Sinarum, Putinga.
Putiviers, vel Petiviers, corruptè Pluviers, castrum Galliæ, in Belsia, Petiverus.
Putmaye, urbs Sinarum, Putemaius.
Puttler, fluv. Norici, Birrus, Byrrus.
le Puy, urbs Galliæ, in Avernis, Anicium, Podium, ubi populi Velauni seu Veliavi, aliis Puesium.
le Puy en Anjou, oppid. Galliæ, Podium Andegavense.
Puy en Auvergne, castrum Galliæ, Podium Arvernense.
Puy Chemu, castrum Aquitaniæ, Podium Caminum.
Puy Feuilleux, locus Galliæ, ad Carim, Podium Foliosum.
Puy Guillaume, castrum Aquitaniæ, Podium Gulielmi.
Puy Laurent, castrum Galliæ, in diœcesi Albiensi, Podium Laurentii.
Puy Manfroy, castrum Aquitaniæ, Podium Megenfredi, vel Manfredi
Puy Normand, castrum Galliæ, in Aquitania, Podium Normanni, vel Normannorum.
Puy Salguier, castrum Galliæ, in pago Biterrensi, Podium Soricarium, seu Mons Soricinus.
Puy Sec, castrum Aquitaniæ, Podium siccum.
Puy Serguier, locus Galliæ, in diœcesi Narbonensi, Podium Soricarium.
le Puy en Velay, vide le Puy.
Puy Vidat, castrum Aquitaniæ, Podium Witaldi.
Puzzuolo, vide Pozzuoli.
Py, fluv. Galliæ, in agro Remensi, in Supiam influens, Pidus vel Pitus.
Pynzgavv, vide Pinzgavv.
les Pyrenées, inter Galliam & Hispaniam, Pyrenæus mons.
Pyrethi, oppid. Daciæ, Ulpianum.
Pyrothi, vide Pyrethi.

Q.

QUadalquivirejo, fluv. Andaleziæ, Saduca.
Quaderna, oppid. Romandiolæ excisum, Claterna.
Quaetvardt, oppid. Germaniæ inferioris, Quadrburgum.
Qualpenco, insula Indiæ citerioris, Peperine.
Quanchen, urbs Sinarum, Quanchenm.
Quangnan, urbs Sinarum, Quangnanum.
Quangsi, urbs Sinarum, Quangsia.
Quangsing, urbs Sinarum, Quansenga.
Quangte, urbs Sinarum, Quangtum.
Quansi, provinc. Sinarum, Quansia.
Quanto, pars Japoniæ, Quantoa.
Quantung, provinc. Sinarum, Quantonia & Quantoma.
Quaquacut, in Guinea, Ora dentium.
Quarentan, oppid. & portus Normanniæ, ubi Vadicasses populi.
il Quarnero, Istriæ sinus, Sinus Flanaticus, Flanonicus, Liburnicus, Polaticus.
Quarquario, vide Cherchiara.
Quars, urbs Syriæ, Cyrrhus.
Quarta, pagus Liguriæ, Quadrata, Quartum.
Quasquettes vel Casquettes, insulæ vel cautes, in mari Britannico, Cascara vel Cacata.
Quebec, urbs novæ Franciæ, Quebecum.
Queda, urbs Indiæ ulterioris, Queda.
Querdelinbourg, oppid. Saxoniæ, Querdelinburgum.
Queenes Countye, in Hibernia, Comitatus Reginæ.
Queenestowne, urbs Hiberniæ, Reginapolis.
Queichen, urbs Sinarum, Queichea.
Quebatumo, oppid. Thessaliæ, Æantium.
Queilin, urbs Sinarum, Queilinum.
Queliba, insula Indiæ citerioris, Tricadiba.
Queite, urbs Sinarum, Queitum.
Queiyang, urbs Sinarum, Queiyanga.
le Quercinois, populi Galliæ, Cadurcenses.
Quercy, regio Aquitaniæ, ubi Cadurci populi.
Querimba, insula Zanguebariæ, Querimba.
Querquene, insula maris Africi, Cercina & Cercinna.
Ques & Suez, urbs Ægypti ad mare Rubrum, Posidium.
le Quesnoy, urbs Hannoniæ, Querceium.
la Queue, castellum Galliæ, in agro Parisiensi, Cauda.
Quexumi, insula sinus Persici, Aphana.
Quetumi, insula sinus Persici, Apphana.
Quiam, fluv. Sericæ, Bautisus.
Quiansi, provinc. Sinarum, Quiansia.
Quichen, provinc. Sinarum, Queichea.
Quidallet, locus Britanniæ minoris, Aletha.
Quieto, fluv. Istriæ, Nauportus.
Quilebeuf, locus Galliæ, Quillebodium.
Quilmanci, fluv. Æthiopiæ, Raptum.
Quiloa, urbs Æthiopiæ, Rapta, aliis Quiloa.
Quiloa, vide Regno di Quiola.
Quimper & Quimpercorentin, urbs Galliæ, Curiosopitum.
Quimperlay, oppid. Britanniæ minoris, Quimperleum.
Quinçay, locus Galliæ, in finibus Pictonum; Quintiacum.
Quincy, locus Galliæ, in Briegio, in Meldis, ad Ederam, Quintiacum.
Quincy le grand, vicus agri Parisini, Quintiacum magnum.
Quingey, oppid. Comitatus Burgundiæ, Quingium.
Quinimano, insula Archipelagi, Olearus.
Quinoli, urbs Paphlagoniæ, Cinolis & Cimolis.
Quinsay, urbs Sinarum, Quinsaum.
Quintiana, pagus agri Brixiensis, Quintianum.
Quintin, oppid. Britanniæ minoris, Quintinum.
Quipia, oppid. Africæ maritimum, Clypea, Clupea.
Quiscon, vel Quiscam, provinc. Asiæ minoris, Jonia.
Quiso vel Quissa, fluv. Cappadociæ, Cissa,
Quiteva, regnum Æthiopiæ, Quiteva.
Quito, provinc. Peruviæ, Quitoa.
Quito, urbs Peruviæ, Quitoa.
Quivira, regio Americæ septentrionalis, Quivira.
los Quixos, populi Peruviæ, Quixi.

R.

RAb, urbs & fluv. Hungariæ, Arrabo, Jaurinum, Arabo, Narabo.
Rabasteus, locus Galliæ, ad Tarnim fluv. Rabastenum.
Rabath, urbs Mauritaniæ, Oppidum novum.
Rabath, urbs Cœlesyriæ, Philadelphia, Rabath.
Rabin, regio Assyriæ, Sittacene.
Rabida, oppid. Lusitaniæ, Arabriga.
Racanello, fluv. Calabriæ citerioris, Cylistarnus.
Racang, urbs Indiæ citerioris, Racassa.
Raceiburg, vide Ratzenburg.
Rachstadt, oppid. Salisburgensis ditionis, Teurnia.
Racizkewe, pagus Pannoniæ, Intercisa.
Rackelspurg, oppid. Stiriæ, Solentium, aliis Rachelburgum.
Racline, insula Scotiæ, Ricina.
Rade S. Martin, ancyrobolium in insul. Radi, S. Martini.
Radicofani, mons Thusciæ, Tunias.
Radina, fluv. inter Macedoniam & Thraciam, Strymon.
Radnor, urbecula Walliæ, Radnoria.
Radnorshire, Comitatus Walliæ, Radnoria.
Radom, oppid. Poloniæ, Radomia.
Radimansdorff, oppid. Carniolæ, Quadratum.
Raditschach, pagus Croatiæ, Romula.
Ragatz, oppid. Rhætiæ, ubi Ruguschi populi vel Rhucantii.
Raggivolo, castrum Ducatus Mantuani, Regiates.
Ragus, oppid. Provinciæ, Antipolis.
Ragusa, Ragusi, urbs Dalmatiæ, Epidaurus, Rhauzium.
le Ragusan, in Dalmatia, Ragusina ditio.
Raguse, fluv. & oppid. Siciliæ, Herminium, aliis Hybla minor.
Ragusei, populi Dalmatiæ, Partheni.
Rasalbuto & Rayhalbuto, oppid. Siciliæ, Sergentium, aliis Halicya.
Raias, pagus Castellæ novæ, Thermida, Termodigi.
Rain, oppid. Vindeliciæ, Clarenna, aliis Raina.
Rain, oppid. Syriæ, Rama.
beau Rain Chasteau, locus Galliæ, Bellus Ramus castellum.
Raimiro, vide Reinero.
Raiz, pagus Galliæ, Ratiastum.
le pays & duché de Raiz, aliàs Retz, in Pictonibus, Pagus Ratiatensis.
Rakimaber, oppid. Africæ, Sabathra.
Rakowick, urbs Bohemiæ, Raconicum.
Rakuika, provinc. Germaniæ, Austria.
Rama vel Rhama, urbs Palæstinæ, Diospolis, Lydda, Rama, Rhaphia.
Ramas, oppid. Palæstinæ, Harma.
S. Rambert, oppid. S. Ragneberti, in pago Forensi, castrum ad Ligerim, S. Ragneberti.
S. Rambert de Beugy, vel l'Abbaye de S. Rambert en Beugey, in Belicensi pago, parte Breææ, Abbatia S. Ragneberti.
Rambervillers, oppid. Lotharingiæ, Rambervillaria.
Rambouillet, item Rambouillet en Hurepois, locus Galliæ, Rumbelitum, in agro Hurepensi.
Rambures, vicus Galliæ, in Ambianis, Ramburelli.
Rame, pagus Delphinatus, Rame.
S. Rameru, castrum Galliæ, in Tricassibus, Ramerudum.
Ramezhead, promontor. Hiberniæ, Venicnium.
Ramola, urbs Palæstinæ, Rama, Ramatha.
Rampano, oppid. Peloponnesi, & Biandina.
Ramsey, insula Walliæ, Limnos.
Ramzaset, pagus Transylvaniæ vel Hungariæ, Remuisianum.
Rana, oppid. Daciæ, Docirava.
Ranalsda, insula Scotiæ, Ocetis.
Ranogne, castrum Galliæ, in agro Encolismensi, Ranco.
Randazzo, oppid. Siciliæ, Trinacia, Tyracinum, olim Tiracienfium popul.
Randersen, oppid. Daniæ, Randersium.
Rane, locus Galliæ, in Holmetia, Normanniæ tractu, Rana.
Rangwitz, urbs Poloniæ, Raguitia.
die Raon, alias Traon, fluv. in dextrum Mosellam evolutus, Drachonus.
Raoul, locus Galliæ, cum monasterio, in diœcesi Rotomagensi, Marcastum Radulfi.
Rapallo, oppid. Liguriæ, Rapalium.
Raperschwyl, oppid. Helvetiorum, Raperswila.
Raphes, portus & oppid. Atticæ, Panormus.
Rapen, oppid. Germaniæ, Rapinum.
Rapin, fluviolus Lotharingiæ, Rapidus.
Rapo, vide Rabogh.
Rapoe, urbs Hiberniæ, Rapo.
Rapolla, urbs regni Neapolitani, Rapolla.
het Ras van Aldernay, charybdis apud Ebodiam insul.
Rasacaramis, portus Siciliæ, Caucana.
Rasamezer, in Africa, Apolinis promontor.
Rasché, aliàs Vilieras, vicus Galliæ, cum prioratu, in agro Parisino, Reschia.
Raschit, urbs Ægypti ad Nili ostia, Metelis, Schedia.
Rascia & Servia, regio Dardanorum popul. Mysiæ superioris, Dardania.
Rasciani, populi Pannoniæ inferioris, Aravisci, aliis Scordisci.
Rascie, pars Hungariæ, Rascia.
Rase vel Rhase, urbs Syriæ, Bambyca.
Raseborg, urbs Sueciæ, Raseburgum.
le Rasez, in Gallia Narbonensi, Pagus Radensis. Dicitur etiam le pays & comté de Razez.
Rasino, fluv. Peloponnesi, Erasinus.
Rasiafe, urbs Syriæ, Rhesapha.
Rascolmo, promontor. Siciliæ, Falacrium, Phalacrium.
Rasotheramy, populi Zeugitanæ regionis Africæ.
Rat, oppid. Illyrici, Ratanium.
Ratby, oppid. Angliæ, Rata.
Ratnow, oppid. Germaniæ, Ratenovia.
Ratepont, castrum Galliæ, in Veliocassibus, ad Indellam fluv. Radipons.
Rathel albaga, provinc. Asiæ, Arabia Petræa.
Ratibor, urbs Silesiæ, Budorgis, aliis Ratibora.
Ratford, oppid. Angliæ, Rata.
Ratisbone, urbs Bavariæ, Augusta Tiberii, Ratisponа, aliis Ratisbona.
Ratza, oppid. Hungariæ, Rhittium.
Ratzenburg, urbs Saxoniæ, Raceburgum.
Rawe, urbs Poloniæ, Rawa.
Ravagoso, vide porto Ravagliosо.
Rauch Alb, tractus Ducatus Wirtembergensis, Alba.
Ravello, urbs regni Neapolitani, Rebellum.
Ravenicza, oppid. Serviæ, Vendenis.
Ravenna, urbs Romandiolæ, Ravenna.
Ravensberg, oppid. Westphaliæ, Ravensberga.
Ravensburg, urbs Sueviæ, Ravenspurgum.
Ravenspurg, urbs Sueviæ, olim Suanetum popul.
Ravenstein, oppid. Germaniæ inferioris, Ravesteinium.
Ravieres, in agro Galliæ Ternodorensi, Raparia vel Rabaria.
Rawiers, vicus Galliæ, in Bajocassibus, Radevereum.

Rau-

Ravoli, oppid. Arcadiæ, *Heræa*.
Raxasen, promontor. Cyrenaicæ, *Phycus*.
Raxiltin vel *Raxaltin*, oppid. Marmaricæ maritimum.
Rayhalbuto, vide *Raialbuto*.
Ré seu l'Isle de Ré, insula Galliæ, *Rea*.
Reading, oppid. Angliæ, *Pontes*.
Realmont, locus Galliæ, in agro Albigensi, *Regalis mons*.
Reama, urbs Arabiæ Felicis, *Riphearma*.
Reaumont, castrum Galliæ, in Bellovacis, *Regalis mons*.
Rebais, in Meldis monasterium, *Rasbacis*.
Rebel, oppidul. Ducatus Megalopolitani, *Rebellio*.
Rebés, aut *Rebais*, monasterium Galliæ, Columbariis castello proximum, *Resbacis*.
Recalbuto, vide *Raialbuto*.
Recanati, urbs Marchiæ Anconitanæ, *Recinetum*, *Ricina nova*.
Recina rovinata, oppid. Piceni excisum, *Ælia Ricina*.
Reculver, oppid. Cantii, *Regulbium*.
Rednitz, fluv. Franconiæ, *Radiantia*.
Redon, locus Galliæ, ad fluv. Vicinoniam, *Roto*.
Rees, urbs Ducatus Clivensis, *Reesium*.
Refranco, pagus Montisferrati, *Francorum rivulus*, *Rivus Francorum*.
Regeans, locus Galliæ, in pago Autissiodorensi, *Regema*.
Regen, oppid. Transylvaniæ, *Rucconium*.
Regen, fluv. Germaniæ, *Reginus*.
Regenspurg, urbs Bavariæ, *Augusta Tiberii*, *Ratispona*.
Regge, fluv. Transisalanæ, *Vidrus*.
Reggio, urbs Ducatus Mutinensis, *Regium Lepidi*.
Reggio vel *Riggio*, urbs Calabriæ ulterioris maritima, *Rhegium Julium*.
Regina, oppid. Calabriæ citerioris, *Erimum*, *Herinum*.
la Regle, vide *Reole*.
Reglis, oppid. Hiberniæ, *Rhigia*, ubi *Purgatorium S. Patricii*.
Regno di Aden, regio Arabiæ Felicis, ubi *Homeritæ* populi.
 d'Algier, pars Africæ, *Mauritania Cæsariensis*.
 di Bengala, regio Indiæ, *Gangetica tellus*.
 di Cambalu, pars Scythiæ Asiaticæ.
 di Constantina, provinc. Africæ, *Numidia nova*.
Regno di Herir, regio Arabiæ Felicis, ubi *Adramitæ* populi.
 di Leon, provinc. Hispaniæ, ubi populi *Vaccæi*.
 di Napoli, in Italia, *Neapolitanum regnum*.
 di Ormus, regio Arabiæ Felicis, ubi *Macæ* populi.
 di Quiloa, provinc. Æthiopiæ, *Barbaria*.
 di Tremesin, provinc. Africæ, *Mauritania Cæsariensis*.
 di Tunes vel *Tunisi*, regio Africæ, *Byzacium*, *Byzacina*, ubi *Libyphœnices* populi.
Regnstad, vide *Ringwood*.
Regnwood, vide *Kingwood*.
Reichnaw, oppid. Rhætiæ, olim *Rhucantiorum* popul.
Reims, urbs & populi Campaniæ, *Durocottorum*, *Rhemi*.
Reina, oppid. Calabriæ citerioris, *Herinum*.
Reinero, oppid. Macedoniæ maritimum, *Torone*.
Reinfrew, urbs Scotiæ, *Renfroana*.
Reinmagen, vide *Rheinmagen*.
Reivan, urbs Mediæ, *Artaxata*.
Rekasburg, oppid. Styriæ, *Rhispia*.
Remande, fluv. Galliæ, in Urbiam se evolvens, *Remanda*.
Remilly, oppid. Sabaudiæ, *Remillium*.
Remiremont, oppid. seu castellum Lotharingiæ cum monasterio, *Romarici mons*.
Remle, vide *Ramola*.
Remmagen, pagus Germaniæ, *Trajana legio*.
S. Remo, vicus in Provincia, *S. Remigii*.
los Remolinos, mons Aragoniæ, *Tarraconensia juga*.
Remorantin, vide *Romorantin*.
Rems, vide *Reims*.
Remus, conventus Rhætiæ, in fœdere Cathedrali, *Remusii*.
S. Remy du Mont, locus Galliæ, in Cenomanis, *S. Remigius de monte*.
S. Remy du Plain, locus ibid. *S. Remigius de Planis*.
Rendina, urbs Macedoniæ, *Arethusa*, *Eion*.
Rendine, vide *Radim*.
Rendsbourg, oppid. Holsatiæ, *Rendsburgum*.
Renelle, fluv. Normanniæ, *Marrona*.
Renes vel *Rennes*, urbs *Rhedonum* in Britannia minore, *Condate*, aliis *Rhedones*.
Renty, oppid. Artesiæ, ad fluv. Agnionem, *Rentica*.

la Reole, oppid. Aquitaniæ, *Regula*.
Reoll, vicus Galliæ, ad Mosellam fluv. *Rigodulum*.
la Reolle sur Gironde, castellum Galliæ, ad Garumnam, *Regula*.
la Reome, locus cum monasterio in Lingonibus, *Reomaus*.
bar sous Reome, in Lingonibus, *Barrum sub Reomao*.
Repchestre, oppid. & portus Cantii, *Rutupiæ*.
Repicza, oppid. Valacchiæ, *Rhamidava*.
la Republique de Brava, in Africa, *Respublica Brava*.
la Republique de Lucques, in Italia, *Respublica Lucensis*.
la Republique de S. Marin, in Italia, *Respublica S. Marini*.
la Republique de Venise, in Italia, *Respublica Veneta*, & *ditio Veneta*.
Rerone, fluv. Venetiæ, *Eretenus*, aliis *Rero*.
Reschbing, pagus Bavariæ, *Cæsarea*.
Rescow, urbs Moscoviæ, *Roscovia*.
Resina, locus Campaniæ, *Retina*.
Ressana, oppidum Mysiæ superioris, *Ratiaria*.
Resson sur Aronde, locus Galliæ, in Bellovacis, *Ressontum ad Aronam*.
le Restail, vicus Galliæ, unde regioni nomen, *Ratuatensis*.
Reteck, locus Transylvaniæ, ubi *Rhatecensii* populi.
Retel, oppid. Campaniæ, *Retelium*.
Retelois, populi Galliæ, in Campania, *Essui*, aliis *Retelensis tractus*.
Retest, primò, dein *Retel*, oppid. Galliæ, in Remis, *Reiteste*.
Retina, vide *Resina*.
Retourne, amnis Galliæ, in agro Remensi, *Retumna*.
Retz, tractus Britanniæ minoris, *Radesia*.
Revel, urbs Livoniæ, *Revalia*.
Revest, ad Varum fluv. *Revestium*.
Reuil, monasterium Galliæ, in Briegio: Item locus cum cella, in Meldis, *Radolium* & *Rodolium*.
Reuilly lez Paris, vicus Galliæ, Luteciæ proximus, *Romiliacum*.
Reutlingen, urbs Sueviæ, ubi olim *Reudigni*, *Reuticlii* populi, aliis *Reutlinga*.
Reux, oppid. Hannoniæ, in sylva Carbonaria, *Rodium*.
Reydera, fluv. Hispaniæ, *Anas*.
Reyde Schans, in Belgio, *Arx Reyda*.
Reyme, urbs Palæstinæ, *Capernaum*.
Reyna, oppid. Andaluziæ vel Extremaduræ, *Regiana*, *Regina*.
Reyno de Granada, Hispaniæ, *Granatense regnum*.
Reyno de Leon, Hispaniæ, *Legionense regnum*.
Reyno de Toledo, Hispaniæ, *Toletanum regnum*.
Reyno de Valencia, Hispaniæ, *Valentiæ regnum*.
Reynsburch, pagus Hollandiæ, *Telonium*.
los Reyos seu *Lima*, urbs Peruviæ, *Regum civitas*.
Reytlingen, vide *Reutlingen*.
Rezan, urbs Moscoviæ, *Rezana*.
Rezer, urbs Parthiæ, *Dordomana*.
Rezol, oppid. Lombardiæ, ubi *Regiates* populi.
Rhada, urbs Arabiæ Felicis, *Rhada*, aliis *Rhueda*.
Rhadstatterthaurn, mons Carinthiæ, *Taurus*.
Rhätzünz, locus Rhætorum, in Cano fœdere, *Ratium*.
Rhain, oppid. Pannoniæ superioris, *Dantona*.
Rhais, vide *Rase*.
Rhama, vide *Rama*.
Rheban, oppid. Hiberniæ, *Rheba*.
Rhedive, fluv. Macedoniæ, *Strymon*.
Rhedon, oppid. Britanniæ minoris, *Condace*.
Rheib, vide *Rheban*.
Rheinberg, urbs Germaniæ, *Rhenoberga*.
Rheinfelden, urbs Sueviæ, *Rhenofelda*.
Rheinmagen, pagus Coloniensis ditionis, *Rigomagus*.
Rheinthaler, vide *Rhynthaler*.
Rheinzabern, in Nemetibus Germaniæ oppid. *Taberna Rhenenses*.
Rhemen & *Remen*, urbs Mediæ, *Rhazunda*.
il Rhen, *Reno*, fluv. Romandiolæ, *Rhenus*.
Rhenen, populi & oppid. Geldriæ, *Grinnes*.
Rheno & *Reno*, fluv. Germaniæ, *Rhenus*.
Rhesiphe, insula Indiæ citerioris, *Trinesia*.
Rhetimo & *Retimo*, urbs Cretæ, *Rhitizymna*.
Rhayn, vide *Rhain*.
Rhidychin, urbs Angliæ, *Oxonium*.
Rhie, oppid. Angliæ, *Novus portus*, aliis *Ripa*.
Rhiess, tractus in *Rhætia*.
Rhinthaler, populi Rhætiæ, *Rhigusca*.
Rhinwalder, populi Alpini, *Lepontii*.

Rho, pagus territorii Mediolanensis, *Rhaudium*.
Rhoa, urbs Syriæ, *Edessa*.
Rhoas & *Rhoasse*, vide *Rhoa*.
Rhoda, oppid. Catalauniæ, *Bæcula*.
Rhode, oppid. Apuliæ, *Hyrium*.
Rhodi, *Rhodes*, vide *Rodi*.
Rhodosto, vide *Rodosto*.
Rhoer, vide *Roer*.
le Rhyn, *le Rhin*, fluv. Germaniæ, *Medium ostium Rheni*, *Rhenus*.
Rhyngawer, populi Hollandiæ, *Rinuci*, potiùs Rhætiæ populi, & Rhyngaw regio.
Rhyngoewer, populi Rhætiæ, *Rheni*, *Ragusci*, aliis *Rhenogavia*.
Rhynthal, tractus Rhætiæ, *Rhingovia*, ubi *Rheni*, *Rhigusca*, *Ragusci* populi.
Rhynthaler, populi Rhætiæ, *Ragusci*.
Rialbuto, vide *Raialbuto*.
Rian vel *Rianus*, fluv. & lacus Scotiæ, *Auravannus*, *Videtara*.
Riba de Sella, oppid. Asturiæ, *Salia*.
Ribadeo, oppid. Gallæciæ, *Dactonium*.
Ribadio vel *Ribada*, una insul. Areleensium, in Gallia, *Porcariola*.
Ribagorza, oppid. Aragoniæ, *Ripa Curtia*.
Ribarolles aut *Riberols*, populi Germaniæ, *Riparii* vel *Riparioli*.
Ribas, fluv. Bithyniæ, *Rhebas*.
Ribaude, insula Provinciæ, *Sturium*.
Ribaute, oppid. Galliæ in diœcesi Narbonensi, in diœcesi Biterrensi, *Ripa alta*.
Ribchester, oppid. Angliæ, *Bremetonacum*.
Ribel, æstuarium Angliæ, *Felisama*.
Ribemont, pagus Campaniæ, *Ribuarius*.
Ribemont, locus Galliæ, in diœcesi Laudunensi, *Ribodi mons*.
Ribera de Coa, regio Portugalliæ, ubi *Transcudani* populi.
Ribera de Flamencos, locus in sylva Fajal, inter Azores.
les Ribes, locus Galliæ, in diœcesi Leutevana, *Ripa*.
Ricarville, locus Galliæ, in Caletis, *Ricardi villa*.
la Riccia, locus Latii, *Aricia*.
Ricchborow, oppid. Angliæ excisum, *Rutupiæ*.
Richelieu, urbs Pictavensis provinc. *Richelaum* & *Ricolocus*.
Richelieu, locus Galliæ, in Pictonibus, *Ricolocus* vel *Ricus locus*.
Richemont, locus Galliæ, in Santonibus, in Brexia, in Ducatu Lucilburgensi, *Dives Mons*.
Richensee, lacus Helvetiæ, *Verbigenus*.
Richmond, oppid. Angliæ, *Rigodunum*, aliis *Richmondia*.
Ricklow, insula lacus Veneti, *Augia major*.
Ricla, oppid. Aragoniæ, *Nertobrica*.
Riderent, fluv. Galliæ Narbonensis, *Alba*.
Ried, pagus Bavariæ, *Auriana ala*.
Riedlingen, oppid. Sueviæ, *Tarodunum*.
Ries & *Riez*, urbs Provinciæ, *Rhegium*, *Regium*.
Rieti, urbs Sabinorum, *Reate*.
Rieule, castrum Galliæ, in pago Aginensi, *Regula*.
Rieux, urbs Aquitaniæ, in diœcesi Carcassonensi, *Rivi*, *Rigomagus*, *Ruesium*.
Riez, urbs Galliæ, *Reii Apollinarii* seu *Apollinarium*.
Rifranco, vide *Refranco*.
Riga & *Rigen*, urbs Livoniæ, *Riga*.
Rigi, fluv. Corsicæ, *Volerius*.
Rignano, oppid. in provinc. Patrimonii, *Arinianum*.
Rigo, pagus Trevirensium, *Rigodulum*.
Rigomezeu, regiuncula Pannoniæ inferioris seu Mysiæ, *Campus Merulæ*.
Riig, *Riga*, urbs Livoniæ, *Riga*.
Rille, locus Galliæ, in Turonibus, *Rilliacum*. Item fluv. inter Eburovices & Lexovios, *Risela*.
Rilly, locus Galliæ, in pago Reitestino, *Riguliacum*.
Rimagen, aliàs *Rhinmegen* & *Remmegen*, viculus Germaniæ, Bonnæ proximus, *Rigomagus*.
Rimagio, pagus Liguriæ, *Rivus major*.
Rimelsberg, vide *Remiremont*.
Rimezza, urbs Daciæ, *Cozona*.
Rimini, urbs Æmiliæ, *Ariminum*.
Rinc, pagus Montisferrati, *Rigomagus*.
Rindenen, locus Cliviæ Ducatus, ubi *Remi* populi.
Ringsted, oppid. Daniæ, *Ringstadium*.
Ringwood, oppid. Angliæ, *Regnum*.
Rinkioping, oppid. Daniæ, *Rinkiopia*.
Rio de las Alzamidas, flumen Andaluziæ, *Silicense*.
 d'Avarado, in nova Hispania, *Alvaradi fluvius*.
 de las Amazonas, in America meridionali, *Amazonum fluvius*.
 de Ampurias, fluv. Catalauniæ, *Alba*.
 d'Appio, fluv. juxta Romam, *Almo*.
 d'Avia, fluv. Hispaniæ, *Avo*.
 d'Avia, fluv. Portugalliæ, *Avus*.

Barbate, fluv. Andaluziæ, *Belo*.
de Braga, fluv. Portugalliæ, *Alesies*.
di Capi, fluv. Africæ, *Triton*.
de Cena, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, *Chylemath*.
de Codes, fluv. Aragoniæ, *Cozedus*.
Gretones, fluv. Lusitaniæ, *Celadus*.
de Henares, fluv. Castellæ novæ, *Caracca*, *Tagonius*.
de Janeiro, fluv. Brasiliæ, *Januarius*.
de Millas, fluv. Valentiæ, *Idubeda*.
del Mendo, fluv. Hispaniæ, *Terebs*.
de Morvedre, fluv. Valentiæ, *Turulis*.
de Mosso, fluv. Sabinorum, *Allia*.
di Nemo, fluv. Latii, *Numicus*.
Orvea, fluv. Hispaniæ Tarraconensis, *Magrada*, *Meulascus*.
di Patrasso, fluv. Peloponnesi, *Glaucus*.
de la Plata, in America meridionali, *Argenteus fluvius*.
di Roussilon, fluv. Catalauniæ, *Ruscino*.
Salado, fluv. Bæticæ, *Salsum*.
di S. Sebastian, fluv. Hispaniæ, *Menlascus*.
Segura, fluv. Valentiæ, *Turulis*.
de Sella, fluv. Asturiæ, *Salia*.
del Sole, fluv. Sabinorum, *Digentia*.
di Soure, fluv. Portugalliæ, *Anius*.
de lo Spiritu Santo, in Æthiopia inferiori, *Spiritus Sancti fluvius*.
Tinto, fluv. Vandalitiæ, *Iberus*.
di Tolosa, fluv. Hispaniæ Tarraconensis, *Magrada*.
de Tomar, fluv. Portugalliæ, *Naban*.
Verde, fluv. Bæticæ, *Barbesola*.
Vernator, fluv. Andalusiæ, *Belo*.
de Zinganee, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, *Nasabath*, *Nabar*.
la Rioja vel *Rioxa*, regio Castellæ veteris, ubi *Rucones* populi, *Rivogia*.
Riom, oppid. Arverniæ, *Ricomagum*, aliis *Rionum*.
la viguerie de Rion, locus Galliæ, *Vicaria Ricomensis*, vulgò Rion.
Rions, pagus Aquitaniæ, *Sirion*.
Rions, castrum Galliæ, ad Garumnam, *Reontium*.
Rions sur Gironde, castellum Galliæ, *Reontium ad Gerundam*.
Riotier, castrum Galliæ, in pago Dombensi, *Retortorium*.
Ripa de Ostria. Sinus Corinthiacus.
Transona, urbs Marchiæ Anconitanæ, *Cupra Montana*, *Ripa Transona*.
Ripamaranzi, castrum vel oppid. Thusciæ, *Marantium*.
Ripen, urbs Daniæ, *Ripa*.
Ripen, urbs Jutiæ, ubi olim *Phundusii* populi.
Ripenses, populi Germaniæ inferioris, *Caresi*.
Ripol, oppid. Catalauniæ, *Rivus Pollensis*.
Rippon, oppid. Angliæ, *Ridogunum*.
S. Riquier, vicus Galliæ, cum monasterio, in agro Pontivo, *S. Richarii*.
Ris, oppid. Daciæ, *Ratuaria*. Item vicus Galliæ, in agro Parisiensi, *Ria*.
Risano, fluv. Istriæ, *Formio*.
Risano & *Risine*, urbs Dalmatiæ, *Rhizinium*, *Rosonium*.
Risenberg, montes Germaniæ, *Suditi*.
Risivo, vide *Risano*.
Riso Carpasso, promontor. Cypri, *Elea*.
Risso, portus & urbs Cappadociæ, *Rhizus*, *Rhizeum*.
Ritorbio, pagus Liguriæ, *Litubium*.
Ritzingen, vicus Lotharingiæ, *Ricciacum*.
Riva, oppid. ditionis Tridentinæ, *Riva*.
Riva bianca, locus Marmaricæ, *Leucogæus*, *Leuce Acte*.
Rivadavia, urbs Gallæciæ, *Rivadavia*.
Rivadeo, urbs Gallæciæ, *Libunca*.
Rivalta, vide *Rivolta*.
Rivier Batavia, fluv. Asiæ, in Carpentaria regione terræ Australis, *Batavia*.
la Riviera di Genova, regio Italiæ, *Liguria littorea*.
Riviere de Canada ou de S. Laurent, in nova Francia, *S. Laurentii fluvius*.
Rivo, fluv. Latii, *Numicus*.
Rivo di Lusera, oppid. Galliæ Togatæ, *Nuceria*.
Rivo del Sole, vide *Rio del Sole*.
Rivoli, castrum Pedemontii, *Rivolium*.
Rivolta, pagus agri Mediolanensis, *Ripa alta*.
la Rivour, locus Galliæ, cum monasterio, in Tricassibus, *Ripatorium*.
la Rizza, oppid. Latii, *Aricia*.
Roame, vicus Galliæ, inter Brigantionem & Ebrodunum, *Rame*.
Roan, vide *Rouen*.
Roane & *Roanne*, oppid. Borbonii Ducatus, *Rhodumna*.

Rober, fluv. Lotharingiæ, *Erubris*.
los Robers, locus Galliæ, ad Varum fluv. *Vicus Robertorum* vel *ad Robertos*.
Robil, *Robel*, urbs Ducatus Megalopolitani, *Rebellio*.
la Robine, castrum Hispaniense, *Rhoagni*.
Robisch, pagus Stiriæ, *Ragundona*.
Robogh, urbs Ultoniæ vel pagus, *Rapa*, ubi *Rhobogdii* populi.
Rocana, oppid. Mysiæ superioris, *Eteta*.
la Rocca, oppid. terræ Hydruntinæ dirutum, *Lupiæ*.
Rocca d'Angitola, oppid. Calabriæ, *Crissa*, *Angitula*.
Fredda, pagus Hispaniæ, *Turmoli*.
Fria, vide *Rocca Fredda*.
Imperiale, in Basilicata, *Arx Imperialis*.
de Maslinaces, urbs Africæ, *Carthago*.
de Mondragone, oppid. Campaniæ, *Petrinum*, *Sinuessa*.
del Papa, oppid. Latii, *Algidum*, aliis *Arx Papalis*.
Piana, pagus Corsicæ, *Albiana*.
di Val di Marino, oppid. Marchiæ Tarvisinæ, *Marinum*.
la Rocella, oppid. Calabriæ ulterioris, *Amphissia*.
la Roche, oppid. Sabaudiæ, *Rupes*. Item locus ad Ligonem fluv.
la Roche en Ardenne, oppid. Ducatus Luxemburgici, *Rupes*, vel *Rocca*.
Roche Bartaud, locus Galliæ, *Rupes Bertoaldi*.
Chandry, ibid. *Rupes Canderici*.
Chouard, locus in Lemovicibus, *Rupes Cavardi*.
Corbon, in Turonibus, *Rupes Corbonis*.
Rochefort, locus in Andibus, *Rupes fortis*.
Rochefort en Iveline, locus Galliæ, in agro Basiliensi, *Rupes fortis*, *in sylva Aquilina*.
la Roche Guyaud, in Normannia, *Rupes Widonis*.
la Roche du Moyne, castrum Galliæ ad Ligerim, *Rupes Monachi*.
la Roche Posay, aliàs *la Roche Pezé*, castrum Galliæ, in Pictonibus, *Rupes Poseii*, vel *de Posero*.
la Roche de la Truye, scopuli sinus Gaditani, *Charades*.
la Roche sur Yon, oppid. Galliæ, *Rupes ad Yonem*.
Rochefoucaut, oppid. Galliæ, in diœcesi Encolismensi, *Rauranum*, aliis *Rupesfulcaldum*, seu *Rupes Fulcaudi*.
la Rochelle, urbs Aquitaniæ, *Portus Santonum*, *Rupella*.
Rochemaure, in diœcesi Galliæ Vivariensi, *Rupes Maura*.
Rochemindour, oppid. Aquitaniæ, *Rocomatorus*.
Rochemere, Idem cum *Rochemaure*, suprà: Item ad Rhodanum, *Rupes Meremata*.
Rochester, urbs Angliæ, *Durobrus*, *Roffa*, aliis *Rutupiæ*.
Rochuzerberg, mons Stiriæ, *Claudius*.
Rocho, urbs Eubœæ, *Eretria*.
Rockenburg, oppid. Sueviæ, *Bragodunum*.
Rocking, vide *Roking*.
Rocone, fluv. Romandiolæ, *Vitis*.
Rocroy, oppid. Campaniæ, *Rupes Regia*.
Roda, oppid. Andaluziæ, *Virgao*.
Rodacinion, pagus apud Byzantium, *Peribolus*.
il Rodano, fluv. Galliæ, *Rhodanus*.
Rodaun, amnis Poloniæ, *Eridanus*.
Rode, vide *Rhode*.
Rodez, aliàs *Rodais*, aut *Rodez*, caput Rutenorum in Gallia, *Segodunum*, vide quoque *Rodez*.
Rodez vel *Rhodes*, urbs Aquitaniæ, *Segodunum*, ubi olim populi *Rhuteni*.
Rodi, insula & urbs maris Carpathii, *Rhodus*.
Rodicofano, oppid. Hetruriæ. *Radacophanum*.
Rodosto, urbs Thraciæ, *Bisanthe*, *Redestum*.
Roer, fluv. Ducatus Juliacensis, *Rura*, *Adrana*.
Roermond, urbs Geldriæ, *Ruremunda*.
Rofiac, in agro Carcassonensi, *Rufiacum*.
Rogela, pagus Corsicæ, *Ropicum*.
Rogen, locus Galliæ, ad Issoletum fluv. qui in Druentiam effluit, *Rigomagus*.
Rogiano, oppid. Calabriæ citerioris, *Verga*, *Vergianum*.
Rohaczow, oppid. Poloniæ, *Rohaczovia*.
Roham Thoura, mons Armeniæ minoris, *Antitaurus*.
Rohoboth, insula sinus Persici, *Armozia*.
Roie, urbs Picardiæ, *Rodium*.
Roissi en Brie, prioratus agri Parisini, *Rossiacum in Briegia*.
Roissi en France, vicus agri Parisiaci, *Rossiacum*.
Roking, pagus Bavariæ, *Regium*.
Rolduc, oppid. Belgii, *Rodia Ducis*.
la Rolle, aliàs *le haut & bas Roulle*, vicus Galliæ, in agro Parisino, *Rotulu*

Rom, Asia minor.
Rom, insula Daniæ, *Roma*.
Roma, urbs Latii, *Roma*.
Roma, oppid. Daciæ, *Ruconium*.
la Romagna, provinc. Italiæ, ubi *Boii* populi, *Romandiola*, *Flaminia*.
Romagnano, pagus Insubriæ, *Romanianum*.
Romagnoli, populi Romandiolæ, *Gesatæ*.
Romainville, vicus agri Parisini, *Romana villa*.
Romakessel, pagus Sueviæ, *Cassiliacum*.
Romana, oppidul. Aragoniæ, *Romana*.
Romania, regio Peloponnesi, *Argia*.
Romania, provinc. Europæ, *Thracia*.
la Romanie, pars Europæ, *Romania* seu *Thracia*.
le Roman pays, tractus Brabantiæ Gallicanæ, *Pagus Romanus*.
Romans, oppid. Delphinatus, *Romanum*, vel *Romantium*.
Romans, aliis *S. Romans*, monasterium Galliæ, ad Isaram, *Romanense* & *Romanum*.
Romberg, vel *Rumersberg*, castellum cum monasterio, in Lotharingia, *Romarici mons*.
Rome, urbs Latii, *Roma*.
Rome, insula regni Congani, *Roma*.
Romechi, regio Europæ, *Græcia*.
Romerswal, oppid. Zelandiæ, *Romerswallia*.
Romion, ad Bosporum, *promontorium Ancyræum*.
Romont, Comitatus in Helvetiis, *Rotundus mons*.
le Romois, pars agri Rotomagensis, in Gallia, trans Sequanam, *Pagus Rodomensis*.
Romont, oppid. Sequanorum, *Bramagum*.
Remorantin seu *Remorantin*, oppid. Galliæ, in Secalonia, *Ratomagum*, aliis *Remorentinum*, seu *Rivus Morentini*.
Roncen, locus Hannoniæ, cum Collegio Canonicorum, *Rotnacum*.
Ronches, oppid. Portugalliæ, *Arunci*.
Ronciglione, oppid. provinc. Patrimonii, *Roncilio*.
Roncoigne, oppid. Aquitaniæ, *Runconia*.
Roncone, vide *Rocone*.
Ronda, urbs regni Granatensis, *Arunda*.
Ronda la Veja, vide *Runda la Veja*.
Roni, provinc. Asiæ, *Paphlagonia*.
Rony, vicus Galliæ, in agro Parisino, *Roonisium*.
Roomburg, locus Hollandiæ, *Armamentarium*.
Roque-brille, pro *Roche de Rille*, castrum Galliæ, ad fluv. Ritelam, *Rupes Ridulæ*.
Roquefort, in agro Nemausensi, *Rupes Fortis*.
Roquemadour, in Cadurcis, *Rupes Amatoris*.
Roquemaure, in diœcesi Nemausensi, *Rupes Maura*.
Roquencourt, vel *Rocquencourt*, vel *Roquancourt*, vicus agri Parisini, *Rocconis curtis*.
Roqueredonde, in Biterrensi agro, *Rupes rotunda*.
la Roquete, locus Galliæ, ad Varum fluv. *Roccula*.
Ros, pagus Bavariæ, *Aurisium*.
el Ros, urbs Syriæ, *Rhosus*.
lo Ros, accolis nascentis Rhodani, *Rhodanus*.
la Rosa, urbs Cariæ maritima, *Caunus*, & oppid. Bœotiæ, *Siphæ*.
Rosano, vide *Rossano*.
Rosans, pagus Delphinatus, *Rame*, *Roame*.
Rosaphar, vide *Capo Rosaphar*.
Rosarno, oppid. Calabriæ ulterioris, *Scumnus*.
Roschild, urbs Daniæ, *Roschildia*.
Roscomen, oppid. Hiberniæ, *Roscomenum*.
Roscou, oppid. & portus Britanniæ minoris, *Saliocanus*, *Staliocanus*.
Rose castle, oppid. vel arx Angliæ, *Congavata*.
Rosella, urbs Hetruriæ eversa, *Rusellæ*.
Rosene, insula ad ostia Istri, *Thiagola*.
Rosenfeld, oppid. Sueviæ, *Rhinsurva*.
Roses, oppid. Catalauniæ maritimum, *Rhoda*.
Rosetto, urbs Ægypti ad ostia Nili, *Metelis*, *Bolbitina*, & *Canopicum* vel *Naucraticum ostium*.
Roshoptem, pagus Sueviæ, *Rostrum Nemaviæ*.
Rosi, oppid. Mysiæ inferioris, *Rhegianum*.
Rosieme, urbs Poloniæ, *Rosiema*.
Rosieres, oppid. Lotharingiæ, *Roseriæ*.
Rosmarino, fluv. Siciliæ, *Chyda*.
le Rosne, fluv. Galliæ, *Rhodanus*.
Rosoy, locus Galliæ, cum prioratu, in Carnutibus, *Rodonium*.
Rosoy, in Meldis, *Rosetum*.
Rosoy en Brie, locus Galliæ, *Rosetum in Bria*.
Rosoy en Tierache, locus Galliæ, *Rosetum in Teoracia*.
Ross, provinc. Scotiæ, *Rossia*.
Rossa, insula Tauricæ, *Rhopodusa*.
Rossano, urbs Calabriæ, *Roscianum*.
Rosse, urbs Hiberniæ, *Rossa*.
Rosse, urbs Momoniæ, *Rossia*.
Rossetto, vide *Rosetto*.
Rossia, regio Scotiæ, *Cantarum* popul. *Caledonia*, aliis *Lugia*, regio *Logorum* popul.

Ros

Rossia, promontor. Calabriæ, Athenæum.
Rossillon, Comitatus Galliæ in Delphinatu, Vrsolis.
Rossonle Long, vicus Galliæ, in agro Sylvanectensi, Rossontum Longum.
Rostock, urbs Ducatus Megalopolitani, Laciburgium, Rhodopolis, Rosarum urbs, aliis Rostochium.
Rostow, urbs Moscoviæ, Rostovia.
Rota, oppid. Aragoniæ, Nertobrica.
Rotas, urbs Indiæ citerioris, Orrophanta.
Rotenburg, urbs Franconiæ, Tuberum, aliis Rotenburgum.
Roterdam, urbs Hollandiæ, Roterodamum.
Rother, fluv. Cantii, Limenus, aliis Rotherus.
Roteil, vel Rottel, locus Germaniæ, cum monasterio in Treviris, Rutina.
Rotta, oppid. Andaluziæ, Ebora.
la Rotta, fluv. Liguriæ, Rutuba.
Rottenby, oppid. Sueciæ, Rotenbium.
Rottenthurn, angustiæ Alpium inter Hungariam & Transylvaniam, Boutæ.
Rotthauss, locus juxta Basileam, Robur.
Rotweil, urbs Sueviæ, Rotevilla.
Rouwyl, urbs Sueviæ, Taxgætium, Rubea villa.
Rouci, oppid. Campaniæ Remensis in Gallia, Rauciacum.
Rouen, urbs Normanniæ, Rhotomagus.
Rovere, oppid. prope Tridentum, Roboretum.
Roveraid, oppidul. ditionis Tridentinæ, Roboretum.
Rovergue, regio Galliæ, ubi populi Rutheni, Rhuteni.
Rouesse, castrum Galliæ, in Cenomanis, Rucepum.
Rousse le chasteau, in Biturigibus castrum, Rufeniacum.
Rougemont, loca Galliæ, in Ducatu Burgundiæ, in Brexia, prope Fractam Vallem, prope castrum Dunense, Rubeus mons.
Rouzi vel Rougy, vicus agri Parisini, Rungiacum.
Rouzan Thoura, vide Roham Thoura.
Rovigno, oppid. Histriæ, Arupinum.
Rovigo, oppid. Venetiæ, Rhodegium.
la Roulle, vicus Galliæ, Rotulus.
Roussillon, urbs Galliæ Narbonensis excisa, Ruscino.
le Roussillon, pars Galliæ Narbonensis, Ruscinonensis Comitatus.
Roussillon vel Rossillon, locus Galliæ, in Delphinatu: Item in Santonibus, Vrsoli.
Routon, oppid. Angliæ, Rutunium, item Brotona sylva in Gallia.
Row, oppid. Poloniæ, Eraclium.
Rouvres, vicus Belsiæ, Robora.
Rouvroy, locus Galliæ, in Belsia, Rubridum.
les Roux, populi Moscoviæ, Rhuteni.
Roxa, urbs Dalmatiæ excisa, Rosa.
Roxbourgh & Roxburg, oppid. Scotiæ, Littus altum, Ripa alta, Marchemum.
Roxemburgh, vide Roxburgh.
Rozene, vide Rosene.
Royan, oppid. Santoniæ, Royanum, melius Novioregum.
Royaume de Fez, Africæ, Fezzanum regnum.
de Siam, Indiæ, Siamum regnum.
de Sinde, Indiæ propriæ, Sinda regnum.
de Tombut, Nigritiæ, Tombutum regnum.
de Tunis, Africæ, Tunetanum regnum.
Roye, oppid. Picardiæ, Rodrina, aliis Rodium, seu Roja vel Rauga.
le ru de Sevre, fluv. vel rivus potius, Severa. Item Marvelius.
le pont de Ruam, vicus Galliæ, in Turonibus, Rotomagus.
Rubea, insula Tauricæ Chersonesi, Cephalonnesus.
Rubempré, locus Galliæ, in Ambianis, Ramberti Pratum.
Rudine, oppid. Dalmatiæ, Rhizana.
Rudkoping, oppid. Daniæ, Rudcopia.
Rudolfswerd, urbs Germaniæ, Rodolphiverdia.
Rue, oppid. Picardiæ, Rua seu Fanum S. Spiritus.
Rue, locus Galliæ Belgicæ, Durucoregum.
Rueda, oppid. Aragoniæ, Secontia.
Rueuil aut Ruril, villa Galliæ, in agro Rotomagensi, Rotojalum, vel Vallis Rodolia. Item vicus agri Parisini.
le Val de Rueuil, vel Van de Reuil, vide supra.
Rufach, oppid. in Sequanis, Rufiana.
Rufec, in agro Galliæ Lemovicino, Ruffiacum.
Ruffach, urbs Alsatiæ, Rubeacum, Rufacum.
Ruffei, oppid. Vasconiæ, Rufacum.
Ruffec, castrum in Sequanis, Rufiacum.
Rufiniane, suburbium Chalcedonis.
Russiee, conventus Rhætiæ, in Cano fœdere, Rogoreium.
Rugen & l'Isle de Rugen, insula Germaniæ, Rugia.
Rugenlandt, Baltici maris insula, ubi Rugi populi.
Rugenwalde, oppid. Pomeraniæ, Rugium.
Ruglate, oppid. Sabinorum, Regeta.
Rugles, locus ad Riselam fluv. Rugula.
Rugoso, fluv. Romandiolæ, Rubico.
Ruie, oppid. Salentinorum excisum, Rudia.
Rulla, mons Thraciæ, Rhodope.
Rum, locus Armeniæ majoris, Artze.
Rumanbeym, locus prope Iuliacum, Rumaum.
Rumelia, provinc. Europæ, Græcia, Achaia.
Rumigny, in Teoracia sylva, Ruminiacum.
Rumckerlandt, tractus Belgii, ubi Runici populi.
Runda la Vria, urbs Hispaniæ excisa, Munda.
Rupel, fluv. Brabantiæ, Rupera.
Rupelmunda, oppid. Flandriæ, Rupelmunda.
Ruremonde, urbs Geldriæ, Ruremunda.
Rus, pagus Andaluziæ, ubi olim Ruradenses populi.
Rus, fluv. Helvetiæ, Vrsa.
Rusca, vide Ruie.
Rusio, urbs Thraciæ, Rusium, Doberus, Topiris.
Russe, fluv. Prussiæ, Rusna.
Russen, populi Sarmatiæ, Roxolani, Rhuteni.
Russia, regio Sarmatiæ Europææ, ubi Roxolani, Rhuteni populi.
la Russie ou Russie Blanche, regio Europæ, Russia Alba & Moscovia.
la Russie Noire ou petite, provinc. Poloniæ, Russia nigra.
Russo, oppid. Romandiolæ, Longipressum.
Rutarida, oppid. Macedoniæ, Amphaxis.
Rutlanshire, provinc. parva Angliæ, Rutlandia.
Rutthaus, vide Roethauss.
Ruvo, urbs Apuliæ, Rubi.
Rye, vide Rhie.
Rymborch, vide Reimburch.
Ryswyk, i. e. Rysvicum, pagus peramœnus, & celebris Hollandiæ, suburbanus Hagæ Comitum, Prætorium opportunum Maximi Principis, Invictissimi, Potentissimi, Gloriosissimi, Vilhelmi III. Magnæ Britanniæ Monarchæ feliciter hodie regnantis, ubi A. C. 1697. icta pacis generalis fœdera, & signata Imperatorem, Reges inter, & Principes Christianos.
Rzecyck, oppid. Lithuaniæ, Rzecica.

S.

SAada, urbs Arabiæ felicis, Saada.
die Saal, fluv. Germaniæ, Sala, Salas.
die Saan, fluv. Stiriæ, Savaria.
Saarburg, oppid. ditionis Trevirensis, Saravusca.
Saba, Sabaim, & Sabastium, insula & urbs Æthiopiæ, Meroe, Saba.
Saba, insula Americæ, & una ex Antills, Saba.
Saba campus, campus Palæstinæ, Esdrelon.
Sabara, urbs Arabiæ Felicis, Sabathra.
Sabards, oppid. Sarmatiæ Europææ, Hygris.
Sabardun, castrum Galliæ, non procul Apamiis, Savardunum.
Saboro, fluv. Calabriæ, Sybaris.
Sabasant, oppid. Palæstinæ, Esbus.
Sabaudienses, populi, Sabbati.
Sabaza vel Sabaz, urbs Liguriæ excisa, Sabata.
Sabbato, fluv. Hirpinorum, Sabbatus.
li Sabini & la Sabina, populi & regio Italiæ, Sabini, Sabinia.
Sabion, promontor. Dalmatiæ, Hyllus.
Sabioncella, promontor. Sclavoniæ, Oneum, Hyllis.
Sabionetta, oppid. Longobardiæ, Sabuloneta.
Sablé, urbs Cenomanensis provinc. Sabolium.
Sables d'Olones, oppid. Galliæ, Arena Olonenses.
Sablestan, regio Asiæ, ubi populi Paropamisadæ, aliis Sablestania.
Sableuil primò, dein Sablol, nunc Sablé, oppidul. Galliæ, in Cenomanis, Sablolium.
Sabren, vide Salobren.
Sacania, regio Peloponnesi, Laconica, aliis Argia.
Sacari, vide Sangari.
Sacay, urbs Iaponiæ, Sacaia.
Sacca, urbs Ciliciæ maritima, Thermæ.
Sacca, urbs Siciliæ, Sacca & Therma.
Saccio, urbs Scythiæ, Auxacia.
Sacierge, tractus Galliæ, in Biturigibus, Caput Cervinum.
Sachalit, mons Arabiæ Felicis, Prionotus.
Sacher, insula maris Ægæi, Chios.
Sachsen, provinc. Germaniæ, Saxonia.
Sacile, oppid. Venetiæ, Sacilium.
Saclay, vicus Galliæ, in agro Parisino, Sarclos.
Sandan, vide Sandano.
Sadava, oppid. Hispaniæ Tarraconensis excisum, Atiliana.
Sadodela, fluv. Liguriæ, Edus.
Saemkbar, urbs Indiæ, Sabana.
Sara, oppid. Peloponnesi, Phara.
Saffari & Saffata, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, Savus.
S. Safarin, castrum Galliæ, ad Rhodanum, inter Lugdunum & Ligerim, S. Symphoriani.
Sagabria vel Sagrabia, vide Zagabria.
Sagan, urbs Silesiæ, Saganum.
Sagetta, urbs Phœniciæ excisa, Sidon.
Sagon, urbs Corsicæ excisa, Sagona.
Saganay, locus Burgundiæ, Saponarium.
Sagora, oppid. Thraciæ, Thynias, Thonas.
Sagriano, fluv. Calabriæ ulterioris, Sagra.
le Saguenay, tractus novæ Franciæ, Saguenea.
Saguenay, fluv. novæ Franciæ, Saguenaus.
Saind, pars Ægypti, Delta, aliis Ægyptus, & urbs Sais.
Saia, fluv. Austriæ, Salis.
Said, urbs Phœniciæ excisa, Sidon.
Saillant, oppid. Galliæ, Salientes.
Saillans, oppid. Delphinatus, ubi olim Segalauni populi.
Sain vel l'Isle de Sayn, in mari Britannico, Sena insul.
Sainct, vide Santo.
Sainctes, urbs Aquitaniæ, Mediolanum Santonum, Santona.
Saint, vide Santo.
Saint Ouen, seu S. Ouyn, locus Galliæ, ad Sequanam, Capella S. Audoeni.
Saint Vandrille, in pago Veroduensi, monasterium S. Vandregisili.
Saint Valmer, monasterium, & municipium Galliæ, in agro Bononiensi, S. Valmarii.
la Sainte Baume, in Provincia, Mons Balmeus.
la Saintonge, provinc. Galliæ, Santones & Santonia.
Saites, urbs Phœniciæ, Byblus.
Sakon, oppid. Hungariæ, Aquavia.
Sala, fluv. Saxoniæ. Salas.
Salabour, populi Arabiæ petrææ, Madianitæ.
Saladra, oppid. Daciæ, Sitena.
Salado, fluv. Andaluziæ, Salsum.
Salamanca, urbs Castellæ veteris, Salmantica.
Salamanca nueva, urbs novæ Hispaniæ, Salmantica nova.
Salambria, fluv. Thessaliæ, Sperchius.
Salamon, vide Capo Salamon.
Salampria, Selampria, fluv. Thessaliæ, Peneus.
Salandrella, fluv. Lucaniæ, Aclandrus.
Salanga, Hiberniæ, Sacrum promontor.
Salankemen, oppid. Hungariæ, Acuminum, Rhittium.
Salawar, vide Zalawar.
Salbris, locus Galliæ, Saleria Bria.
Salcatha, oppid. Palæstinæ, Salecha.
Sale, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Sala.
la Sale, fluv. Germaniæ. Salas & Sala.
Sale, fluv. Galliæ, in Cadurcis, Sala.
Salechia, urbs Ciliciæ, Seleucia.
Salemi, oppid. Siciliæ, Selinus, oppid. Semellitanorum, Semellitum.
Salemi, oppid. Siciliæ, Alicia.
Salenci, locus Galliæ, in agro Noviomensi, Salentiacum.
Salensate, fluv. Corsicæ, Hierus.
Salerno, urbs regni Neapolitani, Salernum.
Salers, locus Galliæ, in Arvernia superiori. Item in agro Tolosano, Salernum.
Saleso, fluv. Ciliciæ, Calycadnus.
Salganico, oppid. Bœotiæ, Salganeus.
Salgans & Salganis, oppid. Rhætiæ, Sana casa.
Salgera, urbs Sericæ, Ottorocorra.
Salgues, locus Galliæ, in Gabalis, Salvia vel Salices.
Salies, pagus Provinciæ, ubi populi Sallyes.
Salinas, populi & oppid. Biscajæ, vel Castellæ veteris, Salenj.
Salinde, populi Prussiæ, Galindæ.
Saline, insula Siciliæ, Didyme, Icesia, Thermissa.
Saline, insula juxta Tauricam, Rhosphodusa.
Saline, oppid. Tauricæ Chersonesi, Ctenos.
Saline, oppid. Atticæ, Eleusis.
Saline, locus Cyrenaicæ, Maritimæ stationes.
Saline, urbs Cypri eversa, Throni.
Salinea, oppid. Sarmatiæ Europææ, Lienum.
Salinello, fluv. Aprutii, Suinum, & Siris, fluv. magnæ Græciæ.
Salinelli, fluv. Aprutii, Helvinum & Helvinus.
Salingstede, oppid. Franconiæ, Salingstadium.
Sairus, vide Salinello.
Salino, oppid. Sardiniæ excisum, Osaa.
Salmo, fluv. Frentanorum, Phiternus, Tifernus.
Salins, urbs Burgundiæ Comitatus, Salinæ.
Sall, oppid. Sueciæ, Sala.
Sallant, regio Germaniæ inferioris, ubi Sali populi, aliis Sallandia.

Salm, fluv. agri Trevirensis: & oppid. Lotharingiæ, Salmona, aliis Salma.
Salmargne, pagus apud Lutzenburgum, Salomannia.
Salmnura, urbs Arcadiæ, Tegea.
Salmoze, vicus Galliæ, in agro Nemausensi, Salmosa.
Salndy, oppid. Angliæ, Salena, Salina.
Salnich, fluv. Macedoniæ, Cerydinus, Pepytychnus.
Salo, oppid. agri Brixiensis, Salodium.
Salobras, fluv. Andaluziæ, Salsum.
Salobrenna, oppid. Exitanorum, in regno Granatensi, Hexi, Salambina.
Salobron, promontor. Calabriæ, Hipponium.
Salon, vide Puerto de Salon.
Salon, oppid. Provinciæ, Salona.
Salona, oppid. Phocidis, Delphi.
Salona, urbs Dalmatiæ excisa, & Iader fluv. Salo, Salona.
Salonef, portus Marmaricæ, Selinus.
Salonichi, urbs Macedoniæ, Selinus.
Salonkemen, oppid. Hungariæ, Acumincum.
Salorne, pagus agri Tridentini, Salurnum.
Salpi, urbs Apuliæ excisa, Salapia.
Salsadella, oppid. Hispaniæ, Ildum.
Salsas, oppid. Linguadociæ, Salsula.
Salses, aliàs Saulses, arx & fons Comitatus Ruscinonensis, Salsula.
Salsete, insula parva Indiæ, Salseta.
Salso, fluv. Siciliæ, Gelas, Himera.
Saltz, fluv. Bavariæ, Juvavius.
Saltzach, fluv. Bavariæ, Saltza.
Saltzburg, urbs Bavariæ, Iuvavia, Salisburgum, aliis Pedicum.
Salvaterre, & Salvatierre, incolis. Sauveterre, communiter locus Galliæ, in terra Benearnensi, Salva Terra.
Salvatierra, oppid. Cantabrorum, Alba.
Saluces, aut Saluzze, oppid. Pedemontii, Salutia.
la Salvetat, oppid. Galliæ, in Cadurcis: Item in agro Tomeriensi, Salvitas.
Salveterre, castellum Galliæ, in Rutenis, Salva Terra.
Salvia, urbs Achaiæ, Nissae, Megara.
Salviati, mons juxta Neapolim, Pitiolinus.
Salvigny, pagus agri Bononiensis in Gallia, Silviacum.
Saluzzo, urbs Pedemontii, Salinæ, Salutia, aliis Augusta Vagiennorum.
Samachi, urbs Albaniæ, Samunis.
Samael, pagus Brabantiæ, Zamnale.
Samaguar, oppid. Hungariæ Artabrorum popul. Ad Fines, Fines.
Samana, insula Americæ septentrionalis, Samana.
Samandra, urbs Troadis diruta, Scamandria.
Samandrache, insula maris Ægæi, Samos, Samothracia.
Samendria, urbs Serviæ, Spenderobis.
Samarchant, urbs Ariæ, Samargana.
Samaria, regio & urbs Palæstinæ, Samaria, Sebaste.
Samastro, vide Famastro.
Samatan, oppid. Galliæ, in Convenis, Samnatanum.
Sambas, urbs Bornei insulæ, Sambasum.
Sambeeck, pagus Geldriæ. Sablones.
Sambia, regio Prussiæ, ubi Glessaria peninsula.
Samblancay, locus Galliæ, in Turonibus, Semblentiacum.
Sambre, fluv. Belgii, Sabis, Saba.
Sambuca, fluv. Catalauniæ, Sambroca.
Sammachi, vide Summachi.
Samo, insula Asiæ, Samos.
la Samogea, pagus agri Bononiensis in Æmilia, Madia.
Samogitie, provinc. Poloniæ, Samogitia.
Samoiede, provinc. Moscoviæ, Samoeda.
Samolico, castrum Rhætorum, Summus lacus.
Samonci, vel Samoncy, villa Galliæ, Lauduno proxima, Salomntiacum.
Samotra, in India, Aurea Chersonesus.
Sampui, locus Galliæ, in Comitatu Gaurensi, Simpodium.
San, fluv. Poloniæ, Sanus.
Sana, urbs Arabiæ Felicis, Saphar.
Sanaga, fluv. Libyæ interioris, Gir.
Sanabuja, oppid. Catalauniæ, Athanagia.
Sancelloni, vide S. Celloni.
Sancerre, oppid. Ducatus Bituricensis, Sacrum Cereris, vel Cæsaris.
Sancian, insula Sinarum, Saucianum.
Sanckint, pagus Carinthiæ, Sianticum, Santicum.
Sancoin, oppid. Galliæ, Tincontium.
Sancy, locus Galliæ, in Meldis, Santiacum.
Sandacourt, locus Lotharingiæ, Sandacurtis.
Sandalio, vide Scandalio.
Sandane, fluv. Portugalliæ, Calipus, Callipus.
Sandecz, urbs Poloniæ, Sandecium.
Sandey, insula Scotiæ, Ocetis.
Sandinia, pagus Cretæ, Subrita.
Sando, urbs Iaponiæ, Sandum.
Sandomer, urbs Poloniæ, Sandoria.
Sandrzee, tractus inter Palæstinam & Ægyptum, Barathra.
Sandwich, oppid. & portus Angliæ, Sanduicus
Sangami, oppid. Iaponiæ, Sangamum.
Sangari, fluv. Bithyniæ, Sangarius.
Sangat, locus Galliæ, ad mare, inter Witsantum & Calasium, Sangata.
Sangro, fluv. & castrum Aprutii, Sarus, Sagrus, & Sarum.
Sanguenares, insulæ duæ Sardiniæ, Cuniculeria.
Sanguesa, oppid. Suessitanorum popul. Navarræ, Iturissa, Suessatium, aliis Sangossa.
Sanguinara, fluv. Thusciæ, Alesus.
Sanguinare, insulæ Sardiniæ, Belerida.
Sanguine flumus, vide Sangro.
Sani, oppid. Phrygiæ, Sanis, Sanaus.
Sanlisses, vicus Galliæ, in agro Parisino, Sentiliciæ.
Sammarchand & Samarchand, urbs Sogdianæ, Maracanda.
Sannutio, pagus Corsicæ, Serminium.
Sanock, oppid. Poloniæ, Sanocum.
Sanone, insula maris Tyrrheni, Sinonia.
Saponne, castrum ad Mosellam, Scarpona.
Santa, vide Santo.
Santaren, oppid. Portugalliæ, Iulium præsidium, Scalabis.
Santaver, oppid. Castellæ novæ, Ergavica.
Santen, urbs Cliviæ, Castra vetera, Santa, Trajana colonia, Vitera, Xanthus, aliis Sanctena.
Santerini, insula maris Ægæi, Sancti Erini, Therasia.
Santerno, fluv. Romandiolæ, Sanitirnus, Vatrenus, Badrinus.
Santerre, tractus Picardiæ, Sanguitersa.
Santjago de Cacem, oppid. Portugalliæ, Merobriga, Mirobriga.
Santillana, oppid. in ora septentrionali Hispaniæ, Julianopolis, aliis Santillana.
Santo, fluv. & urbs Phrygiæ, Xanthus. Item fluv. Brutiorum, Acheron.
Santo, Santa, Sanct, Saint.
Agatha, oppid. Calabriæ citerioris, Artemisium.
Agatha di Goti, urbs regni Neapolitani, Agatha, aliis Fanum S. Agathæ.
Albans, oppid. Angliæ, Salina, aliis Fanum S. Albani, Verolamium.
Amand, urbs Hannoniæ, Elno.
Amand, oppid. Flandriæ, Fanum S. Amandi & Elno.
Anania, urbs Troadis, Proselene.
Andeol, pagus Galliæ Celticæ, Vivariense monasterium.
Ander, oppid. Biscaiæ, Flaviomavia, aliis Antequia, aliis Fanum S. Andreæ.
Andrea vide Capo di S. Andrea.
Andrea, insula prope Brundisium, Bara.
Andrea, insula & promontor. Cypri, Clides.
Andrea, pagus juxta Budam, Legio XIV. Germanica.
Andres, urbs Stiriæ, Sambrizetum popul. Flavium, Lavantum.
Andrews, urbs Scotiæ, Andreapolis, Rigmundia, Abernethum. Fanum S. Andreæ.
Angelo, Siciliæ oppid. excisum. Alontium.
Angelo, urbs Apuliæ Dauniæ, Angelopolis.
Angelo, oppid. Laconicæ, Boa.
Angelo, vide Citta di S. Angelo.
Angelo di Lombardi, urbs Hirpinorum, Angelopolis, Fanum S. Angeli Longobardorum.
Angelo in Vado, oppid. Umbriæ, Tifernum.
Anna, oppid. Calabriæ ulterioris, Decastidium.
Apollinare, locus juxta Ravennam, Classis.
Archangelo, castrum Romandiolæ, Compita.
Arpino, urbs Campaniæ excisa, Atella.
Asaph, urbs Walliæ, Elwa, Asaphopolis.
Aubin du Cormier, oppid. Galliæ, Fanum S. Albini.
Beat, oppid. Vasconiæ, ubi Sibutzates populi.
Benedetto, pagus Anconitanus, Capra marina.
Benoist vel Benoys, pagus Lotharingiæ, Ibliodurum.
Bernardo, cœnobium in Alpibus Graiis, Berginitrum.
Bernardo maggiore, vide Monte di S. Bernardo maggiore.
Bertrand, oppid. Convenarum popul. Vasconiæ Lugdunum.
S. Biasio, pagus Calabriæ citerioris, Ad turres, Turres.
Bibiana, locus Romæ, Ursus Pileatus.
Bonifacio, oppid. Corsicæ, Palla, Syracusanus portus.
Brieu, urbs Britanniæ minoris, ubi populi Bidiocenses, Briocum, Fanum S. Brioci.
Britis, castrum Umbriæ, Martulana.
Burien, oppid. Cornubiæ, Bolerium.
Cantiano, pagus juxta Aquileiam, Aqua Gradatæ.
Carilefo, cœnobium Galliæ Celticæ, Anisola.
Cassiano, pagus Hetruriæ, Ad Casas Cæsarianas.
Cataldo vel Castaldo, oppid. Salentinorum maritimum, Balesium, Lupia.
Celloni, oppid. Catalauniæ, Secerræ.
Christina, locus Navarræ, Summum Pyrenæi.
Christina, oppid. Aragoniæ, Fanum S. Christinæ.
Christophle, oppid. Galliæ, Fanum S. Christophori.
Claude, oppid. Comitatus Burgundiæ, Fanum S. Claudii.
Cloud, burgus Galliæ, Fanum S. Clodoaldi.
Colombe, oppidul. Galliæ, Fanum S. Colombæ.
Copa vel Sarantacopa, sinus apud Byzantium, Phidaliæ sinus.
Croce, urbs Cariæ, Stauropolis.
Cruz, urbs regni Marochii, Fanum S. Crucis.
Cruz de la Sierra, urbs Americæ. Fanum S. Crucis de monte.
Cruz de Zarza, pagus Castellæ novæ, Vicus Cuminarius.
Davids, urbs Walliæ maritima, Menevia.
Davidshead, promontor. Walliæ, Octapitarum.
Denys, urbs Galliæ, Dionysiopolis, Fanum Sancti Dionysii.
Dimitri, urbs Phrygiæ maritima, Antandrus.
Dizier, urbs Galliæ, Fanum S. Desiderii.
Domingo, urbs Americæ septentrionalis, Dominicopolis.
Domingo de la Calzada, oppid. Castellæ veteris, olim Ruconum popul.
Domingo de Silos, oppid. Hispaniæ, Pasula.
Domino vel S. Domo, insula Apuliæ, una Diomedearum, Teutria.
Donato, urbs Latii. Forum Appii.
Donato, urbs Epiri destructa, Euria, Evoria.
Donato, oppid. Calabriæ citerioris, Ninæa.
Edmonds bury, oppid. Angliæ, Villa Faustini.
Elpidio, oppid. Marchiæ Anconitanæ, Empelium.
Emilian, locus apud Burdigalam, Lucanus.
Emmeran, pagus Bavariæ, Augustana castra.
Episano, oppid. & promontor. Cypri, Acamas.
Estevan de Lima, oppid. Portugalliæ, Limia.
Estienne de Furans, burgus Galliæ, Fanum S. Stephani, Furanium.
Eufemia, oppid. Calabriæ, Lametia.
Euroul, Uticense cœnobium Normanniæ, & Fanum S. Ebrulphi.
Fé, oppid. Americæ septentrionalis. Fanum S. Fidei.
Fé, urbs novæ Hispaniæ. Fanum S. Fidei.
Fe de Bogota, urbs Americæ meridionalis, Fanum S. Fidei de Bogota.
Filadelfo, oppid. Siciliæ excisum, Abacum, Haluntium.
Fiorenzo, urbs Corsicæ, Fanum S. Florentii.
Filippo d'Argirone, urbs Siciliæ, Agyrnum.
Flora, mons Hetruriæ, Tinnias.
Flour, urbs Aquitaniæ, ubi populi Velauni, Indiciacus, Ruessium, aliis Floriopolis.
Gall, oppid. Helvetiorum, Fanum S. Galli.
Gertruydenberg, vide Gertruydenberg.
Georgio de Mina, in Guinea, Arx S. Georgii.
Georgio di Sciro, insula maris Ægæi, Sciros.
German en Laye, castrum Galliæ, Fanum S. Germani in Laya.
Germano, oppid. Italiæ, Fanum S. Germani.
Germano, oppid. Samnii, Casinum novum.
Gertruydenberg, oppid. Belgii, Mons S. Gertrudis.
Ghislain, oppid. Belgii, Fanum S. Ghisleni.
Gilles, oppid. Linguadociæ, Anatilia, Heraclea; aliis Fanum S. Ægydii.
Giorgio, oppid. Calabriæ ulterioris, Morgentia, Murgantia.
Giorgio, urbs Sarmatiæ, Gerusa.
Giorgio, urbs Palæstinæ, Lydda.
Giorgio, oppid. Peloponnesi, Phera.
Giorgio, urbs Troadis, Pitone.
Giorgio, promontor. Thessaliæ, Magnesia.

S. Giorgio di Triccala, urbs Siciliæ excisa, Triocala.
Giorgio in Velabro, locus Romæ, Velabrum.
Giovanni, oppid. Siciliæ dirutum, Motya.
Giovanni, vicus Carnorum, Diomedis templum.
Giovanni d'Abidmi, vicus Siciliæ, ubi Bidis oppid. Bidinorum excisum.
Giovanni in Campo Oratio, locus juxta Romam, Horatii Flacci villa.
Giovanni di Decatria, portus Siciliæ, Ulyssis portus.
Giovanni Laterano, templum Romæ & Palatium Pontificis, Lateranum.
Gislain, oppid. Hannoniæ, Ursidungum.
Giuliano, fluv. Siciliæ, Myle, alias Pantachus.
Giusbe Pastore, locus Portugalliæ, ubi Jovis Fanum.
Gothardo, vide Monte di S. Gothardo.
Gower vel S. Gewer, oppid. Germaniæ in Trigoria regione.
Helens head, promontor. Hiberniæ, Boreum.
Hermeland, insula Galliæ Celticæ, Antrum.
Hermo, mons juxta Neapolim, Pausilypum.
Honorato, insula Provinciæ, Lerina, Lerinum.
Hubert, pagus Leodiensis ditionis, Andainum, aliis Fanum S. Huberti.
Iacomo vel S. Iacob im Claveurthal, pagus Rhætiæ, Tarvesede.
Iago, urbs Gallæciæ, Flavium Brigantinum, Compostella, Iunasum. Vide Compostella.
Iago, urbs Africæ in insula cognomine, Fanum S. Jacobi.
Iago, urbs Americæ septentrionalis, Fanum S. Jacobi.
Iago de Cacem, oppid. Lusitaniæ, Merobrica.
Iago de Chile, in Chile regno, Fanum S. Jacobi.
Iago dell Estero, urbs Americæ, Fanum S. Jacobi de Estero.
Iago di Guatimala, urbs novæ Hispaniæ, Fanum S. Jacobi de Guatimala.
Iean d'Acre & Acre, urbs Phœniciæ, Ptolemais.
Iean d'Angely, oppid. Aquitaniæ, Engeriacum, Angeriacum.
Iean de Laune, oppid. Galliæ, Fanum S. Iohannis Laudonensis & Laudona.
Iean de Luz, oppid. Galliæ, Luisium & Fanum S. Joannis Luisii.
Iean de Morienne, urbs Sabaudiæ, Mauriana, aliis Fanum S. Ioannis.
Iean pié du port, oppid. Navarræ, Imum Pyrenæi, alias Fanum S. Ioannis Pedeportuensis.
Iohns Foreland, promontor. Hiberniæ, Isamnium.
Iohnston vel S. Iohnstown, oppid. Scotiæ, Perthum, aliis Fanum S. Ioannis ad Tavum.
Iosse, oppid. Picardiæ, Cella S. Iodoci, & aliis Quentavicus.
Iuan del Oro, oppid. Peruviæ, Fanum S. Joannis de Auro.
Iuan de Puerto rico, urbs Americæ, Fanum S. Ioannis de portu Divite.
Iuan de Vlva, arx Americæ, Fanum S. Ioannis de Ulva.
Iusta, monasterium Hispaniæ, Fanum S. Iustæ.
Iusto è Pastore, vide S. Giusto è Pastore.
Leo, urbs Ducatus Urbinatis, Leopolis, Mons Feretranus, alias Fanum S. Leonis.
Leon, urbs Calabriæ excisa, Leonia, Leonium.
Leonard le Noblat, oppid. Galliæ, Nobiliacum.
Lier, urbs Galliæ, Liceriium & Consoranum.
Locat, pagus Catalauniæ, Castrum Octavianum.
Lorenzo, insula Africæ, Cerne, & Cubus Canopi, suburbium Constantinopolis.
Lucar de Barameda, urbs Andaluziæ, Luciferi fanum.
Lucido, oppid. Calabriæ citerioris, Temesa.
Lupedio, vide S. Elpidio.
Maixime, portus ad sinum Sambracitanum, S. Maximini.
Malo, urbs Britanniæ minoris, Aletha, Maclovia.
Malo, urbs Britanniæ minoris, Aaronis insula & Macloviopolis.
Marco, urbs Calabriæ citerioris, Argentanum, aliis Fanum S. Marci.
Marco, oppid. Siciliæ, Calacta.
Margarita & S. Marguerite, insula Provinciæ, Lero, Lerone, aliis Planasia.
Maria, insula maris Tyrrheni, Pandataria.
Maria, urbs Salentinorum excisa, Templum Minervæ.
Maria, locus Asiæ minoris, ubi Troas, Alexandria Troadis urbs.
Maria, pagus Neapolitani regni, Capua Vetus.

S. Maria de Betlem vel Betlehem, locus Siciliæ, Stesichori tumulus.
Maria di Cassopo, pagus Corcyræ, Cassiope.
Maria di Cimes, locus juxta Niceam, ubi olim Cemeneleum, Cimela, urbs.
Maria di Corte, promontor. Melitæ insulæ, Iunonis templum.
Maria Finis terræ, oppid. Gallæciæ Artabrorum popul. & Nerium promontor. Flavia, Lambris.
Maria Forcassi, oppid. Hetruriæ, Forum Cassii.
Maria in Giorgio, oppid. Piceni, Tignium.
Maria di Grotta ferrata, vide Grotta Ferrata.
Maria de Guadalupe, vide Guadalupe.
Maria di Leuca, urbs agri Hydruntini, Leuca.
Maria Nuntiata vel Anontiata, oppid. Campaniæ, Pompejanum.
Maria de Oreto, oppid. Oretanorum popul. Castellæ novæ, Oretum.
Maria di Pantano, urbs Umbriæ excisa, nunc Abbatia, Marta.
Maria delle Pertiche, vicus Insubriæ, ad Perticas prope Ticinum.
Maria in Portico, suburbium Ravennæ, Cæsarea.
Maria di Purgano, oppid. Hetruriæ excisum, Pyrgi.
Maria di Rebilla, oppid. Castellæ veteris, Intercatia.
Maria Rotonda, templum in Roma, Pantheon.
Maria di Tindaro, urbs Siciliæ excisa, Tyndaris.
Maria de Transiarch, oppid. Liburniæ, Transatica.
Maria di Tremiti, insula maris Adriatici, una Diomedearum, Tremerus, Trimerus.
Maria di Vereto, oppid. Salentinorum excisum, Veretum.
Marinella, oppid. Hetruriæ excisum, Pyrgi.
Marinella, castrum ditionis Pontificiæ, Neopyrgum & Pyrgi.
Marino, oppid. territorii Ariminensis, Marinum, Mons Titanus, Fanum S. Marini.
Marino, mons Æmiliæ cum oppid. in Italia, Acer.
Marta, urbs Americæ, Fanum S. Marthæ.
Martiano, vide Isola di S. Martiano.
Martin, pagus agri Blæsensis, Condate.
Mathieu, vide Cap S. Mahé.
Maur des Fossez, locus juxta Parisios, Bagaudarum castrum.
Maura, insula & urbs Epiri, Leucas, Leucadia, Neritum, Neritos.
Maurice, castrum Saubaudiæ, Berginirum.
Mauriz, oppid. Sabaudiæ, Agaunum.
Mauro, oppid. Calabriæ ulterioris, Materum.
Maximin, oppid. Provinciæ, Tecolata, Fanum S. Maximini.
Menehould, oppid. Galliæ, Fanum S. Menehildis.
Mesmin, monasterium Galliæ, Miciacense.
Miguel, oppid. Americæ, Fanum S. Michaëlis.
Miguel, oppid. Americæ, Fanum S. Michaëlis.
Miguel, oppid. Americæ, Fanum S. Michaëlis.
Miguel, oppid. novæ Hispaniæ, Michaelopolis.
Miguel de Tucuman, urbs Americæ, Fanum S. Michaëlis.
Mihel, oppid. Lotharingiæ, Fanum S. Michaëlis.
Miniato, urbs Hetruriæ, Miniatum.
Nicola, pagus Cretæ, Amphimalia.
Nicola, urbs Siciliæ diruta, Herbita.
Nicolas, burgus Lotharingiæ, Fanum S. Nicolai.
Ninfa, locus Hetruriæ juxta Romam, Nymphæ Catabassi.
Niqueta, pagus Cretæ, Phœnix.
Omer, urbs Artesiæ, ubi Oromansaci populi, Audomarensis urbs, aliis Audomaropolis.
Papoul, urbs Linguadociæ, Papuli Fanum.
Paul, oppid. Hungariæ juxta Budam, Floriana.
Paul de Leon, urbs Galliæ, Fanum S. Pauli Leonini, Leona.
Paul de trois Chasteaux, urbs Delphinatus, Augusta Tricastinorum, Tricastini.
Paulo, vide Fiume di S. Paulo.
Pedro de Terrassa, vide Terrassa.
Pelino, urbs Aprutii excisa, Corfinium.
Petronel, pagus Austriæ, Carnus & Carnuntum.
Philippo d'Agirone, urbs Siciliæ, Agirium.
Phoca vel Foca, oppid. Cappadociæ, Cordula.
Pierre de Ferrieres, pagus Senonum, Ferrariæ.
Pierre le Moutier, oppid. Nivernensis provinc. Monasterium S. Petri.
Pietro, insula Lucaniæ, una Sirenussarum.
Pietro, insula Sardiniæ, Hieracum insula, Enosis.
Pietro, urbs Cariæ, Iasus.
Pietro, locus apud Paduam; Geryonis oraculum, & Geryonis monumentum prope Gades.

S. Pietro, monasterium Gandavi, Blandinium.
Pietro in Celaurio, locus Ticini urbis, Calum aureum.
Pietro in Galatino, oppid. territorii Hydruntini, Petrinum.
Pietro di Usellis, locus Sardiniæ, Usellis.
Pol, oppid. Artesiæ, Poliniacensis pagus.
Pol de Leon, urbs Britanniæ minoris, Leona, Staliocanus portus.
Pons de Tomiers, urbs Linguadociæ, Tomeria, aliis Pontiopolis.
Quaranti vel Quaranta, promontor. Troadis, Assum: & promontor. Epiri, Onchesmus.
Quintin, urbs Picardiæ, Augusta nova Veromanduorum, Quinctinopolis, Samarobrina.
Quirico, oppid. Hetruriæ, Umbro mons, Fanum S. Quirici.
Remo, oppid. Liguriæ, Fanum Remuli, Villa Matutiana, aliis Fanum S. Remigii.
Remy, pagus Provinciæ, Undalus.
Reparata, pagus Sardiniæ, Tillium.
Requier, pagus & cœnobium Picardiæ, Centula.
Riti vel Rici, mons Siciliæ, Chalcidicus.
Salvador, urbs novæ Hispaniæ, Soteropolis.
Salvador, urbs regni Congi, Soteropolis.
Salvador, urbs Americæ meridionalis, Fanum S. Salvatoris.
Salvii, pagus Hannoniæ, Fanum Martis.
Sauveur, oppid. Normanniæ, Neomagus.
Sauveur en Puisaye, oppid. Galliæ, in agro Nivernensi, S. Servatoris.
Sebastian, urbs Portugalliæ diruta, Colippo & Medasfeus, oppid. Guipuscoæ, Ocasopolis, aliis Fanum S. Sebastiani.
Sebastian, urbs Americæ meridionalis, Fanum S. Sebastiani.
Sene, monasterium, in Lingonibus, S. Sequani.
Sens, in Caletis castrum, S. Sidonii.
Sergio, urbs Syriæ, Sergiopolis.
Sever de Gascogne, oppid. Galliæ, in Vasconia, S. Severi.
Severa, oppid. Hetruriæ excisum, Turres, Alsium.
Severina, urbs Calabriæ ulterioris, Siberena.
Severino, urbs Piceni, Septempeda.
Silvestro, vide Castel di Silvestro.
Silvestro in Falatrino, locus Sabinorum, Phalacrina.
Simond, locus Galliæ, in Carnutibus: in Archidiaconatu Balgentiacensi, cum monasterio, Puteus S. Sigismundi.
Sphorien le chastel, locus Galliæ, in agro Forensi inferiori, Mandamentum S. Symphoriani.
Siran en Brenne, monasterium Galliæ, in Brionis saltu, S. Segirani.
Sofia, oppid. Sarmatiæ Asiaticæ, Oenanthia.
Sofia, vide Sofia.
Spirito, oppid. & promontor. Corsicæ, Marianum.
Stefano, oppid. Colchidis excisum, Onogoris.
Stefano, oppid. Paphlagoniæ, Stephane.
Taps head, promontor. Scotiæ, Taixalum.
Theodoro, insula parva Cretæ, Leuce.
Theodoro, oppid. Ciliciæ, Aphrodisias.
Theodoro, promontor. Siciliæ, Agathyrsus.
Theodoro, vide Theoro.
Thierri, locus Galliæ, in agro Remensi, Ad S. Theodoricum.
Thomaso, urbs Indiæ citerioris, Melange.
Thome, urbs Hispaniæ excisa, Montesa.
Tibery vel Tubery, oppid. Linguadociæ, Cessero, Vindomagus.
Trouta del Monti, collis Romæ, Pincius; Item portus Galliæ, sinui Samblacitano ad Occasum, S. Tropesii.
Trond, oppid. cum monasterio in Tungris, S. Trudo[illegible]
Tropez, urbs Galliæ, Fanum S. Eutropii.
Truyen vel Truyden, oppid. Centronum cum monasterio in Belgio, in Tungris, Fanum Trudonis, Trudonium, Sarcinium.
Valeri, Picardis S. Vauary, monasterium Galliæ, in agro Vimenaco, S Walarici.
Valery en Caux, in Caletis, Fanum S. Walarici.
S. Vastrad, in Caletis locus, ad S. Vedastum.
Uberi, monasterium Galliæ, in agro Agathensi, S. Tiberii. Olim Axawra, & Cesero.
Ubes & Seuval, urbs Lusitaniæ, Cetobrica.
Vedaste, cœnobium Attrebatense, Nobiliacum.
Veit, urbs Carinthiæ, Candollica, Tiburnia, aliis Fanum S. Viti.
Veit am Hawm, oppid. Germaniæ, Fanum S. Viti ad Flumen.
Venant, oppid. Belgii, Fanum S. Venantii.
Vincente, oppid. & portus Hispaniæ, Victoria Iuliobrigensium portus.

Vincente, oppid. Americæ, Vicum S. Vincentii.
Vito, vide S. Veit.
Vitterino, urbs Aprutii excisa, Amiternum.
Yon, vicus Galliæ, in agro Parisino, S. Ionii.
Yves, oppid. Angliæ, Fanum S. Yvonis.
le Santois, tractus Galliæ, in Ambianis, Ager Santeriensis.
Santorini, vide Santerini.
Santuliet, urbecula Brabantiæ, Sanflita.
Sanvasili, oppid. Peloponnesi, Cleonæ.
Sanuqui, oppid. Iaponiæ, Sanuquia.
Saone, fluvius Campaniæ Italicæ, Savo.
le Saonnois, aliis Sonnois, in Cenomanis Galliæ, Pagus Sagonensis.
la Saosne & Saone, fluv. Galliæ, Arar, Saucona.
Saphet, urbs Phœniciæ, Sarepta.
Sapeco, oppid. Peloponnesi, Cardamyla.
Sapientia, vide Sapienza.
Sapienza, insula Peloponnesi, Oenuza, Sphagia.
Saponara, oppid. Lucaniæ, Grumentum.
Sapri, oppidul. & fluv. Lucaniæ, Sapris, aliis Laus.
Sar, fluv. Lotharingiæ, Saravus, Sara.
Sar Alben, ad Saravum fluv. Sar Alba.
Sar-baultzbach, ad eundem locus, Saraltbachium.
Sara, urbs Armeniæ majoris, Sala.
Sara, locus Phœniciæ, Sarepta.
Sara, urbs Illyrici, Scardona.
Sarabat, fluv. Lydiæ, Hermus, aliis Pactaus, & Chrysorhoas.
Saracina, oppid. Calabriæ citerioris, Sestium.
Sarafendi, urbs Phœniciæ, Sarepta.
Saragossa, urbs Siciliæ, Syracusæ.
Sarazoza, urbs Aragoniæ, Cæsaraugusta.
Saraquino, insula Ægæi maris, Perapethus.
Sarbrucken, oppid. Germaniæ superioris, Sarræ pontes, Pons Sarræ.
Sarbourg, vide Sarburg.
Sarburg, oppid. duplex inter Alsatiam & Lotharingiam, Sarræ castra, Sarraburgum seu Saravi burgum, Pons Saravi.
Sarcelle, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Rusicibar & Rusubricari.
Sarch, provinc. Asiæ, Assyria.
Sarchiom, provinc. Asiæ, Ionia.
Sarcum, provinc. Asiæ, Phrygia minor, aliis Æolia.
Sardegna, insula Italiæ, Sardinia.
Sardenay, mons & tractus Idumææ, Seir.
Sardene, locus Galliæ, in Lemovicibus, Seridunum.
Sardia, urbs Lydiæ excisa, Sardis vel Sardes.
les Sardinieres, insulæ duæ, in ora sinus Grimaldi, Sardinariæ.
S. Sardos, oppid. Galliæ, in Petrocoriis, Sarlutum, Sacerdotis.
Sarduni, insula Provinciæ, Planasia.
Sareck, locus ad Saravum fluv. Saravicum vel Saracium.
Sargatia, provinc. Asiæ, Sarmatia Asiatica.
Sargel, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Canuccis.
Sargnes, locus Galliæ, in Senonibus, Sarcinæ.
Sargoreg, oppid. Palæstinæ in tribu Benjamin, Bethel, Luza.
Sarione, oppid. Valentiæ vel Aragoniæ, Lassira.
Sarisbury, urbs Angliæ, Sarisberia, Sorviodunum, Severia.
Sarlat, urbs Aquitaniæ, Sarlatum.
Sarngans & Sarnganserlandt, oppid. & tractus Rhætiæ, ubi Sarunetes populi.
Sarno, oppid. & fluv. regni Neapolitani, Sarnus.
Saronica, pagus Græciæ, Sarona.
Sarpi, urbs Apuliæ excisa, Arpi, Argyripa, Argos Hippium.
Sarponne, vide Scarpaigne.
Sarria, oppid. Gallæciæ, Aquæ Quintianæ.
Sarsina, urbs Romandiolæ, Sarsina vel [illegible]e.
Sart, locus Belgii ad Saram, Sara.
la Sartre, fluv. Galliæ, in Pertico, Sarta.
Sartre, fluv. Galliæ Celticæ, Sarta.
Sarwerden, insula Saravi.
Sarwicze, fluv. Hungariæ, Urpanus.
Sarzana, urbs Hetruriæ sub Genuensibus, Luna vel Luna nova, Sergianum, aliis Serezana.
Sas, Asiæ populi prope Scythas, Saca.
Sas de Gand, arx Belgii, Gandavensis Ager.
Sasa, oppid. Umbriæ excisum, Suasa.
Sasa, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Tapasa
Saseno, insula maris Ionii, Saso.
Sassari, urbs Sardiniæ, Sassaris, Turris Libyssonis nova, Plubium.
Sassenage, locus Galliæ, in Delphinatu, Cassenaticum.
Sassoferrato, oppid. Umbriæ, Isficum, Sentinum novum, aliis Saxumferratum.

Sassonia, regio Germaniæ, ubi Saxones populi.
Sassuolo, oppid. Ducatus Mutinensis, Saxulum.
Sasum, urbs Cappadociæ, Sasima.
Satabella, insula Colchidis, Æa, Pæanthe.
Satalia, urbs Pamphyliæ, Attalia.
Satcuma, regnum Japoniæ, Satcuma.
Satigan, urbs Indiæ citerioris, Cosamba.
Satine, vide Setines.
Satriano, fluv. & oppid. Calabriæ, Cæcinum.
Satriano, urbs Lucaniæ excisa, Satrianum.
Saturnia, urbs Hetruriæ excisa, Saturnia.
Saturo, pagus juxta Tarentum, Saturum.
Sava, urbs Mediæ, Tigranocerta.
la Sava, vide Saw.
Savas, regio Peſſiæ, ubi olim populi Messabatæ.
Savatopoli, urbs Colchidis, Dioscurias, Sebastopolis, aliis Giganeum.
Saucense, locus Galliæ, in Veliocassibus, Salicosa.
Sauci, vicus Galliæ, in Suessionibus, Sauciacum.
Saude, fluv. Galliæ, in Matronam influens, Salda.
la Saudre, fluv. Galliæ, in Biturigibus, Salera.
Savello, castrum Latii, Alba longa nova, aliis Sabellum.
Savenier, locus Limburgensis Ducatus, Tungrorum fons.
Saverne & Zabern, oppid. triplex Germaniæ, Taberna.
Saverne, fluv. Angliæ, Sabrina.
le petit Saverne, in Palatinatu oppid. Parva Taberna.
Savien, conventus Rhætorum, in fœdere Cano, Stussavia.
Savigliano, oppid. Pedemontii, Savilianum.
Savignano, castrum Romandiolæ, Compita.
Savigny, loca Galliæ, in agro Parisiensi: ad Mosam: in diœcesi Abrincatina, cum monasterio: Item in diœcesi Matisconensi, Sabiniacum.
Savigny sur Braye, locus Galliæ, in Cenomanis, Sabiniacum ad Brigiam fluv.
Savigny sur Orge, in agro Parisiensi, Sabiniacum ad Urbiam.
il Savio, fluv. Romandiolæ, Isapis, Sapis.
Saulcourt, locus Gallis, in Bellovacis, Sathulcurtis.
Sauldre, fluv. agri Blesensis, Sodera.
Saulieu, oppid. Burgundiæ Ducatus, Sidoleucum.
Sault, vide Conté de Sault, aliis Saltus.
Saumont, in diœcesi Galliæ Leuterana, Salvus mons.
Saumur, urbs Galliæ, Salmurum.
Sauna, fluv. Romandiolæ, Sapina.
le Saunoy, inter Saliam & Nitam fluv. in pago Metensi, Salonensis ager.
Savoia, regio Galliæ, ubi olim Allobroges populi, Sapaudia, Sabaudia.
la Savoie, regio Galliæ Narbonensis, Sabaudia.
Savolax, provinc. Sueciæ, Savolaxia.
Savona, urbs Liguriæ, Saona, Savo.
Savona, insula Americæ septentrionalis, Savona.
Savonieres, in suburbio Tullensi locus, Saponariæ.
Saur, vicus ad fluv. cognom. in Mosellam effluentem, Sura.
Saur, vide Sour.
Saura, urbs Isauriæ regionis Asiæ minoris, Isaura.
Saurac, vicus Indiæ citerioris, in Syrastene regione.
Sausilanges, cella in Arvernis, Cellinaria.
la Saussaye, vicus Galliæ, cum prioratu, in agro Parisino, Salices.
Sausia, urbs Cappadociæ, Sebastia.
Saw, fluv. Norici, Saus, Savus.
Sauve, monasterium Galliæ, in Ambianis, S. Salvii. Item loca in diœcesi Nemausensi & Vivariensi, Salvia.
la Sauvetat de Gaure, in Comitatu Gaurensi, Salvitas.
Sauveterre, castellum Galliæ, ad Garumnam, Salva Terra.
S. Sauveur de Dive, monasterium Galliæ, ad Divam S. Salvatoris.
Sauvian, oppid. Galliæ, in diœcesi Biterrensi, Salvianum.
Sauvigny, locus Galliæ, ad Icaunam fluv. Sylviniacum.
Sauvoi, monasterium Galliæ, Lauduno Clavato proximum, Sylvacum, Sylviacum.
Sauuto, fluv. Calabriæ, Ocinarus, Sabbatus, Acheron.
Saux, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, prope montem Leotherici, Salix. Item fluv. in Matronam influens, Saltus.
Saux S. Remy, villa Galliæ, ad Rotumnam, Salix S. Remigii.
la Saxe, provinc. Germaniæ, Saxonia.

Saxenlandt, vide Sassonia.
Saycock, insula Iaponiæ, Saicocum.
Sayn, vide Seyn.
Sbirir, oppid. Germaniæ, Marionis.
Scafasso, urbs Phœniciæ, Porphyreum.
Scafato, fluv. Picentum, Sarnus.
la Scaffa del Garigliano, urbs Latii excisa, Minturnæ.
Scagen, oppid. & promontor. Daniæ, Cimbrorum promontorium, aliis Cartis & Scagense.
Scakerbosch, sylva Hollandiæ, Sacrum nemus.
Scala, urbs Picentinorum, Scala.
Scala di Canello, oppid. Corsicæ, Canelate.
Scala Greca, turris Siciliæ, Galeagra.
Scala Marmorea, portus Bithyniæ, Amycli vel Amyci.
Scalambri, portus Siciliæ, Caucana.
Scalas, locus prope Constantinopolim, Chelæ.
la Scalda, vide Sceldt.
Scalea, oppid. & fluv. Calabriæ citerioris, Laus, Talaus.
Scalemuro, vide Stalemura.
Scalmar, oppid. Hungariæ, Salva.
Scalona, urbs Palæstinæ, Ascalon.
Scaltheim, locus ad Scaldim fluv. Scaldis villa, seu Scaldis Hammus,
Scamandro, fluv. Asiæ minoris, Scamander, Xanthus.
Scambri, pagus Hungariæ, Legio Auxiliatrix, Sicambria.
Scampi, urbs Macedoniæ excisa, Scampis.
Scamps, conventus Rhætorum, in fœdere Cano, Sessa.
Scandalio, oppid. Palæstinæ, Ecdippa, Alexandrium.
Scandalor, provinc. Asiæ minoris, Pamphylia; & urbs Pamphyliæ, Sida.
Scandeloro, urbs Pamphyliæ, Coracesium.
Scander, urbs Georgianorum, Zalissa.
Scanderia, urbs Ægypti, Alexandria.
Scanderone, urbs Syriæ, Alexandria.
Scapring, oppid. Hungariæ, Sacarbantia, Scarabantia.
Scaramis, portus Siciliæ, Caucana.
Scardo, urbs Liburniæ, Scardo, Scardona.
Scaren, urbs Gothiæ, Scara.
Scarsia, urbs in confinio Achaiæ & Macedoniæ, Echinus, aliis Scarphia.
Scarlino, oppid. Hetruriæ, Scapris.
Scarpaigne, pagus Lotharingiæ, Scarponna.
Scarpanto, insula Asiæ juxta Rhodum, Carpanthus.
Scarpe, fluv. Artesiæ, Scarpa.
Scatono, pagus Hetruriæ, Scatonia.
Scatron, oppid. vel pagus Aragoniæ, Osbegesa.
Sceldt, fluv. Flandriæ, Scaldis.
Scelos, angustia montis, & urbs Phthiotidis, Thermopylæ.
Scempsat, urbs Syriæ excisa, Samosata.
Scenasechie, pagus Carniolæ, Avesica, Anesica.
Scetlant, insula maris Germanici apud Scotiam, una Electridum.
Schachtlan, nomen officii, in agro Bernensi, Castellanus.
Schaffhausen, vide Schaffhusen.
Schaffmatte, pars Jurassi, in agro Basiliensi, Pratum ovium.
Schaffhusen, urbs Helvetiæ, Probatopolis, Scaphusia.
Schagen, promontor. Daniæ in Jutia, Cartris.
Schalecbmarch, fluv. Ciliciæ, Tyberis.
Schalholt, urbs Islandiæ, Schalholtum.
Scham, urbs Syriæ, Damascus.
Scharbeigne, aut Charpeigne, vicus ad Mosellam fluv. Scarponas.
Scharesten, oppid. Daciæ, Ziridava.
Scheirn, populi Bavariæ, Scyri.
Schekel, mons Syriæ, Gessaces, mons Hungariæ, Cacius.
Scheldt, vide Sceldt.
Schelichmarch, vide Schalechmarch.
Schelling, insula Belgii uniti, Schellinga.
Schemunckelberg, mons Mauritaniæ, Abyle.
Schenkenschans, arx Belgii, monumentum Schenckii.
Scheno, portus Isthmi Corinthiaci, Schœnus.
Schesburg, urbs Transylvaniæ, Sandava.
Schetland, insulæ in mari Caledonio, Æmodæ, seu Æmodæ, & Schetlandiæ.
Schiatto, urbs Macedoniæ, Cassandrea.
Schiavoni, populi Illyrici, Sclavi
Schiavonia, provinc. Europæ, Illyricum, Sclavonia.
Schiavonia di la dal fiume Titio, regio Illyrici, Dalmatia.
Schiermong, insula Belgii, Monicoga.
Schilia, insula Peloponnesi, Pityonesus.

Schi-

Schiras, urbs Persiæ, Schirasium.
Schiret, fluv. Sarmatiæ Europææ, Agarus, Sagaris.
Schiffo, urbs Siciliæ excisa, Naxos.
Schlesien, provinc. Germaniæ, Silesia.
Schlesier, populi Germaniæ, Ligii.
Schlestadt, urbs Alsatiæ, Elcebus, Selestadium, Helvetum.
Schleswick, urbs Cimbricæ Chersonesi, Heideba, Slesvicum.
Schmebeu, oppid. Pomeraniæ, Scurgum.
Schneberg, pars Carpatis montis Sarmatiæ Europææ.
Schneberg, pars Cetii montis Notici.
Schoeffleen, pagus Bavariæ, Pontes Tessenini.
Schoneck, castellum inter Prumiam & Bedam vicos, Nosonacum.
Schonen, pars Daniæ regni, Scandia.
Schongaw, oppid. Bavariæ, Schongavia.
Schonhoven, oppid. Hollandiæ, Schonhovia.
Schorndorf, urbs Ducatus Wittembergici, Schorndorfium.
Schoven, insula Zelandiæ, Scaldia.
Schuls, conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, Scultina.
Schut, insula Danubii in Hungaria, Cituorum insula.
Schwaben, provinc. Germaniæ, Suevia.
Schwanberger, nomen Alpium Noricarum.
Schwartwatter, fluv. Germaniæ, Vidrus.
Schwartzwaldt, pars Hercyniæ, sylvæ Germanicæ, Martiana sylva, Bacenis.
Schwartz-zee, mare Euxinum & Nigrum.
Schwatz, oppid. Tirolensis Comitatus, Sebatum, Sevatum, ubi Sevaces populi.
Schweidnitz, urbs Silesiæ, Suvidnia.
Schwerin, vide Swerin.
Schwinborg, oppid. Daniæ, Suinburgum.
Schwindaw, locus Consuanetum popul. Bavariæ.
Schwinford & Schweinfurt, urbs Franconiæ, Suevorum trajectus, Swinfordia, Schuvinfurtum.
Schwitz & Suisse, vicus Helvetiorum, Suitium.
Schwitzer, populi Germaniæ, Helvetii.
Schwitzerlandt, regio Germaniæ, Helvetia.
Schytim, fluv. Sogdianæ, Jaxartes.
Sciani, vide Scham.
Sciato, insula maris Ægæi, Sciathus.
il Sciglio, promontor. & oppid. Calabriæ, Scyllæum.
Scillo vel Scilla; scopulus Calabriæ, Scylla.
Sciltaro, urbs Mysiæ superioris, Nicoplis.
Scilrwoldt, vide Sideburen.
Scinusa, insula maris Ægæi, Schinussa.
Scio, insula maris Ægæi, Chios.
Sciocco, fluv. agri Patavini, Togisonus.
Sciro, insula maris Ægæi, Scyros.
Sclissa, vide Clissa.
Scone, oppid. Scotiæ, Scona.
Sconga, oppid. Vindeliciæ, Esco.
Scopia, urbs Macedoniæ, Paræcopolis.
Scopia, urbs Mysiæ superioris, Scupi.
Scopia, oppid. Laconicæ, Teuthrone.
Scopuli, insula maris Ionii, Scopelus, Scopulus.
Scopulo, insula maris Ægæi, Scopelos.
Scoraille, alias Escouraille, castrum Galliæ, in Arvernia superiori, Scoralia.
Scorpiata, promontor. Troadis, Lectum.
Scosna, fluv. Scythiæ Europææ, Hyrgis, & oppid. Ara Cæsaris.
Scotia, pars Britanniæ, Britannia secunda, Scotia.
the Scotish Banck, inter Angliam & Scotiam, Hadriani murus.
Scotland, pars Albionis insulæ Europæ, Scotia Albania.
Scotusa, urbs Thessaliæ, & alia Macedoniæ, Scotusa.
Scozesi, populi Scotiæ, Scoti.
Scrachicow, oppid. Poloniæ, Schrachicovia.
Scritfinner, populi Scrifinia regionis Scandinaviæ, Crefenna, Scritifinni.
Scrissia & Scrisia, pagus Liburniæ, Argyrutum.
Scrivia, fluv. Lombardiæ, Iria, Scripia.
Scultella, fluv. Romandiolæ, Scultella.
Scupello, oppid. Siciliæ dirutum, Cetaria.
Scutari, promontor. & arx Asiæ contra Byzantium, Chrysopolis, aliis urbs Chalcedon, Dianæ fanum.
Scutari, urbs Albaniæ, Scodra.
Scutula, oppid. Aprutii, Cuculum.
Scyro, vide Sciro.
Sdiles, insula maris Ægæi, una Cycladum, Delos.
Sdrigna vel Sdrin, oppid. Sclavoniæ vel Hungariæ, Stridon.
Seane, fluv. & vicus Galliæ, in Caletis, Sedana.
Seane en Otte, vicus Galliæ in Tricassibus, Sedanum in Utta sylva.
Seaton, oppid. Angliæ, Moridunum.
Seavenshale, oppid. Northumbriæ, Hunnum.
Seben, vide Czeben.
Sebenico, urbs Dalmatiæ, Sebenicum, Sicum.
Sebenit, urbs Ægypti, Sebennytus.
Secca, oppid. Pelignorum, Buca.
le Secche di Barbaria, mare Africæ Scopulosum, Syrtes.
le Secche delle Garze, sinus Libyæ, Sinus Hesperius.
Secchia, fluv. Lombardiæ, Gabellus.
Sekaw, urbs ditionis Salisburgensis, Secovia.
Seckingen, oppid. Helvetiæ vel Sueviæ, Sanctio.
Seclin, vicus Galliæ, cum Collegio Canonicorum, in agro Medenatensi, Saclinium.
Secondigni, oppid. Galliæ, in Pictonibus, Secundiniacum.
Sedan, oppid. Sedusiorum, popul. Germaniæ.
Sedan, urbs Campaniæ, Sedanum.
Sée, fluv. Galliæ, Seva.
Seelandt, insula maris Baltici, Selandia, Codanonia, Scandia, una Hemodum.
Seez, urbs Normanniæ, Sagiensis urbs, Sagium, Aruviorum, Essuorum, Saiorum, Sesuviorum popul. aliis Vagoritum: in Osismiis, Valesio.
Sefet, urbs Palæstinæ, Sephet, Sepphoris, Sephorum.
Sefor, oppid. Galilææ, Sepphoris.
Sege, promontor. Corsicæ, Sacrum.
Seged & Segedin, urbs Hungariæ, Segedanum.
Segelmessa, regio Africæ, Segeliamesia.
Segent, vide Caer Segent.
Seges, pagus Castellæ veteris, Segeda, ubi Segienses populi.
Segesd vel Seged, urbs Hungariæ extincta, Segeste, Segestica.
Segeswar, urbs Transylvaniæ, Segethusa, Sandava, Singidava.
Segewoldt, urbs Sueciæ, Segeveldia.
Seghex, insula maris Ægæi, Chios.
Segiola, pagus Calabriæ, Sedecula.
Segistan, vide Sigistan.
Segna, urbs Liburniæ, Senia.
Segna vel Segni, urbs Latii, Signia.
Segney, vide Signey.
Segor, pagus Palæstinæ, Zoara, Segor.
Segorve, urbs Valentiæ, Segorbia, aliis Segobriga.
Segovia, urbs Castellæ veteris, Segovia, Segobia.
Segovia la meser, pagus Andaluziæ, Segovia.
Segovia la nueva, urbs Philippinarum, Segovia nova.
Segre, locus Galliæ, ad Oldonem fluv. Segrejum.
Segre, fluv. Catalauniæ, Sicoris.
Segura, locus Palæstinæ, Lud.
Segura, fluv. Valentiæ, Serabis, Tader, Terebs, aliis Turuli.
Sehumi, locus Galliæ, Asseduma.
Sehusen, urbs Brandeburgica, Senohusium, ubi Semnones populi.
Seichayder, provinc. Asiæ, Persia.
Seideschehet, urbs Phrygiæ, Hierapolis.
Seididag, mons Macedoniæ, Athos.
Seignelay, oppid. Burgundiæ, Seilliniacum.
Seillans, mons Galliæ, inter Sanitium & Antipolim, Solliniacum civitas.
la Seille, fluv. Lotharingiæ, Sala, Salia.
Seine, oppid. Provinciæ, Sedena.
S. Seine, locus Galliæ, ad Vigenniam vicus, S. Sequani.
les Seins, in mari Britannico insulæ, Senenses.
Seions, fluv. Walliæ, Rucia.
Seira, pagus prope Conimbricam, Selium.
Seissac, castrum Galliæ, in diœcesi Carcassonensi, Saxiacum.
Seissel, oppid. Bressiæ provinc. ad Rhodanum, Seisselium.
Seisselmaur & Zeisselmaur, oppid. Austriæ, Cetium & Cecia.
Sela, pagus Hispaniæ Tarraconensis, Caladunum.
Selassis, promontor. Thessaliæ, Posidium.
Selatina, oppid. Dalmatiæ, Siparuntum.
Seleschia, urbs Ciliciæ, Seleucia.
Seleuca, vide Seleschia.
Seleuche Ielber, urbs Syriæ, Seleucia Pieria.
Selino, pagus Cretæ, Pæcilasium.
Selissa, oppid. Liburniæ, Lopsica.
Selivrea & Selibria, urbs Thraciæ, Selybria, Selymbria.
Sella, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Sala.
Selle, oppid. Hungariæ, Aquæ Balissæ.
Selle, vide la Seille.
Selles en Berry, in Biturigibus, Cella S. Eusebii.
Sellie, oppid. Hungariæ, Sala.
Sellir, pagus Lusitaniæ, Selium.
Selo, fluv. regni Neapolitani, Silarus.
Selombria, urbs Thraciæ, Selybria, Selymbria.
Selon vel Salon, oppid. Provinciæ, Salona, Saloniensium urbs.
Selvik, oppid. Scotiæ, Selaricum.
Selsey, insula Angliæ, Vituli insula.
Seltz, oppid. Germaniæ, in Palatinatu, cum fluv. cognomine, Saletio.
la Selva, oppid. Catalauniæ, Sylva Constantini.
Selva dell' Agiro, sylva Latii, Algidum.
d'Albi, sylva Marsorum, Agnitia, Angitia.
d'Ardenne, d'Ardenna, sylva Belgica, Arduenna.
de Hami, locus Campaniæ Italicæ, Sacer lucus, ubi olim Hamæ oppid.
di Lugo, sylva Romandiolæ, Litana.
di Nemo, Latii, Triviæ lucus.
di Trillena, sylva Peloponnesi, Sylva Nemæa.
Vetletta, Hetruriæ, Vetulonia sylva.
Selune, fluv. Galliæ, Senura.
Selurgos, urbs Aureæ Chersonesi, Sara.
Selye, oppid. Hungariæ, Salis.
Sem, fluv. Sarmatiæ Europææ, Gerrhus, Hypacyris.
Semender, vide Spenderobi.
Semering, mons Austriæ in confinio Hungariæ, Cetius.
Semigallen, Livoniæ pars, Semigallia.
Seminara, oppid. Saurianum, & fluv. Calabriæ ulterioris, Metaurus.
Semirami vel Semiram, in Media, Semiramidis mons; Zagri pylæ.
Semnitz, Sarmatiæ Europeæ mons, Carpates.
Semur, oppid. Burgundiæ, Semurium.
Semur en Auxois, urbs Burgundiæ, in Agro Alesiensi, Semurium vel Sinemurum.
Semur en Brienois, vel Brienneis, castrum Galliæ, in agro Cadrellensi, Sinemurum Brienense.
Sena & Sene, urbs Mediæ, Sanais.
Sendrew, urbs Serviæ, Spenderobis, Singidunum.
Senega, vide Zenega.
Senga, fluv. Nigritiæ, Senega.
Senes vel Senez, urbs Provinciæ, Cemenelum, aliis Sanitium, Urbs Sanciensium, Sanaga.
Seneviere, locus Galliæ, in Turonibus, cum monasterio, Senaparia.
il Senese, in Hetruria, Senensis ager.
Senez, aliis Senes, locus Galliæ, in Vesdiantiis, Sanitium.
Senga, fluv. Hispaniæ, Cinga.
Sengerer, populi Walliæ, Segontiaci.
Sengi, fluv. Æthiopiæ, Raptum.
Senich, prope Aquisgranum, Senicorum vicus.
Senigaglia, vide Semigallen.
Senio, fluv. Umbriæ, Senna.
Senlis, urbs Franciæ, Augustomagus, Sylvanectum, ubi Ulbanectes populi.
le Senlisien, ager in Picardia, Sylvanectensis.
Senna Erdet, locus Hungariæ, Teutoburgium.
Senne, locus Brabantiæ, ad Scaldim, Senna.
Senne, aliàs Zenne, amnis Brabantiæ, Senna.
Senneterre, corruptè Arvernis, S. Nectoire, pro S. Nectaire, oppid. Galliæ, S. Nectarii.
Senno, fluv. magnæ Græciæ, Siris.
Senonche, locus Galliæ, in Pertico, Senoncia.
Senone, locus Galliæ, in Lotharingia, Senonæ. Item Vallis Senonensis.
Sens, populi & urbs Galliæ Lugdunensis, Senones, Senonæ.
Sentina, oppid. Cappadociæ, Vyline.
Sentino, fluv. Marchiæ Anconitanæ, Sentinum.
Sento, oppid. Umbriæ, Sentinum.
Sentry, vicus Galliæ, in agro Parisino, Centriacum.
Seniron, oppid. Centronum in Sabaudia.
Senuc, vicus Galliæ, ad Axonam, Sinidunum.
Sephet, vide Sefet.
Sepino, vide Supino.
Seprio, pagus Ducatus Mediolanensis, Insubria.
Septa, vide Ceuta.
Septfons, monasterium Galliæ, in diœcesi Augustodunensi, ad Ligerim, Septem Fontes.
Septmeules, locus Galliæ, in Caletis, Septem molæ.
Septsaux, locus ejusdem regni, in Remensi agro, Septem salices.
Sepulveda, oppid. Castellæ veteris, Segobriga, Setuba, Segortia lata.
Sequino, fluv. Ciliciæ, Arymagdus, Orymagdus.
Ser, fluv. Albaniæ, Cyrrhus.
Serancena, vide Saracena.
Seraio, urbs Bosniæ, Seraium.
Sercelle, aut Cercelle, vicus agri Parisini, Sardella.
Serchio, fluv. Hetruriæ, Æsaris, Auser, Sarcutus.
Sercin, vicus Belgii, in Atrebatibus, Sarcinium.
Sere, fluv. Galliæ, Sara. Item Sera, in agro Torinnensi. Item fluv. Belgii, in Isaram influens, Sara.
Seregippe, urbs Brasiliæ, Seregippa.
Serezin, pagus Artesiæ, Sircinium.
Serem Porto, vide Porto Seren.

Serent, urbs Carmaniæ, Alexandria.
Seret, fluv. Moldaviæ, Hierasus, Agarus.
Sereth, fluv. Scythiæ Europææ, Tiarantus.
Serfina, insula maris Ægæi, Seriphus.
Sergna, urbs regni Neapolitani, Æsernia, Esernia.
Seri, fluv. Mediæ, Mardus, aliis Cyrus.
Seria, oppid. Andaluziæ, Iulia fama, Seria.
Serio, fluv. ditionis Venetæ, Serius.
Sermione, pagus agri Veronensis, Sermio.
Sermito, pagus ditionis Mantuanæ, Serminus vicus.
Sermoneta, oppid. Latii, Sulmo, aliis Sermineta.
Sernay la ville, vicus agri Parisini, Sarnajum.
le Serrail, Turcis Stramboul, nomen palatii Turcarum Imperatoris.
Sernere, provinc. Asiæ, Aria.
Serpaigne, vicus Lotharingiæ, Scarpona.
Serpentaria, insula Sardiniæ, Ficaria.
Serphone, Serso, insula Ægæi maris, Seriphus.
Serra de S. Juan, oppid. Andaluziæ, Cunistorgis.
Serrain, oppid. Arabiæ, Badeos.
Serres & Seres, urbs Macedoniæ Apollonia, Serra.
Serris, aliàs Serry, vicus Galliæ, in Briegio, Sarrics.
Serta, vide Lago di Serta.
Sertrouville, aliàs Sartouville, vicus Galliæ, in agro Parisino, Sartoris villa.
Servan, provinc. Asiæ, Media Atropatia, Atropatia, aliis Servania.
Servestein, oppid. Saxoniæ, Servesta, ubi Sorabi populi.
Servia, pars Mæsiæ superioris, regionis Europæ, ubi Serbi populi, Servia.
Serviere, castrum Galliæ, in Rutenis, Severacum.
Servon, vicus agri Parisini, Servon.
Sesanne, urbs Galliæ, Sesanna. Item castrum in Tricassibus, Sezanna.
Sesans & Sezans, oppid. Delphinatus, Cincomagus & Scingomagus.
Seseban, palus Sarmatiæ Europææ, Buges, Byce, Bice.
Sesis, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, Assara.
Sesia, fluv. inter Pedemontium & Mediolanum, Sessites.
Sessa, urbs Campaniæ, Suessa.
Sesse, oppid. Aragoniæ, Setia.
Sessula, oppid. Campaniæ, Suessula.
Sesteron, urbs Cavarum in Gallia, Segustero, vide Sisteron.
Sesto, oppid. Insubriæ, Sextum.
Sesto, arx Thraciæ, Sestus & Sestos.
Sestre, seu le grand Sestre, & Paru, locus Guineæ, Sestrum magnum.
Sestre, locus in Lingonibus, Sicastrum.
Sestri di Levante, oppid. Liguriæ, Segesta Tigulinorum, Tigulia.
Sestri di Ponente, pagus Liguriæ, Sextum.
Sestro, fluv. Longobardiæ, Sisterio.
Set, fluv. Mesopotamiæ, Saocoras.
Seta, locus Dalmatiæ, Senta.
Sete, mons seu promontor. in sinu Gallico, Setius.
Sethie, mons Cretę, Dicte.
Setia, vide Sittia.
Setines, urbs Græciæ, Athenæ.
Seton, oppid. Angliæ, Segedunum, Segodunum.
Settalia, provinc. Asiæ minoris, Pamphylia.
li Sette Cavi, mons Lyciæ, Cragus.
le Sette fonti, urbs Hetruriæ excisa, Septem fontes.
les Sette Isles, insulæ Britanniæ minoris, Siadæ.
Settisonio, locus urbis Romæ, Septizonium.
l'Adour de la Seube, fluv. Galliæ, in finibus vallis Campaniæ, Aturus sylvensis.
Setuval, oppid. Portugalliæ maritimum, Cetobrix & Cetobrica.
Sevarn vel Severn, fluv. Walliæ, Sabrina.
les Sevennes, mons Aquitaniæ, Cemmenus.
Sevenwaldt, vide Sevenwolden.
Sevenwolden, locus Frisiæ, Baduhennæ lucus.
Severia, regio Sarmatiæ, ubi Aorsi populi.
Severino, urbs Dacię, Acmonia.
Severo, vide Monte Severo.
Sevestia, urbs Ciliciæ, Augusta, Sebaste.
Sevilla la veja, urbs Andaluziæ eversa, Italica eversa, Osset.
Sevilla de Oro, urbs Americæ, Hispalis Aurea.
Seuran, vicus agri Parisini, Cebrantum.
Seure & Seury, oppid. Burgundiæ, Severiacum, Bellogardia.
Seure, vicus ad fluv. cognom. Savara. Item castellum in Æduis, Sarregium,
la Seure Nantoise, fluv. Galliæ, Separis Nanneticus.
la Seure Niortoise, fluv. ejusdem regni, Separis Niortensis.
la Seure, fluv. Pictavensis provinc. Separa.

Seuhund vel Schuinhund, canum genus, Segusiani canes.
Sewer, fluv. Hiberniæ, Suirius.
Sewrussel, casus Danubii juxta Lentiam, Catarractes Danubii.
Sewrny, oppid. Daciæ, Sornum.
Sexoli, urbs Macedonię, Thessalonica.
Seyn, insula Normanniæ & fluv. Sena, Siambris.
Seyne, fluv Galliæ, Sequana.
Sezans, vide Sesans.
Sezza, urbs Latii, Setia.
Sfacalbat, promontor. Arabiæ Felicis, Syagros.
Sfacchia, montes Cretæ, & Leuci montes, Leuca Ore.
Sferracavallo, oppid. Siciliæ excisum, Motya.
Sfetigrado, oppid. Albaniæ, Sphetia.
Sgraven-hage, pagus Hollandiæ, Haga Comitis.
Shannon, vide Shennyn.
Shapor, urbs Indiæ citerioris, Sora.
Shennon, fluv. Hiberniæ, Senus.
Shennyn, fluv. Hiberniæ, Senus, Sineius.
Shepe haven, in Hibernia, portus Shepeus.
Sheppey vel Shepey, insula Angliæ, Convennos, Counos, Toliapis.
Shirburn, oppid. Angliæ, Clarus fons.
Shrepshire, provinc. Angliæ, Salopia.
Shreusbury & Shrewsbury, oppid. Angliæ, Salopia.
Siada, urbs Phœniciæ, Sidon.
Siagne, amnis Galliæ, Cyaneus,
Sian, fluv. Indiæ ulterioris, Sobanus.
Siangyang, urbs Sinarum, Siangyanum.
Siaphus, urbs Persiæ, Persepolis.
Siara, urbs Brasiliæ, Siara.
Siba, regnum Indiæ propriæ, Siba.
Sibaca, oppid. vel pagus Africæ ad Syrtim magnam, Oesporis.
Siban, urbs Arabiæ Felicis, Saba.
Sibecca, oppid. Africæ, Charax.
Siben, urbs Comitatus Tirolensis excisa, Sabiona, Sublavio.
Sibenburgen, provinc. Europæ, Septem castra, Dacia mediterranea, Transylvania.
Siberia, provinc. Moscoviæ, Siberia.
Sibiera & Sibieri, regio & populi Scythiæ, Rhymnici.
Sibin, vide Nisbin.
Sibnit, urbs Ægypti, Sais, Sebennytus.
Sibula, oppid. & portus Tauricæ, Symbolon, Symbolorum portus, Pactorum portus.
Sicandro, insula Cretici maris, Cimolus.
Sichino, oppid. Cretæ, Psychium.
Sicibab, urbs Thraciæ, Calyba.
la Sicile, insula Italiæ, Sicilia.
Sicilia, insula Europæ, Sicilia, Trinacria.
Sicino & Sichino, insula maris Ægæi, Sicinus.
Sicura, regio Hispaniæ Bæticæ, Obulco.
Sidariso, urbs Laconicæ, Gerena.
Sideburen, pagus Groningensis, Siatutanda.
Siderocapsa, oppid. Macedoniæ, Chrysites, Scydra.
Sidonisi, insula Sarmatiæ Europææ, Achillea.
Sidra, insula Peloponnesi, Calauria, Irene.
la Sie, fluv. Galliæ, in Caletis, Seda.
Siena, Hetruriæ urbs, Sena, Sæna.
Sierra Alcaraz, mons Castellæ novæ, Argenteus mons, Tugiensis saltus.
d'Almarsa, vide Sierra de la Ximiera.
d'Atienza, pars Idubedæ, mons Hispaniæ.
d'Avila, montes Castellæ veteris Abulenses montes,
de Cogollas, mons Castellæ veteris, ubi olim Pelendones populi.
Leona, mons Libyæ, Deorum currus, Leonum mons.
di Molina, mons Hispaniæ in Castella nova, Orospeda.
Morena, in Hispania, Mariani montes, Saltus Castulonensis.
Nevada, mons regni Granatensis, Orospeda.
Nevada, in Peruvia, Montes nivosi seu Andes.
d'Oviedo, mons Austriæ, Vindius.
Piguera, mons Castellæ veteris, ubi Pelendones populi.
di Ponfria, mons Hispaniæ, Orospeda.
de Ronda, oppid. Andaluziæ, Saccubo.
de S. Martin, in nova Hispania, Montes S. Martini.
de Segura, mons Castellæ novæ, Argenteus mons, Tugiensis saltus.
de la Ximiera, mons Mauritaniæ Tingitanæ, Abyla, Abyle.
Sisano, insula maris Ægæi, Siphnos.
Siferengen, locus juxta Viennam, Severini cœnobium.
Siffalo, urbs Siciliæ excisa, Alæsa.
Sigarra, oppid. & promontor. Valentiæ, Ferraria.
Sigefridismor, palus prope Bremam, Mota.
Sigeiner, populi Mysiæ ad ostia Danubii, Sigyni.

Sigen, oppid. Bergensis Ducatus, ubi Sicambri populi.
Sigen, oppid. Veteraviæ, Segodunum & Siga.
Sigenberg, cœnobium Bergensis Ducatus, ubi Sicambri populi.
Sigenburg, arx Bergensis Ducatus, ubi Sicambri populi.
Siges, oppid. Catalauniæ, Subur.
Sigeth, oppid. Transylvaniæ, Salina.
Sigetincz, pagus Hungariæ, Singidonum.
Sigistan, regio Drangarum popul. Asiæ, Drangiana, aliis Sigistania.
Siglio, vide il Sciglio.
Signey, populi & oppid. ditionis Leodiensis, Segni.
Sigoiers, campus in Delphinatu, Sicoriorum.
Sigtum, urbs Sueciæ, Sigtuna.
Siguenza, urbs Castellæ veteris, Secontia, Segontia.
Sihor, fluv. Africæ, Nilus.
Sila, sylva Calabriæ, Sila.
Silaro, fluv. Neapolitani regni, Silarus.
Silcester, oppid. Angliæ, ubi Segontiaci populi, Vindomus.
Sile, fluv. Venetiæ, Silis.
Silesie, provinc. Germaniæ, Silesia.
Silian, lacus Sueciæ, Silianus.
Silistrie, urbs Bulgariæ, Silistria.
Silla, fluv. Asturiæ, Salia.
Sillano, castrum Hetruriæ, Sillanum.
Silley & Silly, insulæ Angliæ adjacentes, Silurum insulæ, Cassiterides, Acmodæ, Syllina.
Sim, fluv. Indiæ, Cophes, & fluv. Arachosiæ, Arachotus.
Sime, mons Mesopotamiæ, Singaras.
Simancas, Castellæ veteris oppid. Septimanca.
Simari, fluv. & oppid. Calabriæ ulterioris, Semirus.
Simau & Sinau, urbs Phrygiæ magnæ, Synaus.
Simboa, provinc. Africæ, Agisymba.
Simedro, urbs Serviæ, Singidunum, Semandria.
Simie, insula Lyciæ, Eleusa, aliis Syme.
Simischacar, urbs Arabiæ desertæ, Saba.
Simiso, urbs Paphlagoniæ, Amisus.
Simmeren, oppid. Palatinatus inferioris, Simmera.
Simmershaven, oppid. Sueciæ, Simmerii portus.
Simoers, fluv. Asiæ minoris, Scamander, Simois.
Simolacbach, urbs Armeniæ majoris, Tigranoama.
den Simpeler, mons Vallesiæ, Sempronius.
Sin, urbs Sinarum, Sina.
Sinabe, urbs Paphlagoniæ, Sinope.
Sinada, urbs Phrygiæ magnæ, Synnada.
Sinay, mons Arabiæ petrææ, Melani, Sina.
Sindisu, urbs Cathayæ, Sera.
Siney, populi & oppid. ditionis Leodiensis, Segni.
Siney, fluv. Hiberniæ, Sineius.
Singo, oppid. Macedoniæ, Singus.
Sinigaglia, urbs Umbriæ, Sena Gallica, Senogallia.
Sino, fluv. Lucaniæ, Siris & Ciris.
Sino, fluv. Piceni, Sinnon.
Sinopi, vide Sinabe.
Sinsich, pagus Germaniæ inferioris, Sinctacum.
Sintacora, urbs Indiæ citerioris, Sinylla.
Sintien, urbs Sinarum, Sintienum.
Sintra, vide Monte de Sintra.
Sintzich, locus Germaniæ ad Rhenum, haud procul Bonnâ, Sentiacum.
Siole, vel Siaule, fluv. Galliæ, in Arvernis, Scelus vel Sicaula.
Sion, urbs Vallesiæ, Sedunum.
Sion, mons Judææ, Moria, Sion.
Sior, urbs regni Coreæ, Siorium.
Sioulle, fluv. Galliæ in Elaverem influens, Cicaula.
Siphano, vide Siphno.
Siponto, urbs Apuliæ excisa, Sipontum.
Sir vel Ser, fluv. Mesopotamiæ, Tigris.
Sirad, urbs Poloniæ, Siradia.
Siragosa, Siracosa, vide Siragusa.
Siragusa, urbs Siciliæ, Syracusæ.
Siran la Late, locus Galliæ cum Monasterio, in Turonibus, Sirojabense Oratorium.
Siras, urbs Persiæ, Persepolis.
Sirbi, fluv. Lyciæ & urbs, Xanthus.
Sirbia, tractus Misniæ, ubi Sorabi populi.
Sirck, oppid. Lotharingiæ, Sirca.
Sire, vel Sere, vicus Belgii, prope Leodium, à Cæresi populo dictus.
le Sirene, insulæ tres maris Tyrrheni, Sirenussæ.
Sirfia, regio Africæ, ubi Troglodita populi.
Sirfia, regio Mysiæ inferioris, ubi Serbi populi.
Sirfone, insula Ægæi maris, Seriphus.
Sirim, oppid. Palæstinæ, Jotapata.
Sirio, fluv. magnæ Græciæ, Siris.
le Siron, fluv. Galliæ, in Garumnam cadens, Sirio.
Sirmisch, urbs & regio Hungariæ, Sirmium, Bubalia.

Sirmis, oppid. Syriæ, Gephyra.
Sirna, insula maris Ægæi, Cynnos, Syrnos.
Siroen, populi montis Caucasi, Siraci, Siraceni.
le Siron, fluviolus Aquitaniæ, Sirio vel Serio.
Sirepino, mons Lydiæ, Sipylus.
Sirt, fluv. Persiæ, Brizana, Brisoana, Rhogomanis.
Sirvan, vide Servan.
Sirvela, oppid. Castellæ novæ, Salaria.
Sirus, urbs Macedoniæ, Sidrocapsa.
Siseria, urbs Palæstinæ, Cæsarea.
Sismer, fluv. Belgii, Sismarus.
Sison, pagus Catalauniæ, Sissum.
Sissa, urbs Africæ, Adrumetum.
Sisso, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Cyssum.
Sisseg & Sisseck, urbs Croatiæ destructa, Siscia.
Sissopoli, urbs Thraciæ, & altera Macedoniæ, Apollonia.
Sistan, urbs Drangianæ, Prophthasia, aliis Sistanum.
Sisteron, urbs Provinciæ, Segesteriorum urbs, Sistarica, aliis Segustero.
Sitania, oppid. Portugalliæ excisum, Cinniana.
Sithien, locus Galliæ Belgicæ, Iccius portus.
Sithnio, fluv. Scythiæ Europææ, Noas.
Sitifi, urbs Mauritaniæ, Sitipha.
Sitorgua, vide Saturnia.
Sittan, urbs Lusitaniæ, Setuja.
Sitten, vide Sion.
Sittia, urbs Cretæ, Cytæum, aliis Heraclea.
Sittingborn, oppid. Angliæ, Durolevum.
Sivarolle, locus Galliæ, cellâ clarus; ad Albam fluv. Sylva rubra.
Siuchen, urbs Nanquinensis provinc. Siuchæum.
Siuchen, urbs Sinarum, Siuchæum.
Siviglia, vide Sevilla.
Sivita, oppid. & portus Epiri, Sybota.
Sivray vel Sivré, vicus seu castrum in Turonibus, Severiacum.
Siurichisar, castrum inter Mysiam & Macedoniam, Oxylithum.
Siurige, oppid. Albaniæ, Sphetia.
Sizix, urbs Judææ, Nephthali.
Skarsfeld, mons Scandinaviæ, Sevo.
Skirassin, urbs Scotiæ, Assinum.
Skofde, urbs Sueciæ, Scofda.
Skul, mons Sueciæ, Scula.
Skye, insula Scotiæ, Ricinia, aliis Skia.
Sladitza, fluv. Bulgariæ, Osmus.
Slaming, oppid. Carinthiæ excisum, Sabatinca.
Slavonia, vide Schiavonia.
Slawkow seu Austerlitz, urbs Bohemiæ, Slaukovia.
Slayne vel Slane, fluv. Hiberniæ, Buvinda.
Sleeve, mare inter Galliam & Angliam, Britannicus Oceanus.
Slego, oppid. Hiberniæ, Slegum.
Slesier, populi Germaniæ, Luci, Slesii, aliis Quadi.
Slesswick, pars Daniæ, Slesvicensis Ducatus.
Sleswick, urbs Daniæ, Slesvicum.
Sleyden, locus Brabantiæ, ad Ruram, Sleidanum.
Slonim, urbs Poloniæ, Slonima.
Slotna, locus Transylvaniæ, Aurariarum.
Sluczk, urbs Poloniæ, Slucum.
Sluys, oppid. Flandriæ, ubi Levaci populi, Slusa.
Sluys & l'Ecluse, urbs Flandriæ, Slusa seu Clausula.
Smaland, provinc. Gothiæ, Smalandia.
Smalcalde, urbs Franconiæ, Smalcalda.
le Smirne, urbs Ioniæ, Smyrna.
Smedrusch, vide Medrusch.
Smolensko, Smolensch, urbs Lituaniæ, Smolencum.
Soact, locus Picardiæ, Gessoriacum.
Soana, urbs Hetruriæ, Suana.
Sobal, provinc. Asiæ, Syria.
Sobrarbe, tractus Aragoniæ, Sobrarbia.
Sobrarve, oppid. Aragoniæ, Lacetania.
Sobusse, alias Saubuse, locus Galliæ, ad Aturum fluv. Sobussa.
Socas, vicus Galliæ, in Aquitania, Succassium.
Soconusco, provinc. novæ Hispaniæ, Soconusca.
Soczaw, urbs Moldaviæ, Sucidava.
Soczow, urbs Poloniæ, Socsavia.
Sodoma, urbs Palæstinæ eversa, Sodoma.
Sodore, urbs & insula Scotiæ, Sodera.
Soest, urbs Westphaliæ, Susatum.
Sofala, regio Africæ, Ophir.
Sofala, urbs Africæ, Sofala & Zofala.
Sofi, urbs Peloponnesi, Psophis.
Sofia, urbs Bulgariæ, Sophia, & alia Tibisca, aliis Sardica.
Sofragia, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, Nasabath.
Sognoles, vel Sognolles, duo vici Galliæ, in agro Parisino, ad Ederam fluv. Ciconiola.
Sogorve, vide Segorve.
Soguta, oppid. Phrygiæ majoris, Itea.
Soigny, oppid. Hannoniæ, Geminiacum, aliis Sogniacum.
Soisi, vici duo Galliæ, in agro Parisiensi, Sosiacum.
Soisi sur Escole, oppid. in agro Wastmensi Galliæ, Sosiacum ad Scolam.
Soisi sur Seine, locus Galliæ, in pago Brigensi, Sosiacum ad Sequanam.
le Soissonnois, ager Galliæ, Suessionensis, & Suessiones.
Soissons, populi & urbs inter Picardiam & Campaniam, Suessiones, & Augusta Suessionum.
Solac, pagus Aquitaniæ, Noviomagus.
Solame, locus Sabaudiæ, Civaro.
Solane, amnis Aquitaniæ, Solana.
Solanto, oppid. Siciliæ excisum, Solus.
Solara, pagus Castellæ novæ. Salaria.
Solbazar, oppid. Cariæ ad Mæandrum, Halona.
Soldadia vel Soldaja, urbs Tauricæ, Lagyra.
Soldin, urbs Syriæ, Seleucia Pieria.
Soldino, fluv. Syriæ, Orontes.
Sole vel Soule, in Gallia, Subola vallis.
Solea, pagus Cypri, Soli.
Solemien, in Gallia, Solemniacum.
Solensara, oppid. Corsicæ. Rubra.
Soleure, urbs Helvetiorum, Salodurum.
la Solfatara, locus Campaniæ juxta Puteolos, Forum Vulcani, Campi Phlegræi.
Solies, vide Salies.
Solieu, oppid. Galliæ, in pago Augustodunensi, Sedelaucum, seu Sidolocus.
Solignac, oppid. Galliæ, Apolliniacum.
Solignac, alias Solonniac, & Solognac, villa Galliæ, cum monasterio, in Lemovicibus, Solemniacum.
Solima, fluv. Sarmatiæ Europææ, Axiaces.
Solito vel Soleto, oppid. Salentinorum, Soletum.
Sollac, promontor. Aquitaniæ, Curianum.
Sollago, oppid. Latii, Sublaqueum.
Sollanzo vel Sullanzo, oppid. regni Legionensis excisum, Sublantia.
Solmie, urbs Syriæ, Salantiæ.
Solms, oppid. Hassiæ, Solicinium, aliis Solma.
Solo, urbs Sardiniæ excisa, Solci, Sulci.
Solocho, tres insulæ Africi maris, Gaa, Pontia, Misynos.
Sologne, tractus Galliæ, Solonia.
Solones, oppid. Marmaricæ, Zygris.
Solonniac, locus Galliæ, Salenniacum.
Solothurn, urbs Helvetiæ, Salodurum.
Solre, pagus Hannoniæ, Salra.
Solsona, urbs Catalauniæ, Celsona, Solsona.
Soltwedel, urbs Brandeburgica, Heliopolis, Solis urbs, Solis vallis.
Soltz, oppid. Aquitaniæ, ubi Sontiates populi.
Solveldt, oppid. Carinthiæ excisum, Solvense oppid. Solva.
Solwey, fluv. Scotiæ, Itima.
Somersetshire, tractus Angliæ, ubi Belgæ & Durotriges populi, Somersetia.
Somiere, locus Galliæ, in Diœcesi Nemausensi, Sumerium.
Somma, oppid Campaniæ, Vesuvium.
Somma, mons Campaniæ, Vesuvius.
Somme & Some, fluv. Picardiæ, Phrudis, Somona.
Sommieres, urbs Occitaniæ, Sommeria. Item castrum in Volcis Arecomicis, Sumerium.
la Somme, fluv. Galliæ, in Veromanduis, Summa.
Somme Bionne, locus Galliæ, ad summum Bionam.
Somme-Py, alias Sompi & Soupi, vicus Galliæ, in Remis, Summus Pidus.
Somme Sarte, vicus Galliæ, in Pertico, Summus Sarta.
Somme-Suippe, vicus Galliæ, in Remis, Summus Supia.
Somme-Tourbe, locus Galliæ, ad summum Turbam.
Somme-Vele, ejusdem regni vicus, ad summum Vidulam.
Sommo sierra, mons Hispaniæ, Idubeda, aliis Orospeda; & oppid. Saunnca.
Sonay, viculus Galliæ, in Turonibus, Solnacus.
la Sone, oppid. ad Isaram, Solo.
Songne, aliis Sonne, castrum Galliæ, in Cenomanis, Sagona.
Sonne, vel Sonnay, locus Turonum, Solonacum.
Sophia, vide Sofia.
Sopoto, oppid. Epiri, Cestria, aliis Hecatompedum.
Soppan & Soppia, oppid. Hungariæ, Sopianæ.
Sopron, urbs Hungariæ, Sempronium, aliis Sopronium.
Sor, fluv. Lusitaniæ, Subur.
Sora, urbs regni Neapolitani, Sora.
Sora & Soren, oppidul. Selandiæ, Sora.
Soratof, urbs Moscoviæ, Soratovia.
Soraw, urbs Lusatiæ, Sorava.
Sorban, lacus Palæstinæ, Asphaltis.
Sorbec, locus Misniæ, ubi Sorabi populi.
Soreto, oppid. Calabriæ ulterioris, Altanum.
Soreze, locus Galliæ, cum monasterio, in pago Tolosano, Suricinum.
Sorge, fluv. Galliæ, in Provincia, Orge, Sulga.
la Sorgue, fluv. Provinciæ, Orge, Sorge, Sulgas.
Sori, pagus Genuensis, Sanium.
Soria, provinc. Asiæ. Syria.
Soria, urbs Castellæ veteris, Numantia nova, aliis Soria.
Soriano, oppid. Latii juxta Corbionem.
Soriban, insula maris Rubri, Tomadæorum.
Sorim, vel Surim, gens Asiæ, Assyrii.
Sorlings, insulæ Angliæ, Acmoda Silorum insulæ.
Sorlivia, lacus Arvernorum, Papianilla, Abitacum.
Sorocon, portus Bithyniæ, Sandaraca.
Sorrento & Sorriento, urbs regni Neapolitani, Surrentum.
Sos vel Sotz, oppid. Galliæ, in Novempopulis, Sotiatum.
Sospello, oppid. Comitatus Nicæensis, Sospellum.
capo de Sospiers, Italis, capo de S. Sospiers, Gallis, vide ibi.
Sostenion, sinus juxta Constantinopolim, Leosthenium.
Souabe, provinc. Germaniæ, Suevia.
Soubise, oppid. Santoniæ, Subisia, Solbisia, & Sobisæum.
Souge; locus Turonum, Solonacum.
Souillac, locus Galliæ, cum monasterio, in Cadurcis: Item in Petrocoriis, Solliacum.
Souilly vel Seully, oppid. Ducatus Barensis, Solliacum.
Soulac, vicus Galliæ, ad Medulam, Soliacus.
Soulare, vicus agri Parisini, in Briegio, Solurra.
la Soulogne, pagus Galliæ, in Carnutibus, Secalaunia.
Souna, insula Scotiæ. Suna.
S. Soupli, vicus in Caletis, S. Sulpitii.
Sour, fluv. Ducatus Lucemburgensis, Sura.
Souraceri, urbs Galatiæ, Savatra.
Sourci, vicus Galliæ, in Suessionibus, Sauriciacum.
Soure, oppid. Portugalliæ, Saurium.
Souretto, locus Hetruriæ, ubi Sudertani populi.
Souric, urbs Helvetiæ, Tigurum.
Sourie & Sourisian, regio Asiæ, Syria.
Sause, urbs Bizacenæ regionis, Ruspina.
Souster, urbs Persiæ, Susa.
Souterraine, oppid. Galliæ, in Lemovicibus, Subterranea.
Southampton, oppid. Angliæ, Clausentum, Antona, Magnus portus, Trisantonis portus.
Southrey vel Surrey, regio Angliæ, Sarra, Surria.
Souvigny. locus Galliæ, in agro Burbonensi, Silviniacum.
Spacaforno, fluv. & oppid. Siciliæ, Hyspa.
Spachia, mons Cretæ, Leuca Ore, Albi montes.
Spagmagnurisi, oppid. Epiri, Arachtus.
Spagna, provinc. Europæ, Hispania.
Spahan, urbs Persidis, Aspahan.
Spain, vide Spagna.
Spalatro, urbs Dalmatiæ, Salo. Salona nova, Spalatum, Palatium Diocletiani.
Spandow, urbs Marchiæ Brandeburgicæ, Spandovia.
Spartelle, oppid. & promontor. Mauritaniæ, Cotes, Ampelusia.
Spello, oppid. Umbriæ, Hispellum.
Speluga, pagus Rhætiæ, Tarvesede.
Spenderobi, urbs Mysiæ superioris, Spenderobis.
Spene, pagus Angliæ, Spinæ.
Speragia, insula Sardiniæ, una Cuniculariarum.
Sperlunga, locus Latii apud Fundos, Amyclæum specus, Spelunca.
Speshart & Spessart, pars Hercyniæ sylvæ Germaniæ, ubi olim Ingriones populi.
Spessart, vide Speshart.
la Spetia vel Spezzia, oppid. Liguriæ, Spedia.
Speyr, urbs Palatinatus inferioris, Ad pyrum, Nemetes, Spira, Pyri mons, Neomagus.
Spezze, oppid. Dalmatiæ eversum, Epetium.
Spiga, urbs Mysiæ Asiaticæ, Cyzicus.
Spiga, fluv. Mysiæ Asiaticæ, Æsapus.
Spiishartz, sylva Germaniæ, Bacenis.
Spilimbergo, oppid. Forojulii, Bibium.
Spin, pagus Insubriæ, Spina.
Spinario, oppid. Castellæ, Ispinum.
Spira, vide Speyr.
Spiritu Santo, urbs Brasiliæ, Spiritus Sanctus.
Spirnassa, fluv. Macedoniæ, Panyasus.
Spirnazza, fluv. Peloponnesi, Pamisus, & Panyasus, fluv. Macedoniæ,
Spitzberg, Montes Acuti, regio Arctica, Spitzberga.
Split, urbs Dalmatiæ. Spalatum.
Splugen, conventus Rhætorum, in Cano fœdere, Speluca.
Spoleti, urbs Umbriæ. Spoletium.
Spota, lacus Mediæ, Spauta.
Spree, fluv. Germaniæ, Suevus.

Sprehe, fluv. Germaniæ, Sprehá.
Sprevero, mons Siciliæ, Neptunius.
Sprettaua, urbs Silesiæ, Sprettavia.
Spurshead, promontor. Angliæ, Ocelli.
Squillaci, urbs Calabriæ ulterioris, Scylletium, Scyllacenum.
Sta in pace, urbs Siciliæ diruta, Elorum.
Stablo, oppid. Diœcesis Leodiensis, Stabulum.
Stabala, montes Trojæ, Ostreni.
Stada, insula maris Ægæi, Automate.
Staden, urbs Saxoniæ inferioris, Statto.
Stadia, oppid. Macedoniæ, Dium.
Stadia, oppid. Cariæ, Loryma, Cnidus, Gnidus.
Stadio, locus Campaniæ Italicæ, Villa Ciceronis.
Staffanger, urbs Norvegiæ, Stavandria, aliis Stafangria.
Stafford, urbs Angliæ, Staffordia.
Staffordshire, lacus Thraciæ, Develton, & urbs ibid. Halmydessus, Salmydessus.
Stagni di Venetia, paludes juxta Venetias, Adrianorum paludes, Hadriatica stagna, Septem maria.
Stagno, urbs Dalmatiæ, Stagnum.
Stagno, juxta Ostiam urbem excisam in Latio, Ostiensis lacus.
Stagno di Diana, locus in Corsica, Dianæ portus.
Stagnone, lacus inter Palæstinam & Ægyptum, Sirbonis; & Laterra, Linguadociæ.
Stain am Angern, urbs Hungariæ, Sabaria.
Stain, vel Stains, vicus agri Parisini, Stagnum.
Stalato, promontor. Salentinorum, Salentinum.
Stalemara, urbs Ciliciæ, Anemurium.
Stalimene, insula maris Ægæi, Lemnos.
Stallen, conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, Stalla.
Stamboli, urbs Thraciæ, Byzantium.
Stametz, urbs Gothiæ, Stametia.
Stampalia, insula maris Carpathii, Astypalæa.
Stancon, insula Archipelagi, Cos vel Coos.
Standia, insula maris Cretici, Dia.
Stavemore, oppid. Angliæ, Lavatris.
Stanford, oppid. Angliæ, Durobriva.
Stantz, vicus Helvetiorum, Stantia.
Stapenor, vide Strapenor.
Stapodia, insula Archipelagi, Gyaros.
Staracbeno, oppid. Macedoniæ, Stobi.
Stargard, urbs Holsatiæ, Urbs vetus.
Stargard, urbs Pomeraniæ, Stargardia.
Stat, pars urbis in Germania, Batava.
Staten Land, insula Americæ meridionalis, Statuum regio.
Staten Landt, insula Terræ Esonis, Statuum regio.
Stato della Chiesa, in Italia, Pontificia ditio.
Stato di Milano, regio Italiæ, Insubria.
Stato della Republica di Venetia, populi Italiæ, Veneti.
Stato di Urbino, pars Italiæ, Urbinatensis Ducatus.
Stavelo, vel Stanlo, monasterium in Tungris, in diœcesi Trajectina, Stabulaus.
Staveren, urbs Frisiæ occidentalis, ubi Sturii populi, Stavera.
Staveji, locus Burgundiæ, Stafiacum.
Stanri, urbs Peloponnesi, Olympia.
Steibio, urbs Macedoniæ, Cassandrea.
Steckolm, vide Stockolm.
Stenberg, urbs Brabantiæ, Stenoberga.
Stenwick, urbs Belgii, Stenovicum.
Stefanswert, oppid. Gueldriæ, Stephanoverda.
Steffe, urbs Mauritaniæ, Sitifi & Sitiphe.
Stegeborg, urbs Sueciæ, Stegeburgum.
Steigerwaldt, in Germania sylva, Ardua.
der Stein, arx Badenæ Helvetiorum: Item Monasterium Benedictinorum, trihorio Basileâ distans, Lapis.
Stella, fluvius Foro Julii, Tilaventum minus.
Stenay, urbs Lotharingiæ, Stenaeum.
Stenay, locus Galliæ, in agro Vabrensi, Satanacum, seu Astenidum.
Stendel, oppid. Germaniæ, Stendelia.
Stenega, pagus Venetiæ, Stonæ.
Stenosa, insula Archipelagi, Gyaros.
Stepa, oppid. Andaluziæ, Astapa.
Steygerwald, mons Germaniæ, Abnobi.
Sterezing, vel Sterzingen, oppid. Tirolense, Fortia castra, Stiriatum, Vipitenum.
le Sterel, supra Forum-Julii, regio Suelterorum.
Sterling, provinc. Scotiæ, Sterlinia.
Sterling, oppid. Scotiæ, ubi Vacomagi populi, Mons Dolorosus, Sterlinga & Strevelinum aliis.
Stetin, urbs Pomeraniæ, ubi Sideni populi, Stetinum.
Stetiner landt, tractus Pomeraniæ, ubi Sideni populi.
Steygerwaldt, vide Stuligerwaldt.
Steyr, urbs Austriæ, Astur, Asturis.
Steyrmarck, & Stiermarck, regio Pannoniæ, Valeriæ, ubi Taurisci populi.
Sthenium, sinus Bosporí Thracii, Leosthenium.
Stiamizapo, oppid. Thessaliæ, Sosthenis.
Stibes, vide Stives.
Stifft van Luick, in Germania inferiori, Leodiensis ditio.
Stifft van Trier, in Germania, Trevirensis ditio.
Stigliano, oppid. regni Neapolitani, Stilianum, Sturni, Turni, ubi Sturnini populi.
Stilo, oppid. Calabriæ, Caecinum, vel Cæcinum.
Stilo, portus Peloponnesi, Cyphanta.
Stiullino, portus Siciliæ, Trogilorum portus; & Trogilus pagus.
Stiria, vide Steyrmarck.
Stirie, provinc. Germaniæ, Stiria.
Stirone, fluv. Longobardiæ, Sisterio.
Stives, urbs Bœotiæ, Thebæ.
Stivo, oppid. Bœotiæ, Copæ.
Stoblon, aliàs Establon, locus Galliæ, in diœcesi Rejensi, Stablo.
Stockeraw, oppid. Austriæ, Asturis, Castura.
Stockholm, urbs Sueciæ, Holmia.
Stolar, urbs Ioniæ, Erythræ.
Stolhoffen, urbs Sueviæ, Stolhoffa.
Stolp, in Sarmatia, Hyperborei montes.
Stolpe, oppid. Pomeraniæ, Stolpia.
Stone, fluv. Angliæ, Idumania.
Stoneham, locus Angliæ, Ad lapidem.
Stonehenge, locus Angliæ, Ambrosii mons.
Stony-Stratford, oppid. Angliæ, Lactodorum.
Stor, vicus agri Parisini, Sor.
Stora, vide Stura.
Stora, oppid. Africæ propriæ, Rusicada.
Storace, Latii fluv. Nymphæum.
Stormaren, provinc. Daniæ, Stormaria.
Straccia cappe, locus Hetruriæ, ubi olim Pentapolis urbs.
Stradella, oppid. ditionis Papiensis, Iella.
Straelsund, urbs Pomeraniæ, Sundis.
Straesburg, oppid. Carinthiæ, Vacorium.
Straet of Davis, in terra Arctica, Fretum Davisii.
Straet of Forbishers, in terra Arctica, Fretum Forbisheri.
Straet van Sunda, in Asia, Fretum Sundæ.
de Straete, inter Mauritaniam & Andaluziam, Fretum Herculeum.
Stragioni, urbs inter Ægyptum & Palæstinam, Ostracine.
the Strait of Callais, aliàs Straight of Calais, nomen apud Anglos, Freti Morinorum, vide Straet.
Stralen, oppid. Geldriæ, Stralenum.
Stralsund, urbs Pomeraniæ, Sundis, & Stralesunda.
Strama, regio Caspiorum popul. Hyrcaniæ.
Stramuzupa, regio Græciæ, Bœotia, Stramulipa aliis.
Strandt, insula maris Germanici, Glessaria.
Strandtfriesen, populi Cimbricæ Chersonesi, Frisii.
Strapenor, urbs Sarmatiæ Europææ, Olbia, Olbiopolis.
Strasbourg, urbs Alsatiæ, Argentoratum, & Argentina.
Strasburg, urbs Alsatiæ, Argentoratum, ubi Triboces populi.
Strasburg, urbs Prussiæ, Strasburgum.
Strathern, regio Scotiæ, ubi Caledonii populi, Straþernia aliis.
Strathnavern, regio Scotiæ, olim Logorum, vel Ceronum populorum, Strath Navernia aliis.
Strava, provinc. Asiæ, Hyrcania; aliis Caspiana, pars Hyrcaniæ.
Straubingen, urbs Bavariæ, Augusta Acilia, Servioduruni, & Straubinga.
Strawico, urbs Mysiæ inferioris, Istropolis.
Strel, fluv. Valachiæ, Sargetia.
Strengnes, urbs Sueciæ, Stregnesia.
Stretto di Arpaia, locus in Samnio, Caudinæ furcæ, vel fauces.
Stretto di Caffa, Os Mæotidis, Fretum Cimmerium, Bosporus Cimmerius.
di Constantinopoli, angustia maris apud Constantinopolim, Bosporus Thracius, Os Ponti.
di Corsica, mare inter Corsicam & Sardiniam, Sardonius sinus, Taphros.
di Gallipoli, mare inter Asiam & Europam, Hellespontus.
di Gibraltar, inter Africam & Hispaniam, Fretum Herculeum.
di Lepanto, angustia maris inter Ætoliam, & Peloponnesum, Calydonium fretum, Rhium.
di Negroponte, angustia maris inter Achajam & Eubœam, Euripus Chalcidicus.
di Scanderona, fauces Amani montis Syriæ, Amanicæ pylæ.
di Sicilia, inter Siciliam & Calabriam, Fretum Siculum.
Strigau, vide Schrigau.
Strigonia & Gran, urbs Hungariæ, Strigonium.
Strivali, insulæ juxta Peloponnesum, Plotæ, Strophades.
Strombolo, insula Siciliæ, Euonymus, Strongyle.
Stromio, fluv. Peloponnesi, Pamisus, Pamisus.
Stromitza, vide Strumitza.
Stromona, fluv. Thraciæ, Strymon.
Strongallo, insula Lyciæ, Megista.
Strongoli, urbs Calabriæ, Macalla, Macella, Strongyle.
Strovisi, oppid. Elidis, Tympania.
Struden, casus Danubii in Austria, Cataractes Danubii.
Struga, urbs Macedoniæ excisa, Scampis.
Strumiis, urbs Lyciæ, Myra.
Strumitza, urbs Thraciæ, Tiberiopolis.
Strumona, oppid. Macedoniæ, Mieza, Strymonium.
Studii, urbs Dalmatiæ excisa, Sicum.
Stugart, urbs Sueviæ, Stugardia.
Stuligerwaldt, pars Hercyniæ, sylvæ Germaniæ.
Stulingen, oppid. Sueviæ, Tasgætium, ubi Tulingi populi.
Stulweissenburg, urbs Hungariæ, Alba Regalis.
Stura, castrum & fluv. Latii, Astura.
la Stura, fluv. Pedemontii duplex, Stura.
Sturioni, Sebenniticum ostium Nili.
Stylaron, locus Calabriæ prope fretum Siculum, Columna Rhegia.
Stylo, oppid. Calabriæ, Consilinum.
Suachen, urbs Æthiopiæ ad mare Rubrum, Ptolemais.
Suar, regiuncula Susianæ, Melitene.
Subaro, oppid. Brutiorum, Scyllæum.
Suberge, locus Palæstinæ, Mageddo.
Subiaco, oppid. Latii, Sublaqueum.
Subimbre, oppid. Palæstinæ, Mageddo.
Subslancion, urbs Linguadociæ, Mons Pessulus.
Subu, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, Subur.
Subut, insula maris Indici, una Barussarum.
Succadana, urbs Bornei insulæ, Succadana.
Succuir, urbs Scythiæ, Essedonum, vel Issedonum popul. Issedon, Issedon Serica aliis.
Suchaida, oppid. Africæ, Tacatua.
Sucharanto, fluv. Calabriæ, Sagra.
Suchen, urbs Sinarum, Suchenum.
Suchen, urbs Nanquinensis provinciæ, Suchenum.
Suching, urbs Sinarum, Suchina.
Suchuen, provinc. Sinarum, Suchuensis.
Suchzow, urbs Moldaviæ, Suczova.
Sucova, fluv. Mysiæ, Ciabrus, & Cebrus.
Sucy, vicus Galliæ, in agro Parisino, Suevgium, seu Suciacum. Aliàs Sucy en Brie.
Suda, oppid. Cretæ, Amphimalia, aliis Hiera.
Sudau, & Sadaw, tractus vel peninsula Prussiæ, Glessaria, ubi olim Sudeni populi, Sambia.
Sudbury, oppid. Angliæ, Colonia.
Sudercoping, oppid. Sueciæ, Sudercopia.
Suderhey, vide Surrey.
Sudermanland, provinc. Sueciæ, Sudermannia.
Suder see, vide Zuyder see.
Sudeyca, vide Capo Sudeyca.
Suede, & Sueden, regnum Europæ, Suecia, Suecia.
Sueden, regio Scandinaviæ, Basilia.
Suello, urbs Sardiniæ, Suellis.
la Suecoie, pars Sueciæ, Suevonia.
Suerby, oppid. & portus Angliæ, Gabrantovicorum portus, Sinus salutaris.
Sues, urbs Ægypti ad mare Rubrum, Arsinoë, Cleopatris, Posidium.
Suetha, urbs Arabiæ, Subit, Suitha.
Sueveghem, vicus Flandriæ, Suevengheminum.
Suevia, provinc. Germaniæ, Suevia.
Suevre, oppid. Galliæ in Carnutibus, Sortobrium.
Suez, vel Sues, oppid. Ægypti ad mare Rubrum, Arsinoë, Posidium.
Suffegmar, fluv. Africæ, Amsaga.
Suf Gemar, fluv. Africæ, Ampsaga.
Sugana, vide Val Sugana.
Sugen, urbs Tonchini, Sugenum.
Sugeres, castellum Galliæ, in Santonibus, Surgeria.
Suidia, urbs Ciliciæ, Seleucia.
Suine, fluviol. Santonum, in Gallia, Sunis.
Suippe, fluv. Galliæ, in Remis, Supia.
les Suisses, populi Germaniæ, Helvetii.
Suizzeri, vide Schweitzer.
Suka Morzi, palus in Tartaria minori, Buges.
Sula, mons Scandinaviæ, Sevo.
Sully, oppid. seu castrum Galliæ, ad Ligerim, Soliacum, & Sulium.
Sulmona, & Solmone, urbs Aprutii, Sulmo.

S. Sul

S. Sulpice Gueretois, in Lemovicibus, vicus Galliæ, S. Sulpicii Waractensis.
Sals, vallis inter Alpes, ubi olim Focunates populi.
Saltania, urbs Mediæ, Tigranocerta.
Saltz, oppid. Sueviæ, Solicinium.
Sultzbach, oppid. Germaniæ, Sultzbachium.
Sumatra, insula Indiæ, Taprobana.
Sumatra, Insula, Sumatra.
Sumercin, pagus Pannoniæ superioris, Ad muros.
Sunung, urbs Tunchini, Suninga.
Sumir, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, Sala.
Summachi, vel Sumachi, urbs Mediæ, Cyropolis, Summachia.
Summaden, conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, Summada.
Sunda, urbs Sinarum, Sunaum.
Sunderburg, oppid. Daniæ, Sunderburgum.
Sundt, urbs Pomeraniæ, Ionitium, Sundis, Morionis.
der Sundt, mare Balticum, Codanus sinus.
der Sund & Oresund, fretum Daniæ, Sundicum fretum.
Sungkiang, urbs Sinarum, Sungkianum.
Sunß, oppid. Coloniensis Diœcesis, ubi Sunici populi.
Sungaw, regio Germaniæ superioris, ubi populi Seguani, Sungovia aliis.
Suola, urbs Phocidis, Anticyra.
Suonigra, oppid. Liburniæ, Arauzona.
Suoragha, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, Soltiga.
Supino, oppid. Samnii, Sepinum.
Sur, urbs Palæstinæ, Antipatris.
Sur, urbs Phœniciæ excisa, Tyrus.
Sur, inter sinum Arabicum & mare Ægyptiacum, Isthmus Ægyptiacus.
Surate, urbs Indiæ citerioris, Surata. & Sirastra.
Surenes, vicus Galliæ, in agro Parisino, Surisna.
Surien le bois, locus Galliæ, Siviriacum bosci.
Suvien le Comtal, locus ibidem, Siviriacum Comitale.
Surina, provinc. Americæ meridionalis, Surina.
Suristan, provinc. Asiæ, Syria.
Sorrento, vide Sorrento.
Surrey, regio Angliæ, ubi olim Regni populi, Surria aliis.
Surunga, urbs Japoniæ. Surunga.
Sury aux bois, locus Galliæ, in sylva Aurelianensi, Suriacum in Bosco.
Sus, provinc. regni Marrochii, Susa.
Sus, urbs Susianæ, Susa.
Sus, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, Una, Massa.
Susa, oppid. Pedemontii, Segusium.
Susa, oppid. Africæ, Siagul.
Susaco, oppid. Sarmatiæ Asiaticæ, Tazus.
Susamano, oppid. Bœotiæ, Oropus.
Susana, oppid. Delphinatus, Scingomagus.
Susay, provinc. Asiæ, Susiana.
Susebriz, oppid. Bohemiæ, Suscitium.
Susdal, provinc. Moscoviæ, Susdalia.
Susdal, urbs Moscoviæ, Susdala.
la Suse, locus Galliæ, in Cenomanis, Seusa. Item oppid. Pedemontii, Segusio.
Susied, oppid. Sclavoniæ, Nedinum.
Susistan, provincia Asiæ, Susiana.
Susor, urbs & portus Ioniæ. Teos.
Sussex, regio Angliæ, ubi olim Regni populi, Sussexia aliis.
Susler, aut Susleren, locus cum monasterio, in Ducatu Juliacensi, Sustra.
Sustra, urbs Susianæ, Susa.
Sutherland, regio Cornabuorum, Lugia, aliis Lugorum, popul. Scotiæ, Sutherlandia.
Sutherk, vel South-Esk, fluv. Scotiæ, Taus, Tava.
Suthrey, vide Surrey.
Suthsex, & Southsex, vide Sussex.
Sutri, urbs Hetruriæ, Sutrium.
Sutz, conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, Zuzium.
Suvas, urbs Cappadociæ, Sebastopolis.
Suvete, urbs Palæstinæ, Capitolias, Suitha.
Suyre, fluv. Hiberniæ, Modonus.
Suzix, urbs Judææ, Nephthali.
Swamberger, pars Alpium Noricarum.
Swatt, urbs Germaniæ, Ascaulis.
Sweitz, & Switz, urbs Helvetiæ, Suetia, Suitia.
Swerinum, urbs Megalopolitani Ducatus, Suerinum, ubi Suardones populi.
Swerin, urbs Daciæ, Severinum.
Swilly, fluv. Hiberniæ, Argita.
Swine, fluv. vel sinus Pomeraniæ, Suevus, ubi Suiones populi.
Swol, urbs Transisalaniæ, Navalia.
Swynarw, vel Swynar, oppid. inter Hungar. & Bosniam, Senbinum.
Symich, pars Pannoniæ inferioris, Bubalia Pannoniæ.
Syrfia, vide Sirfia.
Syria, oppid. Palæstinæ, Jotapata.
Szekhely, populi Transylvaniæ, Siculi, & Ciculi.
Sziget, urbs Hungariæ, Sigetum.
Szombatel, urbs Hungariæ, Sabaria.

T.

TA, fluv. Sinarum, Ta.
Tab, fluv. Carmaniæ, Hytanis.
Tabachzan, urbs Cappadociæ, Comana Pontica.
Tabago, & nieuw Walcheren, insula Americæ, Tabaci insula.
Taberca, urbs Africæ, Tabraca.
Tabardi, oppid. Sarmatiæ Europææ, Hygris.
Taberestan, provinc. Persiæ, Taberestania.
Taberie, urbs Galilææ excisa, Tiberias.
Tabaro, lacus Palæstinæ, Meron, Samachonitis.
Tabasco, provinc. novæ Hispaniæ, Tabasca.
Taberna, vide Taverna.
Tabi, urbs Galatiæ, Tavium.
Tabin, promontor. Scythiæ, Tabis.
Tabor, oppid. Bohemiæ, Taborum.
Tabor, mons Palæstinæ, Tabor, Thabor.
Taburo, mons Lucaniæ, Taburnus.
Tacara, regnum Guineæ, Tacara.
Tacaze, fluv. Æthiopiæ superioris, Tacasus.
Taccasii, & Tacassi, fluv. Æthiopiæ, Astaboras.
Tachara, vide Taracha.
Tachiali, urbs Cariæ, Antiochia Mæandri.
Tachi volicati, oppid. Macedoniæ, Gyrton.
Tachsfelden, oppid. Sequanorum, Didattium.
Tacui, fluv. Africæ, Nilus.
Tacui, vide Taccasii.
Tadcaster, oppid. Angliæ, Calatum, Galacum.
Tadelis, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Salda.
Tadino, oppid. Macedoniæ, Arethusa.
Tadoussac, oppid. novæ Franciæ, Tadussacum.
Taenus, locus Andaluziæ, ubi Aurigitani populi.
S. Tains, castrum Galliæ, in Caletis, S. Sidonii.
Tafalla, oppid. Navarræ, Tubal, Tuballa.
Tafanet, fluv. Mauritaniæ, Thaluda.
Taff, fluv. Walliæ, Rhatostathybius.
Taffel Bay, sinus Cafreriæ, Tabulæ sinus.
Tafilete, regnum Africæ, Tafiletanum.
Tagasta, urbs Africæ, Tagaste.
Tagavost, urbs regni Marrochii, Tagavostium.
Tagazza, promontor. Africæ, Frons Africa.
Tagazza, fluv. Mauritaniæ, Thaluda.
Tagliacozzo, oppid. Latii, Taliequitium, Carseoli novi, Taleacotium aliis.
Tagliamento, fluv. agri Foro-Juliensis, Tilaventum.
le Tagliate, locus apud Syracusas, Latomiæ.
Taicheu, urbs Sinarum, Taicheum.
Taigen, urbs Indiæ excisa, Throana.
Taiima, urbs Sinarum, Taiima.
Taillac, villa Normanniæ, Tasilacum.
la Taillanderie, vicus Galliæ, in urbe Meldis, Talemetaria.
Taillebourg, oppid. seu munitio Santoniæ, Talleburgum, seu Tabellicum.
Tainfu, provinc. Cathaiæ, Aspacharata.
Tamiz, oppid. Bohemiæ, Redintuinum.
Tajo, fluv. Hispaniæ, Tagus.
Taiping, urbs Sinarum, Taipinga.
Taiping, urbs Tunchini, Taipinga.
Taire, olim quoque Teria, fluv. Galliæ, in Bellovacis: Item locus ad fluv. Tara.
Taitung, urbs Sinarum, Taitunga.
Tajuna, fluv. Castellæ novæ, Tagonius.
Taiyven, urbs Sinarum, Taiyvenum.
Takoray, portus Guineæ, Takorajum.
Talabo, fluv. Corsicæ, Locra, Pitanus.
Talaga, pagus Portugalliæ, Talabrica, Talabriga.
Talamone, vel Telamone, oppid. & portus Hetruriæ, Telamon.
Talandi, oppid. Bœotiæ, Anthedon, Atalante.
Talara, vide Tolara.
Talaro, fluv. Corsicæ, Pitanus.
Talart, oppid. Delphinatus, Alarons.
Talavera, urbs vel oppid. Castellæ novæ, Æbura, Ebura, Libora, Elbora, aliis Talabrica.
Talavera de[illegible], oppid. Lusitaniæ, Talabriga, Talave[illegible]
Talaveruela, oppid. Portugalliæ, Evandria.
Talcatan, urbs Margianæ, Nisæa.
Talemoy, vicus Galliæ, in insula fluv. Vigennæ, Thalametum.
Talenberg, oppid. Burgundiæ, Didattium.
Tali, urbs Sinarum, Talium.
Tallandt, regio Macedoniæ, ubi Taulantii populi.
Tallard, vel Talart, oppid. Delphinatus, Alabontis; ubi Tricollori populi.
Tallendorff, vide Dallendorff.
Talmont, & Talemond, melius Turris Talemundi, oppid. seu castrum Aquitaniæ, Tamnum, Pictonium promontor. & Talmuntium.
Talsini, tractus Corsicæ, ubi olim Talcinum oppid.
Tamaclati, oppid. Africæ, Apollinis fanum.
Tamacrati, urbs Africæ, Thamalla.
Tamaga, fluv. Portugalliæ, Tamaca, ubi Tamacani populi.
Tamar, fluv. Gallæciæ, Tamaris.
Tamaraca, insula Brasiliæ, Tamaraca.
Tamarit, pagus & fluv. Catalauniæ, Thobbi.
Tamaro, fluv. regni Neapolitani, Thamarus.
Tamasa, fluv. Colchidis, Charistus.
Tamberg, pagus ditionis Salisburgensis, Tami Alæ.
Tame, provinc. Asiæ, ubi Sinæ populi.
Tamer, vel Tamar, fluv. Cornubiæ, Tamarus.
Tamerton, oppid. Angliæ, Tamare.
Tamige, vide Thames.
Taming, urbs Sinarum, Taminga.
Tamise, & Tames, fluv. Angliæ, Tamesis.
Tamorize, regio Macedoniæ, ubi Taulantii populi.
Tamorize, oppid. Macedoniæ, Tristolus.
Tamp, pagus Catalauniæ, Sebendunum.
Tampan, ostium Rhodani, Metapinum.
la Tana, fluv. & urbs Sarmatiæ, Tanais.
Tanaro, fluv. Liguriæ, Tanarus.
Tanay, locus Galliæ, ad Icaunam fluv. Tanacum.
Tancarville, locus Galliæ in Caletis: ad dextram Sequanam, Tancredi villa.
Tandaia, insula una ex Philippinis, Tandaia.
Tandra, insula Ponti Euxini, Tandra.
Tanea, oppid. Scotiæ, Tania.
Tanedo, pagus Longobardiæ, Tanetum.
Tanegaxima, insula Japoniæ, Tanegaxima.
Tanes, ostium Nili, Taniticum, & urbs Ægypti, Tanis.
Tanger, vide Tangeri.
Tangeri, & Tangari, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Tingi.
Tangermund, oppid. Germaniæ, Tangermunda.
Tango, oppid. Japoniæ, Tangum.
Tanga, regnum Indiæ, Tanganum.
Tangut, regnum Tartariæ, Tangutum.
Tanjaor, urbs Indiæ interioris, Tanjorinum.
Taormina, urbs Siciliæ, Tauromenium.
Tapaisa, fluv. Brasiliæ, Tapaisa.
Tapiow, oppid. Poloniæ, Tapiavia.
Tapusguatis, regio Paraguajæ, Tapusguarum.
Tapuies, populi Brasiliæ, Tapuiæ.
Tapy, fluv. Brasiliæ, Tapius.
Tara, fluv. magnæ Græciæ, Taras.
Tarabosan, urbs Cappadociæ maritima, Trapezus.
Taracha, oppid. Peloponnesi, Pellene.
Taracin, oppid. Gallæciæ, Josrael.
Taraga, vide Tarrega.
Tarano, oppid. Sabinorum, ubi Tarinates populi.
Tarantaise, regio & urbs Centronum in Sabaudia, Tarantasia, Forum Claudii, Tarentasia.
Taranto, urbs magnæ Græciæ, Tarentum.
Tarapolo, vide Trabolos.
Tarara, mons juxta Lugdunum, Cemmenus, Gebenna.
Tarare, oppidul. Lugdunensis agri, Tararia.
Tarare, vel Tararre, vicus Galliæ, ad montem cognominem Taratrum.
Tarascon, oppid. Provinciæ, Tarasco, ubi Tascodunitari populi.
Tarazona, urbs Aragoniæ, Turiaso.
Tarbarth, oppid. Scotiæ, Littus album, Ripa alta.
Tarbe, urbs Vasconiæ, Tarba.
Tarcho, oppid. Macedoniæ maritimum, Pallene.
Tarczal, mons Sarmatiæ Europææ, Carpates; & mons Hungariæ, Almus.
le Tardenois, tractus terræ, in Gallia, in Matronam & Vidulam, Tardanensis.
Tardera, fluv. Catalauniæ, Thobbi, Alba.
Tarfar, vide Farfar.
Targa, regnum Africæ, Targa.
Targa, oppid. Mauritaniæ, Jargath.
Targia, oppid. Siciliæ, Trogilus.
Targoviško, urbs Valachiæ, Targoviscum.
Tariffa, urbs Andalusiæ, Carteia. Belo aliis, & Tarifessa.
Tarku, urbs Georgiæ, Tarcum.
le Tarn vel le Tar, fluv. Aquitaniæ, ex Cebennis delapsus, Tarnis aliis.
il Taro, vel Tarro, fluv. Æmiliæ, Tarus.
Tarpestan, provinc. Parthiæ, Parthyene.
Tarquene, urbs Hetruriæ excisa, Tarquinia, Tarchonium.
Tarracina, vide Terracina.
Tarragona, urbs Catalauniæ, Tarraco.
Tarrega, oppid. Catalauniæ, Tarraga.
Tarsia, oppid. Calabriæ citerioris, Caprasa, & Caprasis.
Tarsia, fluv. Liburniæ, Oeneus.
Tarso, vide Taracha.
Tarsa, urbs Ciciliæ, Tarsus.
Tarsa, promontor. & urbs Siciliæ, Zephyrium.

Tartar, fluv. Sericæ, Oechardes.
Tartaras, locus Galliæ, Tartaracum.
Tartari, populi ad Mæotidem paludem in Europa, Mæotæ, Scythæ Europæ & Asiæ, Anthropophagi.
Tartaria, regio Europæ & Asiæ, Sarmatia & Scythia.
Tartaria minore, peninsula Europæ, Taurica Chersonesus.
les Tartares de Budziack, in Bessarabia, Tartari Budziacenses.
les Tartares de Dobruce, in Bulgaria, Tartari Dobrucienses.
les Tartares d'Oczakow, in ora Ponti Euxini, Tartari Oczacovienses.
la Tartarie du Krim, seu la petite Tartarie & Krimsky, regio Europæ, Tartaria minor.
Tartaro, fluv. Venetiæ, Atrianus, Tartarus.
Tartas, oppid. Vasconiæ, ubi Tarusates populi, Tartassium aliis.
Tartas, locus Galliæ, in arenis Vasaticis, Tarusatium.
Tarihso, urbs Indiæ, Cortacha.
Tarudant, urbs regni Marrochii, Tarodantum.
Tassing, insula Daniæ, Tassinga.
Tasso, insula & oppid. Archipelagi, Thassus.
Tatri, juga Carpatis montis Sarmatiæ Europææ.
Tatta, oppid. Hungariç, Deodatum.
Tatta, regnum Indiæ, Tatta.
Tavai, urbs Aureæ Chersonesi, Tacola.
Tavasthus, provinc. Sueciæ, Tavasthia.
Tavasthus, oppid. Sueciæ, Tavasthia.
Tauber, fluv. Franconiæ, Tuberus.
Tave, vide Tas.
Taveau, locus Galliæ, Catusiacum.
Taverna, oppid. Calabriæ ulterioris, Tabernæ, Trischene.
Taverni, vicus agri Parisini, Taberniacum.
Taves, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Tipasa.
Tavestock, oppid. Angliæ, Tamare.
Tavetsch, oppid. Helvetiæ, ubi Æstuatii populi, Taxgætium aliis.
Tavetscher, populi Helvetiæ, Æsuatii.
Tavignam, fluv. Corsicæ, Rhotanus, Rotanus.
Tavila, urbs Portugalliæ, Balsa.
Tavira, urbs Algarbiæ, Tavira.
Tavis, mons Siciliæ, Hereus.
la Tavolara, insula Sardiniæ, Hermæa.
Taures, vicus juxta Damascum, Daria, Daras.
Taurina, villa Latii, Tiburtina.
Tauris, urbs Mediæ, Ecbatana, Tabresium, Tauresium. Aliis Armeniæ, Terva, Tigranaana.
Taurn, montes Carinthiæ, Alpes Noricæ.
Tauro, insula Sardiniæ, una Beleridarum.
Tauro, mons Asiç, Taurus.
Tausaule, oppid. Lydiæ ad Mæandrum, Tantalus.
Taxata, urbs Armeniæ minoris, Golonia.
le Tay, fluv. Scotiæ, Tavus.
Tayoan, urbs Formosæ insulæ, Tajoanum.
Tebala veja, oppid. Andaluziæ excisum, Ategua.
Tebesca, urbs Africæ, Tebesta, Thebeste, Theveste.
Tec, fluv. inter Linguadociam & Catalauniam, Ilybirris, Thicis, Tichis.
Tec, fluv. Ruscinonensis, Illiberis.
le Tech, fluv. Comitatus Ruscinonensis, Thicis.
Techata, oppid. Macedoniæ, Doliche.
Teck, arx Ducatus Wittembergensis, ubi Tectosages populi.
Teckelenborch, oppid. Westphaliæ, Tecelia.
Teclida, insula Archipelagi, Techedia.
Teculet, fluv. Mauritaniæ, Diur, Vior.
Tedeles, Tedelez, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Jarsath.
Ted Velez, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Addyma.
Tedia, oppid. Thraciç, Terta.
Tedles, provinc. regni Marrochii, Tedlesa.
Tees, fluv. Angliæ, Athesis, Taasis.
Tefeltner, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Tamosiga.
Tefensara, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Banassa.
Tefezara, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Astacilicu, Astacilicis.
Teflis, urbs Armeniæ majoris, Artaxata, Arxata, Tephlis, Zogocara.
Tefze, urbs regni Marrochii, Tefza.
Tegan, urbs Sinarum, Teganum.
Tegaza, desertum Nigritiæ, Tegaza.
Tegdemet, urbs Mauritaniæ, Vaga.
Tegengul, oppid. Walliæ, Igenia.
Tegil, fluv. Mesopotamiæ, Tigris.
Teginr Zair, oppid. Bithyniæ, Clyzomene.
Tegho, locus Rhætiæ, Telium.
Tehart, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Trisidis.
Tejeut, urbs regni Marrochii, Tejeuta.
Teifi, fluv. Walliæ, Tibius.
le Teil, locus Galliæ, in agro Wastinensi, Tilia.
Tein, vide Taintz.
Teissa, vel Tissa, fluv. Hungariæ, Pathissus, Tibiscus.
Teivela, vide Tebala veja.
Telensin, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Timici.
Telese, urbs Samnii excisa, Telesia.
Telez, mons Sclavoniæ, Tulium.
Telfs, pagus Tirolensis Comitatus, Tullium.
Telgen, urbs Sueciæ, Telga.
Telgo, urbs Sueciæ, Telgoa.
Telmiconi, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Timici.
Tellinghead, promontor. Hiberniæ, Boreum.
Telon, vide Toulon.
Temarete, oppidul. Zocotoræ insulæ, Temaretum.
Temde, vide Theme.
Temen, oppid. Regni Algerii, Iomnium.
Temen de Fust, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Rusconia, Rustonium.
Temesne, provinc. regni Fezzæ, Temesna.
Temeswar, pars Hungariæ, Temesuensis Comitatus.
Temeswar, urbs & oppid. Mysiç inferioris, Tomea, Tomi.
Temeswar, urbs Daciæ, Zuroëtra, Zurobara.
Temesuvar, urbs Hungariæ, Temesuaria.
Temiam, regnum Nigritiæ, Temianum.
Temir, urbs Cappadociæ, Themiscyra.
Temisera, vide Temir.
le Temple, in Armoricis, Fanum Martis.
Temple d'Amour, vicus Galliæ, in Lemovicibus, Templum Amoris.
Temruck, & Tomaruchi, urbs Sarmatiæ Asiaticæ, Tyrambe.
Tems, vide Thames.
Tenarisin, insula Indiæ, Nanigeris.
Tenasserim, urbs Indiæ ulterioris, Tenasserimum.
Tenda, vide Montagna di Tenda.
Tende, oppid. Comitatus Nicæensis, Tenda.
Tenduc, regnum Tartariæ, Tenducum.
Tenduc, urbs Sinarum, Thina.
Tenduc, urbs Tartariæ, Tenducum.
Tenedo, insula maris Ægæi, Tenedos.
Teneriffa, una ex insulis Fortunatis; Nivaria, Teneriffa aliis.
Teneriffe, urbs Americæ Meridionalis, Teneriffa.
Tenes, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Lagnutum; Teneza aliis.
Tenesse, urbs Ægypti maritima, Pelusium.
Tenet, insula Angliæ, Tanetos, Thanetos, Tolsapis, Tenos.
Tenet, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Tipasa.
Tenexe, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Tenissa.
Tenez, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Jol, & Julia Cæsarea.
Tenez, tractus regni Algerii, Teneza.
Tenezone, vide Trutschen.
Tengcheu, urbs Sinarum, Tengcheum.
Tenircapi, vide Demircapi.
Tenna, fluv. Marchiæ Auconitanæ, Tignia.
Teme, fluv. Mauritaniæ Cæsariensis, Siga.
Teno, insula maris Ægæi, Tenos.
Tensift, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, Phthuth, Fut, aliis Asama.
Tensor, vide Tenzert.
Tenzert, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Trisidis.
Teorreza, tractus Biledulgeridiæ, Teorregum.
Teplicza, locus Pannoniæ superioris, Aquaviva, Aquavia.
Ter, fluv. Hispaniæ, Thicis, aut Tichis.
Teramo, urbs Aprutii, Interamnia; aliis Aprutium.
Terapia, locus juxta Constantinopolim, Pharmacia sinus.
Terassa, urbs Ciliciæ, Tarsus.
Terbestan, mare Asiæ, Hyrcanum mare.
la Tercera, insula Asorum præcipua, Tertiaria.
Terchim, fluv. Sarmatiæ Asianæ, Soana.
Teresse, tractus Galliæ Belgicæ, ubi Essui populi.
Terga, desertum Nigritiæ, Terga.
Tergoès, urbs Belgii, in Zeelandia, Goa, seu Tergoa.
Tergowisch, urbs Valachiæ, Tergovistus, Triphulum.
Teriana, oppid. Calabriæ citerioris excisum, Terina.
Terin, fluv. Galliæ, Tara.
Terki, urbs magni Ducis Moscoviæ, Terchium.
Termend, urbs Bactrianæ, Bactra.
Termes, urbs Pamphyliæ, Tirmesus.
Termes, castrum Galliæ, in diœcesi Narbonensi, Thermæ: aliàs Termini, in pago Gabalitano.
Termine, fluv. Siciliæ, Himera; & urbs, Thermæ Himeræ.
Termini, urbs regni Neapolitani, Termulæ.
Termole, urbs Aprutii, Buba, Buca.
Ternate, una ex Moluccis insulis, Ternata.
Terni, vel Terani, urbs Umbriæ, Interamna.
Terni, locus Galliæ, in tractu Caballiaco, Terniacum.
le Ternois, tractus terræ in Morinis, Pagus Ternensis, seu Tervanensis. Item fluv. Morinorum, in Quantiam effluens, Toena.
Ternova, urbs Bulgariæ, Ternobum.
Terouanne, urbs Picardiæ destructa, Tarvanna, ubi olim Morini populi.
le Terouanois, ager in Morinis, seu regio Tarvennensis.
Terri, vel Tesiri sur Daumsgnon, vicus Galliæ, in Veromanduis, Textricium.
Terra di Bari, provinc. regni Neapolitani, Peucetia, Apulia Peucetia, Barensis ager.
di Labor, tractus Aquitaniæ, ubi Tarbelli populi.
di Lavoro, provinc. regni Neapolitani, Campania, Laboriæ campi, Terra Laboris.
de Nigri, regio Æthiopiæ, ubi olim Nigritæ populi.
d'Otranto, regio Italiæ in regno Neapolitano, Iapygia, Messapia, Calabria, Salentini, Hydruntina Terra aliis.
di Piccinacoli, Iabadii, insula maris Eoi.
di Puliti, oppid. Siciliæ, Selinus.
Santa, provinc. Asiæ, Palæstina.
Terra nova, oppid. Siciliæ, Callipolis, Eubœa aliis.
Terra nova, oppid. Siciliæ, Heraclea, Gela aliis.
Terra nova, urbs Sardiniæ, Phausania; & fluv. Hipparis.
Terra nova, urbs magnæ Græciæ excisa, Thurium.
Terracina, & Tarracina, urbs Latii maritima, Anxur, Tarracina.
Terrain, fluv. Bellovacensis agri, Tara.
Terrasse, oppid. Catalauniæ, Egara.
Terrasson, oppid. Aquitaniæ, Terrassonium.
Terremotto, urbs, & angustia montis Thessaliæ, Thermopylæ. Boagrius etiam fluv.
les Terres Antartiques, Terra Australis, Antarctica regiones.
les Terres Arctiques, versùs Polum Arcticum, Arctica regiones.
la Terre Australe, pars Orbis, Terra Australis.
Terre de la Compagnie, pars terræ Esonis, Terra Societatis.
Terre de Diemens, pars terræ Australiæ, Diemeni regio.
la Terre Ferme, regio Americæ meridionalis, Terra Firma.
la Terre de Ieso, inter Asiam & Americam, Terra Esonis.
Terre des Papous, in Oceano Indico, Terra Nigrorum.
Terre de Quir, pars terræ Australis, Quiri regio.
Terre Sainte, regio Asiæ, Terra Sancta, Iudæa.
Terriana, oppid. Mysiæ superioris, Tanatis.
Territorio di Carinola, ager Campaniæ Italicæ, Stellatis ager.
Territorio di Gaudo, pars Campaniæ, Laboriæ campi.
Tersis, vide Terassa.
Terskoy Leporie, pars Lapponiæ, Tersa Leporia.
Teruel, urbs Aragoniæ, Tiar Iulia, Turulium, Turia, Terulum aliis.
Terwaen, oppid. Morinorum, Tarvenna.
Terwisch, urbs Valacchiæ, Tergovistus, Tiriscum, Tirista.
Terza, oppid. Apuliæ, Frateurtium.
Terzacz, oppid. Liburniæ, Tarsatica.
Teschen, urbs Silesiæ, Teschina.
Tese, fluv. Walliæ, Tisis, Tisobis.
Tesset, urbs Biledulgeridiæ, Tesseta.
Tesino, fluv. Insubriæ, Ticinus.
Tespe, urbs Bœotiæ eversa, Thespia.
Tessanderloo, oppid. Brabantiæ, Taxandrum; ubi Toxandri populi.
Tessanders, populi Brabantiæ, Toxandri.
Tessena, fluv. agri Vicentini, Togisonus.
Tessender-loo, vicus Belgii, in Campania Brabantina, Toxandrorum locus.
Tessonville, vicus Galliæ, in agro Parisino, Tessonvilla.
Teslana, promontor. Mauritaniæ Tingitanæ, Herculis promontor.
Teste, urbs Parthiæ, Tastache.
Teste de Busch, oppidul. Galliæ, Buxium.
Teste de Can, promontor. Galliæ, cum insula cognomine, Caput Caninum.
Tet, fluv. in Comitatu Ruscinonensi, Telis, seu Ruscino.
Tetuan, urbs regni Fezzæ, Tetegnina, & Tetuanum.
il Tevere, fluv. Italiæ, Albula, Tiberis.
Teverone, fluv. Sabinorum, Anio.
Teuffen castel, Conventus Rhætorum, in fœdere Cathedrali, Imum castrum.
Teulara, vide Tolara.
Teusar, oppid. Africæ, Tisurus.
Teusara, & Biledulgerid, urbs Biledulgeridiæ, Teusara.
Teuteburg, sylva Westphaliæ, Teutoburgensis saltus.
Teutsch, populi Germaniæ, Teutoni.
Teutsch, populi Europæ, Teutoni, & Germani.
Teutschlandt, provinc. Europæ, Terra Teutonica.
Teutschlandt, regio Europæ, Germania.
Tewkesburye, oppid. Angliæ, Theocituria.
Texe, locus Normanniæ, Taxia.
Texel, insula Hollandiæ, Texelia.
Teyder, fluv. Livoniæ, Teydera.
Teysterbant, Comitatus Belgii, Testrebantum.
Texela, oppid. Mauritaniæ Cæsariensis, Arina.
Thacuach, castellum Judææ, Herodium.

Thain, oppid. Delphinatus, Tinum.
Thalebnach, fluv. Indiæ, Indus.
Thamaco, urbs Thessaliæ, Thaumasia.
Thamar, fluv. Sarmatiæ Europeæ, Rha.
Thames, fluv. Angliæ, Tamesis, Thamesis, Jamissa.
Thanircapi, vide Demircapi.
Thanet, insula Angliæ, Tanetos.
Thareckfeld, campi Austriæ, Alicabe.
Tharegan, regio Libyæ, ubi Garamantes olim.
Tharpaslan, vide Tarpaslan.
Thata, oppid. Hungariæ, Cæsarea.
Thaun, arx Germaniæ, Dimmus.
Thaurn, mons Carinthiæ, Taurus.
Theache, insula maris Ionii, Ithaca.
Theaci, insula maris Ionii, Ithaca.
Theama, urbs Arabiæ Felicis, Thema.
Thebasse, vel Tebasse, oppid. Armeniæ minoris, Cabasus.
The Deucaldon sea, prope Scotiam, mare Caledonium.
The lands end, in Anglia, promontor. Antivestæum.
Theme, fluv. Angliæ, Themis.
Themines, castrum Galliæ, Themina.
Themercapi, vide Demircapi.
The mul of Cantyr, in Scotia, promontor. Epidium.
Theodoro, urbs Tauricæ Chersonesi, Taxus.
Theomy, locus Floridæ, Theomum.
These, vide Tees.
Thessalia, regio Græciæ, Thessalia.
Thetem, oppid. vel pagus Hungariæ, Campania, Compona, Matrica, Potentiana.
Thetford, oppid. Norfolciæ, Iciani, Sitomagum.
Theth, oppid. Hungariæ, Salinum.
Thews, urbs Ægypti, Thebe.
Thibet, regnum Tartariæ, Thibetum.
Thienen, oppid. Brabantiæ, Legio Atheniensis, Atheniensis legio, Tena, & Tilemontium.
Thiers, oppid. Alverniæ, Thiernum.
Thima, urbs Persiæ, Tacca.
Thina, fluv. Margianæ, Oxus.
Thionville, oppid. Lutzemburgensis Ducatus, Diodurum, Theodonis villa.
Thirso, fluv. Sardiniæ, Thyrsus.
Thocato, vide Tocato, vel Toccato.
Tholey, pagus & cœnobium apud Treviros, Theologium.
Thoni, vide Othoni.
Thonon, oppid. Sabaudiæ, Thononium.
Thorn, urbs Prussiæ, Toranium.
Thoron, castrum Phœniciæ, Thoronum.
Thouars, urbs Galliæ, Duracinum.
Thoura Aremnot, vide Thoura Emnot.
Thoura Emnot, provinc. Asiæ, Armenia major.
Thuin, oppid. Belgii, Thuinium.
Thun, oppid. Helvetiorum, Thunum.
im Thum, oppid. Insubriæ, Oscella.
im Thunca, tractus Bavariæ, ubi Thunicates populi.
Thumenstia, regio Græciæ, Thessalia.
Thur, vel Dur, fluv. Helvetiæ, Durus.
Thuringen, provinc. Germaniæ, Thuringia.
Thuringer, populi Germaniæ, Chasuarii, Turingi, Teutonohemi, Thuringi.
Thuringerwaldt, pars Hercyniæ, sylvæ Germaniæ, Bacenis, Semana sylva.
Thurn, oppid. Liburniæ, Turres.
Thurther, Hungariæ pars, Torantolensis Comitatus.
Thyana, urbs Bœotiæ excisa, Thebæ.
Thyeto, oppid. Calabriæ citerioris, Thyella.
Thysted, oppid. Jutiæ, Thystladium.
Tiais, vicus Galliæ, in agro Parisino, Theodexium.
Tiana, urbs Cappadociæ, Tyana.
Tiano, urbs Campaniæ, altera Apuliæ excisa; Teanum Sidicinum.
Tiberville, in Lexoviis, Tetberti villa.
Tibourville, locus in Gallia, Tetboldi villa.
Ticon, urbs Sumatræ insulæ, Ticum.
Tidor, insula una ex Moluccis, Tidora.
Tiel, & Tielt, oppid. Geldriæ, Tiela.
Tierasche, tractus Picardiæ, & sylva, Tirascia, seu Teoracia.
Tiermes, vide Nuestra Senora de Tiermes.
Tiera, castrum Galliæ, in Arvernis, Tigernum.
Tierra del Fuego, insula Americæ, Ignium regio.
Tieuve, vicus Artesiæ, Teuccra.
Tifauge, oppid. Galliæ, in Pictonibus, Taifalia.
Tifelfeldt, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, Tamusida.
Tifeo, fluv. Peloponnesi, Pamisus.
Tifer, oppid. Pannoniæ superioris, Deutona.
Tiferno, fluv. Frentanorum, Tifernus, Phiternus.
des Tignes, gradus Rhodani, Tinea.
Tigré, regnum Abissinorum, Tigre.
Tigudent, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Jol Cæsarea.
Tiissa, vide Tissa.
Til, vel Tille, fluv. Burgundiæ, in Ararim influens, Tila.
arc sur Til, locus in Lingonibus, Arcus super Tillam.

Tilbury, pagus Angliæ, Tileburgum.
Tilemarck, tractus Norvegiæ, Thule.
Tilemont, idem cum Thienen.
Tillay, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Tellejum.
Tillay le Godin, locus Galliæ, in Belsia, Tilietum Godini.
Tille Chasteau, corr. Trichastel, Trichasteaul, & Trichasteau, urbecula Burgundiæ, Tile castrum.
Tilliers, pro Tuiliers, locus Normanniæ, Tegularia.
Tilly, vicus Galliæ, in Caletis, Tilietum; item Telba. Est quoque locus agri Parisini, aliàs Tillay, Teilracum.
Tilly le Paneux, locus Belsiæ, Tilietum Pagani.
Timin, oppid. Palæstinæ, Thammata.
il Timavo, fluv. agri Forojuliensis, Timavus.
Timerais, castrum Galliæ, in Carnutibus, Theodemerense.
Tin, vel Tam, locus Galliæ, inter Viennam & Valentiam, Tegna.
Tina, insula Archipelagi, Tenos; & fluv. Bactrianæ, Oxus.
Tinchebray, castrum Galliæ, in Pertico, Tenerchebrajum.
Tinezen, vide Tintschen.
lo Tindaro, urbs Siciliæ excisa, Tyndaris.
Tine, urbs Dalmatiæ, Tinia.
Tine, vel Tyne, fluv. Angliæ, Thinus, Tina.
Tingchen, urbs Sinarum, Tingcheum.
Tingoeses, populi Tartariæ, Tingcesi.
Tinmouth, castrum & portus Angliæ, Tinmorchum, Timontourum.
Tino, vide Topino.
Tinto, vel Tirto, oppid. Thraciæ, Tirta.
Tintschen, oppid. Rhætiæ, Tinnetio.
Tio, urbs Paphlagoniæ, Tium.
Tipperary, Hiberniæ pars, Tipperariensis Comitatus.
Tiques, oppid. Mysiæ superioris, Timacum.
Tirano, oppid. Rhætiæ, Tiranum.
Tirasche, tractus Galliæ, ubi Essui populi.
Tirck, fluv. Albaniæ Asiaticæ, Cyrrhus.
Tirholm, insula maris Baltici, Ottonia.
Tiriolo, oppid. Calabriæ, Tyria, Tyrus.
Tiritiri, fluv. Persiæ, Eulæus, aliis Mosæus, aliis Orates, Choaspes.
Tirol, regio Germaniæ, Tirolis, & Terriolum oppid. ejus.
Tiron, fluv. Galliæ, in Lidericum fluens, Tiro.
Tiros, oppid. Peloponnesi, Brasiæ.
Tirto, vide Tinto.
Tisaria, urbs Cappadociæ, Diocæsarea, aliis Cæsarea, & Mazaca.
Tisindan, fluv. Carmaniæ, Andanius.
Tisindan, fluv. Persiæ, Bagrada.
Tissa, oppid. Siciliæ eversum, Tissa.
Titaresso, fluv. Thessaliæ, Enipeus, Titaressus.
Titicaca, lacus Peruviæ, Titicaca.
Titul, oppid. Hungariæ, Tibiscum.
Tiva, urbs Bœotiæ, Theba.
Tivedall, provinc. Scotiæ, Teviotia.
Tivica, oppid. Hispaniæ, Theava.
Tiverni, locus Galliæ, ad Taram fluv. Tiberniacum.
Tivernon, locus Galliæ, in Belsia, Tibernio.
Tivoli, urbs Latii, Tibur, Tybur.
Tivy, fluv. Walliæ, Tibius, Tuerobis.
Tlascala, provinc. novæ Hispaniæ, Tlascala.
Tlascala, urbs novæ Hispaniæ, Tlascala.
Toacata, urbs Cyrenaicæ maritima, Taucheira, Teucheira, Arsinoe.
Toam, urbs Hiberniæ, Tuama.
Toars, castrum Galliæ, in Pictonibus, Toarcium.
Toaut, locus Galliæ Celticæ, Magetrobia.
Tobol, urbs Moscoviæ, Tobolium.
Tobnibe, urbs Africæ, Aphrodisium.
Tocara, urbs Cathaiæ, Thogara.
Tocayma, urbs Americæ meridionalis, Tocaima.
Toccato, urbs Cappadociæ, Cappadociæ pars, Tochata, & Neocæsarea.
Tochisandan, mons Carmaniæ, Strongylus.
Todesch, vide Teutsch.
Todi, urbs Umbriæ, Tuder.
Toiret, fluv. Galliæ, Toirius.
Tokay, urbs Hungariæ, Toksum.
Tokoes, provinc. Moscoviæ, Tocorsia.
Tolara, insula Sardiniæ, Ermæa, Bucina aliis.
Tolczburg, oppid. Sueciæ, Tolsburgum.
Toledo, urbs Castellæ novæ, Toletum.
Tolen, & Ter Tolen, urbs Zeelandiæ, Tola.
Tolentino, urbs Piceni, Tolentinum.
Tolfa nova, oppid. Thusciæ, Forum Claudii.
Tolgie, urbs Armeniæ majoris, Thospia.
Tolgus, oppid. Epiri, Echinus.
Tolna, oppid. Hungariæ, Altinum.
Tolne, pars Hungariæ, Tolnensis Comitatus.
Tolne, urbs Hungariæ, Tolna.
Tolometta, urbs Cyrenaicæ, Ptolemais.
Tolon, vide Toulon.

Tolosa, oppid. Guipuscoæ, Iturissa.
Tolosa, vide Toulouse.
Tolosetta, urbs Hispaniæ Tarraconensis, Tolosa.
Tolosette, locus Galliæ in Novempopulis, Tolosula, vel Tolosella.
Tolouse & Toloze, urbs Linguadociæ, Tolosa.
Tomanize, mons Lydiæ, Tmolus.
Tomanis, urbs Armeniæ majoris, ubi Thomanii populi.
Tomar, oppid. Portugalliæ, Nabantia, Tacubis.
Tombelaine, arx Galliæ, in monte cognomine, in Abrincatuis, Tumbella, vel Tumbellana.
Tombut, urbs Nigritiæ, Tombutum.
Tomila, vide Fomillum.
Tomiswar, urbs Mysiæ inferioris, Tomi, Tomea oppid.
Tonaw, vide Donaw.
Tonay-Boutonne, locus Galliæ, Tanniacum ad Vulturnam.
Tonay-Charente, locus in Santonibus, Tanniacum ad Carantonum.
Tondern, urbs Daniæ, Tondera.
Tondaxima, Japoniæ insula, Tondaxima.
Tone, fluv. Angliæ, Tamarus.
Tongeren, populi & urbs Brabantiæ, Tungri, Atuatutum, Vatuca.
Tongeren, aut Tongern, Gall. Tongres, oppid. Germaniæ inferioris, Adueca seu Atuacutum.
Tongerloo, pagus Brabantiæ, Aduaca Tungrorum.
Tonnains, vel Tonnas, locus Galliæ, ad Garumnam, Tonantii villa.
Tonneins, oppid. Aquitaniæ, Toninsum.
Tonnerre, oppid. Burgundiæ Ducatus, Ternodorum, Tornoderum, Tronodorum.
le Tonnerrois, tractus Burgundiæ, Ternodorensis.
Tonningen, urbs Daniæ, Tonninga.
Topeterkan, urbs Tauricæ, Chersonesus.
Topino, fluv. Umbriæ, Tinia, Tenea.
Toplitza, populi & oppid. Mysiæ superioris, Tricornesii, Tricornium.
Toppia, fluv. Latii, Amasenus.
Tor Rossello, oppid. Galliæ Narbonensis, Ruscino.
el Tor, vide Eltor.
el Tor, vide Tur.
Torano, oppid. Calabriæ citerioris, Dampetia.
Torbia, urbs Liguriæ excisa, Tropæa Augusti.
Torcello, urbs ditionis Venetæ excisa, Torcellum.
Torcester, oppid. Angliæ, Tripontium.
Torci, castellum agri Parisini, in Briegio, Torciacum.
Torcy, locus Galliæ, in Caletis, Torciacum.
Torda, vide Torrenburg.
Tordesillas, oppid. Castellæ veteris, Turris Syllana.
Tordino, fluv. Aprutii, Batinus, Juvantius, Matrinus.
Tordunes, portus Mauritaniæ, Gypsaria.
Tore, insula Lucaniæ, una Sirenusarum.
Torfou, aut Taurfou, vicus agri Parisini, Torta Fagus.
Torgaw, urbs Misniæ, Argelia, Torgavia.
Torigni, vicus agri Parisini, Taurinacum.
Torigny, oppid. Normanniæ, in confinio Bajocassium, & Constantiensium, Torinacum, vel Tauriniacum.
Tormente, fluv. agri Torinnensis, Tormentus.
Torn, urbs Finlandiæ, Torania.
Torne, urbs Sueciæ, Torna.
Torne, fluv. Sueciæ, Tornus.
Tornus, seu Tornu, oppid. Burgundiæ Ducatus, Tinurtium, Trenorchium aliis.
Toro, urbs Castellæ veteris, Ocelodurum, Sarabris, Taurum aliis.
Toro, vide Turrecula.
Toron, castrum Phœniciæ, Tyberim.
Torone, oppid. Epiri, Torone.
Torondoles Gabraleris, oppid. Palæstinæ, Sanam.
Torquemada, oppid. Castellæ veteris, Augusta nova, Porta Augusta.
Torre, vide Turre.
Torre vel Turre, oppid. Sabinorum, Cures.
Torre, urbs Sardiniæ excisa, Turris Libyssonis.
Torre, pagus Siciliæ, Dymethus.
la Torre dell' Annuntiata, oppid. Campaniæ Italicæ, Herculaneum.
di gl' Arabi, locus Marmaricæ, Chimo, aliis Plinthine.
d'Agri, vicus Lucaniæ, Aciris.
de Bagni, thermæ Campaniæ Italicæ, Suessanæ aquæ, Sinuessanæ aquæ.
de Gasparalli, locus juxta Neapolim, olim urbs, ubi Palæpolis.
del Greco, oppid. Campaniæ juxta Neapolim, Herculaneum.
di Mare, urbs Calabriæ excisa, Metapontum.
de Moncorvo, oppid. Portugalliæ, Mencorvum.
dell' Oliveto, pagus Siciliæ, Dymetus.
d'Orlando, locus prope Cajetam, Munatii Mausoleum.
di Ottavo, locus Campaniæ Italicæ, Herculaneum.

della Patria, turris Campaniæ Italicæ, ubi Liternum.
Pignatara, urbs Latii excisa, Subaugusta.
Torrenburg, oppid. Transylvaniæ, Dierna.
Torres vedras, vide Torvedra.
Torrorella, oppid. Catalauniæ, Telobis.
Torsa, urbs Sueciæ, Torsa.
Torsil, urbs Sueciæ, Torsilia.
Torso, fluv. Sardiniæ, Thyrsus.
Torto, fluv. Siciliæ, Himera.
Tortona, urbs Lombardiæ, Dertona, Terdona, Tertona.
Tortosa, urbs Syriæ. Antaradus, Orthosia.
Tortosa, urbs Catalauniæ, Dertosa.
Torvedra, oppid. Portugalliæ, Arandis.
Tosa, vide Tussa.
Tosa, oppid. Japoniæ, Tosa.
la Tosa, fluv. Insubriæ, Athiso.
la Toscana, provinc. Italiæ, Etruria, Hetruria, Thuscia, Tuscia.
Toscanella, urbs Hetruriæ, ubi Tuscanienses populi, Tuscania
Toscani, populi Italiæ, Tusci, Thusci.
Totam, oppid. Hungariæ, Legio decima Germanica.
Totia, urbs Paphlagoniæ. Gangra, Theodosia.
Totnes, oppid. Angliæ, Totonesium.
le Toué, fluv. Galliæ, in Ligerim se evolvens, Toëdus.
Touillon, castrum in Æduis, Tullium.
Toul, urbs Lotharingiæ, Tullum.
Toulba. urbs Africæ, Adrumetum. Hadrumetum.
Toulon, urbs Provinciæ maritima, Taurentum, Telo.
Toulon sur Arroux, oppid. Burgundiæ, Tullonium ad Arrosium.
le Toulousain, regio Galliæ, Ager Tolosanus.
Toulouse, urbs Galliæ, Tolosa.
Toulpe, oppid. Germaniæ inferioris, Tolbiacum.
Toupinambous, populi Brasiliæ, Tovopinambautii.
Touque, fluv. & locus Galliæ, in Lexoviis, Toloa.
la Tour, locus Galliæ in diœcesi Lugdunensi, in Delphinatu, Turris.
la Tour d'Auvergne, locus Galliæ, Turris in Arvernis.
la Tour de Bouc, arx Provinciæ, Caprina turris.
Tour de Bray, locus Galliæ, Turris in Brajo.
Tour de brouë, locus ejusdem regni, prope Broagium, Turris Braji.
le Tour de Cordan vel Cordouan, insula Aquitaniæ, Antros.
la Tour d'Ordre, locus Picardię, Forum, Pharum.
la Tour du Pin, locus in Provincia Turris Pini.
la Tour de Roussillon, locus Galliæ Narbonensis, ubi prius Rusçino urbs excisa.
Touraine, regio Galliæ, Turonia, ubi Turones populi.
Tournac, locus Galliæ, in diœcesi Nemausensi, Turnacum.
Tournan, & Tournan en Brie, castrum Galliæ, cum præpositura, Turnonium in Briegio.
Tournay, urbs Flandriæ, Tornacum, ubi Nervii populi.
le Tournesis, tractus Flandriæ, Ager Turnacensis.
Tournhout, oppid. Brabantiæ, Turholtum.
Tournon, oppid. Galliæ ad Rhodanum, Taurodunum, aliis Tauurtium, Turnonium.
Tournon, vicus Galliæ, in Turonibus, Tornomagum. Item castrum, in agro Lugdunensi, Turno.
Tournus, vide Tornus.
Tours, urbs Galliæ olim Turonum popul. Cæsarodunum.
Tour sur Marne, oppid. Campaniæ: aliàs Tour en Champagne, Lat. Turres ad Matronam.
Tours en Vimay, locus Galliæ, Turres, vel ad Turres in Vimmaco.
Toury, locus Galliæ in Secalonia: castrum Belsiæ, Tauriacum.
Tousi, vel Tusi, locus in diœcesi Tullensi, Tusiacum.
Touvre, fluv. Galliæ, prope Encolismam, in Carantonum fluens, Toluera.
Tovy, fluv. Walliæ, Rhatostathybius, Tobius.
Towy, vide Tovy.
Toy, insula Japoniæ, Toja.
Toya, urbs Hispaniæ excisa, Mentesa.
Traba, oppid. Cretæ, Tarba.
Trabelos, urbs Phœniciæ, Tripolis.
Trabisonda, urbs Cappadociæ, Trapezus.
Trabuco, oppid. Marmaricæ, Bathracus.
Trachuna, oppid. Mysiæ inferioris, Trismis.
Trafalgar, promontor. Andaluziæ, Junonis, ara Junonis fanum; & fluv. Belo.
Tragonara, urbs regni Neapolitani. Tragonara.
Trajanopoli, urbs Thraciæ, Trajanopolis.
Trajetto, oppid. Latii, Minturna nova, Trajectum aliis.
Traina, vide Troyna.
Traina, oppid. Siciliæ, Hemichara & Imachara.
Trainel, vel Treynel, castrum Galliæ, in Tricassibus, Triangulum.
Traiyn, oppid. Bithyniæ, Tararum.
Tra los montes, provinc. Portugalliæ, Trans montana.
Tranberg, locus Germaniæ, Trajani monumentum.
Trancost, vel Trancant, vicus Galliæ, in Tricassibus, Tranquiltus.
Tranguebar, oppid. Indiæ citerioris, Trangobaria.
Trani, urbs Apuliæ, Tranium, ubi Atrani populi.
Transacco, fluv. Latii, Transaqua.
Transchyn, oppid. Hungariæ, Transchinium.
Transisalane & Over-Yssel, provinc. Belgii, Transisalana.
Transylvanie & Sibenburgen, pars Hungariæ, Transylvania.
Trapalanda, pars Tucumaniæ, Trapalanda.
Trapani, urbs Siciliæ maritima, Drepanum.
Trapani del monte, oppid. Siciliæ, Eryx.
Trapani, promontor. & oppid. Achajæ, Rhium, Drepanum.
Trapano, insula juxta Cephaleniam, Letoa.
Trapano, urbs Sarmatiæ Asiaticæ, Tyrambe.
Trappes, vicus Galliæ, in agro Parisino, Trappa.
Trajmaur, oppidul. Austriæ, Trigisamum.
Trastevere, pars Romæ ultra Tyberim, Transtyberina.
Trau, urbs Dalmatiæ, Tragurium.
Travancor, urbs Indię intra Gangem, Travancorium, Cottiara.
Traxburg, oppid. Sueviæ, Dracuina.
Trave, fluv. Holsatiæ, Treva, Chalusus & Dravenus aliis.
Travemund, oppid. Germaniæ, Dragamina, Treva.
Traxus, urbs Mesopotamiæ, Apamia.
Trayguera, oppid Hispaniæ, Incibilis & Tiar Julia.
Tre Fontane, insula Siciliæ, Cosyrus
le Tre Fontane, locus juxta Romam, Gutta jugiter manans, Aqua Salvia.
la Trebia, fluv. Longobardiæ, Trebia.
Trebigna, urbs Dalmatiæ, Tribulium, Tribunia.
Trebigna, urbecula Dalmatiæ, Tribulium & Tribunium.
Trebilum, urbs Armeniæ majoris, Gerva.
Trebisazzi, oppid. regni Neapolitani, Vicesimum, Viceaumum.
Trebisonda, vide Trabisonda.
Treboul, vicus Galliæ, in confinio Arvernorum, Gabalorum & Rutenorum, Treobris.
Treca, pagus agri Novariensis, Tres Casæ, Trecatum.
Trecento, vide Tricesimo.
Treglio, fons & lacus Latii, Juturna.
Treguier & Lantriguet, urbs Britanniæ minoris, Trecorium.
Treno, locus Castellæ veteris, ubi Tritium Metallum.
Trelleborg, oppid. Sueciæ, Trelleburgum.
Trelon, castellum Belgii, in Hannonia, Telonia. Aliàs Terlon, Lat. Terlonium.
Tremblay, Tremlay, aliter grand Trembley, vici duo Galliæ. in agro Parisino, Tremblejum, Tremblacum, seu Tremulidum.
Tremigan, provinc. Asiæ, Margiana.
Tremissen vel Tremesin, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Temisso, Timici.
Tremithusa, urbs Cypri excisa, Tremithus.
Tremiti, insula Apuliæ, Tremetus, Diomedea insula.
Tremiuge, vide Tremithusa.
Treneo, vide Trigno.
Trent, fluv. Angliæ, Trenta.
Trento & Trent, urbs Comitatus Tyrolensis, Tridentum.
Trero, fluv. Latii, Trerus.
Tresen, urbs Sueciæ, Tresa.
Tresfonts, monasterium in Ducatu Barrensi, Tres Fontes.
Tresme, locus & fluv. Galliæ, in Meldis. Trema.
Tresport, locus in Caletis, Ulterior Portus.
Trethymirow, oppid. Poloniæ, Trethymirova.
Treveri, vide Trier.
Treves, vide Trier.
Trevi, urbs Umbriæ, Mutusca, Trebia, ubi Trebiates populi.
Trevi, oppid. Latii, Treba.
Trevico, urbs regni Neapolitani, Trevicus.
Trevinno, oppid. Hispaniæ, Beleja & Trevinnum.
Treviso, urbs Marchiæ Tarvisinæ, Tarvisium, Taurisium.
Trevoux, oppid. Bressiæ, Trevoltium.
Trez, locus Galliæ, inter Massiliam & Aquas Sextias, Trezena.
Trezina, urbs Peloponnesi, Trœzen.
Triadizza. urbs Thraciæ, Sardica.
Triana, pagus Andaluziæ, Osset, Julia Constantia.
Tribanta, urbs Phrygiæ majoris, Tribanta.
Tribbesees, oppid. Pomeraniæ, Tributum Cæsaris.
Triberg, oppid. olim, nunc vicus Helvetiæ, Petinesca.
Tribocchi, oppid. Paphlagoniæ, Teuthrania.
Tribigne, vide Trebigna.
Tribur, locus apud Moguntiam, ubi olim Triburia oppid.
Tricala, urbs Thessaliæ, Tricarinum.
Tricarico, urbs Lucaniæ, Tricaricum.
Tricesimo, oppid. agri Forojuliensis, Tricesimum.
Trie, castrum Galliæ, in Veliocassibus, Tria, Tres vel Treta.
Trie le Chasteau, Idem.
Trieu, fluv. Britanniæ minoris, Tetus.
Triende & Trient, vide Trento.
Trienon, vici duo Galliæ, in agro Parisino, Drononum.
Trier, urbs Germaniæ inferioris, Treviri, Augusta Trevirorum.
Trierische, populi Germaniæ, Trewiri, & Trevirenses.
Trieste, urbs Istriæ, Tergeste.
Trieves, urbs Delphinatus, Augusta Tricastinorum.
Trievre, fluv. Galliæ, in Gabalis, Triobris.
Trigno, fluv. Aprutii, Trinium.
Triguier, Treguer, urbs Britanniæ minoris, ubi Osismii populi, Trecorium, Vorganium.
Trille Bardon, pro Trie le Bardon, in Meldis, Tria Bertulfi.
Trilleport, vel Trie le port, locus Galliæ, in Meldis, Tria portus.
Trimmavo, urbs Indiæ, Tessyr.
Trin, vide Trino.
Trina vel Terna, pagus agri Mediolanensis, Trenatum.
la Trinidad, in America meridionali, Trinitatis insula.
la Trinidad, in mari Brasilico, Trinitatis insula.
la Trinidad, oppid. novæ Hispaniæ, Trinitas.
Trino, oppid. Montisferrati Ducatus, Tridinum.
Trinquetaille, locus Galliæ ad Rhodanum, Trinquetallia.
Trinquimale, urbs Ceylani insulæ, Trinquimala.
Triompa val, vide Val Triompe.
Trionto, fluv. Calabriæ, Hylias.
Tripition, promontor. juxta Constantinopolim, Amilton.
Triplewer, populi Alpini, Triumpilani.
Tripoli, oppid. Cappadociæ, Ischopolis.
Tripoli, oppid. Paphlagoniæ, Teuthrania.
Tripoli di Barbaria, urbs Africæ, Neapolis, Tripolis.
Tripoli di Soria, urbs Phœniciæ, Tripolis.
Tripoli vecchio, urbs Africæ excisa, Sabathra.
Tripete, collis prope Bajas in Campania, Thesprotus.
Trissino, oppid. Piceni, Tessinum.
Trissena, oppid. Poloniæ, Nemea.
Triticiri, fluv. Susianæ, Mosæus.
Trivento, urbs Samnii, ubi Triventinates populi, Triventum.
Trivetto, oppid. Samnii, Tuticum.
Tro, locus Romandiolæ, ubi olim Forum Truentinorum, oppid.
Trocbera, urbs Cyrenaicę, Taucheira, Arsinoe.
Troja, urbs Apulię. Actava, Eca. Troja.
Troja, urbs Asię minoris diruta, Ilium, Troja.
Troja, oppid ad Saum fluv. Metullum.
Trojens, populi Gallię, Tricassini.
Trois Chasteaux, urbs Delphinatus, Augusta Tricastinorum, Tricastini.
les Trois Maries, oppid. Provincię, Delphicum Templum.
Troki, urbs Polonię, Troca.
Trolbete, fluv. Suecię, Trolbeta.
Troli, vicus Gallię, in Suessionibus, ad Axonam, Trolejum,
Tronbeim, urbs Norvegię, Nidrosia.
Tronto, fluv. Piceni, Truentum.
Troode, mons Cypri, Olympus.
Tropea vel Tropia, urbs Calabrię ulterioris, Postropea, Tropea.
Troppaw, urbs Silesiæ, Oppava.
Trossulo, oppid. Hetrurię excisum, Trossulum.
Troucs sur la Delette, vicus Gallię, in Suessionibus, Truccia.
Trouyere, fluv. Gallię, in Gabalis, Triobris.
Troyes, urbs & populi Campanię Gallicę, Trecasses, Treca, Augustobona, Augustomana.
Troyna, urbs Sicilię, Trajanopolis, Dragina.
Troyneuwth, urbs Anglię, Londinum.
Troze, insula Lucanię, una Stœchadum.
Trucula, insula Dalmatię, Tricaria, Truconnes.
Trugillo, urbs Extremadurę, Castra Iulia. Aliis Turrium præsidium, Turris Iulia, Scalabis.
Trughillo, urbs novę Hispanię, Turris Iulia.
Trughillo, urbs Peruvię, Turris Iulia
Truglio, locus apud Bajas in Campania, Pisonis villa
Truye, vicus Turonum, Tauriacum.
Trun, locus ad Divam fluv. Theonium.
Tryme, urbs Hibernię, Trima
Tubingen, urbs Suevię, ubi Tubanti populi, Augusta Tubinga.

Tuchen

Tucbo, urbs Sinarum, Tuchum.
Tucuman, regio Americæ, Tucumania.
Tucuyo, oppid. Venezuelæ, Tucujum.
Tudder, pagus Ducatus Iuliacensis, Theudurum.
Tudela, urbs Navarræ, Tutela.
Tudelle, castrum Galliæ, in diœcesi Albiensi, Tutela.
Tuelle vel Tulle, castrum Galliæ, cum monasterio, in Lemovicibus, Tutela.
Tuile, pagus inter Alpes, Ariolica, Arebrigium.
Tuilins, locus ad Isaram, Tegline.
Tuin seu Thuin, oppid. seu castrum Hannoniæ, Ad fines, seu Tudinium.
Tuma, oppid. Liburniæ, Tariona.
Tulles, urbs Galliæ in Lemovicibus, Tutela.
Tuln, oppid. Austriæ, Castra Catulina.
Tulpick, vide Toulpic.
Tulujar, castrum Galliæ Narbonensis, Tulugia.
Tulza, oppid. Bulgariæ, Sitioenta.
Tunchang, urbs Sinarum, Tunchanum.
Tungchuen, urbs Sinarum, Tungchuenum.
Tunge, vide Tanea.
Tunggin, urbs Sinarum, Tungginum.
Tunisi, urbs Africæ, Tunsa, Tunes, Tunetum aliis.
Tunisi regno, vide Regno di Tunisi.
le Tunquin, regnum Asiæ, Tunchinum.
Tunsa, fluv. Thraciæ, Tanarus.
Tunza; fluv. Thraciæ, Tanarum.
Tur vel Turla, montes Arabiæ petrææ, Melani, Taurus.
Tura, oppid. Liburniæ, Tariona.
Turbayec, oppid. Palæstinę, Bersabee.
Turbella, fluv. Liguriæ, Edus.
Turcheim, urbs Alsatiæ, Turichemum.
Turchestan vel Turquestan, regio Asiæ, ubi Iaxartæ populi, Aria.
Turchi, populi Sarmatiæ Asiaticæ, Turcæ.
Turcia major, pars Asiæ, Asia minor.
les Turcies de la Loire, moles infra Aurelianos, quibus Ligeris coërcetur, Torciæ Ligeris.
Turkzuest, oppid. inter Mysiam & Thraciam, Succi.
Turcomania, provinc. Asiæ, Basilisene, Armenia major, Cilicia.
les Turcs, populi Asiæ, Turcæ.
Turé, vicus Turonum, Tauriacum.
Turenne, oppid. Lemovicensis provinc. Turena seu Torinna.
Turfon, oppid. & populi Parthiæ ac Bactrianæ, Tagæ.
Turgow vel Turgaw, pagus & tractus Helvetiæ, Tauracus, Turegum.
Turi, oppid. Apuliæ Peucetiæ, ubi Thyrai populi, Thuriæ, Turii, Turres.
Turingerwaldt, vide Thuringerwaldt.
Turino, urbs Pedemontii, Augusta Taurinorum.
Turins, populi Italiæ, Taurini.
Turo, oppid. Daciæ, Tiriscum.
Turocz seu Owar, Comitatus Hungariæ, Turocensis.
le Turquestan, pars Tartariæ, Turchestania.
la Turquie seu l'Empire des Turcs, Turcarum Imperium.
Tury, oppid. Normanniæ, Turiacum.
Turre, fluv. Forojulii, Turrus.
Turrecula, insula Calabriæ, una Ithacesiarum, Turricella.
le Tursan, in Aquitania, regio Tarusatium.
Turse, oppid. Aquitaniæ, ubi Tarusates populi.
Tursi, urbs regni Neapolitani, Tursus.
Tury, oppid. Normanniæ, Augustodunum.
Tusan, locus inter Sirionem & Leriam, Tussanum.
Tusculano, oppid. Lombardiæ excisum, Benacum.
Tuseeldant, tractus Frisiæ, ubi Sturii populi.
Tussa, oppid. vel castrum Siciliæ, Tisia, Thisse.
Tussenberg, oppid. Sueviæ, Taxgatium.
Tuthoa, fluv. Arcadiæ, Lampia.
Tuver, urbs Moscoviæ, Tavera.
Tuvy, vide Tovy.
Tuy, urbs Gallæciæ, Tude, Tyde.
Tuyn vel Tuin, oppid. ditionis Leodiensis, Ad Fines, Fines.
Twede vel Tuede, fluv. Angliæ, Tuesis, Tuesis, Vedra, Tueda aliis.
Twendt, regio Transisalanæ, ubi Tubantes populi.
Tykoczin, urbs Poloniæ, Tykozinum.
Tyne, vide Tine.
Tyrconel & Dungal, Comitatus Hiberniæ, Tyrconensis.
Tyre & Tire, urbs Lydiæ, Thyatira.
Tyrone, Comitatus Hiberniæ, Tyronensis.
Tyrnau, urbs Hungariæ, Tirnavia.
Tyrol, vide Tirol.
Tyssa, vide Teissa.
Tzaconia, regio Peloponnesi, Laconica.
Tzadurile, urbs Phrygiæ, Dorylæum.
Tzapri, vide Capri.
Tzum dreyen buchen, pagus Alsatiæ, ubi Triboces populi.
Tzurlich, vide Zorlich.

V.

VAdonia, vide Vandoma.
Vabres, urbs Linguadociæ, ubi Umbranici populi. Vabrense castrum, Vabra aliis.
Vacca, insula Sardiniæ, una Beleridarum.
la Vaccarie, locus Galliæ, in diœcesi Leutevana, Vaccaria.
Vacenkirchen, oppid. Bavariæ, Stanacum.
Vachlendorff, pagus Germaniæ inferioris, Vacallinenus.
Vada, portus Hetruriæ, Vada Volaterrana.
Vadawcor, mons Hispaniæ, Vadavero.
Vadimone, vide Lago Vadimone.
Vadsten, urbs Sueciæ, Vadstena.
Vaena, oppid. Andaluziæ, Ulia.
Vag, fluv. Hungariæ, Vagus.
Vaersborg, oppid. Sueciæ, Varburgum.
Vagram, urbs Norici excisa, Vacorium.
Vai, portus Liguriæ, Sabatium vadum, Vada Sabatia.
Vaielitia, regio Epiri, Thesprotia.
Vaing, vide Faing.
Vaire, pagus Liguriæ, Vallis regia.
Vaison, urbs Provinciæ in Comitatu Vindauscinensi, Vasio, Forum Vocontiorum.
Vaissailleu, locus Galliæ, Vassaliacum.
le pays de Vajure, tractus Lotharingiæ, inter Mosam & Mosellam, Ager Vajurensis.
Vainssa, fluv. Macedoniæ, Eas, Aous, Lous, Hæsusa, Genusus.
Val Beneventana, Samnii, regionis Italiæ pars.
di Bregna, regio Alpina, ubi Breuni populi.
Camonica, regio Alpina, ubi Camuni populi.
Cilera, tractus Alpinus, ubi Medulli populi.
di Compare, insula maris Ionii, Ithaca.
Dun, locus Galliæ in Caletis, Vallis Duni.
Fontenay, tractus Sabaudiæ, ubi Bodiontii populi.
di Fricenti, locus Hirpinorum, Ansancti vallis.
de Fuentes, pagus Hispaniæ juxta Meridam, Ad sorores.
di Gana vel Ganna, regio Insubriæ, ubi Naunes vel Gauni populi.
di Gardano, in Samnio regione Italiæ, vallis juxta Caudinas fauces.
di Gogna, tractus Insubriæ, ubi Agones populi.
Levontina, regio Alpina juxta lacum majorem, ubi olim Lepontii populi.
Livadia, regio Achajæ, Doris.
de Luna, pagus Palæstinæ, Haialon.
di Montirone, locus Lombardiæ, Campi Macri, Macricampi.
Montone, pagus Latii, Labicum.
de Morienne, regio Sabaudiæ, ubi Garoceli.
de Nebro, oppid. Hispaniæ, Nemetobrica. Aliis oppid. Aragoniæ, Nertobrica.
di Niolo, tractus Corsicæ, ubi olim Licnini populi.
Orbe, locus Helvetiæ, Vallis Urbæ.
d'Osta, tractus Pedemontii, ubi Salasi populi.
Pellina, vallis Alpium Pœninarum, Pœnina vallis.
le Roy, locus Galliæ, in Gabalis, ad Euram fluv. Vallis Regis.
di Serra, tractus Alpinus, ubi Asseriates populi.
Sugana, tractus inter Alpes, ubi Ausugani populi.
de Suse, vel di Susa, locus ad Alpium radices, Vallis Segusiana.
di Taro, tractus Italiæ, Vallis Tari.
Triompa, tractus agri Brixiani, ubi Triumpilini populi.
Vascons, locus Galliæ, in Belsia, Vasconis vallis.
de Viso, regio Delphinatus, ubi Vocontii populi.
Le Val, vicus Galliæ, in agro Parisino: vicus Soonæ castro proximus: Le Val, castrum in Cenomanis, ad Meduanam fluv. Vallis Guidonis, vel Widonis. Item locus, in Cenomanis cum titulo Comitatus, Maduallis.
l'Abbaye du Val, locus Galliæ, in agro Parisiensi, Vallis S. Mariæ. Vulgò Abbatia Vallis.
Valabergue, locus Galliæ ad Rhodanum, Voloberra.
Valacchia, regio Europæ, Valachia, Dacia Alpestris.
le Valais, pars Helvetiorum, Valesia.
Valania, fluv. Phœniciæ; Eleutherus, & urbs ejusdem, Balanea.
Valaurie, locus Galliæ, prope Antipolim, Vallis aurea.
Valbach, pagus Hungariæ, Valcua.
Valca, fluv. Hetruriæ, Cremera.
Valcheren, insula Zeelandiæ, Valachria.
Valckenburg, oppid. Germaniæ inferioris, Coriovallium, Falconis mons, Vatuca.
Valcourt, oppid. Belgii, Vallocuria.
Valcowar, oppid. Hungariæ, Valcum.
Valdivia, oppid. regni Cilei, Valdiwa.
Vale, fluv. Angliæ in Cornubia, Cenion.
Valence, urbs Delphinatus, Valentia.
Valencenes, vide Valenciennes.
Valenchiennes, urbs Hannoniæ, Scaldis pons, Valentianæ, Valiencena.
Valencia, urbs Valentini regni præcipua, Valentia.
Valencia d'Alcantara, oppid. Hispaniæ, Valentia Alcantaræ.
Valencia al Minno, oppid. Portugalliæ, Valentia.
Valencia nueva, oppid. Americæ, Valentia nova.
Valentano, oppid. Hetruriæ, Varentanum.
Valentia, pagus Asturiæ, Coianca.
Valentinois, populi Delphinatus, Segalauni.
Valenton, vel Valanton, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, Valento.
Valenza, urbs Hispaniæ, Valentia.
Valenza, oppid. Lombardiæ Cispadanæ, Valentia, Forum Fulvii, Forum Valentinum.
Valera, locus Andaluziæ, ubi oppid. olim Nertobrica.
Valera, urbs Hispaniæ Tarraconensis, excisa, Valeria.
Valera Guemada, vide Valera de Suso.
Valera de Suso, urbs Hispaniæ Tarraconensis excisa, Valeria.
Valera la Veja, vide Valera de Suso.
S. Valeri les Plains, vicus Galliæ, in Caletis, S. Walaricus in Planis.
S. Valeri en Caux, vide S. Valeri les Plains.
Valerie les grands, vicus Turonum, Valeria.
Valestra, vide Balestra.
Valette, urbs Melitæ insulæ, Valetta.
Valiza, mons Thraciæ, Rhodope.
Valkenburg, castrum Trans-Mosanum, Mons Falconis.
Valladolid, urbs Castellæ veteris, Pintia, Vallisoletum.
Valladolid nueva, urbs Jucataniæ, Pintia nova.
Valladolid nueva, urbs novæ Hispaniæ, Pintia nueva, & Comayagua.
Valladolid nueva, urbs Peruviç, Pintia nova.
le Valtais, vide le Valais.
Vallania, vide Valania.
Valle di Demona, pars Siciliæ, Demonæ Vallis, seu Nemorensis.
Valle di Mazara, pars Siciliæ ad Occasum, Mazaræ Vallis.
Valle di Noto, pars Siciliæ, Neætina Vallis.
Vallée, ager Galliæ, in Andicavis, Vallegia.
Vallée d'Aran, vallis in Aragonia, Arania.
Vallesiani, populi inter Helvetios & Sabaudiam, Seduni, Vallesiani, Vallenses.
le Valli di Comachio, circa Hadriam, Atrianorum paludes, Septem maria.
Valligny, locus Galliæ, ad Carim fluv. Valliniacum.
Vallisserland, vide Wallisserlandt.
Vallivalia, regio Macedoniæ, Doris.
Vall'Ombrosa, Monasterium agri Florentini, Vallis Umbrosa.
Valmaigne, locus Galliæ cum Monasterio, in Septimania, Villa magna.
Valmontone, oppid. Latii, Labici, & Labicum.
Valognes, oppid. Normanniæ, Valonia.
Valois, regio Galliæ inter Picardiam & Campaniam, Valesia.
Valona, urbs Macedoniæ, Aulon.
Valongnes, castrum Galliæ, in pago Constantino, Wallonia.
Valpo, fluv. Hungariæ, Valpanus.
Valpon, pars Hungariæ, Valkonensis Comitatus.
Valpon, urbs Hungariæ, Valpo & Valcum.
Valrain, locus Galliæ, in Suessionibus, Vallis rami.
Vals, Conventus Rhætorum, in fœdere Cano, Vallis.
Valsee, pagus Austriæ, Felicis lacus, seu locus.
Valtelina, tractus Rhætiæ, Vallis Telina, Volturena, ubi Vennonetes populi.
Valtierra, pagus Hispaniæ, ubi Varcilienses populi.
Valve, regio Aprutii, ubi olim Peligni populi.
Vamba, pagus Portugalliæ, Gertigos.
Van, urbs Armeniæ, Arthemita, Iban.
Van, lacus Mediç, Martiana palus.
Vandeuvre, locus Galliæ. in Briona, Vendopera.

Vandoma, pagus & cœnobium Portugalliæ, Vettonia.
Vanenza, vide Vanezza.
Vanezza, vel Vaneza, oppid. regni Legionensis, Petavonium, Vallata.
Vanne, vel Venne, fluv. in Senonibus, Venena.
S. Vanne, monasterium in agro Verodunensi, S. Vitoni.
Vannes, urbs Britanniæ minoris, Venetia, Dariorigum, ubi Veneti populi.
le Var, fluv. inter Galliam & Italiam, Varus.
Vara, fluv. Hetruriæ, Boactus.
Varadin, urbs Hungariæ, Varadinum, ubi Buridensii populi.
Varallo, oppidul. Ducatus Mediolanensis, Varallum.
Varamo, fluv. Venetiæ, Varamus.
Varasdin, vide Warasdin.
Varax, oppid. in Sequanis, Varascorum.
Varca, & la Valca, amnis Tusciæ, Cremera.
Varceve, urbs Dalmatiæ, Collentum.
Varcile, pagus Castellæ, ubi Varcilienses populi.
Vardari, fluv. Macedoniæ, Axius.
Vardogna, oppid. Peloponnesi, Tympania.
Varea, pagus Hispaniæ Tarraconensis, Varia.
Vareille, locus cum Monasterio in Senonibus, Vallilia.
Varendorp, oppid. Westphaliæ, Varendorpium.
Varenne, fluv. & locus Galliæ, in Caletis, Guarenna, vel Varenna.
Varennes, oppid. Borboniensis provinciæ, Varennæ.
Varescio, oppid. Galliæ Cisalpinæ, Barene.
Varese, oppid. agri Mediolanensis, Baretium.
Varhel, pagus Transylvaniæ, Ulpia Trajana, Zarmigethusa.
Varitcha, fluv. Sclavoniæ, Titius.
Varna, urbs Mysiæ inferioris, Dionysiopolis, Barna, Tiberiopolis, Odessus, Varna aliis.
Varne, fluv. Mœsiç inferioris, Zyras.
Varneton, oppidul. Belgii, Varnetonium.
il Varo, fluv. inter Galliam & Liguriam, Varus.
Varsac-ili, vide Versac-ili.
Vartema, oppid. Insubriç, Vertacomacora.
Varvane, locus Galliæ in Caletis, Vervana.
Varwyck, oppid. Angliæ, Tuesis.
Varwickshire, pars Angliæ, Varvicensis Comitatus.
Vascapu, inter Daciam & Transylvaniam, Dacia Alpestris; aliis Pylæ Geticæ.
Vasento, fluv. Calabriç, Casuentum, Basentium.
Vasigluze, mons Thraciç, Rhodope.
Vasilica, vide Basilica.
Vasiligorod, urbs Moscoviç, Vasiligroda.
Vasilipotame, fluv. Eurotas; & oppid. Peloponnesi, Thalame.
Vasilipotamo, oppid. Cypri, Marium.
Vassay, oppid. Campaniæ, Vasiticum.
Vasserbourg, urbs Bavariæ, Wasserburgum.
Vassy, oppid. Campaniç, ad Blesam fluv. Vassejum, seu Vassiacum.
Vastan, palus & urbs Mediç, Arsissa, Aretsa.
Vastan, vide Van.
Vaste, oppid. Salentinorum, Basta.
Vasten, urbs Sueciç, Vastena.
il Vasto, oppid. Aprutii, Histonium.
Vatan, tractus sylvestris Galliç, in Biturigibus Cubis, Vastinum.
Vateville, locus Galliç ad Sequanam, Guateville.
Vathi, oppid. Laconiç, Las.
Vatia, oppid. Thessaliæ, Eretria.
Vatica, oppid. Laconiç, Boa, Bææ.
Vaticano, vide Baticano.
il Vaticano, collis Romç, Vaticanus mons.
Vatiza, urbs Cappadociç, Polemonium.
Vatter, mons Sarmatiç Europæç, Carpates.
Vatzen, & Veitzen, urbs Hungariæ, Vaccia.
Vau Cresson, vicus agri Parisini, Vallis Crisonis.
Vau Drome, locus in Delphinatu, Vallis Drunæ.
le Vau de Gallie, castellum Galliæ, in agro Parisiensi, Vallis Galliæ.
Vavaro, oppid. Insubriç, Vaprium.
Vaubray, locus non procul à Lingonibus, Vallis Braji.
Vauclere, locus ad Ellam fluv. Vallis Clara.
Vaucouleurs, oppid. Campaniæ, ad Mosam, Valculeriæ, vel Vallis coloris.
le pays de Vaud, tractus Helvetiæ, Nantuatum regio.
Vaudemont, oppidul. Lotharingiæ, Valdemontium, seu Vadani mons.
Vaudrevange, oppid. Lotharingiç, Valderfinga.
Vauge, mons Lotharingiæ, Vogesus, Vosagus.
Vaujour, vicus agri Parisini, Vallis Jotri.
Vaulecluse, vicus in Sequanis, Vallis Clusa.
la Vaur, urbs Linguadociæ, Vaurium.
Vaussoire, vel Wausours, castellum Belgii, cum Monasterio, in agro Namurcensi, Valciodorum.
Vauvert, vicus Galliæ, in agro Nemausensi, Vallis Viridis.
Vaux, regiuncula Galliæ, in agro Aurelianensi: Item, vicus agri Parisini, ad Sequanam: Item locus in Senonibus: Item vicus Lodiæ sylvæ, Valles.
Vaux, municipium Belgii, in agro Camaracensi, Porgi Vallis.
le grand Vaux, locus ad Urbiam fluv. Major Vallis.
le petit Vaux, ibidem, Minor Vallis.
le Vaux de Cernay, vicus Galliæ, cum Monasterio in agro Parisino, Sarnajum.
Vay, vide Vai.
Vayngben, locus Germaniæ superioris, Vangiones.
Vayona, pagus Castellæ novæ, Titmacia, Titulcia.
Vayrac, locus Galliç, in Aquitania, Variacum.
Vayrou, locus fluv. cognominis, in Rutenis, Galliæ regione. Averio.
Uban, castellum Galliæ, in agro Nivernensi, Huben.
Ubeda, urbs Andaluziç, Ubeda.
Uberlingen, urbs Sueviæ, Uberlinga.
Ubich, pagus Juliacensis Ducatus, olim Ubiorum locus, Vurpiacum aliis.
Ucelles, locus Galliæ, in agro Cabillonensi, Uxellum.
Uchtersee, in Helvetia, Lacus Moratensis.
Uchtlandt, tractus Galliæ Belgicæ, ubi Nantuates populi.
Udenheim, oppid. Germaniæ superioris, Neomagus.
Uderzo, vide Oderzo.
Udine, urbs Foro-Julii, Utinum, Idinum aliis.
Udsted, oppid. Sueciç, Ustadium.
Ve, locus Galliæ, in agro Vadensi, Vadum.
Vecht, oppid. Westphaliæ, Vechta.
Vecht, fluv. Transisalanæ, Vidrus.
Vecht, fluv. Westphaliæ, Vidrus.
Veczel, pagus Transylvaniæ, Zarmigethusa.
Veer, & Campwar, oppid. Belgii, Campoveria.
la Vega, oppid. Hispaniæ, Talamina.
Vegia, insula Liburniæ, Curicta, Vegia, Portunata.
Vegia, vel Veggia, Vegla, urbs insulæ Vegiæ, Curicum, Vegium.
Vegne, vicus Turonum, Evena.
Vejana, urbs Hetruriæ excisa, Veji.
Vejer, vide Bejer.
Veillenbach, pagus Bavariæ, Vallatum.
Vejum, vide Wie.
Velay, regio Aquitaniæ, ubi Velauni populi.
la Vele, fluv. Galliæ, in Remis, Vidula.
Veleja, oppid. Hispaniç Tarraconensis, Beleja, Velia.
Veletri, urbs Latii, Velitræ.
Velez, oppid. Hispaniç, Urcesa.
Velez el Blanco, vide Velez el Ruvio.
Velez de Gomera, oppid. Mauritaniæ Tingitanæ, Acrath.
Velez Melaga, urbs Granadæ, Hexi, Sexi, Sex, Sexitania, ubi Exitani populi.
Velez el Ruvio, oppid. Hispaniæ, Vesci, Faventia.
Velia, oppid. Andaluziæ, Ulia.
Velica, oppid. Sclavoniæ, Variana.
Velichi, fluv. Epiri, Acheron.
Veliki Prewos, Sarmatiæ, Ara Cæsaris.
Velilla, vicus Aragoniæ, Velilla.
Vella, Æthiopiæ sub Ægypto, Antiphili portus.
Velsenberch, villa Ducatus Bergensis, ubi Bructuarii populi.
Veltenburg, pagus Bavariæ, Artobriga.
Veltlin, tractus Rhætiæ, ubi Vennonetes populi.
Veltsick, pagus Flandriæ juxta Gandavum, Ciceronis castra, Belgis.
Veltz, oppid. Hungariæ, Valcum.
de Veluwe, tractus Hollandiæ, ubi Caninefates populi, Veluvia aliis.
Vely, oppid. Galliæ, in Suessionibus, Veliacum.
Vemars, vicus Galliæ, in agro Parisino, Vemarsium.
Venafri, urbs Samnii, Venafrum.
le Venaissin, seu le Comtat Venaissin, Comitatus Provinciæ, Vindasanus, Vindausensis, seu Venascinus.
Venasque, oppid. Campsorum, popul. Aragoniæ, Vindausca, vel Venasca.
Venasque, aliàs Venaisse, oppid. Galliæ, in agro Carpentoractensi. Item locus Pedemontii, Vindausca.
Venasque, castrum Provinciæ, Vindausca.
Vence, aliàs Vanze, urbs Provinciæ, Vensiensis urbs, Vincium, Vintium, ubi populi Nerusi.
Venchen, urbs Sinarum, Vencheum.
Vendresse, villa Galliæ, in agro Remensi, Vindonissa, vel Vindonissa.
Vendeuil, vel Vendeul, locus ejusdem regni, in Bellovacis, Vindoilum.
Vendeuvre, castrum Galliæ, in Lingonibus: in diœcesi Tullensi. Item locus cum Monasterio, in Cenomanis, Vendoptera.
Vendieres, locus in Remis, ad Matronam, Vendera.
Vendosme, oppid. Galliæ, Vindinum, Vindocinum.
le Vendosmois, tractus Galliæ, Vindocinensis ager.
Vendres, lacus Linguadociæ, Rubrensis lacus.
le Vene, fluv. Umbriæ, Clitumnus.
Venecz, urbs Transylvaniæ excisa, Zarmigethusa.
Venedig, vide Venetia.
Vener, lacus Sueciæ, Venerus.
Venetia, urbs Venetæ regionis, Venetia.
Venezuela, regio Americæ meridionalis, Venezuela.
Venlo, urbs Belgii, Venloa.
la Venoge, fluv. Galliæ, Venogia.
Venosa, urbs regni Neapolitani, Venusia.
Vensone, vide Monte di Venzone.
Vensussel, tractus Jutiæ, Vensilia.
Vensussel, oppidul. Jutiæ, Vensilia, & Burgla.
Venta Loquera, oppid. regni Murciensis, Vergilia.
Ventadour, oppidul. seu castrum Lemovicensis provinc. Ventadurea, & Ventadorum.
Ventavon, oppid. Delphinatus, Alabontis, & Alabons.
Ventotiene, insula maris Tyrrheni, Parthenope, Bentitiana aliis.
Venteux, locus in Lingonibus, Ventosum.
Ventusia, pagus Latii, Ausona.
Venza, oppid. in provinc. Alpium maritimarum, Vintium. Vide Vence.
Ver le grand, & Ver le petit, duo vici Galliæ, in agro Parisiaco, Vermagnum & parvum.
Vera, urbs Granatensis regni, Vergi.
Vera Cruz, oppid. novæ Hispaniæ, Vera Crux.
Veradin, urbs Pannoniæ, Acuminctum. Vide Varadin.
Veragua, provinc. novæ Hispaniæ, Veragua.
Verange, vel Berange, fluviolus Galliæ, in Laternam influens, Berangius.
Verataser, fluv. Macedoniæ, Echedorus.
Verberie, locus Galliæ, in pago Vadensi, Verimbrea.
Verbinche, fluv. Galliæ, in agro Brienensi, Verbinca.
il Vercellese, pars Pedemontii, Vercellense Dominium.
Vercelli, urbs Pedemontii, Vercellæ.
Vercors, tractus Galliæ, in Delphinatu, Ager Vocontius.
Verde, fluv. Latii, Veresis.
Verden, vide Ferden.
Verdiso, oppid. Thraciæ, Perontieum.
Verdun, urbs Lotharingiæ, Vereduna, Verodunum, Virodunum; & alia Burgundiæ Ducatus, in diœcesi Cabillonensi, Verdun sur Saone quoque.
Verdun, oppid. Aquitaniæ, Verodunum.
Vere, vicus Galliæ, in agro Parisino, Veres.
der Vere, urbecula Zeelandiæ, Veria, & Campoveria.
Veresio, fluv. Latii, Veresis.
Verfeil, castrum Tolosanum, Viride folium.
Vergada, insula Dalmatiæ, Lumbricatum.
Vergassins, populi Galliæ Belgicæ, Velocasses.
Vergeres, vicus Galliæ, in agro Nemausensi, Viridaria.
la Vergne, insula amnica Galliæ, in Rhodano, Gernica.
Vergovigna, oppid. Liburniæ, Ardotium.
Vergy, castrum Burgundiæ Ducatus, Virgejum.
Verhichi, vide Velichi.
Veria, regio Macedoniæ, Pieria.
Veria, oppid. regni Granatensis, Barea.
Veria, urbs Macedoniæ, Berrhœa.
Veria, fluv. Siciliæ, Chrysas, Helicon.
Veria, vel Viria, fluv. alter Siciliæ, Chrysas.
Verines, pagus Aquitaniæ, Vernemetes.
Veringen, oppid. Sueviæ, ubi Varini populi.

Verlia, oppid. Bithyniæ, *Olbia*.
Vermand, urbs Picardiæ excisa, *Augusta Veromanduorum*.
Vermandois, tractus Picardiæ, ubi *Veromandui* populi.
Vermeland, provinc. Sueciæ, *Vermelandia*.
Vernator, vide *Rio Vernator*.
Vernauda, fluv. Calabriæ ulterioris, *Targines*.
Vernoux, vicus Galliæ, in Briegio, *Vernelli*.
Vernazza, oppid. ditionis Genuensis, *Vulnetia*.
Verneuil, oppid. Galliæ, in Bellovacis, *Vernolium*.
Verneuil au Perche, oppid. Galliæ, *Vernolium in Pertico*.
Verneul, locus Galliæ, in agro Burbonensi, *Vernolium*.
Verneus, locus Galliæ, ad Utrionem fluv. *Vernosum*.
Vernicario, oppid. Calabriæ citerioris, *Aprustum*.
Vernon, urbs Normanniæ, *Vernonum*.
Vernou, locus Galliæ, in Turonibus, *Vernadum*.
Vernoullet, vicus Galliæ, in Briegio, *Vernoliolum*.
Vermeil, locus Galliæ, in Briegio, *Vernolium*.
le Veromandois, regio Galliæ, *Veromanduus tractus*.
Veron, oppid. Galliæ apud Senones, inter Meduntam & Gallionem, *Vellaunodunum*.
Verona, urbs Venetiæ, *Verona*.
Veronese, tractus Longobardiæ, *Veronensis ager*.
Verraders Eylandt, maris Pacifici, *Proditorum insula*.
Verre, fluv. Galliæ, in Lidericum fluens, *Edera*.
Verre, vide *Capo di Verre*.
Verriere, vicus agri Parisini, *Vitraria*.
Versacgeli, Pisidiæ urbs *Antiochia*; & regio Asiæ minoris, *Pisidia*.
Versac ili, provinc. Asiæ minoris, *Pisidia*.
Versailles, castrum Galliæ, *Versalia*.
Versche, fluv. Lapponiæ, *Versca*.
la Versette, rivulus Galliæ, in Suessionibus, *Versa*.
Versigny, vicus Galliæ, in agro Vadensi, *Vercimacum*.
Versoy, oppid. Bressiæ, *Versojum*.
Vert, fluviolus Galliæ, Viridu.
Vertema, pagus Insubriæ, *Bardomagum*.
Verthaim, oppid. Franconiæ, *Verthemum*.
Vertuchi, fluv. Epiri, *Acheron*.
Vertou, oppid. Britanniæ minoris ad Separim Nanneticum, *Vertavum*.
Vertus, oppid. Campaniæ Rhemensis, in Gallia, *Vertusium*, seu *Virtudum*.
S. Vertuz, villa in pago Ternodorensi, *Sylviniacus*.
Verua, arx Montisferrati, *Veruca*.
Vervetz, vicus Flandriæ, Viroviacum.
Vervin, vel *Vervins*, oppid. Picardiæ, in Teoracia, *Verbinum*.
Vervons, oppid. Picardiæ, *Verbinum*.
Verulam, oppid. Angliæ excisum, *Verolamium*.
Veruli, urbs Latii, *Verulum*.
Verwinter Hoeck, in nova Zembla, *promontor. Hiemale*.
Verzine, oppid. Calabriæ citerioris, *Vertinæ*.
Verzy, vicus Galliæ, in Remis, *Virisiacum*.
Vesciano, oppid. Campaniæ Italicæ, *Bescia*, *Vescia*.
Vescovato di Trento, in Germania, *Tridentina ditio*.
Vescovio, urbs Sabinorum, *Cures*, *Forum novum*.
la Vesere, fluv. Galliæ, *Visera*.
haute Vesere, fluv. priori proximus, *Visera superior*.
Veseronie, vicus Galliæ in Delphinatu, *Visorontia*.
Veset, locus ad Mosam, *Visatum*.
Vesle, fluv. Campaniæ Gallicæ, *Vidula*.
Vesly, oppid. Galliæ, *Villicum*.
Veso, mons Pedemontii, *Vesulus*.
Vesol, seu *Vesoul*, castellum in Lingonibus, *Vesullum*.
Vesoul, urbs Comitatus Burgundiæ, *Vesulium*.
Vesprin, urbs Hungariæ, *Rhaspia*, *Vesprinium*.
Vestric, vicus Galliæ, in agro Nemausensi, *Vestricum*.
Veter, lacus Sueciæ, *Veterus*.
Veteravie, tractus Franconiæ, *Veteravia*.
Vetralla, oppid. Hetruriæ, *Forum Cassii*.
Vetrana, oppid. Salentinorum, *Veretum*.
Vetulia, locus Hetruriæ, *Vetulonia*.
Vevay, oppid. Helvetiorum, *Vibiscum*.
Veude, fluv. Galliæ in Pictonibus, *Valdus*. Item in Turonibus, *Vetlus*, aut *Vedia*.
Veules, in Caletis, *Wellæ*.
Veulquessins, vide *Vergassins*.
le Veuxin, pagus seu regio Galliæ Lugdunensis, *Veliocassiorum*.
Veuxin François, tractus Galliæ, *Velocasses Francici*.
Veuxin Normand, regio ejusdem regni, *Velocasses Normanni*.
Vexford, urbs Hiberniæ, *Vexfordia*.
Vexford Countye, Hiberniæ, *Vexfordiensis Comitatus*.
le Vexin, tractus Galliæ, *Veximum*, vide *Veuxin*.
Vexsio, urbs Sueciæ, *Vexsia*.
Vextilef, fluv. Tremissæ, *Acafran*.
Veyzama, oppid. Biscajæ, *Segisama Julia*.
le Vez de Constantin, tractus Normanniæ, ubi *Vadicasses* populi.
Vezelay, urbs Burgundiæ, cum Monasterio, *Vezeliacum*, vel *Viceliacum*.
Ugenti, urbs terræ Hydruntinæ, *Uxentum*.
Uggel, oppid. Normanbiæ, *Uggade*.
Ugogh, pars Hungariæ, *Ugogensis Comitatus*.
Ugogh, castrum Hungariæ, *Ugoza*.
Via Costuma, Liguriæ, *Postumia via*.
Viadana, oppid. Ducatus Mantuani, *Vitelliana*.
Viana, oppid. Portugalliæ, *Martilum*.
Viana, urbecula Navarræ, *Viana*.
Viana de Foz de Lima, oppid. Portugalliæ, *Viana Limii*.
Vianden, locus Germaniæ, in Treviris, *Vienna*.
la Viane, aliàs *Vignane*, accolis *Vienne*, fluv. Aquitaniæ, *Vigenna*, seu *Vingenna*.
Vianen, oppid. Hollandiæ, *Viana*: in diœcesi Ultrajectina. Item Flandriæ locus.
la Vianne, vel *la Vignane*, vide *La Viane*.
Viarons, oppid. Biturigum, *Avanticum*, seu *Avaricum*.
Viatka, provinc. Moscoviæ, *Viatka*.
Viatka, urbs Moscoviæ, *Viatka*.
S. Viau en Retz, locus Galliæ, in agro Ratiatensi, *S. Vitalis in Ratensi*.
Vibeuf, locus Galliæ, in Caletis, *Vibodium*.
Viborg, urbs Sueciæ, *Viburgum*.
Vibrato, vel *Viparata*, fluv. Aprutii, *Albula*.
Vic, oppid. Lotharingiæ, *Vicum*.
Vic de Bigorres, locus Galliæ, *Vicus Bigerrorum*.
Vic en Carladez, locus in agro *Cartilatensi*, *Vicus*.
Vic Fesensac, locus Galliæ, *Videntiacum*.
Vicarello, oppid. Hetruriæ, *Aurelii vicus*, *Biracellum*.
Vicari, oppid. Siciliæ, *Hyccarum*.
il Vicentino, pars Longobardiæ, *Vicentinus ager*.
Vicenza, pagus Picentinorum, *Picentia*.
Vicenza, urbs Venetiæ, *Vicenti*, *Vicetia*, *Vincentia*.
Viceour, *Viceours*, ac *Vicours*, vicus Galliæ, in agro Parisino, *Vicus Cereris*.
Vich, urbs Catalauniæ, *Ausa nova*, *Corbio*, *Vicus*, aliis *Aquæ Voconiæ*.
Vichi, locus ad Elaverem, *Victiacum*.
Vichiarchiano, vide *Vitorchiano*.
Vico, vicus Hetruriæ, *Elbii vicus*.
Vico, locus Insubriæ, *Rusi Virginii villa*.
Vico della Baronia, urbs Principatus Ulterioris, *Vicus*.
Vico di Sorrento, urbs Campaniæ, *Æqua*, *Æquana*, *Vicus Æquensis*.
Vicovaro, vel *Vicovarro*, oppid. Sabinorum, *Vicus Varronis*.
Vicovenza, pagus Romandiolæ, *Vicus Egonum*, *Vicus Habentium*, *Vicohabentia*, ubi *Ægones* populi.
Victimolo, locus agri Vercellensis, *Ictumulum*.
Victoria, urbs Biscajæ, *Vellica*, *Victoriæ*.
Vidin, urbs Serviæ, *Bydena*, *Viminacium*.
la Vidourle, vel *Bidourle*, amnis Galliæ, in Laternam se exonerans, *Vitturlus*.
Vieil Rouan, viculus Normanniæ, *Vetus Rotomagus*.
Vieille Toulouse, vicus Galliæ, ad Garumnam, *Vetus Tolosa*.
Vielkiluki, urbs Moscoviæ, *Vielkyluchia*.
Viella, urbs parva Aragoniæ, *Viella*.
Viena, urbs Austriæ Metropolis, *Ala Flaviana*, *Flavianum*, *Juliobona*, *Vindobona*, *Vienna*.
Vienne, urbs Delphinatus, *Vienna*.
Vienne, fluv. Galliæ, *Vigenna*. Vide *Vigenne*.
Vienne, vide *Viena*.
Vienne en Austriche, vide *Wien*.
Vienne le chasteau, locus in Ducatu Barrensi. Item castrum in Campania, *Vienna*.
Vienne la ville, locus Galliæ in Campania, *Vienna villa*.
le Viennois, pars Delphinatus, *Viennensis tractus*.
Viers en Gastine, locus Galliæ, *Vierium in Wastineo agro*.
Vierzo, oppid. Catalauniæ, *Bergidum*, *Verginum*.
Vierzon, oppid. Biturigum, *Avanticum*.
Vierzon, aliàs *Viarron*, oppid. Biturricensis provinc. ad Carim, *Virsio*.
Vieste, urbs Apuliæ Dauniæ, *Apenestæ*, *Viesta*.
Vieux Poitiers, locus ad Clennum fluv. *Veteres Pictavi*.
Vigan, locus Galliæ, in diœcesi Nemausensi, *Vicanum*.
Vigazolo, *Vigisole*, lacus agri Patavini, *Togisonus*.
Vigenne, fluv. Burgundiæ, *Vincenna*.
Vigevano, urbs Ducatus Mediolanensis, *Viglebanum*, *Vergeminum*.
Vigneuil, vicus Galliæ, in agro Parisino, *Vinolium*.
Vignomet, pagus Sabaudiæ, *Visio*. Item castrum Septimaniæ, *Parvus Avenio*.
Vignori, locus Galliæ, in Bellovacis, *Guenoricum*.
Vignorri, locus in Lingonibus, *Vangionis rivus*.
Vigny, oppid. ad Mosam, *Vinetum*.
Vigon, oppid. Pedemontii, ubi *Vageni* populi.
le Vigordan, territorium urbis *Bigerriorum*.
Vibicio, pagus Hungariæ, *Visontium*.
Vibitz, urbs Croatiæ, *Vihitza*.
Viick de Duersteden, castrum Belgii, *Batavodurum*.
Vikesland, tractus Livoniæ, *Vikezlandia*.
Viklo, oppid. Hiberniæ, *Viclovium*.
Vilaco, vide *Vylack*.
Vilaine, fluv. Britanniæ minoris, *Vindana*, *Herius*, *Vicinonia*.
Vilcassin, vide *Vulxin*.
Vilendraut, castellum Aquitaniæ, *Vinbendrandum*.
Vilenves, locus Galliæ, in agro Dulmensi, *Vilennæ*.
Vililla, locus Aragoniæ, *Celsa*.
Villa d'Adriano, in Latio, *Tiburtina villa*.
Barna, pagus agri Dertonensis, *Libarna*.
de Capilla, pagus Andaluziæ, *Mirobriga*.
di Chiesa, urbs Sardiniæ, *Vallis Ecclesiæ*, *Villa Ecclesiæ*.
Cigura, pagus regni Valentini, *Segerra*.
de Conde, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, *Abobrica*.
Dolce, pagus Aragoniæ, ubi *Volciani* populi.
Franca, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, *Carthago vetus*.
Franca, oppid. Liguriæ maritimum, *Portus Herculis*.
de Fo, pagus territorii Alexandrini, *Forum Satiellorum*.
d'Iglesia, urbs Sardiniæ, *Villa Ecclesiæ*.
Manta, urbs Castellæ excisa, *Mantua*.
de Mors, oppid. Corsicæ, *Mora*.
Nueva d'Alcaraz, oppid. Castellæ, *Castaon*, *Tugia*.
Nueva de los Infantes, in Hispania, *Laminitani populi*.
Procopiana, oppid. Mysiæ superioris, *Justiniana secunda*, *Ulpianum*.
Pozzi, oppid. Sardiniæ excisum, *Saralapis*, *Sufalei villa*.
Real, oppid. Portugalliæ, *Villa regia*.
di Ruvignas, locus Foro-Julii, *Paulini prædia*.
Vitioça, castrum Portugalliæ, *Villa Vitiosa*.
Vitiosa, oppid. Asturiæ, *Veca*.
Yotosa, oppid. regni Valentiæ, *Jonsia*.
Villabbe, vicus agri Parisini, *Villa Abbatis*.
Villach, urbs Carinthiæ, *Vacorium*, *Villacum* aliis.
Villacher Alben, pars *Alpium Noricarum*.
Villalon, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, *Avia*.
Villanova, oppid. Algarbiæ, *Portus Hannibalis*.
Villar de Petroso, pagus Lusitaniæ, *Augustobriga*.
Ville aux Asnes, vicus agri Parisini, *Villa ad Asinos*.
du Bou, vicus ibidem, ad sylvam Marcociensem, *Villa ad Sylvam*.
Bon, oppid. Normanniæ, *Juliobona*, vel *Villa Bona*. Item vicus agri Parisini.
en Bray, locus Galliæ, *Villa in Brajo*.
Crene, locus Galliæ, in Briegio, *Villa Crena*.
Dieu, locus Galliæ, ad Taram fluv. Villa agri Parisini, *Villa Dei*.
d'Evesque, vicus agri Parisini, in Briegio, *Villa Episcopi*.
Franche, oppid. Baujoviensis tractus, *Villa Franca*.
Franche, oppid. Comitatus Nicęensis, *Villa Franca*.
Franche de Conflent, urbs Comitatus Ruscinonensis, *Villa Franca Confluentum*.
Franche de Rovergue, urbs Ruthenensis tractus. *Villa Franca*.
en Hesbain, locus in Belgio, *Villa Hasbaniæ*.
Juifve, vicus agri Parisini, *Villa Judæi*, pro *Villa Julitæ*.
Just, vicus ejusdem agri. *Villa Justa*.
Loin, locus Turonum cum Monasterio, ad Andriam, *Villa Lupæ*.

Longue, locus in diœcesi Tolosana, Villa Longa.
Maurie, in Burgundia, Villa Mauriana.
Menon, vicus Galliæ, in Briegio, Villa Magnonis.
Meisson, vicus agri Parisini, ad Urbiam fluv. Villa Messium.
Monble, vicus ejusdem agri, Villa Mumbla.
Neufve, oppid. Occitaniæ, Villa Nova. Item Pennelocus. Vide Villeneuf.
Neufve, le Berg, oppid. Occitaniæ, Villa Nova Bergia.
Neufve, le Comte, vicus Galliæ in Briegio, Villa Nova Comitis.
Neufve, S. George, vicus itidem Briegii, Villa Nova S. Georgii.
Neufve, le Roy, vicus agri Parisini, Villa Nova Regis.
Preuse, locus agri Parisiensis, Villa Picta.
Pesque, vicus ejusdem agri, Villa Persica.
Peinte, vicus Galliæ, Villa Picta.
sur Retourne, locus Galliæ, Villa super Retundam.
Roy, vici duo agri Parisini, Villa Regis.
Taneuse, vicus agri Parisini, Villa Tignosa.
Tourbe, locus agri Tardanensis, Villa Turba.
Villemagne, locus Galliæ in diœcesi Biterrensi, Villamagna.
Villemur, locus Galliæ, ad Tarnim fluv. Villa Murorum.
Villemur, oppid. Occitaniæ, Vimurium.
Villena, urbs Castellę, Bigerra.
Villenburg, oppid. Bavariæ, Abilia.
Villeneuf, locus apud lacum Lemanum, Penne.
Villepreux, & Villepereux, locus Galliæ, in agro Parisino, Villa Petrosa.
Villereal, locus Galliæ, ad Garumnam, Villa Regalis.
Villeron, vicus Galliæ in agro Parisiensi, Vilero.
Villers, locus in Tricassibus, Villeriacum. Item vicus agri Parisini ad Sequanam, Villaris. Vide quoque Villiers.
Villers coste Retz, castrum Galliæ, Villeria ad Cotiam.
les Villes Anseatiques, urbes Germaniæ, Hanseaticæ.
Villeseque, locus Galliæ in diœcesi Narbonensi: in agro Carcassonensi, Villa sicca.
la Villette, locus agri Parisini, Villula.
la Villette S. Lazare, proxima Parisiis, Villula S. Lazari.
Villiers, vicus Galliæ, in Briegio, Villarium. Vide quoque Villers.
Villiers Adam, vicus agri Parisini, Villare Adæ.
Villiers le Bel, vicus Ecclesiæ Parisiensis, in Decanatu Gonessæ, Villare Bellum.
Villiers le Carbonel, locus Galliæ in agro Santeriensi, Villare.
Villiers col de Rets, corruptè Villiers Coterets, locus Galliæ, in sylva Retia, Villaris ad collum Retiæ.
Villiers lès Mailles, locus in Meldis, Malleus.
Villiers sur Marne, vicus Galliæ in agro Parisino, Villare ad Matronam.
Villiers le sec, vicus ejusdem agri, Villare Siccum.
Villiers sur Taire, locus Galliæ, Villare ad Taram fluv.
Villori, locus Galliæ, in Tricassibus, Villariacum.
Vilne, urbs Lithuaniæ, Vilna.
Vils, fluv. Bavariæ, Quintanica.
Vimerca, pagus Insubriæ, Vicus Martius.
le Vimeu, regio Galliæ, inter Anciam & Suminam fluv. Vinemagus.
Viny, pagus Galliæ apud Lugdunum, Vinyuncum, Visunacum, & Visnesa.
Vinay, urbs ad Isaram fluv. Ventia.
Vincennes, castrum Galliæ, Vincennæ.
Vinchester, urbs Angliæ, Vintonia.
Vindicari, portus Siciliæ, Naustathmus.
Vinding, pagus Sueviæ, ubi Augusta Vindelicorum.
Vindisch Marck, provinc. Germaniæ, Vinderum Marchia.
Vineul, locus Galliæ, inter Carum & Ligerim, Noviliacus vicus, vel Nobiliacum.
Vingenn, castrum in Lingonibus, Vangionis rivus.
Vinnerix, vel Vingnery, rivus Galliæ, in Matronam decurrens, Vangio.
Vinoxberguer, urbs Flandriæ, Mons S. Vinoci.
Vinoyburg, oppid. Ducatus Burgundiæ, Vinotiburgum.
Vinschoten, oppid. Belgii, Vinschota.
Vinstgow, tractus Rhætiæ, ubi Venones populi.
Vinstringen, & Fiurstrange, oppid. Lotharingiæ, Vinstringa.
Vintimiglia, urbs Liguriæ, Albintimilium, Albintemelium, Vintimilium.
Vipao, fluv. & oppid. Carniolæ, Frigidus.
Viques, urbs Catalauniæ, Corbio, Ausa nova, Vicus.
Vique, oppid. Aquitaniæ, ubi Vocates populi.
Vire, urbs Normanniæ, Varia, & Vira.
Vire, fluv. Normanniæ, Viria.
Vireville, castrum Delphinatus, Vetus villa.
Virginie, regio Americæ septentrionalis, Virginia.
Virieu, locus in Delphinatu, Viriacum.
Viris, locus agri Parisiensis in Gallia, Viriacum vetus.
Virton, urbecula Belgii, Virtonium.
Visan, vel Witsan, castrum Picardiæ, cum portu, Guisam.
Visboden, oppid. Germaniæ, Aquæ Mattiacæ, & Visbada.
Vischmond, pagus Austriæ, Æquinoctium.
Vise, oppid. Leodiensis Diœceseos, Vegesatum.
Visegrad, vel Vizzegrad, oppid. Hungariæ, Felicis locus, seu locus.
Visento, vide Bisento.
Viseo, urbs Lusitaniæ, Lancia, Visеum, Vicus aquarius, Visensis urbs, Visontium.
Visois, aut Vigeois, locus Galliæ, cum monasterio, in Lemovic. Vosia.
Visme, locus Galliæ, ad ostium Vicinoniæ fluv. Visenna.
Vissaopatan, urbs Mesopotamiæ, Sipphara.
Vissent, & Witsant, portus Angliæ, Iccius.
Vistiza, oppid. Peloponnesi, Ægium.
le Vistre, amniculus Galliæ, in agro Nemausensi, Vitreus.
Vistricz, locus Hungariæ, Pistrensis villa.
Vistrizza, fluv. Macedoniæ, Erigonus.
Vistule, fluv. Poloniæ, Vistula.
Vitesleu, vel Vitesleur, fluv. Galliæ, in Caletis, Guitesleda, vel Vitesleda.
Viterbo, urbs Hetruriæ, Viterbium.
Vitilo, oppid. Peloponnesi, Bitylа.
Vitlich, oppid. Trevirensis ditionis, Vitellicum.
Vitorchiano, oppid. Tusciæ, Horchianus vicus, Orchianum.
Vitray, oppid. Britanniæ minoris, Victoriacum, Vitreum aliis. Item in sylva Aurelianensi locus.
Vitré, locus in Britannia minori, in diœcesi Redonensi, Vitrejum.
Vitri, vicus Galliæ in agro Parisiensi, ad Sequanam, Vitriacum. Item in Atrebatibus, Victoriacensis villa. Vide quoque Vitry.
Vitry, oppid. Campaniæ, Legio Victrix, Victoriacum Francicum.
Vitry le Braslé, locus Galliæ, in agro Perteusi, Victriacum incensum.
Vitry le François, ad Matronam, Victoriacum Francisci.
Vitry aux Loges, in sylva Aurelianensi, Victoriacum ad Logias.
Vitry en Partois, vide Vitry le Braslé.
Vitsan, vide Whitsan.
Vittoria, vide Victoria.
Vivarets, regio Galliæ, ubi Ambibareti, Helenteri populi, Helvii aliis & Vivariensis tractus.
Vivay, locus in Helvetiis, Vibiscum.
le Vivier, locus ad Sicaulam fluv. Vivarium.
Viviers, urbs Galliæ Celticæ, Vivariensis urbs, Vivarium.
Viviers, urbs Galliæ, Alba Helviorum, seu Alba Augusta Helviorum.
Vivis, oppid. lacus Genevensis, Bibiscum, Vibiscum.
Vix sur Aisne, locus Galliæ, Vicus ad Axonam.
Vize, urbs Thraciæ, Bizya, Byzia.
Vizzegrad, & Plindenburg, urbs Hungariæ, Vissegradia.
Ukraine, provinc. Poloniæ, Ukraina.
Ukraine, provinc. Moscoviæ, Ucraina.
Via Tresk, lacus Sueciæ, Via.
Vladislaw, urbs Poloniæ, Vladislavia.
Vlaerdingen, oppid. Hollandiæ, Peladertinga.
Vlagrada, urbs Macedoniæ excisa, Scampe.
Vlastra, locus Lucaniæ, Veliа nova.
't Vlie, insula Hollandiæ in ostio Rheni, Flevo; & Rheni ostium orientale, Flevum.
Ulm, urbs Sueviæ, Alcimoennis, Ulma.
Vloska, regio Europæ, Italia.
Vloska Zembla, regio Europæ, Italia.
Ulpen, pagus prope Limburgum, Vulpiacum.
Ulster, provinc. Hiberniæ, Ultonia.
Ulubat, urbs Mysiæ Asiaticæ, Lopadium; & fluv. Rhyndacus.
Uma, oppid. Sueciæ, Huma, & Uma.
Umarabea, fluv. Mauritaniæ, Cusa; & portus Rusubis, Rusubis.
Umbriatico, urbs Calabriæ ulterioris, Bryssacia, Umbriaticum aliis.
Umbrone, vide l'Ombrone.
Uncra, urbs Galatiæ, Ancyra.
Underseе, lacus Sueviæ, Venetus.
Underwalde, urbs & conventus Helvetiæ, Sylvania.
Ungaria, provinc. Europæ, Pannonia, Hungaria.
Unghwar, pars Hungariæ, Unghensis Comitatus.
Unghwar, urbs Hungariæ, Ungaria.
Unna, urbs Westphaliæ, Unna.
Voce, locus Hetruriæ, ubi Volcientes populi.
Vocone, pagus Sabinorum, Fanum Vacunæ.
Vodena, urbs Macedoniæ, Ædessa.
Voerden, oppid. Belgii, Niger pullus.
Vogel, mons Stiriæ, Claudius. Aliis Mons Regis.
Vogel, mons Rhætiæ, Adula.
Vogelsberg, mons Germaniæ, Melibocus.
Voghera, oppid. Lombardiæ in Liguria, Iria, Vicus Iriæ.
Vogiron, oppid. Britanniæ minoris, Vagoritum.
Vogogna, oppid. Insubriæ, Vocona.
Voidanar, urbs Thessaliæ, Atrax.
la Voire, amnis Galliæ, in agro Pertensi, Vigera.
Voisins, vicus agri Parisini, Vicinia.
Voitland, tractus Germaniæ, Merania, ubi Narisci populi, Voigtlandia aliis.
Voitlander, populi Germaniæ, Narisci.
Voitsperg, pagus Sueviæ, Viana.
Volana, ostium Padi cum pago, Olane, Volane.
Volcano, insula juxta Siciliam, Hiera.
Volcano de Antoco, mons regni Chiles. Antoci.
Volcano de Arequipa, Peruviæ, Vulcanus Arequipa.
Volcano de Chillan, regni Ciles, Vulcanus Chillani.
Volcano Chuanauca, regni Ciles, Vulcanus Chuanaucus.
Volcano de Coca, Peruviæ, Vulcanus Coca.
Volcano de Copiapo, regni Ciles, Vulcanus Copiapi.
Volcano de Coquimbo, regni Ciles, Vulcanus Coquimbi.
Volcano de Guatimala, in Guatimala provinc. Vulcanus Guatimalæ.
Volcano de Huape, regni Ciles, Vulcanus Huapeus.
Volcano de Ligua, regni Ciles, Vulcanus Ligua.
Volcano de Maspa, Peruviæ, Vulcanus Maspæ.
Volcano de Nicaragua, in provinc. Nicaraguâ, Vulcanus Nicaragua.
Volcano de Notuco, regni Ciles, Vulcanus Notuci.
Volcano de Osorno, regni Ciles, Vulcanus Osorni.
Volcano de Peteroa, regni Ciles, Vulcanus Peteroa.
Volcano de Pinta, Peruviæ, Vulcanus Pinta.
Volcano Quechucabi, regni Ciles, Vulcanus Quechucabus.
Volcano de S. Clemente, regni Ciles, Vulcanus S. Clementis.
Volcano de Villa ricca, regni Ciles. Vulcanus Villæ divitis.
Volcanos, pagus Argiæ, Asine.
Volemouth, portus Cornubiæ, Voliba.
Volfembutel, urbs Germaniæ, Volfenbutela.
la Volga, fluv. Sarmatiæ Asiaticæ, Rha.
Volhinia, regio Sarmatiæ Europææ, ubi Alauni populi, Volhinia aliis.
Voli, promontor. Calabriæ, Scyllæum.
Volismens, pagus Cretæ, Panormus.
Vollenhove, oppid. Frisiæ occidentalis, Flevum castellum.
Volli, vide Bolli.
Volo & Volo, sinus Thessaliæ Maliacus; & oppid. Pagasæ, Demetrias.
Volere, castrum Galliæ, Tigerno proximum, Lovolautrum.
Voltagio, oppid. Liguriæ, Vituriі.
la Volte, locus Galliæ, ad Elaverem, in Vellavis, Volutа.
Volterra, urbs Hetruriæ, Volaterra.
Volturno, fluv. Campaniæ Italicæ, Vulturnus.
Voltri, vide Vultri.
Volturara, urbs Apuliæ, Vulturaria.
Volvic, locus in Arvernis, Volvicum.
Voluzza, montes Macedoniæ, Cambunii.
Vomano, fluv. Aprutii, Vomanus.
Vomi, urbs Iaponiæ, Vomia.
Vonissa, oppid. Epiri, Anactoria.
Vonte, locus Galliæ in Turonibus, Velauta.
Voorburg, oppid. Belgii, Forum Hadriani.
Voorn Scroom, in Gueldria, Arx Vornia.
Voragine, oppid. Liguriæ, Virginum, Voraginum.
Vordonia, urbs Laconiæ, Amyclæ.
Vormes, oppid. Germaniæ, Borbetomagus Vangionum.
Vormezeele, locus in Morinis, ubi Collegium Canonicorum, Formisela.
Vorms, oppid. Rhætiæ, Bormium, ubi Bormiæ aquæ.

Varnoc, promontor. Aquitaniæ, Pictonium.
le pays de Vosgue, aut la Vosgue, regio utrumque Vosagi montis latus continens, Vosagia.
Vospero, urbs Tauricæ, Panticapæa, Bosporus; & fretum, Bosporus Cimmerius.
Vodanza, oppid. Macedoniæ, Andaristus.
Vostica, oppid. Peloponnesi, Bura.
Vosium, urbs la[illegible], Vosium.
Vornars, urbs I[illegible], Paubatra.
Vouga, fluv. & oppid. Portugalliæ, Vacca, Vacua.
Vougé, castellum in Pictonibus, Voglade.
la Vouzie, fluv. Galliæ, in Briegio, Vosia.
Vouson, locus Galliæ, cum prioratu, in diœcesi Aurelianensi, Vasonum.
la Voute, in Arvernis, ad Elaverem fluv. Item ad Rhodanum, Volta.
Vouvant, oppid. Pictonum, Volventum.
Vouze vel Vouse, vicus Remorum, ad Axonam, Vongus vel Vongum.
Vozu, urbs Iaponiæ. Vozua.
Voyge, vel Voyse, cœnobium, ad fontes Mosę, Vosagense.
Vpland, provinc. Sueciæ, Vplandia.
Vpsal, urbs Sueciæ, Vpsala.
Vpsu, urbs Phrygię magnæ, Hypsus.
Vraba, tractus Americæ meridionalis, Vraba.
S. Vrain, vicus Galliæ, ad Junnam fluv. S. Verani.
Vramea, oppid. Guipuscoæ, Menosca, Menlascum.
Vrana, oppid. Liburniæ, Blandona, Arauna aliis.
Vraniborg, castrum Daniæ, Vraniburgum.
Vrba, fluv. Liguriæ, Urbs.
Vrbania, urbs Ducatus Urbinatis, Urbania.
Vrbino, urbs Umbriæ, Orvinium. Urbinum.
Vrbisalia, oppid. Piceni excisum, Salvia urbs, Urbs Salvia.
Vrdax, locus Aquitaniæ juxta Bajonam, Hurdaspalense cœnobium.
Vren, populi & oppid. Helvetię, Taurisci.
Ureo, fluv. Macedoniæ, Apsus.
Urgel, urbs Cataloniæ, Orgelium, Urgella, Orgia, ubi Ilergavonenses populi.
Urichia, tractus Germaniæ superioris, ubi Rauraci populi.
Vriesach, vide Friesach.
Urla, urbs Ionię, Clazomene.
Urie, oppid. Lydię dirutum, Dædala, Dedala.
Uron Vrauberch, mons Umbriæ, Iscelus.
Ursimarso, oppid. Calabriæ, ubi Ursentini populi. Abystrum, Albistrum, Aprustum.
Urt, fluv. Belgii, Urta.
Urte, castrum Galliæ, in agro Forensi superiore, Ulferum.
Uryen Berre, vicus Galliæ, Uriacum in Bieria sylva.
Usano, locus territorii Hydruntini, Vretum.
Usbeck, regio Asię, Usbechus.
Uscopia, urbs Mysiæ superioris, Scupi.
les Uscoques, populi Croatiæ, Uscochi.
Usento, vide Ugenti.
Usedom, urbs Pomeraniæ, Usedomia.
Userche, urbs Lemovicensis provinciæ, Userca & Usarchia.
Userche, locus Galliæ, cum monasterio, ad Viseram: in finibus Lemovicum, Userca.
Usetz, vide Uzes.
Ushant, insula Angliæ. Axantos.
Usk oppid. Walliæ, Burrium.
Usen, locus Galliæ.
l'Ustega & Ustica, insula Sicilię, Evonymus; Ustica aliis.
l'Ustica, vide l'Ustega.
Utrecht, urbs Belgii, Antonina, Trajectum inferius, Urricesium.
Uttokcester, Utcester, Uttoxeter, oppid. Angliæ, Etocetum.
Uimarhel, oppid. Daciæ, Utidava.
Vulcanetto, insula Siciliæ, Evonymus.
Vulcana, vide Volcano.
Vulcano, insula juxta Siciliam, Hiera, Vulcani insula.
Vulcanos, vide Volcanos.
Vunsi, urbs Peloponnesi, Stymphalum.
Vulpia, oppid. Bulgariæ, Ulpianum, Iustiniana secunda.
Vulturi vel Vutri, oppid. Ligurię, Vituria.
Vulturara, urbs Hirpinorum, Vulturaria.
Vuixin, regio Galliæ, ubi Velocasses, Veneliocasii, Verocasses populi.
Vutung, urbs Sinarum, Vutinga.
Uzelica, pagus Rhodi insulæ, Ialysus.
Vy sur Anise, in Ambianis, Vicus ad Alteiam.
Vylack, oppid. Hungariæ, Inollum.
Vyst, insula Scotiæ, Vistum.
Uzegnois, regio Galliæ, Ucetensis.
Uzelis, pagus Hispaniæ Bæticæ, Uzena.
Uzes, urbs Linguadociæ, Ucetia, Usica, Uzetia.
Uzes, vel Usez, oppid. Galliæ, in Volcis Arecomicis, Uceia.
Uzesta, castrum Aquitaniæ, Uxella.

W.

WAad, regio Helvetiæ, in agro Bernensi, Vaudi regio.
die Waar, tractus Vallesię, ubi Nantuates populi.
Waccamach, urbs Cappadociæ, Trapezus.
die Waal, ostium Rheni, Helium, Vahalis, Vacalus fluv.
Waga, fluv. Scandiæ, Vagus.
Wagenheym, oppid. Germanię, Vagenum.
Wagening, oppid. Geldriæ, Vaga.
Wageningen, locus Belgii, Vada seu Ad Duodecimum.
Wageren, provinc. Holsatiæ, Vageria.
bas & haut Walais, regio Helvetię, Vallesia superior & inferior.
Wailheim, oppid. Bavariæ, ubi Benlauni populi.
Walicher, populi Europæ, Getæ, Daci.
le Walais, pars Helvetiorum, Vallesia.
Walcheren, insula Zeelandiæ, Valacria.
Waldeck, oppid. Hassiæ, Valdecum.
Walderfang, locus ad Saravum fluv. Walderfingium.
Waldhuys, urbs Sueciæ, Valdiausia.
Waldorff, locus ad Suram fluv. Valdorpium.
Waldaw, desertum Prussiæ, Valdovium.
Wales, pars Angliæ, Vallia.
Walhoff, vicus Livoniæ. Walhoffia.
the Wall of the Picts, vallum inter Anglos & Scotos, Hadriani murus, Vallum.
Wallingford, oppid. Angliæ, Caleva.
Wallisserlandt, regio Galliæ ad Rhodanum, Valinsa, Vallesia, ubi populi Seduni Veragri, Vallesii.
Wallsend, oppid. Angliæ, Vindobala, Vindomora.
Wall town, pagus Angliæ, Ad murum.
pays Walon, tractus Belgii, continens Atrebates, Flandriam, & Hannoniam.
le Walon Brabant, tractus Belgii, Gallica Brabantia.
Walse, vicus Austriæ, Falcuma.
Wan, urbs Armeniæ majoris, Iban.
Wana, fluv. Croatiæ, Vana.
Wangen, oppid. Sueviæ, Vimania, Viana, Vangena aliis.
Waradin, urbs Hungariæ, Varadinum, ubi Biessi populi.
Waram, pagus Pannoniæ superioris, Variana.
Warangeville, oppid. Lotharingiæ, Warengisivilla.
Warasdin, urbs Stiriæ, Variana, Varasdinum aliis.
Warc, castellum ad Mosam ac Sulmonam fluv. Wardus.
Warczkowie more, Balticum mare.
Wardeyn, vide Waradin.
Wardhus, regni Norvegiæ pars, Vardhusiana præfectura.
Wardhuse & Wardhuys, promontor. Norvegiæ, Lytarmis, Rubea.
Wardhuse, castrum Norvegiæ, Vardhusium.
Warmerville, in Remis, Warmeru villa.
Warmerlandt, vide Warmia.
Warmia, tractus Prussiæ, Varmia, ubi Varini populi.
Warrington, oppid. Angliæ, Rhigodunum.
Warsaw, urbs Poloniæ, Warsovia.
Warte, fluv. Poloniæ, Varta.
Warwick, oppid. Angliæ, Præsidium, Verovicum, Varvicum aliis.
Warwick upon Eden, oppid. Angliæ, Virosidum.
Warwickshire, Angliæ pars, Varvicensis Comitatus.
Warwick, vide Werwick.
das Wasgaw, regio utrumque Vosagi latus continens, Ager Vosagensis.
Wasgow, regio Galliæ, Neustria.
the Wash vel the Washes, fluv. vel æstuarium Angliæ, Metaris.
Waster, monasterium in sylva Fania, Wasture.
Waslor, locus cum monasterio, in diœcesi Virodunensi. Waslogium.
Wasserburg, oppid. Bavariæ, ubi Consuanetes populi, Wasserburgum.
Wasserfall, mons Sequanorum, Iura.
Waterford, urbs Hiberniæ, Manapia, Vaterfordia.
Waterlandt, pars Hollandiæ, ubi olim Frisiabones populi.
der Wavart, inter Mosam & Mosellam, Ager Vapurensis.
Ways, insula maris Scotici, Dumna.
Vuchen, urbs Sinarum, Vucheum.
Wedon, vicus Angliæ, Bennaventa.
Ween, insula maris Baltici, Huena.
Weert, pagus Brabantiæ, Quartensis pagus, Quartum.
Wegierska, provinc. Europæ, Hungaria, Pannonia inferior.
Weigats, insula Oceani Septentrionalis, Veigatia.
Weigats, fretum Oceani Septentrionalis, Veigatium.
Weil, urbs Wirtembergensis Ducatus, Vuila.
Weiburg, oppid. Germaniæ, Vilburgum.
Weimar & Weimmar, urbs Thuringiæ, Vimaria.
Weisbaden, oppid. Germaniæ prope Moguntiam, ubi Bucinobantes populi.
Weismar, urbs Ducatus Meckelburgici, Wismaria.
Weissel, fluv. Poloniæ, Vistula.
Weisselmund, arx Prussiæ, Munda.
Weissenburg, urbs Transylvaniæ, Alba Julia, Apulum.
Weissemburg, urbs Bavariæ, Vissemburgum.
Weissemburg, urbs Alsatiæ, Alba Sebusiana seu Vissemburgum.
Weissenburg, pagus Alsatiæ, ubi Sebusiani populi.
Weissenhorn, oppid. Sueviæ, Viana.
Weiske, oppid. Vegiæ insulæ Dalmatiæ, Fulfinum.
Welikareca, fluv. Moscoviæ, Turuntus.
Welles, urbs Angliæ, Belga, Wells, Theorodunum.
Wels, oppid. Austriæ, Falciana. Locus felix.
Weyschlandt, regio Europæ, Italia.
Wenceland, tractus Walliæ, ubi Silures populi.
Wenden, populi Germaniæ, Vandali, Wandali.
Wenden, tractus Pomeraniæ, Vandalia.
Wenden & Winden, urbs Livoniæ, Venda, Vinda.
Wendenberg, montes Germaniæ. Sudeti vel Sudeti.
Wendischemarck, regio Croatiæ contermina, Marchia Vendorum.
Wentzza, oppid. Stiriæ, Vincentia.
Werben, oppid. Ducatus Juliacensis, Moradunum.
Werczer zee, lacus Livoniæ, Verexerus.
Were, fluv. Angliæ, Vedra.
Werenize, mons Hungariæ, Claudius.
Werewic, oppid. Angliæ, Virosidum.
Werst, casus Danubii in Austria, Catarractes Danubii.
Werispout, mons Armeniæ majoris, Gordiaeus.
Werlam, vide Verulam.
Wermunster vel Waramuster, oppid. Angliæ, Verlucio.
Werne, urbs Flandriæ, Ferna.
Wernow, fluv. Germaniæ prope Rostochium, Chalusus.
Wersaw, vide Warsaw.
Wert Tonaw, urbs Sueviæ, Verda.
Wertach, fluv. Vindeliciæ, Vindo.
Werwiken, vicus Flandriæ, ad Letiam, Viroviacum.
Werwick, vide Werwyck.
Werwyck, pagus Flandriæ, Veroviacum, Viroviacum.
Wesa, alias Wesdret, fluv. Limburgensis, Wesa seu Wesdratus.
Wesenes, pagus Bavariæ, Pisona.
Wesel, urbs Germaniæ inferioris, Aliso, Wesalia.
Weser, fluv. Germaniæ, Visurgis.
Wesct, oppid. Leodiensis Diœceseos. Vegesetum.
Weset, alias Viset, oppid. Belgii ad dextrum Mosam, Visatum.
Wesop, oppid. Hollandiæ, ubi Usipetes populi.
Weska, urbs Sueciæ. Vexio.
Westcappel, pagus Zeelandiæ, Magusani Herculis fanum.
Westchester, urbs Angliæ, Devana, Pretorium, aliis Camulodunum.
Westerwalde, pars Hercyniæ sylvæ Germaniæ, Bacenis, aliis Buconia.
Westerwick, urbs Sueciæ, Vestrovicum.
Westfalen, populi & regio Germaniæ, Istævones.
Westfriesen, regio Belgii, Frisia Occidentalis, Vest-Frisia aliis.
Westmannie, provinc. Sueciæ, Vestmannia.
Westminster, urbecula Anglię, Vestmonasterium.
Westmorland, regio Angliæ. Damnii Vestmaria.
Westphalie & Westphalen, regio Germaniæ, Westphalia.
Westrick, regio Germaniæ superioris, Austrasia.
Westrogothland, provinc. Sueciæ, Westrogothia.
Westrych & Westrick, provinc. Galliæ, Neustria, & Austrasia, Lotharingia, inter Galliam & Germaniam.
West Wales, regio Demetarum popul. Walliæ, Demetia.
West zee, pars Oceani Germanici, mare Cimbricum.
Weteraw, tractus Franconiæ, Veteravia.
Wethlingchestre, locus Angliæ, Verolamium.
Wetsch, urbs Austriæ, Ala Flaviana, Vienna.
Wetzlar, urbs Germaniæ, Vetslaria.
Weyden, urbs Carinthiæ, Idunum.
Weymar, urbs Thuringiæ, Vimaria.
Weymouth, castrum Anglię, Vimutium.
Whitern, urbs Scotiæ, Candida casa Lucopibia.
Whitsan, pagus nunc agri Bononiensis in Gallia, Itius portus.
Wiborg, urbs Daniæ, Viburgum.
Wicken, mons Helvetiæ, Vocetius.
Widzinern, oppid. Servię, Arribantium, Viminacium.
Widen, Boiis ac Moravis, Wieden Polonis, Vienna Austriæ.

Wiefelsburg, oppid. Helvetiæ, *Aventicum*.
Wieliczka, oppidul. Poloniæ, *Vielisca*.
Wielun, oppid. Poloniæ, *Vieluna*.
Wien, urbs Austriæ, *Ala Flaviana*, *Vienna*, *Iuliobona*, *Vindobana*, Viana.
Wienerwaldt, regio Austriæ, *Deserta Bojorum*.
Wieprz, amnis Poloniæ, *Aprus*.
Wisle, fluv. Scotiæ, *Ila*.
Wiflispurg, urbs Helvetiæ, in agro Bernensi, *Aventicum*.
das Wiflispurger gow, regio Helvetiæ, *Ager Aventicensis*.
Wight, insula Angliæ, *Vectis*.
Wigton, oppid. Scotiæ, *Victoria*.
Widme, urbs Austriæ, *Ala Flaviana*.
Wilde, urbs Lithuaniæ, *Vilna*.
Wildeshusen, oppid. Westphaliæ, *Vildhusia*.
Wildloch, locus VVestphaliæ, *Amtinus lucus*.
Wiler, locus Hannoniæ, in agro Damiensi, *Villare*.
Wilia, fluv. Lithuaniæ, *Vilia*.
Wilkomirz, urbs Lithuaniæ, *Vilkomeria*.
Wiliem Schouten Eylandt, in mari Indico, *Guillelmi Scouteni insula*.
Wilsnach, urbs Germaniæ, *Susudata*.
Wilten, pagus Comitatus Tyrolensis, *Veldidena*.
Wiltenburg, urbs Belgii, *Vtricesium*, *Trajectum inferius*. Ferrar.
Wiltenburg, oppid. Hollandiæ, *Wilteburgum*.
Wiltenburg, castellum Belgii, ad ostium Rheni, haud procul Ultrajecto, *Wiltaburgus*. Vales.
Wiltshire, Angliæ Comitatus, ubi *Severiani*, *Belgæ* populi.
Wimpfen, urbs Sueviæ, *Cornelia Wimpina*.
Winander mere, locus Angliæ, *Setantiorum portus*.
Winburne, oppid. Angliæ, *Vindogladia*.
Winchester & *Wintchester*, urbs Angliæ, *Venta Belgarum*.
Winchester in the Wall, oppid. Angliæ, *Vindolana*.
Wincz, oppid. Valachiæ, *Pinon*.
Windaw, urbs Curlandiæ, *Vinda*.
Winden, vide *Wenden*.
Windisch, urbs Helvetiæ excisa, *Vindonissa*, *Vindonense castrum*.
Windisch Gratz, oppid. Iapodum, *Vendum*, *Viundria*.
Windisch Matray, oppid. Norici, *Iduum*.
Windischlandt, regio Pannoniæ, pars *Illyrici*, *Savia Pannonia*.
Windsor, oppid. Angliæ, *Vindesorium*.
Winlandt, vide *Finlandt*.
Winnicza, urbs Poloniæ, *Vinnicza*.
Winsen, oppid. Ducatus Luneburgensis, *Vinsa*.
Winshaim, urbs Franconiæ, *Vinsima*, *Vintshemum* aliis.
Wintancester, urbs Angliæ, *Venta Belgarum*.
Winten, oppid. Bavariæ, *Vettoniana*.
Winterthur, oppid. Helvetiæ, *Vitodurum*.
Wipach, fluv. Carniolæ, *Frigidus*.
Wirland, provinc. Livoniæ, *Viria*.
Wirtemberg, pars Sueviæ, *Wirtembergensis Ducatus*.
Wirtemberg, castrum Sueviæ, *Wirtemberga*.
Wirtenberg, regio & oppid. *Caritnorum*, *Decumatium*, *Virtinguorum*, popul. Germaniæ.
Wirtzburg, urbs Franconiæ, *Herbipolis*, *Artaunum*, *Peapolis*.
Wisbuy, urbs Sueciæ, *Visbua*.
Wischelburg, vide *Weschel*.
Wiselburg, oppid. Hungariæ, *Limusa*.
Wismar, vide *Weismar*, *Wismaria* aliis.
Wisniowiecz, castrum Poloniæ, *Wisniovicium*.
Wistock, oppid. Germaniæ, *Vistochium*.
Wite zee, mare Moscoviæ, *Granduicus sinus*, *Album mare*.
Witepsk, urbs Poloniæ, *Vitepscia*.
Withern, urbs Scotiæ, *Leucobibia*, *Lucopibia*, & *Candida casa*.
Witlam, oppid. Cornubiæ, *Bullaeum*.
Witsan, locus in Morinis, Caleto proximus, *Wissantum*.
Wittenberg, urbs Saxoniæ, *Calacia*, *Leucoraea*, *Viteberga*, ubi olim *Vitæ* populi.
Wixel, vel *Weixel*, fluv. Poloniæ, *Vistula*.
Wlodzimiercz, urbs Poloniæ, *Vlodimeria*.
Wodnay, oppid. Bohemiæ, *Voduana*.
Wodray, locus Galliæ Belg. haud procul Geminiaco, *Vodgoriacum*.
Woerden, oppid. Hollandiæ, *Voerda*.
Woringen, oppid. Germaniæ inferioris, *Quadriburgium*.
Wolaw, urbs Silesiæ, *Volavia*.
Wolemarck, urbs Carinthiæ, *Volemarchia*.
Wolfartzhausen, urbs excisa, locus Sueviæ, ubi *Augusta Vindelicorum*.
Wolga, fluv. Moscoviæ, *Rha*.
Wolgast, urbs Pomeraniæ, *Volgastia*.
Wolin, insula & urbs Pomeraniæ, *Iulinum*.
Wolkowiska, urbs Poloniæ, *Volkovisca*.
Wollenhove, oppid. Trans-Isalaniæ, *Vollenhovia*.
Wollin, oppid. Pomeraniæ, *Vollinum*.
Wolmer, urbs Sueciæ, *Volmaria*.
Wolodimer, pars Moscoviæ, *Volodimiriensis Ducatus*.
Wolodimer, urbs Moscoviæ, *Volodimiria*.
Wologda, provinc. Moscoviæ, *Vologda*.
Womie & *Midnick*, urbs Poloniæ, *Vomia*.
Woodcote, pagus juxta Londinum, *Neomagus*.
Worcester, urbs Angliæ, *Branovium*, *Brannogenium*, *Vigornia*.
Worcestershire, provinc. Angliæ, *Vigornia*.
Worm, fluv. Ducatus Limburgensis, *Vermins*.
Worms, urbs Palatinatus, *Borbetomagus*, *Wormacia*, ubi *Vangiones* populi.
Wormser, in Rhætia, *Bormiæ aquæ*.
Worotin, pars Moscoviæ, *Vorotinensis Ducatus*.
Worotin, urbs Moscoviæ, *Vorotinum*.
Worstfriesen, populi in Cimbrica Chersoneso, *Frisii*.
Wrotham, pagus Cantii, *Vagniacum*.
Wroxcester, oppid. Angliæ, *Viroconium*, *Vriconium*.
Wuczittern vel *Wuczidern*, vide *Wiczittern*.
Wunitz, tractus Rhætiæ, ubi *Vennones* populi.
VV*urmserloch*, pars Alpium inter Rhætiam & Insubriam, *Rhætica juga*, *Rhætica Alpes*.
VV*urtzbourg*, urbs Germaniæ, *Herbipolis*.
VV*urtzgarten*, mons Sarmatiæ Europææ, *Carpates*.
VV*urzen*, urbecula Misniæ, *Vurzena*.
VV*y*, fluv. VValliæ, *Vaga*, *Antona*.
VV*yck te Duerstede*, in Batavis, *Vicus Durostate*, vide *Duerstede*.
VV*yngarten*, oppid. Sueviæ, *Vimania*.

X.

X*eA*, fluv. Margianæ, Oxus.
Xacca, urbs Siciliæ maritima, *Therma*, *Ad aquas Larodas*.
Xainctes, vide *Saintes*.
Xaismael, provinc. Asiæ, *Persia*.
Xalisco, provinc. novæ Hispaniæ, *Xalisca*.
Xalon, fluv. Aragoniæ, *Salo*.
Xansi, provinc. Sinarum *Xansia*.
Xanto, fluv. Phrygiæ, *Xanthus*.
Xantoigne vel *Xantonge*, regio Galliæ, ubi *Santones* populi.
Xantung, provinc. Sinarum, *Xantonia*.
Xaocheu, urbs Sinarum, *Xaocheum*.
Xaoching, urbs Sinarum, *Xaochinga*.
Xaoun, urbs Sinarum, *Xaoum*.
Xaralisi, oppid. Laconicæ, *Xarax*.
Xat, vide *Apte*.
Xativa, urbs regni Valentiæ, *Setabis*, *Xativa* aliis.
Xauxa, fluv. Peruviæ, *Xauxa*.
la Xea de Vrgel, vide *Vrgel*.
Xecien, urbs Sinarum, *Xecienum*.
Xelsa, oppid. Aragoniæ dirutum, *Celsa* & *Colonia Iulia Celsa*.
Xenil, fluv. Andaluziæ, *Singilis*.
Xensi, provinc. Sinarum, *Xensia*.
Xerez, oppid. Andaluziæ, vel pagus ad ostia Anæ, *Esuris*.
Xerez de la Frontiera, oppid. Hispaniæ Bæticæ, *Asta Regia*, *Asida*, *Cæsariana*, *Xera*.
Xerolibado, mons Macedoniæ, *Citarius*.
Xetafe, oppid. Castellæ novæ, *Titulacia*.
Xevosna vel *Xenosna*, urbs Macedoniæ, *Heraclea*.
Xicli, fluv. Siciliæ, *Motychanus*.
Xicoro, insula Iaponiæ, *Xicocum*.
Xilef, fluv. Mauritaniæ, *Cartennus*.
Xili, promontor. Peloponnesi, *Cinætium*, *Onugnathos*.
Xiloca, fluv. Aragoniæ, *Bilbilis*, *Xiloca*.
Ximo, insula Iaponiæ. *Ximum*.
Xincheu, urbs Sinarum, *Xincheum*.
Xiria, mons Arcadiæ, *Pholoe*.
Xixona, oppid. regni Valentini, *Setabicula*, *Sexiona*.
Xoa, regio Æthiopiæ. *Azania*, *Xoa*.
Xucar, fluv. Valentiæ, *Sucro*.
Xuicheu, urbs Sinarum, *Xuicheum*.
Xuncking, urbs Sinarum, *Xunchinga*.
Xunning, urbs Sinarum, *Xunninga*.
Xunte, urbs Sinarum, *Xunta*.
Xuntien, vide *Peking*.
Xylocastro, urbs Peloponnesi, *Ægira*.

Y.

Y*Ancheu*, urbs Sinarum, *Yancheum*.
Yare, vide *Yere*.
Yarmouth, oppid. Angliæ, *Garianonum*.
Ybelin, urbs Palæstinæ excisa, *Geth*.
Yencheu, urbs Sinarum, *Yencheum*.
Yenne, locus Galliæ, ad Rhodanum, *Etanna*.
Yepes, vicus Castellæ novæ, *Ispinum*.
Yer seu *Yerre*, fluv. Galliæ, in Briegio, *Edera*.
Yerach, regio Assyriæ, *Babylonia*.
Yere, fluv. Angliæ, *Garryenus*.
Yerisco, oppid. Macedoniæ, *Panormus*.
Yerri, oppid. Hispaniæ Tarraconensis, *Aracillum*.
Yesd, urbs Persiæ, *Yesda*.
Ygaint, populi Angliæ, *Iugantes*.
Yglesias, urbs Sardiniæ, *Villa Ecclesiæ*.
Ygnos, urbs Thraciæ maritima, *Ænus*.
Ygualada, oppid. Catalauniæ, *Ergavia*.
Yhadeda, fluv. Siciliæ, *Myla*.
Yhasibli, fluv. Siciliæ, *Caryparis*.
Yhomiso, pagus Siciliæ apud *Dianæ fontem*.
Yla, vide *Ila*.
Yle, insula Albionis in Scotia, Epidium, *Hyla* & *Yla*.
Ymrwithig, oppid. Angliæ, *Vriconium*.
Ynesta, oppid. Castellæ novæ, *Egelasta*, *Segobriga* aliis.
Ynis Rhuochyni, insula Angliæ, *Thanatos*.
Yocheu, urbs Sinarum, *Yocheum*.
Yonne, fluv. Galliæ Celticæ, *Icauna*, *Iauna*, *Iuona*.
York, urbs Angliæ, *Brigantium*, *Eboracum*.
Yorkshire, regio *Brigantum* popul. Angliæ, *Eboracensis Comitatus*.
Yperen & *Ypri*, urbs Flandriæ, *Hypra*, ubi *Pleumosii* populi.
Yphax, oppid. Andaluziæ excisum, *Siphax*.
Yres, oppid. Provinciæ, *Athenopolis*, *Olbia*.
Yri, oppid. Peloponnesi, *Phlius*.
Ysel, fluv. Belgii, *Fossa Drusiana*, *Isala*, *Aliso*, *Isla*.
Ysne, oppid. Sueviæ, *Isimsca*.
Yssel, vide *Ysel*.
Yssouldun, oppid. Biturigum, *Exolidunum*, *Vxellodunum*.
Ystwith, fluv. Walliæ, *Stucia*.
Ystwith, fluv. VValliæ, *Rhatostia*, *Rhatostathybius*.
Yverdon, oppid. Helvetiorum, *Ebrodunum*.
Yuiça, insula Hispaniæ, *Ebusus*.
Yuiza, vide *Yuiça*.
Yumachcama, inter Arabiam & Persiam, *Persicus sinus*.
Yvoire, oppid. Sabaudiæ, *Aquaria*.
Yvoix, oppid. Lucemburgensis Ducatus, *Epoissum*, *Ivodium*, *Euosium*, *Yvodium*.
Yupi, regio Tartariæ, *Yupia*.
Ywerdhon, insula Oceani Occidentalis, *Hibernia*.

Z.

Z*eAara*, regio Africæ, *Zaara* seu *Desertum*.
Zabara, regio Africæ, *Libya deserta*.
Zabbay, locus Asiæ, *Paradisus*.
Zabern, urbs Alsatiæ, *Taberna*.
Zabes, urbs Transsylvaniæ, *Zabesus*.
los Zacatecas, provinc. novæ Hispaniæ, *Zacatecarum tractus*.
Zachaf, lacus Æthiopiæ inferioris, *Zachafus*.
Zaconia, regio Peloponnesi, *Laconica*.
Zacuth, fluv. Pamphyliæ, *Eurymedon*.
Zadaon, fluv. Lusitaniæ, *Calipus*.
Zadar, urbs Illyrici, *Iadera*.
Zadra, oppid. Cyrenaicæ, *Ausigda*.
Zafaran, oppid. Africæ maritimum, *Clupea*.
Zaffo, urbs Palæstinæ excisa, *Ioppe*.
Zaflan, lacus Æthiopiæ superioris, *Zaflanus*.
Zagabria, urbs Pannoniæ, *Sisopa*, *Zagabria*, *Soroga*, *Vicus Italicus*.
Zagari, fluv. Bithyniæ, *Sangarius*, *Calpas* aliis.
Zagarolo, oppid. Latii, *Gabii*, *Villa Mariana*.
Zagatay, provinc. Asiæ, *Sogdiana*, aliis *Bactriana*.
Zagatay & *Vibeck*, regio Tartariæ, *Zagataia*.
Zagoria, urbs Thraciæ, *Develtus*; & regio *Zagoria*.
Zagrabia, vide *Zagabria*.
Zahara, regio Africæ; *Libya deserta*, & *Arabicus sinus*, *Zahara* aliis.
Zahara, oppid. Vandalitiæ, *Zahara*.
Zahaspa, urbs Zagataiæ, *Zahaspa*.
le Zaire, fluv. Æthiopiæ, *Zairus*.
Zalawar, oppid. Hungariæ, *Sala*, *Sallis*, *Zala*.
Zalonkemen, vide *Salonkemen*.
Zalonzermen, oppid. Pannoniæ, *Acumincum*.
Zambra, locus Hispaniæ, *Calimbrum*.
Zambre, regio Angliæ, *Cambria*, *Wallia*.
Zamko, oppid. Hungariæ, *Antiana*.
Zamora, urbs regni Legionensis, *Sentica*, *Zamora*, *Sarabris*.
Zamora, urbs Africæ, *Zama*.
Zamosky, urbs Poloniæ, *Zamoscium*.
Zanaga, fluv. Africæ, *Darat*.
Zanagra, oppid. Africæ, *Automala*.
Zanara, portus Cyrenaicæ, *Diarrhœa*.
la Zanara, insula Sardiniæ, *Diabate*.
Zanfara, regnum Nigritiæ, *Zanfara*.

Za-

Zanguebar, regio Æthiopiæ inferioris, *Zanguebaria* & *Barbaria*.
Zanguebar, promontor. Africæ australe, *Frons Africæ*, & regio Africæ. *Agisymba*.
Zanhaga, regio & desertum Zaaræ, *Zanhaga*.
Zaria, oppid. Palæstinæ, *Iamnia*, *Iamnia*.
Zante, urbs & insula maris Ionii, *Zacynthus*.
Zano, oppid. Hungariæ, *Osones*.
Zanzibar, insula Zanguebariæ, *Zanzibara*.
Zappring, vide *Seapring*.
Zaquelsonael, provinc. Asiæ, *Susiana*.
Zara, urbs Liburniæ, *Iadera*.
Zara, vide *Cara*.
Zaracin, pagus Palæstinæ, *Iesrael*.
Zaravecchia, oppid. Dalmatiæ, *Alba maritima*.
Zaramonza, oppid. Illyrici, *Epetium*.
Zarza, pagus Castellæ novæ, *Vicus Cuminarius*.
Zarzaara, oppid. Transylvaniæ, *Frateria*.
Zathalm, oppid. Hungariæ, *Centum colles*.
Zata, oppid. Hungariæ, *Comacum*.
Zatmar, pars Hungariæ, *Zatmariensis Comitatus*.
Zatmar, urbs Hungariæ, *Zatmarium*.
Zator, urbs Poloniæ, *Zatoria*.
Zavichost, urbecula Poloniæ, *Zavichostum*.
Zazella, urbs Æthiopiæ, *Tonice*.
Zazlebes, oppid. Transylvaniæ, *Zeugma*.
Zbaras, oppid. Poloniæ, *Zbarasium*.
Zborow, oppid. Poloniæ, *Zboravia*.
Zea, *Zia*, insula maris Ægæi, *Cea* vel *Cia*.
Zea, pagus regni Legionensis, *Cea*.
Zeb, regio Biledulgerid, *Zebum*.
Zeb, regio Mauritaniæ Cæsariensis, *Zebes*.
Zebucana, oppid. Tauricæ, *Ctenas*.
Zecaro, fluv. Portugalliæ, *Zecarus*, *Ozecarus*.
Zedic, pagus Africæ, *Sarazama*.
Zeeblask, oppid. Hungariæ, *Sopianæ*.
Zeelandt, insula maris Baltici, *Codanonia*, *Selandia*.
Zeglie, vide *Zaglie*.
Zegzeg, regnum Nigritiæ, *Zegzegum*.
Zeila, urbs Æthiopiæ, *Dere*, & emporium, *Avalites*; *Zeila* aliis.
Zeilan, insula Indiæ citerioris, *Nanigeris*. Aliis *Taprobana*, *Ophir*.
Zeisselmar, oppid. Austriæ, *Cetia*, *Cetium*.
Zeitz, urbs Misniæ, *Zitia*.
Zekelheid, arx Transylvaniæ, *Zekelheyda*.
Zela, urbs Cappadociæ excisa, *Zela*.
Zelanda, provinc. Belgii uniti, *Zelandia*.
Zelanders, populi & provinc. Belgii, *Mattiaci*.
Zeland vel *Zeeland*, insula Belgii, *Arborichæ*, *Selandia*.
Zelbtzebber, provinc. Asiæ, *Armenia major*.
Zell, urbs Germaniæ, *Cella*.
Zell, urbs parva Germaniæ, *Cella*.
Zell in Hammerspach, urbecula Sueviæ, *Cella*.
Zema, fluv. Hispaniæ, *Idubeda*.
Zemblyn, oppid. Hungariæ, *Zemblinium*.
Zena, urbs Liguriæ, *Genua*.
Zenara, insula maris Ægæi, *Cynara*.
Zenderin, urbs Serviæ, *Singidunum*, *Senderobis*.
Zendrew, vide *Sendrew*.
Zenega, fluv. Libyæ, *Gir*, *Stachir*, *Nigir*, *Dara* & *Daradus*.
Zeng, urbs Liburniæ, *Senia*.
Zentmar, pagus Pannoniæ superioris, *Burgum Centenarium*.
Zenzibar, vide *Zanguebar*.
Zepel, oppid. Hungariæ, *Cilicene*.
Zerbi, oppid. Africæ, *Zetta*. Vide *Gerbi*.
Zerbst, urbs Saxoniæ superioris, *Zervesta*.
Zerecen, vide *Zaracin*.
Zersen seu *Zersen*, urbs Mauritaniæ, *Siga*.
Zermagna, fluv. Illyrici, *Tedanium*.
Zerpa, oppid. Portugalliæ, *Serpa*.
Zerto de los Infantes, oppid. Granatensis regni, *Ilurgis*.
Zervnaz, oppid. Sclavoniæ, *Adra*.
Zarzach, vel *Zurzach*, vicus Helvetiæ, *Certiacum*.
Zettivar, oppid. Thessaliæ vel Macedoniæ, *Citus*, *Cithrum*.
Zeuta, vide *Centa*.
Zey, fluv. Germaniæ juxta Moguntiam, *Cianu*.
Zeytbon, locus Indiæ citerioris, *Apinterion*.
Zezaro, vide *Zecaro*.
Zezil, vide *Izli*.
Zia, insula maris Ægæi, *Cea*.
Ziateck & *Sats*, oppid. Germaniæ, *Zateccium*.
Zibelletto, urbs Phœniciæ, *Byblus*.
Zibit, urbs Arabiæ Felicis, *Saba*, & regio, *Sabas*, *Zibitum* aliis.
Zichne, urbs Macedoniæ, *Ziebne*.
Zidem, urbs Arabiæ Felicis, *Acila*, Ocelis; ubi *Sidem* populi.
Zideu, urbs Arabiæ, *Zideum* & *Pudin*.
Ziegenhaim, urbs Hassiæ, *Zigenhamum*.
Zigos, insula Croatiæ, *Segestica*.
Zigewner, genus erronum, *Ægyptii*, *Zigani*, *Zigeuni*.
Zigiio, vide *Giglio*.
Zigna, fluv. Sarmatiæ Asiaticæ, *Achardeus*.
de *Zip*, lacus Hollandiæ, *Zippe*.
Zika vel *Zicks*, oppid. Hungariæ, *Magniana*, *Mogetiana*.
Zilia, fluv. Mauritaniæ Tingitanæ, *Anatis*.
Zimat, mons Arabiæ Felicis, *Zametes*.
Zina, provinc. Asiæ minoris, *Pamphylia*.
Zingari, vide *Giugari*.
Ziura, fluv. Valentiæ, *Serabis*.
Zipangri, insula maris Eoi, *Chryse*.
Zirickzee, urbs Zeelandiæ insulæ, *Ziriczæa*.
Zirknitzersee, & *Zirchnitz*, palus Liburniæ, *Lugeum*.
Ziton, urbs Thessaliæ, *Teebæ*.
Zitrachan, provinc. Asiæ, *Albania*.
Zittaw, urbs Lusatiæ, *Zittavia*.
Zizarga, insulæ Gallæciæ, *Cassiterides*.
Zizerit, locus Sueviæ, *Augusta Vindelicorum*.
Zizes, montes regni Fezzæ, *Zizi*.
Znaim, urbs Moraviæ, *Znoimam*.
Zoarat, vide *Zuarat*.
Zocoroph, sinus Asiæ, *Arabicus sinus*.
Zocotera, insula maris Rubri, *Dioscoridis insula*. Aliis *Ogyris*.
Zoegua, insula Propontidis, *Besbicus*.
Zoest, urbs Westphaliæ, *Susatum*.
Zofala, pars Cafferiæ regionis, *Zofalæ regnum*.
Zofala, urbs Cafreriæ, *Zofala*.
Zoga, oppid. Macedoniæ, *Citium*.
Zollern, castrum Sueviæ, *Zollerum*.
Zolnock, urbs Hungariæ, *Solnocum*; *Zolnochium* aliis.
Zonchio, oppid. Sclavoniæ, *Assisia*.
Zonchio, urbs Elidis, *Pylus*.
Zonchia, oppid. Messeniæ, *Pylus*.
Zons, oppid. status Coloniensis, ubi *Sunici* populi.
Zons, oppid. Germaniæ, *Zonsum*.
Zoppia, oppid. Hungariæ, *Sopianæ*.
Zorlich, urbs Thraciæ, *Turulum*, *Tzurulum*.
Zothezavia, Sarmatiæ Europææ fluv. *Tyras*.
Zouphac, insula maris Africi, *Lotophagites*.
Zotrivar, oppid. Thessaliæ, *Cithrum*.
Zuacheni, vide *Suachen*.
Zuarat, portus Africæ, *Pisidon*.
Zucala, Isthmus Tauricus.
Zucamini, oppid. Atticæ vel Bœotiæ, *Oropus*.
Zuchnia, urbs Macedoniæ, *Pella*.
Zuenziga, regnum Africæ, *Zuenziga*.
Zuera, oppid. Aragoniæ, *Gurnonum*.
Zuera, locus Aragoniæ, *Gallicum*.
Zues, vide *Sues*.
Zuerin, pagus Austriæ, *Severini cœnobium*.
Zug, urbs Helvetiæ, *Tougium*, *Tugium*.
Zuger, populi Helvetiæ, *Tougeni*.
Zuglie, inter Carinthiam & Forum Iulii, *Alpes Iuliæ*, *Carnicæ*.
Zuglio, pagus Carnorum, *Iulium Carnicum*, *Carnicum Iulium*.
Zuickau, urbs Misniæ, *Zuickavia*.
Zuiria, regio Asiæ, *Albania*, *Zuiria* aliis.
Zukal, inter Mauritaniam & Andaluziam, *Fretum Herculeum*.
Zulich, aut *Zulick*, contractè *Zulck* vel *Zulg*, castrum Ducatus Juliacensis, *Tolbiacum*.
Zulpick, oppid. Germaniæ inferioris, *Tolbiacum*.
Zunchio, oppid. Peloponnesi, *Epitalium*.
Zuns, vide *Zons*.
Zuzzen, vicus Brisigaviæ, *Viunta*.
Zurich, urbs Helvetiæ, *Tigurinus pagus*, *Tigurum*.
Zuricherzee, lacus Helvetiorum, *Tigurinus* vel *Turicensis*.
Zurzach, locus Helvetiæ, *Aquæ duræ*.
Zutphen, pars Belgii in Geldria, *Zutphaniæ Comitatus*.
Zutphen, urbs Geldriæ, ubi *Usipetes* populi, *Zutphania* aliis.
Zuydersee, sinus apud Hollandos, *Flevum*, *Flevi lacus*, *Austrinus sinus* aliis.
Zweybrucken, urbs Germaniæ, *Bipontium*.
Zwickaw, urbs Voitlandiæ in Germania, *Cygnea*.
Zwol, urbs Transisalaniæ, *Zuvolla*.
Zygeth & *Zegeth*, insula Hungariæ, *Metubarris*.
Zygeth, oppid. Transylvaniæ, *Salinæ*.

INDEX RERUM IN LEXICO HOC UNIVERSALI CONTENTARUM QUARUM TITULI IN OPERE NON EXTANT.

A.

Bar

C.

E.

INDEX RERUM IN LEXICO HOC UNIVERSALI CONTENTARUM QUARUM TITULI IN OPERE NON EXTANT.

Pa-

D.

Exco-

dux,

Vide

G.

H.

I.

Icun-

Capi-

M.

Mensa

Exco-

H.

I.

Icon-

K.

L.

Capi-

M.

N.

Petitorum

Pro-

Hibernus

S.

Semen-

V.

F I N I S.